Cotton Tufts


IOAN. HENRICI

ALSTEDII
SCIENTIARVM OMNIVM ENCYCLOPÆDIÆ

TOMVS TERTIVS

Complectens Operis Partem Quartam, Quintam, & Sextam,

QVARVM CONTENTA SEQVENS folium indicabit.




LVGDVNI,

Sumptibus IOANNIS ANTONII HVGVETAN Filij, & MARCI ANTONII RAVAVD, viâ Mercatoriâ ad insigne Sphæræ.

M. DC. XLIX.

CVM PRIVILEGIO REGIS.



INDEX LOCORVM COMMVNIVM

Tomi tertij.

ENCYCLOPÆDIÆ.

LIBER XXI.

LOCI ETHICI.

LIBER XXII.

LOCI OECONOMICI.

LIBER XXIII.

LOCI POLITICI.

LIBER XXIV.

LOCI SCHOLASTICI.

LIBER XXV.

LOCI THEOLOGICI.

SECTIO I.

SECTIO II.

23 Condi



INDEX QVÆSTIONVM Tomi tertij. ENCYCLOPÆDIÆ.

LIBER XXI.

QVÆSTIONES ETHICÆ.

117 An

LIBER XXII.

QVÆSTIONES OECONOMICÆ.

21 Quæ

LIBER XXIII.

QVÆSTIONES POLITICÆ.

LIBER XXIV.

QVÆSTIONES SCHOLASTICÆ.

LIBER XXV.

QVÆSTIONES THEOLOGICÆ.

SECTIO I.

SECTIO II.

THEOLOGIÆ.

SECTIO III.

THEOLOGIÆ.

199 Quo

Sectio IV.

8 Qui

51 Quàm

46 Qua

PARS

PARS QVARTA, QVINTA, ET SEXTA

ENCYCLOPÆDIÆ,

In quibus proponuntur

- Philoſophia Practica
  - Ethica.
  - Oeconomica.
  - Politica.
  - Scholaſtica.
- Facultates Principes
  - Theologia.
  - Iuriſprudentia.
  - Medicina.
- Artes Mechanicæ
  - Mechanologia generalis, & ſpecialis miſcellanea.
  - Mechanologia Phyſica.
  - Mechanologia, Mathematicam.

IN



INTROITVS IN Philoſophiam Practicam.

SVMMI Ingenij atque acerrimi iudicij vir, Marcus Tullius Cicero, cùm, vt de iure ciuili diceret, eſſet rogatus, prudentiſſimè animaduertit, & ſubtiliſſimè conſiderauit, ſe non poſſe de iſta parte appoſitè & accommodatè diſſerere, niſi rem altiùs repeteret, & ab ipſo, quod dicitur, capite diſputationem duceret. Iudicauit enim fontes ipſos legum inquirendos eſſe, vt res rectè planéque cognoſceretur, atque vt exponi clarè certóque poſſet. Ideo Q. Frater apud Ciceronem dicit, eos, qui ius non commonſtratis fontibus tradunt, non tam iuſtitiæ, quàm litigandi tradere vias. Quod iſti de legibus pronuntiant, latiſſimè patere, & ad alia argumenta accommodari & poſſe & debere, facilè vident ij, quibus aliquid ineſt iudicij. Nos itaque cùm vniuerſam philoſophiam tradere cum bono Deo aggrederemur, id negotij nobis dari videbamus, vt fontes diſciplinarum inquireremus, & ex illis riuulos amœniſſimos deduceremus. Hoc præſtitimus huc uſque in philoſophia poëtica & theoretica ædenda: nunc idem præſtituri in philoſophia practica, quæ vſitatè eſt tripartita, videlicet Ethica, Oeconomica, & Politica: & ſcitè vocatur trifolium totius Encyclopædiæ. Sed quia Scholaſtica iure accedit, philoſophia practica poteſt comparari cum Tetrachordo, quod ritè pulſatum ſuauiſſimam edit harmoniam, adeò quidem, vt philoſophia reliqua ſine hoc tetrachordo potiùs obſit quàm proſit. Nam philoſophia practica eſt veluti cor, & ſceptrum, & portus; cùm theoretica ſit tanquam cerebrum, & pedum, & porta; poëtica autem velut manus, & lingua. Quæ cùm ita ſint, id operam demus, vt ad portum hunc properemus, & cor hoc vniuerſæ philoſophiæ, ceu fontem vitæ omniúmque actionum vitalium, non omittamus aut amittamus, denique ſceptro hoc aureo ſtabiliamus virtutis regnum, eodémque ferreo vitia penitùs confringamus. Ita enim eſt vt ait ille:

Φιλόσοφον ῥητῆρα λόγων, πρηκτῆρα δὲ ἔργων
Εἶναι χρὴ, τά τε ὄντα λέγειν, πράττειν τε δέοντα.

Porrò methodum in hâc tetrade philoſophiæ practicæ hanc adhibuimus, vt præceptis & regulis addiderimus Florilegium, cuius hæc eſt ſyſtaſis:



Ex hac autem methodo cùm aliæ multæ, tum inprimis hæc vtilitas ad nos redibit. Perſpiciemus cuiuſque virtutis præſtantiam (vt ita loquar) validam, vtilitatem variam, & modum perueniendi ad ipſius exercitium. E contrario autem videbimus in quolibet vitio, quàm illud ſit fœdum, quàm noxium, & quomodo cauendum. Sed iam accedamus ad philoſophiam practicam, eique præmittamus Enchiridion Epicteti, & Locos communes politici cuiuſdam pragmatici.

EPICTE



EPICTETI ENCHIRIDION.

Cap. I.

Res aliæ sunt in potestate nostra, aliæ secus.

Res quædam in potestate nostrâ sunt: quædam non sunt. In nostrâ potestate est, opinio, appetitio, desiderium, auersatio &, vt vno complectar verbo, quælibet nostræ actiones. Nostri arbitrij non sunt, corpus, pecunia, gloria, imperia: ad summam, ea quæ ipsi non agimus, omnia.

Cap. II.

Diuersa est conditio earum rerum, quæ sunt in potestate nostra, & earum, quæ non sunt.

Ac ea quidem quæ nobis parent, libera sunt naturâ suâ: nec prohiberi ab vllo, nec impediri possunt. In quæ autem ipsi ius nullum habemus, ea sunt infirma, obnoxia seruituti, obnoxia impedimentis, aliena.

Cap. III.

Tranquillitas animi vt paretur?

Proinde memento, si ea quæ naturâ seruiunt, libera putaris, & aliena pro tuis habueris, fore vt impediaris, lugeas, perturberis, deósque hominésque accuses. Sin id solum tuum existimaris, quod tuum est, aliena verò, vt sunt aliena: te nemo coget vnquam, nemo impediet, neminem accusabis, neminem criminaberis, nihil ages inuitus, nemo te lædet, inimicum non habebis. Neque enim vllam calamitatem accipies.

Cap. IV.

Vnum age, si velis bene agere.

Cùm igitur tantas res appetas, sic eas suscipiendas esse memento, vt sis non mediocriter incitatus, atque alia penitus relinquenda, alia in præsentiâ omittenda censeas. Quòd si & illas desideraris, & magistratus etiam atque opes appetieris, & tuos florere volueris: fortasse ne hæc quidem assequéris, propter earum, quas antè diximus, cupiditatem: iis certè omninò excides, per quas solas felicitas & libertas comparatur.

Cap. V.

Quomodo asperitati rerum occurrendũ?

Itaque viso cuiuis aspero, statim sic vt respondeas, operam dabis: Visum id esse nec planè id quod videatur. Pòst in exquirendo, eas adhibeto regulas quas habes, eámque cum primis ac potissimùm, vtrum id visum in rebus versetur nostræ potestati subiectis, an verò alienis? Quòd si in alienis, in promtu sit, illud ad te nihil attinere.

Cap. VI.

Appetitionis & auersationis discrimen.

Appetitionis eam esse pollicitationem memento, fore vt consequatur id quod appetat. Auersationis, ne in id incidat, quod auersetur. Is porrò quem appetitio frustratur, infortunatus est: qui in id incidit quod auersatur, calamitosus. Itaque sic ea solùm auersere, quæ eorum naturæ quæ in tuâ potestate sunt, repugnant, in eorum quæ auersaris, nihil incides: at si morbum auerseris, aut mortem, aut inopiam, calamitatem subibis.

Cap. VII.

Quas res auersari & appetere conueniat?

Auersationem igitur ab iis rebus amouebis omnibus, quæ in nobis sitæ non sunt: atque in eas transferes quæ naturæ eorum, quæ nostri arbitrij sunt, repugnant. Appetitionem autem hoc tempore prorsus auferto. Nam si ea quæ nostri arbitrij non sunt, desideraris, frustrari necesse erit. Ea verò quæ nobis parent, quatenus rectè possint expeti, nondum es assecutus. Sed eo tantùm vtitor motu animi, quo vel accedas ad eas res, vel ab iisdem recedas: verùm leuiter, & cum imminutione & remissè.

Cap. VIII.

Consideratio naturæ rerum prohibet perturbationem.

Singulis in rebus, quæ vel delectant, vel vsui seruiunt, vel diliguntur, memento considerare cuiusmodi sint, exorsus à minutissimis. Si ollam diligis, te ollam diligere. Nam eâ confractâ, non perturbaberis. Si filiolum, aut vxorem: hominem à te diligi, nam eo mortuo, non perturbaberis.

Cap. IX.

Opus aggressurus expende circumstantias.

Opus aliquod aggressurus, ipse tibi subiicito, cuiusmodi sit illud opus. Si lauatum abieris, ea tibi proponito quæ fiunt in balneo: alios perfundi, alios loco pelli, alios conuitia facere, alios furari. Sic tutiùs rem aggredieris, si ipse tibi dixeris: & statim lauabo, & meum institutum naturæ congruens conseruabo. Eodémque modo in vnoquoque negotio. Sic enim, si quid impedimento lauationi tuæ fuerit, in promtu erit. Equidem non hoc solum volui, sed & institutum meum, naturæ consentaneum, tueri volui. Neque verò tuebor, si ea, quæ fiunt, ægrè tulero.

Cap. X.

Non res, sed opiniones de rebus nos perturbant.

Homines perturbantur non rebus, sed iis quas de rebus habent opinionibus. Verbi causâ: Mors non est malum; alioqui enim & Socrati ita visum esset: sed opinio de morte, quæ malum eam facit. Cùm igitur impedimur, aut distrahimur: non alios culpemus, sed nosmetipsos, hoc est nostras opiniones. Alios accusare in calamitate suâ, hominis est ineruditi: seipsum, eius qui erudiri cœpit: nec se nec alium, eruditi.

Cap. XI.

Non decet gloriari alienâ præstantiâ.

Nullâ alienâ præstantiâ efferaris animo. Si equus semet iactans diceret, sum pulcher: ferendum esset. Tu verò cùm insolenter gloriaris, te pulchrum equum habere: scito equo te bono superbire. Quid igitur est tuum? Vsus visorum. Quapropter cùm in vsu visorum ita moratus fueris, quemadmodum natura postulat, tum efferèris. Tum enim aliquo tuo bono læteberis.

Cap. XII.

Ita viuendum est, vt meminerimus, vitã nostrã esse instar nauigationis.

Quemadmodum in nauigatione, subducto nauigio, si aquatum exieris, obiter fortassis etiam cochleolam colliges, aut bulbum: animo autem in nauigium intento esse oportet, ac continenter sollicito, ne gubernator vocet: ac tum illa omnia relinquere, vt ne vinctus tanquam ouis in nauim coniiciaris. Ita etiam in vitâ, si tibi vice cochleæ, aut bulbi, detur vxorcula & puer: nihil impediet. At si gubernator vocarit, curres ad nauim, relictis illis omnibus: neque respicies. Quòd si senex es, caue vnquam à naue recedas longiùs; ne quando vocatus, deficias.

Cap. XIII.

Voluntatẽ tuam ne constitue regulã eorum quæ fiunt.

Ne postules, ea quæ fiunt, arbitratu tuo fieri. Sed, si sapis, ita fieri quæque velis, vt fiunt. Morbus est corporis impedimentum, instituti non item. Quòd si singulis in rebus, quæ incidunt, consideraris, inuenies eas alterius cuiuspiam rei, non tui, esse impedimentum.

Cap. XIV.

Omnia obiecta certis virtutibus excipiẽda.

Quicquid inciderit, in eo momento, ad te conuersus, inquire, quâ facultate sis ad vsum eius instructus: si quem formosum, formosámve videris: ad eam rem temperantiæ facultas in promtu erit. Si labor abiectus fuerit, tolerantiam reperies. Si conuiuium, patientiam inuenies. Quòd si te ita consuefeceris, visis non obtemperabis.

Cap. XV.

Homo nihil perdit.

Nunquam te quicquam perdidisse dicito, sed reddidisse. Filiolus obiit? redditus est. prædium est ereptum? an non id quoque est redditum? At improbus est qui eripuit? Quid id tua refert, per quem, is qui dederat, abs te repetierit? Sed quamdiu concesserit, tanquam alienum, id curato, vt caupo-nam viator.

Cap. XVI.

Profectum impediunt cogitationes inutiles.

Si quid proficere studes, istiusmodi cogitationes missas facito: si mea neglexero, non erit vnde viuam. Nisi puerum castigato, malus erit. Præstat enim perire fame, timoris ac molestiæ expertem, quàm copiis omnium rerum circumfluentem, animo viuere perturbato. Et puerum malum esse præstat, quàm te infelicem.

Cap. XVII.

In exercitio virtutis oportet à paruis auspicari.

A paruis igitur auspicare. Oleum effunditur? Vinum surripitur? Subiice tibi: Tanti venit tranquillitas, tanti constantia: gratis autem nihil acquiritur. Cùm verò puerum vocas, fieri posse cogita, vt præstò non sit: &, vt sit, nihil agat ex animi tui sententiâ. Neque verò ei tam bene sit, vt tuarum perturbationum habeat ille potestatem.

Cap. XVIII.

Optimum proficiendi adminiculum.

Sed quid proficere vis, ne recusa, quò minùs ob res externas, amens & fatuus habearis. Ne quid scire videri velis. Quòd si quis aliis esse videare: ipse tibi diffidito. Scito enim facile non esse, institutum tuum in eo statu, qui sit naturæ consentaneus, conseruare, & res externas amplecti: sed aliter non posse fieri, quin is, alterum qui curet, alterum negligat.

Cap. XIX.

Stultũ est ea sibi subiicere velle, quæ non sunt in nostra potestate.

Si in id studes, vt liberi tui, vxor, amici, perpetuò viuant & floreant, stultus es. Nam quæ in tuâ potestate non sunt, ea in tuâ potestate esse vis, & aliena esse tua. Sic etiam, si puerum peccare non vis, stultus es. Id enim postulas, vt vitium non sit vitium, sed quiddam aliud. At si eo quod appetis frustrari non vis: hoc quidem potes.

Cap. XX.

Vera libertas vt paretur?

Cuiusque dominus is est, qui ea quæ ipse vult, aut non vult, potestatem habet vel conseruandi, vel eripiendi. Quisquis igitur liber esse volet, neque cupiat quicquam, neque auersetur, eorum quæ penes alios sunt. Sin minus, seruire necesse erit.

Cap. XXI.

Ita viuendum est, vt meminerimus vitam nostram esse velut conuiuium.

Memento sic in vitâ esse versandum, tanquam in conuiuio. Si quid circumferendo ad te peruenerit, porrectâ manu partem modestè capito. Præterit? Ne detine. Nondum adest? Ne longè appetitum extendito, sed expecta, dum ad te perlatum fuerit. Sic erga liberos, sic erga coniugem, sic erga magi-

ſtratus, ſic erga diuitias ſi affectus fueris, aliquando dignus eris conuiuio deorum. At verò ſi oblata etiam non acceperis, ſed deſpexeris, non conuiua deorum modò, ſed & imperij conſors eris. Sic enim cùm facerent Diogenes, Heraclitus, & ſimiles, meritò diuini vt erant, ita & dicebantur.

CAP. XXII.

Quomodo debeamus nos aliis accommodare?

Cùm eiulantem quempiam videris in luctu, ſiue peregrè profecto filio, ſiue rebus amiſſis: caue ne te viſum illud moueat, vt exiſtimes verſari eum in malis ob externa. Sed ſtatim ipſe tecum diſtinguito, ſitque in promtu vt dicas: Iſtum affligit non caſus ille (alium enim non affligit) ſed concepta de eo opinio. Ac oratione quidem tuâ eius perturbationi ſubſeruire ne dubita; atque adeò, ſi res ita tulerit, congemiſcere. Caueto autem, ne intrinſecus etiam congemiſcas.

CAP. XXIII.

Vita noſtra eſt inſtar fabulæ.

Actorem eſſe fabulæ talis, qualis magiſtro probata fuerit, te memento: ſi breuis, breuis; ſi longa, longæ. Si mendicum agere te voluerit: fac eam quoque perſonam ingenioſè repræſentes. Ita ſi claudum, ſi principem, ſi plebeium. Hoc enim tuum eſt, datam perſonam bene effingere: eam autem eligere, alterius.

CAP. XXIV.

Homo eſt faber ſuæ fortunæ.

Si coruus inauſpicatum crocitarit, ne te viſum illud moueat, ſed ipſe tecum diuide ſtatim, & dic: Nihil iſtorum mihi portenditur, ſed aut corpuſculo meo, aut reculæ meæ, aut exiſtimationi, aut liberis, aut vxori: mihi autem fauſta omnia portenduntur, ſi ego voluero. Quicquid enim iſtorum acciderit, ex eo penes me eſt, fructum vt capiam.

CAP. XXV.

Quomodo poſſimus eſſe inuicti?

Inuictus eſſe potes, ſi in nullum certamen deſcendas, quod vincere tui arbitrij non eſt.

CAP. XXVI.

Via vera ad libertatem veram.

Si quem eximiis honoribus affectum, aut amplâ poteſtate præditum, aut alioqui florentem videris: Vide ne quando beatum illum prædices, viſorum impetum ſequutus. Nam ſi in rebus noſtræ poteſtati ſubiectis vis tranquillitatis conſtiterit, nec inuidia, nec æmulatio locum habebit: tuque ipſe non imperator, non ſenator, non conſul eſſe voles, ſed liber. Ad eam autem rem via vnica eſt: eorum quæ in poteſtate noſtrâ non ſunt, contemptio.

CAP. XXVII.

Quomodo homo ſibi poſſit imperare?

Memento non eum qui conuicietur aut verberet, auctorem eſſe contumeliæ: ſed opinionem, de eis tanquam contumelioſis conceptam. Cùm igitur te quiſpiam irritarit, opinione tuâ te irritatum eſſe ſcito. Quapropter in primis operam dato, ne viſa tibi aſſenſum extorqueant. Nam ſi ſemel tempus & moram impetraris; faciliùs ipſe tibi imperabis.

CAP. XXVIII.

Meditatio mortis quã neceſſaria?

Mors & exilium, & omnia quæ in malis habentur, ob oculos tibi quotidie verſentur: omnium verò maximè mors. Sic nihil vnquam humile cogitabis, nec impensè cupies quicquam.

CAP. XXIX.

Sapientiæ ſtudium vt ſuſcipiendum?

Sapientiæ ſtudium ſuſcipere cupis? ſtatim te para, quaſi futurum ſit, vt deridearis vt multi te ſubſannent: vt dicant te ſubitò philoſophum extitiſſe: vt rogent vnde ſupercilium iſtud? Tu autem ſupercilium ne habeto: ea verò quæ optima tibi videbuntur, ſic teneto, quaſi à Deo in eâ ſtatione ſis collocatus. Cæterùm memento, te, ſi in eodem ſtatu permanſeris, iis tandem admirationi fore qui te priùs deriſerunt. Sin eis ſuccubueris, dupliciter fore deridendum.

CAP. XXX.

Philoſopho ſatis ſit in omnibus, ſe eſſe philoſophum.

Si quando acciderit vt foràs promineas, & alicui placere cupias: te de ſtatione tuâ deiectum eſſe ſcito. Quare in omnibus rebus illud tibi ſatis ſit, te eſſe philoſophum. Sin alicui etiam videri philoſophus cupis: tibi videre, idque ſatis eſto.

CAP. XXXI.

Studiũ honoris quale probandũ?

Iſtæ cogitationes ne te crucient, fore vt ſine honore viuas, & nullo ſis loco. Nam ſi honore carere malum eſt: nihilo magis per alium in malo eſſe potes, quàm in vitio. Nunquid igitur tui muneris eſt, imperio potiri? aut ad conuiuium adhiberi? Nequaquam. Qui igitur eâ iam erit ignominiâ? qui nullo vſquam loco eris? quem in iis ſolis aliquem eſſe oportet, quæ penes te ſunt, in quibus vel ſummo loco eſſe potes? at nihil opis amicis feres? quo pacto iſtud accipis? non argentum abs te habituri ſunt? nec eos in Romanam ciuitatem aſſcribes? & quis tibi dixit, ea penes nos eſſe, & non aliena munera? Quis verò id alteri præſtet, quo ipſe careat? Parato ergo, aiunt, vt & nos habeamus. Si parare queo, conſeruatâ verecundiâ, & fide, & animi magnitudine, voſque eius rei viam oſtenderitis: parabo. Sin id poſtulatis, vt bona ego mea perdam, quò vos ea quæ in bonis non ſunt, acquiratis: Videte ipſi quàm iniqui ſitis, & temerarij? Vtrum verò præoptatis? pecuniam ne, an amicum verecundum & ſincerum? Ad hoc igitur adiumento mihi eſte; non autem poſtulate vt ea faciam, quæ per illa ſim amiſſurus. At enim patriæ per me nihil afferetur adiumenti? Cuiuſmodi quæſo adiumentum? Porticus per te non habitura eſt, non balnea. Iſtuc verò quid eſt? neque enim calceos habet per fabrum ferrarium, neque arma per ſutorem. Satis autem fuerit, ſuo quemque fungi munere. At ſi quem alium ei ciuem inſtrueres integrum & verecundum: nihil ne eam iuuare? imò verò. Proinde ne te quidem patriæ fueris inutilis. Quem ergo locum, inquis, habebo in vrbe? Quem poteris, integritate & verecundiâ conſeruatâ. Sin illi profuturus, hæc abieceris: quis ei tui fuerit vſus, qui impudens & perfidus euaſeris?

CAP. XXXII.

Quomodo nos gerere debeamus, ſi aliquis nobis præferatur?

Eſt tibi prælatus aliquis in conuiuio, aut ſalutatione, aut dandi conſilij officio? Siquidem iſta bona ſunt, gratulari debes illi cui ea cõtigerunt. Sin mala, ne doleas te in ea non incidiſſe: ſed memento, cùm ea non agas quibus illa parantur quæ in noſtrâ poteſtate non ſunt, fieri non poſſe vt eadem tibi tribuantur. Nam quî valebit tantùm is qui fores non frequentat, atque is qui frequentat? qui non aſſectatur, atque is qui aſſectatur? qui non laudat, atque is qui laudat? Iniuſtus qui eris, & inexplebilis, ſi non numerato eo pretio quo illa veneunt, gratis ea conſequi te poſtules? Age quanti veneunt lactucæ? ponamus, obolo. Si quis igitur obolo numerato, lactucas acceperit; tu autem pretio non numerato, non acceperis, nec te deteriore conditione eſſe putes eo qui accepit. Vt enim lactucas habet ille: ſic tu obolum non dediſti. Ad eundem quoque modum & hîc ſe res habet. Non inuitatus es ad conuiuium alicuius? Nec dediſti quanti venit conuiuium. Vendit autem id conuiuator laudatione, vendit obſequio. Dato igitur pretium, quanti venit, ſi è re tuâ eſt. Quòd ſi nec illa vis præſtare, & hæc accipere: auarus es, & vecors. Nihil igitur cœnæ vice habes? Imò habes: non laudaſti, quem noluiſti: non toleraſti eius inſolentiam in ingreſſu.

CAP. XXXIII.

Aliorum calamitas ad nos quomodo trãsferenda?

Naturæ propoſitum ex iis rebus, de quibus nulla controuerſia eſt, cognoſci poteſt. Exempli gratiâ: Si vicini puer poculum aut quid aliud confregerit, in promtu illud ſtatim eſt: Ita fieri ſolere. Scito igitur, ſi & tuum confractum fuerit, eundem eſſe te oportere, qui fueris cùm frangeretur alienum. Sic transfer iſta ad maiora. Filius alterius obiit, aut vxor? nemo eſt quin dicat, humanum id eſſe. Sin ipſi alicui id acciderit: ſtatim, hei mihi! inquit, ô me miſerum! Meminiſſe autem oportebat, vt affecti ſimus, cùm tale quippiam de aliis audiuerimus.

CAP. XXXIV.

Non decet animũ ſuũ cuilibet permittere.

Quemadmodum aberrandi cauſâ meta non ponitur: ſic nec mali natura in mundo exiſtit. Quòd ſi corpus quidem tuum aliquis obuio cuipiam permitteret, indignareris. Tu verò, qui animum tuum cuilibet permittas, vt ſi conuitia tibi dixerit, perturbetur & mœreat, non erubeſcis? Quamobrem cuiuſque rei anteceſſionibus & conſecutionibus conſideratis, ſic eam aggredere. Alioqui primùm alacriter eam ſuſcipies; eorum nullo, quæ conſequuntur, expenſo. Pòſt autem, turpitudine aliquâ exorta, verecundaberis.

CAP. XXXV.

Aliquid aggreſſurus expendat antecedentia & conſequentia.

Vis Olympia vincere? Et ego medius fidius. præclarum enim habetur. Sed conſidera, quid antecedere, quid ſequi ſoleat: atque ita rem gerendam ſuſcipito. Oportebit te conſeruare ordinem: edere ingratis: abſtinere bellariis: exerceri neceſſario, & certo tempore: in æſtu, in frigore: non frigidam bibere, non vinum niſi præfinito. Ad ſummam, tanquam medico, ſic laciſtæ te tradas oportet. Deinde in certamen deſcendere: aliquando manum lædere: talum diſtorquere: multum pulueris deglutire, interdum flagris cædi, & vinci poſthæc omnia. His omnibus conſideratis, pugillum certamen ſuſcipe, ſi lubet adhuc. Sin minus, vt pueri reſiles: qui nunc pugiles ludunt, nunc tibicines, nunc gladiatores: iam tubâ canunt, iam tragœdias repræſentant. Tu quoque ſic, nunc pugil, mox gladiator, poſtea orator, demum philoſophus: tota autem animo nihil. Sed vt ſimius, quidquid ſpectaueris, imitabere, atque aliud ex alio adamabis. Nec enim ſuſceptâ cogitatione quicquam es aggreſſus, aut exploraſti prius: ſed temerè, appetitus leuitatem ſecutus. Sic aliqui philoſopho ſpectato, & audito aliquo dicente ſic: Quàm rectè dicit Socrates? enim verò quis ita differere poteſt, vt ille? ipſi etiam philoſophari volunt.

CAP. XXXVI.

Homo debet res ipſas & naturã ſuam in bilance ponere.

Homo primùm conſidera, cuiuſmodi ſit res. Deinde naturam quoque tuam, eam ne ferre queat explora. Quinquercio eſſe vis, aut palæſtrita? Brachia tua intuere, femora & lumbos conſidera. Nam aliud aliò naturâ pertinet. Putaſne te hæc aggreſſum, æquè faſtidire? Vigilandum eſt, laborandum, à tuis recedendum: à puero contemni, in omnibus deteriore conditione eſſe, in honore, in magiſtratu, in iudicio, in negotio quolibet, oportebit. Hæc conſidera, tecúmque ſtatue, an his rebus redimere velis animi tranquillitatem, libertatem, conſtantiam? Sin minus, vide ne vt pueri, nunc philoſophus, mox publicanus, pòſt orator, denique Cæſaris procurator fias. Ita non conſentiunt: vnum te oportet hominem eumque bonum vel malum eſſe: aut exercenda tibi ratio & mens eſt, aut res externæ excolendæ. Aut in internis elaborandum, aut in externis: hoc eſt, aut philoſophi tuendus locus, aut hominis plebeij.

CAP.

C A P. XXXVII.

Omnia officia mutuis affectionibus metienda.

Omnia officia in vniuerſum, mutuis affectionibus ſunt metienda. Pater eſt: præcipitur, curam eius agendam, cedendum ei in omnibus: ſi conuicietur, ſi verberet, ferendum eſſe. At pater malus eſt? Nunquid igitur naturâ cum bono patre coniunctus es? Non, ſed cum patre. Tu igitur munus tuum erga ipſum tuere: nec quid ille agat, conſidera: ſed quibus rebus agendis, tuum inſtitutum naturæ futurum ſit conſentaneum. Te enim alius non lædet, niſi ipſe velis. Tum autem læſus eris, cùm te lædi exiſtimaris. Sic igitur vicini, ſic ciuis, ſic imperatoris officium inuenies, ſi mutuas affectiones ſpectare conſueueris.

C A P. XXXVIII.

Religionis quædam capita.

Religionis erga deos immortales præcipuum illud eſſe ſcito, rectas de eis habere opiniones: vt ſentias & eſſe eos, & bene iuſtéque adminiſtrare vniuerſa: parendum eſſe eis, & omnibus iis quæ fiant acquieſcendum: & ſequenda vltrò, vt quæ à mente præſtantiſſimâ regantur. Sic enim nec incuſabis eos vnquam, nec ab eis negligi te conquereris. Aliter autem id fieri nequit, quàm ſi iis quæ in poteſtate noſtrâ non ſunt, relictis, tam bona quàm mala in iis quæ in nobis ſita ſunt, collocaris. Nam ſi quid illorum ſenſeris eſſe bonum aut malum, aliter certè fieri non poterit, quin cùm iis fruſtratus fueris quæ velles & in eâ quæ nolles incideris, & culpes & oderis illarum rerum auctores. Illud enim naturâ eſt inſitum omni animantium generi, vt ea quæ nocitura videantur, eorúmque cauſas, fugiant, & auerſentur: contrà vtilia, & cauſas eorum perſequantur & admirentur. Nulla igitur ratio eſt, vt is qui noceri ſibi putat, lætetur quod nocere videatur: vnde etiam ipſo damno vt gaudeatur, fieri nequit. Hinc fit vt & patri filius conuitietur, cùm ea quæ in bonis habentur, filio non impertierit: & illud eſt quod inter Eteoclem & Polynicem bellum concitauit, quòd bonum exiſtimabant imperium. Hâc de causâ deos execratur agricola, ob hoc mercatura, ob hoc mercator, ob hoc ij qui liberos & vxores amittunt. Nam vbi vtilitas, ibi etiam eſt pietas. Quamobrem qui id dat operam, vt ſic & appetat & auerſetur, quemadmodum decet; is eadem operâ & pietati dat operam. Libandum autem & ſacrificandum, & offerendæ primitiæ ſunt vnicuique, ritu patrio: Caſtè, non luxurioſè, nec indiligenter, nec ſordidè, nec ſupra facultates.

C A P. XXXIX.

Quomodo vates adeundi?

Ad vatem acceſſurus, memento te negotij euentum ignorare: ſed eâ causâ adeſſe, vt eum è vate cognoſcas. Quale autem id eſſet, vtique cùm venires, ſciuiſti, ſiquidem philoſophus fueris. Nam ſi ex eorum numero fuerit, quæ in noſtrâ poteſtate non ſunt: nec bonum eſſe, neque malum, omnino eſt neceſſe. Noli igitur ad vatem afferre vel appetitionem, vel auerſationem, alioqui tremens eum accedes. Sed illud conſtitutum eſſe oportet, nihil inter quemuis euentum intereſſe, neque ad te attinere eum, cuiuſcunque modi ſit: licere enim eo rectè vti, neque in eo tibi fore quemquam impedimento. Magno igitur animo deos, vt conſiliarios, accedito. Deinde, ſi quid conſilij datum fuerit, memento quos in conſilium adhibueris: & quorum, niſi parueris, auctoritatem ſis neglecturus. Sic autem ad oraculum accipiendum accedito, quemadmodum Socrati placebat, iis videlicet de rebus, quarum tota conſideratio refertur ad euentum: & in quibus nec ex ratione, nec ex arte aliâ ſuppetunt occaſiones, ad id quod propoſitum eſt, conſiderandum. Cùm igitur vel amicus, vel patria cum periculo defendenda erit: noli conſulere vatem, ſintne defendendi? Nam ſi tibi vates prædixerit, exta infauſta eſſe: mortem ſignificari conſtat, aut alicuius membri truncationem, aut exilium. Sed ratio tamen ſubeſt, & cum his illud etiam coniungitur: vnà cum amico & patriâ periculum eſſe adeundum. Quamobrem ad maiorem venito vatem Pythium: qui templo eiecit eum qui amico in vitæ periculo non ſuccurriſſet.

C A P. XL

Quilibet ſibi præſcribat certâ regulâ in conuerſatione.

Præſcribe iam tibi formam quandam, & legem, quam cuſtodias: quamque & ipſe tecum, & in congreſſibus hominum obſerues.

C A P. XLI.

Taciturnitas quomodo colenda?

Ac maiori quidem ex parte ſilentium præſtetur: aut neceſſaria dicantur, eaque paucis. Rarò autem, cùm ſe obtulerit occaſio, ad dicendum veniemus: ſed non quidvis dicemus: non de gladiatoribus, non de ludis Circenſibus, non de pugilibus, non de cibis aut potionibus, quæ res paſſim inculcantur. Inprimis autem de hominibus cùm verba fiunt, ne eos vel laudemus, vel comparemus, caueatur.

C A P. XLII.

Aliorum ſermones quomodo excipiendi?

Quòd ſi potes, familiarium tuorum ſermones tuis ſermonibus, eò quò decet, traducito. Sin à peregrinis circumuentus fueris, taceto.

C A P. XLIII.

Moderatio riſus.

Riſus ne ſit multus, nec ob multa, nec effuſus.

C A P. XLIV.

Vel ge iuriſiurandi.

Iuſiurandum recuſa, ſi fieri poteſt, omnino: ſin minus, quantum potes.

C A P. XLV.

Quæ conuiuia fugienda?

Conuiuia externa & popularia deuita. Sed ſi quando tulerit occaſio, animaduerſio excitetur, ne fortè in vulgarem conſuetudinem prolabaris. Scito enim, ſi ſodalis pollutus fuerit, eum etiam quem is attigerit, neceſſariò pollui, etſi purus ipſe fuerit.

C A P. XLVI.

Quomodo τὰ ϛωματικὰ ſint adhibenda?

Quæ corpori ſeruiunt, eatenus adhibeantur, quatenus animo ſunt vſui: veluti cibi, potus, amictus, ædes, ſeruitium. Quicquid autem ad oſtentationem aut delicias attinet, repudiato.

C A P. XLVII.

Amori caſto vt ſtudendum?

A re venereâ quantum fieri poteſt, ante nuptias purus eſto. Sin attigeris, eâ legitimè vtendum. Ne tamen iniquus ſis iis, qui illâ vtuntur, neque eos arguas: neque paſſim iactes, te eâ non vti.

C A P. XLVIII.

Quomodo nos deceat gerere ergà maledicos?

Si quis nuntiarit quendam tibi maledicere: ne refuta quæ dicta ſunt, ſed reſponde, eum neſciiſſe cætera tua vitia. Nam alioqui non illa ſola fuiſſe dicturum.

C A P. XLIX.

Theatra vt frequentanda?

Theatra frequentare non eſt neceſſe: ſed ſi quando tempus tulerit, te nulli niſi tibi ipſi ſtudere appareat, hoc eſt, ea duntaxat fieri velis, quæ fiunt: & eum ſolum vincere, qui vincit. Sic enim non impediêris. Clamore autem, aut arriſione, aut largiore commotione penitus abſtineto. Ac poſt diſceſſum, ne multum de iis quæ acciderunt diſputa, cùm nihil ad tui correctionem faciant. Alioqui ex hoc apparebit, te ſpectaculum eſſe admiratum.

C A P. L.

Quomodo in recitationibus oporteat ſe gerere?

Ad recitationes ne veni, neque facilè accede. Sin acceſſeris, grauitatem & conſtantiam tuere: & id vnà caue, ne cui ſis moleſtus.

C A P. LI.

Quomodo cum proceribus verſandum?

Cùm aliquid negotij tibi futurum eſt cum aliquo, ex proceribus præſertim; ipſe tibi proponito, quid in eâ re facturus fuiſſet Socrates, aut Zenon. Ita fiet, vt te ratio non deficiat, quâ id quod obiectum fuerit, ritè adminiſtres.

C A P. LII.

Quomodo ſe præparare debeat, qui magnates vult adire?

Cùm ad magnatum aliquem iturus es, proponito tibi, fore vt eum domi non inuenias, vt incluſus ſit, vt occludantur tibi fores, vt ille te negligat. Quòd ſi hoc rerum ſtatu venire decuerit, ea feras quæ fiunt: neque ipſe vnquam tecum dicas, non fuiſſe tanti. Id enim plebeium eſt, & eius qui res externas calumnietur.

C A P. LIII.

In familiaribus congreſſibus quid ſpectandum?

In familiaribus congreſſibus abſit facinorum aut periculorum tuorum prolixa & immodica commemoratio. Nec enim, vt tibi iucundum eſt tuorum certaminum meminiſſe, ſic & aliis ſuaue eſt, ea quæ tibi acciderunt audire.

C A P. LIV.

Riſus non facilè mouendus.

Abſit illud etiam, ne riſum moueas: nam is eiuſmodi locus eſt, è quo procliuis ſit in plebeium morem lapſus: eamque vim habet, vt tui obſeruantiam facilè apud familiares diminuat.

C A P. LV.

Obſcœnitas ſermonum vitanda & deteſtanda.

Periculoſum eſt etiam, ad orationis obſcœnitatem progredi. Cùm igitur tale quippiam inciderit: aut (ſi feret opportunitas) obiurgabis eum qui ſermonem illum iniecerit: aut taciturnitate ſaltem & rubore vultúque oſtendes, eam orationem tibi diſplicuiſſe.

C A P. LVI.

Voluptas vt poſſit ſperni?

Si voluptatis alicuius imaginem animo conceperis, moderare tibi, ne ab eâ mouearis: ſed & rem examina, & tibi ipſe deliberandi præbe ſpatium. Deinde vtriuſque temporis memẽto, tum eius quo voluptate perfueris, tum eius quo perceptâ iam voluptate dolebis, téque ipſe obiurgabis, atque his illa confer: ſi abſtinueris, fore vt gaudeas, téque ipſe collaudes. Quòd ſi tibi ſuſcipiendæ rei videbitur eſſe tempus, caue ne te vincant eius blanditiæ, & ſuauitates, & illecebræ: ſed illud oppone, quantò præſtantior ſit talis victoriæ conſcientia!

C A P. LVII.

In actionibus publicis quomodo ſe gerere conueniat?

Cùm facis aliquid, quod faciendum eſſe ſtatuiſti, nunquam recuſes inter id agendum conſpici: tametſi futurum eſt, vt vulgus de eo ſecus iudicet. Nam ſi perperam facis, rem ipſam fuge. Sin rectè, quid eos vereris, qui non rectè reprehendunt.

C A P. LVIII.

Conuiuæ quid meminiſſe debeat?

Vt hoc pronuntiatum, *Dies eſt*, &, *Nox eſt*, magnam habet in ſeiunctione vim, in coniunctione verò prorſus nihil valet: ſic maxima quæque ex iis quæ appoſita ſunt, arripere, vt reſpectu corporis, magni eſt momenti, ita ſi communitas conuiuij ſpectetur, magnum habebit, niſi caueris, dedecus. Cùm igitur conuiua es alicuius: memento, eorum quæ appoſita ſunt pretium, quod ad corpus attinet, conſiderandum eſſe: ſed & eam quæ conuiuatori debetur, reuerentiam eſſe conſeruandam.

C A P. LIX.

Eam perſonam induat cui ſis ſuſtinendæ.

Si quam perſonam, quæ vires tuas ſuperat, indueris: tum eam indecorè geres: tum eam quam ſuſtinere poſſes, negliges.

CAP. LX.

Mens in degenda vita : aun quam lædatur.

Quemadmodum in ambulando caues, ne clauum, calces, pedémve distorqueas : sic in degendâ vitâ caue, ne gubernatricem actionum, mentem tuam lædas. Quod si in re vnaquaque obseruabimus, omnia cautiùs aggrediemur.

CAP. LXI.

Modus pecuniæ quis?

Modus pecuniæ corpus est vnicuique, vt calcei pes. Si igitur in eo insisteris, modum seruabis: sin præterieris, iam veluti per præceps te ferri necesse erit, vt in calceo, si vltra pedem progressus fueris, fit auratus calceus, deinde purpureus, deinde interpunctus. Eius enim quod semel transierit modum, nullus est terminus.

CAP. LXII.

Vxores quomodo ita ornanda?

Mulieres statim ab anno decimoquarto à viris dominæ vocantur. Proinde cum vident, se nihil aliud habere muneris, nisi vt cum viris concumbant: comere se incipiunt, atque in ornatu spem collocant omnem. Quare operæ pretium est, dare operam vt sentiant, sibi non ob aliud honorem haberi, nisi quod & modestas se præbeant, & verecundas cum temperantiâ.

CAP. LXIII.

Hebetis ingenij signū certissimū.

Hebetis ingenij signum est, in rebus corporis immorari: velut, exerceri diu, edere diu, potare diu, cacare diu, coire diu. Nam hæc quidem facienda sunt obiter : cura autem omnis ad animum est transferenda.

CAP. LXIV.

Malefacta & maledicta quomodo ex ipienda?

Cùm tibi quispiam vel malefecerit, vel maledixerit: memento eum opinatum esse, id ex officio sibi fuisse faciendum, & dicendum. Neque verò fieri potest, vt id sequatur ille quod tibi videtur, sed id quod sibi. Quòd si malè iudicat, is damnum facit qui decipitur. Nam inuolutam veritatem si quis mendacium iudicet : non ea inuoluta læditur, sed ille qui deceptus fuerit. Sic igitur instructus, æquo feres animo conuiciatorem. Nam ad singula dices, ita visum esse illi.

CAP. LXV.

Vnaquæq; res duas habet ansas.

Vnaquæque res duas habet ansas vnam tolerabilem, alteram intolerabilem. Si frater iniuriam fecerit, non eam prehende quâ facit iniuriam: ea enim eius ansa non est tolerabilis. Sed illinc potiùs : esse fratrem, esse vnà educatum. Sic prehendes eam, quâ est tolerabilis.

CAP. LXVI.

Orationes non cohærentes & cohærentes quæ sint?

Orationes hæ non cohærent: Ego sum te locupletior, ergo sum te melior: Ego sum te eloquentior, ergo sum te melior. At illæ magis cohærent: Ego sum te ditior, mea ergo pecunia tuæ præstat: Ego sum eloquentior, mea ergo dictio tuæ præstat. Tu verò nec pecunia es, nec dictio.

CAP. LXVII.

Quomodo aliorū facta iudicanda?

Lauat quispiam citò : ne dicas lauasse malè, sed citò. Bibit quispiam multum vini: ne dicas bibisse malè, sed multum. Priusquam enim id decretum diiudicaris, vnde scis an malè? Sic vsu tibi veniet, vt alia visa certò comprehensa habeas, aliis assentiaris.

CAP. LXVIII.

Ambitio vitanda, & imprudēs ostentatio.

Nusquam te philosophum profitearis, nec apud imperitos multum disputes de præceptis: velut in conuiuio ne dic, quo pacto sit edendum, sed ede vt decet: ac memento, etiam Socratem sic vndecunque sustulisse ostentationem. Conueniebatur ab illis qui se ab eo commendari vellent philosophis, atque ipse abducebat eos. Adeò leniter ferebat neglectum sui.

CAP. LXIX.

Rerum testimonia sola habēt pondus & gratiam.

Itaque si apud imperitos de præcepto aliquo sermo inciderit : maximâ ex parte taceto. Magni enim periculi est, statim euomere, quod non concoxeris. Quòd si quis dixerit, te nihil scire, túque commotus non fueris : tum scito rem esse inchoatam. Nam & oues non fœnum afferunt opilionibus, ac demonstrant quantum comederint : sed pastu intra se concocto, extrà ferunt lanam & lac. Et tu igitur ne verba celeriter ostendas imperitis, sed opera quæ verborum concoctionem sequuntur.

CAP. LXX.

Ostentatio vitanda.

Si corpus frugaliter curare didicisti, ne ob id tibi placeas: nec si aquam petas, ad quamuis occasionem te aquam potare dictita. Quòd si quando ad laborem te vis exercere, in tuum, non in exterorum vsum, ne statuas amplectere : sed si quando vehementer sitieris, frigidam haustam expuito, ac nemini dicito.

CAP. LXXI.

Status siue nota hominis plebeij & philosophi.

Plebeij status nota est, nunquam à seipso vel damnum expectare, vel vtilitatem : sed à rebus externis. Philosophi status & expressa imago est, omnem vtilitatem & damnum à semetipso expectare.

CAP. LXXII.

Signa proficientis certissima.

Signa proficientis sunt, neminem reprehendere, neminem laudare, neminem culpare, neminem accusare : nihil de seipso prædicare, quasi aliquis sit, aut aliquid sciat. Cùm in aliquâ re impeditus fuerit aut prohibitus, seipsum accusat. Si ab aliquo laudatur, secum ipse deridet laudatorem, si reprehenditur, non defendit se : sed ritu infirmorum circuit, metuens ne statum illum conuellat, priusquam is confirmetur. Omne desiderium à se dependens habet : auersationem ad ea sola quæ naturæ eorum repugnant, quæ nobis parent, transtulit. Appetitione ad omnia remissa vtitur : siue stolidus siue indoctus habeatur, non curat. Denique, vt inimicum & insidiatorem, seipsum obseruat.

CAP. LXXIII.

Optimū est in discendo, naturā sequi.

Si quis intelligentiâ & explicandi facultate librorum Chrysippi gloriatur, ipse tibi dic: Nisi obscurè scripsisset Chrysippus, nihil haberet ille quo gloriaretur. Ego verò quid cognoscere studeo? Naturam, & hanc sequi. Quæro igitur, quis sit eius interpres? Cùm audiero, Chrysippum esse, eum conuenio. At scripta non intelligo. Quæro igitur enarratorem. Ac hactenus quidem nihil præclari. Cùm enim enarratorem inuenero, reliquum est vti præceptis; id quod solum preclarum est. Sin ipsam enarrationem admiratus fuero, quid aliud nisi grammaticus philosophi loco euasi? eo duntaxat excepto, quòd pro Homero Chrysippum enarro. Magis igitur, cùm quis à me petierit, prælegi sibi Chrysippum erubesco; cùm facta nequeo similia verbis & consentanea præstare.

CAP. LXXIV.

Aliorū sermones de nobis non curandi.

Hæc obserua tanquam leges, citra piaculum non violandas. Quidquid autem de te dictum fuerit, id ne curato. Id enim non iam tui est arbitrij.

CAP. LXXV.

Perniciosū est nectere moram in studio virtutis.

Quousque tandem differes præstantissima quæque tibi vendicare, & nullatenus distinctionem rationis violare? Accepisti præcepta quæ amplectenda tibi fuerunt, eaque amplexus es. Qualem igitur adhuc doctorem expectas, cuius in aduentum tui correctionem differas? Non iam adolescens es, sed maturâ ætate vir. Itaque si neglexeris & cessaris, ac subinde moræ moram, proposito propositum adiunxeris, & dies alios post alios constitueris, non animaduertes nihil te profecisse, sed hominem plebeium fore tam viuentem, quàm morientem? Nunc igitur viri perfecti & proficientis vitam tibi sume : ac quicquid tibi visum fuerit optimum, ea lex sit inuiolabilis. Ac si quid laboriosum, aut suaue, aut gloriosum, aut ignominiosum ingruerit, memento tum adesse discrimen, tum instare Olympia, nec licere differre, ac profectum vnà clade ac remissione vel perire, vel retineri. Ita Socrates in eum euasit, qui fuit; cùm in omnibus se ipse promoueret, cùm nemini auscultaret nisi rationi. Tu verò etsi nondum es Socrates, sic tamen, vt qui Socrates esse velis, debes viuere.

CAP. LXXVI.

Tres loci sūt in philosophia necessarij.

Primus & maximè necessarius in philosophiâ locus est is, qui agit de vsu decretorum, veluti de non mentiendo. Alter, qui demonstrationes tractat; veluti, cur non sit mentiendum? Tertius, is qui has ipsas confirmat & distinguit; veluti, quî fiat vt ista sit demonstratio? quid sit demonstratio? quid consequentia? quid pugna? quid verum? quid falsum? Quare tertius locus necessarius est propter secundum, secundus propter primum. Maximè autem necessarius est, & in quo conquiescendum sit, primus. Nos verò diuersum facimus. Nam in tertio loco immoramur, in eóque omne studium nostrum consumimus : primum autem prorsum negligimus. Proinde mentimur quidem: quomodo autem demonstretur non esse mentiendum, in promtu habemus.

CAP. LXXVII.

In quouis incepto quid optādum?

In quouis incepto hæc optanda sunt : Duc me ô Iupiter, & tu fatum, eò quò sum à vobis destinatus. Sequar enim alacriter. Quòd si noluero : & improbus ero, & sequar nihilominus.

CAP. LXXVIII.

Quis diuinarū rerū conscius?

Necessitati qui probè se accommodat, sapit: éstque rerum diuinarum conscius

CAP. LXXIX.

Improbi nō possunt lædere bonos.

Sed & tertium illud : ô Crito, si diis ita visum fuerit, ita fiat. Me autem Anytus & Melitus occidere sanè possunt, lædere verò non possunt.

Finis Compendij Epicteti.

LOCI



LOCI COMMVNES

Philoſophiæ practicæ, præſtantiſſimi cuiuſdam noſtri ſeculi Politici pragmatici.

ETHICA.

I. De Homine.
Eius præ reliquis animantibus præſtantia.
Miſeria.
II. De Lege Natvræ.
Vt ea nobis inſeratur?
III. De Conscientia.
Quid ſit?
cur data?
Eius vis
in bonis,
in malis.
IV. De Svmmo Fine.
Felicitatem omnes expetere.
Vnde ea & à quo obtingat?
Quâ in re ſita ſit?
An in honore?
Quàm ſtudioſè plerique honores appetant?
Non ſitam eſſe felicitatem humanam in honoribus.
An in diuitiis?
Quàm auidè multi opes conſectentur?
Non ſitam eſſe felicitatem humanam in diuitiis.
An in voluptate?
Quàm ardenter multi ad voluptates ferantur?
Non eſſe ſitam in voluptate felicitatem humanam.
An in gloriâ?
Eius ſtudium,
Beatitudinem humanam in virtute conſiſtere, ac virtutis actionibus.
V. De Virtvte.
Quid ſit & quotuplex?
Eam in mediocritate conſiſtere.
Quàm in omnibus rebus ſeruare interſit?
Virtus vt paretur?
inſtitutione & doctrinâ:
exhortatione, laude, reprehenſionibus:
exemplo virorum bonorum,
in primis conſanguineorum,
defunctorum,
maximè amicorum.
Quò pertinent imagines.
Imitatio quid valeat?
obſeruatione præmiorum, quibus bonos,
& ſuppliciorum quibus impios afficit Devs.
Pœnæ diuinæ quò tardiores, eò grauiores.
exploratione ſui & examine quotidiano.
Detúrne in virtutis ſtudio progreſſus?
An virtutes omnes ſint pares?
Vitia paria?
An qui vnam virtutem habet, habeat omnes?
Vitia vt pellantur?
Principiis obſtandum.
Nullum malum leue ducas.
Maxima mala oriri ex minimis.
Pœnæ metu quoſdam in officio contineri.
VI. De Actionibvs Hvmanis.
Omnem actionem præcedat deliberatio.
Incipienti cogitandum de fine.
Initio rerum pleroſque ſerios eſſe ac feruentes; poſtea torpeſcere.
Seruandum in actionibus tenorem.
VII. De Spontaneo.
Bonum ni ſponte fiat, caret laude.
Malum ni ſponte fiat, culpâ vacat.
An quis inuitus peccet?
Videri.
Neminem peccare inuitum.
Actiones coactæ quæ?
Voluntatem non cogi.
An ignorantia excuſet factum?
Quænam ignorantia facti culpam eleuet?
VIII. De Praeelecione.
Quid ſit?
De quibus?
Non de præteritis.
Non de neceſſariis.
Si media ἀδύνατα, finis ipſe quoque impoſſibilis.
Deliberationes eſſe de ſingularibus poſſibilibus.
IX. De Volvntate.
Quid ea?
Eius obiectum eſſe bonum.
Et malum neminem velle.
Malum ſæpe inducere faciem boni.
Malum ſub ſpecie boni appeti.
Homo quod vult, liberè vult.
X. De iis qvae svnt in nostra potestate.
XI. De Affectibvs.
Quid ſint?
Quotuplices?
De irâ.
Quid ſit?
Eius fœditas.
Mala atque incommoda,
Priuata,
Publica.
Poſsítne quis rectè iraſci?
Non videri.
Poſſe, contra Stoicos.
De odio.
Quid ſit?
Eius fœditas.
Mala & incommoda.
Non omne odium in vitio eſſe.
De inuidiâ.
Quid ſit?
Eius fœditas:
Mala & incommoda.
De æmulatione.
De gaudio.
De ſpe.
De metu.
XII. De Fortitvdine.
Pericula fortiter ſubeunda pro patriâ:
Quàm id honeſtum?
Religionis Chriſtianæ causâ:
Quàm id laudabile?
Exempla eorum, qui pro patriâ nullum ſubire veriti ſunt periculum.
Exempla Martyrum.
De ægritudine animi leniendâ.
Conſolatio aduerſus mortem imminentem ſibi.
Aduerſus mortem amici, patris, filij, vxoris.
Conſolatio aduerſus morbos:
Aduerſus paupertatem & exilia.
Exhortationes variæ ad ferendas fortiter res aduerſas.
Fortitudini prudentia coniungi debet.
Virum fortem tam re & manu promtum eſſe, quàm ore:
In iactabundos Thraſones.
De factis fortibus rectè iudicare ſolos fortes.
Non rectè molles:
Præſertim in conuiuiis.
De audaciâ & temeritate
De metu & periculorum fugâ.
Fortis non mercede conducitur vt miles aut mercenarius:
Non irâ ſtimulatur, vt fera:

Non spe accenditur vt mercator:
Non desperatione:
Non inscius & incautus periculum adit vt viator.
XIII. De Temperantia.
Voluptatem non esse nimiùm expetendam.
Quæ mala nimium voluptatis studium consequantur?
De libidine.
Quam ea fœda?
Quàm varia?
Quàm noxia
publicè
priuatim?
Exempla libidinosorum.
De castitate.
De ebrietate.
Exempla ebriosorum.
Quam sit fœda ebrietas?
Quàm noxia?
De temperantiâ in potu.
De gulæ vitio.
Exempla voracium.
Exempla eorum, qui exquisitas epulas instruxerunt.
De temperantiâ in cibis & conuiuiis.
De luxu in vestibus, monilibus, annulis, gemmis.
Quàm is parum viros deceat?
Quàm per se inutilis?
Exempla sumptuosarum vestium.
De temperantiâ in vestitu.
De luxu in supellectile.
Exempla.
Modum adhibendum.
De luxu in Musicis & cantu.
Exempla.
Moderationem etiam hîc adhibendam.
De luxu circa odores
fucum
alia.
XIV. De Liberalitate.
Circa quæ versetur?
Munera quibus danda?
indigentibus.
ad eam rem exhortatio.
Benemeritis.
quomodo & quo animo dandæ?
citò.
prompto pectore
sine conuicio
sine spe & expectatione remunerationis.
quæ danda munera?
conuenientia personæ
dantis
accipientis
quis modus largitionum?
De auaritiâ.
Quàm ea fœda?
Auarus omnis iniustus.
impius
idololatra.
quàm noxia?
Exempla sordidorum.
Exempla eorum qui per auaritiam familias & Resp. euerterunt.
De profusione.
Exempla
profusionem minus haberi mali quàm auaritiam.
XV. De Magnificentia.
Hanc propriam esse Principum & Rerump.
Publica opera splendidè esse extruenda & sumptuosè.
Exempla.
Splendorem adhibendum ad epulas.
Exempla.
Largitiones splendidè faciendas:
In nobiles exhaustos.
Exempla.
In viros doctos.
Exempla.
De animi angustiâ.
Quàm ea principes viros dedeceat?
Exempla principum sordidorum.
De affectatione magnificentiæ in priuatis.
quàm ea tales parum deceat?
Exempla priuatorum, qui affectatione magnificentiæ res suas euerterunt.
XVI. De Honoribus.
Honor quid sit?
Sitne appetendus?
Non videri.
Licere.
Quis modus honorem consequendi, & qui sint ad illum gradus in togâ, in bello, in Ecclesiâ?
Non statim summos honores esse appetendos, sed adsurgendum gradatim.
Exempla eorum, qui subitò honores consecuti sunt.
De ambitione.
quàm ea noxia?
De ignauiâ & abiectione animi.
De gloriâ.
Sitne appetenda?
Nihil esse quo quis glorietur.
Non ob opes
formam
natales
robur
bona animi.
XVII. De Mansuetudine et Clementia.
Non esse omnia summo iure agenda.
Nec debere virum bonum alienis offensis nimiùm commoueri.
De iracundiâ.
Aduersus iram remedia:
1. Cohibendum primum impetum.
2. Reuocanda omnia ad rationem.
3. Moram iniiciendam.
4. Vitandas suspiciones, neque illis indulgendum.
5. Vitandas causas irarum.
Non irascendum inanimatis.
non brutis.
non infantibus.
non per ignorantiam delinquentibus.
non maioribus
Non ob res leues.
Et quid in rebus humanis magnum?
6. Exercendus quisque ad placabilitatem & sedationem animi.
7. Luxus fugiendus & crapula.
Ira in vino noxia
vehemens
8. Vide an non idem potuerit in te cadere.
9. Vita factum.
Ira in superbo & ambitioso vehemens est.
10. Cogita præstare ferre iniuriam, quàm inferre.
11. Cogita fœditatem iræ & iratorum.
12. Quibus ita nocueris.
13. Sectare sedatos.
De crudelitate.
quàm ea turpis & noxia?
Exempla.
XVIII. De Comitate et Affabilitate.
quàm ea hominem deceat?
in primis magnum.
Neminem contemnendum.
De rusticitate.
De morum leuitate.
XIX. De Veracitate.
Candor quàm hominem deceat?
quàm dedeceat iactantia & ostentatio?
Veritas pluris facienda, quàm vllius hominis authoritas
De Calumniâ:
Quid sit?
Eius proprium
1. Bonos arrodere, nulli parcere.
2. Abuti ad honorem vilibus capitibus seruorum, puerorum, mulierum.
non semper directò, sæpe etiam ex obliquo incedere.
Quàm fœda sit?
Remedia aduersus calumniam varia:
1. Vitare iustam reprehensionem.
2. Non moueri calumniâ.
3. Conscientiæ studere.
4. Tacere.
5. Exempla sibi proponere optimi cuiusque.
6. Euentum expectare à domino.
De conuitiis.
XX. De Vrbanitate et Iocis.
Varij sales.
XXI. De Verecundia.
Eâ impediri sæpe honestas actiones.
Exempla.
Quàm virum senem dedeceat?
De impudentiâ.
Verecundia virtutum custos.
XXII. De Iustitia.

Quid

Quid ſit?
Eius laus.
De iuſtitiâ vniuerſali.
Legibus parendum.
De iuſtitiâ particulari.
Eius præcepta.
De commutatiuâ
In emptione, venditione, & aliis contractibus.
De furto.
De vſurâ.
Pecuniæ datæ mutuò.
Fœneratitiâ.
De fide.
Fidem ciui ſeruandam
amico
hoſti.
De perfidiâ contra promiſſionem
verbo
ſcripto
iureiurando
factam.
De dolo malo.
De iuſtitiâ diſtributiuâ.
Suum cuique tribuendum
1. Deo
Religionem
Venerationem & cultum.
Adorationem.
Rerum omnia à Deo capienda eſſe primordia
Eidem gratias agendas.
Quæ Devm rogare oporteat?
Id hominem ex ſe neſcire
Roganda ſalutaria.
Multos ſæpe rogaſſe & impetraſſe noxia.
2. Parentibus honorem
obſequium
alimoniam, ſi egeant.
3. Senibus reuerentiam.
4. Paribus officia.
5. Inferioribus comitatem.
6. Patriæ omnia
De iudicis officio.

XXIII. De Amicitia.
Eam iuſtitiæ præſtare.
Amicus vt parandus?
quis?
Amicitia colenda
cum cognatis
adfinibus
vicinis
ciuibus.
Vera amicitia non eſt niſi ex virtute.
Exempla amicorum fidelium.
Exempla deſertæ turpiter amicitiæ.
Officia amicorum.
Iuuare animo
operâ
pecuniâ
ſalario.
De amicitiâ deferendâ.
De adulatione:
quàm frequens
turpis
noxia.

XXIV. De Continentia.
Incontinentia.

XXV. De Tolerantia.
de mollitie animi.

XXVI. De Virtvtibvs Heroicis,
de vitiis belluinis.

XXVII. De Prvdentia.
Quid?
Quotuplex?
Vt paretur?
vſu:
ætate.
Senes iuuenibus eſſe prudentiores.
De peregrinatione.
eam ad prudentiam conferre.
quomodo ea inſtituenda?
Aduerſus curioſitatem,
& curioſos rerum alienarum ſcrutatores.

XXVIII. De Vita occvpata.
Multos de occupationibus queri.
Tranquillitatem cuique parandam.
Quàm malè multi vitam occupent?
Vitam non meliùs collocari, quàm in ſapientiâ, ſtudiis,
& virtute.
Quænam vita longa?
quæ breuis?
quæ nulla?
De vitâ contemplatiuâ,
practicâ.
vtra præſtet?

OECONOMICA.

I. De Vita sociali.
Præſtétne vita ſolitaria ſociali?
Videri.
Socialem præferendam.
Hominem eſſe animal ſociale.
Data ei ad ſocietatem conſtituendam confirmandámque inſtrumenta,
rationem
orationem.
Nullum vitæ genus expers eſſe moleſtiæ.
In omni ſocietate aliquod eſſe imperium:
viri in vxorem,
domini in ſeruos.
patris in liberos.
animæ in corpus.
hominis in belluas.
hominis in alios homines.
Regere & regi
neceſſarium
vtile
naturale.
Dignius eſſe regere quàm regi.
Ciuitatem ex domibus & familiis conſtare.

II. De Domo et Conivgio.
Principium omnis ſocietatis eſſe coniugium.
Præſtétne mas fœminæ?
Marem præſtare,
Officium maris ἁπλῶς:
non nimiùm formam curare.
dare operam, vt vitæ præſidium habeat penes ſe:
vt Reip. vtilis eſſe queat.
Officia mulieris ἁπλῶς:
caſtimonia.
frugalitas.
modeſtia in cultu.
abſit fucus.
abſint calamiſtra.
modeſtia in amictu.
inceſſu
comitatu
cibo
potu.
Præſtétne coniugio cœlibatus?
Videri
Mulierum vitia:
ſuperbia
libido. Exempla,
crudelitas,
inconſtantia & perfidia.
legis & imperij impatientia
ambitio & regendi cupiditas.
loquacitas, garrulitas.
ſordes & immunditiæ clandeſtinæ.
lites & iurgia.
Cœlibatus bona.
Mala & incommoda coniugij.
Curæ domeſticæ.
De vitâ vagâ & fornicatione.
eius vitæ turpitudo
incommoda.
Matrimonium cœlibatui præſtare.
De concubinatu
vnius cum vnâ
vnius cum pluribus.
Eius vitæ fœditas.
incommoda.
Matrimonij bona.
Quando ducenda vxor?
quæ ætas ſumentis?
quæ ſponſæ?
quæ ducenda?
1. Non conſanguinea gradu vetito.
De gradibus licitis.
quæſtiones quædam circa hanc rem.
2. Chriſtiano non ducendam gentilem, non hæreticam.
3. Diligendam piam.
magnum eſſe vinculum religionis in matrimonio.

4. Non

4. Non diligendam dicacem.
5. An diuitem?
quid ſpei ſi fiat?
quid periculi?
6. Formoſam.
formæ commendatio.
7. Iuuenem.
8. Peritam rerum domeſticarum.
9. An eruditam? pro, contra.
10. An viduam?
Quod ducere liceat?
Vnam tantùm.
De polygamiâ.

III. Officia communia Mariti et Vxoris.
amare
pacem colere
liberis dare operam
& rei acquirendæ.

IV. Officium Mariti in Vxorem.
Communiter.
Diſtinctè:
1. Amare.
Exempla fidei maritorum in ſuas vxores.
Exempla odij & perfidiæ.
2. Præeſſe.
Vxor non eſt regenda ſeruiliter.
fœmina ſitne naturâ ſerua?
Videri.
Non eſſe.
Societatem mariti & vxoris eſſe ariſtocraticam.
Exempla eorum qui non ſatis dignè vxores ſuas habuerunt.
3. Fidem caſtimoniæ ſeruare.
Exempla maritalis caſtimoniæ.
De adulteris maritis.

V. Officium Vxoris in Maritum.
Communiter.
Diſtinctè:
Amare.
Exempla amoris, odij.
Non imperare marito.
Exempla obſequij, imperij.
Caſtimoniam ſeruare.
Exempla caſtarum,
impudicarum.
De adulteris vxoribus
Modeſtiam ſeruare muliebrem.
Res ſecundas pariter & aduerſas, cum marito ferre.
Exempla fidei vxorum in rebus aduerſis.
Exempla perfidiæ.

VI. De Deserenda Vxore.
de repudio & diuortio.
An liceat vxorem deſerere?
ob vitæ monaſticæ ſuſceptionem
ob infœcunditatem
ob errorem
ob hæreſin & impietatem
ob lepram
ob violentiam
ob fugam eius & emanſionem
ob adulterium.

VII. De Deserendo Marito.
An fas ſit vxori maritum ſuum deſerere?
ob adulterium
ob frigiditatem
ob violentiam
Quid faciendum marito extinctâ vxore:
ſi ſint liberi communes,
ſi non ſint?
An conſultum ſit alteram ducere?

VIII. De Servitvte.
An aliquis naturâ ſeruus?
quis?
Quis lege poſitiuâ?
Seruorum varia genera.
apud Lacones
Theſſalos
Cretenſes.
Arcades
Athenienſes
Polonos
Hiſpanos
VVeſtphalos.

IX. De Nobilitate.
quàm varia?
Quoſdam nobiles proſapiâ, habere vitia ſeruilia:
quoſdam ſeruos lege & caſu, habere virtutes nobilium.
Exempla eorum qui ex tenui fortunâ repentè emerſerunt.
Exempla eorum qui ex florente fortunâ ad infimam & abiectiſſimam deuoluti.

X. De Fevdis.

XI. De Officio Domini in Servvm.
opus præſcribere.
animaduertere.
cibum præbere.
inſpicere in omnia.
operas exigere: ſæpe per alium, ſæpe per ſe.
primum ſurgere.
poſtremum cubitum ire.
ſeruo non fidere.
Exempla perfidiæ ſeruorum in heros.
Exempla fidelitatis.
Quid ſi ſeruus frugi ſit bonus?
Indulgebit ei peculium;
Liberaliter habebit:
Præficiet aliis:
Libertum faciet ſeu manumittet.

XII. Officia Servi in Dominvm.

XIII. De Officio Parentvm in Liberos.
Communia vtriſque.
Matris prægnantis
1. appetitum caſtigare.
2. victu pleniore vti.
3. exercere ſe ambulatione.
4. non ſe nimiùm fatigare.
5. non perturbari animo.
6. non fœtum propellere.
Enixa liberos ipſa lactet.
Si nequit, quæratur nutrix.
qualis?
corpore ſano
animo morata.
Quantum interſit bono lacte nutriri?
Ablactatio.
Liberorum educatio:
Initio lacte vtuntor
A vino abſtinento
Plorare ne vetentur
Frigori adſuefiant.
Si plures fuerint, alter alteri ne præfertor.
Abſint omnis impudicitiæ exempla.
Cum ſeruis rarò agant.
Educatio & inſtitutio maiorum:
diſcant literas legere
ſcribere.
picturam
an carmen?
contra poëſin.
Eſſe in eâ exercendos.
diſcant muſicam
vocalem
inſtrumentalem:
Gymnaſticam.
Oratoriam.
Hiſtoriam.
Mathematicam.
Phyſicam.
Diſciplinas grauiores.
Pauperes opificium exerceant.
Educatio & inſtitutio virginum:
Caſtè educentur.
Diſcant domeſtica & rem familiarem curare.
Ne prodeant niſi cum matre.
Matris labores ſubleuent.

XIV. De Officio Liberorvm in Parentes.
Filiorum.
Filiarum.
Exempla 1. pietatis liberorum in parentes
2. impietatis.
Vtriuſque præmia aut
pœnæ
Vtrum magis oporteat amare patrem quàm matrem?
Cur parentes liberos ſuos impenſiùs diligant, quàm ab iis diligantur?
Cur matres prolem magis ament, quàm patres?
Exempla paterni amoris,
crudelitatis.
Ætatum proprietates.
infantis
pueri
adoleſcentis
iuuenis
viri
ſenis.
Sexus proprietates
viri

fœminæ.

fœminæ.
XV. De Rebus acquirendis et conservandis.
Officia communia patris & matrisfam. circa domum:
Curent 1. vt domus salubris sit,
fit hoc structurâ
munditie.
2. vt sit amœna.
Supellex ordinata sit,
vtilis potiùs quàm numerata
Thalamus in secessu.
Culina in mediâ domo.
Custodia domus curetur per ianitorem,
canem
Cubiculi per atriensem.
Domus noctu clausa esto.
Recenseant supellectilem vniuersalem subinde.
Solenniter verò in anno semel.
Neque id domi tantùm, sed & in villis.
Ex partis 1. consulant propriæ necessitati:
honestati & splendori.
2. liberalitatem exerceant in pauperes, consanguineos in primis & affines:
orphanos.
peregrinos.
Officia propria patrisfam. circa domum:
præesse instar monarchæ:
prospicere de necessariis.
Officia propria matrisfamil. circa domum
mariti absentis vices supplere
muliebres curas suscipere
Sitne fas opes quærere?
Esse
quid diuitiæ?
Vtrum possessione an vsu definiendæ?
Appetitum diuitiarum esse infinitum.
Semper veremur ne quid desit.
Diuitias definiendas
1. Necessitate; quantum scilicet temperanti ad vsum naturæ sufficit.
2. Honestate; vt liberalitatem exercere queamus.
Opes parari plerunque per nefas.
Acceptorum & expensorum rationes instituendas.
Expensa ne excedant summam acceptorum.
Cauendæ fideiussiones.
Fructus ex locatione agrorum, ædium, nauium.
Fructus ex pecuniâ fœnori expositâ.
XVI. De Foenore.
XVII. Modi acquirendi.
Fructus ex prouentibus agrorum, syluarum, arborum.
Ex pastione ouium, caprarum.
Pastorum vita maximè otiosa est.
de curâ pecoris.
Ex pastione armentorum, boum, equorum.
de equorum curâ,
virtutibus,
bonâ saginatione.
Ex venationibus.
de canum curâ.
Piscatio.
de piscinis.
Aucupium.
venatio accipitraria.
Ex gallinarum, anserum, anatum cortibus.
Fructus ex agriculturâ.
agriculturæ laus.
villicus
quis diligendus?
non temulentus
somnolentus
luxuriosus
tardus.
Villicus eligendus frugi, etiam auarus.
Eum dominus conciliabit comitate & præmiis.
Agri notitia.
Soli differentiæ.
De syluis maioribus ad structuras.
De fructu terebinthi, picis, cinerum, &c.
Stercoratio.
nouale.
proscissio.
Satio segetis, tritici
auenæ
hordei
lini
cannabis.
leguminum, putà
fabæ pisi
viciæ
ciceris.
Arborum, putà
mali
pyri
pruni.
Cura agri sati
sepimentum
fossæ
zizaniarum euulsio.
Mel.
Vindemia.
Tritura.
Ventilatio.
Venditio fructuum ex agro perceptorum.
Pretia ouium, caprarum, boum, equorum.
piscium.
auium.
terebinthi.
segetum.
leguminum.
fructuum ex arboribus.
Cura horti
olitorij
florum
herbarum ad medicinam.
Mellificium.
de apibus & earum curâ.
Metallica, effossio mineralium.
auri
argenti: vbi de alchymiâ.
æris
argenti viui
stanni
plumbi
aluminis
sulphuris
marmorum.
Fructus ex mercaturâ
terrestri
ex nauibus instructis
ex portatione
importatione
fideiussoribus.
De nummo
eius origo
Varietas ratione materiæ:
aureus
argenteus
æneus
ferreus
stanneus
plumbeus
chartaceus.
Ex conchis.
Ratione formæ, rotundus, quadratus, pyramidalis.
Ratione valoris.
Fructus ex nummicambio, *vvechsel.*
ex traiectione
ex pretio rerum
aquæ
vini: vbi vinorum genera.
bituminis
aluminis
sulphuris
succini
lapidum & marmorum
gemmarum
auri
argenti: vbi attenditur huius ad illud proportio.
stanni
plumbi
aurichalci
ceræ
mellis
mulsi.
Sitne fas sapienti quæstum facere?
Opes quærenti minima spernenda non sunt.
Præmia grammaticæ: poëtarum, orat. philos. Med. ICt.
Sitne viro principi, magnati, nobili decorum, quæstuariam facere?
Artes sedentariæ
Typographia
Sculptoria
Statuaria
Pictura
Fusoria.
Vitriaria.

Tormentorum.
Fabriles ex ligno, ad ædes, naues.
Ferraria ad supellectilem, domos, arma, scuta, gladios.
Cæmentaria.
Mercenaria.
Musica.
Saltatoria.
Theatrica.
Mimica.
Comica.
Tragica.
Aleatoria
Pila, Sphæristerium.
Gymnastica.
Natatoria.
In honesta
Veneficium
Lenonia
Meretricia
Monopolium.

XVIII. De servandi facultate.
Frugalitatis laus, in domo, veste, cibo.
De sumtu conuiuiorum

XIX. Officia heri et heræ.
1. In sanitate.
2. In morbo.
medicus maturè accersatur,
testamentum procuretur.
3. In morte
De exequiis,
sepulturâ,
luctu.

POLITICA.

I. Politica.
Ciuitas alicuius boni causâ instituta est.
Bonum Reip. maximum.
Ciuitatum principia esse à naturâ.

II. Examen Rerumpub.
Platonis.
Eius vitia.
1. Communio vxorum.
2. Communio liberorum.
3. Communio bonorum.
4. Alia vitia Reip. Platonis,
Eorum refutatio.
Phaleæ Chalcedonij.
Eius Reip. vitia.
Hipodami Milesij
Eius Reip. examen.
Cretensium.
Eius Reip. vitia.
Carthaginensium.
Eius vitia propria.
Atheniensis.
Iudæorum.
An legibus Iudaicis Christiani obstricti sint?
Romanorum veterum:
Ante reges.
Sub regibus.
Sub consulibus.
Sub Imperatoribus.
Germanorum.

III. De Traslatione Imperii.

Romani	Heluetiorum
Anglorum	Florentinorum
Gallorum	Neuburgensium
Scotorum	Turcarum
Danorum	Persarum
Polonorum	Moscorum
Venetorum	Tartarorum.

IV. De civitate.
Quæ communia sint omni reip.
In Rep. constituendâ spectanda tria.
1. Regio. 2. Incolæ. 3. Vicini.
Quis locus capiendus ciuitati?
1. Qui ciuibus sufficiat
2. Qui hostem non facilè admittat.
3. Qui idoneus egressibus & exportationibus.
4. Fluuio vicinus, aut mari.
5. Salubris.
Quid ciuitas, vrbs, oppidum, municipium, pagus?
Vrbs ne nimis laxa sit.
Incommoda nimis laxæ vrbis:
1. Nimis remoti quidam à foro & curiâ.
2. Iudicia non possunt commodè exerceri, & inspectio in ciues minùs est idonea.
3. Peregrini se facilè pro ciuibus gerunt.
Ad ciuitatis constitutionem requiruntur,

1. Alimonia,	ergo	Opifices, agricolæ.
2. Artificia	&	Artifices.
3. Arma		Milites.
4. Pecunia		Diuites mercatores.
5. Sacra.		Sacerdotes.
6. Deliberationes		Senatores.
7. Iudicia		Prætor & Iudices.

In structuris specta
Mœnia, portas, munimenta & propugnacula, ædes sacras, Prytanéa, Fora, Basilicas.
In dispositione partium, curandum vt sit
1. Bene & pulchrè disposita.
2. Sufficiens sibi ad vsus vitæ.
3. Vt ciues alij alios iuuare queant.

V. De cive.
Quis ciuis?
An qui capax administrandæ per ætatem Reip.
An quilibet?
Ciuium varia genera.
Ex spe, infantes.
Ex socio, mulier.
Milites.
Agricolæ.
Mercatores.
Præstantiores, Nobiles, Senatores, Sapientes:
Horum inter ciues priuilegia.
Factitij, allecti, ciuitate donati.
Quasi ciues.
Incolæ.
Coloni.
Debeátne definitus esse ciuium numerus?
Ciuium distributio in Tribus, Curias, Sodalitates: Romanorum in classes & centurias.
De exulibus.

VI. De formali parte Reip.
Imperij ciuilis necessitas.
Anarchiæ fœditas, incommoda.
Debeántne imperia esse perpetua?
Videri.
Non debere.
Nam & qui paret, sæpe imperio dignus.
Debeántne constitui ad commoda & vtilitates vnius?
Videri,
Non debere.
Quia hoc est facere ciues omnes seruos, & herum vnum.
Imperia alia recta sunt, alia declinantia à recto.
Formæ aliæ simplices, aliæ mixtæ.
Simplices rectæ quot?
Mixtæ quotuplices?
Quænam optima Resp.
Collatio regum cum Democratiâ
Optimam esse, quæ omnibus commodè mixta sit.

VII. Quid debeat in Repub. dominari,
Léxne, an homo?
Pro homine
Pro lege
Decisio.

VIII. De Legibus.
Lex quid?
Legum necessitas.
Legislator.
Varij legislatores.
Legislatoris munus.
1. Præcipere ea, quæ Reip. formæ conueniunt.
2. Etiam quæ ad principes Rerump. familias, & ad ædes pertinent.
3. Vetare noxia.
Leges non temerè abrogandas, aut innouandas.
Non obruendam Remp. legum copiâ.

IX. De Magistratu.
Sítne magistratus supra leges?
Non esse.
An vir sapiens sit administraturus Remp.?
An senex?
Quinam diligendi?
Amantes Reip. periti, prudentes, iusti,
Non impetuosi.

X. Officia Magistratus generalia.
Inspiciet in omnia.
Faciet id ipse per se, per alios.
Equorum dispositorum vsus.
Habebit in aliis Rebusp. sibi addictos.

XI. Magistratuum variæ formæ.
1. A duratione, perpetui, annui, semestres.
2. Ab officio.

XII.

XII. Insignia Magistratvvm.
Prætexta.
Faſces.
Viator.
Lictor.
Liceátne Principi aut Magiſtratui alienare publica?
Videri.
Non licere.
XIII. De donatione Constantini.
Pro eâ.
Contra eam.
XIV. De Papa.
Sítne in Rep. maxima poteſtas magiſtratus?
Sítne Papa Romanus ſupra Imperatores, & quidem iure?
An poſſit Remp. iure magiſtratus ſpoliare?
An ciues teneantur magiſtratum à Papâ proſcriptum deſerere?
Quæ regna ſibi obnoxia eſſe Papa affirmet?
Regnum Italiæ contra.
Angliæ contra.
Galliæ contra.
Daniæ contra.
Hungariæ contra.
XV. Leges vtiles circa natales.
De officio obſtetricum.
XVI. Circa scholas officivm magistratvs.
Scholarum neceſſitas.
vtilitas.
XVII. Ratio circa templa, ædes sacras et res divinas.
De bonis Eccleſiaſticis.
De officio Epiſcoporum.
Concionatorum.
Presbyterorum.
Diaconorum.
Cantorum.
XVIII. De nosocomiis.
De ægrotis.
De Medicis, Pharmacopœis, Chirurgis, Banauſiſtis, Empiricis, Circumforaneis.
XIX. Ratio circa edvlia.
Præfecti eduliorum.
Præfecti annonæ.
XX. Circa cvrias civivm et officia.
Præfecti earum.
XXI. Circa strvctvras pvblicas.
Præfecti fabrorum.
XXII. Circa porticvs.
item ambulationes.
theatra.
balnea.
gymnaſia.
palæſtras.
XXIII. Circa forvm.
XXIV. Circa officinas.
XXV. De solemnibvs et anniversariis mercatibvs.
XXVI. Circa orphanos et pvpillos.
Orphanotrophia.
Præfecti illorum.
Circa ſenes imbecilles.
Gerontocomia.
Præfecti illorum.
Circa pauperes.
Prochodochia.
Præfecti illorum.
XXVII. De Ivdiciis.
Iudiciorum ſpecies.
1. De rebus corrigendis & componendis.
2. Si quis Rempubl. fraudauerit peculatu. Repetundarum.
3. De rebus ad Reip. ſtatum pertinentibus.
4. De damno priuato.
5. De priuatis contractibus.
6. De cæde.
7. De peregrinis.
8. De contractibus minoris ſummæ.
9. De famâ & iniuriis.
XXVIII. De Prætore.
Eius munus.
XXIX. De Ivdicibvs.
Quales eſſe debeant in ſe?
Vt ſe gerere debeant in cauſis cognoſcendis?
Vt in cauſis iudicandis?
De aduocatis & patronis quales eſſe debeant?
de teſtibus.
De carcere.
De equuleo, & variis tormentorum generibus.
De ſuppliciorum generibus.
XXX. De Ærario Reip.
Expediátne habere congeſtam in vnum locum pecuniam publicam?
Quæſtionum varij ordines.
Quæſtoris munus.
Exactoris munus.
Ratio pecuniam è Rep. colligendi.
1. Ex venditione bonorum Eccleſiaſticorum abſolutâ.
ſeruatâ ſummâ certâ in ſingula agri iugera, vel in domos, quæ poſtea quotannis per prætorem exigatur.
2. Ex venditione ſyluarum publicarum aut arborum.
3. Ex confiſcatione.
XXXI. De Proscriptione.
Ex decimis.
Ex paſtione boum, equorum, ouium.
Ex boum & ouium mactatione.
Ex agris, ſummâ certâ in ſingula iugera conſtitutâ.
Ex domibus, puta in fundos, tecta, caminos.
Ex venditione agrorum, ædium, equorum, boum, ſupellectilis in auctionibus.
Ex tributo in ea quæ conſumuntur.
Vt ſunt ligna ad focum, candelæ, cibus, triticum, legumina, ſal, potus, vinum, cereuiſia, acetum, butyrum
Ex locationibus, conductionibus agrorum, ædium.
Ex importationibus & exportationibus.
Ex deductionibus.
Ex conuiuiis.
Ex pecuniæ pretio intenſo, vel remiſſo.
Ex menſium contractione, aut diductione.
Ex reditibus annuis bonorum priuatorum.
Ex reditibus ad vitam.
Ex cenſu annuo.
Ex permiſſione prædarum, eâ lege, vt pars aliqua cedat Reip.
Ex cauſis forenſibus & litibus.
Ex officiorum quorundam minùs neceſſariorum abrogatione.
Ex natalitiis & ſepulturâ.
XXXII. Moneta.
Cui eam cudere fas?
Quantum interſit eam ſine fraude ſeruari?
De adulteratoribus monetæ, eorúmque ſuppliciis.
Quibus ad corrumpendam monetam artibus vtantur?
Præfecti monetarij.
De auro, argento, ære conflando,
Monetæ examen.
XXXIII. De legatione.
Eius neceſſitas.
Quis in legatum deligendus ſit?
Quomodo mittendus? Magnificè.
Si ſupplicatum itur, Demiſsè.
Vt ſe legatus in itinere gerere debeat?
Quos in itinere conuenire debeat?
Quos non?
Ius legati.
Vt excipiendus?
De violatis legatis.
Vt ſe gerat extra prouinciam miſſus ad Remp. ſociam, hoſtilem?
Ne ab hoſte munus capiat.
De vxore legati.
De familiâ legati.
Vt mittendus ſit ad ſuos?
Renuntiatio & abdicatio legationis.
De præmiis, quibus afficitur legatus redux.
XXXIV. De censvra.
Inſpectionem in mores & vitam ciuium eſſe neceſſariam.
Supplicia in delinquentes.
Multa ſeu pœna pecuniaria in eoſdem.
In lupanaria.
In adulteros, ebrioſos, & periuros.
Multæ in rixantes.
In luxum
Circa domos, conuiuia, veſtes, ornatum gemmarum, auri.
XXXV. Civivm mvtva officia.
Iuuare inuicem aduerſus hoſtem.
Aduerſus incendia.
Infirmos inuiſere.
Pauperes iuuare.
Mulierum, parturientibus adeſſe.
Virorum, mortuos deferre, ſepelire.
Vtrorumque, lugere defunctos.

XXXVI. De bello.
Sitne fas bellum gerere?
Non videri.
Belli mala, animorum diuulsio, vastitas agrorum & vrbium, stupra, cædes.
Esse fas.
Sed viam iuris & pacis priùs tentandam.
de bello externo.
Iniustum ne esto: ex ambitione susceptum, aut auaritiâ.
Iustum esto.
Erit verò, si imperet magistratus:
1. Ad defensionem sui, libertatis, bonorum, priuilegiorum auitorum.
2. Ad defensionem confœderatorum, si opprimantur inuiti: si ex ipsorum malo nobis pernicies immineat.
3. Ad depulsionem
1. hostium & agri hostilis, vt iniuriam acceptam vlciscamur.
2. barbarorum, vt iis imperemus, quos seruire natura voluit.
Finis belli pax esto.
Pacis bona publica, priuata.
Apparatus belli, pecunia, annonæ, arma.
Armamentarium.
Nauale.
Præsidiarius miles, pedes, eques.
Vter bello præstet?
Vter sumtu maior?
Delectus militaris necessitas.
Victoriam non copiâ, sed bonitate militum patari.
Exempla insignium victoriarum, quæ pauco milite partæ sunt.
Exempla maximarum copiarum, in quibus ipsa sibi moles oneri fuit multitudo.
Quis miles deligendus?
Exterus.
Iudicia de milite Hispano, Gallo, Anglo, Scoto, Polono, Turcâ, Italo, Tartaro, Belgâ.
Domesticus.
Vter præstet?
De milite ordinario, subsidiario.
Notæ boni militis.
1. A patriâ. 2. Ab ætate: an senex deligendus? 3. A corpore. 4. Ab animo. 5. A consuetudine siue educatione. 6. A moribus.

XXXVII. De disciplina militari.
1. Exercitiorum necessitas.
Exercitia varia militum.
1. Armorum & imaginariæ pugnæ.
2. Cursus & itineris.
3. Oneris ferendi.
4. Operis faciendi, valli, fossæ.
5. Insomniæ.
2. Ordinis ratio.
Eius in omnibus rebus necessitas, precipuè in re militari.
Ordo excubiarum & vigiliarum.
De tesserâ militari.
Inspectio in excubitores & vias.
Ordinis vtilitas in pugnâ.
Castrorum disponendorum ratio.
1. Subita & tumultuaria, si iter faciendum sit.
Ad flumen ob commeatum.
Ad collem.
2. Durabilis; quæ materia, quæ forma, quæ capacitas: opera in munimentis ipsis, opera extra munimenta ad eorum defensionem.
Aciei instruendæ varij modi.
Opportunitas captanda, venti, solis, loci.

XXXVIII. De obseqvio militari.
Nemo inscio Imperatore extra ordinem pugnet.
Coërcitio
1. A Venere.
2. Ab ebrietate & crapulâ.
3. A verborum obscœnitate, periuriis, licentiâ calumniandi ducem.
4. A iurgiis, mulctis, & pugnis.
5. A luxu vestium.
6. A rapinis.
De præmiis militaribus.

XXXIX. De dvce militiæ.
An plures esse possint?
Eius necessitas.
Virtutes:
Vigor animi, corporis, prudentia parta exercitatione, lectione, & sermone.
Felicitas.
Exempla felicium.
Exempla infelicium.
Autoritas.
Ocia boni Imperatoris.
Inspicere in suos.
In hostium consilia & milites etiam per exploratores.
Hostem non contemnere.
Vigilare.
Rebus secundis diffidere.
Amorem suorum sibi conciliare.
Praire.

XL. Qvæ ante pvgnam servanda?
Non temerè decertandum.
Lentè progrediendum.
Captanda occasio.
Fama non negligenda.
Vitanda securitas.
Animus militi addendus.
vultu
oratione.
Exempla orationum illustrium ad milites.
Repellenda eâ, quæ metum possunt incutere.

XLI. Qvæ in pvgna?
Acies instruenda tempestivè.
Dux vigil circumcurset.
Animosus sit.
Hortetur suos verbo, exemplo, minis.
Vtrum in prælio satius sit, hostis impetum excipere, exceptúmque sustinere & oppugnare:
An verò hostem ipsum cum impetu inuadere?
In trepidis ne trepidet.
Si inclinat hostis, vrgeat.
Si labat acies, resarciat.

XLII. Qvid post pvgnam?
Quid si vincas?
Ne nimis vrge hostem.
Quid si vincaris?
Recipe te ad fugam.

XLIII. De fvga.
Sitne fas fugere? Licere interdum.
Fugiendi conditiones.
Equitum fuga
peditum.
De castrorum desertione.

XLIV. De obsidione.
Quomodo facienda?
Si metuitur, curam habeas
1. Munimentorum
2. Copiæ militum.
3. Armorum & instrumentorum bellicorum.
4. Annonæ.
5. Pecuniæ quantum satis.
6. Cauendum ne intercludantur ab hoste
Itinera.
Ne impediatur
1. Vsus literarum ad socios.
2. Subsidij copia.
3. Spes liberationis.
7. Iuuerit opera extra muros, & vallum habere.
Exempla variorum casuum in obsidionis perpessione.
Exempla fortitudinis in perpessâ obsidione.
Si obsidio tibi facienda,
1. Inexpectatus accede.
2. Cum impetu irrue.
3. Si morâ opus, vallum & fossam hosti circumda; etiam tibi, ne obsidens obsidearis.
4. Itinera præclude hosti ad suppetias ferendas.
5. Cuniculos agito.
Exempla variarum artium, quibus obsidentes vsi sunt.

XLV. De stratagematibvs.
Sitne fas iis vti? Esse.
Exempla memorabilia.

XLVI. De indvciis.
Variæ earum formæ.
Sitne fides hosti seruanda?
Esse.
Exempla induciarum violatarum.

XLVII. Victoria.
1. Vtendum eâ cautè.
2. Leniter in personas miserabiles, viros, fœminas.
Exempla crudelitatis in vrbes
in agros.
Exempla humanitatis.
3. Moderatè.

XLVIII. De clade.
Ea æstimanda ex se.
Ne despera, erige te, tuos.

XLIX. De pace.
Pacis bona

Paci dandam operam post bellum.
Pax optanda victis, victori.
Quia decora, vtilis, tuta.

L. De bello civili.
Eius detestatio.
Communiter.
Distinctè. 1. Ob scelera. 2. Impietatem. 3. Clades. 4. Promiscuas cædes, etiam consanguineorum. 5. Perfidiam.
Causæ bellorum ciuilium:
1. Remotæ:
Deus puniens peccata, & hæc mala permittens.
Luxus.
Ordinis neglectus.
2. Propinquæ,
Factiones, seditio ex oppressione, ex metu, indulgentiâ, angustiis, instinctu improborum, turbonum, ambitiosorum, obæratorum.
Remedia aduersus bella ciuilia:
Defatigatio.
Pactio absoluta ad tempus.
Hîc cautio est, ne à potentiore decipiaris.
Si rei prodest diffidere, habere copias in præsidiis.
Federe iungi cum vicinis.
Potentioris est ἀμνηστίαν polliceri & præstare.
An vir bonus se debeat miscere bellis ciuilibus?
Videri.
Non debere.
Distinctio & decisio quæstionis.

LI. Qvibvs conservatvr statvs reip.?
Communiter,
Distinctè.
1. Ne quid fiat præter leges.
2. Metus mutationis, si cogites pericula etiam remota imminere: vicina verò iam esse præsentia.
3. Curandum vt pars numero melior, eadem quoque numero sit potior.
4. Iisdem primarij magistratus committendi sunt.
5. Iustitia & æquitas seruanda.
6. Cauendum ne quis opibus & clientelis nimiùm excrescat.
7. Principia mutationum in ipsâ herbâ compescenda.
8. Educatio puerorum ad statum Reip. conformanda.
9. Religio.

LII. De cavsis mvtationvm rervmpvbl.
Communiter,
Distinctè:
1. Nihil humanum perpetuum.
2. Deus peccata punit.
Principum peccata etiam in ciuibus puniri.
3. Periodus Rerump. Platonea.
4. Vis externa.
5. Mutationum Rerump. solet præcedere morum mutatio in veste.
6. Seditio & rebellio.
In quâ spectantur:
1. Æqualitas rerum & inæqualitas.
2. Causæ.
1. Iniuria.
2. Auaritia.
3. Honor.
4. Excellentia partis alienæ.
5. Metus.
6. Contemtus.
7. Increpatio præter rationem.
8. Calamitas.
9. Contentio.
10. Negligentia.
11. Prauæ occasiones.
12. Dissimilitudo.
13. Locus.
Remedia aduersus seditiones.
1. Principiis obsta: neque vllum malum in Republ. pro paruo habe.
2. Mala maxima ex minimis oriuntur.
Priuatim factiones componantur. Fiat id legum adminiculo.
3. Leges obseruentur.
4. Auctoritatem suam magistratus tuetor.
5. Concordia inter collegas conseruanda.
6. Terror iniiciatur turbonibus & simulatis.
7. Census pro occasione augeatur, vel minuatur.
8. Nemo præter modum vrgeatur.
9. Censura morum exerceatur.
10. Ne honores sint quæstui.
11. Danda opera vt ea pars sit superior, quæ maximè fauet Reip.
12. Fugiantur excessus rerum.
13. Tollendæ formulæ pactionis, & symbola, quibus ad factiones constringi ciues solent.
14. Etiam conuentus & sodalitia, quibus conspirare consueuerunt.
15. Instituendi iuuenes & hortandi ad concordiam.

LIII. De Regno et Principatv.
Rex quis?
Regum origo primùm ex necessitate: ex virtute aliquâ admirabili, animi, corporis: ex inuasione violentâ.
Regni species plures.
Rex quomodo legendus?
Varij modi.
Præstetne electio successioni?
Electionis commoda.
Pro successione.
Principatus initia ferè laudabilia.
Ea mox mutari.
Perstandum esse.
An fœminæ principatus committendus sit?
Non videri.
Licere.
Decisio quæstionis.
Principum varia bona.
Immunitas.
Admiratio.
Honor.
Exemplum.
Præcipuum bonum esse virtutem.
Eam necessariam Principi,
Ob se, ob subditos.
Subditos ferè meliores fieri Principum exemplis.
Virtutum regiarum census:
Iustitia, clementia, fides, modestia, maiestas, liberalitas, castitas, placabilitas, conuitiorum contemptus, famæ cura, prudentia, educatio, amor eruditorum, religio.
Ea in regno vna esto.
Quid cum hæreticis agendum?
De vitâ Principis priuatâ.
Vt horas partiri debeat? vt actiones, domi, foris? vt accepta & expensa curet?

LIV. De avla.
Aulicus.
Vitæ aulicæ bona, mala.
De officiis aulicis.
Præfectus aulæ, cameræ, vestium, rationum, equorum, nobilium, custodiæ corporis, liberis regiis, gynæceo.
De Eunuchis.
De administris regiis in genere.
Caueant initio infortunium.
Gratiam Principis amissam reparare difficile est.
Ita regum grauis.
Dilata supplicia non auferuntur.

LV. Consiliarivs.
Quales consiliarij deligendi?
Rebus exercitati, senes.
Quæ illorum officia?
Fides.
Liberè sententiam dicere.
In commune consulere.
Minimè adulari.
Princeps vt se gerat in audiendis consiliis?
Consiliarium fidelem ne æstimet ex euentu.
Sæpe optima consilia irrita fuêre.

LVI. De præfecto provinciæ, vrbis, arcis.
Præfectus fidem Principi seruet.
Ne spoliet suos.
Abstineat à crudelitate.
Tributum exigat humaniter.
Abstineat à libidine.

LVII. Prorex.
Prorex authoritatem & maiestatem domini tueatur.
Si peccauerit prorex, puniatur.
Si spoliauerit, reddat.
Exprimatur spongia.
Capite insuper & carcere luat.
Princeps caueat, ne facti inuidia sibi imputetur.

LVIII. De qvæstore regio.

LIX. Principis officivm in svos.
Nosse ipsos.
Vulgi in primis naturam;
Et regni, quod instabile, odiosum, insidiis obnoxium.
Reges plerunque timidi, æmulos habent.
Muniendi ergo custodiâ & vi armatâ.
Regnum quoque muniendum arcibus & coloniarum deductione.
Beneuolentia Principi concilianda, lenitate, beneficentiâ, comitate, indulgentiâ.
Authoritas ei & maiestas paratur seueritate, cōstantiâ, mo-

rum grauitate, pietate, ſi rarò conſpiciatur, prouidentiâ.
Potentia paratur, opibus, armis, conſiliis, fœderibus, fortunâ, prudenti rerum diſpenſatione.

LX. QVÆ REGNVM EVERTANT?
Omnia quæ alias Reſp.
Communiter:
Propriè
vis externa
inſidiæ. remedia aduerſus eas.
proditiones. remedia aduerſus eas.
ſeditio.
1. Ex diſſidio procerum inter ſe ob honores, ob commoda.
2. Ex declinatione ad tyrannidem.
Metus diſſidia parit.
Is oritur ex iniuriis Principum, crudelitate, auaritiâ, ambitione.
Contemptus regis ipſi obeſt.
Is oritur ex vilibus vitiis.
Remedia aduerſus odium.
Moderatus ſit.
Ne citò puniat.
Nec niſi bono Reipubl.
Abſque irâ.
Abſque gaudio.
Ne inuſitata adhibeat ſupplicia.
Ne alios plectat, alios dimittat.
Ne ipſe oculos crudeli ſpectaculo paſcat.
In tributis remiſſus ſit, ratione quantitatis, frequentiæ, modi in exigendo.
In cenſurâ æquus ſit.
Contemptus Regis oritur.
1. Ex ſexu. 2. Ætate. 3. Negligentiâ imperandi. 4. Licentiâ populi. 5. Nimiâ familiaritate. 6. Lenitate diſſolutâ. 7. Leuitate. 8. Temeritate. 9. Fortunâ aduerſâ 10. Vitiis. 11. Libidine. 12. Luxu. 13 Temulentiâ. 14. Vitioſo corporis habitu. 15. Formę reſpectu. 16. aut Valetudinis.
Pontificis Proſcriptio; quam ſequuntur
1. Deſertio Ordinis Eccleſiaſtici.
2. Ebuccinationes tribunitiæ, & ſeditioſæ inſtigationes concionatorum.
3. Deſertio populi
Exempla Principum à Papâ indignè proſcriptorum.
Remedium aduerſus Pontificias proſcriptiones.

LXI. DE TYRANNIDE.
Tyrannidis ſpecies.
Quid differat à regno:
1. Ortu. 2. Formâ 3. Fine.
Tyrannus enim in eo eſt, vt
1. Ciuium animos euertat. 2. Efficiat, ne ciues fidem colant. 3. Adimat ciuibus arma & vim. 4 Prærogatiuam ſtudio, cuſtodiâ, ſimulatâ bonitate.
Tyrannorum mores.
Nulla tyrannis perpetua: eius duratio.
Sitne fas tyrannum occidere?
Modus conſeruandi
I. Per vim, cuſtodiam, milites, arces
II. Per manifeſtam improbitatem: videl.
1. Ciuium oppreſſionem, in primis potentiorum.
Exempla.
2. Ademptionem,
1. Armorum.
2. Opum, & immunitatis à tributis.
3. Libertatis, priuilegiorum & conuentuum ac pactorum.
Huc pertinent exilia & deportationes.
4. Vitæ, per
1. Præſcriptiones.
2. Supplicia, cædes.
3. Vexationem in mutuis criminationibus.
4. Barbariem ſiue neglectum & deſertionem literarum, ſcholarum, educationis.
5. Diffidentiam amicorum.
Huic rei ſeruiunt exploratores, delatores, ſubauſcultatores.
3. Bellorum ſuſceptionem, ne ciues otio fruantur.
4. Neglectum & contemptum bonorum & grauium in Rep. virorum: adulatorum contra & improborum ac peregrinorum hominum probationem.
5. Tyrannorum eſt, poteſtatem dare mulieribus in viros, ſeruis in dominos.
III. Per ſimulatam probitatem, ſi videatur vir bonus, prætendat exactionibus ærarij exhauſti curam & Religionem.
Exempla.
Iuſtitiam, temperantiam, & cenſuram æquam.
Superbiam tegat titulo grauitatis,
Aulicos direptionibus exhaurientes Remp. interdum grauiter puniat ſuo commodo.

LXII. CAVSÆ MVTATIONVM.
Contumelia ciuium. Metus ciuium. Auaritia Principis. Ambitio. Luxus. Vis externa. Vicinitas contrariæ Reip. Diſſidium internum.

LXIII ARISTOCRATIA.
Deſcriptio.
Habet mixturam libertatis, diuitiarum, & virtutis.
Exempla talis Reip.
Proprietates.
Deligere magiſtratum ſummum ex optimis, hoc eſt, nobilioribus, prudentioribus, ditioribus.
Magiſtratum non habere perpetuum.
Repoſcere inuicem rationes ab iis, qui defunguntur magiſtratu.
Duratio Ariſtocratiæ.
Modus conſeruandi.
Attendere ad leges.
Ad formam Reip.
Nihil innouare.
Cauſæ mutationum.
Seditio ex eo, quòd pauci admittantur ad honores.
Inæqualis mixtura: vt ſi nimiùm tribuatur
1. Libertati: tunc enim fit Democratia.
2. Si nimiùm diuitiis: tunc enim fit Oligarchia.
Neglectus paruorum initiorum in legum obſeruatione in formâ Reip. in rerum innouatione.
Vicinia contrariæ Reip.

LXIV. DE OLIGARCHIA.
Deſcriptio.
Species variæ.
Exempla ſingularum.
Proprietates.
Mala ſiue incommoda.
Duratio.
Modus conſeruandi.
Conſeruatur Oligarchia
1. Ordinis perpetuâ obſeruatione.
2. Curâ militis terreſtris: equitis putà & peditis, itémque nautici.
Cauſa mutationum:
Per ſe eadem quæ tyrannidis: videl.
1. Iniuria.
2. Seditio eorum quæ non ſunt in magiſtratu:
Eorum qui præſunt
1. Ob paucitatem.
2. Ob contentionem.
3. Ob ambitionem.
Per accidens: Cùm ad pauciores conantur formam traducere, tempore
Belli.
Pacis.
Conuerſio Oligarchiæ:
Fit ſæpe in tyrannidem, Ariſtocratiam, Democratiam.
Remedia aduerſus conuerſionem.
Qui nimiùm efferuntur pellendi è Rep.
Mulctandíque exilio ad tempus: Perpetuò relegatione, deportatione, ablegatione.
Eripienda inſtrumenta potentiæ:
1. Licentia compeſcenda, carcere, mutilatione corporis, excæcatione. 2. Opes minuendæ. 3. Amici eximendi.

LXV. DE DEMOCRATIA.
Eius deſcriptio.
Species variæ.
Proprietates.
Demagogos ſiue tribunos plebis habere.
Libertatem adſerere.
Magiſtratum eligere ex omnibus.
Omnes magiſtratus ſingulis committere, & ſingulos omnibus.
Magiſtratum ſorte eligere.
Non facere magiſtratum ex cenſu.
Nulli eundem magiſtratum bis committere.
Magiſtratus breues habere. Nullum perpetuum.
Iudices hîc volunt eſſe omnes, ex omnibus, & de omnibus.
Imperium penes plebem.
Obſcuritas huic formæ propria & paupertas.
Mala huius formæ.
Vulgi natura.
Promiſcuè.
Diſtinctè: Inſtabile.
Iudicij expers.
Ad plures pronum.
Inuidum.
Suſpicax.
Credulum.
Res augens ſermone.

In

In vetita pronum.
Turbidum.
Calidorum amans.
Negligens Reip.
Metu & ſpe nimium.
Duratio huius formæ.
Modus conſeruandi.
Libertatis tutela eſto.
Publica iudicia rara ſunto. Rara item comitia.
Cauſæ mutationum.
Inſolentia { demagogorum. plebis.
Mutatio fit 1 In Oligarchiam, tribunis ſeſe offerentibus.
2. Interdum in tyrannidem.
2. In aliam democratiam.

LXVI. De politia mixta.
Eius mediocritas.
Proprietates.
Partes.
Senatus.
Magiſtratus.
Iudicia.
Exempla talium Rerumpubl.
Commoda, duratio, modus conſeruandi, cauſæ mutationum.

LXVII. De rebvsp. plvribvs fœdere ivnctis Aristocratico.

Quæ cauſæ vnionis?
Impotentia tyranni aut hoſtis externi.
Libertatis amor.
Quomodo conſeruetur hic ſtatus.
Quibus fœderibus magis confidere auſis, iiſne quæ cum Rep. liberâ, an cum Principe inita ſunt?

LXVIII. Controversiæ principvm et rervmp. nostri secvli.

1. Actio Papæ aduerſus omnes Principes.
Pro eo. Contra eum.
2. Actio Papæ in regnum Neapolitanum & Siculum.
Pro eo. Contra eum.
3. Actio regis Angliæ in Franciam.
Pro eo. Contra eum.
4. Actio regis Hiſpanorum in Batauos.
Pro eo. Contra eum.
5. Actio regis Galliarum in regnum Nauarræ.
Pro eo. Contra eum.
6. Actio regis Galliarum in Ducatum Mediolanenſium.
Pro eo. Contra eum.
7. Actio regis Poloniæ in Suecos.
Pro eo. Contra eum.
8. Actio regis Sueciæ in Polonum.
Pro eo. Contra eum.

MEMORABILIA.

I. Philosophia.
De philoſophis.
II. Grammatica.
De linguis earúmque varietate, originibus, antiquitate, proprietate, deſcriptione.
Variis ſcribendi generibus.
Ratio per occultas literas aliquid ſcribendi.
Ratio myſtica & occulta inueſtigandi & explicandi.
Elegantiæ ad vſum Epiſtolarum, Orationum.
Similia, Apophthegmata, Prouerbia, Germanica, Italica, Gallica.
Inſcriptiones memorabiles.
III. Rhetorica.
De imitatione.
De charactere dictionis.
IV. Poetica.
Epigrammata quædam ſelectiora.
Epitaphia. Anagrammatiſmi. Ænigmata. Comœdiæ. Tragœdiæ. Rhythmi.
V. Logica.
VI. Physica.
De naturâ, motu, loco, tempore, vacuo, infinito, corpore, cœlo, plantis, elementis, generatione & corruptione, meteoris, vento, pluuiâ, grandine, &c.
De animâ vegetatiuâ, ſenſitiuâ, rationali.
De plantis.
De animantibus.
De homine. Eius corporis Anatome.
VII. Medica.
VIII. Historica.
Hiſtoriæ leges.
Coſmographia.
Chronologia.
Origines Turcarum, Tartarorum, Moſcorum.
De perſonis illuſtribus.
Iudicia varia de præcipuis viris, Platone, Ariſtotele, Senecâ, Cicerone, Liuio, Tacito, Machiauello, Iuſto Lipſio, &c.
Genealogiæ præcipuorum noſtræ æui Principum.
Ritus quidam Græcorum, Hiſpanorum, Italorum, Gallorum, Romanorum.
Nummi antiqui ſingulares.
IX. Sacra.
Preces inſigniores.
Quæſtiones & diuiſiones variæ de religione.
Explicationes variorum locorum S. S.
Hæreſeon catalogus.
Ordines varij Monachorum, eorúmque origines.
Hierarchia Romana.
Ieſuitarum ortus, incrementa, ordo, leges, mores.
Ratio euertendi Ieſuitas.
X. Ivridica.

Finis Locorum communium Philoſophiæ practicæ.



ENCYCLOPÆDIÆ LIBER PRIMVS ET VIGESIMVS,

Proponens

ETHICAM.

CAPVT PRIMVM.

De Felicitate morali.

PRÆCEPTA.



THICA est prudentia de bono morali obtinendo: *aliâs dicitur* philosophia moralis, philosophia morum, & philosophia κατ' ἐξοχὴν; *& interdum* philosophia ciuilis.

Estque generalis, vel specialis.

Ethica generalis tradit finem, subiectum, & media vitæ actiuæ in genere.

Finis vitæ actiuæ, adeóque Ethicæ, propositus, est felicitas moralis.

Felicitas seu beatitudo moralis est actio virtutis moralis. *Aliâs dicitur* felicitas ciuilis.

Ea consideratur quantum ad essentiam & eminentiam suam.

Essentia felicitatis moralis in eo posita est, vt homo per habitum virtutis moralis sit vir bonus, id est, charus Deo, sibi, & bonis.

Eminentia felicitatis moralis in eo est, vt actionem virtutis comitentur triplicia bona: videlicet bona animi intellectualia, vt sapientia & eruditio: bona corporis, vt sanitas, libertas, pulchritudo: & denique bona fortunæ seu externa, vt diuitiæ, honor, nobilitas, bona fama.

REGVLÆ.

Philosophię summa diuisio.

I. *Philosophia practica est colophon & meta eruditionis liberalis.*

PHilosophia est vniuersitas liberalium disciplinarum. Estque dogmatica vel organica. Philosophia dogmatica est, quæ docet ipsas res: vnde etiam realis & obiectiua dici solet. Estque theoretica, vel practica. Philosophia theoretica docet cognitionem veri, nec vlteriùs dirigitur ad aliquam actionem. Partes ipsius principes sunt numero tres; Metaphysica, Physica, & Mathematica. Philosophia practica docet actionem boni, adeóque non scientiam, sed conscientiam habet pro fine. Partes ipsius principes itidem sunt tres: Ethica, OEconomica, Politica. Philosophia organica est, quæ docet effectionem instrumentorum liberalium: aliâs directiua. Partes ipsius principes etiam sunt tres: Grammatica, Rhetorica, Logica. Ex his philosophiam theoreticam, practicam, & poëticam tribus Gratiis: nouem partes principes totidem Musis non ineptè aliquis comparauerit. Rursus philosophia theoretica ex Stoicorum mente conferri potest cum horto: practica cum cœlo, quod hortum fœcundat: poëtica cum macerie huius horti. Et cum Philone Iudæo *lib. de agricultura* philosophia vniuersa comparari potest horto, in quo theoreticæ disciplinæ arborum habeant rationem, practicæ fructuum, propter quos sunt arbores, poëticæ sepis & maceriæ, quæ arbores & fructus conseruat. Ex quibus omnibus colligere est, quanta sit philosophiæ practicæ præstantia. Hæc nimirum benefico suo radio vegetat agrum philosophiæ theoreticæ. Hæc est finis & meta eruditionis liberalis. Hæc facit, vt studia humanitatis splendorem & vitam accipiant à studiis pietatis. Vnde non immeritò Plato, princeps ille Academiæ, pronuntiauit constantiam, fidem, sinceritatem veram esse philosophiam. Et Aristoteles, princeps Peripati, philosophiam practicam vocauit principem & architectonicam reliquarum disciplinarum. Et Seneca, princeps Stoæ, dixit: Facere docet philosophia, non dicere. Quid? Philosophia practica maximam cum sacrosanctâ Theologiâ habet affinitatem, ita vt Melanchthon, philomela illa Germaniæ nostræ, non præter rem dixerit: *Ethica doctrina est pædagogia seu deductio ad Christum.* Nimirum philosophia practica tota est occupata in studio virtutis. Virtutis, inquam: sine quâ homo est animal ἀνοσιώτατον καὶ ἀγριώτατον, *sceleratissimum & immanissimum.* Atque ob hanc singularem præstantiam Ethica dicitur philosophia per excellentiam. Quicunque igitur in philosophiâ theoreticâ immoriuntur, ne quicquam soliciti de philosophiâ practicâ, ij tanquam inutiles plantæ ex humani generis viridario extirpari debent. Variarum siquidem rerum scientia sine culturâ morum & honestatis nihil est aliud quàm gladius egregius in manu hominis furiosi. Et quemadmodum homo repletus vino impetum in alios facit, eósque lædit: ita homo doctus philosophiam theoreticam, & negligens practicam, omne ius honestatis violat. Quæ cùm ita sint, Socraticum nobis optemus ingenium. Quid verò Socrates? Ille philosophiam è cœlo in terram euocasse dicitur: hoc est, meteorologico philosophandi genere abrogato, ethologicum, vt ita dicam, introduxit: dissimilis istis, qui, vt grauiter annotat *Plutarchus in Moral.* in philosophiæ studio, ceu per metamorphosin quandam, velut aues facti conferunt se ad naturæ contemplationem: vel tanquam catelli ad rixas & morsus quæstiuncularum & sophismatum. Dissimilis etiam iis, qui cœlestia corpora intuentur, & negligunt quæ ante pedes sunt; quod ægerrimè ferebat Diogenes Cynicus: qui ipse differentem de rebus cœlestibus hoc modo exagitabat: Quando de cœlo venisti? Concludamus itaque hoc de philosophiæ practicæ dignitate atque vtilitate, & dicamus cum philologo: *Melius est audire Socratem de moribus, quàm Hippocratem de humoribus disputantem*: idque in primis hoc nostro tempore, de quo illud *Plauti Trin.* rectissimè proh dolor vsurpari potest: Noui ego hoc seculum, moribus quibus sit: malus bonum malum esse vult, vt sit sui similis: turbant, miscent mores mali: rapax, auarus, inuidus, sacrum profanum, publicum priuatum habent. Quasi herba irrigua succreuerunt vberrimè: neque quicquam hîc vile nunc est, nisi mores mali: eorum licet iam messem metere maximam. Præstat igitur hoc mundi seculo discere philosophiam practicam, quàm Theoreticam. Practica enim confert splendidissimum titulum viri

Philosophiæ practicæ præstantia.

boni,

boni, cuius animus semper est veluti sol supra horizontem. Hinc patet quoque, eam esse præstantiorem theoreticâ: Etsi enim pendeat à theoreticâ, quemadmodum voluntas pendet ab intellectu, & ita philosophia theoretica sit præstantior: omne quippe independens nobilius est dependente: attamen quatenus practica habet rationem finis, theoretica rationem medij (cognitio enim veritatis ad virtutis actionem dirigi debet, ne sit diabolica) nemo non videt practicam esse præstantiorem. Finis enim est ἐντελέχεια mediorum. Hinc sapientissimi quique vitam actiuam anteposuerunt vitæ contemplatiuæ.

Quæ regulæ in primis obseruandæ in philosophiâ practicâ?

II. *In philosophiâ practicâ oportet vel in primis attendere ad has regulas.*

1. H*Omo naturâ duce amat honestum.* Falsa igitur est opinio, quæ tenet, Honestatem constare hominum opinione. Honestas siquidem arcessitur à lege naturæ, quæ est notitia discriminis honestorum & turpium, nobiscum nata, & digito Dei scripta in cordibus nostris. Ista naturæ lex, seu lumen intellectus discretiuum, vti vocant, est fons & mater omnis honestatis, quippe quæ cuilibet homini non distorto dictat ista principia: Deus, qui est supra omnia, est diligendus supra omnia: Homo, qui est prope seu iuxta nos, diligendus est sicut nos: quæ sunt duo principia totius philosophiæ practicæ cardinalia. Eadem naturæ lex, an lux, dictat has quoque Maximas, quæ dicuntur principia Iuris: Honestè viuere, Suum cuique tribuere, Neminem lædere. Ex his principiis manant ista: Turpe fugiendum: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: Rerum dominia debent esse distincta: Alterum ne læseris, vt tibi prosis, seu, Non licet sui commodi causâ nocere alteri: Quidquid sine detrimento potest commodari, id tribuatur cuique vel ignoto, vt sunt, comiter monstrare viam, non prohibere aquâ profluente, pati ignem ab igne capere, lumen de lumine suo sinere accendi: Pacta sunt seruanda: Legati non sunt violandi. 2. *Philosophia practica debet sanare morbos voluntatis & affectuum.* Philosophia debet supplere defectus naturæ, theoretica quidem defectus siue morbos mentis, practica verò morbos voluntatis, id est vitia. Hinc Apuleio philosophia rectè dicitur indagatrix virtutum, expultrixque vitiorum. Hoc intellexit Socrates, qui cùm à Zopyro physiognomone pronuntiaretur homo stupidus, mulierosus, & vinolentus, amicis stomachantibus & obiurgantibus istum physiognomona, dixit: Nihil mentitus est. Omnino talis futurus eram, nisi me philosophiæ gubernandum tradidissem. Et rectè Philippus Macedo hortaturus filium Alexandrum ad philosophiæ studium, vsus est hoc argumento: Ne, inquit, committas, quæ me fecisse nunc pœnitet. 3. *Philosophia practica sic est proponenda, vt plurimis iisque purpureis, locorum communium pannis inuoluatur,* vt cum Sidonio loquar: hoc est, flosculi dictorum memorabilium, apophthegmatum, similitudinum, adagiorum, exemplorum, emblematum, hieroglyphicorum, & mythologiarum, sunt in medium adferendi, ita quidem, vt verborum propè numerum sententiarum numerus consequatur, quod de Thucydide pronuntiat Cicero. Hoc autem ita est præstandum, vt Hierosolyma conferantur cum Athenis, & illis præferantur, quod dici solet: hoc est, vt Biblia sacra conferantur cum scriptis ethnicorum, & illis longo interuallo præferantur. Et gentiles quidem philosophi audiendi sunt, non vt philomelæ, sed vt ranæ, quod dicere solebat Maximilianus primus Imperator laudatissimus: hoc est, non vt primæ, sed vt infimæ classis præceptores. Sunt enim iniusti possessores bonorum monitorum, sicut Ægyptij vasorum aureorum. Sequamur itaque consilium Augustini, & bona philosophorum gentilium dicta in vsum nostrum vindicemus, possessoribus illis iniustis erepta. Memores item simus illius, quod vulgo dici solet theologiæ & philosophiæ collatione: Si Hagar & Sara, Ismaël & Isaac concordes esse velint, maneant in domo Abrahæ, si verò insolescant, rixásque & iurgia excitent, Hagar & Ismaël domo eiiciantur & exulent. Imitemur hîc Ambrosium, qui ad imitationem Ciceronis scripsit de officiis hominis Christiani. Cæterùm præcepta & regulæ facient cognitionem philosophiæ practicæ certiorem: dicta memorabilia illustriorem: exempla perfectiorem & illustriorem. Cognitio enim quò propior est rebus singularibus, eò magis accedit ad actionem. 4. *Philosophia practica vtitur multis principiis Physicis, Logicis & Medicis;* cuiusmodi ex innumeris hæc sunt præcipua: Quò quid magis est vnum, eò est perfectius: Natura abhorret à progressu in infinitum: Non aufertur effectus, nisi sublatâ causâ: Orta præ se ferunt principij indolem: Principiis occurrendum; quia parua incendia neglecta, magna sæpe vires sumunt: contraria contrariis curantur: similia similibus conseruantur: Curatio morbi fit subtractione & adiectione: Extremis morbis extrema quærenda remedia: Remedia pro ratione naturæ & affectus variæ sunt temperanda: Quæ relinquuntur à morbis, sunt protinus tollenda, ne recidiuam pariant: Bonum est in correctione malorum contrariis assuefieri paulatim: Cùm morbi morales & ciuiles incipiunt, statim est occurrendum, si verò in statu sint, meliùs est vt ad tempus quiescant, & sensim curentur: Omnis subita mutatio ad contraria est periculosa: Si quod cum ratione suscipitur, non statim succedit, non illico desperandum: Impura quò magis nutriuntur, eò magis læditur corpus: Nullum violentum diuturnum: Moderata durant: Habitus felix, cùm in supremo constiterit, est maximè periculosus: Concocta oportet medicari, non cruda: Medicationes non tam quantitate quàm qualitate sunt æstimandæ: Generatio vnius est corruptio alterius, & contra: Curandum vbique tutò, citò, & iucundè: Bonum vnitum, est fortius disperso: Recti & curui nulla est proportio Bonum eligibilius præfertur bono præstantiori. Hæc & similia principia philosophiæ theoreticæ magnum habent vsum in philosophiâ practicâ: ita vt *Auerroës super 1. physic.* non sine causâ dixerit: Liber physicorum est radix & principium philosophiæ moralis: & Philippus Melanchthon in Ethicis Bonus Physicus facit bonum Ethicum.

Ethica quem locum obtineat in philosophiâ practicâ?

III. *Ethica est prima inter disciplinas practicas ordine naturæ & doctrinæ.*

SI animum attendas ad ordinem naturæ, ac proinde doctrinæ accuratæ, Ethica est prima inter disciplinas practicas: quippe quæ continet principia & quasi fundamenta reliquarum. Agit enim de summo bono seu vltimo hominis fine, de passionibus seu affectionibus animi, de vitiis & virtutibus earúmque actionibus; quibus rebus non antè cognitis atque constitutis OEconomica & Politica ne digitum quidem progredi possunt. Si verò spectes excellentiam, seu ordinem dignitatis, Politica primas tenet: quia ad hanc cæteræ disciplinæ omnes tanquam ad finem seu extremum suum referuntur.

Optimus Ethicus quis?

IV. *Ethicus optimus est, qui verba vertit in opera, & scientiam condit sale conscientiæ.*

HOc est, qui sic cognoscit præcepta de vitâ honestâ, vt illa exprimat viuendo, atque adeò

Qui facienda docet, quique docenda facit.

Hinc rectè dixeris, scientiam intingendam esse in offam conscientiæ. Quod ni fiat, obiici potest illud: *Legem habere in manicâ parum prodest, nisi custodiatur in animâ.* Hoc velim cogitare illos, qui putant ἐντελέχειαν studij practici in eo versari, vt possit vltro citróque varias quæstiones disputare, ideóque nihil faciunt reliqui ad indefessam diligentiam in conquirendis variis dubiis & illorum solutionibus. Sanè oportet vt disputationes instituantur in philosophiâ practicâ, non secùs atque in theoreticâ. Sed parciores illæ debent esse ac moderatiores. Frustra enim voluuntur verba in ore, quando non sunt in corde. Et malus est ethicus, qui præcepta quidem nouit, sed non facit. Itaque hoc quærendum est lectione Ethices, vt homo seipso melior euadat Vnde Academici & Stoici in philosophiâ practicâ præferendi sunt peripateticis; vt Plato, Cicero, & Seneca Aristoteli: Illi enim & isti non sunt ita disputáces vt hi: Sicut enim disputax Theologia est mala Theologia, ita etiam se habet practica philosophia.

Ethica quàm vtilis?

V. *Ethica reddit hominem triplici nomine prudentem.*

PRimò enim facit, vt homo sit attentior bono animæ, quàm apicula melli: deinde, vt sit paratus ad omnem fortunam: vt denique sit dux exercitus asinarij, hoc est, vt possit homines ineptos regere, corrigere. Quod postremum ex Zenonis scholâ prodiit. Is enim interrogatus, Quamdiu sit philosophandum, respondit: donec aliquis videatur dux exercitus asinarij. Nimirum qui est sedulus Ethicæ cultor, hoc indipiscitur, vt motum suauitate, tanquam harmoniâ Olympicâ, omnes moueat, flectat, rapiat. Itaque, cùm Ethica sit eximium & præclarum Dei immortalis donum omnibus hominibus concessum, cultura & medicina animi, perfectionísque humanæ dux & Magistra, tum in senibus tum in iuuenibus, sequitur etiam iuuenes idoneos esse Ethicos auditores. Nec est, quòd moueamur authoritate Aristotelis, qui statuit contrarium, hâc ductus ratione, quòd iuuenes pluribus sint obnoxij affectibus: Ideò enim iuuenes debent discere Ethicam, quia fermè plus fellis & fermenti habent in pectore quàm senes. Nam opus est nauclero & aurigâ, ne ratio fluctibus obruatur, & affectibus tanquam equis ferocibus transuersa rapiatur: sed ita discant comedere solem, & pinguescere luce, vt habet sententia pythagorica.

Vtilitas Ethicæ quomodo à Melâchthone tradita?

VI. *De Ethicâ doctrinâ semper in conspectu sint quinque vtilitates.*

VTilitates istas breuiter colligemus ex Philippi Melanchthonis expositione doctrinæ Ethicæ quam paulò ante obitum suum dictauit. *Prima* vtilitas Ethicæ doctrinæ, id est, considera

considerationis legum naturæ & demonstrationis de moribus, est, quòd testatur, non casu homines ex Democriti atomis nasci, sed verè esse mentem architectatricem, quæ distinxit in nobis immoto ordine recta & non recta: quia impossibile est, hunc perpetuum notitiarum ordinem esse fortuitum. Constat enim, fortuita, quæ dicuntur, non esse constantia aut perpetua. *Secunda* vtilitas est, quòd monstrat, qualis sit Deus, videlicet talis, qualem se ostendit esse, non cæcam naturam, sed intelligentem & discernentem recta & non recta, qualia docent notitiæ nobis ab ipso insitæ, quæ sunt velut radij lucis diuinæ. *Tertia* vtilitas est, quòd cùm hæ notitiæ vniuersaliter habeant adiunctum carnificem dolorem, quem adfert conscientia, testatur hic ordo, Deum irasci sceleribus, & ea punire, & destruere ream naturam, iuxta dictum,

Consc a mens vt cuique sua est, ita concipit intra
Pectora, pro meritis spémque metúmque suis.

Hæ tres vtilitates sunt insignes, & sæpe cogitandæ in omni vitâ, & in inuocatione, quia confirmant mentes de prouidentiâ. Cyclopici ergo furores eorum, qui hanc doctrinam contemnunt, procul facessant. *Quarta* vtilitas est, quòd Deus vult his notitiis regi externos mores, iuxta dictum: *ex est bona legitimè vtent*. Et experientia ostendit, magnum discrimen esse inter assuefactos ad hanc diligentiam regendi locomotiuam, & non assuefactos, qui cæci ruunt quò variè errantes cupiditates impellunt. De quibus Paulus dicit: *Accuratè ambulate, non vt fatui. Quinta* vtilitas amplissima, est collatio doctrinarum legis naturæ & diuinæ, philosophiæ & Euangelij: quorum generum discrimina nec cerni nec tradi perspicuè ab iis possunt, qui huius doctrinæ ignari sunt. Lex Dei postulat integram obedientiam interiorem & exteriorem. Vera philosophia est particula legis, regens locomotiuam, seu de externâ disciplinâ. Euangelium longè alia vox est de Filio Dei, & de gratuitâ remissione peccatorum, & de donatione iustitiæ æternæ. Quæ discrimina sciri necesse est. Nec discrimina virtutum in sanctis & ethnicis, vt Iosepho & Hippolyto, cerni sine collatione istâ possunt. In Hippolyto nolente attingere nouercam, causæ efficientes fuerunt, mens rectè iudicans, incestas consuetudines naturali lege prohibitas esse, & sequi pœnas: & voluntas firma, recto iudicio obtemperans. Vitat enim occasiones, & discedit ex vrbe in saltus ad venationes. In Iosepho causæ castitatis sunt: Deus habitans in eo, & mentem illustrans verbo: & ipsa mens, cogitans verbum Dei, & vniuersam de Deo doctrinam. Deinde Spiritus sanctus in voluntate & corde accendit motus congruentes legi. Et voluntas volens castitatem, petit à Deo se regi & confirmari. Hæc etiam vitat occasiones, iuxta regulam: *Vitare peccata, est vitare occasiones peccatorum.* Vnde rectè dicitur: *Ipse alimenta sibi præbet amor.*

Item: *Vidi ego iactatas mota face crescere flammas,*
Et vidi nullo concutiente mori.

Hîc obiter inseram historiolam de istis Ouidij versibus. Seneca narrat, quòd in conuiuio fuerint Ouidius, & alij docti viri, qui reprehenderint eius negligentiam in scribendis versibus. Ouidius dixit, se non libenter ferre limam, iuxta vulgatum illud: *Excellentia ingenia non ferunt limam.* Certauerunt Ouidius & socij. Ouidius dixit, se velle ostendere, qui versus sint optimi, & qui negligentissimè facti. Prolatæ sunt tabulæ vtriusque. Optimi versus Ouidij erant, *Vidi ego quassatas*, &c. Pessimus erat:

Semiuirúmque bouem, semibouémque virum.

Fines etiam potiores intuetur Ioseph, quàm Hippolytus. Vterque metuit pœnas: sed Ioseph etiam propter Dei gloriam obtemperat, ne Deus contumeliâ afficiatur: item, ne effundat dona Dei. Differentia denique hæc est: Hippolyti opus tantùm est rectio locomotiuæ, sed in Iosepho lucent agnitio Dei, timor, fides, & casti motus in corde. Talia discrimina fiunt illustria collatione doctrinarum: & consideratâ humanâ imbecillitate magis amatur doctrina Ecclesiæ, & quæruntur promissiones diuinæ, vt auxilium petatur iuxta dictum: *Quantò magis Pater vester cœlestis dabit Spiritum sanctum petentibus?* Nec Ioseph interea est truncus, sed volens Deo obtemperat. Hinc in Ecclesiâ dicitur: *Præeunte gratiâ, comitante voluntate.* Sicut & Nazianzenus ait: Πᾶν τὸ κατορθούμενον παρὰ θεοῦ ἐστὶ· δέδοται δὲ τοῖς καλουμένοις, καὶ οὕτω νεύουσι. Præter vtilitates, quas recensui ex Melanchthone, quæ sunt magnæ, constat etiam, adiuuari discentes in doctrinâ iuris ciuilis, collatione dulcissimâ disputationum, quæ in Ethicis traduntur. Item, quantum inde sumatur argumentorum & ornamentorum, in quotidianis colloquiis, in epistolis, & magnâ parte orationum, communis vita ostendit. Quò pertinet illa memoriâ dignissima vox Quintiliani: *Nihil non ornatè dicitur, quod honestè dicitur.* Et Cicero ait lib. 3. de oratore: Rerum copia, verborum copiam gignit: & si est honestas in rebus ipsis, existit ex rei naturâ splendor in verbis.

Ethica & theologia vt differant?

VII. *Ethica differt specie à SS. Theologiâ.*

Ratio est; quia bonum morale, de quo tractat Ethica, & bonum spirituale, siue supernaturale, cuius consideratio-nem sibi vendicat Theologia, differunt specie. Neque tamen ideò pugnant hæ duæ facultates. In quâ diiudicatione necesse est scire discrimen Legis & Euangelij. Lex moralis est æterna & immota sapientia, & regula iustitiæ in Deo, discernens recta & non recta, & horribiliter irascens contumaciæ, quæ repugnat huic normæ in ipso: & patefacta est hominibus in creatione, & postea sæpe repetita & declarata voce diuinâ, vt sciamus, quòd sit Deus, & qualis sit, obligans omnes creaturas rationales, & postulans, vt omnes sint conformes ipsi, & damnans omnes non conformes, nisi fiat reconciliatio. Euangelium verò est prædicatio pœnitentiæ arguens peccata, & promissio reconciliationis iustitiæ & vitæ æternæ gratuita, propter Christum Seruatorem nostrum Opt. Max. cuius promissionis notitia nequaquam nobiscum nascitur, sed ex arcano sinu æterni Patris prolata est, & supra extraque conspectum creaturarum tradita. Cùm hoc discrimen intelligitur, facilè de philosophiâ morali iudicari potest. Philosophia nequaquam est promissio Euangelij, sed est particula legis naturæ, quæ de disciplinâ concionatur; & pertinet ad dictum, *Lex est bona legitimè vtenti.* Sicut igitur legem naturæ, aut leges Imperiorum ex legibus naturæ ortas audire, amplecti, & probare, & eis, vti in regendâ disciplinâ Christianus rectè potest: ita philosophiam moralem amplecti & probare, & eâ rectè vti Christianus potest. Et sicut numerorum notitiæ radij sunt lucis diuinæ in nos transfusæ, & vti eis possumus: ita notitiæ legis naturæ sunt radij diuinæ lucis in nos transfusæ. Quos eò magis amare debemus, quòd testentur, homines non casu nasci, sed esse Deum, qui æternum discrimen inter recta & non recta nobis indidit, quod non potest esse fortuitum: & ostendant qualis sit Deus, scilicet volens recta, & destruens non recta. De his notitiis inquit Paulus *Rom. 1. & 2.* habere gentes opus legis scriptum in cordibus: videlicet notitiam legis, & conscientiam discernentem recta & non recta, & dolores vindices, additos conscientiæ malæ, in primis cauteriatæ. Sciendum est etiam, philosophiam moralem non esse furores, quos Epicurus & similes finxerunt, pugnantes cum luce diuinâ mentibus insitâ: sed veras notitias, nobis insitas, & demonstrationes ex eis exstructas. Istiusmodi notitias magnus ille *Scaliger lib. 3. poët. cap. 12. & 20.* vocat zopyra, id est, semina æternitatis, nobis insita. Porrò tres sunt vsus legis diuinæ. Primus est pædagogicus seu politicus; qui est regere disciplinam, seu externos mores: quod ita fit, cùm docet, quæ opera facienda sint, & quæ omittenda: & hâc cogitatione regitur locomotiua: vt cùm Alexander Magnus cogitat, regis Darij coniugem & filias non esse contaminandas, imperat neruis & musculis illa cogitatio, vt membra externa coërceant. Ad hunc vsum aliquo modo reliqua est libertas humanæ voluntatis. Secundus vsus est, iudicare & perterrefacere corda. Tertius vsus est in renatis, docere qui cultus Deo placeat. Pertinet autem Ethica ad primum vsum, videlicet pædagogicum seu politicum. Hæc autem disciplina, id est, gubernatio morum externorum iuxta legem Dei, est necessaria propter quatuor causas. Prima est propter mandatum Dei, cui omnes creaturæ rationales obedientiam debent. Secunda est, ad vitandas pœnas; quia regula certissima est, *Atrocia delicta puniuntur atrocibus pœnis.* Tertia causa est, vt alij homines conseruentur, nec dissipetur humana societas: quia non nostrâ causâ viuimus, iuxta dictum, *Dilige proximum sicut te ipsum.* Tres hasce causas norunt & sapientes ethnici, quia eorum notitia est lex naturæ. Sed quarta causa solis Christi discipulis est nota, videlicet quòd lex sit pædagogus ad Christum.

VIII. *Ethicæ munus est omnes virtutes morales explicare.*

An virtutum tractatio pertineat ad Ethicam?

Rectè Philippus Melanchthon in Ethicâ doctrinâ paulò ante obitum suum repetitâ inquit: Philosophia moralis est ordinata collectio legum naturalium de moribus, seu externâ disciplinâ, & demonstrationum, quæ ex illis exstruuntur, quantum ratio iudicare potest, congruens cum Decalogo, quatenus de externâ disciplinâ concionatur: seu, ex particula legis diuinæ de externâ disciplinâ. Vbi vir magnus per externam disciplinam intelligit exercitium virtutum moralium. Harum enim consideratio pertinet ad Ethicam: quippe quæ monstrat modum perueniendi ad felicitatem moralem. Contra hanc sententiam disputat vir clarissimus, *Iohannes Althusius lib. 1. de ciuili conuersatione cap. 2.* Summa disputationis huc redit. Pleræque virtutes, vti iustitia, pietas, probitas, castitas, patientia, amicitia, societas, verecundia, veracitas, humilitas, charitas, prudentia, beneuolentia, candor, temperantia, sobrietas, constantia, liberalitas, fidelitas, obedientia, lenitas, nemesis, misericordia, & si quæ sunt plures, quas alij ad Ethicam referunt, iubente lege Logicæ, ad suas quasque facultates & artes remittendæ sunt; partim nimirum ad theologiam, partim ad physicam & politicam, partim quoque ad Logicam, in quibus virtutes habent suas sedes: & ex quibus earum plena & vera cognitio haurienda, in quibus illæ homogeneæ & essentiales. Nec etiamsi quis harum virtutum cognitionem habet

habet & praxin, ideo statim bonis moribus prædius dici potest: qui tamen est huius artis finis summus, ad quem præcepta eiusdem collimare necesse est. Modus & via hic præscribenda, quâ virtutes in aliis artibus præscriptas, exercere, in actum & publicum producere, & aliis communicare possis. Quam ob causam male vulgo dicunt, theologiam & iurisprudentiam esse riuulos Ethicæ: cùm contra virtutes, quæ vulgò Ethicæ propriæ adscribuntur, ex his & reliquis artium regulis & præceptis fuerint desumtæ; eaûmque τοξάγμα & consectaria sæpe dicantur[1], quæ pleniùs, vberiùs, & rectiùs in suis locis traduntur, quam seorsim & separatim in Ethicâ, iustitiæ repugnante lege. Siquidem eiusdem est artis docere præcepta, & proximè inde nascentia consectaria. Soli igitur Ethicæ relinquitur propria morum honestorum & decentium scientia & vsus, quibus virtutes in aliis artibus traditas exprimamus. Nam ex aliis artibus vt benè & rectè agamus discimus, ex Ethicâ verò id ipsum quod rectè fit, etiam decorè, venustè, eleganter, cum gratiâ, & concinnè secundùm naturam rei, personæ vel causæ agamus, percipimus: quibus scil. verbis alij exhilarentur, quibus offendantur, quibus opinionem & iudicium virtutis vel vitij nobis apud alios procreemus, & quo habitu & actione corporis quælibet peragenda & tractanda. Modus itaque & via hic præscribenda, qua virtutes in aliis artibus præscriptas, exercere, in actum & publicum producere & aliis communicare possis: nimirum quomodo & quibus verbis, sermone, enuntiatione, gestu, habitu, actionéve corporis, percipias, habeas, qui solus finis Ethicæ proprius & genuinus, ad quem omnia illius præcepta referri debent. Porò de iustitia commutatiua & distributiua tractare, id pertinet ad iurisprudentiam. Ibi enim agitur de iure, de permutatione, de contractibus, de conuentionibus, de maleficiis, eorúmque pœnis & speciebus, de honoribus & officiis. Ethica ergo dum de his agit, iurisprudentiæ opes & patrimonium inuadit, diripit. Ab hac iustitia non separandæ sunt aliæ ancillantes virtutes, lenitas, nemesis, & similes, in quibus culpa, dolus, temeritas, imprudentia, casus, & circunstantiæ temporis, loci, personarum, itemque euentus: de quibus in iurisprudentiâ. pietatem & probitatem sola Theologia informat, sicuti & Dei cognitionem, timorem, precationem, & gratiarum actionem. Idem esto iudicium de humilitate, beneficentiâ, gratificatione, liberalitate, munificentiâ: quæ virtutes, vt & similes, ad Decalogum, ac proinde ad Theologiam pertinent. Physices professio est docere de temperantiâ, quæ cernitur in cibo, potu, laboribus exercitiísque corporis, secundùm crasin, & constitutionem cuiusque corporis, vt bona valetudo & naturæ vires conseruentur, non opprimantur, quo quis ad vocationis officia obeunda ineptus fiat. Eiusdem est tractare de misericordiâ, de lætitiâ, spe, timore, ac similibus affectibus. Ad Logicam pertinet explicatio Sapientiæ & Prudentiæ. Candor, fides bona, & veracitas partim theologicæ in rebus diuinis, partim iuridicæ in policitis sunt virtutes. Est igitur sacrilegium, ex sacrario theologico aliquid rapere, vsurpare, & sibi adscribere. Profanatio est, sacra illa mundanis hisce immiscere. Inscitia & confusio connexa & cohærentia diuellere, & separatim tradere. Innocentia, gratitudo, ingratitudo, amicitia, & similia pertinent ad iurisprudentiam. Ad Politicam pertinet temperantia & parsimonia in administratione rei familiaris. Quibus ita accuratè examinatis, & omnibus virtutibus ad κριτήριον ac tribunal legum artium & methodi reuocatis, quid tandem Ethica aliud, quàm ars multarum atrium spoliis consarcinata & dicata? cui si aliena bona auferantur, quàm ridicula illa auis alienis pennis exornata, deplumata, & nudata? Quid aliud pleræque virtutes Ethicæ quàm riuuli ex aliis artibus deducti & deriuati? quid aliud, quàm consectaria ex aliarum artium regulis & præceptis formata, vel per consequentiam deducta axiomata? Contra hanc viri Clarissimi, quemque ego veneror, sententiam teneantur ista axiomata. 1. *Res considerata potest ad multas disciplinas pertinere: modus considerandi est proprius cuique disciplinæ.* Sic de pietate tractat theologus, vti est virtus spiritualis, proficiscens ex fide. De eadem tractat Ethicus, quatenus est virtus moralis. 2. *Illa sunt tradenda in Ethicis, quæ ad summum eius finem directè tendunt, & reciprocè cum formâ & fine eius congruunt.* Non igitur rectè in Ethicis docetur de sapientiâ, de matrimonio, de vitâ sociali, & similibus. De beatitudine ergo docendum est in Ethicis & quidem ante virtutem. Nam in omni actione præstituendus est finis, & constituenda sunt media. De fine verò primo docendum est loco, quia finis tanquam causa facit ad distinctam cognitionem mediorum. Quare sicut viator cogitat, quò & quà eat: ita homo ad templum honoris tanquam finem, contendere debet per templum virtutis tanquam medium. 3. *Propter affinitatem, quam Ethica habet cum OEconomicâ, Politicâ, Theologiâ, & Iurisprudentiâ, sæpe fit, vt authores illustrationis causâ materias multas misceant.* Bonus logicus hic adhibet falcem prudentiæ, & exempla à præceptis, præcepta & præceptorum illustrationem, & similia discernit. 4. *Ethica præsupponit cognitionem Physices.* Sed quia multi accedunt ad Ethicam, non cognitâ Physicâ, vsu venit, vt doctores Ethici in illorum gratiam multa repetant ex Physicâ doctrinâ. 5. *Ethica est augustissima disciplina practica, quæ format virum bonum.* Nimis igitur similiter sentiunt de hac disciplina, qui ciuilem tantum conuersationem ipsi propositam esse putant.

IX. *Vera beatitudo consistit in his tribus: vt aliquis habeat verum bonum, vt hoc sciat, vt denique sciat se semper habiturum.* Vera beatitudo quâ in re consistat?

PRimò enim requiritur, vt aliquis vacet malo, & affluat bono. Alioquin alicui non potest benè esse. Deinde qui non nouit bonū suum, verè beatus censeri non potest. Denique, qui angitur perpetua solicitudine de amissione boni, quod habet, miser potiùs dicendus est, quàm beatus. Et hæc est contemplatio illa affectiua, in qua consistit summum hominis bonum. Vnde patet, philosophiam practicam esse præstantiorem theoretica, quatenus illa monstrat summum istud bonum. Hinc & illud euadit manifestum, iuuenes esse posse idoneos Ethicæ auditores: quia ad illos æquè pertinet summum bonum atque ad senes. Huc pertinet illa quæstio: An sit dicendus felix in hac vita? Resp. omninò, si spectetur anchora virtutis. At si spectetur miseria huius vitæ, obtinebit illud Solonis: qui interrogatus à Crœso, quisnam felix videretur? mihi, Tellus Atheniensis, inquit, qui filias castissimas habuit, qui diu integerrimè vixit, qui pugnans pro patria fortissimè interiit. Secundò interrogatus, num post Tellum nosset aliquem Crœso beatiorem? Imò, inquit, Cleobem & Bitonem, qui velut Hippocratis gemini se mutuò semper dilexerunt, matrémque inopem, senem, infirmam, tanquam boues coniugati ad Iunonis templum traxerunt. Crœsus iratus tertiò quærit, an aliquem Crœso beatiorem cognosceret? ô rex Lydorum, inquit, Ante obitum nemo debet dici beatus. Hanc vocem contemsit Crœsus: at postea in bello à Cyro captus & ad rogum ductus, exclamauit, O Solon, Solon! Quod cùm audiret Cyrus, quæsiuit quid hoc esset. Hic Crœsus recitauit rem omnem, atque ita in pretio fuit apud Cyrum.

X. *Duo sunt gradus veræ beatitudinis, supernaturalis & moralis.* Duo gradus veræ beatitudinis.

SVpernaturalis consistit in visione Dei semper patris propter Christum. Et hæc visio in statu viæ est inchoata, in statu patriæ consummata. Solus namque Deus, nobis reconciliatus in Christo, felices nos facit: quia hoc adepto nihil vlterius desiderare possumus. Vnde Deus appellatur vera mentium opulentia, & Christus dicitur nobis esse omnia. *Moralis* beatitudo consistit in exercitio virtutum moralium, quod non potest non parere solidam lætitiam. Ita enim fit, vt homo coniungatur cum Deo creatore, qui est finis omnium rerum. Istud exercitium virtutum moralium est visio Dei semper patris iure creationis: & dicitur summum bonum non simpliciter, sed secundùm quid. Nam in Christo quærendum est summum illud bonum, quod simpliciter est tale. Sed altiùs repetamus hanc de summo bono doctrinam. Finis est vltimum id, propter quod media omnia condita & ordinata sunt, & in quo velut in portu acquiescit, seu semper lætarur res, cùm eum finem est adepta. Et primum est, quod appetitur, seu quod deliberatio intuetur, & ad quod deliberans omnia refert consilia. Vnde dicitur: *Finis est primum, quod intentio respicit, & vltimum ac summum, in quo agens acquiescit:* vt, sanitas est id, ad quod media omnia ordinata sunt. Sic Deus ipse communicatus homini, est finis hominis: quia homo conditus est ad hunc finem, vt Deus, quia bonus est, habeat creaturam, cui se & lucem suam, sapientiam, iustitiam, & lætitiam per modum ἀποσκιασματος communiter, ac vicissim agnoscatur & celebretur. In hoc fine, videlicet in Deo, firmiter acquiescit & lætatur hominis natura. Rectè igitur dixit Nestor:

——————— Πάντες δὲ θεῶν χατέουσ'
Ἄνθρωποι. ———————

Id est,

Omnes indigemus Deo.

Indagatio itaque philosophica non est sufficiens, etiam cùm dicit, summum hominis bonum & finem esse virtutem, seu virtutum actiones: quia omnes homines vident, virtutes nostras vix tenues vmbras esse, & nullam actionem sine Deo felicem esse. Sciamus igitur, philosophiam moralem non sufficienter monstrare summum finem, sed tantùm aliquem eius gradum. Non igitur in nostris virtutibus nobis est acquiescendum, sed in Deo. Bonum summum non in imo, sed in summo est quærendum. Itaque corrigendum est illud Platonis dictum, quod in laudatione funebri quotannis recitabatur: *Quisquis penes sese omnia habet, quæ ad beatè viuendum perducunt, vel prope beatitudinem ducunt, nec pendet ex aliorum hominum aduersis vel secundis rebus, quibus falli potest, huic optimè instituta est vita; hic est moderatus, fortis, & sapiens, hic & crescentibus & deficientibus reliquis commodis, veteri præcepto obediet,*

obediet, nec nimium lætabitur, nec nimium dolebit: quia fiduciâ sui semper consistet. In quibus verbis inanis est oratio circa finem, vbi Plato dicit, hominem fiduciâ sui semper consistere. Hæc est cauda vulpina, quæ assuitur homini. Debebat dicere, Fiduciâ Dei hominem consistere. Breuiter ita se res habet: Summum bonum consideretur vel *ratione obiecti*; & sic Deus dicitur summum bonum: vel *ratione formæ*, estque beatitudo suprema quæ hominem perficit: Illud dicitur summum bonum increatum, hoc creatum. Deinde homo, candidatus ille æternitatis, constitutus est in scholâ vel naturæ, vel gratiæ, vel gloriæ. *In scholâ naturæ* beatitudo ipsius est vel theoretica seu contemplatiua, vt sapientia: vel practica seu actiua, vt visio Dei semper-Patris iure creationis, seu exercitium virtutum moralium: quod facit, vt homo reuerâ sit homo, atque ita mensuram sui nominis impleat. Finis enim virtuti morali propositus, est Dei celebratio, instauratio imaginis Dei in nobis, & proximi subleuatio, adeóque conseruatio societatis. Vtrique isti facultati, theoreticæ & practicæ subordinantur & velut ancillantur bona corporis & fortunæ. *In scholâ gratiæ* beatitudo hominis est contemplatio Dei semper-Patris in Christo, iure redemtionis. Atque hoc est illud cœlum, quod quilibet Christianus in corde circumfert, etiam quando est in inferno tentationum. *In scholâ gloriæ*, seu in statu patriæ, beatitudo hominis est visio Dei beatifica, quâ videbit Deum à facie ad faciem. Hæc autem contemplatio non est inanis speculatio, sed dulcissima in Deo quasi recumbens actio, eiusque perennis fruitio & participatio. Summa è contrario miseria consistit in contemplatione Dei, vt iudicis. Atque hæc est idea illa summi boni, non Platonica, sed Christiana.

An felicitas moralis in habitu, vel in actione consistat?

X I. *Felicitas moralis est actio virtutis.*

VArro collegit 288. opiniones de summo bono: è quibus duæ tandem cœperunt de principatu contendere, vna Peripateticorum, altera Stoicorum: quorum illi summum bonum constituerunt in actione virtutis, hi in virtutis habitu. Sententia Peripateticorum vera est, & demonstratur hunc in modum. Propria actio cuiuslibet naturæ, est eius finis. Actio honesta est propria hominis. Ergo est hominis finis. Virtutis enim laus & decus in actione consistit. Quemadmodum enim in olympiis non pulcerrimi & robustissimi coronantur, sed certantes: ita qui rectè agunt, assequuntur βραβεῖον. Rectè igitur dixit Viues: *In virtute sunt oculi & manus.* Nam virtus & inspicienda & agenda est, iuxta illud Claudiani:

——— Quid virtus submersa tenebris
Proderit? obscuræ veluti sine remige puppes,
Vel lyra quæ recitet, vel qui non tenditur arcus.

Et istud Silij Italici:

Actio si desit, virtus est futile nomen.

Et istud Horatij:

Et genus & virtus, nisi cum re, vilior algâ est.

Deinde ad actiones congruentes recto iudicio, videl. radiis sapientiæ diuinæ, homo potiùs est conditus, quàm ad habitum: vt in Hippolyto fuit cogitatio congruens cum recto iudicio, non attingas nouercam: & voluntas imperans neruis, vt sic cieant membra externa, ne attingant nouercam Phœdram. Sic in Achille est cogitatio conueniens legi, Non occidas ducem: & voluntas imperans neruis, vt sic cieant membra externa, ne interficiant Agamemnonem. Quid ergo? An homo præditus habitu virtutis, non est dicendus felix? Sanè felix est, sed in gradu tali, qui refertur ad superiorem. Habitus enim ordinatur ad actionem. Sicut ergo artem discimus, vt secundùm eam operemur: ita habitum virtutis nobis comparamus, vt illum exseramus. Ita patet, viros bonos, dum dormiunt, miseros non esse. Deinde actio virtutis non semper est luculenta vt incurrat in oculos. Nam vir bonus Deum amare potest in mediis flammis, vbi virtutes erga proximum se non possunt ita exserere, vt incurrant in oculos. Idem esto iudicium de carcere, de squalore, de exilio viri boni. Tametsi enim non potest se virtus luculenter ibi exserere: semper tamen ibi est aliqua actio. Quà pertinet illud Stoicorum, virum bonum etiam beatum esse, quando in Phalaridis tauro concrematur.

Felicitas moralis duobus modis cõsideratur.

X I I. *Felicitas moralis consideratur vel in ideâ, vel in subiecto.*

IN ideâ nihil est aliud, quàm perfectum omnium virtutum Ethicarum seu moralium exercitium: perfectum dico perfectione partium & graduum. In subiecto perfectum exercitium inuenitur, non quantum ad gradus, sed quantum ad partes essentiales. Is enim censetur vir bonus, ac proinde felix, qui studet omnibus virtutibus. Et hoc est quod *Lipsius* dicit *lib. 2. manuductionis ad Philosophiam Stoicam*, Vir perfectè bonus non est nisi in descriptione. Præsumtuosa igitur potiùs quàm vera est illa Senecæ vox: *Non fingimus istud humani ingenij decus, nec ingentem imaginem falsæ rei concipimus, sed quem conformamus, exhibuimus & exhibemus.* Magnifica sanè vox, sed vox tantùm. Nam quod in alio præstare voluit, debuit priùs in se ipso efficere, memor illius: *Incipe à te ipso.* Sed hoc minimè fecit: quia, vt Dion in Nerone refert, Neronem hortatus est ad matris necem, & concubitu Iuliæ vxoris Vicinij se polluit, & auaritiæ crimine fuit odiosus.

An voluptas practica sit pars summi boni?

X I I I. *Voluptas practica, quæ ex virtutum actione proficiscitur, non est pars, sed consequens summi boni.*

SVnt, qui disputant hunc in modum: Illud est optimum & summus finis, quod lex & euangelium, tanquam vltimum bonum promittunt, & propter quod alia expetuntur. Atqui lex & euangelium promittunt in hac vita & post hanc vitam obedientibus tranquillitatem & lætitiam. Ergo. Respondetur, tranquillitatem illam promitti, non vt finem principalem, sed vt minùs principalem, qui comitatur principalem. Nam Deus est summum bonum siue principalis hominis finis, quem comitatur lætitia. Deinde affertur hoc argumentum: Vltimum in ordine bonorum est finis. Tranquillitas, seu voluptas, quæ sequitur virtutem, est vltima; posterior scilicet actione virtutis. Ergo tranquillitas ista est finis. Sed maior est neganda: quia vltimum tempore, sæpissimè non est principalis finis: vt ambulationis finis principalis est excitatio caloris, vt fiat coctio; hanc sequitur color melior: quod etsi posterius est, tamen non est principale. Ioseph abstinet ab alienâ coniuge præcipuè propter gloriam Dei: postea etiam propter famam: quod etsi posterius est, non tamen est principale. Huc pertinet illud Virgilij:

Vicit amor patriæ, laudumque immensa cupido.

Quem versum citat Valla, & inde vult extruere, voluptatem esse finem; quia Brutus delectatus fuerit illâ gloriâ apud ciues. Sed rectè monet Melanchthon, Virgilium coniungere duos fines, quorum alter fuit principalis, salus patriæ; alter posterior, gloria apud ciues. Porrò tranquillitas, seu voluptas sequitur actionem virtutis, sicut vmbra suum corpus, & sicut effectum pendet à causâ. Virtus igitur anteferenda est voluptati honestæ, tanquam mater filiæ. Hinc Ecclesia vult sanctos retinere principalem finem, scilicet virtutem, adeoque Deum ipsum: postea affirmat secuturam tranquillitatem. Sed adeò blanda est tranquillitas, vt homo non rectè institutus in eam intueatur, & virtuti præferat. Iis verò longè alia est mens, qui nouerunt discernere fines, & finem principalem reliquis anteferre.

An voluptas Epicuri sit summum hominis bonum?

X I V. *Voluptas Epicuri non est summum hominis bonum.*

Vulgo dicitur, Ἅσσα βουλόμεθα, ταῦτα καὶ πειθόμεθα. *Quod volunt homines, libenter audiunt.* Hinc variæ extiterunt sententiæ de summo bono: inter quas illa, quæ est Epicuri, valde blanda est & accepta carni nostræ. Statuit ille voluptatem corporis esse summum hominis bonum: quanquam alij putant, Epicurum locutum esse de voluptate honestâ, quæ oritur ex virtutum exercitio: vtpote qui totus deditus fuerit contemplationibus, & vitam sustentauerit solâ aquâ & pane hordeaceo, vt author est *Laërtius* in ipsius vita. Quidquid huius sit, apud omnes bonos odiosum est Epicuri nomen; hoc scilicet nomine, quòd voluptariis fenestram aperuerit. Breuiter itaque refutemus præcipua ipsius argumenta. 1. *Finis cuiuslibet naturæ est hoc, ad quod vltrò magno impetu fertur: non illud, quod difficulter agit. Tendit autem natura humana vltrò ad voluptates: è contrario difficulter obtemperat legi. Ergo voluptas est finis hominis.* Resp. Maior est vera de natura non corrupta. Hæc tendit ad finem, ad quem condita est, sine impedimento. At natura hominis ingenti impetu fertur ad voluptates post lapsum, quia est à Deo auersa. Est igitur fallacia accidentis in hoc argumento. Deinde est fallacia à dicto secundùm quid ad dictum simpliciter: quia non tota natura fertur ad voluptatem: sed mens ante factum & post factum repugnat. Nam post delictum sequuntur cruciatus, & ante delictum multiplici bello confligunt recta ratio & affectus. Impossibile igitur est, eam rem aut actionem naturæ finem esse, quam natura auersatur, & potiùs non esse mallet, quàm sustinere conspectum eius facti: vt Dauid mallet non esse (nisi sciret remissionem peccatorum) quàm sustinere conspectum sui sceleris. 2. *Qualibet natura recto & ordinato impetu appetit conseruationem sui. Voluptas est conseruatio naturæ hominis: virtus est destructio, vt in Palamede, Socrate, & omnibus viris fortibus apparet, qui in causâ iustâ dimicantes interficiuntur. Ergo voluptas est finis hominis, non virtus.* Resp. Est fallacia accidentis. Nam quòd virtus destruit naturam, id fit vitio hominum: vt quòd Socrates interficitur, causa est non virtus in Socrate, sed iniustitia inimicorum. Deinde voluptas non conseruat, sed destruit naturam: debilitando corpus, & corrumpendo iudicium. Quod *Boëtius metr. 7. l. 3.* eleganter exprimit hunc in modum.

Habet hoc omnis voluptas:
Stimulis agit furentes,
Apiúmque par volantum,
Vbi grata mella fudit,

Fugit,

Fugit, & minus tenaci
Ferit icta corda morsu.

Tertiò, non est simpliciter verum, quamlibet naturam maximè appetere sui conseruationem, tantùm vt sit: sed hoc verum est, Omnes ordinatè appetunt, vt sint incolumes in isto statu, ad quem natura est condita. Sic Diabolus mallet nihil esse, quàm sic esse; ac horribiliter dolet, quòd non potest redigi in nihilum. Iam verò homo non est conditus, vt in voluptatum cœno se volutet, sed vt in eo fulgeat imago Dei. 3. *Duo bona sunt potiora vno. Virtus & res secunda sunt duo bona. Ergo virtus non est summum bonum, sed coniunctio duorum bonorum.* Resp. Duo coniuncta bona magis expetenda sunt, suo ordine, videlicet ita, ne principale & necessarium amittatur, si coniungi ambo non possunt. Necessaria enim nonnecessariis antéferenda sunt. Est autem principale bonum & necessarium, viuere ex præscripto virtutis. Deinde si vnum bonum sit infinitum, negatur duo bona coniuncta magis esse expetenda quàm vnum. Deus autem est bonum infinitum: ac proinde summus noster finis. Ita Deus sese communicabat tribus viris in fornace Babylonica: qui beati erant hoc solo nomine.

Actio virtutis est regula reliquorum bonorum.

XV. *Actio virtutis est regula & mensura reliquorum bonorum animi, corporis, & fortunæ.*

NAm bona ista, vt eruditio, pulchritudo, diuitiæ, honor, & similia, non merentur laudem, nisi referantur ad virtutem, tanquam eius instrumenta. Itaque per actionem virtutis fit, vt scientia non sit inscia, sed Socratica; vt sapientia non sit insipiens & dæmoniaca, sed affectiua; vt libertas corporis non sit illiberalis, sed comes libertatis animi, vt sanitas corporis non sit ansa vitij, sed fomes sanitatis animi; vt pulchritudo non sit incentiuum libidinis, sed virtutis commendatio; vt diuitiæ non sint cæcæ, aut irritamenta malorum, sed nerui rerum; vt amicitia non sit ollaris aut turpis, sed honesta; vt honor non sit titillatio carnis, sed vberrimum virtutis alimentum, vt denique bona fama non sit cymbalum tinniens, sed symbolum virtutis. Hinc patet, non rectè dictum esse à Stoicis, solam virtutem esse bonam, diuitias, sanitatem, & similia non esse bona. Etsi enim virtus sola sit bonum honestum: hinc tamen concludi non potest, diuitias, honorem, & similia esse mala: quia dantur variæ diuisiones bonorum, hoc modo. Est bonum increatum, putà Deus, qui solus pronuntiatur bonus à Christo, videlicet originaliter: est bonum creatum: & hoc est morale seu honestum, vt virtus, vel vtile, vt aër, ignis, vel iucundum seu suaue, vt lætitia in corde, vel delectatio in neruis. Illud isto, & istud hoc est præstantius. Præterea bonum animi seu rationis præferendum est bono corporis, & hoc bono fortunæ. Et bonum animi actiuum, seu electionis, præstat in societate bono contemplatiuo, seu Intellectionis. Hic bonorum ordo dicitur comparatio, copulatio & sororia conspiratio bonorum. Sed, inquis, si sola virtus est bonum honestum, diuitiæ & similia bona erunt inhonesta? Sed, inquam ego, hoc minimè sequitur: quia sic erat oppositio instituenda, aut est honestum, aut non honestum. Deinde diuitiæ & similia bona, quatenus subseruiunt virtuti tanquam fini suo principali, honestatis sale asperguntur & condiuntur. Hîc etiam quæritur à Stoicis, An mors, morbus, paupertas, & similia sint accensenda malis? Quod quidem illi negant. Hinc Possidonius Stoicus apud Ciceronem 2. *Tuscul.* in dolore podagræ exclamat: Nihil agis dolor: quantumuis sis molestus, numquam confitebor te malum esse. Sed tenendum est, calamitates rectè accenseri malis, quæ dicuntur pœnæ & castigationis. Sanè quod destruit naturam, malum est. Istud autem malum non pugnat cum lege Dei, sed maximè confirmat legem: cùm sit executio stabiliens legem. Nam Deus non vult conseruare naturam à se auersam. Ideo malum pœnæ Deus velle dicitur & approbare propter iustitiam.

An bona externa requirantur ad felicitatem?

XVI. *Bona externa requiruntur ad felicitatem duobus modis.*

STòici negant, felicitatem requirere bona externa, quòd illa sint fluxa & mobilia. Sed rectè Peripatus hîc insurgit contra Stoam. Etenim bona externa faciunt ad felicitatis moralis eminentiam & splendorem. e. gr. nobilitas generis facit ad promtius exercitium virtutum. Deinde quia animus noster pendet ab organis corporis, & verò hoc fouetur bonis externis, quis est, qui non videat, illa requiri propter indigentiam corporis nostri? Nihil itaque moramur sarcasmum Luciani, qui Alexandrum M. apud inferos asserentem introducit, Aristotelem sibi persuasisse bona fortunæ necessaria esse ad summi boni integritatem, vt auderet ab ipso petere bona ista. Quare bona corporis & fortunæ non debent appeti tanquam summus finis, sed tanquam media & instrumenta virtutis. Nam sine virtute vana species istorum bonorum nec lætificat, nec satiat, nec liberat, nec exaltat. Sic diuitiæ nocuerunt Crœso & diuiti epuloni, nobilitas Catilinæ, pulchritudo Helenæ.

XVII. *Valetudo corporis etiam animo prodest; quia corporis fulturis animus sustinetur.* Valetudinis vis.

XVIII. *Libertate nulla res est fauorabilior.* Libertas quà præstans?

REctè ergo dixit Diogenes, se malle lingere salem Athenis in suo dolio, quàm frui opiparâ mensâ in aulâ Alexandri M. Et rectè Poëta:

Aurea libertas auro pretiosior omni.

XIX. *Pulchritudo est muta commendatio.* Pulchritudinis vis.

HÆc enim ad commendandum hominem plus valet quàm omnes epistolæ, si cum virtute sit coniuncta. Hinc versus, Gratior est pulchro veniens è corpore virtus. Sic virtus in Socrate & Æsopo deformibus non adeò fuit accepta vt in Platone vel Alexandro M forma corporis præstantibus.

XX. *Diuitiæ sine virtute sunt felix amentia & Diaboli insidiæ: cum virtute sint nerui rerum.* Diuitiæ vt prosint?

HInc quod ille dixit de bello, pecuniam ibi primò, secundò, & tertiò necessariam esse, nos possumus extendere ad vniuersam vitam.

XXI. *Honor is demum probatur, qui à viris honoratissimis defertur, & cuius fundamentum sunt virtutes.* Honor verus.

Hinc honor vocatur consectarium virtutis.

XXII. *Nobilitatis varij sunt gradus.* Nobilitas quàm varia?

NObilitas est *vel virtutis*, eiúsque vel togatæ vel sagatæ, & ea quidem princeps; quo sensu omnes dicuntur nobiles, qui virtutibus, in primis heroicis, sunt præditi: *vel generis.* Et hæc est *vel familiæ*, quæ à primo continuatur stemmate, quo sensu Catilina fuit nobilis: *vel personæ*, qua quis ad nobilitatem familiæ adiicit nobilitatem virtutis, quo sensu Mauritius Imperator Belgicus dicitur nobilis;

Cui similem totus vix est complexus hic orbis.

Licèt autem sola nobilitas familiæ non reddat beatum (quippe quòd virtus ex ignobili faciat nobilem, & vitium è nobili ignobilem,) non ideò tamen contemnenda est; quia est nobile instrumentum virtutis quam cautionem si obseruasset Frischlinus, in tantum discrimen non incidisset.

XXIII. *Laudem qui quærunt à viris illaudatis, quærunt ludum.* Laus falsa.

DE famâ bonâ cogitetur illud:

Ego si bonam famam mihi seruasso, sat ero diues.

FLORILEGIVM.

BEATITVDO MORALIS. SENTENT. Beatitudo vera non est, de cuius æternitate dubitatur. *August. lib. 2. de æternit. Dei.* Cur philosophi summum bonum non potuerunt inuenire? Quia summum bonum non in summo quæsiuerunt, sed in imo. Summum autem quid est nisi cœlum & Deus vnde animus oritur? Imum quid est, nisi terra, vnde corpus est? *Lactan. l. 1. de fals. sap. c. 12.* Quid hoc bono melius? quid hac felicitate felicius, viuere Deo, viuere de Deo? *Ambros. Offic.* Dico beatam vitam consistere in altitudine sapientiæ, suauitate conscientiæ, virtutis sublimitate: non sine passione esse, sed victorem passionis esse, beatum est. *Id. ibid.* Beatus esse sine virtute nemo potest. *Cic. de nat. deor.* Vir temperans, constans, sine metu, sine ægritudine, sine libidine, is est beatus. *Id. 5. Tuscul.* APOPHTH. Thales cuidam quærenti, Quis esset felix? Qui corpore, inquit, sanus est, animo eruditus & castigatus. Cupiditates enim animorum morbi sunt. *Laërt. l. 1. c. 1.* Diogenes veram felicitatem esse dicebat, quæ faceret, vt mens & anima in perpetua tranquillitate hilaritateque collocentur. *Stobæus serm. 101.* Ariston, vt nihil, inquiebat, iuuat ægrum lectus, quem aurei pedes suffulciunt: sic neque stultum felicitas externa. *Stob. serm. 101.* Democritus eum felicem esse dicebat, qui cum exiguis pecuniis hilaris esset: infelicem autem, qui inter magnas opes tristaretur. *Stob. ibid.* ADAG. Felicitas à Deo. Virtute duce. SIMILITVD. Vt histrio non est felicior, quòd in scenis adornatus rex aut Deus videatur: sic nec homo fortunæ muneribus. *Seneca in moralibus.* Quemadmodum vehementiores venti plura hominibus incommoda adferunt, quàm leuiter flantes: sic splendidissima fortuna magis obest hominibus, quàm mediocris. *Maximus Monachus sermone 18.* EXEMP. Abraham, Isaac, & Iacob cum virtute possederunt diuitias: Apostoli fuerunt virtute præditi, sed pauperes. Constantinum Magnum, non supplicantem dæmonibus, sed ipsum Deum verum colentem, Deus tantis terrenis impleuit muneribus, quanta optare nullus auderet. *Augustin. lib. 5. de ciuit. Dei. c. 25.* HIEROGLYPH. Caduceus

cens vnà cum cornucopiæ est indicium felicitatis : item nauis, vitis, & olea adiecta caduceo. Æ n i g m a : Quid existimas in orbe splendidissimum ? Respondit quidam, solem. Atqui solem non omnes vident, ait alter : videlicet cæci. Virtus igitur multò splendidior sole : quippe quam etiam cæci vident manifestissimè. *Emblema* in momentaneam felicitatem apud Alciatum :

Aëream propter creuisse cucurbita pinum
Dicitur, & grandi luxuriasse comâ.
Cùm ramos complexa ipsumque egressa cacumen,
Se præstare aliis credidit arboribus.
Cui pinus, Nimium breuis est hæc gloria : nam te
Protinus adueniet, quæ malè perdet hyems.

INFELICITAS MORALIS. S e n t e n t. Qui nequiter vult viuere, nónne tantò miserior esse conuincitur, quantò faciliùs mala eius voluntas impletur ? *Augustin. de Virgin.* Quid miserius misero, non miserante seipsum : flente Didonis mortem, quæ flebat amando Æneam, non flente mortem suam, quæ flebat non amando se ? *August. lib. 1. Confess.* Magna hominum miseria, cum illo non esse, sine quo non potest esse. In quo enim est, procul dubio sine illo non est: & tamen si eius non meminit, eúmque non intelligit, neque diligit, cum illo non est. *Id. de Trin.* Apud Christianos non qui patitur, sed qui facit contumeliam, miser est. *Hier. in epist.* Sen. Troad.

Nemo se credit miserum, licèt sit :
Tolle felices, remoueto multo
Diuites auro, remoueto centum
Rura qui scindat opulenta bobus.
Pauperi surgent animi iacentes.
Est miser nemo nisi comparatus.

Præstans valetudine, viribus, fortuna, acerrimis integerrimísque sensibus, etiam si libet, velocitatem da, diuitias, honores, imperia, opes, gloriam : si fuerit is, qui hæc habeat, iniustus, intemperans, timidus, hebeti ingenio, atque nullo, is erit profectò miserrimus. *Cic. Tusc.* A p o p h t h. Bias eum demum infelicem esse dictitabat, qui infelicitatem suam æquo animo ferre non posset *Laërt.* Chilon Lacedæmonius admonebat secundis rebus elato non applaudendum, nec irridendum. Infelix felicitas est, quæ hominem reddit insolentiorem, eóque non plausum, sed lachrymas meretur. *Laërt.* A d a g. Miserum est peccare, miserius in peccato perseuerare, miserrimum peccatum excusare. Miser est, qui non potest esse miser. E x e m p. Saul, Achitophel, Iulianus apostata, & omnes, qui bonis corporis & fortunæ abundant, destituti bonis animi: quorum *hieroglyphicum* esto vpupa, auis diadema gestans, & corpore commendabilis, sed excrementis humanis vescens.

C a p v t II.

De subiecto Ethices.

P r æ c e p t a.

Subiectvm vitæ actiuæ, atque adeò Ethicæ, est informationis, tractationis, & operationis.

Subiectum informationis est totale, vel partiale: vtrunque est internum.

Subiectum totale est totus homo.

Subiectum partiale est voluntas, & facultates ministræ, putà sensus, appetitus, affectus (qui aliàs dicuntur passiones & perturbationes animi) & locomotiua : quorum doctrina ex Physicis hîc repetenda.

Subiectum tractationis est bonum morale, extra societatem aliquam absolutè consideratum.

Subiectum operationis sunt Deus, & homo secundùm quatuor ordines vitæ humanæ, quatenus illi corriguntur & diriguntur per virtutes morales. Hoc subiectum dicitur externum ; éstque personale, vel reale.

R e g v l æ.

Subiectũ virtutis totale. I. *Homo est subiectum virtutis totale, quatenus rationis imperio regitur, & corporis ministerio vtitur.*

Virtus quippe facit, ne homo homine exuto in feram transeat, ne sit similis folio, ne alteri homini sit lupus: sed vt sit frugi, vt sibi sit amicus, vt alteri homini sit Deus. Vno verbo, virtus facit, vt homo ratione animæ & corporis viuat vitam contemplatiuam, actiuam, & factiuam sibi non dissentientem : atque ita caueat, ne sit cymbalum mundi, quod præter tinnitum nihil præstat : quales fuerunt philosophi ; qui quòd barbam promissam ; pallium & bursam gestarent (qui erat habitus priscorum philosophorum) eo ipso putabant se esse philosophos. His probri loco fuit obiectum : *Barbam & pallium video, philosophum non video.* Qua in re etiam peccauit Traianus Imperator ; qui quòd nomen suum vbique inscribi iuberet parietibus, à Constantino M. fuit vocatus Parietaria. Cæterùm totus homo est subiectum virtutis : quia totus homo est subiectum felicitatis, quæ oritur ex virtute. Deinde cùm totus homo sit subiectum vitij, totus quoque virtutis subiectum statui debet : ita tamen vt anima principatum teneat, corpus animæ subseruiat. Rectè igitur ratio appellatur auriga & domina. Quemadmodum enim Achilles, gladium stringens in Agamemnonem retrahitur capillitio à Pallade fræno aureo : ita ardentes & concitati motus rectâ ratione cohibentur. Aliàs corpus, nisi consideretur vt instrumentum animæ rationalis, non potest vocari subiectum virtutis : vtpote res bruta.

II. *Voluntas est subiectum virtutis moralis proximum.* Subiectum virtutis proximum.

Voluntati siquidem competit amor boni & fuga mali: quemadmodùm intellectui competit affirmatio veri & negatio boni. Duplex autem est voluntatis relatio. Nam primò refertur ad intellectum, sicut regina ad regem. Et hoc modo *intellectus regit voluntatem politicè, & portat voluntati lucernam*, vt in Scholis loquuntur: itemque, *Claritas notitiæ in intellectu parit ignauiam in voluntate.* &, *Obscuritas notitiæ in intellectu parit ignauiam in voluntate.* Quò pertinent & illa : *Ignoti nulla cupido : Error intellectus parit errorem in voluntate.* Item: *Intellectus est veluti sol, qui lumen suum impertit voluntati tanquam lunæ.* Sicut autem error in intellectu existit ex affirmatione falsi & negatione veri : sic error in voluntate existit ex amore mali & fuga boni. Hîc tamen memineris, non omnem actum malum in voluntate pendere ab errore in intellectu. Nam videmus multos scire ea, quæ sunt recta & honesta, neque tamen illa facere. Vnde Seruator *Luc.* 12. duplo verberatum iri dicit seruum istum, qui cognouit voluntatem domini sui & non fecit. Sæpe igitur datur in voluntate actus malus, qui non pendet ab errore intellectus, sed à libertate voluntatis, quæ potest agere vel non agere, acceptare vel repudiare id, quod ab intellectu monstratur. Deinde voluntas refertur ad inferiores facultates, iisque imperat: & appetitui quidem imperat regimine politico seu ciuili, locomotiuæ autem regimine despotico seu herili. Cæterùm vt intellectus imperat voluntati regimine politico: sic vicissim voluntas imperat intellectui itidem politicè. Sic v. g. intellectus occupatur circa cognitionem Dei, qua excitatus mouet monétque voluntatem, vt Deum amet. Voluntas dicto audiens amat Deum, & amando stimulat intellectum, vt impensiùs cognoscat Deum. Hoc loco teneatur elegans ista comparatio : Homo virtute præditus est velut augustale, cuius cancellaria est cerebrum, thalamus cor, organa sensuum fenestræ & ianuæ, reliqua membra conclauia, omnia & singula picturis virtutum ornata. Atque ita quiuis homo virtute præditus, etiam ethnicus, placet Deo : non quidem ratione personæ, sed ratione habitus & actus boni. Hîc non ab re fuerit tenere distinctionem inter actiones renatorum & non-renatorum. Externæ actiones in Iosepho abstinente à coniuge heri, & in Peleo abstinente ab Admeti coniuge, & in Bellerophonte abstinente à Præti coniuge, & Hippolyto abstinente à Phædrâ nouerca, sunt similes. Sic Dauid non interficit Saulem cùm posset, Achilles parcit Agamemnoni: quæ facta externa sunt similia. Sed in Iosepho & Dauide est aliquid, quod ipsos Deo commendat. Quod vt euidenter cognosci possit, rem totam à capite arcessemus. Supremæ in homine potentiæ sunt intellectus, qui accipit notitias, & est in cerebro ; & voluntas, quæ imperat aliquid neruis & musculis, & est in corde. Sic Achilles, etiamsi irascitur Agamemnoni, tamen frænat manus, ne eum interficiant. Sextus Tarquinius scit adulterium turpe esse, & secuturas pœnas: imperat nihilominus externis membris, vt scelus perpetrent. Quanquam igitur deprauata natura est ; tamen libertas regendi locomotiuam est reliqua : quia Deus sic condidit neruos & musculos, vt cogitatione cieri possint. Et hæc neruorum & musculorum natura manet reliqua, etiam in non-renatis : quia Deus vult intelligi discrimen inter agens liberum & non liberum, vt sciamus ipsum esse agens liberrimum. Vult etiam in hac politica societate homines obtemperare honestis legibus. Hîc teneatur commonefactio de causis, quare disciplinam præstare necesse sit. Prima causa est mandatum Dei : secunda, vt mitigentur pœnæ : tertia, vt conseruetur societas humana, quæ durare non posset, si liceret vitam, corpora, & res aliorum rapere. Quarta causa est, vt sit pædagogia in Christum : quia certissimum est, eos qui negligunt disciplinam externam, non esse renatos, nec regi à Spiritu sancto. Ac diligenter obseruanda est appellatio pædagogi. Nam lex non est tyrannus, vt ait Hippias apud Platonem : quia tyrannus non

Quomodo actiones renatorum & non-renatorum differant?

non eſt quiddam ordinatum, ſed graſſatur, vt cœcæ cupiditates impellunt, lædit inſontes, confirmat malos. Sed lex eſt quiddam ordinatum, diſcernens bona & mala, confirmans bona & bonos, contrà verò coërcens mala, & puniens malos. Iam aſpiciantur officia pædagogi. Non tantùm coërcet ac punit, ſed etiam exercet ac docet. Ita lex eſt illuſtre teſtimonium de Deo, conuincens omnes homines, vt fateri cogantur, genus humanum non eſſe caſu natum; ſed eſſe mentem conditricem, quæ transfundit in homines noticias ordinatas, diſcernentes recta & non recta, & quæ addidit carnificem, videlicet dolores conſcientiæ, punientes turpia. Deinde & mores regit: quia notitiæ mentibus inſitæ, fontes ſunt honeſtarum actionum in tota vita. Cùm autem & naturæ infirmitate, & à Diabolo impediatur libertas, & verò Deus in Eccleſia electis ſuis ſuccurrat, vel potiùs præcurrat, concurrat, & ſuccurrat, multiplex diſcrimen exiſtit inter obedientiam renatorum & philoſophicam. Sic v. gr. Scipio coërcet locomotiuam ratione ſua, nolens attingere alienam ſponſam. Ioſeph non tantùm exteriora membra coërcet ratione, ſed mens & cor reguntur præſentia Dei in ipſo. In mente Filius Dei per verbum excitat cogitationes de mandatis Dei; de comminationibus, de promiſſionibus, de exemplis impiorum & horribilibus ſcandalis: in corde Spiritus ſanctus eſt flamma, accendens caſtos motus, qualis ipſe eſt, congruentes mandatis diuinis. Semper itaque in conſpectu ſint impedimenta & auxilia. Impedimenta ſunt, naturæ infirmitas, diaboli rabies & exempla impiorum. Auxilia apud rectè inuocantes Deum ſunt, præſentia Patris, efficacia Filij, qui eſt vitis, nos palmites, & adiutor Spiritus ſanctus. Has cauſas actionum prodeſt conſiderare tres ob cauſas. Primò, quia neceſſe eſt diſcernere genere doctrinarum, philoſophiæ & doctrinæ Eccleſiæ. Philoſophia eſt particula legis de rectione externorum geſtuum, ſeu locomotiuæ. Videt item philoſophia infirmitatem naturæ, ſed neſcit remedia. Sed Eccleſiæ doctrina oſtendit auxilium contra naturæ infirmitatem, & contra diabolum. Et doctrina Eccleſiæ monſtrat id, quod eſt præcipuum: videlicet opera non placere Deo, niſi ἀπηγγελμένης πίστεως, vt loquitur Euagrius, id eſt, præcedente fide. Secunda vtilitas eſt, vt hi, qui ſunt in Eccleſia, ſciant, diſciplinam externam eſſe neceſſariam: quia ſcortatores & raptores non poſſidebunt regnum cœlorum. Tertia vtilitas eſt, vt exerceantur inuocatio Filij Dei, & petitio auxilij.

III. *Voluntatis obiectum tantùm eſt bonum.* — Voluntatis obiectum.

INtellige bonum verum, vel apparens. Nemo enim vult malum, vt eſt malum, ſed vt induit laruam boni. Sic ergo malum appetitur ſub ſpecie boni. Ita qui mortem ſibi conſciſcunt, mortem concipiunt ſub alienâ facie. Ideo rectè dicunt Ethici: Bonum eſſe obiectum voluntatis per ſe, malum per accidens, quatenus eſt bonum apparens.

IV. *Voluntas aliquid vult appetitu vel hilari, vel triſti: ſeu lubentia plenâ, aut ſemiplenâ.* — Quot modis volũtas aliquid velit?

VOluntas non cogitur: quia libertas eſt ipſius proprietas eſſentialis. Intellige hîc coactionem propriè dictam, quæ vocatur politica, non impropriam, quæ dicitur oratoria, quando ſcilicet voluntas argumentis cogentibus, id eſt, perſuaſoriis inducitur ad aliquid volendum. Et hæc dicitur voluntas fracta. Quod attinet ad priorem coactionem, ſi voluntas hoc modo cogeretur, non eſſet voluntas: quia velle eſt ſponte agere. Spontaneitas autem iſta eſt duplex, directa & indirecta. Hinc actus voluntatis ſunt vel directè ſpontanei, vel indirectè. Directè ſpontanei ſunt, qui fiunt plena lubentia: vt quando Paris rapuit Helenam. Indirectè ſpontanei, ſunt quæ fiunt appetitu triſti & lubentiâ ſemiplenâ: vt quando nauta vrgente tempeſtate abiicit merces in mare. Huc pertinent dicta: *Bonum ni ſponte fiat, caret laude.* Et, *Nemo peccat inuitus.* Etſi autem dantur actiones coactæ: ibi tamen coactio non eſt voluntatis, ſed volentis, qui cogitur reſpectu locomotiuæ, vt quando Eleazarus coactus edit carnem ſuillam. Præterea voluntas etiam retinet eſſentialem ſuam libertatem, quando eſt vincta, mancipata, ſerua & quaſi captiua. Hoc enim modo ſi ſe habeat voluntas, vel naturæ deprauatio, vel habitus malus, vel conſuetudo inueterata, vel ſuggeſtio Diaboli adeſſe intelligitur: quibus omnibus poſitis, ſequitur inclinatio, non coactio. Tametſi enim poſito habitu neceſſariò ponitur actionis facilitas: hæc tamen non eſt neceſſitas coactionis, ſed conditionis, ſiue connexionis, vt loquuntur: quatenus poſita cauſa ponitur effectus. Non igitur qui malum contraxit habitum, coactè agit malè, ſed liberè. Habitus inclinant quidem, ſed non neceſſitant. Itaque hyperbolicum eſt illud Platonis: Homines inuiti ſunt mali. Verum autem iſtud: Nemo peccat inuitus, tametſi multi peccent poſt multiplicem luctam rationis & affectuum. Hîc notentur duæ regulæ. 1. *Libertas ſtare poteſt cum neceſſitate naturæ, ſed non cum neceſſitate coactionis.* 2. *Homini ſemper libera eſt electio, non tamen ei ſemper libera eſt executio.* Ergo cùm voluntas dicitur eſſe libera a neceſſitate coactionis, hoc accipiendum eſt de electione. Cæterùm libertas voluntatis eſt vel contradictionis ſeu exercitij, id eſt, volendi & nolendi, cùm vnum duntaxat proponitur obiectum: vel contrarietatis ſeu ſpecificationis, id eſt, è duobus contrariis vnum eligendi, alterum recuſandi.

V. *Gubernatio voluntatis eſt elicita, vel imperata. Dicitur etiam imperium.* — Gubernatio voluntatis duplex.

GVbernatio elicita, ſeu liquida eſt, quando inferiores facultates, appetitus & locomotiua, non reluctantur voluntati: vt quando Abel ſacrificat Deo. Gubernatio imperata eſt quando facultates inferiores reſiſtunt voluntati: vt quando homo vult bonum, ſed non poteſt exequi propter affectuum reſiſtentiam. Et tum poteſt vſurpari illud poëtæ:

Fertur equis auriga, nec audit currus habenas.

VI. *Voluntatis actio eſt determinata, vel ſuſpenſa.* — Voluntatis actio duplex.

VOlitio determinata eſt, qua voluntas ſine deliberatione vult ſummum bonum & media liquidiſſima, & ſummum malum ſine vlla deliberatione auerſatur. Suſpenſa volitio eſt, quam præcedit deliberatio, in mediis non omninò liquidis. Ita nemo deliberat de fine, an velit eſſe beatus: nemo etiam de mediis liquidis, vt an debeat cibo & potu ſuſtentare vitam. Sed quando media non ſunt liquida, homo deliberationem inſtituit: de qua poteſt vſurpari id quod Poëta ſcribit 4. Æneid.

Atque animum nunc huc celerem, nunc diuidit illuc,
In partéſque rapit varias, pérque omnia verſat.
Hæc alternanti potior ſententia viſa.

Deliberatio iſta non eſt de præteritis, non de neceſſariis, non de impoſſibilibus, ſed de futuris poſſibilibus.

VII. *Affectus per ſe ſunt boni, per accidens mali.* — An affectus ſint mali?

RAtio prioris eſt; quia affectus à Deo ſunt inditi hominibus. Ratio poſterioris eſt, quia ſi immoderati ſint, neceſſe quoque eſt, vt ſint mali. Atque hanc ob cauſam vocantur indifferentes, non quòd inter bonum & malum detur medium, quòd ſit vel negationis, vel participationis: ſed quòd obnoxij ſint moderationi & immoderationi. Si ſint moderati, ſunt inſtar venti ſecundi, qui virtutis nauem propellit ad portum: vnde virtus dicitur affectus ratione temperatus. Item Affectibus bene vti, virtus: malè vti, vitium. Poſteriori modo conſiderati affectus, non parent rectæ rationi, ideóque ſunt virtutis quaſi iurati hoſtes: quippe qui tanquam effrænes equi excutiunt aurigam ſuam, ὀρθὸν λόγον, *rectam rationem*, & abripiunt nauiculam virtutis non aliter atque venti illi procelloſi, de quibus Virgilius:

Vnà Eurúſque Notúſque ruunt, crebérque procellis
Africus, & vaſtos voluunt ad littora fluctus.

Quò etiam pertinet prouerbium: *Malum ad ſe abſtrahit, vt Cæcias nubes.* Errarunt itaque Stoici, philoſophi illi patientiam profeſſi, quando omnes affectus malos eſſe contenderunt, & ἀπάθειαν dixerunt ſummum hominis ornamentum. Contrà Ariſtoteles rectè ſenſit μετριοπάθειαν in Ethicis eſſe ſpectandam. Affectus enim ſunt motus indifferentes, quibus propoſita nobis obiecta perſequimur aut fugimus: Súntque hominibus inſiti, vt eſſent virtutis ſtimuli & calcaria. Frigidæ profectò eſſent actiones, niſi affectus eſſent in animo. Ea propter vt nauis deſtituta ventis, tardè proueniunt; ita ſine affectibus, puta ſpe, timore, amore &c. animi lenti ſunt: ideo ira vocatur cos fortitudinis & animi neruus, cuius intentione & laxatione impetus gubernatur: & ſatelles rationis, iuxta illud philoſophi: *Ira vtendum eſt vt milite vel vt ſatellite, non vt duce.* Affectus igitur ſunt ſemina virtutis per ſe, per accidens fiunt ſemina vitiorum. Tria ergo in iis ſunt conſideranda. 1. *Reſiſtentia*: quomodò ſcilicet affectus reluctentur rectæ rationi. 2. *victoria*; quomodo iidem vincant rationem. 3. *obedientia*; quomodo pareant rationi.

VIII. *In quolibet homine duo ſunt duces & concionatores contrarij, Recta ratio, & Affectus mali. Si ratio vincit, victoria eſt laudabilis; ſi vincitur, clades eſt miſerabilis.* — Duo duces in homine.

RAtio recta eſt inſtar ſacerdotis, affectus malus inſtar tyranni: quorum ille lege, hic ferro vtitur. Ille in capite hominis veluti ſuggeſtu ſuperiore concionatur affectui tanquam leoni rugienti, canique latranti: Hic in corde veluti ſuggeſtu inferiore concionatur: & huic potiùs quàm illi, eheu, obſequimur. Hinc duo exiſtunt ſyllogiſmi planè contrarij in quolibet

libet homine ; ſyllogiſmus rationis, & paralogiſmus affe-ctuum. Sic propoſitis duobus bonis, honeſto & iucundo, affe-ctus & appetitus ſuauitatem honeſtati præferunt, recta ratio contra. v. gr. in homine ebrioſo ſyllogiſmus rationis hic eſt: Turpia & noxia ſunt fugienda. Vino ſe ingurgitare, turpe iux-tà & noxium eſt. Ergo. At iudicium ſyllogiſticum affectus ſic habet: Iucunda ſunt perſequenda. Vino ſe ingurgitare, iu-cundum. Ergo. Atque hoc eſt atrox diſſidium iudicij ſupe-rioris & inferioris, ſeu rationis & affectuum. Si verò affectus, ſeu ὁρμή, obtemperet rationi, exiſtit harmonia illa pulcherima, de qua hinc inde Plato. Ille tres animæ partes τὸ λογιστικὸν, θυμοειδὲς, καὶ ἐπιθυμητικὸν, cum tribus præcipuis chordis citharæ comparat. Quemadmodum enim hæ licet proportione inter ſe diſſideant, nihilominus tamen iuxta Pythagoræ inuentum, quo ὑπάτη ad μέσην relata διὰ τεσσάρων, & hæc ad νήτην διὰ πέντε, tandem extremæ duæ νήτη καὶ ὑπάτη διὰ πασῶν conſtituentes, ſuauiſſimum efficiunt concentum : ita ſi tres iſtæ functiones animæ inter ſe amicè conſentiant, hoc eſt, ſi vis iraſcendi, quæ in corde ſedem habet, & appetendi, quæ iecori tribuitur, obediat rationi, quæ eſt τὸ ἡγεμονικὸν, longè ſuauiſſima efficitur harmonia. Nam vt vox infima & grauiſſi-ma, quæ ὑπάτη eſt, certa eſt, & regit cæteras, ſic rationis iu-dicium eſt certum : cui cùm paret μέση, quæ motus & affe-ctus cordis ſignificat, & νήτη, quæ eſt octaua, & quàm lon-giſſimè abeſt à ratione, & appetitiones voluptatum denotat: tum nimirum harmonia virium in homine conſtat, quam Plato primam iuſtitiam, & primam virtutem nominat, ex qua omnes bonæ actiones oriuntur. Nam cùm hæc tria, Ratio, Ira, Cupiditas, inter ſe conſentiunt, ex illis conflatur iuſtitia, quæ non eſt ſine pietate ac religione ; & hæ pariunt fortitudinem, temperantiam, & humilitatem. Quæ omnia cum Prudentia conſtituunt ἑπτάχορδον illam lyram, quâ har-monia illa Platonica conficitur. Coërcendi igitur ſunt affe-ctus, ne ipſis demus pœnas, memores iſtius quod Mantuanus canit:

Ardua res, viciſſe alios : victoria maior
Eſt, animi fluctus compoſuiſſe ſuos.
Subieciſſe metus, & debellaſſe timores,
Gaudia, ſpémque graui ſuppoſuiſſe iugo.

Virtus in quibus actionibus & affectibus verſetur.

IX. *Virtus verſatur in actionibus & affectibus illis, in quibus poteſt eſſe medium.*

QVæ talia non ſunt, ea mediocritate non poſſunt reddi recta ; iuxta regulam: Quæ ſuapte natura mala ſunt, nul-lis circunſtantiis poſſunt bona effici : Quædam verò virtutes magis occupantur circa affectus : vt temperantia & fortitudo: quædam magis circa actiones : vt magnanimitas, liberalitas, iuſtitia.

Affectus primus & ſecundus quis?

X. *Affectus eſt primus, vel ſecundus.*

PRimus eſt inconſultus, prima videlicet motio, quâ homo deſubito, antequam rationis iudicium adhibet, in rem ali-quam quaſi rapiatur. *Secundus* eſt conſultus, qui adhibito ra-tionis iudicio aliquid approbat vel improbat. Tametſi verò vterque in malis vitioſus eſt, tamen primus ille non ita malus eſt vt ſecundus. Et licet primi illi motus non ſint in noſtra poteſtate, quatenus rationem anteuertunt: ſunt tamen in no-ſtra poteſtate, quatenus diſciplinâ diſponi poſſumus, ne ſubitò moueamur.

Virtutis gradus vnde petantur?

XI. *Virtutis gradus inprimis petuntur ex obiecto, quod eſt Deus, vel homo.*

IDem de vitio iudicium eſto. Grauius enim eſt peccatum, quod aduerſus primam decalogi tabulam committitur, quàm quod aduerſus ſecundam. Magnopere igitur errarunt Stoici, quando docuerunt vitia eſſe paria, & non minùs delinquere eum, qui gallum gallinaceum cùm opus non fuerit occiderit, quàm eum qui patrem ſuffocarit, vt eſt apud Ciceronem pro Muræna. Laërtius in Zenone cauſam addit : Sicut qui centum ſtadiis Canopo abeſt, & qui vno, pariter non ſunt in Canopo : ſic qui paruum vel magnum deliquit, pariter abeſt à recto. Sed confundunt iſti homines paritatem formæ & gra-du. Etſi enim æquè peccat, qui in minimo impingit atque ille qui in maximo, non tamen æqualiter : quia illud reſpicit formam peccati, quæ eſt ἀνομία, hoc gradum, qui exprimitur iſto verſu :

Cauſa, modus, damnum, gradus, obiectumq́ꝫ, locusq́ꝫ
Et tempus, variant facta bona atque mala.

Sic v. g. peccati grauitas æſtimatur ex cauſa ſeu perſona, eiúſque vocatione, vt an paſtor delinquat vel auditor : ex mo-do, quo plura vel pauciora præcepta violantur, vnde grauius eſt peccatum, quod in plura præcepta decalogi impingit, quàm quod in pauciora : ex damno, ſi peccatum pluribus vel pau-cioribus noceat : ex loco ſacro vel profano : ex tempore feſto vel profeſto : ex gradu intenſo vel remiſſo : ex obiecto primæ vel ſecundæ tabulæ.

FLORILEGIVM.


AFFECTVS. SENTENT. Regium eſt ita viuere, vt non modò homini nemini, ſed ne cupiditati quidem vlli ſer-uias. *Cic. pro Sillâ.* Animum vincere, iracundiam cohibere, vi-ctoriam temperare, aduerſarium non modò extollere iacen-tem, ſed etiam amplificare priſtinam eius dignitatem: Hæc qui facit, non modò eum ſummis viris comparo, ſed ſimillimum Deo iudico. *Idem pro Marcell.* Cùm præcipitur, vt nobiſmet ipſis imperemus, hoc præcipitur, vt ratio coërceat temerita-tem. *Id. 2. Tuſcul.* Gubernatores ventorum mutationibus ſe accommodant: & viri ſapientes affectibus. *Stobæus ſerm. 1.* Elegans eſt illud *Boëty de conſol. philoſ. lib. 1.*

Nubibus atris	*Sæpe reſiſtit*
Candida nullum	*Rupe ſoluti*
Fundere poſſunt	*Obice ſaxi.*
Sidera lumen.	*Tu quoque ſi vis*
Si mare voluens	*Lumine claro*
Turbidus Auſter	*Cernere verum,*
Vitrea dudum	*Tramite recto*
Parq́ꝫ ſerenis	*Capere callem,*
Vnda diebus,	*Gaudia pelle,*
Mox reſoluto	*Pelle timorem,*
Sordida cœno	*Spemq́ꝫ fugato :*
Viſibus obſtat :	*Nec dolor adſit :*
Quiq́ꝫ vagatur	*Nubila mens eſt,*
Montibus altis	*Vinctaq́ꝫ frænis,*
Defluus amnis	*Hæc vbi regnant.*

APOPHTH. Cato maior dicebat eum optimum & lau-de dignum eſſe imperatorem, qui propriis ſuis affectibus im-perare poſſit. *Plutarch. in Rom. Apophth.* Alphonſus Arrago-num rex aiebat, ſi ſibi contigiſſet naſci temporibus, quibus Romana reſp. florebat, ſe ſtructurum fuiſſe contra curiam templum Ioui Poſitorio, in quo priuſquam venirent in Sena-tum Patres conſcripti, odium, amorem, ac priuatos omnes af-fectus ponerent. *Panormit. lib. 3. de dictis & factis Alphonſi.* Idem rex nihil inconuenientius eſſe dicebat, quàm ſi quis aliis imperaret, qui ſuis affectibus propriis imperare prius non poſſet. *Panorm. lib. 2. de reb. geſt. Alphonſ.* Angelus Politianus dicebat, Sicut Tarquinius papauerum ſumma capita, dum in horto ambularet, baculo docuiſſit, ſic ſemper animo validio-ribus affectibus atque potentioribus potiſſimum eſſe reſiſten-dum. *Polit. lib.* de irâ. Demonax cuidam ſeruum ſuum virgis cædenti, deſine, inquit, te ſeruo tuo ſimilem oſtendere. Ser-uus enim eſt, qui ſuis affectibus & cupiditatibus imperare non poteſt. ADAG. Ἄνθρωπος εὔριπος, Homo Euripus. SIMI-LITVD. Quemadmodum in arcam Noë omnes animalium ſpecies admiſit; ita homo admittit omnes affectionum motus. *Philo Iudæus de plantat. Noë.* Quemadmodum paſſerculus pe-de alligatus, volare incipiens in terram funiculo retrahi-tur : ſic quoque mens affectibus nondum liberata, & ad rerum cœleſtium cognitionem volare contendens ab affectibus in terram reuocatur. *Idem de charit.* Qui reguntur affectibus, ſi-miles ſunt iis, qui oculis turbati aliud pro alio cernunt. *Chryſoſt.* EXEMP. Eli ſacerdos affectibus in filios nimium indulſit. *1. Sam. 4. Suidas* Homerum putat cæcum appellatum, quòd affectibus numquam ſuccumberet. *Socrates*, qui Delphico ora-culo ſapientiſſimus omnium iudicatus eſt, nec riſit in tota vi-ta, nec fleuit : & vno ſemper eodémque vultu eſt viſus, vt au-thor eſt *Laërt. lib. 2. c. 5.* HIEROGLYPH. Pedes ſunt ſignum affectus inſtabilis. *Pier. Val. lib. 35.* Panthera variis maculis di-ſtincta eſt nota affectuum variantium : Euripus ſimiliter, pro-pter fluctuum vehementiam & multitudinem : quæ duo etiam cernuntur in affectibus, hoc modo. In omni perturbationum motu & progreſſu conſiderantur tria, principium, medium, & finis. In fine non eſt motus, ſed ex motu conſurgens poſſeſſio obiecti. Motus autem ſolùm eſt à principio ad medium, & à medio ad finem. A principio ad finem communiſſimi affectus ſunt Amor & Odium : in fine ſolùm conſiderantur Voluptas & Dolor : in medio ſunt Deſiderium & Fuga. Hæc quatuor dum referuntur ad obiecta varia, ad diſpoſitionem noſtram erga alios, ad requiſita pro adeptione & conſeruatione, & demum ad modum, quo competunt aliis, vel iure, vel iniu-riâ, in innumeras perturbationes propè multiplicantur, qua-rum multæ carent proprio nomine. Videris hac de re *Piccol-hominéum in gradibus moralibus.* Alij præcipuas paſſiones ſta-tuunt gaudium & triſtitiam, ſpem & timorem : quas compa-rant quatuor ventis cardinalibus. Sicut enim hi mare tempeſtatibus, ita illæ animum turbulentis motibus perturbant. Minutiores affectuum ſpecies hoc modo recenſent:

Quomodo affectus in Ethicis conſiderentur.

Paſſiones



Ex his illæ passiones dicuntur præcipuæ, quæ sunt aliarum complementum vel finis, quæque adeò omnes alias consequuntur. Sic respectu boni incipit motus ab amore, progreditur ad desiderium, terminatur spe: comparatione mali incipit ab odio, tendit ad fugam, finitur timore & dolore. Numerus passionum harum spectatur secundùm differentiam præsentis & futuri. Motus enim futurum respicit, quies in aliquo præsenti est. Igitur de præsenti bono est gaudium, de præsenti malo tristitia; de bono futuro spes, de malo futuro timor. Cæteræ passiones ad has completiuè reducuntur. Porrò passiones in tabella enumeratæ in alias distribuuntur. Sic v.g. amor respectu eius, cui aliquid optamus, dicitur amicitiæ: respectu boni ipsius, quod optamus, dicitur amor concupiscentiæ. Rursus amor respectu affectus dicitur amor complacentiæ, itémque beneuolentiæ; respectu effectus, amor communicationis. Seruant autem prædictæ passiones hunc inter se ordinem. Quædam sunt veluti motus principium, vt Amor & Odium. His enim inclinamur ad aliquid optandum fugiendúmve: sicut lapis grauitate sua naturaliter propendet ad descensum. Quædam se habent velut ipse motus, vt Desiderium & Fuga. Desiderio enim ferimur ad rem: Fuga facit vt resiliamus quasi à re. Aliæ denique vt quies & terminus motus, velut Delectatio & Tristitia. Delectatio enim est vt quies in loco rei idoneo & conueniente: Tristitia vt quies in opposito loco. Quoniam ergo principium motus ipso motu prius est, & motus prior quiete: ideo inter passiones appetitus concupiscibilis, quæ circa bonum versantur, amor est prior desiderio, desiderium delectatione: inter eas verò, quæ ad malum tendunt, odium prius est fuga, fuga prior quàm tristitia. Iam videamus breuiter, quomodo perturbatio excitetur. In excitanda perturbatione primò se nobis offert obiectum, velut iniuria, aut aliquid simile. Hoc mouet sentiendi facultatem, iuxta dictum: *Obiecta mouent sensum.* Facultas sentiendi excitata ab obiecto, illud cognoscit: eáque cognitio vim imaginatiuam attingit, quæ obiectum primò absolutè iudicat, mox cum conditione boni vel mali, siue adferentis nobis delectationem vel tristitiam. Hoc iudicio excitatur appetitio, pro adeptione vel fuga. Hîc spiritus alterantur, permutantur, & certo modo corpus afficiunt. Mox per vim imaginandi vnà cum appetitu diriguntur instrumenta seu membra motus ad fugam vel adeptionem. In vniuerso hoc ordine triplex consideratur motus: vnus facultatis cognoscens ab obiecto: secundus facultatis appetentis à iudicio: tertius totius animalis à facultate appetente & organis corporis. Primus est causa secundi, & secundus causa tertij. Primus est magis spiritualis, & minùs propriè dicitur motus secundus: magis corporeus, magísque propriè dicitur motus: tertius iam propriè penitus est motus. Consule hac de re *Piccolhomineum grad. 1. philos. moral. c. 3.* Coronidis loco notentur istæ quæstiones 1 An affectus etiam sint in Deo? 2. An affectus cadant in angelos? 3. An affectus cadant in bruta? Resp. ad 1. In Deo non sunt affectus propriè dicti, sed aliquid θεοπρεπὲς, cui respondent in nobis affectus; vt in Deo est amor, gaudium, ira, odium, & similia, quæ cùm de Deo dicantur ἀνθρωποπαθῶς, intelligenda sunt θεοπρεπῶς. ad 2. In angelis reuera sunt affectus: vt in angelis bonis est amor, desiderium, gaudium, & spes circa bona: odium mali & ira. Sed nullam in iis efficiunt alterationem physicam. In angelis quoque malis est amor, desiderium, & gaudium in rebus malis atque ita odium, ira, & desperatio. Et hi affectus in iis passionem efficiunt, quæ illos malè afficit. ad 3. In brutis imago potiùs affectuum est, quàm affectus plenè dicti. Neque enim in iis est iudicium illud, quod cum ratione coniunctum est: ac proinde cognitio obiecti, à qua oritur affectus, in iis locum habere non potest.

CAPVT III.

De caussis & effectis virtutis moralis.

PRÆCEPTA.

MEDIA, per quæ felicitas moralis in subiectum introducitur, sunt Virtus moralis & Actio virtutis moralis. *Hinc Ethica generalis est bipartita:* Aretologia, & Praxiologia moralis.

Virtus moralis est habitus cũ rectâ ratione electiuus.

Ea consideratur in genere & in specie.

In genere spectatur quantùm ad causas & effecta, subiecta & adiuncta, cognata & opposita.

Causæ virtutis sunt externæ, vt efficiens & finis: vel internæ, vt materia & forma.

Causa efficiens virtutis moralis est prima vel secunda.

Prima est Deus, author & fautor omnis boni in naturâ & supra naturam: cuius voluntas est lex archetypa omnis veritatis & bonitatis.

Secunda est intra, vel extra hominem.

Causa intra hominẽ est vel in animo, vel in corpore.

In animo est causa efficiens remota, lex naturæ synteresis, & conscientia: vel proxima, vt crebra exercitatio.

Lex naturæ est iussus diuinus in homine, monstrans discrimen honestorum & turpium: cuius duo sunt riuuli, ius naturæ, & ius gentium.

Synteresis est habitus, qui nos promtos reddit ad assentiendum principiis illis practicis, quæ complectitur lex naturæ.

Conscientia est vis mentis hominem excusans, vel accusans: adeoque est sensus iudicij diuini de factis propriis.

Crebra exercitatio est legitima assuefactio, & studiosa actionum honestarum iteratio.

In corpore hominis est bonum temperamentum.

Causa extra hominem est tum recta educatio, tum institutio, quæ pendent à magistris, tum mutis, tum viuis, nempe illis, qui virtute sunt prædití, quibuscum versari debemus & domi & foris. *Huc pertinent laus, admonitio, cognitio sui, meditatio mortis, & similia.*

Finis virtutis remotus est gloria Dei & salus animæ: propinquus, tranquillitas animi: proximus, vita & actio honesta.

Materia virtutis est habitus: forma, mediocritas.

Effecta virtutis sunt vita proba & beata; & hæc est posita in bonis animi, corporis, & fortunæ; vt sunt bona conscientia, tranquillitas animi, bona valetudo, gloria, laus, honor, amicitia, sufficientia, &c.

REGVLÆ.

I. *Vna est ad beatitudinem moralem via regia, videlicet virtus moralis.* — An via ad felicitatẽ multiplex?

HÆc quippe sola est homogenea felicitati. Vnde diuinum oraculum: *Non sunt facienda mala, vt eueniant bona.* Et Christianus philosophus: *Non licet mentiri, nec pro laude Dei.* Et sanè fieri non potest vt quod toto genere malum est, boni suscipiat rationem in ordine ad finem: adeò vt grauiter errent, qui bonam intentionem putant sufficere ad bonum opus. Necesse est, vt intentio finis, & inuentio mediorum sint homogeneæ. Nam debet esse proportio inter finem & media. Nec solùm finis seu terminus ad quem, sed etiam principium seu terminus à quo, spectandus est in actione. Errant & Machiauellistæ, qui docent assumendam esse caudam vulpinam, vbi non prodest pellis leonina. Errant denique, qui vt ad ciuitatem multas vias ducere videmus, ita ad felicitatem multis modis nos posse tendere contendunt. Hoc debebant perpendere

dere vlcera huius seculi; qui vt inclarescant, cum Herostrato templum Dianæ incendere conantur.

Virtutis forma quæ?

II. *Virtutis forma est mediocritas.*

Mediocritas non sine causâ dicitur aurea. Et modus omnium rerum prædicatur vtilissimus. Virtus enim consistit in mediocritate, seu in medio. Vnde poeta:

Virtus est medium, medio tutissimus ibis:
Occupat extremum scabies, extrema relinque.

Huc referri posset ænigma: *Dimidium plus toto.* Nam totum notare potest extremitatem, dimidium æqualitatem. Siquidem qui dimidio contentus est, is in medio consistit: contra quisquis ad totum vsque progreditur, is ad extremum perueniat oportet. Rectè igitur Hesiodus:

Νήπιοι οὐκ ἴσασιν, ὅσῳ πλέον ἥμισυ παντός.

Porrò virtus est medium negationis, non participationis: latitudinis, non indiuisibilitatis seu puncti: personæ, non rei: Geometricum, non Arithmeticum: ac proinde non est veluti centrum, vt existimarunt Stoici, sed admittit magis & minus: & inæqualiter distat ab extremis, ita vt interdum excessus, interdum defectus propiùs accedat ad virtutem. Sic proditur doctrina de tribus medietatibus, seu tribus speciebus proportionum. Primò est proportio Arithmetica, cùm tribus aut pluribus terminis positis, neglectâ proportionum similitudine, sola custoditur æqualitas differentiarum: vt 3. 5. 7. 9. differunt æqualibus numeris, videlicet binario. Hæc æqualitas dicitur medium Arithmeticum, quod æqualibus numeris à terminis distat. Medium igitur temperantiæ non sumitur ex Arithmeticâ proportione: vt, non tantum bibat imbecillis adolescens, quantum robustus miles. Deinde est proportio Geometrica, cùm positis tribus aut pluribus terminis, neglectâ numerorum differentiâ, tantùm custoditur proportionum similitudo: vt 2. 4. 10. 20. Sicut se habent 2 ad 4, ita 10. ad 20: & vicissim. Hîc est vtrobique dupla proportio. Hæc analogia tribuit idoneis conuenientia. Sicut se habet Manus ad præliandum: sic se habet Cicero ad dicendum. Tertia species est proportio Harmonica seu Musica, cùm positis tribus terminis, neglectis ipsorum differentiis & proportionibus, quemadmodum maximus terminus ad minimum comparatur, sic differentia maximi & medij comparatur ad differentiam medij & minimi: vt 3. 4. 6. Sex ad tria sunt duplum: ita duo ad vnitatem sunt duplum. Sæpe in vitâ his considerationibus vti necesse est. Sic fieri non potest, vt singuli in tributis dent pensiones æquales numeris, quæ nominatur æqualitas proportionis Arithmeticæ: sed sumenda est similitudo proportionum, vt plus pendat diues quàm pauper. Ita cùm Paulus 2. *Corinth.* 8. iubet facere contributionem ex æqualitate, non vult vt æqualibus numeris, seu proportione Arithmeticâ, vidua paupercula & diues Tobias conferant, sed intelligit proportionem Geometricam, vel etiam Harmonicam: vt proportione Harmonicâ 3. 4. 6. cùm Tobias habens 6. dat 2. medius habens 4. dat 1. ita fiunt 3. In Democratia quæritur æqualitas proportione Arithmeticâ: vt pariter ad consulatum mitti debent Paulus Æmilius, antecellens genere, & virtute, & Terentius Varro lanius. In Aristocratiâ quæritur æqualitas proportione Geometricâ, vt conuenientia tribuantur idoneis: vt, Paulus Æmilius sit ductor exercitus, Varro lanius curet culinam. In ὀλιγαρχίᾳ quæritur æqualitas proportione Harmonicâ, vt nec genere, nec virtute, nec diuitiis sint æquales, Critias, Theramenes, Hippomachus: sed sicut se habet superbus Critias ad infimum oppressum, sic est consonantia medij contra infimum. In Ecclesiâ fit proportio Geometrica in gubernatione: quia gubernatio Ecclesiæ debet esse similis Aristocratiæ. Sed respectu Dei, cùm Ecclesia colligitur ex dissimilibus, Dauide, Manasse, & Iosepho, fit consonantia proportione Harmonicâ. Deus recipit latronem pendentem in cruce, recipit Manassem, Dauidem & Iosephum æqualiter, qui tamen sunt dissimiles. Videris hâc de re *Considerationes Ethicas Melanchthonis paulò ante obitum repetitas.* Cùm igitur in doctrinâ virtutum mentio fit medietatis, obseruandum est, de quâ medietate dicatur: vt, temperantiæ medium sumitur proportione Geometricâ. Plus comedat robustus agricola & faber, in quo laboribus corporis calor fit fortior, & plus sanguinis & spirituum exhalat, & melius percoqui & transformari potest cibus, quàm senex, in quo coctio est languidior, & corpus immundum. In mutuo medietas est, æqualitas dati & accepti, sumta proportione Arithmeticâ. Si enim non seruaretur summa æqualitas, vna pars exhauriretur, vt fit, cùm vsuræ crescunt. Isocrates igitur bene inquit: Multùm errant homines in voce æqualitatis, cùm vbique æqualitatem Arithmeticam fieri postulant. Et *Plato* ait *lib. 6. de legib.* duas esse æqualitates, quarum alteram appetit vulgus, vt omnes habeant numero æqualia: alteram, quæ conuenientia tribuit idoneis; quam salutarem dicit esse humano generi: vt si Cicero sit orator, Iulius Cæsar bellator. Huc pertinet apologus. Socij erant dissimiles in venatione, leo, equus, asinus, & vulpes: cúmque grandem taurum cepissent, iubet leo asinum partiri prædam. Hic stolidus secat in quatuor partes æquales, & singulis sociis Arithmeticâ proportione singulas attribuit partes. Ibi leo iratus dilaniat asinum, negans seruati æqualitatem, quia plus cæteris laborauerit. Iubet igitur equum facere distributionem. Equus vult esse æquior commonefactus errore asini, & proportione Geometricâ duas partes leoni attribuit, reliquas duas sibi & vulpeculæ dat. Rursus iratus leo, Num, inquit, ignoras, non solùm propter laborem, sed etiam propter regiam dignitatem mihi plus deberi? Huic quoque minitans, iubet vulpem facere diuisionem. Hæc partes omnes accumulans leoni offert, & dicit, sibi totam deberi prædam. Huius iudicium probat leo, interrogans, vnde tanta sit hæc ipsius sapientia? Respondet vulpes, monstrans asinum cruentum: Hunc, inquit, habeo doctorem, cui caput ornatum est rubro pileo. Sic tyranni sine discrimine, deletis omnibus proportionibus, rapiunt quæ volunt. Ad extremum hîc quæritur, Quomodo hæc duo Ethicorum effata consistere possint: Virtus est medium proportionis Geometricæ: &, Iustitia distributiua seruat proportionem Geometricam; commutatiua Arithmeticam? Resp. Omnis virtus est posita in medio, non μεθέξεως, *participationis*, sed ἀρνήσεως, *negationis*: & quidem in medio rationis, non rei. Medium rationis, aliâs personæ, personale, Geometricum, proportionis & comparationis Geometricæ est, quod vni extremorum est vicinius, ab altero remotius: vt 6. inter 4. & 9. Medium rei, paritatis, reale, Arithmeticum, & proportionis Arithmeticæ, æqualiter distat ab vtroque extremorum, vt 9 inter 6 & 12. Virtus quælibet est medium Geometricum: quia non æquali prorsus interuallo distat à suis extremis, sed cum vno maiorem habet cognationem, quàm cum altero: vt ad prodigalitatem potiùs, quàm ad auaritiam accedit liberalitas. Deinde est medium comparatione nostri, quod ad nos collatum neque deficit, neque exsuperat: quomodo ea cibi portio, quæ Socrati pro eius temperamento conuenit, dicitur medium respectu illius. At enim quia non omnibus eadem temperamenti & caloris ad concoquendum vis est, sæpe id, quod vnius collatione medium habetur, respectu alterius deficit aut excedit. Hæc vera sunt de iustitiâ distributiuâ & commutatiuâ. Vtraque est medium Geometricum, & medium latitudinis, in quo dantur gradus. Sed in eo est discrimen, quòd iustitia distributiua in exercitio, vt ita dicam, Geometricam seruat proportionem; vt alium locum tribuit magistratui, alium ciui: commutatiua Arithmeticam, vt in mutuo. Hanc doctrinam proportionum corruperunt Anabaptistæ & alij, qui volunt esse æqualitatem pecuniæ & mulierum. Et Stoici non obseruarunt distinctionem medij, quòd aliud sit latitudinis, aliud centri, quod consistit in indiuisibili. Neque enim statim peccat, qui non semper centrum, vt ita dicam, medij moralis seruat. Hoc enim medium habet latitudinem, ita vt nunc perfectiori, nunc imperfectiori modo attingi possit. Quare illud tritum, *Recto non datur rectius*, duntaxat locum habet in Mathematicis, non verò in moralibus. Sic actio eius, qui ex affectu misericordiæ pecuniam erogat egenti, recta est, vtpote consentanea rectæ rationi: actio verò illius, qui ex intensiori misericordiæ affectu vberiorem pecuniam largitur, rectior est & excellentior, tum quia plus, tum quia vehementiori affectu confert. Itaque rectum non tantùm opponitur obliquo, sed etiam recto, tanquam maius minori. Falsa igitur sunt axiomata ista Porticus: *Virtus non suscipit magis & minus, sed in gradu excellenti consistit: Nemo est virtute præditus, nisi habeat summum gradum.*

Quotuplex sit medium apud philosophos?

III. *Virtus moralis placet Deo per se, quatenus est rectitudo: sed displicet illi per accidens, quatenus est in personâ non iustificatâ per Christum.*

Virtus moralis vt Deo placeat?

Placet Deo, sed non ad salutem; iuxta illud: Virtus si sit in vase puro, hoc est, homine iustificato, placet Deo ad salutem. Aliâs virtus moralis displicet Deo, non quidem per se, sed per accidens, quatenus est in vase impuro, hoc est, personâ non iustificatâ. Quo sensu accipiendum est illud vulgare: *Ethnicorum virtutes fuerunt splendida peccata.* Manet enim illud Apostoli: *Sine fide impossibile est Deo placere.* Quid igitur? Num ideò non debemus operam dare virtuti morali, quia non potest nos perducere ad salutem? Minimè verò. Est enim gradus ad felicitatem moralem, &, si fides accedat, etiam ad felicitatem supernaturalem. Præterea virtus moralis facit ad minorem damnationem, vt Scipioni & Catoni melius est quàm Sardanapalo & Epicuro.

IV. *Virtus versatur circa ardua.*

Virtus occupatur circa ardua.

Hinc *virtus* dicta est vel à viro: quia, teste Cicerone, nomen virtutis olim fuit solius fortitudinis: vel à vi, quia est vis quædam animi. Difficillimum est igitur illam amplecti: oportet tamen hanc tantam difficultatem superare, quia radices quidem amaræ sunt, fructus autem longè longéque dulcissimi, quod innuit poëta, sic canens:

Quisquis apes, vndásque timet, spinásque roseti:
Non mel, non pisces, non feret ille rosas.

Nam

Nam schola virtutis est aula augustissima, in quâ bene viuere, est bis viuere.

Vir bonus & malus vnde denominetur?

V. *Vir bonus vel malus non dominatur ab vno actu, sed ab habitu. Et habitus est præstantior quàm actus in virtutibus: at in vitiis actus minus est malus quàm habitus.*

SIc ebrietas actualis Noachi non fuit tantum vitium, quantum fuit habitualis ebrietas Alexandri M. Nec consequens est: Dauid rapiens vxorem Vriæ tyrannicè fecit. Ergo fuit tyrannus. Nec hoc: Cambyses iniusto iudici cutem detrahens eiusque filium in tribunali eâ strato collocari iubens, additis his verbis: Disce iustè iudicare: iustè fecit. Cambyses ergo fuit iustus. Nec hoc: Theodosius septem millia hominum Thessalonicæ curauit interfici ob Sodomiam aurigæ moderatoris ludorum Circensium, & ob interfectos aliquot suos officiarios. Ergo fuit tyrannus. Tametsi autem actus in vitiis minus malus est quàm habitus: non tamen excusationem meretur: quia malum nunquam est laudabile. Deinde in foro iuridico actus potiùs spectatur quàm habitus. Ita verbi gratia, iudex punit adulterium, vel furem ob vnum actum: interim grauiùs punitur habitus malus.

Principia virtutis multifaria.

VI. *Varia sunt, quæ erga virtutem principij locum aliquâ ratione videntur obtinere: puta Vires animæ; Habitus, Actiones, Mos, Assuetudo, Exercitatio, Agere sponte, Agere inuitè, Agere non-sponte, Agere inscientem, Agere per inscientiam, Agere per vim, Electio, Prælectio, Consultatio, Voluntas, Libertas, Circumstantiæ.*

Vires animæ quotuplices?

DE his omnibus teneantur ista axiomata. 1. *Vires animæ sunt inferiores, vel superiores. Inferiores*, sunt cognitionis expertes: vt est vis alendi, augendi, simile generandi, attrahendi, retinendi, coquendi, expellendi. *Superiores* sunt cognitionis participes: & rursus sunt vel rationis expertes, vt facultas sentiendi, appetendi, & loco mouendi: vel rationis participes, vt est vis animæ rationalis partim noëtica, partim dianoëtica. Illa consistit in apprehensione simplicium, compositione, & diuisione: hæc in discursu partim inferente seu syllogistico, partim ordinante seu methodico. Si facultas dianoëtica connectatur cum noëticâ, & ab eâ sumat principia prima & necessaria, constituit facultatem ἐπιστημονικὴν, ad quam sapientia & scientia pertinet. Si verò connectatur cum principiis communibus, varietati obnoxiis, vel in re non-necessariâ versetur, existit facultas λογιστικὴ, ad quam pertinet opinio. Deinde intellectus est vel patiens, vel agens. Officium intellectus patientis, seu mentis potestate, est intelligendo fieri omnia spiritualiter, per cognitionem & imitationem. Officium agentis est, ea, quæ sunt intelligibilia potestate, reddere intelligibilia actu, quemadmodum lumine colores actu redduntur visibiles. Mens, quæ dicitur potestate, vel consideratur vt omnino, id est tantùm est potestate vel vt est habitu prædita: vel vt est simul actu & habitu. Omnino potestate est in pueris: solùm habitu est in sapiente dormiente: habitu & actu in sapiente & contemplante. Dum mens prædita est habitu, vel habitus est principium contẽplandi, vel agendi, vel efficiendi. Inde consurgit triplex eius differentia. Datur enim mens ad contemplationem, actionem, & effectionem dirigens. Insuper mens contemplandi habitu prædita, vel est eo prædita imperfectè & cum diminutione, diciturque *mens inspectrix*: vel eo prædita est exactissimè & exquisitissimè, & nuncupatur *mens adepta*; quia scilicet adepta est vniuersam perfectionem eius mentis, cuius officium est intelligibile potestate reddere intelligibile actu. Aliàs dicitur *intellectus adeptus, mens animaria, in se reuersa, cum mente participatâ iuncta.* 2. *Ad vires animæ pertinet etiam ingenium*: quod nihil est aliud, quàm ingenita vis, quâ res meliùs & faciliùs, vel difficiliùs apprehendere & iudicare possumus. Est enim ingenium bonum, vel malum. Cum bono mediocrem vim memoriæ coniunctam esse oportet. Mediocrem dico, non eximiam. Frequenter enim fit, vt, qui valent memoriâ, careant ingenio seu iudicio. Ingenij boni est εὐμάθεια, σύνεσις & εὐστοχία: cui opponitur ἀσυνεσία, *hebetudo* seu tarditas. Ad ingenium etiam pertinet δεινότης, quâ aliquis assequitur ea, quæ ad scopum propositum pertinent: item ἀγχίνοια quæ est celeritas quædam inueniendi: & denique εὐφυΐα, per quam rectè iudicamus. 3. *Habitus in Ethicis sumitur pro facultate animi difficulter mobili, seu firmiore & constantiore.* Habitus multa significat. Aut enim est in corpore; vt vestimentorum habitus, item corporis constitutio, & qualitas corporis difficulter mobilis: aut est in animo, & ita nihil aliud, quàm qualitas firma, constans & indelebilis, eáque vel per crebras actiones acquisita, vel per vnicam actionem intensam, quæ æquipollet multis aliis sæpe repetitis, infusa. In Ethicis sumitur pro facultate animæ difficulter mobili seu constanti. Hinc illa scala. In animo inueniuntur quinque subordinata:

Ingenium quid?

Habitus quomodo hîc consideretur?

facultas operandi, perturbationes, dispositiones seu viæ ad habitum, habitus, & actiones. Tametsi autem Philippus Melanchthon existimat, habitus nomen esse obscurius de virtutibus: quia magni sunt æstus & Euripi cupiditatum in corde; tamen, quia rectæ actiones faciunt in cerebro impressiones cogitationum infirmiores, retineri potest vocabulum habitus. Ita verbi gratia, Augustus cogitans sæpe de clementiâ, quantò sit melior, quàm Antonij sæuitia, magis aspicit eius decus, & talibus cogitationibus faciliùs obtemperat: & his cogitationibus ac clementer factis fiunt aliquæ impressiones in corde, quæ moderantur iracundiam. Rectè itaque idem Melanchthon ait: Non prorsus nego, virtutes esse habitus: sed sunt habitus languidi, nisi diuinitùs aut à naturâ adiuuentur. Sic in Iosepho est firma castitas, in Dauide præliante est ardens fortitudo. In his virtus est motus Dei, sic gubernantis cogitationes & corda eorum. In Alexandro quoque est fortitudo ardens: quia est motus heroicus. Sic in Aristide est iustitia heroica, id est, impetus quidam extraordinarius. Aliàs virtutes communes, seu mediocres, sunt habitus languidi, qui adiuuantur doctrinâ, crebrâ cogitatione, crebris actionibus. Illustrius, igitur est iuxta Melanchthonem dicere, Virtutes esse motus diuinos aut heroicos: sicut è regione vitia sunt incendia prauorum affectuum in corde, & impulsiones diabolorum: vt in Nerone libidinum confusiones & sæuitiæ. Atque hanc sententiam Melanchthon præfert definitioni Aristotelicæ, quòd illa sit admodum tenuis: quando scilicet virtus definitur esse habitus. 4. *Actiones multæ foris sunt similes, quæ tamen diuersas habent causas, & reipsâ non sunt similes*: vt gestus Thrasonis in præliando, gestúsque Alexandri, possunt esse similes. Et vsitatissimæ in vitâ sunt κακοζηλίαι, *imitationes ineptæ*: vt Antonius vult imitari Iulium Cæsarem in occupando Imperio: Brutus vult imitari Dionem in liberandâ patriâ. Bacchus apud Aristophanem vult videri Hercules, induens leonis pellem, & sumens clauam. Tales sunt monachi, imitantes vestitum Eliæ & Iohannis: aut qui se poëtarum similes putant, quia in conuiuiis tumultuantur. Hæc praua imitatio multorum admonitionibus reprehensa est. *Horatius lib. 1. epist.* ait:

Actiones quomodo in Ethicis considerentur?

Decipit exemplar vitiis imitabile. -- Et:
O imitatores seruum pecus, vt mihi sæpe
Bilem, sæpe iocum vestri mouêre tumultus?

Huc pertinent apologi: Simia conatur imitari fabros findentes ligna, & oblita cunei cruciatur demissis in rimam testiculis. Item, Simiæ condentes vrbem. Sic asinus, volens blandiri domino, vt catella, fuste truditur. Huc pertinet asinus Cumanus, induens exuuias leonis. Rectè igitur monuerunt veteres, quemlibet debere seipsum nosse, ac manere in suâ vocatione, quando dixerunt: *Nosce teipsum: Metiri quemque suo modulo ac pede, rectum est:*

Qui sua metitur pondera, ferre potest.

Tenenda igitur regula Pauli: Πράσσειν τὰ ἴδια: Facienda sunt necessaria iuxta vocationem, mandata diuinitùs, & conuenientia personæ: idque proprium est iustitiæ distributiuæ, & proportionis Geometricæ. 5. *Quatuor sunt causæ actionum apud Aristotelem*: φύσις, βούλησις, δόξα καὶ προαίρεσις, *natura, voluntas, opinio, & propositum. Natura* est principium actionis, nobis inditum, vel lege creationis: vt homo naturâ duce amat honesta: vel lege generationis, vt Cato est naturâ pertinax, nec rectè moderatur constantiam. Antonius naturâ prodigus est, nec rectè moderatur vsum pecuniæ. Sequuntur autem homines sæpe inclinationes naturæ, vt dicitur, τὸ ἐσθλὸν σαφές, *Bona natura aperta est.* Item:

Naturæ sequitur semina quisque suæ.

Etsi autem aliquæ inclinationes bonæ sunt, vt στοργὴ, tamen nondum sunt id, quod propriè nominatur actio virtutis, quæ regitur consilio, & liberâ electione, & certum modum adhibet. *Voluntas* est, cùm aliquid appetitur: vt Thraso vult videri fortis. *Opinio* est imaginatio, quâ quidem seriò aliquid fit, neque tamen adhibetur rectum iudicium aut moderatio: vt Brutus est durior, quia dementatus est Stoicis opinionibus, & imitatur Catonem. Huc pertinet omnis κακοζηλία, quæ peccat aut βουλήσει seu voluntate, aut δόξῃ seu errore. Quartus gradus est προαίρεσις, quæ duo complectitur; rectum iudicium in mente, quo fontes, circumstantiæ, & modus aspiciuntur; & liberam in voluntate electionem: vt Aristides est fortis & constans, non cedit, vbi rectum non est cedere. Atticus largiter dat, vbi decet, non profundit, vbi non decet. Atque hæc consideratio est vtilis, vt discernantur causæ actionum, quæ in speciem sunt similes. Distinguuntur enim actiones ex quatuor istis gradibus, quos iam recensuimus. Si aliter se habet simulatio Thrasonis, aliter Iulii fortitudo, qui naturam iudicio moderatur, & videt vbi constantia sit retinenda, vbi cedendum. Cùm mens non errat, & voluntas libera concurrit, factum dicitur προαιρετὸν, *consilio*, & liberâ electione factum: & integer effectus est vtriusque causæ, siue bonus, siue malus. Quando hæc non concurrunt, tunc non dicitur actio προαιρετὸν facta, nec est integer effectus vtriusque causæ, nec integrè bonus, nec integrè malus. Sic cùm OEdipus ignorans occidit patrem, & cùm Apostolus Paulus dicit se per ignorantiam

 fecisse,

fecisse, non dicitur actio προαιρέσει facta. Sed Dauid προαιρέσει peccat, cùm sciens legem Dei, contra eam volens eligit & imperat raptum alienæ coniugis. E contrario Scipio προαιρέσει rectè facit, cùm sciens legem, volens obtemperat legi, & abstinet ab alienâ sponsa incredibilis formæ, quam ipsi offerebant milites. Et hinc sumitur discrimen de factis contra conscientiam, & per ignorantiam. Hinc Aristoteles dicit: Virtus est ἕξις προαιρετική. Et ideo actio honesta est actio προαιρετική: vt cùm Ioseph abstinet a coniuge domini sui. Sunt enim actionum locomotiuæ causæ, mens cogitans, & voluntas imperans neruis, vt cogitationi obtemperent, & cieant externa membra. Intuenda igitur est hominum vita, & discernendi gradus actionum: sicut & legislatores discernunt facta ἐκ προαιρέσεως, ab iis, quæ fiunt ex ignorantiâ. Est autem actio honesta, quæ congruit cum lege Dei, seu quæ est mediocris. Intellige mediocritatem illam, quæ est forma virtutis. Quâ voce Aristoteles delectatus est, quia vidit omnes motus in qualibet naturâ excedentes & deficientes, frangere naturam: vt nimio labore, & nimiâ segnitie corrumpitur corpus. Ita in affectibus cogitauit Aristoteles, mediocritatem naturæ conuenire: vt mansuetudo est, non irasci nimiùm, nec nimis lentum & placidum esse. Deinde & hanc ob causam delectatus est istâ speculatione de mediocritate: quia sapiens vetustas longè ante ipsum multas admonitiones de mediocritate tradiderat. Manifestum est enim, peccare homines discedendo à mediocritate: vt apparet in vsu cibi & potus, in laboribus, amore, odio, irâ, dolore. Ideo celebrata sunt hæc dicta: Μηδὲν ἄγαν, *Ne quid nimis*; quod aiunt scriptum fuisse in foribus templi Delphici: item, Μέτρα φυλάττεο: Πλέον ἥμισυ παντός, id est, *Quod est mediocre, melius est, quàm quod plus est*: vti Philippus Melanchthon interpretatur. Tales commonefactiones prodest habere infixas mentibus, & sæpe intueri, ne membra externa ruant in scelera, rapidis cordis motibus impulsa: sicut Achilles iratus, cùm gladium stringit, se reprimit, admonitus a Pallade. Sicut & illa vetusta concio præcipit: *Sub te sit appetitus tuus, & tu dominerus ei.* 6. *Mos dum latè vsurpatur, est internus, vel externus.*

Mos quid?

Mos externus est actio ex interno more prodiens, quæ vel præcurrit habitum, vnde dicimus, virtutem acquiri more: vel habitum sequitur; & hæc rectiùs dicitur mos. 7. *Assuetudo est actionum repetitio, quâ mores gignuntur.* 8. *Agere inuitè aliquis duobus modis dicitur*: nempe aut vi coactus, id quod aduersatur naturæ: aut per inscitiam circumstantiarum, quam pœnitentia sequitur: id quod opponitur cognitioni. Priori inuitæ actionis modo opponitur τὸ sponte. Nam actus spontaneus vel sequitur naturam, vt lapis sponte deorsum fertur: vel sequitur cognitionem, vt Iudæi sponte crucifigunt Christum. 9. *Agere per ignorantiam, seu inscitiam est, quando ignorantia est princeps causa, vt aliquid agamus, ita vt nisi adesset inscitia, non ageremus.* Inscientem autem, vel ignoranter agere, est communius. Omnis enim qui agit per ignorantiam, est ignorans, at non contrà. Sic qui per iram & ebrietatem agit aliquid mali, inscius quidem est seu ignorans, neque tamen per inscientiam id facit, sed vitioso affectu aciem mentis peruertente. Est autem ignorantia triplex. Primò τοῦ συμφέροντος, id est, eius quod conducit & expedit, pro assequendo fine: deinde τοῦ καθόλου, id est, ipsius vniuersalis: tertiò τῶν καθ' ἕκαστα, id est circumstantiarum actionis. Nec ignorantia eius quod expedit & conducit, nec ignorantia τοῦ vniuersalis reddit actionem inuitè factam. Nam non admittitur, si quis dicat, alienam pecuniam surripere, conducere virtuti: item, quòd omne voluptatem adferens sit optandum, atque ita etiam mors inimico. Nam quod expedit, & est vniuersale, nostri officij est scire. Cùm quis agit per ignorantiam circumstantiarum, contingit vt aut sublatâ inscitiâ, eum facti pœniteat, & tunc inuitè dicitur id fuisse factum, vt cùm quis auem feriturus ferit hominem: aut nulla sequatur pœnitentia; & tunc est aliquid medium inter id, quod dicitur spontè & inuitè agere. Illud autem medium dicitur οὐχ ἑκούσιον, id est, non spontè factum. Porrò agere aliquid spontè aliquis dicitur vel absolutè, vel pro tunc, id est, pro necessitate alicuius temporis: vt cùm inter mala molesta minus eligimus, quod tamen absolutè non cupimus, sed quia nisi id eligamus, in maius malum incidimus. Sunt igitur tales actiones mixtæ, quæ partim consilio, partim violentiâ fiunt. Sponte agere latè dicitur de propensione naturali, & illo appetitu sensuum, qui est in brutis: strictè & propriè tantùm de hominibus. Aliud igitur est agere ignoranter, aliud per ignorantiam: Ibi alia est causa, quàm ignorantia: vt cùm ebrius aliquem interficit: hîc ipsa ignorantia est causa actionis. Qui agit priori modo, non excusatur. Qui agit posteriori modo, interdum excusatur. Est enim ignorantia vel iuris, vel facti. Ignorantia iuris est, quando ignoratur, an aliquid iustè aut iniustè fiat: Estque iuris vel vniuersalis, vel particularis. Ignorantia iuris vniuersalis est affectata, supina, crassa, & prauæ dispositionis, quâ quis ignorat præcepta communia æqui & boni, quæ quilibet scire debet per naturam. Et hæc non excusat, sed aggrauat delictum. Ignorantia iuris particularis est, quâ ignoratur speciale & extraordinarium aliquod edictum. Et hæc excusat ad tempus, si quidem non sit prauæ dispositionis, hoc est; si non sit coniuncta cum malitiâ. Ignorantia facti est, cùm ignorantur circumstantiæ, in quibus tota vis actionis consistit. Hæc excusat, si non concurrat dolus (vt, si homo simplex per ignorantiam diuendat res malas, quas putat esse probas) si item subsequatur pœnitentia. Et hæc dicitur ἄγνοια ἐπίλυπος. Sed non excusat, si quis delinquat ex crassâ simplicitate. Sic venditori non prodest allegare ignorantiam, nec licet venditionem suam rescindere, quòd nescierit precium & dignitatem suæ mercis. Hoc enim debebat scire ex officio. Ad summam, ignorantia est absoluta, vel respectiua: Absoluta, cùm quis verè ignorauit malum quod patrauit, vt, cùm Noë fuit inebriatus. Et hæc ignorantia meretur veniam, non quoad totum, sed quoad quantum. Ignorantia respectiua est affectata & dæmoniaca, cùm quis non vult inquirere ea quæ necesse est cognosci de iure vel facto; qualis fuit ignorantia Pharisæorum. 10. *Voluntas & præelectio ambæ supponunt cognitionem mentis, & ambæ feruntur in bonum.* Latè voluntas dicitur de quâuis appetitione. Ita autem solent distinguere voluntatē & præelectionem, quòd illa solùm mentis iudicium exposcat, in finem tendat, & non modò respiciat pertinentia ad nos, verùm etiam ad alios, & non tantùm ad ea, quæ in nostrâ sunt facultate, sed etiam quæ superant vires nostras: hæc autem exposcat consulationem, per quam vnum alteri præferatur, tendat in ordinata ad finem, respiciat solùm ea, quæ ad nos pertinent, & quidem in nostrâ sunt facultate. Præelectio autem & consultatio ambæ versantur non in rebus necessariis, nec impossibilibus: & sunt de mediis in finem ordinatis. Finis enim supponitur, dum de re aliquâ consultatur: consultatio autem antecedit, præelectio sequitur. Illa enim est inuestigatio mediorum, & de illis ratiocinatur, hæc est amplexus rei iam decisæ. Consultatio dirigit, præelectio directionem sequitur. Propterea consultatio est officium facultatis cognoscentis, præelectio appetentis. Ex his patet, electionem esse sine consultatione, præelectionem cum consultatione. Cæterùm consultatio requiritur ob ambiguitatem, quæ oritur vel ex naturâ rei, quæ est inconstans & indefinita, vel ex nostrâ imperitiâ. Porrò voluntatis obiectum est bonum vel verè ex naturâ rei, vel ex parte nostri, quod nobis ita videtur. 11. *Voluntas est libera, quatenus nec coacta, nec instinctu mero naturæ, sed præeunte ratione operatur.* Liberum dicitur tribus modis: quod nulli subiicitur, vt Deus: quod pro nullo oppositorum est definitum, sed æquè seu indifferenter se habet ad vtrumque: denique, quod sponte operatur, & quidem vel sensus notitiâ, vel ratione præeunte. Hoc postremo modo voluntas est libera. Vnde patet, libertatem voluntatis non tollere immutabilitatem aut constantiam in Deo, sanctis angelis, & planè regeneratis hominibus. 12. *Arbitrium est vel intellectus, vel voluntatis vis.* Aliâs enim est vis posita in iudicando, approbando reprobandóque, quæ pertinet ad intellectum: aliâs vis in appetendo auersandóque obiectum ab intellectu monstratum, quæ pertinet ad voluntatem. Vsitatè tamen est vis voluntatis circa media versantis, quam necesse est iudicio mentis dirigi. Dicitur liberum arbitrium, quatenus non coactè agit quod agit, & ad opposita se habet suâ naturâ indifferenter. Hîc disputant, Vtrùm libertas in voluntate, an in ratione sit? Vsitatam adhibent distinctionem, quòd in voluntate sit propriè, in intellectu virtute, seu eminenter: quia ratio est radix libertatis. Nostram sententiam vide suprà in Pneumaticis. Ex his, quæ hactenus disputata sunt, colligitur iste ordo actionum humanarum. Primò mens absoluta rem iudicat: deinde eadem concipit rem sub ratione boni: tertiò voluntas vult bonum: quartò vis consultandi consultat de mediis pro eius adeptione: denique id quod in consultatione cæteris fuit præpositum, præelectio præeligit, nisi appetitus sensitiuus obstet, vt fit in incontinente. Ex his apparet, quòd *Actiones* hominis sunt simplices, vel mixtæ. *Simplices* sunt vel simpliciter voluntariæ, vel simpliciter inuoluntariæ & inuitæ. *Mixtæ* seu mediæ sunt, quarum causa non est voluntas plena: vt cùm quis in mare proiicit merces, propter tempestatem vrgentem. Deinde actiones hominis sunt elicitæ, vel imperatæ. *Elicitæ* sunt, cùm voluntas politicè regit appetitum, eúmque obsequentem habet. *Imperatæ* sunt, cùm voluntas imperat executionem affectui & locomotiuæ. Illic est obluctatio: hîc non. Imperium enim in locomotiuam est *despoticum*: hoc est, tale, quale est heri in famulum: sed imperium in affectus est *politicum*, id est, tale, quale est principis in populum liberiorem. *Tertiò*, actiones hominis vel antecedunt habitum, vel sequuntur. De illis accipe hoc dictum: *Actio sæpè iterata facit habitum.* Item, *Actiones quæ habitum antecedunt sunt difficiles & imbecilles.* De his accipe istud: *Actio sequens habitum est facilis.* Huc pertinet illa scala actionum moralium: Sex sunt gradus actionum. 1. Bene agere. 2. Indifferenter agere. 3. Otiosum esse. 4. Aliud agere. 5. Nihil agere. 6. Malè agere seu factitare artem peccandi. Est autem melius, otiosum esse quàm nihil agere, quia nihil agere est rebus inanibus tempus transmittere: & vt Demonax ait, mulgere hircum & mulgenti cribrum supponere.

VII. *Deus*

Quid sit agere inuitè?

Quid sit agere per inscitiã?

[illegible]

An ignorantia excuset delictum?

Voluntas & præelectio quomodo differant?

Voluntas quomodo libera?

Prima causa virtutis quæ?

VII. *Deus est prima virtutis causa & efficiens, & finalis, & exemplaris.*

E*Fficiens*; quia omne bonum naturale, morale & spirituale descendit à summo bono. *Finalis*; quia summa causa efficiens & finalis sunt res vna. *Exemplaris*; quia proprietates Dei debemus nobis proponere tanquam primam vitæ regulam, omni exceptione maiorem. Proprietates dico, quarum effectus communicantur creaturis: vt est veracitas & sanctitas in Deo. Neque enim debemus omnipotentiam Dei, & similia attributa, quæ theologis dicuntur ἀκοινώνητα, velle imitari. Hinc porrò liquet, ὀρθὸν λόγον, *rectam rationem*, seu legem naturæ, & Scripturam sacram esse causa virtutis exemplares secundarias.

Dei gratia in virtutis studio vt concurrat?

VIII. *Deus in stadio & studio virtutis, gratiâ & auxilio suo præuenit, concomitatur, & subsequitur hominem.*

ERgo frequenter & ardenter est inuocandus, vt det nobis & nosse posse bonum. Et quando sentimus, Deum nobis bis elargitum esse bonum quoddam morale, meminerimus istius regulæ: *Qui non bene vtitur gratiâ primâ, non dignus est secundâ.* Et istius: *Habenti dabitur.* Ita fiet vt Deus in nobis sua coronet dona.

Via compendiaria ad virtutem.

IX. *Optimum compendium ad virtutis exercitium est, si quis præcepta Dei suos statuat consiliarios.*

SCriptura siquidem sacra est custos contra omnia vitia tutissimus: pectoribus nostris instillat timorem Dei, pretiosissimum illum thesaurum, & veluti scrinium atque scaturiginem virtutum: Est optima norma virtutum: docet enim illas ad Dei gloriam referri debere & proficisci ex fide, sine quâ virtutes sunt veluti folia, quæ videntur virere, sed prodesse non possunt. Ideo Esaias in sanctissimo rege Ezechiâ hoc maximè commendat, quòd thesaurus eius sit timor Dei. In primis hîc nobis seruiunt Prouerbia Salomonis & epistolæ Apostolorum. Hic quæritur, An scripta Machiauelli sint legenda? Resp. ab iis possunt legi, qui ex stercore Enniano possunt colligere aurum virgilianum.

Causa virtutis secunda quæ?

X. *Inter causas virtutis hæc est triga, Natura, Cura, Exercitatio.*

N*Atura*; quatenus homo habet aliquid imaginis Dei reliquum. Hæc est bonus ille genius, qui hominum cuiuis assignatur. Hæc est illud lumen, quod in vnoquoque habitat: vt in Alexandro illo magno, qui nolebat aspicere vxorem deuicti Darij, cùm tamen posset: Et in Traiano Imperatore, qui nolebat Christianos ad supplicia inuestigari. Hoc animi nostri priuilegium alatus ille poëtarum Pegasus depinxit. Sed multi sunt, qui hanc lucem extinguere conantur, & ad tempus suffocant: similes Veturio, qui cùm delere vellet istud principium: Non rapiendum esse quod alius iure possidet, de viâ non cedendo tribuno plebis, securi percussus est. Complectitur autem natura legem naturæ siue synthesin & conscientiam. *Lex naturæ* est vox Dei sonans in pectore hominis. Hæc est basis virtutum; quippe quæ complectitur primas veritates practicas, semina illa & igniculos virtutum, hoc est, principia practica, tum primæ, tum secundæ tabulæ decalogi. Primæ quidem tabulæ parciùs & obscuriùs, sed tamen quantum satis est ad inexcusabiles reddendum omnes homines coram Deo: Secundæ verò paulò clariùs & vberiùs ad societatem in humano genere conseruandam. *Cura*; quatenus præcepta Ethices obseruantur, & quidem non coactè, sed sponte. Aliâs obiici potest illud: *Misera est innocentia, ad legem esse bonum.* Cura enim ad hoc confert, vt semina honesti in cordibus nostris latentia legitimâ culturâ subigantur. *Exercitatio*; quatenus in omnibus actionibus medium seruare studemus, ita quidem, vt Deum precemur, nobiscum luctemur, & finem respiciamus.

Lex naturæ, synteresis, & conscientia concurrunt.

XI. *Lex naturæ est fundamentum in templo virtutis, Synteresis est compages conclauium, Conscientia tectum.*

NAm lex naturæ sustentat hanc domum; synteresis ornat & conseruat, non secus atque conclaue seruat res varias; conscientia tempestates vitiorum arcet, si sit integra, si vulnerata & cauteriata, admittit non aliter atque tectum corruptum pluuias. Itaque lex naturæ habenda est pro voce Dei.

Lex naturæ vbi occurrat?

XII. *Lex naturæ in corde hominis est quoad rudimenta, in Decalogo quoad lineamenta.*

NAm quilibet homo sanâ mente præditus intelligit, DEVM esse diligendum, Honestè viuendum, Neminem lædendum, Suum cuíque tribuendum. Sed in Decalogo explicatiùs omnia proponuntur: Hic enim est plenissima legis naturæ epitome. Quod itaque Cicero de legibus duodecim tabularum magnificè prædicauit, nos de Decalogo rectiùs pronuntiauerimus: Fremant licèt omnes, dicam quod sentio: Bibliothecas me Christe omnium vnus mihi videtur decalogus, si quis legum fontes & capita videat, & authoritatis pondere, & vtilitatis vbertate superare. Sanè in decalogo singula verba sunt plena sensibus. Vnde Rabbini dicunt, à singulis Decalogi verbis pendere montes sententiarum: & leges Mosaicas 612. ex decalogo profluere tanquam ex Oceano & Cornucopiæ, inque eundem refluere.

Synteresis [illegible] mine [illegible] per[illegible] nec.

XIII. *Synteresis semper manet in homine.*

SYnteresis est habitus principiorum practicorum, inclinans hominem ad assentiendum principiis practicis. Hic habitus semper manet in homine, licèt multos subinde patiatur paroxysmos: quia multiplex hîc est lucta. Nemo enim ignorat prima principia practica, si spectes ignorantiam puræ negationis: etsi multi ignorent si spectes ignorantiam prauæ dispositionis. Vide supra Hexilogiam.

Consensus omnium gentium quam habeat vim?

XIV. *Vim legis naturæ habet consensus omnium populorum, qui dicitur ius gentium, item ius naturæ secundarium.*

HInc iam emergunt syllogismi, quorum propositio in tribus nobilissimis academiis rata habetur, verbi gratia. Quod Scriptura & natura docent, quodque omni ætate, vbique & semper pro vero habitum est, id impossibile est falsum esse: Atqui hæc principia, Deus est, parentes sunt honorandi, &c. ita se habent. Ergo.

Conscientia qualis in homine?

XV. *Conscientia talis est in homine, qualia sunt facta.*

EST igitur conscientia bona vel mala. Illa est soboles iustitiæ, iuge conuiuium, theatrum virtutis, nutricula vitæ, murus aheneus, euerriculum calumniarum. Hinc Dauid toties iustitiam suam allegat: intellige iustitiam conscientiæ siue facti, non personæ. Hæc est occultum quidem, sed magnum flagellum; est carnifex, mille testes, vermis rodens, equuleus perpetuus, infernus horribilis, monitor surdo verbere aurem vellicans. Et, quod mirabile est, conscientia est tribunal Dei in homine, est actor, rea, iudex, scriba, & testis. Et hæ sunt furiæ infernales, quæ agitant, & tantùm non examinant homines Cyclopicos. Hîc teneantur ista axiomata. 1. *Conscientia, quæ in electis existit ex Euangelio, est multò perfectior, quàm illa, quæ existit ex Lege.* 2. *Conscientia infirma discernatur à firmâ, & stulta à rectâ.* Sic Christiani infirmi conscientia læditur rerum adiaphorarum vsu; & hominis stulti conscientia traditionibus hominum se subiicit: vt, si quis nolit edere carnes diebus Veneris, quòd Papa prohibuerit; cùm solus Deus sit Dominus conscientiæ. Vnde rectè dicit Stephanus Bathoræus Poloniæ rex: *Tria sunt homini impossibilia; Creare aliquid ex nihilo, Prædicere futura, Dominari hominum conscientiis.* Et Maximilianus primus solitus est dicere, illos cœli arcem inuadere, qui volunt dominari conscientiis. 3. *Qui peccat contra conscientiam, ædificat ad gehennam.* Aliter autem electi, aliter reprobi sibi vastant conscientiam. Illi ad tempus, hi in perpetuum.

Syllogismus practicus vt formetur?

XVI. *Lex naturæ & synteresis formant propositionem in syllogismo practico, conscientia assumtionem & conclusionem.*

SYllogismus practicus est duplex, absoluens & condemnans, lætificans & contristans. Absoluens sequitur facta honesta: vt, Qui sincerè diligit Deum, est beatus. Atqui tu. E. Huc pertinent exempla casti Iosephi, pij Æneæ, fortis Hectoris, Dauidis constantis, Iudæ Maccabæi & Constantini M. Condemnans sequitur facta inhonesta: vt, Qui matrem interfecit, indignus est quem terra ferat. Atqui Nero. E. Exempla huc pertinent Caini, Saulis, Achitophelis, OEdipi, Caligulæ, Claudij, qui cœlo minabatur, Iudæ, Francisci Spiræ, Catharinæ Mediceæ, & Caroli noni, qui fuit author lanienæ Parisiensis.

Temperamentum facit ad studium virtutis.

XVII. *Temperamentum corporis facit ad studium virtutis dispositiuè.*

QVatenus videl. puritas sanguinis gignit spirituum claritatem & firmitatem: quæ duo sunt adminicula in stadio virtutis decurrendo non postrema. Multum igitur refert, quo quisque sit temperamento. Sunt autem tres differentiæ temperamentorum ordinariorum, videl. terreum, igneum, & medium. Medium autem est vel mediocriter tardum, vel mediocriter acutum. Temperamentum extraordinarium est heroicum.

cum. Ita in vniuerſum quinque ſunt claſſes ingeniorum: Ingenia videlicet nimis mobilia, nimis tarda, mediocriter acuta, mediocriter tarda, & heroica. Hic excellit temperamentum ſanguineum melancholico proximum: quia ſanguis lætitiam parit, quam moderata melancholia temperat. Hic obiicitur, ſi verum eſt illud vulgatum, *mores animi ſequuntur temperamentum corporis*, nulla opus eſt Ethica: & mores non merentur laudem, vtpote qui fiunt ex principiis naturæ. Reſp. In regulâ diximus, temperamentum facere ad ſtudium virtutis non principaliter, ſed inſtrumentaliter. Et notum eſt, artem præſupponere naturam. Hinc ſoluitur quæſtio, An gemmæ quædam faciant ad promtius exercitium virtutis? Faciunt non immediatè, ſed mediatè: quatenus quædam earum agunt in temperamentum corporis, ex quo dependent mores.

Educationis vis.

XVIII. *Educatio & inſtitutio recta eſt dolabra ingeniorum naturâ ſcabrorum, & ex animo cereo facit adamantinum in ſtudio virtutis.*

MAgna igitur ipſius vis eſt in vtramque partem. Ideo Crates apud Plutarchum ait: Si poſſem exaudiri ab omnibus hominibus, altiſſimam conſcenderem turrim, & clamarem: Quò ruitis ò homines, qui nummos corraditis, & interim educationem liberorum negligitis. Et rectè Comicus: Vt quisque filium ſuum vult eſſe, ita eſt. Exemplum rectæ educationis eſt Socrates: prauæ, Themiſtocles adhuc puer, cui hic foritès erat familiaris: Quod ego volo, vult mater mea: quod vult mater mea, vult pater meus: quod vult pater meus, volunt omnes ciues. Ergo quod ego volo, volunt omnes ciues.

Educatio bona quę?

XIX. *Bona educatio fit exercendo & coërcendo, habétque quatuor adminicula, Sacram Scripturam, Leges, Exempla, & Executionem legum.*

LEges ſunt vel naturales, vel poſitiuæ. Illæ ſunt ἀρχὴ ὁμοίως & columnæ honeſtarum actionum: hæ ſunt interpretationes, explicationes, & applicationes legum naturalium: debéntque conſtare promiſſionibus & ſtimulis, hoc eſt comminationibus. Rectè itaque Norinbergenſes reſponderunt Maximiliano Imperatori, verborum lenitate, & pœnarum aſperitate. Cùm enim rogarentur ab Imperatore, quemadmodum tantam multitudinem bene regerent, reſpondebant: *Mit guten vvorten, vnd harten ſtrafen.* Itaque parentes & præceptores iuuentutem, theſaurum illum vtriuſque politiæ, doceant verbis blandis, exemplo, lacrymis, & pœnis, & cogitent illud: Qui non vetat peccare, cùm poſſit iubet. Exempla ſunt aliena vel noſtra. De noſtris meritò dicitur:

Voce docens, vitáque docens, ne bis docet ille:
Dum facienda docet, dumá docenda facit.

Item illud Gregorij theologi lib. 1. ſent.

Vel non doceto, vel doceto moribus:
Hâc ne trahens manu, repellas alterâ.
Verbis egebit, ſancta qui facit, minus.
Pictor tabellæ comprobatur editis.

Executio legum eſt ipſarum ſeptum. De hâc vſitatè dicitur: *Lex ſine executione, eſt campana ſine piſtillo.* Atque hæ ſunt cauſæ virtutis, quæ in actionibus honeſtis magis ſunt conſpicuæ. Nam actiones magis conſpici poſſunt, quàm habitus: vt ſunt repreſſio iræ in Achille, in Iulio, in Auguſto; repreſſio flammarum libidinis in Scipione, Peleo, Bellerophonte, Hippolyto, Alexandro, Carolo. Conſiderantur autem cauſæ iſtæ virtutum & actionum honeſtarum partim in renatis, partim in nonrenatis. Et in his quidem æquè ac in illis ſunt mens, cogitans legem; voluntas, imperans neruis, vt ſic cieant membra externa; cauſæ adiuuantes, bonum temperamentum, aſſuefactio ad cognitionem honeſtam & contentionem reprimendam, ſicut dicitur:

Differ, habent paruæ commoda magna moræ.

Item: *Celeritas inimica conſilio.* Et,

Σύμβουλος οὐδεὶς ἐστι βελτίων χρόνου. Item:

Da veniam, lapſus impetus omnis habet.

Sed præter iſtas cauſas in renatis eſt Filius Dei, verbi diuini lucem accendens per Spiritum ſanctum, & conterens caput ſerpentis. Ita caſtitas Ioſephi eſt lux accenſa à Filio Dei, & motus transfuſus in cor à Spiritu ſancto: at caſtitas Scipionis aut Bellerophontis eſt lux debilis, excitat στοργή, & impetu naturali, non tamen abſque ope Dei. In vtriſque autem eſt libertas naturalis, quæ potiſſimùm cernitur in regendâ locomotiuâ. Neque enim neceſſe eſt Paridem rapere Helenam, Sextum Tarquinium vi opprimere Lucretiam, tyrannum Vincentinum rapere filiam ciuis, vi oppreſſum diſſecare, & diſſecta membra remittere patri. In Scipione abſtinente ab Alucij ſponsâ cauſæ actionis honeſtæ ſunt mens cogitans legē Dei naturaliter notam, & ſecuturas pœnas, & eadem mens amans honeſtatem: item electio imperans neruis & muſculis: & denique bonum temperamentum, & aſſuefactio. Sed in Ioſepho præter & ſupra iſtas cauſas eſt motus cordis à Spiritu ſancto.

Exemplorum vis quanta?

XX. *Exempla alienæ virtutis & turpitudinis ob oculos poſita, & molliſſimè ſuadent, & vehementiſſimè mouent.*

IDeo Terentianus ſenex filium ſuum in vitas hominum tanquam in ſpeculum inſpicere iubet, & ex aliis ſumere exemplum ſibi. Et Spartani mancipia vino madentia liberorum in conſpectum producebant, vt teneris ab vnguiculis ebrietatis ſordes odiſſe inciperent. Ita ſi quis patientiam Iobi, fortitudinem Scæuolæ, Socratis æquabilitatem, Reguli integritatem diligentiùs apud ſuum animum cogitabit, abeſſe non poteſt, quin & ipſe harum ac virtutum ſtudium, veluti ſtimulis ac calcaribus quibuſdam agatur & rapiatur. Sicut enim qui oſcitantem videt, oſcitare pariter incipit: & ſicut appetitus famelicorum, ſi coram epulantes videant, magis acuitur: ſic exempla honeſtatis & turpitudinis accendunt animos non cyclopicos. Si verò homo ſit officiperda, omnia ſunt conclamata: Sic Alcibiades cùm temperantiam Socratis videret, abiuratâ luxuria eam eſt æmulatus: ſed filiæ Auguſti nihil moratæ fuerunt exemplum patris. Huc ſpectat peregrinatio, cuius finis eſſe debet cognitio viri, cognitionis actio boni, actionis gloria Dei, & emolumentum patriæ, quæ emittit liberos ſuos vt receptis vtatur melioribus. Cæterùm quando exempla ſtudioſè intuemur, exiſtit lucta, quâ rationis iudicium cum æſtu affectuum tanquam cum Euripo conflictatur, vt in Hercule videre eſt, qui, cùm ipſi in biuio (quod dicitur litera Pythagoræ) conſtituto occurrerent duæ virgines, Virtus & Voluptas; poſt longam diſputationem ſecutus eſt virtutem, & poſtea duodecim decantatos labores feliciter exantlauit.

Obſeruatio beneficiorum & indiciorū Dei facit ad ſtudium virtutis.

XXI. *Obſeruatio præmiorum quibus bonos, & ſuppliciorum quibus malos afficit Deus, plurimum facit ad ſtudium virtutis.*

HVc ſpectat inſcriptio ſtatuæ Sennacheribi, quæ in templo Ægyptiaco fuit poſita, hoc modo: *In me intuens aliquis, pius ſit.* Proderit itaque ſemper in conſpectu habere catalogum, & veluti promtuarium præmiorum & pœnarum apud authores ſacros & profanos occurrentium.

Examen Pythagoricū quale.

XXII. *Examen Pythagoricum, id eſt quotidiana ſui exploratio, inſigniter facit ad progreſſum in ſtadio virtutis.*

IStud autem examen Pythagoras incluſit his verſiculis, prout occurrunt in aureis eius carminibus:

Μηδ' ὕπνον μαλακοῖσιν ἐπ' ὄμμασι προσδέξασθαι,
Πρὶν τῶν ἡμερινῶν ἔργων τρὶς ἕκαστον ἐπελθεῖν.
Πῇ παρέβην; τί δ' ἔρεξα; τί μοι δέον οὐκ ἐτελέσθη;
Ἀρξάμενος δ' ἀπὸ πρώτου ἐπέξιθι· καὶ μετέπειτα
Δειλὰ μὲν ἐκπρήξας, ἐπιπλήσσεο· χρηστὰ δέ, τέρπου.

Non prius in dulcem declines lumina ſomnum,
Quàm ter totius repetiueris acta diei:
Num fines tranſilij? Quid feci? An praua peregi?
A primo exorſus memorato ſingula: deinde
Turpia deplorans, rectis lætabere factis.

Nos qui Chriſto nomen dedimus, præcepta Decalogi ordine percurramus, atque ad ſingula paululum ſubſiſtentes, accuratè diſpiciamus, quàm ſeduli fuerimus obſeruatores. Vt autem hoc examen cum fructu inſtituatur, ſemper meminerimus, vitia facilè pelli, ſi principiis obſtemus, ſi nullum malum leue ducamus, ſi prauorum ſodalitia odio Vatiniano proſequamur, ſi occaſiones vitiorum declinemus. Nam ſerpens ille antiquus toto corpore facilè illabitur in cor noſtrum, ſi primò caput poſſit inferre. Quare hanc viroſam beſtiam in ipsa herbâ, quod aiunt, interficiamus. Deinde maxima mala oriuntur ex minimis. Ideo virtuti daturus operam, nullum eleuet peccatum, ſed omnia grauia ducat. Sicut enim ex ouo non magno crocodilus, monſtroſum & noxium animal, excuditur: ita minimis è vitiis, abſoluta tandem & proiecta naſcitur improbitas. Virgæ reuelli poſſunt, arbores non poſſunt: fontes obſtrui, flumina non inhiberi: flamma difficulter, ſcintilla momento leui extinguitur. Semper igitur ſimus memores iſtius quod eſt *Iacob 1. verſ. 15.* Cupiditas poſtquam concepit, parit peccatum: peccatum verò peractum gignit mortem. Id quoque demus operam, ne fœdus peccati fœtus concipiatur in vtero. Et quando non poſſumus arcere prauas cogitationes, meditemur ſimile illud doctoris Eccleſiaſtici: Sicut aues, quò minùs præteruolent caput noſtrum, prohibere non poſſumus, ſed quò minùs in pileo nidulentur, arcere: ſic prauas cogitationes ſi depellere non queamus, hoc agamus, ne illæ in cordibus noſtris nidificent. Adhæc optima ſæpe ingenia prauorum hominum conſortio penitus ſiderantur. Ideo Socrates rogatus, quid olere homines debeant? reſpondit, Probitatem. Sciſcitanti, vbi hoc vnguentum venderetur, ſubiecit: A bonis bona diſces. Ad extremum, occaſio facit

furem,

furem, vt eſt in vulgato dicto. Vitare igitur peccatum, eſt vitare occaſionem peccandi.

FLORILEGIVM.

HONESTAS. SENTENTIÆ. Nihil turpe faciendum bono viro, etiamſi ex omni parte lateat. Etiamſi omnes deos hominéſque celare poſſimus: nihil tamen nobis auarè, nihil iniuſtè, nihil libidinosè, nihil incontinenter eſt faciendum Sapientis enim eſt proprium, nihil quod pœnitere poſſit, facere, ſed ſplendidè, conſtanter, grauiter, honeſtè omnia. *Cic. 3. Offic.* Ita viue, vt nihil tibi committas, niſi quod committere etiam inimico tuo poſſis. *Senec. in epiſt.* Honeſtum nullum, vt honeſtum, malum eſt: nec turpe vt turpe, bonum. *Plato in Alcib.* Honeſtum, vtile, & iucundum qui loquendo inuicem diſcreuit, non eſt audiendus. *Marſil. Ficin. in Plat. de legib. dial. 2.* Hoc tamen Marſilij dictum cum micâ ſalis eſt accipiendum. Honeſtas idoneum militem reddit. *Veget. lib. 1. cap. 7.* APOPHTHEG. Pythagoràs, fac ea, inquit, quæ iudicaueris eſſe honeſta, etiamſi poſtquam feceris, inglorius futurus ſis. Omnis enim honeſtæ rei malus iudex eſt vulgus. Quorum igitur laudes contemtui haberes, eorundem quoque vituperia ſperne. *Stob. ſerm. 44.* Plato, Optimum ſanè, inquit, hoc dictum eſt, eritque ſemper: Quod vtile, ſimul etiam eſt honeſtum. *Stob. ſerm. 1.* Socrates dicebat, Equus generoſus iudicabitur, non quidem ſumtuosè ornatus, ſed eximius naturâ: itidem nec vir honeſtus, qui opibus præditus, ſed qui amicâ egregius erit. *Stob. d. l.* Huc pertinet ſymbolum Claudij Cæſaris: Generis virtus nobilitas. Item Neruæ Coccei: Mens bona regnum poſſidet. Et Peſcennij Nigri: Placere viuus, laudari mortuus volo. Et Iulij Æmiliani: Non gens, ſed mens. SIMILITVD. Quemadmodum in ſimulachro, ſic in vitâ hominis omnes partes pulchras eſſe conuenit. *Socrates apud Stobæum ſerm. 1.* Vt ſtatua baſi: ſic vir bonus inſtituto honeſto innixus nullatenus dimoueri debet. *Stob. d. l.* Exempla & picturas vide infra ad ſingulas virtutes.

CAVSÆ EFFICIENTES VIRTVTIS. DEVS: Omnis donatio bona, & omne perfectum donum eſt supernè, deſcendens à Patre luminum. *Iacob. 1. v. 17.* Nemo vir magnus ſine afflatu diuino. *Cic.*

Eſt Deus in nobis, agitante caleſcimus illo,
Sedibus æthereis ſpiritus ille venit. Ouid.

Bonus quidem Deus, & quidem Deus cauſa bonorum: malorum autem omnium non cauſa. *Plato de legib.* PRINCIPIA PRIMA. Inſita ſunt omnium artium nobis ſemina, magiſtérque ex occulto Deus producit ingenia. *Senec. in epiſt.* Si hoc natura præſcribit, vt homo homini, quicunque ſit, conſultum velit, neceſſe eſt, ſecundùm eandem naturam, omnium vtilitatem eſſe communem. Quod ſi ita eſt, vnâ continemur omnes & eâdem lege Idque ſi ita eſt, violare alterum naturæ lege prohibemur. *Cic. 3. offic.* Homo naturæ obediens homini nocere non poteſt. *Idem.* Hinc illa vox *Imperatoris:* Talem præſtabo imperatorem priuatis, qualem ipſe vellem priuatus. Et illud *anonymi*: Summum inter homines vinculum eſt humanitas; quod qui diſrumpit, homicida exiſtimandus eſt. Et iſtud *Ciceronis pro Milone*: Eſt enim (iudices) hæc non ſcripta, ſed nata lex: quam non didicimus, accepimus, legimus; verùm ex naturâ ipsâ arripuimus, hauſimus, expreſſimus: ad quam non docti, ſed facti; non inſtituti, ſed imbuti ſumus: vt ſi vita noſtra in aliquas inſidias, ſi in vim, in tela, aut latronum, aut inimicorum incidiſſet, omnis honeſta ratio eſſet expediendæ ſalutis. COGNITIO SVI. Emendari non poteſt ſibi ignotus; qui ſibi, qui ſuis delictis ignoſcit, & qui non in ſeſe tentat deſcendere, vti monet princeps Satyricorum Perſius *Sat. 4.*

Idem Sat. 1. ——— *Ne te quæſiueris extrà.*
Idem Sat. 4. *Reſpue, quod non es; tollat ſua munera cerdo:*
Tecum habita, & nôris, quàm ſit tibi curta ſupellex.

Primus felicitatis gradus eſt, non delinquere; ſecundus, delicta agnoſcere. *Cyprianus l. 1. epiſt. 3.* Hæc prauitatis cauſa eſt, ignoratio ſui. *Lactant. lib. 1. de falſ. relig. cap. 1.* Quinque ſunt difficilia: Seipſum noſſe, Vidiſſe tyrannum ſenem, Arcana reticere, Otium rectè diſpenſare, Iniurias tolerare. *Thales.* Vitia ſua confiteri, ſanitatis eſt indicium. *Sen. epiſt. 54.* LAVS. Quem laus allicere ad rectè faciendum non poteſt, ne metus quidem à fœdiſſimis factis poteſt auocare. *Cic. Philip. 2.* O quàm contemta res eſt homo, niſi ſupra humana ſe erexerit? *Sen. præf. l. 1. nat. quæſt.* Ita eſt, vt poëta canit:

——————— *Laudataque virtus*
Creſcit, & immenſum gloria calcar habet.

INSTITVTIO. Qui monet, quaſi adiuuat. *Plaut. Curc.* Admoneri bonus gaudet, peſſimus quiſque correptorem aſperrimè patitur. *Sen. l. 3. de irâ.* Quem neque gloria, neque pericula excitant, nequicquam hortere. *Catilin. ad milites.* Præceptorum ſalutarium aſſidua meditatio, actuſque rerum boni, & intenta mens ad vnius honeſti cupiditatem dat animo pacem. *Sen. lib. 3 de irâ cap. 41.* Longum illud tempus, cùm non ero, magis me mouet, quàm hoc exiguum. Omnis igitur noſtra cura debet in hoc verſari ſemper, ſi poſſumus, vt boni aliquid efficiamus. Sin minus, vt certè nihil mali. *Cic.* Ὀλίγωροι ἀγαθοὶ λόγων ὄντες. *Theophraſtus apud Stob. ſerm. 450.* EDVCATIO. Arbor per ſe infrugifera, tamen inſitione dicitur ferre fructus: ita prauum ingenium inſtitutione ad bonam frugem poteſt demutari. *Plin. lib. 17. c. 14.* Vrſus informes gignit catulos, ſed lambendo format: ita rudem ingenij fœtum diuturnâ curâ expoliri conuenit. *Idem lib. 8. c. 26.* Vt terra, quò melior eſt naturâ, hoc magis corrumpitur, ſi negligatur: ita ingenia, niſi rectè excolantur, quò ſunt feliciora, hoc pluribus vitiis obducuntur. *Plutarch. in moralib.* Lycurgus, qui Lacedæmoniis leges condidit, cùm conaretur ciues ſuos à moribus præſentibus ad temperatiorem viuendi rationem traducere (erant enim corrupti deliciis) duos catulos educauit, eodem patre eâdémque matre progenitos, quorum alterum paſſus eſt domi lautioribus veſci cibis, alterum eductum venatibus exercuit. Dein cùm ambos produxiſſet in forum apud multitudinem, poſuit illic ſpinas ſimul & eſcas delicatiores: mox emiſit leporem, cùm vterque raperetur ad aſſueta, alter ad eſcas, alter leporem inuaderet: Annon videtis, inquit, ciues, duos catulos, cùm eiuſdem ſint generis, tamen ob diuerſam educationem admodum diſſimiles inter ſe euaſiſſe, pluſque ad honeſtatem momenti habere educationem, quàm naturam. *Plutarchus in Lac. & Bruſ. l. 2 cap. 38.* Pertinent huc ſimilitudines equorum generoſorum benè educatorum, ſeminis & agri bene culti, depoſiti & argenti in fœnore collocati, ſtatuarij, currus bene gubernati, adamantis molleſcentis ſanguine tauri aſperſo. Bonæ educationis exempla ſunt duo filij Noë, Moſes, Tobias iunior, Ieſus Chriſtus Seruator & Timotheus. Malæ educationis exempla ſunt Cham, filij Eli, Abſolom, & ſimiles officiperdæ. Pertinet huc fabula de duobus canibus, quorum alter venaticus prædam ferebat domum, alter domi hærens prædam deuorabat: qui cùm à venatico increparetur, accuſauit herum, quòd nullum laborem ab ipſo fuerit edoctus. Hanc educationis neceſſitatem perſpectam habuit Plato, qui tribus de rebus, tanquam de tribus maximis in ſe collatis beneficiis, ſolebat Deo gratias agere: quòd ſe creauerit maſculum, non fœminam: quod ſe naſci fecerit tempore Socratis, tanquam optimi philoſophi: idque Athenis, vrbe celeberrimâ quæ appellabatur Ἑλλὰς ἑλλάδος, *Græcia Græciæ.*

CAPVT IV.

De ſubiectis & adiunctis virtutis moralis.

PRÆCEPTA.

SVBIECTVM virtutis reſpiciens eſt totus homo: occupans aliud eſt internum, vt affectus & actio; aliud externum, vt Deus & homo.

Adiunctum virtutis aliud eſt commune, vt quòd virtus moralis eſt ſpontanea, honeſta, laudabilis, ardua, rara, &c. aliud proprium; *de quo pluribus tractabimus, quòd de ſubiecto ſupra dixerimus cap. 2. & adiuncta communia virtutis, ſint cuiuis obuia.*

Proprietates virtutis ſunt generales, vel ſpeciales. Illæ dicuntur vnitæ, hæ diuiſæ, ſeu diſiunctæ.

Proprietates generales ſunt, quæ competunt omni virtuti.

Suntque ſinceritas & conſtantia.

Sinceritas eſt, per quam virtuti nihil ficti & ſimulati ineſt: & opponitur hypocryſi.

Conſtantia eſt, quâ virtus perſeuerat æquè in aſperis ac in proſperis: ei opponitur inconſtantia.

Ex his duabus reſultat tranquillitas animi.

Proprietates ſpeciales ſunt, quæ competunt certæ virtuti, ſecundùm gradus quoſdam conſideratæ.

Suntque 1. communitas & ſingularitas; vnde virtus eſt ordinaria, vel extraordinaria. 2. perfectio & imperfectio, vnde virtus eſt perfecta, vel imperfecta. 3. conſiderari in ideâ, vel in ſubiecto.

Virtus ordinaria eſt, quæ ſecundùm eſſentiam ſuam abſolutè ſpectatur in homine quocunque: aliâs vulgaris, communis, & humana dicitur.

Virtus extraordinaria eſt, quæ ſecundùm eminentiam ſpectatur in naturis heroicis: vſitatè dicitur heroica, item diuina.

Virtus perfecta eſt, quæ induit naturam habitus: & dicitur virtus principaliter, item virtus κατ' ἐξοχὴν.

Virtus

Virtus imperfecta est, quæ consistit in lucta: vnde virtus luctans, semiuirtus, & virtus per analogiam dicitur: *Græci vocant ἐγκράτειαν, Latini continentiam: Cicero simulachrum virtutis.*

REGVLÆ.

Sinceritas condimentum virtutis.

I. *Sinceritas est virtutis primum condimentum.*

Virtus quippe est simplex, non phalerata vel fucata. Hinc veterum illa formula: Recto pectore, id est, ingenuè citraque dissimulationem. Sic qui probant quod probandum est, damnant quod damnandum est, recto pectore loquuntur. Qui nihil non probant, aut nihil non damnant, non agunt recto pectore: vti nec hypocritæ qui simulandi & dissimulandi artem factitant. In hos tales optimè quadrant illa adagia: *Asinus Cumanus, Simia in purpura, Barbatentus sapientes, Paries dealbatus; & Bifrons Mercurius, Aliud in titulo, aliud in pyxide; item Coma supercilio breuior.* Contrà de sincero homine rectè dicitur, quòd sit fronte apertâ, linguâ parcâ, mente clausâ; quòd sit totus teres atque rotundus; quòd cor in linguâ gerat. Huc pertinet quod Fridericus III. Imp. si quando consiliarios Viennæ curiam ingredi videret, optare est solitus, vt ad vnum omnes priusquam intrarent, deponerent duas pestes Rerumpubl. simulationem & dissimulationem. Vide *Æneam Sylu. de dictis Friderici.* Quamuis autem vir bonus interdum simulare possit, & dolo bono agere (quò pertinent strategemata militaria) nunquam tamen transilit limites sinceritatis: quia hæc non facit vt Sesquiulysses, non vt Proteus politicus (de quo dicitur, Politicus est omnis homo,) sed vt Vlysses, & imitatur Dauidem qui obseruauit illam regulam:

Stultitiam simulasse loco sapientia summa est.

Constantia columna virtutis.

II. *Constantia est veluti columna sustentans splendidissimum virtutis palatium.*

Vnde Socrates solitus est dicere, vt statuam in suâ basi, ita virum virtutis studiosum bono proposito nixum immotum esse & quadratum. Idem Socrates eodem semper vultu reuersus est domum quo exierat. Quemadmodum autem constantia facit vt homo sit quadratus, ita inconstantia facit vt homo sit Trocho versatilior, Chamæleonte mutabilior. Hinc inconstans dicitur Chimæra, Proteus, Polypus, Euripus, Vertumnus, Cothurno versatilior, & denique homo δωδεκαμήχανος, *duodecim artium*. quamuis autem sæpe prematur, nunquam tamen oneri cedit, sed est velut herba quæ dicitur semperuiua. Quò respexit Scipio Africanus, qui legatis Antiochi hoc responsum dedit: Neque Romanis, si vincantur, animos minui, neque si vincant, rebus secundis insolescere.

An virtus heroica differat specie à vulgari?

III. *Virtus ordinaria siue communis non specie, sed gradu differt à virtute heroicâ.*

Conueniunt enim definitione, adeóque formâ essentiali. Vnde virtus heroica datur per omnes virtutis moralis species: vt quando dicimus iustitiam, prudentiam, temperantiam heroicam. Sic Aristides fuit præditus iustitiâ heroicâ, Salomon prudentiâ heroicâ, Iohan. Baptista heroicâ temperantiâ. Heros scilicet est veluti Pharus in hoc vel illo virtutis genere. De ordinariâ accipe illud Horatij:

Nemo adeò ferus est, qui non mitescere possit,
Si modò culturæ patientem accommodet aurem.

Virtus heroica in quos cadat?

IV. *Heroica virtus non cadit nisi in heroica ingenia.*

Id est, talia quorum temperamentum est quintæ, vt ita dicam, essentiæ; adeóque se habet ad 4. temperamenta, cholericum, sanguineum, phlegmaticum, & melancholicum, sicut cœlum se habet ad elementa. Hinc rectè dicitur, Herculis cothurnos non posse aptari infanti: & Herculeos labores, Herculis clypeum, Herculis denique columnas requirere nonnisi Herculem.

Ingenia heroica rara.

V. *Deus non singulis annis, sed seculis excitat heroica ingenia.*

Quoties scilicet vult reformari mores vel artes, & fieri magnam aliquam rerumpubl. catastrophen. Exemplo sint Moses, Iosua, & Samson, reformatores Israëlis, Cyrus liberator Iudæorum, Alexander M. reformator luxus Persici, Iulius Cæsar author Monarchiæ apud Romanos, Constantinus M. primus orthodoxæ religionis defensor, Carolus M. Germaniæ reformator. Idem iudicium esto de artibus, in quibus heroës & velut Atlantes extiterunt Plato, Aristoteles, Thomas Aquinas, Picus Mirandula, Erasmus, Melanchthon. Sic in religionis negotio sancti Apostoli & martyres fuerunt præditi heroica virtute spirituali. In mechanicis denique Deus etiam excitauit heroicas naturas vt Archimedem, Albertum Durerum, &c. Hæc virtus vocatur diuina duas ob causas: tum quia diuinitus potiùs immissa quàm acquisita videtur, adeoque est diuinum quid & afflatus diuinus: tum quia homines hac tali virtute præditi ad Dei potiùs naturam ascendere, quam ad humanam sortem se demittere videntur.

Partes virtutis heroicæ quæ?

VI. *Tres sunt essentiales partes virtutis heroicæ; impetus extaordinarius siue raptus diuinus, constantia summa, felicitas incredibilis: quæ tria Iulius Cæsar sic effatus est: Veni, Vidi, Vici.*

Impetus est vocatio diuina interna & extraordinaria: vt quando Moses interfecit Ægyptium. Sic VViclefus, Hussus & Lutherus tali fuerunt impetu præditi, quando susceperunt reformationem religionis. *Constantia* est, qua heroës sic à Deo confirmantur in suo proposito vt nullis minis, machinis, tormentis, & procellis à suo cursu dimoueri se patiantur, omniaque terriculamenta habeant pro brutis fulminibus: ita vt hîc locum habeat illud: *Fulgura ex pelui non me uo.* Hanc constantiam sequitur *felicitas.* Nam opus Dei in heroibus non potest non felicem sortiri exitum, ita vt virtus heroica sit veluti palma, quæ quò magis premitur, eò magis emergit, contraque onus nititur & tandem è contemtibus exit; vt canit Poëta.

Virtute heroica vt Deus vtatur?

VII. *Virtus heroica interdum est flabellum, interdum flagellum Dei.*

Nam quoties Ecclesias & Resp. quæ sicut stellæ oriuntur & occidunt, & vt luna incrementum & decrementum capiunt, erigere Deus vult & instaurare vel pessundare, toties heroas excitat, qui virtute & felicitate sua bonis prosint, malis noceant, & omnia in integrum restituant. Sic Attila se vocauit flagellum Dei. At Cyrus fuit nutritius Ecclesiæ pius, felix, augustus. Hic quæri solet, An virtus heroica etiam cadat in fœminam? Resp. Omnino. Sic Debora, Amazones, & Elisabetha Angliæ regina præditæ fuerunt heroica fortitudine, & Lucretia castitate heroica.

Virtutis heroicæ oppositum.

VIII. *Virtuti heroicæ opponitur feritas siue bestialitas, quæ dicitur conscientiæ dedolentia, eaque secundum omnia vitiorum genera.*

Hæc est vitium quo mens est auersa ab omni humanitatis sensu. Sic Absalomis feritas fuit inobedientia aduersus patrem, Neronis feritas fuit crudelitas. Atque hæc feritas dicitur moralis, item affectata, accersita, & culpabilis: cui opponitur feritas miserabilis, qualis est phreneticorum & Anthropofagorum in India omninóque Nomadum. Prioris feritatis exempla conspectiora fuerunt Gigantes, Titanes, & Cyclopes: vnde illæ phrases extiterunt, *Gigantisare, Gigantum pugna, Gigantum arrogantia, Gigantum fraterculus, Giganteum nomen, Titanicum tueri, id est, tragicum, tauricum, Titanicus aspectus, Cyclopica Musica, Cyclopica vita, Cyclopicum monstrum, Cyclopum more, Cyclopicus obtuitus, Cyclopis donum, Cyclops excæcatus.* Huc pertinet fabula de Circe, quæ poculo & virgâ

In porcos quondam socios mutauit Vlyssis.

Virtus luctans quid?

IX. *Virtus luctans est, cùm in pugna ratio vincit affectum.*

Hæc est virtus inchoata, siue dispositio ad virtutem perfectam. Huic opponitur vitium imperfectum quando in pugnâ rationis & affectus vincit affectus. Huiusmodi lucta fuit etiam in Ethnicis; quæ accuratè discernenda est à lucta peccatoris resipiscentis, vbi caro & spiritus pugnant. Hæc enim pugna est nota electionis. Hanc describit Apostolus *Rom. 7.* Cæterùm in lucta rationis & affectuum est adhibenda virtus tanquam gladius Delphicus: & cùm nodus solui non potest, debet incidi, quemadmodum Alexander soluit nodum Gordium. Præterea sic pugnandum est in affectus, non vt ne vincamur, (nam id parum,) sed vt vincamus ipsos: non vt ad illas veterum ex oliuâ, gramine, quercu, aut ilice coronas curramus, sed ad eas quæ digniores, quàm quæ ex lauro, vel auro. Nempe spes illæ præmiorum cœlestium in his sacris certaminibus pro coronis, nobis certò pensitandæ, si athletæ firmi fuerimus. Sic itaque cogitandum, dum patimur in hoc duello, & veluti monomachia Dauidis & Goliathi, non esse pœnam, sed malitiam; non corruptionem, sed expurgationem. vt fit in auro, quod septima flamma recoxit. Mundus quippe est fornax, impij palea, iusti aurum, calamitas ignis, aurifaber Deus. Demus itaque operam vt non palea simus sed aurum: quod fiet, si in suo imperio regnare mentem nostrâ tantisper patiemur, donec decurso breuis huius vitæ laboriosæ & palæstræ pleno stadio,

brauium

brauium gloriȩ nobis imponat agonotheta Deus. Nam dum in cœtu aut cœlo potiùs virtutũ versamur, ſimus cœli, vt ille ait.

FLORILEGIVM.

SINCERITAS. SENTENT. Sinceritas & ſimplicitas laudatur *Prouerb.* 28.*v.*6.18. *Matth.*10.*v.*16 *cap.*5. *v.*8.37. *cap.*6.*v.*4. *Act.*2.*v.*46. *Rom.*12.*v.*8.*c.*16.*v.*19. Habete ſimplicitatem columbæ, ne cuiquam machinetis dolos, & aſtutiam ſerpentis: ne aliorum ſupplantetis inſidiis. *Hier. ad Ruſtic.* Prudentia abſque ſimplicitate malitia eſt, & ſimplicitas abſque ratione ſtultitia nominatur. *Hier. in Hoſeam.* Oculi columbini in ſerpentino corde. *Melanchthon.* EXEMP. Abimelech, *Geneſ.* 20. Iacob. *Geneſ.*25.*v.*27. Dauid, 1. *Reg.*9.*v.*4. Iob, *Iob.* 1. Pertinet huc ſymbolũ Imperatoris Aurelij Numeriani: Eſto quod audis.

HYPOCRISIS & SIMVLATIO. SENTENTIÆ. Hypocriſis eſt fugienda. *Iohan.*15.*v.*34. *Pſal.*22.*v.*2. *&* 34.*v.*14. *Prou.*11.*v.*9. *Matth.*6.*v.*2.*c.*7. *v.*3. 5. Conditio ipſius & deformitas deſcribitur *Pſal.* 12. Simulata æquitas non eſt æquitas, ſed duplex iniquitas. *Auguſt. in Pſal.*23. Intus Nero, foris Cato: totus ambiguus, monſtrum eſt, de quo Poëta,

Πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα.

Hier. in epiſt. Non indues veſtem ex lanâ linóque contextam. Per lanam ſimplicitas, per lineam ſubtilitas intelligitur. Et nimirum veſtis, quæ ex lanâ linóque contexitur, linum interiùs celat, lanámque exteriùs demonſtrat. Veſtem ergò ex lino lanáque contextam induit, qui in locutione vel actione, quâ vtitur, intùs ſubtilitatem malitiæ cooperit, & ſimplicitatem foris innocentiæ oſtendit. *Gregor. l.* 1. *moral.* Quid eſt vita hypocritæ, niſi quædam viſio phantaſmatis, quæ hîc oſtendit in imagine, quod non habet in veritate. *Idem ibid.* Hypocriſis eſt virtutum ſimulatione clauſum vitium abſcondere, & arte palliare. *Id. d. l.* Lupus tectus ouinâ pelle per vocem cognoſcitur; & per actum vocis ouis balat inclinata deorſum, lupus vlulat contra cœlum: hoc ſuperbiæ, illud humilitatis ſignum: ouis herbam manducat, lupus carnem. *Chryſ. ſuper Matth.* 7.

Iacobus Billius in Antholog.

Bel erat externè pulcherrimus, vndique & are
Tectus: at intus erat nil niſi vile lutum.
Qui Curium ſimulat, cùm ſit nequiſſimus, illum
Cur ego non Belem iure vocare queam?
Bel mihi ſemper erit, qui mitem callidus agnum
Finxerit, exuperet cùm feritate lupos.
Bel erit externè tumuli qui candidus inſtar,
Interius tantùm vile cadauer habet.

Iuuenalis Satyr. 2.

Vltra Sauromatas fugere hinc libet, & glacialem
Oceanum, quoties aliquid de moribus audent,
Qui Curios ſimulant, & Bacchanalia viuunt.
Loripedem rectus derideat, æthiopem albus.
Quis tulerit Gracchos de ſeditione quærentes?
Quis cælum terris non miſceat, & mare cœlo,
Si fur diſpliceat Verri, homicida Miloni?
Clodius accuſet Mœchos? Catilina Cethegum?
In tabulam Syllæ ſi dicant diſcipuli tres?

Achilles apud Homer. Iliad. ι.

Ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς ἀΐδαο πύλῃσιν,
Ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθει ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο δὲ εἴπῃ.
Is mihi iuxta inuiſus vt atri limina ditis,
Qui verbis aliud prodit, quàm mente volutat.

Qui fingit ſe amicum & non eſt, peior eſt eo, qui facit falſam monetam. *Ariſt.* 9. *Ethic.* Compendiaria eſt via ad gloriam, vt qualis quiſque haberi vult, talis ſit. *Cic.* 1. *offic.* Nullæ ſunt occultiores inſidiæ, quàm hæ, quæ latent in ſimulatione officij. Et Troianus equus iccircò fefellit, quia formam Mineruȩ mentitus eſt, aiebat Diogenes. *Laërtius de vita & moribus philoſ.* Multo magis ad rem pertinet, qualis tibi, quam qualis aliis videaris. *Sen. epiſt.* 8. Malus quando ſe bonum ſimulat eſt peſſimus. *Sen. in prouerb.* APOPHTH. Dionyſius maior, Siciliæ tyrannus, cùm eſſet interfector matris, filiorum, & propinquorum, nihilominus tamen voluit videri iuſtitiæ, & omninò virtutis ſtudioſus, ideóque tres ſuas filias ſplendiſſimâ inſigniuit nomenclaturâ, primam Areten, ſecundam Dicæoſynen, tertiam Sophroſinen appellando. Diogenes cuidam ſibi placenti, quòd leonis exuuio tectus ingrederetur: Non tu deſines, inquit, virtutis ſtragulas pudefacere. Indecorum eſſe cenſuit, quod homo mollis Herculis amictum ſibi vendicaret. Alexander, cùm audiret laudari frugalitatem Antipatris, dicebat: Foris Antipater albo vtitur pallio, intùs verò eſt totus purpureus, i. e. ambitioſiſſimus. *Plutarch. in reg. & imp. apophtheg.* SIMILITVD. Hypocritȩ comparantur à CHRISTO ſepulchris dealbatis *Matth.* 23. hiſtrioni & meretrici ſplendidè incedenti, à Chryſoſtomo; camelopardali, qui collo refert equum, pedibus & cruribus bouem, capite camelum, maculis tigrim aut pardum, ab Eraſmo; faciei fucatæ & auro adulterato, ab eodem. ADAG. Flere ad nouercæ tumulum: Simia in purpurâ: Multi Thyrgſigeri, pauci Bacchi, *Die kutte macht keinen Mœnch:*

Non omnis coquus eſt, cui longus culter adhæret.

Aſinus apud Cumanos: Megarenſium lacrymæ: Barbam & pallium video, philoſophum non video: Paries dealbatus: Lepus dormiens: Aurum ſubȩratum: Simia barbata & caudata: Mellitus gladius. EXEMP. Abſolom erga Amnonem, Iezabel 2. *Reg.*9.30. Herodes, Scribæ & Phariſæi, Simon magus, Elimas & Demetrius *Act.*13. *&* 19. Cicero 5. *Tuſc.* ſcribit, Epicurum tantummodò perſonam induiſſe philoſophi. HIEROGLIPH. Struthio & noctua sũt notæ hieroglyphicæ hypocritarum. Nã ſtruthio eſt auis magna, adeò vt videatur inter eas rex, cùm ſit ſtolidiſſimo ingenio, & noctua triſtis auis palam non mouet ſtrepitum aut tumultum, clam verò ſtruit inſidias, quas poteſt.

CONSTANTIA. SENTENT. Conſtantia commendatur *Matth.*5.*v.*37.2.*Cor.*1.*v.* 17. *Epheſ.*4.*v.*14. *Iacob.*1. *v.*4. *&* 5.*v.*12. Hor. lib. 3. carm.

Iuſtum & tenacem propoſiti virum
Non ciuium ardor, praua iubentium,
Non vultus inſtantis tyranni,
Mente quatit ſolidâ, neque Auſter
Dux inquieti turbidus Adriæ,
Nec fulminantis magna manus Iouis,
Si fractus illabatur orbis,
Impauidum ferient ruinæ.

APOPHTHEG. Diogenes monenti cuidam, vt iam ſenex à laboribus quieſceret: Quid, inquit, ſi in ſtadio currerem, vtrum oporteret iam metæ vicinum curſum remittere? *Laërt. lib.*6. Cato Vticenſis, cum deploratis rebus amici eum hortarentur, vt ad Cæſaris clementiam confugeret: Victorum, inquiebat, eſt, & eorum qui deliquiſſent, ſupplicare: Catonem nec victum nec captum eſſe, qui ſe per omnem vitam inuitum præſtitiſſet, ac Cæſarem honeſtate iuſtitiáque longè ſuperaſſet. Cæſarem potiùs victum captúmque eſſe, qui bellum, quod diu negaſſet ſe moliri aduerſus patriam nunc id egiſſe conuictus ſit. Proinde pro ſe Cæſarem orarent, qui vellent, pro Catone neminem orare debere. Sed hodie multos videas, qui non animo Catonis, ſed ſtomacho Ciceronis ſunt prædití. *Plutarch. in Cat.* Ludouicum ſeniorem Bauariæ Ducem Stephani Ducis filium, cùm captiuum haberet Albertus Marchio Brandeburgenſis, non pauca ab eo petiit; quæ cùm illi negaſſet, tradere eum in manus duri inimiciſſimi ſibi principis minabatur. Tum Ludouicus: Quæ poteris ex me, inquit, libero impetrare, eadẽ modò ex capto petito. Si quid amplius voles, corpus meum in tuâ eſt poteſtate, animum mihi, non tibi obnoxium inuenies. *Æneas Sylu. in res geſtas Alphonſi lib* 3. *comment.* SIMILITVD. Anshelmus virũ conſtantem confert lapidi quadrato. Stobæus ſtatuæ, Chryſoſtomus ſtrenuo athletæ propter coronam decertanti, Lipſius columnæ, poëta palmæ. EXEMP. Noë, Abraham, Ioſeph, Moſes, Dauid, Daniel & eius ſocij, Suſanna, mater cum ſeptem filiis, 2. *Maccab.*7. martyres: Hannibal, Regulus, Scipio, Camillus, Horatius Cocles: HIEROGLYPH. Cubus, & ſalamandra in igni perdurans.

INCONSTANTIA. SENTENT. Inconſtantia damnatur 1.*Cor.*15.*v.*2.2.*Cor.*1.*v.*17.*Gal.*1.*v.*6.*cap.*3.*v.*3. *Epheſ.*4. *v.*14. *Heb.*13.*v.*9. *Iacob.*1 *v.*8. Maximum indicium malæ mentis eſt fluctuatio, & inter ſimulationem virtutum, & amorem vitiorum aſſidua iactatio. *Senec. in prouerb.* APOPHTHEG. Leotychidas à quodam, quaſi minùs conſtans eſſet, notatus: Mutor, inquit, ſed pro temporum ratione, non vt vos. Prudentis enim eſt, pro re nata mutare conſilia: ſine cauſa autem ſubinde alium fieri, inconſtantiæ vitium eſt. *Plut. in Lacon.* Metellus Diodoro, quo Rhetorices magiſtro vſus fuerat, defuncto, coruum lapideum eius ſepulchro impoſuit; Iuſtum, inquit Cicero præmiũ retulit. Nam volare ipſum docuit, non dicere; notans Metelli leuitatem & inconſtantiã. *Plut. in Hom. apophth.* ADAGIA. Eſt Chimæra: De ſtatu demigrare: Modò togatus, modò palliatus: Trochi in morem: Venti campus: Chamæleonte mutabilior: Proteo mutabilior: Polypi mentẽ obtinet: Homo Euripus: Euripiſtes: Cothurno verſatilior. Aliud ſtans, aliud ſedens: Duabus ſedere ſellis: Maritimi mores: De togâ ad pallium: Mulieris animus. SIMILITVDINES. Inconſtantes conferuntur Chamæleonti, qui ſubinde mutat colorem, & Lunæ, à Nazianzeno & Tertulliano. Caſſianus confert cum cerâ molli & flexili; Seneca cum orbe & pilâ facilè mobili; Plinius cum cancris creſcentibus, & decreſcentibus & cum camelopardali; Strabo cum hyænâ & ichneumone, qui modò mas eſt, modò fœmina; Mela cum mulo, qui ex equo & aſinâ conflatus, nec equus eſt, nec mula; Eraſmus cum Euripo, qui de die ſepties defluit & refluit mirâ celeritate, ita cum æſtu maris, & cum amphiſbænâ ſerpente, qui vtrinque caput habet. EXEMPL. Laban, Populus Iſraëliticus in deſerto, Iudæi. *Ier.*26. *v.*8.16. Baldus ICtus, quem Zvvingerus in theatro, multis in locis ſibiipſi pugnantia ſcripſiſſe teſtatur. Obiicit Æſchines Demoſtheni, quod ſubinde commutatâ factione Euripum ſuâ inconſtantiâ viciſſet. Lotharius Imp. Ludouici Pij filius, eam vitæ varietatem attulit, vt meliórne an deterior fuerit, diiudicari non potuerit. Nam contra patrem optimum factioſus, tandem monachum in Prumenſi cœnobio induit. HIEROGLYPHICVM. Scala, in quâ varij ſunt gradus; cancer nunc antè, nunc retrò, nunc in tranſuerſum gradiens; & bicipitium, inconſtantiæ ſunt hyeroglyphica.

OBSTINATIO. SENTENTIÆ. Obstinatio cauenda: *Deut.10.v.16.Psal.95.v.8.Prou.21.v.29.Rom.2.v.5.2.Tim.3.v.13.Heb.3.v.8.13.15.* Suspirabam ligatus, non ferro alieno, sed meâ ferreâ voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde funes mihi fecerat. Ex peruersâ enim voluntate facta est libido: & dum seruitur libidini, facta est consuetudo, & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. Quibusdam annulis sibi annexis, tenebat me strictè dura seruitus. *August.lib.6.Confess.* Nec cum iracundiâ, aut pertinaciâ rectè disputari potest. *Cic.1. de finib.* Inutiliter aliquid concupiscere, & in eo perseueranter morari, exitio vicina est ea dulcedo. *Valer. Max.lib.7.* Pertinaciâ qui errant, non sunt facilè curabiles. *Thom.in metaph.lib.6.tex.1.* Hominibus nimia pertinacia atque arrogantia accidere solet, vt eò recurrant, & id cupidissimè appetant, quod paulò antè contemserint. *Cæsar. de bello ciuili.* ADAGIA. Ostrei in morem hæret: Mordicus tenere: Toto corpore: Omnibus vnguiculis. Gladiatorio animo: Gradum figere. EXEMPLA. Caim, Pharao, Iudæi tempore CHRISTI, & varij sophistæ, qui sententiam semel conceptam mordicùs defendunt, neque veritati manus dant, quando erroris sunt conuicti. Hi debebant cogitare illud Aristotelis in Ethicis ad Nicomachum. Ille de ideis contra præceptorem Platonem disputaturus, præfatur, veritatis potiorem rationem, quàm amicitiæ à se habendam: cùm philosophorum sit, veritatis tuendæ causâ vel sua ipsorum decreta euertere. HIEROGLYPHICVM. Ostreorum siue conchyliorum natura est, capillamentis quibusdam inter se cohærere. Potest itaque hoc animalis genus hieroglyphicè notare obstinatum & pertinacem. Huc etiam pertinet illud Germanorum: *Er hanget an vvie ein klett.*

CAPVT V.

De Cognatis & oppositis virtutis moralis.

PRÆCEPTA.

COGNATA virtutis moralis sunt virtus intellectualis, vt sapientia, scientia, &c. & virtus theologica, vt fides, spes, & charitas.

Opposita virtutis moralis sunt vitium morale, & simulatio virtutis moralis.

Vitium morale est habitus cum peruersa ratione electiuus.

Estque excedens, vel deficiens.

Vitium excedens est, per quod homo à medio ad nimium declinat.

Vitium deficiens est, per quod homo à medio ad parum seu nimium declinat.

Simulatio virtutis moralis est, qua homo improbus speciem apparentem virtutis induit, ad fallendum alios.

REGVLÆ.

I. *Vitij forma est recessus à medio.* Vitij forma quid?

ATque hic recessus facit vt vitia sint paria definitione, sed non gradu, quod ita patet Recessus iste est vel defectus, vel excessus. Vterque est dolus, vel culpa Et rursus vtrumque illud opponitur virtuti vel priuatiuè, quatenus spectatur carentia boni; vel contrariè, quatenus spectatur actus & habitus malus. *Dolus* est vitium, quod ex animo lædendi proficiscitur, & vsitatè dicitur dolus malus: datur enim & dolus bonus, vt in bello sunt stratagemata seu sophismata bellica. *Culpa* est vitium ex imprudentia ortum. Estque 1. *Lata*; cùm quis per crassam ignorantiam peccat: vt quando aliquis ex monte deuoluit lapides in viam, quam multi necesse habent præterire, & quando præceptor modum excedit in castigando discipulo, aut medicus in dosi medicamenti. 2. *Leuis*; cùm quis non adhibet eam diligentiam, quam homo consideratus præstare solet; vt quando parentes CHRISTI, ipsum duodecennem reliquerunt Hierosolymis. 3. *Leuissima*; cùm quis adhibet quidem diligentiam, sed non summam. Qualem culpam admisit Adrastus apud Herodotum, qui, cùm in venatione hastam in aprum torqueret, aberrante ictu Crœsi filium interfecit. Talem etiam committit cæmentarius, cui in tecto laboranti tegula excidit, quæ prætereuntem interimit. De hac culpa dici solet: *Causa for uita liberat à tanto, sed non à toto.* Præterea vitium est vel infirmitas, vel malitia. Ad infirmitatem pertinet ignorantia negatiua, seu puræ negationis: ad malitiam ignorantia affectata, sophistica, seu prauæ dispositionis. Vitium denique sæpe induit laruam virtutis, ita vt non videatur recedere à medio. Et hîc teneantur duæ regulæ: 1. *Quæ ex facti genere & formaliter bona est actio, ex circumstantiâ fieri potest mala*: vt, frequentare templum est bonum, sed malè agendo fit malum: si nempe hypocrita hoc faciat, vt videatur coram hominibus. Huc pertinet dictum vulgatum: *Deus est remunerator aduerbiorum, non adiectiuorum*: & versus,

Adiectiua parum, prosunt aduerbia multum:
Non bona tam pensat quàm benefacta Deus.

2. *Actio, quæ ex facti sui genere mala est, propter circumstantiam bonam, fieri non potest bona: etsi possit induere speciem boni.* Hîc quæritur; Vtrum vitium fit detestabilius, illúdne, quod induit speciem boni, an verò istud, quod maximè distat à medio? Resp. Prius illud hoc nomine censetur magis noxium, quia faciliùs potest nos decipere: posterius, quòd suâ naturâ sit horribilius.

II. *Vitium opponitur virtuti contrariè & priuatiuè. Et si vitium sit paruum, dicitur* error & infirmitas: *si sit grande, dicitur* scelus & facinus: *si planè obnorme, dicitur* bestialitas. Vitium vt virtuti opponatur?

COntrariè: quatenus actus vel etiam habitus bonus opponitur actui vel habitui malo. *Priuatiuè*, quatenus virtus tanquam habitus opponitur vitio, tanquam priuationi. Hîc non ab re fuerit, paucis recitare descriptionem mundi vitiorum, ingeniosam illam minimeque ridiculam, quæ extat in libro, cui hic est titulus: *Mundus alter & idem. Mundus seu orbis vitiorum* dicitur *Crapulia*, diuisa in quinque partes. Prima pars est *Pamphagonia*, seu terra Gulonum, in quâ sunt Insulæ famelicæ, Planities, Patellaria, Colles Zukerij, vrbs Cibinium, campi Offuliæ & Lardani; metropolis est Artocreopolis. Hîc leges in templo Famis recitantur: Venter est Deus: Pamphagones perpetuum bellum gerunt: insignia regni sunt Digere, Impera: voces solennes, Vtere, Fruere: familiæ præcipuæ sunt, Bucconum, Comedonum: Ventriconum, & Palatinorum. Secunda pars Crapuliæ est *Terra ebriosa*, diuisa in OEnotriam seu Phrœniam, & Lupulaniam seu Zythœniam: vbi sunt equites aurei dolij, sacrificia Bacchi perpetua: lacus Methius, peregrinatio ad S. Vtrem, vrbes variæ, Bacchera, Cadilla, Chytræa, Vomitoria. Tertia pars est *Viraginia*, seu terra fœminarum, in qua hæ regiones: Linguadocia, Amazonia, Aphrodysia, Amantina, Eugynia, Risia maior, Risia minor, Ploraula, Rixatia: Parlamẽtum ibi perpetuum: ara Iunonis: sceptrum facésque sunt plumæ & specula: Superbia dea. Quarta pars est *Moronia*, seu terra stultorũ vastissima & populosissima, cuius quinque sunt prouinciæ; Moronia scil. Variana seu mobilis, Aspera, Felix, Fatua, & Pia. Quinta pars est *Lauernia*, terra scil. furũ, quorum dea est Lauerna, quæ diuiditur in Terram latronum, Furtofranciam, Phlagianam, & Codiciam seu terram auaritiæ. Vide prædictum libellum illustratum tabulis mytho-geographicis.

III. *Vitium est habitus malus; peccatum, actus malus; vitiositas, ipsa malitia.* Vitium, peccatũ, & vitiositas differunt.

HInc *Aristoteles 7. Ethic. Nicom.* vitium comparat hydropi, seu siti permanenti. Et *Augustin. lib. de perfectione iustitiæ c.4.* simile esse dicit vitium curuitati, peccatum verò claudicationi. Sicut enim curuitas est qualitas permanens, à quâ oritur claudicatio tanquam effectum à suâ causâ: ita etiam vitium est qualitas permanens, à quâ oritur actio vitiosa. Porrò vitiositas est pura puta priuatio bonitatis alicui enti inesse debitæ, ac proinde est non-ens, at vitium est ens malum, vtpote quod connotat habitum. Et ita quidem in accurato dicendi genere hæc vocabula distinguuntur: at in vulgari confunduntur.

IV. *Vitium morale non contrahitur vno peccandi actu.* Vitium morale vt contrahitur?

NAm quia est habitus proæreticus vno actu non acquiritur, sed assuetudine, quæ cõstat ex multis actib. iteratis.

V. *In comparatione virtutis cum suis extremis triplex spectanda est oppositio.* Triplex oppositio virtutis & vitij.

VT virtus est naturalis, intellectualis, vel moralis: ita etiam vitium est naturale, intellectuale, vel morale. De solo morali hîc agitur: in quo triplex occurrit oppositio. *Prima* est medij & extremorum, vbi virtus suis extremis ita opponitur, vt alterum excedat seu superet, alterum deficiat seu superetur: atque ita cum vno extremorum comparata fit maius quid, cum altero autem comparata fit minus quid. *Secunda* est extremorum inter sese: vbi maior est pugna duorum extremorum vitiorum inter sese, quàm cum virtute: tum quia extrema à se inuicem longiùs distant, quàm à medio; tum quia maior est dissimilitudo inter extrema, quàm inter medium & extremum. Vnde fit, vt vitium interdum virtutis speciem induat. Nam, vt Iuuenalis canit Satyr. 4.

Fallit nos vitium specie virtutis & vmbrâ.

Cum quo consentit illud Ouidij:

Et mala sunt vicina bonis, errore sub illo
Pro vitio virtus crimina sæpe tulit.

Tertia

Tertia comparatio est extremorum cum medio, vbi vitia virtuti opponuntur æqualiter, vnum magis, alterum minus. Interdum enim pro diuersâ naturâ virtutum vitium excedens magis aduersatur virtuti, interdum vitium deficiens, prout nempe hoc vel illud virtuti est similius aut dissimilius.

FLORILEGIVM.

VITIVM. SENT. Summa tibi scientia, summa notitia sit, vitia virtutésque distinguere: quæ quanquam sibi contraria semper sint, aliqua tamen ex eis tantâ iunguntur similitudine, vt discerni omninò vix possint. *Hieron. ad Demetriad. virginem.* Sæpe se vitia ingerunt, & se esse virtutes mentiuntur, vt tenacitas parsimonia, effusio largitas, crudelitas zelus iustitiæ, remissio pietas velit videri. *Gregor. distinct.* 41. *causâ Sæpe se.* Horat. 1. serm. 3.

————— Denique teipsum
Concute: numqua tibi vitiorum inseuerit olim
Natura, aut etiam consuetudo mala: námque
Neglecti vrenda filix innascitur agris.

Videndum est diligenter, ad quę vitia simus procliuiores. Alij enim ad alia naturâ procliuiores sumus. Quod facilè ex eâ voluptate & ægritudine, quæ nobis accidit, intelligimus. Sic autem quisque ab eâ debet contrariam partẽ deducere. *Arist. 2. Eth* APOPH Crates negabat inter homines quempiam inueniri posse, qui non aliquâ in parte laberetur: addens, nullum inueniri malum Punicum, in quo non sit aliquod granum subputre. *Laërt. lib. 6. c. 5.* SIMILIT. Quemadmodum color in corpore hominis febrem indicat: sic vitium animæ morbum. *Philo lib. de Noë resipiscentiâ.* Sicut qui febre decũbit, non vnâ quâpiam parte, sed toto corpore ægrotat: ita totius animæ infirmitas est vitium. *Id. d. l.* Perniciosum est seruire vitiis: quia quot vitia habet anima, tot & dominos. *Xystus Pythagoricus in Enchiridio.* HIEROGLYPH. Theologi nostri veteres, Catenas significare vitia contendunt: quòd illa se inuicem gignere, arctissiméque complecti consueuêre. *Pier. Valer. lib.* 48.

CAPVT VI.

De Prudentiâ.

PRÆCEPTA.

FVIT consideratio virtutis moralis in genere: deinceps erit in specie.

Virtus moralis est dirigens, vel directa. Illa gubernans, communis, & vniuersalis; hæc gubernata, propria, & particularis dicitur.

Virtus dirigens est, quæ moderatur reliquas virtutes: ideóque est norma virtutis particularis.

Estque prudentia, vel iustitia vniuersalis.

Prudentia est, quæ dirigit reliquas virtutes pro varietate circumstantiarum.

Ea diuiditur ex gradu & modo.

Prudentia ex gradu, siue subiecto, diuiditur in solitariam, qualis est in priuato; militarem, qualis est in duce; œconomicam, qualis est in patrefamiliâs; regalem, qualis est in principe; politicam, qualis est in hominibus de republicâ; scholasticam denique & ecclesiasticam, qualis est in hominibus de scholâ & ecclesiâ. Diuiditur etiam in senilem, & iuuenilem. Illa in senibus, hæc in iuuenibus habet locum. Item in propriam, quâ aliquis est præditus: & mutuatitiam, quâ aliquis coruscat per alium, vti principi tribuitur prudentia consiliariorum.

Prudentia ex modo est directa, vel obliqua.

Prudentia directa est, quâ optimum meliori, & melius bono præfertur: aliàs prudentia mera.

Estque nomothetica, vel politica.

Prudentia nomothetica, seu legislatoria, est quæ leges condit, & remp. ordinat. *Vnde Aristoteli dicitur* architectonica.

Prudentia politica, seu ciuilis est, quæ remp. secundùm leges administrat.

Estque iudiciaria, vel deliberatiua. Illa obit iudicia: hæc in senatu dicit sententiam.


REGVLÆ.

I. *In tractatione virtutum tria constituenda sunt summa capita.* — Tria capita in consideratione virtutum.

NImirum 1. quare virtuti sit studendum. 2. Quomodo possit perueniri ad exercitium virtutis: Et denique quot classes eorum, qui virtuti non student.

II. *Optima virtutis diuisio est, quæ congruit cum ordine decalogi: hoc est, quæ sumitur ex obiecto, quod est Deus, vel homo.* — Optima virtutis diuisio.


VAriæ variorum occurrunt sententiæ de virtutum generibus: è quibus aliquot attingemus. *Picolhominéus grad. 4. Philos. moral.* hæc summatim habet.



Cum hac diuiſione concidit illa: Virtus eſt vel phyſica, quæ perficit res naturâ conſtantes: vel moralis ſeu ethica & ciuilis, quæ perficit virum bonum: vel rationalis, quæ conſtituit virum ſapientem, & aliâs dicitur virtus dianoëtica & intellectiua, ſeu intellectualis: vel diuina, quæ format Chriſtianum. Virtutes ab Ariſtotele explicatas includunt voci memoriali ἐμμεπαιφανδ, cuius explicatio hæc eſt: ἐλευθερότης, μεγαλοπρέπεια, μεγαλοψυχία, ὄρεξις, πρᾳότης, ἀλήθεια, εὐτραπελία, φιλία, αἰδὼς, νέμησις, δικαιοσύνη. Alij dicunt ἀσευμεπαιφανδ: & ita ἀνδρεία & σωφροσύνη, id eſt, fortitudo & temperantia proponuntur, tanquam duo virtutum moralium capita. Conimbricenſes *diſp. Eth.* 8. *art.* 1. virtutes diuidunt in intellectuales, & morales, hoc ordine:


- VIRTVS
  - Intellectualis
    - Theoretica, ſeu contemplatiua: vt Sapientia, &c.
    - Practica: vt Prudentia, &c.
  - Moralis in
    - Voluntate Iuſtitia; cuius partes
      - Integrantes ſunt
        - Declinare à malo.
        - Facere bonum.
      - Subiectiuæ ſeu ſpecies ſunt, quòd ſit
        - 1.
          - Generalis.
          - particularis.
        - 2.
          - Diſtributiua.
            - Remuneratiua.
            - Punitiua.
          - Commutatiua: cuius actus numerant 12. vt ſunt Emtio, Venditio, Vſusfructus, Nudus vſus, Locatio paſſiua, Conductio, Actio deponenda, Acceptio pignoris, Fideiuſſio, Promiſſio ſimplex, Stipulatio, Tranſactio.
      - Potentiales
        - Religio.
        - Pietas.
        - Obſeruantia.
        - Obedientia.
        - Veritas.
        - Gratitudo.
        - Liberalitas.
        - Affabilitas.
        - Amicitia.
    - Appetitu concupiſcendi Temperantia; cuius partes
      - Integrantes
        - Verecundia.
        - Honeſtas.
      - Subiectæ
        - Abſtinentia.
        - Sobrietas.
        - Caſtitas.
        - Pudicitia.
      - Potentiales
        - Continentia. Manſuetudo.
        - Clementia. Modeſtia.
        - Humilitas. Studioſitas.
        - Moderatio. Εὐτραπελία.
        - Ornatus. Simplicitas.
    - Appetitu iraſcendi Fortitudo; cuius partes
      - Integrantes
        - Fiducia, ſeu Magnanimitas.
        - Magnificentia.
        - Patientia & Longanimitas.
        - Perſeuerantia & Conſtantia.
      - Subiectæ nullæ ſunt; quia fortitudo verſatur circa materiam valde ſpecialem.
      - Potentiales eædem ſunt integrantes.

Si malis dichotomiam, habe iſtam. Virtus eſt vel intellectualis, vt Prudentiæ: vel moralis, eaque in appetitu, vel λογικῷ, *rationali*, putà in voluntate, vt Iuſtitiæ: vel in ἐπιθυμητικῷ, *concupiſcibili*, vt Temperantia: vel in θυμικῷ, *iraſcibili*, vt Fortitudo. Sic igitur prudentia & iuſtitia in λογικῷ tanquam in arce collocantur. Et hæc quatuor dicuntur virtutes cardinales, quòd vt fores cardinalibus: ita illis omnis moralis vitæ honeſtas & ſanctitas fulciatur. Reliquæ dicuntur ſubiectiuæ, quòd ſubſeruiant cardinalibus. Iohannes Caſus in ſpeculo morali proponit hanc virtutum & vitiorum tabulam.



- In morum plantâ conſiderantur
  - Fructus: nempe *Felicitas*, quæ eſt omnium virtutum palma.
  - Palmites; vt ſunt virtutes, à quibus fructus, nempe felicitas pendet. Sunt autem virtutes
    - Intellectuales: vt Intelligentia, Scientia, Sapientia, Prudentia, & Ars.
    - Morales, vt
      - 1. *Fortitudo*; quæ eſt columna ciuitatis: cuius oppoſita ſunt — Audacia. Timor.
      - 2. 3. *Temperantia*; quæ eſt voluptatum habena; ſub quâ *Continentia*: cuius oppoſita ſunt — Libido. Naturæ ſtupor.
      - 4. 5. *Magnificentia*, ſub qua eſt *Liberalitas*, quæ eſt reip. velut gaza. Huius oppoſita ſunt — Prodigalitas. Auaritia.
      - 6. 7. *Magnanimitas*; ſub qua eſt *Modeſtia*, quæ eſt recta honorum appetendorum norma. Eius oppoſita ſunt — Seditioſa ambitio. Puſillanimitas.
      - 8. *Manſuetudo*; quæ eſt furentium affectuum domina. Huius oppoſita ſunt — Iracundia. Lenitudo.
      - 9. *Affabilitas*; quæ eſt facetiarum regula. Huius oppoſita ſunt — Adulatio. Moroſitas.
      - 10. *Comitas*; quæ eſt in iocis honeſtis dulcis quaſi philomela. Eius opoſita ſunt — Scurrilitas. Ruſticitas.
      - 11. *Iuſtitia*; quæ eſt humanarum actionum trutina. Huius oppoſita ſunt — Damnum inferre. Damnum pati.
      - 12. *Amicitia*; quæ eſt animorum in virtute quaſi vinculum aut catena. Huius oppoſita ſunt — Indulgentia. Odium.
      - 13. *Veritas*; quæ eſt certa dictorum factorúmque regula. Eius oppoſita ſunt — Arrogantia. Diſſimulatio.
  - Radix; nempe *Humilitas*, quæ eſt primus veluti gradus in ſcala virtutum, & quaſi fibra, qua inter ſe vniuntur omnes. Huius oppoſita ſunt — Superbia. Abiectio animi.

In hac tabella exceſſus & defectus ſunt veluti ſirenes, & angues ſub herba latentes, quæ arcem virtutis oppugnant ſemper, expugnant ſæpe. Hæ ſunt virgines, quæ frontem vultumque Veneris, ſed caudam aculeumque ſcorpionis habent. Virtus autem conſiſtit in medio rationis, quam dirigit; in medio affectionis, quam ſupprimit; in medio vitioſitatis, quam tollit & extinguit. Quomodo ad quatuor virtutes cardinales eleganter referri poſſint aliæ, vide infrà in Politicis in ſpeculo boni principis. Scholaſtici diuidunt virtutē in *incoatam*, cui perfecta virtutis ratio deeſt, diciturque ἐγκράτεια, *continentia*: & *perfectam*, ſiue totam, quæ dicitur ἀρετὴ & ἕξις: & denique *heroicam*, quæ ſupra communem aliorum hominum captum aliquid præſtat. Alij proponunt hanc diuiſionem.



Nobis probatur iſta virtutum diuiſio, quæ ſuſtinet examen harum regularum. 1. *Res non ſunt multiplicandæ ſecundùm verba.* Non igitur tot virtutes ſunt conſtituendæ, quot ſunt nomina virtutum: cùm ſæpe vna eadémque virtus tribus, vel etiam pluribus exprimatur nominibus. 2. *Virtus communis & heroica non ſpecie, ſed gradu differunt.* 3. *Diuiſio virtutum eſt petenda ab obiecto tum perſonali, quod eſt Deus & homo: tum reali, quod eſt affectio vel actio: ac proinde diuiſio illa eſt optima, quæ congruit cum ordine Decalogi*, quem non ſine causâ dixeris πανάρετον. Talis autem eſt ea, quam in hoc Ethices ſyſtemate proponimus. Nam decalogus conſtat præfatione & explanatione. Præfatio continet rationes, quæ nos impellere debent ad obedientiam legibus præſtandam: ideoque ibi Prudentia & Iuſtitia, duæ illæ virtutes generales & dirigentes includuntur. Explanatio Legis duabus continetur tabulis: quarum prima reſpicit DEVM, ſecunda proximum. Ibi eſt Pietas, hîc Probitas; & hæc reſpicit vel nos tantùm, vel alios tantùm, vel nos & alios ſimul, ſecundùm ſex præcepta ſecundæ tabulæ. Cæterùm virtutes, quæ pertinent ad primum decalogi præceptum, ſunt vera Dei agnitio, Fides, Dilectio Dei, Spes, Timor Dei, Humilitas erga Deum, Patientia & Perſeuerantia; ad ſecundum, Cultus Dei conſiſtens in geſtibus corporis: ad tertium, Inuocatio Dei, Gratiarum actio, Confeſſio, & Iuſiurandum: ad quartum, Cultus Dei ratione certi temporis: ad quintum Pietas erga parentes, Iuſtitia vniuerſalis, Iuſtitia diſtributiua bonorum, Sedulitas, Gratitudo, Reuerentia, Grauitas, Modeſtia: ad ſextum: Iuſtitia particularis, Iuſtitia diſtributiua pœnatum, Fortitudo bellica & togata, Patientia philoſophica, Manſuetudo, Miſericordia, Studium concordiæ, Amicitia, Fidelitas, Candor, Humanitas, Zelus: ad ſeptimum Caſtitas, Verecundia, & Temperantia: ad octauum Iuſtitia commutatiua, Liberalitas, Hoſpitalitas, Frugalitas, Ἀνταρκεια: ad nonum Veritas, Simplicitas, Conſtantia, Candor, Docilitas, Taciturnitas, Vrbanitas: ad decimum Sinceritas & Prudentia. Sæpe autem vna eadémque virtus ad plura decalogi præcepta referri poteſt. De vitio idem iudicium.

Actus prudentiæ qui ſint?

III. *Prudentia facit, vt præſentia cernamus, præterita repetamus, futura prouideamus.*

ISocrates dicebat, virum prudentem debere meminiſſe præteritorum, agere præſentia, cauere futura. Hinc prudentia dicitur conſtare tribus actibus, videl. præſentiū ſcientiâ, præteritorum reminiſcentiâ, & futurorum proſpicientiâ. Facit ergo hæc virtus, vt homo ſit Neſtor & Ianus, atque adeò cum Vlyſſe videat

Quæ ſint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur.

Verſus eſt Homeri à Virgilio conuerſus. Verba Græca ita ſonant:

Ὅς ᾔδη τά τ' ἐόντα τά τ' ἐσσόμενα, πρό τ' ἐόντα.

Facit, inquam, vt homo acetum habeat in pectore, ſit naris & auris acutæ, cerebri felicis, gerat innumeros oculos, iiſque proſpiciat futura tanquam de ſpeculâ: iuxta illud Senecæ: Si prudens eſt animus tuus, vitæ actiones tribus temporibus diſpenſa, præſentia ordina, futura præuide, præterita recordare. Nam qui nihil de præteritis cogitat, vitam perdit: qui nihil de futuro præmeditatur, in omnia incautus incidit.

Prudentia quomodo paretur?

IV. *Prudentia pendet à præceptis Ethicis, experientiâ, & hiſtoriâ.*

PRæcepta inſigniora hæc ſunt. 1. *Optima debentur optimo.* Ideò DEVS diligendus ſupra omnia. 2. *Ordinata charitas incipit à ſeipsâ.* Homo itaque ſeipſum debet priùs diligere quàm proximum. Atque hæc philautia eſt fundamentum & menſura amoris proximi. 3. *Vinculum ſpirituale præferendum eſt ciuili, & interdum naturali: & naturale ciuili, niſi hoc ſit publicum.* Naturale autem vinculum eſt humanitatis vel ſanguinis, quia obligatur homo homini, & propinquus propinquo: ciuile eſt amicitiæ vel meritorum: ſpirituale Chriſtianiſmi. Alij hanc regulam ſic efferunt: Prudentia diſcernit officia naturæ debita ab officiis virtuti morali vel ſpirituali debitis. 4. *Lex humana cedit diuinæ, & ceremonialis morali: Tabula ſecunda cedit primæ: Lex de vtili cedit legi de honeſto: Lex ſpecialis derogat generali: Lex naturæ præferenda eſt legi ſimpliciter ciuili.* 5. *Publica priuatis anteferenda bonis.* 6. *Æterna caducis ſunt præferenda.* 7. *Eligibilius ſæpe præfertur præſtantiori*: vt aqua vino, ferrum auro, ariſtocratia monarchiæ. Nam præcipua pars boni conſultoris eſt, deſpicere non ſolùm quid per ſe optimum ſit, ſed quid pro temporum ratione ſit optimum huic vel illi. 8. *Non ſunt facienda mala, vt eueniant bona.* 9. *Inter duo vel plura mala minus eſt eligendum.* Sic cùm Carolus IX. Rex Gall. optionem dediſſet Principi Condenſi, vt vel Miſſam, vel mortem, vel perpetuam captiuitatem eligeret, prudenter reſpondit: primum ſe nunquam electurum, DEO iuuante: reliqua duo regis arbitrio permittere: ſed DEVM tamen hæc omnia paternè moderaturum. Intellige mala culpæ, non pœnæ. 10. *Malum medicinale, vti eſt caſtigatio, præferendum eſt bono apparenti, putà felicitati*, quam promittunt impij. 11. *Grauiora mala priùs & potiùs depellenda, quàm leuiora.* 12. *Non ex priuatis affectibus, ſed ex ſano iudicio de malorum grauitate ſtatuendum.* Hoc obſeruauit Dauid, qui cùm illi trium malorum capitalium propoſita fuiſſet optio, famis, bellis, peſtis, maluit in manus Domini, quàm hoſtium incidere. 13. *Propter malum auerruncandum non violanda eſt pietas in Deum, non conſcientia noſtra, non reſpublica.* Atque hæ dicuntur leges de triplici comparatione, vnâ perſonarū, alterâ bonorum, tertiâ malorum. Experientia, coniuncta cum ratione, eſt omnium rerum magiſtra. Dico, coniuncta cum ratione: quia experientiæ oculus eſt ratio, fructus emendatio. Si verò aliquis ſit præfractâ confidentiâ; experientia ſtultorum eſt magiſtra. Hiſtoria denique facit, vt ex præteritis præſentia æſtimentur, futura caueantur. Facit enim vt inſtituamus collationem inter tempora: vbi quatuor præcipuè ſunt tuenda. 1. A pari ad par valet conſequentia. Non igitur extraordinaria trahenda in regulam. 2. In mundo ſemper eadem agitur fabula: videlicet tragico-comœdia, perſonis tantùm mutatis. 3. Diuerſa tempora diuerſas requirunt actiones. 4. Deus ſæpe differt præmia & pœnas, non aufert. Et illic tarditatem magnitudine beneficij, hîc tarditatem grauitate ſupplicij compenſat. Cæterùm magna eſt vis hiſtoriæ ad prudentiam comparandā: quia homines exempla malunt, quàm verba: neque tam obſeruant, quæ dicimus, quàm quæ facimus.

Prudentis munia quæ?

V. *Prudenti tria ſunt munia; diu deliberare, acutè comparare, & ſapienter mutare.*

RAtio primi eſt: quia feſtinatiò eſt nouerca prudentiæ. Et non Epimetheus, ſed Prometheus vincit. Caueat itaque

itaque vir prudens, ne ipſi obiiciatur Dædaléum remigium. Item, Canis feſtinans. Nam bene dicitur: *Melior eſt conſulta tarditas, quam temeraria celeritas.* Vir igitur prudens cunctatur interdum, vt fecit Fabius cunctator, de quo Poëta:

Vnus homo nobis cunctando reſtituit rem.

Cunctatur inquam, i. e. lentè & bene deliberat. At non cunctatur, quando id, quod maturo conſilio conſtitutum eſt, oportet exequi. Tum enim locum habet illud Salluſtij: *Prinſquam incipias, conſulto; & vbi conſulueris, maturè facto opus eſt.* Aliâs poterit occini verſus ille,

Vnus homo nobis cunctando deſtituit rem.

Cogitetur itaque illud: Dum Romæ diſputatur, Saguntum perit. Ratio ſecundi eſt: quia cùm non omnia omnibus conueniant, delectus rerum, perſonarum, legum, bonorum, malorum, locorum, & temporum habendus eſt, iuxta regulam proximè antecedentem. Non itaque ſtatim proſopolepſiâ facit, ſi prudens perſonam perſonæ antetulerit. Ratio tertij eſt: quia cum re mutandum conſilium, iuxta illud Senecæ: *Non eſt turpe cum re mutare conſilium.* Non itaque ſemper eſt ſignum inconſtantiæ, calculum reducere: ſi nempe conſilium in melius commutetur.

Opus prudentis quod?

VI. *Opus prudentis eſt, cùm poſſit nolle nocere.*

Bias Auſon.

Prudentia ſiquidem eſt officioſa & ingenioſa. Prudens itaque in loco & tempore nouit ſimulare & diſſimulare, hinnire cum equis, rugire cum leonibus, balare cum ouibus, vlulare cum lupis, & omnibus fieri omnia: more ſcilicet Socratico, non aulico; more Pauli, non Sauli; id eſt ita, vt habeat rationem infirmitatis aliorum, eique ſe accommodet ſine infirmitate: itémque vt malitiam aliorum ſuâ prudentiâ, non autem hypocraticâ diſſimulatione, vel eludat, vel emendet. Ita parentes cum liberis ſolent

Ludere par impar, equitare in arundine longâ.

Ita qui aliis præſunt, ſæpe conniuere debent, hoc eſt, prudentes culpam, quam intelligant, ſtudio diſſimulare, quaſi non videant id quod vident, vti parentes, mariti, & iudices ad leuiora quædam peccata, liberorum, vxorum, & ſubditorum conniuent. Hinc & illud eſt, quòd prudens non ſemper dicat eſſe verum, ſi nempe poſſint alteri ſatisfacere dicendo partem veri, ſed abſque ſophiſticatione & æquiuocatione: vti videre eſt in obſtetricibus Ægyptiis *Exod.* 2. In huiuſmodi autem tyrannorum decipulis oportet cogitare illud elegans: *A Deo eſt vtrumque, veritas iuris, & commoditas facti;* ideoque Deum oportet orare, vt in his caſibus nobis largiatur cor leonis, prudentiam ſerpentis, oculos columbæ, & linguam philomelæ. Item illa regula: *Prudentiâ apertâ regulariter, ſimulatione nonniſi ob aliorum vulpinum ingenium vtendum.*

Qui peccent in leges prudentis?

VII. *Ordines illorum, qui aduerſus prudentiæ leges præuaricantur, ſunt nouem.*

I. *Pertinaces diſputatores & conſiliarij;* qui mordicùs defendunt ſuam ſententiam, toto ſcil. corpore & omnibus vnguiculis, & in eâ veluti gradum figunt: quaſi ſint lynceo perſpicaciores, & habeant ſerpentis oculos. II. *Ignari approbatores;* qui approbant ea quæ non legerunt. Celebris Honorij Imperatoris imprudentia ignaua, qui ſolitus fuit epiſtolis non priùs lectis ſubſcribere: quam corrigere cupiens ſoror Placidâ, curat literas ſcribi, in quibus ſeruulo cuidam vliſſimo deſpondebatur. Has cum cæteris multis curat manu Imperatoris ſubſcribi, poſtea venit ad Imperatorem, & abiicit ſe ad pedes ipſius, conqueritúrque de ſuâ infelicitate, & fratris erga ſe crudelitate: cumque Imperator affirmaret, falſas eſſe querelas iſtas, protulit literas manu ipſius ſubſcriptas. Ita Buchananus correcturus imprudentem ignauiam regis ſui, obtulit ipſi literas ſupplices, quibus regnum Scotiæ petebat, quibus non lectis, cùm rex ſubſcripſiſſet, conuenit ipſum, & ad ſe regnum Scotiæ pertinere iocularitet dixit. III. *Hypocritæ;* qui pallio tegunt mala: qualis fuit Nero, qui autore Tacito flagitiis & ſceleribus velamenta quæſiuit. Huc pertinent ſimulatores illi, qui in ſuperficie boni ſunt, in alto mali, opere parcentes, corde ſæuientes, manu mites, voluntate crudeles. De his extat querela poëtæ:

Ah hodie laus eſt non vltima, fingere vultum,
Et ſimulare probè, nec qui vel fallere nouit
Mentirive, feret ſapientis nomen in orbe.

Sed hæc ſimulatio propè diſcernenda eſt à ſimulatione quæ fit moleſtiæ causâ, vel ob alium finem honeſtum: vti Ioſephus ſe alium finxit & ſimulauit coram fratribus, & CHRISTVS ſe abiturum *Luc.* 24. Confer 1. *Sam.* 21. 13. IV. *Dignitatis ſuæ contemtores;* qui inſuper habent quid boni viri de ipſis ſentiant. Quo pertinent & illi, qui cum omnibus contendunt: quibus illud Senecæ *lib.* 2. *de ira cap.* 34. inculcandum: *Cum pari contendere anceps, cum ſuperiore furioſum, cum inferiore ſordidum.* V. *Doniuori;* qui dona promiſcuè accipiunt. Hi cum Antonino Imp. neque omnia, neque quouis tempore, neque ab omnibus debebant ſumere dona, & cogitare illud: Valde inhumanum eſt, a nemine accipere; ſed paſſim, viliſſimum, omnia, auariſſimum. VI. *Creduli;* qui omnia credunt: quâ de re Seneca: *Vitium eſt,* inquit, *omnia credere, vitium nihil credere.* VII. *Mancipia alienæ libidinis;* qui nempe iurant in verba magiſtrorum. VIII. *Feſtinatio præpropera;* cùm quis grallatorio incedit gradu, quando opus eſt teſtudineo. IX. *Temerarij & ſtolidi illi, qui quærunt quod nequit inueniri, vel quod nocet inuentum;* quique cùm plures habeant calles, deteriorem eligunt & periculoſiorem.

Præcipuæ quæſtiones de prudentiâ quæ ſint?

VIII. *Præcipuæ controuerſiæ de prudentiæ naturâ, dignitate, & officiis, continentur his regulis.*

1. *Prudentia diuerſo reſpectu eſt virtus intellectualis & moralis.* Intellectualis quidem, quatenus eſt in practico intellectu. Et eius conſideratio pertinet ad hexilogiam, quam vide ſuprà. Moralis autē, quatenus verſatur circa τὰ πρακτά, & ordinatur ad bonum. Vnde nullum prudentem eſſe affirmat Ariſtoteles, niſi ſit vir bonus. 2. *Prudentia præſtat cuilibet virtuti morali particulari:* quia dirigens dignius eſt directo. 3. *Sapientia eſt præſtantior quàm prudentia, ſi nomo ſpectetur abſolutè, & quatenus eſt perfectio intellectus;* quippe qui dignior eſt voluntate. Sed reſpectu ſocietatis prudētia præſtat ſapientiæ: quia, quod in corpore eſt oculus, id in ſocietate eſt prudentia. 4. *Prudentia eſt præſtantior quam iuſtitia vniuerſalis ratione directionis & præſcriptionis;* quia per primam, vt Picolhomineus loquitur, conſultationem præſcribit cuilibet virtuti, etiam iuſtitiæ, finem; & per ſecundam conſultationem, tradit modum & circunſtantias, quibus obtineri poſſit ille finis. *Rurſus iuſtitia vniuerſalis eſt præſtantior quàm prudentia ratione inclinationis:* quâ fit, vt inclinet hominem ad obedientiam omnibus legibus præſtandam. 5. *Sapientia tantum cōfert ad prudentiam, quantum philoſophia theoretica ad practicam:* id eſt, quantum fons & origo ad flumen. 6. *Tametſi maior prudentiæ gradus ſit in ſenibus quàm in iuuenibus: hos tamen ideo non excludit prudentia:* præſertim ſi ſint ætate quidem iuuenes, at non iudicio. Hinc Bion Boryſth. τῇ φρονήσει γηράσκοντες ἀκμάζουσι, *Prudentiâ valent ſenes.* Et vſitatè dicitur: Senilis prudentia. Item: Senilis prudentia in iuuenili pectore. Talis fuit Scipio minor iuuenis: de quo Cato ſenior in caſtris apud Carthaginem pronuntiauit illum Homeri verſum:

Ille ſapit ſolus, reliqui volitant velut vmbra.

Hoc innuit Venetus quidam legatus. Cùm enim Veneti ad Turcicum Imperatorem miſiſſent legatos imberbes, & tyrannus ſtomacharetur, quaſi in opprobrium miſſi eſſent, reſpondit princeps legationis intrepidè: Si ex ſolâ barbâ de hominis ingenio iudicium ferendum, melior erit hircorum, quàm hominum conditio. Ideò rectè Valerius Maximus ait: Iniquum eſt, eum honori nondum tempeſtiuum videri, qui iam virtuti eſt maturus. Et illud poëtæ:

Caneſcant alij mento, nos mente.

7. *Prudentia eſt virtutum difficillima propter lubricitatem obiecti.* Obiectum quippe eius ſunt τὰ πρακτά, agibilia, & proinde circunſtantiæ ſeu ſingularia; quæ cùm recedant ab vniuerſalibus, ob multitudinem, varietatem, & lubricitatem ſuam, non facilè poſſunt cognoſci. Hanc difficultatem exprimit Plautus Capt. hoc modo: *Qui cauet, ne decipiatur, vix cauet, cùm etiam cauet. Etiam cùm cauiſſe ratus, ſæpe is cautor captus eſt.* Quemadmodum autem prudentia eſt difficillima propter obiectum: ſic iuſtitia vniuerſalis eſt difficillima propter ſubiectum, quod ægrè poteſt diſponi & inclinari ad obedientiam omnibus legibus præſtandam. 8. *Prudentia in rebus ambiguis plus metuit quàm ſperat;* quia metus acuit diligentiam. 9. *Prudens ſemper eſt idem;* ſcil. quoad virtutis actionem: *ſed non eſt ſemper idem,* quoad circunſtantias. Hæ enim variant actiones. 10. *Prudens nunc rapit, nunc capit conſilia.* Illud, cùm periculum eſt in morâ: hoc, cùm datur tempus ad conſultandum. 11. *Prudens diu deliberata celeriter exequitur.* Si enim hîc cunctetur, occaſiones benè gerendi rem ipſi eripiuntur. Hîc itaque cum Alexandro M. dicit: μηδὲν ἀναβαλλόμενος. 12. *Prudens nunquam vtitur malis mediis ad bonum finem obtinendum.* Nouit enim media debere ita eſſe comparata, vt à fine ſuo cōmenſurentur. 13. *Prudentia differt ſpecie ab aliis virtutibus:* quia ſcil. eſt norma ipſarum. 14. *Prudentia præcedit reliquas virtutes, illas comitatur & ſequitur.* Præcedit; quatenus ordinat media ratione circunſtantiarum. Comitatur; quatenus actiones virtutum dirigit. Sequitur; quatenus bene partis bene vti docet. 15. *Prudens omnes habet virtutes, non in gradu eminenti, ſed in definitione.* Ratio illius eſt; quia perfectio illa graduum eſt ideæ, non ſubiecti. Ratio huius eſt; quia imprudens eſt, qui facit diuortium inter virtutes. 16. *Prudentia magis conſiſtit in propriis, quàm alienis conſiliis:* quia charitas ordinata incipit à ſeipsâ. Excipe hîc bonū publicum, quod anteferēdum eſt priuato. 17. *Prudentia iubet obſequi legibus in aliquo loco inuentis.*

Legibus

Legibus scil. honestatis internæ seu virtutis, & honestatis externæ seu decori. Et sic accipiendum est illud πολυθρύλλητον·

Si fueris Romæ Romano viuito more:
Si fueris alibi, viuito sicut ibi.

18. *Quando vir prudens mortem pro patria subit, non euertit legem philautiæ* quia honestatis est, bonum communius & latius præferre bono minori & particulari. 19. *Si honesti detur optio, vt vir prudens illud vel sibi, vel patriæ eligat, sibi potiùs quàm patriæ istud eligit.* quia per honestatem illam ipse perficitur, atque ita idoneus redditur ad patriæ inseruiendum. 20. *Prudens, si videat patrem & filium suum in eodem versari periculo, & vnum tantùm iuuare possit, patrem potiùs iuuat quàm filium.* Magis enim est patri obligatus: vtpote à quo & vitam & bonam seu honestam vitam accepit. 21. *Si patria & parentes periclitentur simul, nec possibile sit vtrique succedere, prudentia iubet patriæ rationem potiorem habere:* quia lex patriæ est superior, vtpote publica. 22. *Si periclitentur vir bonus, itémque malus, & huic facilius possit succurri, prudentia iubet opitulari viro bono:* quia vir bonus est publicum bonum, vir malus publicum malum. 23. *Si multi ignoti, & vnus vir bonus notus sint in eodem periculo, prudentia iubet multos ignotos potiùs eripere, quàm vnum illum notum.* Plures enim sunt præferendi paucis. Et licèt ignoretur, an inter illos ignotos sint viri boni: prudentia tamen & charitas neminè malum præiudicant. 24. *Si infantulus & adultus in eodem versentur periculo, prudentia dicat, infantulo esse succurrendum.* Natura enim docet infirmo potiùs esse succurrendum, quàm qui aliena ope tantopere non indiget. 25. *Si agatur de vita & bonis amici, & viri boni non-amici, prudentia amicum præfert:* quia hîc est maior obligatio. 26. *Benefactori, qui plurimis nos accumulauit beneficiis, in periculo vitæ succurrendum potiùs quàm amico, si ambo æquè sint boni.* Discertè dico, si plurimis nos affecerit beneficiis. Alia enim est ratio, si benefactor vno vel altero beneficio nos sibi obstrictos habeat. Idem iudicium est de gratificatione, quam vno eodémque tempore postulat necessitas benefactoris & amici, benefactoris item & propinqui. 27. *Si duo æquè amici vel propinqui vno eodémque tempore nos inuitent, alter ad nuptiarum celebritatem, alter ad funeris deductionem, ex prudentiæ ac pietatis dictamine gratificandum est ei, qui est in luctu.* Ille siquidem magis indiget nostra opera & consolatione.

FLORILEGIVM.

PRVDENTIA. SENTENT. Prudentia est à DEO 1. *Paral.* 22. *v.* 12. *Luc.* 1. *v.* 17. est piis omnibus necessaria, *Matth.* 10. *v.* 19. 1. *Pet.* 4. *v.* 7. Eius commendationem vide *Prou* 2. 3. 6 11. Estote prudentes sicut serpentes: quia prudentia absque bonitate malitia est; & simplicitas absque ratione stultitia nominatur. *Hieron. in Hos.* Prudens est similis animalibus illis propheticis, *Ezech.* 1 quæ plena fuerant oculis, *Ambros. lib.* 29. *moral.* Mensuretur perfectorum fidelium vita per quadrum; & tantum habet spiritualia atrij latus vnum, quantum latera singula: quia vnusquisque tantum prudens est, quantum temperans, fortis, & iustus: tantum temperans, quantum prudens, iustus, & fortis. *Id. sup. Ezech. part.* 2. *homil.* 2. Quatuor virtutes, prudentia, temperantia, fortitudo, & iustitia quando perfectæ sunt singulæ, tunc sibi sunt coniunctæ, disiunctæ autem perfectæ esse nequaquam possunt quia nec prudentia vera est, quæ iusta, & temperans, & fortis non est: nec temperantia perfecta, quæ fortis, iusta, & prudens non est, &c *Id. l.* 2. *Moral.* Scopulus ille vitandus est, vbi alter offendit. Pecora ipsa vitare norunt, quæ se læsisse cognoscunt: itinera illa non repetunt, vbi in foueam corruerant: tenaces laqueos auis capta declinat, &c. *Isid. l.* 4. *epist.* Tunc inuenisti sapientiam, si mala tua præterita defleas: si præsentia hæc bona paruipendas, si futura bona toto cordis desiderio concupiscas Bernh. Æschylus.

Ἀεὶ τῶν παρῶν φρόντιζε, μὴ τῶν ἀπόντων.
Ὁ χρήσιμ᾽ εἰδὼς, οὐχ ὁ πολλ᾽ εἰδὼς σοφός.
Quæ opus est, præsens dispice, ne præsens absis.
Qui vtilia nouit, non qui multa nouit, sapiens est.

Menand Ἀγαθὸν μέγιστον ἡ φρόνησις ἐστ᾽ ἀεί.
Bonum maximum prudentia semper est.

Iuuenalis.

Nullum numen abest, si sit prudentia——

Borbonius Poeta.

Spernit turpe lucrum prudens, ædésque superbas,
Spernit inauratas marmoreásque trabes.
Spernit ebur, gemmas, argentum, aulæa, tapetes,
Spernit opes, vastæ luxuriémque domus.
Spernit odoratas vestes, auróque trilices,
Spernit delicias, Cypris, amórque tuas.
Spernit composita damnosa impendia mensæ,
Spernit res, hodie quas rude vulgus amat.
Spernit & inuidiam, sceleratæ murmura linguæ,
Spernit clamosi iurgia vana fori.
Omne malum (breuiter) prudens spernitque fugitque.
Virtutémque bonæ gaudia mentis habet.
Contentúsque vnâ hac mortaleis ridet honores,
Neque humili patiens nescit egere casâ
Omnia fert; & se casus componit ad omneis:
Quod loquitur linguâ, pectore sentit idem.

Prudentia cæterarum virtutum dux & mater est. Etenim virtutes omnes ad præscriptum & rationem prudentiæ constituuntur. *Damippus Pythagoricus lib. de prud. & fortun.* Τοσοῦτον διαφέρει ἡ φρόνησις τῶν ἄλλων ἀρετῶν, ὅσον ἡ ὅρασις ἄλλων αἰσθανσίων: i. e. Tantum à cæteris virtutibus differt prudentia, quantum visus ab aliis sensibus. *Bion. Boryst.* Τεῖχος ἀσφαλέστατον φρόνησις· μήτε γὰρ καταρρεῖ, μήτε προδίδοται: i. e. Prudentia murus tutissimus. Neque enim decidit, neque proditur. *Antisth.* Feliciter sapit, qui alieno periculo sapit. *Plaut. Merc.* APOPHTH. Socrates rogatus, quid esset prudentia? Animæ, respondit, concinnitas. *Stob. de prud.* Idem adhortabatur subinde suos discipulos, vt hæc tria in omni vitâ sibi pararent, vt in animo scil. Prudentiam, in linguâ Silentium, in vultu Verecundiam haberent. *Max. ser.* 41. Periander, quærenti quid in minimo esset maximum, respondit, Prudentes cogitationes in corpore humano. *Stob. ser.* 3. ADAG. Eum ausculta, cui quatuor sunt aures: A fronte simul & occipitio occultatus: Alter Ianus: Mus vni non fidit antro: A fronte atque à tergo: Tanquam de speculo: Acetum habet in pectore. SIMILITVD. Sicut metallorum omnium probatissimum est aurum: ita inter animæ virtutes prudētia habetur probatissima. *Philo.* 1. *allegor. legis.* Idem confert prudentiam cum sanitate corporis, cum muro, cum imperatore exercitus, cum gubernatore nauis, & cum animâ. EXEMP. Abraham. *Genes.* 13. *v.* 9. Iacob. *Gen.* 30 *v.* 32. Ioseph. *Gen.* 40. Iethro. *Exod.* 18. Rahab. *Ios.* 2. Dauid. 1. *Sam.* 18. Abigail. 1. *Sam.* 25. Salomon. 1. *Reg.* 3. Nehemias. *Neh.* 2. Esther & Mardochæus. *Esth.* 4. Villicus iniquitatis. *Luc.* 16. Nestor senex, Cyrus puer, Vlysses, Iulius Cæsar, & Princeps Condæus, cuius in regulis huius cap. meminimus. HIEROGLYPH. 1. Formica; quæ memor hyemis cibaria cōparat tempore æstiuo, & semina, ne nascantur, morsu necat: comportat item semina cùm luna est pernox. 2. Serpens; cui inter alia hoc tribuitur, quod capitis custodiæ sit valde intentus. 3. Gorgonis caput pro Mineruæ pectore statutum. 4. Manus; quæ eadem manens, in palmam extenditur, & in pugnum restringitur. 5. Annosa vulpes. 6 Mus; de quo *Plautus in Truc.* ait: Mus pusillus, sapiens bestia, ætatem qui vni cubili nunquam committit suam. Quia si vnum ostium obsideatur, aliud perfugium gerit. EMBLEMATA.

I. Iane bifrons, qui iam transacta, futuraque calles,
Quique retrò sannas, sicut & ante vides:
Te tot cur oculis, cur fingunt vultibus? an quod
Circumspectum hominem forma fuisse docet?

II. Noctua Cecropiis insignia præstat Athenis,
Inter aues sani noctua consilij.

III. Italicæ Samius sectæ celeberrimus author,
Ipse suum clausit carmine dogma breui:
Quò prætergressus? quid agis? quid omittis agendum?
Hanc rationem vrgens reddere quémque sibi.
Quod didicisse gruum volitantum ex agmine fertur;
Arreptum gestant quæ pedibus lapidem.
Ne cessent, neu transuersus mala flumina raptent:
Qua ratione hominum vita regenda fuit.

APOLOGI. Huc pertinet lepidissimus liber, qui inscribitur *Reinike vulpecula*: item apologus de leone, qui senio confectus animalia se visitantia deuorabat; & vulpeculâ, quæ accessit quidē ad antrum, sed inuitata à leone intrare renuit, dicens:

——*Quia me vestigia terrent,*
Omnia te aduersum spectantia, nulla retrorsum.

IMPRVDENTIA. SENTENT. De imprudentiæ indole ac noxâ vide *Prou.* 21. *v.* 20. *c.* 14. *v.* 24. *c.* 26. *v.* 3. 11. *Eccles.* 20. 21. 22. 31. 34. 40. Qui corpus exercent, & negligunt animum, imprudenter agunt, principem partem negligentes, vt subiectam & infimam excolant. *Plato in Chyr.* Stultus dicitur tribus modis. 1. qui quæritat, quod nequit inueniri. 2. qui quærit, quod nocet inuentum. 3. qui sine proposito, cùm plures habeat calles, deteriorem deligit ac periculosiorem: *Anon.* Festinatio improuida est cæca. *Liu. dec.* 3. *l.* 2. Temeritas inscitiæ fœtus. *Nazianz. orat.* 6. Quibus consilium deest, cadunt sicut folia. *Antonin. ser.* 30. Qualis ciuitas est, cuius diruta sunt mœnia; talis est vir qui non omnia cum consilio agit. *Idem ibid.* Omnis actio vacare debet temeritate & negligentiâ. *Cic.* 1. *Offic.* Nihil est à grauitate sapientis, errore, leuitate, temeritate, disiunctius. 4. *Acad.* Serum est cauendi tempus in mediis malis. *Sen. Thyest.* Temeritas vbi primum impetū effudit, velut quædam animalia amisso aculeo torpet. *Curt. lib.* 4. Prudens est, qui factis verba firmauerit: at bis imprudens, qui secus faxit. *Anon.* Ego id verum esse existimo, quod dici solet: temeritatem sæpenumero homines ad insaniam & ad nihilum adducere solere. *Polyb. lib.* 4. APOPHTH. *Petrarcha* dicebat, Literato stulto nihil importuniùs. Habet enim instrumenta, quibus suam ventilet ac defendat amentiam: quibus cæteri carentes parciùs insaniunt. *Bion* Grammaticos aiebat Vlyssis errores imprudenter inquirere, suos negligere. *Stob. ser.* 4. Neque Achillis arma Thersiti, neque animi bona homini imprudenti conueniunt.

Stob. eod. serm. SIMILITVD. Imprudentes à Socrate comparantur histrionibus & infantibus: Crates confert tenebris: Philippus Macedo statuis, quæ nihil aliud habent, quàm os apertum, & magna pudenda: Demades tibiis: quibus si os demas, nihil sonant. EXEMP. Omnes illi, qui flagitiis & sceleribus suis velamenta quærunt, vt de Nerone scribit *Tacitus* 13. *annal.* item illi, qui cum fatuis virginibus *Matth.* 24. se non præparant ad reddendum rationes villicationis suæ. Item illi, qui cunctando destituunt rem, dissimiles Fabio cunctatori, de quo Horatius:

Vnus homo nobis cunctando restituit rem.

HIEROGLYPH. 1. Homo conscendens equum ferocissimum. 2. Icarus, à poëtis decantatus. 3. Phaëton; cuius hoc est epitaphium:

Hic situs est Phaëton currus auriga paterni:
Quem si non tenuit, magnis tamen excidit ausis.

SIMVLATIO. SIMVLATIO BONA. Solum insidiarum remedium, si non intelligerentur, rebatur Agrippina. *Tacit.* 14. *annal.* nimirum hoc voluit dicere, remedium insidiarum esse, simulare, quasi eas non intelligas. *Anon.* Candore, id est, prudentiâ apertâ regulariter; simulatione, id est, prudentiâ obliquâ, nonnisi ob aliorum vulpinum ingenium vtendum. SIMVLATIO MALA. Simulator est, qui in superficie bonus est, & in alto malus, opere parcens, corde sæuiens: manu mitis, voluntate crudelis. *Vid. cap. anteced. florileg. de Hypocrisi.*

CREDVLITAS. Vitium est, omnia credere: vitium, nihil credere. *Sen. de morib.* Vtrunque vitium est, & omnibus credere, & nulli. Sed alterum honestius dixerim, alterum tutius. *Id. l. 1. epist. 3.* Manus nostræ oculatæ sunt, credunt quod vident *Plaut. Asin.* Manus vetat priusquam penes sese habeat, quicquam credere. *Id. Truc.* Verinus:

Qui citò crediderit, falletur sæpe, leuisque
Est cordis: rarò fallitur ipse senex.

Ouid.

Sed quia credulitas damno solet esse puellis.

CVNCTATIO MALA. Omnis mora calamitosa est iam stabilitis consiliis. *Natalis Comes Hist. l.* 1. Tarditas & omnis mora, & compendinatio acerrimum est venenum omnis rei bellicæ: nisi si quid tardè fieri res ipsa consultò postulet. *Id. l. 9.* Lucan.

Tolle moras, semper nocuit differre paratis.

Emblema Andr. Alciati:

Alciatæ gentis insignia sustinet alce,
Vnguibus & planis fert ἀναβασιλήιον.
Constat, Alexandrum sic respondisse roganti,
Quî tot obiuisset tempore gesta breui?
Nunquam, inquit, differre volens, quod & indicat alce,
Fortior hac dubites ocyor anne siet.

Hieroglyphicum istius cunctationis est testudo; itemque formica, inprimis posita sub alâ vespertilionis. Aiunt enim formicam eò numquam repere, quo vespertilio vel semel accesserit.

CAPVT VII.

De Iustitia vniuersali.

PRÆCEPTA.

IVSTITIA vniuersalis est virtus obligans hominem ad obedientiam omnium virtutum & legum: vnde & obedientia vniuersalis dicitur, qua homo suum cuique tribuit per omnes virtutis moralis species.

Norma ipsius est lex, siue ius, quod est regula iustorum & iniustorũ. *Hinc lex dicitur præses & dux bonorum, sponsio reip. via vitæ, iusti & iniusti discrimen & discretio, lex operum siue faciendorum statutum, iudicium, lex iustitiæ.*

In Iure videnda est constitutio & interpretatio.

Constitutio Iuris est duplex, naturalis & ciuilis. Illa communis, hæc propria. Hinc ius est naturale, vel ciuile; seu commune, vel proprium.

Ius naturale siue commune est, quod Deus impressit naturæ. *Hinc dicitur lex Dei, lex naturæ, lex tacita, ius Dei, ius immutabile, lex non-scripta, ratio naturalis.*

Estque primum, vel ortum. Illud primarium, hoc secundarium dicitur.

Ius primum est magis, vel minùs commune.

Ius primum magis commune est, quod natura docet omnes animantes: *vt, Defende teipsum.*

Ius primum minùs commune est, quod natura docet hominem vt est animal rationale. *Dicitur ius naturæ & lex naturæ per excellentiam: item ius rationis, & naturalis æquitas.*

Ius ortum est, quod natura docet hominem, vt est animal sociale. *Dicitur ius gentium, ius ratiocinationis, merum ius gentium, ius vtilitatis causâ receptum, ius æquius, melius, vtilius.*

Ius ciuile siue proprium est, quod ex iure communi pro reip. alicuius vtilitate, necessitate, aliisque circunstantiis conceptum à magistratu constituitur. *Dicitur ius positiuum.*

Estque scriptum, vel non-scriptum.

Ius ciuile scriptum in scriptis est propositum & promulgatum.

Estque principale, vel accessorium.

Ius principale est solenne idque constitutum vel à toto populo, rogante scilicet consule aut alio: vel à quibusdam ex populo, idque vel ab vno ex populo, putà à principe; *& dicitur rescriptum, decretum, constitutio & sanctio principis*: vel à pluribus; *vt est plebiscitum, vel senatusconsultum.* Plebiscitum *est, quod plebs populi Romani in comitiis tributis, plebeio magistratu, veluti tribuno plebis δημάρχῳ interrogante, constituit suffragio.* Senatusconsultum *est, quod senatus suffragiis suis per discessionem, vel maioris partis sententiam iubet atque constituit.*

Ius accessorium est, quod principali subseruit: & complectitur edicta prætorum, & responsa prudentum. *Illa dicuntur ius prætorium, temporale, & honorarium: hæc vocantur autoritas prudentum.*

Ius non-scriptum est, quod vsus frequens, inueteratus, & æquus tacito communi vtentium consensu comprobauit. *Vocatur consuetudo & ius consuetudinarium.*

Interpretatio iuris est, qua illius sensus & potestas colligitur & declaratur.

Interpretatio iuris ex iuris gradu, arbitrio iudicis, & modo concipiendi.

Ex gradu iuris hæc est interpretatio: Ius naturale, superius, æquius, potentius, melius, & præstantius tollit inferius, contrarium, concurrens, infirmius, minúsque præstans, & illud sibi cedere cogit, iuxta has sententias: *Naturale ius non potest tolli iure ciuili: Lex de vtilitate priuata cedit publicæ.*

Ex iudicis arbitrio hæc est interpretatio: Ius ciuile, si sit summum, strictum, & rigidum, oportet ex æquitate moderari. *Æquitas autem generaliter definiri non potest, sed colligitur ex temporis, ætatis, sexus, valetudinis, rei, personæ, loci, & facti circunstantiis. Summum illud ius appellatur ius subtile & durum, rigor iuris, stricta ratio, durior interpretatio, & seueritas: æquitas contra temperamentum, moderatio, medium & mediocritas iuris: item ius humanius, benignior & æquior interpretatio. Quò pertinet vulgatum istud: Fauores sunt ampliandi, odia restringenda.*

Ex modo concipiendi hæc est iuris interpretatio: Optima iuris interpretatio sumitur ex ipsa lege, itémque ex alia lege eiusdem generis.

Interpretatio ista est simplex, limitans, vel amplians.

Simplex interpretatio est, qua accipiuntur verba legis vt iacent: *vt, Honestè viuendum est.*

Limitans seu stricta interpretatio est, qua verba generalia restringuntur: *vt, Nemo gestet gladium.*

Interpretatio amplians siue lata est, qua verba legis extenduntur: vnde etiam legis extensio dicitur. *Sic leges decalogi fermè sunt conceptæ per Synecdochen, ita vt ex parte totum sit colligendum; ex lege affirmatiuâ negatiua, & contra.*

Iustitiæ vniuersali opponitur iniustitia vniuersalis; eaque

eique tum in excessu, cùm quis putat se obligari etiam ad obedientiam legum iniquarum, quò pertinet votum cæcæ obedientiæ apud Iesuitas: tum in defectu, cùm quis putat se non obligari ad obedientiam legum communium. In excessu etiam opponitur iustitia nimia; hoc est, sæua, rigida in excessu & defectu iniuria, eáque, vel deserens, vel lædens: siue fiat apertâ vi, siue occultâ fraude & dolo.

REGVLÆ.

Iustitia & ius vnde dicta?

I. *Iustitia nomen habet à iure tanquam à causâ efficiente & regula: ius verò à iubendo dictum est.*

Iubere enim honestum, est forma iuris.

Iustitia vniuersalis quid?

II. *Iustitia vniuersalis est iustitia conscientiæ, & omnem virtutem in se complectitur.*

Hinc iustitiâ vniuersali prædītus dicitur, qui caret vitio, vel saltem hoc affectu est præditus, vt oderit vitium, & amet virtutem. Sunt autem duo velut oculi iustitiæ vniuersalis, firmitas propositi & æquabilitas. Quod veteres innuere voluerunt, quando dixerunt, iustitiam in zodiaco vitæ humanæ tanquam virginem positam esse inter leonem & libram. Firmitatem indicant illa dicta: *Hoc est trutinâ iustius: Eâdem oportet pensare trutinâ: Rectam viam decet ingredi: Clauum rectum oportet tenere: Ad amussim lapidem, non contrà ad lapidem amussim decet applicare.* Æquabilitatem indicant ista: *Summum ius, summa iniuria: Non oportet leges scribere sanguine humano more Draconis.* vera enim est illa Saleuci vox: *Lex est regula Lesbia*; quæ flecti potest, hoc est cum exceptione accipi, sed frangi non debet. Sed hæc regula debet accipi de lege positiuâ. Nam lex naturæ est regula Polycleti, & libra Critolai.

Leges practicæ primariæ quæ?

III. *Iustitia vniuersalis nititur illo principio, quod Christus protulit, & Alex. Seuerus tanti fecit, vt illud militibus in castris accini iusserit voce præconis:* Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. *Item illo:* Dilige Deum supra te, & proximum iuxta te.

Ab his enim pendent Lex & Prophetæ. Et hoc satis esse possit ad vitæ rationes, si originem iuris spectes. Sed quia intellectus noster se habet instar vespertilionis & nycticoracis, & voluntas instar equi effrænis, oportet ista principia variis regulis & præceptis iuris tanquam commentariis illustrare. Huc pertinent illa: *Quod quisque iuris statuit in alterum, ipse eodem vti debet.* Item, *Patere legem quam ipse tulisti.* Item, *Alterius animum de tuo metieris.* Et denique tria illa, quæ ICtis dicuntur principia Iuris: *Honestè viuere, Neminem lædere, Suum cuique tribuere.* Quæ si mente voluemus, innocentiam tenebimus, in qua iustitia velut in primo gradu consistit. Primus enim gradus est, non nocere proximo, sed officiosè prodesse.

IV. *De iure iudicandum est ex facto, id est, ex merito causæ, siue ex eo quod pertinet ad arcem causæ.*

Nam ius in causâ est positum, & ex re constituendum, hoc est, ex facti negotiíve circumstantiis partibúsque bene cognitis.

V. *In quolibet homine est partim notitia iuris naturalis, partim inclinatio ad illud.*

Illâ homo cognoscit id quod iustum est: hac impellitur ad illud faciendum. Sic quilibet homo nouit prima principia, quæ spectant ipsius officium ratione DEI, ratione sui, & ratione proximi. Ratione DEI, vnum est: *Deum supra omnia dilige.* Ratione sui, tria sunt: *Defende teipsum, conserua vitam per media necessaria, Propaga speciem.* Ratione proximi, duo sunt: *Non lædo alterum, Suum cuique tribue.*

Ius naturæ an in brutis?

VI. *Ius naturæ omnibus gentibus est vnum, sed gradus & modus impellendi variat.*

Non enim inscribitur ex æquo in cordibus omnium, sed in aliis copiosiùs & efficaciùs, in aliis minùs copiosè. Ratio quoque sæpenumero aberrat in conclusionibus inde deducendis: aberrat inquam vel per infirmitatem, vel per malitiam, siue per ignorantiam simplicem vel affectatam.

Ius naturæ vti se habeat?

VII. *Iuris naturæ simulacrum est in brutis, iuris gentium non item.*

Ratio prioris est; quia hoc ius naturæ docet hominem vel vt est animal, vel vt est animal rationale: & priori modo natura docet bestias, vt se defendant. Ratio posterioris est; quia ius gentium respicit ciuilem societatem. Hinc ex iure gentium bella sunt introducta, captiuitates, pœnæ maleficorum, obligationes, dominiorum distinctiones, iudicia, regna, vrbes, magistratus, constituti, & similia prorsus necessaria & vtilia ad societatis humanæ continuationem & conseruationem.

An ius naturale sit immutabile?

VIII. *Ius naturæ & gentium est in se immutabile: ius ciuile mutabile.*

Illud enim & istud est notio æterna, præscribens omnibus, semper & vbique, quid sit rectum, quid sit vtile, quid non, ne
Effranes homines mutent quadrata rotundis;
Aut faciat Cyclops, aut terræ filius ater
Candida de nigris, & de candentibus atra.

Sed ius ciuile licèt non in totum recedat à iure communi, sed ab eodem analogicè deducatur: ab eodem tamen discrepat in accomodatione ad particularia negotia, atque ita mutatis circumstantiis mutatur & ipsum. Hinc lex moralis dicitur esse simpliciter æterna, sed lex iudicialis Mosaica distinctè consideratur, iuxta hanc regulam: *Quicquid est iuris communis in legibus iudicialibus, id est æternum: contrà, Quicquid est iuris particularis, id est abrogatum.* Per ius particulare intelligitur id, quod genium politiæ Mosaicæ respexit. Mutato enim fine mutantur & media.

Iniuria vnde oriatur?

IX. *Iniustitia vniuersalis primogenita filia est iniuria, quâ homo afficit tum se, tum alios.*

Seipsum voluntate perturbatâ: vt cùm Alexander Magnus ebrietate seipsum interemit, & ita quoque mortuis infertur iniuria; vel volentes, vt cùm tyrannus è medio tollit martyres. Hîc tenenda sunt illa axiomata. 1. *Nemo sanâ & integrâ mente præditus vult aut facit sibi iniuriam formaliter, sed materialiter*: id est, nemo vult aut facit sibi iniuriam sub ratione iniuriæ, licet id, quod facit voluntate non rectâ, habeat rationem iniuriæ. Intellectus enim iniuriam non concipit formaliter sub ratione iniuriæ, sed sub ratione boni apparentis & personati. 2. *Volenti fit iniuria, si volens non intelligat rem noxiam, vel velit iniuriam alio fine.* Ibi sunt infantes & furiosi, hîc martyres: nimirum si quis eo fine velit, vt gloria DEI illustretur. Nam si quis alio fine velit, v.g. vt placeat superioribus, ipsi non fit iniuria: quò pertinent ciniflones aulici, qui non absimiles sunt populis in Iaponiâ. Si enim rex ipsorum alicui dicat, Abi, ventrem scinde tibi, protinus dicto est audiens.

Qui Cyclops?

X. *Qui agit contra ius naturæ, soluit vinculum humanitatis; & proinde ferus est & Cyclops.*

Pontifex igitur Romanus cyclopico ausu liberorum inobedientiam animat, armat, & probat aduersus parentes, quando illos in monasteria secedere posse pronuntiat inuitis parentibus.

Agere cõtra ius gentium.

XI. *Qui agit contra ius gentium, tollit vinculum societatis; & proinde crudelis est turbatórque pacis.*

Crudelis igitur fuit Sigismundus Imperator, quando non seruauit fidem datam Iohanni Husso.

Ius positiuum, quàm grauе?

XII. *Qui agit contra ius positiuum, iam promulgatum & sancitum, committit crimen contemtæ maiestatis.*

Requiritur autem hîc promulgatio, vt quilibet sciat legem positiuam: Et sanctio, vt quilibet vereretur legem. Cæterùm in regulâ habetur contemtæ maiestatis, non autem læsæ: quia hoc est aliquid grauius.

Æquitas quid?

XIII. *Æquitas non pugnat cum iure, sed est prudens exceptio, pertinens ad ius positiuum, tanquam appendix ipsius.*

Absque hac æquitate si fuerit, locum habebit illud Comici: Summum ius, summa iniuria. Sic e.g. Lex positiua vetat, mœnia scandi, & scandentem iubet morte mulctari. Si verò ciuis ascendat, vt incendium extinguat, vel hostem depellat, iudicis erit hanc addere exceptionem legi isti: Nisi salus publica contrarium imperet. Ius strictum vocatur ἀκριβοδίκαιον: æquitas ἐπιείκεια.

Ius naturæ, gentiũ, & positiuũ vti se habeat ad hominem?

XIV. *Ius naturæ & gentium est supra hominem quemcunque: ius positiuum humanum est infra & supra hominem.*

Infra, quatenus homo tanquam legislator illud deducit è iure naturæ vel gentium, & illud interpretatur atque accommodat. Est supra hominem, quatenus illum obligat. In tantum verò obligat, in quantum consentit cum iure naturæ &

& gentium. Cùm enim solus DEVS sit Dominus conscientiæ, illam directè & immediatè non possunt obligare, nisi mandata ipsius. Indirectè autem & mediatè possunt leges latæ à magistratu. Et hanc obligationem auget persona magistratus, qui est vicarius DEI, cui propter conscientiam obediendum est, Rom. 13. Cæteroqui leges naturæ, gentium, & positiuæ ligant duobus modis. 1. Semper & ad semper, id est, ita vt nullam patiantur exceptionem: vt DEVS purâ mente colendus. 2. Semper, sed non ad semper, id est, ita vt admittant exceptionem: vt, Obediendum est magistratui: scilicet vsque ad aras.

De iniuria quid summatim tenendum?

XV. *Iniustitia vniuersalis & iniuria vniuersalis ita differunt, vt illa sit inobedientia siue contumacia aduersus omnes leges; hæc sit violatio omnium legum, opponens se de industria omnibus legibus, & suum nemini tribuens, sed omnia mala inferens societati humanæ.*

De iniuriâ istâ teneantur hæ regulæ. 1. *Voluntatem & affectum iniuriandi qui non habet, is non dicitur inferre iniuriam:* vt sunt furiosi, profundè ebrij, peccantes ex ignorantiâ vel errore, quique ob iniunctum officium aliquid dicunt vel faciunt, & qui ob vtilitatem Reip. verum profert. 2. *Atrocior & maior iniuria existimatur quæ magistratui & parenti, quàm quæ extraneo infertur: ita quæ à discipulo vel subdito infertur: maior item quæ interdiu quàm noctu, quæ item in foro, theatro, coram magistratu, in præsentiâ & conspectu plurimorum infertur, maior quæ in dignitatis suæ habitu incedenti vel sedenti infertur. maior denique iniuria censetur, quæ in plures personas redundat, quàm quæ vni infertur.* In plures verò personas redundat iniuria per consequentiam, vti est iniuria quæ vni ex familiâ infertur, quæ item liberis, vxori, sponsæ, affini, seruo, legato mittentis, quæ ossibus, statuæ, vel monumento defuncti infertur, quæ vni ex collegis, vel consorti. Vnde fit, vt quot sunt personæ, tot quoque censeantur iniuriæ, quæ pro personarum qualitate dispares intelliguntur. 3. *Iniuria est verbalis, vel realis:* quæ duæ species sæpe concurrunt. Alij addunt personalem. 4. *Verbalis iniuria fit voce vel scripturâ:* vt si quis alium appellat nomine probroso, vel ironicè laudet, vel verbis alij minatur, vel scommate exagitat, vel iniustè imputat alteri mala & calamitates, vel ambigua interpretatur in partem deteriorem, vel aliorum scommata & sannas in alium concitat, vel alienæ vitæ rationes diuulgat; vel cùm libellus famosus, famosa pictura, epistola, carmen, historia in alterius contemtum vel contumeliam componitur. 5. *Realis iniuria est, quæ facto, gestûve illicito & ingenioso infertur corpori alterius, vel extra illud:* vt quando quis alium suâ re vti impedit, domum alterius vi intrat, manus alteri infert, in faciem conspuit, alium iure suo vti prohibet, litem improbè mouet, indebitè incarcerat, pudicitiam alterius solicitat, baculo terret, minatur vel pulsat, qui linguam deducit, vestimenta alteri scindit, ministrum alterius verberat, stuprum infert, impudicè osculatur, qui mandat vel procurat vt iniuria inferatur, qui euentum sententiæ vendit, qui habitum mentitur diuerso vestitu, qui defuncti cadauer contumeliâ afficit, sepulchrum spoliat, &c.

Præcipuæ quæstiones de iustitiâ vniuersali.

XVI. *De præcipuis controuersiis circa naturam & officium iustitiæ vniuersalis teneantur istæ regulæ.*

1. *Iustitia vniuersalis etsi præsit omnibus facultatibus hominis, palatium tamen & augustale suum habet in voluntate.* Hinc à ICtis definitur constans ac perpetua voluntas ius suum cuique tribuendi. 2. *Iustitia est virtus præstantissima:* quia est obedientia erga omnes leges. Hinc Theognides:

Ἐν δὲ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶς ἀρετή 'στι.
Iustitia in sese virtutes continet omnes.

Et Menander:

Βίον ἄριστον ἕξεις τὸν βίον, δίκαιος ὤν.

Ideò Aristoteles iustitiam Hespero & Lucifero admirabiliorem pronuntiat, eandémque præstantissimam, optimam, ac perfectissimam nominat: & Pythagoras eam vocat thesaurum omnium virtutum: Cicero splendidissimam excellentissimámque virtutum omnium reginam ac dominam: Picolhomineus ipso Sole meridiano splendidiorem esse dicit. Pertinet huc pulcherrimum illud iustitiæ simulachrum: Iustitia est ciuitatis domina, dextrâ tenens gladium, quo malorum scelera vindicare, sinistrâ suspendens lancem, quâ bonorum opera ex æquo pensitare possit. In huius vnius pectore omnes reliquæ virtutes tam moris quàm mentis, non aliter quàm sidera in cœlo lucent. Hæc est Astræa, quæ in cœlum euolat, quando profligatur. Hæc est ciuitatis norma, magistratus anima, caussa & fundamentum legis. Huius veluti canales singulos cæterarum virtutum riuulos excipiunt & continent, indéque in vniuersos generis humani ordines deriuantur. Hanc ipsa natura peperit, experientia nutriuit, sapientia denique multarum ætatum in solio maiestatis, vt augustissimam rerum humanarum imperatricem collocauit. Cæterùm de contentione prudentiæ & iustitiæ vide cap anteced. reg. vlt. 3. *Iustitia vniuersalis facit, vt homo non tantum erga alios, sed etiam erga se sit iustus.* Hinc diuiditur in externam, & internam. Illa circa proximum, hæc circa nos versatur. Nimirum sicut medicus & seipsum, & alios ægros curat: ita iustitiâ vniuersali qui est præditus, & sui & aliorum habet rationem. Quando igitur iustitia dicitur ἀγαθὸν ἀλλότριον, bonum, id cum grano salis est accipiendum: sicut & illud Ambrosij de offic. Iustitia magis aliis, quàm sibi prodest, & vtilitates suas negligit, communia emolumenta præponens. 4. *Iustitia vniuersalis ordinat alias virtutes ad bonum commune:* id est, ordinat partes ad totum, facitque vt nobis bene velimus propter bonum publicum. 5. *Iustitia vniuersalis primariò respicit bonum publicum.* Hanc enim inclinationem videmus naturalem esse, vt partes suum bonum velint propter bonum totius. 6. *Iustitia vniuersalis docet seruare medium Geometricum & Arithmeticum.* Illud in omnibus virtutibus, exceptâ iustitiâ commutatiuâ: hoc in solâ iustitiâ commutatiuâ. 7. *Actus iustitiæ vniuersalis præstat cuilibet actui formali reliquarum virtutum.* Ratio hæc est, quia actus iustitiæ vniuersalis est dirigere actus reliquarum virtutum. Tametsi ergo actus fortitudinis, verbi gratia, in Scipione & Camillo magis coram hominibus emineat, quàm actus iustitiæ: hic tamen si æstimetur oculis rationis, est præstantior. 8. *Qui actum iustitiæ exercet in magnis rebus, eo ipso non potest aliquid iniustè committere in rebus minutioribus.* Nullius enim virtutis consequens est vitium. Inepta igitur est illa Iasonis Thessali vox, quâ se purgare solebat iis, quibus molestiam aut vim attulisset: Qui magnis in rebus se iustitiæ cultorem haberi velit, illum in paruis eam interdum violare oportet. 9. *Iustitia vniuersalis est caussa legum ciuilium:* quatenus nempe illa in se spectatur. Sed ratione imbecillitatis humanæ iustitiam vniuersalem tanquam normæ & adminicula regunt leges ciuiles. 10. *Lex naturæ est habitus nobis insitus.* Habitus est vel θεόσδοτος, vt fides, spes, & charitas: vel ἐπίκτητος, vt Logica: vel ἔμφυτος, vti sunt lex naturæ, συντήρησις, & similes potentiæ naturales, quæ non ineptè nomenclaturâ habitus insigniuntur, quòd sint ἀμετακίνητοι, immobiles, non aliter atque sunt habitus introducti per multas actiones. 11. *Ius naturæ quoad principia sua est prorsus immutabile: quoad conclusiones mutabile est pro circumstantiarum varietate.* Priori modo propriè, posteriori impropriè sumitur. Rectè itaque ius naturæ, oculus ille iuris ciuilis, dicitur prorsus immutabile & immobile: quia primæ veritates practicæ nullam admittunt ampliationem vel restrictionem in sese; licèt conclusiones ex illis deductæ mutentur mutatis circumstantiis. Sic principium est naturæ: Suum cuique tribuendum: conclusio ex isto principio deriuatur ista: Depositum est reddendum. Hæc conclusio patitur exceptionem. Si enim furiosus vel ebriosus repetat depositum gladium, vel summam pecuniæ, succurrit alia lex naturæ: Nemo lædendus est. Ita lex naturalis dictat hoc principium: Furtum est puniendum: sed modus pœnæ dependet à circumstantiis variis. Hinc varij sunt pœnarum gradus apud Mosen, varij etiam in iure ciuili, quod attinet ad furtum. 12. *Ius gentium est naturale, non positiuum.* Ratio est; quia nulla sanctio humana requiritur ad illud ius. 13. *Ad legem positiuam requiritur promulgatio.* Hæc enim facit, vt intelligatur lex lata ab iis, quibus est lata. Legis naturalis ratio est alia. 14. *Præstat ius positiuum accipere ab homine qui secundùm leges scriptas, quàm ab homine, qui secundùm rationem, absque legibus scriptis iudicat.* Lex enim facit, vt ratio hominis non exorbitet. 15. *Lex positiua non à quouis homine, sed ab eo, qui habet iura maiestatis, ferri & promulgari debet.* Hæc enim potest legibus tribuere vim coactiuam, quam oportet accedere ad vim eius directiuam propter hominum malitiam. 16. *Omnia, quæ legibus positiuis commodè comprehendi possunt, iis comprehendi æquum est.* Hac enim ratione & legibus, maior authoritas tribuitur & imperantibus minor difficultas creatur. Quod autem attinet ad singularia, quæ infinita sunt, illa iudicis arbitrio relinquenda sunt. 17. *Leges paucæ sint:* quia si nimis multæ sint, amittunt authoritatem, & memoriâ comprehendi non possunt. Intellige istam paucitatem, quæ sit adæquata rebus faciendis & fugiendis. 18. *Legum finis præcipuus est facere virum bonum, non verò ciuem bonum.* Nam iustitia vniuersalis primariò respicit virtutem boni viri seu moris, secundariò virtutem officij seu vocationis; quia virtus officij sine virtute boni viri, est noxia, verbi gratia, si aliquis sit bonus sutor, sed malus vir. 19. *Legi positiuæ parendum est, etsi ratio eius non sit manifesta, dummodò non pugnet cum iure naturali.* Ratio dicitur anima legis. Ratio ista est vel manifesta, vel non-manifesta. Si sit manifesta, legi positiuæ parendum simpliciter. Si non sit manifesta, oportet despicere, num fortè lex ista pugnet cum principiis naturæ. Si pugnet, ipsi non est parendum. Si verò non pugnet, omninò in ipsâ est acquiescendum. 20. *Legum sanctio potius fit per comminationem pœnæ, quàm per promissionem præmij.* Nam fulmine pœnæ homines veluti concutiuntur. Atque hæc sunt duo illa lumina, vt Solon aiebat, quibus cuncta gubernantur, præmia & pœnæ. Duobus enim istis, voluptate & dolore, homines maximè afficiuntur,

afficiuntur, vt rectè tradit Aristoteles 21. *Leges positiuæ mutandæ sunt, si non prosint Reip.* Mutandæ, inquam, sensim & in melius. Si verò commodè mutari non possint, cum incommodo aliquo seruandæ sunt ad tempus. 22. *In iure diuino & naturali quidquid iustum, idem & æquum, & vicissim.* At in iure positiuo æquitas est moderatio iuris, quâ illud continetur intra duos cancellos, iuris naturæ & circumstantiarum. 23. *Summum ius est summa iniuria.* Vulgata hæc est regula, quæ valet de iure positiuo tantùm: quod dicitur summum duobus modis, vel ratione excellentiæ, vel ratione excessus & rigoris. Regula proposita vera est de rigido iure, quod pugnat cum prudentia. e. g. si quis illam legem, *Nemo scandat mœnia; qui scandit, morte plectitor*: velit extendere ad eum, qui scandit mœnia vt hostem depellat, aut incendium restinguat. 24. *Damnum voluntarium qui alteri infert, facit ei iniuriam.* Et hoc damnum dicitur ἀδικία, quæ proficiscitur ex malitiâ. Aliter se habet damnum inuoluntarium, quod est 1. Ἀτύχημα, profectum ex ignorantiâ: vt si venator in syluâ volens feram transfigere, hominem transfigat. 2. Ἁμάρτημα, quod proficiscitur vel ex perturbatione mentis, vel ex culpâ leui, vt si quis incautè tractet bombardam, & lædat hominem. Huiusmodi damna cùm fiant absque dolo & malitiâ, non possunt appellari iniuriæ. Intellige hîc perturbationem mentis, quæ vel à furore, vel à terrore, non autem à vitio aliquo proficiscitur, verbi gratia, si quis ex inuidiâ, odio, vel ebrietate aliquem interficiat. 25. *Si facinorosus iubeatur à magistratu seipsum occidere, facit sibi iniuriam, si pareat.* Violat enim legem naturæ, Defende teipsum. Non igitur hîc moramur consuetudinem illam Romanorum sub Nerone, Tiberio, & Domitiano, quâ solebant mittere tribunum, aut centurionem, qui extremam necessitatem denuntiaret: vbi si quis parebat, & mortem occupabat, manebant testamenta & iusta funeris: sin minùs, ecce carcer, carnifex, laqueus, fiscus, Gemoniæ. Quidquid enim pro hac consuetudine dicitur, speciem habet, non soliditatem: quia contra naturam est, sui ipsius esse carnificem.

Quotmodis violetur iustitia?

XVII. *Classes illorum qui hîc præuaricantur, sunt vndecim.*

1. Rigidi exactores; qui vbique vrgent ἀκριβοδίκαιον, hoc est summum ius, quod antiqui putarunt, vt Columella ait, summam crucem. 2. *Iudices præcipites*; quibus proponatur illud: Præcipitatio est nouerca iustitiæ. 3. *Iudices prosopolepta*; qui respiciunt qualitatem externam personæ, & ideo ius flectunt. 4. *Iudices*; δωροφάγοι, id est, doniuori; qui patiuntur se corrumpi pecuniâ, quos facetè dicunt callere dialectum Doricam. 5. *Papistæ*; qui negant, hæreticis seruandam esse fidem. 6. *Tyranni*; siue sint tales absque titulo, siue exercitio. 7. *Exleges*; qui nullam sibi legem positam esse volunt. 8. *Anabaptistæ*; qui, nescio quam simulant sanctimoniam in contractibus. 9. *Vsurarij.* 10. *Fures*; siue illi crimen simplicis furti, siue sacrilegij, siue peculatus, siue denique stellionatus committant. 11. *Mercatores qui fallunt fidem*; quod peccatum vsitatè dicitur Pancarotum, q. d. Italicè, *Banche rotto*, id est, Bancha rupta.

FLORILEGIVM.

IVSTITIA VNIVERSALIS. SENTENT. De iustitię obseruatione & violatione pleni sunt libri Prophetarum. De iustitiæ efficacia vide *Prou.* 14. & 20. Hæc est perfecta iustitia, quâ potiùs potiora, & minùs minora diligimus. *Aug. de ver. relig.* Omnes virtutum species vno iustitiæ nomine continētur. *Hieron. ad Demetr.* Iustum est, homines propter iustitiam diligere, non autem iustitiam propter homines negligere. *Gregor. in registr.* Ouid. 1. metamorph.

Victa iacet pietas, & virgo cæde madentes
Vltima cælestum terras Astræa reliquit.

Pudore, modestia, & iustitia omnis ciuilis societas conseruatur. *Dionys. Halic. l. 6.* Iustitia vniuersalis est harmonia trium præcipuarum hominis virium, vt videl. θυμικὸν κ. ἐπιθυμητικὸν obtemperent τῷ λογικῷ. *Plat. 4. polit.* Δίκαιον γίνονται φύσει, διδαχῇ, ἔθει, *Iusti fiunt natura, doctrinâ, consuetudine. Arist. polit. 8.* Δικαιοσύνη ἔρεισμα πόλεως, *Iustitia fulcrum est seu anchora ciuitatis. Plat. 5. de legib.* Θεὸς δείσας περὶ τῶν ἀνθρώπων γένει, μὴ ἀπόλοιτο πᾶν, δωρεῖται ἀνθρώποις αἰδῶ τε κ. δικαιοσύνην ἵν' εἶεν πόλεων κόσμοι τε καὶ δεσμοὶ φιλίας συναγωγοί: *Deus metuens, ne totum genus humanum interiret, donauit hominibus pudorem & iustitiam, vt essent ciuitatum ornamenta & vincula, & conciliatrices amicitiæ. Plat. in Protagorâ.* Nunquam à DEO negligitur, qui habet propositum iustè viuendi, & qui cupit, quantum possibile est, DEO similis esse. *Id. vlt. polit.* APOPHTH. Demosthenes eos homines in primis laude dignos pronuntiauit, qui nullam anteponerent iustitiæ vtilitatem. *Phauorinus.* Traianus Imperator adeò studiosus fuit iustitiæ, vt aliquando ensem strictum præfecto vrbis in conspectu omnium dederit & dixerit: Cape ferrum hoc, & si quidem rectè Imperium gessero, pro me: sin aliter, contra me hoc vtere. *Niceph. Callist. lib. 3. eccl. hist. cap. 23.* Alphonsus Arragonum rex, eos Principes qui iustitiam non colerent, persimiles sibi videri aiebat, qui morbo caderent comitiali. *Panormit. de rebus gestis Alphonsi.* ADAGIA. Trutinâ iustius: Iustitiâ iustior: Orphica vita. Eâdem pensari trutinâ: Ne moueto lineam: Ex æquo partire: Æqualitas non parit bellum: Rhadamanthéum iudicium. SIMILITVD. Iustitia confertur cum bilance, cum fundamento & anchora, cum muro ciuitatis, cum regula seu amussi. EXEMPL. Noë, Dauid, Salomon, Traianus, Alexander Seuerus, Constantinus Magnus. HIEROGLYPH. 1. Tellus; quæ cùm sit iustissima, iustitiæ simulachrum perhibetur. 2. Euphrates fluuius; qui ob fœcunditatem est symbolum iustitiæ, virtutis vtilissimæ. 3. Oculus; quia iustitia inspicit rem ipsam. 4. Ternarius; numerus sacer, & numerus proportionis mirabilis. 5. Virgo; quia iustitia est casta. 6. Statuæ magistratuum Thebanorum; quæ sedentes sine manibus, oculis clausis effingebantur. 7. Libra seu bilanx. Huc etiam retulerim hieroglyphica innocentiæ: putà ouem, piscem, & gestum abluendarum manuum. Pertinet huc pictura iustitiæ apud Pindarum. Mater Themis, iustitiæ & legum dea, tres habet filias. Prima est Eunomia, bonarum legum constitutio; secunda Dice, id est, Iustitia: tertia Irene, id est, pax. Refer etiam huc istum dialogismum:

Quæ dea? *Iustitia.* At cur toruo lumine spectas?
Nescia sum flecti, nec moueor pretio.
Vnde genus? *Cœlo.* Qui te genuêre parentes?
Mi modus est genitor, clara fides genitrix.
Aurium aperta tibi cur altera, & altera clausa est?
Vna patet iustis, altera surda malis.
Cur gladium tua dextra gerit, cur læua bilancem?
Ponderat hac causas, percutit illa reos.
Cur sola incedis? *Quia copia rara bonorum est.*
Hæc referunt paucos secula Fabritios.
Pauper cur cultu? *Semper iustissimus esse*
Qui cupit, immensas nemo parabit opes.

INIVSTITIA ET INIVRIA. SENTENT. DEVS auersatur omnem iniustitiam, *Deut. 25. Psal. 5. 100.* Iniustitia vniuersæ iustitiæ opposita, non est pars vitij, sed vniuersum vitium. *Arist. 5. Ethic. cap. 1.* Leuitas & iniustitia tyrannica sunt, & aliena à liberis hominibus vitia. *Plutarch. in Alcib.* Violentiam inferre, alienísque parci, iniustitia est. *P. Diacon. in Iustiniano.* Non quòd ipse nihil iniustè facias, iustus eris propterea; si eos, qui ab aliis iniuriam patiuntur, vbi tibi potestas erit, non defendas. *Procop. de bello Pers. lib. 2.* Qui non repellit à socio iniuriam, si potest, tam est in vitio, quàm ille qui infert. *Ambros. de offic.* Iuuenal. Satyr. 3.

Curandum in primis, ne magna iniuria fiat
Fortibus & miseris. Et paulò post:
Quod modò proposui, non est sententia, verùm
Credite me vobis folium recitare Sibyllæ.

Qui non defendit, aut obsistit iniuriæ, si potest, tam est in vitio, quàm si parentes, aut amicos, aut patriam deserat. *Cic. 3. offic.* Iniuria iniustè irrogata, infamia eius qui fecit. *Senec. in epist.* APOPHTH. Plato summam esse iniustitiam aiebat, velle videri iustus, si sis iniustus. *Stob. serm. 8.* Socrates omnium morborum turpissimum dicebat esse iniustitiam. *Stob. serm. 41.* Ægyptiorum reges hanc legem seruabant, vt iuramento obstringerent iudices, vt rege ipso iniustam flagitante sententiam, ei morem non gererent. *Plutarch.* Antigonus scribebat ciuitatibus, si quid iniustum & legibus contrarium per epistolam mandatum esset, ne parêrent, sed ipsum ignoratione lapsum censerent. *Id.* Socrates frequenter dicere solebat, peius esse iniuriam facere, quàm pati. *Brus. lib. 3. cap. 4.* Aristo interrogatus, quid ægrè senesceret, respondit, Gratia & Iniuria. *Laërt. lib. 5. cap. 1.* Solon interrogatus, quî fieri posset, vt quàm minimum iniuriarum existeret inter homines? Si, inquit, qui affecti non sunt iniuriâ, æquè doleant atque hi qui affecti sunt. Quisquis enim violat leges, non vnum ciuem, sed totam lædit Remp. SIMILIT. Iniustitia vniuersalis conferri potest cum pandorâ, cum apoplexiâ, cum gangrænâ & cancro. Sicut enim illi morbi totum corpus afficiunt: ita iniustitia vniuersalis totam Remp. EXEMP. Lysander, culpantibus ipsum, quòd multa per dolum agendo, indignum Hercule se gereret, dixit: Vbi leonina pellis non sufficit, ei assuenda est vulpina. *Plutarch. in apoph.* Quibus verbis germana iniustitiæ vniuersalis indoles significatur: quippe quæ nihil est aliud, quàm malitia & ingeniosa & armata. Huc pertinet tyrannis, putà Phalaridis, Ieroboami, Astyagis, Neronis, &c. item iniustitia Pharisaica. Huius loci est non infaceta historia de rustico & prætore. Cùm taurus prætoris taurum rustici interemisset, homo callidus prætorem adit, eiúsque taurum à suo tauro interemtum esse indicat. Quærit quid iuris? Tum prætor: Satisfacias mihi, inquit, oportet. Ibi rusticus: Da veniam, inquit, linguâ lapsus sum: non meus tuum, sed tuus meum occidit. Tum prætor perfricta fronte: Alia, inquit, res est: ego tibi nihil debeo: non tu tuum malum æquo animo feras? HIEROGLYPH. Iniuriam nemini inferendam esse docet hieroglyphicum

phicum acanthidis auiculæ de asello vindictam sumentis. Antipathian explicat *Plinius lib.* 10. *cap.* 47. APOLOGVS. Pertinet huc fabula de olitore, qui se demittebat in puteum, vt inde canem eo delapsam extraheret. Cum descendisset in puteum, canis veritus ne ab ipso mergeretur, morsu lacerauit. Hæc fabula narratur contra iniustitiam. ÆNIGMA.

Dic mihi, quid, quæso, toto iam regnat in orbe?
Dic tribus hoc verbu, literulisque tribus.
Resp. Non verbu tribus, ast vnâ respondeo voce,
Ius, *vel transpositis*, vis, *malè literulis.*
Ius *&* vis *apices paruo discrimine distant*,
Ius *nunc mundus habet*, vim *quia semper habet.*

CAPVT VIII.

De Pietate.

PRÆCEPTA.

SATIS de virtute dirigente: sequitur directa, siue particularis, quæ pendet à dirigente, & occupatur circa peculiare obiectum.

Estque vel pietas, vel probitas.

Pietas est Dei rectè cogniti rectus cultus.

Eius partes duæ sunt; cognitio, & cultus Dei.

Cognitio Dei est vel innata, quæ dicitur metus numinis: vel acquisita, per institutionem scil. philosophicam, vel diuinam.

Cultus Dei est partim internus, partim externus, iuxta quatuor præcepta primæ tabulæ Decalogi.

Internus Dei cultus cernitur in amore Dei, fiduciâ, timore, humilitate & patientiâ præcepti 1. Decalogi: externus (cum interno, scil. coniunctus) cernitur in precatione & gratiarum actione, quæ vtraque fit certis gestibus vel sine gestibus, præcept. 2. Decalogi adhibito iuramento, vel sine iuramento, præcept. 3. tempore sacro, vel non sacro, præcept. 4. Decalogi.

Extremum pietatis in excessu est superstitiositas, in defectu irreligiositas. *Illius exempla sunt Papistæ, qui imitati ethnicos colunt Quirinum, Nicolaum, Valentinum, &c. item arioli, præstigiatores, diuinatores, psychomantæ, necromantæ, aëromantæ, hydromantæ, Chaldæi, Pythones, &c.*

REGVLÆ.

Pietas & probitas quomodo differant?

I. *Pietatis est, animum cum illo vnire à quo descendit, probitatis est neque sibi, neque alteri siue sit amicus, siue hostis, hostem esse.*

PIus enim animus maiori animi sui parte, licèt conuersetur cum hominibus, hæret origini suæ, ad instar radiorum solarium, qui contingunt quidem terram, sed ita vt ibi sint vnde mittuntur. Pij ergo cognomen omnibus præferendum. Nam pietas est virtutum fundamentum: quia non coniungit DEO, cui ratio reddenda factorum: quia est cornucopiæ felicitatis, & ad omnia vtilis: sicut è contrario impietas est metropolis omnium calamitatum. Nam qui DEVM deserit, is à DEO & ab omnibus creaturis deseritur: Hinc Henricus IV. Rex Galliarum à quodam sic introducitur loqui:

Causa meæ cædis fuerit quæ, quærere noli,
Deserui Dominum, deserit is famulum.

Pius quis?

II. *Pius est, qui Deum cognoscit, cognitúmque colit amore, more, ore, & re.*

HOc est qui ipsum diligit supra omnia. De hâc virtute ait Plato: Summa apud homines virtus est pietas erga Deum. Et Trismegistus: Vna custodia pietas. Semper igitur ob oculos nobis versetur istud Mantuani:

Sola sit humanæ pietas cynosura carinæ.

Probus autem est, qui cogitat hoc esse optimum, vt ipse sit optimus, vel optimis proximus, ideóque nec sibi, nec proximo sit grauis.

Summus pietatis gradus.

III. *Supremus pietatis gradus est, amare Deum, etiam tum, quando se nobis contrarium ostendit, id est, cùm in scholâ crucis nos exercet.*

HIc enim cogitandum, quòd schola crucis sit schola lucis, & quòd Deus per desertum nos ducat in terram Canaan. Quando igitur sumus in deserto, ne retrospiciamus ollas Ægyptiacas. In aduersis itaque Deo ne diffidamus, & in prosperis ab eo ne recedamus. Ibi Scyllam superare debemus fiduciâ, qua fit, vt in alto non altum sapiamus, nec cum Deo contendamus: hîc Charybdin euitare timore Dei, scilicet filiali illo, non seruili. Hîc quæritur, An pietas sit causa calamitatum per accidens? Neg. Peccatum enim est illarum causa: Immittit autem Deus calamitates piis, vt peccati neruum infringat, eiúsque dominatum inhibeat. Ideo schola crucis dicitur schola lucis. Et pij dicuntur frui beata paupertate, sicut diuitiæ impiorum dicuntur pauperrima beatitudo. Hinc patet, calamitates piis esse malum medicinale, sicut potio amara dicitur malum medicinale ægroto.

Cognitio Dei vnde hauriri debeat?

IV. *Cognitio Dei hauriri debet è libro naturæ & Scripturæ.*

PEr librum naturæ intellige conscientiam & mundum: illi est lex naturæ, hîc creaturæ tanquam literæ hieroglyphicæ potentiæ, sapientiæ, clementiæ Dei. Hinc Antonius Eremita ἀναλφάβητος creaturas vocat suos libros, vt testatur Eusebius: & Basilius mundum appellat officinam discendi animis rationalibus. Rectissimè igitur Plutarchus: sol, luna, stellæ specula sunt, in quibus artem illius singularem intueamur, qui mundum condidit & ornauit. Nec est aliud mundus quàm templum Dei. Per librum Scripturæ intellige parua & magna Biblia.

Pietas Deo contenta.

V. *Pietas est contenta Deo, id est, proram & puppim, vallum & fossam felicitatis collocat, non in rebus fluxis, sed in vnione & communione cum Deo.*

IDeo pij dicuntur semper circumferre cœlum in corde suo, sicut è contrario impij dicuntur circumferre infernum. Exemplo sit Abraham, cui vnus Deus fuit Schaddai. Item Laurentius in craticulâ, & alij Martyres.

Cognitio Dei generalis.

VI. *Cognitio Dei generalis & communis illa, vt hîc consideratur, sufficit ad hominem reddendum inexcusabilem.*

HVc pertinent præclarissima Ethnicorum dicta de Deo, quæ testantur, notitiam anteceptam, seu anticipatam de Deo mentibus nostris insidere.

Cultus Dei duplex.

VII. *Cultus debetur Deo & internus & externus.*

ILle huius est mensura & veluti anima. De interno accipe illud Plutarchi: Malitia retinetur metu Dei, vt qui humanis actionibus & passionibus non tardus & cunctator iudex incumbat. Et hoc Ciceronis: Quis non timeat omnia prouidentem & cogitantem, & animaduertentem, & omnia ad se pertinere putantem, curiosum, & plenum negotij Deum? De cultu externo, coniuncto scilicet cum interno, loquuntur hæc dicta: 1. *Galeni*; A nobis Deus hunc maximè cultum exigit, non vt hecatombas ipsi sacrificemus, sed vt omnibus notum faciamus, quanta eius potentia, sapientia bonitas. 2. *Epicteti*: Si quid mente valemus, quid nobis agendum, nisi vt Deum assiduè celebremus, ei hymnos, ei gratiarum actiones canamus, dum terram fodimus, aut vertimus seu laboramus, seu requiescimus? Quas autem? Magnus Deus, qui hæc instrumenta dedit: Magnus, qui manus ipsas largitus est nobis: Magnus qui dat, vt nec cogitantes crescamus, & dormientes respiremus. Hic omnium debet esse quotidianus hymnus. Et cur nos in Deo laudando tam segnes, in cuius celebratione tam diligentes illæ in aëre volitantes auiculæ? Si luscinia essem, facerem quod luscinia: cùm autem homo sim quid faciam? Laudabo Deum nec cessabo vnquam, vos verò vt idem faciatis hortor.

Cultus quis & quotuplex.

VIII. *Cultus Dei internus & perfectio prima & secunda cultûs externi: exterior autem cultus non est negligendus, quia est nota interni.*

ILle siquidem facit, vt hic non sit hypocriticus. Tametsi autem Deus sit spiritus, ideóque rebus externis per se non delectetur: requirit tamen cultum externum, vt ita nos magis excitemur ad cultum internum, & ipsi datori donorum spiritualium & corporalium, spiritu & corpore seruiamus. Hinc ipsi gentiles cultum externum semper adhibuerunt: & Græci

Græci ἀσεβείας ac nouatæ religionis crimen seueriter vindicarunt: idque Socrati, Anaxagoræ, & aliis quibusdam intentatum. Ideo Herodotus de Cambyse ait: Insaniunt qui sacros ritus derident. Indicat enim ratio, externam professionem & ceremonias propter disciplinam conseruandas esse. Externus verò cultus sine interno Deo non placet. Hinc dicit: Misericordiam volo, non sacrificium: quod dictum intelligendum est in sensu comparato, q.d. magis volo misericordiam, quàm sacrificium. Illâ enim Deus delectatur per se, isto nonnisi per accidens, si scilicet rectè offeratur. Sic & illud vulgatum est accipiendum:

Non vox, sed votum, non musica chordula, sed cor,
Non clamans, sed amans; clangit in aure Dei.

Quot sint classes impiorũ?

IX. *Classes illorum, qui huic virtuti nuntium remittunt, sunt nouem.*

1. ATHEI, seu ingenia Lucianica; qui Dei existentiam apertè negant, non quidem semper, sed tamen ad tempus: non enim est homo, qui nesciat esse Deum: & licèt multi hoc negent ore, corde tamen negare non possunt: quia tametsi conscientia ipsorum ad tempus dormitat, tandem tamen euigilat, nec permittit, vt formatis syllogismis statuat nullum esse numen: quales fuerunt Caligula, quo nemo vnquam audaciùs negauit Deum, nemo furentiùs negatum studuit contemnere; & Lucianus Sophista perniciosus. Hi non verbis, sed fustibus sunt refutandi. 2. *Epicurei*; qui negant Dei prouidentiam, ideoque ventrem pro Deo habent, quorum porcorum feracissimum est nostrum seculum. Tales olim fuerunt Sardanapalus, Epicurus, Lucretius, & Nero, qui imperare diis concupiuit, nec quicquam generosius voluit. Tales etiam fuit Paulus tertius Pontifex Romanus, qui in limine mortis constitutus dixit, se iam tria experturum de quibus in vniuersâ vitâ dubitarit: Num sit Deus: Num sit infernus. & num anima sit immortalis? 3. *Idololatræ aperti & crassi*; qui creaturas adorant, putà solem, animalia, imò & ipsum Diabolum: quo pertinent Ethnici qui 30000. deorum, & in iis trecentos Ioues habuerunt. Tales olim fuerunt Ægyptij, & hodie sunt multi Indi, Tartari, & multi septentrionales. Tales etiam hodie sunt Magi, siue profiteantur magiam diuinatricem, siue operatricem, Turcæ, & Papistę qui inuocant Sanctos: & denique illi qui sese iactant semideos, vel Dei titulum affectant, quales fuerunt Herodes Agrippa, Alexander Magnus, qui ita ad matrem scripsit: Rex Alexander Iouis Ammonis filius Olympiadi matri salutem. Item: Psaphon, qui aluit auiculas, illásque doctas sonare hæc verba, *Magnus Deus est Psaphon*, dimisit. Tales sunt, qui patrum nostrorum memoriâ, itemque nostrâ, se venditarunt pro Christis. 4. *Idololatræ tecti & subtiles*: vti sunt auari, quibus nummus est summum numen, omnesque ij qui in rebus humanis confidunt, atque ita ex rerum fragilium arundine faciunt columnam fiduciæ. 5. *Admiratores rerum humanarum, quas anteferunt sacris*: vt sunt Machiauellistæ, qui politiam sine exercitio religionis consistere posse docent: ac religionem nil nisi nomen inane ac vinculum politiæ esse putant, similes Maximino Imperatori, qui lege sancitâ permisit, vt quo quisque ritu vellet, Deum coleret. Item poëtæ, qui nil nisi Apollines crepant, & alia Ethnicorum numina inuocant: & denique Critici illi qui à Bibliorum lectione abhorrent, qualis fuit Hermolaus Barbarus, qui ad Sadoletum scripsit, se legendo Biblia dedicisse Latinitatem: & alius qui amicum deditum lectioni Bibliorum, his verbis deterruit: Ah corrumpis bonam dictionem Ciceronianam. Et denique Anglus quidam, qui odas Pindari antetulit Psalmis Dauidis. 6. *Homines illi, qui nunquam meminerunt Dei*: vt sunt illi qui dicunt, se aliquid effectum daturos, nec addunt piam illam formulam, *Cum Deo*, aliàs hoc vitium dicitur securitas, quâ quis sine timore iræ Dei & iudicij ipsius viuit, sicut maxima pars generis humani viuit in perpetuo stupore negligente iram & iudicium Dei: Talis est Cyclops apud Euripidem qui sic inquit:

Non vlla numina expauesco cœlitum,
Sed victimas vni Deorum maximo
Ventri Deo offero, Deos ignoro cætero.

Item illi, qui, cùm facta heroica recensent, Dei mentionem non faciunt. Quò pertinet historia de Hadriano Papâ, qui, cùm factus esset Papa, ipsi hoc gratulatorium fuit decantatum: Traiectum plantauit, Louanium rigauit, Cæsar incrementum dedit. Tum quidam non ineptè adscripsit: Hîc Deus nihil fecit. 7. *Illusores Dei & operum eius.* Item dissimulatores beneficiorum & iudiciorum Dei. 8. *Apostatæ*; qualis fuit Iulianus Imperator. 9. *Superstitionum patres, & patroni*; qui mantissam traditionum tanquam caudam vulpinam assuunt togæ Christi: quique crepant religionem maiorum suorum, imitati oraculum Delphicum, quod consultum, quo pacto Deus colendus, respondit, νόμῳ τῆς πόλεως, *ciuitatis more*: verùm cùm diceretur, mores ciuitatum sæpe mutatos, subiecit, Optimum sectandum. Quod posterius responsum, meritò laudatur.

Quas virtutes cõplectatur pietas?

X. *Pietas erga Deum complectitur veram ipsius agnitionem, dilectionem, fiduciam, spem, timorem, humilitatem erga Deum, patientiam, & perseuerantiam, iuxta primum Decalogi præceptum: honorem externum in gestibus, iuxta secundum: inuocationem, gratiarum actionem, confessionem & iusiurandum, iuxta tertium: obseruationem certi temporis certorúmque isto tempore rituum, iuxta quartum.*

VERA *Dei agnitio* est vel philosophica & legalis, vel Christiana & Euangelica. Prior illa hîc attenditur; quâ ratio agnoscit, Deum esse mentem vnam, æternam, conditricem & conseruatricem omnium rerum bonarum. Hæc notitia Dei splendidissimis disputationibus à Platone, Xenophonte, Cicerone, Senecâ, & aliis illustrata est. De hâc agit Apostolus *Rom.* 1. Cum hâc notitiâ pugnant ista: ignoratio Dei, errores Epicureorum & Stoicorum de Deo, quibus fingitur Deus esse mens permixta omnibus mundi corporibus, ciens & agens omnia: item Academicorum, Scepticorum, & similium. *Dilectio Dei* est ardens incendium, quo mens & voluntas Deum complectitur, & illi se subiicit, adeò vt seruet omnia ipsius mãdata, cum quâdam lætitiâ, acquiescente in ipso. Cum hâc pugnat odium Dei: fremitus & indignatio cordis aduersus iudicium Dei, præsertim in ærumnis; & stupor pectoris, non sentiens ardentes flammas dilectionis Dei. *Fiducia* est, quâ in Deo spem collocamus. Cum ipsâ pugnant dubitationes Epicureæ & Academicæ de Deo & prouidentiâ Dei, diffidentia, non acquiescens in bonitate Dei; desperatio, non tribuens Deo laudẽ veritatis & misericordiæ, vt Cain ait: *Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam consequar*: vbi Augustinus rectè, *Mentiris*, inquit, *Cain: Maior est Dei misericordia, quàm omnium peccatorum miseria.* Pugnat item cum fiduciâ istâ præsumtio seu confidentia, quâ quis confidit propriis viribus, vt propriâ sapientiâ: item fiducia humanorum præsidiorum: quibus vtendum, non nitẽdum: Fiducia namque in Deum non excludit media, sed includit, & denique idololatria, cuius species sunt quatuor. Prima est, fingere aliquid esse Deum, & colere tanquam Deum, quod non est Deus: quomodo promiscuum vulgus apud ethnicos coluit statuas tanquam numina. Scribunt autem simulachrorum cultum à filio Beli, Nino, traxisse originem, qui patris mortui imaginem fecerit. Inde *Lyra in Sap.* 14.c. scribit extitisse nomina Bel, Baal, Beelzebub. Ita Chaldæi & Persæ ignem finxerũt esse deum: & gentiles varia numina sunt commenti, vt Iouem, Palladem, lares, numina inquam tricies mille, quæ distinxerunt in deos maiorum & minorum gentium. Denique res illas, à quibus aliquam vtilitatem capiebant, loco Dei habuerunt: vt feles, ciconias, libertatem, victoriam, fidem, &c. Et Augustinus ex Varrone refert, antiquos Romanos plus quàm 170. annis sine simulachris Deum coluisse. Meliores tamen ethnicorum abhorruerunt ab illo idolorum cultu. Nam veteres Germani non simulachris, non templis, aut aliis habitaculis diis suis cultum exhibuêre: quòd ædiculis includi, aut parietibus cohiberi non possent, cœlestium corporum magnitudine perspectâ. Nec in vllam humani oris speciem assimilabant: figuris sub humanum visum cadentibus effigiari nec posse, nec fas esse rati. Itaque lucos & nemora consecrabant. *Tacit. de mor. Germ.* Et Xerxes in Græciam traiiciens cũ exercitu, Magis authoribus, omnia deorum Græciæ templa inflammauit, quòd nullum in locum deorum numen includi posset. Romani quoque per multos annos nullam deorum effigiem habuerunt: quia docuerat Numa, Deum esse mentem puram, minimè genitam aut visui subiectam, quæve humanâ industriâ exprimi possit, vt est apud *Cic. 2. de legib.* ita vt neque πλαστῷ, neque γραπτῷ coli possit. Secunda idololatriæ species est, honorem Deo debitum rebus quibuscunque, quæ non sunt Deus, tribuere. Sic auarus est idololatra *Eph.* 5. item inuocatio Sanctorum. Tertia species est alligare Deum ad res, quas ille non præscripsit: vt ad statuas, ad monasteria; in hoc vel illo loco, vt Romæ, Loreti, Compostellæ. Quartò, eligere cultus, & iis confidere: putà Missam, ieiunia, ceremonias varias. Hîc nobis succurrat illud Ambrosij: Signaculum nostrum in corde & fronte. In corde, vt semper diligamus Deum: in fronte, vt semper confiteamur, vt ita luceat eius imago & in confessione, in verbis, & operibus, vt si fieri posset, tota eius species exprimatur in nobis. *Spes* est, quâ expectamus auxilium à Deo dilatum. Cùm hâc pugnat desperatio, vt in Saule; & præsumtio, qualis erat in Sennacheribo: de quâ rectè vsurpaueris illud Aristotelis; qui interrogatus, Quid esset spes, respondit, Somnium vigilantis. Et hæc est illa spes, quam Hesiodus fingit in pyxide Pandoræ solam remansisse. *Timor Dei* est, quo metuimus offensionem Dei tanquam patris clementissimi: & ideo dicitur timor filialis, vt discernatur à seruili, quo aliquis fugit Deum, cùm timor filialis faciat nos fugere ad Deum. Cum hâc pugnat securitas, quâ fit, vt maxima generis humani pars sit sine curâ & timore Dei: item superstitio trepidans timore, vbi non est timor, qualis est hypocritarum, qui die

Veneris nolunt vesci carnibus: item Epicureus & Cyclopicus Dei contemtus, qualis ab Homero describitur *Odyss.* 9.

Οὐ με κελεύεις θεοὺς ἢ δειδίμεν ἢ ἀλέασθαι·
Οὐ γὰρ κύκλωπες διὸς αἰγιόχου ἀλέγουσι:
Ne iubeas superos, vt ego vereárve, colémve,
Nil Cyclopes enim diuorum numina curant.

Humilitas erga Deum est, quâ memores nostræ immunditiei libentes nos subiicimus diuinæ maiestati: & quando arcanos Scripturæ sensus nos assequimur, eos reueremur potiùs, quàm reprobamus, vt ait Dionysius Alexandrinus. Cum hac pugnat superbia, quæ est sine timore Dei: cuius exemplum clarissimum singuli in nobis ipsis cernere possumus. *Patientia* est, quâ obedimus Deo in tolerandis aduersis. Cum hâc pugnat impatientia irascens Deo in ærumnis, vt in Iobo, Ieremiâ, Israëlitis vagantibus per desertum, in Catone, Cicerone, &c & hypocritica tolerantia cruciatuum sponte accersitorum, vt in eremitis & monachis flagellatoribus. *Perseuerantia* est, quâ constanter Deo adhæremus. Cum hâc pugnat defectio à Deo, & pertinacia in superstitione. Harum virtutum lucidissima specula sunt Carolus M. Henricus Auceps, Henricus Bambergensis & alij, qui domitis ethnicis deleuerunt idola, & coëgerunt domitos audire veram doctrinam: in quâ ipsimet quoque perseuerarunt. Et Carolus M in institutione episcopatus Hamburgensis scripsit: Volumus gentem Saxonicam non nobis, sed Deo seruire retentâ libertate. *Gestus externus*, quod debemus Deum honorare, debet esse conformis virtutibus primi præcepti iam expositis. *Inuocatio Dei* est, quâ solum Deum ardenter & frequenter rogamus, vt nobis adsit. Cum hâc pugnat omissio inuocationis; inuocatio ethnica, Turcica, idololatrica; & inuocatio mortuorum. Inuocatio autem non excitat Deum, qui est omniscius, sed nos *Gratiarum actio* est, quâ Deum toto & deuoto pectore laudamus ob beneficia nobis data. Huic repugnant ingratitudo & hypocritica gratitudo, qualis est Pharisæi, *Luc.* 18. *Confessio* est, quâ coram hominibus testatam facimus nostram de Deo sententiam, nihil morati supplicia. Huius exempla sunt Daniel inter leones, Matthatias pater Iudæ Maccabæi, omnes apostoli, Paulus, & martyres, vt Laurentius in craticulâ, & Ignatius: qui cùm in circo bestiis obiiceretur, *Frangite*, inquit, *me, & comminuite instar grani, vt fiam panis Christo gratus*. Cum hâc pugnat pertinacia impia defendendis erroribus, qualis fuit Serueti, qui anno 1552. Geneuæ combustus est: & defectio seu negatio, cuius innumerabilia exempla fuerunt conspecta superiori seculo in Principibus, ciuitatibus, doctoribus, & priuatis, cùm liber Confessionis Augustanæ promulgaretur. Tales quoque fuerunt Interimistæ, qui τὸ Interim amplexi sunt. *Iusiurandum* est inuocatio veri Dei, quâ petimus vt sit nostri sermonis testis, & fallentes puniat. Legitimum autem iuramentum est, quod vel imponitur à magistratu, & dicitur ἐπακτὸν, vel suscipitur cogente vocatione. De hoc genere *Isocrates ad Demonicum* ait: Iuramentum à magistratu impositum propter duas causas suscipito: aut vt teipsum turpi crimine liberes, aut vt amicos ex periculis serues. De vtilitate legitimi iuramenti dicit poëta:

Ἀνδρὸς δ' εὐόρκου γενεὴ μετόπισθεν ἀρείων·
Viri seruantis iuramentum posteritas felicior erit.

Et Pausanias in Arcadicis refert, Philippi regis Macedoniæ liberos ideo in tantas incidisse calamitates, quia pater omnia promissa, pacta, & iuramenta conculcauerit. Pugnant cum legitimo iuramento sophisticæ & calumniosæ interpretationes iuramentorum, iuramenta impia, vt monachorum; periuria magistratuum, mercatorum, & omnium Christianorum; quia omnes violamus iuramentum, quod Deo præstitimus in baptismo. *Obseruatio certi temporis sacri, sacrorumq; isto tempore rituum* est, quâ conuenimus tempore certo, Deúmque in publicâ panegyri laudamus. Vult enim Deus, author temporis, vt certum aliquod tempus impendamus cultui eius. Atque hoc dictat natura. Hinc Tibullus:

Luce sacrâ requiescat humus, requiescat arator:
Et graue suspenso vomere cesset opus.

Etsi enim Deus sit spiritus, loca tamen sacra, templa sacra, & res sacræ ipsius cultui destinantur: quia nos sumus corporei talibusque rebus excitamur, & æquum est, vt rerum corporalium datori, corporibus nostris rebusque corporeis seruiamus.

FLORILEGIVM.

PIETAS. SENTENT. Pietas & impietas non Deo, sed homini prodest aut nocet, *Iob* 35. Pietas est magnus quæstus, 1. *Tim.* 4. & 6. Penes Deum nec pietas sine iustitiâ est, neque sine pietate iustitia, nec sine pietate cœlesti sensus, sine bonitate æquitas, sine æquitate bonitas habetur. Virtutes si separatæ sunt, dilabuntur: æquitas sine bonitate sæuitia est, & iustitia sine pietate crudelitas est, *Chrysost. serm.* 143. Pietas est iustitia aduersus Deum. *Cic.* 1. *de nat. deor.* Pietas fundamentum est omnium virtutum *Id. pro Planc.* Homo natus est colendi Dei gratiâ, qui nos ideo generauit, vt seruiamus. *Lact. lib.* 3. *cap.* 9. Consiliorum gubernaculum sit lex diuina. *Cypr.* Primus est deorum cultus, deos credere, deinde illis reddere maiestatem suam. *Sen. epist.* 96. Pietatis est, ita de Deo loqui, vt est. *Bias.* χρὴ δὲ πρὸς Θεὸν οὐκ ἐρίζειν: Non decet cum Deo contendere. *Pind. hym.* 2. *Pyth.* Omnis sapientia hominis in hoc vno est, vt Deum cognoscat, & colat. *Lact. lib.* 4. *de ver. sap. cap.* 28. Hæc sapientia est lumen cordis humani. *Id. lib.* 1. *de orig. err. cap.* 7. Qui quærit, an Deus sit, non verbis, sed fustibus refutandus. *Diog. Laërt.* Τοὺς βουλομένους ἀθανάτους εἶναι, δεῖ ζῆν εὐσεβῶς καὶ δικαίως. *Antisth.* Εὐσέβεια ἐπιστήμη θεῶν θεραπείας, *Pietas est scientia diuini cultus. Zeno. Cittic.* Animus pius maiore sui parte illic est, vnde descendit. *Senec. epist.* 41. Quemadmodum radij Solis contingunt quidem terram, sed ibi sunt, vnde mittuntur: sic animus magnus & sacer, & in hoc demissus, vt propiùs quidem diuina nossemus, conuersatur quidem nobiscum, sed hæret origini suæ. *Id. ibid.* Κεφάλαιον ἑορτῆς Θεοῦ μνήμη. Festi summa, Dei est memoria *Nazianz.* Πάνυ καλὸν ἐστὶ τὸ πείθεσθαι τῷ Θεῷ. In alto non altum sapere, Deo charissimum, apud homines rarissimum. *Bernh* Pietatis est spernere mundum. Mundum enim spernere, est Deum eligere. Obiicit caro: At pius eligit crucem. Regerit pius: Quis non lubens aurum argento, silicem gemmâ, vitrum lapide vitioso commutaret? At amici offenduntur? Quid tum? Iucundiores cùm obtineantur. At minuuntur res? Sed crescunt opes illæ, quas nec tineæ demoliuntur, nec tollunt fures. Desinimus esse in pretio apud mundum? Sed probamur authore Christo. Placemus paucioribus? Sed melioribus. Macrescit corpus? Sed saginatur animus. Marcescit nitor cutis? Sed enitescit decus animi. Caremus voluptatibus corporis? Sed fruimur internis. Sicut enim non licet sulcare mare sine periculo & ventis, comparare carnes sine ossibus, bibere vinum sine fæcibus, colligere frumentum sine paleis, mel comedere sine infestatione apium, rosas colligere sine picturâ spinarum: ita nec regnum Dei potest nobis sine tribulationibus obuenire. *Anonym.* SIMILITVD. Pietas à Cicerone confertur fundamento, à Mantuano cynosuræ: pij in Scripturâ comparantur lapidibus viuis, bonis piscibus, arboribus plantatis ad riuos aquarum, terræ bonæ, tritico, & quercubus: à Chrysostomo conferuntur cum mercatore, qui non sentit laboris molestiam. EXEMP. Abel, Enoch, Noë, Abraham immolaturus filium, Dauid, Iosaphat, Ezechias, Daniel inter leones, Constantinus M. Theodosius, Honorius, Laurentius in craticulâ; Athenienses, quorum formula in iureiurando hæc erat: *Pugnabo pro sacris, & cum aliis & solus.* Item Alexander Seuerus Imper. qui, cùm Christiani publicum quendam locum orandi gratiâ occupassent, contra autem caupones quidam gentiles iam antè suum esse contenderent, auditâ controuersiâ, etsi ipse minimè Christianus erat, respondit, quoquo modo esset, satius esse eo in loco Deum coli, quàm cauponas exerceri. Item Iohannes-Frideric. Dux Saxoniæ Elector, & Philip. Hassiæ Landgrauius: Henricus denique Georgij Saxoniæ principis frater; qui, cùm post mortem huius legati dicerent, multum esse paratæ pecuniæ, multum exquisitæ supellectilis & argenti plurimum à fratre relictum, quæ sit consecuturus omnia, modò voluntati fratris de nihil immutando in religione morem gerat, mox è vestigio, Sanè, inquit, hæc vestra legatio planè mihi repræsentat illud, de quo proditum est in S. literis, cùm Satanas Christo polliceretur totius mundi regna, modò procumbens ad pedes ipsum adoraret. An verò tanti esse apud me putatis vllas opes, vt earum causâ velim ab agnitâ veritate, puráque religione decedere? Multum certè vos expectatio vestra fallit. Epiphanius Salamine Cypri episcopus, cùm templo quodam velum Christi, aut sancti alicuius imaginem depictam vidisset, scidit, dedítque consilium Ecclesiæ custodibus, vt pauperem potiùs mortuum inuoluerent. Et licet Damascenus scribat, simulachra ignorantibus literas esse veluti trophæa constituta, & licet Gregorius dicat, esse libros laicorum: hæc tamen sententia est referenda inter ea, quæ Patribus ignoscenda potiùs, quàm comprobanda. Rectè igitur *Theodosius & Valentinianus l.* 1. *C. nemini licere*, sanciuerunt, crucis signum & Saluatoris nec in solo, nec in lapide sculpendum. Et Plato canibus & lupis comparari, inquit, qui deos credunt donis placari *lib.* 10. *de ll.* Et idem vetuit, deorum simulachra ex auro & argento fieri. Quanquam idem hâc in parte peccauit, quòd simulachra deorum ex lapide & ligno fieri voluit: vt illo mentis stabilitas, hoc mentis fragrantia significaretur.

Pictura religionis.

Quænam age tam lacero vestita incedis amictu?
Relligio, summi vera Patris soboles.
Cur vestis tam vilis? *Opes contemno caducas.*
Quis liber hic? *Patris lex veneranda mei.*
Cur nudum pectus? *Decet hoc candoris amicam.*
Cur innixa cruci? *Crux mihi grata quies.*
Cur alata? *Homines doceo super astra volare.*
Cur radians? *Mentis discutio tenebras.*
Quid docet hoc frænum? *Mentis cohibere furores.*
Cur tibi mors premitur? *Mors quia mortis ego.*

Huic

Huic addatur emblema fictæ religionis.

Regali residens meretrix pulcherrima sella,
Purpureo insignem gestat honore peplum.
Omnibus & latices pleno è cratere propinat;
At circumcubitans ebria turba tacet.
Sic Babylona notant, qua gentes illice formâ,
Et fictâ stolidas relligione capit.

IMPIETAS. SENTENT. Impietas abneganda est. *Tit.* 2. Impij sunt Deo abominabiles: *Psalm.* 1. Deum contemnunt. *Psal.* 14. Proximum perdunt. *ibid.* seipsos perdunt. *Psalm.* 1. Hinc Comicus,

Ἀνὴρ πονηρὸς δυστυχεῖ, κἂν εὐτυχῇ.

Impiis apud inferos sunt pœnæ paratæ. *Cic.* 1. *de legibus.* Sua quemque fraus, suum facinus, suum scelus, sua audacia de sanitate ac mente deturbat. *Idem in Pison.* SIMILITVD. Scriptura impios confert argento adulterino, canibus, porcis, ceræ fluenti, flammæ, fumo, fœno, leonibus, lupis, mari ferventi, myricæ sterili, paleis, pulueri, luto, spinis, rotæ, stipulæ, terræ malæ, zizaniis. APOPHTH. Bion impietatem dicebat malam esse contubernalem fiduciæ, q.d. filiam impietatis esse malam conscientiam. *Laert. lib.* 6. ADAGIA. Lydi mali, post Ægyptij, Cares perditissimi: Mali commatis: Adulterinus: Duplex cappa, id est, κακός: Cecropissare: Vlyssis remigium: Oppedere fulminibus: Diagoras Melius. EXEMP. Cain, mundus antediluuianus, Cham, Pharao, Sodomitæ, Esau; Core, Dathan, & Abiram; Saul, Goliath, Absalom, Asa, Sennacherib, Rabsaces, Achab, Ieroboam, Iezabel, Holofernes, Herodes, Antiochus Epiphanes; Mezentius, Cyclops; Iulianus Imperator, qui religionis Christianæ fuit summus contemtor. Is contra Persas exercitum ducturus grandem ipsis mulctam imposuit. Illi grauius à Paganis tractati, sæpiùs auxilium Imperatoris implorarunt. Sed hoc responsum tulerunt: Æquum est vt mala sustineatis, cùm hoc sit præceptum vestri Dei. Sed in isto bello accepit vulnus lethale, ex quo hausit sanguinem, voláque in cœlum eiaculatus dixit: Exple iram tuam Galilæe; Vicisti me Galilæe. Nero imperare diis concupiuit, nec quicquam generosius voluit, vt ait Plinius. Petrus Bembus Cardinalis, referente Georgio Fabricio Chemnizensi, dixit: Semel legis Biblia: quòd si iterum mihi legenda essent, perderem omnem Latinitatem. Nimirum qui vitam omnem in ethnicis scriptis consumunt, ad postremum gentiles euadunt, vt ait Hemmingius. Huc refer illam historiam: Erat prouerbium apud Italos: Paruum est peccatiolum, non credere esse Deum. Melanchthon hoc exprobrauit cuidam Italo, dicens: Vos Itali, creditis Deum esse in pane, quem non creditis esse in cœlo. Omnes isti ponant sibi ob oculos Musicam damnatorum, quæ sic habet:

Vt. Vtinam montes nos obruerent.
Re. Repleta enim est malis anima nostra.
Mi. Miserabiles facti sumus.
Fa. Faciem enim nostram operuit caligo.
Sol. Sol autem iustitiæ nunquam orietur nobis.
La. Lassatis itaque nobis nulla datur requies.

CAPVT IX.

De Temperantiâ.

PRÆCEPTA.

ISTA est pietas: probitas est virtus respiciens hominem.

Estque simplex, vel coniuncta.

Probitas simplex est, quæ vel ad nos, vel ad alios refertur.

Probitas ad nos relata, est moderatrix vel cupiditatis, vel affectus.

Moderatrix cupiditatis est temperantia, vel vigilantia. Temperantia est, quæ regit voluptates corporis humani: *quibus opponitur voluptas animi theoretica, practica, & poëtica: itémque voluptas bestialis.*

Temperantia versatur circa voluptates corporis internas, vel externas.

Voluptates internæ sunt vel nutrimenti, vel Veneris.

Nutrimentum est cibus, vel potus.

Circa cibum versatur Abstinentia, quæ docet cibos salubres tempestivè & moderatè comedere: circa potum Sobrietas, quæ docet salubrem potum tempestivè & moderatè bibere.

Abstinentiæ in excessu opponitur voracitas, in defectu ieiunium nimium. Sobrietas excessus est ebrietas; defectus, nimia à potu abstinentia. Huc pertinet abstinentia noxia Seuerianorum & Encratitarum, qui vinum non bibebant, illud Diabolicum esse causati. Item Iudæorum modernorum, Eremitarum, & Monachorum; qui à certis ciborum generibus abstinent.

Circa voluptatem Veneris occupatur castitas: quæ dicitur continentia: eaque cælebs, quæ vitat omnes vagas & caninas libidines extra coniugium; quæ est virginalis, vt Iosephi: & vidualis, cuius vestigium apparet in turture: tum coniugalis seu maritalis, quæ in coniugio seruat ordinem à Deo institutum.

Ei in excessu opponitur sæuitia in naturam nostram: in defectu simulatio castitatis, qualis est cleri Romani: & omnis libido seu impuritas, cuius species sunt, 1. Fornicatio, quæ est scortatio cum meretrice. 2. Concubinatus, quem Papa probat. 3. Adulterium, quod propriè est scortatio cum alterius coniuge. 4. Stuprum, quod est scortatio cum virgine. 5. Incestus, qui est scortatio cum consanguineâ, vel affine in gradibus lege diuinâ vel ciuili vetita. Lege dico diuinâ vel ciuili; quia in prohibitionibus matrimoniorum non moramur ius Canonicum seu Pontificium. Hoc vitium multis magnatibus hodie pro lusu est, quorum multi imitantur Caligulam, qui cum omnibus sororibus stupri consuetudinem fecit, vt Suetonius refert. Et Papa hic dispensare solet contra ius diuinum & humanum. 6. Mollities, cùm quis non habet honorem suo corpori, sed per seipsum voluntariè polluitur. 7. Lenocinium, cùm quis seruit alienis libidinibus, siue prostituendo vxorem, filiam sororem aliámve è familiâ suâ, siue conquirendo, & adducendo scorta lucri fauorisque turpissimâ causâ. 8. Sodomia, quæ dicitur peccatum mutum, quod Itali & Hispani non habent pro peccato, adeò quidem, vt Iohannes Casa Archiepiscopus publico scripto hoc peccatum celebrarit. 9. Bestialitas, scortatio hominis cum bestiâ: de quâ est lex *Exod.* 22 *v.* 19.

Voluptates externæ sunt circa somnum, mundationem corporis, recreationem corporis, vestitum, domum, & supellectilem domesticam: quas omnes temperantia sic regit, vt sint moderatæ.

REGVLÆ.

I. *Temperantia est obstetrix virtutum in animis nostris, mater sanitatis, & dulcissima senectutis nutricula.* Temperantiæ elogium.

SAnitatis dico tum corporis tum animæ. Conseruat enim bonam valetudinem & pulchritudinem corporis, tuetur vim ingenij & acumen iudicij, fouet prudentiam & sapientiam, & in primis reddit hominem aptum ad cultum diuinum. Itaque ô homo sic viuas, vt sit mens sana in corpore sano.

II. *Temperantiæ strictè ac specialiter sumtæ duo sunt actus.* Temperantiæ actus duo.

DOcet enim voluptates absentes tempestivè & moderatè appetere, & præsentibus temperatè ac moderatè vti, frui: atque ita facit, vel ne sint voluptates, vel si sint, vt sint honestæ & vtiles. Facit itaque vt homo nec sit Diogenes, nec Epicurus. Atque sic strictè accipitur hoc vocabulum. Nam & latè sumitur, vt cum Cicero quinto de finibus ait: Temperantia est moderatrix omnium commotionum.

III. *In cibo & potu oportet adhibere delectum personæ, obiecti, loci, temporis, iuxta has regulas.* In cibo & potu quomodo delectus adhibendus?

1. COnsideranda cibi quātitas & qualitas. 2. Salutaria suauibus præferenda, non contra: salutaria autem sunt, quæ valetudinem firmant, famam & rem familiarem tuentur, & hominem expeditum reddunt ad exercitium virtutum. 3. Considerare quilibet debet tum vasa, tum vires suas, vt vitet vtramque satietatem, tum illam quæ est ad vasa, tum illam quæ est ad vires. Satietas ad vasa est, cùm plus cibi aut potus ingeritur, quàm capacitas ventriculi cōmodè continere possit. Hic cogitetur illud Senecæ: *Turpe est sui stomachi mensuram non nosse*; & istud Plutarchi: *Cibi onerosi multarum ægritudinum sunt causa.*

causa. Societas ad vires est, cùm plus cibi aut potus ingeritur quàm infirmior ventriculi vis valeat concoquere. Hæc distinctio etiam hanc ob causam tenenda, ne statim luxuriæ dicam scribamus illis, qui cibo vel potu copiosiore vtuntur, cùm & vasa & vires ipsorum ita poscunt. Sic Milo Crotoniates non statim est vorax dicendus, etsi vnâ vice ederit vitulum. 4 Tantum cibi & potus adhibendum, vt reficiantur vires, non vt opprimantur. 5. Esse oportet vt viuas, non viuere vt edas. 6. Homini cibus vtilissimus est simplex. 7. Cibi condimentum sit fames, potionis sitis. Est enim genus tormenti sine siti bibere & sine fame edere. Nam mixtura damnosa est, & alienas generat qualitates, & epulæ peregrinæ peregrinos morbos pariunt. 8. Loci habenda ratio in cibo & potu sumendo; ne eodem in loco habeas aulam & caulam. 9. Bona diæta est potior omni Hippocrate. Hîc quæritur, an illud consilium quorundam medicorum pugnet cum præceptis Ethicis: quolibet nempe mense semel licere homini se inebriare, adeò quidem, vt vomitum prouocando expurgent ventriculum? Resp. Ridiculum est consilium. Et verò alia vomitoria hîc sunt adhibenda.

An ebrietas excuset delictum?

IV. *Ebrietas non excusat delictum.*

EBrietas est actualis, vel habitualis. Illa propriè dicitur ebrietas, hæc ebriositas. Illa potest cadere in bonum virum, vt in Noachum, & liberat à tanto, sed non à toto peccato. Hæc cadit duntaxat in malos & delictum auget. Hanc enim qui habet, ait Bernhardus, peccatum non facit, sed est ipse peccatum.

An voracitas deterior ebrietate?

V. *Voracitas non est deterior ebrietate.*

QVamuis enim vulgus existimet, titulum voracis esse turpiorem titulo ebriosi: tamen ebrietas longè nocentior est voracitate, quia est omnium vitiorum & maximorum morborum corporis origo. Hinc in libro, qui inscribitur Theatrum Diabolorum, rectè dicitur, quòd diabolus ille, qui dicitur præses & præstes ebrietatis (*Saufteufel*) agmen & familiam ducat inter Diabolos: quia scilicet parit ignorationem atque contemtum sui proximi, & Dei.

Castitatis radix & fructus.

VI. *Castitatis radix consistit in corde, fructus in gestibus, verbis, & factis.*

ANimus itaque castus si fuerit, reliqua vltrò subsequentur. Hîc autem duo in primis sunt necessaria: primò cogitandum est Deum esse mentem castam, & corpus nostrum esse templum Spiritus S. quod qui profanat, sacrilegij damnatur. Deinde occasiones malæ vitandæ: quæ ipsæ sunt vel peccata, vel peccati fomites: vti sunt picturæ obscœnæ, choreæ inhonestæ, & similia. Oportet hîc velo castitatis oculos contegere, ne videamus Helenam, nudam Dianam, Betsebam aut Susannam. Oportet cerâ Vlyssis aures obstruere, ne audiamus Circen.

Castitas rara auis.

VII. *Castitas est virtus rarissima.*

HInc Augustinus ait: Inter omnia certamina Christianorum duriora sunt prælia castitatis. Nam ibi continua pugna & rarior victoria. Et Hieronymus: Quâcunque virtute polleas, quibuscunque operibus niteas, si cingulo castitatis careas, omnia per terram trahes.

Polygamia patriarcharum.

VIII. *Polygamia Patriarcharum non est excusanda.*

QVia fuit contra naturam. Non itaque vel defendendum, vel imitandum est eorum factum. Tametsi enim Deus tolerauit in iis hoc vitium: non tamen probauit.

IX. *Cain non est dicendus incestuosus, etsi suam sororem duxit vxorem.*

NOn enim nostra & illius causa est par, nec eadem. Nam Deus, qui poterat Caino aliam vxorem creare, neque tamen produxit, quodammodo relaxauit istam legem, quam postea sanxit.

De gradibus consanguinitatis ne audiantur Canonistæ.

X. *De gradibus, quibus committatur incestus, non sunt audiendi Canonistæ.*

CAnonistæ dicunt extendi vsque ad septimum cognationis gradum, sed hæc constitutio est planè bursalis, vt vocant, id est, ad quæstum curiæ Romanæ comparata. Quantò enim maior est & latior prohibitio, tantò dispensatio est frequentior & lucrosior. Sed nos incestum definimus & ad eum vsque consanguinitatis gradum extendimus, quem Deus ipse descripsit *Leuit.* 18. & 20. Hîc notetur illud: Inter eas personas quæ in parentum liberorúmve numero censentur, in infinitum sunt incestæ nuptiæ: vt, si Adam nunc reuiuisceret, coniugem non inueniret.

Gradus consanguinitatis indispensabiles.

XI. *De gradibus consanguinitatis Princeps vel Ecclesia non potest dispensare.*

CVm enim hæc lex Dei sit fundata in ratione æternâ, homines illam relaxare non debent. Itaque Claudius Imperator non rectè fecit, qui non modò duxit neptem, sed etiam edicto, vt id liceret, proposuit. Itaque & Papa errat, qui contra ius diuinum, naturale, & ciuile dispensat in causis matrimonialibus.

In voluptatibus externis quid spectandum?

XII. *In voluptatibus externis honesta iucunditas, amœnitas, & vtilitas quærenda est.*

HVc pertinet temperantia circa picturas, musicam vocalem & instrumentalem, somnum tempestiuum, lusus moderatos & liberales, vestitum conuenientem qui non sit supra statum, circa habitationem commodam, & supellectilem necessariam.

Intemperantiæ regnũ quale?

XIII. *Intemperantiæ regnum has habet quatuor prouincias.*

1. EST terra *Gulonum*; quam Plautus vocat Comedoniam & Perediam: vbi sunt homines vulturij, quæ aues triduo priùs prædiuinant, quo die esuri sint. Atque in hâc regione saturitas est vitæ charybdis & carcer molestissimus. Voracitas quippe deterior ebrietate. 2. *Crapulia*; quæ Plauto dicitur Perbibesia, vbi corruptores vini græcantur, germanicantur, flagellant stomachum & cerebrum, & celebrant Cyclopica conuiuia, in quibus vnus enecat alterum. 3. *Virginia*, vel potiùs Sodoma & Gomorrha: vbi regnant stuprum, fornicatio, polygamia, concubinatus, incestus iuris gentium & ciuilis, quorum ille perpetratur inter ascendentes & descendentes, hic intercollaterales: adulterium & quasi-adulterium, raptus, & Sodomia, siue peccatum obbrutescens & portentosum. 4. *Moronia*; vbi regnat Epimenides semisomnis, & Diogenes cum suo dolio. Est autem Moronia ista multiplex, videlicet Risia, Variana seu mobilis, Moronia Felix, Pia, Fatua, Aspera, &c.

De temperantiâ priùs docendum quàm de fortitudine.

XIV. *Temperantia doctrinæ ordine prior est quàm fortitudo.*

INterpretes Aristotelis, & nominatim Acciaolus ac Petrus Martyr, contendunt priùs de fortitudine tractandum esse, quàm de temperantiâ: quòd fortitudo versetur circa res arduas, & sit splendidior quàm temperantia, quódque vis irascibilis propiùs ad rationem accedat, quàm concupiscibilis. Verùm hæ rationes militant pro dignitatis, non verò naturæ ordine. Est autem tẽperantia prior naturæ ordine: quia cupiditas nutritionis & generationis naturâ prior est, quàm affectus.

Temperãtiæ obiectum principalius.

XV. *Temperantia magis versatur circa voluptates, quàm circa ægritudines.*

NAm quia magis procliues sumus ad voluptates corporis, quàm ad ægritudines, temperantiæ potissimum munus est regere voluptates, & concupiscentiam, hydram illam multorum capitum, configere.

Intemperantia, quæ committitur tactu, magis noxia.

XVI. *Intemperantia, quæ committitur tactu, magis est noxia, quàm illa, quæ committitur gustu.*

INtemperantia tactus cernitur in Venere: gustus in esculentis & potulentis. Illa est perniciosior quàm hæc: quia totum corpus debilitat, & animam planè affligit, terræque affigit.

Extrema temperantiæ.

XVII. *Extremum temperantiæ in excessu, videlicet intemperantia, magis culpandum est, quàm extremum ipsius in defectu, videlicet stupor.*

RAtio est in promtu: quia intemperantia est magis voluntaria quàm stupor. Rigoris istius exemplum est Diogenes Cynicus, qui pro domicilio vtebatur dolio de palo suspenso, & pane excauato pro catino, crudis herbis & aquâ simplici victitabat. Diogenes iste vulgò canis dicebatur. Cùm autem multa sint canum genera, videlicet venatorij, aucupatorij, custodes ouium & ædium, & qui in deliciis habentur; & quidam percontaretur, qualis ipse esset: Esuriens melitæus, dixit, satur molossus; quòd cibi appetens blandiretur, satur morderet. Item Michaël Venus, de quo tale extat carmen:

Sola Venus lento poterat succurrere morbo:
Quàm se pollueret maluit ille mori.

Sed in ea nunc incidimus tempora, de quibus Mantuanus ita canit:

Ambi

Ambitiosus honos, & opes, & fœda voluptas:
Hæc tria pro trino numine mundus habet.

Quot modis [temperantiæ lineas] transilimus?

XVIII. *Classes eorum, qui hîc præuaricantur, sunt nouem.*

1. **S***toici*; qui voluptates omnes, etiam necessarias, honestas, & licitas aspernantur: qualis fuit Diogenes Cynicus, qui pro domicilio vtebatur dolio, & herbis crudis aquáque victitabat. 2. *Hypocritæ*; qui Curios simulant & Bacchanalia viuunt: quales sunt plerique clerici 3. *Voraces* qui terræ affigunt diuinæ particulam auræ, dum nimio aut nimis exquisito, aut etiam immaturo cibo corpus saginant. 4. *Ebriosi, seu temulenti*; qui nimio potu se ingurgitant, siue sponte suâ siue à compotoribus inuitati: qualis fuit Alexander M. & Claudius Tiberius Nero, qui appellatus fuit Calidus Biberius Mero. Voraces illi & ebriosi isti, rectè dicuntur Epicuri de grege porci, quia porcorum instar ad pastum obiecti sunt, & illis venter est Deus. Et de iis facetè dicitur, quòd semper sint in Comedoniâ, Perbibesiâ, & Perediâ. 5. *Luxuriosi, qui vestes sumptuosas gestant*; quíque instituunt sumptuosa & Cyclopica conuiuia, in quibus vnus alterius stomachum flagellat, vel etiam alterum bibendo enecat. Quò pertinet sumptuosum conuiuium Antonij Cleopatræ, de quibus historicus, Bacchus, inquit, & Venus concurrerunt. 6. *Canonistæ*; qui probant lupanaria. 7. *Mali Christiani*; qui scortationem quamcumque, de quâ in præceptis, sectantur. 8 *Polygami*; qui multas habent vxores: qualis fuit Salomon. 9. *Veteres Vl ostihali*; qui coniuges ducturi cum illis ad tempus vixerunt, quas postea pro lubitu vel dimiserunt, vel in matrimonium collocarunt.

FLORILEGIVM.

TEMPERANTIA. SENTENT. Temperantia mandatur omnibus, *Exod.* 20. 1. *Petr.* 3. *v.* 1 1. *Tim.* 3. *v.* 2. *Tit.* 1. *v.* 2. Coniugium est honorabile, *Heb.* 13. Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra, 1. *Thess.* 4. Sectamini castitatem, sine quâ nemo videbit Deum, *Heb.* 13. Vbi vera temperantia, nisi in Christi vitâ? soli temperantes dicendi sunt, qui eius vitam imitari student, *Bernh. ferm.* 23. *in Cantic.* Sobria frugalitas & alimentum est, & voluptas, & sanitas: Nimium verò est noxa, fastidium & morbus. *Chrysostom.*

Virgil.

Nec Veneris, nec tu vini capiaris amore:
Vno namque modo Vina Venúsque nocent.
Vt Venus eneruat vires, sic copia Bacchi
Et tentat gressus debilitátque pedes.
Multos cæcus amor cogit secreta fateri:
Arcanum demens detegit ebrietas.
Bellum sæpe petit ferus exitiale Cupido,
Sæpe manus itidem Bacchus ad arma vocat.
Perdidit horrendo Troiam Venus improba bello,
Et Lapithas bello perdis Iacche graui.
Denique cùm mentes hominum furiarit vterque,
Et pudor, & probitas, & metus omnis abest.
Compedibus Venerem, vinclis constringe Lyæum,
Ne te muneribus lædat vterque suis.
Vina sitim sedent, natis Venus alma creandis
Seruiat: hos fines transiliisse nocet.

Qui ventri deditus spiritum fornicationis superare conatur, similis est homini incendio oleum restinguenti. *Anonym.*

Philip. Melanchthon.

Πνεῦμα ἐὰν θεὸς ἀεὶ δίος καθαρόν τε καὶ ἁγνόν,
Τῶν ἁγνῶν δέχεται ἱερὰ μοῦνα φρενῶν.
Casta Deus mens est, casta vult mente vocari,
Et castas iussit pondus habere preces.

Bacchylides.

Vt cùm de statuâ facies formosa reuulsa est,
Non decus in reliquo corpore truncus habet:
Sic reliqui mores spreti sine honore iacebunt,
Ni sint ornati laude pudicitiæ.

Virginitatis iugum nemini imponito. Periculosa est enim eius possessio, & difficulter custodiri potest, quando coactis imperatur. Iunioribus concede coniugium, priùs quàm corrumpantur consuetudine meretricum. *Ignatius.* In coniugio hæc consolatio proposita sit, quòd coniuges oporteat naturæ humanæ perpetuitati studere, vt liberos liberorum relinquentes, semper Deo cultores in suum locum substituant. *Plato 6. de legib.* Oportet parentes liberos gignere, qui vitam tanquam lampadem posteris tradant, vt semper sint aliqui colentes Deum iuxta ipsius legem. *Id. ibid.* Multi magni morbi abstinentiâ & quiete curantur. *Celsus.* Et Plato in Timæo iubet παιδαγωγεῖν διαίταις, hoc est, diætâ moderari corpora. Mater bonæ valetudinis fragilitas, inimica luxuriosis epulis. *Valer. Max. lib. 2. cap. 1.* Σοφοὶ οἰνωθήσονται μὲν, οὐ μεθυσθήσονται δὲ, id est, Sapientes vinum quidem bibunt, sed non inebriantur. *Zeno Citticus.* Panis cibarius & aqua, cùm quis egens illa in cibum sumit, summam voluptatem adferunt. *Laërt. in Epicur.*

Vitis tres vuas fert; vnam voluptatis, alteram ebrietatis, tertiam mœroris. *Anacharsis.* Virgines nullo cultu meliùs ornantur, quàm simplici. *Erasmus in apoph.* quod notetur contra κομμωτικόν, id est, *ascititium corporis cultum.* Pudor mulieres magis decet, quàm purpura. *Plaut.* Non ego illam mihi dotem puto esse, quæ dos dicitur, sed pudicitiam & pudorem, & sedatam cupidinem. *Id.* APOPHTHEG. Alexander, cùm à quibusdam moneretur, vt Darij vxorem & filias formâ præstantes inuisere & spectare vellet, respondit, Turpe futurum, eos qui vicissent viros, à mulieribus vinci. *Curtius.* Democritus dicebat, Temperantia quæ iucunda sunt auget, & voluptatem maiorem facit. *Stob. in serm.* Socrates rogatus, Quibusnam rebus maximè abstinendum sit, respondit, turpibus voluptatibus. *Stob.* Pythagoras temperantiam animæ robur esse dicebat. *Laërt.* Non est dignus Romano nomine, qui plus appetit, quàm quod ad victum frugalem satis est. *Erasm. in apoph.* Alcamenes Lacon exprobranti cuidã, quòd frugaliter viueret, cùm amplas facultates possideret, respondit: Decet eum, qui multa possidet, ex ratione, & non ex libidine viuere. *Id. ibid.* SIMILITVD. Temperantia est basis actionum animæ, corona vitæ, & propugnaculum aduersus tentationes Diaboli. EXEMP. Ioseph, Moses, Iob, Daniel, Susanna, Paulus Apostolus, Alexander M de quo paulò ante: *Pompeius Magnus* se continentissimum ostendit, cùm captis multis Mithridatis regis concubinis, formâ insignibus, omnes illæsas cognatis restitui iussit. *Peleus* abstinet à Cretheide Acasti regis vxore, à quâ ad stuprum solicitabatur. *Bellerophontes* cohibet se ab Antoeâ Præti vxore. *Cyrus* non vult aspicere Pantheam Susianam Abradati coniugem. *Pausanias* abstinet à captiuâ Coâ. *Demosthenes*, cùm Lais meretrix μυρίας δραχμάς, id est, 1000. coronatos posceret: Ego, inquit, pœnitere tanti non emo. *Macrinus* Imper. adulterij reos semper viuos simul iunctis corporibus cremauit. Lex Iulia lib. 48. Pandect. coërcet adulteria. *Scipio* continet se à captiuâ Allucis sponsâ. *Iuliani* Imper castitas à Marcellino celebratur. *Aurelianus* Imper. medicum ad se, cùm ægrotaret, nunquam vocauit, sed ipse se inediâ curauit. *Penelope* vxor Vlyssis, de quâ poëta:

Penelope poterat bis denos casta per annos
Viuere: bis deni fœmina digna viris.

Philonis vxor non vtebatur ornatu aureo, vt cæteræ fœminæ, quòd ipsi αὐτάρκης κόσμος, id est, satis magnus ornatus, esset maritus. *Hieronis vxor.* Cùm enim Dionysius iunior Hieroni exprobraret oris graueolentiam, & ille expostularet cum vxore, quòd id sibi nunquam indicasset: Tum illa, Putabam, inquit, viros ad eundem modum olere. Eximium profectò pudicitiæ argumentum, quæ nulli viro tam vicina fuerit, vt oris halitum sentire posset, præterquam vni marito. *Martia* Varronis filia, sculpendi pingendíque arte insignis habebatur. Sed præ pudore, ne in viris pudibunda exprimeret, aut ob imperfectum opus relinqueret, effingendâ virili figurâ semper abstinuit. *Gualdrata Bertha*, cùm Florentiæ ab Otthone 4. inter plurimas formosas puellas valde laudaretur, & pater Bellincionus diceret, se daturum operam, vt deosculandæ puellæ copiam haberet: respondit, nullius nunquam, nisi eius qui maritus ipsius foret, suauium accepturum. Ea res adeò placuit principi, vt indignum duceret, sine præmio puellam dimittere. *Maximilianus I.* inter prandia rarò bibebat, in cœnâ vt plurimùm ter: atque ideò valetudo illi vsque ad periodum vitæ prospera fuit. *Cuspinianus* HIEROGLYPHIC. 1. *Lumbi exemti in victimis*: item lumbi præcincti. Lumbi siquidem in concitandâ libidine plurimùm possunt. 2. *Cingulum & Zona*; quibus coërcenda esse libido significatur. Hinc de virgine: Soluere zonam virgineam. 3. *Cubitus vnà cum fræno.* 4. *Capricus*; quæ collo tauri ferocientis suspensa, ferociam & lasciuiam eius comprimit. 5. *Palumbes*; quæ parcissimi sunt coitus: idcóque quòd parcant lumbis Albertus Magnus putat appellatos. 6. *Apes*; quæ homines à coitu olidos acriter persequuntur. 7. *Salix*; cuius materia est apta vinculis, atque adeò coërcitionis est indicium. Et folia eius contrita & pota libidinem frænant; sæpiùs verò sumta, vsum in totum auferunt. *Pier. Valer. lib. 25.* 8 *Camelus*; de quo Aristoteles scribit, eum οὐκ ἐπιβαίνειν τὴν μητέρα.

ABSTINENTIA. SENT. Abstinere ab aliquibus, non quasi malis, sed quasi non necessariis, non est malum. *August. de definit. rectæ fidei.* Mater sanitatis est abstinentia, mater ægritudinis voluptas. *Hier. in epist.* Modicus ac temperatus cibus carni & animæ est vtilis. *Id. ad Rustic.*

Hor. 2. serm. 2.

Accipe nunc, victus tenuis quæ quantáque secum
Afferat: inprimis valeas bene: nam variæ res
Vt noceant homini, credas, memor illius escæ,
Quæ simplex olim tibi sederit, ac simul assis
Miscueris elixa, simul conchylia turdis:
Dulcia se in bilem vertent, stomachóque tumultum
Lenta feret pituita. Vides vt pallidus omnis
Cœnâ desurgat dubiâ? quin corpus onustum

Hesternis vitiis animum quoque prægrauat vnà,
Atque affigit homo diuinæ particulam auræ.
Alter, vbi dicto citiùs curata sopori
Membra dedit, vegetus præscripta ad munia surgit.
Iuuenalis Satyr. 11.
——— *Voluptates commendat rarior vsus.*

Vna sylua pluribus elephantibus sufficit. homo verò pascitur terrâ & mari *Senec. ad Lucil.* Infelices estis, qui intelligitis vos famem maiorem habere, quàm ventrem. *Id. epist. 75.* APOPHTHEG. Socrates eum, qui virtutem, tanquam patriam, intueri desiderat, admonebat, vt abstinentissimam agens vitam, voluptates omnes, tanquam Sirenes, fugeret: *Stob. serm. 15.* Et ipse solebat ambulando obsonare famem. *Prodicus* dicebat optimum condimentum esse ignem, quasi dicat, obsonium bene coctum esse satis. Plato in epistola quâdam scribit: nullo modo placuit bis in die saturum fieri: & ait. Impossibile esse vt prudentia sit apud eos qui quotidie bis saturi fiant & noctu nunquam soli cubent. *Cic. vlt. Tusc.* Darius fugatus ab Alexandro, cùm aquam turbidam bibisset, negauit se vnquam bibisse iucundiùs. Nunquam videlicet sitiens biberat. *Idibid.* EXEMP. Moses, Dauid, Rechabitæ, Israëlitæ, Christus Seruator; Socrates, Plato; Augustus Cæsar, qui breuissimi erat cibi, primúsque à mensâ surgebat; Bartolus ICtus, qui ad pondus comedit. HIEROGLYPH. 1. *Camelus*; qui in duodecimum vsque diem sine potu perdurat. Hinc cameli à poëtis dicuntur *Esurientes*. 2. *Tympanum*; quod constat ex pelle arefactâ quæ si humida esset, sonum non ederet Sic quoque anima sicca sobria. 3. *Prætexta*, seu prætextata est hieroglyphicum pudicitiæ, cuius ea ætas, quæ prætextata dicebatur, in primis debet esse studiosa. EMBL. Ἀνέχου καὶ ἀπέχου.

Sustine (*Epictetus dicebat*) *& abstine: oportet*
Multa pati, illicitis absque tenere manus.
Sic ducis imperium vinctus fert poplite taurus
In dextro: sic se continet à grauidis.

Pudicitiæ emblema est porphyrio auis, quæ matrisfamiliâs adulterium suspendio suo indicat domino. Virum perpetuò sitientem per *orygis animalis* hieroglyphicum significabant veteres: quin & remedia sitientibus ex eo comparabant. *Amethystum* quoque pro sobrietate ponebant: quia vino eum tentari non finit, à quo gestatur.

Florilegium intemperantiæ. INTEMPERANTIA. SENTENT. Impudentia αἰσχίστη νόσος, id est, morbus pessimus. *Eurip.* Impudentia præcipua dux est ad præcipua scelera *Xenoph. 1. pædia Cyri.* Non turpe est, vti concessâ voluptate, sed ei seruire, deditúmque esse, turpissimum. *Erasm.* Luxu nihil turpius; ex homine pecudem reddit. *Id.* Anonymus

Qui ventrem tantùm curat, pro numine ventrem
Censet, dátque animæ pabula nulla suæ.
Pythonico ritu, qui verba ex ventre profundit,
Súsque velut viuit, sus moriturque velut.
Truncus is, horrendúmque humano in corpore monstrum est,
Prorsus ad immanes dignus abire feras.
Vtque breui dicam (*quale inter sidera quoddam*
Nomen habet) *dici debet hic Acephalus.*

APOPHTH. Diogenes dicebat plerosque viuos quidem se putrefacere comessationibus in balneis, ac mortuos aromatibus condire, ne putrescant. *Stob. serm. de intemp.* Demetrius Phalereus conspicatus adolescentem intemperantiæ deditum: Ecce, inquit, quadratus Mercurius, habens syrma, ventrem, pudenda, & barbam: sentiens illum esse statuam, qualis in viis poni solet Mercurio, non hominem. *Laërt. lib. 5. cap. 5.* Diogenes earum ædium, in quibus copia est alimentorum, dicebat multos esse mures & feles: sic etiam corpora intemperantum hominum morbos quoque multos asciscere. *Stob. serm. de intemp.* Idem ridebat eos homines, qui cellas promtuarias obserant vectibus, seris, & signaculis: corpus autem suum multis fenestris & ianuis aperiunt per os, pudenda, aures, & oculos. *Ibid* ADAG. Tibicinis vitam viuis: Sinopissare: Sponsi vita: Sardanapalus: Corinthiari: Græcari: Germanicari: Luxus Sybariticus: Lydio more: Indulgere genio: Pontificalis cœna: Amphora pendens: Curare cuticulam: Ionicè: Choreæ Ionicæ: Porcus Troianus: Sybarissare: Ventres: Bacchus: Sponsus Penelopes. SIMILITVD. Intemperantiam Eusebius confert cum ventis, qui nauem correptam hinc inde impellunt; Chrysostomus spinis, Basilius cœno, Olympiodorus reti, Erasmus latroni. Voluptas est malorum esca: quòd eâ non minùs homines, quàm homo pisces capiuntur. *Plaut. Merc.* Pythagoras cùm incidisset in aliquem insigniter obesum: Non desines, inquit, tibi molestiorem carcerem struere? Voluptarij ventrem habent vitæ charybdim. *Laërt. in Diog.* Isti homines sunt κακὰ θηρία. *Epimenid.* Illi comburunt diem, *Plaut. Men.* Illis idolum est saturitas, & dicunt cum *Plaut. Captiu.* O sancta saturitas! Sunt vulturij; quæ aues triduo prius prædiuinant, quo die esuri sint. *Plaut. Truc.* Illis hæc sunt ventri stabilimenta, panis. assa bubula, poculum grande, olla magna *Id. in Curc.* Hi ventres assiduè sunt in Comedoniâ, Peredia, & Peibibesiâ. *Plaut. Cur.* Horum pictura apud Lucret. lib. 3. est talis.

——— *præpediuntur*
Crura vacillanti, tardescit lingua, madet mens,
Nant oculi. ———

EXEMP. Homines tempore diluuij; Loth, Sodomitæ; Sichemitæ; Trucidati in deserto 23000. *Num. 25.* Tribus Beniamin deleta. *Iud. 20* Dauid; Historia de stupratis filiabus Scedasi in Leuctris Bœotiæ, & cæsis ibidem Lacedæmonijs; Adulterium Paridis toti regno Troiano exitium accersiuit. *Pericles* priorem vxorem alteri tradit, & ducit Aspasiam: quæ vna fax fuit belli Peloponnesiaci. *Cato* vxorem Martiam concedit Hortensio petenti, deinde mortuo Hortensio eam reducit *Cicero*, dimittit Terentiam. *Augusto* Imp. petenti Liuia grauida à marito Druso conceditur: quæ cùm tres menses apud Augustum fuisset, Drusum peperit, vnde iocus ortus: Τοῖς εὐτυχοῦσι καὶ τρίμηνα παιδία. *Antonius & Cleopatra* cùm conuenissent, iocus emanauit, Bacchum & Venerem conuenisse. *Cambyses*, cùm consiliarij dicerent, se nullam inuenire legem, quæ concedat coniugium cum sorore, dixit, se aliam legem inuenire, quòd regi Persarum liceat facere, quidquid velit. *Ptolemæus* Saleuci Stratonicen vxorem filio Antiocho concedit. Pertinet huc Nero, & nouerca Caracallæ, cui recusanti incestum, ipsa dicit, Si libet, licet. Simulatæ castitatis exemplum est *Origenes*, qui sibiipsi pudenda exscidit, teste *Eusebio lib. 6. Lucullus* seruum habuit, qui auidiùs vorandi manum deducere solitus est. Hic seruo suo faciliùs, quàm sibi parebat. Rex Lydorum *Candaules* vxorem, quam propter formæ pulchritudinem deperibat, prædicare omnibus solebat, non contentus voluptatum suarum tacitâ conscientiâ, nisi etiam matrimonij reticenda publicaret prorsus, quasi silentium damnum esset pulchritudinis. Ad postremum, vt suæ affirmationi fidem faceret, nudam sodali suo Gygi ostendit: qui apud Herodotum inquit, Mulier simul cum veste pudorem exuit. Itaque Polyxena gladio cæsa & cadens apud Euripidem, studium & curam adhibet, ne quam partem corporis nudam ostendat. *Aglau* cantatrix in vnâ cœnâ consumsit duodecim libras carnium, & quatuor chœnices panium, bibebat congium vini. *Cratetis* vulgatissima ephemeris hæc erat: Ponito coquo minas decem, medico drachmam, assentatori talenta quinque, consiliario fumum, meretrici talentum, philosopho triobolum, vt author est Laërtius *Messalina* Claudij Imperatoris vxor, vt ad satietatem sese Venere expleret, Lyciscæ prostitutæ meretricis nomen mentita, sæpe lupanar sub noctem adiens cum famosissimis meretricij quæstus scortis coitu certauit, ex re fœdissimâ palmam sibi 25. virorum congressu quærens.

Et lassata viris, necdum satiata recessit. Huic parallelam dixeris Catharinam Medicæam, κάθαρμα illud Galliæ. *Attila* Hunnorum rex captus specie puellæ, famæ ac nobilitatis inter suos eminentis, eam sibi matrimonio copulauit. Dum autem nouis nuptiis nimis vino indulget, & Venere se nimium exercet, cùm supinus obdormiret, sanguis per nares erumpens vitalium spirituum meatus interclusit, ita, vt subitò extingueretur. *Philoxenus* sibi optabat collum gruis, vt maiore deliciarum voluptate in suis epulis frueretur. *Henricus II.* Anglorum rex, non contentus vnâ vxore multas amauit fœminas, in primísque puellam quandam succiplenam, quam ipse Rosimundam, vulgus Rosamundi, quòd esset formâ præter cæteras liberâ, appellauit Eius epitaphium visitur Oxonij.

Hoc iacet in tumulo Rosa mundi, non Rosa munda,
Non redolet, sed olet, quæ redolere solet.
Alexander Papa incestuosus, de quo poëta:
Hoc tumulo dormit Lucretia nomine, sed re
Thaïs, Alexandri filia, sponsa, nurus.

APOLOG. Muscæ ad mel aduolantes in tenaci liquore hærentes aiunt: Quantillus nobis cibus interitum attulit. HIEROGLYPH. 1. *Lucerna ardens* est signum mulieris amore captæ; propterea quòd inconstans sit & leuis amor fœminarum, vt lucernæ instar, minimi flatus impulsu extingui possit. 2. *Faces & ignis* sunt nota Cupidinis. 3. *Lyra* est monumentum amatorium propter consensum. 4. *Malus arbor* est symbolum amoris; quia sub arboribus lusitant amantes. 5. *Porcus* apud Ægyptios erat simulacrum luxuriæ.

EMBLEMA ALCIATI IN STATVAM AMORIS.

Quis sit amor, plures olim cecinere poëtæ,
Eius, qui vario nomine gesta ferunt.
Conuenit hoc, quòd veste carens, quòd corpore paruus
Tela alasque ferens, lumina nulla tenet.
Hæc ora, hic habitúsque Dei est. Sed dicere tantos,
Scilicet in vates, falsa subesse reor.
Eccur nudus agat? Diuo quasi pallia desint,
Qui cunctas domiti possidet orbis opes.
Aut qui quæso niues, boreámque euadere nudus
Alpinum potuit, strictaque prata gelu?
Si puer est, puerúmne vocas, qui Nestora vincit?
An nosti Ascræi carmina docta senis?
Inconstans puer hic; obdurans pectora, quæ iam
Transadigit, nunquam linquere sponte potest.

At

At pharetras & tela gerit, quid inutile pondus?
An curuare infans cornua dira valet?
Alas cúrve tenet, quas neſcit in æthera ferre?
Inſcius in volucrum flectere tela iecur.
Serpit humi, ſemperq́; virûm mortalia corda
Lædit, & haud alas ſaxeus inde mouet.
Sic cæcus vitamq́; gerit, quid tænia cæco
Vtilis eſt, ideò mum munus ille videt?
Quiſve ſagittiferum credat, qui lumine captus?
Hic certa, at cæci ſpicula vana mouet.
Igneus eſt, aiunt, verſatq́; in pectore flammas,
Cur age viuit adhuc? Omnia flamma vorat.
Quin etiam tumidis cur non extinguitur vndis
Naïadum, quoties mollia corda ſubit?
At tu ne tantis capiare erroribus, audi,
Verus quid ſit amor, carmina noſtra ferent.
Iucundus labor eſt, laſciua per otia: ſinum
Illius eſt nigro punica glans clypeo.

Alciatus etiam habet emblema de Sophocle, qui iam affectâ ætate puellam ducens, à iuuentute ſic deridetur:

Noctua vt in tumulis, ſuper vtq́; cadauere bubo:
Talis apud Sophoclem noſtra puella ſedet.

Pictura Voluptatis & Virtutis.

Hîc in compendium contraham Virtutis & Voluptatis picturam apud Xenophontem. Hercules pubeſcens cogitat apud ſe, quamnam viuendi rationem ſequatur, voluptatémne an virtutem ſectetur. Ecce protinùs ipſi apparent duæ magnæ mulieres. Illarum vna eſt eleganti & honeſtâ facie, liberali ingenio, corpore munda, oculis verecunda, geſtu modeſta, veſtitu candida. Altera eſt carnoſa, mollis, accuratè comta, cute fucatâ, figuram erectam mentiens, oculis vagabundis, propriam ſubinde vmbram & veſtem contemplans. Prior illa eodem, quo cœpit gradu, pergit. Sed altera præuenit, & Herculem affatur hunc in modum: Video te, ô Hercules, dubitare, quam viuendi rationem ingrediaris. Ecce ſequere me, ducam te in viam oppidò iucundam, vbi abſque labore habeas cibum & potum, & omnino omnia, quæ hominibus ſunt grata. Hìc Hercules quærit, ô mulier, quod eſt tibi nomen? At illa, mei quidem amici, ait, felicitatem me appellant, ad hoſtes inuidioſo nomine κακίαν me vocant. Interea dum hæc geruntur, accedit altera mulier, & ego, ait, ad te venio, ô Hercules, noui tuos maiores, tuum noui ingenium. Quare confido te fore honeſtatis ſectatorē. Si ergo à diis vis diligi, dij tibi ſunt vtique colendi: ſi ab amicis diligi, amicis eſt benefaciendū: ſi à ciuitate honorari, ciuitati aliqua vtilitas adferenda: ſi à totâ Græciâ coli, toti Græciç conaberis benefacere: ſi vis terram tibi fructus ferre, terra tibi colenda eſt. Hîc κακία interpellans, intelligis, ô Hercules, inquit, quàm aſperam & longam viam hæc mulier narret, & quàm breui ac facili viâ ego te ad felicitatem ducam. Hîc virtus recitat labores, quos ſubeunt voluptarij vt genio ſuo ſatisfaciant, & moleſtias, quas ſibi accerſunt: è contrario ſuos labores terminari felicitate iucundiſſimâ aſſerit. Quid Hercules? Ille hærens in literâ Pythagoræ inde progreditur ad templum Virtutis, & exin tandem aſcendit in templum Honoris. Quæ duo templa Romæ ſic erant extructa, vt non pateret aditus ad templum Honoris niſi per Virtutis.

Compendium tabulæ Cebetis.

Hâc occaſione inſeram epitomen tabulæ Cebetis Thebani. I. *In æde Saturni* erat pictura, in quâ occurrebat ſeptum quoddam, alia duo ſepta continens, alterum maius, alterum minus. Erat & porta in primo ſepto, cui magna turba aſtare videbant. Intra ſeptum verò mulieres complures conſpiciebantur. In aditu primi veſtibuli & ſepti ſenex quidam ſtabat, eo geſtu & habitu, vt ingredienti turbæ præcipere aliquid videretur. II. *Amentia* Sphinx eſt hominibus; cuius ænigmata qui non intelligit, deuoratur ab ipſâ. Sin verò aliquis ea cognouerit, perit Amentia. III. *Septum* magnum eſt vita: *multitudo magna*, quæ portæ aſſiſtit, ſunt homines, qui in vitam veniunt: *ſenex*, qui ſupernè ſtat, eſt genius, qui iubet homines certam viam ingredi. IV. *Solium poſitum* iuxta porta, quà turba ingreditur, inſidet mulier ficto vultu, agutáque ſpecie, manu poculum tenens. Hæc eſt Impoſtura, quæ propinat omnibus Errorem & Ignorantiam. V. *Intra portam* eſt turba variarum mulierum meretricum, quæ appellantur Opiniones, Cupiditates, & Voluptates. Hæ, turbâ ingrediente, amplectuntur ſingulos & abducunt. VI. *Saxo rotundo* inſiſtit mulier cæca, inſana, & ſurda, Fortuna. VII. *Turbam quæ circunſtat* iſtam mulierem vocant Inconſideratos: quorum alij Fortunam Bonam, alij Malam Fortunam experiuntur. VIII. Portam iſtam prætereuntibus occurrit aliud *ſeptum*, *altius*: vbi quatuor ſunt mulieres meretricum inſtar ornatæ: videlicet Incontinentia, Luxuria, Auaritia, & Aſſentatio. Hæ mulieres obſeruant eos, qui aliquid à Fortunâ acceperunt, illóſque inuitant. Si quis eas ſequitur, amittit omnia ſua, & poſtea mulieribus iſtis ſeruire cogitur: & perire hunc in modum. IX. A tergo quatuor iſtarum fœminarum eſt *feneſtella*, & locus anguſtus ac tenebroſus. Ibi ſunt mulieres quædam fœdæ; vna flagellum tenet, quæ dicitur Pœna; altera caput ad genua demittit, Mœſtitia; tertia capillos euellit, Ærumna. His aſtat vir deformis & nudus, Luctus: & ei aſſiſtit ſoror Deſperatio. His igitur traditur. X. Deinde in aliam domum conijcitur Infelicitatis: vbi, quod reliquum eſt æui, in omni miſeriâ exigit, niſi ei Pœnitentia occurrerit. XI. *Pœnitentia* ei obuiam facta eripit ipſum, eíque Opinionem & cupiditatem aliam ad veram eruditionem perducturam inſerit: & ſimul eam, quâ ad falſi nominis eruditionem perueniat. XII. Extra ſeptum alterum ſtat mulier, quæ valde munda & compoſita eſſe videtur, quam vulgus vocat *Eruditionem*: quæ eſt falſi nominis Eruditio. Ad hanc igitur ij qui ad veram Eruditionem peruenturi ſunt, primò veniunt. XIII. Intra hoc ſeptum ambulant *multi homines*: falſæ ſcilicet eruditionis amatores; putà poëtæ, oratores, dialectici, muſici, arithmetici, geometræ, aſtrologi, &c. XIV. Huc quoque ingrediuntur *antecedentis ſepti mulieres*: videlicet Incontinentia, & Amentia. Sed non ita frequenter huc ingrediuntur iſtæ meretrices. XV. Quamdiu hîc manent homines, nunquam liberantur à falſi nominis eruditione. XVI. *Editus locus*, qui à nemine incolitur, ac deſertus eſſe videtur, habet ianuam paruam, & viam ante ianuam parum tritam, vt quæ & præceps & aſpera, & prærupta eſſe videatur. Ibi & tumulus excelſus cernitur, & anguſtus aditus, vtrimque præceps. Iuxta tumulum ſupremè eſt magna rupes & præalta. Duæ mulieres ſucciplenæ & robuſto corpore in rupe ſtant, & manus extendunt. Illorum vna eſt Continentia, altera Tolerantia. Hæ ſunt germanæ ſorores. Illæ manus extendunt, vt viatores ad eum locum progreſſos hortentur, bono ſint animo. Neque ſolùm hortantur, ſed manus porrigunt, eóſque ſurſum attrahunt. Poſtea iubent eos requieſcere, & paulò pòſt eis dant Robur & Fiduciam. XVII. Ante lucum eſt *pratum amœnum*: in prati medio eſt aliud ſeptum, & alia porta. Pratum iſtud eſt domicilium beatorum: vbi ſunt omnes Virtutes & Beatitudo. Iuxta portam ſtat matrona formoſa, conſtanti vultu, & ætate mediâ, veſte ſimplici, inſiſtens ſaxo quadrato & immobili. Huic adſunt duæ filiæ: ita vt media ſit Eruditio, altera Veritas, altera Suadela. Munera eius ſunt Fiducia, Securitas, & Vacuitas à perturbationibus. Stat autē extra ſeptum, vt hoſpites ſanet ac purget inſtar medici. Eruditio itaque expurgat mala iſta, quæ ſecum adferunt hoſpites, videl. Ignorantiam, Errorem, Arrogantiam, Cupiditatem, Incontinentiam, Iracundiam, Auaritiam, cæteráque omnia, quæ in primo ſepto ingurgitauerant. XVIII. Homo ſic purgatus, mittitur intrò ad ſcientiam & cæteras Virtutes. Nam intra portam eſt *cœtus matronarum* formoſarum & modeſtarum. Prima hîc eſt Scientia. Reliquæ ſunt eius ſorores, Fortitudo, Iuſtitia, Integritas, Temperantia, Modeſtia, Liberalitas, Continentia, Clementia. Iſtæ matronæ hominem excipiunt, & ad matrem ſuam deducunt, quæ eſt Beatitudo. XIX. Hîc eſt via, quæ ducit ad faſtigium illud; quæ arx eſt ſeptorum omnium. In veſtibulo ſedet matrona conſtanti ætate & formoſa, coronâ floridâ, in alto ſolio: quæ eſt Beatitudo. Huc qui perueniunt, coronantur: vtpote qui maximis certaminibus ſint defuncti. Vicerunt enim belluas maximas, quæ priùs ipſos vexabant. Belluæ iſtæ ſunt Ignorantia, Error, Dolor, Luctus, & omnia genera vitiorum. XX. *Corona iſtius* vis eſt beatifica. Nam qui eâ coronatur, fit beatus, nec in rebus caducis ſpem habet. XXI. Poſtquam homo ita coronatus eſt, Virtutes illum deducunt eò vnde venerant, & oſtendunt ei illos, qui ibi agunt: vt malè ac miſerè viuant, vt victi ab hoſtibus ducantur, alij ab Incontinentiâ, alij ab Auaritiâ, &c. Dicunt autem ipſum eò, vt felicitatem ſuam æſtimare diſcat, magíſque ſpernat belluas iſtas, qua videt. XXII. Hæc cùm contemplatus eſt, quocunque voluerit, abit. Vbique enim in toto eſt, non ſecùs ac ſi Corucium antrum teneret. Omnes enim eum libenter ſuſcipiunt, vt ægroti medicum. XXIII. *A tumulo* veniunt alij coronati & hilares, alij non coronati & deſperabundi. Illi ad Eruditionem incolumes peruenerunt: hi partim ab Eruditione repudiati recedunt, partim Ignauiâ ſunt debilitati; quòd cùm ad Tolerantiam aſcendiſſent, retroceſſerint. Hos tales affectantur quinque mulieres, Ærumna, Moleſtiæ, Deſperationes, Ignominiæ, & Ignorationes. XXIV. *Deſperabundi* iſti in primum ſeptum ad Luxuriam & Incontinentiam redeunt: & ibi, non ſemetipſos accuſant, ſed Eruditioni, & id iter ingreſſis maledicunt vt ærumnoſis, qui non perfruantur ipſorum bonis: Luxu ſcil. & Incontinentiâ. XXV. *Opiniones* abſque intermiſſione hîc eunt & redeunt, vt alios adducant ad ſeptum Virtutis. Illæ igitur nuntiant, eos, quos illò adduxerint, iam beatos eſſe factos. XXVI. *Genius* in vitam introëuntibus, extentâ manu præcipit, ne vincamur muneribus Fortunæ incertis & inconſtantibus: ſed vt ſi quid det, ſtatim nos recipiamus ad Eruditionem; ita quidem vt ſtatim diſcedamus à duabus illis mulieribus, Incontinentiâ & Luxuriâ; inde pergamus ad Falſi nominis Eruditionem. Apud hanc iubet ad tempus commorari, & aliquid ab eâ viatici loco accipere: pòſt celeriter ad veram Eruditionem contendere. Hæc ſint mandata Genij. XXVII. Quid verò accipere iubet Genius à Falſi nominis eruditione? Literas & diſciplinas: quas Plato adoleſcentibus

freni esse instar ait, ne aliis rebus distrahantur. Tametsi enim istæ ad veram Eruditionem (id est, Virtutem) non sunt necessariæ; sunt tamen admodum commodæ. Sunt enim istæ in secundo septo, tanquam veræ Eruditioni vicinæ. Sæpe tamen multi ex primo septo ab incontinentiâ cæterisque vitiis in tertium septum ad veram eruditionem perueniunt, cùm sectatores disciplinarum in secundo septo excludantur. Hi enim sæpe se scire profitentur quæ nesciunt. Quâ opinione dum imbuti sunt, seniores eos esse necesse est ad veram Eruditionem expetendam. Quare nihilo cæteris hi meliores sunt, nisi cum ipsis etiam Pœnitentia se coniunxerit, persuasúmque habuerint, non verâ, sed Falsi nominis Eruditione se esse præditos. Atque hæc est tabula Cebetis: cuius breuissima summa hæc est: Vniuersa hominum vita diuiditur in tria septa. In primo septo est vulgus: in secundo Philosophi theoretici; quorum doctrina Cebeti dicitur ψευδοπαιδεία, nisi dirigatur ad virtutem: in tertio sunt philosophi practici; quorum propria est παιδεία.

Ebrietatis florilegium.

EBRIETAS SENTENT. Ebrietas iram Dei prouocat, *Esa.* 5. *Ioël.* 1. mentem alienat, *Prou.* 23. *Esa.* 28. libidinem inflammat, *Prou.* 10. *Ephes.* 5. *vers.* 18. vbi ἀσωτία dicitur esse in vino. Eadem corpus eneruat, *Prou.* 11. substantiam dissipat, *Prou.* 25. pacem turbat, *Prou.* 10. & 23. secretum manifestat, *Prou.* 31. Ebrietas est blandus dæmon, dulce venenum, suaue peccatum quam qui habet, seipsum non habet; quam qui facit, peccatum non facit, sed totus est peccatum. *August. in ser.* Ebriosus cùm absorbet vinum, absorbetur à vino. *Id. lib. de pœnit.* Noë ad vnius horæ ebrietatem nudauit femora sua, quæ per sexcentos annos contexerat. *Hieron. epist. ad Ocean.* Ebrietas in laico crimen est, in sacerdote sacrilegium *Petr. Rau. in serm.* Ebrietas mater litium, furoris genitrix, petulantiæ magistra: hanc qui habet, homo non est: hæc enim est rabies voluntaria, inuitatus hostis, illecebra honestatis, & pudoris iniuria. *Ibid.* Vbi regnat ebrietas, ratio exulat, intellectus obtunditur, consilia deuiant, iudicia subuertuntur. *Ibid* Magnum hoc vitium est vino: Pedes captat primùm, luctator dolosus est. *Plaut. in Pseudol.* Sapientis viri super mensam celebre dictum est. Prima, inquit, cratera ad sitim pertinet; secunda ad hilaritatem, tertia ad voluptatem; quarta ad insaniam, *Apulei.* 3. *Florid.* Descriptionem ebrietatis ex Senecâ hanc habe: Omne vitium ebrietas includit & detegit: obstantem malis conatibus verecundiam remouet: vbi possedit animum nimia vis vini, quidquid mali latebat emergit. Non facit ebrietas vitia, sed protrahit, tum libidinosus ne cubiculum quidem expectat, sed cupiditatibus, quantum petierint, permittit: tunc impudicus morbum profitetur & publicat: tunc petulans non linguam, non manum continet: crescit insolentis superbia, crudelitas sæuo, malignitas liuido: adiice istam ignorationem sui, dubia & parum explanata verba, incertos oculos, gradum errantem, vertiginem capitis, tecta ipsa mobilia, veluti aliquo turbine circumagente totam domum: stomachi tormenta, cùm efferuescit merum, ac viscera ipsa distendit. Tunc tamen vtcunque tolerabile est, dum illi vis sua est. Quid cum somno vitatur, & quæ ebrietas fuit, cruditas facta est? Sed & cogita, quas clades ediderit ebrietas? Hæc acerrimas gentes bellicosissimásque hostibus tradidit: hæc multorum annorum pertinaci bello defensa, inania patescit: hæc contumacissimos & iugum recusantes in alienum egit arbitrium, hæc inuictas acies domuit. Alexandrum tot itinera, tot prælia, tot hyemes, per quas victâ temporum locorúmque difficultate transierat, tot flumina ex ignoto cadentia, tot maria tutum admiserunt, intemperantia bibendi perdidit. Dic ergo quare sapiens non debeat ebrius fieri? Ita *Seneca.* Genus tormenti est, sine fame edere, & sine siti bibere. *Viues* APOPHTH. Pittacus legem tulit, vt qui per temulentiam sceleris aliquid commisissent, duplo plecterentur. *Laërt.* Solonis lex erat: Princeps, si deprehendatur ebrius, morte mulctetur. *Id.* Pythagoras ebrietatem dicere solebat insaniæ meditationem, *Stob. serm.* 18. Democritus, Pro sanitate, inquiebat, vota diis homines offerunt, insci j penes se illam esse: vtpote quam libidinibus amittunt. *Stob.* Anacharsis dixit, aliquem reddi abstemium, si turpes ebriosorum mores intueatur. Multi sunt heroës, qui iactant se non inebriari. Sed τοῦτο καὶ ἡμίονος ποιεῖ, ait Aristoteles, hoc est, *& mulus hoc potest.* Videas homines, qui culpam conferunt in vinum. Sed rectè Plautus Truc. Non placet: in mutum culpam confert, quod nequid loqui. Nam vinum, si fabulari posset, se defenderet. Quia Claudius Tiberius Nero tyro adhuc in castris auidiùs bibebat vinum, militari ioco dictus est Caldius seu Calidus Biberius Mero. *Bruss.* 6. *apoph.* *VVir Teutschen fressen vnd sauffen vns arm, vnd kranck, vnd in die Hell. Melanchth.* Corruptores vini sunt quibus mos ingentia vasa corripere, velut ad ostentationem virium, ac plenè infundere, vt statim euomant, rursúsque hauriant, idque iterum, tertiúmque, tanquam ad perdenda vina geniti, & tanquam illa effundi non possint, nisi per humanum corpus. *Plin. lib.* 14. *cap.* 22. Quæ nationes volunt bibere aquam vinatam, aquæ addunt vinum: quæ vinum aquatum, vino superinfundunt aquam: quæ vino aquam non affundunt, bibunt vinum purum putum, nisi priùs sit à vinatio irrigatum: id vocant baptizare, vt vinum sit Christianum. At, qui ita baptizant vinum, seipsos exbaptizant. *Ludouic. Viues.* SIMILITVD. Ebrietas est quasi puteus inferni: est dulce venenum: est blandus dæmon. EXEMPLA. Noë, Nabal, Holofernus, Balthasar, Ennius, qui nunquam nisi potus ad arma dicenda prosilit, atque tandem factus est podagricus; Alexander M. qui cùm omnes virtute vicerit, victus est à dolio seu scypho; M. Cicero filius, qui binos congios haurire solitus est. Ebrietatis magistri quondam fuerunt Græci; vnde protritum illud Græcari & pergræcari: hodie Germani, quos Æneas Syluius tantisper fortes dicit, dum vinum habeant, vnde Erasmus finxit Germanicari: vnde & hoc vitium dicitur heroicum, aulicum, & Germanicum. Hâc de re notentur duæ historiæ. Ernestus Dux Luneburgensis, ad Lutherum dicebat: Domine Doctor, volumus esse omnes Christiani, sed non possumus seponere illud vitium helluationis. Tum Lutherus: *Da zu solten die Herren thun*: innuens, principes debere curare vt proscriberetur illud vitium: cui assidens Henricus Dux Megapolitanus, ait: Hoc facimus domine Doctor, *Dann vvenn vvir Herren nicht da zu theten, so vver es langst abgangen.* Deinde Hispanus quidam, cùm Carolus Quintus bellum inferret Germaniæ, dixit ad Germanos, Cæsar nihil aget vobiscum de religione, quia scit vos ebrios esse. Vult ergo priùs vos. Sobrios reddere, & postea vobiscũ aget de religione. His dissimiles sunt Hispani: apud quos hodie ebrietas tanto habetur odio, vt ne testimonij quidem dictio ei, qui huic vitio obnoxius vel semel fuerit, permittatur. *Zuing. in theatr.* HIEROGLYPH. *Panthera* est hieroglyphicum ebrietatis. Sunt enim pantheræ admodum auidæ vini. Hinc venatores solent fontes, quò potum eunt, vino forti inficere, atque sic capere ebrias. EMBLEMA in statuam Bacchi:

Bacche pater, quis te mortali lumine nouit?
Praxiteles finxit, cur tua membra manu?
Cur iuuenis, teneráque etiam lanugine vernat
Barba, queas Pylium cùm superare senem?
Muneribus quandoque meis si parcere disces,
Iunior, & forti pectore semper eris.
Tympana non manibus, capiti non cornua desunt,
Quos nisi dementes talia signa decent?
Hoc doceo, nostro quòd abusus munere sumit
Cornua, & insanus mollia sistra quatit.
Quid vult ille color membris penè igneus? Omen
Absit, an humanus vteris ipse focis?
Hinc sapit hic, liquidis qui nos bene diluit vndis:
Qui non, ardenti torret ab igne iecur.
Sed nunc me doceas, qui vis miscerier? & quâ
Te sanus tutum pendere lege queat?
Quadrantem addat aquæ, calicem sumpsisse falerni
Qui cupit, hoc sumi pocula more iuuat.
Stes intra geminas: nam qui procedere tendit
Vltra, alacer, sed mox ebrius inde furit.
Res dura, hâc nimiùm sunt pendula guttura, dulce
Tu fluis: heu facilè commoda nulla cadunt.

Huc pertinet prouerbium, quod præscribit modum vini diluendi: aut quinque bibe, aut tres, aut ne quatuor.

CAPVT X.

De Vigilantiâ.

PRÆCEPTA.

VIGILANTIA est virtus somni & vigiliæ moderatrix.

Eius excessus est insomnia seu vigilia voluntaria: defectus, somnolentia.

REGVLÆ.

An vigilantia sit virtus moralis?

I. *Vigilantia est virtus, quatenus est habitus laudabilis rectè vigilandi.*

VIgilantiæ vocabulum modò sumitur pro actu vigilandi, & ita est actio indifferens: modò pro habitu rectè moderandi somnum, & ita est virtus moralis. Interdum etiam hæc ipsa vox metaphoricè vsurpatur pro industriâ & diligentiâ, quam in re aliquâ adhibemus, & sic opponitur incuriæ, interdum pro cautâ & circumspectâ prouidentiâ, & sic opponitur securitati nimiæ. *Timpl.* 2. *Ethic. c.* 8. *q.* 1.

Somnolentia & insomnia qualia vitia?

II. *Somnolentia, & insomnia immoderata, sunt vitia naturalia, vel moralia.*

ET primò quidem somnolentia, & insomnia immoderata, sunt affectus morbosi & inuoluntarij, qui à medicis appellantur

pellantur somnus & vigilia præternaturales. Deinde sunt habitus voluntarij, per quos homo vltra modum naturæ conuenientem, somno aut vigiliæ indulget. Atque hoc modo sunt vitia moralia: tum quia definitio vitij moralis eis competit; tum quia hominem peiorem efficiunt; tum quia vituperium & pœnam merentur.

Vigilantiæ modus quot modis non seruetur?

III. *Classes eorum, qui non obseruant medium in vigilando, sunt quinque.*

1. QVi addicti sunt *vigiliis superstitiosis*, vt monachi in Papatu. 2. Qui amant *vigilias sceleratas*, vt impij, qui dum in lecto iacent, intenti sunt in omnes occasiones nocendi. 3. *Noctuæ, seu vespertiliones*; qui de nocte vagantur per plateas, & alios molestant. 4. *Endymiones*; qui maximam temporis partem dormiendo consumunt, dum alto sole semisomnes iacent, & alto sole redeunt ad templum somni. 5. *Lucubrationibus addicti*; vti sunt quidam homines de scholâ, qui lucubrando valetudinem atterunt.

FLORILEGIVM.

VIGILIA. SENTENT. Quicunque viuere & sapere cupit maximè quàm longissimo tempore vigilet, solâ sanitatis commoditate seruata. Ad hanc verò non multo opus est somno, si bene assueueris somniis. Magistratus profectò in vrbibus noctu vigilantes, hostibus terrori sunt. *Plato 3. de legib.* APOPHTH. Plato somnolentiam improbat, eóque scripsit in legibus: Κοιμώμενος οὐδεὶς οὐδενὸς ἄξιος, *Nemo dormiens vllâ re dignus est.* HIEROGLIPH. Ægyptij sacerdotes per leporem, qui oculos inter dormiendum apertos habet, vigilantiam pingebant. *Pier. Valer. l. 32.* Per leonis etiam caput iidem sacerdotes vigilantiam atque custodiam ostendebant: quòd solum hoc animal ex iis, quæ recuruos vngues habent, simulátque natum est, cernit. *Idem lib. 1.* EMBLEM. *Alciat.*

Instantis quòd signa canens det gallus Eoi,
Et reuocet famulas ad noua pensa manus:
Turribus in sacris effingitur area peluis,
Ad superos mentem quod reuocet vigilem.
Est leo sed custos, oculis quia dormit apertis,
Templorum iccircò ponitur ante fores.

CAPVT XI.

De Philautiâ.

PRÆCEPTA.

VIRTVS moderatrix affectus respicit amorem nostri, vel desiderium rerum desiderabilium, vel dolorem.

Virtus respiciens amorem nostri dicitur Philautia.

Philautia est virtus, quâ homo propensus est ad seipsum moderatè diligendum.

Ei opponitur in excessu Authadeia, siue sui placentia, quâ homo seipsum & sua nimis diligit: in defectu Autostygia, seu sui odium, quo homo seipsum & sua negligit ac odit.

REGVLÆ.

An Philautia sit virtus?

I. *Philautia est virtus moralis, quatenus facit vt homo sit propensus ad seipsum moderatè diligendum.*

ALiâs etiam accipitur vel pro specie affectus naturalis, putà amoris; vel pro specie vitij moralis, quæ à Latinis dicitur cœcus amor sui.

An homo debeat se ipsum amare?

II. *Homo debet seipsum amare, amore scil. moderato.*

RAtio prioris est; quia lex naturæ & Dei præcipit, vt homo diligat proximum sicut seipsum. Ratio posterioris est; quia amor sui ipsius moderatus, quo homo seipsum amat, quando, quantum, quomodo, & in quibus debet; hic talis, inquam, amor, hominem perficit, & ad virtutem eiúsque actiones rectè disponit: sicut è contrario amor sui immoderatus, quo aliquis seipsum amat, quando, quantum quomodo, & in quibus non decet, hominem reddit deteriorem, & ad virtutem eiúsque actiones ineptiorem.

An homo primò & maximè seipsum amare debeat?

III. *Homo post Deum debet seipsum primò & maximè amare in iis rebus, quæ spectant ad ipsius perfectionem.*

VVlgò dicunt: Homo debet seipsum primò & maximè diligere. Sed opus est duplici limitatione. Nam primò homo Deum primò & maximè amare, tanquam summum amabile. Deinde post Deum homo primò & maximè amare debet quandoque seipsum, in iis nempe rebus, quæ pertinent ad bonum honestum, ipsiúsque hominis perfectionem, in primis verò ad salutem æternam; quandoque verò proximum in iis, quæ spectant ad bonum vtile & iucundum.

An philautia licita?

IV. *Amorem sui imperat & commendat natura, cuius lex est: Dilige proximum sicut teipsum.*

CVm igitur dilectio nostri sit mensura & regula dilectionis proximi, consequitur, hominem priùs teipsum, quàm alios amare debere. Hinc profectum est illud: Charitas ordinata incipit à seipsâ. Et Augustinus ait: Qui sibi malignus est, cui bonus erit? Memineris hîc, φιλαυτίαν in vitio poni, quando est immoderata.

Amor sui vnde oriatur?

V. *Amorem sui gignit cognitio sui; quâ homo nouit bonum suum & malum suum.*

BOnum suum ita nosse debet, vt statuat se esse imaginem Dei, se esse μικρόκοσμον, adeóque immortalem. Suum malum ita nosse debet, vt statuat se esse massam peccati, ideóque Deum & omnes creaturas experiri aduersas. Hæc est vera sui cognitio, quam infinitis laudibus ornarunt Ethnici, ita vt dixerint, diuinum illud γνῶθι σεαυτόν, è cœlo descendisse; vnde etiam foribus templi Delphici inscriptum fuit tanquam oraculum è tripode Apollinis profectum. Ideo idem oraculum Crœso roganti, quonam itinere ad felicitatem summam peruenire posset, tale dedit responsum:

Crœse beatus eris, si te cognoueris ipsum.

Quid homo debeat in se amare?

VI. *Homo debet amare Deum in se habitantem.*

HOc est, humanitatem & honestatem, quæ est filia Dei. Nam homo est probus, vel improbus. Ille dum se amat, amat virtutem; hic, dum se amat, amat vitium.

Homo magis amabit patriâ quàm se.

VII. *Homo magis debet amare patriam quàm se.*

DEbet, si gloria Dei hoc postulet. Tum enim non tam patriam, quàm gloriam Dei anteponit suæ saluti. Itaque non meretur laudem Marcus Curtius, qui se præcipitauit in specum, vt Roma, quæ ingenti hiatu desederat, coiret. Non enim spectauit Dei gloriam.

Quilibet est faber suæ fortunæ.

VIII. *Quilibet est faber sui infortunij.*

QVamuis enim omne animal, adeoque omnis homo, seipsum diligat: tanta tamen est iudicij nostri corruptio, vt nostris stolidis factis nobis accersamus Iliada malorum, vel ex malitiâ, vel ex imprudentiâ & infirmitate. Rectè igitur comparamur turdis, qui sibi proprium cacant malum, videlicet visci gluten, quo postea capiuntur.

An homo rectè possit corpus suum affligere?

IX. *Homo potest corpus suum affligere & castigare, vt expeditior fiat ad decurrendum stadium virtutis.*

CAro est restringenda, non extinguenda. Sicut enim Deus nos castigat, non quòd pij simus, sed vt pij simus: ita ratio officij nostri flagitat, vt nosmetipsos castigemus, vt pij simus.

An odium sui sit interdum salutare?

X. *Quoddam odium sui est salutare.*

SI quis nempe odio prosequatur vitia sua. Atque hoc est odium, non personæ, sed vitij.

Auari & voluptarij seipsos odio habent.

XI. *Auari & voluptarij se oderunt.*

QVia pluris faciunt corpus & corporalia, quàm animam & spiritualia. Huc faciunt illi iambi:

Si desipit, qui despicit
Caducus immortalia,
Et suspicit mortalia:
Sanè sapit qui suspicit
Æternus immortalia,
Et despicit mortalia.

An homo possit seipsũ laudare?

XII. *Homo potest seipsum laudare.*

RE & facto semper debet, ore non debet, nisi quando cogitur. Tum enim valet regula: Pars officij est tueri authori

authoritatem officij. Item illa: In se crudelis est, qui dona Dei sibi collata non vindicat à contemtu.

Philostorgia est species philautię.

XIII. *Philostorgia rectè refertur ad amorem sui.*

Quia, vt ait Imperator, filius meus est alter ego: ac volo & ipse saluus esse & in genere conseruari meo. Hinc Virgilius Æneam sic laudat:

Omnis in Ascanio cari stat cura parentis.

Amor sui quid efficiat?

XIV. *Amor sui facit ad Deum impensiùs diligendum.*

Nam amor nostri facit, vt neque faciamus Deo, quod nolumus nobis fieri: vt, Pater non vult contemni à filiis. Ergo nec ipse Deum contemnet. Amor item nostri facit, vt quàm ardentissimè diligamus Deum, qui tot tantisque nos accumulat donis.

Quot sint genera immoderatæ philautiæ?

XV. *Classes illorum, qui hanc virtutem à se spernunt sunt quinque.*

1. *Autocheires*; qui seipsos mutilant & occidunt, quales fuerunt Achitophel, Iudas, Lucretia, & illi qui sibi oculos eruerunt pertæsi scelerum in mundo, qualis fuit Democritus; vel se castrarunt mutilaruntque propter regnum cœlorum, de quibus in Ecclesiasticâ historiâ. 2. *Monachi flagellatores*; qui scuticis corpus suum miserè fœdant. 3. *Parentes ἄστοργοι*; qui suos liberos non amant, quorum imago sunt corui, qui pullos implumes deserunt. 4. *voluptary & auari*; qui corporis sui rationem potiorem, quàm animæ habent, hæc est vox:

O ciues, ciues! quærenda pecunia primùm;
Virtus post nummos ———

5. *Perfectistæ seu Pharisæi*; qui sese putant angelos, & alios in numero bestiarum vel etiam Diabolorum habent. In hos Æsopus iactauit illud scitum: *Homines habent binas manticas, alteram ante pectus, alteram à tergo propendentem. In priorem mittunt vitia aliena, in posteriorem sua*: hoc est, in aliorum vitiis cernendis sunt lynces, in suis talpæ, ita vt rectè dixerit Terentius: Itáne comparatam esse hominum naturam omnium, Aliena meliùs vt videant & iudicent quàm sua? Huc etiam pertinent *Stentores*, qui si videant se vno atque altero dono alios anteire, plenis buccis illud crepant, similes pauonibus, qui sibi placent quoties caudam aspiciunt, cùm interim habeant pedes leprosos.

FLORILEGIVM.

PHILAVTIA MODERATA. SENTENT. *Periander.* Σεαυτὸν μέλει, *Teipsum ne negligas.* PROVERB. Γνῶθι σεαυτόν, *Cognosce teipsum.* SIMILITVD. *Bias:*

Εἰς κάτοπτρον ἐμβλέψας θεώρει·
Καὶ εἰ μὲν καλὸς φάνῃ, ἄξια τούτῳ
Πράττε· εἰ δὲ αἰσχρός, τὸ τῆς ὄψεως
Ἐλλειπὲς ὡραΐζε καλοκἀγαθίαις.

In speculum cùm inspicis, contemplare.
Et si quidem pulcher appares, digna te
Fac. Si verò deformis, faciei
Defectum illustra probitatibus.

PHILAVTIA IMMODERATA. SENTENT. Omnium affectuum principium est philautia. Hanc qui amputauerit, eâdem operâ omnes affectûs ex eâ orientes abscidit. *Maxim. de charit. cent.* 3. 56. Menander.

Ἑαυτὸν δ' οὐδεὶς ὁμολογεῖ κακοῦργον.
Seipsum nullus fatetur esse malus.

Hor. 1. carm. 18.

Subsequitur cæcus amor sui,
Et tollens vacuum plus nimis gloria verticem.

Idem serm. 3.

——— *Egomet mi ignosco, Mænius inquit,*
Stultus & improbus hic amor est, dignusq; notari.

ADAG. Φίλαυτος. Quod volumus, sanctum est. Non videmus manticæ quod in tergo est. Suus cuique crepitus bene olet. HIEROGLYPH. Suffeni Catulliani, seu stolidi, admiratores sui, per fœtam simiam aptè significantur, ob nimium affectum, quo illa fertur in suam prolem. Pier. l. 6. EMBL. Alciat.

Quòd nimiùm tua forma tibi, Narcisse, placebat,
In florem & noti est versa stuporis olus.
Ingens est marcor, cladésque φιλαυτία, doctos
Quos plures pessum dátque deditq; viros.
Qui veterum abiectâ methodo noua dogmata quærunt,
Nilq; suas præter tradere phantasias.

CAPVT XII.
De Modestiâ.

PRÆCEPTA.

Virtus respiciens desiderium rerum desiderabilium gubernat desiderium honoris, laboris, & opum.

Desiderium honoris gubernat Modestia; quæ spectatur vel absolutè, vel cum gradu eminentiæ. *Aliàs modestia latè sumitur pro omni moderatione.*

Absolutè spectata dicitur nomine generis Modestia; quæ moderatur honores mediocres, qui oriuntur ex virtute communi.

Eius excessus est ambitio; defectus immodestia modestia, quâ quis quemlibet alium loco magni prætoris, se verò ne lixæ quidem loco habet.

Modestia spectata cum gradu eminentiæ dicitur magnanimitas; quæ moderatur honores eminentes, qui oriuntur ex virtute heroicâ. *Hîc obserua, magnanimitatem vulgò accipi pro eminentiâ fortitudinis.*

Excessus magnanimitatis est affectatio magni honoris per scelera: defectus, pusillanimitas in appetendis magnis honoribus.

REGVLÆ.

I. *Honorem rectè appetit, qui habet ipsum pro oliuâ virtutis, & pro face honestæ mentis accedente ad præclara: quique sic appetit honorem, vt illum referat ad gloriam Dei & commune bonum: qui denique ad conscientiam omnia refert, rectéque facti mercedem ex ipso facto petit.* Honor vt legitimè appetatur?

Hic quæritur, an aliquis possit ambire munus? Resp. si quis sentiat se internè vocari & velut impelli ad munus, potest bonâ conscientiâ petere vocationem externam, atque ita vocationem externam non extorquere, sed elicere. Hoc enim non est crimen ambitus, vt patet ex reg. 6.

II. *Magnanimitatis est, contemnere honores sibi non conuenientes.* Honores qui contemnendi?

Ita Moses renuit vocari filius filiæ Pharaonis, Christus noluit creari rex mundanus. Imò magnanimitas æquo fert animo, si non tribuantur honores non conuenientes. Ita Cato Porcius cùm petiisset præturam, & repulsam passus esset, nihil deiectus vultu in forum iuit & pilâ lusit.

III. *Modestia & magnanimitas tria nos docent.* Modestia & magnanimitas quid doceant?

Videlicet, honores oblatos non temere recusare, indebitos non appetere, debitos denique, sed non oblatos conueniente modo efflagitare ad Dei gloriam, & Reip. vtilitatem. Est enim pars officij tueri authoritatem officij.

IV. *Hîc peccant quatuor ordinum homines.* Quinam peccent in leges modestiæ?

1. *Stentores & milites gloriosi*; qui sunt buccinæ laudis suæ. 2. *Ambitiosi*; qui more Philippi Macedonis sunt ebrij rerum gestarum magnitudine. 3. *Pusillanimes*; qui non agnoscunt dona Dei quæ habent, qui honores legibus debitos legitiméque oblatos ex nimiâ animi paruitate refugiunt: nec honorem & priuilegia sua ruentur, vt par erat & necessarium propter gloriam Dei & emolumentum Reipublicæ, cuius salus suprema lex esse debet. 4. *Anabaptistæ & illorum similes*; qui fictam & simulatam præ se ferunt humilitatem: atque adeò sunt humiles sine despectu, & pauperes sine defectu, & diuites sine labore, vt ait Bernhardus. Aristoteles hos tales vocat *βαυκοπανούργους*. Huc etiam pertinet Papa seruus ille seruorum.

V. *Modestia est moderatio appetitus honorum.* Modestia quibus sit moderatior

Est, inquam, moderatio animi non efferens se in rebus secundis: de quâ grauissimè concionatur L. Æmilius apud *Liuium decad.* 5. *l.* 5. Exemplum insigne cernitis mutationis rerum humanarum. Ideò in secundis rebus nihil in quenquam superbè aut violenter consulere decet, nec præsenti credere fortunæ, cùm quid vesper ferat, incertum sit. Is demum

demum vir erit, cuius animum nec prospera fortuna flatu suo efferet, nec aduersa infringet. Deinde eadem virtus est moderatio in omni sermone & actionibus, cauens, Ne quid nimis. Et cùm medium attingere semper sit difficile, semper ferè studet minus facere potiùs quam nimium. Ita melius est minùs esse seuerum, quam nimis crudelem, minùs temperantem, quàm ebriosum. Sic M. Anton. scribit Capitolinus omnia crimina minore supplicio, quam legibus plecti soleat, puniuisse. Hinc *Plin. lib.* 11. ait Perniciosissimum in omni vitâ, quod Nimium, præcipuè tamen corpori, minúsque quod grauat quolibet modo vtilius. Est insuper moderatio seu prudentia amplectens mediocrem vitæ statum, nec appetens nimis magnas functiones in sublimi fastigio vitæ, vt monet versus Phocylidis, quem Aristoteles citat:

Πολλὰ μέσοισιν ἄριστα, μέσος θέλω ἐν πόλει εἶναι:
Omnia sunt meliora viris mediocribus, ipse
Huic vrbi medius ciuis inesse volo.

Et scitè Horatius:

Auream quisquis mediocritatem
Diligit, tutus caret obsoleti
Sordibus tecti, caret inuidendâ
Sobrius aulâ.

Ouidius etiam hoc intellexit:

Vsibus edocto si quidquam credis amico,
Viue tibi, & longè nomina magna fuge.
Viue tibi, quantumq; potes prælustria vita,
Sæuum prælustri fulmen ab axe venit.

Ex his patet, appetitionem gloriæ moderatam regi hâc virtute. Illius dico gloriæ, de quâ dicitur:

Gloria virtutis comes est, vt corporis vmbra.

Hæc gloria est approbatio Dei & propriæ conscientiæ rectè iudicantis; & aliorum bonorum ac rectè iudicantium celebratio, respondens veræ pietati erga Deum, eximiæ virtuti ac benemeritis erga Ecclesiam & Remp. Gloria námque est Christiana vel mundana. Illa refert omnia ad gloriam Dei, ideóque sub ratione medij, non verò finis aut scopi rectè expetitur. Ista refert omnia ad se tanquam ad summum finem, ideoque Diaboli genuina est filia. Huic virtuti quatuor in primis vitia opponuntur: 1. Vanitas & iactantia, immodicè & falsò se prædicans: vt in Thrasone & Pygopolynice. De hâc Hom. *ιλ. δ.* ait:

Commemorare malum est ventosa & inania verba.

2. Æmulatio, dolens alterum nobis antecellere, & propterea cupiens eum premere aut tollere, ne nos inferiores ducamur. Ita Saul inuidet gloriæ Dauidis, Cain Abelo, Aharon & Maria Mosi; Eusebius episcopus Cæsariensis inuidet Basilio. Demetrius episcopus Alexandrinus concipit flammas æmulationis aduersus Origenem; Themistocles odit & pellit Aristidem æmulum, Pericles Cimonem, Agesilaus Lysandrum, Sylla Marium. Cæsar Pompeium.

Nimirum

Καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ κοτέει, καὶ τέκτονι τέκτων
Καὶ πτωχὸς πτωχῷ φθονέει, καὶ ἀοιδὸς ἀοιδῷ.

Illustre repressæ æmulationis exemplum refertur à Plinio lib. 35. de Apelle, qui fuit in æmulos benignus. Hic quæritur, An hæc sit vera modestia, quâ quis alios seipso præstantiores existimat? Resp. Sic iubet Apostolus *Philip.* 2. *v.* 3. Hoc videtur primâ fronte pugnare cum iustitiâ sed est fallaciâ in voce *alius*, quæ non generaliter accipienda est pro quouis homine, sed pro quouis præstantiori, ita vt hic sit sensus: Modestus est qui alios se ipso præstantiores pro talibus habet, ideóque illis conuenientem honorem tribuit. 3. Ambitio; quæ est vitiosa cupiditas gloriæ, cùm scil. expetitur antecellentia inordinatè, tentatis actionibus non necessariis aut iniustis, extra vocationem, fiduciâ propriæ sapientiæ & propriarum virium: vt Pompeius volens

Αἰὲν ἀριστεύειν, καὶ ὑπείροχος ἔμμεναι ἄλλων,

hoc est, *semper tenere principatum, & sublimior esse*, confidens propriis viribus, vt iactitabat, se supplosione pedis totam Italiam exercitibus repleturum esse: vnde mouit bellum ciuile non-necessarium & iniustum in quo miserabiliter periit. Sic Antonius volens solus esse monarcha totius orbis, infert bellum Augusto. Arrius appetens gradum episcopi Alexandrini & repulsam passus, mouet perniciosum dogma de filio Dei. Sapienter autem *Plato Polit.* 1. dixit: Si esset aliqua resp. virorum verè bonorum, haud aliter fugiendi imperij gratiâ pugnaretur, quàm nunc certatur imperandi cupiditate. Ideò Alexander Seuerus apud Lampridium, fecit prætorij præfectum eum, qui ne fieret fugerat, dicens, inuitos, non ambientes in remp. collocandos esse. Nec tamen propterea laudandi sunt, qui Epicuréum illud, *λάθε βιώσας*, amplectuntur, & omnem docendi & gubernandi functionem fugiunt. Nam DEVS vult, vt singuli conscij sibi mediocris industriæ, vocati ad functiones obtemperent. 1. *Timoth.* 3. Peccauit igitur Ammonius Origenis discipulus, qui cùm ad episcopatum ecclesiæ Alexandrinæ vocaretur, dextram aurem sibi abscidit: qui cùm ideò reprehenderetur ab Euagrio fugiente functionem episcopi, dixit, At tu multò grauiùs peccasti, qui linguam tibi ipsi excidisti, nec vis conferre eam ad gloriam Dei piâ prædicatione Euangelij illustrandam, & ne tibi arrogare videaris, gratiâ Dei non vteris. *Hist. tripart. l.* 8. *c.* 1. 4. Leuitas & impudentia negligens aliorum iudicia, & non metuens infamiam: vt Alcibiades, Sphodrias, & Hyperbolus, qui non afficiebantur, cùm alij de ipsis malè loquerentur. Verissimè autem Xenophon, *τὴν ἀναισχυντίαν μεγίστην εἶναι ... πάντα τὰ αἰσχρὰ ἡγεμόνα, impudentiam esse maximam ducem ad turpitudinem.* Custos enim virtutis est timor Dei, & metus iudicij diuini & aliorum rectè iudicantium. Quo remoto, in omnia flagitia homines facilè præcipitantur.

V I. *Crimen ambitus est vitium Reip. perniciosissimum.*

Crimen ambitus quale?

PLato ineptos esse dicit ad Remp. qui per ambitionem sese ingerunt. Et Reip. interest, coërceri dignitatum & rerum per ambitum concupiscentiam, idque iuxta leges, quæ sunt contra ambitum latæ: vt est lex Potilia, Cincia, Licinia, Pompeia, Iulia, & aliæ. Polybius notat Carthaginenses, quòd apud eos impunè liceret magistratus ambire. Alexander Imp. laudatus, quòd officia & honores non passus est vendi, aut per ambitionem impetrari. Iustinianus quoque officia voluit esse gratuita, propter multa, quæ ab eo enumerantur, incommoda, adeò vt hoc vitium aliorum fontem appellet. *Constit.* 8. Extat Cæsaris in Syllam scomma, quæ cùm præturam largitionibus adeptus se suâ potestate contra Cæsarem vsurum minaretur, Iure, inquit, tuam vsuram dicis, quam tuo ære redemisti; vt docet *Plutarch. in Sylla.* Modestinus ait, Qui contra legem magistratum aut sacerdotium petierit, per S C. in centum aureos cum infamiâ punietur. *l. vnica. ff. ad legem Iuliam de ambit.* Huc pertinet sacerdotiorum per ambitum & Simoniam aucupium. Si enim hoc vitium in profanis culpatur, quantò magis in clericis incutiet opprobrium, vt inquit *Symmach. Can. c. nullus.* 1. *q.* 1. Et Iustinianus *Nouell.* 123 hâc viâ ingressos instar publici criminis & læsæ maiestatis pœnâ à gradu deiiciendos constituit. Sed hodie hæ leges, sicut aliæ pleræque, magno reip. detrimento, altùm dormitant.

V II. *Magnanimi est leues iniurias contemnere.*

Officium magnanimi quod?

REctè igitur ait ille: *Si magnanimus fueris, non iudicabis tibi contumeliam fieri. De inimico dices, non nocuit mihi, si animum nocendi habuit: & cùm illum in potestate tuâ videris, vindictam putabis, vindicare potuisse.* Nimirum vir magnanimus est tanquam equus generosus, qui latratum catellorum insuper habet: sed molossorum morsus ferre non sustinet. Porrò magnanimi etiam est, non magna putare, quæ vulgus admiratur, iuxta illud: *Nihil aliud æquè magnum in rebus humanis est, ac animus magna despiciens.* E contrario magna ducit dicitque ea, quæ cum virtute sunt coniuncta. Magnanimus itaque imitatur Socratis æquabilitatem, qui ad calumnias cuiusdam sic respondit: *Mihi non malè dicit, quandoquidem ea quæ dicit, mihi non inhærent.*

V III. *Magnanimitas & modestia differunt gradu, non specie.*

Magnanimitas & modestia quomodo differant?

NAm modestia est virtus, per quam honores minores conuenienter ac decorè appetimus, acquirimus, persequimur, & tuemur: ita vt obiectum eius internum sit appetitus honoris, quem regit, ne vltra sortem ac meritum appetat honorem: externum, honor minor, isque verus, non falsus. Et verum quidem honorem docet moderatè appetere, falsum verò refugere ac respuere. Magnanimitas autem est virtus, magnos & eminentes honores, quemadmodum oportet expetens, adeptósque pro dignitate tuens: ita vt ipsius obiectum interius sit appetitus honoris magni, exterius honor magnus. Etsi verò magnanimitas respectu modestiæ sit virtus heroica: tamen quia potest altiùs assurgere, & in speculâ superiori collocari, tum demum dicitur virtus heroica absolutè, quando gradum illum superiorem est assecuta, vt rectè disputat Picolhominéus in gradibus moral.

I X. *Notæ, ex quibus, velut ex vnguibus leo, magnanimus cognoscitur, hæ sunt.*

Notę magnanimi quæ?

1. OMnis magnanimus singulari præditus est fortitudine. Oportet enim vt despiciat inuidiam, cui expositus esse solet. Quam ob causam magnanimitas dicitur virtus periculosa: non quidem ex se & suâ naturâ, sed tamen ex accidenti. Aliâs suâ naturâ est purpura reliquarum virtutum. 2. Magnanimus contemnit honores minores, & solùm de maioribus lætatur, ita scil. ne insolescat. Etsi enim honor est maximum bonorum externorum: maior tamen est magnanimus, quàm vt ipsi sit esca ad insolentiam 3. Magnanimus ad iniuriam notoriam, à tali præsertim personâ perfectam, quæ illum facilè in suspicionem trahere potest, non conticescit, sed omni conatu famæ suæ opitulatur. 4. Magnanimus iniu-

iniuriarum

riarum ſemel obliuioni traditarum vulnus in animo ſuo non patitur recrudeſcere. Hæc enim eſt indicium ſimultatis,à quâ magnanimus noſter tam eſt alienus, quam qui maximè. 5. Magnanimus in ſuſcipiendis actionibus eſt alter Fabius,id eſt, prudenti cunctatione naturam & exitum ipſarum explorat. 6. Magnanimus raiò in locis honoratis, in quibus alij primas occupant, præſentiæ ſuæ copiam facit; tum ne honoris auidus videatur; tum ne ſe aliis ſubmittere neceſſe habeat. 7. Magnanimus nemini inuidet: aliorum tamen dicta factaque quantumuis illuſtria, non admiratur,nec illorum eſt præco. 8. Magnanimus pericula nonniſi ſumma aggreditur,& quidem extremâ poſcente neceſſitate. 9. In vlciſcendo ſuam iniuriam non vtitur technis, ſed apertè odium, quo in ſe iniurium proſequitur, facit teſtatum. 10. Etſi magnanimus non debet eſſe ingratus: tamen non feret æquo animo beneficia ſibi ab aliquo præſtita commemorari, nec vllam ipſorum habebit memoriam. Nimirum animi excelſi eſt,ſtatim compenſare beneficium acceptum, atque ita radiis ac ſtricturis magnificentiæ tanquam ſolis, minus lumen munificentiæ tanquam ſtellæ minoris quaſi extinguere.

FLORILEGIVM.

MODESTIA & HVMILITAS. SENT. Humilitas Deo grata eſt, *Geneſ.* 18. 29. 41. 1. *Sam.* 1. 2. *Sam.* 22. *Iud.* 6. *Pſalm.* 33. *Prou.* 11. 16. 18. 22. 25. 29. *Eccleſ.* 3. *Eſa.* 3. *&* 57. *Matth.* 3. 5. 8. 11. 15. 18. 20. *Luc.* 18. *Act.* 10. *Rom.* 11. 1. *Cor.* 4. nobis commendatur, 2. *Sam.* 22. *Prou.* 11. 25. *Eſa* 66. *Matth.* 11. 18. 19. *Marc.* 9. *Luc.* 9. *Rom.* 12. 1. *Cor.* 14. *Eph.* 4. *Phil.* 2. *&* 4. 1. *Tim.* 6. Diſcite à me non mundum fabricare ſic Auguſtinus Chriſtum loquentem introducit, non cuncta viſibilia & inuiſibilia creare, non in ipſo mundo miracula facere,& mortuos ſuſcitare: ſed quoniam mitis ſum & humilis corde. Cogitas magnam conſtituere fabricam celſitudinis? de fundamento prius cogita humilitatis. *Auguſt. de verb. Domin.* Omnes delectat celſitudo. Sed humilitas gradus eſt. Quid tendis pedem vltra te: Cadere vis,non aſcendere: A gradu incipe, & aſcendiſti. *Ibid.* Magis cogitare debetis, quid vobis deſit, quàm quid vobis adſit. Quod habes, caue ne perdas. Quod nondum habes,ſupplica vt habeas. *d. ſerm.* 59. *ſuper Matth.* Hæc in omnibus ſola perfectio, ſuæ imperfectionis cognitio. *Hier. epiſt.* Qui ſine humilitate virtutes congregat, quaſi in ventum puluerem portat. *Gregor. in Pſalm. pœnit.* Armatura tutiſſima, animi modeſtia. *Euagrius.* Beatus cuius vita excelſa,ſpiritus autem humilis. *Nilus.* In te conſiſtito,non infra deiici,non ſupra attolli, non euadere in longius,non extendi in latius. *Auguſt. in reg.* Modeſtia κάλλιστον θεῶν δώρημα, *pulcherrimum Dei donum. Eurip.* Senec. Tragœd. 6.

Quo fortuna altius
Euexit ac leuauit humanas opes,
Hoc ſe ſupprimere magis felicem decet.
Ouid. 1. triſt. eleg. 1.
Dum petit infirmis nimium ſublimia pennis
Icarus, Icariis nomina fecit aquis.

Modeſtiæ magiſtri in populo eſſe debent: nam nil vtilius populo morato. *Patrit.* 3. *de rep. cap.* 7. Pudore,modeſtiâ,ac iuſtitiâ omnis ciuilis ſocietas conſeruatur. *Dionyſ. Halic. lib.* 6. APOPHTH. Liuia Auguſti Cæſaris vxor interrogata, quibus rationibus Auguſtum ſibi ſubieciſſet? reſpondit, Multâ modeſtiâ, quòd ea quæ placerent Auguſto, faceret libenter, quodque ſe ſcire diſſimularet, quibus ille rebus domi frueretur. *Dion.* Auguſtus Cæſar ſi quando filios ſuos dimitteret ad peregrinos, modeſtè eos hominibus ſic commendauit, vt benefacerent,ſi mererentur. *Suet.* Iſocrates,cùm quidam apud eum obtrectatoris ſermonem referret,ac diceret,me præſente ille hæc conuitia tibi fecit. Niſi tu, inquit, libens audiuiſſes, nunquam conuitiatus fuiſſet. *Max ſerm.* 10. ADAG. Noſce teipſum: In tuum ipſius ſinum inſpue: Secum viuere: Contrahere vela: Tecum habita, & nôris quam ſit tibi curta ſupellex: Intra tuam pelliculam te contine: Ne quid nimis: Neque peſſimus,neque primus: Ne ſuper pedem calceus: Oportet agrum imbecilliorem eſſe, quàm agricolam: Tuo te merire pede. SIMIL. Superbi ſunt velut altæ arbores in monte, quæ potiùs iniuriis ventorum expoſitæ ſunt, quàm humiles in conualle. *Chryſ.* Humilitas eſt parua gemma, quæ maximos lapides vincit:eſtque velut Solis iubar, quod paruos ſtellarum igniculos obſcurat. *Hieron.* Humilitas torrenti ſimilis eſt. Quemadmodum enim is æſtate tenuior eſt, hyeme verò ac vere inundat:ita humilitas in proſperis animum modeſtum, in aduerſis magnum oſtendit. *Laur. Iuſtin.* Sicut aromata comminuta vehementiùs & ſuauiùs olent:ita hominis bona cùm per humilitatem quaſi comminuta ſunt, Deo ſunt gratiora. *Guil. Paral.* Humilis eſt velut ſol, qui in ſupremâ Zodiaci parte tardiſſimè mouetur; eſt veluti vas profundum, quod plurima capit;eſt veluti ſpica grauida & ferax, quæ in terram inclinat; eſt veluti vas plenum, quod pulſatum non tinnit:eſt veluti nauis,quæ modico velo fertur;eſt fulcrum & vinculum omniũ virtutum;eſt vas, quo dona Dei excipimus; eſt radix & altrix virtutis ac gloriæ;eſt contubernium felicitatis. Altiſſima quæque flumina minimo ſono labuntur; aues rapaces maximum ſtrepitum edunt inter volandum,at manſuetæ non item. EXEMP. Abraham,Iacob, Moſes,Gedeon, Ruth, Anna mater Samuelis, Dauid, Ioſaphath, Manaſſes, Iob, Eſaias, Ieremias, Daniel, Eſther, Iohannes Baptiſta, Chriſtus, Maria,Chananæa, *Matth.* 15. *Marc.* 7. Publicanus, *Luc.* 18. Petrus, *Act.* 3. Centurio, *Matth.* 8. Paulus, *Act.* 7. 14. 22. *Rom.* 15. 1. *Cor.* 15. 2. *Cor.* 1. *Eph.* 3. *Phil.* 4. Socrates dicebat, ſe nihil ſcire niſi hoc vnum, quòd nihil ſciret. Pythagoras modeſtiæ causâ non σοφὸ, ſed φιλόσοφον ſe appellauit. Artaxerxes Mnemon voluit vxorem ſuam vehi curru aperto, aulæis ſublatis, vt omnibus ſupplicibus ad illam pateret acceſſus. Carolus V. cùm Franciſcum I. regem Galliarum captiuum inuiſeret, ac videret illum ſymbolo ſuo *Plus vltra*, adſcripſiſſe hæc verba, *Hodie mihi, cras tibi*: ſubſcripſit, *Fateor me eſſe hominem.* Memoriâ dignus eſt ille Maximiliani Imp. rhythmus:

Ich bin ein mann, wie ein ander er mann,
Nur daſs mir Gott die ehren gan.

HIEROGL. Depoſitum genu, eſt indicium humilitatis. APOLOG. Cùm muſca formicam deſpiceret, quod cauitates terræ incoleret, neque alis prædita eſſet: formica reſpondit, At improbitas tua odioſa eſt omnibus: contra te venena & flabella parantur: æſtate volas & conſpurcas omnia: hyeme moreris. Item: Cùm arbores excelſæ & pulchræ deriderent puſillam & deformem, hæc riſit, cùm illæ cæderentur ad materiam.

PVSILLANIMITAS. SENT. Puſillanimitas eſt vitium animæ, per quod neutram poſſumus ferre fortunam, nec honorem, nec ignominiam, *Gregor de virt.* Puſillanimitas, quia ἀπαξίαν in hominem inducit, deterior eſt quàm ſuperbia, quæ virtuti eſt vicinior. *Ariſt. Eth.* 4. Puſillanimis eſt paruorum articulorum, paruorum oculorum, & parui ſtatur. *Ibid.* *Ariſt.* Segniſſimi eſt torpere, cùm ſe ad prouectum cognoſcat inuitatum eſſe. *Caſſ. l.* 1. *ep.* 1. EXEMP. Domitianus quanquam honoris appetentiſſimus, nouum tamen honorem metu inſidiarum recuſauit: quo decretum erat,vt quoties gereret conſulatum, equites Romani, quibus ſors obtigiſſet, trabeati & cum haſtis militaribus præcederent eum inter lictores & apparitores. Pompeius clade Pharſalicâ acceptâ, Magnum ſe non eſſe ampliùs recordans, à caſtris abſque comitatu fugit ad mare. Lud. XI. Gallorum rex Corterij medici obiurgationes, quas vix mediaſtinus à ruſtico ferret, tam ſtupidâ tulit patientiâ, vt qui erga omnes tyrannum ſe gerebat,medici mancipium eſſet: cuius arte ſe immortalem fore ſtultiſſimus homo ſperabat, vt eſt apud *Phil. Cominæum.*

ÆMVLATIO. Vide ſuprà tit. de inuidiâ. Notentur tamen breuiter iſta. APOPHTH. Etheocles Lacedæmonius dicebat, Spartam non poſſe ferre duos Lyſandros. Archeſtratus Athenienſis dicebat, duos Alcibiades Athenis tolerari non poſſe. EXEMPL. Ioſua, *Num.* 11. *v.* 28. Phariſæi, *Matth.* 9. *v.* 11. Apoſtoli, *Luc.* 9. *v.* 49. Diſcipuli Iohannis, *Iohan.* 3. *v.* 26. Plato & Xenophon σύγχρονοι fuerunt æmuli. Sic Ariſtoteles & Iſocrates: Bauius & Mæuius ineptiſſimi poëtæ gloriam Virgilio inuiderunt: Apelles plurimos habuit æmulos.

SVPERBIA. SENTENT. Superbia damnatur. *Num.* 15. *Deut.* 28. *Sam.* 22. *Pſal.* 75. 101. 119. *Prou.* 6. 8. 14. 16. 21. 25. *Hoſ.* 13. *Matth.* 18. *Luc.* 14. *Rom.* 1. *Phil.* 2. 1. *Tim.* 3. *Iac.* 4. *Eccleſ.* 10. Cætera vitia in malefactis valent: ſola ſuperbia etiam in rectè factis eſt cauenda. *Auguſt. de nat. & grat.* Audeo dicere, ſuperbis vtile eſſe, cadere in aliquod apertum & manifeſtum peccatum, vnde ſibi diſpliceant, qui iam ſibi placendo ceciderant. *Id. de ciuit. Dei lib.* 4. Vermis diuitiarum eſt ſuperbia. *Id.* Humilitas homines ſanctis angelis ſimiles facit: at ſuperbia ex angelis dæmones facit. Ipſa eſt omnium peccatorum initium, & finis, & cauſa. *Id.* Superbia de cœleſtibus ad ima præcipitat: humilitas ab imis ad alta leuat. *Bernh.* Septempliciter nos occupauit lepra ſuperbiæ: in proprietate poſſeſſionum, in gloria veſtium, in voluptate corporum, in ore dupliciter, quando in aduerſis murmuramus,& in proſperis arroganter commendamus: in corde quoque dupliciter, propria voluntas & proprium conſilium. *Ex Bernh. ſerm.* 3. *in reſur. Dom.* Cætera vitia ſolas illas virtutes impetunt; quibus deſtruuntur, vt luxuria pudicitiam, ira patientiam: ſola verò ſuperbia contra cunctas animi virtutes ſe erigit, & quaſi generalis & peſtifer morbus omnes corrumpit. *Hugo lib.* 1. *de anim.* Quatuor ſunt,quæ trahunt elationis currum: amor dominandi, amor propriæ laudis, contemtus, & inobedientia. Rotæ verò ſunt iactantia mentis,& arrogantia, verboſitas & leuitas. Auriga in hoc curru eſt ſpiritus ſuperbiæ: amatores mundi ſunt, qui feruntur in curru. Infrænes ſunt equi,volubiles rotæ, auriga peruerſus, & qui portatur infirmus. *Id. de clauſtr. anim. l.* 1. Μὴ ὑπερήφανος γίνου, *Ne ſuperbito unquam. Cleob.* Prudentius in Pſychomachiâ:

Deſine grande loqui: frangit Deus omne ſuperbum.
Magna cadunt, inflata crepant, tumefacta premuntur.
Diſce ſupercilium deponere, diſce cauere

Ante

Ante pedes foueam, quisquis sublime minaris.
Eurip.
Cùm videris in sublime quempiam elatum,
Splendidis gloriantem opibus ac genere,
Superciliòque supra sortem suam fastuosum,
Illius celerem diuinitùs expecta breui vindictam.
Senec. Herc. fur. act. 2.

Sequitur superbos victor à tergo Deus:
Vel vt alij legunt, *vltor*. Apud suberbum, ceu apud figulum aut statuarium, peruersas rerum imagines videre est. *Socrat.* Ira atque superbia mala inuicta. *Curt. l. 3.* Habet hoc vitium omnis superbia: non respicit. *Sen. ep. 73.* Superbia commune nobilitatis malum. *Sallust. bell. Iugurth.* Superbus à Deo deseritur: desertus autem omnia interturbat, nec multo pòst pœnas superbiæ soluit. *Plato de LL.* Omnium malorum causa ambitio. *Thuc.* In illis, qui captant ambitiosas laudes, plerumque est aliquid fatuitatis. Hinc Germanis *stoltz* à Latino stultus seu stolidus deriuatur. *Keckerman. in Ethic. Ne superbi propter diuitias*: quia sunt fluxæ. *Ne propter gemmas & aurum*; quia nil nisi lutum sunt. Et rectè *Plin. l. 2. c. 63.* ait. Viscera terræ extrahimus, vt digito gestetur gemma, quam petimus. Quot manus atteruntur, vt vnus niteat articulus? Nec licet hæc bona efferre. Imò ex eo, quod ad vitam attulisti, pars magna ponenda est. Detrahentur tibi hæc circumiecta, nouissimum velamentum cutis tuæ, detrahetur caro & suffusus sanguis, detrahentur ossa neruíque firmamenta fluidorum ac labentium. *Sen. ep. 103. Ne superbi ob eruditionem*: quia etsi Διπλοῦν ὁρῶσιν οἱ μαθόντες γράμματα: tamen Οὐδεὶς ἄνθρωπός ἐστιν ἅπαντα σοφός. Quísque aliquid fatuitatis habet adiunctum. Et nullum est magnum ingenium sine mixturâ dementiæ. *Ne superbi ob sublimitatem*: nam Deus excelsa humiliat, & alta tollit, vt ait Æsopus apud Laërt. Et idem Æsopus interrogatus, quid Deus faceret, respondit, Ille frangit magnas ollas, & ex frustis alias nouas componit. *Ne cristas erige ob vestes*: quia illæ nihil sunt aliud quàm laqueus, quem gestat fur. Et cogita illud Laërtij: Aiunt Crœsum, cùm se exquisitissimo omnium ornamentorum genere composuisset, sublimíque in solio sederet, interrogasse Solonem, an pulchrius vnquam spectaculum vidisset, illúmque dixisse, gallos gallinaceos, phasianos, atque pauones. Illi enim αὐτῷ φυσικῷ καὶ μυρίῳ καλλίονι κεκόσμηνται, *nitore & pulchritudine naturali ac incredibili vestiuntur. Ne spiritum sume ob vitam aulicam.* Nam

Paucos beauit aula, plures perdidit:
Sed & hos quoque ipsos, quos beauit, perdidit.

Hîc cogitetur illud Solonis: Aulici, qui apud reges & principes authoritate valent, similes sunt calculis, qui in componendis rationibus adhibentur. Sicut enim illi interdum maiorem, interdum minorem numerum significant: sic reges horum quemque, prout libitum fuerit, aliquando illustrem & inclytum efficiunt, vt multa millia valeat, aliquando obscurum & ignobilem reddunt, vt minimùm aut nihil etiam valeat. Cogitent etiam illud *Senecæ de breuit. vitæ cap. 19.* Omnium quidem occupatorum conditio misera est: eorum tamen miserrima, qui ne suis quidem occupatoribus laborant: ad alienum dormiunt somnum; ad alienum ambulant gradum; ad alienum comedunt appetitum: amare ac odisse res omnium liberrimas iubentur. *Heresbachius l. 1. de re rustic.* aulicam vitam vocat splendidam miseriam. Et rectè non nemo sic conqueritur de vitâ suâ in aulis actâ:

Contriui miserè miser tot annos,
Gustando mala, gratiasque agendo,
Sperando, ingenuéque seruiendo.
Tantorum mihi præmium laborum
Sunt sapere atque pœnitere.

Ne insolesce ob patriam: quia non oportet spectare quo loco aliquis sit natus, sed an sit dignus magnâ & illustri patriâ, quemadmodum Aristippus respondit glorianti ciui de magnâ patriâ. Et verò mundus est patria omnium. Hinc Diogenes rogatus cuias esset, κοσμοπολίτης ἔφη, *mundanus dixit. Ne gloriare de agilitate, robore, & similibus*: quia turpe est gloriari de iis, quæ cum brutis habemus communia. Hinc illud scitum Aristippi: qui ob natandi peritiam se efferunt, gloriantur de iis, quæ delphinum ac piscium propria sunt. APOPHTH. Democrates iam senex ascendens in arcem Athenis perquam anhelosus, dixit, idem se facere, quod vniuersa ciuitas soleret: nempe se magnum quidem spirare, parum autem valere. *Stob. serm. 22.* Cùm Socrates videret Alcibiadem superbire ob prædia, iussit ipsum in tabulâ terræ situm complexâ ostendere ista prædia. *Stob.* Plato cùm aliquando conscendisset equum, mox descendit, dicens se vereri, ne equestri fastu corriperetur. Nam superbissimum animal est equus. *Laërt.* Iulia Cæs. Augusti filia, cùm vltra modum superbiret omni corporis cultu, admonita à quodam, vt se ad paternæ frugalitatis exemplum componeret, respondit, Pater obliuiscitur se Cæsarem esse, ego verò memini me Cæsaris esse filiam. *Stob. serm. 22.* Cùm Pambo apud Athanasium degeret Alexandriæ, conspicatus fœminam maximo vestitus apparatu superbientem, fleuit. Interrogatus cur id faceret? Defleo, inquit, huius mulieris perditionem, & meam ignauiam, quòd non tantum studeo placere Deo vitæ innocentiâ, quantum hæc mulier turpibus cupit placere hominibus. *Hist. eccles. l. 8. c. 1.* SIMIL. Superbus est vter stultitiâ inflatus; est sacculus aranearum; est chamæleon, qui præter pulmonem nihil intus habet; est membrum vitiosum purè turgidum; est fumus, qui spatiando in aëre euanescit, est vas inane, quod maximè tinnit, est spica vacua, quæ in sublime erigitur; est lepra, inficiens omnes virtutes. EXEMP. Adam & Eua; ædificatores turris Babylonicæ, quò pertinet γιγαντομαχία; Core, Datha, & Abiram; Goliath; Nabal; Sennacherib; Nebucadnezar; Holofernes; Haman; Herodes; Pharisæi; Domitianus de quo Eusebius: Primus, inquit, Domitianus Dominum se & Deum appellari iussit: vnde versus poëtæ ciniflonis,

Edictum Domini Deique nostri,
Quo subsellia certiora fiunt.

Vnde institutum est ab eo vt ne scripto quidem aut sermone cuiusquam aliter appellaretur. Statuas sibi in Capitolio nonnisi aureas & argenteas poni permisit. Septembrem & Octobrem menses appellauit Germanicum & Domitium, quòd altero suscepisset imperium, altero natus esset. Sapor rex Persarum vocauit se regem regum, participem siderum, fratrem Solis & Lunæ. Salmonéus tonitura mentitus est vt Deitatis opinionem sibi vendicaret. Sed fulmine percussus obiit. Pontificis Romani superbia notoria omnibus est exosa: cui sic acclamant Canonistæ: *Nec Deus es, nec homo, sed neuter es inter vtrunque.* Hinc Berengarius episcopos Romanos appellare solebat pompifices. Et Græci olim Papæ miserunt hanc formulam repudij: Potentiam tuam summam erga subditos tuos firmiter credimus: Superbiam tuam summam tolerare non possumus: auaritiam tuam satiare non valemus: Diabolus tecum, quia Dominus nobiscum. *[illegible]*. Ex infinitis exemplis tria delibasse sufficiat. Papa Alexander Friderici Barborossæ collo pedem imposuit: Gregorius VII primus Imperatorem excommunicauit, & potestatem Imperatoris constituendi sibi arrogauit. & bonum Henricum IV sine calceis & pileo sæuiente hyeme coëgit expectare responsum Franciscum Venetum Papa coëgit ossa legere sub mensâ. HIEROGLYH. Ceruix in scripturis accipitur pro superbiâ. Huc pertinet descriptio superbiæ, quam ex Mantuano & aliis poëtis ita summatim colligimus: Auis turpissima euolat ex lacu Auerno, magno stridore se tollit in altum, & nubes conatur perrumpere, extenso ore, igneísque oculis omnia intuetur, omnia pedibus turbare nititur; ex ore grauis anhelitus, fumus, nebula, spuma & venenum prodeunt; arduâ est fronte: putat se Iouis alitem; tardè incedit; ceruicem habet altam; à tergo habet turbam auicularum, quæ ad ipsius motum & nutum se componunt; his comitata populatur agros & tecta, lacerat ore creduli famam, vnge horribili mortem intentat.

FASTVS, IACTANTIA, OSTENTATIO, ILLVSIO, ARROGANTIA. Fastus tanquam pastor, homines, quoquo libet adducit. *Dieg. apud Stob.* Vt aër distendit vtres, ita homines stolidos fastus. *Socrat.* Si vis sublime ostendere virtutis, noli sapere sublime. *Chrysost. in Matth.* Nihil est, quod magis minuat laudis præconium, quàm suos assiduè iactare successus, & singulis diebus anni vendere diem vnum. *Val. Max. lib. 1.* Laudare seipsum vani, vituperare stulti est. *Aristot. apud Stob.* Qui plurima iactant, similes sunt lignis, quæ plurimum fumi, caloris minimum exhibent. *Plut. in apoph.* Deforme est de seipso prædicare, falsa præsertim. *Cic. de offic.* Iactantiæ exempla sunt Pharao, Goliath, Sennacherib, Nebucadnezar, Nicanor, Antiochus Epiphanes, Pharisæi, & Pseudoapostoli, *Galat. 6.* In gloriosos istos iactetur ista fabula. Reuersus quidam in patriam, magnificè sua prædicabat facinora, & inter alia, quòd in insulâ Rhodo signum saltando fixerit, quod nemo omnium potuerit assequi. Tum vnus de circulo: Heus, inquit, hîc Rhodus, hîc saltus. Ostentatores similes sunt iis, qui vino malo suspendunt hederam; quíque de naui onustâ vitiosis mercibus suspendunt magnificam tabulam, ibi omnia esse sana, integra, pretiosa. Epictetus & Politianus aiunt: Quemadmodum oues in pascua demissæ vesperi non gloriantur apud pastorem suum multo se pastas gramine, sed lac ei affatim vellúsque præbent: ita nec quisquam prædicare debet, quantum præstare queat, sed reipsâ ostendere id quod potest. Vt oua plena (inquit Erasmus in similibus,) sidunt, inania fluitant: ita qui veris virtutibus est præditus, non ostentat se. Lud. XII. Gall. rex, audiens Bearnenses & Pictones quosdam ignauos & imbelles de nobilitate suâ in morem aliorum verè nobilium gloriari: Atqui, ait, decem istius modi nobilibus vnicus ensis satis supérque fuerit. Huius loci est apologus de cane venatico, qui cùm cepisset leporem, detulit domum ad molossos, ibíque multa gloriatus est de suâ celeritate. Illi verò leporem eripuerũt ostentatori, & inter sese discerpsêre. Oculus illusor est abominatio Domino. *Pr. 3. 10. 14. 19. 22. Ier. 20. & 48.* Gestus irrisorũ notatur prouerbiis istis: Naso suspendere:

Fastus. Iactantia. Ostentatio. Irrisio.

Postica sanna: Ciconia pinsit aliquem à tergo: Ostendere medium digitum: Risus sarcasticus. Exempla irrisionis sunt pueri deridentes Elisæum, Simei maledicens Dauidi, Herodes & milites irridentes Christum. Agesilaus ephorus; cùm Agidis suasu factum esset, vt fieret omnium debitorum solutio, iámque tabulis in forum Clarium comportatis ignis esset iniectus, ac flamma exurgeret, cæteris creditoribus mœstis insultabat, dicens: Se nunquam clarius lumen aut ignem vidisse puriorem. Debebat enim ipse plurimùm, & erat agrorum prædiues, nihil tamen cuiquam soluere habebat in animo. Extrema improbitatis linea est, etiam illudere iis, quos afflixeris. *Plut. in Lacon.* Democritus omnes deridebat, & aiebat homines insanire: vnde dictus est Gelasinus, id est, risor. *Ælian. l.4. de var. hist.* Cùm Achilles Hectorem interfecisset, omnes, etiam ignauissimi, insultarunt & coniecerunt stercus in eius cadauer. Scilicet

Δρυὸς πεσούσης πᾶς ἀνὴρ ξυλεύεται,
Quercu cadente ligna quiuis colligit.

Arrogantia. *Arrogantiam* Deus detestatur *Prou.8.16.21. Ierem.9.* Cùm omnis arrogantia odiosa est, tum illa ingenij atque eloquentiæ multò molestissima *Cic. diuin in Verr.* Auaritia & arrogantia sunt præcipua validorum vitia. *Tacit. hist.1.* Deus non sinit alium præter se altum sapere. *Herod.l.1.* Mendacium duplex est: vnum, quod committitur dicendo leuiora & minora, alterum, quod profert maiora & splendidora, quàm reuera sunt. Illud dissimulatio, hoc arrogantia dicitur. *Themistoc. apud Stob.* Bion dicebat arrogantiam profectus esse obstaculum. *Laërt. l.4. c.7.* Demonax cuidam cynico arroganter iactanti pallium, peram, & barbam, quæ erant symbola philosophorum, & vociferanti se esse discipulum Antisthenis, Crateris, ac Diogenis, Impudenter, inquit, mentiris; cùm sis Hyperidæ discipulus. Allusit ad vocem ὑπερορᾶν, quæ significat despicere. Hyperides autem erat rhetor. Et vulgò iis, qui habitum istũ mentiebantur, obiectum fuit: Barbam & pallium video, philosophum non video. Prouerbia huius loci sunt ista: Est sibi Suffenus: Ne sutor vltra crepidam: Gigantéa audacia: Gigantum arrogantia: Bullatæ nugæ: Calliphanes: Cicadis pleni: Maiores pennas nido extendere: Cœlum digito attingere: Cœnum supra cœlum: Iouis sandalium: Arcem ex cloacâ facere: Ex muscâ elephantum: Tollere cristas: Gallus in suo sterquilinio multùm potest, Attollere supercilium: Tuo te pede metire: Vltra peram sapere: Videberis, me videns, planè martem videre. Menecrates medicus, cùm desperatæ quædam curationes ipsi feliciter cessissent, populari adulatione dictus est Iupiter. Hoc cognomento vir arrogantis ingenij delectatus, insolentiùs vsus est eo titulo, adeò quidem, vt ad regem Agesilaum vteretur hac formulâ: Menecrates Iupiter regi Agesilao χαίρειν. Rex offensus hoc procemio, nihil præterea dignatus est legere, sed rescripsit hunc in modum: Rex Agesilaus Menecrati ὑγιαίνειν, quæ vox est & salutantis, & sanam precantis mentem. Archidamus Agesilai filius victus à Philippo Macedone ad literas ab ipso acerbè scriptas ita rescripsit: Si metiaris vmbram tuam, haudquaquam reperies illam factam maiorem quàm erat ante victoriam. Cicero, cùm ciuitatem Romanam coniuratis sublatis à crimine perduellionis seu coniurationis liberasset, eique pro iis beneficiis in rempub. decreti essent honores, se adeò est admiratus, vt amor multorum conuerteretur in odium. Apologus de lupo pisce huc pertinet: qui, cùm videret se fluminis imperium tenere, superbia elatus in mare enatauit. Sed ibi territus aspectus delphini regis marini, rediit in suum amnem.

MAGNANIMITAS. Sent. Animus magnus est, qui se Deo tradidit. *Sen. ep.108.* Animus angustus, quem terrena delectant. *Id. consol. ad Albin. c.9.* Animus rex cùm honesta intuetur, salutem sibi commissi corporis curat, & nihil imperat turpe, nihil sordidum. Vbi verò impotens, cupidus, delicatus est, transit in nomen detestabile, ac dirum & fit tyrannus. *Id. ep.115.* Vera magnitudo animi omnia ad conscientiam rectéque facti mercedem ex ipso facto petit. *Plin.1. ep.22.* Sapiens non metu frangitur, non potestate mutatur, non extollitur prosperis, non tristibus mergitur. *Ambr. ad Simpl.* Videtur magnitudo animi quasi splendor esse & ornamentum virtutum omnium. *Arist.4. Eth. c.3.* Qua in ciuitate non maximus virtuti honos tribuitur, in ea optimus ciuitatis status stabilis & firmus nullo modo esse potest. *Arist.2. de rep. c.9.* Magni fiunt animi magnis honoribus. *Liu.1. dec.1. l.4.* Virg.1. Æn.

In freta dum fluuij current, dum montibus vmbræ
Lustrabunt, conuexa polus dum sydera pascet,
Semper honos, noménque tuum, laudésque manebunt.

Apoph. Aristoteles præcipuam dignitatem esse iudicabat, ab aliis dignum honore iudicari. *Stob.* Alexander captâ Petrâ, arce munitissimâ in Indiâ, amicis dicentibus, ipsum antecellere Herculi gestorum magnitudine: At ego, inquit, res meas gestas non existimo vni Herculis verbo comparandas. *Plut. in apoph.* Idem cùm in prælio vulnus accepisset, multíque accurrerent, qui ipsum frequenter Deum appellabant. Hic, inquiebat, sanguis est, qualis emanare solet diis. Cùm vir quidam magni nominis Iohannem Picum Mirandulam, qui Phœnix Italiæ dicitur, amicorum suasu ad Cardinalatus dignitatem petendam, vel certè si offerretur amplectendam hortaretur, respondit: Non sunt meæ cogitationes vestræ cogitationes: Bona Ecclesiæ, pauperum bona sunt. *Iohan. Francisc. Pic. in eius vita.* Cicero sibi proprium & solùm honorem æstimari dicebat, quem quis neque maiorum commendatione, neque per alterius calamitatem assecutus sit *Cic. in Philipp.* Iulius Cæsar, populo ipsum regem salutanti, Cæsar, inquit, sum, non rex: *Plut. in Cæs.* M Antonius cùm Rhodum vi cepisset, & in ingressu salutaretur rex atque dominus. Neque rex sum, inquit, neque dominus: sed regis ac domini interfector. *Plut. in Anton.* Simil. Vt non quæuis corona quemuis decet victorem: ita non quiuis honos quemcunque hominem. *Plut. in moral.* Vt colossi seu statuæ malè libratæ euertuntur: ita magnus honor per inuidiam subuertit multos. *Id. d. l.* Exemp. Ioseph, Moses, Dauid, Daniel, Nehemias, qui summis honoribus affecti fuerunt, Salomon, Christus, Constantinus M. Carol. M. Hierog. Hastæ gestamen & clypeus sunt insignia magnanimitatis.

AMBITIO. Sentent. Ambitio damnatur *Matth. 20. & 23. 1. Cor.13.* Ambitio possidet omnium virtutum præmia *August. sup. Psal.* Omnium prope criminum tres sunt fontes, Gula, Iactantia, & Ambitio. *Ambr. in Luc.* Relinque ambitionem: timida res est, vana, ventosa, nullum habet terminum. *Sen.* Ambitio multos mortales falsos fieri coëgit. *Cic. Rhet.* Apoph. Alcibiades cùm Socrati magnifica misisset munera, & ille respueret, Xanthippe auida dissuasit. Tum Socrates, Hæc, inquit, Alcibiades mittit ambitiosè: & nobis nostra est ambitio. *Eras.18. apoph.* Cùm Antisthenes ambitiosè omnibus ostentaret vestem laceram, Socrates dixit, Per fissuram pallij tui video inanitatem. *Id.3. apoph.* Plato frugalis erat, sed munditiei amans, contrà Diogenes sordidus. Itaque hic calcans Platonis culcitram, dixit, Calco Platonis fastum. Tum Plato, Calcas, sed alio fastu. *Laërt. l.6.* Cæsar dicebat, se malle in oppidulo quò in alpibus diuerterat, esse primum, quàm Romæ secundum. *Plut. in Cæs.* Simil. Qui dolet, quòd non excellat in omnibus, etiam diuersissimis, molestè fert quòd non sit leo & catellus simul, quódque vinea non ferat ficus & olea botros *Plut. in moral.* Taurus, auis pusilla vocem bouis imitatur: ita & ambitiosi, re nulli, voce magni sunt. Ambitio est ambientium crux, secretum virus occulta pestis, doli artifex, mater hypocrisis, liuoris parens, vitiorum origo, tinea sanctitatis, & excæcatrix cordis. Exempl. Extructores turris Babylonicæ; Maria & Aharon; Absalom; filij Zebedæi & fratres Christi. *Ioh.7.* Philippum magnitudine rerum ebrium dixit Demosthenes. Iulius Cæsar honores nimios recepit: vt continuum consulatum, perpetuam dictaturam, prænomen Imperatoris cognomen patris patriæ, statuam inter reges, suggestum in orchestrâ. Non poterat ferre superiorem, sicut nec Pompeius parem. Caligula induit deorum vestimenta. Francisc. I. rex Gall. pacem cum Carolo V. Imp. factam, non diuturnam fore pronuntiauit; quòd nec ipse parem, nec Imp. superiorem possit. Insignis quoque superiori seculo fuit ambitio in Ducibus Guisiis & Cardinali Lotharingio. Hierogl. 1. *Pauo*, qui caudam explicat, cùm videt plurimos adesse spectatores. 2. *Bulla*, quæ turget aëre. 3. *Fumus*; qui, quò altiùs ascendit, eò magis dissipatur.

Capvt XIII.

De Sedulitate.

Præcepta.

VIrtus gubernans desiderium laboris dicitur Sedulitas: item gnauitas, diligentia, & φιλοπονία.

Actus sedulitatis sunt tres; alacriter suscipere seu aggredi labores, perseuerãter progredi, & feliciter egredi.

Excessus sedulitatis est nimia satagentia: defectus ignauia.

Regvlæ.

I. *Duo sunt quæ faciunt hominem diligentem, amor, & spes.* Duæ res faciũt hominẽ diligentem.

AMor enim facit vt difficultatem superemus, spes, vt superemus certi de fructu, atque ita vel Herculi clauam extorqueamus labore tum probo, tum improbo. Neque difficultas hîc aliquem terrere debet. Nam difficilia quæ pulchra, & labores acti iucundi; & pulchra, non quia difficilia sunt, non audemus, sed quia non audemus, difficilia sunt.

II. *Labor est iuris naturæ, & gentium.* An labor sit iuris naturæ & gentium.

NAm omnes creaturę ad hoc sũt cõditæ, vt in statione suâ maneant, vt in angelis, corporibus cœlestibus, formicis, apibus,

apibus, & omnibus omnino creaturis videre est, quæ DEVM imitantur, qui semper est in actu. Etiam Adam, si permansisset in statu innocentiæ, necesse habuisset colere hortum. Natura igitur est optima magistra, norma & mensura officij & vocationis nostræ. Quid autem natura? Illa tenuat characterem boni, laborando non fatigatur, agit secundùm lineam rectam, est in perpetuo motu, seruat proportionem Geometricam, & abhorret à vacuo, itémque à progressu in infinitum. Sic igitur & nos agere debemus.

Omnis vocatio habet promissionem.

III. *Omnis vocatio habet à Deo promissionem.*

HInc illud Caroli Magni, quod protulit de fœminâ nente ac canente:

Nenti fila Deus mentem coniungit Olympo.

Quilibet ergo in statione suâ militet, cogitétque templum Virtutis ducere ad templum Honoris. Et sanè qui vitat molam, vitat farinam: & ars est census, opera, vita. Vnde poëta:

Quisquis apes vndásq; timet, spinásque reiecit,
Non mel, non pisces, non feret ille rosas.

Tres hominum classes, & quatuor hostes vocationis.

IV. *Magna pars vitæ hominum elabitur nihil agendo, maior pars malè agendo, maxima aliud agendo. Et quatuor sunt hostes vocationis legitimæ, videl. nugus labor, immoderatus labor, inutilis labor, & inordinatus labor.*

HInc videas alios agere nugas, numerare fluctus, tractare nuces, terebrare milium; alios difficultate laborum terreri, ideóque illos vel non incipere, vel non tolerare, vel nimis tardè perficere: alios nimiùm se macerare laboribus, egredi metas vocationis, multa simul velle agere: alios strenuè currere, sed extra viam: alios interrumpere suos labores, aliorum quin etiam occupationes interturbare.

Quæ sit præcipua sedulitatis pars?

V. *Sedulitas inclinat, vt facias, quæ sunt propria tui officij, seu legitimæ vocationis: atque hæc est præcipua sedulitatis pars.*

FAcit, inquam, vt intra metas vocationis tuæ te contineas, nec ingeras te in aliena, & intelligas proprium officium, & adhibeas cogitationem, quomodo id rectè facias: quæ cogitatio nominatur diligētia, & ἰδιοπραγία. Regitur autem hæc virtus his dictis: 1. *Thess. 4. versu* 11. Contendatis quieti esse, & res vestras agere: vel, vt vertit Melanchthon, Sitis ambitiosi in hoc ipso, quiescendo & faciendo propria. Vbi illustris emphasis est. Vitiosa ambitio, seu cupiditas honoris incitat plurimos, vt sint inquieti & ardeliones, vt extra metas officij sui erumpant, vt Brutus, Cassius, & filius Alexandri VI. Pontificis, Cæsar Borgia, qui scripsit symbolum, *aut nihil, aut Cæsar.* Hic Vrbinatem ducatum, per infinita scelera inuasit, sed ad paucos duntaxat annos tenuit. Tandem ex ipso ducatu, imò ex totâ Italiâ eiectus, inuisus generi humano, & velut hominum ἀλάστωρ ex hominum consortio exclusus, in culinâ regis Arragoniæ miser exul, mendicus, latitans, iure culinario ossáque rancidâ victitauit: ac tandem illic inglorius, exosus, hominum omnium vocibus allatratus infelicem animam efflauit. In huiusmodi hominibus non fuit cupiditas veri honoris, sed vmbræ. Contraria sit, inquit Paulus, in vobis veri honoris cupiditas, quæ est studium tranquillitatis, & docet facere proprium officium. Hinc 1. *Pet.* 4. monemur, ne simus ἀλλοτριοεπίσκοποι. *Galat.* 6. iubetur vnusquisque probare suum opus, vt gloriam apud se habeat: id est, conscientiam habeat non sauciam. Si quis enim suum rectè faciat officium, habet gloriam apud se, id est, bonam conscientiam. Alij, qui habent saucias conscientias, quærunt applausores, vel obtrectatores, vel assentatores. Huc pertinent dicta sapientum, quæ præcipiunt, vt vnusquisque intra metas officij sui maneat: vt, Spartam nactus es, hanc orna. Item, Quam quisque nouit artem, in hac se exerceat. Item Ἱππεὺς ἱππεύειν ἐδίη, καὶ ἀοιδὸς ἀείδειν. Item: Τέκτων γὰρ ὤν, οὐκ ἔπρασσες ξυλουργικά. Item: Ἄλλο δὲ σκῆπτρον, ἄλλο δὲ πλῆκτρον. Et Leontius dixit Imperatori Constantino, iudicanti de doctrinâ: Ἕτερα δίεπων ταχθεὶς, ἑτέροις ἐπιχειρεῖς: *Ordinatus ad alia, alia tentas*: quasi dicat. Tu es Imperator, debes regere castra, non dogmata. Et de Cleone dixit Aristophanes, eum habere alterum pedem in curiâ, alterum in castris. Ita sæpe nunc fit, vt concionatores vnum pedem velint habere in templo, alterum in curiâ, id est, gubernare ecclesiam & politica negotia. Si contraria vitia inspiciantur, magis intelligi potest, qualis virtus sit Sedulitas. Ignauiæ turpitudo manifesta est in Sardanapalo, qui pingebat se fucò in gynæcéo, & distribuebat telas, cùm hostes regnum inuasissent. Πολυπραγμοσύνη est, se ingerere alienis negotiis, extra vocationem, aut in proprio officio mouere non necessaria, aut quærere ea, quæ Deus quæri non præcepit, omissis necessariis & præceptis. Extra vocationem erumpit Osias, qui vult sacrificare, quod sacerdotibus, & non aliis facere licuit. Antonius & innumerabiles alij conati sunt imperium occupare. Pontifices Romani voluerunt regere politica. Pertinet huc fabula Hermogenis de κακοζηλίᾳ simiarum. His hominibus occinere oportet illud: Τὰ σὰ πρᾶττε. Et illud:

Feceris haud quidquam, nisi quod fecisse necesse est,
Quam quidem, norma est, vna sequenda Deus. Et:
Tu tantum facienda tibi fac sedulo, & vrge
Propositum, authori cætera linque Deo.

In ipsâ vocatione mouent non necessaria Iosias, inferens bellum Ægyptiis, & ciuitas Attica, mouens bellum Peloponnesiacum: item, discentes non necessaria omissis necessariis. Tertiò quærunt non necessaria, & non præcepta a Deo omissis necessariis & præceptis: vt miles non volens dimicare, nisi priùs certus sit, se rediturum esse ex pugnâ sine vulnere: doctor non volens docere, nisi priùs certus sit, sibi nihil fore periculi. Aduersus hanc speciem πολυπραγμοσύνης opponantur dicta: Subditus esto Deo, & eum ora: Primùm quærite regnum Dei & cætera adiicientur vobis: Nolite soliciti esse de crastino; vbi prohibetur solicitudo de euentu, quem Deus non patefacit, non autem solicitudo artis & laboris: vt Ioab inquit 2. *Sam.* 10. Pugnemus Dominus autem faciat, quod bonum est in oculis suis. Et Siracides ait *cap.* 3. Quæ mandauit tibi DEVS, sanctè cogita: nec opus est, te scire abscondita. Porrò quemadmodum solicitudo est duplex, artis & euentus, quarum illa præcepta est, hæc prohibita: sic & securitas alia est placens Deo, quâ facimus præcepta à Deo & petimus ab eo auxilium, & in eo acquiescimus, altera gladiatoria & Cyclopica, eorum scil. qui dicunt, Pereant, qui crastina curant. Qui hoc modo sunt securi, nec petunt auxiliū à Deo nec in ipso acquiescunt.

Diligētia in quibus rebus posita?

VI. *Diligentia est prudentia in prospiciendo fine vocationis, & in ordinandis mediis ad finem ducentibus & ferentibus: & intentio animi ac assiduitas in mediis illis parandis & tuendis.*

SIc diligens est discipulus, qui cernit finem studiorum principalem, gloriam Dei, & vtilitatem in Ecclesia, republ. & priuatæ vitæ. Deinde intelligit, fines mediatos studiorum esse συνασκεῖν [illegible]. Tum prospicit media, ad illos fines rectà ducentia: videlicet ordine discere præcepta, vtilia; legere pauca, vtilia, & bona scripta in singulis artibus; suscipere labores in loquendo & scribendo. Quartò in istis mediis parandis adhibet attentionem animi, curam, & cogitationem, nec peregrinatur animo suo. Quintò præstat assiduitatem: vt Apelles in suâ arte nullum diem præterire sinebat, quâ non aliquid suæ artis opus faceret. Hinc illud: *Nulla dies sine lineâ.*

FLORILEGIVM.

SEDVLITAS. SENTENT. Labor manuum præcipitur *Psal.* 128. *Prouerb.* 10. 12. 13. 28. 31. 1. *Thessal.* 4. 2. *Thess.* 3. Diligentia commendatur *Prouerb* 2. Πάντα ὅσις ὁ ἐπιμελείαις κατορθοῦται πράγματα, id est: Omnia negotia conficiuntur assiduitate. *Menander*: Τῶν πόνων πωλοῦσιν ἡμῖν πάντα τἀγαθὰ θεοί. id est, Per labores vendit nobis omnia bona Deus. *Epich.* Μελέτη δὲ τὸ ἔργον ὀφέλλει. id est, Cura auget opus. *Hesiod.* Χωρὶς θεοῦ γὰρ οὐδὲν εὐτυχεῖ: Sine Deo nihil feliciter succedit. *Anon.* Θεοῦ μὴ διδόντος οὐδὲν ἰσχύει πόνος, Deo non dante nihil efficit labòr improbus. *Nazianz.* Qui in labore hominum non sunt, in labore profectò dæmonum erunt. *Bernhard. super Cantic.* Claud. in nuptiis Honorij.

Non quisquam fruitur veris odoribus,
Hyblæos latebris nec spoliat fauos,
Si fronti caueat, si timeat rubos;
Armat spina rosas; mella tegunt apes.

Seneca:

Herculem duri celebrant labores:
Ille Centauros domuit superbos,
Abstulit sæuo spolium leoni,
Fixit & certis volucres sagittis,
Poma cernenti rapuit draconi, &c.

Martial.

Pingue solum lassat, sed iuuat ipse labor.

Manil.

Omnia conando docilis solertia vincit.

Generosos animos labor nutrit: Laborem si recuses, parum esse potes. Non est viri timere sudorem. *Senec. epist.* Multùm abhorret opus, cuius inchoatio inuidia, continuatio est labor, finis est odium. *Ibid.* APOPHTH. Democritus dicebat, omnes labores otio esse iucundiores. *Stob. serm.* 29. Pythagoras familiares suos hortabatur, vt optimum viuendi genus sibi deligerent; quamuis enim laboriosissimum esset, consuetudine tamen fore iucundum. *Ibid. serm.* 30. Socrates cuidam cupienti quidem ire ad Olympia, sed itineris labore deterrito: Cùm, inquit, domi sæpenumero totum propè diem ambules, ante prandium, rursus ante cœnam, si domesticas ambulationes proferas ad quinque sexve dies facilè peruenies ad Olympia. *Erasm.* 3. *apoph.* Seuerus Imperator symbolum tribuno dari iussit,

iussit, Laboremus: Pertinax, Militemus. *Ælius Sparta.* Florus scripserat hos versus in Cæs. Hadrianum:

Ego nolo Cæsar esse,
Ambulare per Britannos,
Scythicas pati pruinas.
Cui Cæsar respondit:
Ego nolo Florus esse,
Ambulare per tabernas,
Latitare per popinas,
Pulices pati rotundos.

Sentiens, honestas occupationes turpi & inutili otio præferendas esse. *Suet. in Adrian.* Scipio Africanus centurionem, qui pugnæ non adfuerat, cùm increparet, atque ille diceret, se in castris custodiæ gratiâ remansisse, dicebat. Non amo nimiùm diligentes. ADAGIA. Ad amussim: Ad vnguem: Ruminare negotium: Oculis fixis intueri: In occipitio oculos gerit: Vnum ad vnum: Incudi reddere: Aristophanis & Cleanthis lucerna: Lucernam olet: Metiri digitis: Somnum non vidit: Vel acum inuenisses. Frons occipitio prior. SIMILITVD. Philo laborem confert cum luce, sine quâ nihil videre possumus: ita labor est oculus animæ. Idem confert laborem cum cibo. Difficultas & vtilitas laboris ostenditur hoc modo: Rosa de spinis nascitur; Ager, vt fructum ferat, scinditur, aratur, occatur; Ferrum vsu splendescit, situ corrumpitur; Aurum ex venis eruitur multo sudore. EXEMPLA. *Cleanthes* philosophus ob φιλοπονίαν appellatus fuit alter Hercules, item pro Cleanthe φρεάντλης, quia noctu hauriebat aquam è puteo, vt diurnum victum pararet; Alexander M. Μηδὲν ἀναβαλλόμενος; Apelles pictor; Et agendo res Romana creuit; Masinissa rex Numidarum, Vespasianus, Carolus M. Alphonsus rex, & Maximilianus I. fuerunt laborum patientissimi. HIEROGLYPH. 1. *Formica picta* est laboris indefessi symbolum. Laborat enim interdiu & noctu, si quidem luna sit pernox. 2. *Asinus clitellâ instratus.* 3. *Apis* quoque laboris est symbolum. Vnde Salomon nos ad eam ablegat. 4. *Lepus* apud Ægyptios erat hieroglyphicum vigilantiæ; quia inter dormiendum oculos apertos ostendit. 5. *Leo* apud Ægyptios sacerdotes erat nota vigilantiæ: quia solum hoc ex animalibus recuruos vngues habentibus, simul atque natum est, cernit. 6. *Draco* est nota vigilantiæ. Dicitur enim δράκων quasi δέρκων. EMBLEMA de vigilantiâ & custodiâ:

Instantis quòd signa canens det Gallus Eoi,
Et reuocet famulas ad noua pensa manus;
Turribus in sacris effingitur area peluis,
Ad superos mentem quòd reuocet vigilem.
Est leo, sed custos, oculis quia dormit apertis,
Templorum icci rcò ponitur ante fores.

APOLOGI. 1. Fabula de formicâ & cicadâ est nota. 2. Rusticus moribundus accersit filios, & ipsos affatur hunc in modum: Quod potui in vitâ meâ comparsi: & hoc omne inuenietis in vineâ. Filij, quòd crederent in vineâ thesaurum defossum, arreptis ligonibus solum vineæ vniuersum vertunt, ac thesaurum quidem inuenêre nullum, terrâ tamen fodiendo perculsâ, vites vberrimum fructum tulêre.

CVRIOSITAS. SENTENT. Curiositas vitanda, *Exod.* 19. *v.* 12. 21. *Ioh.* 21. *v.* 21. 22. *Actor.* 1. *v.* 7. *Rom.* 12. *v.* 3. 1. *Cor.* 2. *v.* 2. 2. *Cor.* 12. *v.* 2. *Ephes.* 6. *v.* 14. *Col.* 2. *v.* 18. 1. *Thess.* 5. *v.* 1. 2. *Thes.* 2. *v.* 2. 1. *Tim.* 1. *v.* 4. *c.* 5. *v.* 13. *c.* 6. *v.* 13. *Tit.* 2. *v.* 12. Curiosum genus hominum ad cognoscendum vitam alienã, desidiosum ad corrigendum suam, *Aug. lib.* 10. *Conf.* Compescat se humana temeritas, & id quod non est, non quærat; ne illud, quod est, non inueniat. *Id. de gen. contra Manich. l.* 1. Plus pulsator plerumque inuenit, quod temerarius scrutator inuenire non potest. *Gregor. sup. Cantic. serm.* 24. Quæ Deus occulta esse voluit, non sunt scrutanda, quæ autem manifesta fecit, non sunt negligenda: ne & in illis illicitè curiosi, & in his damnabiliter inueniamur ingrati. *Prosp. de vocat. gent.* Nazianzenus:

Ἔργον πάρεργον οὐδαμῶς ἔργον λέγω,
Τῶν γὰρ παρέργων καταφρονητέον: id est, Laborem non-necessarium nequaquam laborem voco: Nam non-necessaria, negligenda sunt. *Plato* in legibus hanc quoque fert, vt singuli ciues vnam tantummodò artem discant & exerceant. Nam, vt inquit *Xenophon*, impossibile est multa simul facere, & eadem omnia rectè facere. Curiosus non est, qui non sit maleuolus. *Plaut. Stich.* Ita comparatam esse naturam omnium hominum, vt aliena magis iudicent, quàm sua. *Ter. Heaut.* APOPHTH. Thales in cœlum suspiciens inciderat in barathrum. Id ancilla conspicata, meritò id illi accidisse dicebat, quòd cœlum contemplanti ea quæ ante pedes sunt, non essent priùs perspecta. *Brus. lib.* 2. *c.* 27. Zeno Citticus adolescentem curiosiùs quædam sciscitantem adduxit ad speculum, vt in eo se contemplaretur. Mox rogauit, an videretur, tali vultui conuenire quæstiones eiusmodi proponere. *Laërt. lib.* 7. *c.* 1. Socrates interrogatus à quodam, quid ageretur apud inferos, deridens hominis curiositatem respondit: Nec ego, inquit, vnquam iui, nec cum quoquam illuc reuerso sum collocutus. *Max. serm.* 36. Sic *Augustinus lib.* 11. *Confess. cap.* 12. *meminit*, quendam quærenti, quid Deus ante mundum conditum fecisset, respondisse: Alta scrutantibus gehennas parabat. *Socrates* illud Homeri semper habebat in ore:

Ὅττι τοι ἐν μεγάροισι κακόν τ' ἀγαθόν τε τέτυκται·
Ædibus in nostris quæ recta aut praua gerantur.

Idem subinde iis, qui astrologica & meteorologica tantùm curabant, respondere solebat: Quæ supra nos, nihil ad nos. *Laërt.* Aristoteles eos, qui res euidentes demonstrare conarentur, similiter facere dicebat, vt si quis solem per lucernam ostendere conetur. *Max. serm.* 11. Demonax, cùm quidam exquireret, an mundus esset animatus, & rursus an globosus, respondit: Vos de mundo soliciti estis, & vestram ipsorum immunditiem non curatis. *Max. serm.* 21. ADAGIA. Scit, quomodo Iupiter duxerit Iunonem: Canes venatici: Nodum in scirpo quærere. SIMILIT. Curiosi conferuntur cum gallinâ, quæ aliorum domos ingreditur; cum gigantibus, qui in cœlum scandere parabant; cum Argo, qui centum habebat oculos. EXEMPLA. Eua, Dina, Osias, Herodes, Petrus, Pharisæi: Demosthenes, Pericles, Lysander, Funccius Chronologus, & fermè homines sapientissimi. Ita enim est, vt *Dauid Chytræus* ait *in regulis vitæ*: Vitium πολυπραγμοσύνης communissimum est ferè omnium sapientum. Funccius polypragmosynes suæ pœnam supplicio capitis luit. Quod ipse testatus est hoc emortuali disticho:

Disce meo exemplo mandato munere fungi,
Et fuge ceu pestem τὴν πολυπραγμοσύνην.

Non malè addideris monachos, iuxta versum:

Quidquid agit mundus, monachus vult esse secundus.

APOLOGVS. Cùm diuinator in foro respondet consulentibus, accipit nuntium, patere fores domus ipsius, omnémque supellectilem direptam esse. Quo nuntio perculsus domum properauit. Cui quidam ex turbâ: Heus tu, inquit, cùm aliarum rerum prædictiones profiterere, cum tuas negligebas?

IGNAVIA. SENTENT. Pigritia damnatur, *Prou.* 13. 19. 20. 21. 22. 26. *Ecclesi.* 11. *v.* 4. *Roman.* 12. *v.* 11. Pigritiæ mala *Prou.* 20. 21. 24. Otium vitandum, *Prou.* 6. 9. 10. 26. 28. 31. 1. *Thess.* 4. *v.* 28. 1. *Thess.* 4. *v.* 11. 2. *Thess.* 3. *v.* 10. *Tit.* 3. *v.* 14. Ouid. 1. Pont. eleg. 6.

Cernis vt ignauum corrumpant otia corpus:
Vt capiant vitium, ni moueantur, aquæ.

Pictorius in Epigram.

Quo te cunq; die nil sancti egisse videbis,
Hunc tibi vel penitùs deperiisse puta.

Catullus ad Lesbiam:

Otium & reges, simul & beatas
Perdidit vrbes.

Ouid. 1. de remed. amoris:

Quæritur, Ægysthus quare sit factus adulter?
In promtu causa est, desidiosus erat.

Martial. 5. epigram.

Cras te victurum, cras, dicis Posthume, semper.
Dic mihi, cras istud, Posthume, quando venit?

Rerum occasiones tarditatem nostram & ignauiam non expectant. *Demosth.* 1. *Philip.* Nobilis equus vmbrâ quoque virgæ regitur ignauus ne calcari quidem concitari potest. *Curt. lib.* 5. Qui nihil agunt, mortui ambulant inter viuos. *Lips. dial. de rectâ pronunt.* Desidia humectat, & imbecillum corpus fluidúmque reddit: labor siccat, & robustum strictúmque corpus facit. *Idem de milit. Rom. ex Hippocrat.* Emollit otium vires, sicut rubigo ferrum. *Sen.* Fax immota turget, agitata ignem restituit. *Id. de Clement.* Omnia aliena sunt: tempus tantùm nostrum est. *Sen. epist.* 1. Otiosus non sibi viuit, sed, quod turpissimum est, ventri & somno. *Id.* Vitam nobiscum diuidit somnus. *Id. epist.* 118. Hinc somnus dictus est lethi consanguineus & frater. Turpis alto sole semisomnis iacet: cuius vigilia in medio die incipit: & adhuc multis hoc antelucanum est. *Id. epist.* 123. Vigilare decet hominem, qui vult sua tempori conficere negotia. *Plaut. Rud.* Qui dormiunt libenter, sine lucro & cum malo quiescunt. *Id. ibid.*

Ennius:

Otio qui nescit vti, plus negotij habet,
Quàm cùm est negotium in negotio.
Neq; domi nunc nos, nec militiæ sumus.
Imus huc, hinc illuc ventum est, ire illinc lubet.

Vbi socordiæ te atque ignauiæ tradideris, nec quicquam deos implores; irati, infestique sunt. *Salust. coniur. Catil.* Profectò vita vigilia est. *Plin. præfat. ad Vespas.* Æstimatione nocturnæ quietis, dimidio quisque spatio vitæ suæ viuit. *Id. lib.* 7. *cap.* 50. Quantillum inter industrium vigilantem, & inter ignauum dormientem interfit, docet *Seneca epist.* 94. Alter post mortem quoq; est, alter ante mortem periit. APOPHTH. Diogenes otiosorum negotium amorem esse dicebat. *Laërt. lib.* 6. Idem frequenter vsurpabat illud Hesiodi:

Ἔργον δ' οὐδὲν ὄνειδος, ἀεργίη δέ τ' ὄνειδος,
Non probrum est operari, ast est cessatio probrum.

Plato è disputatione discedens, solitus est dicere: Videte pueri, vt otium in re quapiam honestâ colloceris. *Laërt. lib.* 3.

Augustus

Augustus Cæsar insulam illam, Capreis vicinam, quò solebant se conferre, qui ex ipsius comitatu secedebant, solitus est appellare ἀπραγόπολιν, ab ἀπραγίᾳ. *Suet. in Aug.* Probus Imper. dicebat: Annonam gratuitam militem edere non debere. Scipio Africanus, si quando vacans à negotiis bellicis in literis versaretur, solitus est dicere, se nunquam minùs esse otiosum, quàm cùm esset otiosus. *Plutarch. in apoph.* Themistocles pigritiam, viui hominis sepulturam vocauit. *Plut.* M. Catonis perfrequens fuit sententia, Nihil agendo homines mala agere discere. *Columel. l. 12.* Sigismundus Imperator, cùm ignauus homo fœneratores eo nomine plurimùm laudasset, quòd dormientes etiam pararent ex rebus lucrum: At tu, inquit Imperator, vigilando omnia consumis. *Æn. Syl. lib. 4. gest. Alphonsi.* Draco Atheniensium legislator statuit, vt qui damnati forent otij, capite plecterentur. Anaxarchus dicebat, si quis alterum audiret sibi imprecantem manus & pedes inutiles, iratum illi proculdubiò fore: diuites autem cùm reipsâ manus pedésque faciant inutiles, ob hoc ipsum se beatos existimare. *Stob. de Otio.* ADAG. Otia dant vitia: Dic cur hîc: Ora & labora: Alter Epimenides. Dicitur autem Epimenides missus à patre, vt ouem rure deferret, meridiano tempore diuertisse ex itinere, atque in spelunca 47. annos perpetuos obdormiuisse. *Plin. & Laërt.* Ignauis semper feriæ: vel, vt Germani dicunt, Ignauis semper dies Solis: Neque natare, neque literas: Mulieris podex: Barbarus ex triuio: Ab asino delapsus: Ne Æsopum quidem triuisti: Nullam hodie lineam duxi: Neglectis vrenda filix innascitur agris: Ne vidit quidem oleum: Neque compluitur, neque sole aduritur: Inutile pondus: Nos numerus sumus & fruges consumere nati. SIMILITVD. Lipsius ignauos confert cum mari mortuo; pigritiam cum occultâ teredine, quæ ligna consumit; Apuleius cum ferro, quod rubigine obducitur, nisi vtaris: Ouidius cum aquâ, quæ reses putrescit. Otium cum tabe comparatur & veneno mellito. EXEMPL. Israëlitæ *Num. 11. & 21.* Seruus nequam, *Matth. 25.* Honorius Imparator, qui subscribebat nomen suum libellis supplicibus non lectis, de quo suprà. HIEROGLYPH. 1. *Hieroglyphica otij apud Salomonem* vide *Prou. 6. v. 9. 10. 11. c. 26. v. 15. c. 20. v. 4. c. 10. v. 5. c. 20. v. 13. c. 21. v. 25. 26. c. 22. v. 13. cap. 26. v. 13. c. 24. v. 14. Eccles. 10. v. 18.* 2. *Fucus*, qui apibus eripit mel, est symbolum ignaui ventris. Huc refer emblema de templo Vacunæ, seu Vesidiæ; quod solum erat Romæ in humili loco extra vrbem, cùm reliqua templa essent in vrbe, & ascenderentur. 3. *Asinus* est hieroglyphicum otij & ignauiæ. FABVLA. Apicula desertrix sui generis facta, quòd pensum quotidianum ipsi videretur difficile, transiit ad fucos, intérque illorum furta toto tempore æstiuo commodè vixit. Sed appetente hyeme, cùm fuci cauernas terræ subirent, ipsa repetere voluit aluearia sui generis: quæ cùm obstructa inueniret, gelu & imbribus oppressa interiit.

CAPVT XIV.

De Sufficientiâ.

PRÆCEPTA.

VIRTVS rectrix desiderij opum est primaria, vel secundaria.

Primaria est Sufficientia, quâ quis est contentus illâ opum mensurâ, quam Deus ipsi est mensus. *Aliâs dicitur* Frugalitas, *quæ facit homines frugi, quos Græci* χρησίμους *dicunt. Græcis dicitur* Αὐτάρκεια.

Extremum ipsius in excessu est solicitudo ethnica, *die heidnische Bauchsorg*, & immodica habendi cupido; in defectu fastidium rerum præsentium, quale fuit in Israëlitis fastidientibus manna, & simulatus opum contemtus, qualis est in Monachis & Iesuitis, qui dicuntur pauperes sine defectu.

REGVLÆ.

Sufficientia cur nobis debeat esse chara?

I. *Sufficientia nobis debet esse commendata; quia is diues, qui suâ sorte contentus est, & quia ille est sapiens qui contentus est mensurâ, quam sibi mensus est Deus.*

Rectè itaque cecinit Christianus Poëta:

Præstat supellex sobria, | Quàm rapta per vim diuitum
Rectéq; parta recula, | Fastidiosa copia.

Animus suâ sorte contentus quis?

II. *Ille animus suâ sorte contentus est, qui præsentibus bonis iustè acquisitis, etiam exiguis, læto animo acquiescit, paupertatémque placidè perfert, memor regulæ, Paupertas est gymnasium virtutis, & pietatis.*

NOn tamen pugnat cum sufficientiâ, si quis bono titulo accumulet opes. Nam benedictioni diuinæ hoc est acceptum ferẽdum, non autẽ dica auaritiæ alicui scribenda dicendáve: Auarus enim is est, qui seruit Mammonæ tanquã Deo: non autem is qui imperat pecuniæ, & ex illâ facit sibi amicos.

Vir bonus vt recipiat diuitias?

III. *Vir bonus diuitias in domum recipit, non in animum.*

NAm si Crœso Crassoque sit ditior, præclarum statuit habere opes, & non haberi ab iis; regere illas, non regi ab illis. Cogitat siquidem diuitias è terra, animum suum è cœlo ducere originem, ideoque valde iniquum esse, vt cœnum imperet cœlo.

Diuitiæ Christianorum quæ?

IV. *Victus & vestitus sunt diuitiæ Christianorum.* Hieron.

ID est, illis etiam parum satis est. Contrà cupiditati nihil est satis. Hinc vir bonus est offulâ contentus & micâ, imitatus Vlyssem, qui non lebetem, sed micam deposcebat: sed auarus insatiabili quâdam cupiditate tenetur; vnde Ciceroni dicitur Cupiditas inhians: & Poëta ait,

Crescentem pecuniam maior sequitur fames.

Quod Curtius de Alexandro M. expressit: Quid tibi diuitiis opus est, quæ te esurire cogunt? Primus omnium satietate parasti famem, vt quò plura haberes, ampliùs quæ non haberes cuperes. Atque hinc est, quòd auaros perpetua maneat excarnificina: cùm è contrario illi, qui sorte suâ sunt contenti, viuant in diem, imò in horas, memores illius versus:

Tu præsens cura, Domino committe futura.

Sed quis nostrûm est tam compositæ felicitatis, vt non cum status sui qualitate rixetur? quæ sunt verba *Boëtij 2. consol. 3.* Nimirum nos nostram felicitatem, molestiam; alterius infortunium, quietem nominamus. Nos rationem, quam alij in rebus suis gerendis obseruant, approbamus, sed nostram condemnamus. Nos nobis imaginamur, quòd omnes alij degant vitam vsque adeò pacatam, nos verò solos fortunæ telis expositos esse statuimus. Quod somniamus, id verum mox esse credimus; id quod vigilantes apertis conspicimus oculis, fide dignum non arbitramur.

Quot modis violétur leges Sedulitatis?

V. *Tres sunt classes eorum, qui hîc exorbitant.*

1. *Carnifices animarum suarum:* qui more gentilium peruersa & inutili solicitudine de sustentatione huius vitę seipsos excruciant. 2. *Philosophi qui spreuerunt diuitias honestas*: ideoque illas in mare abiecerunt. 3. *Delicatuli*: qui cùm affluant rebus necessariis illas contemnunt, & suo murmure aduersus Deum conspurcant, ad instar murium, de quibus vsurpari potest illud: Mel nimium est amarum.

FLORILEGIVM.

SVFFICIENTIA. SENTENTIÆ. *1. Timoth. 6.* Ἔστι δὲ πορισμὸς μέγας ἡ εὐσέβεια μετὰ αὐταρκείας: Magnus quæstus, seu magnæ diuitiæ sunt pietas cum voluntate contentâ suo bono. *Prou. 27. v. 23.*

Horat. *Bene est, cui Deus obtulit*
Parcâ, quod satis est, manu.

Persius Sat. 3. —— *Rure paterno*
Est tibi far modicum purum, & sine labe salinum,
Quid metuas? Cultrixq; foci secura patella.
Hoc satis. —— Claud. 1. Ruff.
—— *Contentus honesto*
Fabricius paruo spernebat munera regum,
Saluabátque graui consul Serranus aratro:
Et casa pugnaces Curios angusta tenebat.

Iuuenal. 14.
Sensit Alexander, testâ cum vidit in illâ
Magnum habitatorem; quanto felicior hic, qui
Nil cuperet, quàm qui totum sibi posceret orbem.

Auson. epigram. 9.
Fama est fictilibus cœnasse Agathoclea regem,
Atq; abacum Samio sæpe onerasse luto:
Fercula gemmatis cùm poneret horrida vasis,
Et misceret opes pauperemq; simul.
Quærenti causam, respondit: Rex ego qui sum
Sicaniæ, figulo sum genitore satus.
Fortunam reuerenter habe, quicunque repente
Diues ab exili progrediere loco.

Si quem volueris diuitem efficere, non est quòd augeas opes, sed minue cupiditatem. *Aristippus.* Diues est, qui nil cupiet. *Bias Ausonianus.* Si sapis, eris contentus mensurâ, quam tibi Deus est mensus. *Bernh. Gott gibt einem voll einen leffel, dem andern gibt er voll einen scheffel.* Cui assecuto satis, quod optanti nimium videbatur. *Sen. epist. 118.* Beata sors omnis est æquanimitate tolerantis. *Boët. 2. consol. 4.* APOPHTHEGMATA. Phocion centum talenta ab Alexandro sibi domo missa remittit, demonstrans, se qui non indigeret tantis opibus, opulentiorem esse Alexandro, qui dederat. Et vxor Phocionis, cùm ornamenta muliebria ipsi offerrentur, modestissimè respondit, ἐμοὶ κόσμος ἐστὶ Φωκίων,

Meum ornamentum est Phocion. Epictetus rogatus, Quis esset inter homines diues? Cui, inquit, satis est, quod habet. *Stob.* Socrates interroganti, Quisnam sibi videretur ditissimus? respondit, Qui paucissimis contentus est. Socrates dicebat, eum esse Deo simillimum, qui quam paucissimis egeret, cùm Deus omnino nullius egeat rei. *Laert. lib.* 2. Idem dicebat, famem esse optimum condimentum, quòd & optimè edulcaret omnia, & nullius esset impendij. Vnde ipse semper iucundè edebat & bibebat, quia neutrum faciebat nisi esuriens & sitiens. *Laert.* Idem aduocarat aliquot diuites ad cœnam, cúmque Xanthippe ob id esset solicita, quòd apparatus esset perquam exiguus. Bono animo es, inquit; nam si frugi sint, boni consulent; si minùs, nulla bonis horum cura debet esse. *Laërt.* Idem, Xanthippe cum increpante, quòd tenuiter se ad amicos accipiendos præpararet, dixit: Si nostri fuerint, nihil curabunt; sin alieni, nos de ipsis nihil curabimus. *Max. serm.* 13. Idem quendam ex amicis conquerentem, quòd Athenis omnia magno venirent, videlicet vinum, mel, purpura, & similia, manu illius prehensâ duxit in forum farinarium: Obolo, inquiens, semisextarius venit. Vilis igitur annona est. Hinc ad olera deducens, Duobus, inquit, æreis sextarius. Non magno igitur in vrbe veneunt omnia. Nimirum qui paucis ac necessariis contentus est, sibi facit vilem annonam. *Erasm. 3. apoth.* Diogenes, cùm aliquando à Cratero Alexandri M. præfecto ad cœnam inuitatus esset, respondit, se malle salem Athenis lingere, quàm apud Craterum adipatâ frui mensâ. *Laërt. lib.* 6. Cyrus rogatus ab hospite, quid ad prandium apparari iuberet, Nihil, inquit, aliud, quàm panem. Nam spero me prope riuum cœnaturum. *Ammian. lib.* 12. ADAG. Vita doliaris, seu vita dolij: Salem & caseum edere: Ne quid nimis: Ossulâ contentus. SIMILITVD. Quemadmodum ager fimo luxuriatur: sic animus humanus vberiore vitâ insolescit, frugaliore verò ac asperiore mitescit. *Plutarch. in apoph.* Templum Dianæ Ephesinæ tutos reddebat obæratos à creditoribus: sic frugalitas & parsimonia tutissimum præbet asylum. *Plin. lib.* 36 *cap.* 14. EXEMP. Patriarchæ, Prophetæ, Christus, Apostoli; Paulus Apostolus dicit se esse αὐτάρκη, *Philip.* 4. Gymnasophistæ Indorum, Hesseni Iudæorum, Socrates. HIEROGLYPH. 1. *Oliua*; cuius baccæ apud veteres persæpe parsimoniæ causâ sunt appositæ. 2. *Vola*, seu manus clausa.

CVPIDITAS seu SITIS IMMODICA HABENDI. SENTENT. Cupiditates immodicæ damnantur. 1. *Thess.* 4. *vers.* 5. 1. *Tim.* 3. *v.* 3. 2. *Tim.* 3. *v.* 2. 1. *Tim.* 6. *v.* 10. *Tit.* 1. *v.* 17. Non est in carendo difficultas, nisi cùm fuerit in habendo cupiditas. *August. lib. Confess.* Qui semel Christi seruus est effectus, non erit mammonæ famulus. *Chrysost. hom.* 9. *in Matth.*

Virg. 3. Æneid.

——— *Quid non mortalia pectora cogis*
Auri sacra fames? ———

Quamdiu tibi satis nihil fuerit, ipse aliis non eris *Senec. epist.* 19. Nunquam parum est, quod satis, & nunquam multum, quod satis non est. *Id. epist.* 27. Cupiditates sunt insatiabiles, quæ non modò singulos homines, sed vniuersas familias euertunt, totam etiam labefactant sæpe remp. *Cic.* 1. *de fin.* APOPHTHEG. *Diogenes* multa & magna simul appetentes, insigniter mendicos dicebat. *Timon* μισάνθρωπος elementa malorum esse dixit, insatiabilitatem & ambitionem. SIMILITVD. Cupiditas est tanquam febris augens sitim; est velut hydrops, qui facit vt

Quò plus sint potæ, plus sitiantur aquæ.

EXEMP. Midas apud Ouidium; Iulius Cæsar, qui Britanniam petiisse creditur spe margaritarum; Darius, qui cùm legeret inscriptionem monumenti Semiramidis, *Quicunque rex pecuniâ indiguerit, aperto sepulchro, quantum opus est, accipiat*: protinùs illud aperuit. Sed loco pecuniarum inuenit hæc verba: Nisi vir malus esses, & pecuniarum insatiabili desiderio flagrares, haud sanè mortuorum loculos commouisses. HIEROGLYPH. Canis hianti ore; adolescens insidens equo ferocienti & abreptus eius impetu; & palma seu manus expansa, sunt symbola inexplebilis cupiditatis.

CAPVT XV.

De studio honestè rem parandi.

PRÆCEPTA.

VIRTVS rectrix desiderij opum secundaria respicit opum acquisitionem vel vsurpationem.

Acquisitionem opum respicit studium honestè rem parandi.

Eius excessus est studium ditescendi per fas & nefas: defectus, pigritia in acquirendo.

REGVLÆ.

I. *Honestè debemus rem parare: quia omnis vocatio habet à Deo promissionem, & hoc est maximè secundum naturam.*

Cur debeamus honestè rem parare?

ETenim Adam in statu innocentiæ labores diuinitùs præscriptos obiturus fuisset: & omnes creaturæ munia sibi à Deo præscripta alacriter faciunt.

II. *Modus acquirendi legitimus est, qui non pugnat cum iure naturæ & gentium, adeoque nec cum iure diuino.*

Modus acquirendi legitimus quis?

HOnestè igitur rem parat, qui prece ardente, & labore frequente comparat facultates moderatas, vt vitæ suæ aliorúmque consulat, dum tempestiuum est, citra proximi dispendium. Hîc igitur peccant 1. *Lupi illi & Lucij*, qui homines exedunt, vt sunt vsurarij, qui exercent vsuram rodentem; & omnes auari. 2 *Inutilia terræ pondera*; vt homines illi qui dicuntur Numerus: Tales sunt validi mendicantes, Iudæi, Monachi, Moniales, & Maledicti illi homines, qui opus Domini faciunt negligenter. Talis fuit Caligula, qui muscas cepit, vnde & muscicapitaneus, à quibusdam fuit dictus. 3. *Cynici illi*, qui diuitias criminantur, & negligunt pecuniam accipere in loco. 4. *Alchymistæ & captatores thesaurorum subterraneorum.* 5. *Hypocritæ, qui simulant contemtum diuitiarum,* quique pauca deserunt vt multa consequantur: quales sunt Monachi.

III. *Studium honestè rem parandi non debet euertere distinctionem inter possessionem seu proprietatem, & vsum seu communitatem.*

Studium honestè rem parandi an tollat distinctionem inter κτῆσιν & χρῆσιν?

LIcet enim bona debeant esse communia quoad vsum: dominia tamen ipsorum debent esse distincta. Nam distinctio dominiorum à Deo est ordinata & sancita. Octauum enim præceptum prohibet furta. Iam si omnia bona essent communia, nihil opus esset prohibitione furti. Nam furtum est rapere aliquid ex alieno. Deus igitur prohibens furta, expressè sancit distinctionem dominiorum & proprietatem rerum. Et lex naturæ probat eandem distinctionem. Intelligit enim naturalis ratio in hac corruptione naturæ, cùm non sint pares causæ quærendi & conseruandi bona, cùm alij sint ignaui, alij prodigi, alij industrii, opus esse distinctione dominiorum. Præterea verbum Dei approbat emtiones & venditiones. 1. *Cor.* 7. 1. *Thess.* 4. Sic Abraham, Iacob, Ieremias emunt agros: & Abraham, Isaac, & Iacob fiunt diuites. Ioseph, Dauid, Salomon, Daniel, Cyrus tenuerunt regna. Vult autem Deus nos tenere iustè res nostras, vt agnoscamus omnia bona nobis ab ipso dari, non casu obiici, aut industriâ nostrâ parari; vtque ipsum propterea inuocemus, ipsi fidamus, ipsi gratias agamus: denique vt pauperum inopiam subleuemus, adeóque communia faciamus nostra bona quoad χρῆσιν, quæ sunt propria quoad κτῆσιν.

IV. *Tot sunt modi honestè rem acquirendi, quot sunt artes honestæ atque vtiles, siue illæ sint ingenuæ, siue sellulariæ.*

Quot sint modi honestè rem parandi?

HInc rectè dixerunt veteres Germani, omnem artem habere aureum fundum. Excluditur itaque histrionica circulatorum pragmatica rabularum, & empirica circumforaneorum & dentifrangibulariorum. Hîc potest quæri. 1. An sit furtum si quis rem inuentam detineat, quando ignorat possessorem? Resp. Veteres hîc fuerunt nimis rigidi, quorum regula fuit: Res inuenta & non restituta, est furtum, siue scit cuius sit, siue nescit. Non enim furti tenetur qui herum rei inuentæ ignorat, dummodo non celet. 2. An præscriptio temporis sit legitimus modus acquirendi? Resp. Vulgò dicimus, Gaudent possidentes: &, Hæres iure præscriptionis iustum alicuius rei dominium acquirit. Sed hæc omnia accipienda sunt cum hâc restrictione, si proximior hæres ignauus & negligens fuerit, non autem si interuenerit ignoratio: Hinc rectè dicitur: Iura vigilantibus sunt. 3. An Chymia sit accensenda honestis modis acquirendi? Resp. Chymia rationalis vtique illis accensenda est; quia est pars medicinæ: sed irrationalis non item. De hâc lepidè dicitur: Chymia est ars sine arte, pars sine parte, cuius initium est scire, medium mentiri, & finis mendicare. Item: Chymia est multiplicatio totius per nullam. Item: Chymia est casta meretrix, quæ multos inuitat, neminem admittit.

FLORI

FLORILEGIVM.

ASSIDVITAS IN PARANDA RE. SENTENTIÆ. Hesiodus:

Adde parum paruo, paruo superadde pusillum,
Fiet & hoc magnum, infelix pelletur egestas.

Sophocles.

Eamus quàm celerrimè. Non potest enim
Iusta diligentia vnquam reprehendi.
Si quis otiosus respexerit alterum
Locupletem, is festinabit, vt aret, plantetq́;,
Et rem domesticam ritè disponat.
Æmulatur enim vicinus vicinum
Ditescentem: est autem hæc æmulatio vtilis mortalibus.
Operando viri perniciosi fiunt & diuites.
Atq; laborans multò magis amatur à diis.

APOPHTHEG. Menander ait, si vel modicum modico coniunxeris, idque frequenter feceris, statim fiet hoc quoque magnum. Omnia enim assiduitate conficiuntur negotia. *Stob. serm.* 29. Democritus, vt assiduitatem in opere persequendo commendaret, dicebat, perpetuam cunctationem reddere actiones imperfectas, & laborem continuum consuetudine fieri seipso leuiorem. *Stob. ibid.* Idem interrogatus, quomodo quis diues fieri posset: Si, inquit, cupiditatum pauper erit. *Max. serm* 12. Hanc in sententiam Epicurus ad Pytoclean scribens, Si vis, inquit, te diuitem facere, non pecuniæ adiiciendum, sed cupiditatibus detrahendum est. *Seneca.* ADAG. Minutula pluuia imbrem parit: Assidua stilla saxum excauat:

Quid magis est durum saxo? quid mollius vndâ?
Dura tamen molli saxa cauantur aquâ.

Noctésque diésque: Multis ictibus deiicitur quercus Exercitatio potest omnia: Labor omnia vincit improbus. SIMIL. Vt qui paulum addit paulo, idque frequenter facit, ingentem aceruum accumulat: ita assiduitas ad augendam substantiam plurimum valet. *Plaut.* Vt stilla cauat assiduitate saxum, vt ferrum contrectatione atteritur: ita assiduitas etiam durissima vincit. EXEMP. Adam protoplastus à Deo fuit collocatus in paradiso, vt hortum coleret: & post lapsum in sudore vultus sui comedit panem suum. Hinc illud Germanorum:

Als Adam hackt, vnd Eua spann,
VVer vvar damals ein Edelmann?

Romanorum præcipui fuerunt agriculturæ dediti, adeò vt multi ab aratro ad consulatum fuerint promoti. In primis memorabile est exemplum Furij Cressini; qui cùm in paruo agello fructus multo largiores, quàm in amplissimis vicini haberent, in inuidiâ magnâ erat, vt qui fruges alienas veneficiis pelliceret. Quare die ipsi dictâ, instrumentum omne rusticum in forum attulit, illúdque omnibus ostentans ait, Veneficia mea hæc sunt, Quirites: nec possum vobis ostendere, aut in forum adducere meas vigilias, meos infinitos sudores, concatenatos labores. Túmque illo omnium calculis absoluto, iudicatum est, aratorem nisi semper incuruum, præuaricari, operáque potiùs & assiduitate, quàm impensâ aut soli magnitudine, agriculturam constare. *Hieroglyphica* hîc sunt eadem, quæ supra ad titulum sedulitatis.

INIVSTA ACQVISITIO ET POSSESSIO DIVITIARVM. SENTENT. Melius est parum cum iustitiâ, quàm multi fructus cum iniquitate. *Prou.* 16. Qui coaceruat diuitias vsuris, & fœnore multo, in pauperes congregat eas. *Prou.* 28. Nam, Malè quæsita malè dilabuntur. Et

De malè quæsitis non gaudet tertius hæres.

Atque hoc est quod Germani dicunt: *Vnrecht gut faselt nicht.* Ignis in domo impij thesaurus iniquitatis. *Mich.* 6. Diuitiæ seculares si desunt, dum per mala opera quærantur in mundo: si autem adsunt, per bona opera seruentur in cœlo. Animum virilem & Christianum nec debent; si accedant, extollere; nec debent frangere, si recedant, *August. epist.* 100. Iuuen. Sat. 10.

Prima ferè vota, & cunctis notissima templis,
Diuitiæ vt crescant & opes, vt maxima toto
Nostra sit arca foro. — ———

Tam cæca est in hominibus breuis lucri cupiditas, vt se eius causâ perpetuæ seruituti addicant, ac seipsos volentes ac viuentes perditum eant. *Iohan. Demetrius in hist. Polon.* APOPHTHEG. Democritus dicebat, Diuitiæ malis artibus comparatæ, infamiæ notâ inter homines insigniuntur. *Stob. serm.* 90. ADAG. Midæ diuitiæ: Tantali diuitiæ: Vndecunque lucrum captant: Lucri odor bonus qualibet ex re, quod tribuitur Vespasiano: Diues aut iniquus est, aut iniqui hæres. SIMILIT. Iniustorum diuitiæ quasi amnis exarescent, & quasi magnum tonitru cum sonitu euanescent. *Siracid.* 40 *Qui diuitias iniquas parant*, nectunt sibi funes & laqueos, quibus implicantur: comparant sibi spinas, quibus fodicantur: suntque similes cani Æsopico. Sicut enim ille vmbram carnibus præferebat, quod maior appareret: ita diuites vmbram rerum terrenarum præferunt solido corpori æternitatis. *Diuites item*, stolidi suis iniustis opibus efficiuntur, non aliter atque is, qui bonum equum possidens, equitandi artem ignorat. *Qui diuitias iniustè parant*, similes sunt laniis, qui excoriant pecus: & malis pastoribus, qui non tondent pecus, sed deglubunt. EXEMP. Diues epulo *Luc.* 16. Vespasianus, qui ex lotio vectigal carpebat: flagellatores annonæ. EMBLEMATA.

In diuites publico malo.

Anguillas quisquis captat, si limpida verrat
Flumina, si illimes ausit adire lacus,
Crassus erit: laudetq́; operam; multum excitet ergo
Si creta, & vitreas palmula turbet aquas,
Diues erit: sic & respublica turbida lucro est,
Qui pace arctati legibus esuriunt.

Malè parta malè dilabuntur.

Miluus edax, nimia quem nausea torserat escæ,
Heu mihi, mater, ait, viscera ab ore fluunt.
Illa autem, quid fles? Cur hæc tua viscera credas,
Qui rapto viuens sola aliena vomis?

HIEROGLYPH. 1. *Spinæ* suffocantes semen. 2. *Turdus* malum suum, id est, viscum quo capitur, sibi cacans. 3. *Pauonis cauda*, quæ quotannis decidit, quando frondes arborum decidunt, & redit cum arborum germine. FABVLA. Anseres & grues vno in prato pascebantur. Adueniente aucupe, grues leuitate suâ adiuti facilè auolant, at anseres impediti grauitate ab aucupe prehenduntur. Ostendit fabula, eos, qui per fas & nefas ditescunt, comparare sibi sarcinas, quibus onusti incidunt in laqueos aucupis infernalis.

CAPVT XVI.

De Parsimoniâ.

PRÆCEPTA.



IRTVS respiciens opum vsurpationem est Parsimonia, quâ opes ita conseruantur, ne illis seruiamus.

Extremum eius in excessu est profusio: in defectu sordida tenacitas.

REGVLÆ.

I. *Parsimonia summum est vectigal.* — Parsimonia summum vectigal.

PArsimonia enim facit, vt quæsita comparcamus, & parcè dispensemus: item vt caueamus ne sumtus superet reditum, atque adeò viuamus intra fines propria: item vt impendamus pecuniam in res necessarias, & non simus emaces, sed potiùs vendaces. Nam certum est quod Cicero dicit: Non esse cupidum, pecunia est, non esse emacem, vectigal. In primis autem parsimoniam fouet meditatio illius regulæ: Cogitato, quàm longa sit hyems: ne nobis id contingat quod à formicis audiunt cicadæ apud Æsopum: Æstate cecinistis, hyeme igitur saltate. Oportet autem in tempore parcere rebus necessariis, ne illud Senecæ obiiciatur: Sera in fundo parsimonia.

II. *Parsimonia res proprias custodit, vtiliter collocat, vitat sumtus non necessarios, putà emacitatem, luxum, mutuationes, ædificationes: & tamen, vbi ratio postulat, expendit quantum opus est.* — Qui sint actus parsimoniæ?

DE emacitate fugiendâ notetur Catonis dictum, quod recitat *Seneca lib.* 14. *epist.* 93. Emas, non quod opus est, sed quod necesse est. De mutuationibus Chilo foribus templi Delphici inscripsit: Comitem æris alieni esse miseriam. De ædificationibus noti sunt versiculi:

Σώματα πολλὰ τρέφειν, καὶ δώματα πολλ' ἀνεγείρειν,
Ἐς πενίην οἶμός ἐστιν ἑτοιμοτάτη.

Ædificare domos, & corpora pascere multa,
Ad paupertatem proximus est aditus.

III. *Parsimonia est basis liberalitatis.* — Parsimonia basis liberalitatis?

NOn possunt enim ad benefaciendum suppetere facultates, nisi parsimoniâ adseruentur, vt monet vsitatum dictum; *Bonus Seruatius facit bonum Bonifacium.* Et Christus *Iohan.* 6. non sine causâ ait: Colligite fragmenta, ne quid pereat. Ita enim facultates nostræ conseruantur, & ad beneficentiam sumtúsque necessarios copiæ suppetunt. Quâ de re *Plinius lib.* 2. *ad Caluinam* ita scribit: Quod cessat ex reditu, frugalitate suppletur, ex quâ velut fonte liberalitas nostra decurrit. Quæ tamen ita temperanda est, ne nimiâ profusione inarescat.

FLORILEGIVM.

PARSIMONIA. SENTENT. Parsimonia auget opes. *Prou.* 13. & 27. Probatur à Christo, *Iohan.* 6. v. 12.
Ouid. 2. remed.

Non minor est virtus, quàm quærere, parta tueri;
Casus inest illic, hic erit artis opus.

Id. ibid.

Contrahe de multis, grandis aceruus erit.

Claud. 1. Stil.

——— *Plus est seruasse repertum, Quàm quæsisse decus.*

Hesiod. *Grauis in fundo parsimonia.*

Thomas Morus:

Vtere diuitiis tanquam moriturus, & idem
Tanquam victurus parcito diuitiis.
Parcere diuitiis, qui tempore nouit & vti,
Ille modum seruans inter vtrumq; sapit.

Non eos qui plurimas pecunias possident & custodiunt, felices duco (nam hoc pacto qui muros custodiunt, fortunatissimi forent, quippe qui omnia, quæ sunt in vrbibus, custodiunt) sed qui parare quàm plurimas iustè potest, & plurimis præclarè vti, hunc ego felicissimum arbitror, atque etiam ipsas eius pecunias: *Xenoph. Cyripæd lib.* 8. APOPHTHEG. Demosthenes dicere solebat, plurimos quidem homines parare diuitias, sed non item conseruare. *Stob serm.* 13. Socrates Æschinem, qui premebatur inopiâ, solebat admonere, vt à seipso sumeret mutuum siue vsuram, & addit modum, sibiipsi subtrahendo cibaria. Expeditissima nimirum est ratio augendi censum, detrahere sumtibus. *Erasm.* 3. *apoph.* Mœcenas ad Augustum ait: Diuitiæ magnæ non tam multa accipiendo, quàm non multos sumtus faciendo colligunt. *Dion. lib.* 53. SIMILITVD. Templum Ephesiæ Dianæ tutos reddebat obæratos à creditoribus: at multò tutius asylum præbet parsimonia: *Plut. in moralib.* Non intelligunt homines, quàm magnum sit vectigal parsimonia: *Cic.* Plato vetat aquam à vicinis petere, nisi prius domi foderis vsque ad terram, quam certamitidem vocant, reperetisque non esse spem venæ: ita priùs excutiendum, vt parsimoniâ tibi suppedites, quàm à mensariis pecuniam mutuam sumas. *Plut. in moral.* EXEMP. Patriarchæ, Prophetæ, Christus iubens colligere fragmenta. HIEROGLYPHIC. Apes & formicæ.

TENACITAS. SENTENT. Tenaces nec sibi commodi sunt, nec aliis. *Anonym.*

Apollodorus Comicus:

Odi fortunam iunctam infortunato corpori.
Si quis enim per diuitias suauiter agere potest,
Miserè tamen viuit: quid aliud quàm fortunam
Accusat, quòd se homini infortunato sociauerit?
Ego non opes, quantæ sint, aspexerim: sed num, qui ipsas
Possidet, superior, vir dominus, sit possessis.

Euripid. in Antiope.

Si quis fortunatus & opulentus
Nihil egregium domi instituat,
Hunc ego nequaquam beatum nominauerim,
Sed potiùs felicem diuitiarum custodem.
Inhumana est peritia, in statu ne miserabili quidem lachrymas
Fundere: hæc verò est malitia, cùm opes affatim suppetant.
Neminem mortalium beneficiis demereri, parcitate victum improbâ.

Idem in Danaë:

Quisquis domi rem gaudet abundare,
Et ventrem interea defraudans corpus miserè macerat,
Is mihi sacrilego melior non esse videtur,
Neque parricidâ, aut sanguine iunctis inimico.

Menand. in Pseudoherc.

Ἀσοργίαν ἔχει τιν' ὁ σκληρὸς βίος.
Inhumana res est duritas vitæ.

APOPHTHEG. *Theocritus* dicebat, multos diuites non dominos rerum suarum, sed tutores esse. *Democritus* dicebat, vitam nimis parcam & sine festiuitatibus, esse longam viam sine diuersoriis. *Stob. serm.* 16. Stratonicus musicus bis miseros dixit parcos. SIMILITVD. Hominis pecuniæ amantis & tenacis diuitiæ, quemadmodum sol post occasum, neminem viuentium exhilarant. *Socrat. apud Stob.* Pecuniam qui amant & sunt tenaces, viuunt vitam funerali conuiuio similem. Omnia enim cùm habeat tale conuiuium, hominem tamen qui præsentibus liberaliter fruatur, non habet. *Socrates ibid.* EXEMP. Euclio Plautinus; qui aquam plorat effundere, & vnguium præsegmina à tonstrinâ domum refert. Patroclus Atheniensis, valde diues valdéque parcus. Sergius Galba; qui suæ pecuniæ parcus, publicæ auarus erat. Didius Iulianus; qui porcellum leporémve dono ad se missum, in triduanas partiebatur cœnas. Pertinax Imper. dimidiatas lactucas & carduos apponere solebat conuiuis. ADAG. Tribus minis insumtis, duodecim imputat: Pileum donat, vt pallium recipiat: Cumini sector: E' Patrocli domo venit: Luto lutulentior: Rore pascitur: Victitat succo suo: Patroclo sordidior: Caninum prandium: Cereri sacrificant: Sacrum sine fumo: In sinu manum habere: Lari sacrificant: Tantali pœnæ: Conuiua non conuiua. HIEROGLYPH. Manus in sinu, & canis fœno assidens.

PROFVSIO. SENTENTIA. Prodigalitas damnatur. *Prou.* 5. *vers.* 9.

Vrsinus Vellus:

Dilapidare caue nummos, ceu nescius vti,
Pelle tamen sordes. Modus optima regula rerum.

Largitio (id est, stulta liberalitas) non habet fundum. *Cic.* 2. *offic.* APOPHTHEG. Socrates videns prodigum, Malè pereas, inquit, qui Gratias virgines vt scorta prostituisti. *Stob. serm.* 14. Idem præteriens prodigi cuiusdam ædes, inscriptionem habentes, quòd venales essent: Facilè, inquit, diuinabam fore, vt præ immodicâ crapulâ domum euomeres. *Laërt. lib.* 6. Idem videns prodigum redactum ad incitas, & oliuas comedentem: Si sic, inquit, prandisses, non sic cœnares. *Max. serm. de prodigal.* Chilon videns prodigum adolescentem, ait: Si sumtus magnos feceris, vbi non decet, vbi decet mox exiguos facies. *Id. serm.* 61. Bion in quendam qui sua prædia deuorarat: Amphiaraum terra absorpsit, tu terram. *Laërt. lib.* 4. ADAG. Plenâ manu: Largitio non habet fundum: Syrtis patrimonij: Gurges patrimonij: Immolare boues. SIMITVD. Luxuriosorum vita quasi quotidie moriens effertur ad sepulchrum. *Plut. in moral.* Aër qui summo manè præcociter absorbet nebulas, à prandio affatim mittit pluuiam: ita prodigi opes, quas accipiunt malè, profundunt meridie. EXEMP. Thessali fuerunt omnium Græcorum prodigalissimi. Asiatici etiam hâc labe notantur, vnde Asiaticus luxus. Antonius in vnâ cœnâ mille apros diuisit; & vnius anni spatio 100. millia talentorum ex Asiæ tributis exacta insumsit. Cleopatra vnionem magni pretij in aceto dissoluit, & præbuit Antonio in potu. Et eadem vno ferculo mensæ secundæ, quam parauit Antonio, consumsit ducenta quinquaginta aureorum millia, vnde Cleopatricæ dapes. Holiogabalus sexcenta struthionum capita in vnâ cœnâ proposuit. Vitellius in vno conuiuio 2000. piscium, & 7000. auium apposuit.

CAPVT XVII.

De Fortitudine.

PRÆCEPTA.

SEQVITVR virtus moderatrix doloris, quæ dicitur Fortitudo, per quam homo res arduas intrepidè suscipit, & res aduersas patienti animo sustinet. *Et hæc eminet in floridâ hominis ætate iuxta versum:*

Ἔργα νέων, βουλαί τε μέσων, εὐχαί τε γερόντων.

Græcis dicitur ἀνδρεία ab ἀνὴρ, q. d. virilis à viro, licèt alij putent allusivè dici quasi ἀναρρoῶ, sine fluxu; quòd nunquam defluat.

Ea diuiditur quatuor modis.

I. Fortitudo est suscipiens, vel tolerans siue sustinens. Illa aggreditur, hæc perfert pericula. Illa dicitur magnanimitas: hæc, patientia.

II. Fortitudo est religiosa, vel politica. Illa in primis in martyribus habet locum: hæc est vel togata, tempore pacis; vel sagata, tempore belli.

III. Fortitudo est in malis propriis vel alienis: & vtraque vel in extremo malo, vt est mors: vel in mediis malis, iisque tum publicis, tum priuatis, siue sint mala animi, siue corporis, siue fortunæ. Intellige mala pœnæ, non culpæ.

IV. Fortitudo est perfectior, vel imperfectior.

Fortitudo perfectior est, quâ honestatis causâ intrepidè versamur circa terribilia, quæ infra nos sunt posita: vt sunt labores, pericula, & mors.

Fortitudo imperfectior est. 1. Irrationalis; quâ quis adit periculum, cuius magnitudinem ignorat: vt inexperti sunt bellicosi. 2. Ciuica; quâ quis adductus legibus & spe præmij fortiter defendit patriam. 3. Experimentalis; quâ quis adit pericula, quæ sæpe superauit, hâc spe fretus, fore vt semper sit superior, seductus paralogismo à præterito ad futurum, vt loquuntur. 4. Iracundia; quâ quis flagrans vindictæ cupiditate adit pericula. 5. Fiduciaria; quæ

nititur alieno auxilio. 6. Mercenaria; quâ quis mercede ductus facit fortiter. 7. Muliebris; quâ quis in defendendis suis est fortior leone, in defendendis alienis est fortis, vt gallus gallinaceus.

Extremum fortitudinis in excessu est audacia: in defectu timiditas seu mollities.

REGVLÆ.

Fortitudinis mœnia quomodo struatur?

I. *Fortitudo facit, vt mœnia struamus in animis nostris, quæ capi non possunt.*

MOEnia autem illa struuntur ex his gnomis tanquam lapidibus firmissimis. 1. Malum est cedere malis, & iis libertatem suam dedere. 2. Magnum est malum, ferre non posse malum; & infelix est qui ferre nequit infelicitatem. 3. Æquus animus & bona conscientia est optimum ærumnæ condimentum. 4. Res aduersæ nulli sunt malæ, nisi repugnanti. Et, Aspera placidè ferendo leniuntur. 5. Calamitas est efficax virtutis gymnasium. 6. Rosa inter spinas, inter difficultates virtus, inter curas gloria. 7. Miseros meliora sequentur. 8. Fortiter ille facit qui miser esse potest. 9. Si in vnum locum cuncti sua mala contulissent, futurum vt propria deportare domum, quàm aliena eligere mallent. 10. Homo timidus ipse sibi maledicit. Cæterùm fortitudo est columna ciuitatis, lorica hominis, palma pacis, victoria belli: ob quam ipsius præstantiam Aristoteles in Ethicis ab illâ incepit.

Fortitudo quæ vitia excludat?

II. *Fortitudo & Stoicum stuporem, & immoderatum dolorem excludit.*

NAm formidabilia quædam sunt ὑπὲρ ἄνθρωπον, quæ à nullo homine pio & sanæ mentis sine metu sentiri possunt: vt fulmina: quædam κατ' ἄνθρωπον, quæ ab homine possunt metui & non metui: cuiusmodi sunt paupertas, morbis, captiuitas, &c. In hoc genere terribilium, non in priori versatur fortitudo. Non igitur fortes sunt, qui neque terræmotus, neque fluctus timent, sed insani: qualis fuit Xerxes, qui volebat mare catenis constringere: & Psylli, qui contra Austrum armatâ manu profecti sunt. Neque illi fortes censendi, sed pusillanimes, qui sibi ipsi mortem consciscunt. Quod autem attinet ad factum Samsonis, illud tanquam typicum non est trahendum in regulam. Nam ille fuit typus Christi hoc ipso, quòd morte suâ nocuerit Philistæis. Porrò fortitudo sit Socratica (Socrates enim ne colaphis quidem prouocari poterat vt excandesceret) non autem Epicuréa, qualis fuit quorundam Celtarum & Germanorum, qui bellum gesserunt cum ventis & fluctibus.

Monomachia an licita?

III. *Monomachia, quæ coniuncta est cum bono publico, est licita: illicita, quæ proficiscitur ex vindictæ cupiditate, vbi aliquis habet σκοπὸν φονεῦσαι.*

NAm monomachia est duplex, laudabilis & vituperabilis. Illa est, quæ proficiscitur ex animo sitiente illustrationem gloriæ Dei & boni publici promotionem: qualis fuit Dauidis cum Goliatho congredientis. Ista est, quæ proficiscitur ex vindictæ cupiditate, quâ quis iniurias sibi illatas depellere, suumque honorem defendere cupit. Vbi notandum, plerasque nationes iniquissimam habere legem in causâ contumeliarum: *Ne quis contumeliam perferat; si tulerit & dissimulauerit, pro conuicto habeatur*: cùm ipsi gentiles agnouerint, neminem ad persequendam iniuriam sibi factam cogi oportere. Quod autem attinet ad legem illam, illa accipienda est de anabaptisticâ illâ vel potius asininâ patientiâ, quâ aliquis famam negligit. Alioqui nemo cogi debet ad persequendam iniuriam. Interim vir bonus & fortis placidâ transactione, si fieri potest, famam tuebitur.

An lacrymæ pugnent cũ fortitudine?

IV. *Non omnis generis lachrymæ pugnant cum fortitudine.*

LAcrymarum sex recensentur genera. 1. *Lacrymæ pœnitentiæ*; quales fuerunt Petri Apostoli. 2. *Lacrymæ crucis*; quas exprimit calamitas. 3. *Lacrymæ amoris*, quas exprimit nobis mors necessariorum. 4. *Lacrymæ gaudij*; quas solidum gaudium exprimit, vt de Iosepho legimus *Genes.* 46. & de Ptolemæo Philadelpho, qui, cùm septuaginta interpretes ad ipsum venirent, præ gaudio lacrymauit. 5. *Sunt lacrymæ zeli*; quas exprimit zelus pro gloriâ Dei, quam videmus conculcari ab impiis. Ita Christus sæpè fleuit, adeò quidem, vt Lentulus ad Tiberium de Christo scripserit, ridere nunquam, flere semper visus est. 6. *Sunt lacrymæ Crocodili*; quales sunt hypocritarum. His addere licet lacrymas prauæ consuetudinis: vt sunt lacrymæ fœminarum, de quibus poëta:

Vt flerent oculos erudiere suos.

Item melancholicorum, de quibus poëta:

Fortè melancholicus cùm Bacchica munera sumsit,
Flebit, & ad superos ebria vota dabit.

Quales ver lacrymas effundit vir fortis? Resp. Lacrymas pœnitentiæ, crucis amoris, gaudij, & zeli. Deinde vir fortis nunquam ingreditur Nilum, hoc est, non profundit lacrymas Crocodili: sed nunc fundit riuulos nunc mare lacrymarum. Riulos, cùm suas & aliorum calamitates perpendit: Mare, cùm sua peccata deflet, & malorum effrænem audaciam intuetur.

An liceat pro patriâ mori?

V. *Pro patriâ honestè mori, est inter præcipua fortitudinis apotelesmata.*

NAm patria est quasi alter deus; & primus maximúsque parens, iuxta illud Hieroclis elegantissimum dictum, ἐστὶ γὰρ ἡ πατρὶς ὡσανεὶ δεύτερος τις θεός. Pro patriâ itaque mori, eíque nos totos dedere, & in eâ omnia nostra ponere & quasi consecrare debemus, vt ait Cicero de Orat. Nota sunt Deciorum, Fidenorúmque patriæ amoris exempla. Oportet autem honestè mori pro patriâ: quia non honore, sed ignominiâ afficit patriam, qui inhonestam pro eâ appetit mortem. Ille enim non est καλοκἀγαθός, qualem decet esse virum bonum.

Fortitudo bellica quid?

VI. *Fortitudo bellica est virtus propugnatrix iustitiæ, suscipiens pericula & labores pro defensione Ecclesiæ, patriæ, honestæ disciplinæ, coniugum, & liberorum.*

CAusæ ipsius sunt: 1. Mens iudicans, quænam pericula sint suscipienda, & voluntas obtemperans menti, & cordis impetus, & is quidem sæpè heroicus: vt in Abrahamo, Dauide, Carolo Magno, Mauritio Belgico. 2. Mandatum Dei, præcipiens defensionem legitimam. 3. Auxilium Dei Zebaoth, gubernantis exitum, iuuantis cor Spiritu sancto, vt armet manus, & ardentes spiritus in membra spargat. Est autem bellum vel defensio legitima magistratus, vel pœna, quam exercet magistratus: vnde bellum aliud est defensiuum, aliud offensiuum seu vindicatiuum. Vtriusque finis debet esse pax Ecclesiæ & politiæ, atque adeò conseruatio honestarum legum, defensio patriæ, coniugum & liberorum, & pœnæ sceleratorum. Hi fines, qui viro forti in gerendis bellis debent esse propositi, illustri oratione pinguntur apud *Homerum Iliad.* o. vbi Hector his verbis milites adhortatur:

Conuersi naues animis ingentibus inter
Quisque suo pugnate loco, nec vulnere quisquam
Seu mortis fugiat pauidus formidine victus,
Sed iaceat fati si quem fors dura peremit.
Pro patriâ magnum decus est profundere vitam.
Nam reliqui ciues nostrâ virtute teguntur,
Et saluæ interea matres, natiq; manebunt,
Qui sunt ætatis venturæ semina & vrbis.
Templa manent, legesq; bonæ, pietasq; pudorq;,
Et tunc quisq; suis rebus fundisq; fruetur,
Cùm pulsi fugient hostes in patria regna.

Exempla huius fortitudinis illustria sunt Abraham, Dauid, Cyrus: & apud Herodotum, Miltiades profligans Persas ad Marathonem, Leonides ad Thermopylas, Themistocles ad Salaminem, Pausanias ad Plateas: apud Liuium Horatius, Camillus, Torquatus, Marcellus, Scipiones, Marius, Pompeius, Cæsar: item Germanici Imperatores ac principes multi, vt Carolus Magnus, Otthones Saxones, Friderici Sueui, principes potestates, VVilhelmus Auraicus, & similes. Italia quondam hoc nomine fuit illustris. Vnde Cicero, Italia, inquit, armis vinci non potest: nec Græcia disciplinis.

Fortitudo togata quid?

VII. *Fortitudo togata est constantia animi perseuerantis in proposito honesto rectè suscepto iuxta vacationem, & tolerantis iniurias propter honestam causam, & excelso animo despicientis varia pericula virtutis causâ: ita videlicet vt propter hæc impedimenta propositum honestum non abiiciat.*

HÆc fortitudo omnibus bonis est necessaria, vt rectè faciant officium. Sic Daniel non abiicit inuocationem veri Dei, fractus metu ne abiiciatur inter leones. Apostoli confessionem doctrinæ omnibus voluptatibus, honoribus, & vitæ suæ anteponunt. Fabius obtrectationem collegæ & inuidiam non ponit ante salutem publicam. Fabricius contemnit aurum à Pyrrho oblatum, nec mouetur terroribus ab elephanto incussis, vt aliquid alienum à dignitate reip. dicat vel faciat. De hoc Pyrrhum dixisse Eutropius scribit: Ille est Fabricius, qui difficiliùs ab honestate, quàm sol à suo cursu dimoueri

dimoueri poteſt. Socrates apud Platonem, nullam habuit rationem mortis, aut aliorum malorum magis, quàm vt turpitudinem effugeret: atque maluit mori, quàm turpiter facere. Cæterùm huic virtuti repugnat 1. Mollities animi, qualis fuit pleorumque gubernatorum ſuperiori ſeculo, qui metu amittendæ Cæſaris gratiæ, *Interim* amplexi ſunt. 2. Leuitas & inconſtantia, mutans ſententias & actiones, ad quamlibet fortunæ auram, & ſeruiens tempori neglectâ religione & diſciplinâ: vt in Ecebolo & Alcibiade. 3. Iniuſta peruicacia & Stoica moroſitas in defendendis ſententiis falſis, vel non neceſſaria, quæ ſaluâ honeſtate & magnâ cum vtilitate publica mutari poterant, vt in Catone & Demeâ. Huc pertinet fortitudo apparens in ebriis, de quibus Plato rectè dixit *l. 6. de leg.* illos tyrannicum gerere animum.

Patientia Philoſophica quid?

VIII. *Patientia philoſophica eſt vicina fortitudini.*

HÆc enim moderatur dolorem, ne opprimat naturam, & ne impellat, vt contra iuſtitiam, conſtantiam, modeſtiam, vel alias virtutes aliquid committamus. De hâc notetur dictum Epicteti, quod citat *Gellius lib. 17 cap. 19* Ἀνέχου καὶ ἀπέχου, *Suſtine & abſtine*, *Leid vnd meid*: quod vtiliſſimam vitæ regulam continet. Vicinum eſt illud Euripidis: οἰστέον καὶ ἐλπιστέον: *Ferendum & ſperandum.* Item πολυθρύλητον iſtud: φέρε ἃ φέρεις. Huc pertinet virtus in omni vocatione & genere vitæ neceſſaria, quæ στέργει παρόντα, vt ait Iſocrates περὶ εἰρήνης. Stigelius fabulæ de aſino ſubinde mutante conditionem, addit hoc ἐπιμύθιον:

Sis aſinus, quemcunque aſinum ſors aſpera fecit:
Qui placidè ſortem ferre ſcit, ille ſapit.

Verùm enim verò ita eſt, vt Lucianus ait: Amor nouitatis & præſentium ſatietas ſeu faſtidium natura omnibus hominibus ineſt. & vt *Thucydides lib.* 1. ait: τὸ παρὸν αἰεὶ βαρύ, *Præſens ſemper eſt grauis*: &, quod idem tradit *lib.* 3. ſemper ſumus ſerui rerum abſurdarum, contemtores rerum vſitatarum. Diſcamus autem agnoſcere hoc vitium, quod pugnat cum voluntate Dei, & tranquillitatem animi turbat, & maximam vitæ partem reddit inſuauem: & ſemper nobis in conſpectu ſit illud ſapientiſſimum Pindari dictum, quod extat 3. Pythiorum:

Iuxta vnum bonum mala ſimul
Duo diſtribuunt hominibus
Dij immortales. Mala igitur
Non poſſunt inſipientes eleganter ferre,
Boni verò pulchriora foràs vertunt.

Quomodo vir fortis contemnat mortem?

IX. *Viri fortis eſt mortem contemnere, non more Epicuri, ſed more ſanctorum hominum.*

GVeuara *lib.* 1. *horologij principum* bene ait: Etſi mors corporis guſtanda eſt omnibus, & finis æquè probos ac improbos manet: tamen inter horum illorúmque mortem plurimùm intereſt, dum boni, ſi vitæ deſiderio tenentur, ideò fit, vt plus boni agant; mali verò, ſi vitæ amantes ſunt, non aliam ob cauſam fit, quàm in mundo magis fruantur. Quando itaque vir fortis expetit vitam, cum Apoſtolo Paulo *Phil.* 1. hoc facit, vt aliis prodeſſe queat. Aliâs cum eodem optat diſſolui & eſſe cum Chriſto, atque ita mortem non reformidat vt molles illi, qui habent ſauciam conſcientiam: multò minùs vt Epicurus, de quo *Laërtius* iſta refert: Acerbiſſimum malorum & horrendum maximè, mors, nihil ad nos: quoniam cùm nos ſumus, mors non adeſt: cùm verò mors adeſt, nos iam non ſumus. Neque igitur ad viuentes, neque ad mortuos pertinet. Nam iis qui ſunt, illa non eſt: quibus verò adeſt, iam illi non ſunt. Hæc eſt impia Epicuri vox. Aliter animatus eſt vir fortis. Ille ſcit mortem eſſe ianuam vitæ, & aduerſus ipſius amaritudinem pugnat his armis: 1. Solatur ſe ſpe læti euentus. Nam *dies iſte*, inquit Seneca, *quem tanquam extremum reformidas, æterni natalis eſt. Tunc in tenebris vixiſſe te dices, cùm totam lucem totus aſpexeris, quam nunc per anguſtiſſimas oculorum vias intueris, & tamen illam admiramur procul.* 2. Expendit communem hominum ſortem, *Quod*, ait idem, *grauiſſimum natura fecit, commune fecit: vt crudelitatem fati conſolaretur æqualitas.* 3. Horrendam mortis imaginem penicillo Ciceronis reddit amabilem. Quid verò Cicero? *Ipſe*, inquit, *animæ diſceſſus à corpore fit ſine dolore, & fit plerumque ſine ſenſu, nonnunquam etiam cum voluptate: totum hoc leue eſt, & qualecunque ſit, fit ad punctum temporis.* Quam in ſententiam Seneca ita pronuntiat: *Mors miſera non eſt: aditus ad mortem miſer eſt.* 4. Recordatur vitam honeſtè actam. *Pulchra res eſt*, ait Seneca, *conſummare vitam ante mortem.* Et non poteſt malè mori, qui benè vixit. Ideò viri magni hoc agunt, quod Plinius iunior alicubi præcipit: *Dum ſuppetit vita, enitamur vt mors quàm pauciſſima, quæ poſſit abolere, inueniat.* 5. Perpendit miſerias huius vitæ. Illam ſcilicet eſſe fabulam, eſſe vmbram & ſomnium, eſſe tragico-comœdiam. Hoc bene perpendit Similis præfectus Adriani, qui vacatione datâ in agro ſeptem annos quod reliquum fuit vitæ in quiete exegit, atque hæc moriens ſepulchro incidi iuſſit: *Similis hic iacet, cuius ætas quidem multorum annorum fuit, ſeptem tamen duntaxat annis vixit.* 6. Exempla virorum fortium, qui mortem intrepidè adierunt, ſibi ponit ob oculos. Ita enim eſt, vt ait Tullius, *Sapientiſſimus quiſque animo æquiſſimo moritur, ſtultiſſimus iniquiſſimo.* Hanc ad rem conducunt ἀποφθέγματα ἐτοιμοθανάτων ſeu λόγοι ἐπιθανάτιοι, hominum in Eccleſiâ & extra Eccleſiam. Illorum dux eſt Chriſtus: in his ſunt ethnici, non quilibet, ſed χαρίεντες, vt vocat philoſophus, id eſt illi, qui ethicis & politicis dotibus fuerunt inſignes, putà legumlatores, philoſophi, politarchæ. Quemadmodum enim teſtamenta hominum ſunt morum ſpectacula, vt ait Plinius iunior: ſic apophthegmata virorum fortium morientium ſunt fortitudinis ſignacula. Huiuſmodi apophthegmata & cygneas cantiones in Scriptura habemus varias, vt Iacobi *Gen.* 49. Moſis, *Deut.* 31. & 32. Ioſuæ, *cap* 24. *illius libri.* Dauidis, 2. *Sam* 22. & 23. 1, *Reg.* 2. Zachariæ filij Ioiadæ, 2 *Paral.* 24. *v.* 22 Mattathiæ patris Maccabæorum, 1. *Mac.* 2. Ieſu Chriſti Pontificis noſtri Opt. Max. *Luc.* 23 *v.* 24 43. 46. *Iohan.* 19. *v.* 26. 27. 28. 30. *Matth.* 27. *v.* 46. Stephani protomartyris, *Act.* 7. *v.* 56. 59. 60. Petrus Apoſtolus, cùm ad martyrium vxorem ſuam duci animaduerteret, exclamaſſe dicitur: *ô coniunx, memento Domini.* Euſeb. eccleſ. hiſt. lib. 3 cap. 30. Ignatius ad beſtias damnatus, cùm Romam abduceretur, dixit: *Non curo, quo ſupplicij genere moriar. Frumentum autem Dei cùm ſim, beſtiarum dentibus comminui atque ſubigi debeo, vt panis fiam mundus Chriſto, qui mihi panis eſt vitæ.* Polycarpi Smyrnenſis epiſcopi precatio ante martyrium extat apud Euſebium lib. 4. cap. 15. cius hic eſt finis: *Verus Deus es, & ſine mendacio. Propterea & in omnibus laudo te, & benedico te, & glorifico te, per æternum Deum & Pontificem Ieſum Chriſtum dilectum Filium tuum, per quem & cum quo tibi cum ſpiritu ſancto, gloria & nunc & in futura ſecula, Amen.* Cyprianus ante martyrium has voces protulit: *Exul non eſt, qui Deum in mente habet cuius eſt terra.* Item: *Salus mea & virtus mea Chriſtus Dominus eſt, cui ſine fine ſeruire debeo.* De Theodoſio Magno ait Ambroſius: *Dilexi virum, qui cùm corpore ſolueretur, magis de Eccleſiarum ſtatu, quàm de ſuis periculis angebatur.* Nam moribundus imperium inter filios Arcadiam & Honorium diuiſit, ita vt maior Conſtantinopolitanum, alter Europæ imperium teneret: & vtrumque ad veram pietatem exhortatus eſt, monens eâ & pacem ſeruari, & bella confici, & hoſtes fundi, & trophæa ſtatui, & victoriam parari. Subinde etiam dicere conſueuit, magis ſe gaudere, quòd membrum Eccleſiæ Dei eſſet, quàm quòd in terris regnaret. Ambroſius in agone dixit: *Non timeo mortem, quoniam Dominum bonum habemus.* Auguſtinus obſeſſâ vrbe Hipponenſi moriens vnà cum fratribus repetiit dictum Dauidis: *Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum.* Quæ verba etiam recitauit Mauritius Imp. cùm à Phocâ trucidaretur. Vide varios λόγους ἐτοιμοθανάτους variorum hieromartyrum in hiſtoriis. Iulius Cæſar, cùm à coniuratis in curiâ Pompeianâ cæſim punctimque peteretur, ad Caſcam dixit: *Scelerate Caſca quid agis?* ad M. Brutum: καὶ σὺ τέκνον, *Et tu fili?* Antonius Philoſophus ridens res humanas & mortem contemnens dixit ad amicos: *Quid me fletis, & non potiùs de peſtilentiâ & communi morte cogitatis?* Vltima Seueri Imp. verba fuerunt: *Turbatam Remp. vbique accepi, pacatam etiam Britannis relinquo, ſenex & pedibus æger: firmum imperium Antoninis meis relinquens, ſi boni erunt: imbecillum, ſi mali.* Phocion iniuſtè damnatus, cùm quid filio dici vellet, interrogatus eſſet, reſpondit: πάνυ μὲν ἂν μὴ μνησικακεῖν ἀθηναίοις, *Ne memor ſit iniuriæ, quâ ab Athenienſibus pater ſit affectus.* Aratus Sicyonius, veneno (quod illi Philippus rex Macedonum, qui dictus fuit πῆμα, propinauerat) hauſto, ſanguinem vomens, ad familiarem conuerſus dixit: *O Cephale, hæc ſunt præmia regiæ amicitiæ?* Ariſtoteles in mortis agone fertur protuliſſe hanc vocem: *O Ens entium miſerere mei!* Antiſthenes in agone exclamans: *Quis me doloribus abſoluet:* Diogeni ſicam monſtranti rectè dixit: *Doloribus dixi, non vitâ.* Diogenes Sinopenſis à lethali veterno experrectus, medico roganti, *Quomodo haberet?* *Rectè*, reſpondit. *Non frater fratrem complectitur, ſomnus mortem.* Carolus V. poſt Euchariſtiæ vſum repetitum dixit: *In me manes, & ego in te.* Item: *In manus tuas, Domine, tradidi Eccleſiam meam.* Lutherus repetiit in agone dictum Dauidis: *In manus tuas commendo ſpiritum meum: redemiſti me, Deus verax.*

Apophthegmata morientium.

X. *Fortis eſt, qui nec rebus proſperis tollitur, neque aduerſis mergitur, ſed honeſtatis causâ intrepidè adit pericula, & propulſat ſi poſſit: ſi verò non poſſit, patienter tolerat: qui inſuper iniurias, calumnias, & mortem, quæ dicitur omnium terribilium terribiliſſimum, contemnit: quique vno verbo miſer eſſe poteſt, iuxta illud poëtæ.*

Fortis quis?

Fortiter ille facit qui miſer eſſe poteſt.

XI. *Sex*

Quot modis violentur præcepta fortitudinis?

X I. *Sex sunt classes illorum qui hîc peccant.*

1. THrasones *seu* ῥιψοκίνδυνοι; qui optant & adeunt ex ἀσθαιρετῶ pericula, qualis fuit Ascanius, qui

Optat aprum aut fuluum descendere monte leonem.

Huius classis sunt qui cutem reddunt insensatam. 2. *Milites mercenarij*; qui propter stipendia militant etiam contra bonam causam: itemque milites illi, quos desperatio tales facit: de quibus prouerbium, Desperatio facit militem. 3. *Pusillanimes, molles, & effœminati*; qui vel folij strepitum metuunt: quales fuerunt tempore Caroli Quinti, qui formulam interreligionis seu interim amplexi sunt. Huc pertinent αὐτόχειρες, vt Saul, Sardanapalus, Curtius, Pilatus, Iudas, Lucretia, Cato, & virgines Lemniæ. 4. *Temerarij, qui apparentem seu irrationalem, fiduciariam, & experimentalem fortitudinem, itemque iracundam præ se ferunt. Fortitudo irrationalis* cadit in illos, qui ignorant magnitudinem periculi quod spernunt. Ita inexperti sunt bellicosi. *Fortitudo fiduciaria est*, quâ quis adit pericula alieno fretus auxilio. *Fortitudo experimentalis est*, quâ quis adit pericula, quæ sæpè euitauit, seductus paralogismo prudentiæ, quo ex præterito colligitur futurum, extra cancellos scripturæ. *Fortitudo iracunda est*, quâ quis ex vindictæ cupiditate adit pericula. Quò pertinent illi, qui ad duellum seu temeritatem μονομαχίαν sese prouocant. 5. *Epicurei & ferrei illi homines*; qui iudicia Dei, vt sunt terræ motus, fulmina, & inundationes contemnunt. Quales fuerunt rex Salmoneus & Merbathus, qui pontem æneum superinduxerunt, & in illo bruta fulmina excitarunt tonante cœlo. *Item illi qui mortem ideo non metuunt, quia persuasum habent, animam vnà cum corpore perire*; cùm pij mortem ideo non metuant, quòd sciant illam esse portum malorum & portam cœli. 6. *Ignaui fuci*; & asini qui non laborant in vocatione suâ: quos Plato è republ. eiiciendos esse docuit.

An αὐτοχειρία sit in vitio?

X I I. *Non sunt fortes dicendi, qui sibi mortem consciscunt; cùm vel patriam iuuent, vel tædio huius vitæ mortem oppetant vt vitâ feliciore fruantur.*

REsp. Multi cùm legerent libros Platonis de immortalitate animæ, statim sibi mortem consciuerunt, vt felicitate æternâ frui possent. Sed sciendum est, non esse facienda mala vt eueniant bona. Malum autem est sibiipsi manus inferre: quia est contra naturam, suam ipsius carnem odio habere; & contra octauum decalogi præceptum, vitam sibi eripere, cuius dominus est solus Deus; ita vt rectè dixerit Pythagoras, non licere nobis iniussu imperatoris è statione nostrâ decedere. Ad summam: Αὐτοχειρία non est fortitudo, sed impatientia: vt, Cato non fuit fortis, quia non potuit ferre res aduersas: Lucretia non fuit fortis, quia non potuit ferre iniquam populi de se suspicionem: Curtius non fuit fortis, quia credidit Diabolo quem putabat esse Deum: virgines Lemniæ, quæ seipsas suspenderunt nullâ certâ de causâ, non fuerunt fortes: Pelagia virgo, quæ se dedit præcipitem, metuens ne à carnificibus constupraretur, peccauit in modo tutelæ. Idem iudicium esto de honoratissimâ fœminâ Dignâ, quæ cùm Attila occupasset Aquileiam, ex altissimâ turri se præcipitauit, ne à Barbaris corrumperetur. Quod attinet ad Simsonem & Ionam, alia ibi est ratio. Nam ille impulsus à Spiritu sancto seipsum interemit, vt esset hoc modo typus mortis Christi, quâ infernales Philistæi sunt deleti: hic videns voluntatem Dei, in mare se abiici iussit. Vide *Polanum in Syntag. theol. lib. vlt. cap.* 19. Hîc quæritur, *An pœna in αὐτοφόνους legibus ciuilibus decreta ad omnes promiscuè sit extendenda?* Neg. Nam interest quâ ex causâ quis sibi mortem consciuerit, morbíne vi, destitutus recto mentis vsu, an verò ex desperatione, quæ existit vel ex conscientiâ scelerum, vel ex metu pœnæ, vel denique ex dolore ob amissionem lucri sperati, vel ob percussionem damni insperati, qualis impatientia in flagellatores vini & annonæ cadere solet.

Fortitudo quid moderetur?

X I I I. *Fortitudo moderatur diffidentiam in asperis, & confidentiam prosperis rebus*

1. CIceroni dicitur magnitudo animi, aliis firmitas animi, & vulgò finitur moderatio animi in vtraque fortunâ. Hæc igitur animum, vbi deest, addit, vbi verò adest, frenat & temperat, ne scilicet in rebus aduersis sit timidus, nec in secundis tumidus. Nec solùm armat virum, vt ait Plato, aduersus timores, pugnas, & dolores, sed etiam aduersus blanditias & voluptates. De hâc Cicero ait: Est fortitudinis proprium, nihil extimescere, omnia humana despicere, nihil quod homini accidere possit, intolerandum putare. Ideo vir fortis comparatur palmæ. Vt enim palmæ ramus imposito onere non deflectitur in terram cæterarum arborum more, sed remittuntur, & vltrò aduersus sarcinæ pondus sese erigit: ita viri fortis animus, quò plus premitur, quoque magis seruit fortunæ, hoc est erectior, vt ait Plinius. Appositè igitur Bernhardus: Non est vir fortis, cui non crescit animus in ipsâ rerum difficultate. Itaque vox Crastini fortissima est, Faciam Imperator, vt aut viuo aut mortuo gratias agat. Atque hæc est illa vis, quæ antiquitus per Hectoris Troiani heroicum impetum fuit significata.

X I V. *Fortitudo affectum irascibilem moderatur & componit.* 2.

CVm hoc videntur pugnare ista dicta: Ira est calcar & cos fortitudinis: Vis irascens est fortitudinis famula & satelles. Hinc Virgilius: Vim suscitat ira. Sed hic est sensus istorum dictorum: Fortis irascitur, vt propellat mala. Et hæc dicitur ira officij.

X V. *Fortitudo nulla est sine fiduciâ & constantiâ.*

Fortitudinis comites.

FIducia bonarum rerum spe animum in malis erigit. Est enim præsagitio quædam futuræ prosperitatis, & a virtute, non à petulantiâ procedere debet. Hæc forti adfert spem rerum futurarum, & est prima fortitudinis pars. Spes enim, vt Philo ait, est principium bonorum parandorum, & hanc natura quasi ianitorem in foribus collocauit, intus cæteras virtutes regias quas adire nemo potest, nisi priùs hanc demeruerit. Ideo Euripides vult sapientis vitam semper in spe esse. Et Spiritus S. fortitudinem collocat in silentio & spe. Constantia facit, vt in sustinendis rebus perseueremus, animúmque inuictum retineamus memores istius Virgiliani:

Tu ne cede malis, sed contrà audentior ito.

X V I. *Fortitudo in gradu excellenti dicitur magnanimitas.*

Fortitudo & magnanimitas vt differant?

HÆc splendida illa virtus, quæ in bello, in foro, in diuitiarum, in lautioris fortunæ, in rerum aduersarum, mortisque adeo ipsius contemptu elucet. Hæc facit vt maiores sæpenumero res consiliis quàm animis geramus. Hæc facit, vt nullus honor de ponte nos deiiciat. Hæc facit, vt diuitiis collum non submittamus. Vnde Seneca inquit: Magnanimus in diuitiis pauper est. Memineris, hîc magnanimitatis vocabulum strictè quoque sumi, atque ita respicere honorem eminentem. Vide paulò antè *cap.* 12.

X V I I. *Fortis non est, qui à mollibus & effœminatis se laudari patitur.*

Vir fortis vt se gerat circa laudem?

SCit enim de factis fortibus rectè iudicare solos fortes.

X V I I I. *Fortis non mercede conducitur vti mercenarius: non irâ stimulatur, vt fera: non spe lucri accenditur, vt mercator: non desperatione impellitur, vt αὐτόχειρες: non inscius periculum adit, vt viator: sed in speculâ positus prospicit casus futuros & scopulos.*

Viri fortis descriptio.

X I X. *Fortitudo declinat aduersa, si honestè fieri possit.*

FOrtis igitur non est, qui periculis petulanti ausu caput obiicit suum tanquam clypeum Aiacis & Gorgonis caput. Nam fortitudo est virtus dolorem rectè ferendi, adeoque non inducit ἀναισθησίαν Stoicam, quæ ex homine facit truncum.

X X. *Fortitudini robur ac firmitas corporis inseruit.*

Robur inseruit fortitudini.

NOn igitur viri boni censendi sunt, qui firmitatem corporis vino, Venere, & omnino vitâ inordinatâ corrumpunt.

X X I. *Patientiâ comite fortis omnes rerum difficultates vincit, & in aduersis triumphat.*

Munia viri fortis quæ?

NOuit enim cum Senecâ, quòd ad hoc sacramentum adacti sumus, ferre mortalia, nec perturbari his quæ vitare nostræ potestatis non est, optimúmque DEVM, quo authore cuncta proueniunt, sine murmuratione comitari. Scit cum eodem Senecâ, calamitates esse virtutis occasiones. Statuit eodem statuente, nihil esse infelicius eo, cui nihil vnquam aduersi venit. Cogitat illud Plauti: Animus æquus est optimum ærumnæ condimentum. In exilio floret fortis, & statuit patriam esse vbi bene est. Et cum Plutarcho sentit se plantam esse, non terræ infixam aut immobilem, sed cœlestem & ad cœlum conuersam. Et licèt sit à cognatis siue amicis seiunctus, à seipso tamen nunquam seiungitur. Deóque semper est coniunctissimus. In paupertate lætus est. Scit enim,

enim, paupertatem esse gymnasium virtutis. Cogitat illud: Paupertas secura est, & expedita; cùm classicum canunt, non putat se peti: cùm aliqua conclamatio est, quomodo exeat, non quid efferat, videt, vt fecit Bias, qui omnia sua secum portabat. Casus humanos non fert grauiter, quos nullo consilio mutare potest memor istius quod Cicero habet: Quicquid quod vitari non potest, metuit, is viuere quietè nullo modo potest. Et istorum dictorum: Dolor patientiâ vincitur. Item: Optimè miserias ferunt, qui abscondunt. Item: Cuiusdolori remedium est patientia. Item:

Ferre decet patienter onus, quod ferre necesse est;
Qui iacet inuitus, duriùs ille iacet.

Fortis prætereà, si lædatur ab aliis, cogitat ista Senecæ: Patiare potiùs, quàm facias scelus. Item: Potentiorum iniuriæ hilari vultu non patienter tantùm ferendæ sunt, vt illis ægrè sit. Ad extremum, fortis mortem (quæ dicitur terribilium terribilissimum) intrepidè subit; quia nouit fatum esse immutabile: & perpendit vitæ humanæ miserias, quòd quamdiu hâc luce vtimur, viuere quidem videamur, sed veriùs assiduè moriamur, vt ait Tullius. Sperat denique, se ad Deum venturum, vt ait Socrates: quòd mors non sit interitus, omnia tollens atque delens, sed quædam quasi migratio commutatióque vitæ, quæ in bonis viris dux in cœlum esse soleat, vt sunt verba Ciceronis in Tusculanis, scripto illo aureo.

Quot modis fortitudo diuidatur?

XXII. *Fortitudo est propulsans, vel tolerans.*

PRopulsans est sui defensiua, & repellit pericula quæ potest, vt fecit Constantinus Magnus, qui propulsauit tyrannidem gentilium CHRISTI nomen delere volentium. Tolerans siue sustinens est, quæ moderatè fert aduersa, & est difficilior propulsante.

Fortitudo quæ mereatur laudem?

XXIII. *Fortitudo Fabricij, non autem Stoica illa, laudem meretur.*

FAbricius tantâ fuit præditus animi magnitudine, vt Pyrrhus dixerit: Ille est Fabricius, qui difficiliùs ab honestate quàm sol à suo cursu dimoueri potest. At Stoicà fortitudo fuit indolentia quædam stolida, ex homine faciens truncum, profitebantur Stoici, immemores istius distinctionis: *Formidabilia alia esse supra hominem, alia secundùm vel infra hominem posita.* Illa sunt tanta, vt omnes homines integræ mentis terreant, putà terræmotus, fulmen, &c. Hæc sunt talia, vt ab homine sustineri possint, licèt aliis grauiora, aliis leuiora videantur.

Fortitudinis diuisio.

XXIV. *Fortitudo est vel propriè dicta & perfecta, vel impropriè dicta & imperfecta.*

F*Ortitudo propriè dicta est primò religiosa*, quâ quis veram religionem non tantùm profitetur, sed etiam confitetur in periculis, si opus sit: cuius exempla superiori seculo fuerunt principes protestantes. Item heroës aliquot in Galliis. *Secundò ciuica seu togata & politica*; quâ iniustos aduersariorum conatus legum auxilio depellimus, iuxta regulam: Non videtur alteri iniuriam facere, qui suo iure vtitur. *Tertiò bellica & polemica*; quâ legum auxilio destituti iniuriam notoriam, nobis nostrísque imminentem, externâ vi propulsamus. Hæc fuit insignis in Alexandro Magno, qui apud Iustinum ait: Animi magnitudine didici aduersus vires hostium, non aduersus calamitates contendere. Triplici istâ fortitudine excelluit Alphonsus Arragoniæ rex, qui hoc delectatus fuit symbolo: Pro lege & grege; cui pelecanum fodientem rostro pectus, & elicientem sanguinem ad pullos reficiendos, appingi curauit. *Fortitudo imperfecta* sæpissimè degenerat in vitium. Recensentur autem quinque species ipsius. 1. *Fortitudo muliebris*; quâ quis fortior est leone in defendendis suis, sed timidior gallo in defendendis alienis. 2. *Fortitudo irrationalis*; quæ coniuncta est cum ignorantiâ magnitudinis periculi. Sic inexperti sunt bellicosi, & tantùm non Hannibale terribiliores. 3. *Fortitudo fiduciaria siue per spem*; cùm quis adit pericula alieno fretus præsidio. 4. *Fortitudo experimentalis*; quâ quis adit pericula quæ sæpiùs euitauit, seductus paralogismo à præterito ad futurum, vt loquuntur. 5. *Fortitudo iracunda*; cùm quis adit pericula ex vindictæ priuatæ cupiditate. Quò pertinent illi, qui delectantur monomachiâ siue duello vituperabili. Datur enim & monomachia quædam laudabilis, quæ videl. spectat gloriam Dei & bonum publicum, vt in exemplo Dauidis & Goliathi videre est.

Fortitudinis opposita.

XXV. *Fortitudini in excessu opponitur audacia, in defectu pusillanimitas.*

AVdaciæ exemplum est Thraso ille Terentianus, qui stabat ipse post principia, canis latrans, nihil mordens. In hunc & eius similes iaci potest illud: Canes timidi vehementiùs latrant. Pusillanimitatis exemplum fuerunt principes quidam protestantes, qui tempore Caroli Quinti formulam interreligionis amplexi sunt. Hîc excellit impatientia, per quam fit, vt quidam sibi consciscant mortem, atque ita iniussu Imperatoris è statione excedant, quod Pythagoras secutus legem naturæ prohibuit, vnde in ipsos pœna legibus ciuilibus decreta est, quæ tamen non est extenda ad illos qui mente capti sibi manus violentas inferunt.

FLORILEGIVM.

FORTITVDO. SENT. Fortitudo à DEO est. *Psal.* 29. *v.* 9. *Dan.* 2. *v.* 20. Qui verâ virtute fortis est, nec temerè audet, nec inconsultè timet. *Aug. epist. ad Hier.* Ille solus vir fortis iudicari debet, qui temperans est, moderatus & iustus. *Lactant. inst. diuin. lib.* 1. Fortitudo nonnisi in aduersitate ostenditur. *Gregor. l.* 5. *moral.* Rosa inter spinas, inter difficultates virtus, inter curas gloria. *Anonym.* Virgil.

——— Superanda omnis fortuna ferendo est.

Audendum tibi aliquid, si vis esse aliquid. *Anonym.*

Boëtius de consol. lib. 3. metro 5.

Qui se volet esse potentem,
Animos domet ille feroces,
Nec victa libidine colla
Fœdus submittat habenis.
Etenim licet Indica longè
Tellus tua iura tremiscat,
Et seruiat vltima Thule,
Tamen atras pellere curas,
Miserasq; fugare querelas
Non posse, potentia non est.

Appellata enim est ex viro virtus: viri autem propria maximè fortitudo: cuius munera duo maxima sunt, mortis dolorísque contemtio. *Cic.* 2. *Tuscul.* Paupertas nulli mala nisi repugnanti. *Senec. epist.* 120. Ἀτυχής ἀτυχίαν μὴ φέρων, Infelix qui ferre nequit infelicitatem. *Bias.* Iniuriæ non patienter tantùm, sed etiam hilari vultu ferendæ sunt. *Senec.* 2. *de ira. c.* 33. Æquus animus est optimum ærumnæ condimentum. *Plaut. Rud.* Malum est, cedere his, quæ mala vocantur, & illis libertatem suam dedere. *Senec. epist.* 89. Magnum malum, ferre non posse malum. *Bion. Borysth.* Fortium virorum est magis contemnere mortem, quàm odisse vitam. *Curt. l.* 5. Ea fortitudo vera est, quâ appetitus ratione coërcentur *Plut. in Numâ.* Non quia difficilia sunt multa, non audemus: sed quia non audemus, difficilia sunt. *Senec. epist. ad Lucil.*

Sil. Ital.

Explorant aduersa viros, perq; aspera duro
Nititur ad laudem virtus interrita cliuo.

Mantuanus.

Est aduersarum domitrix tolerantia rerum.

APOPHTH. Socrates interrogatus, Quid esset fortitudo? respondit, Nodus animæ cum corpore. *Stob. serm.* 7. Democritus rogatus, Quid efficeret fortitudo, Dispendia minuit, respondit *Ibid.* Lacon quidam noctu præteriens monumentum, cùm videret spectrum, accurrit, lanceâ traiecturus, & in hoc nitens, Quò me fugis, inquit, bis moritura? *Plutach. in Lacon.* Socrates à quodam calce percussus, tolerauit iniuriam: quòd cùm admirarentur alij, dixit: Quid enim? Si me asinus calce impetisset, num illi diem dixissem? *Laërt.* Solon dicebat: Si in vnum locum cuncti sua mala contulissent, futurum vt propria deportare domum, quàm ex omni miseriarum aceruo portionem suam ferre mallent. *Valer. Max. lib.* 7. *cap.* 2. In Ilio sacra facienti Alexandro sacerdos dixit, se ostensurum Paridis lyram: at ille, Imò Achillis (ait) si habes, ostende, ac ante lyram potiùs hastam. *Stob. serm.* 7. Anaxarchus dicente ei Alexandro, suspendam te: Minare his, inquit, è vulgo. Meâ autem nihil interest, super terrámne an infra computrescam. *Ibid.* Idem Anaxarchus cùm in mortario ferreis pistillis contunderetur, Tunde, inquit, Anaxarchi manticam: nam Anaxarchum non percutis. *Laërt. lib.* 1. *cap.* 10. Philo Iudæus vnà cum aliis Iudæis ex aulâ Caligulæ eiectus, quòd Cæsari diuinos honores exhibere recusasset, ad suos conuersus dixit: Bono animo estote, viri: non deerit nobis auxilium. Vbi enim humanum cessat, diuino non destituemur. *Euseb.* Athanasius, cùm ei indiceretur à Iuliano Imperatore exilium, mœrentibus cunctis, Bono estote animo filioli, inquit, nubecula est, quæ breui euanescet. *Niceph. lib.* 10. *cap.* 19. Ambrosius, postquam aduersus Arrianos & Iustinam Augustam in templo multa disputasset, à Valentiniano iuniore Imperatore iussus templum exire, respondit: Lubens id quidem non fecero: neque enim lupis ouium caulam prodam, neque blasphemus templum diuinum concedam. Quòd si necare me vis, in ipsâ ecclesiâ in me ensem aut cuspidem stringe: perlibenter enim cædem eam tulero. *Theod. lib.* 5. *cap.* 13. Lutherus Caietano sarcasticè quærenti, vbi mansurus esset Cæsare deleturo religionem? animosè respondit Si non sub cœlo, tamen in cœlo. ADAG. Masculum: Adamantinus: Achilles: Hercules: Animus heptaboœus: Non cedendum malis: In discrimine apparet, qui vir: Marti arma non sunt oneri: Aut manenti vincendum, aut moriendum: Mœnia ferrea;

rea, non terrea: nec timidè, nec tumidè: Ἢ τὰν ἢ ἐπὶ τᾶς, quâ formulâ Lacon quidam Laconicè filium exhortabatur aut ferendum clypeum, quem ipsi tradebat, aut supra clypeum moriendum. SIMIL. Vt palmæ ramus imposito onere non deflectitur in terram, cæterarum arborum more, sed remittitur, & vltrò aduersus sacrinæ pondus sese erigit: ita viri fortis animus, quò plus negotiis premitur, quóque magis seruit fortunæ, hoc est erectior. *Plin. lib. 2. cap. 43.* Nauclerum quid probat? Tempestas. Quid athletam? Stadium. Quid ducem? Pugna. Quid magnanimum? Calamitas. Quid Christianum? Tentatio. Quid animam? Res tristes. *Basilius.* Vt in arboribus robustiores sunt partes Aquiloni oppositæ, quàm quæ Austrum aut Zephyrum spectant: ita fortiores ac firmiores sumus in his, in quibus exercent nos res aduersæ *Erasmus.* EXEMPL. Abraham, Gideon, Samson, Dauid Elias, Daniel cum sociis, Iudas Maccabæus, Ioseph Arimathæus; Miltiades, Themistocles, Camillus, Torquatus, Hannibal, Scipiones, Cæsar. *Arthemisia* regina Halicarnassi, quæ in auxilium venerat Xerxi, inter primos duces bellum acerrimè ciebat, ita vt in viris muliebrem timorem, in muliere virilem audaciam cerneres. *Iustin. lib. 2.* Huc pertinent tres illi chori apud Spartanos. Senum chorus incipiebat:

Ἄμμες πότ' ἦμες ἄλκιμοι νεανίαι.
Nos quondam eramus inclyti bello viri.
Iuuenum chorus succinebat:
Ἄμμες δέ γ' εἰμέν· αἰ δὲ λῇς, αὐγάσδεο.
Nos y sumus: fac, si velis, periculum.
Puerorum denique sequebatur:
Ἄμμες δέ γ' ἐσσόμεσθα πολλῷ κάρρονες.
Nos fortitudine plurimùm præstabimus.

Alexander Magnus apud *Iustinum lib. 11.* ait Animi magnitudine didici aduersus vires hostium, non aduersus calamitates contendere. Vir, inquit Iustinus, supra humanam potentiam magnitudine animi præditus. Rex *Alphonsus* huic symbolo, Pro lege & grege, appingi curauit pelecanum fodientem rostro pectus, & elicientem sanguinem ad pullos pascendos: significans, principem omnia pericula adire debere religionis ornandæ, & regionis defendendæ causâ. *Mauritius* imperator cùm videret coniugem & liberos interfici à Phocâ, forti animo illa perferens exclamauit: Iustus es, Domine, & recta iudicia tua. Bembus de Stephano ait:

Ibat ouans animis, & spe sua damna leuabat.
S. Hagne rubens in martyrio:
Dum formosa genas Hagne perfusa rubore
Prodit ad ardentem iam moritura rogum:
Cur rubeat, biberitne vinum, vultumq́; colore
Ebria, carnificis voce rogata, refert:
Quin mihi purpureæ facies ita sanguine Christi
Oraque diuino tincta cruore rubent.

Eretricus adolescens scholam Zenonis diù frequentarat. Reuersum pater interrogat, quid didicerit? Qui cùm se ostensurum dixisset, indignatus pater, ipsum verberauit. At ille modestè patiéterque ferens: Hoc ipsum, inquit didici, vt iram patris moderatè feram. *Petrus Ramus* cùm anno 1552. Parisiis in scholâ Cameracensi auspicaretur Dialecticam suam frequentissimo auditorio, ab æmulis clamores, strepitus, sibili ingentes per summam petulantiam excitati fuere. Sed Ramus hac insolentiâ nihil permotus, eum se oratorem præstitit, vt multum diúque, licet obnitentibus aduersariis, per interualla tamen clamorum incredibili constantiâ, nec minore cum gloriâ perorarit. Quâ eius virtute consternati inimici in posterum minùs ei fuerunt molesti. HIEROGLYPH. Fortitudinis hieroglyphica sunt, 1. *Anteriora leonis*; quippe robustiora. 2. *Vespæ*; quæ pugnant in hostem. 3. *Camelus*; in quo est mirus dorsi vigor magnaque famis & sitis tolerantia. 4. *Tigris*; fluuiorum omnium rapidissimus. 5. *Adamas*; qui malleum & limam contemnit. 6. *Palma*; quæ, vt poëta canit, tandem è contemtibus exit. 7. *Aquila*; auis illa Saturnia. De palmâ & aquilâ videris quoque in hanc sententiam emblemata Alciati. *Patientiæ* hyeroglyphicum est iugū. Eius exempla sunt Iob, CHRISTVS, Lazarus, & Belisarius, qui iussu Imperatoris Iustiniani ob inuidiam excæcatus, eleemosynam petere coactus est; quam calamitatem æquo tulit animo, vt nihil diceret aliud, quàm, Viator da obolum Belisario, quem virtus extulit, excæcauit & ad summam paupertatem redegit inuidia.

AVDACIA. SENTENT. Qui nullum omninò timet periculum, sed adit omnia, is est audax. *Arist. 2. Ethic.* Periculosa est audacia, si vires non suppetant spiritibus. *Erasm. in apoph.* Audacia sine consilio, semel aut iterum fortunata esse potest, demum autem omnia euertit. *Francisc. Patrit. lib. 6. de regno.* Audaces ante pericula edita laborésque susceptos nimis quàm acres videntur: sunt ad incipiendum præcipites: pòst verò magis magísque deficiunt, viderique incipiunt hæsitantibus similiores: tandem concidunt animis, apparentque ipsis etiam timidis timidiores. *Iou. Pantan. lib. 1. de fort.* Stat. 10. Theb.

—Ne frana animo permittere calenti;
Da spatium, tenuemq́; moram: mala cuncta ministrat
Impetus.—

APOPHTHEG. *Chilo* dicere solebat, non esse tentanda, quæ fieri non possunt. *Alexander* audiens Darium multas parare militum myriadas, dixit, Vnus lupus non timet multas oues. *Max. serm. 71.* ADAG. Neque terræmotus timet, neque fluctus: quod Aristoteles dicit esse μαινομένων καὶ ἀναλγήτων, *insanorum & stupidorum*: Gloriosus miles: Thraso: Ῥωποπερπερήθρα *ein Vvaghals*. SIMILITVD. Audaces sunt ventosi, tumidi, galli gallinacei, sacci pleni aranearum. EXEMP. Perdiccas Macedo in speluncam leænæ ingressus, leænam ipsam non deprehendit, sed catulos eius secum exportauit: & magnam hominum admirationem hoc facto meruit. *Ælian lib.* 16. Ser Cæpio Consul contra Cimbros in Italiam irruentes temerè pugnans XXC. millia amisit. *Liuiu. lib. 6.* EXEMP. Herculem sub arbore cubantem pygmæus aggreditur, sed ab excitato instar pulicis proteritur. Vide 58. *emblema Alciati.*

TIMIDITAS. SENTENT. Viri timidi nullum habent in pugnâ numerum, sed præsentes absunt. *Curt.* Vita mollis, & mala timiditas neque domum, neque ciuitatem rectè gubernauerint. *Id.* Virg. Æn. 2.

Degeneres animos timor arguit.—
Lucan. Pharsal. 4.
Audendo magnus regitur timor.

Quisquis alios metuit seruus est, licèt nesciat. *Antisthenes* Timiditas est corruptio legitimi iudicij de rebus metuendis, aut non metuendis, aut ignorantia terribilium, non terribilium, & neutrorum. *Hierocles.* Timidus quidem arma contra seipsum habet, stultus autem pecunias. *Pontan. de fort. orator.* ADAG. Vmbram suam metuere: Abiecit hastam: Timidi nunquam statuunt trophæum: Vel muscas metuit præter volitantes: Ante tubam trepidas: Vir ceruinus. Linguâ bellare: Ne my quidem audet facere: Animus in pedes decidit: Domi leo, in acie vulpes. SIMIL. Timor est frigiditas quædam: est vinculum orationis. Timidi possunt conferri cum canibus illis de quibus dicitur: Canis timidus vehementiùs latrat, quàm mordet, vt ait *Curtius lib. 7.* Crocodilus terribilis est in fugaces, fugax contra insequentes: ita quidam, si concedas aut metuas, ferociunt, si strenuè contennas & obsistas, statim concedunt. *Plin. lib. 8. cap. 25.* Vt chamæleon, quia pauadissimum est animal, subinde colorem mutat: ita qui viribus non pollent, ad varias confugiant artes necesse est. *Id. l. 8. cap. 33. & lib. 18. cap. 8.* EXEMPL. Loth. *Genes. 19.* Israëlitæ. *Exod. 14.* Exploratores. *Num. 13.* Saul & Populus. 1. *Sam.* 17. Petrus Apostolus, & Nicodemus. Sardanapalus fuit muliere mollior & timidior. *Iustinus lib. 1.* Pisander adeò timidus fuit, vt metueret, ne animam suam alicubi videret, quæ se viuum reliquisset. Inde ortum adagium: *Timidior Pisandro, Erasm. in Chiliad.* Agamemnon erat θερμόνεῳλος, cholericus, temerarius, & ferox: in lacessendo habebat stolidos impetus, subitos citóque deflagrantes, animi non erat fortis in diminicando, vt canis in lacessendo petulans, leuiter ictus refugit. Isocrates inter amicos dicere est solitus, se quidem docere decem minis: cæterùm qui ipsum docuisset audaciam, mercedis loco daturum decem millia. Nam animi timiditas reddebat Isocratem ad dicendum, inutilem. Hinc Isocrates confertur cum cote, quæ licet ipsa non secet, ferrum tamen secare facit. Sic Isocrates ipse non erat eloquens, alios tamen eloquentes reddebat. Impatientiæ ac timiditatis exemplum est in iis, qui sibiipsis mortem consciscunt, vt Saul & Iudas. Neque enim αὐτόχειρες sunt fortes; quia contrà naturam agunt. Nam blanda conciliatrix & quasi sui lena est natura. *Cic. 1. de nat. deor.* Et vt *Boëtius* ait 4 *consol. 4.* Præcipua mortalibus cura vitæ retinendæ. Nam vitæ gratiâ laborant homines, volant aues, natant pisces, latibulis se abscondunt bestiæ. *Horolog. princip. in procem.* HIEROGLYPH. Lepus, cuculus, crocodilus, & chamæleon.

IMPATIENTIA. SENT. Impatientia reprehenditur *Exod. 14. 15. & 17. Num. 11. & 14. Prou. 14. v. 19.* frænanda est, *Rom. 12. v. 10. 1. Cor. 10. v. 19. Phil. 4. v. 5. 1. Thess. 5. v. 14.* Natales impatienti æ in Diabolo deprehendo. Iam tūc cùm Dominum Deum vniuersa opera quæ fecisset, imagini suæ, id est homini, subiecisset: impatienter tulit. *Tertull de pat.* Impatientia turbat animum, præterita bona delet, præsentia inficit, futura impedit. *Fac. l. 1. epist.* SIMIL Quemadmodum, qui apostematis infestantur, & à medico vruntur, astantes mordent: ita faciunt impatientes. *Chrysost serm. 4. in Iob.* Sicut onus ipsâ iactatione incommodius fit: ita dolor per impatientiam fit maior. *Sen. lib. 2. ep. 28.* Impatiens similis est equo, qui non patitur sessorem, & ideò multis plagis excipitur. EXEMP. Sara *Gen. 16.* Iob, Iraëlitæ. *Exod. 17. & 19.* Mercenarij *Matth. 20.* Frater prodigi. *Luc. 15.* αὐτόχειρες, de quibus paulò antè. HIEROGYPH. Equus mordens frænum & impatiens disciplinæ.

CAPVT XVIII.

De Humanitate.

PRÆCEPTA.

EVIT probitas ad nos relata: nunc erit probitas relata ad alios, eáque moderatrix conuersationis, vel communicationis. Ibi est Humanitas & Vrbanitas: hîc iustitia particularis, Officiositas, & Liberalitas.

Humanitas, siue comitas est facilitas in conuersatione.

Estque priuata, vel publica.

Comitas priuata respicit vel absentes, & fit per literas manifesta: vel præsentes, & prodit se per affabilitatem.

Comitas publica dicitur popularitas, quâ quis se accommodat populo.

Comitatis excessus est nimia & lasciua blandities seu comitas: defectus, inhumanitas, morositas, siue difficultas.

REGVLÆ.

Comitas condit dicta & facta nostra.

I. *Comitas facit, vt dicta & facta nostra sale humanitatis condiamus.*

EST enim facilitas in admittendis aliis ad se, iucunditas in iis excipiendis & salutandis, vtilitas in iisdem retinendis, & prudentia in iis dimittendis. Comitas itaque est virtus nos inclinans: vt in loquendo, audiendo, respondendo, & officiis præstandis, in vultu & gestibus quadam suauitate beneuolentiam nostram erga alios declaremus. Hæc virtutis in principibus, & omninò iis, qui sunt in statu eminentiæ præcipuè est necessaria, grata, & conspicua. Hinc rectè dicitur vnicum principis decus: omnes enim principes qui difficiles & morosi fuerunt erga subditos, miserè perierunt. At nullus vnquam fuit, cui affabilitas & gratiositas fuerit fraudi. Quare animus principis sit porta semper patens. Suetonius hoc nomine celebrat Augustum: Lampridius Alexandrum Seuerum, qui neminem sub colloquio prohibuit, & omnibus se blandū affabilémque præbuit, amicos ægrotantes, etiam inferiores, inuisit. Eutropius Traianum scribit amicis ipsum culpantibus, quòd nimis circa omnes comis an communis esset, respondisse, talem se imperatorem esse priuatis, qualem sibi imperatorem priuatus optasset, quam verè auream vocem præceptores, patres familiâs, & alij vtinam etiam atque etiam perpenderent.

Comitas in quibus posita?

II. *Comitas cernitur in admittendo, retinendo, & dimittendo.*

FAcit enim, vt simus faciles in aliis admittendis, hilares, & liberales in iis retinendis, & humani in dimittendis. Hinc duæ partes Comitatus statuuntur, facilitas & suauitas: vbi vel in primis dominatur Affabilitas, quæ plurimas tollit ex cordibus hominum vomicas. De hac autem incidenter hoc loco tractatur infrà ex professo.

III. *Affabilitati studendum est, quia est satelles & procurator amicitiæ, & firmissimum vtriusque politiæ munimentum. Nam vel minima affabilitas plurimas tollit ex cordibus hominum vomicas.*

DE hac accipe, quod Plutarchus refert de Auralcide, ipsum rogatum quo pacto quis maximè placere possit hominibus respondisse si loquatur ipsis iucundissima, præstet vtilissima. Et sanè quemadmodum cibi condimentis suauiores & salubriores fiunt, sic comitate redditur grata conuersatio.

Natura multum potest in comitate & vrbanitate.

IV. *Natura comitate & vrbanitate plurimùm valet.*

ETsi enim vsu & studio vtraque acquiri potest: magis tamen vtraque est grata, si proficiscatur à naturali propensione. Hinc homo & naturâ, & studio, & vsu comis atque vrbanus omnibus in vniuersum hominibus est gratus.

Quinam peccētad uersus comitatem?

V. *Trium generum homines excidunt regiâ Comitatis viâ.*

1. HYpocritæ; qui simulant vultum & humanitatem, eíque se extrinsecus affabiles exhibent, à quo maximè sunt auersi. 2. *Homines lasciuâ & meretriciâ comitate*; qui sine discrimine cuiuis se visu facile & dictu affabiles exhibent, putà Infamibus personis. 3. *Homines torui, difficiles, & vultuosi*, quales fermè sunt aulici, quos splendida aulæ miseria mixta cum felle & aceto transformat in tauros petulcos & aptos frendentes.

Præcipua comitatis & affabilitatis monita.

VI. *Præcipua Comitatis & Affabilitatis monita hæc sunt.*

1. *COmitate & affabilitate debemus esse suaues erga quosuis, etiam inimicos*: ita scil. vt in accessu, congressu, & discessu absit contemtus, despicientia, incommodatio, contumelia, ἐπηρεασμός, studium alteri aduersandi: spiritus contradictionis & contentionis, atque omnino indicia τῆς ὀλιγωρίας. 2. *Conuersandum est cum bonis & malis* Cum bonis, vt eorum conuersatio nos reddat meliores. Cum malis, vt nostra conuersatio illos reddat meliores: quantum scil. ratione officij & conscientiæ licet. Aliàs est species delicti conuersari cum malis. 3. *In conuersatione cum infidelibus oportet distinguere inter homines priuatos, eruditos, constantes, indoctos, infirmos, & magistratus.* Priuatus doctus & constans ita conuersabitur cum infidelibus, vt illos comi institutione erudiat, & vitæ sanctimoniâ alliciat. Quòd si nulla spes sit conuersionis, non ampliùs cum illis conuersandum, nisi quantum naturales & ciuiles necessitates exigunt: vt si nostri principes, parentes, coniuges, liberi, serui, vel conciues fuerint. Ita Abraham cum ethnicis, Loth cum Sodomæis, CHRISTVS cum publicanis, Paulus cum Atheniensibus est conuersatus. Non igitur oportet hîc abuti versiculo isto:

Noscitur ex socio, qui non cognoscitur ex se.

4. *Homines infirmi & indocti non debent vnà cum infidelibus agere, nisi quantum patitur necessitas corporis, & necessitudo ciuilis.* 5. *In rebus adiaphoris licet se fratris infirmitati accommodare.* 6. *Cum stultis, iracundis, rixosis adulatoribus, subsannatoribus, verbosis, & garrulis conuersatio cautè regenda.* Nimirum stultum oportet vel delinire, vel castigare, ne quisquiliis eius inquinemur. Cum iracundis non est contendendum. Tales autem iudicantur ægri, amantes, esurientes, sitientes, cholerici, & similes. Contentioso & rixoso ita respondendum est, vt prudentia locum det temeritati. Adulatoribus respondendum cum protestatione, vt taceant. Subsannatores, qui χειμμαδοφυλάκιοι colligunt alienorum vitiorum, demulcendi sunt vel obiurgandi pro re natâ. Cum homine verboso, itémque potentiore, audace, impudente, plurimùm iurante, simulante, duro & aspero non contendendum. Lubricus enim & periculosus est huiusmodi ludus. Garruli seu ἐξαγγελικοί, qui ea quæ vident & audiunt, eliminant, non facilè admittendi sunt in colloquium. 7. *Cum senibus & honoratioribus ita conuersandum, vt illos attendamus potiùs, quàm sermone nostro fatigemus.* Hîc locum habet regula: Affabilitas potiùs descendat, quàm ascendat. 8. *Hominibus teneris aliquid est dandum.* Tales sunt illi, qui ad instar vitri fragilis obseruari, & molli brachio tractari volunt. Hi stomachantur, si quis illos compellet in singulari numero, quod vocant tuissare; si quis ipsis non tribuat titulum Domini: si non eo, quo volunt loco, accumbant. 9. *Affabilitas non est improbanda in sexu fœmineo.* Sed affabilitas meretricia fœminas in primis dedecet.

FLORILEGIVM.

COMITAS & AFFABILITAS. SENT. Si quis hominem sibi obuium non salutauerit, aut salutanti non reddiderit salutem, à viatore non habebitur homo, sed truncus, lapis, aut Mercurius *August.* Comitatis est, benignè obuios appellare: affabilitatis familiariter cum ipsis verba communicare. Benignum cunctis te præbeas, optimis autem vtaris. Sic & illis inimicus non eris, & istis amicus fies. *Isocr. ad Demonic.* Difficile dictu est, quantopere conciliet animos hominum comitas affabilitásque sermonis: quâ curatur inuidia & suspicio, atque ira animis hominum eximitur. APOPHTHEG. Diogenes solebat dicere, manus non esse porrigendas amicis complicatis digitis: innuens beneuolentiam comitari debere comitatem. *Laert. lib. 6.* Telecrus fratri suo querenti, quòd ciues erga se perinde non afficerentur atque erga illum, Tu, inquit, extra omnem comitatem positus iniuriam ferre nescis, ego autem scio. *Plut. in Lac.* EXEMPLA. Titus & Adrianus Impp. quorum ille dicebat, non oportere quenquam à Cæsaris colloquio tristem discedere: hic eos detestari solebat, qui inuiderent ipsi hanc humanitatis voluptatem, quam percipiebat ex colloquiis humillimorum, & reges Persarum, qui sereno vultu acceperunt munera qualia qualia à subditis.

MOROSITAS. SENTENT. Homines morosi sunt delicatum iracundiæ genus. *Sen. de irâ lib. 1. cap. 4.* Morosi vita non est vita, sed calamitas. *Eurip.* Inhumana res est, duritas vitæ. *Menand.* SIMILITVD. Quemadmodum vinum austerum non est aptum potioni: sic mores agrestes non sunt apti conuersationi hominum. *Stob. ferm. 2.* Homines δύσκολοι sunt instar maris inquieti. Sicut enim hîc fluctus fluctum, ita ibi luctus luctum excipit. EXEMPLA. Ismaël, Laban, Nabal, Dionysius; quem cùm Aristippus interpellaret pro amico, nec ille

illi preces admitteret, prostratus cœpit amplecti pedes, & impetrauit. Cùm reprehenderetur ob hoc factum tanquam philosopho indignum, respondit: Non ego sum inculpa, sed Dionysius, qui aures habet in pedibus. Philippus Macedo, cùm diceret pauperculæ supplici factæ, sibi non esse otium, vt causam ipsius cognosceret, illa inclamat, Proinde ne rex quidem esse velis. Alij hoc tribuunt Adriano Imp. Cùm legati Lacedæmoniorum ad Lygdamin tyrannum venissent, nec audientiam impetrare possent, quòd rex diceret se infirmâ esse valetudine, illi dixerunt, Per Iouem, non venimus huc cum illo luctaturi, sed collocuturi. Talis homo intractabilis, austerus, & acerbus erat Timon Atheniensis. HIEROGL. I. *Echinus*; quem quaqua tractare voles, asperitate retinentiâque horridum expirare. 2. Pythagoricum illud, *Ignem gladio ne fode vel disseca*, monet, morosos verborum asperitate ceu gladio non esse lacessendos.

CAPVT XIX.

De Vrbanitate.

PRÆCEPTA.

VRBANITAS est virtus, quæ docet vsurpare liberale iocandi genus. *Aliâs sumitur latè pro ciuilitate morum, vt in illo versu:*

Diceris Vrbanus, sed non vrbanus haberis;
Cùm ceu vacca bibas, & suis instar edas.

Eius excessus est scurrilitas: defectus, rusticitas in iocando.

REGVLÆ.

Vrbanitas condit dicta & facta nostra.

I. *Vrbanitas facit, vt dicta & facta nostra sale festiui ingenij condiamus, vtque aliorum iocos ferre possimus: vnde dicitur ornamentum veritatis.*

FAcit, inquam, ne simus seueri vt Stoici, nec dissoluti, vt Epicurei: ne semper tristemur cum Catone, Euripide, & Heraclito, nec semper rideamus cum Democrito: sed vt veritatem dicamus cum quâdam venustate ac gratiâ, ita vt condiamus iocos sale Mercurij. Iocos dico, siue illi sint rhetorici, siue practici, puri vel mixti, aperti vel obliqui, simplices vel ænigmatici: quorum omnium triplex debet esse finis; videl. iusta reprehẽsio, institutio blanda, & delectatio liberalis. Quæ omnia si obseruentur, neque in defectu peccabimus cum Catonibus morosis, qui neque ipsi iocantur, neque ioculares homines ferre possunt: neque in excessu cum scurris & professoribus iocorum illiberalium, qui in rebus seriis, diuinis, & calamitosis iocantur. Hi tales lasciuiæ potiùs quàm lætitiæ consecrant suos iocos, & dum omne ludicrum in pretio habent, ipsi non sunt in pretio. Hi dum lætantur, insaniunt, & nil nisi nugalia proferunt. His ita præmissis facilè fuerit soluere obiectiones contra hanc de iocis & facetiis doctrinam. Quod enim dicunt, iocari esse rem leuem, id de scurris & mimis verum est: quòd aiunt, Platonem *lib.* 11. *de LL.* damnare iocos & facetias, Quintilianum dicere, nõ bonæ indolis signum esse, si quis iocetur, & denique Apostolum εὐτραπελίαν inter vitia recensere, id nihil facit contra nos. Nam Plato non simpliciter iocos & facetias damnat, sed eos reprehendit, qui in his sibi temperare nequeunt, ac proinde monet definiendum esse legibus, cui iocari & ridiculis vti aut non vti liceat Quintilianus verò eos improbat, qui nihil in suis iocis quærunt nisi vt rideantur. Apostolus seipsum explicat, dum τὰ ἀνήκοντα subiungit, quæ non conueniunt: nam etiam vrbanitas à sanctis fuit adhibita. Sic 1. *Reg.* 18. *vers.* 27. Elias propheta vsus legitur falsâ Ironiâ. Confer cum *Iobi* 12. *v.* 2. 1. *Cor.* 8. *v.* 1. 2. *ad Cor.* 11. *v.* 9. Huc pertinet apiarium Marnixi *der Binen Korb.* Neque contra hanc doctrinam militat, quod Aristoteles 3. *Rhet. c.* 12. scribit, vrbanitatem & sales esse ἢ εὐφυοῦς ἢ γεγυμνασμένου, *ingeniosi aut exercitati hominis* cui συμφωνεῖ Quintilianus, qui *lib.* 6. *cap.* 4. & Cicero, qui 2. *de orat.* affirmat iocos, & facetias in naturâ esse positas, artem nullam desiderare, qui earum rationem quandam & artem tradere sint conati, sic extitisse insulsos, vt nihil aliud illorum, nisi ipsa insulsitas rideatur. Hæc & similia hanc in sententiam allata nõ euertunt Ethicas præceptiones de iocis: quia licet natura plurimùm hîc possit, tamen quia facilis in huiusmodi rebus est lapsus, oportet artem naturæ succurrere, illámque corrigere, dirigere. Hîc quæritur 1. An facetiarum scriptores in rep. sint ferendi? Resp. possunt tolerari, si obseruent hanc legem: Genus iocandi profusum, nec immodestum, sed ingenuum & facetum esse debet, in primis in scriptis. 2. An histriones, comœdi, tragœdi, & iaculatores, in aulis principum vel in rep. sint ferendi & fouendi? Resp. Sunt, si sequentes regulæ obseruentur. 1. Illiberalis iocus, ne homine quidem dignus, si rerum turpitudini adhibetur verborum & gestuum obscœnitas. 2. Non sunt faciendi sumptus mirabiles & miserabiles in mimos & professores illos ludicros. 3. Professores istarum rerum sic fouendi sunt, vt illi fugiant otiositatem, matrem nugarum, ac nouercam virtutum.

Vrbanitas ne degeneret.

II. *Vrbanitas non declinet à veritate ad falsitatem.*

VRbanus enim verum dicit, sed veritati habitum gratiosum induit. Sic verum est illud Stephani de medicis, sed falso sermonis genere prolatum:

Se medici bene habent, tum demum cùm malè multi;
Quòq; valent plures, ars valet illa minùs.

Item: Qui vnum famulum habet, integrum habet; qui duos, dimidiatum; qui tres, nullum. Item, Famuli habeant rostrum suillum, aures asininas, dexterâ explanatâ, & pedes ceruinos.

Quæ præcepta in iocis obseruanda.

III. *Vt liberales, eruditi, apti, & ingeniosi sint ioci, habenda est ratio rerum, quantitatis, qualitatis, personarum, temporis, & loci.*

QVoniam non cuiusuis hominis est ἐμμελῶς, vt ait Aristoteles, σκώπτειν, apte iocari, sed ingenij hic acumen, iudicium exquisitum, ars denique & doctrina minimè vulgaris requiritur, paucis, quænam obseruanda sint, vt liberales, ingeniosi, eruditi, apti, non rustici atque insulsi sint ioci, ostendendum. Pendet autem res tota à circumstantiis. Ac principiò quidem habenda est ratio rerum ipsarum. Non vtendum est iocis in rebus magnis & grauibus, vt in religione & legibus: aut calamitatibus & miseriis insignibus: aut improbitate, scelere atque flagitio aliquo, quia ingenij quandam petulantiam in rebus magnis & seriis: in calamitatibus & miseriis inhumanitatem ioci indicant: scelera verò atque flagitia non rideri, sed vulnerari, hoc est, puniri, & coërceri debent secundùm præceptum est quantitatis & modi. Non enim nimis frequentibus vtẽdum est iocis, quod hoc sit scurrile ac mimicum, adeóque pugnet cum grauitate viri boni. Tertium est qualitatis, vt iocis & facetiis verecundis & modestis, non obscœnis vtamur. Nam vir bonus ingenuitatem & ruborem præstare debet, ideóque vitare omnem verborum turpitudinẽ. Idem quoque vir bonus declinare debet iram & insanabiles calumnias: ne adhibeat iocos dentatos Hinc rectè dicitur: Ioci debent esse edentuli; non verò dentati; & omnino eiuscemodi, qui delectent, non offendant, ne famæ vel vitæ periculum aliquod creent. Quartum præceptum est personarum. Non est facetiis & iocis vtendum in calamitosos & miseriis oppressos, putà egenos, ægrotos, exules, corpore deformes: quia hoc est ab omni alienum humanitate, & petulans atque superbum indicat ingenium. Neque etiam iocis vtendum est in magistratum aut alios, quos colere ac venerari debemus, quia ibi risus præ se fert contemtum, & iram grauem parit. Non licet quoque iocari nationes integras, in ordines, conditiones, & studia multorum: quia hoc quoque cum periculo est coniunctum. Suæ etiam personæ rationem habebit vir bonus, neque committet vt iocis & facetis authoritas eleuetur. Proferat itaque facetias officio & dignitati suæ conuenientes. Quinta cautio est temporis. Non intempestiuè est iocandum, neque tum, cùm seria, aut etiam tristia, quæ seueritatem quandam requirunt, sunt tractanda. Quia ioci & facetiæ delectationi inseruiunt, ac propterea tum demum gratiam habent, cùm recreare & exhilarare alios volumus. Sexta habenda est ratio loci. Plurimùm enim refert, vbi quis vtatur iocis. Nam in conuersationibus familiaribus, & quotidiano sermone hilaria sunt apta non itidem in funeribus, Ecclesiâ, & Senatu locum inueniunt. Neque accusatorem atroci in causâ, neque patronum in miserabili quisquam iocantem feret. Hinc deducuntur ista porismata 1. Iocari quandoque decorum est & graue. 2. Non est iocandum in rebus sacris, grauibus, flagitiosis, & obscœnis. 3. Non est iocandum cum hominibus austeris & intractabilibus. 4. Ioci debent esse subtiles & faceti, non longè repetiti: faciles & iucundi, non molesti & tædiosi. 5. Ioci commodè exerceri non possunt, nisi ab homine cauto, acutâ & promtâ sagacitate ex improuiso se exercente. Consistunt enim in peculiari quadam promtitudine, venustate, & celeribus animi motibus. 6. Ioco vtendum tanquam somno & quiete, cùm grauibus seriísque rebus satisfecerimus, vt *Plutarchus lib.* 2. *sympos. problem.* 1. monet. 7. Concessus est iocus sobrius, qui est absque scandalo, *Ephes.* 4. *versu* 29. 8. Ita risum iocando mouebimus, ne ridiculi fiamus. Nam ita est, vt *Clemens Alexandrinus* 2. *pæd. cap.* 5. & 7. ait, Χαριεντιστέον οὐ γελωτοποιητέον, *vrbanè ac lepidè loquendum, non risus captandus.* 9 Inter iocandum is risus probatur, qui cum timore DEI, moderatione, & sympathiâ est coniunctus, iuxta illud Senecæ: Sales tui sint sine dente, ioci sine vilitate, risus sine chacinno, vox sine clamore, incessus sine tumultu. Ioci ergo mordentes, aculeati, & dentati fugiendi sunt. Sub his enim iniuriæ latent. Hinc isti ioci dicuntur σκώμματα, λοιδορίαι, ψόγοι, διαβολαί; & ipsorum professores dicuntur φιλοσκώμμονες. Fugiendi etiam ioci & risus Sardonici, qualis dicitur fuisse risus Caligulæ, crudelis planè & immanis apud *Suetonium in Caligulâ.* 10. Qui in

eludendis & præferendis salibus & iocis dextri sunt, elegantérque possunt salsè dicta excipere,& lepidè eadem retorquere, gratiosi sunt. 11. Nemo, vt aliis placeat, se ipsum vilem abiectúmve facere debet, aut insulsum & scurrilem se fingere, neque personam ad peccandum suscipere. Studendum itaque facetiis, non apri aut visi more, sed ouis. Huc pertinet Catalogus salium, quorum quinque sunt classes. 1. Sales pungentes. 2. Sales philosophici 3. Sales Ethici. 4. Sales rhetorici. 5. Sales lenientes.

An ioci prosint?

IV. *Ioci liberales prosunt quinque modis.*

OBlectant enim primum: quia virtutis quandam viuam imaginem continent. Et propterea vrbanitatis nomen huic virtuti inditum, quòd sermo & facta hîc proprium quendam ferunt gustum v. bis, & indicant ingenij vim: quã Cicero tribuit Atticis, & ait eos præter cæteros fuisse vrbanos & festiuos propter cœlum purum: vt contrà Thebani, quia crasso sunt vsi aere, nihil prorsus festiuitatis & elegantiæ habuerunt. Deinde ioci atque facetiæ rerum sæpe maximarum momenta vertunt: tristes soluunt affectus: frangunt odium & iram: seueritatem leniunt atque mitigant. Documento sunt iuuenes Tarentini, qui cùm multa de rege Pyrrho securiùs inter cœnam locuti essent, & rationem facti reposcerent, vnus ex illis dixit, Imò nisi lagena defecisset, occidissemus te; quo ioco elapsi sunt. Tertiò animum ab intentione rerum frequenter auertunt Quartò etiam reficiunt, & à tædio atque defatigatione recreant. Quintò res odiosæ, quæ argumentis facilè dilui nequeunt, ioco & risu dissoluuntur. Ad extremum in congressibus & colloquiis ipsa hilaritas amorem atque beneuolentiam conciliat, & studij requies est iocus, vt Plato in Philebo scribit.

Ex quibus locis ducantur ioci?

V. *Loci iocorum sunt vel rerum, vel verborum.*

NAm facetiæ vel in rebus & sententiis, vel in verbis atque orationis genere spectantur. Loci rerum & sententiarum in iocis obseruandi sunt hi. Sententię facetę sunt, quæ præter expectationem & opinionem audientis proferuntur; quæ contrarium habent responsum; cùm supra veritatem aliquid ridiculè dicitur, vt sæpe apud Plautum; cùm in totâ oratione seueritatem quandam pro nobis ferendo, ludimus, cuiusmodi apud Platonem in disputationibus Socraticis inueniuntur. Huc pertinent subabsurdè dicta: retorsio ioci ingeniosa; cùm quis præ se fert patientiam & lentitudinem quandam: cùm adhibetur concessio & confessio eius, quod aduersario nocet. Exemplum ioci realis, vt ita dicam, est illud Ciceronis: Vatinij anno magnum fuit ostentum, quia eo consule nec bruma, nec ver, nec æstas, nec autumus fuisset. Nam paucis diebus fuit consul. Idem de Marino dixit; neminem pransum, cænatúmve fuisse aut dormiuisse consule Marino, quippe qui sex horis meridianis consul fuerat Verborum loci hi sunt. 1 Si adferantur verba translata: vt si dicamus de eo, qui meliùs obiicit crimen quàm defendit: habere illum bonam dexteram, sed malam sinistram. 2 Si adhibeantur paronomasiæ: vt ex oratore factus est arator: Ille est ridiculus facie; non facetiis. 3. Ambigua multùm faciunt hanc ad rem: cuiusmodi exempla plurima reperiuntur apud Plautum, qui in ambiguis crebrò ludit. 4. Ioci captantur ex permutatione syllabarum, & vocum: vt pro Decretum, Discretum; pro medicus, mendicus & merdicus; pro Polycarpus, Polycopros. Item ex syllabarum ellipsi, vt ait *Althusius cap. 3. ciuil. conuers.* vt pro Casimirus, Irus; pro Marcus, arcus; pro vinosus, ô sus; pro sacerdotium, otium; pro augustus, vstus. Sic additione literæ pro Vrbanus Turbanus 5. Vocabulorum interpretationes ad ridiculum conuertuntur. Ita Cicero dixit, Verrem subitò ex homine factum esse verrem. 6. Allegoriæ, prouerbia, apophthegmata, fabulæ, & ænigmata festiuitati & iucunditati inseruiunt. Ad paronomasias & vocabulorum lusus pertinent multa Kabbalistarum dicta: ad fabulas, quædam Talmudica figmenta.

Vrbanitatis opposita.

VI. *Vrbanitati in defectu opponitur insulsitas seu rusticitas: in excessu scurrilitas, alieni leporis infelix affectatio, & nugacitas.*

RVsticitas est inhumana & intempestiua iocorum liberalium fuga, quâ veluti tetrici & vultuosi Catones nec ipsi iocamur, nec alios iocantes ferre possumus. Ad scurrilitatem pertinet dicacitas, quâ quis in alios iacit dicta dentata. Nugacitas est, quâ quis profert res futiles, quæ nec scienti prosunt, nec ignoranti nocent: vel etiam illas audit cum delectatione. Et ille quidem qui profert nugas, similis est mulgenti hircum: qui verò lubens audit, similis est illi, qui cribrum supponit mulgenti hircum. Huc etiam pertinent sarcasmi, & mycterismi acerbi & virulenti: & denique omnes impuri homines.

Qui peccent in leges vrbanitatis?

VII. *Classes illorum qui hîc peccant, sunt quatuor.*

1. PRofessores iocorum illiberalium; quales sunt mimi, histriones, & multi moriones in aulis, quorum professio est risus captare. Hi Germanis dicuntur *die Hof: oder Tischnarren.* 2. *Scurræ*; qui ex ore faciunt podicem, Germanis *Schandnarren.* item *Schalksnarren.* 3. *Homines illi qui dum lætantur, insaniunt*; cuiusmodi non paucos inuenias. 4. *Morosi Catones*; qui nec ipsi commodè iocos proferunt, neque aliorum iocos æquis animis audire sustinent: quales fuerunt Heraclitus, qui semper fleuit, & Euripides, tragicorum poëtarum princeps, qui fuit μισογέλως.

Catalogus saliū.

VIII. *Prodest Ethico texere catalogum salium miscellaneorum.*

TIro tres de Ciceronis iocis libros conscripsit: sed sine iudicio. Nos adhibito aliquo iudicio recitabimus quosdam sales, vt Ethicæ cultor inde intelligat, huiusmodi syllogen tumultuariam multum habere vtilitatis, si velimus nos ipsos recreare. 1. Plato definiit hominem hunc in modum: ἄνθρωπός ἐστι ζῶον δίπουν ἄπτερον, animal bipes sine plumis. Diogenes Cyn. gallum gallinaceum nudatum pennis in eius scholam inuexit, dicens: οὗτός ἐστιν ὁ Πλάτωνος ἄνθρωπος: *Hic est Platonis homo.* Vnde adiectū est definitioni, τὸ πλατυώνυχον, latis vnguibus, *Diog. Laërt. 2.* Thales rogatus, num mors à vitâ differret, respondit, οὐδέν, σὺ οὖν διὰ τί οὐκ ἀποθνήσκεις; ὅτι οὐδὲν διαφέρει. Quare igitur non moreris? *Quia nil differt.* 3. Vtrum plures viui, an mortui? *Anacharsis.* τοὺς πλέοντας ποῦ τίθης; nauigantes in quâ parte sunt constituendi? 4. Diogen Cynicus cuidam apud se philosophari cupienti, pernam dedit, ac sequi iussit. Cùm autem ille præ verecundiâ, abiecto quod ferebat, discessisset, pòst aliquando occurrens illi, ridens, ait: τὴν σὴν καὶ ἐμὴν φιλίαν ταρίχιον διέλυσε, tuam & meam amicitiam perna dissoluit. 5. Idem, cum quidam dixisset illi, Impera nobis Diogenes, abducto casei frustum ferendum dedit. Illo renuente: τὴν σὴν καὶ ἐμὴν, ἔφη, φιλίαν ἡμιοβολιαῖον τυρίον διέλυσε, meam, inquit, & tuam amicitiam modicum casei dissoluit. *Diog. Laërt. 6.* Idem Cynicus pedes vngebat, non caput, dicens, à capite quidem in aërem ascendere vnguentum, sed à pedibus in olfactum. *Laërt. 7.* Dionysius, Siciliæ tyrannus, cùm Ioui Olympio aureum amiculum detraxisset, laneum iussit imponi, dicens, æstate graue esse aureum, hyeme frigidum, laneum verò vtrique tempori aptum. *Lactant. lib. 2. de orig. er. cap. 4.* 8. Heraclitus νέος ὢν ἔφασκε μηδὲν εἰδέναι, τέλειος δὲ γενόμενος, πάντα ἐγνωκέναι, cùm esset iuuenis, nihil se dicebat scire, vbi verò ad virilitatis annos euaserat, nihil ignorare. *Laërt. 9.* Poëta de Clemente VII. Papâ, & Carolo V.

Septimus inferior quinto. Quis credat? Habetq;
Imperium Quintus, Septimus exilium.

10. Papa est participium: quia capit partem à clero, partem à seculari, sine modis & temporibus. 11. Fridericus I. Imp. aiebat: In capite orbis DEVS per imperium exaltauit Ecclesiam, in capite orbis Ecclesia nunc demolitur imperium. 12. Fridericus Elector Saxoniæ in conuentu Coloniæ habito post coronationem Caroli V. ad se accersiuit Erasmum, & rogauit, quid tandem peccauit ille miser meus monachus Lutherus, quòd ipsi tam infesti sint omnes? Resp. Duo maxima peccata commisit, abstulit coronam Papæ, & ventrem monachis. 13. Iter Diaboli est circulare. Dicit enim ipse Iob 1. circumiui terram: Saltatio est huiusmodi iter circulare. 14. Papa egregiè nos vexat; nullam nobis concedit vxorem, & ipse habet tot, quot vult. 15. Medicus quidam interrogabat alterum, quo pacto tam factus senex esset; alter respondebat, quòd eo medico non esset vsus. 16. Cùm Demades ægrè ferret admonitionem Socratis, & diceret, Sus Mineruam docet: Ista, inquit, Minerua non ita dudum in adulterio est deprehensa. 17. Cùm Xantippe post multa maledicta & conuitia tandem etiam aquam sordidam suffudisset, facetè Socrates, Notum, inquiebat, mihi erat, post tot tonitrua tandem pluuiam secuturam. 18. Africanus Censor, cùm castigaret militem, quòd in pugnâ non fuisset, is verò diceret, se voluisse interim castra custodire, ne quis inde aliquis auferret: Non, inquit, amo milites nimis diligentes. 19. Lælius cùm ab improbo quodam homine reprehenderetur, quasi maioribus suis non responderet, Tu verò, inquiebat, dignus es maioribus tuis, notans hominis improbitatem. 20. Maximilianus I. solebat dicere: Tres reges sunt hoc tempore: Vnus est rex hominum, alter asinorum, tertius rex regum. Rex hominum est rex Hispaniæ, qui adhuc moderatè regnat, & sentit se præesse hominibus. Rex asinorū est rex Galliæ, cuius subditi omnia onera, quæ ipsis imponuntur, vt asini patiuntur. Tertius rex regum ego sum. Nam quilibet meorum subditorum vult esse rex, & facere quæ sibi placent. Alij referunt hoc de Carolo V. quòd dixerit, se in Hispaniâ præesse hominibus, in Germaniâ regibus. 21. Iulianus apostata quærebat è Christianis, Quid facit fabri filius: facetè illi responsum, Fabricat Iuliano loculum. 22. *Innocent. III. cap. solitæ, de maioribus & obed.* dicit: Deum duo magna luminaria, nempe duas magnas instituisse dignitates: quæ sunt Pontificalis authoritas, & regalis potestas. Sed illam, quæ præest spiritualibus, maiorem esse dicit: vt quanta est inter Solem & Lunam, tanta inter

inter Pontifices & reges differentia cognoſcatur. Si igitur (inquit *Simon Stenius in reſponſ. ad apolog. Iac. Gretſeri pro vitâ Loiolæ.*) Papa eſt Sol, & Luna Imperator, quinque reliqui planetæ relinquuntur Ieſuitis: Mercurius propter linguæ volubilitatem, venus propter libidines, Mars propter ſeditiones & bella, Iupiter propter dominandi cupiditatem, Saturnus propter inquiſitionem. Nam

Eſt graue Saturni ſydus in omne caput.

Et quia ſydera illa erratica ab eclipticâ, quæ eſt via Solis, recedunt, Ieſuitæ quoque à duce ſuo Ieſu aberrant. 23. *Brocardus*: Pontifices carnifices; Prælati pilati; Epiſcopi apoſcopi; paſtores impoſtores; cleri deliri; cardinales carnales. 24. Ieſuitæ Iebuſitæ, vel Eſauitæ, vel Suitæ, vel poſteri Ieſui filij Aſſer, *Gen. ſ.*46.*v.*16. à quo familia Ieſuitarum, *Num.*26.*v.*44. vel Ieſui filij Saulis, 1.*Sam.*14.*v.*49. 25. In Hiſpaniâ ſunt valles miſeriæ, & montes ſuperbiæ. 26. Italia infernus animæ, Paradiſus corporis, purgatorium crumenæ. 27. Carolus V. admonitus aliquando in caſtris, vt leges Germanis militibus de vitandâ ebrietate ferret, reſpondit, id perinde fore, ac ſi Hiſpanis interdiceret, ne furaretur. 28. Vrbana reſponſio cuiuſdam mulieris immorigeræ, de quâ Henricus Stephanus:

Dum quædam cerebroſa diu reprehendi ur vxor,
Nec ſatis officij dicitur eſſe memor.
Quid de me queritur coniux? Quod vult, volo, dixit,
Imperium ſibi vult, id volo & ipſa mihi.

FLORILEGIVM.

VRBANITAS. SENTENT. Non in eadem intentione æqualiter retinenda mens eſt, ſed ad iocos reuocanda. *Sen. de Tranquill. vit. c.*15. Tum pueris ludere Socrates non erubeſcebat, & Cato vino laxabat animum curis publicis fatigatum. *Ibid.* Arcum intenſio frangit, animum remiſſio nulla. *Pub. Syr.* Non paucos inuenias, qui dum lætantur, inſaniunt: quibus, veluti pueris, omne ludicrum in pretio. *Sen. epiſt.*19. Vide ne ioci lætitiæ potiùs quàm laſciuiæ edentur. *Tacit.* 14. *annal.* Studeas facetiis, more non apri, ſed ouis: nec ludas in eo, quod dolet, nec de vero proferas dicteria. Aſperæ enim facetiæ, & quæ multùm ex vero traxêre, acrem ſui memoriam relinquunt. *Sen.* Ludi liberales ſunt magiſtri vrbanitatis. Talis in primis eſt ludus ſcacchiæ, qui dicitur inſidioſorum latrunculorum, quem Vida eleganti carmine deſcripſit. Putatur autem inuentus in obſidione Troianâ à Græcis militibus, ad fallendum temporis tædium. Iocus ideò inuentus eſt, vt qui laborat, habeat recreationem. *Ariſt.* 8. *polit. cap.*3. Qui ſalibus & facetiis modum quendam adhibent, ij εὐτράπελοι vocantur. *Id.* 2. *Ethic. cap.*7. Qui nec facetum dicunt ipſi, & tamen eos, qui dicunt, permoleſtè ferunt, & agreſtes & duri videntur *Ibid.* APOPH. Diogenes profeſſori, qui duos tantùm habebat auditores, dicebat, σὺν θεοῖς habes auditores, duodecim: quià in auditorio nouem Muſæ cum Apolline depictæ erant. Diogenem à lethali ſomno experrectum medicus interrogauit, quomodo ſe haberet, Rectè, inquit; nam frater fratrem amplectitur; alludens ad illud Homeri, quòd θάνατος & ὕπνος ſint germani fratres. *Laërt. lib.* 6. Idem ad mulierem aniculam curioſiùs ſe ornantem dicebat: Si viuos allicere voles, multùm falleris: ſin defunctos, oro ne diu cuncteris. *Id.* Idem Didymo, qui vulgò audiebat adulter, & oculum virginis curabat, Vide, inquiebat, ne corrumpas κόρην; quæ vox & pupillam & virginem ſonat. *Laërt. lib.*6. Philippus Macedo medico curanti fractam clauiculam, & ſingulos omninò dies aliquid poſcenti dicebat: Sume quantum voles: nam habes κλεῖδα, *clauem. Plut. in apoph.* Cicero obiurgantibus, quòd homo ſexagenarius puellam virginem duxiſſet, Cras, inquit, mulier erit. *Eraſm.* 4. *apoph.* Cubicularius quidam quærebat ex Papâ, an etiam recitaret orationem Dominicam, dicendo Pater noſter. & Remitte nobis peccata. q. d. ipſum non eſſe ſanctum illum patrem. Nero in Claudij ſtultitiam ſubinde iocabatur productione ſyllabæ, Deſiit inter viuos morari, id eſt, ſtultum agere; à Græco μωρὸς. *Sueton.* Auguſtus Cæſar ſcripſerat tragœdiam Aiacem, quam quòd ipſi diſpliceret, deleuit. Rogatus, quid ageret ipſius Aiax? reſpondit, In ſpongiam incubuit. *Macrob.* 2. *Satur. cap.*4. Ariſtippo philoſopho cùm probroſè obiiceretur, quòd haberet Laidem meretricem: Quid tum, ait, ſi modò non habeor à Laide? *Cicer.* Cùm Alcibiadi Athenienſi balneator plurimùm adminiſtraret aquæ, Lacon id videns, Quid hoc rei eſt, inquit: Plus aquæ infundit quaſi non puro, ſed vehementer ſordido. Hoc ſcommate notauit vitam Alcibiadis multâ infamiâ contaminatam. *Laërt.* Demonax rogatus, an philoſophus etiam placentis veſceretur? Quid, inquit, num putas apes ſtultis tantùm mellificare? *Eraſm.* 8. *apoph.* Stratonicus ſe vehementer admirari dicebat, Satyri ſophiſtæ matrem, quæ illum decem menſes tuliſſet, quem nulla ciuitas decem dies ferre poſſet. *Id.* 6. *apoph.* Lud. XI. Galliæ rex, audiens indoctum quendam inſtructiſſimam habere bibliothecam, dixit, eum ſimilem eſſe gibboſo, qui molem in dorſo portans eam nunquam aſpiceret. Maximilianus I. dicebat: *Lieber Gott wenn du nicht beſſer das geiſtliche vnd vveltliche Regiment dann durch den tollen vnd vollen Pfaffen* (Iulium II.) *vnd durch mich als einen armen Gemſenſteiger regiereſt, ſo vvere es mit vns verloren. Aber du vvirſt es vvol verſehen.* Bucholcerus ſolebat dicere: In aulâ requiritur fides Diabolorum. Diabolus credit & contremiſcit. Rennecherus dicebat: In aulis ſunt multa paulò pòſt futura. Leo X. cùm Augurellus ipſi miſiſſet libros de Chymiâ ipſius nomini inſcriptos, miſit ipſi ſaccum, vt illum impleret auro. SIMIL. Rhinoceros, cornu gerit in naribus: ita quorundam ſales dentati ſunt & aculeati. *Plin. lib.*8. *c.*20. Sicut ſal modicè cibis aſperſus, eos condit: ita ſi Paulum ioci admiſcueris, oratio fiet venuſtior. *Eraſm.* EXEMP. In ſympoſio Xenophontis multa perlepida occurrunt. Plautus inter Latinos poëtas comicos iocorum venuſtate excellit. Adde fabulas Æſopi, Colloquia Eraſmi, quæ ſunt perpetuus quidam lepos, vt & pleraque Luciani; Ioco-ſeria Melandri, Facetias Friſchlini, Sphingem Heidfeldij. Scaliger pater contra Cardanum multa etiam facetè ſcripſit. Et Scaliger filius multa luſit vrbaniuſculè: quale eſt illud,

Tres ſunt conuiuæ, Germanus, Flander, & Anglus,
Dic, quis edat meliùs, quis meliuſve bibat?
Non comedis Germane, bibis tu: non bibis Angle,
Sed comedis; comedis Flandre bibiſque bene.

Elegans etiam eſt illud Bezæ:

Non temerè antiquas mutat Vaſconia voces:
Queis nihil eſt aliud viuere, quàm bibere.

CAPVT XX.

De Iuſtitia particulari.

PRÆCEPTA.

SEQVITVR iuſtitia particularis, quâ ſuum cuique tribuimus in obiecto certo. *Diximus obiectum certum: quia iuſtitia vniuerſalis etiam ſuum cuique tribuit, ſed per omnes virtutis moralis ſpecies.*

Iuſtitia particularis eſt commutatiua, vel diſtributiua. Illa dicitur iuris priuati, hæc publici. Illa Græcis συναλλακτικὴ κατὰ τὸ ἴσον, hæc διανεμητικὴ κατ' ἀξίαν dicitur.

Iuſtitia commutatiua eſt, quæ ſeruat proportionem arithmeticam in iure priuato, ſeu contractu.

Eſtque contractus vel propriè, vel impropriè dicti.

Contractus propriè dictus eſt permutatio, locatio, oppigneratio, donatio, depoſitum, commodatum, mutuum: impropriè dictus eſt in hæreditate, dando & accipiendo. Hinc dicitur iuſtitia permutationis, locationis, depoſiti, mutui, &c.

Iuſtitia diſtributiua eſt, quæ ſeruat proportionem geometricam in iure publico. Ei in exceſſu opponitur crudelitas, in defectu lentitudo. *Crudelitatis tyrannicæ exemplum eſt Xerxes, qui cùm à Pythio Lydo cum ingenti ſuo exercitu eſſet tractatus, & bonus ille vir pro filio natu minimo vacationem militiæ peteret, filium diſſectum ſuſpendit, & patrem tranſire in medio coëgit, addens, iram habitare in auribus, id eſt, commoueri dictis odioſis.*

Iuſtitia diſtributiua eſt fidelitatis, vel diſciplinæ.

Iuſtitia fidelitatis ſiue fida eſt, quâ aliis probamus noſtram fidelitatem.

In genere eſt Amor proximi, quo vniti ſumus aliis conſtanter in bono propter DEVM: Huic in exceſſu opponitur amor inordinatus, quo quis proximum plus diligit quàm par eſt: in defectu charitas ſimulata & momentanea, itémque odium proximi iniquum.

In ſpecie conſiderata diuiditur duobus modis:

I. Ex bonis, quæ ſunt tribuenda. Et ita verſatur circa vitam & mortem aliorum; circa bona animi, libertatem vitæ, honorem alterius, iucunditatem, & bona fortunæ.

II. Ex perſonis, quibus aliquid eſt diſtribuendum.

Perſonæ iſtæ æſtimantur ex gradu vel cõiunctione.

Ex gradu perſonæ ſunt ſuperiores, pares, vel inferiores.

Superiores ſunt tales vel dignitate, vel meritis, & beneficiis. Ibi iuſtitia particularis dicitur Obſeruantia, hìc Gratitudo.

Personæ pares & inferiores sunt tales vel tempore seu ætate, vel statu seu dignitate, vel meritis.

Circa pares iustitia particularis versatur ipsis tribuendo, quod illis conuenit: videl. amorem.

Circa inferiores iustitia particularis versatur ipsis tribuendo, quod illis conuenit: videl. humanitatem, quâ sentiant se quidem haberi pro inferioribus, sed tamen non contemni.

Personæ æstimatæ ex coniunctione sunt vel consanguineæ, & affines: vel nullo sanguinis aut affinitatis vinculo nobis obstrictæ. His omnibus iustitia tribuit, quod singulis debetur pro vinculo necessitudinis maiori vel minori.

Iustitia disciplinæ versatur circa præmia, & dicitur remunerans; vel circa pœnas, & dicitur correctiua, retalians, itémque puniens. *Huius idea apud Ciceronem est Seruius Sulpitius, nobilis ille iustitiæ sacerdos.*

Vtraque est actiua, vel passiua. Illa docet præmia & pœnas rectè distribuere: hæc ritè accipere & ferre.

Iustitiæ particulari opponitur iniustitia particularis: eaque commutatiua, vel distributiua.

Iniustitia commutatiua in commutatione; distributiua in distributione, seruat inæqualitatem.

Ad vtranque pertinet Pleonexia, Meionexia, & Prosopolepsia.

REGVLÆ.

Iustitiæ particularis mœnia præalta.

I. *Iustitia particularis præalta habet mœnia, quæ non possunt vllis machinis expugnari: ideóque quasi circummunit conuersationem cum proximo.*

HInc dicitur innocentia, cura proprij officij, aprosopolepsia, iustitia defensiua: vindicatiua & restitutiua. Hîc obserua, non omnem læsionem esse illicitam, quia si sit fortuita, non pœnam, sed commiserationem exigit. & si sit publica iuxta leges, laudem habet & priuata, si coniuncta sit cum moderamine inculpatæ tutelæ, defensionis est affinis.

An fides hosti seruanda?

II. *Iustitia fida facit vt etiam latronibus & hæreticis seruemus fidem in iis rebus, quæ non sunt turpes.*

NEque enim hîc valet illud vsitatum: *Ein gezvvungen eid ist Gott leid.* Quia iuramentum est inuocatio DEI, quem non licet ludificari. Errant igitur Iesuitæ, quorum symbolum est: Hæreticis fides data non est seruanda. Quasi scilicet diuersitas religionis tollat vinculum humanitatis: ac nisi fides seruetur, concurrunt tria grauia peccata, videlicet mendacium, iniustitia, & periurium. Non tamen facilè danda est fides hæreticis propter scandalum aliorum, propter periculum nostrum, & propter ipsorum hæreticorum improbitatem.

Iustitiæ distributiuæ præcipua monita.

III. *Iustitiæ distributiuæ hæc sunt potissimum monita.*

1. ACtore non probante reus absoluitur. 2. Actus contra legem pro nullo habetur. 3. A sententiâ, non ab executione incipiendum. 4. Benignior sententia in dubiis præferenda. 5. Crescentibus delictis crescant pœnæ. 6. Bonis nocet, qui parcit malis. 7. Plus punitur sæpiùs peccans. 8. In pœnis potior est defectus quàm excessus. 9. Ius talionis sit Mosaicum, non Pythagoricum. Illud analogiam, hoc identitatem poscebat, etiam in vitiis. Non igitur pertinet ad iustitiam commutatiuam, sed ad distributiuam. 10. Vigilantibus iura sunt scripta. 11. Iure suo qui vtitur, nemini facit iniuriam. 12. Quæstio iuris à quæstione facti distinguenda. 13. Fauores ampliandi, odia restringẽda. 14. Iudex damnatur, cùm nocens absoluitur. 15. Crescentibus delictis crescant pœnæ, sed non excrescant. 16. Crudelem medicum intemperans æger facit. 17. Bonis nocet, qui malis parcit: quia, vt Seneca ait, vitia transmittit ad posteros, qui præsentibus culpis ignoscit: & vt idem ait: tam omnibus ignoscere crudelitas, quàm nulli. 18. Lenitas nonnihil remittit de pœna. De iusta talione rectè ait Suidas:

Si quis quæ fecit, patitur, iustissima pœna est.

Et Ouidius.

————*non est lex iustior vlla,*
Quàm necis arti ices m fraude perire suâ.

19. Promissum onerosum seu contractus, itémque iuratum cadit in debitum, nisi sit contra pietatem vel honestatem: gratuitum est liberum. 20. Absque irâ friget iustitia correctiua. Hinc symbolum Flau. Valentis:

Alienus ab irâ, alienus à iustitiâ.

Nimirum

Qui nimis est facilis dux, & placabilis ira,

Cultor iustitiæ non solet esse bonus.

Iustitiæ cõmutatiuæ præcipua monita.

IV. *Iustitiæ commutatiuæ præcipua monita sunt.*

1. COntractus debent esse iuris gentium. 2. In contractibus seruetur æquitas pretij & mercis. 3. Nummus esto suprema mensura & sponsor contractuum 4. Contractus, qui fit verbis & literis, æquiparatur ei qui fit reipsâ. 5. Vsura compensatoria, quæ compensat debitum interesse, itémque punitoria, quæ propter moram soluentis infligitur tanquam pœna, est necessaria. Lucratoria seu rodens, in primis illa quæ dicitur vsura vsurarum, est contra ius gentium.

Quot modis violetur modus iustitiæ particularis?

V. *Classes eorum, qui hîc exorbitant, sunt quatuor.*

PRincipiò *magistratus mali*, vt tyranni, siue sint absque titulo, siue exercitio: item, aduocati, & patroni causarum στρεψοδικοῦντες, qui quæstus gratiâ quibuslibet causis fuco verisimilium patrocinantur, quos Græci eleganter vocant τρίμματα δικῶν, qui pulcrum existimant τὸν ἥττονα λόγον κρείττονα ποιεῖν; quod vitium dicitur στρεψοδικοπανουργία: mali iudices, videlicet nimis rigidi, prosopoleptæ, præcipites, & doniuori, qui dicuntur callere dialectum Doricam. Deinde *contractuum corruptores*, vt sunt vsurarij, saccularij, fures, Pancarotti professores, Anabaptistæ. Pertinent etiam huc mendici validi ac plani illi, qui egentibus eleemosynas præripiunt. Huius vitij olim fuit propria actio τῆς ἀργίας γραφή. Et Impp. Gratianus, Valent. & Theod. iubent inspiciendo explorari eos, quos incerta mendicitas in publicum quæstum vocauit. *l. vna Cod. de mendic. valid. lib.* 11. Et *Plato* 8 *de republ.* ait, vbi mendici multi, ibi certũ est reperiri κλέπτας τε καὶ βαλλαντιοτόμους, καὶ ἱεροσύλους, καὶ πάντων κακῶν δημιουργούς, id est, fures, crumenisecas, sacrilegos, omniúmque scelerum architectos. Confer *Basil. in Psal.* 14. vbi iubet mendicorum habere delectum, ne ad ignauiam & malitiam sumtus suppeditentur. Tertiò *Papistæ*, qui negant fidem hæreticis esse seruandam. Quartò, *qui circa mortuos non rectè se gerunt*: vt Stoici qui non lugent mortuos: effœminati, qui in omnem lugendi formam se vertunt; barbari, qui cantu & comessationibus mortuos honorant, vel cadauera ipsorum cremant, canes sepulchrales, qui lucrum ex morte captant, & denique illi, qui mortuos flagellant, & rursus occidunt; qui non absimiles sunt leporibus, qui mortuis leonibus insultant. Pertinet huc lepida historia, quam *Iohannes Iacobus Grynæus in apophthegmatis morientium recitat.* Superiori seculo erat quidam Ottomarus, qui Luscinium se dici volebat. Et maledicis quibusdam & insulsis versibus, nobilem virum Huldrichum ab Hutten, piè hac vitâ defunctum, insectanti Philippus Melanchthon ita respondit:

Cùm laceres miseros crudeli carmine Manes;
Nomen erit vultur, non philomela tibi.

Luscinius ille multos habet fratres, qui sunt immemores veteris dicti,

Οὐχ ὁσίη κταμένοισιν ἐπ' ἀνδράσιν εὐχετάασθαι.

Nimirum solent bene multi Lysandros sepultos refodere & iugulare, quo nihil viro bono & ingenuo indignius esse potest. Hos tales rectè contuleris cum bubone, de quo poeta:

Ignauus bubo dirum mortalibus omen.

Item cum anseribus, qui obstrepunt inter olores, & feralia carmina repetunt. Nos cum Gregorio Nazianzeno nunc huic sophistæ, nunc illi Stentori dicamus: Aut desine tuis nugis obstrepere nostro silentio: aut tibi referemus vt breuissimum, ita verissimum prouerbium: Tum canent cygni, cùm tacebunt graculi.

Iustitia particularis, vt seruet æqualitatem?

VI. *Iustitia particularis seruat æqualitatem cum cæteris hominibus, & nullius corporis, famæ, vel bonis nocet, vi aut fraude.*

VEtus definitio iustitiæ hæc est: Δικαιοσύνη ἐστὶ κοινωνία θεὲς μετ' ἰσότητος. Atque hæc est iustitia vniuersalis quæ complectitur duas Decalogi tabulas. Prior docet iustitiam esse communicationem, quâ Deus sese nobis communicat: secunda tabula docet æqualitatem erga proximum. Æqualitas autem ista cernitur vel in proportione Arithmetica, vt in mutuo; vel in Geometricâ, vt alius locus tribuitur magistratibus, alius ciuibus. Atque hæc est iustitia particularis. ICti complectuntur iustitiam vniuersalem & particularem, quando dicunt: Iuris præcepta tria sunt; Neminem lædere, Suum cuique tribuere, Honestè viuere. Vtraque illa est legalis seu forensis & ciuilis, ac proinde differt à iustitiâ Euangelica, hoc modo. Iustitia vniuersalis est rectio locomotiuæ iuxta omnes honestas leges, sicut dicimus: Aristides est iustus ciuis, id est, obtemperans omnibus legibus in externâ consuetudine. Iustitia particularis est rectio locomotiuæ, vt neminem lædas, & suum cuique tribuas: vt Dauid non est seditiosus contra Saulem, neque insidiator, & ideò petit se iudicari secundùm iustitiam suam, quæ est particularis, & dicitur iustitia causæ, facti, itémque conscientiæ. Iustitia euangelica est, quâ aliquis

propter CHRISTVM eſt acceptus coram DEO: & dicitur iuſtitia perſonæ. Porrò cauſæ efficientes iuſtitiæ particularis (de hâc enim iam tractamus) ſunt notitiæ mentis: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Item: *Dilige proximum ſicut teipſum.* Item: *Expetenda eſt conſeruatio ſpeciei.* Non poteſt autem eſſe conſeruatio, ſi alij alios ſine iuſto ordine interficiant, ſi cædibus, iniuriis, turbationibus coniugiorum, & iniuſtis facultatum direptionibus omnia repleantur. Cùm mens hæc & ſimilia cogitat, voluntas his notitiis obtemperat, & iuxta eas regit motus cordis & externa membra. Præcipuus eius effectus eſt conſeruatio ſpeciei & ſocietatis humanæ, iuxta illud Ariſtotelis 2. *Polit.* Τὸ ἴσον ἀντιπεπονθὸς σώζει τὰς πόλεις. *Æqualitas conſeruat ciuitates.* Cum hâc virtute pugnat iniuria, quæ fit vel vi, vel deſertione, vel fraude, cùm alterius corpus, fama, vel bona læduntur ſine iuſtâ causâ. Sic Ariſtoteles definit. 1. *Rhet.* Τὸ ἀδικεῖν ἐστὶ τὸ βλάπτειν ἑκόντα παρὰ τὸν νόμον, *Iniuriam facere, eſt lædere volentem contra legem.* Sunt autem gradus iniuriarum. Primò eſt nequitia, quæ omnibus cupiditatibus ſine vllo metu infamiæ, & ſine vllo reſpectu iudicij conſcientiæ propriæ & aliorum rectè iudicantium frænos laxat, ſiue noceat aliis, ſiue non. Secundò eſt petulantia, quæ pro delectamento habet aliis damnum dare. Tertiò eſt caſus fortuitus. Quartò eſt culpa, cùm vel ignorantiâ, non tamen affectatâ, vel negligentiâ, vel præcipiti quodam affectu impulſi, aliis nocemus. Quintò eſt dolus malus, cùm ſcientes, volentes ἐκ προαιρέσεως, re deliberatâ & formatis, vt aiunt, ſyllogiſmis, aliorum corporibus, famæ, vel bonis nocemus. Atque hic eſt apex iniuriæ.

An iuſtæ pœnæ ſint contra naturam?

VII. *Pœnæ, quas irrogat iuſtitia diſtributiua, ſunt contra naturam particularem, non verò vniuerſalem.*

NAm pœnæ ſunt deſtructiones & cruciatus animæ vel corporis, aut famæ ac bonorum externorum læſiones, ac proinde ſunt contra naturam particularem huius vel illius indiuidui. Sed quia iuſto ordine inſtituuntur ad emendationem & compenſationem delictorum pugnantium cum legibus diuinis & ciuilibus, & pro delicti qualitate infliguntur, non ſunt contra naturam vniuerſalem: quia licèt affligant hoc vel illud indiuiduum, non tamen euertunt ſpeciem & ſocietatem humanam, ſed è contrario conſeruant. Huius generis ſunt pœnæ capitales, coërcitiones corporis, infamia, deportatio, publicatio bonorum, relegatio, pœnæ pecuniariæ, mulctæ arbitrariæ, & ſimiles, de quibus ICti. cauſæ impulſiuæ & finales, quibus magiſtratus ad puniendos ſceleratos moueri debent, ſunt octo. 1. Mandatum Dei, *Deut.* 19. Auferes malum è medio tui, *Rom.* 13. Non fruſtrà gerit gladium: nam miniſter Dei eſt. 2. Deus vult in pœnis conſpici diſcrimen honeſtorum & turpium, ſeu virtutum & vitiorum, vt agnoſcamus ipſum iuſtum & virtutis amantem eſſe. 3. Norma iuſtitiæ Dei æterna & immota eſt, iuſtos conſeruare, & iniuſtos delere. Nam Deus eſt ignis conſumens,

Vindicibus flammis ſibi qui contraria delet,
Ipſaq; iuſtitiæ regula ſola manet.

4. Hæ breues pœnæ ſunt commonefactiones de pœnis æternis. 5. Homines pœnis certis de ſuo peccato admoniti, agunt pœnitentiam, *Eſa.* 19. *Ierem.* 36. 1. *Cor.* 11. 6. Politica ſocietas hoc modo conſeruatur. 7. Spectaculis horribilium pœnarum admoniti alij ſimilia delicta fugiunt. Sic apud Gellium παιδείας dicuntur νουθεσίας καὶ παραδείγματα, *admonitiones & exempla.* 8. Malis exemplis ſceleratorum corrumperentur alij ſaniores, niſi pœnis afficerentur ij, qui merentur. Hanc in ſententiam illuſtris eſt locus apud Ciceronem. *Philip.* 8. In corpore ſi quid eſt eiuſmodi, quòd reliquo corpori noceat, vri aut ſecari patiamur, vt membrorum aliquod potiùs quàm totum corpus pereat. Sic in reip. corpore, vt totum ſaluum ſit, quidquid eſt peſtiferum, amputemus. Cum Iuſtitiâ diſtribuente pœnas pugnat 1. Crudelitas, quæ pœnis nimiùm aſperis & ſæuis quæcunque delicta plectit, vt Draco omnia delicta capitalibus puniebat ſuppliciis. Ideò Demades dixit, Draconis leges non atramento, ſed ſanguine ſcriptas eſſe. 2. Indulgentia non puniens, & augens licentiam ſcelerum. Hîc cogitandum eſt illud: *Intempeſtiua miſericordia erga lupos, eſt crudelitas erga oues.* 3. Προσωποληψία, ſeu inæqualitas, cùm eâdem de causâ alij plectuntur, alij ne appellantur quidem: quâ de re Horatius ita canit ac lamentatur:

Dat veniam coruis, vexat cenſura columbas.

Iuſtitia commutatiua vt ſeruet æqualitatem?

VIII. *Iuſtitia commutatiua ſeruat æqualitatem Arithmeticam in contractibus ſeu commutatione rerum, ac proinde omnis generis furta prohibet.*

CAuſa efficiens huius iuſtitiæ eſt mens cogitans mandatum DEI, quod præcipit, ne quis decipiat & defraudet in negotiatione fratrem ſuum, & voluntas obtemperans mandato DEI. Fines ipſius ſunt, vt ſocietas hominum, quæ ita ordinata eſt, vt alij aliorum ope indigeant, conſeruetur; vt exerceantur officia dilectionis erga alios; vt denique commonefiamus de iuſtitiâ DEI, qui æqualis eſt erga omnes æqualiter ſe habentes, nec eſt acceptor perſonarum. Nam omnis, qui credit in Filium, habet vitam æternam: & omnis, qui non credit in Filium, condemnatur. Pugnans cum hac virtute omnia furta, quibus res aliena inuito domino attrectatur, vel rapitur. Sunt autem plurima furtorum genera in omni vitâ, priuata & publica. 1. Fraus & πλεονεξία in contractibus. 2. Rapinæ prædonum & principum in bona eccleſiaſtica inuolantium, de quibus dicitur *Eſa.* 33. Væ qui ſpolias, quia ſpoliaberis. 3. Iniuſti contractus, ſiue fiant re, ſiue verbis & literis, ſiue conſenſu: vt in mutuatione, commodato, depoſito, pignore, ſtipulatione, fideiuſſione, emtione, venditione, locatione, conductione, contractu emphyteuſeos, ſocietate, mandato. 4. Expilationes iniuſtæ & immoderatæ, quales nunc ferè in omnibus regionibus vſitatæ ſunt. Quas quia plebs diutiùs tolerare non poterit, murmurationes metuendæ ſunt. Plerumque enim iuxta dictum vſitatum, *Quando duplicantur lateres, venit Moſes.* 5. Furta priuata, de quibus M. Cato dicere eſt ſolitus: *Fures priuati in neruo atq; compedibus ætatem degunt, publici in auro atq; in purpurâ.* Nunc vſitatè dicitur: *Fures tenues ſtrangulantur catenis ferreis, magni autem fures geſtant in collo catenas aureas.* 6. Iniuſtæ mercedes & ſtipendia, quæ deuorantur ab otioſis, cùm interea fideliter ſeruientes ferè fame contabeſcant. Nimirum

Decreſcunt apibus, creſcunt ſua pabula fucis.

7. Ignauia ſeruorum, de quâ Cato dixit, *Plus nocere ſeruum ignauum, quàm furem ignauum.* 8. Mendicitas non-neceſſaria, vt in robuſtis mendicis, de quibus ὀδυσσ. ϖ. dicitur:

Hic quia de pueris aſſueuit, adire laborem
Non vult, & timida populi petit oſtia voce,
Vt repleat ſuam fucati inſatiabilis aluum.

9. Omnia lucra iniuſta, quæ malè parta, malè dilabuntur, vt Heſiodus monet:

Μὴ κακὰ κερδαίνειν, κακὰ κέρδεα ἶσ' ἄτῃσι.
Ne male lucreris, mala lucra æqualia damnis.

10. Vſuræ lucratoriæ, id eſt, tales, in quibus finis eſt lucrum propter officium mutuationis ſupra ſortem exactum. Hic inſerere placet ſummatim quid Melanchthon paulò ante obitum ſuum docuerit de vſuris. In ſecundo libro Eſdræ cap. 5. populus queritur, ſe adeò onerari vſuris, vt filios & filias vēdere cogantur. Nehemias igitur non ſolùm hanc crudelitatem, ſed etiam vſuras centeſimas prohibet. Ideò promittunt ciues, ſe & vſuras reddituros eſſe, & non plus ſorte repetituros. Hæc eſt æqualitas ſumta proportione Arithmeticâ, vt in mutuo tantundem reſtituatur, quantum acceptum eſt. Dicuntur autem vſuræ centeſimæ, quæ centeſimo menſe æquant ſortem: videlicet cùm mutuò ſumtis 100. aureis datur vſuræ nomine ſingulis menſibus vnus aureus, videlicet vno anno duodecim aurei. Exemplum legitur *Digeſt. lib.* 12. *tit.* 1. §. 40. vbi hæc verba leguntur: Lecta eſt in auditorio Æmilij Papiniani præfecti prætorio ICti cautio: Lucius Titius ſcripſi, me accepiſſe à Publico Mæuio 15. proba rectè dari Kalendis futuris ſtipulatus eſt Publius Mæuius, ſpopondi ego Lucius Titius. Hanc periodum ſic explicat coryphæus politicorum Melanchthon: Publius dedit mutuò Lucio 15. ſeſtertia, id eſt, coronatos 375. & Lucius promiſit ſe ſoluturum eſſe Kalend. Octob. ſi non ſoluat poſt moram ſe daturum centeſimas vſuras, videlicet de 100. 12. Eſſent igitur vſuræ vnius anni 36. coronati & 9. Acceſſit & hoc pactum, poſſe Lucium ſoluere partes ſummæ Kalend. Octobris 300. denarios, hoc eſt 20. coronatos, & deinde Kalend. Nouemb. 30. coronatos; & ita deinceps. Sed non ſoluit Lucius. Ideò Publius de totâ ſummâ vſuras petit. Reſpondet lex, deberi tantùm de 30. coronatis, quos promiſerat ille, ſe ſoluturum eſſe. Huius mitigationis ratio eruditiſſima eſt, cùm vſuræ promiſſæ eſſent poſt moram, & nondum totam ſummam petere Publius poſſet, ſed tantùm coronatos 20. debetur tantùm vſura de illis 30. coronatis. Hîc conſideretur, quàm eruditè & æqualitas quæſita ſit, & facta mitigatio, ne vſuræ de 15. ſeſtertiis nondum debitæ poſcerentur.

Gratitudo complectitur duas virtutes.

IX. *Gratitudo complectitur veritatem & iuſtitiam.*

VEritas mente, ore, & corde ſentit ac profitetur, vnde acceperit beneficium: iuſtitia obligat ad mutuum officium. Intellige hîc gratitudinem erga parentes, præceptores, miniſtros Eccleſiæ, gubernatores reip. patriam, amicos, & bene meritos. Nam gratitudo aduerſus Deum, pertinet ad primam tabulam. Fines & effectus gratitudinis ſunt: 1. Vt agnoſcamus, Deo quoque deberi gratitudinem. 2. Vt æquali & mutuâ officiorum communicatione conſeruetur genus humanum. Nam *gratitudo*, vt Cicero ait pro Planco, *virtus eſt non ſolùm maxima, ſed etiam mater virtutum omnium reliquarum.* 3. Vt vitentur pœnæ, quibus ingrati omnes à Deo plectuntur. Non enim recedet malum de domo ingrati, *Prouerb.* 17. 4. Vt viciſſim ab aliis iuuemur. Χάρις χάριν γάρ ἐστιν ἡ τίκτουσ' ἀεί, *Gratia enim ſemper gignit gratiam*, vt habet ſenarius Sophoclis.

clis. Pugnantia sunt adulatio & ingratitudo, quæ constat ex mendacio, superbiâ, & iniustitiâ. Exemplis plena est omnium hominum vita. Nam vt Catullus ait:

Omnia sunt ingrata; nihil fecisse benignè est.

Legatur oratio Melanchthonis de ingratitudine cuculi.

An omnis prosopolepsia illicita?

X. *Non omnis prosopolepsia est illicita.*

SVnt enim triplices personarum qualitates. 1. Æquitatis, vt fides & infidelitas, sedulitas & ignauia. 2. Aggrauantes & eleuantes; de quibus versus:

Aggrauat ordo, locus, peccata, scientia, tempus,
Ætas, conditio, numerus, mora, copia, causa,
Est modus in culpâ, status altus lucta pusilla.

3. Qualitates externæ, vt opes. Prosopolepsia respiciens qualitates tertiæ classis, est vitiosa: quæ verò respicit qualitates primæ & secundæ classis, est laudabilis; & ea quidem triplex. 1. Dilectionis: vt si magis diligas parentem quàm alium. 2. Electionis: vt cùm doctum præfers indocto. 3. Donationis: vt cùm huic non das vel plus das quàm illi.

Proximus quis?

X I. *Proximus est cui nos seruire, vel qui nobis seruire potest.*

VNde & impij sunt proximi nostri: licet enim sint filij & proximi Diaboli quoad vitia, tamen iudicium charitatis & lex humanitatis iubet vt illorum personam amemus.

Proximus cur amãdus?

X I I. *Proximum amare debemus, quia est imago Dei; & quia qui proximum non amat, nec Deum amat; & quia hic amor est artifex pacis atque concordiæ, quæ est vinculum omnis societatis.*

QVoddam tamen odium proximi est iustum. Odium enim iustum, est appetitus à nobis amouendi illos, quorum incorrigibilem malitiam animaduertimus, proficiscens ex constanti amore D E I & probitatis. Imaginem Diaboli odisse, imaginem D E I amare debemus.

Amorem proximi quid pariat?

X I I I. *Amorem proximi parit cognitio proximi, quâ cognoscimus ipsius bona, quæ a Deo habet, vel mala quæ patitur.*

AMor autem proximi duplex est, Complacentiæ & Communicationis: Ille est, quo æstimamus dona proximi, non verò vitia: hic est, quo ipsi gratificamur pro virili nostrâ. Gradus in scholâ amoris legitimi hi sunt: vir bonus amat D E V M plus quàm se, proximum amat sicut se, hoc ordine: Parentes omnibus aliis hominibus, consanguineos affinibus, patriam omnibus propinquis, amicum inimico, &c. præferre oportet.

Quot sint classes eorum, qui non amãt proximũ?

X I V. *Classes illorum qui non amant proximum, sunt quinque.*

1. TImones, μισάνθρωποι; qui vitant hominum congressum, & ἐπιχαιρέκακοι qui rident quando alij flent, quíque similes sunt Timoni Atheniensi, qui cum vnico Alcibiade adolescente colebat amicitiam, quòd sciret illum aliquando multorum malorum Atheniensibus causam futurum. 2. *Fratres Saulis*, qui simulabat charitatem erga Dauidem. In hâc classe fuit *Carolus Nonus* rex Galliæ, qui anno 1572. regem Nauarræ, principem Condæum & Admiralium totúmque nobilitatis orthodoxæ florem inuitauit ad nuptias sororis, quæ reuera fuerunt Thyesteæ. 3 Ἀνθρωπάρεσκοι; quos Ethici venustè vocant Placentinos, de quibus vsurpatur illud: *Multi sunt Placentini, pauci Veronenses*. Dicuntur autem Placentini, qui in hominum gratiam quiduis faciunt, etiamsi D E O id displicere sciant: & hic potiùs furor quàm amor censeri debet. 4. *Hostes hominum professi & iurati*; qui auersantur alios, vel recordatione iniuriæ, vel ex persuasione iniuriæ, vel ex merâ animi elatione; quíque suas bestias magis diligunt quàm proximos, imitati hâc in parte Caligulam, qui equum suum Incitatum nomine ad cœnam adhibebat, & ex auro hordeum apponebat, in poculis aureis ei in vinum propinabat, salutem eius & fortunam iurabat, consulémque se eum creaturum pollicebatur, facturus si diutiùs vixisset. 5. *Mancipia aliorum*; qui vel in aliorum verba iurant, quasi illi sint constituti extra errandi periculum, quales fuerunt Pythagorei, quibus in ore erat illud fulmen: αὐτὸς ἔφα: vel confidunt brachio humano & salutem corporis sui desperãt, si videant viros magnos sibi non fauere: quò pertinent apostatæ & pusillanimes.

Amor erga mortuos in quibus versatur?

X V. *Amoris erga mortuos partes sunt quinque.*

1. LVctus moderatus. 2. Sepultura honesta. 3. Votum pro beatâ corporum resurrectione. 4. Charitas erga posteros mortuorum. 5. Honor defunctis exhibendus; qui consistit in memoriâ cum laude coniunctâ, in imitatione illorum debitâ, in executione iustæ voluntatis ipsorum, & in desiderio coniunctionis cum illis apud D E V M. Cæterùm huic amori in excessu opponitur luctus ethicus & inuocatio mortuorum: in defectu tyrannis in corpora mortuorum ipsorúmque famam.

Cur defuncti sint honorandi?

X V I. *Communis sensus dictat, partem pietatis & honestatis esse, quos in vitâ dilexerimus, post funera etiam aliquo honore prosequi.*

HInc omnes gentes, quas non barbaries corrupit & alienos ab omni humanitate effecit, extrema ad testificandum amorem defunctis exhibuerunt officia.

Defunctis moderatè amandi.

X V I I. *Moderatè vt in omnibus, ita etiam in testificatione amoris erga mortuos, nos geremus, ne admittamus aliquid muliebriter contra grauitatem hominis, vel crudeliter contra humanitatem, vel superstitiosè contra pietatem.*

Quomodo violẽtur præcepta amoris erga mortuos?

X V I I I. *Octo sunt classes illorum, qui hîc exorbitant.*

1. STOici illi, qui non lugent mortuos; quales fuerunt Cato & Xenophon qui non luxerunt filios; item Thraces, qui cantu mortuos prosecuti sunt: Causiani, qui natos luctu, mortuos lætitiâ exceperunt: & Massilienses, qui conuiuis funera ornarunt. 2. *Effœminati illi*; qui in omnem lugendi formam se vertunt: quales fuerunt Electra, fratris defuncti assidens lecto & incusans naturam tanquam magnum malum: & Pericles, qui amisso filio muliebriter fleuit, & impotenti se submisit dolori. 3. *Barbari*; qui auibus, feris, & canibus sepulchralibus cadauera obiecerunt: vt Hircani & Caspij: vel in mare abiecerunt, vt Lothophagi: vel defunctorum carnes epulati sunt ipsi hominum sepulchra effecti: vt Sabæi. 4. *Prodigi, qui nimis sumptuosè curant corpora defunctorum*: quales fuerunt Ægyptij, qui pyramides, epitaphia, & titulos splendidissimos defunctis erexerunt, aurum item, variáque ornamenta vnà cum cadaueribus sepelierunt. 5. *Superstitiosi Christiani, qui ritum & pompam funebrem putant aliquid facere ad salutem, itemq́; sepulchreta consecrata; quiq́; Deum inuocant pro salute mortuorum, & denique ipsos mortuos inuocant tanquam intercessores apud Deum.* 6. *Concionatores mellei, qui merè encomiasticas conciones funebres habent*; cùm illæ propter eos, qui superstites manserunt, haberi debeant. 7. *Canes illi sepulchrales*; qui rodunt ossa & cineres mortuorum, quíque mortuis insultant leonibus. Hi cogitent illa vulgata: *De mortuis & absentibus nil nisi bene.* Item: *Claudantur odia cum sepultis.* 8 *Harpyiæ istæ quæ inhiant bonis propinquorum, ideoq́; illorum non amplius recordatur simulac oculos clauserunt, quiq́; simulant & præ se ferunt luctum vestibus pullatis, cùm ipsorum corda rideant, iuxta illud: Fletus hæredis sub personâ risus est.*

An licitũ sit deflere obitum amicorũ?

X I X. *Deflere obitum amicorum non pugnat cum fortitudine, vel etiam cum voluntate Dei.*

NOn enim lugemus vt Ethnici, qui non habent spem resurrectionis, quíque Deum accusant: sed vt Christiani, qui quoties vident amicos ereptos morte, admonentur de peccati magnitudine, & expendunt damnum, quod ex morte amicorum ad ipsos pertingit; quæ meditatio incutit iustum dolorem. Itaque execremur ἀπάθειαν Stoicorum, & δυσπάθειαν Ethnicorum, sectemúrque εὐπάθειαν Christianorum hâc in parte. Quamdiu verò sit lugendum propter obitum necessariorum, honestas & patrius mos dictabunt regulam. Romani ad decem menses continuabant luctum, hodie nouimestre vel annuum spatium summo luctui finem imponit.

An sepultura conducat ad felicitatẽ vel infelicitatem æternam?

X X. *Sepultura nihil facit ad felicitatem vel infelicitatem æternam.*

CVm enim sepultura sit res externa, nihil confert ad æternitatem. Itaque si malorum iniquitate bonis negetur sepultura, vt illis hæc res non nocet, sic improbis etiam speciosa sepultura nihil prodest. Interim honesta sepultura facit ad beatitatem vel infelicitatem politicam. Hinc Scriptura inhonestam sepulturam vocat sepulturam asini, *Ier.* 22. *v.* 19. Nec locus consecratus aliquid confert defuncto: omnis enim locus Deo sacer est. Hîc quæritur, An cadauera facinorosorum sint relinquenda in instrumento iustitiæ? Resp. Multis in locis relinquuntur, vt sint veluti specula & postillæ prætereuntium. Et hoc sæpenumero est accessorium: quia multi latrones & homines perditi hoc modo continentur in officio.

Gratitudo qualis virtus?

X X I. *Gratitudo est virtus acceptum beneficium agnoscens, eiúsque memoriam conseruans.*

HInc illud: Immortales Gratiarum horti, id est, beneficij collati memoria debet esse immortalis. Hæc virtus debetur

betur certis, non quibusvis, in primis autem patriæ parentibus, præceptoribus, & magistratibus, de quibus dici solet:

Arbor honoretur, cuius nos vmbra tuetur.

Et hæc gratitudo erga superiores dicitur obseruantia, quæ cernitur in, affectu, & effectu; & effectus in verbis, gestibus, monumentis, & obsequiis.

Gratitudinis partes quot?

XXII. *Memoria beneficij ostenditur signis, tum voluntatis seu animi, tum facti.*

HInc dicitur alia gratitudo animi, alia facti: Illa est, quâ erga benefices animum gerimus gratum: Hæc declaratur beneficij accepti agnitione, contestatione, celebratione. Quo in genere vota & preces pro incolumitate benefactorum non infimum tenent locum. Hâc de re sic ait Seneca: Qui gratè beneficium accipit, primam eius pensionem soluit. Et: Reddit beneficium, qui libenter debet. Gratitudo facti est, cùm beneficia compensantur donis vel officiis. De hâc accipe illud Ciceronis: Vinci beneficiis, inhumanum est. Et sanè nullum officium magis referendâ gratiâ necessarium est. Soli verò sapienti hanc gratitudinem vendicat Seneca his verbis. Sapiens omnia examinabit secum, quantum accipit, à quo, quando, vbi, quemadmodum. Itaque negamus quenquam scire gratiam referre, nisi sapientem.

Gratitudo basis communicationis.

XXIII. *Vera gratitudo est perpetuæ communicationis fundamentum.*

NIsi enim essent mutuæ vices, non posset esse perpetua communicatio. Debet autem esse gratitudo vera qualem veteres depinxerunt, cùm tres Gratias seu χάριτας pinxerunt, hunc in modum: Prima Gratia est Euphrosyne, id est, lætitia; quæ monet vt hilari promptóque animo gratitudinem testemur. Secunda Thalia, id est viror; quæ monet beneficium semper in animo viuere, & veluti viuere debere. Aliis hæc Gratia dicitur Aglaia, id est, pulchritudo, monétque nihil pulchrius esse gratitudine. Tertia est Pitho, id est, suauiloquentia; quæ docet celebrare beneficium. Pinguntur autem hæ gratiæ nudæ citra simulationem, venustæ virgines, neminem non ad sui amorem allicientes, promptæ & celeres ad obsequium, & denique mutuo amore ac benignâ liberalitate coniunctissimæ.

Gratitudinis opposita?

XXIV. *Gratitudini opponitur in excessu assentatio, seu blandities, etiam pro maledictis agens gratias: item gratificatio pro beneficiis illicita: in defectu ingratitudo, quâ quis vel obliuiscitur beneficia, vel dissimulat, vel non reddit, cùm debet & potest.*

HOc vitium dicitur metropolis vitiorum, ita vt rectè dixerit ille: *Omnia crimina obiecerit, si ingratum dixeris.* Vitij huius vestigium cernere est in cuculo, cuius ingratitudo prouerbio locum dedit: *Ingratus cuculus.* Hæc enim auis non in proprio parit nido, sed in nido corrucæ, quæ ex ouo cuculi pullum excludit, qui postea, vbi adoleuit, matri non parcit, sed illam deuorat: vnde poëta,

Ingrato cuculus matrem vah deuorat ore:
Ore suo turpis, pulchra colore at auis.
Hei mihi quàm scelus hoc imitantur sæpè volucris
Pectora, quæ cigno candidiora putes.

Ingratitudinis huius notâ insignis est Iustinianus Imperator, qui Bellisario duci suo meritissimo oculos effodit: ita vt ille stipem mendicare necesse habuerit, his verbis: *Date aliquid Bellisario, quem virtus euexit, inuidia detrusit.*

FLORILEGIVM.

IVSTITIA DISTRIBVTIVA. SENTENT. Iudicium debet esse æquum. *Leuit.* 19. 35. *Deut.* 25.1. *Amos* 1. 15. *Matth.* 6.8 Non oportet accipere personam. *Deut.* 16. *Prouerb.* 18. & 28. Ignorantia iudicis est calamitas innocentis. *August. lib.* 16. *de ciuit. Dei.* Iudicare dignè de subditis nequeunt, qui in subditorum causis, vel odium, vel gratiam sequuntur. *Gregor.* 19. *moral.* Grauiùs lacerantur pauperes ab iniquis iudicibus, quàm à cruentissimis hostibus. *Isid. de summo bono lib.* 3.

Senec. Med.

Qui statuit aliquid parte inauditâ alterâ,
Æquum licet statuerit, haud æquus est.

Hesiodus author, Iouem Saturnium hanc legem constituisse piscibus, auibus, & reliquis bestiis, vt se inuicem deuorent absque iustitiâ, hominibus autem dedisse iustitiam.

Hor. 4. Carmin.

Vindex auaræ fraudis, & abstinens
Ducentis ad se cuncta pecuniæ,
Consulque non vnius anni,
Sed quoties bonus atque fidus
Iudex honestum prætulit vtili, &
Reiecit alto dona nocentium
Vultu, & per obstantes cateruas
Explicuit sua victor arma.

Semper iniquus est iudex, qui aut inuidet, aut fauet, debétque in iudicio imbecillis esse inuidia. *Cicer. pro Planc.* Abducuntur nonnunquam iudices ab institutis suis magnitudine pecuniæ. *Id.* 6. *in Verr.* Cùm iudici dicenda est sententia, meminerit se DEVM habere testem, id est, mentem suam, quâ nihil homini dedit ipse DEVS diuinius. *Id.* 3. *offic.* Iudex non debet dare, neque accipere. *Ælius Spartian. in Pescen.* De vitâ & spiritu hominis, qui est pars mundi, & animantium numerum complet, laturum sententiam, diu multúmque cunctari oportet, nec præcipiti studio, vbi irreuocabile factum est, agitari. *Am. Marcell. lib.* 29. Ad pœnitendum properat, qui citò iudicat. In iudicando criminosa est celeritas. *Seneca in prou.* Difficile est iudicem non flecti muneribus. Nam

Difficile est tribulos & spinas intereuntem
Illæsos retinere pedes illæsáque crura.

APOPHTHEG. Pythagoras, Qui de malis, inquit, pœnas non sumunt, bonos affici volunt iniuriis. *Stobæus serm. de magistrat.* Democritus, Optimus, inquit, iudex esse iudicatur, qui citò intelligit, & lentè iudicat. *Anton. de incorrupt. iudicib.* Themistocles oratus à Simonide poëtâ, vt amicum non adeò bonam causam habentem iuuaret, respondit: Nec Simonidem bonum poëtam fore, nisi mensuram in canendis carminibus seruaret, neque se bonum prætorem, si legibus ac iustitiæ, alicuius gratiam præposuerit. *Plutarch. in apoph.* Duo pariter scelerosi sese inuicem accusabant. Philippus Macedo auditâ causâ pronuntiauit, vt alter ex Macedoniâ exularet, alter illum insequeretur. *Plut.* Alexander orante accusatore alteram autem solebat manu occludere. *Anton. in Meli. â tari* 1. *serm.* 53. Symbolum Ferdinandi Imperatoris: Fiat iustitia & pereat mundus ADAG. Iudicium Rhadamantéum: Mineruæ suffragium: Atticus testis. Solebant enim Areopagitæ in tenebris iudicare, ne quis agnosceretur SIMILIT. Rectus iudex debet esse similis sagittario, qui cogitat illud, Oculum in scopum: debet esse gubernator, qui rectum cursum in mediis tenet procellis: debet imitari solem, qui omnibus est idem: debet adhibere bilancem, & causas ponderare EXEMPL. Moses, Othoniel, Samuel, Salomon; Areopagitæ; reges Persarum; Aristides, cognomento Iustus; sacerdotes Ægyptiorum, Socrates; Seleucus, cùm legem tulisset de adultero excæcando, eiúsque filius in adulterio deprehensus esset, se vno, filium altero priuauit oculo. Epaminondas Thebanorum dux, filium coronâ donatum securi feriri iussit, quòd contra mandatum paternum cum hoste confixisset, cúmque vicisset. Traianus tribuno militum renunciato tradidit gladium, Cape, inquiens, ferrum hoc, & siquidem rectè imperium gessero, pro me: sin, contra me vtere. HIEROGLYPH. 1. *Lyra*, quæ concordi sono temperat voces, notat hominem compositis affectibus. 3. *Statua iudicium apud Thebanos*; quæ erant absque manibus. Imago iustitiæ est in leone & delphino, quibus animalibus hoc est in more positum, vt inter se patiantur prædam, & maiorem relinquant ei, qui capturæ præfuit. *Ælian.* 2. *hist. anim. cap.* 8.

ACCEPTIO PERSONARVM. SENTENT. Hæc prohibetur *Exod.* 23. *Leuit.* 19. *Numer.* 35. *Deut.* 10. 16. 27. *Iob* 15. 36. *Prou.* 14. 15. 17. 19. 24. Quis est, qui non iudicat personaliter? Qui diligit æqualiter. *August. tract.* 30. *in Iohan.* Absit, Domine, vt tabernaculo tuo præ pauperibus accipiantur personæ diuitum, aut præ ignobilibus nobiles, quando potiùs infirma mundi elegisti, vt confunderes fortia *Id.* Inter omnia peccata sacerdotum est maximum, quòd non causas, sed personas considerant. *Ambros. super Malach.* In iudicio gratia absit, causæ merita discernantur. *Id.* 2. *de offic.*

Ouid.

Curia pauperibus clausa est: dat census honores,
Census amicitias: pauper vbique iacet.

Non decet errorem eundem huic sine fraude, illi exitio haberi. *Tacit. annal.* 6. Hesiodus ἔργων α. introducit patrem quiritantem de pressurâ iustitiæ;

Ego nec ipse nunc inter homines iustus
Esse velim, neque meus filius: quando malum est,
Iustum esse: siquidem plus iuris habebit iniustior.

APOPHTH. Anacharsis dicebat, leges esse similes telis aranearum, in quibus infirmiora animalia hærerent, valentiora perrumperent. Si musca aut culex inciderit, retinetur: si verò vespa, aut apes, diruptâ telâ auolant. Ita leges constringunt humiles ac tenues, à potentibus impunè violantur. ADAG. Domesticus testis: Corrupta iudicia: *Kleine dieb hengt man ins feld, die grossen ins gelt*: Sacrilegia minuta puniuntur, magna in triumphis feruntur: *Sen. epist.* 88. *Die armen in die asch, die reichen in die tasch.* SIMILIT. Iudex corruptus expugnatur aureis & argenteis hastis; Estque similis cæco ebrio. EXEMPL. Eli, Achab, Pilatus, Alexander Seuerus suffocauit Thurinum Verconium, qui omnibus fumum, quod aiunt, vendiderat, additâ voce præconis: *Fumo pereat*,

pereat, qui fumum vendit. Demosthenes anginâ laborans dictus est laborare argentanginâ.

IVSTITIA & INIVSTITIA COMMVTATIVA. SENTENT. Emtum cùm malè est, semper pœnitet. *Cicer. act. 6. in Ver.* Lucrum turpe accusatio naturæ est. *Plut.* Iudico lucrum esse pulcherrimum, quod cum nullâ iacturâ præbentis ditiorem efficit accipientem. *Heliodor. l. 5.*

In Carmin. Græc.

Κέρδος πονηρὸν ζημίαν ἀεὶ φέρει,
Lucrum malum semper solet damnum dare.

Plaut. Capt.

Non ego omnino lucrum omne esse vtile homini existimo.
Scio ego, multos iam lucrum luculentos homines reddidit.
Est etiam vbi profectò damnum præstat facere, quàm lucrum.

Vsura inter Hebræos fuit prohibita, *Exod. 22. Deut. 23. Nehem. 5.* Si quis vsuram accipit, rapinam facit. *Ambros. de bono mortis.* Nihil vsuris turpius, nihil crudelius. Alienas negotiatur miserias, & lucrum suum alterius aduersitatem facit. Talis est, quasi manum suscipiens, & in naufragium impellens. *Chrys.*

Lucan. 1.

Hinc vsura vorax, auidumq; in tempore fœnus,
Et concussa fides, & multis vtile bellum.

Auson. ædil. 15.

Quod vitæ sectabor iter, si turpia lucra
Fœnoris, & velox inopes vsura trucidat?

Iacob. Bill. anthol. sacr.

Quòd tepeant hyemes, æstiuaq; tempora rursum
Algida sint, fruges terra negetq; suas:
Desine mirari, stulas asq; explode querelas.
Hoc etenim iusti postulat ira Dei.
Nam quia iam nobis sunt ferrea pectora, reddit
Cœlum etiam nobis durius ære Deus.
Et quia iam nummos gignunt per fœnora nummi,
Ante ferax tellus desinit esse ferax.

APOPH. Thales nolebat homines per iniuriam ditescere, quòd lucrum fraude partum damnum sit, non lucrum. *Laërt. lib. 1. c. 1* Chilon dicebat; damnum turpi lucro semper præferendum esse: illud enim semel dolere, hoc autem additâ industriâ sarciri potest. Et lucrum ex scelere, non lucrum est, sed damnum. *Laërt. lib. 1. c. 4.* Thales assiduè in ore habuit, Noli ditari nequiter. *Laërt. lib. 1. c. 1.* Anacharsis dicebat, forum esse locum mutuis hominum fraudibus & rapinis destinatum. *Laërt. lib. 1. c. 9.* Antiphanes dicebat, vsuram quæstúmque illicitum habere breues delicias, longam autem calamitatem. *Stob.* Cùm quidam ex Catone quæreret, quid esset fœnerari, respondit, Hominem occidere. *Cic. 2. offic.* ADAG. Est Pylus ante Pylum: Vsura nautica: Fœnus funus. SIMILITVD. Alphonsus vsurarios conferebat harpyiis, quas Virgilius dicit ex raptu viuere; Chrysostomus pecuniam vsurarij comparat morsui aspidis, cuius venenum latenter membra percurrit. Idem vsuram confert cum fermento modico: Plutarchus cum scintillâ quæ paulatim totam syluam incendit. Idem *in moralibus* ait: Lepus simul parit, & aliud alit, & rursum superfœtat: ita fœnerator æs alienum priusquam conceperit, parit. Erasmus fœneratores confert cum vulturibus; & sanè homines possunt de fœneratore dicere, quod aues de accipitre conqueruntur,

Odimus accipitrem, quia semper viuit in armis.

EXEMP. Tempore Neronis ex annonæ caritate per monopolia fauore Cæsaris concessa quidam aulici ditescebant. *Suet.* Hodie Iudæi sunt professores modi acquirendi per vsuram mordentem, quæ ab illis dicitur Iudaica. Apud Spartanos, Ægyptios & veteres Germanos furta erant licita, & laudi dabatur, si quis astutè & clàm aliquid surripere poterat; propterea quòd hâc ratione ingenium acui & solertiâ imbui credebant. Qui verò deprehendebatur, multis verberibus mulctabatur. HIEROGLYPH. Pastor deglubens pecus, est symbolum eorum, qui publico damno lucrantur diuitias. Imago iniustitiæ est mulier, quam comitantur calumnia, iactantia, simulatio, calliditas, dolus, fraus, malignitas.

GRATITVDO. SENTENT. Iugiter sibi conuenire facit, cui collatum beneficium ante oculos semper assistit. *Cass. in Psal.* In referendâ gratiâ, si modò Hesiodo credimus, debemus imitari agros fertiles, qui plus multò adferunt, quàm acceperunt. *Cic. 1. offic.* Sapiens omnia examinabit secum, quantum acceperit, à quo, quando, vbi, quemadmodum. Itaque negamus, quenquam scire gratiam referre, nisi sapientem. *Sen. epist. 18.* Beneficiorum memoria senescere non debet. *Id. de beneficen.* Acceptum beneficium æternæ memoriæ infigendum erit. *Ibid.* APOPH. Chilon dicebat, Beneficij dati obliuisci oportet, accepti meminisse: vulgus hominum contrà facit. *Laërt. lib. 1. c. 4.* Simonides dicebat, se domi habere duas arcas, alteram gratiarum, alteram nummorum, & priorem illam fermè inanem esse. Ex posteriori promebat, vnde alios iuuaret, quam exhaustam subinde replebat: in alteram reponebat, si qui fortè grati essent. At hæc semper manfit vacua. *Stob. serm. de iniust.* ADAG. Immortales gratiarum horti: Nemo vnquam benefactori bouem immolauit, præter Pariam: Nemo scribit beneficia in Kalendarium: Ἀντιπελαργεῖν. SIMILITVD. Gratitudo est illex amoris, dum facit vt gratia sit aliis bonitas naturæ agnoscentis beneficium collatum. Eadem est mater virtutum, & perpetuæ communitionis fundamentum. EXEMPL. Rex Sodomorum, *Gen. 14.* Pharao, *Gen. 41.* Dauid, *1. Sam. 22.* Esther, *Esth. 7.* Ægyptij adeò fuerunt studiosi huius virtutis, vt brutis etiam animalibus gratitudinem pro beneficiis acceptis ostenderint. Artaxerxes Mnemon grato animo accepit aquam à rusticolambabus manibus oblatam, & ei mille Daricos & aureum cantharum donauit. Alexander M. prædicare solebat, à nemine se vnquam benignitate fuisse superatum. Idem cùm Hierosolymis ex Iaddo Pontifice audiret, fore vt iuxta vaticinium Danielis rex Græciæ Persiam occuparet, amplissimis Iudæos muneribus affecit, & permisit vt suis vterentur legibus. HIEROGLYPH. 1. *Canis*; qui non obliuiscitur eorum, qui de ipso benemerentur. 2. *Cucupha auis*; quæ parentes senio confectos eodem in loco, vbi fuit enutrita, nutrit, pennásque inutiles vellicat.

EMBLEMA.

Aërio insignis pietate ciconia nido,
Implumes pullos, pignora grata, fouet.
Taliaq; expectat sibi munera mutua reddi,
Auxilio hoc quoties mater egebit anus.
Nec pia spem soboles fallit, sed fessa parentum
Corpora fert humeris, præstat & ore cibos.

Item:

Tres Charites Veneri assistunt, dominamq; sequuntur:
Hincque voluptates, atque alimenta parant.
Lætitiam Euphrosyne, speciosum Aglaia nitorem,
Suadela est Pithus, blandus & ore lepos.
Cur nudæ? Mentis quoniam candore venustas
Constat, & eximia simplicitate placet.
An quia nil referunt ingrati, atq; arcula inanis
Est Charitum? qui dat munera, nudus eget.
Addita cur nuper pedibus talaria? Bis dat
Qui citò dat, minimi gratia tarda preti.
Implicitis vlnis cur vertitur altera? Gratus
Venerat: huic remanent vnâ abeunte duæ.
Iuppiter iis genitor, cœli de semine diuas.
Omnibus acceptas edidit Eurynome.

Huius loci est emblema de seruo, qui leoni spinam ex pede extraxit. Leo capitur, & asseruatur in foueâ leonum. Seruus delinquens obiicitur leonibus. Sed leo memor beneficij tuetur ipsum aduersus morsum reliquorum. APOLOGVS. Formica inciderat in fontem: quod columba cernens, ramum defractum abiecit in fontem, cui adhærescens formica, mortem euasit. Paulò pòst adfuit auceps, qui arundinibus dispositis insidiari cœpit columbæ: cui metuens formica, ad aucupem inter opus arrepsit, & illum ita vehementer pupugit, vt arundines præ dolore abiiceret: atque hoc strepitu columba territa auolauit.

INGRATITVDO. SENTENT. Sex differentiæ sunt: reddere bona pro malis, non reddere mala pro malis; hæc bonorum sunt, & prius melius. Non reddere bona pro bonis, & reddere mala pro bonis; hæc duo malorum sunt, sed posterius deterius. Reddere bona pro bonis, & pro malis mala; hæc mediocrium sunt. *Aug. in Psal. 108.* Improbus est homo, qui beneficium scit sumere, & reddere nescit. Nihil amas, si ingratum amas. *Plaut. Persa.* Petrus Crinitus l. 2. poëm.

Ingratus est vitandus vt durum scelus:
Nil cogitari pestilentius potest,
Nec esse portentosius quicquam puto.
Ingratus aut malè facit, aut malè cogitat,
Sibiq; tantùm parcit, aliis detrahit.
Et odit omneis, qui bonis benefaciunt.
Ingratus est audacior quò nequior,
Et impudens ad omnia scelera trahitur,
Audaxq; cuncta semper in peius mouet.
Ingratus est seminarium scelerum omnium,
Hinc est auara mens, & animus perditus:
Hinc fastus impotens, & ambitus grauis:
Ingratus hoc vnum bene facit, cùm perit.
Nam tellus ipsa fœdius nihil creat.
Portentum id omnium est habendum maximum.

Ingratus est, qui negat beneficium accepisse: ingratus, qui dissimulat: ingratus, qui non reddit: ingratissimus omnium, qui oblitus est. *Sen.* Ferè maxima pars morem hunc homines habent, quod sibi volunt, dum id impetrant, boni sunt: sed vbi iam penes sese habent, ex bonis pessimi & fraudulentissimi sunt. *Plaut. Capt.* APOPHTH. Aristoteles rogatus, Τί ταχὺ γηράσκει; χάρις ἔφη: *quid citò senescit? Gratia, inquit.* Tribuitur etiam hoc dictum Diogeni. Antisthenes audiens Platonem de ipso malè loqui, Regum est, inquit, cùm bene feceris, malè audire. *Laërt. lib. 6. cap. 1.* Plato Aristotelem solebat appellare mulum, qui saturatus lacte materno calcibus petit

petit matrem. *Ælian.lib.4. var.hist.* Ariſtoteles, rogatus, Cur reliquiſſet Athenas: Nolui, ait, committere, vt Athenienſes bis in philoſophiam peccarent, notans ipſorum ingratitudinem. ADAG. Ingratitudo vulgi: Ingratus cuculus: Ale luporum catulos: Arietis miniſterium: Hirundines ſub eodem tecto ne habeas. SIMILITVD. Ingratitudo eſt metropolis omnium ſcelerum: vnde ille, Ingratum, inquit, dixeris, omnia ſcelera obieceris. Ingratus eſt velut hedera, quæ cùm ope ramorum erigatur, illos enecat: & veluti homo, qui afflictus tempeſtate accurrit ad platanum, vt ſe defendat aduerſus pluuiam, ſed vbi rediit ſerenitas, ramos ipſius vellit; quod ſibi accidiſſe querebatur Themiſtocles. EXEMPL. Laban; Pharao ille nouus, *Exod.* 2. Ammonitæ & Moabitæ, *Deut.* 23. Saul, 1. *Sam.*10 Iudas proditor; nouem leproſi, *Luc.*17. Athenienſes ingrati fuerunt aduerſus Socratem, cui pro Atticâ iuuentute ſanctè inſtitutâ venenum rependerunt. Nero fuit ingratus erga matrem Agrippinam & præceptorem Senecam. Iuſtinianus Imper. Beliſarium, ducem fortiſſimum exoculauit. Ludouicus Pius Caroli M. filius à filiis in carcerem coniectus eſt. Archilochus iambographus fuit maledicentiſſimus. Is repræſentat quemlibet vel ſcripto, vel verbo petulantem, cætera inutilem. Philippus Macedo miſerat ſpeculatum loca quædam fortem militem. Is rediens naufragium fecit. Cúmque ruſticus in litore eum excuſſum ex naui inter fluctus iactari videret, ſtatim deſcendit in cymbam, & excepit ſemianimem, ac in ſuam villam in litore ſitam tranſtulit. Ibi triduo eum recreat, & viatico inſtruit. Promittit miles, ſe regi beneficium tantum eſſe prædicaturum. Sed cùm ad regem veniſſet, narrat explorata de loco, commemorat etiam ſuum periculum; beneficium verò ruſtici occultat, & villam petit tanquam monumentum periculi. Rex donat, & mittit quæſtorem, qui ei poſſeſſionem tradat. Quæſtor auditâ integrâ ruſtici narratione, & iuſtâ querelâ de ingratitudine militis, iubet vtrumque ſecum ad regem proficiſci. Rex cognitâ ingratitudine militis, iratus ſceleri ipſius, dimittit eum cum ignominiâ, & iubet fronti ſtigmata inuri, videl. has literas: *Hoſpes ingratus.* Phocas fuit ingratus erga Mauritium Imper. quem vnà cum vxore & liberis ſuſtulit. HIEROGL. Cuculus eſt hieroglyphica ingratitudinis nota. EMBLEMA. Pictura hominis ſemper accipientis, & nunquam dantis, adeóque ſemper clamantis Da da. Picturæ iſti adſcribi poteſt verſus Catulli:

Vita quid eſt aliud, niſi Da, *verùm* Accipe nuſquam.

CAPVT XXI.

De Officioſitate.

PRÆCEPTA.

OFFICIOSITAS eſt, quâ aliorum commodis libenter & beneuolè ſeruimus, prudenti oblatione, & iucundâ præſtatione noſtrorum officiorum. *Dicitur* etiam ſtudium gratificandi.

Exceſſus eius eſt nimia officioſitas: defectus, inofficioſitas.

REGVLÆ.

Officioſitas triplex.

I. *Officioſitas eſt triplex; ſpontanea, efflagitata, compenſans.*

O*fficioſitas ſpontanea* eſt, cùm quis alicui gratificatur, non rogatus: vbi cauendum, ne officia noſtra offeramus intempeſtivè: nam officia ſponte oblata non merentur laudem niſi certis circunſtantiis obſeruatis, ſi nempe officia offeramus iis qui in ſummo verſantur diſcrimine: amicis item familiariter notis & nimis verecundis: non autem iis qui ipsâ felicitate feliciores ſe putant: nec iis qui longo interuallo nobis ſunt ſuperiores. *Efflagitata* eſt, cùm quis rogatus officium præſtat, idque hilariter & citò. *Compenſans* eſt, cùm quis tardè quidem præſtat officium, ſed moram iſtam magnitudine officij compenſat.

Quidnam licretur, qui aliis gratificatur?

II. *Qui aliis ſuâ operâ indulgentibus, vel eam implorantibus gratificatur, poteſt ab illis vel eadem vel maiora expectare, ſi boni ſint: ſi verò mali & ingrati cuculi, ignitos carbones theſaurizabit in capita ipſorum, vt eſt* Rom. 12. *hoc eſt, hoſtium ſuorum beneficiis ſuperatorum conſcientiam incendet, vt eos ſua malitia tandem pudeat.*

Ecquis verè gratificetur aliis?

III. *Ille reuera gratificatur aliis, qui re iuuat vbi re opus eſt, & verbis vbi verbis opus eſt: non autem qui inuertit hanc regulam & verbis iuuare vult, vbi re opus eſt, & re vbi verbis opus eſt.*

Quot modis officioſitatis lineas tranſiliamus?

IV. *Claſſes illorum qui hîc præuaricantur, ſunt tres.*

1. I*Ntempeſtivè & inconſideratè officioſi*; qui officia præſtant ei, cui non debent, aut qualia non debent, aut non in loco & tempore. Hoc vitio laborauit Imperator Honorius, qui libellis ſupplicibus non priùs lectis ſubſcripſit: quod vitium corrigere cupiens ſoror Placida curat literas confici, in quibus ſeruo cuidam viliſſimo deſpondebatur. Has cum cæteris multis curat manu Imperatoris ſubſcribi; poſtea venit ad Imperatorem, & abiicit ſe ad ipſius pedes, & queſta eſt de ipſius erga ſe crudelitate; cúmque Imperator affirmaret falſas eſſe querelas, protulit literas ipſius manu ſubſcriptas. 2. *Inofficioſi*; qui debita, neceſſaria, & honeſta officia aliis recuſant: quod vitium aulicis nimis quàm familiare eſt, itémque ciniflonibus Pontificis Romani verſantibus in camera Apoſtolicâ. 3. *Inhoneſtè officioſi*; qui ad officia illicita prompti ſunt: quò pertinent lenones & lenæ.

In præſtãdis officiis delectus habendus.

V. *In præſtandis officiis delectus omnino eſt habendus.*

NOti ignotis, amici inimicis, boni malis, pauperes diuitibus, bene meriti malè meritis, digni indignis & grati ingratis præferendi ſunt: nam malis quâtenus malè ſunt, non debemus præſtare officia, hoc eſt, quatenus noſtra facilitate abutuntur, & in peccatis confirmantur, ne nobis obiiciatur illud Senecæ: Bis peccas, cùm peccati obſequium accommodas.

Officioſitatis mater humanitas.

VI. *Officioſitatis mater eſt Humanitas ſeu Beneuolentia.*

BEneuolentia eſt virtus, per quam animus inclinatur ad fauendum proximo: & in Exceſſu opponitur beneuolentia demens; in defectu, maleuolentia, inuidia, ſimulatus fauor, ἐπιχαιρεκακία. Hæc eſt bonitas naturæ, amans omnes, præſertim bonos, nemini nocens, omnibus benefacere & prodeſſe cupiens. Hanc in primis formant & fouent bonæ literæ, quæ ob id Humanitatis nomenclaturâ inſigniuntur. Vnde Menander:

Ὡς ἡδὺ σοφίᾳ χρηστότης κεκραμένη.
Quàm dulcis eſt ſapientia bonitate mixta! vel
Quàm dulce fœdus eſt Muſis cum Gratiis!

Exempla humanitatis illuſtria ſunt in Cyro apud Xenophontem, in Alexandro M quem ſcribit Plutarchus, δικαιότατον καὶ ἥδιστον βασιλέων συνεῖναι χάριτος οὐδεμιᾶς ἀμοιροῦντα, *iuſtiſſimum & ſuauiſſimum omnium regnum, in familiari conſuetudine, & omnibus Gratiis ornatum fuiſſe.* Auguſtus quoque & Titius fuerunt humanitatis egregia ſpecula, vnde hic appellatus eſt deliciæ generis humani. Ac inter omnes eruditos, quo quiſque eſt doctior, eò etiam eſt humilior & humanior. Sic Melanchthon erga omnes fuit humaniſſimus, vt de eo refert Chytræus. At homines ſemidocti, vt molliſſimè dicam, toruitate & inhumanitate authoritatem & doctrinæ exiſtimationem conantur ſibi conciliare. Inſignia inhumanitatis exempla ſunt Timon μισάνθρωπος, Nicias δυσπρόσοδος καὶ δυσέντευκτος, & Demetrius rex δυσόμιλος καὶ δυσπρόσοδος. Et in communi vitâ exempla eorum, quibuſcum viuimus, obuia ſunt.

Beneuolentiam quid in primis commendet?

VII. *Beneuolentiam præter alia nobis commendat hoc, quòd Diabolus maximo contra hanc virtutem odio flagrat, cuius proprium eſt inuidere.*

Beneuolus quis?

VIII. *Beneuolus eſt, qui ſic fauet bonis, vt ipſi grata ſit atque accepta illorum proſperitas, quam illi experiuntur in boni alicuius vel continua fruitione, vel incrementis, aut in noui alicuius acceſſione, ita vt propterea ſincerè & ex animo gaudeat illorum causâ, atque illis gratuletur & beneprecetur.*

Odium Vatinianum an ſit vitium.

IX. *Odium Vatinianum non eſt vitium.*

EST enim odium iuſtum, quo Vatinios, id eſt, profligatiſſimæ vitæ homines proſequimur. Nomenclatura eſt à Vatinio, in quem acerrimè M. Tullius inuectus eſt. Hic in tantum odium populi Romani peruenerat, iam detectis illius flagitiis, vt in prouerbium ceſſerit *Odium Vatinianum.*

Piorum gaudium ob impiorum ſupplicium non eſt vitium.

X. *Piorum gaudium ob pœnas impiorum non eſt ἐπιχαιρεκακία.*

NAm pij non gaudent ideo, quòd malis tanquam hominibus malè ſit, ſed quòd illis tanquam hoſtibus Dei malè ſit, ne piis malè ſit propter illos. Confer Pſalmum 52. & 58.

XI. Non

Nú omnis inuidia mala?

XI. *Non omnis inuidia est vituperabilis.*

INuidia capitur actiuè, vel passiuè. Passiuè, cùm intelligitur de eo, cui inuidetur; ac tum non est vitium. De hac accipienda sunt illa dicta; *Spero inuidiam: Inuidia melior est miseratione: Inuidia est comes felicitatis.* Item, *Ego Achilles esse malim inuidiæ obnoxius, quàm Thersites ab illâ immunis.* Actiuè capitur, cùm de eo intelligitur, qui inuidet. Et sic est laudabilis, vel vituperabilis. Laudabilis, quæ & sancta dicitur, est, cùm quis tristatur se non exerceri & coërceri in scholâ crucis in quâ videt alios pios versari. Sed hæc non nisi catachresticè dicitur inuidia. Vituperabilis est triplex illa in regulis descripta videlicet Diabolica, Canina, & Humana. Hic notetur solatium viri boni contra telum inuidiæ, quod docet Cicero, sic alloquens Quirites: *Noui vos non inuidere mihi, quòd non sim quod vos non estis, sed quòd vos, quod ego sum, esse nequeatis:* & illud Aurelij Imperatoris: *Nullum contra inuidiæ pestem inueni remedium, nisi prosperitatis abdicationem, & aduersæ fortunæ contubernium.*

Quot modis præuaricemur aduersus beneuolétiæ præcepta?

XII. *Classes vitiorum huius loci sunt septem.*

1. BEneuolentia stolida; quâ fit, vt beneuelimus Diabolo & ipsius notoriis administris. Tales fuerunt Origenistæ, qui crediderunt, Diabolum vnà cùm omnibus impiis tandem purgatum & liberatum iri. Tales hodiéque sunt, qui perditis beneuolunt, cùm beneuolentia vt vmbra comitari debeat opinionem virtutis. 2. *Inuidia Diabolica*; quâ quis destruit & corrumpit bona sua vel aliorum, ne quisquam hominum illis vtatur fruatúrve. quod vitium etiam dicitur Stellionatus, à stellione, quod est animal supra modũ inuidum. Cutem enim, quam quotannis exuit, deuorat, inuidens homini comitialis morbi remedium. Ita Philistæi omnes puteos, quos foderant serui Abraham, occludebant, implentes eos puluere. 3. *Inuidia canina*; quâ quis ægrè fert alterum frui bono aliquo, quo ipse potiri non potest, imitatus canem, qui fœno assidet, quo cùm ipse frui non possit, equos & vaccas illo quoque frui non sinit. Ita Cain inuidit Abeli, filij Iacob Iosepho, Pompeius, & alij Romani Iulio Cæsari. 4. *Inuidia humana*; quâ quis dolet alium frui aut fruiturum eodem bono, quo ipse fruitur. Sic autem dicitur, quòd perpauci homines ab hoc vitio sint alieni. Ita Saul inuidit Dauid regiam dignitatem, & rex Hesperius cupidus Monarchiæ inuidet aliis regna & principatus. 5. *Maleuolentia*; quâ quis in animo suo malè vult alteri, in perniciem eius malum cogitans & optans odio priuato, vt est odium nouercale, & vindictæ cupiditas, de quâ Ethnicus,

Est vindicta bonum vitâ iucundius ipsâ.

Hoc morbo maximè laborant Itali. 6. *Simulatus fauor*; cùm quis verbis quidem alteri gratulatur bonum quod ei obtigit, animo tamen ei maleuult. Sic Turcicus Imperator sæpè mittit legatos ad gratulandum nostro Imperatori. 7. Ἐπιχαιρεκακία; cùm quis lætatur alienis malis & illis veluti pascitur, neque ridet nisi videat alios flere. Tales fuerunt hostes Dauidis, in primis Doëg & Simei. De hoc vitio ait Aurelius Imperator: *Nullum in viro bono maius crimen inesse potest, quàm commodis dolere, & incommodis gaudere alienis.*

FLORILEGIVM.

OFFICIOSITAS; *sub quâ Benignitas, Beneuolentia, Humanitas, & Compassio.* SENTENT. Non ita claudenda est res familiaris, vt eam benignitas aperire non possit: nec ita reseranda, vt pateat omnibus. *Cic. 2. offic.* Benigni oculi summam animi pulchritudinem comitantur: & contingit, vt qui non excandescit, irascitur aut bile mouetur, faciem splendidam serenámque habeat. *Nicostrat de nuptijs.* Memento igitur, necessarium esse ad res augendas hominum beneuolentiam. Austeritas verò solitudinem amicorum parit. *Plut.* Homines ad deos nullâ re propiùs accedunt, quàm salutem hominibus dando. *Cic. pro Ligar.* Rectè præcipere videntur, qui monent, quantò superiores simus, tantò nos submissiùs geramus. *Id. 1. offic.* Tantò quisque perfectior est, quantò perfectiùs sentit dolores alienos. *Gregor. lib. 19. moral.* Triplex est modus compassionis: ex vitio, ex naturâ, ex virtute. *Hugo de tribus voluntatibus in Christo.* APOPHTH. Philippus Macedo filium Alexandrum admonere solebat, vt cum Macedonibus comiter haberet consuetudinem, & vulgi conciliatâ beneuolentiâ opes ac vires sibi pararet. *Plut. in apoph.* Antigonus amicis suadentibus, vt si Athenas caperet, validis illam præsidiis communiret, ne quando deficeret: respondit, se semper in eâ fuisse opinione, nullum esse regni præsidium firmius, quàm ciuium beneuolentiam. *Erasm. 4. apoph.* Socrates dicebat, Vestes corporis inconcinnitatem, beneuolentiam verò peccatum tegere. *Stob.* SIMILIT. Beneuolentia est ignis, quo fouetur societas hominum; est fluuius fœcundus, quo rigantur agri & prata; est condimentum vitæ humanæ. Humanitas est aqua, quæ extinguit incendium odij, & gluten societatis. Compassio facit, vt homo statuat, omnes homines esse membra eiusdem corporis, quæ se inuicem amant & iuuant. EXEMPL. *Antiochus* cùm Hierosolymam obsideret, Iudæis ad maximum suum festum celebrandum septem dies petentibus, non solùm concessit, verùm etiam tauros auratis cornibus adornatos, magnámque aromatum vim, ad portas vsque vrbis cum solenni pompâ deduci iussit, traditâque sacerdotibus hostiâ ipse in castra rediit. Regis benignitatem Iudæi admirati, festo peracto, se in illius potestatem dederunt. *Ioseph. in antiq. Titus* Imper. recordatus aliquando super cœnam, quòd eo die in neminem contulisset beneficium, exclamauit: *Amici, diem perdidi. Ptolemæus Philadelphus* Ægypti rex, vt LXX. interpretibus gratiam referret, Eleazaro summo Pontifici misit ingentem auri vim, vt ornamento esset templo, & omnes Iudæos captiuos per totam Ægyptum conquisitos, sub prioribus regibus bello captis, pecuniâ suâ à dominis redemit ac libertate donauit. Humanitatis exempla sunt Hethæi. *Gen.* 23. Rebecca, *Gen.* 24. Obstetrices, *Exod.* 1. Booz, *Ruth.* 2. Dauid, 1. *Sam.* 30. Felix, *Act.* 24. Rahab, *Heb.* 11. Plutarch. in Numâ author est, Æmyliorum familiam Romæ ἀπὸ τῆς αἱμυλίας, hoc est, ab humanitate, nuncupatam. HIEROGLYPH. Cerui cùm fretum transeunt, sic se ordinant, vt posterior super anteriorem caput collocet. Quòd si primus lassetur, proximus ei succedit.

INHVMANITAS & MALEVOLENTIA. SENT. Infortunatum ne irriseris: communis enim est fortuna, *Chilo sapiens.* Summæ malignitatis est, simulando facilitatem & simplicitatem iniquissimum se præbere, *Gregor. in moral.* Οὐ χρὴ ἐπιχαίρειν τοῖς ἀδικοῦσι, *Non oportet gaudere ob alienas calamitates.* APOPHTH. Theologi dicunt, Ne oderis fratrem tuum, pro quo Christus est mortuus, *Anton. serm.* 136. Timon Atheniensis μισάνθρωπος interrogatus, Cur omnes odisset homines? Meritò, inquit, improbos odi: reliquos autẽ, quia improbos non oderunt. *Max. serm.* 6. ADAG. Odium agreste: Odium nouercale: Odit cane peius & angue: Empedoclis simultas: Bellum ἄσπονδον, irreconciliabile. SIMILITVD. Odium est ignis consumens cor & societatem; & est instar morsus aspidis & canis rabidi. EXEMPL. Cain, Cham, Laban, fratres Iosephi, Pharao, Simei, Iudas, Timon Atheniensis; Nero, qui adeò difficilis & morosus erat, vt neque cum seruis, neque cum liberis sermones conferret, sed omnia quæ vellet, in libellis scribere consueuerat. *Xiphil. in Nerone.* Et hodie multi sunt μισάνθρωποι, ἀπάνθρωποι, σκυθρωποὶ, δυσπρόσοδοι, ἀπρόσιτοι, δύσκολοι, & δυσχεραίνοντες. HIEROGLIPH. *Coturnix* apud Ægyptios notabat malignum hominem. Coturnix enim eâ est malignitate, vt aquam limpidam, simulac biberit, rostro pedibúsque corrumpat, puluere etiam in eam ingesto. 2. *Rubus sicca* est indicium hominis asperi, morosi, & difficilis. Nam rubum sic cam frangas potiùs quàm flectas.

INVIDIA. SENT. Inuidia damnatur, *Iob.* 5. *Psal.* 37. *Prou.* 14. *Rom.* 1. *v.* 29 1. *Cor.* 13. *Iacob.* 3. Iudæi inde perierunt, quòd Christo maluerunt inuidere, quàm credere. *Cypr. de liuore.* Fuge inuidiam, quæ non solùm alienos, verùm multò magis eum, quem possederit, lacerare consueuit: *Ambros. 1. de fugâ seculi.* Inuidia est filia superbiæ: suffoca matrem, & non erit filia. *August. de verbis Domini.* Nihil est, quod magis caritatem impugnet, quàm venenum inuidiæ. *Saresb. lib. 7. c.* 24. Infelix sibi videtur esse felix, cùm felices cecidisse videt. *Sen. 2. benef.* 27. Inuidia est Logica Diaboli, quâ committitur paralogismus comparationis. Nam, vt canit Ouidius 2. de arte:

Fertilior seges est alieno semper in agro,
Vicinumq; pecus grandius vber habet.

Horat. 1. epist. 2.

Inuidus alterius rebus macrescit opimis.

Virgilius graphicè describit liuorem hoc modo.

Liuor tabificum malis venenum,
Intactis vorat ossibus medullas,
Et totum bibit artubus cruorem.
Quid? quisq; furit inuidetq; sorti,
Vt debet, sibi pœna semper ipse est.
Testatur gemitu graues dolores,
Suspirat, gemit, incutitq; dentes.
Sudat frigus, intuens quod odit.
Effundit mala lingua virus atrum:
Pallor terribilis genas colorat.
Infelix macies renudat ossa.
Non lux, non cibus est suauis illi.
Nec potus iuuat aut sapor Lyæi,
Nec si pocula Iuppiter propinet,
Atq; hæc porrigat & ministret Hebe,
Aut tradat Ganymedes ipse nectar.
Non somnum capit aut quiescit vnquam.
Torquet viscera carnifex cruentus.
Vesano tacitos mouet furores.
Intentans animo faces Erynnis
Lethalis, Tityq; vultur intus,
Qui semper lacerat comestq; mentem.
Viuit pectore sub dolente vulnus,
Quod Chironia nec manus leuaret,

Nec

Nec Phœbus, ſobolesq́; chara Phœbi.

Adde inuidiæ picturam apud Ouidium 2. Metam.

Pallor in ore ſedet: macies in corpore toto:
Nuſquam recta acies: liuent rubigine dentes:
Pectora felle virent: lingua eſt ſuffuſa veneno:
Riſus abeſt, niſi quem viſi mouêre dolores:
Nec fruitur ſomnô vigilantibus excita curis.
Sed videt ingratos, intabeſcitq́; videndo.
Succeſſus hominum carpitq́; & carpitur vnà,
Suppliciumque ſuum eſt, &c.

Bono viro nunquam vllâ de re innaſcitur inuidia. *Plato in Timæo.* Eſt miſerorum, vt maleuolentes ſint, atque inuideant bonis. *Plaut.Capt.* Sibi ne inuideatur, ignaui ipſi rectè cauent. *Id.Bacchid.* Mauelim mihi inimicos inuidere, quàm me inimicis meis. Nam inuidere alij bene eſſe, miſeria eſt: qui inuident egent; illi, quibus inuidetur, rem habent. *Id. Truc.* Proprium ſtulti eſt, non poſſe, & velle nocere. *Bias Auſon.* A P O P H T H. Socrates, cùm inuidiæ naturam exprimere vellet, animæ vlcus & ſerram appellauit. *Stob. ſerm.* 36. Ariſtoteles dicere ſolebat, inuidum eſſe antagoniſtam bonorum. *Ant. Meliſſ. part. 2. ſerm.* 62. Theophraſtus dicebat, inuidos non tam propriis gaudere bonis, quam alienis malis. *Stob. ſerm. de inuid.* A D A G. Figulus figulo inuidet, faber fabro: Inimicus & inuidus vicinorum oculus: Edentulus veſcentium dentibus inuidet. S I M I L I T. Vt ærugo ferrum, & rubigo frumentum: ſic inuidia animum inuidentis conſumit. Oculus inuidi eſt inſtar faſcini, quo læduntur bona vicini. Vt ſcarabæi ſtercore: ſic inuidi aliorum calamitate nutriuntur. Inuidus eſt velut nauis, quæ ſemper iactatur à procellis.

Inuidiâ Siculi non inuenêre tyranni
Tormentum maius. ——————

Inuidus ſibi ſemper hoſtis eſt. Hinc poëta:

Δίκαιός ἐστιν ὁ φθόνος, τὸν γὰρ φθονοῦντα δάκνει.

E X E M P L A. Satan, *Gen.* 3. Cain; fratres Ioſephi; Ægyptij, *Exod.* 1. Aharon & Maria, *Exod.* 12 Sanaballar, *Nehem.* 2. Diſcipuli Iohannis, *Matth.* 9. Frater prodigi filij, *Luc.* 15. Alexander M. oderat Perdiccam, quòd eſſet bellicoſus: Lyſimachum, quòd militandi peritus: Seleucum, quòd magni animi: Attalum, quòd imperatoriâ dignitate pelleret: Ptolomæum, quòd ei omnia proſperè ſuccederent. Caligula Torquato torquem, Cincinnato crinem, Pompeio cognomentum Magni inuidebat. H I E R O G L Y P H. 1. *Hydra*; cuius vnum caput ſi amputes, plura enaſcuntur. 2. *Lolium*; quod permiſtum tritico, ipſi non nocet, ſed ſuam in ſinu fouet inutilitatem. A P O L O G V S. Canis in præſepi arcet boues, atque eos fœno veſci prohibet, quod ipſi non eſt vſui. Antidotum inuidiæ eſt, ſi nihil rerum humanarum magnum putemus; ſi cogitemus omnia à Deo gubernari; ſi perſuaſum habeamus, nos eſſe membra vnius corporis; & denique cogitemus, virtutem ac felicitatem ſuo fulgore vrere malos.

C A P V T XXII.

De Liberalitate.

P R Æ C E P T A.

LIBERALITAS eſt, quâ ſuppeditamus ea, quæ ad vitæ animalis ſuſtentationem pertinent. *Alias dicitur* Beneficentia.

Ea conſideratur vel abſolutè, vel eminenter.

Abſolutè conſiderata dicitur munificentia, & liberalitas nomine generis: ac diſtinguitur ex eo quod datur, & eo cui datur.

Priori modo eſt vel ſumtuaria, vel tractatoria.

Liberalitas ſumtuaria dat ſumtus & munera: vnde muneraria dicitur.

Liberalitas tractatoria verſatur circa conuiuia: vnde & conuiuatoria dicitur.

Poſteriori modo liberalitas eſt vel hoſpitalitas, quæ circa peregrinos exercetur: vel eleemoſynaria, quæ erga egenos exercetur. Huc pertinet Miſericordia, per quam nobis cordi eſt aliorum miſeria: Ei in exceſſu opponitur effœminata miſericordia, in defectu immiſericordia & miſericordia ſimulata.

Liberalitatis exceſſus eſt prodigalitas ſiue profuſio: defectus auaritia; *quod vitium vel hoc nomine maximè eſt contra naturam, quòd opes appetat in infinitum: cùm appetitus naturæ tandem ſatietur.*

Liberalitas eminenter, ſiue cum gradu eminentiæ ſpectata, dicitur magnificentia.

Magnificentia eſt virtus, modum ſeruans in magnis largitionibus.

Eſtque primò publica, vel priuata.

Publica eſt, quæ confert magnos ſumtus in vſus publicos, eóſque tum pios, tum politicos. *Sic Veſpaſianus, Antoninus Pius, & Alexander Seuerus, philoſophis ampliſſima ſalaria conſtituerunt: Pericles Athenis magnam vim pecuniæ in opera & ornatum vrbis contulit: Conſtantinus Magnus Eccleſias ditauit: Philippus Haſſorum Landgrauius quatuor Hoſpitalia raro exẽplo fundauit.*

Priuata eſt, quæ ſumtus magnos confert priuatim. *Sic Alexander Magnus in hiſtoriam animalium ſcribendam Ariſtoteli contulit* 80. *talenta, hoc eſt, quadringenta & octoginta millia Philippicorum. Auguſtus Cæſar Horatio ſeruos, ſupellectilem, & totos fundos dedit. Et Caracalla Imperator delectatus elegantiâ carminum Oppiani ipſi inſcriptorum, in ſingulos verſus ſingulos aureos iuſſit rependi. Sed fons huius magnificentiæ hodie exaruit.*

Deinde magnificentia eodem modo diuiditur, quo Liberalitas abſolutè ſpectata.

Magnificentiæ in exceſſu opponitur largitio profuſa, & magnificentia furtiua, & furtiua magnificentia, in defectu paruificentia.

R E G V L Æ.

I. *Liberalitas cum primis decet hominem; quia omne bonum eſt communicatiuum ſui, vti malum eſt diſſipatiuum ſui & boni; quia omnis gratia ſimplex it, duplex redit: quia denique liberalis imitatur Deum, qui eſt magnus theſaurarius, & cuius bonitas eſt inexhauſtum promtuarium.*

Liberalitas cur hominem deceat?

II. *Liberalitas eſt promus & condus reliquarum virtutum.*

Liberalitas promus & condus virtutum.

PROMUS; quia iuuat alios in ſtadio virtutis alacriter decurrendo. *Condus*; quia docet modum ſeruare in erogandis iis, quæ ad vitam animalem pertinent: vt nempe aliorum ita miſereamur, ne alios noſtri miſereat. Hâc de re prudens antiquitas ita docuit. In monaſterio erat abbas, cui erat nomen DATE. Quamdiu ille vixit, ibidem fuit frater nomine DABITVR. Sed cùm primùm obiit DATE, ſimul extinctus eſt DABITVR. Hæc igitur virtus non aliter manum in diuitiis, quàm temperantia mentem in deliciis dirigit. Hæc virtus eſt, quâ nulla habetur vel ad nomen propagandum melior, vel ad beneuolentiam conciliandam aptior, vel ad inopiam pauperum ſubleuandam accommodatior. Quippe laus, amor, fama, portam & arcam hominis liberalis ſemper reſerant & aperiunt. Huc tanquam ad commune ciuitatis aſylum, inopes, oppreſſi, miſeri pro auxilio, conſilio conuocant, vt ſunt verba *Caſi ſpeculo moralium lib. 6. cap.* 1.

III. *Liberalitatem oportet metiri animo dantis, indigentiâ accipientis, & circumſtantiâ muneris.*

Vnde liberalitas æſtimanda?

HInc qui non dat animo ſereno, porrigit panem lapidoſum: & qui citò dat, bis dat; qui dat egenti, ter dat. Vnde patet, etiam pauperem poſſe eſſe liberalem: item neminem poſſe eſſe liberalem de alieno, niſi largiatur de bonis alienis cum conſenſu legitimi domini. Tum enim poſſeſſor & diſpenſator habet laudem liberalitatis: & denique liberalitatem non oſtentationis aut quæſtus gratiâ exercendam, ſed ſolius honeſtatis & indigentiæ aliorum ſubleuandæ gratiâ: quia in diues mare fundit aquas, qui donat habenti. Hic nota, ſi beneficia honoris gratiâ tribuuntur, conferantur palàm: ſin verò neceſſitatis causâ deferuntur, ſemotis arbitris communicentur. Ratio prioris eſt, quia munera iſta ſunt præmia virtutis, quæ ſupprimenda non eſt: ratio poſterioris eſt; quia largitio nec omnibus expoſitæ habent oſtentationem ac inuidiam.

IV. *Magnificentia eleemoſynaria palmam tenet inter omnes liberalitatis ſpecies.*

Magnificentiæ eleemoſynariæ præſtātia.

REſpicit autem illa tum res ſacras, tum perſonas miſerabiles.

V. *Claſſis illorum qui hîc exorbitat, ſunt quinque.*

Quot modis violentur ſtatuta liberalitatis?

1. *GVrgites, ſeu ſyrtes bonorum ſuorum*; hoc eſt, prodigi, qui dilapidant ſua bona. His ob oculos ponatur illud Plautinum: Ita te aliorũ miſereat, ne tui alios miſereat. 2. *Parcipromi, ſeu tenaces*; qui cum ſuis geniis belligerant, vt eſt apud Comicum, quíque ſimiles ſunt Diogeni Cynico, qui rogatus, cuiuſmodi vinum biberet libentiùs? Alienum reſpondit. 3. *Preminummi, & Euclionés*; qui omnia occupant, non vt ipſi fruantur,

tur, sed ne quis alius. In hos quadrat adagiū: *Auri carcer auarus, & aurum carcer auari est.* Hi Germanis eleganter dicuntur Geltnarren. Horum mores eleganter describit festiuissimus Comicorum sub personâ Euchonis: *Cùm it dormitum, folles obstringit ob gulam. Cur? Ne quid anima forte amittat dormiens. Aquam plorat, cùm lauat, profundere. Famem vtendam si roges, nunquam dabit. Quin ipsi pridem tonsor vngues detonserat, collegit, omnia abstulit præsegmina.* 4. *Magnificentiæ furtiuæ professores*; in quibus excellit Papa, qui profitetur, se posse Imperia, Regna, & quidquid habent mortales, auertere & dare. Ita superiori seculo regnum Angliæ dono dedit Iohāni de Austriâ, qui eiicere aggressus est laudatissimam reginam Elisabetham. Hoc vitium detestatus est rex Peru, qui, cùm ex Hispanis audiret, Papam ipsis dedisse terram Peru, dixit; insigniter fatuum esse oportere Papam, qui, quæ non haberet, aliis liberaliter largiretur, vel certè iniustum ac impium nebulonem, qui eiectis veris possessoribus, alienas terras peregrinis addiceret, inque mutas cædes mortale genus armaret. 5. *Simoniæ cultores*; quales sunt Papistæ, qui indulgentias communicant iuxta tenorem taxæ Apostolicæ, vt cameram Apostolicam, & patrimonium Petri augeant. De his Simonis magi fratribus rectè cecinit Mantuanus:

Templa, sacerdotes, sacra, crux, altaria, Christus,
Lux, cœlum, pietas, hæc sunt venalia Romæ.

Liberalitas an debita, vel indebita?

VI. *Liberalitas est voluntaria communicatio, quæ regitur iure naturæ & diuino, non positiuo.*

Liberalitas enim est virtus, quâ vltrò de nostris facultatibus largimur, & communicamus facultates & operas non debitas obligatione ciuili, sed naturali vel diuinâ. Sunt autem debita iure naturæ omnia officia aliis necessaria, quæ nos sine incommodo præstare possumus. Officia ista seu bona sunt duplicia. Quædam enim non pereunt nec consumuntur vsu & communicatione: vt, de suo lumine alteri accendere lumen, monstrare viam erranti, dare consilium fidele, liberaliter communicare bonarum rerum doctrinam. Nam ipsâ tractatione & propagatione doctrinæ nostra eruditio non imminuitur, sed alitur & augetur. De hâc liberalitatis specie ait Cicero: Impellimur naturâ, vt prodesse velimus quàm plurimis, in primísque docendo, rationibúsque prudentiæ. Idem ait: Fructus ingenij & virtutis omnísque præstantiæ capitur, cùm in alterum confertur. Odiosissima autem est semidoctorum quorundam arrogantia & illiberalitas, qui opinionem doctrinæ hoc vno prætextu tueri cupiunt, quòd simulant se scire aliqua, quæ nolint aliis impertiri. Multò honestius Theognis monet:

Χρὴ μουσῶν θεράποντα καὶ ἄγγελον εἴ τι περισσὸν
Εἰδείη, σοφίης μὴ φθονερὸν τελέθειν: hoc est,
Si cui contingit docto sapientia maior,
Inuidiæ stimulis non agitetur iners:
Sed colat ingenuo diuinas pectore Musas,
Doctrinâq; alios instruat ipse suâ.

Quædam bona vsu & communicatione absumuntur, vt pecunia, frumentum, panis, operæ priuatæ. Atque in his oportet seruare modum, ne nobis & nostris necessaria desint. Hanc liberalitatis metam dulcissimâ imagine Salomon *Prou.* 5. præscribit: *Fontes tui forâs deriuentur, & riui effluant in plateas. At tu dominus illorum maneto, & non alieni tecum.* Sic Paulus 2. *Corinth.* 8. iubet hunc modum in largiendo seruare, ne aliis sit ignauia, nobis autem afflictio, sed vt nostra copia illorum succurrat inopiæ. Quemadmodum autem in liberalitate metam, ita & gradus oportet scire, hunc in modum: 1. Ecclesia Dei, ministerium verbi, & scholæ Christianæ sunt iuuanda & sustentanda. Ideo quotannis singulos Israëlitas viritim oportebat pendere templo δίδραχμον seu dimidium sicli, *Exod.* 30. cuius pretium, vt computat Chytræus, est quarta pars aurei Rhenensis. 2. Patria & Resp. quæ Ecclesiæ Dei & nobis singulis tranquillum hospitium præbet, collatione promtâ & honestâ τῶν ὑπαρχόντων est sustentanda. Ideo collationes tributorum diuino mandato magistratibus debentur. 3. Nos ipsos, parentes, liberos & propinquos iuuare debemus. Nam si quis suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem abnegauit, & est infideli deterior, *Gal.* 5. 4. Amici sunt iuuandi, de quibus notum est prouerbium: *Amicorum omnia sunt communia*: scil. quæ iure ac legibus possunt esse communia. Gratificandum est enim amicis, dum sine impietate & scelere possumus: vt Pericles, cùm amicus vt falsam eius causam periurio confirmaret, respondit: Δεῖ με συμπράττειν τοῖς φίλοις, ἀλλὰ μέχρι θεῶν. E contrario Agesilaus sæpe amicos in causis iniustis adiuuit: vt cùm his verbis amicum commendat iudici, Νικίαν, εἰ μὲν μὴ ἀδικεῖ, ἄφες· εἰ δ' ἀδικεῖ, ἡμῖν ἄφες· πάντως δὲ ἄφες, hoc est, Niciam, si non habet iustam causam, dimitte. Si verò habet iniustam causam, meâ causâ eum dimitte. Omnino autem dimitte. 5. Alieni nostrâ ope indigentes, nobis sunt iuuandi: qui nempe nobis vel societate Ecclesiæ, vel eiusdem ciuitatis, vel studij, vel nationis, vel gentis, vel linguæ coniuncti sunt.

Hospitalitas quid?

VII. *Hospitalitas est species liberalitatis, quâ peregrinos verâ beneuolentiâ, & omnibus officiis hospitalibus complectimur. Et in excessu opponitur inconsiderata & inhonesta hospitalitas: in defectu inhospitalitas.*

Hæc virtus nobis commendatur *Matth.* 25. 1. *Pet.* 4. 1. *Tim.* 4. *Heb.* 13. Exempla sunt Abraham, *Gen.* 18. Loth, *Gen.* 19. Vidua Sareptana, 3. *Reg.* 7. Sunamitis, 4. *Reg.* 4. Eumæus pastor apud Homerum ὀδύσσ. ξ. hâc oratione Vlyssem excipit:

Non mihi fas, nec si peior te venerit hospes,
Fastidire peregrinum. Nam conditor idem
Hospitis atque inopis Deus est. Ego dona libenter
Parua quidem, sed amica dabo. ———

Ita Telemachus ὀδύσσ. α. Palladem excipit. Cæsar cùm Mediolani hospes cibum sordidiùs apparatum proposuisset, & cæteri comites nauseabundi cibum aspernaretur, largiùs comedit, ne hospitem aut negligētiæ, aut rusticitatis arguere videretur.

VIII. *Hospitalitatem hilariter exercere debemus, quia plurimas amicitias parit. In primis autem aduersus pauperes. Hæc enim hospitalitas est in catalogo illorū operum, quæ Christus in vltimo iudicio publicè commendabit.* Hospitalitas cur exercenda?

IX. *Hospitalis est qui alios tecto excipit, exceptus bene tractat, bene tractatos dimittit quando dimitti cupiunt.* Hospitalis quis?

Hic quæritur, *An Hospitalis debeat esse πανδοχεύς, id est, ita animatus, vt omnes promiscuè tecto excipiat?* Resp. Augustinus sic respondet: Disce Christiane sine discrimine exhibere hospitalitatem, ne fortè, cui tu domum clauseris, cuique humanitatem negaueris, sit Christus. Hæc sententia Augustini vera est, si malitia hospitis aduentantis nobis non sit perspecta. Hoc hospitalitatis munus laudatur in Abrahamo, Lotho, Cimone Atheniensi, Cydone Corinthio, cuius hospitalitas prouerbio locum dedit: *Semper aliquis in Cydonis domo.* Et Carolus Gothorum & Suecorum rex inter maximas leges constituit, vt nullum viatorem tecto arcerent: quod si quis fecisset & idoneis testibus ter negasse hospitium conuictus fuisset, immisso igne ædes eius comburi iussit.

X. *Pauper potest esse hospitalis.* Pauper an possit esse liberalis?

Qvamuis enim non possit magnos sumtus facere, tamen officia hospitalitatis exhibere potest in hospitibus libenter excipiendis, mediocriter tractandis, & humaniter dimittendis.

XI. *Hospitalitas dicitur virtus regia.* Hospitalitas virtus regia.

Qvia magnates in primis hanc virtutem exercere vt possunt, ita debent. Sic Vespasianus commendabatur, quòd regiæ ipsius fores semper paterent. Apostolus quoque Paulus hanc virtutem in primis requirit in Episcopo, 1. *Tim.* 3. *v.* 2.

XII. *Ius hospitij consistit in eo, vt hospes actiuus defendat passiuum non aliter atque membrum societatis suæ domesticæ.* Ius hospitij quâ in re consistat?

Sic fecerunt Loth & Abraham *Gen.* 18. & 19. Meminerit quoque, hospitem passiuum sic dici à passione salutiuâ, non corruptiuâ. Hîc quæri solet 1. *Quamdiu hospes sit retinendus?* Resp. Vulgatus est versus:

Post tres sæpe dies piscis vilescit & hospes.

Sed hic versus accipi debet de hospitibus illis qui dicuntur aduentores & muscæ: non de amicis, neque de pauperibus, quales sunt exules & similes. 2. *An tessera hospitalis sit de necessitate vel honestate?* Resp. Tessera hospitalis olim erat symbolum hospitale, quo prolato cognoscebantur hospites, si quando redissent. Hinc patet, quòd non sit necessaria, sed honoraria. 3. *An liceat hospitem diutius retinere quàm velit, & ipsum prolixiùs inuitare?* Neg. Non illud; quia non est beneficium quod confertur nolenti. Obseruetur ergo regula Homeri:

Δεῖ ξεῖνον παρεόντα φιλεῖν, ἐθέλοντα δὲ πέμπειν.
Diligitor præsens, cùm vult, dimittitor hospes.

Non hoc; quia liberaliores inuitationes sunt illiberales, sæpéque coniiciunt nos discrimen valetudinis.

XIII. *Tres sunt classes illorum, qui huic virtuti contraueniunt.* Quot modis peccetur aduersus hospitalitatis præcepta?

1. Nimis hospitales; qui sic profundunt sumtus in hospites, vt fons beneficentiæ exhauriatur. Tales sunt populi quidam in Tartariâ & Moscouiâ, qui ad prodigium vsque hospitales sunt & peregrinos quoscumque vel inuitos suscipiunt. 2. *Inhospitales*; qui vel arcent peregrinos, vel exceptos malè habent, vel eiiciunt domo. Huc pertinent veteres Germani, qui hospites mactabant, similes Diomedi regi Thraciæ, qui hospites equis & equabus deuorādos obiicere solebat. 3. *Inhoneste hospitales*; qui illos excipiunt quorum nequitia est notoria: quales sunt qui fures & prostibula excipiūt atque fouent.

XIV. Elec

Eleemoſyna quid? **XIV.** *Eleemoſyna complectitur omnia officia quæ ex miſericordia gratis præſtantur.*

Ἐλεημοσύνη eſt miſericordia: & vſitatè in Scripturâ notat omnia officia dilectionis erga proximum miſerum. Huius exemplum primum eſt Deus, in quem ſperant oculi omnium, *Pſal.* 144. Tum ſancti reges & Principes nutritij Eccleſiæ Dei & ſcholarum; vt Ioſeph, Dauid, Ioſaphath, Ioſias, Conſtantinus, Theodoſius, Carolus Magnus. Abdias paſcit 110. prophetas, 3. Reg. 18. Tiberius II. Imp. cùm reprehenderetur, quòd ærarium eleemoſynis exhauriret, reſpondit: Nunquam defuturam eſſe pecuniam fiſco regio, quamdiu pauperes eleemoſynas accepturi eſſent. Hîc quæritur meritò, 1. *An hominibus malis ſint dandæ eleemoſynæ?* Reſp. Si infirmi ſint & in extremis verſentur anguſtiis, nobis in mentem veniet illud Auguſtini: Si non pauiſti, occidiſti. 2. *An validi mendicantes, quales ſunt Cingari ſeu Nubiani errones ſint fouendi?* Neg. Non eſt enim ignauia fouenda, quæ eſt κακοεργίας ἀρχή. Hîc valere debebat conſtitutio Caroli M. *Mendici per regiones vagari non permittuntor: ſuos pauperes quæque ciuitas alito: illis, niſi manibus operentur, nullus quidquam dato.*

Miſeriæ vox explicatur. **XV.** *Miſericordiæ vox eſt ambigua.*

Miſericordiæ vox ſumitur duobus modis. 1. Significat affectum, atque ita eſt dolor animi ex miſeriâ alterius conceptus. 2. Significat virtutem quæ moderatur iſtum affectum: eſtque συμπάθεια, laudabilis, quæ iubet μετριοπαθεῖν, id eſt, moderatè tangi miſeratione; atque ita miſericordia eſt propenſiſſima voluntas ſuccurrendi miſeris.

Quænam nobis imperet miſericordiam? **XVI.** *Miſericordiam nobis imperant lex humanitatis & amor diuinitatis.*

Lex humanitatis; quia natura iubet, vt miſereamur illorum, quorum natura nobis cognata patitur. Hinc gentilis philoſophus reprehenſus ab amico, quòd eleemoſynam conferret in hominem nequam, dicebat, ſe non dare homini petenti, ſed humanitati indigenti. Amor diuinitatis eſt, quo cupimus Deo ſimiles euadere: id quod fit, ſi ſtudeamus miſericordiæ, quæ eſt proprietas Deo maximè conueniens. Nam proprium eſt Dei ſemper miſereri, vt canit Eccleſia Latina.

Miſericordes qui? **XVII.** *Miſericordes ſunt, qui ignoranti monſtrant viam veritatis, & dolenti leniunt ſenſum calamitatis.*

Prius illud rectè fit ſi quis tegat errata proximi, quantum bonâ conſcientiâ licet. Poſterius rectè fit, ſi quis lugeat cum lugentibus, eóſque conſoletur verbis & factis, ſi quis viſitet orphanos & viduas, ſi quis denique egenos cibet, potet, veſtiat, & hoſpitio excipiat.

Quot modis contrauenia mus regulis miſericordiæ? **XVIII.** *Claſſes eorum qui non exercent miſericordiam, ſunt quatuor.*

1. *Sunt immiſericordes & crudeles erga pauperes;* qualis fuit Hatto Epiſcopus Moguntinus, qui fame ingruente multitudinem egenorum in horrea quædam, vt quæ alimoniam ibi acceptura eſſet, conuocatam, ignibus admotis combuſſit, cúmque eiulatū eorum audiret, Audite, inquit, muſicam murium fruges arrodentium. Huc etiam pertinent vſurarij, qui exercent vſuram quæ dicitur mordax, & Iudaica. De his teneatur illud Catonis. *Fœnerari idem eſt quod hominem occidere.* Et illud Ariſtotelis: *Vſuraria acquiſitio eſt maximè contra naturam;* & denique illud Ciceronis: *Hominem hominis incommodo ſuum augere commodum, magis eſt contra naturam, quàm mors.* 2. *Miſericordiam crocodilinam præ ſe ferentes;* quales ſunt illi, qui verbis commiſerationem alterius teſtatam faciunt, quem tamen oppreſſum cupiunt, aut ſaltem ope ſuâ ſubleuare nolunt, imitati crocodilum, qui lacrymas fundit hominem deuoraturus. Talis fuit Herodas Antipas, qui cùm Herodias Iohannis Baptiſtæ caput ſibi dari petiiſſet, præ ſe tulit ſingularem miſericordiam erga Iohannem. 3. *Exercentes miſericordiam illicitam & effœminatam;* quales ſunt illi, qui condolent iis qui ob peccata enormia meritas luunt pœnas. Hoc vitium in primis dedecet principes, quorum eſt lacrymari, non quòd homines facinoroſi ſuppliciis afficiuntur, ſed quòd illi perditi virtutem voluerunt perdere & quaſi ſupplicio afficere. 4. *Temerarij, qui ſine iudicio exercent miſericordiam cæcam, non habito delectu egenorum;* quales ſunt, qui validorum mendicantium ignauiam ſuâ temerariâ miſericordiâ fouent, neque diſtinguuntur inter verè pauperes, & illos qui ventris cauſâ quaſi mercaturam per totum vitæ tempus mendicando exercent.

Magnificentia & munificentia vt differant? **XIX.** *Magnificentia à munificentiâ differt tantùm gradu, non ſpecie.*

Hoc ita patet. Munificentia eſt medietas ſeu liberalitas in tractandâ pecuniâ minori: magnificentia in maiori: vbi per pecuniam cum ICtis laxiori ſignificatione intellige ſtudia & officia noſtra, *l. pecuniæ* 178. *ff. de V. S.* Differunt itaque primò hæ virtutes κατὰ τὸ ποσόν. Vnde patet, Itum a quem magnificum eſſe non poſſe. Deinde differunt modo actionum: quia munificentia ſimpliciter dat, magnificentia ſumtus impedit magnificos. Poſtremò inconſequentia conſecutionis, vt loquuntur, diſcrimen facit: quia omnis magnificus eſt munificus, ſed non contrà omnis munificus eſt magnificus. Conuenientia poſita eſt in hiſce: 1. Vtraque modum ſtatuit largitionibus, ne illæ obſint ei, qui dat, vel ei cui datur, vel etiam aliis hominibus. Ita ſibi obeſt qui aliis largiendo ſe & ſua it perditum. Hinc illæ leges: Nemo cum alterius commodo depauperetur: Nemo cum alterius incommodo locupletetur. Accipienti nocet, qui alterius malitiam roborat & veluti armat ſua beneficentiâ, adeóque pluribus vitiis implicat. Aliis damnum acceſſit, qui ipſis eripit vt habeat, quod aliis det. Primum eſt ἀνοίας, ſecundum improbitatis, tertium iniuſtitiæ qua à nemo cum alterius damno locupletari debet. 2. Vtraque in dando obſeruat circumſtantias: vt digni præferantur improbis, amici extraneis: vt magnitudo beneficij reſpondeat magnitudini facultatis, ne benignitas maior ſit quàm facultates. 3. Neutra eſt in expectatione lucri alicuius pro præſtito beneficio. Liberalitas enim, vt rectè ait Cicero, debet eſſe gratuita, non mercenaria. 4. Neutra procraſtinat beneficium, neque libellos ſupplices expectat: quibus ad iuuandum inuitetur, vbi apertè neceſſitatem dandi cognouerit. 5. Vtraque ſpectatur potiùs in dando quàm accipiendo 6. Neutra beneficium exprobrat. Si verò illi ſint inſigniter ingrati, de quibus bene meriti ſumus, licitum eſt notare illorum ingratitudinem. Porrò licet magnificentia reſpectu liberalitatis dicatur & ſit virtus heroica: tamen quia dantur gradus magnificentiæ rectè cum Piccolhominéo illa magnificentia dicitur heroica, quæ maximè fulget, atque eleuat ad finem eminentiorem. Dixi liberalitatem etiam ſpectari in accipiendo, quatenus ſcil. oportet ibi modum ſeruare, vt in petendo. Hoc non obſeruauit Iohannes Calaguritanus eques Alphonſi regis, qui tot & tanta petiuit à rege, vt ille dixerit: Mentiar ni inter tam multa & varia quæ petit eques meus, metuerim, ne vxorem etiam ipſam a me depoſceret.

Auarus an prodigo deterior? **XX.** *Illiberalitas eſt deterior prodigalitate.*

Quia illiberalitas magis diſtat à medio virtutis, quàm prodigalitas: vnde & hæc progreſſu temporis corrigi, illa non facilè poteſt. Præfertur tamen alio reſpectu auaritia profuſioni, quatenus opes coaceruatæ aliis cedunt poſt mortem auari.

FLORILEGIVM.

LIBERALITAS. Sentent. Liberalitas commendatur nobis *Prou.* 5. *Luc.* 6. *Heb* 13. *Eſa.* 58. Dandum eſt, quod nec tibi, nec alteri noceat. *Aug. de term. Dom in monte.* Modus liberalitatis tenendus eſt, vt quod benefacis, quotidie facere poſſis. *Ambroſ.* Nunquam eſt vacua manus à munere, ſi arca cordis repleta eſt bonâ voluntate. *Greg.* 19. *moral.* Non ſolùm quæritur quantum, ſed de quanto, & quo animo detur: *Ambr. in Cor.* Non adeò claudi rem familiarem oportet, vt eam benignitas non aperiat; nec item reſerari, vt pateat omnibus. *Cic.* 2. *offic.* Nullum duco beneficium eſſe, id quod cui facias, non placet. *Plaut. Trin.* Animus ſpectandus in beneficiis. Nam beneficium quo datur animo, debetur. *Sen.* 1. *de benef. cap.* 5. Sic demus beneficium, quomodo vellemus accipere. Ante omnia libenter, citò, ſine vllâ dubitatione. Ingratum eſt beneficium, quod diu inter manus dantis hæſit. *Id.* 2. *de benef. c.* 1. Proximus eſt neganti, qui deliberauit. *Ib.* In donis capiendis cum Antonino Imp. οὔτε πάντα, οὔτε πάντοτε, οὔτε παρὰ πάντων, neque omnia, neque quouis tempore neque ab omnibus. Nam inhumanum eſt, a nemine accipere, ſed paſſim viliſſimum, omnia auariſſimum. Beneficium ab homine duro aſperè datum, eſt panis lapidoſus, quem eſurienti accipere neceſſarium eſt, eſſe acerbum, vt inquit Fabius Verrucoſus apud Senecam *lib.* 2. *de benef. c.* 8. In donis mittendis cauebimus, ne munera ſuperuacua mittamus, vt fœminæ aut ſeni arma venatoria, aut ruſtico libros, aut ſtudiis ac literis deditis retia. Atque ex contrario, circumſpiciendum, ne dum grata mittere volumus, ſuum cuique morbum exprobrantia mittamus, ſicut ebrioſo vina, & valetudinario medicamenta. *Sen.* 1. *de benef. c.* 11. Munus fit maledictum, in quo vitium accipientis agnoſcitur. *Id. l. l.* Χαριζόμενοι δεῖ τὸ θυμὸς ἄγαθον, *In dando beneficio animus in primis ſpectandus.*

Martial. 5.

Extra fortunam eſt quidquid donatur amicis,
Quas dederis, ſolas ſemper habebis opes.

Liberalitate nihil eſt naturæ hominis accommodatius: ſed habet multas cautiones. Videndum eſt enim primùm, ne obſit benignitas & iis ipſis, quibus videtur benignè fieri, & cæteris. Nam qui aliis nocent, vt in alios liberales ſint, non benefici, neque liberales, ſed pernicioſi iudicandi ſunt. Deinde, ne maior ſit benignitas quàm facultas. Nam qui benigniores eſſe volunt, quàm res patitur, primò in eo peccant, quod iniurioſi ſunt in proximos. Videre etiam liceat pleroſque non tam naturâ

naturâ liberales, quàm quâdam gloriâ inductos, vt benefici videantur facere multa, quæ videntur magis proficisci ab ostentatione, quàm a voluntate Tum illud vnum considerandum est, vt pro dignitate cuiusque tribuamus. *Cic. 1. offic.* Bene præcepit Ennius, vt quidquid sine detrimento possit commodari, id tribuatur vel ignoto Ex quo sunt illa communia. Non prohibere aquam profluentem, Pati ab igne capere ignem, Si quis velit consilium fidele deliberanti dare : quæ sunt iis vtilia, qui accipiunt, danti non molesta. Cuius versus non pudebit subscribere :

Homo qui erranti comiter monstrat viam,
Quasi lumen de suo lumine accendat, facit
Vt nihilominus ipsi luceat, cùm illi accenderit.

Ita *Cicero 1. offic.* APOPH. Bion semper dicebat, optabilius esse suam messem alteri largiri, quàm alienam decerpere. Sensit, beatius esse dare, quàm accipere. *Laërt. lib. 4.* Aristoteles nequam homini opem ferens, & propterea reprehensus respondit, ὀ τῷ ἀνθρώπῳ ἔδωκα, ἀλλὰ τῷ ἀνθρωπίνῳ, q. d. non mores miseratus sum, sed hominem *Laërt. lib. 5. c. 1.* Demosthenes interrogatus, quid Deo simile haberent homines, respondit, Benignè facere. *Max. serm. 9.* Xenophon dicebat, multò præclarius ac laudabilius esse, beneficiorum quàm trophæorum multitudinem post se relinquere. *Stob. serm. 46.* Artaxerxes Longimanus dicebat, Regalius esse addere, quàm demere. *Plutarch. in reg. apoph.* ADAGIA. Plenâ manu : Pleno modio: Bis dat, qui citò dat : Promus magis quàm condus : Communis Mercurius : De alieno liberalis. SIMIL. Liberalitas est veluti promus condus reliquarum virtutum: est mare, ex quo flumina oriuntur, & in quod refluunt. EXEMP. Rex Sodomorum, *Gen. 14.* Rebecca, *Gen. 24.* Dauid, *1. Sam. 30.* Plutarchus scribit, Cimonem χρήματα κτᾶσθαι ὡς χρῷτο, χρᾶσθαι δὲ ὡς τιμῷτο, *Possidere opes vt vtatur, vti autem vt honoretur.* Cyrus apud Xenophontem iurat per omnes deos, se maiori voluptate affici, cùm alios beneficiis afficit, quàm cùm seipsum ditat. Alibi ait : Οὕτως ἐγὼ ὑμῖν δι᾽ ἐμοῦ χαρίζεσθαι. *Ita ergo studio vobis gratificari* : Alexander M. Augustus Cæsar, qui de suâ magnificentiâ solitus est dicere, Romam lateritiam accepi, marmoream relinquo. Titius Constantinus M. Spiridon episcopus tempore famis claues horrei sui tradebat pauperibus. HIEROGLYPH. 1. *Terra*; quæ liberaliter suppeditat victum. 2. *Gallinago*, quæ auis maximo erga hominem afficitur studio.

PRODIGALITAS. SENTENT. Prodigalitas damnatur *Prou. 5.* Ita te aliorum misereat, caue ne tui alios misereat : *Plaut. Trin.* Malè cauet prodigus, qui serò atque stultè, priùs quod cautum oportuit, postquam comedit rem, post rationem putat. *Id. ibid.* Hoc facilè cumulus aceruatur etiam longo tempore, vno verò die facilè dissipatur. *Euphron.* APOPH. Alphonsus equiti subinde aliquid flagitanti, sed mox quod acceperat profundenti: Si pergam, inquit, tibi dare quę petis, citiùs me pauperem effecero, quàm te diuitem. Nam qui tibi donat, nihil aliud quàm aquam infert dolio pertuso. *Panormit. de reb gest. Alphons.* SIMIL. Plutarchus luxuriosorum vitam quasi quotidie morientem efferri dicebat. *Maxim. serm. de prodigal.* Prodigi emunt voluptate dolorem, ita vt etiam hic locum habeat illud poëtæ :

Sperne voluptates, nocet empta dolore voluptas.

EXEMPL. Filius prodigus, *Luc. 15.* Caligula Imper. vicies septies millies HS hoc est 675. tonnas auri vno anno profudit. Plura in hanc sententiam vide suprà ad tit. Parsimon.

AVARITIA. SENTENT. Auaritia damnatur *Exod. 18. 20. 22. 23. Leuit. 19. 25. Deut. 16. Matth. 6. Rom. 1. Ephes. 5. 1. Cor. 6. 2. Cor. 9 Coloss 3. Phil. 4. 1. Tim. 3. & 6.* Non solùm auarus est, qui rapit aliena, sed etiam ille, qui cupidè seruat sua. *August.* Auaritia superabundat in amando, acquirendo, & retinendo, sed deficit in dando. *Anonym.* Auarus antequam lucretur, seipsum perdit, & antequam aliquid capiat, capitur. *August.* Auarus appetit opes in infinitum, ad infernum vsque: atque ita proximus ipsius vicinus est Diabolus. *Anonym.* Auaro tam deest quod habet, quàm quod non habet. Credenti totus mundus diuitiarum est, infidelis autem obolo indiget. *Hier. ad Paulin.* Auarus terrena esurit vt mendicus : fideles contemnit vt dominus. *Bernhard. serm. 20. super Cant.* Ibidem dicit, auarum non esse pecuniæ dominum, sed seruum; non possessorem, sed custodem. *Ibid. serm. 39.* Auaritia rotis vehitur quatuor vitiorum, quæ sunt pusillanimitas, inhumanitas, contemtus Dei, mortis obliuio. Porrò iumenta trahentia, tenacitas & rapacitas, & his ambobus auriga vnus præsidet, habendi ardor. Sola quidem auaritia, quia conducere plures non patitur, vno contenta est seruitore. Boët. de consol. Philos. l. 1. met. 2.

Si quantas rapidis flatibus incitus
Pontus verset arenas,
Aut quot stelliferis edita noctibus
Cœlo sidera fulgent :
Tantas fundat opes, nec retrahat manum
Pleno copia cornu :
Humanum miseras haud ideo genus
Cesset flere querelas.

Auson.

Quis diues? qui nil cupiat. Quis pauper? auarus.

Tenaces sunt, qui cum suis belligerant geniis parcipromi. *Plaut. Trunc.* Hoc seculo auaritiæ tantùm artes coluntur. *Plin. procem. lib. 14. Plautus Trin.* Ciui immunifico scis quid cantari solet? Quod habes, ne habeas : & illud, quod nunc non habes, habeas malum : quandoquidem nec tibi bene esse pati potes, nec alteri. Φιλαργυρία μητρόπολις πάντων κακῶν, *Cupiditas arx omnium malorum. Bion.* Cupiditati nihil est satis, naturæ etiam satis est parum. *Sen. 2. de consol. c. 11.* Tenaces sunt similes Diogeni Cynico, qui rogatus, Cuiusmodi vinum libentiùs biberet. Alienum respondit. *Laërt.* Semper cupere nihil aliud est, quàm semper miserum esse. *Anon.* Auari miseriores sunt mendicis. Illi enim exiguo, hi multo egent. *Sen.* Pauper quis? auarus. *Bion. Auson.* Non qui parum habet, sed plus cupit, pauper est. *Sen. de paup.* Egestatis genus grauissimum, in diuitiis inopia. *Id. epist. 75.* Argentum pallet, ὅτι πολλοὺς ἔχει ἐπιβολεύοντας, quia multos habet insidiatores. *Dion. Laërt.* APOPH. Bion de diuite quodam dicebat, Hic facultates suas non possidet, sed ipsum possident facultates. *Laërt. l. 4. c. 7.* Democritus dicebat, auaros esse procuratores diuitiarum, non dominos. *Max. serm. 12.* Idem aiebat, Cupiditas plurium amittit præsentia, vt canis Æsopicus. *Stob. serm. 10.* Diogenes interrogatus, quænam essent feræ pessimæ, In montibus, respondit, vrsi & leones, in ciuitatibus publicani & sycophantæ. *Max. serm. 22.* ADAG. A mortuo tributum exigere : Vndecunque lucrum captant : Non curat numerum lepus: Charybdis : Barathrum: Preminumnius : Euclio : Exigit à statuis farinas : Lucri est bonus odor ex quâlibet re. SIMIL. Auarus est similis inferno, qui nunquam satiatur, est cæcus; est similis hydropico, de quo dicitur :

Quò plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.

Auaritia est morbus insanabilis, fornax inextinguibilis, tyrannis incredibilis, flamma vehemens, idololatria turpis, & ex homine facit lupum, vrsum, vulturem. Auaritia est triceps inferorum Cerberus, cuius capita sunt quæstus, tenacitas, & illiberalitas, vox vndique oblatrans est illa apud *Iuuen. satyr. 14.*

Vnde habeas quærit nemo, sed oportet habere.
Hoc monstrant vetulæ pueris quærentibus assem,
Hoc discunt omnes ante alpha & betha puelli.

EXEMPLA. Pastores Abraham & Loth. *Gen. 13.* Laban, *Gen. 31.* Balaam, *Num. 22.* Achan, *Ios. 7.* Filij Samuelis, *1. Samuel. 8.* Nabal, *1. Sam. 25.* Gehasi, *2. Reg. 5.* Iudas proditor, *Matth. 26.* Adolescens, *Marc. 10.* Simon Magus, *Act. 8.* Innocentius III. Papa, cùm magnam haberet pecuniæ vim, dicebat Thomæ Aquinati: Vidésne Thoma, Ecclesiam non ampliùs, sicut olim cùm primùm inciperet, dicere posse, Aurum & argentum non habeo. Mox respondit Thomas, Sancte Pater, fatendum hoc est : sed Ecclesia modò non potest, sicut primitiua, ad claudum dicere, Surge, ambula, sanus esto. Illustre sordium exemplum hoc est. Cùm Theodorus Gaza exhiberet Sixto IV. Romano Pontifici libros Aristotelis de animalibus ex Græco conuersos, quod fieri non potuit, nisi ab eruditissimo in vtraque linguâ, & liber esset ornatus aureis laminis, interrogauit Pontifex : Quanti constaret ornatus; dixit minister, quadraginta aureis : totidem ei & præterea nihil dari iussit. Nimirum Pontifices antiquum obtinent : quâ de re Ioannes monachus eleganter introducit colloquentes Papam & laicum.

Intus quis? Tu quis? Ego sum. Quid quæris? Vt intrem.
Fers aliquid? Non. Sta foris. Fero quod satis. Intra.

Nota sunt exempla. Tâtali & Midæ. Suetonius narrat, Vespasianum, etsi aliis summis virtutibus fuerit præditus, tamen hâc labe, videlicet nimiæ pecuniæ cupiditate infectum fuisse. Itaque rapacissimos homines de industriâ solitus est ad amplissimas functiones promouere, vt locupletiores mox condemnaret : ita vt his vulgò pro spongiis diceretur vti, quòd quasi & siccos madefaceret, & humentes exprimeret. Reprehendenti filio Tito, quòd etiam vrinæ vectigal commentus esset, pecuniam ex primâ pensione admouit ad nares, sciscitans num odore offenderetur. Et illo negante, Atqui, inquit, è lotio est. Hattonis episcopi crudelissima auaritia nota est. Hîc inseram historiolam lepidam. Duo fratres illustri loco nati, vesperi contemplantur sydera. Ibi vnus, Vtinam, inquit, tot haberem boues, quot cœlum stellas. Tum alter : O si mihi esset pratum æquè magnum atque cœlum! Vbi tum, frater optime, pasceres tuos boues? In prato tuo, ait ille. Sed alter negare se hoc permissurum: ambo ad rixas venire: se tandem confodere. Calipha Beldacensis auri erat sitientissimus. Hunc prælio captum Princeps Tartarorum ita tractari iussit, vt loco eduliorum præter patinas auro plenas nihil offerretur, additis his verbis:

Sume, vora; rebus præ cunctis illa cupisti :
Sume, vora, & tandem te saturato semel.

HIEROGLYPH. Manus & brachia sunt symbola auaritiæ : manus sinistra compressa, tenacitatis.

EMBLEMA :

Heu miser in medijs sitiens stat Tantalus vndis,
Et poma esuriens proxima habere nequit.

Nomina

Nomine mutato de te dicetur auare,
Qui quasi non habeas, non frueris quod habes.
Item:
Septitius populos inter ditissimus omnes,
Nil præter betas duraq; rapa vorat.
Est asino similis, qui dorso obsonia gestat,
Seq; rubo aut durâ carice pauper alit.
Item:
Hispanum ad cœnam mercator Belga vocarat,
Hispanus hic vinum bibens vernaculum
Miratur, Belgis vnde hæc sit copia vini,
Tum Belga lepidè infit: Quid hoc dicam? sciet:
Nos bibimus vinum, quod vestris crescit in oris,
Sed vos aselli ad instar vndâ viuitis.

APOLOG. Cùm diuiti essent duæ filiæ, déque his altera obiret diem suum, conducuntur mulieres præficæ, quarum luctum admirata filia superstes, Quanta, inquit, hæc est infelicitas, hoc posse facere alienas, cùm nos id nequeamus?

HOSPITALITAS. SENT. Hospitalitas commendatur *Deut.*10.*Esa.*58.*Matth.*25.*Luc.*14.*Rom.*12.1.*Tim.*3.*Tit.*1.*Hebr.*13.1.*Pet.*4.*Luc.*1 Ille homo dicitur humanus, qui se hominem exhibet, & suscipit hospitio hominem. *August.* Disce, Christiane, sine discrimine exhibere hospitalitatem, ne fortè cui tu domum clauseris, cui humanitatem negaueris, ipse sit Christus. Melius igitur est, malum etiam sub specie boni recipere, quàm bonum excludere. Meliùs fertur malus, quàm excluditur bonus: tolerabilius est, ingratum recipere, quàm Christum excludere *Id. contra hæres.* Est publica species humanitatis, vt peregrinus in hospitio non egeat. *Ambros. de offic.* Iupiter est supplicatorũ & hospitum honorator. Hom. ὀδύσσ. 1. In bono hospite atque amico quæstus est quod sumitur. *Plaut. Mil.* APOPH. Cleomenes cùm amicus quidam hospiti nihil apposuisset nisi vinum nigrum, & panem igni duratum, excandescens dixit: Erga peregrinos non oportet λακωνίζειν. *Plutarch. in Lacon.* Cùm Lucullus Græcos quosdam per dies aliquot magnificè tractasset, ac illi mirarentur, quòd tantùm suâ causâ faceret: Nonnihil, inquit, ô hospites vestrâ causâ, sed maxima pars Luculli gratiâ. *Plut. in Rom. Apoph.* ADAG. Haud vnquam arcet ostium: Semper aliquis in Cydonis domo: Fores habet tritas. SIMILITVD. Vt piscator reti attrahit pisces, & nonnunquam aurum & margaritas: ita homo hospitalis reti suo captat homines, sæpe piscatur angelos & virtutem *Chrysost. de Laz.* Hospitalitas est reip. vexillum, ex quo illa noscitur. EXEMP. Abraham, Loth, Raguel, Rahab, Iob, vidua Sareptana & Sunamitis, Martha, Zachæus. Apud Lucanos lege cautum erat, vt si quis sole occidente diuertentes hospites, notos ignotósve, domo arceret, κακοξενίας teneretur, multámque eo nomine pecuniam penderet. *Alexand. ab Alexand. l.* 4. *c.* 10. Samaritani erant inhospitales erga Christum, *Luc.*9. Ægyptij & Lacedæmonij hospites à finibus suis pellebant. Apud Indos nonnisi triduo diuersari licebat hospiti. Hispani hodie dicuntur valde hospitales.

ELEEMOSYNA. SENT. Eleemosyna commendatur *Exod.*22.*Psal.*41.*Prou.* 2. *&* 3.*Dan.*4.*Matth.*6.19.25.*Luc.*19.*Actor.*2.6.10.*Rom.*12.1.*Cor.*16.2.*Cor.*8.*Eph.*4. Si potes dare, da: si non potes, affabilem te fac. Coronat Deus intus bonitatem, vbi non inuenit facultatem. Nemo dicat, non habeo. Charitas de sacculo non erogatur. *Aug. in Psal.* 103. De iustis laboribus facite eleemosynas. *Id. serm. de diuite.* Dicit tibi Christus, Da mihi ex eo, quòd dedi tibi, de meo quæro: da & redde: habuisti me largitorem, fac me debitorem, habeam te fœneratorem. Temporalia mihi das, æterna tibi restituam. *Id. de verb. Domini.* Si non pauisti, occidisti. *Id.* Pars sacrilegij est, rem pauperum dare non pauperibus: laudent te esurientium viscera, non ructantium opulenta conuiuia. *Hier. in epist.* Manus pauperis est gazophylacium Christi, & quidquid pauper accepit, Christus acceptat. Da ergo pauperi terram, vt accipias regnum: da micam, vt accipias totum: da pauperi, vt detur tibi: quia, quidquid pauperi dederis, tu habebis: quod pauperi non dederis, habebit alter. *Petr. Rauen. in serm.* Iacob. Bill. anthol. sacrâ:

Quisquis pauperie pressis se præbet acerbum,
Cuncta licet teneat, nil tamen ipse tenet.
O quæ stultitia est! Deus emit sanguine seruos,
Mercari exiguo nos piget ære Deum.
Ergo:
Ære iuua modico quæsitos sanguine Christi.

APOPHTHEG. Demosthenes dicere solebat, æquum esse, vt pauperes piè foueantur. *Stob.* Aristoteles reprehensus à quodam, quòd eleemosynam dedisset improbo: Non dedi, ait, homini, sed humanitati. *Laërt. l.* 5. *c.* 1. Amadæus Sabaudiæ dux rogatus à quibusdam legatis, an etiam haberet canes venaticos, ingentem mendicorum multitudinem vnà discumbentium eis ostendit: atque hi sunt, ait, canes mei, quos alo quotidie, quibúsque cœlestem gloriam me spero venaturum. *Munsterus* 2. *Cosmogr.* SIMIL. Vlmus infructuosa sustentat vitim: sic opes infructuosæ collatæ in pauperem sustentant & nos & illos. Vt agricolæ si frumenta domi conclusa tenent, nihil inde habent vtilitatis, si verò in terram disperserint, non modò non custodiunt, sed etiam augent: ita eleemosyna est semen, quod multiplici cum fœnore reddit fructus. Hilari ergo animo spargamus hoc semen, vt centuplum fructum accipiamus. Non imagines templorum auro onerare, sed pauperes, viuas Dei imagines, eodem ornare debemus. EXEMPL. Abdias 1.*Reg.*19. Tobias senior; Cornelius centurio *Actor.*10. Basilius M. episcopus Cæsariensis fame grauissimâ facultates suas vendidit, & frumento comparato pauperes aluit, etiam liberos Iudæorum. Philippus Hassiæ Landgrauius ex monasteriis fecit hospitalia. Ordines fœderati Belgici omnibus nationibus antestant & prælucent liberalitate eleemosynariâ, vel potiùs magnificentiâ.

CAPVT XXIII.

De Mansuetudine.

PRÆCEPTA.

EXPOSITA est probitas simplex: exponenda restat probitas coniuncta, quæ simul nos & alios respicit.

Et regit præcipuè affectum, vel signa affectus.

Affectum præcipuè regit mansuetudo, humilitas, & concordia.

Mansuetudo est, virtus, iræ & vindictę moderatrix.

Estque lenitas, vel clementia.

Lenitas est mansuetudo, per quam homo in irascendo modum seruat.

Clementia est mansuetudo, per quam homo in vindicando & puniendo modum seruat.

Lenitatis excessus est iracundia; defectus, lenitudo.

Clementiæ excessus est crudelitas; defectus, indulgentia.

REGVLÆ.

I. *Mansuetudo versatur in modo iræ: hoc est, iram inordinatam moderatur, obortam compescit, & vindictam refrænat; vnde appellatur frænum iræ.* Mansuetudo occupatur circa irã.

PHilosophis appellatur virtus animosa; quia versatur circa obiectum difficile, affectum videlicet valde humanum, iram & vindictam; dum facit ne ira efferuescat, irascibilique potentiâ impotenter abutatur. Iram itaque compescit, ne vim faciat rationi, eamve recto statu moueat: nosque ad veniam quàm vindictam reddit promtiores: quæ omnia sunt impendio difficilia: vnde dici solet, Iracundiam qui vincit, hostem superat maximum. Et: Bis vincit, qui seipsum vincit. Ideo nihil laudabilius, nihil magno & præclaro viro dignius placabilitate & clementiâ, vt ait Cicero. Hinc Plautus pronuntiat eos semper probiores, qui animum vincunt, quàm quos animus.

II. *Obiectum mansuetudinis internum est ira, externum pœna.* Obiectum mansuetudinis duplex.

HÆc enim virtus non solùm iram iustè moderatur, sed etiam pœnam mitigat, dum vindictæ cupiditatem refrenat: cupiditatem dico vindictæ, de quâ Iuuenalis ita canit, vel potiùs latrat:

Est vindicta bonum vitâ iucundius ipsâ.

III. *Partes consuetudinis tres sunt, lenitas, placabilitas, & seueritas.* Partes mansuetudinis quæ?

L*Enitas est*, quâ nobis temperamus ab omni irâ inordinatâ. Hæc si cui desit, is ad quotidiana vitæ negotia non magis aptus erit quàm asinus ad pulsandum lyram. Hoc intellexit Demonax, qui interrogatus ab aliquo, quo pacto posset delegatam sibi prouinciam optimè administrare: Si, inquit, iracundiâ vacaris. Et Pyrrhus iis, quos in certaminibus gymnicis exercebat, præcipere solebat, ne irascerentur, quòd ira perturbet artem. Ideo Archytas villicum, quòd esset iratus, castigare noluit. *Placabilitas* offensam nobis factam facilè obliuiscitur, ac condonat, & in pristinam cum eo qui nos offendit, affectionem reducit. Alio nomine dicitur ignoscentia, de quâ Cicero: Animi optimorum hominum sunt sæpè irritabiles, sed iidem placabiles.

IV. *Iram inordinatam frænare debemus.* Ira inordinata frænanda.

IRa est triplex; passio seu affectus, virtus, & vitium. Affectum & vitium frænare debemus: virtutem colere. Nam ira inordinata est furor breuis, & vitium puerile iuxtà & muliebre. Sed ira ordinata est cos fortitudinis, stimulus officij, & satelles

satelles rectæ rationis. Hinc peripatetici dicunt, non esse virum, qui nesciat irasci. Ira autem ordinata est, quâ non subitò irascimur, sed primùm impetum cohibemus; neque irascimur inanimatis, brutis, infantibus, per ignorantiam delinquentibus, vel denique superioribus & maioribus: sed ita irascimur, vt gloriam Dei asseramus, & officium nostrum tueamur. Iræ autem frænum est recta ratio, quam philosophus vocat cor animæ, Plato caput mentis & eius alas nominat. Hinc dicitur: Ira rationi accubat tanquam canis pastori.

Remedia iracundiæ.

V. *Certissima iracundiæ remedia sunt preces, humilitas, & cunctatio.*

HÆc enim faciunt, vt miseriæ nostræ simus memores, vt omnia reuocemus ad rectam rationem, vt vitemus crapulam (magistram illam iracundiæ,) & denique sectemur placidos. Mora quoque est iræ medela, vt ait Plinius: ideo Plato, qui cùm seruum aliquando iratus verberare vellet, retrahens se dixit: Vapulares nisi iratus essem. Iram quoque tollit item famis sedatio. Nam famelici facilè stomachantur. Vitandæ quoque suspiciones temerariæ, ac perpendenda exempla illorum quibus ira nocuit. Denique cogitandum, satiùs esse perferre iniuriam quàm inferre. Atque hæc sunt media moralia. Naturalia sunt, quæ præscribuntur à medicis. Cùm enim cor excitatum à felle incalescit, ac calore suo incendit circumfusum sanguinem & spiritus vitales, vnde cerebrum irritatur, totúmque corpus alteratur, videntur remedia naturalia præscribi posse contra iram, ea scilicet quæ choleram obtundunt.

Vindicta licita & illicita quæ?

VI. *Vindicta quæ dicitur officij & defensionis, est licita, non autem illa, quæ dicitur affectus offensionis.*

SVnt enim tres gradus vindictæ: videlicet diuina, publica, & priuata. Vindictæ diuinæ exempla sunt, diluuium, conflagratio Sodomorum, submersio Pharaonis, iaculum Iuliani è nubibus acceptum, mors Arij in cloacâ. Vindicta publica est magistratus legitimè vocati: & ea quidem vel iusta, vel iniusta. Iusta, quando magistratus vindicat peccata, tanquam vicarius Dei secundùm leges. Hoc ius vindictæ exercuerunt Moses & Iosua. Iniusta, quando ille excedit modum in vindicando, abreptus affectibus, & aliquid humani patiens. Ita Manasses in Esaiam crudeliter, Dauid in Vriã libidinosè pœnam decreuit. Priuata vindicta similiter est iusta, vel iniusta. Iusta est vel simpliciter priuata, vel secundùm quid. Simpliciter priuata est, si quis nocturnum furem occidit, si aliquis in angustias redactus interficit alium, quod dicitur moderamen inculpæ tutelæ: cùm quis liberos & vitam defendit contra vim latronis, vel alterius, iugulum ipsius petentis, cuius manum effugere non potest: & denique cùm maritus zelotypus adulterum obtruncat ἐπ᾽ αὐτοφόρῳ deprehensum. Vindicta secundùm quid priuata est, cùm præterfamiliâs tanquam rex familiæ vindicat peccata domesticorum: cúmque aliquis apud ordinarium magistratum conqueritur de iniuriâ, & ita vindicat suam innocentiam. Et hoc vocant repetere vindictam. Hîc itaque grauiter peccant Anabaptistæ, qui dilectionis regulam ita extendunt, vt vindictæ nullum planè locum relinquant. Publicam enim non agnoscunt, quia magistratum in N. T. non agnoscunt. Priuatos verò homines hîc stupidos & Stoicos, id est, lapides, fungos, & stipides efficiunt, vt interfici liberos, diripi domum, ferro & igni omnia vastari, videant sine condolentiâ, sine propulsandi conatu: atque ita tollunt legem naturæ: Defende teipsum. Sanè diligendus est proximus, sed ita, vt vitia odio habeantur, & à magistratu puniantur. Vindicta priuata iniusta est, cùm quis iniurias verbales, reales, & personales, ita prosequitur, vt conuitium conuitio, & maleficium maleficio retaliet, sempérque illud tanquam Gorgonis caput obiiciat: vim vi repellere licet, quasi nulla sit charitatis regula, quæ vindicandi studium possit & debeat temperare. Hoc vitio laborarunt Iudæi, qui ex lege de pœnâ talionis iudicibus latâ *Deut.* 19. nihil non licere sibi credebant. Vnde Christus *Matth.* 5. prolixè disserit contra abusum legis istius.

Mansuetudinis officia quæ.

VII. *Tria sunt mansuetudinis officia.*

PRimum est, leues iniurias, putà conuitia inscitiæ, & ignobilitatis, stoliditatis, paupertatis, dissimulare, contemnere, & prorsus condonare: item tolerare & condonare communes hominum næuos, de quibus dicitur, *Amici mores noueris, non oderis.* Alterum est, in veris iniuriis, non tamen atrocibus, potiorem habere publicæ tranquillitatis, & salutis, quàm priuati doloris rationem. Tertium in atrocibus iniuriis legitimo modo se defendere, sed tamen in animo remittere coram Deo. In hâc igitur virtute in primis eminet ἐπιείκεια & misericordia. Illa in persequendis iniuriis remittit aliquid de summo iure, & tolerat in aliis multas infirmitates. Sicut autem in Logicis methodus prudentiæ non euertit methodum sapientiæ, sic æquitas non tollit iustitiam, sed summum ius temperat ratione circumstantiarum. Hæc dolore afficitur in alienâ calamitate, præsertim bonorum & seductorum hominum, & probabili ratione lenit pœnas & opitulatur miseris: idque vel propter iustitiam, vt cùm sæuitur erga innocentes; vel propter bonitatem relaxantem aliquid de summo iure, vel quia nobis quoque in cõmuni societate aliorum misericordiâ opus est. Cæterùm mansuetudo ita frænat iram immoderatam, vt simul etiam ardeat irâ moderatâ: & tum dicitur Nemesis; quò pertinet ira heroica, vt appellat Melanchthon. Sic Moses indignatione exardescens confringit vitulum aureum, & Phinees interficit scortatorem. Ira ista in Ecclesiæ doctrinâ vocatur zelus, qui subordinatur mansuetudini. Ad hanc virtutem (cuius studium nobis perquàm accidit difficile) nos impellent sequentia. 1. Mandata Dei, coniuncta cum seuerissimâ comminatione, *Matth.* 5. 6. & 18. & *Luc.* 6. 2. Exemplum Dei, qui ex immensâ suâ misericordiâ nobis atrocissima remittit peccata, & pœnas mitigat. Hinc quo naturæ sunt præstantiores, generosiores, & Deo similiores, eò sunt mitiores & placabiliores, sicut dicitur:

Quò quisq; est maior, magis est placabilis iræ,
Et faciles motus mens generosa capit.

E contrario, quò naturæ sunt deteriores & imbecilliores, eò sunt cupidiores vindictæ, & tenaciores offensionum, hoc tamen cum grano salis est accipiendum. Nam res ita se habet, si bilis flaua sit subtilis, si verò bili flauæ admiscetur melancholia, tum tardior est ira, sed durabilior. Sic multæ heroicæ naturæ, quibus est sanguis melancholicus, fouent iram quàm diutissimè, quæ sæpe in furorem vertitur, vt in Hercule, qui se præcipitauit in cauernas Ætnæ: & in Aiace, quem ira ad furorem & mortem deduxit. Vt autem in Deo sic præcipuè in principibus & gubernatoribus, qui sunt vicarij Dei, bonitas & clementia, eminere debet. 3. Propriæ infirmitates & peccata, quibus & diuinâ & humanâ remissione opus est. Quare cùm alios nobis remittere velimus, ignoscamus aliis quoque, iuxta illud Nazianzeni:

Si scis alijs te debere mortalibus,
Visq; alios tibi næuos tuos remittere,
In alios & tu vtaris mansuetudine,
In mites namq; est Deus mitis Pater.

Sic currat nobis illud Lucretij, poëtæ vetusti:

Denique cœlesti sumus omnes semine oriundi:
Omnibus illi idem pater est. ——————

4. Consideratio vtilitatum, quas hæc virtus adfert. Nam ita fit, vt gratiam Dei non amittamus, vt communi tranquillitati, priuatæ quieti & commoditati, famæque nostræ consulamus. Sic Basilius cedit episcopo Eusebio, ne Ecclesiam Cæsariẽsem turbet. Scipio cedit tribunis, ne patriam bello ciuili implicet. Et quod attinet ad forenses lites, quotidianæ litigantium querelæ docent, causidicorum artem præcipuam esse lites extrahere, vt pecuniâ clientes emulgeant: & experientia docet, tandem cùm annos multos litigatum est, etiamsi obtinetur sententia, tamen satius futurum fuisse, si initio dimidium eius rei, de quâ disceptabatur, sumtum fuisset, quàm vt tantâ sumtuum, ingenij, & temporis iacturâ fieret. Consulimus etiam hâc ratione nostræ famæ; quæ etiam cùm iustam litigandi causam habemus, multipliciter ab aduersariis deformatur, vt monent hi veteres versiculi:

Hoc scio pro certo, quòd si cum stercore certo,
Vinco vel vincor, semper ego maculor.

5. Consideratio exemplorum, vt alibi, sic & hîc plurimùm potest. Deus tolerat & condonat peccata generis humani, Christus est humilis & mitis corde, *Matth.* 11. Moses est mitissimus omnium hominum, *Num.* 12. Dauid parcit Simei & Sauli, 1. *Reg.* 24. Cyri & Agesilai apud Xenophontem tanta prædicatur clementia, vt in summo imperio, non modò nihil sæuum & crudele facerent, sed etiam ne verbum quidem asperiùs efferrent. Pericles iubet deduci cum lychno eum, à quo totum diem in foro conuitiis proscissus fuerat. Socratis, Aristidis, Phocionis, mansuetudo nota est. M. Antonius apud Volcatium scribit: *Non enim quidquam est, quod Imperatorem Rom. meliùs commendet, quàm clementia. Hæc Cæsarem deum fecit; hæc Augustum consecrauit, & Antonium Pij nomine ornauit.* Ipse siquidem seditiones mansuetudine compressit, inque ipsâ herba extinxit, & semper pacem amauit, illud Scipionis vsurpans: Malle se vnum ciuem seruare, quàm mille homines occidere. Hâc quoque virtute fuit præditus Aurelianus Cæsar, qui cùm Thyana Bithyniæ vrbe obsessâ fortè per iracundiam dixisset, se ne quidem canem in eâ ciuitate incolumem relicturum, eáque voce milites in spem prædæ erexisset, captâ demum per proditionem ciuitate, vnum proditorem occidi passus est, reliquis omnibus parcens ciuibus. Cùm verò milites direptionem ciuitatis flagitarent: Agite, inquit, canem negaui me relicturum, canes omnes occidite. Sic eodem pacto & proditori patriæ suam mercedem rependit, & militum elusit auaritiam, singulari vsus clementiâ, cùm veniam daret his quibus veniâ opus fuit, vt sunt verba Senecæ.

Augu

Auguſtus tolerat Cinnam, Fabius magnâ firmitate animi tolerat magiſtrum equitum,& ei opitulatur,ne diſcordia eorum noceat Reip. vnde Ennij verſus:

Non ponebat enim rumores ante ſalutem.

Conradus Imp. parcit Guelfo duci Bauariæ, adductus coniugis Guelfi & cæterarum nobilium matronarum ſtrategemate. Cùm enim mulieribus permiſſum eſſet, vt ex arce obſeſsà diſcederent ſecum ferentes, quantum quæque geſtare poſſet, ipſę ſuos maritos & liberos in humeris aſportabant. Quod adeò placuit Imperatori, vt omnibus pepercerit, teſte Nauclero. Quidam rex Poloniæ, cùm, inſtigaretur, vt ſupplicio afficeret eum qui dixerat, regem apud omnes malè audire, ioco vſus dixit, Malo vnum hominem apud omnes, quàm omnes apud vnum malè audire. Hæc itaque virtus præcipuè in gubernatoribus eſt neceſſaria: quia nihil magnum niſi placidum, vt ait Seneca. Et benè Plutarchus: Imitetur, inquit, princeps ſolem, qui, cùm venit in ſummum faſtigium, tardiùs mouetur. 6. Conſideratio turpitudinis & noxæ contrariorum vitiorum conducit ad huius neceſſariæ virtutis ſtudium. Quid enim? Annon deteſtamur crudelitatem in Syllâ & Domitiano? Annon iracundiam Theodoſij & Mauritij auerſamur? Annon vindictæ cupiditatem in Hecubâ, quæ volebat hoſtem ſeruire æternùm, odimus? Annon ἐπιχαιρεκακίαν Simei inſultantis Dauidi execramur? Annon liuorem proſcriptum volumus? 7. Manſuetudinis mater eſt timor Dei, obſtetrix humilitas, nutrix diligentia in vocatione. Ambroſius Theodoſio hanc ſatisfactionem impoſuiſſe dicitur, quam antea Auguſto Athenodorus tradiderat, vt iratus nullum verbum proloqueretur, priuſquam alphabetum Græcum recitâſſet: vel, vt alij commemorant, priuſquam orationem Dominicam percurriſſet. Sed certius remedium iracundiæ nos modò propoſuimus. Præſentius enim, honeſtius, & efficacius nullum eſſe poteſt, quàm hoc, ſi in timore & inuocatione Dei diligenter & fideliter noſtræ vocationis officia faciamus, & humilitati ſtudeamus. Atque hoc ipſum etiam eſt remedium aduerſus inuidiam & æmulationem, quæ virtutem aſſectatur, vt vmbra corpus. Nam ſi in timore Dei faciamus officium, & omni ſtudio humiliter conemur aliis antecellere virtute ac laboribus, ac interea oſtendamus, nos ne quidem moueri æmulorum liuore, multò minùs offendi, aut dolore affici, ægrè faciemus inuidis, & cum Stigelio canemus:

Paſcere liuor iners odio, ſalutare furore;
Mors tua, recta Deum facta colentis, erunt.

Cæterùm indulgentiæ & lenitatis noxa etiam conſideranda eſt manſueto, ne ipſi occinatur illud:

Stulti dum vitant vitia, in contraria currunt.

Et:

Incidit in Scyllam, dum vult vitare Charybdim.

Eſt autem admodum noxia indulgentia in omni ſocietate: quia nullos habet motus excitatos, qui iraſcantur ſceleribus & turpitudini, quod Nemeſis omninò exigit. Neque verò dicta Chriſti de remiſſione offenſionum impediunt, ſed è contrario ſanciunt pœnas in omni vitæ ſtatu, publicas & priuatas. Stulti igitur eſt hominis & ſenſu carentis, non iraſci cùm oportet. Diſtinguendum igitur eſt inter iram moderatam & immoderatam, quarum illa dicitur ira officij, Germanis *amptzorn.*

Seueritas irâ legitime perſequitur.

VIII. *Seueritas iram proſequitur, id eſt, concipit & alit prout par eſt.*

HÆc iraſcitur quando & quomodo decet. Nec enim tempore quolibet, nec quomodolibet iraſcitur. *Non tempore quolibet.* Tum enim iraſcitur 1. cùm iuſtas habuerit cauſas ſuccenſendi, vt ſi noſtra periclitetur exiſtimatio, ſi homines innocentes & miſerabiles premantur. Ad leuiora enim vel ſilendum, vel parcè reſpondendum. 2. Cùm adſunt perſonæ, quibus iraſci conuenit: vt ſi res nobis ſit cum improbis, qui ſcientes volentes nos lædunt. *Non quomodolibet*: quia facit vt nec lenti ſimus, nec iracundi. Facit item, vt innocentiam aduerſariis non ebriis, (i. e. cùm ipſorum animus adhuc eſt in fermento) ſed ſobriis declaremus, abſque conuitio & firmiſſimis argumentis propoſitis, placidiſſimè: vt denique fugiamus contentioſos, qui nolunt eſſe contenti argumentis innocentiæ noſtræ.

Quot modis peccetur circa virtutes iræ moderatrices?

IX. *Claſſes illorum qui hic delinquunt, ſunt quinque.*

1. IRacundi & ſtomachabundi; qui leui de causâ pugnis diſſerere incipiunt, quales ſunt plagoſi Orbilij in ſcholis; item fratres Achillis, quem Homerus vbique facit minabundum, & opus ſuum ab irâ Achillis auſpicatur. 2. *Homines acerbi*; qui iram conceptam diutiſſimè fouent, contra quos notetur illud Senecæ: *Iniuſtus eſt, qui depoſitis armis mentem retinet armatam.* Hoc vitium dicitur amarulentia. 3. Ἀνθρωπάρεσκοι; qui vſque adeò amant homines, vt nec illorum vitiis ſuccenſeant. Hac de re notetur verè regia & magna Alexandri Magni vox, qui dicebat Hephæſtionem eſſe φιλαλέξανδρον, Cratereũ verò eſſe φιλοβασιλέα, innuens, illum eſſe aſſentatorem, hunc verum philoſophum. 4. *Sanguinarij & crudeles*; qui nonniſi vindictâ ſedari poſſunt; quod vitium dicitur beſtialitas. 4. *Incendiarij & tubæ litium & bellorum*; qui alios ad iracundiam incitant, quíque perſonas oderunt, non autem vitia perſonarum.

FLORILEGIVM.

MANSVETVDO & CLEMENTIA. SENT. Manſuetudo commendatur *Ioſ.* 7. 1. *Sam.* 25. *Prouerb.* 3. & 5. *Matth.* 5. *Gal.* 5. *Eph.* 4. *Coloſſ.* 3. 1. *Tim.* 6. 2. *Tim.* 2. *Tit.* 3. Mites ſunt, qui cedunt improbabilitatibus, & non reſiſtunt malo, ſed vincunt in bono malum. *Aug. ſerm. Dom. in mont.* Beatus, qui ſeueritatem & manſuetudinem tenet, vt altero diſciplina ſeruetur, altero innocentia non opprimatur. *Ambroſ.* Regat diſciplinæ rigor manſuetudinem, & manſuetudo ornet rigorem: & ſic alterum commendatur ab altero, vt nec rigor ſit rigidus nec manſuetudo diſſoluta. *Gregor.* 19. *mor.* Magna eſt virtus, ſi non lædas, à quo læſus es. Magna eſt fortitudo, ſi etiam læſus remittas. Magna eſt gloria, ſi cui potuiſti nocere, parcas. *Iſiodor. ſoliloq.* 2. Exemplum omnium ſummæ clementiæ ipſum habemus omnium ſeruatorem Chriſtum. *Cyrill.* Paratus eſſe debet homo pius & iuſtus, patienter eorum malitiam ſuſtinere, quos fieri bonos optat: vt potiùs numerus creſcat bonorum, quàm vt pari malitiâ ſe quiſque numero addat malorum. *Auguſt. ſerm. de puero centur.* Primum iuſtitiæ officium eſt, coniungi cum Deo; ſecundum cum homine. *Lact. lib.* 6. Summum inter homines vinculum eſt humanitas; quod qui diſruperit, nefarius & parricida exiſtimandus eſt. *Id. l.* 6. *Inſtit.* vbi plurima hanc in ſententiam adfert. *Terent.* Reipsâ reperi, fallacitate nihil eſſe homini melius atque clementiâ. Ouid. 3. Triſt. eleg. 5.

Corpora magnanimo ſatis eſt proſtraſſe leoni;
Pugna ſuum finem, cùm iacet hoſtis, habet.
At lupus & triſtes inſtant animantibus vrſi,
Et quæcunque minor nobilitate fera eſt.

Claud.

——— *Magni cuſtos clementia mundi.*

Seneca in Octauio:

Pulchrum eſt eminere inter illuſtres viros,
Conſulere patriæ, parcere afflictis, ferâ
Cæde abſtinere, tempus atq; iræ dare,
Orbi quietem, ſeculo pacem ſuo.
Hæc ſumma virtus, petitur hac cœlum viâ.

Clementia eſt, quæ alieno ſanguini tanquam ſuo parcit, & ſcit homine non eſſe prodigè vtendum. *Sen. de clem. ad Neronem.* Benignitate atque clementiâ hoſtem vincere, quàm armis præſtat. *Polyb. lib.* 3. Humanum eſt, humanis caſibus ingemiſcere. *Herodian. lib.* 1. Non turpe eſt, domeſticos domeſticis cedere. *Anon.* Eſſe te hominem nunquam exciderit. *Simonid.* Manſuetudo eſt motus animi, vtrunque mundi ſtatum æquali lance penſans. *Cic. off.* Grauitate ac manſuetudine ad virtutem ciuilem maximè opus eſt. *Plut.* APOPH. Cleomenes dicebat, bonum principem hactenus debere eſſe placidum, ne ſit contemtui. *Plut. in Lac.* Socrates rogatus, cur Xantippen, fœminam moroſiſſimam domi aleret, reſpondebat, ſe parare equum ingenij ferocioris. *Laërt.* Philippus placidè auditis Athenienſium legatis, quæſiuit, quâ in re gratum facere poſſet Athenienſibus. Tum vnus ex iis, Si teipſum, inquit, ſuſpendas. Indignantibus regis amicis, ille iuſſit incolumem dimitti hunc Therſitem. *Plut. in apoph.* Alexander M. tantæ fuit clementiæ, vt Darius precaretur à diis, vt aut ſuperare poſſet clementiâ Alexandrum, aut ſi ipſe regno ſpoliaretur, ſolus Alexander in Perſarum regno imperaret. *Bruſ. l.* 3. SIMIL. Clementia iram ſedat, dum ignem igni non coniungit, nec oleum camino addit, dum aquam tepidam humanitatis aſpergit flammis iræ, dum ligna ſubtrahit igni; dum inſtar coqui ahenum feruens paucâ confutat truâ; dum amputat alas iræ, dum hunc adamantem emollit hircino ſanguine. Clemens imitatur agricolam, qui non ſtatim euellit arborem curuam, ſed circumcidit & ſtatuminat. Clementis eſt imitari medicum, qui non ſtatim adhibet Vre-ſeca. Clementia inſtar Solis diſſipat tenebras, & res turbulentas componit. Anima viri mitis eſt iucundior harmoniâ, dulcior & formoſior horto ſeu viridario amœniſſimo, gratior aurâ & Fauonio, columba mitior, oleo trãquillior, & cerâ tractabilior: quæ tria poſteriora vſurpantur etiam prouerbialiter. EXEMP. Moſes, Aſſuerus, Chriſtus; Alexander M. Iul. Cæſar, Auguſtus, & alij Impp. Romani. Clinias in iram prolapſus arripuit citharam Achilles cantando iram repreſſit. Plato diſcipulos iratos iuſſit intueri in ſpeculum. Lacones, qui hanc virtutem tanti fecerunt, vt in publicis ſacris apprecarentur, vt poſſent iniuriam pati. HIEROGL. I. *Leo*; in quo multa indicia ſunt clementiæ. Nam proſtratis parcit, in viros potiùs quàm in fœminas ſæuit, infantes nonniſi in magnâ fame perimit, nec à miſericordiâ ſeparatur, vt ait *Solinus lib.* 4. *cap.* 8. Hinc poëta:

——————— *Eſt nobilis ira leonis,*

Parcere subiectis , & debellare superbos.

2. *Elephantus*, quod animal tantâ est æquitate ac consuetudine, vt crudelitatis alienæ ministerio fungi minimè cogi possit. 3. *Olea*, quæ optimum est lenitatis indicium.

LENTITVDO. Diogenes, cùm Plato laudasset quendam qui erga omnes lenissimus & mansuetissimus esset, respondit, Nil quidquam huic homini tribuendum esse, qui homines dolore, si res postularet, non afficeret. Nimirum sensit homo prudens, lenitatem & mansuetudinem nimiam plurimùm in Rep. obesse. *Laërt. lib.* 6. Intempestiua misericordia erga lupos, est crudelitas erga oues. *Anon.* Hinc poëta:

Blanda patrum segnes facit indulgentia natos.

Archidamidas cuidam Charilaum regem laudanti, quòd pariter erga cunctos mitis fuisset ac mansuetus: Et quâ fronte laudetur aliquis, respondit, qui erga sceleratos se mitem præbeat? Perspexit vir egregius, mansuetudinem cum iustitiâ coniunctam esse oportere. Alioqui principis in facinorosos lenitas, quid aliud est, quàm in bonos crudelitas? *Plut. apoph.*

IRACVNDIA. SENTENT. Iracundia damnatur *Iob.* 36. *Prou.* 18. *Eccles.* 7. *Matth.* 5. *Ephes.* 4. *Col.* 3. 1. *Tim.* 2. Ira festuca est, odium trabs. *Aug. in Psalm.* Non est quærendum, vtrùm quis irascatur, sed quare irascatur? *Id.* 10. *de ciuit. Dei.* Per iram iustitia relinquitur, & sapientia perditur. *Gregor.* 5. *moral.* Hinc poëta:

Impedit ira animum , ne possit cernere verum.

Melior est, qui vincit iram, quàm qui capit ciuitatem. *Cassiod. in Psal.* 5. Ouid.

Vince animos iramq; tuam , qui cætera vincis.

Iracundiam qui vincit, hostem superat maximum. *Pub. Syr.*

Et:

Fortior est , qui se, quàm qui fortissima vincit
Mœnia : nec virtus altiùs ire potest.

Iniustus est, qui depositis armis mentem retinet armatam. *Sen.* Proprium est magnitudinis veræ, non sentire se percussum. Sic immanis fera ad latratum canum lenta respexit: sic irritus ingenti scopulo fluctus assultat. Qui non irascitur, inconcussus persistit: qui irascitur, motus est. *Id.* Longè præstantius est, iracundiam vincere, quàm διὰ χειρὸς διαλέγεσθαι, *pugnis disserere. Gregor. Nyss. de opific. hom.* In contemtu is magnus, qui more feræ latratus minutorum canum securus exaudit. *Sen.* 2. *de irâ. c.* 32. Æquo animo audienda sunt imperitorum conuitia, & ad honesta vadenti contemnendus est iste contemtus. *d epist.* 77. Insipientia est iram in promtu gerere. *Plaut. Pseud.* Ira vitium muliebre & puerile. *Sen.* 1. *de irâ. c.* 16.

APOPHTHEG. Plato monebat auditores, vt se iratos in speculo contemplarentur: vt si viderent se phreneticis esse simillimos, discerent fugere hoc vitium. *Fulg. l.* 7. Aristoteles dicebat, rationem fugere iracundiam tanquam acerbum tyrannum. *Stob. serm.* 20. Epicurus rogatus, quid immoderata ira efficeret? Insaniam respondit. *Senec. epist.* 18. *ad Lucil.* Plato sentiebat, homines iracundioris ingenij ad disciplinas quidem esse idoneos, ad gerendam remp. non item. *Philostr.* Bias dicebat, bono consilio duo esse maximè contraria, festinationem & iracundiam. *Laërt.* Socrates seruo delinquenti, Cæderem te, ait, nisi irascerer. Idem dixit Xenocrates suo famulo. *Sen. de irâ.* Aristippus videns quendam tumultuantem: Ne verba, inquit, per iram proferamus, sed verbis iram compescamus. *Stob. serm.* 18. Sotion dicebat, sapientibus iræ loco esse lachrymas & risum. *Id. serm.* 20. M. Cato iratum ab insano nullâ aliâ re differre dicebat, quàm morâ temporis. *Id. serm.* 18. Cùm Diogenes accuratè dissereret de non irascendo, petulans adolescens periculum facturus, an præstaret ea quæ doceret, inspuit illi in faciem. Tum ille, Non quidem, inquit, irascor, sed dubito tamen an irasci oporteat. *Laërt. lib.* 6. ADAG. In inferno iacere: Mutus fluctus: In fermento esse: Iracundior Adriâ: Mordere frænum: Stomachari: Ignem gladio fodit: Lucernam accendere possis, quod Theocritus protulit hoc modo:

Sic ira incaluit, facilè accendisse lucernam
Ex ipsâ vt possis.

SIMILITVD. Horat. 3. epist. 1.

Ira furor breuis est: animum rege: qui nisi paret,
Imperat: hunc frænis, hunc tu compesce catenis.

Iracundia est perturbatio ferina, perditionis scaturigo, calamitatis socia, flamma vehemens, fluctus decumanus, forum tumultu plenum, equus ferociens, torrens impetuosus, tempesta valida, fumus mordicans, nauis ventis agitata, nauis deserta, currus desertus, aqua turbata, aër nebulosus, præcipitium periculosum, ventus terræ inclusus, & eam concutiens ingenti terræmotu. EXEMP. Cain, Saul, Haman; Achilles statim in primo libro Iliados excandescit, & vbique apud Homerum stomachatur; Cicero; Horatius; Hyeronymus, Theodosius. HIEROGLYPH. 1. *Elephas irritatus.* 2. *Vrsus naso fumans.* 3. *Craticula subiecto igni, & corde imposito;* quâ te sacerdotes Ægyptij depingebant ebullitionem sanguinis circa cor. 4. *Ignis*; qui & alia consumit & seipsum. 5. *Quercus*, arbor asperrima. Sed olea quercum amplexa est signum iracundiæ expugnatæ. Loco *emblematis* sit pictura irati hominis: Flagrant & micant oculi; rubor vel pallor est in ore; sanguis æstuat; venæ intumescunt; labia quatiuntur; dentes concutiuntur; horrent capilli; audiuntur verba tertiata, mugitus, boatus, gemitus; manus complodùntur, pedibus pulsatur tellus; totum corpus contremiscit. APOL. Ictus ab apiculâ vrsus, irâ incensus, in apiarium irruit. Sed apes totis examinibus in ipsum faciunt imperium. Hîc vrsus, Quantò satius fuerat, inquit, vnum apiculæ vulnus pati, quàm tantas copias irritare?

CAPVT XXIV.

De Humilitate.

PRÆCEPTA.

HVMILITAS est virtus, rerum secundarum vsum moderans.

Ei opponitur in excessu superbia, per quam homo in rebus secundis se nimiùm effert: in defectu immoderata depressio, per quam homo in rebus secundis immodicè se infra alios abiicit.

REGVLÆ.

I. *Humilitati studebit homo, si rectè cognoscat Deum, seipsum, & proximum.* Quomodo perueniatur ad studium humilitatis?

ITa enim fiet, vt Deum timeat, modestè de se sentiat, proprium suum officium faciat, auxilium à Deo expectet, proximi dona æstimet. Rectè igitur *Chytræus in reg. vitæ* ait, ad ταπεινοφροσύνης essentiam requiri timorem Dei, modestiam, fiduciam diuini auxilij, patientiam, sedulitatem, iustitiam distributiuam. Humilitas igitur facit, vt infirmitatis nostræ conscij, nos demissè geramus: idque tribus modis, quoad sensum animi, quoad sermonem, quoad omnem externam speciem. Primò enim timorem animi comprimimus, vt eius demissionem perpendamus dictis & factis. Hoc cùm sit perdifficile, prodest fontes tenere, vnde præcipua sumuntur argumenta, quæ nos ad veram humilitatem complectendam exsuscitent. Ni mirum

Despicit alta Deus, quod spretum est tollit in altum:
Quod tumet ante homines, est iocus ante Deum.

Et, *Fastus vbi intumuit, quasi vento turgidus aër,*
Aut vesica tumens aëre, rupta crepat.

Semper itaque nobis obseruentur ante oculos hi versus Senecæ;

Ima permutat breuis hora summis:
Quem dies vidit veniens superbum,
Hunc dies vidit fugiens iacentem.
Et paulò pòst:
Nemo tam diuos habuit fauentes,
Crastinum vt possit sibi polliceri,
Res Deus nostras celeri citatas
Turbine versat.

Hæc considera ô homo, ne tibi accidat, quod Martialis canit:

Ardua res hæc est, opibus non tradere mores:
Et cùm tot Crœsos viceris, esse Numam.

1. Dona nostra proficiscuntur à solo Deo, 1. *Cor.* 4. & 12. non autem nostrâ industriâ parari possunt. Quid igitur gloriatur securis aduersus eum, qui secat cum eâ! vt est *Esa.* 10. de rege Assyriorum: ne igitur superbiamus qui sumus mendici. 2. Deus mandat nobis humilitatem, *Luc.* 16. 1. *Pet.* 5. & alibi. 3. Christus, Filius Dei tantam humilitatem præstitit, vt abiecerit se coram Deo Patre. Pudeat ergo nos nostræ superbiæ, quâ fit vt nostram deformitatem non intueamur, similes pauoni, qui non intuetur pedes deformes, quando sibi placet in remigio & rotâ caudæ. Discamus à Christo, qui mitis est & humilis corde, *Matth.* 11. Et is effectus sit in nobis, qui fuit in Christo, *Phil.* 2. 4. Consideremus nostram fragilitatem. Homo est fœnum & flos agri, vt ait Esaias, & Dauid *Psal.* 103. Et *Pindarus* 8. *od. Pythiorum* eleganter ait: ἐπάμεροι, τί δέ τις, τί δ' οὔ τις; σκιᾶς ὄναρ ἄνθρωποι, id est, *diurnum quiddam sunt homines: quid verò est homo magnus & contemtus?* (*grosz vnd klein hans*) *Vmbræ somnium sunt homines.* Et bene ibi addit: Donec splendor diuinus adest, tantisper lumen hominibus adest & dulcis vita. Miseria & vanitas vitæ nostræ tanta est, vt si in bilance ponamus vitam nostram & ventum vel etiam nihil, altera tamen lanx, continens ventum vel nihil, fit præponderatura. Pensitemus igitur priuatam nostram indigentiam, itemque hominum imbecillitatem in genere. 5. Cogitetur simile membrorum corporis humani: quorum etsi alia aliis sunt præstantiora, tamen non certant inter se ambitione, sed conferunt functiones suas ad communem totius corporis

potis vtilitatem, *Rom.* 12. 1. *Cor.* 12. Pertinent huc illi rhythmi:

Gott gibt nicht alles allen,
Er theilt sein gaaben nach gefallen,
Auf daß nicht einer den andern verschmehe,
Sondern ihm in der not beystehe.

6. Deus confert in nos sua dona, non vt referamus ad alendam superbiam, contemtum aliorum, & similes stultos affectus, sed ad communem vtilitatem iuuandam, 1. *Cor.* 12. vnde Christus, *Iohan.* 13. dixit: *Maximus inter vos sit omnium minister.* 7. Exempla Sanctorum considerentur: putà Mosis, Dauidis, Iohannis Baptistæ, Pauli, & similium. Ob oculos versentur præmia, quæ Deus pollicetur humilibus & pœnæ, quibus superbos punit, 1. *Pet.* 5. Deus superbis resistit. Et gentiles dixerunt, superbiæ pœnam esse νέμεσιν seu ἀδρασεῖαν, hoc est, iustitiam Dei punientem. Nam humiles comitatur benedictio diuina. Hinc Augustinus: Si delectat celsitudo, humilitas ad eam gradus est. Cadere non vis, sed ascendere? à gradu incipe, & ascendisti. Si cogitas magnam constituere fabricam celsitudinis, de fundamento priùs cogita humilitatis. Idem hanc virtutem dicit tenere primas, secundas & tertias in choro virtutum. Hanc virtutem Aristoteles vocabat vas, quo dona Dei excipimus, cùm diceret ad Alexandrum, qui se Iouis Ammonij filium statuebat: Deus paratus est tibi dare sapientiam, si habeas vas, quo illam excipias. E contrario superbos sequitur à tergo victor. Sic Apryes rex Ægypti, qui gloriabatur neminem deorum aut hominum posse ipsi regnum eripere, postea strangulatur. Nebucadnezar sibi placens in sapientiâ & potentiâ suâ, ratione priuatur & regno exuitur. Balthasar punitur. Aiax, qui apud Sophoclem gloriatur, Ignauos solere Deo iuuante vincere, se verò vel sine Deo speratam gloriam consequi velle, postea seipsum interficit. In primis quartum argumentum, consideratio scilicet humanæ infirmitatis & fragilitatis, efficacissimè flectit animos ad humilitatem amandam & colendam. Hunc locum splendidissimè illustrauit *Basilius homil.* 11. in ἑξαήμερον, enarrans hæc verba, Formauit Deus hominem de limo terræ: & *Lucas Trelcatius* iunior *tabulâ* seu *tractatu proprio de breuitate vitæ.* Summa hæc est. Tres sunt testes brevitatis & fragilitatis vitæ nostræ, Deus, Natura, & Experientia. Ac primum quidem testimonium est voluntas & ordinatio Dei, qui vult vt in puluerem reuertamur, *Gen.* 3. & constituit certum numerum dierum nostrorum, *Iob* 14. *v.* 5. Ethnici hunc in finem finxerunt tres Parcas, quæ dictæ fuerunt Clotho, Lachesis, & Atropos,

Tabula breuitatis vitæ verè Apelléa, vel potius Christiana.

Fila trahit Lachesis, glomerat Clotho, Atropos occat.

Tres istæ Parcæ poëtis tria sunt tempora, in quibus omnia voluuntur. Has fingunt vitæ hominum præsidere, & nendo eam ducere. Itaque quod in fuso perfectum est, præteriti temporis rationem habet: quod torquetur in digitis, momentum præsens indicat: quod nondum ex collo tractum est, futuri est nota. Lachesis à sortiendo, Clotho à voluendo, Atropos à non reuertendo nomen accepit. Totus autem telæ contextus duabus partibus continetur, stamine & subtegmine, quod trama dicitur. Hæ Parcæ finguntur abrumpere cursum vitæ vel in principio, vel in medio. Sed nos ex Scripturâ nouimus, Deum esse longitudinem annorum nostrorum, *Deut.* 30. & eundem decurtare dies nostros, *Psal.* 90. Secundum testimonium est natura particularis seu personalis in homine, & vniuersalis in operibus Dei vniuersis. Si naturam nostram examinemus, vita nostra est halitus & somnium. Facilè siquidem dissolui potest proportio calidi & humidi radicalis, in qua consistit vita nostra. Somnus quoque est imago mortis nostræ. Quòd si oculos conuertamus in res illas, quæ nobis adhærent, vel exteriùs obiiciuntur, perspicimus vbique viuas breuitatis vitæ nostræ imagines. Nam vmbra quæ comitatur corpus & toga seu vestis, quam quotidie induimus & exuimus, pingunt nobis vitæ fugacitatem: quia vmbra transit, & vestis corrumpitur. De vmbrâ vide *Iob.* 14. *v.* 2. *Psalm.* 102. *v.* 12. & 109. *v.* 13. de veste *Iob.* 13. *v.* 18. *Eccles.* 14. *v.* 18. *Psalm.* 102. *v.* 27. & 109. *v.* 18. Iam intueamur creaturas iuxta ordinem ἑξαημέρου. Primo die Deus creauit diem & noctem. Vita nostra est veluti dies, qui est paucarum horarum tempus, *Iob.* 7. *v.* 1. *c.* 14. *v.* 6. est veluti nox, quæ paucarum est vigiliarum, & horrorem incutit, *Psalm.* 130. *v.* 6. Dies quilibet, vt ait Solon, habet 24. horas, & hora 60. minuta, annus autem dies 360. Quis autem nostrûm est, qui possit dicere, se vnum diem totius anni sine nube, vel vnum minutum totius diei sine felle vidisse? Secundo die Deus produxit cœlum, vbi triplex est lectio, docens breuitatem vitæ. Cœli namque diutiùs durant, quàm vita nostra: tandem tamen prætereunt, *Psalm.* 102. *v.* 27. *Matth.* 20. *v.* 29. 2. *Pet.* 3. *v.* 10. motus denique ipsorum certis spatiis definitur: ita vt alij planetæ tardiùs, alij citiùs absoluant cursum suum. Tertius dies ponit nobis ob oculos terram, aquam, & herbas. Cùm terram intuemur, nobis in mentem veniet quod est *Genes.* 3. *v.* 19. Puluis es & in puluerem reuerteris. Confer *Psal.* 103. *v.* 14. *Iob.* 7. *v.* 5. *c.* 13. *v.* 12. *Eccles.* 10. *v.* 8. Aquæ decursus fugacitatem vitæ nobis reuocat in memoriam, *Iob.* 7. *v.* 9. *Psalm.* 90. *v.* 5. Herbæ in campis & hortis nostris eandem nobis proponunt doctrinam, *Psal.* 90. *v.* 5. 6. *Esa.* 40. *v.* 6. *Psal.* 103. *v.* 15. *Luc.* 1 *v.* 10. 11. 1. *Pet.* 1. *v.* 24. Idem de arboribus amputatis & putrescentibus iudicium, *Iob.* 13. *v.* 28. *Luc.* 13. *v.* 6. Quarto die fecit Deus solem & lunam. Vt sol efficit ver, æstatem, autumnum, & hyemem, vbi quælibet pars suum habet terminum, multiplicémque vicissitudinem: ita vita nostra in certas ætates diuiditur, quæ respondent quatuor istis anni partibus. Et lunæ mutatio varia vitæ nostræ conditionem pingit. Vtriusque luminaris eclipsis idem docet. Quintus dies nos ablegat ad pisces & aues: Sicut pisces reti & aues laqueo derepente capiuntur: ita & nos incidimus in casses mortis, *Eccles.* 9. *v.* 14. Nos auolamus cum auibus, *Iob.* 9. 26. Hoc die reptilia quoque sunt creata. In iis vermes docent nos, hominem esse σκωληκόφορον, *ein madensack.* Sexta dies ducit nos ad considerationem bestiarum, quarum longæuitas sæpe superat nostram vitam, vt in elephanto videre est. Sed tamen illæ ipsæ etiam moriuntur, & nos cum illis, *Eccl.* 3. *v.* 18. Atque ita breuitatis vitæ nostræ imaginem videmus in sex diebus creationis. Septimus dies quietis ponit nobis ob oculos vitam æternam, cum quâ si conferamus nostram vitam, vix illa momenti seu punctistitij rationem obtinebit. Duobus hisce testimoniis accedit tertium, Experientia scilicet vniuersalis & particularis, quæ & sapientum & stultorum est magistra. Illa autem tribus modis ad oculum demonstrat breuitatem vitæ nostræ. Et primò quidem in gradibus seu ætatibus vitæ nostræ. Quid enim amabo est infantia nostra, nisi primus ad mortem gradus? Quid iuuentus? Mors nostræ infantiæ, & secundus ad mortem gradus. Quid senectus? Est mors iuuentutis, & postremus ad mortem gradus. Sed multi opprimuntur in primo gradu, qui ad secundum non perueniunt: & multi in secundo, qui ad tertium non pertingunt. Deinde in communi huius mundi cursu exempla hominum, qui vixerunt inde ab Adamo, docent nos nullum esse hominem, qui non præterierit tanquam vmbra & somnium. Tertiò exempla familiaria domesticorum & amicorum nostrorum idem nos docent, 2. *Sam.* 12. *v.* 23. Quæ omnia quoties expendimus maximè confirmamur in prouerbio illo apud Synesium, *Vita hominis à filo dependet.* Quod Dionysius tyrannus significare voluit, quando districtum gladium à setâ equinâ suspendi iussit supra caput illius, qui statum βασιλικὸν existimabat nihil habere molestiæ. Cum quo conuenit vsitatum dictum, *Vitam nostram esse lapidem molarem suspensum à filo serico.* Atque hoc est antidotum superbiæ, quod obsignamus pulcherrimâ istâ Rabbi Akabiæ sententiâ: Considera tres res, & non venies in manus transgressionis. Cognosce, vnde veneris, quò sis abiturus, & coram quo rationem redditurus. Vnde venisti? Ex guttulâ sordidâ. Quò tandem abis? Ad locum pulueris & vermium. Coram quo futurum est, vt rationem reddas? Coram rege regum omnium, qui est sanctus & benedictus. Ergò,

Quis sis, quis fueris, qui eris, semper mediteris.

Subinde quoque has quæstiones tibi propone:

Quid sum? quis? qualis? quantus? quotus? vnde? quibúsve
Ortus auis? quorsum tendo? quibusq; viis?
Vermis: homo: malus: exiguus: postremus: ab imo:
Talibus & cretus: Nitor ad astra, fide.

De Philippo Macedone referunt, illum aluisse puerum, qui auribus ipsius insusurrauerit, βασιλεῦ μέμνησο ἄνθρωπος ὤν, *Rex memento te hominem esse.* Nihil opus est nobis huiusmodi præcone: quia tota rerum vniuersitas nobis innumeros exhibet præcones & concionatores, qui breuitatem vitæ nos docent, vti iam planum fecimus.

II. *Humilitas est vinculum ordinum vitæ humanæ.*

Humilitas est vinculum societatis.

FAcit enim vt nos appetamus maiora vocatione nostrâ, sed in ea seruiamus Deo: nec despiciamus alia Dei organa.

III. *Humilitati repugnat in excessu nimia, ficta & simulata humilitas: in defectu superbia.*

Humilitatis opposita.

FIcta hnmilitas est in monachis, qui sorditie & vilitate vestitus, tegunt superbiam animi, de quibus Bernhardus ait: Volunt esse humiles sine despectu, & pauperes sine defectu, & diuites sine labore. Talis fuit Antisthenes, quem, cùm vestem laceram ambitiosiùs ostentaret, Socrates reprehendit his verbis: Non desines te nobis comere; significans, eiusdem esse ambitionis, vilitatem amictus ostentare, & delicato cultu sese venditare. Superbiâ continetur amor sui cæcus, qualis fuit in Pompeio, qui non poterat ferre parem, & iactabat, se supplosione pedis totam Italiam exercitibus repleturum esse. Item in Iulio Cæsare, qui non poterat ferre superiorem, & dicebat se malle in paruulo pago in alpibus esse primum, quàm Romæ secundum.

FLORILEGIVM.

Vide suprà *cap.* 12. *de Modestiâ.* Sunt enim cognatæ hæ

virtutes. Et ibi quoque occurrit Florilegium superbiæ, & cognatorum vitiorum.

Caput XXV.

De Concordiâ.

Præcepta.

Concordia, seu studium concordiæ est, quo quis pro virili studet vitæ tranquillæ. *Dicitur alias* Philesychia: *& eius studiosus* εἰρηνοποιός; *qui cogitat illud Plutarchi*, ἐξὸν φυγεῖν μὴ ζητεῖν δίκην: *cui συμφωνεῖ illud, si quâ vitare licet, ne quæras litem.*

Eius excessus est indulgentia: defectus, studium turbarum seu contentiositas.

Eminentia concordiæ dicitur Amicitia; cuius excessus est amicitia promiscua & inhonesta; defectus, inimicitia, eaque tum occulta, quæ dicitur Simultas, tum aperta, quæ dicitur Hostilitas.

Regulæ.

Concordia omni muro fortior.

I. *Concordia est omni muro fortior.*

Quia est vnio animorum in virtute intellectuali, morali vel spirituali, vel in tribus simul: & hic est funiculus triplex indissolubilis, funiculus connexus ex religione, probitate, & scientiâ. Hic funiculus firma efficit auxilia in omnibus vitæ ordinibus. Quod probè intellexit Scilurus, qui moribundus octoginta filiis totidem tela in vnum fascem compacta tradidit, quem fascem cùm vniuersi nequirent frangere, singula singulos tela rumpere iussit, eosque id exemplum imitari. Non potuit, ait Plutarchus, Scytha magis Scythicè rem ob oculos ponere. Necesse autem est, vt sit concordia Nestoris & Vlyssis, cuius fundamentum fuit virtus. Inter malos enim non est consensio, sed conspiratio. Huius virtutis hieroglyphicum erat in templo concordiæ nidus ciconiarum, sicut coniurationis examen vesparum.

Modus perueniendi ad concordiam.

II. *Modus perueniendi ad concordiam hic est.*

Libenter domi suæ esse, id est, non multa tentare, sed intra vocationem suam se continere, ne aliis præbeatur inuidiæ occasio; sua in secreto habere; aliena non peruestigare curiosè: & denique non mouere controuersias non necessarias. Vnde facilè est colligere, quot sint classes illorum qui hîc præuaricantur. In primis hîc peccant, qui irritant potentiores, stultos, naturas malitiosas & seruiles, quique homines inter se mittunt, & fouent simultates occultas.

Quæ sint necessaria ad philesychiam?

III. *Virtutes ad tuendam concordiam necessariæ, sunt quatuor.*

Prima est humilitas, frænans superbiam sine causâ rixantem. Secunda est mansuetudo, moderans iracundiam & vindictæ cupiditatem cùm offensi sumus, & iustas litigandi causas habemus. Tertia est patientia, tolerans communes hominum infirmitates & næuos, vt morositatem, πολυπραγμοσύνην, suspicacitatem, attentationem ad rem, auiditatem gloriæ, intemperantiam, & similes. Quarta est ἐπιείκεια, *æquitas*, quæ etiam, cùm veris & magnis iniuriis affecti sumus, remittit aliquid de summo iure, & iniurias condonat publicæ paci. Germani nostri eleganter dicunt de hac virtute:

Der mann ist vveis vnd vvol gelehrt
Der alle ding zum besten kehrt.

Ex his patet, quòd studium concordiæ sit virtus humiliter de se sentiens, & frænans ac moderans iracundiam; tolerans aliorum infirmitates, & condonans etiam veras iniurias, atque ita cauens, ne pugnemus vllâ de re non necessariâ, ne publica tranquillitas Ecclesiæ & Reip. turbetur.

Quid faciû opus τῆς φιλησυχίας?

IV. *Studium concordiæ est virtus admodum difficilis. Ideò precibus hic est peropus, & diligenti meditatione necessitatis & vtilitatis concordiæ.*

Ratio primi est, quia homo naturâ est animal superbissimum. Ratio secundi; quia hæc sunt duo media certissima, quibus peruenitur ad ἀκρόπολιν lucidissimæ huius virtutis. Primò itaque orandus est Spiritus S. vt ille tanquam nexus mutui amoris inter Patrem & Filium mentes atque voluntates nostras ad proximi dilectionem fouendam, & concordiam mutuam flectat: vt mens sibi proponat mandatum Dei, 1. *Cor.* 2. *Ephes.* 4. *Phil.* 2. & notitiam naturalem, quæ dictat, homines ad consociationem & concordiam esse natos, & vt voluntas obtemperet menti rectè iudicanti. Deinde vtilitas concordiæ est longè maxima. Nam communis societas Ecclesiæ, Politiæ, Scholæ, & OEconomiæ per eam salua & incolumis conseruatur; & amplissima præmia consequuntur omnes ij, qui sincero affectu student concordiæ. Nam beati sunt pacifici, quia filij Dei vocabuntur, *Matth.* 5. Et Deus est dilectio: qui manet in dilectione, manet in Deo, & Deus in eo, 1. *Iohan.* 4. Sed nulla eloquentia immensas concordiæ vtilitates exhaurire potest. Ita enim est, vt Sallustius scribit: *Concordiâ res paruæ crescunt, discordiâ magnæ dilabuntur.* Hoc omnibus seculis perpenderunt viri συμβιβαστικοί, quorum exempla passim in historiis sunt obuia. Sic Abraham, etsi authoritate, sapientiâ, virtute ac ætate antecellebat, tamen cedit fratri Loth, *Gen.* 13. Scipio cedit criminatoribus tribunorum plebis, apud *Liuium Decad.* 4. *l.* 8. Thrasybulus recuperatâ patriâ, & dissipatis exulum bonis, sanciuit ἀμνηστίαν, id est, obliuionem iniuriarum, apud *Xenoph. lib.* 2. ἑλλην. Aristides etiamsi offensus erat Themistocli, tamen dissimulatis iniuriis communicat cum eo consilia de profligandis Persis, apud *Herod. l.* 8. Athenienses publicam salutem Græciæ priuato honori anteferentes, cedunt de ducatu, addentes hanc vocem, Quocunque loco collocati fuerimus, præliabimur, vt bonos & fortes viros decet. Græci sanciunt syncretismum. Cicero post interfectum Cæsarem scribit se iecisse fundamenta pacis, & Atheniensium vetus exemplum renouasse, vt omnis memoria discordiarum æternâ obliuione deleretur. Nestor apud Homerum ὀδυσ. γ. suam cum Vlysse coniunctionem ad reip. salutem directam prædicat his verbis;

Nam in consiliis vnquam populive coronâ
Ore sumus vel iudicio diuersa secuti,
Sed nobis eadem mens, & sententia concors
Fecit nos populo sic consultare Pelasgûm,
Vt fierent semper pro vestris optima votis.

Ita Moses & Aharon verè fraternas iunxerunt dextras. Horum exempla imitemur, & nobis insuper ista similia ponamus ob oculos: Membra corporis humani sine dissidiis conferunt operas ad communem coporis salutem, 1. *Cor.* 12. Vt oculi bini, manus & pedes bini sunt ideò conditi, vt coniuncti se adiuuent, non impediant: sic decet fratres, & collegas, animos, consilia, & actiones conferre. Vt orbes cœlestes sibi inuicem cedunt, vt suam harmoniam eo quasi obsequio tueantur: sic principes & collegas decet cedendo, ferendo, & placidè contrà nitendo, & concordiam retinere, & cursum susceptum honestè ac prudenter absoluere. Sicut autem ex concordiâ omnis generis bona oriuntur: ita ex φιλονεικίᾳ, seu contentiositate, quæ est vel superbia ex ambitione, vel iracundia ex superbiâ & insolentiâ aut monstrositate naturæ orta pugnans de rebus leuibus & non necessariis, & ferens pomum Eridos, id est, lites ac dissidia, nec aliis cedens: ex hac, inquam, plurimæ calamitates in omni vitâ, in Ecclesiâ, in politiis & alibi, tanquam ex fonte quodam perenni, scaturiunt, vt mônet sententia Græca, quam Stobæus recitat: τὰ μεγάλα κακὰ οὐκ ἄλλοθεν ἐκ φιλονεικίας καθίσταται, *Magna mala non aliter, quàm ex studio contentionis nascuntur.* Sed diligenter hîc cauendum, ne studium concordiæ abeat in lentitudinem, quâ fit vt non pugnemus de rebus valde necessariis, vt de retinendâ puritate disciplinæ, de honestâ disciplinâ, libertate, defensione famæ, coniugum & liberorum: & quæ cùm nescit vitiis irasci, eaque odisse. Hîc cogitanda sunt illa: *Cùm hominibus pacem colo, vitiis bellum gero: Odisse vitia, amare personam decet: Qui vitia odit, odio officij est præditus; qui personas, odio iniuriæ.*

V. *Amicitia est concordiæ reciprocæ summus gradus; vtpote partim qualitas, partim relatio mutua constans amore actiuo & passiuo vehementius intenso.* Quid sit amicitia?

Dicitur autem hic amor necessitudinis: quia est supremus gradus dilectionis erga hominem. Cùm igitur amicitia sit gradus dilectionis, nequaquam pugnat cum lege caritatis. Hinc Christus Iohannem dilexit præ reliquis discipulis. Sic Dauid & Ionathan intimi fuerũt amici. In amicitiæ laude totum lib. 8. Ethic. procœmiũ Aristoteles ponit, & illius dignitatem, necessitatem, & vsum ostendit. Dignitatem; cùm aut virtutis comitem, aut ipsam virtutem esse definit. Necessitatem; cùm neque res prosperas delectabiles, neque res aduersas tolerabiles sublatâ amicitiâ esse ostendit. Vsum; cum iustitiæ consortem, naturæ vinculum, ciuitatis præsidium, senectutis solatium, vitæ humanæ portum esse insinuat.

VI. *Amicitiæ perfectæ leges hæ sunt.* Leges amicitiæ perfectæ.

1. Similitudo bonorum morum & humorum est fundamentum amicitiæ. Hinc inter malos & inæquales non est amicitia. 2. Multitudo amicorum tanquam pestis solidæ amicitiæ, vitetur. Itaque accendat lucernam Diogenis, qui verum vult quærere amicum. 3. Amici infirmitates sæpenumero dissimulandæ sunt: ita tamen vt vitetur adulatio. 4.

Amicorum

Amicorum omnia ſunt communia, non ratione poſſeſſionis, ſed vſurpationis, ſeu amicis arcæ & pectora pateant, quatenus illæsâ Dei maieſtate licet: oportet enim cogitare illud Periclis: *Amicus vſque ad aras*. 5. Amici non ſint queruli & ſuſpicaces. Suſpicio enim eſt venenum amicitiæ. 6. Secreta amicitiæ non ſunt eliminanda. 7. Amicitiæ fundamentum non ponatur in arenâ diuitiarum. 8. Amicitiæ ius non conſiſtit in imperando, ſed in communicando. 9. Signa amicitiæ ſunt analoga virtuti. Non igitur probanda Philoteſia, qualis quidem hodie eſt in vſu. 10. Amicus ita eſt diligendus, ne ſit inimico locus. Exploditur igitur Diabolica iſta diffidentiæ vox; *Ama tanquam oſurus*: & audiatur illa fiduciæ plena vox: *ama tanquam nunquam oſurus*. Vide 8. & 9. lib. Ethic. Ariſt. & Ciceronis Lælium ſeu de amicitiâ. 11. Pactum & conuentio inter eos, qui amicitiam ſanctè colere cupiunt, interueniat, id eſt, alter alteri teſtetur de ſuo affectu. 12. Amici Deum producant teſtem ſuæ voluntatis, ipſiúſque nomen interponant. 13. Amici mores noueris, non oderis 14. Amici auxiliarij præferuntur conſiliariis. 15. Veteres amici præferendi ſunt nouis. 16. Ærumnis amicorum condolendum. 17. Virtutes amicorum aliis moderatè ſunt prædicandæ.

Quinam violent leges amicitiæ?

VII. *Claſſes eorum qui tollunt leges amicitiæ, ſunt quatuor.*

1. Amici ollares qui etiam dicuntur amici menſæ; quorum hieroglyphicum eſt hirundo. De his Germani dicunt, *Felicium multi cognati*. 2. Amici huius mundi, hoc eſt, malorum: inter quos eſt factio potiùs quàm amicitia: cuius amicitiæ cauſa eſt odium Dei & piorum. Ita Herodem & Pilatum amicos fecit commune odium Chriſti Huc pertinent illi qui cum infidelibus ineunt fœdera temeraria & non neceſſaria: quale fuit fœdus Ioſaphati cum Achabo. 3. Amici laruati ſiue ſuperficiarij, qui habent mel in ore, fel in corde: quales fuerunt fratres Ioſephi. 4. Amicitiæ prodigi, qui cuilibet manum iniiciunt, & leui de causâ amicitiæ nuntium remittunt. 5. Inimici, de quibus Seneca: Quid eſt homini inimiciſſimum? Alter homo.

Anima amicitiæ.

VIII. *Anima amicitiæ eſt fidelitas.*

Amicitia quippe pro verâ beneuolentiâ reddit veram beneuolentiam, & partitur mutuam communicationem officiorum & rerum liberalium, virtutis causâ. Hinc Herodotus ait, κτημάτων πάντων ἐστὶ τιμιώτατον ἀνὴρ φίλος, συνετός τε καὶ εὔνοος, Pretioſiſſimus theſaurus, omnibus opibus antecellens, eſt amicus prudens & beneuolus, adeóque fidelis. Exempla illuſtria fidelitatis amicæ atque amicitiæ fidelis ſunt Dauid & Ionathas, Pylades & Oreſtes, Theſeus & Pirothous. Patroclus & Achilles, Niſus & Euryalus, Damon & Pythias, Epaminondas & Pelopidas, Lælius & Scipio, Pomponius Atticus & Cicero. Lucianus in Toxari recitat alia decem paria amicorum, quinque Græca, & totidem Scythica. Cæterùm fidelitatis eſt ſeruare conſtantiam in verâ beneuolentiâ mutuâ, & omnibus officiis amicitiæ debitis, in rebus ſecundis & aduerſis. Ita enim eſt, vt Iſocrates ad Demonicum ait; τὸ χρυσίον ἐν τῷ πυρὶ δοκιμάζομεν, τοὺς δὲ φίλους ἐν ταῖς ἀτυχίαις διαγινώσκομεν. Quam ſententiam ita reddidit Ouidius:

Scilicet vt fuluum ſpectatur in ignibus aurum,
Tempore ſic duro eſt inſpicienda fides.

Verùm iſta fidelitas rara eſt auis: ita vt Ariſtoteles rectè dixerit, ὦ φίλοι, οὐδεὶς φίλος, *O amici, nemo eſt amicus*. Et Antigonus rex quotidie clarâ voce Deum orabat, vt ab eo aduerſus amicos defenderetur. Interrogatus autem, Cur non potiùs aduerſus inimicos tegi ſe peteret? Ab illis, inquit, qui palàm hoſtes ſunt, poſſum mihi ipſe mediocri diligentiâ cauere: ſed ab amicis fucatis & perfidis non poſſum cauere mihi ipſe, ſed protectore opus eſt.

Amicitia quomodo neceſſaria?

IX. *Amicitia eſt neceſſaria non ſolum ad bene eſſe, ſed etiam ad eſſe ſocietatis.*

HÆc enim eſt illa virtus, à quâ tota communis vita pendet, hac principes, reges, imperatores ne puſillum quidem temporis ſpatium carere poſſunt; reſpublica humana niſi fulciatur præſidio amicitiæ, collabaſcit, & ad interitum perniciemque vergit. Præclarè itaque *Cicero* eloquentiæ parens, in libello *de amicitiâ* dixit: *Quòd ſi exemeris è naturâ rerum beneuolentiæ coniunctionem; nec domus vlla, nec vrbs ſtare poterit, ne agri quidem cultus permanebit.* Idipſum etiam ſplendiſſimum eccleſiæ lumen *D. Ambroſius* intellexit, dum ſolem è mundo tollere eos, qui amicitiam ex vitâ tollunt, diſertiſſimè pronuntiauit. Duobus hiſce grauiſſimis auctoribus accedit clariſſimus vir *Abrahamus Scultetus*, qui *lib. 1.* ſuæ *Ethicæ cap. 27.* amicitiam tam auguſto neceſſitatis pallio obuolutam eſſe contendit, vt omnis ſine eâ vita acerba ſit futura. Et ſanè grauis eſt illa *Iſidori lib. 3.* de ſummo bono ſententia: Amicitia, inquit, proſperas res dulciores facit, & aduerſas communione temperat, & leuiores reddit.

X. *Amicitia eſt vtilis.*

Quomodo amicitia ſit vtilis?

COmmoda & emolumenta plurima & præſtantiſſima, ex amicitia, tanquam ex limpidiſſimo quodam fonte dimanant. Hæc enim, teſte *Cic. in Lal.* plurimas res continet; quoquò te verteris, præſtò eſt, nullo loco excluditur, nunquam intempeſtiua, nunquam moleſta eſt. Itaque non aquâ, non igni, non aëre, vt aiunt pluribus locis vtimur, quàm amicitiâ. Nam & ſecundas res ſplendidiores facit amicitia, & aduerſas partiens, communicanſque leuiores. Nec debilitari animos, aut cadere patitur, verùm etiam amicum qui intuetur, tanquam exemplar aliquod intuetur ſui. Quocirca & abſentes adſunt, & egentes abundant, & imbecilles valent, & (quod dictu difficilius) mortui viuunt. His addo auream illam ſententiam *D. Ambroſij lib. 3 off.* dum ait: *Solatium huius vitæ eſt, vt habeas cui pectus tuum aperias, cui arcana communices, cui ſecreta pectoris tui committas, vt colloces tibi fidelem virum, qui in proſperis gratuletur tibi, in triſtibus compatiatur, in perſecutionibus adhortetur. Facilis vox, & communis, tuus ſum totus, ſed paucioris eſt affectus.* Apud omnes igitur in lucidiſſimo ſpeculo poſitum eſt, qui fructus ex amicitiâ procedant. Porrò antequam penitiùs ingrediamur penetralia amicitiæ, ipſum nomen amicitiæ accuratiori mentis oculo perluſtremus.

Quot modis dicatur amicitia?

XI. *Tribus modis dicitur Amicitia.*

TRibus, inquam, modis amicitia ſumitur: 1. pro amore naturali. 2. pro animali, & 3. pro rationali. *Naturalis amor* fit ſine omni amantis cognitione, & vocatur ſympatheia phyſica, ſiue naturalis. Talis amicitia eſt inter lilium & allium, vt in propinquo naſcentia mutuò ſibi gratificentur. Huic amori aduerſatur antipatheia, quæ eſt naturalis inimicitia; talis eſt inter vitem & braſſicam, inter cicutam & vinum, & ſimilia. *Animalis amicitia* eſt, quæ ſenſuum aliquam præ ſe fert cognitionem, qualis illa eſt quâ animalia ratione deſtituta ſe proſequuntur. Hoc amore tinnunculus columbas, ſimius cuniculos amplectitur. De his vide *Eraſ. Roter. in l. b. de dial. de amic. item Magirum lib. 3. phyſ. c. 8. Amicitia rationalis eſt*, quæ rationis cognitionem ſequitur, & generoſiſſimo illi animali & altâ quadam mente prædito competit; & ita amicus dicitur quaſi animi cuſtos, vti placet Auguſtino. Hæc poſterior ſignificatio à nobis hîc intenditur. Prima acceptio nullum cum virtute commercium habet, ſed ex Dei prouidentia ſimpliciter originem ducit. Secunda non eſt virtus, ſed virtutis vmbra. Tertia aut eſt virtus, aut vnio in virtute.

Amicitia moralis quid & quotuplex?

XII. *Amicitia moralis eſt qualitas & relatio: & tribus potiſſimum modis diuiditur.*

AMicitia moralis conſideratur duobus modis. Primò eſt habitus proæreticus, qui reddit hominem aptum ad communicationem earum rerum, quæ propter virtutem ſunt communicandæ: atque ita eſt medium perducens ad beatitudinem moralem. Deinde eſt vnio, quâ plures vniuntur in virtute morali: atque ita eſt finis virtutis. illo modo eſt eminentia concordiæ, ſeu ſpecies charitatis, ſeu ſpecialis officioſitas, adeóque habitus, à quo homines denominantur amici: hoc modo eſt relatio ſeu ordo inter amicum & amicum. Ibi qualitas, hîc relatio attenditur. Priori modo amicitia inclinat hominem ad proſequendum amicum amore beneuolentiæ, tanquam per ſe amabile. Poſteriori modo amicitia eſt reſpectus mutuus inter amicum & amicum. Cæterùm triplex occurrit amicitiæ diuiſio. 1. Eſt honeſta, vtilis, & iucunda Illa perfecta, iſta & hæc imperfectæ dicuntur. 2. Eſt inter æquales, vt inter Principem & Principem: vel inæqualis, vt inter magiſtratum & ſubditos. 3. Eſt priuata, inter homines priuatos; vel publica, inter perſonas publicas.

Amicitiæ finis.

XIII. *Amicitiæ finis eſt vltimus, vel ſub vltimo.*

AMicitiæ vltimus finis eſt beatitudo moralis: ſubordinatus, vtilitas. Quicunque igitur vtilitate metitur amicitiam, ſtatuit lumen poſt laternam.

Indigentia mater amicitiæ.

XIV. *Indigentia eſt cauſa impulſiua amicitiæ.*

PLato in conuiuio Socratem introducens de amore differentem, eius cauſam penuriam ſiue indigentiam ſtatuit. Huic aſtipulatur *Clem. Timpl. lib. 1. Eth. gen. c. 6. q. 12.* Hæc ſententia his duobus argumentis fulcitur: 1. Quia ſine amicitiâ nemo poteſt bene beatéque viuere, vt reg. 9. dictum eſt: propterea quòd expleat indigentiam boni ad bene beatéque viuendum. 2. Omnis appetitio præſupponit indigentiam eius quod appetitur. Qui autem amicitiam cum aliquo contrahit, non facit id forte fortuito, ſed quia bonum aliquod in eo appetit. Hactenus itaque indigentia eſt mater amicitiæ.

Similitudo morum mater amicitiæ.

XV. *Amicitia oritur ex ſimilitudine vitæ & morum.*

CIcero pro Planc. ait: *Vetus eſt illa lex iuſtæ veræque amicitiæ, vt idem amici ſemper velint, nec eſt vllum certius amicitiæ*

tiæ vinculum, quàm consensus & societas consiliorum & virtutis. Ideoque etiam definit amicitiam, quòd sit consensus diuinarum humanarúmque rerum. Huc spectat illud *Silij Italici lib. 9. de bell. Ital.*

Velle & nolle ambobus idem, sociataque lato
Mens auo, ac paruus diues concordia rebus.

Porrò probatur hæc sententia. 1. Dissimilitudo morum, distantia vitæ, & ingenia contraria dissoluunt amicitiam, teste *Sen. in extremâ parte Epist.* 79. Ergo similitudo morum & studij procreabunt. Consequentia valet ex communi logicorum effato & axiomate contrariorum; *Contraria contrariorum sunt consequentia.* 2. Probatur ex communi prouerbio: Quia *pares cum paribus facillimè congregantur.* Obseruandum hîc tamen, similitudinem non esse causam cuiuslibet amicitiæ, sed alicuius tantùm.

An frequens beneuolétiæ actus pariat & foueat amicitiam?

XVI. *Frequens beneuolentiæ actus est causa efficiens amicitiæ.*

HÆc sententia probatur. 1. Auctoritate *Aristotelis* qui *lib. 2. Rhet. c. 4.* ait, *Amicitia ex iis maximè causis gignitur, si gratis beneficium dederis, si non rogatus, si te dedisse non euulgaueris.* 2. Ratione: quia honestas comparatur eiusdem speciei actibus, quales sunt illi quos producit. Sed actus quem amicitia producit, est beneuolentia. Ergo etiam comparatur actibus beneuolentiæ. Sed contrà obiicitur: Actus præcedens amicitiam, est quædam imperfecta amicitia. Sed res imperfecta, non potest alteram, quæ eiusdem rationis sit, perfectam producere. Resp. Nego minorem, nam res imperfecta non potest perfectam producere, si nitatur virtute propriâ; si autem operetur vt est instrumentum rei perfectioris, potest aliquid seipso perfectius producere, & ita actus beneuolentiæ producit perfectam amicitiam, non propriâ vi, sed vt est instrumentum rectæ rationis, quæ & ipsâ amicitiâ præstantior est, & princeps causa omnis virtutis moralis.

Amicitia nascitur ex boni cogniti approbatione.

XVII. *Amicitia nascitur ex omnis boni cogniti approbatione & cognitione.*

T*Impl. lib. 1. Eth. gen. c. 6. q. 12.* rectè ait, ex boni in aliis cogniti approbatione & appetitione originem ducere amicitiam, siue illud bonum sit verum bonum, siue apparens bonum, & rursus siue honestum, siue vtile, siue iucundum. Quia nempe nulla est vera amicitia absque amore, amor autem oritur ex boni in alio cogniti approbatione & appetitione.

Octo causæ conseruantes amicitiã.

XVIII. *Causæ conseruantes & adiuuantes amicitiam, sunt numero octo, hoc ordine.*

1. EST propensio, quam à naturâ habemus, ad amandum ea, quæ honesti rationem participant. 2. Propinquitas & quasi identitas rei amatæ cum amante. 3. Similitudo naturæ, morum, ætatis, studiorum. 4. Communicatio, qualis inter ciues, milites, discipulos. 5. Cognitio alieni amoris & beneuolentiæ erga nos. 6. Conuersatio frequens inter amicos, quæ ad conseruandam amicitiam plurimum facit. 7. Beneficentia, quæ tum bene merentes mutuo amore accendit, tum eum maximè, qui beneficio afficitur, si vel bonus, vel non omnino deprauatus est, ad paria facienda extimulat, & ad redamandum mirificè impellit. 8. Cognitio eius bonitatis propter quam amicus diligitur. Hîc notetur dictum Germani illius Herois Lazari Suuendij: *Studiosorum amicitia est ex honesto, aulicorum ex poculis & iucundo, mercatorum ex vtili.*

An amicitia debeat esse stabilis?

XIX. *Amicitia debet esse stabilis.*

MAiores nostri extra omnem controuersiam prudentissimi, vt amicitiam æternam & perpetuam, non fluxam & fragilem esse debere condocefacerent, duplici medio vsi sunt. Primùm sal hospitibus apposuerunt. Quemadmodum enim illud corpora solidiora facit, & diutissimè conseruat, sic amicitiam inchoatam voluerunt nullo temporis spatio intermittendam. Deinde etiam modum Herculeum vsurparunt. Vti enim ille indissolubilis fuit; pari ratione, amicitiam, vt veram, sic indissolubilem esse voluerunt. Violari enim apud illos amicitiam, teste *Cic. lib. 3. epist. fam. ad App.* nefas erat. Vtinam & hoc exulceratissimo mundi statu, quo, vt *Ouidius* ait,

Dum iuuat & vultu ridet fortuna sereno,
Indelibatas cuncta sequuntur opes.
At simul intonuit, fugiunt neque noscitur vlli
Agminibus comitum qui modo cinctus erat.

Illud autem quàm ab hominibus debeat esse alienum, inde patet, quia amicitiæ vsura nunquam demenda est. Quod præter alios *Lam. Dan. in lib. de am. Chr. c. 7.* docet. *Si votum,* inquit, *atque animus eorum spectetur, qui amicitiam inter se contrahunt, perpetuò inter eos esse durarique debet semel inita amicitia, quandiu quidem vtrique viuunt in hoc seculo.* Probatur: Scimus, viri boni esse propositum tueri, nec ab eo deflectere. Itaque si viri boni nomen in nos cadere & quadrare velimus, vt constantes in aliis, sic & amandis iis, quibus cum amicitiæ fœdus pepigimus, nos esse decet. Rectè igitur ille, quo sol sapientiorem neminem vnquam vidit, in Ecclesiaste ait, *Ne derelinquas amicum antiquum. Nouus enim non erit similis illi; vinum nouum, amicus nouus veterascat, & cum suauitate bibes illud.* Præclarè *Hieron. in epist. ad Ruff. Obsecro te, ne amicum, qui diu quæritur, vix inuenitur, difficile seruatur, pariter cum oculis & mente amittas.* Optimè *Alanus*:

Sæpe viatorem noua, non vetus orbita fallit:
Sic socium socius, non vetus, imò nouus.

Quod autem Bias inquit: *Ama tanquam osurus*, impetu magis animi, quàm cogitatione dixisse videtur; cùm iniqua sit & pessima hæc sententia, adeò vt *Cic. in Lal.* sub personâ Scipionis dicat, nullam vocem inimiciorem amicitiæ potuisse reperiri, quàm eius, qui dixisset, ita amari oportere, vt aliquando esset osurus, nec verò se adduci posse, vt hoc à Biante dictum credat, sed illud est impuri cuiusdam. Interim tamen notandum cum *Keckerm. Timpl. & Lamb. Dan.* propter scelera & flagitia amicitiam dissoluendam esse, cùm tales ab omnibus habeamur, cum quibus conuersamur.

XX. *Non omnia in amicorum gratiam sunt facienda.*

An omnia in amicorũ gratiam facienda?

OPtimum nobis & salutare hac de re consilium præscribit *Lamb. Dan. in eruditiss. suo libello de am. Chr. c. 7.* hisce verbis: *Amicitiæ hic in vniuersum modus, atque hi fines & metæ constitui debent, vt eatenus illa præstentur, quatenus illæsâ Dei maiestate, voluntate, & gloriâ possunt.* Atque huc spectasse videtur *Arist. lib. 1. Eth.* vbi Platonem de summo bono refellens, ait: *Sit amicus Plato, amicus Socrates, magis tamen amica est veritas.* Et Pericles referente Plutarch. in apoph. amico roganti, vt pro se falsum diceret testimonium, respondit: δεῖ συμπράττειν τοῖς φίλοις ἀλλὰ μέχρι βωμῶν, id est, gratificari debemus amicis, sed vsque ad aras. Idem innuit *Cic.* his verbis: *Cùm in amicitiâ, quæ honesta non sunt, postulantur, religio & fides anteponenda est amicitiæ.* Toto igitur cœlo aberrauit, & inconstantiæ maculam nomini suo aspersit, quando in *lib. de am.* dixit: *Si qua occasio acciderit, vt minùs iustæ amicorum voluntates adiuuandæ sint, in quibus eorum aut caput agatur, aut fama, declinandum est de viâ & honestate.*

XXI. *Amicorum omnia sunt communia, quantum ad officij vsum.*

An omnia amicorũ sint communia?

VArij itaque doctissimi auctores hanc parœmiam in scriptis suis coluerunt, vtpote *Cic. lib. 1. off. Terrent. in Adelph. Euripides in Oreste*, aliíque quàm plurimi. Quinimò adagium hoc passim per omnium hominum ora obambulat. Sed hoc dictum intelligendum est secundùm quid, scilicet de mutuâ conuersatione, de mutuâ officiorum honestorum præstatione, & de communi licitóque bonorum vsu.

XXII. *Conuersatio crebra in amicitiâ requiritur.*

An conuersatio crebra requiratur in amicitia.

ARistoteles 8. Eth. c. 5. & lib. 9. c. 12.* hanc sententiam ita defendit. 1. Si huc omne studium, omnes cogitationes, omnia consilia nostra referre debemus, vt amico complaceamus, & amici conspectus magnam affert amico iucunditatem, vt experientia testatur; conuersationem & conuictum necessarium esse colligitur. 2. Omnis societas requirit conuersationem. Ergo & amicitia, quippe quæ societas sit. 3. Duplicem esse fortunam, secundam & aduersam, vno omnium consensu comprobatur. Iam verò amicus in vtraque adesse debet; in secundâ quidem ad iucunditatem, in aduersâ verò ad auxilium & solatium 4. Absentes, si nobis amicus beneuolentiæ fontes aperiat, & omnia officiorum genera in nos conferat, non possumus ita bene par pari reddere, quod tamen est essentiale amicitiæ. 5. Vera amicitia diffidentiæ omnem vitam præcludit, suspicionibúsque sinistris collum præcidit, qui autem rarâ vtuntur conuersatione, inter illos oriuntur suspiciones 6. In conuersatione alter ad alterius vitam suam conformat, atque in dies sese meliorem præstat, tradita ab alio viuendi præcepta arripit, illiusque vestigiis insistere contendit. Et vti pictores à peritis pictoribus imagines fictas sibi proponunt imitandas, sic alter alterius honestissima studia, mores, & animi effigiem intuens, virtutes tenacissimè imbibit Ergo magnifaciendam esse conuersationem, certo certius est. 7. Nihil est amico gratius, nihil iucundius, quàm amicum optimâ valetudine præstantem cernere, quod sine conuersatione fieri non potest. Quòd autem quidam sic ratiocinantur, & nobis obiiciunt, amicum non posse abesse ab amico, si conuersatio omni tempore sit exercenda, actum agunt: ipse Aristoteles hanc obiectionem diluit, distinguentes inter amicitiam secundùm habitum & propositum mentis & secundùm actum. Priori modo amicitiam principaliter posse esse inter absentes, posteriori tantùm inter præsentes esse asserit.

Amicitia est pars iustitiæ.

XXIII. *In amicitiâ requiritur iustitia.*

ARist.lib.8.Eth.c.1. & 7. amicitiam esse partem quandam iustitiæ ait. Et multi eam Ethici ad iustitiā referunt. Erit igitur summopere necessaria ad conseruandam amicitiam, id quod duabus rationibus innotescit: 1. Quia iustitiæ lancem bene dirigere, normam bene flectere, æquitatis amussim bene considerare debemus, vt in officiis præstandis semper æqualitatem seruemus. Hinc *Cic.in Lal. Eodem modo erga amicum affecti simus, quo erga nosmetipsos, & nostra in amicos beneuolentia, illorum erga nos beneuolentiæ pariter æqualiterq; respondeat.* 2. Quia amico in amore respondere conuenit. Hoc autem, cùm citra iustitiam fieri nequeat, magnum illam adiumentum ad amicitiæ conseruationem afferre necessarium est.

In amicitia requiritur veritas, candor, libertas.

XXIV. *In amicitiâ requiritur veritas cum candore, & libertate.*

CIcero in hanc sententiam præclarè ait: *Veræ amicitiæ proprium est, monere & moneri, alterum liberè & non asperè faciendum est, alterum patienter, non repugnanter accipiendum.* Illud tamen notādum, quòd dum consilio & monitis amicum iuuare studemus, ab eo diligenter caueamus, ne animum illius blanditiis captum atque irretitum detineamus, néve ad vitia, quæ in amico deprehendimus, conniueamus. Docet id *Cato* in dict. suis:

Cumque mones aliquem, ne se velit ipse moneri,
Si tibi sit charus, noli desistere cœptis.

Docet & idem præclara vox Phocionis, & digna, quæ per tot scriptorum naufragia salua & incolumis in posterorum animis recolatur: *Non potes me vti assentatore & amico.* Nullum igitur latere puto, decere amicos sincerissimos, & omni existimatione dignissimos, vt illos, quos intimis animi sensibus complectuntur, inflamment ad virtutis studium capessendum, facésque eis addant, vt vitia amputent ac circumcidant.

An in amicitiâ locus dādus suspicionibus?

XXV. *In amicitiâ non dandus est locus suspicionibus.*

PRobatur hæc sententia 1. Auctoritate *Hieronymi in epist.* De amicitia omnis tollenda est suspicio, & sic cum amico, quasi cum altero se, loquendum. & *Annæi Senec. epist.* 9 aientis: Si aliquem amicum existimas, cui non tantum credis, quantum tibi, vehementer erras, & non satis nosti vim veram amicitiæ. Quibus sanè verbis grauissimi & fide dignissimi hi auctores indicare voluerunt, omnem suspicionem aditu ad amicitiam prohibendam esse. Prob. 2. Quia amicitiæ venenum est suspicio, teste *August. lib. 6. de ciuit. Dei.* Probatur 3. hac ratione: Quia verus amicus vero amico fidem vel maximè adhibere debet, hucque omnes ingenij neruos intendere, ne fidem illius in dubium vocasse videatur. Ergo suspiciones ex amicitiæ finibus exulare, & longissimè fugari debent.

An in amicitiâ locū habere possint calūniæ & querelæ?

XXVI. *In amicitiâ locum habere non possunt calumniæ & querelæ.*

RAtio prioris est: quia ab vtroque amico vnicè desudandum est, ne alter ab altero iniuriâ afficiatur. Posterioris ratio est; quia, vt dictum est q.11. amicus in omnibus officiorum æqualitatem seruat, & eâdem vt erga amicum affectione vtatur, omnibus quâ animi, quâ corporis viribus allaborat.

Amicitiæ metæ quæ sint?

XXVII. *Veræ amicitiæ fines & metæ.*

REsp. Religio, fides & veritas, anteponatur amicitiæ, & cogitetur illud Aristotelis qui sic de se pronuntiat: *Amat Aristoteles Platonem, magis tamen veritatem amat.* Ergo amici causâ neque in Capitolium faces iniicere, neque peccando in præcepta Dei, perdere & nos & amicū debemus. Quare impia est illa vox oratoris: Si qua occasio acciderit, vt minùs iustè amicorum voluntates adiuuandæ sint, in quibus eorum aut caput agatur, aut fama, declinandum est à via & honestate; modò ne summa turpitudo versetur.

Vbi quærendi sint amici?

XXVIII. *Amici quærendi sunt inter eos, qui student virtuti.*

SI vnquam à sano Senecæ iudicio pendêre licet, sanè hac in re eius nobis auctoritas prælucere debet. Sic autē *epist.* 29. ait: *Non est, quòd amicum tantùm vel in foro, vel in curiâ quæras: si diligenter attenderis, domi inuenies. Errat enim qui amicum in atrio quærit, & in conuiuio probat; in pectore enim amicus, non in atrio inuenitur.* Et alio in loco: *Si amicum perdidisti, alium quære, & ibi eum quæras, vbi inuenias. Quære inter artes liberales, inter recta & honesta officia, quære in laboribus: ad mensam ista res non paratur.* Attendendum hîc etiam est sapientissimi Socratis consilium, qui amicos quæsiturum, non in intemperantium tabernas, non in auarorum gurgustia, non etiam in sumptuosorum aulas, sed in eorum mittebat domicilia, qui essent continentes in iis voluptatibus quæ corpore percipiuntur, iuramentum seruarent, in pactis non difficiles se præberent, benefacientibus beneficentiâ non inferiores. In conuiuiis ergo neutiquam quærendus amicus. Nam

Hunc quem cœna tibi, quem mensa pararit amicum,
Esse putas fide pectus amicitiæ?
Aprum amat, & mullos, & sumen, & ostrea, non te.
Tam bene si cœnem, noster amicus eris,

canit *Martial. lib. 9. epig.* 15.

Determinauimus igitur quæstionem, quam tradere fueramus polliciti, antequam, cum quibus ineunda esset amicitia, inquireremus. Nunc quod instituimus, persequamur.

Num lex & ratio amicitiæ pugnet cum præcepto charitatis?

XXIX. *Possumus cum aliquo amicitiam colere saluâ charitate.*

NAm 1. Si sacræ Paginæ nobis mandant, & seuerissimè iniungunt, vt eos, quos in amicitiam nostram asciuimus, intimiori animi affectu complectamur, sique arguūt illos, qui imprudenter, imò inconstanter amicitias dissuunt, vt quilibet animum historiæ sacræ lectione pascens facilè intelligit, sequitur, nos posse extra violationem charitatis magis diligere illos, quibuscum amicitiæ fœdus icimus, quàm illos qui ne de facie quidem nobis sunt noti. 2. Piorum exemplum imitari & pressa ab iis vestigia pari passu legere possumus & debemus. Si igitur illi magis in amicos animati sunt, quàm in alios, quidni & nos idem facere poterimus? 3. Deus & natura nihil faciunt frustra, ait *Philosophus l. 3. de cœlo, & 3. de animâ.* Atqui natura amicitiæ iūs concelebrat, & introduxit. Huc accedit communis omnium gentium consensus, quæ idem factitant. Quis enim est tam inaccessus, tam ab omni hominum proborum consortio in terris remotus locus, quò non præstantissimæ virtutis amicitiæ fama aut etiam vsus peruaserit? quæ hominum denique natio, vel tam immanis atque barbara, quæ non amicitiam summo in honore habeat? Quare natura ipsa, & communis omnium gentium consensio, quæ est tanquam vox Dei, ius amicitiæ celebrat, dum iubet vt proximum diligamus sicut nos: sed ita vt obseruemus gradus charitatis, quos Deus ipse distinxit. Plus enim diligenda est vxor, quàm liberi & parentes: & plus domestici fidei quàm infideles: & magis amandi sunt amici, quàm non-amici. Ita Christus Iohannem plus dilexit, quàm cæteros discipulos. At, inquis, proximum quemcunque debemus diligere sicut nos. Hîc lex non distinguit. Resp. Implicitè distinguit, hoc modo: Dilige proximum sicut teipsum. Iam verò teipsum amas, vel vt homo, vel vt talis homo in hoc vel illo statu.

An amicitia inter solos Christianos sit contrahenda?

XXX. *Inter solos Christianos contrahi perfecta amicitia potest.*

INter solos fideles & Christianos, qui Dei spiritu & metu ducuntur, contrahi amicitiā, & esse debere, auctor est *Lamb. Dan. lib. de am. Chr. c.* 2. quem meritò hac in re sequimur. Nam 1. Si simile nobis amare debemus, quis ambiget, amicitiam cum probis ineundam esse? 2. Ionathan & Dauid, vt legere est 1. *Sam.* 18 *& seqq. cc.* amicitiam vnâ coluerunt, fuit autem vterque probitatis laude conspicuus. Quòd si igitur hos imitari nos decet, vt quilibet, qui Christianæ militiæ nomen dedit, fateri cogitur, nil restabit, nisi vt nos piis adiungamus, eosque amicorum nostrorum albo adscribamus. 3. Si homini fideli cum infideli nulla societas & consensio animorum esse debet, vt vas illud electionis *D. Paulus* innuit, quando 2. *epist. ad Cor. cap.* 6. iubet, vt ab eo hominum genere procul secedamus, sequitur, cum solis fidelibus, solisque probis amicitiam contrahendam esse.

Nū amicitia cum malis ineunda?

XXXI. *Amicitia cum malis non est ineunda.*

RAtio est. 1. Qui cum prauis hominibus amicitiam contrahit, prauitatem tractu temporis addiscit. Serpit enim semper latiùs vitium, nec possessore suo contentum in vicinos quoque sæuissimè debacchatur. Etenim vt vnum pomum centum facilè corrumpit, sed centum bona nunquam vnum corruptum efficiunt bonum; sic vnus qui prauis moribus est imbutus, faciliùs omnes qui cum eo contrahunt amicitiam, coinquinat, quàm centum quibus boni mores insiti sunt, quum peruersum ac improbum ab errore ad frugem reuocēt. 2. Ex prauorum amicitiâ excrescit Ilias malorum. Qui enim cum balbo familiariter viuit, & ipse balbutire discit; qui cum lippo consuetudinem habet, eodem morbo afficitur; qui vicinus est claudo, ipse claudicare discit; qui picem attingit, coinquinatur ab illâ; & dum impij mutuum fœdus percutiunt, & familiaritate coniuncti, in omnem flagitiorum gurgitem, omnibus verecundiæ ruptis repagulis se præcipitant, etiam se mutuo colligato quasi nexu à salutari fidei portu abiiciunt, & tandem variis procellis ad inhospita saxa, & scopulos æternæ damnationis allidunt. Hîc tamen notandum est ex *Lamb. Dan. lib. de am. Chr. cap.* 2. quòd quantum ad mutua officia obeunda attinet, quandam cum impiis conuersationem habere possimus.

An teſtatio de mutuo amore ſit neceſſaria in amicitiâ? Nũ amicitia cum multis ineunda?

XXXII. *Pactum ſeu teſtatio de mutuo alterius erga alterum affectum eſt de neceſſitate amicitiæ perfectæ.*

Est enim viua cordis vtriuſque vox firmius diuturniúſque perpetuitatis vinculum & firmamentum.

XXXIII. *Cum multis amicitiæ fœdus pangendum non eſt.*

Seneca epiſt. 79. *Omnes amicos habere operoſum eſſe*, ait, *ſatis eſſe inimicos non habere.* Eadem eſt ſententia *Ariſtot.* qui virum bonum neque vult eſſe ἄφιλον, neque πολύφιλον, hoc eſt, neque nullorum, neque multorum amicorum; *Heſiodi*, cui neque πολυφιλία, neque ἀξενία probatur; *Pythagoræ*, qui πολυφιλίαν prohibet in *ſymbolo ſuo: Ne multis manum iniicias.* Idem etiam docet *Barthol. Keckerm. ſyſt. Eth. lib. 3. cap. 6. Timpl. lib. 1. Eth. gen. c. 6. q. 21.* Hæc ſententia his fundamentis ſuperſtruitur: 1. Amici ſunt longo vſu temporis comparandi, vt ſeq. quæſt. videbimus. Ergo dum amicis quærendis inuigilamus, tempus, quod omnium rerum eſt pretioſiſſimum, vt *Theophraſtus* eſt auctor, inutiliter conſumimus. 2. Amicitia tantùm cum viris bonis eſt contrahenda, quorum cùm ſint pauci, teſte *Iuuenal. in Sat.*

Rari quippe boni, numero vix ſunt totidem, quot
Thebarum portæ, vel diuitis oſtia Nili;

ſequitur, paucos in amicorum album aſciſcendos eſſe. 3. Qui multos amicos habet, ad illorum ſe nutum & voluntatem totum fingere atque conformare debet. Id autem quàm ſit arduum & difficile, nullus non animaduertit. 4. *Plautus in Pſeud.* ait, *Pauci ex multis amici ſunt homini qui certi ſient.* Ergo abſurdum eſt, plurimorum amicorum coronâ cingi. Plures rationes addere ſuperuacaneum ducimus. Qui tamen hac de re plura cognoſcere volet, conſulat *Ariſtotelem, & Keckerm. ſyſt. Eth. lib. 3. cap. 5. can.*, 6.

An amicitia perfecta ſit tãtùm inter duos?

XXXIV. *Amicitia perfecta tantùm eſt inter duos.*

Amicitia eſt laxior ſeu ſimplex, & arctior ſeu copulata. Illa poteſt eſſe inter plures: hæc tantùm eſt inter duos: quia ἔρως καὶ ἀντέρως ob reciprocationem non admittunt niſi duos terminos. Quid ergo? An non poſſumus habere multos amicos? Sanè poſſumus. Sed quando dicimus, amicitiam perfectam eſſe inter duos tantùm, intelligimus relationem mutuam, quæ per vnam currit & recurrit lineam. v. g. à Dauide fertur in Ionathanem, & inde tanquam echo repercutitur.

An amicitia poſſit eſſe inter inæquales?

XXXV. *Amicitia etiam poteſt eſſe inter inæquales.*

Amicitia æqualium maximè propriè eſt amicitia, quæ æqualibus officiis colitur: ſed amicitia inæqualium officiis proportionalibus colitur. Ibi obſeruatur æqualitas κατὰ πόσον: hìc æqualitas κατ' ἀξίαν.

An amicus debeat celare & probare vitia amici?

XXXVI. *Amicus non debet celare vitia amici, & illa ſuo ſilentio probare.*

Nam aſſentatio vires amicitiæ prorſus infringit, & eius naturam adulterat. Sancta igitur eſt vox Phocionis: *Non potes me vti aſſentatore & amico.*

Crater Philoteſius an probandus?

XXXVII. *Crater philoteſius, Græcis* κρατὴρ ἀγαθοῦ δαίμονος, *quo in conuiuiis amicitiæ conciliantur, habet ſuum vſum & abuſum.*

Olim φιλοτησία iſta magnam habuit gratiam & laudem: hodie maximam partem eſt temeraria, inprimis apud Germanos.

An amicitia illicò cum aliquo ſit ineunda?

XXXVIII. *Amicitia non eſt illicò cum aliquo ineunda.*

Seneca epiſt. 3. ait: Diu cogita, an tibi in amicitiam aliquis recipiendus ſit; quem placuerit fieri, toto illum pectore admitte, tam audacter cum illo loquere, quàm tecũ. Et *Iuſtus Lipſius*, multos modios ſalis vnà edendos eſſe, ſcribit, vt homines inter ſe veram contrahant amicitiam. Huic ſententiæ & nos ſubſcribimus, hoc moti argumento. *Cic. ad Quint. fratrem ait:* Multis ſimul dubitationum inuolucris tegitur, & quaſi velis quibuſdam obtenditur vniuſcuiuſque natura: frons, oculi, vultus, perſæpe mentiuntur. Et *Phil. Melanch.* ait,

Omnibus rebus iam peractis,
Nulla fides eſt in pactis:
Mel in ore, Verba lactis;
Fel in corde, Fraus in factis.

Ergo omnes animi vires excitandas, omnia circumſpicienda, omni vtendum eſſe diligentia arbitramur, vt illis ad amicitiam noſtram ingreſſum demus, qui noſtro amore digni ſunt, quibuſque fidere tutò poſſimus. Id autem non extemplo, & quàm citiſſimè, ſed longo temporis interuallo fieri poteſt. Labuntur igitur, totâque errant viâ, qui quemlibet aditũ & fores ad amicitiam ſibi apetiri poſtulantem, non conſideratâ ingenij indole, num virtutum ornamentis condecoratus, an verò vitiorum næuis ſit deuenuſtatus, ſtatim abſque vllâ morâ in amicorum ſuorum catalogum referunt.

An homo ſeipſum debeat amare?

XXXIX. *Homo ſeipſum amare debet.*

Notum eſt, amorem alium eſſe moderatum, alium immoderatum; item alium eſſe virum probum, alium improbum. Vide *Timpl. lib. 2. Eth. gen. c. 2. q. 3.* His poſitis, cum *Ariſt.* dicimus, *lib. 9. Eth. ad Nic. cap. 8.* probum quidem decere ſui amantem eſſe. Etenim ſibi proderit honeſta agens & aliis Improbum autem non. Nocebit enim & ſibi & proximis, prauis affectibus obſequens. Prior pars probatur. Amor ſui pendet è notitiâ ſui. Cùm igitur magni illa ars exiſtimanda ſit, quâ in nos ipſos deſcendimus, nos ipſos reſpicimus, &, quam perſonam ſuſtineamus, diſcimus, vt docet præclarum illud elogium, quod ianuis templi, in quo Delphicum oraculum conſulebatur, affixum erat, *Noſce teipſum*; neceſſarium etiam eſt, vt nos ipſos, ſi boni ſimus, amemus. 2. Si Deus ſeipſum amat, ſequitur, & homini idem faciendum eſſe, cùm ille pro facultate ſua teneatur imitari Deum. Poſterior pars probatur; Quia immoderatus amor ſui incommoda numero plurima, & pondere grauiſſima producit. Quid enim latiùs ſua venena & toxica ſpargit, quàm cæcus amor ſui? Dum enim nos ipſos nimiùm quàm par eſt, diligimus, labores, vt peſtilentiam quandam atrociſſimam, non ſolùm fugimus, ſed etiam execramur, ad voluptatem autem mentis noſtræ aciem dirigimus, huc omni curâ ſtudióque properamus. Hinc fit, vt de nobis egregiè & magnificè, de aliis verò ſubmiſsè & humillimè ſentiamus. Hinc fit, vt ad aliena vitia oculati ſimus, manticæ verò quod in tergo eſt, non reſpiciamus.

An homo ſeipſum ſummè debeat amare?

XL. *Homo ſeipſum ſummè amare debet poſt Deum.*

Bonum ratione finis eſt triplex, honeſtum, vtile, & delectabile ſiue iucundum. *Ariſt. 2. Ethic. c. 3. D. Ambroſ. in lib. de off. cap. 9. Auguſt. lib. 83. quæſtionum, q. 3. Cic. lib. 5. Tuſc. quæſt.* Deinde bonum eſt ſummum, vel ſummo proximius, vel ab illo remotius. Deus primò & ſupra omnia amandus eſt, poſt hunc homo ſeipſum amare poteſt, in bono honeſto magis quàm proximum, in bono autem vtili & iucundo æquè amicum ac ſeipſum diligere debet. Prima pars probatur: Quia Deum debemus diligere tanquam ſummum bonum, & tanquam creatorem & benefactorem. Secunda pars probatur: Quia quilibet ſeipſum magis perficere tenetur, quàm alios. Tertia pars probatur: Quia teſte *Cic. lib. 1. de Leg.* in amicitiâ neceſſarium eſt, vt alter nihilo ſeſe plus, quàm alterum diligat; quòd ſi tantillum interſit, iam amicitiæ nomen occiderit, cuius eſt ea vis, vt ſimulatque ſibi aliquid quàm alteri maluerit, nulla ſit. Hinc rectè *Scaliger:*

Non eſt tibi quiſquis ſibi neſcit eſſe amicus,
Verùm neq; ſic, qui ſibi vult nimis ſe amicum.

An lege naturali teneamur aliquem amare?

XLI. *Lege naturali non tenemur aliquem diligere, amicitiâ perfectæ denominationis.*

Naturali amicitiâ eâque perfectæ denominationis, non tenemur vllâ lege aliquem diligere. Probatur: 1. Nulla lex cogitur quantum ad id, quod non eſt in noſtra poteſtate. Sed vt naturalem & perfectæ denominationis amicitiam erga aliquem habeamus, nõ eſt in noſtrâ poteſtate. Prob. min. Quia ad perfectæ denominationis amicitiam requiritur mutua quædam beneuolentia. At beneuolentia vt mutua ſit, non præſtare poſſumus. Quamuis enim quiſque ſuam voluntatem ad hoc poſſit impellere vt alteri bene velit, nemo tamen poteſt alium impellere, vt alteri viciſſim bene velit. Atqui hoc ad perfectæ denominationis amicitiam requiritur. 2. Nullâ lege iubemur, ita charitatem habere erga proximos, vt ipſi viciſſim ſimilem habeant charitatem in nos. Ergo idem dicendum eſt de amicitiâ; quia leges de charitate multò ſunt præſtantiores, quàm de amicitiâ naturali.

An teneamur naturaliter diligere parentes?

XLII. *Tenemur naturaliter diligere parentes.*

Ratio 1. Quia naturæ (quam vt *Cic.* ait, tanquam ducem ſequi debemus) nihil magis eſt conueniens, quam vt eos, à quibus vitam hauſimus, quorum operâ diſciplinis inſtituimur, quorum induſtriâ virtutum ornamentis condecoramur, ſummo amore colamus. 2. Illud ipſum lex diuinitus inſtituta præcipit, & nobis identidem inculcat, vt parentes in oculis feramus. 3. Hinc fertiliſſima vtilitatum meſſis excreſcit, quia Deus illis, qui parentes diligunt, longam huius lucis vſuram, & cœleſtem benedictionem pollicetur, vt quintum Decalogi præceptum demonſtrat. Idem docet *Eccleſiaſtes cap. 9.* aiens: *Qui honorat patrem ſuum, iucundabitur in filiis, & in die orationis exaudietur.*

An teneamur diligere proximum?

XLIII. *Proximum tenemur amare.*

Licet nullum tam vtile, nullum Chriſtiano homini tam neceſſarium reperiri poſſit præceptum, quàm illud, quod diuina ſapientia, dum vniuerſæ quaſi legis compendium tulit, in

in qua tanquam in tabulâ, quæ facienda nobis & expendenda, quæve omittenda restarent depinxit, videlicet dixisset: *Diliges Dominum Deum tuum, &c.* & paulò pòst: *Diliges proximum tuum, sicut teipsum*: tamen cùm veterator ille magnus, generis humani sempiternus hostis, id ex animis nostris eripere conetur, huic rei confirmandæ aliquot rationes subiiciemus. 1. Desumitur ab auctoritate *Dei*, quam antea attulimus, Si igitur illi arrectis auribus conuenit auscultare, illiúsque monita placidè excipere, prouidendum est, ne hac in parte diuinam maiestatem offendamus. 2. *Ecclesiasticus* 13. ait: Omne animal diligit sibi simile: sic & omnis homo proximum sibi: & 14. Qui despicit proximum, peccat: & 41. Ne auertas faciem tuam à proximo. *D. Paulus ad Gal. c.* 5. Omnis enim lex in vno sermone impletur: Diliges proximum tuum, sicut teipsum. 3. Si similis simili gaudet: cur eos non diligemus, amabimus, complectemur, qui tantâ & tali similitudine nobiscum coniunguntur, vt non tam ouo ouum, & ficus ficui similis esse possit. 4. Eandem naturam a teneris, vt Græci aiunt, vnguiculis hauserunt: eadem iis quæ nobis, dona & munera à communi rerum omnium parente concessa sunt & tributa: eundem habent creatorem. 5. Grues propter immensum maris transitum sibi inuicem innituntur; idem faciunt cerui, cùm noua pascua quærentes, ingentes transeunt lacus; formicæ etiam oneri succumbentes, formicas subleuant. Si iste naturalis instinctus à naturâ inditus est brutis, quę beneficio rationis carent; quantò magis id hominibus faciendum erit, quibus rationis vsum cœli terræque fabricator, conseruator, & moderator largiter suppeditauit?

XLIV. *Cum Deo possumus habere amicitiam.*

An cum Deo possimus habere amicitiam.

HOmo non potêst naturaliter habere amicitiam perfectæ denominationis cum Deo. Dico *naturaliter*, quia charitas in Deum, quam diuinitus habemus nobis infusam, est amicitia quædam perfectæ denominationis, sed non possidetur nisi supernaturaliter. Probatur hæc sententia duabus potissimùm rationibus. 1. Qui perfectè denominantur amici, illi familiarem inter se vitæ coniunctionem perpetuúmque conuictum habere debent, vt ex q. 20. notum est. Atqui hæc homo naturaliter cum Deo habere non potest. 2. Vera amicitia excludit omnem iram. Ergo naturâ non possumus habere talem amicitiam cum Deo, quia, testante *S. Scripturâ*, filij iræ sumus, at gratiâ superueniente & naturam perficiente, nouum hoc nomen acquirimus, quòd amici Dei audimus.

XLV. *Deum naturaliter amare possumus.*

An Deum naturaliter possimus amare?

RAtiones hæ sunt. 1. Id possumus amare, in cuius amorem naturali instinctu rapimur. Sed tali instinctu rapimur in Deum, quod probatur: Quia naturæ instinctu rapimur in eius amorem quòd à nobis cognoscitur vt bonum honestum, & hoc pacto Deus à nobis cognoscitur. 2. Si naturaliter non possemus Deum creatorem amare, Deus non dedisset præceptum de se diligendo, quod quàm sit absurdum, quiuis facilè intelligit.

XLVI. *Cum angelis possumus habere amicitiam.*

An cũ angelis habere possimus amicitiã?

CVm angelis non possumus naturaliter habere amicitiam perfectæ denominationis; possumus tamen habere cum illis essentialem. Prior pars probatur: 1. Quia angelorũ aduersum nos beneuolentia naturaliter non est nota, neque cognosci naturaliter potest. 2. Amicitia perfectæ denominationis requirit familiarem & amicum conuictum, vt ex quæst. 20. notum est, talem autem nos cum angelis habere naturaliter non possumus. 3. Ad amicitiam perfectæ denominationis requiritur amicorum æqualitas. Sed inter nos & angelos nimis magna est inæqualitas. Vnde Arist. quando negat, hòmini cum diis amicitiam esse posse, deorum etiam nomine angelos comprehendit. Posterior pars prob. Quia angeli sunt honestatis, virtutis, & beatitudinis capaces; ergo à nobis possunt charitate diligi: ergo & naturali amicitiâ, quia vtriusque virtutis est par hac in re ratio.

XLVII. *Amare melius est, quàm amari.*

An amare sit melius quam amari?

HÆc est sentẽtia *Arist. lib.* 8. *Eth. c.* 8. Idem sentit *Keck. lib.* 3. *syst. Eth. c.* 6. Probatur autem hęc sententia his rationibus. 1. Actio est præstantior passione. Cùm igitur amare sit actio, & amari passio, vt quilibet in prædicamentorum doctrinâ vel leuiter saltem versatus intelligit; vtique melius erit amare, quàm amari. 2. Matres magis gaudent eo amore, quo amant, quàm quo amantur: ergo, &c.

XLVIII. *Senes non adeò sunt apti ad amicitiam.*

An senes sint recipiendi in amicitiã?

RAtio. 1. Vera amicitia non patitur querelas. At verò senes sunt queruli. 2. Vera amicitia requirit conuersationem. At senes sunt morosi, & proinde ad conuersationem inepti. Interim quidã senes sunt apti ad amicitiã siue cum iuuenibus, siue cum senibus ineundã: vt rigidior sit Aristotelis sentẽtia 8. *Eth. c.* 1. & 5. vbi senibus omnem aditum ad amicitiam præcludit.

Atque hæc est natura amicitiæ. Deus faxit, vt illam, quam ipse animis inseruit ad virtutes scintillam, exsuscitemus, & in hoc amicitiæ flagrantis incendium vltro coniiciamus, at vero glaciale illud inimicitiæ frigus, illam animorũ acerbissimam hyemem, quæ nulli non incommodat, tandem aliquando excutiamus. Id faxit Deus, cui soli sapienti, inuisibili, immortali sit honor, laus, & gloria in secula seculorum: Amen.

FLORILEGIVM.

CONCORDIA. SENTENT. Concordia nobis commendatur *Psal.* 133. vbi est elegans concordiæ imago. *Prou.* 18. *Eccles.* 35. *Matth.* 5. *Rom.* 12. 1. *Cor.* 1. 2. *Cor.* 13. *Ephes.* 4. *Phil.* 1. 2. *Thess.* 3. Concordiâ res paruæ crescunt, discordiâ maximæ dilabuntur. *Sallust.* APOPHTHEG. Antisthenes dixit concordiam fratrum esse quouis muro firmius munimentum. *Laërt.* 6. c. 1. Sicut lignum rectum cum curuo non conuenit, ita nec boni cum malis; & sicut duo ligna curua inter se conuenire nequeunt, ita inter improbos concordia esse non potest, aiebat Musonius. *Stob. serm.* 78. Leo Byzantius Sophista concordiam persuasurus Atheniensibus, suggestum conscendit, & dixit: Ego admodum pusillus sum, vt videtis, & vxor mea multò minor est me. At nos tam pusillos, quando dissidemus, vix tota ciuitas Byzantium capere potest. *Plutarch. in poli.* Hoc ipsum apophthegma aliter recensetur à Philostrato: quòd nempe Leo Byzantius suggestum conscendens risum moverit populo, quòd esset obeso ventre. At ille nihil turbatus risu multitudinis: Quid, inquit, ridetis viri Athenienses? Vxor mihi est multò obesior, & tamen concordes vnus capit lectulus, discordes ne tota quidem domus. *Philostrat.* Agesilaus rogatus, quã ob causam Sparta mœnibus nõ cingeretur, ostendit ciues armatos & vnanimes: Hi, inquit, sunt Spartæ ciuitatis mœnia. *Plut. apoth. Lacon.* Lycurgus ad suos ciues, qui scripserant, quo pacto hostium impetum repellere possent, si, ait, pauperes manseritis, & contentiones mutuas deposueritis. *Brus. l.* 2. *c.* 4. Archidamus a duobus inter se dissidentibus delectus arbiter ambos duxit in lucum Mineruæ, & ibi exegit ab illis iusiurãdum, vt starent arbitrij iudicio, id vbi iurassent, Pronuntio, inquit, ne priùs hunc locum exeatis, quàm inuicem reconciliemini. Apud Lacedæmonios autem nefas erat fallere, quod in Mineruæ fano promissum esset. *Plut. Lacon.* Apophthegma Sciluri vide paulò ante *reg.* 1. Mycipsa rex iam iam moriturus, filios suos paterno monet affectu, vt concordes sint, aureis semper litteris scribendam sententiam addens: Concordiâ res paruæ crescunt, discordiâ autem maximæ dilabuntur. *Sallust. de bello Iugurth.* ADAG. Concordiâ fulciuntur opes, etiam exiguæ: Concinere: Doricè concinere: Pariter remum ducere: Vnam ædificare Trojam: Operas mutuas tradere: Moses & Aharon: Manus manum lauat: Funiculus triplex. SIMIL. Nazianzenus *in orat. de modest.* explicat illam similitudinem, quomodo societas quælibet debeat esse ad instar corporis, in quo membra à se non dissentiunt, sed singula obeunt sua munia. Nam oculus non graditur, sed ducit: pes non cernit, sed vadit: lingua non excipit voces, auris non loquitur. August. *lib.* 1. *de ciuit. Dei. c.* 21. explicat simile illud Scipionis, qui ciuitatem ex summis, mediis, & infimis ordinibus constare dixit, non aliter atque ex dissimillimarum chordarum sono fit suauissimus concentus. Illustris etiam est similitudo Dionis, qui quid possit concordia, ostendit similitudine currus & equorum parentiũ aurigæ, & similitudine nauis, quæ quamdiu gubernator & reliqui faciunt officium, quisque suum, feliciter sulcat mare. Idem ostendit, quid efficiat discordia, adducto simili à feris, quæ si eodem septo claudantur, mutuò se conculcant ac perimunt. *Plutarch. in moralib.* adducit simile sumtum ab optimâ temperie, quæ fit ex humido & frigido, calido & sicco: quæ dicitur concordia discors, & discordia concors. EXEMPL. Abraham & Lot Apostoli, *Act.* 2. Athenienses sanciebant ἀμνηστίαν; Ciuitates Græciæ famâ imminentis à Xerxe belli auditâ, priuatas simultates omnes facto Syncretismo, obliuione deleuerunt: cuius instituti primos authores Plutarchus facit Cretenses, qui aliâs frequenter bellis intestinis inter se pugnabant. HIEROGLYPH. 1. *Lyra* apud veteres Romanos erat hyeroglyphicum concordiæ. 2. *Caduceus Mercurij, angues circumuolutos habens.* Fabulantur enim poëtæ, Mercurium inuenisse duos angues pugnantes, & diremtos in caduceo concorditer iunxisse. 3. *Duæ perdices, ouis quæque suis incubans & pullitiem excludens.* Nam remisso incredibili libidinis ardore mas & fœmina seorsum excludunt oua. EMBLEM. 1. Exorto apud Romanos bello ciuili, solebant partes singulæ dextras iungere: quod erat signum concordiæ. 2. Cornicum mira est concordia. 3. Geryones, fratres tergemini, habuerunt regna inuicta, quia concordes fuerunt. 4. Cùm Athenienses exercitium in Siciliam missuri essent, iussi sunt adhibere sacerdotem accersitam Erythris nomine ἡσυχίαν: quo cùm significetur quies, monebantur Athenienses, vt quieti se darent. APOLOG. Membra corporis humani cùm singula facerent suum officium, bene habebant. Sed aliquo tempore bellum indixerunt ventriculo; vbi omnia commemoratis

memoratis suis officiis accusarunt ventriculum, quòd omnia absumeret. Conuenit igitur inter reliqua membra, vt singula cessarent ab officio. Quid fit? Breui tempore omnia & singula deficere, languere, ac tandè ad suas quæque functiones redire.

DISCORDIA. SENTENT. Discordia vitanda, *Prou.* 6.15.16.17.18.30. *capp. Math.* 12. *Luc.* 11. 1. *Cor.* 14. 2 *Cor.* 12. *Galat.* 5.2. *Tim.* 2. In discordiâ nemo benedicit Dominum. *August. in Psal.* Si Dei vocantur filij, qui pacem faciunt: procul dubio Satanæ sunt filij, qui confundunt pacem. Sicut nihil est pretiosius Deo virtute dilectionis; ita nihil est desiderabilius Diabolo extinctione charitatis. *Greg. in Pastorali.* Virgilius 7. Æneid. Furiam Alecto sic alloquitur:

Tu potes vnanimes armare in prælia fratres,
Atq; odiis versare domos tu verbera tectis,
Funereásque inferre faces; tibi nomina mille,
Mille nocendi artes.——

Quietissimam vitam agerent homines in terrâ, si hæc duo verba a naturâ rerum omnium tollerentur, Meum & Tuum. *Sen. de moribus.* Maiores instituerunt conuiuium solemne, quod Charistiam vocarunt, in quo tollebant controuersias ortas inter propinquos. *Val. Max l.* 2. Malum externum discordia. *Tacit. annal.* 4. Nulla natio potest ab aduersario deleri, nisi propriis discordiis ipsa se consumserit. *Vegetius lib.* 3. *c.* 10. Tria Chilonis præcepta aureis literis templo Delphico inscripta sunt: Nosce teipsum; Ne nimium cupias; Æris alieni atque litis miseriam effugias. *Stob.* Phauorinus in disputatione quadam cedens Hadriano principi, cui infensissimus erat, admirantibus aliis cur id faceret: Nonne cedam, inquit, ei, qui viginti legiones habeat? *Æl. de var. hist.* APOPHTHEG. Scipio Numantiâ euersâ quærens ex Tyresio Celtico principe, quâ de causâ Numantia priùs inuicta, deleta esset, hoc responsum tulit: Concordia victoriam, discordia exitium adfert. *Pet. Diac. hist.* 4. M. Agrippa dicere solebat, multum se huic sententiæ debere: Concordiâ res paruæ crescunt, discordiâ maximæ dilabuntur. *Sen. epist. l.* 14 Alphonsus sæpenumero solitus est dicere, Si Romanorum temporibus vixisset, se constructurum fuisse templum Ioui Positorio, vt de rebus acturi, in eo priùs conuenirent. & contentionem omnem deponerent. *Panormit de gest. Alph. l.* 3. ADAG. Omne regnum in se diuisum desolabitur: Domesticum dissidium: Bellum intestinum: Fratres Cadméi: Cadméa victoria. SIMILIT. Quemadmodum Cæcias ventus trahit ad se nubes quas sequitur: vt venti certantes inter se concutiunt mare: sicut turbatur harmonia, si vel vnica chorda non rectè se habeat: sicut vnus status duas diuersas tibias inflare nequit: sicut corriuales dissident: sicut auis cybindus internecinum cum aquilâ gerit bellum, vt aqua in locos hiantes ducta magis eos diuellit: vt singula hastilia facilè frangas, coniuncta non possis: ita & discordes atque discordia se habent. EXEMPL. Cain & Abel; pastores Abraham & Loth, *Genes.* 13. reges Cananæi, *Genes.* 14. Sodomæi & Loth, *Genes.* 19. Esau & Iacob, *Genes.* 27 Congregatio aduersus Mosen, & Aharonem, *Exod.* 16. Israël & Beniamin, *Iudic.* 20. Dauid & Saul, 1. *Sam.* 18. Roboam & Israëlitæ, 1. *Reg.* 12. Paulus & Barnabas, *Actor.* 20. Pharisæi & Sadducæi, *Act.* 23. Corinthij, 1. *Cor.* 2. Romani & Germani: Athenienses & Spartani. HIEROGLYPH. 1. *Lupus & agnus seu ouis* apud Ægyptios & poëtas est symbolum discordiæ. 2. *Anguillarum venatio* significat hominem, qui hoc vnicè agit, vt crescat per turbas ciuiles. Nam

Hunc iuuat anguillas turbato quærere stagno.

3. *Vas igniarium, putà thurribulum, cum aquario pictum*, est signum discordiæ: quia ignis & aqua non sunt compassibilia, vt loquuntur. APOLOG Leo & vrsus vno eodémque tempore in hinnulum incidebant. Vterque illo potiri cùm vellent, mutuis vulneribus conciderunt. Vulpecula euentum pugnæ expectans hinnulum relictum in medio abstrahit. Ita Philippus Macedo ciuitatibus Græcorum mutuo Marte confectis potitus est.

AMICITIA. SENTENT. De amicitiâ vide hinc inde Prouerbia & librum Siracidis. Nihil sic probat amicum, quemadmodum oneris amici supportatio. *Aug.* 12. *quæst.* Amicitia in malo esse non potest. *Id. de consens.* Non omnis qui parcit, amicus est, nec omnis, qui verberat, inimicus. *Id.* 9. *Confess.* Virtus est amicitia, non quæstus. *Ambros.* 3. *off.* Obiurgat amicus amicum non iactantiæ studio, sed affectu charitatis: neque admonitio aspera sit, nec obiurgatio contumeliosa. *Id.* 1. *off.* Amicitia rerum omnium est vinculum. *Id. de fide.* Solem è mundo tollunt, qui tollunt amicitiam. *Id. de amic.* Necessitas amicum probat. *Cass. epist.* Qui verè amicus est, omni tempore diligit. Nam eum tormentum non separat, labor non laxat, thesaurus non superat, alienus amor non occupat. *Id.* Sine amicis omnis cogitatio esset tædium, omnis operatio labor, omnis terra peregrinatio, omnis vita tormentum, sine quorum solatio viuere, esset mori. *Id.* Is amicus est, qui in re dubiâ te iuuat, vbi re est opus. Nihil homini amico est opportuno amicius. *Plaut. Epid.*

Manil. 8.

Idcirco nihil ex semet natura creauit
Pectore amicitiæ maius, nec rarius vnquam.
Vnus erat Pylades, vnus qui mallet Orestes
Ipse mori, lis vna fuit per secula mortis:
Alter quòd raperet fatum, non cederet alter.
Et duo qui potuère sequi vix noxia pœnis,
Optauitq; reum sponsor non posse reuerti:
Sponsoremq; reus timuit, ne solueret ipsum.

Amicitia est εὔνοια ἀντιπεπονθυῖα, *æquitas reciproca beneuolentiæ. Arist.* 8. *Eth. c.* 2. φίλος δ' ἐστὶν ὁ φιλῶν καὶ ἀντιφιλούμενος, *qui amat, & redamatur. Id.* 2. *Rhet.* 4. Idem velle atque idem nolle, ea demum firma est amicitia. *Sallust.* Amicus est vna anima in duobus corporibus habitans. *Zeno Cittie.* Amicus est alter Ego. *Id.* Difficile est nominare, quot amicos quis possideat. *Socr.* Vt pij reges omnes: ita omnes fidi amici scribi possunt vno in annulo. *Anon.* Amicos (scil. ollares) res optimæ parant, aduersæ probant. *Pub. Syr.* atque hic est Lydius amicitiæ lapis. Vt cuique homini res parata est, firmi amici sunt. Si res labat, itidem amici collabascunt: res amicos inuenit. *Plaut. Stich.* Superbia venenum amicitiæ. Nam duo mõtes non facilè iunguntur. *Anon.* Quàm veterrimus homini optimus amicus. *Plaut. Truc. Alte freund die beste.* In secundis amici adsint aduocati: in calamitatibus autem suâ sponte atque non vocati. *Demetr.* Ἔρως καὶ ἀντέρως sint in amicitiâ, *lieb vnd vviderlieb. An.* In amicitiâ fuge multitudinem, fuge paucitatem, fuge etiam vnum. *Sen. ep.* 10. Melius est, amicum vnum egregium, quàm multos gregarios possidere. *Anacharſ.* Operosum est, omnes habere amicos, satis est inimicos non habere. *Sen. ep.* 14. Ne cuiuis dexteram inieceris: ὅτι ἄνθρωπος ζῶον εὐμετάβολον. *Pythagorici.* Amico sic credendum, ne sit inimico locus. *Pub. Syr.* Cauenda amicorum calumnia, & inimicorum insidiæ fugiendæ. *Cleobul.*

οὐκ ἔστιν οὐδὲν κτῆμα κάλλιον φίλου.
Est nulla amico pulchrior possessio.

Iulius Cæsar Scaliger in Epidorpidum libris:

1. *Quem officia vides perpetuasse cum parente,*
Thesaurus erit patrius, innocens amicus.
2. *Non est tibi, quisquis sibi nescit amicus.*
Verùm neque fer, qui sibi vult nimis se amicum.
3. *Inquit sapiens: Vna dies pinget amicum.*
Heu heu mihi, quod horula iam pandidit vna?
4. *Teipsum in socium transfer, & hac arte propaga.*
Regno vtilior dicitur existere amicus.
5. *Furare beneficâ dexteritate sodales.*
6. *Multi ad cyathum faciles, prodigiq; amici,*
Quos immemores efficit vna vmbra pericli.

Exceptâ sapientiâ nihil melius datum est homini à diis immortalibus amicitiâ. Quid enim dulcius, quàm habere cum quo omnia sic audeas loqui vt tecum? Quis esset tantus fructus in prosperis reb. nisi haberes amicum, qui illis æquè ac tu ipse gauderes? Aduersa etiam ferre difficile esset, sine eo, qui illa grauiùs etiam quàm tu feret. *Cic. Amicitiæ leges* vulgò recitantur istæ: 1. Amicitia non ineatur, nisi à virtute præditis, & ob virtutem. 2. Amicus alter ipse esto. 3. Amicorum omnia sunt communia. 4. Idem velint & nolint amici. 5. Amicitia esto sincera, sine fraude & suspicione. 6. Amicitia constans esto in secundis & aduersis. 7. Amicus amicum, quando est opus, moneat. 8. Amicus amico patefaciat arcana. 9. Amicus nihil turpe postulet ab amico. 10. Amicus vterque colat silentium. 11. Amici externa comitatis officia sibi mutuo declarent. 12. Amicitia se vltra aras ne extendat. *Amici sinceri characteres* hi traduntur. 1. Amare vnũ vnicè. 2. Infelicem se putare, quando non est cum amato. 3. Esse cum amico, saltem cogitatione. 4. Studere placere amico. 5. Laudare & iuuare amicũ. 6. De amico credere omnia summa, ideóque nihil suspicari: quia suspicio venenum amicitiæ. 7. Pati pro amico incommoda. 8. Condolere amico. APOPH. Socrates dicere est solitus, nullam esse possessionem pretiosiorem vero bonóque amico: nec aliunde plus fructus aut voluptatis capi. *Eras.* 3. *apoph.* Aristippus irascebatur hominib. qui emturi vasa probant ea tinnitu, electuri verò amicos nullum adhibent delectum: cùm sæpe in eburneâ vaginâ lateat intoxicatus gladius. Cato dicebat, Amicitiæ, quæ non placent, dissuendæ magis quàm discindendæ sunt. *Cic.* Diogenes rogatus, quemadmodum amicis vteretur Dionysius. Vt vasculis, respondit: dum plena sunt, euacuat, dum vacua, abiicit. Et hodie potentiores vtuntur amicis ceu calculis, qui nunc millia, nunc nihil valent. Cato intelligens, amicum non posse ferre admonitionem amici, Noli, aiebat, indignari amico: nam apem propter aculeum non odisti, sed foues propter fructum. *Max. ser.* 6. Cùm Alexander vnà cum Hephæstione inuiseret Darij matrem, vxorem & filias captiuas, mater Darij Hephæstionẽ, quòd eodem esset ornatu quo rex; corpore etiam maior, adorauit pro rege. Sed cùm ex nutibus præsentium intelligeret errorem, perturbata denuò salutauit Alexandrum. Tum Alex. Nihil est, ô mater, quòd turberis: nam & hic Alex. est; sentiens, amicum esse alterũ ipsum. *Plut. in Alex.* Idem interrogatus à quopiam, vbi thesauros haberet, amicos ostendens, In his, inquit. *Max.* Cùm Darius accepisset prægrande malum Punicum, & quidam ex eo sciscitaretur, cuius rei tantum numerũ habere

habere optaret, quantus illic esset granorum: respondit, Zopyrorum. Zopyrus autem erat vir bonus, & Dario amicus. Adag. Neque nulli sis amicus, neque multis: Amicorum omnia communia: Amicus alter ipse: Amicus magis necessarius quàm ignis & aqua: Vbi amici, ibi opes: Vsque ad aras amicus: Syncretismus: Felicium multi cognati: In oculis, sinu, & capite ferre: Tempus arguit amicum: Amicus certus in re incertâ cernitur: Hunc dic amicum, cum quo modium salis comedisti: Amicitias immortales esse oportet: Gratiæ nudæ: Ollæ amicitia: Amici veteres, vina vetera, vetus aurum. Simil. Amicitia est sol, sal, condimentum, nectar, & alexipharmacum vitæ, in primis afflictæ. Amicus est thesaurus, dimidium animæ, animæ custos, vna anima in duobus corporibus Exemp. Iacob & Rachel, Ionathan & Dauid, Hiran & Salomo, Christus & Iohannes: Hercules & Theseus, Hercules & Nestor, Theseus & Pirithous, Achates & Æneas, Damon & Pythias, L. Lucullus & Cicero, Horatius & Mœcenas. Hierogl. 1. *Canis*, ratione fidelitatis & officij. 2. *Sal*, ratione durationis. 3. *Corona myrtea malis Punicis ornata*, ratione mutui vinculi & fructus. 4. *Pocula vicissim porrecta*. 5. *Dextra porrecta*. *Hirundo* est symbolum amici ingrati & inutilis. Apologus. Pullus hirundinis quæsierat sibi amasium turdum. At mater hirundinis increpabat, aiens: Tu mea filia ver, ille brumam sequitur.

Emblema.

Arentem senio, nudam quoq; frondibus vlmum
Complexa est viridi vitis opaca comâ:
Agnoscitq; vices naturæ, & grata parenti
Officij reddit mutua iura sui.
Exemploq; monet tales nos quærere amicos,
Quos neq; disiungat fœdere summa dies.

Breuiter sic:

Vtlibet arenti vitis tamen hæret in vlmo:
Sic quoq; post mortem fidus amicus amat.

Capvt XXVI.

De Veracitate.

Præcepta.

Vidimvs probitatem coniunctam, quæ præcipuè regit affectum internum: iam videbimus probitatem coniunctam, quæ præcipuè regit signa affectus externa; sermonem scil. & gestum.

Sermo est proferendus, vel non.

Sermonem proferendum regunt Veracitas & Eulalia seu Iucunditas sermonis: non proferendum regit Taciturnitas.

Veracitas est, quâ quis studet dicere id quod res est. *Atque hæc dicitur veritas practica, quæ consistit in æquatione rationis ad appetitum: sicut veritas theoretica seu speculatiua in conformitate intellectus ad res ipsas. Huic igitur virtuti rectè subiicitur* Docilitas, *per quam verum studemus intelligere: &* Candor, *qui facit vt ingenuè dicamus quod res est.*

Ei opponitur in excessu mendacium augens: in defectu mendacium minuens. *Huc pertinent omnia mendacia: vt perfidia, periurium, calumnia, detractio, delatio, iactantia, assentatio, conuitium, æquiuocatio, &c.*

Regvlæ.

Veracitas quid? I. *Veracitatis est sermonem cum intellectu, & intellectum cum rebus conformare.*

Veracitas est orationis conuenientia cum mentis sententiâ. Hinc dicitur: Vir bonus cor suum gerit in linguâ. Dicitur aliàs veritas practica, ad differentiam veritatis theoreticæ seu logicæ, quæ est congruentia mentis cum rebus ipsis. De hac virtute ait Comicus:

Haud arte tantam pictor vllus assequi
Statuariúsve pulchritudinem queat
Tantum & decorum, veritatis quantum est
Splendor, &c.

Ideò Pythagoras interrogatus, quid Deo simile facerent homines? Cùm veritatem exercent, respondit. Ideo etiam Ægyptiorum reges veritatis imaginem iudicibus à collo suspensam fingebant. Nos illam suspendamus à collo cuiuslibet hominis. Omnibus enim hæc virtus est singulari ornamento. Requiritur autem vt non solùm sermo conformis sit intellectui, sed etiam vt intellectus conformetur ipsis rebus. Nam potest aliquis conformare sermonem cum intellectu, & ta-

men mentiri: vt si quis dicat ex animi sententiâ, purgatorium esse. Et rursus aliquis potest sermonem cõformare cum re, atque ita verum dicere Logicè; & tamen mentiri Ethicè, seu sermonem non conformare menti suæ: vt si quis dicat, antipodes esse, quos esse non credit. Et hoc est mendacium Diabolicum. Quo vitio se polluit iste Papa, qui cum aureorum aceruum monstraret Cardinali cuidam, dixit: Has opes nobis peperit fabula de Christo. Hîc etiam obserua, posse virum bonum falsum dicere, & tamen non mentiri: vt si quis non assertiuè, sed historicè ex ore alterius commemoret, quod ab ipso habetur pro vero, cùm sit falsum. Nam mentiri dicitur, qui enuntiat de re aliter, quàm rem se habere sentit: itaque qui mentitur, ipse non fallitur, sed alterum fallere conatur: qui verò mendacium dicit, ipse fallitur falsus ab alio. Rectè igitur Gellius: Vir bonus præstare debet ne mentiatur, prudens, ne mendacium dicat, scil. ex ore alterius.

Veracitas vt inclinet ad dictionē veri? II. *Veracitas est, vel omne verum, vel partem veri dicere.*

Omne verum dicendum est, quando gloria Dei & salus publica hoc postulant. Pars veri dicenda est, quando & gloria Dei, & salus tum publica tum priuata in discrimen adducitur intempestiuâ omnis veri prolatione. Exemplum huius prudentiæ habemus in obstetricibus, *Exod.* 1. quæ partem veri dicebant Pharaoni, atque ita & tyranno satisfaciebant, & de populo Dei bene merebantur.

Veracitas qualis? III. *Veracitas est officiosa & ingeniosa.*

Officiosa: quia sic docet proferre quod res est, ne proximus lædatur. *Ingeniosa*: quia non dicit omne seu totum verum, quando potest aliis satisfacere, si dicat partem veri. Solet enim Deus sic regere animos hostium, vt acquiescant si quis dicat partem veri, iuxta regulam, A Deo est vtrunque, veritas iuris, & commoditas facti. Sic obstetrices *Exod.* 1. dixerunt partem veri. Hinc regula: Non tenemur semper omne verum dicere, si maximè teneamur partem veri dicere. Sic cùm Athanasius fugeret tyrannidem Arrianorum & hi ipsum insequerentur, factum est diuinitus, vt cymba Athanasij se obuerteret, & Arrianis obuiam iret. Tum hostes quærunt ex ipso: Num hîc vidisti Athanasium præteruectum? Respondet Athanasius: Modò huc ibat. Hîc Athanasius dixit partem veri, quòd scilicet huc ierit, sed non dixit omne verum, quod huc quoque redierit. Huc etiam pertinet distinctio simulationis, quòd alia sit effectum prudentiæ, alia species mendacij. Prioris exempla plurima sunt in militiâ, vt si quis simulet se hac iter suscepturum, & postea aliò flectat, vt hostem aggrediatur. Posterior definitur mendax affirmatio, sicut dissimulatio definitur mendax negatio. Hic autem opus est cauto, ne cum Iesuitis foueamus artem æquiuocationis, quâ dicunt, innumera peccata posse euitari, si quis nempe interroganti respondeat cum aliqua subintellectione seu tacita correctione: vt si quis petenti pecuniam vel librum respondeat, non habeo, subintelligendo tamen: ita non habeo vt tenear tibi dicere, præstare & manifestare, vel vt tibi dem. Sic si quis interrogetur à magistratu non iustè procedente, potest vti æquiuocatione, & respondere non secundùm iudicis mentem, sed secundùm suam intentionem. Ita si crimen omnino est occultum, de quo quis interrogatur, tum æquiuocatione vti poterit respondendo, nescio: intelligendo tamen intra se, vt dicam tibi, vel respõdendo: non feci, intelligendo intra se: Nunc non feci. Hanc æquiuocationis artem vocant bonam prudentiam, & prudentem defensionem, docéntque, æquiuocationem posse ipsos tueri in grauissimis causis. Ideo Martinus Nauarrus Iesuita scripsit totum tractatum de æquiuocationibus in gratiam Illustrissimæ, vt ait, societatis Iesu: in quo ait hanc doctrinam de æquiuocationibus fundari in illo insigni facto magni illius patriarchæ Francisci, qui interrogatus à lictoribus homicidam persequentibus, an illac, vbi S. Franciscus erat, talis homicida transiisset, immissis manibus intra manicas respondit: Hac non transiuit: subintelligendo tacitè contra communem intelligentiam, nõ transisse per illas manicas. Et Iesuita Syluanus in sua *Philippicâ* ait: Æquiuocatione vti & audientem decipere licet. Anne, ait, ego obligatus sum cuique roganti respondere ad mentem? Quis me omnium debitorem fecit? Rursus ait Nauarrus, se maximo cumprimis principi abhorrenti à dissimulationibus, & ab illo apophthegmate: *Qui nescit dissimulare, nescit regnare*; nõ sine fructu respondisse, bonam & vtilem hanc simulandi & dissimulandi artem esse. Hæc est doctrina Iesuitarum, quæ si obtineat, contractus nulli poterunt firmari, nec societas humana consistere: quæ maximam partem consistit in ingenuâ responsione, datâ ad quæstionem ingenuam. Nam siue æquiuocatio contingat ex diuersâ verbi significatione, siue ex diuersâ intentione interrogãtis & respõdentis, semper est mẽdacium. Cùm enim aliquis interrogat, aut superior est, aut par, aut inferior. Si superior, debetur ipsi honor, qui nullus apparet in æquiuocatione. Si par vel bono quærit animo, vel malo. Si bono, debemus ipsi hoc officium, vt respondeamus quod res est: si malo, non tenemur ipsi respondere. Si inferior

quæ rat, tenemur ipsi directè respondere, si hoc faciat ad ipsius ædificationem. Simus itaque memores illius quod est ad *Eph.* 4. Deposito omni mendacio loquimini veritatem, vnusquisque cum proximo suo.

Quot modis violetur præcepta veracitatis?

IV. *Classes illorum, qui hîc delinquunt, sunt numero vndecim.*

1. *Sophistæ*; qui laborant ignorantiâ prauæ dispositionis, hoc est, ex malitiâ aliquid negant, quíque loquuntur & scribunt contra conscientiâ. Huc pertinet distinctio Theologi, quòd alius sit Theologus gloriæ, alius crucis. Huius etiam loci sunt disputatores, qui venti & ostentationis causâ in vtramque partem disputant, non autem exercitij gratiâ, vt nempe veritas eruatur. 2. *Iesuitæ*; qui datâ operâ ambiguè loquuntur vt alios circumueniant, hâc in parte imitati Apollinem, qui dictus est λοξίας, quòd ambigua redderet responsa: vt cùm Atheniensibus exercitum in Siciliam missuris, author esset vt adhiberent sacerdotem ἡσυχίαν, quo monebantur vt quiescerent. 3. *Machiauellistæ, seu politici, qui hæc axiomata Machiauelli defendunt*: Princeps qui sapientiâ est præditus, debet ea promissa vitare, quæ suis commodis fore contraria videt. Item: cùm principis magni referat belluinum ingenium scitè induere, & vulpis & leonis mores assumendi erunt. 4. *Historici, qui abrepti affectibus, virtutes suæ nationis exaggerant, vitia verò extenuant*: contrà virtutes aliarum nationum extenuant, vitia verò exaggerant: qualis fuit Bodinus. 5. *Poëtæ & oratores, qui mendacia lenociniis verborum fucare solent.* 6. *Veritatis parcipromi seu mendaces*; qui hoc lucrantur, vt cùm vera dixerint, illis non credatur. Hîc notentur duo illa: Tenue est mendacium, pellucet si diligenter inspexeris. Item: Callidum mendacium est optimum. 7. *Pastores illi, quos propheta vocat canes mutos, seu asthmaticos*; qui propter sacium denarium (vt vulgò loquuntur) non adhibent parrhesiam. 8. *Adulatores qui palàm blandiuntur, clam, si occasio est, frigidam subdolè suffundunt, vt Plautus ait.* De his vsurpari potest illud prouerbium Hebræorum:

Vox est Iacobi, manus est immanis Esaui.

Hi eleganter dicuntur parasiti; quia veluti mures semper edunt alienum cibum & nunquam fiunt saturi, ideoque semper vendunt blanditias, quæ sunt melleus laqueus. Hinc parasitus Plautinus ait: Famem fuisse suspicor matrem mihi. Nam postquam natus sum, satur nunquam fui. Talis fuit Martialis qui Domitiano sic applaudit:

Edictum domini Deiq; nostri.

Aliter erant animati prisci Latini qui adeò candidi fuerunt, vt inde natum sit prouerbium: *Latinè loqui*, id est candidè. Huc pertinent delatores: contra quos vt & adulatores, vt tuta esset innocentia, Iustinianus legibus suis cauit. Nouell. constit. 13. & 26 Laudantur etiam Impp. Pertinax & Traianus, quod adulatores & calumniatores, quibus apud Domitianum locus fuerat, ciuitate expulerint. Princeps qui delatores non castigat, irritat, ait Suetonius. 9. *Hypocritæ*; qui dant sine corde manus, quique proferunt verba honoris, quod vitium in aulâ nimis quàm familiare est: quâ de re notetur elegans colloquium quatuor fratrum, quorum primus ait:

Nos operas, vitam, formamq; impendimus aulæ.

Secundus quærit:

Præmia pro meritis quæ retributa putas?

Tertius respondet:

Aula dedit nobis rescripta notata papyro.

Quartus addit:

Et sine corde manus, & sine voce sonos.

10. *Calumniatores*; quibus hic thesaurus in linguâ situs, vt quæstui habeant malè loqui melioribus. Quorum viua imago hæc est: Si quis studet humilitati, illi dicunt, Hypocrita est: si recreationi, Gulosus est: si patientiæ, Timidus est: si iustitiæ, Impatiens est: si simplicitati, Fatuus est: si prudentiæ, Versipellis est: si religioni, Singularis est: si societati, Secularis est: si paci, Dissimulator est: si vtilitati aliorum, Curiosus est. Huiusmodi homines odio extremo prosecutus est Augustus Cæsar, qui mensæ suæ inscripsisse fertur hoc distichon:

Quisquis amat dictis absentum rodere vitam,
Hanc mensam vetitam nouerit esse sibi.

11. *Qui temerè iurant*, immemores illius quod Pythagoras ait: τὸν ὅρκον σέβου: item istius, μὴ πολυπετῶς ὄμνυε. Debebant isti cogitare quòd iuramentum sit inuocatio Dei, vt sit testis voluntatis nostræ quòd non velimus fallere, petamúsque vt ille fallentes puniat, atque ita in hanc pœnam nos obligemus. Huc refer illos, qui periurant. Peierare autem est falsum iurare, & fallere credentem iuramento. Abominabilis autem est Ciceronis sententia, qui affirmat, falsum iurare non esse peierare, sed quod ex animi sententiâ iuraueris quod verbis concipitur, id non facere periurum esse. *offic.* 3. cùm duplici nomine periurus fiat, aliud oratione proferens iurando, aliud mente celans: quod à Platone suo 11. *de ll.* discere poterant; qui ait, fraudulentum iuramentum à diis puniri, & non dicentis, sed audientis gratiâ orationem proferri. Nam iusiurandum non eius, qui se obstrinxit iuramento, sed eius, cui obstringitur, causâ institutum. Porrò damnamus leuitatem in iuramentis illis forensibus, quæ ICti vocant malitiæ: & omnino illa quæ fiunt contra verbum Dei. De his teneatur illud Hieronymi: Iuramenta, inquit, tribus modis soluuntur & irrita fiunt: primò cùm quis malè iurat, secundò cùm incautè, tertiò si pueri. Ecce, inquit Isidorus, quòd iuramenta illicita laudabiliter soluantur, & damnabiliter seruentur. Tale fuit iuramentum Herodis præstitum saltatrici, *Matth.* 14. & Dauidis de occidendo Nabal, 1. *Reg.* 25. Quæ iuramentorum, eadem votorum est ratio. Nimirum vota impossibilia & inutilia non sunt seruanda: quia non debent esse vincula iniquitatis. Idem iudicium de fœderibus, quæ si honestè sint inita, seruanda sunt, etiam ethnicis. Quòd si non seruentur, Deus grauiter punit perfidiam: vti videre est ex lamentabili exemplo Vladislai regis Hungariç, qui cùm hortatu Iuliani legati Pontificij Amurathi Turcarum imperatori non seruaret fœdus, quod cum ipso inierat, & se & exercitum lectissimum in præsentissimum adduxit discrimen. Initâ siquidem pugnâ tyrannus incusans perfidiam Christianorum, Hæccine, inquit, Christe sunt fœdera, quæ tui per nomen tuum sanctè iurarunt? Iam tu Iesu Christe, si Deus es, vt aiunt, tui nominis abusum & meas iniurias vlciscere. Vix hæc dicta, & prælium, quod hactenus anceps, inclinare cœpit, & Turcæ potiti hostium, regis caput hastæ imposuerunt, & legatum Pontificis, plurimósque viros præstantes fuderunt, adeò horribiliter, vt clades Varnensis prouerbij loco celebretur. Hoc exemplum subinde principes intueantur, & discant illam Maximam: *Fides etiam seu treuga, vt loquuntur, hosti data non est violanda.* Si hosti, multò magis legatis, nuntiis, oratoribus, & fecialibus, qui belli pacísque ferendæ ius habent, vnde & feciales sunt dicti à ferendo; aliàs heroldi quasi heroës, vt vult Æneas Sylvius. Pertinet huc illa sententia: πρέσβυς οὐ τύπτεται οὐδὲ ὑβρίζεται. Atque hoc est iuris gentium, quod est inuiolabile apud populos non barbaros. Hinc Illyricorum regina, quòd legatum liberiùs respondentem occidisset, grauiter à Romanis est mulctata, vt author est Polybius. Cæterùm quid statuendum de illo, quod ex Euripide Cicero recitat: *Linguâ iuraui, mentem iniuratam gero*? Resp. Hippolytus apud Euripidem rectè vsus est hâc formulâ. Nam cùm Phædræ iurasset, se, quod peteret, præstaturum, atque illa incestam consuetudinem petiisset, irritum iuramentum reddidit. Vnde patet, non rectè allegari hoc dictum ab iis, qui sophisticis iuramentis schemà & prætextum quærunt. Quibus inculcare oportet illud Platonis 11. *de LL. Ream linguam facit mens rea.* Sed proh dolor! verè Lysander dixit, reges iuramentis ludere, non aliter ac pueri ludunt astragalis. Denique hîc quæritur. Quæ forma iuramenti probanda? Resp. Quod propriâ religione iuratum, ei standum. Vnde si Iudæus dextrâ super verba tertij præcepti positâ iuret, item Turca per Alcoranum, ethnicus per Iouem, ei standum. De iure ciuili & canonico iuratur per sancta Euangelia: vnde *Nouell. Constit.* 50. ait, ἁπτομένους τῶν ἁγίων εὐαγγελίων ὀμνύναι. Sic in iudiciis decurionum & magistratuum iuramentis, digitis Euangeliorum libro impositis iuratur. In reliquis iusiurandum præstatur, digitis duobus erectis, his verbis prolatis: Sic me D E V S adiuuet, & sancta Euangelia. Romanis sanctissimum erat iuramentum per Iouem lapidem: quibusdam per Stygiam paludem: Socrates per anserem, Zeno per capparim, Plato per Themidem, Iouem, & Phœbum, seu Apollinem. Per Themidem, vt intelligeretur, qui iurando fallerent, eos contra fas & ius humanum ac diuinum peccare. Per Iouem, quòd cùm ille nutu & fulmine omnia concutiat, falsò iurantem inultum non sineret. Per Phœbum, ne perfidè iurans putaret se latere. Quid verò? An huiusmodi formulæ sunt probandæ, cùm per vnius veri Dei nomen sit iurandum? Resp. Tametsi formulæ istæ non sunt licitæ: tamen quia religionem incutiunt iis, qui persuasum habent se legitimè iurare, vtiliter in foro admittuntur. Ad hunc locum Ethicum refer varias iuramentorum species: putà iuramentum promissorium, assertorium, iudiciale, voluntarium, conuentionale, necessarium, iuramentum in litem, iuramentum calumniæ, iuramentum malitiæ, iuramentum suppletorium, decisorium, purgatorium, &c. de quibus consule monumenta Iurisconsultorum.

V. *Falsi crimen est imitatio veritatis, dolo facta.*

Falsi crimen quid?

GRæci eleganter dicunt, ἡ πλαστοποίησις μηδὲν ἄλλο ἢ μὴ τῆς ἀληθείας μίμησις. *Nouell. Const.* 73. Committitur autem falsum dicto, scripturâ, facto, & vsu. *Dicto*; si quis dicat falsum testimonium, vel celet veritatem, vel denique corrumpi se patiatur, ne dicat testimonium. Atque huiusmodi homo offendit Deum iudicem, & proximum. Pro illo imponitur pœnitentia, pro isto infamia inuritur, pro hoc irrogatur pœna pro modo læsionis. *Scripturâ*; cùm vel falsa scribuntur, vel verum expungitur, vel falsum sigillum vsurpatur. *Facto*; cùm falsa moneta, mensura vel pondus cuditur aut vsurpatur. *Vsu*; si quis vtatur falso instrumento, vel gerat se pro libero cùm sit seruus,

seruus, pro milite cùm non sit, vel vtatur falso nomine dolo malo. Breuiter, falsum committitur, quoties veritas dolo occultatur. Generalis pœna falsi est deportatio.

An omne mendaciũ illicitum?

VI. *Omne mendacium est illicitum.*

NAm quod vulgo mendacium distinguunt in perniciosum, officiosum, & iocosum: hoc potiùs plausibile & speciosum est, quàm solidum: quia omne mendacium suo genere malum est. Interim distinguendum est inter τὸ mentiri & prudenter dissimulare veritatis partem. Etenim dissimulatio est res media, ideoque nunc honesta, nunc inhonesta: & honesta quidem respicit circumstantias, hoc versu comprehensas:

Causa, locus, tempus, personaq;, qualeq;, quantum.

Deinde, interdum cùm gloria Dei & salus Ecclesiæ atque Reip. sic exigit, non tenemur omne, seu totum verum dicere, si maximè teneamur partem veri dicere. Exemplo sint obstetrices illæ Exodi 1. & Athanasius, qui cùm nauiculâ fugeret Arrianorum tyrannidem, & Arriani ipsum secuti, & tantùm non assecuti essent, factum est diuinitùs, vt cymba se obuerteret, hostibúsque insequentibus obuia fieret. Tum hostes ex Athanasio quærunt, nunquid vidissent Athanasium hîc prætereuectum? Athanasius respondet, Modò huc ibat. Hîc Athanasius verum dixit, quòd scil huc abierit, sed non dixit omne verum, quòd huc quoque redierit. Teneantur itaque hîc duæ illæ regulæ; Aliud est mentiri, aliud veritatem prudenter tegere. Item: Charitas est officiosa, & ingeniosa; ideoque partem veri dicit, quando non est necesse omne verum dicere.

An poëtæ sint veridici?

VII. *Quidam poëtæ etiam sunt veridici.*

POëtæ dicuntur, vel latè, vel strictè. Latè, qui metricè scribunt; strictè, qui fingunt, & hi opponuntur historicis. Illi vera, hi ficta scribunt. Hinc patet ineptos esse, qui Homerum & Virgilium, non historias, sed fabulas scripsisse, hoc argumento probant, quòd poëtæ fuerint. Deinde, poëtæ, qui fingunt proferunt figmenta, vel incongrua, & hi mentiùntur; vel congrua, & hi non mentiuntur, quia nimirum, vel Physicè, vel Ethicè, vel Politicè illa sunt explicanda & applicanda, ideóque in illis non spectandum est τὸ ῥητὸν, sed διάνοια, & ea quidem colligenda est ex Morali seu ἐπιμυθίᾳ, vt vocant.

Veritatis oratio simplex.

VIII. *Veritatis oratio est simplex.*

Ἁπλοῦς γὰρ ἐστὶ τῆς ἀληθείας λόγος.

HOc est, absque fuco & sophisticatione. Videris suprà *in metaphys. tit. verit.* vbi etiam ostenditur, quomodo ἀλήθεια sit πανδαμάτωρ, id est, inuicta. Et rectè Plato: Veritas, inquit, hominibus ad omnia bona dux est; eâque duce, nunquam malorum ducemus chorum. E contrario mendacium est fucatum, ac proinde ipsius oratio sibi non constat, sed dissimilis. Hinc tamen non sequitur, tropum esse mendacium: quia non est discrepantia rei, cordis, & oris: sed est artificiosa permutatio notionum Logicorum, comparata ad docendum Emphaticè, delectandum, & mouendum. Sic qui dicit: Christus est ianua, verum dicit, sed modificatè. Nec promissiones & comminationes conditionales, in quibus conditio reticetur, esse mendacia: nam conditio subintelligitur. e.gr. Deus ait *Ion.* 3. Post quadraginta dies Niniue peribit; vbi hæc conditio subaudienda, nisi aliud quid interuenerit, putà illorum resipiscentia. Hinc vt fucus ingratus est in facie mulieris: ita mendacium omnibus est exosum. Ideò Achilles apud Homerum non secùs ac mortem se odisse dicit eum, qui aliud in ore, aliud in pectore habet. Epaminondas etiam adeò detestabile dixit mendacium, vt ne per iocum quidem illud dici voluerit. Atque hinc est, quòd mendacium non consenescat. Nam quia nil nisi fucus est, fit vt neque mendax, neque mendacium ad senectutem perueniat, id est, diu subsistat. Hoc cùm omnes mendaces, tum in primis obtrectatores & calumniatores obseruare debet: quorum obtrectationes neque aliis narrare, neque audiendo suscipere conuenit, vt prudenter monet Thucydides. Adulatoribus quoque & parasitis, quos Crater appellat συγκαταινεσιφάγους, quòd omnium dictis inter epulas annuant, idem quoque diligenter notandum. Tametsi enim ad tempus ipsorum mendacia non animaduertuntur: tandem tamen produntur, magno ipsorum malo. Neque verò refert, quòd veritas odium parit, vt est apud Comicum. Nam vt olores & aquilæ dissident: ita præconibus veritatis non conuenit cum potentibus huius mundi. Sicut autem olores suaui suo cantu & niueo colore placent, aquilæ in odio sunt, quia semper viuunt in armis: ita veritatis studiosi bonis placent; potentes huius seculi sordent. Est enim, vt rectè August. pronunciauit, veritas dulcis & amara. Dulcis quidem viris bonis & ingenuis: amara autem iis, qui formam honestatis habentes, lucem ipsius ferre non possunt. Olorum, ait Plinius, similitudinem onocrotali habent: nec distare existimarentur omnino, nisi faucibus ipsis inesset alterius vteri genus. Huc omnia animal inexplebile congerit, mira vt sit capacitas. Mox perfectâ rapinâ sensim in os redditâ, in veram aluum ruminantis modo refert. Tales in mundo sunt onocrotali, qui similes videntur oloribus quantum ad externam speciem, sed ingluuie fœdorum vitiorum sunt turgidi: ac proin ægrè ferunt hypocrisin suam sole veritatis detegi. Hinc *Veracitatis cultus & vultus est simplex, non meretricius. Ideo nuda pingitur.*

Hinc Euripides:

Simplex oratio veritatis esse sueuit,
Nec dictis eget ambiguis interpretum.
Siquidem ipsa per se congruit; at sermo iniquus
Morbidus per se, medicamentis indiget exquisitis.

Suspecta igitur esse debet oratio, quæ multis limitationibus, distinctionibus, & explicationibus indiget.

IX. *Veritas est casta virgo, cuius anima est constantia, vultus candor, vestis simplicitas.*

Veritatis pictura.

COnstantia in dictis est cor veritatis. Sicut enim cor est primum viuens & vltimum moriens in animali sic constantia est veritatis vita & anima. Per hanc enim iusta & necessaria constanter, id est, eodem modo & perpetuò dicimus. Cum hâc pugnat leuitas Eceboli & aulicorum. itémque pertinacia, de quâ Sophocles ait:

Εἰ τοι νομίζεις κτῆμα τὴν αὐθαδίαν
Εἶναί τι, τοῦ νοῦ χωρὶς, οὐκ ὀρθῶς φρονεῖς.
Quòd si putas prodesse pertinaciam,
Vah falleris, nec rem probè consideras.

Veritas itaque non pendet ab opinionibus. Aliâs miserrima esset. Nam ita est vt canit Scaliger:

Qui pendet ab errore & opinione vulgi.
Pendet magis, atque arbore qui pendet ab altâ.

Candor est vultus veritatis speciosissimus. Hic facit, vt verè & apertè nostram voluntatem significemus: & propter probabilem rationem alienas voluntates approbemus: ambiguè denique dicta in meliorem partem interpretemur. Hîc oportet aureum illud Epicteti semper meminisse: omne dictum factumve duas habet ansas, vnam dextram, alteram sinistram. Vir bonus non sinistram, sed dextram accipit. Verùm nunc temporis licet vsurpare illud Ouidij:

Candor in hoc æuo res intermortua penè.

Simplicitas denique est vestis veritatis; per quam fit, vt sine inuolucris & ambagibus vera, recta, & vtilia proferamus perspicuè. Nam ἰσθλὸν σαφὲς ἀεὶ, & in artibus, & in moribus. Item, Σοφὸν τὸ σαφὲς, οὐ τὸ μὴ σαφές. Et rectè Euripides, Ἁπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ. Cum hâc pugnat διπλόοτης, duplicitas, vt Rhesus apud Euripidem loquitur:

Φιλῶ λέγειν τ' ἀληθὲς, οὐ διπλοῦς πέφυκ' ἀνήρ,
Amo veritatem, & non sum duplex vir.

Huiusmodi homines Scriptura dicit habere cor & cor, & aliis vocantur δίψυχοι, *bicordes*, & δίγλωσσοι, *bilingues*. Atque hæc est speciosa illa virgo, de quâ Plato dicit νόμων. veritatem omnium bonorum causam esse.

X. *Veracitati opponitur studium mentiendi seu mendacium, idque duplex; quod extollendo mentitur, & dicitur iactantia; & quod minuendo mentitur, diciturque detractio.*

Veritati opposita.

VTriusque fœtus est calumnia, quæ nocet tribus personis eâdem operâ, dicenti, audienti, & delato. Duo verò sunt remedia aduersus calumniam. 1. Studere conscientiæ, hoc est, vitare iustam reprehensionem. Interim non est tacendum vbi non oportet: cùm nempe fama nostra periclitatur: crudelis enim est, qui famam negligit suam. 2. Euentum expectare à Domino, & cogitare Christum etiam fuisse expositum telis calumniatorum.

XI. *Calumnia est Chimæra, cuius architecti & parentes sunt mendacium & inuidia, curiositas nutrix: cor habet aspidis: dentes sunt sagittæ: oculi lyncis.*

Simulachrũ calumniæ.

HÆc pleniùs intelliguntur ex tabellâ istâ, quam ex elegantissimâ oratione Lipsij de calumniâ confecimus, hunc in modum:



Hæc methodus in tractatione aliorum vitiorum etiam potest obseruari. In virtutibus quoque enarrandis contraria methodus vtiliter obseruabitur: verbi gratia, quàm pulchra sit temperantia, quàm vtilis, quomodo exercenda & excolenda.

FLORILEGIVM.

VERITAS. SENTENT. Veritati studendum: *Psal.* 30. 50. 118. *Eph.* 4. Veritas dulcis est, & amara: quando dulcis est, parcit: & quando amara, curat. *Aug. ad Christ.* Incomparabiliter pulchrior est veritas Christianorum, quàm Helena Græcorum. *Id. epist. ad Hieron.* Sen. Troad.

Veritas nunquam latet.

Τὸ πρόσωπον τῆς ἀληθείας φαιδρὸν, *speciosus est vultus veritatis. Clemens Alexandr. Protrept. ad gent.* Ἀμφοῖν ὄντοιν φίλοιν ὅσιον προτιμᾷν τὴν ἀλήθειαν. *Arist.* 1. *moral.* Melius est pro veritate pati supplicium, quàm pro adulatione beneficium *Anon.* Tantam semper potentiam veritas habuit, vt nullis machinis, aut cuiusquam hominis ingenio aut arte subuerti potuerit. *Cic. in Vatin.* Nullæ duæ res inter se tam amicæ & concordes sunt, quàm virtus & veritas, nempe duæ germanæ, à Deo genitæ, & humanis mentibus sicut vtilissimæ, ita etiam integris iucundissimæ. *Viu. lib.* 2. *de animâ.* APOPH. Pilato dicebat, hæc duo data esse hominibus longè pulcherrima, Veritati & Beneficentiæ studere. *Æl.* 12. *var. hist.* Idem interrogatus, quid Deo simile facerent homines? Cùm veritatem exercent, respondit. *Stob. serm.* 11. Caius, Veritas, inquit, nullam requirit præmeditationem. *Stob. ibid.* Epictetus dicebat, nihil veritate pretiosius habendum esse, ne amicitiam quidem. *Ant. de verit.* Agesilaus cùm audisset rhetorem quendam laudari, quòd rem specie tenuem multis verbis amplificare posset: Ego sanè, inquiebat, ne sutorem quidem arbitror bonum, qui paruo pedi magnos induat calceos. *Plut. apoph.* ADAG. Antiquus Plato, antiquior veritas: Amicus Socrates, amicus Plato, amicus Aristoteles, sed magis amica veritas: Veritas temporis filia: Veritas odium parit: *VVer die vvarheit sagt, kan keine herberg bekommen.* SIMILITVD. Veritas est historiæ anima & sacrarium: quod est oculus in corpore, id veritas in sermone: veritas est robustus armatus, qui omnes vincit. Vide 3. *Esdr.* 3. & 4. vbi vinum forte, vino fortior rex, & hoc fortior mulier, omnium autem fortissima veritas prædicatur. Veritas est sol orationis & margarita: est purpura hominum φιλαλήθων. EXEMPL. Prophetæ, Christus, Apostoli, Martyres. Persæ per omnes ætatis gradus illud præcipuè suis inculcabant, vt fugientes mendacium, vera semper loquerentur. *Herodot. lib.* 1. HIEROGLYPH. 1. *Cor hominis appensum humano gutturi*, apud Ægyptios ἱερογλυφικῶς indicabat veritatem. 2. *Sol* est veritatis hieroglyphicum, quatenus & solus, & vnus, & lucidus est. 3. *Pomum Persicum adhærens vni folio*, apud Ægyptios erat symbolum veritatis, quia scil. simplex est, & vnâ tantùm rectâ lineâ copulat linguam & cor, vt fiat pulcherrima harmonia inter rem, cor, & linguam.

MENDACIVM. SENT. Mendacium fugiendum. *Gen.* 38. *Exod.* 20. 23. *Leuit.* 19. *Psal.* 4. & 14. *Prou.* 6. 12. 19. *Zach.* 8. *Ephes.* 4. *Coloss.* 3. *Apoc.* 21. Mendacium à Deo vetatur, Diabolum imitatur, à bonis euitatur, à malis frequentatur; proximum decipit, mentientem inficit, seipsum interficit. *Anon.* Nec artificioso mendacio, nec simplici verbo, oportet quenquam decipere. *August. de conflict. virt. & vit.* Nonnunquam peius est mendacium meditari, quàm loqui. Nam loqui plerumque præcipitationis est, meditari verò studiosæ prauitatis. *Greg.* 18. *moral.* Hæc est mendaciorum natura, vt cohærere non possint. *Lact.* 5. *inst. c.* 3. Oportet mēdacem esse memorem. *Quintil.* 4. *inst.* Mendaces sunt veritatis parcipromi. *Plaut. Truc.* Difficillima & laboriosa sunt figmenta mendacis. *August.* Tenue est mendacium: pellucet, si diligenter inspexeris. *Sen. ep.* 8. Calidum audiui hercle esse optimum mendacium. *Plaut. Mostell.* Vir bonus præstare debet, ne mentiatur: prudens, ne mendacium dicat. *Gell. lib.* 11. *c.* 11.

Sophocl.

Ἀλλ' οὐδὲν ἕρπει ψεῦδος εἰς γῆρας χρόνου.

Mendacium nullum potest senescere.

APOPH. Plato dicebat, mendacium concedendum esse medicis, aliis verò minimè. Medici quippe, vt solentur ægros, promittunt sanitatem, etiam in mortis agone, *lib.* 3. *de rep.* Aristoteles rogatus, quid mendaces lucrarentur, respondit, ὅταν λέγωσιν ἀλήθειαν, μὴ πιστεύεσθαι. *vt cùm vera dixerint, illis non credatur. Laërt.* Persæ inter duo grauissima peccata numerabant; esse debitorem & mentiri: quòd obærati plerumque mentiantur. *Herod.* SIMIL. Mendacium est vitreum: cùm splendet, frangitur: estque veluti fucus, qui dissoluitur adhibito halitu, vapore, vel flammâ. Est item velut tela araneæ: velut arena sine calce. EXEMPL. Diabolus pater mendacij; duo illi senes qui tenebant pudicitiam Susannæ; Petrus abnegans Dominum; Ananias & Sapphira. HIEROGLYPH. Pica, anteriore parte candida, posteriore nigra, est hieroglyphicum mendacij & simulationis. APOLOG. Iupiter Mercurium iussit opificibus dare potionem medicatam. Is oblitus vnius ingredientis, vt vocant, miscuit æqualiter mendacium vniuersis. Atque hinc est, quòd opifices multùm mentiantur.

PERFIDIA. SENT. Perfidos nunquam causa deficiet, cur pactis non stent. *Liu. lib.* 9. *decad.* 1. Perfidi semper aliquam fraudi speciem, iuris imponunt. *Ibid.* Tristissimum & domesticum regibus omnibus pharmacum, liberorum, amicorum & exercitus perfidia. *Appian. de bello Mithrid.* Nullis meritis perfidia mitigari potest. *Curt. l.* 7. Moritur fides, pullulat perfidia. *Sophocl. in OEdip.* Perfidis nihil est fidum, πιστὸν δ' ἀπίστοις οὐδέν. *Pind.* APOPH. Themistius nullam malitiam magis alienam à conuersatione hominum esse dicebat, quàm perfidiam. Aduersus hanc enim nulla custodia dari potest. Nam quod vnicum habemus perfugium, nempe iusiurandum, ibi violatur. *Stob. serm.* 12. Lud. XII. Franc. rex pro Punicâ fide dixit Hispanicam. ADAG. Punica fides: Græca fides: Verbis conceptis peierare: Superauit dolum Troianum: Achitophel alter: Alter Iudas: Ex eodem ore calidum & frigidum efflat: Alterâ scabit, alterâ ferit manu: Alterâ fert aquam, alterâ ignem: Alterâ lapidem, alterâ panem ostentat. SIMIL. Vide *Psal.* 78. *v.* 57. *Hos.* 6. *v.* 13. *c.* 7. *v.* 17. *Num.* 23. *v.* 19. 20. *Nahum* 3. *v.* 17. EXEMPL. Pœni; Græci; Hispanicæ inquisitionis patroni, Iesuitæ, qui semper in ore habent illud: *Hæreticis non est seruanda fides:* & defendunt Sigismundum Imp. qui saluum conductum Iohanni Husso præstitum violauit. HIEROGLYH. Scorpius notat hominem perfidum. Nam in caudâ venenum occultat. Hinc poëta:

Non nisi defectâ, credam tibi, scorpio, caudâ,
Armaq; in pœnas fœdera nulla dabo.

EMBLEM.

Allectator anas volitare per aëra turmas
Congeneres cernens, adulat atq; vocat.
Pratensa incautos ducit sub retia fratres,
Obstrepitant capta, conscia at ipsa silet.
Perfida cognato se sanguine polluit ales,
Officiosa aliis, exitiosa suis.

APOLOG. Cùm Alexander M. ab Atheniensibus pacem quærentibus postularet, vt sibi traderent præcipuos suæ ciuitatis oratores & gubernatores, Demosthenes recitauit apologum de ouibus, quæ lupis dederant canes custodes gregis. *Vide fab Æsop.*

PERIVRIVM. SENT. Periurium prohibetur. *Exod.* 20. *Leu.* 19. *Matth.* 5. Periurij pœna diuina exitum, humana dedecus. *Cic.* 3. *de legib.* Sacramentum tibi oblatum duabus de causis iurato; vel vt teipsum turpi suspicione liberes, vel vt amicos ex magnis periculis eripias. *Anon.* Fraude periurium astringitur, non soluitur. *Cic.* 3. *off.* Dij sunt periuriarum vindices. *Iustin. l.* 14. Commissa periurio fraus in nepotes redundat. *Pausan. lib.* 2. Periurium ad Dei contemtum refertur. *Niceph. Greg.* Qui iureiurando fallit hostem, hunc se metuere, Deum verò contemnere fatetur. *Plut. in Lysandro.* EXEMPL. Glaucus peierauerat: cuius familia radicitùs ex Spartâ extirpata est. *Plura vide supra in regg. huius cap.*

DELATIO. SENT. Delatio & delatores damnantur *Psal.* 101. *Leuit.* 19. *v.* 16. *Ier.* 6. *v.* 28. Tribus simul damnosus est delator. Nam & illi, quem traducit, iniurius est, & audientibus eum, & ipse sibi. *Basil. Mag.* Qui delatorem & detractorem audit, Diabolum habet in aure & corde, quem ipse delator & detractor habet in linguâ & corde. *Anon.* Lingua maledica malæ mentis est index. *Plut.* Delatores genus hominum publico exitio repertum, & pœnis quidem nunquam satis coërcitum. *Tacit. annal.* 4. APOPH. Socrates cuidam dicenti, De te aliquis malè loquitur, respondit: Etiam verberet me non præsentem. *Max. serm.* 53. Alexander M. iam iam sumturus potionem medicam, accepit epistolam in medicum scriptum, vtpote regis vitæ insidiantem. Sed contemsit. *Plut. in Alex.*

SIMILITVD. Delatorum lingua eſt veluti gladius & nouacula, verba ſunt butyro & melle dulciora, dentes ſunt lanceæ & ſagittæ. HIEROGLYPH. Veſpæ viperis afflatæ venenum in pecudes & homines effundunt: adeóque ſymbolum ſunt delatorum. APOLOG. Gallina Æſopica cùm ægrotaret, feli ſe inuiſenti & interroganti, quomodo valeret, reſpondit, Rectè ſi tu diſcedas. Felis hìc ſignificat delatores.

DETRACTIO. SENT. Detractio damnatur & vetatur. *Exod.22. Leuit.19. Iob.19. Pſalm.5. & 64. item 57.120.141.* Quid aliud detrahentes faciunt, niſi quòd in puluerem ſufflant? *Greg. in Ezech.* Caue ne aut linguam, aut aures prurientes habeas: id eſt, ne aut ipſe detrahas aliis, aut alios audias detrahentes. *Hier. ad Nepotianum.* Ne maledicas ſurdo. Surdo maledicere, eſt abſenti ac non audienti derogare. *Gregor. in paſtorali.* Non ſolùm ille reus eſt, qui falſum de alio profert, ſed & is, qui citò aurem criminibus præbet. *Iſid. de ſum. bon. l.3.* Arbitrari debemus magis eſſe contra naturam, hominem homini detrahere ſui commodi causâ, quàm omnia incommoda ſubire, vel externa, vel corporis. *Cic. offic.* Hor. 1. ſerm. 4.

——— Abſentem qui rodit amicum:
Qui non defendit alio culpante: ſolutos
Qui captat riſus hominum, famamq́; dicacis:
Fingere qui non viſa poteſt: commiſſa tacere
Qui nequit: hic niger eſt, hunc tu, Romane, caueto.

SIMILITVD. Detractores iaculantur ſagittas ex occulto & inſidiis: infigunt aculeos inſtar apum: habent linguam viperinam:

Melleus eſt ſermo, latet imo corde venenum.

EMBLEM.

Conſpurcant matulæ famam, ſtupidiq́; magiſtri,
Aculeones, curiones perditi.
Quid faciam? reddámne vices? Sed nonne cicadam
Alâ tenebo vnâ, ſtrepet quæ ſic magis?
Quid prodeſt muſcas operoſis pellere flabris?
Negligere præſtat quod potes non perdere.

ADVLATIO & ASSENTATIO. SENTENT. Adulatio eſt execrabilis. *Pſal.12. Prou.24.27.28. Eccl.6. Rom.12. Galat.6.* Duo ſunt genera perſecutorum, vituperantium & adulantium. Sed plus perſequitur lingua adulatoris, quàm manus perſequentis. *Aug ſup. Pſal.59.* Magis optabo à quolibet reprehendi, quàm ab adulatore laudari. *Id.9. de trin.* Leuius non debet putari, quod gladio minante, quàm quod linguâ inſidiante committitur. *Id. de baptiſ.* Adulatores ſunt hoſtes, & ſcintillæ Diaboli. *Hier. in Prou.1.* Adulatores palàm blandiuntur, clam, ſi eſt occaſio, frigidam ſubdolè ſuffundunt. *Plaut. Ciſtell.* Signa adulationis ſunt, laudare præſentem, & bona quidem laudando extollere, mala verò obſcurare. *Ariſt. 2. rhet. c.6.* Adulator apud Martialem epigram.12.

Mentiris, credo: recitas mala carmina, laudo:
Cantas, canto: bibis, Pontiliane, bibo.
Pedis, diſſimulo: gemmâ vis ludere, vincor:
Res vna eſt ſine me quam facis, & taceo ſcil. cùm moreris.

Adulator Terentianus Eunuch.

Omnia habeo, nec quicquam habeo: nihil cùm eſt, nihil deſit tamen.
Eſt genus hominum, qui eſſe primos ſe omnium rerum volunt,
Nec ſunt, hos ſector: hiſce ego non paro me, vt irrideant:
Sed his vltrò arrideo, & eorum ingenia admiror ſimul:
Quidquid dicunt, laudo: id rurſum ſi negant, laudo id quoque.
Negat quis, nego: ait, aio poſtremò imperaui egomet mihi
Omnia aſſentiri. Is quæſtus nunc eſt multò vberrimus.

APOPHTH. Diogenes Cynicus rogatus, quæ bellua perniciſſimè morderet, reſpondit, τῶν μὲν ἀγρίων συκοφάντης, τῶν δὲ ἡμέρων κόλαξ, *ex feris ſycophanta, ex cicuribus adulator. Laërt.* Cùm Ariſtobulus libro ſcripto res geſtas Alexandri ſupra fidem extuliſſet, & regi obtuliſſet, is librum proiecit in fluuium Hydapſen, & dixit ad Ariſtobulum: Tu dignior eras, vt eò præcipitareris, qui ſolus me ſic pugnantem facis, vt vel vno iaculo interficiam elephantes. *Eraſm. 8. apoph.* Idem rixam compoſiturus inter Ephæſtionem & Craterum, mortem vtrique minatus eſt, niſi ab iſtis contumeliis abſtinerent, & lepidè dixit: Ephæſtionem eſſe φιλαλέξανδρον, Craterum verò φιλοβασιλέα, addens: Craterus eſt aliquid ſine Alexandro, tu nihil es ſine Alexandro. Antiſthenes dicebat, Præſtat neceſſitate vrgente in coruos, quàm in aſſentatores incidere, κρεῖττον εἰς κόρακας ἢ εἰς κόλακας. Illi quippe mortuos, hi viuos deuorant. *Stob.* Sigiſmundus Imp. cuidam ſupra modum ipſum laudanti alapas dedit, dicentíque, Cur me cædis Imperator, reſpondit, Cur me mordes adulator? *Æn. Sylu.* Diogenes in aſſentatione dicebat velut in ſepulchro quopiam ſolum amicitiæ nomen inſcriptum eſſe. *Stob.* Socrates aiebat: Lupi cùm ſint canibus ſimiles, aſſentatores amicis, diuerſa tamen ſtudia ſequuntur. *Stob. ibid.* ADAG. Ad ſolarium verſari: Præconium mercenarium: Gnatho: Gnathonicus: Αὐτοπαράσιτος: Placentinus: Verbis coquinariis: Demulcere caput: Athenienſem Athenis laudare facile: Caudâ blandiri: Θανάσιμον μελίκρατον, *Lethale mulſum*: Χρηστολόγος: *Io* pæan: Gloſſogaſtores: Cinifiones: Eſt vox Iacobi, manus eſt immanis Eſaui. SIMILITVD. Adulator ſimilis eſt polypo, ſimiæ, heliotropio, hyænæ vocanti hominem eundémque deuoranti: eſt veluti chamæleon, muſca, vultur, felis. Paraſitus eſt inſtar muris. Nam paraſiti & mures ſemper edunt alienum cibum. *Plaut. Capt.* & nunquam fiunt futuri, iuxta illud paraſiti Gelaſini apud Plautum. *in Stich.* Famem fuiſſe ſuſpicor matrem mihi. Nam poſtquam natus ſui, nunquam ſatur fui. Diogenes muribus ſubrepentibus ad ipſius menſam: Ἰδοὺ, ἔφη, καὶ Διογένης παρασίτους τρέφει, *Ecce, inquit, & Diogenes paraſitos nutrit. Laërt.* Prædam ſequitur iſta turba, non hominem. Mel muſcæ ſequuntur, cadauera lupi, frumenta formicæ. *Sen. de remed. fortuit.* Blanditiæ ſunt μελίπνη ἀγχόνη, *melleus laqueus* Diogeni Cynico; & Plauto viſcus merus. EXEMPL. Core, Dathan, & Abiram: falſi prophetæ & ſacerdotes in Populo Iudaico; filia Herodiadis. Dionyſius iunior amauit aſſentatores, qui inde dicti ſunt Dionyſio-colaces & Alexander M. ſæpe illis accommodauit aurem, vnde dicti ſunt Alexandro-colaces. Caligula volebat videri rem cum lunâ habere. Itaque quæſiuit ex Vitellio, vidiſſet ne ſe cum deâ congredi. Tum ille attonitus oculis in terram demiſſis, Solis, inquit, domine, vobis diis licet inuicem videre. Trebonianus ICtus perſuaſit Iuſtiniano, ipſum non moriturum, ſed vnà cum corpore in cœlum migraturum. HIEROGLYPH. 1. *Fiſtula cum ceruo picta*, eſt hieroglyphicum adulationis. Nam ceruus adeò delectatur fiſtulæ ſuauitate, vt in eam intentior facilè capiatur. 2. *Apis*, mel habet in ore, aculeum in caudâ. 3. *Canis*, eſt ſignum adulatoris blandi & mordacis: vt felis. 4. *Scorpio*, in caudâ venenum habet. 5. *Lupus* ſcalpendo & titillando aſinum vorat. 5. *Ficus in rupe ſata*, eſt ſymbolum hominis diuitis, qui delectatur adulatoribus. Sicut enim milui & corui tantùm decerpunt fructum ex iſtâ ficu: ita impuri adulatores tantùm paſcuntur ab illis ſuis patronis.

EMBLEM.

Palpones vino, corui ſe corpore paſcunt
Extincto: hos illis antetuliſſe iuuet.

Item:

Semper hiat, ſemper tenuem, quâ veſcitur, auram,
Reciprocat chamæleon:
Et mutat faciem, varios ſumitq́; colores,
Præter rubrum vel candidum.
Sic & adulator populari veſcitur aurâ
Hianſq; cuncta deuorat:
Et ſolùm mores imitatur principis atros,
Albi & pudici neſcius.

Huc refer characteres adulatorum apud Theophraſtum in characteribus Ethicis. APOLOG. Opilio habebat canem, quem optimis paſcebat cibis. At ille ſubinde ouem aliquam occidebat. Hoc animaduertens paſtor, rapit illum ad necem. Tum canis: Parce domeſtico, & lupum occide. Imò, inquit paſtor, tu nocentior es lupo.

CALVMNIA. SENT. Calumnia eſt deteſtabilis. *Leuit. 19. Pſal.15. Ezech.18. Mal.3.* Calumniatorum εἰκὼν, apud Chryſoſtomum hæc eſt: Sunt, qui de omnibus malè iudicant. Dicunt enim, ſi quis ſtudet humilitati, hypocryta eſt; ſi recreationi, guloſus eſt; ſi patientiæ, timidus eſt; ſi iuſtitiæ, impatiens eſt; ſi ſimplicitati, fatuus eſt; ſi prudentiæ, malitioſus eſt; ſi maturitati, phlegmaticus eſt; ſi iucunditati, diſſolutus eſt; ſi religioni, ſingularis eſt; ſi ſocietati, ſecularis eſt; ſi ſilentio & paci, diſſimulator eſt; ſi aliorum correptioni, præſumtuoſus eſt; ſi vigiliis inſtat & orationibus, indiſcretus eſt; ſi dormitioni, ſomnolentus eſt; ſi vtilitati aliorum, laudis appetitor eſt; ſi deſiſtit, negligens eſt; ſi habet gratiam humanam, adulator eſt; ſi adulari renuit, ſuperbus eſt. Sic *Chryſoſtomus.* Non eſt miſer, qui audit conuitium, ſed qui facit. *Cypr.* Maledicus à maleſico non diſtat, niſi occaſione. *Fab.12. c.9.* Maledicta mores & vitam conuulnerantia ſunt vitanda. *Anon.* Iniuria non cadit in virum bonum. *Sen.* Iſthic eſt theſaurus ſtultis in linguâ ſitus, vt quæſtui habeant, malè loqui melioribus. *Plaut. Pœn.* Caninum quiddam ineſt illis. Bene loqui neſciunt. Non iudicio, ſed morbo hoc faciunt. Quibuſdam enim canibus ſic innatum eſt, vt non pro feritate, ſed pro conſuetudine latrent. *Sen. de remed. fortuit.* Alienæ vitæ cenſores ſiue hoſtes, aſſis ne feceris. *Id. epiſt.124.* Calumniatores ſunt Curionum illa gens, quam poëta Comicus ſcitè depinxit:

Qui res alienas curant opere maximo:
Qui omnia ſe ſimulant ſcire, nec quicquam ſciunt:
Id quod reginæ rex in aurem dixerit,
Sciunt, quod Iuno fabulata eſt cum Ioue,
Quæ neque futura, neque ſunt, facta, tamen ſciunt.

Peſſimum inimicorum genus laudantes *Tacit.* Hoſtem aduerſum deprimere homini ſtrenuo haud difficile eſt; occulta pericula neque facere, neque vitare bonis in promptu eſt. *Salluſt.* Non decet calumnias neque aliis narrare, neque audiendo ſuſcipere. *Thucyd.* Multi hactenus plus mali per calumniatores, quàm per hoſtes acceperunt. *Rhegin. de amicit.* APOPH. Spartanus quidam interrogatus de gladio, ſatiſne acutus eſſet? Acutior, inquit, calumniâ. Socrates de homine maledico dicere ſolebat, καλῶς λέγειν οὐκ ἔμαθε, *Bene loqui non didicit. Diog.*

Demetrius

Demetrius solebat dicere, eodem loco sibi esse voces imperitorum, quo ventre redditos crepitus. Quid enim, inquit, meâ refert, sursum isti, an deorsum sonent? Quanta dementia est, vereri ne infameris ab infamibus? Quid stultius est homine verba metuente? *Sen. ep. 92.* Antisthenes rogatus, Quid illi faciendum esset, qui maledictis incessitur? Tolerandum magis, inquit, quam si lapidibus petatur. *Laert.* Aristides à quodam maledictis lacessitus dixit, ἀπόντι με καὶ μαστιγούτω, *Absentem etiam verberet. Laërt.* Antisthenes dicebat, βασιλικὸν, καλῶς πράττοντα κακῶς ἀκούειν, *regium est, malè audire, cum benefeceris.* Aristoteles cùm iudiciorum metu Athenis profugisset, interroganti cuidam, qualis esset Atheniensium ciuitas, respondit, Pulcherrima: sed in eâ pyrus super pyrum, & ficus super ficum consenescit. Quo dicterio notauit Atheniensium sycophantas, viris bonis perniciosissimos. *Æl. 3. var. histor.* ADAG. Sycophanta: hoc falsum probrum: Samij mores: Albo reti aliena captant bona: Argiua calumnia: Frustra Herculi: Crater litium. SIMIL. Camelus non gaudet potu, nisi priùs obturbatâ aquâ conculcatione: ita malignis naturis non placent dicta & facta aliorum, nisi turbent & conspurcent ea suis glossis. Dentes calumniatorum sunt tela & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus: Calumnia est Ate, dea illa apud Homerum, à quâ in populos deriuatæ omnes noxæ. Illam ita describit:

Perniciosa dea, quæ omnes offendit,
Quæ terram non tangit, incedit autem per capita virorum,
Quæ Iouem ipsum læsit. ———

Calumniator est dilectissimus & primogenitus Diaboli filius. Ille enim à calumniando habet nomen, quòd DEUM apud homines & hos apud DEUM calumnietur. Vt ignis in aquam coniectus continuò restinguitur: sic falsum crimen in castam vitam. Etsi enim verum est, quod aiebat Alexandri M. adulator & copria, Quidvis in quosvis esse confingendum: Vt enim vulnus maximè sanetur, manebit tamen cicatrix: & vt ille idem aiebat, Calumniare audacter, semper aliquid hæret: etsi, inquam, hoc ita est apud malos, apud quos manet suspicio: apud bonos tamen aliter est. Nam bonæ naturæ non sunt suspicaces. Porrò calumnia tanquam fulmen petit summas arbores, aggreditúrque columnas, id est, viros magnos, quibus status publicus innititur. At vir bonus instar scopuli despicit fluctus istos, & dicit cum Cynico, *Illi me rident, ego non rideor:* & cum Catone Romano illo Socrate ait: *Non hercules animaduerteram:* quod ille dicebat, cùm quidam ipsum in os percussisset, ac postea deprecaretur. EXEMPL. Arcades & Moschi in probra sunt procliues. Lege Lapiá delatoribus præmia sunt constituta, vt hâc ratione homines non ita liberè peccarent: vtpote à delatoribus accusandi. Nero princeps delatorum licentiam volens comprimere, præmia illa ad quartas reuocauit, vnde quadruplatores sunt dicti, quòd quartam mulctæ delatoribus constitutæ partem acciperent, cùm antea media mulcta ipsis cederet. Domitianus delatores in pretio habuit: Vespasianus & Titus illos coërcuerunt pœnis, & Pius Antoninus capitali pœnâ affecit, si non probarent. HIEROGLYPH. 1. *Basiliscus* apud Ægyptios sacerdotes hieroglyphicum erat calumniæ. Nam basiliscus non lædit morsu, sed occulto radio. Ita calumniatores sine morsu perniciosi sunt. 2. *Auris amputata*, est symbolum eius, qui delatoribus præbet aures patulas. *Pictura calumniæ*, authore Apelle, prout occurrit *apud Lucianum de non facilè cedendo*, potest esse instar notæ hieroglyphicæ. Ad virum grandibus & patulis auribus, quales tribuuntur Midæ, quem duæ mulierculæ, Ignorantia & Suspicio, circumstant, accedit bella admodum mulier, Calumnia, quæ eximiè est comta, celeriter incedit, vultu est minax, pectore æstuat, sinistrâ manu tenet facem flammiuomam, dextrâ iuuenem in cœlum suspicientem & deos suæ innocentiæ testes inuocantem capillis trahit. Anteit vir pallidus, impurus, valde oculatus, tabe confectus, videlicet Liuor. Comitantur simul aliquot mulierculæ & pedissequæ, Fraus & Insidiæ; A tergo incedit lugubri habitu, pallens & lacera Pœnitentia, quæ respiciens cum lacrymis & pudore Veritatem intuetur. Ita scilicet Apelles suos lusit casus. Nos audiamus consilium Platonis, qui ait: Optimum est mentientes τῷ ὁσίως ζῆν καὶ τὰ δίκαια πράττειν, *sanctè viuendo, & rectè faciendo*, non verò clamoribus, refutare.

CAPUT XXVII.

De Iucunditate sermonis.

PRÆCEPTA.

IUCUNDITAS sermonis est, quæ docet vera proferre appositè: respicit obiectum, quod proferendum est; quantitatem, qua aliquid proferendum est; & qualitatem, siue modum; quo aliquid proferendum est. *Dicitur aliàs* Eulalia.

Eius excessus & defectus est molestia inter loquendum, peccans in obiecto, quantitate, vel qualitate sermonis.

REGULÆ.

I. *Eulalia moderatur verborum conceptionem & enunciationem.* — Eulalia quid moderetur?

NAm vsus linguæ & sermonis decorus consistit in his duobus, vt rectè concipiamus verba, & prudenter proferamus, vti Cl. Althusius eruditè monet lib. 1. ciuilis conuersationis: cuius methodum in hoc cap. vt & in 25. exprimam.

II. *Conceptio verborum debet respicere qualitatem rerum, personarum, & verborum.* — Cõceptio verborũ qualis esse debeat?

NAm διάκρισις καὶ δοκιμασία sermonis nostri consistit in his, vt dispiciamus, quid proferendum sit, coram quibus, & quibus verbis. Hinc *Cicero orat. ad Brut.* ait: Debemus considerare in omni re, quid aptum sit & consentaneum tempori & personæ, tum quid in dictis factísque dedeceat. Et rectè Seneca: Quidquid dicturus es, antequam aliis dixeris, tibi dicito. Nam ad pœnitendum properat qui citò dicit, vel iudicat. Dictum enim indictum fieri nequit: non dictum facilè dici. Et cor dicitur fons linguæ: intellectus linguæ dux & comes: lingua mentis nuntius & imago.

III. *In rebus, de quibus sermonem instituere debemus, videndum, quas decorum & honestum sit proferre, quas tacere. Atque hæc sunt duo illa tempora, quæ Isocrates inbet ad dicendum deputare.* — Quibus de rebus loquendum?

DEcorum est loqui de rebus cognitis, conuenientibus, vtilibus, necessariis, & veris. Est autem materia sermonis vel de DEO, vel de proximo, vel de nobis ipsis. De DEO est videndum, vt nomen illius sanctè vsurpetur. De proximo si dicendum, considerandum est, an causa sit bona, vel mala. In bonâ promtè veritati testimonium est perhibendum. In malâ nihil est dicendum, nisi propria conscientia, & vocatio vrgeat. Nam si à magistratu requiratur vt dicamus, si caritas exigat vt proximum admoneamus, si salus publica postulet vt ad futura mala præcauenda loquamur, impium fuerit tacere. De nobis ipsis nihil facilè dicendum, quod ad laudem vel vituperium pertinet.

IV. *Sermo decorus & acceptus est, qui habet comites sapientiam, veritatem, lenitatem, fidem, & curam famæ proximi.* — Sermo decorus & acceptus quis?

SApiens, vel potiùs prudens sermo est, in qua habetur ratio circumstantiarum. Verus est, qui rem, vti est, profert. Lenis est humanus, benignus, & ad auditoris captum atque pium palatum accommodatus. Atque hæc humanitas cernitur potissimùm in salutatione & affabilitate. Fides cernitur in constantiâ promissorum. Cura famæ proximi elucet in studio veritatis.

V. *Ea quæ tacenda sunt, duorum sunt generum.* — Quæ sint tacenda?

AVt enim omnino tacenda sunt, vti sunt res tædiosæ, alienæ, falsæ, & inconuenientes: aut ad tempus. Sed hâc de re vide cap. seq.

VI. *Cum illis personis loquendum est, quibus ex officio teneris; vel quibuscum conuersari necessitas vel vtilitas tua, aut alterius exigit.* — Cum quibus personis loquendum?

ALloquium istud cernitur vel in affabilitate, vel in collatione. De affabilitate, vide suprà. Collatio & commercium sermonis cum iis esse debet, quorum conuersatio te meliorem, non deteriorem potest reddere. Quomodo conuersandum sit cum infidelibus, stultis, iracundis, iis qui audita eliminant, subsannatoribus, verbosis, rixosis, adulatoribus, irrisoribus, senioribus, hominibus teneris & delicatis & curiosis, suprà diximus.

VII. *Verba sermonis debent esse elegantia, modesta, & iucunda.* — Verba sermonis qualia?

NOn igitur vtendum est verbis iis, quibus amarus sapor inest, quæque imbuta sunt veneno quodam doloris & contumeliæ, atque in recessu aculeos habent. Nam qui his vtitur, illius consortium quilibet fugit, ne à sentibus aut tribulis pungatur. Non etiam vtendum est verbis sordidis & humilioribus, quàm quæ dignitati rei respondeant; veluti si quis amicum ac familiarem dixerit congerronem: non inusi-

satis,

tatis, insolentibus, duris, peregrinis, Cynicis, affectatis, tragicis, theatralibus, triuialibus.

Quæ sint requisita in pronũtiatione sermonis?

VIII. *Sermonis concepti pronuntiatio debet esse tempestiua, & sono decenti prædita.*

TEmpestatiua enuntiatio est, quæ adfert commodum auscultanti, non tædium, molestiam, pudorem, vel iracundiam procreat: quæque eidem conciliat gratiam, non suspicionem vel præiudicium patit. Decens & congruus sonus, Græcis ὀρπεσ..., spectatur in genere, vel in specie. In genere, ne vox sit grauissima vel acutissima, sed moderata. In specie pronuntiatio debet esse conformis rebus & affectibus. Atque hæc est methodus, quam Cl. Althusus obseruat in primâ Ethices generalis (vt ille vocat) parte. Nos hoc loco agimus tantùm de sermonis iucunditate, quæ docet vera proferre appositè, ratione obiecti, quantitatis, & qualitatis.

Obiectum Eulaliæ.

IX. *Obiectum Eulaliæ est id quod tempestiuè dicitur.*

EST autem tempestiua oratio, quæ profert res personis, loco, & tempori conuenientes. Intempestiuum igitur est commemorare res odiosas, quæ audientem vulnerant: recitare historias melancholicas & tragicas tempore lætitiæ publicæ: interrumpere aliorum sermones ex insatiabili dicendi ingluuie, cùm inter dicentem & audientem symmetria esse debeat. Risus etiam multus, solutus, & effusus est ingratus: item reprehensio indecora & inciuilis, & denique non conueniens loco, vt si quis in aulà disserat de rebus ad studia pertinentibus.

Eulalia quantitatem verborum aptè mẽsurat.

X. *Eulalia quantitatem verborum commensurat necessitati rei, & consuetudini loci, vbi viuunt.*

NAm primò vir bonus hoc sui officij esse videt, vt res sufficienter proponatur & exponatur: deinde despicit, ne extrahat sermonem vltra tempus, quod in aliquo loco solet obseruari.

Quomodo Eulalia respiciat,

XI. *Eulalia qualitatem sermonis respicit ratione instrumentorum seu organorum pronuntiationis, ratione modi, & personarum.*

1. organa pronuntiationis?

ORgana *vocis* ita conformat, vt vox non sit acutissima, nec grauissima, sed masculá & suauis. Cum hâc suauitate pugnant ista vitia. 1. Voce nimis clamosâ & stentoreâ loqui. 2. Nimis demissè loqui, vt non audiaris: quò pertinet mussitatio, susurrus, suppressio loquelæ in gutture, resorbitio vltimarum syllabarum. 3. Vitiosa cantillatio. 4. Risus inter loquendum nimius. 5. Simul edere & loqui velle. 6. Affectatio peculiaris soni inter loquendum. 7. Vitia pronuntiationis ratione literarum: qualia sunt *Labdacismus*, qui est impotentia sonandi literam R, vt pellucidum, pro perlucidum; Valesius, pro Valerius: *Iotacismus*, quo literæ cognatæ mutantur, vt pro iecit, gecit; o, pro a: *Psellismus*, qui est impotentia pronunciandi literam S, vnde blæsi: *Traulismus* seu *Battarismus*, qui est iteratio syllabæ, vt pro caue, cacaue; pro Tullius, Tutullius; quod vitium etiam dicitur Titubantia & μογιλαλία: *Battologia*, cùm inaniter repetuntur vocabula cum Batto, vt erant sub montibus, sub montibus: Κοιλοστομία, quâ vox velut è cauo specu atque oris recessu resonat: Ἰσχνότης, *exilitas & angustia*, quâ vox labiis semiclusis promitur, cui vitio contrarius est *Platiasmus*, cùm ore plus satis patulo & diductis faucibus sermo profertur, sono pinguiore & crassiore, *Vitium coruicinum*, quando sonus per nasum potius erumpit, quàm per os; vnde tales homines dicuntur coruicines: *Gargarismus*, cùm sermonis tenor quasi interciditur ructu quodam, singultu, crepitu, stridore, sibilo, gemitu, screatu, tussi vel risu inter loquendum. Quod attinet ad *modum loquendi*, Eulalia docet loqui præmeditatè, ne lingua præcurrat mentem: item cum morâ quâdam articulatâ; linguâ denique & dialecto vsitatâ, miniméque affectatâ. Hinc Ethici monent, pronuntiationem esse formandam secũdùm morem patrium: quòd valde inciuile sit & indecorum, affectare in pronuntiatione peregrinam dialectum, vt putà quando Germanus Belgicè, & Bauarus VVestphalicè loquitur. Plebeius quoque non more nobilium & patriciorum, atque aliorum eruditorum hominum pronuntiationem formare debet, neque hi ad consuetudinem & morum rusticorum & opificum suam elocutionem instituere. *Personas*, quibuscum loquimur, Eulalia hunc in modum expendit. Loquimur vel nobiscum, vel cum aliis. Vitiosum est, secum ipso phantasticè ac ineptè loqui. Loquela cum altero consideratur vel in genere, vel in specie. In genere oportet loqui cum alio nonnisi bona; apertè vel clam, prout res exigit; linguâ intelligibili; verbis vsitatis, suauibus, accommodatis, respondentibus dignitati rei, non affectatis, tropicis moderatis ac conuenientibus, opportunis, affectum exprimentibus, conuenientibus loco ac tempori, conuenienti distantiâ ab eo cui loquimur. Non itaque decet proloqui praua; insusurrationibus & mussitationibus alios in sinistram suspicionem adducere; loqui linguâ peregrinâ quæ ab aliis non intelligitur: loqui vel scribere verbis inusitatis, antiquatis, nouatis, asperis, duris, confragrosis, humilioribus ac dignitati rei non respondentibus, tropicis immoderatis & non conuenientibus, affectatis, immodestis, scurrilibus, affectum rei non exprimentibus, non conuenientibus loco & tempori; & denique sic colloqui cum altero, vt eum habitu nostro contingamus, latus eius fodiamus, cubito vel digito nostro ad ausculationem stimulemus. Cæterum quod diximus, loquendum esse affectibus accommodatè, id breuiter sic habet. In miseratione vox sit flebilis, flexibilis, & plena. In iracundiâ acuta, incitata, & crebrò incidens. In metu & verecundiâ sonus vocis contractus, hæsitans & lentus. In dolore grauis, pressa, sono obducta & lacrymabilis. In risu & lætitiâ pura & exultans. In supplicatione & petitione tenuis, demissa, flebilis, humilis, lenis, mollis. In dolore afflicta & tenera. In correctione & admonitione lenis & benigna. In tumultu alta & clamosa. Varia in delectando. In officio deferendo amica & suauis. In minis & correctione aspera, dura, & incitata. In dicendâ sententiâ vox sit animi plena. In confessione & deprecatione humilis & amica. In calamitate plangens & plena gemitus. De his vide prolixè Linguam Erasmi, & Ciuilem conuersationem Althusij.

2. modum loquendi?

3. personas?

XII. *Eulalia præscribit modum in reprehendendo.* Eulaliâ moderatur reprehensionẽ.

DOcet enim in reprehensionibus considerare res, & personas. Res debet esse talis, quæ reprehensionem mereatur. Persona hîc est consideranda tum reprehendentis, tum reprehendendi. In personâ reprehendente requiritur innocentia, modus iustus, locus, & tempus. Innocentia reprehendentis in eo consistit, vt ipse se excutiat, ne huius vitij, cuius alium arguere vult, argui possit. Nam ita est, vt Plutarchus ait: Quorum vita turpis est, ij obiurgandi libertatem sibi adimunt. Quòd si verò ipse reprehensor est culpæ reus, conuenit vt se quoque culpæ misceat. Modus reprehendendi ciuilis est, quando reprehensio fit beneuolè, humaniter, paternè, fraternè, Christianè, ex amore fidéque sincerâ, cum spiritu mansuetudinis & sympathiâ, non cupidè, & affectatè, & ἐπιχαιρεκακῶς. Huc pertinet ista formula, quâ perstringuntur vitia in personâ tertij. In primis hîc etiam cauendum iis qui obiurgant, ne post obiurgationem destituant monitum, néve committant vt ipsum contristent aut propalando vitium, aut irritando alios contra ipsum. Ante reprehensionem debemus esse cauti, in reprehensione γλυκύπικροι, *dulcacidi*, post reprehensionem amici. Reprehensio porrò fiet in loco priuato, vel publico, pro qualitate facti. Tempus reprehendendi idoneum censetur, quo corrigendus faciliùs est admissurus admonitionem. Hinc rectè Seneca: In re aduersâ, inquit, crudelis est obiurgatio, item in ebrietate, irâ, furore, & pertinaciâ. Ad personam reprehendendi quod attinet, despiciendum est an sit admissurus correctionem, an possit ædificari, an sit is quem reprehendere conueniat nostræ personæ ac vocationi. Postquam autem aliquis reprehensus est, qui non est desperatæ salutis, muneris eius est, se gratum & docilem exhibere. *Psalm.* 141. *vers.* 4. 5. *Prou.* 17. *v.* 10. *cap.* 27. *v.* 5 Quod vt eò alacriùs faciat, considerabit bonum admonentis affectum, & amplum admonitionis fructum & effectum, si paruerit.

FLORILEGIVM.

LINGVA. SENTENT. Lingua moderanda & cohibenda. *Leuit.* 19. *Iob.* 5. *Psalm.* 34. 52. 140. 141. *Prou.* 4. 10. 11. 12. 13. 15. 16. 17. 18. 25. 26. 30. *Iac.* 1. 3. & 4. Homo domat feram, non domat linguam. Domat leonem, & non frænat sermonem. Domat ipse, & non domat seipsum. Domat quod timebat, nec se domat. *August.* 1. *de verbis Domini.* Sapiens priusquam loquatur, multa considerat: quid dicat, cui dicat, quo in loco & tempore. *Ambros.* 1. *offic.* In omni quod dicitur, necesse est, vt causa, tempus, & persona pensetur, si verba sententiæ veritas roboret. *Greg. in moral. l.* 6. Scutum sanè hominibus est sermo, ferro potentius. *Phocyl.* Audi multa, sed loquere pauca. *Bias.* Μὴ σπεῦδε λαλεῖν, Noli festinare loquendo. *Pittac.*

Hesiod.

Optimus est homini, linguæ thesaurus & ingens
Gratia, quæ partis mensurat singula verbis.

Horat. art. poët.

Vultum verba decent iratum plena minarum,
Ludentem lasciua, seuerum seria dicta.

Qualis vnusquisque est, talia dicit, & talia operatur, & taliter viuit. *Arist.* 4. *Eth.* Oportet versari in conuiuio sermones, vt castitate integros, ita appetibiles vetustate. *Macrob. Satur. l.* 1. APOPH. Thales subinde solitus est admonere, ne ita loquamur cum amicis, vt sermo in ius nos vocet. *Laërt. l.* 1.

Æsopus

Æsopus interrogatus, quid esset hominibus bonum & malum, linguam esse dixit. *Max. de loquacit.* Bias Amasidi Ægyptiorum tyranno iubenti, vt sibi, quod esset in victimâ, quam ad illum miserat, optimum & pessimum, linguam resectam remisit. Demades solebat Athenienses tibiis comparare: ex quibus si linguam detrahas, reliquum inutile erit. *Stob. serm.* 2. Theocritus Chius cùm veniret Bizantium, & verborum prodigos homines inueniret: Rectè, inquit, de vobis dicitur, quòd in ore omnis vobis supellex est, & vnicum domicilium. *Stob.* Idem Anaximene dicturo, ita præfatus est: Incipit verborum flumen, mentis gutta: significans, habere multum loquentiæ, sapientiæ parum. *Stob. serm.* 34. Crates videns adolescentulum secretò ambulantem interrogauit, quid illic solus faceret? Mecum, inquit, loquor. Cui Crates, Caue, inquit, ne cum homine malo loquaris. *Sen. epist.* 10. SIMILIT. Lingua est equus regius. Si frænum ei immiseris, doctrinâ tuâ gradarium feceris; ascendet in eum rex, & quiescet in eo. Si autē nullo fræno domueris, sed huc atque illuc infrænem iactari permiseris, diaboli eam vehiculum fecisti. *Chrysost. homil.* 50 *in Matth.* Os impurum est veluti cloaca; os purum est instar fontis, à quo riui limpidissimi & planè mellei emanant. *Id.* Lingua est instar plectri. *Hieron.* Lingua mala est veluti nouacula. *Psalm.* 52. Sed tertium caput Iacobi sit hîc instar commentarij.

STVLTILOQVIVM, & TVRPILOQVIVM. SENTENT. Stultiloquium damnatur, *Rom.* 1. *v.* 30. *Eph.* 5. *v.* 4. Et stultè facere, & stultè fabulari, vtrumque in ætate haud bonum est. *Plaut. Trin.* Ineptum est, sermonem tanquam onus quoddam deponere. *Plut. de gar.* Turpiloquio nos omnino abstinere oportet, & iis, qui illo vtuntur, os obstruere, & aspectu seueriore, & vultus auersione, subsannatione item, & sæpe etiam asperiore oratione. *Clem. Alexand. lib.* 2. *cap.* 6. vbi αἰσχρολογίαν definit ἀπὸ τῶν τῆς κακίας ἔργων λογοπαιίαν. *Guazzius de ciuili conuersatione*, ait: Maledici sunt varij. Quidam sunt personati seu laruati, qui laruâ molestiæ se obducunt, & interim tamen ab omnibus cognosci cupiunt. Quidam sunt rhetores, qui sub specie & colore occupationis simulant se nolle maledicere, & tamen eo ipso pungunt ironicè. Quidam sunt hypocritę, qui sub specie doloris lacrymabili voce vtuntur, sed ita, vt de illis dicere possis lacrymæ crocodili. Quidam sunt scorpiones, qui primò commendant, & postea appendunt maculam, & quasi caudâ feriunt. Quidam sunt mordaces, qui scommata tanquam aculeos eiaculantur in alios. Quidam denique maledici sunt ignoti, qui pasquillos, picturas aut scripturas famosas spargunt. De his vide *Coloss.* 3. *v.* 8. 1. *Tim.* 3. *v.* 2. *Psal.* 140. *v.* 12. *Psal.* 50. *v.* 20. *Rom.* 1. *v.* 30. 2. *Cor.* 12. *v.* 20 *Iacob.* 3. *v.* 9. 20. *c.* 4. *versu* 11.

CAPVT XXVIII.

De Taciturnitate.

PRÆCEPTA.

TACITVRNITAS est virtus, quæ docet id tacere, quod tacendum est.

Eius excessus est garrulitas: defectus silentium nimium & intempestiuum.

REGVLÆ.

Taciturnitatis præmium quod?

I. *Taciturnitatis honestæ maximum est præmium.*

TAciturnitas est vel inhonesta, vel honesta: atque hæc est 1. Modestiæ, cùm silemus ob interdictum superiorum, vel ob ætatem, adeóque reuerentiam aliorum, de quâ notetur illud facetum: In diætis & conuersationibus seniores sint vocales, iuniorum alij sint semiuocales & consonæ, alij mutæ. 2. Necessitatis; cùm silemus arcana, sic exigente gloriâ DEI, & salute reip. 3. Prudentiæ; cùm à sermone abstinemus, vitandi periculi causâ. Vnde facilè colligere licet, quæ taciturnitas sit inhonesta, videlicet rustica, non-necessaria, & imprudens. Taciturnitatis honestæ præmium longè maximum est, quòd hominem vel in primis commendet, nullíque noceat. Nam homo taciturnus non est similis ebrioso, qui, vt ait *Plinius lib.* 24. *c.* 22. mortiferas rediturásque per iugulum effundit voces: sed instar mercatoris vlnâ vel pondere vtentis parcis mensurat singula verbis.

Iudicium discretionis in taciturnitate quod?

II. *Taciturnitatis est discernere inter rumores & veras relationes.*

HOmerus duas portas insomniorum finxit, alteram eburneam, nempe dentium; alteram corneam, putà oculorum: per eburneam, putà dentes, falsas vmbras egredi dixit, quòd plerumque vana sint, quæ famâ percipiuntur: at per corneam veras egredi, quòd ea solùm certa, quæ oculis conspicimus. Hinc Plautus in Truculento ait, pluris esse testem vnum oculatum, quàm auritos decem. Apuleius narrat, Socratem inuertisse, pluris esse auritum vnum, quàm oculatos decem. Nam cùm adolescentem conspexisset decorum, sed tacentem, Loquere, inquit, vt te videam: nimirum quòd oculis solùm forma conspiciatur, ex oratione character animi deprehendatur. Verùm illa Socratis sententia nihil habet commune cum illâ Plauti: cùm Plautus loquatur non de examine ingenij, sed de obseruatione rerum gestarum: Iustinianus vocat fidem oculatam. Quare cùm facilis sit lapsus circa ea quæ solo auditu (Physici vocant sensum spoliatum) percipiuntur, taciturnitatis est, non facilè rumores spargere, vel excipere. Huius loci est illud apud *Plutarchum in vitâ Niceæ:* Hospes, inquit, quidam in Pyteum diuertens, cùm in tonsoris tabernâ narrasset, quæ in Siciliâ accidissent, eaque tonsor in vrbe sparsisset, rumoréque in vniuersum populum sparso tumultus excitatus fuisset, author rumoris tonsor quæsitus atque in carcerem coniectus fuit, eo consilio, quòd de tantis rebus incertos rumores protulerit in vulgus. *Idem author in Alexandro* ostendit, quomodo rumor serpat. Philotas amicæ indicauit, illa amatori cuidam, ille alteri vt fit, denique in vulgus manat, virésque acquirit eundo. Pertinet huc graphica famæ descriptio apud Virgilium 4. *Æneid.*

Extemplò Libyæ magnas it fama per vrbes, Imago famæ.
Fama malum, quo non aliud velocius vllum
Mobilitate viget, viresq́ acquirit eundo:
Parua metu primo, mox sese attollit in auras,
Ingrediturq́ solo, & caput inter nubila condit.
Illam terra parens ira irritata Deorum
Extremam, vt perhibent, Cœo Enceladoq́ sororem
Progenuit, pedibus celerem, & pernicibus alis:
Monstrum horrendum, ingens, cui quot sunt corpore plumæ,
Tot vigiles oculi subter (mirabile dictu)
Tot linguæ, totidem ora sonant, tot subrigit aures:
Nocte volat cœli medio, terraq́ per vmbram,
Stridens, nec dulci declinat lumina somno:
Luce sedet custos, aut summi culmine tecti,
Turribus aut altis, & magnas territat vrbes:
Tam ficti prauiq́ tenax, quàm nuncia veri.

Porrò falsus rumor viro bono non nocet. Nam propter rumorem etsi testamentum sit mutatum, priores tamen tabulæ ratæ manent. Ita Cicero scribit, causam ad Centumuiros delatam, cùm super militis filij morte falsus nuncius allatus esset, & pater rumori credens testamentum mutasset, tamen filium omnium sententiis superiorem euasisse. *Cic. lib.* 1. *de orat.* Et *Valerius Maximus lib.* 7. docet, rumorem, cui malignitas initium dederit, credulitas incrementum, quod nulli non, etiam innocentissimo, contingere potest, insuper habendum esse: quòd fraude inimicorum falsa vulgantium, vt *Quintilianus lib.* 5. *c.* 3. ait, rumores illi spargantur.

Taciturnitas quos in primis deceat?

III. *Taciturnitas omnes quidem homines decet; quoniam ideò duas habemus aures, & vnicum os, vt ait Zeno, vt plura audiamus, loquamur pauca: & quia sapientia consistit in profunditate sermonis, non in eius longitudine; in primis tamen iuuenes & viros graues.*

IVuenes ideo; quia nondum præditi sunt oculo experientiæ; & decorus adolescens indecorè loquens ex eburneâ vaginâ educit gladium plumbeum. Eius exemplum prænobile est Papyrius prætextatus. Viros graues ideo: quia illis sermo in pectore, non in ore nasci debet: & quoties illi aliquid proferre volunt, debent linguam intingere in mentem; quod historici prædicant de Aristotele.

Silentium an arguat consensu?

IV. *Silentium in rebus fauorabilibus appetendis trahitur ad consensum.*

HInc illud: Qui tacet, consentire videtur; addúntque: Silentium est responsum tacitum & obscurus interpres sermonum. In rebus autem damnosis, & præiudicialibus ex silentio non statim consensum inferre licet.

Canones taciturnitatis qui?

V. *Taciturnitatem formant quatuor istæ regulæ.*

1. AVribus frequentiùs vtendum quàm linguâ. Ideo binas aures, & vnam habemus linguam: & aures quidem semper paruulas, sed linguam velut in speciem abditam, vinculis constrictam, & vallo dentium munitam. 2. *Qui nihil habet melius silentio, silere debet.* 3. *Tacuisse neminem facilè pænitet, dixisse, permultos.* 4. *Antequam loquaris, expende omnes circumstantias:* qui sis, qui dicere paras; quale sit, de quo loqui cogitas; apud quos dicturus sis; quid tempus & locus postulet; num rectum sit, num honestum, num decorum, num vtile, num tutum, num iucundum, num facile, num necessarium. Taciturni igitur sunt, qui ea loquuntur quæ loquenda sunt:

quæ eſt, præſenti loco, tempori, & perſonis accommodata: quoque nec plus loquuntur quàm decet, nec minùs quàm decet, & gloria Dei atque ſalus Reip. & Eccleſiæ exigit. Quare raræ ſapientiæ & ſpiſſæ ſtultitiæ ſignum eſt, cùm quis omnibus interrogantibus, etiam inſipientibus & malitioſis ſatisfacere conatur. Harum rerum conſideratio, gignet in nobis cautionem in dicendo; quâ de re legatur lingua Eraſmi: vbi dicit, aliam linguam eſſe carnis, id eſt, veteris Adami, aliam Spiritus, id eſt, noui hominis: & recenſet octo genera linguarum, hoc modo: 1. Eſt lingua Chriſti ſeu Dei, quæ eſt ſobria, parca, & manſueta. 2. Lingua Angelorum, quæ profert res graues. 3. Lingua infantuli, quæ eſt hominis ſimplicis. 4. Lingua Diaboli; qualis eſt calumniatorum. 5. Lingua canis, quæ eſt hominis impudentis & Stentoris clamoſi. 6. Lingua hominis; quâ quis nihil aliud crepat niſi humana, vt agros, diuitias, &c. 7. Lingua Babel; quâ quis lites ſerit, & ſchiſmata fouet. 8. Lingua erudita; quâ quis profert ea, quæ ſpectant ad ædificationem.

Taciturnitatis oppoſita. VI. *Taciturnitati repugnat in exceſſu garrulitas, ſeu linguæ intemperies, in defectu inhoneſtum ſilentium.*

GArrulitas eſt, quâ homo fit cymbalum ciuitatis, vel nidus hirundinis: qualis fuit Therſites apud Homerum. Inhoneſtum ſilentium eſt quadruplex. 1. Ruſticũ & indecorum: quale fuit in illo, in quem iactatum fuit iſtud: Nullus, malus, magnus, piſcis. 2. Intempeſtiuum & impium; cùm quis ſuo ſilentio gloriam DEI, vel ſalutem aliorum in diſcrimen adducit. 3. Hypocriticum; quale cernitur in iis, qui ſingularem ſanctimoniam & laudem quærunt ex ſilentio. 4. Coactum; cùm quis ita tacet, vt malit loqui, ſi liceat per ſuperiores.

Qui prævaricentur aduerſus taciturnitatem? VII. *Claſſes illorum, qui legibus taciturnitatis contraueniunt, ſunt nouem.*

1. ANſeres Virgiliani; qui ſtrepunt inter odores, id eſt, illi quos tenet morbus loquendi, vt ait Gellius. Huc pertinent diſputatores garruli; qui abſimiles ſunt diſcipulis Pythagoræ, quorum taciturnitas prouerbio locum dedit: Silentium Pythagoricum. Item, Quinquennium, vel, vt alij malunt, ſeptennium Pythagoræ. Hodie ſanè aliquis Pythagoras optandus eſſet, vel ſilentiarius, vel denique Harpocrates, digito qui imperaret ST. 2. *Muti piſces*; ſeu κωφὰ πρόσωπα; vti ſunt homines illi, qui ruſticum, & indecorum, & intempeſtiuum ſilentium præ ſe ferunt. Huc pertinent muti & moroſi conuiuæ, qui omnibus ſunt inuiſi & ſuſpecti. Habentur enim pro ſycophantis, qui aliorum verba inſidioſè obſeruant: cuiuſmodi conuiuia Plutarchus vocat, conuiuia vulpis & gruis. 3. *Oratores, qui ſibi placent in dicendo*; ideoque finem dicendi inuenire non poſſunt; vnde prouerbium: Supra clepſydram dicere. Hi debebant cogitare illud Plauti: Oratio illa maximè odioſè, cùm rem agas, longinquum loqui. 4. *Oratores, qui nimis breuiter dicunt*; & abutuntur aureo illo Pindari dicto: In bonâ cauſâ tria verba ſufficiunt. 5. *Nicodemitæ*; qui in ore habent illud: Sumus Chriſtiani profeſſione, non confeſſione; ideoque rationem fidei ſuæ nunquam reddunt, ne tum quidem, cùm gloria DEI poſtulat. 9. *Effractores ſigilli cæleſtis*; qui ſcilicet margaritas, id eſt, myſteria Euangelij obiiciunt porcis, contra mandatum CHRISTI, Matth. 7. 7. *Hypocrytæ*; qui continuè tacent, propterea quòd exiſtiment in continuo ſilentio cultum DEI eſſe poſitum; quales erant Pattalorinchitæ, ſic dicti quòd digitum naribus & labiis imponerent. 8. *Secretarij publici*; qui ſunt pleni rimarum, neque tacere poſſunt tacenda ſecreta. In hos iactari poteſt prouerbium: *Dolium Danaidum*. 9. *Bambaliones iſti & Batti*; qui loquuntur inania, & eandem cantilenam vel ſepties canunt. Hi abutuntur aureo illo Socratis dicto: ζυτὰ περὶ ζυτῶν.

An tacere ſit meliùs quàm loqui? VIII. *Tacere ſimpliciter non eſt melius, quàm loqui.*

CVm enim ſermo ſit hominis ſcutum & propugnaculum fortiſſimum, character animi, remediũ perturbationum, leuamen curarum, doctrinæ & morum magiſter, non oportet ſilentium ſimpliciter præferre ſermoni. Interim hoc verum eſt, quòd melius ſit honeſtè tacere, quàm malè loqui. Hinc taciturnitas dicitur corona viri, & optimum & tutiſſimum adminiſtrandarum rerum vinculum, & denique virtus philoſophi propria; quia nimirum ſæpe tacendo, optimè philoſophamur: & in theologicis myſteriis DEVM ſilentio honoramus.

Garrulitatis turpitudo quæ? IX. *Incontinentia linguæ eſt morbus turpiſſimus, nocens tum nobis, tum vniverſæ ſocietati.*

DE moderato linguæ vſu extant multæ & eruditæ admonitiones, variis hiſtoriis & dulciſſimis exemplis illuſtratæ, in libro Eraſmi de linguâ. Summa huc redit. Duo ſunt tempora loquendi, vt ait Iſocrates, ἢ περὶ ὧν ἀναγκαῖον εἰπεῖν, ἢ περὶ ὧν οἶσθα σαφῶς, *aut de quibus neceſſarium eſt dicere, aut quæ noſti probè.* In cæteris, ἄμεινον σιγᾷν ἢ λέγειν, *ſatius eſt*

tacere, quàm loqui. Hoc obſeruauit Auguſtus, qui ſermones cum ſingulis atque etiam cum Liuiâ ſuâ grauiores nonniſi è ſcriptis & libello habebat, ne plus minùſve loqueretur ex tempore.

Nam nulli tacuiſſe nocet, nocet eſſe loquutum.
Et
Eximia eſt virtus præſtare ſilentia rebus:
At contrà grauis eſt culpa tacenda loqui.

Vtinam hoc perpenderent locutuleij, qui nihil continere tacitum queunt, ſed omnia effutiunt, apta inepta, bona mala, tempeſtiua intempeſtiua! Vtinã cogitarent garrulitatem eſſe ſtultitiæ indicium! Vaſa enim inania plurimùm tinniunt. Vtinam cogitarent, incontinentiam linguæ turpiſſimum eſſe morbum, vt ait Euripides! Morbum dico ſonticum & epidemicum, qui non tantùm nos lædit, ſed integras etiam ſocietates, quod Horatius ita expreſſit,

O tacitus paſci ſi poſſet coruus, haberet
Plus dapis & rixæ multò minùs inuidiæq;!

Hæc diligenter perpendamus ſinguli, & nos ad taciturnitatem aſſuefaciamus, nec vnquam rumpamus ἐχεμυθίαν, niſi cùm neceſſe eſt loqui. Imò etiam cùm in omnibus virtutibus medium attingere ſit difficile, ideóque fermè meliùs ſit minus facere quàm nimium, ſtudeamus potiùs nimiæ taciturnitati, quàm garrulitati. Ita tamen, ne tum taceamus, quando verbum DEI & officium noſtrum præcipit confeſſionem aut παῤῥησίαν in taxandis erroribus & ſceleribus: ne nobis obiiciatur illud Eſaiæ, *Muti canes.*

X. *Ea quæ tacenda ſunt, duorum ſunt generum. Aut enim omnino tacenda ſunt, aut aliquatenus.* Quæ tacenda?

Omninò tacendum & ſermò cohibendus, quando honeſta & conueniens dicendi materia vel ſcientia deeſt. Materia honeſta deeſt in rebus auditu odioſis, quæ decoro & honeſtati aduerſantur. Decoro aduerſantur res inconuenientes, tædioſæ, alienæ, & falſæ: vnde homo dicitur inſulſus, bardus, rudis, fatuus. De rebus inconuenientibus ſermo inſtituitur, quando ſunt impertinentes, neque conueniunt negotio de quo agitur, aut perſonæ loquentis, aut illis ad quos ſermo dirigitur. De rebus tædioſis & fœtidis ſermo habetur, quando ex verbis & ſermone noſtro per imaginationem audientis offendi poteſt ipſius aliquis ſenſus externus, putà viſus, auditus, guſtus, olfactus, aut tactus. Honeſtati aduerſantur res factu, auditu, & dictu turpes. Vnde homo talia proloquens, ἄθεος & Epicuréus cognoſcitur. Eiuſmodi ſunt res turpes, ſpurcæ, obſcœnæ, impiæ, & illicitæ. *Pſal.* 141. *v.* 3. 2. *Tim.* 5. *v.* 13. *Eph.* 5. *v.* 4. *Iac.* 1. *v.* 26. *c.* 3. *v.* 2. 8. *Coloſſ.* 3. *v.* 8. *Matth.* 12. *v.* 36. vbi agitur de verbo ἀργῷ *Prou.* 4. *v.* 24. *c.* 10. *v.* 18. 19. *c.* 11. *v.* 9. *c.* 12. *v.* 13. 14. 19 *c.* 16. *v.* 27. 28. *c.* 17. *v.* 20. 27. *c.* 18. *v.* 21. *c.* 21. *v.* 23. *c.* 23. *c.* 25. *v.* 28. Atque hæ ſunt res, de quibus omninò in conuerſatione non loquendum. Temperandus eſt ſermo ſilentiò in aſſenſu & diſſenſu, in commendatione, in mentione aliorum faciendâ, in iocis, in irriſione, in cenſurâ, in reprehenſione & increpatione, denique in contentione. In his enim ſi ſermò ſilentio, & ſilentium ſermone temperetur, certiſſimum eſt indicium hominis animi ſui compotis. In aſſenſu ergo & diſſenſu ſermo ita temperandus, vt abſit leuitas: pudor vitioſus, & malitioſa affectatio & obſtinatio. Commendatio eſt ſuipſius, vel aliorum laudatio Seipſum laudare licet, quando id exigit honoris noſtri defenſio. Alios ita laudare oportet, ne incurramus vitium adulationis vel detractionis. Illud facit vt alicui nimium tribuamus: hoc efficit vt alij aliquid detrahamus, & alteri tribuamus, vel ſaltem cum alio faciamus commune, quod eſt alterius. Quando aliorum mentio eſt facienda, bonos conuenientibus titulis ornabimus, & infirmos à malitioſis prudenter diſcernimus. In iocis ſeruanda ſunt præcepta ſuprà recitata. In irriſione hoc dabimus operam, ne illa ſit ſarcaſtica, ſed Socratica. Illa pungit perſonas; hæc notat vitia. Illa fit ex deſpicientiâ, contemtu, & ignominiâ: hæc ex animo beneuolo. Cenſura debet eſſe publica, id eſt, talis, quæ proficiſcatur ex neceſſitate publici officij, non autem priuata, qualis eſt rigidorum cenſorum, de quibus *Iacob.* 3. *v.* 1. *cap.* 4. *v.* 11. In reprehenſione ſeruandus eſt modus cap. præced. præſcriptus. Contentio denique pro veritate ciuilis eſt & licita, ſi non fiat imprudenter & temerè. Hæc enim nihil eſt aliud, quàm neceſſaria diſputatio, quâ veritas eruitur, non autem importuna altercatio, quâ veritas obruitur.

FLORILEGIVM.

TACITVRNITAS. SENT. Taciturnitas laudatur *Prou.* 10. & 17. *Eccleſ.* 20. Scio loqui pleroſque, cùm tacere neſciant. *Ambroſ.* 1. *off.* Silendi patientia, opportunitas loquendi, & contemtus diuitiarum, ſunt maxima fundamenta virtutum. *Ibid.* Diu conſidera, quid loquendum ſit, & adhuc tacens prouide, ne quid dixiſſe pœniteat. Sapiens vt loquatur, multa priùs conſiderat, quid, cui, quo loco, vel tempore dicat. *Hieron. epiſt.* Ille ſcit rectè dicere, qui nouit tacere. *Gregor. Moral.* Botbonius:

Nobile lingua bonum, ſi fari in tempore nouit:
Nobile lingua malum, ſi fari in tempore neſcit.

Διὰ τοῦτο δύο ὦτα ἔχομεν, στόμα δὲ ἕν, ἵνα πλείω μὲν ἀκούωμεν, ἥττονα δὲ λέγωμεν: Ideo habemus duas aures, os verò vnum, vt plura audiamus, loquamur pauca. Zeno. Loqui ignorabit, qui tacere neſcit. *Pittacus Auſon.* Nihil facilius emittitur, quàm maledictum: nihil citiùs excipitur: nihil latiùs diſſipatur. *Cic. pro Planc.* Nimium

———*In vitium credula turba ſumus.*

Nunquam tacet, quem morbus tenet loquendi. *Gell.* Alium ſilere quod voles, primus ſile. *Sen. Hippol.* Oratio illa maximè odioſa, cùm rem agas, longinquum loqui. *Plaut. Merc.* Sermo bonis naſcitur in pectore, non in ore. *Anon.* Non multa verba facere, prudentis animi ſignum. *Thales.* Eum qui nihil opportunè dicit, longum exiſtima, licèt duas tantùm ſyllabas pronuntiauerit: at benè dicentem ne longum exiſtimes, etſi permulta dixerit. *Anon.* Sapientia conſiſtit in profunditate, non in longitudine. *Anony.* Ad bonam cauſam tria verba ſufficiunt. *Pind.* Optimum ac tutiſſimum rerum adminiſtrandarum vinculum taciturnitas. *Val. Max. l. 2. c. 2.* Nunquam me pœnituit tacuiſſe: quòd locutus ſim, ſæpè. *Plutarch. in opuſc.* Nemini dixeris, quod vis taceri. Quomodo enim ab alio poſtulabis ſilentij fidem, quam tute tibi non præſtitiſti. *Id.* APOPH. Socrates admonebat diſcipulos, vt hæc tria haberent: in animo prudentiam, in vultu verecundiam, in lingua ſilentium. Ariſtoteles interrogatus, quidnam in vitâ eſſet difficillimum, reſpondit, Tacere quæ non dicenda ſunt. *Stob.* Apollonius dicebat, eſſe viri planè imperiti, non poſſe tacere. *Id.* ADAG. Ne gry quidem: Taciturnior Pythagoreis: Lapidi dixeris: Silentij tutum præmium: Quod ſcis, neſcis: Laconiſmus: Laconicè: In ſinu gaudere: Areopagitâ taciturnior: Manum ad os apponere: Continet arcanum. SIMILITVD. Grues cùm ex Ciliciâ deuolât, lapillos in os ſumunt, atque ita Taurum montem aquilis plenum tutò tranſuolant, idque noctu: ita tutiſſimum vbique ſilentium. *Plut.* Vt corpora modicis laboribus augeſcunt: ita animus honeſtis & moderatis ſermonibus. *Maximus monachus ſer. 15.* Silentium ſapientibus reſponſi loco eſt. *Eurip. id.* Decorus adoleſcens indecorè loquens, ex eburneâ vaginâ plumbeum educit gladium. *Diog.* EXEMPL. Maria virgo *σιωπηλὴ*; Vlyſſes diſertiſſimus maximè fuit taciturnus. *Οἱ μαθηταὶ τοῦ Πυθαγόρου πενταετίαν ἡσύχαζον, Diſcipuli Pythagoræ integrum quinquennium ſilebant. Laërt.* Hinc prouerbium, Silentium Pythagoricum. Lacones paucitati verborum inprimis ſtudebant. Metellus ſenator Romanus, cùm quidam ex eo plura diligentiùs exquireret, ſi, aiebat, intentiorem tunicam horum ſcirem eſſe conſciam, protinus eam igni exurerem. S. Laurentius diaconus, ſeu præfectus redditŭum Eccleſiaſticorum maluit in craticulâ ad ignem torreri, quàm theſauros Eccleſiæ, ſibi à Xyſto Epiſcopo Rom. ſub fide ſilentij concreditos, præfecto vrbis, qui hoc imperabat nomine Decij Imp. indicare. Factum Papyrij prætextati, nobilis adoleſcentis Romani laudatur. Is cognomen ex eo aſſecutus eſt, quòd in prætexta ſeu adoleſcentia maximè vſus eſt ſapere. Cùm enim à parte duceretur in curiam (quod ſolebant ſenatores Romani) in eâque tractarentur arcana, domum reuerſus & à matre interrogatus, quidnam in ſenatu eſſet actum, vt duæ, inquit, vni nubere poſſint. Quâ re inter matronas ſparsâ, manè gregatim ad curiam concurrerunt, multò æquius eſſe clamitantes, duobus vnam nubere: cuius clamoris causâ tandem intellectâ, Senatus Papyrij taciturnitatem in eâ ætate admiratus, ſoli in poſterum ex æqualibus aditum in Senatum conceſſit. Cùm Cato Cenſorius nomine populi Rom. legationem apud Athenienſes obiret, quia tunc Græcè ipſe neſciebat, ea quæ habebat in mandatis per interpretem expoſuit. Ibi quòd ea, quæ pauciſſimis verbis Cato dixerat, interpres vix longis ambagibus referret, Athenienſes orationum diſſimilitudinem mirati, Romanis ſermonem in pectore, Athenienſibus in ore naſci dixerunt. HIEROGLYPH. 1. Per numerum 1095. Ægyptij ſoliti ſunt taciturnitatem indicare. Cauſas vide apud *Pier. Valer. lib. 38. hieroglyph.* 2. Monas non exit ſuum finem, ſed ſemper in vno manet: dyas autem eſt initium differentiæ in infinitum. Ita ſermo donec apud vnũ manet, verè arcanus eſt, quòd ſi ad alterum tranſierit, iam ſpargitur in famam. *Plut. in moral.* 3. Harpocrates, huius virtutis apud Ægyptios præſes; qui indicem digitum ori admonebat, & ita ſilentium imperabat ſt. Hinc antiquitas indicem appellauit ſalutarem. ÆNIGM. In conuiuio bene inſtituto requiritur integrum alphabetum: id eſt, vocales, ſemiuocales, & mutæ.

SILENTIVM INTEMPESTIVVM. SENT. Qui vbi loquendum eſt tacet, ſi quidem imperitus eſt, prudenter facit: ſin verò peritus, imprudenter. *Theophr.* Tacere noli, vbi non oportet. *Ver.* APOPH. Theophraſtus iuuenem in conuiuio tacentem animaduertens, dixit: Si imperitus taces, peritus es: ſin verò peritus, imperitè taces. *Max. de tacitur.* ADAG. Mutus canis: Amyclas perdidit ſilentium: Caput ſine linguâ: *Κωφὸν πρόσωπον*, *Muta perſona*: Mutus magis quàm piſcis: Mutus magis quàm ſcapha: Muti citiùs loquentur: Bacchæ more: Nullus, malus, magnus, piſcis.

GARRVLITAS. SENT. Garrulitas & loquacitas damnatur *Prouerb. 19. Col. 4.* Abſit vt multiloquium deputem, quando neceſſaria dicuntur. *Auguſt.* Eſt tempus quando nihil, eſt tempus quando aliquid, nullum autem eſt tempus, in quo dicenda ſunt omnia. *Hugo.* Tyrannicum quid eſt multa loqui: cùm aures datæ ſunt homini duæ, vna autem lingua. *Æſchylus.* Morbũ curatu admodum difficilẽ atque moleſtum in curam recipit philoſophia, garrulitatẽ. *Plut. περὶ ἀδολεσχίας.* Garruli in eo ſunt infelices, quòd neque audiũt, neq; audiuntur. *Id.* Silentium non ſolùm ſitim non conciliat, vt ait Hippocrates: verùm neque triſtitiam, nec dolorem. *Id.* Ex multiloquio pleraque naſcuntur incommoda. *Anon.* Auaritia quædam eſt, omnia velle dicere, & nihil audire. *Democrit.* Dicendi modus non penes loquentem eſt, ſed penes audientem. *Stob. ſer. 36.* In garrulo verborum flumen, mentis gutta. *Ibid.* Garruli in eo ſunt infelices, quòd neque audiunt, neque audiuntur. *Plut.* APOPH. Timon Antiſthenem appellabat *παντοφυῆ*, quòd ingenio ad quæuis verſatili varia tractaret argumẽta, & in his quædam parum digna philoſopho. Zeno Citticus ad Ariſtonem diſcipulum multa temerè ac præcipitâter garrientem dicebat: Fieri non poteſt, quin te pater ebrius proſeminarit. Zeno Ptolemæi legatis, qui multos eruditos ad conuiuium inuitauerant, percunctantibus, quid de ipſo regi ſuo eſſent renunciaturi, dixit, Vidiſſe vos ſenem, qui in conuiuio tacere nouerit. *Eraſm. 7. apoph.* Zeno Citticus audiens adoleſcentem nimis garrulum: Aures, inquit, in linguam defluxêre. *Stob. ſerm. 6.* Idem, è diſcipulis ſuis alios dicebat eſſe *φιλολόγους*, id eſt, variarum rerum cognitionis ſtudioſos: alios *λογοφίλους*, id eſt, loquendi tantùm ſtudioſos. *Stob. ſerm. 36.* Idem, adoleſcenti in Academiâ de rebus friuolis garrienti dixit, Niſi linguâ in mentem intinctâ diſſerueris, adhuc multò ampliùs dicendo delinques. *Ibid.* Demoſthenes in conuiuio cuidam multa loquenti, Si tam multa, inquit, ſapuiſſes, nunquam tam multa locutus eſſes. *Id.* Archelaus garrulo tonſori ſubinde roganti, Quomodo te radam, ô rex, Silendo, inquiebat. *Plut. in apoph.* Quidam apud Maximum monachum ICto loquaci dicit, Non oportet multis verbis pauca dicere, ſed paucis multa. ADAG. Architæ crepitaculum: Arabicus tibicen; *Ἀθυρόγλωττος*. Turture loquacior: Prolixius Iliade: Cornicari: Cicadâ vocalior: Daulia cornix, Hirundinum Muséa: Didonæum æs: Caute loquacior: Os infræne: Habet ſpiritum contradictionis: Balneator: Battologia: Si coruus poſſit tacitus paſci: Quicquid in buccam venerit: Sine capite fabula: Lingua quò vadis? erectura ciuitatem, eandem denuò ſubuerſura. SIMILITVD. Vide *Iac. 3.* Vaſcula inania maximè tinniunt: Semen, quod vel à libidinoſis, vel citò effunditur, mutile eſt ad genituram: Garruli non poſſunt verba tenere, quemadmodum puer non poteſt retinere glaciem: Vt in ſomnis, ita in multis verbis eſt vanitas: Garruli ſunt veluti porticus heptaboéa ſeu ſeptiuoca in Olympiâ quæ pro vnâ voce multa reddebat; item ſunt ſimiles lacui aſphaltiti, in quo nihil mergi poteſt, ſed omnia ſupernatant. Vt infantes, qui celeriùs loquuntur, tardiùs ingredi incipiunt: ita garrulus ad rem gerendam minùs eſt paratus. Lingua garruli eſt nauis abrepta procellis; eſt velut equus effrænis; vnde tempeſtas linguæ, & lingua effrænis dicitur: eſt item veluti ſeditioſus, qui vallum ciuitatis tranſcendit. EXEMPL. Delila Samſonis vxor: Vxor Iobi: Iones erant garruli. HIEROGLYPH. Garrulitas hieroglyphicè deſignari poteſt per cornicem, quæ à Pallade reiecta eſt, quòd garrulitate ſuâ turbet meditationes: item per hirundines, quas Pythagoras ideò cenſet non habendas, *ἡμεροφώνους χελιδόνας μὴ ἔχειν*: item per ranam, picam, cicadam, & anſerem, qui Virgilio dicitur ſtreperus.

CAPVT XXIX.

De Grauitate.

PRÆCEPTA.

VIRTVS regens geſtum eſt grauitas, ciuilitas, & verecundia.

Grauitas eſt virtus, externum corporis habitum, geſtum, & motum ad decoram dignitatem, cuiuſque ſtatui & officio conuenientem componens: cuius exemplum eſt Cato, vnde eius cenſoria grauitas prouerbio locum dedit.

Ei opponitur in exceſſu nimia ſeueritas: in defectu, leuitas: qualis fuit in Craſſo, qui cum adoleſcentibus diſputans nimis illis obſequebatur, cuius leuitatis ipſum tandem puduit, cùm diceret: *Dum obſequor adoleſcentibus, me ſenem eſſe ſum oblitus.*

REGV

REGVLÆ.

Morũ externorum ratio cur habẽda? I. *Licèt mores externi non sanctificent, tamen si mali sint, offendunt oculos: si honesti sint, decent & ornant hominem, qui est animal politicum: & vtrique sunt indices animi.*

REctè ergo Theologus magni nominis, cuidam immunditiem excusanti, dixit: *Sues & asini non ingrediuntur cœlum.*

Dignitas morum pendet à decoro. II. *Dignitas morum dependet à decoro personarum, locorum, & temporum.*

GRæcis dicitur τὸ πρέπον, & distinguitur in ethicum, politicum, scholasticum, ecclesiasticum, & œconomicum.

Grauitas quid? III. *Grauitas est virtus, quâ decoram dignitatem in totius vitæ ratione præ nobis ferimus.*

COmponit igitur habitus gestúsque nostros ad decorum cuiuis conueniens in conuersatione. Huic virtuti studendum est vnicè; quia habitus mentis in statu corporis cognoscitur, id est, Ex gestu motúque corporis variæ de affectibus, virtutibus, & vitiis sumuntur coniecturæ: quod de Iuliano apostatâ testatur Nazianzenus, dum ait: Fecit me vatem gestuum ipsius deformitas: vt colli crebræ conuersiones, humeri inquieti, oculi torui & vagabundi, & furibundum quiddam contuentes, pedes instabiles, crebræ gesticulationes, nasus contumeliam & contemtum spirans, cachinni crebri, &c. quibus verbis continetur ars coniectandi de hominis ingenio. Verùm enimverò est huius seculi labes quædam ac macula, quòd leues mores, quasi herbæ irriguæ succrescunt vberrimè. Neque quidquam vile nunc est, nisi mores leues, eorum licet messem metere iam maximam. Hoc adeò verum est, vt mores isti leues iam duxerint leges in suam potestatem.

In motu corporis vt seruanda dignitas? IV. *In motu corporis ea seruanda dignitas quæ tacendo loquitur, & quasi mandando in sui admirationem alios constringit.*

HOc est quod Ambrosius ait 3. officiorum: Sermones proferamus librâ iustitiæ examinatos, vt sit grauitas in sensu, in sermone pondus, atque in verbis modus. Sed hoc est perdifficile, iuxta illud Ouidij:

Maius opus more: composuisse suos.

Et quia difficile, pulchrum. Ideo,

Prima sit in nobis morum tutela.

Qualis debeat esse habitus? V. *Talem quis se habitu gestuque exhibeat, qualis videri cupit.*

1. ALii sic enuntiant: Vir bonus talis sit intus, qualis apparere exteriùs cupit. Ita enim accidet, quod vulgò dicitur: *Grauitas est mater & nutrix authoritatis.*

2. VI. *Gestus habitúsque nostri ita componantur, ne sint aliis molesti & sensibus aliorum contrarij.*

DAmnantur ignis gestus illorum qui sunt veluti statuæ immobiles, vel instar simiarum instabiles.

An grauitas cadat in iuuenes? VII. *Grauitas in omnem cadit ætatem, & proinde quoque in iuuenes.*

RAtio in promtu est: quia grauitati opponitur leuitas, quæ omni homini est fugienda. In primis tamen grauitas decet virilem & consistentem ætatem. In hac quippe authoritas cum primis requiritur. Grauitas autem est parens, nutrix, & altrix authoritatis. Hinc ait Illustr. Hassiæ Landgr. Mauritius in Ethic. A constanti & prouectâ ætate grauitas expectatur: sicut adolescentis magis propria laus est modestia & verecundia.

Grauitas vt temperanda? VIII. *Grauitas temperanda est affabilitate.*

ALiâs degenerat in superbiam. Hoc notent illi, qui putant aspectus toruitatem, morum asperitatem, superbiam externam, cornua crinium, & barbam Saturninam conciliare homini grauitatem. Ideo Cicero commendat illos, qui ita sunt moderatis temperatísque moribus, vt summa seueritas cum summâ humanitate iungatur. Et hanc laudem tribuit Attico suo, quòd eius comitas non sine seueritate fuerit, neque grauitas sine facilitate, vt dubium fuerit, vtrum eum amici magis veriti fuerint, an amarint.

Tom. III.

IX. *Grauitati repugnat in excessu fastus, in defectu leuitas.* Grauitatis opposita.

FAstus est ostentatio, quâ quis caput velut inter nubila condit propter dona, quæ habet a DEO, & propter officium quod gerit. Leuitatis exemplum est in Crasso, qui nimis obsequebatur adolescentibus, quibuscum disputabat: cuius ipsum tandem puduit, cùm in hæc erumperet verba: Dum obsequor adolescentibus, me senem esse sum oblitus. Ad hanc leuitatem optimo iure licet referre choreas ridiculas, quæ nihil artis continent, sed potiùs insaniæ & libidinis sunt argumentum.

X. *Non est simpliciter malum, peregrinos introducere mores.* An semper sit malũ, peregrinos mores inducere?

MOres sunt vel mali, qui nullo modo introducendi sunt; vel boni, qui vel simpliciter boni sunt, vel secundùm quid. Simpliciter boni sunt, qui omnibus semper & vbique sunt tales: & hos introducere, non æquum, sed æquissimum fuerit, sed ita vt non fiat mutatio subita. Mores boni secundùm quid sunt, qui certo loco, tempore, & populo boni sunt; & hi nullo modo ex peregrinis locis in patriam introducendi sunt: ideo Persæ per capitalem legem prohibuerunt nouos aut peregrinos mores inducere. Quemadmodum enim cibi insoliti, quantumuis boni, stomacho noxij sunt: ita & hic se res habet.

XI. *Non omnis chorea seu saltatio est signum leuitatis.* An chorea sit signum leuitatis?

SAltatio quâ saltatio non est res turpis & noxia, sed quâ lasciua, libidinosa, & immoderata. Rectè igitur Martyr ait: Moderata saltatione gaudium & lætitiam animi testari possumus. Et idem ait: Mihi sanè nõ videtur hoc saltationis genus, quod lætitiæ causâ exercetur, esse naturâ suâ vitiosum & prohibitũ; quoniam agilitas corporis est donum Dei: & si accedat aliquid artis, nimirum vt corpus ordine, arte, numero, & cum decoro moueatur, non video cur debeat reprehendi: modò in tempore, moderatè, ac citra offensionem fiat. Huc pertinent saltationes Lyricæ, Pyrrhichicæ, Spondaicæ, & similes de quibus videndus Scaliger in Poëticis. Loquitur autem Martyr de saltatione solitariâ, non verò de sociâ, quâ vir cum muliere promiscuè saltat: quæ tamẽ ipsa non est suâ naturâ mala, licet plerumque sit periculosa. Est igitur saltatio honesta, vel inhonesta. Honesta aut est index gaudij vel spiritualis, vel moralis, vel naturalis: aut est exercitium corporis, inprimis in militiâ: aut est effectum artis. Inhonesta est planè spurca, iuxta illud: Saltatio est circumferentia, cuius centrum est Diabolus. Huic tamen malo mederi possunt leges magistratus, hac de re latæ, loco cuilibet conuenientes.

XII. *Classes eorum qui hîc aberrant à ianuâ, sunt quinque:* Quot modis peccetur in leges grauitatis?

1. *Simij aliarum nationum quoad vestes*; vbi facilè excellunt Germani, quorum dementiam notauit nobilis quidam pictor Turcici Imperatoris; qui posteaquam omnes nationes certo habitu in tabulâ depinxisset, Germanum nudum & tenentem manu pannum depinxit. Rogatus causam respondit, Germanos in singulos propè dies mutare habitum. 2. *Homines de tribu leui, quos vocant*; qui per omnes leuitatis numeros suam dementiam probant, adeoque & se & suum officium in contemtum adducunt, qualis fuit Florus poëta, de quo Adrianus Imperator:

Ego nolo Florus esse,
Ambulare per tabernas,
Latitare per popinas.

3. *Homines sibi inæquales*, in quos iactetur illud Plinij: Sicut Camelopardalis collo refert equum, pedibus & cruribus bouem, capite camelum, maculis tigrim aut pardum: ita quidam inæquales sibi sunt. Si cultum inspicias, sanctum aliquem existimes: si orationem audias, satrapam loqui putes: si vitam expendas, nebulonem inuenias: si scripta, bubulcum. 4. *Patroni sorditici & rusticitatis*; qui dicunt sordes esse infulas, & insignia philosophorum, quique malos mores hoc pallio tegunt: Hoc est Gallicum. 5. *Peregrinatores ridiculi*; qui consuetudines patrias despiciunt, & peregrinas vnicè suspiciunt, illásque in patriam introducunt.

FLORILEGIVM.

GRAVITAS. SENT. Grauitate ac mansuetudine ad virtutem ciuilem maximè opus est. *Plut. in Coriolano.* Admodum est efficax animi sermonísque abscissa grauitas *Val. Max. lib. 6. c. 4.* Grauitas est firmitas & constantia animi, & in vultu, moribus, verbis, rebusque agendis quædam seueritas quæ necessaria vocationis officia constanter, hoc est, eodem modo facit, & omnes actiones & gestus regit, vt cõgruant cum ordine

K 2 naturæ

naturæ, personarum, locorum, & temporum. *Anon.* SIMILITVD. Graue est, quod substat omnibus deorsum latis. Ita constantem & prudentiâ præditum, grauem dicimus, quòd nec precibus, nec minis, nec alia passione moueatur à recto. Oppositum faciunt, qui leues sunt. Vnde Ouidius:

Tu leuior foliis, tunc cum sine pondere succi.

PROVERB. Τετράγωνος. EXEMPL. Cato fuit adeò grauis, vt inde nomen habeat grauitas censoria. HIEROGL. Cubus, eleganter & fabrè factus, virum grauem egregiè pingit. Huc quoque pertinent apophthegmata grauiter prolata: vt cùm Themistocles ad mare descendisset, vt occisorum Persarum stragem inspiceret, cumque passim humi mortuorum militum torques & armillas aureas videret, ad amicum conuersus dixit: Tu, qui Themistocles non es, ista collige: grauissimo verbo ostendens, conditiones, quibus hominum gradus discriminantur, eas esse, quæ faciant, vt aliquid agere deceat, aut non deceat. Ita Lacedæmonij Philippo Regi Macedonum, cùm rem iniquam ab iis petiisset, responderunt: Lacedæmonij Philippo regi; de eo quod ad ipsos scripserat, nullo verbo addito.

CAPVT XXX.

De Ciuilitate.


PRÆCEPTA.

CIVILITAS est virtus, quæ componit totum corporis habitum ad elegantiam. *Appellatur* virtus ceremonialis.

Ea respicit situm, qualitatem, & actiones corporis.

Situs corporis spectautr in stando, sedendo, & eundo: Qualitas in munditie omnium membrorum: Actiones in spiritu ducendo, in ridendo, in sumendo cibo, in spuendo, in sternutando, & similibus.

Excessus ciuilitatis est affectatio gestuum: defectus, rusticitas gestuum.



Huius tabellæ explicatio succincta hæc esto.

REGVLÆ.

I. *Ciuilitas sit commendatio animi.*

Ciuilitas commendatio animi.

HOc est, morum externorum mensura sint mores interni. Aliâs non tam homines, quàm simios inde arguere est. Meminerimus hîc dictum Ecclesiastici: Vestitus, Risus, & Incessus produnt hominis ingenium. Nam vestis monstrosa, & gestus inepti sunt character animi monstrosi. Hinc poëta:

Atque viro vestis magnum decus addit honesta.

II. *Ciuilitatis morum anima est decorum.*

Ciuilitatis anima decorũ.

DEcorum autem pendet à nationum institutis, & vocationis seu officij naturâ. Aliud enim decorum est Athenis, aliud Romæ. Aliud est decorum ecclesiasticum, aliud politicum, &c. Hinc vestis nautæ non conuenit militi, aut militis concionatori.

III. *Classes eorum, qui hîc exorbitant, præcipuè sunt quatuor.*

1. *Simij aliarum nationum, & infelices imitatores istorum morum, qui fluunt à temperamento & assuefactione aliorum hominum, aut sunt defensiones aduersus morbos.* Ita tempore Francisci I. Galliarum regis multi erant, qui exemplo regis capillum sibi tondebant. Nimirum præ se ferebant, regem se imitari: sed ineptè. Nam rex in pugnâ quâdam simulatâ vulnus acceperat per repugnantium imprudentiam, ideoque suadentibus medicis deponebat comam, quam aliâs studiosissimè alebat. 2. *Saturnini & melancholici philosophi*, qui putant insigne philosophorum esse sordes corporis, & ipsorum infulam vestes laceras. 3. *Porci illi*, qui neque cibos rectè parant, neque pensi quidquam habent, an cibi rectè sumantur necne. 4. *Superstitiosi & delicati ceremoniam ad ciuilem conuersationem pertinentium cultores.* Sed quia ciuilis conuersatio in ciuilitate morum consistit, hîc ὡς ἐν ἐπιτομῇ proponemus totam artem ciuilis conuersationis, imitati Erasmum, Guazzium, Galatéum, & Althusium, præstantissimos huius artis Scriptores. Clemens etiam Alexandrinus in Pædag. habet mluta huius generis.

I. *Regulæ gubernantes sermonis conceptionem & prolationem petantur ex superiori doctrinâ Comitatis, Vrbanitatis, Veracitatis, Eulaliæ, & Taciturnitatis: inprimis ex iis, quæ diximus de Iucũditate sermonis, siue Eulaliæ.* Regulæ gubernãtes sermonem vnde petendæ?

II. *Habitus & gestus hominis in genere has habet regulas.* Habitus & gestus hominis consideratur in genere.

1. QVia ex habitu gestúque hominis variæ de ipsius affectibus, tam bonis quàm malis, tam virtutibus quàm vitiis, sumuntur coniecturæ, vir bonus multum operæ ac studij hac in re ponet, vt externi gestus sit commendatio virtũtis. 2. In gestibus ea seruanda dignitas, quæ tacendo loquitur, & quasi mandando in sui admirationem & reuerentiam alios constringit. 3. Talem se quisque habitu & gestu exhibeat, qualis videri cupit: & talis reuerâ intus sit, qualis apparere exteriùs cupit. 4. Gestus & habitus nostri non debent esse desideriis & sensibus bonorum contrarij. 5. In habitu & gestu neque decet esse instar statuæ immobilem, neque instar simiæ instabilem. 6. Cauendum, ne gestus nostri sint notæ & indicia alienæ existimationis læsæ.

III. *Habitus & gestus sunt duplices, insiti seu naturales, qui omnibus hominibus sunt communes, vel assumti.* Habitus & gestus duplices.

1. *Cor.* 11. *v.* 13. *Et habitus insiti sunt hominis loquentis, audientis, vel vtplurimum silentis.*

IV. *Gestus loquentis respiciunt vel totum ipsius corpus, vel partes eiusdem.* Gestus loquentis.

TOtum corpus hominis erit secũdùm naturam erectum & excelsum. Plura vide paulò pòst hac de re. Corporis partes ita se habebunt. 1. Capite demisso modestia significetur; auerso nos aliquid auersari intelligitur; versus loquentẽ verso obedientia & humanitas significatur. 2. Vultus ac frons tanquam animi ianua, diligenter regatur. Et vultus quidem non induet varios habitus, ita vt vel nasum corrugemus, vel os distorqueamus aut comam iactemus, aut caput scabamus, aut aures scalpamus, aut sputo maculemus astantem. Frons verò aperta erit, & secundùm naturam. 3. Inter loquendum oculi sint placidè intenti in eum, cui loqueris. 4. Manus imprimis loquentem adiuuat, quando secundùm affectus naturales, & qualitatem rei, quâ de agitur, gubernatur à loquente.

5. Vitio

5. Vitiosum & inciuile est oculis limis aliquem aspicere, capite rotato aliquid negare, reducto accersere, ventrē & pectus proiicere, latus ei fodere cui loqueris, & cubito suo aliquem stimulare ad attentionem 6. Vehemens contentio pro inani verborū victoriā valde indecora est & procliuis ad tumultum. 7. Poppysmata, sibili, & digitis expressi soni, quibus aliquid innuitur, parum conueniunt homini ciuilitatis studioso. 8. Indecorus & caninus risus, qui os latè diducit, nō conuenit viro sapienti. 9. Ad tertium etiam verbum expuere, indecorum. 10. Labra inter loquendum subinde lambere vel mordere, non est decorum. 11. Sermo inter oscitandum ore hianti non est continuandus. 12. Identidem inter loquendum tussire, vel ad tertium quoque verbum eructare, screare, nasum emungere, faciem demulcere, humeros diducere, iactare brachia, ab imo pulmone pituitam trochleis adducere, gesticulari digitis, pedibus vacillare, toto corpore loqui, admodum est inciuile.

Gestus audientis.

V. *Gestus audientis gubernatur his regulis.*

1. IN auditione constitutio vultus quieta, arguit hominem constantem & prudentē. 2. Grauitas supercilij, oculi vagi, corporis circumactio indecora, femorum inter se permutatio, nutus, susurrus, ad alterum subrisio, somnolentæ oscitationes, demissio vultus, & similia ponuntur in vitio. 3. Inuidia est pessimus auditoris assessor & consiliarius. 4. In vsu sermonis prius est accipere rectè quàm emittere, ita vt conceptio & retentio fœtus partum antecedat. 5. In conuersatione inter loquentem & audientem talis debet esse proportio, qualis est in pilæ ludo inter excipientem & mittentem.

Habitus membrorum.

VI. *Habitus hominis vtplurimum silentis sunt vel in membris singulis, vel in toto corpore. De habitu membrorum sunt hæ regulæ.*

1. VElatio faciei est habitus & gestus hominis melancholici, tristis, pudore affecti, aliorum occursum, colloquium, & consolationem declinantis. 2. Capitis demissio est habitus luctus, doloris, & humiliationis. 3. Caput erectum & altum est habitus victorum. 4. Mouere caput solent, qui alienam calamitatem admirantur vel derident, aut alios habent ludibrio. 5. Capillorum euulsio arguit indignationem, luctū, & dolorem. 6. Annuere capite vel manu est habitus hominis affirmantis & approbantis. 7. Habere caput asperū, intonsum, & incultū, est habitus negligentis & pertæsi hominis. 8. Frons dura significat obstinationem & impudentiam. 9. Frōs rugosa cum attractis superciliis est habitus attentè meditātis, cogitabundi, & philosophici. 10. Auris inclinatio notat habitum hominis attenti, vel libenter cognoscere cupientis rem quæ narratur: auris obduratio notat contrarium. 11. Cùm oculi sint lucerna corporis, quàm diligentissimè habitus illorum est regendus. Sint igitur oculi placidi & compositi. Hi quippe arguunt animum sedatum & compositum. Oculi sublimes & elati sunt habitus & indices superbiæ. Oculi crebrò nutantes notant loquacem & peruersam naturam. Oculis conniuentibus, circumactis, & lasciuis intueri, est oculis mœchari. Hæc enim sunt præludia pugnæ venereæ. Oculi torui sunt truculentorum; vagi & volubiles leuium aut insanorum; limi suspiciosorum ac insidiantium; immodicè diducti stolidorum; stupentes & defixi attonitorum; acres, iracundorum. 12. Indecorum & contemtus indicium est clauso oculorum vno alium intueri. 13. Oculos attollere & aperire est attendentium & cupidè audientium. 14. Lachrymæ sunt indices vel sympathiæ, vel impotentiæ animi, vel malitiæ, vel pœnitentiæ. 15. Supercilia exporrecta, inciuilitatis; adducta, toruitatis; sublata in altum, arrogantiæ; depressa, malarum cogitationum sunt indicia. 16. Frons hilaris & explanata est signum animi aperti & liberalis; in rugas contracta, iracundorum; torua, taurorum. 17. Nares vento vel fumo incensæ sunt hominis vindictam spirantis. 18. Inflare buccas, est indicium fastus; demittere easdem, est animum despondentis. 19. Dilatatio oris est gestus irridentis, insultantis, & contemnentis. 20. Naribus vocem emittere, est cornicum & elephantorum. 21. Nares habere muco & purulentiâ oppletas est hominis fœtidi & sordidi. 22. Oscitatio volâ vel strophiolo est auertēda; in sternutatione corpus auertendum. 23. Alium conspuere, est hominis contemnentis, abominantis, & auersantis. 24. Sputum eiectum, ne cui nauseam moueat, est pede proterendum. 25. Resorbere saliuam, est sordidum & caninum. 26. Frequenter spuere, violentiùs exscreare & emungere, arguit nauseam & intemperantiam, & parit molestiam. 27. Osculum sanctum & pudicum est charitatis & mutuæ amicitiæ symbolum. 28. Labia mouere sine eloquio, est gestus hominis ardenter peccantis, vel meditabundi. 29 Labrum inferius premere superioribus dentibus, vel superius inferioribus, est habitus minantis. 30. Linguam exserere est habitus insultantis & irridentis: eandem mandere, est dolentis & exacerbati. 31. Silere tum, quando homines loqui solent, est habitus vehementissimè cōmoti & perculsi, vel conuicti, vel patientiam præ se ferentis. 32. Frendere dentibus, eósque instar canis exacerbati diductis labiis ostendere, est irascentium, dolentium, vel irridentium. 33. Couellere alicui barbam, est hominis ignominiam & iniuriā inferentis. 34. Barba horrens & syluescens est mœsti aut sordidati hominis. 35. Barbam subinde intorquere, est habitus hominis affectantis ornatum muliebrem. 36. Pili capitis descendentes radendi sunt, quia visum impediunt. 37. Barbæ pili, qui nihil molestię adferunt, relinquendi sunt; quia vultui grauitatem adferunt. 38. Vultus placidus & iucundus est habitus hominis compositi, morati, ciuilis, & suâ sorte contenti. 39. Faciem abscondere & auertere, est hominis auersantis & alienati animi. 40. Facies demissa pudorem, malam conscientiam, vel humilitatem indicat. 41. Facies sordida est habitus lugentis & mœrentis: rubore suffusa, est index verecundiæ: pallida mœstitiam, dolorem, timorem, & luctum indicat in illo, cui pallor non est natiuus. 42. Collum erectum indicat libertatem vel superbiam: curuum & depressum seruitutem & obedientiam: extentum arrogantiam 43. Brachium extensum vel eleuatum significat potentiam ad rem gerēdam conficiendamque. 44. In cubitum & humerum recumbere, est immorantium, & familiariter ac securè agentium. 45. Manus multiplicis habitus est artifex, & varias cordis affectiones exprimit. Et sublata quidem, erecta & extenta vim, robur potentiámque indicat; pendula, pigritiā; iactata hinc inde stoliditatem vel perturbationem; elata, asseuerationem; extenta, postulationem attētionis; porrecta, habitum indicantis; ori admota, modestiam vel admirationem; complosa, lætitiam; alteri data, fidem & promissionem; expansa, petitionem; excussa, auersationem; remissa, timorem & animum deiectum; pectinatim complicata, tristitiam notat. 46. Digitus ori impositus, est habitus silentis; cum aliis digitis gestum faciens, commemorationis & attentionis est index. 47. Tergum vertere, est fugientis & cedentis. 48. Lumbi accincti indicant promtitudinem; dissoluti & confracti dolorem. 49. Inflectere ceruicem & adducere scapulas, pigritiam arguit. 50. Ceruicem in læuum vel dextrum vergere, est habitus hypocriticus, nisi colloquium aut alia necessitas postulet. 51. Humeros æquo libramine temperare, est habitus bene compositi: at more antennarum alterum tollere, alterum deprimere, pigri. 52. Femur siue coxam ferire, est eorum, qui se deceptos, aut alios errantes agnoscunt. 53. Oscitatio clara est habitus satietatis, otij, somnolentiæ, animi vagi, & apertæ securitatis. 54. Singultus est indicium diaphragmatis nimio cibo distenti 55. Crepitum ventris coram aliis emittere, est contemtus indicium, nisi fiat apud familiares 56. Anhelare, est habitus anxiè & solicitè sperātis. 57. Ingemiscere est commoti & commiserantis. 58. Spiritus angustus & tenuis est index metus. 59. Genuflexio est habitus supplicantium & orantium. 60. Pede terram percutere, est habitus insultantis. 61. Pes constans, rectus, & certus, recti studij & firmi propositi affectionem indicat: inconstans, motus & titubans, sententiæ mutationem, dubitationem aut metum arguit. 62. Pedūm festinatio temeritatem indicat & inconsultam actionem.

VII. *De habitu & gestu totius corporis sunt hæ regulæ.* Habitus totius corporis.

1. HAbitus totius corporis consideratur vel in ipsis membris & ipsorum motu & actione: vel in ipsorū vestitu. 2 Habitus in motu corporis est incessus, statio, surrectio, sessio, &c. 3. Incessus sit honestus, decorus, & ciuilis: non furiosus, leuis, nimis tardus, fractus, præceps, vacillans. 4. Incedere cum collo exserto, erectâ ceruice, manibus exsertis, gressuum modificatione, est hominis superbientis. 5. Meretricū & fœminarum lasciuarum est motu fracto, ingressu molli, oculis scintillantibus, collóque in obliquum reflexo incedere. 6. In viâ fluctuare, resupinare corpus, supinâ ceruice obuios respicere, an se aspiciant, hominis est superbi. 7. Vir honestus in viâ non curret, neque nimis tardè incedet. Illud enim est cursoris, hoc testudinis. 8. In incedendo pedes non ita altè sunt tollendi, vt eos ex medimno videaris educere. 9. Pedes in obliquum impellere, est hominis temulenti. 10. Sæpe moueri intereundum, est signum leuitatis. 11 Status sit rectus & decorus. 12. Sessio sit plana & æquabilis: fiatque manibus & pedibus otiosis, nisi fortasse aliquid necessariò hisce sit agendum. 13. Cursus non nisi necessarius conuenit viro honesto. 14. Pudefieri est habitus eius, qui voti & consilij concepti non fit compos. 15. Sudare est habitus defessi, vel languidi. 16. Qualia signa sint salutare, dormire, iacere, ieiunare, se abscondere, trepidare, obstupescere, cadere, &c. notum est. 17. Vestitus sit decorus & honestus; hoc est, personæ vtentis eo, vocationem, vitæ genus, ætatem, ac pietatem deceat. 18. Vestitus sit comparatus ad necessitatem & vtilitatem corporis: ita vt tegat nudi corporis deformitatem, & defendat corpus contra iniurias caloris & frigoris. 19. Conformis vestitus est, qui accommodatus est conditioni vtentis. 20. Vtilitati & necessitati repugnat vestitus superuacaneus, & nuditas. Ibi est vestitus nimis exquisitus, quò pertinet facies cerussata & fucata, comaque calamistrata, itē vestitus alienus, vt si vir muliebri, & mulier virili vestitu incedat contra mandatū Dei, *Deut.* 22. Contra delicatulos & calamistratos teneatur illud Archesilai philosophi:

Nihil interest, quibus membris cinædi sitis, posterioribus an prioribus. 21. Vestitus corpori non acommodatus, est inhabilis, maior vel minor quàm par est. Huc pertinent dissolutæ vestes agasonum, vbi thorax cum caligis configere velle videtur; prægrandes pilei; corrugatæ fasciæ; thoraces tumidi, ac si hydropicum vel fœtum aliquem tegerent; & prolixæ illæ fœminarum caudæ. 22. Pilos tingere, vel canos colorare, non est honestum. 23. Lacerationes dissectiones, alligationes, varietates, vestium versicolorum simiis potiùs, quam hominibus conueniunt. 24. Vestitus respondeat vitæ generi ac professioni vtentis. Itaque miles non incedat instar molitoris, aut scholasticus more militis, aut ciuis more Comitis. 25. Vestitus accommodatus sit loco & tempori: ne in Germaniâ incedas habitu Moscouitico, tempore lætitiæ veste pullatâ, interdiu integumento nocturno. 26. Vestitus forma est varia. Est enim vnius coloris aut diuersorum: est vestis manicata, vel sine manicis; est pedis, thoracis, manus, vel capitis; est regis, principis, pastoris, &c.

Habitus assumtus.

VIII *De habitu assumto, qui est vel consuetudinarius, vel arbitrarius, teneantur ista regulæ.*

1. IN habitu consuetudinario Ethicus cogitabit illud, χώρα νόμος, *ländlich sittlich.* Sic alibi salutatio fit osculo & amplexu, alibi iūctis dextris. Hîc istæ, ibi illæ ceremoniæ sunt vsitatæ. Sed qui sint gestus cuiusq; regionis & populi ex Ethicâ speciali, historiis, & experientiâ discendum est. 2. Habitus arbitrarius sit rationabilis, vel hominum opinione probabilis. Ad portentosos habitus quod attinet, quales fuerunt quorundam prophetarum, *Exod. 8. 9. 10. Ios. 8. v. 18. 2. Reg. 3. Iohan. 9.* illi sunt extraordinarij, & proinde obseruandi, non imitandi.

Cōuersatio inferiorū cū superioribus.

IX. *Conuersatio status cuiusque conueniens est personarum imparium vel parium. Et imparium Ethica est vel superiorum vel inferiorum. De conuersatione inferiorum cum superioribus sunt hæ regulæ.*

1. GRadus dignitatis & excellentiæ ipsi DEO probantur, *Act. 5. 2. Cor. 10. Phil. 2. Rom. 12.* 2. Fundamentum seu causa dignitatis sunt vel maiora DEI dona & virtutes, vel magistratus & imperium, vel diuitiæ, vel senectus, vel officium nobile, vel denique merita in remp. Sæpe tamen solâ hominū opinione aliquis habetur dignior & honoratior, qui hisce omnibus vacat. Sed, inquis, imago DEI relucet in quouis homine. Cuilibet ergo suus debetur honos. Ita est sanè, suus cuique debetur honos. Sed quia imaginis DEI gradus varij cernuntur in hominibus, oportet quoque gradus honoris esse. Sic in magistratu peculiariter cernitur imago potentiæ & gloriæ Dei, in diuite diuinæ opulentiæ, in docto diuinæ sapientiæ, in sene æternitatis, in parte diuinæ paternitatis item potestatis, in iudice iustitiæ ac seueritatis diuinæ: vt *Flaminius* eruditè disputat *c. 8. & 10. de honore.* 3. Dignitas & excellentia est naturalis, vel ciuilis. Naturalis est, quâ propter naturæ dotes alius alio habetur excellentior, pro virtutis, quâ præditus est, qualitate vel quantitate. Sic masculus fœminâ, senex iuuene, publica persona priuatâ, virtus bellica togatâ, diues, si sit vir bonus, paupere, pater filio, dominus seruo, maritus vxore, persona Ecclesiastica politicâ, honestus inhonesto & infami, diligens pigro, vxoratus non-vxorato (cæteris nempe paribus) legitimus notho, primogenitus reliquis liberis, literatus imperito, Theologus ICto, & hic Medico, vitam practicam viuentes iis qui viuunt vitam theoreticam cæteris paribus, sunt honoratiores. Ciuilis excellentia est, quam confert magistratus: vti est nobilitas familiæ. 4. Dignitas & excellentia crescit & decrescit ex superioris opinione, vel ex cōsuetudinis cuiusque loci genio, vel ex hominū arbitrio. Hinc dignitas est clara, inclyta, principalis, regalis, imperialis, superior, intermedia, inferior. 5. Honor semper comitatur virtutem, sed non eodem modo. Nimirūm vt vmbra præcedit, vel à latere incedit, vel sequitur corpus: ita cuidam virtuti statim sub initium eius habetur honor, aliorum verò virtus nonnisi aucta & perfecta suspicitur, alij denique post mortem honore afficiuntur, sicut scitè Horatius, *Virtutem*, inquit, *incolumem odimus, Sublatum ex oculis inuidi quærimus.* 6. Inter plures præstantes honoratior & dignior habetur is, in quem plures causæ dignitatis concurrunt: modò officij & muneris præstantia non sit tanta, quæ primum dignitatis locum obtineat. Sic filius, qui publicam cum imperio vel honore personam gerit, patri, qui est priuatus, in locis & actionibus publicis præfertur: at in priuatis negotiis & cōuentibus cessabit publica, & præualebit paterna authoritas. Ita Salomo rex matri habuit honorem: at Sempronius Gracchus consul Romanus, cùm obuium haberet patrem Quint. Fab. Maximum Procos. equo insidentem, lictoribus ad eum missis, equo vt descēderet imperauit. Pater dicto audiens, imperata promtè fecit, filiūmque collaudauit, quod dignitatem populi Romani imperio conuenientem tueri nosset. *Val. Max. l. 2. c. 2.* Et fratres natu maiores, imò ipsi parentes, honori prosecuti sunt Iosephum fratrem & filium. Inter doctores vt digniores præferuntur, qui actu legunt, qui maioribus fruuntur stipendiis, qui libris editis sunt clari, qui seniores & simul eruditiores, nisi obstet diuersitas facultatū Ibi enim iunior Theologus seniori ICto præfertur. Inter officiarios plures honoratior habetur, qui prior est cooptatus in ordinem. Qui habent dignitatem cum administratione, præferuntur iis, qui habent dignitatem sine administratione. Supernumerarius seu extraordinarius vltimum locum occupat. Primicerius seu princeps collegij, ὁ πρωτοστάτης, præfertur secundocerio, hic tertiocerio, & sic deinceps. In populo Romano erant tres ordines: primus senatorum, intermedius equestris, infimus plebeiorum. In Ecclesiâ sunt pastores & doctores, lectores, acoluthi, diaconi. 7. In conuersatione ciuili caput est nosse mores hominum: putà diuitum, senum, adolescentum, nobilium, & aliorum. Videris hac de re infrà Oratoriam. 8. Officium inferiorum erga superiores consistit in moribus reuerentialibus & obsequialibus: vt scilicet in illis præstādis neque sint nimis exquisiti, superflui & prodigi: neque nimis parci & tenaces: sed sint elegātes & vrbani, ita vt & moderatè & tempestiuè exhibeantur. 9. Mores reuerentiales sunt communes, vel singulares. Illi omnibus honoratioribus conueniunt, & exhibentur sermone, vel gestu: hi competunt illis dignioribus, qui sunt cum imperio. 10. *In sermone reuerentiali* ita se gerent inferiores: Probabunt hîc suam modestiam & suauitatem: loquendi facultatem priorem relinquent dignioribus: coram ipsis loquentur submissè ac suauiter: facient ipsorum mentionem honorificam: virtutes ipsorum pleniore laudabunt ore, contrà næuos tegent & dissimulabunt: etiam post mortem viuet memoria honoratarum personarum, inferiores tribuent honoratioribus titulos conuenientes: nomen illorum præponent suo nomini: pro salute & incolumitate ipsorum orabūt Deum: salutabunt illos, &, si opus fit, consolabuntur, nominibus & titulis honorificis: si aduersandū sit superioribus in re quâpiam, id fiet ab inferioribus timidè, pedetentim, ac rarò: in congressionibus & conuiuiis sermo ipsorum non est abrumpendus, nec iis obloquendum aut responsandum: nihil acerbè ab honoratioribus exigendum: cum illis nō iocandum, nisi fortè ipsi prouocent, iubeant, & inuitent. 11. *In gestu & habitu reuerentiali* cernuntur operæ obsequiales & officiales, vt vocant ICti. Hîc superioribus tribuatur locus superior & conspectior: ipsis sedentibus adstare est reuerentiæ argumētum: in eundo præcessio concedatur, nisi fortè inferior iubeatur comitari: si prætereant honoratiores, oportet assurgere: obuiam ipsis procedere, signum est reuerentiæ: decessio è viâ eiusdem est argumenti: similiter descensus de equo vel curru, si obuios habeamus superiores. Inferior etiam adibit domum superior is in negotiis cōficiendis: & vocatus ab eo, non discedet nisi dimissus, aut absque præfatione veniæ: collocabit etiam ipsi sellam: flectet genu: corpus incuruabit versus terrā: operam & ministerium suum offeret: caput nudabit: manus osculabitur, & omnino ciuiliter adorabit: attendet sermoni superioris: acquiescet in ipsius iudicio: quandoque etiam ipsum honorabit munusculi oblatione, & conuiuiolo: fugiet omnia, quæ vel vmbram suspicionis malæ gignere possunt: honorificè curabit ipsum sepeliri: vestitu lugubri & pullato, epicediis, carminibus funebribus ipsum honorabit: memoriam defuncti conseruabit honorificam. In summâ, operæ officiales & obsequiales consistunt vel in faciēdo, vt sunt seruire in mensâ & camerâ, comitari proficiscentē, ipsius negotia curare, ipsum obseruare tanquam patrem, monentem audire, defendere vitam, famam, & bona ipsius: vel in omittendo, ne dominos suos lædant, iniuria afficiant, aut deserant. Porrò vestitus inferiorum cum dignioribus conuersantium debet esse mundus, elegans, & honestus: conuersatio temperata & morata; 12. *Reuerentia propria digniorum, qui sunt cum imperio, ita exhibebitur.* Principiò considerentur varij gradus magistratuum, & inprimis cognoscantur iura maiestatis, quæ conueniunt summo magistratui. De his vide infrà Politicam. Deinde officium reuerentiale consistit in sermonibus & gestibus reuerentialibus. In sermonibus est deprecatio pro salute summi magistratus, & prolatio sermonis demissa. Gestus reuerentialis est, quo honor, obsequia, & obseruantia summo magistratui cum timore, amore, & modestiâ, tempestiuè, & magnâ cum tolerantiâ præstantur. Porrò hi gestus consistunt in obsequio & operis. Obsequium præstatur ita; vt nonnisi veniâ & licentiâ imperatâ superiorem accedamus; vt non accedamus vestibus sordidis; vt stantes audiamus ipsum; vt obedientiam mandatis præstemus ad amussim, nihil addendo aut detrahendo; vt defendamus & amplificemus excellentiam atque authoritatem magistratus, curemúsque ne illa contemnatur vel vilescat; vt promoueamus prosperitatem, salutem, & commodum ipsius, adeò vt salutem & commodum magistratus nostro anteponamus; vt affectibus eius studia & actiones nostras ita accommodemus, vt ille turbatus sanetur, à malo reuocetur gratia eius meatur, cōseruetur, aut amissa recuperetur; vt commotum silentio, silentem & tristem alloquio excipiamus; vt munusculum offeramus; vt imagines, natales, & ludos in ipsius honorem instituamus, & ritè habeamus; vt necessitatibus & calamitatibus eius

conde

condoleamus & ſuccurramus; vt ciuiliter honoremus genuflexione, corporis incuruatione, & titulis conuenientibus tributis. Geſtus conſiſtentes in operis ſunt ſeruitia & miniſteria corporalia: vt ſuſceptio muneris à magiſtratu delati. Præſtatio tributorum eſt, canonis cenſus, angariorum, parangariorum, collectarum, contributionum extraordinariarum, capitationum, &c.

Conuerſatio ſuperiorum cum inferioribus.

X. *De conuerſatione ſuperiorum ergo inferiores hæ ſunt regulæ.*

1. Officium ſuperiorum erga inferiores, eſt vel omnibus commune, vel quibuſdam peculiare. 2. Officium commune conſiſtit in faciendis & omittendis. 3. Facienda conſiſtunt in vſu legitimo morum reuerentialium, & in defenſione dignitatis & ſtatus. 4. Vſus morum iſtorum conſiſtit in ſuſceptione obſequiorum, & conuerſatione. 5. Suſceptio debet ita eſſe comparata: Superior honores congruentes ſibi præſtitos benignè ſermone ac geſtu excipiat: non plus honoris quàm par eſt, exigat: honores non extorqueat: ne reiiciat & auerſetur aliorum beneuolentiam: non ad amuſſim exigat obſequia inferiorum, ſed omnia ἐπιεικῶς interpretetur: næuos leuiores toleret, tollat grauiores. 6. Conuerſatio ſuperiorum cum inferioribus ſit grauitate humanâ, & humanitate graui temperata, quæ amorem conciliet ac honorem; ſitque condita iuſtitiâ. 7. Superior dignitatem & famam ſuam defendat: calumnias refutet integritate vitæ: veſtitui conuenienti ſtudeat: ſumtus honeſtos liberaliter faciat. 8. Superior caueat, ne nimiâ humanitate ac frequentiori conuerſatione ſibi contemtum accerſat. 9. Iuſtitia ſuperioris erga inferiorem conſiſtit in mutuo amore, in adſignatione miniſteriorum conuenientium, in patrocinio, & denique in compenſatione obſequiorum. 10. Superior fugiet iſta; honores ſibi competentes non recuſabit, obſequia inhumaniter & tyrannicè non exiget, inferiores non lactabit ſpe inani, vitabit ſuperbiam, artificia ſordida non exercebit, arcana cum inferioribus non communicabit, indulgentiam in monendo fugiet, ſe pſum non extenuabit, leuitatem in dictis & factis vitabit, veſtitum ſordidum & inconuenientem fugiet, inhoneſta miniſteria non exiget, ingratitudinem vitabit. 11. Proprium officium quorundam ſuperiorum erga inferiores hoc eſt: Summus magiſtratus vitabit vociferationem verborúmque intemperantiam; ſæpiùs loquetur inferioribus per ſuos officiarios; habebit famulos, curſores, σωματοφύλακας, αὐλάρχας, officiarios, equitatum, oſtiarios, cubicularios, nomenclatores; in victu & amictu erit ſplendidus; gubernationem referet ad vtilitatem ſubditorum; omnibus virtutum generibus prælucebit ſubditis ſuis, adeóque iuxta Ethicam Paulinam erit Pius, Iuſtus, Sobrius.

Conuerſatio parium inter ſeſe.

XI. *Conuerſatio parium inter ſe inuicem gubernatur his regulis.*

1. Pares agnoſcent dona & officia ſua inuicem: ſed ita, ne adhibeant ceremonias, quibus honorantur ſuperiores. 2. Par pari ſe non anteponet ſermone vel geſtu. 3. In conuictu adſit affabilitas, abſit ſeueritas: adſit etiam beneuolentia & gratificandi ſtudium. 4. Inter amicos pares quilibet anteuertere debet petitionem amici. 5. De amicis rebúſque illorum honorificè loquendum. 6. Honor & fraternitas inter pares conſiſtit in ſympathiâ in rebus proſperis & aſperis, in honore debito, in famæ defenſione, in gratitudine, denique in patientiâ, de quâ Cato:

Vincere cùm poſſis, interdum cede ſodali;
Obſequio quoniam dulces retinentur amici.
Quæ ſuperare potes, interdum vince ferendo.
Maxima enim morum ſemper patientia virtus.
Quod pudeat ſocios, prudens celare memento:
Ne plures culpent id, quod tibi diſplicet vni.
Inſipiens eſto, cùm tempus poſtulat aut res:
Stultitiam ſimulaſſe loco, ſapientia ſumma eſt.

Teneatur etiam hîc illud Martialis:

Si vitare voles acerba quædam,
Et triſtes animi cauere morſus:
Nulli te facies nimis ſodalem,
Gaudebis minùs, & minùs dolebis.

In ſummâ: Frons ſit aperta, lingua parca, mens clauſa.

Conuerſatio conuiualis.

XII. *In actu conuiuali conuerſatio ciuilis ſpectatur ratione perſonarum, communicationis, & ſpecierum conuiuiorum.*

1. Perſonæ in conuiuio ſunt principes, vel adminiſtræ: & illæ conuiuator & conuiua. 2. Officium conuiuatoris ſeu modiperatoris conſiſtit in procuratione & gubernatione conuiuij. 3. Procuratio conuiuij conſiſtit in inuitatione, quæ debet fieri cum delectu & formâ beneuolâ, amicâ, ſeriâ, certo tempore, iuxta conſuetudinem loci: item in apparatu conuiuij, qui reſpicit eſculenta, potulenta, ſupellectilem menſalem, tempus commodum, locum amœnum & capacem: item in exceptione conuiuatum, vt domus vel pateat, vel celerrimè aperiatur illis aduentantibus, vt amicè ſalutentur à totâ familiâ, vt procuretur depoſitio pallij, & lotio manuum: & denique in locatione, vt collocentur conuiuæ ratione ſexus, ætatis, dignitatis, conditionis, aliarúmque circumſtantiarum. Ipſe conuiuator locum poſtremum deliget, qui ad circumſpiciendum & ſurgendum ſit aptiſſimus. Solemus autem honoratiores à dextris collocare: quanquam Cyrus conuiuas honoris gratiâ à latere ſiniſtro, vbi cor ſitum putatur, collocauerit. 4. Gubernatio conuiuij conſiſtit in humanitate conuiuatoris, munditie, colloquiis conuiuialibus: quò pertinent νόμοι συμποτικοὶ veterum, qui Ciceroni dicuntur magiſteria menſæ. 5. Conuiua in actu inuitationis humaniter aget gratias, & non temerè promittet vel recuſabit venire: quòd ſi condixerit ſuam præſentiam, occupabitur in præparatione ſui ad conuiuium & in acceſſu. Præparatio eſt animi, vel corporis. Ibi eſt examinatio in fide & charitate: hîc veſtitus honeſtus, mundus, & ſplendidior quotidiano. Acceſſus non ſit nimis maturus, vel tardus, ne ex illo τειχιδείπνος, ex hoc ζοφεύδορπις appelletur. Vicinum vel amicum σωὐτεοφον καὶ ὁμοτράπεζον futurum conueniat: in domum conuiuatoris ne temerè irrumpat: introductus in domum, ſalutet omnes humaniter: σκιὰς, *vmbras*, non facilè adducat: paraſitos & aduentores fugiat: canem ne adducat: ſi opus ſit, vel mos exigat, ſuum quoque ſymbolum conferat: vnde iſta conuiuia ſymbolica & collatitia vocantur. In primis circumſpiciendum, cum quibus edas aut bibas, quàm quid edas aut bibas. Nam ſine amico viſceratio, leonis ac lupi vita eſt. *Sen. epiſt.* 19. Huc pertinet prouerbium: Conuiuium vulpis & gruis. 6. Adminiſtri conuiuiales diligenter præparent triclinia, menſas, vaſa: in actu conuiuij cibos adferant, bene collocent, diuidant artificiosè: ſtent ad miniſtrandum promti, alacres, & laborioſi: veſtitu incedant mundo & eleganti: membra corporis ne fricent: neminem perfundant: & omnino caueant, ne quid faſtidij, immunditiæve ſuſpicionem creet, aut ſiniſtrè ſuſpicandi occaſionem præbeat. 7. Communicatio menſalis reſpicit alimenta & ſermonem. Alimentorum communicatio eſt pia conſecratio menſæ, diſſectio ciborum decora, participatio alimentorum in menſâ priori, quæ eſt vel antecœnium & anteprandium, *das voreſſen*, vel ipſa cœna & prandium, *das mitteleſſen*: item in menſâ ſecundâ, *in dem nacheſſen*. Sermo conuiuialis ſpectatur in colloquio, quod eſt condimentum & anima conuiuij, itémque in Muſicâ vocali vel inſtrumentali. Ad colloquium quod attinet, materia eius erit vel iocoſa, vel ſeria, & hæc theologica, philoſophica, iuridica, medica: moderatio ſermonis erit inter exceſſum & defectum, ita vt ſermo conuiuialis ſit humanus, honeſtus, probus, ingenuus, non altum ſapiens, non ſcopticus, non futilis. De colloquio conuiuiali eleganter Plutarchus ait: Conuiuium ſimile ſit alphabeto, in quo ſunt vocales, vti ſenes, prudentes, & vſuperiti; ſemiuocales, vt iuuenes & fœminæ: mutæ, vt imperiti: conſonantes, vt pueri, ſerui. Nec loquaces, nec mutos oportet inuitare: quia eloquentia in foro & apud ſubſellia, ſilentium in cubiculo eſſe oportet, vt ait *Varro*. Et confabulandum de rebus ad communem vitæ vſum pertinentibus, de quibus in foro loqui non licet. *Id. Nicht von Reichsſachen.* 8. Communicationis menſalis habitus & geſtus erit talis: Sobriè ac temperanter edendum & bibendum, vt corporis vires reficiantur: modus bibendi ſit ſanitatis, & voluptatis honeſtæ: geſtus erit vrbanus, ciuilis, manſuetus: propinatio ſit amica: vitetur ſingultus, geſticulatio manuum, motitatio pedum: nihil commaculetur: dentiſcalpium vitetur & omnis geſtus habitúſque hiſtrionicus. Atque hæc ſunt quæ conuiuium antecedunt, aut in ipſo conuiuij actu ſpectari debent. Conuiuium clauditur 1. ſurrectione maturâ, & decorâ, & ciuili, vbi honoratiores primò, cóuiuator vltimò ſurget. 2. ablutione manuum. 3. propinatione ſeu poculo τῆς ὑγιείας, φιλοτησίας καὶ εὐχαριστίας. 4. precatione ad DEVM vel cantiunculâ. 5. valedictione & gratiarum actione. 6. deductione domum verſus, vel domuitione. 9. Species conuiuiorum ſunt variæ: putà natalitia, puerperalia, inauguralia, fœderalia, militaria, triumphalia, artificum popularium; contribulium, nuptialia, funeralia, exequialia, ſacra vel verè, vt agapæ Chriſtianorum, vel quaſi, vt Bacchanalia, Saturnalia, &c. de quibus latè & eruditè *Stuckius in Antiquitatibus conuiualibus.*

FLORILEGIVM.

CIVILITAS MORVM. SENT. Hoſpes præditus eſſe debet tribus virtutibus, vt adſit tempeſtivè, vt capeſſat ſedem quæ ipſi aſſignatur, vt tempeſtivè ſurgat. *Anon.* Hoſpes nullus tam in amici hoſpitium diuerti poteſt, quin vbi triduum continuum fuerit, iam odioſus ſit. Verùm vbi dies continuos decem ire ad eundem reſtat, tametſi dominus non inuitus patitur, ſerui murmurant. *Plaut. Mil.* Ouid. 1. de arte:

Munditiæ placeant, fuscentur corpora campo,
Sit bene conueniens, & sine labe toga.
Linguaq; nec rigeat, careant rubigine dentes,
Ne vagus in laxâ pes tibi pelle natet.
Qui sis, præcipiam: ne fuscet inertia dentes,
Oraq; susceptâ manè lauentur aquâ.
Nec malè deformet rigidos tonsura capillos,
Sit coma, sit doctâ barba resecta manu.
Et nihil emineant & sint sine sordibus vngues,
Inq; cauâ nullus stet tibi nare pilus.
Nec malè odorati sit tristis anhelitus oris,
Nec lædat nares virq; paterq; gregis.
Sint modici risus, paruæq; vtrinq; lacunæ,
Et summos dentes ima labella tegant.
Nec sita perpetuo contendant ilia risu,
Sed leue nescio quid, fœmineumq; sonet.
Est & in incessu pars non temnenda decoris,
Allicit ignotos illa fugatq; viros.
Carpe cibos digitis, est certus gestus edendi,
Ora nec immundâ tota perunge manu.
Neve domi præsume dapes, sed desine citra
Quàm cupias, paulò quàm potes esse minus.
Nec coram mistas ceruæ sumsisse medullas,
Nec coram dentes perfricuisse probem.
Ista dabunt faciem, sed erant deformia visu,
Multaq; dum fiunt turpia facta placent.
Certa tibi à nobis dabitur mensura bibendi:
Officium præstent mensq; pedesq; suum.
Iurgia præcipuè vino stimulata caueto,
Et nimiùm faciles ad fera bella manus.
Occidit Euricion stultè data vina bibendo;
Aptior est dulci mensa merumq; ioco.
Parua monere pudet, talorum discere iactus,
Vt sciat & vires tessera missa tuas.
Tunc sumus incauti studioq; operimur in ipso,
Nudaq; per lusus pectora nostra patent.
Ira subit, deforme malum, lucrique cupido,
Iurgiaq; & rixa, solicitusq; dolor.
Carmina dicuntur, resonat, clamoribus æther,
Inuocat iratos & sibi quisq; deos.
Pertinet ad faciem, rabidos compescere mores,
Candida pax homines, trux decet ira feras.
Ora tument irâ, nigrescunt sanguine venæ,
Lumina Gorgonio sæuius angue micant.
Odimus immodicos (experto credite) fastus;
Sæpe tacens odii semina vultus habet.
Spectantem specta, ridenti mollia ride:
Annuet, acceptas tu quoque redde notas.
Rara tamen mendâ facies caret: occule mendas:
Quodq; potes vitium corporis adde tui.

EXEMPL. Ciuilitatis & inciuilitatis exempla sunt conuiuia frugalia, vt cœna Saturnia, Hecatæ Philosophica, Platonica, Laconica: item conuiuia rustica, Cynica, Timonica, luxuriosa, Sybaritica, Persica, &c. HIEROGLYPH. Ciuilitatis seu elegantiæ morum nota hieroglyphica est adolescens decorus. De authoritate, grauitate, vestitu, incessu, verecundiâ, pudore, & similibus ad ciuilem conuersationem pertinentibus vide suprà passim.

CAPVT XXXI.

De Verecundiâ.

PRÆCEPTA.

VERECVNDIA est virtus, per quam homo in pudendo modum decorum obseruat. Ei in excessu opponitur stupiditas, seu immodicus pudor: in defectu, impudentia.

REGVLÆ.

Verecundia qualis virtus?

I. *Verecundia est virtus, per quam veremur infamiam quæ semper comitatur delicta.*

FAcit igitur vt abhorreamus ab omni turpitudine, & coniuncta est cum pudore liberali, qui nos continet in officio: atque adeò metu iudicij diuini & propriæ conscientiæ, & aliorum rectè iudicantium coërcet omnes cupiditates. Magnam igitur habet affinitatem cum timore Dei & iustitiâ vniuersali, vnde Plato ait: Pudor & iustitia sunt ciuitatum vincula & ornamenta, & amicitiæ conciliatrices. A quo non abludit istud Plautinum: Ego profectò periisse duco cui periit pudor. Ex his efficitur, Verecundiam rectè accenseri choro virtutum: quippe quæ facit, vt non solùm ipsam turpitudinem, sed & omnes eius occasiones, irritamenta, & signa fugiamus. Vnde à verendo est dicta; quia est habitus cauendi & prouidendi, ne quid tale contingat quod sit erubescendum. Hinc appellatur propugnaculum continentiæ & firmamentum præcipuum virtutis.

II. *Verecundia omni quidem ætati congruit, sed ornamentum præcipuum est adolescentiæ & sexus muliebris.* Verecundia quos in primis ornet?

TRia hîc dicuntur. Ratio primi est: quia est virtus quæ conuenit omni ætati. Confer cum *Heb.12. vers.28.* Nec enim hîc intelligitur verecundia illa rustica, de quâ vulgò dicitur: Viro egenti inutilis est verecundia. Item, Viri boni non est verecundari. Nec hîc intelligitur affectio faciei vti vocant. Nam viri boni pudorem non facie, sed mente præstant. Illa igitur hîc intelligitur verecundia, quæ pudorem liberalem in animis nostris ingenerat, multósque nobis actorum dictorúmque nostrorum constituit testes & inspectores, videlicet DEVM, nos ipsos, & omnes rectè iudicantes, vt nullam in partem nos audeamus extra cancellos honestatis commouere. Dum enim quos veremur, eorum magisterium & malam de nobis reformidamus opinionem, difficilem habemus peccandi rationem, deprehensique, erubescimus. Hinc verecundia dicitur malæ de se opinionis, atque infamiæ timor, in quo seuera est & diligens virtutis custodia. Vnde philosophi ethnici hunc pudorem dixerunt diuinum timorem. Interim verum est, quòd verecundia in vultu peccatum pingat, & liberalem ferat criminis commissi mulctam: vel certè ostendat, nos tantopere abhorrere à crimine, quod nobis obiicitur, vt ad eius mentionem, tametsi à nobis admissum non sit, erubescamus. Hinc istum colorem vocant vatem & vadem boni ingenij, & calorem virtutis, vt sanè appositè dicatur à Comico: Erubuit, salua res est. Ratio secundi est, quia adolescentes vt plurimum sunt ignei & proni ad peccandum, nisi verecundia ponat obicem, iniiciátque compedes. Ratio tertij: quia mulier amittit suam dotem quæ est castitas, si pudorem exuat. Hinc Gyges apud Herodotum ait: Cum veste exuit pudorem mulier, id est, proiectæ fit audaciæ.

III. *Verecundia in excessu opponitur pudor rusticus, seu nimia verecundia, cùm aliquem pudet rei honestæ: in defectu inuerecundia seu impudentia, quâ quis Deum, suam conscientiam, & omnium bonorum iudicia contemnit, & ita omnibus cupiditatibus frena laxat.* Verecundia opposita.

HÆc est præcipua dux ad omnia scelera, vt ait Xenophon Attica illa apis. Hæc reddit hominem abominabilem, certaque indicina, deletum esse in animo rerum honestarum & turpium discrimen.

FLORILEGIVM.

VERECVNDIA. SENTENT. Verecundia est pudicitiæ comes, cuius societate castitas ipsa tutior est. *Ambros. de offic. lib. 1. cap. 19.* Verecundia cùm sit omnibus ætatibus, personis, temporibus, & locis apta, tamen adolescentes iuuenilésque annos maximè decet. Vt artifex in materiâ commodiore meliùs operari solet; sic verecundia in ipso quoque corporis decore plus eminet. *Idem.* Ingenia liberaliter educata faciliùs verecundia, quàm metus superat; & quos tormenta non vincunt, interdum vincit pudor. *Hieron. ad Pammach.* Quid amabilius verecundo adolescente? quàm pulchra, & quàm splendida morum gemma est verecundia, in vitâ & vultu adolescentis? quàm vera & minimè dubia bonæ spei nuntia, bonæque indolis index? Virga disciplinæ, expugnatrix malorum, propugnatrix puritatis innatæ, specialis gloria conscientiæ, famæ custos, vitæ decus, virtutis sedes, virtutum primitiæ, naturæ laus, & insigne totius honesti. *Bernh. serm. 86. super Cantic.* Hom. in Iliad.

Αἰδομένων δ' ἀνδρῶν πλέονες σόοι ἠὲ πέφανται.

Verecundantium virorum plures salui, quàm interficiuntur.

Custos virtutum omnium, dedecus fugiens, & laudem maximam consequens, verecundia est. *Cic. de orat.* Bonum in adolescente signum est, cùm illi ex alto rubor suffunditur. *Sen. 11. epist.* Nutriendus est pudor; qui quamdiu in animo durauerit, aliquis erit bonæ spei locus. *Id. epist. 25.* Socrates hortabatur iuuenes, vt hæc tria haberent: in animo prudentiam, in linguâ silentium, in vultu verecundiam. *Maxim. serm. 41.* Mausonius, Verecundiâ, inquit, dignus apud omnes haberis, si primùm teipsum vereri inceperis. *Stob. serm. 31.* Theophrastus, Reuerere teipsum, dicebat, & non erubesces coram aliis. *Id.* EXEMPL. Sem & Iaphet, *Genes. 9. 23.* Diogenes adolescentulum videns inhonesto dicto erubescentem: Confide, inquit, fili: hicce color virtutis est. *Laërt. in vit.* HIEROGLYPH. Apud Philologos hieroglyphicum verecundiæ est os. Vnde impudentibus dici solet, Os eos non habere. *Pier. lib. 33.*

Capvt XXXII.

De Actione morali.

Præcepta.

FVit Aretologia: ſequitur Praxiologia, quæ generaliter tractat de actione morali.

Actio moralis eſt motus hominis ad bonum vel malum morale determinati.

Eius occurrunt principia, & genera.

Principia actionis moralis externa ſunt finis & efficiens: interna, materia & forma.

Finis eſt boni propoſiti aſſecutio, & mali declinatio.

Efficiens alia eſt in homine, alia extra hominem.

In homine eſt 1. natura, ſeu propoſitio naturalis ad bonum vel malum morale agendum, orta ex temperamento corporis. 2. intellectus, & habitus intellectualis. 3. liberum arbitrium.

Extra hominem efficiens alia eſt præparans, vt educatio, inſtitutio, & diſciplina recta vel praua: alia impellens, vt ſuaſio & diſſuaſio, laus & vituperium, præmium & pœna, & id genus alia.

Materia eſt motus naturalis: forma, determinatio motus naturalis ad bonum vel malum morale.

Generatio actionis moralis cernuntur in hâc quadruplici diſtributione.

1. Eſtque bona, vel mala.

2. Eſt interna, vel externa. Illa inſenſilis: hæc, ſenſilis.

3. Eſt abſoluta, vel ſymbiotica. Illa eſt hominis extra ſocietatem degentis: hæc, vt degit in ſocietate.

4. Eſt ſimplex, vel mixta.

Actio moralis ſimplex eſt, quæ vnius & eiuſdem eſt naturæ.

Eſtque ſpontanea, vel inuita.

Actio ſpontanea eſt, quæ fit ab homine ad agendum propenſo, & cognoſcente ſingulas actionis circumſtantias.

Eſtque conſulta, quæ fit deliberato animo & ex certâ proæreſi: vel inconſulta, quæ fit ſine deliberatione & proæreſi.

Vtraque vel antecedit, vel conſequitur habitum moralem.

Actio antecedens eſt, quâ habitus moralis acquiritur: conſequens, quâ habitus moralis iam acquiſitus exercetur & declaratur.

Inuita actio eſt, quæ fit ab homine per ignorantiam vel vim. Proinde eſt imprudens, vel violenta.

Imprudens actio eſt, quæ fit per ignorantiam facti pœnitentem: violenta, quæ fit à principio externo contra hominis agentis propenſionem & voluntatem.

Actio moralis mixta eſt, quæ ſimpliciter neque ſpontanea eſt, neque violenta, ſed mediæ naturæ.

Regvlæ.

Actio naturalis & moralis vt ſe habeat?

I. *Actio naturalis, quâ talis, eſt bona: eadem in ordine ad moralia eſt indifferens. Sed actio moralis aut eſt bona, aut mala in hypotheſi, etſi in theſi poteſt eſſe indifferens.*

ACtio naturalis eſt naturaliter bona, ſicut præternaturalis ſemper eſt mala. Et huc facit diſtinctio boni naturalis & moralis. *Actio moralis* conſideratur in genere, vel in ſpecie: ſeu, quatenus fieri poteſt, aut iam reipsâ fit. Priori modo actio moralis eſt bona, vt laudáre Deum; vel mala, vt Deum blaſphemare; vel indifferens, vt frequentare templum. Poſteriori modo non datur indifferentia in actionibus moralibus. Nam eo ipſo, quo actio aliqua moralis proficiſcitur ab agente, eo ipſo, inquam, quo fit, bene aut malè fit. v.g. frequentare templum in theſi eſt indifferens, ſed ipsâ operis ſpecie eſt opus bonum vel malum.

Quid ſit actio humana?

II. *Actio humana eſt, quæ ex liberâ hominis voluntate originem habet.*

HÆc autem actio eſt, quæ ex rationis deliberatione ſeu mentis conſultatione progignitur: ita vt actio humana idem penitùs ſit, quod actio hominis deliberata, ſiue actio, quæ ex ratione deliberante promanat: vt ſunt verba *Iohannis Azorij lib. 1. Inſt. moralium c.* 1. vbi eleganter explicat, quo ſenſu *Thomas Aquinas* 1.2.*q.* 1.*art.* 1. tria iſta de actione humanâ tradiderit. Primò, eam eſſe, quæ conuenit homini, quatenus eſt homo. Secundò, eſſe eam, cuius homo dominus eſt. Tertiò, huiuſmodi actionem eſſe, quæ ex liberâ hominis voluntate proficiſcitur. Cùm docet, actionem humanam eſſe, quæ conuenit homini, vt homo eſt, perinde eſt, ac ſi dixiſſet, quæ congruit homini per rationis & voluntatis facultatem: nam actiones conuenientes homini ex ſolâ intelligendi, ridendi, flendi, & loquendi vi, quamuis ſolius hominis propriæ ſint, non tamen dicuntur eſſe actiones hominis, vt homo eſt, quia ſolùm conueniunt homini ex aliquâ parte, & facultate certâ, licèt hominis propriâ, non ex omni parte: homo enim, vt homo eſt, id dicitur eſſe, quod ex toto eſt, non quod ex parte eſt: ex toto autem homo eſt, ex rationis & voluntatis facultate, non verò ex ſolâ intelligendi, ridendi, flendi, aut loquendi poteſtate. Itaque actio humana eſt, quæ conuenit homini, vt homo eſt, hoc eſt, quæ conuenit homini ex toto, non ex parte. Eodem pacto primi voluntatis actus, qui rationis deliberationem præcurrunt, quamuis ſolius hominis ſint proprij, non tamen ſunt actus hominis, vt homo eſt: quoniam non conueniunt homini ex toto, ſed ex parte, nempe ex voluntate rationem penitùs præueniente. Deinde, actio humana eſt, cuius homo eſt dominus: vbi non eſt ſermo de dominio ciuili, quale dominus habet in actione opera, & officia ſerui; ſed de dominio naturali, quod quiſque habet in ſuas functiones, & opera, ob liberum arbitrium, quæ eſt facultas rationis & voluntatis, ex quibus laudari, aut vituperari, iure benefacta & malefacta poſſunt.

Quid ſit actio libera?

III. *Actio libera eſt talis vel à neceſſitate, vel à violentiâ.*

LIbertas apud Magiſtrum ſententiarum *lib.* 2. *diſt.* 21. dicitur quadrifariam. Eſt enim libertas, quâ quis liber eſt à peccato. Et hæc per naturam eſt in Deo, per gratiam vnionis in humanâ Chriſti naturâ, per gratiam infuſionis in beatis angelis & hominibus. Deinde eſt libertas à miſeriâ, ſiue pœnâ, quæ reſultat ex priori. Tertiò eſt libertas à neceſſitate, quæ in eo vertitur, vt ea cauſa dicatur liberè agere, quæ poſitis omnibus in agendo requiſitis ita operatur, vt abſque vllâ varietate, vel mutatione in ſe, vel in altero factâ, poſſit agere vel non agere. Denique libertas à violentiâ eſt in omnibus iis, quæ inuitè non fiunt, ſiue ex voluntate, ſiue ex naturæ neceſſitate libertas ea proficiſcatur. Natura enim dum naturali propenſione mouetur, vim non patitur: & voluntas dum ex cognitione, aut cum cognitione operatur, ſponte ſuâ, & non per vim agit; & tametſi neceſſariò aliquando velit, non cogitur, quoniam ſi voluntatis eſt actus, eo ipſo eſt iuxta naturalem voluntatis propenſionem effectus. Eſt enim voluntas ad volendum ſuæ naturæ conditione procliuis: vt ſunt verba *Azorij d. l. cap.* 2. Itaque liberum à violentiâ eſt, quidquid in agendo vim extrinſecus illatam non patitur. At libertas, quâ quis liber eſt à neceſſitate, eſt, cùm aliquis non ex naturæ neceſſitate operatur, ſed ex rationis & voluntatis facultate ſic agit, vt non agere poſſit. Atque hæc gemina libertas dicitur naturæ: cui opponitur libertas gratiæ, & gloriæ. Hinc facilè eſt reſpondere ad quæſtionem propoſitam, quid ſit actio libera? Ea nempe, quæ libera eſt à neceſſitate, vel violentiâ: iſta enim vtraque libertas hìc intelligitur. Libertas à neceſſitate dici ſolet indifferentiæ, contrarietatis, & contradictionis. Indifferentiæ quidem, quia cauſa in agendo libera non vnum certè ac definitè, ſed quod mauult ac probat arbitratu ſuo, determinat. Contrarietas verò dicitur, quia cauſa libera poteſt ita vnum præſtare, vt poſſit etiam contrarium proſequi: nam poteſt voluntas rem aliquam amare, & odiſſe. Contradictionis autem dicitur, quia cauſa libera poteſt vnum agere, & poteſt etiam obire, ac exequi, quod id ipſum per negationem tollit: poteſt voluntas amare, poteſt odiſſe, poteſt optare; item poteſt etiam non amare, non odiſſe, non optare. Atque hæc libertas eſt propria naturæ intelligentiâ præditæ.

Quid ſit actio voluntaria?

IV. *Actio voluntaria eſt, quæ fit præuiâ cognitione.*

ET hoc quidem pacto voluntarium eſt, cuius principium exiſtit in operante, cum cognitione eius, quod agitur. Eſt autem duplex appetitus, qui cognitionem ſequitur: voluntas rationis, quæ agit ex cognitione intellectus, & appetitus animalis, qui ſenſus cognitione dirigitur. Itaque reperitur voluntarium in Deo, angelis, hominibus, pueris, amentibus, & belluis. Et ita quidem τὸ voluntarium latè

accipi

accipitur : eâque ratione à libero distinguitur. Nam voluntarium, vt dixi, est, quod proficiscitur à principio interno, præuiâ cognitione : at verò liberum est, quod non solùm fit à principio interno cum cognitione eius, quod geritur : sed est etiam in potestate agentis, vt fieri, aut non fieri queat. Cæterùm *Scotus Quodlib. q. 16. art. 2.* censet in naturis intellectu præditis idem esse liberum, quod voluntarium : vnde Deus etiam cùm seipsum diligit, liberè se diligit. etsi enim in isto actu est necessitas, est tamen etiam libertas. Sed distinguitur (inquit) libertas solùm à violentiâ, & naturâ citra cognitionem intellectûs agente : & proinde omne quod voluntariè cum cognitione intellectus agitur, etiamsi necessariò, liberè tamen agitur. Et ita quidem sentit Scotus. At *Thomas primâ part. quæst. 82. art. 2. & 3.* libertatem in naturis intelligentibus distinguit non solùm ab omni vi, & naturâ absque cognitione operante, sed etiam à necessitate. Atque ita theologi & philosophi, id quod necessariò fit, non liberè fieri docent. e. gr. Deus seipsum diligit necessariò, non verò liberè.

Actio voluntatis elicita & imperata.

V. *Actus voluntatis duo sunt, elicitus & imperatus.*

Elicitus vocatur, qui fit à voluntate proximè, & per seipsam, & qui excipitur tanquam in sede suâ in ipsâ voluntate, à quâ proximè producitur. Huiusmodi actus in vniuersum sunt sex : nimirum velle, intendere, frui, eligere, consentire, & vti. Ad hos enim cæteri actus voluntatis reducuntur, veluti amor, delectatio, desiderium, spes, & gaudium. *Imperatus* verò actus est, qui fit à voluntate, ministerio & operâ alterius facultatis, quæ eum actum proximè gignit. Quare actus imperatus non excipitur, neque inhæret in voluntate, sed in eâ facultate, à quâ proximè producitur, & transit interdum in materiam aliquam externam. Tales actus sunt intelligere, credere, videre, audire, loqui, comedere, deambulare, saltare, canere, verberare, occidere, quotiescunque motu & imperio voluntatis actitantur aut factitantur.

An imperare sit actus voluntatis an potius rationis?

VI. *Imperium est præscriptum & denuntiatio rationis ex motu & impulsu voluntatis profectum.*

Dvæ sunt opiniones de imperio. Prima vult esse actum voluntatis : secunda, esse actum rationis, nempe profectum ex motu voluntatis. Et hanc sententiam defendimus cum *Azorio lib. 1. inst. moral. cap. 29.* & dicimus, tria ad actum imperandi pertinere : vnum est ordinem agendorum præscribere : alterum denuntiare subditis, quid sit faciendum : tertium est ad agendum alterum mouere & impellere : non enim omnis, qui alterum mouet, denuntiat, nec ordinem rerum agendarum præscribit : nec omnis qui denuntiat aliquid factitandum, ordinat. Constat autem inter omnes, ordinare res agendas esse rationis dirigentis; & denuntiare, esse pariter rationis, ratio enim intelligendo loquitur : mouere autem voluntatis esse. Prima opinio affirmat, actum imperandi esse, impellere alterum ad opus præscribendo & denuntiando ei, quod est facturus; & propterea actum esse voluntatis mouentis ad opus ex denuntiatione & præscripto rationis. Secunda opinio docet, imperium esse præscriptum & denuntiationem rationis ex motu & impulsu voluntatis profectum. Et hæc opinio est probabilior.

Qui actus & motus in homine voluntatis & rationis imperio subiiciātur?

VII. *Duæ sunt facultates in homine: vna, quæ rationi obsequi potest, vt facultas concupiscendi & irascendi : altera, quæ rationi non obedit, vt facultas naturalis, putà vis nutriendi, augendi, generandi.*

Res tota (vt omnes actus voluntatis imperatos enumeremus) ita habet. *Primò*, actus voluntatis imperatus potest esse ab alio actu voluntatis imperatus; atque ita voluntas sibi imperat aliquando, hoc est, ex vno actu se mouet ac applicat ad aliud volendum : & hoc modo nos ex amore vel timore Dei excitati promouemur ad detestandum peccata : & propterea peccatorum detestatio est actus imperatus ab amore Dei. *Secundò*, actus rationis potest esse imperatus à voluntate. Hâc ratione actus credendi est quidem actus elicitus rationis, sed imperatus à voluntate, quatenus proficiscitur ex pio affectu & impulsu voluntatatis. *Tertiò*, actus facultatis concupiscentis vel irascentis possunt esse imperati, vt quando motu & impulsu voluntatis irascimur, contristamur, dolemus, desideramus, timemus. *Quartò*, actus virium sentientium possunt esse imperati : vt cùm ex motu voluntatis, & rationis iudicio cernimus, gustamus, loquimur, odoramur, tangimus. *Quintò*, actus facultatis animalis loco mouentis possunt esse imperati : vt cùm homo incedit, corpus aliud impellit, trahit, portat : nam incessus hominis, imperio voluntatis subiicitur : & homo potest imperio mentis aliud corpus impellere, trahere, portare. Actus verò in homine, qui imperio voluntatis & rationis non parent, pertinent ad vires naturales, & vitales. Ibi est vis nutriendi, augendi, & generandi, adeóque attrahendi, retinendi, concoquendi, & expellendi : hîc est pulsus & respiratio.

Quæ summatim tenenda de actionibus moralibus?

VIII. *De actionibus moralibus teneantur sequentes quæstiones.*

1. An *omnis actio moralis habeat finem aliquem bonum*? Ita est. Nam quicunque moraliter agit, proponit sibi finem, & eum quidem vel verè vel apparenter bonum.

2. *An actiones morales pendeant à temperamento & dispositione corporis*? Remotè pendent à temperamento : proximè à libero arbitrio & educatione.

3. *An intellectus sit principium actionum moralium*? Voluntas est principium proximum, intellectus remotum. Nam voluntas pendet ab intellectu, quatenus homo nihil vult, nisi quod intelligit; & quidem sic vult, vt intelligit.

4. *Quid sit prælectio*? Est volitio consulta, hoc est, appetitio mediorum ad finem consequendum idoneorum. Huic volitioni consultæ opponitur volitio inconsulta, quæ est appetitio finis. Dicitur autem inconsulta : quia de fine nunquam instituitur consultatio, sed is semper tanquam principium præsupponitur. Ex his videre est, prælectionem differre à volitione tanquam speciem à suo genere.

5. *Quid sit actio spontanea*? Est eiusmodi actio, cuius principium est in homine, vi internâ ad agendum propenso, & cognoscente singulas actionis circumstantias. Hinc potest colligi, quid sit *actio in vita*, quæ nempe fit ab homine per vim, vel ignorantiam.

6. *An actio spontanea etiam cadat in naturas non-intelligentes*? Si actio spontanea latè & generaliter vsurpetur pro quâlibet operatione, quæ libera est à coactione, quæque fit cum appetitu aliquo, siue fiat cum cognitione, siue sine cognitione; competit omnibus in vniuersum rebus naturalibus. Si verò strictè & specialiter vsurpetur pro actione, quæ fit cum ratione & voluntate, competit solis naturis intelligentibus: & ita nihil est aliud, quàm actio voluntaria, quæ opponitur inuoluntariæ.

7. *Quomodo differunt, agere per ignorantiam, & agere ignorantem*? Ibi principalis causa actionis est sola ignorantia : hîc est alia causa principalis, cum quâ tamen ignorantia concurrit : vt cùm aliquis peccat ex ebrietate, agit ille quidem ignorans, sed non per ignorantiam : quia hæc non est causa principalis illius peccati, tametsi cum agente sit coniuncta. Similiter differunt ista, hominem iratum aliquid agere, & per iram agere.

8. *An ignorantia excuset* : siue, *an ignorantia reddat actionem inuitam*? Ignorantia iuris vniuersalis, itémque ignorantia iuris particularis affectata, non reddit actionem inuitam; quia causa peccati ex tali ignorantiâ commissi non tam est ipsa ignorantia, quàm hominis peruersitas, qui noluit ea scire, quæ potuisset & debuisset, antequam actionem susciperet; si saltem mediocriter attendere voluisset. Ignorantia autem iuris non affectata, itémque ignorantia facti reddit actionem inuitam, si hæc posterior sit dolorifica, siue pœnitens; non autem, si sit impœnitens, seu doloris expers.

9. *An actiones mixtæ magis sint spontaneæ, quàm inuitæ?* Etsi actiones mixtæ simpliciter neque sunt spontaneæ, neque inuitæ : tamen comparatè magis sunt spontaneæ, quàm inuitæ; idque ratione finis, principij, mediorum, & circumstantiarum. Nam finis ibi est maius bonum, ideóque eligendum : principium est consultatio rectа, & prælectio ei consentanea: media, seu instrumenta, libera tunc temporis in homine supponuntur : denique circumstantiarum violentia & ignorantia plerumque ab est. e. gr. si quis ingruente tempestate horrendâ, bona sua in mare proiiciat, ne patiatur naufragium; aut latroni magnam summam pecuniæ promittat, vitæ conseruandæ gratiâ : hæ actiones mixtæ sunt; & tamen magis sunt spontaneæ, quàm inuitæ.

10. *Vtrùm actiones mixtæ per se laudem, an vituperium; veniam, an pœnam mereantur*? In actionibus mixtis consideratur electio, & coactio. Ratione electionis laudem merentur, si quis propter maius bonum fecerit minus malum : at vituperium, si quis propter minus bonum fecerit maius malum. Ratione coactionis veniam merentur, si extrema sit coactio, vt si quis tormentis coactus falsum fateatur: at pœnam si non sit extrema coactio, vt si quis vitæ suæ conseruandæ gratiâ, aut religionem abneget, aut patriam prodat, aut parentes interficiat.

11. *Vtrùm actiones ex irâ, cupiditate, aut aliâ animi perturbatione profectæ, sint spontaneæ, an inuitæ*? Sunt spontaneæ: quia in irato & perturbato homine principium agendi est internum, non verò externum.

12. *An actiones morales, quæ habitum bonum, vel malum antecedunt, sint eiusdem speciei cum iis, quæ consequuntur*? Non sunt, quia quæ actiones antecedunt, sunt causa efficiens habitus moralis; quæ verò consequuntur, illius effectum.

13. *An in facultate hominis sit agere & non agere, tam bene quàm malè*? Ita est : si sermo sit de libertate contradictionis & contrarie

contrarietatis, quæ vtraque homini eſt eſſentialis. At verò ſi extendatur ad vires liberi arbitrij, diſtinguere oportet inter bonum morale & ſpirituale.

14. *An ſola intentio bona reddat actionem bonam?* Neg. quia bonitas actionis debet æſtimari ex bonitate proæreſis, finis, & mediorum.

Actiones ſymbioticæ quomodo tradendæ? IX. *Actiones ſymbioticæ latiſſimè patent: & ſpectantur in genere, vel in ſpecie. Vnde ipſarum tractatio dici poteſt Symbiotica, & diuidi in communem & propriam.*

TRadamus itaque hoc loco iſtam Ethicæ partem, oppidò ſanè vtilem & neceſſariam. Itaque

1. *Symbiotica communis, ſeu generalis, agit de integritate ſocietatis in genere: ac proinde de officijs ſymbiotarum ex virtute fluentibus, & eorum felici ſtatu.*

Hic maximum fuerit compendium in enarratione officiorum œconomicorum, politicorum, & ſcholaſticorum, percurrere ſingula decalogi præcepta: vel omnia & ſingula felicitatis ac virtutis genera, in Ethicis expoſita, ita vt circa vnumquodque officium videas ſequentia. In officio cuiuſque videbis finem ſeu felicitatem, & media ſeu virtutem. Felicitas eſt animi vel corporis. Ibi eſt gloria, & gaudium, quo aliquis ſibi complacet in boni alicuius certi poſſeſſione, maximè autem omnium in contemplatione Dei, vt fauentis: hîc eſt ſanitas corporis, & rerum ad hanc vitam tuendam & fouendam neceſſariarum ſufficientia. Felicitati opponitur miſeria, & gloriæ quidem ignominia, gaudio triſtitia, ſanitati morbus, ſufficientiæ rerum egeſtas. Virtus poſita eſt in medio, ſcilicet inter duo vitia, vnum in exceſſu, alterum in defectu, quod in Scripturis eſt ad dextram & ſiniſtram deflectere. Virtus conſideratur quantum ad cauſas efficientes, communes affectiones, & ſpecies. Cauſæ efficientes ſunt lux naturæ, Scriptura ſacra, temperamentum, honeſta educatio, flagella Dei, &c. Communes ipſius affectiones ſunt ſinceritas & conſtantia, communitas & ſingularitas. Per ſinceritatem tales eſſe ſtudemus, quales haberi volumus. Hinc εἰλικρινὴς dicitur, quaſi τῇ εἵλῃ κρινόμενος, qui ad ſplendorem Solis facilè diſcernitur. Conſtantia eſt, per quam quis in honeſto perſeuerat. Communitas eſt, per quam virtus eſt vulgaris: ſingularitas, per quam eſt heroica ſeu eximia. Illi opponitur vitium, huic flagitium, quod ex eo nomen habet, quia flagitatione, id eſt accuſatione, eſt dignum. Virtutum ſpecies duplici methodo enarrari poſſunt. Principiò iuxtà ordinem decalogi. Nam decem præcepta ita ſe habent ad virtutes & vitia, vt decem prædicamenta ad omne genus rerum. Prima tabula tractat de pietate erga Deum: ſecunda de probitate erga homines, & primò de parentibus, ſecundò promiſcuè de quibuſuis hominibus, quantum ad illorum vitam, & famam: & vitam quidem tuendam, propagandam, & per bona externa conſeruandam: qui ordo eſt ſapientiſſimus, vtpote quem ſapientiſſimus legiſlator ipſe in lege ſuâ præiuit. Deinde obſeruari poteſt methodus à nobis in hoc Syſtemate Ethico expreſſa. Si ergo, verbi gratia, de officio magiſtratus, præceptoris, vel patrisfamiliâs diſſerendum ſit, hæc via ineunda, vt dicamus de fine ac mediis, ſeu felicitate & virtute: & hanc expendamus quantum ad cauſas efficientes, proprietates, & ſpecies. Itaque magiſtratus proponet ſibi bonum finem, videlicet actionem virtutis. Conſiderabit cauſas virtutis, videlicet lucem naturæ, temperamentum, &c. Studebit ſinceritati & conſtantiæ. Erit pius & probus, &c.

2. *Officia Symbiotarum conſiderantur diſtinctè, vel coniunctè.*

3. *Diſtinctè conſiderantur ratione perſonarum ſubordinatarum: quæ ſunt præſtes, & ſubiecti.*

4. *Præſtes eſt perſona alijs præpoſita, iuſtam poteſtatem habens aliquid regendi.*

5. *Præſtitis videnda eſt vocatio, & functio.*

6. *Vocatio eſt ordinaria, vel extraordinaria.* Illa mediata, hæc immediata.

7. *Vocationis ordinariæ leges ſunt.* 1. Præſtes ſit certus de vocatione ſuâ, quòd ſit legitima. 2. Vocatio legitima ſic cognoſcitur. Candidatus, qui vocatur, diſpiciat an vocetur internè, ità vt ſibi conſcius ſit de neceſſariis donis ad officium fungendum, ſaltem mediocriter, & an ad virorum prudentium examen dignus iudicetur, qui ornet hanc Spartam: an denique Deo religiosè inuocato ſe ad id inclinari, aliquatenus ſaltem ſentiat, vel certè ad id obligari. 3. Ad vocationem internam accedere debet externa, quæ fieri debet ab iis, qui ius vocandi habent. 4. Si plures vocationes ſimul vrgeantur, ea eſt obliganda, in quâ euidentiores & pleniores legitimæ vocationis notæ modò commemoratæ apparent: & vbi conſcientia melior, ac opera noſtra magis neceſſaria & publicè vtilior videtur futura: quæque ſi deſtituatur noſtro auxilio, maius incommodum reip. creare poſſit. 5. Euentus diuinæ prouidentiæ per preces humiliter eſt committendus. 6. Quòd ſi optimè cogitata, minus feliciter cedant: Deo nihilominus fidendum, & per obſtacula etiam pergendum. Solet enim Deus nonnunquam ſuos probare per ſequiorem euentum eorum, quæ optimè ſunt cogitata. 7. Si quis in vocationis primo aditu experiatur quoſdam iniquos, acquieſcat in voluntate magiſtratus, aſſenſu bonorum, & conſcientiæ ſuæ teſtimonio. 8. Si cui legitimè vocato, omnibus mediis tentatis, res non ſuccedat, cogitandum, eſſe hanc de alia vocatione ſubeundâ admonitionem. Excipe ſocietatem indiſſolubilem, vti eſt coniugium.

8. *Extraordinaria & immediata Dei vocatio ſic dignoſcitur.* In eâ mens vocati planè certa redditur de immediato Dei iuſſu: & ea extraordinariis donis eſt illuſtris: conuenit etiam cum verbo Dei. Solet quoque miraculis clara eſſe, non tamen ad cuiuſuis lubitum edendis.

9. *Functio debet eſſe conformis præceptis Ethicis, vt bonam conſcientiam apud Deum, & bonam famam apud homines retineamus.*

10. *Functio alia eſt ſub initium, alia in progreſſu, alia ſub finem.*

11. *Sub initium præſtes conciliabit ſibi debitam authoritatem:* quod fit religioſo diuinæ gloriæ ſtudio, iuris ſui cuſtodiâ, humanitate debitâ, & morum grauitate. In primis cogitetur illud: Qui Dei maieſtatem tuetur, eius authoritatem tuetur Deus, iuxta illud: *Honorantes me, honorabo, contemtores autem mei leues fient.*

12. *In progreſſu præſtes faciet officium ſuum diligenter, prudenter, libenter, ſincerè, ac conſtanter.*

13. *Officium illud eſt indicium, vel iudicium: ſeu modus docendi & implendi.* Modi iſti docendi & implendi ſunt prædicamenta totius Symbioticæ.

14. *Modus docendi eſt, quo præſtes docet inferiores*: idque vel ſimpliciter, abſque conditione, vel cum conditione; eaque aliàs expreſſâ, aliàs tacitâ: item vel ſimpliciter, vel compoſitè. Ibi vnus aliquis docendi modus vſurpatur, hîc plures.

15. *Modus docendi eſt vel ante officium inferiorum, vel poſt illud.* Ibi eſt Narratio & Hortatio, Legiſlatio & Sanctio: hîc eſt Approbatio & Improbatio, Excuſatio & Accuſatio, Abſolutio & Condemnatio.

16. *Narratio eſt, quâ inferioribus aliquid indicatur.*

17. *Hortatio eſt, qua ſuperiores admonent inferiores.*

18. *Legiſlatio eſt, quâ ſuperiores aliquid deſignant lege: eſtq́ præceptio, interdictio, vel conceſſio. Illa eſt de faciendis, iſta de fugiendis, hæc de rebus medijs prudenter agendis vel omittendis.* Atque huc pertinent conſilia, quæ non debent eſſe de certis ac impoſſibilibus. Ita non eſt deliberandum, an velimus Deo obedire, aut turpitudinem fugere. Hîc enim valet illud Cypriani, qui cùm iuberetur à gentibus retractare Chriſtianiſmum, *In re*, inquiebat, *tam ſanctâ non eſt conſultatio.*

19. *Sanctio eſt confirmatio legiſlationis. Eſtq́ promiſſio vel comminatio.* Vbi non extant ſanctiones, ibi eſt indulgentia intelligenda, quæ eſt ſententia de nullâ benignitate vel ſeueritate exercendâ.

20. *Approbatio ſæpè comitem habet commendationem: Improbatio reprehenſionem & querimoniam.*

21. *Excuſatio & abſolutio eſt innocentium: accuſatio & condemnatio nocentium.*

22. *Modus implendi eſt, quo ſuperiores implent indicata. Eſtq́ diſtributio, permiſſio, impeditio, vel toleratio.*

23. *Diſtributio eſt beneficentia vel coërcitio: ſeu præmium, vel pœna.*

24. *Permiſſio eſt, quâ ſuperiores aliquid permittunt arbitriò inferiorum.*

25. *Impeditio eſt, quâ ſuperiores aliquid impediunt.*

26. *Toleratio eſt, quâ ſuperiores, aliquid neque notabili præmio, neque notabili pœnâ afficiunt.*

27. *Functio præſtitis ſub finem talis eſſe debet, vt ille ſolicitus ſit de iis, quos habent ſibi commendatos, ne illis poſt mortem vel tranſlationem in alium locum creetur aliquod incommodum.* Hîc autem in primis opus eſt ſanctis precibus, & ſanis conſiliis.

28. *Officium ſubiecti eſt indicio & iudicio præſtitis ſe ſubmittere*: quamdiu ſcilicet contra Deum, & totius communitatis incolumitatem nihil committitur; ſaluis tamen cuiuſque priuilegiis.

29. *Officium itaque ſubiectorum ſiue ſubditorum eſt circa modum docendi & implendi.* Circa modum docendi debet eſſe *Fides*, reſpondens narrationi; *Circumſpectio*, erga hortationem; *Obſequium in operando*, reſpondens præceptioni; *Obſequium in declinando*, reſpondens interdictioni; *Circumſpectus vſus libertatis in rebus medijs* ſeu indifferentibus; *Obedientia fidei*, reſpondens promiſſioni & comminationi; *Suſpenſio fidei & ſpei*, reſpondens indulgentiæ; *Lætitia*, reſpondens approbationi, commendationi, excuſationi, & abſolutioni; *Triſtitia*, reſpondens improbationi, reprehenſioni; accuſationi & condemnationi. Circa modum implendi debet eſſe *Gratitudo*, reſpondens præmiis; *Humilitas & Emendatio morum*, reſpondens pœnis; *Rectus vſus liberi arbitrij*, reſpondens permiſſioni; *Pœnitentia*, reſpondens tolerationi.

30. *Officia ſymbiotarum coniunctè ſpectantur, quatenus illi ſunt*

sunt coordinati in societate: vbi alij cum aliis agunt vel verbo, vel scripto: vel iuratò, vel iniuratò. Vnde exiſtit conſenſus, qui eſt continendus; vel diſſenſus, qui legitimis viis eſt dirimendus, idque vel amicabili compoſitione, vt vtraque pars alteri aliquantum cedat, quantum fert bona conſcientia, vel experiundo iure, vel, ſi his modis non proficiatur, dimicatione.

31. *Symbiotica propria diſtinctè proponit actiones œconomicas, politicas, ſcholaſticas, & Eccleſiaſticas.* De illis itaque vide ſuo loco.

FLORILEGIVM.

ACTIO. SENTENT. Omnis virtus in actione conſiſtit. *Cic. 1. offic.* Non paranda nobis ſolùm, ſed etiam fruenda ſapientia. *Idem in Sal.* Contemplare velut in ſpeculo actiones tuas: vt honeſtas quidem magis ornes, turpes verò abſcondas. *Bias apud Stob. ſerm. 22.* Ad omnes in rep. res & actiones perficiendas tria requiruntur, imperij adminiſtratio, obedientia, & victoria. Adminiſtrare imperium, ad meliores pertinet: obedire, ad deteriores: vincere, ad ambos. *Architas Pythagor. de lege & iniuſtitiâ.* Natura nos ad vtrumque genuit, & contemplationi rerum, & actioni. *Senec. de vitâ beatâ c. 31.* Omnes actiones totius vitæ, honeſti ac turpis reſpectu temperantur, ad hæc faciendi & nõ faciendi ratio dirigitur. Quid ſit hoc dicam. Vir bonus, quod honeſtè ſe facturum putauerit, faciet, etiamſi laborioſum erit: faciet, etiamſi damnoſum erit: faciet, etiamſi periculoſum erit. Rurſus, quod turpe erit, non faciet, etiamſi pecuniam, etiamſi voluptatem, etiamſi potentiam polliceatur. *Idem epiſt. 76.* Actionum honeſtarum ſuum eſt tempus, ſua ætas: & verò omnino à turpibus ſolo modo diſcernuntur. *Plut. in Ageſil.* Anon.

Cùm quid ſanctum agis, bonam ſpem
Tibi propone, certus quòd
Conatum iuſtum etiam Deus adiuuat.
Publius.
Exerce ſtudium, quamuis perceperis artem.
Vt cura ingenium, ſic & manus adiuuat vſum.
Terent. in Adelph.
Quid eſt ſuauius, quàm bene res gerere publico bono!
Perſius.
——— ratio ſecretam gannit in aurem,
Ne liceat facere id, quod vis vitiabit agendo.
Iacobus Billius ſacrâ Anthol.
Non dubiè noſtri Deus eſt & rector, & author,
Cùm toto affectu quæ bona ſunt gerimus.
Ex operum ſpecie clarebunt intima cordis,
Quive hominis mentem ſpiritus intus alit.
Sanctus enim ſanctos facit, & de lumine lumen
Exoritur: nullus fit bonus abſque bono.

HIEROGLYPH. Solſequium in primis fouetur à ſole, & cum radiis Solis flores eius circumaguntur. Ita quoque præclaræ laudabileſque actiones à ſole iuſtitiæ, Ieſu Chriſto, fouentur, diriguntur, ſecundantur.

CAPVT XXXIII.

De Ethicâ ſpeciali.

PRÆCEPTA.

VIDIMVS Ethicam generalem: iam vltimo loco videbimus Ethicam ſpecialem, quæ reſpicit certas circumſtantias extra ſocietatem aliquam conſideratas.

Circumſtantiæ iſtæ ſunt ſexus, ætas, locus, tempus, & temperamentum.

Sexus eſt maſculinus, vel fœmininus.

Ætas eſt pueritia, iuuentus, virilis ætas, & ſenectus: vbi prima veri, ſecunda æſtati, tertia autumno, quarta hyemi rectè confertur. *Quò etiam pertinet collatio ætatum cum partibus diei, quæ ipſæ conferuntur cum quadrantibus anni, vt aurora cum vere, meridies cum æſtate, crepuſculum cum autumno, nox cum hyeme.*

Locus eſt patria cuiuſque, eaque vel vniuerſaliter ſpectata, vt Europa, Aſia, Africa, America, vel particulariter, vt Germania, Gallia.

Tempus eſt Veteris vel Noui Teſtamenti. Eſtque vel ante Chriſtum, vel poſt Chriſtum. Et illud vel ante quatuor Monarchias, vel ſub quatuor Monarchiis: hoc eſt, ſub Cæſaribus, Latinis, Græcis, & Germanicis.

Temperamentum eſt cholericum, ſanguineum, phlegmaticum, vel melancholicum.

Quomodo hæc in Ethicis conſiderentur, patebit ex regulis.

REGVLÆ.

I. *Ethica ſpecialis hoc loco dicitur ea virtutis conſideratio, quæ reſpicit mores certorum hominum extra ſocietatem œconomicam, politicam, ſcholaſticam, vel eccleſiaſticam conſideratorum.* Ethica ſpecialis quid?

ALiàs Ethica ſpecialis nihil eſt aliud, quàm OEconomica & Politica: quia nimirum ibi traduntur virtutes reſtrictæ ad certam ſocietatem, adeoque ad circumſtantias relatè conſideratas, putà ratione parentum & liberorum, dominorum & ſeruorum, principis & ſubditorum: Ethica verò ſpecialis hîc eſt altera pars Syſtematis philoſophiæ moralis tractans de virtute reſtrictâ ad certas circumſtantias abſolutè extra ſocietatem œconomicam, politicam, vel ſcholaſticam conſideratas. Nimirum hîc oportet diſpicere, quomodo præcepta iuſtitiæ, fortitudinis, temperantiæ, & ſimilia poſſint applicari ſexui, ætatibus variis, patriæ cuiuſque, diuerſis ſeculis, & variis temperamentis. Huc pertinent varij tractatus de moribus nationum: putà de oſculo, de lotione pedum, de genuflexione orientalium, de turbinatis pileis Turcarum & Perſarum, de temperantiâ Ægyptiorum, qui duobus contenti erant ferculis, de conuiuiorum ratione: quem poſtremum titulum copioſè illuſtrauimus ſuprà de ciuilit.

II. *Præcepta generalis Ethicæ ſunt expendenda ſecundùm quinque titulos Ethicæ ſpecialis, qui comprehenduntur hoc verſu:* Quomodo ex Ethicâ generali fiat ſpecialis?

Sexus, poſt ætas, locus, & complexio, tempus.

EX Ethicâ generali facilè fiet Ethica ſpecialis, ſi in ſingulis capitibus Ethicæ generalis attentè ac ſolicitè conſiderauimus quinque modò recitatas circumſtantias, verbi gratia, in loco de felicitate morali, conſiderabimus temperantiam marium & fœminarum; puerorum, adoleſcentum, iuuenum, virorum, ſenum; puellarum, virginum nobilium, matronarum, vetularum; Europæorum, Africanorum, Aſiaticorum, Americanorum; populorum & hominum antediluuianorum, & illorum qui vixerunt tempore quatuor monarchiarum; denique cholericorum, ſanguineorum, phlegmaticorum, & melancholicorum. Diligens enim iſta conſideratio, perducet nos in cognitionem plurimarum rerum, de quibus aliâs ne per ſomnium quidem cogitaremus.

III. *Sexus & ſimiles circumſtantiæ non variant eſſentiam virtutis, ſed tantùm exiſtentiam.* Quomodo virtus variet in ſubiecto?

VIrtus in ideâ ſi ſpectetur, eodem ſe habet ſemper modo. In ſubiecto variat & veluti modificatur, hoc modo. Principiò ſexus maſculinus cùm ſit ordinariè præſtantior ſexu fœminino iuxta illud poëtæ:

Fortius ingenium ſuſpicor eſſe viris:

nemo non videt, virtutis determinationem inde pendere. Deinde cùm mores hominum varient ſecundùm ætates, loca, tempora, & temperamenta, exercitium quoque virtutis erit maius vel minus, prout omnia iſta ſunt affecta. Sic verbi gratia, adoleſcentes ſunt calidi, mutabiles, prodigi, propenſi ad iram, honoris & contentionum amantes, cupidi amicorum & ſodalium, miſericordes. Contraria ferè ſenum eſt ratio. Vide infrà Oratoriam. Ita mores gentium variant. Sic veteres veluti domeſtica probra annotarunt trium præcipuarum gentium, Thracum barbariem, Phrygum inſipientiam, & Græcorum ſuperſtitionem: & rurſus Thracum fortitudinem, Phrygum intelligentiam, & Græcorum ſapientiam. quæ intelligenda ſunt de diuerſis temporibus. Videris hâc de re infrà tabulam Ioachimi Camerarij de regionum & nationum quarundam proprietate: vt Germani ſunt ſimplices, benefici, bellatores, & ex his Sueui loquaces & glorioſi, Miſnenſes magnifici & ſpecioſi, Heluetij bellicoſi & fideles; Itali ingenioſi & vindictæ cupidi: Hiſpani conſulti & arrogantes, &c. Huc pertinet illud: Itali ſapiunt ante factum, Galli in facto, Germani poſt factum. Denique cholerici ſunt ignei vel in virtutis exercitio, vel in vitij (vt ita dicam) ſupplicio: melancholici ſunt lenti & conſtantes.

IV. *Virtutes regulariter & ordinariè eminent in ſexu maſculino & ætate virili.* Virtute in quo ſexu & ætate emineant?

IBi enim conſtitutio & temperies corporis eſt omnium aptiſſima ad eliciendas actiones morales: quas anima rationalis expeditiùs poteſt producere, ſi ſpiritus corporis ſint

lucidi

iuciæ & constantes. Sed dixi regulariter: quia extraordinariè dantur heroinæ quædam, quæ viros longo interuallo post se relinquunt.

2. V. *Quædam virtutes in vno sexu magis quàm in altero, & in vnâ ætate magis quàm in alterâ sunt conspicuæ, magisque necessariæ.*

SIc v.g. fortitudo magis est conspicua in viro, quàm in fœminâ: in viro, quàm in puero: temperantia & sedulitas magis est necessaria iuueni, quàm seni iam decrepito, qui neque laborare potest, neque sentit faces intemperantiæ.

Virtutes quibusdã in locis sunt magis necessariæ.

VI. *Virtutes certæ in locis quibusdam magis sunt necessariæ, quàm in aliis.*

SIc in Italiâ maximè necessaria est temperantia: in Sclauoniâ fortitudo. De tempore secundùm varia secula idem iudicium. Ita tempore Caroli V. cùm protestantibus bellum super negotio religionis moueretur, fortitudo & patientia maior requirebatur, quàm subsequenti tempore, quo Deus halcyonia præbuit Ecclesiæ.

Virtus modificatione accipit à subiecto recipiente.

VII. *Virtus variam modificationem accipit à temperamento subiecti, cui inest.*

VIrtus in ideâ seu naturâ suâ semper eodem se habet modo. Sed quia vnumquodque recipiens recipit secundùm modum suum, & verò mores variant prout humores se habent: fieri non potest, vt virtus eodem modo gradúque se habeant in cholerico & melancholico. Atque hanc regulam vnà cum præcedentibus diligenter notare oportet, si velimus sincerè iudicare de virtute; ne scilicet statim pro vitio habeamus, si virtus ratione huius circumstantiæ non ita se habeat, vt ratione illius. Quod ipsum etiam facit ad melius exercitium virtutis in hoc vel illo loco, isto vel isto tempore, in illâ vel illâ personâ ratione sexus, ætatis, & temperamenti consideratâ.

Ethica mythologica.

VIII. *Ad Ethicam specialem pertinet Ethica mythologica.*

HÆc enim à poëtis est tradita peculiari docendi genere: prout scilicet genius ac temperamentum poëtarum tulit. Breuis ὑποτυπώσεως ipsius hæc est iuxta αὐτὸν Ethices Dauidis Schrami. *Ethicæ huius duæ sunt partes*: prima de viribus à quibus pendet virtus: altera de ipsâ virtute. *Virium syzygiæ* seu paria sunt duodecim hoc ordine. 1. *Vires producentes virtutem sunt Numen & Libertas.* Illud significarunt poëtæ per bonum genium, quem hominum cuiuis assignari diuinitùs tradiderunt: hanc per alatum Pegasum egregiè depinxerunt. Hic quippe equus maximum animi nostri priuilegium, libertatem ponit ob oculos. 2. *Vires explorantes sunt Sensio & Intellectus.* Sensionem, primam informationis speciem poëmata insinuarunt per Faunorum conditionem. Intellectus est Palladis speculum, quod Perseo cædendarum Gorgonum causâ tributam fingunt. 3. *Vires iudicantes sunt Approbatio & Debitum.* Illâ pulchrum & honestum expetitur, quod per Iasonis malum significarunt: istud est obligatio hominis ad virtutem persequendam, quæ per tremendum iudicum infernalium examen fuit denotata. 4. *Vires captantes sunt Votum & Lucta.* Quò pertinent duodecim illi labores Herculis. 5. *Vires ministræ sunt Nobilitas & Cura.* Ad illum pertinet fabula Cassandræ, vaticinandi artem ab Apolline consecutæ: ad istam fabula, quâ ex formicis Myrmidonas pullulasse finxerunt. 6. *Vires propinquæ sunt Indagatio & Ordo.* Illius imago est annulus Gygis, quo possessorem ad clauum reip. euectum fabulæ prodiderunt: huius, filum Ariadnes, quod Theseo labyrinthum peruium fecit. 7. *Vires sacræ sunt Optimum & Effigies.* Illius nota est Palladium, quod quamdiu possedit Troja, tamdiu ab hostibus expugnari non potuit: huius, Prometheus, qui hominem ad effigiem deorum immortalium fingitur effinxisse. 8. *Vires ciuiles sunt Principatus & Obsequium.* Illius imago est Iupiter, qui se vnicum à cunctis cœlitibus cœlo extrahi posse negauit: huius cœlicolæ, qui Ioue concionante protinùs consilescunt. 9. *Vires beneuolæ sunt Cautio & Fauor.* Ad illam pertinet fabula, quâ Thetis arma à Vulcano impetrata filio tradidit: ad istum Prothesilaus poëtarum, qui, vt popularium suorum vitæ caueret, propriam neglexit. 10. *Vires beneficæ sunt Talio & Diuisio.* Illius exemplum est Salmoneus, qui propter affectatum fulmen fulmine periit: huius imago sunt Castor & Pollux, qui alternis viuere moríque asseruntur à poëtis. 11. 12. *Vires ex superioribus ortæ sunt vel consciæ, vt Fiducia & Pudor; vel præsagæ, vt Præmium & Pœna.* Fiduciæ exemplum est Polyxena; quæ collachrymantibus omnibus, sola lacrymas tenuit: Pudoris imago est fabulosus Bellerophontes, qui ob casum suum hominum declinauit vestigia. Præmij imago est campus Elysius, qui vitæ sanctimoniam professis proponitur habitandus: Pœnæ Tartarus, in quo impios scelerum suorum pœnas luere dixerunt poëtæ. *Virtutum syzygiæ* seu paria sunt etiam duodecim hoc ordine. 1. *Veritas & Iustitia.* Illam poëtæ hominibus commendarunt Charitatum nuditate: hæc est illa Astræa, quam terram reliquisse poëtæ dicunt, & nos quotidiè sentimus. 2. *Sufficientia & Constantia.* Illa per cornu Amalthéæ, in quo nihil boni non esse cantarunt poëtæ: hæc per Vlyssen, qui ad malum nauis alligatus immotus persticisse fingitur, fuit significata. 3. *Assertio seu magnanimitas & Humilitas.* Illam in Theseo depinxerunt poëtæ, quando Cerberum ab eo in lucem retractum finxere: hæc Perseo est commendata, cùm iuberetur, ne suum aspiceret clypeum. 4. *Fortitudo & Patientia.* Illa per Hectoris Trojani heroicum impetum fuit significata: hæc per fabulosam Phrixi historiam. 5. *Parsimonia & Liberalitas.* Ad illam pertinet Erisichthonis prodigalitas: ad hanc liberalitas Midæ, qui celebratur à poëtis ob acceptum Bacchum hospitio. 6. *Reuerentia & Gratitudo.* Illam significauit læsus Vulcani pes, quo cæteris diis cedebat: hanc Ixionis apud inferos vox. 7. *Cohibitio & Virginitas.* Illam significat Iouis consultatio, quâ cœlites à bello Trojano canitur reuocasse: hanc per diuinæ Palladis castitatem delinearunt. 8. *Amicitia & Coniugium.* Illam Pylades & Orestes excoluerunt: huius naturam mutuo Orphei Eurydicésque amore expresserunt poëtæ. 9. *Accusatio & Pœnitentia.* Illa depicta est in Æneâ, qui fatetur, sese Didonis interfectæ fuisse causam: hæc significata fuit per correctionem voti Midéi, quo optatum, vt omnia, quæ tangerentur, aurea fierent. 10. *Confessio & Satisfactio.* Illius exemplum est Agamemnon, qui apud poëtam fatetur se initium litis illius notæ introduxisse: huius Menedemus Comicus, qui sibimet se pœnas dare ait, quòd filium suâ eiecerit iniustitiâ. 11. *Iuramentum & Miraculum.* Illius imago sunt dij, quibus per Stygiam paludem iurare apud poëtas solennne est: huius, Hercules, qui Augiæ stabulum canitur perpurgasse. 12. *Fides & Spes.* Illius exemplum est Ignatius, qui dixit, Molar dentibus bestiarum, vt panis mũdus reperiar: huius hieroglyphicum est domus, quæ contra impetum tempestatis perdurat ad finem. Videamus etiam breuiter exempla huius Ethices, ad singula paria virium & virtutum. *Ad vires* quod attinet, *Numinis* exemplum sunt pueri, qui de nuptiarum præstantiâ ambigenti responderunt, Sume tibi parem: *Libertatis*, Alexander, qui cùm posset, noluit tamen aspicere vxorem deuicti Darij: *Sensionis*, Alcibiades, qui cùm videret temperantiam Socratis, abiuratâ luxuriâ eam æmulatus est: *Intellectus*, Q. Ceditius, qui suâ animâ patriæ salutem redimendam decreuit: *Approbationis*, Trajanus, qui Christianos ad supplicia inuestigari noluit: *Debiti*, Cæsar, qui Domitio, quem audaciusculo animo petebat, mortem non irrogauit: *Voti*, Alexander, qui doctrinâ potiùs, quàm potentiâ excellere voluit; itémque Athenienses, qui ignotum coluêre Deum, Aruntis item precatio, quâ mortem Camilli optauit: *Luctæ*, Cato, qui licèt siti tantùm non conficeretur, tamen vltimus omnium bibit: *Nobilitatis*, Euclides, qui sciendi causâ Athenas conscendit, etiam de vitâ suâ periclitatus: *Curæ*, Cæsar, qui quæ interdiu armatus præstabat, noctu rogatus conscribebat: *Indagationis*, Cleanthes, qui dictus fuit Phreanthes ob singularem diligentiam: *Ordinis*, Socrates, qui methodicum vt deum secuturum affirmabat: *Optimi*, Socrates, qui nihil, quod esset acturus, inconsultis deis aggrediebatur: *Effigiei*, de quâ Plato ait, præstantes homines esse imitandos: *Principatus*, Alexander, qui, vt totâ regnaret Asiâ, ense Gordium dissoluit nodum: *Obsequij*, Paulus Apostolus docens magistratui obedientiam deberi suasu conscientiæ; item C. Veturius, qui cùm nollet cedere de viâ tribuno plebis, securi percussus est: *Cautionis*, Milo, qui vim Clodij vi repellere coactus fuit: *Fauoris*, Seleucus, qui oculum sibi erui passus est, ne filius adulter vtroque orbaretur: *Talionis*, Tomyris, quæ caput Cyri affabatur, Satia te sanguine, quem semper sitisti. *Diuisionis*, Cicero, qui dictabat Cæsari consulatum, Pompeio Hispaniam concedendam: *Fiduciæ*, Theramenes, qui proiectâ epitoxici fæce clamauit, Propino hoc pulchro Critiæ: *Pudoris*, Lactista, qui pudore delicti se fecit pensilem: *Præmij*, cuius cupidissimus fuit Socrates ad mortem festinans, quòd nullâ sceleris angeretur conscientiâ: *Pœnæ*, Nero, qui fata sua præsagiendo exclamauit: Turpiter vixi, turpiùs moriar. *Exempla virtutum* hæc sunto. *Veritatis* studiosum se non probauit senex ille, qui vt Lacedæmoniis se vegetum probaret, denigrauit canos: *Iustitiæ* vim intellexit muliercula Græca, quæ Philippo Macedonico dixit, Iustum administra, aut rex esse noli. *Sufficientiæ* exemplum est Alpheus Mytilenéus, qui dicebat, Non nimium, nimium delectat: *Constantiæ* Anaxarchus dicens: Tunde, tunde: tundis non Anaxarchum, sed Anaxarchi vasculum; & S. Laurentius in craticulâ dicens, Verte me, & latus assatum vora: *Assertionis* seu Magnanimitatis, Consules Romani, qui ad Pyrrhum scripserunt, Tu nisi caues, iacebis: *Humilitatis*, Agathocles, qui rex vasis figlinis inter cœnandum est vsus: *Fortitudinis*, vox illa Crastini, Faciam imperator, vt aut viuo, aut mortuo gratias agat: *Patientiæ*, Dionysius, qui hanc virtutem homini vtilissimam ex philosophiâ se didicisse asserebat;

aſſerebat: *Parſimoniæ*, Heſiodus, qui paruum paruo addendum ſolicitè monet: *Liberalitatis*, Gillus, qui ſuo incommodo patriæ commoda redemit: *Reuerentiæ*, Decretum illud Romanorum, quo ſeniores conuiuati à iunioribus domum deducebantur: *Gratitudinis*, Hiſtoria leonis, quâ benefactori viciſſim benefeciſſe fertur: *Cohibitionis*, Democritus, qui partem capillitij ſibi abſcidiſſe fertur, vt egrediundi facultatem ſibi præriperet: *Virginitatis*, Plato, magnus ille Philoſophorum antiſtes: *Amicitiæ*, Damon & Pythias, quorum familiaritatem ſibi exportauit Dionyſius: *Coniugij*, Romani, qui tantum honoris illi habuerunt, vt nonniſi maritos ad honores admitterent: *Accuſationis*, Epictetus, qui ait eum qui ſe peccati coarguat, iam tum cœpiſſe erudiri: *Pœnitentiæ*, Alexander, qui indoluit, quoties Cleitum à ſe trucidatum meminit: *Confeſſionis*, Cicero, qui Cæſari confitetur, ſe volentem profectum eſſe ad eum oppugnandum: *Satisfactionis*, M. Scæuola, qui dexteram in conſpectu Porſennæ combuſſit: *Iuramenti*, Cicero, qui iuſiurandum præcipuum politici ordinis vinculum eſſe confirmat: *Miraculi*, Cyrus, qui ementito portento regnum acquiſiuit: *Fidei & Spei* exempla ſunt Ignatius & ſancti Martyres.

PERORATIO ETHICÆ.


Atque hæc eſt nobiliſſima illa philoſophia moralis, firmiſſima actionum ciuilium baſis. Tractat enim de virtute, quæ id eſt in animo, quod harmonia in ſono, rectum in inceſſu, puritas in cibo, mundities in habitu: & de vitio, quod eſt diſſonantia, clauditas, & immunditiès. Eius ergo præcepta qui nouit, in reliquis philoſophiæ practicæ partibus facillimè poteſt progredi. Iam illam claudimus paruâ quadam Ethicâ Apoſtoli Pauli & pauculis monitis. Parua illa Ethica eſt ad *Philippenſes* 4. ὅσα ἀληθῆ, ὅσα σεμνὰ, ὅσα δίκαια, ὅσα ἁγνὰ, ὅσα προσφιλῆ, ὅσα εὔφημα, id eſt, Quæcunque ſunt vera, quæcunque veneranda, quæcunque iuſta, quæcunque pura, quæcunque amabilia, quæcunque boni nominis, ſi qua virtus, ſi qua laus, hæc cogitate. Monita ſunt iſta. 1. *Ethica eſt veluti metaphyſica quædam diſciplinarum practicarum.* Sicut enim Metaphyſica explicat generaliſſima, & ſubſiſtit delata ad ens ſpeciale, quod peculiare velut regnum conſtituere queat, etſi ſub illius monarchiâ: ita etiam Ethica progreſſum ſiſtit, vbi peculiare aliquod territorium attigit, aliam ex ſuo orbe virtutum ducens coloniam. 2. *Felicitas & virtus indiuiduo contubernio ſunt iunctæ.* Etſi autem felicitas per virtutem tanquam cauſam antecedentem obtinetur: tamen, vti eſt finis intentionis, primo loco debet conſiderari. 3. *Virtutis ingenium eſt practicum*, hoc eſt, operoſæ indolis. 4. *Si de virtute aliquâ fuſius differere velis, tria dices.* Primò naturam eius explicabis ex cauſis, ſubiecto, effectis, obiectis, & oppoſitis. Deinde rationes adduces, cur ea virtus ſit colenda, & contrarium vitium fugiendum. Poſſunt autem argumenta duci à lege naturæ, à mandatis, promiſſionibus, comminationibus, laudationibus, cauſis, exemplis, teſtimoniis, &c. Tertiò oſtendes modum perueniendi ad poſſeſſionem & culturam virtutis; vt per orationem, ſtudium, conſuetudinem cum piis, fugam occaſionum malorum & improborum hominum, &c. 5. *Virtus ſplendorem ab animo, & animus ſplendorem à virtute habet*: quemadmodum ſcilicet ſol maieſtatem ſplendoris ſui habet à luce, & lux à ſole. Sed vt gemma eſt pretioſior auro: ita virtus illuſtrior eſt ornatu, non habitu naturæ. Ornatu dico: quia virtus eſt accidens, animus ſubſtantia. 6. *Virtutum eſt quædam connexio, vt & vitiorum.* Hinc fortitudo iuſta & iuſtitia fortis: ſuperbia inhumana & inhumanitas ſuperbia dicitur. 7. *Eadem actio ad plures virtutes, vel ad plura vitia referri poteſt*: vt, bene mereri de parentibus, eſt iuſtitiæ & gratitudinis. 8. *Actio quælibet ad eam virtutem referenda eſt potiſſimum, cum quâ maximè conſentit.* Idem iudicium de actione vitioſâ. Sic moderatè de ſe ſentire, magis ad humilitatem, quàm ad veracitatem pertinet. 9. *Unum vitium diuerſis nonnunquam opponitur virtutibus*: vt ſuperbia opponitur veracitati, humilitati, &c. 10. *Virtutum vſus vel omni, vel certo tempore eſt neceſſarius.* Sic iuſtitia vniuerſalis ſemper eſt neceſſaria, fortitudo bellica non ſemper. 11. *Virtus vna eademq; magis decora aut neceſſaria eſt ac commendatur in hâc quàm in illâ ætate, magis in hoc quàm in illo ſubiecto*: vt prudentia magis in ſenectute quàm iuuentute requiritur: magis decora eſt vrbanitas hominis aulici vel curialis, quàm hominis ruſtici & in vmbrâ degentis. *Ita vnum idemq; vitium magis hîc quàm illic, magis nunc quàm aliâs vituperatur*: vt pauperis ſuperbia & ſenis petulca libido magis vituperantur quàm diuitis & iuuenis. Hinc emergit conſectarium Hæc vel huius virtus eſt melior & optabilior, quàm illa vel illius, iuxta illud poëtæ:

Gratior eſt pulchro veniens è corpore virtus.

12. *Perfectior moralis debet eſſe manuductio ad perfectionem ſpiritualem.* Spiritualis iſta perfectio pendet à fide iuſtificante: cuius radix & ſuccus eſt Chriſtus, fructus ſunt bona opera, quæ faciunt ad noſtri ſanctificationem, cuius glorioſus colophon erit glorificatio noſtri in cœlis.

METHO

METHODVS ETHICÆ.



DECALOGVS

Perpetuis quæstionibus illustratus.

Philippus Glaserus IC. Regulas vitæ Dauidis Chytræi super Decalogum illustrauit elegantibus quæstionibus, quas hoc loco delineabo, vt sint instar Ethicæ Mosaicæ.

Ad primum Decalogi præceptum.

I. *Vtrùm Christianus Princeps præter veram religionem, aliam in suo territorio permittere debeat, propter communem ciuium tranquillitatem?*

Distinguitur tripliciter. I. Si possit vnam religionem introducere, omni studio in id incumbet, si verò absque dissipatione Reip. non possit, non debet Aliâs & politiam perdet & ecclesiam: quia politia est hospitium Ecclesiæ. II. Religionis vnius exercitium publicum concedet: religiones diuersas publicè exerceri non permittet. III. Religionem prohibitam legibus ciuilibus non permittet; vt Arianismum. Gratianus Imper. varias permisit religiones: item Iouinianus Cæsar, at Theodosius omnes, præter vnam veram, edicto sustulit. Rhetoriani, quòd admitterent quasuis religiones, vt hæretici damnati sunt.

II. *Vtrùm exilio, gladio, igni, aliisque suppliciis afficiendi sint, qui aliam religionem à vera defendunt?*

Dist. Qui errant in religione, priuatim primò, tum publicè admonendi sunt, & tantisper tolerandi, donec docendo magis, quàm iubendo; monendo, quàm minando, veritatem agnoscant, vt ait *Augustinus epist.* 65. Fides siquidem suadenda est, non imperanda, secundùm Bernhardum. Si verò sæpiùs admoniti malè sentire pergant, & ad malè sentiendum alios impellant, atque ita turbent pacem publicam, hi tempestiuè & modo bono legibus diuinis & ciuilibus concesso coërcendi sunt.

III. *Vtrùm omnis diuinatio hoc præcepto prohibeatur?*

Dist. Non cœlestis prophetarum neque naturalis physicorum & Medicorum, sed dæmoniaca, necromantica, & pythonica

nica diuinatio prohibetur. Huc pertinet curatio morborum per characteres aut Euangelium Iohannis,&c.

Ad præceptum ſecundum.

I. *An imagines Dei & ſanctorum, picta, fuſa, ſculpta, ſint habendæ, vel colendæ?*

Neg. Nam Scriptura reiicit omnia ſculptilia, ſiue ratione materiæ ſint aurea,argentea,lignea,lapidea: *Pſal.* 115. *Act.* 17. *verſ.* 29. ſiue ratione formæ humana, terrena,aquea,cœleſtia. *Ezech.* 8. *v.* 10. Et quod attinet ad Deum, ille cùm ſit ſpiritus immenſus,non poteſt repræſentari.Quod attinet ad ſanctos, illorum imagines haberi poſſunt, ſed non coli. Haberi, inquam, poſſunt, & tolerari propter vſum politicum, hiſtoricum,& mnemonicum. Bernhardus eleganter ait: *Deo inuocationem deberi, ſanctis imitationem.*

II. *Cuius ſit tollere imagines ex templis?*

Reſp. Non cuiu ſuis, niſi fortè quis diuino ſpiritu impellatur:ſed magiſtratus,idque ſine tumultu,ita vt priùs imagines è corde populi, tum è templo tollantur.

III. *An externus honos inclinationis, genuflexionis,& ſimilis reuerentiæ,parentibus & magiſtratibus habitus, deroget maieſtati diuinæ?*

Reſp. Quia honos iſte non eſt religioſus, ſed ciuilis, profectus non ex metu Dei, ſed ex animi affectu,non eſt improbandus.

IV. *Vtrùm homini Chriſtiano liceat intereſſe ſacris idolorum?*

Neg. Quia Deus conditor mentis & corporis, eſt vtroque colendus: neque ſcandalum eſt dandum infirmioribus, qui non poſſunt non offendi, ſi videant nos intereſſe idolothytorum eſu, Proceſſionibus, Confratriis,&c

V. *Vtrùm omnis cum infidelibus & idololatris ſocietas atque conuerſatio fugienda,etiam nuptiæ, matrimonia, fœdera?*

Diſt. Societas illa & conuerſatio, a ut eſt neceſſaria, velut inter ciues eiuſdem vrbis,& incolas eiuſdem regionis, quam ſaluâ conſcientiâ & religione colere, ac tueri mutuis operis licet, 1. *Cor.* 5. *v.* 10. aut non-neceſſaria, quæ ſuſcipitur lucri aut voluptatis causâ. Et hæc non eſt ineunda propter periculum, 1. *Cor.* 5. 2. *Cor.* 6. vti docent coniugia Salomonis & Iorami,& fœdera Ioſaphath & Amaziæ, 2. *Reg.* 8. *v.* 19. *Neh.* 13. *v.* 6. *Exod.* 10. 1. *Reg.* 22. *v.* 37. 2. *Chron.* 15. *v.* 6. 7. 8.

VI. *Quomodo pœna illa,quam Deus hîc minatur ſuper tertiam & quartam generationem, conueniat cum illo:* Filius non portabit iniquitatem patris?

Reſp. Vt benedictio, ita maledictio pendet à voluntate ſupremi iudicis,qui in crimine læſæ (per apoſtaſiam & idololatriam, ſpiritualem illam fornicationem) maieſtatis ſuæ diuinæ, poteſt extendere pœnam quouſque libet. Atque hoc etiam eſt iuris gentium in politicis Nemini autem Deus facit iniuriam: quia omnes ſumus mali. Et fermè idololatrarum filij, & ipſi ſunt tales. Pertinet quoque huc diſtinctio, quòd proditorum filij puniantur ob delicta parentum, non poſitiuè, ſed priuatiuè.

Ad tertium præceptum.

I. *An Chriſtianis iurare liceat?*

Reſp. Non prohibemur omnino iurare, ſed vel ſuperfluè, vel obliquè iurare.Superfluè iurat,qui ſimplici affirmatione & negatione poterat aliis ſatisfacere. Obliquè iurat, qui per creaturas iurat. *Auguſt. epiſt.* 89. Cæterùm legitimum iuramentum eſt,quod ratione originis proficiſcitur ex magnâ neceſſitate; & ratione finis eſt terminatio controuerſiarum, & ſtabilimentum charitatis, *Deut.* 6. *v.* 13. *c.* 10. *v.* 20. At Chriſtus *Matth.* 5. prohibet iuramenta temeraria.

II. *Vtrùm ſit periurium,ſi quis non præſtet,quæ ſe poſſe præſtare putabat,& tum habebat in poteſtate?*

Reſp. Si non reuerenter aut conſideratè iuratum eſt, nomen Dei accipitur in vanum. Sin verò reuerenter, & cum reſeruatione diuinæ voluntatis ac poteſtatis, aliquid iuratum eſt,& id tamen præſtari nequit, à culpâ periurij abſoluendus eſt is, qui ſic iurauit: quia vel Deus noluit fieri,vel vis ſuperior prohibuit facere, quod iurans per ſe libenter feciſſet. *Concil. Tolet.* 8. *cap.* 2.

III. *Quæ iuramenti formula adhibenda?*

Reſp. Modeſtiſſima, quæ nomen Dei reuerentiſſimè interponit. Quò pertinent iſtæ formulæ: *Sic me Deus iuuet: Sic mihi addat: Sic faciat Dominus.* Per Diabolum iurare,grande eſt peccatum; vtpote qui eſt hoſtis veritatis. Per alias creaturas iurare,eſt impium.Per genium Principis (vt olim) iurare,eſt adulatorium.Per idola iurare,per ſanctos,per Euangelia, eſt prohibitum. Licet ius ciuile concedat peregrino iurare per ſuos deos,ciui per ſuos, *l. non erit ratum. §. ſed ſi quis. ff. de iureiur.*

IV. *Si quis iuret eâ iuramenti formulâ,quæ confirmata eſt, poſtea verò appareat dolus,vtrùm reſtitutio in integrum peti darive poſſit?*

Diſt. Si dolus malus cauſam dedit contractui, videtur dari reſtitutio in integrum:quia qui errant & decipiuntur,nō conſentiunt vtique. Sin verò dolus non dederit cauſam,etſi in rei pretio deceptio eſt, reſtitutio tamen vel petenda, vel danda non videtur, idque propter ſacrum Dei nomen interpoſitum, etiamſi quis vltra dimidiū iuſti pretij ſit deceptus. Magiſtratus tamen eſt, temeraria huiuſcemodi & doloſa alterius partis iuramenta punire,& tum cauſæ cognitione,ſuâ authoritate reſcindere. Iuramentum enim contra præcepta Dei, bonóſque mores factum, eſt puniendum. Exemplum reſciſſi promiſſi à Dauide vide 2. *Sam.* 19. *v.* 24 Pertinet huc regula: *Iuramentum non debet eſſe vinculum iniquitatis:* vt ſi quis iuret, ſe furaturum.

V. *Vtrùm fides data hoſti,latroni,hæretico, & perduellioni ſeruanda?*

Reſp. Omnino: idque propter interpoſitam authoritatem diuinæ maieſtatis, quæ pluris nobis eſſe debet, quàm omnia vitæ pericula. Sic Deus *Ioſ.* 9. vltus eſt acerbiſſimè violatam fidem in Gabaonitis Et Sedechias punitur à Deo,quòd infideli regi Nabuchodonoſori datam fidem non ſeruauit 2. *Chron.* 39. *v.* 13. Id docuit lex naturæ & ius gentium M. Attil. Regulum. Poteſt tamen magiſtratus authoritate ſuâ interuenire,& pactiones violentas, hoſtibúſque lucroſas, reſcindere. Idem iudicium de illo vulgato:

Frangenti fidem fides frangatur eidem.

VI. *An votum caſtitatis, paupertatis, & ſimilia ſint obligatoria?*

Reſp. Eos votum debere vouere, qui poſſunt: & de iis rebus, quæ neque prohibitæ ſunt, neque impoſſibiles. neque ſcandaloſæ. Quia ergo caſtitas perpetua non eſt in noſtrâ poteſtate,ideo voueri non poteſt:& licèt voueatur. per ſe tamen nulla eſt.Semper enim in malis promiſſis fides eſt reſcindenda. Si verò aliquis ſentiat ſpeciale donum, & peculiarem vocationem,ſanè debet vouere votum caſtitatis,aut conſimile.

Ad quartum præceptum.

I. *Vtrùm per totos ſex dies continuos indefeſsè ſit laborandum?*

Reſp. Illa verba: *Sex diebus operaberis*, ſunt conceſſiua, vt in iis tantum laboremus, quantum ſaluis naturæ viribus licet: quæ niſi interdum remittantur,franguntur,vt dixit Anacharſis.

II. *Vtrùm vi huius præcepti,ab omni prorſus opere ceſſandum ſit die Sabbathi?*

Reſp. Verba illa: *Memineris vt diem Sabbathi,&c.* ſunt præceptiua:& non reſpiciunt opera diuina,vt precari,concionari, adminiſtrare ſacramenta: neque opera humana charitatis, vt ſubuenire ægroto:ſed opera humana negotiationis,commercij,opificij,& omnino illa, quæ dicuntur ſeruilia. Hîc tamen libertas Chriſtiana non tenetur rigidis illis præceptis, quibus Iudæi obſtringebantur. Iis enim nec Manna, nec ignem accendere,nec carnes coquere illo die licebat. Verùm hodie libertas Chriſtiana abiit in licentiam, quâ verè ſeruilia, id eſt diabolica opera patrantur die Sabbathi.

III. *Cur dies ſeptima ſit ſacro cultui præ alijs deſtinata?*

Reſp. Duabus de cauſis. Quia Deus illo die quieuit,id eſt, ceſſauit creare nouas partes mundi & ſpecies: & quia ſeptenarius numerus perfectionem & perpetuitatem in Scripturâ ſignificat, *Eſa.* 11. *v.* 2. *Leuit.* 16. *v.* 19.

IV. *Cur in locum diei ſeptimæ ſubſtituta ſit in N. T. prima, quæ dicitur κυριακή?*

Reſp Voluerunt Chriſtiani in primitiuâ Eccleſiâ oſtendere,ſe non ampliùs aſtringi ceremoniis V. T.& ideo alium cultus publici diem delegerunt:& nominatim quidem iſtum,quo Chriſtus reſurrexit,& negotium ſalutis obſignauit. Hæc autem dies communi conſenſu fuit recepta & ſancita ſub Impp. Chriſtianis, *l. penult. C. de ferijs.*

V. *An hoc præceptum ſit ſublatum quoad omnes ceremonias externas?*

Reſp Sabbathum legale & ceremoniale prorſus eſt ſublatum,ac proinde omnes ceremoniæ Iudaicæ. Sed quoniam in Eccleſiâ omnia debent fieri εὐτάκτως καὶ εὐσχημόνως, oportet aliquos ritus, loco, tempori, & populo cuique conuenientes, illóſque ἱεροπρεπεῖς obſeruare.

VI. *An oblationes & decimæ, vt in V. T. ſic etiam in N. pertineant ad miniſtros Eccleſiæ?*

Reſp. Sunt æquè alendi miniſtri N. T. atque illi in V. quia qui ſeruit altari, debet viuere de altari. Sed decimæ illis non ſunt offerendæ,vt volunt Scholaſtici & Canoniſtæ: quia mutatâ perſonarum conditione in N. T. etiam ius earum mutatum

tum est. Cùm ergo ministri N.T. non sint decima populi pars, idcircò decimæ iis non debentur. Honestè autem alendi sunt iuxta constitutiones piorum Impp. de quibus *Euseb. lib.* 10. *hist.cap.6.Theod.lib.4.c.4. Sozom.lib.6.c.3.*

Ad quintum præceptum.

I. ***Cùm naturâ omnes expetant esse liberi, an præceptum hoc violet ius naturæ, dum liberos subiicit potestati patriæ?***

N. Quia non tollit naturalem libertatem, sed ipsius gradus distinguit. Nimirum legibus seruire, libertas.

II. ***Vtrùm filius magistratus, patri priuato debeat cedere loco & assurgere?***

Resp. Si filius sit magistratus, & suo in loco præsit, pater autem non sit magistratus, sed priuatus; sanè pater filio habebit honorem: vt exemplum Fabij Max. docet. In negotiis autem priuatis, filius etiam magistratus patri assurgere debet.

III. ***Vtrùm liberi parentibus per omnia obedire debeant?***

Resp. Ex *Ephes.6.v.1.* debent iis obedire ἐν κυρίῳ, id est, in omnibus honestis & æquis.

IV. ***An liberi parentibus debeant alimenta præbere: cùm patres teneantur liberis thesaurizare?***

Resp. Ordine votóque naturæ bona parentum debentur liberis. Vnde Iurisconsultus,

Ordine turbato succedis, Bulgare, nato.

Sed quia sæpe contingit, vt parentes egeant, æquum est, vt liberi iis reddant ἀντιθρεπτήρια καὶ ἀμοιβὴν, atque ita discant ἀντιπελαργεῖν ex ciconiis, quæ senes parentes subuehunt humeris ad pastum.

V. ***Vtrùm liberi parem debeant præstare honorem patri & matri: cùm patris videatur maior habenda ratio?***

Resp. *Aristot. 8. Eth.* putat matrem plus esse diligendam, quòd ipsa plus diligat partum, & plures in generatione ac educatione sustineat molestias. Alij existimant, patrem magis esse honorandum: vtpote cuius iura sint potiora in familiâ constituendâ & regendâ, ita vt imago Dei sit conspectior in patre, quàm in matre. Sed quia ius diuinum & naturale parentes coniungunt, æqualis honor ipsis est tribuendus: nisi fortè alter præcipiat honestum, alter inhonestum.

VI. ***Quinam hoc loco veniant nomine parentum?***

Resp. Omnes, qui nos attingunt generatione & adoptione; quique nos antecedunt vel dignitate, vt Principes, domini, pastores; vel meritis, vt patroni; vel ætate, vt senes. Nimirum præcepta Decalogi synecdochicè sunt concepta.

VII. ***Vtrùm patriæ debeamus primas tribuere in proximi dilectione?***

Aff. Sed ita, ne patriam illam cœlestem negligamus, vel Deum offendamus: id quod fecerunt multi ethnici, quorum deuotiones pro patriâ factæ fuerunt impiæ. Nos imitemur Ieremiam, Nehemiam, & Maccabæos, qui patriam pro viribus defenderunt.

VIII. ***Vtrùm politico & ecclesiastico magistratui simpliciter sit parendum?***

N. Nam potestas magistratus reuocanda est ad certos limites; cùm solius Dei potestas sit absoluta & illimitata. Pertinent autem res aliæ ad salutem animæ, aliæ ad tranquillitatem publicam. Ibi magistratus est alligatus ad verbum Dei: hîc est alligatus ad bonum publicum. Salus enim populi suprema lex est, veteri formulâ. Impiæ igitur sunt illæ adulatorum voces: Quod Principi placuit, legis habet vigorem: Imperator est dominus eorum, quæ sunt in terris, lex autem maris: Quidquid Demetrius iubet Athenis, illud apud deos fas, apud homines ius est: Ius est Spartæ, quod est vtile: Quod libet, licet: Augustus & Augusta non tenentur legibus.

IX. ***An magistratui politico subiiciantur ministri Ecclesiæ in causis ciuilibus?***

Resp. ex Bernhardo, qui in quâdam epistolâ de clericis ait: Si omnis anima est subdita: ergo & vestra: quis vos excepit ab vniuersalitate? Neque valet κερησφύγετον Papistarum in præcipientis sermone non contineri personam loquentis: quia regula ista valet in iis legibus, quæ feruntur à superioribus, vt à Deo, magistratu, præceptore. Christus certè & Paulus comparuerunt coram politico magistratu. Et ius ciuile vult, vt clerici in ciuilibus & criminalibus non sint exemti iurisdictione seculari. Contrà ius Canonicum.

X. ***An in rebus Ecclesiasticis standum sit simpliciter voluntati & decretis potestatis politicæ?***

Resp. Impiis magistratibus hîc non est parendum, sed piis: putà Dauidi, Iosiæ, Ioas, Constantino M. Theodosio: ita tamen, vt priùs audiamus ducem omnium CHRISTVM.

Tom.III.

Ad sextum præceptum.

I. ***An infantes & furiosi, si occidant hominem, teneantur hoc præcepto?***

Resp. Excusantur, quia rationis iudicio carent: nisi per interualla id fecerint.

II. ***Vtrùm dominis seruos, & parentibus liberos occidere liceat?***

Resp. Olim parentes & domini habuerunt ius vitæ ac necis in liberos & seruos. *Val.Max.lib.5.c.8.* Sed hoc ius est barbarum & crudele: ideóque prohibitum lege diuinâ, *Exod.21.v.26.* & Impp. Antonini, Seueri, & Iustiniani, aliorúmque rescriptis & legibus emendatum, *l.ff.in potestate. & l.11.ff.ad L. Corn.de sicariis*: tandem ipso facto sublatum. Sanè liberi sunt caro & sanguis parentum; & serui sunt homines. Neutros igitur occidere licet.

III. ***Vtrùm dominis liceat castigare seruos?***

Resp. Sunt qui hoc negant, eò quòd serui sint mercenarij; quibus detrahenda sit merces, non infligenda plaga. Verùm iure diuino & humano concessa est ista castigatio, *Exod.21.v.26.Pet.2.v.20.*

IV. ***An liceat parentibus castigare liberos?***

Resp. Sunt qui hoc negant, eò quòd liberi constituant vnam cum parentibus personam; & iis in omnia iura succedant. Sed lex diuina contrarium docet, *Ephes.4.v.4.*

V. ***An præceptoribus liceat castigare discipulos?***

Resp. Sunt qui hoc negant, quòd discipuli sint homines liberi, & iis sit satis pœnæ, si nihil discant. Sed hi hallucinantur, æquè ac illi ad quæst. 3. & 4. quia disciplinæ scholasticæ duæ sunt partes, exercere & coërcere.

VI. ***Vtrùm marito liceat aliter emendare vxorem, quàm verbis?***

Resp. Præstat cum ratione & moderatione corrigere sociam tori: vtpote quæ eadem nobiscum caro est, & altera quasi manus. Si verò extrema necessitas ita postulet, à verbis ad verbera veniendum est, quia & Christus sponsam suam Ecclesiam castigat, & magistratus ciues castigat. Iubemur autem vxores diligere ita, vt Christus Ecclesiam diligit, *Ephes.4.* & imperium mariti in vxorem respondet imperio Principis in ciues. Abesse tamen hîc debet sæuitia, & adesse prudentia, ne per priuatam vindictam ea puniamus, quæ interest magistratus ob disciplinam publicam punire.

VII. ***An liceat vxorem in adulterio deprehensam occidere?***

Resp. Olim Romanorum legibus licuit vxorem & filiam in adulterio deprehensam occidere. *Gell.lib.9.Noct. Attic.c.23.* & fit mentio eius potestatis in iure ciuili. Sed sciendum est, zelotypiæ vehementiam excusare hoc factum. Aliàs pœna hæc infligenda erat à magistratu.

VIII. ***Vtrùm homini priuato liceat vlcisci iniuriam, vel sibi, vel alteri, vel etiam Reip. illatam?***

Resp. Nemini hoc licet, nisi magistratui, & ei, cui magistratus hoc committit. Ergo appellatâ priùs iudicis ac magistratus authoritate manúque, & bonâ veniâ, priuatus aliquis potest vlcisci iniuriam. Moses quidem interfecit Ægyptium *Exod.2.* sed hoc fecit ex singulari instinctu.

IX. ***Vtrùm liceat homini Christiano vim vi repellere?***

Resp. Si repellatur vis animo vlciscendi, non est probandum hoc factum: sin verò aliquis repellat vim solùm sui conseruandi causâ, etiamsi interficiat aliquem, excusatur, *Leuit.24.v.17.* Hinc ICti in repellendâ vi requirunt moderamen inculpatæ tutelæ, *l.1.C.vnde vi. l.2.cum seqq.ff.ad L. Cornel.de sicariis.*

X. ***Vtrùm homini Christiano liceat saluâ conscientiâ interficere eos qui capitalis criminis rei, damnatíque sunt: vt banditos, transfugas, latrones; item furem diurnum si se telo defenderit, nocturnum si cum telo deprehensus sit?***

Resp. Præstat banditos, & alios qui damnati sunt à magistratu, ad magistratum adducere, si commodè fieri possit. Si verò periculum sit, ne elabantur, & plus damni dent, possunt occidi, sed ita vt simus vacui affectu priuatæ vindictæ. De fure res est plana.

XI. ***Vtrùm Iudæos blasphemantes nomen Christi, & Turcas, apertissimos Christianæ religionis hostes, liceat priuatâ authoritate occidere?***

Resp. Pro talibus hominibus Deus est orandus, vt illos conuertat: vel si conuersio ista non possit sperari, blasphemia, petulantia, & maledicentia illorum legitimis mediis à magistratu castiganda est & reprimenda. De Iudæis teneatur istud *Bernhardi epist. 220.* Viui nobis sunt apices Iudæi, repræsentantes dominicam passionem.

L 3 XII. Vtrùm

XII. *Vtrùm priuato homini liceat tollere tyrannum?*

Resp. Licet, si sit talis tyrannus, qui inuadit regnum. Aliâs non licet. Nam si magistratus degeneret, penes optimates regni est diiudicatio causæ.

XIII. *Vtrùm magistratui Christiano liceat bella gerere?*

Resp. Bella magistratus non nisi iusta gerat.

XIV. *Vtrùm liceat Christiano magistratui gladio punire hostes religionis & tranquillitatis publicæ?*

Resp. Magistratui datus est gladius ad improborum coërcitionem, siue illi turbent pacem Ecclesiæ, siue politiæ, *Rom.* 13. Magistratus enim est custos vtriusque tabulæ.

XV. *Vtrùm clerici, qui vocantur, debeant vsurpare ius gladij?*

Resp. Ipsis datus est gladius spiritualis: magistratui politico secularis. Illi ergo non debent inuolare in huius officium.

XVI. *Vtrùm hominibus liceat occidere bruta, & iis vesci: cùm habeant animam sensitiuam nobiscum communem?*

Resp. Omnino. Hunc enim in vsum sunt creata, *Genes.* 1. *v.* 30. & 9. *v.* 3. *Psal.* 8. Falsum itaque est, quòd homines antediluuiani abstinuerint ab esu carnium. Insulsi ergo fuerunt Pythagorei, & Manichæi, qui damnarunt esum carnium. Memineris hic, abstinendum esse à crudelitate in tractandis bestiis: vtpote quæ in nostrum vsum sunt creatæ.

XVII. *An sit homicidium, embryones in vtero enecare, & partum per medicamenta abigere?*

Resp. Omnino. Tametsi enim quidam philosophi, vt est apud *Arist.* 7. *polit. c.* 26. & Canonistæ distinguunt inter fœtum formatum & non-formatum: sanctior tamen est sanctio iuris ciuilis, quòd illos, qui abortionis poculum aut amatorium dat, etsi ex dolo non faciant, tamen quia res est mali exempli, damnat, & pereunte homine, supremo afficit supplicio. Quòd autem dicunt, fœtum die demum 45. à conceptione animari, ideoque impunè ante illum diem occidi posse, id audax nimis est, & improbum: cùm nemini datum sit scire, quando Deus animam infundat.

XVIII. *Vtrùm monstra ex homine nata liceat occidere?*

Resp. Si habeant formam hominis, non sunt tollenda, sed in testimonium diuini iudicij retinenda. Sin autem non retineant formam humanam, authoritate magistratus sunt necanda. Sic Romulus & Remus monstra εὐθὺς ἀπὸ γενῆς, *statim à partu*, iusserunt necarri: & Mauritius Imperator laudatur à Nicephoro, quòd monstrum suo seculo natum occidi præceperit.

XIX. *Vtrùm liceat homini seipsum occidere impunè?*

N. Nam hoc præceptum respicit & nos & alios. Et Apostolus ait, neminem odisse propriam carnem, *Eph.* 5. *vers.* 29. Quò pertinet illud vulgatum: Nemo est dominus membrorum suorum. Hoc vidit Pythagoras, quando dixit, homines in hoc mundo à Deo esse collocatos, velut in statione quâdam, ex quâ sine consensu illius, ceu imperatoris non sit migrandum. Neque verò fortitudinis est, sibi mortem consciscere. Nam, vt poëta canit:

Rebus in aduersis facile est contemnere mortem;
Fortiter ille facit, qui miser esse potest.

Neque valet distinctio quorundam ICtorum, qui distinguunt inter eos, qui sceleris conscientia adacti semeipsos interficiunt, & illos, qui fame, impatientiâ doloris, vitæ tædio, amore vel irâ victi, sibiipsis manus inferunt. Hoc tamen concedimus, pœnæ politicæ moderationem hîc adhibendam; quæ consistit in confiscatione bonorum, sepulturâ ignominiosâ, &c. *Vide suprà* 1. *system. eth.* Exempla τῶν αὐτοφόνων sunt Hercules, Saul, Achitophel, Cato Vticensis, Lucretia, Iudas, &c.

XX. *Vtrùm mercede vel iussu alicuius liceat hominem interficere?*

Resp. Sicarius mercede conductus grauissimè peccat, si hominem interficiat: quia nullâ impellitur iniuriâ, sed mercede allicitur. Deinde, licet filij parentibus, & serui dominis debeant defensionem: tamen carnifices ad ipsorum nutum esse nō debent. Tertiò subditi, officiales & milites iussi à magistratu, vt alios è medio tollant, parere debent, quàm incertæ necis & immoderatæ cupiditatis executores se præbere.

XXI. *Vtrùm hoc præcepto teneantur illi, qui ex impetu quodam animi, puta zelo & iracundiâ lædunt aut interficiunt alterum?*

Resp. Omnis iracundia vergens ad læsionem proximi, est damnabilis. Zelus est bonus, vel malus. Quæ fiunt ex zelo bono, secundùm scientiam & conscientiam, bona sunt: qualis fuit zelus Phinees, Eliæ, & Christi. Quæ fiunt ex zelo malo, mala sunt: qualis est zelus persecutorum Ecclesiæ & tyrannorum.

XXII. *Vtrùm teneatur hoc præcepto, qui casu hominem occiderit?*

Resp. Si quis sit in vocatione suâ, vt venatione, ædificatione, iaculatione, & similibus, & absque dolo & insidiis, casu fortuito alium interimat; excusatur ex lege diuinâ. *Exod.* 21. *Deut.* 19. & lege Aquiliâ.

XXIII. *An in monomachiâ siue duello, etiam consensu Principis inito, alter alterum possit impunè interficere?*

Resp. Cùm in duello is possit vincere, qui malam habet causam, monomachia non est probanda, tanquam ordinarium medium finiendarum litium: ac proin nec cædes in illa facta. Extra ordinem tamen, consensu Principis accedente, monomachia potest laudem & vsum habere.

XXIV. *An gladiatorum mutuæ cædes concedendæ?*

N. Fiunt enim ex malo proposito, & introducunt feritatem quandam belluinam, humanitatem exuunt, ciuilem societatem lædunt. *Lact. lib.* 6. *c.* 20. Olim quidem frequenter exhibebantur: sed exempla non sunt trahenda in regulam.

XXV. *Vtrùm vis aperta tantùm hoc præcepto prohibeatur, an verò etiam fraudes, insidiæ, venena, sortilegia, incantamenta, & id genus aliæ cædes?*

Resp. Lex hæc generaliter prohibet omnem modum & instrumentum, quo vel apertè vel occultè, per vim publicam adhibitis armis, vel priuatam metu, manu, aut violentiâ, aliquis è medio tollitur. Excipe tamen strategemata militaria: quæ probanda sunt, si absit dolus malus, & fides data non violetur, vel pietas non lædatur.

XXVI. *Vtrùm mutilatio membri sit prohibita.*

Resp. Est prohibita hominibus priuatis: sed in magistratu est pœna iustitiæ, quæ dicitur talio, Græcis ἀντιπεπονθός.

XXVII. *Vtrùm licitum sit sibi virilia amputare?*

Resp. Non licet: neque ob regnum cœlorum, vt Origenes: neque deliciarum, aut commercij causâ, vt eunuchi. *Leuit.* 19 *v.* 27.

XXVIII. *Vtrùm pro facinorosis hominibus possit aliquis bonâ conscientiâ intercedere, vt à suppliciis liberentur?*

Resp. Non facilè est intercedendum: nisi fortè ætas minor, spes emendationis certa, magna merita, vtilitas publica, aut similes circumstantiæ, nos ad intercedendum promoueant.

XXIX. *Vtrùm asyla homicidis constituenda, aut etiam aliis enormiter peccantibus?*

Resp. Asyla, quæ Deus constituit, non patebant promiscuè homicidis: sed iis, qui casu intefecerant hominem, quique videri poterant aliquid excusationis habere. Romulus suæ vrbi hanc immunitatem tribuit, Græci templo Dianæ Ephesinæ, Romani statuis Imperatorum, Ius Canonicum templis. Sed rursus Græci sæpe homicidas ab asylis extractos rapuerunt ad supplicium: vt docent exempla Paridis, Achillis, Persei, & aliorum. Ad tempus igitur veritatis indagandæ causâ possunt asseruari quidam homicidiæ, donec causa ipsorum cognoscatur & euentiletur.

Ad præceptum septimum.

I. *An promiscua maris & fœminæ coniunctio hîc prohibeatur?*

Aff. Neque contrariæ opinioni fauet dictum *Genes.* 1. Crescite & multiplicamini: aut polygamia patriarcharum: aut sententia Platonicorum, qui tum demum concordes dixerunt Resp. si communes futuræ sint vxores, quòd amor coniugalis hâc ratione in omnes se diffundat. Nam vox illa Dei, non simpliciter, sed secundùm quid de honesto coniugio est accipienda: & Patriarcharum infirmitas non est imitanda: sententia denique *Platonis lib.* 5. *de Rep.* aduersatur iuri diuino, naturali, & ciuili, maximámque liberorum & bonorum confusionem ac discordiam introducit.

II. *An hermaphroditi seu androgyni hoc præcepto teneantur?*

Resp. Ius ciuile vult eos contrahere matrimonium secundùm eum sexum, qui in iis est potentior. Et turpissimum est promiscuè, tam maris, quàm fœminæ concubitu vti.

III. *An impuberes, ante annum* 14. *ætatis, hoc præcepto teneantur?*

Aff. Nam in multis impuberibus malitia supplet ætatem. Sic inuenti sunt mares, qui anno ætatis nono fœminas imprægnarunt, & fœmellæ, quæ eodem anno viripotentes fuerunt.

IV. *Vtrùm ad seruos quoque & ancillas hæc lex pertineat?*

Resp. Omnino. Et hîc non videndum, quid in foro seu solo Romano, (vbi non erat coniugium, sed contubernium inter seruos) sed quid in polo & foro conscientiæ valeat.

V. Vtrùm

V. *Vtrùm cœlibes hoc præcepto æquè teneantur atque coniuges?*

Resp. Omnino. Oportet enim hîc ex parte totum intelligere. Grauiùs tamen hic peccant coniuges, quia ſures ſunt ſui corporis, & periuri ſunt Deo, Eccleſiæ, & ſibi inuicem, & denique lædunt Remp. cui pro ingenuis ciuibus ſupponunt ſpurios.

VI. *An coniuges ſe polluant coitu coniugali?*

Reſp. Rectè dixit Paphnutius in Concilio Niceno, congreſſum cum propriâ vxore caſtitatem eſſe, quia Deus voluit hoſce duos eſſe in vnâ carne. Hoc debebant conſiderare Clerici, qui fornicationem præferunt coniugio ſacerdotum.

VII. *Vtrùm mœchus poſſit ducere mœcham, ſiue eam, quæ adulterium commiſit cum marito adhuc viuo?*

Reſp. Poteſt illud concedi pro ratione circumſtantiarum.

VIII. *Vtrùm militibus ſecularibus (quos vocant) liceat fornicari, vel ſcortari: ſiquidem abſunt Reip. causâ, & inſuper vxoribus ſuis ad longum tempus carent?*

Reſp. Nullo modo: quia lex diuina & lex Iulia de adulteris tam ad milites, quàm ad alios pertinet. Proinde laudantur Alexander M. Scipio, Pompeius M. Alexander Seuerus, & Adrianus, qui continenter ſe geſſerunt, & pudicitiam à militibus ſuis exegerunt: adeò quidem, vt Pompeius Magnus militem occiderit, qui pudendis muliebribus manum admouerat: & Alexander Seuerus totam legionem exauthorauerit, quòd apud Daphnen ſuburbium Antiochiæ ſcortarentur: & Adrianus militem, qui ſtuprum hoſpitæ intulerat, duabus diuerſis alligatum arborbus diſcerpſerit.

IX. *Vtrùm quis cum conſanguineâ poſſit miſceri?*

Reſp. Iſtiuſmodi nuptiæ ſunt inceſtæ ac prohibitæ iure diuino: *Leuit.* 18. *Deut.* 20 & ciuili. vide *tot. tit. C. de inceſtis & inutilib. nuptiis.* Neque valet, quod dicitur, filios Adami ſumſiſſe conſanguineas vxores: quia illorum & noſtra cauſa eſt admodum diſſimilis.

X. *Vtrùm Princeps vel Papa de matrimonio illicito & inceſtuoſo poſſit diſpenſare?*

Reſp. Maior eſt lex Dei, quàm omnis poteſtas humana. Iccirco nullus homo poteſt relaxare aut diſpenſare de iis, quæ Deus conſtrinxit, & ius naturæ atque honeſtas publica comprobant. Falſi ergo Canoniſtæ, qui ſtatuunt, Papam poſſe diſpenſare de omnibus gradibus conſanguinitatis, exceptâ perſonâ patris & filij, etiam contra ius naturale. Iura ciuilia tale quid etiam largiuntur Principi; & quidam allegant illud 2. *Reg.* 13. *v.* 13. vbi Thamar dicit Amnoni fratri: Alloquere regem, non denegabit me tibi. Verùm his non obſtantibus, negatiua noſtra manet.

XI. *Vtrùm frater defuncti fratris vxorem ducere poſſit?*

Reſp. *Lex fratris* 5. *C de inceſt. & inutil. nuptijs.* hanc licentiam penitùs ſummouet, diſſoluto quomodocunque coniugio.

XII *Vtrùm marito, vel etiam ſoluto liceat alere concubinas?*

Reſp. Etſi inter copulas inhoneſtas eſt quædam differentia, vt aliæ aliis ſint turpiores: nulla tamen eſt probanda. Ergo nec concubinatus. Eſt enim coniunctio extra coniugium, & eſt res mali exempli. *Canon. concubinæ* 32. *q.* 2. Nec vitia Patrum, qui habuerunt concubinas, præiudicant veritati: quidquid etiam in iure ciuili concedatur ſolutis, *tot. tit. ff. de concubinis.*

XIII. *Vtrùm meretrices publicæ, & lupanaria ſint toleranda?*

Neg. Quia iſtiuſmodi homines propria violant corpora, honeſtatem, iuuentutem, & diſciplinam publicam deformant. Hinc laudatur Theodoſius M. quòd lupanaria ſuſtulerit. Et laudantur Vandali, qui tactum meretricium horruerunt, &, ſi quas in vrbibus à ſe captis repeririſſent, ad totum coniugalem illas adegerunt. At ais, volentibus meretricibus nulla vis infertur: & quorundam populorum calida complexio requirit lupanaria. Reſp. 1. Etiam volentibus voluntate non rectâ fit iniuria. 2. Non ſunt facienda mala, vt eueniant bona: præſertim cùm alia hîc ſint remedia, videlicet preces, diæta, diſciplina.

XIV. *Vtrùm adulterium committat, qui ſponſam alterius violat?*

Reſp. Omnino. Nam ſponſa per verba de præſenti habetur vxoris loco. Et conſenſus, non concubinatus facit matrimonium.

XV. *Vtrùm damnandus ſit concubitus maris cum mare, fœminæ cum fœmina?*

Aff. Quia hoc ſcelus rectæ rationi, ſpeciei humanæ, & creationi eius repugnat. Neque valet ad extenuandum hoc peccatum, quod olim ſtupri tantùm nomine fuerit indigitatum, & plurimi fuerint pæderaſtæ, & maſtupratores cynædi, pathici, ſodomitæ: quia mala multorum conſuetudo nunquam eſt bona.

XVI. *An ſtuprum in bruta animalia commiſſum à viro, vel à fœmina, ſit damnandum?*

Aff. Quia tales homines abiiciunt ſe infra pecudes, & genus ſuum ſpernunt. Hinc ethnici minatauros & alia monſtra deteſtati ſunt.

XVII. *Vtrùm coitus cum dæmonibus ſit damnandior, cùm imaginatione potiùs, quam reipsâ perficiatur?*

Reſp. Certum eſt, diabolum aſſumto corpore fieri ſuccubum vel incubum. Scortatio itaque illa capitaliter punienda eſt. Idem de imaginatione iudicium: quia & ibi eſt abiuratio Dei.

XVIII. *Vtrùm ij, qui animo ſuſcipiendæ proli concumbunt extra coniugium, peccent?*

Reſp. Maximè: quia intentio bona non facit bonum opus. Itaque peccauit Thamar, concumbens cum ſocero ſuo Iudâ. *Geneſ.* 38.

XIX. *Si quis per errorem vitiet eam, quam putat eſſe ſuam coniugem, an teneatur hoc præcepto?*

Reſp. Maleficia æſtimantur ex animo & propoſito. Proinde ſi is abſit, & error ab ignorante admittatur, tantiſper quidem talis perſona excuſatur. Sed quia hic caſus videtur impoſſibilis, diligenti opus eſt circumſpectione, quâ iudex inquirat in huiuſmodi facta.

XX. *An Iacob deceptus à Laban, rectè fecerit quòd alteram ſororem ſuperinduxerit?*

Neg. Commiſit enim inceſtum: & ideò tot pœnas expertus fuit.

XXI. *An illa, quæ ignorans nubit ei, qui maritus eſt, excuſetur?*

Aff. Quia legitimam copulationem ſequitur. At maritus, qui duxit alteram, grauiſſimè peccat. Itaque non ſufficit pœna illa, quâ bigami & trigami quibuſdam in locis mitrati tantùm populo oſtenduntur: quia aliis adulteris ſunt longè deteriores: vtpote, qui ſanctâ Dei ordinatione ad ſuam nequitiam abutuntur, & fidem ſuperioribus coniugibus datam fallunt.

XXII. *Vtrùm excuſanda ſit vxor, quæ deſertorem coniugij maritum, fruſtrà per aliquot annos expectauit, & poſtea nubit?*

Reſp. Si maritus ex iuſtâ & neceſſariâ causâ abeſt, debet illum vxor ſequi, ſi poteſt. Si non poteſt, & fortè maritus ſit damnatus capitis, deportatus, aut exul, debet abſtinere à coniugio, quandiu abeſt maritus, eúmque viuere nouit. Si verò abeſt ex causâ nullâ neceſſariâ, & ſpontaneus eſt deſertor, poſt annorum certorum decurſum, cognitis omnibus vtriuſque perſonæ circumſtantiis, vxori poteſt concedi, vt ad euitanda plurima incommoda tranſeat ad alias nuptias.

XXIII. *Vtrùm ea, quæ à raptore vim paſſa eſt, ob violatum corpus, teneatur hâc lege?*

Neg. Animus enim & voluntas non corrumpitur, etiamſi corpus corrumpatur. Ita caſta manſit Thamar compreſſa per vim ab Amnone fratre: & maritatæ mulieres, itémque virgines, quas Gothi ſtuprarunt captâ Româ; ſimiliter Lucretia. Hâc de re quæſtio fuit exorta inter Auguſtinum & Ambroſium: quæ facilè deciditur hunc in modum. 1. Proæreſis facit vitium. 2. Virginitas conſideratur vel naturaliter, vel moraliter. Illa eripitur iis, quæ per vim ſtuprantur: hæc non item.

XXIV. *Vtrùm corporis cultus, conuiuia, tripudia, choreæ, oſcula, & id genus aliæ recreationes, hâc lege prohibeantur?*

Reſp. Valetudinis & corporis cura & honeſtæ recreationes non ſunt prohibitæ. Sed oportet vt abſit omnis turpis affectus, ne talia fiant παρασκευαστικὰ, *præparatoria*, ad libidines: cuiuſmodi ſunt cantilenæ & picturæ amatoriæ, laſciua ſcripta, impudica, carmina, theatra, ſpectacula, & geſticulationes impudicæ laruæ & mutationes veſtium virilium cum muliebribus, tripudia, tympana, choreæ laſciuæ, luxus in cibo & potu, comeſſationes, ebrietas, tactus impudici, deſuauiationes & deoſculationes æſtuantes carnali cupiditate. Rectè igitur Pericles Sophocli prætori Athenienſi, formoſum puerum contemplanti, dixit: Prætorem decet non ſolùm manus, ſed etiam oculos habere abſtinentes.

Ad præceptum octauum.

I. *Vtrùm inter Chriſtianos furtum fieri poſſit?*

Aff. Etſi enim in primitiuâ Eccleſiâ omnia inter Chriſtianos erant communia τῇ χρήσει: non tamen τῇ κτήσει,

Actor.4. Nam quia nulli adhuc erant certi reditus, Christiani conferebant omnia sua in commune. Hæc autem communitas non tollit distinctionem dominiorum: quia quilibet retinebat sua bona, *Act*.4.v. 34. licet ex Christianâ charitate largè conferebat. Neque moramur votum Platonis, qui optabat sublata esse pestifera illa vocabula, MEVM, TVVM.

II. *Cur Deus præceperit Israëlitis, vt spoliarent Ægyptios vasis aureis & argenteis?*

Resp. Non fuit hoc furtum: quia Deus tanquam dispensator omnium rerum liberrimus, sua bona dedit populo suo: & tanquam iudex iustissimus Israëlitis mercedem dedit operariæ seruitutis per 200. annos; & ab Ægyptiis, tanquam ab hostibus per 10. plagas deuictis iussit prædas agere.

III. *Vtrùm in rebus mundanis fieri possit furtum, cùm Deus omnia in commune profuderit: & fideles sint heredes mundi?*

Resp. Deus profudit omnia in communem vsum; sed idem introduxit dominiorum distinctiones. Deinde pij sunt hæredes mundi, quoad legitimum vsum.

IV. *An rapina sit furtum?*

Resp. Scholastici & Gratianus perperam docent, *Alienа rapere, non esse contra præceptum*: quòd furtum sit occulta contrectatio & fraudulenta rei alienæ ablatio. Nam ex nomine speciei & partis in Decalogo intelligitur genus & totum.

V. *Vtrùm etiam pauperes furtum committant: cùm non habeant, vnde vitam suam sustentent?*

Resp. Omninò Pauperes autem debent laborare: vel si hoc non possint diuitum & piorum opem implorare.

VI. *Vtrùm liberi committant furtum, quando suis parentibus clam aliquid subtrahunt?*

Resp. Etsi liberi sint domini & hæredes bonorum paternorum spe successionis: non tamen sunt domini re: & ideò furtum in hoc casu committunt. Quòd autem patri in filium non datur actio furti de lege ciuili: hoc ideò fit, quia pater de filio potest statuere ipse pro qualitate delicti.

VII. *Vtrùm milites hoc præcepto teneantur?*

Resp. Quia Deus ipse sanxit iura belli *Deut*. 20. militum vocatio est, tueri dominos suos & socios illorum: & nonnisi prædam agere ab hostibus apertis. Sub his autem non continentur extranei & peregrini.

VIII. *Vtrùm sacrilegium sit furtum: cùm Deus non egeat rebus terrenis?*

Resp. Quia Deus ipse præcipit quasdam res destinari ad suum cultum: omninò furtum in iis rebus committitur. Vnde grauissimè semper vltus est hoc peccatum: vt in Achan, Crasso, Pompeio, Heliodoro, &c.

IX. *Vtrùm quis etiam rei propriæ furtum facere possit cùm iuxta ICtos, furtum sit contrectatio rei alienæ?*

Dist. Nemo potest esse fur rei suæ, quatenus sua est: sed quatenus rem suam alij commodauit, & ante tempus repetit aut eripit; quatenus item rem suam à bonæ fidei emtore surripit; eatenus furtum committit.

X. *Vtrùm socius socio in re communi furtum possit facere?*

Resp. Quia proprietas vel vsusfructus rei sociorum, non est vnius, sed plurium, ideò qui ius vel fructum istius rei communis alteri sociorum adimit, is furtum committit de iure naturali & ciuili.

XI. *Cùm pecunia publica sit nullius, an magistratus in illâ possit furtum facere?*

Resp. Si magistratus illam pecuniam in suum commodum conuertat, vel intercipiat, non est simplex furtum, sed peculatus: sin autem neglectis vsibus necessariis, vel totam pecuniam, vel illius partem auertat, reus est Repetundarum. Siquidem pecunia illa licet non sit vllius priuati, tamen est vniuersitatis.

XII. *An illi, qui homines aut pecudes celant, aut errantes capiunt, furtum committant?*

Resp. Qui hominem, siue liberum siue seruum capit, tenetur plagij ex lege Fabiâ: qui pecudes vel gregem totum abducit, est abigeus: qui pecudes errantes aufert, est fur.

XIII. *An qui limites agrorum mouet, sit fur?*

Resp. Maximè fur est de lege diuinâ *Deut*. 19. v. 14. & ciuili *toto tit. ff. de termino moto.*

XIV. *Vtrùm is committat furtum, qui non restituit rem eiusdem quantitatis aut qualitatis: vel non in loco & tempore soluit?*

Aff. Nam omne damnum, quod proximo datur in bonis eius, retinendo, auertendo, differendo, corrumpendo, id pro furto habetur in sacris literis & legibus ciuilibus.

XV. *An qui ditiori aliquid surripit, vt det pauperi, vel in vsus sacros conuertat, rectè dicatur furtum committere?*

Aff. Non enim sunt facienda mala, vt eueniant bona. Quòd autem Christus nos iubet largiri de Mammonâ iniquitatis, id de nostris intelligit opibus, non de alienis.

XVI. *Vtrùm vsucapione rei alienæ seu præscriptione longi temporis committatur furtum?*

Resp. Vsucapio seu præscriptio est modus acquirendi legitimus, dummodo bona fides ab initio possessionis interuenerit. Quod autem *Augustinus in Rom*. 14. putat rem longo tempore vsuceptam, nobis abiiciendam esse, cùm primùm cognouerimus eam alienam esse, id de malâ fide possessionis intelligendum est.

XVII. *Vtrùm, qui res inuentas retinet, sit fur?*

Resp. Qui rem à domino proiectam & pro derelictâ habitam tollit, furtum non facit: sed qui amissam retinet, fur est. Nouit enim, rem illam ad se non pertinere Idem iudica de eo, qui celat depositum & commodatum, quique in locando, vendendo, & contrahendo proximum defraudat.

XVIII. *Vtrùm, qui damnatas & illicitas, vel etiam ludicras & otiosas artes exercent, hoc præcepto teneantur?*

Aff. Huius autem loci sunt aleatores, circulatores, nugatores, impostores, magi, histriones, gladiatores, validi mendicantes, helluatores, otiosi monachi, & denique qui lucrum turpe quærunt ex meretricibus, lotio, &c. vel immodicum tributum exigunt à subditis: vel salarium & honorarium nimium à miseris ciuibus.

XIX. *Vtrùm liceat sine suspicione furti talem inire societatem, vbi vnus conferat operam, alter pecuniam?*

Aff. Si bonâ proportione labor & sumtus sibi respondeant, & damnum ad lucrum proportionaliter diuidatur: ne scilicet sit leonina societas.

XX. *Vtrùm vsuræ damnentur hoc præcepto?*

Dist. Nam pecuniis nostris succurrimus vel proximo egenti & calamitoso, vel certanti de lucro faciendo. Ab illo nihil præter sortem repetendum; & quandoque etiam ipsa sors remittenda, si extrema postulet necessitas. Ab hoc licet accessionem exigere præter sortem: quia ille res suas nostris pecuniis auget & ornat. Deinde vsura rodens damnatur in Iudæis, monetariis, dardanariis, numulariis, & omnibus vsurariis, qui sunt proximi arrosores.

XXI. *Vtrùm etiam furtum fiat animo, aspectu, & verbis?*

Resp. Lex Dei etiam internos animi motus damnat. Vnde auarus cogitando fur est. Sed ICti coërcent locomotiuam, & in hoc præcepto manum. Vnde Paulus ICtus ait, solam cogitationem furti faciendi non facere furtum.

XXII. *Quæ sit pœna furti?*

Resp. Hæc in iudicio Dei est mors animæ, nisi resipiscentia subsequatur in foro politico variat in variis populis: ita vt sit modò corporalis, modò pecuniaria; nunc ordinaria, nunc extraordinaria.

Ad nonum præceptum.

I. *An huius præcepti in N. T. sit magna authoritas, cùm Christus dicat, remittendam esse talem iniuriam, & iis benedicendum, qui nobis maledicunt?*

Resp. Aliud est pati falsum testimonium, aliud dicere. Illud virtutis est, hoc vitij grauissimi.

II. *An Abraham, Rebecca, Rahab, obstetrices Ægyptiæ, & similes in V. T. sint mentiti?*

Resp. 1. Mentiri non licet, sed veritatem sæpe celare licet. 2. Non omnia piorum exempla nobis sunt defendenda. Exemplis non iudicatur, sed regulis.

III. *Vtrùm pueri, impuberes, & furiosi sint excusandi, quando dicunt mendacium: & mulieres quandoque ob imbecillitatem sexus?*

Resp. Si impuberes doli non sint capaces, non tenentur hoc præcepto, quoad forum soli: sed tenentur quoad forum poli. Furiosus si quid committat, commiseratione potiùs est dignus, quàm pœnâ. Fœmina non potest prætendere imbecillitatem sexus: quia lex hîc non distinguit. Et verò cùm illæ non habeant alia arma, quibus se defendant, linguam & dolos adhibent: vt est in prouerbio.

IV. *Vtrùm hoc præcepto damnentur parentes, præceptores, & patroni, si in filios, discipulos, libertos aut clientes dixerint quædam contumeliosa & aspera?*

Resp. Etsi magna est istorum potestas, adeò vt ICti dicant, illos non teneri de iniuriis, nisi sit atrox aliqua & enormis

contu

contumelia: tamen citra conuitium & calumniam oportet vt tractent suos. Aliàs hoc præcepto tenentur.

V. *Vtrùm, si quis mentiatur volenti, quod faciunt adulatores, teneatur hoc præcepto?*

Resp. Omninò. Etsi enim nulla sit iniuria, quæ fit in volentem, vt aiunt ICti: κόλακες, vel potiùs κόρακες illi, magnâ proximum & remp. afficiunt iniuriâ, quando non dicunt quod res est: & proinde tenentur hoc præcepto.

VI. *Vtrùm etiam defuncto possit fieri conuitium aut contumelia hâc lege prohibita?*

Resp. Nullius viui, vel defuncti famam licet lædere.

VII. *An omnes falsarij hoc præcepto teneantur?*

Resp. Maximè. Committitur autem falsum in rebus diuinis per hæresim & calumniam verbi Dei: in rebus humanis, si quis corrumpat, immutet, vel supponat falsa pro veris, siue publicè in ponderibus, mensuris, monetis, edictis, & responsis principum in sententiis ferendis, in causis proponendis iudicandisque in foro: siue priuatim in dicendo testimonio, in testamentis, in contractibus, in colloquiis.

VIII. *Cùm periculosum sit dicere testimonium in iudicio, vtrum quilibet teneatur testimonium dicere eorum, quæ vidit & audiuit?*

Resp. Nemo tenetur vltrò reuelare omnia, maximè, si agatur de gloriâ Dei & salute piorum. At scelera, quæ scire interest reip. quilibet bonus vltrò debet indicare. Denique si quis authoritate iudicis interpellatur ad dicendum verum, debet dicere testimonium. Vterque enim reus est, vt scitè ait Augustinus, & qui veritatem occultat, & qui mendacium dicit: quia ille prodesse non vult, hic nocere desiderat.

IX. *Quid faciendum iudici, si reus plurium testimonijs conuincatur, iudex autem sciat, rem aliter se habere?*

Resp. Iudex in tali casu deponet personam & officium suum, & assumet personam testis: ne quis innocens opprimatur. Extra talem autem casum iudex secundùm acta & probata iudicabit.

X. *An iudex secundùm plurimorum sententias, an secundùm suam conscientiam iudicare debeat?*

Resp. Si sententiæ plurium aduersentur Deo, & eius verbo, iudex non sequetur pluralitatem votorum, sed potiùs cedit magistratu, vt conscientiam seruet illæsam. Sin autem vota illa sint contra sensum iudicis, idque fiat citra conspirationem, iudex potiùs pluribus oculis quàm vni oculo fidet. Et hæc est praxis iudiciorum, vt ex plurium sensu lites decidantur.

XI. *Vtrùm mutatio nominis hâc lege teneatur?*

Resp. Si mutatio nominis fiat in fraudem & damnum alterius, mutare nomen non licet, etiam de iure ciuili. Si verò mutatio fiat vel alicuius rei commemorandæ vel conseruandæ causâ, nihil falsi continet. Ita enim Deus Abrahæ & Saræ nomina mutauit: & Salomon, Iedidiah: Saulus, Paulus: Syluanus, Silas: Simon Barjonas à Christo vocatus est Petrus.

XII. *Si quis vera quidem probra obiecerit alicui, sed tamen animo conuitiandi, vtrum hâc lege teneatur?*

Resp. Omninò. Nam animo corrigendi, non infamandi & conuitiandi detegere oportet crimina: & quidem tum quando Reip. interest, illa constare.

XIII. *An hoc præcepto damnetur omne mendacium, perniciosum, officiosum, & iocosum?*

Resp. Omne mendacium hîc prohibetur, quale quale sit. Sed quando mendacium quoddam dicitur officiosum & iocosum, catachresticè accipitur vox mendacij: ita vt ibi prudens celatio veritatis, hîc apologus vel fabula erudita intelligatur. Et hoc sensu ista ponuntur in laude.

XIV. *Vtrùm hoc præcepto damnentur strategemata: cùm plerumque aliquid falsi habeant admixtum?*

Resp. Ipse Deus strategemata imperauit suis: *Ios.* 8. *Iud.* 20. 2. *Sam.* 5. *v.* 33. & ipse misit exploratores, *Num.* 13.

XV. *Vtrùm hoc præcepto teneatur is, qui errore animi deceptus ipse, falsum dicit?*

Resp. Leuitatis & incogitantiæ signum est, proferre id quod non est satis exploratum. Satius igitur est tacere, quàm temere aliquid affirmare, quod falsum est: ne peccemus aduersus hoc præceptum.

Ad præceptum decimum.

I. *Quid opus fuerit hoc decimo præcepto, cùm in superioribus omnibus, non solùm externæ actiones, sed etiam praui affectus fuerint damnati?*

Resp. In superioribus præceptis damnantur cogitationes & concupiscentiæ, quæ cum aliquo assensu sunt coniunctæ: sed hoc præceptum illas etiam concupiscentias detestatur, quæ nullum adhuc habent assensum, sed vel animum prætervolant tanquam cogitationes momentaneæ, vel gaudio quodam pectora titillant, ita tamen vt illas execremur.

II. *Cùm omnes concupiscentiæ in genere prohibeantur hoc præcepto, cur in specie tantùm quarundam fit mentio?*

Resp. Hoc fit ex more scripturæ, quæ in præceptis συνεκδοχικῶς ex parte totum, & ex specie genus colligit.

III. *Cùm omnis concupiscentia hoc præcepto damnetur,* Iacob. 1. v. 15. *dicitur, concupiscentiam tum demum gignere peccatum, postquam opere impleta est?*

Resp. Apostolus ostendit ibi gradus peccatorum, atque ita matrem cum filiâ, scaturiginem cum aquis, radicem cum arbore damnat.

IV. *Vtrùm hoc præcepto teneantur etiam turpia & lasciua insomnia, blandæ titillationes carnis, & alij motus, qui noctu quandoque dormientes inuadunt?*

Resp. Si somnia & pollutiones nocturnæ oriantur, vel ex turpi cogitatione diurnâ, vel ex nimiis deliciis, omnino tenemur hoc præcepto.



COMPENDIVM ETHICÆ ARISTOTELIS, PERPETVIS QVÆSTIONIBVS CONTEXTVM.



IOHANNES Casus Anglus edidit speculum morale in vniuersam Aristotelis philosophiam; quod complectitur grauissimarum quæstionum elegantissimam decisionem. Redegi illud in Enchiridij formam, quam hîc exhibeo: tum quòd omnia σαφῶς καὶ λακωνικῶς sint exposita, tum quòd vniuersam Aristotelis Ethicam ponant ob oculos, ita vt singulæ sectiones respondeant singulis libris.

SECTIO PRIMA.

I. *An philosophia practica sit præstantior quàm theoretica?*

Aff. Est enim origine illustrior, fructu vberior, fine beatior: quia euidentius est, ipsam à Deo trahere ortum, quàm theoreticam: & occupatur circa bonum: & finem habet actionem virtutis, quæ est ipsa beatitudo. Hinc aliæ artes ad hanc tanquam reginam deámque referuntur. Hinc Ciceroni philosophia, quæ in moribus versatur, dicitur feracior philosophiâ, quæ in obscuritate rerum est posita.

II. *Quomodo Aristoteles diuidat philosophiam practicam?*

Resp. In Ethicam, quæ de moribus: in Politicam, quæ de ciuitate: in OEconomicam, quæ de familiâ: in Monasticam, quæ de priuatâ ac solitariâ vitâ disserit.

III. *An plus valeat ad virtutis studium educatio, quàm doctrina?*

Dist. Educatio est naturalis, vel ciuilis. Illa est conseruatio infantis in sanitate corporis: hæc est publica, vel priuata. Publica fit per magistratum, priuata per præceptores. Ciuilis priuata hîc intelligitur. Et hæc plus valet ad virtutis studium, quàm doctrina; idque

propter { Dignitatem ſubiecti. Voluntas enim educationi, intellectus doctrinæ ſubiicitur.
Excellentiam obiecti. Bonum enim reſpicit educatio, verum autem reſpicit ſcientia.
Nobilitatem finis. Nam educatio bene & beatè nos viuere, at doctrina nos ſcire tantùm ac philoſophari docet. }

Quare cùm morum directio fiat vel per doctrinam, quæ præcepta ſolùm virtutis tradit, vel per diſciplinam, quæ obſeruationem præceptorum viget, nemo non videt hanc illi præferendam eſſe.

IV. *An omnia appetant bonum?*

Aff. Malum enim, quà malum, non eſt appetibile. Intellige igitur bonum verum, vel apparens. Et diſtingue inter habitum rationis, & impetum paſſionis.

V. *An ſit vnus rerum gerendarum finis?*

Aff. Vt enim omnia ſunt ab vno, vero, bono: ſic omnia ad vnum, verum, bonum.

VI. *An ſit rerum in Ethicâ demonſtratio?*

Diſt. Si ſtrictè ſumatur vocabulum demonſtrationis, ita vt ſit rerum neceſſariarum, in hâc diſciplinâ locum habere non poteſt: quippe quæ tractat res contingentes. Latè ſi ſumatur, omninò Ethica ſuas quoque habet demonſtrationes, exempli gratia, hæc eſt demonſtratio Ethica. Inter quos eſt conſenſus verus in virtute theoreticâ & practicâ, illi ſunt veri amici. At inter viros bonos ſibi mutuò notos eſt talis conſenſus. Ergo.

VII. *An iuuenis ſit idoneus auditor Ethices?*

Diſt. Ariſtoteles excludit iuuenem, non ætate, ſed moribus: id eſt, omnem hominem, qui ſeipſum non vincit. Deinde iuuenis non tam idoneus eſt ad audiendam philoſophiam morum, quàm ad contemplationem rerum: quia pluribus ferè laborat affectibus, quàm ſenex.

De felicitate. VIII. *An bona externa ſint felicitas?*

Neg. Nam ratione poſſeſſionis non ſunt noſtra, ſed aliena: ratione acquiſitionis ſæpe malis artibus comparantur: ratione dependentiæ ad alia referuntur: ratione inſufficientiæ appetitus illis non clauditur vel terminatur.

IX. *An voluptas ſit felicitas?*

Neg. Eſt enim naturalis affectio: eſt communis homini & belluæ: & ſæpiùs ad malum, quàm ad bonum incitat: ſæpiùs denique corrumpit, quàm conſeruat.

X. *An honor ſit felicitas?*

Neg. Propter incertitudinem, quia eſt bonum fluens & externum: propter periculum, quod ex eo contingit: & propter relationem ad aliud bonum, quod per ſe expetitur.

XI. *An diuitiæ ſint felicitas?*

Neg. Quia fluunt & refluunt: quia bonis & malis competunt: quia plures ad perniciem, quàm ad virtutem rapiunt.

XII. *An virtus ſit felicitas?*

Neg. Quia expetitur propter actionem eiuſdem, quæ actio eſt beatitudo. Conſideratur autem hæc actio, vel vt immanens, vel vt tranſiens. Illa mutari & impediri nequit, quia eſt firma & immutabilis bene operandi intentio: hæc poteſt, quia vtitur variis mediis. Illa, non hæc, eſt beatitudo moralis.

XIII. *An honor ſit honorantis vel honorati?*

Reſp. Si accipiatur pro applauſu externo, eſt in honorante: ſi pro affectu interno felicis, eſt in honorato.

XIV. *An veritas ſit præferenda authoritati & amicitiæ?*

Aff. Quia veritas à Deo fluit, ſempérque eſt conſtans.

XV. *An idea Platonis ſit felicitas?*

Aff. Plato facit ideam ſeparatam & abſtractam, quæ eſt prima cauſa: & coniunctam ſiue ſubiectiuam, quæ eſt contemplatio primæ cauſæ. Vtraque eſt felicitas & quidem diuina: cui opponitur humana, eaque tum actiua, de quâ Ariſtoteles 1. Ethic. tum contemplatiua, de quâ diſputat lib. 10.

XVI. *Quid ſit felicitas?*

Reſp. Eſt bonum ſufficiens, idque ideò: quia felicitas debet eſſe terminus & finis aliorum bonorum; debet eſſe bonum per ſe, immutabile, perpetuum, & honorabile, ſicuti virtus eſt bonum laudabile.

XVII. *Quomodo felicitas moralis ſit bonum ſufficiens?*

Reſp. Non abſolutum, diuinum, & incommutabile (hoc enim modo ſolus Deus eſt bonum ſufficiens) ſed comparatum ſeu humanum, quod reſpectu omnium honorum in hâc vitâ eſt cauſa ſufficiens.

XVIII. *An tria illa bonorum genera, bona animi, corporis, & fortunæ, requirantur ad felititatem?*

Reſp. Requiruntur non ad eius eſſentiam (ſic enim ſola bona animi requiruntur) ſed ad eminentiam, exiſtentiam, & ornatum.

XIX. *An felicitas ſit donum Dei?*

Diſt. Non eſt donum abſolutum & immediatum, vti ſunt dona quædam Spiritus ſancti: ſed reſpectiuum & mediatum, ſeu cum medio & conditione: quia hominibus virtuti addictis datur felicitas, non verò otioſis.

XX. *An ſit dicendus felix in hâc vitâ?*

Aff. Propter ſtabilitatem virtutis, & conſtantiam boni propoſiti.

XXI. *An felix poſſit eſſe miſer?*

Diſt. Miſer ſumitur tribus modis: aut pro inope & pecuniâ indigente, aut pro homine abiecti animi, aut pro homine mancipato ſceleri. Felix poteſt eſſe miſer primo modo; ſecundo & tertio minimè.

XXII. *An res poſterorum pertineant ad defunctos?*

Diſt. Perinent, non ratione curæ & ſcientiæ, ſed ratione amicitiæ & vnionis.

XXIII. *An felicitas ſit potiùs bonum honorabile, quàm laudabile?*

Aff. Honor eſt diuinus, vel humanus. Ille ſoli Deo debetur: quia ſolus eſt plus quà honorabilis. Honor humanus eſt vel externus, qui conſiſtit in leuitate fortunæ: vel internus, qui eſt in firmitate virtutis. Ille ſemper eſt præmium felicitatis, hic non ſemper. Nam ſicut virtus ſemper eſt laudabilis, tametſi nemo laudet: ita beatus ſemper eſt venerandus, etſi nemo honorem tribuat. Deinde honor hîc intelligitur non ſeruilis, qui debetur domino, vel naturalis, qui debetur patri: ſed ciuilis, qui debetur felici propter virtutem.

XXIV. *An ad moralem philoſophiam ſpectet cognitio animæ?*

Diſt. Eſt ipſi neceſſaria hæc cognitio, non neceſſitate explicationis, ſed neceſſitate rememorationis: quia ſubiectum virtutis eſt appetitus inchoatè, voluntas perfectè. Oportet igitur ſcire naturam appetitus & voluntatis.

XXV. *An appetitus ſit ſubiectum virtutum moralium?*

Aff. Appetitus ſenſitiuus, iſque tum concupiſcibilis, tum iraſcibilis, eſt ſubiectum virtutis inchoatum, quia ibi inchoantur virtutes: intellectiuus, ſeu voluntas, eſt ſubiectum perfectum & vltimatum; quia ibi perficiuntur virtutes. Neceſſe autem eſt, vt appetitus hîc conſideretur, non vt contumax ſeruus, ſed vt obediens filius; non vt eſt acris, ſed vt mediocris; non vt eſt extremus, ſed moderatus.

XXVI. *An meliora ſint ſomnia bonorum quàm malorum?*

Aff. Propter altam impreſſionem bonorum obiectorum, quorum ſimulachra in ſomnio fermè ſe offerunt.

SECTIO SECVNDA.

De virtute in genere. I. *An virtutes nobis inſint à naturâ?*

Aff. Non inſunt nobis à naturâ internè, eſſentialiter, & completè; ſed externè, conſequenter, & incompletè.

II. *An exceſſu & defectu labefactetur virtus?*

Aff. Labefactatur enim exceſſu & defectu partim naturali, qui cernitur in temperamento hominis, partim morali, qui cernitur vel in appetitu, vt eſt furor; vel in intellectu, vt eſt ignorantia; vel in voluntate, vt eſt prodigalitas. In primis tamen labefactatur exceſſu & defectu poſtremi ordinis. Corrumpunt autem hæc duo virtutem propter declinationem à medio, delectationem in vitio, occæcationem animi in bono, & obdurationem in malo. Fit autem declinatio à medio, aut per infirmitatem naturæ, aut perturbationem affectus, aut ignorantiam animi, aut malitiam hominis.

III. *An virtus circa voluptatem & dolorem verſetur?*

Diſt. Omnis virtus habet obiectum duplex; vnum internum, alterum externum. Virtutis obiectum internum eſt voluptas & dolor; quia circa hos affectus verſatur virtus vel moderando, vt proſint, vel tollendo, ne noceant: externum obiectum eſt vel perſona, vt Deus & homo; vel res, vt pecunia in liberalitate. Deinde voluptas & dolor ſumuntur vel ſtrictè; & ita ſunt proprium obiectum temperantiæ: vel latè & fusè, pro omnibus perturbationibus, & ita ſunt commune virtutis obiectum.

IV. *An difficilius ſit reſiſtere voluptati quàm iræ?*

Aff. Quia voluptas eſt nobiſcum nata; & diuturnior quàm ira; eſt dulcis, cùm ira ſit moleſta; eſt fuſa per totum corpus, cùm ira ſit ebullitio ſanguinis circa cor; eſt denique inſidioſa, cùm ira ſit hoſtis apertus. Plus autem nocent hoſtes in equo Trojano, quàm ij qui ſunt in campo.

V. *An qui iuſta agit, ſemper ſit iuſtus?*

Diſt. Iuſtum accipitur vel formaliter pro habitu virtutis: vel materialiter pro ipſo facto. Qui agit iuſtum priori modo, iuſtus eſt ſemper; qui poſteriori modo agit iuſtum, non ſemper eſt iuſtus: quia poteſt facere iuſtum vel ſuaſu amici, vel impulſu hoſtis, vel affectu animi, vel prætextu & ſpecie virtutis, vel ſpe & appetitu laudis aut maioris commodi.

VI. Quæ

V I. *Quot requirantur ad omnem actionem virtutis?*

Reſp. Tria: videlicet voluntas, quæ incipit actionem; ſcientia, quæ dirigit actionem; conſtantia, quæ perficit actionem.

V I I. *Quot ſint principia actionis humanæ in animo?*

Reſp. Tria, videlicet potentia, affectus ſeu paſſio, & habitus. Potentiæ tribuitur inchoatio; affectui motus ſeu progreſſio; habitui diſpoſitio, ordo, & perfectio.

V I I I. *An habitus ſit virtutis genus?*


Aff. Habitus enim eſt qualitas multis actionibus acquiſita.

I X. *An affectus poſſit eſſe genus virtutis?*

Neg. Quia ex affectu nec boni, nec mali dicimur: & ex ſolo affectu nec laudem, nec vituperium conſequimur.

X. *Quomodo affectus commodè poſſint diuidi?*

Reſp. Hoc modo:



X I. *An virtus ſit medium potiùs Geometricum, quàm Arithmeticum?*

Diſt. Medium Geometricum ſeu rationis, eſt medium, quoad nos. Talis autem eſt virtus ratione exiſtentiæ, acquiſitionis, & actionis. Sic v. gr nimium eſt alicui, decem libras cibi edere, duas verò parum. Atque hoc ſenſu virtus dicitur mutabilis, non in habitu eſſentiæ, ſed in modo actionis & circumſtantiarum. In eſſentiâ igitur poteſt appellari medium rei ſeu Arithmeticum; quia hoc eſt idem apud omnes; & mutabile, vti eſt ſol inter planetas.

X I I. *Quomodo virtus rectè definiatur?*

Reſp. Ex medio ſuo: quia virtus conſiſtit in medio rationis, quam dirigit; in medio affectionis, quam ſupprimit; in medio vitioſitatis, quam extinguit. Hinc virtus dicitur norma rationis, affectationis habena, vitioſitatis fuga.

X I I I. *Cur virtus Ariſtoteli dicatur extremitas?*

Reſp. Extremitas eſt vel in perfectione rationis, vel in modo oppoſitionis. Priori modo virtus, poſteriori vitium appellatur extremum.

X I V. *An virtus ſit habitus electiuus?*

Diſt. Eſt, ſi intelligatur electio moralis & completa: non eſt, ſi intelligatur electio naturalis & imperfecta, qualis eſt in pueris & ſeruis.

X V. *Quomodo virtutes ab Ariſtotele diuidantur?*

Reſp. Hoc modo:



X V I. *Cur affectus quidam numerentur inter virtutes: vt Vereſundia, Paternus amor?*

Reſp. Affectus tumultuantes & rationis expertes non poſſunt appellari virtutes: ſed mites & moderati poſſunt, quia ſpeciem quandam virtutis induunt.

X V I I. *An virtutes ſingulæ differant ſpecie?*

Neg. Multæ ſiquidem non re, ſed ratione; non ſpecie, ſed gradu, ſecundùm magis & minus differunt; vt liberalitas & magnificentia modeſtia & magnanimitas.

X V I I I. *An extrema extremis magis quàm mediis opponantur?*

Diſt. Eſt duplex repugnantia; abſoluta inter bonum & malum; & ſic medium, id eſt, virtus, & extremum, id eſt, vitium, magis diſtant: & comparata, reſpectu exceſſus & defectus; & ſic duo extrema magis inter ſe colluctantur; quia magis à ſe inuicem diſtant, quàm à medio; & quia maior eſt ſimilitudo vnius extremorum ad medium, quàm extremorum, ſi ad ſe inuicem referantur. Sic longiùs abeſt prodigalitas ab auaritiâ, quàm à liberalitate: propiùs accedit audacia ad fortitudinem, quàm puſillanimitas: ita vt prodigus reſpectu auari liberalis, audax reſpectu meticuloſi dici poſſit fortis.

X I X. *An vnum extremorum magis opponatur medio quàm alterum?*

Diſt. Vnum extremorum eſt vicinius medio quàm alterum, vel reſpectu rei in ſimilitudine & velut imitatione virtutis, ſic prodigus liberali aſſimilatur: vel reſpectu noſtri in inclinatione ac propenſione mentis, quæ magis hoc vel illo ſcelere commouetur. Priori modo id vitium minus repugnat virtuti, quod aliquam habet cum illâ ſimilitudinem: poſteriori modo id magis repugnat, ad quod vel naturâ vel conſuetudine propenſiores ſumus. Cæterùm intellige hîc ſimilitudinem æquiuocam, non analogicam, non vniuocam.

X X. *An ſit difficillimum eſſe ſtudioſum virtutis?*

Diſt. Eſt difficillimum, non per ſe, ſed per accidens: videlicet propter corruptionem naturæ noſtræ, & delectationem rerum externarum.

X X I. *An omnis declinatio à medio ſit vituperanda?*

Diſt. Declinatio vel conſiſtit in medio latitudinis, vel fit extra illud medium. Illa prior non eſt vitium: quia virtus eſt medium, quod non inſtar centri ſe habet, ſed inſtar viæ regiæ latitudinem habentis. Poſterior iſta eſt vitium. Sic qui manet in viâ regiâ, non errat, etſi non maneat in medio puncto lineæ rectæ.

SECTIO TERTIA.

I. *An actio ſit violenta, voluntaria, vel mixta?* De actionibus.

Aff. Violenta eſt talis vel ſimpliciter; quæ fit per externum principium: vel ex parte, quæ vulgo dicitur inuita; & hæc eſt vel per ignorantiam, vel per animi perturbationem. Voluntaria eſt vel immediata, vt velle; vel mediata, vt loqui, ambulare: illa impediri non poteſt; hæc poteſt. Mixta eſt partim violenta, ratione principij externi trahentis vel impellentis: vel voluntaria, ratione principij interni. Cæterùm violentum dicitur cùm vi impellimur; inuitum, cùm moleſtè mouemur; voluntarium, cùm iucundè allicimur; mixtum, cùm ad vtramque partem quaſi vacillantes flectimur.

I I. *An ea, quæ ob metum maioris mali fiunt, aut propter bonum aliquod, ſint voluntaria vel inuoluntaria: Prioris exemplum eſt rerum iactura in tempeſtate: poſterioris, cùm aliquis mentitur propter lucrum.*

Reſp. Si metum mali ſpectes, inuitè; ſi ſpem & expectationem boni, ſponte agunt, qui ſic agunt. Item actio iſta eſt violenta, reſpectu externi principij; voluntaria, reſpectu interni principij, nempe voluntatis & mentis.

I I I. *An aliquis impelli debeat ad malum?*

Diſt. Ad malum pœnæ ſeu damni malus debet impelli per legem, bonus aliquando debet per vim: quia oportet interdum quædam mala triſtia & luctuoſa ſubire. Ad malum culpæ nemo debet impelli, vel ob metum maioris mali, vel ob ſpem maioris boni; ne fiat ſcandalum alteri, periculum nobis, damnum ciuitati. Hæc enim omnia exiſtunt, ſi leges violentur.

I V. *An ignorantia excuſet peccatum?*

Diſt. Ignorantia natiua, qualis eſt infantum, quodammodo excuſat peccatum, quia non eſt voluntaria; inuita in bene valentibus, ſed non valentibus ſcire, qualis eſt in captiuo, excuſat errorem; craſſa ſeu ſupina aggrauat peccatum; quia in otioſis fit ex ſocordiâ; in ſuperbis ex philautiâ, in deſperatis & obduratis, ex malitiâ.

V. *Vtrùm belluæ & pueri ſponte egeant?*

Diſt. Eſt ibi ſpontaneitas imperfecta, non perfecta.

V I. *An potiùs ſit moriendum, quàm turpe committendum?*

Aff. Quia turpe infamiam parit poſt mortem; & facit miſerum;

ſerum; Deum denique offendit. Melius ergo eſt mori cum dignitate pro virtute, quàm viuere cum ignominiâ.

VII. *An omne violentum ſit inuoluntarium?*

Neg. Aut enim violentum opponitur naturali, vt motus lapidis deorſum eſt violentus: aut voluntario, & hoc modo ſemper eſt inuoluntarium.

VIII. *An aliquis actus voluntatis ſit inuoluntarius?*

Diſt. Actus voluntatis primarius & immediatus ſemper eſt voluntarius, vt velle, nolle: ſecundarius & mediatus ſæpe eſt inuoluntarius, vt loqui, ambulare.

IX. *An actio mixta magis vim quàm voluntatem ſequatur?*

Poſterius aff. Quia voluntas eſt internum principium.

X. *An concupiſcentia ſit voluntaria?*

Aff. Quia hîc eſt conſenſus voluntatis, & appetitus delectationis

XI. *An electio ſit in pueris & belluis?*

Diſt. Inchoata ibi eſt, perfecta non eſt; quia ad hanc requiritur intellectus vt principium, voluntas vt ſubiectum, recta ratio vt medium, finis actionis vt bonum animi ſolidum.

XII. *An electio ſemper ſit optimorum?*

Diſt. Electio eſt ſana, vel corrupta. Illo modo ſemper eligimus optima, hoc non item.

XIII. *An omnia cadant in deliberationem?*

Neg. Quia neque ſtulta, neque certa, neque æterna, neque naturæ & fortunæ euenta ad conſultationem referuntur, ſed ea, quæ ſunt in noſtrâ poteſtate ſita, quæque à nobis peragi debent: neque tamen hæc omnia, ſed ea ſolùm quæ ſunt dubia & incerta. Hinc dici ſolet: Obiectum deliberationis debet eſſe bonum, non malum; humanum, non diuinum & æternum; contingens, non neceſſarium; voluntarium, non naturale aut violentum; dubium, non certum cognitum; magnum & vtile, non triuiale & noxium; futurum, non præſens vel præteritum; poſſibile, non impoſſibile.

XIV. *Quid electio & deliberatio differant?*

Electio eſt actus in mente inchoatiuè, in voluntate perfectiuè: deliberatio contrà eſt inchoatiuè in voluntate, perfectiuè in mente. Intellectus enim diſcutit, voluntas perficit actionem deliberantis.

XV. *An omne eligibile cadat ſub deliberationem?*

Aff. Ex modò dictis.

XVI. *An omnis deliberatio ſit reſolutoria?*

Neg. Quia deliberatio fit vel per reſolutionem, ab effectis ad cauſas; vel per compoſitionem, à cauſis ad effecta. Illa eſt deliberatio propriè dicta, hæc potiùs inquiſitio, quàm deliberatio dici debet.

XVII. *An verum bonum ſit obiectum voluntatis?*

Diſt. Voluntas rationi ſubiecta ad verum bonum ſecundùm eſſentiam ſuam fertur: ſed eadem affectibus obruta, fertur in bonum apparens. Semper itaque appetit bonum; quia malum non ſub mali, ſed ſub boni ratione appetit.

XVIII. *An voluntas ſit libera?*

Aff. Nam neceſſitas coactionis & conſequentis hîc locum nullum habet; neceſſitas inclinationis ſeu conſequentiæ non tollit libertatem.

XIX. *An voluntas & intellectus ſint eadem potentia?*

Diſt. Non differunt re, ſed ratione. Vide ſuprà in Pneumaticis.

XX. *An voluntas ſit nobilior intellectu?*

Diſt. Intellectus eſt nobilior, quatenus dirigit voluntatem: voluntas eſt nobilior, quatenus habet rationem finis, vt amor Dei eſt finis cognitionis Dei. Iam verò amare Deum, eſt nobilius, quàm cognoſcere.

XXI. *An voluntas moueat intellectum?*

Diſt. Voluntas mouetur ab intellectu quoad intentionem: intellectus à voluntate, quoad actionem & executionem rerum.

XXII. *An intentio boni & mali ſit actus voluntatis?*

Diſt. Eſt actus intellectus; ſi ſpectetur in intentione conceptio eiuſdem: eſt actus voluntatis, ſi ſpectetur relatio eiuſdem ad finem, & in eâ commoratio.

De fortitudine.

XXIII. *Quid ſit fortitudo, & quotuplex?*

Reſp. Eſt fortitudo 1. *Naturalis*, quæ conſiſtit in viribus corporis: & hoc modo leo dicitur fortis. 2. *Ciuilis*, quæ ſumitur latè & fusè, pro militari ſeruili & legali: vel ſtrictè, pro morali, quæ eſt virtus intrepidè ſuſcipiens & generosè perferens pericula æquitatis causâ. 3. *Cœleſtis*, qualis fuit in Moſe contra Pharaonem.

XXIV. *An mors bellica ſit obiectum fortitudinis?*

Diſt. Obiectum fortitudinis commune, eſt omne formidoloſum: proprium eſt mors bellica; quæ ideo dicitur obiectum fortitudinis, quia eſt difficillima, & pulcherrima, & honeſtiſſima. Deinde obiectum fortitudinis internum eſt perturbatio animi, externum eſt mors bellica.

XXV. *An timere debeat fortis?*

Diſt. Eſt timor 1. *Naturalis*; qui eſt vel cum ratione coniunctus, vti filius timet patrem; vel ſine ratione, vti puſillanimis timet ſuam vmbram. *Legalis*; qui debetur Regi. 3. *Venerabilis*; qui debetur Deo. 4. *Seruilis*; quo quis timet ea, quæ non ſunt timenda. Forti ergo licet ea timere, quæ timere non eſt inhoneſtum: exempli gratiâ fulmina, iniuſtum carcerem, & ſimilia.

XXVI. *An fortitudo ſeu magnitudo animi diſtinguantur à virtute?*

Reſp. Fortitudo capitur tribus modis. 1. Pro robore corporis: & ſic eſt virtus naturæ, non morum. Sic quò quis robuſtior, eò habetur fortior à populo. 2. Pro firmitate & conſtantiâ animi in omni bono difficili. Et ſic omnis virtus eſt fortitudo. 3. Pro habitu animi in formidoloſis: & ſic eſt virtus diſtincta.

XXVII. *Audacia quotuplex?*

Reſp. Duplex. Aut enim homo audax cæcâ temeritate inſtar bruti ruit in periculum: aut ſuperbâ impudentiâ adit periculum.

XXVIII. *Timiditas quotuplex?*

Duplex. Aut enim timidus eſt aliquis à naturâ, vt melancholicus: aut ab vſu, vt mollis.

XXIX. *An fortis ſit vllo modo dicendus, qui ſibi mortem conſciſcit?*

Neg. Quia hoc eſt contra naturam, rectam rationem, leges ciuitatis, & maieſtatem Dei, cui diffiditur.

XXX. *Fortitudo quotuplex.*

Reſp. Duplex; vera, ſeu politica, de quâ iam diximus: & falſa, ſeu analogica, eaque 1. Ciuilis quando pugnatur ſpe honoris, vel metu dedecoris. 2. Seruilis, quando pugnatur vel timore ſeruitutis, vel ſpe lucri. 3. Naturalis; quando pugnatur vel impetu naturæ, vt in belluis; vel impetu iracundiæ, vt in bilioſis. 4. Militaris; quando pugnatur vel nimiâ victoriæ confidentiâ, vel ſtultâ experientiâ militaris ſcientiæ. 5. Caſualis; quando pugnatur vel repentino animi motu ſine conſilio, vel ferâ pœnitentiâ ſine remedio.

XXXI. *An ira ſit ſtimulus fortitudinis?*

Diſt. Ira ſecunda non eſt aculeus fortitudinis, ſed moderata; quia hæc vires corporis confirmat, & æſtum naturalem concitat.

XXXII. *Vtrùm fortior ſit, qui ſine animi perturbatione in ſubitis periculis verſatur, quàm qui præmeditatus ad pugnam venit?*

Diſt. Fortitudo conſideratur vel quoad eſſentiam abſolutè, & ſic magis cernitur in præuiſis & præmeditatis periculis, quàm in ſubitaneis: vel quoad exiſtentiam reſpectiuè: & ſic magis, poſtulante neceſſitate, cernitur in repentinis, idque propter metum depulſum, periculum ſuſceptum, honorem comparatum.

XXXIII. *An fortitudo ſit res moleſta?*

Diſt. Eſt res triſtis & acerba propter naturæ infirmitatem, obiecti difficultatem, & medij, putà laboris, aſperitatem: eſt res delectabilis propter habitum virtutis, bonum ciuitatis, & præmium honoris. Breuiter: Actio fortitudinis interna eſt iucunda, externa, triſtis.

XXXIV. *An difficilius ſit dolores perferre, quàm à voluptatibus abſtinere?*

Aff. Prius; quia natura dolorem refugit, voluptatem amplectitur.

XXXV. *Quæ ſint officia ſeu actus viri fortis in bello?*

Reſp. Quædam ſunt communia, vt expectare hoſtem, ſuſtinere plagam; fugam, cùm ratio iubet, arripere: quædam propria, vt cunctando rem peragere cum conſilio, aggredi periculum cum prudentiâ, hoſtem percutere cum iuſtitiâ.

XXXVI. *An fortior & felicior vehementiùs in morte doleat?*

Aff. Reſpectu naturæ, quæ mortem refugit, & patriæ, cui diutiùs inſeruire non poteſt.

XXXVII. *An fortitudo potiùs in ferendo, quàm in feriendo perſpiciatur?*

Aff. Quia fortis à ferendo dicitur.

XXXVIII. *An mors potiùs forti, quàm fuga ſit eligenda?*

Diſt. Aut enim ex fugâ fortis ſequitur ruina reip. religionis, & honeſtatis; aut ſalus ciuitatis, exercitus, & ſuæ vitæ. In priori caſu potiùs mors eſt expetenda, quàm fuga: in poſteriori ſecùs.

XXXIX. *An liceat forti hoſtem fallere?*

Diſt. Fallere contingit duobus modis: aut cum violatione fidei, & ſic non licet, vt docet exemplum Reguli: aut cum ſtrategemate

tagemate belli,& sic licet;quia natura iubet,vt se defendat;patria iubet, vt hostem pellat; lex belli iubet, vt insidias hosti struat.

De temperantia.

XL. *An temperantia rectè definiatur ab Aristotele moderatrix linguæ & manus, seu gustus & tactus?*

Dist. Temperantia sumitur vel latè,pro moderatione omnium actionum humanarum, quæ cum voluptate sunt coniunctæ: vel strictè, pro moderatione voluptatum in obiectis gustus & tactus.

XLI. *Quot sint species temperantiæ?*

Resp. Quinque:videlicet Abstinentia, Sobrietas,Pudicitia, Castitas, Virginitas.

XLII. *An belluæ aliis etiam voluptatibus delectentur præter voluptatem gustus & tactus?*

Dist.Per se delectantur gustu ad nutritionem,tactu ad generationem:per accidés capiuntur auditu,vt aues & vrsi harmonia,aspectu,vt pauo suis plumis; & olfactu,vt canes & pisces.

XLIII. *An temperantia sit contraria naturæ?*

Dist.Est contra naturã animalem,non est contra humanam.

XLIV. *An cupiditas naturalis sit vitium?*

Dist.Cupiditas secundùm essentiam non est vitium, sed secundùm exsuperantiam. Deinde cupiditas est naturalis, vel moralis. Illa est insita, eaque vel bona, conseruans naturam; vel mala, consistens in impetu ad peccatum:hæc est acquisita, eaque vel bona,quæ non repugnat voluntati, vel mala, quæ repugnat.

XLV. *An intemperantia magis repugnet temperantiæ, quàm stupiditas?*

Aff. Quia in excessu tetriùs & frequentiùs, in defectu, leuiùs & rariùs peccatur.

XLVI. *An omnis cupiditas sit cum dolore coniuncta?*

Dist. Nam cupiditas per se est delectabilis,per accidens est res tristis & molesta.

XLVII. *An pollutiones nocturnæ sint peccata?*

Dist. Non sunt, quatenus natura expellit venenum: Sunt, quatenus præcedit mala consuetudo.

XLVIII. *Quæ sint remedia intemperantiæ?*

Resp. Alia sunt diuina,vt Fides,Oratio,& Gratia:alia humana,eaque vel interna,vt Pudicitia & Verecundia,itemque Abstinentia:vel externa,vt Consilium, Ieiunium, & Castigatio. Vulgò traduntur tantùm duo,videl. Abstinentia & Castigatio.

XLIX. *An intemperantia sit magis voluntaria, quàm stupor?*

Aff. Propter naturæ procliuitatem.

L. *An dolor magis labefactet naturam,quàm voluptas?*

Neg. Quia voluptas immodica vires totius corporis exhaurit & dissipat.

LI. *An vehementes voluptates insanire faciant?*

Aff. Quia cerebrum hominis nimis exsiccat,spiritum animalem perturbat, variis imaginationibus phantasiam vulnerat,& immensos dolores in appetitu excitat.

SECTIO QVARTA.

De liberalitate.

I. *Quid sit liberalitas?*

Resp. Est habitus inter auaritiam & prodigalitatem positus, quo homo in dandis & accipiendis pecuniis modum seruat. Accipe pecuniam latè pro omni re,quæ mensuratur nummo. Pecunia sic accepta est obiectum liberalitatis externum; internum est concupiscentia diuitiarum.

II. *An liberalitas magis in dando,quàm in accipiendo versetur?*

Aff. Quia beatius est dare, quàm accipere.

III. *An auarus sit deterior prodigo?*

Dist. Prodigus simplex, qui aliis vitiis non est deturpatus, melior est auaro,quia ille faciliùs corrigitur, & propius accedit ad liberalitatem, quàm hic:sed prodigus compositus, qui aliis etiam vitiis est coopertus, deterior est auaro.

IV. *An liberalitas versetur in magnis?*

Dist. Si magnum sumatur pro re illustri, non versatur in magnis:si verò comparatè pro re mediocri,versatur in magnis.

V. *An liberalitas sit contra naturam: cùm naturale sit sibi retinere plura, quàm dare aliis?*

Dist. Bona interna,vt sunt virtutes,ita sunt comparata, vt plura nobis appetere debeamus, quàm aliis dare:externa,sunt vel necessaria, vel superflua in illis tenetur quilibet sibi magis prouidere quàm aliis, in his sæpe plura aliis dare, quàm nobis retinere debemus.

VI. *An auaritia sit malum incurabile?*

Resp. Sic dicitur, non absolutè, sed comparatè.

VII. *An vsura sit mala?*

Dist. Quando vsus & consumtio cohærent, licet pro vsu aliquid accipere,vt pro habitatione domus, pro vino,pecuniâ ad longum tempus erogatâ,& similibus,quibus ita vtimur,vt res illæ consumi possint,vel in totum,vel ex parte. At quando vsus & consumptio distinguuntur, non licet aliquid vltra sortem exigere: vt si alicui vendam fruendam demus nostram pecuniam ad exiguum tempus. Deinde vsura est moderata, vel immoderata.

De magnificentia.

VIII. *Magnificentia quid & quotuplex?*

Resp. Est magna liberalitas in rebus sacris & humanis: ac proin est vel diuina, circa templa & beneficia ecclesiastica; vel humana, respiciens conuiuiorum & ludorum apparatum, beneficiorum magnitudinem, & operum excellentium pulchritudinem.

IX. *An pauper possit esse magnificus?*

Dist. Pauper sumitur tribus modis. 1. Pro eo, qui non habet opes. Et hic potest esse magnificus,quoad habitum animi. 2. Pro homine diuite, qui non vtitur diuitiis:& hic non potest esse magnificus. 3. Pro eo,cui & animus excelsus, & opes desunt. Et hic quoque non potest esse magnificus.

X. *An magnificentia sit nobilior liberalitate?*

Aff. Propter magnitudinem rei,splendorem actionis,& vtilitatem totius ciuitatis. Aliàs liberalitas præfertur magnificentiæ,quatenus est bonum communius & frequentiùs.

De magnanimitate.

XI. *Quid sit magnanimitas?*

Resp. Sumitur vel communiter & populariter, atque sic pertinet ad fortitudinem: vel propriè & philosophicè, atque ita consistit in honoribus appetendis iustè ac modestè, accipiendis parcè & decorè, perfruendis sobriè cautè & fructuosè. Iustè,ne simus iniuriosi;modestè,ne simus odiosi,parcè, ne simus ambitiosi,decorè, ne simus insolentes; sobriè, respectu nostri, cautè,respectu hostis;fructuosè,respectu ciuitatis.

XII. *Quomodo modestia & magnanimitas differant?*

Resp. Non essentiâ, sed modo & gradu.

XIII. *An magnanimitas humilitati contrarietur?*

Neg. Tametsi enim secundùm actum externum & habitum internum humilis alios sibi præponit: tamen secundùm habitum animi internum se quoque dignum indicat honoribus, & si opus sit, secundùm actum externum aliis se præponit. Deinde magnanimus non contemnit personam, sed vitium. Denique magnanimus versatur circa honoris appetitionem moderatam.

XIV. *An elatio animi sit deterior abiectione?*

Neg. Quia abiectio est vitium, quo & nobis & Reip. nocemus magis quàm elatione animi.

XV. *An meliùs sit honorari, quàm honorare?*

Prius aff. quia honorari est testimonium virtutis nobis inhærentis

XVI. *Vtrùm magnanimi sit potiùs contemnere, quàm appetere honorem?*

Affirmatio vera est,si intelligatur honor,qui est signum beneuolæ opinionis: negatio, si intelligatur honor, qui est signum reuerentiæ virtutis.

XVII. *An magnanimi sit recordari iniurias?*

Neg. Quia ipsius est,res aduersas ad vsum & splendorem virtutis adhibere.

XVIII. *An magnanimus recordetur beneficij accepti?*

Dist. Non recordatur,vt nouum accipiat, sed vt grati animi officium persoluat.

De modestiâ.

XIX. *An modestia versetur circa honores paruos; cùm omnis honor sit magnus?*

Resp. Omnis honor, qui habetur virtuti,est magnus absolutè: comparatè paruus esse potest.

XX. *An modestus possit appetere honorem?*

Sanè potest, si absit ambitio.

XXI. *An modestia sit virtus?*

Dist. Modestia naturalis,quæ est verecundia homini insita circa honores,non est virtus:sed moralis, quæ est velut habena elationis & abiectionis animi.

XXII. *An abiectio animi sit virtus?*

Dist. Sumitur enim,vel pro humilitate, vel pro vanâ simplicitate,vel pro hypocrisi. Illo modo est virtus: isto & hoc non item.

De mansuetudine.

XXIII. *An mansuetudo, seu clementia, sit virtus?*

Dist. Mansuetudo est vel naturalis, quæ est propensio ad lenitatem; vel moralis. Illa non est virtus,sed hæc.

XXIV. *An comitas & mansuetudo differant?*

Dist.Si latè sumatur comitas, non differt à mansuetudine: quia hoc modo est moderatrix iræ:sed strictè sumta,differt.

XXV. *An ira sit obiectum mansuetudinis, vel eius oppositum?*

Resp. Est obiectum, quatenus est affectus: est oppositum, quatenus est habitus.

XXVI. *Vtrùm liceat irasci.*

Dist. Irasci licet, sed non furere.

XXVII. *Vtrùm clementia differat à mansuetudine?*

Resp. Non est distincta virtus, sed eadem, variis gradibus considerata. Nam mansuetudo propriè dicitur respectu interni obiecti, quod est ira: clementia respectu externi obiecti, quod est pœna.

XXVIII. *An ira & iracundia differant?*

Resp. Sæpe hæc duo confunduntur nomine: sed re differunt. Nam iracundia habitum, ira affectum significat.

De affabilitate & ioco. XXIX. *An affabilitas sit virtus moralis, cum non sit necessaria, & sit ficta atque fucata actio?*

Resp. Omnis virtus est necessaria absolutè, respectu totius vitæ humanæ: sed non item, si spectetur comparatè respectu huius vel illius circumstantiæ. Deinde affabilitas consistit in honestâ recreatione mentis, & ingenioso sermonis vsu: sed adulatio est, vt Thomas ait, in imitando simia; nam, si ais, ait, si negas, negat: in apparendo gemma, nam vt vitrum splendet, sed cùm splendet, frangitur: in fallendo vmbra, nam citò fugit & euanescit: in mordendo vipera, & in occidendo cicuta.

XXX. *Vtrùm affabilitas differat ab amicitiâ?*

Resp. Omnino: quia affabilitas circa delectabile, amicitia circa amabile versatur: illa est sine affectu, hæc cum affectu: illius est delectare, huius amare.

XXXI. *An liceat iocari?*

Resp. Licet, si in iocis spectetur breue tempus, nam longum nocet: si locus honestus, nam suspectus inficit: si modus iustus, nam profusus lædit: si licitum iocandi genus, nam iniquum vulnerat; si vtilis finis, nam malus peruertit omnia.

De veritate, comitate, & verecundia. XXXII. *An veritas sit virtus moralis?*

Aff. Quatenus videlicet est habitus dicendi verum, sine vllâ fraude & dissimulatione. Et hoc modo dicitur considerari finaliter, & quidem in voluntate. Alioquin etiam consideratur materialiter in rebus, formaliter in oratione, & affectiuè in intellectu.

XXXIII. *An mentiri liceat?*

Dist. Mendacium accipitur vel propriè, vel catachresticè. Propriè est vitium veritati oppositum, & hoc suâ naturâ est turpe: estque vel simplex, quod profertur ab aliquo delectationis gratiâ; vel compositum, quod dicitur malitiosum & perniciosum. Catachresticè est vel iocosum, vel officiosum. Illud est vel poëticum, vt fictio; vel ironicum, vt illusio. Et hoc non est vitium.

XXXIV. *An dicens verum aliquando mentiatur?*

Aff. Si nempe dicens ipse non credat verum quod dixit: vel dubium & incertum pro indubitato & certo confidenter affirmet.

XXXV. *An comitas sit virtus moralis?*

Dist. Nam comitas accipitur, vel naturaliter, pro insitâ quâdam humanitate; vel moraliter, & ita sumitur vel latè pro mansuetudine, vel strictè pro moderatrice iocorum & ludorum, cui opponitur scurrilitas & rusticitas. Scurrilitas est impudentia in audacibus, molestia in histrionibus, vitium in omnibus: rusticitas est stupiditas in fatuis, immanitas in barbaris, vanitas in omnibus.

XXXVI. *An ludi scenici sint liciti?*

Dist. Ludi scenici sunt vel communes & populares, qui ad scurrilitatem potiùs, quàm comitatem referuntur: vel Academici, vt sunt comœdiæ & tragœdiæ, quæ sunt licitæ propter memoriam antiquitatis, vim vocis & gestus, & multiplicem scientiam rerum, quam in se comprehendunt.

XXXVII. *An verecundia sit virtus?*

Dist. Verecundia sumitur vel pro affectu, vel pro habitu morali, de quo vsurpari debet illud Socratis; qui Xenophontem iuuenem ideo laudauit, quòd purpurâ virtutis, id est, verecundiâ, malas suas tinxerat.

XXXVIII. *An verecundia contingat ex alienis malis?*

Dist. Verecundia communiter sumta ex alienis malis oritur: strictè accepta, non nisi ex nostris.

XXXIX. *Vtrùm verecundia aliquando in bonis præueniat rationem?*

Dist. Verecundia, quæ oritur ex imbecillitate naturæ, potest præuertere rationem: sed non item illa, quæ oritur ex suspicione sceleris commissi.

XL. *An verecundia seni sit vtilis?*

Aff. Si verecundia ponatur pro habitu, qui nos imbuit timore infamiæ, quæ ex vitio oriri potest.

SECTIO QVINTA.

De iustitia. I. *An iustitia omnes virtutes in se contineat?*

Dist. Iustitia est vniuersalis (quæ & legalis) vel particularis; seu generalis, vel specialis. Illa complectitur ius diuinum, & humanum; & hoc tum naturale, tum legale: ac proin complectitur omnes virtutes. Particularis est vel commutans, vel distribuens. Vtraque certum habet obiectum. Illa commutationes, hæc præmium & pœnam.

II. *An iustitia sit nobilissima virtus?*

Dist. Dignitas virtutis pendet vel à subiecto; & sic sapientia est præstantissima, vtpote quæ est in mente: vel ab obiecto; & sic fortitudo est præstantissima, quia circa mortem versatur: vel à fine; & sic iustitia est virtus maximè heroica, quia respicit commune bonum ciuitatis.

III. *Quomodo differant Ius, Iustum, Lex, Actio iusti, & Iustitia?*

Resp. hoc modo. Ius est præscriptum domini, putà Dei, naturæ, vel hominis: vnde ius diuinum, naturale, humanum. Iustum est, quod cuique secundùm ius, id est præscriptum domini, concessum est. Lex est norma, continens imperium domini, ac subditi officium. Actio iusti est operatio procedens ab habitu iustitiæ. Iustitia est habitus, quo suum cuique tribuimus.

IV. *An verum sit illud Aristotelis: Adulterum non esse, qui lucri, non concupiscentiæ causâ alienam contrectat vxorem?*

Resp. Verum est, si cum hoc salis grano accipiatur: Materialiter est adulter, formaliter auarus, quia non fœdæ voluptatis concupiscentiam, sed cupiditatem pecuniæ sequitur.

V. *An iustitia particularis ab aliis virtutibus differat obiecto, actione, ac proprietate?*

Dist. In obiecto, actione, & proprietate fusè sumtis conuenit cum aliis virtutibus: sed ab iis per se ac propriè acceptis reipsâ differt.

VI *Cùm iustitia vniuersalis, seu legalis, sit tota virtus annon eâ positâ, tanquam toto, ponantur & reliquæ, tanquam partes?*

Neg. Quia iustitia vniuersalis non est genus, vel totum integrale, sed norma, & proinde totum potentiale.

VII. *An iustitia distribuens sit medium Geometricum?*

Aff. Quia medium iustitiæ distributiuæ ponderatur secundùm merita personarum: vt si Socrates duplo plus laborauit quàm Plato, plus duplo dignitatis ei debetur.

VIII. *An proportio munerum debeat respondere dignitati?*

Dist. Proportio rei seu arithmetica, non semper æquiualet dignitati personarum; sed proportio rationis seu geometrica semper æquiualere debet.

IX. *An honor tribuendus sit regibus ob solam virtutem?*

Dist. Regi tribuendus est honor absolutè, si sit vir bonus: & comparatè, siue sit vir bonus, siue malus, propter officium: quo fit, vt repræsentet partim Deum, partim totam ciuitatem. Nimirum virtuti boni viri per se debetur laus & honos; virtuti officij habetur honor respectu sanguinis, & ciuitatis.

X. *An iustitia commutans sit medium rei inter damnum & lucrum?*

Dist. Extrema dicuntur vel respectu mediocritatis, quoad nos: vel respectu æqualitatis, quoad rem ipsam. Priori modo extrema dicuntur duo vitia, quæ obsident vtrinque omnes virtutes, & illarum arcem inuadunt: posteriori modo damnum & lucrum habentur pro extremis, inter quæ iustitia commutans, vt æquale ac arithmeticum medium versatur.

XI. *An iustitia commutatiua differat specie à distributiuâ?*

Aff. Quia differt ab illâ ratione medij, officij, finis, & & actionis.

XII. *Quomodo iudex bonus describatur?*

Resp. Metaphoricè & emphaticè dicitur oculus in sceptro principis, sacerdos iustitiæ & æquitatis, moderator legis, & ius animatum.

XIII. *An lex talionis seu repassionis sit toleranda in republicâ?*

Dist. Talio Pythagorica non est probanda, propter inæqualitatem personarum & actionum: quia personæ sunt publicæ vel priuatæ; & actiones sunt inuitæ, vel voluntariæ. At talio Mosaica omninò est probanda: quia est iuris gentium.

XIV. *An nummus & indigentia sint adæquata mensura rerum commutandarum?*

Aff. Et indigentia quidem est mensura naturalis; nummus autem est mensura ciuilis, quæ lege constituitur, vnde etiam legalis dicitur.

XV. *Vtrùm omnia commutabilia sint eiusdem generis?*

Dist. Commutabilia considerantur, vel ratione naturæ ac proprietatis suæ, & sic sunt diuersorum generum: vel ratione

vsus

vſus humani: & ſic vel iuſtè commutari poſſunt, vt oleum, triticum, &c. quæ ſunt eiuſdem generis: vel iuſtè non poſſunt commutari, vel quia commutatio eorum prohibita eſt lege naturæ, vt commutatio vxoris, vel lege ciuitatis, vt commutatio ſacerdotij ad tempus.

X V I. *Cùm res animatæ pluris ſint, an res omnes commutabiles poſſunt pecuniâ menſurari?*

Reſp. Res animatæ conſiderantur vel ratione eſſentiæ, vel ratione vſus. Priori modo vna muſca pluris eſt quàm res omnes inanimatæ: poſteriori modo res animatæ ſub menſuram pecuniæ cadunt.

X V I I. *An aliquis poſſit facere iniuriam, vt interim non ſit iniuſtus?*

Diſt. Qui iniuriam infert furenter per affectum, vtputa inſaniam, vel inſcienter per natiuam ignorantiam, vel inuitè & fortuitò, non eſt iniuſtus: ſed qui ſponte ac conſultò per malitiam, is eſt iniuſtus. Nam priores illi per accidens, poſtremus ille per ſe facit iniuriam.

X V I I I. *An iniuria, damnum, & peccatum ſint cauſa legum?*

Diſt. Sunt cauſæ non per ſe, ſed per accidens, & ex conſequenti, quatenus ex malis moribus ortæ ſunt bonæ leges.

X I X. *An magiſtratum gerens, plus aliis quam ſibi debeat conſulere?*

Aff. Si nempe per *alios* intelligatur ſyſtema reip. Nam ſi in magiſtratu conſideretur natura hominis, eſt ſibi proximus: ſi verò ſpectetur perſona ciuitatis, magis reip. quàm ſibi prodeſſe debet.

X X. *An ius politicum magiſtratus differat à iure domini in ſeruum, patris in filium, viri in vxorem?*

Aff. Quia eſt legale, reliqua ſunt naturalia.

X X I. *Vtrùm ius ciuile rectè diſtribuatur in ius naturale & legale?*

Aff. Ius ciuile ſumitur latè vel ſtrictè, Latè eſt ordinatio magiſtratus circa ſubditos: eſtque vel naturale, quod apud omnes eſt idem: vel legale ſeu legitimum, quod eſt poſitiuum. Ius naturale eſt triplex vniuerſale, quod omnes creaturas gubernat: cõmune, quod natura docet omnes animantes: proprium, quod natura docet homines. Strictè ius ciuile idem eſt quod legale ſeu poſitiuum; & ita ius naturale & ciuile ſunt oppoſita.

X X I I. *An ius naturale poſſit mutari?*

Diſt. Quod eſt naturale completè ſecundùm formam, mutari non poteſt, vt ſplendor in ſole: ſed quod eſt naturale incompletè ſecundùm materiam aliter ſe habere poteſt, vt folium in plantâ. Cùm ergò philoſophi docent, ius naturale non mutari, non ſimpliciter & abſolutè, ſed ex parte hoc eſt intelligendum.

X X I I I. *Vtrùm ius legale poſſit mutari?*

Reſp. Poteſt, ſed rarò, ne ſequatur incommodum; & in melius, ne exiſtat periculum; & prudenter atque ſenſim, ne reip. naufragium ex iſtâ mutatione ſequatur.

X X I V. *An inuitè, perturbatè, & ignoranter agens, faciat iniuriam?*

Diſt. Strictè ac per ſe iniuriam agit, qui ſponte agit: communiter & per accidens, turbatus & ignorans, iniuriam quoque facit.

X X V. *An omnis læſio ſit ex ignorantiâ, aut paſſione, aut electione?*

Aff. Nam læſio eſt vel voluntaria, vel inuoluntaria. Illa ex electione oritur, hæc vel ex paſſione animi, vel ex ignorantiâ, eaque tum iuris, quæ neminem excuſat; tum facti, quæ excuſat, ſi non ſit craſſa & affectata.

X X V I. *Vtrum inuitè agentes ſint veniâ ſemper digni?*

Aff. Sunt enim digni veniâ vel reſpectu infirmitatis, quæ comitem habet pœnitentiam: vel ratione ignorantiæ, ſiue illa ſit inſita, vt in pueris & fatuis: ſiue fortuita: ſiue violenta, vt ſi moriens vi morbi otiosè loquatur.

X X V I I. *Vtrùm iratus ſit primus author iniuriæ, ſeu læſionis, vel is, qui ad iram prouocauit?*

Poſt. affirm. quia qui irritat, primò agit.

X X V I I I. *An ſponte aliquis patiatur iniuriam?*

Neg. Quia iniuria reſpectu agentis eſt voluntaria læſio; reſpectu patientis, eſt violenta damni illatio, & velut impreſſio.

X X I X. *An aliquis volens patiatur iniuſtum?*

Aff. Accidit autem hoc quatuor modis. 1. Si voluntas non ſit expreſſa, ſed tacita; vt quando inuidus patitur damnum, vt alteri noceat. 2. Si voluntas ſit ex parte, & non integra, vt in martyribus mortem appetentibus. 3. Si voluntas ſit ex conditione, & non abſoluta: vt ſi pauper ferat dentatam vſuræ limam, ne ſuccumbat. 4. Si voluntas ſit ligata, & non plenè libera: vt ſi infans pro auro, quod petit, accipiat ferrum, eoque ſe lædat.

X X X. *An omnis qui iniuſtum fert, patiatur etiam iniuriam?*

Neg. Quia latiùs patet iniuſtum pati, quàm iniuriam pati. Nam pati iniuſtum, ſæpe cum voluntate coniunctum eſt: at iniuriam pati, ſemper à virtute alienum eſt.

X X X I. *An qui damnum patitur metu maioris mali, cuius neceſſitatem eſt coactus, patiatur iniuriam: vt ſi aliquis det prædoni ſuam pecuniam, ne vitam tollat?*

Diſt. Abſolutè non patitur, ſed comparatè. Illo enim modo iniuriam patitur, qui aliquid ſuſtinet ſimpliciter contra voluntatem: hoc, qui reſpectu neceſſitatis volens reſpectu conditionis contra voluntatem patitur.

X X X I I. *An quicunque facit iniuſtum, ſit iniuſtus*

Diſt. Qui facit iniuſtum ex paſſione ſimplici & naturali, putà timore, non eſt iniuſtus: contrà, qui facit ex paſſione mixtâ & humanâ, id eſt tali, quæ cum prauo habitu eſt coniuncta. Sic etiam qui ex electione & craſsâ ignorantiâ facit iniuſtum, iniuſtus eſt.

X X X I I I. *An iudex corruptus magis peccet, quàm qui iudicem corrupit?*

Aff. Quia iudex magis obſtringitur legi, cuius debebat eſſe interpres. Corrumpitur autem iudex reſpectu ſui, timore mali, & cupiditate boni: aut reſpectu alterius, amore vel odio.

X X X I V. *Quid ſit æquitas?*

Reſp. Correctio & moderatio iuris non communis, ſed particularis; quod cùm ſæpe deficiat, æquitas aut exponendo ſenſum, aut emendando defectum, aut moderando pœnam, moderatur legem.

X X X V. *An æquitas ſit diſtincta virtus à iuſtitiâ legali?*

Aff. Quia eſt correctio & moderatio iuſtitiæ legalis.

X X X V I. *An æquitas ſit moderatrix iuris naturalis?*

Neg. Quia lex naturæ ſeipſam explicat: v.g iuris naturalis eſt, Depoſitum reddendum eſt. Sed furioſo repetenti gladium depoſitum, non oportet gratificari; quia iuris naturæ vox eſt, Neminem lædе.

X X X V I I. *An aliquis ſibi iniuriam inferat?*

Diſt. Formaliter nemo ſibi facit iniuriam, ſed materialiter: quia nemo appetit malum quâ malum. Deinde ſi corpus & potentiæ inferiores non pareant rectæ rationi, homo poteſt ſibi facere iniuriam.

X X X V I I I. *An conſciſcens ſibi mortem, ſibi faciat iniuriam?*

Solutio patet ex quæſtione præced.

X X X I X. *An aliquis ſuæ vxori ſtuprum inferat, ſi in debito matrimonij animus ſit intentus meretricii?*

Reſp. In debitâ & verecundâ actione non facit; ſecùs in impurâ.

X L. *Vtrùm iniuſtum agere ſit turpius, quàm iniuſtum pati?*

Aff. Quia iniqua actio eſt peccatum, iuſta paſſio eſt virtus.

X L I. *Vtrùm lex id omne vetet, quod non iubet?*

Diſt. Si per vocem *omne* intelligantur vniuerſim omnia, falſa eſt affirmatiua; quia lex multa non iubet, quæ non vetat, vt ducere vxorem. Si verò intelligantur mala, certum eſt iſtud axioma: Lex quæ non iubet, vetat: vt non iubet ſtuprari.

SECTIO SEXTA.

De virtutibus intellectualibus.

I. *Quid ſit recta ratio?*

Reſp. Illa eſt vel innata, vel acquiſita. Innata eſt vel inſtinctus naturæ, quo ſenſu apes dicuntur habere rectam rationem: vel naturalis habitus, qui cadit tantùm in homines. Acquiſita eſt vel contemplatio artis, vel actio virtutis.

I I. *An medium virtutis ſit ſignum, quod recta ratio intuens nos dirigit?*

Diſt. Signum, quod recta ratio in dirigendo intuetur, eſt vel intentionis, vt ipſa beatitudo: vel actionis, vt medium virtutis.

I I I. *An vis contemplatiua differat à vi diſcuſſiua, id eſt, intellectus theoreticus à practico?*

Aff. Quia vis contemplatiua verſatur circa res neceſſarias, diſcuſſiua circa contingentes.


I V. *Vnde virtutes intellectuales habeant initium, progreſſum, & terminum?*

Reſp. A ſenſu initium, ab appetitu progreſſum, ab intellectu terminum & perfectionem habent omnes artis & mentis virtutes. Nam à ſenſu operatio, ab appetitu actio, ab intellectu contemplatio fluit.

V. *Vtrùm intellectus appetitum præcedat in disquirendâ veritate, vel contrà appetitus intellectum?*

Resp. Si spectetur ordo, appetitus sequitur intellectum, quia hic primò præscribit: Si verò consideretur actio, intellectus sequitur appetitum, quia hic primò eligit.

VI. *An sint quinque virtutes mentis?*



Intellige virtutes mentis primarias. Nam secundariæ sunt plures.

VII. *Quomodo scientia consideretur in Ethicis?*

Resp. Scientia consideratur Dialecticè, quoad modum sciendi: Ethicè, quoad vsum & finem sciendi.

VIII. *An scientiæ obiectum sit æternum?*

Dist. Æternum simpliciter est solus Deus: secundùm quid æternæ sunt res necessariæ. De his accipe illud philosophema: Scientia est rerum æternarum.

IX. *An ars sit virtus mentis?*

Aff. Nam ars & ingenua seu liberalis, & mechanica, est habitus mentis, quo ad faciendum aliquid verâ cum ratione dirigimur. Caue autem confundas virtutem mentis cum virtute moris.

X. *An actio & effectio differant?*

Dist. Si latè ac fusè sumantur, sunt synonyma: strictè effectio ad artem, actio ad prudentiam refertur.

XI. *An prudentia sit virtus intellectualis, vel moralis?*

Aff. Prius: quia subiectum eius est intellectus practicus, non voluntas.

XII. *An temperantia sit conseruatrix prudentiæ?*

Aff. Quia temperantia moderatur sensus, & refrænat affectus.

XIII. *An intelligentia sit virtus mentis?*

Dist. Intelligentia accipitur naturaliter pro potentiâ animæ, vel moraliter pro habitu mouente potentiam ad firmiter assentiendum principiis indemonstrabilibus.

XIV. *An sapientia sit scientia & intelligentia simul?*

Aff. Occupatur enim circa principia & conclusiones theoreticas.

XV. *An moralis siue ciuilis scientia & prudentia differant?*

Aff. Quia Ethica in voluntate est, & versatur circa bonum: prudentia est intellectu, occupata circa verum.

XVI. *Quotuplex sit prudentia?*

Resp. Triplex: Monastica, vnius hominis: OEconomica, vnius familiæ: Politica, totius ciuitatis; & hæc est vel positiua, legum effectrix, vel executiua, legum moderatrix.

XVII. *An consultatio sit scientia, opinio, vel coniectura?*

Neg. Nam scientia versatur circa res certas, consultatio non item: opinio dicitur vera aut falsa, consultatio bona vel mala: coniectura est leuis, consultatio grauis & ponderosa.

XVIII. *An consultatio, sagacitas, &c. sint distinctæ virtutes mentis?*

Resp. Actus prudentiæ sunt quinque. 1. Deliberare; vnde Eubulia, Consilium. 2. Citò inuenire medium, si opus sit: vnde Solertia, Eustochia. 3. Rectè de inuentis mediis iudicare: vnde Synesis, Sagacitas. 4. Iudicium absoluere: vnde Gnome, Sententia. 5. Circumstantias actionis præscribere: vnde proprium Prudentiæ nomen.

XIX. *An sapientia sit virtus diuinior & vtilior, quàm prudentia?*

Aff. Quia sapiens demonstrando agit de rebus diuinis & æternis: prudens consultando de rebus contingentibus & mutabilibus.

XX. *An sapientia per se expetatur?*

Aff. Quia est rerum diuinarum.

XXI. *An nemo nisi bonus sit prudens?*

Neg. Quia virtus mentis potest esse absque virtute moris.

XXII. *An omnes virtutes morum sint connexæ in prudentiâ?*

Aff. Si nempe spectetur præscriptio circumstantiarum, & directio actionum.

XXIII. *An prudentia sit de essentiâ virtutis moralis?*

Dist. Est, si spectetur actus virtutis moralis: sin habitus, non est.

XXIV. *Vtrùm virtutes intellectuales sint nobiliores moralibus?*

Dist. Sunt, quatenus hæ ab illis diriguntur: non sunt, quatenus theoretica ordinantur ad practica.

XXV. *Vtrùm virtutes intellectuales & morales maneant in animâ separatâ?*

Dist. Duplex est essentia virtutis. 1. Materialis; quæ transit vel in effectum internum, vti est voluptas, ira, &c. vel in obiectum externum, quale est pecunia, periculum, &c. Hoc modo virtus non manet. 2. Formalis; quæ consistit in immanente actione animi, & in ordine mentis ad primam causam. Et hæc simplex virtutis essentia manet in animâ separatâ.

SECTIO SEPTIMA.

De virtute heroicâ, feritate, incontinentiâ, voluptate, & dolore.

I. *An virtus diuina detur in homine?*

Dist. Virtus diuina simpliciter, est in animo separato: diuina secundùm quid, quæ dicitur heroica, cadit in hominem, sed rarò.

II. *Quæ sint maximè fugienda in hâc vitâ?*

Resp. Tria. 1. Vitiositas; eaque tam in dispositione naturæ, quàm in habitu malitiæ. 2. Incontinentia; eaque mentis in cogitatis obscœnis, vocis in dictis turpibus, operis in factis malis. 3. Feritas; quæ contingit quatuor modis: ex consuetudine inter barbaros; ex morbo & læsione cerebri in insanis: ex nigrâ & adustâ bile in melancholicis ex magnâ malitiâ in tyrannis.

III. *An incontinens sciat id esse malum, quod agit?*

Dist. Scit, quoad vim mentis: non scit, quoad impetum affectus, qui mentem obtundit.

IV. *Vtrùm prudentia in incontinente resistat concupiscentiæ?*

Neg. Quia incontinens nullo modo est prudens. Hic enim circumstantias expendit, ille non item.

V. *An continens & temperans sint idem?*

Neg. Quia continens vehementes cupiditates sentit & vincit, quas temperans non patitur. Hinc patet, incontinentem & intemperantem quoque differre.

VI. *An continens semper sit prudens?*

Aff. Quia obseruat circumstantias. Incontinens igitur semper est imprudens.

VII. *An intemperans sit deterior incontinente?*

Dist. Nam intemperans respectu habitus est deterior: at incontinens ratione affectus est peior: Quia incontinens scienter & sponte agit, intemperans non item.

VIII. *An continentia & incontinentia in omnibus omnium virtutum moralium obiectis versentur?*

Dist. Si considerenrur simpliciter & per se, propriam habent materiam: si compositè & per accidens, versantur circa obiecta aliarum virtutum, vt circa iram, gloriam, lucrum.

IX. *An habitus scientiæ sit in continente?*

Dist. Scientia consideratur vel in habitu, vel in actu & vsu. Priori modo versatur circa vniuersa, vel singula. Ibi continens sciens, hîc non sciens agit. Posteriori modo scientia est vel libera, vt in castè viuentibus, vel astricta perturbationi, vt in furiosis. Incontinens igitur habet scientiam mali, in quod labitur: sed procellâ perturbationis dementatus illâ non vtitur. Et rursus incontinentes in vniuersali sciunt ebrietatem & Venerem nocere: sed perturbatione æstuantes hoc poculum, quia est dulce, & hanc Laidem, quia est delicatula, persequuntur.

X. *Vtrùm necessariò id semper agat voluntas, quod intellectus concluserit?*

Neg. Quia voluntas habet libertatem in volendo & nolendo, sæpéque intellectum pertrahit ad suum obiectum.

XI. *Vtrùm sit aliquis absolutè incontinens?*

Aff. Absolutè autem incontinens dicitur, qui circa voluptates corporis ac animi versatur: aliâs simplex incontinens dicitur. Huic opponitur incontinens compositus, qui præter simplices voluptates, alias in externis rebus putà honore, diuitiis, & c sectatur.

XII. *An patiens, mollis, continens & incontinens circa eadem versentur obiecta?*

Aff. Quia versantur circa voluptatem, quæ est vel per se, eademque necessaria ad vitam tuendam, aut speciem conser

conseruandam: vel per accidens, eaque vel non necessaria, vt illa quæ ex lucro; vel inusitata, vt illa, quæ ex cæde alterius capitur.

X I I I. *An incontinentia versetur in rebus, quæ sunt naturâ molestæ?*

Neg. Aliquando enim in rebus naturâ iucundis versatur, vt in voluptatibus, circa quas versatur incontinens simplex: aliquando in rebus vi suâ molestis, quæ tamen incontinenti composito, id est destorto, sunt iucundæ, idque quatuor modis. 1. Ex morbo, vt in pleuritide. 2. Ex insaniâ, vt in phrenesi. 3. Et consuetudine, vt in barbarie. 4. Ex corruptâ naturâ: vt si quis contra genus delectetur lapide, contra speciem pecude; si quis contra ordinem naturæ non seruet modum; si quis denique contra seipsum suâ capiatur formâ. Molestum itaque simpliciter non parit delectationem, sed respectu corruptæ naturæ.

X I V. *Vtrùm incontinentia circa cupiditatem deterior sit eâ, quæ circa iram versatur?*

Aff. Quia iratus subitò mouetur, & similis est incauto seruo, estque simplex & apertus, & plerumque agit pœnitentiam: at incontinens mouetur cum quâdam deliberatione, est similis feræ insidiosæ, est dissimulator, & raro agit pœnitentiam.

X V. *An feritas morum sit horribilius quidem, minus tamen malum quàm vitium?*

Dist. Nam feritas, quæ contingit ex delectatione rationis, vt in lunaticis & quibusdam prægnantibus est minus malum, quàm vitium; quia vitium est malum animarum, feritas caret animâ: at feritas, quæ oritur ex pessimâ consuetudine, vt in tyrannis, est maius malum, quàm vitium: vtpote quæ est vitium multiplicatum.

X V I. *An intemperantia hydropi incontinentia morbo comitiali rectè assimiletur?*

Aff. Nam vt hydropici semper adesse sentiunt suum malum, epileptici autem interualla habent: ita intemperantes perpetuò exhalant scelus, incontinentes aliquando inducias habent.

X V I I. *An continentes temerarij sint minùs mali, quàm infirmi?*

Aff. Quia solum ex affectu sine deliberatione peccant.

X V I I I. *An continens in rectâ ratione semper persistat?*

Aff. Continens enim & pertinax in hoc vno conueniunt, quòd in opinione vterque persistant: sed ille in bonâ, hic in malâ.

X I X. *An faciliùs incontinens ex consuetudine, quàm incontinens ex naturâ curetur?*

Aff. Quia consuetudo citiùs mutatur quàm natura. Hæc enim altissimas agit radices.

X X. *An melancholici incontinentes facillimè curentur?*

Dist. Melancholici, qui fiunt naturaliter, facilè curantur; at illi, qui fiunt violenter, vt ex curâ, morbo, studio, non facilè.

X X I. *An spectet ad philosophum moralem, disputare de voluptate & dolore?*

Dist. Naturalis philosophus considerat ista respectu naturæ: Moralis respectu virtutis. Finis enim vltimus coniunctus est cum voluptate. Et omnis virtus humana versatur circa voluptatem & dolorem. Per voluptatem denique & dolorem, veluti per quædam signa, an actio sit bona vel mala, auguramur.

X X I I. *An sit aliqua absoluta voluptas?*

Dist. Voluptas est simplex, quæ nullum admixtum habet dolorem, vt in contemplantibus: vel composita, quæ dolorem habet admixtum, vt in felicitate actiuâ. Hic tamen dolor, qui contingit, vel contemnitur, vel in bonum conuertitur.

X X I I I. *An voluptas sit bonum per se?*

Dist. Voluptas bona est vel per se, vt illa quæ sequitur actionem boni: vel per accidens, vt illa, quæ ordinatur ad virtutem.

X X I V. *An prudens semper fugiat voluptates?*

Dist. Voluptatem fœdam semper fugit: bonam, quæ est vtilis & necessaria, non item.

X X V. *An voluptas dici possit summum bonum?*

Aff. Scilicet respectu naturæ, quæ dolorem, vt summum malum fugit: & respectu gradus; quia vt est aliqua voluptas bona, ita erit aliqua optima.

X X V I. *An voluptates corporis magis expetantur, quàm animi?*

Aff. Quia magis naturam demulcent.

X X V I I. *An difficile sit tenere modum & rationem in voluptate?*

Aff. Idque ideò euenit: quia voluptas est naturalis, delectabilis, insidiosa & subtilis.

X X V I I I. *An Deus vnâ & simplici in perpetuum voluptate fruatur?*

Aff. Deus enim semper in seipso delectatur.

SECTIO OCTAVA. De amicitiâ.

I. *An amicitia sit virtus, distincta ab aliis?*

Aff. Amicitia accipitur vel naturaliter, aut pro sympathiâ, vt in plantis; aut appetitu societatis, vt in belluis: vel moraliter, & sic est vel beneuolentiæ actus internus, vel actus externus, ortus ex bono delectabili, vtili aut honesto: quæ postrema est virtus verè ac simpliciter.

I I. *An amicitia consistat in amare vel in amari?*

Resp. Consistit in vtroque: maximè tamen in τῷ amare, tanquam digniori. Actio enim præstantior est passione.

I I I. *An obiectum amicitiæ sit bonum amabile?*

Aff. Amabile autem illud est tale vel propter se, vt virtus: vel propter aliud, vt iucundum & vtile. Deinde amabile est vel simplex, vt virtus: vel mixtum, vt virtus coniuncta cum vtilitate.

I V. *An rectè amicitia diuiditur in tres species?*

Aff. Nam sicuti triplex est obiectum amicitiæ, honestum, vtile, iucundum; ita tres ipsius sunt species, videlicet amicitia studiosa seu firma, vtilis, & iucunda.

V. *An amicitia vera tantùm sit inter bonos?*

Aff. Quia inter eos tantùm est similitudo morum: cùm mores mali sint dissimiles cum bonis, tum sibi inuicem.

V I. *An amicitia vera sit obnoxia calumniis vel iniuriis?*

Neg. Quia amici proprium est amare amicum tanquam eum, qui dicitur Alter ego. Quòd si amicus labatur, emendari debet, non traduci.

V I I. *An locorum interualla tollant amicitiam?*

Dist. Habitus amicitiæ non deletur locorum interuallo; actus vsusque eius quotidianus absentiâ dirimitur, nisi compensetur per internuntios & literas vectores illos animi.

V I I I. *An senes sint idonei ad amicitiam?*

Dist. Senex quoad propensionem naturæ, est minùs aptus ad societatem; quia est morosus, auarus, melancholicus: sed quoad educationem bonam, est aptissimus ad amicitiam; quia sic est constans, sapiens, & delectabilis.

I X. *An amicitia absoluta seu perfecta sit solùm inter duos?*

Aff. Quia relatio est inter amicum & amicum, qui sunt tantùm duo.

X. *An amicitia ex iucundo sit similior veræ, quàm illa ex vtili?*

Aff. Quia certiòr & diuturnior est delectatio, quàm rerum affluentia.

X I. *An reges, summique viri, perfectos habeant amicos?*

Dist. Quoad gradum authoritatis rex & rex possunt esse amici, non verò rex & consul: sed quoad habitum vsumque virtutis inter regem & consulem potest esse proportio & amicitia. Proportio inquam, non dignitatis, sed virtutis.

X I I. *An sit amicitia patris cum filio, mariti cum vxore, principis cum subdito?*

Dist. Amicitia est vel æquiparantiæ inter æquales, putà Lælium & Scipionem: vel disquiparantiæ inter inæquales: & hæc est vel œconomica inter patrem & filium, maritum & vxorem: vel politica, inter principem & subditos. Memineris autem, in omni amicitiâ requiri æqualitatem, non personæ, sed materiæ, id est, rei amabilis.

X I I I. *An liceat amico optare optima?*

Dist. Optima, vel sunt in nostrâ potestate, vt affluere diuitiis: vel extra nostram potestatem, vt Deum esse. Illa, non ista licet optare amico.

X I V. *An præstantius sit amari quàm honorari?*

Aff. Quia amari est bonum, minùs subiectum mutationi, & maiora affert commoda, quàm honor.

X V. *An mater plus diligat filium, quàm pater?*

Dist. Pater plus diligit filium quàm mater, id est constantiùs: sed mater plus diligit, id est, feruentiùs propter certitudinem prolis, difficultatem partus, delectationem conceptus, participationem sanguinis.

X V I. *An amicitia & iustitia versentur circa idem obiectum commune?*

Aff. Quia versantur circa societatem, æqualitatem rei, & confer-

conſeruationem ſocietatis. Commune igitur obiectum amicitiæ eſt τὸ ſociabile: proprium eſt τὸ amabile.

XVII. *An partes amicitiæ rectè cum partibus reip. comparentur?*

Aff. Nam vt partes reip. ſunt ciuis, domus, & beata hominum multitudo: ita partes amicitiæ, vtilitas, iucunditas, & honeſtas ſunt his finitimæ, quibus quaſi nexibus ſocietates vniuntur.

XVIII. *An amicitia regis in ſubditum ſit melior amicitiâ patris in filium?*

Diſt. Si amicitia conſideretur quoad internum obiectum, paterna amicitia eſt maior: ſin eadem ſpectetur quoad externum beneficium, amicitia regis eſt melior.

XIX. *An gradus amicitiæ rectè aſſignentur?*

Aff. Sunt enim quidam gradus naturales, vt amicitia patris & filij, mariti & vxoris, fratrum & cognatorum: quidam ciuiles, vt conciuium, ſociorum, hoſpitalium, bene merentium, ſimul nauigantium, ſimul militantium, &c. Nempe quot ſunt hominum inter ſe nexus, tot ſunt gradus & ſpecies amicitiæ imperfectæ.

XX. *An amicitia patris erga filium ſit maior, quàm filij erga patrem?*

Aff. Quia amor potiùs deſcendit, quàm aſcendit.

XXI. *An querelæ & criminationes in verâ amicitiâ fiant?*

Neg. Quia inter perfectos amicos eſt ſimilitudo morum, & conſenſus virtutis.

XXII. *An defectio proportionis ſit cauſa querelarum in diſparibus amicitijs?*

Diſt. Proportio rei non ſemper poteſt ſeruari in amicitiis diſparibus, vt patet in beneficiis principum. At proportio rationis ſemper ibi ſeruari debet. Si ergo iſta deficiat, defectus iſte eſt ſola cauſa omnis querelæ & contentionis.

XXIII. *An liceat patri filium abdicare?*

Diſt. Ius eſt triplex. 1. Naturale; & ſic non poteſt pater abdicare filium; quia filius ſemper eſt pars & imago patris. 2. Legale; & ſi tenetur pater prouidere filio, & aliquando, quamuis impium, in poſſeſſionem vſumque rerum ſubſtituere. 3. Morale; & ſic ei licet abdicare, ſi in ſcelere furentiùs perſiſtat, conſilióque ſanari non poſſit.

SECTIO NONA.

De amicitiâ.

I. *An proportio redamationis conſeruet, & an inæqualitas diſſoluat amicitiam?*

Aff. De proportione rationis, vt diximus ad quæſt. penult. ſect. anteced.

II. *An dantis potiùs quàm accipientis ſit pretium rei æſtimare, vt proportio in ciuili amicitiâ obſeruetur?*

Reſp. Eſt potiùs accipientis, quàm dantis. Quia hoc modo accipientes magis grati, & dantes magis gratioſi redduntur.

III. *An philoſophorum amicitia æquari poſſit?*

Negatur, quoad rem. Quia beneficia docentis propter excellentiam animi, dignitatem ſapientiæ, & bonum incommutabile rependi non poſſunt. Sed affirmatur quæſtio quoad compenſationem rationis, quæ ſpectat laborem. Philoſophantis itaque amicitia compenſari non poteſt quoad rem; ſed quoad rationem poteſt.

IV. *An patri obtemperandum ſit in omnibus?*

Reſp. In officiis omnibus iuſtis, honeſtis, & vtilibus eſt parendum.

V. *An ægrotus medico potiùs debeat credere quàm patri?*

Reſp. Artifici perito in ſuâ arte credendum eſt.

VI. *An filius patrem imperatorem belli, ſed imperitum, potiùs audire debeat, quàm militem expertum?*

Reſp. Miles expertus potiùs audiatur quàm pater inexpertus.

VII. *An potiùs ſubueniendum ſit amico indigenti, quàm viro bono nobis ignoto?*

Reſp. Amico potiùs ſuccurrendum propter mutuam dilectionem.

VII. *An benemerenti potiùs ſit reponendum beneficium, quàm dandum ſocio, ſi vtrique poſtulanti reſpondere non poſſis?*

Reſp. quòd ſocio: quia ille eſt vitæ comes & alter ego.

IX. *An moribus mutatis repente ſit diſſoluenda amicitia?*

Reſp. Oportet citò vitium fugere, & tamen virum diligere. Si ergo amicum peccantem videris, ſtatim à vitio auola, ſed ſenſim à viro (ſi corrigi non poſſit) declina.

X. *An dirimenda ſit bonorum amicitia, ſi alter alteri inſigniter præluxerit?*

Neg. Quia licèt diſſentiant in gradu & perfectione, non tamen diſſentiunt in habitu & conſenſu virtutis.

XI. *An vera amicitia incipiat à ſeipsâ?*

Aff. Quia hoc præſcribit lex rectæ rationis.

XII. *Quænam ſint proprietates veræ amicitiæ?*

Reſp. Aliæ ſunt primariæ, vt bene velle, conſentire, benefacere: aliæ ſecundariæ, vt ſimul viuere, eiſdem rebus ſtudere, labentem amicum conſilio emendare.

XIII. *An beneuolentia, amor, & amicitia re & naturâ differant?*

Reſp. Beneuolentia eſt affectio ſimilis & cognata amicitiæ, non tamen eſt ipſa amicitia, niſi ſit aucta & confirmata: quia beneuolentia nondum confirmata poteſt eſſe inter ignotos. Beneuolentia igitur eſt vel affectus, & ſic non ab amore, ſed ab amicitiâ differt: vel habitus, & ſic realiter ab amore, ſed non ab amicitiâ diſtinguitur.

XIV. *An concordia ſit virtus?*

Diſt. Concordia accipitur vel fusè pro quocunque conſenſu, & ſic eſt affectus: vel propriè pro habitu inclinante homines ad idem ſentiendum & faciendum in ſtudio vtilis & honeſti; atque ſic eſt virtus.

XV. *An concordia potius in actione, quàm in opinione conſiſtat?*

Reſp. Concordare non eſt ſemper idem velle aut intelligere: quia

Diuerſum ſentire duos de rebus iiſdem,
Incolumi licuit ſemper amicitiâ.

Tametſi autem concordia in opinione poteſt eſſe, magis tamen in rebus agendis verſatur.

XVI. *An benefici vehementiùs diligant, quàm diligantur?*

Aff. Quia beneficus eſt veluti artifex, qui ſuum opus impensè diligit.

XVII *An philautia ſit licita?*

Diſt. Amor ſui eſt vel apparens in malis, qui ſeipſos potiùs oderunt quàm diligunt, vel verus in bonis; qui ideò maximus dicitur, quia charitas ordinata debet incipere à ſeipsâ. Et qui ſeipſum non diligit, non poteſt alios diligere.

XVIII. *Vtrùm felix indigeat amicis?*

Diſt. Felix eſt vel contemplatiuus, qui abſolutè ſuis bonis internis eſt contentus: vel actiuus, quia amicis indiget; quia non poſſumus in ſocietate degere abſque ſole & ſale amicitiæ. Vitæ monaſticæ & contemplatiuæ alia eſt ratio.

XIX. *An in quouis genere amicitiæ plurimi ſint conciliandi amici?*

Neg. Nam in amicitiâ propter voluptatem iucunditas perit, ſi diuidatur inter multos. Idem de amicitiâ propter vtile, iudicium eſt. In amicitiâ denique propter virtutem, conſenſus in virtute non poteſt eſſe inter plurimos.

XX. *An magis in aduerſis, quàm ſecundis rebus deſiderentur amici?*

Diſt. Si neceſſitatem ſpectes, amici magis requiruntur in aduerſis: ſin virtutem, ſecuritatem, & vitæ honeſtatem, magis in ſecundis. Nam ibi opem ferunt, conſilio iuuant & dolorem leniunt: hîc contra ſuperbiam, quam pariunt plerumque res ſecundæ, & contra inuidiam aliorum nos muniunt amici.

XXI. *An præſentia amici ſit ſemper iucunda in vtrâque fortunâ?*

Reſp. Omnino. Eſt enim iucunda neceſſitatis causâ in aduerſis; ſecuritatis & virtutis causâ in proſperis.

XXII. *An virtus magis luceat in proſperis quàm aſperis rebus?*

Reſp. Sanè. Licet autem exiſtentia virtutis maior ſit in rebus ſecundis: eſſentia tamen eius non minùs cernitur in aſperis quàm ſecundis.

XXIII. *An maximè ſit expetendum cum amico viuere?*

Diſt. Duplex delectatio naſcitur ex amicitiâ: vna interna, quæ non ſemper aſpectum amici requirit: altera externa, quæ præſentiam amici maximè deſiderat. Requiritur itaque conuictus amicorum, non propter amicitiæ eſſentiam, ſed propter illius exiſtentiam ſeu eminentiam.

SECTIO DECIMA.

De voluptate & felicitate contemplatiua.

I. *An nihil latiùs pateat in humanâ vitâ, quàm voluptas?*

Aff. Quia eſt inſita à naturâ, & per omnes partes diffuſa: & ſine illâ nec mens virtutem, nec corpus affectum habet.

II. *An*

II. *An falsa & periculosa sit oratio veritatis, si vita non respondeat?*

Dist. Oratio veritatis semper vera est quoad constitutionem rei; sed falsa quoad opinionem multitudinis seu populi, si vita non respondeat: quia populus ex vitâ iudicat orationem.

III. *An summum bonum per additionem alterius boni fiat melius?*

Dist. Non fit meliùs essentialiter, quia est vltimum & perfectissimum: fit meliùs contingenter, id est, ornatius & splendidius. Non fit melius accessione boni interni, sed externi.

IV. *Vtrùm voluptas sit motus?*

Dist. Motus sumitur latè, vel strictè. Latè omnis affectus est motus animi, & sic etiam voluptas. Strictè affectus dicuntur habere rationem motus, alij quietis.

V. *An dolor sit indigentia eius, quod est secundùm naturam?*

Resp. Propriè non est ipsa indigentia ei delectabilis, sed affectus qui sequitur indigentiam.

VI. *An voluptas sit expletio eius, quod est secundùm naturam?*

Resp. Propriè non est ipsa expletio rei desiderabilis, sed affectus animi sequens istam expletionem.

VII. *An voluptas obscœna sit delectabilis per se?*

Resp. Voluptas obscœna propter nigram, vt aiunt, caudam, reuera est acerba: sed apparet delectabilis vitioso animo.

VIII. *An voluptates specie differant?*

Aff. Quia voluptatum obiecta differunt specie. Alia enim est voluptas temperantis, alia liberalis, &c.

IX. *An voluptas mentis sit perfectissima?*

Resp. Mentis bene affectæ voluptas est perfectissima propter diuinitatem naturæ ipsius, & excellentiam finis, quem contemplatur, & simplicitatem atque perpetuitatem actionis. E contrario mentis corruptæ delectatio est pessima, vt in peccato & ignorantiâ.

X. *An voluptas actionem perficiat vel impediat?*

Aff. Nam quia mouet ad agendum, & actionem continet, eandémque absoluit, omnino actionem perficit. Vnde perspicuum est, quomodo eadem impediat actionem.

XI. *An voluptas vnius virtutis, aut potentiæ, voluptatem alterius tollat vel impediat?*

Dist. Voluptas vna tollit vel minuit aliam, non interitu subiecti, aut conflictu contrarij, sed principatu excellentioris. Sic maior flamma minorem, intensior voluptas remissiorem extinguit.

XII. *An voluptates illæ solùm sint veræ, quæ actionem studiosi & boni perficiunt?*

Aff. Quia hominum malorum voluptates sunt laquei, quibus semel capta conscientia, semper torquetur miserrimè.

XIII. *An actio iucunda, concupiscentia & delectatio differant?*

Resp. Definitione differunt. Nam concupiscentia est desiderium boni adhuc in possessione non existentis. Delectatio est dulcis animi motus fluens in obiectum, quod experitur. Actio iucunda est delectabilis alicuius potentiæ operatio circa rem in possessione positam.

XIV. *An rei dilectio & delectatio differant naturâ?*

Aff. Quia delectatio dilectionem sequitur.

XV. *An in habitu, affectu, aut ludo consistat felicitas?*

Resp. In nullo horum. Non in habitu: quia multi habentes habitum sunt otiosi. Non in affectu: quia nullus affectus propter se expetitur, sicut felicitas, quæ est virtutis actio in se versa & reflexa: Non in ludo: quia ludus plus nocet, quàm prodest.

XVI. *An felicitas humana potiùs in actione voluntatis, quàm in actione intellectus consistat?*

Dist. Felicitas contemplatiua in intellectu, actiua in voluntate consistit.

XVII. *An mens sit subiectum felicitatis contemplatiuæ?*

Aff. Quia felicitas contemplatiua est actio interna eius partis, quæ cæteris animi partibus & potentiis imperat, quæque scientiam rerum honestarum & diuinarum comprehendit. Talis autem est mens.

XVIII. *An beatissima sit vita, quæ mente solâ & sapientiâ regitur?*

Aff. Quia est incommutabilis & æterna, vtpote occupata circa Deum.

XIX. *Vtrùm delectatio mentis sit perfectissima, maximéque secundùm hominis naturam?*

Aff. Causa dicta est ad quæst. anteced. In primis autem hoc intelligendum est de delectatione mentis simplici & abstractâ: secundariò de mentis delectatione mixtâ & à sensibus dependente.

XX. *An vita contemplatiua sit melior actiuâ?*

Aff. & quidem propter
- Excellentiam subiecti, quod est intellectus, in quo reponitur.
- Diuinitatem obiecti, quod est Deus, in quo versatur.
- Æternitatem contemplationis, quâ perficitur.
- Simplicitatem delectationis, quâ conseruatur.
- Præstantiam dilectionis, quâ per se expetitur.
- Constantiam quietis, quâ fruitur.
- Vacuitatem affectuum, quibus liberatur.
- Similitudinem, quâ Deo adunitur.

XXI. *An rerum affluentia impediat verè beatos?*

Aff. Si intelligantur theoreticè beati, quibus copia externorum bonorum est impedimento.

XXII. *An Deus moraliter agat?*

Resp. Virtutes considerantur vel moraliter, vt industriâ acquiruntur; & sic Deo non insunt: vel essentialiter, vt naturæ conueniunt; & sic Deus iustè, benignè, &c. nobiscum agere dicitur.

XXIII. *An Deus curet res humanas?*

Aff. Quia est infinitâ lenitate, sapientiâ, & prouidentiâ. Illâ diligit omnia, istâ perficit omnia, hâc regit omnia.

XXIV. *An Deus delectetur beatis?*

Aff. Quia beati viuunt vitam mentis, quâ similes Deo reddimur: & colunt sapientiam Dei: & tendunt ad Deum, qui est primum mentis obiectum.

XXV. *An in morali philosophiâ satis sit præcepta virtutis scire, aut docere, & non agere?*

Neg. Quia finis huius scientiæ est operatio: & scientia virtutis æquè in malis & bonis: & denique scire non sufficit ad beatam vitam.

XXVI. *An educatio legibus præscribi debeat?*

Aff. Quia in educatione est seminarium ciuitatis.

CORONIS ENCHIRIDII ETHICI.

Qvam methodum obseruauerit philosophus in philosophiâ morum tradenda?

Resp. Summa omnium Ethicorum consistit in his tribus: in obiecto seu fine, qui est felicitas: in subiecto, quod est capax felicitatis: in medio, quo hæc felicitas comparatur. In obiecto consideratur actio & contemplatio. Illam in primo, hanc in decimo & vltimo libro tractauit Aristotelas. In subiecto præcipuè spectantur tres animæ potentiæ; videlicet appetitus, qui affectibus; voluntas, quæ virtutibus moris; intellectus, qui virtutibus mentis subiicitur. In medio explicantur ordine singulæ virtutes, cum illarum oppositis & extremis, vt illis vtendo, hæc fugiendo, felicitatem perfectiùs contemplemur. Talem methodum Patres Ecclesiastici & Doctores scholastici in tradendâ SS. Theologiâ obseruarunt: quando primùm de Deo, tanquam obiecto: tum de subiecto, nempe homine lapso: postremò de medio, id est, de gratiâ in Christo disputarunt: vt ex Magistro sententiarum & Thomâ in primis videre est.

Atque hæ sunt quæstiones Ethicæ, ex mente Aristotelis & Casi disputatæ: in quibus si fortè aliquid offenderis, quod pugnare videatur cum nostrâ sententiâ, memineris, vel ἐναντιοφανῆ esse, vel ἐναντία. Si illud, facilè possunt conciliari, commodâ distinctione adhibitâ. Si hoc, emendabo meam sententiam, si falsitatis fuerit conuicta.

Finis Ethicæ.



ENCYCLOPÆDIÆ LIBER SECVNDVS ET VIGESIMVS,

Exhibens

OECONOMICAM.

CAPVT I.

De Felicitate œconomicâ.

PRÆCEPTA.



OECONOMICA est prudentia symbiotica de bono familiæ. *Iauello dicitur* Disciplina domestica.

Estque generalis, vel specialis.

OEconomica generalis agit de fine, subiecto, & mediis societatis œconomicæ.

Finis œconomiæ est internus seu absolutus, vel externus seu respectiuus.

Finis internus œconomiæ est felicitas œconomica; quæ consideratur quantum ad essentiam & eminentiam. Ibi est honestas œconomica: hîc est effluentia œconomica, videlicet vtilitas & iucunditas.

Finis externus est conseruatio politiæ vtriusque & scholæ. *Nam œconomia est veluti paradisus, in quo plantantur arbores, quarum fructus odore ac dulcore suo imbuunt omnes vitæ ordines.*

REGVLÆ.

OEconomica quid?

I. *OEconomica est prudentia de obtinendâ felicitate domesticâ: quæ aliâs dicitur bonum familiare domesticum, & œconomicum.*

HInc hæc disciplina dicitur familiaris, priuata, & monastica; quia tradit modum bene constituendi & administrandi familiam siue domum, quatenus scilicet domus absolutè spectatur. Nam si respectiuè consideretur tanquam pars ciuitatis, in Politicâ tractari debet.

Societas prima quæ?

II. *OEconomia rectè constituta est societas omnium prima.*

NAm liber sacrarum originum docet, Adamo in principio consociatam fuisse Euam: & ratio euincit, id esse primum in aliquo genere, quod est simplicissimum. Hinc fluunt duo ista consectaria: Errorem in familiâ parere errorem in politiâ & Ecclesiâ: nam œconomiæ ritæ constitutæ sunt bases reip. Et sicut error concoctionis primæ non curatur in secundâ, sic morbi œconomici non curantur in politiâ. Secundò, OEconomicam ante Politicam esse tradendam. Porrò quia societas œconomica est omnium prima, naturæ quoque ac rectæ rationi est consentanea. Est autem domus absolutè considerata prior ciuitate ordine generationis: aliâs ciuitas est prior domo ordine intentionis naturæ, quomodo perfectum prius est imperfecto. Vnde rectè dicitur, œconomiam esse iuris naturæ ac gentium, imò & iuris ciuilis atque diuini. Nam ICti dicunt, quæ bruta faciunt inclinatione naturali, ea si homines ratione faciant, iure naturæ facere: quæ non faciunt bruta, ea si homines ratione faciant, iure gentium facere: & quæ non omnes, sed aliqua hominum in vnum locum congregata multitudo vtilitatis publicæ causâ faciat, ea fieri iure ciuili: denique quæ homines quidam faciant diuino iussu, ea fieri iure diuino. OEconomica igitur societas est iuris naturæ, quia ipsius rudimenta cernere est in brutis animalibus, vt in apibus, paribus auium, & similibus Quapropter qui familiam non rectè instituit, naturam violat, & Apostolus illum vocat deteriorem Ethnico, qui familiæ suæ non bene præest. Est iuris gentium; quia homo animal illud sociale, duobus istis instrumentis, quæ data sunt ad societatem constituendam & confirmandam, palmariis, ratione dico & oratione, vtitur ad familiam ritè constituendam & administrandam. Ideò dicunt politici, hominem esse animal omni ape, omnique animali gregabili ciuilius. Ius quoque ciuile Romanum probat hanc societatem. Ius denique diuinum cernitur in primâ coniugij institutione, & in eiusdem confirmatione ac benedictione diuinâ. Sed occurritur à quibusdam, illud non esse naturale, à quo tot tantique philosophi, monachi, & moniales abhorruerunt. Sed sciendum est, paucorum indiuiduorum ingenium non præiudicare speciei. Deinde ingenia quæ abhorrent à societate, aut sunt theoretica, aut distorta, aut misera.

Bonum œconomicum quid?

III. *Bonum œconomicum est felicitas priuata, per quam œconomia bene est secundùm tres bonitatis gradus, qui sunt honestas, vtilitas, & iucunditas.*

HOnestas œconomica debet esse mensura & norma OEconomiæ: id est, virtus moralis, applicata personis, rebus, & actionibus œconomicis, debet esse regula, quam in societate œconomicâ omnes & singuli respicere debent. Sola namque virtus est sacra anchora in procelloso hoc mundi Euripo. Ad reliqua duo pertinent tranquillitas domestica, honos œconomicus, libertas domestica, sanitas, pulchritudo, & decorum œconomicum. Cum hoc bono pugnat infelicitas domestica, qualis in primis est barbaries œconomica Nomadum, Tartarorum, Cigarorum, & similium, qui vel in campis habitant, vel hinc inde aberrant; itémque hominum nequam, quorum omnium œconomia cùm destituatur hoc fine, nonnisi æquiuocè œconomia dicitur.

Status quantitatis & qualitatis, &c. in familia distinguatur?

IV. *In œconomiâ statum quantitatis à statu qualitatis accuratè discerni debet: item perfectio partium à perfectione graduum, seu essentia ab eminentiâ.*

NOn enim statim nulla est œconomia, quæ non eminet: neque statim imperfecta est, quæ non habet omnes perfectionis numeros. Status quantitatis est, quo quæritur, quanta sit œconomia. Quantitas ista est vel physica, quâ de fundo & possessionibus quæritur, vel politica, quæ est eminentia alicuius œconomiæ. Status qualitatis est, quo quæri

tur qualis sit œconomia, num videlicet ritè constituta, ritè administretur vel secus. Hic autem status est vel integer, vel malè affectus. Integer est perfectus, vel imperfectus. Perfectus est, quo œconomia consideratur secundùm perfectionem partium & graduum. Illo modo perfecta dicitur œconomia, in quâ omnes partes essentiales & integrales repeiuntur. Hoc modo perfecta censetur œconomia, quæ habet partes suas eminenter seu in gradu excellenti, vt cùm œconomia eminet ratione eruditionis vel religionis. Imperfectus œconomiæ status oritur vel è disparitate, vel ex defectu. Ex disparitate tum ætatis, vt cùm iuuenis ducit vetulam vel senex iuuenculam: tum conditionis, vt cùm pauper ducit diuitem: Ex defectu vel personarum, vel facultatum: vt patris, matris, liberorum, seruorum, pecuniæ, &c. De statu malè affecto vide infrà.

FLORILEGIVM.

OECONOMIA. SENTENT. Compendia OEconomicæ diuinissima sunt, *Psalm.*123.127.128.131. OEconomo ad rem tuendam modi sunt quatuor: primùm parare, deinde paratum tueri, sine quo nihilo magis parare iuuat, quàm in vas fundo carens aquam infundere: præterea prudentem esse ac diligentem. Ex quo Porus interrogatus, quid maximè equum saginaret: Oculus, inquit, domini. Libys etiam interrogatus, quod optimum lætamen? Vestigia respondit domini. Ideo Socrates dicere solebat, dominum ante seruos exurgere, & vltimum ire cubitum oportere. Surgere enim noctu, & ad valetudinem, & ad œconomiam, & ad philosophiam conferre. *Arist.in OEcon.* Ciuitas est corpus quoddam ex familiis conflatum, & quasi summa earum. Valida igitur demum est resp. si priuatim res ciuium bene habeant. *Plut.in compar. Aristidis & Catonis.* Qui negligit domum, negligit remp. *Horolog.princip.* Nisi priuata rectè administrentur, publica firmitatem non habent. *Plato 7. de ll.* Qui priuatim malus publicè bonus nunquam erit. *Æschin.* APOPH. Thales eam familiam probabat, in quâ domino plurimum otij agere liceret. *Stob.serm.*82. Chilon admonebat, vt suæ quisque domui præesset: quòd non sit idoneus reip. administrandæ, qui domum gubernare nescit. *Laër. l.* 1. Cleobulus optimum œconomum inde iudicabat, si plures haberet sui amantes, quàm metuentes. *Stob.serm.*83. Bias dicere solebat, eam familiam esse optimam, in quâ dominus sponte sit huiusmodi, qualis propter legem est foris. *Ibid.* Pittacus optimè constitutam esse domum aiebat, cui superfluum nihil abundet, & necessarium nihil desit. *Ibid.* Theana cuidam percontanti, quânam ratione celebris euasura esset respondit, Contexendo telam, & curando meum coniugium. *Ibid.* SIMILITVD. OEconomia est veluti catena, in quâ si vnum attrahas annulum, reliqui sequuntur: nihil est aliud quàm parua ciuitas siue resp. in quâ paterfam. dici potest princeps familiâs: vnde *Tacitus in vitâ Agricolæ* ait, Domum suam coërcere plerisque haud minus est, quàm prouinciam regere. Familia est veluti monarchia: vnde Lycurgus cuidam vehementer probanti democratiam, Quin tu, inquit, primùm domi tuæ illam instituis. Duabus vocibus simul sonantibus gratior fit concentus: ita quidquid fit in familiâ, fit quidem vtriusque consensu, sed tamen arbitrio mariti. Omnis familia tanquam psalterium tribus illis indiget, apparatu, concinnitate, & contrectatione. Apparatus est partium constructio, hominis putà & possessionis, vbi ille velut anima est, hæc instar corporis. Concinnitas est in officij executione. Contrectatio seu vsus est in prudenti bonorum dispensatione. Sic itaque familia est veluti systema musicum, in quo est concors discordia, & similis dissimilitudo. Familia est veluti nauis, in quâ gubernator sibi proponit communem vtilitatem. HIEROGLYPH. Nidus picæ, quæ hoc nomine præfertur aliis auibus, quòd domum suam superiùs claudat: item aceruus formicarum.

CAPVT II.

De Domo.

PRÆCEPTA.

SVBIECTVM OEconomicæ facultatis est domus seu familia, in quâ spectatur materiale, & formale.

Materiale sunt personæ, & res œconomicæ.

Formale est vnio in virtute œconomicâ, cuius actiones sunt regere ac regi œconomicè.

REGVLÆ.

Economicæ subiectum.

I. *OEconomicæ subiectum est domus.*

PEr hanc autem non solùm habitationis locus, sed etiam res, rerúmque ad familiam necessariarū acquisitio, possessio, & vsus intelligi debet. Aliâs dicitur familia, quæ definitur certorum hominum iure domestici conuictus deuinctorum consociatio. Dico iure domestici conuictus, quia hoc fit vt plurimum. Aliâs non opus est, vt qui ad familiam alicuius pertinent, assiduè omnes in eâdem versentur domo: sicut nec opus est, vt familiæ quæ ad remp. constituendam requiruntur, eodem semper in loco habitent. Satis enim est, si eodem contineantur societatis iure & imperio.

Quot personæ constituāt familiam?

II. *In domo seu familiâ plures personæ quàm tres requiruntur, si debeat esse perfecta.*

ETenim collegium constat tribus ad minimum personis, iuxta vsitatum illud: *Tres faciunt collegium*; & Respublica quindecim: Hoc est quod alij dicunt, remp. constare ad minimum quinque collegiis, vel tribus quatuórve familiis. Etsi enim duo dicuntur collegæ respectu officij, putà duo pastores eiusdem loci: non tamen ibi est collegium, vtpote quod ita dicitur respectu societatis. Porrò cùm œconomia sit aliquid eminentius collegio, necessum est vt minimum quatuor ibi sint personæ, videlicet paterfamiliâs, materfamiliâs, & duo ad minimum quibus imperetur. Intellige domum perfectam. Aliâs imperfecta domus constare potest ex duabus personis, videlicet marito & vxore; vel ex tribus, vt duobus coniugibus & seruo.

Familia vnde pendeat?

III. *Familia pendet à naturâ & curâ.*

A Naturâ quantum ad materiale & inchoationem: à curâ quātum ad formale & perfectionem. Quòd autem multi non viuunt in societate domesticâ, id est, vel ab inopiâ nummorum, vt in mendicis; vel à prauitate humorum, vt melancholicis; vel à prauitate morum, vt in latronibus; vel ab ingenij singularitate, vt in iis qui speculationis heroicæ causâ viuunt in solitudine.

Regere & regi quales sint actus?

IV. *Regere ac regi sunt actus ex iure naturæ & gentium profecti.*

NAm & in magno, & in paruo mundo se offerunt exempla imperij: vt in sole, in animâ, in formicis, & gruibus. Et in omnibus barbaricis familiis ad minimum est imperij quoddam rudimentum. Hîc obiter obserua animam corpori præesse herili imperio: quia corpus sic est in potestate animi, vt non repugnet. Contrà mens præest appetitui imperio ciuili, quatenus nempe appetitus est filius obediens. Aliâs quando idem appetitus est seruus contumax, imperium mentis in illum est herile.

An regere prius quàm regi?

V. *Regere prius est quàm regi.*

SVnt quidem hæc duo simul naturâ vi relationis: sed τὸ regere prius est naturâ vi dependentiæ, itemque dignitate. Actio quippe prior est passione.

Regere & regi æquè necessaria.

VI. *Tametsi dignius est regere quàm regi, vtrumque tamen æquè necessarium & vtile est in œconomiâ.*

SIcut enim ex diuersi toni fidibus ad symmetriam intensis oritur sonus suauissimus, & melodia iucundissima, grauibus, mediis, & acutis coniunctis: ita societas imperantium & obedientium, si iustitia distributiua adsit, musicam parit verè Olympicam. Hoc est, quod vulgò dicimus: Temperamentum in quâcunque re existere optimum.

Imperare quid?

VII. *Imperare est aliorum commodis inseruire.*

ITa paterfamiliâs suum non spectat commodum, sed familiæ suæ, quæ est veluti parua resp.

Domus cuique asylum.

VIII. *Domus cuique sua tutissimum refugium esto.*

CAius *l.plerique.ff.de in ius voc.* & Xenophon meminerunt huius sententiæ, & Cicero pro domo sua. Atque huc pertinet vetus prouerbium: οἶκος φίλος οἶκος ἄριστος. Idem de hospitio iudicium est: quod hospiti tutum receptum & securitatem præstat, vnde Iupiter Xenicus, quasi hospitij præses. Sic apud Homerum Diomedes parcit Glauco propter hospitij beneficium.

FLORILEGIVM.

SOLITVDO. SENTENT. Solitario difficilis est vita. *Aristot.9. Ethic.* Homo solitarius, aut Deus, aut bestia. *Id.in polit.* Quidam adeò in latebras refugiunt, vt putent in turbido esse, quidquid in luce est. *Sen. epist.* 2. Quid prodest recondere se, & oculos hominum aurésque vitare? Bona conscientia turbam aduocat, mala in solitudine anxia est atque solicita.

solicita. *Id.epist.92.* Homo est magis animal sociabile, quàm apis. *Arist.1.polit.* Solitarius aut est infortunatus, vt furiosus: aut maledictus, vt latro: aut beatus, vt speculatores. *Ex Caso 1.polit.Sen.epist.19.* Viuit is, qui multis vsui est; viuit is, qui se vtitur: qui verò latitant & torpent, mortem suam antecesserunt. *Id epist.61.* Omnia nobis mala solitudo persuadet. Nemo est, cui non sanctius sit cum quolibet esse quàm secum. *Ibid.* Licet foris resonent omnia, dum intus tumultus non sit, dum inter se non rixentur cupiditas & timor: dum auaritia luxuriáque non dissideant, nec altera alteram vexet, bene est animo: Nam quid prodest totius regionis silentium, si affectus fremunt. *Ibid.* Nulla virtus latet. *Id.epist.74.* ADAG. Scytharum solitudo: Homo non homo: Timon. SIMILITVD. Qui viuunt in solitudine, similes sunt athletis, qui domi se continent, ac cum nemine manus conserunt: item similes sunt viatori, qui solus ambulans facilè aberrat à via. EXEMPL. Timon μισάνθρωπος rogatus, cur in solitudine rideret, cùm esset solus? Atqui ob hoc ipsum, inquit, rideo: subindicans gratissimam sibi solitudinem. Antonius, magnus ille Ægypti monachus, quem Constantinus Imp. valde dilexit, adeò vitam solitariam dilexit, vt frequenter dixerit: Quod piscis in arido, id monachus in oppido. Pythagoras anno integro in subterraneo quodam specu latuit. M. Antonius post cladem Actiacam relictâ vrbe in mari sibi domicilium extruxit ad Pharum, proiecto in altum aggere, idque Timonium vocauit, atque ibi extorris ab hominibus egit.

CAPVT III.

De Societate coniugali.

PRÆCEPTA.

MEDIA, per quæ felicitas œconomica obtinetur, respiciunt statum integrum, vel affectum & turbatum. Ibi est fundatio, conseruatio, & amplificatio: hîc est curatio familiæ. *Si malis, ita dispone: Media duo sunt, Constitutio seu Fundatio familiæ, & administratio: atque hæc respicit statum vel integrum, vt Conseruatio, & Amplificatio; vel turbatum, vt Curatio.*

Fundatio seu constitutio familiæ respicit societatem siue syzygiam œconomicam seu domesticam, & rem familiarem seu domesticam.

Societas domestica est triplex; Coniugalis, Patria, & Herilis.

Societas coniugalis est vnio & communio inter maritum & vxorem.

REGVLÆ.

Partes domus quæ?

I. *Partes domus duæ sunt, homo & possessio.*

INtellige partes materiales seu integrales. Ex his enim duabus constat domus, personis & rebus œconomicis. Forma verò est altera pars essentialis, videlicet vnio seu coniunctio legitima. At ais, *Aristoteles 1. œcon. cap. 2.* ait: Domus quidem partes sunt homo & possessio, homo materiæ, possessio formæ rationem habet. Resp. Pars familiæ est primaria, vel secundaria. Illa est ipsa forma, vt ordo seu vnio familiæ in virtute œconomicâ: hæc est affectio consequens ipsam formam, & sic possessio forma aut pars formalis dicitur. Si enim res possessa omnino tollatur, domus corruat necesse est. Hinc rectè dicit *Casus 1. polit.* quòd sine re possessâ domus nec esse, nec bene esse possit. Vt enim nauis tuta non est sine instrumentis: ita domus non est salua, si desint instrumenta œconomica. Et rursus quemadmodum in naui gubernator habet instrumenta inanimata, vt clauum, & animata, vt remiges: ita patrifamiliâs instrumentum inanimatum est supellex, seruus est instrumentum animatum: vt ita seruus consideretur partim vt persona in societate herili, partim vt res possessa in administratione.

Societatis domesticæ præeminentia.

II. *Societas domestica est mensura rei familiaris.*

ETenim societas est finis cui, ad quem refertur res possessa tanquam medium. Hinc societas domestica est velut corpus, cuius anima virtus, caput maritus, cor liberi & vxor, ministri pedes ac manus, res familiaris est cibus & vestis, quibus corpus sustentatur.

III. *Plus curæ impendendum est in societatem domesticam, quàm in possessionem.* *Maxima cura in familia.*

RAtio huius est; quia societas est naturâ prior & dignior possessione. Vnde philosophi societates illas modò enumeratas vocant partes essentiales, possessiones verò partes fortuitas & accidentales, quæ existentiam potiùs familiæ quàm essentiam spectent. Sanè, possessiones vocantur instrumenta necessaria: verùm non simpliciter, sed secundùm quid, non necessitate absolutâ, sed necessitate finis seu expedientiæ; quia, tametsi essentia domus in trinâ societate consistat, ad existentiam tamen eius necessaria est possessio. Quæ cùm ita sint, paterfamiliâs, in hoc vnicè incumbet, vt societates istæ tanquam partes essentiales recto stent talo. Sicut enim ciuitatum euersio non tam murorum, quàm morum est casus: ita familiæ ruina non tam à diuitiis imminutis, quàm à vitiis in triplici istâ societate, nunc serpentibus, nunc grassantibus dependet. Hîc ita occurritur à quibusdam: Res possessæ sunt substantiæ, vt ager, lana, &c. Ergo non sunt partes accidentales. His talibus talis comparanda est responsio: Essentia familiæ consistit in relatione. Ideo personæ domesticæ, & res possessæ non debent considerari in œconomicis tanquam substantiæ, sed sub ratione relationis quam sustinent.

IV. *Domus perfecta ex trinâ societate, nuptiali, paternâ, & herili constat.* *Domus perfecta vt integretur?*

AT in domo imperfectâ sæpe aliqua istarum connexionum desideratur. Nam domus pauperis ex domino & boue aliquando tantùm constat. Ex his autem tribus coniugationibus prima est nuptialis, vt constat ex *Genes. 1. & 2.* non herilis, vt vult Aristoteles, hoc nixus argumento: quòd in homine intellectus domini, appetitus serui rationem habeat. Ibi enim non nisi analogia domini & serui cernitur. Cæterùm hæ tres societates sunt veluti trigæ œconomicæ, quas eleganter conferunt cum mundo maiore, ita vt maritus sit cœlum & primum mobile, vxor terra fertilis, liberi fructus cœli, & terræ famuli. Societas œconomica alio quoque nomine vocatur iugum œconomicum, quia personæ domesticæ reciproco consensu deuinciuntur ad præstandum sibi inuicem debita in familiâ officia.

V. *Societas domestica continetur vnione & communione virtutis & felicitatis œconomicæ.* *Societas domestica quibus contineatur?*

SEu, vt alij loquuntur, continentur coniunctione & functione legitimâ, coniunctione inquam munerum & onerum. Atque hæc est vnitas & communitas non numeri, sed virtutis: non Platonica & Anabaptistica, sed Christiana. Vnitas Platonica est maxima illa vnitas, per quam fit vt societas nullam admittat distinctionem rerum, personarum, vel actionum. Hæc vnitas pugnat cum naturâ societatis; quia societas est multitudo, consistens in distinctione seu differentiâ & varietate graduum, quam ista vnitas Platonica tollit. Requiritur autem hîc vnitas consensus, quæ consistit in conspiratione vsuque virtutum, & in proportione Geometricâ. Ad communitatem Platonicam quod attinet, illa est triplex, videlicet communitas vxorum, liberorum, & rerum seu possessionum. Sed communitas illa vxorum & liberorum est contra naturam; quia gradus consanguinitatis confundit quos natura inuexit; quia permittit incestum concubitum; quia fœcunditatem impedit; quia certitudinem liberorum, curámque parentum, atque adeò στοργὴν, naturalem illum ignem, qui etiam in bestiis lucet & calet, tollit; & è contrario introducit amicitiam aquosam, quæ sic dicitur, aut quia fluit nimis, aut, quia frigida cùm sit, citò extinguitur. Deinde Platonica illa communitas rerum seu possessionum est contra iustitiam; quia bonum societatis, putà concordiam dirimit, & diligentiam singulorum minuit, & confundit distinctionem illam in œconomicis & politicis vnicè necessariam, quæ est inter κτῆσιν & χρῆσιν. Interim manet naturalis illa communio aëris, aquæ fluentis, piscium, auium, ferarum, earúmque rerum, quæ non habent priuatum dominium, & quæ in communem vsum sunt genitæ, ac citra vllius iniuriam communicari possunt, cedúntque occupanti, nisi longâ præscriptione aliter sit comparatum. *Inst. de rer. diuis. §. & quidem.* Quædam tamen iure naturali communia magistratus fecit propria, consentiente populo: vt ius venationis. Denique Platonica communitas est contra exercitium pietatis & probitatis. Vide hâc de re Aristotelem *1. polit. c. 1. 2.* vbi ostendit, vnitatem Platonicam parere negligentiam rerum, licentiam morum, oscitantiam ciuium, ruinam ciuitatum, horribilem vxorum, liberorum, & dominiorum in rep. confusionem & perturbationem. In summâ: communicatio vtilitatum & amicorum est licita, non confusio Anabaptistica dominiorum. Nos igitur explosâ vnitate numeri retineamus vnitatem ordinis ac virtutis.

VI. Soci-

Societas continetur æquabilitate.

VI. *Societas continetur æquabilitate, non æqualitate.*

ÆQuabilitas est proportio Geometrica inter superiores & inferiores, ac proinde non excludit inæqualitatem. Æqualitas est proportio Arithmetica, quæ nullam fecit inæqualitatem. Si malis, ita habe. Vnio est vel rerum, vel personarum. Vtraque est Arithmetica, vel Geometrica. Illa est, quâ omnes res & personæ sunt æquales: & hæc in nullo statu est toleranda: Hæc est, quâ res & personæ pro merito sanguinis ac virtutis sunt distinctæ; & hæc est forma societatis. Deinde in rebus, quæ datæ sunt hominibus, possessio ab vsu est distinguenda. Illo modo non sunt communes, sed isto.

Triplex societas domestica nititur quadruplici iure.

VII. *Triplex illa societas domestica, γαμικὴ, πατρικὴ, καὶ δεσποτικὴ, id est, nuptialis, patria, & herilis, est iuris naturæ, gentium, diuini, & ciuilis,*

ETenim *societas coniugalis* à naturâ instituta est propter conseruationem speciei, quam omne animal appetit naturaliter; & apud omnes gentes est recepta; & Deo probatur à quo instituta est; & in iure ciuili munita est certis priuilegiis. Deinde *societas paterna* instituta est propter successionem rerum à naturâ, & in omni populo habet locum, & in scripturis laudatur, vt & in iure ciuili. Tertiò *societas herilis* à naturâ est instituta propter ordinem personarum, & est vsitata omnibus populis, & in sacrâ Scripturâ confirmata dictis & exemplis, vt & in iure ciuili. Sed ais: Multi fugiunt triplicem istam societatem. Ergo non est secundùm naturam. Ajo: Homo dicitur animal sociale vel inchoatè, vel perfectè. Inchoatè, secundùm potentiam animi, per quam propendet, & aptus est ad societatem. Perfectè, quatenus potentia illa exit in actum. Etsi verò non semper exit in actum ob certa impedimenta: ideo tamen non tollitur aptitudo naturæ. Hîc solet quæri, an vita solitaria sit vllo modo toleranda? Resp. Quatuor modis fieri potest, vt aliquis sit expers societatis. Alij enim necessitate fortunæ coguntur, vt pauperes & mendici: alij prauitate humorum abripiuntur, vt melancholici & insani: alij impelluntur prauitate morum, vt fures, latrones, & alij qui fugiunt lucem: alij denique pietate, & ardenti commouentur studio, vt sunt verè theorici, aliique contemplantes, siue Philosophi, siue Theologi, qui exuti & liberati rerum mortalium curis intentiùs multò rebus diuinis student. Primum & secundum genus solitariorum dicitur infortunatum, quod miseria: tertium maledictum, quod infamia: quartum beatum, quod vitæ sanctimonia sequitur. Homines primi & secundi ordinis sunt tolerandi. Qui sunt in tertio genere, sunt quasi vultures inter aues, & quasi lupi inter oues, homines cæde & sanguine solùm capti & saginati, ideóque ad enses, ad cruces condemnandi. Postremo in genere qui sunt, quoniam Deum pro se & Rep. placant, non solùm tolerandi, sed etiam vt rara virtutis exemplaria celebrandi sunt, si absit opinio meriti, & si liberè, non autem coactè aliquis viuat huiusmodi vitam solitariam. Sic igitur statuamus, Quemadmodum homo animal est omnium animalium præstantissimum: ita qui à societate semotus viuit sine causâ necessitatis aut pietatis, omnium animalium deterrimum haberi debet. Talis enim est armatus ad omne facinus: armatam verò malitiam sequitur pernicies immanè quanta? Excipiunt hîc aliqui, & contendunt societatem coniugalem & herilem non esse iuris naturæ, quòd subesse viro sit mulieri loco pœnæ, *Gen.* 3. & seruire sit defectus, qui est præter naturam: nec ante lapsum serui fuissent. Resp. ad primum: Fuisset etiam in statu innocentiæ mulier sub viri potestate, verùm non coactè, non molestè, nullàque voluntatis repugnantiâ, sed libens, volens: at post lapsum ferè subest viro magnâ cum molestiâ, quatenus asperè plerumque tractatur à viro, & iniquo animo fert imperium mariti. Deinde seruire est perfectio serui, sed dicitur defectus respectu domini. Et verò quidam defectus sunt naturales: vti sunt impotentiæ naturales in prædicamento qualitatis. Tertiò homo ante lapsum non sensisset seruitutis pœnam, quia omnes æquè fuissent perfecti. Fuisset tamen ibi imperium herile politicum, non despoticum. Nam si Adam protoplastus seruasset suam originem, non solùm vxor fuisset sub potestate maritali, & liberi sub potestate patriâ, sed etiam serui sub potestate herili: quia licet in omnibus æquè fuisset imago Dei, quantum ad substantiam suam seu dotes essentiales: non tamen quantum ad circumstantiam ætatis ac sexus, itémque quoad experientiam, in omnibus æquè fulsisset. Serui ergo ibi fuissent inferiores ætate ac experientiâ. Seruitus onerosa interim etiam est à naturâ, quæ in necessariis non deficit: quod quidem fieret, si suam miseriam seruorum ope non reficeret. Seruus enim non ad crucem, sed ad vsum datur, vt ait Seneca. Videris hâc de re decretum synodi Gangrensis aduersus eos, quæ prætextu Euangelij seruos volebant esse liberos. Cæterùm seruitutis onerosæ initium monstratur *Genes. 9. vers.* 25. vbi Cham derisor parentis in seruitutem est deditus vnà cum posteritate.

Societas coniugalis quomodo à natura.

VIII. *Societas coniugalis duplici nomine est à naturâ, præscripto insitæ rationis, & exemplo brutorum animantium.*

NAm recta ratio dictat, hunc nexum esse necessarium propter conseruationem speciei, distinctionem prolis, obseruationem ordinis, augmentationem rei familiaris, perfectionem amoris, & propagationem sanguinis certæque posteritatis, & celebrationem nominis diuini. Deinde brutæ animantes hanc societatem instinctu naturæ colunt, vt turtures, columbæ, cygni, ciconiæ, pelicani. Adde quod palma fœmina sine contactu viri est sterilis: & arbor amygdalus solitaria est minùs fœcunda. Sed obiicis libertatem ita vendi, & naturam per se esse liberam, ideoque vni astringi & mancipari non esse naturæ consentaneum. Resp. Natura dicitur libera, quia non agit impedita, vel coacta, id est, non alligatur necessitati coactionis. Aliâs natura alligatur necessitati, quæ dicitur immutabilitatis, itémque naturæ. Sic cùm Philosophi dicunt, nuptiale fœdus esse à naturâ, naturam intelligunt humanam, quæ agit quidem liberè, i. e. non coactè, sed tamen etiam necessariò, quatenus ordinem in societate, & rationem in ipso ordine, & amore respicit. Hinc illud: natura cùm agit, bene agit.

Quænam accurate sint discernenda in coniugio?

IX. *Essentia societatis coniugalis distingui debet ab accidentibus.*

HOc tenendum est contra illos, qui obiiciunt, vitam coniugalem esse Oceanum calamitatum ac Euripum molestiarum. Ad essentiam pertinent materiale & formale. Accidentia sunt bona, vel mala. Bona manant ab essentiâ coniugij: Mala pœnæ à maledictione diuinâ, quâ tanquam fulmine vita coniugalis siderata est. Mala culpæ partim ab infirmitate, partim à malitiâ hominum. Nihil ergo agunt, qui cœlibatum coniugio præstare aiunt ob mala & incommoda coniugij plurima, ob curas domesticas innumeras, ob mulierum vitia multitudine innumerabilia, magnitudine immania, qualia sunt superbia, libido, inconstantia, perfidia, legis & imperij impatientia, regendi cupiditas, garrulitas, sordes, lites & iurgia. Et hæc quidem sunt inseparabilia, inquiunt osores, accidentia coniugij. Sed tenendum, inseparabile poni vel pro illo quod difficulter potest separari, vel pro eo, quod planè non potest. Mala ista neque perpetua sunt, neque coniuncta sunt, neque tanta sunt, vt seminarium vitæ humanæ, reddant infame vel malum suâ naturâ. Et verò hîc cogitandum illud: *Omnis commoditas sua fert incommoda secum.* Hinc patet, quid iudicandum sit de illo Socratis: Matrimonium comitantur perpetua solicitudo, iuges querelæ, incertus liberorũ euentus, cunarum fœtor, puerorum vagitus. Item de illo Catonis: Si mundus carere posset liberis, conuersatio nostra non esset sine diis.

Societas coniugalis est duorum.

X. *Societas coniugalis est vinculum duorum duntaxat hominum.*

HOc enim suadet origo primi coniugij, qui debet esse archetypum huius societatis: quam primam legem valere iubet CHRISTVS *Matth.* 19. & spirituale coniugium CHRISTI cum Ecclesiâ idem cõfirmat: & denique vtilitas imperat, quia vt perfecta amicitia non est nisi inter duos, ita fidelitas coniugalis non est nisi inter duo capita: sicut enim parum mellis in multum aquæ infusum, mellis gustum non habet: ita vnius mariti amor in plures vxores dispersus, amicitiæ nomen non meretur, quæ tamen maior esse debet inter maritum & vxorem, quàm inter parentes & liberos. Huc accedit saniorum gentium consensus. Viderunt illæ, quòd multiplicatio vxorum potiùs sterilitatem, quàm fœcunditatem pariat, atque ita non conseruet & augeat Remp. sed potiùs corrumpat. Quid verò sentiendum de polygamiâ, siue illa sit bigamia, siue πλειογαμία, vt ita dicam? Resp. Bigamia sumitur tribus modis. 1. Pro coniunctione viri cum viduâ, vel viduæ cum viro: & hæc est legitima. 2. Pro coniunctione viri cum duabus vel pluribus vxoribus successiuè: quæ licet non sit mala, est tamen periculosa propter vinculum prioris dilectionis, quod in mente semper hæret, atque periculum contentionis, quæ existit si liberi sint superstites ex priori coniugio. Vitricus enim, qualis qualis sit, vitreus est pater: & nouerca, qualis qualis sit, semper est nouerca, id est, iniusta & infesta, quippe mouens arcam. Vnde duo illa epitheta apud poëtas: Nouerca terribilis & iniusta. 3. Pro coniunctione viri ad duas vel plures vxores copulatiuâ; & sic est illegitima, quia violat legem naturæ, eneruat vires mentis ac corporis, ac parit infinitas contentiones. Ad polygamiam patrum in V. T. quod attinet, Deus illam tolerauit, non probauit. Vnde Beza rectè ait, Deum in politiâ Israëlis, & in populi sui primis authoribus ad polygamiam veluti conniuere pro suâ clementiâ voluisse non modò eâ ratione, quâ libellum diuortij permisit, (quem tamen simpliciter nunquam probauit) sed etiam vt præstandæ suæ fidei de innumerabili multitudine ex paucissimis oriturâ, quendam aditum

aditum hoc etiam modo sibi patefaceret. Etsi autem bene vsus est eo patrum facto Dominus, non consequitur tamen, nullum in eâ re peccatum fuisse, in quâ patres a verbo Dei deflexerũt. Hinc aiunt Theologi: Polygamia potiùs permissa quàm præscripta, tolerata quàm laudata fuit à Deo. Non enim æquitatem naturalem, sed infirmitatem humanam ista consuetudo habuit pro causâ & fundamento. Affectum inquam patrem, matrem infirmitatem habet. Deinde consensus omnium pro lege naturæ habetur. Sed paucæ gentes polygamiam probant, quarum error non est putandus lex naturæ: cùm honestiores ethnici ab istâ abstinuerint, quòd viderent ipsam repugnare sociali cohabitationi, & familiæ gubernationi pacificæ. Vide *Bezam de polygamia*. Ad sententiam Tertulliani quod attinet, (qui à latere habet Hieronymum) quâ ille monogamiam seu vniuiratum ita defendit, vt ius secundarum nuptiarum nullum esse dictitet, breuiter ita habendum hâc de re. Multus est nuptiarum fauor & honor, quem meretur earum authoritas, antiquitas, & necessaria vtilitas. Nã Deus est primus & *ἄμεσος* nuptiarum conciliator, *Gen.* 2. CHRISTVS Dei Filius earundem est aduersus diuortia vindex, *Matth.* 19. Idem non solùm honorificentissimâ præsentiâ illas approbauit, sed etiam magnificentissimo titulo condecorauit, *Ioh* 2. Nullus præterea vitæ humanæ status nuptias vel dignitate loci, vel cõditionis præstantiâ, vel temporis prærogatiuâ, antecellit. Absque nuptiis si sit, genus humanum vel penitus collabi, vel vagis libidinibus necesse est contaminari. Quapropter Apostolus *Heb.* 13. *v.* 4. prædicat *τίμιον τὸν γάμον ἐν πᾶσι καὶ τὴν κοίτην ἀμίαντον*. Huiusmodi autem priuilegia & honoraria primis nuptiis arrogare, secundis derogare, iniquum est. Nusquam enim Scriptura primas nuptias respectu diuinæ benedictionis secundis præfert, neque has ab illarum dignitate remouet. Tertullianus itaque & ante & post suam ad Montanistas transitionem secundis nuptiis durior fuit & iniquior *lib.* 1. *ad vx.* Incerta planè est ipsius consecutio: Quid tu restaures, cui finem Deus imposuit? Nec magis valet quàm ista: Quid tu eum sanas, cui Deus morbum immisit? quid tu ædes restauras, quas Deus fulmine combussit? Prodigiosum quoque est argumentum illorum, qui inter *κυρίας δόξας* ponunt illam, matrimonium ne morte quidem posse dissolui: ac proinde neminem posse ad secunda vota transire. Similes sunt isti homines vxori isti apud poëtam:

Ille meos, primus qui me sibi iunxit, amores
Abstulit: ille habeat secum seruetque sepulchro.
Cui soror minùs superstitiosa respondet;
Id cinerem aut manes credis curare sepultos?

Magnâ interim hîc opus est prudentiâ, vt nuptias secundas habeamus verè secundas ac fœcundas.

An secundæ nuptiæ probãdæ?

X I. *Ad nuptias secundas, siue ad secunda vota, veniendum est, non nisi extremâ vrgente necessitate.*

DVo hîc dicuntur: Primò non temerè nuptias secũdas esse parandas. Ratio; quia rarò sunt secundæ, idque duas ob causas, quia videl. amor non est ita magnus in secundo coniugio vt in primo, vnde dici solet: Amor in primis nuptiis est aureus, in secundis ligneus. Deinde periculum contentionis metuendum si adsint liberi; quia nouerca infesta & iniusta est prioris vxoris liberis. Hinc veteres Romani eam fœminam coronâ pudicitiæ honestabant, quæ vno contenta matrimonio, perpetuâ viduitate incorrupti animi sinceritatem ostendebat. Talis fuit Valeria vxor Seruij, quæ cùm à propinquis rogaretur, cur amisso marito non nuberet alij; respondit, sibi virum semper viuere Seruium. Putabat enim sibi virum viuere, quem in animo affectúque gestabat. Et sanè coniugium non corporis illecebris, quæ sunt momentaneæ, sed animi affectu, qui debet esse perpetuus, metiri oportet. Secundum huius regulæ membrum loquitur de necessitate, quæ non habet legem, & vulgò dicitur durum telum frangens ferrum. Duplex autem est necessitas nuptiarum secundarum: 1. Infirmitas hominis, si nempe viduus, vel vidua sit libidinis impatiens. 2. Rei domesticæ administratio, quæ sæpenumero vidui vel viduæ humeros superat. Et hoc tenendum est contra Tertullianum, qui nuptias secundas suâ naturâ malas esset docet.

Coniugiũ perfectũ quod?

X I I. *Coniugium perfectum est, quod contrahitur à similibus.*

ETsi enim inter dissimiles sæpe fausta quoque sint inita coniugia: sæpiùs tamen funesta quàm festa fuerunt, ita vt rectè cecinerit poëta.

Quàm malè inæquales veniunt ad aratra iuuenci?
Si qua voles aptè nubere, nube pari.

Coniugium itaque ne contrahatur cum dissimilibus: Quemadmodum enim similitudo amicitiæ, sic & coniugij est mater. Cæterùm dissimilitudo ista est 1. Diuersitas religionis, quæ quid possit, ex Salomonis exemplo discere licet, qui profanarũ mulierũ conuictu factus est idololatra. 2. Diuersitas ætatis: vt si senex iuuenculam, aut iuuenis vetulã ducat. Hinc ait philosophus Anglicanus Casus: Senex amator est ridiculus & extremũ infortuniũ, vetula verò iuueni est purgatoriũ. 3. Diuersitas opum. Si enim pauper ducat diuitẽ, non vxorẽ, sed dominam ducit, & tum veniunt à dote sagittæ, vt poëta canit. Ideo

Cùm pauper aliquis, contrahendo nuptias,
Quas vxor affert accipit pecunias,
Sese dat ipse potiùs illam quàm accipit.

4. Diuersitas complexionis. Sic non bene conuenit complexioni sanguineæ cum melancholicâ. 5. Diuersitas morum. Ducas itaque, quoad fieri potest, parem. Nam:

Mortua cùm viuis iunguntur corpora, luctus,
Non lectus: tumulus, non thalamus fuerit.

Magnum hîc operæ pretium fuerit ritè *φυσιογνωμεῖν*: quâ de re vide paulò pòst cap. 5.

X I I I. *Consensus parentem est de coniugij necessitate.* — An consensus parentum sit de necessitate côiugij?

FAcit enim ad ipsius essentiam, non quidem vt pars essentialis, materia scil. aut forma: sed vt causa efficiens non quidem proxima, sed tamen propinqua. Coniugium quippe honestùm esse non potest, nisi liberorum consensus includat consensum parentum, aut illorum, qui sunt loco parentum. Quod ita patet. Sponsalia clandestina repugnant iuri diuino, & naturali æquitati, & quidem è diametro. Nam cùm liberi sint sub potestate parentum, non licet illis sese aliis mancipare, nisi ex parentum consensu: idque æquum & honestum esse, res ipsa clamat, cùm liberi seipsos parentibus secũdùm DEVM debeant. Hinc quoque DEVS dedit parentibus præcepta de liberis suis elocandis, *Exod.* 22. & alibi. Sanè inhonestum est, contemnere parentes, quod fit, quando illis vel insciis vel inuitis contrahitur matrimoninm. Deinde quid obstat, quin pro expressâ lege habeatur, quod perpetuo in vsu fuisse liquet? Nam historia Rebeccæ & Iacobi in V. T. hanc necessitatem confirmat: & Patres tum Græci, tum Latini, multique Pontifices hunc consensum vrgent. Synodi quoque veteres eò vsque damnant clandestina coniugia, vt etiam scientes, præsentes, auxiliantes, excommunicationi subiiciant de ipso facto, vt loquuntur. Leges quoque ciuiles hanc sententiam roborant. Dicuntur autem clandestina duobus modis. 1. Quæ inter solos contrahentes, non præsentibus aliquot testibus conflantur. 2. Quæ contrahuntur citra scientiam & voluntatem eorum sub quorum potestate sunt contrahentes, quíque matrimonia iungere de iure & possunt & debent, vt sunt pater & mater, & qui eorum loco esse possunt. De his ita pronuntiat Lutherus: Licet clandestinis sponsalibus mille interuenerint testes, si tamen citra parentum scientiam & consensum contracta sint, omnium illorum testimonium pro vnius tantùm habendum erit, vtpote qui sine ordinariâ & publicâ potestate subdolè & subreptitiè, ac in tenebris ea inchoarint, nec in luce tractarint. Sed quid, si eiusmodi clandestina sponsalia copula carnalis siue coniugium reipsâ sit consecutum? Resp. Parentes suo consensu subsequente rem alioqui non ritè factam confirmabũt. Quòd si neque vltrò, neque rogati hoc velint facere, in fauorem matrimonij coniugium istud nihilominus non est dissoluendum.

X I V. *Virgo cæteris paribus potiùs ducenda, quàm vidua.* — An virgo potiùs ducenda, quàm vidua?

DVplex enim ei est labor qui viduam ducit. Prior, vt dedoceat primi mariti mores, quos viduæ solent allegare: alter vt suis assuefaciat. Quod expressit musicus quidam, qui duplicem mercedem exigebat à discipulis, qui alium habuissent præceptorem, eò quòd difficilior esset obliuionis, quàm memoriæ ratio.

X V. *Concubinatus suâ naturâ est fœdus & noxius.* — An concubinatus probandus?

FOEdus: quia turpe est plures habere corporis sui vsufructuarias: cùm vxor sit dimidium mariti & corporis eius proprietaria & vsufructuaria, vt loquitur serenissimus magnæ Britanniæ rex Iacobus in basilico *δώρῳ*. *Noxius* est: quia si fit vnius cum vnâ illegitimi nascuntur liberi, nec res familiaris commodè potest augeri: si verò fit vnius cum pluribus (qui est caninus) valetudinem lædit, vitámque exponit telis plurium amasiarum. Quamuis autem Romanorum legibus toleretur concubitus viro libero, prohibet tamen lex diuina omnem concubitum extra matrimonium. Et Nicæna synodus ministris Ecclesiarum interdicit *συνεισάκτους*, id est, secundarias seu introductas vxores. Vnde porrò colligere licet, neutri coniugi licitum esse ingredi lupanaria: quæ licet specioso hoc prætextu excusentur, illa ideò tolerari, vt præcludatur occasio adulterij & scortationis: tamen Christiana doctrina non tolerat vitia, vt vitentur alia: præsertim cùm coniugium sit amuletum, vt ita dicam, scortationis. Errant igitur, & turpiter errant Papistæ, qui asserere non dubitant, ministrum verbi DEI abnormiter peccare, si viuat in coniugio, non verò si cohabitet cum concubinâ, id est, cum lupâ.

X V I. *Coniugium feliciter contracturus sit Fabius, id est, cunctator.* — Contracturus côiugiũ esto Fabius.

PRudentia enim in hoc tam arduo negotio requiritur. Prudentia autem comitem habet cunctationem, aduersariam præcipitationem. Quare vxor principaliter est ducenda animo, dehinc auribus, oculis, & manibus. Animo: ita vt virtutem, pietatem scilicet, & probitatem, respicias. Rectè hîc dicitur: Vxorem bonam inuenit, qui nil nisi bonam quærit. Auribus: ita vt aliorum iudicia consulas, & de honestate familiæ solicitus

solicitus sis. Oculis: ita vt venustatem quoque requiras: quia deformitas corporis deformitatem animi plerumque indicat. Manibus denique, ita vt dotem spectes vltimo loco. Vltimo dico loco: quia non facit faustum coniugium dos, sed virtus. Ideo Themistocles solitus fuit dicere: Malo sponsam piam carentem dote optimâ, quàm dotem optimam carentem piâ sponsâ. Et verò vnde dos ingreditur, magna inde egreditur libertas. Ad dotem pertinent pacta dotalia, & donatio propter nuptias. Hæc & similia quàm studiosissimè præcipiuntur ab œconomicis scriptoribus: quia bonum coniugium est terrestris paradisus, at malum contrà est terrestris infernus. Neque verò si semel accepisti vxorem, venum postmodum eandem exponere poteris, & cum aliâ commutare, sed necesse est

——— *habeas tecum seruésque sepulchro.*

Certissima enim est illa vox: *Breuis est cantiuncula: Tu sis mea: Ego tuus: Sed longum habet epiphonema.* Peccant igitur grauissimè, qui per fenestras oculorum prospiciunt, non autem penetralia domus inspiciunt, dū ambiunt nuptias alicuius, h.e. qui nullâ prçuiâ deliberatione, nullo adhibito iudicio ad quamuis impetu cæco & planè Cyclopico proruunt, & quam priùs affectus cæcus ipsis obiicit, arripiunt statim & accipiunt.

Impedimenta coniugij quæ?

XVII. *Impedimenta coniugij legitima sunt quæ vitiant, vel ipsas personas contrahentes, vel liberum & honestum contrahentium consensum.*

SVb honesto contrahentium consensu parentum sensus implicitè continetur. Neque enim honestus consensus dici potest, qui violat quintum Decalogi præceptum. De prioris generis impedimentis hi sunt versus:

Inuitus, consanguineus ne fœdera iungant,
Paganus, meretrix, infames & furibundi,
Leprosus, coniux, desertor, spado & ineptus.

Illegitima impedimenta apud Canonistas & Bellarminum sunt plurima: vt votum continentiæ, error in personâ ratione diuitiarum, quadragesima, &c.

Duo gradus coniugij.

XVIII. *Duo sunt gradus coniugij, Sponsalia & Nuptiæ.*

HInc apud Græcos μνηστεία & γάμοι differunt. Videntur autē eius modi duæ potissimùm causæ generales fuisse: Vna vt tanti momenti obligatio non protinus, sed duobus demum distinctis gradibus perficeretur: altera, vt medio tēporis interuallo, num aliquid fortassis esset, quod matrimonij consummationem impediret, tempestiuè dispiceretur. Quò etiam pertinet trinundina (vt Beza vocat) promulgatio in Ecclesiâ recepta. Porrò duobus istis gradibus verè solemne ac legitimum matrimonium, inter profanas etiam gentes perfectum fuisse, Terentianum illud declarat: *Placuit, despondi, nuptiis dictus est dies.* Inde & illud consequitur, totidem esse eius vinculi dirimendi gradus, nempe *repudium*, quo sponsalia, & *diuortium*, quo matrimonium, iam ipsâ interueniente corporum copulâ consummatum dirimitur, vt disertè declarat *Modestinus l. inter stuprum. D. de verb. sign.*

Sponsalia quotuplicia?

XIX. *Sponsalia sunt duûm generum: videl. de futuro ac præsenti.*

SPonsalia de futuro sunt, quæ solis verbis de futuro, vt loquuntur, siue purè, siue addita conditione concipiuntur, vt si quis dicat, Accipiam. Sponsalia de præsenti sunt, quæ solis verbis de præsenti concipiuntur, vt si quis dicat, Accipio. Priora illa sponsalia ipso iure nulla ac planè inutilia sunt: etsi discrimen verborum in præsens & futurum conceptorum non sit inane, vt *Beza* docet *de repudiis & diuortiis.* Hinc sponsalia de futuro videntur apud veteres potiùs, quàm apud nos habuisse locum vti Zanchius è Pandectis & iure veteri probat. Quemadmodum enim, e.g. qui sic locutus fuerit, *Vendam tibi hunc fundum*, nondum vendidit, sed tantùm venditurum promisit, ac proinde nulla inde actio neque ex vendito, neque ex emto nascitur, sed ex promisso duntaxat: qui verò dixit, *Vendo tibi hunc fundum*, etiamsi addiderit, nonnisi certo die ab emtore possidendum, eo tamē ipso momento vendidit: ita etiam distinguendum est inter *Despondebo* & *Despondeo*, *Accipiam* & *Accipio.* Nam verbis illis de futuro non fit coniugium, sed promittitur: verbis verò de præsenti contrahuntur sponsalia, ipsumque matrimonium, quamuis nō de facto, de iure tamen eo ipso momento initur. Itaque post eiusmodi sponsalia de futuro, si quis aliam sibi verè despondit, rata erit posterior promissio: ac proinde prior, quod ad obligationem attinet, vana fuisse declarabitur, quoniam aliud est reipsâ sese obligare, quàm faciendam obligationem promittere. In sponsalibus verò per verba de præsenti, sed adiectâ conditione conceptis, has distinctiones obseruari volunt Scholastici, secuti *Lombardum lib. 4. sent. dist. 28. quæst. 2.* Primùm, vt si ponatur res præterita, vel præsens: veluti, si quis dicat, *Accipio te vxorem, si hoc vel illud possideas*, vel *si pater consentit:* & ea conditio iam extet, rata sint sponsalia: si verò non extet, nihil promissum intelligatur. Deinde vt si conditio futurum respiciat, ea rursus distinctio adhibeatur, vt necessaria quidem conditio habeatur quasi completa, ac proinde fit ex sponsalibus ratum coniugium, vt *Accipio te vxorem, si cras sol oriatur:* *Si impossibilis*, habeatur pro non adiectâ, ac proinde rata quoq; sint sponsalia, vt, *Accipio te vxorem, si digito cœlum contigeris*, vel (cæcam alloquendo) *si me videris: si contingens*, vt, *Accipio te vxorem, modo cras hoc vel illud fiat*, idem de eâ iudicetur, atque de simplici promissione per verba de futuro: denique vt si conditio, vel contra matrimonij naturam fuerit, veluti, *Accipio te vxorem ad biennium*, vel etiam turpis, vt, *Accipio te vxorem, modò venenum ex corpore facias*, eiusmodi sponsalia vana censeantur. Et hæc quidem probabiliter dicuntur: sed sepositis istis distinctionibus eorum sententiæ cum Bezâ per omnia accedo, qui nonnisi purè factis sponsalibus, & quidem per verba de præsenti, coniugium prorsus ratum esse volunt: quoniam videl. qui conditionem adiicit, quæcunque tandē illa sit, in incertū loqui necessariò præsumitur. Etsi ergo appositâ rei præsentis, vel præteritæ conditione, quæ postea extet, actio quidē ex sponso nascitur: certa tamē & inuiolabilis rati matrimonij obligatio non item. Certè qui conditionē prorsus necessariam addit, non videtur vti rectâ ratione. Ad impossibilem quod attinet, illa nō consensum, sed ludibrium notat, vt si quis dicat, *Accipio te vxorem, si digito cœlum tetigeris.* Sed quid si sponsalibus appositâ conditione factis, copula sit subsecuta? rectè hîc responsum est ab Innocent. III. eiusmodi hominem videri à conditione recessisse, *c. de illis. c. per tuas. de cond. appos.*


XX. *Prohibitio sponsaliorum incestuosorum nititur iure diuino & humano.*

Prohibitio sponsaliorum incestuosorum.

HÆc res vt plenè intelligi possit, arborem consanguinitatis oportet ante oculos habere. In hac itaque arbore primò se offert *Petrutius*, seu hypotheticus, vt vocant, hoc est, stipes, de cuius cognatione quæritur. Deinde gradus est ipsa generationum series: sic dictus, quòd alij ab aliis quasi gradibus quibusdam oriantur. In iis descendisse dicuntur, qui ab iis orti sunt, ad quos sursum iisdem gradibus regrediaris necesse est, vt & eorum qui genuerunt, & eorum qui geniti sunt, perpetuam seriem habeas. Vtrorumque directa & perpendicularis est linea, in quâ sunt Ascendentes & Descendentes. Latini, illos ad sextum vsque gradū, id est, ad tritauum, deinceps verò *maiores* gentili nomine vocant: istos autem itidem ad sextum gradum, id est, ad trinepotem, deinceps verò *liberos* & *posteros* communi nomine vocant, hoc modo:


Tritauus, *Tritauia.*	*Filius*, *Filia.*
|	|
Atauus, *Atauia.*	*Nepos*, *Neptis.*
|	|
Abauus, *Abauia.*	*Pronepos*, *Proneptis.*
|	|
Proauus, *Proauia.*	*Abnepos*, *Abneptis.*
|	|
Auus, *Auia.*	*Atnepos*, *Atneptis.*
|	|
Pater, *Mater.*	*Trinepos*, *Trineptis.*

Iam verò cùm plures filij ex vno communi patre oriri possint, & hi rursus in suas distinctas familias propagari, constitui oportet aliud consanguinitatis genus, quod συγγένειαν, cognationē vocant: vbi quidā distinguūt inter agnatos & cognatos, quòd illi ex eodem patre, hi ex eâdem matre sint orti. Porrò istorū linea dicitur collateralis & parallela, itemq; transuersa: quæ est vel æqualis, vel inæqualis: & hæc ascēdens vel descēdens. Linea transuersa æqualis est inter fratres & sorores, fratrum & sororū liberos, qui sunt vel duarū sororū, vel duorum fratrum, vel fratris & sororis: & illi dicuntur consobrini quasi cōsororini, isti patrueles, hi amitini vel amitinæ, omnes & singuli vocantur *geschvvisterte kinder.* Consobrinorū, patrueliū & amitinorū liberi vocantur sobrini, h.e. *andere geschvvisterte kinder, oder geschvvisterte kindskinder*, h.e. fratris aut sororis nepotes, aut neptes. Hos proximè sequūtur fratris aut sororis pronepotes, & proneptes, abnepotes, & abneptes, &c. *In lineâ transuersa inæquali descendente* sunt *ex parte patris* patruus & amita, amita magna, patruus magnus & propatruus, vel patruus maior & proamita, vel amita maior, abpatruus vel patruus maximus & abamita vel amita maxima: *ex parte matris* sunt auunculus & matertera, auunculus magnus & matertera magna, proauunculus & promatertera, abauunculus & abmatertera. *In lineâ collaterali descendente* sunt 1. fratris & sororis, filius & filia, nepos & neptis, pronepos, & proneptis, abnepos & abneptis. 2. Consobrini & consobrinæ, amitini & amitinæ, & patruelis, filius ac filia, nepos & neptis. 3. Patrui magni & amitæ magnæ, auunculi magni & materteræ magnæ filius ac filia nepos ac neptis. Denique personæ cōsanguineis Petrutij nostri iunctæ, affinitatem constituunt hoc modo: Vitricus & nouerca, priuignus & priuigna, propriuignus & propriuigna, socer & socrus, prosocer & prosocrus, gener & nurus, progener & pronurus, leuir & glos, sororius & fratria. Vlteriùs affines peculiaria nomina non habent, sed periphrasibus circumscribuntur, quemadmodum etiam in consanguineis. Sed hæc omnia meliùs patent ex arbore consanguinitatis, quam vocant.



VI. Tritauus. Tritauia. 6
V. Atauus. Atauia. 5
IV. Abauus. Abauia. 4
III. Proauus. Proauia. 3
II. Auus. Auia. 2
I. Pater. Mater. 1
PETRVCIVS, VEL STIPES,
I. Filius. Filia. 1
II. Nepos. Neptis. 2
III. Pronepos. Proneptis. 3
IV. Abnepos. Abneptis. 4
V. Atnepos. Atneptis. 5
VI. Trinepos. Trineptis. 6
V. Abpatruus. Abamita. Abauunculus. Abmatertera. 6
IV. Propatruus. Proamita. Proauunculus. Promatertera. 5
III. Patruus magnus. Amita magna. Auunculus magn⁹ Mater magna. 4
II. Patruus. Amita. Auuculus. Matertera. 3
I. Frater. Soror. 2
II. Horum Filius. Filia. 3
III. Horum Nepos. Neptis. 4
IV. Horum Pronepos. Propnetis. 5
V. Horum Abnepos. Abneptis. 6
IV. Horum Filius. Filia. 6
III. Propior Sobrino, Sobrináve. 5
II. Conſobrinus. Patruelis. Amitinus. 4
III. Horum Filius. Filia. 5
IV. Horum Nepos. Neptis. 6
III. Sobrinus. Sobrina. 6

Ex his manifestum est, arborem esse & consanguinitatis & affinitatis:& in vtraque considerari lineam & gradum:lineam porrò esse ascendentium seu parentum, descendentium seu liberorum,& collateralium. Quod si quæratur quoto quis gradu ab alio distet,sciendum est,gradus numerari dupliciter,ciuiliter & Canonicè. Quæ tamen numerationes in lineis rectis ascendentium & descendentium conueniunt, vt nimirum tot sint gradus, quot sunt personæ, vnâ demtâ, videlicet stipite: quia persona per se gradum non facit,sed quatenus ab aliâ est gěnerata. Hinc regula iuris ciuilis: *Numera generationes, & gradus numerasti*. Itaque in rectâ lineâ pater & filius vno gradu, auus & nepos duobus, proauus & pronepos tribus gradibus distabunt:quæ proportio deinceps seruanda. Differunt verò in collateralibus,in quibus Canonistæ personas,Ius ciuile generationes numerant. Hic ergo Canonistæ regulam tradunt: *In lineâ æquali,quo gradu distat altera persona à communi stipite, toto gradu inter se distant*: vt duo fratres, vel frater & soror, vnum duntaxat gradum constituunt,& quidem primum:quia vno gradu à communi stipite,hoc est à patre,altera distat.Sed Iurisconsultis hic graduum numerus duplicatur. Consobrini enim, qui in secundo gradu Canonistis sunt, secundùm iuris ciuilis computationem quartum constituunt.Quoniam enim à latere ad latus perueniri non potest,nisi per eum transeas,à quo veluti limite vtrumque latus descědit,necesse est primùm vt ab eo,de cuius cognatione quæritur,ad communem cognationis istius duplicis authorě sursum progrediaris,& inde rursus deorsum ad alterum,de quo & ipso quæritur,peruenias:vt



Hic Nachor & Abraham vnâ tantùm generatione, Isaac duabus, Laban tribus à communi stipite distant: Isaac verò à Bethuele quatuor gradibus distat. Oportet enim vt ab Isaaco ad Abrahamum patrem inde ad Thare auum ascendas, tertiò à Thare ad Nachorem alterum eius filium, ac demum à Nachore ad Bethuelem descendas. Ita enim comperies Isaacum à Bethuele quatuor gradibus distare.Porrò in lineâ transuersâ æquali seu æquidistante à communi parente fratres & sorores duobus inter se gradibus distant, vt *Abraham & Nachor*: patrueles quatuor gradibus inter se distant, vt *Isaac & Bethuel*:ita & consobrini:sobrini sex inter se gradibus distant,vt *Iacob & Laban*.Eadem deinceps ratio seruanda in sequentibus propagationibus. In lineâ transuersâ inæqualiter distante à communi parente patruus à fratris filio vel filiâ tribus distat gradibus,vt *Abraham à Bethuele*:similiter amita à fratris filio vel filiâ: itémque auunculus vel matertera à sororis filio vel filiâ. Patruus magnus vel amita magna à fratris nepote vel nepti, itidémque auunculus magnus vel matertera magna à sororis nepote vel nepti quatuor gradibus distant, vt *Abraham & Laban*.Eadem proportio in patruis,amitis,auunculis, materteris,maioribus & maximis seruanda est.Sobrini hîc distant quinque gradibus,vt à *Iacobo Bethuel*, à *Labane Isaacus*: itémque patruelium, vel consobrinorum, vel amitini filij à propioribus sobrino,vt *Iacobus à Bethuele*,& ab *Isaaco Laban*. Nihil autem prohibet, quò minùs vnus & idem quispiam diuerso respectu,accedente videlicet ad cognationem affinitate, aut repetitâ cognatione,modò propior,modò remotior diuersis nominibus censeatur, atque adeò ex agnato vel cognato fiat affinitate parěns,veluti Iacobus fit ob matrem Rebeccam Labani filius sororis, tribus ab eo gradibus distans, qui secundùm paternum genus quinque ab eo gradibus distat. Sic Abraham patruus magnus Rebeccæ, matrimonio inter Isaacum & ipsam inito, fit ipsius socer. Atque hæc est germana, perspicua, ipsíque naturæ prorsus consentanea graduum numeratio,vt est à sapientissimis Iurisconsultis tradita, quæ nititur hoc principio: *Tot oportet esse gradus,quot sunt generationes:nec à fratre ad fratrem perueniri potest,nisi per communem patrem transeas*. Quanquam verò Canonistarum regulæ non sunt accuratæ:consuetudo tamen,maxima tyrannis, in Euangelicis, quas vocant, Ecclesiis inoleuit,vt gradus cognationum in causis matrimonialibus plerumque numerentur. Cæterùm Beza contra computum Canonistarum hæc summatim adfert. In lineâ rectâ, ascendentium videlicet & descendentium,tot sunt gradus apud Romanos Pontifices,quot sunt personæ, vnâ demtâ. Itaque filius à patre vno gradu, ab auo nepos duobus gradibus distabit. Hæc verò regula etsi nihil statuit à veritate alienum,tamen non rectè concepta est. Relinquit enim suspensum animum, cur demenda sit vna persona ex hoc numero,& quænam sit demenda.Itaque multò planiùs & rectiùs loquuntur, qui generationes, non personas enumerandas dicunt, cùm generatio efficiat gradum.In lineâ transuersâ æquali, quo gradu vna persona distat à communi stipite, eo etiam inter se altera alteri iungitur. Itaque frater cùm à patre distet vno gradu ex prædecente regulâ, eodem

etiam gradu à fratre vel sorore distabit. Sic quoque patrueles & consobrini duobus gradibus inter se distabunt. Atqui ineptã & falsam esse hanc enumerationem vel ipse communis sensus dictare potuit. Natura enim ipsa ostendit, tot esse oportere gradus, quot sũt generationes:nec posse perueniri à fratre ad fratrem,nisi per patrem communem transeas. Itaque vterque frater seorsim consideratus, vt filius videlicet,distat à suo patre in lineâ rectâ vno gradu:alter autem ab altero, vt frater, duobus.Sic patruelis, cùm per auum transeat ad alterum patruelem,ab auo quidem communi duobus distat gradibus, à patruele verò quatuor. Et de graduum quidem numeratione hactenus. Nunc videamus, intra quos gradus nuptiæ prohibeantur. Oportet autem hîc sequi præscriptum verbi diuini, *Leu. 18. & 20.* neque putare quæ Dominus hâc de re per Mosen scripsit,ad solos Israëlitas pertinuisse. Est enim vniuersalis ac perpetua istarum legum ratio,& legis ipsius naturæ pars: quamuis ipso mundi initio necessitas coëgerit quædam non ad vnguem obseruare in iis,quæ ex latere coniunguntur. Tametsi enim Cain & Abel sibi compararunt sorores: id tamen nunc non licet:quia genus humanum nunc est amplissimum. Etsi verò certis regulis ista verbo DEI non sunt comprehensa, tamen ex iis,quæ ibi vetantur, difficile non est certam quandam normam constituere:quamuis enim totidem verbis non omnia ibi sunt expressa, tamen rectè hinc colliguntur æquipollentia per analogiam à pari,vel à simili, vel à contrario, præsertim cum leges ciuiles Romanorum adeò cum diuinis hâc in re consentiant,vt hinc penè ad verbum desumtæ videri possint Res autem breuiter sic habet. 1. *In lineâ rectâ ascendentium & descendentium,id est, inter parentes & liberos in infinitum prohibitum est matrimonium*.Hinc illud, *Si Adamus hodie viueret,vxorem ducere non posset*. 2. *in lineâ cognationis collaterali nuptiæ sunt prohibitæ inter fratrem, & sororem, & inter eas personas, quæ in hac lineâ parentum & liberorum locum obtinent.* Hîc autem parentum loco censentur fratres & sorores parentum, auorum, & omnium maiorum: vti sunt amita & matertera. Liberorum autem loco in lineâ collaterali habentur fratrum nostrorum, vel sororum nostrarum filij vel filiæ, nepotes vel neptes,&c. Aliter autem se res habet in iure Canonico:vbi omnes personæ vsque ad quartum gradum inclusiuè matrimonium contrahere prohibentur:quia quatuor sunt in corpore humores,& quatuor elementa. *Gratian. c. 35. q. 2. & 3. c. progeniem.* Quid? Vetus ius Canonicum prohibuit matrimonia ad septimum vsque gradum, quia sunt septem mundi ætates. Papalis hæc licentia in gradibus modò contrahendis, modò laxandis minimè ferenda est,quippe quæ nullâ ratione vel authoritate diuinâ nititur. 3. *Duorum fratrum vel sororum liberi,vel fratris & sororis,coniungi possunt, non solùm iure ciuili, sed etiam diuino.* Exempla coniugij consobrinorum recitat *Zepperus lib. 4. de legg. forens. c. 19.* vbi tota hæc materia solidè tractatur. 4. *In gradibus affinitatis eadě est matrimonij prohibitio, quæ in gradibus cognationis.* Nam in lineâ rectâ perpendiculari inter ascendentes & descendentes prohibitio est in infinitum: quia scil. ascendentes parentum,descendentes liberorum sunt loco,in quibus commixtio est contra naturam. In lineâ verò transuersâ matrimonium prohibitum est inter illos, qui fratrum vel sororum, parentum vel liberorum locum obtinent. Theologi & Iurisconsulti excipiunt hîc illustres personas,iisque indulgent, in primis, si in bonum publicum hoc vergat. Ita Maximilianus II, Imper. patruelem suam duxit vxorem. Porrò ob honestatem publicam quædam personæ matrimonium inuicem contrahere non possunt. Ita si quis cum quâdam purè sponsalia contraxit, non potest illâ defunctâ aliam de eius consanguineis ducere.Ob causas denique ciuiles prohibentur nuptiæ inter tutoris filium & pupillam, senatores & plebeios, præsidem & subditam, raptorem & raptam, & alias causas plures:quæ tamen partim legibus ciuilibus & canonicis,partim consuetudine sunt abrogatæ.

FLORILEGIVM.

CONIVGIVM. SENT. Coniugium instituitur & sancitur *Gen. 2.* est vtile, *1. Cor. 7.* honorabile, *Heb. 13.* Arctissimum est eius vinculum, *Gen. 2. Matth. 19.* Coniugium humile melius est virginitate superbâ, *Aug. in Psal. 99.* Etiamsi continentia coniugio præferatur, melior tamen est fidelis coniugatus, quàm continens infidelis. *Id. 16. de ciuit. Dei.* Propert. 2. 15.

Exemplo iunctæ tibi sint in amore columbæ
Masculus, & totum fœmina coniugium.

Coniugium licet contrahere ob 14. causas. 1. quia DEVS instituit illud ante lapsum. 2. quia homo naturâ magis est animal coniugale,quàm ciuile. 3. quia coniugium est seminarium reip. 4. quia nonnisi per coniugium seruari & propagari potest genus humanum. 5. quia finis coniugij est,vt ait Plato,cultores Deo relinquere post se. 6. quia coniuges se inuicem adiuuant. 7. quia vxor bona est præstantissimum κειμήλιον. *Eccles. 26.* 8. quia matrimonium est medicamentum aduersus vagas libidines. Vnde Plutarcho coniugium dicitur tutissimum iuuentutis vinculum. 9. quia liberi meliùs educantur, si nascantur ex certâ coniunctione: bona item & hæreditates hoc modo

diſtinguuntur. 10. quia nominis memoria ab interitu & obliuione vindicatur. 11. quia parentes ſenio confecti tutiſſimum apud liberos habere poſsũt aſylum. 12. quia iucunditas liberorum eſt magna. 13. quia cœlibatus valde eſt periculoſus. 14. quia omnes ferè nationes præmia conſtituerunt coniugibus, atque è contrario pœnas irrogarunt cœlibatum temerè profeſſis. Hinc apud Spartanos liberi erant ab excubiis, qui tres habebant filios. Apud eoſdem de Lycurgi inſtituto non admittebantur ad ludos, ſpectacula, & conuiuia publica, qui vxores ducere nollent. Heſiodus viro trigeſimum annum, fœminæ decimumquintum connubio aptum conſtituit. Ægyptij ante trigeſimum, Lacedæmonij ante vigeſimum quintũ noluerunt matrimonium iniri propter fœcunditatem. Solon quintum ſeptenarium, hoc eſt annum 36. aptum eſſe matrimonio cenſuit. Germani hoc nomine laudãtur à Cæſare, quòd ſera apud illos Venus extiterit. Plato vult, vt vxorem, quiſq; à 30. anno vſque ad 35. ducat: ſi nõ duxerit, damnâs ſit & infamis, *lib. 4. de ll.* Ariſtoteles anno 18. fœminas, viros 36. matrimoniũ vult contrahere: quòd vtriuſque ſexus vires tum maximè vigeant. *Polit. 7. c. 16.* Apoph. Thales roganti matri, vt matrimoniũ iniret, nondum eſſe tempus dixit: deinde maior natu, non ampliùs eſſe tempus. *Plut.* Idem interrogatus, cur in vigore ætatis liberos non procreaſſet, reſpondit: Quia nolui ſponte negotium vitæ facere, & eius tranquillitatem turbare. *Stob. ſerm. 66.* Quædam coniugia in cœlo, quædam in inferno fieri, dicũt Germani noſtri. *Anon.* P. Syrus eum improbè Neptunum accuſare dicebat, qui ſemel ex naufragio liberatus, iterũ mari ſe crediti: innuens periculum ſecundarum nuptiarum. *Bruſ. l. 4. c. 25.* Pittacus expertus dicebat, Æqualem ducito: cùm ipſe domi haberet opulentã, & proinde capitoſam. *Eraſ. Chil.* Antiſthenes adoleſcẽti conſulenti, cuiuſmodi vxorem ducere oporteret: Si formoſam duxeris, inquit, habebis κοινὴν, communem: ſin deformem, habebis ποινὴν, *pœnam*: innuens, formam ſtatam eſſe optimam. Gellius hoc dictum tribuit Bianti. Demonax Epicteto ſuadẽti, vt ductã vxore operã daret liberis: neque enim id indignum eſſe philoſopho: Da mihi igitur, inquit, vnam è tuis filiabus: notans illum ineptè ſuadere alteri, quod ipſe nõ faceret. *Eraſ. 8 apoph.* Socrates, cùm quidam diſcipuli rogarent, vt aliquod præceptum vitæ ordinandæ aliis præſcriberet, illos deduxit domum, & iuſſit Xanthippen vaſa oleo & melle plena eiicere, dicens, ſi hanc in domibus veſtris poteſtatẽ habueritis, beatam vitam viuetis. Barbara vxor Sigiſmundi Imp. cùm quidam defuncto marito diceret, imitandum exemplum turturis, quæ mortuo mare perpetuam caſtitatem ſeruaret: Si me, inquit, ratione carentes volucres imitari iubes, cur nõ columbas potiùs ac paſſeres proponis? *Æneas Sylu. de dictis Sigiſm.* Antianira, Amazonum regina, mirantibus quòd nupſiſſet claudo, Cynicè reſpondit: *Claudus optimè virum agit*: ſentiens, maritum adhibendum, non ad oculorum oblectamenta, ſed ad vſum coniugij. Feruntur autem claudi cæteris ſalaciores. *Eraſm. 9. apoph.* Lycurgus, cùm certum tempus nuptiarum præſcripſiſſet, à quibuſdam interrogatus, cur id feciſſet: Vt, inquit, ſoboles ex adultis perfectæque ætatis parẽtibus ſit valida & vegeta. Nam coitu præpropero non ſolùm læduntur corpora gignentium, ſed etiam proles naſcitur imbecilla. Et qui ante tempus liberis dant operam, carent authoritate apud vxores, quam ætas conciliat. Rurſus, qui vergente iam ætate nuptias celebrant, nec fruuntur liberis ſuis, nec eos poſſunt ad perfectam inſtitutionem perducere. *Plut. in Lacon.* Simil. Coniugium ab Auguſtino confertur cum cibo, ab Hieronymo cum medicinã, ab aliis cum ſeminario, ab aliis cum duro vinculo, item cum naſsâ, circa quã luſitantes piſciculi conantur ingredi, ſed capti cupiunt elabi. Vxor imitetur lunam. Sicut enim illa cùm abeſt à ſole, lucidiſſima eſt, at ei admota, non conſpicitur: ita vxor præſente marito modeſtiam ſuam probet. Equi malè coniugati ſunt pictura coniugum infelicium. Exemp. Felicis coniugij exempla ſunt Abraham & Sara, Iſaac & Rebecca, Iacob & Rachel: infelicis, Iob & eius vxor, Aſſuerus & Vaſthi, Samſon & Dalila: item Socrates & Xanthippe: vbi lepidum notetur Socratis dictum, quo conquerebatur, ſe tria magna mala aſſecutum eſſe, Grammaticam, paupertatem, & pernicioſam vxorem. Hieroglyph. 1. *Lyra*, ſignificat concordiam inter maritum & vxorem. 2. *Canis*, eſt nota fidelitatis coniugalis: quia canis fidelis eſt domino ſuo. 3. *Turtur*, eſt hieroglyphicum coniugij præſtantiſſimum: item *ciconia*, de quã memorabile admodum eſt, quod refert Camerarius. Si ciconia mas odoratu exploret fœminam adulterio pollutam, conuocat vicinas ciconias, & vnà cum iis euolat in pratum, ac ibi ſiſtit adulteram. Hîc ciconiæ vltrò citróque veluti deliberantes decernunt pœnam, & impetu in ream facto, roſtris illam configunt. Emblem.

Cùm furit in Venerem, pelagi ſe in litore ſiſtit
Vipera, & à ſtomacho dira venena vomit:
Muranamq; ciens ingentia ſibila tollit,
Ac ſimul amplexus appetit illa viri.
Maxima debetur thalamo reuerentia: coniux
Alternum debet coniugi & obſequium.

Quàm ſit coniugium honorabile, vide in hortulo hiſtoricopolitico Reuſneri coronã 5. flore 1.

CAPVT IV.

De Societate patriâ.

PRÆCEPTA.

SOCIETAS patria eſt vnio & communio inter parentes & liberos.

REGVLÆ.

I. *Societas patria pendet à ſocietate coniugali.* Societas patria vnde pendeat?

SOcietas paterna eſt iugum, quo parentes & liberi honeſti inter ſeſe diuinciuntur. Honeſti dico: quia nil niſi honeſtum & ad virtutem conformatum hîc ſpectamus. Et ſanè coniugium hîc prærequiritur tanquam ſocietatis patriæ cauſa. Coniugium autem non eſt, vbi eſt damnatus coitus. Sanè parentes ſunt qui ſcortatione & adulterio gignunt. Pariunt enim. Sed non ſunt honeſti aut legitimi parentes. Phyſicè ſunt parentes, non ciuiliter. Æquiuocè igitur. Quid verò? Si in hoc actu eſt aliquid naturale, vtique ille non eſt contra naturam. Reſp. Hic actus eſt peccatum, ideóque habet materiale & formale. Materiale eſt actus: formale eſt vitium iſtius actus. Illud eſt ſecundùm naturam, hoc contra naturam. Ideò liberi iſtorum parentum non ſunt liberi, ſed ſpurij, ſic dicti ἀπὸ τῆς σπορᾶς, à ſemine incerto: qui plerumque ſunt mali, inquieti, & turbulenti. Vnde horum exitus plerúmque eſt tragicus, & poſteritas non diuturna. Atque hinc eſt, quòd ſpurij iure diuino ac gentium ſunt inhabiles ad officia, niſi legitimentur. Vera autem legitimatio pendet à virtutis exercitio, non ab emendicato magnatum teſtimonio.

II. *Poteſtas patria eſt omnium naturaliſſima: eſtque illud parentum ius quod habetur in liberos iure progenerationis, itémque conſtitutionis, tum diuinæ, tum ciuilis.* Poteſtas patria qualis, & quid ſit?

LIberi cùm deſcendant ex parentibus, ab iiſdem reguntur imperio ſuauiſſimo, adeóque naturaliſſimo. Loquimur autem hîc de poteſtate quæ cernitur in ſocietate aſcendentium & deſcendentium, vt loquuntur. Nam quod attinet ad ſocietatem collateralium, qualis eſt inter maritum & vxorem, ibi poteſtas mariti in vxorem eſt omnium naturaliſſima, vtpote quæ ſimilis eſt imperio animæ in corpus. Atque hinc duplex illa poteſtas, maritalis & patria, eſt regula & menſura reliquarum poteſtatum: ita vt illæ iudicentur magis vel minùs naturales, prout magis vel minùs accedunt ad poteſtatem maritalem & patriam. Ideò Romani hanc poteſtatem patriam iudicarunt pietatis, honeſtatis, ac virtutũ omnium, quibus Reſp. florere debet, firmiſſimum eſſe fundamentum. Hæc tamen poteſtas non eſt ſola à naturã, vt Bodinus ſtatuit, cùm ait: Poteſtatis verbum commune eſt omnium, quibus imperandi ius eſt ſeu publicè, ſeu priuatim. Princeps, inquit Seneca, in ſubditos poteſtatem habet, magiſtratus in priuatos, pater in liberos, magiſter in diſcipulos, imperator in milites, dominus in ſeruos. Ex iis tamen omnibus imperandi ius ac poteſtas eſt à naturâ nemini tributa, præterquam patri, quæ vera eſt præpotentis & maximi rerum omnium parentis imago ac ſimulacrum. Sic Bodinus. Sed hæc ſententia non poteſt conſiſtere; quia naturale eſt, vt meliores imperent deterioribus. Ergò omnis legitima poteſtas eſt naturalis. Hoc interim verum eſt, poteſtatem parentum eſſe naturaliſſimam, & proinde aliarum poteſtatum menſuram: reliquas verò poteſtates eſſe magis vel minùs naturales, prout propiùs accedunt ad poteſtatem patriam, vel longiùs ab illã recedunt.

III. *Partes paterni imperij ſiue patriæ poteſtatis ſunt duæ; prior eſt plena moderatio & gubernatio vitæ liberorum: poſterior eſt directio conſiliorum & factorum omnium ad commoda liberorum vtiliter procuranda.* Partes imperij paterni.

AN verò æquum ſit, patrem ius vitæ ac necis in liberos habere, diſputant theologi, iureconſulti, & philoſophi practici. Plurimi plurimorum, & quidem poſteriorum, legiſlatorum ſtant legibus & ſtatutis, partémque tuentur negatiuam. *Sic l. Diuus Adrianus ff. ad leg. Pompei. de parricid.* dicitur: Patria poteſtas in pietate, nõ in atrocitate conſiſtit. Et Plato parentes per iram liberos occidentes, vt cæteros homicidas puniendos, triennalíque exilio mulctandos, poſt ſegregandos ne ampliùs liberis dent operam, ſtatuit. 11. *de LL.* Bodinus affirmat & exiſtimat ius vitæ ac necis in liberos patribus pernicioſo exẽplo ademptũ reſtitui oportere, idque tum diuinã, tum naturæ lege omnium antiquiſſimã iubente, quã Perſas, Hebræos, ſuperioris Aſiæ populos, Romanos, & Celtas quondam vſos eſſe legimus. Eadem lex Indorum omnium, qui ſunt ad occaſum, communis fuiſſe perhibetur. Et niſi hæc poteſtas vigeat, nullus virtutibus & honeſtati publicæ locus relinquetur: quia liberi blandum iſtud imperium facilè contemnũt, quod experientia ſatis ſuperque probat. Parentum verò poteſtas ſi imminuatur, An pater habeat ius vitæ & necis in liberos?

quid

quid mirum si liberi eludant magistratuum iudicia,& euadant officiperdæ? Falli præterea dicit Iustinianu, qui nullos omnino populos præter Romanos tantam in filios habuisse potestatem putat,cùm extet lex diuina, quæ omnibus populis sacrosancta esse debet. Lex illa est *Deut.* 21. *v.* 18. *& seqq.* vbi tribuitur parentibus potestas in filios erga se rebelles lapidibus obruendi: modò id fiat præsente magistratu,cui nulla eius rei cognitio aut iurisdictio datur. Porrò Celtæ, Persæ, aliique potestate, quâ Romani vti consueuerunt. Galli, inquit Cæsar, potestatem vitæ ac necis in vxores & liberos æquè ac in seruos habent. Et leges duodecim tabularũ imperium illud vitæ ac necis in liberos tanquam vniuersæ Reip. vtile sanctius & seuerius confirmarunt,& patri filios vẽdere permiserunt. Ex his omnibus iuxta Bodinum efficitur, patriam potestatem vitæ & necis in liberos apud sacros sacram fuisse,& proinde postliminio reuocandam. His accedit & illud: Deus habet potestatem vitæ & necis in hominem, quia pater ipsius est. Ergo & pater hanc habet potestatem in liberos suos,quippe qui hâc in parte est imago Dei. In hac difficili controuersiâ teneantur sequentes aphorismi. 1. *Imperium patrium est blandissimum, & planè ciuile: quàm diu scil. liberi faciunt officium.* 2. *Patria potestas duabus continetur partibus, quæ sunt exercere & coërcere liberos.* 3. *Lex diuina iubet filios contumaces morte afficere.* 4. *Legis huius partes sunt duæ, vna de officio parentum erga filium contumacem, altera de officio iudicum & populi.* 5. *Officium parentum est istum filium producere in iudicium, & accusare apud iudices; qui si non faciant officium, hæc potestas deuoluitur ad parentes.* 6. *Officium iudicum est damnare istum filium ad lapidationem: populi sententiam istam exequi.* 7. *Ipsi parentes actionem in liberos rebelles instituere iubentur, sed pœnæ executio non penes ipsos parentes constituitur, sed ad iudices ordinarios deuoluitur.* 8. *Pœna capitis constituta lege Mosaicâ non tantùm concernit parricidas, sed etiam parentum percussores, etiamsi mors non subsequatur.* Quin etiam lex Dei pœnam capitis in illos decernit liberos, qui parentibus suis imprecari, conuitiari, illisque maledicere ausi fuerint. 9. *Cum hac lege diuinâ consentiunt leges ciuiles apud Platonem, Ciceronem, Iustinianum.* Nominatim hic consentit lex Pompeia: Pœna parricidij more maiorum hæc instituta est, vt parricida virgis sanguineis verberatus, deinde culeo insuatur cum cane, gallo gallinaceo, viperâ & simiâ, deinde in mare profundum culeus iactetur. Hoc ita, si mare proximum, alioquin bestiis obiicitur secundùm diui Hadriani constitutionem. Eadem lex iisdem ferè verbis concepta est in Codice sub nomine Constantini Imperatoris. *Plato* 11. *de ll.* πατρὸς ἢ μητρὸς ἢ προγόνων non vnâ morte dignum esse iudicat, quòd talis homo sit reus ἀδικίας, ἀσεβείας, καὶ ἱεροσυλίας. Neque verò est quòd alicui durum & dirum videatur supplicium capitale: quia authoritas parentum post Deum est præcipua,& grauius esse crimen censetur, si liberi parentibus, quàm si subditi magistratibus suis rebelles sint: & iniuriæ hæ cum familiarum salute pugnant, quæ hâc ratione conseruari nequeunt, adeò vt humanæ societatis vincula & nerui hoc peccato conuellantur. Et liberi qui in parentes immorigeri & iniuriosi esse assueuerunt, nullis legum repagulis coërceri possunt. Vbi hoc non oscitanter considerandum, quòd lex diuina dicit de filio contumaci: Sanguis eius super eum erit. His enim verbis capitale iudicium æquissimum esse ostenditur,& nõ alteri quàm ipsi filio imputandum. Quòd si pœna ista negligatur, sanguinis reatum & culpam in totum populum trahi Deus innuit hâc phrasi, quoties in sententiis capitalibus apud Mosen occurrit, quemadmodum sæpe recurrit. Romæ hoc facinus inauditum. Primus L. Ostius patrem occidisse traditur post Annibalis bellum. *Plut. in Rom. Cic. pro Rosc. Amerino.*

FLORILEGIVM.

Vide infrà de officiis parentum & liberorum.

CAPVT V.

De Societate herili.

PRÆCEPTVM.

SOCIETAS herilis est vnio & communio inter herum & seruum.

REGVLÆ.

Societas herilis qualis?

I. *Societas herilis est infima societatis species.*

SOcietas herilis est iugum, quo herus & seruus inter se deuinciuntur. Hîc sub hero hera,& sub seruo serua comprehenditur: quia genus masculinum tanquam dignius sub se continet fœmininum, vt loquuntur. Inter dominum autem & seruum non potest esse amicitia par seu æqualis, sed tantùm impar & inæqualis: quam Logici vocant relationem disquiparantiæ. Sed hæc non est amicitia strictè dicta, quæ est consensio parium virtute, facitque vt amicus dicatur alter ego. Est itaque non nisi amicitia communiter dicta, quæ est mutua concordia & consensus in bono vtili, quod vtrique prodest. Et hæc quidem amicitia tantùm est inter dominum & seruum naturalem, vt vocant, non verò legalem. Seruus naturâ, siue naturalis dicitur, qui aptus natus est ad seruiendum: nimirum qui ex mancipio conceptus est. Atque inter hunc & dominum potest esse quidam animorum consensus. Seruus lege, seu legalis est vel in militiâ captus, vel pecuniâ conductus ad tempus. Quod attinet ad seruum in militiâ captum, oportet considerare causam belli, & naturã serui. Causa belli est vel iusta vel iniusta. Ibi est seruus secundùm quid, hîc simpliciter. Nam etiam bonus in causâ bonâ cadere potest: Malus verò iustè cadit in causâ malâ. Nullibi potest esse amicitia inter seruum talem & dominum: quia qui vincit in causâ iustâ, non potest amicitiam colere cum victo, propter generositatem animi: at qui vincitur, non potest esse amicus propter animi malitiam. Natura serui est bona, vel mala. Ibi est seruus ex parte secundùm legem, hîc absolutè ac simpliciter. Proinde eadem hîc est ratio, quæ modò dicta est de causâ belli, ex quâ aliquis est seruus. Seruus enim pecuniâ conductus ad tempus, lege, non aliter quàm seruus naturâ debet præstare officium serui. Cæterùm vsitatè recensentur quinque genera seruorum. Vnum eorum, qui naturâ serui dicuntur, præditi nimirum ingenio infirmo & subiectitio. Alterum eorum, qui capti sunt ab hostibus,& iure gentiũ fiunt serui. Tertium est eorum, qui ad opera publica damnãtur, vt ad triremes: qui appellantur serui pœnæ. Quartum eorum, qui seipsos in seruitutem sponte dedunt. Quintum est eorum, qui à piratis aut latronibus venditi, bonâ fide ab emptoribus possidentur. De seruo mercenario idem iudicium. Quæritur hîc, *An mancipia habere conueniat cum lege charitatis Christianæ?* Resp. Constat, patriarchas habuisse seruos & ancillas: atq; Christianis licere seruis vti, declarat Paulus Philemoni seruum reconcilians. Idem officia seruorum erga dominos & horum in illos præscribit. Adde herilem potestatem ad humanæ vitæ vsum institutam, vti testatur *Theodoret. orat.* 8. Præterea quidam homines ita sunt comparati, vt non possint regi & coërceri, nisi tractentur vt mancipia. Hîc itaque durus iste bolus est instar panis quotidiani Sic tamen oportet mancipia tractare, vt leges humanitatis non violentur.

Serui definitio & pictura quæ?

II. *Seruus est instrumentum animatum, actiuum, separatum, alterius homo existens, vtensque ratione aliena, non suâ, cui naturale & vtile est seruire.*

DIcitur instrumentum animatum, vt ab inanimato: actiuum vt à factiuo: separatum vt à coniuncto: homo alterius existens, vt à libero: vtens ratione non suâ, vt à liberto: cui naturale & vtile est seruire, vt à captiuo distinguatur. Seruus sic definitus, ab Apelle olim sic graphicè fuit depictus, vt aures asininas, nares porcinas, manus omni instrumentorum genere refertas, humeros patulos, macilentum ventrem, pedes ceruinos, labia duabus seris clausa haberet. Per aures asininas tarditas in audiendo consilio: per nares porcinas velocitas in olfaciendo herili commodo: per manus instrumentis plenas voluntas ad omnia subeunda opera: per humeros patulos robur ad omnia sustinenda opera: per macilentum ventrem vitæ frugalitas per pedes ceruinos corporis agilitas: per labia seris duabus clausa animi fidelitas intelligitur.

Partes potestatis herilis.

III. *Herilis potestas est imperium consistens in iure exigendi operas, & cogendi ad officia seruilia, sed tamen honesta.*

An herus habeat potestatẽ vitæ ac necis in seruos?

HIc disputatur quæstio, An herus habeat potestatem vitæ & necis in seruum? Resp. Ethnici quondam hoc ius sibi vsurpabant, *ex leg. XII. tab. & Inst. de his qui sui vel alieni iuris.* §. 2. Sed perperam vt patet ex *Exod.* 21. *capite.* Et asperitas illa, Principum constitutionibus est mitigata. Nam lege ciuili Romanorum Imperatorum disertè cauetur; ne vllus qui sub imperio est, causâ non cognitâ legibus, in seruos suos supra modum sæuiat. Et ex constitutione Imperatoris Antonini, qui sine causâ seruum suum occiderit, non minùs puniri iubetur quàm si alium occiderit. Et ab eodem Antonino rescriptum: Dominorum quidem in seruos potestatem illibatam esse oportet, sed & dominorum interest, ne auxilium contra sæuitiam denegetur iustè deprecantibus. Huc pertinet regula Iustiniani: Expedit Reipub. ne suâ re quisquam malè vtatur. Et sanè seruus qualiscunque tandem sit conditionis, homo est. Porrò si seruus non est crudeliter tractandus à domino, multò minùs est occidendus Si verò seruus sit enormiter malus (quales serui olim appellabantur stigmatiæ) causa deuoluenda est ad eos, qui ius gladij habent.

Quomodo delectus famulorum habẽdus?

IV. *In societate herili oportet habere delectum famuli adeoque eius ingenium explorare.*

GIlbertus *Cognatus Nozorenus* scripsit libellum de officio famulorum, qui inscribitur οἰκέτης. Ibi disserit de delectu, de explorando ingenio, & de officiis famulorum. Principiò igitur

igitur diligendus eſt æquè miniſter, atque amicus & vxor. Nam ſi bonus miniſter contingat, magno eſt commodo: ſin malus, non mediocri malo. Legimus enim, totas domos ſubuerſas per infidos miniſtros. Atque hic delectus mutuus eſt. Neque enim omnes omnibus conueniunt Crebrò ſiquidem fit, vt per ſe pulchra ſint, quæ tamen inter ſe apta non ſint. Delectum autem fieri oportet, non ſolùm oculis, verùm etiam auribus. Oculis fit ex ipsâ corporis figurâ, quod Græci vocant φυσιογνωμεῖν. Additæ ſiquidem ſunt corporibus hominum notæ, quibus poſſis habitum animi deprehendere, ſi ſagaciùs obſerues. In quorundam oculis relucet feritas ac barbaries, in fronte doloſitas, in toto vultu iracundia. Verùm huic diuinationi neque nihil tribuendum eſt, neque nimis: quâ de re vide ſupra phyſicam. Porrò vt delectum oportet vigilantem eſſe, ita non oportet eſſe moroſum. Alioqui rarò coiret ſocietas. Et auribus certius eſt iudicium. Per aures enim diſcimus patriam, parentes, educationem, prioris vitæ ſpecimen, atque miniſterij fidem, ſi cui fors antè famulatus eſt Ex ipſo colloquio non obſcura eſt morum ſignificatio. Sic enim euidenter perſpicitur hominis figura, iuxta Socratis ſententiam: qui adoleſcenti iuſſu parenti ipſum adeunti, vt ab ipſo videretur, loquere igitur, inquit, vt te videam. Nec inſcitum eſt, quod de Diogene refertur, qui in auctione cùm ſedens à præcone ſtare iuberetur: Quid refert, inquit, nónne piſces venduntur etiam iacentes? Piſces muti ſunt, nec homo ſilens dignoſci poteſt, ſiue ſtet, ſiue ſedeat. Parum felix augurium eſt, ſi ſeruus malè loquatur de iis, quibuſcum antea vixit: ſi garriat otioſa: ſi colore nihil immutato mentiatur. Hîc verò non ſolùm ſpectanda eſt naturæ probitas, ſed etiam congruentia. Nec enim diu cohærere poſſunt, quæ non congruunt. Itaque qui naturâ propenſior eſt ad iram, quærat lenioris ingenij famulos: qui pietati deditus eſt, non admittat, niſi ſtudioſum pietatis, aut ad pietatem docilem: qui aulicus eſt, quærat aptos aulicis moribus: qui negotiator, adiungat ſibi ad quæſtum attentos & callidos. In hâc ratione non minimum momenti habet patria. Haud facilè reperias famulum Sueuum, qui congruat Belgæ. Rariùs Hiſpanum, qui Germano conueniat, cùm Hiſpanus Hiſpano fideliter victu parciſſimo ſeruiat: &, ſi vulgi fabulis credimus, quidam tantùm inuolant, vt heros quoque Mercuriali prouentu alant. [Exploratio famuli quæ?] Atque hæc de famulorum delectu. Supereſt exploratio. Monachiſmum profeſſuris datur annus probationis. Expedit ergo etiam famulos hâc conditione recipere, vt liberum ſit exacto anno illos remittere. Non debet offendere ruditas, ſi comperias ingenium docile ac tractabile: cuius primum experimentum eſſe in extruendo foco narrant vulgi prouerbia. Ex paucioribus enim lignis aptè compoſitis maior ignis eſt, quam ex multis temerè congeſtis. Congerie præfocatur flamma, quæ commodis interuallis alitur atque excitatur ſpirituum adminiculo. Ex hâc igitur foci extructione felix ſumitur augurium vel infelix. Ita ſi multa per ſe videat famulus, & ſit memor monitorum, atque ex his etiam alia ratiocinando colligat, bonæ indolis eſt indicium E ſermone tamen certiſſima eſt ingenij coniectura. Probæ indolis argumentum eſt, ſi famulus errati admonitus rubore ſuffundatur, ſibíque diſpliceat, ac viciſſim gaudeat, ſi ſenſerit ſuum officium domino probari: &, ſi gaudeat domini præſentiâ, eoſque diligat, quibus intelligit herũ eſſe charum, oderit, qui malè volunt & obtrectãt. Ne putes tibi fore fidelem famulum, qui fœderatus eſt vel inimicis, vel, quod pernicioſius eſt, fucatis amicis. Quidam ſtudio relinquunt alicubi nummos aliquot, veluti per obliuionem, vt explorent an furax ſit famulus. Garrulitatis experimentum hoc pacto licet capere: Si quid vani committas famulo, ſeriò monens, ne quis reſciſcat: ac tum ſubornes, qui præbeat occaſionem effutiendi. Scitum eſt, quod de ſenatore quodam narrat Plutarchus quem cùm vxor rogaret, vel potiùs vrgeret, quid ageretur in ſenatu, rumor enim erat aliquid agi rei ſeriæ: cùm vxor nullum faceret flagitandi finem, Dicam, inquit, ſi poſſis tacere: Lapis, inquit, citiùs loquetur. Viſa eſt aquila tranſuolare ciuitatem accincta magno gladio. Hoc oſtentum quid ſibi velit conſultant. Videtur enim aliquod magnum malum portendi ciuitati. Quid factum? Antequam maritus perueniſſet in forum, iam concurrerat populus diſputans de oſtento. Senatui demiranti vnde concurſus, ſenator retulit fabulam de vxoris ſilentio.

FLORILEGIVM.

Vide infrà de officiis herorum & ſeruorum.

CAPVT VI.

De Diſtinctione & acquiſitione rei familiaris.

PRÆCEPTA.

HVCVSQVE de ſocietate œconomicâ: nunc de re domeſticâ ſeu familiari, cuius diſtinctio & acquiſitio facit ad fundationem domus.

Diſtinctio rei familiaris ſeu poſſeſſionis domeſticæ hæc eſt.

Poſſeſſio domeſtica eſt immobilis, vel mobilis.

Immobilis eſt naturalis, vel artificialis. Naturalis eſt vel terreſtris, vt ager & hortus; vel aquea, vt lacus, ſtagnum, piſcina, fons. Artificialis eſt domus.

Poſſeſſio mobilis eſt menſura, vt nummus: vel menſurata, eáque animata, vel inanimata. Animata eſt vel homo, vt ſeruus, vel beſtia, quæ facit vel ad nutritionem, vt ouis, capra, ſus; vel ad laborem, vt iumenta; vel ad munditiem, vt felis; vel ad cuſtodiam, vt canis; vel delectationem, vt delphinus, pſittacus, philomela. Inanimata poſſeſſio eſt vel neceſſaria, vel honoraria. Ibi ſunt victualia, vt eſculenta & potulenta; & ſupellectilia, eaque partim veſtiaria, vt veſtimenta, lectiſternia, mappæ; partim vaſaria, vt culinaria, cellaria, menſalia; partim ſellaria, vt ciſtæ, menſæ; partim operaria, vt ſecuris; partim ignominioſa, vt matula: Hîc ſunt imagines, ſtatuæ, tapetia.

Acquiſitio rei familiaris eſt ſimplex, vel mixta.

Simplex eſt ordinaria, vel extraordinaria.

Ordinaria fit labore: eſtque vel naturalis, vel artificialis.

Naturalis eſt vel primaria, vt Georgica, ſub quâ Agricultura, Vinicultura, Horticultura, & Cura ſylueſtris: vel ſecundaria, eaque vel pecuaria, ſub quâ paſtoritia, venatoria, aucupium, & piſcatura; vel foſſura mineralium; vel cæſura lignorum.

Artificialis acquiſitio eſt permutatio, vel ædificatio.

Permutatio eſt mercatura, fœneratio, & operæ elocatio.

Mercatura eſt vel liberalis, eaque tum domeſtica, quæ dicitur inſtitoria & ſtataria, tum externa, quæ eſt maritima ſeu nautica, & terreſtris, ſeu vectoria: vel ſordida, vt cauponaria. *Mercaturæ hieroglyphicum eſt imago Mercurij, marſupium manu tenentis, & gallum ad baſin habentis: quo notatur celeritas & vigilantia.*

Fœneratio eſt vſura, vel cambium.

Operæ elocatio eſt liberalis, vel ſordida. Illa eſt, cùm quis operam ſuam reip. locat in officio aliquo publico ſcholaſtico, politico, vel eccleſiaſtico, aut priuato, putà œconomico, tempore pacis vel belli: hæc eſt mercenaria.

Ædificatio eſt, quâ domus acquiritur accommodata familiæ quoad ſanitatem, commoditatem, ac iucunditatem: itémque rei familiari ſeruandæ.

Acquiſitio extraordinaria eſt directa, vt hæreditas, dos, donatio, & inuentio theſauri: vel indirecta, vt emtio, locatio, conductio, luſus, contractus aſſecurationis, depoſitio pignoris, & ſimilia.

Acquiſitio mixta eſt, quando duæ vel plures ſpecies acquiſitionis ſimplicis prudenter miſcentur.

REGVLÆ.

I. *Modus acquirendi legitimus eſt, qui nititur iure diuino, iure gentium, & ciuili.* [Modus acquirendi legitimus quis]

ET nititur vel his tribus ſimul, vt agricultura; vel iure gentium tantùm, vt captiuitas, inuentio, & negotiatio; vel iure ciuili tantùm, vt donatio, vſucapio, legatum, ſucceſſio, & vera alchymia, de quâ *Iohan. Andreas ICtus in additionibus ad ſpeculum. Oldradus ICtus in libro conſil. q. 74. & Panormitanus ſuper 5. decretalium tit. de ſortilegiis. cap. 2. ex tuarum tenore. item Bald. in l. 1. quæ ſunt rega. in vſib. feudorum.* Cæterùm ad honeſtatem acquiſitionis requiritur, vt compeſcatur nimia cupiditas ſeu auaritia: vitetur otium; caueatur denique, ne cui damnum detur aut retinendo, aut auferendo. Retinendo: vt, primò iniuſtâ dimenſione, pondere, menſurâ 2. Alienatione fraudulentâ. 3. Negando inuenta repetenti. 4. Negando aut mutando depoſitum vel pignus. 5. Detinendo mercedem laboris. Auferendo: 1. Furto, quod eſt vel hominis, & dicitur plagium; vel pecorum, & dicitur abigeatus; vel pecuniæ publicæ,

publicæ, & dicitur peculatus; vel rerum ſacrarum, & dicitur ſacrilegium; vel rerum priuatarum, quod rurſus eſt vel ſimplex, vel mixtum, quod coniunctum eſt cum vi, vt effoſſione nocturnâ, turbatione ac violatione pacis publicæ. 2. Negatione debiti officij. 3. Fraude multiplici: quò pertinent ſaccularij, hoc eſt, qui imposturæ artes factitant: & ſtelliones, qui variis coloribus fraudum alios decipiunt, aut rebus, aut vitæ inſidiantes. 4. Translatione facultatum eccleſiaſticarum à ſacro vſu in profanum. 5. Simoniâ, quæ eſt mercatura rerum diuinarum. 6. Detentione bonorum eccleſiaſticorum. 7. Mendicatione, quæ CHRISTI nomine abutitur; quò pertinent Monachi mendicantes, & mendici validi. 8. Mendacio & periurio. 9. Iniuſtâ exactione. 10. Calumniâ.

Poſſeſſio potior quæ?

II. *Illa poſſeſſio eſt potior, quæ habet rationem menſuræ.*

SIc nummus eſt menſura prima omnis rei familiaris: vnde appellatur ſponſor contractuum. Res etiam immobilis, vt domus vel ager, præfertur bono mobili, ſi nummum excipias. Ita domus præfertur ſeruo.

Modi acquirendi legitimi quot?

III. *Modi acquirendi legitimi ſunt numero octo.*

PRimus eſt Georgica, ſeu Ruſtica, quæ eſt omnium naturaliſſima & innocentiſſima. Nam ſuccurrit naturæ, & benedictionem expectat à DEO. Hinc Patriarchæ & nobiliſſimi Romanorum factitarunt hanc artem. *Secundus* eſt Bucolica, ſeu Pecuaria, quæ etiam dicitur Paſtoritia: proxima Georgicæ tum dignitate, tum vtilitate. *Tertius* eſt Metallica, ſiue Foſſoria, quâ metalla & lapides eruuntur è terrâ. *Quartus* eſt Prædatoria, vt Venatoria, Aucupium, Piſcatura. Hic quæritur, *an ius venandi ſolis principibus competat?* Reſp. Ius venandi eſt naturale, vel ciuile. Naturaliter omnes homines habent illud ius. Tametſi enim homo amiſit dominium ſuum in creaturas per lapſum: poſtliminio tamen illud recepit per DEI miſerationem, vti DEVS diſertè teſtatur Noacho poſt diluuium. Ciuiliter ius venationis eſt inter principis regalia, & pendet à placito populi: qui quoniam principi reſignat ſuum ius, neceſſe eſt vt à venatione abſtineat. *Quintus* eſt Mercatura, quæ eſt iuris gentium, & ſi rectè inſtituatur neruos confert reip. *Sextus* eſt Officiaria, quâ quis operam ſuam aliis addicit in ſtatu œconomico, ſcholaſtico, eccleſiaſtico vel politico. *Septimus* eſt Acquiſitio extraordinaria, vt eſt luſus honeſtus, inuentio rei, donatio. *Octauus* eſt Acquiſitio mixta, cùm plures modi ſimplices acquiruntur: vbi vitanda eſt cane peius ac angue πλυπραγμοσύνη, ne vel nimis multi, vel planè aduerſi modi coniungantur.

Duo in primiſsũt opus in acquirendis poſſeſſionibus.

IV. *In acquirendis poſſeſſionibus delectus & ſequeſtratio in primis ſunt opus.*

DElectus eſt, quo plura fructuoſa, quàm infructuoſa habentur, & neceſſaria præferuntur honorariis. Sequeſtratio eſt, quâ poſſeſſiones ita ſequeſtrantur iure familiaritatis, ne ſtatim omnium periculum incidat.

Ratio acquirendi victũ eſt naturalis.

V. *Ratio acquirendi victum eſt naturalis, vel immediatè, vel mediatè.*

IMmediatè ac ſimpliciter à naturâ, pendet agricultura: mediatè ac remotè mercatura, ars, & commutatio. Sed, inquis, mercatura, ars, & commutatio ſunt modi acquirendi artificiales. Reſp. Sunt inchoatiuè naturales, perfectiuè artificioſi, vt ait *Caſus 1. polit. cap. 5.* Idem author *d. lib. cap. 6.* commutationem ita diſtinguit, quòd ſit triplex. 1. rerum cum rebus, vt vini pro oleo; quæ eſt ſimpliciter naturalis ac legitima. 2. rerum pro pecuniâ; quæ inchoatiuè eſt naturalis, perfectiuè artificialis. Et hæc eſt legitima propter neceſſitatem naturæ, & facilitatem commutationis. 3. pecuniarum cum pecuniis, quam Ariſtoteles nec naturalem, nec tolerabilem eſſe docet in ciuitate. Sed nimis rigidum eſt hoc iudicium philoſophi: cùm vſura & cambium, ſi rectâ ratione gerantur, ſint neceſſarium vinculum contractuum. Hîc duo quæruntur. 1. *An indigentia ſit cauſa commutationis?* 2. *An pecunia ſit neceſſaria ad commutationem?* Reſp. ad 1. Indigentia rerum hominem primò impellit ad commutandum. ad 2. Pecunia eſt neceſſaria ad commutationem non ſimpliciter, quia ante pecuniæ inuentionem fuit commutatio: ſed comparatè, quia facit ad bene eſſe ciuitatis. Hinc factum Lycurgi non meretur laudem, qui cùm videret multitudinem in ſua reipub. inhiare pecuniis, argentum in plumbum, aurum in ferrum commutauit, tantæque molis ac ponderis, denarios fecit, vt vix tres obolos humeris ſuſtinere potuiſſes.

Res ruſtica & eius ſcriptores quam vtiles?

VI. *Res ruſtica eſt prora & puppis œconomiæ, ac proinde ſcriptores rei ruſticæ vtramque faciunt paginam OEconomicæ facultatis.*

MAgnum itaque eſt operæ pretium tenere præcepta rei ruſticæ; de quibus vide infra in Mechanicis.

Acquiſitio rei familiaris quot nitatur columnis?

VII. *Acquiſitio rei familiaris quatuor nititur columnis, quæ ſunt ordo, diligentia, prudentia, & charitas.*

ORdo eſt perſonarum, rerum, & actionum. *Ordo perſonarum* erit talis, qualis cernitur in horologio vbi vna rota mouet reliquas. Huc pertinet regula Palladij: In rebus domeſticis maximè officia iuuenum, & imperia ſenum congruunt. *Ordo rerum* eſt diſpoſitio concinna ſiue diſtinctio poſſeſſionis, quâ fit, vt paterfamiliâs habeat quaſi locos communes ſiue tabulas prædicamentales rei familiaris. *Ordo actionum* dependet ab ordine perſonarum, & rerum. *Diligentia* è paruâ œconomiâ facit magnam, è magnâ maximam. De hâc eſt regula Catonis: Res domeſticæ ita eſt, ſi vnam rem ſerò feceris, omnia opera ſerò facies. Sicut enim in catenâ, ſi vnus annulus rumpatur, in totam id redundat catenam, ita in familia, ſi vna res vel non fiat, vel indiligenter fiat, vel ſerò fiat, tota œconomia turbatur. Ideò Plinius ait: Operâ non impensâ conſtat cultura. Ideò maiores fertiliſſimum in agro oculum domini eſſe dixerunt. *Prudentia* patriſfamiliâs ſi dominetur, nullum numen abeſt. *Charitas* denique requiritur, vt vicinorum animos ſibi reddat deuinctos paterfamiliâs; quia, vt ait Palladius, tria mala æquè nocent; ſterilitas, morbus, & malus vicinus. cum quo conſentit illud Catonis: Bonus vicinus prædium meum efficit commendabile, ingratum malus.

Res familiaris quàm neceſſaria?

VIII. *Res familiaris facit tum ad viuendum, tum ad bene viuendum: aliis dicitur poſſeſſio œconomica, bonum poſſeſſum, œconomia acquiſitiua, & pecunia, quæ apud multos ſcriptores ponitur pro omni re neceſſaria.*

CIrca hanc poſſeſſionem tria requiruntur à patrefam. primò vt poſſit acquirere honeſtè, tutò, & iucundè: ſecundò vt poſſit acquiſita tueri: aliàs nulla quærendi foret vtilitas, ſed paterfam. aquam cribro haurire videretur: tertiò, vt acquiſitis vti ſrui rite ſciat. Nihil enim eſt acquirere & poſſidere aliquid, niſi eiuſdem etiam vſus adſit.

Modus acquirendi circũſcribitur certis regulis.

IX. *Modus acquirendi rem familiarem his continetur regulis.*

1. LAborandum eſt quotidie & ſingulis horis, niſi obſtet cultus Dei, vel valetudo impediat, vel aliquid dandum ſit amicis vel recreationi. 2. Plura ſunt habenda fructuoſa, quàm infructuoſa. 3. Iudicio æquo in acquiſitione rerum vtendum. Iudicium autem æquum dicitur, quod diſtinguere nouit inter proportionem arithmeticam & geometricam. 4. Res familiares ita ſequeſtrandæ, ne ſtatim omnium ſimul periculum incidat. 5. Facienda ea quæ proſunt, & quorum poſtmodum nos non pœniteat. Miſerrima ſanè eſt conditio, ſi vnâ manu aliquid conficimus, alterâ deiicimus. 6. Laborandum ſincerè, ne à Deo accuſemur, licet ab hominibus abſoluamur. 7. Labor nulli metuendus, ſed omnibus in familiâ amandus, tum ſcilicet quando exantlandus. Vnde Socrates cuidam Olympiam ire volenti, ſed iter metuenti dixit: Cùm domi propè totum diem ambules, ante prandium & cœnam, ſi domeſticas ambulationes conferas, ad quinque ſexvè dies facilè peruenies Olympiam: innuens, id quod terret in adeundis laboribus, potiùs eſſe imaginationem quàm laborem ipſum. 8. In familiâ omnes laborare debent. Ne puer quidem hîc excluditur, ſi vtcunque ſit aptus: nec ſenex, modò non planè decrepitus & delirus. 9. Laborantes ſemper cogitent illud: Omnis vocatio habet à Deo promiſſionem: quod Carolus M. hoc verſu expreſſit:

Nenti fila Deus mentem coniungit Olympo.

10. Laboret quiſque domi ſuæ, nihil ſolicitus de iis, quæ geruntur à vicinis, iuxta illud poëtæ:

Quiſque domi lapidis Siſyphus eſto ſui.

Elogium Georgices.

X. *Acquiſitio Georgica eſt omnium naturaliſſima, antiquiſſima, & ſanctiſſima.*

NAturaliſſima; quia maximè imitatur naturam, & eſt famula naturæ fidiſſima. *Antiquiſſima*; quia non Ab originum ſeculis, ſed cum Adamo nata, nec à Cerere, vel à ſue ducit originem, ſed à viris innocentiſſimis. *Sanctiſſima*; quia prouentus agriculturæ, vt ait Columella, ſunt innocentiſſimi. Hinc Cicero ait: Omnium rerum, ex quibus aliquid exquiritur, nihil eſſe agriculturâ melius, nihil vberius, nihil homine libero dignius. Et Xenophonti nihil tam regale videbatur, quàm ſtudum agri colendi. Vnde veteres Senatores Romani

mani erant agricolæ. Ita Quintio Cincinato aranti nuntiatum est, eum dictatorem esse factum. Plinius ait, agrum malè colere censorium probrum iudicabatur. Et Cato refert, quem virum dixissent colonum bonum, amplissimè laudasse existimabant. Cæterùm species Georgicæ sunt agricultura, vinicultura, horticultura, & lignaria siue cura syluestris. Præcipua autem hîc cura esto, ne termini arboresve terminales moueantur. Illi enim sunt maledicti, qui hoc crimine se obstringunt, *Deut.19.v.14.* Confer *Prouerb.22.vers.* 28. Plato de *legib.lib.*8. profert legem, quam Iouis terminalis vocat: Ne quis vicini ciuis aut peregrini fines ac terminos agrorum fœdere aut iureiurando positos moueat, existimans hoc reuera esse τὰ ἀκίνητα κινεῖν, *non mouenda mouere.* Et idem tradit, iureiurando à diis formatum Terminum, quo amicitiæ & inimicitiæ terminentur. Alterius enim Iupiter contribulis, alterius hospitalis est testis. Qui legem transgreditur, primùm Deo vindici, deinde legibus obnoxius, quæ pati iubent prout iudices pronuntiarint: cognitores sint ἀγρονόμοι. Lex XII. tabb. est: qui terminus exarassit, ipsius & boues sacri sunto.

Metallica quid?

XI. *Metallica, siue fossoria, est ratio parandi victum ex effossione metallorum & lapidum, tum pretiosorum, tum vulgarium.*

HÆc licet sit laboriosa & periculosa, tamen non est contra naturam, vt quidam somniant. Tametsi enim effodiunt opes irritamenta malorum: hîc tamen abusus non tollit vsum & rei essentiam. Huc etiam pertinet Alchymia, quæ admodum periculosa est, & ita corruptelis sophistarum obruta, vt non facilè laudetur & feratur in prouinciâ aliquâ: licet multi Iureconsulti censeant, ipsam licitam esse iure ciuili.

Pecuaria quid?

XII. *Pecuaria est ratio parandi & pascendi pecoris.*

HVc pertinet vita pastoritia. Et hic modus proximè accedit ad agriculturam.

Prædatoria quid?

XIII. *Prædatoria est ratio quæritandi possessionem ex prædâ seu capturâ ferarum: estque venatoria, aucupium siue aucupatoria, & piscatoria.*

AD hunc & præcedentem acquirendi modum disputari solet quæstio: Qualenam ius habeat homo in creaturas non intelligentes? Resp. Homines electi ius dominationis in creaturas in Adamo deperditum, in Christo receperunt, vt hanc vitam tueantur, & ipsius gloriæ amplificandæ impendant. Et illi sanctificant ea, quibus vtuntur, per preces & gratiarum actiones. Impij verò sunt possessores malæ fidei.

Mercatura quid?

XIV. *Mercatura est ratio acquirendi ex mercibus, quæ importantur & exportantur res necessariæ honesti lucri causâ.*

HAnc Laurentius Medices vocauit caput, vnde robur & nerui manant in Rempub. cuius rei luculentum testimonium nunc temporis sunt tres illæ florentissimæ Resp. Veneta, Genuensis, & Belgica. Est autem de iure gentium hic acquirendi modus. Cæterùm mercatura fit nauigatione, deuectione, & negotiatione: & negotiatio fit per commutationem, quæ triplex est. Nam commutatur aut res in rem, vt frumentum in vinum: aut res in pecuniam & vicissim: aut pecunia in pecuniam. Huc pertinet Cambium siue ars campsoria, sic dicta à cambire, quod est commutare rem cum re: aliàs dicitur nummularia industriosa. Est autem cambium 1. Minutum; cùm aurea moneta pro argenteâ vel æreâ commutatur; & viceuersâ. 2. Nationale; quod fit per literas è regione vnâ in aliam missas. Hæc ars campsoria, vt & tota mercatura, magno subiecta est abusui, qui non tollit artem causæ, sicut nidus hirundinis non euertit palatium, licet istud commaculet. Contra vsuram hoc loco adferuntur illa quòd lex diuina omnem vsuram prohibeat; quòd ethnici meras vsuras improbent; quòd leges ciuiles prohibeant vltra sortem aliquid accipere; quòd Chrysostomus vsuram vocet schema misericordiæ, quasi qui opem laturus in foueam protrudit. Sed tenendum est, illa dici de vsurâ immoderatâ: cùm leges ciuiles ratione veri & non simulati interesse, quod accedere potest, moderatam eius, quod interest, compensationem, cuius est necessarius vsus in commerciis, permiserint Iustinianus illustribus permisit posse stipulari trientes, mercatoribus besses, communiter omnibus semisses. In traiectitiis contractibus centesimam concessit, *l.eos.§.2.Cod.de vsur.* Constitutio Imperij quincuncialem permisit, atque eam excedentem tanquam vsurarium & illicitum contractum damnandum. Erat autem vsura alia terrestris, quæ menstrua fuit, alia nautica, quæ & ipsa bifariam fiebat. Aut enim aliquis in alteram negotiationem stipulabatur, quæ vsura dicebatur ἑτερόπλους: aut cauebatur, ne aliter deberetur, quàm si nauis cum mercibus incolumis domum reuertisset, quæ vsura vocabatur ἀμφοτερόπλους.

Officiaria quid?

XV. *Officiaria est locatio operæ, quâ pro mercede alicui addicitur opera publicè aut priuatim vtilis.*

EStque artificiosa, aut artis expers. Artificiosa est liberalis, vel mechanica. Liberalis est artis dignioris, quâ docti viri suas operas locant in statu ecclesiastico, politico, & scholastico. Mechanica est, quâ artifices locant suas operas: Estque statuaria, fusoria, chirurgia, typographia, &c. quæ faciunt ad viuendum vel absolutè, vel commodè, vel decorè, vel iucundè. Artis expers est sordida: quò pertinent operæ lixarum, baiulorum, bubulcorum, &c.

Extraordinaria acquisitio quæ?

XVI. *Extraordinaria acquisitio est, quæ citra laborem fit.*

EIus species sunt, successio, donatio, cessio boni, inuentio rei, accretio seu alluuies, depositio seu certamen pignoris depositi & lusus honestus, vbi hæc formula vel expressè ponitur, vel subintelligitur: Do, vt des, id est, meam pecuniam periculo expono, vt & tu tuam.

Acquisitio mixta quid?

XVII. *Acquisitio mixta est, cùm plures modi complicati vspiam concurrunt: vt cùm aliqui viuunt partim ex pascuis, partim ex mercaturâ.*

HIc diligenter cauendum, ne nimis multi coniungantur modi acquirendi, Aliâs obiici potest illud Germanorum: *Siben handuuerck, vierzehen vngluck.* Atque hi sunt modi acquirendi legitimi, quibus opponuntur infiniti illegitimi, quales sunt, Meretricia, Lenonia, Veneficium, Aleatorea, &c. Sed paulò pleniùs enarremus quosdam modos acquirendi, 1. *Modi acquirendi iusti sunto.* 2. *Varij sunt modi, quibus priuatum dominium iustè acquiritur.* Dico priuatum dominium: quia quæ sunt vniuersitatis, vt forum, theatrum, templum, non possunt fieri propria huius vel illius, sed iure ciuitatis fiunt singulorum. 3. *Acquirimus occupatione, accessione, ædificatione, confusione, inuentione, traditione, præscriptione seu vsucapione, donatione, successione, testamento, petitione hæreditatis, actione familiæ herciscundæ, actione communi diuidundi, iuidcio finium regundorum, vsufructu, agriculturâ, per alios, mercaturâ & negotiatione, militiâ, artibus, labore, officiis manuariis, parsimoniâ & pœnâ furti, &c.* 4. *Primus acquirendi modus de iure gentium fit occupatione eorum, quæ nullius sunt propria*; vti sunt feræ, volucres, pisces. Excipe, si quis longâ præscriptione aliquid acquisierit: & si populo consentiente magistratus habeat ius venationis, tanquam regale. 5. *Accessio legitima cernitur in alluuione, animalibus dominio nostro subiectis, & labore nostro partis.* Ita flumen potest aliquid nostro agro adiicere, animalia nostra possunt fœtificare, & plantatione crescere possunt varia vegetabilia. 6. *Confusione res acquiruntur, si consensus vtriusque partis absit.* Sic si frumentum meum tuo commixtum fuerit vtriusque consensu, vterque dominus efficitur, & locum habet communis diuidundi iudicium. 7. *Inuentionis varij sunt modi.* Nam quæ in litore maris inueniuntur, inuentoris fiunt: at non item quæ in itinere. Thesaurum inueniens, si in suo fundo inueniat, optimo titulo eum possidet. At si in alieno fundo, non datâ operâ, sed fortuitò inuenerit, dimidium domini soli & dimidium inuentoris fit. 8. *Traditione rei factâ à vero domino acquirimus dominium.* 9. *Præscriptione seu vsucapione acquirimus de iure ciuili.* Nam ne dominia in incerto essent præscriptio iure ciuili est introducta. Res autem mobilis triennio, immobilis inter præsentes quidem decennio, inter absentes viginti annis vsucapi, omnesque actiones omniaque vitia triginta annorum spatio præscribi tradunt. Quatuor autem requiruntur in præscriptione legitimâ: vt res bono titulo, bonâ fide, tempore legibus definito, citràque temporis interruptionem possideatur. Addunt aliqui, vt res talis sit, quæ præscribi possit: quia furtiuè & iniustè possessa, res sacræ & publicæ, & alia quædam non præscribuntur. 10. *Acquirimus donatione pluribus modis.* Aut enim causâ mortis fit donatio, cùm quis ita donat, vt si quid humanitùs ipsi contigerit, habeat is qui accepit, sin autem superuixerit, recipiat is qui donauit, vel si eum donationis pœnituerit, vel prior decesserit is, cui donatum; & hæ donationes sunt instar legatorum: aut donatio fit inter viuos simpliciter sine mortis cogitatione, quæ si perfecta fuerit, reuocari non potest. Huc pertinet donatio propter nuptias. Perficitur autem donatio, cùm donator sententiã suam scriptis aut sine scriptis manifestauerit. Et reuocantur donationes propter ingratitudinẽ donatarij erga donatorem. Ista verò vocatio non hæredibus, sed donatori competit. Porrò si donatio 200. solidos excesserit in vulgaribus, & in causis piis 500. requirit insinuationem, hoc est publicationem coram magistratu 11. *Successio legitima est iustissima acquirendi ratio.* In successione autem

tem hæredum triplex ordo habetur: primus descendentium, veluti filiorum, filiarum, & nepotum, qui succedunt parentibus ab intestato: secundus ascendentium, si descendentes desint, nempe parentum vtriusque sexus, iuxta graduum prærogatiuam, vt scilicet pater præferatur auo: tertius collateralium; vt si defunctus neque descendentes neque ascendentes reliquerit, succedunt fratres & sorores vtrinque iuncti in capita, filij fratrum & sororum in stirpes. Durat autem successio in ascendentibus & descendentibus in infinitum, in collateralibus vsque ad decimum gradum. Si in decimo gradu non exstiterit, hæreditas vacat, & fisco cedit. In feudis alia est ratio. 12. *Testamento aut codicillis relictis atque legatis fit iusta acquisitio.* Hinc ICtus ait, lege obuenire hæreditatem, quæ ex testamento defertur. 13. *Petitione hæreditatis acquirimus, cùm aliquis sine titulo possidet nostram hæreditatem.* Datur enim ei actio, ad quam res hæreditariæ defuncti vel ex testamento, vel ab intestato pertinent contra eum, qui eas sine titulo possidet. Res tamen emphyteuticæ vel feudales non veniunt in petitionem hæreditatis. 14. *Familiæ herciscundæ actione acquirimus, quando diuiditur hæreditas.* 15. *Communis diuidundi actione acquirimus, cùm res duntaxat, quæ communes sunt & causæ ex his pendentes in iudicium veniunt, de cæteris verò integrum est familiæ herciscundæ iudicium.* 16. *Finium regundorum iudicio acquirimus, quando iudex per mensores agrorum dirimit quæstionem finium.* 17. *Vsufructu acquirimus in fundo, ædibus, seruis, iumentis, vino, frumento, veste, pecunia numeratâ, & cæteris rebus, quæ vsu consumuntur.* In huiusmodi enim rebus constituitur vsusfructus, qui est ius alienis rebus vtendi fruendi, saluâ rerum substantiâ; & vel distinguitur à proprietate, vel cum eâ coniungitur. Ibi formalis, hîc causalis dicitur vsusfructus. 18. *Non solùm per nos ipsos acquirimus, verùm etiam per alios:* veluti per seruos. 19. *Inter omnes acquirendi modos agricultura in primis est iusta.* Quæ, vt ait philosophus, est, maximè naturalis, & necessaria, è matre terrâ quæstum parans, corpora non eneruans, vt artes sordidæ pleræque, sed ad labores subeundos roborãs. Hinc agricultura dicitur optima œconoma. Ex hâc honestissimus minimeque inuidiosus petitur quæstus, quem exercuerunt patriarchæ, & præcipui hominis familiæ apud Romanos: item Aglaus ille, Apollinis oraculo felix iudicatus. Hunc acquirendi modum Deus in paradiso instituit. 20. *Mercaturâ honestâ iustè acquirimus.* Honesta autem est μεταβλητική, quæ circa vsum necessarium versatur, non καπηλική, cuius finis non est vsus, sed quæstus. Illam Aristoteles subiungit mercaturæ, quia agricola quædam vendit, vt rursus alia emat ad vsum quotidianum: hanc meritò damnat, & propriam esse dicit propolarum, qui emunt vt cariùs vendant 21. *Militia honestâ acquirimus, Luc. 3. v. 14.* Huius militiæ sectatores fuerunt Martinus, Iouianus ac Valentinianus sub Iouiano: legio fulminea seu κεραυνοβόλος sub Antonino. Atque huiusmodi milites multis ornati sunt priuilegiis. Sed hodie militia fermè est omnium scelerum schola. 22. *Agrum malè colens censorium probrum. Plin. lib. 18. c. 3. Gell. lib. 4. c. 12.* Nam si quis agrum suum pateretur sordescere, non purgando & arando diligenter, censores ipsi pœnam irrogabant. Cyrus si quando agrum bene cultum cerneret, eorum hominum laudabat industriam, contrà si neglectum, grauiter obiurgabat & mulctabat. Ita visum Reip. interesse, vt agri bene colerentur. 23. *In modis acquirendi præcipua ratio habeatur vicini.* Melior enim est vicinus bonus, quàm frater longinquus, *Prou. 27.* Cato de re rustic. Id agendum, inquit, vt diligantur vicini. Malus enim vicinus est exitiosa pestis; iuxta illud Hesiodi: Πῆμα κακὸς γείτων. Themistocles apud Plutarchum cùm prædium venderet, præconem addere iussit, quòd bonos haberet vicinos. Columella vicinitatis incommodo multos deseruisse proprios penates, atque in diuersam orbis partem narrat profugisse. Cato in agro spectari voluit viam, aquam, & vicinum. Nam vt iter commodum agris adfert, ita aquæ bonitas necessaria & cœli salubritas. Vbi enim cum Orco ratio ponenda, ibi non solùm perceptio frugum & fructuum, sed etiam vita colonum est dubia. *Colum. 1. 3.*

FLORILEGIVM.

AGRICVLTVRA. SENT. Ἡ γεωργικὴ μάλιστα δικαία; *Agricultura maximè iusta est:* quia non pendet ab hominibus vel volentibus, vt cauponaria, vel nolentibus, vt res bellica, sed est maximè naturalis. Naturaliter enim à matre cunctis alimentum suppeditatur: itaque & hominibus à terrâ. Facultatum itaque cura hæc est prima, quia naturam sequitur. *Arist. 1. œcon. c. 2.* Optima ratio parandi opes est ex agriculturâ. *Ibid.* Omnium rerum, ex quibus aliquid exprimitur, nihil est agriculturâ melius, nihil vberius, nihil libero homine dignius. *Cic. 1. offic.* Vita rustica, quam nos agrestem vocamus; parsimoniæ, diligentiæ, iustitiæ magistra est. *Id. pro Rosc. Amer.* Vita rustica maximè disiuncta est à cupiditate, & cum officio coniuncta. *Ibid.* Hominum generi vniuerso cultura agrorum est salutaris. Nulla vita beatior esse potest, neque solùm officio, sed & delectatione & saturitate, copiâ querenum omnium, quæ ad victum hominum & cultum etiam pertinent. *Id. Cat. maior.* Agro bene culto nihil potest esse nec vsu vberius, nec specie ornatius. *Id. de senect.* Ex agriculturâ maximè pius quæstus stabilissimusque consequitur, minimeque inuidiosus. *Cato de re rusticâ.* Maiores nostri virum bonum cùm laudabant, ita laudabant: Bonum agricolam bonúmque colonum. Amplissimè laudari existimabatur, qui ita laudabatur. *Id.* Vnum genus liberale & ingenuum rei familiaris augendæ, quod ex agricolatione contingit. *Colum. lib. 1. præf.*

Ouid. Pont.

Tempus in agrorum cultu consumere dulce est.

Horat. epod.

Beatus ille, qui procul negotiis,
Vt prisca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet suis,
Solutus omni fœnore.
Nec excitatur classico miles truci,
Nec horret iratum mare:
Forumq; vitat, & superba ciuium
Potentiorum limina.

Iuuenalis 14.

Viuite contenti casulis, & collibus istis,
O pueri, Marsus dicebat & Hernicus olim,
Vestinúsque senex: panem quæramus aratro,
Qui satis est mensis. ——————

Virg. 2. Georg.

O fortunatos nimiùm sua si bona norunt
Agricolas, quibus ipsa procul discordibus armis
Fundit humo facilem victum iustissima tellus.

APOPH. Cato maior dicebat, fortissimos viros ac strenuissimos milites ex agricolis gigni, minimeque malè cogitantes. *Plut. apoph.* Idem dicere solebat, pecuniam pedibus compensari: sentiens, ad villam sæpiùs eundum esse: *Cic. pro Flac.* Cato maior interrogatus, quis esset certissimus agricolæ quæstus? respondit: Si bene pascat. quis proximus? si mediocriter pascat. quid tertium? si bene vestiat. quid quartum? arare & terram bene vertere. *Erasm. 5. apoph.* SIMILITVD. Agricultura Philoni est præludium quoddam magistratuum: apud Xenophontem eadem dicitur parens atque nutrix aliarum artium. Agricultura est cornu illud Amalthææ, ita vt Amalthéa significet illum, qui minimè μαλθων, id est, dissolutus, sed gnauus est: cornu verò bouis, animalis laboriosissimi, operarios notet: botrus autem & similia, quæ in isto cornu sunt, omnia ad vitam hanc necessaria, agriculturæ inesse significent. *Stob. serm. 54.* EXEMPL. Adam protoplastus, Hesiodus, Cyrus minor, Diocletianus Imp. HIEROGLYPH. 1. *Porcus*; quod animal apud Ægyptios erat inuiolabile, propterea quòd agricolationis vsum ipsis præstaret. 2. *Falx*; quam Saturnus docuisse fertur, vt fructus hoc modo colligantur. 3. *Nilus*; qui quomodo fœcundet Ægyptum, vide suprà in Geographicis. 4. *Aratrum*; quod est nota frumentarij prouentus. *Paralipomena* huius florilegij de agriculturâ notentur ista. I. *Ex Catone.* 1. Res rustica sic est: si vnam rem serò feceris, omnia opera serò facies. 2. Ex agricolis & viri fortissimi, & milites strenuissimi gignuntur, maximéque pius quæstus stabilissimúsque consequitur, minimeque inuidiosus; minimeque malè cogitantes sunt, qui hoc studio occupati sunt. 3. Prædium cùm parare cogitabis, in animo habeto, vti ne cupidè emas, néve opera parcas visere, & ne satis habeas semel circumire. Quoties ibis, toties magis placebit, quod bonum erit. 4. Scito idem agrum, quod hominẽ: quamuis quæstuosus fiet, si sumptuosus erit, relinqui non multum. II. *Ex Varrone.* 1. Nemo sanus debet velle impensam ac sumptum facere in culturam, si videt non posse refici. Nec si potest reficere fructus, si videt eos fore, vt pestilentiâ dispereant. 2. Agrum alternis annis relinqui oportet: aut paulò leuioribus sationibus serere, id est, quæ minùs sugunt terram. 3. Herbæ è satis elidendæ, & dum teneræ sunt vellendæ. Nam aridæ factæ rixantur, ac celeriùs rumpuntur, quàm sequuntur. III. *Ex Columellâ.* 1. Graciles cliui non sunt æstate arandi, sed circa Septemb. Kalend. Quoniam si ante hoc tempus proscinditur effœta & sine succo humus, æstiuo sole peruritur, nullásque virium reliquias habet. 2. Stercus omne, quod tempestivè repositum anno quieuerit, segetibus est maximè vtile. Nam & vires adhuc solidas habet, & vermes non creat. 3. Sicut refrigescit ager, qui non stercoratur: sic peruritur, si nimiùm: magísque conducit agricolæ, frequenter id potiùs quàm immodicè facere. 4. quandocunque arabitur, obseruandum ne lutosus ager tractetur, néve exiguis nimbis semimadidus, quam tertiam rustici variam cariosámque appellant. Ea est, cùm post longas siccitates leuis pluuia superiorem partem glebarum madefecit, inferiorem non attigit. IV. *Ex Plinio.* 1. In arando magnoperè seruandum est Catonis oraculum. Quid est primum? Agrum bene colere. Quid secundùm? Bene arare. Quid tertium? Stercorare. 2. Malus ager est, cum quo dominus luctatur. Agro deserto nihil damnosius. 3. Attilius Regulus ille Punico bello bis consul, aiebat neque fœcundissimis locis insalubrem agrum parandum, neque effœtis saluberrimum. Salubritas loci non semper incolarum colore detegitur, quoniam assueti etiam in pestilentiis durant. Præterea sunt quædam parti-

bus

bus anni salubria. Nihil autem salutare est, nisi quod toto anno salubre. 4. Operâ, non impensâ cultura constat. Et ideò maiores fertilissimum in agro oculum domini esse dixerunt. 5. Tritico nihil est fertilius: hoc ei natura dedit, quoniam eo maximè alat hominem. 6. Venti tribus temporibus nocent frumento & hordeo. In flore, aut protinùs cùm defloruêre, vel maturescere incipientibus. V. *Ex Palladio.* 1. In rebus agrestibus maximè officia iuuenum congruunt, imperia seniorum. 2. In agro periclitantur interiora, nisi colantur extrema. 3. Tria mala æquè nocent, sterilitas, morbus, vicinus. 4. Semina plus quàm annicula esse non debent, ne vetustate corrupta non prodeant. 5. Omnia quæ seruntur, crescente Lunâ & diebus tepidis sunt serenda. Nam tepor euocat, frigus includit. 6. Spissa, & cretosa, & humida terra, bene far & triticum nutrit: hordeum agro soluto delectatur & sicco: nam in lutoso sparsum moritur. 7. Agri præsulem non ex dilectis & tenerè educatis seruulis ponas: quia fiduciâ præteriti amoris impunitatem culpæ præsentis expectat.

Ex Virgilio.

Semina vidi equidem multos medicare serentes,
Et nitro priùs, & nigrâ perfundere amurcâ:
Grandior vt fœtus siliquis fallacibus esset.

RES PECVARIA. *Columella.* Pecudes pro regionis cœlique statu & habitum corporis, & ingenium animi, & pili colorem gerunt. *Id.* Omni pecudi larga præbenda sunt alimenta. Nam vel exiguus numerus cùm pabulo satiatur, plus domino reddit: quàm maximus grex, si senserit penuriam. *Id.* Vacca quamuis plena fœtu, non expletur libidine. Adeò vltra naturæ terminos, etiam in pecudibus plurimùm pollent blandæ voluptatis illecebræ. *Id.* Sues ex omnibus pecudibus impatientissimæ sunt famis, ita vt aliquando si indigeant pabuli, non tantùm alienam, si liceat, sobolem, sed etiam suam consumant. *Id.* In omni genere quadrupedum species maris diligenter eligitur, quoniam frequenter patri similior est progenies, quàm matri. *Varro.* Herba in pratis ad spem fœnisiciæ nata, non modò non euellenda, sed etiam non calcanda: quin & pecus à prato ablegandum, & omne iumentum, & etiam homines: solum enim hominis exitium herbæ, & semitæ fundamentum. *Cato.* Ego cuidam consulenti, quam partem rei rusticæ exercendo celeriter locupletari posset, respondi, si benè pasceret: rursusque interroganti, quid deinde faciendo satis vberes fructus percepturus esset, affirmaui, si mediocriter pasceret.

VILLATICA PASTIO. *Columella.* Antiquissima, maximè in gallinario pecore, fides pastoris: qui nisi eam domino seruet, nullus ornithonis quæstus vincet impensas. *Id.* Res apiaria non tantùm curatorem fraudulentum, sed etiam immundæ segnitiæ perosa est. Æquè enim dedignatur, si minùs purè habita est, ac si tractaretur fraudulenter. *Id.* Curatori apum, cùm aluos tractare debebit, custodiendum vti pridie castus sit à rebus Venereis, néve temulentus, nec nisi lotus ad eos accedat, abstineátque ferè ab omnibus redolentibus escis, vt sunt salsamenta; & eorum omnia eliquamina, itémque fœtentibus acrimoniis allij vel cæparum cæterarúmque rerum.

VINEÆ ET HORTI. *Varro.* Tertia cuiusmodi sit refert. Vbi enim natura humida, ibi altiùs vitis tollenda, quòd in partu & alimonio vinum non vt in calice quærit aquam, sed solem. *Columella.* Apta est surculis hominis vrina, quam sex mensibus passus fueris veterascere. Si vitibus aut pomorum arboribus adhibeas, nullo alio magis fructus exuberat: nec solùm ea res maiorem facit prouentum, sed etiam saporem & odorem vini pomorúmque reddit meliorem. *Id.* Stercus vitibus non est ingerendum, quod saporem vini corrumpit. Melior est materia vindemiis exuberandis congestitia, vel de vepribus, vel denique alia quamlibet arcessita & aduersa humus. *Palladius.* Locis frigidis à meridie vineta ponantur: calidis à septentrione: temperatis ab oriente, vel, si necesse sit, occidente. *Id.* Græci iubent oliuam, cùm plantatur & legitur, à mundis pueris atque virginibus operandum: Credo recordati, arbori huic præsulem esse castitatem.

CAPVT VII.

De Officiis œconomicis communiter.

PRÆCEPTA.

HVCVSQVE de familiæ fundatione: sequitur iam de conseruatione, quæ pendet ab officiis personarum œconomicarum.

Officia ista sunt communia, vel propria.

Officia œconomica communia continentur amore & labore.

Amor est, quo tanquam glutine colligantur animi tum familiarium, tum vicinorum. Eius soboles est concordia & beneficentia.

Labor est, quo res partæ conseruantur.

REGVLÆ.

I. *Societas œconomica conseruatur œconomicis officiis, destruitur vitiis œconomicis.* Societas œconomica vt conseruetur & destruatur?

PEr officia intellige actus virtutum œconomicarum. Ad harum sedulum exercitium nos impellet inter alia frequens cogitatio istarum regularum: Domus est quiddam à naturâ institutum: Qui ergo domum non rectè instituit, naturam violat: Domestica societas & basis est & imago ciuitatis seu reip.

II. *Officia œconomica debent esse mutua seu reciproca.* Officia œconomica sunto mutua.

SI enim absque illâ reciprocatione fit, natura relationis, quæ cerni debet in officiis, peribit: atque ita officium non consequetur finem suum. Sic verbi gratia, si pater faciat suum officium, filius autem sit officiperda, pater habebit ille quidem bonam conscientiam, sed non assequetur finem, quem sibi proposuit.

III. *Amor est condimentum officij.* Amor cõdimẽtum officij.

Est enim affectus, qui à centro ad circumferentiam se diffundit, & rursus ad centrum redit, atque adeò sibi vnire cupit obiectum gratum. Hinc non fatigatur labore, nec terretur difficultatibus. Respiciet autem amor iste non tantùm personas in domestico conuictu, sed etiam vicinos: quia, vt M. Cato ait, *Fundus tuus est, vt vult vicinus esse.* Pax itaque cum vicino colenda.

IV. *Labor pius, moderatus, & ordinatus est septum familiæ.* Labor septum familiæ.

SI enim hæc tria requisita concurrant in labore, familia erit inuicta aduersus omnem iniuriam. Ita verò laborandum est, ne labor corporis vires animi frangat: ita laborandum, vt diu possit laborari.

V. *In conseruandis rebus acquisitis tres regulæ sunto ante oculos: videlicet Persica, Laconica, & Attica.* Tres regulæ conseruandi acquisita.

PErsica regula est, vt paterfamiliâs omnia iubeat, præsensque quoad eius fieri potest, inspiciat. *Laconica*, vt suo quæque loco & ordine disponenda procuret. *Attica*, vt de reditibus viuat, & si bonis immobilibus abundet, in arendam illa collocet: vbi circumspiciet de bono arendario.

VI. *Administratio familiæ constitutæ complectitur officia œconomica, & rei familiaris dispensationem.* Administratio familiæ quid cõplectatur?

OFficia Oeconomica sunt distinctè videnda secundùm tres species societatis domesticæ. Aliâs in genere officium superiorum est familiam ritè, ordinare, prudenter defendere, & eâdem iustè ac moderatè vti: inferiorum verò est æquo animo se submittere imperio superiorum, illis habere honorem, & susceptis muneribus fideliter ac alacriter defungi. Hoc si fiat, familia verè erit horologium œconomicum, vel cithara Apollinis, vel etiam sphæra cœlestis familiæ, in quâ paterfamiliâs sit primum mobile, vxor & liberi stellæ fixæ, Saturnus grauitas, Iupiter prudẽtia, Mars fortitudo, Sol religio, Venus humanitas, Mercurius facundia, Luna vbertas rerum, Centrum immobile iustitia. Pertinet huc illud Catonis *de re rust.* 4. *Xenoph. œcon.* Familiæ, ne malè sit, paterfamiliâs prouideto, ne algeat, ne esuriat, & opere exerceatur. Item, ne crudeliùs aut remissiùs agat cum subiectis, sempérque foueat bonos & sedulos, parcat etiam minùs probis, atque ita temperet, vt magis reuereantur seueritatem, quàm sæuitiam detestentur. *Columella* 11. *c.* 1. Item: Litibus supersedeat familia, neque sinet paterfamiliâs peccare. Si quis quid deliquerit, pro noxâ bono modo vindicet. *Cato* 4. *&* 5. *de re rustic.*

FLORILEGIVM.

OFFICIVM OECONOMICVM. SENTENT. Nulla vitæ pars, neque publicis, neque priuatis, neque forensibus, neque domesticis in rebus, neque si tecum agas quid, neque si cum altero contrahas, vacare officio potest: in eóque excolendo sita est vitæ honestas omnis, & in negligendo turpitudo. *Cic.* 1. *offic.*

Plaut. Rud.

Vigilare decet hominem,
Qui volt sua tempori conficere officia.
Nam qui dormiunt libenter, sine lucro & cũ malo quiescunt.

APOPH.

Apoph. Iulius Drusius habebat ædes vndiquaque vicinorum aspectui patentes. Hoc incommodum faber quinque talentis se emendaturum pollicebatur. Tum Drusius, Decem, inquit talenta tibi dabo, si domum meam ita pares, vt omnium oculis pateat, vt omnes ciues perspicere possint, domi meæ quomodo viuam. *Erasm.6. apoph.* Æneas Syluius legens Ennium, stupidos homines non homines, sed homones, appellasse, dixit: Ennius, si plerosque nostri seculi reges contemplatus esset, non reges, sed regones appellasset. Eundem in modum ego patrem, matrem, filium, herum, & famulum ineptos dixero patronem, matronem, filionem, heronem, famulonem. Simil. In familiâ omnes debent imitari sclopetarios, qui oculum habent defixum in scopum: item creaturas non intelligentes, è quibus singulæ suum faciunt officium. Adag. Τὴν ἡμέραν; Λιπεῖν τὴν τάξιν, *Deserere ordinem*: Pensum persoluere: Contribulis factus serua ordinem.

VICINITAS. Sent. Vicinus cauere debet, vt nihil vicino contrarium faciat: & hoc tum in aliis, tum in vniuersâ agrorum cultura semper vehementer vereatur. *Plat de legib. dial.8.* Nactus est præmium, quisquis nactus est bonum vicinum. *Hesiod. ἔργ.* Tantum damni est ex malo vicino, quantum ex bono commodi. *Id.* Non peribit bos vtique, nisi affuerit malus vicinus. *Id.* Apoph. Themistocles cùm prædium quoddam vendere vellet, per præconem addere iussit, quòd vicinos etiam haberet bonos. *Stob. serm. 35.* M. Cato admonebat eos, qui agros emturi essent, vt ante omnia animaduerterent, ne malum haberent vicinum. *Erasm. 5. apoph.* Simil. Vicinus est instar Lunæ: quæ præcipuè mouet inferiora, quia terris est propior.

Capvt VIII.

De Officiis coniugum.

Præcepta.

Officia propria variant secundùm societatem coniugalem, patriam, & herilem.

In societate coniugali officia sunt communia, vel propria mariti & vxoris.

Officia coniugum communia continentur amore & auxilio mutuo, itemque fidelitate coniugali & patientia.

Officia propria mariti sunt, honorificè de vxore sentire, verecundè cum illâ viuere, reuerentiam potiùs quàm metum ipsius conciliare, eam defendere ab iniuriâ, exorbitantem denique corrigere, quoad eius fieri potest, suauiter, & nonnisi extremâ necessitate venire ad verbera, vel vsurpare τὸ Vre-Seca.

Officia vxoris propria sunt, esse domiportam instar testudinis, castimoniæ studere instar Penelopes, dispensare labores domesticos instar apiculæ, esse condam potiùs quàm promam, maritum habere pro lege & normâ suâ, alienis negotiis se non immiscere, denique non esse muséum hirundinum.

Regvlæ.

In coniugio quid inprimis curandû?

I. *Prima coniugii cura debet esse, vt sit castum: secunda, vt tranquillum.*

Castitas coniugalis consistit in amoris reciprocatione. Nam amor mutuus est fundamentum beatitudinis coniugalis. Est enim vinculum cordium, & condimentum ærumnarum coniugij. Hic si desit, coniugium est charybdis, si adsit, tollitur omnis amator. Ideo rectè dixit, quicunque dixit: Satius est quouis terrarum fugere, vbi nec Pelopidarum facta neque nomen audias, si absit à coniugio amor. Modus ad eam, reciprocationem perueniendi pendet à precibus, & consideratione voluntatis Dei, qui coniuges copulat. Concordia in coniugio procuratur hoc modo. 1. Maritus parentibus & cognatis vxoris, & contrà vxor parentibus & cognatis mariti, eam exhibeat reuerentiam, quam propriis exhibet. 2. Coniuges communem gerant curam rei domesticæ, & partiantur inter se labores: nec appetant diuitias in infinitû. 3. Vtrinque depositâ omni superbia mansuetudinem colant. 4. In rebus prosperis & asperis alter alteri æquè adsit. 5. Cogitent illud: *Amor solus nasci potest, at solus crescere non potest*; quomodo videmus vnum lignum in foco non fouere flammam. Amor enim non est vnius, sed duorum: Quare nisi adsit reciprocatio flammæ coniugalis, omnis affectus in fumum & vapores abit. 6. Etsi verum sit illud; *Coniugium sine prole, est mundus sine sole*: æquo tamen animo ferent, si Deus velit ipsorum coniugium esse sterile. 7. Valde necessaria est ἐπιείκεια condonans inter sese mutuò aliquas infirmitates & næuos coniugum. Quod enim vulgo dicitur, *Amici mores noueris, non oderis*, id in coniugio, quod summus est amicitiæ gradus, præcipuè valere debet. Amor, inquam, coniugalis est perfectæ amicitiæ species. Etsi enim mulier est vas infirmum, & inferior viro ratione temperamenti & obedientiæ: tamen amor ille coniugalis non est imperfectus: quia vxor consideratur tanquam pars mariti.

Fidelitas coniugalis.

II. *De fidelitate coniugali sunt hæ regulæ.*

Fidelitas est anima coniugii. Maritus igitur sit Vlysses, & vxor sit Penelope, h. e. Maritus non ad quasuis, etiam Thaïdes deuoluatur, & vxor suo tantùm viro adhæreat, etiã si procos habeat vt Penelope. Hîc peccauit Themistocles, qui se dedit libidinibus, & eò furoris processit, vt passus sit se produci in forum à quattuor mulieribus nudis. 2. Fidelitas coniugalis si violetur, iusta existit repudii vel desertionis causa de iure diuino & humano. 3. Coniuges secreta matrimonii secreto habeant. Insaniit igitur Candaules Lydorum rex, qui vxorem suam formosissimam omnibus prædicabat, eamque nudam sodali suo Gygi ostendebat; quâ visâ ita exarsit, vt cogitaret, quî potiretur illius amore. Vxor ægrè ferẽs Cãdaulis amorem insanû, occidere eum adultero permisit, eique se & regnum tradidit. 4. Adulterij turpitudo sæpe cogitetur. Cernitur autem illa in hisce; quòd coniux veluti dimidia corporis pars eripitur; quòd alter coniux graui sacrilegio læditur; quòd sanguis confunditur, & more cuculi partus adulterinus pro vero supponitur; quòd circa hæreditatem furtum committitur. Hinc tam atrox scelus ab omnibus ferè gentibus seuerè punitum fuit. Lex Mosaica constituit pœnam capitis: sic & lex Iulia, quæ licet ad tempus dormierit, vt conqueritur Satyricus, tamen pòst cœpit reuocari. Xenophon ait, adulteros non occidi, quòd impudicas reddant vxores, sed quòd amorem coniugalem auferant.

Patientia coniugalis.

III. *De patientiâ coniugali sunt hæ regulæ.*

1. Cogitetur, quòd vita coniugalis non sit ampliùs paradisus, vel etiam in paradiso, sed extra illum: quodque coniuges non sint angeli, sed homines. 2. Omnia priùs experiri consilio, quàm verberibus sapientem maritum decet. Ideo quando paulùlum offenditur, non debet præ impatientiâ cum Achille volutari in luto, vel cum Augusto capita parietibus allidere, vel cum Lycambe ad restim confugere. Iupiter suam Iunonem rixantem & tumultuantem castigabat verbis, leniebat obsequiis, à verberibus abstinebat. Et Socrates Xanthippen suam tonantem & pluentem ferebat, & quantum poterat, mitigabat. Hoc tamen ita fiat, ne maritus sit gynæcocratumenus. Nihil enim deformius est & inutilius, quàm muliebre imperium. Maritus igitur sit rex, vxor regina, quæ domui imperet, non marito 3. Vxor magis studeat patientiæ, quàm maritus: & quidem adeò studeat, vt interdum de suo decedat & remittat iure. Si enim maritus toruum videat, & vxor porci instar grunniat, vel canis instar latret, vel apis instar aculeum infigat, irritabit crabrones, & camarinam mouebit. Id operam dabit, vt possit vocari viriplaca: quod in maximâ ponitur laude. Absque hâc virtute sit: in coniugio dominabitur Asmodæus. Quæ cùm ita sint, coniuges versum istum non foribus suis præscribant, sed cordibus inscribant:

Doris amara suas non intermisceat vndas.

Huc pertinet historia Leonis Bizantij, qui, cùm fungeretur legatione ad Athenienses, & in concione irrideretur ob corporis breuitatem: Cur, inquit, ridetis homuncionem, cuius vxor tam pusilla est, vt mariti genua vix attingat? Etsi autem angustissimo cubili continemur: nihilominus tamen, cùm irâ exarsimus, vix Byzantij mœnia, quamtumuis ampla sint, capere vtrumque possunt.

Proprium mariti officium quod?

IV. *Proprium officium mariti erga vxorem consistit in fauendo & fouendo.*

In *fauendo*, id est, complectendo vxorem amore, sed maritali, h.e. viros decente. Habeat igitur illam non pro fæce aut seruâ, sed pro corde, adeoq; eam non solùm amet, sed & reuereatur. Vnio enim est coniux: si sentiat acetum, corrumpitur. Sed hic amor non sit coniunctus cum nimiâ zelotypiâ, siue sinistrâ suspicione, quæ vt est venenum amicitiæ, ita & pacis coniugalis. *In fouendo* consistit officium protectionis & sustentationis. *Protectio* requiritur, quia maritus est caput. Neque tamen est quòd maritus sibi persuadeat, se vxore superiorem esse, vt Princeps subditis, aut pastor ouibus est superior: sed sicut anima corpore superior est, cum quo naturali quâdam beneuolentiâ est coniuncta. Non igitur imperabit vxori despoticè, sed politicè, vt reuerentiam potiùs, quàm metum conciliet. Vxor enim præcipua post maritum domus pars est. Hinc vxore carens quasi sine domo dicitur. Vnde *Ambros. de paradis.* ait. Sicut vir externis & politicis rebus, ita vxor domesticis est destina-

destinata. Viri quoque & mulieris eadem lex, iuxta illud *Chrysost. in Matth.* 5. Mulier & vir vnum: neque lege distinguitur, quod genere coniungitur. Cogitet igitur mulierem ex viro fuisse sumptam, eandemque quidem non ex capite ipsius prodiisse, vt viro dominetur, neque ex pedibus, vt ab ipso calcetur, sed ex latere, quæ cordis sedes est, vt eam ex corde non secus ac seipsum amet. Permittat itaque vxori imperium, sed restrictum & limitatum, ne fiat ipse γυναικοκρατούμενος. Miserrimum enim est imperium & prorsus contra naturam, si corpus animam, & luna solem regere conetur. Hinc rectè Germani nostri: *Weiber regiment, Nimt selten ein gut endt.* Hîc quæritur, cur viri fortissimi plerumque sint γυναικοκρατούμενοι: vt Hercules, Themistocles, Pericles, Cæsar, & Spartani? Resp. quia mulierum sunt amantiores, quòd habeant corpora plena sanguinis & spirituum. Et si maritus nullam velit ab vxore pati iniuriam, nullam ipsi faciat. Magnâ verò hîc opus est prudentiâ, quod veteres sic expresserunt: Sicut sol stellarum dominus absque Mercurii societate cursum non perficit, ita & maritus imperium suum nisi sapientiâ comite non debet exercere. Porrò cùm iniuriâ afficitur vxor, illam sibi factam esse censebit maritus, iuxta regulam: *Iniuria facta vxori, ipsi marito facta censetur.* Oportet quoq; maritum tolerare quosdam vxoris næuos: vti Socrates Xantippen, & Antoninus Imp. Faustinam. *Officium sustentationis* est, quo vir prospicit vxori de rebus necessariis. Vix enim coniugium fuerit felix, in quo maritus mulieris quadrâ cogitur viuere. De rebus autem prospiciet necessariis, ne vxorem abundantiâ vel indigentiâ reddat impudicam. Quare non indulgebit phantasiæ vxoris in quouis corporis ornatu. Hîc quæritur, quomodo intelligenda sint illa Plutarchi & Chrysostomi: quorum ille in *Catone Censorio* ait: Vxorem verberans, quasi in sanctissima deorum simulachra manum inferens, à magistratibus coërcendus: hic *homil.* 28. *ad Corinth.* Extrema, inquit, viri ignominia est, vxorē verberare. Resp. Hæc dicta sunt accipienda de imprudentis mariti temeritate & crudelitate. Maritus sit seuerus, non sæuus. Quare vt maritus vtramque muneris suis partem impleat, has obseruet leges. 1. Meminerit se esse primum motorē seu partem principem in societate domesticâ: vxorem primum mobile: liberos & seruos secunda mobilia. Hinc maritus dicitur in se habere imaginem Monarchæ aut regis. 2. Idem habeat perfectiorem virtutem quàm alij omnes in domo 3 Vt in ducendâ, sic in regendâ vxore vtetur magnâ prudentiâ. 4. Maritus sibi ipse sit lex, & sibi dominetur, atque ita præluceat vxori bono exemplo. Nam bonus dux bonum facit comitem. 5. Det operam vt ab initio coniugii sibi conciliet animum cōiugis. 6. Sciat vxorem esse vas infirmum, ac proinde ipsius infirmitates prudenter toleret: multa quin etiam dissimulet. 7. Non credat vxori arcana Reipublicæ. 8. Precetur pro vxore, vt bonam Deus conseruet, malam emendet: 9. Si malam habeat vxorem, meminerit se accepisse gymnasium patientiæ.

V. *Vxoris proprium officium est obseruantia & adiumenti.*

Officium proprium vxoris quod?

OBseruantia consistit in tribus. 1. *Vt illa sit obediens in omnibus honestis*; & singulari honore prosequatur maritum, neq; ipsum vllâ ratione despiciat: qualis fuit Sara. Hîc grauiter peccant illæ mulieres, quæ imperant maritis suis, quod vitium erat admodum familiare Romæ. Vnde Cato Romanus dicere solebat: Nos omnibus totius orbis hominibus imperamus, & vxores nostræ imperant nobis. Admodum hoc est deforme, & contra naturam; quia vxor imperitans marito est corpus sine capite, & currus sine auriga ab equis tractus. Et ideo non mariti, sed maritelli appellantur, qui sic tractantur ab vxoribus. Vxor debebat cogitare illud: Vxor coruscat radiis mariti Hîc tamen accuratè distinguendum est inter imperium vxoris, & consilium. Nam quædam mulierum consilia sunt mascula, & proinde acceptanda. Hîc etiam quæritur, an maritus debeat timere vxorem? Resp. Timore seruili non debet, liberali debet quo fit vt aliquis à malè agendo abstineat propter opinionem virtutis in alio quem diligit 2 *Vt se accommodet ad ingenium & mores mariti, tanquam legis suæ suamq; voluntatem subiiciat voluntati mariti*; inq; eius dolore & tristitiâ condoleat & contristetur, in gaudio congaudeat & congratuletur. Sit veluti speculum bonum, quod reddit imaginem intuentis & veluti echo reddens sonum, vt accepit. Hoc fecit Liuia Augusti vxor, quæ dicebat, se maritum subiugasse modestiâ & dissimulatione suâ. Patienter igitur toleret mores mariti, etiam morosos. 3. *Vt sit pacifica*: studens nimirum verbis byssinis, & cogitans, montem cum monte non commisceri. Ideo Mercurius adiungitur Veneri; quo significatur, coniugium maximè indigere oratione blandâ. *Officium adiumenti* his continetur legibus. 1. Vxor instar testudinis domi resideat, instar apis domesticos labores vrgeat 2. Res à marito acquisitas fideliter conseruet, ideoque non sit sumtuosa. Infelicissima siquidem est œconomia illa de quâ Germani dicunt *Was der mann zum fenster hineyn bringt, das wirfft die fravv zur thuer hinausz.* Hîc requiritur, vt abstineat à cultu & ornatu intemperante, qui non solùm est gangræna rei familiaris, sed etiam illex prauæ concupiscentiæ. Rectè igitur Clemens Alexandrinus ait: Cur ô fœminæ, libet catenis constringi, nisi adulterii ornamenta ostentare libeat, vt Venerem deprehensam canit Homerus? Quid hoc est aliud, quàm corpus prostituere, vel certè à Christianâ modestiâ se abalienare, & in peccati symbolo gloriari? 3. Ipsa ad operas domesticas adhibeat manum. 4. Negotia aliena & ad rem domesticam non pertinentia non curet, sed cogitet illud: Matrona es, hoc age. ideoq; habet omnia probè explorata, quæ sunt in domo. 5. Ordine accurato in rei familiaris curâ vtatur. In summâ, vxor faciat in œconomiâ, quod cor facit in corpore: maritus faciat quod caput. 6. Ne facile absente marito alios in domum admittat. 7. Precetur pro marito. 8. Ne temerè sit zelotypa. 9. Vxor meminerit maximum fœminæ decus esse silentium. Non tamen verba prohibentur fœminis, sed verbositas. Nec vltra telam & lanam progrediantur loquendo, nisi fortè sint heroinæ. Hic enim locum habet illa παροιμία: *Hortensiæ causas in Senatu dicere permittuntur*: Omnes piæ matronæ virtutes Paulus complectitur fide, dilectione, castitate, & modestiâ. 1. Tim. 2.

VI. *Coniuges ne facilè dissoluant vinculum coniugii.*

Coniugii vinculum ne facilè dissoluitor.

MAximum enim est hoc vinculum in societate huius vitæ animalis. Vnde Scriptura dicit: *Homo relinquet patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ.* Vtcunque autē arcta sit hæc societas: adulterio tamen penitùs dissoluitur: vt Christus docet *Matthæi* 19. Penitùs, inquam, dissoluitur coniugium, quoad vsum & vinculum, ita vt innocenti sit integrum nouas nuptias inire. Est verò idē ius vxori, quod marito, in petendo diuortio: quia coniuges quoad vinculum coniugii sunt pares. Quòd si innocens velit partem nocentem sibi reconciliare, cumq; illâ cohabitare, id licebit: si modò recōciliatio fiat ex animo Aliàs conuictus erit valde molestus. Hîc quæritur, An perpetua sit adulterii accusatio, siue An innocenti semper sit integrum nocentem accusare? Hîc verò dictat ipsa ratio, eum videri iuri suo renuntiasse, siue iniuriam sibi factam condonasse, qui cōperto adulterio vel manifestè semel in gratiam cum nocente redierit, vel dissimulatâ iniuriâ ab eius vsu coniugali non abstinuerit. Quæritur etiam, An in adulterio plus peccet maritus quàm vxor? Resp. Vir magis peccat hîc quàm fœmina, tum quia principatum habet in mulierem, tùm quia constantius ingenium, vsumq; rationis nobiliorem habet: vnde probabile est, quòd magis ex malitiâ, quàm ex infirmitate peccet. Magis tamen hoc vitium deformat mulierem, quàm virum. Porrò non solùm adulterio, sed etiam malitiosâ desertione soluitur matrimonium, si adhibeantur omnia ea, quæ Theologi & ICti adhiberi volunt in solēni desertionis proclamatione. Morbus denique cōtagiosus & incurabilis tollit vel ὀφειλομένην εὔνοιαν, *debiti redditionem*, vel ipsum coniugii vinculum, si vtraq; pars consentiat. Imperatores Christiani plures diuortii causas iustas esse decreuerunt. Istas recensent Theodosius & Valentinianus, quibus alij postea, nempe Leo & Iustinianus, quasdam adiunxerunt: de quibus in Codice & Nouellis. Pronuntiant autem vxorem posse maritum repudiare ob 13. causas quales sunt. 1. Adulterium. 2 Homicidium. 3. Veneficium. 4. Molitio contra imperium non indicata. 5. Si crimine falsi damnatus. 6. Sepulchrorum dissolutio. 7. Sacrilegium. 8. Si latro, vel latronum susceptor, vel abactor, vel plagiarius. 9. Si familiâ, vel vxore inspiciente, cū impudicis mulieribus cœtum inierit. 10. Si vxoris vitæ fuerit insidiatus, vel insidiari volētes sciens non indicauerit, nec vlcisci secundùm leges statuerit. 11. Si verberibus indignis ingenuam vxorem affecerit. 12. Si vxoris castitati insidiatus, aliis etiam eam adulterandam tradere tentauerit. 13. Si adulterii intentatam actionem non probauerit. Viro autem vicissim hæ causæ tribuunt potestatem vxoris repudiādæ. 1. Adulterium. 2. Veneficium. 3. Homicidium. 4. Plagium. 5. Sepulchrorum violatio. 6. Sacrilegiū. 7. Si latronum fautrix. 8. Si viro ignorante vel nolente conuiuia extraneorum appetierit. 9. Si eo ignorante, sine iustâ causâ, foris pernoctauerit. 10. Si extra viri voluntatem ludis & spectaculis inhæserit. 11. Si vitæ mariti insidiata sit, aut insidiātes sciēs non indicauerit. 12. Si aduersus imperium molita. 13. Crimen falsi. 14. Si manus audaces viro iniecit. 15. Si abortum sponte fecerit. 16. Si cum viris voluptatis occasione lauetur. 17. Si viuo marito cū aliis de suis nuptiis sit locuta. Has igitur causas illi cōmemorant: quanquam in iis non semper sibi constant. Iustinianus enim ob verbera noluit repudium mitti marito. Et Leo causas quasdam alias commemorat, ob quas soluta quoque fuerint coniugia, nempe mariti prodigalitatem, religionis diuersitatem, & si quæ promissa sunt, non persoluantur, etiam per inopiam. Iure Pontificio diuortium è quatuor potissimùm fit causis: Adulterio, infidelitate, impotentiâ coëundi, & continuis insidiis. His alii addunt desertionem; quæ tamen Canonistis non probatur.

FLORILEGIVM.

OFFICIA ET VITIA CONIVGVM. SENT. Tabula officij bonæ vxoris est *Prouerb. vlt.* De officio mariti vide

vide Ephes. 5. Virgo formosa, etsi oppidò sit pauper, tamē abūdè dotata. *Apule. in 2. de magiâ.* Mulieris virtus propriè pudicitia est. Hæc Lucretiam & Porciam Bruto æquauit, & Corneliam Graccho. *Hier. contra Iouin.* Imperium mariti in vxorem est, vt patris in filiam: aut vt melius dicam, vt animi in corpus hoc nostrum esse debet. *Lips. cent. 3. epist. 40.* Asperitas & superbia à coniugio absint. *Ibid.* Felicitas coniugij adest, vbi concordia est. *Ibid.* In coniugio amore inprimis opus est. *Ibid.* Concors & alterno amore matrimonium, eximium inter humana bona. *Id. cent. ad serm. & Gall. epist. 9.* Propium fœminæ est audire maritum & parere. *Id. in panegyr. Plin.* Mulier bona Deum reuerenter honorat, viro humiliter obtemperat, domum diligenter curat, proximum decenter ædificat honesto affatu & modesto gestu. *Anon.* Memento semper, quòd paradisi colonum de possessione suâ mulier eiecit. Vnde ait quidam:

Adam, Samsonem, Petrum, Dauidem, Salomonem,
Decepit mulier: quis modò tutus erit? Hier. epist. ad nepot.

Menand.

Γυνὴ δικαία τ' βίε σωτηρία,
Mulier iusta vitæ salus.

Eidem mulier bona dicitur temo domus & pulchra planta. *Phocylides* ita describit mulieres:

Ex quatuor hisce animalibus natum est
Genus mulierum, cane, apiculâ,
Toruâ sue, aut equo iubato.
Ex equo nata agilis est, velox, discurrens, pulchritudinis præsens.
Ex toruâ autem sue neque mala, neque bona est.
Ex cane verò molesta & fera. Ex apicula autem
Bene regit rem familiarem, & nouit operari:
Cuius amabiles nuptiæ, chare sodalis, optandæ sunt.

Sæpissimè publicis calamitatibus, & bellis, & totarum gentium excidiis occasiones mulierum perfidiæ & libidines, ac coniugiorum violationes præbuerunt. *Anon.* Suspiciones in matrimonio sæpe afferunt magnam calamitatem. *Anon.* Vita pudica dos matronis pulcherrima. *Bias.* Non ego illam mihi dotem duco esse, quæ dos dicitur: sed pudicitiam & pudorem, & sedatum cupidinem, deûm metum, parentum amorem, & cognatûm concordiam: tibi morigera atque munifica vt sim bonis, prosim probis. *Plaut. Amphit.* Dotata satis rectè morata. *Id. Aulul.* APOPHTH. Iulius Cæsar repudiabat vxorem Pompeiam, quòd sinistrâ laboraret famâ, quasi cum Clodio rem habuisset; & dicebat, Cæsaris vxorem etiam in calumniâ puram esse debere. *Plut. in Rom. apoph.* Alphonsus dicere solebat, ita demum matrimonium tranquillè posse exigi, si maritus surdus fiat, & vxor cæca. *Erasm. 8. apoph.* Crates mundum muliebrem dicebat esse non smaragdum, aut purpuram, sed honestatem ac verecundiam. *Laër. lib 6. cap. 5.* Diogenes conspicatus mulieres garrulas inter se colloquentes, Aspis, inquit, à viperâ venenum mutuatur. *Anton. in Meliss. part. 2. serm. 54.* Protagoras vxorem temperantem vocat thesaurum. *Ibid.* Democritus rogatus, cur, cùm magnus esset, paruam duxisset vxorem: Ego, inquit, in eligendo malo, quod minimum erat, elegi. *Ibid.* ADAG. Mulier malá herba: Mulier mala purgatorium: Ignis, mare, mulier, tria mala: Γυναικίζειν: Thessalia mulier: Iesabel: Fœminâ malâ nihil pestilentius: Mulierum exitia: Xantippe: Tanaquil: Mulier pudica ne sit sosa vspiam: Præstat canem irritare, quàm anum. SIMIL. In coniugio debet esse harmonia animorum: fel debet tolli, quemadmodum prisci cùm Iunoni iugæ faciebant, fel ex hostiâ reuulsum abiiciebant: inter maritum & vxorē omnia debent esse communia, vt inter animam & corpus. Vt surculus arbori insertus, illius naturam assumit: sic vxor viro coniuncta ipsius mores assumere debet. *Ioan. Cas. lib. 1. cap. 2. thesauri œcon.* Secundus philosophus interrogatus, quid esset mulier mala, respondit: viri naufragium, domus tempestas, quietis impedimentum, vitæ captiuitas, quotidianum damnum, voluntaria pugna, sumtuosum bellum, bellua conuiuij, solicitudo confidens, leæna complectens, exornata Scylla, animal malitiosum, malum necessarium. *Max. serm. 9.* Socrates mulierem speciosam & malam dicebat esse templum ædificatum super cloacam. *Laërt.* EXEMPLA. Felicis coniugij exempla sunt Abraham & Sara, Isaac & Rebecca, Iacob & Rachel, Vlysses & Penelope. Infelicis, Iob & eius vxor, Samson & Dalila, Assuerus & Vasthi, Socrates & Xanthippe, Aurelius Imp. & Faustina. Amoris coniugalis mutui, qui est suauis & sincerus, exēpla sunt Isaac & Rebecca, Iacob & Rachel, Admetus & Alcestides, Sulpitia & Fuluius Flaccus. Fidei coniugalis illustre speculum est Lucretia, quæ vni marito corpus castum seruare cupit. Communicationis bonorum simul ac ærumnarum exemplum est coniux Christierni Danorum regis, quæ maluit marito exilij socia esse, quàm sine marito domi in regno florere. Sulpitia sequitur maritum Lentulum in Siciliam. Vxores Guelphi & nobilium obsessorum in arce VVinsberg, cùm eis concessum esset, vt saluæ abirent ferentes, quantum quæque suis humeris gestare posset, ipsæ maritos & liberos asportant: quæ historia extat apud Nauclerum. Nota est historia de vxoribus Minyarum, quam *Herodot. lib. 4.* recitat. HIEROGLYPH. Arrha seu annulus est nota fidei coniugalis. Turtur & columba sunt nothæ hieroglyphicæ officiorum coniugalium. Adulterij hieroglyphica sunt *cuculus*, qui oua ponit in alieno nido: *caper* olidus: item *anguis & muræna.* *Victa vipera* apud Ægyptios notat mulierem, quæ viro blanditur coitus causâ. Coniugij symbolum est *Ignis & Aqua*, ob vtilitatem.

EMBLEMA.

Alma Venus, quænam hæc facies? quid denotat illa
Testudo, molli quam pede diua premis?
Me sic effinxit Phidias, sexúmque referri
Fœmineum nostrâ iussit ab effigie:
Quodq; manere domi, & tacitas decet esse puellas,
Supposuit pedibus talia signa meis.

Quomodo vir & vxor sint vna caro: & quomodo vxor sit sub viri potestate, docet Reusnerus hortulo politico-historico coron. 5. flor. 2. 3.

CAPVT IX.

De Officiis parentum & liberorum.

PRÆCEPTA.

OFFICIA in societate patriâ sunt parentum, vel liberorum.

Officia parentum sunt vel communia vtriusque parentis, vel propria patris & matris.

Communia sunt liberos amare, sustentare, & educare, ita quidem vt semen ingenij arborescere sinant, adhibito sole amoris, sale institutionis, pluuiâ promissionis & vento castigationis.

Propria patris officia sunt, liberos defendere, & ad obedientiam matri præstandam hortari.

Propria matris officia sunt, liberos materno potiùs lacte quàm alieno enutrire, & hortari vt reuereantur patrem.

Officia liberorum sunt, parentes honorare amore, more, ore, re: ita scilicet persona parentum illis sacrosancta sit ac inuiolabilis, vt timorem filialem præ se ferant, vt honorificè illos compellent, & denique ciconiarum more pietatem suam erga ipsos senio enectos testatam faciant antipelargiâ. Eorundem officia erga fratres & sorores sunt concorditer viuere, & se mutuò iuuare.

REGVLÆ.

I. *Officium commune vtriusque parentis erga liberos his continetur legibus.* Officium commune parentum quod?

PArentes 1. ament liberos, non vt simiæ, quæ complexu enecant fœtum, sed paternè, & regiè. Nam patria societas quandam formam regalis potestatis continet. Requiritur itaque temperamentum istius amoris. Hoc temperamentum si absit, nimia indulgentia corrumpit liberos, vt docet exemplum Iuliæ filiæ Augusti Cæsaris, quæ, cùm ab amico moneretur, vt paternæ frugalitatis exemplum imitaretur, respondit: Pater obliuiscitur se Cæsarem esse, ego autem, me Cæsaris filiam esse, memini. Ideo Augustus dicere solitus est, suos liberos sibi esse carcinomata, & hunc versum crebrò vsurpauit:

O vtinam aut cœlebs mansissem, aut prole carerem!

2. Præluceant & præeant liberis proprio virtutum lumine. 3. Relinquant ipsis patrimonium perenne, bonam famam scilicet & virtutem. 4. Cum seruis ipsos rarò agere sinant. 5. Post mortem ipsos commendent amicis & patronis, ne illis accidat, quod Ciceronis filio contigit, qui initio magnam de se concitauit expectationem omnibus, sed postea defuncto patre ita fuit bibulus, vt vno haustu duos potuerit euacuare congios, vnde & bicongius dictus fuit. 6. Ne sint præcipites in malè precando liberis. Nam diræ parentum valdè grauant liberos, vti videre licet è maledictione, quâ Noë Chamum deuouit. 7. Prospiciant liberis de rebus necessariis quoad victum, amictum, & institutionem. Oportet enim, vt ait Socrates, vel non gignere liberos, vel si eos genuerimus, de rectâ ipsorum educatione cogitare.

II. *In societate paternâ adhibenda est prudentia comparatiua, vt vocant.* Prudentia comparatiua quàm necessaria parentibus?

COnsistit autem illa comparatio hisce. 1 Parentes educatione inter se partiri debent. 2. Liberi masculi fœminas &

primogeniti reliquis præferendi, cæteris paribus. 3. Etſi vterque parens eſt amandus & honorandus: maior tamen honor illi debetur, in quo magis relucet imago Dei, vt fermè eſt pater. 4. Mater ferè impenſiùs diligit liberos, quàm pater.

Sex periodi educationis liberorũ.

III. *Parentes constituent ſex periodos ſeu interualla educationis.*

OFficium parentum continetur παιδεία, νουθεσία καὶ φυλακῇ: quæ tria cernutur in ſex periodis *Prima periodus* reſpicit primum quadriennium iuxta has regulas. 1. Victus infantum debet eſſe lac, & inprimis maternum. Si tamen ex neceſſitate ineuitabili aliter facere cogantur matres, videlicet ob morbum, proſpicient infãtibus de nutrice optimâ & honeſtiſſimâ. Nam ſolent pueri vnà cum lacte ſugere humores & mores nutricum. Vnde Romulum ferocem extitiſſe ferunt, quòd ſuxerit vbera lupæ. Hîc etiam ſedulò cauendum, ne infantibus propinetur vinum: vtpote quod euidenter lædit cerebrum tenellum. Vtinam hîc valeret lex Platonis, qui ante annum 18 prohibet pueris vinum dare. 2. Parentes dent operam, ne corpuſcula infantulorum deprauentur ingluuie, lapſu, vel aliâ ratione. 3. Ad conformationem & confirmationem ſeu robur membrorum vtentur faſciis, ſerperaſtris, & ſimilibus inſtrumentis. 4. Frigus mediocre pueris vtiliſſimum eſſe meminerint. Hoc enim membra firmiùs conſtringit, calorem ad præcordia pellit, ſpiritus vitales auget atque valentiores reddit, ad rem militarem aptiores efficit. Hîc tamen Celtarum morem non laudo, qui infantes nudos in flumen mergebant: ſed illorum conſuetudinem improbo, qui omnem flatum & aëris motum timent. Pronuntio cum Ariſtotele, infantes frigori moderato eſſe aſſuefaciendos. 5. Parentes permittent, vt pueri ſubinde plorent. Sicut enim fletus immoderatus nocet: ita mediocris plurimùm prodeſt infantibus. Nam membra eorum dilatat, ſpiritus vitales excitat, vocem conſeruat, craſſos humores per lacrymas à capite deducit. *Secunda periodus* domeſticæ inſtitutionis eſt ab anno quarto vſque ad ſeptimum, hoc modo. 1. Ploratus etiam hîc ferendus; itemque frigori aſſuefaciendi pueri, ob cauſam modò dictam. Omnis pigritia tenellorum corporum hîc euitanda. 3. Augmentum corporis promouendum. 4. Ludi permittantur liberales & faciles: non inhoneſti, nimis laborioſi, vel nimis lenti: Ludos iſtos vehementer probant præceptores œconomici, qui ſunt præludia quædam eorum, quæ poſt in adultiori ætate ſunt peragenda. 5. Pueri permittantur verſari cum ſeruis, qui non ſunt ſeruili ingenio. Aliàs ſi cum claudis habitent, ſubclaudicare diſcent. 6. Proponantur liberis in hac periodo picturæ & fabulæ honeſtæ: vt nempe mens aſſueſiat paulatim ad attentionem, & præparetur ad ſemina virtutis, quæ in fabulis proponuntur. Remoueantur autem picturæ & fabulæ obſcœnæ atque aniles: quia per illas faculæ virtutum extinguuntur, ſparguntur ſemina vitiorum, corrumpuntur mores; & infinita mala giguntur, videlicet otium, libido, temporis iactura; naufragium rerum, & vehemens ad flagitioſos mores induendos incitatio ac motus. 7. Mittantur in ſcholam alphabetariam: & doceantur hiſtorias varias ac dicta Scripturæ. *Tertia periodus* erit ab anno ſeptimo vſque ad decimum. Quo temporis interuallo diſcent certam artem: & ſi apti ſint ad ſtudia liberalia, iacient fundamenta Grammatices, *Quarta periodus* incipit exacto decennio, & durare debet vſque ad annum ætatis vigeſimum primum. Hîc oportebit duo interualla conſtituere: quorum primum ſit vſque ad annum pubertatis 15. alterum inde vſque ad annum 21. Ibi ſtudia vel opificia diſcẽda: hîc exercenda. *Quinta periodus* reſpicit elocationem ſeu collocationem in matrimonium. Hîc parentes proſpicient liberis ad coniugium aptis de bono matrimonio. *Sexta periodus* eſt circa liberos iam in coniugio viuentes: quos iuuare conſilio & auxilio parentes non deſiſtent. In omnibus autem hiſce periodis duo meminiſſe debent parentes: videlicet patriam poteſtatem eſſe regiam, non deſpoticam aut tyrannicam: & caput inſtitutionis eſſe, liberis prælucere bono exemplo.

Liberorũ officia erga parentes.

IV. *Liberi debent parentibus amorem, honorem & antipelargiam.*

AMor & honor iſte non ſolùm in στοργῇ conſiſtit, ſed etiã in virtutis imitatione: vt nempe liberi ſe conforment ad virtutes parentum. Prænobile autem officium eſt ἀντιπελαργεῖν, ſeu, vt Paulus loquitur, ἀμοιβὰς ἀποδιδόναι τοῖς προγόνοις. Cuius rei nobile exemplum refert Plinius Romæ humilis in plebe & ideo ignobilis puerpera, ſupplicij causâ carceri inclusâ matre, cùm impetraſſet aditum, à ianitore ſemper excuſſa, ne quid inferret cibi, deprehenſa eſt vberibus ſuis alere eam. Quo miraculo matris ſalus donata eſt pietati, ambæque perpetuis alimentis, & locus ille conſecratus eſt pietati. Vide exemplum Catanæorum iuuenum apud Virgilium in Ætnâ de quo in florilegio huius cap. Ad honorem, quem liberi debent parentibus pertinet ἀνεξικακία, ſeu patientia, tolerans parentum infirmitates & næuos: vt apud Liuium T. Manlius tribuno, qui patri in ſe aſperrimo diem dixerat, cædem, ni ſententiam mutet, minatur: eoque laudabilius erat, quòd animum eius tanta acerbitas patria nihil à pietate auertiſſet. Nimirum oportet cum Cicerone pro Cluentio dicere: *Non modò reiicere homines parentum iniurias, ſed etiam æquo animo ferre oportet.* Cæterùm officia liberorum erga parentes his continentur legibus. 1. Æqualiter ament patrem ac matrem, quatenus quidem ſunt parentes: magis tamen iſtum, in quo imago Dei maximè emicat: quod ordinariè fit in patre, extraordinariè in matre. 2. Obedientiam præſtent filialem, memores iuris diuini, naturæ, gentium, & ciuilis: inprimis illius, quod Iuſtinianus dicit, Filio ſemper honeſta & ſancta perſona patris videri debet, adeò quidem, vt filio nec actio de dolo aut iniuriã in parentes dari debeat. 3. Exhibeant ipſis reuerentiam, & quidem vt diis, vt Ariſtoteles monet. Huc pertinet lex ciuilis: Præſes reuerentiam exhibere matri filios cogat, & ſi profectam ád inclementiores iniurias improbitatem deprehenderit, læſam pietatem ſeueriùs vindicabit. Et Imperator ait, Etiã militibus pietatis ratio in parentes conſtabit Si tamen filius gerat magiſtratum, neceſſe eſt, vt parentes filium honorent, non quâ filium, ſed quâ magiſtratum; non in rebus familiaribus, ſed in publicis. Ita Quintus Fabius conſul, qui patri ad ſe in caſtra venienti non modò non aſſurrexit, aut obuiam profectus eſt, ſed ex equo deſcenderet, inclamauit, non peccauit; quia neceſſe habebat tueri authoritatem ſuam 4. Student gratitudini, eamque diſcant à ciconiis quæ ſenio confectos, & tantùm non enectos parentes alis ſuis portant. Item à Solone, qui ait: Si quis parentes non alat, infamiâ notetur. De ciconiis ſic ait Ariſtophanes in auibus:

Eſt etiam nobis auibus hæc antiqua lex
Deſcripta in legibus tabularum, quas ciconiæ
Seruant. Paruas nam cùm pater ciconias
Nutriuit, & iam factæ ſunt volatiles,
Oportet hanc natos referre gratiam
Parentibus, vt ſenes viciſſim alant.

De hâc pietate Plato, Homerus ille philoſophorum 11. *de ll.* eleganter ait: Qui parentes ſenio confectos domi tanquam theſaurum ſuſtinet, is nunquam aliud ſibi tale ſimulachrum magis efficax domi ſuæ affuturum exiſtimet. Ac Homerus, Plato ille poëtarum, breuis vitæ futuros canit, qui parentibus non ſoluunt. οὐ θρεπτήρια. Vide leges ciuiles *l. 1. & 2. C. de al. lib. & parent.* At è meretrice natus non tenetur alere patrem, *d. l. ſi quis à liberis.* quæ lex in matrimonij fauorem eſt lata. Item ſi parentes neglexerint liberos rectè educare, hi illos alere non tenetur iuxta legem Solonis, & leges XII. tabb. 5. Memoriam parentum & cognatorum defunctorum decenter conſeruent: imitati Iulium Cæſarem, qui ſtatuas & trophæa Pompeij defendendo, ſuas confirmauit.

V. *Liberorum officium erga ſe inuicem eſt* φιλαδελφία, *amor mutuus, mutuum auxilium & certamen in ſtudio honeſti, quo conantur ſe inuicem ſuperare.*

Liberorũ officia erga ſe inuicem.

AMorem graphicè deſcribit Pſaltes *pſalmo* 133. Sed rara eſt hæc virtus Pertinent huc hiſtoriæ fratrum Thebanorum Ethcoclis & Polynicis, Cyri & Artaxerxis, Perſei & Demetrij filiorum Philippi Macedonis, nepotum Caroli Magni, fratrum Palæologorum, qui Turcas attraxerunt: Baſſiani, qui fratrem Getam ſupra matris pectus multo vndantem ſanguine obtruncauit. Solent Turcici tyranni fratres è medio tollere, vt ipſi ſoli rerum potiantur. Denique adeò vſitata ſunt in imperiis fraternæ inimicitiæ exempla, vt Plutarchus in Demetrio dicat, *Tyrãnos, ſicut Geometræ* αἰτήματα *velut cõceſſa ſumunt, ius faſq́ exiſtimare, fratrem regni conſortem interficere.* Cùm autem certum ſit tantam acerbitatem odiorum inter fratres à Diabolo, oriri maiori pietate & ardentiori inuocatione petamus corda noſtra dilectione diuinâ inflammari, & ipſi etiam ſemina diſſenſionum & odiorum maiori diligentiâ vitemus.

FLORILEGIVM.

OFFICIA ET VITIA PARENTVM. SENT Liberos rectè inſtituent, *Exod.* 12. & 13. *Dan.* 4. caſtigabunt, *Prou.* 22. & 23. *Eph.* 6. Iuuen. Satyr 14.

Nihil dictu fœdum, viſuq́ hæc limina tangant,
Intra quæ puer eſt; procul hinc procul ite puellæ.
Maxima debetur puero reuerentia. ———

Liberorum educatio doctrinæ potiùs cuidam & admonitioni, quàm legibus ſimilis eſt. *Plato dial. 6. de ll.* Liberorum gratiâ quis omnia fortaſſe audebit. *Procop. lib. 1. de bell. Perſic.* Ter. Adelph. 1.

Hoc patrium eſt potiùs conſuefacere filium,
Suâ ſponte rectè facere, quàm alieno metu.
Hoc pater ac dominus intereſt hoc qui nequit.
Fateatur neſcire imperare liberis.

APOPH. Socrates cum Lamproclo filiolo pueriliter ludens ab Alcibiade deriſus eſt: At ipſe: Non eſt, inquit, quòd me parentem rideas, qui ignoras parentum in filios affectũ. *Æl. an. 1. var. hiſt.* Ageſilaus equitabat in arundine vnà cum filiolis. *Plut.*

Plut. in Lac. apoph. Iſocrates liberis pudorẽ magis, quàm aurũ conſulebat eſſe relinquendum. SIMILIT. Vt humor de radicibus aſcendit in herbam: ita amor ex parentibus, tanquam radicibus, in filios deriuatur. *Chryſoſt.* EXEMP. Piorum parentum exempla ſunt Adam & Eua, Abraham, Iſaac, Iacob, Dauid, Tobias ſenior. Hi enim liberos dilexerunt, pietatem eos docuerunt, peccata ipſorum correxerunt, pro ipſorum felicitate orarunt, facultates ipſis reliquerunt, deque matrimonio ipſis proſpexerunt. Herodes fuit pater ἄςοργος, qui, cùm necaſſet filium ſuum Auguſtus Cæſar dixit, malle ſe Herodis porcum quàm filium eſſe. Iunius Brutus, Romanæ libertatis aſſertor, duos filios adoleſcentes proditionis conuictos publicè interfecit. Manlius Torquatus filium ſecuri percuſſit, quòd prælio Latino contra imperium in hoſtem pugnaſſet. HIEROGLIPH. Signa φιλοςοργίας parentum ſunt: 1. *Glanis piſcis* apud veteres fuit nota paternæ diligentiæ. Fouet enim iſte piſcis ſua oua perſeueranti cuſtodiâ, vſque ad diem 40. & 50. donec ita ſoboles coaleſcat, vt ab reliquorum piſcium iniuriâ ſe tueri valeat. 2. *Pelicanus*; qui ſuo ipſius roſtro effodit pectus, vt pullos ſuo ſanguine nutriat. 3. *Vrſa*; quæ lambendo catulos format. 4 *Gallina*; quæ fouet pullos. 5. *Palumbes*; quæ poſt ſolſtitium hybernum emittit partum, & tum ſibi euellit plumas, vt pullum tegat. Indulgentiæ paternæ exemplum eſt Eli & Samuel: hieroglyphicum *aſinus* & *ſimius*, quorum ille cæco impetu per medias flammas ſoboli ſuccurit, hic nimio complexu fœtum enecat. Indulgentia iſta facit, vt parentes ex liberis faciant truncos & ſtatuas, non verò homines. Quo pertinet lepidum illud quod accidit Cenſori Romano: qui, cùm eſſet miſſus Nolam (quæ vrbs eſt Italiæ) & apud hoſpitem diuertiſſet, iuſſit ipſum conuocare homines Nolanos. Quid hoſpes? Ille progreſſus in locum buſtorum & tumulorum exclamat: Adeſte homines, Cenſor Romanus adeſt. Redit ita domum. Cenſor expectat aduentum ciuium: ſed fruſtrà. Rogat ex hoſpite quid rei ſit. Hîc ille omnem rem narrare: ſe conuocaſſe mortuos, quòd viui non tam homines ſint, quàm beſtiæ & feræ truculentæ. Pictura ςοργῆς parentum in liberos Gandaui in ære inciſa ſic habet. Cùm ibi pater vnà cum filio propter enormia ſcelera morti adiudicati eſſent, Comes Flandriæ pernoſcere cupiens, in quo eſſet ardentior ςοργὴ, vitam conceſſit alterutri, qui alteri caput præſcinderet. Pater tãdem ægrè perſuaſit filio diu renuenti, vt carnificis officio in genitore ſuo fungeretur.

OFFICIA ET VITIA LIBERORVM. SENT. Parentes ſunt honorandi, *Exod 20. Prou. 2*. *Epheſ. 6. Col. 3.* Amandus eſt generator, ſed præponendus eſt creator. *Auguſt.* Primus gradus pietatis eſt honorare parentes. *Ambroſ. in Matth.* Meretur cæcitatis ſubire ſupplicium, qui parentum vultus toruo viſu deſpexerit, & elatis oculis leſærit pietatem. *Hieronym. in Matth.* Comicus:

Νόμος ἰσοθέους γονεῦσι τιμὰς νέμει.
Lex pares diis honores parentibus tribuit.
Βούλου γονεῖς πρὸ παντὸς ἐν τιμαῖς ἔχειν.
Tibi ſunt parentes primo loco honorandi.
Ἔλπιζε τιμῶν τοὺς γονεῖς πράξειν καλῶς.
Colens parentes læta ſperes omnia.
Θεοὶ μέγιστοι φρονοῦσιν οἱ γονεῖς.
Dy maximi parentes ſunt mortalibus.

Item:

Nobis parentes ſunt deorum imagines.

In verbis per totam vitam parentes venerari maximè decet. *Plat. 4. de ll.* Cuius pater vel mater, vel horum parentes confecti ſenio, quaſi theſaurus quidam domi iacentis putet, nunquam aliud ſibi tale ſimulachrum magis efficax domi ſuæ affuturum, ſi rectè ab eo, vt decet, colitur. *Idem 11. de ll.* Pater tria beneficia dat filio: eſt ipſi cauſa eſſendi generando, cauſa nutriendi educando, cauſa diſciplinæ informando. *Anon.* Talis ſis circa parentes, quales vtiq; precatus fueris erga teipſum tuos filios *Iſocrat. ad Demon.* Surdum te parentibus tuis præſta *Sen. 11. epiſt.* Nullum eſt euidentius ſignum impiæ mentis, quàm neglectio & contemtus parentum. *Anon.* Diræ parẽtum nunquam ſunt irritæ. Proinde filiis non ſpernendæ. *Anon.*

Euripid.

Quiſquis in vitâ ſuâ parentes colit.
Hic viuus & defunctus diis charus eſt.

APOPHTH. Thales filios ſubinde admonebat, vt parentibus benefacerent, his verbis: Quale præmium rependeris parentibus tuis, tale à liberis tuis expectato. *Laërt.* Pittacus filium admonens, ne cum patre in iuditio litigaret, his vſus eſt verbis: Si de patre iniquiora dixeris, damnaberis: ſin æquiora, vel ob iſtud damnari dignus es. *Stob. ſerm 77.* Alexander. cùm ſibi multa de matre ſcripſiſſet Antipater: Ignorat, inquit, Antipater matris vnicam lachrymam multarum calumniarum epiſtolas deleturam eſſe. *Plut.* Demetrius Phalereus admonebat adoleſcentes, vt in ſolitudine ſeipſos, in viâ obuios, & domi parẽtes diligenter reuererentur. *Laërt lib. 5.* Solon interrogatus cur nullas leges aduerſus eos, qui parentes verberaſſent, conſtituiſſet: Quòd nullos, inquit, tales extituros exiſtimabam. *Max. ſerm. 25.* SIMIL. Filius frugi eſt baculus & ædificium patris. Pietas erga parentes eſt fundamentum reliquarum virtutum in liberis: ςοργὴ naturalis eſt incendium amoris, & adamas ferrum incidens. EXEMPLA. Pietatis erga parentes exempla ſunt Ioſeph, Salomon & Æneas eripiens patrem Anchiſen ex incendio Troiæ. Filia Cimonis patrem fame necandum vberibus alit. Duo Catanæi iuuenes Amphinomus & Aſtapus, cùm Ætna ignes in vrbem Catanam ieciſſet, & alij relictis parentibus fugerent, vt ſuas opes efferrent illis diuitiæ ſolæ materque paterque, vt Virgilius canit:

Hanc rapiunt prædam, mediumq; exire per ignem
Ipſo dante fidem properant: ô maxima rerum,
Et meritò pietas homini tutiſſima virtus!
Erubuêre pios iuuenes attingere flammæ,
Et quacunq; ferunt illi veſtigia cedunt.

Ingratitudinis erga parentes exempla ſunt Abſolom, Nero & Henricus V. Imperator Henrici IV. filius, qui ab hiſtoricis rectiſſimè vocatur nouus Abſolom: quo titulo rectiùs ornari poteſt ἄςοργος ille apud Comineũm Adolphus Egmondanus, Geldriæ dux, qui ægrè ferens longæuam vitam patris Arnoldi, eum acerrimâ nocte hyemali captum quinque milliaria ſeminudum abſque calceis deductum in carcerem detruſit. HIEROGLYPH. 1. *Iuuenes duo ſubiecti iugo & currum trahentes*, in monumentis antiquis ſunt hieroglyphicum pietatis in parentes. Sunt autem illi Bithon & Cleobes fratres; qui matrem defunctam currui impoſitam ad Iunonis templum vexerunt. 2. *Formicæ*; quæ curant funera inter ſe inuicem, & labores partiuntur. 3 *Ciconia*; cuius imago cernitur in nummis Hadriani, adiectâ inſcriptione, *Pietas Auguſta*. Ingratorum filiorum nota hieroglyphica eſt cuculus, matrem deuorans.

EMBLEMA:

Per medios hoſtes patriæ cùm ferret ab igne
Æneas humeris dulce parentis onus:
Parcite, dicebat: vobis ſene adorea rapto
Nulla erit, erepto ſed patre ſumma mihi.

Hinc Virgilius paſſim tribuit Æneæ epitheton Pij. FABVLA. Senex leo præcipiebat filio ſuo, ne vnquam cum homine congrederetur. Leunculus ſentiens iam vires ſuas confirmatas accedit ad boues, & rogat, num homines ſint. Illi verò ſe homines eſſe negant, ſed ab homine impoſitum iugum portare dicunt. Ab iis digreſſus equum conſpicatur: Tun' homo es, inquit? Minimè ego quidem, ait equus, ſed homini obtempero. Tandem videt in ſyluâ hominem ligna findentem, ad quem accurrens, Homo, inquit, videris eſſe. Ita eſt, inquit ille. Tum leo, pugnabis igitur mecum, ait. Maximè, inquit ille, ſed quæſo te, diſtrahe priùs hanc arborem, cui vides ferrum iſtud impactum. Incutit mox leo vngulas fiſſuræ arboris, inibique excuſſo cuneo hæret miſer. Hîc lignator clamores tollere, & de agro vndique vicinos aduocare contra leonem. Hic verò cùm ſe in diſcrimine verſari videret, omni conatu pedes de ligno extraxit, cruentis pedibus reuerſus, Mi pater, inquit, ſi paruiſſem monitis tuis, vngulas non amiſiſſem. Docet fabula, liberos parentibus debere libenter obſequi. Cæterùm gratitudo liberorum in pectore debet habere ſedem: non aliter atque antiquitas templum Gratiis in mediâ ſtruebat vrbe, omnibus vt pateret ingreſſus, & ſic ſæpiùs moniti deabus litarent. Quomodo liberi debeant parentes ſuos honorare opere, ſermone, & patientiâ eleganter docet *Reuſnerus hortulo politico-hiſtorico coronâ 5. flore 6.* Ibidem *flore 7.* demonſtratur veritas huius axiomatis, *Parentum diræ, liberorum ſunt furiæ*: item *flore 9.* aſſeritur veritas huius aſſertionis, *Fratrũm & conſanguineorum odia ſunt Cainica.*

CAPVT X.

De Officiis herorum & ſeruorum.

PRÆCEPTA.

OFFICIA in ſocietate herili ſunt heri, vel ſerui. Heri eſt, ſeruum habere pro cliente, ac meminiſſe ſeruum eſſe imaginem Dei, licet non quoad quantum, tamen quoad quale: ac proinde non ſolùm præſcribere ſeruo opus, ſed & diætam bonam.

Serui officium eſt, domino probare amorem, honorem, & fidelitatẽ; & inprimis ſeruitutem æquo animo ferre. Eiusdem eſt amare ac iuuare ſuos conſeruos.

REGVLÆ.

I. *Officium domini erga ſeruum continetur humanitate ſeu æquitate, ac ſeueritate, iuxta has regulas.* Officium heri ergà ſeruum.

1. HErus meminerit, hanc ſocietatem naturæ non eſſe cõſentaneam, ſi ſit contra naturam, hoc eſt ſi abeat in

tyrannidem. Herus igitur seruum habeat vt clientem, imitatus philosophum, qui ne auiculam quidem, quæ se in ipsius sinum reciperet, perdere voluit, sed illæsam tanquam clientem dimisit. 2. Aliud est habere seruum pro mancipio, aliud est eius vti ministerio. 3. Dominus eligat famulos neque timidos, neque tumidos. 4. Dominus non est qui possidet seruos, sed qui illis rectè vtitur. 5. Dominus seruis tria debet; opus, cibum, & castigationem. Nam cibus sine opere facit seruum porcum; opus sine cibo asinum; castigatio sine vtroque canem. Nam nulla, vt ait *Cato. 4. de re rustic.* hominis nequissimi custodia certior, quàm quotidiana operis exactio. 6. Detur seruo tantum cibi, quantum satis est ad satietatem & robur. Nam ita est vt ait Sirach. *cap.* 33. Pabulum, virga, & opus asino; panis, disciplina, & opus servo debentur. 7. Seruis vel nihil, vel perparum vini dandum. 8. Seruis dentur vestes in tempore & illæ satis firmæ, satis magnæ ac conuenientes. 9. Certum tempus præfiniatur labori seruorum. Proportionem obseruet arithmeticam inter laborem, tempus & vires serui, & hæc tria quasi in bilance ponat. 10. Qui copiosam habet familiam, instituat distinctionem inter seruos, vt alius sit director, alij operarij. Præficiat autem aliis tanquam ἐργοδιώκτην eum qui sit frugi & liberalis. 11. Animaduertat in exorbitatem, sed non tyrannicè. 12. Inspiciat ipse omnia, ipseque primus surgat, & vltimus cubitum eat, vt inquit Cato. Nam præsentia domini est optimum stercus, vt ille ait. 13. Operas exigat, nunc per se, nunc per alium. 14. Seruo non facilè fidat, memor illius Bodiniani: Quot seruos domi tuæ habes, tot habes hostes. 15. Quod seruus vnciatim comparsit, ne ipsi eripiat. 16. Mercenatio laborem persoluat, etiam ante solis occasum, *Deut.* 24. *v.* 14. 17. Si oriatur contentio inter conseruos, paterfamilias ἀμνηστίαν sancito.

Officium serui erga herum.

II. *Officium famuli erga dominum continetur veneratione, obsequio, & fidelitate.*

PRimum officium in societate herili est, vt dominus & seruus beneuolo erga se inuicem sint animo, ille benemerendi, hic demerendi, vt ait *Gilbertus Cognatus* in οἰκέτῃ. Magna scilicet pars officiorum est bona voluntas. Dein vt initio vterque alteri sese accommodet, donec ex mutua notitia coëat beneuolentia. Inter multos enim dissilit amicitia, priusquam alter alteri sit cognitus. Multi primâ specie displicent, qui propiùs inspecti placent. Ad id conducet ex vnâ parte dominorum comitas, & ad leuiores lapsus conniuentia: ex alterâ famulorum obsecundatio. In nonnullis humana sunt vitia, sed quæ virtutibus abundè pensentur: quædam eius generis, vt facilè possint corrigi. Ita sunt famuli tardioris ingenij, sed, si quid præscribas, dicto audientes, & in peragendo seduli. Dominorum est, moderatâ comitate tractare famulos, vt nec sæuitiâ alienentur, nec indulgentiâ corrumpantur: nec exasperentur conuitiis, sed beneficiis adiungantur, vt proximo sint loco secundùm vxorem & liberos. Debetur illis victus & amictus, non ad delicias, sed ad necessitatem: illi vicissim debent fidele officium: vnde & οἰκέται vocantur, ac θεράποντες, quod familiæ pars sint, & herilium negotiorum curam agere debeant. Neque verò semper valet prouerbiū: Nos totidē domi hostes habere, quot seruos habemus: cùm inter seruos inuenti sint, qui & vitam suam pro incolumitate domini vilem habuerunt. Nec omnes serui tales erant, quales in comœdiis inducuntur. Terentius vnum modò frugi seruum induxit in Adelphis; eumque pauperculè pauperem Getam: in Hecyrâ Pamphili Parmenonem inducit leuiter vitiosum, cessatorem, curiosum, & futilem. Porrò nisi famuli tibi fuerint multis argumentis explorati, non est consultum arcana iis comittere, si nulla vrgeat necessitas: quemadmodum nec liberis aut vxori Nihil difficilius, quàm continere arcanum: & si fidi sunt, mutabile est hominis ingenium. Denique per susurrones corumpi possunt. Est enim malitiosissimum & abiectissimum hominum genus, cui studio est inter heros & famulos simultatem serere: cumque suam domum regere nequeant, alienæ moderatores esse volunt, obliti non sine causâ laudati carminis Homerici;

Ὅττι τοι ἐν μεγάροισι κακόν τ' ἀγαθόν τε τέτυκται.
Ædibus in propriis quæ rectáue prauaue fiant.

Cæsarum leges concedunt actionem serui corrupti: nec diuersa est ratio famuli corrupti. Quidquid enim hic peccat, illis imputandum qui instigant. Probi viri est, famulos alienos ad officia cohortari, & si quid inciderit inter illos ac heros sarcire gratiam. At linguæ, quæ famulos alienant à conductoribus, dignæ sunt quæ in fumariis suspensæ durentur fumo. Quòd si famulus deprehendatur in atroci crimine, velut furto, adulterio, aut delatione malitiosâ, statim ablegandus est sine longo iurgio. Quoniam autem fieri non potest, quin famuli ex domestico conuictu multa rescíscant, hanc oportet esse præcipuam famulorum virtutem, vt nihil effutiant rerum domesticarum, quòd melius sileretur: præsertim si aliquid liberius dicatur in conuiuiis. Famulus qui multa aliunde infert in domum, multa efferre credendus est. Nihil profectò sceleratius illis, qui ad exemplum Getæ Terentiani, si quando dominus in conclaui tractat arcani quippiam cum amico, contento spiritu aurem seræ admouent, aut ediscunt, si quid inter pocula excidit, idque deferunt ad eos, de quibus dictum est: ioco dicta pro seriis referentes, & nonnihil etiam admentientes. Meritò laudatus est seruus ille, qui dominum, qui super cœnam per temulentiam capitales voces emisisset in Cæsarem Augustum, postridie admonuit, vt delatores anteuerteret, & à Cæsare veniam peteret. Cæsar non solùm ignouit, sed etiam seruo tam fideli libertatem impetrauit, ac de suo vnde viueret, largitus est. Crapula & ebrietas in seruo ne ducatur pro leui vitio, vt quidam solent: qui etiam scortationem in famulis pro leui culpâ habent: cùm nihil detestabilius sit ebrietate, quæ vitiorum agmen secum trahit, & scortatione; quâ inquinatur domus, non aliter atque ab immundis auibus conspurcatur nidus proprius. Famulorum celeritas laudatur à sapiente Hebræo: celeritas nempe illa, quæ coniuncta est cum ingenij dexteritate. Alioqui satius est otiosum esse, quàm perperam agere. Cordata igitur agilitas maximè decet famulos. Otium enim omnia docet vitia, præsertim iuuenes, qui nondum sciunt otio philosophico vti. Satius itaque fuerit superuacaneam operam famulis imponere, quàm sinere eos otio assuescere. Hinc Heliogabalus libertis suis præscribebat, vt hic colligeret vndecim millia muscarum, ille aranearum: vt hoc negotio occupati non facerent quod alij liberti solebant; qui patronorum negotiis se miscebant. Pamphilus in Hecyrâ Terentianâ Parmenonem seruum suum cum fictis mandatis ablegat in portum: ne vt erat curiosus & garrulus, rescisceret quæ silentio erant tegenda. Ita sunt, qui famulis tradant aliquid describendum, quo tamen descripto non est opus: satius esse rati, vt nihil agant, quàm vt per otium agant nocitura. Famulorum superbia est minimè ferenda. Hinc laudatur Hadrianus Imp. qui seruum inter duos senatores incedentem admonuit suæ conditionis. Cæterum illaudatus est ille mos apud quasdam nationes, quæ ad ostentationem alunt turbam famulorum vel potiùs nugonum superuacaneam. His propono illud lepidum: *Qui vnum famulum habet, aliquem famulum habet: qui duos, dimidiatum: qui tres nullum.* Si quid commissum, in alios culpa reiicitur: si quid omissum putabam, inquit hic, illum facturum. Laudatur Iulianus Imp. qui post mortem vxoris superuacuum famulitium abiecit, velut inutilem familiæ sarcinam, quæ nihil est aliud quàm sentina hominum σιτοφάγων vt Homerus ait. Hîc succurrit lepidum apophthegma. In famulitium episcopi cuiusdam Poloni ingesserat se quidam non receptus à domino. Id dissimulatum est, quòd ea natio ad pascendum satis est benigna. Vbi venit tempus, quo famulis solent numerari salaria, processit cum cæteris & hic. Ibi murmur cæterorum famulorum, qui suggesserunt episcopo hunc non esse de numero famulorum. Episcopus obiurgat hominem. Quâ fronte, inquit, petis salarium, cùm non sis receptus? Ille respondit, se menses aliquot egisse famulum. Quid igitur, inquit episcopus officij præstitisti? Præstiti, inquit quod alij tui præstant. Quid illud? Comedi & bibi. Episcopus exhilaratus eo responso, Verissima, inquit, prædicas, simulque ei iussit numerari. Porrò seruus perpendat famulatum esse mutuum. In negotiis leuioribus famulus inseruit hero: herus in grauioribus. Suppeditat victum & amictum, defenditque ipsum contra iniurias. Ne igitur seruus exageret obsequia: quòd vel domi habeat vnde viuat, vel honestâ familiâ sit natus. Interim herus harum rerum curam habebit: & in vniuersum famulos habebit pro hominibus & conseruis suis in Christo, non autem pro iumentis aut iis qui de lapide sint empti. Serui etiam perpendant commoda, quæ ad illos redundant ex conuictu dominorum. Si enim illi sint docti, & prudentes, & magni, multa ex iis discunt: si verò asperi & incommodi, edomatur famulorum ferocia, & paratur animi mediocritas. Pro coronide hîc notetur probi famuli imago quam Galli effingunt in conclauibus suis, vt refert Cognatus Nozorenus. Pileum rubrum & elegans erat in capite, nec inelegans interula tegebat corpus, rostrum erat suillum, aures asininæ, pedes ceruini: dextra manus erecta & in palmam explicata: humero sinistro pertica librabat duas aquæ situlas, quarum altera pendebat à tergo, altera à fronte. Sinistrâ palam gestabat plenam viuis prunis. Addita erat figulorum interpretatio. Bono famulo debetur conueniens cultus: suillum rostrum docebat, famulum non decere esse γλίσχρον, ac fastidiosi palati: auriculæ designabant, famulum oportere esse patentibus ac patientibus auribus: dextera erecta fidem, ceruini pedes celeritatem, situlæ & ignis industriam & celeritatem simul notabant. Sed breuiter proponamus officium serui erga herum. 1. Versus ille semper seruo sit in conspectu:

Cuius edis panes, illius & aspice nutum:

ac proinde herum habeat pro lege. 2. Seruitutem æquo ferat animo, memor istius:

Sis asinus, quemcunque asinum sors aspera fecit;
Qui placidè sortem ferre scit, ille sapit.

3. Ne sit ἀλλοτριόκυρος, h.e. talis, qui crebrò mutet dominum. Nam

Nam quorsum quorsum se vertat, semper tamen dominum inueniet, non angelum: imò sæpe cum asino Æsopico ab olitore ad cerdonem fugiet, flammamque fugiens, incidet in ignem. 4. Sit taciturnus. 5. Si dormiat, ita dormiat, vt se seruum cogitet. 6. Mandata domini sui citis quadrigis citius persequatur: & incedat gradu non testudineo, sed grallatorio. Ideo veteres dixerunt: Seruus sit Pegasus, itemque, Mercurius. Sed ita est, vt ait ille:

Dodorum famuli sunt omni tempore tardi,
Sed nisi quando vorant, frigescunt quando laborant.

7. Heri sui famam & existimationem à calumniis vindicet. 8. Augeat rem familiarem, non minuat. 9. Venerationem primam & obsequium primum hero, venerationem secundam & obsequium secundum heræ deferat. In summâ: Seruus Abrahami *Genes.* 24. esto præclarissimum pij & fidelis serui exemplar: de quo legere licet *orationem 8. Theodoreti episcopi Cyri*: vbi etiam ait, multos fortunâ seruos, dignos esse vt liberis imperent, id quod ex seruo Abrahami liquet. Et Anaxilaus Argiuorum tyrannus seruum liberis tutorem totiusque imperij administratorem constituit.

Seruorũ officium erga se inuicem.

III. *Seruorum officium ergà se inuicem est mutua charitatis, fidelitatis, & auxilij.*

MEminerint inprimis τὴν ἀργίαν κακουργίας ἀρχὴν, seque ad hoc vocari, vt labore suo augeant rem familiarẽ dominorum.

FLORILEGIVM.

OFFICIA ET VITIA HERI. SENT. Officium & potestas heri describitur *Exod.* 21. *Leuit.* 19. & 25. *Deut.* 5. 15. & 24. *Iob.* 31. *Prou.* 29. *Ier.* 24. *Eccl.* 7. 33. 42. *Eph.* 6. *Col.* 4. & *epistola ad Philem.* Phocylid.

Γαστρὸς ὀφειλόμενον δούλῳ παρέχε θεράποντι.
Ventris debitam mercedem præbe seruis.

Id. Seruo pacta tribuas, vt tibi sit beneuolus. Cum seruis familiariter versari decet prudentiam tuam. Serui sunt? Imò homines sunt. Serui sunt? Imò contubernales. Serui sunt? Imò humiles amici. Serui sunt? Imò conserui. *Sen. epist.* 47. *alloquens imperatorem.* Qui in seruos suos irascitur & crudelis est, satis ostendit potestatem aduersus alienos sibi defuisse. *Id. de morib.* Seruis tuis hilarem te præstes, non superbum: superiorem te colant potiùs quàm timeant. *Id. epist.* 47. Non verberum, sed verborum castigatione vtendum erga seruos. *Petrarcha dial.* 59. *de seruis malis.* APOPHTH. Antigonus conspiciens filium suum eos, in quos habebat imperium, ferociùs tractantem atque insolentiùs: An ignoras, inquit, fili, regnum nostrum esse splendidam seruitutem? *Plut.* M. Crassus, diues ille, magnam seruorum turbam domi alebat, quorum præcipuam agebat curam, discentibus astans & ipse docens eos. Dicebat enim, hanc oportere præcipuam esse patrisfamiliâs solicitudinem, nosse, quot sint rei familiaris instrumenta animata. *Plut. in Crasso* Demonax videns quendam seruum suum crudeliter verberantem, Desine, ait; ne seruo tuo similis fias. Iudicauit vir prudentissimus, reuerâ seruum esse, qui affectibus suis imperare non possit. *Erasm. l.* 8. *apoph.* Aristoteles solitus est dicere, τριῶν δεῖται ὁ δοῦλος, ἔργου, κολάσεως καὶ τροφῆς. *Tribus indiget seruus, opere, castigatione, & cibo. Arist.* 1. *œcon c.* 5. Comic.

Εἷς ἐστὶ δοῦλος οἰκίας ὁ δεσπότης.
In quâque seruus vnus est herus domo.

Quidam interrogatus, quæ res potissimùm saginaret equum? respondit, Oculus domini. Alter rogatus, quod stercus esset optimum? Domini vestigia, inquit. Vterque autem significauit, domini præsentiam plurimum habere momenti ad rem gerendam. *Erasm. in Prou.* ADAG. Qualis rex, talis grex: Regis ad exemplum totus componitur orbis. SIMIL. Bonus herus est velut imperator: malus est instar tyrãni. EXEMPL. Lacedæmonii seruos suos indulgẽtiùs quàm par erat, tractarunt: vti testatur *Philosophus* 2. *polit. c.* 7.

OFFICIA ET VITIA SERVORVM. SENT. Seruorum officium describitur *Genes.* 16. 24. 30. 31. 39. *Exod.* 2. 2. *Reg.* 5. *Prou.* 14. 17. 19. 29. *Eccl.* 2. 7. 10. *Luc.* 12. *Act.* 12. 1. *Cor.* 7. *Eph.* 6. *Col.* 3. 1. *Tim.* 6. Cùm quis incidit in seruum bonum, nulla est possessio melior in vitâ *Menand.* Non decet superbum esse hominem seruum: *Plaut.* Iohannes Campanus famuli mores ita describit

Scis mihi quâ, Polydore, potes ratione placere?
Si quæ præscribam præcipuamque facis.
Lex igitur sit prima, Fidem seruato: deinde
A domini mundas rebus habeto manus.
Odi mendacem, non possum ferre proteruum.
Nec tu lusorem, crede, placere mihi.
Odi qui multùm sese mihi iactat, & odi
Alterius famam qui lacerando premit.
Displicet indocilis: nimium mihi displicet ille,
Qui sine non duro murmure iussa facit.
Non est quòd durum, non est quòd litis amantem,
Contactum non est inuidiâ quòd amem.
Assentatorem planè non diligo, nec qui
Desidiæ fuerit deditus atque gulæ.
Quis toleret famulum domini secreta volentem
Scire quis elatum, multiloquumque ferat?
Fallacem fugio ceu tartara: denique cultum
Ingenuis hominem moribus esse volo.

Ita seruum par videtur frugi sese instituere. Perinde vt heri, ipse item sit, vultum è vultu comparet: tristis sit, si heri sint tristes: hilaris sit, si gaudeant. *Plaut. Amphit.* Qui nunquam seruiuit, etiam dominus laude dignus fieri nequit. *Plato* 6 *leg.* Boni famuli liberi sunt *Bion.* Seruus est, sed fortasse liber animo. *Sen. epist.* 47. Seruo vtilius est parere dicto, quàm afferre consilium. *Curt. l.* 7. APOPH. Cùm amici monerent Diogenem, vt seruum fugitiuum Manem inuestigaret: At ridiculum, inquit, si Manes absque Diogene viuat, Diogenes absque Mane viuere non possit. *Laërt. lib.* 6. Hadrianus Imp. cùm seruum suum videret inter duos senatores ambulantem, misit, qui illi colaphum impingeret, diceretque, Noli inter eos ambulare, quorum adhuc seruus esse potes. *Dion.* Lacæna quædam captiua cùm interrogaretur, quid sciret? probè inquit, domum regere. *Plut. in Lac. apoph.* Alia Lacæna in auctione rogata quid sciret? Libera, inquit, esse: significans, sese captiuam quidem esse, cæterùm ad illiberalia iussa non parituram. Itaque cùm emtor imperasset quædam non conuenientia liberæ. Plorabis, inquit, qui tibi ipsi talem inuideris possessionem, moxque sibi necem consciuit. *Ibid.* Puer Spartanus sub hastâ venditus domino suo obsequebatur in omnibus, quæcunque putabat ab ingenuo decenter fieri posse. Cæterùm iussus afferre matulam renuit. Cùm herus instaret, puer conscenso tecto, Senties, inquit, cuiusmodi mercatus fueris, & mox è sublimi præcipitem se dedit. *Ibid.* Idathyrsus Scytharum rex, in quem arma mouit Darius, suasit Ionum regibus, vt Histrici pontis iuncturâ solutâ, fugientes sese in libertatem vendicarent: qui cùm id facere recusarent, ne violarent fidem, quâ Dario erant obstricti, vocauit illos mancipia ἀδρασα id est *qui fugere nollent. Ibid.* EXEMPL. Seruorum frugi exempla sunt Eleazar seruus Abrahæ, Iacob, Ioseph, serui Dauidis, 2. *Sam.* 15. serui Cornelij *Actor.* 10. Seruorum, qui obtemperant dominis suis in re malâ, exempla sunt serui Pharaonis, *Exod.* 9. serui Saulis. 1. *Sam.* 18. Absolomis. 2. *Sam.* 13. Nebucadnezaris *Dan.* 3. Herodis. *Marc.* 6 Seruorum malorum descriptio est *Matth.* 24. *Luc.* 12 HIEROGLYPH. Annulus est seruitutis hieroglyphicum: quia notat fidem hero datam.

CAPVT XI.

De Amplificatione familiæ.

PRÆCEPTA.

AMPLIFICATIO familiæ est, quâ in domo redduntur omnia illustriora & ampliora.

Ea post precationem pendet à compendiis, strategematis œconomicis.

Compendia œconomica sunt parsimonia, vigilantia, & moderatus vsus bonorum.

Stratagemata œconomica continentur nomine prudentiæ œconomicæ.

REGVLÆ.

I. *Precatio impetrat benedictionem diuinam, quæ firmam & amplam reddit domum.* — Precatio amplificat domum.

INtellige precationem vocalem, mentalem, & vitalem, vt loquitur VVicleffus: id est eam, quæ non tantùm ore fit, sed ex corde proficiscitur, ita vt radix ipsius sit fides, comes pœnitentia Hæc talis precatio impetrat à Deo benedictionem, quæ est optima influentia cœlestis: ita vt rectè dixerint theologi, certissimam astrologiam iudiciariam, seu προγνωστικὸν δι᾽ ἀστρολογίας occurere, *Deut.* 28.

II. *Parsimonia est maximum vectigal, & potior omni Crassi Crœsique thesauro.* — Parsimonia magnum vectigal.

HÆc enim facit, vt res paruæ crescant. Hæc eadem facit, ne maior sit sumtus quàm census: & patremfamiliâs potiùs vendacem quàm emacem facit.

III. *Vigilantia patrisfamiliâs his continetur legibus.* — Vigilantia patrisfamiliâs qualis & quanta

1. PAterfamiliâs habeat Canonem œconomicum, id est, inuentarium & Kalendarium œconomicum: atque adeò norit rationem rerum agendarum loci item & temporis. 2. Si valde sit diues, obseruet modũ administrandæ rei familiaris

Atticum, mediocriter diues Persicum. Ibi venduntur fructus omnes vt sciat paterfamiliâs rationem sumtuum annuorum; & de hoc vsurpatur prouerbium, *Vendentes emant*: hîc venduntur duntaxat superflua. 3. Ipse præsit operis suis. 4. Primus lecto surgat, & vltimus cubitum eat. 5. Certo tempore instituat lustrationem supellectis. 6. Omnia distinctis & conuenientibus locis reponat, v.g. vestes & lectos, vbi ventilari commodè possint, ne situm contrahant. 7. Cibos tempestiuè ac idoneè præparari curet.

Domus maceria quæ?

IV. *Vsurpatio bonorum est optima domus maceria.*

NAm vsurpatio erogatiua facit, vt paterfamiliâs ritè fruatur bonis suis ad salubritatem, delectationem, & ornatum: benefactiua autem parit amicos, fidos illos familiæ custodes. E contrario Euclioнes & Harpyiæ œconomicæ, dū in arcis suis continent omnia & asseruant non aliter atque pici aurum suum in montibus, arcent amicos, & ex amplâ familiâ faciunt amplam miseriam.

Vsurpatio bonorum duplex.

V. *Vsurpatio bonorum est vel erogatiua, quâ sumptus fiunt ad necessitatem, vtilitatem, honestatem, & iucunditatem: vel benefactiua, quâ aliis bene fit: quo pertinent conuiuia, à quibus abesse debet luxus & ostentatio*

Dispēsatio rei familiaris quomodo ritè fiat?

VI. *Dispensatio rei familiaris pendet à septem potissimùm virtutibus Ethicis*

VIrtutes istæ sunt: 1. *Pietas*; quâ œconomus Deum statuit actionum suarum Alpha & Omega. 2. *Prudentia*; quâ fit, vt œconomus habeat nō tantùm inuentarium suarum possessionum, sed etiam tabulas accepti & expensi, atque adeò Kalendarium OEconomicum, vt sciat quid, quantùmue in diē, septimanam, mensem, atque annum impendere debeat. Hæc prudentia non est diffidentia vel solicitudo Ethnica, sed sagax syllogismus, quo ex præteritis colliguntur præsentia & futura. 3. *Vigilantia*; vt ipse præsit operis, recenseat supellectilem subinde, & solenniter in anno semel: caueat etiam, ne libenter mutuò sumat. Qui enim libenter mutuò sumit, vel non libenter soluit, vel libenter mentitur. Hesiodus & Varro volunt, agricolam habere instrumenta omnia bina, ne commodato opus habeant. Cato de mutuatione sic ait: Duas aut tres familias habeat agricola, quibus vtenda det: præterea nemini. Huc pertinet adagium: Semel rubidus, decies pallidus. 4. *Liberalitas*; vt bene habeat seruos, animalia, egenos, & amicos. Hîc vitabit inprimis prodigalitatem & fideiussionem temerariam. Nam prodigi sunt veluti cisternæ rimosæ, quas nullus implet imber, vt ait Alphonsus. Cum primis etiam caueat, ne conflet æs alienum. Nam obæratis opus est bello ciuili, vt ait Iulius Cæsar: vt nimirum possint aliorum bona ad se rapere. Atq; hæc causa Otthonem Imperatorem ad rapiendum Imperium instigauit. Aiebat enim, se stare non posse nisi principem, nihilque referre ab hoste in acie an in foro sub hastâ creditoribus caderet. 5. *Parsimonia*; quæ magnum est vectigal. Vnde dici solet: Qui colit Seruatium, colitur à Vincentio. Item: Bonus Seruatius facit Bonifacium. Caueat igitur ne maiora sint impendia quàm fructus, ne sumptus maior quàm census. Sit item magis vendax quàm emax. Est enim vectigal, non esse emacem, vt est apud Ciceronem 6. *Honestas*; quæ facit vt omnia sint ordinata & munda. 7. *Æquitas*; v.g. si aliquid locauerit, & conductor damnum patiatur cogitabit illud: Vis maior, quæ dicitur θεὸς βία, non debet conductori damno esse, si præter modum incommodauerit.

Dispensatio œconomica duplex. Dispensatio bonorum.

VII. *Dispensatio œconomica est partim conseruatio, partim vsurpatio legitima.*

VIII. *Dispensatio bonorum est Persica, vel Attica.*

PErsica est, cùm ex iis quæ fundus noster fert, seruamus necessaria, superflua vendimus: qualem modum apud Persas instituit Pericles. Huc pertinet arenda, quæ probatur si arendarij sint boni, qui fundos meliores reddant, non autem corrumpant. *Attica* dispensatio est, cùm omnes fructus venduntur ad conficiendam certam pecuniæ summam. Prior illa in œconomiis maioribus, posterior in minoribus solet obseruari.

Stratagemata œconomica.

IX. *Prudentia œconomica cernitur in his stratagematis.*

PRincipiò vicinus omni ratione demulcendus est: quia malus vicinus decumanum est malum. *Deinde* opera danda, vt quotannis legitimum interesse seu vsuram compensatoriā habere possimus. *Tertiò* debita tempestiuè sunt exigenda: quia bona nomina mala fiunt non compellendo, vt ait Iurisconsultus. *Quartò* in mutuando admodum circumspectè se gerat paterfamiliâs; ne denegando mutuum perdat amicum, vel gratificando amittat, quod habet. Meminerit hîc lepidum istud Lutheri: Si commodabis, non rehabebis; si rehabebis, non tam citò: si tam citò, non tam bonum: & tam bonum, perdes amicum. *Quintò* simulatione & dissimulatione Vlyssis plus obtinetur, quàm rigiditate Catonis. *Sextò* auita patrimonia nonnisi extremâ vrgente necessitate vendantur. *Septimò* cum Thalete res vili emantur, vt easdem carius diuendamus. Quid verò Thales? Cùm quidam ipsi exprobrarent paupertatem, ille commotus his vitiis ope matheseos multa hyeme præuidit futuram olearum sterilitatem. Igitur adhuc hyeme vili precio ab ἐλαιοπώλαις in Mileto & Chio omne oleum coëmit, & paulò post cùm magna olei caritas incidisset, ipse olei monopolium nactus, pro arbitratu suo vendidit. Caue tamen hîc fias flagellator aut incendiarius annonæ.

FLORILEGIVM.

SANCTA VITA. Pietas est ad omnia vtilis, 1. *Tim.* 4. Qui aliter viuit, quàm prædicat verbis suis, ipse se accusat. *Ambros.* Pietas est fundamentum omnium virtutum *Cic. pro Planc.* Honorius Imp. cùm semper pietatis studiosissimus esset, à Deo liberatus fuit ex insidiis tyrannorum vndique insurgentium: *Sigib. in Chron.* ita etiam pius paterfamiliâs tutus erit ab insidiis maleuolorum,

PARSIMONIA. Emas non quod opus est, sed quod necesse est. *Cato.* Quod non opus esse, asse carum est. *Sen. ep.* 95. Bonus Seruatius facit bonum Bonifacium. Et, Qui colit Seruatium, coletur à Vincentio: *Wer behelt wann er hat der nimt wann er darff.* Vide suprà in Ethicis virtutes rectrices appetitus opum.

CAPVT XII.

De Curatione familiæ malè affectæ.

PRÆCEPTA.

VIDIMVS media respicientia statum œconomiæ integrum: iam videbimus media respicientia statum affectum seu turbatum, quæ veniunt nomine curationis œconomicæ.

Curatio œconomica est ratio sanandi morbos familiæ: vti sunt mala animi, corporis, & fortunæ.

Estque 1 Indicatio morborum œconomicorum per prognostica œconomica, quæ sumuntur partim à personis & rebus familiaribus bene vel malè affectis, itemque à vicinis bene vel malè cupientibus familiæ. 2. Applicatio remediorum tempestiua & prudens. Remedia ista sunt præmia & pœnæ. 3. Extirpatio causarum morbificarum: vti sunt mala educatio & negligens administratio.

REGVLÆ.

I. *Status œconomiæ malè affectæ est à tribus causis.* — Status œconomiæ affectus vnde oriatur.

PRimò est maledictio diuina, cùm familia implicatur publicis malis, vt bello, fami, pesti, ob peccata populi. *Deinde* sunt peccata familiæ, putà parentum, liberorum, seruorum &c. vbi quatuor sunt vitia cardinalia, videlicet impietas, iniustitia, intemperantia, & inobedientia *Tertiò* fatalis periodus œconomica. Vt enim regnorum fatales sunt periodi, sic & familiarum, quas periodos longâ obseruatione didicerunt viri literati. Ita testantur historiæ omnium temporum, regna & respubl. potentiores quingentis annis plerumque floruisse multa circa medium huius periodi defecisse, pauca eodem rerum statu hunc terminum superasse, sed in ipso pene quingentesimi anni articulo aut aliquantò antè vel euersa, vel aliò translata, vel in nouam formam commutata fuisse. Exemplo sint resp. Lacedæmonum, resp. Romanorum à regibus deletis, vsque ad monarchiam Augusti. & in primis respubl. Iudaïca à solutione captiuitatis Babylonicæ, ad excidium Hierosolymitanum: quàm periodum Daniel *cap.* 9. definiuit numero septuaginta septimanarum, quæ faciunt annos quadringentos nonaginta, quibus propter rotundationem numeri adduntur decem. Interdum tamen septingentorum annorum, periodus est fatalis: vt Carthaginensium resp. steterat annos septingentos, quando à Scipione deleta est. Eodem modo familiæ habent suas periodos: videlicet annum quinquagesimum, vel sexagesimum. Magno enim exemplorum consensu obseruatum est œconomias intra hoc spatium aut euersas aut immutatas fuisse. Ratio hæc est, quia hominis ætas rarò superat climactericem magnum, id est, annum 63. Cadente autem bono patrefamiliâs œconomia vel cadit, vel cedit. Excipe hîc familias heroicas, quas Deus diutius conseruat.

II. Pro-

Prodromi & cauſæ morales corrũpentes familiam.

II. *Prodromi & cauſæ morales ruinæ familiarum ſunt impietas, luxuria, ſtudium infinitæ contentionis, πολυπραγμοσύνη, & ambitio.*

TAmetſi enim omnia peccata in triplici ſocietate œconomicâ exitium familiæ attrahunt: hæc tamen inprimis hoc præſtant. Nam principio impietas eſt crimen læſæ maieſtatis diuinæ: deinde libido ex homine facit pecudem: ſtudium porrò infinitæ contentionis parit domeſtica ſeu inteſtina & externa diſſidia: curioſitas comitem habet neglectum proprij officij: ambitio denique iniurias & vindictæ cupiditatem habet à latere. Hæc verò vbi regnant, ibi benedictio diuina exulat.

Familiæ mutatæ vel euerſæ rarò ſeſe recolligunt.

III. *Familiæ mutatæ, vel euerſæ rarò priſtinam recuperant dignitatem.*

ETſi familiæ triſti aliquo quaſſatæ caſu in meliorem reſtitui poſſunt ſtatum: rarò tamen priſtinum recuperant florem, niſi magna adhibeatur diligentia & prudentia in curatione, cuius hæc ſunto præcipua monita. 1. Medendum eſt morbis œconomicis citò, tutò, & iucundè. 2. Extremis malis extrema quærenda remedia. 3. In curatione morbi remouenda eſt cauſa per ardentem precationem, & vitæ emendationem.

Paterfamiliâs ſit peritus rei medicæ.

IV. *Paterfamiliâs debet eſſe peritus rei medicæ.*

NAm quia non ſemper præſto ſunt medici, neceſſe eſt patremfamiliâs non ſolùm in promtu habere medicamenta quædam εὐπόριστα in ſuo pharmacopôlio domeſtico, vt vocant: ſed inſuper etiam requiritur, vt perſpectum habeat modum vtendi medicamentis familiaribus. Quâ de re ſunt ſequentes regulæ. 1. Fundamentum veræ medicinæ vnicum & catholicum hoc eſt, vt per ſpiritum, qui eſt in rebus naturalibus, confortemus ſpiritum noſtrum. Hic verò ſpiritus nihil eſt aliud, quâm quinta quædam eſſentia elementis immixta. Si quis itaque quintam illam eſſentiam poſſit quàm optimè ſegregare, eámque magis & magis intus aſſumat, vel ſaltem his rebus frequentiùs vtatur, quæ hac abundant, vti ſunt aurum, vinum, triticum, ſaccarum, myrobalani, &c. facilè conſulet ſuæ valetudini. 2. Modus comparandi ſpiritum mundi, ſeu veram quintam eſſentiam, non eſt petendus ab Alchymiſtis carboniperdis, ſed à veris philoſophis, quos inter excellit Cornelius Drebbelius; cuius breuiſſima commentatio de quintâ eſſentiâ ſolidiſſimè monſtrat modum facillimum parandi quintam eſſentiam ex auro, omnibúſque mineralibus, vegetabilibus, & animalibus. Hunc itaque tractatum (ſuprà Phyſicæ ſubiunctum) contra gemmas & aurum tibi charum habeto 3. *Theriacæ* vis eſt mirabilis contra ſenectutem & venenum. 4. *Aloë cubebæ, & myrobalani* inprimis conferunt ad firmam valetudinem literatorum. 5. Singulis menſibus prodeſt ſemel aut bis *vomere*. 6. Singulis ſeptimanis poteſt ſumi *acetum ſcylliticum*: cui tamen, ſi quis ſit ſenex, ob ſtomachum, paululum cinnamomi, gingiberis, & cardamomi, addendum eſt. 7. Nonnunquam prodeſt vti *terebinthinâ Venetâ*, auellanæ magnitudine. Purgat enim. 8. *Gingiber conditum* ieiuno interdum profuerit. 9. Hyberno tempore *vinum helenium, abſinthiacum, aut caryophyllacium*, in prandio vtiliter bibitur. 10. Denis diebus, aut quâuis hebdomadâ geminatâ ſemel ante ſolis & lunæ coniunctionem aut oppoſitionem, *toto die ad veſperam vſque cibo abſtinere*, longè eſt ſaluberrimum. 11. *Confectionis* interdum *Mithridaticæ, aut Theriacæ Andromachi parum*, temporibus nebuloſis, præſertim hyeme, & conſtitutione peſtilente accipere eſt vtile. 12. *Medicamentis violentis*, ſiue purgent, ſiue confortent, tanquam venenis abſtine. 13. *Diæta* eſt inſtar panaceæ alicuius. Vide hanc in ſententiam in triumpho noſtro Biblico Hygiaſticâ ſacram. 14. *Contra peſtem* paterfamiliâs ſequentia inprimis antidota adhibebit. *Hauſtus vrinæ propriæ, vel pueri impuberis* magno cum fructu contra peſtem bibitur. Et ſi quis peſte corripiatur, vtile eſt vrinam propriam, vel pueri, bibere, *lactiq; calido recens mulſo pedes ac tibias immittere*. Tum enim lac coagulabitur, & venenum attrahet. Præterea *in conclaui ſuſpenſum in alto ſemper habeatur*, præcipuè autem tempore peſtis, *vaſculum quoddam aheneum*, aquâ plenum. Iſta venenatos humores ac vapores, intra conclaue exiſtentes, ad ſe trahit, qui aquæ innatantes in pelliculam coëunt. Hæc quò craſſior, eò maior copia veneni attracta, atque aër ipſe ſic purior ac ſalubrior in conclaui efficitur. Quemadmodum etiam *purgatur aër rerum odoriferarum ſuffitibus*; in quarum cenſu habemus abſinthium, (aloën illam ruſticorum) maſtichen, thus, thymiama, ſtyracem, ſuccinum, lignum aloës, myrrham, ambram, moſchum, iuniperum eiúſque grana (theriacam illam ruſticorum) ſaluiam, maioranam, ſerpillum, pulegium, roremmarinum, helenium, & eius generis alia. Nec incommodè *collo appendetur* ſacculus Iacobi Carpenſis, hoc modo confectus. Recipe arſenici albi cryſtallini partes ſiue vncias duas, rubei partem vnam: fiat placenta rotunda digiti craſſitudine, cum oui albumine aut mucilagine Tragacanthi ſubacta: inſuatur linteolo ſuperaddito ſerico, & ſic regioni cordis admoueatur. Huc etiam refer iſta *antidota peſtis* verſu comprehenſa.

Præſeruant ficus; nux, ruta, à peſte, & acetum;
Ieiuno cùm ſunt gutture ſumta ſimul.
Aëra ſuffitu purgant, quæ Pruſſia mittit,
Succina, iuniperus, tum Zedoaris odor.
Et nares oleo, quo ſcorpius, illine, merſus,
Et pilulas Rufi ſæpiùs inde vora.
Si plethora grauat, purgetur ſanguis & aluus:
Læta age, & infectos, balnea; vina, fuge.
Alcinum cornu, ſantonica, myrrha, corallus,
Cum croceâ antidoto, theriacéque iuuant:
Singula cùm fuerint æquali pondere mixta;
Auxilium præſens, ſectáque verà dabit.
Vlcus non tantum diſcrimen monſtrat apertum,
Sed ſpes hinc vitæ totius eſſe poteſt.
Cepaq; toſta aperit, maturat theriaceq;:
Sic hauſto ſucco pellitur iſta lues.
Lectus ne diros infeſtus ſpiret odores.
Pinea perpetuo tæda cremanda foco.

Aliud eiuſdem farinæ antidotum, quod tribuitur regi Mithridati.

Bis denas rutæ frondes, ſalis & breue granum,
Iuglandeſq; duas, terito cum corpore ficus.

FLORILEGIVM.

MORBI SOCIETATIS CONIVGALIS.

I. *Amor vagus & cæcus: itemq; coniugium intempeſtiuum.* Amare iuueni fructus, ſeni crimen. *Pub. Syr.* Amor non bene ſe habens, eſt inſana amicitia: *Sen. epiſt. 9.* & σχολαζόντων ἀσχολία, *vacantium occupatio. Diog.* Socrates rogatus, quando vxor ducenda, reſpondit, τοῖς μὲν νέοις μηδέπωτε, τοῖς δὲ πρεσβυτέροις μηδὲ πώποτε: *iuuenibus nondum, ſenibus nunquam* hoc eſt, nimis iuuenibus aut calido cæcóque impetu ad rem vxoriam pronis, aut ad alendam vxorem imparatis: ſenibus nunquam, id eſt iis, quibus lex Papia fibulam impoſuit. *Lactant. de falſ. relig. c. 16.* II. *Coniugium initum ſine conſenſu parentum vel vtriuſq; partis contrahentis.* Matrimonium abſque authoritate parentum contractum, adulterium vocatur: & raptus à Iuſtiniano. *Reuſner.* Vxor hoſtis eſt, inuita quæ ad virum nuptum datur. *Plaut. Stich.* III. *Diſſenſio in religione.* Conſtantinus Copronymus Imp. Conſtantinopolitanus cum vxore Irene, Cacani Auarum ducis filiâ ſemper diſcordi vixit animo, cùm illa idololatra, ipſe iconomachus eſſet. *Cuſpin. in Cæſaribus.* Idem teſtatur Zonaras de Theophilo Imp. iconomacho & Theodorâ ipſius vxore. IV. *Ætas coniugum coniugio nondum apta.* Apta verò eſt pubertas ſaltem affecta, ſi nondum plena & perfecta: quæ legibus Romanis in maſculis 14. in fœminis 12. anno æſtimatur. Neque enim nupta eſt, ait Labeo, quæ virum pati non poteſt. V. *Nuptiæ inceſtuoſæ*, quæ contrahuntur inter eos, qui dicuntur οἰκεῖοι σαρκός, *domeſtici carnis.* Nuptiæ iſtæ nunquam ſunt felices. Exemplo ſit Ptolemæus Ægypti rex, qui ſororem ſuam ſibi copulauit: Caracalla, qui nouercam: Herodes Antipas, qui vxore legitimâ indictâ causâ repudiatâ Herodiadem Philippi fratris vxorem furtim abduxit, abiectâ ſanguinis reuerentiâ. VI. *Vitia mariti & vxoris.* Multa ſunt mulierum vitia: ſed hoc è multis maximum eſt, cùm ſibi nimis placent, nimíſque operam dant, vt placeant viris. *Plaut. Pœn.* Negotij ſibi qui volet vim parere, nauem & mulierem hæc duo comparato. Nam nullæ magis res duæ plus negotij habent: eas forte ſi exornare occœperis, neque vnquam ſatis hæ duæ res ornantur, neque eis vlla ornandi ſatietas. *Ibid.* Domus in quâ rixæ, ædes lamentariæ mihi ſunt, quas quotieſcunque conſpicio, fleo. *Plaut. Capt.* Tot enim ibi mala,

Millia quot non fert ſitiens Apulia muſcas.

Mulier benè olet, quæ nihil olet: non benè olet, quæ ſemper benè olet. *Anon.* Ebrioſa vxor monſtrum. Nam virtutibus ianuam claudit, & delictis aperit. *Val. Max l. 6.* Pulchrum vxoris ornatum turpes mores peiùs cœno collinunt. *Plaut. Moſt.* ὑπὸ γυναικὸς ἄρχεσθαι, ὕβρις ἀνδρὶ ἐσχάτη, *Regi ab vxore, ſeu vxorium eſſe, viro extremum dedecus. Democrit.*

Menand.

Χειμὼν κατ' οἴκους ἀνδράσι γυνή,
Tempeſtas eſt mulier viro in domo.

Bonæ vxoris eſt non imperare viro, ſed obedire. *Stob.* Hinc Vaſthi Ahaſvero regi marito obedire recuſans toro atque ſceptro regio exuitur. *Eſth. 1.* Exempla γυναικοκρατίας ſunt: Hercules ſeruiuit Omphalæ, Ninus imperium dedit Semiramidi, Antonius Cleopatræ. *Imparitas* etiam noxia eſt in coniugio. Fœmina diues regnare ſolet in diuitiis, illáque nihil eſt intolerabilius. Hinc Martial. 8. epigr.

Vxorem quare locupletem ducere nolim,
Quæritis? vxori nubere nolo meæ.
Inferior matrona ſuo ſit, Priſce, marito,
Non aliter fiunt fœmina virq; pares.

In ætate eadem est ratio inæqualitatis. Exemplo sit M. Cato Censorius, qui senex iam & princeps iuvenculam vxorem duxit, filiam clientis sui Salonij: apud quam caruit authoritate vir summus. Hinc dixisse fertur: Omnes homines vxoribus dominantur: nos omnibus hominibus: nobis vxor. Si nimium sint nummatæ & dotatæ vxores, plerumque sunt imperatrices. Argentum accepi: dote imperium vendidi. *Plaut. Asin.* Hæ in servitutem sumtibus redigunt viros. *Id. Aulul.* Dote fretæ feroces. *Id. Men.* In potestate viri est, quæ indotata est. Dotatæ mactant & malo & damno viros. *Id.* Sævitia & tyrannis mariti erga vxorem magnus quoque est morbus in societate coniugali. Rectè Marcus Aurelius Imp. Vxor, inquit, admonenda persæpe, reprehendenda rarò, violentis manibus tractanda nunquam: nisi videlicet summa id exigat necessitas Sic Iobus & Socrates patienter tulerunt vitia vxorum: at Nero vxorem dilectissimam Poppæam, quam Octaviæ superinduxerat, gravidam ictu calcis peremit, quòd ex nocturnâ aurigatione tardiùs domum cùm venisset, ab ea iurgio exceptus esset. *Zelotypia* seu nimius coniugis amor est omnium animi perturbationum truculentissima; vtpore quæ mentem quasi eripit, & in furorem adigit. Proinde hæc familiam non aliter atque torrens abripit. Exempla huius tam furiosæ ægritudinis vide apud *Reusner. hort. politico-histor. coron. 5. flor.* 4. Itali hoc vitio ad insaniam vsque laborant, & inter barbaros Persæ, Parthi, ac Turcæ. *Vagæ libidines* multum quoque faciunt ad ruinam familiæ. Siculæ, aliaque exempla ostendunt. Pertinet huc illud Germanorum: *Vier vveiber und prediger schendet, dem vvirts nimmermehr vvol gehen.* Nam qui contemnit legatos Dei, Deum ipsum contemnit: & qui mulieres violat, violat homines & rempub. quia è mulieribus thesaurus reip.

MORBI SOCIETATIS PATRIÆ. I. *Indulgentia parentum.* Parentes obiurgatione digni sunt, qui nolunt liberos suos severâ lege proficere. *Petron. Arbiter* Ipsi parentes nec probitati, neque modestiæ parvulos assuefaciunt, sed lasciviæ & libertati, per quæ paulatim impudentia irrepit. *Tacit. dial. de sui seculi orat.* Aristoteles illos parentes longè honorabiliores censet, qui liberos erudirij curant, quàm eos, qui tantùm gignunt: quòd hi vivendi tantùm, illi etiam benè beateque vivendi authores sint. *Diog. Laert* Sed fermè parentes è suis liberis faciunt libertinos & licentiatos, atque ita deteriores & inverecundos, in quibus non cernitur χρῶμα τῆς ἀρετῆς, *color virtutis*, videlicet rubor, vti appellat *Diog. Cyn.* Neque hîc valet χρησοφύγετν, *suffugium*, istud: *Angelus est iuvenenis? Senibus Satanizat in annis.* Nam qui Satanisat iuvenis, senex non fiet angelus. Et verò turpe est florem iuventutis diabolo, fæces senectutis Deo consecrare. Huc pertinet πολυθρύλητον istud: *Heroum filij noxæ.* Ita Adam Cainum, Isaac Esauum, David Absolomum, Ezechias Manassem, Cyrus Cambysem habuit degenerem. Causa huius rei inter alia est negligens educatio. Nam heroës implicantur laboribus publicis, & ferè negligunt parvam suam rempub. videlicet domum. Alias causas huius rei vide apud *Reusner. hort. politico-hist. cor. 5. flor. 8.* II. *Tyrannis parentum in liberos.* Sic Athalia, avia crudelissima, omnes suos ex Ochoziâ filio Iudæorum rege, nepotes interfecit, vt stirpem Davidis radicitùs extirparet. Herodes filios duos præstantissimos, Aristobulum & Alexandrum, Sebastæ strangulari curavit, teste Iosepho. Busbequius in suo itinere Constantinopolitano scribit, nihil omninò miserius vspiam Turcicorum Impp. filiis esse, è quibus si quis patri successit, inevitabilis reliquos mortis necessitas manet. III. *Liberorum ingratitudo adversus parentes*; quos ceu deos quosdam tutelares & εὐεργέτας honorare opere, sermone, ac patientiâ debent Hîc non possum quin breviter commemorem ἀσοργίαν Adolphi Egmondani, Ducis Geldriæ: qui patris Arnoldi longævam vitam ægerrimè ferens, pertractis in suas partes Neomagensibus aliísque Geldriæ civitatibus ac nobilibus, in caput eius coniuravit: tandémque noctu, cùm quieti se daturus esset, acerrimâ hyeme Graviæ captum, perque quinque milliaria seminudum absque calceis deductum Neomagum in deterrimum obscurissimúmque detrusit carcerem, ex quo post sextum demum annum operâ Caroli Burgundi liberatus, eum hæredem instituit ob filij ingratitudinem, qui tum captivus tenebatur Namurci ab isto Carolo Burgundo: quo in obsidione Nancæi castri ab Helvetiis trucidato, à Gandavensibus liberatus ex carcere, copiísque bellicis, quas contra Ludovicum XI. Galliæ regem Flandri conscripserant, præfectus paulò post ad Tornacum levi in pugnâ cecidit, inque minutas partes dissectus est: vt author est *Cominæus lib. 5. de reb. gestis Ludovici XI.* Huc facit illud *Arist. 7. Eth c 6.* Qui à filio trahebatur, trahendi finem facere iubebat ad fores. Nam à se quoque ad hunc vsque locum patrem suum tractum esse. Plura ingratitudinis huius Absolomicæ exempla vide apud Richterum *axiom. œcon. 37.* Filius, qui hæreditatis causâ assidet ægroto parenti, vultur est, cadaver expectans: *Sen. ep. 95.* Et huius hæredis fletus sub personâ risus est. *Pub. Syr.* Ingratis istis opponatur lex ista: Γονῆς μὴ τρέφῃ γονεῖς, ἄτιμος ἔσω IV. *Dira parentum*; quæ non sine causâ vocantur liberorum furiæ. Nam vt benedictio paterna domos liberorum ædificat, ita maledictio materna funditùs ea evertit. *Siracid. 3.* Exemplo sint Cham & plerique filij Iacobi. Plura exempla dirarum paternarum suppeditat *Camerarius in meditat. histor. cent. 1. cap. 86. & cent. 4. cap. 36* V. *Fratrum & consanguineorum odia Cainica.* Exemplo sint Cain & Abel, Ioseph & fratres, Absolom & Amnon, Abimelech & 70. fratres, Eteocles & Polynices OEdipi filij. Vide *Camerar. tom. 1. medit. hist cap. 92.* Nimirum vt mel in amarissimam convertitur bilem: sic amor fratrum maximus in maximum degenerat odium.

MORBI SOCIETATIS HERILIS. Minùs nocet ignavus fur, quàm segnis minister. *Anon.* vel, vt Cato enunciat: Ignavus servus plus nocet, quàm fur ignavus. Servi optimi sunt neque ignavi, neque nimis animosi. Nam illi nihil tolerant, difficulter reguntur. *Arist. 1. œcon. c. 5.* Quem tu asservari rectè, ne aufugiat, voles, escâ atque potione vinciri decet. *Plaut. Menæch.* Servo furaci nihil domi est obsignatum, nihil occlusũ: & coram bono nihil obsignatũ, nihil occlusum. *Erasm.* Rarissimè benè procedunt, quæ oculis aguntur alienis. *Anon.* Qui servus semper monetur officium suum, nec voluntate id facere meminit, servus is habitu haud probus est. *Plaut. Stich.* Servus non sit tinea aut sorex domus. *Anon.* Ignavus servus sibi obstat, quò minùs sit strenuus. *Anon.*

MORBI OECONOMICI CIRCA ACQVISITIONEM, ET DISPENSATIONEM. Fœnus pecuniæ funus est animæ: *Leo* Divitiæ malè partæ non perveniunt ad eos, qui vltra tertiam sunt generationem. *Adag.* Patremfamiliâs vendacem, non emacem esse oportet. *Mar. Cato de re rust. cap. 2.* Τὸν οἰκονομεῖν μέλλοντα δεῖ πρῶτον, δεῖ τὸ δὲ τόπων, περὶ ὃς ἂν πραγματεύηται, μὴ ἀφειρῶς ἔχειν, καὶ τῇ φύσει εὐφυῆ εἶναι, καὶ τῇ προαιρέσει φιλόπονόν τε καὶ δίκαιον, id est. Eum qui rectè vult familiam regere, oportet locorum, in quibus negotia geret, gnarum, & naturâ ingeniosum, & proposito laboriosum atq; iustum esse, vt ait *Arist. 2. œcon. c. 5.* Sed ista requisita in plurimis desiderantur. Rusticorum prædiorum administratio poscit durũ aliquẽ & agrestem, cui neque labor ille gravis, nec cura sordida, nec tristis solicitudo videatur. *Plin. lib. 6. c. 30.* Pater parsimoniæ studens dicebat filio prodigo Maiorem existimationem tibi conciliabit vnicus ducatus in marsupio, quàm decem expensi. *Anon.* Dominus convivij non si tam lautus, quàm sine sordibus. *Varro.* Idem invitet non multos quòd turba plerumque est turbulenta, & meminerit adagij, Septem convivium, novem convitium. Hinc Varro conviuarum numerum incipere à Gratiarum numero & progredi ad Musarum numerum dicebat. Sciat denique quatuor requiri ad convivium: Si belli homunculi collecti sunt, si lectus locus, si tempus lectum, si apparatus non neglectus. *Varro.* Ædibus vitium additur, bonæ cùm curantur malè *Plaut. Most.* Aquam infundibulo hauriunt in pertusum dolium, qui parant opes, & non tuentur. *Arist. 1. œcon. c. 6.* Paterfamiliâs vitet debita tanquam scopulos. Namcomes æris alieni est miseria. *Plin. l. 7. c. 32.* Leve æs alienum, debitorem facit, grave, inimicum *Sen. ep. 19.* Melius est vnum Tene, Tene, quàm centum Cape, Cape. *Proverb.* Τὰ ἀναλώματα μὴ μείζω τῶν προσόδων, *Impendia ne sint maiora quàm fructus. Arist. 2. œcon. 1.* Persa quidam rogatus, τί ἵππον μάλιστα πιαίνει, ἔφη, ὁ τοῦ δεσπότου ὀφθαλμός: *Quid equum maximè pinguem efficit? domini oculus, respondit. Arist. d. l.* Et Afer interrogatus, ποία κόπρος ἀρίστη; τὰ τοῦ δεσπότου ἴχνη, ἔφη: *Quodnam stercus esset optimum: vestigia domini dixit. Ibid.* Vnicuique suadomus nota esse debet. *Cic. 1. ad Q. Fr.* Sed multis, eheu, vix angulus in domo est cognitus. Paterfamiliâs diligenter regat coquos. Nam coqui sunt fentes: quia quod tetigêre, illi corapiunt: si eas ereptum, illicò scindunt. *Plaut. Casin.* Quidam miserrimos homines esse dicebat, qui modò rubram, modò pallidam haberent faciem. Notabat autem eos, qui mutuò acceperunt: qui dum mutuum repetitur, erubescunt: dumverò creditorem vident, pallescunt. *Suidas.* Galba, cùm penulam mutuo à quopiam rogaretur, festivè respondit: Si non pluit, non est opus tibi; si pluit, ipse vtar. *Brusin. l. 4. c. 22.* Idem cuidam roganti penulam respondit: Non possum commodare, non domi maneo: significans, domi maximè opus esse penulâ, si fortè sit exeundum. Solent alij secus excusare, Non possum commodare penulam, ipse exeo *Erasm. 6 apoph.* Litibus familia supersedeat. *Cato 5. de re rustic.* Sub hero ignavo nunquam servi boni sperandi. *Xenoph.*

CAPVT XIII.

De OEconomicâ speciali.

PRÆCEPTVM.

FVIT œconomica generalis: restat specialis, quæ distinguitur ratione circumstantiarum, videlicet, personarum, quantitatis, loci, & temporis.

REGVLA

REGULÆ.

OEconomica specialis ut distinguatur?

I. *OEconomica specialis distinguitur ratione circumstantiarum.*

NAm *ratione personarum* seu statuum, est publica vel privata, ecclesiastica vel politica, putà imperatoris, regis, satrapæ, & similium: *ratione quantitatis*, est ampla, mediocris, vel angusta & tenuior: *ratione loci*, est Germanica, Gallica, Italica, &c. pagana vel oppidana: *ratione temporis*, est togata vel sagata, seu militaris: item alia verno, æstiuo, autumnali, & hyemali tempore.

Quatuor præcipuæ species œconomiæ.

II. *Quatuor sunt præcipuæ species OEconomicæ; Regia, Satrapica, Politica, Priuata.*

REgia versatur circa monetam, importata & exportata, & omninò sumtus publicos. De hâc vide Δῶρον βασιλικὸν serenissimi regis magnæ Britanniæ Iacobi. *Satrapica* respicit decimas, metalla, fructus, & fruges agrorum ac hortorum, pasturam & mercaturam. *Politica* est τ̃ γεωργικὸν, ἰσχυκλίων ϗ πολιτικὸν, id est, agriculturæ, artium, & mercaturæ. *Priuata* est rusticorum, qui tractant agriculturam, parentem illam omnium modorum acquirendi. Beurerus his addit OEconomiam Sophocléam, id est, viri eruditi.

Quatuor præcipuæ species œconomiæ.

III. *OEconomiam amplam solus & vnicus paterfamilias administrare non potest.*

DAbit ergo id operam, vt habeat vicarium, villicum, dispensatorem, promum condum, rationarium, & similes personas, quæ percalleant rationem œconomiæ administrandæ.

Requam vitæ domesticæ rationem quilibet ingredi debeat?

IV. *Quilibet eam ingrediatur vitæ domesticæ rationem, quæ respondet ipsius vocationi.*

ITa enim fiet, vt ratio administrationis sit facilis, felix, & decora: quæ tria œconomiam, paruam illam monarchiam, reddunt oppidò felicem.

Plures œconomiæ vt coniungendæ?

V. *Plures œconomiæ ita coniungantur, ne sibi inuicem sint aduersæ.*


SIc, v. g. agricola potest simul esse pecuarius, venator, & piscator: homo literatus simul potest agriculturæ vel horticulturæ præesse, sed non item mercaturæ.

PERORATIO OECONOMICÆ.

OEconomicam nobis claudant elegantes rhythmi M. Lutheri.

Das ist gevvisz ein frommer Man,
Der sich vmb ein vveib nimmet an.
Es ist gevvisz ein frommes vveib,
Vvo sie bey einem manne bleibt.
Ein ehemann sol vernuenftig sein,
Sein vveib nicht halten vvie ein schvvein.
Ein hausfravv sol geldueltig seyn,
Des mannes vveise lernen fein.
Da vvirdt Gott gnade geben zu,
Dasz ihn die Ehgar sanffte thu:
Vnd vvird dem Teuffel vvehren vvol,
Dasz er sein list nicht enden sol.
Der mann musz selber seyn der knecht,
Vvil ers im hausse finden recht.
Die fravv musz selber seyn die magd,
Vvil sie im hause finden raht.
Gesinde nimmermehr bedenckt,
VVaschad oder nutz im hause brengt,
Es ist ihm nicht vil gelegen dran,
Vveil sie es nicht fuer eigen han.

ΑΠΟΣΗΜΕΙΩΣΙΣ OECONOMICÆ.



Finis OEconomicæ.

ENCYCLO-

ENCYCLOPÆDIÆ LIBER TERTIVS ET VIGESIMVS,

Exhibens

POLITICAM.

CAPVT I.

De fine Politicæ.

PRÆCEPTA.



POLITICA eſt prudentiâ reipubl. bene regendæ.

Eſtque generalis, vel ſpecialis.

Politica generalis, explicat ſuum finem, ſubiectum, & media in genere.

Finis Politicæ eſt internus, vel externus.

Internus eſt tradere modum bene conſtituendi & adminiſtrandi remp.

Externus ſpectatur quantum ad eſſentiam & eminentiam. Ibi eſt perfectio vitæ ciuilis, videlicet pax & tranquillitas publica, ſeu concordia ciuilis: hîc principaliter eſt vnio Dei cum homine per veram religionem, & exercitium virtutum intellectualium: minùs principaliter eſt pax externa, & ſplendor ciuilis.

REGVLÆ.

Politica quid?

I. *Politica, quæ aliâs dicitur Philoſophia ciuilis, eſt prudentia gerendæ Reipublicæ.*

DIcitur Politica à primario ſubiecto tractationis, quod eſt politia, id eſt, ciuitas, ſiue reſpublica. Definitur prudẽtia; quia oportet principia politica accommodare ad res ipſas & circumſtantias, non autem rés ipſas ad principia. Prius illud eſt prudentiæ, poſterius ſcientiæ. Hinc prudentia dicitur habere regulam materialem, ſiue Leſbiam, quæ accommodatur, ipſis rebus, ſaluâ tamen honeſtate: Scientia verò dicitur habere regulam formalem, ſiue Polycleti, ad quam accommodantur ipſæ res. Definitur denique prudentia gerẽdæ Reip. ex obiecto & fine adæquatis. Obiectum adæquatũ ſeu totale eſt Reſpubl. cui vt materiale ſunt homines, qui naturâ ſunt animalia politica: formale eſt vnio ciuilis & illam ſequens communio. Finis adæquatus eſt tradere modum gerendi Rempubl. ex quo tanquam centro præcepta reliqua tanquam lineæ educuntur. Et ad hoc centrum tanquam menſuram & cinoſuram omnia Politices præcepta referuntur. Cum hâc definitione coincidit illa: Politica eſt prudentia reipubl. bene regundæ. Hanc Politicæ definitionem tradit *Kirchnerus diſput. 1. de reſpub. theſ. 2.* quòd forma Politices in repubi. bene regendâ conſiſtat. Et addit: Vitæ ciuilis conſtitutio non ſolùm in bene regendi, ſed & obediendi rationibus conſiſtit. Verùm enimverò, quando dicimus Politicam eſſe prudentiam bene regendi rempublicam, non excludimus ſubiectionem ciuilem: quia vbi eſt legitimum regimen, ibi & obſequium eſſe oportet.

Politica an ſit diſciplina architectonica?

II. *Politica eſt prudentia architectonica, ſiue cardinalis.*

PRudentia ſcitè vocatur epilogus omnium virtutum: quia ſequitur eas tanquam domina, dirigens, determinans, & eligẽs media, per quæ finis in ſubiectũ introduci poteſt, & debet. Idem de ciuili prudentiâ iudicandũ eſt. Hæc enim riuulus eſt diuinæ ſapientiæ, quâ tota hæc mundi vniuerſitas à Deo rerum omniũ opifice gubernatur. Hæc eſt dux & moderatrix vitæ ciuilis, omniúmque actionũ, quæ ad eam ritè ineundam & peragendam requiruntur. Sine hac nulla reſpublica, nulla hominũ ſocietas, bene conſtitui & conſeruari poteſt. Illa enim homines à ferâ agreſtíque vitâ primitùs abduxit, & in vnũ locum congregauit, ac vt honeſtam, iuſtam, tranquillam inter ſe vitam agerent, leges ciuiles condidit, & iudicia inſtituit: vt his tanquam aureis frænis in gyrum rectæ rationis ducerentur, & ſuauiſſimo illi diſciplinæ iugo ſubiicerentur. Proinde non immeritò ciuilis prudentia, quam vocant Politicam, inter facultates humanas quæ in agendo verſantur κυριωτάτη καὶ μάλιστα ἀρχιτεκτονική, *princeps & maximè architectonica* nuncupatur ab Ariſtotole 1. *Eth. cap. 2.* Nimirùm diſciplinæ diuiduntur in architectonicas ſiue principes, & ſubditas ſiue ſubiectas. Architectonicæ ſunt, quæ aliis imperant, & quidem imperio vel theoretico, vt Metaphyſica: vel practico, vt Politica: vel poëtico, id eſt organico, vt Logica: vel ſupernaturali, vt SS. Theologia. Reliquæ diſciplinæ dicuntur ſubditæ. Itaque Politica eſt diſciplina architectonica. Vnde Platoni dicitur *omnium diſciplinarum conſtitutrix*: aliis domina, antiſtes, archifabrilis, principiſſa, & imperatrix artiũ. Illa ſiquidem puppi ciuitatis præſidet; gubernaculum reip. tenet; totamque politicæ adminiſtrationis formã eò dirigit, vt ciues à naufragio tuti optatum felicitatis portum feliciter aſſequantur, in eoq; ſalui & incolumes diu & tranquillè conſiſtant. Hæc ipſa etiam dirigit homines, quantum ad vſum ſcientiarũ & artium, dum illam quibuſdam concedit, aliis negat, & præfigit terminum, quem tranſilire, ſiue in tradendis bonis literis, ſiue in capeſſendis, non licet. Atq; hanc ob cauſam Politica dicitur regere totam encyclopædiam bonarum literarum, regimine practico: quod conſiſtit in defenſione ac directione ad bonum publicum. Magno itaq; merito hæc diſciplina dicitur architectonica: & non ſine causâ in circulo liberaliũ diſciplinarũ dicitur eminere vti luna inter ignes minores. Hæc enim eſt illa ars, quæ docet ſphæram ciuitatis (in quâ centrum eſt iuſtitia, lineæ rectæ conſcientia, Deus circumferentia) ita regere, vt ille ſit hoſpitium Eccleſiæ, domicilium ſapientiæ, & portus prudẽtiæ. Cur verò, inquiat aliquis, politicam nunc artis, nunc prudentiæ titulo inſignire iubet? In promtu eſt reſponſio. Politica eſt prudentia: quia finis eius eſt πρᾶξις, ſeu actio boni moralis, vel potiùs ciuilis. Et per politicam dicimur prudentes. Rurſus politica eſt ars ſi latè accipias hoc vocabulum pro ſyſtemate præceptorum methodicè diſpoſitorum: non verò ſtrictè pro diſciplinâ, quæ nobis præbet inſtrumenta nos dirigentia in effectione operis artificialis.

III. *Politica non pugnat cum ſacroſanctâ theologiâ, ſed partim ab illâ dirigitur, partim illam defendit.* Quomodo Politica ſe habeat ad theologiam?

SVnt bene multi exulcerato hoc ſeculo, qui titulo *viri politici* tanquam pallio vtuntur ad tegenda ſua flagitia, ſimillimi ineptis iſtis philologis, qui quoties impingunt in præcepta ſincerioris Grammaticæ, *hoc eſſe criticum* aiunt, ſiue *criticos ita ſtatuere*: quo dicto tanquam Gorgonis capite alios terrere conantur. Sed illi & iſti bis & ampliùs ſunt ridiculi: & illi eò magis, quò vitia moralia magis ſunt abnormia & deteſtanda, quàm Grammatica. Nimirum exiſtimant illi quaſi-politici (nec enim reuerâ ſunt politici) theologos decere ſtudium pietatis & probitatis, Politicis autem quiduis licere. Atque hinc manauit illud: *Bonus politicus malus ethicus*. Erroneam iſtam opinionem ex ſcriptis Machiauelli hauſiſſe videntur. Nam Italus ille maculo hinc inde in ſcriptis ſuis habet plurima præcepta politica omnibus æquitatis, moderationis, ac virtutis legibus, humanitati denique ipſi ex diametro contraria.

tratia. Hîc verò cogitandum, quòd Politica consideretur vel in abstracto, vel in concreto: In abstracto, id est, in formâ & ideâ suâ si consideretur, nullo modo pugnat cum pietate vel honestate. Ideò malè Stentores nonnulli malè feriati vsurpant illud: *Hoc verum est per Theologiam, falsum per politicam:* cùm verum vero consonet. E' contrario rectè frequentatur istud ab emunctioris naris politicis. *Bene conuenit Mosi cum Aharone.* In concreto, id est, in subiecto & indiuiduo, putà Machiauello, Lipsio &c. si politica consideretur, variis erroribus potest inquinari: ita vt hîc vsurpari possit prouerbium: Quandoque bonus dormitat Homerus: item, Aristoteles non semper tenuit manibus globum suum. Tum verò iniqua est argumentatio à concreto ad abstractum: ab artifice ad artem: à personâ ad rem: ab indiuiduo ad speciem: ab abusu ad vsum: ab accidente ad substantiam. Bis igitur insulsi sunt, qui politicum & hypocritam mutuas & auxiliares sibi porrigere dextras aiunt. Rectè autem sentiunt, qui politicum hominem cum Pindaro vocant opificem iustitiæ, & architectum bonarum legum, cuius picturam Homerus proponit in Vlysse, qui omnibus ingeniis se accommodabat, non tamen sine ingenio, & stultis fiebat stultus per condescensum vti loquuntur. Vnde illud:

Stultitiam simulasse loco, sapientia summa est.

Sed multi nunc temporis sunt Sesquivlysses. Sanè multi politici scriptores absurda prodiderunt dogmata: quæ nihil pertinent ad Politices essentiam, sed ingenij humani infirmitatem, vel malitiam arguunt. Ita enim comparatæ sunt præceptiones politicæ, vt reliquam post lapsum humanæ mentis lucem non extinguant, sed accendant & foueant: atque ita neque cum reliquis philosophiæ patribus, neque cum sacrosanctâ theologiâ pugnent. Non illud: quia omnes disciplinæ inuentæ sunt lumini naturæ magis magisque accendendo & fouendo. Non istud: quia lumen naturæ subordinatur lumini gratiæ, non aliter atque luna soli. Hinc ipsa Politica est inferior sacrosanctâ theologiâ: vtpote cùm illa particulam luminis naturæ excolat, hæc omnes luminis gratiæ radios explicet. Sed alio respectu Theologia pendet à Politicâ; quatenus scilicet politia est hospitium Ecclesiæ, & illam defendit gladio seculari. Quæritur hoc loco, *Cur Politica diuidatur in Christianam & Profanam*, cùm nullo modo pugnare dicatur cum theologiâ? Respond. Profanum hîc non dicitur id, quod est impium: sed, quod à profanis, id est, extra gremium Ecclesiæ constitutis hominibus, est conscriptum. Hæc itaque distributio non est generis in species, sed partim effecti in suas causas, partim adiuncti in subiecta recipientia, vel etiam subiecti in sua adiuncta. Politica profana perficit voluntatem nostram principiis & conclusionibus naturalibus: Christiana ἐντελέχειαν adiicit ex libro scripturæ.

An Politica differat a Iurisprudẽtia?

IV. *Politica specie differt à Iurisprudentiâ.*

VVlgò dicitur: *Vbi Politicus desinit, ibi ICtus incipit.* Satis appositè. Nã quia Politicæ munus est tractare de imperio in genere, adeoque de officiis ciuilibus in communi: Iurisprudentiæ autem præcipere de imperio, personis, rebus, & actionibus certis accommodato: nemo non videt, Iurisprudentiam subordinari Politicæ. Subalternatur autem Iurisprudentia Politicæ respectu subiecti, quod est respublica, respectu finis qui est gerere rempublicam, & respectu principiorum, quæ in Politicâ sunt generaliora quàm in Iurisprudentiâ. Quò pertinet quod Hegendorphinus in Epitome Iuris ciuilis ait philosophos theses tradere, ICtos hypoteses. Id quod multis ibidem exemplis declarat. Vnde efficitur, Politicam ICto esse maximè necessariam: non solùm vt reginam aliarum artium, itemque finem, qui mortalium dirigit actiones, easque tum diuinis, tum ciuilibus accommodat: sed etiam vt disciplinam subalternantem, quæ probat principia subalternatæ. Errant itaque, qui Politicam à Iurisprudentiâ nihil differre tradunt. Quamuis enim sit magna affinitas has inter facultates, hinc tamen malè concluditur identitas. Ex his patet, quòd Politico sit disciplina subalternata & subalternans: Subalternata respectu Ethicæ, cui subalternatur ratione principiorum. Politicus enim vtitur principiis Ethicis.

An Politica sit generalis & specialis?

V. *Politica ex fine suo distribuitur in generalem & specialem.*

PRimæ classis politici Politicam diuidunt in generalem & specialem. Quæ distributio nititur duplici fundamento Logico. Primum est, quòd cum omnibus legibus seu normis bonæ distributionis conuenit. Nam est reciproca, & constat partibus, quæ inter se dissentiunt, & cum toto consentiunt. Alterum est, quòd sumta sit ex fine Politices: è quo diuidendas esse disciplinas practicas lex methodi analyticæ iubet. Finis enim Politicæ proprius, adæquatus, & proximus, est tradere modum bene constituendi & administrandi remp. At modus ille duplex est: generalis & specialis. Ille occupatur circa vniuersalia: hic circa singularia: Intellige res singulares certas, quæ regi possunt consilio, non verò infinitas, quæ non cadunt sub disciplinam. Sed duo contra hanc visionem obiiciuntur, 1. quòd non sit reciproca; quippe constans terminis generalibus, qui etiam aliis competant disciplinis: vt Grammaticæ, Physicæ &c. 2. quòd distributio ista sumta sit ex subiecto, non ex fine. Respond. ad 1. Termini generales, vti sunt simplex & compositum, primum & ortum, principale & minùs principale, restringuntur à materiâ speciali, cui adduntur. Sic v.gr. axioma in Logicis diuiditur in simplex & compositum. similiter syllogismus est simplex vel compositus. ad 2. Subiectum proprium & adæquatum Politicæ est modus constituendi & administrandi remp. sed finis eius est, tradere istum modum. In distributione Politices primariò spectatur finis, secundariò subiectum: sicut è contrario in disciplinarum theoreticarum diuisione principaliter respicere oportet subiectum.

Principia regulatiua in Politicis.

VI. *Principia cognoscendi regulatiua in politicis, sunt tria; Ratio siue lex naturæ, Experientia, & Scriptura sacra.*

NAm omnes conclusiones politicæ resoluuntur in hæc tria principia. Ratio dictat: Experiẽtia confirmat: Scriptura conuincit. Hic igitur sit Lydius lapis, hæc Cynosura, hoc filum, Thesei in controuersiis politicis decidendis. Hæc fax tergemina si præferatur, Cimmerias politicæ syluæ tenebras facilè discutiemus, nec inania pro solidis, vel vt Ixion (vt est in fabulis) nubem pro Iunone amplexabimur.

Politica quali methodo disponẽda?

VII. *Politica disponatur methodo acroamaticâ, siue sapientiæ, vt methodus exoterica siue prudentiæ primas teneat.*

RAtio huius est, quia methodus sapientiæ est exquisita, & imprimis locum habet in scientiis: at methodus prudentiæ est popularis, & maximum vsum habet in disponendis prudentiis & artibus. Nihil igitur est necesse, vt semper ideam Platonis in describendâ repub. nobis proponamus, sed tum demum, quando ipsa res hoc exigit.

Idea boni politici quæ?

VIII. *Idea viri politici duplex est, vna perpetua, altera temporaria.*

IDea hoc loco est exemplar, quod homo politicus sibi proponere debet vt verè possideat hunc titulum valde augustũ. Idea ista duplex est. Vna perpetua, quam politicus omni loco, omni tempore, apud omnes respicere debet. Hæc est partim resp. Christiana siue ciuitas Dei, vt loquitur Augustinus, id est, Ecclesia: partim resp. mundana, id est, mundus magnus & paruus. Nam & in illâ, & in istâ politicus videbit expressam bonæ administrationis formam & normam. Altera est temporaria, videl. resp. aliqua eminens; quæ mutatur mutatis circumstantiis. Hîc igitur perfectum politicum dixeris, qui pro re natâ nouare potest consilia, & quando est opus obliquare nouit sinus instar periti naucleri. Hanc ad rẽ requiritur, vt politicus imbutus sit cognitione rerum philosophicarum, theologicarum, & iuridicarum. Intellige politicum pragmaticum, non theoricum. Ille in reip. luce, hic in scholæ puluere degit.

Beatitudo ciuilis est practica.

IX. *Beatitudo ciuilis non est theoretica, sed practica.*

DIcitur aliàs bonum conditionis seu felicitatis politicæ: Item salus publica, siue salus reipub. & populi. Vnde illud scitum: *Salus populi suprema lex esto:* cum quo consentit Senatusconsultum Romanum: *Videant consules ne respub. aliquid detrimenti capiat.* Cæterùm beatitudo theoretica consistit in cognitione rerum: practica consistit in pacato imperio, facitque ex Euripo mare pacificum.

Beatitudo ciuilis quid?

X. *Beatitudo ciuilis est status multorum bonorum aggregatione perfectus.*

NEc enim ab vno aut altero bono aliquis beatus vocari & esse potest: sed si quis plurimis affluat bonis, tùm demum beati nomine meritò appellatur. Sunt autem tres gradus beatitudinis ciuilis. Primus consistit in bonis animi: secundus in bonis corporis: tertius in bonis fortunæ siue externis. Ex his intelligere est, non statim remp. beatam esse prædicandam propter vnicum bonum, putà ob diuitias.

An eadẽ sit beatitudo singulorum ciuium & totius reipublicæ?

XI. *Eadem est beatitudo singulorum ciuium, & totius reipub.*

EA enim est natura totius aggregatiui siue collectiui, vt idem finis parti præpositus sit qui totius est: vt totus exercitus eundem respicit finem qui propositus militi, nempe victoriam. Quid? Etiam in toto integrali hoc idem videre est: vt eadem est corporis sanitas, & singulorum ipsius membrorum.

XII. Re

An religiosi summus Politicæ finis?

XII. *Religio est summus Politicæ finis.*

Finis internus Politicæ, id est talis, qui proximè spectatur, & semper obtinetur, est tradere modum bene constituendi & administrandi remp. Finis externus est, qui non semper obtinetur à præceptore Politico: tametsi sit norma finis interni. Est autem finis iste externus vel princeps, vel minùs princeps. Finis princeps est, ad quem media in politiâ aliquâ principaliter referuntur. Is spectatur vel simpliciter, vti est publica honestas, hoc est, virtutum moralium communis & publica actio atque exercitium: vel cum gradu eminentiæ, vt est partim vera religio, partim contemplatio, id est, publicum exercitium virtutum intellectualium, siue bonarum literarum. Finis minùs princeps est pax externa, honor, gloria, splendor, & similia. His ita præmissis aio, remrpub allam esse mediocrem, aliam heroicam & excellentem. Respubl. mediocris est, in quâ cernitur finis absolutus, de quo *Cicero 5. de rep.* sic ait: *Vt gubernatori cursus secundus, medico salus, imperatori victoria: sic huic moderatori reipub. beata ciuium vita proposita est, vt opibus firma, copiis locuples, gloriâ ampla, virtute honesta sit respub. Huius enim operis maximi inter homines atque optimi illum esse effectorem volo.* Hæc Tullius in aureâ illâ ad Q. fratrem epistolâ repetit. Ergo virtus politica seu ciuilis, quæ nihil est aliud quàm virtus moralis accommodata certo officio politico, est finis politiæ. Intellige hîc per virtutem ciuilem ipsius actionem, seu κοινοπραγίαν πολιτικήν. Nam virtus ciuilis propriè est medium perueniendi ad felicitatem ciuilem. Atque hunc scopum spectauit Theseus, cùm ex pluribus pagis vnam Athenarum ciuitatem consecrauit; spectauit & Romulus, cum Romam conderet: spectauit & Cyrus ille primus, cùm Persas in vnum Reip. corpus congregauit. Respubl. heroica seu eminens est, quæ fini absoluto adiicit eminentem: ita vt ciues non solùm publicæ studeant honestati, sed etiam præclarissimarum rerum contemplationi sint deditì, neque hoc tantùm, sed etiam religionem, & eam quidem iuxta verbum Dei reformatam, amplectantur. Religio itaque, & quidem ipsius vnitas, est summus reipub. finis. Hinc patet, nullam esse argumentationem illorum, qui cum Iesuitis ita disputant: Vbi nullus est finis, ibi nulla est felicitas. At si in repub. non sit vnitas religionis, nullus est finis. Ergo nulla felicitas. Maior propositio hîc certa est: quia omnis felicitas habet rationem finis. Sed propositio minor peccat in illud principium Logicum: *A remotione vnius finis ad remotionem omnium finium non valet illatio.* Non igitur est consequens: In hâc repub. non est finis eminens, putà contemplatio, vel religionis vnitas. Ergo nulla ibi est felicitas. Potest enim ibi esse finis simpliciter spectatus, videlicet honestas politica, à quâ respub. dicitur beata, licet non beatissima. Diuersitas enim religionum (si modò authores Apostasiæ siue turbones compescantur) non impedit honestatem publicam. Quare sic concludamus: In quâ repub. nullus est omninò finis, in illâ nulla est felicitas. Falsum itaque est illud pseudopoliticorum: *Respublica, in quâ non est vnitas religionis, non est vera respub. & magistratus ibi est tyrannus; & ciues sub tali magistratu sunt fures & latrones.* Quid, amabo, dicemus de florentissimâ Atheniensium & Romanorum republicâ? Ibi non fuit vera religio. An igitur nulla politia? Absit, vt ita insaniamus. Notandum autem hîc, quod Religio sit naturæ vel gratiæ: Illa hominem religat Deo iure creationis, & complectitur principia naturæ mentibus nostris insculpta de rebus diuinis: hæc dicitur Christiana, & hominem religat Deo iure redemtionis. Sine priori nulla potest esse respublica: sine posteriori multæ fuerunt: vt Spartana, &c. licet non fuerint Resp. in excellenti gradu. Porrò hîc incidunt duæ grauissimæ quæstiones. 1. *An ciuilis beatitudo magis in externis, quàm internis consistat bonis?* 2. *An in repub. idem sit vir bonus, & ciuis bonus?*

An ciuilis beatitudo magis in externis quàm internis consistat bonis?

Primam quæstionem affirmant, qui oculis vulgi aspiciunt bona externa: negant, qui oculis philosophorum. Hi enim ita pronunciant. Quemadmodum echo non est vox ipsa, sed vocis reuerberatio: & color in iride non est verus color, sed coloris imaginatio, vnde in scholâ Opticâ vocatur color intentionalis: ita externa corporis & fortunæ, vt vocant, bona, non sunt solida, sed bonorum verorum specula speciosa, & idola. In iis igitur ciuilem beatitudinem non cōsistere patet: quia fundamentum ipsius non debet esse lubricum. Deinde in bonis illis externis appetendis nullus est finis, nulla satietas, nulla quies. Tertiò bona ista æquè malis ac bonis conueniunt. Quartò expetuntur propter aliud, non per se. Denique miseros sæpe mortales efficiunt, nisi referantur ad virtutem, tanquam instrumenta ad causam principem. Sola igitur ciuitas est beata, in quâ bona animi, non verò externa illa principatum tenent. Cæterùm bona externa dicuntur facere ad eminentiam reipub quatenus sunt adminicula, per quæ virtus ciuilis commodiùs exerceri potest. Hinc bona interna eleganter conferuntur cum animâ, externa cum veste acu pictâ. Sicut enim vestis phrygionico ritu picta ornat hominem pulchrum: sic bona externa ornant hominem virtute præditum. Sic enim fiunt instrumenta virtutis. *Secundam quæstionem* Lipsius & Danæus affirmant, quando eundem ciuem & virum bonum in politicis agnoscunt, non autem alium ciuem bonum alium virum bonum: Machiauelli soboles negant: alij distinguunt; quibus & nos subscribimus, hunc in modum. Principiò virtus viri & ciuis bòni realiter differt: quemadmodum lex moralis à forensi seu iudiciali reipsâ distinguitur. Deinde virtus boni ciuis seu officij nunquam repugnat virtuti boni viri. Tertiò in repub. heroicâ necessarium est contubernium vtriusque virtutis, & illius quæ dicitur viri atque moris, & istius quæ dicitur officij. Quartò omnis virtus ciuilis præsupponit aliquam virtutem moralem. Etsi ergo ciuis bonus sit vir malus respectu huius vel istius vitij moralis, putà libidinis: non tamen toto genere potest esse vir malus. In summâ: Virtus officij politici est fundamētum politicæ societatis proximum: virtus moralis remotum. Fieri ergo non potest, vt sit politia efficax, vbi nulla est prorsus virtus moralis. Quintò distinctæ sunt quæstiones, An idem sit vir bonus & ciuis bonus, &, An idem debeat esse vir bonus & ciuis. Prioris negatio, posterioris affirmatio est vera. Quicunque ergo vult esse membrum reipub. legitimum, debet hoc agere, vt sit Aristides, qui & vir & ciuis optimus est habitus.

An eadem sit virtus viri & officij in politiâ?

CAPVT II.

De Subiecto Politicæ:

PRÆCEPTA.

SVBIECTVM Politicæ est triplex: informationis, tractationis, & operationis.

Subiectum informationis est voluntas, quæ per normas politicas dirigitur ad boni ciuilis actionem.

Subiectum tractationis est proximum, vel remotum & vltimum. Illud est modus bene constituendi & administrandi remp. hoc est respublica seu vita ciuilis. Est autem resp. regis & gregis vinculo legis colligata & ad publicum bonum disposita vnio.

Subiectum operationis seu vsus sunt OEconomia, Theologia, Iurisprudentia, Medicina, & reliqua philosophia. Harum enim bono constituitur politia.

REGVLÆ.

An politica informet voluntatem?

I. *Præcepta politica informant intellectum primò, voluntatem primario.*

INformant intellectum primò, id est, imbuunt illum cognitione rerum politicarum. Sed volūtatem informant primariò, id est, pariunt affectum, quo duce bonum politicum procuratur. Atque hæc dicitur cognitio affectiua: quæ reddit politicum pragmaticum. Huic opponitur cognitio nuda, quæ reddit politicum de scholâ, id est talem, qui nouit quidem principia & conclusiones politicas, sed non potest illis vti, vel quòd non habeat ingenium politicum, vel quòd ipsi non affulgeat aliorum fauor.

Respub. dicitur vel latè vel strictè.

II. *Respublica latissimè sumitur hoc in loco pro politiâ siue societate ciuili.*

ALiàs si strictè accipiatur, opponitur principatui siue monarchiæ, & significat vel aristocratiam vel democratiam. Accipitur etiam interdū strictissimè pro politiâ populi Christiani, iuxta illud politicorum: Reipub. nomen eousque se extendit quousque vexilla religionis Christianæ: & ita sacrum Romanum Imperium venit nomine reipub. Turcicum non item. Adhæc reipub vocabulum sumitur abusiuè, & sic opponitur ciuitati, ita quidem, vt ciuitas vnum populum sub vnâ iurisdictione contineat; respublica autem multas rationes, quarum singulæ habeant aliquid proprium, videlicet commercium propriæ linguæ, &c. Hoc sensu regnum Hispaniæ & Romanum imperium dicuntur respublicæ.

Quid sit respublica?

III. *Respublica est communitas personarum, rerum, & actionum ciuilium.*

REspublica dicta est à re & publico. Rei autem vocabulum lato sensu hîc accipitur, ita vt res in specie dictas, personas & actiones simul complectatur: vt est apud *Gregor. Tholosanum de repub. l. 1. c. 1. num. 6.* Publicum verò dicitur à populo, quasi populicum, quod ad omnes de populo pertinet, vel pertinere potest. *Gregor. d. lib. num. 11. 12.* Sumitur autem reipub. vox vel materialiter pro terrâ seu regione quâlibet, vnius summæ potestati subiectâ: vel formaliter pro ipso regimine politico. Aliàs dicitur ciuitas & politia. Quæ duo tamen vocabula sæpe distinguuntur à se inuicem, & à republicâ: ita

ita vt resp. sit communitas plurium ciuitatum: ciuitas, pars reip. politia, regimen seu administratio reipubl. Atque hæc pertinent ad definitionem & distinctionem nominis. Ad rem ipsam quod attinet, sciendum est, remp. esse totum collectiuum: ac proinde non admittere perfectam definitionem. Perfectæ tamen proxima est illa, quam attulimus in præceptis: cum quâ coincidit ista modò allata, in quâ proposuimus trigam illam politicam, quæ absoluitur rebus, personis, & actionibus: ad quæ referri potest omne id, quod in politicis occurit. Porrò ex hâc definitione patet, quid sit respondendũ ad illam quæstionem historico-politicam, *An patriarchæ habuerint respublicas?* Cùm enim ciuitas seu resp. sit cœtus multitudinis hominum, communibus legibus vtentium, & quidem communi consensu, siue vnam duntaxat, siue plures vrbes inhabitent: & verò ex *Genes.* 4. colligi possit, quosdam patres antediluuianos, vt vocant, habuisse integras ciuitates; necessariò efficitur, quosdam fuisse tanquam regulos, similes illis, qui *Genes.* 14. *vers.* 2. memorantur. Hinc & ista controuersia expeditur, *An multitudo latronum sit respublica: item; An cœtus Amazonum sit respublica?* Nam quia latrones, piratæ, & similis furfuris homines constituunt cœtum nefarium & non solùm verbo Dei damnatum, sed etiam iuri naturæ, gentium, ac positiuo prorsus contrarium: relinquitur, ibi non esse vnionem ciuilem: quia inter malos non est vnio, sed conspiratio. Ad Amazonidum congregationem quod attinet, illa non est resp. quippe quæ non est communitas personarum ciuilium. Personæ namque ciuiles præsupponunt familiam, atque adeò societatem coniugalem. Latronum itaque consociatio nonnisi æquiuocè, Amazonidum nonnisi analogicè dici potest respublica: Huc pertinet illud: Populus siue Respublica debet esse immortalis.

An patriarchæ habuerint respublicas?

An multitudo latronum sit resp.

An multitudo Amazonum sit resp.

IV. *Resp. siue ciuitas est naturâ prior, & posterior domo siue familiâ.*

Respublica an prior domo?

PRior est naturâ intendente, posterior naturâ generante. Duplex enim est ordo naturæ. 1. Ordo generationis; & sic partes ciuitatis sunt priores ciuitate. 2. Ordo perfectionis siue intentionis: & sic ciuitas est prior suis partibus. Hinc dicunt politici, ciuitatem dici primam quoad esse; domum, quoad fieri: vbi esse significat modum perfectionis, fieri modum generationis. Sicut igitur manus non est manus si à corpore sit separata: sic domus non est domus vniuocè, nisi sit pars reip. Huc facit & illud, quòd ciuitas siue resp. sit familiæ finis. Finis autem est primus in intentione, licet vltimus in executione.

V. *Resp. est totum collectiuum, idque ordinatum, & quidem politicè.*

Respublica est totum collectiuum.

EST collectiuum siue agregatiuum; quia est multitudo familiarum. Est collectiuum ordinatum; quia est multitudo directa ad felicitatem practicam: quæ directio ordinem includit. Huic opponitur collectiuum fortuitum, quod dicitur casuale & temerarium, vti est acervus lapidum. Est denique collectiuum politicè ordinatum; quia hîc non spectatur ordo numeri, siue arithmeticus, qualis est inter primum & secundum: vel loci siue Physicus, qualis cernitur inter superiora, & inferiora: sed ordo virtutis, qui dicitur moralis & politicus qui est ordo iustitiæ, prudentiæ, & alienarũ virtutum, tum dirigentium, tum directarum. Hinc deciditur quæstio: *An πονηρόπολις, id est, multitudo officiperdarum in eodem loco habitantium, qualem condiderunt Philippus Macedo, & Alexander M. sit resp.* Resp. Licet ibi sit multitudo familiarum, vt in Tartariâ & Indiâ videre est: non tamen ibi est multitudo politica, cui vitam inspirat virtus. Oportet igitur in rep. potius spectare formale quod est vnio virtutis, quàm materiale quod sunt familiæ. His ita positis, consequitur, nullam remp. sine politiam esse veram & efficacem sine virtute: Illa enim politia est vera & efficax, quæ est secundùm naturam. At omne quod virtuti repugnat est contra naturam. Hinc politicus Anglicanus in limine sphæræ ciuitatis ait: *Quod est in naturâ monstrum, id est in ciuitate vitium.* Deinde experientia vniuersalis (quæ iuxta Ciceronem instar legis naturæ putanda est) confirmat, politiam veram pendêre à iustitia vniuersali. Vbi autem est iustitia vniuersalis, ibi homines fatentur se obligari ad obedientiam omnibus honestis legibus præstãdam. Denique virtus ciuilis, quæ dicitur officij, pendet ab aliquâ virtute morali, quæ dicitur virtus viri. Absurdus itaque est Machiauellus, maculatum illud Hetruriæ vellus, qui contrarium his octo axiomatibus pronuntiat. I. *Fides, clementia, liberalitas, omnes deniq; virtutes damnosæ sunt ciuitati.* II. *Principi peierare, fallere, & dissimulare sine vllâ dubitatione licet.* III. *Religio animos hominum deprimit, sæuitia subditos in officio retinet.* IV. *Felix est princeps, quem populus non diligit, tuta est ciuitas, quæ dissidia & factiones nutrit.* V. *Rex ille sapiens, qui boni publici studiosos & amantes tollit.* VI. *Ante omnia optandum est principi, vt pius videatur, non tamen vt sit.* VII. *Oportet Principem semper aduersarium in se alere, vt, eo oppresso potentior videatur.* VIII. *Princeps ingenium versatile arte vsque factum in sæuitiam & perfidiam habere debet: reipsa talem se præstet quoties expedierit.* Hæc sunt fundamenta politiæ Machiavelli, *lib. de princip. c.* 15. 17. 18. *comment. in Liuium l.* 1. *c.* 4. *l.* 2. *c.* 2. 17. Sed Socrates, Plato, Aristoteles, & omnes verè Philosophi viderunt non diu posse conseruari resp. quarum custodes fiunt vulpes, lepus & leo, id est fraus, timor, & furor: idcoque politiam sine virtute docuerunt esse quasi plumbeam regulam sine manu artificis. Sed contra hanc sententiam sequentia obiiciuntur. I. Stratagemata siue sophismata bellica sunt licita, quæ tamen animo decipiendi fiunt. Ergo politia bellica potest esse sine virtute. II. Politicæ leges sanciunt, vt proditorum filij itemque spurij puniantur. At hi sunt innocentes. III. Leges politicæ probant vsuras & lupanaria quæ mala sunt. IV. Vir malus potest esse ciuis bonus. Ergo politia non semper à virtute pendet. V. Politica permittit occidere innocentem, si salus publica id exigat, & ita iubet facere mala vt eueniant bona. Respondetur ad primum: In militiâ non licet perfidiam in hostem exercere, sed necesse est cum Regulo fidem persoluere. Stratagemata verò non sunt accensenda perfidiæ, sed rebus indifferentibus, quibus vti liceat aduersus hostem. II. Non est absurdum puniri aliquem priuatiuè seu negatiuè sine culpâ suâ: at positiuè puniri sine propriâ culpâ iustè non potest. Hinc regula: Aliquis iustè puniri potest sine culpâ; nullus tamen castigari debet sine causâ: & hoc fit imitatione diuinæ iustitiæ, quâ vnius hominis videlicet Adami crimen translatum est in totam humani generis sobolem. Sic proditores puniuntur positiuè: at ipsorum filij priuatiuè, quatenus illis negantur priuilegia & immunitates, quibus gaudent boni ciues. III. Politia non probat vsuras mordaces, nec etiam lupanaria, sed illa tolerat; non requirit, sed permittit, si quidem non possint aboleri sine reip. interitu. IV. Virtus est vel viri, vel officij. Virtus viri est moralis siue Ethica, & hæc non semper & necessariò in bonum ciuem cadit. Virtus officij est vel ciuilis & politica, vel ecclesiastica. Illa semper requiritur in membro ciuitatis, hæc in membro Ecclesiæ. Sic virtus officij est in sutore bonos calceos conficere, quod fieri potest, etiamsi sit vir Ethicè malus. Interim tamen virtus viri siue Ethica præsupponitur in politiâ, non quidem quoad omnia indiuidua, sed tamen quoad pleraque. V. Posito hoc dilemmate, vt vel pereat vnus innocens putà Curtius, vel tota resp. periclitetur; tolli vnum potiùs natura & prudentia suadent, quàm vt totum periclitetur. Etsi verò hoc sit contra naturam singularem, non tamen est contra naturam vniuersalem, quæ hoc modo conseruatur. Ita si aut cadendum regi aut cedendum ciui, potiùs ciuis negligendus est qui priuati, quàm princeps qui totius ciuitatis personam gerit. Notum est illud: *Priuata cedunt publicis.*

VI. *Respub. est quiddam contingens & necessarium.*

Respublica est quiddam contingẽs & necessarium.

COntingens, quatenus pendet ab operatione hominis. Est *quiddam necessarium*, quoad demonstrationem præceptorum. Licet enim quoad flexibilem voluntatem & actionem hominum frequenter mutetur respubl. non tamen quoad formam & demonstrationem, quæ specie, non indiuiduo; præcepto, non exemplo continetur. Sic tametsi Assyriorum, Romanorum, & cæterorum imperia ceciderunt: manet tamen essentia siue forma reip. Hoc est quod politici dicunt, reip. essentiam perennem, existentiam caducam esse. Idea siquidem non mutatur.

VII. *Tres ad minimum familiæ siue domus constituunt remp.*

Quot familiæ cõstituant rempublicam?

ITa tres ad minimum faciunt collegium. Quamuis enim etiam duo dicantur collegæ, hoc tamen non fit vniuocè ratione societatis collegialis, sed analogicè, quoad officij potestatem vel etiam paritatem. Requiritur autem hîc ternarius; quia in duobus non inuenitur, qui discordias inter eos dirimat.

CAPUT III.

De Materiâ reipublicæ.

PRÆCEPTA.

MEDIA, per quæ finis Politices in subiectum introducitur, respiciunt statum integrum, vel turbatum. Ibi est reip. fundatio, & fundatæ conseruatio atque amplificatio: hîc curatio. Duo priora media sunt primaria, reliqua duo secundaria.

Fundatio reip. est primum medium, quo resp. secundùm naturam constituitur.

Ea respicit materiale & formale reip.

Materiale reip. eſt id, ex quo reſp. conſtat: vti ſunt res & perſonæ politicæ.

Res politicæ ſeu ciuiles pendent vel à natura, vt aër, aqua, terra, vel à curâ, vt domus, ciuitas, numerus, territorium.

Perſonæ politicæ appellantur ciues, qui ius ciuitatis habent: ſuntque magiſtratus politicus, ephori, & populus.

Magiſtratus eſt perſona, cui iura maieſtatis inſunt.

In magiſtratu conſideratur conſtitutio, maieſtas, & abdicatio.

Conſtitutio ſpectatur in ſpeciebus & cauſis ſuis.

Species ſunt, quòd conſtitutio magiſtratus eſt 1. diuina, vel humana. 2. ordinaria, vel extraordinaria. Illa eſt vel ſimplex, vt ſucceſſio & electio, vel mixta, vt eſt ſucceſſio temperata electione: hæc fit iure dotis, emtionis, fœderis reciproci, belli, teſtamenti &c.

Cauſa, ſeu fundamentum huius conſtitutionis eſt triplex. Eſt enim cauſa 1. remota & prima, vt ordinatio diuina. 2. intermedia, vt ſunt bona animi, putà virtutes intellectuales & morales; bona corporis, vt ſexus, ætas iuſta, ſtatura &c. vt bona fortunæ, vt patria, diuitiæ, & ſimilia magiſtratus requiſita. 3. proxima, vt eſt conſenſus populi.

Maieſtas eſt ſumma poteſtas, quam magiſtratus habet in populum ex conſenſu populi.

Abdicatio magiſtratus eſt reſignatio vel depoſitio.

Ephori ſunt perſonæ, quibus adminiſtratio reip. vnà cum magiſtratu datur à populo.

In ipſis occurrit electio, & diuiſio.

Electio eſt penes populum.

Diuiſio eſt, quòd ſunt perpetui vel temporales, generales vel ſpeciales, eccleſiaſtici vel ſeculares.

Populus eſt multitudo ciuium parere volentium.

Populus conſideratur in politiâ minori, vel maiori. Ibi eſt vicus & pagus: hîc vrbs & territorium & hoc eſt diſtrictus, baronia, comitatus, ducatus, regnum &c.

REGVLÆ.

An reſp. ſit à natura?

I. *Reſpubl. ſiue ciuitas eſt à naturâ & ſecundùm naturam, ſiue conſideretur materialiter, ſiue formaliter.*

MAterialiter, quoad familias ex quibus reſp. conſtat. Iſtæ enim ſunt à naturâ. *Formaliter*, quoad familiarũ iſtarum vnionem. Nam & hanc natura intendit. Eſt ergo reſp. à naturâ non tantùm inchoatè, ſed etiam conſummatè. Inchoatè, quatenus in nobis inſita ſunt zopyra quædam, id eſt, ſemina æternitatis, vt loquitur Scaliger, ſeu principia practica. Conſummatè, quatenus nobis non tantùm innatus eſt appetitus quo ferimur ad ſocietatem politicam, ſed etiam vis intellectus iſtam regit, & vſus ſermonis eam conſummat, & ſic facit vt vnio virtutis, anima illa reip. eam perficiat. Sic itaque reſp. eſt à naturâ quoad finem, qui eſt refectio & perfectio naturæ. Rectè igitur politici dicunt, quòd regere & regi ſint actiones naturales, diuinæ & ciuiles, quippe profectæ ex iure naturæ & gentium, & confirmatæ iure diuino & ciuili. Ex iure dico naturæ communi & proprio. Ex communi; quod homo commune habet cum beſtiis. Natura enim imaginem aliquam politiæ docuit brutas animantes vt in apibus & gruibus inprimis videre licet. Ex proprio; quod homo nouit quâ homo, & ita homo eſt animal virtutis cauſâ gregabile. Neque valent iſtæ obiectiones. 1. Reſpubl. eſt ab inſtituto humano. Ergo non à naturâ. 2. Multi homines fugiunt lucem reipubl. ſiue ſocietatem politicam. Nam inſtitutum humanum & lex poſitiua in tantùm probatur, in quantum conuenit cum lege naturæ. Deinde homo conſideratur vel quoad ſpeciem ſiue naturam humanam, vel quoad indiuiduum. Homo priori modo eſt animal politicum: poſteriori poteſt fugere ciuitatem. Sed ais: Multi boni oderunt ciuitatem. Reſp. 1. Quidam non oderunt materiale & formale reipub ſed accidentia vitioſa, quo ſenſu multi dicuntur odiſſe mundum. 2. Qui oderunt rempubl. quatenus eſt talis, laborant morbo animi; vbi tenenda iſta regula: *Particularis inſtantia non deſtruit vniuerſalem regulam.* Item hæc: *Inſtantia ducta ab actu non deſtruit potentiam*: vt non eſt conſequens, Heraclitus nunquam riſit. Ergo nullus homo habet potentiam ridendi. Porro, huius loci eſt quæſtio iſta: *An reſp. ſiue politica futura fuiſſet in ſtatu innocentiæ?* Vbi hæc hypotheſis anabaptiſtarum inprimis conuellenda, qui ſtatuunt politiam eſſe purum putum inuentum carnis, & addunt conſtitutionem rerumpubl. eſſe iuſtam peccati pœnam ac primæuæ iſtius libertatis labem & imminutionem. Sed illi homines imperitè confundunt imperium blandum cum oneroſo. Nam oneroſum imperium eſt pœna peccati: at blandum illud eſt opus naturæ, quod ſic patet. In ſtatu innocentiæ fuiſſet diſparitas ratione ſexus, ratione ætatis, & ratione poteſtatis patriæ. Secundùm igitur naturam eſt, vt mas fœminæ, ſenior iuniori, pater liberis imperet. Præterea ante lapſum fuiſſent vtique multæ familiæ. Multitudo autem, niſi redigatur ad vnitatẽ aliquam, abit in infinitum, vel in nihilum. Sic videmus, inter angelos bonos locum habere aliquam reipub formam. Ad ſummam: In ſtatu innocentiæ vna familia cum aliâ fuiſſet conuerſata: quia homo eſt animal ſociale. Hoc autem ſine ordine politico ſiue vnione virtutis politicæ fieri non potuiſſet. Quid multis: Virtus eſt ſecũdùm naturam. Ergo & virtus politica. Omne enim quod cum virtute coniunctum eſt, eſt naturæ conſentaneum. Huic ſententiæ ſic contraueniunt nonnulli. 1. Impotentia ſiue defectus eſt præter naturam. At regi ab aliquo eſt impotentia. 2. Pœna eſt præter naturam. Seruitus eſt pœna. 3. Ius naturale & quod eſt iuris naturæ, omnibus competit. Seruitus autem vel imperium non conuenit omnibus. *Reſp. ad.* 1. Impotentia eſt vel naturalis vt fœmina, infantia &c. vel præternaturalis vt morbus. Sic defectus ſunt tales vel negatiuè, vel priuatiuè. Illi ſunt naturales & pertinẽt ad perfectionem naturæ: vt defectus volandi pertinet ad perfectionem hominis. Defectus priuatiuè ſic dicti, ſunt deteſtabiles & damnabiles, vt peccatũ. Hîc illud non oſcitanter perpendendum eſt, Deum ſua dona in primâ creatione non diſtribuiſſe ſecundùm proportionem arithmeticam, quæ dicitur æqualitas ad pondus, ſed iuxta proportionem geometricam, quæ dicitur æqualitas ad iuſtitiam. Quòd autem huiuſmodi gradus inter homines habituri fuiſſent locũ in ſtatu innocentiæ, vel hinc patet, quòd vir magis participauerit de imagine Dei, quàm fœmina: quòd item cœlum & elementa variis gradibus fuerint diſtincta. *Reſp. ad.* 2. Vocabulum ſeruitus accipitur latè & strictè. Latè ſeruus dicitur qui eſt alio inferior: & ita ſeruitus non eſt pœna peccati, ſed impotentia naturalis. Strictè ſeruitus eſt vocabulum odioſum & oneroſum, & ita eſt pœna peccati. *Reſp. ad.* 3. Quicquid conuenit ſecundùm ius naturæ abſolutè & formaliter, id omnibus conuenit: vt, Defende teipſum. At ſeruitus, itemque imperium ſunt ſecundùm ius naturæ comparatè & reſpectiuè quatenus videlicet lex naturæ aliter obligat patrem, aliter filium. Atque hoc firmiter tenere oportet, non ſolùm contra fabulas poëtarum & Platonis, qui ſcribunt, in primâ hominum ætate, quam illi auream & ſeculum Saturni vocant, nullas conſtitutas vel conſtituendas fuiſſe reſp. ſed etiam contra furores Anabaptiſtarum, qui tot maledictionis Dei teſtimonia eſſe clamitant, quot inter homines apparent reſpublicæ. Quæ ſententia cum verbo Dei ex Diametro pugnat, & dictamen rectæ rationis conuellit. Nam Scriptura teſtatur, reges à Deo decerni, Deum conſtituiſſe politiam Moſaicam, & pios reges fuiſſe typos Chriſti ac nutritios Eccleſiæ. Deinde lex naturæ nobis dictat, politicam ſocietatem originem primam habere à Deo, propinquam ab affectu naturali, quem Deus hominum mentibus ita inſeuit, vt nullâ ratione deleri poſſit, proximam à conſenſu mutuo. Vrbium autem condendarum proxima cauſa fuit hominum metus, tum à feris animantibus, tum ab aliis hominibus, vt eleganter ait *Danæus lib.* 1 *polit. c.* 3. Qui aliter ſentiunt de prima reip. origine, in quatuor diuerſiſſimas opiniones diſcedunt. Primò ſunt, qui nimis exiliter de tantæ rei origine ſentiunt: vt Herodotus, Cicero, Ouidius, & alij, qui cenſent primùm homines inter ſe conueniſſe, vt à potentiorum iniuriâ & aëris inclemenriâ ſe defenderent. Alij religioſam huius conſociationis cauſam ſunt commenti: quaſi metus numinis proxima ſit reip. cauſa. Sanè apud quoſdam κοινοπραξία ἱερατικὴ fuit cauſa rerump. ſed non proxima. Atque ſic oportet accipere verſus Stigelij:

An reſp. futuræ fuiſſent in ſtatu innocentiæ?

Origo reip. quænam?

Atq; vbi ſenſerunt, ſe ſemina ducere cœlo,
Atq; aliquem, mundum qui regat, eſſe Deum.
Vtq; alios alij de religione docerent,
Contiguas pietas iuſſit habere domos.

Tertiò ſunt, qui fingunt primam primæ hominum multitudinis inter ſe congregandæ fuiſſe miraculoſam: quâ de re *Vitruuius lib.* 2. *c.* 1. ait, homines vt feras in ſyluis & ſpeluncis primò vixiſſe: poſtea ad conſpectum ignis, qui ex tempeſtatibus & ventis in ſyluâ fuerit excitatus, concurriſſe, atque ibi conſediſſe, quòd ſentirent ingentia ignis commoda. His non abſimiles ſunt, qui Muſicæ artis beneficio reſp. conſtitutas ſentiunt ab Orpheo & aliis. Tametſi per citharam Orphei, Amphionis, & aliorum intelligenda eſſe videtur eloquentia. Quidquid huius ſit, partim friuola, partim remota cauſa adfertur. Denique alij fortuitam prorſus primæ hominum conſociationis cauſam comminiſcuntur. In quâ ſententiâ fuerunt

runt Epicurei; quos *Cicero.1. de nat. deorum* luculenter refutat. Nos itaque nullis partim ridiculis, partim remotis recip. causis, veram & eam quidem propinquam statuimus affectum illum homini naturaliter implantatum; cùm nemo non videat, hominem naturâ suâ esse animal gregabile, & ad societatem cum aliis colendam natum, non autem solitarium, vel vagum: proximam verò & immediatam, consensum populi & principis. Quid verò? Annon homines solitarij docent, affectum illum non esse naturalem? *Resp.* Duplicis classis sunt homines, qui sese ab hominum remouent & seiungunt consortio. Et primò quidem alij sunt errones, qui sine certo lare atque foco hinc inde versantur: suntque triplices. Quidam enim necessitate quadam nouercantis fortunæ, vt ethnici loquebantur, ad hoc faciendum coguntur: vt pauperes & mendici. Quidam prauitate humorum seu nouercantis naturæ, vt ethnici dicebant, abripiuntur: insani & melancholici. Quidam denique morum prauitate impelluntur, vt fures & latrones, & alij tenebriones: qui homines maledicti sunt quasi vultures inter luscinias, & lupi inter oues, ac proinde armati ad omne scelus, ideoque non ferendi. cùm illas malorum sequatur armatam malitiam: Deinde alij sunt, qui vel contemplationis, vel pietatis ardentis studio citra opinionem necessitatis & meriti, sese ab hominum sodalitiis subducunt. Ad errones quod attinet, calamitas naturæ vel vitium animi non tollit affectum naturæ. De ingeniis theoreticis ita habendum: temperamenti naturam in certis indiuiduis non tollere naturam speciei.

Quid statuendum de hominibus solitariis?

II. *Distinctio dominiorum est secundùm naturam: & fundamentum societatis ciuilis.*

An distinctio dominiorũ probãda?

GRadus, *quibus hominum consociatio orta est, sunt septem, videl. coniugium, societas patria, familia, vicus, pagus, vrbs, & ciuitas. Coniugium* est societas hominis cum homine. *Societas patria* est parentum & liberorum. *Familia* (scil. plena) complectitur societatem coniugalem, patriam, & herilem. *Vicus* à viâ dictus est; quia ex vtraque parte viæ sunt ædificia, atque ita vnica platea: & hinc dicti sunt vicini. Est autem vicus vel gentilitius, quem constituunt homines eiusdem sanguinis: vel extraneus, qui constituitur ab hominibus sanguine discretis. *Pagus* ex duobus vel tribus vicis constat, sic dictus à fonte, scil. à Dorico παγά. Pagani enim dicebantur, qui ad aquam ex eodem fonte hauriendam conueniebant. Sunt autem pagi vel simplices, qui nullis gaudent priuilegiis: vel priuilegiati, qui iurisdicundi potestatem, magistrum siue præfectum pagi, certum item territorium & nundinas habent. *Vrbs* siue oppidũ est pagorum multitudo, fossâ & muro septa: sic dicta vel ab vruo, vel ab orbe, quòd in orbem circumduceretur aratrum, dum mœnium vrbis designatio fieret. Oppidum verò vel ab opponendo, vel ab ope dicitur. Significat autem vrbs propriè ipsa ædificia, vicis distincta, viis separata, & muris comprehensa. *Ciuitas* est cœtus multitudinis hominum, quæ communibus vtitur legibus, communi consensu: siue illi homines vnam duntaxat, siue plures inhabitent vrbes. In practicis enim non cõtractus localis, sed relationis requiritur. Et hoc modo ciuitatis vocabulum latè accipitur pro repub. ita vt ciuitatem strictè dictam, & regionem quamlibet, siue sit δυνασεία, siue Baronia, siue comitatus, siue principatus, sub se complectatur. Atq: hæc est respubl. non pulchris domibus, vt Alexandria, non altis mœnibus, vt Carthago, non variis montibus, vt Roma ornata: sed optimis legibus munita, habens veram philosophiam in solio regnantem, incorruptam iustitiam in foro iudicantem, æternam pacem in templo triumphantem, quæ item in consiliis est prouida, in præmiis & pœnis æqua, in vsu pacis beata: quæ vsitatè vocatur sphæra & globus ciuitatis, cuius centrum est iustitia immobilis: Luna est vbertas siue affluentia rerum ciuilium: Mercurius est eloquentia: Venus clementia: Sol religio: Mars fortitudo: Iupiter prudentia: Saturnus maiestas: Stellæ fixæ siue camera stellata sunt proceres, heroës, & consiliarij: primum mobile est princeps: primus motor & defensor est Rex regum & dominus dominantium. Non potuit autem vel vicus, vel pagus, vel vrbs, vel alia quæuis resp. constitui absque dominiorum distinctione: contrà quàm Plato & Anabaptistæ docent, qui vnitatem & communitatem omnium bonorum secundùm naturam esse vociferantur, eámque faciunt fundamẽtum reipubl. florentis. Quam opinionem paucis minuere oportet. Principio furoribus Platonis & hæreticorum, qui dicunt Christianorum facultates debere communes esse opponatur vox Decalogi: *Non furaberis.* Hæc enim lex disertè sancit dominiorum distinctionem. Item illud *Prouerb.5.* Fontes tui deriuentur foras, & tu dominus eorum maneto. Et *Ephes.4.* Qui furatus est, non ampliùs furetur. Sit ergo hæc vera & firmissima conclusio: Iure diuino confirmari & muniri distinctionem dominiorum, quæ discernit propria & aliena. Deinde hæc ipsa distinctio est iuris naturæ, gentium, & positiui. Ius siue lex naturæ sæpè nominatur id, quod homini cum bestiis commune est; & ita sumitur pro inclinatione naturæ: vt in bestiis naturalis est propensio ad sui defensionem. Sed hoc in loco lex naturæ est notitia decalogi, seu legum moralium, quam Deus in creatione inseruit mentibus, vt sciant esse Deum, & colendum esse priuatim & publicè: seu est notitia principiorum practicorum & demonstrationum ex illis extructarum, vt sciant esse Deum, & qualem obedientiam postulet. Atque hoc est vnum è quatuor κριτηρίοις seu normis iudicij, quæ sunt, principia insita, experientia vniuersalis, ratio vel cogitatio consequentiæ, & verbum Dei in Ecclesia. De hoc κριτηρίῳ magnus ille *Melanchthon in expositione doct. in Ethica paulò ante obitum repetita* eleganter, vt omnia, dicit: *Gott hat ein buch im euuer cerebrum geschriben, dasselbe buch ist sein* Decalogus. *Darumb solt ihr den* Decalogum, & similes notitias, *darbey man vueisz dasz ein Kunst geuuisz ist, grosz halten.* Ius gentium est gradus aliquis iuris naturæ, quatenus illud refertur ad societatem ciuilem. Ius positiuum est determinatio circumstantiæ addita legi naturæ, probabili ratione: ac proinde non pugnans cum lege naturæ. Ius itaque positiuum non tam propter authoritatem magistratus, quam propter rationem probabilem valet. Hoc discrimen inter notitias & ius positiuum diligenter tenendum est. Nam principia & demonstrationes non possunt mutari, & valent propter Deum: quia sunt veritas lucens in mente diuinâ, & à Deo monstrata. Hinc *Melanchthon d.l.* ait: *Es stehet in Gottes weiszheit, Non mœchaberis. Das sol man* sine cauillatione *verstehen, nicht vuie der tropf.* Illiricus *sagt: Es sey nicht recht geredt.* Lex est æterna & immota sapientia: quia homines non sunt ab æterno. Huc pertinet versus Empedoclis, quem Aristoteles in Rhetoricis citat:

Ἀλλὰ τὸ μὲν πάντων νόμιμον διά τ' εὐρυμέδοντος
Αἰθέρος ἠνεκέως τέταται, διά τ' ἀπλέτου αὐγῆς. id est,

Prima lex tum per latum aërem continuè extensa est, tum per immensam lucem. Hæc itaque lex, & demonstratio inde extructa, est immota regula. e. gr. Omnia delicta turbantia societatem humanam, punienda sunt. Furtum est delictum turbans humanam societatem. Ergo furtum puniendum est. Hæc est demonstratio, procedens ex lege naturæ. Deinde magistratus quem Deus amauit authoritate addendi determinationem circumstantiarum, addit probabili ratione modum pœnæ. exempli gratia, Crescẽtibus delictis crescant & pœnæ, Homines iam fiunt magis feri in auferendis bonis aliorum. Ergo sunt interficiendi. Non est demonstratio (ait *Melancthon d. l.*) sed probabilis ratio. Quorsum verò hæc disputo? quorsum? Vt constet, quo fundamento nitatur distinctio dominiorum. Nimirum non tantùm nititur iure diuino, de quo paulò ante: sed etiam iure naturæ, gentium, & positiuo. Nam ius naturæ dictat distinctionem dominiorum acuere diligentiam cuiusque in defendendis propriis: & ius gentium hoc ipsum confirmat: ius denique positiuum in hoc maximè occupatur, vt quilibet habeat sibi suum dominium. Contra hanc sententiam ista obiiciuntur: 1. Ius naturæ est, quod natura docuit omnia animalia. Natura docuit lupum appetere ouem. Ergo aliena sunt appetenda. 2. Iure naturæ omnia sunt communia: putà aër, aqua, & similia. 3. Paulus 2. *Corinth.8.v.13. & 14.* vult esse æqualitatem. 4. Amicorum omnia sunt communia. 5. Notum est Augustini dictum, quod etiam citatur in decretis: *Tolle iura Imperatorum, & quis audet dicere, Hæc villa mea est?* 6. In primitiua Ecclesia erant omnia communia: vt constat ex actis apostolorum. 7. Plato, Anabaptistæ, & alij naturâ duce viderunt vnitatem & communitatem illam esse secundùm naturam, quæ est summa. Summa verò est illa, quæ se ad omnia extendit. *Respond. ad 1.* Ius naturæ hoc loco sunt notitiæ naturales, quæ sunt decalogus: non autem inclinationes vagabundæ, quales cernuntur in pecudibus. *ad 2.* Ius naturæ est immutabile in iis, quæ sunt præcepti, vt Scotus & Melanchthon loquuntur: non verò in bono vtili & iucundo. Deinde omnia sunt communia iure naturæ quantum ad vsum. Quidam ICti sic respondent, Iure naturali primæuo, quod fuisset in natura integrâ, fuissent omnia communia: non secundario, quod dicitur ius gentium, & huic naturæ lapsæ congruit. Quia enim hîc non sunt pares causæ quærendi & conseruandi, non potest esse communis vsus. *ad 3.* Paulus non stabilit communicationem Platonicam, aut æqualitatẽ Arithmeticam, sed æquabilitatem seu æqualitatem Geometricam, quæ dominari debet in iustitia distributiua. *ad 4.* Amicorum omnia sunt communia, quæ scilicet sua natura sunt communicabilia. *ad 5.* Dictum Augustini cum grano salis est accipiendum: quemadmodum & illud Ciceronis, proprietatem dominiorum esse ortam à populorum victoriis. Sunt enim hæc dicta accipienda de feudis. Vbi obserua, feudum non à fide dici, sed à Germanico *Voit*, vt Melanchthon ait: vel à *feuden*, quod est pascere: vnde *feuden*, id est, villa pascua. Quanquam Bodinus & alij putãt feudum sic dici per literas initiales quasi Fidelis Ero Vnicè Domino Vero Meo. *ad 6.* Omnia erant communia quantum ad χρῆσιν, honestam, non verò quantum ad κτῆσιν. *ad 7.* Plato & Anabaptistæ non defendunt veram vnitatem, quæ requiritur in societate. Ibi enim non requiritur vnitas numeri, sed virtutis & ordinis: æqualitas non Arithmetica, sed Geometrica. Et hæc est summa vnitas in politia.

Partes reip. essentiales?

III. *Partes reip. essentiales sunt materia & forma.*

MAteria est remota, vt regio: & proxima, eáque tum populus, tum res populi. Forma est ordo. Et hæc sunt necessaria ad essentiā reip. Præter hæc autē multa sunt necessaria ad benè esse, siue ad existentiam reip. vti sunt pecuniæ & similia instrumenta virtutis politicæ. Quamuis enim Lycurgus è politiā sustulerit omnem pecuniarum vsum: hoc tamen non accipi debet, nisi de pecunia strictè dicta, quæ sumitur pro impresso auro, argento, & ære. Aliàs si latè accipiatur pecunia pro omni mensura & medio rerum commutandarum, ciuitas non potest esse sine pecunia.

Populus & res populi quid?

IV. *Populus est multitudo vniuersalis hominum, salutis ciuilis causa consociata. Res autem populi est multitudo bonorum publicorum ad societatem populi bene instituendam & conseruandam.*

INter hæc duo cernitur elegantissimus correspondsus. Nam si spectes rem populi, sex valde necessaria ad omnem ciuitatem requiruntur, videlicet alimonia, artificia, arma, opes, sacra, iudicia: quibus respondent agricolæ, artifices, milites, opulenti, sacerdotes, & iudices: quam præclaram partitionem & comparationem acceptam ferunt Sesostri regi Ægyptiorum. Hæc omnia sunt adeò necessaria, vt sine illis ciuitas nullo modo constare possit. Nam sine victu & alimento, quod comparant agricolæ, ciues non viuunt, sine instrumentis, quorum confectio pertinet ad artifices, non exercentur artes: sine armis, quorum vsus spectat ad milites, nec contumaces in ordinem coguntur, nec hostium impetus & iniuria propulsatur: sine vi pecuniæ, quam suppeditare debent opulenti, nec splendor domesticus, nec decus vrbis, nec subsidium rei militaris quæritur: sine sacerdotio nulla religio, sine religione nullus Dei timor, sine timore Dei nulla iusta actio, nullus probè viuendi ordo in ciuitate manet: sine iudicio denique ac iudice tribunalia, leges, & ipsa iustitia silent. Hîc quæri solet, *Cur in hac partitione sacerdotes præferantur principibus*: vbi opus est distinctione. Nam præferendi sunt principes quoad rerum ciuilium iurisdictionem: præferendi autem sacerdotes quoad rerum diuinarum ordinem. Sunt enim principes summi magistratus ciuitatis: Sacerdotes autem sunt legati Dei & primæ veritatis interpretes. Theodosius enim res vrbanas curat, & ita superior est Ambrosio: sed Ambrosius res sacras tractat, & ita superior est Theodosio. Hinc rectè dicitur: *Princeps est supremus vtriusque tabulæ Decalogi custos, sacerdos est supremus interpres.*

V. *De rebus ciuilibus hæc sunt axiomata.*

Quid circa vicos, pagos, & vrbes spectandum?

1. R*Erum ciuilium spectetur sufficientia potiùs, quàm affluentia.* 2. *Pagi & vici in regione reip. passim ita locandi & distribuendi, vt mutua opera & ope sibi subueniant tum vrbes & pagi, tum pagi ac vici inter sese.* Non itaque erunt nimis vicini, neque etiam nimis remoti à se inuicem. 3. *Metropolis sit in medio territorij.* Est enim veluti cor reip. 4. *In priuatis ædificijs forma erit differens, & splendor mediocris.* Illud facit ad ornatum, dummodo caueatur, ne quid habeant exporrectum, vt ne viam aut lucem impediant: istud conducit rei familiari priuatorum, facítque ne ædificia priuata publicis antecellant. 5. *In suburbiis erunt ædificia viliora, & sordidis opificiis idonea: itemque illa, à quibus incendium facilè timetur.* 6. *Situs vrbis, figura, & materia talis eligenda, quæ incendiis resistat.* 7. *Locus talis eligatur vrbi condendæ, qui ciuibus sufficiat, hostem non facilè admittat, idoneus sit exportationi & importationi, non sit nimis laxus aut insalubris.* 8. *Vrbs muris & fossis vtiliter munitur.* Hæc enim non sunt fomenta ignauiæ, sed fortitudinis monumenta, & propugnacula aduersus petulantes incursiones. 9. *Illud territorium est diligendum, quod habet requisita territorij, si non vniuersa & singula, tamen potiora.* Huiusmodi requisita traduntur numero decem à politicis: videlicet num aër salubris: an aquæ sufficientes & salubres: an cibi & potus copia, & medicamentorum commoditas: num incolarum ingenia industria: num commercia frequentia, vel maritima, vel terrestria: num ibi copia nummorum: num locus tutus naturâ, arte, vel vtroque modo: num locus amœnus: num vicini boni: num hæc omnia congruant cum populi moribus & humoribus.

Quid in territorio spectandum?

10. *Nummus sit mensura mensurans in republ.* id est, res talis, quæ in contractibus valore suo cætera demetiatur. Oportet autem in nummo spectare causas & adiuncta. *Causa efficiens est* princeps, qui omnia requisita monetaria præscribere debet. *Finis* nummi est metiri & æstimare cætera bona omnia, mobilia & immobilia. *Materia* est ordinaria vel extraordinaria. Ordinaria & genuina est, quæ sua natura & proportione rebus vbique coæquandis habilis & stabilis esse potest: vti est aurum, argentum, & æs. Solent autem hodie plerisque in locis cudere nummos non ex auro & argento puro puto, sed ære, æquabili portione, permisto: cuius mistionis causa est partim soliditas & durities nummi, partim compensatio impendij fabricationis. Æquabilis verò mistura est, cùm vigesima quarta tantùm pars in marca auri, atque in marca argenti duodecima ex alieno metallo, admiscetur. Materia extraordinaria & impropria est minùs habilis & stabilis: vti est plumbum, corium, vel res similes. Hæc autem nonnisi tempore necessitatis locum habet. *Forma* consistit in valore publico, qui dependet partim à pondere certo; partim à charactere siue signatione, quæ continet nomen, effigiem, insignia, vel symbolum principis; partim à publica & perpetua æstimatione. *Adiuncta nummi* sunt commoditas & ornatus. Ad commoditatem facit rotunditas figuræ, quippe quæ tractabilior & durabilior; & partitio in partes minutiores & minutissimas, vt ad quasuis maximi, medioximi, & minimi pretij merces commutandas valeat. Partes autem illæ sunt perfectiores & vsui populi commodiores, quæ numeris integris, nulla addita fractione constant: cui partitioni conuenienter adhiberi potest numerus sexagenarius, de cuius multiplici & commoda distinctione supra in Mathematicis vidimus. Ad commoditatem nummi etiam faciunt nomen, numerus valorem aperiens, & annus quo percussus est. Ad ornatum facit subtilitas characterum & figuræ. Videris hac de re *Bonitium lib. 1. partit. polit. cap. 18.*

Quæ in nummo spectāda?

VI. *Respublica constare debet variis personarum ordinibus.*

Quibus personis resp. constare debeat?

QVemadmodum nostra hæc corpora pluribus membris, iisque diuersis compinguntur: & sicuti mundus pluribus ac diuersis creaturarum generibus constat: ita necesse est vt respubl. variis hominum generibus constet, si debeat conseruari, & recto, quod dicitur, stare talo. Qua de re *Cicero* præclarè 2. *de republ.* ita disserit: *Vt in fidibus ac tibiis, atque cantu ipso ac vocibus, concentus est quidam tenendus ex distinctis sonis, quem immutatum ac discrepantem aures eruditæ ferre non possunt, isque concentus ex dissimillimarum vocum moderatione concors tamen efficitur & congruens: sic ex summis, & imis, & mediis interiectis ordinibus, vt sonis, moderata ratione ciuitas consensu dissimillimorum coiuit: & quæ harmonia à musicis dicitur in cantu, ea in ciuitate est concordia, arctissimum atque optimum omni in republ. vinculum incolumitatis: quæ sine iustitia nullo pacto esse potest.* Porrò resp. complectitur ciues, vel extraneos. Ciues sunt vel magistratus, vel subditi: & subditi sunt vel nobiles, vel ignobiles. Extranei sunt peregrini. Et ita quidem latè sumitur vocabulum ciuis. Hîc incidunt istæ quæstiones. 1. *Vtrum quò maior atque populosior est ciuitas, eò sit felicior atque tutior?* 2. *Vtrùm quemuis bonum virum certæ reipubl. oportet ciuem esse?* 3. *Quis propriè ciuis dicendus?* 4. *An reges sint tempore naturáque subditis priores, vel contra?* 5. *An peregrini sunt admittendi in rempublicam?* 6. *An Iudæi sint tolerandi in republica?* 7. *An distinctio hominum in nobiles & ignobiles probanda?* Respond. ad 1.

An quò ciuitas populosior, eò felicior?

Pro ratione loci & fertilitate agri, in quo sita est vrbs, conuenit illam esse magis minúsve populosam. Nam quæ vrbes sitæ sunt in locis infœcundis, & talibus, in quæ non facilè aliquid importari potest, eæ si valde populosæ fiant, statim fatiscunt & exhauriuntur. Hinc Aristoteles in politicis vult, certum ciuium numerum definiendum esse, ne nimia populi multitudine vrbs onerata consumatur & exhauriatur. Verùm quod idem Aristoteles 7. *polit. cap.* 16. addit, vbi ciuium numerus supra eum, qui semel definitus erit, excreuerit, curandum esse à magistratu, vt fœminæ faciant abortus, tum scilicet cùm fœtus nondum sunt animati, id est, intra quadragesimum à momento conceptionis diem: id sanè impium est. Semen quippe, vt author est Fernelius, & recta ratio docet, cùm primùm in vterum est proiectum, animatum est & prolificum. Atque hinc est, quòd præstantissimi Theologi & ICti reos homicidij peragunt, qui partum, etiam absque dolo malo, abigunt. *Respond. ad* 2. Quilibet homo, qui cupit, esse vir bonus, in hoc debet vnicè incumbere, vt proximi sui ædificationem procuret. Id autem extra societatem fieri non potest. Etsi enim ingenia theoretica, quæ dicuntur, suis meditationibus & lucubrationibus ritè elaborandis secessum ac solitudinem quærunt: non tamen extra omnem societatem degere possunt. Hinc prophetæ, Christus, & apostoli, exemplaria illa omnis virtutis, excepta persecutione, aut officij obeundi necessitate, certæ ciuitatis membra fuerunt. Horum itaque exemplo vir bonus certæ alicuius reipubl. ciuis esse debet: quamuis non semper vnius & eiusdem reipubl. membrum esse possit. Sæpenumero enim legitima vocatio iubet aliò migrare, & belli necessitas, aut alia calamitas & domum & dominum sæpe mutare cogit. Huius loci est disputatio de contentione vitæ theoreticæ, practicæ, & eremiticæ. *Respond. ad* 3. Ciuis verus & plenus est homo liber, qui ius ciuitatis habet, ita vt domicilium, tribum (seu parœciam) & ius politicorum munerum consequendorum habeat. Hinc deducuntur ista porismata. 1. *Siue aliquis sit ciuis originarius, natus, & indigena, siue ciuis factus; omnino, non autem ex parte; plenus, non autem semiplenus, est ciuis, si omnibus ciuium priuilegiis fruatur.* Ita apud Hebræos plenus ciuis erat, qui ex semine Iacobi natus, aut ex alia gente sese Israëlitis aggregans, ac circumcisus, ius & ingrediendi templi, & publicorum in republ. Israëlis honorum adipiscendorum habebat. Plenus ciuis Atheniensis ex lege Solonis erat, qui publicorum iudiciorum, consiliorum, & magistratuum in

Vtrùm quemuis bonum virū certæ reip. ciuem esse conueniat?

Quis propriè ciuis?

Atheniensi

Atheniensi republ. gerendorum ius habebat. Ciuis plenus Romanus erat homo liber, qui in republ. Romana domicilium, tribum, & publicorum honorum potestatem erat adeptus. 2. *Seruus non est ciuis*: quia seruus habetur pro mortuo aut nullo, quod ad ciuium iura & priuilegia. Intellige hic mancipia, siue seruos strictè dictos, qui Græcis dicuntur δοῦλοι: non famulos, quos Græci dicunt οἰκέτας, qualibus vniuersum Christianorum genus vtitur. Illi enim possunt esse ciues: idque vel plenè, si habeant focum & larem gaudeántque priuilegiis ciuium: vel secundùm quid, quatenus referuntur ad suos heros, & propter illos vno vel altero priuilegio fruuntur. 3. *Ciuis honorarius non est plenus ciuis*: quia non habet domicilium in ciuitate: vt si aliquis in Germania habitans sit ciuis Venetus 4. *Inquilinus non est plenus ciuis*: quia non habet ius publicorum magistratuum adipiscendorum. 5. *Municeps non est plenus ciuis*: quia licet habeat tribum & ius adipiscendorum publicorum honorum in quapiam republ. in eadem tamen domicilium non habet. 6. *Fœminæ decrepitæ, & pueri sunt ciues κατά τι*: videlicet quatenus sunt partes familiarum, ex quibus respubl. componitur: & ex suis prædiis vectigalia conferunt ad onera publica: & denique eas præstant operas, eáque munia, quæ leges ciuitatis à pueris, senibus, & fœminis postulant. Hîc obiter excutiamus illam quorundam politicorum subtilitatem: *An ciuis habeat ius ciuitatis, vel ciuium?* Vsitata sanè ciuis definitio est, quòd habeat ius ciuitatis. Contra hanc definitionem quidam sic insurgunt. Iura ciuitatis communicari non possunt: at iura ciuium sunt communicabilia. Ciuis itaque erit, non qui iure ac communitate ciuitatis, sed ciuium fruitur. Conciliatio hîc teneatur ista. Prior definitio est popularis: posterior accurata *Respond. ad* 4.

An reges priores subditis?

Si principum & subditorum ratio formalis, quæ consistat in relatione, spectetur, sunt simul. Verùm si considerentur materialiter, id est si res ipsa spectetur, reges à subditis creati sunt, ac proinde subditi regibus sunt tempore naturáque priores. Vnde non regum causa subditos nasci, sed reges commodis subditorum inseruire debere manifestum euadit. Nulla profectò respubl. vnquam fundata fuit, nisi vltrò citróque priùs habito initóque contractu: ita vt consensus subditorum eliciens consensum principis, proxima & immediata sit respubl. causa. Hinc Platonis prouerbium: *Reges ex agricolis nati.* Hîc etiam quæri solet, *vtrum sit prius, regere an regi?* Respond. Regere & regi sunt relata disquiparantiæ: ac proinde τὸ regere, tanquam actio, prius est, quàm τὸ regi, vtpote quod passionem notat. Nimirum subditi vltrò submittunt se principi, id est, faciunt seipsos, vt ita dicam, regibiles. Princeps ipso actu illos regit Itaque *Magistratus est subditis naturâ prior & posterior*: Prior est, quatenus regit. Manet enim illud logicorum: Agere prius est, quàm pati. Posterior est, quatenus à populo constitutus est. Populus omnem suam potestatem contulit in principem: quod accipiendum est cumulatiuè, non priuatiuè. Etenim suffragio creatos esse primos reges, qui tyrannidem non exercuerunt, in propatulo est. Nam naturâ duce inferiores ad superiorem aliquem decurrerunt, qui esset insignis æquitatis, iustitiæ, & prudentiæ laude, illúmque certis legibus, certísque conditionibus sibi præfecerunt regem. Reges igitur à subditis, non autem subditos à regibus creatos esse, in aprico est: Vnde porrò consequitur, hypothesin Machiauellistarum falsam esse, subditos simpliciter esse propter principem, non contra; & subditos natos esse ex semine principum, atque idcirco principum esse mancipia. Huius hypotheseos confirmationem petunt ex sacris, quòd Adam fuerit prior tota sua familia. Sed hîc confunduntur diuersissima dominatus genera, imperium videl. domesticum, & ciuile: quasi sit vtrumque eiusdem speciei: quod voluit Plato, quem Aristoteles grauiter confutat, quia domesticum imperium simpliciter naturâ est conciliatum, politicum verò hominum suffragio. *Resp. ad* 5.

An peregrini sint admittendi in rep.

De peregrinis admittendis præclara est vox *Ciceronis* 3. *offic. Malè etiam, inquit, qui peregrinos vrbibus vti prohibent, eósque exterminant, vt Petronius apud Patres nostros, Papius nuper. Nam esse pro ciue, qui ciuis non sit, rectum est non licere; quam tulerunt legem sapientissimi Coss. Crassus & Scæuola: vsu verò vrbis peregrinos prohibere, sanè inhumanum est.* Ex quibus verbis apparet, peregrinos vsu vrbis non esse prohibendos. Sed vlteriùs quæritur, an peregrini sint cooptandi in numerum ciuium, itémque admittendi ad honores? Nobis ita videtur. Omnes promiscuè peregrinos admittere, temerarium est, nullos, inhumanum, addo & inutile. Medium itaque hîc seruetur. Saluo enim & incolumi reipubl. statu legibúsque, quas vocant, fundamentalibus, recipiendi sunt peregrini & donandi ciuitate, atque si necessitas exigat, admittendi ad honores. Sed non recipiendi sunt quiuis: sed illi, quorum de voluntate ac meritis constat. Neque tam multi admittendi, vt gradus honorum ciuibus obstruantur. Et denique ciues præferendi sunt peregrinis in collatione honorum, cæteris paribus. Oportet enim hîc principaliter spectare germanissimum fundamentum officij, quod est virtus. Quòd si huiuscemodi fiat temperamentum: peregrinorum virtus indigenarum prauos mores emendabit, & indigenarum æmulatio peregrinis erit instar cotis.

Videmus in republ. Romana, L. Cornelium Balbum Gaditanum, fuisse consulem. In imperio Trajanus successit Neroni, tametsi Hispanus. In Galliis, ex instituto Philippi Pulchri, alienigenæ ciuibus fuerunt præfecti: ne si ciues ciuibus præessent, gratia deprauati, cognatorum & amicorum commodum officio ac fidei suæ anteferrent, vel veteri odio in eos sæuirent. Confer *Gregor. in polit. pag.* 162. Neque verò est, quòd quis dicat peregrinos in eodem amore complecti rempubl. quo illam complectuntur indigenæ, qui charitatem patriæ velut cum materno lacte suxerunt. Quemadmodum enim si ramus ramum adoptet, ille ipse ramus postea in iustæ magnitudinis arborem excrescit, qui in sua arbore nil nisi ramus futurus fuisset: sic peregrini in aliam quasi terram translati, naturam & amorem germanæ patriæ exuunt, & nouæ patriæ charitatem induunt. Exemplo sint Hispani & Galli, qui Romana ciuitate donati, amore in Romam Romanis non cesserunt, vt docet *Tacitus lib.* 11. Idcircò sicut merces peregrinæ, si sint vtiles, non reiiciuntur: ita nec peregrini ab honoribus arcendi, si reipubl. vtiles futuri videantur. Hîc tamen prouidendum sedulò, vt peregrini peregrinitatem exuant. *Respond. ad* 6.

An Iudæi tolerandi in rep.

Iudæos in republ. Christiana tolerandos esse asserit *Augustinus lib* 4. *&* 18. *de ciuit. Dei* & recentiores theologi atque politici. Nam non omnes Iudæi sunt desperatæ salutis: sed habent promissionem *Esai.* 59. *Rom.* 11. Habent nobiscum communes libros V. T. quorum illi fidi fuerunt bibliothecarij. Sunt illustre exemplum iræ Dei, in quod intuentes, contemtum verbi Dei vitare discamus. Præterea trahunt originem ex sanctis patriarchis & populo illo, cui Deus sua concredidit eloquia. His adde quod *Camerarius in meditat. histor.* habet: Si Iudæi nullum apud Christianos hospitium reperiant, cateruatim ad Turcas confluent: sicut quidem, inquit, fama est olim ad centum millia Iudæorum ad Turcas migrasse, & tum alia artificia, tum perfectiorem machinarum bellicarum vsum eos docuisse, incredibili Reipubl. Christianæ damno. Et addit, Turcicum Imperatorem dicere solitum, se mirari Christianorum regum stoliditatem, quòd tantam multitudinem potiùs in propriam perniciem expellere, quàm ad suum emolumentum retinere maluerint: quos si interficere noluissent, mancipiorum loco retinere potuissent. Hîc verò Christiano magistratui prouidendum, ne Iudæi in synagogis suis Christum maledictis insectentur: ne Christianos diuexent vsuris: ne simpliciores Christianos seducant: vt denique frequentet cœtus Christianos. Qua in re hodie magistratus sub deest officio. Nam Iudæi magistratui ferè sunt loco spongiarum, quas Christianorum sanguine veluti humore turgidas ille comprimit atque emungit: vt eleganter ait *Daniel Arcularius in thesib. theol.* Impietas etiam & petulantia Iudæorum non coërcetur. Illi enim Christum vocant *Talui*, id est, suspensum: poculum Eucharistiæ כלב *Kelef*, id est, Canis, vt alludant ad Germanicum *Kelch*: sæpè obuios Christianos excipiunt hac formulâ *Schet* vel *Schet Vuilkom*, quæ voces significant diabolum & podicem: ex alphabeto nostro scopticè dicunt *el em en*, id est, Deus matrem non habet: si audiant dari signum campanæ, exclamant, *bechebel moschech jibbol bechosech*, id est, qui trahit funem, cadat in tenebras. Videris hac de re *Antonium Margaritam & Synagogam Iudaicam Buxtorfij.* *Respond. ad* 7.

An distinctio ciuium in nobiles & ignobiles probata?

Nobilitas familiæ consideratur quantum ad originem & progressum. Ipsius origo est virtus, imprimis militaris. Hæc itaque cùm nitatur optimo fundamento, magni est facienda. Quod ad progressum attinet, nobilitas familiæ requirit nobilitatem personæ, vt ita familia personam, & vicissim persona familiam nobilitet. Alioqui, si qui gente sint nobiles, factis verò ignobiles, optimo iure ij, qui doctrina & virtute sunt nobiles, præferuntur illis, qui tantùm nobiles dicuntur ratione generationis. Vide *Bodinum lib.* 3. *de rep. cap.* 8. *pag.* 564. Si verò nobilis genere imitetur virtutem paternam, meritò præfertur illi, qui vel recens nobilitatem acquisiuit, vel doctrinâ & virtute tantùm est nobilis.

VII. *Causa efficiens Reipublicæ est prima vel secunda.*

Causa efficiens reipublicæ.

Causa efficiens prima est Deus: secunda est principalis, vel minùs principalis. Principalis est consensus mutuus & obligatio: minùs principalis est vel impulsiua, puta natura, vtilitas, & necessitas: vel exemplaris, vid. Resp. mundana & Christiana, hoc est, mundus & Ecclesia. Atque hîc etiam de causa corrumpente præcipiendum. De his causis tenenda est regula Logicorum: *Vnius effecti multæ sunt causæ diuersi ordinis: & illarum vna non excludit aliam, sed singulæ in efficiendo vnicè conspirant.* Hæc enim est vis subordinationis. Malè igitur sic infertur: Respond. immediatè pendet à mutuo pacto & consensu hominum. Ergo non à naturâ: vel vice versa.

VIII. *Deus est author Reip. ratione originis & authoritatis siue maiestatis.*

Deus quomodo author reipublicæ?

Ratione originis: quia ipse dat reges, transfert & stabilit regna, tanquam vnicus & à seipso Dominus, & monarcha abso-

P 3

abſolutiſſimus. *Ratione authoritatis*: quia idem armat rectores populi maieſtate.

Proxima reip. cauſa.

IX. *Conſenſus mutuus ſiue obligatio eſt proxima cauſa reip.*

ORitur autem hic conſenſus præcipuè ex diuerſitate virtutis. Dum enim homines cogitant illud:

Omnia non omni dat ſua dona Deus:

cogitant de politiâ, in qua ſint diſtincta officia. Hîc incidit quæſtio, *An ſit eadem virtus parentis & imperantis?* Reſp. Eſt eadem virtus ſpecie in parente & imperante, ſi ſpectetur homo itémque virtus abſolutè: ſed non eſt eadem, ſi conſideretur homo itémque virtus reſpectiuè, videlicet ratione officij. e.g. Iuſtitia abſolutè ſumta efficit principem bonum, vt eſt homo, & ſimiliter ſubditum bonum, vti eſt homo: ſed reſpectiue conſiderata efficit principem bonum in præſcribendo, & ſubditum in ſubſcribendo. Huc pertinet regula: *Ius naturæ quoad radicem ſuam omnes obligat eodem modo: ſed rami eius obligant homines ratione variorum officiorum.* Cæterùm ſi conſenſus ille mutuus eſt immediata Reip. cauſa, conſequitur, Bodinum grauiter errare, qui ſtatuit vim & cupiditatem imperandi eſſe cauſam efficientem Reipub. quod probat exemplo Nimrodi, qui *Gen.* 10. *v.* 8. 9. dicitur robuſtus venator: quo nomine dicit, in Scripturâ ſignificari prædonem ſiue latronem. Sed Bodinus confundit hîc Rempub. cum imperio, quo illa adminiſtratur. Nam imperij cauſa efficiens poteſt eſſe vis & cupiditas imperandi. Sic Nimrod non fuit primus author Reip. ſed fuit primus author imperij tyrannici. Ante Nimrodum fuit imperium politicum: ſed ille cœpit ſupra vſitatum morem emergere, & imperium politicum ſiue ciuile (quod proximè accedit ad imperium patrium, & includit timorem filialem excluſa omni coactione) commutauit in deſpoticum ſiue herile, quod includit timorem ſeruilem & degenerat in tyrannicum.

An eadẽ ſit virtus parentis & imperantis?

Naturalis affectus impellit ad amorẽ politiæ?

X. *Naturalis affectus impellit homines ad condendam & colendam politiam dupliciter.*

1. RAtione honeſtatis, quam homo appetit duce naturâ, non exorbitante. 2. Ratione indigentiæ & expedientiæ, quatenus natura eſt ſua ipſius medica in rebus naturalibus. Ita videmus, vrbem eſſe conditam vt eſſet præſidium & arx aduerſus omnis generis iniurias, *Gen.* 4. *v.* 17. Et hoc eſt quod politici dicunt, vtilitatis in hominum cœtibus & adiuuandis & conſeruandis magnam eſſe vim, adeò quidem, vt illa ſublata non fieri, vel certè non diu perdurare poſſit politia.

Reip. cauſa exemplaris quæ?

XI. *Optima eſt reſp. ciuilis quæ ad remp. mundanam & Chriſtianam quam proximè accedit.*

HÆc enim eſt duplex cauſa exemplaris ſiue imago, ad cuius imitationem omnes omnium temporum pij & ſapientes politici reſpexerunt. Non igitur reſp. Romana, Attica, vel Spartana vel ſimilis poteſt eſſe exemplar reip. primarium, ſed duntaxat ſecundarium. Cæterùm imitatio exemplaris primarij conſiſtit in tribus. *Primò* in ſimilitudine imperantis & ſubditorum. Nam in rep. mundana (quæ Ciceroni dicitur reſp. magna & verè publica, & Chryſoſtomo communis ciuitas) Deus creator & creaturæ: in Chriſtiana Deus redemptor & homines electi: in ciuili princeps & ſubditi conſiderantur vt relata. *Deinde* in ſimilitudine vnionis. Nam in rep. mundana creator & creatura iure creationis: in Chriſtiana Chriſtus & Chriſtiani iure redemptionis: in ciuili princeps & ſubditi iure mutuæ obligationis vniuntur. *Denique* in ſimilitudine communionis. Nam in rep. mundana creator cum creaturâ, & creaturæ ſecum ipſis: In Chriſtiana Chriſtus cum electis, & electi ſecum ipſis ratione Eccleſiæ triumphantis & militantis: in ciuili princeps cum ſubditis, & hi ſecum ipſis omnia communicant, ſaluis tamen indiuiſis, id eſt, proprietatibus ſingulorum. Ex triplici hac comparatione trium iſtarum rerump. deducta ſunt ſex iſta principia, quæ ſunt veluti lumina & columina ipſarum I. *Seruator ordo proportionis geometricæ.* II. *Quiſque ſuum officium facito.* III. *Bonum commune omnes quærunto.* IV. *Vacuum nullum admittitor.* V. *Omne violentum procul abeſto.* VI. *Omnes actiones ſunto circulares & lineares.* Circulares, id eſt, à fine incipiunto, & in eodem deſinunto: Lineares, i.e. fiant ſecundùm lineam rectam, adeóque compendiosè. His principiis è diametro opponuntur principia reip. ſiue ciuitatis Diaboli, quæ eſt cauſa exemplaris reip. malè conſtitutæ. Hîc quæritur, *An politia Moſaica poſſit eſſe exemplar reip. nunc temporis?* Reſp. Leges iſtius politiæ fuerunt vel perpetuæ, vel temporales, vel mixtæ. Illæ fuerunt morales, & redactæ ſunt in compendium excellentiſſ. videl. decalogum, cuius commentarius occurrit in libris Moſaicis & Propheticis. Et hæ neceſſariò ſunt obſeruandæ ſemper & vbique, habita tamen ratione circumſtantiarum. Iſtæ ſunt ceremoniales, & ſunt antiquatæ iuxta regulam: *Ceremoniæ Moſaicæ nunc ſunt mortuæ, & ſi reuocètur ſunt mortiferæ.* Hæ denique ſunt forenſes; quæ ſunt perpetuæ, quatenus præcipiunt de gubernatione politica: ſed temporales ſunt quatenus agunt de gubernatione reſpiciente talem politiam, id eſt, Iudaicam, iuxta regulam: *Quæ ſunt iuris communis in legibus forenſibus, ſunt perpetua; quæ verò ſunt iuris particularis, certam reſpiciunt politiam*: Item, *Lex æterna eſt, cuius ratio eſt æterna.*

An politia Moſaica poſſit eſſe exẽplar reipublicæ?

XII. *Conſtitutio magiſtratus diuina fit Dei vocatione, ſiue illa ſit mediata, ſiue immediata.*

Conſtitutio magiſtratus diuina duplex?

HVius conſtitutionis illuſtria exempla ſunt Ioſephus prorex Ægypti, Moſes cancellarius ille Dei, & dux primus populi Dei, Dauid rex, & Daniel admiſſionalis maximus Nebucadnezaris. Omnem verò magiſtratum à Deo conſtitui, patet ex *Deut.* 18. *Dan.* 2. 4. 8. & 11. & *ad Rom.* 13. Hîc duo obiiciuntur 1. Deus *Hoſea* 8. ait, quòd Iſraëlitæ ipſi conſtituerint regem, at non ex ipſo confer cum *cap.* 13. *v.* 11. 2. Nimrod, Turca, & alij tyranni per vim ſibi vendicarunt Imperia. Reſpond. ad 1. Iſraëlitæ à Deo poſtularunt regem, 1. *S. m.* 8. vbi diſtinguere oportet poſtulatum à modo poſtulati. Poſtulatum fuit bonum, modus poſtulati malus. In hoc enim modo tria concurrunt peccata, videl. temeritas, qua præuenerunt Deum, ipſius authoritate non expectata: tum diffidentia, quòd fiduciam in rege terreno collocauerunt: tum denique ingratitudo aduerſus Samuelem. Ad 2. Diſtinguendum eſt inter regnum ſiue poteſtatem quæ à Deo eſt, & inter eius acquiſitionem, vſurpationem, & adminiſtrationem, quæ ſi mala ſit, eſt à Diabolo & praua hominis voluntate, quatenus quidem eſt peccatum. Aliàs etiam eſt à Deo, quatenus eſt pœna peccati.

Conſtitutio magiſtratus humana duplex?

XIII. *Humana magiſtratus conſtitutio eſt ordinaria, vel extraordinaria.*

ORdinaria eſt ſimplex ſiue pura: vel mixta ſiue compoſita. Simplex eſt electiua, vel ſucceſſiua. Mixta eſt partim ſucceſſiua, partim electiua. Extraordinaria eſt vel bellica, quæ fit iure belli; vel pactitia, quæ fit iure contractus.

Pactio reipub. quid?

XIV. *Pactio Reip. eſt conuentio ſeu obligatio mutua inter magiſtratum ſummum & populum, quem repræſentant proceres ſiue Ephori.*

ITa princeps iurat, ſe patriam defenſurum, & iuſtitiam adminiſtraturum: & populus viciſſim præſtat homagium, quod etiam panagium dicitur, & iuramentum fidelitatis ſiue ſubiectionis.

An electio vel ſucceſſio Principis melior? 1. 2.

XV. *Electio ſimplex eſt dignior ſucceſſione, quatenus eſt prima cauſa imperij, atque ita etiam ſucceſſionis.*

NVlla enim poteſt eſſe ſucceſſio, niſi primò aliquis eligatur, in cuius locum poſtea aliquis ſuccedere poſſit.

XVI. *Succeſſio mixta in regno iam conſtituto eſt dignior electione: quæ ſcil. præter ius naturale ſanguinis conſenſum populi requirit.*

HÆc eſt omni electione eò melior quò certior, eò tutior quò multorum ſapientiâ & conſilio efficacior redditur. Succeſſio autem ſimplex, quæ ſine vlla ſuffragatione populi fit, admodum eſt periculoſa. Cæterùm pro ſucceſſione compoſitâ facit primò natura, quæ certum regni hæredem quaſi digito demonſtrans facem ſeditionis extinguit: ſecundò experientia: tertiò vtilitas regis, ſucceſſoris, & reip. Nam & rex, cognito hærede filio, maiorem reip. curam gerit: & ſucceſſor adit Imperium expectatum, minùs etiam premit ſubditos: & reſp. naturali inſtinctu magis inſito quàm aſſumpto regi obtemperare cupit. Lex diuina quoque, qua Deus voluit vt Iſraëlitæ haberent reges hæreditarios, hunc conſtituendi principis modum probat. Interim tamen electio poteſt eſſe eligibilior propter certas circumſtantias: ita vt quælibet gens ſequi in hoc debeat, quod eſt ex vſu ipſius. Cæterùm in electionis & ſucceſſionis contentione ſeu comparatione oportet obſeruare diſtinctionem inter bonum præſtabile & eligibile: quia nunc electio, nunc ſucceſſio propter circumſtantias loci & nationis eſt eligibilior.

Forma electionis magiſtratus?

XVII. *Forma electionis magiſtratus conſiſtit in conuocatione comitiorum.*

VBi requiritur libertas ſuffragiorum, quæ omnino omnibus iure eligendi armatis concedenda. Tales autem ſunt optimates regni, & quibuſdam in locis totus populus. Satius tamen eſt, vt optimates gaudeant hoc iure, ob id videl. quia optimates ſunt, & repræſentant vniuerſum populum. Hinc reſp. diſtinguitur in collectiuam & repræſentatiuam. Ibi ſunt omnes & ſinguli ciues quoad indiuidua: hîc ſunt omnes & ſinguli ciues quoad poteſtatem, quam paucis quibuſdam conceſſerunt.

XVIII. *In*

An vota ſint numeranda in electione magiſtratus?

X V I I I. *In electione magiſtratus vota ſiue ſuffragia ſunt optima quæ numerantur & ponderantur.*

ITa enim fit, vt pluralitas votorum ſit rationabilis.

An electio magiſtratus committenda ſorti?

X I X. *Si electio magiſtratus ratione definiri poteſt, non eſt committenda ſorti.*

MAgiſtratus enim eſt Atlas reip. Ipſius ergo electio eſt veluti clauis reip. ac proinde ſortitio hîc non facilè admittenda. Si verò plures competitores æquè digni magiſtratum ambiant, quorum vngues reſp.formidat,tutius eſt ſorte, quam voce eligere. Hic enim legitimus eſt vſus ſortis, dirimere controuerſias, quæ aliter dirimi non poſſunt. Et hic eſt vſus politicus. Diuinus ſortium vſus, vtpote extraordinarius ceſſat ſine ſpeciali Dei mandato. Sortes verò manticæ, quæ à ſortilegis adhibentur, vt per eas futura cognoſcantur, tanquam impiæ exploduntur.

An liceat emere magiſtratus?

X X. *Magiſtratum emere non licet.*

HÆc enim eſt intruſio,non electio. Et cùm magiſtratus ſit publicum bonum, quod virtuti ſoli debetur,immane eſt ſcelus,magiſtratum emere ac vendere, atq; ita remp.veluti ad haſtam figere. Ideò leges ciuiles damnant crimen ambitus, & nundinationes magiſtratuum.Hinc Seuerus Imperator ſeuerè hoc cacoëthes prohibuit,addens hanc rationem: *Neceſſe eſt vt qui emit,vendat.* Et rectè dicitur: *Verres & Antonius rempubl. venalem & ſordidam faciunt.* Grauiter igitur lapſi ſunt Carthaginenſes, apud quos glorioſum erat, magiſtratum emere.

An perſonis eccleſiaſticis committi poſſit magiſtratus politicus?

X X I. *Perſonæ eccleſiaſticæ non ſunt admittendæ ad magiſtratum ciuilem.*

RAtio eſt,quia ille,qui rerum ciuilium curis eſt implicatus, lucem amittit diuinitatis.Hinc dici ſolet: Sacerdos tenet gladium mentis, non Martis. Ideò percutit peccatores gladio verbi,non verberis.Sed hîc obiicitur primo quòd Melchiſedec fuerit ſacerdos & rex, Eli ſacerdos & iudex, vt & Samuel, Daniel propheta & præfectus prætorio Maccabæi ſacerdotes & duces:ſecundò, quòd vbique ferè gentium hoc metaphyſicum hominum genus ad tribunalia & officia politica adhibeatur. *Reſp. ad* 1. Extraordinaria malè trahuntur in conſequentiam. Sanè ſi inter ſacerdotes ſint Danieles, poſſunt præfecturam in prouinciis tenere;ſi ſint Maccabæi, poſſunt hoſtes Dei capitales ferire. *Reſp. ad* 2. Perſonæ eccleſiaſticæ ſpeciali priuilegio vnâ cum aliis ſedere poſſunt in theatris reip.vt oculatiſſimè attendant, ne ciuitas humana à ciuitate Dei, nec gladius politicus à gladio verbi Dei declinet.Sed hæc ipſis dantur ex priuilegio,non debentur ex officio Ideò tum tractare debent iſta politica non dextrâ, ſed ſiniſtrâ manu. Porro controuerſiæ ſunt puræ, vel mixtæ. Illæ ſunt vel theologicæ, vel politicæ: hæ ſunt theologico-politicæ: atque in his decidendis nemo non videt rectè adhiberi theologos & politicos ſimul.Verùm curia Romana iam olim inuexit Καισαροπαπίαν nocentiſſimam,& turpiſſimè confudit forum conſcientiæ cum foro politico.

In electione magiſtratus quæ iam ſpectanda?

X X I I. *In eligendo magiſtratu quædam principaliter, quædam minùs principaliter ſunt ſpectanda.*

PRincipaliter quidem ſexus & bona animi,videl.virtus,eruditio,& eloquentia:minùs principaliter bona corporis, vti ſunt ætas,corporis ſtatura,& formæ præſtantia:itémque bona fortunæ, vt patria, genus, & opes, conſideranda ſunt.

Virtus exemplaris in magiſtratu ſpectāda?

X X I I I. *Virtus exemplaris in magiſtratu eligendo ſpectetur, h. e. eminens.*

NAm magiſtratuum vitiis tota inficitur ciuitas: eóque de rep.pernicioſiùs merentur vitioſi magiſtratus, quòd non ſolùm ipſi vitia concipiunt, ſed etiam ea in ciuitatem infundunt: nec tantùm obſunt quòd ipſi corrumpuntur, ſed etiam quòd corrumpunt: plúſque exemplo, quàm peccato nocent. Ideo Romanorum lex erat: *Hic ordo vitiis careto,& cæteris ſpecimen eſto.* Tametſi verò in magiſtratu omnes ineſſe debent virtutes,inprimis tamen ſequentes: 1. Pietas. Hinc Plato: Præcipua pars magiſtratus religio eſt. 2. Iuſtitia. Magiſtratus enim debet eſſe ius animatum, & lex loquens. 3. Prudentia. Debet enim magiſtratus eſſe oculus ciuitatis: qui, ſi glaucomo, gramiam, vel ſimile patiatur malum, totum corpus obſcuratur, & velut eclipſin patitur. 4. Fortitudo. Sapientia enim ſine armis tuta eſſe nequit. Hinc Polybius ait: *Duo ſunt, quibus reſp rectè gubernatur, domi concordia, foris fortitudo.* 5. Temperantia. Voluptas enim corrumpit virtutis indolem, labefactat ingenium, & conſilium eripit. 6. Modeſtia. 7. Clementia, ſed temperata ſeueritate, vt Sol nube. Hinc illud Senecæ: *Qui vult amari, languida regnet manu.* Et malum eſt eum imperare, ſub quo nemini quicquam licet, ſed peius ſub quo omnia licent. Hæ ſeptem virtutes eleganter conferuntur cum ſeptem planetis. Sicut enim planetæ regunt mundum ſublunarem: ita ſeptem iſtæ virtutes ſphæram ciuitatis. Pietas igitur hîc eſt Sol; iuſtitia Saturnus;prudentia Iupiter; fortitudo Mars; temperantia Venus; modeſtia Mercurius; clementia Luna.

In magiſtratu requiritur 1. Pietas.

X X I V. *Pietas,i.e.rectus de Deo ſenſus,& rectus in eum cultus, magiſtratum facit verendum & felicem.*

NAm & ſubditi colunt principem,qui Deum colit. Et qui Deum colit, fit Deus, iuxta illud Auguſtini: *Pietate & iuſtitia principes dij fiunt.* Ideo Numa Pompilius & Scipio Africanus nunquam ad negotia publica vel priuata ibant, quin in templorum cellis commorati aliquantiſper eſſent.

2. Iuſtitia vniuerſalis.

X X V. *Magiſtratus ſtudeat iuſtitiæ vniuerſali & particulari.*

VNiuerſali: vt iuxta leges regat mores ſubditorum vti fecerunt Auguſtus, Conſtantinus,& Iuſtinianus. Particulari, tum commutatiuæ in contractibus, tum diſtributiuæ in præmiis & pœnis.

3. Prudentia.

X X V I *Prudentia magiſtratus conſiſtit in tribus.*

1. VT numeris ſui dignitatem & grauitatem perpendat, & ita ſtatuat, nullum animal moroſius eſſe homine,maioremque requirere artem; ſe verò eſſe ſpiritum vitalem, quem multa millia trahant,nihil ipſa futura niſi onus ac præda,ſi ſpiritus ille ac mens imperij ſubtrahatur: ſe denique eſſe ſeruum ſeruorum. 2. Vt inſtar Iani præterita cum præſentibus comparet, & futura proſpiciat tanquam ex ſpecula 3. Vt circumſtantias perpendat, & imprimis ingenium ac genium populi ſui pernoſcat. Hîc quæri ſolet, *An calliditas in magiſtratu ſit tolerabilior, quàm nimia ſimplicitas?* Reſp. Tametſi vtraque abſolutè vitium eſt: tamen non comparatione meliùs eſt,magiſtratum eſſe callidum, quàm nimis ſimplicem. Nimia enim ſimplicitas ex homine facit truncum. Interim tamen non eſt probanda calliditas Machiauelli, qui ſuadet vt princeps ſubditos verſet inſtar molæ truſatilis,quò vult,& fallaciis & fraudibus circumueniat.

4. Fortitudo.

X X V I I. *Fortitudo magiſtratus cernitur in hiſce quatuor.*

SI ſit labor in negotio,magnanimitas in periculo, induſtria in agendo, celeritas in conficiendo, vt in Alexandro Magno à Cæſare videre licet.

5. Temperantia.

X X V I I I. *Temperantia maximum eſt magiſtratus ornamentum, & imperij firmamentum.*

NOn enim attingunt remp. qui cupiditatum ſeſe lenociniis dedunt. Et verò cùm magiſtratus non ſolùm animis,verùm etiam oculis ciuium ſeruire debeat, nemo non videt,hanc virtutem imprimis in Principe requiri: quo nomine Solon tulit legem vt ebrius magiſtratus impunè occideretur. Nam cæteris dignè non imperabit, ſibi imperare qui neſcit. Ideo Seneca ait, nemo ab aliis contemnitur, niſi à ſe ante qui contemtus eſt.

6. Modeſtia.


X X I X. *Modeſtia in magiſtratu temperat ſemper ſermonem, & cultum.*

HÆc admodum eſt difficilis. Nam in alto poſitum non alta ſapere, arduum eſt. Vnde Saluſtius dixit: Superbia commune nobilitatis malum.Cogitet autem magiſtratus non minùs hominem ſe,quàm hominibus præeſſe,magnáſque arbores diu creſcere, at vna hora extirpari.

6. Clementia.

X X X. *Clementia eſt virtus maximè propria principis.*


ESt enim cuſtos diuturnitatis imperiorum: ſi nempe temperetur ſeueritate. Hinc Plutarchus: Nulla ſuauior, concinnior, aut vtilior harmonia, quàm ſeueritas cum humanitate coniuncta. Huius Clementiæ comes eſt liberalitas; qua magiſtratus ſibi maximè deuincit populum: ideóque dos in magiſtratu potiſſima meritò habetur. Hinc cùm Aurelianus imperator ex conſiliariis ſuis quæreret, quo pacto reſp. feliciter adminiſtrari poſſit,hoc tulit reſponſum: Ferro & auro. Ferrò contra hoſtes, auro apud ciues. Errat igitur Machiauellus, qui ſtatuit inclementiam, ſæuitiam, & crudelitatem principi interdum eſſe adhibendam, tutiúſque eſſe principem à ſubditis metui,quàm amari: & denique liberalitatem eſſe noxiam, quippe quæ ſeipſam conſumat vti flamma.Pertinet huc pictura boni & mali principis: quam ob ſingularem elegantiam hoc loco inſeram.




ELIÆ REVSNERI LEORINI

SPECVLVM BONI PRINCIPIS EX NITIDISSIMO PRVDENTIÆ AVRO


conflatum, lucidissimisque Virtutum gemmis variegatum.




Primus Dearum Chorus, & bellum internecinum cum furiali ἀδικίᾳ.



Secundus Dearum chorus, & de duobus monstris victoria.




Tertius Dearum Chorus & pugna cum variis monstris.




Quartus

Quartus Dearum chorus, prudentiæ ſimulacrum oculis quodammodo ſubiiciens.



Quintus Dearum Chorus, Principis boni, omnibúſque numeris abſoluti effigiem repræſentans.



BONI PRINCIPIS IMAGO.

Ex Eraſmo Roterodamo.

BONVM PRINCIPEM ſi pingere velis; delinees cœleſte quoddam animal; numini quàm homini ſimilius: omnibus virtutum numeris abſolutum: omnium bono datum: imò à ſuperis datum ſubleuandis rebus mortalium: quod oculatiſſimum proſpiciat omnibus, conſulat omnibus: cui nihil ſit antiquius, nihil dulcius Reipublicâ: cui plus quàm paternus ſit in omnes animus: cui ſingulorum vita charior ſit ſuâ: quod dies & noctes nihil aliud agat nitatúrque, quàm vt optimè ſit omnibus: apud quem præmia parata ſint bonis omnibus: malis venia, ſi modò ſeſe ad frugem meliorem referant: quod adeò gratis cupiat de ciuibus ſuis bene mereri; vt, ſi neceſſe ſit, non dubitet ſuo periculo illorum incolumitati conſulere, quod patriæ commodum ſuum ducat eſſe lucrum: quod ſemper vigilet, vt cæteris liceat altum dormire: quod ſibi nullum relinquat otium, quò patriæ liceat in otio vitam agere: quod ſe iugibus curis diſcruciet, quò ciuibus ſuppetat tranquillitas: denique à cuius virtute publica pendet felicitas.

MALI

MALI PRINCIPIS IMAGO.

MAlum Principem oculis subiecturus, pinges immanem quandam ac tetram belluam, è dracone, lupo, leone, vipera, vrso, similibúsque conflatam portentis: vndique sexcentis armatam oculis: vndique dentatam: vndique metuendam aduncis vnguibus: ventre insatiabili: humanis saginatam visceribus: hnmano sanguine temulentam: quæ peruigil, omnium fortunis vitæque immineat: infensam omnibus, sed præcipuè bonis: fatale quoddam totius orbis malum: quam execrentur & oderint vniuersi, qui bene velint Reipublicæ: quæ nec ferri possit ob immanitatem: nec tolli sine magnâ orbis ruinâ, ob armatam præsidiis & opibus malitiam.

Qualis eruditio requirēda in magistratu?

XXXI. *Eruditio in magistratu requiritur modica.*

ERuditio quidem requiritur; quia est ingens adiumentum & ornamentum fascium. Hinc Romani, cùm Imperator Tacitus eligeretur, acclamarunt: Quis meliùs, quàm litteratus imperat? Modica verò hæc erit eruditio; quia princeps non erit doctor in scholâ vel ecclesiâ, sed pastor populorum. Modica autem erit, si princeps discat ea, quæ necessaria sunt ad clauum reip. tractandum.

Qualis eloquentia requiratur in magistratu?

XXXII. *Eloquentia in magistratu requiritur non Asiatica, sed Attica, vel Laconica.*

ELoquentia quidem; quia hoc modo populus potest meliùs tractari, & in officio contineri. Ducitur enim auribus, i.e. diserta ratione auribus percepta. Attica verò; quia hæc veritatem ac iustitiam defendit, hominum tenet cœtus, & mentes in officio continet, cùm Asiatica noceat.

An senes apti ad magistratū capessendum?

XXXIII. *Senibus idoneis tutissimè committitur respublica.*

ILli enim tertium habent oculum, videl. experientiam. Hinc Plato sanxit, ne quis magistratum gereret, qui pauciores quàm 50. annos haberet. Leges quoque ciuiles ad administrandam remp. neminem admittunt ante 25. annum. Sed quia multi sunt ætate quidem iuuenes, virtute autem aliísque donis senes, etiam illis committi potest magistratus. Semper tamen senes iuuenibus præferendi, cæteris paribus

Corporis ratio an spectanda in magistratu?

XXXIV. *Corporis proceritas ac forma dignitas spectari debet in magistratu, sed non sola.*

RAtio primi est; quia pulchritudo corporis est epistola commendatoria. Ratio secundi est; quia pulchritudo corporis sine pulchritudine animi est tegmen vitiorū. Ideo Socrates deformis corpore, præferēdus est Absolomo formosissimo.

Prælectio qualis in magistratu constituenda?

1. XXXV. *Indigenæ idonei præferendi peregrinis in electione magistratus.*

NAm aduenarum amor erga remp. est aquosus. Ideo Aristoteles ait: Aduenas fructum ciuitatis deuorare, non secus atque locustæ nocere solent segeti.

2. XXXVI. *Nobiles apti eligantur potiùs, quàm ignobiles.*

TAlis enim nobilitas est magnificus reip. thesaurus. Hinc Antigonus dicebat, non adolescentibus fortium parentum, sed fortibus munera danda

3. XXXVII. *Diues probus præferendus pauperi improbo in electione magistratus.*

NAm pecunia est obsidis ac pignoris loco apud remp. In summâ, in magistratu non adiumenta fortunæ, sed ornamenta animi præcipuè spectanda sunt. Sed nunc temporis Clodij ad tribunal, Catilinæ ad consulatum, Sardanapali ad imperium vbique ferè gentium rapiuntur.

4. XXXVIII. *In candidato magistratus habenda est ratio legitimæ natiuitatis.*

SPurij enim fermè sunt distorti. Si tamen spurius sit probus, præferendus est legitimo improbo. Nam virtus legitimat, vt dici solet.

Quomodo aliquis ad magistratum sit cogēdus?

XXXIX. *Boni viri ad magistratum capessendum cogendi sunt more Demosthenico, i.e. argumentis. suasoriis impellendi.*

HOc enim requirit vtilitas reip. quæ sic beata redditur: & dignitas virtutis, cui debetur honos.

An plures magistratus sunt vni demandādi?

XL. *Plures magistratus arduiores non sunt vni committendi.*

RAtio; quia tanta est imbecillitas hominis, vt vix vnum possit sustinere magistratum. Si tamen aliquis sit Scæuola vel Scipio, & non sint ad manum aliæ personæ idoneæ, vnus potest gerere multos magistratus.

Ad honorē magistratus ascendendum est.

XLI. *Melius est gradatim ascendere ad honorem magistratus, quàm saltuatim.*

HOc enim est secundùm naturam.

Magistratus supremus est perpetuus.

XLII. *Magistratus summus, siue primus, esto perpetuus.*

EST enim veluti cor reip. quod mutari non expedit: cùm mutato principio mutentur ea, quæ à principio dependent. Magistratus autem intermedij sunt mutandi, prout leges reip. iubent.

An primogenitus in regnis hæreditariis rectè succedat?

XLIII. *In regnis hæreditariis primogenito debetur successio iure gentium.*

REliquis tamen filiis quædam ditio honestáve conditio danda, ne fortè seditionem moueant. Est enim iuris naturæ, vt fratres hæreditatem inter se partiantur. Obiiciunt, legem de iure primogenituræ *Deut.* 21. esse ceremonialem. Resp. Ratione accommodationis siue circumstantiarum ista lex est typica: sed quoad substantiam suam est iuris gentium. Nam liberè hæc lex obseruata fuit à Græcis, Hungaris, Gallis, &c. Sic ex Caroli IV. bullâ aureâ in electorali dignitate primogenitus secundogenitum excludit. Nititur autem hæc lex ista ratione, si salus populi requirat. Adde, quòd splendor familiæ obscuratur, si plures filij succedant ad æquales, vt loquuntur. Verùm oportet vt primogenitus reliquis suis fratribus relinquat & det, vnde se alere possint honestè. Atque hoc Galli vocant *apennagium*, q. *abannung*, exclusionem à regno.

An primogenitus inhabilis excludēdus magistratu?

XLIV. *Inhabilitas primogeniti non adimit ei ius successionis.*

HOc enim est patrimonium, quod nulli potest eripi. Tametsi verò ipse non possit per se administrare remp. potest tamen per suos curatores.

Inauguratio magistratus necessaria?

XLV. *Constitutionem ordinariam magistratus sequi debet inauguratio.*

HÆc enim est necessaria, quoad ipsam substantiam: arbitraria, quoad circumstantias. Hinc iure gentium est recepta, & iure diuino approbata, *Num.* 27. 2. *Sam.* 5. Substantia verò inaugurationis consistit in solemni commissione regni, quâ magistratus recens creatus in possessionem regni actu immittitur. Circumstantiæ positæ sunt in ceremoniis, vti sunt proclamatio, coronatio, acclamatio, & pompa.

Quomodo acquiratur imperium 1. Iure belli?

XLVI. *Iure belli acquiritur imperium tribus modis.*

1. CVm vnus princeps alteri indicit iustum bellum, illúmque excutit imperio. 2. Cùm tempore belli nouus magistratus constituitur extra ordinem. 3. Inuasione legitimâ Barbarorum, qui vel nullius parent imperio, vel metuendi sunt ob barbariem & potentiam. Non tamen libidine dominandi oportet istos subigere, sed vt ad tranquillitatem & tutelam omnia dirigantur, & ipsi barbari à feritate ad humanitatē deducantur, contra quàm factum est ab Hispano in Indiis.

2. Iure pacti?

XLVII. *Iure pacti acquiritur tribus modis.*

1. IVre dotis: quomodo Austriaci plurima acquisiuerunt. 2. Iure cōfœderationis. 3. Iure emptionis. Cæterùm ex his regulis facilè deducentur hæ controuersiæ: & proinde quidem istæ de fundamento magistratus. 1. *An homini Christiano liceat magistratum gerere?* 2. *An magistratus in rep. sit necessarius?* 3. *An liceat magistratum ambire?* 4. *An aliquis cogendus ad magistratum?* 5. *An personæ Ecclesiasticæ admittendæ ad magistratum politicum?* 6. *An mulier sit capax imperij politici?* 7. *An iuuenes admittendi ad magistratum?* 8. *An eruditio magistratui necessaria?* 9. *An pulchritudo & diuitiæ in magistratu spectandæ?* 10. *Quæ virtutes inprimis requirantur in magistratu?*

An homini Christiano liceat magistratū gerere?

Resp. ad 1. Magistratum gerere bonum est, & Scripturæ sacræ consentaneum. Id enim est bonum, cuius priuatio est mala. Iam verò magistratus priuatio est mala, vt patet *Iud.* 18. & 19. Deinde sine magistratu nulla est legum executio: & sic probi læduntur, inque illos impunè grassantur improbi. Ergo qui probos tueatur, impiósque coërceat, magistratum esse necessarium est. *Iunius quæst. pol. part.* 1. *quæst.* 7. Tertiò Scriptura probat magistratum, quando illum à Deo esse docet, *Rom.* 13. *v.* 1. & pro quibusuis in eminentiâ constitutis orare iubet: 1. *Tim.* 2. *v.* 1. Confer *Deut.* 1. *v.* 13. 1. *Petr.* 2. *v.* 13. Similia dicta extant apud

apud ethnicos: vt apud Heſiodum, ἐκ δὲ Διὸς βασιλῆες: & apud Homerum, Ἰλ. β. τιμὴ δ' ἐκ Διός ἐστι, *Magiſtratus à Deo eſt.* Ideo βασιλῆας vocat διοτρεφεῖς, *à Ioue nutritos.* Helleboro itaque purgandi ſunt Anabaptiſtæ, qui ἀναρχίαν, peſtem generis humani introducunt. Neque illos iuuat, quòd plerumque magiſtratus politicus exorbitat. Oportet enim magiſtratum in abſtracto & formâ conſideratum diſcernere ab illo, qui conſideratur in concreto ſiue ſubiecto: & rurſus inter ſubiecta ſiue indiuidua quædam & omnia prudenter diſtinguere, ne committamus paralogiſmum accidentis, & argumẽtemur à particulari ad vniuerſale. Cæterũ magiſtratus hic dicitur politicus vt diſtinguatur ab eccleſiaſtico & ſcholaſtico: vt fruſtra ſit ſatagentia *Iacobi Arminij*, qui ſcribit *in articulis diligenti examine perpendendis*, magiſtratum ſummum non rectè dici politicum aut ſeculare; quia illæ voces opponuntur eccleſiaſticæ & ſpirituali poteſtati. *Ad 2. reſp.* Ex dictis patet, magiſtratum omninò eſſe neceſſarium in rep. Nam ſine magiſtratu leges, quæ ſunt vita & ſalus reip. vti mutæ ſilent, vti inanimes languent, vt extinctæ deliteſcunt. Magiſtratus enim eſt lex loquẽs: dum vt leges ſeruentur, curat. Hinc *Plato 8. de ll.* docet, omninò inutiles & ridiculas futuras eſſe leges, quantumuis bonas, niſi magiſtratus creentur, qui eas ſeruari curent. Quò pertinet illud tritum: *Lex ſine executione eſt veluti campana ſine piſtillo.* Deinde magiſtratus officium eſt, commune bonum procurare, defendere probos, & illos præmiis ornare, improbos coërcere & punire: quæ ſingula ſi non obſeruentur, fieri non poteſt vt diu floreat reſp. Hinc quod nauclerus ſeu gubernator eſt in naui, auriga in curru, præcentor in choro muſico, paſtor in grege, id magiſtratus eſt in rep. Magiſtratus quoque eſt vinculum, per quod reſp. hæret; eſt ſpiritus ille vitalis, quem tot millia trahunt: nil ipſa per ſe futura, niſi onus & præda, ſi imperij illa mens ſubtrahatur, vt ſunt verba *Sen. l. 1. de clementiâ.* Hinc eſt, quòd politici exiſtiment magis expedire populo habere magiſtratus bonos, quam leges: cùm leges abſque magiſtratu prorſus ſint inutiles, magiſtratus autem optimi ſibi ipſi ſint lex. *Reſp. ad 3.* Oportet hîc diſtinguere inter crimen ambitus, & honeſtam alicuius officij petitionem. Crimen ambitus eſt, quando quis non virtute ambit munus, ſed vel fautoribus, vel munerũ largitione, tametſi indignus ſit. Hoc crimen nocet reip. & aliis. Reip. quidem; quia vtilitas priuata publicæ præfertur. Aliis autem; quia virtus hac ratione vileſcit; & quia nullum eſt virtutis prẹmium, virtutis quoque ſtimulus nullus eſt: & quia nullus virtutis ſtimulus, nullum quoque pro virtute eſt certamen: quia nullum pro virtute certamen, reſp. tandem abit in fumum. Honeſta muneris petitio eſt ſolicitatio, quâ quis præuiâ internâ vocatione petit iſtam Spartam, quam ornare poteſt. Et hæc magnopere eſt probanda: quia hac ratione cõſulitur patriæ, quæ ſæpenumero ignorat dona, quibus alij ſunt præditi. In hos itaque non ſtringenda eſt cenſura SCti Romani de ambitu, cuius meminit *Cicero ad Quint. fratr.* ſed in priores illos, qui plerumque ſunt leues ambitioſi, auari, præfidentes, contentioſi, & populo exoſi. Nam quò quiſque magiſtratum appetit auidiùs, eò magis à populo contemnitur, vt eſt apud *Plutarch. in ger. reip. præceptis. Reſp. ad 4* Melius eſt argumentis ſuaſoriis aliquem impellere ad ſuſcipiendum & gerendum magiſtratum, quàm inuitum trahere: cum inuitos canes venatum ducere, ſit oleum, & operam perdere. Si verò aliquis qui dignus eſt, perſuaderi non poſſit, vt lubens ſuſcipiat onus magiſtratus, communibus omnium ſuffragiis cogendus eſt: ſi bonum publicum ita exigat. Poſteaquam verò huiuſmodi homo θεόκλητος admotus eſt publico muneri, iuuandus eſt tum precibus apud Deum, tum conſilio & auxilio, tum denique & humanitate. Ita enim fiet, vt qui primò ipsâ difficultate fuit difficilior, fiat ipsâ lubentiâ lubentior, vt dici ſolet. *Reſp. ad 5.* Ordinariè perſonas eccleſiaſticas ad gubernacula reip. non licet admittere: quia quælibet vocatio, inprimis ardua, totum requirit hominem, & veluti Herculem atque Atlantem. Et ſanè qui rerum ciuilium curis implicatur, non poteſt eo affectu, qui requiritur vacare rebus eccleſiaſticis. Nam graue pondus habet ciuilis adminiſtratio: perſona verò eccleſiaſtica inſtar aquilæ perpetuò in cœlos volare debet. Extraordinariè, ſi inter perſonas eccleſiaſticas ſint Danieles, poſſunt iis committi prouinciæ regendæ. Adhæc prudenter oportet diſtinguere inter καισαροπαπατείαν, ſeu πολυπραγμοσύνην Papiſtarum, & neceſſarium auxilium mutuáſque operas magiſtratus politici & eccleſiaſtici. Oportet enim adhibere perſonas eccleſiaſticas in diiudicandis controuerſiis mixtis, id eſt, theologico-politicis. Ibi tamen non debent ſedere vt iudices, ſed vt diuinæ voluntatis interpretes. Atque hoc eſt, quod vulgò dicitur: *Rempublicam florere, quamdiu Moſes & Aharon manent fratres.* Quod autem hîc dixi de magiſtratu eccleſiaſtico; id non ſic accipiendum eſt, quaſi magiſtratui ſummo politico magiſtratui ſummus eccleſiaſticus opponatur, vt in hierarchiâ eccleſiæ Romanæ fieri ſolet: ſed ita, vt per magiſtratum eccleſiaſticum intelligatur paſtor, qui eccleſiæ præeſt docendo, ducendo, & lucendo, vt ita dicam. Hîc opportunum fuerit paucis indicare, *Quomodo magiſtratus politicus cum eccleſiaſtico cõueniat, & differat ab eodem.* Conuenientia ſita eſt in tribus. Vterque enim eſt à Deo: vterque eundem ſibi ſcopum præſtituere debet, gloriam Dei & ſalutẽ hominũ: vterque verbo Dei ſubiicitur, itemque alter alteri ſubditus eſt certo reſpectu, ita vt eccleſiaſticus magiſtratus politico parere debeat ciuili ſubiectione, & viciſſim politicus eccleſiaſtico ſpirituali ſubiectione. Atque hæc dicitur ἀντίστροφος ſubiectio magiſtratus & miniſterij. Differentia ſimiliter poſita eſt in tribus. 1. In obiectis: quia magiſtratus politicus exercet imperium politicum, & ad legitimum in Eccleſia ordinem conſtituendum occupatur circa hominem externum: eccleſiaſticus verò circa hominem internum magis occupatur, dum docendo, monendo, & cæteras officij partes exequendo id operam dat, vt conſcientiæ rectæ ſint apud Deum. 2 In ratione pœnarum. Magiſtratus enim politicus gladio ſeculari pœnas ciuiles: eccleſiaſticus gladio verbi ſpirituales infligit pœnas. 3 In poteſtate ferendarum & exponendarũ legum. Magiſtratus namque politicus non fert leges, quoad fidem & vitam Chriſtianam ſed quoad ordinem, decorum, & honeſtatem publicam: at eccleſiaſticus ex ore Dei leges fidei ac vitæ vel fert, vt prophetæ & apoſtoli, vel interpretatur. *Reſp. ad 6.* Fœmina conſideratur ordinariè, vel extraordinariè. Ordinariè ſexus fœmininus eſt maſculino inferior: & ita fœmina non poteſt gerere magiſtratum, iuxta illud *Ariſtot. 1. polit.* Τὸ ἄρρεν ἄρχον, τὸ δὲ θῆλυ ἀρχόμενον: id eſt, *mas regit, fœmina regitur.* Extraordinariè fœmina prædita eſt virtutibus heroicis & maſculis, adeò vt ſæpe virorum vel heroicas virtutes ſuperet. Talis erat Debora in populo Dei. Talis Eliſabetha Angliæ regina. Sæpe itaque virtus heroica fœminis tribuit ſceptrum: ſi videlicet ſint Sabæ, quæ inſigni ſapientiâ: Corneliæ, quæ multiplici rerum cognitione: Artemiſiæ, quæ rarâ fortitudine ipſos viros ſuperent. Deinde ius eſt vel commune, vel locale, quod dicitur conſuetudinarium, nationale, ac prouinciale. Ius commune, quod eſt naturæ ac gentium, dictat, mares præferendos eſſe fœminis in capeſſendo magiſtratu, niſi ſpecialis cõditio & neceſſitas regnorum ita exigat. Ius locale neceſſitatem iſtam ac circumſtantiam determinat. Sic in Hiſpaniâ, Scotiâ, & Angliâ ſceptrum ad fœminam deuolui poteſt. Tertiò in ſtatu monarchico fœmina poteſt tenere clauum reipublicæ, in ariſtocratico & populari non itẽ. Hoc autem imperium non confundendum eſt cum domeſtico: quia fœmina, quatenus eſt vxor, marito ſuo debet obſequi. *Reſp. ad 7.* In magiſtratu dando, cæteris paribus; ſenes iuuenibus præferre oportet: ſed ita, vt quemadmodum expedit iuxta annoſas arbores nouas plantas ſerere ac inſerere, quæ poſt interitum vetuſtarum in locum earum ſuccedant, eundem in modum cum ſenibus iuuenes nonnulli probi & prudentes, quique non tam moribus, quàm ætate ſunt iuuenes, ad magiſtratum gerendum admittantur. Ita enim ex ſeniorum dictis & factis diſcent in poſterum ſimilia dicere, conſulere, ac iudicare: atque ita iuuenes, ſpes illa, flos & ſeges ciuitatis, in omni virtutum ciuiliũ genere, feliciter adoleſcẽt. *Reſp. ad 8.* Princeps nõ conſeneſcet in litteris, neque ita ſe illis dedet, vt imperij curâ negligat, qualis fuit Iulianus apoſtata, qui dictus fuit Græculus literio, quòd lectioni comicorum & aliorum authorum nimium tribueret. Rectè hoc cacoëthes perſtringit *Eraſmus in præfat. ſuper Sueton. ad Frider. elect. Saxon.* vbi ait, ad publica officia minùs aptos eſſe, qui ſe in bibliothecas abdunt. Dum enim omnia exactè volunt cognoſcere, negligunt remp. inſtar naucleri, qui in naui ſedẽs nonniſi philoſophatur, & ita nauẽ negligit. Huc accedit, quòd eruditio immodica principẽ ita inflat, vt ſibi ſolus videatur albæ gallinæ filius, neque audiat ſuos conſiliarios. Atq; hoc eſt vnum extremum, quod magiſtratus cauebit. Alterum eſt eorũ, qui volunt principem planè rudem eſſe: qualis inter alios fuit Lud. XI. Galliarum rex; qui tametſi fuerit ipſe mediocriter doctus, teſtẽ *Cominæo lib. 3. comment.* filium tamen ſuum Carol. VIII. planè rudem eſſe voluit, nec quidquam Latinè ſcire, niſi illud vnum: *Qui neſcit diſſimulare, neſcit regnare.* Tales fuerunt Gothi illi, qui cum viderent reginam ſuam filium Alaricum inſtitui curare literis humanioribus, ipſam rogarunt, vt illud intermitteret, ne regem inutilẽ faceret ad res bellicas, vt refert *Procop. lib. 1. belli Gothici.* Nos vtrumque illud extremum vitemus, & cum Carolo IV. authore bullæ aureæ præcipiamus, vt principum filij in variis linguis & diſciplinis inſtituãtur, antequam ad gubernacula veniant. In mentẽ quoque nobis veniant iſta dicta. Carolus IV. modò laudatus; Pragæ integrum diem intererat lectionibus publicis, cúmq; à cõſiliariis moneretur, vt ad cœnam veniret, *Hæc*, dixit, *mea eſt cœna.* Vladiſlaus Bohemiæ rex, referente *Æneâ Syluio lib. 1. hiſt. Bohem.* dixit: Non videri ſibi hominem, nedum principem, qui literas ignoret. Sic Alphonſus, Arragoniæ rex, audiens literas in principe improbari ab Hiſpaniarũ rege, Bouis iſtam eſſe vocem non hominis dixit. *Panormit. de dict. & fact. Alphonſ.* Hinc regibus Perſicis nõ patuit aditus ad regimen, niſi cùm magis familiariter fuiſſent verſati, & ab iis inſtituti: vt author eſt *Phil. ad præcep. 6. & 7. decalogi.* Manifeſtæ autẽ ſunt cauſæ, cur magiſtratum oporteat eſſe literatum. Cùm enim prudentia vel inprimis deceat principem: cùm ille naturam gentis & regionis, cui imperat, probè perſpectam habere debeat: cùm de controuerſiis

religionis

An magiſtratus in rep. neceſſarius?

An liceat magiſtratum ambire?

An aliquis ad magiſtratum cogendus?

An perſonæ eccleſiaſticæ admittẽdæ ad magiſtratum politicũ?

Quæ ſit conueniẽtia & differentia magiſtratus eccleſiaſtici & politici?

An mulier ſit capax imperij politici?

An iuuenes ad magiſtratum admittendi?

An eruditio principi neceſſaria?

religionis capitibus, deque controuersiis iuris ipsum iudicare oporteat:nemo non videt,modicam doctrinam ipsi esse pernecessariam,ne alienis oculis videre habeat necesse. Cognoscet autem princeps summatim ista. Ex linguis antiquis Latinam discet,vtpote vniuersalem totius prope terrarum orbis : ex recentibus excolet vernaculam, & vicinarum gentium linguas. Logica præcepta pauculis mensibus comprehendet, ita vt ad praxin omnia referat. Eloquentiæ studium , inprimis Atticæ, sibi habebit commendatum. Ex poëtis inprimis leget Homerum , Virgilium, & tragicos,qui,teste Melanchthone,post sacras literas maximè penetrant animos hominum.Physicam ita discet , vt non ad controuersias, sed ad historias naturales attendat. Mathesin delibabit , quantum necesse erit ad architectonicā & polemicam. Totam philosophiam practicā exactè nosse debet.Generalia deniq; Iuris,& fundamenta Theologiæ ad vnguem tenebit. *Resp.ad* 9 Augusta corporis forma,& proinde statura ac pulchritudo valde commendat principem, si quidem sit virtutis pictura & commendatio. Aliàs locū habet illud Bernhardi : *Est nigredo quædam felix,quæ mentis candorem habet coniunctum. Resp.ad* 10. Si de ideâ principis sit sermo, virtutes ethicæ, œconomicæ, politicæ ac theologicæ, omnes ad vnam in ipso requiruntur. Sed quia per imbecillitatem hominis fieri nō potest,vt princeps sit Sol in meridiano,satis fuerit,si habeamus principem, qui semper sit sol supra horizontem.Volumus itaq; vt princeps ex virtutum Ethicarum choro sibi despondeat Prudentiam & Iustitiam vniuersalē,& secundùm has Temperantiam , Liberalitatem, & Clementiam : ex OEconomicis Frugalitatem & Amorem coniugalem atque paternum:ex Politicis Iustitiam iudicialem & Facilitatem audientiæ:ex Theologicis trigam illam, Fidem,SpemCharitatē. Quomodo parentur hæ virtutes,ex Ethicis clarum est. Nimirum duo hîc sunt media, Natura & Cura, & hæc quidem Precationis , Institutionis , & Exercitationis. *Satis de fundamento seu causis magistratus politici : Sequitur modus constituendi,quem sequitur inauguratio.* Hîc occurunt istæ controuersiæ. 1. *An magistratus possit appellari ordinatio humana ?* 2. *Vtrum electio in constituendo magistratu successioni anteferenda ?* 3. *An electio magistratus sorti committenda.* 4. *An iure belli legitimè acquiri possit magistratus ? Resp.ad* 1. Magistratus est ordinatio humana tripliciter. 1.Finaliter ; quatenus ad bonum humanum, siue ciuile,conseruandum est constitutus. 2.Obiectiuè ; quatenus circa humanam societatem versatur. 3.Subiectiuè;quatenus ab hominibus geritur. Nec tamen propterea diuina ordinatio esse desinit:causaliter scilicet in quantum à Deo est introductus,non ab humano cerebro confictus. *Resp.ad.*2. Electio prior est origine quàm successio. Omnes enim reges ab initio electi fuerūt:nec vlla potuisset esse successio,nisi primitùs aliquis fuisset electus.Deinde in aristocratiâ & democratiâ semper locum habebit electio. Tertiò bona sunt regna successiua, bona & electiua , prout quælibet gens ex vsu suo esse nouit. Quapropter vbi alterutra à consuetudine,lege,ac regiminis more sunt confirmata,ibi vtiq; retinenda : ita tamen vt electio successioni anteponatur,quatenus resp.est constituenda. Denique in monarchiâ videtur omnium optimum esse temperamentum , ita vt successio sit mixta , quæ electionem successioni adiungit.Vide *Zepperum lib.3.de ll.f.rens.*Vbi ventilat hanc quæstionem,vtrùm electitius an hæreditarius præstet magistratus ? *Resp.ad* 3. In magistratus electione sors non facilè admittenda : nisi extremâ necessitate vrgente duorum vel pluriumreip. candidatorum ,siue competitorum,iisdem animi dotibus ornatorum æqualitas excludat vota optimatum:ita vt consilio & ratione res confici non possit. Et parum hîc referr, cui tandem cunque tribuatur : quia præsupponitur paritas donorum. Ideò autem sors adhibetur,vt ianua æmulationi præcludatur,quæ oriri solet,quando ex pluribus paribus vnus aliquis per maiora , vt vocant , eligitur. *Resp. ad* 4. Magistratus acquisitio est vel immediata , cùm cœlitus oraculo defertur: vel mediata , quæ pendet à consensu populi vel optimatum. siue consensus ille sit expressus,siue tacitus. Tacitum consensum comprobat populus in successione , siue illa sit ab intestato,siue testamentaria , Hîc autem spectatur ius primogenituræ , regulariter in filio, irregulariter in filiâ , apud eos scilicet qui fœminarum imperium ferre didicerunt,lineâ masculâ deficiēte. Quid verò, si filius primogenitus sit inhabilis ad principatus administrationem,vel ob ætatem,vel ob mentis vitiū, aut si adhuc sit in vtero , aut si casus superueniat , vt princeps capiatur? Respond Tum administratio committitur tutori vel curatori , qui est proximus agnatus , aut alius. Expressus consensus est in electione , quæ fit regulariter ordinariè per suffragia,irregulariter & extraordinariè per sortem. Cùm verò principatus acquiritur bello legitimo,populus sub initium est inuitus : sed progressu temporis huc pertrahendus est,non criminibus,sed lenitate ac argumentis persuasoriis, vt iustam causam belli agnoscat,& imperium libens volens ferat. Non igitur est consequens : Populus non consentit in subiectionem, quæ vi iusti belli extorquetur , Ergo ibi non est legitimum dominium.Etsi enim consensus populi sit causa proxima imperij pacati:tamen non est necessarius in bello.Quanquā etiā in subiectione illâ,quam necessitas belli extorquet,datur consensus,quem dicunt non- liquidum & semiplenum.

Quænam præcipuè discenda principi ?

An pulchritudo; diuitiæ & similia in principe spectāda?

Quæ virtutes inprimis ornent magistrū?

An magistratus possit appellari ordinatio humana ?

An electio successione potior?

An electio magistratus sorti cōmittēda ?

An iure belli legitimè acquiratur magistratus ?

XLVIII. *In maiestate magistratus oportet spectare diuisionem, affectiones,& effecta formalia.*

In maiestate magistratus quot spectanda ?

IN republ. considerari solet status quantitatis & qualitatis. Status quantitatis est vel externæ & physicæ,quæ dicitur territorij,de quâ paulò antè : vel internæ & politicæ,quæ sita est in maiestatis fulgore:Status qualitatis cernitur in legitimâ reip. administratione. Iam de maiestate agimus. Est autem *maiestas hoc in loco duplex*, realis & personalis. Illa regni , hæc regnantis dicitur. Maiestas *realis* est splendor ac superioritas imperij,ei perpetuò inhærens : quam conseruant leges fundamentales. *Hœnonius disput. politic.* 3. Maiestas personalis est splēdor & dignitas, quam princeps obtinet in subditos:estque prima , vel orta. Maiestas prima est vis quædam, latens planè atq; occulta,quâ princeps in animis hominum admirandā venerationem sibi conciliat:de quâ hæc teneantur. 1. *Authoritas magistratus est opinio reuerens de statu magistratus.* Hæc magistratui imprimis est necessaria;quia est veluti frenū, quo subditi retrahuntur à peccatis aduersus magistratū & remp. cōmittendis : & veluti calcar,subditos incitans ad reuerentiam: item vinculū adamantinum imperiorum : item Gorgon, quo Deus armauit magistratum.Hæc Mosen formidabilē reddidit Pharaoni:itemq; Iaddum summū pontificem Alexandro Magno.Hæc prohibuit lictorem,ne feriret Marium consulē proscriptum.Hæc Constantinum Magnum defendit contra furores ethnicorum. Huius loci est illud axioma politicum: *Amissam authoritatem magistratus , sequitur amissio & mutatio imperiorum.*Exemplo sit Sardanapalus omnium hominum longè effœminatissimus,qui in gynæcéo perpetuò desidens colum & lanam tractabat , & ideò contemnebatur à subditis, atque ita occasionem præbebat transferendi primam monarchiam ab Assyriis ad Chaldæos. 2. *Authoritas constat ex admiratione & metu : cuius vtriusq; temperies gignit authoritatem.* 3. *Authoritatis causæ sunt tum conciliatrices , tum conseruatrices.* 4. *Conciliatrices sunt tum virtus,partim maiorum , partim propria ; tum potentia opibus firmata.* 5. *Conseruatrices causæ sunt forma imperij & mores imperantis.* 6. *Forma imperij sit seuera , constans, & astricta.* Sit seuera, ne lentitudo inducat contemptum. Sic tamen adhibeatur seueritas , vt pœna ad paucos , metus ad omnes perueniat. Ita salutaris seueritas vincet inanem clementiæ speciem. Sit deinde constans,ne per crebram & temerariam mutationem hebescat acies authoritatis. Sit denique astricta , ne scil. magistratus suam authoritatem transferat in alios. Admodum enim periculosum est,si priuati hominis nomen supra principis attollatur. 7. *Mores imperantis sunt interni & externi.* Interni sunt virtutes & imprimis timor Domini. Externi sunt in corporis habitu , vbi tria necessaria. 1.Magistratus eam seruet in gestibus dignitatem,quę tacendo loquatur. 2. Grauitatem ita temperet, vt morositatem & arrogantiam exuat. 3. Vitet nimiam familiaritatem : quia viles sunt, qui sunt nimium ciuiles. Ideò historicus Patauinus ait: *Continuus aspectus minus verendos magnos homines ipsâ satietate facit.* 8. *Potentia magistratus est , quâ ille par est defendendæ reip.* Eius instrumenta sunt quinque ; videlicet opes,arma, consilia, fœdera , & felicitas. 9. *Opes firmant potentiam.* Sunt enim neruus imperij. Rectè igitur Demosthenes ait:Opus sunt opes,& sine iis nihil fiet quod opus. 10. *Arma tuentur potentiam.* Hinc Liuius : Agendo audendoque res Romana creuit. Omnia tamen priùs consilio ,quàm armis experiri virum decet sapientem. 11. *Consilia stabiliunt potentiam.* Ideò Tacitus ait : Arma consilio temperanda sunt. 12. *Fœdera potentiam augent.* Fœdera dico , quæ cum sociis potentibus & bonis contrahuntur. Hîc tamen illud semper cogitandum : In caducum parietem ne inclina. 13 *Felicitas potentiam perficit.* Ideò Pompeius dicere solebat:Maiora fortunâ quàm sapientiâ. Fortunâ, id est, prosperitate in rebus gerendis & expediendis Maiestas *orta*, est potestas principis procurandi negotia salutem publicam concernentia. Estque vel dispensationis,quâ princeps aliquid cōstituit : vel obligationis,quâ princeps subditos sibi obstringit. *Affectiones maiestatis* sunt quatuor. Nam maiestas. 1.Est summa & independens:non ratione Dei, sed ratione subditorum singulorum , non verò vniuersorum. 2. Est vniuersalis: quia vniuersos complectitur suo imperio. Nam vniuersi subditi conferendo principi ius maiestatis,vltrò se ipsi submittūt. 3.Soluta legibus ciuilibus,quæ concernunt subditos,quâ subditi sunt. 4.Perpetua & indiuidua. *Effecta formalia maiestatis*, id est iura,quæ à formâ ipsius fluunt , tribus ferè modis commemorantur. Primò ius maiestatis est ecclesiasticū,vel ciuile. Illud cōsistit in primæ tabulæ Decalogi,hoc in secundæ praxi. Ius igitur ecclesiasticum consistit in religionis veræ introductione, conseruatione, & defensione,iuxta præscriptum verbi Dei.Princeps enim non est voluntarius censor,vel arbiter honorarius verbi diuini:vel etiam ipsius interpres, sed tātùm custos vtriusque tabulæ,inspector morum,& criminum vindex. Secundò iura maiestatis sunt maiora,vel minora. *Maiora* sunt dispensato

Maiestas quotuplex ?

Affectiones maiestatis quæ?

Iura maiestatis quæ ?

diſpenſatoria, vel obligatoria. Ibi eſt 1. Poteſtas leges ciuiles authoritate propriâ condendi, promulgandi,& abrogandi,non accipiendi. 2. Ius conſtituendi magiſtratus eccleſiaſticos & ſeculares. 3. Ius belli indicendi & finiendi. 4. Iuriſdictio liberrima,& extrema prouocatio ab omnibus magiſtratibus. 5. Poteſtas tributa & vectigalia imponendi,exigendi,eximendi, diſpenſandi. 6.Ius comitia indicendi, ordinéſque imperij conuocandi. 7. Ius pecuniam cudendi, mutandi, tollendi, déque ea diſpenſandi. 8.Ius pœnæ ſtatuendæ ſecundùm leges, ab eáque liberandi pro ratione circumſtantiarum. Hic eſt 1. Ius fidelitatem æqualiter ab omnibus exigendi. 2. Fœderis percutiẽdi. 3.Inueſtitura de feudis. *Minora maieſtatis iura* ſunt, quæ ſine maieſtatis iactura aliis concedi poſſunt: qualia ſunt. 1. Poteſtas honores, præmia, dignitates conferendi & reſtituendi. 2. Ius nundinarum & publicorum mercatuum. 3. Ius legatos mittendi & recipiendi. 4. Ius venandi, aucupandi, & piſcandi. Tertiò iura maieſtatis ſpectantur vniuerſim, vel diſtinctè *Vniuerſim* conſideratur ius fundandi & conſeruandi remp. ordinando, adminiſtrando, tuendo, amplificando, & mutando ſtatum publicum. *Diſtinctè* iura maieſtatis ſunt eſſentialia, vel accidentaria. Eſſentialia ſunt duodecim. 1. Ferre leges de rebus, perſonis, & actionibus publicis & priuatis, ſacris & ciuilibus. 2. Leges & priuilegia ſic interpretari, vt iſta interpretatio pro lege habeatur. 3. Leges mutare pro exigentiâ circumſtantiarum. 4. Pœnam ſtatuere, à pœna liberare; præmia & beneficia publica impertiri, honores & dignitates conferre;reſtituere aliquem contra ſententiam latam. 5.Iuriſdictionem liberrimam & omnimodam habere; atque adeò ius,imperium,& iuriſdictionem in alios deriuare ac diſtribuere; creare item magiſtratus inferiores. 6. Prouocatio ſumma, ſiue ſummum tribunal. 7. Ius conficiendi ærarij publici; percutiendi, aſſumendi, mutandi, tollendi nummos; & diſpenſandi de pecunia. 8. Ius belli indicendi & finiendi: adeóque percutiendi fœderis. 9. Ius indicendi comitia, & ordines imperij conuocandi. 10. Ius iuramentum fidelitatis ſiue homagium ab omnibus æqualiter exigendi. 11. Ius mittendi & recipiendi legatos. 12. Ius dominationis. *Accidentaria* ſunt quatuor. 1. Reſeruata: qualia ſunt, quæ princeps ſibi reſeruat diſponenda,nec aliis magiſtratibus facilè concedit. 2. Arcana; quæ habent affinitatem cum reſeruatis. 3.Regalia; quæ ſunt iura quædam principalia, emolumento & patrimonio principis deſtinata. 4. Priuilegia; quibus principes gaudent. Atque hæc ſunt iura maieſtatis, quæ aliis dicuntur ſumma poteſtas,manus regia,ſumma rerum,imperium ſacrum,principalis authoritas & maieſtas: & in imperio prædominante imperatoria maieſtas, & maieſtas regia. Dicuntur etiam notæ & characteres ſummi magiſtratus. Hic mouentur iſtæ quæſtiones. 1. *Quibus metis authoritas magiſtratus contineatur?* 2. *An princeps legibus ſit ſolutus?* 3. *An princeps habeat ius vitæ ac necis in ſubditos?* 4. *An princeps poſſit iure damnatos liberare contra vim legum?* 5. *An princeps bona ſubditorum, vel etiam publica poſſit alienare?* *Reſp.ad* 1. Sola Dei Opt.Max.voluntas eſt perpetua & immutabilis omnis iuſtitiæ regula. Illi ergo ſine omni exceptione oportet parêre. Quod verò ad obedientiã principibus debitã attinet,vtique ſi perpetuò eſſent *Elohim*, id eſt, ſi ex Dei cuius ſunt vicarij, ore perpetuò pronuntiarent & imperarent, & illis ſemper & ſine exceptione obediendum eſſet. At cùm perſæpe contrarium illis eueniat, addenda eſt hæc limitatio: dum nihil impium vel iniquũ præcipiant. Impia ſeu irreligioſa mandata ſunt, quæ pugnant cum primâ Decalogi tabulâ: quale fuit illud Nebucadnezaris *Dan.*3. Iniqua mandata ſunt,quæ pugnant cum ſecundâ Decalogi tabulâ: quale fuit illud Pharaonis *Exod.*1. Ex his conſtat omnium magiſtratuum authoritatem,quantumuis maximam, duabus hiſce mẽtis à Deo ipſo poſitis veluti ſeptis concludi:pietate ſcil.& charitate: quas ſi tranſilire ipſis contigerit, meminiſſe debemus illius regulæ Apoſtolicæ: *Præſtat Deo,quàm hominibus obedire.* Quapropter humana mandata diuinis ex æquari ſine ſcelere non poſſunt, neque Dei mandata hominum mandatis poſtponi: quod facit Martialis,quando ita applaudit Domitiano:

Editum domini deique noſtri.

Vtinam verò hoc noſtro ſeculo non inueniantur,qui ab huiuſmodi adulatione non longè abſint! Vtinam omnes principes non palatiorum veſtibulis, ſed cordium penetralibus iſtos Senecæ verſus inſcribant!

Vos, quibus rector maris atq; terræ
Ius dedit magnum necis atque vitæ,
Ponite inflatos tumidóſque vultus.
Quidquid à vobis minor extimeſcit,
Maior hoc vobis Dominus minatur.
Omne ſub regno grauiore regnum eſt.

Reſp.ad 2. Hîc teneantur iſti aphoriſmi. 1.*Poteſtas abſoluta dicitur vel ſimpliciter, vel ſecundum quid.* Illa eſt ſolius Dei: hæc principis. Rectè igitur *Althuſius in polit.c.*9. negat illam Bodini aſſertionem,quæ eſt 1.*de rep.c.*8. maieſtatem principis eſſe ſummam in ciues ac ſubditos, legibúſque ſolutam.2.*Princeps,vt homo eſt,legibus ſq. naturæ & gentium: vt Chriſtianus eſt, legibus diuinis: vt princeps eſt,legibus poſitiuis ſeu ciuilibus, partim fundamentalibus, (quæ dicuntur capitulationes regni) partim functionem ipſius concernentibus, eſt ſubiectus.* 3.*Princeps obligatus eſt omnibus legibus,quæ habent rationem principiorum communium.* Ita enim conſcientia cuique homini eſt tanquam lex legum. 4.*In concluſionibus, quatenus ſunt liberæ determinationis, princeps habet ius diſpenſationis.* 5. *Lex conſideratur vel vt eſt inſtrumentum principis,vel vt eſt norma & regula adminiſtrationis.* Illo modo princeps eſt ſuperior lege: hoc inferior. 6. *Legum vis eſt coactiua, vel directiua.* Priori modo princeps legibus eſt ſolutus:poſteriori non item. Et ita princeps eſt inferior legibus: ſed iiſdem eſt ſuperior ratione defenſionis & executionis: & ſi ſpectemus poſitiuas ab ipſa latas, illis eſt ſuperior ratione conſtitutionis,interpretationis,& ſupplementi,quoniã illas fert,ſecundùm æquitatis normã interpretatur, & illarum defectũ in ſpecialibus quibuſdam caſibus ſupplet, iuxta illud: *Quæ non ſunt deciſa lege, arbitrio principis relinquuntur.* Aliàs princeps eſt ſolutus legibus ciuilibus,quæ ad rationem officij eius non pertinent. Sed pro brutâ iſtâ ſententiâ,quod princeps omnibus legibus in ſolidum ſit ſolutus,ſequentia bruta fulmina adferri ſolent. 1.Princeps eſt imago Dei viua. Ergo ex lex. 2.Populus omnem poteſtatem tranſtulit in principem. 3.Deus principi tribuit abſolutam poteſtatem.1.*Sam.*8.vbi oſtenditur, quòd omnia ſint principis. 4. Leges ciuiles eandem poteſtatem principi tribuunt. 5. Vir malus poteſt eſſe bonus magiſtratus. Ergo magiſtratus non tenetur legibus moralibus, ſed tantùm politicis. *Reſp.ad* 1. Ideo magiſtratus eſt ſub lege,quia Populus non habuit abſolutam illam poteſtatem, quæ nihil eſt aliud, quàm beſtialitas. Ergo non potuit in principem transferre. *Ad* 3. Ius principis ibi deſcribitur duplex; verum, & vſurpatum. Deinde multa ibi deſcribuntur iura vera, licet dura. Tertiò omnia ſunt principis quoad defenſionem, iuxta illud: Ad Regem poteſtas omnium pertinet, ad ſingulos proprietas. *Ad* 4. Leges ciuiles tribuunt principi poteſtatem abſolutam, ſi ſpectemus leges poſitiuas. Ideò Theodoſius, & Valentinianus Imperatores, ſic aiunt: *Digna vox eſt maieſtate regnantis, legibus alligatum ſe principem profiteri: adeò de authoritate iuris noſtra pendet authoritas.* *Ad* 5. Magiſtratus debet eſſe vir bonus, contra quàm docet Machiauellus: quia gerit perſonam Dei, & aliis debet prælucere bono exemplo. Vide infrà titulum de lege regiâ: *Reſp.ad* 3. Lex, quæ eſt vox Dei, habet abſolutam poteſtatem vitæ ac necis in homines: non rex, qui legis tantùm eſt miniſter, cuſtos,& vindex. Ideo ſi princeps dicatur habere ius vitæ ac necis in ſubditos, illud eſt intelligendum non ſimpliciter, ſed ſecundùm quid, ita vt princeps non poſſit vitâ quenquam priuare, niſi quem lex condemnarit *Reſp.ad* 4. Si lex diuina certam pœnæ ſpeciem definiat,eámque diſertis verbis delinquẽtibus indiſtinctè irrogare iubeat, nec arbitrio iudicis permittat, magiſtratus non poteſt ſaluâ honeſtatis & iuſtitiæ lege, iure damnatos contra vim legum ac iudiciorum liberare: contra quàm Bodinus diſputat *lib.*1.*de rep. c.vlt.* Quòd ſi verò legibus humanis ſeu politicis pœnæ ſcelerum definitæ ſunt, eatenus remittere vel mitigare eas princeps poteſt, quatenus ſalus ratióque reip id fieri iuſtâ de cauſa ſummáque æquitate ſuadet ac patitur. *Hœnon.pag.*171. *Polit.* Hîc itaque bonus magiſtratus diſcernet propoſitum malè agendi à caſu: delictum ex malitiâ aut perturbatione præter naturam acerſitâ, & homine indignâ à peccato ex ſegnitie, infirmitate, imprudentiâ, ignorantiâ,& affectu hominibus naturali orto: bonam fidem & æquitatem à ſtricto iure? dolo aut malæ fidei nunquam patrocinabitur. *Reſp.ad* 5. Bona,quæ dicuntur principis, ſunt vel principalia, vel fiſcalia, vel priuata. *Bona principis* ſunt, quæ princeps, non quâ princeps, ſed quâ hæres poſſidet. Ea ſi iure poſſideat, quia eorum proprietarius eſt, vendere poteſt ac diſtrahere, ſed non extra familiam, ſi quidem ipſius agnati habeant facultatem iſta bona emendi. Sin minùs,etiam extra familiam alienare poteſt bona hæreditaria. *Bona fiſci*, ſeu dominij coronæ dicuntur, quæ in principatus, aut populi patrimonio ſunt. Ea regi, vt regi, à populo nomine vſusfructus traduntur, ac proinde ſummum ius ea adminiſtrandi, non alienandi, habet. Etſi enim data ſit principi omnis poteſtas: nulla tamen datur ad malè agendum. Nam populus conſtituit principem Reip. paſtorem ac moderatorem, non euerſorem. Hinc quæ communibus manibus,viribus,ac opibus acquiruntur,non regis,ſed publico regni bono accreſcunt. *Bona priuata* ſunt regis vniuerſa, non vt ſingula. Nam omnia magiſtratus imperio & defenſione, ſinguli dominio poſſident. Ille ratione iuriſdictionis, protectionis, & adminiſtrationis: hi ratione proprietatis. Hinc ad reges vniuerſorum imperium, ad ſingulos proprietas & vſus pertinet. Poteſt tamen Princeps de publicis ac priuatis bonis, etiam eccleſiaſticis, ſtatuere, ea diſtrahere, alienare, oppignorare, vendere his conditionibus. 1. Si ſubditi enormiter peccent. 2.Si ſalus reip.hoc exigat: vt eſt neceſſaria reip.defenſio, principis vel filiorum ipſius redemtio,debitorum reip.diſſolutio. Poteſt, inquam, princeps alienare bona neceſſitate vrgente, publicâ vtilitate ſuadente, & communi conſenſu interueniente ac approbante.

[Margin notes: Quibus ...tis cõ...eatur ...teſtas ...ncipis? — An princeps iura ieſta... abſo... a poſ... ens ſit ...ictus ...ibus? — An princeps habeat poteſtatem vitæ ac necis in ſubditos? — An princeps poſſit iure damnatos liberare? — An princeps bona ſubditorũ vel publica poſſit alienare.]

Abdicatio magistratus 1. qualis?

XLIX. *Abdicatio magistratus sit legitima.*

Legitima autem est, quæ fit ex causa sufficiente ac prægnante, vt vocant. Talis est. 1. Permutatio magistratus ordinaria, quæ necessaria est in aristocratiâ & democratiâ. 2. Culpa leuior. 3 Ineptitudo hominis, quæ pendet ab ætate decrepitâ, vel à morbo. 4. Infamia. 5. Culpa grauiori vbi sunt imprimis tria scelera, videl. coactio ad idololatriam, tyrannis & fœda libido, iuxta versum:

Tres causæ regimen perdunt: idola, tyrannis,
Atque inuisa simul fœda libido Deo.

2. Quomodo fieri debeat?

L. *Abdicatio magistratus fiat cum consensu populi.*

Eadem enim est causa proxima procreans & corrumpens magistratus. Peccant igitur, qui sponte sua deserunt susceptum magistratum, vel temere, vel ante tempus. Relinquunt enim remp. sine capite. Nam sicut infortunata est resp. in qua magistratus sine lege: sic misera est, in qua lex sine magistratu regnat. Quippe vt sublata lege magistratus est Lesbia regula: ita sublato magistratu lex est muta.

3. Quoruplex?

LI. *Abdicatio magistratus est temporalis, vel perpetua: vtraque vsurpanda, sed posterior non nisi extrema vrgente necessitate.*

Sicut enim prudens chirurgus non nisi omnibus priùs remediis tentatis accedit ad suum Vresecam: ita & hîc fieri debet. Huiusmodi enim cura minùs habet periculi.

Populus consideraturduobus modis?

LII. *Populus consideratur collectiuè, vel repræsentatiuè.*

Collectiuè; quatenus est multitudo hominum, qui parent magistratui. *Repræsentatiuè*; quatenus ephori togati ac sagati spirituales & ciuiles, populum repræsentant. Hîc duo veniunt in quæstionem. 1. *Quanta sit populi potestas?* 2. *Quanta sit ephororum potestas?* *Ad* 1. Populus vniuersus dignior & potior est tum magistratu, tum ephoris. Ille enim & hi sunt propter populum, & ex eius gratiâ sunt id quod sunt: dum ab eo constituuntur, nec absque populo esse possunt, licet hîc illis orbatus subsistere possit. Hinc rectè docent politici Dd. populum obtinere regnum & iura maiestatis proprietate ac dominio, principem & ephoros vsu atque administratione. Nam populus vtrumque illud & principi committit, vt supremo capiti, & ephoris vt contutoribus, inspectoribus, & obseruatoribus. Vnde sicut pupillus, licet sit rerum suarum dominus, tamen, quia eas tutori administrandas dedit, non potest de iis dispensare, & obligare sese absque consensu & authoritate tutoris: ita quoque populus, quia hos rectores constituit sui tutores, nihil sine ipsorum authoritate agere potest. Nec minùs populus perfidus, si iustè imperantibus non obtemperat, quàm princeps & ephori, si iniustè imperant. Si tamen administratores officium suum facere nolint, si impia & iniqua mandent, si contra dilectionem Dei & proximi agant; populus propriæ salutis curam arripiet, imperium malè vtentibus abrogabit, & in locum eorum alios substituet. *Ad* 2. Ephori aliàs dicuntur Inspectores & Curatores reip. itémque Optimates. Hi adiunguntur magistratui, ad eius potestatem limitandam. Nam vniuersum populum repræsentant, iuréque illius vtuntur in summo magistratu constituendo, iuuando, coërcendo, & prouidendo, ne resp. quidquam detrimenti capiat. Hinc, quod Optimates faciunt, omnes ciues facere dicuntur. Porrò ephori validiora ipso rege imperia obtinent. Principem enim constituunt & deponunt: id quod amplissimum est præeminentiæ argumentum. Atque hæc prærogatiua mutuis pactis stabilitur. Hoc tamen non de singulis ephoris, sed de vniuersis est accipiendum. Interim princeps summam potestatem obtinere dicitur, quatenus ephori administrationem imperii & cumulum potestatis ipsi committunt. Denique optimatum vniuersorum potestas non est infinita & absoluta, sed certis veluti rhetris ac clathris definita: vtpote non ad propriam libidinem, sed ad vtilitatem & salutem populi alligata. Hinc illorum munia sunt regem designare, constituere, inaugurare: constitutum consiliis & auxiliis iuuare: sine consensu & approbatione principis, quamdiu ille suum officium facit, nihil in reip. negotiis suscipere: nonnunquam conuentum inscio principe agere, necessitate reip. exigente: magistratu in captiuitatem abducto, prodigo vel phrenetico aut inhabili effecto, habenas reip. capessere: ipso mortuo onus reip. in se deriuare: iura regni tempore interregni ad se non pertrahere: populum contra omnis generis turbatores & violatores defendere. Hîc notentur regulæ: 1. *Magistratus inferior debet summo parere, ita vt non vulneret conscientiam.* Non igitur parebit, si ille aliquid imperet contra leges diuinas naturales, & fundamentales, atque adeò contra priuilegia. 2. *Magistratus inferior consideratur in gradu sublimiori vel inferiori.* Hîc sunt officiarii, ibi sunt ephori: vt in Romano Imperio Electores qui non à Papa Gregorio V. sed ab Otthone III Imperatore sunt instituti, vt constat ex historicis non suspectis. 3. *Quælibet vniuersitas potest ephoros constituere.* Illi enim sunt custodes, præsides, & procuratores reip. atque prudentes & diligentes legis & iuris executores. 4. *Populus certis legibus & conditionibus defert ephoris administrationem, & curam iurium regni.* Itaque ephori æquè non sunt soluti legibus atque princeps. 5. *Ephori sunt instar contutorum, populus est instar pupilli.* Magistratus nempe est tutor: cui ephori adiunguntur tanquam contutores. Atque hæc est causa, quòd ephori appellantur fratres summi magistratus. Iidem appellantur patritii, seniores, primores, & officiarii regni, pacti inter magistratum summum & populum initi vindices, custodes & defensores iustitiæ & iuris, quibus summum magistratum subiiciunt & parere cogunt; item censores summi magistratus, inspectores & consiliarii regni, denique censores honoris regis. Ex hisce liquet, hos ephoros quasi pedes & fundamenta esse συμβιώσεως πολιτικῆς. 6. *Eliguntur & constituuntur ephori consensu totius populi tributim, centuriatim, curiatim, vel viritim: vel sorte, secundùm cuiusque regni naturam vel consuetudinem.* Quandoque etiam princeps, vel ipsimet ephori habent potestatem ephori eligendi, vel in locum demortui substituendi, idque ex populi concessione & beneficio. 7. *Eligendi sunt ephori, qui magnam habent potentiam & opes; cæteris tamen paribus.* Ita enim fiet, vt maiorem amorem, desiderium, & curam pro rep. gerant, quam saluam esse ipsorum maximè interest. 8. *Pauci ex plurimis eligendi sunt.* 9. *Electi ephori iurant, se vtilitatem reip. fideliter curaturos.* De officio ephororum vide infrà suo loco. 10. *Ephori sunt perpetui, vel temporales.* Perpetui, seu hæreditarii, ita sibi commissum habent hoc munus, vt etiam ad hæredes suos id transferant. Temporales contra, ad certum præscriptum tempus hoc officium gerunt. 11. *Ephori sunt ecclesiastici, vel seculares.* Ecclesiastici sunt, qui ex personis ecclesiasticis constituti, rerum Ecclesiasticarum curam gerunt. Seculares, qui rerum publicarum scientiam & curam habent. Atque hi rursum sunt nobiles, vel plebeii. Nobiles ex ordine nobilitatis deliguntur: Plebeii ex reliquis regni pagis, & ciuitatibus desumuntur. Omnes verò hi ephori sunt generales, vel speciales. Illis cura totius reip. committitur: hi prouinciæ, aut partis prouinciæ tutelam & curam suscipiunt.

Quanta sit populi potestas?

Quanta sit ephororum potestas?

Ordo populi duplex?

LIII. *Ordo siue classis populi est vel merè naturalis, vel ciuilis.*

Merè naturalis est, quòd alii sunt seniores & mares, alii iuniores & fœminæ. Nam ordinariè mas naturâ est dignior quàm fœmina, & senex quàm iuuenis. Ordo ciuilis est, cuius causa remota est naturâ, institutum verò politicum est causa proxima: vnde alii sunt magistratus, nobiles, liberi officiarii, & ciues: alii subditi, ignobiles, serui, idiotæ, & hospites siue peregrini.

Quid nobilitate tendum?

LIV. *Nobilitas est naturalis, vel aduentitia.*

Naturalis est bona indoles, orta ex bono temperamento. Aduentitia seu acquisita est theoretica, vel practica. Theoretica est, quam metimur virtute intellectuali, videl. eruditione præclarâ, sed ritè collocatâ: vnde Bodinus ait, proximam à virtute causam nobilitatis plerique in scientiarum abditarum ac præstantissimarum cognitione posuerunt: quas qui assecuti sunt, nobilissimos disertè lex appellat. Nobilitas practica est moralis, vel politica. Moralis est vera & perfecta nobilitas, quam oportet metiri virtute morali, sed in gradu eminentiori consideratâ: dicitur etiam nobilitas personæ & facti. Nobilitas politica siue ciuilis est familiæ vel officii. Nobilitas familiæ siue generis consistit in prosapiæ singulari præstantiâ, & dependet partim à lege, partim à fortunâ siue splendore. Estque noua, vel vetus. Noua est, quam quis suis meritis beneficio principis est consecutus. Vetus est, quam quis à suis maioribus virtute præcellentibus accepit. Nobilitas officii consistit in dignitate muneris præcellentis, quo quis cum laude fungitur. Alii distinguunt nobilem in natum & factum, vbi tenendum, quòd nobilis natus præferendus sit facto, si studio doctrinæ & virtutis augeat & perficiat nobilitatem gentis suæ. Tum enim est triplex ibi nobilitas, videl. familiæ, theoretica, & practica: cui si accedat nobilitas officii, aliquid præclari & diuini solet existere.

Gradus nobilitatis vnde æstimentur?

LV. *Gradus nobilitatis æstimantur vel ex rei veritate, vel ex consuetudine.*

Ex rei veritate quatuor sunt gradus. In primo est nobilitas moralis: in secundo theoretica: in tertio nobilitas generis: in quarto nobilitas officii. Ex consuetudine nobilitas generis collocatur in primo gradu: & id quidē rectè si coniuncta sit cum nobilitate morali, vel alia. Aliàs nihil est nisi nomē. Hîc quæri solet, *Annon nobilitas generis pugnet cum naturâ & scripturâ?* Cùm enim omnes simus æquales respectu materiæ, formæ, accidentium, & beatitudinis cælestis, vtique debet esse æqualitas inter omnes reip. ciues. Resp. 1. Distinguendum est inter æqualitatem & æquabilitatē. Æqualitas est, cùm singuli inter se exæquantur: & hæc est fons omnis perturbationis, dicitúrq; æqualitas arithmetica. Æquabilitas est, cùm singulis pro digni-

tatis

tatis & ordinis sui ratione & differentiâ honos & libertas sua relinquitur: & dicitur æqualitas geometrica, quæ est vinculum omnis societatis. 2. Distinctio hominum in nobiles & ignobiles sumitur non ex adiunctis communibus, sed ex propriis & quidem indiuidualibus. Sanè nobilitas non fluit à materiâ vel formâ hominis, sed vel à successione sanguinis (sicut enim ex radice succus in ramos diffunditur, sic sæpenumero ex heroibus & semideis in filios nobilitatis quasi sapor diffunditur,) vel à doctrinâ, vel ab habitu virtutis, vel à fortunâ & applausu multitudinis. Huc pertinet illa controuersia, *An ex bonis boni generentur?* Respon. Bonum est duplex, entis & moris. Priori modo omne simile gignit sibi simile in specie: nec enim ouis lupum gignit, nec canis leonem. Posteriori modo natura ex bonis bonos contendit gignere, largiendo instrumenta virtutis: sed multi homines his instrumentis abutuntur, & ita naturam à fine suo scelerate pellunt. Et hæc qui faciunt, ipsissima sunt monstra. Sicut enim monstrum est naturæ, si ouis lupum: sic monstrum est voluntarium, si Aristides Neronem gignat. Sapienter itaque Zeno dixit: Filius bonus est pars patris, malus est vomitus naturæ.

Libertas & seruitus vt à politicis considerentur?

LVI. *Libertas & seruitus à politicis considerantur in naturâ, vti post lapsum inuenitur.*

ET hoc modo seruitus non est pœna, sed subsidium; non pernicies, sed salus; non denique malum, sed bonum ad necessarios vitæ humanæ vsus. Seruitus igitur non est præter naturam, sed secundùm naturam, quatenus illa in necessariis non deficit, sed suam miseriam seruorum tanquam instrumentorum opereficit. Nec verum est, quòd seruitus sit imperfectio & impotentia simpliciter. Est enim imperfectio naturæ siue impotentia naturalis, quæ est secundùm naturam, vti sexus fœmineus dicitur impotentia respectu masculini.

Quid de ciue tenendum?

LVII. *Ciuis est alius analogicè & secundùm similitudinem: alius simpliciter & secundùm essentiam.*

1. SVb primo nomine peregrini serui, senes decrepiti & infantes comprehenduntur. Nam hi lege & luce ciuitatis non aliter, quàm alij ciues vtuntur. Veruntamen, quia peregrini & serui rerum ciuilium per se non sunt participes: & quia decrepiti, itémque infantes ab officiis & negotiis reip. vacant, non absolutè & simpliciter, sed secundùm quid & ex parte inter ciues nominandi sunt. Hîc quæritur, *Num homines scelerati degentes in ciuitate, possint dici ciues?* Resp. Qui sunt vitiosi animo, siue mali quoad virtutem animi, possunt esse boni officio, siue secundùm virtutem muneris. Ciuis simpliciter ac verè est pars ciuitatis particeps ciuilis potestatis. Consistit autem ciuilis ista potestas in muneribus & oneribus ciuilibus perferendis. Hîc quidam sic arietant: Non omnis ciuis admittitur ad munera publica, videl. ad consilium, iudicium, & magistratum; quibus sicpote respondèdum. Participatio non solùm in fruendo cernitur, quòd debetur magistratui, sed etiam in vtendo, quod debetur ciui. Deinde cùm sine consensu ciuium lex publica non fiat, populus in magistratu veluti conclusus regiæ maiestatis quodammodo compos habetur. Denique quilibet verè ciuis admitti potest ad munera publica: ita tamen vt alij sint Scipiones, alij Quirites. Sic igitur alij actu, alij potentiâ sunt participes consilij, iudicij, seu electionis, & magistratus.

2. LVIII. *Ciuis verè siue plenè, talis est natus vel factus.*

ILle dicitur originarius, necessarius, naturalis, & indigena, qui natus est in ciuitate patre ciue: hic dicitur assumptus, adscriptus, voluntarius, cooptatus, receptus, & inquilinus, qui ius ciuium adeptus est consensu ciuium natorum. Dicitur autem potiùs ius ciuium, quàm ciuitatis: quia ius ciuitatis est indiuiduum seu incommunicabile. Vtriusque ciuis exemplum occurrit *Act. 22. à v. 25. ad 29.* vbi apostolus Paulus testatur, se esse ciuem Romanum, & eum quidem natum: quia natus erat è Iudæis, qui tum temporis ius ciuitatis Romæ pro se & suis redimebant liberis. Neque tamen hinc sequitur, modernos Iudæos esse ciues Romanos: quia posteaquam Iudæi rebellarunt aduersus Romanos, & victi fuerunt à Tito, amiserunt ius ciuium Romanorum, & facti fuerunt mancipia.

3. LIX. *Ciuis analogicè (qui quidem est in honore) vsitatè diuiditur in forensem, honorarium, confœderatum, & municipem.*

FOrensis est aduena, qui ad tempus subsistit in aliqua ciuitate, vtens foro & lare ipsius, vt est miles, mercator, & studiosus. *Honorarius* est, qui donatus est ciuitate honoris ergo. Sic multi Germani sunt ciues Romani: & rex Galliarum est ciuis Helueticus. *Confœderatus* est qui vi fœderis habetur pro ciue, vti Bernenses & Geneuenses, itémque multi in prouinciis Belgicis dicuntur ciues. *Municeps* est is, qui licet tribum & ius adipiscendorum publicorum honorum in quapiam repub. sit adeptus, in eadem tamen domicilium non habet. Hîc quatuor quæruntur 1. *Num peregrini ad ius ciuitatis admittendi?* 2. *An Cigari & Iudæi ferendi in rep.?* 3. *Num opifices sint ciues?* 4. *Num egeni tolerandi in ciuitate?* Resp. ad 1. Lex Atheniensium de non recipiendis peregrinis cum mica salis accipi debet. Nam nec peregrinitas, nec nimis multi peregrini, nec infames & flagitiosi sunt recipiendi, sed viri boni, qui amicè sunt affecti erga remp. in quam cupiunt recipi. *Ad* 2. Cigari sunt manipulus furum, & colluuies impostorum & ignauorum fucorum. Nullatenus igitur ferendi sunt. Vnde & constitutiones Romani Imperij illos non ferunt. Ad Iudæos quod attinet, illi quidem ferendi sunt, sed ita, ne nimis multi alantur, ne sint domini Christianorum, & ne sint spongiæ, quæ sanguinem & succum Christianorum exhauriant. *Ad* 3. Opifices sunt ciues, iique vel procreatione, vel adscriptione seu dicatione, vt Cicero loquitur. Sunt enim liberi homines, legibus obligati, & eiusdem reip. immunitatibus gaudètes, quæ est definitio ciuis. Hîc autem opus est distinctione inter opifices alicuius & nullius notæ. Illi sunt honesti, hi non item: illi excellentem artem tractant, & proinde digni sunt rude libertatis, hi minùs valent ingenio, & sunt aut serui à naturâ, aut seruis proximi, ideóque indigni luce & theatro ciuitatis. Interim tamen illi ipsi sunt ciues æquiuocè. Atque ita carnifices etiam dicuntur ciues. Ais: At omnium opificum artes sunt sordidæ? Resp. Sordidæ sunt vel comparatè, videl. respectu liberalium, vel verè, vt illorum, qui volutantur in sentinis ciuitatis. *Ad* 4. Egentium tria sunt genera: primò infirmi, vti sunt orphani, mendicorum filij, decrepiti, cæci, claudi, infecti, & miserabiles: & hi sunt ferendi, imò & subleuandi. Secundò infortunati, vt vulnerati milites, deiecti ciues, ægroti pauperes: & hi quoque ferendi, ac iuuandi. Tertiò dissoluti, vti sunt prodigi, vagabundi, desidiosi & validi mendicantes. Pro his carcer, labor, & flagellum apparari debent. Et de his duntaxat accipi debet lex illa Platonis: *Nemo nostrâ in ciuitate mendicus esto.*

CAPVT IV.

De Formâ reipublicæ.

PRÆCEPTA.

ITA se habet materiale reipublicæ: sequitur ipsius formale, quod est vnio rerum ac personarum politicarum. Dicitur aliàs status qualitatis, & forma reip.

Forma reip. est Monarchia, vel Polyarchia.

Monarchia est forma, in qua maiestas vni inest. Et Monarchia diuiditur tribus modis. 1. Est electiua, successiua, vel mixta. In illa liberis populi suffragiis nouus princeps eligitur, vt in Germaniâ, & Poloniâ. In ista regius honor certæ familiæ à populo defertur, ita vt proximus in familiâ succedat in imperio: qualis est in Hispania, Gallia, Anglia. In hac successio temperatur electione: vt in Dania. 2. Est regnum, vel dominatus. Ibi princeps gubernat subditos æquitate naturali, libertate ac dominio subditis permisso: dicitur aliàs monarchia regalis, vt est in Germania, Hispania, & Gallia. Hîc princeps libertatis ac possessionum dominus factus imperat imperio despotico seu dominico, vt in Turcia. 3. Est eminens, vel minùs eminens. Illa prædominans, hæc dominans dicitur. Illa superiorem non agnoscit, vt Hispania: hæc agnoscit, vt Ducatus in Romano imperio. Ad eminentem monarchiam pertinet vera, quæ dicitur, monarchia, itémque honoraria: ad minùs eminentem quasi monarchia, eáque tum temporaria, tum tributaria. In vera monarchia cernitur potestas, & iurisdictio: in honoraria gradus honoris ac prædominij tribuitur alicui imperio ab aliis: in temporaria certus est temporis terminus: in tributaria cernitur tributi persolutio, non verò obsequium.

Polyarchia est, cùm maiestas pluribus inest.

Estque vel Aristocratia, vel Democratia. Illi opponitur Oligarchia & Timocratia, huic Ochlocratia.

Aristocratia est, cùm maiestas paucioribus inest, qui dicuntur optimates: aliàs dicitur respublica κατ' ἐξοχήν.

Eſtque 1. Duumuiratus, Triumuiratus, Septemuiratus, &c. 2. Alia quoad poſſe, alia quoad eſſe. Ibi ad tempus: hîc perpetuo imperant Optimates.

Democratia eſt, cùm maieſtas vniuerſis ciuibus ineſt. Aliàs dicitur ſtatus popularis.

REGVLÆ.

Forma reipub. quid?

I. *Forma Reip. eſt harmonica partium Reip. coordinatio, & ad vnitatem ordinis politici reductio.*

PEr hanc enim Reſp. eſt id quod eſt,& eſſentialiter ab aliis rebus diſtinguitur. Dicitur autem hîc vnitas ordinis politici,quæ conſiſtit in proportione Geometricâ,ad excludendum vnitatem numeri, ſiue arithmeticam, itemque Platonicam illam, quæ introducit cõmunitatem omnium rerum,ſine mei tuíq; diſtinctione:quæ lues potiùs eſt reip.quàm forma ipſius.

Summa reip diui ſio quid?

II. *Reſpublica eſt recta, vel non recta.*

HÆc eſt prima diuiſio reip. & quidem generis æquiuoci in ſpecies. *Recta* eſt, in qua communi bono ſtudetur à magiſtratu: quod fit,ſi magiſtratus ſit medicus,pater,gubernator nauis, & bonus paſtor. Medicus erit, ſi diligenter cognoſcat morbos ciuitatis,& cognitos prudenter curet.Pater erit,ſi ſubditos tanquam filios diligat, & ipſis tanquam filiis neceſſaria ſuppeditet. Gubernator erit, ſi ſcopulos proſpiciat, & nauem in portum beatitudinis producat.Paſtor erit,ſi ſubditos à lupis defendat & ipſe neque vellera tollat, neque ſuas oues deuoret. *Non recta* ſiue fucata eſt, in qua bonum vnius vel paucorum,non autem reip. quæritur. Sed inquiunt nonnulli: Nullam inuenire eſt remp. ſine labe. Malè igitur diuiditur in rectam & non rectam. Reſp. Labes non eſt magis pars reipub. quàm ſpina roſæ quæ cum illa creſcit. Si verò labes fiat lethifera, & formam tanquam animam reip. eripiat, inde reſp. denominatur non recta ſeu mortua, vbi tantum materiale inuenitur vt in cadauere.

Tres duntaxat sũt formę imperij.

III. *Triplex in vniuerſum eſt reip. forma: Monarchia, Ariſtocratia, & Democratia. Quartum genus,quod dicitur mixtum, nullum eſt.*

TRes duntaxat eſſe reip. formas,ita patet.Populus omnem ſuam poteſtatem & iura quæ habet, vel vni confert, vel pluribus: & hi ſunt vel optimates, vel ipſe populus. Neque refert, quòd temperamentum quoddam in gubernatione cernitur. Nam,vt rectè ait Bornitius,monarchia gubernari poteſt ariſtocraticè, vel democraticè: ariſtocratia monarchicè, vel democraticè: democratia monarchicè vel ariſtocraticè: adeò vt ſæpe triplex adminiſtrandi ratio commiſceatur, ſtatu illibato. Ita tres humores in corpore hominis cholericè poſſunt regi, vel phlegmaticè. Quemadmodum enim in omnibus, ita in reip. formis à potiori, ſeu eo quod prædominatur,fieri debet denominatio: ſic tametſi quatuor humores, cholera,ſanguis,phlegma,& melancholia reperiantur in cuiuſuis hominis corpore; ab vno tamen, videl. prædominante, fit denominatio. Hinc homo dicitur cholericus, ſanguineus, &c. Eam ob cauſam *Bodinus 2. de rep. cap.1. Gregorius Tholoſanus 6. de rep. cap.1. Iunius in quæſt. polit. quæſt.2. Lipſius lib.2. ciuil. doctrin. cap.2.Hœnon.diſp.polit 9.*mixtionem rerump reiecerunt: quam ex veteribus Polybius & Dionyſius Halicarnaſſeus, ex recentioribus Keckermannus & alij acerrimè propugnarunt.Rationes plures pro noſtra ſententia vide apud *Hœnon. d. l. & Timplerum lib. 5.polit. cap.2. quæſt.7.*

Monarchia dicitur duobus modis?

IV. *Monarchia dicitur ſimpliciter, vel ſecundùm quid.*

ILla eſt ſolius Dei,hæc in politicis habet locum: eſtque vel minor, vt diſtrictus ſeu dominium,baronatus & comitatus: vel maior,vt eſt principatus, regnum & imperium,ſtrictè ſcil. acceptis vocabulis. Per excellentiam tamen quatuor numerantur monarchiæ ex *Dan.2.& 7.capp.* videl. Aſſyrio-Chaldaica, Perſica, Græca, & Romano-Germanica. Sleidanus vocat quatuor ſumma Imperia.

Monarchia quãdo naturalis?

V. *Monarchia eſt naturalis, ſi imperet homo virtute excellens.*

RAtio; quia qui imperat, eſſe debet vicarius Dei, non autem Diaboli.

Monarchia triplex?

VI. *Monarchia eſt heroica,Laconica, vel Barbarica.*

HEroica ſeu ciuilis eſt,in qua præſtantes viri imperant tempore pacis. *Laconica ſeu militaris* eſt,cùm in militia poteſtas vitæ & necis eſt penes vnum. *Barbarica* eſt ſimilis herili imperio, quæ à tyrannide in hoc differt,quod inuitis non imponitur. Et hîc ſecundùm leges viuitur, ſed admodum onerosas, vt in Moſaica.

An monarchia sit optima reip forma?

VII. *Tametſi monarchia ſit optima reip. forma: non tamen ſemper & vbique præferenda eſt ariſtocratiæ aut democratiæ. Pro diuerſa enim regionum,populorum,temporis aliarúmque circumſtantiarum varietate reip.forma variat.*

DVæ ſunt partes huius regulæ, quas diſtinctè videbimus. Primò monarchia tredecim potiſſimum rationibus optima reip. forma euincitur. 1. *Ad diuinæ gubernationis ſimilitudinem proximè accedit*:vtpote quæ ſola omnia in vniuerſo mundo regit, quáque regiminis formâ nulla datur perfectior. Et CHRISTVS eſt vnicus monarcha Eccleſiæ. 2. *Clementati diuinæ conuenientiſſima*:quandoquidem ipſe DEVS hanc ſuo quaſi calculo approbatam populo ſuo præſcripſit,quando ipſis regem conſtituit. 3. *Antiquiſſima,& cum ipſis mundi incunabulis inchoata.* Cùm enim mundus & animalia creata eſſent,illis continuò à ſummo monarcha vnus rex conſtitutus homo,qui dominaretur iis Et antiquiſſimi populi elegerunt vnum Apollinem, ad quem confugerent. Sic Romulus Romæ, Theſeus Athenis, & alij alibi tenuerunt clauum. Hinc *Arniſæus lib.1. polit.cap.9.* eam monarchiam cæterarum matrem dicit.4. *Iurigentium accommodatiſſima.* Omnes enim gentes regibus primùm paruerunt. Et pleræque gentes monarchiam probant,vt Germani,Hiſpani,Galli,Britanni,Tartari: & quondam,Chaldæi, Perſæ, Romani. 5. *Naturali inclinationi aptiſſima.* Beſtiæ ſiquidem aliquod regiminis monarchici veſtigium habent, dum vnum principem ac ducem agnoſcunt & ſequuntur,vt in gruibus,ac imprimis in apibus videre habemus.Sic inter lapides Adamas, oliua inter plantas,leo inter quadrupedes,aquila inter aues,inter planetas Sol,inter orbes cœleſtes cœlum beatorum eminet. Hinc dicitur omne naturale regimen ab vno eſſe. Sic ab vno corde,tanquam primo mobili,reliqua dependent membra: ab vna anima plures potentiæ procedunt: ab vno Sole reliquæ ſtellæ lumen mutuantur. 6. *Reip. propria & domeſtica.* Cùm enim vnitas ſit menſura multitudinis, neceſsũ eſt,vt in omni omnis reip formâ ariſtocraticâ & democraticâ ſit imago aliqua monarchiæ. Hinc multi populi,qui relicto hoc ſtatu ſpe commodioris vitæ in popularem, vel ariſtoticum ſtatum inducti fuerunt, tandem ad priſtinum regimen regredi ſunt coacti: quod inter alia exemplum Romanorum probat, recenſente *Tacito lib.1. annal. in princ.*7. *Eſt omnium perfectiſſima*: quippe menſura reliquorum ſtatuum. Hinc reſp. dicitur genus πρὸς ἓν, cuius præcipua ſpecies ſit monarchia.8. *Finem ſuum facillimè aſſequitur*: ſiue conſiliorum inuentionem & executionem, ſiue imperantem,ſiue ipſam gubernationem ſpectes 9. *Abſolutiſſima maximéque diuturna.* Nam quò quid magis eſt vnum,eò eſt firmius & diuturnius: vt in Anglia,Hiſpania,& imprimis Romano Imperio videre licet. 10. *Digreſſioni & aberrationi non ita obnoxia,vt reliquæ formæ.* Nam faciliùs vnus bonus inuenitur,quam plures:& inuentus faciliùs obſeruatur,atque in officio continetur,quàm multi. 11. *Commoditatibus cæteras formas anteſtat.*Rex enim à ſe non diſſentit:diſſentientes conſiliarios ad concordiam reuocat:in votis colligendis nulla vtitur mora: conſilia habet ſecretiora: officia reip. ipſe curat: vota corrupta illibatáque ſeruat. Facit ad electionem faciliorem & certiorem: qua in re latet fomes ſeditionis. Tutiùs enim eligitur vnus quàm multi. 12. *Eſt ſimpliciſſima*: quia maxima ibi cernitur vnitas. 13. *A politicis primæ ceræ eſt approbata.* Vide *Ariſtotelem 3.pol.c.9.Bodin.de rep.lib.6.c.4.Gregor.lib.5.c.1.Lipſiũ pol.2.c.2.Caſum ſphær.ciuit.lib.3.c.9.Caſmannum, Althuſium,Keckerm.& Timpl.in politicis.*Iam videamus alteram canonis noſtri partem. Abſolutè loquendo vtraq; reip. forma,tam polyarchia,quàm monarchia, in ſe conſiderata eſt laudabilis ac vtilis.Vtraque enim tendit ad bonum publicum. Comparatiuè autem ſi veniant in conſiderationem,non æqualibus laudum paſſibus ambulabunt. Nam monarchia in idea propriáq; naturâ conſiderata,eſt præſtantiſſima regiminis forma: vt inſuperabilis ille rationum modò allatarum exercitus probat. Sed propter certas circunſtantias,mutationes,ac morbos,à quibus reſp.vindicanda,ſæpe polyarchia eſt magis optabilis,ſuauis,ac laudabilis.*Bodin. de rep.l.6.c.4.Keckerm.ſyſt.polit. lib.1.c.1.& curſu philoſ.diſp.29 theſ.41.probl.6.Hœnon.diſp.pol.9. theſ.15.* Hinc maiorum gentium politici hoc loco obſeruandam eſſe monent illam celebrem philoſophi diſtinctionem inter τὸ ἀγαθὸν καὶ τὸ αἱρετὸν, ſeu inter τὸ βέλτιον καὶ τὸ αἱρετώτερον, i.e.inter præſtantius & eligibilius.Sic v.g.aurum præſtat ferro, ſed hoc illi præfertur in vſu armorum:& vinum præſtantius eſt aqua, ſed hæc eligibilior eſt febricitanti. Sic Ariſtocratia humanæ imbecillitati eſt omnium accommodatiſſima.Vide conſultationem ſeptem principum Perſarum de optimo genere imperij apud *Pontanum progym. vol.3.p.1.& Zepperum* de vitiis ac degeneratione trium iſtarum formarum *lib.3 ll.foren.*

Cur aristocratia & democratiam monarchiæ ſæpe præferantur?


Democratia maximè obnoxia mutationi?

VIII. *Democratia maximè eſt obnoxia mutationi.*

RAtio; quia magna hîc eſt contrarietas opinionum,maximúſque receſſus ab vnitate.

Hoc

Hoc loco non ab re fuerit inſerere vniuerſam doctrinam *de ſtatu rerump.* prout illam vir Conſultiſſimus IOHANNES GVILIELMVS ROVENSTRVNCK I. V. D. olim me præſide in illuſtri ſcholâ Herbornenſi diſputauit.



Caput V.

De causis supernaturalibus conseruantibus rempubl.

Præcepta.

Sic de fundatione reipubl. sequitur conseruatio, secundùm illud medium, quo respubl. quæ cœpit esse pergit bene esse.

Illa pendet à causis generalibus & specialibus.

Causæ generales sunt, quæ cuiuis reip. formæ conueniunt: suntque supernaturales, & naturales. Illæ diuinæ, hæ humanæ dicuntur.

Supernaturales pendent à Dei prouidentiâ, & sanctorum angelorum custodiâ. Vtraque sanctis precibus à Deo petenda.

Regulæ.

Prima causa cõseruans rempub. quæ?

I. *Causa prima procreans remp. est quoque prima causa eam conseruans: nimirum prouidentia Dei.*

HIc sanè locum habet illud φιλόσοφημα: *Eadem sunt principia constitutionis & conseruationis*: seu, Per quæ aliquid constituitur, per ea etiam conseruatur. Cùm itaque Deus sit prima causa constituens rempubl. idem quoque paternâ suâ tutelâ illam conseruare credendus est. Hoc passim docet Scriptura imprimis *Dan. 2. & Prouerb. 8. v. 15.* & lex naturæ confirmat, vt ex scriptis politicis ethnicorum videre est, in quibus primo motori, id est Deo, tribuitur inspectio & sustentatio reipubl.

An reb. angeli boni præsint?

II. *Singulis prouinciis certos ordinariè præesse angelos verisimile est.*

HVnc canonem vide suprà in *Pneumaticis p. 3. c. 5. reg. 13.* Hâc de re πολιτικῶς ille *Danæus lib. 3. Polit. c. 2. & 3.* sic ait: Angeli prouinciis seu regnis assignati sunt à Deo, qui tantisper ea conseruent, dum vult Deus illa superesse. Sic Persis angelus à Deo fuit attributus, *Dan. 10. v. 13. cap. 12. v. 1.* Sic Macedoniæ quoque *Actor. 16. v. 9.* Et rursus: Deus prouinciis & respubl. Angelos bonos attribuit, quas conseruatas esse cupit, qui eas custodiant, *Dan. 10.*

Caput VI.

De Ordinatione reipubl.

Præcepta.

CAvsæ naturales, quæ conseruant rempub. pendent ab industriâ humanâ, & sunt numero tres; videlicet ordinatio, administratio, & defensio reipubl. constitutæ.

Ordinatio est reipubl. in certas classes distinctio.

Distinctio illa est rerum, vel personarum.

Distinctio rerum est, quâ distribuuntur bona in publica & priuata. Illa patrimonio & vsui populi sunt destinata, eáque tum immobilia, vt agri publici, pascua, syluæ; tum mobilia, quorum ratio pendet à confectione ærarij, adeóque collatione, quam vocant: hæc patrimonio singulorum relinquenda sunt.

Distinctio personarum fit in status, seu ordines, & collegia.

Status est vnio personarum & rerum ciuilium officij ciuilis gratiâ ordinata. Huiusmodi status sunt numero quatuor: è quibus primus simplicissimus est priuatus, qui dicitur œconomicus, *der Nehr oder VVehrstand*: reliqui sunt orti, compositi, & publici, videlicet scholasticus & Ecclesiasticus, qui vno nomine dicuntur *der Lehrstand*: & politicus, sub quo polemicus seu militaris, *der Regir vnd VVehrstand.*

Collegium est vnio certarum personarum, saltem trium, eiusdem muneris, rerúmque ad id pertinentium, authoritate principis nixa. Hinc in statu œconomico sunt collegia agricolarum, mercatorum, & opificum: in scholastico professorum & studiosorum: in ecclesiastico pastorum & presbyterorum, in politico magistratuum, iudicum, consiliariorum, militum.

Regulæ.

I. *Ordo est anima reipublicæ.* Ordo anima reipubl.

NAm quemadmodum anima vegetat, & conseruat corpus: ita ordo conseruat remp. Ordo enim est filia vnitatis, vt in primâ philosophiâ docuimus. Vnitas verò conseruat rem. Hinc Scaliger ordinem vocat animam mundi: quia ille absque ordine nil nisi chaos futurus esset. Omnis autem ordo, qui pendet vel à naturâ, vel à curâ, cernitur in distinctione seu proportione; in administratione eorum, quæ distincta sunt; & denique in defensione seu firmitate rerum distinctarum & administratarum.

II. *Res populi est bonum publicum, instrumentum virtutis ciuilis.* Res populi quid

EStque tum animata, vt seruus vel bestia: tum inanimata, eáque partim mobilis, vt pecunia, partim immobilis, vt domus. Interdum autem res mobilis præfertur immobili, vt pecunia horto: interdum immobilis mobili, vt hortus seruo.

III. *Res immobilis est sacra, sancta, & profana.* Res populi immobiles.

REs sacra est templum vel schola. Res sancta hîc dicitur, quæ est inuiolabilis, vt mœnia, portæ. Res profana est naturalis, vt flumen, sylua; vel artificialis, eáque tum domus, tum vrbs: cuius partes sunt primò ædificia, priuata & publica; & hæc tum conuentionalia, vt curia, tum subsidiaria, vt granarium: secundò mœnia; tertiò spatia publica, vt plateæ, fora, eáque iudicialia & venalia, portæ & pomœria.

IV. *Res mobilis complectitur primò memorialia, vt sunt annales & archiua: secundò vsualia, vt sunt arma: tertiò voluptaria, vt est aula: quartò reditus, quorum acquirendorum sex sunt media.* Res populi mobiles.

MEdia ista sunt 1. Monetæ procusio. 2. Vectigal, nauticum & vectorium, ac vtrumque extraneum vel intraneum. 3. Tributum siue collatio ordinaria, eáque ex mobilibus, vt vino, & immobilibus, vt prædiis. 4. Multæ legitimæ 5. Donatio 6. Collatio extraordinaria, eáque triplex. 1. Iugatio, quæ indicitur ciuibus pro magnitudine, numero, & qualitate possessionum. 2. Capitatio, quæ in singula personarum capita constituitur. 3. Hospitatio, quâ subditi obligantur ad hospitium aliquandiu præbendum personis extraordinariis publicè vtilibus.

V. *Res populi consideratur quoad possessionem & vsum.* In re populi spectatur κτῆσις & χρῆσις.

QVoad possessionem bona non sunt communia, nisi sint publica: quoad vsum omnia bona debent esse communia. Communitas igitur Platonica, quæ tollit dominium rerum, cui similis nunc temporis est anabaptista; non debet habere locum in rep. quia est ipsissima confusio. Sed duo obiiciuntur. 1. Propria possessio solius est Dei. Ergo homini eandem tribuere non licet. 2. Natura nobis dedit communem possessionem cœli & elementorum. Hæc enim iure naturali ab omnibus possidentur. Ergo etiam in repub. huiusmodi communitas debet habere locum. Resp ad 1. Deus vt author, vnidominus & proprietarius, homo vt dispensator rerum possessionem habet. Ille homini dedit proprietatem possessionis, & communitatem vsus, vt homo non sibi, sed aliis ad beneficentiam viueret. Ad 2. Res ita sunt comparatæ, vt homo vel possit, vel non possit in illas habere dominium. Prioris generis res sunt propriæ, vt agri, horti: posterioris generis res non possunt esse propriæ, vt cœlum, elementa, &c.

VI. *Vrbes muris circumuallari non quidem absolutè necessarium est, si spectentur in se, sed comparatè ad hostem.* An vrbibus necessaria mœnia?

HInc murus dicitur esse vrbi decus, mons ciui, terror hosti. Ita sanè Troja Græcorum, Roma Hannibalis impetum non potuisset tamdiu masculè sustinere, absque mœnibus si fuisset. Neque valet exemplum Almacidæ, qui rogatus, cur Lacedæmoniorum ciuitas mœnibus non esset cincta, ostensâ iuuentute ciuitatis respondit: Quid opus est muris? Muri hi sunt, hi sunt castra & propugnacula ciuitatis. Nec incommodat illud Solonis: Non in mœnibus ciuitatis, sed in viribus hominis, non in munimentis, sed in lacertis vis belli consistit. Hæc enim vt subordinata malè opponuntur.

VII. Vrbes

Vrbium situs salubrior quis?

VII. *Vrbes orientem & septentrionem versus sunt salubriùs sitæ, quàm quæ meridiem aut occasum solis spectant.*

NAm in oriente est benignior cœli influentia, subtilitas aëris maior, salubritas ventorum insignior & melior vsus aquarum, quàm in meridie & occidente.

Suburbia num partes vrbis?

VIII. *Suburbia sunt partes vrbis, & non sunt.*

SVnt, si nomen vrbis latè accipiatur, idemque significet quod ciuitas, quæ est multitudo hominum sub eiusdem imperij summâ potestate. Non sunt, si vrbs strictè sumatur pro loco septis murorum terminato.

Num asyla permittenda?

IX. *Asyla permittenda sunt in ciuitate, non vt sint refugia facinorosorum, sed rigidi iuris remedia.*

HOc est, vt eò se recipiant illi, qui per errorem & ignorantiam alios interfecerunt, non autem illi, qui contumaciter peccarunt.

Annui reditus nerrus reip.

X. *Annui reditus sunt neruus reipub.*

IDeo rectè Lazarus Suuendius rogatus, quid primò sit necessarium in rep respondit, Pecunia. quid secundò? dixit Pecunia. quid tertiò? repetiit, Pecunia.

Quæ distinctio optima?

XI. *Distinctio reipub. quæ fit in status & collegia potior est illâ, quæ fit in certa concilia*

FEdericus Furius de conciliis & consiliariis, hæc summatim habet. Concilium principis est certa concio vel congregatio hominum selectorum, ad consulendum (vnde & quibusdam dicitur consilium) vel pacis, vel belli tempore: cuius operâ præteritorum meminit, præsentia cernit, futura prouidet. Huiusmodi concilia numero septem debent esse principi. *Primum est quæstorium*, quod ærario & publicæ pecuniæ præficitur. *Secundum est togatum*, quod politicis negotiis destinatur. *Tertium est militare*, quod polemica curat. *Quartum frumentarium*, quod prouinciæ prospicit de annonâ, & constituit canonem frumentarium. *Quintum est legale*, quod debet considerare, quibus magistratibus & rectoribus prouincia egeat. *Sextum est criminale*, quod ad mulctas & pœnas est destinatum. *Septimum est censorium*, quod inquirit in virtutes & vitia subditorum. Atque hæc sunt septem concilia, quæ ad gubernationem regni sunt necessaria. Hæc si quis velit ad reipub. distinctionem referre, aberrabit à scopo Furij, qui ad reipub. gubernationem respexit. Commodissima autem reipub. distinctio fit in status & collegia: de quibus hæc duo quæruntur. 1. *An vnus homo possit esse in pluribus statibus?* 2. *An collegia sint probanda in repub. Respon. ad* 1. Vnus idémque homo potest in pluribus statibus bona conscientia habere locum, qui se inuicem non impediunt in functione. Ita vnus idémque potest esse paterfamiliâs & pastor, paterfamiliâs & præceptor, paterfamiliâs & consiliarius vel magistratus, doctor in schola & ecclesia. Sed vnus idémque non potest simul in statu ecclesiastico, docere & in politico, vel polemico ducere. Vide supra *cap.* 3. *reg.* 5. *quæst.* 5. *Respon. ad* 2. Collegij finis est commune bonum, cuius promouendi, conseruandi, & augendi causa collegæ congregantur. Hinc nihil ad respub. continendas stabilius, quàm societates, sodalitia, & collegia tueri. Ideò Solon, & exemplo Solonis Numa, Lycurgus & alij, ciues sodalitiis ac societatibus deuinxerunt.

An vnus homo fit esse pluribus statibus?

An collegia reip. utilia?

XII. *In populo considerantur partes & ordines.*

Partes populi duplices.

PArtes populi sunt vel simplices, vt homines singuli, de quorum naturâ tractat Physica: vel compositæ, eæque tum familiæ, de quibus OEconomica præcipit, tum collegia; quæ sunt considerationis politicæ. Horum videbimus definitionem, partes, & species.

Collegium quid?

XIII. *Collegium est particularis societas hominum eiusdem conditionis, boni publici causa communicantium operibus & oneribus certis.*

DIcitur aliàs sodalitas, synodus, conuentus, & eleganter confraternitas: quia collegium conseruat amicitiam inter ciues, sine qua Respub. stare non potest. Ideo Lycurgus, Solon, & Numa Pompilius collegia instituerunt itemque Augustus postliminio restituit collegia à Cæsare dictaturam arripiente oppressa: quia viderunt, collegia imprimis frangere tyrannorum consilia & molitiones. Hinc Tarquinius Superbus, Iulius Cæsar, Nero & Dionysius Siculus, & multi homines nobilitati tyrannide, collegia destruere conati sunt. Cæterùm personæ collegij debent esse eiusdem conditionis, hoc est, eiusdem vitæ, generis, officij, artis, studij, & professionis: quod Bodinus perperam negat contra finem collegij. Si verò coëant plura collegia in vnum, dicitur corpus.

XIV. *Pauciores tribus collegium constituere & conseruare non possunt.* Tres faciunt collegium.

RAtio est: quia inter duos non inuenitur, qui dissidia inter ipsos orta componat. Tametsi verò etiam duo, v.gr. præceptores, vel pastores dicantur collegæ, hoc tamen non fit propter societatem collegialem, sed propter officij potestatem & paritatem, vti suprà diximus.

XV. *Præfectus collegij maior est singulis collegis, minor verò vniuersis.* Præfectus collegij qualis & quantus?

RAtio est, quia præses constituitur ab vniuersis, quorum commodis inseruit. Ab iis igitur dependetur in essendo, sic etiam in parendo. Ideo in singulos, non in vniuersos collegas habet potestatem.

XVI. *Bona collegij collegio soluto redeunt ad singulos pro rata, id est, prout exigit ratio singulorum, quæ pendet vel à dignitate, vel à tempore, vel à contributione.* Bona collegij quorum sint?

XVII. *Maior pars in collegio concludit.* Quænam pars in collegio concludat?

SI scilicet nihil decernat contra honestatem & vtilitatem. In hoc enim casu vota non numeranda, sed ponderanda.

XVIII. *Collegia sunt sacra, vel ciuilia.* Collegia quotuplicia?

SAcra sunt primò scholastica, quæ sunt velut Amaltheæ cornu, quibus sublatis non animæ pabulum, sed Augiæ stabulum vix ab Hercule repurgandum videbis. Secundò Ecclesiastica, eáque tum Canonicorum, tum Monasticorum. Canonicorum munus antiquitus erat Scripturam canonicam interpretari, & ex ea emergentes controuersias decidere, & denique curare, vt doctrina pietatis & humanitatis purè traderetur. In collegiis Monasticis primitus iuuenes à mundi huius strepitu segregati & disciplinæ arctiori traditi rerum diuinarum & philosophicarum studiis commodiùs vacabant, & libros describebant. Collegia ciuilia sunt primò superiorum siue magistratuum, vt collegia senatorum, consulum, duum virorum, trium virorum, decem virorum, quindecim virorum, centum virorum, &c. secundò inferiorum siue subditorum, vti sunt collegia mercatorum, artificum, & compagnorum, vbi excellunt collegia tribunitia, in quibus præsides dicuntur magistri tribuum & tribuni, reliqui appellantur tribules.

XIX. *Ærarium rectè constitutum est reipub. neruus.* An ærarium & quomodo constituendum?

NAm si respub. habeat ærarium benè constitutum, omnis generis res, quæ ad rempub. firmandam & amplificandam faciunt, facilè potest comparare. Constituitur autem ærarium compendiis publicis & priuatis: & vtrisque tum ordinariis, tum extraordinariis. Ordinaria publica compendia fiunt ex publicis bonis, putà agris, venatione, solo publico, metalli fodinis, vsuris publicis, monte pietatis, vt vocant, opificiis publicis, mercatura, monopoliis publicis, salinis: priuata sunt vel spontanea, vt collationes testamentariæ, hæreditates, donationes in rempub. & legata; vel imperata, vt sunt vectigalia, eáque nautica & vectoria, intranea & extranea, putà portoria, ripatica, mulctæ, compendia ex iure migrationis ciuitatis, vectigal fundorum priuatorum, ædium, molendinorum, opificiorum, collegiorum, mercium, iumentorum. Oportet autem vectigalia ex causa esse necessaria, ex forma moderata, ex fine vtilia, ex personis æqua, ne exigantur à priuilegiatis. Nam immoderata vectigalia pessundant rempub. qualia fuerunt ducis Albani in Belgio, qui vnius diei interuallo ex rebus promercalibus, quæ venierant, septingenta ducatorum millia sibi comparasse legitur. Non etiam debent esse sordida: qualia fuerunt Vespasiani lucrum captantis ex lotio. Extraordinaria compendia sunt capitatio, hospitatio, iugatio, adæratio seu taxatio patrimonij: de quibus vide *Keckerm. syst. polit. l.* 1. *cap.* 21. Debet autem ex hisce omnibus confici ærarium triplex: ciuile, militare, & sacrum, ídque partim scholasticum, partim ecclesiasticum.

XX. *Collationis, seu contributionis, occurrunt requisita & species.* Collatio in rep. qualis & quotuplex?

REquisita sunt 1. causa. 2. quibus in rebus potissimùm indicatur. 3. professio illius & descriptio. 4. adæratio. *Causa* collationis est euidens reipub. necessitas & vtilitas. *Res, ex quibus potissimùm collatio exigenda* est, sunt 1. quæ minùs nocere pauperibus possunt. 2. res minutæ, non verò graues. 3. quæ publici iuris sunt, v.gr. agri publici, viæ regiæ, flumina nauigabilia,

gabilia, portus, &c. 4. quæ minùs necessariæ sunt, & quibus non vtimur ad quotidianum victum. His, inquam, rebus, rectiùs & tutiùs collationis necessitas imponitur. *Professio collationis* est, qua patrimonij, & nominis conferentis atque erogantis apud magistratum reipub. fit testificatio & denuntiatio. *Descriptio* est, qua singularum personarum conferentium, & rerum collatarum nomen, & collationis modus, in tabulis publicis præscribitur. *Adæratio* est taxatio, censura, & æstimatio patrimonij facultatisque conferentium. Modus adærationis ex his duobus metiendus est: primò ex facultate subditi, deinde ex necessitate reipublicæ. *Species collationis* sequuntur. Est itaque collatio ordinaria, vel extraordinaria. *Collatio ordinaria*, seu regularis, est pensio, vel æstimatio. *Pensio* est, quando quis ex fundo, quem habet, magistratui quotannis partem aliquam dat. v. g. aliquot modios frumenti, aut dolia vini, aut quantitatem metalli. Dicitur vulgo canon frumentarius, metallicus, &c. id est immutabilis pensio ex frumento, metallo, &c. *Æstimatio* est collatio, quam quis annuatim in numeratâ pecuniâ, vel aliis rebus mobilibus, pro æstimatione patrimonij & bonorum suorum præstat. Præcipuè species huius collationis sunt 1. *tributum*; quod consistit in auro, argento ære, armis, equis, vestibus. 2. *vectigal isagogicum & exagogicum*, id est, pro rebus inuectis vel euectis. 3. *collatio anomala*, vt est indictio & superindictio in casu necessitatis. *Collatio extraordinaria* est 1. *Iugatio*; cùm qui plura prædia possidet, plus confert ad necessitates publicas incidentes. 2. *Contributio per æs & libram*; quæ fit pro viribus patrimonij. 3. *Capitatio*, Græcis ἐπικεφάλιον; quæ viritim in singula capita, quæ numerantur, non inspecta patrimonij quantitate, constituitur. Appellatur etiam capitalis illatio. 4. *Hospitatio*; quæ est hospitij præbitio, superuenientibus militibus, vel aliis personis facta. 5. *Parasanga, angaria, & perangaria*, hoc est, cursorum, equorum, nauium, plaustrorum, & similium vsus.

Tributa quomodo exigẽda? XXI. *Tributa exigantur iustè & prudenter. Iustè exigantur, quando ipsorum necessitas suadetur in genere & in specie.*

CVm enim asperrima in auribus vulgi vox sit Tributum: primò ostendendum est, quòd tributa sint ornamenta pacis, & subsidia belli, & fructus quibus resp. augeatur: deinde specialis necessitas, quæ incidit varia & valida, diligenter inculcanda. Quòd si magistratus suadendo nihil impetret dicat cum Themistocle: Duabus deabus comitatus venio SVADA ET VIOLENTIA. Et subditi hic cogitent illud Taciti: Suasio ab eo qui iubere potest, vim necessitatis adfert.

Prudẽtia in exigẽdis tributis cernitur in modestia. XXII. *Prudentia in exigendis tributis cernitur in modestia, æqualitate, exigentium ministrorum cohibitione, & fideli exactorum tributorum dispensatione.*

1. Modesta æqualitate. XXIII. *Modesta æqualitas exactionem attemperat ad singulorum facultates & obseruat istas regulas.*

1. NE *tributa sint nimis grandia, sed modica*: ne magistratus rem auferat cum puluisculo, vt Plautus loquitur: & ne ærarium illius sit spoliarium, vt sunt verba Plinij, & cruentarum prædarum receptaculum: ne ita pennas incidat, vt non renascantur: ne denique sit Roboamus sed malit tondere pecus, quàm deglubere. Qui enim nimis emungit, elicit sanguinem. 2. *Tributa ne sint sordida & magistratu indigna.* Turpe enim est lucrum ex omni occasione odorari, & vt in prouerbio est, vel à mortuis auferre. Non igitur dicat princeps cum Vespasiano: Lucri odor ex quauis re bonus esse solet. Non etiam licet tributum exigere ex rebus minimis & inhonestis, vt ex lenociniis & lupanaribus: non etiam à personis priuilegiatis, putà ecclesiasticis nisi extraordinariè. 3. *Tributa ne sint frequentia.* Locum hic habeat illud Taciti: Ne exquiras subinde nouos sinus, & varia prædandi vocabula, vt centesimas quadragesimas, quinquagesimas. &c. Odio eris si crebra exegeris. Et hæc causa præcipua est in iis, quæ Belgicas prouincias abalienauerunt à Rege Hispaniarum. 4. *Tributa æqualiter imponantur sine odij aut gratiæ respectu*: imponantur, inquam iis, qui non sunt immunes ab eiusmodi oneribus. Hîc locum habeat illud: Magistratus commoda & incommoda ciuium non diuellat. Summa: Magistratus in exigendis tributis consideret circumstantias, quando, quantum, quomodo, vnde, & cur.

2. Cohibitione ministrorum exigentium. XXIV. *Cohibitio ministrorum exigentium est, quâ eorum auaritia, fraus, & crudelitas refrenatur.*

SVnt enim fermè isti homines felibus rapacioribus, & veluti harpyiæ & hirudines, quibus studium est hominem excoriare, prædámque in sinum suum conferre. Hi sunt homines cum senis manibus, quos si Argus seruet, qui oculus totus fuit, is nunquam seruet, vti Plautus facetè, more suo, loquitur. Huiusmodi homines, qui priuato suo commodo inseruiunt, non adhibebit magistratus, sed rem istam spectatissimo cuique demandabit, & fallentes amouebit, imò & exprimet tanquam spongias, postquam affatim biberunt. Secus si faxit, subditi clamabunt sibi quoque duos esse diuos, paupertatem & impotentiam.

XXV. *Dispensatio exactorum tributorum est, qua in reipub. commodum tributa conuertuntur.* 3. Dispẽsatione tributorum exactorum.

OPortet nempe vt sciat populus magistratum custodem & dispensatorem esse illorum, non vt suorum, sed vt communium bonorum.

CAPVT VII.

De Normâ administrationis.

ADMINISTRATIO siue gubernatio reipub. est, quâ ciues in officio continentur.

Eius occurrit norma & forma.

Norma administrationis est lex, siue ius, cuius spectatur varietas & validitas, vt ita dicam.

Varietas est, quòd ius sit commune vel proprium.

Ius commune est vel naturæ, vel gentium.

Ius proprium, est vel sacrum, quo Christiani vtuntur: vel ciuile, quo peculiariter vtitur quælibet resp. & dicitur ius politicum.

Estque vel sancitum, quod scribitur & publicatur: vel consuetudinarium, quod pendet à consuetudine rationabili.

Vtrumque est publicum, vel priuatum.

Ius ciuile publicum est rerum & personarum tum politicarum, putà magistratus, consiliariorum, legatorum, &c. tum ecclesiasticarum & scholasticarum, tum militarium.

Priuatum est rerum & personarum œconomicarum: quò pertinet ius ciuium priuatorum & ius familiâs.

Validitas est, qua legi seu iuri conciliatur vis: quod fit censurâ & exemplo.

Censura respicit præmia & pœnas.

Exemplum est bona vita eorum qui præsunt.

REGVLÆ.

I. *Ius est præceptum æqui, suum cuique tribuens secundùm proportionem harmonicam.* Ius q

ACerrima inter philosophos est contentio, *Quænam proportio in iustitia sit obseruanda?* Platonici, quia vnitatem & communitatem suam defendunt, necesse habent agnoscere proportionem Arithmeticam, quâ omnes differentiæ sunt æquales, itaut tantum sit in marsupio tuo, quantum est in marsupio Fuggeri: & vt tam bonum vinum bibas, quàm bibit rusticus aliquis in Rhætiâ. Bornitius & alij existimant obseruandam esse proportionem harmonicam siue musicam. Iustitia, inquiunt, suum cuique tribuit secundùm proportionem harmonicam, quæ est composita è Geometricâ & Arithmeticâ, id est, ex rationibus parium & similium inter se ritè temperatis. Quæcunque igitur præcepta siue iura ex æquo definienda fuerint quoad personas & res, secundùm proportionem harmonicam conformanda sunt: vt suum cuique tribuatur. Contrà, si disponantur secundùm Arithmeticam, omnia erunt paria. Si iuxta Geometricam tantùm, nulla erunt paria, sed omnia similia. Vtrumque cum iniustitiâ coniunctum. Sic illi. Denique sunt, qui distinctè Arithmeticam, & Geometricam proportionem considerant: & illam in contractibus, hanc in præmiis & pœnis obseruandam esse docent. Nos conciliamus secundam & tertiam sententiam, hoc modo. In Democratiâ quæritur æqualitas proportione Arithmeticâ: vt pariter volunt admitti ad consulatum Paulus Æmilius antecellens genere & virtute, & Terentius Varro lanius. In Aristocratiâ quæritur æqualitas proportione Geometricâ, vt conuenientia tribuantur idoneis Paulus Æmilius fit consul & ductor exercitus, lanius curet culinam. Similiter in Monarchiâ. Atque hæc vera sunt de iustitia distributiua. Sed in iustitia commutatiua seruanda est proportio Arithmetica. Quia verò proportio harmonica maximam habet conuenientiam cum Geometricâ,

Geometricâ, fit vt multi authores pronuntient in iustitia debere obseruari proportionem harmonicam, cùm positis tribus terminis, neglectis ipsorum differentiis & proportionibus, quemadmodum maximus terminus comparatur ad minimum, sic differentia medij & maximi ad differentiam medij & minimi: vt 3. 4. 6. sex ad tria sunt duplum: ita duo ad vnitatem sunt duplum. Sic plus debet conferre Crassus, quàm Irus, proportione harmonica 3. 4. 6. cùm Crassus, vel Crœsus habens 6. dat 2. medius habens 4. dat 1. ita fiunt 3. Sic est consonantia medij contra infimum. Idem fermè conficitur proportione Geometricâ. Et ob hanc proportionis harmonicæ & geometricæ conuenientiam, facilè possunt conciliari patroni secundæ ac tertiæ sententiæ. Sic videas quosdam theologos dicere, in Ecclesia obseruari proportionem Geometricam, quosdam harmonicam. Res enim ferè redit eodem, v. gr. Ioseph, Dauid, & latro in cruce sunt dissimiles: sed vt Ioseph ad Dauidem, ita hic ad latronem in cruce, respectu fidei se habet proportione Geometricâ vel harmonicâ. Contra Platonicorum deliria vide passim Ethicam, OEconomicam, & Politicam.

Ius politicum è quatuor fontibus hauriendum.

II. *Ius politicum colligendum est è quatuor principiis, Naturâ, Ratione, Scripturâ, & Prudentiâ.*

IVs est vel naturæ, vel diuinum, vel gentium, vel ciuile, vt omnes politici Christiani rectè tradunt. Diuersa autem iuris naturæ & iuris gentium nomenclatura est apud diuersos, imò & apud eosdem: vti hinc inde in hac Encyclopedia videre licet. Quæ res ne tyroni nebulas offundat, breuiter adferemus conciliationem. Principio itaque ius naturæ sumitur latè, vel strictè. Latè ius naturæ diuiditur in primum & ortum. Primum subdiuiditur in primarium & secundarium. Illud dicitur, quod natura omnes animantes docuit: Hoc, quod natura omnes homines docuit, quatenus sunt animalia rationalia. Ius naturæ ortum est, quod natura docuit hominem vt est animal sociale: atque hoc est ipsum ius gentium. Si ergo latè sumatur ius naturæ, complectitur sub se ius gentium. Sed strictè ius naturæ sumitur duobus modis. Primò dicitur id, quod natura docuit omnia animalia. Natura autem est potestas seu vis Dei, per quam docet animalia, vt generent, séque & generata conseruent. Deinde ius naturæ dicitur id, quod natura docuit hominem, vt est animal rationale. Ius gentium similiter accipitur latè & strictè. Latè ius gentium est, quod ratio inter homines constituit. Estque vel primæuum, quod cum genere humano proditum est: vel secundarium, quod vsu & humanis necessitatibus exigentibus introductum est. Constituit verò ratio naturalis inter homines duo iura, amorem erga Deum & hominem. Vnde iuris gentium est semen religionis erga Deum, & amor proximi. Hinc ex hoc iure orta sunt bella, seruitutes, manumissiones, discretæ gentes, regna condita, dominia distincta, agris termini positi, ædificia collocata, commercia, emptiones, venditiones, conductiones, obligationes institutæ. Strictè ius gentium dicitur, quod ratio inter homines constituit, quatenus sunt animalia socialia. In politicis autem & quotidianis actibus hæc significatio attenditur, vt ius naturæ dicatur, quod natura docuit omnia animalia: ius gentium, quod naturalis ratio inter homines constituit. Porrò ius diuinum respicit obligationem legalem vel euangelicam. Et lex diuina est moralis, iudicialis, vel ceremonialis. Lex moralis est æterna: quippe quæ est ipsa lex naturæ animata & vegetata per explicationem diuinam. Lex iudicialis est simplex, vel mixta. Illa est perpetua: quia concernit politiam, qua politia est. Hæc habet aliquid de iure communi, & aliquid de iure particulari quod concernit politiam Mosaicam. Lex ceremonialis est certi temporis. Obligatio euangelica respicit ius redemptionis per Christum. Sequitur ius ciuile seu politicum quod sic dicitur, quòd eo præter ius naturæ ac gentium vtatur quælibet ciuitas, addendo vel detrahendo aliquid, quod salua manente substantia addi & detrahi potest. Nec enim totum à iure naturali & gentium recedit, nec per omnia ei seruit. Addit autem iuri communi, cùm id supplet quod ad circumstantiam pertinet; idémque declarat, ac certis solennitatibus informat. Detrahit, cùm indeterminatum eius cursum coarctat, & certo limite definit. Quid verò, inquiat aliquis, an non ius naturæ ac gentium satis est ad rempub. ritè administrandum? Huic breuiter talem comparatam volo responsionem. Si vna eadémque populorum natura, si mores iidem, si vna eadémque omnium regionum ac locorum esset ratio, si temporum & causarum conuenientia, si aliarum circunstantiarum consensus; vtique vnum & idem ius vniuersis ac singulis conueniret, & res politica esset in facili. Verùm enim verò cùm genius ingeniúmque populorum orbis sit varium, variáque sint cœli climata, diuersus locorum habitus, & reliquarum circumstantiarum dissidium; ideò pro ratione cuiúsque reipub. differente, differens ius est constituendum: quod ideò ἀπὸ τῆς πόλεως, dicitur politicum. Atque hinc sæpenumero fit, vt quod hîc æquum est, alibi sit iniquum. Mutatis enim causis & circunstantiis mutatur ius. Ex his colligere est, cur in canone dixerimus, ius politicum colligendum esse è quatuor principiis, in quibus prudentia politica ius naturæ, gentium, ac diuinum pro varietate populorum, personarum, locorum, causarum, ac temporum singulis rebuspub. conuenienter adaptat. Hîc incidit quæstio, *An leges forenses Mosaicæ obligent Christianos omnes Testamenti?* Et, *An leges positiuæ, à magistratu latæ, sint obligatoriæ in conscientia? Respon. ad* 1. Leges forenses Mosaicæ sunt immutabiles, vel mutabiles. Posterioribus illis nullo modo Christianus magistratus tenetur: vtpote quæ merè sunt ciuiles, id est, populo Iudaico accommodatæ sæpéque ceremoniis permixtæ. Cùm enim istæ leges pro ratione circumstantiarum, loci, temporis, populi personæ, ac rei denique ipsius sint constitutæ, oportet vt sublatis hisce causis sublatus quoque sit effectus. Si quis ergo istas leges hodie postliminio reuocare vellet, similis esset illi, qui rempub. Venetam legibus reipub. Belgicæ vellet conformare, quo quid magis insulsum in politiâ committi possit, nullus video. Quod verò attinet ad leges forenses seu iudiciales immutabiles, quia in illis dominatur lex naturæ & æquitas moralis, omnino Christianus magistratus illis obligatur. Moses enim legem naturæ, quæ nonnisi obscurè & confusè nobis est nota, declarauit modo diuinissimo. Hinc leges istæ Mosaicæ, quas æternus prætor sanciuit, vt sunt verba Heresbachij, magis quàm aliæ obligant conscientiam. Consule *Iunium de politia Mosis, & Zepperum de legibus Mosaicis forensib.* qui duo totam istam controuersiam determinant hac distinctione: Quæ in legibus forensibus sunt iuris communis seu legis naturæ, illa sunt æterna: quæ iuris particularis, temporaria. *Respon. ad* 2. Leges positiuæ seu ciuiles non obligant conscientiam, qua ciuiles sunt, id est, latæ ab hominibus: sed quatenus conueniunt cum legibus naturæ, gentium, & Dei Opt. Max. Respectu namque huius consensus in iis lucet maiestas Dei, qui solus habet dominium in conscientiam. Ideò rectè dicunt politici, leges ciuiles obligare conscientiam indirectè ac mediatè, leges naturæ, Dei ac gentium directè ac immediatè.

An magistratus hodie resp. ex legibus Mosaicis forensibus regere debeat?

An leges positiuæ obligent conscientiam?

Lex est norma.

III. *Lex est norma iustitiæ & æquitatis.*

HInc lex dicitur magistratus mutus, vinculum reipub. anima & spiritus ciuitatis, fundamentum politiæ, murus iustitiæ, vitæ custos & medicus, oculus reipublicæ, regina rerum diuinarum & humanarum, regula iustorum & iniustorum. Hîc quæri solet, *Vtrum respub. meliùs administretur ab optimo rege, an verò ab optima lege?* Respond. Optima lex sine rege est fulmen brutum: Optimus autem rex, licet non habeat legem scriptam, habet tamen legem naturæ. Optimus enim non esset, si hanc normam non haberet. Ideo meliùs & efficaciùs respub. regitur ab optimo rege, quàm ab optima lege. Impossibilis autem est hypothesis Machiauellistarum, dum quærunt, Num rex possit regere sine lege?

In legibus sanciendis quid spectandum?

IV. *In legibus sanciendis spectanda est ipsarum æquitas & necessitas, quæ continetur his regulis.*

1. LEges nitantur ratione. Hæc enim est anima legis. Ratio autem illa petenda est è scripturâ, naturâ, & circumstantiis. 2. Leges sint publicè vtiles. Hic enim est finis legum. 3. Leges sint perspicuæ, & decidant controuersias secundùm lineam rectam: ne sint plumbea regula & nasus cereus. 4. Leges scribantur de practicabilibus. Aliàs erunt vota inania & subditos ad desperationem impellent. Non igitur sanguine Draconis, sed stylo Mosis scribantur. 5. Leges sint paucæ. Vbi enim multæ leges, ibi multitudo interpretationum est, quæ semper noxia. 6. Leges sint conuenientes consuetudini, moribus, locis, temporibus, & personis. 7. Magistratus nouas leges addat parcè: rarissimè, nisi ex prægnante causa, refigat latas. Contemtum enim parit crebra & temeraria mutatio. Sensim tamen & prudenter leges malæ corrigi possunt; quia non sunt leges, nisi æquiuocè.

Promulgatio legis quomodo instituenda?

V. *Sanctionem legis excipiat promulgatio, iuxta has regulas.*

1. LEges ferantur & promulgentur ab iis qui habent ius principale. Lex enim plurimum roboris ac firmitatis accipit ab authoritate dantis. 2. Leges promulgandæ approbentur ab iis, qui legibus teneri debent. 3. Leges publicè proponantur conuocatis ordinibus, & ita proponantur, vt causæ exponantur cur latæ sint, vt demonstretur illarum necessitas ac vtilitas, vt denique suadeatur obseruationis facilitas, adhibitis solennitatibus. 4. Ciues se obligent ad obedientiam præstandam legibus.

An requiratur promulgatio ad legem?

VI. *Ad legem ciuilem requiritur promulgatio.*

LEx naturæ ac gentium quia est iuris vniuersalis seu communis, non requirit promulgationem. Secus res habet in lege ciuili. Nam quia illa est iuris particularis, quod non omnibus

nibus eſt notum, requiritur publicatio, vt omnibus innoteſcat, & poſt certum temporis lapſum obligationem pariat. Et ne obliuioni tradatur, in Scripturam ſolet redigi: vnde appellatur ius ſcriptum. In monarchia dicitur Conſtitutio: in ariſtocratia Senatuſconſultum, in Democratiâ Plebiſcitum. Porrò poteſtas condendi hanc legem eſt penes principem: qui eam committere poteſt ac concredere magiſtratibus inferioribus, ciuitatibus ac municipiis: vnde ius honorarium, ſtatutarium, & municipale dicitur. omne autem vel expreſſo, vel tacito principis conſenſu conſtitui intelligitur, adeò vt contradicente principe tale ius nullum ſit.

Executio legum quàm neceſſaria?

VII. *Executio legum eſt vallum & foſſa Reip.*

Leges enim non in ſcriniis & tabulis, ſed in moribus ciuium eſſe oportet. Ideo legatus Athenienſis Sparta reuerſus & interrogatus, quomodo Spartani remp. ſuam adminiſtrarent, funem, furcam, & gladium in curiam attulit, & iis monſtratis, in his poſitam eſſe ſalutem ciuitatis dixit. Et ſanè oriuntur ſeditioſæ populi voces & aduerſus magiſtratum coniurationes, vbi non viget executio legum.

Legum vis vnde?

VIII. *Legum nulla eſt vis ſine cenſurâ & exemplo: quæ duo conſtituunt diſciplinam ciuilem.*

Legum vis eſt duplex, inſita & conciliata. Inſita pendet à cauſis externis & internis. Ita lex naturæ & diuina vim habet ab authore Deo & claritate principiorum, quæ ita ſunt comparata, vt vel intellectus non diſtortus vltrò iis aſſentiatur, vel à Spiritu S. illuſtratus illa apprehendat. Vis conciliata pendet ab incitamentis, quibus ciues vel flectuntur & inſtigantur, vel conſtringuntur. Huiuſmodi incitamenta nobis ſunt duo, Cenſura & Exemplum. Cenſuræ vocabulum ſumitur hoc loco ſtrictè & latè. *Strictè cenſura* eſt, qua vitia leuiora moreſque corrupti, qui pœnam exemplarem, vti vocant, adhuc non mereri videntur, corriguntur & emendantur, metu ſcilicet notæ ſeu virgulæ cenſoriæ: vt ſunt crapula, laſciuia in veſtitu, prodigalitas in ædificiis. Huc pertinent ſeueræ dehortationes & comminationes à magiſtratu, paſtore, vel presbyterio factæ. Magna huius cenſuræ apud veteres Romanos erat veneratio & obſeruatio. Et optandum eſſet, vt poſtliminio reuocaretur, inque Chriſtianorum reſpub. introduceretur. *Cenſura latè ſumta* complectitur præmia & pœnas. Illa bonos, iſtæ malos reſpiciunt. Nam boni præmiis, itemque exemplis ad obſequium legis magis magiſque, tanquam aureo Palladis fræno pertrahuntur: mali autem metu correctionis à vitiis & flagitiis, tanquam ferreo aliquo fræno, retrahuntur, iuxta illud poëtæ.

Oderunt peccare boni virtutis amore.
Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

De exemplo, byſſino illo, vt ſic dicam, incitamento poëta eleganter ſic canit:

——————*Totus componitur orbis*
Regis ad exemplum——————

Nam exemplum eſt veluti ſpeculum, in quo ciues vident, quid ſequendum, quid fugiendum. Quicunque igitur bonos ciues efficere deſiderat, vtatur præſidio legum, & ſubſidio cenſuræ atque exempli. Porrò diſciplina ciuilis continetur his regulis. 1. Fundamentum diſciplinæ politicæ poſitum eſt in liberorum recta educatione. 2. Duabus rebus continentur reſp. præmiis & pœnis. 3. Præmia tribuantur dignis, ne lutum manibus, & farina pedibus tractetur. 4. Præmia & pœnæ tribuantur iuxta proportionem Geometricam. 5. In pœna furti diſtinctè procedat magiſtratus hunc in modum. Pœna furti eſt ordinaria vel extraordinaria. Bene hac de re Hereſbachius in Chriſtiana Iuriſp. ſtatuit, magiſtratum bona conſcientia poſſe ſupplicia externa iuxta ἐπιείκειαν moderari; ratione temporum, gentium, & circumſtantiarum. 6. In pœnis irrogandis dominetur miſericordia, ſed non crudelis & muliebris, quæ parcit ſceleratis. 7. Pueri & adoleſcentes mitiùs puniantur, quàm viri & ſenes. Hinc leges ciuiles eodem loco pueros quo furioſos habent, ſcilicet reſpectu pœnæ. 8. Ebrioſus flagitium committens grauiori pœna afficiatur quàm ſobrius. Ebrioſus enim peccat in naturam, remp. & ſe. Alia verò eſt quæſtio de ebrio. Ebrietas enim tanquam actuale vitium mitigat delicti grauitatem, vt in quantum non in totum excuſet. 9. Qui errore caſu, & impudentia peccant, leuiùs puniantur. Ita vult lex diuina, *Deut.* 17. Et Athenienſes eiuſmodi delictis inuoluntariis aras conſtituerunt, ad quas confugerent, qui illa deſignaſſent. Atque hoc fine poſſunt conſtitui aſyla, contra quàm fit in Papatu. 10. Nobilis mitiùs puniatur quàm ignobilis: ſi priuilegia nobilitatis ita exigant. Intellige circumſtantias pœnæ, non mutationem generis pœnæ. Ita ſi nobilis committat homicidium, capitali pœna æquè afficiendus eſt atque plebeius: ſed circumſtantiæ mitigari poſſunt. Idem de dignitate pronunciant leges ciuiles. Si tamen circumſtantiæ ſic exigant, homines in dignitate conſtituti exemplariter puniuntur, ſi exemplariter peccent. Et verò ſolent priùs exauthorari tales homines, quàm mulctentur morte. 11. Qui peccant animi quadam commotione, non tam grauiter puniendi. Nam quicquid in calore iracundiæ fit vel dicitur, non priùs ratum eſt, quam ſi perſeuerantia appareuerit. 12. Imperitiæ & ruditati ſæpè venia danda: niſi forte peccatum iteretur. 13. Lata culpa grauiùs plectatur, minùs culpa leuis, leuiſſima mitiſſimè. Exulet hic Stoica opinio de paritate vitiorum, & pœnarum, & rigor Draconis, qui omnibus peccatis pœnam capitis conſtituit. 14. Nemo puniatur pœna corporali ob aliena peccata. Poteſt tamen aliquis puniri pœna pecuniariâ ob aliena peccata, ſi ſe vltro obliget ad eam præſtandam. Poteſt etiam aliquis priuatiuè puniri propter peccata aliena, vt cùm vaſallus perfidus ſibi & liberis ſuis amittit ius feudi: ſed nemo debet puniri poſitiuè ob aliena delicta. 15. Magiſtratus non niſi graui de cauſa dimittat facinoroſos. 16. Lupanaria nec probentur, nec tolerentur in repub. Chriſtianâ: quia ſua naturâ inhoneſta ſunt. 17. Ciuibus hac lege concedatur peregrinatio ne peregrinitatem introducant in rempub. patriam. 18. Præmia danda ſunt benè viuenti, ac benè merenti de repub. idque prudenter ac iuſtè, ab eo, qui poteſtatem habet publica beneficia impertiendi, iuxta proportionem Geometricam, vel etiam harmonicam, circumſtantiis diligenter excuſſis. Sunt autem præmia vel gratiæ, vel honoris, vel emolumenti: quæ ſingula declarantur certis ſymbolis. *Præmium gratiæ* eſt, quando magiſtratus bene meritum proſequitur clementiâ: putà cùm vultu, alloquio, colloquio, menſa, vel ſimili fauoris ſigno benè meritum dignatur. *Præmium honoris* eſt titulus, nomen, veſtimentum, ornamentum, vel ſimile virtutis ſymbolum: éſtque vel nobilitatis, vel dignitatis. Nobilitas confertur ob virtutem excellentiorem togatam vel ſagatam. Symbola ipſius olim erant ſtatuæ, columnæ, imagines: hodie ſunt inſignia gentilitia. Dignitas confertur vel cum publico munere, vt iudicis, conſiliarij, ſenatoris, paſtoris: vel abſque munere publico, vt ordo equeſtris, patritiatus, doctoratus. Huc pertinent iſta ſymbola toga, laurus, clauus, faſces, ſceptrum, annulus, corona. *Præmium vtilitatis* eſt ius libertatis, ius ciuitatis, immunitas, collatio opum, feudum datum fidelitatis vel ſeruitiorum bellicorum cauſa, & omnino priuilegium, quod eſt veluti lex priuata ſeu ius ſingulare, indultum vel perſonæ ob meritum, vel rei ob fauorem. Eius cauſa debet eſſe vtilitas publica, eáque euidens. Eſt autem priuilegium vel laxius, quod datur familiæ, vel arctius, quod datur perſonæ. Pœnæ infligi debent propter facta, dicta, ſcripta, vel conſilia mala, iuſtè ac prudenter, ſecundùm proportionem harmonicam, ita tamen vt hîc prædominetur Geometrica, qua pœna commenſuretur delicto, vt nec maior ſit, nec minor: circumſtantiis perſonarum, cauſarum, loci, temporis, quantitatis, qualitatis, euentus, & ſimilibus diligenter penſitatis. Eſt autem pœna vel legalis, vel arbitraria. Illa legibus eſt definita: hæc pendet ab arbitrio magiſtratus. Illa in delictis frequentioribus & atrocioribus: hæc in leuioribus infligitur delinquenti. Deinde pœna eſt negatiua, vel poſitiua. Negatiua fit priuatione quorundam bonorum humanorum & ciuilium: vt quando proditorum filiis negatur ius ciuitatis. Poſitiua fit irrogatione ſupplicij: cùm videlicet vita eripitur, corpus mutilatur, carceri aliquis includitur. Denique pœna eſt capitalis, quò pertinent varia ſuppliciorum genera: vel non capitalis, vt infamia, mulcta, confiſcatio. Ad hunc titulum politicum mouentur iſtæ quæſtiones. 1. *An ſola actio virtutis debeat eſſe menſura ſiue cauſa diſtribuendi honoris?* 2. *An ſtatuta ſunt mutanda?* 3. *An fures capitali ſupplicio afficiendi?* 4. *An tortura pugnet cum principiis theologicis & philoſophicis?* 5. *An lex talionis ſit iuſta?* 6. *An in præmiis & pœnis diſtribuendis diſtinctio ſit facienda inter perſonas?* 7. *An iuſtitia iudicialis admittat* προσωποληψίαν? *Reſpon. ad* 1.

An ſola virtutis actio ſit menſura diſtribuendi honoris?

Honor eſt naturalis, vel ciuilis. Honor naturalis debetur ſanguinis ſucceſſioni: honor ciuilis debetur ſoli actioni virtutis. Hæc enim eſt vera menſura diſtribuendæ dignitatis in ciuitate: tum quia iuſta eſt & æqualis, tum quia communis omnibus, tum quia comparatu eſt facilis, & denique perpetua & immutabilis. Grauiſſimè igitur errant, qui vel corporis, vel fortunæ, vt vocant, bona ſpectant in diſtribuendis honoribus. *Reſpon. ad* 2. Leges ſunt vel fundamentales, vel non fundamentales.

An ſtatuta ſint mutanda?

Fundamentales leges non ſunt mutandæ, niſi ſint iniquæ. Quòd ſi æquæ ſint, & prægnans, vt loquuntur, neceſſitas vrgeat, non niſi ſenſim ac leniter ſunt mutandæ. Præſtat enim, vt ſunt verba Bodini, legis conditionem vtcunque iniquam ferre, & paulatim non vtendo antiquare, quàm momento abrogare. Et ante omnia videat magiſtratus, ſi alio modo reſpub. conſeruari nequeat, vt nouæ iſtæ leges ad populi naturam & mores accommodentur, vt ita eliciat ipſius conſenſum. Aliàs, ſi populus non conſentiat in mutationem legum, cicatrix potiùs feratur, quàm nouum lethale vulnus infligatur. Quod attinet ad leges non fundamentales, quæ concernunt ſeruitutes, iura teſtamentorum, contractus, & ſimilia negotia politica, has interdum conuenit pro ratione circumſtantiarum mutari. Homo ſiquidem non ſemper fert leges tam abſolutæ prudentiæ, vt in illis nihil ſucceſſu temporis

temporis poſſit deſiderari & emendari. Illa tamen mutatio debet eſſe parca & prudens, ne legibus fundata ciuitas, legibus euertatur. Et crebra legum mutatio præterquam quòd parit contemtum legum, ſubditos ad ſeditionem excitat, & magiſtratus authoritatem minuit. Rectè igitur dicunt politici: Cùm de legis mutatione agitur, omnia ſunt in ſtaterà ponderanda. Nam niſi admodum circumſpectè hîc agatur, ilias malorum ſolet oriri: cùm periculoſum ſit, fundamentum alicuius domus mutare. Hinc politicus Andegauenſis ait: Ne quis ſubſtructiones altiſſimarum ædium, ſaluis illis, renouare ſe poſſe putet: quæ etſi non ruant, plus tamen ipſa concuſſio domus incommodi, quàm noua materia vtilitatis eſt allatura. Nihil itaque magis ad concordiam ſtabiliendam in reipub. conducit, quàm leges & mores veteres, quantum fieri poteſt, retinere. *Reſpon. ad 3.* Plurima leguntur apud veteres pœnarum genera, quibus fures affecerunt. Alij enim eos, qui pauca furabantur, ſputis dehoneſtabant. Alij fures lapidibus obruebant. Draco, legiſlator Athenienſis, qui non atramento ſed ſanguine, leges ſuas ſcripſiſſe dicitur, ſanxit, vt omne furtum, etiam rei exiguæ, putà olerıs, eſſet capitale. Contra Lacedæmones, aliàs viri acres, patrio iure ac legibus furandi vſum permiſerunt, idque hoc fine, vt ſolertia illa furandi ingenium acueret, & animos iuuenum ad vigilandi tolerantiam, & omnino prudentiam, velut obfirmaret. Spartani furtum cautè aſtutè & acutè commiſſum laudibus celebrabant, ſed furem deprehenſum ἐπ' αὐτοφώρῳ verberibus & flagris mulctabant: quòd imperitè furatus eſſet. At Deus populo ſuo diſtinctas leges de pœna furti præſcripſit, videlicet pœnam dupli, quadrupli, & quintupli. *Exod. 22. v. 1. 4.* Hodie in Romano Imperio omne propemodum furtum eſt capitale, ex conſtitutione Friderici Barbaroſſæ, vt qui quinque ſolidos fuerit furatus, laqueo vitam finiat. Nos facimus cum iis qui diſtinctè reſpondent ad hanc quæſtionem. Furtum primò eſt ſimplex, vel compoſitum. illud eſt, cum quo non concurrit aliud flagitium: hoc ſecus. Deinde furtum eſt vel hominis, quod dicitur plagium: vel externorum bonorum, & quidem vel rei ſacræ, quod dicitur ſacrilegium: vel rei profanæ, cuius furtum eſt vel abigeatus, quo pecora abiguntur, vel rerum inanimatarum: idque aut occultum, aut manifeſtum. Occultum eſt ſimplex duntaxat. Manifeſtum eſt ſimplex, vel compoſitum, quod coniunctum eſt vel cum inuictâ malitiâ ſeu malitioſâ repetitione, vel cum vi ſeu violentiâ, vti ſunt effoſſio nocturna ædium, graſſatio publica, inſidiæ vitæ, latrocinia, & omnino vis publica. His ita præmiſſis ſic ſtatuimus. 1. Furtum omnino puniendum eſſe recta ratio docet. 2. Modus pœnæ pendet à circumſtantiis. 3. Creſcentibus delictis creſcant & pœnæ, ſed non excreſcant. Ita enim pœnæ ſunt exacerbandæ, vt genus pœnæ non mutetur. Secus enim ſi fiat, ſubuertitur analogia ſeu proportio, nobile illud iuſtitiæ fundamentum. 4. Plagium, ſacrilegium, & furtum cum violentiâ coniunctum, de lege diuinâ ſunt capitalia. *Exod. 21. v. 16. Deut. 24. v. 7. Ioſ. 7. v. 11. 25. Exod. 22. v. 2.* Et leges XII. tabularum, ac poſtea Romanæ ſimiliter, furem nocturnum occidere permiſerunt, & diuturnum, ſi ſe telo defenderet. 5. Malitioſa furti repetitio multiplex facit furtum capitale. Nam

———————Immedicabile vulnus
Enſe recidendum eſt, ne pars ſincera trahatur.

6. Furtum ſimplex ita puniendum eſt, vt ſalus reipub. exigit. Hinc fures apud alios damnantur ad metalla, triremes, aliaque opera publica: apud alios puniuntur reſtitutione dupli: apud alios capite plectuntur, vt in Anglia. Hac de re placet adſcribere ſententiam *Guil. Perkinſi* theologi Angli: qui in Catecheſi ſua in explicatione 8. præcepti decalogi ſic ait: *Furti pœna iudicibus ſtatuenda eſt pro delicti magnitudine, ideóque fures quandoque capitali ſupplicio puniendi. Si dicatur, legem Dei iudicialem quadrupli reſtitutionem pro mulcta inſtituere, ſciendum eſt, in poteſtate magiſtratus eſſe, quando augetur delictum, augere pœnam ciuilem.* Et paulò poſt. *Fures perturbant publicam tranquillitatem, cuius maior habenda eſt ratio, quàm priuatæ ſalutis vnius.* Hoc vult vir eximius: Quando fures ſimplices in aliqua prouincia ita factitant artem, vt ſic loquar, furandi, vt reſpub. non poſſit conſeruare, niſi capitale ſupplicium de illis ſumatur, vtique hoc non eſt improbandum. Neque enim hîc inter ſe conferuntur bona ablata & vita furis & ſalus reip. Sic ergo mihi videtur pronuntiandum de furto ſimplici, illud ſua natura non eſſe capitale, ſed propter iſtam circumſtantiam, ſi tranquillitatis publicæ ratio ſic exigat. Et verò quando conſtat, quæ ſit voluntas magiſtraſtratus in puniendo furto, contemtus illius malitioſus ſeuerè puniendus eſt. Quod attinet ad legem Barbaroſſæ, illa multis reſtringenda videtur ad graſſatores & publicæ pacis violatores. Vide *Antonium Matthæum in collegio Inſtit. & Zepperum de legibus forenſibus. Reſpon. ad 4.* Tortura eſt moderata, vel immoderata. Moderata eſt, quæ fit ob præcedentia indicia legitima probata, & à reo non refutata, quando aliter veritas haberi non poteſt in cauſis criminalibus: in capitalibus, quando de commiſſi maleficij corpore & veritate conſtat. Hæc igitur eſt legitima, ſi ſit tempeſtiua, & temperata. Tempeſtiua eſt, quam præcedunt tres cauſæ, videlicet notorium ſeu euidentia delicti capitalis, indicium legitimum probatum, & perſona non exempta. Temperata eſt, quæ fit ex præſcripto rectæ rationis, pro quantitate & qualitate delicti atque perſonæ torquendæ. Teneantur itaque hîc iſta axiomata. 1. Non ex qualibet cauſa & accuſatione aliquis eſt ſubiiciendus quæſtioni, ſed tantùm ex cauſa criminali & capitali. 2. Si reus argumentis & indiciis penitus ſit conuictus, & veritatem malitioſè non fateri, veniendum eſt ad durum iſtum bolum. 3. Vnum indicium & teſtimonium ad torturam non ſufficit, niſi ſit valde euidens. 4. Magiſtratus non nimis feſtinet ad torturam, ſed iuſtum tempus & defenſionem legitimam accuſatis concedat. 5. Adminiſtratio torturæ ſit humana, non crudelis. 6. Non ſemper fides habenda eſt iis, quæ in torturâ dicuntur: ſed diligenter animaduertendum, an credibilia dicantur, & num examinati perſeuerent in dictis per quæſtionem extortis. Fit enim ſæpenumero, vt quidam doloris impatientiâ fracti in quouis potiùs mentiantur, quàm vt torturam denuò ſubire velint. 7. Si quis tanta ſit duritiâ, vt cruciatus torturæ perferat & veluti contemnat, ideóque nihil confiteri velit, cùm nihilominus τεκμηρίοις quibuſdam probari poſſit delictum, benè longum tempus impendendum eſt examini accurato per varias interrogationes. 8. Si quis perferat cruciatus, & modò aiet, modò neget, ac ſemel prolata reuocet, ſatius eſt illum dimittere, iuxta regulam: *Melius eſt nocentem abſoluere, quàm innocentem condemnare.* In ſumma: Hîc in defectu potiùs quàm in exceſſu peccare eſt tutius. Cæterùm ſi nulla adhiberentur tormenta, aut multi ſcelerati ad ſupplicium trahendi eſſent abſque propria confeſſione, quæ res mali eſſet exempli, & ſcrupulum, vt loquuntur, conſcientialem iudici iniiceret: aut ex centum flagitiis vix vnum eſſet puniendum, quia rectè qualificati & iurati teſtes raro admodum haberi poſſunt in atrocioribus iſtis ſceleribus, quæ fermè ſine teſtibus committuntur. Quod attinet ad torturam immoderatam, in qua nulla habita ratione circumſtantiarum ſinguli homines ſuſpecti ad torturam rapiantur, hæc ſanè pugnat cum æquitate, indéque penitus eſt improbanda. Vide *Althuſium lib. 3. Iuriſprud. cap. 39.* Qui torturas ſimpliciter reiiciunt, vti *Zepperus lib. 5. de legib. forenſ. cap. 10.* nituntur his rationibus: quòd non ſint fundatæ in verbo Dei: quòd ſint ethnicum & tyrannicum inuentum: quòd improbentur ab Auguſtino: quòd ipſa experientia torturis aduerſetur: quòd ipſi quoque iuri ciuili non parum ſuſpectæ ſint: quòd Conſtitutio Karulina criminalis valde torturas reſtingat: denique quòd in veneficarum cauſis imprimis periculoſæ ſint quæſtiones per tormenta. Sed hæc & ſimilia ſoluuntur adhibita diſtinctione torturæ in moderatam & immoderatam. *Reſpon. ad 5.* Talio eſt vel Pythagorica, vel Moſaica, vel ciuilis. Illa eſt, qua etiam vitia vitiis compenſantur, vt adulterium adulterio: iſta eſt, qua oculus pro oculo & dens pro dente læditur: & fractura pro fractura redditur, *Leuit. 24. v. 19. 20. Exod 21. v. 24. 25.* hæc eſt, qua talionis pœna in aliam commutatur, adeò vt verba legis diuinæ de talione, *ſecundùm quod fecit, ſic fiat ei,* generaliter accipiantur pro compenſationis pretio, ſi quiſpiam lædatur, quocunque tandem pacto compenſatio hæc fiat. Ita Simſon de Philiſtæis dicit: *Quemadmodum fecerunt mihi, ſic feci eis, Iudic. 15. v. 11.* cùm tamen Philiſtæi Simſoni vxorem ſuam abſtuliſſent; Simſon verò ſegetes Philiſtæorum exuſſiſſet. De talione Pythagorica, quæ dicitur ἀντιπεπονθὸς Pythagoræ, liquet, illam eſſe impiam. Deus quidem adulterium & homicidium Dauidis inceſtu Amnonis & Thamaræ, & pollutione concubinarum cum Abſolomo, itemque cæde fraterna Amnonis, & Abſolomi interitu puniuit: & quia Salomon cultum ipſius partitus fuerat, ſub Ieroboamo diuiſit regnum. Sed hæc nos imitari non poſſumus. De compenſatione talionis res item liquet, illam eſſe iuſtam & æquam. De talione Moſaicâ quæritur, an ita rigidè vrgenda ſit litera? Reſpondemus autem affirmatè. Nam ex lumine naturæ non obſcurè colligi poteſt, talionis pœnam rectam & iuſtam eſſe. Hinc Decemuiri de legibus XII. tabularum aiunt: *Si membrum rupit, ni cum eo pacit, talio eſto:* vel, vt alij legunt. *Si membrum fregeris meum, ex pacto talio eſto.* Fuſtra autem obiicitur, vix ad æquilibrium frangi poſſe membra ex diuerſis corporibus: quia aliò non tendit Dei conſilium, quàm vt pœnæ rigore territi, à læſione abſtineant, vt ſunt verba *Caluini in harmonia Pentateuchi, pag. 324.* Lex itaque talionis minimè obnoxia eſt frigidis cauillis, quibus legem XII. tabularum exagitat apud Gellium Phauorinus *lib. 2. noct. Attic cap. 1.* Cæterùm rigor iſtius legis mitigatus fuit tribus his conditionibus & exceptionibus. 1. niſi is, qui priuatus eſt aliquo membro, malit pecuniam accipere. Nam ipſi lex permittit arbitrium æſtimandi ſuum caſum, ſi nolit haberi ſeuerior: vt ſunt verba *Ioſephi lib. 4. antiquit. cap. 8.* Hinc etiam Romæ talio iudicum æſtimatione, in mulctam pecuniariam fuit commutata, teſte *Gellio d. l. 2.* non læſus, ſed iudices irrogabant talionem, ad læſi accuſationem, qui actionem habebat iniuriarum, & talionis poſtulabat eum, qui læſerat.

Eſt

[Marginal notes: beside "Reſpon. ad 3": "...pœna ...ti ſit ...pitalis?"; beside "Reſpon. ad 4": "An quæ- ...ones ...er tor- ...éta ſint ...obádæ?"; beside "Reſpon. ad 5": "An lex talionis admittẽda?"]

Eſt autem veriſimile, iudices pro ſua prudentiâ habuiſſe rationem circumſtantiarum: vt, ſi cui talio reddenda erat, tam intimus eſſet deprehenſus, vt eodem ipſi membro fracto, moriturus fuiſſet: item, ſi aliquis læſus eſſet à paupere, quia amiſſo eodem membro, non poſſet artem ſuam ampliùs exercere: ſine dubio iudices non indulſerunt priuatis læſi affectibus, ſed rigorem talionis mitigarunt. 3. non fortuitos ictus, ſed conceptum animo ſcelus, talione Deus mulctari voluit. Cuius voluntarij ſceleris iuſtiſſima eſt pœna. *Quæ enim*, vt rectè ille apud Gellium, *iſta acerbitas eſt, ſi idem fiat in te, quod tute in alio feceris?* Hanc talionis æquitatem agnoſcit Adonibezec tyrannus *Iudic.1.v.6.Reſpon.ad 6.* Quia in iuſtitia diſtributiuâ ſeruandâ eſt proportio Geometrica, omnino neceſſe eſt, vt diſtinctio aliqua fiat inter perſonas. Nam proportio Geometrica omnia hominum facta ad rectam æquabilitatem reducit. Etſi ergo iuſtitia vult, vt qui bene agit, præmio ornetur, qui malè, pœna afficiatur: eadem tamen non iubet cæco impetu ruere in collationem præmij, & pœnæ irrogationem, abſque conſideratione circunſtantiarum. Quod itaque poteſt mitigari in pœna, iubet iuſtitia remittere. Ita etiam alia eſt ratio ſi infantulus vel phreneticus aliquem occidat, quàm ſi adultus & homo recta vtens ratione. *Reſpon. ad 7. Theodorus Beza in annotationibus maioribus in N. T. ſuper Marc.12. v.14.* eleganter docet, etſi perſonæ appellatione ſignificentur qualitates animi, corporis, & rerum externarum, quæ à rhetoribus vocantur perſonæ attributæ: tamen non damnari omnium perſonarum diſcrimina (quod fieri non poteſt quin ſumma rerum omnium ἀταξία inuehatur) ſed eam demum προσωποληψίαν dici & reprehendi, quæ tenebras offundit veritati. Et *ſuper Iacob.2. v.4.* ait, eam duntaxat proſopolepſiam damnari, quæ falſum pro vero diſcrimen ſequatur, deinde in qua non ſeruetur modus, poſtremò cuius non ſit rectus finis. Sic *Pareus ſuper Rom.2. v.1.* demonſtrat eruditè duplicem eſſe proſopolepſiam; vitioſam, qua quis tribuit æqualibus inæqualia propter externam conditionem, contra leges, gratificans vni vt iniuriam faciat alteri: & legitimam, quæ fit propter qualitates aggrauantes aut eleuantes, vel propter qualitates æquitatis, vt ſunt eruditio, pietas, & ſimiles virtutes. Rurſus proſopolepſia eſt vel iudicialis, quæ eſt vitioſa ſi fiat propter qualitates externas, putà diuitias: vel extraiudicialis, quæ eſt dilectionis, donationis, vel electionis vt ſi quis plus diligat parentes quam alios, vni è duobus pauperibus paribus vel imparibus aliquid donet, doctum denique eligat in paſtorem, non indoctum. Vide ſupra paſſim ſyſt. ethicum.

An in præmiis & pœnis diſtinctio aliqua inter perſonas faciẽda?

An omnis proſopolepſia illicita?

IX. *Nullus reip. ſtatus conſiſtere poteſt ſine certis immunitatibus & priuilegijs.*

An aliquis reip. ſtatus poſſit cõſiſtere ſine priuilegiis?

SIc in ſtatu eccleſiaſtico paſtores ordinariè exemti ſunt ab omnibus tributis & vectigalibus. Nititur autem iſta exemtio non aliqua lege naturæ, vel diuina, ſed ſolummodo ciuili & poſitiua, adeò vt in caſu neceſſitatis magiſtratus illud priuilegium repetere ac reuocare poſſit. Quòd autem Pontifices Romani contendunt, immunitatem illam pendere à iure diuino & naturali, prorſus falluntur. Nam Chriſtus iubet Cæſari dare quæ ſunt Cæſaris, *Matth. 22. vers. 21.* cui [illegible] *Rom. 13. verſ. 6 7.* Hinc ipſe Chriſtus perſoluit tributum pro ſe, & pro Petro. Deinde naturalis æquitas poſtulat, vt qui ius ciuitatis habet, communibus ciuium legibus ſubſit, ac proinde etiam eadem ſuſtineat onera: cùm eodem modo à magiſtratu politico defendatur atque cæteri. Sed quia perſonæ eccleſiaſticæ inuigilant ſacris, & viuunt ex reditibus eccleſiaſticis, Chriſtianiſſimi Imperatores illis hoc priuilegium conceſſerunt, vt immunes ſint à muneribus & oneribus ciuilibus. In ſtatu ſcholaſtico ab Impp. & Regibus varia etiam priuilegia ſunt conceſſa, de quibus infrà in ſcholaſtica. Quid memorem in ſtatu politico priuilegia principis; ſenatorum, legatorum, ac ſimilium? Nihil dico de priuilegijs militum in ſtatu polemico. In ſtatu œconomico quis ignorat priuilegia ciuis tum nati, tum in vtero adhuc exiſtentis; grauidarum, puerperarum, & ſimilium?

CAPVT VIII.

De Forma adminiſtrationis.

PRÆCEPTA.

FORMA adminiſtrationis dicitur politia, & conſiſtit in functione ac relaxatione.

Functio conſideratur communiter & ſingulariter.

Communiter, quantum ad perſonas & munera.

In perſonis attenduntur partim qualitates animi, corporis, & bonorum externorum: partim ipſa vocatio, adeoque electio & confirmatio.

Munera ſunt perpetua vel temporaria; publica vel priuata, honoraria vel miniſterialia.

Functio politiæ ſingulariter concernit magiſtratum, ephoros, & ſubditos.

Functio ſeu officium magiſtratus eſt circa politiam, eccleſiam, ſcholam, & œconomiam tum propriam, tum ſubditorum. Et rurſus reſpicit magiſtratum ipſummet, ephoros, & ſubditos.

Functio ſeu officium ephororum eſt reſpectu magiſtratus, ephororum inter ſeſe, & ſubditorum.

Functio ſeu officium ſubditorum eſt ratione magiſtratus, ephororum, & ſubditorum inter ſe.

Relaxatio eſt laborum ac officiorum honeſta remiſſio; eaque partim ciuilis, vt ſunt conuiuia publica: partim militaris, vt eſt hoſtiludium: partim ludicra, vt eſt chorea honeſta.

REGVLÆ.

I. *In electione perſonæ ad officium qualitates animi præferantur qualitatibus corporis bonorum & externorum.*

Quid principaliter in electione perſonæ ad offici[um] ſpectandum?

QValitates animi ſunt vel remotæ, vt ingenium, pietas, virtutes morales & intellectuales. vel propinquæ, vt virtus officij: atque hæc eſt proxima cauſa, ob quam aliquis vocari debet ad officium. Qualitates corporis ſunt ætas, temperamentum, valetudo, pulchritudo, ſtatura. Qualitates bonorum externorum ſunt gens, patria, genus, nobilitas, fama, dignitas, authoritas, & opes. Quòd ſi triplicis iſtius claſſis bona in aliquo coniunctim reperiantur, ille citra controuerſiam erit aptiſſimus ad aliquod munus feliciter capeſſendum atque adminiſtrandum. Sed quia in hac rerum humanarum imbecillitate id non datur, bona animi principaliter ſpectanda ſunt in candidato, qui ad munus aliquod vocandus eſt. Denique ſi dentur duo vel plures, quorum vnus habeat bona animi & multa ex bonis corporis atque fortunæ, vt vocant reliqui, verò tantùm præditi ſint bonis animi, ſine dubio ille præferendus, qui habet plura bona.

II. *In electione ac confirmatione perſonæ, cui munus aliquod defertur, requiſita neceſſaria & honoraria ſimul debent adhiberi.*

Quid in electione ac confirmatione alicuius perſonæ ſpectandum?

HOc enim niſi fiat, committetur nullitas politica, vt vocant: & multum decedet authoritati eius, qui munus ſuſcipit. Electio itaque non fit clancularia, ſed manifeſta: & fiat more publicè recepto, vel per ſuffragia, vel per ſortem. Confirmatio fiat in iuramento, & ſi opus ſit, inſtrumento publico.

III. *Magiſtratus ſummus ſit nutritius, cuſtos, executor, & cultor terræ.*

Officium magiſtr. tus in genere quod?

SIt nutritius, fouens eccleſias & ſcholas. Sit cuſtos decalogi, quod ad externam diſciplinam attinet, & tanquam vicarius Dei ſonet vocem legis moralis, & iuxta eam ſubditos regat. Sit etiam cuſtos ſuarum legum poſitiuarum, quæ ſunt tanquam adminicula ſeruandi legem naturæ. Sit quoque cuſtos pacis, defendens corpora & facultates ſubditorum contra iniuſtam violentiam. Sit executor legum decalogi, itémque ſuarum: hoc eſt, exerceat iudicia, & pœnis corporalibus contumaces puniat. Non enim fruſtrà gerit gladium: ſed Dei miniſter eſt. *Rom. 13.* Et Æſchines eleganter ait, nullam eſſe vtilitatem ciuitatis, quæ non habeat neruos aduerſus delinquentes. Sit denique γεωργὸς, hoc eſt, cultor terræ, paterno animo proſpiciens de victu ſubditorum, vt Ioſeph. Foueat culturam terræ, non deglubat ſubditos immoderatis exactionibus: vt Tiberius ſolitus eſt dicere, *Boni paſtoris eſt tondere pecus, non deglubere.* Et apud Danielem pingitur princeps, vt arbor, ſub qua ſubditi paſcuntur. Porrò ſibi proponat ob oculos multa pericula & ingentes miſerias, quæ omnem gubernationem comitantur, de quibus plurimæ paſſim extant ſapientiſſimorum hominum ſententiæ. *Demoſthenes* pulſus in exilium dixit, ſi duæ viæ ſibi propoſitæ eſſent, altera ad ſummos magiſtratus in rep. altera rectà ducens ad mortem, velle ſe ſtatim eam ingredi, quæ rectà ad mortem duceret, ob varia mala, quæ in omni gubernatione vſitata ſint, videl. terrores, metus inuidiam, calumnias, certamina. *Æſchines* in epiſtola ad Philocratem ſcribit, ſe lætari, quòd à rep. tanquam à rabioſo cane liberatus ſit. *Iſocrates* dicit, imperia ſimilia eſſe meretricibus, quæ adoleſcentes amore ſui accendant: ſed poſtquam earum conſuetudine vſi fuerint, perdant. *Similis* quidam, teſte Dione, cùm aliquot annos in aula Adriani inuitus hæſiſſet, tandem vacatione data, ſeptem annos in agro quietè vixit, ac moriens, hoc epitaphium ſepulchro ſuo inſcribi iuſſit: *Similis hic iacet, cuius ætas quidem*

multorum

multorum annorum fuit, septem tamen duntaxat annis vixit. Hæc & similia dicta magistratus subinde ad animum reuocabit, vt excitetur ad auxilium Dei ardentioribus precibus inuocandum: neque animum despondeat, sed cogitet se instar patrisfamiliâs debere plurimas molestias deuorare. Ita enim est, vt *Xenophon* 8. παιδ. ait: οὐδὲν διαφέρει ἄρχων ἀγαθὸς ἀγαθοῦ πατρὸς, *Bonus princeps nihil à bono patre differt.* Subditi vicissim cogitent, se id debere magistratui; quod liberi debent parentibus, videl. honorem & obedientiam. Honor complectitur amorem & reuerentiam propter Deum, gratitudinem & patientiam seu ἐπιείκειαν, qua tolerantur næui & infirmitates magistratuum. Obedientia siue πειθαρχία complectitur officia externæ honestatis, opera togæ & belli, & tributa siue collationes ad conseruationem gubernationis, iudiciorum, & publicæ pacis. Debent autem obseruare metam obedientiæ ordinatam in hac regula *Prouerb.* 24. Time Dominum, fili mi. & regem. Quare cùm mandata magistratuum cum legis diuinæ prima vel secunda tabula pugnant, nullo modo obtemperandum est: vt etiam apud Platonem Socrates inquit: πείσομαι τῷ θεῷ μᾶλλον ἢ ὑμῖν, *Obediam Deo magis quàm vobis.* Et in Phœnissis Euripidis.

> Κρε. Πῶς; τἀν ἄνακτος οὐ δίκαιον ἐκπονεῖν;
> Ἀντιγ. Οὐκ. ἂν πονηρὰ δ' ᾖ, κακῶς τ' εἰρημένα.
> *Cre. Quid? an statuta principum exequi haud decet?*
> *Antig. Non, si impia & nobis malè imperata sint.*

Ideò laudantur tres socij Danielis *Dan.* 3. & mater cum septem filiis parere recusans Antiocho, 2. *Machab.* 7. & Eleazarus, qui truncari maluit, quam principis obsequi mandato, & suilla carne vesci. Atque hæc est inobedientia, vt ita loquar, laudabilis.

Subditorum officium erga magistratum.

IV. *Præcipuæ partes officij circa Ecclesiam continentur his axiomatis.*

An religionis cura ad magistratum pertineat?

1. *Cura religionis hactenus pertinet ad magistratum, vt illam cōstituat & defendat.* Etenim magistratus pius est custos vtriusque tabulæ, & nutritius Ecclesiæ, vt Deus promittit apud Esaiam, *Esa.* 49. Hinc *Augustinus epist.* 50. *ad Bonifacium* eleganter ait: In hoc seruiunt Domino reges, cùm ea faciunt illi, quæ non possunt facere nisi reges. Hoc autem est religionem constituere, conseruare, defendere, amplificare. Maximè verò ad magistratum pertinet cura instituendæ, instaurandæ, ac tuendæ religionis, quando episcopi dormiunt, aut hostes aduersantur euangelio. Tum enim conuocabit synodum more Constantini M. & armis corporalibus defendet Ecclesiam. 2. *Subditos non debet cogere ad veram religionem, sed præparare.*

An subditi cogendi ad veram religionē?

Ratio est in promtu: quia nemo potest cogi ad fidem, sed tantùm præparari. Vsitata hîc est distinctio inter coactionem propriè dictam, seu politicam, quæ fit per vim externam contra propensionem naturalem aut voluntatem eius qui cogitur: & impropriè dictam seu oratoriam, quæ fit verbis & argumentis persuasoriis, quibus homo adducitur ad assentiendum vel dissentiendum, ad volendum vel nolendum id quod suadetur vel dissuadetur; quæ coactio etiam dicitur persuasoria. Priori ergo modo magistratus non debet subditos cogere ad veram religionem, sed posteriori; hoc est, ex officij sui ratione omnia externa media adhibebit, per quæ Deus hominem ordinariè vult ad veram religionem deducere. Sic autem adhibebit externa ista media, vt nullam tyrannidem exerceat in conscientias, semperque memor sit illius vocis, quæ familiaris fuit Maximiliano I. *Dominari conscientiis, est cœli arcem inuadere.* 3. *Magistratus prudenter distinguet inter hæreticos, qui errant, & qui turbant.*

An magistratus hæreticos capitali supplicio afficere debeat?

Hæretici enim alij sunt seducti & tantùm approbatores hæresis: alij seductores, authores videl. & propagatores hæreseos. Rursus seducti vel ex malitia aut obstinatione hæresim amplectuntur, vel ex simplici mentis errore. Illi coërcendi sunt, ne fiant seductores: isti lenitatis atque mansuetudinis spiritu sunt tolerandi atque instituendi: contra quàm Nestorius voluit, qui, teste *Eusebio eccl. hist. l.* 7. *cap.* 29. sic exclamat: *Da mihi, ô Imperator, terram ab hæreticis repurgatam, & ego tibi cœlum dabo. Disperde mecum hæreticos, & ego disperdam tecum Persas.* Seductores, authores, & propagatores hæresis, qui sua dogmata non solùm defendunt, sed etiam spargunt, ex ambitione & auaritiâ cum manifestâ malitiâ coniunctâ; & ad illa amplectendum alios incitant; quique sæpe ac fideliter moniti, pias admonitiones insuper habent, ac eò progrediuntur, vt remp. turbent, aliósque instar torrentis rapidissimi secum abripiant: hi, inquam, non aliter atque carcinomata quædam, ita resecandi sunt à corpore reip. vt tanquam authores vel apostasiæ, id est defectionis à vero veri Dei cultu, iuxta legem Dei *Deut.* 13. vel perturbationis reipub. iuxta leges ciuiles è medio tollantur. Ita Senatus Geneuensis Seruetum, & Bernensis Gentilem vltimo affecit supplicio. Ex his patet, nullum hæreticum capitali supplicio afficiendum esse propter solam & simplicem hæresim; nisi cum hæresi manifesta malitia & improbitas sit coniuncta, atque ex se pariat delicta externa & nefaria, quæ lege diuinâ & humanâ capitis supplicio digna iudicantur. Excipe quasdam hæreses, quas non licet tolerare in Romano Imperio propter atrocitatem doctrinæ, vti est Arianismus. Quid vero si Arrianus quietè se gerat, nec remp. turbet, an nihilominus ad supplicium capitis rapiendus? Resp. Monendus est, vt extra fines Imperij Romani se conferat. 4. *Magistratus Christiani est, vnam religionem, quam ipse veram agnoscit, pro virili conseruare: & nihilominus, si salus reip. sic exigat, exercitium diuersarum religionum in suo territorio concedere.* Ratio prioris est manifesta; quia magistratus Christianus est nutritius Ecclesiæ, ac defensor fidei. Ratio posterioris ita patet. *Pax religionis* est edictum, de religionis liberè colendæ facultate, concordi statuum reip. suffragio, sub grauissimâ pœna promulgatum: alias dicitur *autonomia* per synecdochen. Conceditur autem ista pax, quando reipubl. salus (suprema illa lex) conseruari non potest, nisi plures religiones tolerentur: vt in Germaniâ, Galliâ, & Poloniâ, videre est. Olim quoque Imperatores ethnici, vt Nerua, Hadrianus, Antoninus Pius, Marcus & Commodus, qui sæuitiam à Christianis, quantum in ipsis fuit, depulerunt, libertatémque conscientiis reliquerunt, autonomiæ fuerunt studiosi. Similiter Alexander Seuerus, Gordianus, Philippus pater & filius, Galienus item, & cæteri successores vsque ad Diocletianum concesserunt autonomiam. Ex Christianis Imperatoribus Constantinus senior, Constantinus M. eius filius, Valentinianus, Theodosius, & eius filij, Zeno, Leo, Theodoricus & alij fuerunt autonomiæ studiosissimi, vt eruditè & prolixè ostendit *Antonius Benbellona de Godentiis IC. in commentario Iuridico-politico-historico de pace religionis*: vbi etiam copiosè edisserit initia & progressum pacis religiosæ in Germaniâ, sub Carolo V. Augusto, & Ferdinando Cæsare, principibus laudatissimis & felicissimis.

An plus magistratus possit concedere pacem religionis?

5. *Ius eligendi pastores pertinet ad magistratum politicum, tanquam defensorem fidei.* Magistratus enim est primum mobile in politiâ Ecclesiasticâ. Pastores cum senioribus etiam vocant ministros, quatenus subordinantur magistratui. Populus denique Christianus siue totus Ecclesiæ cœtus confirmat vocationem. 6. *Eligantur pastores quatuor notis insignes.* 1. Periti scripturæ; quam ad rem plurima requiruntur. 2. Didactici; qui habeant donum docendi (quod in N. T. appellatur donum prophetiæ) & simul elenctici, qui possint aduersarios refutare. 3. Qui sint vitæ inculpatæ: adeóque non tantùm doceant facienda, sed etiam doceant faciendo. 4. Quorum patiens diligentia sit omnibus nota. 7. *Bona sacra seu ecclesiastica constituantur, & constituta ne profanentur.* Ratio prioris est; quia est de Iure diuino & gentium, vt qui seruit altari, viuat de altari. Ideo in V. T. Deus hac in parte cauit Leuitis & Sacerdotibus. Et tempore Constantini Magni plurimi reditus Ecclesiastici sunt constituti. Ratio posterioris est; quia, si bona Ecclesiæ eripiantur, nec discus, id est, œconomia, nec fiscus, id est, politia florere possunt. Hinc dici solet: Bona Ecclesiastica sunt instar pennarum aquilæ, quæ aliis pēnis immistæ, illas consumunt. Hîc controuertitur: *An bona ecclesiastica à maioribus nostris constituta, sint ecclesiis in solidum relinquenda.* Respond. Tametsi bona sacra Ecclesiis dotatis & ditatis paulatim in abusum degenerarint; verus tamen illorum vsus tolli non debet. Legitimus autem vsus sic est: vt Ecclesiæ & Scholæ conseruentur, vt pastoribus & doctoribus stipendia numerentur, vt studiosi paupeies & ingeniosi alantur, vt pauperibus eleemosynæ erogentur, vt deniq; ædes sacræ exstruantur ac reparentur. Sed obiicis: maiores nostros in Papatu fuisse superstitiosos, ideoq; ipso iure nulla esse bona ecclesiastica ab ipsis constituta. Respond. 1. Multi in mediis Papatus tenebris fuerunt electi & pij. 2. Superstitiosi homines ista bona constituerunt ad cultum Dei plantandum: quem finem cùm peruerterint ignaui ventres, nostrum est illum postliminio restituere, non autem bona illa iniustè detinere. 8. *Immunitas personarum, & bonorum Ecclesiasticorum est mera, vel mixta.* Mera est, qua personæ Ecclesiasticæ in caussis merè ecclesiasticis iure diuino & naturali exemptæ sunt à iudiciis & oneribus secularibus. Hæ enim caussæ non pertinent ad forum soli, sed poli. Immunitas mixta est, qua pastores ecclesiarum quoad personas & facultates sunt immunes, in caussis merè ciuilibus, nō de iure diuino & naturali, sed de iure positiuo: idq; ordinariè, fauore pij principis, non verò extraordinariè in magnis necessitatibus. Sanè Christus & Apostoli Summis magistratibus subiecti fuerunt. Et Christus iubet dare Cæsari, quæ sunt Cæsaris. Huc accedit lex naturæ, quæ dictat, non æquū esse, sed æquissimum, vt qui ius ciuitatis habet, etiam communibus legibus ciuium obtemperet. Relinquitur itaque, immunitatem illam à speciali priuilegio magistratus pendere: contra quàm Papistæ docent omnimodam clericorum exemtionem in caussis ecclesiasticis & ciuilibus esse de iure diuino & naturali. Cæterùm magistratus Christianus debet Ecclesias ornare priuilegiis: quia id fecerant piissimi quique principes V. & N. T. Et ratio dictat, res ac personas ecclesiasticas vel imprimis afficiendas esse priuilegiis: quia videlicet principem in rep. locum obtinent. Quare si aliis statibus inferioribus larga manu dantur priuilegia, rebus & personis ecclesiasticis dari debent largissima. 9. *Magistratus procuret templa, & quidem ornata.*

Ornatum intellige conuenientem, non Iudaicúm, non pompoſum, non idololatricum: ſed ſimplicem & maieſtati rerum diuinarum competentem. Rectè igitur magiſtratus faciet, ſi imagines non ferat in templis; cùm ipſarum vſus ſit vel politicus, vel hiſtoricus, non eccleſiaſticus. 10. *Magiſtratus id agat, vt certa tempora ſacra obſeruentur.* Tametſi enim vi libertatis Chriſtianæ, quæ quidem propria eſt N. T. non alligamur ad certum tempus: tamen æquitas naturalis & decorum Eccleſiaſticum poſtulant, vt aliquod tempus publico Dei cultui impendatur. 11. *Exercitium eſt, quo Magiſtratus curet ſubditos exerceri in vera religione.* Id verò fit: 1. Publicis mandatis & edictis, in quibus regnare debet manſuetudo ſpiritus. 2 Exemplo; ſi magiſtratus ipſe verbo Dei ſe ſubiiciat. 3. Ordinatione viſitationum, conſiſtorij, & diſciplinæ Eccleſiaſticæ. Imprimis autem magiſtratus ipſo facto oſtendat, ſe non tantùm ſecundæ, ſed etiam primæ decalogi tabulæ cuſtodem & vindicem eſſe. 12. *Magiſtratus in ordinem cogat, qui perturbant religionem.* Cùm religio ſit propugnaculum reip. non ſolùm oportet magiſtratum extruere hoc propugnaculum, ſed etiam deſtruere quæ illi nocent. Hîc quæritur *An libri hæreticorum ſint abolendi? Reſp.* Quatuor ſunt claſſes librorum malorum: 1. Sunt libelli famoſi. 2. Sunt magici. 3. Sunt Epicurei & notoriè impij. 4. Sunt hæretici. Tres priores claſſes ſunt peſtilentes ſua naturâ, ideoque huiuſmodi libros magiſtratus prohibebit & abolebit. Quod verò attinet ad libros de religione ſcriptos, libertas Chriſtiana omnia probandi & quod bonum eſt retinendi, non eſt ſupprimenda, ſed concedenda, non quidem infirmis, ſed tantùm illis, qui habent ſenſus exercitatos & ſpiritum diſcretionis.

Officium pij magiſtratus circa ſcholas quodnā?

V. *Pij magiſtratus eſt ſcholas fundare & conſeruare.*

FVndatio ſcholarum continetur his axiomatis. 1. *Ædificia ſcholaſtica extruantur in loco commodo, & ornentur decenti cultu.* Locus commodus eſt, ad quem facilè conuenire vndique ſtudioſi, & vbi commodè degere poſſunt. Ideoque in eo requiritur aëris & victus ſalubritas, fructuum copia, commerciorum facilitas, & incolarum humanitas. Locus etiam erit amœnus & tranquillus, adeóque ſeparatus à fœtore ac ſtrepitu tum prætereuntium, maximè curruum, tum opificum tumultuantium. Ornatus decens conſiſtit in auditoriorum ſplendore conueniente. 2. *Vocentur doctores, qui præditi ſint voluntate ac facultate exercendi & coercendi iuuentutem.* Voluntas conſiſtit in fidelitate ac diligentiâ. Facultas in ſcientiâ, eloquentiâ, & experientiâ. 3. *Conſtituantur ſcholarchæ*: quibus demandetur inſpectio ſcholarum, ne reſpublica literaria capiat aliquid detrimenti. 4. *Leges & priuilegia ſcholaſtica ſanciantur: ſtipendiáque & alia beneficia ſcholaſtica munificè conferantur.* Conſeruatio ſcholarum hanc habet regulam: *Leges & priuilegia ſcholaſtica defendantur accurata executione, ſtipendia ſcholaſtica tempeſtiuè perſoluantur, ædificia ſcholaſtica ritè reparentur, & collegia ſcholaſtica diligenter viſitentur.*

Officium principis circa œconomiā ſubditorū quod?

VI. *Officium magiſtratus circa œconomiam ſubditorum reſpicit ipſorum natiuitatem, ſanitatem, victum, educationem, vitam iucundam & honorificam, & denique mortem.*

DE his accipe iſta monita politica. 1. *Princeps habeat rationem coniugiorum, grauidarum, obſtetricum, legitimè natorum, & nutricum*: vt nempe perſonæ idoneæ contrahant matrimonium, ne abortus procurentur, vt legitimi & ſpurij diſcernātur, & infantes expoſititij in παιδοτροφείοις educentur. 2. *Princeps proſpiciat ſubditis de peritis & fidelibus medicis: de ſalubritate ciborum: de medicamentis probatis: & tempore peſtis non permittat omnibus fugam.* Vtile quoque fuerit conſtituere prouiſores ſanitatis, qui procurant publicam munditiem: quales habet reſpub. Veneta. 3. *Magiſtratus accuratam habeat rationem annonæ.* Conſtituat itaque procuratores annonæ, curet agros ritè coli, ſuſcipiat curam mediorum & ponderum ad annonam pertinentium, compeſcat dardanarios ſiue flagellatores annonæ, qui ſic dicuntur à Dardano mago, quis ſuis artibus ſterilitatem agrorum inducebat. 4. *Princeps educari curet ſubditos in virtutibus ethicis, œconomicis, & politicis*: idque tum in ſcholis, tum extra ſcholas. Poſtquam verò ritè ſunt educati, curabit artes, quas ſinguli didicerunt, rectè exerceri. Quò etiam pertinet cura horologij: quia neceſſe eſt, vt opifices accuratam temporis habeant rationem. 5. *Subditi honorificè & commodè viuent, ſi princeps ſtudeat amœnitati ſyluarum, hortorum, fluminum, & camporum: ſi curet ædificia ſubditorum extrui per architectos peritos: ſi denique ſtudeat habere emporia opportuna, adeóque promoueat mercaturam, cuius neruum incidunt monopolia.* 6. *Magiſtratus curet, vt teſtamenta rectè condantur, vt loca ſepulturæ ſint extra vrbem, ne theſauri vna cum mortuis humentur, vt cadauera horis matutinis ad ſepulturam deferantur, vt libitinariis & veſpillonibus certæ leges ſtatuantur.* Hîc notetur origo huius νεκροθεσίας, qua fit, vt cadauera in templis humentur. Franciſcani & Dominicani hanc artem ſiue modum acquirendi excogitarunt, contra Scripturæ ſacræ dogmata, quæ Simoniam improbant; & contra legem XII. tabb. *Mortuum hominem in vrbe ne ſepelito.* Nimirum cucullati iſti perſuaſerunt hominibus, ſepulturam in locis iſtis conſecratis aliquid conferre ad beatitudinem, & hac ratione loculos eorum emunxerunt, qui in templo, imprimis prope altare, ſepeliri expetierunt. Rectè igitur vulgo dicitur, *Monachos noſſe facillimum acquirendi modum.*

Officium magiſtratus circa perſonas & munera politica quænam?

VII *Officium magiſtratus circa perſonas & munera politica reſpicit Conſilium, Collegium Officiariorum, & Iuriſdictionem.*

DE conſilio ſunt hi canones. 1. *Conſiliarij ſunt cor & oculi magiſtratus.* Ab his enim magiſtratus habet prudentiam mutuatitiam. Hi ſunt Argi oculatiſſimi. Hi inſtar Herculis ſubleuant magiſtratum tanquam Atlantem, & oneri ſuccedunt. Hi ſunt quorum prudentia Sol reipub. annuum curſum conficit. Vnde Plato ſummam poteſtatem principis ſine conſiliariorum ope contulit diurno ſolis curriculo. Summa: Conſilium principem admirabilem apud omnes, formidabilē apud hoſtes facit, & fundamenta principatus ſtabilit, contra quàm ſtatuit Machiauellus, qui magiſtratum putat ſatis eſſe poſſe ad omnia. Rectè autem Lampridius ait: Tutior eſt ſtatus ſub malo principe, cui boni conſiliarij aſſident, quàm ſub bono principe, cui adſunt conſiliarij mali. Ratio; quia vnus malus faciliùs poteſt ſuperari à multis bonis, quàm plures mali ab vno bono. 2. *Conſiliarij ſunt ordinarij, vel extraordinarij.* Ordinarij ſiue perpetui ſunt eccleſiaſtici vel politici, & hi aulici, curiales, & legati, qui iure gentium non ſunt violandi. In his nominatim quatuor requiruntur, vt ſint ignei, animoſi, ingenioſi, & eloquentes. Extraordinarij ſunt temporales. 3. *In conſiliariis ſpectetur electio, functio ſeu officium, & conſilij adhibitio.* 4. *Eligantur conſiliarij qui & volunt & poſſunt conſulere.* Voluntas complectitur amorem erga remp. & fortitudinem in perferendis oneribus, deuorandis moleſtiis, & concoquendis indignationibus principum: Meminerint conſiliarij, quòd conſilium ſit res ſacra, vt ait Plato: quódque mala conſilia plerumque in authorem recidant, iuxta illud Heſiodi: ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη. Exemplo ſit Papyrius Curſor apud Valerium, & Eutropius apud Socrat. hiſt. trip. Contra bonum conſilium nemini eſt fraudi: ἡ δὲ ἀγαθὴ βουλὴ τῷ βουλευσαμένῳ κρατίστη. Facultas complectitur virtutem eximiam, eruditionem moderatam, & eloquentiam inſignem. Ratio primi eſt; quia conſiliarius proximus eſt à principe quoad dignitatem, & ideo etiam proximus eſſe debet quoad virtutem. Ratio ſecundi eſt; quia eruditio nimia reddit ingenia calida, quæ tempus terunt milium terebrando, & in lente vnguentum quærendo. Ratio tertij eſt; quia prudentia ſine eloquentiâ eſt cleinodium quiſquiliis obrutum. Hæc ſi alicui inſint, idémque ſit ſenex, indigena, & corporis forma temperamentóque inſignis, præferatur iuueni, extraneo, & minùs formoſo minúſque vegeto. Hîc mouetur quæſtio, *Vtrum in conſiliario ingenium igneum præferendum ſit terreo?* Reſp. Temperamentum ex vtroque maximè probatur. Aliàs ingenium igneum præfertur terreo, ſi quidem patiatur ſe ab aliis quoque regi. 5. *Officium conſiliarij complectitur facienda & fugienda.* In faciendis ſunt duo, videl. reſpicere finem & media inter conſultandum. Finis eſt gloria Dei, magiſtratus dignitas, & reipubl. incolumitas. Peccant igitur qui commodum priuatum ſpectant, quibus bos eſt in lingua, quique adeò argentangina laborant. Hinc veteres dixerunt, conſiliarium nullas debere habere manus & oculos clauſos, ne ſcil. nundinationes exerceat & ſe corrumpi patiatur muneribus. Sanè accipere poteſt munera, quæ publicè offeruntur honoris & beneuolentiæ cauſa à ſuperioribus, ſed non illa, quæ priuatim corruptelæ genera ab hoſte dantur. Media ad finem præſtiturum ducentia & conducentia ſunt numero ſex. 1. Cordis ſinceritas; qua fit vt conſiliarius legem Dei ſtatuat gubernaculum, & non ſolum iuret reipub ſed etiam illam iuuet. Ideo optabat Fridericus III. Imper. vt conſiliarij in veſtibulo curiæ deponerent duas veſtes, ſimulationem & diſſimulationem. 2. Libertas; qua fit, vt fortiter & non obnoxiè ſua conſilia exponat. 3. Conſtantia; ne ex aliena libidine huc atque illuc fluctuans agitetur. 4. Veracitas; vt non vtatur æquiuocatione, præſertim Ieſuitica, ſed dicat ſine nube & velo quod eſt è repub. Improbi enim eſt veri copiam non facere, & ſuſpenſa reſpondere. Interdum etiam vtetur verbis byſſinis, interdum haſtatis. 5. Taciturnitas; ne ſit Tantalus, ſiue dolium Danaidum. 6. Circumſtantiarum inſpectio; qua fit vt conſiliarius aliquoties in conſilio meditando percurrat hunc verſum:

Quis, quid, vbi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Fugienda ſunt iſta: 1. *Contumacia*; conſilij remora, qua fit vt aliquis habeat ſpiritum contradictionis, velítque omnes ex ſuo iecore ſapere, & ex ſuo ore loqui. 2 *Diſcordia* cum collegis; quæ parit flammam quæ petit iugulum reip. 3. *Perturbatio*; quia vbi affectus regnat, ratio ſeruit. 4 *Confidentia*; quæ peruertit aliorum conſilia etiam meliora. Hîc cogitetur illud: Melius eſt recurrere è medio curſu, quàm malè currere.

5. *Nimia*

5. *Nimia celeritas.* Nam conſilia calida prima ſpecie ſunt læta, tractatu dura, euentu triſtia. Huc pertinet pictura Conſiliarij: Conſiliarius habeat frontem apertam, aures oblongas, oculos clauſos, manus nullas, linguam & clauſam & liberam. 6. *Adhibitio conſilij eſt eius tum admiſſio, tum vſurpatio, iuxta has regulas.* 1. *Princeps conſtituat conſilium ſacrum, ciuile, ac militare.* 2. *Si opus ſit, conuocet comitia.* 3. *Ad conſultandum proponat ea, quorum ſcopus eſt honeſtus & vtilis: quæque obtineri poſſunt per media honeſta, commoda, & poſſibilia.* 3. *Præter ſenatum communem habeat ſecretiorem.* 4. *Conſilia feſtinata non facilè probet.* 5. *Decreta ſemel concepta non facilè mutet, ſed executioni mandet, conſilium quippe ſine prætore nihil eſt.* 6. *Non facilè vnius tantùm aut alterius vtatur conſilio, tanquam Apollinis oraculo.* 7. *Peregrinos non adſciſcat inter conſiliarios, ſi domi poſſit habere idoneos.* 8. *Conſiliarios diuerſarum naturarum inter ſe veluti temperet:* itaut habeat quoſdam melancholicos, ſanguineos, & cholericos. Illi ſunt lentioris & cunctantioris naturæ, ideoque penſiculatiùs & preſſiùs omnia expendunt: iſti ſunt acuti: hi acres & veritatis ſtudioſi. Phlegmatici fermè ſunt inepti ad conſilia. 9. *Conſiliarijs ſenibus adiungat iuuenes.* 10. *Eligat conſiliarium magnanimum, taciturnum, qui norit ſtatum reipubl. qui bene ſit affectus erga remp. qui priuata poſthabeat publicis, quique ſit παρρησιαςής.* 11. *Anteceſſoris ſui conſiliarios non facilè mutet.* 12. *Maturè inſtituat conſultationem, & ſi valde ſit momentoſa, ipſe interſit.* 13. *Illa ſuffragia ſunt omnium optima, quæ & numero, & pondere vincunt.* 14. *Fœminæ regulariter in conſilium non veniant.* 15. *Inter conſiliarios ſemper habeat tales, qui oratorum & legatorum munere fungi cum laude poſſint.* 16. *Liberam & parem dicendi facultatem omnibus concedat.* ne ſcil. conſiliarij conqueri poſſint, ſua iudicia vincta, & vota ligata eſſe. 17. *Excutiat conſilia, & iudicij propria lance ponderet, memor iſtius Rabbinici*: Si tibi fuerint triginta conſiliàrij, ne deſere conſilium animæ tuæ. Hîc tamen diligenter vitet αὐθάδειαν, qua fit vt princeps in corde ſuo volutet iſtud noxium axioma: Princeps explorat conſilia aliorum, nititur ſuo. 18. *Auditis & ponderatis conſilijs certi aliquid decernat.* Hîc duæ incidunt quæſtiones. 1. *An tolerabilior ſit regni ſtatus, in quo conſiliarij mali & princeps bonus, vel contra?* 2. *An conſiliarius non vocatus venire debeat: & an in conſilium venire debeat, quando ſcit tractatum iri, cui ſalua conſcientiâ nequeat aſſentiri? Reſpond. ad* 1. Si per malum principem intelligatur ſimplex ac minùs prudens, ſatius eſt habere principem malum, quàm conſiliarios. Videmus enim principes adhuc infantes bene adminiſtrare rempubl per ſuos conſiliarios. Si verò per malum principem intelligatur malitioſus, tolerabilius eſt habere conſiliarios tales, & principem bonum. Deinde in monarchia limitata, vbi princeps pendet ab optimatibus, tolerabilior eſt ſtatus, ſi princeps ſit malus: contra in monarchia abſoluta. *Reſpond. ad* 2. Si conſiliarius perſuaſum habeat, ſe ſua præſentia prodeſſe poſſe reipub. inuocatus etiam ſe ſiſtet. Deinde etiamſi ſciat tractatum iri, cui bona conſcientiâ non poſſit aſſentiri: nihilominus tamen ſe ſiſtet; quia ratio officij hoc ab ipſo exigit. *De officialibus ſunt hi canones.* 1. *Officiariorum videnda eſt tum electio, tum officium.* 2. *Electionis hæc eſt generalis lex: Cuique muneri præficiatur perſona honeſta & apta.* Honeſtas requiritur: quia magiſtratus noſcitur ex miniſtris. Aptitudo præter probitatem eſt ingenij & virium. Ingenium enim ſpectandum, ne qui propendet ad malitiam præficiatur choro. Vires quoque ſpectandæ, ne Ætna imponatur nano. 3. *Officium officiarij continetur quinque regulis.* 1. Sit obſequioſus. Quantò enim quiſque apud ſuum principem obſequio promptior, tanto maioribus honoribus & opibus extolletur. 2. Sit vtibilis: ne ipſi obiici queat illud: Nil niſi numerus es & pondus. 3. Sit modeſtus: vt metiatur ſe ſua, non principis fortuna. Ita erit extra iactum inuidiæ. Hanc modeſtiam pariet crebra cogitatio miſeriarum aulicarum, de quibus loquuntur iſta dicta: Aula paradiſus vulpium, infernus ſimplicium, purgatorium diuitum. Item: In aula eſt vox Iacobi, ſed manus Eſau. Item: In aulis eſt ſplendida miſeria. Huc pertinet querela quatuor fratrum de gratitudine aulica:

1. *Vitam, operas, animum, ſumptus, impendimus aulæ.*
2. *Præmia pro meritis quæ retributa putas?*
3. *Aula dedit nobis reſcripta notata papyro.*
4. *Et ſine voce ſonos, & ſine corde manus.*

4. Sit patiens: vt potentiorum iniurias hilari vultu, non patienter tantùm ferat, vt ait Seneca: qui ſcribit veteranum aulicum interrogatum, quomodo rariſſimam rem in aula conſecutus eſſet, videlicet ſenectutem crudam, reſpondiſſe: Iniurias ferendo, & gratias agendo. 5. Sit extremè cautus. Nam fraus ſublimis regnat in aula: & voluntates principum, vt vehementes ſic mobiles: imò ſæpe ſibi aduerſæ. Talis qui non eſt, cum Seneca ſic canat:

Stet quicunque volet potens
Aulæ culmine lubrico,
Me dulcis ſaturet quies.
Obſcuro poſitus loco
Leni perfruar otio.

4. *Magiſtratus non facilè plura officia, præſertim ardua imponet, vni.* Sic enim eſt, vt *Bodinus 4. de rep. cap.* 4. ait: Singulis ſingula munera rectè curare difficile eſt, plura nemo poteſt. Ridicula igitur fuit πολυπραγμοσύνη Metiochi, de quo Athenienſes ita iocabantur: Metiochus exercitum ducit, Metiochus vias curat, Metiochus farinam tractat, Metiochus cunctis aliis præeſt. Metiochus itaque plorabit. *Plutarchus de rep. gerenda.* Sed hodie multi ſunt Cæſares, pauci Catones: multi ſimiles Metiocho, pauci Fabio. 5. *Princeps prudenter vtetur exploratoribus*: & quidem ideo, vt inſidias euitet, ſtatúmque reipubl. penitiùs cognoſcat. Adhibebit igitur huic rei viros graues & prudentes, non ſeruiles, leues, oracuſtas, & ſubauſcultatores: quia huiuſmodi ſcorpiones non bonis principibus ſed tyrannis ſunt in deliciis. 6. *Diſtincta officiariis munia imponet*: ita vt alij ſint Nomophylaces, qui leges cuſtodiant; alij Sophroniſtæ, qui moribus iuuenum præſint; alij Gynæcocoſmi qui curant gynæceum; alij Cenſores, qui vitia notent; alij Apodectæ ſeu quæſtores; alii Agaronomi, alij Sitophylaces, quorum illi nundinationi, hi frumento præſunt. *De iuriſdictione ſunt hi canones.* 1. *Iuriſdictio ciuilis eſt, qua magiſtratus ſubditis ex æquo & bono ius dicit.* Quod aſſequetur ſi iuriſdictionem temperet clementiâ & ſeueritate. Sapientes enim iudicantur, qui non ſingula ad filum redigunt. Et ideo lex diuiſa ab æquitate eſt quaſi corpus exanime: quia tantùm ad quæſtionem infinitam pertinet. Sed neceſſe eſt, vt clementia temperetur ſeueritate, ne illa degeneret in lentitudinem, quæ parit impunitatem & peccandi licentiam. Ideo Imperator rectè ait: Non eſt inhumanitas, ſed potiùs ſumma humanitas, cùm multi paucorum animaduerſione ſaluantur. Et Plutarchus ait, non eſſe ſuauiorem aut vtiliorem harmoniam, quàm ſeueritatem cum clementia coniunctam. Hîc obiicitur ex 1. *Cor.* 6. Chriſtianis non licere publica iudicia adire & exercere; quòd euertant legem charitatis & arguant priuatam vindictam. Reſp. Apoſtolus non damnat ibi rem ipſam, ſed modum illegitimum & pruritum litigandi. Deinde lex charitatis eſt, vt amemus perſonam & odio habeamus vitia. Tertiò repetere vindictam à magiſtratu aliud eſt, quàm ſumere vindictam. Præterea quia Deus, creator cœli & terræ, iudicia ciuilia inſtituit, eadémque magiſtratum inſtituere iubet, vt Zepper. lib. 5. de leg. forenſ. cap. 1. annotat, nemo non intelligit, Chriſtiano licitum eſſe in foro agere, vt ſe & alios ab iniuriis defendere ac vindicare poſſit. 2. *Iuriſdictionis occurrunt partes & ſpecies: Et partes quidem duæ ſunt, videlicet cauſarum cognitio, & cognitarum deciſio.* 3. *Cognitio cauſarum conſtat auditione & diſcuſſione ſeu examinatione, iuxta has regulas.* 1. Princeps inſtituat iudicium ciuile ac criminale. 2. Habeat iudicium forenſe ac cenſorium. 3. A iudiciis forenſibus excluduntur theoretica, vniuerſalia, infinita, impoſſibilia, incredibilia, vana, leuia, & merè Eccleſiaſtica. 4. Non ſolùm actor, ſed & reus audiatur: Qua de re talis eſt formula apud veteres: Æquum me vtrique parti præbebo: neutri parti, præter ius & fas addictus ero: Quòd ſi hæc non obſeruauero, omnibus incommodis ero expoſitus, tam hîc quàm in futuro ſeculo, in horrendo iudicio magni Domini Dei & ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti, habebóque partem cum Iuda, & lepram Hieri, & tremorem Cain. Hoc nomine Plutarchus laudat Alexandrum Magnum, quòd cùm audiret accuſationes altera manu obſtruxerit alterutram aurem, vt illam puram abſenti ſeruaret. 5. Cauſa examinetur & logicè & iuridicè. Logica quidem tribuit iudicij puritatem & proceſſus breuitatem. Iuriſprudentia verò arcem cauſæ inuadit collatione facta inter leges diuinas, naturales, & poſitiuas iuxta hæc axiomata: Prudentiæ lex ſuprema eſto: Lex humana cedit diuinæ & naturali: Tabula ſecunda cedit primæ: Lex ſpecialis derogat generali: Non ſcripturam legis, ſed ſententiam oportet ſequi: Leges crinibus non ſunt trahendæ, ſed manu ducendæ: Aliqui continetur in lege vel totidem verbis & explicitè, vel analogicè & implicitè. 4. *Deciſio eſt iuſtæ ſententiæ tum pronuntiatio, tum executio.* Pronuntiatio magno conſilio regenda eſt: quia ſicut cauſa bona malè agendo perditur, ſic bona ſententia malè proferendo mala redditur. Executio non fiat per magiſtratum ipſum, ſed per miniſtros: in quibus etiam ſunt carnifices, qui & ipſi honeſti ſunt ratione officij ſui, quatenus exequuntur iuſta iudicum contra ſceleratos mandata. 5. *Species iuriſdictionis ſunt, quòd alia ſit extraiudicialis, alia iudicialis.* 7. *Extraiudicialis eſt, cùm magiſtratus ſine proceſſu iudiciario ius dicit: idque vel immediatè, vel mediatè per ſubdelegatos, qui dicuntur ſubcommiſſarij, quorum munus eſt cauſas ex æquitate magis, quàm ex rigore ſummi iuris componere.* 7. *Iuriſdictio iudicialis eſt, cùm magiſtratus ius dicit in iudicio ordinario, ſiue illud ſit ſummum, à quo non datur appellatio, vti ſunt Parlamenta, ſiue intermedium, à quo datur appellatio in cauſa ſcilicet appellabili. Sunt enim multæ cauſæ inapellabiles, vti minutæ, item crimen læſæ maieſtatis liquidum.* 8. *In iudicio occurrit primò ipſius conſtitutio, tum exercitatio.* Et conſtitutio quidem iuxta has regulas. 1. Iudex & aſſeſſores, iſque tum principales, tum minùs principales, ſint potiùs mares quàm fœminæ, docti quàm indocti, ſenes quàm iuuenes ſenſibúſque ſanis præditi quàm cœci, ſurdi & muti, cæteris tamé paribus. Oportet enim hîc magis ſpectare virtutem moralem, quàm intellectualem: magis bona animi, quàm corporis & fortunæ.

2. Iudex iudicet secundùm acta & probata, non secundùm suam conscientiam: nisi fortè sciat rem aliter se habere. Nec enim bona est conscientia, vbi vel nulla, vel titubans est scientia. 3. Iudex & assessores timeant Deum, non homines. Pietate enim sublata, fidesq; tollitur: & facilè à tramite deflectit, qui in causis cognoscendis non Deum, sed homines timet. 4. Iidem statuant nullam esse maiorem iniuriam, quàm indicta causa aliquem iudicare. Licet enim aliquis æquum statuat altera parte inaudita, tamen non fuerit æquus. 5. Nullus sit iudex in sua & suorum causa. Cùm enim insitum sit mortalibus, vt se & sua ament plus iusto, inque suis & suorum causis sint beniginores æquo, fieri vix potest vt aliquis sit bonus iudex in propriâ causâ. Et verò licet aliquis in sua causa ius bene dicat, tamen res semper est suspecta. Quid verò? si rex vocetur in iudicium, quis erit iudex nisi rex? Respond. Optimates qui repræsentant ipsam remp. 6. Præsides & assessores iudiciorum non sint captatores munerum. Nam corruptus iudex malè examinat rerum pondera. Hinc auaritia iustitiæ nouerca dicitur. 7. Iidem non sint obnoxii affectibus vehementioribus. Nam minora maiora, & maiora minora, quadrata rotunda, & rotunda quadrata videntur animo perturbato. Imprimis autem exulent ira, amor, metus, & nimia misericordia. Nam irato malè committitur ferrum, id est, vitæ necisque potestas. Ideo Romani prætoribus suis virgas securibus alligatas, præferri voluerunt, vt ostenderent iudicis iram minimè celerem & dissolutam esse debere. Deinde amor turbat consilia, altósque & generosos spiritus frangit. Cogitetur igitur illud: Chara mihi est amicitia, sed charior Resp. Præterea animus metu correptus planè turbatur, iudicioque spoliatur. Misericordia denique nimia est pestis inimica aureæ mediocritati. Semper igitur cogitandum illud: Plurimum interest, quo animo quisque parcat. Siquidem est aliquando misericordia puniens, & crudelitas parcens. 9. *Exercitium iudicij spectat partim ad summum magistratum, partim ad personas iudicio præfectas.* Ad illum pertinet ratione supremæ inspectionis & moderationis. Princeps enim est iudiciorum caput. Ad has pertinet ratione functionis: quæ consistit in processus institutione & fine. 10. *Processus institutio has habet regulas.* 1. Distinctæ semper sint partes actoris, rei, & iudicis. 2. Actor sequatur forum rei. 3. In processu requiritur iudicis grauitas, legis authoritas, litis cognitio plena, & mentis constantia. 4. Iudex, actor, & reus oculo irretorto respiciant tria iuris principia. Honestè viuere, Neminem lædere, Cuique suum tribuere. 5. Forum ciuile non excludat forum mentis & conscientiæ. Forum mentis est inferius, & respicit principia theoretica: Forum conscientiæ est superius, & respicit principia practica. 6. Actor & reus non oderint se inuicem, sed causam malam, iuxta illud: Ita res agatur vt non animorum, sed iudiciorum tantùm dissensio deprehendatur. Idem faciant litigantes in foro, quod faciunt boni disputatores: inter quos est ὁμόνοια, licet non sit ὁμοδοξία. 7. Partibus diffidentibus permittatur appellatio ad summum tribunal, quod est sacra-quasi anchora. 8. Quæ non sunt decisa lege relinquantur arbitrio magistratus. 9. Falsi accusatores subeant easdem pœnas, quas aliis intenderunt. Sic Haman agitur in crucem, in quam voluit iniustè tollere Mardochæum. 10. In causa ciuili idem potest condemnare & exequi, at in criminali alius esse debet, qui sententiam dat, alius qui exequitur. 11. *De fine processus hæ sunt regulæ.* 1. Peracta re dissentire nefas est. 2. Laudentur quæ rectè dicta & facta sunt. 3. Breuitati studeatur, ne obiiciatur illud: Qui duplicat, triplicat, & quadruplicat, non explicat sed implicat.

Officium ephororum.

VIII. *Officium ephororum his continetur regulis.*

1. *Constituant summum magistratum, iuxta leges fundamentales.* Vbi ratio est habenda electionis liberæ & adstrictæ. Electio libera est, quæ neque nationis, neque certæ familiæ rationem habet: astricta contra. 2. *Magistratum à se constitutum iuuent in linea recta, in obliqua deiuuent:* h. e. si faciat officium, consilio & auxilio suo iuuent; sin, corrigant, moneántque & si sit incorrigibilis, deponant atque exauthorent. Itaque ipsorum est, iniustis decretis summi magistratus intercedere, eáque mitigare suis consiliis vel impedire. 3. *Sine consensu & approbatione summi magistratus, officium suum facientis, in reip. negotiis nihil faciant.* 4. *Magistratui summo capto, absenti, furioso, fatuo, minori, prodigo, vel aliis morbis, aut impedimentis ad reipub. administrationem inepto, inutilique effecto, tutores, curatores, aut procuratores regni constituere & adiungere.* 5. *Ephori tempore interregni sunt rectores & procuratores regni.* 6. *Defendere debent summum magistratum, eiusque iura*: defendere, inquam, contra coniurationes & ambitiones subditorum, contra insidias & superbiam nobilium, contra potentiorum factiones, denique contra abutentes potestate regia, eámque minuentes, adimentes, vel impedientes. 7. *Imprimis dare debent operam, ne quid detrimenti resp. capiat.* 8. *Ephori amabunt & iuuabunt se inter se.* 9. *Ephoris generalibus totius reip. & omnium prouinciarum eius tutela, cura, & inspectio est demandata.* 10. *Specialis ephorus quilibet, in prouincia sua curæ & fidei commissa, eam potestatem & ius habet, quod summus magistratus in toto regno.* 11. *Consultum est, vt ordines generales & speciales, & rursum speciales inter se, certis modis & rationibus deuinciantur, & à se inuicem pendeant, atque alius alterius ope & consilio opus habeat.* 12. *Quilibet ordo intra suas contineatur metas, ne alium lædere possit; atque certa habeat remedia, quibus alter aduersus alterius iniurias tutus esse possit*: vt nimirum ecclesiastici ordinis ambitio, equestris ordinis insolentia atque plebeij ordinis licentia coërceantur, & iniuriæ alterius in alium præcaueantur.

IX. *Officium subditorum est in subiectione erga magistratum & ephoros, & amore atque auxilio mutuo erga se inuicem, secundùm varios ciuium gradus.*

Officium subditorum.

1. *Subiectio ciuilis est, qua subditi obligantur suo magistratui ad debita subiectionis officia præstanda.* Hæc adeò est necessaria, vt nullum imperium sine ipsa consistere possit. Tametsi verò inter imperium & subiectionem est relatio disquiparantiæ (nobilius enim est regere, quàm regi) subiectio tamen non est imperfectio aliqua absoluta, sed est perfectio subditi. Regi enim regimine politico & patrio, est passio perfectiua. Deinde licet populus vniuersus, tanquam quippiam vniuersale & immortale, sit præstantior magistratu, quoad personam, quæ singularis est & mortalis: magistratus tamen ratione officij dignior est omnibus subditis. Officium enim ipsius est vniuersale & perpetuum, vtpote quod populus ipsi commisit: atque ita resignauit suam potestatem, & totum reip. systema ipsi subiecit. Vbi & illud obseruandum venit, quòd subiectio ciuilis sit & necessaria, & voluntaria. Necessaria ex hypothesi finis & obligationis: voluntaria, quatenus non est coacta. 2. *Subiectio respicit officia subditorum, eaque tum generalia, tum specialia.* Officia generalia veniunt nomine Amoris, Honoris, obedientiæ, & Exhibitionis tributorum. Amor est, quo subditi complectuntur magistratum tanquam patriæ patrem: qui amor includit timorem filialem. Honor est, quo subditi suum magistratum debito cultu prosequuntur. Consistit autem hæc veneratio non tam in genuflexione & honorifica compellatione, quàm in affectu interiori; quo fit, vt magistratus habeatur pro vicario Dei, pro pastore populi, pro medico ciuitatis, pro anima reip. & denique pro nauclero. Magna etiam huius honoris pars est, vitia magistratus dissimulare ac tegere, quantum cum bona conscientiâ fieri potest. Obedientia est, qua subditi faciles sunt in audiendo & exequendo. Hæc obedientia non debet esse cæca, sed occulta, hoc est, pia & spontanea. Pia; quia non licet pietatis & honestatis præscriptum violare in gratiam vllius mortalis. Spontanea; quia quæ non amore iustitiæ, sed timore pœnæ fiunt, nomen virtutis non merentur. Si obedientia ita sit comparata, rectè dicetur mater felicitatis. Exhibitio tributorum est, qua subditi non grauatim conferunt quæ ad conseruationem reipubl. & magistratus requiruntur. Ad conseruationem dico honorificam & magnificam, non superbam & superfluam. 3. *Officia specialia considerantur distinctè, tum quoad reip. administrationem scholasticam, ecclesiasticam, ciuilem, & bellicam: tum quoad subditorum varios gradus.* In his autem omnibus hæ regulæ imprimis obseruandæ. 1. Subditi tum vniuersi, tum singuli (si quidem sint viri boni) examinent mandata sui magistratus ad legem naturæ & Scripturam sacram. Nullus enim magistratus extra aleam erroris est constitutus. 2. Legibus potiùs obediendum quàm regibus: si contrariis concurrant frontibus. 3. Singuli subditi possunt resistere tyranno, non quidem vi, sed tamen iure. 4. Subditi vniuersi possunt resistere tyranno, & iure, & vi: siue sit tyrannus exercitio, siue sine titulo. Leges enim politicæ non ad destructionem, sed ad conseruationem reip. sunt latæ: & proinde potior habenda ratio vniuersitatis, quàm tyranni: quippe qui exuit formam principis, & induit personam priuati, vel potiùs mali viri, siue spectes virtutem moralem, siue officij. Et hæc resistentia non est seditio, sed legitima pœna, nitens illo axiomate: Cessante conditione cessat obligatio. 4. *Circa administrationem scholasticam à subditis requiritur, vt scholas magnifaciant & collatis in medium sumptibus illas conseruent tanquam reip. columnas.* 5. *Circa administrationem Ecclesiasticam subditi sint Israëlitæ, non Iesrehelitæ: imitentur Mardochæum, non Hamanum: similes sint Petri & Ioannes*, Actor. 4. *non Herodianorum*, Matth. 4. *id est, in negotio religionis ne vendant cœlum, vel vulnerent conscientiam in gratiam corporis.* Cùm enim Deus sit rex regum, & magistratus non nisi vasallus Dei, iniquissimum profectò fuerit ex magistratu facere Deum, vel plus quàm Deum. 6. *Circa administrationem ciuilem subditi obseruent leges latas, ciuili obedientiæ, & imposita officia exsequantur, memores illius: Obsequia mitigant imperia.* Turpe profectò est ex rep. facere comœdiam, in qua rex habeatur pro homine personato. Imprimis autem hîc vigere debet studium concordiæ ciuilis. Nihil enim est melius ciuitati, quàm vnio; nihil perniciosius, quàm diuisio. Neque vllæ sunt vires, quæ concordem ciuitatem diruere possint. Huc pertinet apologus de membris corporis inter sese & à ventre dissidentibus, propositus ab Agrippa, quem Patres Conscripti mittebant

mittebant ad plebem Romanam diſſidentem: itémque hiſtoria Scyluri de faſciculo conſtante iaculis 80. quem pater totidem filiis confringendum porrexit. 7. *Circa administrationem bellicam ſubditi requiſiti à magiſtratu ſtrenuè præſtent officia militaria, fortiter militando pro aris & focis, contra ſeditioſos ciues & publicos hoſtes, contra vulpes vel leones.* 8. *Quod attinet ad gradus varios ciuium, hæ ſunt regulæ.* 1. Subditi meminerint inter ciues eiuſdem reip. non æqualitatem, ſed æquabilitatem eſſe debere. Illa ſingulos æquat in omnibus: hæc cuilibet pro dignitatis & ordinis ſui ratione honorem relinquit. 2. Ciues primarij ſiue honoratiores potioribus gaudeant priuilegiis: quales ſunt nobiles, literati, & virtute militari clari 3. Nobiles ſibi caueant à deſidia, tyrannide & inuidia. 4. Literati non abutantur ſua doctrinâ in perniciem reip. ſed conuertant illam pro menſura donorum ſuorum in ipſius emolumentum. Et ex his theologi ſunto interpretes religionis, non miniſtri Mammonæ, vel ambitionis, nec curioſi hoſpites in politiâ: qualis fuit nobiliſſimus ille Chronologus Funccius. Iureconſulti ne ſunto rabulæ ac fori tintinnabula, ſed iuſtitiæ ſacerdotes, oracula ciuitatis, cuſtodes atque interpretes legum, quæ ſunt vincula rerump. fundaměta libertatis, vitæ humanæ ſolatia, & veluti muri magiſtratuum, contra vulgi importunitatem, vt ait Leo Imperator. Medici ſunto experti, qui ſuis videant oculis, non alienis, quíque morbos auferant, non verò mortem adferant. Philoſophi non ſunto Epicurei, non Sceptici, non ſcoptici, non ventoſi, ſed pij, ſed modeſti, ſed methodici. Oratores ne ſunto rixoſi, ſed viri boni, qui bonos affectus moueant, & malos amoueant. Hiſtorici ſunto veritatis amantes, itemque ſimplicitatis: & texunto hiſtoriam quæ ſit teſtis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magiſtra vitæ, nuntia vetuſtatis. Poëtæ denique ſtudento & prodeſſe & delectare: nec ſunto laſciui & turpes, quales fuerunt Ouidius, Catullus, & Martialis, de quibus dicitur: Ouidius malus, Catullus peior, Martialis peſſimus. 5. Qui ſunt præclari militiæ laude, non conuertant ſuam ſcientiam in perniciem reip. nec literas vel literatos odio proſequantur, ſemper memores illius: Literis & armis conſtat reſp. Item: Alter alterius ſemper eget auxilio: tam militaris res legibus in tuto eſt collata, quàm ipſæ leges armorum ſeruatæ ſunt præſidio. 6. Ciues ſecundarij non inuideant primariis: & ex his mercatores vitent malas artes & omnia aucupia, ne conciues ſuos exhauriendo & rempub labefactent & mercaturæ, ſuâ alioqui naturâ honeſtæ, labem aſpergant, atque adeò audire cogantur illud: Mercatorum genus nihil habet ſacrum, præter vnicum pecuniæ lucrum, cui ſe totos ceu Deo conſecrarunt. Hoc pietatem, hoc famam, hoc diuina pariter ac humana metiuntur, reliqua illis nugæ. Aliàs mercatùra per ſe eſt virtutis publicæ & priuatæ inſtrumentum. Et honeſtum eſt lucrum per quod nemo læditur. Agricolæ deinde diligenter faciant officium, ducti antiquitate, dignitate, neceſſitate, & vtilitate vitæ ruſticæ. Opifices denique diligenter cognoſcant æſtimium & vtilitatem ſui opificij, vt inflammentur partim ad modeſtiam, partim ad diligentiam. 7. Peregrini ſe præſtent dignos exceptione, alloquio, colloquio, officiis, & beneficiis incolarum. Hoc obtinebunt, ſi ſint modeſti, boni ſtomachi, grati, & cauti. Modeſti; quia nihil intolerabilius, quàm ſi ignotus quiſpiam accurrens ſtatim hoc aut illud in rep. corrigere conetur, non penſitatis circumſtantiis. Boni ſtomachi; quia Narciſſus, qui regiè vult viuere, debet manere domi ſuæ in ſuo palatio. Grati; quia ingratitudine ſua nocent tum ſibi, tum aliis. Cauti; quia peregrini ſunt velut exules, quos infinita circumſtant mala. Sit igitur frons ipſorum aperta, lingua parca, mens clauſa, ita vt ſit comis & communis vultus aduerſus omnes, animus verò externo nulli pateat, ſed velut in theca clauſus conſileſcat. In ſumma: Subditi meminerint rempub. eſſe inſtar horologij, in quo ſi vnica rota vel deficiat vel aberret, totum horologium concidat neceſſe eſt.

Qualia debeant eſſe laxamenta politica?

X. *Laxamenta politica ſeruire debent honeſtæ ac moderatæ voluptati; ne vel laſſent, vel luxent rempublicam.*

SIc itaque inſtituentur laxamenta politica, vt faciant vel ad virtutis ciuilis atque militaris exercitium, vel ad corporis & animi recreationem. *Ad virtutes ciuiles* conducunt ſolennia conuiuia, conuentus anniuerſarij, ſolennitates nuptiales, ludi ſcenici; videlicet comœdiæ & tragœdiæ, ſymphoniæ muſicæ, & ſimilia. *Ad virtutes militares* excitandas pertinet ſtudium venationis, equitationis, ludus gladiatorius, lucta, certamen haſtilium, exercitium ſcloperorium & arcuum ſtatis temporibus luſus pilæ, curſus ſuper glacie, luſus latrunculorum ſiue ſcacchia. *Ad corporis & animi recreationem* faciunt luſus honeſti & choreæ, quæ intra honeſtatis fines cohibentur: Hîc obiter obſerua, quatuor ſaltationum genera dari. Eſt enim ſaltatio 1. militaris, quæ facit ad robur & agilitatem corporis. 2. laſciua & impudica. 3. artificialis & concinna. 4. ſancta & heroica, quomodo rex Dauid ante arcam fœderis ſaltaſſe legitur.

CAPVT IX.

De Reip. defenſione.

PRÆCEPTA.

ADMINISTRATIONEM reip. excipit defenſio quâ reſp. redditur tuta, ídque mediis internis, vel externis.

Media interna ſunt arma & munitiones.

Armorum conſideratur apparatus & tractatio.

Armorum apparatus conſtituit armamentarium.

Armorum tractatio fit tempore pacis, vel belli.

Bellum, ſiue ſit terreſtre, ſiue maritimum, abſoluitur fine iuſto, & actu legitimo, qui requirit aptas perſonas & legitimum ordinem.

Aptæ perſonæ ſunt partim magiſtratus militares, iíque vel ſummi, vel ſub ſummo: partim milites, iíque pedites, vel equites.

Ordo legitimus conſiſtit in officiis militaribus.

Munitiones reip. ſunt vel naturales, vel artificiales, vel naturales, & artificiales ſimul.

Media externa ſunt duo: videlicet amicitia cum vicinis vel etiam diſſitis; & fœdus cum amicis vel hoſtibus.

REGVLÆ.

An bella ſint licita?

I. *Magiſtratus bonâ conſcientiâ bellum defenſiuum & offenſiuum gerere poteſt.*

BEllum eſt iuſtum vel iniuſtum, Iuſtum eſt, quod vel pro religione, vero Dei cúltu, & patriâ defendendis geritur, & dicitur defenſiuum: vel ad atrocem ac notoriam iniuriam, pauperibus & reip. illatam, propulſandam ſuſcipitur, & dicitur offenſiuum & vindicatorium. Vtrumque cenſetur iuſtum, ſi habeat tria illa, authorem legitimum, cauſam & finem bonum, vt *Lipſius 5. polit. cap.* 4. eleganter tradit. Author legitimus eſt princeps, aut ille qui loco principis. Cauſa eſt defenſio, vel inuaſio vindicatoria. Finis belli continetur illo Ciceronis ſcito, quod eſt 1. *offic.* Ita bellum ſuſcipiatur, vt nihil aliud, quàm pax quæſita videatur. Denique modus etiam belli debet eſſe legitimus. Sunt enim & belli, ſicut pacis, iura, quæ virum bonum violare non decet. Iniuſtum bellum eſt, quod vel à priuato geritur, vel ampliandæ ditionis cauſa, aliis innocentibus infertur, magíſque ad priuatam, quàm ad publicam refertur vtilitatem. Bella iuſta quod attinet, Deus illa in V. T. præcepit populo ſuo: & in Nouo nuſquam prohibuit, ſed potiùs probauit, quando per Ioannem Baptiſtam præſcripſit militibus rationem officij, *Luc.* 3. *v.* 11. Hinc Chriſtianiſſimi principes in N. T. bella geſſerunt, vt Conſtantinus M. Theodoſius, & alij. Porrò bellum defenſiuum eſt iuris naturæ; quia defenſio eſt iuris naturalis. Et bellum offenſiuum eſt publica pœna ſeu vindicta, quam magiſtratus, tanquam vicarius Dei, exercere poteſt & debet. Sed Anabaptiſtæ, ſecuti Manichæos, contendunt bellum nullum eſſe iuſtum, neque vnquam à Deo probatum, ſed toleratum in V. T. in N. improbatum. Contra illos hæc axiomata tenenda: 1. Bellum eſt introductum iure diuino & gentium. Iure diuino; quia Deus præcepit bella populo Iſraëlitico & leges bellicas præſcripſit apud Moſem, & in libris Regum & Chronicorum. Iure gentium, quia ratione naturali dictante omnes gentes conſtituerunt, vim vi repellendam eſſe ad ſalutem reip. conſeruandam. 2. Bellum iuſtum fundatur in lege naturæ. Nam lex naturæ dictat, bonum eſſe iniurias repellere, bona ſibi erepta vindicare, ratione & iure vti contra eum qui rationem & ius violat, ſeipſum denique & ſua defendere. 3. Bellum legitimum eſt actus iuſtitiæ punitiuæ. Eſt igitur neceſſarium; vt remedium aſperum. Obiicis, quòd infinita peccata neceſſariò ſequantur bellum, vt cædes, rapinæ, &c. Reſpond. Bellum æſtimetur è ſuis eſſentialibus, quæ ad illud ſuſcipiendum & gerendum requiruntur; non ex iis quæ per accidens adhærent, vt ſunt cædes ac rapinæ illegitimæ. Licet enim hoſtem ſpoliare, vt & occidere tempore belli. 4. Bellum iuſtum religione non caret. Hinc ſancta iura belli apud omnes, qui pro aris & focis depugnarunt. 5. Ioannes Baptiſta *Luc.* 3. *v.* 14 legem militarem dat militibus. Ergo militare ſua naturâ non eſt malum. Centurionis quoque fidem Chriſtus laudauit *Matth.* 8. Et Cornelius centurio *Act.* 10. fuit vir pius & timens Deum. E hæc vocatio non diſplicet Deo. Quid? In Apoc. dicitur quòd ſancti bella ſint geſturi aduerſus impios? Chriſtus autem & Apoſtoli non dederunt præcepta de bello: quia Chriſtiani primitiuæ Eccleſiæ iſtis non habebant opus.

Placuit

Placuit enim Deo sanguine fundare Ecclesiam N. T. non armis plantare, iam verò postquam Christianos habemus principes, alia est ratio. Priùs tamen iuris & pacis via tentanda, quàm ad arma veniamus: quia licet bellum sit iustum, quod defensionis vel vindicationis causa geritur, semper tamen inevitabilia quædam incommoda illud comitantur, vti sunt cædes multorum innocentium, vastitas agrorum, stupra virginum & mationaium.

An pacis tempore arma tractanda?

II. *Subditi tempore pacis exerceantur in re militari.*

ITa enim ex ignauo ciue fortis, ex intemperante moderatus, è desidioso strenuus, è luxurioso frugalis, è libidinoso continens efficitur. Ideò sapientissimus rex Salomon tempore pacis arma, currus, milites, equos, equites, legiones peditum, certis in oppidis descripta habuit, & in media pace arma tractauit. Et sanè valde necessarium est, vt pacis tempore cogitemus de hoste. Denique hac ratione habebimus viros idoneos, qui incidente necessitate manu expediti, promti, & semper parati sint ad vim quamuis illatam armis propulsandam & auertendam, vel vim hosti armis inferendam. Præstat autem fermè habere milites ciues, quàm mercenarios: quia illi potiùs quàm hi alacriter hostem patriæ aggrediuntur, & pro aris ac focis pugnant.

An principe bellis interesse oporteat?

III. *Princeps potiùs præesse, quàm interesse prælio debet.*

RAtio prioris est; quia præsentia principis in bello magnum adiumentum ad victoriam adfert. Omnia etiam maiori cum authoritate geruntur, si princeps summæ rerum præsit. Hinc princeps dicitur esse tanquam lumen exercitus, ex quo milites spiritum animósque sumant. Huc accedit, quòd valde periculosum sit exercitum, penes quem est robur regni, demandare alij. Ratio posterioris est; quia si princeps prælio siue pugnæ se misceat, in præsentissimo periculo non solùm exercitus, sed etiam patria versatur. Facilè enim accidere potest, vt princeps in discrimen vitæ incidat. Sufficit enim si per ducem tanquam vicarium suum intersit. Si tamen salus populi requirat, vt princeps ipse intersit pugnæ, non detrectabit hanc prouinciam, sed cum Deo mœnia transiliet & hostiles acies perfringet.

Quæ requirantur in duce belli?

IV. *Imperator, seu dux belli, sit vnus, ætatis mediæ peritus rei militaris, familia splendida, amans patriæ.*

PRincipio si plures sint duces belli æquales potestate, vel nullum ibi est regimen, vel incertum. Possunt autem, & verò debent, plures esse duces sub summo: quia bellum vt ordine geratur, incertas classes distribui debet, quibus præerunt peculiares duces. Deinde dux neque nimis sit senex, neque nimis iuuenis, sed ætatis virilis, quæ & aptior est ad labores militares perferendos, & ad disciplinam militarem retinendam magis idonea. Nec tamen tam ætatis, quàm virtutis ratio habenda. Tertiò requiritur in duce peritia rei militaris, eáque partim generalis, partim specialis. Illa petitur ex doctrina, lectione, & auditione rerum bellicarum: hæc vsu & propriâ experientiâ requiritur. Ad peritiam etiam pertinet prudentia militaris, qua imprimis stratagemata siue sophismata bellica, vt vocant, inueniuntur. Neque enim huiusmodi artificia sunt prohibita: cùm Iosua, dux populi Dei, stratagematis vsus esse legatur, & quidam dolus sit bonus, præsertim is, qui hostis impudentiam vel ignauiam castigat. Præterea dux belli sit præditus sapientia in consultando, consilio in prouidendo, industria in agendo, celeritate in conficiendo, promptitudine in consilio capiendo, sagacitate in stratagematis, vigilantia in incertis, fortitudine in periculis, patientiâ in laboribus, seueritate in animaduertendo. Hæc scientia nutrit dimicandi fidentiam. Nemo enim facere metuit, quæ se bene didicisse nouit. Quæ Cicero nunc in suo Pompejo, nunc in Cæsare magnificè extollit. Quintò consultius est, ducem belli ex illustri quàm ex obscurâ familiâ, indigenam quàm peregrinum, eloquentem quàm impeditæ linguæ, cæteris tamen paribus, eligere. Splendor enim familiæ coniunctus cum virtute bellicâ, fulgore quodam maiestatis perstringit animos militum. Ad extremum nisi dux sit boni patriæ studiosus, in præsentissimo periculo versatur non solùm exercitus, sed ipsa etiam resp. Vno verbo: Dux præditus sit virtute imperatoriâ & morali. Ita enim authoritas & felicitas (quæ duo in re militari plurimum possunt) ipsum non destituent.

Quæ in milite spectanda?

V. *Milites adhibeantur selecti, fortes, & patriæ addicti.*

AD militis delectum pertinent ista. Potiùs domestici quàm extranei milites eligantur: vtrique sint animo & corpore valentes: vtriusque sint certa symbola: electi iureiurando obligentur, quod dicitur sacramentum: plures sint pedites, quàm equites, quia illorum vsus est vbique, secus istorum: adhibeantur simul cataphracti & leuioris armaturæ milites: limitanei in terra, classiarij in mari constituantur. Fortitudinis militaris est animo promto & imperterrito aggredi periculum, strenuè in bello progredi & periculum sufferre, &, si Deus benedicat prælio, ita se gerere erga victos, vti victor cupit hostem se gerere aduersus ipsum, si victus ipse esset. Denique requiritur in milite, vt sit addictus patriæ, atque adeò illam impensè amet: quia si absque hoc amore sit merum frigus occupat militis animum.

Quæ in bello spectanda?

VI. *Bellum iustè suscipiatur, geratur, & finiatur.*

BEllum iustè suscipitur, quod à principe, pacis causâ geritur. A principe dico: quia ille solus habet ius gladii, & tanquam vicarius Dei, remp. non solùm defendere debet, sed etiá iniuriam publicè acceptam publicè vindicare. Deinde bellum iustè susceptum, iustè etiam est gerendum. Itaque publicitùs indicendum, nisi aliquando expediat & honestum sit clam gerere. Indictum geritur prædationibus ex hostili agro, obsidionibus, & præliis: sed præuiis consiliis partim rectis, partim obliquis, quæ dicuntur stratagemata. Bellum finitur duobus modis, victoria & pactione. Victoria non debet esse crudelis, sed lenis & moderata, ne fortè obiiciatur illud vulgatum: *Vincere scit Hannibal, victoria vti nescit.* Pactio est compositio belli spontanea, quæ quantum fieri potest ineunda est, sed æquo iure ac firmiter ineunda. Cæterùm finito bello præmia sua constabunt militibus. Et omnibus quidem, si petant, dentur testimonia siue literæ publicæ, quæ vocantur *Paszport.* Iis autem qui suam fidelitatem & fortitudinem præ aliis probarunt, conferatur gradus nobilitatis, vel etiam generositatis. Hîc detestandus est mos ille, qui apud Perusinos & Florentinos olim inualuerat. Apud illos si qui militare cœpissent, quamprimum ex ignobilibus efficiebá tur nobiles. Aliter Romani conferebant gradum nobilitati bellicæ. Si quis enim cum Siccio Dentato innumera belli pericula sustinuisset, titulum nobilitatis magna cum laude ac gloria consequebatur. Istius Dentati oratio aduersus patritios extat apud *Plutarchum in Gracchis*, & recitatur à *Bodino lib. 3. de rep. c. 8. pag. 557.* vbi gloriatur se annos quinquaginta pro patria stipendia fecisse, centum & viginti præliis dimicasse, vulnera quinque & quadraginta, vno die duodecim, omnia aduersa, corpore excepisse: quatuordecim coronas ciuicas, tres obsidionales, torques aureos tres & octoginta, brachialia aurea cẽtum & sexaginta, hastas decem, insignes phaleras quinque ac viginti tulisse. Sed paulò pleniùs delineemus hanc Politices Partẽ, quæ dicitur Polemica Politica. 1. *Polemica politica est prudentia belli rectè gerendi* 2. *In bello videndæ sunt species & partes.* Species ita habent: Bellum iustum est defensiuum vel offensiuum, quod & vindicatorium dicitur. Illud geritur defensionis causa, quæ semper est iuris naturalis: Hoc ad iniuriæ illatæ vltionem suscipitur: quæ ipsa vltio quoque est iuris naturæ, si proficiscatur non à fermento priuatæ vindictæ, sed ab illo qui habet ius gladij. Vtrumque est vel internum, quod dicitur ciuile: vel externum: Et hoc terrestre, vel nauale: & vtrumque est politicum vel religiosum, quod sacrum dicitur. 3. *Partes belli sunt ipsius constitutio, administratio, & depositio. Et constitutio respicit causas, & susceptionem.* 4. *Causæ belli sunt suscipientes & impellentes.* Causa suscipiens est magistratus, non ecclesiasticus, sed politicus. Ratio prioris est; quia ad bellum suscipiendum inhabiles sunt qui sacris vacare debent, cùm omnis prouincia, imprimis ardua (qualis profectò est Ecclesiastica) totum requirat hominem. Ratio posterioris est; quia Deus magistratum politicum armauit gladio seculari. Hîc incidit quæstio: *Num etiam inferior magistratus possit suscipere bellum inscio superiore?* Respond. superior magistratus habet ius indicendi & gerendi bellum, inferior non habet regulariter. Regulariter dico: quia excipiuntur duo casus: 1. Si violentus inuasor sit repellendus. Semper enim pia sunt arma, quibus nulla, nisi in armis, spes vitæ posita est. Deinde, si superior magistratus remp. in præsentissimum adducat discrimen & morbum lethalem, per tyrannidem, vel alia flagitia: ita vt priùs omnibus mediis legitimis tentatis nihil profecerint in animo principis à feritate ad clementiam traducendo. Natura enim docet, potiorem esse remp. tyranno, qui eo ipso, quòd tyrannus est, desinit esse princeps. Neque tamen hoc modo priuatis aperitur fenestra è medio tollendi tyrannos, quia vt bonum est si optimates interficiant tyrannum, ita malum est si priuati sibi sumant quod optimatum est. Vsque adeò verum est illud: Duo cùm faciunt idem, non est idem. Cæterùm denuntiatio belli dicitur clarigatio; cui opponitur diffidatio, *die absagung.* 5. *Causæ belli impellentes sunt defensio & vindicatio.* Defensio est, cùm iniuria intẽtata repellitur. Iure namq; naturæ ita comparatum est, vt fortitudo tolerás habeat comitem fortitudinem propulsantem. Et vt iniustè facit, qui prior vim infert, ita qui vim illatá non propulsat, veterem ferendo iniuriá inuitat nouam. Vindicatio est, cùm iniuria illata vindicatur. Iniuria autẽ illa infertur vel Deo, vel hominibus. Deo quidẽ, si quis veram religionem extirpet ac tyrannidẽ exerceat in conscientias. Hominibus infertur iniuria, dũ vel magistratus à subditis, vel subditi

diti à magiſtratu contra iuramentũ fidelitatis & leges fundamẽtales lædentur. Denique magiſtratus & ſubditi ab extraneis ſæpe afficiũtur iniuriâ ciuiâ, id eſt, grauiſſimâ, eâque perſonali, vel reali. Hic igitur errant qui tres iſtas belli cauſas afferunt. 1. Infidelitatem. Hæc enim non priuat dominio ſuo Pharaonem vel Nebucadnezarem. Nam infidelitas non tollit ius humanum, vnde rerum dominia deſcendunt. Alia verò eſt quæſtio de infidelitate ſerpente & turbante alios. 2. Amplificationem imperij. Hæc enim ſi iuſta eſſet cauſa, vtraque belligerantium pars poſſet illam prætendere. 3. Propriam principis gloriam. Cùm enim princeps reip. causâ ſit conſtitutus, debet ſeruire reip. non ſuis affectibus. 6 *Suſceptio belli ſit lenta, neceſſitate extorta, & ordinata.* Lenta erit, ſi, Deus rogetur vt nos à belli neceſſitate liberet, ſique omnia priùs tententur, quàm ad arma veniatur. Hîc inprimis illud Salluſtianum cogitandum: Omne bellum ſumi facile poteſt, at ægerrimè deſinit: nec in eiuſdem poteſtate initium eſt ac finis. Hoc fecerunt Romani, qui bella tardè, & nulla licentia ſuſcipiebant, nullúmque bellum pium putabant, quod non indiceretur per quatuor legatos feciales, quorum vnus velato capite in finibus eorum qui iniuriam intulerant, in hæc erumpebat verba: Audi Iupiter: Ego ſum publicus nuncius populi Romani, iuſtè piéque legatus venio &c. Neceſſitate extorta erit, ſi præcedat deliberatio matura, quâ magiſtratus ponderet ac metiatur vires ſuas, vires item, ingenium, facultates, & ſocios hoſtium. Ordinata denique erit, ſi conſtet certo apparatu & delectu prudenti. 7. *Apparatus bellicus eſt, quo comparantur res ad belli vſum neceſſariæ: cuiuſmodi ſunt pecunia, arma, & commeatus.* Pecunia eſt neruus belli, ſit adſit conſilium, iuxta illud Thucydidis: Pleræque belli res conficiuntur pecunia & conſilio. Hinc Lazarus Suuendius rectè dixit pecuniam in bello tenere primas, ſecundas & tertias. Arma in promtu ſint, & defenſiua & offenſiua: & cum armis artifices, qui ea curent. Commeatus denique omni curâ prouidendus eſt: quia ſæpius penuria, quàm pugna conſumit exercitum. Et ferro ſæuior eſt fames: quia intrinſecus pugnat, & nullâ vi poteſt repelli. Hinc Xenophon dicit, breui eius ducis imperium periturum, cuius culpâ exercitus caret reb. neceſſariis & commeatu. 8. *Delectus eſt eorum, qui armis idonei ſunt, cum iudicio inſtituta electio.* Hîc conſiderandæ ſunt perſonæ eligendæ tum modus eligendi. Perſonæ eligendæ ſunt publicæ, vt principes militiæ, & priuatæ, vt milites. Principes belli ſunt dux ſiue imperator & adiuncti. 9. *Adiuncti imperatori bellico ſunt perſonæ militares, armatæ imperio in milites.* In iis requiritur ſcientia, fortitudo, & fides. Ex his ſuperior dicitur legatus Imperatoris, item vicarius ducis & locum tenens. Inferiores ſunt conſiliarij militares, variique magiſtri & præfecti in regimine equitum, in regimine rei armamentariæ, & in regimine peditum: itémque in turma equitum, & cohorte peditum. 10. *Milites diuiduntur varijs modis.* Primò ſunt equites vel pedites: & hi quidem vtiliores ſunt reip. quia vbique prodeſſe poſſunt, & minori ſumtu nutriuntur. Deinde ſunt ordinarij, qui in caſtris verſantur, vel ſubſidiarij, qui ſeponuntur in neceſſarios præliorum vſus. Tertiò ſunt tyrones, qui ad militiam inſtituuntur, nondum tamen in ordinem ſunt relati; tum veteres, qui bello interfuerunt; tum deniq; veterani, qui legitimam miſſionẽ ſunt conſecuti. Quartò ſunt intranei ſeu domeſtici, vel extranei. Quintò sũt, mercenarij vel ciues. Sextò ſunt ordinarij, ſtationarij, præſidiarij, prætorini, palatini, ſubſidiarij, limitanei &c. 11. *Modus deligendi perſonas militares conſtat collectione & ordinatione militum. Collectio conſtat vocatione militum & vocatorum probatione.* 12. *Vocatio fit vel ſubitò, cùm tumultus oritur, vel cum morâ.* Vocat autem dux vel ſuos vaſallos, vel ſuos ſubditos vel, mercenarios, qui probantur ſi cauſa belli ſit iuſta. Sed eo impietatis nunc dierum milites mercenarij progrediuntur, vt omnia quæſtu æſtiment & optimum ducant, quòd vtiliſſimum. Sunt tamen, qui ad militiam recipi non poſſunt, ſi maximè velint, videlicet, qui ſunt infra ætatis annum 17. qui ſunt emeriti, qui laborant morbo ſontico: item mulieres, ſerui, coloni, negotiatores, & denique infames, vti ſunt proditores, transfugæ, ad beſtias damnati, relegati, publico iudicio damnati, & qui parentibus maledixerint. 13. *Probatio militum fieri vel ab imperatore, vel à magiſtris militum debet.* Perfici autem debet non oculis corporis, ſed animi. Peruerſa igitur eſt probatio, quâ digni iudicantur qui truci vultu ſunt præditi, quíque linguâ magis quàm manu dimicant. Cæteroquin apud veteres in vſu erat cinguli datio, quæ erat inſigne armorum & militiæ ornamentum. 14. *Ordinatio milites diſtribuit in certos ordines.* Hæc apud antiquos fiebat in legiones & auxilia. Legiones conſtabant ex pedeſtribus & equeſtribus copiis. Pedeſtres copiæ continebant 10. cohortes, manipulos ſiue contubernia 30. centurias 60. Equeſtres diuidebantur in turmas & decurias. Auxilia erant milites, qui à ſociis vel fœderatis mittebantur. Hodie autem exercitus, quantumuis magnus diuiditur in tria regimina. Primum regimen eſt equitum, quod diſtribuitur in cohortes & turmas. Cohors ad ſummum trecentos: turma 40. plus minùs continet. Secundum regimen eſt rei armamentariæ. Tertium eſt peditum, quod diſponitur in certas cohortes & contubernia. Cohors peditum eſt trecentorum vel 400. vel 500. quod putatur optimum. Contubernium decem ferme milites continet. Milites ita ordinati ſacramentum præſtant. Et Chriſtiani quidem milites olim iurabant per Deũ & Chriſtum, & Spiritum ſanctum & maieſtatem Imperatoris. Veteres autem Romani more ſuo iurabant per numina fictitia. Iurabant, inquam, omnia ſe facturos, quæ præceperit imperator: nunquam deſerturos militiam, nec mortem recuſaturos pro rep. Romana. 15. *Adminiſtratio belli duas habet partes, indictionem & executionem.* Indictio belli non eſt neceſſaria ſi cauſa belli ſit defenſoria: ſi verò ſit vindicatoria, pro arbitrio ducis indici poteſt vel non, prout occaſio poſtulat. Apud Romanos autem nullum erat iuſtum bellum, niſi denuntiatum priùs atque indictum. 16. *Executio belli ſpectatur in gubernatione prælij & ipſo congreſſu.* Gubernatio reſpicit tum caſtra, quæ tutò, prudenter, & firmiter ponenda, mundáque ſeruanda: tum diſciplinam militarem, è cuius ſinu omnes triumphi manarunt. Ideo Alexander Seuerus ad milites ait: Diſciplina maiorum remp. tenet, quæ ſi dilabatur, & nomen Romanum, & imperium mittimus. Diſciplinæ iſtius videnda procreatio & conſeruatio. 17. *Diſciplina militaris procreatur officiis generalibus & ſpecialibus.* In genere officium ſuperiorum eſt, concordiam, prudentiam, temperantiam, & iuſtitiam, inprimis in ſtipendiorum perſolutione, ſectari inferiorum eſt, imperantibus parere, labores & pericula fortiter ſubire & ordinem ſeruare. In ſpecie varia ſunt officia, videlicet ducis, præfectorum & militum. 18. *Diſciplina militaris conſeruatur partim iuſtitiâ diſtributiuâ, partim exercitatione militari.* Iuſtitia diſtributiua exigit, vt in militia bonis tribuantur præmia, putà priuilegia militaria, coronæ variæ, vt triumphales, obſidionales; triumphi, laudationes, prædæ, agri, munera militaria: malis pœnæ, quales ſunt caſtigatio corporalis, mulcta pecuniaria, indictio munerum viliorum: quæ pœnæ pertinent ad iudicium militare tum ciuile, tum criminale; quod eſt haſtatum & ſtatarium: Germanis *Spieſz vnd Standrecht.* Hîc quæritur, *Num Monomachia ſit probanda?* Reſpond. Ordinariè non eſt licita: ſed extraordinariè, ſi gloria Dei, vel ſalus reip. exigat, omnino eſt neceſſaria: qualis fuit monomachia Dauidis & Goliathi. Sed neceſſe eſt, vt non priuatâ ſed publicâ authoritate hoc fiat. 19. *Exercitium militare eſt tyronum condocefactio, roboris confirmatio, & veterum luſtratio.* Illa eſt, quâ tyrones docentur à campiductoribus ritè vti omnis generis armis: iſta eſt, quâ ad militarem gradum, ad curſum, ad ſaltum, ad equos aſcendendos, & ad portandum onus milites aſſuefiunt: hæc eſt, quâ milites exercitati ſubinde luſtrantur, ne torpeſcant, vel artem dediſcant. 20. *Congreſſus eſt ipſa pugna, eaq; directa, vel obliqua.* Directa fit apertè iuxta quatuor leges. 1. Occaſio inprimis ponderanda. Hæc enim in bello ſolet ampliùs iuuare, quàm virtus, vt docet Vegetius. 2. Famæ ratio habẽda. Nam famâ bella conſtant, vt ait Curtius: & vt Liuius ait, Fama bellum conficit. Eſt enim validiſſima ad metum vel fiduciam gignendum, teſte Tacito. Sed videndum ne ſeruiatur famæ vulgi. Aduerſus enim hanc tanquam iniqui iudicis vocem firmos oportet ſtare, qui aliquid cum ratione peragere volunt. Malè profectò imperatur, cùm vulgus regit duces. 3. Securitas fugienda. Nemo enim celeriùs opprimitur, quàm qui adeò nihil timet, vt etiam hoſtem deſpiciat. Pelletur iſta ſecuritas, ſi quis inquirat in omnia, ita vt ſuum & hoſtium exercitum, locorúmque ſitum, & naturam regionis cognoſcat. Hannibal hoc nomine laudatur, cui omnia hoſtium non ſecus ac ſua erant cognita. 4. Cogitandum eſt quando, quomodo, vbi, & quamdiu pugnandum. Quæ circumſtantiæ relinquuntur prudentiæ iudicis. 21. *Pugna obliqua fit per ſtrategemata.* Strategemata iſta dicuntur pulcherrima furta, ſophiſmata neceſſaria, effecta prudentiæ obliquæ, & denique dolus bonus, qui nihil eſt aliud quàm conſilium ſolers: quo nihil eſſe in bello vtilius ratio dictat: cùm ita hoſtes maximè decipiantur, & amici plurimùm iuuentur. Strategematis autem tanquam rebus adiaphoris, non eſt accenſenda proditio, tanquam res ſuâ naturâ mala. 22. *Depoſitio belli ſpectat victorem & victum.* Victoris eſt ritè moderari victoriam, cautè ſcilicet, ne res ſecundæ negligentiam creent: modeſtè, ne res ſecundæ in malo ingenio ſuperbiam pariant: & denique piè, ne iuſiurandum hoſtibus præſtitum interpoſito Dei nomine violetur. Imprimis hîc cogitetur illud Diodori Siculi: Qui deuictis miſericordiam & veniam negant, duram aduerſus ſeipſos legem conſtituunt. Siquidem qui dura immaniter inferunt, mitia & læta recipere nequeunt. Rerum humanarum circulus quidam eſt, qui non ſinit eoſdem ſemper felices eſſe. Fortuna vitrea eſt & mutabilis. Et ſanè muliebris eſt vindicta furere in victos: nobilis autem ingenij victos clementer tractare, ſic tamen vt ſeueritas moderata adhibeatur. 23. *Victi eſt ferre cladem prudenter & fortiter.* Prudenter, vt cladem ſuam noſcat & agnoſcat. Nam calamitatis ſolatium, noſſe ſortẽ ſuam: ſicut iners malorum remedium ignorantia. Fortiter, ne prorſus haſtam abiiciat, nec vnius prælij euentu paueſcat. Mars enim communis eſt, vt ait Liuius, & victum ſæpe erigit, & affligit victorem. 24. *Induciæ ineantur, quando eſt neceſſarium & commodum.* Induciæ Virgilio dicuntur pax ſequeſtrata: ideoque præferendæ ſunt bello,

siquidem necessariæ sint & commodæ. Alias bellum meritò præfertur induciis.

An munitiones necessariæ?

VII. *Munitiones in republ. debent essent duûm generum: videl necessariæ & vtiles.*

Mvnitiones sunt, quibus respub. aduersus impetum hostilem defenditur. Súntque vel necessariæ, vel vtiles. Munitiones necessariæ sunt, siue quibus resp. defendi nequit. Et hæ in confinio hostium sunt ponendæ, vt interea corpus reipub. procul à periculo & incursu hostium sit tutum. Munimenta ista vsitatè dicuntur arces & castra. Munitiones vtiles sunt, quæ populosam defendunt ciuitatem, aut in perfugium populo prosunt. Vtræque minùs prosunt, si non instruantur annonâ, apparatu, & præsidio militari, & denique præside, qui virtute, fide ac experientia valeat, cui arx tutò credatur.

Amicitia quomodo muniat rempub.

VIII. *Respub. valde munitur mutuâ amicitiâ aliarum rerumpub.*

EST autem ista amicitia ineunda partim cum vicinis rebuspub. partim cum dissitis. Cum illis quidem; quia vt malus vicinus in œconomiâ magnum malum, ita in politiâ malus vicinus sonticum malum. Cum istis autem, quia licet præsentes auxiliari nequeant, absentes tamen possunt cohibere hostem communem, aut vias præcludere, ne nostram remp. inuadant, pecunia denique possunt nobis succurrere. Consistit autem huius amicitiæ ius commune in commerciis & hospitio. Quæ cùm ita sint, magistratui sedulò prospiciendum, vt omnis simultatis suspicio auertatur, & vicinorum fauor nostrâ tum beneuolentiâ, tum beneficentiâ, alatur.

Quid de fœderibus tenendum?

IX. *Respubl. maximè stabilitur fœdere, cùm nempe amicitia publica firmatur peculiari pacto.*

OPortet autem in fœdere politico spectare causas & qualitates. Causa efficiens est princeps, cui summum ius. Forma consistit in publicâ amicitiæ conuentione, sine vllâ maiestatis diminutione. Finis est amicitia, pax, defensio nostri, & offensio hostium. Qualitates fœderis dependent à pactis & conditionibus reciprocis, vt scilicet vtrinque illibata maneat maiestas & libertas: itémque à circumstantiâ temporis & personæ. Nam ratione temporis fœdus est perpetuum, vel temporarium. Ratione personarum fœdus est æquum, vel non æquum. Fœdus æquum, seu æquiparantiæ est inter æquales: idque fit 1. Cum amicis, qui fœdere amicabili & sociali ad perennem amicitiam adstringuntur. 2. Cum hostibus, quando pares bello in pacem redeunt. 3. Cum neutris, id est iis, qui neque amici sunt, neque hostes. Fœdus non-æquum, seu disquiparantiæ est inter inæquales, quando vnus alterius maiestatem comiter obseruare tenetur: estque vel clientelæ, vel venerationis. Fœdus clientelæ est, cùm magistratus impotentior sese in alterius clientelam & quasi tutelam tradit: estque vel gratuitum, cùm clientes sunt ab omni pensione immunes; vel remuneratorium, quando tributum indictum dependitur. Fœdus venerationis est, cùm magistratus init fœdus cum eo, quem quodammodo superiorẽ agnoscit & veneratur, sine subiectione clientelari Atque hæ sunt qualitates fœderis, partim generales, partim speciales: quæ quamdiu manent, fœderi constat sua firmitas. Fœdus itaque firmum manet, donec desinat vel violetur. Desinit vel dissensu vtriusque partis, vel renuntiatione ex iustâ causâ, vel morte alterutrius. Violatur, quando fides fœderis frangitur. Hîc duo veniunt in quæstionem. 1. *An fœdera cum paganis & infidelibus pangenda?* 2. *An fœdera cum hoste seruanda?* Ad primam quæstionem respondimus suprà in *syst. ethic.* vbi videre poteris. *Respon. ad.* 2. Si cuiquam, vt *Bodinus* ait *5. de rep.* fidem frangere fas est, dare certè nefas est. Sin fidẽ dare ius est, datam seruare oportet. Hæc enim ipsa sibi sunt consequentia. Quare Iosua Israëlitarum imperator, vt ait *idem d. l.* fœdere cum Gabaonitis, dæmonum cultoribus, initio, tametsi fraude circumuentus esset, nec vllâ iurisiurandi religione obligari potuisse eum cæteri duces contenderent, nihilominus sanctissimus imperator fidem seruari oportere decreuit: ne, inquit, præpotentis Dei, quem fœderis testem appellauimus, iracundiam ac furorem ciere videamur. Et *Tholosanus lib. 8. de rep c. 8.* rectè ait principis verba ad firmitatem propemodum diuinam accedere debere. Quod obseruauit Sigismũdus Imperator, qui cùm veterano militi exigenti promissa dixisset, Immoderata fuit petitio tua: is autem respondisset, poteras negare cùm peterem, nunc sine turpitudine, quod promissum est, rescindere non poteris: addidit, si ex duobus alterum me facere oporteat, faciliùs rerum quàm famæ iacturam subibo. Et sanè si princeps istam opinionem de se concitauerit, quòd velit pro libitu fidem violare, nemo legatos acceptabit, nemo ampliùs eius literis & sigillis credet, nemo fœdus aut pacta inibit: quòd si inierit, eodem modo decipere & fallere studebit, vnde & toti reip. & ipsi principi graue imminet periculum. E contrario tanta vis est fidei, vt vna complectatur omnes vitæ humanæ partes, teste Petro Martyre. Nam nec matrimonia, nec contractus ciuium inter se, nec vlla reip. pars sine fide constare potest. Nec vlla, vt ait Tullius, vehementiùs res remp. quæ ex tot diuersis ac variis propemodum conflata est hominum generibus, ita stabilem reddit vt fides. Et Aristoteles præclarè ait, Infirmatis violatísque pactis tollitur inter hominem commerciorum vsus: his autem sublatis, dissoluitur reip. corpus vniuersum. Denique nihil in principe tam refulget, quàm fides, quâ Deum ipsum imitatur, qui pacta cum suo populo inita seruat constantissimè. Quòd si verò princeps fraude aliqua circũuêtus, pacta aut fœdera cum aliquo firmauerit, quæ cum reip. exitio & suo ipsius interitu coniuncta sint, vel etiam si vi coactus aliquid tale, quod verbo Dei & publicæ vtilitati repugnet, promiserit, à fide simul ac periurio liberatur. Intentione siquidem ac proposito peccata discernuntur.

An fœdera cũ hoste inita seruanda?

CAPVT X.

De causis specialibus remp. conseruantibus.

PRÆCEPTA.

HÆC de causis generalibus remp. conseruantibus: sequuntur speciales, quæ vni potiùs quàm alteri formæ ac gubernationi conueniunt: aliàs dicuntur peculiares, ac propriæ.

Hæc itaque conueniunt vel monarchiæ, vel aristocratiæ, vel democratiæ.

REGVLÆ.

I. *Democraticum statum euertunt arces & præsidia in meditullio collocata: sed monarchici status sunt ornamenta & firmamenta.*

Arces cui reip. statui côueniant?

ARistoteles 7. *polit.* Platonem arguit, quòd peculiares causas, quæ remp. conseruant, prætererit. Et id quidem meritò. Hæc enim res magnum habet momentum. Sic in statu democratico arces & præsidia, si quæ in eâ gubernatione extra vicinam hostium extruuntur, quàm primum sunt euertenda: quemadmodum & *Aristoteles d. l.* docet, & res ipsa tum Athenis in Pisistratarum tyrannide docuit, tum alibi quoque, vt in Heluetiâ & in Valesia gente illi vicinâ, superiori seculo probauit. At verò eædem illæ arces sunt monarchici status non tantùm ornamenta, verùm etiam firmamenta. Quamobrem & à Dauide, & à Salomone, regibus optimis, sunt diligenter exædificatæ, atque retentæ studiosè præsidiis. *2. Sam. 5. vers. 9. 1. Reg. 9. 15. & seqq.*

II. *Ciuium potentiorum & virtute præcellentium continuata in gerendis honoribus authoritas est monarchiæ & aristocratiæ salus: democratiæ pestis.*

Honores potentiorum cui reip. statui conueniant?

RAtio potius est; quia in vtramque hanc politiam magnæ labes inuehuntur, cùm agricolæ, opifices, nautæ, mercatores similísque generis homines ad magnos honores, quanquam duntaxat id fiat ad tempus, euehuntur, vt *Arist. 7. polit. c. 9.* tradit. Ratio posterioris est; quia in democratiâ populus ipse timeri vult, vult ipse monarchâ videri, & eam suam summam libertatem esse putat facere præciperéque quidquid velit & lubet. Itaque ostracismus Athenis propterea fuit institutus, vt si qui nimiâ inter cæteros ciues authoritate pollerent, eiicerentur, vt tradit *Plutarchus in Aristide.* Ostracismus iste fuit genus exilij, ab Atheniensibus inuentum, quo per integrum decennium viri virtute dignitatéque eminentes, publicè sedibus patriis pellebantur, collectis testis, in quibus exulum nomina inscripta erant. Non debet autem hoc exilij genus in republ. bene constitutâ locum habere: quia viri excellentes ac insigniter boni sunt quasi norma & lux virtutis, & suo exemplo tanquam cynosurâ reliquorum actiones dirigunt, aliísque innumeris modis ciuitati prosunt, ita vt eos relegare non sit principis boni, sed plebis furiosæ. Rectè igitur dixit Anacharsis, *ἐν δημοκρατίᾳ λέγουσι μὲν οἱ σοφοὶ, κρίνουσι δὲ οἱ ἀμαθεῖς*, *In democratico statu consilium dant quidem sapientes, verùm imperiti de eo iudicant.* Verùm in monarchiâ & aristocratiâ populus eam esse summam libertatem suam censet, si æquè miniméque dura sibi præcipiantur ab iis, qui imperant: & si dum opprimuntur, pateat sibi liber & facilis ad suos illos magistratus aditus, iúsque ab illis dicatur æquum. Eius rei pulcherrimum exemplum extat 3, *Samuel.* 14. vbi populus iniquum Saulis imperium de Ionathane trucidando damnat. Paret autem eidem Sauli hostias & prædas omnes adducere ad se præcipienti.

An ostracismus probandus?

III. *In statu democratico tria maximè sunt obseruanda, quò conseruetur, sitque tutus.*

Quæ in primis conseruẽt democratiam?

PRimùm, vt vicissitudo sit inter ciues vitæ priuatæ & honoratæ, id est, parendi & imperandi. Secundùm, vt magistratus

tus omnes ex omnibus ciuibus, id eſt, ex quouis ciuium ordine, poſſint creari. Tertium, v ſumma deliberationum ſit penes populum.

Quid maximè cóſeruet ariſtocratiam?

IV. *In Ariſtocratico ſtatu maximè virtus imperantium ſpectatur.*

NIſi in ſtatu ariſtocratico virtutis imperantium potior, quàm nobilitatis,generis,opum, ac cenſus in magiſtratibus demandandis habeatur ratio, vel niſi conſtanter virtus & æquitas ſeruetur, ſtatim labaſcit illa reipubl. forma, & vel in oligarchiam degenerat, vel in monarchiam commutatur. Sic propter filiorum Samuelis improbitatem ariſtocratia Iſraëlitica in regnum conuerſa eſt, 1.*Sam*.8. Denique nequaquam numero aut multitudine ciuium conſeruatur ariſtocratia, quemadmodum tamen numeroſitate ſtant firmioréſque fiunt monarchia & democratia: *Prou*. 14.*v*.28. *Ariſt*.6.*polit.c*.6. De his & ſimilibus modis conſeruandæ polyarchiæ prolixè ac eruditè diſſerit *Hœnonius diſp.polit*.10.

CAPVT XI.

De Amplificatione reipublicæ.

REGVLÆ.

CONSERVATIONEM reip. ſequitur amplificatio, ſeu ampliatio, quâ reſp.redditur magna & potens: id eſt, populoſa & locuples,ſeu numeroſa & nummoſa: *volck-gut gelt-reich.*

Eſtque ſupernaturalis,vel artificialis ſeu induſtrialis.

Supernaturalis pendet à benedictione Dei.

Artificialis eſt interna,vel externa.

Ampliatio interna eſt, quâ populus augetur familiarum incremento, & res incrementum capiunt induſtriâ agriculturæ, pecuariæ, opificiorum.

Ampliatio reip. externa eſt, quæ pendet à mediis externis: eſtque ſpontanea, vel violenta.

Ampliatio ſpontanea ſeu voluntaria eſt, cùm alieni ſeu peregrini ſe ſuáque reip. aggregant oblatione vel inuitatione.

Eſtque vel ſubiectionis, vel tuitionis. Illa eſt, quâ ciues ſunt ſubiecti: Hæc quâ amici, ſocij, & confœderati.

Ampliatio violenta ſeu coacta, eſt vel ex deditione, vel ex bellicâ expugnatione.

REGVLÆ.

eceſſa- a & ho-)raria rep. iomodo ſcer né- ı?

I. *In reip. conſtitutione & adminiſtratione ea, quæ ſunt neceſſaria, probè diſcernenda ſunt ab honorariis.*

REctè monet πολυΐστωρ ille *Danæus lib*. 4.*polit. c*. 1. illam inprimis diuiſionem tenendam eſſe, quòd quædam reip. cuilibet ſint neceſſaria,quædam decora tantùm & ornamenta. Illa ſunt neceſſaria, ſine quibus reſpubl.ſubſiſtere vel conſeruari nequit: iſta honoraria, quæ decus & ſplendorem reipub. adferunt,quamuis eadem ſæpe vtilitatem quoque habent,quæ tum priuatim, tum publicè ex iis percipitur. Quemadmodum enim in corporis humani conſtitutione ſanguis, venæ, nerui, arteriæ, oſſa & cætera his ſimilia, ſunt omninò neceſſaria: venuſtas autem membrorum, agilitas corporis, color virilis, & apta oris conformatio pulchritudinem eidem corpori addunt; ſic in omni republ. victus, arma, iudicia, & ſimilia ſunt planè neceſſaria: ædificiorum autem publicorum & priuatorum ſplendor & maieſtas, & alia his affinia ornamentum reip.conferunt. Atque hoc eſt quod *Plato in politico* ſuo rectiſſimè dixit, earum rerum, quæ ad reipub. conſtitutionem pertinent, alias eſſe αἰτίας, alias συναιτίας, & has dicit pertinere περὶ τὸν τῆς πόλεως κόσμον, *ad ciuitatis ornatum. Ariſtoteles* 7.*polit.c*. 8. ſex genera conſtituit earum rerum, quæ reipub. ſint omnino neceſſariæ: videlicet victum, artificia, inſtrumenta, arma, curam diuini cultus & iudicia publica *Danæus d.l.c*.1. ſeptem recenſet: videlicet metropolin,mercaturam, monetam, vias publicas, archiua, ædificia & opera publica, & denique artificia. *Et d.l. c*. 3. ait, rempub. ditiorem ac ampliorem reddi per colonias, nauigationes, ſcholas & nundinas: ornatiorem ac ſplendidiorem per ſplendida ciuium priuatorum ædificia, per priuilegia,publicas paraſangas ſiue poſtas, & plateas vrbis diſtinctas. Nos ea, quæ ſimpliciter ſunt neceſſaria in repub. hactenus tradidimus: iam verſamur in iis, quæ ampliorem reddunt eandem.

Quæ reddāt remp. populoſam?

II. *Reſp.redditur populoſa propagatione familiarum, & peregrinorum adſcriptione.*

AMplificatio reip. pendet vel ab augmento populi & rerum,vel à dilatatione teritorij, vt μεθοδικώτατος *Bornitius lib*. 3. *partit polit*. docet. Populus augetur & copioſior redditur, vel ex ſeſe, vel aliunde. Hinc medium populi augendi internum,& externum. Intus augetur familiarum incrementa,cuius cauſa eſt benedictio diuina, & procuratio atque defenſio coniugiorum legitimorum. Quidam addunt influentiam cœleſtem. Externum medium eſt, quo exteri recipiuntur in numerum ciuium Debent autem allici pace publicâ & p iuatâ, vero Dei cultu,ſcholarum fundatione,agriculturâ, opificiis,opportunitate mercaturæ,loci ſalubritate,ſitus amœnitate,voluptate ac iucunditate honeſtâ, & denique venationum, piſcationũ, aucupiorum occaſione. Hæc enim decem vbi ſunt, ibi nemo non cupit viuere. Ad externum illud medium etiam pertinet deductio coloniarum, quæ olim fuit viſitatiſſima.

Incrementum rerũ in politiâ vnde?

III. *Augmentum rerum pendet à compendiis œconomicis.*

PRæcipua iſta compendia ſunt induſtria agriculturæ,pecuariæ,metallariæ, opificiorum,& mercaturæ.Item tribunalia ſumma,academiæ,principium aulæ, ſedes principum & nobilium,peregrinationes, nundinæ, ludi, ſpectacula, monumenta ἀξιοθέατα thermæ, acidulæ, & alia ſingularia inuitamenta quibus exteri vel ad habitandum, vel ad contemplandum, vel ad vtendum fruendum alliciuntur, plurimùm conducunt ad reip. amplificationem. In ſummâ: Iiſdem mediis abundantia rerum, quibus ſufficientia, comparatur.

Territoriũ quomodo dilatetur?

IV. *Territorij ac finium dilatatio fit vel ſine vi, vel cum vi.*

SIne, vi bifariam: videlicet vel ſpontaneâ voluntate, cùm populi,vrbes,prouinciæ,ſe ſponte ſubiiciunt: vel contractu quodam & titulo ciuili accedunt reipub. vt emtione, dote, donatione. Vis conſiſtit in bello legitimo, quo regiones, prouinciæ, regna,vrbes, oppida, pagi acquiruntur, & reipub. ſubiugantur. Hîc incidit grauiſſima quæſtio, *An magiſtratui liceat barbaris bellum inferre?* Reſpoud. Barbari vel nobis faceſſunt negotium,vel non. Si illud, ſanè licet illos adoriri hoſtili manu. Si hoc, vel nobis ſunt metuendi,vel non. Si metuendi, oportet alas ipſis incidere. Si non, lex humanitatis iubet illos ad humanitatem traducere amicâ conuerſatione, & commerciorum vſu reciproco. Vtinam hoc obſeruaſſent Hiſpani in Indiâ occidentali! Sed illi more ſuo ſæuierunt in miſerrimos homines,adeò vt quidam Hiſpanus gloriatus ſit,mille milliones Indorum occidentalium trucidatos eſſe: qui tamen homines inſigni quiete,vitæ innocentiâ,& hoſpitalitate in aduenas fuiſſe celebrantur,nec à literis & religione initio abhorruiſſe. *Polanus in Daniel fol*.334.335. Quis hîc non exclamet:

Auri ſacra fames, quid non mortalia cogis
Pectora? ———

Quis non dicat cum pio quodam viro; *In Indiâ opus eſt doctoribus, non tortoribus.*

CAPVT. XII.

De Curatione reip.

PRÆCEPTA.

CVRATIO reip.ſupereſt, quâ ſanantur morbi ciuiles, qui malè afficiunt remp.

Morborum ciuiliũ cõſideratur varietas & cura.

Varietas eſt, quòd morbi ciuiles ſint vniuerſales, vel particulares.

Vniuerſales ſunt, qui totam rempub. infeſtant: vt ſunt mala animi, corporis, & fortunæ.

In malis animi eſt Diſunio hominis à Deo per falſam religionem,Bellum, Iniuſtitia, & Barbaries.

In malis corporis eſt inualetudo ciuium: quò pertinent lepra, peſtis, lues venerea, & alij morbi contagioſi, epidemici, & ſontici.

In malis fortunæ eſt fames, ſitis, mendicitas.

Morbi particulares ſunt, qui partem aliquam reipubl. infeſtant: ſuntque vel in magiſtratu, vel in populo.

In magiſtratu eſt tyrannis, oligarchia (ſub quâ timocratia) & ochlocratia. Illa opponitur monarchiæ, iſta ariſtocratiæ, hæc democratiæ. Huc pertinet

Syn

Synchyſis, Anaſtrophe, & Interregnum. Illa confundit formas reipubl. iſta mutat, hoc ſæpiſſimè affligit remp.

In populo eſt rebellio aduerſus principem, vel factio inter ipſos ciues.

Cura morborum ciuilium perficitur inueſtigatione cauſarum, conſideratione prognoſticorum, & applicatione remediorum.

Cauſæ morborum ciuilium ſunt remotæ & propinquæ.

Cauſa remota eſt prouidentia Dei, quâ rebuſpub. conſtituitur fatalis terminus ob peccata noſtra.

Cauſæ proximæ ſunt vitia ſeu peccata contra vtramque decalogi tabulam, putà epicureiſmus, atheiſmus, violatio ſabbati, homicidium, libido &c. adeóque intermiſſio officiorum in ſtatu eccleſiaſtico, œconomico, ſcholaſtico, & politico.

Prognoſtica ciuilia ſumuntur à defectibus, qui remp. infeſtant.

Remedia ciuilia ſunt prophylactica, vel therapeutica.

Prophylactica ſunt, quibus cauſa morborum imminentium tollitur.

Therapeutica ſunt, quibus morbi ciuiles tolluntur, vel ſaltem mitigantur.

REGVLÆ.

An vlla reſpub. ſine morbis politicis?

I. *Nulla reſpubl. vnquam fuit, eſt vel erit in hâc vitâ, quæ non laboret quibuſdam morbis.*

Nihil enim in humanis eſt ſtabile: & omnium rerum datur viciſſitudo, ortus & occaſus, incrementum & decrementum. Vt vt ergo reſp. quàm ſapientiſſimè fundetur, & quàm prudentiſſimè gubernetur: fieri tamen non poteſt, quin aliquando morbis & malis ciuilibus an inciuilibus inficiatur, infecta corrumpatur, corrupta mutetur, tandémque deſtruatur.

Hinc poëta:

Momento permagna ruunt, ſummiſque negatum
Stare diu, nimióque graues ſub pondere lapſus.

Hinc & illud politico-theologicum: *Omnia regna ſuas fatales habent periodos, ſolius Chriſti regnum hanc habet gloriam, quòd non ſit incluſum certis vel loci vel temporis terminis.* Nam quamdiu mundus erit, Eccleſia erit. Ais: Etiam quamdiu mundus erit, reſp. erit. Reſpon. Verum eſt iſtud acroama, ſi loquaris de ſpecie, ſi de indiuiduo, non item. Hîc ergo requiritur prudentia ciuilis, quâ malis imminentibus obuiandum, vel graſſantibus medendum.

An rerũp. periodi ſint fatales?

II. *Annus 500. & 700. rebuſp. ferè ſunt fatales.*

Conuerſiones & euerſiones rerumpub. non ſunt fortuitæ, ſed fatales. Intellige hîc fatum Chriſtianum ſiue theologicum, id eſt prouidentiam Dei: quæ non adfert neceſſitatem coactionis, ſed infallibilitatis: non fatum illud fatuum, quod eſt vel Chaldaicum ſeu aſtrologicum, & Deum ſubiicit aſtris; vel Stoicum, quod Deum ſubiicit connexioni cauſarum ſecundarum. Tale fatum meritò explodimus, & cum ſanioribus ethnicis omnibúſque Chriſtianis aſſerimus, ab æternâ ſapientiâ iuſtè decretum eſſe, vt omnia, quæ ortum, incrementum, progreſſum, maturitatem, & ſenectutem habent, interitum etiam aliquem habeant. Cuius rei cauſæ nobis quidem ignotæ eſſe poſſunt, iniuſtæ eſſe non poſſunt. vide Dan. 2. & 4: vbi memineris illud: Deus inter ſe committit lupos, vt pax ſit ouibus, id eſt, facit vt tyranni ſæpe in ſe inuicem ſæuiant, vt Eccleſia ipſius & honeſtæ politiæ ab ipſorum rabie ſint tutæ. Cùm enim Deus ſit αὐτοδικαιοσύνη, vt ita dicam, iniuſtè agere nec vult, nec poteſt. Iuſtè igitur conſtituit & præfixit hic rerum omnium arbiter, omni, quæcunque ſub hoc orbe ſublunari exiſtit, rei, terminum certum, extra quem excurrere nequit. Ita regnis & rebuſpubl tempora certa præfixit, quibus inchoëntur, creſcant, floreant, mutentur, & denique intereant. Atque hæc appellatur periodus Imperiorum: quæ, vt magno exemplorum conſenſu comprobatum eſt, 500. & 700 annorum ſpatio ferè comprehenditur. Ita fermè quingenti anni numerantur à ducatu Moſis ad regnum Saulis, à ſolutâ captiuitate ad mortem Chriſti, ab Ezrâ, qui Iudaicam politiam inſtaurauit vſque ad Veſpaſianum, qui totam deſtruxit. Totidem ferè annis regnum Athenienſium & Lacedæmonum durauit. Annis 500. conſules rexerunt remp. Romanam. Carthago ſteterat annos 700. quando à Scipione deleta eſt. Ciuile bellum Pompeij & Cæſaris, quod remp. Romanam euertit, incidit in annum ab vrbe conditâ ſeptingenteſimum quintum. Exactu s

eſt nunc quoque ab inſtaurato per Carolum M. Imperio occidentis annus .700. & vltra: & à Collegio electorum Othonis Tertij ſapientiâ conſtituto 600. & quod excurrit: ob quem duarum periodorum concurſum impendere mutationes maximas, non eſt obſcurum cùm res orbis Chriſtiani ad præcipitem minam iam nunc videantur inclinatæ. Videris inter alios *Peucerum de diuinat. & Eliam Reuſnerum in horulo hiſtorico-politico.* Cauſas huius mutationis quod attinet, illę ſunt vel occultæ, vel manifeſtæ; & hæ partim naturales, partim morales. De naturalibus mira ſomnia prodiderunt Platonici, quæ videſis apud *Bodinum lib. 4. de rep. cap. 2.* Nobis ita videtur. Annus reip. 500. vel 700. ideò eſt fatalis, quia intra hoc ſpatium decurrit hominum generatio ſexta, quæ deflectit magis magiſque ab eorum ſimplicitate, ac fortitudine, qui initio viribus ac virtutibus heroicis imperia acquiſiuerunt & conſeruarunt. Sicut enim corpora quartâ & quintâ generatione fiunt languidiora, ita etiam decreſcit virtus: quâ præcipuè acquiruntur conſeruantur, ac propagantur regna. Huc accedit, quòd magna ſiderum poſitus fit mutatio intra ſpatium dictum. Sidera verò magnam habent vim in humoribus, ac proinde moribus hominum immutandis; à quibus pendet reipubl. incolumitas vel mutatio. Cauſas morales, id eſt vitia in ſtatu œconomicô, ſcholaſtico, eccleſiaſtico, & politico graſſantia, deinceps videbimus. Verùm enim verò hæc ita ſunt accipienda, ne quis vel numero, vel meræ cœli influentiæ vim aliquã tribuat, aut hãc periodum ita accipiat, quaſi ſit certa & prorſus definita, aut neceſſariò expectanda ſit conuerſio vel euerſio ipſo anni 500. vel 700. articulo. Videmus enim quoſdam rerumpubl. cataſtrophas poſt hoc tempus accidiſſe. Nimirum Deus ex ſuâ immensâ miſericordiâ prorogat aliquando iſtum terminum; nonnunquam contrahit & minuit ob ſcelera mortalium. Sed nos loquimur de eo, quod fit ἐπὶ τὸ πολὺ, *vt plurimum*, Hîc itaq; obſeruentur ſequentes cautelæ: I. *Numerus non poteſt efficere conuerſionem rerump. vti docuit Plato.* II. *Cœlum & meteora, & in iis cometæ, mirum in modum alterant humores hominum & conſequenter animos, ac proinde aliquam vim habent in rebuſpubl. mutandis.* III. *Fatalis periodus eſt vel neceſſaria, vel probabilis.* Illa habet vires in rebus ſimpliciter naturalibus: Hæc in rebus, quæ partim à naturâ, partim à voluntate pendent: qualis eſt reſp. IV. *Non præcisè vrgendus eſt articulus anni 500. vel 700* Porrò aſtrologi hæc ferè adferunt. Copernicus, aſtrologorum ſuæ ætatis facilè princeps, vt veterem Eudoxi opinionem de motu terræ renouauit: ita quoque rerump. conuerſiones & occaſus ab eccentrici motu, quem terræ tribuit, pendere putat. Sed Plato reſpublicas conturbari & occidere putauit, cùm ſuauitatis illius, quæ ab harmoniâ exiſtit, concentus interrumpitur aut violatur. Id autem fieri dicit, cùm in *numero nuptiali* ab illis rationibus, quas muſici vocant, longiùs diſceſſeris. Numerum verò nuptialem definit, qui ab vnitate incipiens, duplâ ac triplâ ratione ſcinditur, vt dextrâ quidem mares, id eſt, impares, ſiniſtra fœminæ, id eſt, pares numeri, continuâ ſerie hunc in modum conſtituuntur;

				1				
			2		3			
		4				9		
	8						27	
16								81

media verò loca numeris perfectis, imperfectis, quadratis, ſphæricis, cubicis, vt nulla numerorum ratio deſit, compleantur. Hæc autem numerorum ſeries infinita eſſe poteſt, quia toni vis ac poteſtas æquè eſt infinita partitione, vt dimenſio quælibet. Ita reip. bene conſtitutæ forma ſtabilis erit, quamdiu rectas rationes, & aurium ſuauitati congruentes, ſeruabit; duplâ quidem, ſeu diapasôn, ab vnitate ad binarium; ſeſquialterâ, à binario ad ternarium, quæ fit διὰ πέντε: ſeſquitertiâ, trium ad quatuor, quæ fit διὰ τεσσάρων: triplâ, quæ fit διὰ πέντε καὶ διὰ πασῶν; quæ quòd omnes concentus complectitur σύστημα vocatur. Si vlteriùs progrediare ad eam rationem, quæ eſt quatuor ad nouem, inſuauis ratio, & auribus ſupra modum ingrata futura eſt. Atque hoc eſt, quod Plato voluit ex mente Bodini, qui pluribus hoc argumentum perſequitur lib 4. de rep. Sed mittamus hanc ſententiam Platonis, quia non ſine causâ veteres queſti ſunt, his numeris Platonicis nihil eſſe obſcurius. Recenſeamus itaque ſententiam aſtrologorum. Illi ſtatuunt, quatuor imprimis cauſas aſtrologicas eſſe hîc ſpectandas. *Prima* eſt mutatio abſidum planetarum; quâ nempe planetæ quinque cum ſole, apogea & perigea ſua, & vnà cum iis motum ſuum velociorem vel tardiorem, in alias atque alias Zodiaci ſedes ſ.ſ.ſ. transferunt. *Secunda* eſt mutatio eccentricitatis ſolis. Hanc ſiquidem mutationem ſequuntur reliqui planetæ exceptâ luna. *Tertia.* eſt mutatio obliquitatis Zodiaci, quæ augetur & minuitur cum eccentricitate ſolis. *Quarta* cauſa eſt coniunctio planetarum, imprimis magna illa, quæ fit in trigono igneo. Et ita quidem aſtrologi ſentiunt.

III. *In*

An vsura sit licita?

III. *In causis morborum ciuilium diligenter cauendum, ne falsa causa pro vera substituatur.*

SIc v.g. multi vsuram simpliciter damnant, & numerant in iis morbis, qui reipub. sint prorsus exitiales, & vt vocant deleterij. Debebat boni isti viri, vel potiùs non viri, distinguere inter vsuram odiosam seu Iudaicam siue rodentem, & moderatam siue compensatoriam. Hâc de re placet adscribere iudicium summi theologi *Guilielmi Perkinsi*, *qui in explicat. decal. ad prac.* 8. hæc habet: Leges certè politicæ non tantùm rescindunt, sed etiam ne permittunt quidem istam vsuram, quæ lucrum mordens appellari potest. At quæritur, An non licitum sit vllo tempore aliquid vltra sortem accipere? Sanè at his obseruatis conditionibus: 1. Si nihil requiratur, quàm quod bonis & licitis consequi potest debitor mediis. 2. Non vltra lucrum accipere debet, & quidem illud non totum: quin imò nec partem lucri, si fortunæ & res mutuò accipientis pessum iuerint. 3. Nonnunquam nec summam poscet, nec vsuram, si iustis de causis ad inopiam redactus sit debitor, sique manifestum sit, ipsum, quantumuis summè laborauit, nullum pecuniæ commodatæ percepisse fructum. Causæ verò, cur etiam interdum reditus accipere liceat vltra sortem, hæ sunt. Primò. quod dare potest debitor, vtpote qui de eo honestum fecit quæstum, idem accipere etiam licet creditori. Deinde par est, eum, qui mutuatitiâ vtitur pecuniâ, atque ex eâ fructum capit, gratum sese exhibere erga eum, cuius ex bonis fuit ditatus. Denique satius est persæpe exactorem debitorum opes suas in suis retinere manibus, quas mutuo dedit. Sed obiicis: Atqui sterilis & infrugifera est pecunia. Nō igitur plus licet accipere, quàm cōmodauerimus. Resp. Tametsi pecunia in seipsâ sterilis sit & infrugifera: fertilissima tamē fit iusto & bono eius vsu, qui mutuatus est: quemadmodum nec ager fertilis, fit nisi per laborem agricolæ. Idem planè iudicium est de dolo: quem nonnulli simpliciter reiiciūt, cùm opus sit distinctione inter dolum bonum & malum. Ita etiam choreæ non simpliciter sunt damnandæ, ac morbis ciuilibus accensendæ: sed adhibenda est distinctio inter choreas honestas ac turpes. Honestas dicimus, quæ omni turpitudine carent, ac propter recreationem sunt institutæ. Turpes dicimus, quæ sunt leuitatis indicium, & occasionem præbent ad colloquia praua, itémque scortationes & adulteria. Huius classis est monomachia: quæ si tempore belli consensu ducis instituatur, omnino est probanda, qualis fuit monomachia Dauidis & Goliathi: ordinariè, ac tempore pacis, non item. Idem de factis similibus iudicant ij, qui sciunt distinguere res indifferentes ab iis quæ simpliciter sunt bonæ vel malæ. Sic, vt hoc vnum addam, sophismata licita sunt in politiâ. Intellige sophismata non logica, quæ nihil sunt aliud quàm fallaces syllogismi, sed politica, quæ sunt vel stratagemata militaria, vel arcana rerumpub. Vide *Aristotelem* 4. *Politicor cap.* 13. *& fidelissimum eius interpretem Ioh. Casum d. lib.* Quòd autem liceat huiusmodi sophismata tum politica, tum polemica, ad bonum ciuitatis aliquando exercere, sic patet. Sæpenumero accidit, vt populus à prauâ sua consuetudine non possit vi auocari. Necesse igitur est, vt prudentia succurrat, quæ populum nihil tale cogitantem ad aliam traducat consuetudinem. Vbi enim vis valere non potest, ibi ars præualere debet. Deinde stratagemata in sacris literis probantur, vt docet historia Iosuæ. Vt ergo sophismata polemica seu militaria, id est, stratagemata, in bello ad victoriam ducis, ita sophismata politica ad quietem ciuitatis iustè ac legitimè possunt exerceri.

An dolus omnis prohibitus?

An choreæ licitæ?

An monomachia probāda?

An omnia sophismata dannāda?

Tyrannis deterrima reip. labes.

IV. *Tyrannis est deterrima reipub. labes.*

EST enim omnium administrationum pessima; quia persona gubernans aut vulpinam, aut leoninam assumit. Secundò miserrima; quia populus, basis reip. opprimitur. Tertiò deterrima: quia in illâ virtus, cor reip. extinguitur. Quartò funestissima; quia bonum publicum conuertitur in priuatū, quæ est ipsissima reip. mors. Quintò perniciosissima: quia per omnia opponitur monachiæ, quæ est optima reip. constitutio.

An tyranno liceat resistere?

V. *Tyranno resistere possunt vel singuli, vel vniuersi subditi.*

GRauissima est quæstio theologico-politica de resistentiâ tyranni: quæ soluenda est hunc in modum. Oportet in hac quæstione distinctè considerare ista quatuor. 1. Quis sit tyrannus? 2. Qui possint resistere? 3. Cur sit resistendum? 4. Quamdiu sit resistendum? *Ad.* 1. *&* 2. Tyrannus est vel absque titulo, vel cum titulo, qui dicitur tyrannus exercitio. Tyrannus absque titulo est, qui rempub. sibi non commissam, sine iusto vel electionis, vel successionis titulo, inuadit, aut vi apertâ, aut malis artibus. De hoc nullum est dubium, quin cuilibet, etiam priuato, liceat illum è medio tollere; si quidem hoc faciat authoritate publica. Hic enim tyrannus (qui alias dicitur peregrinus) omnium vocibus est infamis, nullóque iure suffultus inuadit regnum, & ab optimatibus declaratur hostis patriæ. Gentium quoque iure quisque fines, inprimis patriæ, aduersus quosuis depopulatores defendere potest. Denique ciues vniuersi & singuli reip. & patriæ in qua nati sunt & educati, obligantur, vt si eam ab aliquo opprimi vel vastari sentiant, vitam potiùs propriam, omniáque bona interire, quam remp. pessum ire pati debeant: præsertim cùm huiusmodi tyranno qui est inuasor, nullo modo obligentur. Tyrannus cum titulo, qui etiam naturalis dicitur authoritate publica, electione scilicet vel successione, imperium est adeptus, sed illo abutitur. Huius notæ, indicia, & characteres sunt partim generales, puta violare leges reip. fundamētales, esse hostem subditorum, abuti iuribus maiestatis, totis viribus statum reipub. deletum ire: partim speciales, vt res reip. in priuatum vsum conuertere, aut etiam in perniciem publicam, bona regni dissipare, minuere, alienare; opes subditorum ad se rapere & exhaurire, idq; vel vi aperta, vel per cuniculos bella nutrire, vt exhauriantur subditi, primores regni seu optimates vel vi, vel dolo opprimere, factiones alere inter subditos, [illegible] sè se adiungere, cùm possit vtramque [illegible]: prohibere honestos conuentus; tollere scholas; submittere auscultatores qui subditos per calumniam deferant; instituere denique lupanaria, popinas, & ludos inhonestos, ad corrumpendos populi mores. De huiusmodi tyranno vsitatè dicitur: *[illegible] princeps est dextra Dei, malus sinistra.* Item: *[illegible]*, *iusta tamen est passio.* De hoc igitur longè difficillimum fuerit disputare ac scribere, cùm ille possit amputare ac proscribere, vt loquuntur Dd. politici. Hinc *Lipsius lib.* 6 *Politic. c.* 5. ait, reges à Deo esse: ac proinde anceps cæde se qualiscunque principis cruentare. Et ibidem: Quisquis es, *inquit*, inter subditos, scurum tibi magis quàm gladium commendo, Ferenda sunt regum ingenia: non enim vsui sunt crebræ mutationes. Verùm enim verò quia populus magis Deo & patriæ quàm principi tyrannicè imperanti obligatur, salutem totiùs reipub. magis quàm vnius hominis curare debet, in dubio adhuc est, Num talem, qui ea agit quæ cum legibus Dei ac naturæ pugnant, subditi ferre vel auferre debeant? Nos ita statuimus Princeps tyrannus, si sæpiuscuiè admonitus non resipiscat si rempubl. diruat, si ex vniuersis prædam agat, si fidem datam violet, si religionem hostiliter oppugnet, exauthorandus est ab ephoris qui dederunt ipsi authoritatem. Quòd si hoc commodè fieri non possit, armis reprimendus est, tanquam patriæ hostis, vt prolixè disputat *Iunius Brutus in Vindiciis contra tyrannos pag* 152. Rationes momentosæ, opinor, pro hâc sententia sunt istæ. 1. Subditi principibus sub conditione obligantur, si scilicet illi rectè imperent. Princeps enim à populo per optimates constituitur vt sit pater, seruator, protector, defensor, pastor subditorum: ab iisdem exauthoratur & bello reprimitur, quia subditorum suorum est direptor, oppressor, & dominator improbus; est veluti leo, vrsus, lupus, & vultur; est malus nauta, qui nauem, in quâ ipse nauigat, hoc est, rempubl. in qua viuit, perforat, & consociationem vniuersalem, cui præest, quantum in se est, dissoluit ac euertit, sublatis legibus fundamentalibus & iuribus maiestatis tum ecclesiasticæ, tum politicæ. Principi ergò obligantur subditi intantum, in quantum rectè administrat rempublicam. Cessante autem conditione cessat obligatio. 2. Principes in seipsos statuunt ius resistentiæ; quia vel tacitè, vel expresè consentiunt in illam conditionem, vt regni proceres contra ipsos insurgant, si secus atque decet faxint. Quod autem ius aliquis in se statuit, meritò ratum habetur. 3. Princeps contra pacta & fundamentalia regni agens, amissa maiestate inuiolabili; fit priuatus: cui resistere permissum. 4. Constitutio regis non tollit defensionem legitimam contra vim & iniuriam, quam ius naturale concedit cuilibet, inprimis populo mulctanti principem, qui est tyrannus notorius. 5. Leges ciuiles hanc sententiam confirmant, quando sic pronuntiant: *Supra terminos tributa sibi iurisdictionis, vel extra potestatem sibi datam imperanti, & fines demandati officij excedenti, impunè non pareatur. Nec enim respublica principem constituendo, seipsam sui seruandi facultate spoliauit, hancque illi diripiendam tradidit.* Exempla eorum qui restiterunt summo magistratui, occurrunt 1. *Regum* 12, vbi decem tribus deficiunt à Rechabeam, 2. *Chron.* 26. vbi summus sacerdos Iehoiada interficit regi Hutziæ, & 2. *Reg.* 11. vbi summus sacerdos Iehoiada interficit reginam Athaliam. Barclaius obiicit locum 1. *Sam.* 8. sed illius considerationem vide infrà in politiâ Iudaicâ. Cæterùm absit vt dicamus cuilibet priuato licere tyranum exercitio, vt vocant, è medio tollere. Hoc enim si quis defendat, bonos in principes innumerus futurus est numerus tyrannorum. Ita fenestræ, imò portæ homicidia regnum quorumcunque aperientur. Sic fides & iuramentum violabitur: sic occasio rebellandi regésque pro ludibrio habendi dabitur. Ad summam, medicina ipso morbo foret deterior, si impunitas necandi principem authoritate propriâ priuato concederetur. Cùm verò tyranno eum in finem resistatur, vt publica salus sarta tecta maneat, consequens est, optimatés ac regni ordines, qui sunt reipubl. compendium, publicâ authoritate de regimine principis iudicium ferre, &

tyrannum

tyrannum auferre debere; ita tamen, vt inferiores suam operam ipsis accommodent. Priùs verò quàm ad extremum hoc remedium deueniatur, verbis monendus est & conuertendus, præcibus item ad Deum fusis impediendi sunt ipsius conatus. Quòd si omnia sint frustrà, tyrannis est auertenda, & armis vtendum. Resistant itaque primores, tyranno declarato, frustrà monito, vltimo necessitatis casu, cum maiori reipub. commodo: ne fortè resp. volens vitare Charybdim, incidat in Scyllam. *Respon. ad.* 3. Tyranno debet populus vniuersus resistere hoc fine, vt respub. in tuto collocetur, & ipse tyrannus ad fugem, si vllâ fieri possit ratione, perducatur *Ad* 4. Resistendum est tyranno primò ad emendationem: deinde, si nulla affulgeat eius spes, priuatiuè, vt loquuntur, & eousque, quamdiu reipub. incolumitas id pati potest. Sed quid, si optimates tyranno faueant, & ipsius tyrannidem foueant? Quid tum faciendum inferioribus? Ad tempus bene longum est quiescendum, donec patientia sæpiùs læsa abeat in impatientiam. Hîc etiam quæritur, *An tyranus volens inuadere rempub. sibi non commissam, à priuato possit præueniri priuatione vitæ, ne inuadat?* Resp. Voluntas faciendi partim prona, partim per certas notas prodita, habetur pro opere. Hinc scelera ante effectum operis, vt est *l. vl. ff. ad l. Iul.* dicuntur perfecta, quòd animus, non euentus scelera distinguat. Si ergo certò constet de voluntate inuasoris vt vocant, satius est præuenire, quàm præueniri.

Quæ vitia remp. perdant?

V I. *Vt ordo conseruat remp. sic ἀταξία illam euertit.*

CErnitur autem illa confusio partim in violatione præceptorum Decalogi, partim in perturbatione quatuor statuum vitæ humanæ. Principiò itaque vitia contra primam Decalogi tabulam admissa, eucitunt rempub. puta epicureismus, atheismus, idololatria, magia, superstitio, hæresis, blasphemia, apostasia, multitudo religionum per incuriam concessa, & profanatio Sabbati. Contra secundam tabulam ista committuntur cum reip. pernicie: inobedientia ac iniustitia publica & priuata, homicidia, authophonia, latrocinia, iniuriæ, inimicitiæ, odium, priuata vindicta, audacia, imprecationes; libido, scortatio, ebrietas, luxus, lasciuæ choreæ, lupanaria, lenocinia; furta, rapinæ, prodigalitas, auaritia; doli, mendacia, calumniæ, contumeliæ; conuitia, libelli famosi ac iniuriosi &c. quibus vitiis & flagitiis summa impietas & iniquitas aduersus legem Dei & ius gentium in rempub. inuehitur, vnio ciuilis turbatur, & Deus ad iustam pœnam inuitatur. Deinde in singulis statibus siue ordinibus præter communia illa animi, corporis, ac fortunæ mala, quæ in præceptis commemorauimus, singularia subinde oriri solent delicta, vel pœnæ. Nam in statu œconomico est paupertas & æs alienum, multitudo validorum mendicantium & miserabilium personarum, item infantum exposititiorum, orphanorum, viduarum, claudorum, mente captorum, senum decrepitorum, item prodigorum seu decoctorum, militum vagabundorum, Cigarorum, banditorum, agyrtarum, circulatorum. Sunt etiam hîc rixæ, adulteria, ἀπεγία, neglectus agriculturæ, contumacia liberorum, sæuitia dominiorum, cœlibatus inducens contemtum coniugiorum, &c. In statu scholastico est artium & studiorum defectus, præceptorum & discipulorum ignauia & aliæ causæ, quæ barbariem in rempub. inducunt. In statu ecclesiastico, siue in politiâ sacrâ est simonia, hypocrisis, sacrilegium, profanatio rerum sacrarum &c. In statu politico est principis impietas & improbitas; magistratuum crudelitas, lentitudo, indulgentia, impunitas; iudicum affectus & arbitrium cerebrinum, vt loquitur Bornitius, id est, *eigentkopfisch recht vnd vvillkuhr*, aduocatorum & procuratorum doli & contortuplicata sophismata; consiliariorum præcipitantia & δωροφαγία, vt ita dicam; ducum & militum delicta militaria; leges & consuetudines irrationabiles; legum defectus, dubietas, obscuritas, confusio, multitudo, dissensio; præmiorum & pœnarum defectus vel abusus; scandala principis & magistratuum; ciuium vitia, vt rebellio, crimen læsæ maiestatis, defectio, tumultus; coniurationes, conspirationes, illicita collegia, illiciti & dolosi contractus, priuata monopolia, illicitæ vsuræ, corruptelæ mercium, nummorum deficientia, ærarij publici inopia, nimiæ contributiones, immensa vectigalia &c. Omnes autem istos status affligunt calamitates publicæ, vt bellum intestinum, seu ciuile & externum, idque vel vicinum, vel peregrinum; lues & interitus animantium, pestis, contagia, incendia, diluuia, pluuiositas, ariditas, sterilitas, nix immoderata, grandines, fulmina, terræmotus, naufragia, locustarum copia, edacitas murium, vrsorum & luporum grassatio, frequens militum transitus, fæx hominum, familiarum integrarum mors.

Prognostica politica quomodo fiant?

V I I. *Prognostica politica pendent à diligenti reipub. examine.*

EXamen illud duobus modis institui debet. Primò enim omnia negotia, conatus & animos principum ac populorum exterorum explorare oportet, inprimis vicinorum, vtrùm bene an malè in nostram rempub. sint affecti. Deinde inquirendum est in reipub. defectus, seu vitia. Cognoscuntur autem ista vitia vel apertè, vel clàm per proditores, speculatores, & exploratores. Apertam inquisitionem plurimùm iuuat prudentia historica. Vide infrà Historicam.

V I I I. *Remedia politica sunt adhibenda prudenter ac tempestiuè.*

Remedia politica quomodo adhibeanda?

OPortet itaque illa applicare ratione vel rectâ, vel obliqua & occulta: adeò, vt quando viâ rectâ procedere non est tutum, arte quâdam & sophismate ciuili vtamur. Deinde medendum est malis ciuilibus apposite, citò, tutò, ac, quoad eius fieri potest, iucundè. Tertiò remouendum est centrum morbi, id est, causa: ne corpus reip. patiatur recidiuam. Quartò curatio inchoanda est ab iis malis, quæ cæteris sunt periculosiora. Quintò pluribus malis concurrentibus, minus fuerit tolerandum, vt tollantur grauiora. Sextò extremis malis extrema sunt quærenda remedia: in morbis inueteratis eadem remedia sæpe sæpéque repetenda: publica mala priùs curanda quàm priuata: nouis morbis noua quærenda antidota. Denique remedia prophylactica priùs tentanda quàm therapeutica: cùm meliùs sit præuenire, quàm post vulneratam causam, remedium quærere. Quòd si mala sint immedicabilia, qualia sunt tenacia illa, inueterata & veluti hæreditaria vniuersorum populorum vitia, quæ sine interitu totius reipub. tolli non possunt, cogitandum est illud medicorum, Noli me tangere. Sed videamus in specie quædam remedia ciuilia morborum inciuilium. 1. In bellis, præsertim ciuilibus, qui ciues vel vrbes à nobis nostrísque partibus dissident, sunt comitate ac benignitate ad nos reuocandæ, vel alliciendæ. 2. Bella ciuilia per eos potissimùm tum excitantur, tum aluntur, qui plurimùm sub eo statu, qui mutatus aut mutandus est, authoritate valuerunt. Quamobrem vt ista bella cessent, vel ne excitentur, isti sunt in nostras partes traducendi, vel nouis præmiis, vel spe dignitatis suæ retinendæ. 3. Bella ciuilia quàm citissimè sunt principi extinguenda, minimè verò fouenda. 4. In Bellis ciuilibus pax, fœdus, & reconciliatio facilè admittenda, modò sit tuta. Ἀμνηστικία quoque seu ἀμνηστία inducenda. 5. Bello ciuili composito, cauendum ne pars vna alteram contemtui habeat. 6. Qui hostes plurimùm nobis nocuerunt, iidem summo studio nobis sunt conciliandi. 7. Principem oportet ad multa conniuere, ac sæpenumero simulare. Intellige simulationem, quæ est effectum prudentiæ, non illam, quæ est mendax deceptio. 8. Coniuratorum consiliarios coniuratione initâ, sibi magistratus maximè conciliet. 9. Syncretismus est tutissimum remedium aduersus incendium bellorum & ciuilium & externorum.

Quomodo causæ corrùpentes remp. ab aliis proponantur?

I X. *Causæ, quibus respub. mutatur, aut planè euertitur, ab aliis ita proponuntur: vt aliæ sint diuinæ, aliæ humanæ; & hæ rursus sint internæ, vel externæ. Perinde enim hîc est, vt in corpore humano, quod infestatur à causis morbificis internis, vel externis.*

CAusæ internæ sunt communes, vel propriæ. *Communes* sunt quatuor. I. *Enormium delictorum magnitudo*: vt sunt inprimis Epicuréus & Clyclopicus religionis tanquam fabulæ contemptus: Hypocrisis, quæ velo quodam religionis palliat peccata: Superstitio, quæ sibi fingit cultum: & persecutio Ecclesiæ. Hinc illud: Immutatâ verâ religione, clades inuadit rempublicam, i.e. illa pedetentim ruit. Nulla enim tam potens respub quæ se aduersus Deum, si eum offenderit, tueri possit. II. *Delinquentium multitudo.* III. *Delinquendi consuetudo*; quando homines factitant quandam peccandi artem, & peccata excusant. IV. *Atrocium delictorum publicè concessa licentia, atque impunitas*; quæ consuetudinem vertit in impudentiam & mentes in effrenem rabiem agit, vt instar brutorum erubescere nequeant, & scelera sceleribus annectere non desinant: donec eadem clamore suo nubes penetrante iustam Dei vindictam prouocent & concitent. Quâ de re Bonauentura sic ait: Mali mala sua, quod malorum vltimum est, amant; tunc autem consummata est infelicitas, vbi turpia non solùm delectant, sed etiam placent: & definit esse remedio locus, vbi, quæ antea fuerunt vitia, mores fiunt. Hoc vbi fit, ibi præsentissima imminet reipub. pernicies, ita vt hoc possit esse prognosticon vniuersale siue perpetuum omni astrologico certius: vti patebit consideranti cap. 28. Deuteron, vbi habetur certissima astrologia iudiciaria de cuiusque hominis œconomiæ, reipub & Ecclesiæ statu fato. Et hæ sunt causæ communes in rectore scilicet & populo. *Causæ corrumpentes rempublicam, in principe, sunt quatuor.* I. *Tyrannis, siue crudelitas*; quæ secum trahit violentiam, fraudes, iniurias, vindictæ cupiditatem, negligentiam in tuendis legibus, insanam regnandi libidinem, expilationem subditorum (quæ est flabellum rebellionis, quemadmodum ex Tacito videre licet, qui refert Gallos, Frisios, & Hispanos sub imperio Romanorum rebellasse hanc ob causam) & denique sophisticam, iuxta illud: *Vbi sanitia,*

ibi

ibi sophistica, & contra. Nam homines sæui mendaciis & sophismatis conantur excusare crudeliter facta. II. *Authoritatis remissio*, cùm scilicet subditis imprimitur vilis & abiecta opinio de magistratu. Deficiente siquidem authoritate, sequuntur mutationes imperiis exitiosæ, vti superiori seculo accidit, cùm bellum rusticorum ex instinctu Enthusiastarum & Anabaptistarum exarsit. Vt autem consistit authoritas magistratus in sapientiâ, virtute, felicitate, & beneuolentiâ: sic amittitur imprudentiâ, malitiâ, infelicitate, & austeritate principum. Imprudentia est, cùm principes non intelligunt officia gubernationis, aut rectè monentibus non obtemperant, sed mordicus retinent semel conceptas opiniones, & præferunt adulatorum consilia consiliis virorum bonorum: vt in Xerxe & Dario videre licet. Malitia est, cùm in principibus decrescit studiũ virtutis. Infelicitas est mutatio fortunæ, quæ mutationem beneuolentiæ animis subditorum ingenerat, iuxta illud Salustij: *Quo fortuna, eò se fauor hominum inclinat.* Austeritas denique principum ipsis conciliat metum seruilem, qui pessimus est regni custos. III. *Religionis & legum mutatio*: quæ non suscipitur sine magnis motibus. Quemadmodum enim in ædificio ruunt omnia vno tigno exempto: sic vnius legis mutatio sæpe ruinam trahit omnium, præsertim si sit lex fundamentalis. Ideo historici prohibent suscipere legum mutationem, quantumuis illæ aliquid habeant incommodi, modò non sint contra bonos mores. Tum enim mutatio legum in melius suscipi debet, si obseruetur illud Vlpiani: *In rebus nouis constituendis euidens debet esse ratio.* Ista quoque mutatio debet fieri successiuè. IV. *Scelerum impunitas*; cùm magistratus se polluit societate scelerum, & eam ob causam non punit delicta. *Causæ corrumpentes rempublicam, in populo, sunt itidem quatuor.* I. *Discordia ciuilis*: quæ non est inter eiusdem reip. ciues sententiarum diuersitas, (hæc enim est vtilis) sed est bellum ciuile, primus ille, isque grauissimus gradus ruinæ imperiorum. Odia siquidem intestina sunt implacabilia; & tanto crudeliora quantò illi, à quibus geruntur aut sanguine, aut vinculo cognationis alio se propius attingunt. Hinc illud: *Bella ciuilia, vel potiùs inciuilia, non facilè deponuntur nisi patriâ vel funditus euersâ, vel miserabiliter conuersâ.* Sunt autem horum bellorum initia vel obscuriora, vel manifestiora. Obscuriora sunt ciuium aliorum de aliis suspiciones temerariæ, siue astutæ & virulentæ interpretationes, quæ spargunt semina belli ciuilis nocentissima. Manifestiora sunt factio, seditio, & coniuratio. Factio est illegitima impulsio & prehensatio ciuium potentiorum, facta ab vno vel pluribus, ignaro vel etiam inuito magistratu in aliorum ciuium perniciem, de qua Cominæus ait: *Factiones omnes coniunctæ sunt cum defectione.* Exemplum illustre est factio Catilinaria. Seditio, est qua factio vi & armis apertè propugnatur: de qua coryphæus politicorum Melanchthon, ait, *Quando regnum debet euerti, præcedunt multæ seditiones*: quia, sicut ædificia paulatim per partes ruunt: sic etiam imperia. Sic ante Augusti imperium priùs dimicarunt de summâ potentiâ Sylla & Marius: postea Cæsar & Pompeius: tum Antonius, Brutus, & Cassius, donec tandem factus est monarcha Augustus. Coniuratio, siue conspiratio est discordia subditorum, non inter se, sed aduersus magistratum, cum conatu vim inferendi, vel etiam vi clam aut palam illatâ: sicuti Ioas à suis est trucidatus per coniurationem. Hîc verò probè tenendum, quòd non sit coniuratio sed iustitiæ & libertatis assertio, quando subditi ex ordinum totius reip. sententiâ, siue ex iudicio ephororum iniurias sibi factas vlciscuntur ex tenore legum fundamentalium. II. *Luxuria*; qua primò œconomiæ exhauriuntur, & ita politiæ neruus (videlicet pecunia) inciditur. Adde quòd regnum voluptatis planè pessundat regnum virtutis. III. *Securitas*; in qua vel nullum, vel præceps consilium. Hîc tenenda regula: *Periodus fortunæ humanæ hæc est: Ex successibus felicibus homines fiunt securi: ex securis superbi: superbiam sequuntur ruina iuxta illud*: Pœna superbiæ est ineuitabilis. Exemplo sunt Aiax, Saul, Sennacherib, Nebucadnezer, Crœsus, Alexander Magnus, Cæsar, Pompeius. Comicus quidem ait: Secundas res decent superbiæ: sed Seneca ritè corrigit illud, dum ait: *Sequitur superbos vltor à tergo Deus.* IV. *Prurutus belligerandi*; qui politiam consumit vel extremis, vel domesticis bellis, secundùm illud: *Politia nimis bellicosa seipsam solet exedere*: quod in Spartana repub. itemque regno Portugalliæ videre licet. De his omnibus teneatur illud magni illius Peuceri: *Tria peccata mutant imperia: Impietas Ecclesiam, iniustitia vniuersalis politiam, luxuria œconomias turbat. Sed & singulorum detrimenta redundant in vniuersos.* Domesticæ disciplinæ vitia penetrant in remp. Reip. vitia vicissim in domos singulorum, & contagia vtriusque corripiunt Ecclesiam: sicut è conuerso labascente Ecclesiasticâ disciplinâ collabuntur cæteræ. *Externæ causæ corrumpentes rempublicam, sunt itidem numero quatuor.* I. *Rebellio eorum qui armis fuerant victi.* Sic Idumæi à Dauide victi sub Ioramo defecerunt, & ruinæ regni Iudæ initia præbuerunt. II. *Irruptio hostium & imprimis Barbarorum*; qui velut apum examen, & veluti turbo ac procella respub. florentissimas sibi obuias deiiciunt, deturbant, pessundant. Exemplo sint quatuor Monarchiæ. Nam Assyrios Chaldæi, Chaldæos Persæ, Persas Græci, Græcos Romani de imperio deturbarunt. Sic Assyrij regnum Israël, Chaldæi, regnum Iuda perdiderunt. Sic Galli & Cimbri Brenno duce irruentes Romanam potentiam fregerunt. Sic Gothi in Romanum imperium se infundentes sub Arcadio & Honorio, penè illud funditus deleuerunt. III. *Defectio sociorum.* Sic bellum Latinum siue sociale Romanam remp. per 17. annos afflixit: & Spartani à sociis in Leuctricâ pugnâ propter superbiam deserti insignem illam à Thebanis Epaminonda duce cladem acceperunt. IV. *Externorum bellorum continuatio*; quæ tanquam gangræna depascitur corpus reipub. succi plenum: vt in Hungariâ videre licet.

Caput XIII.

De Politiarum specialium enumeratione.

Præcepta.

Fuit Politica generalis: restat specialis, quæ rectè fert politias particulares: quarum consideratur enumeratio seu collectio, & selectio.

Enumeratio est summa politiarum diuisio.

Politia est vetus, vel recens.

Politia vetus est principatus, vel respub. speciatim sic dicta.

Principatus est prædominans, vel dominans.

Prædominans cernitur in quatuor monarchiis siue summis imperiis, vti sunt Babylonicum (quod etiam dicitur Assyriacum & Chaldaicum) Persicum, Græcum, & Romanum. Duo priora in Asiâ, duo posteriora in Europâ fuerunt.

Principatus dominans est vel maior, vt regnum, putà Ægyptiorum, Macedonum, Trojanorum, Germanorum, Vandalorum, Corinthiorum, &c. vel minor, vt politia Iudaica, item status ille, quo olim singulæ vrbes ac regiones habuerunt suos regulos.

Respub. antiqua est Spartanorum, Athenienfium, Thebanorum, Achæorum, Romanorum tempore consulum, &c.

Politia recens siue moderna, est legitima, vel illegitima.

Legitima est cultior, vel non ita culta.

Cultior est principatus, vel resp.

Principatus est vel vniuersalis, vt Imperium Romano-Germanicum; vel particularis, & hic, vel primarius, vt regnum, videlicet Hispanicum, Gallicum, Britannicum, &c. vel secundarius, isque 1. Electoratus, partim ecclesiasticus, partim secularis. 2. Ducatus, qui diuiditur in maiorem, vti est Archiducatus Austriæ, & magni ducatus Florentiæ & Moscouiæ: & minorem, qui est vel liberior, vt in Germaniâ Palatinatus, Marchionatus, & Ducatus propriè dicti; vel minùs liber, vt ducatus in Hispaniâ, Galliâ. 3. Comitatus; isque vel principalis, qui est tum prouincialis, tum castrensis, quorum ille Landgrauiatus, hic Burggrauiatus dicitur; vel simpliciter ita dictus, vt comitatus Nassouicus. 4. Dominatus; isque vel ecclesiasticus, vt Episcopatus & Abbatia: vel secularis, vt Dynastia, Baronia, & Dominium alicuius nobilis.

Resp. est vel amplior, vt Heluetica, Veneta, Belgica; vel minùs ampla, eáque maior, vt est Imperialis, Regia, vel Hansatica; & minor.

Politia non ita culta, in Asiâ præcipuè est Imperium Tartaricum, regnum Chinæ, Iaponiæ, &c. in Africâ regnum Abyssinorum; in Americâ regnum Peru, noua Hispania, &c.

Politia illegitima est, quam aliquis fraude ac technis acquisiuit, vt est imperium Turcæ in oriente.

REGVLÆ.

An politica specialis necessaria?

I. ***Politica specialis debet persequi arcana rerumpub. ac proinde valde est necessaria.***

VT omnis prudentia, sic quoque Politica ab vniuersalibus descendit ad particularia: non quidem vt enarret omnes omnium politiarum particularium formas, sed vt illa tractet, quæ dicuntur arcana rerump. imprimis celebriorum, & istarum in quibus viuimus, vel cum quibus subinde nobis conuersandum.

Cur politiæ quædam dicātur incultæ?

II. *Politiæ in Asiâ, Africâ, & Americâ dicuntur incultæ comparatè.*

ETsi enim ibi sint politiæ non ignobiles: tamen respectu politiarum in Europâ sunt incultæ. Ita si regnum Chinæ vel Presbyteri Ioannis conferatur cum Romano Imperio, non sine causa aliquis in hæc verba erupert, ἄνω ποταμῶν ἱερῶν χωροῦσι παγαί.

Quatuor monarchiæ quales?

III. *Quatuor monarchiæ sunt matrices ac nutrices quarundam politiarum, & quarundam nouercæ.*

QVædam enim politiæ ex illis sunt ortæ, itemque ab illis defensæ, quædam ab iisdem euersæ. Sic Romana monarchia euertit politiam Iudaicam, & peperit regnum Hispaniæ. Describuntur autem quatuor istæ monarchiæ a Daniele *cap.2. & 7.* ita vt caput aureum statuæ, & leo sint hieroglyphica monarchiæ Babylonicæ, pectus argenteum & vrsus Persicæ, venter æneus & pardus Græcæ seu Macedonicæ, crura ferrea & bestiæ decemcornis Romanæ. Si enim historiæ singularum monarchiarum conferantur cum textu Danielis, patebit, duas illas visiones *cap.2. & 7.* non posse ad alia regna, quàm ad quatuor monarchias aptari: quemadmodum eruditè ac prolixè probat eruditissimus *Gra erus in historia antichristi*, vbi etiam refutat sententiam Cl. virorum, *Francisci Iunij, & Hugonis Broughtoni*, & aliorum, qui per ventrem & tertiam bestiam intelligunt Alexandrum M. per pedes statuæ & quartam bestiam ipsius posteros: cùm descriptio quartæ bestiæ non competat ipsis, & Ecclesia non sit pressa ab Alexandro M. Taceo, quòd posteri Alexandri non constituant regnum peculiare, diuersum à regno Alexandri: cùm & nomen & leges regni Alexandréi retinuerint. Sed consule hac de re prolixam & accuratissimam interpretationem *Ioannis Caluini in cap.2. & 7. Danielis.*

CAPVT XIV.

De Politiâ Iudaicâ.

PRÆCEPTA.

SElectio præcipuarum politiarum est, quâ fusiùs tractantur illæ, quarum consideratio imprimis facit ad prudentiam politicam.

Estque historica, vel pragmatica.

Historica est, quæ recenset res politicas iuxta filum historiæ: Pragmatica, quæ expendit respub. illas in quibus, vel cum quibus viuendum. Nos proponemus historicam politicarum rerum selectionem, ita vt primò simus dicturi de politiâ Iudaicâ, deinde de quatuor monarchiis.

Politia Iudaica consideratur quoad suam (vt sic loquar) παρακμὴν, ἀκμὴν, & παρακμὴν, seu ætatem crescentem, consistentem, & decrescentem.

Ætas crescens complectitur infantiam ipsius ab Adamo vsque ad exitum ex Ægypto: & adolescentiam ab exitu ex Ægypto vsque ad regnum Israëliticum.

Ætas consistens siue virilis est ab exordio regni Israëlitici, vsque ad diuisionem ipsius in duo regna, Iudæ & Israëlis, sub Roboamo.

Ætas decrescens continet ætatem ingrauescentem à diuisione 12. tribuum vsque ad captiuitatem Babylonicam: senectutem à solutione captiuitatis vsque ad destructionem politiæ sub Tito: & denique mortem ipsius sub Tito.

REGVLÆ.

I. *In politiâ Iudaicâ quatuor potestates obseruare expedit: videlicet patriam, iudiciariam, regiam, & pontificiam cum ducali permistam.*

Quot potestatibus definiatur politia Iudaica?

POtestas patria est ab Adamo vsque ad Mosen: quo tempore viguit paternum imperium, omnium moderatissimum & æquissimum. Patres enim familiâs, eorúmque primogeniti rempub. ecclesiasticam & politicam in suis familiis & domibus administrarunt, regúmque simul & sacerdotum officiis functi fuerunt, adeò vt hæc reipub. forma rectè monarchia quædam censeatur. Hi ex verbo Dei non scripto, & postea scripto interpretatione iuris naturalis, & communibus illius notionibus, pro re natâ, vel casibus incidentibus leges politicas statuerunt, quas posteri magis magísque auxerunt suísque locis ac temporibus accommodarunt. Vrbes etiam à patriarchis antediluuianis, vt vocant conditas & gubernatas esse, patet ex *Gen.4.* Nam Cain vrbem Henochiam condidit: vnde Heniochij populi ad Caucasum siti, de quibus Stephanus, putantur dicti: & regio Heniochia illius primæ ciuitatis Henochiæ est vestigium. Pertinet huc exhæredatio Ismaëlis, iudicium capitale Iudæ aduersus Thamaram, funeratio & sepultura Saræ, de qua Abraham transegit & pactus est cum filiis Heth, confœderatio Abimelechi cum Abrahamo, & denique augmentum populi Israëlitici in Ægypto, tendens paulatim ad cœtum politicum. *Potestas iudiciaria* & ducalis est à Mose vsque ad Saulem. Hoc tempore Moses regiam sustinuit personam. & quidem illustriorem, quàm patriarchæ. Vide *Num. 1. v.24.* conuentum LXX. seniorum politicorum: & *Exod. 18. v.21.* officia chiliarchorum, centurionum quinquagenariorum & decurionum. Ad seniores relata fuerunt negotia grauiora ad reliquos leuiora, quæ in sua quisque chiliade, centuriâ, quinquagenariâ, & decuriâ cognoscebat. Status populi Dei sub iudicibus (Mosen enim ducibus accensent) fuit aureum quasi seculum: vbi iudices non sorte electi, vt Saul, neque seditione populari, vt Ieroboam; neque etiam hæreditariâ successione, vt reliqui reges Iuda & Israël; sed extraordinariè, ab ipso Deo, & quidem nonnisi extremis periculis & hostium infestationibus vrgentibus, quemadmodum Dictatores apud Romanos: neque ex illustribus & præclaris semper familiis sed obscuris interdum: *Iudic.3.v.5.* Iudices autem isti præfecturæ suæ tempore non regiè dominati sunt Israëlitis sed authoritate tantùm, admonitione & consilio. Vnde iudices re bene gesta aduersus hostes, fascibus depositis, priuatos quasi denuò agebant, periude vt apud Romanos Dictatores. Ordinaria autem & perpetua iustitiæ administratio, sub iudicibus, penes LXX. seniores fuit, in grauioribus quidem causis: penes chiliarchos verò, centuriones, quinquagenarios, & decuriones suarum quarumque ciuitatum municipalium, in causis leuioribus. Hoc itaque tempore Iudæi sub iudicibus & LXX seniorum synedrio aristocraticam reipub. formam habuerunt: sub hostium verò captiuitatibus tyrannicam. Quanquam Cananæi imperium duntaxat summum sibi in ipsos vendicabant, politiâ reliquâ & municipali iure Hebræis relicto. Democraticum etiam quid occurrit in hoc statu: quòd nempe vniuersus populus *Iudic.19.20. & 21.* legationem primò, deinde bellum aduersus Beniaminitas decernit: quòd item Samuel conuocato populo regem ipsis Saulem constituit. *1. Sam.10. v.17. 24.* In Samuele quoque extraordinarium fuit, quòd omnibus diebus vitæ suæ Israëlem iudicasse dicitur, *1. Sam.7. v.15. 16.* quemadmodum & illud, quòd vtramque personam ecclesiasticam & politicam, simul sustinuit. *Potestas regia* est à Saule vsque ad captiuitatem Babylonicam: quo tempore respublica fuit monarchica, temperata aristocratiâ & democratiâ. Habuit enim reges, tanquam capita & monarchas suos. Aristocratia fuit in senatu LXX. & synedrio maiori, cui Hierosolymis præerant Leuitæ. Iudices illi vocantur patritij, principes, regísque assessores, qui summum regni iudicium conficiebant: ad quod causæ difficiliores, electio regis & pontificis pseudoprophetæ diiudicatio, & pœna, belli gerendi consultatio, aliáque totum populi corpus concernentia, referebâtur. De hoc senatu vide *2. Sam 15.1. Reg.21.1. Chron 32. Ierem.36.v.16.20.* De hoc synedrio Iosephus, ait: *Nihil agat rex sine pontificis ac senatorum sententiâ.* Fuerunt autem hi senatores eo apud regem loco, vt fratres eos & amicos suos diceret, *2. Reg.4. v.5. 1. Chron.28. v.2.* Ad aristocratiam etiam pertinet iudicium municipale seu ciuile, in singulis regni ciuitatibus, in quo chiliarchi, centuriones, quinquagenarij, & decuriones cognoscebant causas minutiores, *1. Chron.13. & 19* Democraticum fuit, quòd populus Ionathanum innocentem è manu Saulis eripit, *1. Sam.14. v 45.* quòd Dauid cum vniuerso Israëlis cœtu consilium init de reducendâ arcâ, *1. Chron.13. v.1. 2. 4.* quòd idem vniuersos regni status conuocat Hierosolymam, probaturus populo filij sui inaugurationem, *1. Chron.28.* *Potestas sacerdotalis seu pontificia*, cum ducali seu principali permista fuit à solutâ captiuitate Babylonicâ vsque ad euersionem huius politiæ. Hîc autem fuit varius populi status.

Nam

Nam populus exactis 70. annis captiuitatis,& in terram suam redeundi potestate à Cyro impetratâ, habuit duces & præsides prouinciales ex stirpe regiâ, Zorobabelem & Nehemiam, quorum ille templum cum Iosuâ sacerdote, hic vrbem cum Esdrâ legisperito restituit. Fuerunt autem illi tanquam vasalli regum Persicorum, donec reipub. restitutio, adeóque constitutio iudicij ciuilis ac criminalis impetrata fuit per Esdram ab Artaxerxe Longimano. Monarchiâ ad Græcos deuolutâ, Alexander sub Hircano populi duce vrbem Hierosolymam obsidens concessit Iudæis αὐτονομίαν, placatus à Iaddo pontifice, in quem summa potestas quadantenus cœpit confluere. Post obitum Alexandri Ptolemæus Lagi, rex Ægypti, Hierosólymam occupauit, & Iudæos in potestatem suam redegit, eosdémque inclementer tractauit. Æmulatione porrò & contentione de pontificatu, inter Iasonem & Menelaum fratres exorta, cùm vim Iasonis Menelaus non sustineret, ad Antiochum Epiphanem, octauum Syriæ regem confugit, & immanem belluam in Iudæos armauit. Atque hactenus populi Iudaici duces, à captiuitate Babylonicâ, fuerunt de domo Dauidis, numero quindecim à Zorobabele, quorum vltimus fuit dux Ianna, secundus Hircanus. Postea summum imperium politicum deuolutum fuit ad tribum Leuiticam. Nam Iudas Maccabæus, Matathiæ sacerdotis filius, ex Assamonæorum familiâ Leuiticâ, diuinitus excitatus, cum fratribus suis religionem ac regionem heroicè contra Syros defendit: donec Hircano II. & Aristobulo II. fratribus, Alexandri pontificis filiis, de sacerdotali & regiâ dignitate altercantibus, & Hircano contra Aristobulum Pompeji magni auxilium implorante, fœdúsque cum Romanis feriente, Iudæi Romanis primùm subiici, & res Iudæorum inclinari cœperunt, annis ante Christum natum 60. Sub Augusto Senatus Romanus Herodem Idumæum, Iudæorum regem creat. Ille pontifices (etiam proselytos) dedit ac remouit pro suo libitu. Quidam pontifices etiam à præsidibus & procoss. Syriæ, puta Quirinio, Phalereo, & Vitellio, & postea ab Herode Agrippâ sunt dati & remoti. Vltimus autem pontifex Phannias à populo tumultuante fuit sorte lectus. Et sub hoc Hierosolyma capta est, qui fuit 84. ab Aharone pontifex Vide *Iosephum in antiquit. Iud. Carolum Sigonium de repub icâ Iudæorum, & Zepperum de legibus forensibus.* Hinc patet, politiam populi Dei magna ex parte tyrannicam fuisse toto hoc tempore. Aliqua tamen politiæ & reip. facies sub Esdrâ potissimùm & Nehemiâ fuit. Ducum titulus mansit vsque ad Iudam Maccabæum; quo tempore pontifices ad hoc fastigium ascenderunt. Aristobulus autem, Hircani filius, regem se primus nominauit, & diadema capiti suo imposuit. Atque hæc omnia sapiunt monarchiam. Aristocratia cernitur in synedrio magno LXX. *Esdr.* 8. *&* 9. *Neh.* 4. *&* 7. item in synedrio minori, seu senatu chiliarchorum, centurionum, &c. *Esdr* 10. *Neh.* 4. *&* 5. Tanta autem fuit synedrij magni authoritas, vt ipsum etiam Herodem, cædis reum, ad causam dicendam vocarit: & Herodes huic iudicio se stiterit. Regnum tamen postea adeptus, omnes illos iudices sustulit è medio, excepto vno Sameâ, quem ob iustitiam comprimis in honore habuit, teste *Iosepho lib.* 14. *antiquit. Iudic. cap.* 17. Atque ita expirauit synedrion illud maius, quod circiter annos 1400. inde vsque à Mose, continuâ successione in populo Iudaico durauerat. Democraticum denique aliquid fuit *Neh.* 5. *v.* 7. & *Esdr.* 10. *v.* 8. item 1. *Maccab.* 12. *v.* 3. 6. vbi Ionathas dux atque pontifex suo, senatus, sacerdotum, & reliquorum Iudæorum nomine literas ad Spartiatas mittit: & 1. *Maccab.* 14. *v.* 41. 42. 46. populus Simoni pontifici ducatum & principatum decernit. Septem igitur constitui possunt interualla huius politiæ; videl. 1. patriarcharum antediluuianorum. 2. patriarcharum postdiluuianorum. 3. Successio iudicum. 4. Successio regum. 5. Dynastia ducum post captiuitatem. 6. Dynastia familiæ Hasamonæorum à Iuda Maccabæo. 7. Herodiadarum. Sic ergo status populi Dei fuit liberior sub patriarchis & iudicibus: restrictior sub regibus: turbatior sub ducibus & Pontificibus post captiuitatem Babylonicam. Durauit ergo hæc politia ab initio mundi, vsque ad annum mundi 4018. sed varios subinde ac validos passa est paroxysmos.

...rnam ...æ Ca... ...n fue... ...onsti... ...o & ...isio?

II. *In politiâ Iudaicâ spectetur regio & religio. Et regio quantum ad materiale & formale. Materiale est ipsa terra, in qua spectatur constitutio naturalis, & diuisio artificialis.*

TErra Canaan, sic dicta à Canaan filio Cham, primò fuit inhabitata ab Abrahamo: postea à septem populis, quibus adiunguntur Palæstini seu Philisthæi, à quibus nuncupata est Palæstina. Inde à posteris Israël occupata, dicta fuit terra Israël. Aër ibi fuit calidior: montes multi, è quibus præcipui Thabor, Carmelus, Hermon, Libanus, & Sion: deserta maxima: flumina parua, in quibus excelluit Iordan: arbores variæ: feræ plurimæ: vicinæ regiones fuerunt Ægyptus, Arabia, Idumæa, & Chaldæa. Diuisa fuit in 12. partes, quæ appellantur tribus. Post scissionem regni diuisa fuit omnis terra Israël in Samariam, Galilæam, & Iudæam, mediterraneas; Palæstinam & Phœniciam maritimas. Samariæ vrbes præcipuæ fuerunt Sebaste, siue Samaria metropolis, Silo & Sichem. Galilæa fuit superior seu gentium, & inferior seu Tiberiadis. Præcipuæ ipsius vrbes fuerunt Nazareth, Capernaum, Naim, & Bethsaida. In Iudæâ excelluit metropolis Ierusalem; minores fuerunt Bethlehem, Hiericho, Bethel. In Palæstina celebrantur Gaza, Azoth, & Ascalon: in Phœnicia Tyrus, Sidon, Sarepta.

III. *Formale politiæ Iudaicæ consistit in legibus, iudiciis, & magistratibus.*

Leges politicæ apud Iudæos quales?

LEges hîc intellige politicas, seu forenses & iudiales, quæ à Deo per Mosen sunt latæ. Illarum aliæ sunt simplices quæ concernunt politiam Mosis tantùm, & dici possunt purè forenses: aliæ compositæ seu mixtæ, idque duobus modis. Aut enim admixtum habent aliquid morale, aut aliquid ceremoniale. Leges purè iudiciales sunt suâ naturâ mutabiles & temporaneæ; quia ad politiam Mosaicam pertinuerunt singulariter: vt illæ de primo coniugij anno de venditione liberorum, de libello repudij. Leges forenses, quæ cum moralibus sunt compositæ, sunt immutabiles & perpetuæ: vt illæ de gradibus coniugiorum in Leuitico prohibitorum, de pœna adulterij, de pœna simplicis furti. Leges forenses, quæ cum legibus ceremonialibus compositæ atque mixtæ sunt, mutabiles sunt atque temporariæ: vt illæ de iure primogenituræ, de asylis, de decimis, de anno iubilæo, de non comedendo sanguine, de cadauere suspensi, de terrâ absolutè non vendendâ, de mixturâ feminum in agro. Tametsi autem naturâ suâ hæc sint mutabilia, & iure abrogentur: liberâ tamen hominum voluntate, pro personarum, rerum, locorum, temporum, aliarúmque circumstantiarum ratione & commoditate, in vsum reuocari denuò possunt, typis tantummodo, quibus in V. T. vestitæ fuerunt, sublatis ac separatis. Sic hodie lex primogenitorum in capessendâ hæreditate multis in locis obseruatur; item lex asylorum, & lex de suspensorum cadaueribus è furcâ tollendis. Porrò leges forenses Mosaicæ aut ecclesiasticæ erant, aut mundanæ. Ecclesiasticæ erant de locis, personis, ac temporibus sacris. Dauid autem forensia ista Mosaica auxit, diuisis personis sacris in sacerdotes & Leuitas, & his subdiuisis in doctores, cantores, ianitores, thesaurarios, & præfectos seu iudices. Leges mundanæ erant vel œconomicæ, putà de coniugio; vel ciuiles, eæque de regalibus & criminalibus belli ac pacis tempore. Sunt autem leges istæ Mosaicæ forenses, vt & ceremoniales, appendices Decalogi, vnde pulcherrima existit harmonia hunc in modum. Leges, quæ primi præcepti sunt appendices, agunt de pseudoprophetis & hæreticis, de magia, de fœderibus cum impiis idololatricis hominibus. Secundi præcepti appendices sunt leges de idololatriâ externâ, de templis, altaribus, imaginibus. Tertij præcepti appendix est lex de blasphemiâ. Quarti præcepti appendices sunt festa Iudæorum, leges de musicâ templi, de bonis ecclesiasticis & decimis. Quinti præcepti appendices sunt leges de iniuriis magistratui & ministris Ecclesiæ illatis. Sexti appendices sunt leges de mutilatione corporis, de homicidio, de percussione prægnantis vt abortiat, de bellis, eorúmque antecedentibus, coniunctis, & consequentibus. Appendices septimi præcepti sunt leges de castitate, & coniugio, de scortatione, de adulterio, de gradibus consanguinitatis & affinitatis. Octaui præcepti appendices sunt leges de furto & eius pœna, de deposito & re inuentâ, de pauperibus, mendicis & personis miserabilibus. Noni præcepti appendices ferè sunt leges Mosaicæ de iudiciis, de iudicibus, de litigantibus, de sententiâ & illius executione, de pœnis capitalibus, putà suspendio, lapidatione, igni, ac gladio, & non capitalibus. Atque hæ sunt leges diuinæ Mosaicæ. Originem ac primigeniam suam illis debent omnes omnino ethnicorum leges, quæ aliquid sani & præclari habent. Nam alter Hermes Trismegistus, qui in Ægypto, paulò post Mosen primum & antiquissimum legislatorem, Ægyptiis leges tradidit, vsque adeò Mosen manibus triuit, vt omnia sua ex ipso hauserit, & ab ipsis pro altero Mose sit habitus. Dictus autem fuit τρισμέγιστος, quia fuit philosophus, sacerdos, & rex. Mos enim fuit Ægyptiis, vt *Plato* est author, ex philosophorum numero sacerdotes, & ex sacerdotum cœtu regem eligere. Solon deinde Salaminius, qui septem sapientum sapientissimus fuit, vt *Plato in Timæo* ipsum vocat, legibus Draconis ob rigorem abrogatis, Atheniensibus suis leges præscripsit, quas ex Ægypto secum attulerat. Romani miserunt quatuor legatos Athenas, videl. Sp. Posthumum, Album T. Manlium, P. Sulpitium, & Camerinum, iusserúntque inclytas Solonis leges describere. Reuersis istis legatis creati sunt Decemuiri, qui præscripserunt populo leges X. tabularum, & centuriatis comitiis illas prælegerunt. Cùm verò legibus Græcis aliquid deesset, duas ex publicâ potestate adiecerunt, quibus propriæ Romanorum leges continebantur, quæ XII. tabularum leges appellatæ sunt.

Inde porrò corpus iuris Romani extructum eſt , hunc in modum. Cum Iuſtinianus videret, ius conſtare legibus X I I. tabularum plebiſcitis , ſenatuſconſultis, prætorum edictis,prudentium reſponſis & principum conſtitutionibus atque reſcriptis,atque ita diſperſum eſſe, vt vix mente comprehendi poſſet certa iuris ciuilis idea , anno Imperij 2. hoc negotij dedit Treboniano , Dorotheo , Theophilo , & aliis ICtis,vt ex tribus Codicibus,Gregoriano,Theodoſiano , & Hermogeniano, qui Impp. conſtitutiones,eorum verò maximè , qui ab Hadriano & Antonino Pio vſque ad ipſius tempora gubernationis ſummam continebant, Codicem priorem colligerent. Anno deinde quarto Imperij , ex omni veteri iure,legibus videl. X I I. tabul. prætorum edictis,Senatuſconſultis , plebiſcitis,& prudentium reſponſis , Pandectas per Trebonianum colligi mandauit. Deinde vt tyronibus conſuleret , ſummam iuris comprehendit breuibus Inſtitutionibus. Anno porrò Imperij 8. nouum Codicem , priori antiquato edidit. Nouellas denique promulgauit,quæ in authenticis,vel iure Iuſtiniani nouiſſimo continentur.

Iudicia Hebræorum qualia?

Iudicia Hebræorum erant eccleſiaſtica & politica In eccleſiaſtico iudicio nonniſi res ſacras diiudicari oportebat,ſed ex confuſione,quæ poſt Maccabæorum tempora politiam Moſaicam inuaſit, factum eſt,vt ſynedrium eccleſiaſticum forenſium quoque controuerſiarum cognitionem & diiudicationem,imò capitalia etiam iudicia ſibi vendicauerit. Iudicia politica erant conciones , ſenatus , & iudicia ſpeciatim dicta. *Concio* erat populi congregatio : aliàs eccleſia & ſynagoga ; eáque vel vniuerſalis totius populi,vel tribulis ſeu familiaris , vel vrbana & particularis. *Senatus* quoque triplex fuit , qui triplici concioni eleganter reſpondebat. Nam erat ſenatus popularis L X X. ſeniorum, ſiue maioris ſynedrij; ſenatus familiaris conſtans ſenatoribus ſingularum tribuum; & ſenatus vrbicus, in quem conueniebat ſeniores ſingularum vrbium. Concionibus iſtis & ſenatui *iudicia* ſpeciatim ſic dicta , hunc in modum reſpondebant. Erant iudicia duo ; ſummum,& ſubalternum. Illud vniuerſale , hoc particulare. Illud reſpondebat concioni & ſenatui,tum populi,tum tribuum,hoc concioni & ſenatui vrbium. Illud communiter maius ſynedrion,hoc minus ſynedrion vocatur. Synedrion magnum ante captiuitatem Babylonicam iniuerunt rex,duodecim principes populi ſeu tribuum , L X X. ſeniores , pontifex , principes ſacerdotum & ſcribæ , ſeu legis doctores. Poſt captiuitatem etiam ſacerdotes in illud concilium cooptati fuerunt. Vbi ſumma rerum ad Romanos deuenit huic concilio tantùm relicta eſt condemnatio,animaduerſio autem erepta,& procuratori Romano commiſſa.

Magiſtratus Hebræorum quorupliceſ?

Magiſtratus Hebræorum erant togati,vel ſagati. Togati erant 1. vniuerſi populi , vt primò iudices , poſtea reges & principes. 2. ſingularum tribuum , vt erant 12 phylargi. 3. principes ſingularum familiarum,qui dicuntur patriarchæ. 4. ſingularum ciuitatum , qui vocabantur principes ciuitatum,iíque chiliarchi,centuriones, quinquagenarij & decuriones ſeu decani. Sagati erant 1. princeps militiæ 2. duces inferiores, vt chiliarchi,centuriones,quinquagenarij & decuriones. 3. præfectus exercitui ſeu præſidio templi. Geſſerunt autem varia bella ſub Moſe , Ioſua,reliquis iudicibus , Saule,Dauide , & poſtea varia partim ciuilia , partim externa,cum regibus Ægyptiorum,Syriæ Aſſyriorum , Perſis, Macedonibus , & denique Romanis. Hîc oritur grauiſſima quæſtio de iure regis , quod deſcribitur 1. *Sam.* 8. quomodo nimirum illud conciliari poſſit cum iure regis , quod deſcribitur *Deu*. 7. Antilogia iſta apparens hunc in modum expeditur Moſes deſcribit ius regis verum & genuinum : Samuel partim verum , partim vſurpatum ſeu facti. Et rurſus ius verum eſt vel mite , vel durum & oneroſum. Vſurpatum eſt, quod repugnat principis veri iuris. Vide *Zepperum 3. leg. for. cap 8. & Varemandum de Erenb rg de regni ſubſidiis.* Hîc & illud quæritur , annon iſta duo pugnent , quòd regem Iſraëlitis promiſit Deus, *Gen.17.v.6 cap. 9.v.10.Deut.* 7.& populus tamen,regem petendo, Deum offendit,adeò vt in ira ſua ipſis regem dederit , *Oſ.* 13.v.11.Reſp. Poſtulatum populi fuit bonum , ſed modus poſtulati malus. Primùm enim hîc eſt audacia & temeritas qua præueniunt Deum. Deinde peccant diffidentiâ ; quia plus præſidij ponunt in rege , quàm in Deo Poſtremò ingratitudine peccant in Samuelem, optimè de ipſis meritum , & ſenem emeritum , quem tantopere contemnunt, vt mortem eius expectare non queant.

Religio in politia Iudaica qualis?

IV. *Religio Iudæorum continebatur legibus moralibus & ceremonialibus : itemque lege fidei,ſeu Euangelio.*

Lex moralis eſt ipſa lex naturæ,deſcripta per Moſen,præcipiens honeſta,& prohibens turpia,obligans omnes homines. Inſcripta enim eſt cordibus omnium mortalium , & eſt vox Dei ſonans in homine quolibet. Realiter itaque lex naturæ non differt à lege morali Moſis, ſed modo tantùm ; quia per Moſen diſtinctius ac pleniùs eſt enarrata. *Lex ceremonialis* eſt doctrina de externis actionibus,quæ populum Dei continere debebant in officio. *Euangelium* eſt lex fidei , ſeu doctrina de credendis , quemadmodum lex eſt doctrina de faciendis , vnde dicitur lex operum. Porrò ceremonialia V. T. ſunt duplicis generis ; alia typica , idcóque propriè talia , alia ordinis. Typica fuerunt aut rerum præteritarum recordationes , vt Paſcha , manna , ſerpens æneus : aut futurarum præſignificationes , vt ſacrificia , lotiones , & ſimilia. Ordinis fuerunt,quæ tempus , locum , perſonas , actiones,modum,& circumſtantias politiæ eccleſiaſticæ definierunt. De ceremonialibus primi generis certa eſt ſcholaſticorum regula : *Leges ceremoniales in N. T. ſunt mortuæ & mortiferæ.* De ceremonialibus ſecundi generis hæc eſt regula : *In ceremonialibus ordinem concernentibus ſpecies, ſeu ius particulare,quod ad Iudæos propriè pertinuit , ſublatum eſt , manente genere , id eſt , iure communi & vniuerſali , quod ad eccleſiæ N. T. ordinem ſeu politiam externam pertinet.* Leges igitur ceremoniales reſpiciunt loca , tempora , ritus , & perſonas ſacras. *Loca ſacra* erant continentia & contenta. Continentia erant duo. 1. Silo in Samaria , vbi primitus fuit tabernaculum. 2. Ieruſalem , quæ ſita eſt in medio Europæ , Aſiæ , & Africæ , quæ tres partes conſtituunt trifolium , cuius cor eſt vrbs illa ſancta. Eius topotheſiam vide ſuprà in in Geographicis. Contenta fuerunt tabernaculum,& templum Salomonis, quod Iudæi ex Babylonia reuerſi ex cineribus excitatum reædificarunt. Sed Herodes templum illud ſecundum euertit , & nouum in iiſdem fundamentis extruxit. Et hæc quidem duo loca Deus præceperat conſecrari. Præter hæc duo erecta fuerunt duo alia , videlicet excelſa non idololatrica & ſynagogæ. In illis Deus ſacrificare permiſit , vt videmus *Iudic.6.* In his Iudæi primò conuenerunt tempore , vt videtur,captiuitatis Babylonicæ, vt eſſent loco templi. Vero templo oppoſita fuerunt duo alia, vnum in Samariâ, alterum in Ægypto. Templum Samariæ extructum fuit hac occaſione. Manaſſes frater Iaddi pontificis duxerat vxorem alienigenam, filiam Sanaballath præfecti regis Darij. Hanc cùm per legem Dei non poſſet retinere , confugit ad ſocerum , & ab illo impetrauit , vt templum permiſſu Alexandri M. qui vicerat Darium , in monte Garizim poſſet condere. Hoc igitur in loco Manaſſes ille factus eſt pontifex Samaritanorum , qui erant reliquiæ decem tribuum in Aſſyriam abductarum , & legem Dei multis ſuperſtitionibus fœdatam habebant. Atque hinc contentio & capitale odium inter Iudæos & Samaritanos de prærogatiua templi.Templum Ægypti cōditum fuit in Heliopolitanâ præfecturâ ab Onia Oniæ pontificis filio , qui ſeditione orta Hieroſolymis,tempore Antiochi Epiphanis , ad regem Ptolemæum Antiochi hoſtem profugit : qui eo loci fuit pontifex inter Iudæos , qui ob ſeditionem vrbe pulſi in Ægyptum conceſſerant *Tempora ſacra* erant feſta Iudæorum , eáque ſtata , vel conceptiua. Feſta ſtata ab ipſo Deo per Moſen inſtituta & præcepta fuerunt : & erant vel hebdomadaria , vt ſabbatum ; vel menſtrua , vt neomeniæ ; vel annua , vt Paſcha , Pentecoſte , Feſtum tabernaculorum , & Annus Iubilæus , cuius pars quota erat annus ſeptimus , ſiue ſabbatarius. Feſta conceptiua à populo Dei poſt Moſen , ex pia deuotione inſtituta fuerunt , in memoriam inſignium quorundam beneficiorum Dei , vt feſtum Purim ſeu ſortium . & Encæniorum ſeu Renoualiorum. In illo reuocabant ſibi in memoriam liberationem ab exterminio illo, quod intentarat Haman : in hoc recolebant memoriam renouationis templi , quod Antiochus Epiphanes profanauerat collocato Iouis Olympij idolo in templo. Hoc feſtum inſtituit Iudas Maccabæus , 1. *Maccab.* 4. & Chriſtus ſua præſentiâ atque ſermonibus ſacris cohoneſtauit *Ioan.*10.*v* 22 23. *Ritus ſacri* erant ſacrificia , confeſſiones , munera , & ieiunia. *Sacrificia* erant communia , vel propria. Illa ad omnes attinebant , erántque alia ἱλαστικὰ, vt holocauſtum ſeu placatorium , ſacrificium pro peccato inuoluntario , & ſacrificium pro delicto ſeu peccato voluntario : alia εὐχαριστικὰ, vt oblatio ex frugibus terræ , hoſtia pacificorum ſeu ſacrificium pacis, & ſacrificium laudis. *Confeſſiones* erant formulæ ſolennes,quibus Dei bonitatatem in ſacrificiis extollebant. Huc pertinent tria muſicorum genera apud Hebræos: videl. ψαλταὶ , qui muſica pulſabant inſtrumenta , ἀοιδοὶ , qui canebant aſſa voce , aliàs μελῳδοί ; & ψαλτῳδοὶ , qui muſicam vocalem & inſtrumentalem coniungebant. Sacrificia propria erant certarum perſonarum : vt ſacrificium mundationis & expiationis. *Munera ſacra* offerebantur vel ex lege, vt primitiæ,decimæ,& pecunia ſacra : vel ex toto,quale erat votum Naziræorum,vel ex pura voluntate. *Ieiunia ſacra* erant ſtata & imperata à Deo, vel conceptiua. *Perſonæ ſacræ* erant 1. *Pontifex* ; in quo notabis veſtimenta,conſecrationem,requiſita,electionem, & officium. 2. *Sacerdotes* ; quorum munus erat orare & ſacrificare. 3. *Leuitæ* ; quibus cura tabernaculi , templi , & vaſorum ſacrorum erat commiſſa. 4. *Cantores* ; inſtituti à Dauide. 5. *Ianitores.* 6. *Nathinæi*, qui Leuitis miniſtrabant,ſicut Leuitæ ſacerdotibus. 7. *Naziræi* ; iíque vel imperati , vt Simſon , votiui. 8. *Prophetæ* ; qui fuerunt doctores extra ordinem à Deo vocati , vt corrigerent negligentiam ſacerdotum. 9. *Scribæ* ; quorum munus erat legem legere , & , ſi opus eſſet , exponere. Hi ſcribæ tandem in diuerſas opiniones abierunt , & ſeptem ſectas hoc ordine pepererunt. Primi ſunt *Sadducæi* ; qui nullos credebant angelos,

angelos, vt nec resurrectionem mortuorum. 2. *Scribæ*; qui veterum scribarum vestigiis accuratiùs institerunt: vnde dicuntur Doctores legis. 3. *Pharisæi*; qui certiorem legis & rituum legalium cognitionem præ se tulerunt. 4. *Hemerobaptistæ*; qui quotidie lauabant. 5. *Nassaræi*; qui legem Mosis abolebant, sic dicti à נזא, q. d. ἀφανισταί: qui distinguendi sunt à Nazoræis seu Nazarenis, per tzade, & Nazareis per tsain. 6. *Hesseni*; quos Drusius vocat Hasidæos. 7. *Herodiani*; qui erant Iudæi hypocritæ, Herodem pro Messia habentes. Videris hac de re Iosephum, Tertullianum, & Epiphanium.

CAPVT XV.

De Monarchiâ Chaldaicâ seu Assyriacâ.

PRÆCEPTA.

MONARCHIA prima consideratur ratione sui dominij, & politiarum parallelarum.

Dominium primæ monarchiæ confertur cum capite aureo, *Dan.* 2. & leone alis aquilinis, *Dan.* 7.

Politiæ Parallelæ, quæ viguerunt præ aliis tempore primæ monarchiæ, sunt regnum Germanicum, Ægyptiacum, Argiuorum, Sicyoniorum, Atheniensium, Troianorum, & politia Iudaica, de qua diximus cap. anteced. item regnum Romanorum, Lacedæmoniorum, Macedonum. Lydorum, &c.

REGVLÆ.

Prima monarchia cui ei confertur?

I. *Prima monarchia confertur capiti aureo & leoni aquilinis alis prædito propter ordinem temporis & dignitatis.*

PRima monarchia est Assyriorum & Babyloniorum. Daniel autem nominat imperium Chaldaicum, quia non agit de rebus præteritis, sed futuris. Cùm verò Chaldæi æquè fuerint auaritiâ, crudelitate, & rapinis infames, atque Assyrij, quæritur, cur illorum imperium vocetur caput, & quidem aureū. Quod ad nomen capitis spectat, quia præcessit monarchia illa tempore, non mirum est, si gradum illi supremum assignet Daniel. Dicitur aureum comparatiuè; quia mores hominum tempore primæ monarchiæ non erant ita corrupti, vt sub reliquis monarchiis. Atque his de causis etiam leoni confertur hæc monarchia. Cur autem leoni alato comparatur? Quia Assyrij breui temporis successu potentiam suam auxerunt. Tandem tamen alæ sunt auulsæ, vbi Deus illos quasi iniecto fræno cohibuit, ne possent ita liberè vagari, vti cœperant. *Elias Reusnerus in isagog. histor.* minutatim persequitur hanc comparationem, hoc fermè modo. Aurum est metallum præstantissimum, caput est velut arx hominis, leo est rex inter quadrupedes, aquila inter volucres. Sic monarchia Assyriorum diuitiis, splendore, virtute, maiestate, potentiâ & clementiâ, denique diuturnitate reliquas antecelluit. Huius initia iecit. *Nimrod*, qui propterea cerebro huius capitis assimilari potest, propter iudicium, quo vsus est in regno hoc constituendo. Filius eius *Belus* instar piæ matris feliciter gubernauit: nepos *Ninus* cum vxore Semiramide tanquam dura mater durius exercuit imperium. *Nynias* pronepos habuit multos eunuchos & mulieres, quemadmodum cranium multas habet suturas: abnepos *Arius*, princeps moderatus similis fuit colori viuido faciei: atnepos *Aralius*, homo voluptarius fuit huius capitis caro. Alij tamen tradunt, hunc Aralium fuisse optimo & militari ingenio vnde conferri potest denti: reliqui monarchæ XXXI. vsque ad Sardanapalum fuerunt capilli: *Sardanapalus* (qui Scaligero est 41.) vltimus fuit in monarchia Assyriorum integra, tanquam frons fuco muliebri exornata an conspurcata. Huius infamem vitam audiens *Phul Belochus* (vnde auditui comparari potest) vna cum Arbace Medo in effœminati regis necem coniurauit; quo interfecto monarchia hæc diuisa est in Assyrios & Medos. Idem Phul, auditis Israëlitarum intestinis discordiis, ipsos infectauit sub Menahem. Filius eius *Tiglath Pileser*, seu Tiglath Phalasar videns terræ Israël fertilitatem (vnde visui confertur) tribu Naphtali in Assyriam abductâ, Galilæam armis acquisiuit. Huius prædæ paternæ gustum percepit *Salmanassar*, qui per triennium obsessa Samariâ, eâque expugnata, totum regnum Israëlis deleuit, decémque tribus in captiuitatem abduxit, in sedes earum nouis colonis ex Asiâ & Persiâ deductis. *Sennacherib* (olfactui comparandus) suauem odorem regni Iuda percipiens, Hierosolymam obsedit. Sed cæsis vna nocte per angelum 185000. militibus tantus fœtor ipsius nares inuasit, vt ignobili fuga in Assyriam repedaret, vbi à propriis filiis necatur. Succedit filius *Assarhaddon* 43. Assyriorum & Babyloniorum rex: quem tetigit & regno pepulit *Merodach*, rex Assyriorum 44. ex aliâ stirpe oriundus: tactui idcirco comparandus. *Benmerodach* 45. comparari potest mandibulæ inferiori, *Nabuchodonosor primus*, aliis Nabopollassar, rex 46. mandibulæ superiori. Nam ille regem Manassem captiuum tenuit, hic filium Nabuchodonosorem magnum in Syriam misit ad subiugandos rebelles Tyrios & Palæstinos. *Nabuchodonosor magnus*, aliis Nabopollassar, rex Babyloniorum 47. à Daniele speciatim vocatur caput aureum, & ipsi tribuuntur alæ aquilinæ, propterea, quòd admiranda celeritate res maximas confecerit. Huius filius *Euilmerodach*, rex moderatus, similis fuit linguæ bonæ. *Regassar*, Iosepho Nereglassar, rex 49. & *Labassarda h*, Herodoto Labynitus, fuerunt ad instar barbæ, quam Cyrus abrasit. Nam Labassardach mense 7. Imperij ab ipso fuit cæsus. Vltimus Babyloniorum rex *Belsazer*, qui & Nabonidus, comparatur gulæ; quia capta Babylone à Cyro est confossus. Illo occiso Darius Medus, qui aliis dicitur Nabonedus Medus, regnum suscepit. Ex his Reusneri meditationibus patet, politiam Babylonici Imperij fuisse fermè polemicam. Hîc non est silentio prætereunda Chronologia Scaligeri *in canonibus isagog. lib.* 2. Ille duas dynastias, vnam Chaldæorum, alteram Arabum, vtramque in Babyloniâ, præmittit Belo, quem primum statuit in hac monarchiâ, quam vocat tertiam dynastiam in Oriente, eamque Assyriorum. *Idem Scaliger d. l.* numerat à Belo ad Sardanapalum 41. reges Assyriorum. Deinceps diuisa fuit monarchia in regnum Medorum, cuius primus rex fuit Arbaces, vnus Sardanapali debellator, vltimus Astyages, quem Cyrus Imperio Medorum euertit: item in dynastiam Assyriorum, postquam ab Assyriis defecerunt, in qua primus est Phul, alter Sardanapali debellator. Postquam verò Artycæ à Medicis deficiunt, Nabonassar nouam Babyloniorum dynastiam suscitat, à quo qui[n]tu[s] fuit Merodach, Nabopalassar 16. Nabuchodonosor 17. in ista dynastiâ, sed 58. in monarchiâ. Inter stupenda huius monarchiæ monumenta recensentur Nineue & Babylon. *Nineue* primordium suum accepit ab Assur, filio Sem, à quo nomen Assyriorum. Ninus, rex Babyloniorum tertius, illam postea reddidit ampliorem & augustiorem: adeò, vt Diodoro teste, in ambitu habuerit stadia 408. muros altos 100. pedum, latitudinis tantæ, vt tres currus simul perambularent. Turres 1500. fuerunt, quarum altitudo fuit pedum 200. *Babylonem* amplificauit Semiramis fundamentis iactis à conditoribus turris Babel, & nominatim à Nimrodo. In ambitu habuit 360. stadia, iuxta Herodotum 480. Muri fuerunt ducenis pedibus alti, quinquagenis lati. Porrò durauit hæc monarchia ab anno mundi 1717. vel 1718 vsque ad an. 3419.

II. *Regum Germanorum series continua habetur ab anno mundi 1787. vsque ad an. 2890. circiter. Vide Auentinum.* Quid de prisca Germanorum politiâ statuendum?

PRimus Germanorum rex fuit *Tuiscon*, quem Auentinus facit filium Noë, eúmque à patre missum dicit anno 131. post diluuium vna cum 20. ducibus in Europam. *Iodocus Villichius super Germaniam Taciti* ait, hunc Tuisconem esse ipsum Ascenas, filium Gomeri primogenitum, qui Sarmatas, populos maximos fundauerit, authore Beroso. Ab hoc idem Villichius putat dictos *die Teutschen*, sicut à Gomero, postquam decimo anno Nimrodi, qui fuit Saturnus Babylonicus, in Italiam colonias ex Armeniâ duxerat, Combri, & postea Cimbri, dicti sunt: qui ex Italiâ decesserunt in loca septentrionalia, quæ hodie vocantur Cimbrica chersonesus, quam hodie Holsati & Dani incolunt. De isto Tuiscone scribitur, quòd Gygas Sarmatas apud Rhenum legibus informauerit. Secundus fuit *Mannus*, filius Tuisconis, qui apud Sarmatas Rheni regnauit, tempore Semiramidis, & circa tempora Abrahæ. Paulò ante regnum huius Manni Isis, Iuno Ægyptia, Osiridis vxor, prima frugum inuentrix, claruit, atque zythum excoquere docuit. Osiris autem & Apis & Serapis dicebatur, teste VVillichio. Auentinus tamen existimat Osiridem cum vxore Iside venisse ad Marsum regem Germanorum 6. & Isidem docuisse Germanos agriculturam, rationem conficiendi artem fabrilem, molendinariam, & medicinam. Ab Iside deriuant *Eysen*. Manno successit filius, vel, vt alij volunt, frater, *Ingæuon*, seu *Ingaab*, tempore Ismaëlis. Hunc peritum fuisse tradunt multarum artium, & scholas publicas fundasse, ad comprimendam & refrenandam hominum audaciam & libidinem. Ab hoc Germani, qui circa sinus Oceani habitant, dicuntur Ingæuones, *Innuohner*: quòd interiorem Germaniæ partem incolant. Plinio dicuntur VVigæuones, à nomine *vuig*, vel *vuog*, id est, fluctu maris, & *vuohnen*: nimirum quòd sint insulares & litorales, vt Chanci, Cimbri, Cherusci, Fosi. Quartus fuit *Istæuon*, *Vstem*, *Ausz stab*, filius Ingæuonis, iuxta Auentinum, VVillichio frater eius. Hîc vxorem habuit nomine *Freya*, quæ est venus Germanorum, vnde *Freytag*. Ab hoc Istæuone dicti sunt Istæuones, Plinio VVitstæuones, *die vueitsten vuohner*. Hi sunt in Rhenum & Danubium remoti. Quapropter Rheni ripâ fecerūt olim vnam quidem Gallicam, circa quam habitabāt Celtæ, Heluetij, Boji, Arauisci, Osi, Treuiri, Neruij, Vangiones, Treboci, Nemetes, Vbij, Bataui: alteram verò Germanicā, quam incolebant Gatti, Mattiaci, Tencteri, Bructeri, Angriuarij, Chasuarij, & Frisij. Hi omnes *VVistuuoner* nominabantur. Hic autem Istæuon populos

populos intra Rhenum & Danubium gubernauit, authore Beroso. Hic obserua, Germaniæ terminos tribus modis constitui. Est enim Germania vetus seu Berosiana; media, quæ etiam dicitur Corneliana, Ptolemaica, & Pliniana, à qua Strabonis non admodum variat; & recens seu nostra. Quæ obseruatio facit ad illustrationem multarum historiarum. Quintus Germanorum rex est *Hermion, Hermann.* Istæuonis filius. Vir fuit armis ferox, tempore Isaaci. Ab hoc sunt Germani Hermiones, quos Plinius, cùm aliquot annos in Germaniâ versatus sit, rectiùs Herdeuones appellauit, alij Hermonduros, seu *Herduuohner*, cùm sint mediterranei, *die auf dem harten vuohnen*, cùm neque ad Rhenum, neque ad Danubium pertineant, sed continentem incolant. Tales autem sunt Semnones, Narisci, Hermunduri, Marcomanni, & Quadi, qui occuparunt meridionalem Germaniæ plagam, quæ Danubio prætenditur. Ab illo Hermione vrsa maior dicta est, *der heermanns vuagen*. Hic Germanorum rex instituit, vt non solùm viri, sed & mulieres militiam sequerentur. Mulierum erat, cibos comparare, vulnera exsugere & sanare, imminente prælio prope astare cum eiulantibus ac vagientibus liberis, ad bellantium animos confirmandos. Sextus fuit *Marsus*, Hermionis filius. Hunc Martem nominant, quia rem militarem sedulò coluit, tempore Iacobi. Ab hoc conditum volunt *Merszburgk*: & ab eodem dicti sunt Dithmarsi & Stormarsi. Septimus fuit *Gambriuius*, Marsi filius, tempore Iosephi: vir ferocis & inuicti animi, Germanicè *kampfer*. Quid si & hinc Cimbris inditum esset nomen? Tunc claruit Belochus, q. d. Beli amator. Nam in imperio suo circa pontificatum Beli Iouis fuit occupatus. Octauus fuit *Sueuus*, Gambriuij filius. Ab hoc Sueui dicti sunt. De hoc ita scribit VVillichius: *Eius regis patria sedes fuit ad Carpathum montem, qui ab eodem Sueuus nominatur. Imperium quoque eius fuit ab hoc Sueuo vsque ad Rhenum. Sub hoc autem Isis, Herculis mater, in Germaniam venit, quæ postea tanquam dea præsertim in Heluetiorum tractu culta est. Hercules verò hic Lybius appellatus fuit. Huius quoque temporibus tyrannis Busiridis in Phœniciâ illustris fuit: atque tunc Celtes, hoc est Gallos, cum quibusdam Germanis per montes, quos Pyrenæos à conflagratione sylvarum dictos nominant, ab Hispanis separauit.* Nonus Germanorum rex ante Mosis natiuitatem fuit *Vandalus*: circa cuius tempora Hispanus, filius Hispalis, nepos Herculis, ex Celtiberis nomen Hispanorum fecit, & Galatæ Celtæ Galli vocati sunt, & hinc Ptolemæo Celtogalatia est. Ab hoc rege Vandali, *die VVenden*, sunt orti, ex quibus hodie florent Poloni seu Lechitæ, Bohemi seu Zecchi, Sclauoni, & Croatæ: quorum reliquiæ sunt circa Vandalicas ciuitates, Oceani Germanici accolas, velut Lubecum, Rostochium, Dantiscum, &c. quæ etiamnum dicuntur Vandalicæ ciuitates, *die VVendische stætte*. Et sic quidem VVillichius opinatur. Sed Auentinus, Cromerus, & alij putant, Vandalos priscos, qui circa Visurgis fontes habitarunt, postea in Africam infusos ibi regnum constituisse, ac à Romanis tandem deletos esse: & volunt diuersum esse populum, *die VVenden*. Sclauos scilicet. Decimus est *Teuto*, Vandali filius: à quo Teutones, & Teutonarij apud Ptolemæum. Hic fuit Germanorum Mercurius, circa tempora Mosis. Hinc verbum *Teutschen, interpretari*. Sub hoc tempus Narbon (aliis Harbon) in Gallia rex fuit, vnde quædam eius pars Narbonensis est dicta. Vndecimus est *Alemannus, Allmann* Hercules Germanorum: tempore Pharaonis Amenophis, vt vult VVillichius, qui edictum de necandis Hebræorum pueris proposuit. Vox Hercules Otthoni Heurnio videtur composita ex *Her* & *kul*. q. d. communem testiculum, h. e. patrem communem. Hic rex leone vsus est pro insignibus. Leonem etiam catenatum plerumque secum duxit. Vnde leonum insignia in familia Bauariæ principum. Quatuor ipsius filij fuerunt Noricus, Hunnus, Heluetius, & Baius, à quibus hodiéque certorum populorum nomenclaturæ sunt vsitatæ. Duodecimus fuit *Boius*, filius Alemanni, vnde Boji, Bauari, & Boiemi dicti. Sub hoc rege primùm duo exercitus, vnus virorum (Cimbrorum) alter mulierum (Amazonum *der Metzen*) tanquam coloniæ, in Asiam emissi sunt. Amazones Ephesi templum Dianæ construxerunt, vt & ipsam vrbem. Inuentrices sunt bipennium & tympanorum. Boius floruit circa tempus exitus Israëlitarum ex Ægypto. Decimustertius fuit *Ingram*, filius Boji, tempore Iosuæ. Decimusquartus fuit *Adelger*, filius Ingrami, tempore Ehud iudicis. Decimusquintus *Larein*, siue Laërtes apud Tacitum, circa tempus Deboræ. Decimussextus *Vlsing*, Tacito Vlysses, qui dicitur Germanicus ad differentiam Ithaci. Et Germanicus ille, non verò Homericus, condidit Aschiburgum ad Mœnum. Decimusseptimus fuit *Brenner*; aliis Berno: ante cuius tempora Germani expeditionem susceperunt in Asiam, duce Geltero: cui se opposuit rex Troiæ Laomedon. Sed cùm parum proficeret, fœdus cum eo iniit. Tempore Brenni Amazones in Troiano bello Troianis contra Græcos suppetias iuerunt: quarum regina Penthesiléa ab Achille interfecta fuit. Decimusoctauus fuit *der Hockar*, vel, vt alij volunt, *Hichter, Hykar*, vel *Hechtar*, ab *hecken*, id est, mordendo: tempore Iephthe. Succedunt filij tres, *Kels*, vnde Celtæ: *Gall*, vnde Galli; & *Hyllir*, vnde Illyrij. Cæterorum series continua non habetur. Fuerunt autem hi præcipuè, *Francus, der Franck: Medo primus; Bellouesus, der Balduueisz: Sigouesus, der Siguueisz: Helitonius, der Held: Medo secundus; Ciconius, der Zecco: Laudinus, de Laudin: Leonorus, der Lenhard: Lotharius, der Luther: Viridomarus, der VVirdmer*, vel *Fridmayer: Dorulacus, der Durlarch: Britomarus, der Breitmar, Ariouistus, der Ernuest*, qui à quibusdam Ernestus dicitur. De moribus & politiâ veterum Germanorum vide *Germaniam Cornelij Taciti equitis Romani illustratam eruditissimis commentarijs à Iodoco VVillichio.*

III. *Sicyoniorum politia diuiditur in duas dynastias.*

Politi Sicionio rũ qualis

SIcyoniorum regnum cœpit anno mundi 1861. Regnarunt in Peloponneso. *Primæ dynastiæ* primus rex fuit Ægialeus. Cui successerunt Europs, Telchin, Apis (à quo tota regia dicta est Apia intra Isthmum) Thalxion, Ægyrus, Thurimachus, Leucippus, Mesapus, Peratus, Plemnæus, Orthopolis, Marathen, Marathus, Echyreus, Corax, Epopeus (qui templum dedicauit Mineruæ, in quo eius monumentum, & dij ἀπωτρόπαιοι) Lamedon, Sicyon (à quo vrbs ita dicta) Polybus, Ianiscus, Phœstus, Adrastus, Polyphides, Pelasgus, Zeuxippus. *Secunda Sicyoniorum dynastia* est septem sacerdotum Karnei Apollinis, qui sunt Archelaus, Automedon, Methodeutos, Euneus, Theonomos, Amphiction, & Charidemus, à tempore Eli vsque ad tempus, quo floruit Samuel. In Charidemo regnum Sicyoniorum defecit propter reditum Heraclidarum in Peloponnesum. Vide Pausaniam, Eusebium, & Scaligerum.

IV. *Regnum Argiuorum peperit dynastiam Heraclidarum secundam: & hæc dynastiam Corinthiorum secundam, & Lacedæmoniorum secundam.*

Argiuo rum pol tia qualis

ARgiuorum regnum cœpit anno mundi 2093. Primus rex fuit Ignachus. Ei successit filius Phoroneus. Huic nepos Apis, qui alio nomine Osiris & Serapis fuit appellatus. Hic in Ægyptum transtulit suum imperium, & homines rudes multa docuit, putà agriculturam & vini vsum. Vnde postea pro deo cultus fuit in forma bouis, qui Apis dicitur Ægyptiis. Apidi succedit filius Argus, à quo Argos regio Peloponnesi dicta, vt & populi Argiui. Huius temporibus cœpit Græcia exercere agriculturam, ita scil. edocta ab Apide seu Osiride. Argo succedit filius Criasus, & post huius mortem alter filius Phorbas, quem Augustinus ex Varrone facit filium Crasi. Phorbanti succedit filius Triopas, qui Rhodum tenuit, & illam liberauit serpentibus, inprimis ingenti dracone: ob quorum multitudinem insula dicta fuerat Ophiusa. Crotopus Triopam regno exuit. Crotopo successit Sthenelas; huic Gelanor, qui consensu populi regno est pulsus à Danao, vnde Danai sunt dicti, item Danaidæ; qui obtinuerũt Argos vsque ad Pelopidas. Nam Danao successit Lyncius, Ægypti fratris Danai filius, huic filius Abas, huic filius Prœtus, huic frater Acrisius, à cuius vltimo anno, qui est mundi 2636 consurgit *regnum Mycenarum*, hoc ordine: Stheneleus cum Perseo patre, Eurysthenes filius Sthenelei, Atreus & Thyestes fratres, Pelopis filij (vnde Pelopidæ) è quibus Atreus Olympicos ludos in honorem Pelopis patris instaurauit. Sub annis Atrei & Thyestis comprehenduntur anni Plisthenis, qui fuit filius Atrei, pater Agamemnonis, & Menelai. Ab Atreo illo dicti sunt *Atridæ*, hac serie. Primus est Agamemnon; qui eligitur dux Græcorum aduersus Troianos. Agamemnonem reducem obtruncat Ægisthus, adulter Clytemnestræ, filius Thyestæ, natus ex incestu. Orestes, filius Agamemnonis, vlciscitur cædem patris in Ægystho & matre. Postea ad insaniam redactus, sed duce Pylade, & ope sororis Iphigeniæ, ad aram Dianæ Tauricæ, sanitati fuit restitutus. Penthilus succedit Oresti patri in regno Mycenarum. Orestis familia postea regno pellitur ab Heraclidis in Peloponnesum redeuntibus, quod contingit anno 80. à Troiano excidio. Hîc igitur incipit *secunda Heraclidarum dynastia*, quæ peperit secundam Corinthiorum, & secundam Lacedæmoniorum dynastiam. Nam reges Heraclidarum pepererunt duas familias, quarum vna dicitur Heraclidarum Lacedæmoniorum, altera Heraclidarum Corinthiorum. In *Corinthiorum dynastiâ secundâ*, quæ cepit tempore Samuelis, primus fuit Aletes. Prima ipsorum dynastia fuit Sisyphidarum, qua per sex generationes potiti, exuti sunt à Doriensibus. Aletes enim Doridan & Hyanthidan, vltimos Sisyphidarum expulit. Aleti successit Ixion, huic Agelaus: huic Prymnis: huic Bacchis. à quo *dynastia Bacchidarum*, quæ est tertia Corinthiorum anno M. 2993. Bacchidæ & ipsi quoque fuerunt Heraclidæ, à Bacchide, Aletis progenie. Bacchidi succedit Agelaus; huic Eudemus; tum Aristodemus; post frater eius Agemon; tum Alexander; huic Telestus; huic Automenes filius, qui orditur *quartam Corinthiorum dynastiam*, quæ dicitur Prytaneon, item Bacchiadarum. Hæc durauit annis 124. Cœpit enim paulo ante Olympiadum initium, anno mundi 3171. & desiit ann. M. 3294. Sequenti anno Cypselus auspicatus est *quintam Corinthiorum dynastiam*, quæ dicitur Cypselidarum, in qua Cypselo successit filius Periander: qui obiit anno 4. Olymp. 48. quo

quo tempore Corinthus libera fit à tyrannis. Sed iam dicamus *de secunda Lacedæmoniorum dynastiâ.* Prior enim dynastia ab Eurotâ, vel Lelege, destituitur serie annorum. Secunda autem Lacædemoniorum dynastia est gemina, videl. Eurysthenidarum, & Proclidarum. In Eurysthenidarum dynastiâ primus dynasta & rex fuit Eurysthenes, anno M 2848. à quo hæc dynastia dicitur Eurysthenidarum. Huic succedit filius Agis, à quo omnes posteri Eurysthenis dicti sunt Agidæ; & hæc dynastia Agidarum fuit circa tempora Saulis. Agidi succedit filius Echestratus; huic filius Labotas; tum filius Doryssus; huic Agesilaus filius; huic Archelaus F. tum Telechus F. huic Alcamenes F. tum Pelydorus F. sub quo rege cœpit bellum I. Messeniacum, in quo Lacædemonij superiores per 39. annos in Messenios dominati sunt. Postea oritur bellum I I. Messeniacum, quo Aristomenes nouus rex per 18. annos Messeniis præest: tandem verò cum totâ gente sedibus à Lacedæmoniis pulsus Rhodum appellit, reliquis in Siciliam delatis. Deinceps apud Scaligerum habetur continua series regum Lacedæmoniorum, vsque ad annum M. 3430. quo tempore Cleomenes est rex Spartanorum, tempore secundæ monarchiæ. Huic succedit Leonidas frater, qui in pugna ad Thermopylas, cæditur. Huic deinceps succedunt X I I I. Eurysthenidæ. Dynastia Proclidarum seu Eurypontidarum incipit à Procle fratre Eurysthenis, desinit an. M. 3630. De *Spartanâ rep. vide prolixam differt. Keckermanni tom. 2.*

Politia Ægyptio- rum qualis?

V. ***Regnum Ægyptiorum diuiditur in dynastias* X X X I I. *vsque ad monarchiam Augusti.***

DYnastiæ Ægyptiorum sunt vel prolepticæ, vel historicæ. Prolepticæ sunt, quæ supra mundi exordium excurrunt: numero octo cum dimidia. Historicæ sunt reliquæ, de quibus *Scaliger in canonibus Chronic. pag. 122. & seqq.* & nos infrà in historicis. Decimaoctaua incidit in annum M. 2207. cuius primus rex Themosis Iosephum euexit ad summos honores. Amenophis promulgat edictũ de infanticidio Hebræorum. Dynastia X I X. incidit in an M. 2539. X X. 2741. X X I. 2867 paulò ante tempora Saulis. X X I I. anno M. 2967. circa diuisioné regni populi Dei in regnum Israël & Iuda. X X I I I. 3093. X X I V. 3182. X X V. 3226. X X V I. 3266. X X V I I. an. M. 3427. circa secundam monarchiam. XXVIII. 3538. XXIX. 3544. X X X. 3563. X X X I. 3601. quo tempore Artaxerxes Ochus recuperat Ægyptum: vnde dicitur dynastia Persarum. X X X I I. an M. 3620. quo tempore Alexander M. occupauit Ægyptum; vnde hæc vltima Ægyptiorum dynastia dicitur Macedonum. Ex his dynastiis 1. & 2. dicitur Thinitarum. 3. 4. 6. 7. 8. Memphitarum. 5. Elephantinorum. 9. 10. Heracleopolitarum. 11. 12. 13. 18. 19. 20. Diospolitarum. 14 Xoitarum 15. 16. 17. Pastorum. 21. 23. Tanitarum. 22. Bubastitarum. 24. 26. Saitarũ. 25. Æthiopum. 27 31. Persarum. 28. 29. Mendesiorum. 30 Sebennitarum. 32. Macedonum In his verò dynastiis historia Iosephi multum discrepat ab historiâ Africani. Vide *Heluicum in theatro historico.*

Politia Atheniensium qualis?

VI. ***Politia Atheniensium subdiuisa fuit in quatuor dynastias.***

D*Ynastia prima* Atheniensium est regum 17. inter quos primus fuit Cecrops Dipyes. Huius anno primo Moses erat 21. annorum. Secundus fuit Cranaus αὐτόχθων: tertius Amphyction, Deucalionis filius, &c. Hæc dynastia fuit annorum 487. *Secunda* fuit ἀρχόντων perpetuorũ numero 13. Primus fuit Modon, Codri filius an M. 2882. vltimus Alcmæon an. M. 3197. *Tertia dynastia* fuit Archonton decennalium septem, quorũ primus fuit Charops an. M. 3198. vltimus Eryxias an. M. 3267. *Quarta* fuit Archonton annuorum, quæ cœpit anno. M. 3268. & durauit post Alexandri M tempora. Fusè hanc politiã describit *Keckermannus tribus tractatibus tom. 2. operum.*

Politia Troiani regni qualis?

V I I. ***Dynastia Troiana, quæ etiam dicitur Dardani & Ilij, fuit regum septem.***

PRimus fuit Teucer, siue Teucrus, an. mundi 3234. circiter. Secundus Dardanus, à quo condita Dardania. Tertius Erichthonius Dardani F. tum Erichthonij filius Tros F. hinc Ilus F. tum Lamedon F. denique Priamus F. Hic stabilito vndique regno per Antenorem cum Græcis expostulat de bello ante hac ab Hercule illato, sed frustra. Itaque Paris filius mittitur, qui vel vi, vel fraude Græcis noceat. Hinc ortum bellum Troianum. Nam Paris Alexander Menelao regi Lacedæmoniorum (in primâ dynastia) rapit coniugem Helenam, atque ita occasionem Troiani belli præbet.

Politia regni Latinorum qualis?

V I I I. ***Regnum Latinorum tempore primæ monarchiæ fuit diuisum in tres dynastias: quibus postea successerunt aliæ quinque.***

P*Rima dynastia* fuit Aboriginum, regum quinque. Primus fuit Ianus, Creusæ, filiæ Erechthei Atheniensium regis filius: qui non contentus patrio regno cum magnâ classe venit in Italiam, ibique occupato monte vrbem constituit quam Ianiculam appellauit an. M 2621. Ad eum venit Saturnus regno pulsus, qui ipsi successit. Huic Picus, tum Faunus, denique Latinus, socer Æneæ. Is habitus fuit filius Fauni, cùm reuera esset filius Herculis ex Lauiniâ, quæ ab eo, priusquam Fauno daretur in vxorem, impraegnata fuit. Hercules iste 50. annis ante aduentum Æneæ in Italiâ gessit bella, & Cacum interfecit. Alij ante hanc dynastiam collocant dynastiã Coriti-Ianigenarum. Vide paulò post c. 18. *Secunda dynastia* fuit Æneadarum, regum X V I. quorum primus fuit Æneas an. M. 2771. cui succedit filius Iulus Ascanius: huic Syluius posthumus Æneæ F. à quo sequentes 13. omnes cognominati fuerunt Syluij. e. g. Æneas Syluius Latinus Syluius &c. vltimus fuit Numitor Syluius an. M. 3197. *Tertia dynastia* fuit septem regum vrbis Romæ, quorum primus fuit Romulus, nepos Numitoris, an. M. 3198. vltimus Tarquinius Superbus an. M. 3442. quo incipit quarta dynastia Consulum, tempore secundæ Monarchiæ, post regifugium. Hanc excepit quinta dynastia tribunorum militum consulari potestate, anno. 24. Hanc secuta est sexta dynastia Consulum in integrum restitutorum, per annos 417 Septima est imperij Augustorum vsque ad encænia Constantinopoleos. Octaua est diuisionis imperij in Græcum & Latinum.

Politia Macedonum qualis?

I X. ***Macedoniæ regnum diuisum est in tres dynastias.***

PRima Macedonum dynastia est à Carano Heraclidâ an. M. 3137. vsque ad Alex. Magnum: qui constituit *secundam dynastiam* ab an. M. 3614 vsque ad an. M 3626. *Tertia.* est post diuisionem regni Alex. M. vsque ad dominium Romanorum: quo tempore dynastiam Macedoniæ obtinuerunt posteri Antigoni.

Politia regni Lydorum quæ?

X. ***Regnum Lydorum diuiditur in tres dynastias.***

P*Rima dynastia* est regum Lydiæ, qui dicuntur Atyadæ quorum princeps Atys, pater Lydi à quo Lydia, quæ priùs Mæonia *Secunda* Lydorum dynastia est Heraclidorum, regum X X I I. quorum princeps Agron filius Acæi filij Herculis an. M. 2733. *Tertia* Lydorum dynastia est Mermnadarum, qui & ipsi sunt Heraclidæ. Nam Hercules ex Omphale suscepit duos filios, Laomedonta, à quo præcedens familia regum Lydiæ dynast. 2. & Agelaon, à quo Mermnadæ, in hac dynast. 3. ad quos quomodo regnum peruenerit, vide apud *Herodot. lib.* 1. Hæc vltima dynastia fuit regum quinque, inter quos primus est Gyges an. M. 3138. qui Candaulem vltimum anteced. dynast. interfecit. Candaulis istius tempore X. tribus à Salmanassare fuerunt deportatæ. Vltimus in tertiâ Lydior. dynast. fuit Crœsus, victus à Cyro an. M. 3406.

Politia regni Tyri qualis?

X I. ***Regnum Tyri diuiditur in duas dynastias.***

P*Rima dynastia* fuit regum, quorum primus Abibalus, parens Hiromi qui Salomoni ligna ad ædificium templi suppeditauit. Ab hoc numerantur decem reges inclusiuè vsque ad Pygmalionem, cuius anno 7 Dido in Lybiam profugit. Ab hoc Pygmalione vsque ad an. M. 3326. desiderantur reges Tyri vsque ad Ithobalum alterum. *Secunda dynastia* est iudicum, qui dicuntur Suffetes ab Hebr. שופטים Horum vltimus fuit Hiromus I I. cuius annus 14. conuenit cum primo Cyri.

Dynastia Sinarum qualis?

X I I. ***Dynastia Sinarum est antiquissima & florentissima.***

DVrauit enim inde à X I I I. Dynastia Ægyptiorum ad nostra vsque tempora.

CAPVT XVI.

De Monarchiâ Persarum.

PRÆCEPTA.

SECVNDA monarchia est Persarum, quæ consideratur partim ratione sui dominij, quod confertur pectori argenteo *Dan.* 2. & vrso *Dan.* 7. partim ratione coæuorum regnorum, vti præter dynastias Coss. Romanorum, Ægyptiorum, Atheniensium Lydorum, Macedonum Lacedæmoniorum, quibus cap. præced. sunt regnum Siciliæ & Scotiæ, & dynastia Sicambrorum.

REGVLÆ.

Politia Persarum qualis?

I. ***Persarum monarchia similis fuit pectori argenteo & vrso.***

DEsignatur per pectus; quia vt pectus duo habet brachia, ita hoc imperium ab initio fuit duplex, constans nimirum

ex Medis & Persis : vnde dicitur monarchia Medo-Persica. Cur verò pectus hoc dicitur esse argenteum? Quia vt argentū vilius est auro : ita quoque regnum est primo inferius robore, diuitiis, duratione, ac hominum virtute. In hoc pectore cor fuit *Cyrus*, à quo spiritus vitales deriuati sunt in Iudæos pressos captiuitate Babylonicâ. *Darius Medus*, qui cum Cyro Persâ occupauit Babylonem, est cuticula tegens istud cor. Etsi enim Daniele bestiis obiecit: actâ tamen pœnitentiâ eum liberauit. *Cyrus Medus* Darij istius frater, fuit *τὸ θυμικὸν*, *potentia irascens*, in corde. Ille siquidem edictum fratris de reditu Iudæorum in Palæstinam impediuit (vt Elas Reusnerus scribit *isag. hist. pag.* 205.) & Tomyrim Scytharum reginam bello infeliciter lacessiuit. *Cambyses*, filius Cyri degener, fuit aqua præternaturalis, in corde quandoque crescens. *Darius Hystaspis* & *Xerxes* fuerunt duæ partes pulmonis Et ille quidem fuit pars pulmonis obstructa, quia sub ipso ædificatio templi fuit impedita: hic verò fuit pars aperta & libera, quæ Iudæos asthmate laborantes ab Hamanis tyrannide refecit. Quanquam idem Xerxes potest conferri cum brachio huius pectoris sinistro ; quia multa infeliciter tentauit contra Græcos, & superbia elatus compedes iniecit mari. Manus sinistra istius brachij fuit *Artaxerxes Longimanus*, qui prohibuit instaurationem templi *Darius Nothus* fuit brachium dextrum, & *Arta-Xerxes Mnemon* manus dextra & liberalissima manus, quia Iudæi sub eo absoluerunt muros Hierosolymæ. *Darius Ochus* fuit *τὸ στέρνον*, id est, solidum os pectoris. quòd reliquos fratres occidit. *Darius Arses* fuit spina dorsi, fracta à Bagoâ. *Darius Codomannus* fuit diaphragma, quod pleuritide fuit affectum, cùm ab Alexandro tribus præliis fuit attritum, & tandem ruptum. Deinde hæc monarchia designatur per vrsum, quod animal est ignauum quidem & tardum, sed tamen rapax, crudele, sempérque carniuorum, & ita aptissimè pingit huius regni ingenium : quippe quod mole sua fuit iners & carniuorum. Confertur etiam *Dan.* 8. cum ariete, cornibus impetente bestias, h. e. singularia regna. Nam ex oriente castra mouit ad septentrionem meridiē, & occasum. Vide *Caluinum super h. loco.* & de politiâ Persarum accuratè differentem *Keckerm. tom. 2. op.*

Quæ politiæ emerserint sub 2. monarchiâ?

II. *Tempore secundæ monarchiæ tria inprimis emerserunt regna.*

PRimum est Siciliæ regnum, cuius primus rex fuit Dionysius tyrannus, cui successit Dionysius iunior : postea alius Dionysius, Timoleon, Agathocles, Hiero &c Secundum est dynastia Sicambrorum, Troianis è Scythiâ deductis ad ostia Rheni. Primus dynasta fuit Macomirus, Antenoris Troiani F. anno M. 3498. Huic successit F. Antenor I I huic F. Priamus. huic F. Helenus I tum Antenor I I I. à cuius vxore Cambiâ dicti Sicambri. Hunc secutus est Priamus F. sub quo Sicambri didicerunt linguam Saxonicam. Huic successit Helenus I I. F. Tum Nicanor F. qui de Gothis in Saxoniæ fines irrumpentibus, & Germaniam populantibus, gloriosam reportauit victoriam. Hunc excepit Marcomirus I I. F prudens, doctus, & phisophiæ studiis addictissimus. Huic successit Clodimirus F. à Romanis in prælio occisus. Postea sibi inuicem successerunt Antenor I V. F. Clodimirus I I F. Merodacus F. qui multa cum Romanis, Gallis, Moguntinis, Treuirensibus, & Coloniensibus bella gessit. Cassander F. qui Gallis fortissimè restitit. Antharius F. qui Moguntinos Romanorum colonos attriuit, Galliámque miserè populatus tandem à Gallo hoste cæsus. Vide *Trithemium* Tertium regnum est Scotiæ, quod ex *Hectore Boetho* continua serie deduci potest ab anno M. 3618. paulò ante tertiam monarchiam. Primus dux fuit Fergusius, Ferquardi regis Hyberniæ filius.

CAPVT XVII.

De Monarchiâ Græcorum.

PRÆCEPTA.

MONARCHIA Græcorum consideratur ratione dominij sui, quod confertur cum ventre æneo *Dan.* 2. & pardo alato *Dan.* 7. itémque ratione regnorum parallelorum, quæ hoc tempore præter dynastias Ægypti, Iudææ, Romanorum Coss. Sicambrorum, & Scotorum, de quibus in superioribus, fuerunt, videl. regnum Pergami & Britannicum.

REGVLÆ.

Politia monarchiæ tertiæ qualis?

I. *Monarchia Græcorum siue Macedonum similis fuit æreo ventri, & pardo quadricipiti.*

PRincipio hæc monarchia dicitur ærea ; tum quia duabus præcedentibus fuit inferior, tum quia fama bellorum Alexandri M. fuit tanquam sonitus æris, qui per totum prope orbem fuit auditus. Deinde confertur pardo, qui singulari astutiâ simias circa corpus ipsius saltantes (simulat enim mortem, vt cadauer videatur) in ipsis tripudiis defatigatas opprimit. Ita enim Philippus Macedo Græcos bello Peloponnesiaco fractos oppressit, eósque tanquam cibos non aliter ac ventriculus deglutiuit: & per venas mesaraicas, fortissimos nempe duces, Ptolemæum Lagi, Antipatrū & Parmenionem hepati calido, filio Alexandro transmisit. Hoc epar, quod initio bene valebat (Alexander enim insignis erat clemētiâ, moderatione, ac prudentiâ) in Babylone tandem incaluit vino, corruptúmque fuit Venere, ac veneno tandem fractum. Venter itaque notat incontinentiam Alexandri : quemadmodum & hircus, libidinosum animal, *Dan.* 8. Hircus tamen, hepar calidum, & pardus *τετράπτερος* etiam notant incredibilem Alexandri celeritatem, quâ vix sex annorum spatio partem Europæ non exiguam cum omni Asiâ subiugauit per quatuor suos præfectos. Porrò vt hepar gignit, quatuor humores, & partus hieroglyphicus est quadriceps, & hirci cornu magno fracto surgunt quatuor alia: sic Alexandro M. in ipso ætatis flore extincto, regnum eius in quatuor imperia, versus quatuor mundi cardines distractum est. Macedonicum nempe Cassandri, Asiaticum Antigoni, Syriacum Seleuci, Ægyptiacum Ptolemæi. Ex his Seleucidæ & Lagidæ constituunt duo latera ventris, quia ipsorum potentia fuit præcipua. Porrò ex quatuor istis Alexandri M. successoribus Ptolemæus Lagi F. est similis venæ cauæ, vehentis purum sanguinem. Ipsius enim filius Ptolemæus Philadelphus fuit piorum & doctorum mœcenas liberalissimus. Antigonus, qui minorem Asiam occupauit, phlegmati fuit similis : Antipater, qui Macedoniam & Græciam tenuit, fuit instar vesiculæ fellis. Hæc enim vesica habuit fel (iræ sedem) Cassandrum filium, sicarium & euersorem domus Alexandri M. Seleucus fuit instar splenis, in quo colligitur melancholia. Ipsius enim successores insaniâ & furore plus quàm melancholico laborarunt : inprimis cornu illud paruum, quod ex postremo isto cornu enatum ēst, Antiochus Epiphanes, qui postea dictus est *Ἐπιμανής*. Hic reuera stercus fuit hujus ventris, quo conspurcata fuit politia & ecclesia Iudaica, donec tandem à Iudâ Maccabæo fuit repurgata, fuso Lysiâ ductore copiarum Antiochi : ad cuius rei nuntium Antiochus adeò perturbatus est, vt, vermibus è putrefacto corpore nascentibus, inter sæuissimos cruciatus impuram animam in agro extra patriam euomuerit. Reliqui denique tam Ægypti quàm Syriæ reges fuerunt intestina immunditiei plena, vesica vrinaria & pudenda. Nam Ptolemæus Euergetes ob deformitatem corporis & belluinam vitam *φύσκων* fuit appellatus ; Ptolemæus Lathurus duas sorores in matrimonio habuit ; Cleopatra denique se polluit incestâ consuetudine cum duobus fratribus, & concubinatu Iulii Cæsaris atque M. Antonii, atque ita calculum, iliacas & colicas passiones in hoc ventre effecit : adeò vt cum ipsâ & Antonio pereuntibus sanguinolentus iste ac libidinosus venter ruptus interiret, ac Ægyptus populi Romani prouincia fieret.

II. *Pergami dynastia fuit sex tantummodò regum.*

Pergamensis regni politia qualis?

PRimus fuit Philetærus ὁ θλιβίας, anno M. 3668. vltimus Attalus ὁ φιλομήτωρ, qui an. M. 3817. moriens populum Romanum testamento hæredem reliquit. De Britannico regno dicemus cap. seq. Hoc tantùm notetur, Iulium Cæs. sub Edero Scotorum duce Britanniā Romanis vectigalem fecisse.

CAPVT XVIII.

De monarchiâ Romano-Germanicâ.

PRÆCEPTA.

MONARCHIA quarta, quam dicimus Romano Germanicam, consideratur ratione dominii sui, & politiarum parallelarum siue, *συγχρόνων*, id est, contemporanearum.

Dominium huius monarchiæ spectatur quantum ad πρὸς ἀκμὴν (vt sic dicam) ἀκμὴν, & παρακμὴν, siue ætatem crescentem, consistentem, & decrescentem.

Ætas crescens est infantia, & adolescentia.

Infantia est sub dynastiâ Aboriginum & Æneadarum.

Adolescentia est sub septem regibus.

Ætas consistens est partim sub Consulibus, (quorum loco aliquot annos summæ rerum præfuerunt Tribuni militum, Consulari potestate) partim sub Imperatoribus Italicis.

Ætas decrescens est inde à Constantino Magno.

Politiæ

Politiæ parallelæ seu contemporaneæ sunt variæ: videlicet varia regna, principatus, comitatus, respublicæ.

REGVLÆ.

Quarta onar- ia cum ibus mpare- ir?

I. *Quarta monarchia apud Danielem* cap. 2. *confertur cum tibiis ferreis, & pedibus ex ferro ac luto permistis:* & cap. 7. *cum bestiâ terribili ac durâ, cui erant dentes ferrei: quam Graserus eleganter vocat* Bibestiam *propter Imperium orientis & occidentis.*

PRincipiò sicut ferrum robore ac duritie omnia metalla superat & comminuit; & vt bestiæ robustiores suis dentibus omnia confringunt: ita hæc monarchia superiores & fortitudine & diuturnitate longè vicit, aliaque regna deleuit. Dentes autem & vngues ipsius præcipui hi sunt. *Val. Leuinus, & C. Fabricius* Pyrrhum Epirotarum regem potentissimum fortiter represserunt. *Ap. Claudius, M. Val. Messala, Q. Fab. us, & P. Scipio Affricanus Maior* Punica bella fortiter confecerunt, deque Pœnis triumpharunt. *P. Scipio Africanus Minor* Carthaginem inflammatam deleuit. *M. Marcellus* Gallos, Insubres, & Germanos feliciter adicere cœpit. *L. Æmilius Paulus* Græciam, deuicto Perseo Macedonum rege vltimo, subiugauit. *Lucullus, Crassus, & Pompeius* domuerunt orientem, & Pompeius Syriam in prouinciam redegit. *Iulius Cæsar* quinquagies bis conserta manu cum hostibus conflixit, & occidentem armis subegit. *Marius* Heluetios & Cimbros profligauit, & Africam, capto rege Iugurthâ, occupauit. *Augustus* denique, deuictis Antonio & Cleopatrâ, aliisque gentibus, quæ rebellabant, superatis, imperium orbis in pace obtinuit, ac proinde cum osse sacro eleganter confertur, vti Cæsar cum osse ensiformi. Quod autem hæc bestia, iam satura & lasciuiens, non potuit dentibus suis deuorare, pedibus conculcauit, & funditus deleuit. Exemplo sit excidium Hierosolymitanum & Imperatorum, qui meretricem Babylonicam adorarunt, conatus tyrannici. Deinde quemadmodum ferrum ignobilius est ære, argento, atque auro: sic hæc quarta monarchia morum bonitate fuit inferior superioribus: vt historiæ gentilium Impp. Romanorum testantur. Porrò duæ tibiæ notant diuisionem monarchiæ in orientis & occidentis imperium. Illud à Turcâ. lupo crudeli, euersum: istud ab Herulis, Gothis, Vandalis, Hunnis, Longobardis in Italiâ miserabiliter fuit vexatum, donec Carolus M. sublatis Longobardis illud in integrum restituit, & ἀξιωμα Imperii ad Germanos transtulit; ita tamen vt Antichristus ille Romanus, Papa, cancri instar, tibiam istam exedere sit aggressus. Denique Romana monarchia, duorum pedum instar, in decem regna, tanquam digitos, fuit diuisa: videl. in Germaniam, Italiam (sub quâ regnum Siciliæ ac Neapolitanum) Galliam, Hispaniam (sub quâ Lusitania, Castilia, Arragonia &c.) Angliam) cum Scotiâ, Daniâ, Noruvegiâ, Sueciâ) Sarmatiam (sub quâ Bohemia, Polonia, & Moscovia) Pannoniam cum Illyrico, Ægyptum (cui Affrica conjungitur) Asiam & Græciam. Cæterùm hæc monarchia hodie confertur cum Aquilâ, quam Marius primus Romanorum pro vexillo gessit. Et hanc esse aquilam, de quâ *Deut.* 28. *v.* 49. multi existimant. Pingitur autem hæc aquila biceps, quia vnum caput in oriente, alterum in occidente habuit. *Elias Reusnerus* hanc monarchiam considerat velut hominem, omnésque ejus ætates percenset, hunc in modum. I. *Aquilæ Romanæ incunabula* sunt à Coriti janigenis, vsque ad Ianum Creüsæ filium. Coriti-Ianigenæ sunt posteri iani & Coriti, qui ante Aborigenes regnarunt. Inter Aborigenes Romanessus appellatur Saturnus, deus Romanorum tutelaris, & Ianus iunior dicitur Mars Italus siue Latinus. Coriti-Ianigenæ ex Beroso sic recitantur. *Gomer.* an. M. 1799. *Ianus.* an. 1916. *Sabatius.* an. 1971. Deinceps Cranus, siue Coritus, h. e. rex Aurunus; Malottages; Sicanus; Gigantes, an. M. 2173. opprimentes Italiam; Osiris Ægyptius, qui gigantes (qui vocantur Enakij Lycij) expulit ex Italiâ: Lestrigo. Hercules Libyus: Thuscus: Alteus: Kitim, qui & Italus & Atlas. an M. 2338. cujus filia fuit Roma à patre prima Aborigenum regina creata an. M. 2331. quæ prima vrbis Romæ fundamenta posuit, quæ postea à Romulo perfecta fuere. Sub Kithim igitur diuisa fuit dynastia, ita vt Aborigenes vsque ad Æneam primum regem Latinorum regnauerint in Italiâ, Coriti-Ianigenæ autem longâ serie vsque ad an. M. 366. in Thusciâ regnum tenuerint. II. *Infantia* est sub regibus Romanis, numero septem. III. *Adolescentia* est à L. Iunio Bruto & P. Valerio Poplicolâ, primis Coss. vsque ad App. Claudium Caudicem & M. Fuluium Flaccum, siue bellum Punicum primum. Hoc enim tempore populus Romanus robustus ac juuenis, domitâ iam subactâque Italiâ, orbi terrarum in potestatem redigendo par esse potuit: & alpes conscendens, fretumque nauigans, Africam, Europam, & Asiam bellis victoriisque suis peragrauit, & illustrauit. IV. *Iuuentus* est à bello Punico primo vsque ad Neronem. Augusti successorem. Hoc enim temporis interuallo populus Romanus in iuuenem ac virum erectus, ex omni totius orbi plagâ reportauit triumphos, totumque orbem pacauit. V. *Ætas ingrauescens* est à Nerone vsque ad Alexandrum Seuerum inclusiuè. Nam hàc temporis intercapedine populus Romanus ad senium vergens, crebrisque bellis, partim externis, partim ciuilibus, defatigatus, solo duntaxat nomine vicisse scribitur. VI. *Senectus* est ab Alexandro Seuero exclusiuè vsque ad Odoacrum Herulum, primum Italiæ regem. Nam hoc tempore populus Romanus, Impp. inertiâ totus eneruatus, non solùm variis populis cœpit esse despectui: sed & ipsa vrbs ab exteris gentibus aliquoties capta, totque ruinis ac ruderibus passim deformata fuit: vt jam non ampliùs lapidea aut marmorea (qualem se olim Augustus Cæsar relicturum gloriatus est) sed terrea & lateritia rursus esse incipiat; neque mirum videri debeat, si quis Romam in ipsâ Româ requirat. VII. *Hemiplexia* est ab Odoacro Herulo, primo barbaro Italiæ rege vsque ad Heraclium & Mahometem. Hoc enim tempore imperium populi Rom. in occidente penitùs occidit, barbaris ac peregrinis populis Italiæ ipsique vrbi dominantibus. VIII. Aquila Romana sub Heraclio *conualescere* cœpit à suâ hemiplexiâ. Hic itaque rursus oportet gradus certos attendere: infantiam videl. pueritiam, adolescentiam, &c. hoc modo. 1. *Infantia* aquilæ Rom conualescentis est ab Heraclio vsque ad Iustinianum Imper. Hoc æuo natus est Mahomet, Herpes & cancer ille orientalis, qui ex hoc tempore ad nostram vsque ætatem imperium Orientis afflixit. 2. *Pueritia* est à Iustiniano vsque ad Carolum M. 3. *Adolescentia* à Carolo M. vsque ad Othonem. III. qui collegii septemuiralis fundamenta iecit. 4. *Iuuentus*, ab Othone III. vsque ad Othonẽ IV. Saxonẽ. 5. *Ætas grauior*, ab Othone IV. vsque ad Rupertum Palatinum: quod tempus discordiis Impp. electionibus ac interregnis fuit plenum. 6. *Senectus hemiplectica*, à Ruperto Palatino ad nostra vsque tempora. Si velis μεϑοδικωτέραν diuisionem, sic procede. In aquilâ Romanâ considerantur I. Incunabula sub Coriti-Ianigenis, Aboriginibus, & Æneadis. II. Valetudo eaque vel integra, tempore infantiæ, adolescentiæ, iuuentutis, ætatis ingrauescentis, & senectutis: vel afflicta, vbi est Hemiplexia & Herpes: vel recuperata, vbi est infantia, adolescentia, ætas grauior, & senectus. III. Caput, vt est imperator. IV. Membra, vt sunt reges, principes, comites, ciuitates. Atque hæ sunt periodi multiplices Romani imperii, quod durabit ad finem vsque mundi, iuxta prophetiam *Daniel. v.* 44. 45. vbi per lapidem, qui comminuet hoc regnum, intelligitur CHRISTVS, venturus ad iudicium.

II. *Magnitudo Romana colligitur partim è potentiâ, partim è virtute Romanorum. Potentia cernitur in amplitudine finium: firmitate imperij, magnitudine opum, ac magnificentiâ operum. Virtus cernitur partim in viris, partim in distinctione virtutis Romanæ.*

FVsè hâc de re scripsit *Iustus Lipsius in magnitudine Romanâ:* quem librum. *Adamus Liebigius septem tabulis* adumbrauit. Nos theatrum Romanæ magnitudinis partim ex Lipsio, partim ex aliis boni commatis authoribus exhibemus. Principio itaque *amplitudo finium* spectatur quantum ad fines ipsos, & ea quæ intra fines. *Fines* sub Augusto erant ab Oriente Euphrates: à Meridie cataractæ Nili, deserta Africæ, & mons Atlas: ab Occidente Oceanus: à Septentrione Danubius & Rhenus. Nimirum Augustus bono consilio instituit claudere imperium naturæ aliquibus limitibus. Sub posteris Augusti fines fuerunt maiores. Illi enim intra terminos, regna aliquot, defunctis aut euersis regibus sociis imperio suo adjecerunt: & vltra terminos noua quæsiuerunt, vt Claudius Britannias, Trajanus Arabiam, Armeniam, Mesopotamiam, & Daciam subegit. *Intra fines* erant prouinciæ lautissimæ, latissimæ, ac lætissimæ: vt in Asiâ Colchis, Iberia, Albania, Pontus, Bosphorus, Cappadocia, Galatia, Bithynia, Armenia, Syria, Arabia, Palæstina, Cilicia, Pamphylia, Lydia & Asia minor: in Africâ, Ægyptus, Cyrenaica, Marmarica, Gætulia, Africa propria, Numidia, Mauritania, aliæque minores: in Europâ Italia, Hispaniæ, Galliæ, Inalpini, Rhætia, Noricum, Illyricum, Macedonia, Epirus, Græcia, Thracia, Mœsia, Dacia, Pannonia. *Firmitas Romani imperij* cernitur in munitionibus per copias & colonias. *Copiæ* in vniuersum erant supra quadringenta millia ordinariorum militum. Nam in prouinciis copiæ non minus fuerunt legionum, cohortium, & alarum, ducentis quinquaginta millibus aut circa: in vrbe fuerunt ad 26. millia militum, & post Seuerum vel ad sexagena: in classibus haud minùs centum millibus militum ac remigum. Fuerunt autem copiæ duplices, terrestres & classicæ. Terrestres erant prouinciales, vel vrbanæ. *Prouinciales* fermè disponebantur in locis longinquis & limitaneis, vt miles subditis esset minimo oneri, in hostes maximo vsui. Paucæ disponebantur in locis interioribus: in oppidis videl. magnis aut validis, & ideò motui aut rebellioni obnoxiis. Aliàs pleræque prouinciarum mediarum erant sine milite, ac armis. sub Augusto & Tiberio erant legiones prouinciales 25. sub Trajano & Hadriano 30. & suprà. *Vrbanæ*

Amplitudo finium Romani populi quæ?

Firmitas imperij Romani quanta?

copiæ

copiæ ſedem ſuam habebant Romæ, ſine duplici. Primò, vt principem in eâ tuerentur: deinde vt eſſent pro vrbe. Ibi erant milites prætoriani, diuiſi in 9 cohortes; euocati, qui erāt equeſtris ordinis iuuenes, & cubicularij, & Batauj: Hîc erāt cohortes officiales & miniſteriales. Illarum erat noctu excubare, ac ſtationes agere contra graſſatores & ſicarios: harum, tueri vrbem aduerſus incendia. *Claſſicæ* copiæ piratas cohibebant, & hoſtes excludebant: erántque vel maritimæ, quarum duce maiores ducebantur prætorià, dignitatis causâ, duæ minores ſimpliciter vocabantur claſſes: vel fluuiatiles, quarum prima (Germanicam vocabant) in Rheno, altera in Danubio, tertia in Euphrate. *Coloniæ* plurimæ ſunt deductæ, inde à Romulo: & ita collocatæ, vt ipſarum loca referrent Romam tanquā matrem, ſic vt in ipſis locis extruerentur fora Capitolia, templa, curiæ, pro illâ imagine: & in gubernatione duum viri quaſi duo Coſſ. decuriones pro ſenatu eſſet. Fines & vtilitates in hoc inſtituto erant multiplices. Nam vrbs princeps hoc modo alleuabatur, & ſuperfluā multitudinem velut ſanguinem, occulto politico conſilio, emittebat, vt victus eſſe facilior, & eductâ veluti fæce populi, purior pars maneret. Deinde coloniæ iſtæ colebant agros, illóſque nō aliter atque copiæ defendebāt. Denique militibus emeritis dabantur hoc modo præmia. Illis enim præter agros concedebatur regimen. *Magnitudo opum Romanarum* colligitur ex illatione & erogatione. Illatio erat redituum à à ſubditis, & manubiarum triumphalium. *Reditus à ſubditis* erant vel ſine onere, vt reditus ex metallifodinis ſalſifodinis &c. vel cum onere, iique à rebus vel honeſtis, vel turpibus. Ex honeſtis erant vectigalia, & tributa. Illa liberæ reip. hæc ſub Impp. Illa erant è decimis, paſtionibus, & vecturâ; vnde dicebantur decimæ ſcriptura, & portoria: hæc erant ordinaria vel extraordinaria, item decimæ vel capitatio, ſiue tributa capitaria, ſicut agri appellabantur ſcripturarij. Colligi autem poteſt magnitudo opum annuarum exinde; quòd Aſia minor dederit quinque milliones, ſeu H S. bis millies è vectigalibus, quòd vectigalia è paſtionibus fuerint ex multitudine capitum minoris pecoris numerata: quòd capitatio pependerit à multitudine capitū in orbe Romano, quòd Antonius Triūvir impetrauerit tributa decem annorum, danda vno anno; quòd ſub Auguſto Ægyptus & Gallia ad 30 aut circiter milliones pependerint; quòd fuerint infinitæ fodinæ, & in iis aliquot milliones hominum; quòd denique Auguſtus Cæſar ad implendum ærarium inuenerit tres fontes, vigeſimam, quæ fuit hæreditatum & legatorum; vigeſimamquintam, quæ fuit mancipiorum, quorum numerus, mutatio & pretia erant crebra; centeſimam, quæ erat rerum venalium. E rebus pudendis colligebatur vectigal vrinarium (triſte illud Chryſargyrum) & meretricium. Illud commentus eſt Veſpaſianus, quòd in publico amphoras & dolia ſtare videbat ad vrinam reddendam, quam fullones videntur vertiſſe in uſum ſuum Principes ſecuti auxerunt hoc vectigal: viri proceres & Reip primi collegerunt. Hoc inſtitutum eſt à Caligulâ, & ab Alexandro Seuero ad inſtaurationem theatri, amphitheatri, & circi deputatum *Triumphales manubiæ* erant captiuorum, quos ingenti numero Romani ſub coronâ vendebant; ſpoliorum publicorum priuatorúmque; triumphorum, qui fuerunt 312. circiter, à Romulo, vſque ad extrema Auguſti tempora; coronarum aurearum, quas ſocij & amici victori imperatori mittebant gratulationis ergò; & auri coronarij, quod ad coronas dabatur. Sic Tarquinius Superbus triumphans retulit prædam quater mille talentûm: L. Papirius Curſor in triumpho ſuo ex nobilibus, quos captiuos habuit, vicies centum millia, & quingenta triginta tria millia collegit: Scipio victâ Carthagine intulit in ærarium argenti pondo centum triginta tria millia: Pompeius in triumpho, quē de rege Mithridate & oriente duxit, intulit viginti millia talētûm: Cæſar in quinque triumphis ſupra quadraginta milliones intulit. Cn. Manlius, cū Gallo-Græcos viciſſet, tulit in triūpho coronas aureas 212. ſingulas librales: Scipio Aſiaticus 234: Cæſ. 2822, eáſque pōdo viginti milliū quadringentorū quatuordecim, ita vt decem pondo aut circiter fuerint ſingulæ. *Erogationes & impendia* fuerunt duplicia; neceſſaria & arbitraria. Neceſſaria fiebant in militem, qui erat ſtipendiis alendus, vel emeritis proſequendus: item in magiſtratum vrbanum & prouincialem: & in populum, in quem perpetui etiam & certi ſumtus, præſertim ad frumentationem, quæ magno ſumtu parabatur, aduehebatur, & diſtribuebatur. Diſtributio illa primò erat incerta, poſtea perpetua ſtatáque, inſtituta à tribunis, qui hoc facto populari gratiam populi captabant. Pretium frumenti primò fuit modicum, poſtea nullum: cuius inſtituti author fuit Clodius, qui annonariam legem tulit, quæ ſummè popularis fuit, vt frumentum gratis daretur. Lex iſta Clodiana continuata fuit ſub Impp. Modus diſtribuendi erat per teſſeras. Frumentantes, i.e. frumentum accipientes, erant in rep. liberâ pauperes, aut ſaltem qui ſubleuari gauderent: ſub Impp. etiā vrbani milites & palatini in aulâ. Tempore bellorum ciuilium numerus frumentantium erat ingens, videl. ad trecenta viginti millia. Frumentantes ibant quiſque ad ſuæ regionis horrea, teſſeris acceptis à curatoribus frumentariis. Teſſera ſiue donatio ordinaria videtur fuiſſe in ſingulos, decem modiorum. In cuiuſque mēſis initio accipiebant frumentū. Circa Flauiorū imperiū panis diſtribui, non ipſum frumentū cœpit vt minore modo in plures largitio ſpargeretur Panes iſti dicti fuerunt gradilos, quia in gradibus diuiderentur, & fiſcales, quia è publico & fiſco. Fuerunt autem bilibres, & in capita ſic dati. Canonem dixerunt certum numerum frumenti, qui in vnâ aliqua vrbe quotannis abſumeretur. Seuerus moriens reliquit canonem ſeptem annorum, ita vt quotidiana L X X V. millia modiorum expendi poſſent, vt author eſt Spartianus in Seuero. *Impendia arbitraria* fuerunt trium generum, videl. in ludos, opera & dona. Ludi erant & frequentes & magnifico apparatu, adeò vt Auguſtus quater & vicies ſuo nomine, ter & vicies pro aliis magiſtratibus ludos fecerit, quorum nulli minoris quingenties, aut & millies ſeſtert, videntur ſtetiſſe. Nero etiam theatrum totum, non ſcenam eius tantùm, auro illeuit & obtexit, nihilq; illatum voluit, niſi aureū eſſet, adeò vt vela, quæ ſupernè contra ſolem obumbrabant, purpurea tota, & aureis ſtellis fuerint interſtincta. Ex quo & dies ille aureus appellatus. Titus Veſpaſianus filius in ludis, quos per centum dies, dedicatione amphitheatri ſui profuſiſſimè fecit, globulos ligneos de loco ſuperiore in theatrum iaciebat, qui ſymbolum haberent, hic alicuius eſculenti, ille veſtis, his alius argentei vaſis, alius aurei, equorum, iumentorum, mancipiorum: quæ oportebat eos qui rapuiſſent, ferre ad curatores ludorum, & ab iis accipere quamque rem inſcriptam. Hæc per tot illos dies non potuerunt fieri ſine impensâ bis terque millies H S. *De operibus* vide paulò poſt *Dona* erant magnitudine ac multitudine ſtupenda. Nam Iulius Cæſar nullum largitionis aut officiorum genus publicè priuatímque omiſit: militibus ſingula interdum prædia vel mancipia viritim dedit: regibus & prouinciis ſæpe captiuorum millia dono miſit, ſæpe auxilia, quò quoties vellent, ſubmiſit: L. Paulum Coſ. deſignatum, mille quingentis talentis flexit, ne contra ſe ſtaret Similia legimus de Auguſto, Nerone, Commodo, & Seuero, quorum hic Decennalia Imperij ſui celebrans, dedit populo frumentario, itemque prætorianis ſingulis decem aureos Romanos, i.e. noſtros viginti, aut paulò amplius. *Romana* opera fuerunt temporaria, vel diuturna. *Temporaria* erant damnoſa, quippe quæ ad tempus duntaxat excitabantur: erántque vel militaria vt foſſa, aggeres, turres, vineæ, & ſimilia, omnia ludicra: vel ciuilia, vt pons Caligulæ, quem paucis diebus in mari ſtruxit, nauibus impoſitum, magnitudine trium milliarium & quadrantis, id eſt, toto illo ſpatio, quantum eſt à Puteolis ad Baulos. Per hunc triumphantis ritu, cum ſenatu militibúſque inceſſit. *Diuturna* erant vtilia. Et hæc erant vniuerſalia, vel particularia. *Vniuerſale* erat Roma, omnium operum opus, & in quâ ſolâ fuit quidquid vbique fuit. Hanc qui in parte nouerit, nouerit etiam prouincia illa, quæ pleraque facta ad hoc exemplar. Nam coloniæ habebant Capitolia ſua, fora, baſilicas, theatra, & ſimilia, ad vrbis dominæ ac parentis ſuæ ritum. Quatuor autem ſunt ſpectanda in vrbe. 1. *Situs*; quem commendarent ſaluberrimi colles; flumen opportunum, Tiberis, pater & mercator placidiſſimus, latus circa eam iugera quatuor, ſiue pedes 400. & nauigabilis; mare vicinum, diſtans 16. milliaria; firmitas loci, tum quòd alpibus ab omni vi ſubitâ, tum quòd Apennino munita eſſet. 2. *Figura*; quæ propemodum rotunda, & proinde perfecta fuit. 3. *Magnitudo*; quæ colligitur partim ex capacitate tum vrbis, quæ quaſi duplex fuit, clauſa muris, & non clauſa, vtraque in ambitu habens milliaria 42. tum ſuburbiorum, quæ quaſi tertia quædam Roma ſine ambitu: partim ex hominum in tota Româ multitudine; quæ colligitur ex liberis capitibus, ſæpe ad duos hominum milliones, inter quos trecenta viginti millia aliquando fuêre plebis vrbanæ tenuioris, quæ è publico victitabat, imò ſupra: item ex numero ſeruorum, qui plures liberis fuerunt, cùm diuites agmina famulorū poſt ſe traxerint, & tenuiores vnum alterúmve ſinguli aluerint: ex numero item peregrinorum, militum præſidiariorum (quibus ſui calones) & palatinorum in aulâ principis. Fuit igitur Roma velut commune totius terræ oppidum, & Romani ipſi velut orbis populus. 4. *Decor* & ornatus; cuius artifices varij, qui ex Aſiâ & Græciâ euocati; authores imprimi tres, videl. Auguſtus, Nero, & Traianus: quorum ille vrbem inundationibus ac incendiis obnoxiam excoluit adeò, vt ſit gloriatus, marmoream ſe relinquere, quam lateritiam accepiſſet: iſte ambitione impulſus vrbem incendit, vt nouam meliorémque repararet; hic pulchritudini vrbanæ culmen impoſuit. *Opera particularia* erant priuata, vel publica: & hæc ſacra, vel profana. *Priuata* erant domus & villæ; quarum hæ regias, & quidem Perſarum referebant, illæ adeò erant laxæ, vt omnia in ſe continerent, quæcumque mediocris vrbs poſſet continere, putà circum, & fora, quæ erant hypæthra & ſubdiualia quædam inter porticus: adeò magnificæ, vt haberent columnas è longinquo petitas eleganter diſpoſitas, parietes marmore inductos laquearia inaurata, lacunaria verſatilia, quibus conuiuas aliâ atque aliâ facie ſubinde delectabant. *Opera ſacra* fuerunt templa, quadringenta vigintiquatuor, & pleraque ex his magnifica, &

Magnitudo opum Romanarum quāta?

Magnitudo operū Romanorum quæ?

& aliter atque aliter instructa. Dignitate autẽ vel opere prima fuerunt Capitolium, Pantheon, & Templum Pacis. *Capitolium* erat Vetus, structum a Numa, & nouum, Illud Capitolium vetus, hoc propriè Capitolium vocabatur. Illud in regione sextâ Circi Flaminij, hoc in regione octauâ fori Romani fuit. *In Capitolio* (nouo) considd. 1. *Appellatio.* Sic dictum fuit à capite Toli, eò loci inuento, cùm fundamentum poneretur. Vnde ipse mons, in quo hæc ædes, qui primò Saturnius & Tarpeius, dictus fuit Capitolinus. 2. *Conditores* : è quibus Tarquinius Priscus struere cœpit ex voto, quod vouerat bello Sabino: Tarquinius Superbus præcipuus fuit author operis, neque tamen absoluit: Horatius Puluillus Consul, pulsis regibus, consummauit. 3. *Instauratores.* Cùm primum illud Tarquiniorum, bello ciuili Sullano, negligentiâ custodum, incendio periisset, Sulla eodem in loco alterum instruxit, sed non dedicauit, verùm Lutatij Catuli nomen ei fuit inscriptũ. Tertium fuit à Vespasiano. Nam illud Catuli arsit ciuili bello Vitelliano Atque hoc tertium à morte Vespasiani, sub Tito, statim arsit: Atque ita quartum Domitianus instaurauit. 4. *Forma*; quæ describitur è situ, quòd fuerit positum in altâ crepidine: tum è capacitate, quòd in ambitu habuerit octo iugera, i. e. pedes octingentos: sed sic vt quadratum penè esset, ita vt capacitas eius fuerit pro octo millibus hominum: tum è dispositione columnarum, quibus circumcinctum fuit: tum denique ex numero cellarum, quæ in eo tres; quarum media fuit Iouis, vtrimque altera Iunonis, altera Mineruæ. 5. *Ornatus.* In primo Tarquinij Capitolio fuerunt ænea limina, trium mensarum argentea vasa, quadrigæ aureæ, clypea inaurata, seiuges inaurati, laquearia aurata Catulus tegulas æreas inaurauit primus, & Augustus in cellam Iouis vnâ donatione contulit XVI. millia pondo auri, & quingenties HS. in gemmis. In vltimo Domitiani omnia fuerunt summa: ita vt Plutarchus scribat, in solam inaurautionem impensa supra duodecim millia talentorum, i. e. septem milliones, & quod excedit. *Pantheon* sic dictum, quòd formâ suâ cœlum deorum, vt ethnici loquebantur, sedem referret, ac simul plures deorum imagines complecteretur. Extructum fuit ab Agrippâ, genero Augusti, qui id struxit in tertio suo consulatu. Latitudo & altitudo par fuit, pedum 144. Ornatus tantus, vt Plinius hoc templum inter pulcherrima operum recenseat *Templum Pacis* à Vespasiano conditum sub initia imperij, fuit foro proximum, longũ 300. latum 200. pedes. Pulcherrimum fuit omnium in vrbe operum, itemque ditissimum. Subitò & improuisò conflagrauit sub Commodo: malo sanè augurio, vt tunc Romani interpretabantur, periisse sibi pacem. *Opera Romana Politica* fuerunt in vrbe, vel circa eam. In vrbe erant fora, lauacra, & statuæ. *Fora* fuerunt in vniuersum XVII. quorum communis ornatus consistebat in porticibus, quibus fori ambitus claudebatur; in columnationibus, quæ triplices, quadruplices, vel quintuplices; & denique in magnis ædificiis, vt templis, basilicis & Chalcidicis, quæ exteriùs circumponebantur. Erant autem fora alia venalia, alia ciuilia. *Venalia*, in quibus species certæ venales: vt forum Suarium, Piscatorium, Pistorium, Boarium. Olitarium. *Ciuilia* erant, in quibus res ciuiles & lites agebantur, numero quinque. 1. *Romanum*, sic dictum à Romulo; aliàs Vetus, Magnum & Latium. Situm fuit inter Capitolinum & Palatinum montes. 2. *Iulium*; quod authorem habuit Cæsarem. Dio Cassius scribit, hoc forum pulchrius Romano fuisse. 3. *Augustum*; quod conditum fuit ab Augusto; quòd videret hominum & iudiciorum multitudini non sufficere ista duo. 4. *Transitorium*; sic dictum, quòd per id in alia opportunè transitus esset. Aliâs dicitur Palladium à Mineruâ præside: item forum Neruæ; qui id à Domitiano affectum perfecit & agnominauit. 5. *Vlpium*, siue Traiani: quo opere victa fuerunt omnia illa, quæ inuicta fuêre. Et hoc forum vel sub assiduitate videre, miraculum fuit. *Lauacra* fuerunt stupendæ magnitudinis: adeò vt Ammianus non vereatur scribere, Lauacra in modum prouinciarum extructa. Inter hæc excelluerunt thermæ Antonini & Diocletiani: ex quibus illæ habuerunt sellas mille sexcentas, è polito marmore; hæ ter mille ducentas. Ornatus illorum fuit maximus, ex statuis, columnis, marmoribus, picturis. Alia fuerunt gratuita, qualia tempore M. Agrippæ fuerunt 170: alia meritoria, in quibus paruo ære, videl. quadrante, licebat lauare. Lauabant autem quotidie, de more, ituri iam ad cœnam. *Statuæ* erant infinitæ, non solùm marmoreæ & æreæ, sed etiam argenteæ, aureæ, eburneæ. Variæ fuerunt ipsarum species, colossææ, curules, equestres, pedestres, equorum, leonum, sphingum, obeliscorum Custodiebantur à milite, cuius præfectus dicebatur Comes Romanus, quòd opera vrbis seruaret: Officium ipsum vocabatur Comitiua Romana. *Circa vrbem* erant viæ stratæ, aquæductus, & cloacæ. *Viæ stratæ* pleræque ad munitionem erant comparatæ. In iis erant triplices lapides. 1. Grandiores, qui viam ad oras arctabant, ne diffluere Hoc erat marganari. 2. Cippi quidam eminentes, in quibus insidere fessis, onera reclinare, & ex iis in equum ascendere fas esset. Ii creberrimi dispositi per totam viam. Columellæ; quæ notis merorum incisæ milliaria notabant. Hinc ille mos per lapides computandi. Latus vtrumque viæ prætexebant varia monumenta & sepulchra virorum illustrium, libertorum, scortorum, seruorum: quæ viantibus erant veluti codices Inprimis duæ viæ fuerunt insignes, Appia, & Flaminia. Appia structa ab Appio Claudio Censore, longa primùm fuit ab Appio Capuam vsque, postea Brundusium vsque; lata pedes 25. Flaminia non breuior fuit Appiâ. Nam Româ Ariminum vsque, & inde porrò Aquileiam ducebat. *Aquæductus* inuenti sunt ab Appio Claudio Censore, eodem qui vias sternere instituit. Mox autem ita vbertim aqua inducta fuit, vt quisque domi, aut in vicino haberet copiam. Canalium magnitudo tanta fuit, vt vir eques commodè per eos posset incedere. Arcus & fornices aquæductuum quibusdam in locis subleuati fuerunt centum pedes. Quidam canales à quadragesimo milliari fuêre perducti, per valles & montes. Talis aquæductus fuit Claudii, qui vicit antecedentes omnes; quippe à quadragesimo milliari, ad eam excelsitatem, vt in omnes vrbis montes leuati influxerint Curtius atque Cæruleus fontes. Fuerunt in vniuersum aquæductus XX Additamenta aquæductuũ erant lacus mille trecenti quinquaginta duo, qui erant aquarum in publico receptacula. Sexcenti homines perpetui fuerunt ad aquarũ tuitionem *Cloacæ* faciebant ad munditiẽ & quæ munditiem amat, sanitatem. Latæ erant pedes 16 altæ totidem. Præcipuæ erant, septem, quot erant montes. Nam ex iis defluebãt & deriuabantur aquæ ac sordes, & in magnam cloacam confluebant, per quam alueo grandiore extra vrbem ferebantur Præter has fuerunt minutæ innumeræ. Tanta fuit cloacarũ vastitas, vt validos aliquot terræ motus, & varias ruinas inde, scribant extitisse. Si cloacæ non defluerent aut negligerẽtur, censores in earum instaurationẽ mille circiter talenta impendere habebant necesse. *In virtute Romanâ* spectantur duo, viri, & virtus ipsa. *Viri* erant capita, membra minora. Communis omnium nota erat toga: propria senatorum ius lati claui gestandi, equitum aureus annulus. *Capita* erant potestates, partim sacræ, partim ciuiles. *Potestates ac dignitates sacræ Romanorum* erant Pontifex Max. Pontifices qui dicebantur minores: Augures: Rex sacrorũ, seu rex sacrificulus: Flamines: Fecialis: Pater patratus, fecialium princeps: Vestales: Duumviri sacrorum: Septemviri Epulonũ: Salii: Sacerdotes bonæ deæ: Curiones: Potitii: Pinarii: Luperci: Galli: Fratres aruales: de quibus prolixè *Pontanus procymnas. vel tert. par. secund. Ciuiles Romanorum potestates* ac dignitates considerantur vel liberâ vel mutatâ Repub. *Libera rep.* erant Senatores & Equites *Senatores* ab ætate dicti, à quiã patres, initio à Romulo centum facti: postea ad trecẽtos creuêre, & in liberâ Resp. sic manserẽ, vsque ad Liuiũ Drusum, qui in suo tribunatu numerũ auxit, & ad sexcentos fecit. Atque ita mansisse videtur ad Cæsarem, qui amplificauit, & vel ad mille allegit Augustus ad numerum veterem, i.e. sexcẽtos, redegit. Viles & sordidos nõ facilè admittebant: inopes nunquam. Si quis eo loco indignus, emouebatur. Fiebat id silentio, ita vt in recitando senatu (faciebãt id publicè) nomen eius præterirent quem senatu motum vellent Primus in senatu recitatus, dicebatur Princeps Senatus Nota hîc discrimen inter Senatum propriè dictum, & Senatorium ordinem. Ille certo numero stetit, & qui in illo habebant ius sententiæ. Hic latiùs patuit, & iuuenes quoque ac senatorũ filios, aliósque equites illustres complexus fuit. His enim, quò celeriùs reip. assuescerent, protinùs à virili togâ latum clauum, (insigne Senatorum) inducere licuit. *Equites* erant in triplici discrimine: videl. equo publico, iudices, & qui communi nomine dicebantur equites. Ante Coss. erat Rex: Tribunus celerum, à rege proximus: Interrex. Post exactos reges erant Coss. Procoss. Dictator: Magister equitum: Censores: Prætores: Prætores prouinciales: Proprætores: Lati Procoss. & Proprætorum; Legati Consulum: Ædiles plebis: Curules: Cereales: Tribuni plebis: Tribuni militum seu militares consulari potestate: Quæstores vrbani, seu ærarij: Quæstores prouinciales: Quæstores parricidij: Proquæstores: Decem viri legibus scribendis, & litibus iudicandis: Quinque viri mensarij, turribus murisque reficiendis, cis & vls Tiberim: Quatuoruiri curandarum viarum: Triumuiri capitales, nocturni, valetudinis, monetales, reipub. constituendæ, coloniæ deducendæ, iuuenes idoneos ad arma conquirendi: curatores tribuum: Duumviri nauales, perduellionis *Ciuiles Romanorum potestates mutatâ republ.* sunt Imperatores; Augusti, donati tribunitia potestate, pontificatu, consulatu: Principes iuuentutis, dicti Cæsares, & nobilissimi Cæsares: Præfecti vrbis, ærarij, prætorij, frumenti populo diuidendi, vigilum, Ægypti, Præfecturarum, Consulares varios quatuor per Italiam: Aduocati fisci. Augustus quoque varios magistratus creauit. Vide *Pontanum d. l. & Ioh. Samoscium magnum Poloniæ Cancellarium de Senatu Romano. Minora membra reipubl.* sunt plebs, cuius discrimen sumebatur à cẽsu, & genere: atque hinc alij erant ingenui, alij libertini, alij liberti. Qui magistratum petebant, candidati dicebantur. In plebe multi erant ministri magistratuum, putà Scribæ, Apparitores, Accensi, Interpretes, Præcones, Lictores (quorum insignia fasces & virgæ) Viatores, Serui publici & Carnifices, qui non solùm in numero ciuium non erant, sed ne domicilium quidem in vrbe habebant Etsi enim

enim de sceleratis supplicia sumere nō est ignominiosum, sed honestum: tamen quia illi homines plurimùm fuerunt facinorosi & scelerati, malè cœpit audire officium: atque officium non ipsos, sed ipsi potiùs suo vitio polluunt officium. *Virtus*, a quâ Romani laudabiles, vel potiùs admirabiles fuerunt, est duplex militaris, & ciuilis. *Militaris*, gemina potissimùm; videl. Iustitia, & Fortitudo, cuius causæ erant informatio in primâ adolescentiâ; pedestris militia, quæ viginti annorum decursu denique terminabatur, exercitia assidua, in ipsâ pace, vt ita vita omnis esset in armis. honos qui omnis erat ab armis; & denique metus pœnarum, iis infligi solitarum, qui in acie, vel in præsidio, stationem suam deserebant. Quis enim nescit, locum ibi militi seruandum, vel moriendum fuisse? *Ciuilis virtus* erat potissimùm triplex: Pietas quâ pro suo captu sacris operabantur religiosè ac deuotè: Probitas quæ cernebatur in Abstinentiâ ab alieno; in Continentiâ libidinis; in Simplicitate, quæ tanta, vt prouerbium abierit Homo Romani ingenij, Romana simplicitas Romana fides: denique Constantia. Hic tamen meminetis illud: *Vitia erunt, donec homines erunt.* Hîc non ab re fuerit inserere istas tabellas.

Dignitas Imperij Orientalis & Occidentalis.

- Dignitates Imperij Orientalis
  - Illustres
    - Præfectus prætorio Orientis; sub quo Prouinciæ L.
    - Præfectus prætorio Illyrici, sub quo Prouinciæ X.
    - Præfectus vrbis Constantinopolis.
    - Magistri militum V.
      - Præsentales II.
      - Per Orientem.
      - Per Thracias.
      - Per Illyrium.
    - Præpositus sacri cubiculi.
    - Magister officiorum.
    - Quæstor.
    - Comes largitionum.
    - Comes rerum priuatarum.
    - Comes domesticorum equitum.
    - Comes domesticorum peditum.
  - Spectabiles
    - Primerius cubiculi.
    - Castrensis peculij.
    - Primicerius Notariorum.
    - Magistri Scriniorum IV.
    - Proconsules II.
      - Asiæ.
      - Achaiæ.
    - Comes Orientis.
    - Præfectus Augustalis.
    - Vicarij V.
    - Comites rei militaris II
    - Duces rei militaris XIII.
  - Clarissimi
    - Consulares XV.
    - Correctores II.
    - Præsides XLII.
  - Perfectissimi
    - Præses Arabiæ.
    - Præses Isauriæ.

- Dignitates Imperij Occidentalis
  - Illustres
    - Præfectus prætorio Italiæ, sub quo Prouinciæ XXIX.
    - Præfectus prætorio Galliarum, sub quo Prouinciæ XXIX.
    - Præfectus vrbis Romæ.
    - Magister equitum.
    - Magister peditum.
    - Præpositus cubiculi.
    - Magister officiorum.
    - Quæstor palatij.
    - Comes largitionum.
    - Comes priuatorum.
    - Comes domesticorum equitum.
    - Comes domesticorum peditum.
  - Spectabiles
    - Primicerius cubiculi.
    - Castrensis peculij.
    - Primicerius Notoriorum.
    - Magistri scriniorum III.
    - Proconsul Africæ.
    - Vicarij VI.
    - Comites rei militaris VI.
    - Duces rei militaris XII.
  - Clarissimi
    - Consules prouinciarum XXII.
    - Correctores prouinciarum III.
    - Præsides prouinciarum.
  - Perfectissimus
    - Præses Dalmatiæ.

Videris hac de materiâ in *Commentario Vidi Pancirolæ.*

III. *In politia Romani Imperij hæ controuersiæ inprimis attendendæ: An Romanum imperium sit monarchicum: An Carolus Magnus, Imperium ad Germanos transtulerit: An Papa possideat Italiam ex donatione Constantini Magni. Quando & quomodo cœperit collegium Electorale: Quo loco sit habendum ius Pontificium: An pax Religionis in Rom. Imperio probanda: An Kalendarium Gregorianum, saltem politicè, sit approbandum?*

An Rom. Imperii monarchicum

PEr sanè magnum est axioma Romani Imperij. Nam suâ antiquitate superat omnia nunc temporis regna. Et omnes Christiani principes tacito quodam consensu Imperatori Romano cedunt loco. Ab Imperatore, tanquam fonte, dignitates reliquæ profluxerunt. Imperator enim, non verò rex, regem potest creare. Leges porrò Romanæ aliis gentibus fuerunt instar cynosuræ. Nullum quoque regnum amplitudine cum Romano potest comparari: Si spectemus fines ipsius priscos. De hoc tali, tantóque imperio quæritur, *An sit Monarchicum, nec ne:* Nos, saluo meliori iudicio, breuiter ita respondemus. Monarchia est imperium, quod administratur ab vno, cuius summa secundùm Deum est maiestas. At Romanum imperium est tale. Ergo. Probatur minor. Monarchiæ Romanæ consideranda sunt tria inprimis tempora. Primum est istud, quo Consules adiuncti fuerunt Imperatoribus. Alterum quo Imperator Romanorum assumpsit collegam in administratione imperij, vt quando Antoninus Pius habuit Lucium Verum, Valentinianus filium Galenum, Diocletianus Maximianum, Constantius Licinium, Theodosius Honorium, Valentinianus Valentem. Tertium tempus est, quo ad Germanos fuit imperium deuolutum: vnde hoc imperium dicitur Romano-Germanicum. De primo tempore sic habe. Anno mundi 3905 C. Iulius Cæsar quartum Consul sine collegâ, abdicauit se Consulatu, suffecitque Q. Fabium Maximum & C. Treboniaum. Ex hoc anno honorarij Coss. creari cœpti, vsque ad tempora Iustiniani. De secundo tempore *Keckermannus lib. 1. syst. polit cap 2.* sic ait: Putant quidem Politici nonnulli, inter quos est *Althusius cap. 32.* istud imperium collegatum fuisse Aristocraticum. Sed putârim potiùs fuisse monarchicum imperfectum: siquidem isti collegæ distribuebant inter se Romani imperij prouincias, & plerumque longè à se inuicem aberant, vt Aristocraticâ formâ non possent consilium capere. Sic Keckermannus. Sanè monarchia tum temporis fuit: quia collegæ isti nō habuerunt cumulum maiestatis, qui fuit datus Imperatoribus. Tertium tempus quod attinet, Imperium sub Carolo M. est diuisum, ita vt alij fuerint Impp. Orientis, alij Occidentis. Hîc monarchiâ ista vulnus accepit, sed ita vt dignitas ac maiestas manserit in Occidente. Liberè itaque pronuntiamus, Imperium Romano-Germanicum esse monarchicum: quia summa (secundùm Deum) ipsius est maiestas, quæ cernitur in legibus condendis, & creandis magistratibus: & quidem ita cernitur, vt nunc temporis primigenia omnium legum ciuilium & magistratuum huic imperio sit accepta ferenda. Sed audiamus argumenta Bodini, qui *lib. de rep. & in methodo hist.* acerrimè contendit, Imperium Romano-Germanicum non esse monarchicum, sed Aristocraticum. 1. Hispaniarum regnum & Moscouiæ ducatus tum populorum multitudine tum regionum amplitudine longè longéque superant pomœria Imperij Romano Germanici, vel potiùs Germanici. Idem de Imperio Turcico, Tartarico, & Æthiopico iudicium. *Resp.* Imperium Romanum & regnum Germaniæ non sunt idem. Deinde status quantitatis est vel amplitudinis, vel maiestatis. Illa dicitur quantitas physica, hæc politica. De hac, non de illâ quæritur. Tertiò iniqua est comparatio imperii Turcici & Tartarici (vtrumque enim est violentum) cum imperio Romano. 2. Elector Moguntinus apud Sleidanum in electione Caroli V. fatetur, Romanum imperium aristocraticum esse. *Respondeo.* Non loquitur ibi de statu, sed de administratione. Status monarchicus aristocraticè potest administrari, vt supra disputatum. 3. Imperium Romanum est tributarium Turcæ: propterea quòd annuum tributum fisco Turcarum infertur pro fruendâ Hungariæ parte. *Respond.* Id, quod propter fœdus cum hoste percussum numeratur, non est tributum, sed pensio: vt ipse Bodinus fatetur *lib. de republ. c. 9. p. 224.* Deinde hoc tributum penditur nomine regni externi: ac proinde maiestatem imperij non minuit. 4 Imperatorum pontentia à Romano Pontifice diminuta est. *Respond.* Potuit Pontifex minuere maiestatem imperantis, vitio quorundam Impp. maiestatem imperij non potuit. Deinde Papa subiectus est Imperatori, non tantùm communiter, vt persona ecclesiastica: sed etiam singulariter, vti dono habet Italiam ab Imperatore. Non enim habet Italia regem originaliter, nisi Cæsarem. Denique si Imperator est inferior Pontifice, Pontifex illam superioritatem obtinebit aut iure communi, aut singulari. Si iure communi, vel iure diuino, vel iure gentium, vel positiuo. Non iure diuino: quia nullum (vt loquuntur) super

hoc

hoc emanauit præceptum diuinum, vel explicitè, vel implicitè. Contra DEVS distinxit gladium spiritualem & sæcularem: & vult ἀντιστροφον esse subiectionem principis ac pastoris. Non iure gentium: quia priuilegia ecclesiastica pendent à speciali principum indulgentia. Non iure positiuo: quia neque lex ciuilis extat de ista superioritate, neque ius Pontificium seu Canonicum vbique illam probat. Imperatoris enim est, defendere Romanam ecclesiam, & exaltare Papam: *d. 63. tibi domino. dist. 96. cap. vlt.* Porrò si Pontifex habet superioritatem istam iure singulari habebit illam vel iure consecrationis seu vnctionis, vel iure examinationis ecclesiasticæ, vel quia Imperator est eius aduocatus, vel ob iuramentū, vel iure translationis Imperij à Græcis in Carolum Magnum, vel denique quòd vacante sede Imperiali Pontifex in iurisdictione succedat. Sed nihil horum est. Non enim ex vnctione aut examinatione ecclesiastica oritur superioritas, aut dignitatis prærogatiua in secularibus. Deinde imperator sit aduocatus Pontificis. At quid inde? Sunt ecclesiæ bene multæ, quæ principes habent aduocatos, eósque superiores. Iuramentum insuper, quod Papa ab Imperatore requirit, non homagij & subiectionis, sed Ecclesiæ protectionis est pignus. Denique vicarium habet Imperium vacante sede imperiali, non Papam, sed Electorem. Hæc est igitur potentia Romani Pontificis. 5. Imperator Germanorum tenetur legibus principum: quia, priùs quàm sacris auspiciis inauguretur, oportet vt iuramentum præstet, se leges imperij minimè violaturum. *Respond.* In omni monarchia debet esse huiusmodi obligatio: vt in regno Galliæ & Hispaniæ videre est. 6. Imperator nihil potest decernere absque consensu optimatum. Nam neque leges rogare & abrogare, neque vectigalia & tributa imperare, neque bella decernere, neque conuentus admittere vel dimittere potest, sine consensu optimatum suorum. *Resp.* Harmonia administrationis mixtæ non tollit simplicitatem status. Sicut enim paterfamiliàs, quatenus toti familiæ imperat, regiam sustinet dignitatem; quatenus cum vxore de familia consultat & disponit, catenus conuenit cum aristocratica; & fratrum æqualitas repræsentat democratiam: eò tamen, quòd paterfamiliàs leges familiæ ex consilio vxoris præscribit, eámque gubernationis participem facit, & cum filiis operatur in commune bonum, se non spoliat sua authoritate: ita imperator, etsi communicato procerum consilio agit, non tamen suprema potestate se exuit, aut maiestatem cum illis communicat. Deinde comitia absente Imp. in effectum deduci non possunt. Et Imperatoris votum est colophonium. Ordines quoque nihil agere possunt absque Imperatore. 7. Principes plus potestatis habent in suos subditos, quàm ipse Imperator. *Resp.* Hoc arguit maiestatem & dignitatem imperij quia noster Imperator non mancipiis, sed regibus (vt Carolus V. dicere solebat) imperat. 8. Imperatori abrogari potest imperium ab Ordinibus. *Resp.* Nimirum Imperator non est monarcha hæreditarius, seu electitius. 9. Tributa ex Ordinum decretis imperata, non fiscum Imperatoris, sed in vrbes ab Ordinibus delectas, Augustam, Argentinam, &c. inferuntur. *Resp.* In exigendis tributis dominium, quo coguntur, est Imperatoris: seruitus seu actus, quo coguntur & reponuntur, est illorum, qui parent Imperatori. 10. Creatio magnorum iudicum & imperialis curiæ, quæ viginti quatuor viris & vno præterea constat, communis est Imperatori cum aliis principibus. *Resp.* Vide responsionem ad argumentum sextum. 11. Ciuitates Germanorū Imperiales LXX. & ampliùs aristocratiam amplectuntur. *Resp.* Aristocratiam amplectuntur, si spectes magistratum, qui est in loco: non item, si referas ad caput imperij. 12. Imperator hodie non est Romanus: vtpote qui Romam non ampliùs habet. Frustrà igitur allegat prædecessorum suorum iura monarchica. *Resp.* Distinguatur quæstio facti & iuris. Deinde Roma est, vbi Imperator est: totúmque Imperium est ciuitas Romana: vti nos sumus ciues Romani. 13. Imperator non habet ampliùs regna, quæ olim incorporata erant Imperio. *Respond.* Confunditur rursus quæstio iuris & facti. Cæterùm, quòd Imperium Romano-Germanicum non sit aristocraticum, ita liquet. In Aristocratiâ, omnes iisdem tenentur legibus, & absolutâ paríque potestate imperant. At Imperator non tenetur iisdem legibus cum principibus Imperij: & solus in omnes, cuiuscunque potestatis, iurisdictionem exercere potest. Non igitur est aristocraticum. Venit hîc mihi in mentem legis regiæ, quam appellant. Lex ista regia monarchiam imperij euidenter stabilit, sed ita, vt superioritas ista respiciat politicum imperium, non verò naturalem æquitatem. Quando igitur lege regia populus omnem potestatem in vnum principem transtulit, legibus ciuilibus ipsum solutum esse voluit, & ipsi vni gubernacula reip. commisit. Disceptant hîc de origine legis regiæ. Et alij quidem ad primum reip. Romanæ statum eam referunt, ita vt sub Cæsare postliminio sit reuocata: alij regiam legem nunquam fuisse latam existimant, sed ipso facto introductam, ita vt ius regium (hinc illi legi nomen) principi sit tributum ipsa consuetudine. Nobis ita videtur. Lex ista temporib. Augusti fuit lata, & sub Vespasiano de nouo quasi introducta. Hinc *l. 14. in fide manum.* lex regia lex Augusti dicitur. Cùm enim Augustus, oppressis Antonio, Bruto, & reliquis cædis Iul. Cæsaris conscijs, rerum solus potiretur, paulatim vim maiestatis ad se trahere conatus est. Ideo habitâ oratione de deponendo imperio, (... vt simulabat) illud coactè in ipsum transtulisse viderentur, animos Senatorum ita demulsit, vt illi multis persuasionibus & argumentis ad principatum iam solum obtinendum eum impulerint. Principatum iam solus cum obtineret, vt etiam legibus solutus esset, tentauit, ac impetrauit. Tandem P. Silio Neruâ & C. Sentio Saturnio Coss. Senatus contendit ab Augusto, vt pro suo arbitrio omnia emendaret, ac leges, quas vellet, ferret, illísque nomen Augustarum inditum: quibus Senatus ac populus se obtemperaturos iuramento professi sunt. Hoc pacto Senatus & populus omne imperium in Augustum transtulerunt. Porrò lex ista regia sub Vespesiano est renouata. Verba ipsius legis, in tabula ænea incisa, hæc sunt: prout hodie in Capitolio illud Monumentum visitur. 1. *Fœdusve cum quibus volet, facere liceat, ita vti licuit diuo August. Tit. Iulio Cæsari August. Tiberióque Claudio Cæsari August. Germanico. 2. Vtique ei senatum habere, relationem facere, remittere Senatusconsulta per relationem discessionémque facere liceat, ita vti licuit diuo Aug. Tit. Iulio Cæsari August. Tit. Claudio Cæsari Augusto Germanico. 3. Vtique cùm ex voluntate authoritatéve, iussu, mandatúve eius, præsentéve eo senatus habebitur, omnium rerum ius perinde habeatur, seruetur, ac si è lege senatus edictus esset, haberetúrque. 4 Vtique quos magistratum, potestatem, imperium curationémve cuius rei petentes senatui populóque Romano commendauerit, quibúsve suffragationem suam dederit, promiserit, eorum Comitiis quibúsque extra ordinem ratio habeatur. 5. Vtique ei fines imperij proferre promouere, cùm ex Republica censebit esse liceat, ita vti licuit Tit. Claudio, Cæsari August. Germanico fuit. 6. Vtique quibus legibus, plebisvescitis scriptum fuit, ne diuus Augustus, Tiberiusve Claudius Cæsar August. Germanicus tenerentur, eis legibus plebisuescitis imper. Cæsar Vespasianus solutus sit, quæque ex quâque lege, rogatione, Diuum August. Tiberium Iulium Cæsarem August. Germanicum facere oportuit, ea omnia Imp. Cæsari Vespesiano Aug. facere liceat. 7. Vtique quæ ante hanc legem rogatam acta, gesta, decreta, imperata ab Imperatore Cæsare Vesp. siano Aug. iussu mandatúve eius à quoque sunt, ea perinde iusta, ratáque sint, ac si populi plebisve iussu acta essent.*

SANCTIO.

SI quis huiusce legis ergo aduersus leges, rogationes, plebisuescita, senatusve consulta fecit, fecerit, siue quod eum ex lege, rogatione plebisve scito, senatusvecensulto facere oportebit non fecerit, huius legis ergo id ei ne fraudi esto, néve quid ob eam rem populo dare debeto, néve cui de ea re actionéve iudicatio esto, néve quis de ea re apud Cl. sinitio. Atque hæc est lex regia, quæ tribuit principi potestatem solutam legibus: nimirum iis, quas populus & Senatus in eum conferre potuit. Plus enim iuris in alium transferre, quàm habuit, nec potuit, nec voluit. At iuris naturalis & gentium potestatem non habuit populus. His igitur princeps non est solutus. Cæterùm Augustus in oratione sua inter alia sic ait: Id autem maius est, cùm in nostra potestate vos essetis, & cùm nos virtute ac fortunâ floremus, vt volentibus nolentibus vobis imperare possemus, tum nos neque animis elatos fuisse, neque regnum aspirasse: sed patrem meum (Iul. Cæs.) id à vobis oblatum respuisse, & me id acceptum reddidisse.

Iam veniamus *ad translationem Imperij.* Bellarminus defendit hanc thesin: *Romanum Imperium à Græcis ad Francos summi Pontificis authoritate translatum*: & istam: *Romanum Imperium à familia Caroli Magni, & gente Francorum ad familiam Othonum, & gentem Saxonum, summi Pontificis authoritate transijt.* Vide *lib. 1. & 2. de translatione Romani Imperij à Græcis ad Francos.* Sed Bellarminus hîc & ἀθεόλογος, & ἀνιστόρητος est. Nam primò ignorat discrimen ministri Euangelij, & magistratus politici. Minister Euangelicus est persona, immediatè à Deo vocata, ad docendū Euangelium, & ad sacramenta administranda, habens mandatum puniendi contumaces verbo, non vi corporali. Hinc Christus ait *Ioan. 18.* Regnum meum, non est ex hoc mundo. Et *Matth. 20.* Reges gentium dominantur: vos autem non sic. Et *Ioan. 20.* Sicut misit me Pater, sic & ego vos mitto. Episcopi ergo & pastores in Ecclesia non habent iure diuino authoritatem constituendi imperatores aut reges, & regna transferendi: sed debent esse subiecti principibus, quemadmodum Christus subiectus fuit Tiberio, & Paulus Neroni, qui fuit cloaca multarum legionum Diabolorum, vt ait *Melanchthon in Ethicâ cygneâ.* Quanquam verò Deus in Israël interdum constituit reges per prophetas, vt Saulem & Dauidem; & quanquam prophetæ quidam fuerunt principes & reges, vt Daniel & Dauid: hoc tamen non potest trahi in consequentiā, vtpote quod est partim extraordinariū, partim etiam typicum. Quæ cùm ita sint, non habuit Romanus episcopus iure diuino authoritatem transferendi Italiam, vel Imperatoris titulum ad Carolum. Quid igitur fecit Pontifex? Fecit tantum, quantum pastor in publicâ desponsatione. Pastor non tradit sponso sponsam, quia sponsus iam ante illam habet: sed est testis illius contractus, qui antea factus est. Non dat nouum ius sponso aut sponsæ: sed antea consensu parentum

Quid de translatione Imperij ad Germanos sentiendum?

tum & νεογάμων, corpora contrahentium legitimâ desponsatione translata sunt. Pastor autem ecclesiæ, vt publica persona, publicè hoc renuntiat & confirmat, adeóque est testis factæ illius translationis, illam esse legitimam, ne corpora aliò transferantur. Orat etiam Deum pro nouis coniugibus. Ita Episcopus Romanus, publicè dicens Carolum esse Imperatorem, non dat ei imperium, sed publicè exponit, tribui ei imperium legitimè à populo consentiente. Quo igitur iure Carolus M. habuit imperium occidentis, & titulum Imperatoris? Expediam breuibus. Carolus iustè habuit & terras & titulum Imperatoris occidentalis partim iure belli, partim transactione. Etenim Carolus fuit legitimus hæres regni Francici (quod tum temporis complectebatur Germaniam & Galliam) & iusto bello occupauit in Italia regnum Longobardorum, qui bellum contra pacta aliquoties mouerant, & trucidauerant præfectos ipsius. Pater ipsius Pipinus expeditionem susceperat in Italiam, sed ne vestigium quidem pedis ibi occupauerat. Sed quia Longobardi nolebant quiescere, filius eius Carolus postea occupauit. Transferuntur autem dominia iustis bellis: quia iustum bellum est, vel legitima defensio, vel legitima pœna, vel defensio & pœna simul: vtraque profecta à magistratu. Ita Romani iustissimè tenuerunt Macedoniam, Athenas, Hierosolymam: quia noluerunt quiescere donec cogerentur. Sic ergo Carolus Magnus, quia ex Italia eiecit Longobardos, iure belli obtinuit Italiam. Neque tamen titulum Imperatoris accepit, nisi facta transactione cum Impp. Constantinopolitanis, de titulo Imperatoris, & de parte Italiæ; ab alpibus vsque ad Neapolim tenenda. Sancitum quoque est, vt vrbs Veneta esset libera, neutris subdita: inchoata Attilæ tempore, anno Christi 476. cùm hæc pax fieret anno 801. Cæterùm Carolus coronatus est à Leone III. Papa, atque ita confirmatus eo modo, quo paulò ante diximus, in matrimonium confirmari à pastore Ecclesiæ. Sic itaque Carolus Magnus, qui erat dominus Germaniæ, iure successionis, (Francici enim reges potiebantur Germaniâ & Galliâ) & dominus Italiæ, iure belli, factus est Imperator, iure belli, tanquam causa remotâ, iure transactionis, tanquam causa proxima; & solemniter à Leone III. episcopo Romano renuntiatus. Sic ergo patet, quomodo Imperij possessio & dignitas peruenerit à Græcis ad Francos siue Germanos. Nunc videbimus, quomodo porrò à Francis ad Saxones peruenerit. Bellarminus contendit, Othonem I. cognomento Magnum non autem Henricum aut Conradum fuisse Imperatorem primum ex gente Saxonica, eumque à summo Pontifice ad imperium prouectum. Sed vtrumque est falsum. Nam stirps Carolina defecit in Ludouic. IV. cui successit Conradus dux Franconiæ, & huic Henricus Auceps, Othonis Saxonis filius. Hinc liquet, Henricum Aucupem, patrem Othonis Magni, fuisse primum ex gente Saxonicâ Imperatorem. Neque valet illud Bellarmini: Illum non fuisse Imperatorem, quoniam nec Romã ad Pontificem venit, nec ab eo vnctionem vel coronationem vllam postulauit. Hoc enim iam refutatum est in superioribus. Deinde Imperium Romanũ translatum est à Francis ad Saxones voluntaria electione ac cessione Gallicorum regum. Qua de re vide *Matthiam Flaccium Illyricum de translatione Imperij*. Atque hæc dicta sufficiant de duplici translatione Imperij, vna à Græcis ad Germanos, altera à Francis ad Saxones. Vbi memineris, primam ita factam, vt Imperatores Græci non fuerint priuati suo imperio, alteram secus.

An Papa possideat Italiam ex donatione Constantini Magni?

Veniamus nunc ad patrimonium Petri, vt vocant, id est, ad ius prætensum Pontificis Romani in Italiam. Tradunt Pontifices Romani, Constantinum M. primum Christianorum Imperatorẽ, posteaquam baptizatus fuit à Syluestro Romano Põtifice, eidem non solùm Romã, verùm etiam Siciliæ regnũ, Italiam totam, Galliam, Hispaniam, Germaniã, Angliam, totiúsq; occidentis ditionem donasse, ideoq; Imperatorem tunc ex occidentalibus partibus Byzantiũ, nouã illam Romã, concessisse, ibiq; Orientis imperio tantùm contentum fuisse. Sed hæc donatio est purum putum commẽtum Babylonis mysticæ. Nam principio falsum est, quod aiunt, Constantinũ Romæ à Syluestro fuisse baptizatum. Est enim baptizatus Nicodemiæ ab alio quodã, vt testatur Eusebius, qui inquit: *Cùm Constantinus esset Nicomediæ, morbo corripitur: ibique quòd sciret quàm incerta esset hominum vita, d num suscepit sacri baptismatis. Id enim facere ad illud vsque tempus distulerat, quia in Iordane fluuio consecuturum sperauerat.* Deinde quamdiu vixit Constantinus Magnus, imperium tum orientis tum occidentis semper retinuit: quemadmodum ipse quoq; Eusebius testatur: *Constantinus*, inquit, *Deo & hominibus charus, Romanum imperium cùm religione pura, tum etiam virtute animi ac moderatione supra omnes qui priùs fuerant, procurabat.* Vide *Ecclesiastic. histor. lib. 9. cap. 9. 10. Trip. lib. 1. cap. 6.* Atqui num fortè moriens legato aut testamento dedit Pontifici? Nec hoc quidem factum. Nam moribundus tres filios, quos habebat, Constantinum videlic. Constantium, ac Constantem, totius Imperij hæredes instituit. Nam Constantinus totius Occidentis Cæsar constitutus est. Et Constantino à militibus prope Aquileiam interfecto, Constans eius frater occidentalibus partibus imperat. Constante verò & ipso per fraudem à Magnentio tyranno interfecto, Constantius, qui in Oriente Imperium obtinebat, audiens occisum fratrem, Imperiúmque à Magnentio occupatum, in occidentis partes venit, ac extincto tyranno, imperium Italiæ ac totius occidentis recuperauit. Vide *histor. ecclesiast. lib. 10. cap. 11. lib. 2. cap. 15. lib. 5. cap. 10. & Tripart. lib. 4. cap. 2.* Quomodo itaque Constantinus Syluestro occidentalium partium ditionem donauit? Quòd si donata quidem fuerat, sed à filiis iniustè occupabatur, cur Romani Pontificis querelæ nullibi extant? Vide *Eusebium captiuum actu 2. diei de paupertatis voto*, & imprimis *Laurentium Vallam ciuem Romanum*, qui solidè probat, donationem Constantini Magni merum esse somnium ac imposturam Papæ. Bonus ille Valla ob hanc suam παῤῥησίαν sordet poëtæ, nescio cui, qui hoc ipsi condidit epitaphium:

Hic est Valla situs, qui nulli parcere nouit.
Si quæris, quid agat, iam quoque mordet humum.

Cæterùm Valentinianus Honorij Imperatoris nepos missus fuit à Theodosio consobrino suo Romam, vt ibi Honorio defuncto succederet: qui occidentis imperium cum omnium fauore, ac totius Italiæ acclamatione assecutus, Imperator Augustus appellatus est. Hoc interfecto, cùm nullum reliquisset filium, qui succederet, neque etiam ex Theodosio consobrino aliquis filius esset superstes, factum est, vt per ea tempora Romæ multi tyranni excitarentur. Et sic mortuo Valentiniano mortuum est vna occidentale imperium, ac Romæ regnarunt tyranni circiter 24. annos, diuersis diuersas occidentis partes occupantibus. Vltimus istorum tyrannorum fuit Odoacer, rex Herulorum, primus rex barbarus in Italia. Postea Theodoricus Osttrogothorum rex à Zenone Imperatore orientis adiutus Italiam occupauit, Romæque triginta annos imperium obtinuit. Post Theodoricum Bellisarius à Iustiniano Orientis Imperatore, rebus Italicis præficitur, vt eam ab incursionibus Gothorum tueretur. Quod cùm paucis annis feliciter præstitisset, ab Imperatore Constantinopolim reuocatur. Quamprimum Bellisarius Italiam deseruit, Totilas Gothorum rex Romamo occupauit, ac penè totam diruit. Contra Totilam adeoque Gothos Narses Iustiniani cubicularius, cum maximo exercitu missus, felici potitus est victoriâ. Mox expulsis Gothis, Longobardi cum rege Alboino Italiam inuadunt, ac per 240. annorum spatium tenent. Quo tempore Orientis Imperatores in Italiam mittere cœperunt suos Exarchas, vt Longobardos coërcerent. Exarchatus istius officium erat amplissimum. Exarchi siquidem erant Imperatoris vicarij, horúmque sedes Rauennæ imprimis fuit. His data erat potestas, vt Pontifices Romanos, qui alligerentur, confirmarent. Durauit exarchatus iste per annos 174. circiter: quo tempore Ludprandus, vel, vt alij scribunt, eius filius Asdulphus decimusnonus regum Longobardorum in Italia Rauennam occupauit, & exarchatui Græcorum finem imposuit. Istorum exarchorum alij cum Longobardis pacem coluerunt factis induciis, alij infeliciter Longobardos contra se irritarunt: plerique verò vastationes & clades Italiæ intulerunt. Cùm autem & Romanos episcopos sibi infestos multi redderent, hi contra Exarchos & Longobardos tandem Francos accersiuerunt. Hîc igitur Pontifices ex dissidiis Italiæ, non aliter atque Mahomet ex Arrianæ hæreseos sectione, nacti sunt occasionem, vt aliquid molirentur: præsertim cùm viderent Imperatores orientis non posse ex oriente discedere propter atrocia & continua Persarum bella. Quamobrem modò hunc, modò illum principem in sui auxilium contra Imperatorum exarchos, & regulos Longobardicos, qui in dies surgebant in Italia, euocare cœperunt. Vnde Gregorius III. Carolum Martellum, virum magni nominis in Gallia, contra Ludprandum Longobardorum regem in Italiam adducere tentauit. Postea Zacharias I. Childericum Galliæ regem in Italiam vocare decreuit. Sed mortuo Zacharia Stephanus II. Papa Pipinum ex Gallia euocatum Simoniacis artibus delusit, vt ab ipso sibi donari impetrauerit exarchatum, & omnia, quæ ad ipsam vrbem spectabant, & quidquid Padum & Apenninum interiacet à Placentinis vsque ad stagna Venetorum, & quidquid intra Isaurum flumen, Apenninum, & Adriaticum sinum continetur. Cùm verò Desiderius, Longobardorum rex, exarchatus causa Pontifices Romanos vexaret, Stephanus III. Carolum Magnum Pipini filium in Italiam contra Desiderium euocat, qui profligatis Longobardis plurimas regiones donauit Hadriano I. successori Stephani, à quo Romam deductus est: vbi vtrique ante D. Petri altare stantes, mutuò iurarunt, Romanos Pontifices ac Francos perpetuam inter sese amicitiam seruaturos. Postea Carolus à Leone III proclamatus est Imperator. Carolo successit Ludouicus filius, quem Papa ille callidus Paschalis adeò fascinauit, vt sibi hoc iusiurandum faceret: *Ego Ludouicus Imperator concedo tibi beato Petro, principi apostolorum, & vicario tuo Domino Paschali, summo Pontifici, successoribúsque eius in perpetuum, ciuitatem Romam cum sua iurisdictione, omnibúsque circa terris, ciuitatibus, portubus, & maritimis locis Hetruriæ, in ea denique mediterranea vrbem Veterem, Balneo, Regium, Viterbium, &c. nec non exarchatum Rauennæ integrum, sicut piæ recordationis Carolus pater, & item Pipinus auus noster beato Stephano dudum concessere, videlicet*

licet Rauennam, Bouium Æmiliani, Forum Pompilij, Forum Liuij, &c. quæ omnia piæ memoriæ Pipinus auus: deinde Carolus genitor noster, per Atherium & Meyrardum, Abbates hos ftrenuè miffos, beato Petro, eiufque fucceffloribus fcripto concefferant, nos item probamus atque concedimus, &c. Formulam integram vide in *Eufebio captiuo d.l.* Quomodo agitur hæc omnia à Conftantino Magno donata fuerunt, quæ Pontifices à regibus Gallorum acceperunt? Quo iure vel iniuria, iam non difputo. Id fatis liquere poteft ex illa quæftione, *An princeps poffit alienare bona reipublicæ*, quam fupra ventilauimus. Ad inftitutionem Electorum Septemuirorum quod attinet, diftinctè refpondendum effe cenfemus. Nam ordo Electorum confiderandus eft ratione ortus, & confirmationis. Ortus eft hic ordo tempore Othonis III. circa annum CHRISTI 990. itaut Henricus Claudus, qui & fanctus, fucceffor Othonis fit primus Imperator ab Electoribus creatus. Verùm ex hiftoria Friderici Imperatoris, & Innocentij IV. Papæ, anno CHRISTI 1245. patet, nondum tunc fuiffe conftitutum ordinem electorum, vti nunc eft. Confirmatus autem fuit hic ordo, &, vti nunc eft, conftitutus tempore Caroli IV. Nam vfque ad Rodulphum I. aliorum etiam principum fit mentio, qui Imperatoris electioni interfuerint, & ius fuffragij vna cum aliis habuerint. Neque enim Bohemia ante Rodulphum I. ad Imperium pertinebat. Liquet etiam, fub Sueuorum Imperio quandoque plures 7. electores extitiffe; verùm poft Fridericum II. electorum numerus magis magifque fuit diminutus: donec Carolus IV. per auream Bullam ad certas claffes & familias Senatum iftum alligauit, legibúfque conftrinxit Huius loci funt verfus ifti:

Quando & quomodo exſperint Electores?

Moguntinenfis, Treuirenfis, Colonienfis,
Quilibet Imperij fit Cancellarius horum.
Et Palatinus Dapifer. Dux portitor enfis:
Marchio præpofitus cameræ: pincerna Bohemus.
Hi ftatuunt Dominum cunctis per fecula fummum.

Quid verò dicemus ad ea, quæ à magni nominis hiftoricis adferuntur, qui maiorem huic Senatui Electorali antiquitatem tribuunt; Exiftimant illi decretum illud de Imperij proceribus non tempore Othonis III. fancitum, fed potiùs in vfum reuocatum, quod à Carolo Magno iam ante factum fuiffe *Sufridus Petri* probat, & *Hirfauenfe Chronicon* confirmat. Quid, inquam, hìc refpondebimus? In promptu eft folutio. Hiftoriæ teftantur, ante Othonem III. Imperatoriam dignitatem fuiffe ferè hæreditariam, non electitiam. Incunabula tamen huius Senatus fortè debemus Carolo Magno. Nam Carolus vniuerfam Germaniam in quatuor diuifit capita, Boios, Sueuos, Francones, & Saxones. Francones Ecclefiaftico principi fubeffe voluit: reliquis quoque certos principes præfecit: ex quibus deinde electores orti, ex Boiis Palatinus, ex Saxonibus Saxo, ex Sueuis Brandeburgicus. Cæterùm *Bellarminus lib. 3. de tranflat. imperij*, vult electores tempore Othonis III non ab Imperatore, fed à Gregorio V. Pontifice maximo inftitutos fuiffe. Sed errat. Cùm enim Otho Imperator pro fua, qua valebat, perfpicacitate, odoraretur, Italos bella ex bellis, feditiones ex feditionibus ferere, nifi arctis quibufdam vinculis electio Imperatoria conftringeretur, fanxit, vt deinceps, non per fanguinis fucceffionem, fed per Septemuiros, ceu Imperij Officiales, Imperator eligeretur: vt præter Blondum, Platinam, Bergomatem, Cranzius, Trithemius, M. Polonus, & alij teftantur. Quòd autem Trithemius decretum hoc Gregorio V. tribuit, ad confilium, non authoritatem Pontificis referendum eft: id quód ipfe Innocentius III. fatetur, quando non vi aut authoritate Gregorij, fed vigore translationis Imperij factam effe hanc conftitutionem, innuit. Idem Innocentius difertè tradit, conftitutionem illam ante fua tempora in vfu fuiffe. Sic enim ait: *Illis Principibus ius & poteftatem effe eligendi Imperatorem recognofcimus, ad quos de antiqua confuetudine pertinet.*

o loco bendum Cano- tum?

De iure Canonico iam videamus Ius Romanum, quo omnes populi vtuntur, partim eft ciuile, fiue Cæfareum, quod ab Imperiali maieftate pendet, partim Canonicum feu Pontificium, quod Pontificiâ authoritate nititur. Non folùm autem (vt funt verba *Iulij Pacij à Berigâ in Ifagoge Iuris*) iure ciuili in noftris foris vtimur, fed etiam iure Pontificio: quod fæpe ciuili præualet. Rectè dicit *fæpe*. Nam ius iftud Canonicum vel ex fundamentis Scripturæ, aut iuris ciuilis, fumtum eft, vel ex detortis Scripturæ ac Patrum fcriptis compilatum, vel denique ex Pontificum RR. fimbrias fuas extendentium cerebro hauftum. Quæ funt primi ordinis, meritò ciues Romanos obligant: quæ fecundi & tertij ordinis, non item. Tales funt flores ifti ex Gratiano: *Sequendam effe regulam Ecclefiæ Romanæ, quæ fit B. Petri fedes: Non licere Concilium habere, nifi permittente Papa. Leges Ecclefiæ Romanæ feruandas effe, tanquam ipfius Petri voce pronunciatas: Imperatorem fubeffe Papæ, non præeffe: Papæ licere populum eximere à fide & iureiurando, quo principi fuo tenetur: Papæ licere, Imperatorem remouere loco & magiftratu.* Plures huiufmodi flores collegit *Sleidanus lib. 3. de quatuor fummis Imperiis ad titulum Fridericus II. Imperator.*

Non ab re fuerit, hoc loco paucis differere de partitione iuris

ciuilis & Pontificij. Tituli vtriufque vocantur rubricæ, quòd antiquo more minio feu rubrica notari folebant. Vnde Perfius fatyra 5.

Excepto fi quid Mafuri rubrica notauit.

Et Iuuenalis fatyr. 14.

——— *Perlege rubras*
Maiorum leges. ———

Ius ciuile à Iuftiniano Imperatore in tria volumina redactum eft. Primum Inftitutionum, quo iuris epitome ifagogica continentur: alterum Digeftorum, feu Pandectorum, quod ex veterum ICtorum libris compofitum eft: tertium Codicis, quo Imperatorum Conftitutiones continentur, exceptis ipfius Iuftiniani Nouellis, non vno tempore poft compofitionem Codicis promulgatis, quæ in vnum volumen à nefcio quo relatæ fuerunt. His fubiungi folent confuetudines feudales à priuatis quibufdam Doctoribus literis mandatæ. Porrò in Digeftis fiue Pandectis continentur ICtorum fcripta & refponfa, quæ iuris artem pleniffimè tradunt. Vocantur Digefta; quia tituli non funt temerè congefti, fed ordine digefti. Pandectæ autem appellantur; quia vniuerfam ferè iuris artem ac penè omnes legitimas decifiones complectuntur. Codex practicas decifiones habet: at in Digeftis theoria & praxis iuris fimul continetur. Inftitutionés tantùm elementa iuris prima continent. Pandectæ diuiduntur in feptem partes, non habita rationc artis, fed numeri, vt videtur, myftici: quia feptenarius vulgò creditur perfectus. Præterea diuiduntur in libros quinquaginta, & in fingulis libris plerumque collocantur plures tituli. Inftitutiones funt veluti Catechefis ICtorum. Codex κατ' ἐξοχὴν fic dicitur: quia præftantiffimus Iuris liber eft, fiue materiam fpectes; quia maximè decifiones practicas, & ius quoque facrum in Inftitutionibus ac Digeftis prætermiffum continet: fiue ad caufam efficientem refpicias; quia fingulæ leges in hoc opus relatæ ab Imperiali maieftate profectæ funt. Diuiditur in XII. libros, vt octaua fphæra in XII. figna. Septem partes Pandectarum funt quafi feptem cœli planetæ. Imperiales Conftitutiones in Codice funt ftellæ in octaua fphæra. Nouellæ Conftitutiones, titulis deftitutæ, accedunt non aliter quàm octauæ fphæræ primum mobile aftris carens; quæ comparatio eft *Pacij in ifagog.* Ius Pontificium ad imitationem iuris ciuilis confcriptum eft. Nam Decretum Pandectis, Decretales Codici proportione refpondent. Vt enim in Codice Imperiales, ita in Decretalibus Pontificiæ Conftitutiones continentur. Et vt refponfa prudentum in Digefta, ita Patrum placita in Decretum relata funt. *Decretales* igitur epiftolæ funt Conftitutiones fummorum Pontificum, quæ vim legis habere creduntur. Hæ diuerfis temporibus conditæ, certis quibufdam voluminibus funt conclufæ. In vniuerfum funt quatuor ipfarum claffes. I. *Gregorianæ*; quæ iuffu Gregorij Pontificis à Raymundo Capellano & Pœnitentiario in vnum volumen, & congruos titulos funt digeftæ ab eodémque Pontifice approbatæ. Hæ κατ' ἐξοχὴν vocantur Decretales Atque hæ tempore ac perfectione primum obtinent locum: nec funt in feqq. Decretalium voluminibus alij tituli, nec alio ordine collocati, quàm in Gregorianis. Illud tantùm difcrimen eft, quòd Gregoriana compilatio plures habet titulos, qui in aliis compofitionibus defiderantur. II. *Bonifacianæ*; quæ Bonifacij Pontificis mandato per Guilielmum archiepifcopum Ebrundunenfem, Berengarium epifcopum Biternenfem, & Richardum Vicecancellarium recognitæ, & in fextum Decretalium relatæ funt. III. *Clementinæ*; quas Clemens V. edidit, magna ex parte in Concilio Viennenfi: Ioannes autem XXII eius in Papatu fucceffor in vnum volumen redegit. IV. *Extrauagantes*; quæ funt nouæ Pontificum Conftitutiones, atque extra tria illa volumina quodammodo vagantur. Hæ refpondent Nouellis, quas Græci dicunt νεαράς, fcilicet διατάξεις. Sunt autem aliæ extrauagantes Ioannis XXII. aliæ communes, diuerforum Pontificum.

An pax religionis in Romano Imperio probanda?

Penultima controuerfia, quæ eft de pace religionis, nobis iam eft excutienda. Definitur autem hìc pax religionis edictum de certa religionis in Romano Imperio liberè colendæ facultate, concordi ftatuum fuffragio, fub grauiffimâ pœnâ promulgatum. Eft *edictum*, id eft, conftitutio Principis, monarchiam repræfentantis; eam dico monarchiam, in qua ordines funt electores, principes, duces, comites, ciuitates, putà libertate gaudentes. *De certa religionis facultate*, non hærefeos notariæ exercitio. *Liberè exercenda*, non more Libertinorum, fed bonorum Chriftianorum. *Concordi ftatuum fuffragio*, etiam ipfius Imperatoris Caroli V. principis victoriofiffimi, qui nouem confecerat expeditiones in Germaniã, fex in Hifpaniam, feptem in Italiam, decem in Belgium, quatuor in Galliam, duas in Africam. Eius enim aufpiciis hæc pax primùm eft inita in Tranfactione Paffauienfi, anno CRISTI 1552. & poftea à Ferdinando rege Romanorum, fratre eius, anno 1555. in Comitiis Auguftanis iuffu Caroli celebratis, fancita & promulgata: quam ipfam conftitutionem ipfe Carolus approbauit, & confirmauit. His itaq; Comitiis conftitutio de pace religionis poft conuentum Paffauienfem nacta eft primum robur, ídque communi procerum fuffragio, in comitiis poftea Ratifbonenfibus

sibus anno 57 & Augustanis anno 59. & rursus Augustanis 66. sanctissimis verbis repetita. Necesse igitur est, vt Imperator, & Status stent tam sancto promisso contra quàm docent Iesuitę, & alij, qui aiunt Carolum V. fuisse vi compulsum vt principibus Imperij morem gereret quique prouocant ab Imperatore malè informato ad meliùs informandum. His comparatam volumus talem responsionem. Optimè dicit *Vlpianus lib. 3. d. quod met.* Vim accipimus eam, quæ contra bonos mores fit, non eam, quam magistratus rectè intulit, scilicet iure licito. Nam qui suo iure vtitur, nemini facit iniuriam. Hoc autem fecerunt sacratissimi Imperij proceres, quod sic euincimus: Qui facit id, quod lex præcipit, siue ea diuina sit, siue humana, iure suo vtitur. At principes imperij fecerunt id quod lex diuina præcipit. Ergo iure suo fuerunt vsi; ac proinde nemini fecerunt iniuriam. Prob. minor. Lex diuina præcipit scrutari Scripturas, & in iis manere, vtpote quæ sint vtiles ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem quæ est in iustitia: vt perfectus sit homo Dei, ad omne bonum opus perfectè instructus: 2. *Tim.* 3. At principes Protestantes, qui dicuntur, hoc fecerunt, idque toties iteratis suis protestationibus ac libellis supplicibus ad nauseam vsque repetiuerunt. Ergo fecerunt id, quod lex diuina eos facere iussit. Sed inquis, qui sunt illi principes Protestantes? Annon sunt hæretici? Sed, inquam ego non satis est aliquem vocare hæreticum: præsertim eum, qui suam confessionem è limpidissimis fontibus Israëlis deducit. Deinde hæreticis quoque seruanda fides: imprimis quando religiosa accedit asseueratio, qualis occurrit in Constitutione de pace religionis, hanc in sententiam: *Alles bey Keyserlichen vnd Koniglichen VVurden, Fürstlichen ehrben, vnd warren worten &c.* Sed cùm in edicto isto duntaxat fiat mentio religionis Romano-Catholicæ & Augustanæ Confessionis, annon excluduntur Caluinistæ, quos vocant? Respondeo verbis *Iusti Springeri ICti. qui tractat. de pace religionis c. 15.* cis finem super hâc quæstione ita ait: In quo persuadendo eò plus me proficere posse spero, quòd etiam Protestantibus in responso suo super Palatino Caluinismi suspecto ad Cæsaream Maiestatem idem visum fuerit his verbis: *So vuere doch ihr gemet, vuil vnd meynung gar nicht, ihn Churfurst Pfaltzgrauen, oder andere, so in etlichen artickeln mit ihnen streitig, in Teutschen oder frembden Nationen in einige gefahr, vil vueniger ausz de Religions friden zu stellen.* Sic Springerus *d. l.* Verba Germanica desumta sunt ex responso Protestantium anno 66. in Comitiis Augustanis Maximiliano II. exhibito. Hîc non disputo, An Caluinistæ, qui dicuntur, in omnibus consentiant cum Augustana Confessione, ne illo quidem articulo excepto, qui agit de reali corporis Christi præsentia in S. Cœnâ; Hoc mihi satis est, quòd Status Imperij non excluserint Caluinistas (vt vocantur) à pace religionis. Extrema nobis superest controuersia de *Kalendario Gregoriano*, quod à Gregorio XIII. Pontifice fuit promulgatum: An illud saltem politicè sit probandum? Disertè dico *Politicè*. Nam neque Astronomicè, neque Theologicè probatur institutum Pontificis. *Non Astronomicè*: quia noui istius Kalendarij ratio non est omnibus numeris absoluta, vt suprà in Computo probatum. Et verò si maximè absoluta esset, verus tamen annus Astronomicus cum ciuili, quo vtimur, tam præcisè conciliari non posset, vt perpetua vtriusque ratio constaret. *Non Theologicè*: quia dum Pontifex editâ bullâ Imperatori Romano, Regibus, Principibus, & quibuscunque Imperij Ordinibus mandauit, vt Kalendarium illud amplecterentur & sequerentur, & libertatem Christianam, quam Ecclesia habet in ceremoniis humanis, violauit, quo nomine olim grauiter reprehensus fuit Victor episcopus Romanus, qui Ecclesias Asiaticas ob diuersam Paschæ celebrationem damnauit, teste *Eusebio lib. 5. c. 23. 24. 25.* & potestatem totius Ecclesiæ decernendi de diebus festis, sibi soli vsurpauit: & doctrinæ de iustificatione insidias struxit, præcipiendo festorum obseruationem: & denique occasione hâc viam quæsiuit ad similia mandata Protestantibus obtrudenda. Dispiciamus igitur. An Politicè admitti possit Kalendarium illud nouum? Facio hîc cum magno ICto Iusto Springero, qui *tract. de pace relig. cap. 6.* sic respondet ad hanc quæstionem: Rem ipsam sanè quod attinet, præterquam quòd lentam & successiuam Papalis hierarchiæ restitutionem sapit, magnæ Imperio Romano confusionis lerna est, non tantùm respectu festorum, sed etiam iudicialium actorum: quòd fatalium appellationis computatio sæpissimè fiat incerta, cum allij Notarij Gregorianum, alij verò Iulianum sequuntur. His consentanea tradit *Daniel Arcularius in thes. theolog.* vbi hæc summatim habet: Correctio illa veteris Kalendarij non solùm est otiosa & superuacanea, sed etiam cùm politiis, tum ecclesiis, præsertim per Germaniam perniciosa. Otiosa & superuacanea est: quia veteris Kalendarij vsus tam in ciuilibus, quàm ecclesiasticis negotiis esse potest, citra vllam ἀταξίαν. Quandoquidem certa & expedita anni ratio, mensium & dierum series ibi continetur, quam in agricultura, contractibus, iudiciis, festis, & ceremoniis sacris commodè sequi licet. Etsi enim anomalia quædam in eo deprehenditur, quâ propter anticipationem æquinoctiorum solstitiorumque temporis in illo descripti ratio cum motu cœlesti non exquisite congruit: ea tamen non est tanti momenti, vt ob illam veteres receptæ ephemerides abolendæ fuerint. Accuratior enim illa temporis consensio cum motu cœlesti non curatur à vulgo, sed ab artificibus, quorum peculiares eâ de re tabulæ extant. Accedit huc, quòd tantùm temporis interuallum ad extremum iudicij diem non superest, vt ad futuras anomalias præcauendas eiusmodi correctio sit necessaria. Perniciosa est Ecclesiæ, ob causas antè dictas. Porrò quia Pontifex in corrigendo Paschatis die retinet terminum Paschalem, quem Niceni Patres definierunt (quorum erat calculum ad Christi vsque tempora reducere) ideoque non designat eum celebrando Paschati diem, qui cum historiâ resurrectionis conueniat, nemo non videt, illum non dedisse nobis perfectam Kalendarij formam: ita vt progressu temporis nouo illi Kalendario metuenda sit anomalia. Denique Imperatoris & Imperij Ordinum est (non verò Pontificis Romani) ea curare, quæ pertinent ad politiam reipubl. & ecclesiæ.

An Kalẽdarium Gregorianum saltē politicè sit approbãdum?

IV. *Politiæ contemporaneæ Romano Imperio sunt, quæ ipsius tempore vel floruerunt, vel ortæ sunt: iisque vel incorporatæ, vel amicæ, vel aduersæ: de quibus accipe sequentem nomenclaturam.*

Regna tempore quartæ monarchiæ qu[...]

REGNA. I. *Scotorum regnum* in Britanniâ primus fuit Fergusius; qui regnare cœpit ante natum Christum annis 333. Vltimus est Iacobus VI. qui anno Christi 1567. primus regnum iniit: cui Angliam an. 1603. coniunxit. De hoc regno lege Buchananum in rebus Scoticis. Diuiditur hoc regnum in duas dynastias. Prima est a mundi anno 3617 quo Fergusius fuit primus dynasta. Secunda est Stuartorum an. Christi 1370. II. *Daniæ regnum* ante Christi natiuitatem ortum esse perhibent. Sed certa eius historia ad annos certos referri non potest & in Chronologiam accommodari, vsque ad tempora Iuari, qui floruit anno Christi 815 vt vult Helvicus. Reusnerus tamen in annum Christi 775. confert Gotricum. III. *Regnum Galliæ* diuiditur in tres dynastias. Prima est Merouceadarum siue Merouingorum: quorum primus fuit Pharamundus anno Christi 419. Anno 557. Clotharius reliquit quatuor filios in regno quadripartito successores, è quibus Sigebertus condit regnum Austrasiæ, quod sub Pipino rursus coaluit cum regno Franciæ. Secunda est Karolidarum seu Carolinorum à Pipino rege, patre Caroli M. anno Christi 751. Tertia est Hugonidarum, seu Capetorum. anno Christi 987. vbi primus rex est Hugo Capetus. Heluicus habet quatuor dynastias Francorum, ita vt prima contineat duces Francorum: quorum initium Hunnibaldus collocat in annum 404. ante Christi natiuitatem, quod tempus est inchoatæ monarchiæ Persicæ. *Beroaldus lib. 4. Chronic. c. 7.* Francos à Sicambris ortos esse tradit, qui fuerunt Germani: & ridet eos, qui comminiscuntur Francionem Troianum, Hectoris filium, primum Francorum patrem Heluicus seriem primæ dynastiæ deducit ab anno Christi 50. VVillichius Narbonem Galliæ regem collocat in tempora Teutonis regis Germanorum. Vide paulò antè cap. 15. Quidquid huius sit, nomina sanè ducum Gallicorum arguunt, originem Francorum ad Sicambros referendam. Nomina ista sunt Anthenor, Rattherius (qui condidit Roterodamum) Richimer, Odemarus, Marcomirus, Clodomirus &c. III. *Dynastia Persarum duplex.* Prima est Arsacidarum, quorum author Arsaces: à quo qui rerum potiti sunt in Parthis, Arsacidæ dicti. Hæc durauit vsque ad annum Christi 230. quo occisus fuit Artabanus, Parthus, Arsacidarum vltimus. Secunda Dynastia incipit anno Christi 230. quo Artaxerxes fuit primus huius dynastiæ, vltimus Iezdegird anno Christi 628. qui interfectus à filio Caliphæ Babylonis, æræ Iezdegirdicæ fecit originem, videlicet Saracenici in Persiâ imperij. Hîc ergo incipit dynastia Arabum Scenitarum, siue Saracenorum, interfecto Iezdegird. Primus huius Dynastiæ fuit Mahomed pseudopropheta, qui cœpit anno Christi 622. quo ipso anno cœpit dynastia Calipharum, seu vicariorum Saracenicorum in Bagded & Damasco. Calipharus ille diuisus fuit in Calipharum Syriæ & Ægypti anno Christi 868. Caliphæ Ægypti floruerunt vsque ad annum Christi 1245. Deinceps rerum potiti sunt serui, seu Mamaluki. Caliphæ Saracenici in Syriâ floruerunt vsque ad annum Christi 1255. quo Mustenatzar vltimus huius dynastiæ obiit. Nam filius eius Mustea-zem à Tataro Haloco fuit interfectus, atque ita Caliphatui in Bagded seu Syriâ ex Abasidarum dynastia finis imponitur. Deinceps incipit linea siue dynastia Othmenidarum, seu regnum Turcarum Ottomannicum: cuius primus rex fuit Ottrugarel anno Christi 1296. cui anno seq. successit filius Othmen, siue Osman, vel Ottoman à quo descendunt moderni Imperatores Turcici. IV. *Dynastia Ostro-Gothorum duplex.* Prima est Ostrogothorum sub imperio Hunnorum, ante annum Christi 451. Nomina præcipua dynastarum sunt Hunimundus, Thorismundus, VValamir, Thodemir, VVidemir.

demir. Secunda est OstroGothorum in Italia, excusso iugo Hunnorum anno Christi 451. Primus ipsorum rex Theodericus occiso Odoacro rege Herulorum primo & vltimo in Italia, ingreditur in Italiam. Is fuit filius Theodemir, vltimi in dinastia prima. Theodericus ille dicitur Veronensis, oriundus ex Gothis in Thracia & Mœsia. Sextus in hac dinastia rex fuit Totilas anno Christi 541. septimus & vltimus Theias anno Christi 542. victus à Narsete V. *Dynastia Vi est-Gothorum, siue Visigothorum, in Gallia & Hispania*, habuit reges XXXIV. quorum primus anno Christi 369. fuit Athanaricus: sub quo Gothi inter se diuisi sunt: quorum alterius factionis rex fuit Athanaricus, alterius Fridigernus, qui dicti sunt minores Gothi, qui Christianismum & literas edocti sunt à VVlfila Arriano episcopo, quorum reliquiæ adhuc in Mæotide sunt. Vltimus VVisigothorum rex anno Christi 701. fuit Rodericus, qui à Mauris regno fuit spoliatus anno Christi 711. Alij tamen existimant, Astures ex Gothis ortos esse: qua de re paulò pòst. Nos ita conciliamus has sententias. Rodericus fuit vltimus in prima dynasti Gothorum, quæ postea peperit dynastiam secundam Gothorum Asturum. V I. *Dynastia Longobardorum, siue Langobardorum in Burgia & Pannonia* incipit anno Christi 393. V I I. *Dynastia* Sueuorum regum in Gallæcia anno Christi 408. fuit regum decem: inter quos nonnulli Arriani V I I I. *Dynastia Vandalorum Silingorum in Africa* anno Christi 428. regum sex. I X. *Exarchatus Rauennas in Italiâ*. Primus exarchus fuit Longinus anno Christi 569. vltimus Eutychius. Tum enim anno Christi 743. Rauenna à Longobardis capta exarchatui finis est impositus; qui postea peruenit ad Pontifices. X *Dynastia Hunnorum sextuplex*. Prima est barbarorum, quam Sigebertus inchoat anno Christi 381. Præcedentia tempora ignota sunt. Primus rex fuit Balamber anno Christi dicto. Post eum Mundzuch pater Attilæ & Bledæ. Attila regni sedem posuit in vrbe Sicambra, quæ dicitur Buda, à fratre ipsius Buda Secunda est ducum, qui è Scythia in Pannoniam reduces fuere anno Christi 744. Nam Chaba & Aladarius, filij Attilæ, dimicantes de regno, ille quidem à Gepidarum rege victus occiditur, hic in Scythiam redit. Hunni in Pannonia residui euocant gentiles suos è Scythia, qui magna multitudine secundò in Pannoniam ingrediuntur an. Christi 744. sub ducibus septem, qui in Transyluania septem castris extructis considunt. Ex illis ducibus fuit Arphad, è posteritate Chabæ. Is genuit Zultanum, hic Toxon, hic Gayzam, qui primus fidem Christianam amplexus est. Defuncto succedit Stephanus dux Hungariæ ann. Christi 997. rex factus an. 1000. Atque hæc est tertia dynastia regum Hunnicorũ inde à Gayza. Quarta est an. Christi 1302. Quinta Bohemorum. Sexta Austriorum an. Christi 1438. XI. *Dynastia Longobardorum* (Scaliger legit Langobardorum) *in Italia*. Primus rex fuit Alboinus an. Christi 568. vigesimus tertius & vltimus Desiderius an. Christi 756. XII. *Dynastia Asturiarum seu Asturum & Legionis in Hispania*: siue secunda VVestgotorum in Hispania anno Christi 716. Quanquam alij statuunt regnum VVestgothorum in Hispania deletum esse in Roderico. Conciliationem vide paulò ante. Primus rex Asturum fuit Pelagius, è regio Gothorum sanguine: qui dux contra Saracenos electus, regni rudera collegit. Vltimus rex Asturum fuit Veremundus III. an. Christi 1010. in quo Gothorũ legitima proles defecit. XIII. *Regnum Germaniæ*: an. Christi 843. quo primus Germanorum rex est Ludouicus filius Ludouici Pij Imp. filij Caroli Magni. XIV. *Poloniæ* dynastia diuisa in quinque alias dynastias. In prima sunt duces per longam annorum seriem: qui ad annos certos continua serie redigi non possunt Secunda dynastia est similiter ducum, quorum primus fuit Piastus rusticus: vnde hæc dynastia dicitur ducum Piastadarum; qui tenuere dominium ab anno Christi 806. vsque ad an. 1000. Teria est regum Piastadarum: quorum primus fuit Boleslaus, creatus ab Othone III. anno Christi 1000. Quarta est regum Iagellonidarum; qui sic dicuntur à Iagellone Lithuano, qui baptizatus anno Christi 1386. nomen Vladislai IV. accepit. Quinta est regum exterorum, putà Hungarorum, Gallorum, & Suecorum ab an. Christi 1573. ad nostra tempora. Alij aliam viam insistunt in recitandis dynastiis Poloniæ: vt videre est apud *Heluicum in theatr. chronol.* XV. *Dynastia Anglorum*, subdiuisa in dynastias nouem hoc ordine. Prima est Britannorum ante Cæsarem. Secunda est Romanorum à tempore Iulij Cæs. Tertia est Anglo-Saxonum à Theodosio II Et hæc est Cantiorum regum, qui dignitate primi Ex his primus fuit Hengistus dux Saxoniæ, an. Christ. 449. Hos secuti sunt reges Australium Saxonum an. Christ. 481. Tum reges Anglorum orientalium: quorum tamen regnum modò à Merciis siue mediterraneis, modò ab occidentalibus, aliquoties à Cantianis regibus est possessum. Fuerunt etiam hoc tempore reges Northumbrorum ad septẽtrionem; ita vt tertia ista dynastia Anglo-Saxonum fuerit confusa, regum scil Saxonum orientalium occidentalium, australium, & septentrionalium: qui ab an. Christ. 449. vsque ad 800. regnarunt, plures simul in diuersis plagis. Imprimis hîc excellit VVitichindus Magnus Saxo, qui obiit an. Christ. 807. ac fuit è Bobonis Saxonum regis stirpe, qui vixit ann. Christi 260. Quarta est Anglorum: quorum primus rex fuit Egbertus, ann. Christ. 800. Quinta est Danorum ann. Christi 1017. quo Guilielmus Normanniæ dux ad regnum peruenit. Septima est Gallorum Blesensium an. Christ. 1136 Octaua est Gallorum Andegauensium circa an. Christ. 1200. Vltima est extraneorum regum Breuiùs in regno Angliæ considerabis adolescentiam an Christ 800. ætatem consistentem ab an. Christ. 1014. & ætatem decrescentem an. Christ. 1399. X V I. *Regnum Hierosolymitanum*: cœptum à Christianis, postquam Saracenos expeditione illuc instituta expulerunt. Primus rex fuit Godefridus Bullioneus an. Christ. 1100. X V I I. *Dynastia Legionis & Castellæ* ann. Christ. 1020. quo Ferdinandus I. rex Castellæ ducta Sanctia Alphonsi Asturiæ regis filia coniunxit regna Asturiarum, Legionis, & Castellæ. XVIII. *Regnum Arragoniæ & Siciliæ*: cuius primus rex Ranimirus an. Christ. 1018. Hoc regnum coniunctum est cum regno Castellæ an. Christi 1479. quo tempore Ferdinandus V. cognomento Magnus & Catholicus orsus est quartam Hispaniæ dynastiam, quæ est regum Castellæ, Arragoniæ, & Siciliæ. Huius filia Ioanna nubit Philippo archiduci Austriæ, & parit Carolum V. cui succedit filius, Philippus II. in quo omnia Hispaniarum regna confluxerunt. videl regnum Hispaniæ, Arragoniæ, Siciliæ, Neapolis, Sardiniæ, Portugalliæ, &c. Atque hæc est quinta Hispaniç dynastia, ita vt sit hæc series dynastiarum in regno Hispaniæ. Prima est VVestgothorum an. Christ. 369 Secunda Asturum & Legionis an. Christ. 716. Tertia Legionis & Castellæ ann. Christ 1020. Quarta Castellæ & Arragoniæ an. Christ. 1479. Quinta Hispaniarum an. 1578 XIX. *Regnum Lusitaniæ* seu Portugalliæ an. Christ. 1080. circiter: quo Henricus dux Lotharingiæ à socero Alphonso VI. Castellæ & Legionis rege accipit partem Galliciæ, quæ nunc dicitur Portugallia, quæ an. Christ. 1578 coniuncta est cum Hispania. X X. *Regnum Nauarræ*, an. Christ 619 quo Ennicus Arista, Comes Bigornensis, magnis Maurorum copiis in Hispania Tarraconensi deletis nouam regnorum Arragoniæ & Nauarræ faciem constituit. Anno 1481. Catharina nubens Ioanni Albretano, attulit ad ipsum regnum. Sed is, quòd contra Pontificem, Venetos, Hispanos, & Cæsarem pro Ludouico XII. Galliarum rege pugnasset, excommunicatus & proscriptus, excidit regno pene vniuerso: quod occupauit Ferdinandus Catholicus Hispaniæ rex. Ioanna Albretana an Christ. 1555. Antonio Borbonio nubens, reliquias regni ad eum attulit, & peperit Henricum Borbonium, qui Nauarram cum Galliis coniunxit. XXI. *Regnum Siciliæ ac Neapolis*: cœpit an Christ. 1130. quo Rogerius, dux Apuliæ & Calabriæ, Neapoli post longam obsidionem Imperatori Constantinopolitano erepta, ab Anacleto II. Pontifice titulum regis Siciliæ obtinuit. XXII. *Dynastia duplex Bohemiæ*. Admodum confusa est historia Dynastiæ Bohemicæ ante an. Christ. 1200. Prima dynastia cõtinet duces, quæ fermè carent epochis, annorúmque numeris. Primus dux fuit Zechius, cuius frater fuit Lechus. Secunda dynastia est regum an. Christ. 1086. quo Vratislaus ab Henrico V. Imp primus regio titulo est exornatus XXIII. *Regnum Noruuegiæ* cœpit an. Christ. 800. Primus rex fuit Gotho. XXIV. *Regnum Sueciæ* cœpit an. Christ. 810. circiter. Nam Siuarus Fro primus rex fuit σύγχρον⊗ Ludouico Pio Imp. Atque hæc sunt regna σύγχρονα Aquilæ Romanæ, de quibus vide classicos historicos, vti sunt Rodericus Toletanus de regnis Hispaniæ, item Rodericus Santius, & Marinéus Siculus: de regib. Franciæ Æmil & Iouius, item Beroaldus: de regibus Angliæ Polydorus Virgilius: de regibus Scotiæ Buchananus: de regibus Daniæ, Noruuegiæ, & Sueciæ Cranzius: de regno Pannoniæ seu Hungariæ Bonfinius: de regno Poloniæ Mechouius & Cromerus: de regno Bohemiæ Dubrauius. Iam penitiùs inspiciamus Imperium Romanum. ¶ Vniuersum autem regionum & prouinciarum omnium, quas complexu suo imperium ambit, systema in certas sectiones resoluitur, quas circulos vocant: eorúmque decem constituuntur, de quibus vide suprà *Geograph. part. 3. cap. 7.* Deinde Imperium Romano-Germanicum (quod excellentiæ causa vocatur *das Reich*) diuiditur in tres status siue ordines, vt *d. l.* traditur. Princeps omnium & caput est Imperator. Sunt autem tres classes Impp. Romanorum. Prima continet Latinos, siue Italicos, à Iulio Cæs. vsque ad Constantinum M. Secunda Græcos, siue Constantinopolitanos, à Constantino M. vsque ad Carol. M. Tertia Germanicos, à Carolo M. ad nostram vsque ætatem. Vide infr. in *Gnomologia*. Secundus status complectitur Superillustres (vt *Vagerius* loquitur *in sua Germania p. 149.*) & illustres. Superillustres sunt Electores & Archiduces. Illustres sunt Duces, Landgrauij, Marchiones, Comites, Barones, Domini. *Electores* sunt I. Ecclesiastici tres: puta Moguntinus, Coloniensis, & Treuirensis. Ille est Archicancellarius Sac. R. Impp. per Germaniam: iste per Italiam: hic per Galliam. In Archiepiscopatu & Electoratu Moguntino primus fuit VVilligis, Carpentarij filius an. Christ. 990. qui sortis suæ memor rotam pinxit in insignibus. In Coloniensi primus fuit Heribertus: in Treuerensi Ludolphus, Saxonici sanguinis: vterque anno 990. II. Seculares quatuor: videl. Comites Palatini Rheni


Quomodo Romanum imperium diuidatur.

Rheni Sacr. Roman. Imp. Archid apiferi, quorum primus fuit Archidapiferi, quorum primus fuit Sigefridus: Electores Saxoniæ, S. Rom Imperij Archimarschali, quorum primus fuit Benno: Electores Brandeburgici, S. Romani Imperij Archicamerarij, quorum primus fuit Hugo supremus Othonis III. præfectus in Thusciâ & Hetruriâ: & denique Reges Bohemiæ, Sac. Rom. Imp. Archipincernæ. De his vide *Auream Bullam Caroli IV. Archiduces Austriæ* agnoscūt primum Albertum I. qui à patre suo Rodolpho Exarchatum cum Ducatu Stiriæ & Carniolæ est consecutus. *Principes Germanici* hi sunt: *Duces Bauariæ*, Comites Palatini Rheni: *Duces Saxoniæ*, Landgrauij Thuringiæ, Marchiones Misniæ: *Marchiones Brandeburgici*, Duces Borussiæ, Stetini, Pomeraniæ: *Duces Brunsvvicenses*, & Luneburgenses. *Duces Megapolenses* Duces Vandaliæ: *Duces Saxoniæ inferioris*, Angriæ & Vvestphaliæ: *Duces Slesuici* & Holsatiæ: *Duces Pomeraniæ*: *Landgrauij Hassiæ Duces Iuliacenses & Cliuenses*: *Duces Vvirtembergenses*: *Marchiones Badenses*, & Hochbergenses: *Principes Anhaltini*: *Duces Silesiæ*: *Duces Monsterbergenses*, in Silesiâ. *Comites Germanici* suntHennebergici Schvvarzeburgenses, Nassouienses, Mansfeldenses, Holsatiæ & Schoumburgi, Oldenburgij & Delmenhorstani. Frisiæ Orientalis, Honsteinij, Hoienses & Broickhusani, Stolbergenses, Barbienses, Isenbergij Hanauienses, Budingenses, Solmenses, Salmenses, Syluestres Rheni & Salmæ, Ortenburgij, Hoheloij, Leonsteinij, Gleichenses, Lippienses, Reinsteinij, Bipontini & Bitzæi, Montfortij, Bentheimenses, Egmondani, Mœrsenses Schlikenses, OEtingenses, Vvedani, Vvaldeccenses, Zollerenses, Vvitgensteinenses, Senenses, Vverthæmij, Vveissenkirchenses, Leiningij, Manderschidij, Hardeggij &c. *Tertius status* est ciuitatum liberatum, quæ sunt vel Imperiales, vel Hansaticæ. In illarum numero putantur Augusta, Noriberga, Argentina, Francofurtum ad Mœnum &c. In harum catalogo ponuntur plus minùs LXXXIV. quas recitat *Matthias Stephani lib. 2. de iuri d. Rom. Imp. part. 2. c. 3. n. 4.* Sunt autem istæ, Lubeca, Brema, Rostochium, Sundium, Vvismaria, Thorna, Elbinga, Dantiscum, Regius mons, Bransberga, Riga, Derbatum, Reualia, Stetinum, Stada, Vlzenia, Buxtehudi, Stargardia, Hamburga, Luneburgum, Gryphisvvladia, Colberga. Colonia. Osnabruga, Susatum, Minda, Heruordia Paderborna, Lemgouia, Tremonia, Monasterium, Neomagus, Dauentria Zutphania, Svvolla, Hardervvicum, Grôninga, Vesalium, Duisburgum Rüremunda, Arenacum, Campi, Bolsvverda, Venlo, Lippia, Vona, Hammona, Emmerica, Bilefelda, Brunsvviga, Magdeburgum, Hala, Stendalia, Berlinum, Hildesium, Goslaria, Gôttinga, Hannouera, Hamelia, Quedlinburga, Ascherslebia &c. è quibus aliæ planè sunt liberæ, aliæ non item: & rursus aliæ pertinent ad Imperium, aliæ sunt exemtæ.

PERORATIO POLITICES.

AT que hæc est prudentia reipub. ritè gerendæ, cuius prora & puppis in eo sita esse debet. vt resp. sit σχμνεῖον, iuxta *Iohannem Ferrarium lib. 1. de rep.* Quandoquidem in hoc ciuitas terrena conditur, vt cælestis illius ciuitatis imaginem præ se ferat: quam & significare debet, & repræsentare, vt ex visibilibus illis rebus detur ascensus ad inuisibilia: imò vt & descensus detur, quo ex politiarum mundanarum ortu, incremento, & casu descendas in teipsum, discasque illud Salomonis *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Cæterùm ne mirare, quòd politias speciales inseruimus Politicis. Hoc enim ausim dicere, plus prudētiæ politicæ hinc hauriri posse, quàm ex spinosis disputationibus: imprimis si quis paulò penitiū sinquirat in præcipuarum politiarum arcana. Nos hîc lineas dūtaxat duximus: alij addant colores. Quòd si methodus politiarum particularium non arridet, habe istam. Politiæ siue Dynastiæ sunt Orientis, Occidentis Meridiei, vel Septentrionis. *Dynastiæ Orientis*, adeoque Asiæ & Ægypti, sunt 1. Dynastiæ Ægyptiorum duæ & triginta. 2. Dynastia Babylonica eaque quadruplex iuxta *Scaligerum lib 2. can. isag.* Chaldæorūm, Arabūm, Assyriorum (hæc dynastia est prima monarchia) & Medorum, post casum Sardanapali. 3. Dynastia, siue monachia, Persarum. 4. Dynastia, siue monarchia, Macedonum. 5. Dynastia Assyriorum, postquam ab Assyriis post Sardanapalum defecerunt. 6. Dynastia Babyloniorum, postquam à Medis defecerūt: aliâs dynastia Nabonassari. 7 Dynastia Persarum secunda, post Christum. 8. Dynastia Arabum Scenitarum, siue Saracenorum, authore Mahometo. 9. Dynastiâ Calipharum, ex quâ orta est Dynastia Othmenidarum, seu Imperium Ottomannicum. 10. Dynastia Dardani & Ilii regum. 11. Dynastia regum Lydiæ, eaque triplex, Atyadarum, Heraclidarum, & Mermnadarum. 12. Dynastia regum Pergami. 13. Dynastia regum Tyri. 14. Dynastia Hebræorum, eaque Iudicum, Regum, Hasomonæorum, & Herodiadarū 15. Dynastia Imperij Sinarum. *Dynastiæ Occidentis & Europæ sunt.* 1. Regnum Sicyoniorum, diuisum in duas dynastias. 2. Regnum Germanorum 3. Dynastia Argiuorum. 4. Dynastia Mycenarum. 5. Dynastia Atheniensium quadruplex, videl. regum, archonton perpetuorum, archonton decennalium & archonton annuorum. 6. Dynastia Lacedæmoniorum triplex: videl. regum, Heraclidarum Eurysthenidarum, & Heraclidarum Proclidarum siue Eurypontidarum. 7. Dynastiæ quinque Corinthiorum, videl. Sisiphidarum, Heraclidarum, Bacchiadarum, Prytaneon annuorum, & Cypselidarum. 8. Dynastiæ tres Latinorum: videl. Aboriginum, Æneadarum, & regum Latinorum. His adde quartam, quæ est Consulum sub Rep. quintā tribunorum militum consulari potestate: sextam Consulum in integrum restitutorum: septimam Imperij Augustorum vsque ad encænia Constantinopolitana: octauam diuisionis Imperij in Græcum & Latinum. *Dynastiæ nationum septentrionalium & meridionalium*, quæ imperio lacerato succreuerunt. 1. Dynastia Ostrogothorum. 2. Dynastia Vvestgothorum: vbi ex Scaligeri animaduers. Euseb. p. 178. nota, Gothos eosdem esse cum Getis. 3. Dynastia Vandalorum in Africâ. 4. Dynastia Longobardorum. 5. Dynastia Scotorum. 6. Dynastiæ tres Francorum. 7. Regna diuersa Hispaniarum. 8. Dynastiæ Anglo-Saxonum in Britanniâ. 9 Dynastiæ Hunnorum 10. Regna Danorum, Sveonum, Norvvegiæ, Poloniæ &c. 11. Dynastiæ Maurorum in Africâ & Hispaniis. 12. Regna Croatiæ, Neapolis, Siciliæ, Sardiniæ &c. 13. Exarchatus Ravennæ. 14. Electores, Archiduces, Duces, Marchiones, Comites, Dynastæ in Germaniâ. 15. Principes Italiæ. Hîc auctarij loco ex *Scaligeri animaduers. Eusebianis pag.* 175. accipe illud: Scotus est nomen Britannicum, omnibus gentibus, quæ loca populi Romani infestabant, accommodatum: ita vt Scoti sint λησεντικοί, id est, latrones, prædatores: quemadmodum vetustioribus Ἀρχεῖα σκλωπεια, postrioribus Bedvvin & σκερκλωοὶ, idem designant: vt etiam vox Ambrones, quâ Cimbri quidam sunt dicti: ita vt hæc non sint nomina propria populi, sed appellatio omnibus Nomodibus & latronibus attributa. Porrò Scoti dicuntur Pausaniæ, Ptolemæo, & Iuuenali Brigantes, qui sunt populi Hiberniæ, qui florente Romano Imperio in Hiberniam traiecerunt, eiusque septentrionale latus diu populationibus infestarunt: qui tandem ab Antonino Pio in ordinem redacti finibus suis se continuerunt, adhucque Hibernicam linguam retinent, homines semiferi, quos sylucstres Scotos, *vvilde Scotten*, vocant. Vt isti Brigantes septentrionalem plagam insulæ: ita Britanni, qui aliter Picti dicebantur, occidentalem obtinebant, qui ipsi quoque colonias Romanorum Britannicas infestabant. Alteri dicti sunt Scotobrigantes, alteri Scotobritanni, ex quibus in Aremoricum Galliæ angulum non parua manus transmisit, quæ hodie eâdem linguâ vtitur, qua Pictobritanni in Vvalliâ positi. Hinc Aremoricanos istos Galliæ Hieronymus vocat Scotobritannos. Ex his patet, Scotos dici non solùm Brigantes, qui ex Hiberniâ in Britanniam transmiserunt, sed etiam indigenas Britannos, eosque veros Pictos, eosque sermone discretos, latrociniis coniunctos: ex quorum finibus coloniæ Britannicæ Aremoricanæ propagatæ sunt.

METHODVS POLITICES.



FLORILEGIVM POLITICVM.

HOc florilegium politicum erit tripartitum. In primo proponemus politicam sacram; in secundo hieroglyphicam; in tertio profanam, id est, collectam ex authoribus, quos vocant, profanis. Si plura desideras, consule *Axiomata Richteri*, quæ sunt promptuarium totius philosophiæ practicæ instructissimum.

POLITICA SACRA.

POliticam sacram tradémus methodicè, ita vt in ea distinctè visuri simus politiæ Fundationem, Conseruationem, Amplificationem, & Curationem. Fundatur autem resp. non aliter atque domus, si constet materia & forma. Hic igitur de ciuibus, de re populi, & de formis reip. agendum. Conseruatur officiis, iisque tum magistratus togati & armati, tum subditorum, adeóque certis legibus. Amplificatur & ornatur commerciis, ædificiis, & amicitiis cum vicinis. Curatur per vitiorum ciuilium cautionem & sanationem.

FVNDATIO REIPVBLICÆ. *Anarchia est magnum malum, & veluti lerna ac alias malorum.* Iudic. 17. v. 6. & 18. v. 7. & 19. v. 1. & 21. v. 25. *Finis politiæ debet esse tranquillitas publica, atque ita exercitium virtutis publicum.* 1. Sam. 10. v. 17. c. 2. Ps. 72. v. 1. & 102. Prou. 20. v. 8. & 26. *Felicitas reip. pendet à fauore Dei, & cultu ipsius.* Deut 4. v. 40. c. 6. v. 1. 8. 12. 18. c. 28. c. 5. v. 32. c. 27. 2. Sam. 5. v. 10. c. 6. v. 12. c. 8. 1. Reg. 10. v. 8. 2. Reg. 18. v. 7. 2. Chron. 27. 28. 29. 31. 33. 34. 36. Psal. 5. 7. 72. 85. 144. 147. *Vrbes primum conditæ.* Gen. 4. 10. & 11. *Monarchia* 1. Sam. 8. v. 9. *Rex & regnum à Deo.* 1. Sam 2. v. 8. Dan. 4. v. 14. Psal. 4. v. 4. & 18. v. 4. & 21. v. 1. 2. 1. Sam. 18. v. 2. 2. Reg. 8. v. 13. Iob. 12. v. 18 & 41 v. 25. & 36. v. 7. *Regni proceres.* 1. Sam. 20. v. 18. 2. Sam. 14. v. 16. 22. *Ciues.* Deut. 15 v. 2. 3. 12. *Pauperes.* Deut. 14. v. 29. c. 15. v. 4. 6. c. 18. v. 6. c. 24. v. 17. 19. 20. c. 26. v. 12. *Peregrini.* Gen. 23. v. 4. c. 26. v. 14. 20. 26. 30. c. 41. v. 48. c. 45. v. 16. c. 46. & 50. *Priuatarum familiarum recta institutio.* Deut. 21. v. 19. 20. 21. Ios. 7. Genes. 37. v. 3. 8. Prou. 5. v. 21. Vide hinc inde Gen. Exod. Leuiticum, & totum Pentateuchum. *Magistratus necessitas.* Rom. 13. *Varij ordines in rep.* 2. Sam. 9. v. 2. c. 20. v. 23. 24. 2. Reg. 18. v. 37. 1. Reg. 4. v. 1. 1. Chron. 25. v. 26. 27. 1. Sam. 9. *Magistratus electio.* Iud. 1. v. 1. Deut. 16. v. 18. 2. Sam. 5. v. 3. Deut. 17. v. 14. 1. Reg. 1. v. 34. 40. 1. Chron. 12. v. 20. Iud. 9. v. 15. c. 18. v. 7. 2. Sam. 2. v. 4.

CONSERVATIO REIP. *Rempublicam conseruant ista.* I. *Verus verè Dei cultus.* 1. Reg. 13. v. 1. cap. 14. v. 22. cap. 15. v. 13. c. 18. v. 40. 2. Reg. 10. v. 16. c. 25. 29. 31. 33. Psal. 112. 113. 119. 1. Sam. 2. v. 17. 1. Chron. 2. 2. Chr. 15. v. 16. 13. c. 14. v. 6. c. 34. v. 6. c. 17. v. 7. 8. c. 30. v. 12. Hos. 1. v. 4. Esdr. 2. v. 8. c. 1. v. 5. c. 3. 6. 7. Neh. 3. 4. & 11. II. *Veri pastores.* Deut. 9. v. 10. 11. Iud. 17. v. 10. 2. Sam. 12. v. 13. 1. Reg. 17. v. 1. c. 18. v. 18. 2. Reg. 3. v. 13. c. 2. v. 24. 2. Chron. 29. v. 12. 34. III. *Concordia priuata, seu pax domestica.* Genes. 16. v. 2. c. 21. v. 30. 2. Sam. 13. v. 22. Psal. 122. & 133. IV. *Pax publica, & quæ cum exteris est.* 2. Chron. 1. v. 15. 1. Reg. 16. cap. 4. & 24. Gen. 13. Num. 20. v. 14. c. 27. v. 4. Deut. 23. v. 7. Genes. 21. v. 27. v. 2. Sam. 3. v. 37. 1. Reg. 5. v. 1. Ios. 11. v. 19. V. *Summi magistratus prudentia, clementia, & aliæ virtutes regiæ.* Iud. 6. v. 27. 1. Reg. 3. v. 9. Iud. 21. v. 19. 1. Sam 5. v. 8. c. 7. v. 16. 2. Sam. 24. v. 2. Iud. 11. v. 1. 2. Sam. 3. v. 36. c. 4. v. 12. c. 6. v. 10. c. 18. v. 5. Ps. 58. & 82. VI. *Consiliarij boni.* Prou. 11. v. 10. c. 14. 15. 16. 17. 25. 29. 1. Sam 20. v. 32. 2. Sam. 24. v. 3. 1. Reg. 12. v. 13. cap. 15. v. 13. 2. Chron. 15. v. 16. Psal. 35. v. 8. & 54. v. 5. 7. & 101. VII. *Vectigalia moderata.* 1. Reg. 10. v. 14. 2. Reg. 2. v. 4. c. 23. v. 35. VIII. *Fides publica.* Gen. 15. v. 13. Exod. 1. & 2. Genes. 24. v. 3. Ios. 9. v. 3. 16. 2. Sam. 21. v. 6. 17. Prou. 20. 28. IX. *Societas cum vicinis & extraneis populis contracta.* Iud 18. v. 28. 1. Sam. 28. v. 2. c. 29. v. 2. c. 30. v. 2. Iud. 12. v. 1. 4. c. 20. v. 7. 8. c. 21. v. 5. 11. X. *Hostium reip. bella mutua, quibus se consiciunt.* Ios. 15. v. 63. 1. Chron. 4. v. 41. cap. 5. v. 19. XI. *Officium ciuium.* Exod. 1. v. 17. 20. Actor. 4. v. 19. 1. Sam. 12. v. 16. c. 26. 2. Sam 24. v. 4. Iud 3. v. 15. c. 9. v. 30. 41. 51. 1. Sam. 31. v. 1. 2. Sam 1. v. 14. 16. c. 16. v. 9. c. 19. v. 43. XII. *Leges: puta de religione & cultu veri Dei.* Deut. 13. v. 14. Ios. 22. 2. Reg. 8. v. 22. Deut. 14. v. 1. 9. *de externo decoro.* Deut. 22. v. 5. 6. c. 24. v. 10. 1. Tim. 2. v. 2. 9. *de homicidiis.* Deut. 19. v. 2. c. 21. v. 1. Ios. 20. Num. 35. v. 11. 1. Reg. 1. v. 31. *de magia.* Deut. 18. v. 10. 1. Sam. 29. v. 2. 2. Reg. 1. v. 6. c. 21. v. 6. c. 23. *de adulterio.* Deut. 22. 23. 25. Genes. 34. 35. 1. Reg. 22. v. 47. 2. Reg. 23. v. 5. 7. *de vsuris.* Deuter. 23. v. 19. Neh. 5. *de coniugiis.* Genes. 12. v. 15. cap. 26. v. 8. 2. Sam. 11. Ruth. 3. 4. 1. Reg. 1. v. 1. 2. Reg. 8. v. 18. *de hæreditatibus.* Genes. 21. v. 10. c. 25. v. 6. Deuter. 21. v. 16. 17. cap. 23. v. 2. Iud. 9. v. 18. *de mercenariis.* Genes. 31. v. 7. 24. 40. Deut. 24. v. 14. XIII. *Officium cuiuslibet magistratus.* 1. Chron. 11. v. 19. 2. Chron. 13. 16. 21. 26. 2. Chron 29. v. 25. Prou. 26. v. 10. 12. c. 29. v. 14. Exod. 2. v. 13. c. 18. v. 21. 25. Deut. 1. v. 13. 14. c. 16. v. 19. 20. Deut. 6. v. 7. c. 11. v. 19. XIV. *Officium summi magistratus.* Ios. 1. v. 7. 2. Sam. 6. v. 1. c. 7. v. 1. 2. Tim 2. Deut. 17. v. 18. 2. Sam. 23. v. 3. c. 9. v. 1. c. 15. v. 4. c. 17. v. 2. *Vide passim in Exodo, Leuitico, Numeris, & Deuteronomio.* XV. *Officium magistratus inferioris.* Iud. 3. v. 19. c. 9. v. 21. c. 8. v. 23. 1. Sam. 27. v. 1. c. 21. v. 4. c. 22. v. 1. 20. c. 24. v. 5. c. 26. v. 16. 8. XV. *Officium iudicum ciuilium.* Exod. 18. v. 19. 21. Deut. 1. v. 17. c. 16. v. 18. 1. Reg. 3. v. 27. 2. Chron. 19. v. 5. Psal. 82. v. 23. & 146. XVII. *Officium iudicum criminalium.* Esdr. 10. v. 8. *Vide passim Exodum, Leuiticum, & Numeros.* XVIII. *Officium singulorum tempore belli.* 1. *Belli caussa debet esse iusta.* Genes. 14. v. 4. c. 16. 20. & 34. Deut. 2. v. 5. 9. 15. c. 20. v. 1. 10. Ios. 5. v. 13. 1. Sam. 25. v. 28. 2. Chron. 20. v. 15. Iud. 15. v. 3. 2. Reg. 14. v. 25. 2. Sam. 5. v. 25. 2. Chro. 13. v. 4. 2. *Imperatoris belli officium.* Genes. 45. v. 16. & 17. c. 47. v. 1. Ios. 2. v. 1. 1. Sam. 3. v. 9. c. 23. v. 24. c. 30. v. 9. Neh. 6. v. 27. *Officium capitanei.* 1. Sam. 14. vers. 53. c. 18. v. 7. 20. 28. 12. v. 28. 29. c. 2. v. 8. 4. *Officium militis.* Ios. 14. v. 23. c. 17. v. 17. 18. Iud. 10. v. 18. Deut. 20. v. 5. c. 24. v. 5. 2. Sam. 5. v. 8. c. 2. v. 5. c. 3. v. 38. c. 1. v. 13. 18. c. 4. c. 11. v. 11. c. 19. v. 14. c. 10. v. 4. 25. *Officium legatorum in bello & exploratorum.* Ios. 2. v. 14. 1. Sam. 14. v. 7. 6. *Stratagematum vsus.* Ios. 8. v. 4. Iud. 20. v. 33. Ios. 10. v. 24. Iud. 3. v. 28. 7. *Vsus præsidiorum.* Ios. 8. v. 17. 1. Sam. 30. v. 6. 2. Sam 8. v. 6. 2. Chron. 17. v. 2. 1. Reg. 9. v. 15. 19. c. 15. v. 27. 2. Chron 11. v. 5. 6. Neh. 7. v. 3. c. 13. v. 19. 8. *Vsus proditionis.* 2. Sam. 4. v. 11. c. 15. v. 32. 9. *Exercitus ratio.* Deut. 2. 20. 23. Ios. 1. v. 11. c. 2. v. 1. c. 7. v. 25. c. 8. v. 33. 1. Sam. 4. v. 9. 25. v. 7. 1. Reg. 4. v. 27. c. 20. v. 16. 2. Sam. 17. v. 27. 2. Chron. 1. Psal. 20. 33. 44. 46. 10. *Obsidionis ratio.* 1. Sam. 11. v. 9. c. 2. v. 27. 2. Sam. 11. v. 1. c. 20. v. 19. 11. *Prædæ ratio.* 1. Sam. 30. v. 24. 26. 2. Sam. 8. v. 11. 12. *Prælij modus.* 1. Sam. 11. v. 8. c. 13. v. 12. c. 4. v. 19. c. 17. v. 33. 2. Sam. 10. v. 9. 12. c. 18. v. 1. 13. c. 21. v. 17. 1. Chro. 11. v. 6. 13. *Captiui quomodo tractandi.* Deut. 21. v. 4. Ios. 8. v. 4. 14. *Victi vt se gerere debeant.* Iud. 10. v. 16. 1. Sam 7. v. 5. c. 31. v. 3. 7. 2. Sam. 1. v. 12. Iud. 20. 23. 33. 1. Reg. 11. v. 14. c. 20. v. 36. 42. Nehem 9. 2. Reg. 6. v. 23. c. 13. v. 18. 2. Chron. 25. v. 12. 15. *Victoria quomodo vtendum.* Ios. 3. & 4. Iud. 5. v. 1. 2. Sam. 12. Iud. 11. v. 31. 1. Sam. 14. v. 33. 43. 2. Chron. 13. v. 12. c. 14. v. 11. Ios. 6. v. 27. c. 9. v. 1. c. 22. v. 4. 1. Sam. 30. v. 15. 16. 2. Sam. 19. v. 6. 7. 30. 32. 2. Reg. 5. v. 1. 2. Chron. 13. v. 18. c. 14. v. 13. c. 20. v. 28. 16. *Victoria persequenda.* Iud. 7. v. 25. c. 8. v. 11. c. 28. 1. Sam. 14. v. 7. Ios. 10. v. 19. 2. Sam. 8. v. 6. *Ius victoriæ quodnam.* Iud. 11. v. 21. 2. Sam. 9. v. 11. 2. Reg. 14. v. 13. 14.

AMPLIFICATIO REIP. *Rempublicam ampliorem at ornatiorem faciunt ista.* I. *Metropolis.* Neh. 7. v. 3. cap. 13. v. 19. II. *Commercia cum extraneis.* 2. Chron. 2. v. 10. Genes. 23. v. 16. Act. 12. 20. III. *Mare & res nautica.* 2. Chron. 8. v. 29. cap. 9. v. 21. 1. Reg. 9. v. 26. IV. *Artificia & agricultura.* Eccles. 5. v. 8. V. *Itinerum publicorum cura.* Deut. 21. v. 4. Esdr. 8. v. 30. 5. 2. Chronic. 15. v. 5. Deut. 23. v. 24. VI. *Archiua publica.* Vide libros chronicorum. VII. *Sumptus & reditus publici.* 1. Reg. 4. v. 7. 20. 25. 26. c. 10. c. 9. v. 25. VIII. *Multitudo populi.* 1. Reg. 4. v. 9. Prouerb. 14. v. 28. Neh. 3. IX. *Ædificia.* 1. Reg. 7. v. 1. 7. 2. Reg. 12. v. 5. 9. c. 22. v. 4. 2. Chron. 24. v. 3. cap. 34. v. 8. 11.

CVRATIO REIP. I. *Politia mutari potest, & sæpe solet.* Gen. 47. v. 21. 22. 23. Exod. 5. v. 20. 21. c. 14. v. 12. 1. Sam. 8. v. 4. 5. c. 16. v. 1. 2. Sam. 10. v. 18. 1. Reg. 12. v. 4. 16. 24. 25. 28. 32. Esd. 60. v. 12. Esdr. 6. v. 12. Prou. 28. v. 28. c. 29. v. 8. 19. Eccles. 4. v. 14. II. *Rempublicam euertunt ista: Contemptus Dei.* 1. Sam. 12. v. 17. 27. Exod. 8. v. 9. c. 14. Ios. 24. v. 11. c. 20. Iud. 6. v. 6. 1. Reg. 11. v. 5. c. 9. c. 22. v. 44. c. 23. v. 8. 9. 2. Reg. 3. v. 2. c. 14. v. 4. c. 15. v. 4. c. 23. v. 4. 2. Chron. 30. v. 13. c. 31. v. 34. *Vera religio immutata.* Ios. 22. v. 11. c. 2. v. 2. 18. 23. 29. 34. Act. 17. v. 11. *Maleficia ciuium.* Iud. 20. v. 1. 2. Sam. 11. v. 8. c. 22. c. 13. v. 1. 2. 3. 13. 23. 1. Reg. 19. v. 16. 17. c. 21. v. 7. 2. Reg. 17. v. 7. 8. 9. 2. Chron. 36. v. 14. *Crudelitas publica.* Gen. 37. v. 27. Iud. 1. v. 6. c. 19. v. 19. 23. *Auaritia magistratus.* Neh. 5. v. 15. Prouerb. 29. v. 4. c. 28. v. 15. 16. *Potentia nimia vicinæ reip.* 1. Reg. 15. v. 17. 18. 2. Reg. 14. v. 8. c. 16. v. 6. 7. c. 15. v. 37. c. 19. v. 32. 37. *Calamitates frequentes ac sæpius acceptæ.* 2. Reg. 19. Psal. 121. 123. 124. 125. 139. 142. *Seditio ciuium inter se, siue bellum ciuile.* 2. Sam. 3. v. 10. 11. 13. c. 4. v. 1. *Coniuratio subditorum in principem.* 1. Sam. 30. v. 6. *Defectio sociorum.* 2. Reg. 8. v. 20. 22. 28. *Multitudo hostium.* Ita Nebucadnezar afflixit Iudæos. *Tyrannis.* Iud. 9. vers. 56. *Mali aulici.* 1. Sam. 18. v. 21. c. 21. v. 8. Psal. 52. 2. Sam. 11. v. 4. c. 19. v. 3. 2. Reg. 9. v. 32. Esth. 3. & 7. III. *Prognostica iræ Dei. Mulierum sterilitas.* Genes. 20. v. 17. *vitia principum & populi.* Deut. 28. *ἀτεκνία principum.* 1. Sam. 2. v. 33. 34. *mors piorum.* 2. Reg. 25. v. 28. 2. Chron. 35. v. 25. Esa. 3. v. 5. c. 57. v. 1. IV. *Prognostica fauoris Dei.* Deut. 28. V. *Modus sanandi morbos ciuiles. In genere sunt preces & pia vita. In specie hostes sunt nobis conciliandi.* 2. Sam. 3. v. 20. 21. *in bellis ciuilibus duces & antesignani sunt nobis conciliandi.* 2. Sam. 2. vers. 7. 17. 18. *in coniurationibus consiliarij nobis sunt conciliandi.* 2. Sam. 15. vers. 14. *tyranno resistendum est, non à priuatis, sed ab optimatibus.* Iudic. 9. vers. 30. 41. 51. Atque hæc est delineatio politicæ sacræ: cum qua confer ea, quæ supra in philosophiæ practicæ introitu collegimus ex prouerbiis Salomonis: & omnino tibi persuade diuinissimam Politicam occurrere in Pentateucho, libris Regum, Chronicorum, Samuelis, Nehemiæ, Esdræ, Psalmorum, & Prouerbiorum.

POLITICA HIERO-GLYPHICA.

POlitia Societatis politicæ hietoglyphica sunt. 1. *Politia apum.* 2. *Societas gruum.* 3. *Sphæra ciuitatis*: cuius picturam vide supra in 1. *syst. polit. c.* 3. *in fine.* Nauis, domus, corpus hominis, & similia insigniter etiam politiæ rationem depingunt.

MAGISTRATVS. 1. Ægyptij regem per *elephanti* hieroglyphicum admonebant officij. Hoc enim animal regias virtutes, quemadmodum & leo, ponit ob oculos. Inprimis in elephantum grege is, qui natu est maximus, agmen ducit. Et:

——— est nobilis ira leonis,
Parcere subiectis, & debellare superbos.

Quod est symbolum Serenissimi magnæ Britaniæ regis Iacobi: quo claudit suum *βασιλικὸν δῶρον.* Plura de indole elephanti ac leonis vide suprà in Physicis. 2. Principis inepti hieroglyphica nota apud Ægyptios erat *elephas muribus venandis intentus*: qui labor tanta mole prorsus est indignus. 3. Regis optimi nota erat *anguis*, quem Ægyptij effingebant in orbem collectum, caudà mordicus apprehensa. In spiræ istius medio scribebant nomen regis. Quo ipso significabant omnia maxima, medioxima & minima debere curæ cordique esse bono principi. 4 Apud Ægyptios *Anguis vigil, vertic. erecto altèque pectore*, in obeliscis ac reliquis monumentis notabant officium boni regis. Inscribebant isti imagini nomen *Custos*, quòd principem deceat esse vigilantem ac veluti deum tutelarem. 5. *Pelecanus* principem admonet officij. Hinc Alphonsus rex Neapolitanus habuit symbolum, pelecanum rostro elicientem ex pectore sanguinem ad pullos pascendos, additâ hâc inscriptione: *Pro lege & grege.* 6. *Pictura boni & mali principis* proposita est supra *syst. 1. polit. cap.* 11. 7. Sacrum boni principis hieroglyphicum est *arbor* illa, *Dan.* 4 quæ admodum magnificè ob oculos ponit principi omne ipsius officium. Radix istius arboris debet esse pietas: truncus prudentia: ramus potentia: fructus iustitia & clementia. Admonet quoque subditos officij sui: vt scil. arborem istam non violent, sed protegãt & honorent. Huc pertinet illud vulgatum:

Arbor honoretur, cuius nos vmbra tuetur.

8. Sacerdotes Ægyptij principem & legislatorem per *canis* hieroglyphicum cum diademate, fascia vel amiculo, reliquo corpore nudo, significabant propterea, quòd princeps debeat gestare leui-somna corda, vt ait Lucretius, id est, vigilare pro salute reip. 9 Apud Homerum *pater & pastor* sunt symbola regis: vt pote qui debet esse pater patriæ, & ποιμὴν λαῶν *pastor populorum.* Pingatur itaque patris imago congregantis liberos, & pastoris pascentis oues. 10. *Gallina congregans pullos suos* exprimit affectum principis erga subditos. 11. Apud Homerum Iliad. 9. Achilles hieroglyphicum principis ponit *auem, quæ curat pullos implumes*: & ita de se loquitur.

Sicut auis, quæ pro pullis inplumibus ipsa
Euolat, & pastum miseris parat, haudsecus ipse
Pro Danais mala multa ferens, quot sæpe peregi
Per vigiles noctes, quot luces Marte cruentas,
Assiduè dum bella gero, dum prælior ipsis
Proque viris & coniugibus, Danaumque salute?

12. *Aquila*, rex auium, est hieroglyphicum principis apti ad dominatum. 13. *Vrsus lupus*, & similes bestiæ rapaces, non generosæ, etiam inter aues, vt sunt *accipiter, falco &c.* sunt imago principis mali. Vide *Dan.* 7. 14. Qui ciuitatem ab imbecillo principe rectam significare volunt, pingunt *vrsi caput*: quod est inualidissimum. 15. Pictura principis hæc est: Homo habens diadema aureum pietatis, purpuram clementiæ, sceptrum & bilancem iustitiæ, frænum prudentiæ, sphæram diligentiæ, facem honestatis. Pertinet huc toga Alexandri M. in qua firmamentum vnà cum stellis fixis erat eleganter expressum. 16. *Altas* est imago principis quia vt ille cœlum, ita hic sphæram ciuitatis humeris suis sustentat. 17. *Solitudo* hieroglyphicè significat, vni esse committendum sceptrum: quia vt Ouidius canit

Non bene cum sociis regna Venusque manent.

18. *Sceptrum* est imago regni apud scriptores sacros & profanos item *virga.* 19. Apud Thebanos iudicum *imagines* visuntur *absque manibus*, & *oculi conniuent*: quia iustitia nec muneribus capi, nec hominum vultu flecti debet. 20. *Nycticorax* est tyrannidis hieroglyphicum, ob occultationem consiliorum. 21. Ægypti tyrannum significabant per *Polypum & locustam*: quia locustæ dominationem exercent in polypodes. 22. Philippus Melanchthon in προλεγομένοις Ethicis, vbi explicat illud Aristotelis 5. Ethic. Ἄρχων ἐστὶ φύλαξ νόμων, ait: *Mahlet euch den Vosen fur: der ein einer hand haben* tabulas legis, *in der andern ein schwert wie man den Reiser mahlet.*

BELLVM 1. Belli signum hieroglyphicum est *equus.* Nam, vt Virgilius canit.

Bello armantur equi, bellum hæc armenta minantur.

Et Lucretius duellicam equorum prolem nominauit. 2. *Aries* hieroglyphicè significat bellum: quia hoc animal, simulac cornua creuerunt, est pugnacissimum in homines & alias sui generis bestias. Hinc olim indicturi bellum præmittebant arietem per fecialem, quem in hostium fines immitteret. 3. *Sagum*, vestis militaris, est nota belli. 4. *Hasta* erat indicium belli apud Carthaginenses. Vnde Romam miserunt hastam, voluntatis suæ signum. 5. Virtutis bellicæ signum apud Lacones erat *Venus armata*, item reliqui dij deæque omnes, quibus lancea erat in manu. Quia nihil ducebant turpius ignauiâ, nihil bellicâ virtute pulchrius, tali specie proponebant deos suos, quales cupiebant esse ciues. At cæterorũ Græcorũ theologia faciebat deos otiosos, eosque fingebat gestu recũbẽtium. 6. *Veteres poëtæ* finxerunt, bellum ab inferis immitti. Furiarum ministerio: neque quamlibet Furiam ad hoc negotij conficiendum esse idoneam, sed deligi omnium pestilentissimam, cui sint nomina mille, mille nocendi artes. Hæc innumeris armata colubris, tartareâ buccinâ præcinit. Pan insano tumultu omnia complet. Bellona furiosum quatit flagellum. Furor impius ruptis omnibus vinculorum nodis euolat horridus ore cruento. 7. *Hannibal* cùm è Pyrenæis montibus descendisset, vidit in somnis effigiem belli huiusmodi. Serpens mira magnitudine, cum ingenti strage arbores & virgulta prosternebat: nimbusque cum fragore cœli, grandine, ac fulminibus grauidus, villarum culmina corripiebat, domorumque tecta ac summas vrbium arces.

LEX 1. *Corona* est hieroglyphicum legis, propterea quòd certis est complicata vinculis, quibus vita nostra veluti religata continetur. Et qui secundùm præscripta legum instituũt suam vitam, lauro & coronâ felicitatis redimiti conspiciuntur. 2. In sacris literis *iugum* est hieroglyphica legum nota. 3. *Telæ ac retia aranearum* notant hieroglyphicè abusum legum. Sicut enim muscæ & alia volatilia minuta capiuntur & irretiuntur telis, quas fortiora animalia perrumpunt: ita leges imbellem ac imbecillem plebeculam cohibent, potentioribus nihil aduersantur. Ita sentit Saleucus Locrensium legislator.

CIVIS. 1. Malorum ciuium notæ hieroglyphicæ sunt *locustæ*, quæ omnia exedunt, *membra corporis pudenda*, quæ sunt abscondenda, *herba noxia* quæ crescunt inter macerias & ruinas ædificiorum, item *zizania & lolium.* 2. Bonorum ciuium hieroglyphica sunt *lilium, homo genu flectens vel caput aperiens, equus generosus parens sessori, item pulli pelecani & gallinæ.*

SENATVS. Alciatus huiusmodi emblema habet de senatu boni principis.

Effigies manibus truncæ ante altaria diuûm.
Hinc resident, quarum lumine capta prior.
Signa potestatis summæ, sanctique senatus,
Thebanis fuerant ista reperta viris.
Cur resident? quia mente graues decet esse quietâ
Iuridicos, animo nec variare leui.
Cur sine sunt manibus? Capiant ne Xenia, nec se
Pollicitis flecti, muneribúsue sinant.
Cæcus at est princeps, quòd solis auribus absque,
Affectu, constans iussa senatus agit.

CONSILIARIVS. 1. *Cor* est hieroglyphicum consilii: quia consilia debẽt esse cordata, id est plena prudentiæ & fortitudinis. 2. Veteres, cùm cõsilia occulta esse debere significare vellent, pingebãt *Plutonem galeatum* & *Proserpinam*: quia Pluto est custos subterraneorum siue occultorum, & raptus fit clam & galea tegit cap. 3. Emblema Alciati de consiliario principis.

Semiferum doctorem, & semiuirum Centaurum.
Assideat quisquis regibus, esse decet.
Est fera, dum violat socios, dum proterit hostes:
Estque homo, dum simulat se populo esse pium.

4. Eiusdem emblema de vtilitate consiliorum.

Bellerophon vt fortis eques superare Chimæram,
Et Lycij potuit sternere monstra soli.
Sic tu Pegaseis victus petis æthera pennis,
Consilioque animi monstra superba domas.

5. Emblema eiusdem, de non vulgandis consiliis.

Limine quod cæco, obscura & caligine monstrum
Gnosiacis clausus Dædalus in latebris,
Depictum Romana phalanx in prælia gestat,
Semiuiroque nitent signa superba boue;
Ritè monent, debere ducum secreta latere
Consilia: authori cognita techna nocet.

6. Parem delinquentis & suasoris esse culpam, docet idem tali emblemate.

Præconem lituo perflantem classica, victrix
Captiuum in tetro carcere turba tenet.
Queis ille excusat, quòd nec sit strenuus armis,
Vllius aut sæuo læserit ense latus,
Hic illi: Quin ipse magis, timidissime, peccas,
Qui clangore alios æris in arma cies.


ÆRARIVM 1. *Lien* est hieroglyphicum ærarij, quod per fas & nefas constituitur. Hinc Traianus Imp. fiscum, lienem vocare solebat, quòd eo crescente reliqui artus omnes

tabescerent. 2. Ærarij rectè constituti nota hieroglyphica est sceleton corporis humani, *meris neruis constans*: cuiusmodi icones apud Anatomicos occurrunt. Pecunia enim, imprimis publica, est neruus rerum gerendarum.

VICTORIA. 1. *Mactatus bos* apud Romanos, & alias nationes, erat signum victoriæ. 2. Atheniensibus *noctua* erat indicium victoriæ. Hinc prouerbium, *Noctua volat*, victoriæ est indicium. 3. Quia *accipiter* alias aues volatu antecellit, victoriæ est hieroglyphicum. 4. *Palma* est vsitatissimum victoriæ signum itémque *laurus* & ...

POLITICA SENTENTIIS, Apophthegmatis, similitudinibus, & exemplis authorum profanorum illustrata.

EXhibeo tibi flores politicos excerptos ex historicis Græcis, *Herodoto, Thucydide, Xenophonte, & Polybio*: ex historicis Latinis, *Sallustio, T. Liuio, & Cornelio Tacito*; ex *Philippo Cominæo*, historico Gallo; ex philosophis Græcis, *Platone, Aristotele, & Plutarcho*; ex oratoribus Græcis; *Isocrate & Agapeto*; & denique ex oratoribus Latinis, *Cicerone & Plinio Secundo*. Excerpti sũt illi à Lamberto Danæo & editi anno 1583. titulo Aphorismorum Politicorum, à nobis reuisi, & lemmatis marginalibus aucti. Malui autem istos aphorismos hoc ordine proponere, quàm sub certos titulos tanquam signa reuocare, vt eâdem operâ & politices & historiarum studiosis inseruirent. Nam illi quidem ex lemmatis marginalibus, & ex Indice huius Encyclopædiæ locupletissimo facilè videbunt, qui aphorismi ad eandem pertineant materiam: hi verò ad legendum bonos illos authores inflammabuntur lectione horum aphorismorum, & insimul vtentur illis tanquam hermis inter legendum. Cur verò plerosque laudatos scriptores tum Græcos; tum Latinos omiserimus, veluti ex Græcis historicis Dionysium Halicarnasséum, Diodorum Siculum, Appianum: ex Latinis C. Iulium Cæsarem, Iustinum historicum, Demosthenem, Curtium, & alios; hæc causa fuit, quòd qui ex iis colligi posse videbantur flores ac aphorismi, planè cum his nostris consentiant: vel vnius tantùm gentis historiam texant: vel ab aliis sint copiosè collecti, vt Gnomologia Demosthenis à Iohanne Loino; Curtij ab anonymo quodam in editione Iacobi Stoer anni 1602. Scripta Machiauelli quanquam continent multa egregia hìc tamen à nobis neglecta sunt: tum quia pleraque, quæ Machiauellus ex Liuio & aliis veteribus authoribus hausit, hìc sunt proposita, tum quia principia, quæ Machiauelli sunt propria, non sunt digna, quæ à nouellis virtutis cultoribus legantur: vti testantur tragici exitus illorum, qui præcepta Machiauellica obseruare in regimine suo aggressi sunt. Cæsarem Borgiam, Alexandri VI. Pontificis Romani filium, & Ludouicum Sfortiam intelligo: quorum ille exiguum ducatum Vrbinatem per infinita scelera vix occupatum non diu tenuit, sed ex illo eiectus & velut hominum ἀλάστωρ ex hominum consortio exclusus, in culinâ regis Arragoniæ miser, exul, mendicus, diu iure culinario offâque rancidâ victitans, infelicem animam efflauit: hic Mediolanensem Ducatum magnâ cum perfidiâ vsurpauit, sed ex eo Gallorum armis depulsus vnà cum vxore in arce Lochianâ in Galliâ diu miser & captiuus vixit, & in eâdem cum suis illis præceptis Machiauellicis mortuus est ac sepultus.



FLORILEGIVM POLITICVM EX HERODOTI HISTORIÆ LIBRO PRIMO



Bellorum externorũ origo. PRIMORVM inter longinquos populos bellorum causæ extiterunt raptus mulierum & adulteria. *In proœmio.*

Princeps iniurius in proceres. 2 Iniuria insignis in reginam aut aliquem è regni principibus etiam à rege ipso facta, sæpe in eum conspirationem excitat, per quam cædes eius, aut regni priuatio, saltem iniuriæ acceptæ vindicta tentetur ac suscipiatur. *De Candaule, qui ab vxore regno priuatus est.*

Imperium quæ confirment & augeãt? 3 Ad regnum alicui peregrino etiam illud iniustè occupanti stabiliendum, potest plurimum, affértque momentum magnum eorum qui prætextu religionis populo commendantur, fauor, & pro illius iure & defensione eorundem responsum ac pronunciatio. *De Pythyâ confirmante regnum Gygi.*

Agrorum vastatio. 4 Anniuersaria hostilium agrorum, frugum, ac messis vastatio, depopulatióque etiam absque eorundem obsidione, tantum illis incommodum affert, vt tandem de deditione, nisi mari potiantur, cogitare cogat.

In bellis prodest simulatio. 5 Inopiæ commeatus, aut imbecillitatis virium simulatio dissimulatióque sæpe prodest. *De Thrasybulo tyranno Milesiorum.*

Principũ exitus est spectãdus. 6 Non solùm cæterorum hominum, sed maximè principum, quantumuis pro tempore aliquo felicium, exitus vitæ atque extremi dies sunt spectandi, priusquam felices dici censeri ve possint. *De Solone id respondente Crœso, & de Crœso qui postea à Cyro captus est.*

Homicidia execranda. 7 Homicidia fortuita apud vetustissimos mortales etiam profanos detestabilia tamen & execranda semper visa sunt, vtpote quòd natura humana à cæde & sanguine abhorreat: itaque certis solennitatibus expiari consueuerant & exilio multari. *De Adrasto Phryge.*

Tyrannus vsurpatur. 8 Tyrannidem facilè in Rempub. vsurpat, cui arma tractare, & milites habere ad sui custodiam speciali priuilegio præ cæteris licet Itaque hæc nemini in Rep. sunt concedenda. *De Pisistrato.*

Tyranni exitus. 9 Tyrannorum variæ tandem calamitates esse solent. *De Pisistrato ter extur so.*

Victi humaniter sunt tractandi. 10 Conditio honesta & insperata victis à victore proposita, eos vel in partes victoris traducit, vel ad seditionem mutuam commouet. *De Pisistrato victore contra Athenienses.*

Populi feroces non irritandi. 11 Populi strenui & pauperes nunquam à ditioribus & opulentis populis irritandi, vel gloriæ, vel regni amplificandi gratiâ. *Sandanis consilium ad Crœsum.*

Bella quomodo facilè dissoluãtur? 12 Coniugiorum inter ipsos hostium principes pactio est facilis belli dissoluendi modus. *De Cyaxare, & Halyatte regibus.*

Bella iniusta sunt infausta. 13 Iniusta bella tristes exitus habent. *De bello à Crœso contra Cyrum suscepto.*

Exercitus quando dimittendus? 14 Quamdiu hostis in armis perstat, tamdiu & tibi in armis perstandum; nec exercitus à te dimittendus, si hostis suum retinet. *De Crœso exercitum dimittente & capto.*

Quomodo hostis aggrediendus? 15 Quâ parte potest hostis in prælio plurimum, siue peditatu, siue equitatu, eâ maximè vel stratagemate fallendo, vel vim inferendo terrendus, vel insidiis adoriendus, vel consilio in varias partes diducendus *De Cyro opponente camelos equitatui Crœsi.*

Duella. 16 Duello minimè ius publicum & illius decisio permittenda; vti nec sorti: nam inde quoque bella postea nascuntur. *De Argiuis & Lacedæmoniis pro Tyreate agro certantibus.*

Illex militum. 17 Præmio & donis milites sunt ad periculosa & difficilia opera, velut murorum ascensum, irruptiones in hostes faciendas, occupanda loca ardua & necessaria, cohortandi & excitandi. *De Cyro in expugnatione Sardium.*

Victorum aspectus. 18 Principum victorum calamitas, & ipsius eorum miseriæ conspectus, sæpe alios principes, imò eorum hostes, ad misericordiam mouet, & à sæuitiâ auocat & deterret. *De Cyro qui Crœso pepercit.*

Vrbium direptio impeditur. 19 Rapinæ militum inexplebiles, maximarum vrbium direptiones, voti religionísque prætextu sunt impediendæ. *De Persis à direptione Sardium abstinentibus.*

Colonia quando sit mittenda? 20 Ad famem & annonæ diuturnam caritatem subleuandam, pars etiam ipsorum indigenarum est in alias regiones dimittenda *De Lydis in Thusciam deportantibus partem indigenarum propter inopiam.*

Tyrannis vsurpatur? 21 Tyrannidem facilè in populari ἀναρχίᾳ, & statu vsurpat is, qui virtutis ac imprimis iustitiæ laude in populo priùs commendatus, eâ ipsâ ad suam ambitionem vel auaritiam abutitur. *De Deioce Medo.*

Reges electi qui primùm? 22 Reges primùm à populis electi sunt, & quidem ij qui opinione & laude tum prudentiæ, tum iustitiæ præstarent cæteris. *De Deioce.*

Reges ele- 23 Reges sunt infirmorum ac imbecilliorum aduersus robustiores

Cui cur primum?

bustiores & violentos tuendorum gratiâ primùm instituti. *De Deioce in regem Medorum electo.*

Vrbes cur conditæ?

24 Vrbes & arces primùm insidiarum & periculi ab hostibus imminentis propulsandi gratiâ à principibus fuerunt conditæ. *De Ecbatana.*

Tyrannis vsurpatur.

25 Princeps ad tyrannidem parat sibi viam, qui vel paucis, vel nullis subditis suis concedit, vt ad sese absque internuncio accedant. *De Deioce.*

Superstitio nocet rebus agẽdis.

26 Rerum quæ naturaliter fiunt superstitiosa obseruatio, sæpe felices conatus moratur, & rebus agendis nocet. *De Cyaxare desistente à pugna propter eclipsin.*

Sacrilegia punita.

27 Sacrilegia à Deo etiam in ipsos profanos vindicantur. *De Scythis Veneris Vraniæ fanum spoliantibus.*

Imperij magni initia.

28 Magnorum imperiorum fundatores & incunabula nonnumquam ex paruis & quidem pudendis initiis, sed extraordinariis & miraculosis modis iaciuntur ac conseruantur. *De Cyro puero seruato.*

Princeps iniurius in proceres

29 Regum in proceres crudelitas, aut insignis iniuria multarum in eum commutationum causa est, ac sæpe etiam regni amittendi. *De Harpago vlciscente iniuriam sibi factam.*

Quomodo ad defectionẽ populus incitetur?

30 Conuiuiis, sollicitationibus, donis, & futuræ libertatis promissione, populus facilè ad defectionem & seditionem impellitur. *De Cyro Persas excipiente conuiuio.*

Exercitus imperator qui constituendus?

31 Nemo exercitui à rege vel repub. præficiendus, quem ipsa grauiter priùs offenderit. Nam vt sese vlciscatur, res, imperium, & exercitum quantum potest, prodit & perdit. *De Astyage Harpagum præficiente.*

Ciues leprosi vitant.

32 Leprâ laborantibus, vitiligine, aut aliquo contagioso morbo, locus à reliquis hominibus separatus est maturè, isque publicè, assignandus. *De moribus Persarum.*

Pueri vt instituendi?

33 Pueri sunt à primâ statim infantiâ assuefaciendi, vt verum dicant, mendacia fugiant. *De moribus Persarum.*

Pax inter eiusdem gentis prouincias.

34 Ad pacem inter eiusdem gentis & linguæ Resp. liberas colendam, necesse est commune quoddam totius gentis Concilium constitui, in quo de totius gentis controuersiis & rebus communibus consultetur, statuatúrque. *De Panionio & Theletis consilium quoque.*

Militares viri vbi nulli?

35 Quibus in vrbibus multa mercatura viget, suntque frequentia gymnasia, ludi, theatra & fora, in iisdem ferè solent esse imbelles homines, miniméque militares. *De Lydis.*

Militares viri vbi nulli?

36 Voluptarium vitæ genus publicè vel priuatim susceptum emollit viros, etiam eos qui priùs strenui, hostibus formidolosi, ac militares fuerant. *Sic Lydi à Cyro imbelles effecti.*

Supplices non dedendi à regibus.

37 Supplicum ad se confugientium quibúsque fides data est, Princeps vel Resp. summam rationem & curam habeat: in primis autem ne contra fidem à se datam eos hostibus prodat curandum est. *De Pactiâ non reddito à Cumæis.*

Vrbium expugnatio iuuatur.

38 Aggerum terrenorum in oppugnando & propugnando oppido magnus est vsus. *De Phoceâ captâ.*

Supplices non deserendi à regibus.

39 Crudelitas & inhumanitas in extraneos victos, & per nostras regiones fugientes, vindicatur à Deo. *De Agyllensibus morbo correptis.*

Victoriam iuuat.

40 Magnum sibi ad victoriam momentum affert, qui fluuium, vel munimentum occupat, vel auertit, cui hostis fidit. *De Cyro Euphratem & Halym auertente.*

Bella iniusta sunt infausta.

41 Bella non-necessaria, & iniusta, infelices successus, & tragicos exitus habent. *De Cyro à Thomyri reginâ cum exercitu deleto.*

Dimicandum vbi?

42 Præstat in hostili, quàm in tuo solo & regno dimicare cum hoste. *Consilium Crœsi ad Cyrum.*

EX LIBRO SECVNDO HERODOTI.

Princeps in quosuis iniurius.

1 Magnorum iniuriarum à principibus illatarum magnæ solent esse à Deo vltiones. *De Troiâ captâ.*

Aulica flagitia punienda.

2 Adulteria aulica deprehensa, etiam in reginâ ipsâ, & aliis principibus grauissimè ad cæterorum exemplum puniri debent. *Exemplum Rampsiniti Ægyptiorum regis, qui vxorem suam cum aliis aulicis propterea cremauit.*

Tyranni etiã mortui sunt exosi.

3 Memoria principum, qui populum oppresserunt ac fatigarunt, quantumuis opulentûm & ambitiosorum, subditis nihilominus execrabilis & infausta est. *De Cheope & Chephrene regibus Ægypti.*

Princeps prodigus.

4 Inanes principum sumptus & ambitiosa eorum cœpta, non modo subditos vexant & exhauriunt, sed ipsosmet adeò principes ad inopiam tandem redigunt, & scelerata ad cogendas pecunias consilia capere cogunt. *De Cheope rege Ægypti, qui Pyramides vt extrueret, filiam prostituit.*

Militia neglecta.

5 Vrbi nullus est militarium virorum ordo & cura, ibi nulli sunt reip. nerui: itaque ea resp. facilè euertitur. *De Sethone rege Ægypti militarem ordinem aspernante.*

Monarchiæ assueti.

6 Vix est vt nationes, monarchis & regibus parere solitæ aliam reip. formam sequi, & monarchis carere possint. *De Ægyptiis duodecim reges eligentibus.*

Seditionem mouet.

7 Principum in proceres populo caros crudelitas facilem seditionis occasionem populo præbet. *De Aprye rege Ægyptio, à quo Ægyptij defecerunt.*

Militia electa.

8 Militaris ordo quò sit honoratior in repub. & ad pugnas mortémque pro patriâ paratior, priuilegiis ornari, & à vilibus artificiis abstinere solet. *De Hermotybiis Ægyptiorum.*

Religionis antistites.

9 Etiam inter profanos qui sacris operarentur, alebantur publico sumptu: id est, & prædia, & reditus publicè assignatos habebant, vnde alerentur honestè. *De sacerdotibus Ægyptiorum.*

Principis custodes.

10 Ex ordinariis militibus custodes ac stipatores, Principi dari satius est ad subleuandum publicum ærarium, quàm extraordinarium illi præsidium magno sumptu constitui. *Mos Ægyptiorum.*

Princeps ignobilis vt auctoritatem sibi concilie[t]

11 Principi cauendum, ne maiorem suorum fœditas, aut nota ignobilitas eum in contemptum adducat. Itaque diligenti iuris administratione, perpetuâ de regno curâ, & in subditos beneficentiâ & æquitate, maiorum suorum maculam ab eo elui necesse est. *De Amasi rege Ægyptio.*

Principis lusus qualis esse debeat?

12 Quanquam Principem, vti reliquos mortales, à grauioribus curis animum remittere, séque exhilarare fas est: tamen ne in scurrilitatem propterea incidat, illi cauendum est: aut ne eas animi relaxationes, ludos & iocos palàm omnibus, sed admissis tantùm paucis iisque amicissimis faciat, & exerceat, ne sui contemptum pariat. *De Amasi propterea reprehenso.*

Ciues vitæ suæ rationem reddant.

13 Demonstrent apud magistratum tenues, tum ciues, tum incolæ & peregrini, quâ ratione victum sibi comparent: ne furtis & latrociniis abundet vrbs, aut regio ea, vbi id negligitur. *Lex Amasis regis Ægypti, & Solonis.*

Mercatores extranei.

14 Extraneis apud nos mercimonia exercentibus, & aduenis inter nos versantibus in suâ linguâ suóque ritu religionis suæ exercitium & formam habere liceat. *De Amasi hoc concedente Græcis.*

Mercatores extranei.

15 Extraneos mercatores, vnius & eiusdem mercis, ad certam & eandem regni, vel Reip vrbem accedere, quàm per totam regionem liberè vagari, satius est, ne pro mercatoribus fiant exploratores, & vt certus cuique merci extraneæ sit locus destinatus. *De Naucrate in Ægypto constituta ad eam rem.*

EX LIBRO TERTIO HERODOTI.

Bellorum causa.

1 Potentiori principi denegatum à minori principe coniugium, siue sui ipsius, siue eorum quos habet in potestate, extitit sæpe magnorum bellorum occasio causáque. *De Amasi denegante filiam Cambysi Persarum Regi.*

Bellum inchoantibus qui agendum & curandum.

2 Eius hostis, quem oppugnaturus es, vicinos tibi prius socios facias, vel concilies, maximè eos, è quorum regione commeatus tibi petendus est. *De Cambyse Arabum Regem sibi conciliante.*

Victor liniendus

3 Potentior princeps, qui armis victoriam persequitur, est etiam à populis victo populo vicinis deliniendus & conciliandus. *De Afris & Barcæis Cambysem sibi conciliantibus.*

Milites scelerati

4 Nemo ex ingenti scelere perpetrato fit fortior, etsi obstinatior fieri nonnunquam potest, ademptâ sibi spe veniæ. *De Caribus crudeliter pro Psammenito Rege pugnantibus.*

Victorem emollit

5 Victi principis constantia & magnanimitas in ipsâ afflictione, victorem, ad misericordiam mitigationémque miseræ illius conditionis, præsertim magnanimum, sæpe commouet & impellit. *De Psammenito victo, & Cambyse victore eum experiente in filio & filiâ.*

Populi cognati.

6 Erga cognatos populos, quamuis loco à nobis dissitos, beneuolentia & ius sanguinis valere perpetuò debet. *De Phœnicibus recusantibus se ituros aduersus Carthaginenses.*

Explorator fit.

7 Sub specie munerum mittendorum maximæ regni alieni explorationes fiunt. *De Cambyse sic explorante res Æthiopum.*

Regio ignota.

8 Alienum populum & regionem antequam aggrediaris aut inuadas, notam vel per te ipsum, vel per fidos exploratores habeto. *Ibidem.*

Bella temeraria.

9 Bella temerè (id est rebus omnibus non prius rectè prospectis & paratis) suscepta, tristes exitus habent & infelices. *De Cambyse temerè exercitum in Æthiopes & Ammonios ducente.*

Principum impietas.

10 Ob læsam insigniter pietatem etiam profani ipsi scribunt suos principes meritò dementatos, & ad insaniam redactos fuisse. *De Cambyse post occisum Apim, violatum templum Vulcani, Deos Cabirorum violatos.*

Principum voluntas.

11 Quicquid libet licet Principi; Lex quidem & vox Persarum iudicium, verùm perniciosissima. *Damnatur ab Herodoto quasi per adulationem & metum conficta & commenta.*

Princeps iracundus.

12 Ira Principis crudelis & temeraria, odium illi subditorum irreconciliabile parit. *De Cambyse occidente 12. Persas & filium Prexaspis.*

Proceres læsi & offensi.

13 Magnatum vel plures, vel adeò vnus qui inter eos potentior est, à principe temerè læsus ac irritatus, facilè cæteros ad conspi

ad conspi

ad conſpirandum impellit. *De Prexaſpe læſo à Cambyſe: de Smerdi occiſo ab eodem Cambyſe.*

14 Iracundo principi conſilium vix, ac ne vix quidem, tutò dari poteſt. *De Cambyſe iraſcente in Crœſum.*

15 Stolidiſſimus eſt, minimèque prudenter ſuæ auctoritati conſulit is princeps, aut Reſpublica, quæ leges ipſa ſuas irridet & manifeſtiſſimè aſpernatur: cæteris enim ad idem faciendum præbet viam & exemplum. *De Cambyſe leges ſuas irridente.*

16 Mos ſiue bonus, ſiue malus, ſi modò iam receptus, vſuque validus, rex eſt, & bonis conſiliis capiendis, & cœptis perficiendis obſtat quum quid aggredimur illis moribus contrarium. Itaque boni mores maturè inoleſcant, & deſueſcant mali. *Herodotus ex Pindaro.*

17 Tyrannorum eſt, fratres ſuos, quid ad partem Regni ſunt admittendi, vi, aut veneno tollere. *De Polycrate.*

18 Magis gratificatur is, qui ea, quæ nobis abſtulit, benignè reddit; quàm qui nihil abſtulit, ac propterea nihil reddit. *Polycratus. γνώμη*

19 Summis negatum ſtare diu. Itaque regna & Reſpubl. quibus res ex animi voto ſuccedunt, diu ſic felices perſtare non poſſunt: ſed vel à Deo propter abuſum felicitatis immediatè ſummis calamitatibus; vel ab hominibus magnis bellis, ſiue ex inuidiâ, ſiue ex metu ſtatim affliguntur. *De Polycratis regno.*

20 Miſeriis & publicis cladibus, vel perſeuerantibus vel creſcentibus, eſt inutilis, imò ſtolida in propoſito priori reſiſtendi pertinacia. *Filia Periandri.*

21 Suppoſititij Principes & nothi, & falſi, æquè atque legitimi & veri, populum ſæpe trahunt ad ſe, pro Principibus habentur, & difficilè deteguntur, ac de ſede ſemel occupatâ deiiciuntur. Ac proinde abſente vel mortuo Principe, alius qui ſe eum eſſe iactet, non temerè admittendus, ſed prius bene explorandus. *De Smerdi Mago, & Otane eum per filiam explorante.*

22 Nouo principi magnam ſubditorũ beneuolentiam conciliat liberalitas in eos, tributorum remiſſio, onerum imminutio, priuilegiorum conceſſio. *De Smerdi Mago hæc concedente.*

23 Coniurationes in tyrannos primùm paucis communicandæ, & quamprimum exequendæ. *Darij ſententia ad ſex Perſarum principes.*

24 Magnæ publicæque vtilitatis gratiâ, licere Principi mendacium dicere, putant homines profani: *vti Darius hic: & in libro de Republ. Plato. Chriſtiani verò negant, & meritò.*

25 Simulare tamen & diſſimulare, item tacere quædam, publicæ vtilitatis cauſâ, licet principi & priuatis. *Ex vtrorumque, id eſt Chriſtianorum, & profanorum ſententiâ.*

26 Suſpicio de illegitimo Imperio, vel Imperatore quamprimum de populi animo tollenda, ne rebelliones aut coniurationes ſtatim ſequantur in ſuſpectum. *De Magis Prexaſpem ſibi conciliantibus.*

27 Ad tyrannorum arces & præſidia occupanda, & penetranda, prodeſt vnum quempiam ex illorum familiaribus, vel in coniuratione eſſe, vel ſaltem iter & viam ad tyrannum patefacere, ac primùm præſidio & cuſtodibus occurrere. *De ſeptem Perſis in Smerdis, Magi cubiculum ingredientibus.*

28 Monarchiam tria maximè reddunt hominibus odioſam, Ingenita omnibus cupido libertatis & iuris cum cæteris ciuibus æqualis: Ipſa monarchiæ potentia, cui facilè inuident alij: Ipſorum denique Monarcharum ex præſentibus bonis inſolentia in alios, & præſertim ſubditos. *In oratione Otanis contra Monarchiam.*

29 Ex omnibus Reipub. formis, etiam bonis optima eſt Monarchia. *Darij ſententia.*

30 In paucorum etiam bonorum imperio ſunt omnia plena ſimultatibus & odiis mutuis: vnde cædes & ſeditiones.

31 In populi imperio mali dominantur, & rerum imperiti iudicant; vnde magna rerum confuſio & perturbatio ſequatur neceſſe eſt. *Darij ſententia.*

32 Ex tribus bonis Reipublicæ formis peſſima eſt Democratia. *Megabyſi oratio.*

31 Regna raro iuſta ratione, id eſt abſque fraude vel vi apertâ, vel coniunctim abſque vtraque homines noui primùm conſequuntur. Tanta eſt regnandi libido. *De modo quo factus eſt Darius rex Perſarum.*

34 Ad conſeruandam procerum eiuſdem Reipublicæ concordiam inter ſe, operæpretium eſt vt alij mutuò in aliorum familiis etiam ex edicto publico coniugia quærant. *Lex inter ſex primos principes Perſidis.*

35 In Regnis & Rebus publicis bene conſtitutis debet eſſe certum & ordinum ſententiâ conſtitutum tributum, non autem arbitrarium, quod ab vnaquaque illius regni prouinciâ Rex vel Reſpublica exigat, vt lubentius ſoluatur, ſitque certior redituum publicorum ratio. *Darij de eâ re conſtitutio.*

36 Moderatum autem eſſe debet pro cuiuſque regionis opibus vel egeſtate, vt populus non deglubatur, ſed potiùs tondeatur.

Moderatum.

Theſaurus publicus quomodò aſſeruandus?

37 Theſaurus publicus, quódque in eo aurum & argentum ad publicas neceſſitates reſeruari debet, meliùs in fidelias, vel laminas contuſum, aut conditum, aut liquefactum aſſeruatur, quàm in monetâ iam cuſâ: nam tunc minus facilè patet furibus, vel expenditur. *Ea fuit ratio aſſeruandi regij theſauri in Perſide.*

Tributum prudenter imponatur.

38 Limitaneæ Regni, vel Reipub. regiones non ſunt tam graui tributo quàm meditullianæ, onerandæ, quantumuis opulentæ, ne fatigatæ rebellent & deſciſcant. *De iis populis quos etiam Darius minimè tributarios fecit, quoniam erant limitanei, vti Colchi & Æthiopes.*

Reſpub. bene morata.

39 Cauendum bene conſtitutæ Reipublicæ, ne propter beneficia in publicum à ſe collata quiſquam ſcelerum impunitatem conſequatur, aut habeat. *De Intapherne qui à Dario punitus eſt.*

Principum temeraria profectio.

40 Ambitio, auri cupido, vel Venerea libido ſæpè impellũt principes, vt extra ſui territorij fines periculoſas inſidioſáſque ad alios tanquam amicos, verùm hoſtes & inſidiatores, profectiones temerè inconſultéque ſuſcipiant. *De Polycrate proficiſcente ad Oroten.*

Princeps nouus.

41 A nouo Principe & nondum ſatis confirmato nihil in quempiam è proceribus gratioſum populo, aut potentiorem quantumuis meritum, vi apertâ adhuc tentandum eſt acerbius, ſed multa ad tempus illi ſunt condonanda. *Darius parcens ad tempus Orœti.*

Princeps ignauus.

42 Princeps qui naſcenti vel creſcenti imperio nihil addit, pro ignauo habetur. *Atoſſæ vxoris Darij vox.*

Legati.

43 Legati exterarum regionum vbique ſacroſancti eſſe debent & inuiolabiles. *De Perſis ab Ariſtophilide* [illegible]*.*

Tyrannidem confirmat.

44 Intempeſtiua libertatis affectatio, aut in tyrannidem nondum prorſus ſublatam contumelia, & libertati recuperandæ & tyrannidi reliquæ tollendæ obſtant. *De Mæandrio offenſo à Samio Teleſarcho.*

Tyrannidem infirmat.

45 Tyrannus ab hoſte præſertim extraneo impetitus ab omnibus ſuis & quidem ſtatim deſeri ſolet. *De Lycareto deſerto à ſuis.*

Princeps nouus.

46 Qui nouo armíſque recens conquiſito imperio potitur, facilè tum ipſe quauis iniuria in victos propter ſuſpicionem rebellionis irritatur; tum illi quoque recens ſubacti populi in eum, ſi qua datur occaſio, conſpirant, vt eum eiiciant. Itaque vtrique & modeſtiſſimè & ex pactis legibus ſeſe gerere debent. *De Otane Perſa irritato à Samiis.*

Transfugis vt credendum?

47 Transfugis non temerè credendum, aut quidquam in bello committendum etiam fidem iuſtæ ſuæ ex partibus fugæ facientibus, & ſeſe ſtrenuos aduerſus partes deſertas præſtantibus. *De Babyloniis proditis à Zopyro.*

Tranſfugis vt credendum?

48 Maximum ad res hoſtium prodendas & perdendas ſtratagema eſt, ſi quempiam honoratum è noſtris ducibus apud hoſtem illi gratioſum habeamus fidum nobis & transfugam, qui nobiſcum colludens ſeriò agere tamen credatur, quíue vel toti exercitui, vel alicui hoſtilium copiarum parti, vel præſidio præficiatur. *De Zopyro transfugam ſe à Dario ſimulante.*

EX LIBRO QVARTO HERODOTI.

Principis abſentia.

1 Longior principum à ſuis regnis abſentia, eorum inter ſubditos obliuionem & contemptum parit, aut difficiles ad priſtinam auctoritatem recuperandam aditus præbet. *De Scythis per 28. annos abſentibus.*

Terrores Panici.

2 In bello iniuſtè ſuſcepto ſæpè terrores Panici à Deo immittuntur, quibus perculſus exercitus fugit abſque manifeſta tamen cauſâ. *De Scytharum ſeruis fugientibus.*

Religio mutata.

3 Propter mutatam à principe vel publicè, vel priuatim religionem patriam, & ob peregrinam ſuſceptam, populus ſæpè à principe deſciſcit. *De Scyle Rege Scytharum propterea abiecto.*

Bella temeraria.

4 Inutiliter bellum ſuſcipitur aduerſus eum populum qui vel nullis eſt opibus vel exiguis. *Artabanis ad Darium conſilium, & Cœxis qui Erxandi filius fuit.*

Religio aliena.

5 Princeps in alienam regionem irrumpens tutum reditum ſibi ſeruet. *De ponte quem Darius ſeruauit.*

Bellum iniuſtum.

6 Ne quis ſeſe in ſocietatem iniuſti belli quacunque occaſione demittat. *Reſponſum Scytharum quorundam ad Gr[illegible]as.*

Princeps vtilis.

7 Princeps is maximè tutandus eſt ſub cuius tutela reliqui vicini pacificè viuunt & proteguntur. *Hiſtiæi Mileſij conſilium de Dario conſeruando.*

Clades accepta.

8 Poſt cladem inſignem plebs facilè à principe ſuo deſciſcit, quoniam tunc eum contemnit. *De Apy victo & eiecto ab Ægyptiis.*

Religio mutata.

9 A principe vel Republica ſacra iam recepta, mutata, ſeditionem etiam aduerſus principem ipſum mouent. *De Arceſilao Batti Claudi filio.*

10 Inuidiam

Proceres perdit.
10 Inuidiam & exitium sibi parit is, qui quantumuis egregius & strenuus, tamen se principis sui æmulum seque illi parem ostendit. *De Aryande præfecto Ægypti qui à Dario occisus est.*

Auxilia callida.
11 Auxilij ferendi prætextu sæpè alienas regiones inuadendi & scrutandi consilium tegitur. *De Pœnis hâc ratione ab Aryande tentatis. Lib. 5. de Aristagora.*

In bello præter mãdatum nihil fiat.
12 Est sapientis exercitus Ducis nihil præter mandatum ab imperatore suo aggredi, etsi rei bene gerendæ occasio prætermitti videtur. *De Amasi Ægyptio Cyrenen intercipere recusante.*

Iter exercitus longinquum.
13 Exercitui longinquum & remotum à finibus iter conficienti maximè ab insidiis incolarum & rusticorum imprimis cauendum est. De *Ægyptiorum exercitu necato à rusticis Pœnis.*

Victoris crudelitas.
14 Vindicta etiam à Principe victore crudeliùs facta punitur à Deo seuerè. *De Pheretima, quæ post crudelitatem in Barcæos computruit vermibus.*

EX LIBRO QVINTO
HERODOTI.

Priuilegia.
1 CAuendum ne cuiquam, quantumuis bene de Republica merito, tale quidpiam tribuatur quod Republicæ pacem turbare vel in præsens vel in posterum possit. *De dono quod Darius Histiæo de Myrcino ædificando con[cessit] ... reuocato.*

Proceres suspecti.
2 Qui ob potentiam inter populares suam suspecti sunt, debent inde honorum aut laudationum publicarum honesto prætextu abduci. *De Histiæo quem Darius secum abduxit Susas.*

Iudicis cõcussio.
3 Concussio à iudice facta punienda est. *De Sisamne quem Cambyses excoriauit, & iussit eius filium in cathedra ex eo corio facta sedere.*

Familia bene instituta.
4 E priuata domo bene constituta potest fieri iudicium de prudentia & industria patrisfamilias, vt ad publica gubernacula admittatur. *De Milesiis agros excolentibus.*

Ducum exercitus contentio & discordia.
5 Perniciosa omnino est duorum Ducum in eodem exercitu inter se contentio & rixa implacabilis. *De Macabate & Aristagora. De Demarato & Cleomene regibus Lacedæmoniis.*

Seditionis causa.
6 Deprehensa magistratus fraus & astus sæpè seditionem mouet. *De Histiæo animaduertente Dary fraudem.*

Cõiuratio in tyrannũ.
7 Deficere à tyranno volentibus plebs est aliqua libertatis ostentatione aut concessione delinienda, & ad partes traducenda. *De Milesiâ plebe quam deliniuit Aristagoras.*

Cõiuratio in tyrannũ.
8 Deficere à tyranno potente cupientibus primùm societas aliqua, & ipsa potens quærenda est. *De Aristagora Lacedæmonio[s] pe[t]ente.*

Colonia vt ducenda.
9 Colonia in alienam regionem non est temerè, sed prudenter deducenda, quæ se tueri possit aduersus indigenas. *De Dorico eam temere condente in Africa*

Societas initur.
10 Facilius spes certa vel apparens lucri proposita quum facilis apparet, rerum post illatarum executio alios in nostram societatem pellicit, quàm causæ nostræ æquitas. *Aristagoras versans Spartæ sic persuadebat.*

Proceres vt deprimendi.
11 Quum quis magni iam apud populum nominis est deprimendus & deiiciendus, maximè debet vel religionis prætextu, vel alterius iam commendati notique viri oppositis laudibus & cooptatione (vt absque seditione aut murmure id fiat) sensim excuti ac dimoueri. *Clisthenes Sicyonius sic Adrastum Sicyone deiecit. Sic Alcmæonidæ Athenis eiecti.*

Proceres vt deprimendi.
12 Eius Principis aut familiæ quam de Republica exterminari oportet, omnia egregia monumenta, præsertim publica, sunt vel prorsus tollenda, vel commutato nomine aliis tribuenda. *Sic Adrastus apud Sicyonios periit.*

Milites strenui.
13 In Republica & Democratia ciues sunt magis strenui propugnatores libertatis & Reipublicæ amantes (quoniam inter eos est æqualitas iuris) quàm in Monachia seu Regno.

Tyrannorum ars.
14 Tyrannorum ars hæc maxima est, nempe potentissimum & optimum quemque è Republica tollere, prius falsis criminibus accusatum, vel aliis de causis alióue modo necare. *Consilium Thrasybuli ad Periandrum.*

Clades.
15 Clades initio belli accepta, quum est maxima, sæpè socios à nobis auertit. *De Atheniensibus qui Iones deseruerant.*

Societas initur.
16 Felix rerum incœptarum initium multos socios nobis conciliat. *De Caribus & Cypriis qui Ionibus accesserunt.*

Bellorum inter vicinos causa.
17 Principibus, Monarchis, ac potentioribus factæ à Republica vel Principe tenuiore iniuriæ altè in animis insident, nec nisi prius vindicatæ omittuntur vel obliuioni traduntur. *De Dario acceptas ab Atheniensibus iniurias ad animum quotidie reuocante.*

In certamine locus. Equitatus frangitur.
18 Sociis belli à nobis ascitis optio loci in acie honestiùs conceditur quàm locus præscribitur. *De Cypriis qui hanc optionem detulerunt Ionibus.*

19 Tutissimum aduersus equites equósue quantumuis feroces in prælio remedium est, si aliqui pedites summitantur, qui equos ipsos in certamine concidant, aut vulnerent. *De Onesilo equum Artibii per satellitem occidente.*

Victoriæ causæ.
20 Inter dimicandum proditio, transfugium, vel aliud quidpiam in fauorem hostium à quibusdam è nostris tentatum totum exercitum nostrum perterrefacit & profligat & in fugam vertit: item, si quod auxilium hostibus aduentare vel cernatur, vel credatur. *De proditione facta à Stesenore Cyprio.*

Victoriæ causæ.
21 Victis vel laborantibus auxilium superueniens in prælium, eos ad prælium animat, illisque animos addit. *De Caribus animos resumentibus propter auxilium Milesiorum.*

Idem.
22 Exercitui etiam timido spes omnis fugæ erepta facit vt strenuè pugnet. *Pixodori consilium Caribus datum.*

Duces strenui si simul sint.
23 Quoties in exercitu plures aliquot strenui magnique duces conuenere, nisi hostium vires eos simul arma coniungere & esse cogant, commodiùs, & ad pacem inter se tuendam, & ad hostem fatigandum, copias diuidunt & in diuersa loca abducunt; vbi eorum quisque rem per se & bellum gerat, quàm simul & vnà retinentur. *De ducibus Dary in diuersas regiones se diuidentibus.*

EX LIBRO SEXTO
HERODOTI.

1 HOstilis exercitus per homines illi notos, per literas occultas immissas, per honesta & æqua cum parte hostium fœdera, per metum periculi & minarum, terrendus, diuidendus, vel ad defectionem solicitandus. *Sic Duces Persarum ag[u]nt aduersus Ionum exercitum.* *Hosti[lis] ... terre[ndus]*

2 Vbi ij quorum maximè interest dimicare, pericula subire recusant, occasionem aliis, ac præsertim sociis, ad fugam vel defectionem & iustam & facilem præbent. *Sic euenit Ionibus non parentibus Dionysio, & munia militiæ recusantibus.* *In ce[rta]mine ... dit.*

3 Sæpè qui extranei ad partem duntaxat regionis possidendam inuitantur, fiunt insidiosè tandem illius totius domini. *De Samiis Zanclam occupantibus.* *Pere[grini] inuit[ati].*

4 Magnas vel toti genti vel ciuitati calamitates venturas plerunque præcedunt aliqua extraordinaria signa vel portenta. *De Chiis ab Histiæo victis & euersis.* *Cladi[um] signa.*

5 Fraudes tandem minimè rectè cedunt cuiquam. *Vita Histiæi id docet, perfidi Varie.* *Fraus nata.*

6 Victoriæ recentis terror facilè in victoris, modò cursum felicem victoriæ persequatur, manum quæ supersunt ex hoste victo tradit. *De Persis & Phœnicibus post Melitum & insulas vicinas captas Hellespontum capientibus.* *Victo[riæ] fruct[us].*

7 Hosti transfugæ non temerè aut citò fidendum. *De Stesagorâ.* *Tran[sfugæ] vt cr[e]dum.*

8 Periculosum est Reip. in eius quem ipsa offendit, aut qui ab eâ se offensum credit, manus & imperium deuenire. *De Miltiade & Chersonesius ab eo vinctis.* *Prin[ceps] sæu[us]*

9 Tyrannus est animal timidissimum, vbi vis illi intentatur, & magna, & manifesta. *De Miltiade Cimonis filio sæpius fugiente.* *Tyra[nnus] om[nium ti]midu[s]*

10 Optima vectigalis indicendi ratio, vt tota regio prius diuidatur in certas partes, cuique parti certum tributum indicatur. *De [Art]aphernе sic Iones diuidente.* *Trib[utum] indic[endum]*

11 Qui fit à potente Principe nouus belli apparatus, debet omnbus vicinis esse suspectus. *De Dario Mardonium cum nouo exercitu mittente in Græciam.* *Belli parat[us]*

12 Ex metallifodinis reditus solent esse amplissimi. *De Thrasiis.* *Vect[igal] vnde*

13 Magnam nouo Principi conciliat populi beneuolentiam, si vetera debita & tributa remittat ciuitatibus. *Lex Persarum.* *Prin[ceps] nou[us] ... men*

14 Artificia & munera quædam publica sunt apud nonnullos populos in familiis hæreditaria. *De coquis & præconibus apud Ægyptios.* *Artif[icia] hære[dita]ria.*

15 Subditi potentes à Rege & summo Principe contumeliâ affecti, sæpè sese acerrimè, etiam cum totius patriæ & ipsius regni iacturâ, vlciscuntur & vindicant. *De Demarato Lacedæmonio.* *Pro[ceres] læsi ... [of]fensi.*

16 Omnis potestas summa est impatiens consortis, nec facilè inter duos eiusdem Reipublicæ Reges conuenit. *De Cleomene & Demarato regibus Lacedæmoniis.* *Princ[ipum] summ[orum] conc[ordia] ... impe[rium]*

17 De Principum, qui successores futuri sunt, legitimâ genitura constare inter populum interest plurimum ad eorum securum imperium. *De Demarato Rege propterea eiecto è regno.* *Princ[ipum] genit[ura] legiti[ma]*

18 Fraudes Regum à Deo vindicantur. *De Leutychide Rege Lacedæmonio & Cleomene.* *Fraus nata.*

19 Qui quum sint eiusdem Regni aut societatis pars, tamen soli cum hoste communi fœdus faciunt meritò à reliquis puniuntur. *De Æginetis fœdus cum Persis ineuntibus.* *Soci[etas] ... Princ[ipum]*

20 Impietatem Regum Deus vlciscitur. *De Cleomene & eius mortis causis.* *impie[tas]*

21 E pluribus fratribus Regiis ferè primogenitus succedere solet in Regno. *Sic Sparta.*

22 Qui Dux inferiórue magistratus absque superioris Principis aut Reipublicæ consensu aliquid hostibus vel sociis spopondit aut damnum intulit, pro noxâ iisdem est dedendus. *De Leutychide Rege Lacedæmonio dedito.*

23 Ob depositum fideliter non redditum, Respublicæ & familiæ à Deo punitæ. *De Glauco Spartano.*

24 Impietas Principum in Deum ab ipso vindicatur. *De Æginetis abstrahentibus ex adytis Cereris fugitiuum.*

25 Apud Reges sollicitanda assiduè etiam æqua quæ impetrata volumus. *De iis qui Darium sollicitabant ad bellum Atheniensibus inferendum.*

26 In vicini populi, & qui facilè & citò auxilium nobis ferre potest, potissimum tutelam committere nos debemus. *De Lacedæmoniis Platæenses recusantibus.*

27 Crudelitas patrum in filios, & maritorum in vxores, etiam publicè à Deo vindicata. *De Pelasgis Lemniis in filios suos crudelibus.*

EX LIBRO SEPTIMO

HERODOTI.

1 SOli fertilitas peregrinis nimium prædicata vel ostensa, eos tandem ad illud occupandum inuitat. *Sic Mardonius Xerxem mouit ad Graciam occupandam.*

2 Princeps prudens nouo & longinquo bello temerè sese nequaquam implicet. *Xerxis exemplum.*

3 Bella quantumuis iustâ ex causâ, tamen non nisi ex consensu & consilio principum, sunt à summo magistratu suscipienda, vt eos ad ea paratiores habeat. *Xerxis exemplum de bello Græcis inferendo deliberantis.*

4 Summus princeps, aut qui concilio præest, æquo animo ferre debet, vt contrariæ sententiæ dicantur; imò vt consiliarij vel plures vel vnus, ipsimet contradicant & aduersentur. *Xerxis exemplum.*

5 Bene ac diu de re semel suscipienda deliberari maximum est tum lucrum, tum rei exequendæ adiumentum. *Herodoti sententia in oratione Artabani.*

6 Regum & regnorum insolentem superbiam, & aliis vel vicinis, vel extraneis, vel subditis iniuriosam, Deus tandem deiicit & punit. *Artabanus in oratione.*

7 In cunctando multa sæpè bona insunt, præsertim vbi de bello in exteros suscipiendo agitur. *In oratione Artabani.*

8 In deliberatione de bello suscipiendo non iis temerè credendum qui vires hostium per contemptum diminuunt. *In oratione Artabani.*

9 Vindictæ libido, sæpè consilia bellaque temeraria suadet Principibus. *Xerxes sic vltionis cupiditate Græcis temerè bellum intulit.*

10 Est prudentis & clementis principis si quos etiam ex subditis vel solo verbo offenderit, eosdem lenire & apud eos suam ipsius culpam agnoscere. *Xerxis exemplum veniam ab Artabano deprecantis.*

11 Sæpe regnis & rebuspublicis clades diuinitùs immittuntur, vel fataliter ineuitabiles imminent, & omnino sunt subeundæ, quidquid contra sani consilij capiatur, fiat, & opponatur. *Sic clades Græcis à Xerxe diuinitus immissa est.*

12 Nemo subditus honestè detrectat militiam in quâ princeps ipse versatur, atque proficiscitur cum aliis. *Xerxis responsum ad Pythium.*

13 Non maior parandus tum terrestris tum naualis exercitus, quàm cui alendo & conseruando terra & portus commeatum præbere & perfugium possint. *Artabani ad Xerxem oratio in colloquio.*

14 Qui omnia pericula timet, nihil aggreditur: qui nulla, facillimè perditur. Præstat tamen alacriter aggredientem sibi quædam pericula proponere quàm in re qualibet metuentem nihil periculi in re vllâ suscipienda velle subire & pati. *Xerxes ad Artabanum in colloquio.*

15 Magna cœpta cum magnis periculis sunt coniuncta. Nec statim rerum totus euentus aut exitus perspici potest. *Xerxes ad Artabanum.*

16 In magnis imperiis certum numerum militum conscriptum ali necesse est; qui semper ad quosuis impetus hostium excipiendos parati sint & expediti. *De decem millibus Persarum qui Immortales dicebantur.*

17 Superbia Regum quantumuis potentum & opulentum à Deo punitur. *Exemplum in Xerxe à Græcis victo, cuius superbia apparet in ipsius colloquio cum Demarato.*

18 Qui populi & pauperes & custodes seueræ disciplinæ sunt, iidem & strenui & virtutis alumni esse solent. *Demaratus de Græcis.*

19 Legati violari absque scelere nefario, quod tandem à Deo punitur, non possunt. *De legatis Persarum qui à Lacedæmoniis fuerant violati.*

10 Pecuniæ publicæ quæ viritim sunt absque vllâ necessitate ciuibus diuidendæ, commodiùs in publici alicuius operis ædificationem & vsum conuertuntur, quàm viritim singulis ciuibus non egenis distribuantur. *De pecuniâ Atheniensium quæ ex consilio Themistoclis in naues conuersa est.* [Pecunia publica vt expédatur.]

11 Quando bellum commune sociis & toti corpori Reipublicæ imminet, membrorum, inter se simultates, odia, & contentiones sunt omittendæ & conciliandæ. *Atheniensium consilium quum Xerxes aduentaret.* [Bellum inchoantibus quid agendum & curandum.]

22 Graui bello imminente veteres societates renouandæ, & nouæ conciliandæ. *Athenienses & Græci in Siciliam, Cretam Argos mittunt.* [Bellum inchoantibus quid agendum & curandum.]

23 Exploratores in exercitu deprehensi non semper necandi: sed si & copiosus & rectè instructus est exercitus, per eum sunt circumducendi, ac dimittendi, qui famam rei terroremque suis augeant. *De Xerxe exploratores Atheniensium dimittente.* [Exploratores.]

24 Maximè ciuitatem amplificat hominum frequentia in eam ex aliis oppidis captis vel euersis facta. *Sic Syracusæ à Gelone factæ magnæ.* [Resp. crescit.]

25 Rei ex consilio gestæ lætus plerunque est exitus. *Sententia legatorum Græcia ad Gelonem.* [Resp. deliberans.]

26 Externi auxilij & exercitus dux ne affectato esse indigenæ exercitus recusantis imperator. *De Gelone affectante imperium Græciæ.* [Peregrinus dux.]

27 Nimia indigenarum ambitio in imperio ac tota auctoritate penes se retinenda, eos plerunque externorum auxiliorum bono priuat: sunt enim auxiliares copiæ gradu & loco honesto semper habendæ. *Græcia sic priuata auxilio Gelonis propter imperium retentum.* [Peregrini inuitati.]

28 Non temerè summum exercitus imperium extraneo duci, quum inter indigenas ipsos ad imperandum sunt aliqui apti, est committendum, ne vel contumelia indigenis proceribus facta videatur, vel dux iste extraneus alienam Rempublicam facilè prodat. *Græci sic retinuerunt imperium exercitus aduersus Xerxem.* [Peregrinus dux.]

29 Quietæ florentesque Respublicæ & regna sese in periculosi belli societatem debent ægrè ac lentè demittere. *De Corcyræis, Cretensibus, & aliis consultantibus vtrum Græcis auxilia ferrent.* [Bella cautè suscipienda.]

30 Nulla fortior necessitas vel excusatio verior est quàm imbecillitas virium. *Thessalorum responsum ad Græcos.* [Excusatio optima.]

31 Deserti in communi bello & causâ socij iustam ad hostes desciscendi & transeundi causam habent. *De Thessalis ad Persas transeuntibus.* [Societas dissoluitur.]

32 Vt totius regionis incolumitati consulatur, hostis est primo illius aditu, quantum fieri potest, terra marique arcendus. *De Thermopylis & Euripo à Græcis contra Xerxem insesso.* [Regio vt defendenda & munienda.]

33 In Pylis & angustiis locorum est à paruo exercitu cum magno confligendum, non in æqua planitie & patenti loco. ne minor exercitus à maiori circumueniatur. *De Græcis Thermopylas occupantibus.* [Exercitus paruus.]

34 In periculis & bellis suscipiendis Deus est prius inuocandus. *Exemplum Atheniensium & Græcorum Delphos mittentium.* [Bellum vt suscipi ac geri debeat.]

35 Accepta in bello clade Deus est extraordinariè inuocandus. *De Magis Persarum placantibus Thetim.* [Clades.]

36 Qui in communi periculo sunt cæterorum ac sociorum duces electi, debent ipsi tum primi ad exercitum conuenire tum fortiùs pugnare, tum, vt gradum suum diu retineant, constantia & virtute aliis prælucere. *Sic Lacedæmonij in exercitu Græcorum ad Thermopylas.* [Societatis duces.]

37 In primo certamine & conflictu cum hoste parta victoria, vel opinio virtutis, magnum ad terrendum hostem, & ad totum reliquum bellum conficiendum, illiusque victoriam postea momentum habet & affert. *De Spartanis fortiter in primo certamine pugnantibus contra Persas.* [Hostem terret]

38 Bella vt plurimum famâ constant; & timetur ille potissimùm & ferè qui sibi iam opinionem virtutis ac strenuitatis comparauit. *Eodem exemplo.* [Bella famâ constant.]

39 Proditor patriæ est proscribendus, & in eius caput præmium constituendum. Nam & à Deo ipso tandem idem punitur. *De Ephialta prodente tramitem Thermopylarum.* [Proditor patriæ puniendus.]

40 Plurimùm ad victoriam conducit locum ab hoste non obseruatum antecapere, vel eum qui ad hostem fert, ab eoque non obseruatur, sed tutus & inuius censetur, per duces viarum peruium facere & superare. *De tramite Thermopylarum indicato: quod Græcos euertit.* [Victoriam iuuat.]

41 Vbi sic est perterrita exercitus pars aliqua, vt neque verbis, neque exemplo aliorum retineri confirmariue in castris possit, est tanquam ex veniâ abeundi illi concessa dimittenda; tum ne hostes eam trepidationem animaduertant: tum etiam ne reliqua pars exercitus constans & ipsa perterreatur, aut se desertam existimet. *De sociis à rege Leonide dimissis in Thermopylis.* [Exercitus perterritus.]

Certamen contra quos difficillimum.

42 Contra deſperatum hoſtem, & tamen obſtinatum: pugna ſolet eſſe difficillima ac periculoſiſſima. *Exemplum Lacedæmoniorum, poſt patefactum tranſitum Thermopylarum.*

Militibus ... nuis ... s & ... a.

43 Fortibus & ſtrenuis viris pro patriâ & communi ſalute occiſis virtutis monumenta ad poſteritatem ſunt relinquenda. *Epigrammata Leonida & Lacedæmoniis ab Amphyctionibus poſita.*

44 Res hoſtium ex fidis exploratoribus vel transfugis notæ, facillima nobis ad deliberandum & exequendum conſilia & momenta præbent. *Xerxes interrogans Demaratum.*

45 Periculum domi quantum poſſumus, præcipuè creandum eſt iis, qui inter ipſos hoſtes vel eorum auxiliares plurimùm apparent ſtrenui, & fortes; ſúntque cæterorum in prælio duces, vt ad ſua tutanda reuocentur, & alij deſerantur. *Conſilium Demarati ad Xerxem.*

Hoſtem terret.

46 Sæpe conducit ad hoſtium reliquos duces terrendos, quoſdam ex iis captos quantumuis ſtrenuos durâ & ignominioſâ pœnâ publicè coram toto exercitu afficere. *Sic Xerxes Leonidam regem Spartanorum affecit.*

EX LIBRO OCTAVO HERODOTI.

Seditio deterior bello. Diſcordia domi.

1 SEditio longè deterior eſt in ciuitate eo bello quod concorditer geritur. *De Athenienſibus cedentibus.*

2 In communi periculo non modò ſunt inutiles, verùm etiam noxiæ magnorum malorum cauſæ, ciuium vel ſociorum inter ſe contentiones de primatu: itaque omittendæ. *Athenienſes ſic ceſſerunt Lacedæmoniis.*

Sociis diſpliceт dux ſuperbus.

3 In ſociorum exercitu aut concilio Ducis ex vnâ ſociorum gente electi ſuperbia & faſtus facit tandem vt ipſi genti ex quâ eſt, imperium in ſocios abrogetur. *Propter Pauſaniam Lacedæmonij imperio in ſocios priuati.*

Aequa etiam muneribus ſæpe obtinenda.

4 Etiam quæ vtilia ſunt, ſæpe ſunt muneribus & donis honeſtis etiam ipſis ducibus perſuadenda. *Sic Themiſtocles Eurybatem & Adimantum perſuaſit vt manerent.*

Victoriam iuuat.

5 Magnum ad victoriam momentum nobis affert conſilij ab hoſte de nobis clam inuadendis ab eo occultè & ſecretò capti cognitio. *De Scyllia vrinatore Græcos admonente.*

Victoriam iuuat.

6 Attonitis iam hoſtium metu hominum animis, quidquid ſuperuenit, ſiue ordinario ſiue extraordinario naturæ curſu, id omne attonitis pauorem auget. *De Perſis expauefactis propter imbres & tonitrua.*

Societas hoſtium vt diſſipanda?

7 Ab exercitu hoſtium optimi & maximè ſtrenui eorum ſocij vel precibus, vel muneribus, vel bellis domi illis conflatis ſunt abducendi. *Themiſtocles abduxit Iones & Cares ab exercitu Perſarum.*

Hoſtem terret.

8 Inuſitata exercitus hoſtilis facies & color ſæpè nos terret & fugat. *De Phocenſibus gypſatis, & eo pacto fugantibus Theſſalos.*

Barbari ingruentes, & irruentes.

9 Ante Barbarorum, quibus propter multitudinem occurrere nolis, vel non poſſis, aduentum, & priuſquam illi rerum potiantur, maturè vxores & liberi & ſupellex eſt ab iis qui cedere coguntur tranſportanda, & quidem publico edicto, non hoſti relinquenda. *Sic Athenienſes vxores tranſportarunt Trœzenem.*

Exercitus perterritus vt locandus.

10 In periculo imminenti & magna rerum perturbatione non committendum, vt pro communi ſalute conſcriptus communis exercitus ibi conſtituatur, vnde propter loci vicinitatem, vel ſuæ regionis præſentem cladem vna iſtius exercitus pars ad ſua tutanda dilabi poſſit & conetur, ſed vires tum maximè coniunctæ retineri, & contra hoſtem certare debent. *De conſilio Themiſtoclis vt apud Salaminem pugnaretur.*

Oppida vt concedenda hoſti.

11 Hoſti quàm minima & pauciſſima, & quidem illa etiam ſenſim & non niſi poſt ærumnas illi factas, ſunt è noſtra regione & oppidis cedenda. *Themiſtoclis conſilium de conſeruanda Salamina, Megara &c.*

Certamen contra quos difficillimũ.

12 Deſperatis, & iam extrema quæque optantibus & ſperantibus, nequaquam certamen aut prælium eſt offerendum, ſed mora tantùm & impedimenta obiicienda, ne amiſſa recipere, vel denuò ſeſe erigere poſſint: ſtatim enim diffluent & dilabentur. *Artemiſia conſilium.*

Callidum conſilium.

13 Specie beneuolentiæ deſperanti vel deſperato hoſti ſæpè illud quod nos iuuat conſilium rectè dandum, vt noſtris conſiliis tanquam tutis ab amico profectis acquieſcens, in inſidias adduci poſſit, vel vt ea conſilia ſequatur. *Themiſtocles ſic perſuaſit Medis vt in Salamine pugnarent.*

Inimicitiæ deponendæ.

14 Reipublicæ causâ ſunt deponendæ priuatæ inimicitiæ quamtumuis iuſtæ. *Exemplum Ariſtidis & Themiſtoclis ante Salaminicam pugnam cum Perſis.*

Fugæ conſilium eſt tegendum.

15 Conſilium fugæ etiam ab exercitu & duce victo prudenter tegendum, & hoſtes celandum. *De Xerxe hoc faciente.*

Poſtæ fus.

16 Celerrimorum equorum conſtitutio & vſus, quas Poſtas vocant, in magnis regnis & Reſpublicis eſt vtiliſſimus. *De nuntiis Perſarum & Angariis.*

17 Cladis acceptæ nuntium eſt ab ipſomet victo ſuæ Reipublicæ maturè, ne rumor vel hoſtis omnia augeat, mittendum. *Si Xerxes in Perſidem miſit nuntios ſuæ cladis.*

Clades accepta quo ... nuntiandi.

18 E magnâ clade & fugâ, ſi modò princeps ipſe cum parte exercitus licet exiguâ ſaluus euaſerit, totum regnum à ſeditione & nouarum rerum motu ac interitu ſeruat incolume, quantumuis duces alij perierint. *Artemiſiæ conſilium ad Xerxem.*

Clades ... cepta.

19 Turpiſſima miniméque in regno bene morato toleranda eſt ars & mercatura hominum lenonum, qui vel mares exſecant, vel mulieres à ſe emptas proſtituunt. *Panionius punitus.*

Lenonia ars ...

20 Magna ad pecuniam à populo & ſubditis exigendam ſunt numina & adiumenta Suadela & Neceſſitas. *Themiſtocles ad Andrios.*

Popu... cogu... conti...

21 Magna rerum agendarum, imprimíſque pecuniæ à ſubditis obtinendæ impedimenta ſunt Seditio & inopia ſeu impoſſibilitas. *Reſponſum Andriorum.*

Pop... cogu... conti... in ...

22 Inuidioſum & tanquam patriæ proditæ crimen impingitur Imperatori, qui cæteris eiuſdem exercitus ducibus neſcientibus & celatis pecunias à communibus hoſtibus clam accipit vel exigit. *De Themiſtocle pecunias ab iis qui oppugnabantur inſulanis clam exigente.*

Exerc... Impe... quis ... to ... ctus.

23 Ægrotus exercitus eſt per vicinas ciuitates edicto, cuique certo numero aſſignato publicè diſtribuendus, in quibus curetur ac reficiatur. Alioqui enim eum miſerè perire vel ignominioſè ac inutiliter diſſipari oportet. *Sic Xerxes reuertens in Helleſpontum mandat ſuum exercitum excipi & curari.*

Exer... ægro...

24 Partâ victoriâ pars ſpoliorum in ſacrum & pauperum vſum reſeruanda eſt, pars in præmia, quæ ſunt ſtrenuis danda; pars cuique pro ſuo iure tribuenda. *Sic Græci poſt partam ad Salaminam victoriam.*

Præd... paup... cedat

25 Barbaris populis vel extraneis & inhumanis irruentibus non fidendum neque credendum. *Lacedæmoniorum ad Athenienſes ſententia.*

Barb... gruer... irruc...

26 Ad tollendam ex ſociorum aut populi animis omnem proditionis aut arcanæ cum hoſte communicationis noſtræ ſuſpicionem, curandum eſt, vt nihil hoſtis nobiſcum agat, neque nos viciſſim cum eo, niſi iis ipſis præſentibus & conſciis, qui ſuſpicari quidpiam de nobis poſſent vel vellent. *De Athenienſibus admittentibus legatos Lacedæmoniorum, vt audirent Mardonij Perſæ legatos & mandata ad ſe.*

Exer... qui ... cioni... fugia

EX LIBRO NONO HERODOTI.

1 QVi populi vel ciuitates coniunctæ vinci non poſſunt ſunt factionibus excitatis inter ſeſe committendæ. *Thebanorum conſilium ad Mardonium.*

Popu... mitt...

2 Optima & expeditiſſima factionum inter concordes antea reſpublicas vel ciues ſerendarum via, pecuniâ, quâ potentiores inter eos expugnentur: item fauor & prærogatiua quæ vnis duntaxat eorum à nobis detur ac concedatur. *Ibidem, & poſtea Artabazi conſilium.*

Popu... mitt...

3 Intempeſtiuum eſt imminenti certo præſentéque periculo ludicra ſolennia exercere, vel nolle prætermittere vt periculo obuiam eatur. *Sic Lacedæmonij exercentes Hiacynthia, reprehenſi ab Athenienſibus.*

Peri... imm... te.

4 Maximè cauendum eſt, ne per faſtum noſtrum vel negligentiam, vel perfidiam ſociis, & præſertim fidis & ſtrenuis, paciſcendi cum hoſte occaſionem demus, & ſibi deſertis conſulendi. *Chilei conſilium ad Ephoros.*

Socii ... ferue...

5 Præſtat ſingulis & adhuc coëuntibus hoſtibus, quàm totis & iam collectis, occurrere. *Mardonij conſilium in profligandis Lacedæmoniis.*

Cert... contr... quos ... ficill...

6 Qui plurimum in Republicâ ſapit, eum adminiſtrationi non præfici eſt iniquiſſimum, & ipſi Reipublicæ detrimentoſum. *Perſæ ſententia ad Therſandrum.*

Reip... ficier...

7 Suſpectorum aut timidorum militum fidelitas vel virtus eſt aliquo periculo illis obiecto exploranda, priuſquam tutò eorum operâ vti poſſis. *De Phocenſibus à Mardonio probatis.*

Suſpi... tolle...

8 Ad extraneos hoſtes irrumpentes & inundantes (quantumuis illi ſint fortes & ſtrenui) debellandos ac expellendos, nihil eſt efficacius quàm totius regionis mutuus inter ſe conſenſus & ſyncretiſmus; & ſublata ex indigenarum animis ſuſpicione proditionis, vires coniunctæ, & vrbes, & exercitus in idem conſpirantes. *Sic ſe tutati ſunt Græci aduerſus Mardonium.*

In re... irrue... vt rej... lendi

9 Pedeſtris exercitus licet validus, plurimum tamen terreri ſolet equitatu exiguo, ſed firmo, ab eóque infeſtari & affligi. *Sic Mardonius Græcos vexauit in Citharone: Sic in Platæenſi certamine.*

Equit...

10 In prælio laboranti parti maturè & confeſtim ſuccurrendum eſt. *Sic Pauſanias Megarenſibus.*

In... mine... labo...

11 Con

11 Contentiones in exercitu, quamuis de virtute & loco susceptæ, sunt statim omnium exercitus ducum iudicio tollendæ & deliniendæ: tandem enim longius serpunt, suntque periculosæ. *Sic contentio inter Tegeatas & Athenienses sedata.*

12 Vnicuique grauis armaturæ tum pediti tum equiti sunt aliqui vel famuli, vel leuiter armati, circumponendi, qui eum in prælio labentem vel pugnantem iuuent. *Sic Lacedæmoniorum vnusquisque habebat septem circa se seruos.*

13 In acie est fortissimo hostium exercitus robori, robur quoque nostri exercitus opponendum, & ij maximè qui cum huiusmodi hostibus sunt depugnare assueti. *Sic Mardonius Lacedæmoniis opposuit Persas robur exercitus sui. Sic Pausanias Athenienses Medis opposuit.*

14 Peregrini viri strenui iure ciuitatis quo alliciantur sunt plerumque a nobis donandi, honoris ergo, non pretio. *De Tisamene ciuitate à Lacedæmoniis donato.*

15 In exercitu perterrito claudenda castra, & viæ, ne qui ex eo transfugiant ad hostes, occupandæ. *Sic Mardonius non pulchè litans Cithæronis aditus cepit.*

16 Non seruati in prælio committendo ordines, magna cladis & internecionis exercitus causa sunt. *Sic victi Persæ in Plataensi pugnâ.*

17 Magnum ad victoriam momentum affert, nos de hostium consiliis, de inopiâ & infortunio, de inauspicato eorum cœpto admonitos certò esse. *Alexander Macedonum rex sic profuit Græcis ad Platæam.*

18 Hosti victo ac perterrito, vt plena sit victoria nostra, insistendum: fugiensque acriter persequendus est ac trucidandus, non seruandus. *De Græcis Persas victos sic persequentibus.*

19 Victi hostes non priùs relinquendi, quàm castris quoque, quantum maximè fieri potest, fuerint exuti: nec illis spatium respirandi, seque in iis confirmandi & colligendi dandum est. *Sic Græci Persas eiiciunt è muro ligneo.*

10 Victoria parta, illi qui strenuè se in prælio gesserunt, sunt tum laudandi, tum præmiis afficiendi & decorandi. *Sic Græci fecerunt post Salaminicam pugnam & Plataensem.*

21 Hostes fugientes raró tutò extra nostrum territorium persequimur. *Damnati Mantinei qui Persas fugientes persequuti sunt in Thessaliam vsque.*

22 Spolia ex hostibus demum post eos fusos partamque plenè victoriam sunt legenda; idque ne priùs fiat, seuerè est in exercitu interdicendum. *Sic Græci post pugnam Plataensem.*

Præda.
23 Spolia ne contentiones & rixas pariant, à viris ex toto exercitu delectis & fidis sunt colligenda, & ad ducem summum exercitus bonâ fide omnia afferenda. *Sic Pausanias iussit.*

Præda.
24 Spolia ex hostibus sunt iuste & fideliter pro ratione pacti vel æqualiter pro numero pugnantium inter victores partienda.

Militib. strenuis aliquid præter ordinem dandum.
25 Ex spoliis hostium præmia quædam præter sortem strenuissimis & optimis militibus ac ducibus qui omnium iudicio bonam operam in certamine nauarunt, sunt danda. *Sic Græci.*

Prædę pars Deo detur.
26 Ex spoliis hostium etiam pars quædam Deo, id est, pauperibus & piis causis consecranda. *Sic Græci.*

Victoriâ partâ quid agendum.
27 Post pugnam sunt ex nostris cæsi tumulo condendis Honorificè verò tum milites tum duces, qui strenui fuerunt. *Sic Græci.*

Exercitus fugiens
28 Fugientes & victi exercitus clades, quantum fieri potest, eos celanda est per quorum agros iter est illi exercitui faciendum *Sic Artabazus celauit Thessalos.*

Exercitus victus.
29 Victo exercitui quàm celerrimè iter est faciendum ac maturandum, etiam ægris & infirmis, nisi commodè vehi possint, relictis. *Sic Artabazus.*

Rebelles quando puniendi.
30 Demum post partam victoriam rebellionis aut belli auctores tutò poscuntur, quæruntur ac puniuntur: & qui sese ad nostram societatem optant adiungere, admittendi benignè, *Sic Pausanias & Leutychides fecêre.*

Suspecti milites.
31 Suspecti milites sunt honestis de causis à prælio excusandi, vel dimittendi; minimeque permittendum vt intersint pugnæ. *Sic Samij & Milesij dimissi à Persis.*

Princeps incestuosus.
32 Incestus principum à Deo, etiam magnis familiæ eorum cladibus & pœnis, punitur, *Sic Deus Xerxis incestum in nurum puniit.*

Princeps fœmina.
33 Principum fœminarum summa solet esse in suas pellices, id est in suorum maritorum scorta, crudelitas: Itaque caueant mulieres, ne cum principibus coniugibus scortentur. *De Amestri vxore Xerxis; & eius sæuitia in Masistæ vxorem.*

Rari boni.
34 Ex eodem solo eademque regione raró solent admirandæ fruges, & strenui bello viri nasci. *Cyri dictum.*

Princeps sacrilegus.
35 Principum sacrilegia tandem à Deo puniuntur. *De Xerxe & Artyacta.*



FLORILEGIVM POLITICVM
EX THVCYDIDIS HISTORIÆ
LIBRO PRIMO

1 NTER populos vicinos crescens nimiùm vnius potentia primùm parit inuidiam, ac deinde bellorum causas ac semina, quæ variis aliis honestísque causis tamen prætexuntur. *Inuidia potentiæ Atheniensium crescentis mouit bellum Peloponnesiacum.*

2 Potentum vicinorum incendium ac bella aut à vicinis quietis statim extinguenda; aut ipsos quietos vicinos trahent in idem bellum, ac iisdem malis inuoluent. *Tota Græcia implicata bello à Corinthis & Corcyrensibus primùm commoto, vide quoque finem primi libri.*

3 Vicinæ calamitates potius quum licet, absque periculo spectandæ, quàm sese illis absque causa grauissima implicandum, ne tota clades in nos ipsos tandem quamuis duntaxat incendio superuenientes, non autem in ipsos incendij autores incumbat & ruat.

4 Non semper prudentiæ est nolle cum aliis periclitari; sed demum vbi extra teli iactum & periculum tutus in aliorum discrimine, atque etiam post victoriam esse potes, alioqui aliis periclitantibus quiescere nobis non expedit. *In oratione Corcyrensium.*

5 Nullus princeps à suis subditis iustè puniendis arcendus est: & qui id facit, parem in se legem statuit, ne suos & ipse subditos puniat delinquentes. *Oratio Corinthiorum apud Athenienses.*

6 Maximè aduersari censetur qui Reipubl. vel principi vltionem suorum subditorum paranti obstat: maximè amicus qui eam iuuat. *In eadem oratione Corinthiorum Athenis.*

7 Initiis potentiæ vicinæ nimium ac manifestè crescentis à vicinis maturè ocurrendum & syncretismo resistendum. *In oratione Corinthiorum Lacedæmon. quòd siuissent Atheniensium potentiam crescere: & in oratione Corinthiorum ad socios & Lacedæmonios.*

Bella non suscipienda temerè.
8 Bella non temerè, sed meditatò & post longam deliberationem demum suscipienda. *In oratione Atheniensium Lacedæmon.*

Belli neruus pecunia.
9 Pecunia neruus belli.

Belli neruus pecunia.
10 Bella non magis armis quàm sumptibus geruntur. *In oratione Archidami.*

Maritimorum populorum cōmoditas præ mediterraneis.
11 A mediterraneis aduersus maritimos bella non nisi cum magnis sumptibus suscipi possunt, neque mediterranei maritimos valde sæpenumero incommodant, hi autem illos plurimum. *In oratione Archidami.*

Bella non suscipienda temerè.
12 Nec criminationibus nec laudibus eorum qui nos ad bella secum & suâ causa suscipienda incitare volunt, facilè credendum. *In oratione Archidami.*

Socius à socio cur opprimatur.
13 Nimia segnities aut pigritia sociorum aut subiectorum in officio faciundo præstandisque promissis, causa est, vt à potentiore socio, aut principe suo duriùs & præter conuentum tractantur. *Vbi de Imperio Atheniensiū in Insulares immutato agit.*

Bellorum inter socios causæ.
14 Socij quorum opera strenua in bello, aut non accersendi nobiscum, aut temerè non dimittendi. Inde enim suspiciones graues, ac postea simultates & bella nascuntur. *De Atheniensibus euocatis à Lacedam. contra Messeneos & postea dimissis.*

Perdit Rēp. felicitas
15 Qui prospero bellorum successu inflatus est, ea quæ necessariò sunt post victoriam cogitanda, non cogitat. *In oratione Corinthiorum ad socios.*

Perdunt Remp. felicitas & nimium otij desideriū
16 Qui propter nimium quietis desiderium & voluptatis fruitionē segnis est, dum nimiū diu quiescit, tandē se sua quiete priuat, & in periculū adducitur. *In oratione Corinth. ad socios.*

Bellorum euentus est incertus.
17 Bellum perrarò eum finem habet qui sperabatur. *In oratione 2. Corinthiorum ad Lacedæmonios socios.*

Reip. infirma quæ.
18 Ea Respub, facilè vinci potest, cuius vires sunt mercenariæ & extraneæ, non vernaculæ. *In oratione Corinthiorum ad socios Lacedæmonios.*

Ordinū in regem ipsum potestas.
19 Ephoris & ordinibus Reipub. fas est coniicere Regem in carcerem. *In historia de Pausania.*

Ordinum in regem ipsum potestas.
20 Stultum est principi tyranno malè sibi conscio, sese iudicum potestati permittere: sed vel vi pugnandum, vel fugiendum. *In historia de Pausania.*

Tyrannidem qui affectare soleant.
21 Magnis viris post res præclarè gestas ferè tyrannidis aut in alios dominandi cupido obrepit: saltem cupiditas amplioris cuiusdam splendoris, & rei consequendæ: ergo nisi illorum virtus compensetur, iustóque præmio ab iis quibus benefecerunt, donetur, consilia cum hostibus sæpè capiunt, Reipub. cui benefecerint noxia. *Pausaniæ & Themistoclis exemplum.*

In Reip. calamitate vtilitas dignitati læp præponenda.
22 Quicquid ex æquitate & iustitia faciendum est, licet sæpè non ex dignitate Reipub. fieri videatur, nihilominus faciendum est, vt bellum & calamitas imminens euitetur. *In postremo toro, vbi de edicto Atheniensium in Megarenses non reuocato differit.*

Belli fulcrum.
23 Bella sustinent magis opes superfluæ quàm violentæ collationes. *In oratione Periclis.*

Inter socios concilium sit summum & vnum.
24 Qui non vno generis concilio velut summo magistratu vtuntur, sed gênte dispares, suffragio tamen inter se sunt æquales, nihil in communem Reipublicæ salutem consulunt, sed vel suo quisque commodo vacant, vel, quod agendum pro communi salute est, absque maturâ deliberatione decernunt. *In oratione Periclis.*

Maris imperium retinendum.
25 Magna res est maris imperium: & ars nautica est quæ non interuallis duntaxat temporum, sed continuè exerceri debeat, vt Respub in ea sit potens & polleat *In oratione Periclis.*

EX LIBRO SECVNDO

THVCYDIDIS.

Fœdera rupta vindicantur à Deo.
1 Rupti fœderis pœna vt plurimum sequitur ipsos perfidos & fœdifragos. *De Thebanis Plataas occupantibus.*

Vrbes de nouo occupatæ.
2 Vrbs de nouo vi occupata est maiore quàm sint illius ciues præsidio & numero tenenda. *De Thebanis expulsis Plataa oppido.*

Bellorum initia sunt feruidiora.
3 Omnes inter belli initia ardentiùs sese tuentur, & alios oppugnant. *In apparatu belli Lacedæmoniorum & Atheniensium.*

Bellum inchoantibus quid agendum & curandum.
4 Bella inchoantibus & societates veteres recognoscendæ ac nouæ comparandæ *Ibidem.*

Socios quid conciliet nobis.
5 Magnum ad conciliandum nobis vicinorum & remotiorum populorum amicitiam in bello momentum habet fama de vindicandis iis qui tyrannide opprimuntur, & liberis populis à seruitute indigna liberandis. *In apparatu Lacedæmoniorum & Atheniensium.*

In hostico versantes quid eos facere oporteat.
6 In hostili terra manentes oportet semper esse præsenti animo, ac diligentiùs sibi cauere, ac excubias agere, & omnibus periculis prospicere. *In oratione Archidami.*

Ad prælium quid hostes incitet.
7 Incendia, cæteráque huiusmodi damna & insolita, facilè eos qui ea patiuntur, ad iracundiam, eruptiones & prælium incitant. *In oratione Archidami, dum Acharnei agri vruntur.*

Legati hostium obseruandi.
8 Non committendum vt hostium legati, qui nostros terrere possunt, cum quopiam nostrorum colloquantur. *Post orationem Archidami.*

Dux in suspicionem adducendus.
9 Hostium duci strenuo conflanda, quantum fieri potest, inuidia, vel parcendo illius agris, vel aliud quidpiam præter quàm cæteris, illi gratificando. *De agris Periclis non vastatis.*

Bellum vt suscipi ac geri debeat.
10 Bella consilio, pecuniæ vi, & resistendo potius quàm aggrediendo conficiuntur. *Periclis dictum.*

Concilium in quaque Rep. summum sit vnum.
11 Vnum totius Reipub. concilium, commune, ac summum esse præstat, quàm plura. *De Theseo concilia Atticorum tollente.*

Hostis irruens vt auocandus & arcendus.
12 Hostem abducere à nobis ad sua tutanda consultissimum, si qua ratione fieri potest: itaque in illius regionem irrumpendum. *Sic Periclis consilio irrumpunt Athenienses in Peloponesum: Scipio in Africam: Agathocles in agrum Carthaginensem.*

Strenuis præmia danda.
13 Fortiter pro patriâ in bello morientibus, honos & præmia eorum liberis donentur in exequiis occisorum. *Ex oratione funebri Periclis.*

In democratia honores cui dentur.
14 In democratia honores omni hominum, id est, ciuium ordini, prout eorum quisque sui speciem dat, communicentur. *In oratione funebri Periclis.*

In democratia libertas popularis.
15 In democratico statu plus concedendum est libertatis, publicæ voluptatis, & licentiæ, quàm in vlla alia Reipub. forma. *Pericles in oratione funebri.*

In democratia libertas popularis.
16 In democratico statu facilius hospites, & extranei in numerum ciuium cooptantur, aut habitare in Repub. conceduntur, quàm in vlla alia Reipub. forma. *Pericles in oratione funebri.*

Procer quid...
17 Viro prudenti tristior est publica contumelia, ignominiæ comes, quàm mors cum publica laude coniuncta. *Pericles in oratione funebri.*

Strenu præmia danda.
18 Liberos eorum, qui pro Repub. fortiter occubuerunt, pauperes æquum est à Repub. ipsa ali publicè. *Mos Atheniensium: In oratione Periclis funebri.*

Pestis.
19 Pestis sæuiens manifestum Dei flagelium est; & vires publicas minuit. *De peste Atheniensium*

20 Præstat Rempublicam publicè esse felicem, tutam, & diuitem, quam singulos & priuatos nam illa felice, & hi quoque seruantur: his solùm beatis; illa verò misera, tandem & ipsi euertuntur. *In oratione Periclis ad Athenienses.*

21 Consiliarium Reipublicæ idoneum oportet & ea nosse quæ facto sunt opus, & quæ cognoscit explicare posse: Item patriam seu Rempublicam vnicè amare; denique pecuniam quoque contemnere. *Pericles in oratione ad Athenienses.*

22 Imperium aut vi non occupandum in alios, aut, ni perire omnino volumus, etiam vi retinendum; quoniam in occupando multos offendimus, & in nos prouocamus. *In oratione Periclis ad Athenienses.*

23 Diuturna quies & securitas à bellis extraneis non conducit potenti & bellicoso populo, sed infirmo. *Ibidem.*

24 Ob res maximas & iustas inuidiam aliorum subire non est metuendum Reipublicæ aut principi bono. *Ibidem.*

25 Vulgus mobile est, & facilè probat quod anteà damnarat. *De Pericle ab Atheniensibus electo.*

26 Maritimæ ciuitati, & Reipublicæ satis est, etiam dum terra inuaditur, si maris imperium retineat: terram autem & agros vastari potius quàm se de imperio maris deiici patiatur *Consilium Atheniensibus à Pericle datum.*

27 Magnum est ad potentiæ famam conseruandam & socios in officio continendos momentum, non abduci Rempublicam à proposito & semel suscepto negotio, licet aliunde prematur. *De Atheniensibus Potideæ obsidionem vrgentibus, & Romanis Capuanam.*

28 Colonias in alienam gentem & nuper deuictam mittere, est tutissimum ad imperium illic retinendum. *De Potidea, in quam Athenienses coloniam di miserant.*

29 Intra neutrales censeri non debent qui se alterutri parti addixerunt, vnique duntaxat parti fauent, neutralitatis enim ius hoc ipso violatur. *& lib. 3. de Platæensibus.*

30 In oppugnando temeritas semper malè cedit. *De Chararum temeritate in aggrediendo Strato Acarnanum vrbe.*

31 In præliis ordo & silentium militum plurimùm ad victoriam conferunt & iuuant. *In oratione Phormionis ad milites.*

32 Si paucis nauibus contra plures dimicandum est, sunt angustiæ maris eligendæ.

33 Victores dum ordines non seruant, sæpè victis ipsi dederunt occasionem vincendi. *In pugna nauali Atheniensium & Lacedæmoniorum.*

34 Portus maris absque præsidio nunquam relinquendus *De Piræo penè intercepto.*

35 Conciliare tibi eum qui apud hostem plurimùm potest, semper tutissimum, vt hostis consilia & noris, & dissipes, vel impedias. *De Perdicca Seuthen Sitalcis patruelem conciliante.*

36 Coniugia inter hostes & hostium duces inita, est facillima belli dissoluendi ratio. *De Perdicca sororem Stratonicam collocante Seuthæ duci hostium.*

EX LIBRO TERTIO

THVCYDIDIS.

Subditi aliorum abducendi non sint.
1 Ante bellum hostibus indictum, nec subditi, nec socij iure subtrahi aut etiam deficientes recipi possunt à nobis. *De Lacedæmoniis Lesbios repudiantibus.*

Socij obseruandi.
2 Subditorum & sociorum remotiorum res sæpius inspiciendæ, maximè si eorum fides nobis dubia est, aut de defectione rumor sit aliquis.

Bellum imparatis differendum.
3 Imperatis bellum quacumque ratione est differendum, & auertendum. *De Mitylenæis naues Atheniensium inexpectatas à se remouentibus.*

Idem.
4 Imparatis interea temporis omnia præparanda, quo fœdera durant. *De iisdem Mitylenæis.*

In hostico versari quid facere oporteat.
5 In hostico non temerè, præsertim locorum imperitis longiùs progrediendum est. *De Asopo Phormionis filio.*

6 Fœdera inter diuersas Respub. aut mutuus metus, aut mutua æquitas conseruat, eáque reddit firma ac diuturna. *In oratione Mitylenæorum.*

Fœdera quæ non seruata. Idem.
7 Honestè & iure à fœdere recedit is, cui fœdus non est ab alia parte seruatum, sed prius violatum, vel vt violaretur manifestè tentatum. *In oratione Mytilenæorum.*

8 Honestè ab eius fœdere & societate receditur, qui communem causam & libertatem opprimere conatur & tentat. *In oratione Mitylenæorum.*

9 Non

9 Non præter ærarij facultates exercitus alendus, aut conscribendus. *De Atheniensibus, qui ærarium numero nauium nimio exhauserant.*

10 Ad eruptiones ex obsesso oppido faciendas maximè idonea nox tempestuosa, & illunis, eáque obseruanda a ducibus. *De Platæensium eruptione.*

11 Auxilia ad certum diem vel tempus obsessis promissa, & non præstita, seu missa, maiorem promittentium contemptum gignunt, & iustam se dedendi, paciscendique cum hostibus occasionem sæpè dant obsessis. *De Lacedæmoniorum quadraginta nauibus nimium tardis in ferendo Mitylenæis auxilio.*

12 Omnes à se alioqui beneuolos futuros abalienat in bello, qui inermes æquè atque armatos trucidat: qui nihil mali de suo aduentu suspicantes pro hostibus tamen habet, & crudeliter tractat. *Legati Anæorum Samiorum ad Alcidam.*

13 Melius agitur cum ciuitate, in qua legibus, licet haud ita æquis, paretur; quàm cum ea, in qua sunt quidem leges æquissimæ, sed quibus vel non paretur omnino, vel pro libitu tantum cuiusque. *In Cleonis oratione.*

14 Tres Reipub. cladium causæ: nimirum, nimia in peccantes lenitas: nimia otii & voluptatum fruendarum ac retinendarum pertinacia & libido: nimia denique inanium oratorum licentia & autoritas, qui nos verbis potiùs demulcent & audaces faciunt, quàm factis & re tutos præstent. *In oratione Cleonis.*

15 Hostes sæuissimi esse solent, qui nulla iniuria lacessiti ad nos perdendos veniunt. *Ibid.*

16 Quanquam subditi aut socij rebelles sunt puniendi, non tamen ea pœna, quæ vel eos ad desperationem adigat, vel aliis, si nos offenderint persuadeat, nos semel offensos implacabiles fore, ac proinde nihil æqui à nobis impetrari posse, denique cunctis mortalibus nos odiosos reddat. *In oratione Diodoti, & reuocato edicto Atheniensium contra Mitylenæos.*

17 Semel seditione irritatos animos quanta mala consequantur docet exemplum Corcyrensium: & postea *libro quarto* eorundem factum.

18 Ad tollendam seditionem sunt illius authores vtrinque licet pauci, puniendi: *Consilium Nicostrati Atheniensis ad Corcyrenses*: cæteri paulatim eiiciendi.

19 Seditionis initia sunt periculosissima, quæ nisi exstinguantur, ad alias eiusdem Reipub. vrbes atque etiam sæpè ad vicinas emanat. *De Corcyrensium seditione, quæ alias quoque Græciæ ciuitates turbauit.*

20 Quibus in locis & prouinciis alij populo, alij optimatibus fauent, seditiones exoriri necesse est. *De Græcis seditiones propterea mouentibus.*

21 Ciuilia bella hominum mansuetam prius naturam efferant, & vitia crudelitatémque, in fortitudinem, & virtutum nomina magno errore commutant. *Thucydides in descriptione seditionum Græciæ.*

22 In bellis ciuilibus perfidia maximè viget, insidiæ, crudelitas, Dei contemptus. *Ibidem.*

23 Ciuilia bella maximè excitat auaritia, ambitio, & suæ partis tuendæ studium etiam inane, & ostentatorium.

24 Iam bello occupatis & laborantibus bellum aliud & quidem longinquum minimè suscipiendum. Nam susceptum causam ruinæ affert. *De Atheniensibus Siculum bellum cum Peloponesiaco suscipientibus.*

25 Alienis consiliis alienóque ductu non est temerè & facilè cum exercitu pergendum Duci, in loca ipsi ignota, nisi validus sit ipsius exercitus, & reditus rationem sibi prius planè compertam habeat, itémque à duce viæ, obsides habeat. *De Demosthene in Ætolos persuasu Messeniorum irruente.*

26 Celeritas Ducis in bellis & in exequendo, magna commoda affert. *De Eurylocho & Atheniensibus Cytheram, & Thyream occupantibus.*

27 Hostibus conflanda apud omnes quanta potest maxima inuidia, maximè ea, quâ sociorum desertores videri possint. *Demosthene Lacedæmonios solos dimittente; Ambracios retinente.*

28 Ne auxiliares populi, qui iam sunt nobis formidabiles, aut grauiores hostibus, sedem firmam apud nós, & in locis vicinis habeant, cauendum est. Itaque quàm primùm illi sunt honestè cum præmio à nobis dimittendi. *De Acarnanibus qui Ambraciam expugnari ab Atheniensibus noluerunt.*

29 Spolia hostium & manubiæ, ex æquo, vel ex pacto sincerè inter nos & socios belli sunt diuidendæ, magnæ enim rixæ solent inde oriri. *De Ambraciorum spoliis diuisis inter Acarnanes, & socios Athenienses.*

EX LIBRO QVARTO, THVCYDIDIS.

1 Hosti vt sese in nostro agro, aut in vicino muniat, minimè concedendum; sed est inde primo quoque tempore, & ante confirmatas vires deiiciendus. *De Pylo oppugnata à Lacedæmoniis, sed non statim. Postea de Isthmo Methonis occupato ab Atheniensibus; Item de Cythera insula.*

2 In rebus deploratis audacia militibus potius, quàm consilio opus est. *In oratione Demosthenis ad milites.* Deploratis rebus quid agendum

3 Pax tuta, cuiuis bello, etiam iusto, est præferenda; adeò vt ne magnæ quidem alicuius prosperitatis inexspectato euentu recusari debeat oblata. *In oratione Lacedæmoniorum apud Athenienses, & in oratione Hermotimi.* Pax bello præferéda.

4 Beneuola reconciliatio animorum facit diuturniorem pacem, quàm plerumque vnius partis victoria. *In oratione Lacedæmoniorum ad Athenienses.* Pax bello præferéda.

5 Hominum multitudinem ad bellum aut pericula concitantium, optimum frenum est, si ipsimet in ista pericula ac bella deducantur & obiiciantur, fiántque eorum vt cæteri partes. *De Cleone misso Pylum.* Belli concitatores vt habedi

6 Seditione semel irritati, ac mutuis iniuriis lacessiti ciues, vix, ac ne vix quidem priùs conquiescunt, quam parte vna ab altera prorsus extincta. *Corcyrensibus. De Megarensibus.* Seditionũ mala.

7 Nouas arces & munitiones extruere minimè concedendum est subditis. *De Chiorum muro diruto.* Subditis quid non concedendum.

8 Vt pax inter diuersas Respub. fiat, vtplurimum oportet quamque cedere de suo iure. *In oratione Hermotimi.* Pax,

9 Quibus aliena auxilia ad bellum gerendum sunt accita, aut necessaria, iis pax maximè est quærenda, & oblata acceptanda. *In oratione Hermotimi.* Pax.

10 Turpe est, si quæ Respubl. vt aliam vlciscatur, acceptámque iniuriam vindicet, ipsa in maiorem quàm alij pareret, calamitatem incidat, aut se det præcipitem. *In oratione Hermotimi.* In Reip. calamitate vtilitas dignitati sæpe præponenda.

11 Ne colloquiorum de pacis prætextu proditiones vrbium tententur, fiántque inter collocutores, maximè cauendum est. *De Megarensibus.* Proditio,

12 Ne qua noctu fiat portarum apertio vllis ingressuris, nisi prius illi quotiescumque ingrediuntur, qui, qualesve sint, semper diligenter explorentur. *De nauigio Megarensium, quod carro vehebatur.* Vrbium portæ vt aperiendæ,

13 Aliò properantibus curandum, vt quàm amicissimè fieri poterit, per vicinos pacato transire liceat: Itaque & in iis præoccupandis, & in ipso transitu festinandum. *De Brasida Thessaliam transeunte.* Exercitui itinera vt suscipiéda,

14 Ad imminentes nobis hostis vires auertendas, bellum in ipsius hostis solum transportandum. *De Brasida in Thraciam misso.* Hostis irruens vt auocandus & arcédus.

15 Quum hostis nobis imminet, est tunc à seruitiis & priùs suspectis subditis maximè cauendum, & ne quid illi moueant moliantúrve inter se collecti. Quamobrem sunt, vel in diuersa & insueta illis loca diducendi, vel certis locis separati custodiendi. *De seruis Lacedæmoniorum Pylo capta in Peloponneso.* In bello à quibus cauendum,

16 Vt quisque populus, vel priuatus maximè se dignum libertate & immunitate putat, ita maximè insidiatur ei, qui in seruitutem se abducit, aut opprimit, & vt primo quoque tempore ab eodem deficiat, occasiones quærit. *Ibidem.* Subditi qui maxime rebellant.

17 In duce peregrini exercitus virtus & continentia; & in ipso quoque exercitu peregrino modestia conciliat tum vtrisque, tum etiam toti genti eorum fauorem in quorum regione & oculis sic versantur. *De Brasida conciliante omnes Lacedæmonios.* Exercitus peregrinus.

18 Facilè obruuntur à quibus iam graue bellum sustinetur, ac susceptum est, quum se eodem tempore aliis & pluribus bellis implicant ambitiosè. *De Brasida conciliante sibi Archibæum, non oppugnante.* Hostes plures non adsciscendi.

19 Vel sola fama de nostro in libertate oppressis restituenda studio & conatu beneuolentiam omnium nobis in bello conciliat, & multos socios adiutoresque adiungit, multóque magis res ipsa, id est, libertas oppressis re ipsa reddita. *In oratione Brasidæ ad Acanthios.* Socios quid conciliet nobis,

20 Fraus in principibus fœdior est quàm violentia. *In oratione Brasidæ ad Acanthios.* Perfidia principũ.

21 In stratagemate dierum aut locorum pactorum error plurimum obest, totúmque stratagema reddit periculosum, vel inutile. *De rebus Bœotiis.* Stratagema vt vtile fiat.

22 Postquam insidiæ detectæ sunt, iis quoque quiescendum est, qui nondum noti sunt ac detecti. *Ibid.* Stratagema vt vtile fiat.

23 Vbique detrectatio certaminis & prælij à nobis facta reddit hostem audientiorem. *In oratione Pagondæ ad milites.* Prælij detrectatio.

24 In certamine seu prælio auxilium quantumuis exiguum ex insperato pro nobis hostibus ostentatum, vel in eos irruens, etiam eos victores in fugam vertit. Nam formidolosiores sunt hosti qui pugnæ interueniunt, quàm ipsi qui pugnant. *De victis apud Delium Atheniensibus. Et lib. 5. in Oratione Brasidæ ad milites.* In prælio quid prosit.

25 In bello multa condonanda quæ contra leges domesticas necessitate belli vrgente perpetrantur. *In responso Atheniensium ad Bœotios.* In bellis condonanda multa.

26 Æquæ deditionis conditiones iis proponendæ, quos statim in potestate habere volumus: Sunt autem æquæ conditiones æquæ, quæ & illis manentibus in sua sede libertatem ac bona Deditionis conditiones quæ

bona concedunt: & abire volentibus liberam abeundi quocumque voluerint cum suis rebus intra certos dies veniam permittunt. *In pactu Brasidæ cum Amphipolitanis.*

Regio vt defendenda & munienda. 27 Vbi oppidum aliquod nostrum ab hostibus captum est, sunt vicina loca, ne itidem capiantur, milite extraordinario ac maiori præsidio firmanda ac custodienda. *Thucydide muniente Eionem.*

Subditi deficientes. 28 Diu oppressos sollicitat ad defectionem imperium alterius potentis Reipub. mitiùs ostentatum. *De Torona & aliis ciuitatibus ad Brasidam deficientibus ab Atheniensium imperio.*

Fœdifragus quis. 29 Fœdifragus non est qui subditos hostis sui ad se descišcentes recipit, antequam de propositis fœderibus sit planè conuentum. *De Brasida Sciona recipiente.*

Exercitus imperator qualis. 30 Imperatorem prudentem in bello, non tam de nouis oppidis occupandis, quàm de occupatis firmandis ac retinendis sollicitum esse oportet. *De Brasida post Mendam captam.*

E prælio receptus. 31 In receptu ex prælio faciendo, qui maximè constanti animo sunt, faciliùs tutiúsque se recipiunt ac seruant. *De Brasida Illyrios sustinente.*

Strenui sæpe exosi. 32 Quandoquidem strenuitas in bello Regibus ac Principibus ignauis ac timidis est inuisa, de industria strenui duces ab illis deseruntur, vel in rebus gerendis impediuntur. *De Perdicca deserente Brasidam, & ad Athenienses deficiente.*

Dediti vt tractandi. 33 Ducis aut exercitus peregrini, cui se populus vltro recens dedidit, sæuities ac durius statim imperium, imò vel solum aliquod dictum factúmve acerbius facilè impellit eos ad excutiendos nouos dominos, & vt prius imperium à se abdicatum requirant, facit. *De Polydamida, & Mendensibus.*

Subditi deficientes recipiendi. 34 Deficientes socij, aut subditi, à nobis sunt statim oppugnandi ac recipiendi, dum nostri metus adhuc apud eos durat, & priusquam alieno cuipiam imperio assueuerint, idemque dum nostri memores ac fautores aliqui inter eos adhuc supersunt. *De Atheniensibus in Mendenses, Scionæos, Amphipolitanos deficientes, expeditionem suscipientibus.*

Subditi in officio continedi. 35 Vt subditi, quos suspectos habemus, in officio ac pace contineantur, sunt muris, fossis, ac propugnaculis omnibus spoliandi. *Thespiensium muri à Thebanis diruti.*

EX LIBRO QVINTO THVCYDIDIS.

In bellis paratior esto. 1 IN bellis qui prius instructus & paratus prodit, magnas hosti commoditates eripit, & metum inicit. *De Atheniensibus post fœdera paratissimis.*

Hostis non contemnendus. 2 Hostis nunquam contemnendus, quantumuis timentis speciem præ se ferat. *De Cleone Amphipolim obsidente, & Brasidæ vires contemnente.*

Cladis vtilitas. 3 Postquam clades & calamitates vltro citróque fuerint acceptæ, etiam qui priùs irreconciliabiles, obstinati, & superbi erant, ad fœdera mutua paciscenda facilè inducuntur. *De fœderum, quæ inter Lacedæmonios & Athenienses facta sunt, causis.*

Subditi deficientes. 4 Insperatæ inusitatæque clades acceptæ subditos & socios ad rebellandum desciscendúmque facilè mouent. Itaque tunc pace potiùs, quàm bello ad eos in officio continendos est opus. *Ibid.*

Exercitus Imperator qualis. 5 Duces exercitus, & Primores Rerumpublicarum semper sunt belli tempore multorum inuidiæ & calumniæ obnoxij, propter detrimenta quæ priuati, & quidem multi tunc accipiunt, itaque non sunt tunc priuatorum querimoniæ aduersus eos pro iustis criminibus audiendæ, vel ij propter eas à munere deponendi. *Ibid.*

Fœdera seruari vt possint. 6 Fœderum illibatorum conseruandorum, optima expeditissimáque ratio est, si ab iis qui fœdera paciscuntur, commune aliquod concilium, quod de eorum inter se controuersiis postea cognoscat & iudicet, communi consensu constituatur. *In fœderibus Atheniensium, & Lacedæmoniorum. Item Amphyctiones.*

Fœdera fieri vt debeant. 7 In fœderibus paciscendis, non tantùm ipsis bellorum primis authoribus & ducibus populi, verùm etiam eorum sociis vtrimque cauendum est, & consulendum, ne illi vel inter se conciliati bellum aduersus paciscentes moueant, vel se ad alios vtrorumque hostes adiungant: atque ita hæc fœdera tandem irrita faciant, aut inutilia. *De Lacedæmoniis qui in suo cum Atheniensibus fœdere, sociis non satis cauerunt.*

Inter socios suspiciones. 8 Principum potentiorúmque populorum opes, fides, & authoritas infirmioribus sociis suspecta semper est, ne se in seruitutem redigant, sed tunc præsertim quum iidem illi potentiores populi sese cum suis hostibus, vel aliis validis populis reconciliarunt atque fœdus inierunt. *De causa cur Peloponnenses desciuerunt à Lacedæmoniis.*

Fœdera fieri vt debeant. 9 Fœdera inter Respublicas eadem gubernationis forma vtentes sunt commodissima & maximè ineunda: inter populos autem, aut Respublicas quæ diuersam à nostra formam habent, non sunt tam firma & commoda. *De Bœotiis Argiuorum fœdera recusantibus, & Argiuis Atheniensium societatem Lacedæmoniacæ præferentibus.*

Fœdifragus qui. 10 Qui ex pacto, vel forte prior implere fœdera tenetur, si non implet, non sunt eidem fœdera illi seruanda à nobis. *De Atheniensibus qui Lacedæmoniis iustè non seruarunt fœdera.*

Fœdifragus qui. 11 Perfidi ac fœdifragi aliqui ex eo esse vel intelliguntur, quòd multis technis & commentitiis prætextibus se suáque consilia simulant dissimulántve, & vehementer laborant ne ea deprehendantur, quæ tamen iam ex effectis & ex parte innotescunt. *De Lacedæmoniis qui fœdera cum Atheniensibus facta fœdus artibus vtentes fregerunt.*

Seditionis causa. 12 Vel vnius hominis potentis atque apud populum vel principem gratiosi publicus contemptus & ignominia sæpè totam Rempublicam turbat & commouet, imò etiam in discrimen adducit: ac proinde nemo, qui tantus est, temerè & absque occasione manifesta est irritandus. *De Alcibiade contempto à Lacedæmoniis, & propterea excitante in eos populum Atheniensium.*

Proceres. 13 Authoritati potentum ac gratiosorum in Repub. hominum multum detrahit, si de iis multum Reipublicæ polliceantur, à quibus nihil tamen postea impetrant. Itaque sobriè est illis de aliis promittendum. *De Nicia multa de Lacedæmoniis pollicente.*

Bella vicinorum extinguenda. 14 Magna & intestina bella in omnes vicinos tandem sparguntur per antegressas duorum duntaxat vicinorum primùm inter se prouitationes, & iniurias. Quibus proinde maturè obuiam ab aliis vicinis eundum est, nimirum constitutis qui ius vtrique parti irritatæ & sese armanti dicant: Denique curandum vicinis populis, vt pax inter vicinos colatur. *De Lacedæmoniis & Eleis; & Epidauriis vltro citróque sese irritantibus.*

Subditi deficientes recipiendi. 15 Nutantes & de defectione aut bello cogitantes subditi aut socij præueniendi sunt, nimirum aut in eos iustè suscepto bello, aut iis ipsis ad diuersas cogitationes distractis, & ad bella externa abductis.

Prælia temerè non suscipienda. 16 Acies instructæ consiliáque de prælio committendo vt temerè non suscipienda, sic non temerè mutanda & deponenda. Deponuntur autem & suscipiuntur temerè, nisi ex Reipublicæ quæ alit exercitum, consensu, ac ducum exercitus præcipuorum consilio id fiat: Atque inde vel magna sequitur in duces ipsos inuidia, vel rei bene gerendæ occasio prætermittitur. *De Agide solo paciscente cum Argiuis: item Trasylo Argiuo cum Lacedæmoniis.*

Reip. mutatio. 17 Non modò difficilis est, verùm etiam parum diuturna quæ fit ex vna forma in aliam mutatio Reipub. nisi firmissimis præsidiis noua illa forma constituta muniatur, vt illi paulatim ciues assuescant. *De Argiua plebe eijciente Aristocratiam.*

Bellum iustum. 18 Tam verum est, iustitiam in bellis suscipiendis requiri, vt ij etiam qui bellum ambitiosè aut auarè aliis inferunt, ac proinde iniustum, iidem prætextum tamen sui cœpti iustum captent aliquem, nimirum suam vtilitatem definientes esse iustitiam. *In disceptatione Atheniensium & Meliorum.*

Victoria crudelis. 19 Crudelis est semper eorum qui sæuiunt in dominos suos victoria. Itaque totis viribus ea semper propulsanda est & impedienda: æquior autem esse solet sociorum in socios aut parium in pares dominatio.

EX LIBRO SEXTO THVCYDIDIS.

Bellum longinquum remotum. 1 CVm de quouis bello suscipiendo prudenter & diu deliberandum est; tum verò præsertim de eo quod est & longinquum & periculosum: id est, quod aduersus validum ac bellicosum hostem & à nobis procul remotum gerendum est. *De bello Siculo, diu deliberato.*

Bellum rendum quibus. 2 Amentia est, eos adoriri, quos neque victor in officio retinere possis, & ad quos postea ab iis semel victus regredi non possis. *In oratione Niciæ ad Athenienses.*

Clades accepta. 3 Vt quæuis clades remotissimè accepta est; ita maximè horribilis censetur, & conseruat eos qui acceperunt.

Bellisocietatem petentes. 4 Extranei auxilium societatémque à nobis petentes vtplurimùm de se, suis opibus, suáque potentia, & fide strenuè mentiuntur; Itaque nisi priùs res eorum à nobis fuerint exploratæ, iis non est credendum. *In oratione Niciæ.*

Princeps prudens. 5 Is optimè imperat, qui de Repub. cui præest, optimè meretur, saltem qui sciens prudénsve nihil illi nocet consilio vel facto.

In Democratia offendi. 6 Inuidiam & exitium sibi statim conciliat, præsertim in democratico statu, & accersit, qui quamuis alioqui strenuus & vtilis Reipub. vir sit, tamen præter cæteros coæquales suos nimia vestium, victus, apparatúsque reliqui ostentatione & lautitiâ vtitur, ac proinde anteire illos velle videtur. *Alcibiadem hæc resperdiderunt.*

7 Imperium

7 Imperium eorum latissimè extenditur, qui aliis auxilium petentibus, statim & impigrè succurrunt. *In oratione Alcibiadis.*

8 Respub. nimio otio ac felicitate fruens, facilè, tum dominii sanctos mores pristinos; tum etiam foris & in bello, strenuitatem amittit. *In oratione Alcibiadis.*

9 Qui ratione à periculoso incepto reuocari non possunt, iidem sæpè sumptuum proposita magnitudine, & apparatus immensitate ac ostentatione deterrentur, ac reuocantur.

10 Hosti inuadere volenti, si vltrò ipse occurras, & tuis animos addis, & hosti detrahis. *In oratione Hermocratis ad Syracusios.*

11 Democratiæ fundamentum est, oportere totam ciuitatem, non autem illius partem duntaxat, in consilium de rebus publicis admitti: itemque populum, postquam audierit esse iudicem deliberationum publicarum. *In oratione Athenagoræ.*

12 Exploranda quæ nunciantur.

13 Præstat se ex vano metu & rumore aduersus pericula præparare, quàm ex nimia securitate, & hostium contemptu imparatum ab iis opprimi. *In oratione Magistratus ad Syracusanos.*

14 Malè auxiliares suos ad pugnandum & persistendum animant ij, qui eos, in ipso eorum aduentu & rerum principio, frustrantur & deludunt. *De Egestanis qui Athenienses deceperant.*

15 Omnis exercitus extraneus maximè statim in ipso aduentu & initio est terrificus: ergo primo quoque tempore est illi aduersus hostem eundum, ac præliandum; ne si terror iste mora diuturna euanuerit, hostes animum recipiant, & in eum audaciores fiant. *Consilium Lamachi tertij ducis Atheniensium, postea re ipsa comprobatum, libro 7. De Gylippo. De Demosthene lib. 7.*

16 Sæpè ex turpibus causis magnorum & pulchrorum tamen facinorum occasiones natæ: quocirca sæpè prudentibus viris est iis abutendum. *Pisistratidarum tyrannis ab Aristogitone ex vrbe Athenis ob amorem fœdum expulsa.*

17 Coniuratio nisi & paucis consciis & quamprimum executioni mandetur, facilè detegitur. *De Hermody & Aristogitonis insidiis detectis.*

18 Tyrannidis inchoantis & gliscentis initia & diligenter perquirenda, & quamprimum exstinguenda, ac seuerè nemine tamen iniustè damnato punienda. *De Atheniensibus, qui de Hermis fractis inquisitionem seueram instituerunt.*

19 Violatæ religionis prætextu sæpè in viros bonos & Reipublicæ vtiles ac egregios (quoniam alia occasione euerti non possunt) insidiæ & incriminationes magnæ & falsæ struuntur ab inimicis, quæ proinde non sunt facilè admittendæ. *De Alcibiade hoc crimine falsò accusato & oppresso.*

20 Fallacia, falsa spes, & stratagema quodcunque facilè hosti persuadetur per homines subornatos, illi notos & familiares. *De Cataneis Syracusanos decipientibus.*

21 Apparatus exercitus in speciem ipsam terribilis & solito maior terret hostes, & proinde maturè eâ occasione in hostem vtendum est. *In oratione Niciæ ad milites.*

22 In præliis ac victoriis absque firmo equitatu nullum hosti etiam fugienti, magnum incommodum inferri potest. *De Syracusanis Athenienses victores prohibentibus.*

23 Peditatus quantumuis firmus absque equitatu in præliis tanquam nudus censetur. *Ibidem.*

24 In ducendo hibernandoque exercitu præcipua commeatus seu annonæ cura ducibus habenda est. *De Nicia Catanam recipiente.*

25 Imperantium multitudo & turba (licet per vices id faciant) & domi, & foris nocet. *In oratione Hermocratis.*

26 Non est satis, milites ipsos in exercitu & præliis esse strenuos, nisi duces habeant intelligentes, & eos quoque ipsos strenuos, & nisi ordo & obedientia simul coniungatur, & seruetur à singulis. *Ibidem.*

27 Summos belli duces summo, à quo prouocare, aut cui resistere non liceat, præditos imperio esse oportet, vt faciliùs bella gerant, alios sibi obsequentes reddant, sintque omnia eorum consilia magis arcana. *Ibidem.*

28 Optima regionis totius tutandæ aduersus extraneos hostes irruentes ratio est synceretismus, id est, quum omnes regionis illius populi & vrbes communi consensu ac viribus aduersus huiusmodi extraneos conueniunt & pugnant, eosque à suis ceruicibus communiter propellere conantur. *In oratione Hermocratis ad Camarinenses.*

29 Ad hostium vires paulatim debilitandas maximè prodest socios ab iis abducere, vel eos cum sociis suis committere, vel alios aliis suspectos reddere, vel denique meliorem eorum subditis æquioremque conditionem offerre. *Ibidem.*

30 Quo plura quælibet Respublica, aut princeps habet, eo plus occupatur; ac proinde difficiliùs etiam singulis necessariis prospicit. *In oratione Euphemi.*

31 Maximè terret hostes, qui incommoda ex ea parte & ea ipsa quæ illi iidem maximè timent & formidant, infert. *In oratione Alcibiadis ad Lacedæmonios.* Hostes terrentur.

32 Princeps aut dux hostium quispiam ad nos transfugiens, illis maximè nocet: nam moram paratis ab illis rebus affert, & eorum conatus interrumpit, & consilia patefacit. Itaque vt tales in nostras partes transeant, nullis non conditionibus & præmiis est nitendum. *De Alcibiade.* Hostes terrentur.

33 Qui hostis vehementer nocuit, idem ille amicus plurimum prodesse potest. *In oratione Alcibiadis.* Hostis conciliandus quis.

34 Hostes nostros terret si non tantùm à sociis nostris bellicosis accipimus milites, sed etiam belli strenuos duces. *De Lacedæmoniis Gylippum mittentibus, & Syracusis excitientes.* Hostes terrentur.

35 Celeritas in exequendo, est causa maxima victoriæ, eademque, terret plurimum hostes. *De Syracusanorum metu ab Atheniensibus, lib. 1. de Gylippo Lacedæmonio.* Celeritas in bello.

36 Prudentis est ducis, ne minimæ quidem rei, quæ hostibus animum addere possit, depellendæ & eripiendæ occasionem prætermittere. *De Nicia Gylippum Lacedæmonium negligente.* Exercitus imperator prudens.

EX LIBRO SEPTIMO
THVCYDIDIS.

1 Est prudentis imperatoris, vbi res & fortuna eius prospera, manifestè labi multumque inclinare cœpit, maturè deliberare vtrum in bello suscepto perseuerandum, an potius ab eo desistere debeat. *De Nicia admonente prudenter Athenienses.* Exercitus imperator prudens.

2 Naues nimium diu sub dio & in mari retentæ, tum putrescunt, tum etiam ad prælium (quia sunt humidiores) postea minus aptæ existunt. *De nauibus Atheniensium, ex epistola Niciæ.* Naues veteres.

3 Temeritas superbiaque populorum iniusta bella suscipientium, eos perdit funditus: Æquitas autem & moderatio differentium donec iustè id, & commodè facere possint, eos seruat, & tandem victores efficit. *De Atheniensibus temerè in bellum Siculum incumbentibus, ac victis: & Lacedæmoniis æquius agentibus, post epistolam Niciæ.* Bella sunt iusta.

4 Etiam audaces viros & milites terrent ij, qui illis contra obuiam eunt, & ipsi audacter. *In oratione Hermocratis.* Hostes terrentur.

5 Præsidium perpetuum & firmum quantum fieri potest, in hostili relinquendum, quod regionem vastet, vt & terrorem & damnum hostibus afferat. *De Decelia, & Pylo muris circumdata.* Præsidia.

6 Barbari quibuscunque in locis non timent, sunt sæuissimi. *De Thracibus Machærophoris.* Barbari.

7 In nauali prælio qui nautas aut naucleros occidunt, facilè sibi victoriam comparant. Ad eos verò cædendos conducit prauis nauigiis peritos iaculatores imponere, qui tempore conflictus naualis eos telis petant. *De tertio Syracusanorum prælio aduersus Athenienses.* Prælium nauale.

8 Multorum à nobis defectiones sequi solent, vbi aperto Marte insigni aliquâ clade victi sumus, nisi quamprimum alius exercitus isque robore firmus comparetur, & hostibus opponatur. *De Demosthene confirmante socios Atheniensium deficientes.* Subditorum defectio.

9 Prælium noctu committere, nisi exploratissimo in loco, tesseraque facili data, ac denique ratione ad receptum victis idonea prius constituta periculosissimum est. *De Demosthene noctu Epipolas inuadente.* Prælium noctu.

10 Dissoluere bellum maturè præstat, & dum adhuc spes euadendi superest, quàm rebus in dies pessum manifestè magis magisque euntibus, omni spe & auxilio vicino destitutos, pertinaciter per miseram ambitionem in bello tamen permanere. *De Nicia obstinato, qui tandem exercitum Atheniensium perdidit in Sicilia.* Bella dissoluenda.

11 Qui de victoria præsumens vincitur: aut qui aliis imperare cupiens, eosque superbe aggreditur, si ab iisdem superatur, longè deiectiori turbatioreque est animo, quàm qui de se se talia minimè præsumpserat. Itaque is facilè vel ad iniquas conditiones pacis adducitur, vel omnino profligatur ac internecione deletur. *In oratione Gylippi ad milites.* Victi qui maximè.

12 Quæ & à quibus consilia, siue palam, siue clam suggerantur, diligenter perpendendum; & prius quàm fides illis habeatur, diiudicandum; ne pro amico vel salubri consilio insidiosum afferatur. *De Hermocratis in retinendis Atheniensibus stratagemate.* Exploranda quæ.

13 Victis sese recipientibus quàm celerrimè iter est faciendum vt loca per quæ eundum est, præoccupent antequam ab hoste teneantur, & vsquequò aliquod insuperabile vallum ac interstitium inter se & hostes obiecerint, velut flumen, oppidum suum &c. *De Atheniensibus fugientibus.* Victi vt progredi debeant.

14 Superstitiosa tonitruum, eclipseon, cæterarumque rerum naturalium obseruatio multos terrores parit, inanes illos quidem, sed tamen rebus bene gerendis inutiles & no- In bello terrores.

xios, & moras iniicientes. *De Nicia plenilunium obſcurum obſeruante. De Athenienſium exercitu fugiente, & fulgura obſeruante.*

EX LIBRO OCTAVO THVCYDIDIS.

Subditorum defectio.

1 MAgnas clades, magna ſociorum & ſubditorum defectio ſequi ſolet: itaque curandum, vt firmis, ſi fieri poteſt, tunc maximè præſidiis teneantur; & hoſtibus aliquid negotij inexſpectati obiiciatur. *De Athenienſium conſternatione & ſociorum defectione.*

Clades accepta.

2 Poſt magnas calamitates acceptas, ſumptus publici priuatique coërcendi ſunt ac moderandi, vt pecunia ſuppetat ad publica negotia, imò etiam poteſtas extraordinaria, quæ maturè occurrat incommodis, vel potiùs noua decernenda. *Ibid.*

Defectio.

3 Defectionum conſilia non tantùm occultè agitanda, verum etiam quamprimum exequenda, ne deprehendantur, aut impediantur. *De Coiis qui ab Athenienſibus fuerunt deprehenſi.*

Belli initia.

4 Etſi belli initia feliciter non ſuccedunt, propterea tamen non eſt animo ſtatim deſpondendum & langueſcendum. *Alcibiades ad Prudium Ephorum.*

Reip. ſecuritas.

5 Vt quiſpiam Princeps vicinos populos facilè ſuperare, aut inter eos à quibus ſibi metuit, regnare ac tutus eſſe poſſit, ſunt diſcordiæ inter vicinos & eos quos metuit, ſerendæ & alendæ ac ſemper illius, qui fuerit potentia inferior, partes adiuuandæ, & aduerſus ſuperiorem defendendæ ac ſuſtentandæ. *Alcibiadis conſilium Tiſſapherni.*

In cladibus cedendum tempori.

6 Tempori calamitatique in politicis rebus cedendum eſt, itaque & prior ſtatus Reipublicæ immutari, & antea facta decreta reuocari debent, ſi ſic ſuadeat Reipu. vtilitas. *De Athenienſibus Alcibiadem reuocantibus, & ſtatum Reipublicæ mutantibus.*

In exercitu diſſenſiones.

7 In bellis diſſenſiones ducum corrumpunt, aut inutiles reddunt multas rei præclarè gerendæ occaſiones: imò etiam ſæpè toti exercitui exitium afferunt. *De Pedarito & Aſtyocho ducibus Lacedæmoniis diſſentientibus.*

8 Vbi ærarium publicum omnino deeſt, vel eſt tenue ac inualidum, ibidem rerum præclarè gerendarum fundamentum deficit: vnde neceſſariò publicum ærarium habendum eſt, & illud etiam pro magnitudine imperij, & cœptorum conſiliorumque ratione copioſum ac locuples. *De Athenienſium ærario poſt Siculum bellum exhauſto.* Aerarium Reip.

9 Præter ordinarium ærarium, quod publicis ſumptibus ordinariis ſit deſtinatum, aliud quoque ad extraordinarias clades ac calamitates ſubleuandas ſeorſim, ſancteque reſeruatum inquaque Repub. eſſe oportet. *De Athenienſium mille talentis in caſus extraordinarios ſepoſitis.* Aerarium Reip.

10 In oppidis hoſti oppoſitis, & iis quorum obſidio timetur, commeatus pro numero pugnantium, & ciuium retinendorum ad tempus diuturnum depoſitus aſſeruari debet: itemque cæteras belli munitiones, ibidem paratas eſſe, & conſeruari oportet. Oppida hoſti vicina.

11 Omnis Reipublicæ ſtatus ac formæ mutatio, multa ſecum incommoda trahit, ac proinde periculoſa eſt, ſubditis moleſta, ac ſeditionum & rebellionum occaſionem præbet. *De Athenienſibus Democratiam in Oligarchiam mutantibus.* Reip. forma mutata.

12 Curandum eſt ne foris exercitus à conſiliis diſſentiat, quæ Reſp. domi probat. *De Athenienſium exercitu qui Samy erat, & à Rep. Athenienſi diſſentiebat.* In exercitu diſſenſiones.

13 Vires hoſtium maxime infringit, qui ſocios ab illis alienat, aut agros commeatu, aut pecuniam ſuppeditantes illis eripit. *De Alcibiade Deceliam ab Athenienſibus & Tiſſaphernem à Lacedæmoniis auertente.* Hoſtes debilitanti.

14 Qui hoſtibus valdè ſunt vtiles duces, aut ſocij, ſunt variis modis apud eoſdem in ſuſpicionem à nobis adducendi. *De Alcibiade Tiſſaphernem adducente Lacedæmoniis in ſuſpicionem.* Dux in ſuſpicionem adducendus.

15 Non tantùm vincendum eſt, ſed etiam victoria vtendum Duci, imprimis vt perterritis hoſtibus inſtet. *Hegeſandridas Lacedæmonius fructum victoriæ perdidit cunctando.* Victoriâ vtendum qu...

16 Spes prædæ, vel nimius hoſtium victorum contemptus, ſæpè pulcherrimas victorias corrupit, adeoque nonnunquam ex victis victores effecit. *De Peloponnenſibus & Syracuſanis ad Abydum victis.* Victoriam corrumpi...



FLORILEGIVM POLITICVM
EX XENOPHONTIS DE PÆDIA CYRI
LIBRO PRIMO

Subditos obſequentes qui habeant.



1 PRINCIPES qui imperant iniquè & iniuſtè, ægrè ſibi obſequentes ſubditos, aut beneuolos habent, *In proœmio libri.*

Idem.

2 Principes verò rectè & iniuſtè imperantes reddunt ſubditos ſibi facilè obſequentes, ac beneuolos *Ibidem.*

Princeps corpore qualis.

3 Principem nobilibus natalibus & proſapia generoſa ortum, & corpore formoſum eſſe, commendat populis: verùm rectè à pueritia honeſteque, omni virtutis, tolerantiæ, & laboris genere inſtitutum & exercitatum eſſe, maximè decet ac neceſſe eſt. *De Cyro Perſarum rege, cui hæc omnia tribuit Xenophon.*

Princeps qualis.

4 Princeps patriis non peregrinis moribus ac inſtitutis à pueritia eſt formandus. *De Cyro.*

Præfectus morum.

5 In bene moratis ciuitatibus ætates hominum diſtinctas eſſe oportet, vt cuique ætati ſuus morum præfectus & cenſor & inſpector conſtituatur. *Sic in Perſica Monarchia.*

Princeps ingratus.

6 Ingratitudinem vt maximum vitium etiam in pueris deteſtantur Perſæ.

Adoleſcentes vt alendi.

7 Adoleſcentes ad cibi continentiam, ſobrietatem & militares labores ab incunte ætate ſunt exercendi, vt ſtrenui euadant. *ſic Perſæ ſuos adoleſcentes inſtituunt.*

Adoleſcentes vt alendi.

8 Venationis exercitium plurimum eſt militari labori ſimile, itaque militaturi ſunt primis ſtatim ab annis aſſuefaciendi venationi. *De Perſarum liberis qui ſic erudiuntur.*

Princeps indole qualis.

9 In iis qui viri magni futuri ſunt ac euaſuri, apparent ab ipsâ ſtatim infantiâ illuſtria eorum indolis eximiæ ſigna. *Sic in Cyro puero.*

Princeps vitet ebrietatem.

10 Ebrietas maximè Principem dedecet. *Cyri etiam pueri dictum.*

Princeps non ſit difficilis.

11 Aditus ad Principem non debet eſſe difficilis. *De Saca damnato à Cyro.*

12 Optima eſt eius Principis adoleſcentis indoles, qui cum aliis certamen de virtute non recuſat. *Sic Cyrus in venatione cum æqualibus ſuſcepta.* Princeps indole qualis.

13 Is facilè in ſocietatem adducitur, cui nobiſcum commune periculum eſſe perſuadetur. *Sic Aſſyriorum rex totam Aſiam aduerſus Medos concitauit.* Socij qui facilè in...

14 Belli iuſti initia à Dei inuocatione facienda. *Sic Cyrus profecturus in auxilium Medorum.* Bella vt ordienda.

15 Optima exercitus legendi ratio eſt, quum vir virum legit. *Sic Cyrus ducentos elegit, illi alios* Exercitus quomodo legendus.

16 Nemo in bellis ſtrenuus euadere vnquam concupiuit, ſolius laudis gratia, ſed & commodi quoque ſui causâ; Quare ſtrenui ſunt & honore & præmiis afficiendi. *Cyrus in oratione ad ducentos à ſe electos.* Strenuis præmia danda.

17 Strenui ſunt bellatores, qui & certandi laborem, & in exercitu famem & ſitim, & reliquas belli ærumnas patienter ferre, & abſque fatigatione magna poſſunt. *Ibid. Cyrus.* Exercitus ſtrenuus.

18 In bellis æquitas iuſtitiaque belli ſuſcepti inprimis & noſcenda Duci ipſi, & aliis ab eo proponenda. *Ibid. Cyrus.* Bellum iuſtum.

19 Hæc eſt belli iuſte ſuſcipiendi cauſa duplex: nempe ſi vel iniuria iam illata nobis ipſis propulſatur à nobis, vel amicis ſociiſque laceſſitis & petentibus auxilium feratur. *Ibidem Cyrus.* Bellum iuſtum.

20 Optimus eſt ille belli Dux, & toti exercitui venerandus, qui curat & efficit, ne quid neceſſarium, ac præſertim commeatus deſit exercitui. *In colloquio Cyri & Cambyſis patris.* Exercitus Imperator prudens.

21 Ducem & Principem non cœnæ ſumptu, aut voluptatis fruitione, ſed maximè prudentiâ & labore in exercitu cæteros præcedere oportet. *Ibidem.* Exercitus Imperator prudens.

22 Pecunia, quæ non deficiat, paranda eſt ei qui fidum & obſequentem ſtrenuum perſtantemque ſecum exercitum habere velit. *Cambyſes pater ad Cyrum* Exercitus obediens quando.

23 Mi

23 Milites in exercitu sunt magis obsequentes in rerum necessariarum copiâ, magis autem strenui dum duntaxat premuntur, non autem prorsus iis destituuntur. *Ibidem.*

24 Strenuũ militem facit lucri spes præsertim magni, certa vel concepta. *Ibidem.*

25 Breui periturum est imperium eius Ducis, cuius culpa exercitus caret rebus necessariis & commeatu. *Ibidem.*

26 Boni exercitus Imperatoris munus non in solâ acie instruenda positum est, aut locis ad victoriam opportunis capiendis; verùm etiam in tuendo exercitu ab inopiâ, morbis, seditione, ignauiâ, & eodem ad contentionem virtutis excitando cohortandóque. *Cambysis consilium ad Cyrum.*

27 Castra salubri loco sunt capienda, si quibus in locis exercitus est diutius commoraturus. *Ibid. m.*

28 Exercitum nunquam otiosum esse oportet, sed in eo, vt vel noceat hosti, vel sibi necessaria paret, vel se militariter exerceat, semper occupatum *Ibid.*

29 In exercitu obsequentes præ cæteris milites sunt publicis præmiis à duce, & quidem publicè afficiendi. *Ibid.*

30 Militum obsequium & beneuolentiam maximè parat & conciliat ducis ipsius in curandis militum commodis & vtilitatibus prudentia, & illius velut communis patris cura & sollicitudo erga milites, eáque toti exercitui nota & perspecta. *Ibid.*

31 Militum obsequium ac beneuolentiam Duci conciliat, si vnà cum militibus ipse militariter cibum capiat, & si in laboribus ac periculis cum illis versetur, & perseueret: imò si plus illarum rerum, quàm milites alij, participet. *Ibid.*

32 Tum maximè cum hoste confligendum est, quum milites quidem non tyrones, sed exercitati alacri animo id postulant, & loci conditio commoditásque nobis fauet.

33 Hosti quacunque ratione fieri potest incommodandum, vim inferendo, prædando insidiis, stratagemate grassando; non tamen perfidiâ & fide datâ violatâ. *Cambyses pater ad Cyrum.*

34 Nostri, & socij in bello nullâ iniuriâ sunt ab exercitu publicè, vel priuatim afficiendi. *Ibid.*

35 Obseruandum quum hostes sunt imparati, dormientes, frumentantes, securi iniquo loco positi, vt tunc eos aggrediamur, & quâ castrorum, vel exercitus sui parte maximè sunt imbecilles.

36 Simulatio, trepidatio & metus à nobis fictus, facilè hostes in insidias, aut ad audendum quidpiam, præter ipsorum vires inducit. *Ibid.*

37 Noua instrumenta bellica & hostibus ignota ac inusitata magnum illis terrorem afferunt: Itaque Duci in id maximè incumbendum, vt noua belli instrumenta inueniat. *Ibidem.*

38 Milites exercitati & eorum animi alacres sunt magna victoriæ parandæ instrumenta. *Ibidem.*

39 Imperatoria ars multâ exercitatione & meditatione eget, imò diu noctúque fiat assidua.

40 Nec certamen, seu prælium in bello, nec aliud quidpiam maioris momenti, aut periculi in bello, vel pace, ante inuocatum Dei nomen, est à Principe vel Duce tentandum. *In fine libri.*

EX LIBRO SECVNDO XENOPHONTIS DE pædiâ Cyri.

1 IMPERATORI & suæ & hostium copiæ, quantum fieri potest, sunt cognoscendæ, vt de toto bello meliùs deliberet.

2 In bello & prælio inprimis spectandum Duci, quæ sua arma hostium armis, & quam exercitus sui partem parti hostium opponat. *In colloquio Cyaxaris & Cyri.*

3 Præmia in bello iis qui erunt strenui ante certamen ceu prælium sunt publicè proponenda & pronuncianda.

4 In castris est varius exercitus per nationes distinguendus: nationes per vexilla: vexillum quódque cum suo duce per coniuncta contubernia inter se vicina sub oculis ducis & commilitonum constituendum.

5 Labores in exercitu assidui faciunt, vt milites sint in eo mansuetiores.

6 Ministri exercitus, vt fabri, medici, chirurgi, tubicines, caduceatores, cornicines, qui machinas vehunt, & reliqui similes; sunt & ipsi quoque strenui à Duce exercitus, vti & strenui milites, honorandi, & ad epulas inuitandi. *Exemplum Cyri.*

7 Beneuolentiam militum conciliat Duci benigna distributio esculentorum & poculentorum suorum, partitióque ab eo inter milites facta, aut ad eos viritim, vel turmatim è suâ mensâ missa: vel ad cœnam eorundem cum Duce inuitatio.

8 In acie ne postremi progrediantur, nisi primi, seu anteriores in eodem agmine & turma processerint priùs.

9 Ne ordine & in acie dispositi milites omnes idem exequantur, quod vni ex illis duntaxat est imperatum ... ndum.

10 Conuitia in exercitu & inter milites seuerè coërcenda. Ex iis enim pugnæ & rixæ primùm priuatæ, post etiam sæpe totius exercitus inter se seditio nasci solet.

11 Nec in milite, nec in Duce nimia seueritas & naturæ agrestitas est laudanda.

12 Milites ignaui sunt ex exercitu statim eiiciendi, vel dimittendi. Nam hi suo exemplo & iactatione alios deprauant & incitant, vt minus quidem laboris, plus tamen præmiorum petant.

13 Item seditiosi milites & factiosi, item improbi & scelerati ne cæteros corrumpant.

14 Cuiuis militi strenuo & præclara gerenti, siue nobili, siue plebeio, præmia proponenda & quidem, si æqualia facinora plebeius miles generoso ediderit, æqualia. *Decretum Cyri ex communi Ducum consensu.*

15 Imperatoris exercitus, non singulorum militum iudicium esse debet, ecquis se strenuè & dignè præmio in bello gesserit, ecquis non *Ibidem.*

16 Exercitus σκιαμαχίαις in astris strenuè exercendi. *Sic Cyrus.*

17 Funditorum, ferentariorum, & eorum omnium qui eminus feriunt, magnus est in primum aggrediendo, vel fugando exercitu vsus: comminus autem ... & gladiis rem gerentium vsus in fundendo, profligando cædendóque exercitu maior. *Ibidem.*

18 Milites quos quispiam Dux velit alacri animo res bellicas gerere, & inprimis socij & auxiliares, sunt tum præmiis, id est, pecuniâ; tum verbis, id est blandâ oratione venandi & conciliandi.

19 Duci exercitus præter publicas pecunias, priuatis est pecuniis opus; vt ipse per se strenuos milites præmio afficere possit.

20 Venationis aut latrocinij specie in hostico aut suspectis sociis opportuna loca occupare commodum & vtile stratagema est. *Sic Cyrus Armeniorum monte occupat.*

21 Quum celandus est hostes noster aduentus, aditus nuntiorum occupandi, & quotquot occurrunt, vel capiendi sunt ac retinendi: vel specie latrocinii longissimè fugandi. *Sic Chrysantas ... Armenios.*

22 Ea est pro breuissimâ exercitui viâ eligenda, quæ facillima & tutissima est. *Cyrus.*

23 Minimè iniuria sunt ab exercitu afficiendi, quos ad te traducere velis: vel à quibus commeatum accipere sit necesse. *Sic Cyrus præcepit.*

24 Celeritas in præoccupando imparato hoste & præueniendo maxima, vt plurimum victoriæ causa est. *& lib. 3. de Chaldæorum montibus occupatis.*

25 Per feciales tentandi priùs, quàm nullâ de officio præcedente admonitione prælio aggrediendi etiam ii, qui à nobis perfidi, & vltrò defecerunt quum essent priùs subditi. *Sic Cyrus Armenios Medorum subditos tentat.*

26 Hostem perturbat, vel spem illius languidiorem facit, vel deiicit, subditorum, qui à nobis ad eum priùs defecerant, ad nos retractio & reductio. *Cyrus reuocat Armenios ad Medos, quorum antea subditi erant.*

EX LIBRO TERTIO XENOPHONTIS DE pædiâ Cyri.

1 REGIS fuga aut manifesta desperatio, vel trepidatio reliquum vulgus terret in exercitu, & in desperationem adducit. *Armenij regis fuga populares terruit.*

2 Ad veniam impetrandam à Rep. vel Rege, præstat hosti capto verum, quàm mendacium dicere, & veniam summissè postulare, quàm proteruè in victorem inuehi. *Armenij regis consilium: item & Cyri.*

3 Subditi antea rebelles, sed bello recepti, sunt, quantum fieri potest, nobis aliquo beneficio conciliandi, quò sint magis in posterum fidi. *Sic Cyrus Armenium tractat.*

4 Hostium præsidia nostræ regioni vicina sunt deiicienda, vt facilè eos à nostris finibus arceamus, & ad sua tuenda reuocemus. *Sic à Cyro deiecta præsidia Chaldæorum.*

5 Noui populi bello parti sunt beneficio afficiendi, quo lubentiùs nobis parere velint. *Sic Cyrus Chaldæos.*

6 Est boni principis vicini duorum vicinorum pacem constabilire inter se, ac propterea se interponere, & vtrorumque iniurias ac fines præsidio in vtrorúmque confinibus à se constituto, cùm ab eo petitur vlcisci & seruare. *Sic & se Cyrus interposuit inter Armenios & Chaldæos.*

7 Imperatorem in exercitum liberalem esse oportet, vt eius beneuolentiam sibi conciliet. *Sic Cyrus beneficus in suum exercitum.*

8 Longè præstat, exercitum nostrum in hostili quàm in no-

ſtrom et agro alere, vt plus illi incommodi, nobis autem minùs detrimenti adferamus. *In oratione Cyri ad Cyaxarem.*

Exercitus habendus vbi?
9 Non tam ratio & cura habenda eſt, ne noſter exercitus nobis incommoda afferat in noſtro agro manens, quam vbi eum manere oporteat, vt hoſtili exercitui reſiſtere, & par eſſe poſſit. *Ibidem.*

Hoſtes terreantur.
10 Multum alacritatis noſtris additur, multumque terroris hoſtibus, cùm eos in ſuo ipſorum agro, vel ceſſantes adoriri, vel aduenientes expectare audemus. *Ibidem.*

Victoriæ prognoſticon.
11 Prælia animis magis, quàm maximis corporum viribus iudicantur, & victoria prænunciatur. *Ibidem.*

Prælium cõmitti quãdo debeat?
12 Nihil in bello, prælio, hoſte inuadendo, niſi priùs inuocato Dei nomine, aggrediendum, quum id feliciter ſuccedere velimus. *Sic Cyrus in Aſſyriorum agros irruiturus ſacrificiat.*

In caſtris ignes. Caſtrametatio.
13 Ad fallendos hoſtes ſæpè expedit ignes poſt caſtra facere. *Sic Cyrus.*
14 In caſtrorum metatione tutiſſimum eſt vallo & foſsâ caſtra noſtra ſemper munire. *Sic Cyrus.*

Hoſtem terret.
15 Quidquid in bellicis operibus repentè fit & aſpicitur, multùm terret hoſtem. *Sic Cyrus vallum loricatum & terreum facebat.*

Prælium committi quando debeat.
16 Prælium non priùs committendum, quàm confirmatis à Ducibus ſuorum animis, & curato à militibus corpore, quantum fieri & res, & locus, & tempus patitur. *Sic Cyrus cum Aſſyriis dimicaturus.*

In bellis temerè nihil.
17 Propter hoſtium dubitationem, aut hæſitationem non eſt quicquam à nobis præcipitanter ac temerè ſuſcipiendum, etiam aduerſus eos ipſos: nam ſæpe eſt ſimulata. *Sic Cyrus diſſuadet Cyaxari, ne caſtra hoſtium aggrediatur.*

Præliũ cõmitti quãto debeat?
18 Hoſtis nec totus, ſed ex parte tantùm collectus; nec aciem adhuc inſtructam habens, ſed eam inſtruens, ſi qua fieri poteſt, adoriendus: vt facilis ſit nobis de eo victoria. *Sic Cyaxares Aſſyrios vicit.*

EX LIBRO QVARTO
XENOPHONTIS DE pædiâ Cyri.

Hoſtis fugiens.
1 Hoſtis fugiens non eſt abſque equitatu firmo perſequendus. *Cyri conſilium.*

Hoſtis fugiens.
2 Hoſtis fugiens euſque perſequendus, & quidem celerrimè & quamprimùm, donec ſperat ſe euadere poſſe: ad deſperationem autem non cogendus. *Cyaxaris conſilium.*

Cladis vis.
3 Clades acceptas, præſertim magnas, ſequitur ſociorum defectio, item ſubditorum, niſi à victis vires quamprimùm inſtaurentur. *Sic Hyrcani ab Aſſyriis defecerunt.*

Hoſtis fugiens.
4 Hoſtis fugiens quamprimùm eſt perſequendus: nec verò victor exercitus in ſpoliis illius legendis, donec fugientem prorſus profligarit, debet retineri. *Cyri edictum perſequentis Aſſyrios.*

Victoria lucrum maximum.
5 Nullum eſt lucrum victoriâ maius. *Ibidem.*

Commeatûs magiſter.
6 Præficiendus eligendúſque ſemper aliquis in exercitu, qui in toto illius itinere commeatus curam habeat. *Cyri dictum.*

Spolia.
7 Spolia Imperatoris iuſſu ab vno aliquo fido delecto & legenda ſunt & fideliter ſeruanda, donec ex communi omnium ſententiâ inter omnes diuidantur. *Sic Cyrus in ſpoliis Aſſyriorum fugientium legendis fecit.*

Exercitatio populi.
8 Studendum eſt, vt quæ gens peditatu valet, & ad pedeſtrem pugnam ſtrenua eſt, eadem quoque equitatu, ſi fieri poteſt, valeat, atque ad pugnam quoque equeſtrem exerceatur. *Sic Cyrus perſuaſit Perſis, qui optimi pedites erant.*

Regio culta diues.
9 Regio benè culta pretioſa admodum poſſeſſio: malè verò habitata caret infinitis bonis. *Cyri ad Hyrcanos dictum.*

Victoria vt paretur.
10 Vt victoria tuta paretur, omnes reſiſtentes, vim inferentes ſeu repugnantes ſunt occidendi: arma verò tradentes ſéque dedentes ſunt conſeruandi.

Dedentes ſe in prælio.
11 Qui ſe in bello aut prælio populi totos & populariter dediderunt, & à nobis capti ſunt, commodiùs ad ſua remittuntur, ſed omnibus demptis armis: aut in ſuo agro & ſedibus iuſto præſidio impoſito, retineantur, quàm vel retineantur apud nos, vel in alienas regiones transportentur, niſi manifeſta rebellionis ab iis in ſede & regione ſuâ manentibus futura ſigna cernantur & appareant. *Sic Cyrus captiuos Aſſyriorum tractauit.*

Exercitus non minuendus in periculo.
12 Quamdiu exſpectatur aut metuitur hoſtis, nec auxilia ſunt dimittenda, nec diſtrahendæ vires noſtræ. *Sic Cyrus Medos retinuit.*

Princeps quis eligendus?
13 Cauendum eſt, ne Principi tibi infeſto ſubiiciaris, & in eius poteſtate maneas & ſis. *De Gobriâ transfugiente ad Cyrum.*

Proceribus iniuria facta.
14 Regis in principes & primarios regni viros iniuria, niſi verbis, vel donis ab eo leniatur, eos à rege cum totâ ipſorum regione facilè alienat. *Aſſyrius Gobriam coegit deficere.*

EX LIBRO QVINTO
XENOPHONTIS DE pædiâ Cyri.

Strenuos quid corrumpat?
1 Libido atque amor ſpurcus ſæpe ſtrenuos viros à bonis cœptis auocant, & ignauos reddunt. Itaque continentes miniméque libidini & ſcortationi eos addictos eſſe oportet. *De Cyro recuſante videre Abradatæ uxorem.*

Exercitus Imperator continens. Sociorum exercitus.
2 Magna in adoleſcente Imperatore virtus eſt continentia. *Exemplum Cyri.*
3 Sociorum exercitus non per vim, ſed beneuolentiâ conciliandus ac retinendus. *Sic Cyrus Medos retinuit.*

Hoſtis vt opprimi citò poss
4 In hoſtem quem breui debellare & perterrefacere volumus, ſunt concitandi, & in noſtram ſocietatem contra eum aſciſcendi omnes qui illum aliquâ ex cauſâ infenſè oderunt. *Sic Cyrus Caduſios & Sacas excitat in Aſſyrios.*

Hoſtis perterritus eſt perſequendus.
5 Hoſti perterrito inſtandum. *Sic Cyrus Aſſyrios premebat.*

Hoſtis perterritus eſt perſequendus.
6 Quò maior eſt trepidantis exercitus numerus, eò maior eſt illius metus. *Cyri dictum.*

In hosticc
7 In hoſtico quicunque nobis vi reſiſtunt, poſſunt occidi, imò ſunt à nobis occidendi. *Cyri præceptum in Babylonios ducentis.*

In hoſtico.
8 In hoſtico ingreſſus exercitus ſtatim omnia cædibus & rapinis impleat, vt magnum hoſti terrorem de ſe iniiciat. *Sic Cyrus ingreſſus fines Babyloniorum.*

Præda bel vt diuidenda.
9 Socij, præſertim noui, maiori prædæ captæ parte donandi ſunt, vt nobis lubentiùs militent, & magis magíſque concilientur. *Sic Cyrus donat Gobriam.*

InSidiæ periculosiss mæ.
10 Nullæ perículoſiores rectioréſque in bello ſunt inſidiæ, quàm quum ex compoſito aliqui in vtroque exercitu Duces agunt, tanquam valde inter ſe ſint hoſtes, quum tamen ſint amiciſſimi, & vltrò citróque exercitum alter alterius infeſtat verùm, ex colluſione aliis incognita. *Sic Cyrus egit cum Spadone.*

Sociis, quibus ſuccurrendum.
11 Nouis ſociis laborantibus eſt auxilium ſtatim, quo magis nobis concilientur, ferendum. *Sic Cyrus Gadatæ tulit contra Aſſyrios.*

Regionum aditus occupandi.
12 Duces hoſtium, quibus ipſe regionis aditus commiſſus eſt cuſtodiendus, ſunt in noſtras partes, quantum fieri poteſt, præter cæteros traducendi: vt ij aditus primi locorum occupentur à nobis. *Sic Cyrus Gadatam conciliauit ſibi.*

Exercitu iter noct
13 Noctu proficiſcenti exercitui maximè ſilendum. Nam nocturnum iter tutiſſimum fit per aures, diurnum per oculos; vtrumque tamen per præmiſſos ſemper equites & exploratores. *Cyri dictum.*

Exercitu Imperator nomina ſcorit du cum.
14 Imperatorem exercitus oportet non tantùm nomina, ſed ingenium etiam, animum & induſtriam ſingulorum centurionum ſui exercitus noſſe. *Sic Cyrus norat.*

Exercitu iter.
15 Imperatorem dum exercitus iter facit, vno duntaxat loco conſiſtere non oportet: ſed in diuerſis partibus exercitus variè verſari, vt obſeruet, vtrùm ab omnibus ordo ſeruetur, vel, num quæ in exercitu ſint rixæ. *Sic Cyrus.*

Exercitu Imperat vt concilie.
16 Imperatori ſummam multum beneuolentiam conciliat, ſi vulneratos in prælio excipiat ipſe, curet, foueat, & ipſe cum Medicis, dum eorum vulnera tractantur, adſit. *Sic Cyrus Caduſios milites curauit.*

Exercitu non minuendus in periculo
17 Cuius exercitus eſt hoſtili minor, illius pars nulla debet ab vniuerſo exercitu diuelli. *Sic Caduſij victi ab Aſſyriis.*

Prædatic
18 Pars exercitus inſcio Imperatore non debet quoquam prædandi, vel pugnandi gratiâ progredi. *Sic Caduſij victi.*

In bellis agricolis parcendi
19 Æquum eſt etiam in mediis bellis, ne agricolis, & agrorum arationi noceatur. *Sic Cyrus.*

Proceres ſtrenui.
20 Gratioſi apud populum principes viri ſunt ſemper regibus formidoloſi, maximè verò quum rem publicam præclarè gerunt, aut bella fortiter adminiſtrant. *Sic Cyrus Cyaxari.*

Princeps exoſus.
21 Nunquam committendum Principi, vt omnibus ſuis ſubditis ſit ſimul odioſus & exoſus: tunc enim prorſus perierit. *Cyri dictum.*

Proceres ſtrenui.
22 Regum ignauorum cor vrit, quum quempiam ſuorum ſuis auſpiciis res magis præclaras gerere vident, quàm ſeipſos. *Sic Cyaxares, vrebatur ob res Cyri.*

Procere
23 Cauendum primariis in regno viris, ne ſe maiori comitatu, aut populi beneuolentiâ ac fauore conſpicuos cerni patiantur, quàm ipſummet regem, ſi modò tuti viuere, & non ſuſpecti Regi velint. *Cyaxaris*

Milites.
24 Milites dum videntur haberi contemptui, boni quidem & ſtrenui, deſinunt eſſe alacres: mali verò, fiunt deteriores. *Cyri dictum.*

EX

EX LIBRO SEXTO XENOPHONTIS DE pædia Cyri.

[...ercitus ...ando di-...ittendus?] 1 ANTE confectum bellum neque dimittendus est exercitus, neque dissoluendus: sed retinendus, & ad terrorem hostis, & ad nostrorum conseruationem. *Delibera-tio Cyaxaris.*

[Hiberna ...ercitus.] 2 Hiberna exercitus illic demum commodè collocantur, vbi non modò Duces ipsi, sed & milites, & militum famuli; ac inprimis equi tecti tecto ac commeatu abundare possint. *Cyri consilium.*

[Fames.] 3 Durissimi hostes duo, atque à nullo exercitu expugnabiles, ac proinde cauendi, nimirum fames & frigus. *Cyri dictum.*

[Fames.] 4 Exercitum maturè dissoluere præstat, quàm pati, vt fame, vel frigore expugnetur, quòd nullibi commodè propter multitudinem hibernare possit. *Cyri dictum.*

[Hiberna ...ercitus.] 5 Exercitus in hostico commodè & tutò demum ibi hibernet, vbi castella vicina occupauit. *Cyri dictum.*

[...plorare ...orret ...stium ...] 6 Hostis, quamuis longissimè absentis, res sunt à nobis explorandæ, & per exploratores fidos cognoscendæ. *Sic Cyrus explorat res Assyrij in Lydiam fugientis.*

[...plora-...res.] 7 Exploratores optimi, sunt principes viri non vulgares, qui hostium consilia & ordinem, non tantùm vires videre possunt ac renuntiant: & qui ea duntaxat consilia nostra hostibus referunt, quibus impediantur ipsorum sana cœpta & fortia. *Sic Araspam instruit Cyrus.*

[...plora-...res.] 8 Exploratores ij ferè apud hostes fidem impetrant, qui in nostro exercitu magni nominis quum essent, ex iustâ causâ fugisse censetur, licet nobiscum colludant: vt pote si credantur illi à nobis offensi, & indignè tractati. *Sic Araspas à Cyro fugit ad Assyrium.*

[...quites ...aphra-...] 9 In exercitu cataphractos equites & reliqua huiusmodi exercitus robora esse oportet, quæ in acie hostibus velut turres inexpugnabiles opponantur. *Sic Cyrus parauit currus falcatos.*

[...cis con-...io à qui-...s acci-...tur fa-...è.] 10 Captâ vxore aut liberis Principum, & ipsi quoque facilè postea in nostras partes traducuntur, præsertim si vxor & liberi eorum benignè à nobis tractentur. *Sic Cyrus traduxit ad se Abradatam.*

[...plorato.] 11 Exploratores optimi sunt ij quoque, qui extranei nobísque palàm nondum addicti, alieno, id est, suorum Principum nomine ad hostes eunt, vt in eorum castris versentur, & eos nobis explorent, & speculentur. *Sic Cyrus misit Indos ad Assyrium explorandum.*

[...gnosti-... victo-...] 12 Animorum in bello vel certamine capessendo alacritas est optimum futuræ victoriæ aut felicis exitus prognosticon. *Cyri dictum.*

[...tes quo-...do ex-...endi?] 13 Ea certamina & domi, & in exercitu publicè instituenda, præmissque ornanda, quæ ad vsum pugnæ & prælij prodesse postea possunt. *Sic Cyrus.*

[...plora-...es boni.] 14 Exploratores & ij quoque esse solent, qui specie transfugarum à nobis ad hostes desciscunt, vt ad nos postea redeant rebus hostium perspectis.

[...ercitus ...rus tol-...dus.] 15 Publicus exercitus nostri metus & consternatio de hostium viribus & numero, est quamprimùm ab Imperatore conuocatis ducibus & militibus tollenda. *Sic Cyrus.*

[...elium ...mitti ...ndo ...eat?] 16 Hostes quamprimùm sunt aggrediendi, dum & imparati adhuc sunt, & auxilia suorum expectant. *Cyri consilium.*

[Annona ...anda.] 17 Profecturo exercitui commeatus est pro numero dierum, & numero hominum parandus, vel equis, mulis, ac plaustris ferendus. *Sic Cyrus aduersus Crœsum iturus.*

[Optima ...meatus ...o quæ-...n.] 18 Expeditissima commeatus parandi ratio, si milites aquam bibere assuescant & soleant. *Sic Cyrus.*

[...timus ...mmea-... quis? ...ercitus] 19 Commeatus plurimum milites alit, qui cibis salsis, acutis, & mordacibus constat. *Cyri vox.*

20 Profecturo exercitui, & ea quæ in itinere ægrotis sunt necessaria, parentur, & lora seu vincula, quibus equi sarcinæque colligantur: & fabros ac reliqua instrumenta qui hominibus & equis calceandis, curribus trahendis, armis reficiendis, vestibus resarciendis sunt necessaria, *Sic Cyrus.*

[Annona ...anda.] 21 Est ducum cuiúsque vexilli seu centurionum perspicere quanta sit ab vnoquoque milite suo parata commeatus copia: & negligentes coërcere. *Sic Cyrus.*

[Mercato-...] 22 Mercatores qui necessaria exercitui afferant, præmiis & priuilegiis inuitandi, vt castra sequantur. *Sic Cyrus.*

[...mpedi-...ta exer-...us. ...ercitus ...r.] 23 Impedimenta exercitus vel in medio, vel in extremo agminis collocentur. *Sic Cyrus.*

24 Quum profecturus est exercitus, cuíque non modò agmini, sed etiam centurioni suus, quem seruet, in proficiscendo locus constituatur ab Imperatore. *Sic Cyrus.*

[...pedimẽ-... exerci-...] 25 In impedimentis collocandis suus cuiusque centuriæ impedimentis locus, ac signum quo dignoscatur, constituendum est, & vt faciliùs illius centuriæ milites ex iis si quid habent opus, accipiant, & inueniant.

26 Profecturum exercitum speculatores equites semper præcedant quàm longissimè possunt: & maturè singula renuntient exercitui. Hi verò equites quoscunque ex indigenis possunt, capiant, & de hostium loco, statu, numero interrogent, & quàm certissima queunt, expiscentur. *Sic Cyrus incedebat.* [Exercitus iter.]

27 Qui sublatis dextris ex hostico ad nos transfugiunt, benignè excipiendi, & ad Imperatorem deducendi. *Sic Cyrus.* [Dedentes se.]

28 Non extenuandæ hostium vires, vbi consilium de certando capitur, sed potiùs augendæ. *Sic Cyrus Araspan iubet.* [De prælio deliberandum.]

29 Certamen non debet, quantum quidem nobis licet, cum hoste committi, nisi priùs nostri milites corpora curarint, & equis, machinis, cæterísque rebus bellicis reliqua necessaria prospecta fuerint, ne inter pugnandum harum rerum defectus plurimùm noceat. [Prælio quæ præmitti da?]

EX LIBRO SEPTIMO, XENOPHONTIS DE pædiâ Cyri.

1 IN acie struendâ maximè prospiciendum est, ne nostra ab hostibus circumueniri possit, aut ne nostri ordines, seu agmina sic inter se procul collocentur, vt alij aliis laborantibus auxilio statim adesse non possint. *Sic Cyrus aciem Lydorum damnauit.* [Acies vt instruenda?]

2 Magnarum ac capitalium vrbium direptiones sunt, quantum fieri potest, prohibendæ, ne vel reliquæ victi regni vrbes obstinatiùs resistant: vel milites nimiùm ditati diffluant. Ergo sese certâ mercede militibus datâ redimant. *Sic Cyrus Sardes conseruauit.* [Metropoeos direptio.]

3 Bellicosis populis victis arma sunt adimenda, ludi, conuiuia, lucra ex mercimoniis duntaxat relinquenda. *Sic Cyrus Lydis ademit arma.* [Victis quid adimendum?]

4 Qui duas factiones sibi contrarias in eâdem rep. tollere cupit, se vtriusque amicum præbens, castella & arces vtriusque occupet & diruat. *Sic Cadusius in Cariâ.* [Factiones vt tollendæ?]

5 Fluminis abductio, commeatus interceptio, fossarum completio, munimentorum & præsidiorum ereptio, multùm obsessos terrent & turbant, *Sic Cyrus Babylonios exterruit.* [Obsessos terrent.]

6 Oppida facilè tunc capiuntur, quum ciues securè conuiuia agitant, nihil de hostium conatu suspicantes. *Sic Cyrus cepit Babylonios.* [Obsessa oppida capiuntur.]

7 Dum oppidum capitur, qui extra ædes occurrunt, interimendi: item qui armati in ædibus se celant, nec arma abiiciunt. *Sic Cyrus in Babylonios.* [Obsessa oppida capiuntur.]

8 Regia maiestas, quæ pluribus populis imperat, quo sit venerabilior subditis, debet externè quoque splendere: ac proinde rex custodiam corporis habeat, regiam supellectilem, sumptus longè maiores priuatis faciat, venationem habeat. *Sic Cyrus post Babylonem captam.* [Reges venerabiles vt fiant.]

9 Captâ vrbe, quidquid in eâ est ac reperitur hominum aut bonorum, iure victoriæ cedit victori. *Cyri dictum.* [Oppida capta.]

10 Deuicto populo arma detrahenda, & duces præfectique dandi non è suis popularibus, Principibus præsertim potentibus & factiosis; sed ex ipso victorum numero. *Sic Cyrus.* [Victis quid adimendũ?]

11 Optima Principum custodia, eorum virtus, & subditorum beneuolentia. *Cyri sententia.* [Custodia Principis.]

EX LIBRO OCTAVO XENOPHONTIS DE pediâ Cyri.

1 BOnus Princeps erga subditos similis esse debet bono patrifamiliâs erga domesticos. *Chrysantis dictum.* [Princeps bonus quis?]

2 Incolumitas regni in eo sita est, si Principi promptè omnes pareant, etiam proceres. *Ibidem.* [Incolumitas regni.]

3 In eâ demum Rep. subditi & proceres sunt boni, continentes & strenui, vbi ipse summus Reipub. magistratus est talis. *De Cyro.* [Proceres vbi continentes?]

4 Qualis Princeps, tales & reliqui ciues. [Subditi imitantur Principẽ.]

5 Quò multum otij Principibus ad respublicas curandas suppetat; domesticarum rerum ac bonorum curam aliis, sed paucis ac fidis debent committere. *Sic Cyrus.* [Princeps publica curare vt possit.]

6 In magnis imperiis est magnis sumptibus & impensis opus. *Cyri sententia.* [Regna magna.]

7 Proceres ac Principes regni maximè regi & summo magistratui pro officio faciundo coguntur adesse, quum nihil absentibus tribuitur, præsentibus autem solis quæ facillima & maximè honesta ac fructuosa sunt demandantur. *Sic Cyrus.* [Proceres vbi diligẽtes?]

8 Est

Dei cultus. 8 Eſt boni regis inprimis diuini cultus conſtituendi & conſtituti exercendi curam habere. *Sic Cyrus Magos inſtituit.*

Subditi qui maximè? 9 Quantò pientiores ſubditi, tantò minùs nefarij, & vel inter ſe, vel in Principem quoque ſcelerati & rebelles. *Cyri vox.*

Subditi imitantur Principem. 10 Optima Principis educatio & vita cæteros ſubditos ad eaſdem virtutes inuitat.

Principis exercitatio. 11 Venatio iis qui rebus bellicis vacant, eſt exercenda. *Sic Cyrus.*

Principis veſtitus. 12 Toga ſeu ſtola, id eſt, longa veſtis maximè decet reges ac magiſtratus. *Cyrus eam aſſumpſit.*

Artificia vbi accurata? 13 In quibus vrbibus nemo plura artificia exercere permittitur; ſed vnus vnum duntaxat; illic artificia ſunt & præſtantiùs elaborata, & magis induſtria. *Xenophontis ſententia.*

Reges ſuos exploratores habeant. 14 Regibus multi oculi & aures habendæ, id eſt, multi homines fidi, qui verè referant ea quæ paſſim fiunt, & audiuntur. *Sic Cyrus ſuos ſpeculatores domi per totum regnum diſpoſitos habuit.*

Principis ſcopus. 15 Eſſe debet hoc Principis propoſitum, vt ſubditos ſuos felices faciat, vt iis felicibus vti poſſit. *Cyri ſententia.*

Princeps liberalis quando? 16 Liberalitas regis ea eſt toleranda, quæ publicum ærarium non minuit, verùm illa tantùm largitur, quæ ipſi ex priuato lucro eueniunt, vt multos ſibi conciliet.

Principis ſcopus. 17 Vt ciues ſubditique bene valeant, debet quoque proſpicere bonus Princeps. *Sic Cyrus.*

Reges venerabiles vt fiant. 18 Quò regia maieſtas auguſtior appareat ſubditis, eſt operæ pretium, vt rex quotannis ſaltem ſemel regiè ipſe ornatus, cum regio comitatu & pompâ, honeſtâ aliquâ de causâ (velut ius dicturus, vel ad Dei cultum) prodiens, venerandus à ſubditis conſpiciatur. *Sic Perſarum reges ex inſtituto Cyri.*

Virtutes Imperatoris. 19 Imperatorem non modò in bellis ſtrenuum eſſe oportet: verùm etiam in iiſdem munificum, & in conuiuiis opiparum ac liberalem erga tum milites, tum Duces ſtrenuos, ſibíque deditiſſimos. *Cyri exemplum.*

Proceres gratioſi principibus qui? 20 Principibus ſunt ij gratiſſimi atque amiciſſimi, qui quæ ipſi Principes de ſe honeſtè dicere non audent aut poſſunt, de illis tanquam ſua eſſet ſententiâ, dicunt. *Sic Chryſantam Cyrus, Epheſtionem Alexander amauit.* Hi verò ſi quidem boni viri fuerint, ſanè perquam vtiles ac neceſſarij ſunt Principibus: ſin verò mali, velut peſtes & aſſentatores teterrimi ſunt cenſendi.

In exercitu ordines ſeruandi. 21 Exercitus non tantùm in caſtris, ſed etiam in progrediendo ſeu itinere faciendo compoſitus eſſe debet, ordines ſeruare, ſingulorum Ducum & centurionum certa ſigna, & loca diſtincta habere, vt & dignoſci, & paratus eſſe ad omnes occaſiones poſſit. *Sic Cyrus cum exercitu incedebat.*

Principum obligatio mutua cum ſubditis. 22 Hæc vltrò citróque inter regem & ſubditos mutua promiſſio eſt, ad quam ſe vtrique viciſſim obligant, & quâ ab vnâ parte non ſeruatâ tollitur obligatio, & libera manet pars quæ promiſſionem ſeruauit; nempe, vt rex quidem ſubditos ſuos aduerſus extraneos hoſtes tueatur: inter ipſos autem ſubditos leges patrias & conſeruet ipſe, & ab aliis ſeruari curet: Subditi verò vt talem à ſe delectum aut probatum pro ſummo magiſtratu retineant ac honorent: atque eidem laboranti, aut à ſubditis neglecto, vel ab extraneis impetito, auxilium & obſequium, quale iuſſi erunt, præſtent. *Camby ſes apud Perſas ſic.*

Præfecti prouinciarum. 23 Qui præpoſiti bene & fideliter commiſſas ſibi prouincias regunt, aut nunquam aut rarò ſunt mutandi. *Cyri conſilium.*

Præfecti Prouinciarum. 24 Ne qui prouinciis præſunt, ſummum in eas imperium ſibi vſurpent, & à Repub. vel rege deficiant, adiungendi iis alij, qui ſint vel pecuniarum quæſtores, vel vrbium præfecti, & tanquam præſidum prouinciæ inſpectores, mutuóque alij aliorum obſeruatores. *Sic Cyrus Satrapas allegit præſidibus, iam à ſe conſtitutis.*

Cenſus ineundus. 25 Singulis annis publici cenſus, item exercituum, id eſt, peditum, equitúmque totius regni numerus recenſeatur & ineatur. *Sic Cyrus.*

Præfecti prouinciarum. 26 Annuatim inſpectores in ſingulas prouincias cum poteſtate extraordinariâ mittendi, qui Regionis ſtatum, ſubditorum querimonias audiant, ac præſidum conſilia intueantur, ac emendent ipſi, vel ad regem referant. *Sic Cyrus inſtituit.*

Curſorum vſus in rep. 27 In magnis regnis & latè patentibus nuntios pedeſtres, vel equos citos diſpoſitos eſſe in quauis illius regni parte, commodiſſimum eſt, vt de rebus omnibus citiſſimè à quâque prouinciâ Rex aut Reſp. admoneatur. *Sic Cyrus conſtituit Paraſangas.*

In regnis electiuis quis præferendus? 28 Etiam in electiuis regnis maiorem natu filium ex pluribus defuncti regis liberis eligi æquius eſt, niſi illius ſtoliditas, aut ignauia manifeſta obſtet. *Sic Cyrus eligit maiorem natu.*

Princeps moriens. 29 Moriens rex liberos ſuos ſibi in imperio ſucceſſuros de officio monere ſeriò debet, & ad pietatem, atque erga ſubditos æquitatem ſeruandam exhortari, & iureiurando obſtringere. *Sic Cyrus ſuos liberos.* Item Principes cohortari tum ad mutuam inter ſe concordiam, tum ad regi futuro obedientiam præſtandam.

Proceres fidi principibus. 30 Maximè fidi eſſe ſolent regi indigenæ & conſanguinei cum eo ab ineunte ætate nutriti, & ab eo non offenſi.

Principis vita non poteſt eſſe occulta. 31 Vita factáque regum occulta diu eſſe non poſſunt. *Cyri ſententia.*

Principes commendat. 32 Vna fidelitas & veritas inter reliquas virtutes plurimos regibus conciliat tum domeſticos, tum extraneos: Perfidia verò multos ab iis auertit, & ex amicis hoſtes reddit exitiales. *Xenophontis ſententia.*

Principes non commendant. 33 Impietas ac perfidia regnum Perſarum quamuis ditiſſimum perdidit, eorum ſubditos omnes corrupit, & Perſas omnibus mortalibus inuiſos & exoſos reddidit. *Xenoph.*

Ruina re[ip.] 34 Veteris ſanctæque diſciplinæ in bene moratis Reſpub. conſtitutæ neglectio ſecum ruinam quoque imperij trahit. *De Perſis Xenoph.*

Ruina re[ip.] 35 Bonorum Reip. inſtitutorum atque ſanctorum morum duæ teterrimæ peſtes ac corruptelæ; nimirum publica voluptatis licentia; & pecuniæ congerendæ ſeu auaritiæ laudatum tanquam rei honeſtæ ſtudium. *Xenophon.*

Militaris rei ſtudium perit. 36 Ibi perit rei militaris ſtudium, vbi non illius periti homines, ſed cuiuſuis vocationis homines ex fauore, non ex virtute exercitui, vel militibus præficiuntur. *Xenophon.*

EX XENOPHONTIS LIBRO DE REPVBLICA Lacedæmoniorum.

Liberi gignendi, inſtituendi & ad aphorismum. 1 IMBECILLIORES liberi gignuntur ex imbecillioribus parentibus, ex frequentiore coitu, ex parentibus, ætate vel prouectioribus, vel iunioribus adhuc.

2 Liberorum in eâdem ciuitate educatio vt ſit & modeſta & beneuolentiæ inter eos conciliatrix, ſic fiat, vt

3 Sit vnus & idem omnium præceptor communis, homo liber, non ſeruus conditione, honoratus, non vilis.

4 Peccantes pueri cuiuſcunque ſint conditionis, æqualiter puniantur: officium verò facientes laudentur æqualiter.

5 Ne à teneris annis nimium delicatè aut guloſè alantur, vel ſumptuoſè veſtiantur; vel otioſè domi contineantur.

6 Puerorum induſtria & corpus aliquo honeſto certamine ac præmio propoſito publicè priuatímque exerceatur ac excitetur.

7 Omnes pueri diſcant reuereri publicè omnes ſeniores velut parentes ſuos ac honorare; iiſque etiam ſuperuenientibus cedere.

8 Spurci tum amores, tum amatores omnes ab adoleſcentibus arceantur quàm longiſſimè.

9 Iuuenilis ætas eget maximè freno, (eſt autem ea iuuenilis, quum quis excedit ex ephebis) ac honeſtis laboribus, (qui ſint eorum ingenij ad maiora capeſſenda experimentum) probetur & exerceatur.

10 Iuuenes cum ſummâ modeſtiâ publicè priuatímque incedant.

11 Alij aliorum ſint obſeruatores.

12 Legibus, non iræ, aut voluptati ſuæ parêre maturè & ab ineunte ætate aſſueſcant.

13 Victus autem ratio, præſertim ſub iiſdem præceptoribus, publica ſit.

14 Ad ſanitatis, non voluptatis, aut auiditatis, rationem inſtituta.

15 Ab eorum victu compotationes, inuitationes, inebriationéſque quàm fieri poteſt, abſint longiſſimè.

16 In ſuis congreſſibus & cibo capiendo ſermones honeſtos de rebus à ſe vel ab aliis præclarè geſtis habeant.

17 Cibum ſemper præcedat eorum exercitatio.

18 Nobilibus ac generoſis ad arma tractandas idoneis artes omnes ſordidæ, & quæ ſolum lucrum captant, interdicendæ.

19 Liberales autem & militares duntaxat concedendæ.

Legibus parere nes aſſueſcant. 20 Omnes ac præſertim potentiſſimos quóſque & maximæ authoritatis in Rep. aut regno viros legibus ac magiſtratibus parere oportet, & ad eam rem aſſueſieri.

Magiſtratibus parere aſſueſcant. 21 Legibus iis maximè parent omnes, quas & Deo probari, & iuſtas eſſe ſciunt, quáſue volentes ac conſentientes ipſimet receperunt.

Idem 22 Summa quæuis poteſtas Rep. eſt certis legibus coërcenda & vinculis: non autem liberè quiduis pro animi arbitratu agere permittenda. *Sic Sparta ab Ephoris reges coërcentur: Ephori ipſi à populo & regibus.*

Militibus ignauis pœna. 23 Ignauis atque è bello fugientibus, publica ignominia, cuius ipſoſmet fugientes pudeat, publicè irroganda.

Senectus. 24 Senectus ab omnibus publicè veneranda.

In rep. diſtinctio ætatum. 25 In vnoquoque ciuium ordine ætas militaris præſcripta deſcriptáque eſſe debet.

Ordines. Bellica inſtrumenta ſint parata. 26 Omne artificiorum ad bellum neceſſariorum genus in Rep. bene inſtructa abundare debet: item & parari ſemper curſus & iumenta, quæ bellica inſtrumenta vehant.

Exercitus diſtinguendus. 27 In certas turmas & cohortes quilibet exercitus diuidendus: cuique autem turmæ & cohorti non vnus, ſed tot præſint, quot ſunt neceſſarij.

28 Caſtra

28 Castra metanda circulari formâ, non quadratâ.

29 In castris ipsis militares exercitationes instituantur ac fiant.

30 In castris Deus inuocandus, præsertim quum vigiliæ seu excubiæ collocantur.

31 Bella & à Dei inuocatione & post diuturnam deliberationem suscipienda.

32 Regum opes aut reditus ne sit nimium tenuis, vel opulentus. Tenuis quidem, ne non pro dignitate ac merito afficere præmio possint aliquem, rebúsque ac oneribus necessariis satisfacere propter inopiam. Opulentus autem nimiùm, ne reges aut insolescant, aut tyranni euadant.

EX LIBRO XENOPHONTIS

DE REPVBLICA ATHENIENSIVM

1 DEMOCRATIA seu populare imperium est teterrimus optimarum Reip. formarum status.

2 Quibus in locis ac populis artes sordidæ, lucrosæ, vel nauticæ plurimùm exercentur, ibi magna est seruorum, inquilinorum, ac opificum licentia ac petulantia.

3 In democratia vtilitas populi, non autem ius, libido, non æquitas spectari & vincere vt plurimùm solet. Democraticus status qualis?

4 In democratia generosi & diuites vexantur, ac periculosè viuunt. Idem.

5 In democratico statu socij facilè bonis spoliantur, ne rebellent. Idem.

6 In democratia populus vult ius à se vnd vndique petitum honoris gratiâ; tum vt omnes in metu sui contineat, & ne imperium suum autoritatémque alij concedere videatur. Idem.

7 Centesima mercium exacta in portu Atheniensium tributi nomine. Vectigal.

8 Quæ vrbes mari imperant, sunt amicæ & sociæ habendæ, ne commeatum prohibeant: aut ne nos vicinos ex improuiso adoriantur. Nauticæ ciuitates.

9 Naualis scientiæ & militiæ maior est cum vsus, tum commoditas, quàm terrestris. Maris imperium optimum & vtilissimum.

10 Insulanis oppidi magna est, præ terrestri securitas. Insula.

11 In democratico statu minus semper sunt firma contracta cum aliis populis fœdera, & ipsamet Reip. decreta. Democraticus status qualis?

12 Optimates quique inimici populo & populari statui. Idem.

13 In democratia tenues potius quàm diuites ac optimates præficiendi, ne Reipub. forma statim euertatur. Idem.



FLORILEGIVM POLITICVM
EX TITI LIVII DECADIS PRIMÆ
LIBRO PRIMO

1 EXERCITVS extraneus nequaquam est in aliquod nostrum oppidum, præsertim robustus, temerè & facilè intromittendus. *De Messana & Rhegio occupatis.*

2 Est fidelis Reipub. item Ducis & Imperatoris, suos qui contra ius occuparunt oppida sociorum specie ferendi auxilij bello persequi, & comprehensos grauiter punire. Nec enim vllis, nedum sociis prætextu auxilij ferendi sua sunt adimenda. *De Romanis Romanos 300. qui Rhegium occuparant, punientibus.*

3 Ad populi victi beneuolentiam erga se captandam prodest plurimùm moderatè partâ victoriâ vti. *Hieronis exemplum.*

4 Militum seditiosorum, aut extraneorum, qui sunt inutiles, tollendorum, hæc est expeditissima ratio, si prætextu certaminis hostibus obiiciantur, & in acie cædendi deserantur. *Hieron sic deleuit seditiosos.*

5 Vicini populi nimiùm crescentis potentia est maturè quacunque ex occasione deprimenda & sistenda. *Sic Romani Carthaginensiũ potentiæ obstiterunt Mamertinis succurrẽtes.*

6 Exercitui in peregrino solo versanti societates indigenarum regionis minimè recusandæ, imò ambiendæ. *Sic Romani in Sicilia Hieronis amicitiam acceptant.*

7 Hostis superandi victoriæque obtinendæ facillima ratio est, si arx & præsidium quod habet hostis maximum, & in quo militum annonam & commeatus reponit, capiatur. *Sic Romani Agrigentum.*

8 Obsidio absque commeatu & annonâ paratâ, aut horreo vicino, neque tuta, neque diuturna, neque felix esse potest. *Sic Romani Erbesso captâ pressi.*

9 Post victoriam partam non sunt excubiæ negligentiùs ab exercitu agendæ. *Sic peccatum à Romanis victo Annone.*

10 Aduersus hostem in nauali bello & re nautica potentem parandæ naues, exercitiúmque rei nauticæ colendum. *Sic Romani Carthaginensibus.*

11 Nouæ in bello machinæ & hostibus incognitæ, magnum ad victoriam momentum afferunt. *Sic corui nauium à Romanis excogitati.*

12 Imperator in præliis infelix, ab exercitu est remouendus. *Sic Annibal in primo bello Punico est remotus.*

13 Bellum in hostile solum transferre, quantum possumus, debemus. Nam eâ ratione magis terretur hostis, & ad sua tutanda reuocatur. *Sic Romani in Africam traiiciunt.*

14 In hostico versantes omnia terrore, incendiis, rapinâ implere debent ad sui metum iniiciendum: item loca ad sese recipiendum munire, ac denique perculsis iam hostibus instare. *Sic Regulus in Africa egit.*

15 Magnas exercitus clades solet sociorum ac vicinorum defectio, incursióque sequi. *Sic Carthaginensibus victis accidit.* Clades magnas quid sequatur?

16 Ducum in exercitu imperitia etiam strenuis militibus obest, ac cladium causa est. *Xantippi dictum.* Cladium causa.

17 Æquæ conditiones etiam victis vt sese summittant, offerendæ. Sunt autem æquæ, quibus omnino neque laude neque rebus suis spoliatur. *Regulus durior Carthaginẽ non cepit.* Victi vt tractandi?

18 Acies sic instruenda, vt ab hoste vel tota, vel ex parte circumueniri non possit. *Regulus sic peccauit.* Acies vt struenda?

19 Imperatoris citra controuersiam militaris & periti, vel vnius præsentia ac sententia, centum Ducum imperitorum iudicio & strepitui præferenda est. *Sic vnus Xantippus restituit rem Carthaginensibus.* Exercitus Imperatoris sententia.

20 In hostico vires nostræ præ fiduciâ animi à nobis imminutæ, magnarum sæpe cladium causam afferunt. *Sic peccarunt Romani, dum Regulum in Africa cum parte tantùm copiarum relinquunt.* Cladium causa.

21 Duobus maximè modis homines solent in melius sententiam mutare; vel propriis calamitatibus edocti; vel cladium alienarum exemplo admoniti. *Polybij sententia.* Resp. prudens fit.

22 Dux peregrinus post res præclarè in alieno solo à se gestas, statim ne sit multorum inuidiæ obnoxius discedat. *Sic Xantippus se recepit.* Exercitus Imperator peregrinus.

23 Suis in hostico laborantibus est totis viribus succurrendum, ne alij fiant ignauiores, & hostes audentiores. *Sic Romani suis in Africa obsessis auxilium statim ferunt.* In hostico versantes.

24 Etiam summos Imperatores oportet nautis in re nauali ac nauigatione parere. *Polybij sententia.* Prælium nauale.

25 Nimia vel rerum prosperè gestarum fiducia; vel oppidorum hostilium intercipiendorum auiditas, summos duces & exercitus in discrimen sæpe adducit. *Sic Æmilius & Fuluius classem amisêre.* Cladium causa.

26 Non qui pedestri certamine fidunt & audaciâ valent, iidem in nauali prælio, vel iisdem de causis fidere & audaces esse in terra debent. *Polybij sententia.* Prælium nauale.

27 Hostes post infortunium & cladem vndecunque acceptam à nobis vrgendi, & infestandi. *Sic Carthaginenses Romanos post classem amissam.* Victus hostis.

28 Est constantis populi post cladem semel acceptam hosti non statim cedere, sed vrgenti instanti fortiter resistere, imò maioribus etiam viribus collectis illi obuiam ire. *Sic Romani Carthaginensibus restiterunt post naufragium, & post classem Drepani amissam.* Clades magnas quid sequi debeat.

29 Nautica res nec quouis anni tempore, nec ab imperitis, nec pari animorum obstinatione, atque pedestre bellum geri aut administrari debet. *Ibid.* Nautica res.

30 Exercitus semel nouo aliquo armorum, machinarum, aut militũ genere perterritus, neque facilè, neque cito aduersus ea confirmatur. *Sic Romani elephantis diu sunt terrefacti.* Exercitus perterritus.

Prælij detrectatio. 31 Non quæuis hostium fuga, mora, & detrectatio certaminis, est verum pauoris illorum ac metus signum, sed sæpe stratagema est, ad nos in locum iniquum alliciendos, vel securiores, ac minùs cautos reddendos. *Sic Cecilius consul.*

Regionis aditus. 32 Oppidum quod regni ac nostrorum finium clauis est & munimentum, vti summis viribus est oppugnandum; sic oppugnatum defendendum. *De Lilybæo sic oppugnato & defenso.*

Obsidio. 33 In obsidione est magnus periti & strenui Ducis, si vsquam alibi, vsus. *De Imilcone Lilybæo.*

34 In obsidione qui præsertim peregrini de deditione agere deprehenduntur, muneribus & exhortationibus confirmandi, & leniendi potiùs quàm vi reprimendi. *Sic Imilco Gallos Lilybæi.*

Idem. 35 Nostris obsessis & fortiter se gerentibus est quamprimum mittendum auxilium, & totis viribus, hoc enim eos valde confirmat. *Sic Carthaginenses Lilybæis.* Denique quid agant, dietim, quantum fieri potest, explorandum.

Idem. 36 Duci obsesso vtendum est, & quidem confestim alacritate animorum, quam in suis videt, ad irruptiones faciendas & hostium obsidentium machinas corrumpendas. *Sic Imilco Lilybæi.*

Ante prælium præmia proponenda. 37 Præmia militibus sunt proponenda quo ad magna facinora edenda excitentur. *Sic Imilco, sic Appius Claudius.*

Obsidio. 38 Obsessis ad incendendas hostium machinas vento, si quis opportunus exoriatur, maturè vtendum est. *Sic Imilco Lilybæi.*

Idem. 39 Oppida quæ vi oppugnari non possunt, fame vel longo tædio tandem deditione capiuntur. *Sic Lilybæum captum.*

Prælium nauale. 40 In prælio nauali potior est eius conditio qui pelagus tenet, & in pleno mari nauigat, quam qui circa litus pugnat. *Sic Carthaginensium classis Drepani fuit superior.* Est enim naualis certaminis ars & commoditas summa, si per medios hostes præterlabi, ac deinceps in pugnantes impetum facere possis.

Hostem terret. 41 Hosti fortiter aggredienti opposita vicissim fortiter vis ac virtus terret eum & fugat. *Sic Appius Claudius ab Adherbale fusus Drepani.*

Nauibus quæ loca fugienda? 42 Classi & loca importuosa semper & quouis tempore fugienda ac tempestates præuidendæ: alioqui facilè perit. *Sic Romanorum classis in Pachyno.*

Clades accepta compensanda. 43 Clades accepta, si fieri potest, nouo aliquo lucro statim, & damno hosti illato compensanda; alioqui languidiores fiunt victi. *Sic L. Iunius Erycem montem cepit.*

Ærarij inopia. 44 Quum Resp. per se & ob inopiam publici ærarij quidpiam efficere non potest: priuati sunt persuadendi, vt inter se eos sumptus partitos ferant & faciant. *Sic Romani quadriremes instruxerunt.*

Prælium sæpiùs est tentandum. 45 Eadem alea belli sæpiùs tentanda, vbi vires Reip. ferre possunt. Nam quæ semel feliciter non successit, postea succedere potest. *Sic maritima res tandem rectè successit Romanis.*

Nautica res intermissa. 46 Nauticæ rei intermissum studium & exercitatio, magnarum postea in nauali prælio cladium causa est: Itaque nunquam est intermittenda. *Sic Carthaginenses victi.*

Fœdus tempestiuè ineundum. 47 Quum Reipub. vires non patiuntur aleam belli ampliùs tentari, est & maturè & prudenter cum hostibus, vel per se, vel per socios de fœdere agendum, priusquam id hostes ipsi penitus nosse possint, dissimulato & prudenter celato ruinæ nostræ metu. *Sic Amilcar fœdus fecit.*

Exercitus Imperator cedat tempori. 48 Est optimi Ducis scire & vincere, & cedere prudenter tempori. *Polyby sententia.*

Bella diuturna. 49 Diuturna bella tandem alterutrius partis calamitas finit, etiam quæ priùs neque ratio, neque æquitas terminare poterat. *Sic primum bellum Punicum finitum.*

Clades magna quid sequatur? 50 Magna exercitus clades defectio sociorum ac subditorum sequi solet. *Sic Numidæ & extranei defecerunt à Carthaginensibus victis apud Egadem insulam.*

Exercitus peregrinus vt habendus? 51 Extranei milites stipendiarij, vel habendi non sunt, vel sunt illis sua stipendia fideliter persoluenda, ne in nos ipsos insurgat. *Sic Carthaginensibus bellum periculosissimum conflatum.*

Idem. 52 Vbi extraneorum militum magna est multitudo, non sunt simul habendi, sed diuersa in loca (ne inter se contra nos conspirent) deducendi. *Sic Gisco.*

Exercitus otium. 53 Otium & segnities militum in castris, aut præsidis; itemque nulla eorum disciplina, omnium seditionum fons est. *Polyby sententia.*

Exercitus peregrinus vt habendus. 54 Exercitus extraneus ex pluribus & diuersis populis conflatus vti ad obediendum paratior est; ita si semel seditionem moueat, implacabilis. *Sic exercitus Carthaginensium extraneus.*

Idem. 55 Extranei exercitus pignora apud nos retinere satius est, ne vel in nos coniurent, vel perfidi sint. *Peccatum in eo à Carthaginensibus.*

Exercitus querulus. 56 Ab extraneis propter stipendia non persoluta semel irritatis nouæ quotidie petitiones, nouæque belli occasiones, & querimoniæ proponuntur & quæruntur. *Sic ibidem.*

Seditio militaris. 57 Ad sedandas militum seditiones plurimùm confert ex iis quempiam ad eos mittere, qui cum ipsis militariter, eos humaniter tractarit, & quem ipsi diligant. *Sic Gisco missus ad tumultuantes milites.*

58 Cùm in quauis seditione, tum præsertim militari, pessimi quique se duces constituunt: itaque vel tollendi, vel leniendi præcipuè. *Idem*

59 Nimia imperantium crudelitas & auaritia facit, vt quæcunque occasio occurrerit, subditi statim rebellent. *Sic Carthaginensium crudelitas & auaritia Afros ad rebellionem oblata occasione impulit.* *Princ. crudel.*

60 Infirma est resp. imò facilè euertitur quæ nullos nisi extraneos milites suos habet. *Sic Carthaginenses penè post primum bellum Punicum euersi* *Resp. infirma.*

61 Rempubl. prudentem oportet in consiliis capiendis non tantùm præsentia spectare, sed etiam futura prospicere. Itaque non contentam esse rebus prosperè, ad tempus fluentibus; sed quis exitus inde sit futurus, perpendere. *Polyby sententia.* *Resp. prudens.*

62 Hostis fugiens & perterritus est persequendus, non autem sinendus vires & animum colligere. *Anno propterea accusatus, Amilcar contra laudatus.* *Hostis fugiens.*

63 Securitas post victoriam atque segnities Annonem perdidit. *Exc...*

64 Qui Principes pecuniæ colligendæ, atque ærario augendo potissimùm sunt addicti, & in ea re incumbunt; rarò viri strenui ac militares esse solent aut euadunt. *Sic Anno Carthaginensis.* *Pr... imbe...*

65 Nimium præcipitanter spes victoriæ in ipso certamine concepta facit, vt ordines non seruentur, ac vincendi occasionem hostibus sæpe præbuit. *Sic Lybies victi ab Amilcare, & lib. 2. de Ætolis ab Illyrico exercitu victis.* *V... amit...*

66 In sociorum defectione magnum ad eos perterrendos & profligandos momentum affert si qui ex illis vel sponte & vltrò, vel à nobis sollicitati & retracti ad nos redeant. *Sic Naraua Numida Libyas deficientes a Carthaginensibus terruit.* *So... ficie...*

67 In bello ciuili seu sociali victoris in captiuos clementia, & eorum liberalis dimissio, tractatio, & ad se inuitatio, multum ad contrariæ partis exercitum dissoluendum, & ad se pertrahendum potest. *Sic Amilcar post partam victoriam aduersus stipendiarios* *Bell... ciuile...*

68 Hostis crudelis impetus & furor maximè contraria pariique crudelitate in eum adhibita sistitur & coërcetur. *Sic Amilcar stipendiariorum exercitum.* *H... for... situ...*

69 Ducum in exercitu discordia nasci maximè solet ex diuerso eorum ingenio, nimirum si eorum alter sit militaris, alter non; alter segnis, alter non: vel si sint ex diuersis etiam in eadem vrbe partibus seu factionibus electi. Ergo nisi illi duces dissentientes separentur, tandem ipsum exercitum perdunt. *De Annone & Amilcare.* *Ex... duc... sco...*

70 Exercitus imbecillior potest vel saltèm commeatum firmiori intercludere sepe: ac proinde id saltem conetur. *A... inte... der...*

71 Ne cuiusquam principatus à vicinis finatur in tantum crescere hostibus illius oppressis, vt pro libitu postea dominari in omnes possit. *Sic Hiero Carthaginenses iuuit.* *Vic... pot...*

72 In captiuos quibus fides data est, aut præter fas detentos crudelitas admissa, tandem à Deo seuerè punitur. *Sic stipendiariorum in Carthaginenses crudelitas vindicata.* *Caj... tra...*

73 Exercitus à prudente & strenuo Imperatore ductus licet exiguus, longè fortior est magna multitudine confusa, aut ab ignaro Duce gubernata. *Ibid.* *Ex... rob... qui...*

74 Præstat etiam in bello nihil tam crudele facere, aut sponte attentare, quod tibi omnem cum hoste futuro reconciliationis spem adimat. *Polybij sententia.* *Bel... dele...*

75 Bella ab imparatis & adhuc debilitatis propter alias clades sunt redimenda etiam iniustè illata. *Sic Carthaginenses Sardinia cessere Romanis conquirentibus.* *Bel... mei... pe.*

EX LIBRO SECVNDO POLYBII.

1 Excubiarum negligentia, & nimia etiam obsidentis exercitus securitas hostibus, & quidem obsessis victoriam sæpe dedit. *De Epirotis qui ab Illyriis ad Phœnicem vrbem cæsi sunt.* *F... ran... gen...*

2 Maritimis ciuitatibus & locis etiam pacis tempore præsidia necessaria; quoniam quouis tempore ab extraneis inuadi, & percurri facilè incustoditi possunt. *Sic Epirotæ, Ætoli, Achæi.* *Por... ritti... per... dio... di... dier...*

3 Societas ea temeraria est & periculosa, quæ spretis vicinis, longinquorum populorum amicitiam quærit & præfert, vel peregrinorum ignotorum fidei se committit. *De Epirotis.* *S... inui...*

4 Populis de perfidia & leuitate communi omnium voce infamatis non temerè vel fides habenda, vel sua oppida & sese committendum. *Polybij sententia.* *Idem*

5 Nullus extraneorum numerus est in oppidum vllum aut præsidium introducendus, qui viribus vel numero ciues ipsos superet. *Polybij sententia de impudentia Epirotarum.* *Prai... qui... stan...*

6 Prædandi

6 Prædandi piraticámque in mari exercendi licentia à nullo rege suis subditis concedenda, quæcunque spes aut dulcedo, aut participatio prædæ fiat aut effulgeat; reddit enim eos rebelles postea. *Sic punita Illyriorum piratica.*

7 Legati sacrosancti sunt: ac proinde pro iis violatis bellum iustè suscipitur. *Sic Romani contra Illyrios, & contra Gallos.*

8 Cauendum maximè maritimis ciuitatibus, ne piratæ vlli, quantumuis recens exorti, potentiam nimiâ earum patientiâ in mari acquirant: vel aquandi aut commeatus parandi prætextu in regionem, vel oppida ingrediantur. *Sic Illyrij Dyrrhachinis, Corcyrensibus & aliis molesti.* Itaque sunt communibus viribus ab omnibus ciuitatibus maritimis statim opprimendi.

9 Qui in remotâ regione Principis nomine præest, semper periculosè ab ipso Principe irritatur, vel minis quâdiu illic est & præest, terretur. Nam vel seditionem aduersus Principem mouere, vel alij regionem eam tradere solet. *Sic Demetrius Illyrius Corcyram tradidit Romanis.*

10 Vbi iniusti, vel exosi subditis, vel vicinis imperij inclinatio prima fieri, præsertim à potente vel æquiore hoste cœpit, statim tota illius ruina, integra euersio à vicinis impulsa, sequitur. *Sic Illyriorum regnum facilè à Romanis euersum.*

11 Ad profligatum quidem iam, sed de quo nobis in posterum metuimus, hostem frenandum, & semper coërcendum, tutissimum est, præsertim quum procul ab eius regno absumus, vel alium eius profligati, & expulsi loco substituere regem, hominem illi inimicum & infestum: vel vicinum potentiâ augere. *Sic Demetrius à Romanis contra Teuta regnum Illyriorum auctus.*

12 Populi æmuli, aduersarij & vicini nobis vires ne vel adeò in pace nimium crescant, nobis est cauendum. *Sic Romani Carthaginensium Imperium suspectum in Hispaniâ habuerunt.*

13 Quando bella eodem tempore duo imminent aduersus diuersos populos, prudentis est Principis, non vtrumque simul suscipere, sed vnum duntaxat. Itaque cum eo quise æquiorem præbet, priùs pacificendum est, & ex ea parte metus tollendus. *Sic Romani cum Carthaginensibus fœdus iciunt, ingruente tumultu Gallico.*

14 Gentis vnius in seipsam frequentes seditiones & discordiæ, ipsius gloriam, incrementum, & res præclarè gestas corrumpunt, & hostibus delendam exponunt. *Sic Galli.*

15 Gentem aliquam alij genti hostem esse, & velut spinam ac frenum DEVS obiici voluit. *Sic Galli veteres Romanis à Deo obiecti.*

16 Contra hostem strenuum bella diutina nos ipsos magis strenuos tandem efficiunt: ac proinde minimè tutum diutiùs vicinos bello fatigare. *Sic Romani exerciti à Gallis.*

17 Exercitui in hostico versanti exitialis est inter se seditio. *Sic Transalpini deleti.*

18 Extranei populi non oratione duntaxat, & laude suorum maiorum; sed donis quoque & pecuniâ, & facilitate rerum; itémque spe lucri propositâ in belli societatem à nobis inducuntur. *Sic Transalpini à Boiis persuasi.*

19 Bella maxima non nisi maximo priùs apparatu commeatus, pecuniæ, telorum, armorum, & exercitus nostri, & sociorum facto rectè suscipi, aut diu tolerari possunt. *Sic Romani sese prapararunt aduersus Gallos.*

20 Prædæ seruandæ aut in tuto collocandæ, imminente præsertim hoste, auiditas sæpe pulcherrimas rerum gerendarum occasiones corrupit, & hosti alioqui trepido victoriam concessit. *Sic Galli à Romanis victi.*

21 Magnum ad victoriam momentum est, hostium impetum eminus sustinere, aut in re inutili eludere: ipsos autem iam ita lassos cominus & gladiis aggredi & cædere. *Sic Insubres victi à Romanis.*

22 Magna militum ars est scire quâ ratione pressi pedem, seruatis ordinibus referre, & prementes hostem pedem inferre debeant. Magna Imperatorum aciem instruentium ars quoque est, sic aciem disponere, vt spatium militibus ad pedem referendum liberum & tutum relinquant. *Sic Romani obseruabant*

23 Constantia in hoste obsidendo, & eodem tempore obsessis suis succurrendo, hostium animos prorsus infringit, & obsessum hostem fugere, aut se dedere cogit. *Sic Romani in obsidendâ Acerrâ vrbe.*

24 Quæ prouinciæ suo potiùs quæque commodo, quam patriæ libertati student, inter se consentire non possunt. *Polybij sententia.*

25 Quæ prouinciæ inter se discordant, facilè in concordiam adducuntur, vbi commune omnibus periculum singularum viribus maius cœperit illis imminere. *Sic Peloponnesij inter se coniuncti contra Philippum.*

26 Clementia publica atque iuris æqualitas socios quamuis priùs inter se dissidentes, in societate retinet. *Sic Peloponnesij concordiam coluerunt inter se.*

27 Ad recuperandam libertatem facilè reliquæ vicinæ ciuitates incitantur vnius aut alterius exemplo, cui id feliciter successit, & quæ postea reliquas illas ad societatem inuitat & admittit. *Sic Achæorum vrbes excitatæ.*

28 Eiusdem iuris, moris, & gubernationis: præsertim æquabilis perpetua conseruatio & retentio facilè multis persuadet, vt & se nobis adiungant, & nos æquos ac constantes esse in promissis credant. *Sic de Achæis omnes Peloponnesij senserunt.* Societatem conciliant

29 Quæ regna bella iniusta suscipiunt, facilem præbent regibus suis viam, vt ex bonis regibus tyranni euadant, nimirum semel iniustitiæ ex populi consensu assuetis. *Sic Cleomenes Lacedæmonius tyrannus euasit.* Principes vt tyranni fiunt?

30 Reges neminem naturâ habent amicum vel inimicum, sed ex suo commodo amicitias inimicitiásque metiuntur ac mutant. *Polybij sententia.* Principes amicos habent.

31 Optimè sibi consulunt tenuiores resp. à potentioribus bello lacessitæ, quæ prudenter & propositâ periculi magnitudine & vicinitate pelliciunt alias resp. vel regna potentissima in suam societatem æquis conditionibus, & quæ nullam tenuioribus seruitutem imponant, aut damnum afferant. *Sic Aratus Antigonum socium asciuit.* Socij belli, vt faciendi?

32 Excubiæ nunquam sunt, etsi multa vicina auxilia parata sint, negligentiùs agendæ, ne ab hoste imparati inuadamur. *Sic Cleomenes cepit Megalopolim.* Excubiarum negligentia.

33 Clementia victoris inexpectata in victos hostes, si quidem sint illi ingenuæ naturæ, ex inimicissimis solet amicissimos efficere; sin minus, tetriores. *Sic Mantinienses ab Arato humaniter tractati.* Victos quid conciliet nobis?

34 Tyrannis omnium hominum iniurias & scelera complectitur. *Polybij sententia.* Tyrannis quantum malum?

35 Tyrannum non tantùm belli, sed etiam pacis tempore capere & occidere fas est. *Polybij sententia.* Tyrannum occidere?

36 Est prudentis Imperatoris, quum non potest hostem repellere aut illi occurrere, se tuto in loco, contemptis vulgi querimoniis tantisper munire, & continere, & præsertim in metropoli seruandâ laborare, dum maiores vires colligat, & hosti par aut superior esse possit. Quod illi quidem est quamprimùm curandum, atque ita cum exercitu ad animos suorum confirmandos, primo quoque tempore hosti obuiam eundum. *Sic Antigonus Cleomenem repulit.* Exercitus Imperator prudens.

37 Nunquam superioris loci opportunitas hostibus est concedenda, vt illi nimirum finantur sine vi locum huiusce modi occupare, tanquàm postea quàm conscenderint, lassi & impares futuri; ac proinde facilè vincendi & deiiciendi. *Sic Lacedæmonij à Macedonibus victi in Laconicâ.* In bello locus superior.

38 Nimiùm præceps Regis aut Imperatoris victi de regno suo fuga integram victoriam hosti relinquit: quæ sæpe paruis occasionibus & insperatis postea oblatis, vel eripi tota illi potuit, vel minui; & regio dignitásque recipi. *Cleomenis fuga damnata.* Principis victi fuga.

EX LIBRO TERTIO. POLYBII.

1 CAVSA belli à belli principio differt. Est enim causa ratio, quæ in deliberatione de bello suscipiendo proponitur, facítque vt bellum decernamus: Principium verò belli est prima in bello iam decreto actio hostilis, igitur in hostem tentata: vtraque verò distinguenda, & in bello iusta esse debet. *Polybius.* Bella sint iusta.

2 Iniquæ conditiones, & vi necessitatéue extortæ potiùs quàm iure vllo belli & æquitate concessæ à populo victo victori, quumprimùm datur occasio, reuocantur & violantur, fúntque magnorū inter vtrumque populum bellorum postea causæ: ac proinde videant victores, ne victis nimium duras & iniquas conditiones imponant & ferant. *Hæ fuerunt secundi belli Punici causæ.* Fœdera iniqua.

3 Nimia alicuius cum hostibus familiaritas eum de proditione facit suspectum. Itaque curandum, vt quos inter hostes maximè timemus, eos si fieri potest, familiares nobis habeamus: aut saltem cum illis sæpe communicemus. *Sic Annibal redditus Antiocho suspectus.* Exercitus ducum familiaritas cum hoste.

4 Prætextu legationis res vicinorum & eorum quos nobis hostes futuros suspicamur, explorandæ. *Sic Romani apparatum Antiochi speculati sunt.* Exploratio vicinorū.

5 Nimia felicitas & in cœptis prosper successus nos facilè ad bellum non-necessarium suscipiendum impellit. *Sic Carthaginensium felix successus in Hispaniâ eos impulit ad 2. bellum Punicum suscipiendum.* Bella non-necessaria mouent.

6 Quandoquidem peregrini facilè fiunt indigenis inuidiosi, cauendum est peregrinis, ne quam inuidendi aut malè de se suspicandi occasionem dent, vel nimiâ libertate suâ, vel cum hostibus indigenarum familiaritate. *Sic Annibal imprudens apud Antiochum.* Peregrini vt in alieno loco versari debeant?

7 Magnam nouo exercitus Imperatori authoritatem conciliat illius tum animus omni auaritiâ manifestè vacuus, tum strenuitas aliquo nouo cœpto factóue ostentata. *Sic Annibal commendatus.* Imperatorem exercitus commendat.

8 Simulatio metus à nobis facta, sæpe hostes nostros temerarium quidpiam aggredi suadet vbi vincuntur. *Sic Carpetani victi ab Annibale.* Hostis temerarius.

Bellorum euentus est incertus.

9 Bella nec sæpe iis locis, quibus putantur, geruntur: nec eos exitus habent qui sperabantur. Itaque non nisi post longam deliberationem sunt suscipienda, & rebus omnibus in vtrumque euentum paratis. *Sic Romani in secundo bello Punico decepti.*

Ruinam entegre- diuntur.

10 Iis populis, quos Deus castigare vult, multa incommoda simul eodémque tempore insperata eueniunt. *Sic Romanis Illyrij defectio, & Punicum bellum secundum.*

Bellū longinquum & remotū.

11 Magnum & longinquum bellum gesturis, nullus hostilis locus ipsis infestus a tergo relinquendus. *Ea de causa Annibal Saguntum cepit.*

Exercitus peregrinus.

12 Peregrinus exercitus recens adueniens, si quid præclarè gesserit, totam regionem perterrefacit citò. *Sic L. Æmilius Illyrico vicit.*

Militis temeritas.

13 Temeritas in milite seu Duce quantumuis strenuo & robusto frequens tandem eum ipsum perdit. *De Demetrio Pharensi.*

Fœdus publicū violatum.

14 Quum fœdus publicum præter consensum Reip. violatum est, ille qui violauit, est procul dubio dedendus læsis ac conquerentibus. *Sic Annibal petitus à Romanis.*

Fœdus publica rumpi ... Pro incolarum ... dia bellis

15 Bella ab iis iniustè suscipiuntur, qui primi fœdera publica ruperunt. *Sic damnati à Polybio Carthaginenses.*

16 Consultissimum est in Imperio quod pluribus diuersisque populis ac prouinciis constat, vnius prouinciæ militibus alterius prouinciæ defensionem committere: contráque, vt hoc pacto mutua quadam officij præstatione inter se deuinciantur. *Sic Annibal misit Hispanos in Africam: Africanos traiecit in Hispaniam.*

Populus vt tenendus?

17 Ex populo recens deuicto Princeps obsides accipiat primariæ nobilitatis viros mares ac fœminas, ac præsertim iuniores in vtroque sexu. *Sic Annibal ex ciuitatibus Carthaginensium accepit.*

Bellum inchoantibus quid agendum & curandum?

18 Bellum illaturi debemus veteres eorum, quibus illud indicturi sumus, hostes priùs in nostram societatem muneribus & communis periculi metu tentare & allicere. Itinera verò longa suscepturis in hostem, priùs vix omnes explorandæ sunt, quibus facilè traiici exercitus possit. *Sic Annibal illaturus bellum Romanis.*

Bellum longinquum & remotū.

19 Longinqua bella & itinera nunquam tutò absque militum exploratis priùs animis suscipiuntur. *Sic Annibal.*

Coloniarū vsus & finis.

20 Coloni è à nobis in hosticum deductæ semper præsidio firmandæ, vt pro munimento nobis sint. *Sic Romani aduersus Annibalem.*

Coloniarū ratio.

21 Coloniæ in agrum deuictum nunquam absque magno ipsorum incolarum dolore ac metu deducuntur: itaque vallis & muris & præsidio firmandæ. nam insidiis vel armis primo quoque tempore ab indigenis petuntur, & exscinduntur. *Sic Cremona & Placentia à Boys petita.*

Hostis irruens quid possit?

22 Si quis potens hostis in Principem, vel Remp. vicinis formidolosam, aut suspectam insurgit, facilè omnes illi vicini cum nouo hoste coniunguntur. Quamobrem huic maximè periculo est ab eo qui inuaditur, semper & maturrimè prospiciendum, firmissimis aduersus hostes istos vicinos præsidiis semper obiectis quantum quidem potest. *De Gallis, Boys & aliis propter aduentum Annibalis insurgentibus in Romanos.*

Exercitus iter.

23 Quum flumen, vel mons obiectus exercitui transeundus est, vel aliqua regio traiicienda, est transitus ab incolis pretio emendus, aut vi & celeritate præoccupandus. *Sic Annibal in traiiciendo Rhodano.*

Exercitus iter.

24 Imperatori in hostilem agrum profecturo loca itineris notissima esse, vel per se, vel per fidos viæ duces debent. *Polyby sententia.*

Exercitus fatigatus.

25 Exercitus quantumuis strenuus, est tamen mora reficiendus, vbi longo labore & inopia fatigatus fuerit, non autem statim hosti obiiciendus. *Sic Annibal refecit exercitum situm defatigatum in transitu Alpium.*

Exercitus peregrinus irrumpens.

26 Exercitus peregrinus & in hosticum perrumpens debet pulchro aliquo audacique facinore sui terrorem iniicere statim, non statim otiosè quiescere, ne opprimatur aut metus de illo euanescat: nam prima exercitus peregrini victoria & cita, omnes illi conciliat, & ab hoste deficere cogit. *Sic Annibal conflixit cum Scipione post descensum ex Alpibus.*

Celeritas in bello.

27 Celeritas exequendi magnum hostibus terrorem nostri adfert, & nobis victoriam de hoste imparato parit. *Sic Annibal.*

Exercitus vt strenuus reddatur.

28 Vt militibus etiam ignauis nedum strenuis animus addatur, non modò misera captiuorum & seruientium conditio est iis repræsentanda, verùm etiam spes omnis fugæ adimenda. *Sic Annibal suos ad pugnam animauit.*

Hostis aggrediendus & quando. Hosti irrumpenti occurrendum.

29 Hostis tunc maximè aggrediendus, quum adhuc est lassus, & itinere ac labore defessus.

30 Hosti in nostram regionem irrumpenti nos occurrere præstat primo quoque tempore, & in primo ipso regionis aditu maturè & fortiter, eumque vel ab ingressu ipso arcere, quàm iam ingressum, & omnibus suis metum iniicientem è finibus nostris conari depellere. *Sic Scipio occurrit Annibali adhuc irrumpenti in Italiam.*

In hostico quid faciendum?

31 Hostis in hostico famam sibi conciliet clementiæ erga eos quos deditione accipit. Item duces præsidiis & arcibus hostilis agri impositos, magnis donis & præmiis quam maximè potest, in suas partes alliciat & traducat: denique præsidia sibi dedentes magnis præmiis donet & afficiat. *Sic Annibal in Italiâ versatus.*

Quid imperatori cauendum?

32 Maximè cauendum imperatori, ne exercitus territus, vel fessus, vel imparatus, aut iniquo omnino loco cum hoste confligat, néue in eo, vel ambitione, vel ira se abripi sinat, vel hostium contumeliis cedat, vel militum inani clamore vincatur. *Q. Fabius.*

Confligendi tempus.

33 Confligendi cum hostibus tunc maximè tempus est idoneum, quum eorum miles adhuc tyro est, vel nondum totus eorum exercitus collectus conuenit, vel præcipuus eorum Dux abest ab exercitu, vel per morbum inutilis ac debilitatus in castris vocatur: vel integra & alacris adhuc sociorum & militum nostrorum fides & voluntas persistat: vel denique adhuc recens partarum victoriarum memoria inhæret, & hostis propter eas adhuc pauet. *Sic Annibal eligebat tempus certaminis.*

Insidiæ quando ponendæ. Insidiis quà in portu ...

34 Insidiæ in medio certaminis in hostem exortæ, facilè eum terrent, victoriam nobis parant, & hostem fundunt.

35 Strenuissimi & animosissimi quique in insidiis collocandi. *Sic Annibal.*

Conflictu ... di tem...

36 Impransis & nondum curato corpore à militibus prælium si euitari potest, nunquam suscipiendum. *Sempronius propterea victus ab Annibale.*

Victoris clementia.

37 Clementia victosis erga hostium socios à se captos, & eiusdem sæuitia erga hostes ipsos captiuos, & terrorem illius hostibus iniicit, & sociorum illorum qui hostibus adhærent beneuolentiam ipsi conciliat, vt tunc facile eos in suas partes traducere soleat. *Sic Annibal tractauit socios Romanorum.*

Impedimenta exercitus.

38 Exercitui in hostico versanti, magna præda, vel multa impedimenta sunt magno impedimento, & sæpe occasio fugæ vel cladis. Itaque ea vel nulla, vel pauca omnino trahenda nisi prorsus sit commeatu destituta via, per quam est iter facturus. Nam campos tenenti exercitui, omnia quæ sunt in agris patent. *Sic Annibal.*

Hostes ad prælium prouocandi. Exercitus Imperatoris prudentia.

39 Incendia populatióque agrorum maximè incitat hostes ad pugnandum. *Sic C. Flaminius accensus ab Annibale.*

40 Est optimi Imperatoris nosse ingenium & naturam sui hostis, vt ea ad suum commodum ipse vtatur: hostem verò iis rebus quibus terretur, vel percellitur, vel delectatur, decipiat. *Polyby sententia, & C. Flaminij, & M. Minutij exempla.*

Insidiis quàdam portu...

41 Hostis iracundus & superbus quibusuis insidiis facilè patet. *Polybius*

Exercitus ducis ... torum.

42 Non potest dux quispiam in exercitu ipso, exercitus Imperatore inscio, vel repugnante, polliceri hosti obsesso, vel dedenti sese, incolumitatem & salutem. *Sic Annibal Maharbali respondit post pugnam ad lacum Trasymenum.*

Clades extraordinariæ.

43 In cladibus Reip. extraordinariis, extraordinario magistratu opus est: & in magno terrore exercitus est eo Imperatore opus, qui præter ordinem in omnes ius & imperium summum, & de plano habeat. *Sic Romani creaurunt sæpe dictatores, vt Q. Fabium.*

Exercitus Imperatoris ... Exercitus perterritus.

44 Imperatori est cura de valetudine exercitus, de vulneratis, de lassis reficiendis, summa habenda. *Sic Annibal.*

45 Exercitus pluribus cladibus iam acceptis perterritus, eidem hosti non est temerè obiiciendus. Obiicitur autem temerè, si priusquam confirmetur aliqua felici pugnâ & victoriâ de hoste, tamen iterum in aciem educatur & pugnet.

Hostis victor.

46 Hostis sæpiùs victor potiùs cunctatione quàm prælio subigitur, modò illi oppida firma nulla sint, in quæ se tutò recipiat, nobis autem & militum multitudo adsit, & suppetat commeatus. Sequendus tamen est, & quantum licet premendus, conferto non dissipato agmine. *Sic Q. Fabius domuit Annibalem.*

Maris imperium ... & ...

47 Maris imperium in omnem partem maximum momentum habet, siue ad commeatum inuehendum, siue ad milites traiiciendos, siue ad hostium potentiam maritimam infringendam. Ac proinde omni studio vel comparandum, vel retinendum. *Carthaginensium sententia.*

Portus ... per ... dio ...

48 Portus maris nunquam suis speculatoribus carere debet.

Peregrini vt ... blandi ... bis?

49 Peregrini populi animos plurimum tibi concilias, & eos ad te ab hoste traducis, si ipsorum obsides ab hoste detentos tu captos illis restituis, vel afficis & demereris beneficio, ei seueritati (quam hostis in eos exercuit) contrario, idque primo quoque tempore. *Sic Scipiones ad se traduxerunt Hispanos.*

Hyberna exercitus.

50 Est prouidi Ducis, præsertim in hostico versantis, maturè hybernis exercitus constituendis, & commeatui, seu annonæ prospicere. *Sic Annibal Gerione.*

Prædæ ... dia.

51 Prædæ conseruandæ studium sæpe timidiores milites facit, vti parandæ auiditas facit audentiores: itaque parta tuto in loco deponatur.

52 Ea

52 Ea potissimum hostium oppida, vel oppugnanda, vel, si fieri potest, intercipienda, in quibus commeatus, annona, resque aliæ ad bellum necessariæ sunt ab iis collatæ & collocatæ. *Sic Annibal Neapolitanam arcem cepit.*

53 Magno cum periculo semper tyro exercitus contra veteranum dimicat: idque maximè semper cauendum. *Hæ fuerunt causæ cladium Romanorum contra Annibalem pugnantium.*

54 Nihil contentione summorum Ducum in exercitu periculosius. *In L. Æmilio, & C. Varrone.*

55 In patentibus agris nunquam ei sponte & vltrò certamen suscipiendum qui equitatu est longè inferior, quàm hostis. *Fabij sententia.*

56 Magnas exercitus clades subditorum & sociorum defectio sequi solet. *Post Cannensem pugnam tota vetus Græcia à Romanis defecit.*

57 Est constantis populi, Principis, vel Reip. etiam post clades magnas, & quidem sæpiùs acceptas, se suámque tamen libertatem ac dignitatem aduersus hostes velle tueri: quod consilium tunc probandum est, quum citra manifestam totius Reip. ruinam id fieri potest, & hosti resisti, quod vires supersint adhuc. *Sic Romani post Cannensem pugnam fuerunt constantes.*

EX LIBRO QVARTO
POLYBII.

1 QVi populi sunt soliti viuere bellis, præda vel latrociniis, vix pacem inter se, vel cum vicinis ferre possunt & colere. *De Ætolis.*

2 Quamdiu hostis in nostro agro versatur, vel in viciniâ, quidquid ille polliceatur, exercitus noster non est dimittendus. *Sic Aratus ab Ætolis victus.*

3 Piratæ vagantes, & mare nostrum regionémque infestare & prædari semel ausi, nisi magnis viribus repellantur, iniurij esse perseuerant: imò etiam crescunt eorum rapinæ, vires ac audacia. *De Ætolis & Illyriis coniunctis in piratica exercenda.*

4 Periculosus semper est ac metuendus in liberâ ciuitate magnus ciuium restitutorum, qui in patriam priùs coniurauerant, numerus ibidem habitans: ac illi proinde nulli sunt Reip parti præficiendi. *Sic Cynethenses & Arcades.*

5 Proditores vrbium sæpè ne ipsi quidem per proditionem euadunt, sed ab hoste trucidantur. *De Polemarchis Cynethensibus.*

6. Musicæ studio assuefaciendi populi, qui naturâ sunt ingenij ferocioris aut aggrestioris. *Polybius de Arcadibus.*

7 Crudelitas feritásque etiam in domesticos duntaxat exercita, tamen est exosa exteris. *De Cynethensibus ob eam causam exosis omnibus.*

8 Quibus in locis non consentiunt inter se præcipui magistratus de pace, vel bello; sed ex iis alij huic, alij illi fauent, maximas seditiones oriri necesse est *De Lacedæmoniorum Præsidibus inter se dissidentibus.*

9 Princeps priuatas iniurias sibi factas condonare potest: publicas verò, id est; Reipubl. factas, aut aliis etiam priuatis illatas remittere non potest. *Philippi Macedonum Regis sententia.*

10 Qui populi latrocinia piraticámque exercuerunt; multos tandem sibi hostes experiantur necesse est. *De Ætolis toti Græciæ exosis.*

11 Qui liberi etiam collecti populi per se sunt hostibus impares, sese ad vnius alicuius potentis Reip. vel Principis imprimis vicini ac fidi societatem adiungant, & quem suum protectorem constituant, libertate suâ interim retentâ. *Sic Græci confugiunt ad Philippum Macedoniæ regem.*

12 Fama de bello pro libertate populis oppressis restituenda à nobis suscepto, multos nobis conciliat & socios facit. *Sic à Græcis bellum contra Ætolos sociale susceptum, gratum fuit omnibus.*

13 Quum quis populus aut Resp. in Ducem eligit, eum qui multis fecit iniuriam; aut quum prædas ab eo factas retinet, proculdubio seipsam illarum iniuriarum, vel autorem, vel sociam magno suo malo facit. *Sic Ætoli cùm Scopam in Ducem elegerunt.*

14 Inter malos societas facilè debilitatur, maximè si ab vnâ eorum parte æqualis prædæ distributio non fuerit seruata. *Polybij sententia.*

15 Fugienda quidem sunt bella, sed non ita tamen, vt pessima quæque, ne suscipiamus bella, perpeti velimus, vt fugam, seruitutem, ac duriora quam sit bellum ipsum. *Polybij sententia de Messeniis.*

16 In communi bello & causâ non sunt nostra, i.e. vnius prouinciæ commoda, aut iniuria, totius societatis commodis, aut iniuriæ præferenda. *Sic male Messenij: sic Epirotæ.*

17 Eorum est optanda sequendáque maximè societas, qui semper officium & fidem seruarunt, etiam dum incommoda acceperunt data. *Sic Acarnanes.*

18 Nihil est aut faciendum inhonestè, vel patiendum turpiter, vt pace nobis frui quocunque modo liceat. Nec enim pax est semper quouis bello anteponenda. *Polybius contra Pindarum Poëtam.* Bella vt fugienda?

19 Difficilè est periurum hominem latere ac effugere Deum. *Sententia Messeniorum.* Princeps periurus.

20 Nihil tam communem totius Regionis pacem aduersus extraneos hostes, aut incolas illius quosdam illi insidiantes tuetur, quàm omnium vel præcipuarum illius regionis vrbium mutuum fœdus & syncretismus. *De Messeniis & Megalopolitanis.* Regionis pax.

21 Bello assueti populi nunquam inter se absque graui seditione agunt, præsertim si Rege aut bello careant: suntque in rebus suis domesticis administrandis promptissimi & sæuissimi. *Sic Lacedæmonij.* Populi bello assueti.

22 Ingratus est populus, qui, spretis legitimis Principum bene de se meritorum familiis, regnum ad alienas & ignotas transfert. *Sic Lacedæmonij.* Princeps eligendus qui?

23 Maritima ciuitas in ostiis maris, per quæ res inuehuntur aut euehuntur, sita, est amica habenda, & a totâ viciniâ aduersus hostes defendenda. *Sic Byzantium.* Maritima ciuitas.

24 Nihil magis infidum & suspectum quam vicinus hostis; nihil verò bello barbarico crudelius ac formidolosius. *Polybius* Hostis teterrimus quis?

25 Sæpè insperatæ victoriæ Duces ipsos ad regnum occupandum mouent & impellunt, alioqui modestos. *De Achæo.* Victoriæ felicitas.

26 Inter vicinos reges siti populi liberi & iis imbecilliores, vtrorumque maiestatem æqualiter, quantum in se est, colant. *Byzantij propterea a Prusia accusati.* Vicinis inferior.

27 Summa prudentia est ad vires hostium debilitandas præcipuum eorum socium, vel vi, vel beneficio, vel præmio ab iis abducere. *Sic Rhodij Achæum a Byzantiis abduxerunt.* Hostē debilitat.

28 Vicinis inter se belligerantibus, potentior vicinus sese interponens facilè inter eos pacem & fœdus conciliat. *Sic Cavarus Rex Gallorum inter Prusiam & Byzantios.* Vicinorum bella.

29 Vbi omni sperato auxilio destituimur, & vires nostræ labascunt, hostium verò crescunt, pax primo quoque tempore quærenda & ineunda. *Sic Byzantij.* Pax quando petenda.

30 Ne nimia insequendi prædandique hostis auiditate vrbem defensoribus vacuam, præsertim vbi sunt vicini hostes, relinquamus, cauendum est. *Sic Lyctiorum vrbs a Gnosiis euersa* Prædæ auiditas.

31 Vbi inter liberas ciuitates potentiores duæ inter se fœdus arctiùs ineunt; hoc cæteris debet esse meritó suspectum: quare sibi diligentiùs prospiciant, & ab iis caueant. *Sic Cortynes & Gnossij reliquam Cretam oppresserunt.* Vicinorum potentiorū fœdus.

32 Bellum moturi, in societatem adsciscant vel sollicitent omnes qui eorum sunt hostes, aut eos oderunt, in quos ipsi bellum parant. *Sic Achæi in Ætolos, & Perrhæbi in Gnossios.* Bellum inchoantibus quid agendum & curandum?

33 Ebrietas ab excubiis arcenda: sæpe enim capiendarum ab hostibus vrbium causa fuit. *De Ægira capta.* Excubiarum pestis ebrietas.

34 Qui totius societatis Dux non succurrit per ignauiam parti sociorum oppressæ, sed illius spem fraudat, est diducendæ soluendæque illius societatis occasio maxima *De Arato iuniore Dymenses non iuuante.* Bellum sociale.

35 In communi societate quæ pars ob non latum sibi auxilium, & instans tamen periculum nihil in commune ampliùs contribuit, sed in suam vnius causam ac defensionem sua tributa reseruat, pessime tandem & sibi ipsi & toti societati consulit. *Sic Dymenses, Pharenses, & Tritenses reprehensi.* Bellum sociale. Milites mercenarij.

36 Qui mercenario militi stipendia minimè persoluere censentur, & vulgò creduntur, vix etiam in summis suis periculis postea mercenarium militem habere possunt. *Sic Achæi mercenarij destituti.* Bellum sociale.

37 Inter plures diuersas liberas Resp. tam diu societas durat, quamdiu spes est aliam ab aliâ subsidium accepturam esse *Polybij sententia.* Vbi verò spes illa prorsus deficit, tunc priuatim vnaquæque sibi suisque rebus consulere ac consilium capere solet.

38 Vbi in suâ ipsius regione hostis est perterritus & imparatus, est persequendus; non autem tempus illi concedendum per longam alicuius sui oppidi à nobis susceptam obsidionem *Hâc ratione peccat Philippus mouens in Ætolos.* Hostis perterritus est persequēdus.

39 In hostico versans exercitus omnia terrore, cædibus, rapinis in resistentes debet implere. *Sic Philippus in Ætoliâ* In hostico

40 Celeritas Ducis & iter perfectum priusquam sperari posset, illi imparatum hostem, & qui facilè vinci possit, obiicit. *Sic Philippus vicit Elienses: item Psophidiam vrbem cepit.* Celeritas in bello.

41 Exercitus extraneus si in ipso primo suo aduentu quid præclarum & inexpectatum gerit, omnes terret, & facilè ad deditionem cogit. *Sic Philippus Peloponnesi Psophidium, Lasionem, Stratium cepit, & Triphyliam intra sex dies* Exercitus peregrinus recens.

42 Is socius extra omnem perfidiæ suspicionem esse debet, qui quamuis potentior, tamen aliis sociis oppida & præsidia a se capta restituit, quæ sunt ipsis commoda ad se tutandos. *Sic Philippus Achæis.* Sociis fidus quis?

Hostem inuitat. — 43 Nimiæ opes & commeatus in aliquo oppido congestus inuitat hostem ad illud obsidendum. *Sic villa Thalamus à Philippo obsessa.*

Societatē dissoluunt. — 44 Qui socios diripit, iisque, aut eorum patientia, vel corporibus abutitur, statim ab iis deseritur. *Sic Ætoli à Messeniis deserti.*

Principes deiecti. — 45 Familiæ regno quod prius obtinebant priuatæ, solent cum magnis cladibus, & in Remp. conspirationibus illud repetere. Itaque illæ sunt aut omninò eiiciendæ, aut ab iis sibi semper cauendum est. *Sic Chilon Lacedæmonius grassatus Sparta, quòd priuatus esset regno*

Tyrannis in socios. — 46 Tyrannidis in socios vsurpandæ initium est curare, vt inter eos Dux ex iis eligatur, qui prorsus tyranno faueant, & Reip. salutem prodere sint soliti: Item vt boni patriotæ in odium apud socios adducantur. *Sic Apelles in Achæos tyrannidis initia iecit.*

Præda belli iustè diuidenda. — 47 Præda belli diligenter & iustè ab ipso Imperatore distribuenda exercitui, ne qua seditio in eo oriatur. *Sic Philippus Rex agebat.*

Aulici nocent. — 48 In aulâ Principum non tantùm vituperando, sed etiam laudando sæpe fit bonis calumnia, & eorum famæ & bonis aulici insidiantur. *Polybij sententia.*

EX LIBRO QVINTO POLYBII.

Magistratus deponendus quis? — 1 QVi Magistratus ab omnibus spernitur, inutilis est, ac proinde deponendus: alius substituendus. *Sic Epiratus deiectus: Aratus senior substitutus.*

Aulici nocent. — 2 Nihil in aulâ Principum periculosius est magnatibus & proceribus Regni, quum sunt calumniatores bonorum *Sic Apelles sub Philippo fuit.*

Aulici nocent. — 3 Princeps prudens sibi à quouis aulico magnate ambitioso caueat, néue illi multum tribuat, aut eum crescere sinat, quantumuis appareat Regis amans. Nam tandem hic ipse in Regem conspirat, si quæ ambitiosè cupit consequi, aliter non possit. *De Apelle.*

Aulici nocent. — 4 Is autem Aulicus ambitiosus esse procul dubio est censendus, qui prætextu regiæ dignitatis amplificandæ omnia pro animi libitu ipse administrat, veteres Regni officiarios, & iam probatos mutat, alios autem sibi fauentes in eorum locum constituit. *Sic Apelles apud Philippum Regem.*

Vrbs capienda quæ? — 5 Ea maximè vrbs, si fieri potest, est capienda, quæ nostris finibus ad excursiones in nos faciendas imminet, hostibúsque tutissimum præbet receptum. *Sic Cephalenia tentata à Philippo.*

Exercitus ducum discordia. — 6 Ducum inter se discordia maximum rerum agendarum impedimentum est. *De Leontio & Arato seniore in exercitu Philippi.*

Consiliarij noxij. — 7 Vel consiliarij vnius perfidia in Regio publicóve consilio potentis, maximas rerum pulcherrimè gerendarū occasiones Reip. eripit: ac proinde fidi in publicum consilium solùm admittendi: & si qui perfidè consuluisse deprehendantur, grauissimè sunt ad cæterorum exemplum puniendi. *De Leontio.*

Consiliarij noxij. — 8 Æmulorum & sibi mutuò inuidentium consiliariorum inter se contentio, in causa est, vt malè Reip. consulant; dum alter alterius consilia euertere vult ac conatur. *De Leontio in exercitu Philippi Regis Macedonum.*

Prælium committi quando debeat? — 9 Iter exercitui aut prælium, nisi priùs refectis cibo corporibus, minimè est suscipiendum. *Sic Philippus Rex Macedonum.*

In hostico occupare. — 10 In hostico quidpiam occupare cupienti, est festinatione, non procrastinatione opus, vt imparatos hostes opprimat. *Sic Aratus Philippo Regi. Sic Thermus capta est.*

Vrbs capta. — 11 Etiam in vrbibus captis à templis religionis diuinæ ergò abstinendum est. *Ex Polybij sententiâ.*

Belli ius. — 12 Iura belli permittunt sæuire in armatos hostes, eorum castella, portus, ciuitates, villas, item messes & fructus deuastare, aliáque his similia facere, quibus hostium vires debilitentur: nostræ confirmentur: ea verò destruere, quæ neque nobis quidquam emolumenti, neque hostibus quidquam detrimēti afferunt: est hominis rabiosi, & planè furentis, *Polybius.*

Tyrannus quis? — 13 Est tyrannus qui imperat malefaciendo, non benefaciendo suis, & eis terrorem iniiciendo, denique qui in mutuo semper cum subditis suis odio & diffidentiâ versatur. *Polybius.*

Rex bonus quis? — 14 Est Regis, benefaciendo vniuersis, sponte subditos subiectos habere, eósque cum liberalitate & clementiâ regere; & in mutuâ cum subditis beneuolentiâ semper viuere. *Polybius.*

Victoria optima. — 15 Benignitate & clementiâ vincitur hostis gloriosiùs, quàm armis. *Polybius.*

Victoriæ nomine gratiæ Deo agendæ. — 16 Re feliciter gestâ, & Deo gratiæ agendæ: & Duces benignè collaudandi, conuiuio præmiísque excipiendi. *Sic Philippus ex Ætoliâ rediens.*

Princeps iuuenis. Celeritas in bello. — 17 Princeps adhuc iuuenis, & tamen iam militaris & supra ætatem prudens, magnum sui terrorem omnibus hostibus iniicit. *Sic Philippus Macedonum Rex.*

18 Celeritas in Duce summa laus. *Ibid.*

Excubiæ neglectæ. — 19 Excubiarum negligentia, aut castra nulla fossa vel vallo munita, semper hostium inuasioni facilè patent. *De Messeniis à Lycurgo propterea interceptis.*

In exercitu seditiosi duces. — 20 Seditiosi Duces in exercitu sunt statim necandi, vel saltem è castris emittendi. *De Leontio, Megaleâ, & Apelle in exercitu Philippi.*

Prouinciæ præses. — 21 Dux Prouinciæ militibus minimè gratus, aut mutandus est; aut res statim dilabentur. Is verò minimè gratus intelligitur, cui non paretur per contemptum. *Sic Eperatus Dux Ætolorum.*

Militibus peregrinis stipendia persoluenda. — 22 Nisi stipendia militibus, præsertim extraneis, persoluantur, statim illi dilabuntur: atque propterea patet facilè Regio hosti. *Sic Achæi non persoluentes stipendia expositi Ætolis.*

Princeps bellicoso [...] — 23 Qui bellicoso Principi succedit ipse iners, libidinosus, & ebriosus, cùm à subditis externísque facilè ac statim contemnitur, tum etiam coniurationes multorum, quibus patet, expetitur: ac tandem facilè regno expellitur, vel occiditur. *De Ptolemæo Philopatore.*

Princeps iuuenis. — 24 Quamdiu est infirma adhuc Regis ætas, multæ inter Principes regni coniurationes, rixæ, & seditiones aliorum in alios esse solent. *Sic Anthiochi Magni infirmâ adhuc ætate.*

Ruina publ. — 25 Aulici auari aut ambitiosi qui sunt gratiosi Regibus, semper Reges ipsos aut Regnum aliquibus difficultatibus implicant: item bonos & fideles consiliarios vexant, vel suspectos habent: strenuos Duces ipsi ignaui apud Regem perpetuo accusant, vel in suspicionem adducunt, vt in his turbis vel soli regent, vel præcipuè præ cæteris. *Sic Hermia sub Antiocho.*

Subditis deficien. — 26 Aduersus eos qui defecerunt, tutiùs regni Duces quàm Rex ipse pugnat. *Hermiæ sententia.*

Exercitus securitas. — 27 Nimia ob hostem fugientem exercitus securitas, ebrietas ac negligentia eum sæpenumerò perdit. *Sic Xenoëtas à Molone fusus.*

Coniurationi initia. — 28 Coniurationis initiis maturè totis viribus resistendum, ne illa conualescat. *Sic Molo victor ob negligentiam Antiochi.*

Bellum ciuile. — 29 Ciuile & domesticum bellum potiùs, quàm extraneum curandum & conficiendum. *Sic Consiliarij Antiochi*

Prælium com[mittere] quando debe[at]. — 30 Cui suus exercitus est suspectus, ne cum hoste prælium committat. *Sic Molon.*

Proceres formidolosi regibus. — 31 Nimiùm potentes & Regibus sui formidolosi proceres aut aulici, miserum & tragicum tandem vitæ exitum ab ipsismet Regibus, à quibus se formidari & metui voluerunt, consequuntur. *De Hermeâ purpurato Antiochi.*

Præses crudelis. — 32 Regij gubernatoris crudelis & impotentis tristissimus solet esse tum ipsius, tum familiæ quoque eius exitus. *De vxore & filiis Hermeæ.*

Vrbs capienda. — 33 Ea maximè oppida sunt quocunque modo retrahenda & capienda, quæ hostibus aditum ad nostra inuadenda præbent, súntque velut arx nostris ceruicibus imposita. *De Seleuciâ.*

Idem. — 34 Quorum oppidorum Duces & præsidiarios pecuniâ tentare & corrumpere possumus; ea sunt obsidenda quamprimùm: nam facillimè capiuntur. *De Seleuciâ.*

Prouinciæ præ[ses]. — 35 Strenuus ac bene de Repub. meritus prouinciæ alicuius Præses seu Præfectus, minimè publicè à Rege vel Rep. contemni aut iniuriâ affici debet. Solet enim huiusmodi iniuriam sibi factam, Prouinciæ suæ deditione hosti factâ, vel in Regem ipsum seditione commotâ, plerumque vlcisci. *De Theodoto offenso à Ptolemæo Rege.*

P[rinceps] imb[ecillis]. — 36 Imbecillis Princeps quíue omnem belli curam, vel exercitium abiecit, facilè ab hoste vincitur, & à suis Ducibus deseritur, si vrgeat hostis. *Sic Ptolemæus.*

R[egionis] adi[tus]. — 37 Aditus regionis nunquam absque præsidio deserendi. *Garsyeris sic aditus ad Peduem occupat.*

In[duciarum] tem[pore]. — 38 Induciarum tempore ne hostiū plures milites prætextu emendi commeatus, aut aliarum rerum in vrbem nostram ingrediatur, cauendum est. Hâc enim ratione & sæpe & facilè oppida occupant. *Sic Selgensium vrbs amissa.*

Transfugæ per[iculo]sus. — 39 Transfuga is est periculosissimus, qui propter linguæ & armorum similitudinem in nostris castris ignotus versari potest. *Sic Theodotus in castris Ptolemæi.*

— 40 In medio certamine Rex conspectus vel pugnans, vel ad suos confugiens, denique inter eos versans, illis maximè animum addit. *De Ptolemæo se ad suos recipiente.*

Vrbes [rece]pta. — 41 In recipiendis ciuitatibus, quæ defecerant, iis præcipuè clemens ac benignus sit Princeps; quæ diutiùs ac constantiùs in eum fideles permanserunt. *Sic Attalus in Smyrneos.*

— 42 Est regium & liberale succurrere tum vicinis, tum remotis ciuitatibus etiam liberis, & que nobis non sunt subiectæ, quum fuerint grauiter afflictæ. *Sic Ptolemæus, Antiochus. & alij reges Rhodiis succurrerunt.*

— 43 Seditionibus, irâ & simultatibus plena sunt apud eos populos omnia quibus sumptus necessarij desunt. *Sic Megalopolitani, Polybij quoque sententia.*

Milites perterriti. — 44 Milites sæpiùs antea perterriti plerumque ex leuibus præliis cum hoste, & ex partâ in iis victoriâ confirmantur: itemque oppida animum recipiunt, quæ priùs animum despondere prorsus cœperant. *Sic Achæi confirmati à præfecto classis.*

45 Nautici

45 Nautici milites in portibus aut maritimis vrbibus deficientes, plurima secum incommoda afferunt. Itaque ne deficiant, sunt iis maximè stipendia persoluenda. *De Scerditaidâ deficiente à Philippo.*

46 Vbi iustus exercitus deest, qui hostibus opponi, aut satis nostra tutari possit, tunc iniuriis hostium patemus, & direptionibus, cladesque accipimus: denique fit bellum latrocinium potiùs quàm bellum: itaque maximè prospiciendum est, vt bello suscepto nunquam nobis iustus desit exercitus: nam quod auaritia seruare & parcere studet, hostis eripit. *De Archaeorum & sociorum statu, vbi Philippus exercitum dissoluit.*

47 Cauendum est, ne in pactionibus cum hoste initis de vrbibus prodendis proditores hostem ipsum vrbanis prodant, cum quo de prodendâ vrbe paciscuntur. *Sic Iason Ægetam Ætolum prodidit.*

48 In vrbium intercipiendarum conatu summopere videndum est, & cauendum Ducibus, ne loca & aditus illarum vrbium minùs comperta habeant, scalas breuiores afferant, die & horâ pacta non adsint, aut quippiam in huiusmodi aliis rebus peccent. Facit enim ea res, vt eludantur & pereant conatus isti, strenui milites in posterum timidiores fiant, & hostis de vigilando admoneatur. *Polybij sententia.*

49 Ea oppida præcipuè capienda, ex quibus hostis ad nos aditus, vel nobis ad eum patet. *Sic Philippus Thebas cepit.*

50 Principi longinquam expeditionem paranti non modò regnum priùs est componendum, verum etiam vndeque cum vicinis populis pax & quies & securitas stabilienda. *Sic Philippus in Illyrium profecturus.*

51 Facilè persuadetur Principibus bellicosis, imperandi auidis, felicibus & victoriosis, vt longinquam expeditionem & bella non necessaria suscipiant. *Sic Demetrius Pharensis Philippo de transfretando in Italiam.*

52 Magna imperia nascentia vel crescentia omnibus populis sunt metuenda etiam remotis. Nec enim facilè antea conquiescunt, quàm omnia domuerint. Itaque de impediendo eorum cursu sunt maturè consilia capienda: Syncretismi ab aliis populis inter se faciendi. Nec sunt illa vllo prætextu & occasione auxilium ab vllo populo vocanda. *In oratione Agelai in consilio Græcorum.*

53 Ad magna imperia nascentia, vel crescentia oculos conuertunt omnes: & quas simultates, inimicitias, & rixas, inter se habent, ad ea imperia deriuant, vt se quidem vlciscantur in speciem conantes; re autem ipsa eadem illa imperia suis dissensionibus amplificantes. *Sic res Græcorum & Afrorum ad Romanos delata.*

54 Qui populi in eâdem regione ad principatum in alios obtinendum natura feruntur, vel sunt libertatis præ cæteris amantes; iidem indesinenter inter se dimicant, quòd studeant alij aliis priores esse. *Sic Peloponnesij inter se. Polybius*

55 Panicus terror, id est, qui nulla iusta de causa exercitui siue pedestri, siue nautico incidit, optimas rei præclarè gerendæ occasiones corrumpit. Itaque ne incidat, neue quidpiam temerè in exercitu credatur, est ab Imperatore diligenter prospiciendum. *Sic turbata Philippi Regis nauigatio in Illyrium.*

EX LIBRO SEXTO POLYBII.

1 Nec solæ eæ tres Reip. formæ esse possunt, quæ à Philosophis traduntur, Monarchia, Aristocratia, & Democratia (sunt enim plures:) nec eædem quoque meræ & puræ constitutæ sunt commodæ: verùm eæ demum quæ ex tribus illis formis simul mixtis constant.

2 Regnum est non quæuis potestas Monarchica; sed ea duntaxat quæ spontaneo subditorum consensu vni alicui in cæteros est concessa: quæ magis beneuolentia ciuium; quàm timore continetur ac conseruatur, & quidem certis legibus ac potestatis finibus circumscripta, non pro regentis arbitrio libera & effrenis. *Polybius.*

3 Ex regno malè administrato & in tyrannidem vergente ac labente solet oriri Aristocratia. *Polybius.*

4 Aristocratia est ea Reip. forma, in quâ iustissimi ac prudentissimi quique ad gubernandam Remp. eliguntur æquali inter se potestate præditi. *Polybius.*

5 Democratia est ea Reip. forma, in qua multitudo pietate & honestis moribus informata id decernit; quod ad Reip. gubernationem pertinet. *Polybius.*

6 Aristocratia malè administrata in Democratiam delab solet ac mutari. *Polybius.* i

7 Ex Democratia malè administrata, vbi imperiosior ac insolentior fuit multitudinis potestas, Regnum seu Monarchia nasci solet. *Polybius.*

8 Formarum Reip. origo ex eo primùm nata est, quòd in vagâ, & nullis adhuc legibus coërcita hominum multitudine, qui corpore robustior erat, principatum in aliòs vsurpare cœpit. *Polybius.*

9 Legum & iuris cuique præscribendi initium fuit tum filiorum in parentes, tum beneficiatiorum in benefactores manifesta ingratitudo ab omnibus hominibus communi voce damnata. *Polybius.* — Legum scribendi rum origo

10 Regnum & vnius dominatio prima omnium Reip. formarum inter mortales fuit constituta. Ij verò in Reges primùm electi consensu populi, qui in alios fuerant benefici, velut qui eos ab incursu ferarum, vel ab iniuria aliorum hominum defendere vi corporis aut prudentia animi solebant ac poterant. *Polybius.* — Monarchia quid?

11 Eorum, qui ex strenuis & beneficis parentibus nati sunt, beneficia in populum tandem effecerunt Regna hæreditaria: eorundem verò insolentia effecit Regna electiua. — Monarchia

12 Vrbium artiumque ædificatio primùm à Regibus facta est, tum ad ipsius Regni maiorem contra hostes externos securitatem; tum etiam ad ipsorummet Regum in subditos auctoritatem, ac sæpè tyrannidem stabiliendam. *Polybius.* — Vrbium ædificatio prima.

13 Quandiu Reges suo munere rectè & sincerè fungebantur, parum à reliquis hominibus, victu vestituque differebant; Vbi verò ad lasciuiam & libidinem sua illa potentia abuti cœperunt, tum verò & victum & vestitum & apparatum insolentiorem & sumptuosiorem cæteris habere voluerunt. — Monarchiæ officium.

14 Prima coniurationum in Reges causa & origo fuit eorum non in quosuis, sed in generosiores atque animosiores subditos suos contumelia: qui plebem ob similium iniuriarum metum aut sensum in societatem sui consilij & facti asciuerunt. — Coniurationum origo.

15 Hæreditaria honorum & bonorum publicorum successio, & à paribus in filios etiam imperitos rerum & causæ cur ea consequuntur continuatio, effecit ipsos successores insolentes & obliuiosos: & causa fuit vt optimæ Reip. formæ, velut Regnum & Aristocratia, in Tyrannidem & Oligarchiam tandem degenerarent. — Mutationis Politiarum causa.

16 Tamdiu veræ Reip. formæ in suo statu durant, quamdiu qui in iis præsunt, omnia referunt non ad suam vtilitatem, vel libidinem; sed ad ipsius Reip. commodum & salutem, idque sincerè & non fictè. — Mutationis politiarum causa.

17 Tum Monarchiæ, tum Aristocratiæ iniuriæ populum ad Democratiam inuitant. — Mutationis politiarum causa.

18 Plebs largitionibus & alienis bonis, non sua industria aut labore viuere assueta, facilè imperium in seipsam diuitibus præsertim audacibus vendit. Nam hi muneribus plebem corrumpunt: atque ita tyrannos sibi ipsi plebs imponit. — Largitiones.

19 Quælibet Resp. habet sua initia, auxesin seu incrementa, & finem seu decrementum à Deo constitutum. *Polybius.* — Periodus reip.

20 Ærarij publici potestas & dispensatio penes consilium publicum, non verò penes vel Regem, vel Quæstorem esto. *Polybius. Sic Senatus Romanus eam potestatem habuit.* — Aerarium publicum vt dispensetur?

21 Iudicia publica vnoquoque Regno constituenda, quæ & priuatorum lites decidant: & scelera publica puniant: & prouinciarum seu partium Regni lites inter se dirimant. *Sic Senatus Romanus.* — Iudicia criminalia publica esse debent in quauis reip. formâ.

22 De Bello & Pace cum hostibus paciscendi: ius Legatis exteris respondendi auctoritas, penes concilium Ordinum; non autem penes vnum Regem aut Consulem esto. *Sic Senatus Romanus hoc ius habuit.* — Ordinum regni auctoritas quæ?

23 Magistratuum suorum electio in vnaquaque ciuitate sit penes ipsum populum. *Sic Romæ factum est.* — Magistratuum electio.

24 Concilium publicum Ordinum de rebus à summo Magistratu gestis iudicet ac statuat. *Sic Senatus Romanus de triumphis Consulum.* — Ordinum regni auctoritas quæ?

25 Duo Remp. maximè conseruant: Strenuitas aduersus extraneos hostes seu Vis foris, & Domi concordia: quam vtramque maximè labefactat vel vna Auaritia: quæ idcircò è Rep. quantum fieri potest tollenda, imminuto pecuniæ ac diuitum, minimè virorum bonorum honore. *Polybius.* — Remp. conseruant.

26 Boni seu honesti ciuium mores ac sanctæ leges requiruntur, vt quæpiam Resp. rectè instituatur, sit sancta, fiatque felix. *Polybius.* — Remp. conseruant.

27 Forma Reip. à Platone institutæ prorsus imaginaria est atque absurda. — Politiarum formæ.

28 Victus frugalitas ac temperantia publica Remp. à multis malis ac vitiis liberat. — Frugalitas.

29 Nequaquam probandum est illud Rerump. consilium quo ad sua tutanda, & bella gerenda, peregrino potiùs, quàm indigena milite vti malunt: ac propterea militiam negligunt. *Accusati Carthaginenses propterea.* — Remp. euertunt.

30 In ciuitatibus maritimis & mercaturam nauticam exercentibus nihil ferè solet esse & censeri turpe, quod ad lucrum faciat. *Sic de Carthagine Polybius.* — Vrbes maritimæ & mercaturæ addictæ.

31 Impia gens est, itemque ciuitas, in qua iusiurandum facilè, vel priuatim, vel publicè violatur. *Polybius de Græcis perfidis: & Romanis fidei tenacibus.* — Perfidia.

32 Vbi Resp. ex parua fit magna; ex tenui diues: tunc in ea & simultates ciuium inter se, & ambitiosa de principatu certamina, ac denique seditiones & luxus oriri solent. — Seditiones vbi & quando frequêtes?

33 Etsi calamitati ac tempori cedendum est, videndum tamen, ne id à quapiam Rep. vel Rege præter illius dignitatem — Resp. tempori cedat.

aut futuram in posterum vtilitatem, quæ meritò præuideri potest, fiat. *De Romanis abnuentibus redemptionem suorum captiuorum.*

EX LIBRO SEPTIMO POLYBII.

Vrbs obsessa. 1 IN obsessâ vrbe nulla muri pars, quantumuis munita naturâ & situ loci, vnquam est absque præsidio & excubiis relinquenda: hac enim parte viâ maximè solent tentare hostes.

Vrbs non satis munita. 2 Ex ea parte vrbs vel murus est incustoditus, vbi aues sidentes conquiescunt, & non terrentur, aut auolant. *Sic Lagoras deprehendit Sardiorum negligentiam.*

EX LIBRO OCTAVO POLYBII.

Libertas populi exosa tyrannis. 1 TYrannis maximè sunt inimici, qui libertati populi patrocinantur.

Hostis non rec. reconciliatus. 2 Ne temerè quisquam fidat aut sese committat hosti nondum sincerè reconciliato, & à quo nullos obsides habet. *Sic Archidamus malè fidit Cleomeni.*

Obsides qui. 3 Obsides & argumenta securitatis ac fidei seruandæ sunt Iusiurandum, liberi, vxores, amici ab eo nobis dati, itemque vita præterita eius cui fidimus. *Polybius.*

Vrbs obsessa. 4 In obsidionibus siue ad oppugnandum, siue ad propugnandum maximus est artificum, qui Mechanici, seu Mathematici dicuntur, vsus; ac proinde comparandi & conquirendi. *Archimedis exemplum in obsidione vrbis Syracusanæ.*

In hostico arx capta. 5 In hostico qui primùm summas ac munitissimas arces vi capit, facilè reliquas regionis partes ad deditionem metu postea cogit. *Sic Philippus Illyrios Acrolisso captâ.*

Captiui liberandi. 6 In captiuis clam abducendis & liberandis est summopere cauendum, ne extraneis prorsus hominibus totum hoc negotium committatur, néue absque obsidibus aut pignore dato id cuiquam facere promittenti credatur, aut ne iis qui sunt deprehensi mendaces fidatur. *De Achæo.*

Explorãdi qui ingrediuntur. 7 Nunquam cuiquam vni, vel pluribus licere debet, vt quando vicini sunt hostes, possit ingredi egrediue, nisi prius & ipso explorato, & eius comitibus quoque non obseruatis. *Sic Tarentum captum & proditum à Philemone.*

Stratagema. 8 Prudentes Duces cum quidpiam magnum moliuntur aduersus hostes, spargunt plerumque famam de se ægrotis vel mortuis. *Sic Annibal.*

Hostis cùm est celandus. 9 Vt noster aduentus latere hostes possit, vel omnes qui occurrunt retinendi, vel specie latrocinij fugandi, vel occidendi: Ipse verò exercitus quàm celerrimè incedere debet, omnes tamen ordines seruare, nemo verò vagari: Denique locus quò tenditur, paucis quoque notus esse debet. *Sic Annibal capturus Tarentum.*

EX LIBRO NONO POLYBII.

Vrbs obsessa. 1 QVi obsidentur, sunt de auxilio illis dando admonendi. *Sic obsessi Capuani ab Annibale admoniti.*

Transfugæ. 2 Qui transfugarum specie ad nos accedunt, sæpe sunt exploratores, aut per eos ipsos hostis sua consilia quibus vult, è nostris communicat.

Obsidione soluit. 3 Vt hostem cogas ad soluendam obsidionem, est vel ipsius aliqua vrbs vicissim obsidenda, vel incendio ipsius regio vastanda: vel damnum aliquod insigne illi inferendum. *Sic Annibal Romanis vt Capuæ obsidionem solueret.*

Hoste[...] terr[...] obstinatio nostra. 4 Hostem perterret nostra in proposito semel suscepto pertinacia, quâ illi incommodamus, vel non cedimus. *Sic Romani in vrgendâ obsidione Capuæ.*

Princ[...] taciturnitas. 5 Taciturnitas & dissimulatio consilij Imperatori exercitus necessaria est.

In b[...] occasio [...] prætermittenda. 6 Cùm in rebus aliis humanis omnibus, tum verò in bellis maximè dominatur occasio, quæ minimè prætermittenda est.

Iter e[...] citus nocturnum. 7 Ad nocturna itinera tutò facienda etiam Lunæ motus cognitio necessaria est.

Strat[...] matur[...] tor. 8 In rebus omnibus quæ ex compacto in bellis geruntur, temporis, loci, modi, & personarum non obseruata exacta ratio & constitutio, totum cœptum reddit inutile, imò iis etiam ipsis, qui nobis fauent, noxium & periculosum. *De Arato hæc diligenter in Cynethæorum vrbe non obseruante.*

In b[...] momen[...] 9 In bellis sæpe propter parua momenta neglecta, magnæ rei bene gerendæ occasiones amittuntur.

EX LIBRO DECIMO POLYBII.

Princip[...] futuri [...] illustri[...] notæ. 1 IN iis qui insigniter præstantes sunt futuri, statim illustres indolis eorum scintillæ plerumque apparent. *Sic in Pub. Scipione maiore.*

Vrbs o[...] denda. 2 Eius loci quem obsidere tentes, situs priùs tibi apprimè est noscendus. *Sic Scipio in nouâ Carthagine obsidendâ.*

Vrbs ex[...] gnanda. 3 Expugnationem vrbis, prælium, aut aliud quidpiam magnum aggressuri Duces, præmia priùs proponant militibus, vt fiant audentiores & strenui. *Sic Scipio in nouâ Carthagine expugnandâ.*

Princ[...] strenuu[...] 4 Ipsius Ducis strenuitas & præsentia in periculo conspicua, milites plurimum animat & confirmat. *Sic Scipio in Carthagine noua.*

Vrbs ex[...] gnanda. 5 Ad terrorem hostis dum vrbs expugnatur, omnes occidendi quicunque primi occurrant. *Sic Romani soliti.*

Præd[...] seruand[...] 6 Delectos ex toto exercitu esse oportet qui prædam ex hoste fuso, & vrbe captâ colligant & diuidant. *Sic soliti Romani.*

Vrbs cap[...] 7 Captis vrbibus, victorum in mulieres continentia & clementia ciues illis facilè conciliant. *Sic Scipio sibi conciliauit Hispanos.*

Princ[...] strenuu[...] 8 Ducis ipsius continentia reliquos milites in officio continet. *Id in Scipione apparet.*

Milit[...] exercen[...] in castri[...] 9 Exercitum exerceri à Duce præsertim in otio oportet, & dum residet in hibernis aut castris. *Sic Scipio in Hispaniâ.*

Iter ex[...] citus. 10 Dum iter facit exercitus, oportet Imperatorem non vnâ semper in parte illius versari; sed modò in hâc, modò in illâ; vt ordines militum & silentium obseruet. *Sic Scipio.*

Remp. c[...] seruant. 11 Ij optimè imperium sibi conseruant, qui eandem benefaciendi subditis voluntatem & mentem retinent, quam initio imperij attulerunt *Polybius.*

Transfu[...] 12 Magnati ex castris hostium ad nos fugienti non facilè credendum. *Sic Scipio in Audomali Hispano excipiendo.*

Expedi[...] longinqu[...] vt susci[...] pienda? 13 Belli tempore est Rex & summus magistratus de exercitu, in quâcunque regni parte sit, assiduè & celerrimè admonendus, vt per singula momenta illius necessitati prospiciatur.

EX LIBRO VNDECIMO POLYBII.

Seditior[...] remedia. DIfficile est aduersus internas & domesticas seditiones remedium.



FLORILEGIVM POLITICVM
EX LIBRO SALLVSTII DE REPVBLICA ORDINANDA.



Consilium malum. 1 SÆpe praua, quàm bona consilia faciliùs executioni mandantur quidem: nunquam tamen feliciter tandem succedunt.

Nobilitatis factio. 2 Nobilitatis factio maturè semper disturbanda, ad eamque rem efficiendam libertas populo proponenda

Mod[...] vectigalia. 3 Vectigalia, sumptus publici, & iudicia forensia maximè moderanda.

Resp. ve[...] nalis. 4 Plebs oppressa, & spoliata, se, & Rempublicam facilè venalem habet.

Gratia [...] concilia[...] 5 Malum facinus in se committit, qui incommodo Reip. sibi gratiam cõciliat.

6 Pecuniæ

6 Pecuniæ studium imminutum multas turbas imminuit.

7 Iudices & Magistratus à paucis eligi & probari est regium: eosdem autem ex pecuniæ censu legi, est inhonestum. *Rhodi pauper & diues æquè iudicat.*

8 Vsque eò prosperum est imperium, dum in eo vera consilia valent. Vbi gratia, timor, voluptas, auaritia illud corrupere, primùm imminuuntur illius opes; deinde etiam ipsummet imperium adimitur ac perit.

Remp. stabiliunt.

9 Imperium & consiliis fortibus, & præliis felicibus retinetur.

Tyranno bonum publicum quale?

10 In tyrannide ita bonum, malúmque publicum existimatur, vt eorum, qui dominantur, simultas, libido, & arrogantia fert.

Populus bellicosus.

11 Bellicoso populo quies diuturnior nocet: iusta tamen bella semper esse oportet, quæ suscipiantur.



FLORILEGIVM POLITICVM
EX TITI LIVII DECADIS PRIMÆ
LIBRO PRIMO

1 AGNORVM Imperiorum initia, quanquam sæpè fuerunt exigua, atque hominum iudicio ipsa ex sese contemptibilia, semper tamen aliquam extraordinariam, & peculiarem DEI de primis illorum imperiorum conditoribus, & generalem eiusdem DEI de genere ipso humano curam & prouidentiam ostendunt, certissimáque vtriusque testimonia continent. *Sic Romani Imperij initia & sordida & inperata, & generalis & peculiaris prouidentiæ Dei de genere humano argumenta habent.*

2 Florentium Imperiorum ruinis DEVS vtitur ad alia Imperia, & præsertim magna, in orbe excitanda; ac proinde hæc ferè nõ exoriuntur, quin illa priora ruant & euertantur. *Sic ex Troianorum Imperio euerso Deus multa alia ædificauit.*

3 Nulla fides regni sociis: itaque semper infida est duorum in eodem imperio eodem tempore Principum pax, & concordia. *Sic Romulus Remum fratrem occidit. Idem Romulus Tatium Sabinorum Regem.*

4 Rudes ac feroces populi priùs meliúsque religione, quàm legum metu cicurantur, & in mutuâ societate officióque suo continentur: verùm proximum est post religionem inter eos constitutam iura quoque & leges iisdem æquissimas scribere. *Sic Romulus primum sacra, deinde iura condidit collectæ à se multudini.*

5 Vt nouis Regibus veneratio, & augusta dignitas apud populos illi subditos, præsertim agrestes adhuc & feros, accedat, est Regibus aliquis externus decor ex vestitu satellitio, comitatu circumponendus, ac maximè qualis in vicinis aliisue regionibus & Regibus esse solet, quorum maiestas habetur sacrosancta. *Sic Romulus Apparitores, id est, 12. Lictores, sellam curulem, togam prætextam sumpsit ab Hetruscis.*

6 Quæ regni Metropolis in nouis Regnis & Imperiis designatur, est ampla condenda, & condita munitionibus firmanda: & ne illa vrbis amplitudo vana sit, adiiciẽda multitudo, vel ex victorum populorũ multitudine, vel proceribus in eam translatis: vel vicinis ad eandẽ ex multa benignitate, & priuilegiorum prærogatiuâ inuitatis. *Sic Romulus Romam auxit.*

7 Collectâ multitudine promiscuâ vt corpus illius confusum ordine inter se coalescat & cohæreat, viuátque tum inter se concors & tranquillum, tùm aduersus extraneos hostes tutum, est ex eâ illâ multitudine primùm Senatus deligendus, qui pacem domi tueatur: Deinde milites qui bellis vacent, describendi. *Sic Romulus & Senatum, & Centurias equitum conscripsit.*

8 Magna Imperia non nisi ex vicinorum ruinis primùm crescunt: quibus in suam potestatem subactis, aliorum populorum etiam remotiorum ruinæ sequuntur, & ab iisdem imperiis fiunt: Ac proinde & vicini remotiores populi debent coniunctis viribus emergenti illi potentiæ & futuro terrori maturè sese opponere. *Sic Roma creuit.*

9 Magna Imperia armis potiùs & bellis in vicinos, quàm pacis artibus & concordia cum vicinis firma & immota crescunt: Itaque illa solent maximè rei militari se suósque ciues addicere, eámque artem exercere. *Sic Romana res creuit.*

10 Vana est sine viribus ira. Itaque quantumuis iniuria sit imbecilliori populo facta, illa tamen ab imbecilliore est vel dissimulanda; vel demum vicinorum viribus adiunctis (vt pares esse possint potentiori) vlciscenda. *Sic Ceninenses ... à Romulo victi.*

11 Noui Reges & strenuum quidpiam præsertim in bello gerere debent, quo se nouis subditis commendent: & rerum à se strenuè gestarum magnificam laudem & monumenta relinquere. *Sic Romulus spolia ducis Ceninensium Ioui suspendit, & pro victoriâ partâ templum ædificat.*

Potentior populus vt vlciscendus.

12 Qui populi per se & singuli sint vicino hoste imbecilliores, pessime sibi consulunt, & exitum suum accersunt, dum singuli & seorsum aduersus eum bella suscipiunt & gerunt. Iidem autem coniuncti & collecti facilè eum vincunt. Itaque societas, & vnio illis omninò seruanda est, si modò salui esse velint. *Sic Antemnates, sic Crustumini, sic Ceninenses victi. Sic Latini à Tarquinio Prisco singuli domiti.*

Proditor patriæ puniendus.

13 Meritò proditor patriæ etiam ab hoste ipso, cui eam prodit, necatur. *Sic Tarpeia occisa à Sabinis.*

Pro victoria vota concepta.

14 In medio certamine, laborante acie, vota legitima Deo pro victoria concepta, posteà victore sunt Deo reddenda. *Sic Romulus Ioui statori templum ...*

Pax parta per fœminas.

15 Mulierum vtrique aciei notarum & dilectarum interuentu sæpè bella grauissima sopiuntur. *Sic Sabinæ conciliant Romanos & Sabinos.*

Legati sacrosancti.

16 Legati iure gentium sacrosancti. Itaque propter eos violatos iustè bellum suscipitur. *Sic Tatius occisus à Lauinatis.*

Vicini sese aduersus nos commouentes.

17 Celeriter vicinorum populorum contra nos motibus, incursibus, bellis, & iniuriis est occurrendum. *Sic Romulus Fidenatibus & Veiis.* Alioquin enim in contemptum apud eos adducimur, & illi audentiores fiunt. *Sic Tullus Sabinos præoccupat.*

Victi ne quiescant?

18 Victi populi vel in regiones nostras sunt transportandi & diuidendi: vel agri sui parte multandi: vel firmis coloniis in eos deductis continendi. His enim modis tribus fit maximè, ne illi facilè rebellare possint. *Sic Romani egerunt.*

Principum superbia.

19 Nouis & dominationis insolitis populis ac ferocibus, eorúmque præsertim proceribus, ferè intolerabilis est primorum Regum suorum fastus, superbia, & comitatus, si quem habent terribilem subditis. Itaque ab illis propterea occiduntur Reges. *Sic Romulus occisus ob trecentos armatos quos ad custodiam corporis, & formidinem populi sibi circumposuerat in pace & bello.*

Procerum superbia.

20 In nouo Regno seu Principatu caueant Proceres, ne plebem impotenti fastu, aut sæuitiâ, aut inhumanitate perterreant vexent, aut irritent. Facilè enim tunc seditiones, & quidem periculosissimæ, nascuntur. *Sic Senatus populo defert ius legendi Regem.*

Principum electio.

21 Regum electio fit Senatus & populi communibus suffragiis & consensu, inuocato Dei nomine. *Sic Reges Romani electi.*

Idem.

22 In Regno electiuo ij sunt siue ex indigenis, siue extraneis in reges eligendi, qui optimè ipsi regno prospicere possunt; ac proinde qui & pientissimi, & iustissimi inter omnes mortales audiunt. *Sic Numa, sic Ancus Marinus; sic Tarquinius Priscus electi Romæ.*

Pax diuturna quando?

23 Magnas victorias magna & diuturna pax sequi solet. *Sic 40. totos annos pax Romæ post Romulum bellatorem etiam mortuum.*

Populi feroces vt domandi?

24 Non est permittendum, in nouo præsertim Principatu: vt ciues seu subditi nimium diu armis & bellis assuescant, nam ferociores fiunt, ac proinde domantur, ac parent postea difficiliùs. *Sic Numa Romanos ab armorum tractatione reuocauit.*

Princeps bonus.

25 Est boni Principis religionem primum omnium constituere præsertim pace sibi ab hostibus pactâ. *Sic Numa.*

Princeps pius.

26 Regis pietas plurimum valet ad inserendam subditorum animis pietatem. *Sic Numa.*

Imperia magna vt quieta?

27 Magna imperia facilè nimio pacis otio labascunt; vel in mutuas seditiones excitantur, si hostis externus omnis abest. Itaque prudentes Principes curant vt iustæ bellorum causæ suis non desint, quas non cunctanter accipiunt. *Sic Ancus Martius post Numæ mortem.*

Bellum iustum.

28 Iustum est bellum, quod propter res nobis captas, repetitas, & nõ restitutas suscipitur. *Sic Romani aduersus Albanos.*

29 Cùm

Duella. 29 Cùm ſemper periculosè, tum verò ſæpè inutiliter ſumma rerum duorum vel plurium duello in bello committitur. Nam victi fidem non ſeruant: neque magnam propterea plagam accipiunt. *Sic Metius Suffetius non ſeruat fidem Tullo.*

Leges bonæ ſeruandæ. 30 Nemini, quantum egregio viro, licere debet impunè leges violare. Neque enim benefacta ſceleribus ſunt compenſanda. *Sic Horatius victor à Romanis damnatus.*

Stratagema. 31 Stratagema eſt, quæ in certamine à transfugis noſtris perfidè fiunt, ea dicere fieri noſtro iuſſu. *Sic Tullus Albanorum defectionem irritam fecit.*

Imperia magna vt quieta? 32 Æmula noſtro imperio vrbs diruenda vbi capta eſt: nec ſuperſtes relinquenda, vt tuti potentéſque viuamus. *Sic Alba diruta à Romanis.*

Bellum indicendum. 33 Bella ante res per iuſtos feciales ſeu legatos repetitas iuſtè non ſuſcipiantur. *Sic Romani repetere ſoliti.*

Bellum iuſtum. 34 Bella iuſta ex totius Senatus ſeu Reip. ordine decreto, non autem ex vnius Regis arbitratu ſuſcipiantur. *Sic Ancus Martius ſuſcipit.*

Populi feroces vt domandi? 35 Feroces populi carcerum & pœnarum ob ſcelera ſtatutarum metu domantur, & in officio continentur. *Sic Ancus carcerem extruxit Romæ.*

Ciuis aſcitus vt commendetur? 36 Peregrini potentes vt in alieno ſolo colantur, benigni ſint erga quoſuis, & comes ac præſertim erga Reges obſequioſi. *Sic Tarquinius Priſcus Romæ commendatus.*

Principi nouo auctoritatem conciliat. 37 Noui Principes quoſcunque nouis dignitatibus ornant, ſibi obligant, faciúntque eos ſuæ factionis. *Sic Tarquinius Priſcus centum legit in Patres, qui ipſi fauerunt.*

Idem. 38 Nouus peregrinus Princeps electus, vt ſibi auctoritatem conciliet, & imperij fines dilatet, & ornet principatum ſibi ab indigenis delatum.

Exercitus qualis eſſe debeat? 39 Pro ratione hoſtium, quibus cum aſſiduè nobis bellum eſt, vel equitatus, vel peditatus augendus eſt. Neque enim exercitus iuſto vtriuſque numero deſtitutus magnopere vtilis eſt. *Sic Tarquinius Priſcus centurias equitum auxit.*

Perterritis inſtandum. 40 Perterritis hoſtibus & victis inſtandum, neque eis conſulendi, aut ſeſe colligendi ſpatium dandum eſt. *Sic Tarquinius Priſcus Sabinos victos vrget.*

Principes eligi, qui debeant? 41 In Regnis electiuis prædeceſſorum Regum liberi præteriti ſolent ferè in alios electos Reges eſſe iniquiores, adeò vt facilè contra eos coniurent. *Sic Anci Martij filij in Tarquinium conſpirant.*

Idem. 42 In Regnis electiuis qui vnicus Regis gener eſt aut adoptatus ab eo, videtur iam quodammodo deſignatus ſucceſſor: in primis ſi idem iam prædeceſſore illo ſuo viuo, aut celatâ eius morte, munia Regis obibat. *Sic Seruius Tullius gener Tarquinij Priſci.*

Princip. nouo o concilia. 43 In nouo Principe inuidia Regni, quaſi præter ius occupati, facit omnia illi infida & infeſta, etiam inter ipſos eius domeſticos, qui ſic audit. Itaque tutiſſima eſt Regum ſecuritas, legitima adepti principatus ratio, & ex omnium conſenſu. *Sic Seruius Tullius Rex occiſus. Sic Tarquinius Superbus eiectus.*

Optima politia quæ. 44 Optima & ſaluberrima futuro imperio & augendo & conſeruando ratio, quâ pacis bellíque munia diuiduntur, & ab vnoquoque commodè ſubeuntur, ſenſus ſubditorum, i. e. cùm non viritim, ſed ex habitu pecuniarum, claſſes centuriæque ciuium deſcribuntur, & cuique pro ratione facultatum, munia illa & arma indicuntur. *Sic cenſum Romæ inſtituit Seruius Tullius.*

Regi. ambitio. 45 Initia turbandi magna imperia à fœminis primariis (velut Reginis) proteruis & ambitioſis ſæpè oriuntur; ac proinde illæ ſunt maturè vel cohibendæ, vel de imperio deponendæ, vt quietum ſit imperium & Reſp. *Sic Tullia filia Seruij Tulli turbat Remp. Romam.*

Tyran. guberna tio. 46 Eſt tyranni, Senatum qui antea conſuli cœperat, vel tollere, vel in conſultationibus prætermittere: domeſticis tantùm conſiliis Remp. adminiſtrare: bellum, pacem, fœdera, ſocietates per ſe vnum cum quibus velit, iniuſſu publici ordinum Senatus facere, ac dirimere, bonis multare diuites quoſuis etiam de nullâ re legitimè conuictos. *Sic Tarquinius Superbus egit.*

Imp. parta ſcelere. 47 Regna ſcelere parta, non diuturna. *Tarquinij Superbi regnum momentaneum.*

Peregr. præfecti ſumma rum. 48 Is peregrinus prodere alienam ciuitatem facilè poteſt & ſolet, cui ſumma aliqua poteſtas ab eâ ciuitate domi vel foris eſt demandata: velle autem prodere intelligitur, aut illius tyrannidê ipſe vſurpare, quum optimos quoſque illius ciues vel criminãdo vel vi tollit. *Sic Sextus filius Tarquinij Gabios prodidit.*

Proc læſi & ſenſi. 49 Inſignis iniuria à Rege vel Regiis liberis in vnum aliquem è Regni Proceribus populo gratum, & magnis neceſſitudinibus ſuffultum facta, ſæpè eius Regis eiiciendi occaſionem dedit. *Sic Tarquinius Superbus eiectus.*

Prin. adulter. 50 Adulteria Regum, regni amiſſione à Deo punita.



FLORILEGIVM POLITICVM
EX TITI LIVII DECADIS PRIMÆ
LIBRO SECVNDO.

Tyrannis. 1 Regvm inſolentia & tyrannis efficit, præſertim apud feroces & militares viros, vt Monarchia in Democratiam maximè mutetur. *Sic Romæ accidit.*

Nouus Reip. ſtatus. 2 Nouus ſtatus Reip. eſt iureiurando ab Ordinibus ſeueriſque pœnis in eos, qui illum euertere conantur, ſanciendus: quíque illi ſtatui fauent, promouendi in primis ac augendi. *Sic Brutus Romanos adigit ad iuſiurandum.*

Democratia & Ariſtocratia quibus præſertim diſpliceat? 3 Popularis ſtatus, item Ariſtocratia iis maximè diſplicet, qui Regio more viuere ſoliti erant, quibúſque licentia ex Regis veniâ facilè concedebatur. Itaque hi facilè aduerſus vtrunque illum ſtatum coniurant, ac proinde in Democratiâ vel Ariſtocratiâ primùm conſtitutâ debent eſſe ſuſpecti. *Sic adoleſcentes Romani eiectis Tarquiniis coniurant in Remp.*

Legati cõiurantes & molientes aliquid. 4 Legati, qui tempore, & prætextu legationis aliquid ſæuum in nos moliuntur, puniri quidem poſſunt: honeſtius tamen ad ſuos cum querimoniâ de eâ legatorum iniuriâ & conſilio remittuntur. *Sic Legati Tarquiniorum remiſſi.*

Principis expulſi bona. 5 Regis à ſubditis expulſi bona & reddi, & ex iuſtâ cauſâ retineri quoque poſſunt, vel plebi diripienda. *Sic Tarquinij Regis bona direpta Romæ.*

Cõiuratio detecta. 6 Iis, qui ſceleratas in patriam coniurationes verè detegunt, præmia conſtituenda. *Sic Vindicio, qui primam coniurationem detexit, datum præmium.*

Principis expulſi reductio. 7 Eorum auxiliorum & populorum, qui Tyrannos expulſos reducere conantur, impetus primus eſt quidem atrox, & violentus: ſed ſtatim efferueſcit & ebullit, vt non perſtent. Itaque modò is impetus primus frangatur, vel conſtanter ſuſtineatur, Tyrannus auxiliis illis deſtituitur. *Sic Veientes & Tarquinij ſtatim pro Tarquinio reducendo fatiſcunt. Item de Porſennâ.*

Noui magiſtrat. 8 Ne plebs veterem ſtatum, nouo repudiato, repetat, proſpiciendum eſt ac curandum iis, quo nouo illi magiſtratui præſunt; vt plebem tenuiorem multis oneribus ſubleuent, beneficiis deliniant; denique efficiant, vt ſe ſub hoc nouo ſtatu longè feliciorem ſentiat, quàm ſub priori. *Sic Romæ factum.*

Militis ro ca tu. 9 Inſperata & heroica vel vnius militis audacia ſæpè totum hoſtilem exercitum perterrefacit & ſiſtit. Is autem eſt præmio afficiendus. *Sic Horatius Cocles. Sic Mutius Scæuola.*

Hoſtes dones. 10 Prædatores hoſtes ſemel ſtrenuè cæſi, non ſunt in poſterum tam audaces, ſed in prædando timidiores. *Sic Hetruſci à Romanis cæſi.*

Miles ſ nuus e. 11 Et facere, & pati fortia, ſtrenui viri & ciuis, & militis eſt. *Liuius.*

Militi ſtrenu. 12 Quibus in regnis ſua virtuti vel bellicæ, vel domeſticæ ſunt præmia, illic multi in iiſdem illis artibus & virtutibus præclari exiſtere ſolent, etiam fœminæ. Honos enim alit artes, omnéſque incenduntur ad ſtudia præmio & gloriâ. *Sic Cocles, ſic Mutius, ſic Clœlia Romæ.*

Obſide. 13 Obſides fugientes reddendi. *Sic Clœlia reddita.*

Legati ſponſa dandæ. 14 Quæ reſponſa ſemel vel magnas controuerſias finire, vel bella excitare poſſunt, non ſunt ſtatim danda, quanquam poſſunt; ſed differenda, & per legatos, eóſque honoratiſſimos poſtea perferenda ad eos iam præparatos, quibus illa reſponſa danda ſunt. *Sic à Senatu Romani legati mittuntur ad Porſennam.*

Col. deficie vt tract dæ? 15 Coloniæ noſtræ deficientes grauiter à nobis puniendæ. *Sic Pometia à Romanis.*

Certa exulum. 16 Exulum pro patriâ recuperandâ certamen in prælio eſſe ſolet aſperrimum, ac proinde iis noſtrûm fortiſſimi opponendi. *Sic Romani exules vnà cum Tarquinio pugnant.*

Victi uiter c. 17 Grauiter antea cæſi à nobis populi haud facilè poſtea in ſocietatem

ſocietatem eorum qui bella aduerſus nos mouent, trahuntur. *Si Latini poſt cladem acceptam ad Regillum lacum.*

18 Beneficia à magnis imperiis accepta, etiam leuiora ſunt tamen ab iiſdem agnoſcenda apud minores populos, vt eos ſemper in obſequium paratos, & ſibi beneuolos habeant. *Sic Romani beneficium Latinorum compenſant.*

19 In Democratia ac Rep. potentiorum in tenuiorem plebem graues vſuræ ſeditionem vt plurimùm mouent, quæ non armis, ſed plebis ſubleuatione tollenda ac ſedanda eſt. *Sic Romæ Plebs ſeceſſit in montem ſacrum, & per Meneium Agrippam ſedata.*

20 In magnis Imperiis augendis tum Ducum, tum militum ipſorum celeritas & ſtrenuus & ardens in Remp. animus requiritur. Vtrique verò præmiis & laudibus propoſitis præſtitiſque ſunt etiam excitandi. *Sic Romanum imperium creuit.*

21 Bella externa ingruentia ſedant domeſticas ſeditiones, *Sic Romæ ſæpe ſæpius contigit.* Externus timor eſt magnum concordiæ vinculum. *Liuius.*

22 In Democratico aut Ariſtocratico ſtatu nimia paucorum potentia & opes ſunt plebi inuiſæ. Itaque vel hæc eſt ſubleuanda, vel illi remouendi. *Sic Romæ; ſic Athenis per oſtraciſmum.*

23 In quouis Reip. ſtatu eſt ſemper inopiæ annonæ publicæ cauendum, ne plebs ea laboret. Nam laborans facile ſeditionem mouet, eſtque intolerabilis. *Sic poſt creatos primùm Tribunos Romæ conſulitur plebi.*

24 In Democratia nemo in plebem iniurius diu toleratur. *Sic Coriolanus eiectus Roma.*

25 Qui iniuſta vel ambitioſa bella ſuſcipere cupiunt, exoletum veſtutate odium ſuorum in eos, quos aggredi volunt, technis & artibus reficiant & renouant. *Sic Accius Tullius Volſcos excitat.*

26 Potenti & ſtrenuo Duci hoſtium ad nos deficiendi, ſi quidem ſeriò, poteſt tutò poteſtas non tota, ſed aliqua committi: eſt enim infeſtior hoſti, à quo iniuria affectus eſt, quam nos ſimus; & in eo perſequendo animoſior. *Sic Coriolanus.*

27 Multa per mulieres commodiùs, quàm per viros geruntur ad tentandos primùm hoſtium animos. *Sic mater & coniux Coriolani.*

28 Stratagema eſt, ſi in communi obſidione hoſtis agrorum, aut ciuium aliquorum duntaxat parti parcat. Facilè enim inde ſeditio inter ciues mouetur. *Sic Coriolanus Romæ mouit ſeditionem.*

29 Qui à nobis ad hoſtes iniuria prouocatus defecit, reſque noſtras pernouit, eſt potiùs quàm quiuis alius hoſtis à nobis placandus, & ab hoſtibus auocandus. *Sic Romani ſtudent placare Coriolanum.*

30 In Democratico ſtatu ſemel Plebs delinita & ineſcata dulcedine opum alienarum vel agrorum diuidendorum, non facilè poſtea conquieſcit. Inde quoque perpetuæ ſeditiones propter agros ipſi diuidendos.

31 Exercitui odioſus Dux non præficiendus: ſeipſum enim & exercitum perdet. *Sic Fabius conſul datus malo Reipub. Sic Appius.*

32 Potiùs deeſt ars excellentibus ingeniis, quâ ciues regant tumultuantes, quam qua hoſtes ſuperent. *Liuius.*

33 Inter ſe committendi, qui ſubditorum animos ad ſeditionem impellunt & mouent. *Sic Tribuni plebis inter ſe à Senatu ſæpe commiſſi per interceſſiones ipſorum.*

34 Magna imperia diu durant, niſi ſeditione inteſtina laborent; verùm per eas ſtatim diſſoluuntur. *Hetruſcorum de Romanis ſententia.*

35 Milites, de quorum ad pugnandum voluntate dubitas, non priùs quàm ipſi certamen poſtulent, producendi ad pugnam, ſed in caſtris continendi. *Sic Romani Coſſ. cùm ſuis militibus non fiderent.*

36 Cùm ad gladios ventum eſt, pugna & Mars tunc eſt atrociſſimus. *Liuius.*

37 Irritatos militum in Ducem animos placat Ducis ipſius in eos humanitas, velut de ſauciis cura, & eorum egenorum ſubleuatio. *Sic Fabij Romæ facti populares.*

38 Ne optimates in Rep. aduerſus plebem tyrannicam poteſtatem vſurpent, magiſtratus ſuus plebi eſt dandus qui eam aduerſus optimatum iniuriam defendat. Tunc enim plebs quietior viuit. *Sic Tribuni plebis creati Romæ.*

39 In Rep. diuerſæ factiones, quæ non moueant ſeditionem, ſunt tolerandæ, quo ex his fiat temperatior Reip. ſtatus, & quoddam æquilibrium. *Sic Romæ Tribuni plebis Coſſ. & Senatui oppoſiti. Sic iidem tribuni poſtea aucti.*

40 Non permittat potentior populus vt ſocij abſque duce à ſe accepto bellum gerant. *Sic Conſul Latinis etiam non petentibus datus.*

41 Malo domanda poteſtas, quæ in Rep. ſeditionum auctor eſt. *Liuius.*

42 Parum tuta eſt ſine plebis viribus, & populi conſenſu maieſtas, aut publica dignitas. *Liuius.*

43 Aduerſus plebis temeritatem nunquam Proceres & Senatus ira certent, ſed comitate. *Senatus Romani ſententia & exemplum Quintij conſ. laudatum.*

44 Militaris Ducis, item cuiuſuis Principis vis tota in obedientium conſenſu ſita eſt. Itaque magnopere cauendum, ne dux ſuos milites omnes, aut Princeps omnes ſubditos irritet in ſeſe ſuâ ſæuitiâ. *Sic Centuriones & Tribuni Appio reſpondent.*
Principis dignitas & vis in quo ſit ſita.

45 Incendiis vicorum, prædationibus agrorum, & captiuorum multitudine hoſtis etiam inuitus vel ad certamen adducitur; vel in contemptum: vel metum ſuum prodit. *Sic Sabini à Valerio prouocati.*
Hoſtem ad prælium prouocat.

46 Iniquiſſima eſt pugna, cùm integri à feſſis excipiuntur: ac proinde curandum, vt priùs hoſtes etiam vanis terroribus, & pugnis fatigemus, dum ipſi integras corporis vires ad eos inuadendos ſeruamus. *Sic Quintius Volſcos vexauit.*
Certamen quod impar.

47 A victore nihil de diligentiâ in excubiis agendis, & caſtris cuſtodiendis remittendum eſt. *Sic Quintius Conſul victor Volſcorum egit.*
Excubiæ neglectæ

EX LIBRO TERTIO
PRIMÆ DECADIS
Titi Liuij.

1 ACriùs pugnant quibus nulla ſpes pacis cum hoſtibus, aut veniæ reliqua eſt. *Sic Æqui contra Romanos.*
Acrior pugna.

2 Hoſtem populationibus potiùs, quàm acie & pugnâ exercitatum vincere difficile eſt, niſi & vigeas, & vias ac itinera eius ſepias, caſtellis eum obſideas. *Sic Æqui victi à Romanis.*
Victoria.

3 Hoſti vndiquaque infeſtanti nos & agros noſtros, vndiquaque ſi occurras, quoque cum terreas ſin agere ſinas, confirmas. *Sic Æqui repulſi.*
Hoſtis terrendus.

4 Peſtis bello coniuncta, eſt grauiſſimum DEI iudicium: & de pace potiùs, quàm bello tunc cogitandum. *Sic Romæ Ebutio & Seruilio Coſſ.*
Peſtis.

5 Hoſti populanti non modò exercitus, qui pugnet, opponendus: verum etiam alter, qui populationes arceat. *Sic à Romanis aduerſus Volſcos ſæpe factum.*
Populationes arcendæ.

6 Quamdiu ſeditionibus vrbs aliqua agitatur, facilius eſt vnicuique improbo nouas in eam coniurationes excitare. *Sic Romæ.*
Seditionũ mala.

7 Quæ populo grata ſunt & commoda, vix illi eripias. Itaque vel concedenda, ſi cum iuſtitiâ, aut ſalute Reip. non pugnent: vel aliis beneficiis oblatis ea ſunt adimenda. Vi enim vix ab eâ auferas. *Sic Lex Terentilla de tribunis plebis augendis vt coſſ. poteſtas coërceretur.*
Populi amor eripi nõ poteſt.

8 Eſt bonorum ſociorum, ſociis laborantibus, etiam antequam vocentur, ſuccurrere. *Sic Tuſculani Romanis.*
Socij boni qui?

9 Leuius eſt & vanius, ſi ſua, quàm aliena decreta & conſulta tolli patiatur Senatus. *Quintij ſententia.*
Reip. decreta.

10 In diſcrimine ſaltem Reip. bello laborantis, optimi & ſtrenuiſſimi quique, virtutis, non opum habitâ ratione, in Duces ſunt eligendi. *Sic L. Quintius Cincinnatus electus à Romanis dictator.*
Duces præficiendi qui?

11 In bello præſertim ex puncto temporis ſæpè maximarum rerum momenta, auertuntur & pereunt. Itaque celeritate opus eſt. *Cincinnati dictum.*
Celeritas in bello maximè prodeſt.

12 Leges in Democratiis ex totius ciuitatis conſenſu, non ex vnius arbitrio feruntur. *Sic leges 12. tabularum latæ.*
Leges Democraticæ

13 Nullus eſt tam gratus populo Magiſtratus, quin eidem inuidioſus & exoſus fiat, vbi ſæuitiam aduerſus plebem exercet. *Sic decem viri Romæ odioſi.*
Magiſtratus ſit exoſus.

14 In ſtatu Democratico paucis etiam priùs bonis nimis continuatum ſummum imperium facilè in Regnum vel crudelem Oligarchiam delabitur, quod poſtea vix diſſoluitur. *Sic Romæ decemuiri ὀλιγαρχίαν ad tempus inducunt.*
Democratia.

15 Belli tempore repeti ſolitæ libertatis iura antea oppreſſa faciliùs & poſſunt & ſolent. *Vox Pop. Romani.*
Libertas repetitur.

16 Nullum eſt tantum imperium, quod iniuſtè vſurpatum, vel exercitum, tandem non frangatur vi. *Sic Appij Claudij decemuiri fracta poteſtas.*
Imperium magnum euertitur.

17 Superbiam & crudelitatem etſi feræ, non leues tamen ſequi ſolent pœnæ. *Liuius.*
Vitia puniuntur.

18 Hoc curandum maximè, vt victi hoſtes caſtris quoque ſtatim exuantur, & impedimentis ſuis ſpolientur, vt plena ſit victoria, illique victi animum deſpondeant. *Sic Romani.*
Victi premendi.

19 In Democratico ſtatu ſuperba aut iniqua Magiſtratuum reſponſio dat occaſionem, vt populi auctoritas in maius augeatur, & ad eum tunc prouocatur. *Sic primum triumphus in Algido monte decretus à populo Valerio.*
Democratia.

20 Vbi à iunioribus nobilibus fiunt plebi iniuriæ, facilè ſeditiones commouentur: aut æquari plebem nobilibus cogunt. *Sic Romæ.*
Seditio.

21 Difficilis eſt moderatio in tuenda libertate. Nam dum vnuſquiſque ordo cauet ne alium metuat, metuendum ſe vltrò ipſe efficit: & ita ſe quiſque extollit, vt deprimat alium. Inde ſeditionum magna origo & ſeges in Democratico præſertim ſtatu: ac proinde à communibus arbitris ex vtraque parte delectis tota contentio ſopienda eſt. *Liuius.*
Libertas & ſeditio

22 Opt

Duces præ-ferendi qui?
22 Optimum est, vt in exercitu ei Duci deferatur plurimùm, qui non modò ipse strenuus est, verùm etiam gratior omnibus militibus. *Sic Agrippa cedit Quintio.*

Populus iudex.
23 Populus iudex potiùs suæ vtilitatis quàm publicæ honestatis rationem habet, idque constituit quod sibi vtile est, si modò vel tantillum probabili causa nitatur. Itaque populi iudicium non temerè à sociis in huiusmodi controuersiis est subeundum. *Sic Pop. Rom. agrum inter Ardeates & Aricinos controuersum sibi adiudicauit.*

EX LIBRO QVARTO
DECADIS PRIMÆ
TITI LIVII.

Seditio nascitur.
1 QVibus in locis aut Rebuspub. maximum est seditionum præmium; illic nunquam seditiones sunt defuturæ. Nam cuius rei præmium est, ea maximè crescit. *Consulum dictum.*

Paci bellum præferendum.
2 Vel infelix bellum paci, quæ seditionem domi mouet, præferendum. *Senatus Romani sententia.*

Concordia ordinum.
3 Vt firma inter ordines Reip. concordia stet: illi eas leges condere debent, per quas ordines maritari, & inter se contrahere coniugia possint. Hoc enim modo maximè coalescit Resp. Alioquin alij ab aliis sperni prorsus videntur; estque ea res magnarum seditionum causa. *Lex De maritandis ordinibus lata Rom.*

Reip. vtilitas noua.
4 In Reip. administratione, quæ nondum facta sunt, fieri, & induci possunt, si modò sunt vtilia. Neque enim insolitum quid, si vtile, repudiandum. *In oratione Canuley.*

Ordo vnus potentior in rep.
5 Nimia vnius ordinis Reip. in sua dignitate sibi retinenda, nullique alij communicanda obstinatio, magnas sæpe, easque inutiles, & ipsimet illi ordini funestas contentiones parit. *Sic de non maritandis ordinibus: & de altero consule ex plebe creando leges frustra à Senatu impeditæ.*

Concordia ordinum.
6 Vt firma inter ordines Reip. stet concordia, licere debet ex ordine inferiori in superiorem virtutis ergo conscendere, vt spem eorundem præmiorum, quotiescunque meruerint, consequendorum, viamque liberam inferiores ordines habeant. *Sic sancitum vt etiam ex plebe consules fierent.*

Plebis ingenium.
7 Sæpè plebs potiùs ipso iure & honore sibi concessæ potestatis contenta est, quam illius vsu, nimirum ne à potentioribus videatur spreta, si ius illi negetur. *Sic electi Tribuni Militum ex solis patribus à plebe Romana. Idem repetitur lib. 6. in Manlij Capitolini oratione.*

Censura sit in Rep.
8 Censorum, qui in singulorum censum, mores, & vitam liberè, & sincerè tamen inquirant, potestas in quauis Rep. bene instituta est necessaria. *Sic electi Romæ.*

Factiones nascuntur.
9 Factiones in Rep. sunt pluribus populis exitio, cùm bella externa, & fames sæpe ex leuibus causis magnas seditiones excitant. *Sic Ardea.*

Obsidio.
10 Obsidio absque parato commeatu non tentanda, aut suscipienda. *Sic Volscij ad Ardeam victi.*

Plebis ingenium.
11 Quæ primùm vix à plebe impetres, temporis successu planè ab eadem, & quidem lubente obtinebis. *Sic redditi Ardeatibus agri à plebe Rom. intercepti.*

Agri ne deserantur.
12 Agri ne deserantur, est à magistratibus prospiciendum, ac proinde ne rustica Plebs sæpiùs per vllam occasionem in vrbem vocetur, aut in ea retineatur, fames enim statim sequitur. *Sic Romæ Geganio & Menenio Coss.*

Democratia.
13 In Democratico statu non tolerandus qui Plebis animum priuatis largitionibus, quæ ex publico fieri debent, delinit, & sibi sic conciliat, vt ex eo vno plebs in omnibus velut ex Rege pendeat. *Sic Spur. Melius Romæ occisus.*

Bellũ implacabile.
14 Qui bellum implacabile suscipere volunt, totum populum aliquo horribili aduersus eum, quem bello aggredi cupiunt, facinore priùs implicant, ne spes vlla pacis cum eodem postea concipiatur. *Sic Tolumnius Fidenates implicuit.*

In bellis summa potestas constituenda.
15 In summo belli discrimine summa potestate, eaq; extraordinaria, quę omnibus rebus cum imperio summo prospiciat, opus est. *Sic in difficillimis bellis Dictator à Romanis creatus.*

Seditio in Democratia.
16 In Democratico populi statu vsquequo Magistratus omnes populo subiiciantur, & communicentur, nulla quietis spes. Vbi iidem Plebi subditi fuerint, summa quies. *Sic Romæ T. Quintio & Cn. Iulio Coss.*

Certamen nocturnũ.
17 In nocturnis tumultibus paruus equitum vsus est. Est enim ea turba moderatu difficilis in tenebris. *Sic A. Posthumius dictator sensit.*

Hostem terret.
18 Magna hostibus trepidatio iniicitur, si quum castra nostra veniunt oppugnatum, ipsorum & castra expugnatum mittamus. *Sic A. Posthumius dictator.*

Religiones obrepunt.
19 Pestis, aut fames, aut bellum, aut quæuis alia diuturna & publica calamitas, vt plurimum prætextus affert, vt multiplex religio & externa tunc inuadat Remp. ac conualescat. Itaque tunc temporis ne qua inducatur veræ religionis corruptela, maximè cauendum est à magistratu. *Sic L. Sergio & Q. Seruilio Coss.*

Bellum [...]
20 Bellum vt sit iustum, per feciales semper denuntiandũ; res repetendæ, & nostræ apud hostes iniurios querimoniæ exponendæ. *Sic Romani etiam aduersus Veientes, cum quibus induciarum dies exierat.*

In bellis summa potestas constituenda.
21 Complurium imperium est bello inutile. Nam tendendo ad sua quisque consilia, dum aliud alij videtur, aperiunt ad occasionem locum hosti. *Liuius.*

Post cladem acceptam animos erigere officium [...]
22 Est boni Magistratus, suorum animos ob cladem acceptam deiectos, publicis edictis & scriptis in bonam spem erigere. *Sic Mamercus Æmilius.*

Hostem terret.
23 Nouum genus armorum & inauditum non modò terret hostes, sed etiam ferè primùm victoriam affert. *Si Fidenis.*

Spes vtilitatis.
24 Eò facilè impeditur labor, & periculum, vnde emolumentum, atque honos speratur. *Liuius.*

Vicini diu bello exercet.
25 Quò diutiùs vicinos bello exercueris, eò formidolosiores hostes habebis. *Sic Volsci exerciti à Romanis.*

Victoria paratur.
26 Magnam in pugna victoriæ occasionem præbet, si equites ex equis desilientes in hostium pedites pugnent, & equitum hostilium equos confodiant. *Sic in pugna aduersus Volscos C. Sempronio Cos. egit.*

Bellum rectè geritur?
27 Bella illic fortiter & constanter administrantur, vbi ab Imperatore exercitus cladis acceptæ, vel victoriæ non relatæ ratio senatui vel populo reddenda est. *Sic Romæ [...].*

Priuilegia quæ [...] toleranda.
28 Nemo ciuis vnus tanti esse Reip. debet, vt parcendo vni, malum publicum oriatur, vel inultum reliquatur. *C. Semprony dictum*

Coniuratio seruorum.
29 Seruorum seu Mancipiorum conditio durior eos ad coniuratidum aduersus dominos, vel Remp ipsam compellit. *Sic Romæ anno 336. Sic Senatus bellum postea ortum.*

In bellis summa potestas constituenda. Ex victoria negligentia.
30 Ducum in bello discordia inter se est magnarum cladiũ causa. *Sic Romani funduntur ab Æquis, ob discordiam L. Sergij.*

31 Ex magnis multisque victoriis in exercitu negligentia quæ (ni corrigatur, tandem exitialis est) oboriri solet. *Sic Æqui & Volsci fusi a Q. Seruilio dictatore.*

Magistratuũ nimia auctoritas. Plebs iritata.
32 Optima dissoluendæ Magistratuum nimiæ authoritatis ratio, si inter se cõmittantur. *Sic Tribunorum pleb. intercessio fuit.*

33 Irritati plebis animi à potentioribus sunt ab iisdem beneficiis deliniendi, non vi cogendi. *Sic Senatus sæpe Romæ egit.*

Belli necessitas.
34 Belli necessitates non expectant diutiùs humanum consilium: ac proinde primo quoque tempore est illis prospiciendum. *Seruilius Hala.*

Vrbe capta quid agendum.
35 Vrbe capta, si à victore pronuntiatur, ne quis præter armatos, violetur, facilè ea res reliquos oppidanos exarmat, & à propugnaculis discedere compellit. *Sic Auxure capto factum à Fabio.*

Militum stipendia.
36 Stipendium militum ex publico solui debet: ac proinde vel ex agris publicis, quibus vectigal indicetur: vel ex tributo singulis pro ratione census bona fide imposito. *Sic Romæ factum.*

EX LIBRO QVINTO
DECADIS PRIMÆ
TITI LIVII.

Magistratus annui.
1 PRopter tædia annuæ factionis & creationis Magistratuũ, perpetui Magistratus sunt creati, isque primus fuit ad tyrannidem constituendam gradus. *Sic Veij Regem eligunt.*

Militia continuata.
2 Continuata etiam sub hyeme militia, & hostem terret, & nostros magis militares facit. *Sic Romani hyemare cœperunt in tabernaculis.*

Magistratus mali.
3 Improbi ciues sunt, itemque Magistratus, qui aliquid ægri in Rep. semper esse volunt, ad cuius curationem adhibeantur. *Appius Claudius in oratione.*

Cõcordia.
4 Vbi perpetua concordia, ibi crescit imperium. *Ibid.*

Bellũ dignitate gerendũ.
5 Aut bellum à Rep. non suscipiendum; aut pro dignitate gerendum: alioquin in contemptum apud hostes adducitur. *In oratione Claudij Appij.*

In cladibus voluntarij gratuiti.
6 In cladibus & periculis belli extraordinariis, non modò necessarium est, verùm etiam grauissimum voluntariorum ciuium suis stipendiis mereri volentium studium & exercitus. *Sic Romæ ad Veios vrbem obsidendam.* Est igitur omnium bonorum ciuium, tunc suam operam gratuitò Reipubl. polliceri & offerre.

Vrbes præsidiariæ intercipiuntur.
7 Cauendum ne præsidiariæ vrbes vel vacationibus militi præsidiario concessis, tandem absque iusto præsidio deserantur: vel ne commerciorum & mercandi prætextu intercipiantur. *Sic Auxur à Volscis interceptum.*

Ducũ exercitus contentio.
8 Ducum in exercitu discordiæ penitus eum perdunt. *Sic in Veiorum obsidione inter Sergium & Virginium.*

Discordia. Militum stipendia.
9 Dissoluendi exercitus, & magnarum in eo rixarum causa vel vna hæc est, si militibus æra aut stipendia non persoluantur. *Sic in obsidione Veiorum.*

Vicini iuuandi.
10 Vicini populi auxilio iuuandi priùs quàm à potentioribus opprimantur. Nam iis oppressis, postea facilè ij ipsi in prædam cedunt, qui illos adiuuare neglexerunt. *Sic Hetrusci neglecti Veiis.*

11 Cùm

Discordia exercitu datur.

11 Cùm est in exercitu ob ducem rerum perturbatio, mutato Imperatore, & alio in eius locum suffecto viro strenuo, omnia quoque in melius mutantur. *Sic Furius Camillus in castris Romanorum omnia restituit.*

In bellis consilium.

12 Bonus euentus, ac felix ferè virtutem bonaque consilia sequitur: ac proinde nihil, præsertim in bellis temerè & sine iusto consilio inceptandum. *Liuius de Furio Com. ...*

Cuniculorum vsus in bello.

13 Cuniculorum magnus in obsidionibus vrbium vsus. *Sic Veij capti.*

Vrbs capienda quæ?

14 Est prudentis Ducis exercitus de eâ vrbe, quam se statim capturum putat, supremi Magistratus sententiam sciscitari, & sequi. *Sic Camillus fecit.*

Obsidiones ... præda ...

15 In longis & molestis, & diuturnis obsidionibus est præda captæ vrbis militibus danda. *Sic Veijs captis præda data.*

Metropolis in vnoquoque regno vna tantum.

16 In vnoquoque Regno aut Rep. vnam duntaxat metropolim, non autem plures esse oportet, cuius iura non minantur. Facit enim ea res reliquum regni corpus inter se coadunatum & consentiens. Plures verò metropoles illud antea vnitum diuidunt in factiones. *Sic Secessus Roman. obstat ne Veij & Roma æquentur.*

Præda militi promissa.

17 Magnam inuidiam consiliat sibi dux belli, qui prædam militi iam promissam minuit, etiam religiosi voti specie & prætextu. *Sic Camillus.*

Deditionis ... causa.

18 Æquitas, iustitia sinceritasque nostra, hosti nota, & patefacta, sæpe eum ad nos volentem pertrahit, & permouet vt se nobis dedat. *Sic Falisci se dedunt Camillo.*

Iura belli.

19 Truculenta est fera, non homo, qui in bellis nulla esse belli, vti pacis, iura censet: sed quiduis tum licere iudicat, neque ea iura sanctè seruat. *Sic respondit Camillus.*

... retinendi.

20 Non semper boni viri strenuique milites in Rep. retinendi; sed tunc maximè, cùm graue aliquod bellum magnaque calamitas impendet Reip. *Sic intempestiuè eiectus Roma Camillus.*

Homines cur irruant in alienas regiones?

21 Vel indigenarum inter se seditio, vel terræ alienæ dulcedo, vel ipsorum peregrinorum multitudo nimia solet eos in alienas regiones pellicere, & inuitare. *Sic Galli in Italiam transeunt ...*

Barbari irruentes leniendi.

22 Barbarorum in nostras regiones irruentium animi leniendi potiùs vt discedant, & aliò sese recipiant quàm armis irritandi. *Sic peccatum à Romanis legatis ad Gallos.*

Legatus in acie non ... dimicare.

23 Legatus Iuris gentium seu Ambassiator in acie dimicare non debet armatus. *Sic peccatum à Legatis Romanis contra Gallos: & l. b. 6.*

Cladium ...

24 Magnas iniurias ab aliquo populo factas magnæ calamitates eiusdem sequi solent. *Sic Romani iniurij in Gallos ab iis fœde victi captique.*

25 Magnas calamitates sequuturas solet magna magistratuum imprudentia vel negligentia, etiam præter solitum, antecedere. *Sic Romanis victis à Gallis accidit.*

26 Non debet nostrorum quantumuis nobilium, aut gratiosorum populo, fauor obstare, quò minus ab iis iniuriæ vicinis vel barbaris gentibus factæ, de quibus conquestum illæ venerunt, resarciantur: alioquin iniustum bellum à nobis suscipitur; cuius est tandem tristissimus euentus. *Sic Romani ob legatorum qui Gallos violarant nobilitatem, iniurias ab iis factas non sunt in iis ipsis vlti.*

Bella absque Dei inuocatione suscepta.

27 Bella absque Dei inuocatione suscepta ferè sunt infelicia. *Sic pugna ad Alliam fluuium.*

Obsidio vrgenda.

28 Obsidio eius vrbis, quam citò capere velis, & vrgenda, & premenda: curandumque ne obsidentibus annona deficiat. Remissio enim aut negligentia obsidentium reddit obsidionem tandem inutilem. *Sic malè à Gallis obsessum Capitolium.*

In rebus desperatis dux strenuus.

29 In rebus deploratis si quis Dux strenuus noster nobisque notus auxilium ex insperato adueniat, perinde atque ex ipso cœlo demissus nobis diuinitùs creditur: nostrosque animos planè confirmat, & fortes reddit, & in spem erigit. Itaque in magnis periculis Reip. talem quempiam apparere ex bonis proceribus oportet, vt sit eius immortale nomen. *Sic Camillus desperatis Romanis auxilium ferens.*

EX LIBRO SEXTO
DECADIS PRIMÆ
Tit. Liuij.

Defectio sociorum quando?

1 Magnas Reip. clades insequi solet sociorum defectio; & vicinorum in afflictam Remp. coniuratio, præsertim qui priùs ab eâ læsi fuerant. *Sic Hetrusci, sic Hernici in Romanos post pugnam Alliensem insurgunt.*

Præda prima allicit.

2 Prima in bello ex hostibus præda militibus data, maximè eos in reliquum bellum acuit & animat. *Sic Camillus Volscorum prædam dedit militibus.*

Victorem adiri quando tutum?

3 Victorem hostem inuadere ipso victoriæ die (quòd ferè soleat esse negligentior aut dissolutior) vt plurimùm tutum fuit, *sic Camillus Hetruscos sutrinorum victores vicit.*

Vrbs reædificanda faciliè.

4 Ad vrbem priùs incendio consumptam citò reædificandam, debet Resp. ædificantibus materiam gratis vel minimo pretio concedere: eosdemque priuilegiis & prærogatiuis donare, vel in perpetuum, vel ad tempus. *sic Roma à Gallis exusta reædificata.*

Obsidio dura.

5 In obsidionibus ad obsessos fatigandos multum prodest obsidenti Duci suos omnes in certas partes, easque plures diuidere, quæ certis horis sibi vicissim succedant in continuanda die noctuque oppugnatione. *sic Cortenebra capta.*

Prudentia in bello.

6 In bellis vti nihil timendum quod sit nimium, ita neque contemnendum. *Camillus.*

Bella plura simul suscepta.

7 Vbi plura bella simul Reip. ingruunt plures quoque duces eligendi, quò faciliùs singula administrentur. Sunt autem singulis singuli cum æquali imperio præficiendi.

Defectio sociorum periculosa quando?

8 Vbi in exercitu ex communibus & pluribus sociis collecto pars vna vel ad hostem deficit, vel alios socios deserit, tum facilis est hosti de reliquis victoria. *sic Camillus vicit Volscos Antiatibus deficientibus.*

Reip. securitas rebus omnibus præferenda.

9 Etiam post victoriam partam securitatis Reip. quàm vindictæ ratio potiùs est habenda. *sic excidio Antij auxilium Sutrij prælatum à Camillo.*

Socijs subueniendum quibus maximè?

10 Fidis sociis præsertim ad claustra nostræ regionis hosti obiectis, maturè à nobis totisque viribus succurrendum. *sic senatus Nepesinis & Sutrinis aduersus Hetruscos tulit auxilium.*

In Aristocratia simultas duorum potentum.

11 In Aristocatico vel Democratico statu inter duos summos viros, & cæteris eminentes, aperta & irreconciliabilis simultas, vel inuidia est periculosissima; & sæpe totam Remp. euertit. *sic inter ... Capitolinum, Camillum in ... da.*

In Aristocratia quid noceat?

12 In Aristocratia vel Democratia vnus quispiam in honoribus nimiùm diu continuatus, cæteris Proceribus est inuidiosus, & insidiis vel criminationibus appetitur vel tollitur. *sic C... Camillus a Capitolino.*

Imperia pereunt etiam præclara.

13 Olim fuerunt numerosissimæ nationes, quæ nunc vix Seminarium sobolis habent. *sic olim Volsci & Æqui. ...*

Vsuræ.

14 Vsuræ coërcendæ, certaque mensura, quæ non sit grauis plebi, definiendæ. Alioquin seditio facilè ex earum immoderatâ exactione oritur. *sic Roma A. Cornelio Cosso dictatore, T. Quincto Magistro equitum.*

Principum auctoritas populi consensu & viribus nititur.

15 Principes & Magistratus in populo regendo, imperioque tuendo sese consensu hominum subditorum, & Dei auctoritate niti intelligant potiùs quàm viribus propriis. Nam vbi populus vires suas semel agnoscit & æstimat, facilè Reges deiicit, & depellit. *In oratione Manlij Capitolini.*

Tyrannis euertitur facillimè.

16 Si vel semel apud se populus decreuit, ne tyrannicè regatur, & vt tyrannidem à suis ceruicibus depellat & decutiat, penè iam tyrannidis victor est. Magna enim populi aduersus Tyrannum victoriæ pars est, Nolle amplius Tyrannidem pati. *In oratione Manlij Capitolini.*

Plebis ingenium mutabile.

17 Vulgi mobile ingenium. Itaque facilè subuerti apud eum possunt qui plurimùm antea valuerunt, præsertim si à Proceribus populo fauentibus & gratiosis apud ipsum in ... populum accusentur. *sic Manlius Capitolinus ...*

Plebis ingenium.

18 Plebis ea natura est, vt libertatis & honoris potiùs nomine & iure concesso gaudeat, quam vsu ipso. Itaque etiam quos honores ipsa vel plebij homines gerere possent, facilè suis suffragiis Proceribus & nobilioribus, aliisque ordinibus maioribus concedat & defert. *Sic Tribuni militum creati penè semper ex pa...*

Imperia magna magnis exercitibus egent.

19 In magnis imperiis plures exercitus esse oportet, vt qui in diuersis regni finibus bellum gerant; vel qui ad gerendum, si suboriatur, sint parati. *sic Romani semper plures habuerunt.*

Bella iussu ordinum decreto.

20 Bella vel non absque populi consensu sunt ab Ordinibus decernenda: vel ex ipso populi scito sunt indicenda, quò & iustè & maiori animo gerantur. *sic Roma auctoribus patribus plebs decernebat bellum.*

Exercitus veteranus.

21 Minor exercitus maiori, præsertim veterano & exercitato & victori, non temerè ad pugnam obiiciendus. *sic peccatum à L. Furio: sic rectè consultum à M. Camillo contra Volscos.*

Princeps irritatus placatur.

22 Magna subditorum, sociorum rebellium & pœnas meritorum, ad placandos Principes suos, ratio & via, si statim pœniteant, & armato Principum suorum exercitui in se venienti nihil, nisi pacis & beneuolentiæ signa & effecta ostendant. *Sic Tusculani pac... Roma ... impetrauerunt.*

Seditiones mala.

23 Seditiones domi continuæ vicinos nostros alioqui quieturos ad bellum nobis inferendum incitant. *Sic Romæ.*

Vrbs muta... vt capi possit.

24 Vbi majus oppidum primo impetu capi non potest, est circumducendum circa oppida vicina & minora bellum, vt illis priùs captis, hoc postea capiatur. *Sic Præneste capta.*

Concordia in Democratia.

25 In populari statu seu Democratico omnes honores populo communicari oportet, priusquam inter ordines pax firma esse aut durare possit. *Sic Consulatus Romæ tandem plebi is communicatus.*

Seditionis causæ.

26 Hæc tria maximè in Repub. contentiones mouent, Agrorum nempe, Pecuniarum, & Honorum publicorum vel ademptio, vel discrimen, vel contentio, quæ fit inter ordines.

Sic à C. Licinio Stolone, & L. Sextio T. Pl. commota per quinquennium Roma.

Factio tollitur.

27 Plurimùm ad infringendas factionis nobis in Repub. aduersæ vires prodest, quempiam ex ea aduersa factione habebere nobis fauentem, & suis contrarium. *Sic Ambustus patricius præcipua causa fuit ut ex Plebeiis alter Coss. fieret.*

Plebs lucri quàm honoris cupidior.

28 Plebs ad eas leges, quæ ad ipsius lucrum, & subleuationem bonorum pertinent tutandas potiùs animatur, quàm ad eas, quæ ad solum honorem spectant, cúmque illi tribuunt. *Sic Romæ de Fœnore leges & Agraria potius audita, quàm de communicando consulatu aut aliis dignitatibus.*

Plebs à proceribus est placanda.

29 Præstat proceres de suo iure aliquid remittere, vel tolerabilibus conditionibus cum plebe pacisci de honorum modo, quàm eorum causa perpetuum cum ea dissidium facere. *Sic Consulatus concessus plebi accepto vno prætore & ædilibus Curulibus.*

EX LIBRO SEPTIMO
DECADIS PRIMÆ
TITI LIVII.

Liberi vt tractandi.

1 IN Repub. bene instituta ne liceat parentibus liberos suos, aut qui ex iis minus prosperi erunt aut sciti, ablegare, durè tractare, aut propterea exhæredare. *Sic damnatus Manlius imperiosus.*

Bellum sociale difficilimum.

2 Certamen & bellum aduersus socios eâdem militiæ disciplinâ & armorum genere vtentes quo nos, longè difficilius solet esse, quam aduersus extraneos: ac proinde aut rarò, aut nunquam illi hostes habendi. *Sic bella cum Hernicis & Latinis fuêre Romanis difficiliora.*

Imperia vt fiant & conseruentur.

3 Imperia nunquam ex paruis magna fiunt absque variis, continuis, periculosisque tum cum populis vicinis, tum cum remotioribus, certaminibus, præliis, & bellis. *Sic res Romana creuit.*

Stratagema in equitibus augendis.

4 Sæpe profuit equitum numerum vel fallaci specie augere, agasonibus armatis & in equos impositis, quo terror hostibus addatur, vel dimicationi numerus iste superueniens hostes pauefaciat, quasi nouarum virium accessio esset. *Sic C. Sulpitius dictator contra Gallos pugnaturus fecit.*

Socii deficientes.

5 Socij deficientes quàmprimùm vel armis, vel æquis conditionibus retrahendi, ne exemplo suo cæteros ad deficiendum moueant. *Sic Romani semper studuerunt.*

Coloniæ deficientes.

6 Coloniæ à nobis conditæ deficientes, sunt grauissimè puniendæ, vt cæteris terror iniiciatur. *Sic Romani suas puniuerunt.*

Crudelitas in bello.

7 Nimiâ sæuitiâ non irritandus hostis, præsertim potentior; eandem enim postea in nostros rependit. *Sic Romani Tarquiniensibus sæuitiam immolatorum in suo foro Romanorum reposuerunt.*

Resp. beneuolos sibi agnoscat.

8 Qui nobis afflictis succurrerunt, aut auxilio refugióque fuerunt, benignè semper tractandi, & facilè ad pacem & fœdus, etiam si postea hostes fiant admittendi. *Sic Caritis facilè pax data à populo Romano.*

Seditionũ causa nouæ tabulæ.

9 Nouarum tabularum promissio, aut debiti condonatio, cùm fidem publicam, & Iuris gentium contractus tollit; tum etiam potentiorum animos in tenuiores concitat: ac proinde nunquam hæc ratio fœnoris dissoluendi ineunda: sed potiùs vt de publico respub. pro tenuioribus soluat vsuris in sortem imputatis *Sic Romæ factum à quinqueuiris Mensariis.*

Certãdum vbi?

10 Aut nunquam, aut rarò hostis in colle & de superiore loco pugnans, est inuadendus. Nam qui in eum locum subeunt, facilè & lassantur, & vincuntur. *Sic Galli victi à Potilio.*

Victoria paratur.

11 Magna victoriæ obtinendæ ratio est, si hostem, qui solùm ex rapinâ, non commeatu viuit, prædari, stationibus dispositis, prohibeas: cum eo verò ne confligas. *Sic L. Furius Cai. Filius egit.*

In societatem allicit.

12 Multùm ad vicinos potentiores in nostri belli societatem pertrahendos prodest vtilitatis, securitatis, & magnitudinis imperij, quæ ad eos inde ventura est, perspicua demonstratio. *Sic Campani agunt apud senatum Romanum.*

Idem.

13 Quos impellere ad nos defendendos oblatâ iisdem societate non potuimus, nostri deditione factâ ad nos tuendos penè cogimus. *Sic Campani se dedunt Romanis.*

Idem.

14 Vt noui commodioresque socij asciscantur, nunquam veteres socij perfidè vel violandi, vel relinquendi. Nam ea noua societas tandem malè cedit. *Sic perfidè agunt Romani, dum Samnites socios deserunt propter Campanos, & inde grauissima bella nata.*

Milites strenui sub quo duce?

15 Acerrimè sub eo duce pugnant milites, quem habent charum. *Sic Romani sub Valerio Coruino.*

In certamine coniuncti maneant milites.

16 Qui à conflictu se in aliquem locũ subducunt, ex quacunque causâ, sæpe se in graue periculum coniiciunt, quòd à reliqui exercitus corpore se separent, & hosti valentiori pateant. *Sic P. Decius colle occupato penè seipsum perdidit.*

Obsessis salus quæ?

17 Circumsessis & obsessis vna salus nullam sperare salutem. Nam desperatio vires & animum addit. *Sic P. Decius.*

Noctis mora ...

18 Cùm nox eruptioni opportunissima in bellis: tum verò noctis secunda vigilia. *P. Decius.*

Hostis territus.

19 Pauenti hosti ex quacunque causâ & perterrito instandum. *P. Decius.*

Milites strenuis bonos præmia.

20 Strenuis ducibus, item & militibus, per quos vel victoria parta est, vel seruatus exercitus, præmia danda ad cæteros excitandos. *Sic P. Decio & eius militibus data.*

Certãdum obstinatè.

21 Aduersus obstinatum hostem est obstinatè & totis viribus iunctis pugnandum. *Sic Romani aduersus Samnites.*

quando Concordia exercitu...

22 Vt pax inter milites sit, est præda sincerè ab vnis, dum alij pugnant, seruanda, & postea iustè diuidenda. *Sic M. Valerius Castris Samnitum captis.*

Castra hostium.

23 Tunc optima hostilium castrorum inuadendorum opportunitas est, cùm illi securè frumentatum, & prædatum ierunt, & magno numero. *Sic M. Valerius.*

Peregrini allicium in nostram regionem.

24 Peregrini auxiliares inuitati sæpe nos dulcedine nostræ regionis capti expellunt, aut expellere conantur, præsertim si nos imbelles videant. *Sic Romani stationarij expellere cogitant Campanos.*

Milites seditiosi tractandi.

25 Seditiosi milites per speciem honestæ missionis aut commeatus procurandi, sæpe purgandi potiùs, quàm missione inhonestâ. *Sic C. Martius Rutilius fecit.*

Milites seditiosi dimittendi.

26 Difficili bello vrgente militum secessio & murmur, licet pœnâ dignum, pro tempore dissimulandum tamen potiùs & condonandum, quàm seuerè puniendum. *Sic M. Valerius Coruinus impetrat veniam seditiosis militibus qui ab Lautulis fugerant.*

Seditiones malæ.

27 Intestinas frequentésque alicuius populi seditiones solent sociorum & subditorum defectiones ac rebelliones sequi *Liuius.*

EX LIBRO OCTAVO
PRIMÆ DECADIS
TITI LIVII.

In fœdus ... tem al...

1 CVm veteres socij facilè in fœdus antiquum recipiendi, tum liberi relinquendi, vt suo arbitrio bellum & pacem cum non confœderatis nobis populis gerere possint *Sic Romani admittunt Samnites.*

Victis ... mendæ.

2 Hostibus victis, ager, vectigalia sua, & reliquæ res vel minuendæ vel adimendæ, ne facilè postea arma capiant. *Sic Romani soliti.*

Fides ...

3 Etiam commoda oblata aspernanda, ne fidem datam, & fœdus sociale violemus. *Sic Romani Sidicinos reiiciunt.*

Socij imbecilliores.

4 Caueant imbecilliores socij, ne propter potentiorum sociorum æquitatem, iustitiam, modestiam, aut mollius erga se responsum insolescant, & se metui ab iis putent. Itaque ne temerè quidpiam in eos conentur aut moliantur

Non tendu...

5 Etsi quæ socij & hostes occultè in nos machinantur, sæpe sunt dissimulanda; tamen nunquam prætermittenda sunt, quin iis à nobis obuiam eatur, & remedium quæratur. *Sic aduersus Latinorum coniurationem Romani prudenter sibi prospiciunt.*

Disciplina seuera.

6 Vbi aduersus validos hostes, & eodem nobiscum armorum genere vtentes bellum est, seuerissima disciplina, & Manlianis Imperiis opus est, quâ exercitus noster contineatur, & conseruetur, ac victor fiat. *Sic in bello contra Latinos Romani.*

Disciplina militaris.

7 Nunquam in castris militaris disciplina vigebit, si Dux exercitus sui suorúmue fauore quosdam milites de eâ dispenset. *Sic Manlius Cons. filium plecti iussit.*

Victis ... tractandi.

8 Hosti victo vires suas recolligenti est maturè obuiam eundum ac occurrendum. *Sic Manlius latinis victis exercitum colligentibus.*

Milites strenui honorandi præmiis.

9 In magnis & difficilibus bellis præmia cuique strenuo, & victoriæ auctori aut parti, honesta tribuenda. *Sic Manlius fecit victis Latinis.*

Resp. infelix.

10 Miserrima est populi conditio, qui neque pacem, neque bellum ferre potest.

Hosti ... tendu ... resistendum ...

11 Vbi neque ad pugnandum hosti par es, neque cum eo pacisci vis, in oppidis te contineto: & si quod ex his ab hoste oppugnetur, communibus viribus defenditor.

Imperium firmum.

12 Firmissimum est imperium, quo obedientes gaudent. *L. Furij dictum.*

Socij victi ...

13 Beneficio potiùs, quàm summâ clade & internecione socij à nobis victi sunt afficiendi, quo & iidem ipsi & cæteri sint nobis æquiores.

Idem.

14 Dum eorum, qui victi sunt, animus in exspectatione adhuc est, festinatò vel pœnâ, vel beneficio sunt afficiendi. *L. Furius.*

Obsessi ... agendum.

15 Dum obsidemur, nunquam est tutum nos vino epulísque sopiri, tunc enim facilè capimur. *Sic Caletes capti à Coruino.*

Pugnantes pro libertate.

16 Qui nobiscum nihil nisi de libertate pugnarunt, victi & amici habendi sunt & fouendi. *Sic Priuernates.*

17 Hi populi præueniendi amicitia, & hostibus nostris eripiendi,

eripiendi, qui amici plurimùm in bello prodesse, vel inimici nocere possunt. *Sic Priuernates ciues facti.*

18 Non est toti societati, aut ciuitati imputandum, quod à quibusdam illius ciuitatis priuatim, non autem publico consilio fit. *Sic Samnites respondent Romanis.*

19 Iniustè bellum suscipit, qui ad communes socios decceptationis & querelarum causâ prouocatus non comparet; sed statim arma infert. *Sic Samnites peccant prouocati à Romanis.*

20 Eum locum in bello capere est consultissimum, vbi societatem hostium, qui sibi mutuò auxilium ferre cogitant, dirimere, aut impedire possis.

21 Eum qui iam feliciter obsidionem cœpit, ab eâ minimè auocari oportet: sed vsque quò sit expugnatum, præstat eum ibi relinqui. *Sic P. ilo ad Palæopolim relictus.*

22 Fortes & strenui & qui nostris hostibus plurimùm nocere possunt, facilè in nostram societatem admittendi. *Si Brutij & Apuli à Romanis accepti.*

23 Præstat hosti clementi se dedere & fido, quàm sociis trucibus, iniuriis, & ferocibus sese committere. *Sic Palæopolitani præ erunt Romanos Samnitibus.*

24 Maximè ab eo proditorum genere cauendum est, qui quum Principes sint ciuitatis, cum hostibus vel per se, vel per transfugas sibi notos consentiunt. *Sic Charilaus Palæopolim prodidit.*

25 Sæpe iniuriis & contumeliâ ementitâ populus aut magistratus irritatur in vicinos aut socios. Itaque huiusmodi querimoniis de iniuriâ à vicinis illatâ minimè credendum temerè est. *Sic decep i Tarentini.*

25 Potentiores populi nequaquam, vel non temerè ab imbecillioribus ad bellum prouocandi. *Sic Samnites nolunt prouocare Romanos.*

26 Ex malis moribus bonæ leges ortæ. *Sic ob libidinem vnius fœneratoris desierunt debitores Romæ necti.*

28 Nimia Imperatoris seueritas, re præsertim bene gestâ, mouet seditionem in exercitu sæpissimè. Summum enim ius summa est iniuria. *Sic Papyrius Cursor quum Fabium M. equitum punire vellet, re bene gestâ.*

29 Militaris disciplina, ac præsertim summi ducis auctoritas, vt sit in exercitu sacrosancta, venerabilis, & tuta, est modis omnibus curandum. *Sic L. Papyrius Cursor eam retinuit aduersus Fabium.*

30 Imperatoris in exercitu comitas, curáque de sauciis & de inopiâ militum, prædæ donatio, magna illi beneuolentiam conciliat: & sæpe iratum militem placat. *Sic placauit exercitum Cursor.*

31 Prædæ auiditas sæpe victorias certas corrupit. *Sic Samnites fusi ab A. Cornelio Aruina dictatore.*

32 Iniusta bella tandem exitus habent infelices. *De bello Samnitium.*

33 Dedendi hostibus qui iniusti belli aut fœderis rumpendi sunt auctores, & damna in bello accepta resarcienda. *Sic Samnites dedunt Papium.*

EX LIBRO NONO
DECADIS PRIMÆ
Titi Liuij.

1 INiustè bellum ei infertur, qui & res repetitas restituit, & auctores belli vnà cum ipsorum bonis dedit, & de damno in bello dato cauet. *Sic malè Romani has Samnitum conditiones reiiciunt.*

2 Semper iustum bellum est, quibus omnino necessarium, semper pia arma, quibus nulla, nisi in armis, spes vitæ posita est, omnibus aliis rebus æquis & iustis tentatis & oblatis. *Herenny sententia.*

3 Ea exercitui via breuior est, quæ apertior, tutior, ac minus impedita est: & quæ commeatu non laborat. *Sic peccatum à Romanis in Furcis Caudinis.*

4 Hostem in tuam potestatem redactum, præsertim potentem, aut summo beneficio (intactum relinquendo, vitâ ...) tibi concilies: aut omnes ad vnum trucidando viribus in posterum spolies, & exhaurias. Media enim via neque eum tibi amicum parat, neque inimicos tollit. *Sic Herennius Pôtius censuit captis Romanis inter Furculas Caudinas.*

5 Sæpe toti exercitui intercepto ignominiam subire præstat, vt saluus & incolumis restet, quàm inani iactatione virtutis & libidine vlciscendæ mortis nullâ spe pugnare, ac pati, vt deleatur. *Sic Romani patiuntur se sub iugum mitti à Samnitibus in Caudinis furcis.*

6 Absque viæ duce nunquam in ignoto aut hostico loco iter exercitui faciendum. *Sic peccant Romani, & incidunt in Furcas Caudinas.*

7 In strenuis naturis silentium post ignominiam aut iniuriam acceptam non patientiæ indicium est, sed vindictæ iræque meditatio. *Sic Offilius de Romanis.*

8 Princeps coactus vel vltrò in totius regni incommodum absque Ordinum consensu nihil pacisci, vel spondere potest. Est enim non dominus regni, sed ex legibus tantùm administrator, cuius Ordines duntaxat de ipso regni iure quidpiam imminuere possunt. Denique est ipsius regni vasallus Rex. Itaque huiusmodi promissa à Principe facta sunt nullius momenti. *Sic T. Veturius & Sp. Posthumius fatentur.*

9 Pacis fœdæ & ab Ordinibus non probatæ, & tamen cum hostibus pactæ, auctores sunt hostibus dedendi, vt legitimè soluta videatur, & iustum à non probantibus eam bellum postea suscipi possit. *Sic Romani Veturium & Posthumium Coss. dediderunt Samnitibus.* — Pax fœda.

10 In occupanda vrbe plurimos ciuium exarmat fides, & vox præconis eos, qui arma abiecerint, fore saluos & incolumes. *Sic Fregellani à Samnitibus capti.* — In vrbe capienda quid agendum.

11 Obsidio temerè absque frumento in exercitium obsidentem prius parato, suscipitur. *Sic ab ratum Papyrio Luceriæ.* — Obsidio.

12 Temerè gens ea, quæ suarum rerum impotens est, aliis populis pacis aut belli modum facere conatur. *Sic Tarentini à Papyrio irrisi.* — Populus impotentior.

13 Propter obsides aut captiuos apud hostem nostros, sunt hostes capti & victi sæpe leniùs tractandi. *Sic Luceria Samnites à Romanis tracta...* — Captiui.

14 Coloniæ nostræ deficientes & vi receptæ, grauiter puniendæ. *Sic Satricum punitum à Romanis.* — Coloniæ deficientes.

15 Sæpe eâdem ætate diuersis in locis præstantissimos Imperatores Deus excitat. *Sic eâdem ætate fuerunt Alexander Magnus, & L. Papyrius Cursor.* — Duces summi.

16 Vt victus exercitus se nocte tutiùs recipiat, ignes ab eo non excitandi. *Sic Samnites victi faciunt.* — Victus tutiùs sese recipit noctu.

17 In obsidionibus etiam quum recessisse longiùs obsides hostis videtur, parat vt plurimùm, struitque ex eadem vel aliâ parte insidias. *Sic ora capta.* — Obsidio.

18 In obsessis vrbibus nulla pars muri absque præsidio vnquam est relinquenda, quantumuis accessu difficilis. *Sic Sora capta.* — Idem.

19 Vicinis hostibus oppidi portæ semper firmo præsidio seruandæ, & dum aperiuntur, & dum clauduntur, diligenter priùs omnia à magistratu circumquaque exploranda, ne custodiæ portarum, irruente hoste inopinato, cædantur. *Sic Ausonia capta & Vestina.* — Vrbis portæ custodiendæ.

20 Nouorum criminum quæstiones, præsertim in nobiles institutæ, plurimam seditionem mouent. *Sic Romæ quæstiones de honorum adipiscendorum gratia coitionibus factis.* — Seditio.

21 Præda ab hoste nobis sæpe, vt in insidias præcipitemur, obiicitur. Itaque nunquam eò cum exercitu, nisi priùs explorato loco, ne lateant insidiæ, veniendum. *Sic peccatum à Iunio Cons.* — Præda obiecta ab hoste.

22 Cauendum ne milites impransi, & non curato priùs corpore, certamen cum hoste ineant. *Hæc fuit Romana militia disciplina.* — Milites pransi certent.

23 Facilè funditur acies, in qua nulli sunt aut seruantur integri, qui lassis & defessis pugnando militibus succedant. *Sic Hetrusci victi ab Æmilio Cos.* — Vincitur facilè.

24 Nemini concedendum, vt vltra tempus gerat magistratum, nisi refectus. Qui enim ipse sibi magistratum continuat, tandem & se quoque regem aut tyrannum efficit. *Sic Appius damnatus.* — Magistratus non prorogandus.

25 Incommodè magnus exercitus pugnat aduersus paruam manum vel in locis angustis, vel saxosis, vel destitutus missilibus & machinis, quibus parua illa manus instructa est abundè. *Sic Hetrusci vici... Fab...* — Vincitur facilè.

26 Itinera ignota, nisi priùs explorata, non ingredienda exercitui. *Sic in Furcis Caudinis peccatum. Sic sylua Ciminia à Fabio priùs explorata.* — Iter exercitus tutus quod?

27 Nouus & ignotus priùs hostis in nos irruens, si primo secundóque certamine victor euadit, facilè totam regionem perterret, & sibi subiicit. *Sic Romani populo in saltu Ciminio habitante...* — Nouus hostis.

28 Robustissimus & fortissimus exercitus esse solet, vbi vir virum legit. *Sic Romani sæpe.* — Exercitus lectus quis?

29 In extraordinariis & maximis belli aliisue Reip. periculis est opus extraordinario, & summa potestate prædito magistratu. *Sic dictatores Romæ creati in summis reip. periculis.* — Magistratus extraordinarius quando?

30 Placandi & conciliandi inter se priùs necessarij Duces, si inter se antea erant inimici: aut non simul creandi. *Sic Fabius placatus priùs à Papyrio à Senatu.* — Discordia ducum.

31 Miles horridus esse debet, non cælatus auro. Virtus enim est militis decus, & diues hostis, quamuis pauperis victoris, præmium est. *...initus.* — Miles bonus qualis?

32 Metropolis regni quemadmodum est ab hoste inprimis tentanda & oppugnanda; sic à nobis tutanda & defendenda. *Sic ...* — Metropolis seruanda.

33 Hostis nullus, quantumuis infirmus, est negligendus, vt ei non obuiam eatur & occurratur. *Sic Romani ne Vmbros quidem aspernantur.* — Hostis non negligendus.

34 Nimia in eos captiuos, qui ex aliis regionibus sunt, quas hostis non possidet, crudelitas sæpe populos earum regionum bellum aduersus nos gerere & decernere suasit. *Sic Hernici Romanis bellum inducunt.* — Captiui.

[Consilia nostra ne pateant.] 35 Intercepta à nobis itinera ne quis nostri consilij aut cœpti ad hostes rumor peruadat, eos valde & terret, & incertos consilij facit. *Sic Hernici perturbant Romanos.*

[Iter exercitus interceptum.] 36 Interclusis, obseptis itineribus, commeatus, hosti fugam aut deditionem suadent.

[Hostis vires ne coniungat.] 37 Ne hostis coniungat suas vires, est cauendum, illique præsertim incomposito agmine venienti est occurrendum. *Sic Samnites occurrunt Martio Cos.*

[Viæ publicæ.] 38 Viæ & opera publica per magistratus reficienda: & publicè propterea locanda. *Sic Romæ fiebat à Censoribus.*

[Vincitur hostis.] 39 Funditur facilè hostis quem iam lassum & defessum integræ copiæ adoriuntur. *Sic Samnites victi à Posthumio.*

[Idem.] 40 Quæ gens desueuit iampridem arma ferre, facilè vincitur. *Sic Æqui victi.*

[Idem.] 41 Facilè vincuntur ij, qui omissa cura communium, & publici exercitus habendi, ad respectum rerum quisque suarum auertuntur, & ad tuendas suas quisque vrbes discedunt. *Sic Æqui victi.*

[Honores tributi plebeis.] 42 Quibus in locis & regnis humiles homines, forensísque factio, & scribarum turma inualescit, & honores assequitur, ibi omnia statim corrumpi solent. *Sic Romæ euenit, postquam Appius Censor isti hominum generi honores tribuit.*

[Militum lustratio.] 43 In bene constitutis rebuspub. semel in anno equites peditésque ciues transuehi & recognosci seu lustrari, idque certo tempore, solent & debent. *Sic Romæ ex instituto Fabij Maximi.*

EX LIBRO DECIMO DECADIS PRIMÆ TITI LIVII.

[... publi...] 1 Est optimi Principis, regionem & itinera à latrociniis purgare. *Sic Romani in Vmbria.*

[Coloniæ deducendæ quò?] 2 Coloniæ in populos victos deducendæ, vt tutiùs illi retineantur, & obseruentur. *Sic Romani.*

[Regio ignota.] 3 Qui nauibus in regionem ignotam delati sunt, ne latiùs in ea vagentur, prædatúmve eant, cedit enim ea res illi vt plurimùm pessimè. *Sic Cleonymo Laconi cessit.*

[Insidiæ.] 4 Non temerè in pecora nobis in hostico obiecta irruendum. Nam ibi sæpe latent insidiæ.

[Victoriæ prodest.] 5 Alacris militum pugnam expetentium & ad eam valentium animus plurimùm hostes terret, & ad victoriam prodest. Contra verò languidus eorundem animus, nihil boni ominatur. *Sic Cons. clamorem militum expectabant.*

[In acie equitum vsus.] 6 Equitibus ad procurrendum in hostem, relinquendum est à nobis in certamine spatium. *Sic Romani.*

[Leges de suppliciis.] 7 Leges de capitalibus suppliciis & prouocatione sunt castissimè & religiosissimè seruandæ. *Sic à M. Valerio Cos. renouatæ.*

[Barbari locum ad habitandũ petentes.] 8 Barbari populi partem agri nostri ad considendum petentes, non admittendi quacunque ex causa, sed vel vi vel pecunia dimittendi. Facilè enim iidem postea totam regionem occupant. *Sic Hetrusci Gallos dimittunt.*

[In castris agendum quid?] 9 In castris miles exerceri debet. *Sic Romani.*

[Imperia crescunt quibus artibus.] 10 Magna imperia vt crescant, facilè in societatem populos afflictos admittunt. *Sic Romani.*

[Victoria prodest.] 11 In hostem, quem domare velis, est igni, incendio, rapina, & cædibus in homines & vicos grassandum. *Sic Scipio in Hetruscos.*

[Duces sũmi in summis periculis.] 12 In maximis periculis & bellis Duces strenuissimi & optimi quique, virtutis, non opum habita ratione, deligendi. *Sic Romani & Coss. & Dictatores eligebant.*

[Itinera vt explorãda.] 13 Populationibus & prædationibus itinera tuta exploranda. *Sic Fabius in Samnitio.*

[Subditi rebellant facilè.] 14 Facilè rebellant quibus in pace conditio & seruitus grauior, quàm in bello est. *Sic Samnites.*

[Quinam in societatem asciscendi.] 15 Illi populi potissimùm & facillimè in societatem asciscendi, qui armis, viris, & pecunia valent, súntque in bellis exercitati. *Sic Samnites quærunt societatem Hetruscorum.*

[Vrbs expugnatur quando?] 16 Vbi nullus est nobis qui subsistat exercitus auxiliúmve ferat, facilè ab hoste victore oppida nostra etiam munitissima expugnantur. *Sic Murgantia Samnitum à Decio expugnata.*

[Præda onerat.] 17 Nimia præda oneratus exercitus non facilè sequitur, expeditéve expugnat. Itaque ea vel vendenda, vel certo loco constituenda profecturo vel obsidionem paranti exercitui. *Sic Romani iussi à P. Decio in Samnitio.*

[Vicinis cõiurantibus in nos occurrẽdum.] 18 Vicinis in nos coniurantibus maturè ostentandus exercitus, & in eos ducendus, vt eosdem spectantes ad arma metus exercitus nostri opprimat. *Sic Romani Hetruscos.*

[Victor quis censeatur?] 19 Penes eum est laus & decus victoriæ, penes quem est eiusdem lucrum, & fortuna. Nec enim, vbi quis vicit, quæritur, quæ consilia victi fuerint; sed spectatur quæ sit fortuna victoris exercitus. *Sic Tribuni in exercitu Appij Claudij.*

[Acies vt firmanda.] 20 Quum acie dimicandum est, optimi quique & strenuissimi duces in exercitu retinendi, vel ad eum vocandi. *Sic Volumnius etiam inuito Appio retentus ab exercitu.*

[Vincit hostis.] 21 Vt victi hostes penitus spem sui colligendi amittant, sunt, quantum quidem fieri potest, eodem tempore perterriti, castris exuendi, & impedimentis. *Sic Romani semper.*

[Idem.] 22 Exercitus præda onustus facilè vincitur. *Sic Samnites à L. Volumnio.*

[Captiui.] 23 Captiuorum, si modò plures sunt, in exercitu dimicante vel dimicaturo arcta custodia faciẽda est, ne in medio conflictu soluant se vinculis, & in nos pugnantes à tergo irruant. *Sic Samnites victi à L. Volumnio ad Vulturnum flumen.*

[Præda hostibus recepta.] 24 Præda ex hostibus recepta accersendi tum nostri, tum socij, vt quisque quod suum erit, recognoscat & tollat: quarum verò rerum domini non extabunt, illæ militi cedant. *Sic Romani soliti.* Alioqui nos ipsi prædones nostrorum & sociorum sumus, si prædam retinemus.

[In magistratibus consensus.] 25 In exercitu, in Magistratu nihil bono & strenuo collega concordi firmius ad Rempubl. tuendam. *Fabij Maximi dictum.* Nihil discordi collega periculosius ad eandem Remp euertendam.

[Duces initiu su mis per culis.] 26 Duces in bello ferè optimi, qui nati militiæ, factis magni, ad verborum & linguæ certamina rudes, & ingenio honesta magnáque appetentes sunt.

[Magistratus iuri quinam...] 27 Iuri dicundo optimi, qui callidi solertésque ingenio, iuris & eloquentiæ consulti popularem turbam regere possunt.

[Exerci... confirmatur.] 28 Exercitus antea trepidus, itineribus deuiis, & mutatione locorum tum exercetur, & confirmatur; tum etiam nobilior & salubrior fit. *Fabij Verrucosi dictum.*

[Con... hostium nota.] 29 Hostium nota consilia etiam prudentissima fiunt inutilia. Itaque exploratoribus, qui ea verè referunt, magna præmia sunt danda. *Sic Fabius exploratoribus Clusinis.*

[Certãd lentè q... do.] 30 In certamine cum eo hoste, qui in primo prælio ferocissimus est, lentè primùm pugnandum est, vt hoste fatigato vires nostræ sint integræ: ac proinde facilè vincatur. *Sic Samnites à Fabio victi.*

[Host... tet no... armoru genus.] 31 Nouum genus armorum hostibus obiectum, eos facilè terret, & fugat. *Sic esseda terrent Romanos antea ignota.*

[Victor iuuat.] 32 Plurimùm ad victoriam potest, in medio certamine per circumuectos ex nostris hostem à tergo aggredi. *Sic Romani soliti.*

[Premia ... tra ord...] 33 Re feliciter gesta, extra ordinem militibus danda præmia, quò sint ad eosdem labores iterum suscipiendos alacriores.

[Vrbs c... tur per ... liginem] 34 Per caliginem die & oppida capi, & castra inuadi faciliùs solent. *Sic castra Romanorum à Samnitibus oppugnata M. Attilio Cos.*

[Insidiæ] 35 Non temerè oppida hostium ingredienda, etiam in quibus solitudo & silentium apparet: possunt enim sæpe latere insidiæ. *Sic Posthumius exploratum prius Ferentinum, ab hoste desertum, ingreditur.*

[Certã obstin... quand...] 36 Cum obstinato hoste obstinatè pugnandum. *Sic Romani contra Samnites.*

[In a... Deus i... cetur.] 37 Acie nunquam, nisi priùs inuocato Dei nomine, certandum.

[Condi...] 38 Quum acie confligendum est, vicini exercitus nobis & nostri monendi, vt vel adsint, vel superueniant, vel hostem impediant, quantum possunt. *Sic Papyrius denuntiat collegæ Caruilio.*

[Miles ... ctus.] 36 Miles qui inuitus & coactus pugnat, facilè vincitur. *Sic Samnites à Papyrio victi.*

[Miles ... tus.] 40 Sæpe ignauos milites cogit strenuè pugnare, quum aliqui sunt dispositi ex ipsorum numero, qui eos fugientes excipiant & occidant. *Sic Samnites pugnant cum Papyrio.*

[Cert... ne mi... exerci...] 41 Quum prælium committendum est, nulla, si fieri potest, copiarum pars auocari aliò debet.

[Hostis ... stinatu...] 42 Vbi hostis obstinati nullus iam superest exercitus propter clades ab eo acceptas, bellum est statim circa illius oppida circumferendum, eaque & capienda, & diripienda, & exscindenda, quò perdomatur tandem. *Sic Papyrius & Caruilius Coss. agunt in Samnites.*

[Sociis ... xilium ... tim fe... dum.] 43 Sociis primo quoque tempore ferendum auxilium, vt in fide maneant: alioqui, tanquam nimia nostra cunctatione deserti, facilè ad hostes desciscunt. *Sic Falisci ad Hetruscos à Romanis deficiunt.*

[Præda ... li ve... denda] 44 Ad socios & amicos populos pars prædæ victoriæque mittenda est, vt ea sit celebrior. *Sic Papyrius vicinorum templa ornat spoliis hostium.*


[Vict... tempe... Deus.] 45 Sæpe felicissimas victorias nostras temperat Deus magna domestica clade, vti fame, peste, seditione, quo magis deiiciantur victorum animi, & ab eo vno pendeant: itémque magistratus discant non vni tantùm in Repub. rei aut parti, sed omnibus maturè prospicere. *Sic Romæ post Samnites victos pestilentia grauissima accidit.*

Finis Decadis primæ.

Qui ex secundâ Decade excerpi Aphorismi Politici poterant, ferè ex Polybio iam à nobis descripti sunt.

Qui item ex Decade tertiâ, planè cum superioribus conueniunt. Itaque hac opera tantùm in primâ Decade defuncti; omnibus abundè esse satisfactum existimamus.

FLORI



FLORILEGIVM POLITICVM EX C. CORN. TACITI ANNALIVM LIBRO PRIMO.

1 NOVVS & populo insolitus principatus donis in militem, beneficentia clementiáque plebem, honoribus in nobiles obsequentiores & ad seruitium paratiores, denique ea dulcedine otij quam omnes sentiant, est stabiliendus. *Sic Augustus Cæsar suum Principatum.*

2 Certamina principum inter se, auaritia Magistratuum, & inualidum legum auxilium, quòd facilè omnia corrumpantur pecuniâ, faciunt, vt facillimè Aristocratia seu Respub. in Monarchiam mutetur. *Sic Romana Respub. mutata in principatum.*

3 In electiuis regnis paulatim producendi & in magnorum honorum consortium vocandi maturè à regnantibus ij quos sibi succedere cupiunt. *Sic Augustus Tiberium.*

4 Regum filiis nouercæ, quæ & ipsæ ex iisdem regibus filios susceperunt, suspectæ esse semper debent. *Sic Liuia filius Agrippæ. Sic Agrippina filius Messallinæ.*

5 Vt nouus & insolitus populo principatus confirmetur & lubentiùs suscipiatur ac inolescat, veterum & iam notorum magistratuum nomina sunt retinenda, minimèque mutanda, *sic Augustus Cæsar fecit. Sic Tiberius initio Principatus.*

6 Iracundus & sæuus Princeps, quamuis strenuus, minimè tamen eligendus. *Sic Tiberius à prudentibus repudiatur.*

7 Qui malis artibus sibi vel suis principatum affectant, legitimos illius successores vel extinguunt vel remouent; se verò aut suos priùs circumpositis custodiis introducunt defuncti prædecessoris mortem non diuulgant, priusquam sibi omnia fuerint apud eos qui obstare poterant, prouisa ac tuta. *Sic Liuia Tiberium Cæsarem.*

8 Tyrannicum imperium est, cùm is, qui imperat, rationem vni sibi reddi vult etiam eorum, quorum cognitio ad iudices aut Regni Ordines pertinet. *Sic Crispus Sallustius.*

9 Nouo Principi nouum iusiurandum ab omnibus Ordinibus præstandum est; seu dandum. *Sic Romæ fiebat vbi noui imperatores creabantur.*

10 Tyrannidis affectatio est in eo qui omnia imperij signa reipsa retinens, negat tamen verbis se habere vel velle imperium. *Sic Tiberius Cæsar.*

11 Tyranni & sæuissimi Principis futuri signa sunt, si quis imperium adeptus vultus hominum in crimen trahat, adulationes supra modum requirat, verba consiliatiorum publicorum captet, delatoribus aures præbeat, iudicia hominum de se qualiacumque, aut liberas de Rep. voces pro crimine habeat; denique cui boni sunt suspecti. *Talis fuit Tiberius Cæsar.*

12 Principis cum iis qui vel ipsum occidere tentarunt, vel alios ei charos aut sanguine coniunctos trucidarunt, reconciliatio, semper esse debet suspecta. *Sic reconcilatio Augusti cum M. Bruto: cum Sexto Pompeio.*

13 Est prudentissimi Principis, scire, & descripta habere quæ vectigalia Resp. habeat; quantas & quot militum copias; quot & quales societates; quot classes; quot largitiones. *Sic Augustus habuit.*

14 Reip. Ordinum & Procerum ad Principem nimium humiles preces, & seruilis adulatio eum ex bono Principe faciunt tyrannum. Sua n. à concilio publico etiam in Principem auctoritas est seruanda. *Sic Senatus Roman. effecit Tiberium Cæsarem tyrannum, qui etiam dicere solitus est, Homines ad seruiendum paratos.*

15 In Regnis electiuis, mortuo Principe, solent vtplurimùm milites spe præmiorum aut donatiui, in noui creatione tumultuari aut seditionem mouere. Itaque sunt muneribus placandi.

16 Otiosus in castris miles, & solita munia non obiens, facilè euadit seditiosus & immodestus. *Sic Pannonicæ legiones sub Iunio Blæso. Sic Germanicæ sub Germanico.*

17 Exercitus seditio statim non vi, sed blanda ducum oratione cohibenda. Facile verò ad vicinos exercitus alios peruadit. *Sic à Iunio Blæso sedata seditio Legionum Pannonicarum.*

18 Exercitus legionarius & limitaneus tum ob nimis exigua stipendia, tum ob longius militiæ, in qua detinetur, tempus, seditionem mouet. *Sic Pannonicæ Legiones sub Tiberio.*

19 In commoto populo sedando conuertenda in sapientiam & occasionem mitigationis, quæ casus obtulit, & quæ populus ille pauet, aut obseruat etiam superstitiosè. — Vulgus per mulcendu.

20 In vulgo nihil modicum, terret, ni paueat: vbi pauere cœperit, impunè contemnitur. Tamen vbi est & collectum & adhuc armatum vulgus, comitate permulcendum est, non armis & fortioribus remediis irritandum.

21 Populari seditioni, aut exercitui tumultuanti, denique vulgo aliquid contra fas tentanti, maximo terrori esse solet insolita cœli facies, & anni tempestas turbida statim superueniens. *Sic Pannonicis Legionibus.* — Vulgus terretur.

22 Tyrannis formidolosi sunt semper boni, & qui populo grati, populíque libertatem amant. *Sic Germanicus Cæsar Tiberio Cæsari formidolosus.* — Tyrannis formidolosi.

23 Nimia Ducum exercitus sæuitia, nimiíque militum labores, vt diuturni, nullo extraordinario præmio donati, seditionem in exercitu concitant. *Sic Germanicæ inferioris legiones commotæ sub Tiberio.* — Seditio in exercitu fit.

24 Exercitus seditiosus placatus statim in hostem ducendus, vt quietior sit. — Seditio in exercitu tollitur.

25 Exercitus seditio placatur sublatis seditionis auctoribus: vel si qui in eo manent boni & intemerati, in partes nostras traducantur præmiis. — Idem.

26 In Regni seditionibus, quæ ex vna vel pluribus partibus agitari nuntiantur, si qua vrbs est caput totius Regni, ea est a Principe firmo præsidio tenenda, neque vnquam deserenda. *Sic Tiberius in seditionibus Germanicarum Legionum.* — Metropolis in seditionum metu semper retinenda.

27 Neglectæ ab exercitu excubiæ & stationes eum hosti obiiciunt trucidandum. *Sic Germani cæsi à Germanico Cæsare.* — Excubiæ neglectæ.

28 Strenui duces tyrannis formidolosi: itaque illi caueant, ne nimiâ rerum gestarum gloriâ à populo celebrentur. *Sic Cæsar Germanicus formidolosus Tiberio.* — Dux strenuus.

29 Adulteria Procerum punienda. *De Sempronio Graccho.* — Proceres adulteri.

30 Populi fauorem popularitas Principi conciliat, veluti si ludis publicisque populi voluptatibus ipse frequens intersit, & se misceat. *Sic Augustus Cæsar intererat ludis publicis.* — Principi fauorem conciliat.

31 In suspicione seditionum imminentium, viri Principes populo gratiosi, vinciendi, aut amouendi. Illis enim amotis nihil plebs ausura est. *Segestis dictum ad Varum.* — In seditionis metu quid agendum.

32 Tunc tempestiuè bellum hosti infertur, quum eius Proceres inter se dissident. *Sic Germanicus Cæsar Germanis bellum infert, quum Arminius & Segestes discordarent.* — Bellum suscipitur tempestiuè.

33 Proditores etiam iis inuisi, quibus seruiunt, & alias suamue patriam produnt. *Segestis dictum.* — Proditor inuisus.

34 Ab exercitu in hostico versante, itinera, quibus redire ac regredi possit, sunt diligenter seruanda. *Sic Germanicus Cæsar in Armeniam profectus.* — Iter exercitus in hostico.

35 Prædæ auiditas magnas victorias auaris, & auidis militibus eripit. *Sic Arminio Cæcinna elapsus.* — Victoria amittitur.

36 Qui in rebus secundis feruidi & feroces esse solent, in aduersis sunt incauti & nullius consilij. — Duces imprudentes qui.

37 Absentis Imperatoris vxor prudens & animo fortis, totum exercitum sæpè cōfirmauit. *Sic Agrippina vxor Germanici.* — Ducis vxor sæpe iuuat milites.

38 Imperatori beneuolentiam exercitus multùm cōciliat, si socios in prælio ipse visitet, pecunia tunc militem iuuet; & comitate singulos qui præliati fuerint, leniat. — Duci auctoritatem & fauorem conciliat.

39 Histrionum licentia in Repub. bene constituta est reprimenda, ne in quemquam probra iaciant, aut seditionem moueant. *Sic à Tiberio repressi.* — Histrionum licentia.

40 Centesima rerum venalium ab Augusto post bella ciuilia petita & exacta in militare ærarium. — Vectigal centesimæ.

41 Saltem post vicesimum militiæ annum, veterani qui in ea honestè versati sunt, dimittendi. — Milites emeriti.

42 Flumina & lacus vti facilè non auertuntur ab alueo naturali; sic in iisdem ob inundationes auertendis, magnum toti regioni incommodum & commerciorum detrimentum affertur. *Sic oppida & municipia Italiæ impedierunt ne flumina influentia in Tiberim verterentur.* — Regionis flumina non auertenda.

43 Continuatio eiusdem Præfecti & Præsidis prouinciæ vti tyrannis est suspecta; sic Prouinciis ob solitam nouorum Præsidum auaritiam vtilis. *Sic Tiberius continuauit.* — Magistratus prærogatio.

44 Plures tamen, sed eos non auaros, verùm viros bonos ad curam Reip. vocari, formari, & instrui commodissimum est. *Sic Resp. Romana Magistratus quotannis mutauit.* — Magistratus plures.

EX LIBRO SECVNDO ANNALIVM CORN. TACITI.

Princeps externis moribus non patriis assuetus.

1 EXternis moribus assuetus, institutúsque princeps potius, quàm patriis, non tantùm populo suspectus est; verùm etiam ingratus & contemptus, ac velut extraneus tandem eiici solet. *Sic Venones eiectus à Parthis, quia Romanis moribus educatus erat.*

Princeps perfidus.

2 Perfidia regis totum eius regnum exosum reddit. *Sic propter Antonium Romani exosi Armeniis.*

Proceres boni vt à tyrannis tollantur.

3 Est tyrannorum sibi suspectos viros quantumuis egregios & Reip. vtiles primùm honestis prætextibus vel à Rep. prorsus amouere, vel honestis muneribus ac legationibus ab iis quibus gratiosi sunt, & à patria ipsa abstrahere: deinde eosdem postea insidiis tectis & astu trucidare, excitatis in eos & immissis proceribus aliis, viris potentibus, qui specie simultatum eos vel vi, vel veneno tollant. *De Germanico sic à Tiberio tandem sublato per Cn. Pisonem.*

Iter exercitus in paludosis locis.

4 In loca paludosa nunquam temerè ducendus exercitus. Vix enim est, vt illic indigenis par sit, quantumuis robustus & magnus. *Sic peccatum à Germanico, dum Cattos aggreditur.*

Princeps vt populi de se iudicium cognoscat.

5 Ex sermonibus priuatim & inter cibos, inter ciues habitis, melius discit Princeps ecquod sit exercitus & populi de se iudicium, quàm ex concionibus & conuentibus publicis à se præsertim indictis. *Sic Germanicus Cæsar explorauit militum de se iudicium.*

Transfugæ qui solicitandi.

6 Optimum est nostrorum, si qui in castris hostium militant, animos tentare, & ad transfugium vel defectionem pellicere promissis. *Sic Arminius animos Batauorum tentauit.*

Hostis obstinatus victus.

7 In victoria aduersus gentem sæpius rebellem & indomitam, cædibus est insistendum: non captiui ex ea capiendi. *Sic Germanicus Cæsar.*

Iter exercitus tutius quod.

8 Exercitui tutius semper est iter terra, quàm mari. *Sic ferè oppressus exercitus Cæsaris Germanici in Germania.*

Post cladē acceptam vis ostentanda.

9 Post magnas clades à nobis acceptas, tamen, quantum possumus, est noua vis hosti intentanda & opponenda, quacunque ex parte illum adoriri possumus, ne nos animum existimet prorsus despondisse. *Sic Germanicus post classem amissam in mari Germanico.*

Magia dānata.

10 Magicæ artes etiam sub Imperatoribus infidelibus punitæ, & ex iis diuinatio. *Sic Libo punitus sub Tiberio.*

Leges sumptuariæ in Rep. vtiles.

11 Quamquam familia in vnaquaque in auro, argento, & iis rebus, quæ ad vsum parantur, aliquid nimium aut modicum ex fortuna possidentis æstimatur: tamen distinctos esse singulorum ordinum Reipub. sumptus, vestitus, & supellectilem, vt dignitatibus maioribus liceat ea possidere, gestare, & habere maiora & sumptuosiora. *In oratione Asinij Galli.*

Monarchia in tyrannidem.

12 Nimia aulicorum ac delatorum auctoritas, eáque in dies crescens, & priuilegiis, honoribus, & opibus exornata, initium & via & satellitium est Regiæ dignitatis priùs moderatæ, in tyrannidem mutandæ. *Sic sub Tiberio Cæsare, & in Pisonis oratione vrbe cedentis.*

Idem.

13 In Repub. bene constituta Magistratuum electiones fieri longè & aliquot ante annis non debent, quàm electi magistratum ineant, hac enim ratione ad vsurpandam tyrannidem seditionésve mouendas via aperitur. *Sic Tiberius contra Gallum.*

Proceres pauperes à principe subleuādi.

14 Illustrium familiarum inopia à Repub. vel Principe in posteris industriis subleuanda. *Sic Augustus & Tiberius multorum Senatorum & Hortali inopiæ succurrerunt.*

Formæ similitudo ad dignitates euexit.

15 Formæ similitudo facit vt plerique impostores sese in locum Principum peregrè defunctorum, & populo gratiosorum, facilè subintroducant & insinuent. *Sic Clemens seruus se pro Agrippa supposuit.*

In principis spem qui alūtur.

16 Qui in spem imperij aluntur, etiam priuati colendi. Nam meminerunt in imperio huiusmodi contemptus de se facti, & eos qui se contempserunt, affligunt, & odio persequuntur. *Sic Tiberius Archelaum Cappadociæ regem odio habuit.*

Idem.

17 Qui in spem imperij aluntur, maturè assuescant militiæ exercitibus præficiantur, vt illis innotescant. *Sic Drusus, sic Germanicus, sic Marcellus filij aut nepotes Augusti.*

Exercitus strenuus, quis?

18 Optimus est exercitus, qui parere Duci didicit, ordines seruare, sequi signa, confertim, non autem per cateruas vagè pugnare, & sic collocatur, vt subsidiis mutuis firmentur omnes acies. *Tacitus.*

Subditis afflictis subueniat princeps & Resp.

19 Princeps subditis suis graui aliqua calamitate afflictis subuenire, tum ex ærario publico, tum tributorum remissione debet. *Sic Tiberius 12. vrbibus Asiæ terræ motu concussis.*

Factiones ferit.

20 In malum finem fauorem exercitus sibi conciliat qui licentiam in castis & desidiam concedit, seueros tribunos dimouet, vagum & lasciuientem per agros militem sinit, & largitione milites corrumpit. *Sic Cn. Piso legiones Syriæ corrupit contra Germanicum.*

Subditi noui.

21 Vt noui populi faciliùs nobis assuescant, & nostrum iugum patiantur; sunt oneribus & tributis leuandi. *Sic Cappadoces & Comageni leuati à Germanico.*

Proceres superbi.

22 Qui Proceres minores maioribus sunt superbiores, & præter officium contumaces ac molesti, tale quidpiam nec audent, nec faciunt, nisi iussu summi Magistratus, aut superiorum secreto mandato ac insidioso instincti. *Sic peccatum à Germanico quòd Pisonem non puniuit.*

Regio muniita nota...

23 Quæ regiones, loca, aut oppida Regni intercepta, totum regnum in discrimen adducunt, à nemine ex Proceribus inscio rege sunt adeunda, neque in iis quicquam pro imperio geri debet, præterquam ab eo qui præfectus est. *Sic Ægyptus seposita ab Augusto, ne quis Senator in eam ingrederetur.*

Contentiosi vt tuti si...

24 In Regnis quæ nobis sunt formidolosa & suspecta, serendæ seditiones & discordiæ, vt tuti aduersus ea simus, & frangantur eorum vires. *Sic Drusus in Germania egit.*

Princeps astutus.

25 Cum Crete Principe, id est, astuto & potente, cretizandum, modò fides à nobis data non violetur, vt suis ipse artibus tandem capiatur. *Sic Rhescuporis Rex Thraciæ à Tiberio captus.*

Seditiosus.

26 Qui è subditis Prouinciam aliquam etiam sibi datam armis inuadit, est seditiosus. Nam ad summum Principem recurrere debet. *Sic Piso damnatus.*

Tyran...

27 Tyrannis displicent ciuilia Procerum ingenia: quamobrem eos maximè, sed astu trucidandos curant. *Dictum Drusi.*

Meretr... coërc...

28 Meretrices & libido fœminarum etiam Romæ coërcita legibus, tempore Tiberij.

Fames.

29 Constituendum maximè tempore famis pretium frumenti à Magistratu, vt seditio tollatur. *Sic Tiberius fame ingruente Romæ.*

Hostis modo ... cendu...

30 Ferro, & bello aperto, non autem perfidia & veneno, tollendus extraneus hostis publicus. *Sic responsum à Senatu Adgandestrio Catto.*

Prin... qui è l... tyranr...

31 Qui ex bonis Principibus & patriam amantibus euadunt tyranni, aut affectant tyrannidem in patriam, etiam ab iis ipsis ferè tunc tolluntur ac trucidantur, quos potiùs in libertatem asseruerunt. *Sic Arminius sublatus à Germanis.*

EX LIBRO TERTIO ANNALIVM CORN. TACITI.

Cor... mala... gerit... sperat.

1 IMpatientia, aut desperatio, in malis & afflictionibus, tum pessima, tum intempestiua consilia, imò etiam noxia & periculosa suggerit. Itaque in afflictionibus animus obfirmandus est, & ferocitas etiam à Principibus ipsis deponenda. *Sic Agrippina vxor Germanici peccat.*

Tyr... formi... fæ... illustr...

2 Tyrannis suspecta est etiam fœminarum illustrium, & sobolis ex magnis clarísque parentibus natæ laus publica, & commendatio. Itaque vtramque, quum possunt, tollunt. *Sic Agrippina Germanici vxor à Tiberio tandem sublata; & virorum illustrium filij.*

Tyra... rum a...

3 Tyrannorum oratio & facta omnia primùm sunt ancipitia, & sic ambigua, vt in vtramque partem interpretari quidem possis; illi tamen inde animos aliorum explorant. *Sic Tiberius Cæsar.*

Princi... bonor... cædes.

4 Principum, & bene de Repub. meritorum iniustæ cædes acerrimè vindicandæ: alioqui seditio nasci solet. *Sic mors Germanici Cæsaris vindicata.*

Mili... discipl... laxior.

5 Laxior disciplina militaris, & militum timiditas aut turpis fuga, seueritate restituitur, qua sola fortiores fiunt. *Sic à L. Apronio in Africa Romani milites confirmati.*

Hostis ... gus ... mandu...

6 Aduersus vagum hostem equitatu pollentem & minimè certis locis consistentem, difficillima est belli gerendi ratio. Vnde nisi præda ille oneretur, aut ad maritima loca compellatur, vix fundi potest. *Sic Tacfarinas Numida tandem fusus à L. Apronio, & lib. 4. à Dolabella occisus.*

Mere... coërce...

7 Adulteria, & suppositi partus Romæ etiam puniti sub impuris Imperatoribus. *Exemplum Lepidæ sub Tiberio: Silani sub Augusto.*

Ciues ... priuilegia ... maiora ... beant.

8 Parentum, quàm orborum ciuium priuilegia maiora esse in Repub. debent, quò sint alacriores homines ad sobolem procreandam, & alendam. *Sic Lex Papia Poppæa sancita ab Augusto Romæ.*

Ducis ... fæ... i ... militēs.

9 Præsidium Prouinciæ vxores vnà cum suis maritis in Prouincia esse non est indecorum, modò sint illæ abstinentes miniméque rapaces & auaræ. *Sic decretum à Senatu sub Tiberio.*

Tyran... fundam... tum.

10 Tyrannidis inducendæ ac stabiliendæ prima initia sunt, frequens accusatio, & in quouis crimine adiuncta de læsa maiestate Principis; itemque delatorum auctoritas. *Sic Tiberij tyrannis introducta.*

11 Tribu

11 Tributorum immoderata summa, & æris alieni magnitudo publice conflata, facilè Prouincias sic oneratas ad rebellionem & seditionem incitant. *Sic Gallia sub Tiberio.*

12 Magnus est in potente & latè patente Regno Legionariorum militum vsus, nimirum vt in singulis Prouinciis sint aduersus quoslibet popularium motus & seditiones parati. *Sic Romani orbem terrarum in officio continuerunt.*

13 Aut non tentanda, aut leniter primùm agredienda rerum aliarum præterquam religionis, emendatio, quæ corrigi absque publico totius Regni motu non possunt. *Sic Leges sumptuariæ à Tiberio neglectæ.*

14 Sumptuosæ conuiuia & nimium luxum publicum extinguunt tum Principum Reipub. virorum continentia sobrietasque, tum publica paupertas & calamitas, qua res singulorum fiunt accisæ. *Cornely Taciti sententia.*

15 Iudicum capitalium sententias, etiam Principis ipsius, ad tempus aliquod differri satius est, quàm statim executioni mandari, quò maturiùs deliberentur, & dictæ examinentur. *Sic decretum sub Tiberio, ne Senatus cons. capitalia ante decimum diem ad ærarium deferrentur.*

16 In regnis electiuis, quò seditiones vitentur, satius est quempiam virum bonum, nobilem, & bene de Repub. meritum ex ordinum sententia designari, etiam adhuc viuente Principe, ad Imperij successionem; quàm incertum relinqui, quis eo mortuo sit successurus. *Sic Augustus Tiberium designauit. Tiberius Drusum: Nerua Traianum.*

17 Designatio noui Principis, illius dignitatis acceptatio ab eodem fieri debet ceremoniis, more, & loco solitis, & cum illius præsentis publica gratiarum actione tum ad Deum, tum ad homines ipsos qui huiusmodi honorem deferunt. *Sic accusatus Drusus à Senatu.*

18 Templa facinorosis aut seruis aut debitoribus ne sint asyla. *Sic sub Tiberio ea licentia coërcita.*

19 Tyrannidis obscurè & perdetentim serpentis hæc sunt initia, cùm qui Princeps electus est, maiorum negotiorum cognitionem sibi vni reseruans, & ex suo vnius arbitratu ea statuens, leuiorum, & quæ Reip. incolumitatem non attingunt, disceptationem ad Ordines remittit. *Sic Tiberius ad Senatum remittit postulata Prouinciarum de Templorum immunitate, vim principatus sibi firmans.*

20 Principum virorum ac procerum nimia in honoribus ambiendis festinatio, dum æquales, deinde superiores, postremò suasmet ipsi spes anteire parant, eos funditus tandem perdit. *Taciti sententia.*

21 Quantò plus gliscit imperantis potestas, tantò iura minuuntur. Itaque non permittendum, vt is vtatur imperio, vbi legibus agi potest. *Tiberij vera sententia.*

22 Repetundarum neglecta accusatio & cognitio cùm præsides ipsos facit ad prouincias expilandas audentiores, tum verò ipsas Prouincias impellit ad rebellandum. *Ea etiam sub malis Imperatoribus sæpe repetita Romæ.*

23 Opera publica propria quarundam Principum familiarum, decorè ab iisdem sumptibus propriis resarciuntur & conseruantur. *Sic Lepidus Basilicam Pauli Æmily sub Tiberio: & alij.*

24 Fugax & vagus hostis est pluribus diuersisque in locis per præsidia posita coërcendus & comprimendus. *Sic Tacfarinas à Blæso.*

EX LIBRO QVARTO
ANNAL. CORN. TACITI.

1 IN regnis tum electiuis, tum hæreditariis ij meritò Regibus & Regno suspecti esse debent, tanquam regnum præter ius & fas affectantes, & inuasuri tyrannidem, qui ex paruis opibus ad magnas dignitates euecti, militum animis sese clam insinuant, & benignè eos sibi conciliant; etenim summum imperiũ ambiunt, qui nos clientes exercitui aut prouinciis præficiunt, alios præfectos sibi non deuinctos deturbant ex suis gradibus, qui Principibus ad succedendum designatis pares se faciunt, aut etiam iniurias iis inferunt: denique qui potentum & procerum vxores vel famulos stupro vel promissionibus sibi ad idem conandum deuinciunt. Itaque hæc signa sunt notanda. *Sic Seianus affectans tyrannidem egit.*

2 Legionarij sæpe sunt à summo Principe lustrandi, & recognoscendi, eorum numerus supplendus, ac modestia disciplinaque obseruanda *Sic Tiberius monuit, & rectè*

3 Boni Principis est, annonæ publicæ deficienti, infœcunditati terrarum, asperis maris obuiam ire edictis, impensis, ac cura diligenti: denique prouidere ne prouinciæ nouis oneribus turbentur, & vt vetera sine auaritia, & crudelitate Magistratuum tolerentur. *Tacitus.*

4 Aulici, in quorum potestate est Rex, & ex quorum voluntate gerit omnia, quamdiu tyranni non sunt, aut tyrannidem non affectant, vel vltores metuunt, bonis consiliis & salutaribus Reip. ferè notescere volunt. *Sic Seianus.*

Tyrannis vt inuadatur

5 Dominandi & tyrannidis vsurpandæ spes prima difficilis & in arduo: vbi verò quis eam spem fuerit ingressus, adsunt hominum studia & ministri non desunt: Ac proinde eorum, qui tyrannidem affectant, studia primo quoque tempore vi deturbanda: & ij necandi, qui tales deprehenduntur: vel eorum ministri.

Histriones

6 In Rebusp. bene moratis histrionum immodestia seuerè est coërcenda. *Sic sub Tiberio Rom. Sen. cons. cens.*

Principes tantùm designati.

7 Principibus iis qui tantùm sunt designati, viuo adhuc prædecessore, est maximè cauendum, ne se illi pares faciant, eodémque cum eo gradu & loco & fauore publicè priuatimque se coli patiantur, aut eosdem honores sibi delatos admittãt, comitatũ tam frequentẽ habeant, nimiùm illam spem vrgeant, præferant, & iactent: denique ne quicquam ad regnum obtinendum moliri videantur. Summum enim prædecessoris adhuc regnantis odium in se hac ratione concitant & sibi perniciem parant. *Sic fily Germanici odio à Tyberio habiti, & ipsa quoque Agrippina, seque illi euerterunt.*

Principi exprobrata beneficia.

8 Principi collata beneficia neque obscurè, neque apertè sunt à Priuatis vel proceribus illi exprobanda vel nimiùm iactanda. *Sily exemplum sub Tyberio.*

Tyrannorum astus.

9 Tyrannorum est, potentes de Rep. bene meritos occultis odiis per veteres inimicos à se incitatos euertere, & sceleribus suis honestos tamen prætextus & iura vetera prætexere. *Tacitus.*

Seditionũ initia.

10 Seditionum initia primo quoque tempore extinguenda.

Tyrannorum astus.

11 Vbi delatorum auctoritas magna, & læsæ Principis maiestatis crimen frequens obiicitur, ac boni cuiusque viri inuadendi ac fatigandi vel tollẽdi prætextus est, ibi maximæ Principum tyrannidis durissimæque initia ac fundamenta collocantur. *Sic sub Tyberio illecti præmiis delatores.*

Reip. formæ tres.

12 Tres sunt in vniuersum Reipub. formæ. Nam cunctas nationes & vrbes populus, aut primores, aut singuli regunt. Delecta ex his & constituta Reipub. forma est.

Populi ingeniũ cognoscendũ.

13 Noscenda populi, quem regere vis, natura est: quique eam callet, prudens dicitur. *Tacitus.*

Reip. forma nulla perfecta.

14 Constituta Reip. forma laudari faciliùs, quàm euenire id est, perfecta haberi potest: & si euenit, haud diuturna esse solet. *Tacitus.*

Tyrannidis onus.

15 Sub tyrannis nihil tutum est. Nam dicta, scripta, facta, somnia recitata, & quæ duntaxat sunt meditata, in crimen læsæ Maiestatis vel religionis læsæ rapiuntur. *Sic sub Tiberio, Caligula, Nerone,*

Opera publica.

16 Quæ magistratus vult & citò, & accuratè esse perfecta ipsemet curet, alij non deleget.

Princeps famæ cõtemptor ne sit

17 Plerunque euenit vt qui Principes famam hominum contemnunt, iidem etiam contemnant virtutes; & præclarum quidpiam, dum viuunt, agere negligant. *Taciti sententia.*

Consilia principum.

18 Principes eò difficiliùs consilia capiunt, quòd etiam famæ suæ rationem habere coguntur & debent. *Tiberij sententia.*

Aulici coniugia maiora ne affectent.

19 Aulici, quantumuis gratiosi, matrimonia sua sorte longè potiora semper cum magna aliorum aulicorum inuidia, & suo cum contemptu & periculo ipsi ambiunt: oblata verò à Principe non prudenter aspernantur. *Sic Seianus euersus sub Tiberio. M. autem Agrippa euectus sub Augusto.*

Aulici ambitiosi, & Reip. gubernacula affectantes.

20 Aulicorum affectantium gubernacula Reip. hæ sunt artes, vt Principes à rebus publicis cognoscendis auertant, illisque voluptates pro huiusmodi tædio obiiciant: aut in secessus aliquos & peregrinationes procul à concilio publico abducant. Tunc enim ipsi rerum omnium arbitri fiunt. *Sic Seianus Tiberium abduxit.*

Vrbes munitæ vt obsideantur.

21 Inuia & ardua oppida, præsidia, & castella non nisi munitis aliis circa præsidiis commode obsidentur. *Sic Thraces in montibus obsessi à Romanis.*

Deditio.

22 Coacta fieri deditio muniti alicuius oppidi & castri, proxima quoque dedere cogit. *Sic Sabinus Thraciæ loca recepit.*

Legati distinendi.

23 Tandiu mollibus responsis hostes sunt distinendi, donec exercitum iustum collegeris, aut rerum tuarum securitati prospexeris. *Sic Sabinus Thrasibus illusit.*

Reginæ ad secundas nuptias cõuolãtes.

24 Quando principes fæminæ ad secundas nuptias conuolant, magnum futuris Regni successoribus periculum creari plerunque solet, & multum ex Rep. petitur. *Sic Tiberius sensit de nuptiis Agrippinæ.*

Procerum suspiciones.

25 Procerum suspiciones mutuæ, licet falsæ aliorum in alios, eos in mutua odia concitant, ac tandem euertunt. *Sic Agrippina euersa propter suspicionem suam in Tiberium.*

Insidiæ quibus facilè fiant.

26 Ferocia Principum ingenia & libera magis patent insidiis. *Sic Drusus vterque filius, & nepos Tiberij.*

Militibus vulneratis prospiciẽdum.

27 Post magna prælia, vel clades à Repub. acceptas, in ciuitate humana & bene morata sauciis, egenis, & afflictis procerum ædes patere solent, vt eorum largitione & cura afflicti sustententur. *Sic post cladem Fidenis acceptam.* Idem à Regibus quoque fieri debet, vt afflictos extraordinariè subditos, de suo subleuent. *Sic Tiberius Cæsar in incendio montis Cælij.*

Aulicis assentatoribus

28 Sub Tyrannis, maximè ab aulicis, ac omnibus tyranni fauorem captantibus, cauendum est bonis omnibus, & ne quid

bus arcana tua ne comitas. illis secreti sui communicent. *Sic Sabinus euersus à Latiare Senatore.*

Vectigalia immoderata. 29 Nimia in exigendo tributo seueritas; itemque nimium ipsum tributum impositum, mouet subditos frequenter ad seditionem. *Sic Gallia, sic Frisij, sic Hispania sub Tiberio*

EX LIBRO SEXTO
ANNALIVM CORN. TACITI.

Tyrannos perdunt. 1 Tyranni vbi semel se suúmque statum sibi videntur in tuto collocasse, tunc sese omni turpitudini, libidini, sæuitiæ, & auaritiæ dedunt. *Sic Tiberius sublato Seiano.*

Adulatio. 2 Nimiæ in tyrannos adulationes sunt iis tum suspectæ, tum exosæ, & ipsis adulatoribus sæpè exitiabiles. *Sic Gallioni sub Tiberio.*

Tyrannos perdunt. 3 Ipsis quoque Tyrannis sua flagitia & facinora in arcanū supplicium vertuntur: & sæpe suas ipsi pœnas & cruciatus, quos in animo sentiunt, fateri coguntur. *Sic Tacitus de Tiberio.*

Principatus nouus. 4 Noua & inusitata potestas æquitate eius, qui eam gerit, tandem probatur, & inualescit. *Sic Romæ Præfectura Vrbis sub Mæcenate & Pisone.*

Vsura. 5 Annonæ caritas, & fœneratorum auaritia, atque præter legum edictum exactio ad seditionem populum mouent. *Sub Tiberio hoc contigit S. Galba & L. Sylla Coss.*

Præfecti prouinciarum qui. bus formidabiles? 6 Qui extremis Regni finibus & Prouinciis præpositi sunt, aut magnis exercitibus præsunt, formidabiles sunt tyrannis, & nisi ab iis Prouinciis discedant, non facilè à tyrannis trucidantur. *Sic Getulicus tutus sub Tiberio.*

Bellum in alios trásferendum. 7 Est prudentis Principis, arma externorum procul à se remouere, acproinde eos ipsos astu & consiliis suis inter se committere & distinere. *Sic Tiberius Parthos.*

Barbarorū ingenium quale. 8 Barbaris cunctatio quæuis seruilis: statim quiduis exsequi; regium habetur. *Taciti sententia.*

Tyrannorum astus. 9 Tyranni quos vi aperta non audent tollere, necant veneno: vel dissimulatione & donis apud se retinent. *Sic Artabanus Proceres Persarum.*

Inter certandum terret. 10 In præliis fama etiam falsa occisi Ducis sed credita, illius partes terret. *Sic in certamine Orodis & Pharasmanis.*

Peregrini milites scelerum ministri. 11 Externi milites mercenarij, & custodes corporis, facilè fiunt Regibus ministri scelerum. *Taciti sententia.*

Tyrannus fugiens. 12 Tyranno cedenti & fugam è regno capessenti instandum, nam collectis viribus statim est rediturus. *Sic Artabanus Parthorum Tyrannus.*

Democratia quid. 13 Populi imperium iuxta libertatem. Paucorum dominatio, regiæ libidini propior est. Hanc igitur tyranni præferunt populi libertati, & potius obtinere volunt. *Sic Artabanus constituit in Selencia.*

Metropolis primum occupāda. 14 Dum nouum imperium iustè occupatur, cuius rex est adhuc superstes aut aliquis ex eius factione, non circa castella immorandum; sed Regia eius imperij primùm inuadenda, deinde interiora regni petenda, & cunctantium accedere ad nouum Regem dubitatio ostentatione armorum est tollenda. Denique non nimium tribuendum vni cuipiam aliis omnibus exoso & suspecto aulico. *Peccatum hac ratione à Tiridate, & à Bardane.*

Amor in odium versus. 15 Qui deceptus est in eo quem delegit ad imperandum, & quem priùs amabat; credendus est, si eundem, quem priùs delegit, accusat postea, verè odisse. Neque enim odium simulare aut fingere is solet. *Taciti sententia.*

EX LIBRO VNDECIMO
ANNALIVM CORN. TACITI.

Tyrannis suspecti qui? 1 Tyrannis sunt suspecti omnes opulenti, validis generosisque propinquitatibus subnixi: item viri militares, & strenui qui militibus præsunt. *Taciti sententia. Sic Corbulo Claudio.*

Delatores. 2 Delatorum & accusatorum præmia tollenda omnino; aut moderanda. *Sic Senatus sub Claudio.*

Principatus nouus. 3 Nouus Princeps initio regni in Proceres aut populares seuerior, omnes in se concitat, & ferè deiicitur vel occiditur. *Sic Bardanes, sic Gotarzes Parthi deiecti; sic Italus in Germania.*

Obsides retineri qui possint. 4 Obsides ex suspectis gentibus vicinis vel remotis retineri à nobis satius est, vt pacem nobiscum illi incolant. *Sic Romani Imperatores fecerunt, dum Parthorum, Cheruscorum, Germanorum Regum filios habent obsides.*

Factiosi qui? 5 Falsò & insidiosè libertatis nomen obtenditur ab iis, qui priuatim degeneres, in publicum exitiosi, nihil spei, nisi per discordias, habent. Itaque hi statim, vt seditionis auctores, tollendi. *Taciti sententia.*

Populi prædæ expositi. 6 Qui populi dites sunt imbelles, facilè aliorum, & præsertim bellicosorum vicinorum, prædationibus patent. *Sic Gall. Germanis.*

Militaris disciplina obseruāda. 7 Imperatoris in disciplina militari seruanda seueritas; tum exercitum confirmat & bellicosiorem reddit; tum etiam hostem terret.

Miles fictus. 8 Exercitus absque disciplina & labore in castris populationibus & latrociniis potiùs vacat, quàm rei militari. *Sic Germanicæ legiones ante Corbulonem.*

Peregrini Senatores. 9 Etiam extranei modò fidi, prudentes, ingeniosi, & Reip. vtiles sæpe possunt imò, debent ad extraneæ Reip. gubernacula & Senatum admitti. *Hoc Claudius Imperator in Senatu disseruit. Sic Romæ multi aduenæ Senatores facti.*

Censor magistratus. 10 In quauis Reip. forma bene constituta publicorum morum Censor aliquis sincerus est deligendus, qui eos corrigat. *Sic Romæ Censores fuerunt.*

Familia Principis sit sancta. 11 Summorum Imperatorum & Regum vxores sæpè turpissimæ adulteræ extiterunt, quæ suis maritis periculum crearunt. Itaque prospiciant illi, vt sancta sit sua familia. *Sic Messalina Claudij vxor.*

Princ... vt mon... 12 Principes tutiùs cautis quàm acribus consiliis admonentur de suis vitiis. Itaque multi periculo aut displicendi metu ab iis monendis abstinent. *Sic Liberti Claudij formidant monere Messalinam.*

Princ. offensus. 13 Princeps quantumuis grauiter offensus, priùs securitati, quàm vindictæ suæ consulat. *Sic amici ad Claudium.*

EX LIBRO DVODECIMO
ANNALIVM CORN. TACIT.

Aulici potentes. 1 Aulici tunc quiduis pro libitu suo exequuntur æquum vel iniquum, cum Principis neque iudiciū, neque odiū est, nisi ab illis ipsis aulicis iussum aut inditum, id est, cùm illi ipsi Principem in potestate sua habent. *Taciti sententia.*

Incest. 2 Incesta coniugia etiam apud profanos damnata, & ne à Regibus quidem ipsis, nisi cum summa cunctatione & rarò celebrata. *Sic Claudius dum Agrippinam neptem ducit in vxorem.*

In electiuis imperiis mutationes... 3 Etiam in electiuis regnis non sunt vsui crebræ Regum mutationes. Itaque ferenda sunt regum ingenia. *Claudij sententia.*

Certā... quand... 4 Imparatus ne prælium excipiat; sed cunctetur, & flumen, & munimenta hosti lacessenti obiiciat. *Sic Gotarzes aduersus Meherdatem.*

Peregr. exerci... 5 Muniti oppidi expugnatio ab externo exercitu statim facta terrorem eius omnibus iniicit.

Victi supplicat... 6 Sæpè victi ad victorem confugientis summa miseria & ingenua supplicatio eum ad misericordiam flectit. *Sic Eunones Mithridati Pontico pepercit.*

In ... tempo... ceden... 7 Præstat arduum & difficile bellum euitare, honestis conditionibus hosti concessis, quàm se cupiditate vindictæ in incertum Martis euentum coniicere. *Sic Claudius Mithridati concessit, ne triumpharetur.*

Tyra... 8 Tyrannidis occupandæ astutus modus ratióque est, extraneos legitimis successoribus præferre honesto prætextu, vel adoptione, vel publicorum munerum honestiorum delegatione; item remouere honestis ex causis eos qui legitimis successoribus fauent: vel criminationibus tollere. *Sic Agrippina filium Neronem Britannico præposuit.*

Regin... zelotyp... 9 Principis mulieris zelotypæ est in alias mulieres, quas suspectas habet, odium implacabile. *Sic Aggrippina in Lolliam & Calphurniam sub Claudio.*

Hostis primi... 10 Hostis opprimendi facillima tunc ratio, cùm prædabundus, & improuisus vagatur. *Sic Pomponius Cattos oppressit.*

Cert. quand... 11 Qui hosti ad præliandum est impar, sese castellis contineat. *Sic Vannius Sueuus peccat sub Claudio.*

Vicini ... ligera... bus q... agendi 12 Vicinis prælio & bello inter se certantibus, vicina vtrique loca nostra sunt valido paratóque subsidio firmanda, ne victoriâ elatus vicinus nostram quoque partem turbet. *Sic Claudius rescripsit Attilio Histro.*

Seditio ... tim e... guend... 13 Sociorum defectioni, vel subditorum rebellioni antequam confirmetur, est primo quoque tempore vi obuiam eundum. *Sic P. Ostorius Britannis deficientibus.*

Co... deduc... quē. 14 Coloniæ in veteres & obstinatos hostes deducendæ, vt faciliùs in officio contineantur & domentur. *Sic in Britannia colonia Camalodunum deducta.*

Cert... quan... 15 Tunc maximè miles in aciem & prælium deducendus, cùm alacri animo & infenso in hostem ob iniuriam quam putat sibi ab hoste factam, prælium poscit. *Sic semper Imperatores Romani.*

Vi... vtend... mode... 16 Plerumque post cladem acceptam acriùs incumbunt in vindictam victi præsertim generosi. Itaque & moderatè, non barbarè vtendum victoria: & victoribus etiam post partam victoriam nihil est de pristina diligentia remittendum. *Sic Britanni exarserunt capto Caractaco.*

De ... mitte... ad vi... Hos... exerci... 17 Spolia & præda ex hostibus capta & ad vicinos honoris ergò missa, eos nobis conciliat, & sæpe in eosdem hostes prouitat. *Sic Silures Britanniam commouent.*

18 Durior aut contumeliosa vox Imperatoris hostilis exercitus

citus in nos audita & pronunciata, sæpe nos acriùs ad bellum incitat: aut priùs quietos excitat tanquam iam ad exitium destinatos aut contemptos. Itaque ea semper est abstinendum. *Sic Silures excitauit. vox P. Ostorij.*

19 Quantum fieri potest, agri nostræ regionis colendi, vt ex iis nobis annona abundet potius, quam vt duntaxat inuectitio & incerto, id est, casibus exposito frumento viuamus. *Tacitus sic ea de causa accusat Italos.*

20 Is quem in regno successiuum nimiùm præceps regnandi libido nimiumque festinata rapit, tum in ipsum antecessorem suum adhuc viuum, tum in vicinos multa partim vi, partim dolo & scelere molitur. Itaque omnibus est cauendus. *Sic Rhadamistus.*

21 Semina odiorum & bellorum inter vicinos nobis populos vt plurimum tutam pacem nobis præstant. *Sic Quadrati responsum.*

22 Vbi discordibus eiusdem regni prouinciis discordes Præfecti præponuntur, facilè discordiæ inter Prouinciales quoque crescunt, & latrocinia inde bellaque tandem exardescunt & excitantur. *Sic inter Galilæos & Samaritanos Felice & Cumano præsidibus.*

23 Tributis non sunt onerandæ Prouinciæ quæ bellis fuerint vexatæ & depopulatæ. *Sic Claudius Byzantios.*

24 Magnas imperiorum mutationes præcedere plerumque solent prodigia. *Sic mortem Augusti & Claudij præcesserunt.*

25 Principis matrem aut sororem aut cognatas nimium opibus & auctoritate crescere in Reip. administratione nunquam tutum est. Nam cùm per se est muliebre ingenium insolens & superbum, tum etiam auarum & crudele. Itaque optimos quosque & quidem astu & dolo, aut falsis accusationibus, aut simultatibus inter eos excitatis perdunt istæ potentes fœminæ. *Sic Agrippina sub Claudio & Nerone.*

EX LIBRO DECIMOTERTIO ANNALIVM CORN. TACITI.

1 Tyrannis suspecta est tota eorum, quos iniustè trucidarunt, familia. Itaque in eam quacunque arte vel vi possunt, delendam grassantur, estque huic ab iis semper timendum. *Sic Iunio Silano ab Agrippina occiso.*

2 Tenerâ adhuc principis ætate, prodest aduersus eos qui nomine principis impotenter, crudeliter, vel auare imperant, alios opponere. Principi admouere, & dignitatibus cohonestare qui moderati sint, & ingenio mansueti & inter se concordes. *Sic Agrippinæ oppositi Burrhus & Seneca.*

3 Nihil lætius populo, aut principi nouo fauoribus, quàm si veterem Reip. formam restituat; & sua cuique Magistratui munia relinquat. *Sic Nero in primo quinquennio.*

4 A regibus plura consiliis & nominis fama & auspiciis, quàm telis & vi geruntur.

5 Quale sit futurum noui principis ingenium & regimen, apparet ex iis, quos primo muneribus publicis præficit. Si enim bonos & egregios viros eligit amicos & Magistratus, bonum & felix regimen futurum est: Sin malos, & gratia, pecunia, vel ambitu potius quàm virtute subnixos admouet, infelix futurum est. *Sic populus Romanus de iuuenta Neronis.*

6 Fama in nouis cœptis validissima ad multos nobis conciliandos: itaque eius fauore apud animos iam ea præoccupatos, vtendum. *Sic Corbulo vsus ea.*

7 Repentina aulicorum qui consilia & mores principis improbant, & postea eosdem laudant, mutatio animi semper principi & aliis aulicis, vti insidiosa suspecta esse debet. *Sic Agrippina suspecta Neroni.*

8 Sæpe leuiora mala domestica principi concedenda, quo à grauioribus & publicis malis abstineat. *Sic Acte liberta permissa Neroni tamen coniugi.*

9 Periculosum est, neque vnquam cuiquam subdito bene ac feliciter tandem cedit, si se à suo principe metui velit; & id conetur vel facit. *Sic Pallanti, sic Agrippinæ malè cessit.*

10 Qui in spem futurarum ac excitandarum seditionum aluntur, fere ab ipsis, à quibus alebantur, principibus, vi aut veneno trucidantur. *Sic Britannicus à Nerone occisus.*

11 Nihil tam fluxum est, quàm potentia non sua vi nixa, sed aliena duntaxat fauore. *Tacitus de Agrippina deiecta à Nerone.*

12 Est prudentum consiliariorum, irritatum principis animum lenire, non accendere, & detractatorum ac delatorum fraudibus obuiam ire. *Sic Seneca & Burrhus Neronem aduersus Agrippinam placant.*

13 Quæ prouinciæ inter vicina Imperia magna intermediæ iacent, præsertim quum rege carent, sunt vtriusque imperij direptioni & iniuriis obnoxiæ. *Sic Armenia inter Romanum & Parthicum imperium.*

14 Exercitus in luxum & lasciuiam & otium dilapsus difficiliùs & impatientiùs exercetur, & ad munia reuocatur, quàm si primùm collectus militaribus oneribus assuescat, & fatigetur.

15 Qui satellites principum iniusta & atrocia eorum iussa sunt executi, tandem & ipsi a Deo aliis in eos suscitatis puniuntur. *Sic Suilius damnatus sub Nerone satelles Claudij.* (Satellites scelerum principis. Ciues vt puniuntur.)

16 Multorum ingenia in pace & otio lasciuiæ luxui dedita, si munera illis demandantur, sese emendant, & ad bonam frugem conuertunt. *Sic Otho sub Nerone.*

17 Nihil, scorto aulico, id est nobili muliere (quæ scortari cum principe cupit) periculosius, procacius, aut astutius. *Sic Poppæa Sabina.* (Meretrix seu scortū aulicum.)

18 Tributis & vectigalibus nulla Resp. aut imperium nedum magnum, carere potest. *Sic exhibitus Nero, qui omnia remittere volebat.* Sed seuerè sunt castigandi qui in iis immodestè & auarè versantur publicani. (Vectigal necessariū.)

19 Publicas rationes cuiusque tributi & vectigalis extare, ne quam publicani fraudem faciant, oportet. *Sic Senatus sub Nerone.* (Vectigaliū rationes.)

20 Irruentes noui populi non temerè aut facilè sinendi loca nostra aut nobis vicina occupare. Inde enim postea nos propellunt. *Sic Frisij, & Ansibarij prohibiti à Romanis.* (Barbari ingruentes, & irruentes.)

EX LIBRO DECIMOQVARTO ANNALIVM CORN. TACITI.

1 Qvæ mulier quamtumuis princeps se semel dominandi libidine, adulterio vel incesto polluit, ad omnia alia & stupra & flagitia eiusdem dominationis retinendæ gratia sese facilè prosternit, & exercet. *De Agrippina matre Neronis.* (Reginæ ambitiosæ.)

2 Cùm cuiuis alij homini, tum imprimis principi molestissimæ & intolerabiles sunt subditi alicuius minæ, & exprobratio collati in eum beneficij: itaque eos, qui ista exprobrant, vel minas inferunt, princeps trucidare quoque modo solet. *Ea de causa Agrippina à Nerone trucidata, quamuis mater.* (Subditus quem meruit princeps.)

3 Crudelis & feri principis animus iratus, prius in quempiam è suis & statim postea mutatus & in eundem comis ac blandus, certissimum est exitij in eundem machinati & constituti ac futuri breui tempore prognosticum. *Sic Nero in Agrippinam matrem.* (Principis repentina mutatio.)

4 Principum scelera non linquit inulta Deus. *De Agrippina matre Neronis, quæ multos occiderat, & à filio occisa est. De Nerone ipso exterrito, & postea seipsum occidente.* (Princeps sceleratus.)

5 Maturè in earum artium odium inducendus princeps quæ eum dedecent, vti Aurigarum, Ludionum, Citharistarū, Pictorum, reliquarumque similium: Principis enim in huiusmodi rebus occupatio ac studium tum illi parit dedecus ac contemptum; tum à cura Reip. auocat; tum denique ingenio stolidum & impudentem reddit. *Sic Nero.* (Artes principem quæ dedecent.)

6 Vt gens quæque segnis ad pericula: sic infida, si qua occasio rebellandi datur. *De Armeniis Tacitus.* (Populi ibi fidi qui.)

7 Ducis belli hæc summa prudentia, vt vtatur clementia aduersus supplices, celeritate aduersus fugientes; seueritate aduersus sese occultantes vel resistentes. *Sic Corbulo in Armenia.* (Ducis clementia.)

8 Quum coloniæ deducuntur, non singuli & sparsi ex variis vrbibus vel vexillis collecti; sed collectæ tribus & vicinæ vel vexilla simul mittenda. *Sic peccatum à Nerone dum Tarentum mittit colonias.* (Coloniæ vt deducēdæ.)

9 In eos qui sese sponte dediderunt, aut vltrò subiecerunt, sæuitia, & quidem primo quoque tempore adhibita, eos ad seditionem concitat. *De Icenis Britannis. Maximè verò in ipsos Regionis illius Principes insignis contumelia & iniuria facta.* (Ducis clementia.)

10 Vnius oppidi quantumuis egregij conseruatio, non est totius regionis, & belli summæ & necessitati præferenda: sed illud deserendum est potiùs quàm rerum summa periclitetur. *Sic Suetonius reliquit Londinum.* (Vrbs non præferēda toti suæ regioni.)

11 Discordes in exercitu aut Prouincia duces amouendi. *Sic Suetonius & Catus discordes omnia perturburbant in Britannia.* (Discordia in exercitu.)

12 Aulicum prudentem, vbi animum principis erga se mutatum, & crescere qui sibi inuideant agnoscit, oportet discedēdi ex aula honestam veniam maturè petere, honoribus cedere, quàm pati, vt ex ea eiiciatur à principe. (Aulico ex aula quando discedēdum.)

13 Aulicorum tyrannicum ingenium esse ex eo appatet, quòd vbi primùm asciti & principi admoti fuerint, bonos ex aula amouent, vel calumniantur; & principem ferociorem faciunt statim. *Sic Tigellius apud Neronem egit.* (Aulici tyranni.)

14 Ii valde suspecti & metuendi de seditione, qui in Regno Proceres sunt nobilissimi, pauperes tamen & auari, & audaces. (Proceres de seditione suspecti.)

15 Iniustorum scelerum à principe iussorum ministri odiosi fiunt ipsis quoque principibus, quorum iussa impia sunt executi. Nam quasi exprobantur ab illis aspiciuntur. *De Aniceto.* (Satellites scelerum principis.)

EX

EX LIBRO DECIMOQVINTO ANNALIVM CORN. TACITI.

Imperia magna vt ftant & cōferuentur.
1 Magna imperia non quiete & ignauia retinentur, quum lacessuntur; sed virorum, armorumque aduersus hostes lacessentes certamine.

Tyrannorū ſententia.
2 Tyrannica vox est, id in summa fortunâ æquius, quod validius, & regium esse, non tantùm sua retinere, verùm etiam aliena occupare.

Hoſtis irruens vt auocandus & arcēdus.
3 Hosti in nostram regionem irruituro itinera præcludenda, commeatus & aqua adimenda: præsidia in ipso regionis aditu fortissima opponenda; & quæ vrbes primæ obiiciuntur, commeatu & valido milite muniendæ. *Sic Corbulo aduersus Vologesem.*

Obſidionis ars neglecta.
4 Qui populi in acie tantùm valent & prælio: in exequendis verò obsidionibus; & vrbium oppugnationibus nihil norunt, aut possunt, exiguam militiæ partem didicerunt. *Sic Parthi.*

Pax vt quærenda.
5 Quum sumus imbecilliores vel imparati, præstat honesto pacis amicitiæ nomine cum potentiore hoste pacisci, si qua fieri potest; quàm obstinatione aut superbia animi in armis perstare, in quibus vel nostram imbecillitatem, vel metum prodamus. *Sic Vologeses Parthorum Rex cum Corbulone.*

In itinere annona deficiens.
6 Magnus in exercitu ducum semper error est de commeatu exercitui iter suscepturo priùs non prospicere. *sic Patus damnatus, Corbulo laudatus.*

Consilium ſpretum.
7 Qui Imperator exercitus neque in suis, neque in alienis sanis consiliis constans est, facilè seipsum & exercitum euertit. *sic Pætus à Vologese fusus.*

Exercitus timidus vt fiat.
8 Tunc fit timidissimus & dilabens exercitus, adeò vt ne seipsum quidem aut sua tuendi curam retineat, cùm iam clade aliqua recepta perterritus, totus ex alieno auxilio & accersito pendet, à quo omnia recuperatum iri sperat & sibi persuadet. *sic exercitus Pæti, Corbulone accersito.*

Victoria domunum Dei.
9 Amissa prælia fatentur ethnici ipsi esse documenta & exempla à Deo edita contra eorum qui victi sunt, superbiam.

In castra hoſtium quomodo veniendū.
10 Absque obside ne dux hostilis exercitus in castra hostilia veniat

Tyrannis ſuſpecti.
11 Tyrannis sunt ij suspecti qui nobilitate generis pollent præ cæteris, vel eadem officialium nomina domi vsurpant, quæ habet tyrannus ipse. *sic Neroni suspectus Torquatus Silanus.*

Religionis perſecutio.
12 Solitus tyrannorum & familiaris astus ad Christianos opprimendos illis causam omnium publicarum calamitatum falsò tribuere. *sic Nero Christianis incendium Romæ tribuit.*

Coniuratio in tyrannum.
13 In coniurationibus contra tyrannos susceptis etiam imbelles, molles, fœminæ, milites, familiares ipsius tyranni facilè reperiuntur & consentiunt: tantum est omnium ordinum in eos odium; non tamen cuiuis communicandæ.

Idem.
14 Coniurationis contra tyrannos executio properanda, non cunctatione differanda; aut inani honestatis specie disturbanda, aut in loco publico coram omnium oculis patranda. Multos enim etiam ad misericordiam commouet. *sic Pisonis coniuratio in Neronem irrita.*

EX LIBRO DECIMOSEXTO ANNALIVM CORN. TACITI.

Tyranni formidoloſi.
Vel sola Pæti & Thraseæ mors sceleratissimè à Nerone imperata, quàm sint boni tyrannis formidolosi & irreconciliabiles ostendit.

EX LIBRO PRIMO HISTORIARVM Cornelij Taciti.

Tyrannidis malum & infelicitas.
1 Sub tyrannis, & iniustè imperium occupantibus, omnia sunt bellis ciuilibus, proditionibus, mutuis cædibus, exiliis plena: imò vero gesti antea honores pro crimine, & virtutes procertissimo exitio habentur, tanta est nimium eiusmodi status Reipub. calamitas. *Tacitus.*

Anarchia.
2 Præstat sub malo principe esse, quàm sub nullo. *Exemplum bellorum ciuilium post mortem Neronis.*

Miles conciliandus.
3 Qui deturbato tyranno militibus gratioso imperium occupat, milites donatiuo, ac muneribus statim sibi conciliet.

Familiaritas.
4 Idem familiares sibi optimos viros & strenuissimos, non autem ignauos, exosos, aut flagitiosos statim adiungat Nihil crudeliter agat: Metropolim regni statim adeat, & occupet. Denique magnum specimen comitatis, benignitatis, & virtutis edat. *sic peccatum à Galba.*

Plebis ingenium.
5 Difficile est plebi vel totam libertatem pati, vel totam seruitutem.

Proceres ambitio.
6 Qui proceres imperium sibi destinant, quantò magis se ea spe decidere vident, tantò celeriùs in Regnantes coniurant. *Sic Otho in Galbam.*

In proceres liberalitas.
7 Etiam profusas superiorum Regum libertates in proceres, ab iis proceribus repeti est periculosum, eosque ad coniurandum facilè ea res impellit. *sic coniuratur in Galbam.*

Bella ciuilia qui exitus habeant.
8 Bellorum ciuilium ij sunt exitus, vt non tantùm fiant, quæ victores volunt; sed etiam vt iis sit mos gerendus quibus adiutoribus parta est victoria. *Cicero ad Cornificium in ... familiar. Apparet ex omnibus bellis ciuilibus quæ sequ. libris describuntur à Tacito.*

Consilia bona.
9 Scelera impetu, bona consilia mora conualescunt. Itaque primus sceleratorum impetus primo quoque tempore vel infringendus est, vel obiectis impedimentis ad tempus retardandus, vt euanescat.

Bella ciuilia qui auctores suscipiant.
10 Neque tutum, neque firmum est bellorum ciuilium tempore in plebe tenui & seruitiis auxilium, vel præsidium, vbi procerum regni vel Reip. consensus cum parte populi nobis aduersatur.

Mendacium creditum.
11 Creditum vel ad breue tempus mendacium, plurimas rei præclare gerendæ occasiones corrumpit vel eripit. *sic credita falso cædes Othonis perdidit Galbam.*

Tyrannis inuadens.
12 Qui primùm tyrannicè inuadere cupiunt imperium, plebem, & gregarios milites seruiliter in exercitu demereri potiùs solent quam ipsosmet eorum duces, aut Reip. Proceres. *sic Otho dum inuadit imperium, contra Galbam.*

Consilia statim exequenda.
13 Nullus cunctationis locus est in eo consilio exequendo, quod non potest laudari nisi peractum. *Otho.*

Idem.
14 Infelicia sunt consilia quæ capiuntur tunc, cùm eorum tempus effugit *Tacitus.*

In principem missa.
15 Admissa in prædecessores suos reges successores eorum ferè vindicant, quòd vltionem eam existiment sibi munimentum esse in præsens ac posterum, ne quidpiam simile in se quoque ab aliis attentetur.

Militaris disciplina dissoluta.
16 Ducum & centurionum auaritia & crudelitas in milites dissoluit disciplinam militarem: & milites ipsos auaros & latrones facit: itémque inopes, & bella ciuilia appetentes. *Sic Otho vocationes quæ redimi solebant, fiscu...*

Imperia hæreditaria.
17 Minore procerum inuidia & discrimine sumitur princeps, quàm quæritur. *Tacitus.*

Plebs irritata.
18 Quos furori plebis subtrahere velis, vincias, & quasi ad maiorem pœnam destinatos custodias. *Sic Ciuilis seruatus sub Vitellio. Sic Marius Celsus sub Othone.*

In bellis ciuilibus festinandum.
19 In bellis ciuilibus nihil festinatione tutius. Nam ibi facto magis, quàm consilio est opus, itaque qui cunctantur vel trepidant, statim inuadendi. *Cæcinnæ sententia ad Vitellium. Sic Otho censet quoque. Sic periit.*

Miles prudens in exercitu.
20 Multa feliciter succedunt, vbi milites, quamuis sit dux ignauus, munia ipsi sua per se obeunt, & Ducis partes implent. *Sic in exercitu Vitelly.*

In bellis ciuilibus odia ciuitatum.
21 Priuatâ vicinarum vrbium, aut prouinciarum odia, in bellum publicum, ciuile aut externum, si quod excitatur, facilè deriuantur. *Sic odia Lugdunensium & Viennensium.*

Idem.
22 In bellis ciuilibus frequens est, vt Duces partium in sese mutuo parent insidiatores, vel veneno sese occidere tentent. *Sic Otho Vitellium, contràque.*

Idem.
23 In bellis ciuilibus frequens est Vrbium & Prouinciarum modò ad has, modò ad illas partes mutatio & inclinatio. Fides enim aut amor metu aut necessitate facilè tunc mutantur. *Tacitus.*

Bellum ciuild.
24 In bellis ciuilibus ferè res externæ sine cura habentur. *Tacitus.*

Certamen equeſtre.
25 Quæ gens valet equestri tantùm, non etiam pedestri certamine, multa incommoda pati solet. *Sic Roxolani Sarmatæ.*

Terāt princ tus n Pax R...
26 Principatus scelere quæsitus, subditâ modestiâ, & priscâ grauitate neque regitur, neque retinetur. *Tacitus.*

27 Pax & dignitas Reipub. incolumitate Senatus publici, & illius auctoritatis conseruatione nititur & firmatur. *Otho.*

In Bellis ciuilibus faciet...
28 In bellis ciuilibus sunt specie & pretextu militiæ Proceres omnes, præsertim suspecti, ab ipso Duce partium abducendi ex vrbibus; & secum in castris habendi.

EX LIBRO SECVNDO HISTORIARVM Cornelij Taciti.

Imperium quomodo...
1 Imperium propter quod vi inuadendum duo alij inter se confligunt, tertius interim vtrisque defessis, aut inter se pugnantibus facilè occupat. *sic Vespasianus Othone & Vitellio dimicantibus.*

Seditio nascens.
2 Frequens seditionum, aut ciuilium bellorum, aut militum in vna quadam regni parte vsus, & turbatio, alias quoque eiusdem regni prouincias & milites alioquin quietos commouere, & ad idem audendum impellere solet. *sic exercitus Syriæ commoti exemplo Italicorum, qui Othonem & Vitellium elegerant.*

3 Multa

3 Multa hominum genera, diuersa tamen ratione, ciuile bellum capiunt: alij amore Reip. vt bene constituatur; alij ambitione; alij auaritia; alij odio regentium. Itaque facilè concitari illud potest & solet. *Tacitus.*

4 Facilè est impostoribus, qui defunctis regibus sunt facie staturaque corporis similes, imperium ad tempus eorum nomine simulato occupare. *Sic seruus quidam se Neronem esse finxit.*

5 Victor exercitus facilè vincitur, si eum post victoriam incautum & securum statim aggrediaris. *Sic Vitelliani in Gallia Narbonensi vincunt Othonianos.*

6 Iis facile inuidemus, quos priùs in æquo nobiscum conspectos postea recenti fortuna illustres intuemur. *Tacitus.*

7 Vt belli, præsertim ciuilis, initia eueniunt, cætera postea creduntur. *Cæcinna.*

8 In bellis ciuilibus ducis & exercitus modestia plurimos in suas partes traducit: eorundem verò immodestia ac crudelitas quam plurimos ab iis vel arcet, vel abigit.

9 In bellis ciuilibus priùs aliquid strenuè audendum & agendum, quàm senescat nostri exercitus fama. *Cæcinnæ exemplum.*

10 In ciuilibus bellis ferè plus militibus, quàm Ducibus licet. Itaque iis etiam turbidis multa sæpè sunt à Ducibus condonanda. *Valentis Fabij sententia.*

11 Ægrè ferunt milites, imminente periculo ab hoste, se robori exercitus parte spoliari, eámque a se diuelli: itaque ea diducta vel seditiones mouent; vel ignauiores redduntur ad pugnam: ac proinde tunc maximè totus exercitus est retinendus. *Sic in exercitu Valentis dispersis Batauis.*

12 Multa bella impetu primo valida, per tædia & moras tandem euanescunt *Suetonius Paullinus.*

13 In bellis ciuilibus publicæ priuatæque opes, & immensa pecunia ferro validior est: Item copia commeatus Auctoritas ordinum, & Vrbs capitalis regni. Itaque fere ij meliore loco sunt, qui in ciuilibus discordiis ea penes se habent: & iidem per moras bellum trahere faciliùs possunt. Sed tamen ea omnia strenuitas partis aduersæ eripere vel cunctanti; vel imbelli parti, vel victæ potest. *Suetonius Paulinus Mucianus.*

14 Bellorum neruus pecunia.

15 Rarò ea prælia feliciter succedunt, quæ contra prudentum Ducum consilia committuntur. *Sic Otho victus.*

16 Ab ea pugna, & certamine, vbi de summa rerum semel agendum ac decertandum est, periculosissimè semper summus Princeps abesse solet. Nam eius absentia & Duces & Milites timidiores facit: & partem exercitus ad ipsius custodiam, & sæpe etiam meliores abducit. *Sic Otho peccauit.*

17 Magna militaris scientiæ pars est obseruare hostis imprudentiam ac temeritatem, eaque ad tuum commodum & victoriam vti. *Sic Cæcinna & Valens vincunt Othonianos.*

18 Bellis discordiisque ciuilibus assuetæ gentes aut milites, vix pacem domesticam ferunt. *Tacitus de Romanis post Syllæ & Cæsaris bella ciuilia.*

19 Victis militibus vnicum in consensu inter se mutuo, præsentiáque animi leuamentum. *Anny Galli sententia.*

20 Difficile est temperare felicitati, qua te non putes diu vsurum. *Othonis sententia. Statius.* Non parcit populis breue regnum.

21 In bellis ciuilibus etiam post partam victoriam non statim pax: sed varius metus, & præsertim victæ partis Proceribus restat. *Sic mortuo Othone Senatus, qui cum eo erat, fatigatus: & Romæ cædes facta.*

22 In bellis ciuilibus victoris crudelitas in victos milites animos suorum etiam sæpè à sese alienat. *Sic Vitellius Illyricanos milites à se alienauit.*

23 In bellis ciuilibus victores milites difficillimè in officio inter se, & modestia, præsertim ambitioso vel luxurioso Principe, continentur. *Sic Vitelliani victores petulantissimi.*

24 Imperium cupientibus nihil medium inter summa aut præcipitia. *Vespasianus.*

25 Eorum consilia solent esse tutiora, qui sese periculo & consilio socios nobis adiungunt.

26 In bellis ciuilibus sollicitandæ semper in nostras partes, vrbes, exercitus, & Prouinciæ vel dubiæ, & adhuc nutantes, vel etiam aduersariæ. *Sic Vespasianus egit.*

EX LIBRO TERTIO
HISTORIARVM
Cornelij Taciti.

1 Priusquam bellum ciuile iustè suscipiatur, prospiciendum Duci ei partium, qui amans erit Patriæ, ne interim limites regni hostibus extranei & vicinis exponantur; aut prorsus præsidio iusto destituantur. *Sic Vespasianus fecit missis ad Parthos legatis. Sic Pannonicus exercitus sumptis Iazygum Principibus.*

2 In bellis ciuilibus spes aduersam partem tuentibus facienda eorum omnium retinendorum, si nos sequantur; quæ apud hostes habent. *Sic Cæcinna victus.*

3 In bellis ciuilibus ducum aduersæ partis ad nos defectio, magnum ad res illius ad nos inclinandas momentum affert. *Sic Bassus deficiens ad Vespasianum, Vitellium perdidit.* Idem.

4 Expugnatæ vrbis præda ad militem; deditæ ad duces pertinet. Prædæ vrbis expugnatæ.

5 Obsidio nisi prouisis rebus ad eam necessariis suscepta aut nunquam, aut rarò feliciter cedit: nunquam autem noctu oppugnatio vrbis tentanda. *Antonij Primi consilium.* Obsidio.

6 Exercitus, quantumuis magnus, sed sine duce prælians, facilè funditur ab exercitu minori, qui à bono duce regitur. *Sic Vitellianus exercitus fusus.* Exercitus vincitur.

7 Stratagema hoc, nempe fama sparsa de superuenientibus auxiliis in ipso prælij feruore, facilè terret hostes & fugat. *Sic Antonius Primus Vitellianos fregit.* Stratagema.

8 Testudo scutorum à militibus facta magnam in oppugnationibus vrbium ad murum subeundum commoditatem affert. *Sic Antoniani in oppugnanda Cremona.* Oppugnatio.

9 In bellis ciuilibus maxima crudelitas, præsertim in captas vrbes, & in captiuos exerceri solet. *Sic à Flauianis actum in Cremonenses & Vitellianos.* In bello ciuili crudelitas.

10 In rebus desperatis, & in quibus remedio citissimo est opus, semper est teterrimum media consilia ancipitia, aut cunctationes sequi. *Sic Valens damnatus.* Consilia media vbi spernenda.

11 Magna viris militaribus indignatio oboritur, quum laborum & periculorum militarium præmia ij assequuntur, qui illis periculis nunquam interfuerunt. *Antonius Primus ad Vespasianum scribens.* Militum indignatio.

12 Stulta est dissimulatio cladis acceptæ facta à Principe, cui resarciendæ idem non prospicit. *Sic Vitellius stolidus.* Clades acceptæ non dissimulanda.

13 In metu publico consilia prudentum, & vulgi rumor imprimis auditur. *Tacitus.* Consilia & rumor.

14 Initia bellorum ciuilium & præliorum præmittenda fortunæ: Victoria verò eorundem consiliis & ratione perficitur. *Antonius Primus.* Belli ciuilis gerendi ratio.

15 Tempore bellorum ciuilium periculosè in aduersæ partis castris, oppidis, & exercitu versantur ij, qui alterius partis Ducem sanguine vel affinitate contingunt. *Sic Sabinus frater Vespasiani periculosè fuit Romæ.* Cautio in bello ciuili.

16 Semper est periculosa nobis ea pugna, in qua interiectus equiti pedes est, & depugnat ex parte hostium contra nos. Certamen periculosum.

17 Curandum Ducibus exercitus, ne in eam vrbem, quam à rapina & incendio, & cædibus seruare volunt, asperatus miles ingrediatur: & ne iure belli potius, quàm ex pactione ea vrbs recipiatur. Vrbs vt à rapina seruetur.

EX LIBRO QVARTO
HISTORIARVM
Cornelij Taciti.

1 Difficillima est in bellis, præsertim ciuilibus, victoriæ moderatio. Nam etiam duces ipsi, qui accendendo bello acres sunt, temperandæ victoriæ sunt impares. *Post necem Vitelli.* In bellis ciuilibus victoria.

2 Nullum maius boni imperij est instrumentum, quàm viri boni Principis amici. *Heluidij Prisci sententia.* Firmamentum imperij.

3 Cùm semper interest, qui ad principem à Regni Ordinibus seu Proceribus delegentur, & illi adiungantur: tum verò quum est primum omnium excipiendus. Nam ex eorum, qui primùm ipsi occurrunt, ingenio, & qui illi ex proceribus dantur, princeps quos probare, quos reformidare debeat, statuit. Itaque semper quidem, sed tunc maximè, innocentissimi, sanctissimi, honestissimíque sunt ad eum delegandi, qui ipsius aures honestis primùm sermonibus imbuant. *Heluidij Prisci sententia.* Principis noui ingenium vt formandum.

4 Maximè vitandum, ne quorundam peruicaciâ & in alios simultate noui principis animus irritetur statim, tunc enim & vultus, & sermones omnium maximè circumspectant. Itaque ij nouo Principi adiungantur, qui neque ambitione, neque inimicitiis suis ducantur. *Marcellus Ephrius* Idem.

5 Etsi vetera exempla sunt nobis proponenda ad imitandum: tamen præsens Reipubl. status est persequendus: estque sapientis se ad eum, quantùm bonâ conscientiâ potest, accommodare. Reip. status à priuatus tolerandus.

6 Principes boni voto quidem expetendi: qualescumque tamen tolerandi. Princeps qualiscunque tolerandus.

7 Tyrannis dominatio sine fine grata est & expetitur: bonis autem Regibus etiam modum libertatis imponi placet, ac gratum est. *Marcellus Ephrius.* Tyrannis res effrenis.

8 Publica paupertas & sumptus publici, summi Magistratus imperio subleuandi ac moderandi. Reip. paupertas à principe subleuanda.

9 Longinquarum regionum nobis subditarum, neque Principes neque Populi ipsi irritandi: nam facilè seditionem mouent. *De Ciuili & Batauis.* Regionum & prouinciarum longinquarum præfecti.

10 Exercitus

Exercitus fraus.

10 Exercitui externo maximè periculoſa eſt fraus exercitus indigenæ cum eo coniuncti. *Sic Ciuilis in Batauis Romanos perdidit.*

Bellum ciuile.

11 In populi imperióque magni & potentis bello ciuili facilè eſt illius Prouincias ſpe libertatis ad defectionem impellere. *Sic Ciuilis impulit Gallias & Batauos.*

Seditionis initiis eſt occurrendum.

12 Defectionis ſeu rebellionis ſubditorum initiis maturè eſt occurrendum: miniméque ea vel per ignauiam, vel per conniuentiam alenda. Difficile enim poſtea ſeditio defectióque adulta coërcetur. *Sic peccat Flaccus Hordeonius etiam dum Batauos dimittit.*

In bellis ciuilibus ducum concordia.

13 In bellis ciuilibus inter eiuſdem partis duces concordia maximè, ſi vſquam, neceſſaria. *Sic Ciuilis Labeonem remouet.*

Conſilia quæ ſequenda.

14 Neque proditoris, neque hoſtis conſilio temerè vtendum.

Annona exercitui deficiens.

15 Maximus Ducum exercitus error, dum annonæ ſiue itineri, ſiue obſidioni neceſſariæ maturè non conſulunt. *Sic peccant Lupercus & Rufus.*

Dux in odio.

16 Ducis odium ab exercitu conceptum efficit, vt aut totus ipſe exercitus pereat: aut Dux ille, quique illi fauent, ſit remouendus. *Sic Vocula, Gallus, Hordeonius, & alij perierunt.*

In certamine auxilium ſuperueniens.

17 In medio certamine vni parti ſuperueniens auxilium quantumuis exiguum; vel fama de hoſtium Ducis nece ſparſa, totius victoriæ momentum ſæpe affert. *Sic Ciuilis mors credita fudit totum eius exercitum.*

Bellum fouet quis.

18 Is fouere bellum meritò creditur, qui hoſtem, quem ſemel delere potuit, ſæpiùs velut è manibus dimiſit. *Sic Vocula ſuſpectus.*

Poſt principem malum dies quis optimus.

19 Optimus eſt, poſt malum Principem, ferè dies primus. Facilè enim langueſcit ſtudium recuperandæ libertatis.

Seditio in exercitu.

20 Tumultuantis & ſeditionem mouentis extenuandi & ſedãdi optima ratio eſt, vt ſinguli & carptim ex eo milites honeſto prætextu dimittãtur, vel ab eo auellantur. *Sic Mucianus.*

Imperij munimenta firma.

21 Non legiones, non claſſes perinde ſunt firma imperij munimenta quàm numerus liberorum: in regnis tamen Electiuis ſæpè grauiſſima bella inter eos exoriuntur.

Subditi cõiurantes vt ſeparentur.

22 Prouinciarum, quæ ex compoſito ab eodem imperio (cui antea parebant) deſciſcunt, parum diuturna eſt concordia, quum vtraque de imperio ad ſe trahendo agit. *Sic Gallia à Batauis ſtatim diſſenſit, & Tutor à Ciuili.*

Idem.

23 In defectione communi quarundam Prouinciarum ab imperio, cui omnes ſuberant, vnius duntaxat earum à communi illa defectione pœnitentiâ vel clades cæteras percellit, & ferè inſtitutum deſerere cogit. *Sic Remi Galliarum defectionem ſiſtunt.*

24 Tædio & obiectâ difficultate futurorum facilè homines perſuadentur, vt præſentibus ſint contenti.

25 Remiſſa virorum auxilia faciunt vt ſociæ ciuitates & ſubditæ vectigalia lubentiùs pendant. *Sic Cerialis egit cum Gallis.*

26 Nouo Duci exercitus cauendum eſt maximè, ne licentia, ſæuitiáque militem imbuat & ne ſe ab eo regi patiatur. *Sic laudatur Cerialis.*

27 In exercitu ex pluribus diuerſiſque legionibus compoſito cauendũ, ne iurgio aut rixa vnus alteri obiiciat, priora in bello peccata. Itaque ſeueræ pœnæ de eo ſtatuẽdæ. *Sic Cerialis.*

28 Tributa ſunt omnino neceſſaria Reipub. Nam neque eius quies ſine armis: neque arma ſine ſtipendiis: neque ſtipendia ſine tributis haberi poſſunt.

29 Bonorum Principum vſus ex æquo à vicinis & remotis ſubditis ſentitur. Sæuorum autem crudelitas à proximis inter quos verſantur, maximè percipitur.

30 Quomodo ſterilitatem, nimios imbres, & cætera naturæ mala; ita luxus & auaritia dominantium toleranda. *Cerialis.*

31 Germani in exercitum acciti auxiliares non iubentur, non reguntur, ſed cuncta ex libidine agunt. Galli verò præda ſunt victoribus.

32 Spoliorum legendorum nimia auiditas pulcherrimas victorias corrumpit. *Sic Ciuilis, Tutor, Claſſicus ſimul victi à Ceriale.*

EX LIBRO QVINTO HISTORIARVM
Cornelij Taciti.

1 QVi belli duces ſunt conſiliis ſubditi, iidem euentu clari plerunque ſolent, ſed magno ſuo malo militaris diſciplinæ curam negligere. *Sic Cerialis.*

2 Poſt infelicem rebellionis ſucceſſum populus facilè inclinari ſolet ad vetus obſequium repetendum, præſertim promiſsâ omnibus impunitate. *Sic Batauí & Ciuilis ad officium reuocati.*

3 Honeſtiùs maribus Principibus, quàm fœminis, quantumuis egregiis, paretur.



FLORILEGIVM POLITICVM
EX PHILIPPO COMINÆO

Pedites.

1 EDITES & leuis armaturæ milites cùm ſunt pauci, vix proſunt; cùm multi, iuuant.

Victoria vnde?

2 Etſi victoriæ ſunt à Deo prudentia tamen & ſtrenuitas Ducum nihilominus requiritur, eáque in huiuſmodi rebus maxima. *Cap. 5. & 19.*

Principum ruinam anteit.

3 Superbia anteit ruinam, eſtque illius proximè venturæ indicium certiſſimum. *Cap. 21. in fine, & capite 32. in fine, & cap. 63 in fine.*

Princeps militaris.

4 Princeps animo quidem militaris, ſed iuſtitiæ belli contemptor nequaquam felix tandem eſt. nam ſibi ſuiſque exitium accerſit. *Cap. 49.*

Impietas.

5 Quibus in politiis nullus eſt verus Dei metus, in iis neceſſe eſt extare vel ſummas Magiſtratus crudelitates in ſubditos, vel ſubditorum inter ſe ſeditiones, vel externorum hoſtium in eas Reſp. bella grauiſſima, vel ſæpe hæc ſimul omnia.

Princeps domeſticarum rerum negligens.

6 Princeps ſua negotia ipſe non tractans, facilè ſubuertitur, & vtilia ſibi conſilia repudiat. *Cap. 44. in fine. & 45. & 47.*

Idem.

7 Princeps minimè œconomus, ſed ſua temerè donans aut diſſipans, paulatim ſe ſuóſque exhaurit, ac deſeritur etiam à ſuis domeſticis.

Princeps quos ſibi conciliet.

8 Illi imprimis ſunt conciliandi cuiuis Principi, qui apud alterum principem poſſunt plurimùm auctoritate, vel prudentiâ, vt illius vicini Principis tum conſilia facilè detegantur tum conatus auertantur. *Cap. 61.*

Subditus quem metuit princeps.

9 Qui ſubditus Principem ſuum metu ſic terret, vt Princeps ab eo pendeat, ipſe verò auctoritatem ſibi principis trahat, infelicem exitum habet tandem. *Cap. 47. & 61. & cap. 62.*

Certamini ſumma rerum vix committenda.

10 Raró, aut nunquam tota ſumma rerum eſt prælio committenda. In quo qui victus erit, ſtatim ſpectet & exequatur quidpiam, quo ſuorum animos erigat. *cap. 19. & 32. in fine, & 35. in fine, & 36.*

11 Magna mutatio rerum ſequitur ex victoriæ etiam paruæ momento *cap. 21.*

12 Bella inter Principes potentes facilè excitantur, difficilè inter eoſdem ſedantur. *cap. 33.*

13 Indictiones fiunt propter neceſſitates Regni. Reges autem dominio ſuo contenti eſſe debent, ad ſe & totam familiam exhibendam. *cap. 51.*

14 Princeps ſummus ne alterius ſummi principis, maximè cum quo antea vel bello vel verbis contendit, poteſtati vnquam (ſi fieri poteſt) ſeſe committat. *cap. 33.*

Franciſco I. Regi malè ceſſit. Ludouico quoque vndecimo, qui ſe commiſit Carolo Duci Burgundiæ, Dauid Gothorum Regi malè ſe commiſit, Carolus ſimplex Comiti Veromanduo, cap. 36.

15 Legati externi honeſtè quidem excipiendi; veruntamen & obſeruandi & citò dimittendi. *cap. 57.* & iidem, ſi potes, in tuas partes trahendi. *cap 70.*

16 Princeps facilè vel decipitur, vel deiicitur, qui ex alieno & imprimis ex vnius duntaxat conſilio & virtute pendet. *Sic olim dux Britanniæ. cap. 61. cap. 44.*

17 Conſiliarij bellorum, fautores & conflatores, a Deo puniuntur. *cap. 61.*

18 Princeps facilè euertitur, qui nullo niſi ſuo ipſius conſilio vtitur. *Sic Carolus Caroleſius periit. cap. 94. in fine.*

19 Parricidium vel crudelitas Principis non manet impunita. *cap. 63. cap. 139. cap. 132*

20 Principum ſtatus punitur à Deo. *De Comite Sancti Pauli. Comminæus vbique.*

21 Hoſti ambitioſo danda eſt plura, quàm efficere poſſit, amplectendi occaſio. *cap. 63.*

22 Infidelitas (quòd non timentur Dei minæ) eſt fons & cauſa in Principibus eorum ſcelerum quæ perpetrant. *cap. 111.*

23 Absque Ordinum Reip. decreto nihil magni momenti decerni est æquum *cap.64.109.*

24 Irrumpentibus hostibus vicinis sunt loca illis obiecta munienda præsidiis validissimis:non autem acie statim decertandum. *cap.46. Sic Rex Galliæ Ludouicus vndecimus.*

25 Regis est pauperum querelas audire, iisque ius dicere. *cap.51.*

26 In omni calamitate cogitatio ac consilium de fama & existimatione nominis conseruanda, debet postponi consilio de seruanda rerum summa, & tota Republ. *Exemplum Maximi Fabij, exemplum Carolesij in obsidione Nuzij. cap. 65. & 68. in fine operis.* Nam ad quem lucrum belli ad eundem laus quoque belli pertinet. *cap.94. cap.73. in fine de Ludouico petente pacem.*

27 Occasiones quæ sponte se offerunt, aut diu quæsitæ sunt, non omittendæ. *cap. 47.*

28 Factionum & nouorum consiliorum auctoribus & Principibus re ipsa, id est, ipsa experientia demonstrandum, quid & quantum mali ea ratione pateant & postulent. *cap.79. de duobus Anglis quos secum Rex Angliæ trans mare in Galliam deduxit.*

29 In singulis Rebuspublicis vnam esse Metropolim vrbem necesse est, quæ sit summæ auctoritatis. Facilius enim eius exemplo cæteræ parent & continentur in officio.

30 Vrbs Metropolis vt sit maximæ in toto Regno auctoritatis, constituatur præcipuum pietatis exemplum & sacrarium: item vltimus iuris administrandi & dicundi forus & gradus: denique, honoratissima maiestatis regiæ sedes. Maximè enim hæc tria fauorem hominibus conciliant.

31 Potentissimum ac fortissimum regnum est, cuius Prouinciæ omnes situs, & finibus inter se coniunguntur. *cap.81.*

32 Crudelitas Principis à Deo vindicatur. *2.parte cap.112. De Richard rege Angliæ capite 1. de rege Ferrando Neapolitano, & cap. 17.*

33 Nullum Principum aut Reipublicæ scelus tandem Deus relinquit impunitum *cap.8.* Nam cùm maximè florens & quietus eorum status videtur, tunc calamitates à Deo immittuntur. *cap.111. & cap 112.*

34 Principes duriùs à Deo, quàm priuati puniuntur. *cap. 111. cap. 49.*

35 Ab acquisitis de nouo subditis debent clementer tributa & leniùs exigi, quàm sub prioribus principibus. *cap.84.*

36 Periuria Principum & hypocrisis punitur à Deo. *cap.47. 48.49.*

37 Cùm victoria de hostibus sæpè ex leui occasione contingat, prudenter acies instruitur sic, vt qui primùm in acie stant aut hosti occurrunt, sint strenuissimi, atque non facilè perterreantur. *cap.5. de victo Carolo Carolesio ab Heluetiis.*

38 Amissum prælium multa incommoda sequuntur. Itaque rarò de summa rerum tota prælio decertandum. *Exemplum in Carolo duce Burgundiæ cap. 85. & cap.89.87.*

39 Respublica felix, in qua qui imperat Princeps, timet Deum. *cap.49. in fine.*

40 Nimia vindictæ cupiditas etiam post calamitatem acceptam sæpè Principes funditus euertit. *cap. 88. & 90. in fine.*

41 Obsessæ vrbi maturè succurrendum, præsertim vbi qui Dux strenuus in ea esse censebatur, vrbemque tuebatur, extinctus est. *cap.90.*

42 Non auditis iis, qui arcana se prodituros pollicentur, sæpe magnæ occasiones prætereuolant. *cap 92.*

43 Non quiuis socij, sed potentes assumendi sunt, quorum societas non sit nobis onerosa, sed auxiliaris. *cap. 47. de Italis.*

44 Fides violata, cuicunque fuerit data, tandem à Deo punitur. *cap.92. de Carolo Carolesio.*

45 Pugnæ seu prælio nulli, qui nobis suspecti, aut qui aliorum fuerunt proditores, interesse concedantur aut permittantur. *cap.9.*

46 Cura de castris rectè circumdandis & claudendis in exercitu & militia sit Principi præcipua. *Sic Romani. Sic Carolus Carolesius apud Comin. cap. 92.*

47 In rebus dubiis ac periculis imminentibus eæ conditiones accipiendæ, quæ aliquid spei certæ relinquunt. *cap.44 & 47. de Rege Carolo.*

48 Legati ad exteros Principes missi magnam in rebus & statu illorum Principum cognoscendo prudentiam & diligentiam adhibeant, nequid postea suadeant suis principibus à quibus mittuntur inutile, aut falsum. *cap.9. in fine.*

49 Ingratitudo seu impietas Principis sibi non autem Deo, laudem suæ potentiæ & felicitatis tribuentis, tandem à Deo punitur. *cap. 95. & cap. 96.*

50 Tyrannorum exitus ferè sunt tragici *cap. 135.* Nam vbi regnatur tyrannicè populus res nouas expetit ...

51 Principem dat populis Deus, prout eos vult vel castigare, vel subleuare. *cap.69.*

52 Consiliarij mali aut Principis ipsius iudicium imminutum, est magnum Dei in Regnum iudicium. *cap. 111.*

53 Assentatores non quæ conducunt, sed quæ Principi placent ac grata sunt, consulunt. *cap.94.* Itaque à fidelibus consiliariis discernendi. — Assentatores.

54 Cauendum Principibus, ne nimia & inexspectatâ prosperitate inflati bona consilia, quæ priùs omnino conducere sciebant, repudient, aut mutent. *De Ludouico vndecimo cap. 59.* — Consilia bona ipernuntur.

55 Principes tum maximè Deus eripit ex hoc mundo, vel euertit, quum magna moliuntur, sibique videntur felicissimi. *cap. 50. de rege Carolo octauo.* — Principes moriuntur.

56 Magna cœpta magno exactoque consilio suscipienda. *cap.100.124. de duce Maximiliano.* — Magna cœpta.

57 In magnis cœptis exequendis non tantùm audacia, sed etiam constantia, virtute & quidem extraordinariâ opus est. *cap.102. cap.8. Sic Carolus VIII. in expeditione Neapolitana.* — Constantia.

58 Discordiæ hostium augendæ, vt crescas *De Ludouico vndecimo & Gardauen. sibus. cap. 105.* — Discordia hostium.

59 Obsidio summis viribus & exercitu semper magno vrgeatur, vt sit, quam potest fieri, citissima expugnatio. 125. — Obsidio.

60 Vicini Principis ruentis portiunculas vicini Principes variis modis & modiis semper decerpunt. *Exemplum in Venetus. cap.46.* — Princeps ruens.

61 Principes semper metuunt ne ipsorum auctoritas vllo pacto imminuatur. *cap.45.* — Principis metus summus.

62 Populus si læsit Principem suum, fit humillimus, & placet eum magno obsequio. — Princeps offensus.

63 Suspiciones & detractiones in Principum aulis sunt & ipsis Principibus, & eorum famulis causæ magnorum malorum. *cap.45.* — Aulicorum detractiones.

64 Cuique regno Deus aliud vel regnum, vel oppidum, vel Principem vicinum, & æmulum opposuit, tanquam contrarium & frænum, quo temperatior sit vtriusque potestas. cohibeaturque. *cap. 107 in fine & 106.* — Imperium imperio Deus opposuit.

65 Regis sapientis est inquirere ea, de quibus illi suspicio iniicitur: non autem ea celare, eamque suspicionem alere. *cap. 45 in fine.* — Suspiciones principes ne alat.

66 Iustum est militem, cui sua stipendia persoluuntur, à vi & contumelione prohiberi vel puniri. *cap. 105. circa finem.* — Miles rapax coërcendus.

67 Honestæ conditiones & piæ repudiatæ nequicquam postea poscuntur, imò à Deo vindicantur. *cap.44.47.93.* — Conditiones honestæ repudiatæ.

68 Vltra dominium Princeps nihil potest iustè & absque tyrannide exigere à subditis, nisi eorum consensu & concessione. *cap.106. 109 & 140 de imperatore Turcarum in fine.* — Princeps exigere quæ possit.

69 Fortior est Princeps & externis formidolosior, qui ex sui populi consensu & consilio bella gerit, & administrat res regni, quàm qui suo ipsius duntaxat consilio. *cap.108. in fine & cap.110.* — Princeps quando vicinis formidolosus.

70 Bella quærentibus & fouentibus multa semper infortunia accidunt, multæque clades. *cap. 108. in fine.* — Populi bellorum cupidi infelices.

71 Senatorum, Consiliariorum, aut Præfectorum belli auaritia in quouis statu Reip. non tantùm ignominiam, sed etiam exitium Reip. accersit. *cap. 46.* — Consiliarij auari.

72 Ordinum regni cuiusque debet esse summa auctoritas. *cap.108. in fine & 109. & 110* etiam in extraordinariis exactionibus aut tributis indicendis. *cap. 129.* — Ordinum regni auctoritas quæ.

73 Vbi protelatione opus est, non statim responsio danda, sed promissis & legatis semper nouis, qui superiùs cum aliis acta nesciant, est agendum. *Cap.116.* — Protelatio.

74 Coniugiis sunt regna ditionesque vicinæ, quantum fieri potest, nostris adiungendæ. *c.116. & 117. de Ducissa Burgundiæ.* — Coniugij vis.

75 Externi Principis, itemque comitatus illius mores: victus, & habitus vix ac ne vix quidem tolerantur diu nisi se ad subditorum mores accomodet. *cap. 117.* Omnino verò si eiusdem Principis comites ea officia & administrationes regni, quas indigenæ tenere solent, petant aut habeant, sequitur seditio periculosissima — Princeps externis moribus assuetus displicet.

76 Miserrima est eius populi conditio, qui peregrinum Principem eligere compellitur, quòd indigenis ad regnandum aptis careat. *cap. 118* — Resp. externo principe egens infelix est.

77 Litium multitudo & pragmaticorum numerus in dies minui debet, vt sint diuites priuati in quouis ordine. *cap. 125 Ludouico rege vndecimo* — Pragmaticorum numerus regno detrimentosus.

78 Principem successurum plures spectant, colunt & admirantur, quàm senem Principem iam caducum. *cap. 137. Pompey dictum.* Plures aspiciunt solem orientem quàm occidentem — Princeps successurus ferè colitur.

79 Deus dat regna, & admit. *cap 128.* — Regna à Deo.

80 Principum vita est plena curarum, sollicitudinis, & laboris. *cap.127 128.* — Principum vita.

81 Bella sæpè extraodinario quodam motu, qui à Deo datur principibus, suscipiuntur. *cap.1.* — Bella.

82 Inter pares eiusdem Reip. Proceres aut Officiales facilè nascitur inuidia, fit, vt eorum alteruter sit abigendus. *cap.1. de Ludouico & Sancto Seuerino, Io. b & Amasia.* — Inter proceres inuidia.

83 Mercatoribus, à quibus pecuniam accepit Princeps, seruet fidem. *cap 9.* vt postea mutuâ pecuniam accipere possit. — Mercatoribus à Principib. fides seruanda.

84 Exercitum temperantem esse oportet, præsertim inter eos qui nobis fauent & conciliandi sunt. *cap.11.* — Exercitus inter socios qualis esse debeat.

Exercitus inter socios qualis esse debeat. Populi furori cedendum.

85 Populi armato furori cedendum est ad tempus. *De Petro Mediceo cedente.*

86 Discordiæ in exercitu iam dilabente sunt certissima extremi eiusdem exitij auguria præsentissima. *cap. 46. de seditione orta in exercitu Montpenseri in Neapolitano regno.*

Exercitus discordiæ. Tyrannorũ familiæ.

87 Tyrannorum familiæ vllæ vix 120. annos totos vnquam regnarunt, aut durarunt. *De domo Medicea. cap. 13.*

88 In Aristocratico statu cauendum, ne vnius familia nimiùm diu regnet, *vti Florentiæ Medicea. cap. 13.*

Aristocratia.

89 Vbi neutra pars in pacta vel conditiones positas consentit, media quædam via aut personæ vtrique venerandæ eligendæ aut proponendæ sunt, qui postulata temperent. *cap. 41.*

Media via ineunda.

90 Cùm populi peccata punire vult Deus, excitat hostem cui resisti non potest, & cui omnia ex voto succedunt. *Tota historia expeditionis Caroli VIII. Regis Francorum Neapolitanæ. cap. 15 16. 17.*

Hostis inexpectatus.

91 Impietas principum punitur à Deo. *De regibus Neapolitanis. cap. 17.*

Impietas principum. Populi vox, vox Dei. Princeps crudelis. Victoria negligentiores ne nos faciat.

92 Populi vox, vox Dei. *cap. 17.*

93 Princeps crudelis nunquam strenuus & fortis. *cap. 17.*

94 Vincendum & victoriâ vtendum celerrimè, nihilque victor propterea remittat de sedulitate & diligentia. *cap. 20.*

95 In nouo regno non temerè veteres officiarij deponendi. *cap. 54. de Ludouico XII.*

96 In nouo regno, & populo & nobilibus gratificandum est. *cap 20. & 34.*

In principatu nouo officiarij veteres retinendi & nobilibus gratificandũ & omnia accuratè disponenda. Hostes non plures irritandi.

97 In nouo regno omnia sunt accuratè & diligenter disponenda & munienda. *cap. 24*

98 Plures hostes simul non irritandi, præsertim in periculo eminenti: sed æquis conditionibus illi placandi, aut paciscendum cum æquiore. *cap. 25. & 26. de Duce Aurelio: & cap. 27. vbi de Genua agitur.*

99 Vires exercitus in periculo non minuendæ, sed colligendæ. *cap. 25. & 26.*

Exercitus non minuendus. Bella Dei verbo confirmata.

100 Cùm bella à veris Dei seruis sunt prædicta vel probata, ea res magnum in animis hominum, vt victoriam sperent & fortiter pugnent, habet momentum. *cap. 25. de fratre Hieronymo.*

Principum incestus.

101 Coniugia incestuosa etiam in Principibus à Deo punita. *cap 46. in fine.*

De hostiũ viribus fama nocet.

102 Opinio de maioribus hostis viribus timorem & cunctationem dimicaturis sæpè periculosam iniicit. *cap. 30.*

Veneno nõ tollendus hostis.

103 Veneno etiam aduersus hostem abstinendum. *cap. 31.*

Animus hosti non addendus.

104 Dum prælium expectatur, cauendum ne animos hostibus addas *cap. 81.*

Prædandi libido victoriam adimit.

105 In conflictu auaritia libidoque prædandi vt plurimùm perdit victoriam *cap. 23.*

Mendaciũ creditum.

106 Mendacium creditum, quanquam sæpè non fallit diu, magnum tamen habet in vtramque partem momentum *cap. 39.*

Proni ad prælia.

107 Prælium facilè poscunt & flagitant inexperti, vt Togati. *cap. 40.*

Diffidentia vt prosit noceatque.

108 Diffidentia prudens consilij fons est; at imprudens est perpetua propriæ ruinæ & ingentium malorum conciliatrix, est autem imprudens quæ ne mediis quidem prudenter prouisis confidit. Certissimum aduersus tyrannos remedium populi diffidentia. *cap. 45. in fine 51. in fine 52.*

Periuria Principũ.

109 Periuria Principum à Deo puniuntur. *cap. 47.*

Principum vicinorum inter se offensiones tollendæ.

110 Offensiones Principum vicinorum quantumuis ab initio leues, tollendæ aut mitigandæ, quia tandem bella grauissima pariunt. *cap. 1. Exempla Caroli Ducis Burgundiæ, & cap. 12. & 13. de Ducibus Diorchi & Lanclastri.*

Parta malè.

111 Malè parta nec diu retinentur nec facilè. *cap. 46.*

Concilium quibus personis constare debeat.

112 Concilium publicum diuersis personis, iisque diuersæ conditionis constare debet, vt sit tutius. *cap 47. in fine.*

Concordię bellum.

113 Concordiâ res paruæ crescunt, discordiâ maximæ dilabuntur, rerumque benè gerendarum occasiones amittuntur. *cap. 26.* est denique discordia præcursor ruinæ. *cap. 27.*

Fides seruata.

114 Fides hosti seruata, quem fallere potueris, magnam probitatis apud omnes laudem, & magnum vt alios ad te alliciat, momentum habet. *cap. 28. & 33. in fine.*

Fides principum. Institutio à teneris.

115 Fides, rara virtus, ac propterea in Principe multos illi conciliat *cap. 33. in fine.*

116 Qui magna præstare cupit, statim à teneris annis virtuti, rectæque educationi assuescat. *cap. 18. in fine.*

Principes vicini videant se mutuò rarò.

117 Principes summi aut rarò, aut nunquam sese mutuò coram videant, si diu concordes viuere, & alter in alterius admiratione esse velint. *cap. 13.*

Princeps historiæ ignarus.

118 Princeps rerum, imprimisque historiæ ignarus vel prudenti consilio destitutus, suumque regnum in summas tandem calamitates coniicit. *cap. 34. cap. 108. & 119.*

Princeps humanus.

119 Principi humano ac misericordi sua humanitas tandem rectè cedit, licet quosdam inueniat ingratos. *cap. 32.*

Princeps modestus.

120 Princeps modestus plurimos sibi conciliat. *cap. 17. & 18.*

Victoriæ fons iusta causa.

121 Qui vincere cupit, Deum æquitate causæ & belli à se suscepti, in suis partibus habeat *Sanguinini comitis dictum.*

122 Vis consilij expers, mole ruit suâ. *cap. 49.*

Vis consilii.

123 Ad dissipandas seditiosorum hominum iam collectas vires & consilia, quæuis conditiones politicæ, quæ neque Dei cultum tollant, neque Regni leges fundamentales euertant, acceptandæ. *cap. 15.* modò Reip. & Magistratui auctoritas sua salua maneat.

Seditio tollenda disturbanda.

124 Sæuitia & crudelitas Principum siue in suos, siue in extraneos, tandem à Deo punitur. *cap. 20. de Ducibus Angliçis ex familia Lancastrica & cap. 132. de Richardo Rege.*

Princeps crudelis.

125 Princeps hostem suum non metuens stolidus est, facileque superatur. *cap. 51. de Edouardo rege Anglorum contemnente comitem Varuici. & c. 51. in fine, & 53. & 119.*

Principes cõmmunicant hostis interceptas literas. Fœminis vsus in bus politicis.

126 Per fœminas sæpe fiunt communicanturque absque suspicione tutiùs, quæ per viros expediri absque suspicione non possunt. *Exemplum regis Edouardi. cap. 51. & 85.*

127 Item per ignotas & viles personas sæpe commodiùs literæ deferuntur *cap. 73.* Verùm per easdem magnorum consiliorum & negotiationum effecta exequutioni difficilè mandantur, etsi facilè per eos istarum rerum initia iaciuntur. *cap. 100. & 101.*

Personæ viles & profunt. Pacis compendio via.

128 Vrbs atque pax tutiùs & compendiosiùs pecuniâ & comitate emitur ab hoste, quàm certamine comparetur. *Exemplum regis Ludouici XI. eam ementis ab Anglo. cap. 75. & cap. 113. & 114. & 125. de rege Ludouico vrbes emente.*

Procerum factiones.

129 Procerum eiusdem regni factiones semper periculosæ regno. Itaque statim extinguendæ. *cap. 75. in fine. & 122.* nunquam alendæ, *cap. 138. in fine.*

Vicinos conciliat calamitas.

130 Calamitas communis diffidentes antea vicinos Principes inter sese facilè conciliat, & coniungit. *cap. 84 de Ducissa Sabaudiæ & Tigrane.*

Cladis remedium.

131 In calamitatibus Principum primum & præcipuum remedium est, recurrere ad Deum. *cap. 90. de duce Burgundiæ.* Secundum amicum quempiam fidum habere, cui communicent tutò & liberè sua consilia; &, quæ salutaria sunt, audiant.

Consiliarii fideles sunt retinendi.

132 Qui strenuè & prudenter constanterque Reip profuerunt, absque causa grauissima minimè destituendi, & de gradu suo deiiciendi. *cap. 133. cap. 1. de fratribus Galeacij S. Seuerino & Ludouico expulsis à Cicone Secretario.*

Princeps ruens contemnitur.

133 Calamitas magna ac clades accepta reddit Principem tum vicinis tum subditis contemptiorem, minúsque postea metuendum. *cap. 90. de Carolo duce Burgundiæ.*

EX PLATONIS

MENEXENO.

Præmia fortibus danda.

1 IN Rep. bene moratâ, rebus præclarè gestis laus & præmium tribuitur.

Politia quid?

2 Politia in genere est disciplina ac regula, nutrix & custos eorum morum, quibus homines variè siue ad turpem, siue ad honestam vitam informantur. Nam si bona fuerit Reip. forma, boni homines sunt futuri; Sin contra, mali. Danda itaque est opera, vt politia bona eligatur ac instituatur.

Democratia qui...

3 Democraticæ politiæ ratio minimè postulat, vt omnia ex populi arbitrio gerantur: sed vt ita sit summa penes populum potestas, vt multorum quoque negotiorum sit summa penes Senatum auctoritas. Imò omnium senatus sit auctor cum approbatione populi. *Sic Athenis, sic Romæ*

Magistratus qui tribuendi.

4 In tribuendis Reip. muneribus, vnius maximè virtutis, non census, non generis, non virium, cæterarúmque rerum externarum ratio habenda.

Nobilis.

5 Quò quis à maioribus generosior est, eò ipse, si virtute vera destituatur, turpior esse ac videri solet.

Turpia facta.

6 Turpium factorum merces est non modò in hac vita luctuosâ, sed etiam in futurâ infelix ac misera.

Præmia fortibus danda.

7 Bene morata Resp. eorum, qui pro ipsius salute occubuerint, & parentes & liberos summâ curâ complecti debet, & si potest, alere.

EX POLITICO DIALOGO

PLATONIS.

Politiæ fundamentum.

1 OMnis ciuilis administrationis fundamentum est recta ratio, quâ innixa Respubl. bona est & commoda: quæ verò illâ caret, mala est.

Politiæ formæ tres.

2 Tres sunt Reip. formæ; Monarchia, Aristocratia, Democratia: tres corruptelæ politiæ, Tyrannis, Oligarchia, Ochlocratia. *lib. 4. de Rep.*

Monarchia quomodo optima?

3 Vti monarchia bonis legibus instituta est omnium Reip. formarum præstantissima: sic bonus rex est velut deus quidam inter mortales.

Magistratus necessarius.

4 Societas generis humani absque magistratu stabiliri nulla potest.

Leges.

5 Leges in quaque Reip. formâ legitimum imperium definire debent, non autem cuiusque imperantis arbitratus.

6 Leges

6 Leges sine ciuium bonis moribus, quantumuis sanctæ, sunt inutiles.

7 Illegitimæ administrationis, quæ fit à magistratus, duplex causa: nimirum ipsius magistratus vel imperitia; vel libido, prauusque animi affectus.

8 Leges pro variâ rerum & personarum differentiâ temperamentum accipiunt: non sunt autem vbique eædem, & in eadem ciuitate perpetuæ.

9 In Rep. bene moratâ, & præmia rectè agentibus, & supplicia peccantibus proposita esse debent.

10 Magistratus bonus quidem efficit, vt subditi vitam felicem viuant: malus autem, vt miseram.

11 Politicæ scientiæ cognatæ sunt istæ. Eloquentia, Iurisprudentia, Rei militaris cognitio & scientia.

EX MINOE PLATONIS.

1 Magnum est consuetudinis diuturnæ & iam receptæ in vtramque partem momentum.

2 Decretum ciuitatis lex est, sed illud inprimis, quod ratione æquitateque naturali nititur.

3 Quanquam firmamentum omnium legum est recta ratio: tamen ne pro improborum hominum libidine ea mutetur, necessarium est, vt certæ leges in quaque Reip. formâ sanciantur liberis populi suffragiis. Ij verò de Rep. bene merentur, qui bonas illi leges præscribunt.

EX LIBRO PRIMO PLATONIS DE Republica.

1 Tyrannicum est, illud omne dicere iustum, quod ad potentioris vtilitatem pertinet: item subditos Principis magistratus vtilitati esse destinatos.

2 Tyrannicum est, dicere Principem legibus esse solutum.

3 Publica vtilitas & salus debet esse scopus magistratui præpositus. *Idem libro 3.*

4 Veritas est fidei & iustitiæ candor.

5 Fides etiam hosti data, seruanda.

6 Omnis felicitatis fons est iustitia: infelicitatis autem mater, iniustitia.

7 Ius suum cuique tribuendum, vt cuique erit bono; non autem noxæ.

8 Magistratus ne priuatam suamque vtilitatem præferat vnquam publicæ.

EX LIBRO SECVNDO PLATONIS DE Republica.

1 Puerilis institutio est maximi momenti ad vniuersam vitam rectè instituendam. *Et lib. 4.*

2 Ciuitatum ædificandarum causa & origo fuit vsus ac necessitas humanæ vitæ, quòd nemo sit per sese αὐτάρκης, id est, sufficiens ad bene beatéque seu feliciter viuendum.

3 Vnaquæque Reipubl. forma pluribus membris, & diuersis etiam magistratibus, non vnico duntaxat constare debet.

4 Hæc maxima in omni Reip. formâ cura, vt imperantium, & parentium munus distinguatur.

5 Commercia debent esse libera.

6 Ne in Rep. bene moratâ vnus & idem vel plures artes, vel à suâ diuersas exerceat. *Idem lib. 3.*

7 Prima in omni Rep. bene constitutâ cura esto de verâ religione: non autem falsa vel fabulosa stabilienda, in quâ summus magistratus à teneris à Deo annis instituatur. *& lib. 4.*

EX LIBRO TERTIO PLATONIS DE Republica.

1 Leges sumptuariæ in Rep. bene moratâ sunt condendæ, & seruandæ. *& lib. 4.*

2 In Rep. bene moratâ sit omnium rerum externarum modus velut in picturis, vestibus, ædibus, aliisque rebus habendis.

3 Remp. facit firmissimam ciuium omnium inter se concordia & consensus, qui & inducendus est, vbi abest: & retinendus, vbi iam constitutus est.

4 Magistratus omnibus auaritiæ sordibus carere debet.

5 Ad munus publicum nemo, nisi exploratus, admittendus. — *Munus cui committendum?*

6 Profligatæ in Rep. disciplinæ indicium est Iurisperitorum numerus, & Medicorum copia. Itaque de hominum has artes profitentium & exercentium numero coërcendo & definiendo, leges sunt condendæ & seruandæ. — *ICtorum & Medicorum multitudo.*

EX LIBRO QVARTO PLATONIS DE Republica.

1 Magistratus est, gubernare & tueri ex legum præscripto Remp. Itaque neque mera, neque infinita potestas est magistratui tribuenda. *Idem lib. 5.* — *Magistratus qualis esse debeat?*

2 Mediocritas meliùs tuetur Remp. quàm nimiæ opes. — *Reip. opes nimiæ nocent.*

3 Diuitiæ nimiæ socordem efficiunt Remp. & superbam. — *Idem.*

4 Non opibus, sed viris strenuis bellum geritur. Ergo ne iis Resp. vnquam careat, videndum est. — *Viri strenui.*

5 Non potest immutari religio absque magnæ Reip. mutatione. — *Mutatio religionis.*

6 Magistratus est etiam summi prospicere, & operam dare, vt pueri & iuuenes honestè & sanctè à primâ adeò ætate & infantiâ instituantur. — *Magistratus officiũ.*

7 In Rep. bene constitutâ ne fiant temerariæ publicorum consiliorum immutationes. — *Reip. decreta ne facile mutentur.*

8 Iustitia ciuitatis in eo est, vt qui imperant & parent, sint inter se concordes, & eiusdem sententiæ: deinde, vt ipsimet ciues inter se consentiant. *Idem lib. 5.* — *Felicitatis publicæ fundamentum.*

EX LIBRO QVINTO PLATONIS DE Republica.

1 Magistratus de suo munere ignorantia, est summa Reip. pernicies. — *Magistratus officiũ.*

2 Respub. tum futuræ sunt felices, quum vel reges philosophabuntur seriò, vel veri philosophi regnabunt. — *Resp. felix quando?*

3 Virtutum omnium est fœmina capax, quarum est capax mas ipse. — *Fœmina.*

4 Liberi summorum magistratuum maturè sunt bellis assuefaciendi, & artibus ad bellum necessariis. — *Liberorum Principis institutio.*

5 In bellis ciuilibus ne quis captiuus fiat mancipium: aut ne spolietur aliis rebus, quàm armis: ac ne eius quidem cadauer, ne trophæa victoriæ in iis statuantur duréntve; ne incendiis alij in alios agant; ne regionis vestitatem inducant. — *Bella ciuilia vt gerenda?*

6 Bellum propriè est, quod contra extraneum & peregrinum suscipitur: quod autem ciues ipsi aut cognati populi contra sese mutuò gerunt, seditio est, & rixa duntaxat; non autem propriè bellum. — *Bellum quid?*

EX LIBRO SEXTO PLATONIS DE Republica.

1 Magistratum etiam felici memoriâ præditum esse, valde confert. — *Magistratus qualis esse debeat?*

2 Magna ingenia, si nacta fuerint prauam educationem, tantò euadunt deteriora. Ergo illa inprimis rectè & sanctè instituenda sunt. — *Institutio magnorum ingeniorũ.*

3 Magistratui est necessaria veri summique boni vera cognitio. — *Magistratus qualis esse debeat?*

EX LIBRO SEPTIMO PLATONIS DE Republica.

1 Eius Reipub. quæ felix esse volet (omnes autem velle debent) magistratus in veri Dei, & veri boni cognitione edocetor primâ statim in infantiâ: artésque omnes ad eam primariam scientiam edisceendâ necessariæ eidem adhuc adolescenti traduntor. Vbi verò sic instructus maturæ ætatis fuerit, ad Reip. gubernacula tunc idem magistratus admouetor. Veri Dei, verique boni ignorãtia innumerabilium tum priuatarum, tum publicarum calamitatum, pessimorumque consiliorum in Rep. fons est & origo. *Quod toto isto libro probat Plato.* — *Principis institutio qualis esse debeat?*

2 Mathematicarum etiam scientiarum, velut Arithmeticæ, Geometriæ, Musicæ, Astronomiæ cognitio futuro Principi omnino necessaria est, tum ad politicas res domi gerendas, & rectè administrandas: tum etiam ad bellicas, velut vallum erigendum, obsidionum machinas exstruendas, itinera commodè instituenda, & cætera huiusmodi. — *Idem.*

EX LIBRO OCTAVO PLATONIS DE REPVBLICA

Mutatio politiæ & reip.

1 QVum nihil genitum sit æternum: quum omnia hæc humana variis rerum vicissitudinibus ac mutationibus sint obnoxia: quum denique res quælibet genita habeat suam quandam periodon, ac proinde florem, & postea emarcescentiam seu defluuium: necesse est quoque & ipsas humanas Politias habere sua initia, incrementa, & suas quoque mutationes, & vicissitudines, ac denique tandem interitum.

Mutatio monarchiæ.

2 Ex monarchia fit tyrannis, cùm rex, contempta legum auctoritate, quiduis agit pro animi sui libidine.

Mutatio aristocratiæ.

3 Ex aristocratia fit paucorum dominatio, cùm qui priùs iustè & sanctè Remp. administrabant ad opes accumulandas, agros possidendos, ambitionem & vindictam priuatam animi explendam, sua illa potestate abutuntur: & quum non virtutis, sed census in magistratibus eligẽdis ratio in ea rep. habetur.

Mutatio politiæ & reip.

4 Nulla verò est tam subita, periculosa, támque vehemens mutatio, quàm quum quisquam fit ex ambitioso vel bono viro auarus vel pecuniæ cupidus.

Aristocratiæ in oligarchiam mutatio.

5 Futuræ ex Aristocratia in oligarchiam proximè mutationis prognosticon est, quum adolescentes qui ad Reip. administrationem successuri sunt, & bonorum paternorum obligurritores, & insolentes ac libidinosi populariter euadunt.

Ex oligarchia fit democratia.

6 Ex Oligarchia fit Democratia facilè, quòd plebs insolentiam & auaritiam Principum tolerare ampliùs non possit. Nam in oligarchia diuitiæ sunt in magno pretio, ibíque vera temperantia & iustitia nullum ferè locum habent: sed earum tantùm vmbra quædam, & fucus.

Fœdus.

7 Ob fœnus immensum, quod proceres exigunt, facilis fit ex oligarchiâ in democratiam mutatio.

Democratia.

8 Democratia est, vbi liberi sunt omnes ciues, & quidem æquè: vt neque cogi, neque præter voluntatem populi, puniri nemo ciuis possit.

Democratiæ mutatio.

9 Ex democratiâ facilè fit tum in regnum, tum in ochlocratiam seu summam confusionem mutatio, vbi plebs contumeliosè & petulanter omnia pro animi libitu decernit.

Idem.

10 In ochlocratiam mutatur democratia, quum nemò vnus contumeliæ & petulantiæ populi sese opponere potest vel audet, propter numerũ eorum, qui vtrumque illud vitium in populo fouent.

Idem.

11 Democratia in regnum mutatur quum ex licentiâ populari sic plebis animus effeminatus est ac elanguit, vt nullam ampliùs publicæ salutis curam habeat populus, sed sui tantùm pascendi, suæ quietis & voluptatis fouendæ augendæque: Denique cùm est, vt ait ille, sector ac venditor fauoris & suffragij ipse sui populus.

Mutatio politiæ & reip.

12 In summa, hæ mutationes omnes accidunt, quòd inter imperantes & subditos non conueniat, id est, non ferant probéntque subditi imperãtis mores, & administrationem; vt sibi nimium iniquam: contráque quum imperantes non possunt diutiùs ferre parentium seu subditorũ insolentiam, & mores.

EX LIBRO NONO PLATONIS DE REPVBLICA.

Tyrannis inuaditur facilè vbi?

1 TYrannidis & stabiliendæ, & inuadendæ animus obrepit, præsertim in democratiâ, quum ex tenui & rigidâ vitæ ratione, ac seuerâ, quæ fuit sub populari statu, ciues voluptuosam, otiosam, & inertem vitam degustare cœperunt, hácque delectari: & habent qui eam illis subministret ac præbeat, vel polliceatur.

Idem.

2 Tyranni maximè ab iis, qui bona sua obligurierint, & voluptatibus tamen carere non possunt, stabiliuntur, inducuntur, ac fouentur.

Idem.

3 Tyranni in democratiâ vel aristocratiâ nascuntur ij maximè, qui specie clementiæ & benignitatis in plebem, plebis fauorem sibi conciliant: magnum interim satellitium alunt, idque vel ad voluptatem populi, vel ad sui custodiam à se fieri prætexentes.

Idem.

4 Qui tyrannidem inuadere cogitant aut stabilire, adulatores maximè ascisc unt: sceleratis se socios adiungunt: famuli & serui, imò mancipia euadunt eorum, quos sibi ad id fauentes, & ad sua iussa exequenda audaces vident: denique conscieiis omnia indulgent, quantumuis praua & iniqua, vt imperio tandem potiantur.

Tyrannica ingenia qualia?

5 Tyrannica ingenia semper improbissimis adulantur, alicui seruiunt: inquietè viuunt: furiis & cruciatibus conscientiæ torquentur: denique sunt prorsus infelicia ac misera, quamcunque vitæ lætitiam simulent aut præ se ferant.

Vilissima mancipia quæ?

6 Omnium mortalium maximè serui sunt vilissimáque mancipia, qui tyranno subiiciuntur; & si quæ Respub. vel regnum iis paret. In eo denique statu tandem omnis veri, boni, & æqui studium & amor perit non modò publicè, sed etiam priuatim.

Tyranni ingenia qualia?

7 Tyrannus, more cæterorum hominum ingenuorum, neque domo solus egredi, neque publicis conuentibus interesse, neque liberè loqui vel viuere potest, sed velut mulier intra priuatos parietes latitans, vel stipatoribus tanquam carcere circumseptus, ab iisque etiam obseruatus, & ab iis sibi metuens, latitat, & viuit.

Tyranni infelix semper.

8 Tyrannus; quantumuis felix, est bono rege, quamuis infelice, miserior septingentis viginti nouem partibus, id est, infinitis modis.

Idem.

9 Nunquam felix, qui iniustè agit.

EX LIBRO DECIMO PLATONIS DE REPVBLICA.

Princ bonus b tus est.

1 DEus generis humani curam gerit. Itaque iustos Principes beat tum in hac, tum in futurâ vitâ: iniustos autem vtrobique punit.

Ciuiu institutio qualis?

2 Magistratus det operam, vt eæ voces assiduè ciuium auribus circumsonent, quæ eos à scelere auocent: & ad iustitiam & pietatem instruant, & excitent.

Artes riosæ è uitate e: plo lenc

3 Omnes artes curiosæ & libri vani, aut in Deum blasphemi, à bono Principe tollendi.

Præmia

4 Boni præmiis ad virtutem hortandi: suppliciis à vitio reuocandi.

EX LIBRO PRIMO PLATONIS DE LEGIBVS.

Cinædi niendi.

1 HOrrendum est Pæderastias crimen: sed & coitus omnis in quo præter naturam, aut honestatem homines concumbunt, damnandus est.

Leges quámqu Remp. commo dantur.

2 Non possunt eædem leges omnibus Reip. formis esse accommodatæ: sed cuique formæ sunt suæ quædam ac peculiares ferendæ. In omnibus tamen naturalis illius æquitatis, & rectæ rationis norma sequenda est, vtpote omnium legum lex ac fundamentum seu firmamentum.

Leges q les esse beant?

3 Leges neque nimiùm seueræ seu acerbæ; neque etiam nimiùm faciles ac indulgentes sunto: Sunt enim vtræque vitiosæ.

Lege connub

4 Leges de connubiis, quo gradu nimirum homines conueniant, qui ordines inter se, quâ ætate, quibus conditionibus maritari debeant, primum in Rep. bene constitutâ locum penè obtinent, súntque constituendæ.

Leges liberori educati ne.

5 Proximæ sunt superioribus leges de rectâ puerorum institutione, quâ res honestas studio complectantur adolescentes: à rebus autem turpibus abhorreant. *lib. 2. de legibus*

Belli genera

6 Bellorum duo sunt genera: Vnum, ciuile: alterum, peregrinum. Illud autem ciuile hoc peregrino longè est periculosius: ac proinde ad ciuile restinguendum, bella externa suscipere expedit.

Resp. b cæ qua

7 Leges aut Resp. quæ totæ ad res bellicas gerendas sunt comparatæ, bella potiùs, quàm pacem in ciuitate alunt: quales Lacedæmoniorum leges fuerunt.

Belli cur tiat

8 Bellum nullum ipsum per se est optandum, sed pacis tantùm causâ suscipiendum.

Victe Cadme.

9 Etiam victoriæ ipsæ sunt sæpe ipsis quoque victoribus funestæ & Cadmeæ. Itaque bella minimè optanda, vel ad ea Resp. componenda conformandáque.

Anarch

10 Nihil anarchiâ periculosius.

Ebriet tollatu

11 Ebrietas in omni bene moratâ Rep. castiganda. Nam ebriosi sunt facilè seditiosi: vsum rationis vbique, & corporis vires integrâ adhuc ætate amittunt. *Et lib. 6.*

EX LIBRO SECVNDO PLATONIS DE LEGIBVS.

Ciuium stitutio certa.

1 DIsciplina, & regula actionum externarum aliqua debet esse, eáque certa constituta in quauis Rep. bene morata

Idem.

2 Ea regula disciplinæ seu actionum debet & constituere & animadvertere quid sit cuique ætati, sexui, hominum generi, & ordini (pro ratione illius loci, & eorum hominum, inter quos est ciuitas) decorum.

Idem.

3 Sed & cantus, ludus, saltatio, conuiuia, gymnasia, exercitationésque publicæ ac priuatæ sunt legibus definiendæ, vt voluptati modum ponere, & quidem maturè homines assuescant: & honestis duntaxat rebus delectari.

Poët scripta

4 Poëtices quoque studium in Rep. legibus est à bono Principe & regendum, ne quid impium dicant poëtæ: & moderandum, ne sint nimiùm multi poëtæ, id est, nimiùm multi inertes, vani, & assentatores in Rep. homines ac nugigeruli.

Vini

5 Vini vsus, præsertim in calidis regionibus, est adolescentibus vel interdicendus, vel moderandus.

6 Conuiuia

6 Conuiuiales leges neque sint nimiùm laxæ, neque nimiùm seueræ. Omnis autem à conuiuiis ebrietas, intemperantia, & rixa semper ex legibus exulet; ac puniatur, si interuenerit.

7 Ne in vestitu, victu, cæterisque rebus huiusmodi, ciues peregrinorum intemperantes mores discant, diligenter prospiciendum, ac cauendum bono Principi, ac Reip.

8 Princeps, ac magistratus quilibet debet esse & prudens & fortis. Prudens, ne ex imperiti vulgi iudicio pendeat: fortis, vt quæ salutaria sunt, constanter exequatur.

9 Turpissimum est, magistratum aut Principem eo ipso ore mentiri, quo Deum inuocat.

10 Summa Principis aut magistratus in eo cura esse debet, vt ciues omnes in communi Reip. salute sanctè & honestè tuenda consentiant maximè.

11 Item vt hoc inculcet, nullas res externas absque virtute, pietate in Deum, & iustitiâ esse vel vtiles, vel iucundas.

EX LIBRO TERTIO PLATONIS DE Legibus.

1 QVemadmodum homo absque societate viuere non potest: ita neque societas diuturna aut tuta absque legibus vnquam esse poterit.

2 Itaque hominum natura & ipsa æquitas leges & Reip. formas excudit, expressit, inuenit, ediditque.

3 Optimarum Reip. formarum optima est monarchia, quæ bonis legibus sancita est, ac vtitur; proximè enim ad patriam potestatem accedit.

4 Regum tyrannis & iniustum imperium popularem libertatem induxit: quòd huiusmodi regum mores populus ampliùs non posset pati.

5 Omnis Resp. & illius forma à seipsâ propter subortas in ea tandem corruptelas deletur & euertitur.

6 Leges populi suffragiis liberis probari debent, vt vim habeant, illisque obtemperetur.

7 Ignorantia vel improbitas imperantium est politiæ pestis & pernicies summa.

8 Infinita potestas etiam in regibus ipsis, quæ sese legum vinculis coërceri non patitur, est certissima regni ac Reipub. ruina; & proximè occasuræ prognosticon. Contra quam remedium est, vt leges obseruentur etiam ab ipso Principe, idque facere cogatur ab Ordinibus regni, vel inuitus.

EX LIBRO QVARTO PLATONIS DE LEGIBVS.

1 IS situs ciuitatis est noxius, qui nimiâ commerciorum licentiâ bonis moribus officit, qualis est ciuitatum, quæ sunt ad mare sitæ.

2 Careat ciuitas iis rebus & commerciis, quorum noxia est tractatio, vsus, & imitatio, vti serici, & cupediarum, & fucorum.

3 Maritima militia rarò cum pedestri, quæ constantior est, conuenit.

4 Omnis ciuitas & legibus, & Dei occulto quidem, sed certo decreto, nititur.

5 In rebus humanis secundùm Deum agendi opportunitas & celeritas valet plurimùm.

6 Pessimè regitur ea ciuitas, in qua non leges præsunt, sed voluntas magistratuum. Optimè verò illa, in qua leges dominantur ipsis magistratibus.

7 Religio vera est firmamentum Reip. itaque potissimâ de eâ constituenda cura Reip. esse debet.

8 Secundùm Deum debemus plurimùm parentibus. Itaque leges quoque de liberorum erga parentes officio sunt seuerè sanciendæ.

9 Liberi parentibus se & sua debent; ac proinde eos colant: ne temerario quidem ac leui sermone eos offendant: iratis denique cedant parentibus liberi.

10 Coniugium est fundamentum generis humani. Itaque illius castitas & sanctitas debet seuerè legibus sanciri. *Et lib. 6.*

EX LIBRO QVINTO PLATONIS DE Legibus.

1 FRustra leges iis præscribuntur, qui nolunt ipsi sibi esse lex, neque priuatim eas, quamuis æquæ sint, seruare: sed in latebris eas violant.

2 Maxima pœna est malo assentiri.

3 Nimiæ opes diuitiarumque copia est Reip. noxia. Nam ex illâ insolentia, dissidia & immanis voluptatum fœdissimarum vsus & luxus oritur.

4 Magna virtus & victoria patriis legibus obtemperare, & in eo seipsum vincere.

Magna victoria quæ?

5 Qui magistratum malos punientem adiuuat, is omnino magni est in Repub. momenti, bonusque ciuis.

Puniendi mali.

6 Fides est fundamentum societatis humanæ: perfidia verò eiusdem pestis.

Fidei vis.

7 Patria, ciusque salus parentibus eorumque incolumitati est à liberis præferenda.

Patriæ quid debeatur?

8 Hospites & supplices vel ne à Rep. admittantur; vel admissi, ne prodantur.

Fides.

9 Ciuitas nimiùm populosa in colonias exoneranda est.

Vrbs populosa.

10 In coloniis deducendis leges, sedes, assignati agri, & munimenta coloniæ, ac eiusdem imperium accuratè describendum, ac tuendum est.

Coloniæ vt ducendæ.

11 Lucri faciendi modus in Rep. sanctè instituta est legibus definiendus, ne quæuis ars pecuniaria liceat; aut quoduis lucri genus concedatur. Denique fœnori modus præscribẽdus.

Mercatoribus lucri ratio est præscribenda.

12 Mensurarum modus ad commerciorum cum vicinis rationem commodus, præscribendus quoque.

Commercia seruanda.

13 Agri publici, eorumque fines & modus publicè notus sit, ac descriptus.

Agri publici.

EX LIBRO SEXTO PLATONIS DE Legibus.

1 OMnis de Rep. confusio tollenda: itemque infinitum magistratuum imperium certis finibus coercendum.

Magistratus imperium est legibus definiendum.

2 Leges politicæ mutari ex vsu Reip. possunt; sed ex consensu tum magistratus, tum populi: interim, & vsquequo fuerint immutatæ, est ex iis viuendum quibuslibet ciuibus.

Leges mutari possunt.

3 Religio vera bonarum legum origo est.

Religio.

4 Leges absque magistratu inutiles.

Leges.

5 Boni muneribus publicis præficiendi: nam suâ auctoritate abutens magistratus maximè nocet.

Munera quibus danda.

6 Magistratus sanctè, id est, inuocato Dei priùs nomine; & circumspectè id est ex populi suffragiis, eligendus.

Magistratus vt eligendi.

7 Nulla est Resp. vbi judiciorum forensium ratio aut nulla est, aut non rectè constituta,

Iudicia forensia constituenda.

8 Festinatio est judiciorum nouerca & labes.

Festinatio nocet.

9 Non vnus duntaxat iudex sit, qui statim de quouis negotio vltimam ferat sententiam: sed plures sint appellationis gradus.

Iudicia forensia.

10 Priùs per amicos tentanda est pax inter ciues, quàm lites intententur.

Pax.

11 Iudex Dei personam quodammodo repræsentat.

Iudex.

12 Adolescentiæ recta institutio est publicorum negotiorum omnium maximè serium.

Adolescentes

13 Ne quis dum Reip. vacat & inseruit, in priuatis bonis damnum patiatur: sed interim illi prospiciatur.

Qui reip. vacant, vt habendi?

14 Serui aliter quàm ingenui tractandi.

Serui.

15 Noua instituta tandem consuetudine emollescunt, & placere incipiunt.

Leges nouæ.

16 Etiam de mulieribus, & iis rebus, quæ ad eas pertinent, leges à bono Principe ferendæ.

Leges de re quauis statuunt.

17 Prima sit eorum, qui Dei cultui inseruiunt, creandorum & habendorum cura Reip.

Prima cura in rep.

18 Secunda, magistratus eius eligendi, qui legum custodiæ præsit.

Magistratus quis legendus?

19 Tertiò militares magistratus, duces belli & centuriones eligantur.

Magistratus militares.

20 Quartò, ædiles, id est, ij, magistratus qui minutam politiam curant, eligendi.

Aediles.

21 Nullus magistratus à reddendâ sui muneris ratione Reipub. immunis esto.

Muneris ratio reddenda.

22 De coniugibus, dotibus, & diuortiis leges scribuntor.

Leges coniugum.

23 Census discrimen habendum, vt inde dignitatis ratio inter ciues haberi quoque possit: item & onerum publicorum.

Census discrimen habẽdum.

24 Quæstores, qui publico ærario præsint, illudque curent, quinto loco creantor.

Aerarij quæstores.

25 In muneribus publicis demandandis, non personarum sed ipsorum munerum, & eorum qui ad ea sunt idonei, habenda ratio.

Magistratus quibus demandatur?

26 Electiones liberè & incorruptè sine ambitu fiant.

Ambitus.

27 Qui ciuis munus sibi à Rep. demandatum recusarit, damnatus esto.

Magistratus recusatio.

EX LIBRO SEPTIMO PLATONIS DE LEGIBVS.

1 ETiam quæ leuia in speciem videntur, non tamen à legislatore prætermittenda, qualis liberorum educatio, cultus, victus &c. de prægnantibus mulieribus edicta.

Leges de re quauis statuunt.

2 Pueri neque nimiâ seueritate contineantur, neque deliciis assuescant.

Liberi vt instituẽdi.

Idem. 3 Militaris disciplina pueros maturè docenda, & illi ad eam sunt assuefaciendi.

Idem. 4 Cantiones dissolutæ, quoniam animos quoque corrumpunt, sunt abigendæ.

Mutatio reip. ex re sæpe leui. 5 Rerum externarum, vti ludi, supellectilis, vestitus, victus mutatio, semper periculosa Reip. morum enim immutationem simul affert.

Liberi vt instituendi? 6 Literarum, & mathematicarum artium scientia est adolescentibus perutilis, imò necessaria.

Idem. 7 Quæ sanctitas in puerorum marium moribus requiritur; eadem quoque in fœminis, imò etiam seuerior seruetur.

Impressum magistratu inscio. 8 Ne quod scriptum in lucem edatur inscio magistratu.

Nobiles venationibus sunt assuefaciendi. 9 Venationibus liberi, præsertim nobilium, qui ad bellum sunt assuefaciendi, strenuè exercentor.

EX LIBRO OCTAVO PLATONIS DE Legibus.

Pietas fons boni. 1 Omnis æquitatis, ex quâ bonæ leges pendent, firmamentum est Dei metus.

Leges caueant. 2 In ferendis legibus cauendum, ne per eas alicui flagitio labes pateat, velut in Lacedæmoniorum legibus, vt clàm furari liceret.

Coniugiorum leges. 3 Non omnes vxores ducere licet: sed à quarundam nuptiis est abstinendum, partim naturæ honestate id suadente; partim politicâ vtilitate.

Idem. 4 Adulteria & scortationes ex eâdem æquitatis regulâ damnantur.

Disciplina militaris. 5 Militaris disciplinæ cognitio vigere debet in quauis duraturâ Rep.

Ludi qui concedi debeant publicè? 6 Ludorum publicorum, qui ad rem militarem pertinent, vsus in Rep esse debet: & præmia ijs publicè proposita.

Disciplina militaris. 7 Est tyrannorum, nolle vt subditi sese militaribus rebus exerceant.

Ius suum cuique sit liberum. 8 Vnicuique bonorum suorum possessio libera & integra ex legibus esto tum ciui, tum peregrino: nisi quis ciuis prodigus iis furiosè abutatur.

Annonæ leges prospiciant. 9 De annonæ ratione & copiâ leges & statuendæ & seruandæ.

Ciuibus inquilini ne æquentur. 10 Inquilinorum iura inter nos intemerata; non tamen ciuibus paria sunto.

Munera plura ne quis vnus gerat. 11 Ne vni plura officia publica gerere, aut plures artes priuatim exercere liceat.

EX LIBRO NONO PLATONIS DE Legibus.

Leges ad politiam cuiusque ciuitatis accommodentur. 1 Est boni legislatoris, leges ipsas ex honesti & æqui formulâ generaliter ponere accommodatas ad formam Reipub. quæ placuit. Est boni judicis, easdem leges ad singularia hominum facta prudenter pro variis circumstantiis applicare, & accomodare.

Leges necessariæ. 2 Leges ponuntur, vt secundùm eas viuatur. Sunt autem necessariæ, propter humanæ naturæ corruptionem, cujus luctuosissima effecta etiam in sanctissimis hominibus apparent.

Pacis fundamentum publica vtilitas. 3 Publicæ vtilitatis respectus est & publicæ & priuatæ pacis firmamentum.

Tyrannum reprimit. 4 Præsentissimum ad furores hominum tyrannorum, & magistratuum impotentum coërcendos remedium, si iustitiæ, & injustitiæ varios exitus sibi repræsentent.

Iudicia forensia leges seruent. 5 In Rep. bene moratâ iudicia forensia constitui debent, in quibus ex æquo & bono, secundùm leges tamen, & obseruato legitimo cognitionis ordine, qui præscribetur, de controuersiis priuatorum inter se iudicetur.

Iudicia forensia sunt duplicia. 6 Iudiciorum forensium duplex est genus: vnum ciuile, in quo causæ pecuniariæ disceptantur: alterum criminale, in quo delicta hominum ex legibus vindicantur.

Iudicia criminalia. 7 In criminalibus iudiciis accusatio rei, eiusdemque defensio sit libera, certa, examinata, non festinata à iuratis iudicibus tandem sententia dicatur ac pronuntietur.

Iudiciorũ nouercæ. 8 Festinatio & mora sunt bonorum iudiciorum nouercæ.

Puniendi mali. 9 Nullum crimen in Repub. bene moratâ maneat impunitum, licet non omnia crimina pari pœnâ sint vindicanda.

Criminum duplex genus. 10 Criminum alia sunt voluntaria, alia non voluntaria, vti quæ sine dolo malo, & animo nocendi fiunt: illa grauiùs hæc leuiùs sunt punienda.

Iudicia criminalia. 11 Exilium, carcer, infamia, verbera, deportatio, mors seu capitis supplicium sunt pœnæ criminum quæ pro eorum varietate & grauitate imponi debent, & legibus in sceleratos statui: Bonorum autem confiscationem non vult Plato statui pro pœnâ, ne filius pro patre puniatur.

Pœnæ decernendæ? 12 In iudicandis puniendisque criminibus personarum, quæ deliquerunt, & in quas etiam peccatum est, habenda ratio; vtrum magistratus, an priuatus læsus, vtrùm filius patrem an extraneus extraneum offenderit: seruus dominum, vxor maritum. Nam hæ personæ peccantes meritò grauiùs puniuntur; & magistratui quàm priuato facta iniuria seueriùs castiganda est.

Criminũ pœnæ. 13 Criminum pœnas statuere debet iudex & legislator, eo animo affectus erga ciues & ipsosmet puniendos, quo pater erga filios ducitur, quos tamen punit.

Idem. 14 Sacrilegia & parricidia, itemque, maiestatis & veneficii, & cædis crimina grauissimis pœnis coërceri debent.

Senibus ges pro... 15 Cùm omnibus ciuibus, vt sint ab omni iniuriâ tuti, prospici debet; tum verò senibus, idque maximè: imò etiam efficiendum, vt senes à iuuenibus omnibus honorentur.

EX LIBRO DECIMO PLATONIS DE Legibus.

Religi... cõtemp... 1 Veri Dei ignoratio est summa omnium Rerump. pestis. Itaque omnis humanæ societatis fundamentum conuellit, qui religionem tollit, aut ex animis hominum cõuellit.

Religi... contẽp... punien... 2 Quò fit, vt summis grauissimisque pœnis punienda sit omnis impietas, cuiuscunque sit generis ac speciei.

Idem. 3 Itaque nequaquam in Rep. bene moratâ tolerandæ vel disputationes ipsæ contra Deum, & eius prouidentiam. Mala est enim consuetudo contra Deum disputandi, siue id ex animo fiat, siue simulatè.

Idem. 4 Deinde eorum hominum voces coërcendæ, qui aiunt, religionem esse hominum commentum, arte institutum, vt maioris cuiusdam & augustæ potestatis metu homines in officio continerentur.

Imp... puniei... 5 Tertiò punienda est omnis impietas. Est autem eius species triplex: Prima negat Deum esse vllum. Secunda, negat Deum res hasce regere; & præsertim genus humanum. Tam enim Deum negat, qui ipsius prouidentiam tollit, quàm qui Dei vllius ὕπαρξιν conuellit. Tertia impietatis species est eorum, qui contendunt Deum donis, muneribus, ac precibus placari, ac induci, vt indulgeat hominum sceleribus. Hæc etiam planè blasphema est sententia.

Sup... tio R... pernic... 6 Ἐθελοθρησκεία est omnium superstitionum origo: ac proinde nemini licere debet, vt priuatim quos velit, deos habeat: aut vt verum Deum pro animi sui arbitrio colat, aut religionem ipse sibi instituat.

Re... nem turba... Sedi... punie... 7 Is religionem perturbat, qui de Dei naturâ impiè loquitur, aut scribit. Itaque puniendus est, & quidem capite,

8 Qui pacem publicam, aut Reip. ordinem perturbat, capite puniendus quoque est.

Fur... 9 Qui rem alienam inuitò domino capit, aut retinet, aut contrectat, fur est: ac proinde coërcendus. Debet enim in Rep. bene moratâ cuique ius suum conseruari, ne à quopiam illi adimatur, aut imminuatur.

Vis c... prohi... 10 Vis omnis & publica & priuata in Republ. bene constitutâ abesto: qui vim alteri infert, coërcetor.

EX LIBRO VNDECIMO PLATONIS DE Legibus.

Disti... domi... rum. 1 Omnium contractuum priuatorum fundamentum, dominiorum distinctio, & rei suæ tuta cuique possessio, quæ seuerè legibus est stabilienda. Itaque *Meum* & *Tuum* esse in Rep. debet.

Pro... malæ... 2 Pessimè rem habet, qui malis artibus habet.

Co... ctuur... dam... 3 Vt fides in omnibus nostris contractibus seruanda: sic fraus & dolus malus coërcendus, neminique prodesse debet.

Testa... toru... ctio... 4 Testamentorum factio & in Rep. bene moratâ locum habeat: & ratum sit, quod testator dixerit, legarit, aut jusserit legibus publicis non contrarium.

cessa... leges Testa... 5 Deliria testantium, & fraudes captatorum ne pro legitimâ testatoris voluntate in testamentis obtinento, sed à iudice emendantor.

Hæres... 6 Hæres à legatariis distinctus est naturâ. Hæres est penes quem ius ipsum hæreditatis & caput familiæ manet: legatarius autem portiunculam tantùm bonorum habet.

Tute... ratio... tuen... 7 Post testamentorum sanctionem proxima sit cura de tutelâ & curatelâ eorum, qui à parentibus morientibus minores annis 25 relinquuntur.

Idem. 8 Pupillorum summam curam magistratus habeat, velut communis omnium ciuium parens.

Idem. 9 Tutores pupillis curatores cæteris, qui sunt infra 25 ætatis annum, dentur à magistratu viri boni, & eorum amantes, qui & personam & bona pupillorum curent.

10 Tuto

10 Tutorum negligentiæ, rapacitatis, aut auaritiæ in administrandâ pupillorum sibi commissorum tutelâ Deus erit vindex: ac proinde sit eorum in tutoribus vitiorum magistratus iudex & vindex acerrimus.

11 Tutor pupillos sibi commissos perinde atque proprios liberos, curet paterno affectu.

12 Tertia magistratus cura sit de matrimoniis. Nam & hi sunt quoque necessarij inter mortales contractus ac iurisgentium, vti testamentorum factio, & tutorum datio.

13 Vt matrimonia sanctè coëant: conuenta castè conseruentur: proles ex iis suscepta educatur, idque prouideat magistratus.

14 Quæ coniugia contracta coalescere non possunt, vel iam consummata, vel nondũ, diuortio vel repudio dissoluãtur.

15 Quarta magistratus cura sit, vt liberi parentibus suis obsequantur. Hi enim liberis sunt viuum Dei ipsius simulacrum.

16 Iniuriæ, contumeliæ, conuitia, famosi libelli, detractiones publicæ priuatæque, sunt à magistratu coërcendæ, vt pax inter ciues maneat.

17 Mendicitas in Rep. bene moratâ non est publicè toleranda, sed cogatur vnusquisque victum sibi honestis artibus quærere, & comparare.

18 Si quadrupes pauperiem, vel seruus noxam intulerit, pro damno accepto aduersus eorum dominos ius & actio esto.

19 Quoduis damnum alij ab alio datum, iussu magistratus, si qui intulit, vltrò non satisfacit, resarciendum est.

20 Libertorum & clientum in patronos obsequium legibus sancitor.

21 Qui venenum adhibuerit, capitali supplicio afficitor.

22 Cauponarum numerus, & cauponariæ artis lucrum & modus à magistratu lege publicâ definiendus est, qui ex vsu Reip. sit, & ex æquitate.

23 Rabulæ, & ars ipsa rabularia seueris pœnis coërcetor; imò ex Rep. bene morata prorsus expellitor, abigitorque.

EX LIBRO DVODECIMO DE LEGIBVS.

1 LEgum finis est, vt obsequantur homines, ac præcepta efficiant: istius obsequij finis, salus Reip.

2 Leges publicæ in religione hoc primum statuere debent, vt Deus purè, & ex animo, & non autem ex opum & rerum externarum luxu & sumptu colatur.

3 Deinde, vt quamuis corpus, (quod est animi domicilium) sit honestè sepeliendum, sumptus tamen & luctus in sepulturis ac funeribus sit moderatus, & definitus.

4 Tertiò, vt iurisiurandi publicè vel priuatim interpositi auctoritas, fides, & obseruatio sancta sit, rata, firma, & inuiolabilis.

5 Cæterùm eædem publicæ leges etiam de politicis rebus sancire debent. *Idem.*

6 Et quidem primùm, ne quis priuatâ auctoritate publicum negotium gerat: id est, ne priuatus in magistratus fines irruat. *Magistratus electio est legibus sancienda.*

7 Deinde, vt qui in publici muneris administratione pecuniam acceperit, aut præuaricari deprehensus fuerit, grauissimè puniatur. *Magistratus officiũ.*

8 Tertiò, ac proinde in omnes Reip. magistratus censoris ac censuræ suprema auctoritas esse debet, qui peccantes magistratus vel in magistratu ipso, vel postquam ex eo abierint, puniat, loco moueat, & de gradu deiiciat. *Censoris munus & authoritas.*

9 Sacrum aliquod collegium in quauis Repub. instituatur quoque, ad quod publicarum legum violatarum cognitio & ius pertineat, qui sit supremus Reip. senatus, in quem boni iuuenes & optimi ciues recipiantur. *Collegium sacrum in rep.*

10 Qui magistratus publicam pecuniam interuerterit, peculatus pœnis teneatur. *Magistratus furax.*

11 In re militari ne quid sine imperio fiat. *Militia ne fit absque imperio.*

12 In re militari nunquam anarchia tolerator. *Idem.*

13 Pax, aut bellum non nisi ex Reip. aut Ordinum iussu & consensu decernitor. *Pax vt fieri debeat?*

14 Rerum dominia in quâque Rep. certa & difinita sunto; eorúmque acquirendorum certa ratio legibus definitor. *Cõtractus definiãtur legibus.*

15 Ad dominia rerum definienda vsucapionis seu præscriptionis bonâ fide factæ æterna auctoritas esto. *Vsucapio.*

16 Fideiussionis sponsio rata ac firma esto, vt fideiussor conueniri & cogi possit. *Fideiussio.*

17 Peregrinorum commercia ne Respub. auersetur, sed ea & prudenter & vtiliter tueatur, nulláque fiat peregrinis à ciuibus iniuria.

18 Ne tamen peregrini mores improbos in Rempub. inuehant, magistratus prudenter prospicito. *Peregrini vt tolerandi?*

19 Bonus ciuis onera Reipub. ne recusato, sed ea lubens tolerato & obito. *Idem. Ciuis bonus onus reip. non recusat.*

EX EPINOMIDE PLATONIS SEV LIBRO XIII. de legibus.

1 OMnis legum ferendarum ratio est manca absque verâ sapientiâ. *Legum ferendarum ratio & vsus.*

2 Est autem illa vera sapientia, quâ Deum, ipso duce & auspice, cognoscimus, & quidem verè. *Vera sapientia.*

3 Hæc & nos, & Remp. sola felices efficit. *Idem.*

4 Huius consequendæ ratio est firma persuasio religionis, nimirum esse aliquem Deum verum & supremum, qui hæc omnia regat, & qui sit à nobis piè colendus, & sincerè. *Religio.*

EX ARISTOTELIS POLITICIS.

1 VRBS commodo loco ponenda est, vbi & rebus ad hãc vitam necessariis abundet, & adiri commodè possit à ciuibus: difficilè verò ab hostibus. *Arist. lib. 6. Polit. c. 7. lib. 5. c. 7. c. 4. & 5.*

2 Is verò situs erit, si ad mare vrbs condatur. *Lib. 7. Polit. cap. 5.*

3 Si salubris sit eo loco aër, quo ponitur; si in colliculo statuatur, aut editiore loco & libero in prospectum: si ad solem orientem spectet: si egrediendi & ingrediendi ratio, vtpote flexuosa, ciuibus sit facilis; hostibus & extraneis difficilis. *Arist. l. b. 7. Pol. c. 11.*

4 Muris & munitionibus, bellicóque omni apparatu est munienda ciuitas, postquam erit condita. *Lib. 7. Pol. 11.*

5 In quaque ciuitate seu vrbe conditâ debet esse certus ciuium numerus, pro ratione agrorum & locorum illi ciuitati subiectorum: & is duntaxat numerus definiti & admitti scribique debet, qui in illâ vrbe commodè & liberaliter viuere, atque à vicino agro ali possit. *Arist. lib. 7. c. 4. & 5.*

6 Nec verò ciuitas eò felicior est, quò maiore ciuium numero constat. Paruam enim præfert immensæ & magnæ Aristoteles, tum quòd parua meliùs regatur; tum etiam quòd vrbs à genere & illo hominum infinito numero differre debeat. *ibidem.*

7 Magna aut valida ciuitas non est ea æstimanda, ex quâ caupones & opifices quidem numero multi prodeunt, pauci verò milites. *Lib. 7. Pol. c. 4.*

8 Ciuis est Aristoteli, qui honorum ac magistratus domestici, vel bellici consequendi in eâ Rep. ius habet. Nam qui vel arma, vel iudicia cum honore capessere in Rep. possunt, sunt partes Reip. & ciues. *Arist. lib. 3. c. 4. lib. 7. c. 9.*

9 In Ægypto verò fuerunt quatuor præcipui regni ordines: Reges, sacerdotes, bellatores, & opifices: qui postremi & ipsi in quatuor ordines quoque diuidebantur; nimirum nautas, artifices, agricolas, & pastores. *Arist. lib. 7. c. 10. Polit. Herodotus lib. 2. Histor.*

10 Ciuis bonus, & vir bonus non semper idem est Aristoli, nempe in quâ Rep. non sunt eædem leges, ciuiles & piæ. In quâ verò Rep. leges eædem sunt ciuiles & piæ, in eâ est idem ciuis bonus, & vir bonus. Est enim ciuis bonus, qui legibus ciuitatis paret, ex quibus vult & studet conseruare Remp. *Ciuis bonus quis?*

11 Finis vrbium ac Rerumpublicarum condendarum hic fuit, vt in eâ societate felices essent, & bene beatéque viuerent, qui in vnam huiusmodi ciuitatem & Rempub. conuenirent. *Arist. lib. 1. Polit.* *Vrbium condendarum finis.*

12 Ciuitas est multorum vicorum collectio in vnam & eandem politiæ formam consentiens, quæ ab vno eodémque magistratu gubernatur, ad vitam prout contingere potest, optimam consequendam. *Arist. lib. 1. Pol. lib. 7. cap 8.* *Ciuitas quid?*

13 Non est autem vnica vrbium aut ciuitatum societatúmque humanarum legitima gubernatio, sed triplex: Monarchia nempe, Aristocratia, & Democratia. *lib. 7. cap. 2. & lib. 4.* In summa in omni politiâ quæritur spectatúrque iuris quædam inter eos, qui sunt illius Reipub. partes, communitas. *Aristot. lib. 5. Polit. cap. 1.* *Politiæ ratio, multiplex, nempe triplex.*

14 Monarchia est, vbi penes vnum virum bonum, & ex legibus sanctis omnia gerentem, est summum totius Reip. imperium. Qui huic præest, dicitur Rex. Hic autem omnia ad ipsam Reip. vtilitatẽ, non suam refert. *Arist. lib. 1. Pol. lib. 5. c. 10.* *Monarchia quid?*

15 Huic monarchiæ opponitur tyrannis: est autem cùm vnus ex libitu animi omnia gerit in Repub. Is autem tyrannus appellatur, qui omnia ad suam vtilitatem, vel libidinem vindictámque animi explendam refert. *Monarchiæ vitium oppositum.*

16 Reges à ciuibus custodiuntur: tyranni ab extraneis. Reges amant suos ciues, & ab iis amantur. Tyranni eos oderunt, imò *Monarchiæ & tyranni discrimen.*

imò ipſoſmet ſatellites ſuos metuunt. Reges ſubleuant ſubditos tributis, quantum poſſunt. Tyranni eos onerant, vt exhauriant, & opprimant. Reges nobilitatem regni, & viros bonos alunt, fouent, & conſeruant. Tyranni & nobiles, & bonos viros vel vi, vel clàm tollunt. *Ariſt. lib.* 5. *Pol. c.* 10.11. *lib.*4.*c.*10.

Tyrannis vnde?

17 Tyrannis ferè oritur ex nimiâ procerum in regem adulatione, in monarchiis: in aliis autem Reipub. formis, ex variâ procerum & optimatum criminatione, quæ ab vno aliquo fit apud populum. *Ibid.*. Pauci verò dominatus tyrannici ſunt diuturni. *Liv.* 5. *cap.* 12. *Polit.*

Ariſtocratia quid?

18 Ariſtocratia eſt, vbi penes plures viros bonos ſimpliciter eſt ſumma Reip. & æquali inter eos poteſtate & iure adminiſtratio.

Ariſtocratiæ laus.

19 Hæc diuturnior eſt & ferè tutior & æquior: leges enim planè dominantur. Ex virtute, non ex cenſu honores demandantur. Nobilitatis veræ ratio habetur. Huius tamen poſſunt eſſe variæ ſpecies. *Ariſt. lib.* 3. *c* 11. *lib.*4.*c.*7. *lib.* 6. *c.* 2.

Ariſtocratiæ vitium oppoſitum?

20 Huic opponitur Oligarchia: eſt autem quum pauci omnia pro ſuo libitu agunt in Repub. & ſummum imperium habent, qui non ex virtute, ſed ex opibus ad eum honorem deliguntur.

Democratia quid?

21 Democratia tertia legitimæ politiæ ſpecies. Eſt autem quum penes totum populum ius ipſum ſummum imperij, & rerum publicarum deliberatio definitióque manet.

Democratiæ fundamentum.

22 Huius politiæ fundamentum eſt libertas, non autem licentia popularis. Itaque omnes dignitates in hoc ſtatu omnibus, id eſt, cuiuis hominum ordini communicantur. Arx nulla in populari ſtatu habenda. Diuites ad grauiora onera eligantur. Magiſtratus mutantur, nec vlli ſunt perpetui. *Ariſt lib.*6. *Polit. c.* 2. *lib.* 7. *c.* 9. Ex legibus ſeuerè iudicatur in hoc ſtatu

Democratiæ quid opponatur?

23 Huic opponitur popularis confuſio, vbi populus pro libitu animi, velut tyrannus, non ex æquitate omnia gerit & decernit: vel ſuis magiſtratibus non obſequitur, vel denique ad ſuam, id eſt, tenuiorem vtilitatem omnia refert. *Ariſtot. lib.* 5. *c.* 11. *Polit.*

Monarchia præferẽda.

24 Monarchia omnibus legitimis politiis præferenda eſt: vbi bonis legibus, & à bono rege adminiſtratur: ſecundùm monarchiam eſt Ariſtocratia eligenda.

Leges ad formam reip. ſunt attemperandæ.

25 Leges cuique Reipub. formæ ſunt accommodandæ: neque eædem omnibus politiis ſunt vtiles & aptæ. *Ariſt. lib.* 3. *Polit. c.* 11.

Leges ſint ſacroſanctæ.

26 Leges autem ſemel conſtitutæ & latæ debent obtinere, & valere: non autem ſperni. Nam qui vult hominem regnare, ille belluam; qui leges, ille Deum ipſum regnare vult. *lib.* 1. *Polit.* Leges enim à nemine impunè violari debent.

Moribus bonis inſtituendi ciues.

27 Non tantùm autem leges, & quidem ſanctas, in Rep. eſſe oportet: verùm etiam mores ipſos ciuium ſanctos & primam eorum educationem eſſe piam, & virtuti conſentaneam oportet. Neque enim leges, quantumuis ſanctæ, valent, niſi priuata ciuium diſciplina, eaque ſancta, acceſſerit quoque. *Ariſt. lib.*4. *Polit. cap.* 8.

Leges quotuplices.

28 Leges omnes (vti vita ipſa hominum eſt duplex in otio & negotio, domi vel foris) ſic vel ad pacem ciuium inter ſe tuendam, vel ad bellum fori adminiſtrandum pertinent. *Ariſt. lib.*7. *Polit. cap.*14.

Leges quomodo debeant eſſe comparatæ.

29 Potiùs ad pacis, quàm belli rationem, & vſum comparatæ eſſe debent leges in vnaquaque Rep. Bella enim etiam ipſa pacis cauſa ſuſcipiuntur.

Confiſcatio bonorum vtrùm probanda?

30 Bona damnatorum confiſcari, lites vel accuſationes inter ciues eſſe frequentes; quippiam in Rep. obſcœnum dictu viſúque (quales ſunt inhoneſtæ picturæ) tolerari, vetent leges Reip. bene moratæ. *Ariſt. lib.*6. *Polit. cap.*5. *lib.*7 *cap.*17.

Leges de quibus rebus ferendæ?

31 Leges autem maximè de connubiis caueant, qua ætate coniugia contrahi oporteat, inter quos, & quibus pactionibus. Item de prima liberorum educatione, eorúmque publicis *lib.*7. *cap.*16. *&* 17.

Idem.

32 De rebus etiam ſacris leges in Rep. benè morata ferantur accuratiſſimè. *lib.* 6. *c.* 8

Magiſtratus præter leges in Rep. eſſe oportet.

33 Non modò leges in Repub. eſſe oportet, verùm etiam magiſtratus, qui eas applicent ad hominum facta pro variis circumſtantiis: qui ciuium lites inter ſe dirimant: qui denique publicis negotiis ſiue domeſticis, ſiue bellicis præſint: Præſtat denique in Repub. eſſe bonum magiſtratum abſque lege, quàm bonas leges abſque magiſtratu. *lib.*7. *Pol.* Magiſtratibus autem omnes pro ipſorum juriſdictionis finibus pareant. *c.* 8. *&* 14.

Magiſtratus munus dandum quo modo?

34 Magiſtratus demandentur ex populi ſuffragio, ſaltem ex conſenſu: neque vni & eidem plura munera publica delegentur, ſed ſingulis. Vnum enim vni gerendæ idoneum eſſe, multum eſt. *Ariſt. lib.* 6. *Polit. cap.* 2. *lib.* 4. *c.* 15.

Magiſtratus munus cui dãdum?

35 Mandentur autem magiſtratus viris virtute præditis, prudentibus, eius rei, quæ in eo magiſtratus viris virtute præditis, prudentibus, eius rei, quæ in eo magiſtratu tractari debet, callentibus, veracibus, & dignis non ex cenſus ratione, ſed virtutis & ſcientiæ gradu: denique iis, qui nulli ſint ex ciuibus hoſtes & infenſi. *Ariſt. lib* 7. *c.* 7 *&* 8.

Nobilium ius.

36 Diuitibus & nobilibus ſua quædam publica munera peculiariter reſeruanda. His quidem ea, quæ ſunt militaria: illis autem ea, in quibus maiores ſumptus ſunt faciendi. *lib.* 3. *Polit. c.*9. *lib.*4. *c.* 8. *lib* 7. *c.*9.

Magiſtratus perpetui.

37 Perpetui magiſtratus non ſolent eſſe tam ſinceri, quàm ſi ad tempus duntaxat eligantur. Et vices parendi ac imperandi inter ciues eſſe, longè tolerabilius eſt. *Ariſt. lib.* 6. *Polit. c.*2. *lib.* 7. *cap.* 14.

Magiſtratus cui dandus.

38 Ex opificibus neminem ad magiſtratum eligendum putat Ariſtoteles. *lib.* 6. *c.*7. *Polit.*

Iudices litium.

39 Iudices qui litibus & controuerſiis ciuium definiendis præſunt, ædes notas cuiuis habeant, & foro judiciario vicinas: itemque cæteri magiſtratus pro ratione ſui muneris.

Magiſtratuum diuiſio.

40 Magiſtratuum alii ſunt omnino neceſſarii: alii ad diuturnitatem duntaxat Reip. vel ad opus aliquod pro tempore vtiles. *lib.* 6. *c.* 8.

Magiſtratus neceſſarij qui?

41 Neceſſarii ſunt, quibus nunquam Reſp. carere poteſt, quales hi ferè, iudicio Ariſtotelis, ædilis, qui opificum controuerſias dirimit: itinerum & aggerum, agrorumque publicorum præfectus, quæſtor, qui vectigalia publica exigit: præfectus ærarii: ſcriba publicus: præfectus vrbi: cenſor denique, qui omnium priuatorum ciuium & magiſtratuum mores inſpiciat, rerum publicè vel priuatim geſtarum rationes exigat, & audiat: denique publicæ diſciplinæ cuſtodiendæ præſit. *l.* 6. *c.*8.

Cenſoris muneris neceſſarii & publici.

42 Nulla eſt Reſp. bene inſtituta, quæ cenſura cenſorúque munere publico, eoque in moribus ſingulorum probandis vel damnandis liberâ poteſtate prædito carere poſſit. *lib.* 4. *c.* 15. *&* 16. *lib.* 5. *c.* 8.

Militares magiſtratus.

43 Munera magiſtratuſque bellici hi ferè ſunt: Præfectus equitum, præfectus peditum, præfectus leuis armaturæ, præfectus claſſi. Imperator ipſe totius exercitus. *lib.* 6. *c.* 7.

Idem.

44 Per militares viros Reſp. incolumis ſeruatur. Etſi verò eatenus illa munera ſunt neceſſaria, quatenus bellum ingruit, non autem perpetua: tamen artem militarem ſemper in Rep. exerceri vtile, imò neceſſarium omnino eſt. *lib.* 7. *Polit. c.* 9.

Ciues aſſueſcant potius...

45 Ciues nimiùm armis, aut militaribus artibus addictos eſſe, aut inſtrui, ex publicis moribus ciuitatis minimè conducit. Duritiem enim inde contrahunt, vt abſque bello viuere poſtea non poſſint. *lib.* 7. *c.* 14 *in fine.*

Templa inſtituenda.

46 Templa religionis gratia ſunt à magiſtratibus inſtituenda, omníſque cultus diuinus piè conſeruandus. *lib.* 6. *cap.* 8. *lib* 7. *cap.* 2. *&* 9.

Reſp. ornanda.

47 Præter ſuperiora omnia videndum eſt, quibus modis Reſp. tum ornata, tum etiam tuta ac quieta eſſe poſſit.

Reſp. ornatur.

48 Ac quidem ornata erit, ſi commerciis tum ciuium ipſorum inter ſeſe, tum peregrinorum cum ciuibus abundet. *lib.* 6.

Commercia qualia.

49 In commerciis ciuium cum peregrinis maximè cauendum eſt, ne ciuium boni mores externorum mercibus laſciuis, aut moribus turpibus corrumpantur. *Lib.* 6. *Polit.*

Idem.

50 Et quia ſine foro commercia eſſe non poſſunt, forum rerum venalium commodè exſtructum vnum vel plura eſſe oportet: ciuium quidem, aut vicinorum inter ſe, intra vrbem: peregrinorum autem remotiorum, extra vrbem. *Lib.* 7. *c.* 12.

Reſp. ornatur.

51 Ornata erit ciuitas, ſi ædificiis publicis magnificis ſit exſtructa, vbi & magiſtratus conueniant: & archiua publica ſeruentur, & epulæ publicæ fiant, ac populo præbeantur. *Lib.* 7. *Polit. c.* 12.

Idem.

52 Ornata erit, ſi opes publicas, agros, vel vectigalia nimirum habeat ciuitas. Ex agris autem publicis alios vult Ariſtoteles eſſe deſtinatos cultui diuino peragendo, & rebus ad eum neceſſariis, alios ſumptibus & expenſis publicis. *Lib.*7. *c.*10.

Idem.

53 Denique ornata erit, ſi hæc habeat ciuitas; victum nempe ſufficientem, artificia, inſtrumenta multa, arma, & cætera quæ ad ciuitatis defenſionem ſpectant. *Lib.* 7. *c.* 8.

Reſp. erit tuta.

54 Tuta erit ciuitas, ſi & ſeditiones fugiat ac euitet: & ea, quæ maximè Rempub. ſeruant, conſectetur ac velit.

Seditiones oriuntur.

55 Seditiones maximè oriuntur ex inæquali ciuium iure inter ſe: bonis ademptis, verberibus illatis, iniuriis cum magnâ cõtumeliâ vni ciuium parti ab alterâ factis. *Lib.* 5. *Polit. c.* 1.

Idem.

56 Præfectorum nouitas, nouæ exactiones & onera impoſita, diuitum ſpoliatio, lucra ex malis ſceleratíſque cauſis; vt bellis ciuilibus, percepta, facilè mouent ſeditiones. *Lib.* 5. *c.* 8. *&* 7. 10.

Idem.

57 Item procerum inter ſe ſimultates & diſcordiæ irreconciliabiles: eorundem factiones diuerſæ & diſcordes prælatio vnius familiæ in magnis diuturníſque honoribus, vel cæteris excluſis, vel iis contemptis, ad quos iidem honores deferri debent: nobilitatis nimia licentia, ac inprimis militaris: procerum in conciliis publicis perpetuus diſſenſus facilè excitant ſeditiones in Rep. *Lib.* 5. *c.* 6. *&* 7.

Idem.

58 Crudelitas Principum, impunitas ſcelerum, violatio frequens legum, peculatus pecuniæ publicæ, odium denique præſentis reipub. ſtatus facilè ſeditiones excitant. *Lib.* 5. *Polit. c.* 6. 7. 8. 9.

Remp. ſeruant.

59 Ea verò, quæ maximè Remp. conſeruant, ſunt ferè eiuſmodi: Bonarum legum inuiolabilis auctoritas: magiſtratuum in munere obeundo prudentia, diligentia, & alacritas: populi aduerſus magiſtratus obſequium: ciuium inter ſe concordia ac conſenſus: magiſtratus erga populum paternus animus & cura. *Lib.* 5. *Polit. c.* 8.

60 Item

60 Item iuris cuique sui, ac honorum tuta possessio, ac conseruatio · sancta vniuscuiusque ciuis institutio priuata, & honesti mores: pauperum & inopum ciuium publicum subleuamentum. *Lib. 5. Polit. c. 9.*

61 Æquabilitas inter ciues & pro conditione cuiusque suus honos, locus, & gradus assignatus. Partium in Rep diuersarum iustum quoddam inter se temperamentum, ne vna pars alteram opprimat, aut nimiùm possit. Denique ea constitutio status, & Reip formæ, otiique dulcedo, quæ faciat vt omnes sint contenti præsenti rerum statu. *Lib. 5. Polit. c. 7. 8. 9.*



EX PLVTARCHO, DE CIVILI ADMINISTRATIONE.

1 AD Remp. capessendam non temerè, sed certo animi iudicio; non gloriæ, aut opum gratiâ, sed eo animo vt ciuitati prosis, est accedendum.

2 Populi quem regendum susceperis, mores inprimis noscendi: nec licet mali, statim, sed pedetentim mutandi. Quamobrem ad eos teipsum ad tempus accommodes.

3 Rempub. capessens, ea vitia sua, quæ maximè apparent, quamprimùm mutet: postea verò reliqua.

4 Licet populus vtatur malis hominibus, iisque ad tempus faueat; eos tamen postea notos repudiat prorsus.

5 Magnum apud populum habet momentum, opinio de probitate tuâ semel ab eo concepta.

6 Rempub. capessens eatenus sit peritus dicendi, quatenus alienâ voce ad animi sui sensa explicanda non egeat; sed qui populum & auditores mouere possit oratione.

7 Duæ sunt ad capessendam Rempub viæ: Vna breuior, magni nimirum alicuius facinoris susceptio, effectióque: hæc periculosa est. Altera longior, munerum ordinariorum, & quæ nos populo commendant, honesta & diligens administratio: hæc tutior.

8 Remp. capessens non modò claro alicui viro se adiungat; sed etiam bono.

9 Remp. capessens inimicitias Reipub causâ deponat: nec eas vlciscatur etiam cum ipsius Reip. aut virorum bonorum damno.

10 Ciuis nullus pro inimico habendus, nisi se Reip. hostem apertè professus fuerit, aut probarit.

11 Conuitia, præsertim scurrilia, ne in hostes quidem & aduersarios à summo magistratu, aut Remp. capessente, iaciantur, dicantúrue.

12 Remp. capessens nullam illius partem sibi commissam, & in qua sit positum aliquod decus Reip. aut aliquod publicæ salutis momentum, negligat.

13 Remp. capessens illud munus maximè ambiat & curet, ad quod magis aptus est & idoneus.

14 Contrariæ factiones hominum modò non coniurantium in Remp aut eam perturbantium, non sunt omnino tollendæ, sed tanquam æquilibrium futurum, retinendæ.

15 Remp. capessens cuncta ciuitatis consilia aut decreta ad summum magistratum referens: meticulosam reddit Remp. eámque tandem in seruitutem redigit

16 Ad quam tamen necessitatem eum, qui capessit gerítue Remp. adigit sæpe potentiorum factio, vel ipsius summi magistratus auaritia, vel ambitio.

17 Sed neque morbi omnes Reipub. sunt ab inferiore magistratu indicandi summo: sed prudenter vel sanandi, vel celandi plerique. *Idem.*

18 Remp. capessens cæteros omnes magistratus honoret: maximè verò collegas suos, & in eodem munere versantes, consensu & concordia foueat. *Magistratus collegas honoret.*

19 Summa hæc est Reipub. felicitas, quum & Princeps, vt oportet, imperare; & subditi, vt oportet, parere possunt, ac didicerunt. *Reip. felicitas sũma.*

20 Pleraque minora peccata condonanda populo, vt grauiora punire possis: nimia enim seueritas eum facit contentiosum. Consueta enim sunt illi relinquenda, si Remp. non euertant, aut opes Reip non absumant. *Populo condonanda quædã.*

21 Popularem se ac familiarem subditis reddat magistratus, præsertim in theatris, certaminibus publicis, & religiosis conuentibus, & in iis vnà cum populo adsit, & quidem frequens. *Princeps familiaris atque popularis.*

22 Populo si quid magnum, illíque gratum & cupitum eripias, concedendum aliquid aliud parui momenti ad sedandam seditionem. *Populo condonanda quædã.*

23 Optimi & modestissimi semper eligendi, vel in collegas allegendi. Optima enim absque contentione optimi consulũt. *Magistratus collegas honoret.*

24 Remp. capessens, ad ea quæ ipse per se præstare non potest, adsciscat lubenter peritiores, per quos adiuuetur. *Princeps peritiores audiat.*

25 Respub. optima est, in qua omnes magistratus & ciues conferunt omnia sua ad Reip. salutem, vel commodum: neque quenquam eorum, qui Reip. prodesse potest, prætermittunt vel aspernantur. *Reip felicitas quando?*

26 Remp. capessens lucri cupidus, vel lucripeta, à nullo vnquam scelere abstinebit. *Remp. capessens ne sit auarus.*

27 Honos verus, quo contentus esse debet qui Rempub. capessit; est publica beneficij à se collati in Remp. memoria seu beneuolentia ciuium. *Remp. capessens quid curare debeat?*


28 Nihil tam populum homini conciliat Remp. capessẽti, quàm opinio fidelitatis, & virtutis, quæ in eo esse existimatur. *Beneuolentia ciuium conciliatur.*

29 Beneuolentia ciuium optimum Remp. capessenti adsus omnes aduersarios & insidias munimentum.

30 Beneficentia, quæ fit in cultum Dei, maximè populo grata. *Beneuolentia ciuium.*

31 Quies populi & animi mansuetudo potiùs quàm eiusdem impetus & effrenis licentia Reip. salutaris & optanda & curanda. *Populo salutaris quies, non impetus*

32 Etiam priuatarum discordiarum semina sopiat is, qui Rempub. capessit: quoniam ea sæpe in publicam seditionem erumpunt, præsertim si nascantur ex eo, vnde tota plebs, aut aliquis Reip. ordo iniuriam sibi fieri putat. *Priuatæ discordiæ.*



EX ISOCRATIS ORATIONE AD NICOCLEM.

1 AMA eos quibus imperas. 7. 12. Et effice, vt ab iisdem quoque vicissim ameris.

2 Amor populi diuturni imperij est fundamentum. 11. 15. 35.

3 Populus neque petulans esse, neque iniuriâ quenquam afficere concedatur.

4 Leges malæ & consuetudines tollendæ, quantumuis diuturnæ.

5 Lites minuendæ, & quæ leges easdem alunt, abrogandæ.

6 Sumptus publici superuacanei fugiendi. 8.

7 Religio vera est morum sanctitas.

8 Fides & constantia dictorum in rege præcipuè commendatur.

9 Liberalitas item in extraneos. *Liberalitas.*

10 Extraneorum sit tuta habitatio, & liberum atque absque iniuriâ eorundem commercium inter nos. *Extranei.*

11 Bellorum sciens sit quidem Princeps, pacem tamen amet. *Princeps.*

12 Præferendi in Repub. gerendâ qui promissa præstant, & cœpta perficiunt. 55. *Præferendi in Rep. Vtiles Reip.*

13 Qui vtiles antea Reip. fuerunt boni quoque. Præfectorum enim iniuriæ, in ipsos reges aut Resp. redundant. *Assentatores fugiendi regibus.*

14 Parasiti fugiendi. 28. 29. 33. *Lex.*

15 Legi pareat ipsemet Princeps. 37. 51. 53. *Reip. felicitas quando?*

16 Felix est imperium, in quo subditi euadunt tum meliores, tum etiam ditiores.

17 Citra

Modus Principis institutio qualis esse debeat?

17 Citra modum potiùs, quàm vltra modum consistas.
18 Exercitatio & doctrina faciunt Principem rerum, quas eum scire oportet, callentem: non altera duntaxat. 45. 50.

19 Mori præclarè Princeps & possit & didicerit.
20 Consiliarius optimus, est res etiam regibus ipsis præstantissima, ac, vtilissima.

Idem: Consiliarius optimus pretiosa.

EX AGAPETO DIACONO.

Princeps qualis esse debeat?
1 QVò quis in Rep. maiorem gradum dignitatis est consequutus, eò Deum colat summissiùs. 19.

Princeps legibus pareat.
2 Rex legi ipse pareto: suis autem legibus iisque iustis populum regito. 1.

Leges bonæ seruandæ.
3 Bonæ leges sunt Reip. neruus, at iniustitia, & effrenis licentia est fluctus Reip. ac tempestas periculosissima.

Pietas.
4 Pietas non in verbis, sed in bonis operibus, imprimis autem vera in Deum per Christum fide posita est. 5.

Princeps qualis?
5 Regis voluntas & vita sit Dei voluntati conformis & consentanea.

Beneficentia.
6 Solus beneficentiæ fructus manet, & in benefactorem redundat: cumque commendat maximè. 38. 39.

Princeps acerbus.
7 Quàm acerbus Princeps est subditis & durus, tam durum Deum & ipse quoque experietur.

Princeps aberrans.
8 Princeps vel leuiter aberrans multum Reip. nocet. 10.

Assentatores fugiendi regibus.
9 Assentatores à regibus tanquam pestis vitandi. 12. Nam non vtilia consulunt, sed quæ placent. 22. 31.

Princeps qualis esse debeat?
10 Regis animus sit in vtroque euentu bono vel malo constans & idem. 11. & 13. 33. 34.

Idem.
11 Reges sint philosophi, id est, veræ sapientiæ fautores & cultores. 17.

Laus vera.
12 Solius virtutis laus est immortalis, 18. 19.

Subditi vt tractandi?
13 Hostes armis domantur velut feræ: subditi verò beneficentiâ velut oues propriæ demulcentur & deuinciuntur. 20.

Talio diuina.
14 Quâ mensurâ Princeps alios fuerit metitus, eâdem illi Deus remetietur. 23. 24.

Deliberatio.
15 Diu delibera, sed deliberata maturè facito: in deliberando autem precibus ad Deum & consiliis hominum prudentum vtere. 25. 57. In quibus te non pudeat aliorum sententiam sequi.

Iussa sua princeps perpendat.
16 Nullum est leue regis jussum, itaque priùs ab eo perpendi debet, quàm iubeatur. 26. 54.

Princeps legib. pareat.
17 Leges ab ipsomet principe obseruandæ, vt earum obedientiam doceat ipse suo exemplo subditos. 27.

Princeps ne toleret malos.
18 Mali peruersique à principe neque tolerandi, neque promouendi. Nam qui eos tolerat, eorundem vitiis participat. 28. 30.

A principe asciscendi qui.
19 Bonos asciscat princeps, quibus cum versetur, vt bona discat. 29.

Subditi vt tractandi.
20 Imperium in homines volentes est diuturnum. 35. in inuitos autem breue & seditionis plenum.

Idem.
21 Misericors, & lenis animus maximè principem commendat. 51. 37. 40. Immisericordia autem multos à principe arcet, vel auertit, & segregat.

Iudicia.
22 Iudicia in quemuis, siue amicum, siue inimicum, ex legibus æqualia fiant 41.

Consilia.
23 In consiliis capiendis rationum momenta, non verbosulorum eloquentia est attendenda. 42.

Subditi vt tractandi.
24 Princeps suorum subditorum, velut sui ipsius corporis membrorum, curam gerat. 46.

Princeps auctoritatem sanctè tueatur.
25 Principi curandum ne ipsius potestas propter mansuetudinem spernatur, itaque ea potestate vtendum est in puniendis malis. 48. 55. 59. non in tolerandis vitiis.

A principe qui amandi?
26 Amandi à principe potius, qui ab eo beneficia petunt, quàm qui in eum ea conferunt. 50.

Pietas.
27 Vbi pietas pro scopo & fine & regula actionum nostrarum proponitur, ibi omnia rectè fiunt & conuenienter. 54.

Officium principis.
28 Regis officiũ est & subditos tueri, & hostes repellere. 62.

Princeps vt se debeat gerere?
29 Princeps & domi, foris honestam de se exstimationem tueatur, honesta & graui vitæ conuersatione. 65.

Principes Deus iudicabit.
30 Principis actiones coram Deo deprehendentur, & punientur, vtcunque inter homines dissimulentur, & fuco colorentur.

EX M. TVLLII CICERONIS EPISTOL. AD Q. FRATREM, Lib. 1.

Imperandum quibus.
1 OPtandum est, vt iis imperemus, qui bonam iam de nobis opinionem conceperunt, aut à nobis beneficium acceperunt.

Princeps sit modestus & temperans.
2 Qui sibi ipse imperat ac temperans est, alios facilè in officio continere potest.

Principis comitatus sit modestus & temperans.
3 Non tantùm ipsum principem, sed etiam ipsius comites, legatos, & seruos continentes esse & moderatos oportet vt principi comparetur commendatio.

Idem.
4 Principis comites, legatos, officiarios, & seruos, præceptis principis præsertim obtemperantes esse oportet.

Populi condonanda quæ.
5 Non exactè nimium omnium facta inquirenda à principe, sed quædam leuiora prætermittenda, in iis præsertim, quos non elegit ipse.

Princeps
6 Princeps non negligat quæ audit & scit.

Princeps auctoritatem sanctè tueatur.
7 Curet ne quisquam ipsius auctoritate, vel annulo ad suam voluntatem, vel lucrum, vel vindictam abutatur.

Principis comitatus sit modestus & temperans.
8 Satellites principis ne sint nisi ex voluntate ipsius formidolosi, & principis, non autem suæ ipsorum voluntatis ministri.

Princi[...]ira.
9 Iniustè datibus & accipientibus æquè princeps irascatur.

Subditi exploranda.
10 Diu exploramdi ex extraneis & prouincialibus, præsertim quos prouinciæ præfectus in amicitiam ac familiaritatem asciscit: facilè enim isti simulant, vel ea familiaritate abutuntur.

Princ[eps] quos adhibere debeat?
11 Omnes adhibeat princeps liberaliter, optimum autem quemque familiariter.

12 Serui Præfectorum & Magistratuum perinde se gerant extra ipsorum familiam, atque in ipsa dominorum familia & domo.

Princ[ipis] comitatus. Princip[em] commendat.
13 Commendationis principis & dignitatis fundamentum sunt, principis ipsius integritas, & continentia, omnium, qui cum eo sunt, pudor: delectus in familiaritatibus: familiæ grauis & constans disciplina: Decernendi seueritas, & in iudicando æquabilitas.

Ius vt debeat.
14 In iure dicundo obseruentur, facilitas in audiendo: constantia & grauitas, quæ resistit non solùm gratię, sed etiam suspicioni: leuitas in discernendo: in disputando diligentia.

Princ[eps]
15 Talem se præbeat princeps, vt ab iis, quibus præest, alius non desideretur.

Reip. citas q[...] do.
16 Beatæ sunt Respublicæ, vbi aut Reges philosophantur, aut docti & sapientes regnant: est enim Reipublicæ salutaris conjunctio potestatis & sapientiæ.

Subditi les, qui principi
17 Quales principes, tales & reliquos esse ciues. *Cicero lib. 1. Familiar. epist. ad Lentulum.*

Opi[nio] tuenda.
18 Tuenda est honestis artibus opinio virtutis de nobis concepta.

Prin[ceps] munu[s]
19 Principis est consulere omnibus, mederi incommodis hominum, prospicere saluti patriæ, vt illius parens esse & haberi velit, & possit

Publi[cani]
20 Publicanorum licentiæ & auaritiæ occurrendum.

Conc[...] rara.
21 Difficile est eos, qui commodis & vtilitate inter se discrepant, inter se coniungere voluntate.

Pri[nceps] iracun[dus]
22 Iracundia in principe acerbitasque naturæ est cùm deformis, tum etiam periculosa. Multa enim iniustè peragit & præcipit.

Pri[nceps] ne c[...]
23 Lingua principi diligentissimè moderanda, continendaque.

Pri[nceps] ne sit exora[bilis]
24 Exorabilem esse prncipem præstat, quàm implacabilem, etiam in maximis iniuriis sibi illatis.

Pri[nceps] ne co[...]
25 Maledicta & contumeliæ in alium dedecent maximè principem, & omnem dignitatem grauitatemque animi.

EX EPISTOLIS CICERONIS AD MARCVM BRVTVM.

Pri[nceps] ne cr[edu]lus.
1 NOn temerè credat Princeps aut Magistratus quidpiã, quod sit de sibi ignoto homine ab aliis relatũ. *Epist. 1.*

In ciuili[bus] quid [agendum]
2 In bellis ciuilibus partes aduersarias paulatim crescere minimè sinendum est: sed maximè tunc militibus concedendum, vt è suis sceleratos, vel qui alior ad defectionem sollicitant, ipsimet puniant. *Epist. 2. & 5.*

Bella [ciuilia] pr[ohi]bend[a].
3 Bella ciuilia sunt prohibenda acriùs, quàm in iam superatos iracundia promiscuè & populariter sit exercenda. *Epist. 2.*

Bella [ciuilia] do fo[uen]tur.
4 Qui tamen in ipsos bellorum ciuilium auctores superatos sunt clementes, iis nunquam deerunt bella ciuilia. Salutaris enim est in istos acerba seueritas, vincitque ea inanem speciem clementiæ. *Epist. 2. & 15.*

In [bellis ciuili]bus quid [agen]dum.
5 In bellis ciuilibus, nemo ex iis, qui aduersæ parti etiam victæ fauere videtur, aut probabili coniectura eam redintegrare velle censetur, est honoribus ornandus vel exercitu & potestate armandus. *Sic peccatur à Cicerone in extollendo Octauio Epist. 3. 4. & 17.*

Idem.
6 In bellis ciuilibus, nihil cuiquam Senatus decreto dari debet, quod vel illi ipsi, vel aliis malè in Rempublicam & partes nostras cogitantibus exemplo sit, aut præsidio ad temerè quippiam audendum, & bella ciuilia redintegranda. *Epist. 4.*

Ty[rannus] vt t[olli]tur.
7 Vt tyrannis tollatur, non dominus tantum tollendus est, sed dominatio ipsa vertenda, nec alius, qui eiusdem rei spem,

aut

aut ad eum gradum habeat, euehendus. Tunc enim non dominatio aut tyrannis tollitur: sed dominus tantum a nobis mutatur. *Epist.* 4. & 16.

8 Periculosè omnino ad pacem Reip. conseruandam, nobilis adolescens quispiam extraordinariis honoribus à Rep. præter vetusta exempla ornatur, cui non omnia postea conceduntur, quæ petit. *Epist.* 4. 10. & 18.

9 In bellis ciuilibus, aliisque magnis Reip. calamitatibus, eius Magistratus (qui summæ rerum, aut parti vni præest) mors, magnam Reip. toti, aut parti illi, cui præerat, perturbationem affert. Itaque tunc facilè pars illa vincitur, vel ab armis reuocatur. *Sic mortuis Hirtio et Pansa Coss. Epist.* 5. In demortui autem locum alius statim vir bonus, minimeque de fauore vllo in partem nobis aduersam suspectus est eligendus, strenuus & fortis. *Epist.* 7.

10 In bellis omnibus, tum præsertim ciuilibus, ij demum ad dignitates militares admittendi, qui ex sinceritate & fide verâ in partes nostras noti sunt, aut à non suspectis commendantur. *Epist.* 8. & 11.

11 Imperatorem præsertim in exercitu, etiam in casu suorum sibique charissimorum constantem, ac non nimis mœstum vel cõsternatum esse oportet, vt cæteros confirmet. Huiusmodi enim non tantùm officio & naturæ, sed etiam populo & scenæ seruire oportet. *Epist.* 9.

12 In bellis, præsertim ciuilibus, dum victam partem victor non statim persequitur, efficit vt ex eius manibus victoria elabatur. *Epist.* 10. & 15.

13 Vbi militum deliciæ, Imperatorum seu Ducum insolẽtia regnat: vbi non lex, non ratio, non officium valet, sed vult quisque tantùm in Repub. posse, quantum habet virium & armorum, ibi summa Reipub. perturbatio, ac tandem bellum ciuile exitiale oriatur necesse est. *Epist.* 10.

14 Parricidam hostem Reip. liberi adhuc teneri, aut vxor nobiscum manentes, non debent inani misericordiæ specie à iusta pœna liberare & eximere. *Epist.* 12. & 15.

15 In bellis semper firmum aliquem exercitum vicinum esse oportet, ad quem nostri oppressi se recipiant. *Epist.* 14.

16 In bellis ciuilibus Metropolis regni imprimis, si fieri potest, occupanda, aut conseruanda. *Sic peccat Pompeius, qui Romam deserit. Sic Brutus in Italiam vocatus ex Græcia.*

17 Duabus rebus omnis Respub. maximè continetur, præmio aut pœna. *Epist.* 15.

18 Sublatâ Tyrannide, instrumentum illius & vtilitas apud neminem relinquenda, sed cuiuis eripienda. *Epist.* 15.

19 Tertium spectaculum oppressa ab impiis ciuitas opitulandi potestate præcisa. Itaque præstat tunc ab ea fugere & abesse, quàm in ea manere. *Epist.* 15.

20 Etiam consensus Reip. summus in tuenda libertate aduersus eos, qui illius tyrannidem inuadunt, nihil prodest absque armis ad eosdem repellendos paratis. *Epist.* 15.

21 Faciliùs in timore benigni quàm in victoria grati solent esse homines: quæ res facit vt sæpè milites, qui nos adiuuerunt postea in nos ipsos ob eam ingratitudinem insurgant. *Sic Octauius in Rempub. insurrexit. Epist.* 15.

22 In bellis ciuilibus, sunt quicunque publicis exercitibus præsunt, in nostras partes, præmiis, pecunia, & honoribus traducendi. *Epist.* 15.

23 Qui tyrannum occidit, meritò eius hæredibus aut omnibus tyrannidem inuadere cupientibus suspectus est, neque iis fidere debet. *Sic Brutus neque M. Antonio, neque Octauio fidit. Epist.* 16.

24 Pulcherrima Principis viri consolatio, Memoria rectè factorum.

25 In vindicanda Patria fortis & liber animus sine constãtia & æquabilitate inutilis est, ac nullus. *Epist.* 16. Qui enim à sancto Patriæ tuendæ proposito deficit, plus nocet quàm proficit, & cæteros exterret.

26 Sic malis Reip. ingruentibus, præsertim in ciuili bello, prospiciendum est à magistratibus, vt per alia mala, & quidem deteriora illis, quæ imminent, non medeantur. Neque enim est istud liberare Rempublicam, sed euertere. *Epist.* 17.

27 Stulta est prudentia, quod vereris ita cauere, vt illud ipsum vltrò tibi accersas, etiam quum vitare fortassis potueris. *Epist.* 17.

28 Bonus ciuis est, qui non potest pati eam in sua ciuitate potentiam, quæ supra leges esse velit. *Epist.* 17

29 Grauior est & difficilior animi & sententiæ, maximis præsertim in rebus, pro altero, quàm pecuniæ obligatio. Itaque sapienter considerandum, quales Reipublicæ tunc commendemus. *Epist.* 18.

30 Maximus in Repub. nodus est, & ad res præclarè gerendas impedimentum, inopia rei pecuniariæ. *Epist.* 18.

31 Plus pecuniæ in bellis ciuilibus, quàm in externis impenditur: quòd milites duplo sunt redimendi, ne ad hostes nostros deficiant. *Epist.* 18.

EX C. PLINII SECVNDI
PANEGYRICO AD TRAIANVM

1 NIhil ritè, nihilque prudenter auspicantur homines sine Dei immortalis ope, & consilio: Itaque rerum agendarum initia à precationibus sunt capienda. *Precatio.*

2 Nullum est præstabilius & pulchrius Dei munus erga mortales quam castus, & sanctus, & Deo simillimus Princeps. *Princeps bonus magnum Dei donum.*

3 Principem legitimè & cum Numinis solenni inuocatione electum, aut receptum esse, plurimùm interest: Nam ea res eum populis valde commendat. *Principis electio solennis.*

4 In Consiliario Principis tria maximè requiruntur, Libertas, Fides, & Veritas. *In consiliario principis tria requiruntur.*

5 Princeps vt se hominibus imperare norit, ita se ipsum hominem quoque esse cogitet: Itaque, voces & laudes, quæ Numini soli debentur, tanquam putidissimas assentationes, oderit. *Principis boni defer prio.*

6 In Principe tres maximè virtutes prædicantur, Pietas, Abstinentia seu Temperantia, & Mansuetudo, seu eum adeundi facilitas. *In principe virtutes tres requiruntur maximè.*

7 Tyranni quantò magis laudantur verarum virtutum nomine, tantò magis vitia sua sibi exprobrari putant: ac proinde se irrideri, vnde irascuntur. *Tyrannorum indoles.*

8 Princeps bonus ne permittat sibi vetare, quod Senatus iubet. *Princeps bonus.*

9 In bono principe omnium virtutum cumulum inesse oportet. *Idem.*

10 Etiam corporis proceritas, & oris dignitas apud plebem commendat principem. *Princeps procerus & venustus gratior.*

11 Bona conscientia principatum sibi delatum acceptat, qui non nisi animo feruandi illud accipit, & quem ipsius Reipublicæ vtilitas & vox ad illud accersit, non sua. *Principatus vi capessendus?*

12 Quod factum magnopere placet, placebat etiam antequam fieret Itaque hac ratione animus & voluntas principum anteà latens detegitur. *Principum voluntas vt exploratur.*

13 Optima prædecessoris principis laus, si successorem bonum elegit, & reliquit. *Prædecessor principis.*

14 Militaris dux seu princeps est deligendus, vt & subditi & extranei in officio contineantur. *Princeps militaris.*

15 Pessimus est ibi militaris status, vbi armorum studium à manibus ad oculos, à labore ad voluptatem translatus est, & exercitationibus militaribus non aliquis veteranorum, sed Græculus Magister assistit & præest. *Idem.*

16 Princeps vt sit militaris, debet priùs multùm & diu in bello periclitatus esse: sic enim disciplinæ militaris scientissimus erit. *Idem.*

17 Assuescat princeps cum Republica calculum ponere, & expensi acceptique rationem illi reddere. *Principis boni officium.*

18 Bonus princeps cum ciuibus, velut cum liberis suis, versari debet. *Idem.*

19 Primus principum in vrbes ingressus lætus ac festus esse debet, & congiarium populo tunc dandum. *Principum ingressus primus in vrbes.*

20 Affabilitas principis virtus maxima. *Affabilitas principis.*

21 Principis in pauperes liberalitas valdè eum commẽdat. *Princeps pauperibus succurrat.*

22 Princeps frustra Rempublicam plebe neglectâ (velut defectum corpore caput ac mox, nutaturum) tueri studet, & se posse putat. *Plebs neglecta.*

23 Est boni principis curare, vt itinera, portus, & commercia sint in toto regno tuta, & libera. *Itinera curentur.*

24 Est boni principis prospicere annonæ, & si quæ ipsius regio inopia frumenti premitur, eam subleuare. *Annonæ cura.*

25 Magnorum imperiorum hæc est commoditas, quòd plures sub illis populi in pace viuant, & quæ in singulis prouinciis illius eximia aut vtilia sunt, ab aliis prouinciis eiusdem regni sentiantur: Denique faciliùs vnius prouinciæ inopia ab alia subleuetur. *Imperij commoditas quæ.*

26 Est boni principis, tam quæ in castris, quàm quæ in foro peccantur, emendare. *Castra.*

27 Delatores (hominum genus pestilentissimum, & insidiosissimum) à bono principe sunt tollendi, non tantùm coërcendi. *Delatores castigandi.*

28 Sub bonis principibus, neque ærarium publicum licet quocunque modo augere, neque fiscum Principis, sed si quid fiscus non suum occupet, cum eo pari iure agere conceditur. *Fiscus qualis sub bono principe.*

29 Fiscus nunquam inops, aut nunquam ipsius mala causa est, nisi sub bono principe: Multi enim semper fisci vtilitates vrgent, præsertim sub tyrannis regibus. *Idem.*

30 Grauiter ferunt liberi, si quid de paterna hæreditate sibi à fisco, vt vigesima, adimatur. Itaque etiam imposita remittenda est. *Idem.*

31 Ambitio, iactantia, effusio, & quiduis potiùs, quàm principis liberalitas existimandum cui donato ratio non constat. *Principis donatio quæ dicenda.*

32 Non vti inter pecudes, sic inter homines potestatem & imperium Deus valentioribus dedit. Ergo virtute, non viribus corporis commendantur reges. *Princeps Deo pareat.*

33 Maie

Crimen maiestatis sub tyrannis. 33 Maiestatis crimen sub tyrannis, vnicum & singulare crimen eorum qui crimine vacant. Hoc enim crimine optimi quique etiam à seruis suis subuertuntur.

Princeps malus. 34 Detestantur malos principes etiam qui eos malos faciunt.

Bonus princeps. 35 Sub bonis principibus eadem sunt virtutis præmia, quæ in libertate: & prodest bonum esse. Contra sub malis.

Vtilitas publica & priuata. 36 Pauci ita ingenio valent, vt non turpe & honestum, prout illis commodum aut incommodum est, expetant, fugiantue. Quare multùm in rebus politicis statuendis potest tum publica tum priuata vtilitas. Videndum tamen est, ne vtilitas vincat veram honestatem.

Principatus & dominatio differunt. 37 Diuersa sunt natura dominatio & principatus: neque aliis princeps est gratiosior, quàm qui Dominum maximè grauantur & oderunt.

Principis vita. 38 Quales principes, tales & reliqui sunt ciues.

Princeps qualis. 39 Benefaciendo maximè subditorum suorum animos experitur princeps, & sibi deuincit.

Principis vita. 40 Vita boni principis censura est ciuium, eaque perpetua, ad eam enim omnes sese conformant.

Vita principis. 41 In iis quæ bene fiunt à malo principe, non res aut factum, sed auctor displicere debet.

Principi bono parêt omnes facilè. 42 Bono principe omne genus hominum lætatur.

Idem. 43 De nullo ferè principe minus queruntur homines, quàm sub quo maximè licet, quoniam eorum principum ferè est honestissima vita, qui illam populo libertatem concedunt.

Princeps literarum studia tueatur. 44 Bonus princeps bonarum literarum studia intermortua restituere, & præmiis doctos afficere debet: itemque curare, vt in iis iuuentus rectè instituatur.

Custodia principis. 45 Principis fidelissima custodia, ipsius innocentia.

Principum mensa sit sobria. 46 In principum mensis & sobrietas in cibis, & suauitas in sermonibus, & benigna conuiuarum inuitatio, & studiorum honor cerni debet: non autem verborum petulantia, aut lasciuia.

Princeps bonus vnde dignoscitur. 47 Sub bono principe licet cuique sua etiam magnifica & opulenta retinere, & habere tutò.

Tyrannus optima quæque sibi rapit. 48 Est tyranni, quicquid habet quisque subditus amplum, egregium, pulchrum, siue in rebus mobilibus, siue in rebus soli, occupare, & sibi detinere.

Princeps bonus vnde dignoscitur. 49 Bonus princeps opera publica tueri, & resarcire debet potius, quàm priuata sua ædificare.

Idem. 50 Ille bonus princeps est, sub quo malos principes insectari licet absque periculo.

Malus princeps. 51 Nullum est tempus, nullus locus, vbi funestorum & crudelium principum Manes à posterorum execrationibus conquiescant.

Tyrannus sibi rapit omnem auctoritatem. 52 Tyrannorum est maioris momenti, negotia publica ad se solos reuocare, Senatum autem publicum de his rebus alioqui consultaturum, in friuolis propositionibus & nullius momenti rebus, detinere & consulere.

Bonus princeps. 53 Vera boni principis laus & fama non imaginibus, aut statuis, sed virtute & meritis prorogatur.

Idem. 54 Sub bono principe ea est populi & principis æmulatio, vt contendant inter se, vter alterum magis amet.

Tyrannus odit rei- 55 Tyranni est odisse eos, quos populus vel Senatus, quasi de se bene meritos, diligit.

pub. studiosos. 56 Nullis aulicis à bono principe nimis credendum, quàm iis, qui contra famam publicam susurros illi de aliquo malos clàm instillant. Melius enim omnibus, id est, famæ quàm singulis, id est istis creditur.

Aulicus tractar. bus au ne præ principe.

Princeps summus vasallus. 57 Princeps etiam summus Reip. iureiurando velut illius officiarius, obstringitur: ac ipsa Repub. seu regno minor est.

Reip. 58 Non est princeps supra leges: sed leges supra principem.

Idem. 59 Tutius est & securius cuipiam ex proceribus habere tyrannum iratum, quàm sibi assentantem & propitium id est, dissimulantem.

Tyrannus iratus.

Ma princ. 60 Numquam à quoquam deceptus est aut decipitur princeps, nisi qui priùs alios ipse decepit.

Prin bonus. 61 Bono principi tamdiu charus principatus, ac vita chara esse debet, quamdiu per eum incolumis, & salua esse Resp. potest.

Prin bonus. 62 Boni principis est sic dare arma militibus, vt iis vtantur in seipsum si in Rempublicam peccet.

de dig feitur Idem. 63 Est boni principis nobiles familias, etiam collapsas, restituere, & merentes augere & fouere.

Prin præsidi malis faueat. 64 Pessimè consulit Reip. princeps, quum vel malignitate, vel negligentia, malè agentibus & in officio suo versantibus præsidibus prouinciæ, & aliis Magistratibus domesticis, vel bellicis procurat impunitatem rectè autem suo munere perfunctis [illegible] dat aut procurat præmium. Hac enim ratione, [illegible] deteriores, hos in bene agendo segniores.

Prin beati. 65 Neque Reip. felicitas esse potest absque principis felicitate: neque principis beatitudo, absque illius quoque.

Bo princ. 66 Bonus princeps (vt eum populus reuereatur) omnes muneris sui partes diligenter amet, & obeat, nullas verò aspernetur. Qui suum enim principatum & officium obire dedignatur, contemptibilem se aliis propinat, & idolum potius, quàm princeps a cunctis censetur.

Pri super. 67 Superborum principum æuum omne & breue & fragile est.

Prin. 68 Non potest non nimium esse priuatis, quod principi satis est.

Sub conc princ bonu. 69 Est optimi principis inter subditos, præsertim inter ipsas prouincias inter se diffidentes, sincerissimè ac promptissimè ius dicere.

Pri comi sint. 70 Optimus est princeps, qui satellitium habet sanctissimum, & suos domesticos sanctè institutos: neque enim ipsum modò principem sanctum esse oportet, verùm etiam eius comitatum quoque, & familiam [illegible] esse decet.

Pr amo et amic. 71 Diligi princeps, nisi ipse diligat, non potest.

72 Præcipuum principis opus bonos amicos sibi comparare; quos fouere, & audire debet, ac proinde bonos viros eligat.

ros sibi pare. 73 Princeps neminem prorsus inuitum apud se retineat; gratior enim est bonis omnibus etiam potestate libertas sua.

Inui clari et boni felix. 74 Honestius est ad posterorum memoriam dici optimum principem, quam felicem. Illud enim est virtutis, hoc fortunæ.

Ma Ma argu. 75 Tunc verissimè iudicatur, meruerit quis honorem necne, quum eum adeptus est, nam magistratus virum arguit. Prudenter tamen diiudicandi, & examinandi priùs sunt ij quibus honores commendantur.

ENCY

ENCYCLOPÆDIÆ LIBER QVARTVS ET VIGESIMVS, PROPONENS SCHOLASTICAM.

CAPVT I.

De Fine Scholasticæ.

PRÆCEPTA.



SCHOLASTICA est prudentia de felicitate scholasticâ obtinendâ: *quibusdam dicitur* Politia scholastica.

Estque generalis, vel specialis.

Scholastica generalis tradit suum finem, subiectum, & media.

Finis Scholasticæ est internus, vel externus.

Finis internus, est tradere εὐπαιδευσίαν, adeoque modum bene constituendi & administrandi scholam.

Finis externus est absolutus, vel relatus.

Finis absolutus consideratur simpliciter, vel cum gradu eminentiæ. Ibi est felicitas scholastica, posita in vnione & communione bonorum animi, adeoque in βιοσοφίᾳ, τεχνοσοφίᾳ, & γυμνοτεχνίᾳ: hîc est externus scholæ splendor.

Finis relatus est conseruatio Ecclesiæ, Politiæ, & OEconomiæ per eruditionem & morum rectitudinem.

REGVLÆ.


I. *Scholastica est peculiaris disciplina practica, & ea quidem Politicâ posterior.*

DE Scholâ infiniti tractatus sunt editi; & alij quidem separatim, alij politicis libris inserti. Nos peculiarē disciplinā constituimus, quæ præcipiat de scholæ cōstitutione, & cōstitutæ administratione. Cùm enim detur peculiare subiectū, & peculiaris finis (quæ duo requiruntur ad systema disciplinæ peculiariter constituendum) oportet materias illas, quæ hactenus de rebus ad scholam pertinentibus tanquam σποράδην fuerūt hinc inde sparsim traditæ, ad certa signa reuocare, vt ratio societatis Scholasticæ æquè constare possit atque OEconomicæ & Politicæ. Postponimus autem Scholasticam Politicæ: quia tametsi ex statu œconomico liberi rectâ deducuntur in scholam: Politica tamen præcepta sunt generaliora præceptis scholasticis, cùm hæc sine illis intelligi nequeant. Schola siquidem est aliquid posterius politiâ: & officium magistratus est potestate architectonicâ fundare & conseruare scholam. Vnde in politicis multa præcipiuntur de officio magistratus circa scholam: quæ hîc sunt heterogenea. Hîc enim ea tantùm traduntur, quæ incumbunt hominibus, quos vocant, de scholâ. Hinc rectè dixeris, Scholasticam subalternari Politicæ.

II. *Felicitas Scholis proposita est partim theoretica, partim practica.*

FAlluntur, & bis falluntur, qui contendunt, Scholas esse institutas ad otiosam rerum contemplationem, & in iis esse ingeniorum metaphysicorum, vt vocant, siue meteorologicorum culturam, practicorum sepulturam. Cùm enim in scholis fundamenta iaciantur vitæ contemplatiuæ, actiuæ, & factiuæ dici non potest, felicitatem theoreticam solùm propositā esse scholis. Docere sanè in scholis & discere sunt partes officij, nō tantùm theoretici, sed etiam practici. Vtrobique enim requiritur prudentia, quæ est habitus practicus. Si dicas, practica vocari ea, per quæ aliquis redditur melior. at in scholis bonum præceptorem, vel discipulum diligentem, posse moraliter esse malum: in promptu est responsio. Politica est disciplina practica: quatenus virtutem officij præscribit, non autē virtutem moralem explicat. Hanc enim præsupponit, & ex Ethicâ repetit. De Scholasticâ idem iudicium. Porrò quemadmodum Politica sibi propositam habet felicitatem theoreticam & practicam, vt bonæ literæ & boni mores vigeant: ita eundem ad scopum collimat Scholastica, vt nempe in scholis ea doceātur & discantur, per quæ homo fit melior respectu intellectus, voluntatis, & linguæ. Hinc quilibet homo de scholâ hanc trigam sibi debet proponere, vt intellectum scientiâ siue cognitione veri, voluntatem actione boni, linguam eloquentiâ imbuat. Potior autem bonorum morum habenda est ratio, quàm eruditionis. Tametsi enim eruditio est optimum viaticum, in prosperis ornamentum, in asperis refugium: tamen si absque bonis moribus in aliquo conspiciatur, non habet gratiam, non laudem. Est enim instar saccari in cloacâ, instar vini in venenato vase, instar gladij in manu furiosi. Quò pertinet scitum illud: *Eruditio in homine malo malè habitat.* Dicamus igitur vno verbo, εὐπαιδευσίαν debere scholis esse propositam. Εὐπαιδευσία verò non est, vbi aliquis facit diuortiū cognitionis veri & actionis boni, sed velut indiuiduo coniungit fœdere ac matrimonio. Itaque εὐπαιδευσίαν, id est. rectam iuuentutis institutionem, facimus tripartitam. Primò est βιοσοφία, id est, sapiētia rectè viuendi. Deinde est τεχνοσοφία, hoc est, sapientia existens ex rectâ artium perceptione. Denique est γυμνοτεχνία, id est, artium quæ docentur, exercitatio seu vsus. Paulò aliter Scholasticam disponit *Theodorus Schreuelius in suo Palæmone,* seu *in diatribis scholasticis*: hâc nempe ratione.

An morum vel eruditioni potior habenda ratio?



CAPVT II.

De Scholâ.

PRÆCEPTA.

SVBIECTVM scholasticæ est informationis, tractationis & operationis.

Subiectum informationis est voluntas quæ ... dirigitur, vt velit finem & media, per quæ scholæ bene est.

Subiectum tractationis est schola, adeoque officium hominum de scholâ.

Subiectū operationis est erudita pietas in omni statu.

Schola quid? I. *Schola est cœtus docentium & discentium ea, quæ publicè priuatimque sunt vtilia.*

REGVLÆ.

VVlgò dicunt Schola est docentium pistrinum & ergastulum in iuuenilis nequitiæ stabulum, puerilis per... lantiæ receptaculum, calamitatis hospitium, thesaurus tragis penuriæ, pedoris myrothecium, molestiarum deuoratorium, male tractatorum sudatorium, otij negotiosissimi pausa inquieta, operis perpetui reciprocatio, moria sese exercitantis decuriorum atque exercitatorum, ærumnarum confluxus, & miseriarum Oceanus, vt videre est in *Stanilaio Ioanne Scoliebergio*. Verum in his verbis oportet ea, quæ sunt per accidens, ab iis, quæ sunt per se, diligenter discernere. Nam schola suâ naturâ est cœtus eorum, qui docent & discunt disciplinas necessarias & vtiles. Vitia igitur quæ in scholis cernuntur, hominibus sunt tribuenda, non scholis accepta ferenda. Ad molestias docentium & discentium quod attinet, oportet meminisse antiquissimam illam denuntiationem pœnæ *In sudore vultus tui vesceris pane tuo*. Vitia, quæ in scholas irrepunt vitio nostro, sunt amputanda falce pietatis & cogitandum illud: Scholæ suâ naturâ sunt id in rep. quod oculi in corpore: qui licet morbis sæpenumero infestētur, ob id tamē non effodiuntur, sed curātur,

Schola conuenit cum iure diuino, naturæ, & gentium? II. *Schola est iuris diuini, naturæ, & gentium*

SChola est collectiuum, vt loquuntur Logici: non temerarium & fortuitum, vti est aceruus lapidum: sed ordinatum, vti est domus. Hic autē ordo (qui non est numeri sed prudētiæ) conuenit cum trigâ illâ iuris, vt vocant: iuris, inquam, diuini, naturæ, & gentium. Etenim Deus in V.T. scholas instituit, & Filius Dei easdem in N. T. sanctificauit. Deinde omnis societas, quæ sibi pro scopo habet virtutem & felicitatem, est secundùm naturam. Denique omnes homines omnium ætatum & temporum scholas probarunt. Intellige homines minimè Cyclopicos: quales fuerunt Gothi, vastatores illi scholarum & bibliothecarum. Paucorum istorum immanitas non præiudicat legi humanitatis. Hic quæri solet, An scholæ in statu innocentiæ locum habituræ? Resp. Scholæ profectò fuissent, in quibus mutua collatio locum habuisset ad communicandum cognitionem experimentalem, quam vocant. Quàuis enim lumen naturæ in omnibus ex æquo fuisset: experientia tamen omnibus non fuisset eadem. Distingue igitur hic inter rem & modum, & dic scholas futuras fuisse in statu illo beato, sed non tales, quales habemus in statu hoc misero.

An scholæ in statu integritatis futuræ fuissent habituræ locum?

Nominū, quibus scholæ appellantur, vt litras & varietas quanta? III. *Varia scholæ nomina egregiè naturam eius explicant. Sunt autem quatuor capita, ex quibus nomina scholarum deducta sunt: videl. personæ, officia, loca, adiuncta.*

ET à *personis* quidem nomina scholarum bifariam deducūtur. Alia enim sūt ab authoribus vt Academia & Kadmea: alia à personis in literarum studia incumbentibus, vt Cœnobium, Collegium, Domus prophetarum, Lycéum, Mandra, Synagoga. *Ab officiis* & functionibus orta sunt hæc nomina, Asceterium, Apollonium, Cynosarges, Diatriba, Didascalium, Domus vel locus doctrinæ, Heracléum. Hermæum vel Hermium, Athenæum, Ludus, *αὐτοσχολεῖον*, Muséum vel musium, Phrontisterium, Schola, Studium. *A loco* Gibha siue Gabaá, Labiatha siue Lebiathár. Monasterium, Peripatos, Stoa. *Ab adiunctis* Amalthéa siue Amalthéum, Gymnasium, Xystus. Videamus breuiter singulorum explicationem. *Academia*, siue *Ἀκαδήμεια*, aut etiam *Ἑκαδημία* vnde sit dicta, non conuenit inter authores. Alij enim ciuitatem, alij lauacrū, alij gymnasium interpretantur. Qui ciuitatē, hi *ἀκαδήμειαν* velut *ἐγγὺς τῶν δήμων*, c... *exemplum*, dixerunt: quemadmodum ... Terentio, pro systemate vel congregatione ... ex a quo ... est *ὁμον*, & *ἴσασιν*. Qui lauacrum ... quod est ornate; Academiam dici volunt. Lauacrum enim fuit propè vrbem cum nemore iunctum Academiæ. Et ex eo solebant studiosos iuuenes ablacre, cùm ad certos studiorum gradus conscendissent, vt author est Nazianzenus. Qui autem pro gymnasio acceperant; plerique omnes statuunt fuisse nomen impositum ex Academo, siue Hecademo viro laudato, qui ex priuatâ possessione fecerit locum publicum studiorum causâ. *Franciscus* tamen *Iunius in suâ Academia*, putat hoc nomen deductum esse a Kadmo Agenoris filio vel à Kadmeis authoribus, qui sedibus suis pulsi Athenas commigrarunt. Kadmus autem est nomen Phœnicium, ab Hebraico *Kedem*, quod antiquum vel anticum notat siue illud sit tale tempore, siue loco, siue dignitate, siue officio & actione. Quis vero fuit ille Kadmus? Fuit Hermes siue Mercurius Græcorum, qui quod literarum ornamento esset instructus, ab omnibus fuit habitus princeps, adeò vt Ægyptij, Phœnices, & Milesij contenderint, singuli illum esse suum. Ægyptiis dicitur Tautes, Libybus Hercules, Græcis Hermes & *ἑρμηνευτικός* Kadmiles, à Phœnicio Kadmus. Sic itaque Kadméa, siue Kadmía fuit locus studiorum causâ à Kadméis adductis, Athenis institutus. Quòd autem olim Athenienses suæ illi Academiæ hoc nomen arrogauerunt, & alij *κατ᾽ ἐξοχὴν* ei attribuerunt, id ... tione illorum factum est, qui ... in Græcia habere voluerunt, & horum adulatione, vel, vt Iunius ... existimat, ignoratione; quòd nempe ignorauerint veram huius vocis originem. Quidquid huius sit, Academia est commune nomen omnium conuentuum & collegiorum, quæ institui & haberi solent ad rem literariam. Hinc *Claudianus in Panegyrico de Manlij Theodori consulatu*:

a Lycæo ... Academia migrat Athenis.

Hodie tamen vt nihil est ... consuetudine Academia peculiariter dicitur schola priuilegijs amplioribus ornata ab Imperatore, rege, vel Pontifice Romano. *Kadmea*, siue Kadmia, olim vrbs & arx Thebarum fuit: postea gymnasium apud eosdem sic fuit appellatum. *Cœnobium* apud veteres fuit locus ... literatæ. Hinc Cœnobiarcha. *Collegium* per synecdochen de scholis vsurpatur: & propriè quidē significat cœtum, metonymicè vero locum. Dictum est non a legendo, sed vel à lege, quod collegæ iisdem legibus specialibus deuinciantur, vel a legendo, quia est cœtus eorum, qui ad functionem aliquam simul allegantur. *Domus prophetarum* in priscâ Ecclesiâ dicebatur ... illud, in quo prophetæ discipulos suos, vt patres filios, docebant. *Lycéum*, siue Lycium, deducunt alij à Lycio Pandionis filio, vt Pausanias: alij ab Apolline Lycéi præside, qui dictus est à Græcis Lycius: alij à lupo sacro Apollini, cuius signum in Lycéo fuit: alij *ἀπὸ τοῦ λυκαυγοῦς*, *luce*, siue propter doctrinæ lucem, quam inde percipiebant studiosi, siue quòd clarior esset locus, & plus haberet lucis vmbræque minus quam Academia, cuius ambulationes vmbrosas Eupolis appellauit. Iunius deriuat ab Hebræo *Lahaka*, per syncopen *Laka*, quod significat cœtum: ita vt sit Phœnicum vox, quemadmodum & illæ *Lycia & Lycaonia*, *Lycopolis*. *Helycon* (qui vulgò Helicon) *Lycus fluuius*, & similia. Ex hoc fonte manauit Græcum Latinumque *λέγω τὸ συλλέγω*, & *λόγος*, *σύλλογος*, & *λογεῖον*, *ὁ τόπος τῶν συλλόγων*: item Latinorum lucus. Hinc & illa oppidorum nomina: *Lucotecia*, per syncopen Lutetia, & *Lugdunum*, siue, vt in priscis lapidibus, Lugodunum, q. d. molem conuentui hominum recipiendo accommodam. Nam *dunum* apud veteres molem significat, vt in Aduersariis suis tradit Turnebus, & *Scaliger in animaduers. Euseb. p.* 154. Fuit autem Lycéum Athenis quidem gymnasium Aristotelis & Peripateticorum, ex quo discesserunt ab Academiâ: sed propriè tamen ac vniuersè (si origo vocis, à Iunio tradita, vera est) gymnasium quodlibet significat. Ac propterea Tullius gymnasium à se in Tusculano constitutum appellauit Lycéum, *Mandra* ... *Manhra*, ex Hebræo deductum nomen, apud Phœnices & Ægyptios habet epenthesin literæ *n*. Significat locū commorationis, ab Hebraico מדורה. Vulgò tamen ex Græco dicunt, & specum interpretantur: & in Ecclesiâ vetere sic dictam fuisse putant eorum habitationem, qui vel contemplationis studio & mundi istius tædio, vel metu persecutionum in cryptas se recipiebant. Atque hinc passim *ἀρχιμανδρῖται*, *archimandritæ*, in historiâ ecclesiasticâ, *οἱ τῶν μοναστηρίων καὶ μανδρῶν προεστῶτες*: quorum Iustinianus meminit *l.* 7 *C. de summâ Trinit. & fide Cathol.* *Synagoga* significat locum & ecclesiasticis & scholasticis cœtibus apud Iudæos habendis olim destinatum. Templis enim concionalibus, *ταῖς ἐκκλησιαστικαῖς*, scholæ plurimùm erant adiunctæ. *Asceterium* in priscâ Ecclesiâ erat gymnasium sacrum, in quo ascetæ aut ascetriæ, id est, viri aut fœminæ, se in meditatione rerum sacrarum occupabant, vt postea idonei essent ad munia publica vel priuata. Sic appellant Leo & Anthemius Cæsares *in l. contra* 34 *C. de episcopis & clericis*. *Apollonium* ab Apolline est dictum, non sanè præside scholarum (vt Græcorum vanitas argutabatur olim) sed è rerum obscurarum, & quæ in vulgo nesciuntur declaratione. Apollonium, *λοξίας* ille adeò obscurè respondebat, vt Apollo Apolline, & vt *Cicero 2. de diuinat.* ait, interpres interprete egeret. *Cynosarges* olim gymnasium fuit Athenis proximè

proximè vrbem, vbi maximè docuit Cynicorum natio. Hoc alij dictum volunt à cane albo, Herculi sacro: alij à Phœnicibus nomen impositum volunt. Nam Chinnuk arag apud Syros est ordinarie institutionem. Græci eruditionis locum (indignū factu) in maledictionis formulam transmutarunt vulgato prouerbio, ἐς κυνόσαργες. Diatriba, est locus exercitationum & disputationum. Didascalium, est locus doctrinæ tradendæ. Domus vel locus doctrinæ, Syris Beth mndra seu midras, à iusto scholarum vsu. Heracléum, alij ab Hercule Libyco dictum volunt: alij à statuâ Herculis, quæ ante gymnasia poni solebat, vt fortes esse docerentur, quicunque ad literarum studia accedebant. Hinc Hercules dictus est μουσαγέτης. Hercules autem Iunio est vox Phœnicia & Punica, ex Hebræo Ragli quod significat virum peditem, vias pedibus tentantem. Hinc Phœnices & Pœni duxerunt commune nomen virorum omnium Regal, & Regla: cum verò Erlragli vocarunt, qui variis peregrinationibus peritiam rerum διὰ ἐμπειρίας comparauerat. Atque hinc Ἡρακλῆς Iunio putatur dictus: quem alij sic appellatum volunt quasi τὸ ἥρας κλέος, Iunonis gloriam. Hermæum, ἑρμαῖον, est locus eruditionis sacer Mercurio: quanquam etiam hoc nomine diæta fuit in Augustali seu prætorio Cæsaris, vt author est Tranquillus in Claudio Cæs. Est autem Hermes, Phœniciâ origine, idem quod Hercules: videl. ἀνὴρ πολύπλαγκτος, vt Homerus de Vlysse loquitur, id est, vir variâ & multâ peregrinatione excultus. Atque hinc Hermes, siue Mercurius, fuit commune omnium gymnasiorum signum: vnde prouerbium, κοινὸς ἑρμῆς. Ideò Tullius lib. 1. epist. 4. ad Attic. Quod ad me, inquit, de Hermathenâ scribis, per mihi gratum. Est ornamentum academiæ proprium meæ: quòd & Hermes commune omnium, & Mineruæ singulare est insigne eius gymnasij. Athenæum, olim dicebatur gymnasium publicum, vbi rhetores & poëtæ exercebantur palàm: dictum ab ἀιᾶ Ἀθηνᾶς, id est, Palladis: qualis fuit Lugduni olim ad Rhodanū, vt Iuuenalis Satyr. 1. testatur.

Palleat, vt nudis pressit qui calcibus anguem,
Aut Lugdunensem rhetor dicturus ad aram.

Iunio est vox Phœnicia, significans locum doctrinæ, doctrinæue celebrem. Phœnices enim & Syri doctum hominem vocat Than i vel Thani à tradendo. Atque ex eo dicta Ἀθηνᾶ, docta Minerua & doctrinæ dea: & Athenæ, quas doctas Ouidius vocat: vnde humanitas, doctrina, religio, fruges, iura, leges ortæ, atque in omneis terras distributæ putantur, vt ait Cicero orat. pro Flacco. Ludum metonymicè pro loco ludi literarij dixerunt Latini. Hinc Asconius: Omnem, inquit, scholam ludum dixêre Romani: quia liberali ingenio ludus est, cùm literas artes, historias, scientiásque addiscit. Quamobrem eleganter ludum discendi, non lusionis Tullius ad Q. Fratrem lib. 3. epist. 4. appellauit. Meleterion, est locus meditationis, q. d. meditatorium. Muséum, vel musium, vt Spartianus vocat, est locus Musarum priuatus, vel publicus, dictus à Musis. Musæ autē dictæ quasi μῶσαι, vel μυῶσαι, vel μελῳδοῦσαι, vel ὁμοῦ οὖσαι: aliis ab Hebræo Mose: Iunio ex Hebræo, & Phœnicio Mus, quod est perscrutari. Phrontisterium, à Socrate primùm nomen habuisse dicitur: cuius discipuli appellabant φροντισταί, quòd alij officiosè curarent alios ex humanissimo Socratis instituto. Aptissima sanè gymnasiorum collegiatorum, vt vocant, denominatio. Schola, σχολεῖον, translatitium est nomen; vt Ausonius eleganter docet:

———— Graio schola nomine dicta est,
Iussa laborif eris tribuantur vt otia Musis.

Alij tres adferunt huius notationis causas. 1. quòd schola suis sectatoribus det vacationem munerum & onerū ciuilium. 2. quòd corpus cesset à seruilibus negotiis. 3. quòd in scholâ fit otium literarium siue liberale. Studium recentiores per insolentem quandam abusionem dixerunt scholam. Gibhá, siue Gabaá, apud Hebræos & Syros collem significat vel editum locum. Hoc autem nomine olim in populo Dei apellabatur locus habendis conuentibus scholasticis & ecclesiasticis destinatus: quòd plurimum ista loca in editioribus essent collibus. Atque hinc profecta est vetus illa Gabiorum apud Volscos in finibus Latij appellatio. Labrathá vel Lebrathán, Ægyptiis, Afris, & Armenis (quos Hebræi, & vicini Hebræorum Phœnices, docuerunt literas) est locus accliuis vel decliuis, à Labará, quod illis est descendere. Et hinc Labrá, tota παροικία, in decliuitate posita, & subiecta synagogæ suæ: Labrathá, synagoga; Labarum, siue Labórum, vexillum sacrum. Λαύρα igitur est tota parœci aatque vicinitas, quæ vno quasi colle aut cliuo disterminata est, & ad conuentum Ecclesiæ vnius pertinet. Nam oppida, vt docet Epiphanius κατὰ Ἀρειομανιτῶν, quæ Christianam amplectebantur religionem, in labras fuerunt distributa, quas hodie vocamus parœcias; & singulis labris presbityter, omnibus autem archiepiscopus præfuit. Tum plerumque in summo labræ istius loco fuit Labrathá, siue Lebrathán, i.e. synagoga, locus conuentui ecclesiastico & scholastico, dicatus. Atque hūc in locū familiæ contributæ (vulgò parochi. ex Græco πάροικοι) appellabantur Lebrathenun, seu Lebrathéni, qui corruptè dicti sunt Libertini. Hinc etiam Berytus, vrbs Phœniciæ, vbi iuridicam Academiam instituit Iustinianus: item Thabor, mons Iudææ: & Thabrus, vulgò Taurus mons,

dicta sunt. Monasterium, Græcâ appellatione est phrontistérium monachorum, quos μοναχὰς & μονάζοντας vocarunt, id est, eorum, qui solitariam vitam colebant in Ecclesiâ veteri, vt, remoti à reliquo mundo, in contemplatione rerum sacrarum se occuparent, donec legitimè ad sacras functiones & ministeria apta vocarentur. Peripatos, Lycei locus ἐγκύκλιος, vt ab Aristotele sæpe nominatur, sic dictus est, non quòd rotunda esset ipsius forma, sed apta ad ambulationem, quâ tradebantur ἐγκύκλια, i.e. artes liberales. Solebant enim ibi ambulare Peripatetici, & de rebus philosophicis agere: Similiter κύκλος & ἐγκύκλιοι τόποι, Latinis circus & circuli dicuntur loca, vbi huiusmodi ambulationes instituuntur. Stoa, στοὰ, cognomento ποικίλη dicta, Spartiano, id est, varia: quòd ibi depicti essent fortes illi & præstantes viri, qui in pugnâ Marathoniâ pro patriâ occubuerant. Gymnasium fuit Zenónis Stoicorumque, situm ex aduerso fermè ipsius Academiæ. Generatim verò porticum structuramque oblongā significat, qualia plerumque sunt basilicarum & magnificorum operum vestibula: vt Iohan. 5. v. 2. c. 10. v. 23. Amalthea, siue Amalthéum, est gymnasium bibliothecâ instructissimū & confertissimum: quod Iunius deriuat à Male, quæ vox Hebræis & Syris significat plenum. Vtitur hâc voce Tullius in epistolis ad Atticum, hoc nempe sensu, vt scholam vocet Amalthéam. Gymnasium, propriè nominabatur locus, in quo nudi athletæ exercebantur. Dicitur verò κατὰ γυμνικὸν de quolibet exercitationis loco, & κατ' ἐξοχὴν de ludo literario & Academiâ. Nam huius in accessu erat gymnasium exercendis iuuenum corporibus institutum, ne obtorpescerent assiduâ studiorum tractatione, vt docet Pausanias in Atticis. Xystus, ξυστός, lata porticus & ampla dicebatur, vbi exercebantur athletæ hyberno tempore: gymnasium, inquam, tectum, vestibulum Academiæ. Hinc διὰ γυμνασίου ipsam quoque Academiam nonnulli dixerunt Xystum. Sed ἅλις δρυός.

CAPVT III.

De Materiâ scholæ.

PRÆCEPTA.

MEDIA, per quæ obtinetur felicitas scholastica, respiciunt statum scholæ integrum, vel affectum. Ibi est Fundatio, Conseruatio, & Amplificatio: hîc Curatio scholæ.

Fundatio scholæ est, per quam schola constituitur ex materiâ & formâ: seu ex materiali & formali.

Materia scholæ sunt res & personæ scholasticæ.

Res scholasticæ sunt reditus annui, locus commodus, bibliotheca publica, & priuilegia.

Personæ scholasticæ sunt præceptores & discipuli.

Præceptorum consideratur qualitas & potestas.

Qualitas est triplex, Scientia frugalis, Conscientia tenera, & Prudentia summa.

Potestas est ciuilis, non verò despotica.

In discipulis requiritur Amor, Admiratio, & Fortitudo.

REGVLÆ.

I. *Fundatio scholæ, vt & administratio architectonica, distinguenda est ab officiali.* — Officium magistratus circa scholas quomodo distinguendum ab officio hominum de scholâ?

QVemadmodum in omni societate, ita etiam in scholasticâ, oportet partes duas constituere: quarum vna sit συστατική, respiciens constitutionem, altera διοικητική, respiciens administrationem, societatis. Rursus oportet id quod est architectonicum, distinguere ab eo, quod est ministeriale, seu officiale, vt vocant. Sic magistratus politici officium circa scholas fundandas & administrandas est architectonicum & principale, hoc modo. Magistratus pius extruet ædificia scholastica commoda, impertietur rebus & personis scholasticis priuilegia ampla, conferet stipendia manu munificâ, & curabit ea tempestiuè distribui, denique per scholarchas curabit, ne quid resp. scholastica detrimenti capiat. Principiò ædificia commoda sunt, in quibus ea cernitur figura, vt & capacitate & distinctione singula auditoria commendentur: & locus commoditate, salubritate, amœnitate, trāquillitate ac incolarum humanitate est insignis. Erit autem commodus locus, si studiosi vndique ad eum facilè conuenire possint, & inibi commorari. Erit salubris, si non tantùm aër naturâ sit purus, sed etiam mundities ciborum & domiciliorum ritè procuretur. Erit amœnus, si non tantùm naturaliter arboribus hortis, fluuiis, & similibus, sed etiam artificialiter picturis ac ornatu conuenienti castoque

condecoretur : quemadmodum Academiam Athenis fuiſſe ornatam, teſtis eſt Pauſanias in Atticis : de quo ornatu paulò poſt Erit tranquillus, ſi à ſtrepitu tranſeuntium , & opificum tumultuantium ſit remotus. Erit denique inſignis humanitate incolarum, ſi illi neque nimis ſint diuites,neque nimis inopes. Illi enim fermè nolunt,hi non poſſunt ſtudioſis accommodare eam quæ requiritur , operam. Neque tamen fieri poteſt , vt omnis ſchola cum Lyceo Ariſtotelis ſit in loco accõmodatiſſimo : ſatis eſt,ſi ſit loco commodo. Neque omnes ſcholæ propter hortos balſami & palmarum extrui poſſunt , quod de ſcholis Helſenorum memoriæ eſt proditum. Satis igitur bene Muſas (vt ait ille) credemus habitare in locis mediocriter amœnis. *Priuilegia*, quæ magiſtratus debet concedere perſonis & rebus ſcholaſticis , ſunt communia , vel propria. Communia ſunt , quibus omnes ſcholæ illuſtres gaudent : qualia potiſſimùm ſunt quatuor. *Primum* eſt Friderici Barbaroſſæ Imper. *lib.4.Codic. tit.*13.de ſecuritate ſtudioſis data vel danda,dum ſe conferunt in certa loca ſtudiorum cauſa : vt nempe ſecurè poſſint adire emporia bonarum literarum , & ſecurè in iis habitare. Etiam belli tempore inter hoſtes ſunt priuilegiarij , ſeu priuilegiati. *Secundum* eſt Conſtantini & Martiani Impp. quòd ſtudioſi ſint ἀτελεῖς , *liberi à vectigalibus*, ſeu,vt Imperator loquitur , quòd ipſorum merces ſint improfeſſæ: quòd item liberi ſint à muneribus & oneribus ciuilibus. *Tertium* eſt variorum Impp. regum & Pontificum RR. vt nullus niſi Rector ſtudioſum capiat & retineat:qui ſecus faxit,actione cadat & infamiâ notetur : vtque rector ciuitatis , qui hanc iniuriam ſtudioſo fieri paſſus fuerit , vel illatam non vindicauerit , iiſdem teneatur pœnis, dignitatémque amittat *Quartum* eſt de foro ſtudioſorum:vt in quocunque negotio,& quacunque in lite conuenti fuerint,habeant optionem & electionem iudicis,ſiue conueniantur in cauſa pecuniariâ,ſiue in criminali Quòd ſi ſcholaſtici grauentur vel opprimantur,immediatè appellare poſſunt ad tribunal Imperatoris aut principis; qui eos omnino in protectionem ſuam recipit , & ab iniuriis pollicitus eſt eos vindicare. Præter hæc priuilegia generalia, ſunt multa ſpecialia in variis ſcholis. Vide *Gregorium Toloſanum lib.*18.*ſyntag.de r.p.cap.*7. Conceduntur autem priuilegia ſtudioſis bonarum artium ob quatuor cauſas , vt teſtatur Fridericus Ænobarbus ſeu Barbaroſſa *d.l. Codicis*.1. Quia eorum ſcientia totus illuminatur mundus. 2. Quia amore ſcientiæ patrias ſuas relinquunt , & ex ciuibus fiunt quaſi exules , ex diuitibus pauperes propter ſumtus ſtudiorum. 3. Quia cùm in longinquas proficiſcuntur prouincias, ſtudiorum cauſa,vitam periculis exponunt , imò propè negligunt. 4 Quia ex praua quadam conſuetudine corporales quaſdam iniurias à viliſſimis plerumque hominibus patiantur. Conſule *P. Gregorium d l. & Andr. Friccium de republ. emendanda , tract. de ſchola.* Porrò *ſtipendia ſcholaſtica* ſunt nerui ſcholarum. Hæc itaque magiſtratus conſtituet exemplo Chriſtianiſſimorum principum , Conſtantini M. Valentiniani , Caroli M. Alphonſi regis Arragoniæ:certóque ſtatuet,inter notas tyranni hanc non eſſe infimam,ſi ſcholæ tollantur vel affligantur,ſtipendiáque ſcholaſtica minuantur , vel eripiantur, vt in Antiocho Epiphane, Nerone,ac Iuliano Apoſtata videre eſt. Neque verò eſt, quòd magiſtratus aliquam difficultatem hîc cauſetur:cùm ex communi ærario , fiſco , & reditibus reip.particula ſaltem decerpi queat ad conſeruationem ſcholarum : vt nihil iam dicam de reditibus monaſteriorum , quæ olim fuerunt ſcholæ optimè inſtitutæ. Quò pertinet conſilium illud, de ditioribus ἀτέκνοις monendis,vt aliquid in commune conferant,quod ad ſcholarum conſeruationem faciat.Ita ſi inſtituant res ſuas pij principes,tria ſtipendiorum ſcholaſticorum genera, quæ ab eruditis aſſignantur,facilè poterunt habere. Salaria dico , quæ docentibus non tantùm ſufficiant , ſed etiam ad ipſorum honorem pertineant. Beneficia dico, quibus optima ſuſtentantur ingenia , quorum conatibus obſtat res anguſta domi. Honoraria dico,quibus docentes & diſcentes extraordinariè inflammantur & animantur.Hîc ſuccurrit conſilium maturum de præceptoribus humiliorum claſſium ; quod vna mecum probat Reuerendus & Cl.Vir,Dn. Ioannes Piſcator,qui illud Generoſiſſimo illuſtris Scholæ Herbornenſis fundatori ſe quondam dediſſe teſtatur. Conſilium illud ita habet. Aget hoc princeps, vt hi tales amplo & lauto fruantur ſalario : vt ne vel rebus domeſticis , vel triſtitia quadam auocentur à dextra nouellorum animorum inſtitutione , quæ fundamentum eſt omnis eruditionis & felicitatis in rep. Huic fini adhibere oportet doctiſſimos homines in claſſica ſchola , etiam infima. Sicut enim vitium primæ concoctionis non poteſt corrigi in ſecunda : ita quæ in claſſibus infimis negliguntur , nulla ratione in ſuperioribus emendantur. Ad hæc ea cura incumbit pio principi, vt ſalaria tempeſtiuè diſtribui curet : neque ipſe occaſionem vllam præbeat iuuentutis informatoribus , vt remittant de ſuo feruore. In hunc finem conſtituendi erunt ſcholarchæ, homines literarum periti , & literatorum amantes , qui polleant authoritate , vſuque rerum & experientiâ ſint præditi. Atque hæc omnia pertinent ad principem ,curámque principalem : ac proinde ad politicam pertinent. In ſcholaſtica autem quæritur , quid faciendum ſit docentibus & diſcentibus , vt ſchola ritè fundetur , fundata conſeruetur. In his ergo deinceps ſe occupabit ſtylus noſter.

II. *Præceptor idoneus eſt , qui eſt didacticus,Dei timens, & experientiâ præditus.*

Qualis habere eſt præcept[illegible]

QValitates ſeu requiſita præceptoris & diſcipuli ſunt vel communia,vel propria. Communia ex ethicis ſunt repetenda:propria hîc enarranda.Principio autem tria requiruntur in præceptore : de quibus iam ordine diſſeremus. Primum eſt ſcientia frugalis & ſobria , coniuncta cum δυνάμει ἑρμηνευτικῇ, *dono docendi*. Volumus itaque præceptorem eſſe doctum & diſertum. Sit doctus, ne docendo ipſe primùm diſcat. Si enim vſpiam locum habet illud vulgatum , *Non diſcere,ſed didiciſſe*: ſanè hîc locum habet. Sit diſertus,vt animi ſenſa poſſit dextrè effari , & amœnitates , vel , vt Scaliger ait , felicitates ingenij poſſit communicare. Sed ſæpenumero accidit , vt præceptor ſit arenarius , quod in vitio maximo ponitur apud Quintilianum. Eruditioni huic , quam requirimus , non tantùm opponitur aſinina, vt vocant,inſcitia : ſed etiam ſcientia ebria,qua quis vel opinione neſcio cuius eruditionis obruitur tanquam lethæo poculo , vel varietate & confuſione rerum, quas legit, ita turbatur ſimul & oneratur,vt loco concoctionis ſubſequatur vomitus. Huc pertinent ſtentores Homerici,qui hauſtum lactis gallinacei ſe daturos promittunt. Profundè doctum præceptorem requirimus , non ſuperficiarium aut ventoſum. Deinde ſcientiæ condimentum eſto conſcientia, eáque tenerrima :qua præceptor ſit Dei timens , ac proinde lacertoſus in vocatione , candidus & fidelis in inſtitutione , manſuetus in correctione. Non ſit δωροφάγος & χρηματιστής , ne ipſi obiiciatur illud : *Optimè calles dialectum Doricam.* Non ſumat munera promiſcuè ab omnibus : nec ſumat immodica. Prudentia denique ſumma hîc requiritur : quia eſt ars artium , vt *Schellenbergius in Formatorio ſuo ait ex Nazianzeno*, & ſciéntia ſcientiarum , hominem regere , omnium animantum verſutiſſimum ſimul, ac moribus diuerſiſſimum. Verba Nazianzeni ita ſonant : τῷ ὄντι γὰρ αὕτη φαίνεταί μοι τέχνη τις εἶναι τεχνῶν, καὶ ἐπιστήμη ἐπιστημῶν , ἄνθρωπον ἄγειν τὸ πολυτροπώτατον τῶν ζώων καὶ ποικιλώτατον. Prudentia igitur hîc opus eſt accurata. Eam autem in examine ingeniorum , & in condeſcenſu verti aſſerimus. In examine ingeniorum præceptor ſit proxeneta , & diſpiciat in qua claſſe ingeniorum reponi debeat diſcipulus. Sunt enim quædam ingenia ignea planè , vt mobilia illa & præcocia : quædam ſunt terrea , vt ſtabilia, tarda , & ſerotina: quædam ſunt temperata & mediocria. Et hæ ſunt tres claſſes ingeniorum ordinariorum. Præter hæc dantur quædam ingenia heroica & extraordinaria. Hoc niſi animaduertat præceptor : omne oleum operámque perdet in docendo,& ducendo,exercendo & coërcendo. Legatur hac de re libellus *Ioannis Houartis Hiſpani de examine ingeniorum.* Poſtquam præceptor explorauit ingenium adoleſcentis , altera cura erit , vt ſe accommodet cuiuſque ingenio,ita quidem,vt igneum oneret,vt ſic dicam , ne inſoleſcat : tardum ſubleuet , ne torpeſcat : medium media ducat via,ne ad extremitatem prolabatur. Ingenium heroicum quod attinet , illud reuerenter admiretur. In ſumma : Præceptor ita ſit animatus,vt velit ac poſſit communicare τεχνολογίαν καὶ φιλοσοφίαν.

III. *Poteſtas præceptoris in diſcipulum eſto patria.*

Pote[ſtas] præcep[to]ris in di[ſci]pulũ qu[alis]

MEmini illuſtrem animam dicere,præceptores iſtos aptiores eſſe , qui habeant liberos , quàm qui ἄτεκνοι ſint, vel cœlibes. Nimirum hoc ſubinnuere volebat ſublime iſtud pectus,in præceptore requiri affectum paternum erga diſcipulum. Si enim præceptor ſit plagoſus Orbilius,metum ſeruilem habet apud diſcipulos, qui eſt ἐγκοπὴ τῆς προκοπῆς , *impedimentum profectus.* Rectè igitur ille : *Non habueris præceptorem , niſi eundem & amicum.* Caue tamen exiſtimes , patriam poteſtatem eſſe inermem. Omnis enim poteſtas armata eſt authoritate,lege, baculo , quo defendat pios , & caſtiget malos.

IV. *Diſcipulus aptus eſt,in quo amor , admiratio,& fortitudo conſpiciuntur.*

Requi[ſita] diſcipul[i] quæ ?

AMor hîc eſt varius.1. Literarum ; quia ſi quis oderit literas , nunquam ſecundo vtetur remigio in Oceano ſtudiorum ſulcando. Ideò Seneca rectè dixit:Magna pars eſt profectus,velle proficere.2. Præceptoris ; quia fieri non poteſt,vt ille te afficiat,quem ſeruiliter metuis.3. Ordinis;quia hic difficillima quæque reddit facillima. 4. Cauſarum ; quia creduli facilè decipiuntur. 5. Vniuerſalium, ſiue generalium ; quia ex his facillimo negotio deducuntur ſpecialia. 6. Conuerſationis literatæ;quia hæc hominem reddit meliorem & animoſiorem. Admirationem requirimus eam , qua bonus adoleſcens præſtantiam literarum & literatorum ita imprimit animo , vt citato quaſi curſu feratur ad capeſſendam eruditionem .Similis ergo ſit Themiſtocli , quem non ſinebant dormire trophæa Miltiadis

Miltiadis. Fortitudo in discipulo est virtus quâ superat innumeras difficultates, quæ in literarum stadio obiici solent. Hæc nihil est aliud quàm indefessa diligentia quâ profectus præcipuè constat. Nec est, quòd aliquis caueretur summam studiorum difficultatem. Facilia enim fiunt experiundo, quæ segnibus ardua, vt sunt verba *Taciti 15. annal.* Nec quia difficilia sunt, non audemus, sed quia non audemus, difficilia sunt, vt ait *Seneca epist.* 105. Hinc *Plautus in Persa*: Canis, si in ludum iret, potuisset iam fieri, vt probè literas sciret. Cæterùm caput hoc nobis claudet ornatus Academiæ Atticæ apud *Pausaniam in Atticis*. Hæc enim est viua scholæ illustris pictura. Erant autem alia ornamenta in Academia, alia foris. Intus quasi in sacrario Academiæ tria visebantur, Minerua, Hercules, olea. Primum igitur & potentissimum significatum est illud: Deum esse studiorum ducem & authorem: quod gentiles Mineruæ, siuæ Palladis Ioue natæ, nomine & simulachro significabant. Atque hanc ob causam Minerua (vt *Pausanias in Bœoticis* author est) *Siga*, id est magna, voce Phœniciâ vel Syrâ, apud Kadmi posteros dicebatur. Huic autem suberat draco peruigil, monstrans ad studia literarum vigilias adhiberi oportere. Secundum fuit Herculis signũ: illius puta Libyci, qui cum doctrinæ laude fortitudinem coniunxerat. Est enim Minerua, vt *Pausanias 2. Heliacorum* ait, ἡ ἀνδρεῖ σύμμαχος. Fortitudo adhæret literarum studiis, siue colas ea apud te & Musas, vt loquebantur veteres, siue in officiis & functionibus iustis eadẽ occupes. Τὸ δὲ ῥάθυμον, studiorum est venenum. Tertium fuit olea, insigne pacis, quæ literarum est nutrix. Atque hæc quidem intestina literarum bona: quorum vnum si fregeris, earum studia fregeris atque sustuleris. Porrò in aditu & vestibulo Academiæ stabat Mercurius, pater (vt quidem volebant illi) eloquentiæ, atque ex eo Διάκτωρ, quasi interpres, appellatus. Proximum igitur Academici & literarii illius studii ornamentum est eloquentia, & commoda rerum enarratio: quâ plurimùm iuuentus ad studia solet excitari, studentes adiuuari, & viri boni doctrina præstantes, emenso studiorum cursu prodesse quàm plurimis, obesse nemini. Ante hunc stabant nouem Musæ, castræ illæ sorores, & filiæ Mnemosynes seu memoriæ. Hæ igitur erant indices humanitatis, & animi non immemoris beneficiorum, quæ per literarum monumenta ad genus humanum perueniunt. Hæ ergò virtutes proximè adstant eloquentiæ: quia studia perpetuam quasi adsestricem humanitatem colunt studiosissimè, & viciſsim ab humanitate coluntur honestissimè, omnibus officiis: vnde ἐλευθέρια: *liberalia*, & humaniora, vulgò dicuntur. Tertium Academiæ ornamentum, quod positum fuit vlteriùs petentibus Academiam, fuit ara Promethei, quo ex loco studiosi iuuenes cum ardentibus facibus ad vrbem vsque solebant currere cursu perpetuo: sed hâc lege tamen, vt faces currentium non extinguerentur: aut eas aliis ordine ferendas traderent, vsque dum aliquis ardente adhuc lampade in vrbem decurrisset, victoriamque hoc signo comparauisset. Atque hinc illud prouerbium: *Lampada tradere.* Huius autem rei totius significatum est prudentia exercita & labore culta. Prudentia enim, si non colitur, torpescit: si colitur, & subacto iungitur ingenio, facilè victrix existit omnium. Prometheus itaque sit studiosus. Nam Epimetheo & bardo stipiti nihil cum literis humanitatis. Quartum ante ingressum in Academiam fuit Amoris signum cum arâ quod signum Charmus dedicauerat. Amorem intellige castũ & pudicum, quo homines erga literarum studia magis magisque exardescunt. Quintum, & quidem inprimis nobile ornamentum, fuit à monumentis hinc quidem virorum fortium, qui res præclaras pro patriâ gerentes fortiter occubuerant: illinc verò summorum philosophorum, qui scientiæ facem in publico accenderant, & omnibus præluxerant. Nimirum istiusmodi exempla in rebus humanis plurimùm possunt tum ad incitandos, tum ad retrahendos & inhibendos animos eorum, qui incumbunt literis. Extimum ornamentorum omnium ante Academiam fuit geminum, vnum quidem Dianæ septum, cum signis, vt ait Pausanias, Ἀρίστης καὶ Καλλίστης. i. e. Dianæ seu exercitationis optimæ & honestissimæ: alterum verò palæstræ, siue gymnasij propriè appellati, cui vacans à studiis iuuentus, aliquid temporis commodè vtiliterque solebat tribuere. His itaque signis significabatur, imperabatur, & obseruabatur corporum exercitatio; sine quâ etiam præclara quæuis ingenia solent torpescere. Atque hinc factum est, vt rudes & illiterati homines, ἀπάλαιστοι, Græcis dicerentur. Atque hæc quidem sunt Atticæ illius Academiæ ornamenta: ex quibus discere est omne officium præceptoris & discipuli (addo & magistratus) circa scholas, officinas illas pietatis & humanitatis, non solùm fundandas, sed etiam administrandas.

CAPVT IV.

De Formâ scholæ.

PRÆCEPTA.

Forma scholæ consideratur vel in se, vel cum gradu adhærente.

Forma scholæ in se spectata consistit in ordine seu vnione, qua personæ scholasticæ inter sese deuinciuntur.

Ex gradu adhærente scholæ sunt infimæ, mediæ, vel superiores.

Scholæ infimæ sunt vulgares & vernaculæ, in quibus pueri & puellæ docentur primordia pietatis, virtutis, & bonarum artium.

Scholæ mediæ sunt illæ, quæ vsitatè dicuntur triuiales, vel gymnasia; in quibus ingenia ita excoluntur, vt cum laude possint aliquam functionem suscipere, ita tamen, vt non ornentur gradu honorario.

Scholæ superiores sunt Academiæ, κατ' ἐξοχὴν sic dictæ, in quibus ingenia ita excoluntur, vt ornentur gradu aliquo honorario.

REGVLÆ.

I. *In scholâ oportet primariò attendere statum quantitatis internæ, adeoque formam, non quantitatem externam.* — Quomodo præceptor sibi conciliare possit authoritatem?

VT in omni societate, ita etiam in scholasticâ, oportet attendere ad statum quantitatis & qualitatis. Status quantitatis est, quo quæritur quanta sit societas: status qualitatis, quo quæritur, qualis sit. Rursus status qualitatis, est vel internæ, quæ dicitur virtutis & perfectionis essentialis: vel externæ, quæ dicitur molis & numeri. Rectè autẽ præcipiunt sapientes, principaliter spectandũ esse statum quantitatis internæ. Hæc enim quantitas cùm oriatur ex conubio materiæ & formæ, proximè & immediatè, manu quasi nos ducit ad ipsam formam. Non itaque splendor, non pompa, non frequentia, & res similes, quæ oculos vulgi præstringũt, primariò in scholâ spectari debent: sed secundariò: ne fortè obiiciatur prouerbium, *Sepulchra dealbata.* Errant itaque qui Academiam, quæ sic dicitur κατ' ἰδίαν, ita extollunt, vt reliquas scholas non dignẽtur hoc nomine, sed mendicabula scholarum appellent: digni, qui bibant helleborum. Vellem hos homines se metiri suo pede, vel potiùs vnciâ, quæ est decima pedis pars. Sæpenumero enim accidit, vt iniqui isti iudices vix habeant vnciam eruditionis Academiæ. Vellem denique in illis mentem veniret protritum illud (saltem in scholis triuialibus) Logicorum scitum: *Maius & minus non variant speciem, sed gradus discernunt.*

II. *Ordo, qui seruatur in scholâ, similior est aristocratiæ, quàm monarchiæ.* — An scholæ regantur monarchicè?

TAmetsi enim vnus est rector scholæ, qui monarcham repræsentare videtur: tamen quia ille in suos collegas non habet imperium, tanquam in subditos, aristocraticum illud iure censetur. Huc accedit, quòd rector vnà cum collegis repræsentat suum principalem, vt vocant, id est, magistratum, qui scholæ præest, & in illam habet imperium monarchicum.

III. *Tres sunt gradus scholarum liberalium.* — Quot sint scholarum genera?

SCholæ sunt illiberales, vt vocant, vel liberales. Ibi sunt gymnasia mechanica, palæstrica, & παιγνιώδη seu ludicra, de quibus hoc loco agere non instituimus: hic sunt gymnasia ἐλευθέρια, in quibus animus humanus cognitione liberalium disciplinarum informatur. Hæc autem diuiduntur multis modis. Ac principiò quidem scholæ liberales sunt vel communes, vel singulares. Illæ cuiuis promiscuè patent, nullo habito respectu generis & ordinis: hæ certis ingeniis deputantur, vel ex plebitate (vt loquuntur) vel ex nobilitate. Deinde gymnasiorum alia dicuntur παιδαγωγεῖα, alia σπουδαστήρια. Illa minoribus erudiendis instituta: hæc grandioribus & prouectioribus partim ætate, partim studio. Tertiò quatuor species scholarum à quibusdam constituuntur: prima earum, in quibus linguæ docentur; secunda earum, in quibus disciplinæ organicæ & artes ad philosophiam præulæ, tractantur: tertia earum, in quibus aperiuntur & patescunt recessus philosophiæ: quarta denique earum, in quibus summæ illæ facultates, theologia, iurisprudentia, & medicina, iuuentuti explicantur ex vsu reip. Omnes autem inde à principio studiorum, ex quo Kad-

mus literas intulit, apud Grecos Kademiæ siue Academiæ vocatæ sunt. Quanquam, si literaturam, quam vocant, exceperis, gymnasia nulla in totâ Græciâ extiterunt, vbi traditus fuerit linguarum vsus. Romani scientiam exteram hausturi, aliunde Præceptores & interpretes linguarum haberi in Rep. suâ curauerunt. Primùm enim religionum suarum causâ Oscam, siue Hetruscam linguam, à Phœnicibus ortam, quâ in Sibyllinis, Pompilianis, Saliaribus, & Auguralibus libris vtebantur, deinde verò longo post interuallo Græcam visum est ediscere. Quapropter Catonem illum senem pro miraculo habebat Ennius, quòd esset homo trilinguis, eumque tria corda habere dicebat, quia sciebat Latinè, Oscè, ac Græcè. Secundum genus, τὸ λογικόν, floruit Athenis, fuitque celebre: primùm quidem in Academiâ, deinde verò in Lycéum & Stoam fuit deriuatum. Quanquam hoc serò quoque in vrbem est ingressum: & vbi ingressum est, perdiu iacuit, nec ita magno in pretio. Nam rhetorum turbâ referta fuerunt omnia, inquit *Tullius* 1. *offic.* merces verò dialecticorum minima fuit habita, donec succedēte Grammaticorum grege aucta est dialecticorum authoritas. Idem enim Romanis olim primò videbatur, ac cuidam apud Athenæum, qui medicos omnium futuros fuisse miserrimos affirmabat, nisi manipuli Grammaticorum extitissent. Tandem verò istud doctrinarum genus in pretio fuit, vt est apud Suetonium. Tertia gymnasiorum species φιλοσοφική, primùm concordi studio in Academiâ Atheniensi culta fuit & conseruata postea verò à Lycéo, Stoâ Cynosarge, aliisque suis fœtibus (vt de Cadmeâ progenie fabulati sunt poëtæ) oppugnata est Academia, scissa & diuexata, ambitiosis multorum contentionibus. Tantus enim philosophorum πρὸς κακολογίαν καὶ ματαιοπονίαν æstus fuit in suis dogmatis profundendis & pertinaciter asserendis, vt nationum, siue sectarum fermè trecentarum, examen in isto genere ad memoriam vsque suam Themistius scripserit extitisse. Quarta verò gymnasiorum species apud Græcos, Romanos, & alios gentiles fuit admodum manca. Nam vera theologia inter illos non fuit Iurisprudentiæ corpus Athenis decem tabulis continebatur, ratio penes pragmaticos, iudicium penes Areopagitas, Prytáneas, Heliastas erat: Romæ verò XII. tabulis comprehensum, à Iurisconsultis per responsa expositum, sine corpore, sine ordine perdiu iacuit vt Tullius in libris de oratore & de legibus conqueritur. Medicina denique ab Hippocrate primùm Athenis inclaruit, tempore pestilentiæ: postea verò simul atque emerserat, in tres præcipuas veluti familias miserè dissecta, vix tandem in vnum corpus ante aliquot secula quasi adstricta est, & in vnam docendi viam. Vera itaque proculdubio fuit olim Academia in populo Dei Hierosolymis instituta quæ post reuersionem è Babyloniâ fuit restituta ex mandato Artaxerxis regis, authoritate publicâ, *Esdr.* 7. vt in eâ constaret doctrina certa de rebus non solùm theologicis, verùm etiam politicis, & ad ius ciuile pertinentibus. Postea verò imaginem potiùs & speciem Academiæ habuerūt Iudæi, quàm rei veritatem, ex quo labi cœpit resp donec Christus, almus Saluator, instituere scholam illam δωδεκαπόστολον, vt sic dicam, quæ postea longe lateque fuit sparsa, adeò quidem, vt postquam Romanoum Imperium didicit fasces Christo Domino & Regi æterno submittere, variæ scholæ in variis prouinciis fuerint à Christianissimis Principibus institutæ: vt Bononiensis à Theodosio iuniore, Constantinopolitana ab eodem, Berytiensis à Iustiniano, Parisiensis & Papiensis à Carolo Magno, ab aliis aliæ. Porrò scholæ diuiduntur in obscuras & claras: in publicas & priuatas: paganas & oppidanas: vniuersales & particulares, priuilegiatas & non-priuilegiatas: triuiales & sublimiores. Nos complexuri omnes illas diuisiones constituimus tres scholarum gradus, ita vt aliæ intermediæ, aliæ superiores, quæ ita sibi affines & coniunctæ sunt, vt ex infimis ad medias, ex mediis ad summas certis quibusdam gradibus transitus & progressus fiat. Scholæ infimæ sunt vernaculæ, quas non tantùm in vrbibus, sed etiam in pagis constitui præcipit *canon. 6. Conc. Cōstantinopolitani VI.* quâ de re videris *VVihelmum Zepperum lib.* 1. *polit. eccles. cap.* 7. *&* *Bernhardum Textorem lib.* 2. *obseruat. practic.* Scholæ intermediæ vocantur triuiales, à triuio, i. e. à tribus instrumentalibus, Grammaticâ, Rhetoricâ & Logicâ: quòd illæ imprimis ibi exerceantur. Quanquam hodie certi dantur gradus scholarum triuialium: ita quidem, vt aliæ sint pædagogicæ & classicæ tantùm, aliæ insuper publicæ, quæ peculiari nomine dicuntur illustres. Scholæ superiores dicuntur Vniuersitates & Academiæ Quamuis enim (vt ex superioribus constat) Academiæ nomen fuerit olim commune omnibus scholis: vsus tamen hoc tempore obtinet, vt quæ huiusmodi præsidio & authoritate fuerunt stabilitæ, vt ibi conferantur gradus honorarii in singulis facultatibus, ex singulari quodam iure & consensione publicâ nomen sibi vendicent Academiæ.

CAPUT V.

De Administratione scholarum in genere.

PRÆCEPTA.

EVIT scholarum fundatio: sequitur earum conseruatio, quæ pendet à legitima administratione & defensione.

Legitima administratio est partim Didactica, partim Nomothetica, & vtraque spectatur in genere & in specie.

Administratio scholarum in genere pendet ab officiis communibus, quæ requiruntur ab omnibus præceptoribus, & similiter ab omnibus discipulis. Et hæc dicitur Didactica & Nomothetica generalis.

Officia communia præceptorum considerantur sub initium, progressum, & finem functionis.

Sub initium præceptor sibi conciliabit authoritatem debitam.

Sub progressum fungetur officio suo fideliter: quæ fidelitas consistit in doctrina & disciplina: cui vtrique accidit relaxatio.

Sub finem accuratè examinabit, num quid eorum sit prætermissum, quæ discipulo erant tradenda.

Officia communia discipulorum sunt tria: videlicet præstituere sibi certum studiorum finem, amoliri studiorum impedimenta, & adhibere media ad scopum perducentia.

REGULÆ.

I. *Præceptor nisi authoritate sit armatus, rempub. literariam pessundabit.* Quon præce sibi c liare authc tem.

QVemadmodum fundatio scholarum est politica vel scholastica: ita & earundem conseruatio, amplificatio, & curatio. Nos hîc agimus de scholasticâ, i. e. eâ, quæ proficisci potest, ac debet, à præceptoribus & discipulis Illorum autem, vt & istorum, officia spectantur communiter & singulariter Primum præceptoris cuiusque officium est, sub initium suæ functionis dispicere, quàm maximâ fieri potest cum circumspectione, vt debitam sibi conciliet authoritatem: quod fit religioso diuinæ authoritatis conseruandæ studio, & iuris dati custodiâ, humanitate scilicet, sed non nimiâ: & morum grauitate, sed non tamen ad superbiam assurgente. Absque hâc authoritate sit, præceptor id erit in scholâ, quod larua & truncus.

II. *Administratio scholæ duobus continetur, didascaliâ, & nomothisiâ scholasticâ.* Ad- strati schol duabi conti rebus

D*Idascalia scholastica* consistit in communicatione doctrinæ, quæ fit per compendiosam institutionem, fidelem repetitionem & paternam relaxationem. *Nomothesia scholastica* consistit in morum gubernatione, quæ continentur lenitate paternâ, discretione discipulorum diligentium ab indiligentibus, & morigerorum ab immorigeris denique in legum scholasticarum promulgatione, sanctione, atque executione. Leges istæ sunt generales, vel speciales: præceptorum, vel discipulorum: de discentiâ, vel de moribus. Quod attinet ad leges discentiæ in classibus, illarum capita eleganter constituta hæc sunt apud *Pontanum Volumine* 1. *progymnasmatum linguæ Latinæ.*

1. Sapientiam à numine assiduissimè efflagitanto, interim ita laboriosè discunto, vt si à sedibus æthereis nihil expectent.
2. Doctorem non secus quàm parentem colunto
3. In ludum, quoad fieri poterit, seriùs ne ingrediuntor: ante tempus si possint adsunto.
4. In gymnasio modestè considento, idque tantùm agunto & cogitanto, cuius causâ locum petessunt.
5. Ne dormiunto, ne fabulantor, nè nugantor, ne contendunto, ne vllâ ratione doctorem perturbanto.
6. Quotidianam Magistri auscultationem priuato studio anteponunto: ac nisi summâ necessitate, ne semel absunto.
7. Verbis ac sermone cùm Magistrum, tum scriptores optimos, qui explanantur, effingere studento.
8. Si quid haud probè perceperint, aut si de quo dubitauerint, Magistrum adeunto, interroganto, consulunto, pudorem rusticum exuunto.

9. Quæ

9 Quæ retinere memoriâ, cùm audiunt, nequiuerint, chartis mandanto.

10. Quæ commodè calamo annotare non potuerint, cùm primùm domos repetiuerint, suis locis scribunto.

11. A scholâ digressi, ne statim omnem rerum auditarum curam, & cogitationem abiiciunto: tempus aliquod iis tacitè reuoluendis, aut cum alio conferendis consumunto.

12. Nisi cùm liber inspiciendus, aut scribendum est, aures atque oculos in præceptorem dirigunto.

13. Quod hodiernâ luce disci potest, in crastinum ne differunto.

14. Neue eruditos se existimanto antequam sint, neue plus quàm sint.

15. Tempore nihil pretiosius; proinde ne qua pars illius sine fructu effluat prouidento.

16. Diem in certas horas partiunto, & quid quâque horâ faciendum sit, certum ac definitum habento.

17. Antelucanâ opificum industriâ vinci se ne patiuntor.

18. Et illius dicti itidem recordantor: *Aurora Musis amica.*

19. Longioribus implicatioribusque studiis honestam ac liberalem recreationem intermiscento.

20. A mensâ ad libros post interuallum redeunto: nocturno studio temperanto: valetudinem ne offendunto.

21. Præter labores à Magistro imperatos, alios sibi imperanto.

22. Multa & multùm scribunto, chartis & atramento ne parcunto.

Hic magnum est operæpretium, leges variarum scholarum in conspectu habere, & ex illis optimas excerpere. Quâ de re sic ait *Emundus Richerius in Obstetrice animorum cap.* 6. Et me hercule ipsi Iesuitæ, ex optimâ Lacedæmoniorum consuetudine, non sunt veriti, multa ex regulis & institutis scholæ Geneuensis, in collegiorum suorum vsum deriuare & transplantare.

r par- con- ur ium cepto-

III. *Præceptor fungatur officio suo diligenter, prudenter, constanter, & sincerè.*

Diligenter: vt nihil omittat eorum, quæ sunt necessaria. *Prudenter*: vt non turbet ingenia, vel eodem pede omnia metiatur. *Constanter*: vt se turbari non patiatur *Sincere*: vt compendio tradat res vtiles. Distinguat itaque tempus memoriæ & iudicij. Illa in classibus inprimis est formanda: hoc in scholâ publicâ. Nam in ætate tenellâ viget memoria, & proinde ibi studiosè excolenda. In præceptis etiam vnius artis non variet: sed eundem authorem, eadem formalia, eandem methodum seruet, idque tum in compendio eiusdem artis, tum in pleniore systemate. Porrò diligentiâ & spectatis moribus exemplo sit discipulis. In monendis denique ac castigandis discipulis absit negligentia, adhibeatur seueritas absque crudelitate, vituperatio absque maledicto. Ex his patet, duas esse partes officij præceptorum, doctrinam seu studiorum institutionem, & disciplinam seu piam & honestam morum gubernationem, vt rectè docet *David Chytræus in regulis vitæ. Doctrina* continet σύνεσιν, i. e. rerum cognitionem: & δύναμιν ἑρμηνευτικήν, i. e. facultatem res animo conceptas propriâ & perspicuâ oratione explicandi. *Ad rerum doctrinam* discipulis instillandam pertinet 1. *Ordo* in tradendis artibus. Et hoc consilio gradus & classes in scholis instituuntur, vt adolescentes ordine per artes vitæ necessarias ducantur. Tres autem potissimùm gradus in scholâ plenè constitutâ sunt obseruandi. Primò elementa sunt docenda, eaque triplicia, videl. pietatis ex Catechesi, linguæ Latinæ ac Græcæ ex compendiis Grammaticis & Rhetoricis & elementa Arithmeticæs. Deinde plenior linguarum cognitio vrgenda. Tertiò ad facultatem aliquam est accedendum. 2. *Prudentia & dexteritas* in tradendis præceptis necessariis, & adhibendis illustribus exemplis, & spargendis in docendo illecebris ex quadam historiarum, sententiarum, fabellarum, dictorum & exemplorum varietate, vt necessaria tantùm & vtilia in singulis artibus, discantur, omissis inanibus cauillationibus, ne obiiciatur Senecæ dictum: *Necessaria ignoramus, quia non necessaria didicimus.* Et hoc vnicè agat præceptor, vt ipsâ rerum suauitate & vtilitate teneri animi inuitentur & detineantur, seque proficere aliquo modo intelligant. Huc itaque pertinent stratagemata scholastica, quibus ingenia discentium prudenter decipiuntur, vel occultatione difficultatis, quæ est in re discendâ vel insinuatione rei ingratæ sed tamen necessariæ, per explicationem rei gratæ, &c. 3. *Repetitio & examen*: cuius instituti multiplex est vtilitas. Nam hoc modo diligentia, intentio animi & cura plenè ac integrè cognoscendi ea, quæ traduntur, in discentibus acuitur: cursus studiorum intra certas continetur metas: discentes assuefiunt, vt omissis inutilibus & non necessariis discant necessaria & vtilia: iudicium formatur, & acuitur ingenium: memoria adiuuatur: facultas eloquendi sumit incrementum: morbo arrogantiæ fit medicina: animi denique assuescunt humanitati & τῇ κοινωνίᾳ. Et has quidem octo vtilitates adfert repetitio & examen. 4. *Disputatio*: quæ easdem cum repetitione vtilitates habet. *Facultas eloquendi* præter repetitiones & disputationes formatur & fouetur tribus modis Primò diligentia & dexteritas adhibenda est præceptori in præceptis artium dicendi perspicuè tradendis, & monstrando præceptorum vsu, tum in disertorum hominum scriptis rectè intelligendis, tum in materiis vernaculis, quæ nobis dicendæ vel scribendæ proponuntur, rectè, ordine, ac perspicuè explicandis. Deinde exercitium Latinè loquendi in consuetudine familiari, in docendo & declamando vires habet longè maximas. Tertiò assidua styli exercitatio & scriptorum emendatio colophonem addit huic facultati. *Disciplina*, i. e. pia & honesta morum gubernatio, duabus continetur partibus, quarum prior est pietas erga Deum, quæ totius reliquæ disciplinæ fundamentum est. Altera complectitur virtutes secundæ tabulæ. Ad pietatem assuefaciendi sunt discipuli hoc modo. 1. Manè, cùm è lecto surrexerunt, legant aliquid è Bibliis, & adiungant precationem: cuius formulam ediscere ac tenere prodest. 2. Cibum sumpturi, & à cibo, recitent precationem & gratiarum actionem. 3. Catechesin discant. 4. Frequententent sacras conciones; ita vt ante concionem se ritè præparent, in concione deuotè auscultent, post concionem reddant rationem eorum, quæ audiuerunt, & ipsâ praxi vitaque exprimant. Ad pietatem & reliquas virtutes simul quatuor modis adolescentes à præceptoribus inuitari & impelli oportet. 1. Admonitionibus & præceptis crebris, petitis ex verbo DEI, & sententiosis authoribus. 2. Exemplo bono; vt scilicet præceptor ipsis præluceat pietate ac probitate, vt *Plato.* 5. *de ll.* eleganter ait: *Optima adolescentum assuefactio ad virtutem est, non munere multa, sed vt, quæ mones, in omni vitâ ipse facere videaris.* Et Ouidius:

Sic petitur censor, & sic exempla parantur,
Cum iudex, alios quod monet, ipse facit.

Et sanè

Turpe est doctori, cùm culpa redarguit ipsum.

Meminerit etiam præceptor illius vulgati: *Qui bene docet, & male viuit, vnâ manu destruit, quod alterâ extruxit.* Item huius: *Doce faciendo, & doce faciendo.* Item istius, quod est apud Sturmiû in epistolis classicis & Academicis. Cùm quidam contaminatæ vitæ explicaret officia Ciceronis, obiectum est ipsi à discipulo festiuum illud.

Qui docet officium, non facit officium.

Huc quoque pertinent exempla virtutum & vitiorum, & horribilium pœnarum, quæ violationem disciplinæ comitantur. 3. Præmiis & castigationibus moderatis. 4. Tollendis occasionibus delinquendi. Nam, vt vulgò dicitur: *Vitare peccata, est vitare occasiones peccatorum.* Porrò doctrinæ & disciplinæ requiritur quædam relaxatio, quia & fesso quiescendum, & quiescenti agendum est. Nam.

Quod caret alternâ requie, durabile non est.

Et arcus nimium tensus rumpitur. Præceptor itaque dabit operam, vt adolescentes horarum multitudine non onerentur, & singulis septimanis habeant ferias ordinarias, & nonnunquam extraordinarias: verum ita, ne disciplina laxa pariat effrænem viuendi libidinem, qualis hodie passim in scholis cernitur. Ad extremum functio præceptoris sub finem eo erit occupata vt discipulum admoneat de iis, quæ ipsi discenda restant: quæ scilicet vel nondum potuit discere in hâc vel illâ ætate aut classe, vel noluit comprehendere. Testabitur etiam de suo studio adhibito, & deinceps quoque, si opus, sit adhibendo.

IV. *Studiosus adolescens in cursu studiorum sibi præstituet certum scopum, impedimenta remouebit, & media legitima adhibebit.* Officium discipuli quodnam?

PRincipiò finis studiorum in conspectu esse debet. Ita enim est. vt *Philippus lib. de legendis Ethnicis* ait. *Si negligimus (finis) cuius gratiâ quidquid cogitamus, molimur, agimus facienda sunt, non solùm proximè accedimus ad bruta, verùm etiam mentes nostræ, veluti sine arte nauigia, quibus desint, qui clauum regunt, aut temerè huc illuc omni vento circumferuntur, aut denique scopulis illisa miserrimè naufragium patiuntur.* Est autem finis studiorum alius remotus & generalis, alius proximus & specialis. Remotus & generalis est gloria Dei, & salus, tum nostra, tum proximi. Quâ de re teneatur illud *Bernhardi serm. 36 super Cantica*: *Modus sciendi est* (inquit) *vt scias quo ordine, quo studio, quo fine, quæque nosse oporteat. Quo ordine? Vt id priùs, quod est maturius ad salutem. Quo studio? Vt id ardentiùs, quod vehementius ad amorem. Quo fine? Vt non ad inanem gloriam aut curiositatem, aut aliquid simile, sed tantùm ad ædificationem tui vel proximi. Sunt enim qui scire volunt, eo fine tantùm, vt sciant; & turpis curiositas est. Et sunt, qui scire volunt, vt sciantur ipsi, & turpis gloriola est: qui profectò non euadent subsannantem Satyricum, & ei, qui huiusmodi est, decantantem.*

Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter.

Et sunt item qui scire volunt, vt scientiam suam vendant, verbi causâ pro pecuniâ, pro honoribus; & turpis quæstus est. Sed sunt

quoque qui scire volunt, vt ædificent; & charitas est. Et item qui scire volunt, vt ædificentur; & prudentia est. Horum omnium solùm vltimi non inueniuntur in abusione scientiæ: quippe qui ad hoc volunt intelligere, vt benefaciant. Denique intellectus bonus omnibus facientibus eum. Reliqui omnes audiant. Scienti bonum, & non facienti, peccatum est ei. Sic Bernhardus de scopo studiorum generali. Specialis scopus est erudita pietas, piaque eruditio in isto vitæ genere, in quo cupimus Deo inseruire. De hoc scopo sunt istæ regulæ. 1. *Studiis omnibus, quæ longè latéque patent, præfinienda est meta, quousque possis vno cursu progredi; quid & quantum velis vnâ vice in quouis assequi.* 2. *Scopus sit excellens, accommodatus, & fixus. Excellens*; quia non datur emergere iis, qui cogitant humilia. Studiosus itaque cogitet illud vulgatum: Aureum currum qui sibi proponit, si non rotam, tamen clauum accipit. *Accommodatus*, scilicet cuiusque ingenio, temperamento, & inclinationi naturali. Si enim ingenium trahatur crinibus non potest felix euentus expectari. *Fixus* & stabilis; quia si scopus variet, media non possunt esse certa. Et desultoria ista varietas ac leuitas non penetrat ad nucleum, sed hæret tantùm in cortice. *Impedimenta studiorum* sunt nouem. 1. *Labes peccati.* Hic enim est vermis, qui arrodit arborem, vt exarescat. 2. *Desidia*: quæ adeò inualuit in scholis, vt vulgo persuasum sit, vitam scholasticam otij esse plenam. O si reuocaretur postliminio lex illa Ægiptiorum, quâ otiosos volebant esse ἀτίμους! Vtinam exemplo veterum Romanorum Vacunæ, otiosorum patronæ, nullum in vrbe vel scholâ templum extrueretur, sed trans Tiberim, imò apud Garamantas! 3. *Pusillanimitas*, μικροψυχία; quâ fit, vt studiosus non sit ὁμιλητικὸς, sed fugiat honestas & necessarias συζητήσεις καὶ συνουσίας. 4. *Arrogantia*, seu inanis eruditionis persuasio; quæ Græcis dicitur δοξοσοφία. Hæc adeò plerorumque animos occupat, vt theologiæ quidem studiosi concionentur, antequam Biblia legerunt: Iurisprudentiæ autem dediti adolescentes dicant caussas, antequam Institutiones à primo salutarunt vel aspexerunt limine: medicinæ studiosi misceant opium, antequam quid sit apium nouerunt: Philosophiæ denique tyrones disputent de hæcceitate, principio indiuiduationis, materiâ primâ, & similibus, antequam quid syllogismus sit didicerunt. 5. *Priuatum duntaxat studium*, αὐτομάθεια: cùm quis nescio quâ correptus αὐταρκείᾳ priuato tantùm iudicio instituit studia, non requisito super istâ re prudentum consilio. Sunt, fateor, quidam αὐτοδίδακτοι, vel potiùs θεοδίδακτοι, vt *Antonius Eremita, Iohannes Picus Mirandula, Scaliger*, & alij. Sed isti sunt pauci; & extraordinariè, singulari Dei gratiâ, sunt tales. 6. *Rerum vanarum consectatio*, ματαιοτεχνία: quâ fit vt permulti sint quàm simillimi Aristomacho Solensi, qui in muscarum naturâ indagandâ, pulicumque saltibus sexaginta metiendis, annos consumsisse fertur. Huiusmodi muscicapitanei tandem fiunt vel inutilia terræ pondera, vel proterui sophistæ: quos optimè Ariston similes prædicabat esse edentibus cancros, qui propter exiguum alimentum pertenui cum fructu in ossibus & testis plurimis occupantur. Pertinet huc, quod Satiricus Arbiter, agens de sui seculi declamatoribus & studiis, existimabat, in scholis fieri adolescentes stultissimos, quia nihil ex iis, quæ in vsu essent, aut audirent, aut viderent. 7. Πολυπραγμοσύνη, *ardelionatus*, vt loquitur *Emundus Richerius in obstetrice animorum*. Facit hoc vitium, vt multa agendo nihil agamus. Optandum hîc esset, hodierno die ali præcones illos veterum Romanorum, qui populo sacris in Capitolio operaturo acclamabant: Hoc age. 8. *Immoderata & nimia studia*: quibus ingenij vigor & acrimonia atteritur. 9. *Mutatio præceptorum*: cùm neque eadem retinemus præcepta, neque vnius præceptoris ingenio familiariter nos applicamus. Sed iam videamus *media*, quibus ad optatum studiorum finem perueniri potest. Ista sunt numero tria, Precatio, Natura, & Cura. *Precatio* debet esse mentalis, vocalis, & vitalis, vt solitus est dicere Vviclefus: id est, ita comparata, vt nascatur in pectore, proferatur ore, sanctaque vitâ coronetur. Omnes enim, qui sic orant, certò consequuntur à Deo, Patre illo luminum, sapientiam, si cum precibus coniungant laborem, iuxta illud vetus: *Ora & labora. Natura* est aptitudo discentis. Non enim ex quouis ligno fit Mercurius. Necesse itaque est, vt qui studio alicui se dedere cogitat, penitissimè suum exploret ingenium, vt ducatur, non trahatur ad artem. *Cura* est exercitatio & peregrinatio. *Exercitatio* sit diligens & distincta. *Diligentiæ*, seu φιλοπονίας præcepta hæc sunt. 1. Præcipua est eruditio, discere velle. 2 Oportet discentem iuxta præceptoris præscriptum viuere, & cogitare illud: *Qui monet, quasi adiuuat.* Et rectè Gellius ait: *Discipulus ne det legem præceptori.* Item ille apud Liuium: *Sæpe audiui, milites, eum primum esse virum, qui ipse consulat, quid in rem sit: secundum esse, qui bene monenti obediat: qui nec ipse consulere nec alteri parere sciat, eum extremi esse ingenij.* 3. Fundamenta omnium primò iaciantur. Non enim fieri potest, vt magna discantur ante parua. Et in ruinam prona sunt, quæ sine fundamentis creuerunt, vt sunt verba *Senecæ lib. 1. de irâ, cap.* 16. Fundamenta autem non in summo, sed in imo quæruntur. Itaque non in summâ terrâ, leuique manu quæramus ea, quæ solidam pariunt scientiam, sed in fundo, vbi veritas latére dicitur. Veniat nobis in mentem istud Ciceronis de finibus: *Qui sine principiis certis docent vel discunt, fundamenta in aquâ ponunt.* 4 Fundamentis non semper inhærendum: sed danda est opera, vt post initia ad incrementa quoque veniatur. 5. Necessaria primò discantur: & parerga ne fiant erga. 6. Procrastinatio cane peius & angue vitetur. Maxima enim vitæ iactura est dilatio. Illa primum quemque extrahit diem, illa eripit præsentia, dum vlteriora promittit. Maximum viuendi impedimentum est expectatio, quæ pendet ex crastino. Perdis hodiernum: quod in manu fortunæ positum est, disponis, quod in tuâ, dimittis, vt ait *Seneca de breuit. vit. cap.* 8. Et rectè *Plautus in Mostell.* ait illos peccare largiter, qui bonam occasionem dimittunt. Et *idem in Pseud.* Certa amittimus, dum incerta petimus. 7. Otium habeatur pro puluinari Diaboli, & viui hominis sepulturâ, vt ait *Seneca epist.* 82. Hinc *Plautus in Bacch.* festiuè, vt omnia: Piger est mortuus, & terræ odium inambulat. 8. Humilitas est vas, quo sapientiam à Deo datam excipimus, quemadmodum Aristoteles dicebat Alexandro δοκησισόφῳ. E contrario elatio est profectus impedimentum, vt paulò antè ostendimus. Hoc perpendere debebant illi, qui statim sapiunt, statim sciunt omnia, neminem verentur, imitantur neminem; atque ipsi sibi exempla sunt, & meri ostentatores. De his Capnio facetè dixit: Primo anno nouitioli sciunt diiudicare omnes controuersias, secundo incipiunt dubitare, tertio vident se nihil scire & tunc primùm incipiunt discere. Cæterùm si quis velit scire, num aliquid solidè teneat nec ne, cogitet illud Aristotelis: *Signum scientis est, docere.* Non igitur audiendi sunt licentiosi illi monitores, qui Neronem Senecæ addictum monebant, Exueret magistrum, vt est apud *Tacitum* 14. *annal.* 9 Cum his conuersari oportet discipulum frugi, qui ipsum meliorem facturi sunt, non verò cum illis, qui vel molliorem, vel deteriorem facere possunt, volunt. Eleganter *Seneca. lib. de breuitate vitæ cap.* 7. ait: Vita illos, qui te sibi aduocant, tibi adducunt. Nam qui inter hos nutriuntur, non magis sapere possunt, quàm bene olere, qui in culinâ habitant, vt ait *Petronius Arbiter in Satyric.* 10 Lucubrationes ita instituantur, vt ne amittamus ingenium, dum cupimus formare ingenium. Inter se ista miscenda sunt, & quiescenti agendum, & agenti quiescendum. Cum rerum naturâ delibera: illa dicet tibi, se & diem habere, & noctem. Ne igitur nox tibi pro die sit. Hoc non solùm notabunt illi, qui habent in more positum νυκτοπλεῖν καὶ νυκτομαχεῖν, vt loquitur *Schellenbergius in Formatorio*: sed etiam lucubratores illi tyranni & carnifices, quibus solenne est νυκτομαθεῖν καὶ νυκτογράφειν. Neque solùm à lucubrationibus intempestiuis: sed etiam à diurnis studiis concatenatis abstinere oportet, iuxta illud *Senecæ epist.* 15. Dandum est aliquod interuallum animo, ita tamen, vt non resoluatur, sed vt remittatur. *Distinctio exercitationis* (quæ quidem omnibus in vniuersum discipulis est necessaria) fiat in quatuor partes, quæ sunt lectio, auscultatio, scriptio, & repetitio. *Lectionis* præcepta sunt: 1. Ars obliuionis inter legendum & auscultandum, est vnicè necessaria. Quod paradoxum ita est accipiendum. Quando aliquid infigendum est memoriæ, oportet esse præsenti animo, atque ita ex animo memoriaque dimittere vagas & inutiles cogitationes, quæ mentem turbant & distrahunt. 2. Non refert quàm multos, sed quàm bonos libros euoluas. Onerat enim discentem turba, non instruit: multoque satius est, paucis se tradere authoribus, quàm vagari per multos. 3. Ad vnumquodque studium seligantur libri certi, & primò quidem methodici: ac in iis comparetur memoria localis. Hos libros oportet esse nitidæ atque correctæ editionis: vt elegantia typographica, & diligentia authoris videantur inter se certare. 4. Probatos semper lege, vt habeas perpetuæ lectionis domicilium: & si quando ad alios diuerti libuerit, ad priores semper redi. Certis enim oportet ingeniis immorari, si velis aliquid trahere, quod in animo sedeat. 5. Vnusquisque liber distribuatur in certum numerum lectionum: & lectiones ediscantur per partes. 6 Vnaquæque lectio sit breuis. 7. Horæ non sint continuæ. 8. Cuiusque horæ lectio ter percurratur: primò vt intelligas; deinde, vt memoriæ infigas: tertiò vt repetas. *Auscultationis* canones sunt 1. Audiendi sunt doctores methodici & nostri amantes. 2. Audire oportet libenter & frequenter, non cum tædio, non per interualla. *Scriptionis* leges sunt 1. Sæpissimè scribendum: quia lectio & auscultatio sine stylo est somnus. Hinc *Seneca epist.* 85. salutare istud dat consilium: Nec scribere tantùm, nec tantùm legere debemus. Altera res contristabit, & vires exhauriet, de stylo dico: altera soluet ac diluet. Inuicem hoc illo commutandum est, & alterum altero temperandum, vt quidquid lectione collectum est, stylus redigat in corpus. 2. Scribere oportet quàm mundissimè: quia hoc non tantùm est ornamentum viri docti, sed etiam illex memoriæ. *Repetitionis* præcepta sunt 1. Nulla repetitio est nimia. Nunquam nimis dicitur & repetitur, quod non satis discitur. Lectio itaque vel decies lecta memoriæ mandetur. Iterata enim dicta tam citò memoriæ infiguntur, quàm dictata chartæ inscribuntur. Ideò

Quintilia

Quintilianus, qui ſua ſtudia erudiendæ iuuentuti per 20. annos ſe impendiſſe fatetur, ſcitè ait: Repetamus & tractemus: & vt cibos manſos ac propè liquefactos dimittimus, quò faciliùs digerantur: ita lectio non cruda, ſed multa iteratione mollita, & velut confecta memoriæ imitationíque tradatur. Auditor itaque cùm audit, ſimilis ſit edenti, cùm verò audita in memoriam reuocat, ſit ſimilis concoquenti cibum & ruminanti. 2. Repetitio ſit partim curſoria, qua raptim aliquid repetitur; partim fixa, qua minutatim omnia & ſingula iterantur. Vtraque debet eſſe horaria, diurna, & hebdomadaria. Præceptor & diſcipulus hîc imitentur Socratem, qui αὐτὰ περὶ τῶν αὐτῶν dicenda eſſe monebat: & pium illum Melanchthonem, qui in Ethicis paulò ante obitum traditis ait: Non curo eorum reprehenſiones, qui dicunt, me ſemper canere eandem cantilenam, & nihil noui ſcire. Et hæc eſt *Didactica generalis*, quam *Wolfrangus Ratichius* certis aphoriſmis aſtrinxit, & *Sophonias Haſenmüller* 20. theorematis complexus eſt. Summa huc redit: In quolibet ſtudio vnus author claſſicus, emendatæ ac elegantis editionis, diuiſus in certum numerum lectionum, repetatur quàm diligentiſſimè. Caput hoc nobis claudat pictura diſcipuli apud *Platonem* Πολιτ. 3. Diſcipulus debet eſſe φιλομαθὴς, φιλήκοος καὶ ζητητικὸς, id eſt, cupidus diſcendi, audiendi, & interrogandi. De gratitudine diſcipuli nihil præcipimus: quia hoc eſt ethicum. Tribus tamen verbis aliquid dicamus. Diſcipuli præceptoribus ſuis debent beneuolentiam & ἀντιδωρεὰν, iuxta illud Euripidis: *Iuſtum eſt, labores digna mercede compenſari*: & iſtud Ariſtotelis, τοῖς φιλοσοφίας κοινωνήσασι τιμὴ ἰσόρροπος οὐκ ἂν γένοιτο, ἀλλ' ἴσως ἱκανὸν ὥσπερ πρὸς θεοὺς, καὶ πρὸς γονεῖς τὸ ἐνδεχόμενον, id eſt, vertente Chytræo, Præceptoribus, qui veram ſapientiam nobis impertiunt, non poteſt par honor à nobis referri: ſed fortaſſis, vt erga Deum & erga parentes, ſatis eſt referre gratiam quantam quiſque poteſt. Hoc fecit Alexander M. qui ſubinde faſſus eſt, plus ſe debere Ariſtoteli præceptori, quàm Philippo genitori: quòd ab hoc viuendi tantùm, ab illo etiam bene viuendi rationem acceperit. Et Iſocratis erga præceptorem Theramenem tanta fuit gratitudo, vt cùm à triginta tyrannis publicè inuaderetur, omnibus conſternatis, non oratione ſolùm, ſed etiam corpore ſuo fortiter eum defenderit. Et M. Antonius Impp. vt refert Capitolinus, magiſtris ſuis tantum honoris detulit, vt imagines eorum aureas in templo larium haberet. *Peregrinatio* hîc ſub ſe continet ablegationem liberorum ad ſcholas exteras certas, vt ibi proficiant in literis humanioribus. Ea imprimis pendet à cura parentum: ideóque peculiaribus præceptis non eget. De peregrinatione, quæ ſuſcipitur ab adultis, infrà præcipiemus.

CAPVT VI.

De Scholis vernaculis.

PRÆCEPTA.

ADMINISTRATIO & Nomothetica ſcholarum in ſpecie dicitur Didactica ſpecialis, quæ eſt alia atque alia in ſcholis infimis, mediis, & ſuperioribus.

In ſcholis infimis, ſeu vernaculis, ſiue ſint paganæ, ſiue oppidanæ, ſiue maſculinæ, ſiue puellares, adhibeatur præceptor patientia, tanquam lorica, præditus, humilis item & prudens: & ea proponantur, quæ ſunt pietatis, bonorum morum, lectionis & ſcriptionis linguæ vernaculæ.

REGVLÆ.

I. *In ſcholas vernaculas mittantur puellæ, & illi ſolùm pueri, qui artibus mechanicis aliquando ſe applicabunt: at pueri, qui aſpirant ex deſtinatione parentum ad vberiorem ingenij culturam, non in vernaculas, ſed rectà in Latinas deducantur.*

RAtio canonis eſt; quia tempus, quod impenditur lectioni & ſcriptioni linguæ vernaculæ, meliùs collocatur in lectione & ſcriptione linguæ Latinæ. Sed contra obiiciũtur iſta. 1. Sæpenumero fit, vt ſtudiis altioribus deputentur ingenia inepta. Quòd ſi ergo illa diu hæreant in ſcholis Latinis, & poſtea illas deſerere neceſſe habeant, ignorabunt vtique lectionem & ſcriptionem linguæ maternæ. 2. Multum ſitum eſt in legitima linguæ vernaculæ lectione ac ſcriptione. *Reſp. ad* 1. Delectus ingeniorum eſt habendus: ne nobis accidat quod eſt in fabulis. Lupus in ſcholam miſſus non potuit adduci vt diceret a: rogatus cauſam, dixit, ſe id recuſare adeò, ne habeat neceſſe dicere b. Idem iuſſus ſyllabizare *pa & ter*, & rogatus quid facerent *p, & a*, reſpondit *pa*: quid *t, e, & r*, reſpondit *ter*. Sed iuſſus coniungere *pa & ter*, dixit *agnus*. Quò pertinet meretrix, quæ iuſſa colligere literas in voce *caſtitas*, dixit *amo*. *Reſp. ad* 2. Sanè multum hac in re ſitum eſt. Sed ludendo quaſi, partim ex domeſtica inſtitutione, partim ex Latinæ linguæ conuenientiâ, hoc omne poteſt abundè addiſci. Diſſentiat hîc, qui volet. Ego propono eam viam & rationem, quam teri velim ab iis, quos optimè inſtitutos optem.

II. *In ſcholis vernaculis paganis pueri à puellis per claſſes diſtinctas ſeparentur: in vrbibus diſtinctæ ſint ſcholæ puerorum & puellarum.* Scholæ vernaculæ paganæ & ciuicæ quomodo inſtituendæ?

NAm in pagis non eſt ea liberorum frequentia, vel ſumtuum ratio, vt diſtinctas ſcholas aperire oporteat pro pueris & puellis. Neceſſe autem eſt, vt per claſſes diſtinctas ſeparentur pueri & puellæ: quia ſi promiſcuè ſedeant, petulantiam & laſciuiam arcebunt. Porrò ſcholis paganis præfici poſſunt æditui, qui quidem huic prouinciæ ſunt pares. Ita enim ruſtici non onerabuntur perſolutione didactri cùm ædituus habeat ſtipendium, cui qualecunque auctarium ex bonis eccleſiaſticis addi poteſt, vt rectè conſulit *Wilhelmus Zepperus lib. 1. polit. eccleſ. cap. 7.* Huc ſpectat decretum concilij Conſtantinopolitani VI. vt presbyteri præceptores in pagis vel villis nihil pretij à diſcipulis exigant.

III. *Puellæ ordinariè non addiſcent linguam Latinam.* An puellæ linguam Latinam debeant addiſcere?

HÆc enim lingua ipſis non eſt vſui, ſed magno potiùs incommodo, ſiue ſpectes tempus, quòd impendendo in hanc linguam inutiliter collocant, ſiue varias occaſiones ac illecebras peccandi, quæ hinc oriri ſolent. Extraordinariè tamen fœminæ nobiles ac principes hanc linguam addiſcere poſſunt, vt ipſis ſit ornamento.

IV. *Liberi quinquennes mittantur in ſcholam vernaculam.* Quo anno ætati liberi mittendi in ſcholam vernaculam?

INtellige annum quintum incipientem. Nam quadrimatu exacto vtcunque cerebrum eſt confirmatum, & vox articulata: quæ duo requiruntur ad illa præſtanda, quæ hîc præſcribi ſolent.

V. *Inſtitutionis modus in ſchola vernacula pendet ab his legibus.* Quomodo inſtitutio vernacula debeat eſſe cõparata?

1. OMnes diſcipuli habeant exemplaria eiuſdem editionis. 2. Domi non legantur vlli libri præter eos, qui explicantur in ſchola. 3. Librum partiatur præceptor in certas lectiones, vt ſciat diſcipulus, quàm breui poſſit abſoluere penſum. 4. Quælibet lectio (vt vocant) clara voce recitetur à præceptore. 5. Inter repetendum vnus condiſcipulus alterum corrigat. 6. Præceptor munuſculis certis ſibi conciliet animos nouitiorum. 7. Quatuor horas de die (non ampliùs) pueri ſcholam frequentent: & horis matutinis memoriam exerceant ediſcendo partim elementa religionis Chriſtianæ, partim dicta Scripturæ illuſtria, & ſententias morales, imprimis rhythmicas. Horis autem pomeridianis diſcant pingere, & reddant rationem actorum totius diei. 8. In pingendo proponantur omnium primò literæ fundamentales, de quibus ſuprà in Grammat. Nam qui has litteras ritè poteſt pingere, reliquas facillimè addiſcet. Quæ obſeruatio in omnibus omnino linguis valdè eſt neceſſaria.

CAPVT VII.

De Scholis claſſicis.

PRÆCEPTA.

IN ſcholis intermediis & ſuperioribus eadem eſt inſtitutionis ratio: ſed priuilegiorum eſt diuerſitas. Hîc igitur communiter dicemus de inſtitutione, quæ cernitur in ſcholis claſſicis, & publicis.

Scholæ claſſicæ (quibus præeſt Pædagogearcha, ſeu Rector pædagogei) ſunt, in quibus animi diſcipulorum imbuuntur plena cognitione linguæ Latinæ & Græcæ, itémque Muſicæ, ac Arithmeticæ, & guſtum percipiant Logicæ.

In his ſpectantur communia, & ſingularia.

Communia in omnibus claſſibus ſpectanda ſunt numero tria. 1. Pietatis exercitia. 2. Stylus, ſaltem in conficiendis diariis. 3. Relaxatio animorum.

Singularia ſunt propria cuiuſque claſſis, hoc ordine.

Is

In vniuersum sint sex classes, è quibus tres inferiores dicantur Grammaticæ, reliquæ tres Humanitatis: è quibus hæ sic dicuntur, quòd pleniùs accedant ad artes humaniores.

In infima Grammatices classe duplex præter exercitia pietatis (hæc enim omnibus debere esse communia, modò diximus) adhibeatur cura: vna alphabetaria, vt doceantur ea quæ pertinent ad lectionem & scriptionem linguæ Latinæ: altera paradigmatica, vt flexiones nominum & verborum analogæ seu regulares, itémque vocabula ex nomenclaturâ rhythmicâ discantur.

In secunda Grammatices classe, quæ dici potest media, proponantur præcepta Etymologiæ & Syntaxeos, vna cum Terentio: & variatio Grammatica hîc sit instar omnium styli Grammatici exercitiorum. Hîc etiam doceantur ea, quæ pertinent ad lectionem & scriptionem linguæ Græcæ, itémque flexionem nominum & verborum irregularium. Initia denique Musices monstrentur.

In suprema Grammatices classe vsus præceptorum Grammaticorum Latinorum monstretur in prosa: idque per analysin, Terentij scilicet vnius, & genesin exercitiorum styli, ita vt è vernacula lingua in Latinam, & vicissim è Latina in vernaculam aliquid quotidie transferatur. Hîc etiam proponantur præcepta Grammaticæ Græcæ: & initia Arithmetices adiungantur exercitio Musicæ.

In infima classe Humanitatis proponantur elementa Rhetorica & Poëtica linguæ Latinæ:& vsus Grammaticæ Græcæ monstretur analyticè, in Demosthene & Homero tantùm syntheticè per exercitia styli Græci. Arithmetica etiam & Musica in hac & duabus seqq. classibus pleniùs exerceantur.

In media Humanitatis classe vigeant exercitia Rhetorica & Poëtica linguæ Latinæ, ita vt vsus præceptorum monstretur in Ciceronis epistolis, & facilioribus orationibus, item in facilioribus carminum generibus, apud Horatium. Vsus quoque Rhetoricæ & Poëticæ monstretur in Demosthene & Homero.

In suprema classe Humanitatis proponantur elementa Logica, explicentur orationes Ciceronis & Demosthenis, & scribantur declamationes, itémque varia carminum genera: idque in lingua Latina & Græca, imprimis tamen in Latina.

Et hæc quidem classium ratio ferè passim obtinet. Ab illa nonnihil discrepat ista, quam delineauimus suprà *lib.4.cap.vlt.* vbi sex classibus præmittitur schola vel domestica, vel publica quidem, sed tamen separata à scholis classicis; vt nempe ibi discant pueri legere Latinè, & radices Latinas adiiciant.

REGVLÆ.

Quomodo præcepta de officiis scholasticis intelligenda?

I. *In officiis scholasticis sanciuntur cum relatiuis correlatiua.*

ID est, ex officio præceptoris intelligitur officium discipuli: & contra. Hoc deinceps diligenter obseruare oportet, ne otiosa opus sit repetitione. Vbi & hoc meminisse conducit, generalia illa, quæ suprà cap. 5. sunt proposita, in omnibus scholis qua classicis, qua publicis, esse obseruanda.

Catecheticum exercitium in classibus quale?

II. *Cathecheseos editio triplex in distinctis classibus proponi debet.*

PRimò compendium Latinum proponetur in duabus classibus inferioribus pauculis cōstans quæstionibus & responsionibus. Deinde in duabus classibus sequentibus addentur dicta Scripturæ insigniora. Postremò in duabus classibus superioribus plenior Catechesis proponetur & exponetur.

Relaxationis ratio in classibus quæ?

III. *Relaxatio animorum in classibus ita erit comparata, vt seruiat voluptati & profectui in lingua Latina.*

ETsi omnes exercitationes, quæ in scholis liberalibus vigent, pro ludis habendæ sunt, vt suprà cap. 1. diximus: tamen quia sic natura est hominum, vt ludos in corporis agitatione, non in mentis exercitatione quærant, oportet infirmitatis nostræ rationem hîc habere. Sic tamen infirmitatis nostræ ratio habenda est, ne per ludos accersamus infirmitatem animi simul & corporis. Itaque ex mente Ciceronis iocis & ludis ita vti debemus, vt somnis & quietibus, & tum demum, postquam grauibus & seriis satisfactum est negotiis: & ita ludendum, vt ludus sit ingenuus & moderatus: vt animus voluptate non efferatur, vt pericula vitentur, eiusmodi multa sunt in digladiando, natando, venando, piscando. Illud autem in ludis, qui classibus indulgentur, imprimis obseruetur, vt sermo sit Latinus, ludorum stata sint tempora, vt moderator adsit, vt ludi deligantur magis idonei, magisque vtiles. In curriculis metas figere, currere, saltare, castra metari, exercitum ducere, aciem instruere, centuriones & duces constituere, legiones conficere, & eas cohortibus distinguere, & liberale, & vtile, & iucundum est. Ædificiorum etiam demonstrationes facere, & hortorum, & villæ, suaue & ingenuum est. Ex vrbe egredi, hortos & prata visere, herbas effodere, nomina interrogare, gustare eas & partiri, plus ne voluptatis an vtilitatis hæc ludendi ratio habeat, dubium est: vt eleganter ait elegantissimus ille Germaniæ nostræ Cicero *Ioan. Sturmius in epistolis classicis.*

IV. *Infimæ classis præceptor meminerit, quatuor sibi esse agenda quàm enixissimè.*

Ratio [...]tæ cl. quæ?

CLassis hoc in loco significat ordinem discipulorum eiusdem propè in studiis profectus. Quæ vox tempore Quintiliani hoc sensu fuit vsurpata, vt ille tradit *l.1. cap.1.* Fuit autem accepta à foro: quia Roma olim in quinque classes fuit diuisa, vt est apud Liuium. Aliàs classes istæ scholarum vocantur tribus & curiæ. Harum alij decem constituunt, vt Sturmius: alij quinque, vt Adamus Siberus: alij quatuor, alij sex. Nobis arridet postrema sententia: non quòd in numero lateat mysterium, vt Pythagorici crediderunt, sed quia sex isti ordines ita sunt comparati, vt studiosi adolescentes si anno ætatis quinto ineunte mittantur in scholas istas classicas, spatio duodecim annorum, atque ita anno ætatis sexto & decimo, possint quàm commodissimè absoluere ea, quæ in classibus discenda sunt; si in vna classe biennium consumant. Quòd si nonnulla ingenia sint magis viuida, non tam diu in vna curia necesse habebunt hærere. Quanquam non facilè hîc est properandum. Sed iam videamus singulas ordine classes. Atque vt ab infima faciamus initium, præceptor huius classis statuet, discipulos suos esse stirpes & plantas, non ex alterius agro acceptas, sed quasi nouellas radices, nullius manu adhuc tractatas; ideóque multum operæ ponat in solerti ipsarum educatione ac nutricatione. Neque verò humilem & abiectam esse suam conditionem arbitretur: sed potiùs regiam credet, vtpote talem, quæ sit seminarium ipsius scholæ, quemadmodum schola est seminarium ecclesiæ & politiæ. Quatuor autem præstabit præfectus iste. *Primò* docebit alphabetum, literas nempe legere ac pingere. Hîc subinde cum Cicerone dicet, se mirari eius ingenium, qui sonos vocis, qui infiniti videbantur, paucis literarum notis terminauit. Dicet, homines in vniuerso mundo nihil discere præter alphabetum, & subinde recitabit illud *Hieronymi super Esa. cap.29. v.11.* Gratias ago Domino meo, quòd de atro & amaro literarum semine dulces fructus capio. Hæc, & similia in medium adferet, vt nouitiolis alphabetariis hoc studium dulcescat magis magisque. In tradendis literarum formis non opus est partitione aut definitione subtili: sed oculorum & sensuum indicatione, vocis pronuntiatione, linguæ flexibilitate. Literas sono vicinas accuratè docebit illos discernere, quóque organo pronuntiationis imprimis adhibito quæuis litera sit proferenda docebit. A literarum pronuntiatione ad lectionem paulatim progredietur, initio facto ab inflexionibus nominum & verborum. Hoc fine habebit libellum, qui præter alphabetum, declinationes & coniugationes, nihil contineat. *Postea* veniet ad Catechesin: *tum* ad nomenclaturam rhythmicam: & *denique* progredietur ad literarum picturam, vbi literas fundamentales, de quibus cap. anteced. docebit omnium primò pingere. In pictura habebit rationem καλλιγραφίας. Raró ad verbera, vel etiam verba asperiora veniet: sed memor erit præcepti Horatiani 1. epist.

———— *Pueris dant crustula blandi*
Doctores, elementa velint vt discere prima.

Puerulos itaque & verbis, & palpo, & donariis demulcebit. Ita enim & pueros, & parentes habebit promtos. Quid? Comparabit sibi thesaurum amicorum, qui ipsum & liberos, si quos habet, poterunt aliquando adiutum ire. Pueri enim, qui ab ipso solerter informantur, ad summas perueniunt sæpe dignitates, postquam cursum studiorum suorum absoluerunt. Tum primi præceptores illis hærent in visceribus, & ipsorum liberi sentiunt auram aliquam fauoris. Hîc non ab re fuerit inserere consilium Clenardi de ratione docendi atque discendi fundamenta linguæ Latinæ.

NICO

NICOLAVS CLENARDVS IOANNI VASÆO S. P. D.

Mihi res videtur longè facillima, pueros analphabetos in tua familia intra annum eò perduci, vt quotidiana sonent Latinè, & audiendis lectionibus Latinis sint idonei: De iis loquor, quæ anoequi captum pueri non excedant. Quanquam quis est adeò obscurus author, vnde puer nihil excerpat nec necesse est vel me totam Ciceronis assequi paginam? Principio ipso die discat, *a b c d e f g h i k*, & eas litteras pingat: alio die *l m n o p q r s t v x z* & eas pingat. tertio die vocales quinque, *a e i o v*, vocalis Græca *y*. Diphthongi quatuor, *æ œ au eu*, ... est. Deinde syllaba *vocatur*: Dictio, *vocales quinque diphthongi quatuor*. Hæc dum inculcantur, puer suaptè natura concipit, quid sit *litera*, quid *vocalis*, quid *syllaba*. Numero prolatis digitis *vocales quot sunt syllabæ tres*. Deinde, *vocales quot sunt literæ? Septem*. Nec necesse est vt scias, syllaba est minima pars vocis compositæ, & cæteras ineptias, & dispendia. Atque hæc omnia perpetuò Latinè sunt agenda, etiamsi non intelligant: nutibus & gestibus aliquid diuinando consequentur, reliqua ignorent, nec tamen vapulent. Primo statim die Carboni chartam obieci sic scriptam:

Vocales quinque, *a e i o v*.

Alio die alteram chartulam.

Literæ consonantes, b c d f g h k l m n p q r s t u x z. Deinde cùm irem cubitum, dicebam Latinè: *Vocalis cum consonante facit syllabam, ba be bi bo bu, ca ce ci co cu* nec vnquam quicquam declaraui vernacula lingua.

Sit hic labor hebdomadæ ad summum. Interim tamen admota manu capiti dicebam *caput, calua, oculus*, & ita singulis diebus vocabula aliqua in libellum referebam. Et inter vestiendum: *Heus Sebastiane cedò mihi ...*, monstrato cantharo. *Effunde, & fer recentem.* Ipse effundebam potius, quàm vt dicerem quod ignorabam, hoc est vernaculum. *... pectinem*, digitis comendi capitis ostendebam signa. Iam dudum assequeris quæ velim.

Sequitur secunda hebdomada.

Prima declinatio.

a æ æ am a a } *Musa.*
æ arum is as æ is

In interioriore manu dicebam, *a æ æ am a a.*

Exteriore. *æ arum is as æ is.*

Deinde aptabam, *sa sæ sæ*: ita vt biduum occuparetur in vna voce *Musa*.

Casus sex.

Nominatiuus.
Genitiuus.
Datiuus.
Accusatiuus.
Vocatiuus.
Ablatiuus.

Sit hoc ante prandium sonandum prolatis digitis, & manu tam interiore, quam exteriore.

Sequenti die.

Numeri duo.

Singularis. } id versâ manu significabam.
Pluralis.

Cœnanti, prandenti, eunti ad lectum, surgenti, semper occinebat *musa, musæ, ...* Nec dum scit, quid sibi *casus* velint, quid *numerus*. Post aliquot dies vbi audierit, *Cedò mihi mappam*, & *Hæc est sordida mappa*: tum dices, *isti sunt casus, mappa, mappam*; aliquando dicimus *mappam*, aliquando *mappa*; sed postea id intelliges.

Deinde.

Prima declinatio habet vnam terminationem, nempe *a*, id legat, nec intelligat.

Fortè miraris, quî possit legere. Multa colligit puer vno terendo vocabulo, *musa musæ musam*. Deinde dum hactenus tam paucæ voces occurrerint, *Vocales quinque Consonantes, Diphthongi quatuor, Syllaba, Dictio, &c* dum octo aut nouem diebus sic inculcantur, & per domum resonant, sonus ipse adiuuat, & præterea, quòd nulla dies omittenda sit, quæ non scribentem & pingentem occupet, omnino condiscit legendi vias. Et vt non sit expeditus lector tamen dum memoriter declinat. *Musa*, mihi satisfactum est. Scis, quomodo docere solebam Hebraica, post tertiam statim lectionem discebatur *Pakad*: quod si legere queat discipulus, & præsentem semper lectionem quorsum attinet multas horas perdere in legendo?

Casus & numeros cur post declinationem posuerim, iam vides: faciliùs enim consequuntur, quid sit casus, vbi nomen vnum in digitis declinando posuerint. Semper ita docendum est, vt nihil pendeat ex sequentibus; sed quæ iam tenuerint, ... adstrant præsenti lectioni. Quare id ipsum, *vnam esse terminationem primæ Declinationis*, volo vt legant modo, etsi non intelligant. Cæterùm vbi absoluerint secundam Declinationem, & tum adscripseris, *quinque esse terminationes, us, um, er, ir, ur*, tum demum olfacient, & tum in ingressu tertiæ declinationis licebit scribere: *Tertia declinatio habet multas terminationes.*

Secunda declinatio.

Us i o um e o } *Dominus.*
i orum is os i is.

Um i o um um o } *Templum.*
a orum is a a is

Nomina in um sunt generis neutrius.

Neutra habent tres casus similes, in vtroque numero, nominatiuum, accusatiuum, & vocatiuum.

Hi casus in plurali numero semper desinunt in a. Hæc legant, & digito monstretur in figura tres casus similes, *um um um, a a a, templum, templum, templum*, id fieri non potest, quin obiter discant, quid significet vox *similes*. *Sebastiane, quando ..., est nomen neutrum, semper tres casus sunt similes. Vide, quia, e, Dominus est nomen ... Non, Dominus. Quare? Us, um, e.* Iam puer sæpiùs audiuit has voces, Nomen, Declinatio, Declina, &c. Vbi incœperit coniugare verba, somniabit nomina declinari, verba coniugari.

Sed pergamus.

Genera tria.
Masculinum.
Fœmininum.
Neutrum.

Hîc obiter discit legere diphthongum *æ*, tanquam *e*, & non per duas syllabas, *a e*.

Nomina in us secundæ declinationis sunt masculina, vt Dominus

Nomina primæ in a sunt fœmina, vt Musa

Nomina secundæ in um sunt neutra, vt Templum.

Iam hoc vtcunque capere potest; si minus, aliquot post diebus intelliget.

Sed heus, Vasæe, caue ne puerum oneres articulis, *hic, hæc, hoc*. Mei ne somniarunt quidem hactenus quicquam articulorum: tantùm prolatis digitis dicunt, *Musa, Musæ*: nec nominant aut casus aut numeros; manus ipsa loquitur.

ER.

Er i o um er o } *Faber.*
i orum is os i is

ER. *crescens.*

Er eri ero erum er ero } *Puer.*
eri erorum eris eros eri eris

Carbo. Quid placet Domine? Puer quot sunt syllabæ? Due, Duæ, duæ. Pueri quot sunt? Tres, Tres, tres. Sic obiter corrigo, nec causas addo, vt condiscant, aliquando sic, aliàs sic loquendum esse, i. e crescere. *Nonne iam es magnus? et cùm esses in terra tua, eras paruus? Etiam Domine. Iam creuisti. Sic puer habet duas syllabas, pueri tres: ergo crescit. Intelligis? Etiam Domine. Magister, quot syllabæ? Tres. Magistri quot? Tres. Crescit? Non Domine.* Collatione contrariorum res optimè discitur. Hactenus non curaui multitudinem exemplorum. Cæterùm *er* crescens vel non crescens, quod non tam latè patet, fermè omnia adieci exempla, aut præcepto catholico comprehendi, quod idem faciendum est in tertiâ declinatione, vt lingua & aures his vocibus assuescant. Quæ si multæ sunt, multitudine ipsâ præceptum discipulo insinuant; sin paucæ, ipso in loco declinatio earum discitur.

Ir iri iro irum ir iro } *Vir, Leuir, Treuir.*
iri irorum iris iros iri iris

ur uri uro urum ur uro } *Satur.*
uri urorum uris uros uri uris

Secunda declinatio habet quinque terminationes, us um er ir ur.

Hîc fortè obiter accipit, *que* valere *que*. Ante forte non occurrit, & abbreuiationes principio fugiendæ sunt.

Reliqua secundæ declinationis omnia omittantur.

Quomodo gustum dabimus adiectiui & substantiui.

Nomen duplex.

Adiectiuum & substantiuum.

Adiectiua.

Bonus, bona, bonum.
Malus, mala, malum.
Magnus, magna, magnum.
Paruus, parua, paruum.

Dono hîc grandem syluam nominum adiectiuorum, semper addendo contrarium, quod obiter facit ad discendam vocis significationem. Quamuis enim dum traditur Grammatica, nihil omnino curandum est de vocis significatione; tamen si citra dispendium institutionis propositæ iuuetur discipulus, arripienda est occasio. Ponenda, inquam, sunt adiectiua plurima, ea præsertim, quæ suspicaris puerum iam aliquoties audisse intra tantillum tempus. Hæc sic doceo: cùm licet dicere, *bonus equus, malus equus, magnus equus, paruus equus*, id quod manet iunctum variis nominibus, est adiectiuum, vt *bonus equus, bonus dominus, bonus caseus, &c.* Reliqua quibus hæc adduntur,

adduntur, sunt substantiua, *equus, dominus*, *caseus*. Hæc dum multis exemplis tractantur, etsi perpetuò loquare Latinè, puer tamen per se vernaculam linguam imaginatur, & colligit, quid *adiectiuum*, quid *substantiuum*.

Adiectiua in us declinantur, vt dominus.
Adiunctiua in a, vt musa.
Adiectiua in um, vt templum.
Deinde pono & adiectiua in er,
Asper aspera asperum.
Prosper prospera prosperum.

Nec laboro, vt adiunctiuum cum substantiuo declinet, præsertim si habeant diuersos exitus, quale foret *bonus puer*; nam turbantur in re non necessaria. Sed parce Vasæe, quod tam diu sim inter pascasios & analphabeticos, quasi tu hæc ignores. Sed quia sic voluisti, ineptiui potiùs quàm nihil scriberem. Mitto ad te Grammaticam vnam Æthiopicam, iam olim à coquo meo inceptam & descriptam ex libello meo quem eis tradebam. Non est integra, sed inde licebit coniecturam facere. Ausim polliceri, si tu eam sic rudi figura perfeceris, & bono ordine rem oculis etiam obieceris, fore vt intra trimestre hic discipulus optimè declinet & coniuget. Interea dum hæc discit, singulis diebus, vt dixi, exerceat se pingendo. Et nullus dies prætermittatur, quin vocabula aliqua condiscat, partes hominis, res culinarias, & quæ in domo, foro, templo, agroque sunt obuia, hoc est, quotidiana ista. Ea credo nouerit ante mensem vnum Nam singulis diebus distinctis horis nunc legat, nunc pingat, nunc lectionem & vocabula cantillet, & iocus sit, non labor.

Vbi hæc quotidiana vocabula conscripta fuerint, & iustus iam videatur numerus, in eodem libello pergamus ad oratiunculas quotidianas.

Heus Sebastiane. Quid placet, domine?
Vbi est Michaël? Iuit aquatum.
Quid agit Nigrinus? Studet, scribit, parat focum.
Estne Gulielmus domi? Non, domine.
Quonam abyt? Iuit ad forum.
Quid eò? Emptum pisces.

Hæc paucis primùm constent verbis, & legant modò, vsu discent & dicent memoriter. Quanquam omnino consultum est, vt simulátque sic satis legere norint, singulis diebus exerceant memoriam in huiusmodi dialogulis, qui contineant quamuis materiam domesticam & puerilem. Cùm tibi tam multi sint vtcunque prouecti discipuli, curabis, vt tu his rudimentariis modò studiorum rationem præscribas, & vnam tantùm horam, quæ alioqui tibi periret, eis impendas. Prouectiores autem tres aut quatuor quotidie in orbem cum illis puerulis ludant, & audiant eos declinantes, sicut quod alij facere queant, tu ne subeas. Id maioribus quoque lucro erit, vt rationem docendi condiscant. Cæterùm cura, vt vsu potiùs discant quàm ratione. Verbi gratia, in tertia declinatione sic dico: *a, atis, neutrum. Declina, Carbo, Dogma, Dogma dogmatis, dogmati, &c.* semper ipse eis dico genitiuum, nec tento an iam sciãt: verùm adeò crebrò declinabũt, vt tandem imprudẽtes in genitiuum incidant. Itaque de accusatiuo in *im*, ablatiuo in *e* & *i*, genitiuo plurali in *um* & *ium*, non eos volo torqueri, sed ipse inter declinandum succurro. Vbi biennium fuerint versati in literis latinis, tum demum suopte studio legent grandes istos grammaticos, aut certè eis opus non habebunt: ipsi enim canones sibi ex vsu auctorum formabunt. In dialogis multa obiter discuntur, vt verbi gratia, *numeri*.

Quota est hora?
Prima, secunda, tertia, &c.
Quot ibi sunt homines?
Decem, viginti, triginta.

In verbis primæ coniugationis, præter ea quæ regula vniuersali comprehenduntur, semper addo omnia composita, hoc pacto.

Sto, steti, statum.
Adsto, adstiti, adstitum.
Consto, resto, præsto, prosto, disto, insto.

Sic in tertiâ & quartâ coniugatione & secundâ, vbi certus est numerus, nec præceptum est generale.

Nullum enim præceptum pono in tertiâ coniugatione, sed hoc pacto pono terminationes.

Cio.
Facio, feci, factum.
Conficio, confeci, confectum.
Afficio, perficio.

Quare præpositiones pono statim post nomina.

XXX. *Accusatiuum regunt.*
XV. *ablatiuum.*
IV. *vtrumque casum.*

Iam sciunt dicendum: *Gulielmus iuit ad forum*, quia *ad* regit accusatiuum. Nec dum sciunt, quid sit comparatiuus, tamen in nominibus in *or* posui comparatiua or oris, doctior, melior, vt declinent. Sic & verbalia in io, vt auctio, natio, factio, &c. Postea eos titulos intelligent. Mei iam multis mensibus à me negliguntur, eò perducti sunt, vt intelligant dominum: nec multum iam curo, sui aliis occupatior, quàm vt eos multum respicerem. Peruenerant vsque ad tertiam coniugationem, fortè aliquid fiet Braccaræ.

Tu nihil de passiuis verbis tradas, nisi omnibus absolutis couiugationibus, tum de passiuis agendum simul & deponentibus in or.

Post verba tradenda pronomina nec sciunt quid primitiuum, quid deriuatiuum, Demonstratiuum &c. tantum declinent.

Aduerbia, coniunctionesque vsu discant.

Sequitur syntaxis, cuius caput primum de adiectiuo & substantiuo trado statim post secundam Declinationem. De verbo actiuo cum accusatiuo intelligent, vbi scient imperfectum esse *comedo*, nisi addas *panem*, *carnes*, &c.

Comparatiuus ablatiuum regit: superlatiuus genitiuum. Duorum substantiuorum alterum semper sit genitiuus, duorum verborum alterum infinitiuus.

Hæc pauca sufficiant. Nam quæ adiectiua genitiuo gaudeant, quæ ablatiuo, in dialogis obiter discent, vbi eò perducti fuerint, vt ipsi obseruare incipiant verba & nomina, quæ Catholicis præceptis non continentur, alia alios postulare casus, vt vescor, fruor, vtor, ablatiuo &c.

Si hoc pacto puerum instituas, ante sex menses communia nouerit capita totius Grammaticæ. Et interim in dialogis cum profectum habuerit, vt multa norit garrire Latinè.

Sequitur anni pars posterior, quo putarem illi nihil perire, si lectioni publicæ Terentianæ interesset, non quod totam assequeretur, sed dum te audiret copiosè disserentem, *Vos isthæc intro auferte*, multa, credo, intelligeret. Simo pater familias seruos astantes alloquitur, iacebant pro foribus aut ligna, au nescio quæ sarcinæ, aut onera, iratus dominus & stomachosior in pigros, desides & negligentes somnolentosque seruos, *Vos* inquit, serui quid ista sic relinquitis pro foribus & ante ostium? *Auferte*, hoc est, asportate, *intro*, hoc est, in domum, *isthæc*, hoc est, ista onera. Puer sex mensibus in familiâ tuâ versatus, nihil huius enarrationis assequeretur? Perge. *Auferte*, imperatiuus ab *Aufero*, regit accusatiuum: Isthæc dicunt poëtæ pro *ista intrò* aduerbium locale &c. Alia quæ adferes auditoribus, non assequetur Quid tum? adhuc tenellus est, & dies diem docebit. Quàm mirabantur, quod D. Ludouico enarrarem Liuium! Et tamen res processit pulcherrimè. Tibi quoque dextra erunt omnia, si modò Salmaticensium mores caueris, qui si difficilis locus occurrat, ibi neruos explicare student, & sui miraculum apud plebeculam facere. Tu pueri modo dicito, non potes iam assequi.

Interea tamen hic puer domi habebit sua studia in Dialogis legendis & pingendis. Quos si adhibitâ etiam curâ conscripseris, fieri queat, vt nulla sit vox Latina, quin ante finem primi anni ab hoc puero sit sæpius lecta, scripta, audita, & bene detrita. Quomodo, quæso? Principio nomina poëtica, fluminum, herbarum, montium &c omitto, & antiqua præterea vocabula. Deinde in his dialogis, etsi argumenta erunt aliarum rerum potes tamen subinde Grammaticum simul agere, & Dialogi rem agere. Verbi gratiâ, Forte concluditur Dialogus, hoc est, pagina vna (nam nolo te splendidè hîc laborare) *Dialogos* voco confabulationes quauis de re, & sunt singulæ paginæ quandoque Dialogi, vt res sese tulerit, semper positis in frontispicio personis discipulorum tuorum, non eorum modo qui hæc discant, sed quorumlibet, quicquid noui vel tibi vel Cæsari ipsi contigerit, inde fiat colloquium paruulum (si modo captum discipulorum non excedat.) Esto ergo, sit finis dialogi ista. *Faciam quicquid iusseris.* Ingredere hîc occasionem vt discant composita verbi *Facio*, & sic digere, vt alter nominet ipsum compositum, alter orationem ex eo descriptam reddat,

Carbo. Nigrinus.
Placétne excutere composita verbi Facio?
Perplacet, tu praito. subseruiam ego pro virili.
Afficio.
Rex me affecit summo honore.
Si id commiseris, afficieris maximo dedecore.

Expende sic omnia composita & dialogos sic conscriptos saltem creberrimè legant, haud aliter atque nos horas canonicas.

Iam verò volo, vt etiam datâ operâ certa quædam verba cum suis compositis deligas, & sic cum vno atque altero exemplo scribas: tandem minuetur lexicon, & pauca relinquentur, quæ tuus non ceperit discipulus. Deinde hoc pacto quandoque, vt facit cornucopiæ, nominando omnia quæ à themate deducuntur.

Michaël. Sebastianus.
Quid gignit amo?
Amo, amans, amaturus, amabilis, amandus, amor, amicitia, amicus, amica.

Rude est exemplum: sed vides, ita sensim fieri, vt recto adhibito iudicio, totam linguam latinam, & bonam eius vtẽdæ partem, in hunc Dialogorum librũ possis conferre, ne discipulo annum vnum sic exercitato multa possint obiici noua.

Præterea

Præterea ratio illa copiæ, tradendo orationem ex oratione, etiam hic locum habeat præsertim si videantur aliqua esse vocabula, quæ alia ratione infulciri nequeant. Id fit, vt scis, vel vt ipse orationem fingas hoc modo. *Confer ac te dominum. Contulit in me plurima beneficia. Plurimum de me meritus est.* &c aut nectendo sententias auctorum & adagia *Omnia vincit amor, & nos cedamus amori. Non omnia possumus omnes. Vt possumus, quando, vt volumus, non licet*, &c. hæc varietas etiam grata est. Postremò vbi iam omnes rationes pertractaueris, capiam *Lexicon Nebrissensis*, & decursis ordine vocibus si quam forte puer nec tum audierit, aut etiam si audierit, modò eius occasione oratio elegans emergat, eam ordine alphabeti describam, & item reliquas omnes, & ne fastidium fiat, literam A ponam. Deinde aliquos nouos adiiciam Dialogos, postea B. &c. Non enim necesse est, te graue & serium argumentum ad finem vsque perducere, Erasmico more, sed tantùm vsum doces linguæ Latinæ.

Proximum annum si sic animi causa impenderis istis analphabeticis, totam linguam Latinam paruo libello & vtili concluseris. Et quia forte vereris, ne in longum excrescat: principio quis longus debet censeri liber, si vnus modò à discipulo tractandus est? Deinde, quando pingendo, legendo, & audiendo hic liber sic decantabitur inter eorum manus, licebit subinde expungere, si qua sæpiùs eadem occurrant, ac in eorum locum alia substituere. Quanquam quid periculi, si eadem crebrò in libro eodem cõpareat? Licebit adiecto aduerb. aut actiuo verso in passiuum, saltem faciem orationis mutare.

Aliud restat. Vnus hic libellus omnium instar erit, qui quidem ad linguam Latinam attinet. Itaque non solùm legendus est, sed tanquam iustus auctor habendus. Et quemadmodum scriptores cæteros legimus, & arreptâ voculâ quapiam, inde comminiscimur aliquot orationes, ita cùm lubebit tibi remittere animum, legatur ex hoc libello pagina vna. Et si qua vox rarior occurrat, tractetur bene, & viuâ voce ibi pensetur: quod fortè non sæpius insit in libello.

Egregium cerno fructum, mi Vasæe, & forte multis vtilem laborem, si velis aliquid hic adhibere diligentiæ vt eadem fideliâ non duos dealbes parietes, sed multos, vnus tibi libellus suppeditet linguam Latinam vniuersam, insignes authorum sententias, adagia innumera, copiam orationis, insignium virtutum & vitiorum definitiones, & postremò quod tibi & multis aliis queat esse vsui, vt in promptu à primis statim annis discamus, ne profecti hæreamus in quantitate syllabarum. Mihi vsu venit, si quando nugor, vt afflatum Apollinis perdam, dum non occurrit carmen poëtæ, & video Grammaticos, A ante V corripitur, &c. Itaque nuper, dum insanirem defuncto Erasmo, animus erat semel mensem vnum elaborare, hæsitanti perpetuum parare remedium, sed alia cura interpellauit. Et si à me alienum est istâ iam ætate, tamen animus erit nisi tu peruerteris, auxilio meorum Æthiopum illud laboris capessere. Sed ordine ad singula.

Multis viris displicet ex authoribus insignes locos qui sententias graues continent, seligere, & in eis legendis operam ponere, propterea quòd apud eos ipsos authores huiusmodi rectiùs intelliguntur, meliùs discuntur, quàm si quis ex multis authoribus grandem sibi paret farraginem. Eiusdem sum & ipse propemodum sententiæ. Cæterum & apud Græcos non defuerunt qui scriberent γνώμας. Et longè optimũ arbitrarer, si quis ita disceret linguam Latinam, vt quem vsum vocis accipit, puer oratione alioqui inani, ipsum ferret ex huiusmodi oratione, quæ præter significationem vocabuli etiam moneret aliquid, vt sunt adagia, apophthegmata, & similia, vbi est vel historia, vel fabula, vel tale quippiam. Occurit illud mihi Ciceronis: *Nullum est officium tam sanctum atque solemne, quod non auaritia comminuere atque violare soleat.* Infulciatur alicubi in dialogis occasione vocis *violo*, aut cuiusuis alterius. Ita quicquid insigne est & illustre, per occasionem interseratur. Cum enim pueri sint tenacissimâ memoriâ, à primis annis ea imbibant, quæ nos postea senes vix magno labore discimus. Legimus totum Terentium nec quicquam postea meminimus, quàm eiusmodi locos insignes, qui si num minus eleganter scripti sunt, aut etiam elegantiùs, præstare opinor, vt tuus iste libellus horum sit plenissimus, etiamsi excrescat plurimùm. Itaque clausulas Valerii Maximi, & quicquid in Tragico Seneca, in Cicerone, Plinio, & cæteris classis authoribus memorabile sit, quando suspicor te subductâ lineâ in codicibus tuis illustrasse, ordine minister tuus exscribat, tu deinde pro tuo iudicio ex eo collectario in locum aliquem dialogici libelli referas aut libellorum. quid enim periculi, si in multos tomulos annus vnus excrescat?

Iam etsi primo anno non facies versificatorem, tamen velim te ex omnibus poëtis eos versiculos eligere, qui præterquam quòd sententiam continent, aut historiam, aliquid dignum memoriâ, eam etiam contineant vocem, cuius quantitas canonibus generalibus non continetur. *Cædimus inque vicem, præbemus crura sagittis*. fermè sex locis aptari potest. Multa Horatius, plurima præbebit Ouidius. Quod si ordine alphabetico feceris, tibi etiam nunc grandæuo poterit esse vsui, si sparsim immittas velit nolit puer, infiget memoriæ.

Et quia tam varias rationes colligo, vt spatio annuo Latinum vtcunque reddamus discipulum, & vnum in librum totam volumus congerere linguam: cur etiam non hoc postremò addimus vt congestis hinc inde authorum dictis, titulos aliquot vberes de virtutibus & vitiis more Valerii, & de rebus aliis contingamus? De *Patria*, de *Principatu*, de *Medicis*, de *Philosophis*, de *Pauperibus*, *Diuitibus*, *Regibus*, *Hebreis*, &c. Exempli causâ.

Diuitiæ.

Res, non lu eris

In pretio pretium nunc est, dat census honores.
Census amicitias, pauper vbique iacet.
Donec eris felix, multos numerabis amicos.
Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Et item alia quæ eodem pertinent.

Patria.

Nescio qua natale solum dulcedine cunctos
Detinet &c.

Videor tibi forte nimius, sed tu seligendi debes esse arbiter, Vasæe, simulque cogitare, tum quod nihil offecerit, si quædam sub anni exitum iam dialogicus codex contineat, quæ non plane intelliguntur, tum verò sensim eò puerum deducendum, vt exercitio discipulorum grandium assuefiat, quos grandes & ipse quotidie, præter pensum studiorum sic exercere potes, vt & ipsi collectarium habeant sententiarum quæ pluribus constent verbis, qualia fuerint carmina aliquot ex Iuuenale, aut comparatio quæpiam speciosior, vt illa.

Ac veluti in populo, in 1. Æneid. de ventis. Item reddenda quotidie sex aut septem adagia, & sensus eorum verbis paucis memoriter reddendus, de qua re nuper tibi scripseram.

Omnino supra opinionem res tibi succedet, si modò piaculum sit domi tuæ audire voces vernaculas, & quemadmodum antea monui, aliquot è grandioribus tibi velut hypodidascalos feceris, vt vicibus in orbem euntibus nemo docendo aut audiendo grauetur, & analphabetici tamen isti nullas habeant horas vacuas, quin ea vel legant præsente quopiam, aut scribant, aut commendent memoriæ aut cum Latinis colludant.

Vellem vt hanc rationem publicè susciperes, non inuitatis auditoribus, sed vt collectis aliquot etiam rudibus & grandioribus natu, qui se obsequentes præberent, eos vna cum domesticis instituere, fortè perspecto tam eximio fructu, plures vltrò confluerent. Id modò te oro, ne pudeat ad hæc in speciem minima descendere, & potiùs omnia Græca posthabeto, etiam domi, vt ais, fortè tradenda. Sis Pascasiorum totus, donec finem videamus futuræ cathedræ, &c. Puto iam satis ineptiui, ignosce Vasæe, cupiueram heri absoluere epistolam, sed Pascasij me prolixum fecerunt. Vnum addam, præcipuè curandum vt situ & ordine scriptarum rerum oculis quoque gratus sis, h. e. in Dialogis omnem responsionem semper in nouo versu colloces hoc pacto.

Quid ais? *Vbi est Gulielmus?*
Studeo *Nescio Domine.*

Mitto ad te principem Dialogorum Æthiopicorum, vnde simul & rem & ordinem agnosces. Ea res tantum habet momenti, vt bonus alioqui liber planè damnari debeat. Scripseram quondam tabulam Hebraicam, tabulam, inquam, non iustam Grammaticam, quod & typi minores deessent, & Campensem nollem videri emendare, etiam sic disposueram, vt mirificè iuuaret memoriam. Modo vidi eam sic impressam Parisiis, dum typographi chartæ compendium sequuntur, vt meritò doctis omnibus meus labor displiceat. Sit iam tandem finis fabulæ. Imo adhuc vnum restat: magnopere conducere ad faciendam fidem huius institutionis tuæ, si quem nancisci queas puerum, non qui adhuc Grammaticam ignoret, sed qui ne literam quidem viderit, quales ego accepi Æthiopes, & cum sic instituas, vt anno primò iam legat & pingat expeditè, loquatur & intelligat sic Latinè, vt illos longè superet, qui trennium istic artem audiuerint Nebrissensis. Non debes Græcè docere in gratiam mearum institutionum, quando eam lectionem non debes, velim totus, vt dixi, sis Pascasiorum, etiam priuatim, & omnem lapidem contra aquilam moueas. Rhetorica si quando exire debebit, summopere adlabora, vt noua præcepta, & in vniuersum quicquid ad præceptum aliud, aut aliam conditionem pertinet, occupet principium versus: nam id valde facit ad perspicuitatem docendi. Satis apertè & simpliciter, imo rusticè tibi depingo, quæ mihi ad iuuentutis rectam institutionem conducere videntur. At velim te nostra non sic aliis tradere, fortè nriderent. &c. quando istis istic diis nihil placet, nisi quod specie commendetur.

V. *Præfectus quintæ clasis meminerit quinque esse partes officii sui.* Ratio quintæ classis quæ?

PRincipiò cogitabit, Latinum sermonem in hac ætate, cui præpositus est, efflorescere: maturescere in superioribus gradibus. Itaq; facultatem inflectẽdi nomina & verba inchoatam in sextâ curiâ cõfirmabit: additis præceptis Grãmaticæ Latinæ

tinæ paucissimis. Confirmabit etiã elemẽta Catechetica, quæ pueri didicerũt. *Deinde* dabit operam, vt pueri sibi comparent copiam vocabulorum partim ex Nomenclaturâ, partim ex Terentio: & vt vnam phrasin discant variare Grammaticè. Vide suprà istius exercitij modum, in Grammaticis. Hîc necesse est, vt omnia peragantur clarâ & distinctâ voce: recitatio vocabulorum, lectio Terentij, & variatio Grammatica, vt non solùm omnes rectè auscultare, sed alij alios etiam, si opus sit, emendare possint. *Tertiò* iaciet fundamenta linguæ Græcæ, docendo alphabetum & paradigmata declinationum & coniugationum faciliora. Hîc rursus erit in promtu libellus paucarum pagellarum, in quo præter alphabetum, declinationes & coniugationes nihil contineatur. *Denique* docebit suos discipulos initia Musices & Arithmetices. Et ex Musicis quidem proponet alphabetum, id est, sex voces, claues, & interualla sonorum ex Arithmeticis quatuor, quas vocant, species.

Ratio quartæ classis quæ?

VI. *Præceptor quartæ classis meminerit quatuor esse partes officij sui.*

PRima ipsius cura erit, vt totum Terentium teneant pueri, ita vt singulorũ rationem ex Grammaticâ possint accuratè reddere. Habebunt hîc sua diaria, in quibus notent phrases & sententias insigniores. *Deinde* ad imitationem Terentij dialogos facros similiaque exercitia vernacula præscribet: imperabit etiam versionem quarundam comœdiarum Terentij vernaculam. *Tertiò* Grammaticæ Græcæ præcepta iniunget: pauca tamen illa, vt infrà in Grammaticis indicabitur. *Quartò* discipuli hîc incipient canere, & quatuor speciebus Arithmeticis adiungent regulam de tri, & fractionum doctrinam.

Ratio tertiæ classis quæ?

VII. *Præpositus tertiæ classi quatuor partes officij sui hoc modo percurret.*

PRimò elementa rhetorica & poëtica iniunget suis discipulis. *Deinde* præcepta Grammaticæ Græcæ, quæ in quartâ classe sunt impressa, repetet, atque in Demosthene & Homero ipsorum vsum demonstrabit. In Homero dico: quia hunc poëtam principem, è Græcis tantùm prælegi iuuentuti videtur consultum. In hoc enim omnis totius Græciæ opes sunt reconditæ, si addas Demosthenem. Hîc opus est, vt in ephemeridibus notentur phrases & sententiæ Græcæ elegantiores. *Tertiò* exercitia Græca scribenda sunt, sed breuia: vix quatuor periodorum. *Quartò* praxis Musices & Arithmetices hîc plenè fuerit proponenda. Quærat hîc aliquis, cur Homerum Demostheni præmittendum esse censeamus? Huic talem comparatam volumus responsionem. Maiori cum voluptate librum primum Iliadis aut Odysseæ audient discipuli, quàm orationem aliquam ex Demosthene. Hoc igitur illice sunt inuitandi ad studium linguæ Græcæ: à quo non facilè aliquis liberandus est, nisi parentum voluntas aut ingenij ineptitudo aliquem excusauerit.

Ratio secundæ classis quæ?

VIII. *Duo sunt officia præceptoris secundæ classis*

PRimò vsum Rhetorices ac Poëtices monstrabit in epistolis & facilioribus orationibus Ciceronis, itemque facilioribus carminum generibus apud Horatium: & simul iniunget exercitia styli ad imitationem vtriusque. *Deinde* vsum Rhetorices & Poëtices monstrabit in Demosthene & Homero: & simul præscribet exercitia styli ad vtriusque imitationem. Musices & Arithmetices curâ hîc eadem, quæ in tertiâ classe.

Ratio primæ classis quæ?

IX. *Tria sunt officia præceptoris primæ classis.*

PRincipiò explicabit orationes Ciceronis & Demosthenis: & præscribet exercitia declamationum in vtrâque linguâ. *Deinde* proponet elementa Logica, & illorum vsum in oratoribus demonstrabit. *Tertiò* præscribet varia carminũ genera.

Officium pædagogearchæ quod?

X. *Pædagogearchæ officium respicit præceptores & discipulos classicos.*

PRæceptores hortabitur, vt κειμήλια & præclara illa deposita sibi commissa non perdant. Discipulos ita continebit in officio, vt quotidie classes visitet, diaria & libros inspiciat, examina solenniter procuret, promotiones discipulorum ἀφρόνως καὶ ἀπροσωπολήπτως promoueat, & vno verbo frænum disciplinæ ritè moderetur.

CAPVT VIII.

De Scholis publicis.

IN scholis publicis (quibus præest rector magnificus) proponitur certæ facultatis studium: vbi videbimus curricula, & modum curriculorum.

Curricula & veluti stadia hîc debent esse duo: ita quidem, vt primo triennio cursus philosophiæ absoluatur: reliquo tempore accedatur ad illam facultatem, in quâ Deo seruire est animus.

Modus in istis curriculis obseruandus absoluitur sex partibus: videlicet Lectione, Auscultatione, Scriptione, Repetitione, Declamatione, & Disputatione: idque vel in scholâ patria, vel in scholis exteris, quò pertinet peregrinatio.

REGVLÆ

I. *Duo curricula studiorum in scholâ publicâ sufficiunt.* Quot curricula schol[æ] publicæ quæ[?]

POstquã discipulus anno ætatis XV. emersit è scholis classicis, triennium adhuc impendet philosophicis: ita quidẽ, vt primo anno repetat, pleniusque addiscat artes organicas, id est, Rhetoricam, Logicam &c. iisque addat Mathesin. Sequenti anno ad Physicam & Metaphysicam adiiciet animum. Tertio percurret philosophiam practicam. Confer suprà *lib. 4. c. vlt.*

II. *Lectio gubernatur his regulis.* Lectio[nis] ratio [quæ?]

1. AVthores recentes methodici omnium primò legãtur. 2. Omnis disciplina tribus edisċatur impressionibus. Primò imprimãtur definitiones & distributiones: deinde regulæ: postremò controuersiæ. 3. In præceptis & regulis ediscendis legatur vnus aliquis author. Controuersiæ cognoscantur ex variis authoribus: è quibus alij sunt legendi de puncto ad punctum, qui nempe sunt probatiores & velut authentici: alij per indices tantùm. 4. Editiones librorum correctissimæ mundissimæ ac fermè recentissimæ emantur: & in iis comparetur memoria localis. 5. Collegium Gellianum instituatur: i. e. tale, in quo sex septémve conueniant, & in medium adferant ea, quæ de proposito loco communi ex variis authoribus enotarunt. 6. In lectione, & vniuersâ studiorum ratione discernantur ἔργα & πάρεργα. 7. Inter legendum doctrinalia discernantur ab oratoriis, res à verbis, præcepta à commentariis.

III. *Auscultationis maior est energia, quàm lectionis: si quidem doctor sit eruditus, methodicus, & fidus. Illius regulæ hæ sunt.* Auscultatio[nis ratio quæ?]

1. TRes præcipuè affectus requiruntur ab eo, qui cum fructu alios velit audire; admiratio, amor, vel odium. Odium dico propter aduersarios, quos audimus, & quorum vitia odimus. Amorem & admirationem dico propter res præclaras, quas audimus, & dona eorum, qui audiuntur. 2. Inter audiendum ea sunt annotanda, quæ habent genium, vel in ephemeridibus, vel in locis communibus. 3. Non solùm audiendi sunt præceptores in scholis, sed etiam plebeij: quia.

Πολλάκι καὶ κηπωρὸς ἀνὴρ μάλα καίρια εἶπεν:
Sæpe etiam est olitor valde opportuna locutus.

Item homines de foro, & omnino qui pollent experientiâ.

IV. *Scriptionis methodus gubernatur his regulis.* Scri[ptionis] rati[o]

1. SCribendum est sæpe pulchrè, iudiciosè. Sæpe; quia stylus est optimus discẽdi dicendique magister & effector. Pulchrè; quia literarum elegantia facit ad meliorem impressionem. Iudiciosè; quia non omnia sunt annotanda, sed gemmæ tantùm & flores, id est, insigniora: ita vt diaria & volumina locorum communium fint veluti placentæ conditæ ex omni deliciarum genere. 2. Loci communes adornentur iis in disciplinis, in quibus cupis excellere. 3. Loci communes, qui ordine tumultuario scribuntur in Aduersariis, Diariis, Memorialibus, & Ephemeridibus, in peregrinatione potiùs habebunt locum, quàm in studiis fixis, vt vocant. Ibi enim maius fuerit operæpretium, ordine methodico titulos digerere, & ad singulos locos annotare præcepta, regulas, & quæstiones.

V. *Repetitionis methodus hæc esto in scholâ publicâ.* Re[petitio]nis qui[s modus?]

1. REpetitio fit partim solitaria, partim socia. Ibi vnus tãtùm repetit, vel cursim, vel pressè: hic plures coniungunt suas operas. 2. Studiosus publicus diem partiatur in tria interualla: ita vt horis matutinis exerceat memoriam, & horis pomeridianis stylum & vocem, vesperi denique repetat ea, quæ toto die didicit. 3. Sub finem septimanæ instituatur repetitio hebdomadaria. Hic memineris ex 24. horis diei & noctis, octo studiis, totidem cibo & relaxationi, totidem denique somno tribuendas, exemplo Alphredi Britanniæ regis.

VI. *Methodus declamationis & disputationis hæc esto.* Mo[dus] de[clamationis] & dis[putatio]nis quis?

1. NIhil te scire statuas, quod nõ possis & declamãdo & disputãdo tractare. 2. Declamationes & disputationes debent

bent eſſe crebræ: Nam hæ ſunt cos linguæ, hæ ingenij. 3 Declamationes inſtituantur in collegiis priuatis, & auditoriis publ. diſputationes ſimiliter.

VII. *In peregrinatione obſeruare oportet finem & modum*

FInis peregrinationis continetur illo ſcito: *Meta peregrinationis eſt cognitio, cognitionis actio, actionis gloria eius, qui vniuerſam hanc vitam voluit eſſe peregrinationem ad verè vitalem vitam, & patriæ, quæ emiſit liberos, vt receptus ditatur melioribus, emolumentum.* Modus conſiſtit in itione, commoratione, & reditu. Itionis præceptum eſt, vt ſtudioſus diu multumque deliberet, adhibito ſuperiorum & amicorum conſilio, cur, quò, quando, quomodo, quamdiu, peregrinari debeat. Hic non ab re fuerit diligenter inſpicere tabulas geographicas, & commentaria ad illas: item conuerſari cum iis, qui loca varia iam ante perluſtrarunt, & ab iis diſcere quæ hinc inde ſint ἀξιοθέατα, ἀξιόλογα, ἀξιομνημόνευτα. Commorationis præceptum eſt, vt ſcias quamdiu vno loco ſit ſubſiſtendum: quomodo virorum magnorum conſuetudine poſſis vti: quæ denique ſint referenda in diarium ſeu ephemerides. Reditus lex eſt, vt reuerſi ex peregrinatione protinus exuamus omnem peregrinitatem, & nos approbemus viris magnis, vt iis conſtare poſſit de fructu peregrinationis. Vide infra Apodemicam.

VIII. *Ordo cuiuſque curriculi comprehendatur certo ſtudiorum typo & Kalendario.*

ORdinem rerum diſcendarum expreſſimus in curriculis: Ordo temporis in quolibet curriculo hic erit. Primò typus ſtudiorum erit in promtu: quem nolumus eſſe horarium, ſed diurnum, ita vt dies quilibet in tria maiora interualla diuidatur, de quibus ſuprà. Ideò autem typum horarium improbamus: quia ſi horis ſingulis ſingula tractentur ſtudia, mens diſcentis diſtrahitur. Deinde Kalendarium ſtudiorum requirimus, id eſt deſignationem temporis, quo ſtudium quodlibet poſſit abſolui. Pēdet autem iſta deſignatio partim à diſciplinæ prolixitate ac neceſſitate, partim à diſcentis temperamento. Atque hæc ſūt præcepta Didacticæ generalis & ſpecialis, quæ facilè poſſunt ad hanc vel illam ſcholam accommodari, habitâ ratione circumſtantiarum. Cur verò inquiat aliquis, hîc non diſſeritur de ſtudio philoſophiæ, theologiæ, iuriſprudentiæ, & medicinæ? Reſpond. Huiuſmodi tractatio pertinet ad præcognita cuiuſque facultatis: vt videre eſt ex Didacticâ *ſuprà lib.* 4. propoſitâ. Sed in pauca contrahamus, quæ hactenus de ſcholaſticâ inſtitutione diximus, & quædam ampliùs illuſtremus.

I. De doctore ſcholæ in genere. 1. Vitam profeſſione ſuâ dignâ agat, bonoque & laudabili exemplo diſcipulis præluceat. 2. Peritus ſit eius rei, quam debet alios docere. 3. Quæ ſcit, ne diſcipulis ſuis neſciat. 4. Diſcipulos paterno amore complectatur. 5. Doceat perſpicuè, breuiter, & perfectè. 6. Diſcipulos ſuos commendet Deo ſeriis precibus. 7. Ne ſit ἀδηφάγος. 8. Mores & linguam diſcipulorum inprimis formet. 9. Exorbitantes corripiat & corrigat. 10. Hoc vnicè agat, vt diſcipulus præceptorem amet & reuereatur, non metuat vel oderit. 11. Diuerſis ingeniis ſe accommodet.

II. De diſcipulo in genere. 1. In conſpectu habeat nomen ſuum, locum in quo verſatur, tempus, & finem ſuorum parentum & eorum qui ſunt loco parentum. Nomen quod attinet, ſtudioſus eſt, & appellatur. Ergo nomini ſuo reſpondeat, & ſtudiis inuigilet. Deinde verſatur in loco, qui eſt officina pietatis & humanitatis, ſeu emporium virtutis ſapientiæ. Sic itaque verſetur in hoc loco, vt illum non contaminet. Porrò quia nihil eſt fugacius tempore, ne ſinat illud ſibi abire & perire abſque fructu. Denique parentes, & qui ſunt loco parentum, hoc ſpectant, vt filius in ſcholis optimum viaticum & theſaurum paret. Caueat itaque ille, ne ſpem de ſe conceptam fallat. 2. Det operam pietati & modeſtiæ. 3. Bonas literas amet. 4. Præceptores ſuos in pretio habeat, eoſque amore & affectu filiali proſequatur. 5. Diſcat in timore Dei cum diuini nominis & numinis inuocatione; animo attento; ſine tædio; ſine odio diſciplinæ & caſtigationis; ſemper & vbique; denique cum modeſtiâ, abſque δοξοσοφία. Itaque horam lectionis ſuo aduentu anticipet, in ſilētio attendat, nullo præiudicio occupetur &c.

III. De communicatione doctrinæ in genere. 1. Non niſi vnum vno tempore doceatur. 2. idque crebrò. 3. nec dimittatur, priuſquàm ſolidè ſit perceptum. Itaque nonniſi vnus author vnâ in re, & nonniſi vna materia vno die tractetur. 4. Omnia docentor per notiora. 5. Omnis ſuperfluitas vitetur. Itaque nihil peregrini admiſcetor, nihilque dediſcendum docetor, ſicut nec illud quod careat vſu. 6 Ne modus rei tractetur ante rem. Itaque ne præcepta proponantur ante materiam. Nam præcepta non tam dirigere debent, quàm confirmare. 7. Omne ſtudium in certa interualla diſtribuitor: ita vt vnum certum ſtudium quouis ſemeſtri, trimeſtri, vel bimeſtri conſtituatur, nec alia coniungantur, niſi quodpiam minùs principale quod tamen repetitioni potiùs rei priùs cognitæ, quam nouiter diſcendæ aſſignetur. 8. Notitia confuſa præcedat diſtinctam. 9 Vniuerſalia docentor in ſingularibus, totum in partibus. 10. Omnia ſpectent ad harmoniam. Intellige harmoniam non ſolùm linguarum, ſed etiam artium. v. gr. grammaticæ & rhetoricæ, grammaticæ, rethoricæ, & logicæ, logicæ & geometriæ, logicæ & metaphyſicæ; geometriæ & opticæ &c. 11. Magis neceſſaria, & faciliora priùs docentor. 12. Situs rei diſcendæ ornatè in libro diſpoſitus eſto. Quò pertinent elegantia typorum, munditiès chartæ, ſigna mnemonica, tituli & ſubtituli &c. 13. Præcepta ſcribantur neruosâ breuitate. 14. Omne tædium diligentiſſimè euitandum. 15. Prima repræſentatio, quæ fit intellectui, ſit accurata. 16 Omnia docentor abſque violentiâ: ſaluâ tamen adminiſtratione morum. 17. Recreatio honeſta ſit quotidiana. 18. Author in quolibet ſtudio ſit iucundus, & diſcipulo accommodatus. 19. Omnia ſic doceantur, vt diſcipulus ſtatim aliquem fructum percipiat. 20. Non omnia, quæ diſcenda ſunt, ſimul obiiciantur intellectui. 21. Prima ætas ſolo auditu diſcat, confirmatior verò & viſu & auditu. 22. Repetitio crebra non tantùm ſit continua, ſed etiam fiat per interualla. 23. Inſtitutionis initium à ſacris eſto. 24 Prima ætas vltra quadrantem horæ, confirmatior verò vltra horam in lectione ne detinetor. 25 Nulla hora negligitor. 26. Quotidie vltra quatuor horas lectiones ne habentor: quibus ſcil. vnus idemque diſcipulus interſit. 27. Varia recreationum genera inſtituuntor. 28. Horæ duæ prælegendo ne continuantor, præſertim à meridie. 29. Experientiæ nulla authoritas præiudicet, nec conſuetudo aut præconcepta opinio præualeat.

IV. De nomothesiâ ſcholaſticâ. 1. Leges non ſolùm ferantur diſcipulis, ſed etiam præceptoribus. 2. Præceptor doceat inſpector diſciplinam curet, adeoque det operam, vt leges executioni mandentur. 3. Legés ſcholaſticæ ſunt generales, vel ſpeciales: & rurſus aliæ ſunt de modo docendi & diſcendi, aliæ de moribus. 4. Cenſura morum ſit ſeuera, non ſæua.

V. De ſcholis vernaculis. 1. Hic doceantur pueri & puellæ catechiſmum, & linguam vernaculam legere ac ſcribere. 2 In ſcholis vernaculis paganis pueri à puellis per diſtinctas claſſes ſeparentur: in vrbibus diſtinctæ ſint ſcholæ puerorum & puellarum. 3. Liberi quinquennes mittantur in ſcholam vernaculam. 4. Omnes diſcipuli habeant exemplaria eiuſdem editionis, tum in catecheticis, tum in lectione linguæ vernaculæ. 5. Domi non legantur vlli libri præter eos, qui explicantur in ſcholâ 6. Librum partiatur præceptor in certas lectiones, vt ſciat diſcipulus, quàm breui poſſit abſoluere penſum. 7 Quælibet lectio clarâ voce recitetur à præceptore. 8. Horis matutinis diſcant pueri catecheſin & lectionem linguæ vernaculæ: à meridie diſcant pingere, & repetant lectiones matutinas. 9 In pingendo diſcernantur literæ fundamentales, vt vocant, ab ortis.

VI. De ſcholis claſſicis in genere. 1. Exercitium pietatis, vocis, cantus & ſcripturæ, itemque repetitio in omnibus claſſibus locum habeat. 2. Sex in vniuerſum claſſes ſunto: à quibus tres inferiores appellentur claſſes Grammaticæ, tres ſuperiores, Humanitatis. 3. Nulla claſſis obruitor multitudine lectionum. 4. Claſſis ſuperior confirmet ea, quæ ſunt propoſita in claſſe inferiori. Itaque ſubinde repetantur ea, quæ proximâ claſſe fuerunt propoſita. 5. Priùs quàm ad alia procedatur, tentandus eſt diſcipulus, an aſſecutus ſit nec ne, id, quod propoſitum fuit. 6. Diſcipulus nihil legat extra authorem, qui proponitur. 7. Præceptor nonniſi exemplis ex authore petitis doceat. 8. Ad quamuis linguam ſufficiunt tres libri: videl. author, grammatica, & Lexicon. Proponatur autem primò aliquis author, ex quo monſtretur ratio linguæ ignotæ, & quidem primùm in linguâ vernaculâ, pòſt in aliis linguis. 9 Termini Grammaticales ſint iidem in quibuſuis linguis. 10 Analyſis logica in linguis & diſciplinis eſt inutilis. 11. Analyſis rhetorica & grammatica ſit ſeuera. 12. Nulla lingua docetor ex Grammaticâ, ſed ex vno aliquo authore, eoque bono. Qui vbi probè fuerit cognitus, veniendum eſt ad præcepta Grammatica. Nam ita eſt, vt ad *num* 3. diximus, præcepta non tam dirigere, quàm confirmare debent. Cæterùm intelligimus hîc nomine Grammaticæ, plenum ſyſtema, quantum ad etymologiam & ſyntaxin non verò elementale, quod continet alphabetum & paragdimata declinationum & coniugationum. 13. Claſſium diſtributio talis inſtituatur, vt ſingulis menſibus, vel certè bimeſtribus, aliquid certi perpetuò abſoluatur in ſingulis. Hoc autem facile fiet, ſi iuxta præſcriptum *canonis* 7. *num.* 3. quouis ſemeſtri certum quoddam ſtudium conſtituatur. 14. Verbera non tam ob ſtudia, quàm ob mores infligenda. 15 Repetitio diſcipuli ſolitaria, re non ſatis cognitâ, prohibita eſto 16. Non ſemper ſequendus eſt ordo præceptorum, prout in libro deſcriptus eſt. 17. Vniuerſa iuuentus ad ſcholam mittitor 18 Diſcipulus tardioris ingenij, diutiùs in vnâ claſſe relinquitor, donec ad aliam cum fructu tranſire queat. Id verò non erit moleſtum,

stum, si institutio sit liberalis, & nullo modo plagosa. 19. In classibus exerceatur potiùs memoria, quàm iudicium. 20. In singulis classibus omnes discipuli habeant exemplaria eiusdem editionis. 21. Domi non legantur vlli libri præter authorem, exceptis Bibliis.

VII. De scholis classicis in specie. 1. Puer incipiente anno octauo mittatur ad infimam classem Grammatices, & per reliquas ita ducatur, vt anno decimosexto appetente vel exeunte ad scholas publicas emittatur. 2. *In classe infimâ* siue sextâ præter exercitia communia, locum habeat institutio alphabetaria seu elementaria, paradigmatica, & vocabularia, hoc est, puer primò doceatur literas Latinas legere & pingere; deinde declinationes & coniugationes regulares discat, denique vocabula vsitatiora ex nomenclaturâ rhythmicâ memoriæ imprimat. Triplex itaque est stadium siue interuallum in hâc classe. 3. *In secundâ seu mediâ classe Grammatices*, quæ est quinta, primò proponatur Terentius: deinde Etymologia & Syntaxis Grammaticæ Latinæ accuratè discantur: tertiò variatio Grammatica fit instar omnium stili Grammatici exercitiorum: denique initia Musices monstrentur. 4. *In supremâ Grammatices classe*, quæ est ordine quarta, vsus præceptorum Grammaticæ Latinæ monstretur in prosâ, idque per analysin vnius Terentij, & genesin exercitiorum stili, ita vt è linguâ vernaculâ in Latinam, & vicissim è Latinâ in vernaculam aliquid quotidiè transferatur: deinde proponatur Elementale Græcum, ita vt doceantur ea, quæ pertinent ad lectionem & scriptionem linguæ Græcæ, itemque declinationes & coniugationes faciliores: denique initia Arithmeticæ adiungantur exercitio Musices. 5. *In infimâ classe Humanitati*, quæ est ordine tertia, proponantur Demosthenes, itemque Etymologia & Syntaxis linguæ Græcæ: deinde exercitia stili in versionibus accuratè vrgeantur: tertiò elementa Rhetoricæ & Poëticæ Latinæ discantur: denique Musica & Arithmetica pleniùs exerceantur. 6 *In mediâ Humanitatis classe*, quæ ordine est secunda, monstretur vsus Grammaticæ Græcæ analyticè in Demosthene, & syntheticè per exercitia stili: deinde vigeant exercitia poëtica & rethorica, inprimis in variatione: tum proponatur Cicero, & scribantur orationes Latinæ: denique Arithmetica fermè ad vmbilicum perducatur 7. *In supremâ humanitatis classe*, quæ est ordine prima, proponantur elementa Logica: deinde exponantur Demosthenes & Homerus in Græcis, Cicero, Virgilius & Horatius in Latinis: tum scribantur declamationes & varia carminum genera: denique Arithmeticæ imponatur colophon.

VIII. De scholis publicis. 1. Duo sunto curricula, ita nempe vt primum triennium impendatur philosophiæ: reliquum tempus facultati cui volumus nos addicere. 2. In singulis curriculis Lectio, Auscultatio, Scriptio, Repetitio, Declamatio, & Disputatio adhibeantur.

CAPVT IX.

De Ratione Academiarum.

PRÆCEPTA.

HÆc est ratio institutionis, quæ in scholis intermediis & supperioribus est eadem: sequitur iam ratio priuilegiorum, quæ Academiis sunt peculiaria.

Ea cernuntur in depositione, & quatuor gradibus, videl. Baccalaureatu, Magisterio, Licentiâ, & Doctoratu; in quibus spectatur δοκιμὴ, τελετὴ, καὶ τιμὴ id est, probatio, testificatio, & honor publicus.

REGVLÆ.

Gradus in Academiis cur instituti.

I. *Gradus honorum Academicorum maturo consilio à priscis fuerunt instituti.*

ETsi graduum Academicorũ institutum magnis viris ludicrâ aliquâ speciem, παιγνιώδη, pueriléque visum est habuisse: non tamen suâ caret ratione vel etiam fructu, si bene & legitimè procuretur, id est, si absit abusus, qui vitio quorundam ἀρχεγκεχώδων irrepsit: illorum dico doctorum, qui neglectâ publici officij sui & fidei, quam Academiæ dederunt, ratione, id vnum curant, vt ex promotionibus frequentibus ac tumultuariis potiùs quàm legitimis commoda sua promoueant, & ex dispendio publico suum faciant compendium. Sed quæ causa, dixerit quispiam, quòd huiusmodi gradus fuerint instituti? Tria potissimùm (ex mente Fr. Iunij in Academiâ) fuerunt in causâ. Primùm, vt studiosis industriis de perfunctò strenuè studiorum cursu darentur honorum præmia: secundum, vt aliis omnibus studiosis exemplo consuleretur: tertium, vt illâ publicâ & solenni Academiarum testificatione reibusp. caueretur. Primò enim iis, qui ritè absoluerunt studij sui cursum, dantur præmia illa honorum, quibus optima quæque delectantur ingenia. Demonstrant id puerorum igniculi, qui promotionibus classicis & encomiis præceptorum tanquam oleo quodam fouentur & aluntur. Demonstrant etiam iuuenum virorumque fortissimorum exempla, quorum animi publicis acclamationibus & plausibus afficiuntur. Neque solùm hæc honorum præmia conferuntur, sed etiam peculiaria commoda, videl. certa priuilegia, & officia tribuuntur. Nam personæ graduatæ (quas ita vocant) certis gaudent priuilegiis, & certa docendi officia illis deferuntur. Deinde quod viros illos doctos iuuat, id alios quoque exẽplo permouet Nam si alicuius diligentia publico iudicio literati confessus prædicetur, quis nisi stipes aut saxum non permoueatur exemplo? quis non inardescat cum Themistocle, vt trophæa Miltiadis labore ac diligentiâ æquet? quis non excitetur ad æmulationem illam vtilem, de quâ Hesiodus inquit, ἀγαθὴ δ' ἔρις ἥδε βροτοῖσι. Denique hoc modo consulitur reip. Nam gradus isti honorum legitimi sunt velut cancelli quidam dispositi, quibus continentur studiosi, vt à carceribus ad metam rectâ viâ compendioque grassentur. Sicut enim in pædagogæis pueritiæ consulitur, vt certis gradibus prouehantur discipuli classici: sic in Academiis distincta sunt curricula, quibus confectis probantur, & commodantur studiosi testimonio publico, quod magni faciunt resp. & principes, si quando aliquem ad publica debeant adhibere munia. Sed, inquis, hæc omnia commodissimè possent sine ceremoniis & symbolis apud Academicos vsitatis peragi? Resp. In rebus fermè omnibus, quæ publicam authoritatem desiderant, huiusmodi ceremoniæ adhiberi solent. Sic regum symbolum fuit diadema, imperatorum paludamentum, consulum & prætorum fasces, ædilium currus eburnei, centurionum vites, omnium in foro toga, militiæ baltheus cum gladio, & sexcẽta alia. Sic in Vet. Test plurimæ adhibitæ fuerunt ceremoniæ in functionibus ecclesiasticis. Nominatim Elias huismodi symbolum in Elisæum contulit, videl abollam propheticam, quâ vocationem eius obsignauit. Atque hæc per interualla ipsi sunt data. Neque tãtùm more atque consuetudine nitũtur symbola ista Academica: sed etiam suum habent vsum, quatenus iis aut dona functionesque designãtur, aut dignitates & priuilegia tribuuntur, aut vocatio & initiatio in eâ functione, cuius symbola tribuũtur, fit rata. Sic in Academicis gradibus liber notat habitum seu eruditionem, cathedra functionem & authoritatem, pileus & annulus dignitatem, osculum ac benedictio fausta vocationem & initiationem. Atquæ hæc omnia prosunt partim initiato, partim spectantibus, partim denique reip. toti. Nam & ille magis afficitur & confirmatur horum omnium sensu: & isti magis mouentur symbolis, quàm assâ & nudâ voce: & denique hæc confirmatur testificatione illâ publicâ de commoditate illorum hominum, quorum operam ad vtilitates publicas conducit adhiberi.

II. *Depositionis ritus & valde antiquus est, si res ipsa spectetur, & vtiliter adhiberi potest.* Dep nis nic & v qua

DEpositio scholastica est ritus, quo initiantur, qui primùm in Academias veniunt. Res ipsa profluxit ab Atheniensibus, vt *Iunius in suâ Academiâ, & Goclenius in Lexico philosophico* rectè annotant. Sed modus est recentior, qui è proximè superiorum seculorũ Academiis ad nostros Academicos peruenit. Nam, vt author est *Nazianzenus in orat. fun bri Basilij Magni*, solenni pompâ candidatus in balneum deducebatur, hoc modo. Postquam ille variis contentionibus exagitatus esset, disponebant se bini studiosi per interualla, qui candidato honoris ergò præibant. Cùm propriùs accessissent ad lauacrũ, clamore magno & exultationibus vtebãtur velut lymphatici. Tum promotor iubebat, ne progrederentur vlteriùs, sed ibi consisterent. Hîc pulsantibus aperiebantur fores, candidato iniiciebatur metus complosione, tandemque copia fiebat ingrediendi. Candidatus ex lauacro procedens excipiebatur à professoribus tanquam vnus de numero Academicorum, libertatis ac honoris particeps. Hæc autem omnia, teste Nazianzeno, directa fuerunt eò, vt in nouitiis illis reprimeretur spiritus & animi elatio, & vt statim ab initio tractabiliores & ad subiectionem aptiores redderentur. Atque hic quidem erat ritus depositionis Atticæ: à quâ quomodo recedat hodierna depositio, vel quid cum eâ commune habeat, docet *Goclenius d. l.* Vsum depositionis iam indicauimus, videl. initiationem Academicam. Lege, si placet, hanc in sententiam carmen Friderici Vvidebrami, quod sic habet.

DEPOSITIO SCHOLASTICA
Friderici Vvidebrami.

NE grauis offensus nugis scurrilibus hospes
Quærat, in hac cœna quid futilis histrio quæram,
Monstrosi pecoris ductor, monstrosior ipse:
Pauca locuturo placidas aduertite mentes.
Non miser è flamma parasitus fercula capto,

Aut

Aut stolidus tantum magnorum docta virorum
Insulsis salibus conuiuia condio Minus.
Functus at officij mandato munere, vultu
Ludicra dum simulo spectacula seria tracto;
Rectius, ac multi, qui ritu temporis huius
Optima proponunt foris, intus pessima condunt:
Mel quibus à labris, fel ab alto pectore manat.
Aut qui decipiunt pompis, minus inque recessu
Quam prima dederunt pro nissum fronte tegente:
Ferrea vix præstant, dum se pius aurea spondent.
Tecta sub hac etiam latitat sapientia veste.
Scilicet hæ laruæ cornutaque monstra feroces
Designant animos, effrenaque colla iuuentæ;
Quæ tandem ad frugem possint ratione reduci:
Vt domiti sapiant & munera debita præstent.
Insitiens iuuenis ludo ferulaque relicta;
Pulpita cum tyro contendit alta scholarum;
Multa mali secum contagia moribus adfert,
Cæcus, ineptus, iners, stolidus, temerarius, audax:
Et tamen impatiens & recta monentibus asper,
Contemptor legum, sciolus, quem plurimus vrget
Fastus, & inflati persuasio turgida ventris.
Iamque leuans cristas & comto vertice cirros,
Altius ingreditur, transuersaque crura reponens,
Se putat à cunctis spectari & dicier, hic est:
Securus pretij quo constet emenda farina;
Rara auis in templo, rarò auditoria cernens;
Crebriùs interea vini lustrare tabernas,
Et calcare forum solitus, cui pocula semper
Et cithara cordi, choreæ mollesque corollæ,
Aleaque & rubri chartacea symbola Regis.
Hæc vita est iuuenis, quem mens secura futuri
Atque ærumnarum mortalis nescia vitæ.
At rapidis contra flammis impulsa voluntas
Raptat in exitium; nisi mox exercita curis
Prima iuuentutis feruorem diluat ætas,
Stultitiamque frequens doctrinæ corrigat vsus.
Ergo rudimentis opus est, quædamque reatus
Signa fero, iuueni primis adhibenda sub annis:
Vt, qui ceu Phaëton conceperat æthera mente;
Iamque ferebatur pronis effusus habenis,
Arduus, elatus, semper sublimia spirans,
Depositus longeque gradu inferiore locatus,
Serpere discat humi, caudamque remittere supplex:
Ne volet ante diem, nondum crescentibus alis,
Verbis verberibus mentem mutare coactus.
Hic armis opus est, varijs opus instrumentis:
Huc directa mihi tota est quam tracto supellex:
Horrida materiæ similis, cui forma paratur,
Serra, dolabra, bidens, dens, claua, nouacula, pecten,
Cum terebra tornus, cum lima malleus, incus,
Rastraque cum rostris, cum furca & forcipe forpex.
His ego distortum nodoso robore truncum
Tondeo, tundo, seco, rado, lauo, leuigo, limo,
Scalpo, sculpo, scabo, fodio, tero, torno, terebro,
Diuido, compono, frico, dedolo, cado, recudo,
Si qua, dante Deo, tam crasso è stipite possim
Fingere Mercurium, & quod curuum est, ponere rectum.
Durior ista quidem teneris rasura videtur
Filiolis matrum, quàm quæ subtilibus istis
Conueniat merito dominastris debita: verùm
Hoc tyrocinium est; hæc sunt præludia tantùm
Alterius longè grauioris nempe palæstræ;
In qua, venturis omnes Deponimur annis,
Cùm, quæ ferre dolet, cogeris plurima ferre.
Tum verò quod nunc pateris, ludumque iocumque
Dixeris esse, præ vt quæ promet adultior ætas.
Hæc leuis & breuis est, & vix dolor vnius horæ:
Illa quoad viuis semper correctio durat,
Mille molesta modis, plagis obnoxia vitæ
Perpetuis, hominumque gradus extensa per omnes.
Sic tibi præceptor, si perges improbus esse,
Deponit cristas, iuncturus verbera verbis,
Praua refecturus, morum contagia donec
Exueris agrestem animum studioque frequenti,
Quas tibi proponet, perdiscas sedulus artes,
Traditus hinc templis legati voce ministri
Excutienda reus dabis abdita viscera cordis,
Occultas animæ iussus deponere sordes,
Vt mala cognoscas & cognita tollere discas.
His nisi parueris deponet cornua carcer,
Lictorumque manus, seu disciplina magistri
Vltima carnificis, qui quos Deponit eosdem,
Scandere quo nolint non rarò tollit in altum.
Quòd si quando tibi veniet sapientior ætas,
Iamque aliis iterum prodesse iubeberis ipse
Seu plebi Pastor seu consul ciuibus olim,
Seu dominus seruis, vxori siue maritus,
Tum vero centum venient tibi Depositores,
Quiqua protuleris, quæ dixeris omnia carpent,
Qui tibi multiplici curas ratione facessent,
Atque onus officij modò vi modò fraude grauabunt.
Nobilis inde tibi, tibi rusticus, inde molestus
Ciuis erit, vicinus erit propriique propinqui:
Nec tibi discipuli parcent, qualisque fuisti
Ipse aliis, tales olim præceptor habebis.
Sin eris Oeconomus tibi turba domestica serui
Mille struent fabricas, ancilla secuta ministrum,
Et famuli famulorum & tu famulaberis illis.
Sæuior his autem nisi caueris omnibus vxor
Depositum subiget, cùm sceptra domestica sumet
Imperiosa, dicax, mordax, morosa, rebellis,
Quæ lotura caput lixiuia tinget aceto,
Et tersura pilos crepidas pro pectine stringet.
Quisque suos patimur næuos, non doctor in aulâ
Depositore caret, non Rex, non Papa, subinde
Cùm Deus ex alta Deponat sede Potentes:
His ita defunctos tandem in commune sepulchrum
Deponit vespillo, hæc vltima depositura est.
Hæc & plura puer ritu præsente moneris,
Vt ventura statim mentem ad certamina firmans,
Quæ restant placidè tolerare pericula discas.
Tu modo depositus rerum quas trado fidelis
Depositor, fidus quoque depositarius esto:
Quæ præuisa notas, minùs olim tela nocebunt.
Verbaque depositus generis fuge Deponentis.
Siue ea nunc malis communia dicere, totum
Quod vulgata genus spargant commune per orbem
Osculor, amplector, reuerenter palpor, euntes
Præstolor, opperior, comitor, comitatus aperta
Fronte verecundor, quoque blandior, alloquor, extra
Gratulor, astipulor, sed mentior, imprecor intus,
Æmulor, indignor, bene dicta calumnior, artes
Commentor, falsòque interpretor atque cauillor;
Despicor, aspernor seniores, conuador illos.
Irascor, stomachor, raptos vlciscor honores,
Criminor, insector, conuitior, inuehor absens.
Quod doluit reminiscor: quod iuuat obliuiscor,
Suffragor Dominis, illis assentor, adulor.
Nam patriam miseror, non quicquam largior ægris,
Non medicor, non auxilior, patrocinor autem,
Grator, gratificor reprobis, assentior illis,
His ego conuersor, diuersor & hospitor, illos
Intueor, tueor, nutricor, muneror illos
Scilicet hos imitor, solos admiror, eorum
Me pede me modulo quoque metior; vtque vicissim
Gloriola vescar laudes impertior illis
Indignos dignor, dignos dedignor honore.
Sic quoniam venor popularemque aucupor auram,
Hinc illinc palor, vagor huc, proficiscor & illuc,
Rusticor, aurigor, peregrinor, villicor illic
Pabulor, obsonor, frumentor, lignor aquorque
Quando professus ibi præmetior, auguror alta,
Fator, vaticinor præfatus fata proprætor,
Quin & rethoricor, ratiocinor, argumentor,
Atque arcana profatus, aruspicor atque poëtor.
Omnia percontor, secreta expiscor, odoror,
Sciscitor, & rimor nasum nidore supinor.
Si quid comperior, cito controuersor & omnes
Prauertor, iurgor, laudumque libidinor æstu;
Sic reor esse aliquid, sed imaginor illud, opinor;
Arbitror & nugor, fumos modo ructor inanes.
Nam quia cuncta sequor nihil assequor, ordior alta;
Machinor, insidior, mala molior, impia conor,
Mirificas fabricas fabricor: sed quando deorsum
Et sursum praxes hinc partior, inde repulsam
Cum risu patior tristemque enitor aborsum:
Non cæli numen vereor, non ferior illi,
Legibus aduersor, præuaricor; omnia iura
Transgredior, non morigeror, non obsequor vlli:
Nitor at in vetitum, refragor, vbique reluctor;
Plurima polliceor, stipulor, verbisque paciscor.
Sed modo ludificor nihil exequor, omnia frustror:
Virtutem detestor, abominor, execror omnem.
Crapulor atque epulor, pergræcor, luxuriorque
Suspicor, altercor, rixor, post iurgia lymphor,
Per fora vociferor, per tecta tumultuor; omnes
Cum fornace fores demolior atque fenestras:
Bellor, digladior, grassor, debacchor in omnes:
Velitor atque minor, confligor, prælior armis,
Cum porcis stabulor, sed cum mane expergiscor,
Pandiculor, ientor, satur oscitor: ergo vicissim
Expiator, iaculor, rursusque meridior inde
Fabulor & ioculor, modulor, iocor atque cachinnor.
Cum fatuis fatuor, fateor, totusque fatiscor,
In studiis ita regredior; quia namque tabernas

 Demoror,

Demoror, ingenium remoror, mox nictor ocellis,
Nitor & annitor, non ſomno ritè renitor:
Triſtor & auerſor, cum Priſci contuor anum.
Conuiuor, lurcor, ſatur belluor, atque propinor,
Quod referre pudet (ſed deprecor auribus illud,
O ſcelus, ò mores!) lenocinor & meretricor,
Suauior, ancillor, quin mœchor, adulteror: imò
Cùm lupor & ſcortor, quaſi re bene, glorior, acta,
Sic quia non operor verum ocior atque nepotor:
Et iucundus dominor, nec iuſto munere fungor:
Ingratuſque Dei donis fruor, vtor, abutor:
In ſenio famulor, tum panem rumino atrum,
Tum luxum moderor, ieiuno ſed quia ventre
Liquor & emaceror, tenues depaſcor & artus:
Ergo nouas ſcrutor, meditor, vafer auſpicor artes,
Cauſſor, cauſſificor, cauponor, nauiculorque,
Velificor, piſcor, mox naufragor, Aucupor ergo,
Quid venor? coruos. Sed quomodo? nundinor. Ecce
Conſpicor expoſitas merces, delector eiſdem,
Aggredior, ſpeculor, cunctor, ſermocinor atque
Geſticulor, liceor, nil mercor, nidulor autem,
Manticulor, tricor moror, venalia rectè
Mutuor, alterius ſic merce negocior: atqui
Iuſtitiam nullam veneror; ſed fœneror & cùm
Non ſatis inde lucror, prædor, ſpolior, populorque,
Furor, depeculor, potior, lætorque potitus,
Cuncta ſed inficior, grauor, omnia Numina teſtor:
Sic nanciſcor opes: ſic diuitias adipiſcor.
Sed non radicor, quia dignos artibus iſtis
Sortior euentus: laqueatus quando reuertor:
Carnificemque ſequor. Nam quando periclitor & iam
Ominor exitium, vitæque remetior acta,
Tum precor, obteſtor: tum triſtor conqueror, imo
Non tantum queritor, ſed lacrymor & lamentor.
At quia ſerò nimis; fruſtra conſolor, adhortor,
Nec reus eluctor, dubio dum pectore luctor.
Quàm malè tunc radior, cùm caſtra nouiſſima metor!
Cùm miſer ad coruos gradior ſcaliſque gradatim
Exorior, morior, ringor, cornicor, apricor,
Verminor, exequior, cum coruos nutrior & iam
Vermiculor, pendenſque pilis atque vngue renaſcor.
Nec tamen his vitiis medeor: ſed debrior illis:
Immoror, immorior, mi.erum me punior vltro.
Nec mala, quæ mereor, vereor, præſentia donec
Experior, truncor, cernenſque tenebricor. Ah cur
Non mihi ſuppetior? Sic mortis labor ad vmbras;
Et Stygiis vrinor aquis, miſerabile dictu.
Hæc tam tetra bonos quia Deponentia mores
Deponunt animamque necant: depone viciſſim,
Et quæ compoſitæ ſimilis cognata figuræ,
Aut ſpecie nobis hinc vſurpata frequenti
Eiuſdem generis, verbis generantur ab iſtis
Non modo Grammaticis, ſed toti cognita mundo,
Non iſto numeranda loco, loco habebis eodem
Verba tuam paſſiua decent, Actiuaque vitam:
Vt facias facienda, pati faciendaque diſcas,
Vt mala ſuſtineas ritè abſtineaſque cupitis:
Sis ſimilis geſtu, ſemper meditere, quis es tu?
Cautus in ingreſſu: gaudet doctrina receſſu:
A teneris aſueſce pati, patientia magnum
Eſt adoleſcentis decus, & non vltima virtus.
Nunc faber aggredior magnum memorabile & ingens
Deucalionis opus, quod nec contenderit ipſe
Fingere Lyſippus, nec præſtans Dædalus arte:
E ſaxo formandus homo eſt, ex ore Beani,
E cerebro Bachantis, agreſti è caudice Pallas,
Tu patiens, ego ſum medicus, quæcunque propino,
Exorbere tuum eſt, ad plagas ludere riſu:
Calcandum pedibus tergum ſubmittere cunctis:
Multa audire, & pauca loqui, ſufflare tumentes
Ad colaphos buccas, & magnas addere grates:
Sic hodie eſt moris, ſic mundus tractat amicos.

Quot ſint gradus in Academiis?

III. *Tres gradus in Academiis ſunt vſitati, infimus, medius, & ſummus.*

THeologiæ ſtudioſos per certos quoſdam gradus in populo Dei fuiſſe deductos, exempla & leges Iſraëlitarum docēt. Nam Deus ſacerdotibus & Leuitis tempora tyrocinij progreſſus, miniſterij, & functionis præſcripſit *Num.* 4 ita quidē vt tyrocinio, ad percipienda fundamenta doctrinæ cæleſtis, vniuerſum pueritiæ & adoleſcentiæ tempus, ad vigeſimum vſque ætatis annum, præfinierit, tanquam primum ſtudiorum gradum. Inde ad vigeſimum quintum annum in rerum ampliarum cognitionem prouehebantur, vt eo demum anno conſortes eſſent honoris alicuius & miniſterij, ſed tamen ſecundarij. Atque hic fuit ſecundus, & quaſi Licentiæ gradus. Miniſterio ſuccenturiato totidem anni fuerunt dati. Tandem verò, cùm ad trigeſimum ætatis annum perueniſſent, renuntiabantur ὁμόνομοι, iuſtamque ſuæ functionis ἐλευθερίαν conſequebantur, vſque ad annum quinquageſimum, quo dabatur vacatio a miniſterio laborioſo, tanquam emeritis: non vt ventres otioſi eſſent, vel aues altiles in ſaginario, aut in harâ porci: ſed vt doctrinæ ſolummodò tradendæ, ab obeundis laboribus cæteris immunes, attenderent. Et hæc quidem legitima ſpatia iam olim à Deo Iudæorum genti fuerunt imperata. In Iuriſprudentiæ ſtudio olim hæc ratio fuit obſeruata. Primo anno, quo iuri primùm iuuenes dabant operam, priùs Dupondij per contemtum apellabantur, poſt Noui reſcripto Iuſtiniani. ſecundo Edictales; tertio Papinianiſtæ, quarto Lytæ, quaſi iam apti ſoluendis quæſtionibus ex Iure propoſitis, qui hodie dicuntur Licentiati; quinto Prolytæ, ac veiut Doctores, fuerunt pronuntiati. Nec diuerſam fuiſſe ſtudij Medici rationem, ex quo publicâ authoritate conſtitutum eſt Medicinæ corpus, fit veriſimile. Sed Academiæ inde à Caroli M. temporibus aliam in gradibus inſtituendis viam inierunt. Nam tres, ad diuinæ (vt videtur) legis imitationem conſtituerunt, infimum, medium, & ſummū. Infimus gradus appellatur *Baccalaureorum* (corruptè Baculariorum, quæ vox ICtis notat eos, qui in ſiluis ligneos vient faciſculos:) quia bacca laurea, olim Apollini & Muſis ſacra, tribuitur iis, qui in primarum inſtitutionum ſcientiâ adeò prouexerunt, vt de iudicio collegij ducantur aliquo honore digni. Medius gradus eſt *Magiſtrorum*, i.e. eorum, qui in ſuæ facultatis ſtudio tantū de ſententiâ collegij progreſſum fecerunt, vt alios poſſint docere elementa facultatis ſuæ, & de cætero ea munera exercere extra Academiam, quæ ipſorum facultati ſunt coniuncta. Horum capiti imponebatur laurea, libertatis index. Summus denique gradus eſt *Doctorum*, id eſt, eorum, qui Collegio facultatis plenam & abſolutam ſuam eruditionem probarunt in eo genere. His plura dignitatis ſymbola conferuntur, quàm ſuperioribus. Etenim probi & ſciti Doctoris officium libro & cathedrâ, priuilegia & commoda pileo, annulo, vel etiam cingulo, conſenſionem εἰς τὸ ὁμόνομον oſculo & benedictione ſolent confirmare. Hîc obſerua, Doctores Regentes à quibuſdam vocari eos, qui in Academiis docent: Bullatos, qui ſunt honorarij: Practicos, qui in Eccleſiâ vel Repub occupantur. Sæpe etiam magiſtri vocantur Doctores philoſophiæ. Porrò priuilegia, nomine Imperatoris, vel Regis, vel Pontificis, conferuntur à Cancellario, quo nomine Romanorum Cæſarum temporibus appellabatur cuſtos annuli. Atque hæc eſt politia Academica, quantum ad gradus: vbi duo vocabula ὡς ἐν παρόδῳ explicabo. Qui præeſt collegio facultatis, appellatur Decanus vel Decurio: quæ vox inde orta eſt. Principiò ſingulis facultatibus ita proſpectum erat, vt profeſſores earum deni haberentur, qui ſingulas diei horas, antemeridianas & pomeridianas in explicandis facultatis ſuæ dogmatis poſſent conſumere. Ex eo autem numero ordinis & commoditatis causâ vnus aliquis deligebatur ex lege, collegio huic & corpori facultatis præfuturus. Poſteaquam verò numerus Academiarum auctus & amplificatus eſt, & deminuta commoda, neceſſe fuit detrahi de profeſſorum numero. Interea tamen vox Decani ſiue Decurionis remanſit. Miniſter ſcholæ publicus vocatus eſt Bedellus; quem Iunius Germanicâ voce Beutellum dictum eſſe putat à mandatis perferendis. Hîc non eſt prætereundū, alios commemorare quatuor gradus honorum academicorum quâ de re *Theodorus Schreuelius in Palæmone* ſummatim ita ſcribit. Primus ordine Baccalaureorum honos, proximus Magiſterij gradus, tertius Licentiæ, quartus Doctoratus. Baccalaurei titulus Gallos authores habet, voce à militiâ ad ſcholas tranſlatâ; quippe Gallorum antiquâ linguâ *battulū* præliū ſignificat; vnde milites tyrones, qui primæ militiæ nomina dediſſēt, quique cum hoſte cōgreſſi vel ſemel manus conſeruiſſent, *Battalarios* nominabant, à verbo Gallico *batre & combatre.* Hinc primis naſcentis Academiæ Pariſienſis auſpiciis (circa an. 1120.) eos, qui in ipſo ſtudiorum tyrocinio primo quaſi in hoſtes conflictu publicæ diſputationis velitatione ſpecimē litterariæ virtutis dediſſent, *Battalarios* publicè renuntiatos eſſe, teſtātur hiſtoriæ. Proximus *Magiſterij* honos, quo prouectiores, cōfecto artiū atque adeo totius philoſophiæ curriculo, priſcâ & ſolenni ceremoniâ *Magiſtri artiū* titulo honorifico declarantur. Tertio in ordine ſunt *Licentiati*, qui & mellodidaſcali & prolytæ, à licētiâ ita dictì, quòd datâ poteſtate liceat illis & docendi prouinciam ſuſcipere, & ſummam dignitatem petere ac impetrare, vbi & quando volent. *Doctoratus* a in omni facultate ſupremus honos, ſumma ſolennitas; iam inde à Gratiani Imp. & Lombardi Sententiarum magiſtri temporibus.

IV. *In gradibus Academicis oportet adhibere tria iſta, δοκιμὰς, τελετὰς, καὶ τιμὰς, id eſt, probationes, teſtificationes, & honores publicos.*

Quo gradu Academicis uan-

PRincipiò adhiberi ſolet probatio, quam Græci vocant δοκιμασίαν, recentiores Probam & tentamen. Eius tria ſunt genera.

nera. 1. Examen; quod fieri solet analyticè, vel dialecticè. Analyticum examen est, in quo candidatus rogatur de summis capitibus facultatis suæ. Dialecticum, in quo variæ quæstiones in vtramque partem ventilantur. 2. Disputatio publica; vbi duplex vsui solet via. Aut enim proponitur προβλήματα ἐκ συνῃρημένων, vt loquuntur, id est, theses de vno aliquo argumento ventilantur: aut quæstiones ἀμιγεῖς καὶ ἀσύστατοι (quodlibeticas vocant) proponuntur. In hoc autem disputationis genere non id solùm quærendum est, vt innotescat hominis eruditio, sed etiam illud alterum, vt tentatis exploratísque illius moribus videatur, vtrùm aptus sit necne audiendis ferendísque aliorum contra sentientium communicationibus, & hominum quamuis morosorum vitiis tolerandis inter disputandum & agendum. Doctum enim virum ea oportet esse modestia apud omnes, vt & refellere paratus sit sine pertinacia, & refelli sine iracundia, vt *Plato in Gorgia*, & *Cicero 2. Tusc. quæst.* testatur. 3. Lectio; commoditatis in dicendo & docendo index: ad quam non admittitur candidatus, nisi bene steterit in duobus præcedentibus generibus, ne fortè (quod est in prouerbio) βοῦς ἡ ἅμαξα. Expleto δοκιμασίας munere sequuntur [illegible], id est, publici & solennes ritus: quibus collegium cuiusque facultatis per vnum aliquem (qui προάγωγος & promotor appellatur) testificatur, candidatum esse dignum, cui honores publici tribuantur. Tres autem sunt gradus istius τελετῆς; videlicet Baccalaureatus, quem veteres dixerunt τῆς [illegible] βαθμὸν, Nazanzenus θρόνον σοφιστικόν. Secundus gradus est Magisterium, siue δεῦγμα φιλοσοφικόν, vt Nazianzenus loquitur *in orat. funebr. Basily.* Supremus gradus est Doctura, siue Doctoratus. Cum τελεταῖς coniunctæ sunt τιμαὶ, id est honores & priuilegia, quibus gaudent candidati renunciati & velut consecrati.

ad iustum & decentem ordinem. Officia autem muneráque alia sunt eorum, qui docent, alia auditorum. Rursus leges docentium aliæ communiter pertinent ad omnes professores, aliæ speciatim ad rectorem, & professores certarum facultatum attinent. Similiter auditorum officia describunt leges quædam communes omnium, & quædam speciales istius facultatis, cui dant operam. Ordini politiæ scholasticæ leges similiter sunt communes, vel propriæ. Quæ omnia petenda sunt ex legibus singularibus scholarum aut ex vetere & recepta in singulis consuetudine (rationabili videlicet) cognoscenda. Consuetudo enim (vt Iurecoss. aiunt) habetur pro lege: neque temerè in huiusmodi causis perstringi debet: ne cuius ambitione publicus ordo violetur, neue in gratiam vllius sternatur via ad alia consimilia, quæ benè instituta aut recepta non malè fuerint, perrumpenda.

CAPVT X.

De Defensione scholarum.

PRÆCEPTA.

HActenvs de administratione scholarum: iam de illarum defensione.

Defensio scholarum pēdet à priuilegiis, & legibus.

Priuilegia sunt communia, vel singularia.

Leges sunt aliæ de officiis docentium & discentium, aliæ de ordine & politia scholæ. Huc pertinet Nomothesia scholastica.

REGVLÆ.

[illegible]ilegia [illegible]asti[illegible] [illegible]otu[illegible]?

I. *Priuilegia scholastica sunt duûm generum.*

ALia enim sunt de vacatione ac immunitate ab oneribus: alia de commodorum prærogatiuis, & honorum accessionibus. Hæc enim duo capita fuisse olim scholis in populo Dei attributa, aliquot in locis Moses demonstrat luculentissimè. Phœnices quoque, Chaldæi, Indi, & Ægyptij honorem istum literis & literatis & religiosè & semper habuerũt. Quid? quòd ne ipsi quidem Philistæi, quo tempore in tota ferè Iudæa rerum potiebantur, sacras prophetarum scholas infestarunt, sed prophetis doctoribus atque discipulis locum suum, functiones, otia, honores integros & inuiolatos permiserunt. Quantum gens Græca Academiæ & gymnasiis, Musarúmque delubris (vt Tullius ex vsu Græcorum vocat) in hoc genere indulserit, nemo ignorat, qui bonos authores legit. Quæ omnia *Tullius lib. 9 epist. famil. 6. ad Varronem* his verbis complexus est: *Quæ studia, magnorum hominum sententia, vacationem habent etiam publici muneris, iis concedente repub. cur non abutamur?* Imprimis verò id testantur Græca & Romana iura ciuilia & Ecclesiastica, Cæsarea & Pontificia, Pandectæ, Codex, Nouellæ Constitutiones Rescriptáque & Authenticæ, quibus priuilegiis iam olim ornata fuerint & amplificata Academiarum iura. Sunt autem ista priuilegia vel ex communi, vel ex singulari iure attributa scholis & Academiis. Vtraque dedit literarum cultoribus sapiens antiquitas, vt liberaliore bonorum studiorum cultura amplius accenderentur & inflammarentur ingenia iuuentutis ad res maiores, & salutem Ecclesiæ commodáque reip. viri scientiis literarum aucti & ornati faciliùs ac meliùs proueherent. Hoc verò tempore, proh dolor, tantum abest, vt homines in eminentia constituti scholas ornent priuilegiis & honoribus, vt potiùs, quantum in se est, illas orbent immunitatibus concessis.

[illegible]ges [illegible]sticæ [illegible]?

II. *Leges scholasticæ ita debent esse comparatæ, vt præscribant functiones & politiam scholasticam.*

QVæcunque leges latæ sunt scholis, aut ad officia & functiones pertinent eorum, qui sunt membra scholæ, aut

CAPVT XI.

De Amplificatione scholarum.

PRÆCEPTA.

HVcvsqve de scholarum administratione: sequitur ipsarum amplificatio.

Ea pendet à causis tum supernaturalibus, videlicet benedictione diuina, & pietate erga Deum: tum naturalibus, seu talibus, quæ nostram requirunt industriam: súntque aliæ in magistratu politico, aliæ in hominibus de schola, aliæ in ciuibus.

In magistratu requiritur affectus paternus erga scholas; qui cernitur in amore literatorum, priuilegiorum executione, & munificentia erga literarum cultores.

In hominibus de schola requiritur concordia inter sese, & cum aliis, tum vicinis, tum dissitis; humanitas erga omnes; & diligentia in faciendo officio.

In ciuibus requiritur humanitas erga literatos, & tolerabilis pretij pro victu & habitatione exactio.

REGVLÆ.

I. *In schola principaliter oportet spectare amplitudinem virtutis, non splendoris, molis, & numeri.* Amplitudo scholarum quæ præcipua?

ETsi enim externa illa oculos vulgi perstringunt suo fulgore: vera tamen scholarum beatitudo consistit in officiorum scholasticorum & politiæ scholasticæ genuina administratione. Sed tamen quia hæc sunt ὑπάλληλα, *subordinata*, omnes societatis scholasticæ ciues in id vnicè incumbent, vt procurent vtriusque istius amplitudinis fœdus & contubernium.

II. *Scholam imprimis ampliorem reddunt hæc tria: Mensæ publicæ, Viri clari, & Typographiæ.* Quæ imprimis faciant ad scholæ amplificationem?

PEr mensas publicas intellige Communitates, Bursas, & similia liberalitatis principum monumenta. Vbi hæ mensæ habentur, ita quidem vt duabus notis sint insignes, munditie ac pretio tolerabili, ibi studiosorum concursus est sperandus. Viri clari sunt cor scholæ, vnde spiritus vitalis per arterias in totum corpus diffunditur. Typographia celebris est instar alæ, qua gymnasium volat per vniuersum terrarum orbem.

CAPVT XII.

De Curatione scholæ malè affectæ.

PRÆCEPTA.

CVratio scholarum nunc est videnda, qua morbi scholarum sanantur.

Morborum scholasticorum videbimus numerum, causas, prognostica, & remedia.

Numerus morborum scholasticorum est innumerus. Præcipui tamen sunt hi. In præceptoribus est inscitia, auaritia, negligentia, & inuidia: in discipulis est negligentia, vita dissoluta, ordo nullus aut præposterus in studiis.

Causæ morborum scholasticorum sunt hæc. 1. Ira, Dei,

Dei, qui scholis constituit fatalem periodum ob nostram ingratitudinem. 2 Multitudo scholarum, quatenus illa parit confusionem & varietatem in modo discendi, necnon odium scholarum erga se inuicem. 3. Pœnæ publicæ: putà pestis, bellum, & fames. 4. Odium scholarum, partim in principibus tyrannis, & auaris, partim in subditis. 5. Laxa vel potiùs nulla disciplina in scholis.

Prognostica morborum scholasticorum sumuntur à vitiis modò recitatis, quæ cernuntur in magistratu, hominibus de schola, & subditis.

Remedia sunt prophylactica, vel therapeutica. Illa præseruant scholam à corruptione: hæc malis infixis medentur, ea vel mitigando, vel tollendo. Vtraque pendent à prudentia magistratus & præceptorum, & emendatione vitæ scholasticæ, seu reformatione scholarum corruptarum.

REGVLÆ

Catalogus morborum scholasticorum.

I. *Catalogus morborum scholasticorum rectissimè texitur iuxta ordinem Decalogi.*

NAm principiò impietas illa plus quàm Liciniana, quæ cernitur in plurimus scholis, primam Decalogi tabulam conuellit. Secundam impugant hæc vitia. Ignauia, Libethria hodierno die inuadit omnes prope dixerim scholas, & in singulis penè collegiis sobolescit. Perpetuum est turbarum æstuarium, & insanus quidam Euripus. Proba, sana & incorrupta illa priscorum Atticorum eloquentia & lepos Atticus iam ferme exulat, adeò quidem, vt nihil præter illud Aristophanis *ἀττικὸν βλέπος* mox sit futurum reliqui, nisi Deus *ἀπὸ μηχανῆς* prospexerit, & bonos confirmauerit. Humanitatem inhumanitas expellit palàm, tyrannide potentiorum quorundam, fumo assentatorum potentioribus frigidam suffundentium, armorum licentiâ, & motuum frequentiá Succrescit odium & inuidia in literatos, imò in literas, per imperitiam vulgi, Suffenorum *κακοζηλίαν*, importunorumque *ἀρχεκολόγων* malitiam, veneno calumniæ & detractionis omnia quamuis purissima inficientium. Honores auferuntur dignis, indignis scurris & libidinis voluptatumque administris certatim offeruntur. Ingratitudo discipulorum erga præceptores sumit vires Commessationes, compotationes, aleationes, tesseræ, ludi *ἀπαίδευτοι* omnia *ἀσελγῆ* & Sybaritica curantur potiùs, quàm honestæ corporum exercitationes ad animi confirmationem pertinentes. Multi sunt, qui tum demum homines sibi videntur esse, cùm (vt Aristodemus ille Cumanus apud Dionysium Halicarnasseum) id vnum satagunt, vt literarum studia intercidant, & homines facti ad imaginem Dei in brutas transformentur pecudes. Infinitis etiam modis videas exorbitare professores & præceptores in præstantissimis quibusque scholis: qua de re consule *orationem Kirchneri de fatalibus Academiarum dissipationibus*: & duos nostros discursus, vnum de caussis corruptarum scholarum, alterum de prouidentia Dei circa scholas.

Scholæ vt sanentur?

II. *Præcipua axiomata pathologica & therapeutica circa scholas morbidas hæc sunt.*

1. INauditum vulnus inaudito cauterio est exurendum. 2. Medendum est morbis scholasticis citò, tutò & iucundè, quoad eius fieri potest. 3. Radix & centrum morbi, h. e. causa, omnium primò est indaganda & tollenda. 4. Pluribus malis concurrentibus minus fuerit tolerandum, vt deteriora saltem successu temporis tollantur. 5. Vt musicus chordas dissonantes non statim abiicit, sed sensim intendit & remittit, vt concentus efficiatur: sic cogitet præceptor de disciplina sua scholastica. 6. Non multa legenda, sed multum. 7. Ingeniorum varietas nisi attendatur, scholæ pessum eunt. 8. Concoctos & digestos humores oportet expellere, non crudos. 9. Necessaria & vtilia sunt docenda & discenda, non nugalia, non sophistica. 10. Præceptores & discipuli athemeli sunt pestes scholarum.

CAPVT XIII.

Scholastica specialis.

PRÆCEPTA.

SCHOLASTICA specialis superest, quæ tradit enumerationem seu collectionem scholarum præcipuarum, & quarundam selectionem.

Enumeratio hæc est. Scholæ sunt veteres, vel recentiores.

Scholæ veteres fuerunt vel sacræ, tum in V. T. in populo Dei, tum in Nouo, vt scholæ Apostolorum, virorum apostolicorum, & Patrum ecclesiasticorum: vel profanæ, eæque 1. Chaldæorum. 2. Ægyptiorum. 3. Magorum in Perside. 4 Indorum orientalium. 5. Druidum in Gallia. 6. Græcorum; quorum scholæ celebriores memorantur nouem. 1. Poëtarum, duce Lino & Orpheo. 2. Septem sapientum; vbi excelluit Ionica Thaletis. 3. Italica, duce Pythagora. 4. Sibyllarum. 5. Cynica. 6. Epicuréa. 7. Academia Platonis. 8. Stoa Zenonis. 9. Peripatetica Aristotelis, quæ superiores tanquam torrens absorpsit. Fuerunt autem istorum philosophorum dogmata sparsa hinc inde in scholam Rhodiam, Pergamensem, Corinthiacam, & similes.

Scholæ recentiores, quæ hoc tempore florent, sunt variæ.

Selectio scholarum est, qua cognoscimus instituta, leges, priuilegia, & arcana scholarum eminentiorum; itemque genium scholæ patriæ, vel istius, in qua nobis viuendum est, & denique scholarum vicinarum.

REGVLÆ.

Succe[...] & pro[...]gatio [...]larū q[...]

I. *Magnum est operæpretium, tenere scholarum propagationem & successionem.*

MAtrices omnium scholarum sunt scholæ sanctorum patriarcharum, hoc modo. Noah scholam suam à maioribus velut per manus traditam, post diluuium diligentissimè informauit. Atque hic (vt Heurnio videtur) est Ogyges ille, sic dictus, quòd generis humani ianuam aperuerit. Idem est Saturnus; qua voce Cimbri semen magnum & potens indigitant. Dictus eadem ratione est Hercules: qua voce Scythæ testiculum communem significarunt. Nam *her* commune siue publicum & ad omnes spectans: *Her-man*, monitor publicus: *Her-ast*, senator publicus: *kul* autem testiculum denotat: quæ sunt verba *Otthonis Heurnij in philosophiæ primordiis.* Ex schola Noachi prodiere tres illi ethnarchæ, Sem, pater Hebræorum; Iapheth, pater Europæorum; & Cham, pater Assyriorum: & totidem scholæ, ex quibus gymnasia Hebræorum & Chaldæorum fuere celeberrima. Hebræorum schola translata fuit in Ægyptum, & ibi peperit numerosam sobolem. Chaldæorum schola primò à Nimrod fuit instituta in vrbe Nineue: postea cùm Nineue propter execranda scelera ob quæ reprehensa fuit à Iona propheta) à Babyloniis victa esset, vna cum opibus & potentia disciplinæ quoque fuerunt eò translatæ. Illarum cultores appellati fuerunt magi, (quæ vox Persis nihil est aliud quàm sacerdos) qui tempore Danielis contaminatissimas habuere scholas Capta Babylone Callisthenes (cui hoc negotij dederat Aristoteles) omnia philosophorum monumenta conquisiuit, & Aristoteli transmisit. Sic igitur philosophia & schola Aristotelis Babylonicam fermè pro matre agnoscit. Platonis autem schola ex scholis fermè Ægyptiorum est enata. Plato enim in peregrinatione sua, qua Ægyptum perlustrauit, sapientiam Ægyptiorum addidicit, & Athenas deportauit. Ante Platonem Phœnices iecerunt scholæ Atheniensis, imò plerarumque scholarum in Græcia, fundamenta. Phœnices autem, id est populi, qui totum illum tractum à Tzidone in Ægyptum vsque extensum inhabitant, ab Abrahamo didicerunt Astronomiam, & alias artes. Horum dux Kadmus, Agenoris regis Phœnicum filius, in Græcia fundauit regnum Thebanorum, & literas Atticas in Græciam intulit, iuxta versus illos, qui in peruetusto bibliothecæ Septimianæ codice leguntur:

Moses primus Hebraicas exarauit literas:
Mente Phœnices sagaci condiderunt Atticas:
Quas Latini scriptitamus edidit Nicostrata:
Abraham Syras, & idem repperit Chaldaicas:
Isis arte non minore protulit Ægyptias:
Gulfila promisit Getarum, quas videmus, vltimas.

Hâc autem occasione Phœnices in Græciam venerunt. Cùm Israëlitæ terram Canaan occuparent, plurimi Phœnicum in Ægyptum aufugere. Verùm cùm Ægyptus non caperet omnes, multi se receperunt in Africam, & ibi regnum Mauritaniæ plurimásque vrbes condiderunt. Cujus rei testimonium etiamnum visitur, inquit *Procopius lib. 2. de bello Vandalico.* Nam in vrbe Africæ Tingitana secundùm fontem duæ columnæ marmoreæ candidæ visuntur. quibus hæc verba lingua Phœnicia sunt inscripta: *Nos maurisi sumus qui Fugimus à facie Iehosuha filij Nunis prædatoris.* Dux illorum fuit Atlas, rex Mauritaniæ ab

ab ipſis creatus:qui quòd ſphæram cœli confeciſſet, à poetis dictus fuit geſtare cœlum. Manſerunt tamen Phœnices nonnulli in terra Canaan,videlicet in anguſtis Tzidonis(quæ vox Phœnicibus piſcem ſignificat: quia vrbs eſt valde piſcoſa) limitibus: quibus ipſorum imperium fuit circumſcriptum ab Iſraëlitis. Ex hac Phœnicum regione profecta fuit Eliſa,alias Dido,id eſt,virago) fugiens inſidias fratris Pygmalionis,regis Phœnicum: quæ tandem cum opibus ſuis venit in Africam, ibíque vrbem condidit, quam *Karthadam*, id eſt, dimidiam ciuitatem appellauit quòd media Phœnicum pars eò eſſet tranſlata. Hinc quoque profectus fuit Kadmus, qui ſucceſſit patri Agenori anno mundi 2507. cuius ſoror Europa cùm à mercatoribus Cretenſibus propter inſignem formam naui eſſet auecta Cretam,frater inſtructa claſſe raptores perſecutus eſt. Poſt varios tandem errores contulit ſe Delphos, percontaturus oraculum de ſorore. Ibi iuſſus fuit omittere curioſam ſororis indagationem. Egreſſus igitur delubro & iter per agrum Phocenſium faciens, bouem habuit obuium ad fontem, quem Phœnices poſtea Thurium vocarunt à *Thor*, quæ vox illis bouem ſignificat. Hunc bouem Cadmus ſacrificauit Palladi Ogæ,id eſt, meditabundæ (Hogeh enim Phœnicibus meditantem ſignificat) ibíque vrbem tempore Othonielis ducis Iſraëlitarum condidit,eíque nomen Thebarum, à patria ſua,Thebis Ægyptiis (vbi apud conſanguineos diu enutritus fuerat) impoſuit. E Græcia in Italiam literæ Cadmeæ ſunt tranſlatæ ab Euandro Arcade, qui in loca Italiæ Tiberi conterminia conceſſit,ibique regiam obtinuit dignitatem. Creberrimæ autem à Græcis in Heſperiam coloniæ tunc ductæ fuere; vnde & eius pars,maximè Græcorum coloniis frequentata, magnæ Græciæ nomen obtinuit. Poſtea autem ab ipſis appellata eſt Italia,ob egregiam vitulorum proceritatem. Quanquam alij ab Italo rege dictam putant, de quo ſuprà in politicis cap. 18. & 15. Sed redeamus ad ſcholam Hebræorum. Cùm Abraham apud Phœnices aliquamdiu commoratus eſſet,atrociſſima fames totam regionem inuaſit. Venit igitur in Ægyptum, quam alimentis affluere audiuit. Ibi ſummo in honore fuit apud regem Ægypti Pharethatem; cum quo vixit Heliopoli,quam Græci Thebas vocant. Hîc non tantùm regem,ſed etiam ſacerdotes Ægyptios multa docuit in ſcholis publicis, quæ poſtea à Iacobo & Ioſepho incrementum accepere. Contabeſcente ſenſim Aſſyriorum Imperio Seſoſtres Ægyptiorum rex maximam orientis & occidentis partem ſubiugauit. Idem fecit Oſiris, quod nomen ſignificat multoculum in lingua Ægyptiaca. Hoc tempore plurima ſacerdotum Ægyptiorum collegia fuerunt inſtituta: in quibus Aſtronomia, Phyſica,Medicina,Geometria,Ethica,Politica,Hiſtorica & tandem etiam varia incantationum genera à diuerſis profeſſoribus fuerunt tradita. Habuerunt etiam doctores iſti Ægypti; bibliothecas, quas appellabant ſacras: qualis fuit bibliotheca Simandij antiquiſſimi Ægyptiorum regis, cuius fores hoc programma inciſum habebant: *Animi medicamentum*. Perennauit iſta doctrina Ægyptiaca vſque ad mortem Alexandri M. quo ex rebus humanis exemto, Ægyptus ceſſit Ptolemæo, cui ſucceſſit filius Philadelphus. Hic, neglecta Ægyptiorum, ſuperſtitione, aperuit ſcholam Alexandriæ,quam conquiſitis vndique libris,etiam Bibliis per LXX. Interpretes in linguam Græcam verſis,ornauit. Quo ſole illuſtrata Alexandria,deinceps ſemper ab eruditione claruit. Et licet à flagitioſis quibuſdam Ægypti regibus, puta Euergete ſecundo, itemque à Romanis vehementer fuerit afflicta: ſtudiorum tamen lumen non fuit extinctum. Imò poſtea ſplenduit doctrina euangelij, cuius in ea vrbe ſalutiferum ſemen ſparſit Marcus euangeliſta. Et fouit hæc vrbs diſciplinas vſque ad Saracenicos motus. Tum enim furor Mahometicus occupata magna Orientis parte in Ægyptum quoque penetrauit, & ibi literarum ſtudia obſcurauit. Paulò poſt tamen Alexandria authoritate ac imperio cuiuſdam Caliphæ, id eſt, Pontificis Mahometici (penes pontifices enim in principio regni Saracenici in Ægypto erat poteſtas) fuit inſtaurata. Tempore quoque Saladini floruit Alexandria, ante Sultanorum ſucceſſionem: qui Saladini poteſtate ſublata regnum vi rapuerunt, atque ex Mamalucis,id eſt,religioni Chriſtianæ deſertoribus, legi principem inſtituerunt. Sic ergo à tempore, quo à Calipha reſtituta fuit Alexandria,floruit ibi philoſophia Arabica,ad tempora vſque Selimi Turcarum Imperatoris, qui Sultanorum potentiâ deſtructa Alexandriam cepit anno Chriſti 1517. & quid ſupererat ſtudiorum, aboleuit. Cæterùm ex Ægypto in inſulas & continentis oras philoſophia variis authoribus eſt propagata. Coloniæ enim veterum Ægypti ſcholarum celebrantur eæ, quæ in Ionia, Rhodo, Aſiaque minore conſtitutæ fuere. Nominatim Cecrops ex Ægypto profectus in Attica regnum condidit: Danaus (quæ vox Hebræis iudicem ſignificat) Rhameſis,vel,vt alij volunt,Sethoſis Ægypti regis frater poſt occupatam ab Iſraëlitis terram Canaan Argos venit, ibíque regnum adeptus literas à Cadmo conſanguineo ſuo paulò antè traditas, ſed poſtea abolitas, poſtliminio reſtituit, & Dardaniam condidit, quæ vox ſignificat habitationem iudicum ex *Dar* & *Dan*: Æſculapius denique, filius Apollinis, quem Ægyptij medicinam inueniſſe dixerunt, quòd multa ipſi adiecisſet; is, inquam, Æſculapius ex Ægypto in Græciam tranſtulit medicinam. Dictus eſt Æſculapius ex Ægyptiaco *Æſich*, capra, & *Celeb*, canis: quaſi dicas Capricanem: quòd caprino lacte ad vires ægrorum inſtaurandas vteretur, canis autem linguâ ad externorum vlcerum medelam. Hic Æſculapius filios reliquit Podalirium & Machaonem: qui ambo Troianæ expeditioni interfuêre. Ibi Machaon fuit interfectus, Podalirius in Græciam reuerſus ſcholam aperuit, ex quâ poſteriori æuo tres coloniæ ſcholarum medicarum deductæ fuerunt: nimirum Rhodia, Cnidia, & Coa. Quæ æmulo artis amplificandæ ſtudio diu certarunt, donec Coa genuit Hippocratem, decimum ſeptimum ab Æſculapio. Vltima autem eius lumina poſt Hippocratem fuêre Proxagoras & Ariſtoteles, donec tandem Galenus pharmaca certarum demonſtrationum priſtinæ integritati reſtitueret. Theologiam porrò & philoſophiam ex Ægypto in Græciam intulit Orpheus, Lini diſcipulus contubernaliſque Herculis. Is enim ex Græciâ in Ægyptum profectus, ibi plurimis Ægyptiorum myſteriis cognitis in Græciam rediit. Solon etiam & Lycurgus leges Græciæ intulerunt primi ex Ægypto, vbi docentem Sonchitem Saitem audiuerant. Hinc eorum alter Solonis, id eſt, pacifici nomen adeptus eſt. Pythagoras etiam, & Plato Solonis conſanguineus(quorum alter naturæ lingua, alter naturæ natura dicebatur) philoſophiam ex Ægyptiorum fontibus hauſerunt. Pythagoras enim conuenit ſacerdotes Heliopolitanos, & inde Babylonem petiit ad perdiſcendos ſyderum motus. Tandem in Græciam fuit reuerſus onuſtus Ægyptiorum myſteriis & philoſophiâ ſymbolicâ ſeu hieroglyphicâ. Similiter Plato cum Euripide in Ægyptum profectus à ſacerdotibus Ægyptiis philoſophiæ præceptis imbutus eſt. Huic ſucceſſit Ariſtoteles, qui omnia omnium philoſophorum, Indorum, Babyloniorum, Ægyptiorum, Iudæorum, Perſarumque inuenta adunauit. Babyloniorum enim doctrinâ à Calliſthene habuit: Indorum & Perſarum ex doctrinâ Pythagoræ & Democriti: Iudæorum à Platone. Hic enim non ſolùm ab Ægyptiis, ſed etiam à Iudæis plurima accepit, ita vt è Iudæâ quoque in Græciam ſapientia fuerit traducta, hoc modo. Moſes ab Ægyptiis accepit varias diſciplinas, quas vnà cum diuinis legibus tradidit Iudæis in terram Canaan proficiſcentibus. Apud hos philoſophiam extremam perfectionem accepit ſub Salomone. Tandem autem variis bellorum ac diſcordiæ fluctibus iactato Imperio Iudaico,variæ philoſophorum & theologorum ſcholæ fuerunt ortæ: quarum principes fuerunt Heſſæi, Sadducæi,& Phariſæi circa annum M. 3833. quo tempore Macchabæi claruerunt. Iam videamus ſcholas Perſarum. Marceſcente Imperio Babylonico ſumma rerum, ipſaque philoſophia peruênit ad Perſas, quorum ſacerdotes appellati fuerunt magi: qui adhibebantur filio regis primogenito, ita quidem vt quatuor ex totâ Perſiâ viri ſelectiſſimi iungerentur, quorum primus eſſet ſapientiſſimus,ſecundus iuſtiſſimus, tertius temperantiſſimus, quartus fortiſſimus: à quibus filius regis magiam, iuſtitiam,temperantiam,& fortitudinem diſceret. Magorum iſtorum ſcholæ durarunt vſque ad Chriſti Seruatoris tempora, & longè pôſt. Multis tamen modis magia Perſarum vexata & corrupta fuit. Primò enim à Macedonibus Perſia fuit ſubacta, tempore Alexandri M. Deinde Macedones à Parthis, gente ſeruili, fuerunt imperio in Perſiâ ſpoliati, Arſace ſuadente defectionem,à quo dicti ſunt Arſacidæ, reges illi Perſarum qui Arſaci ſucceſſerunt. E quibus Mithridates non multò pôſt ad ſummam gloriam Parthorum nomen euexit. Tandem Artabanus vltimus Parthorum regum fuit interemtus, & ſublatâ potentiâ Parthicâ,Perſis reſtitutum imperium ab Artaxerxe Perſâ. Qui cùm annis ampliùs quadringentis illud obtinuiſſent, ab Homaro Arabum Principe circa annum Chriſti 630 eo fuerunt exuti. Confer hæc cum *Archelogiâ lib.* 3. huius Encyclopædiæ. Sed miſſis antiquorum ſcholis,veniamus ad recentiores: è quibus, ordine regionum alphabetico, *in Angliâ* ſunt duæ, Oxonienſis & Cantabrigienſis: *in Bohemiâ* Pragenſis: *in Daniâ* Hafnienſis: *in Galliâ* ſedecim; Andegauenſis, Auenionenſis, Aurelianenſis, Biturigenſis, Burdigalenſis,Dolana, Duacenſis, Lugdunenſis, Monſpelienſis, Nanneſenſis, Pariſienſis, Pictauienſis, Rhemenſis, Tholozana, Valentina, Cadurcenſis: *in Germaniâ* viginti quinque; Argentinenſis, Altorfenſis, Baſilienſis, Colonienſis, Dilingana, Erfordienſis, Francofurtenſis, Franekerana, Friburgenſis, Grypsvvaldenſis, Groningenſis, Heidelbergenſis, Helmſtadienſis, Ingolſtadienſis, Lipſenſis, Louanienſis, Leidenſis, Marpurgenſis, Moguntina, Regiomontana, Roſtochienſis, Treuerenſis, Tübingenſis, Viennenſis, Vvitebergenſis: *in Hiſpaniâ* viginti duæ; è quibus præcipuæ Complutenſis,Conimbricenſis, Granatenſis,Salmanticenſis,Valliſoletana: Toletana, Lulliana in Maioricâ: *in Italiâ* vndecim; Bononienſis, Ferrarienſis, Florentina, Mediolanenſis,Patauina, Papienſis,Peruſina,Piſana,Romana, Senenſis,Taurinenſis: *in Poloniâ* tres; Cracouienſis, (ſeu Graccouienſis, à fundatore vrbis Graccho) Poſnenſis,& Samoſciana: *in Scotiâ* tres Aberdonienſis, Glaſquenſis, Sanctandrea.

II. *Pru*


II. ***Prudentia ſcholaſtica pendet ab experientia & collatione variarum ſcholarum.***

PRior illa dicitur experimentalis: poſterior hiſtorica. Experimentalis comparatur peregrinando, & docendo ducendóque gregem ſcholaſticum, vita etiam rectè inſtituta lucendo. Hiſtorica comparatur diligenti variarum ſcholarum inter ſeſe collatione: imprimis celebriorum & nobis viciniorum.

PERORATIO SCHOLASTICÆ.

ITa ſe habet Scholaſtica, cuius tria ſunt præcepta palmaria. Primùm eſt: Τεχνολογίαν, id eſt, eruditionem variis artibus comprehenſam ordine ac plenè communicato. Secundum: Βιοσοφίαν, id eſt, ſanctam vitam diſcito, eaque, tanquam præſtantiſſima gemma, eruditionis annulum condecorato. Tertium: Γυμνοτεχνίαν, id eſt, artis exercitationem, proram & puppim artis ſtatuito.

IDEA SCHOLASTICÆ.





FLORILEGIVM SCHOLASTICÆ.

FLORES EX EPISTOLIS L. ANNÆI SENECÆ CORDVBENSIS,

Qui quidem ad rem Scholaſticam præcipuè pertinent. Quibus floribus præmittemus illud Hieronymi in catalogo ſcriptorum eccleſiaſticorum, de Lucio Annæo Seneca.

Lucius Annæus Seneca Cordubenſis, Sotionis Stoici diſcipulus, & patruus Lucani poëtæ, continentiſſimæ vitæ fuit, quem non ponerem in catalogo ſanctorum, niſi me illæ epiſtolæ prouocarent, quæ leguntur à plurimis, Pauli ad Senecam, & Senecæ ad Paulum. In quibus cùm eſſet Neronis magiſter, & illius temporis potentiſſimus, optare ſe dicit eius eſſe loci apud ſuos, cuius ſit Paulus apud Chriſtianos. Hic ante biennium, quàm Petrus & Paulus coronarentur martyrio, à Nerone interfectus eſt.

FLORES SENECÆ.

Ex Epistola I.

Aeſtimia temporis.



VEM mihi dabis, qui aliquod pretium tempori ponat, qui diem æſtimet, qui intelligat ſe quotidie mori? In hoc enim fallimur, quòd mortem non proſpicimus; magna pars eius iam præteriit: quicquid ætatis retro eſt, mors tenet. Fac ergo, mi Lucili, quod facere te ſcribis: omnes horas complectere: ſic fiet, vt minus ex craſtino pendeas, ſi hodierno manum inieceris. Dum differtur, vita tranſcurrit. Omnia, mi Lucili, aliena, tempus tantùm noſtrum eſt.

Epistola II. ad finem vſque.

Lectio quomodo inſtituenda?

EX his, quæ mihi ſcribis, & ex his, quæ audio, bonam ſpem de te concipio. Non diſcurris, nec locorum mutationibus inquietaris: ægri animi iactatio iſta eſt. Primum argumentum bene compoſitæ mentis exiſtimo, poſſe conſiſtere & ſecum morari. Illud autem vide, ne iſta lectio multorum auctorum, & omnis generis voluminum, habeat aliquid vagum & inſtabile. Certis ingeniis immorari & innutriri oportet, ſi velis aliquid trahere, quod in animo fideliter ſedeat. Nuſquam eſt qui vbique eſt. In peregrinatione vitam agentibus hoc euenit, vt multa hoſpitia habeant, nullas amicitias. Idem accidat neceſſe eſt eis, qui nullius ſe ingenio familiariter applicant, ſed omnia curſim, feſtinanter & properanter tranſmittunt. Non prodeſt cibus, nec corpori accedit, qui ſtatim ſumptus emittitur. Nihil æquè ſanitatem impedit, quàm remediorum crebra mutatio: non venit vulnus ad cicatricem, in quo crebra medicamenta tentantur. Non conualeſcit planta, quæ ſæpiùs transfertur. Nihil tam vtile, quod in tranſitu proſit. Diſtrahit animum librorum multitudo. Itaque cùm legere non poſſis quantum habueris, ſat eſt habere quantum legas. Sed modò, inquis, hunc librum euoluere volo, modò illum. Faſtidientis ſtomachi eſt multa deguſtare, quæ vbi varia ſunt & diuerſa, coinquinant, non alunt. Probatos itaque ſemper lege, & ſi quando ad alios diuerti libuerit, ad priores redi. Aliquid quotidie aduerſus paupertatem, aliquid aduerſus mortem auxilij compara, nec minùs aduerſus cæteras peſtes. Et cùm multa percurreris, vnum excerpe, quod illo die concoquas. Hoc ipſe quoque facio: ex pluribus quæ lego, aliquid apprehendo hodiernum: hoc eſt, quod apud Epicurum nactus

Rem varia n cent.

nactus sum. Soleo enim & in aliena castra transire, non tanquam transfuga, sed tanquam explorator.

Post amicitiam credendum est, ante amicitiam iudicandum. Diu cogita, an tibi in amicitiam aliquis recipiendus sit: cùm placuerit fieri, toto illum pectore admitte, tam audacter cum illo loquere, quàm tecum.

Ex Epistola V.

Illud autem te admoneo, ne eorum more qui non proficere, sed conspici cupiunt, facias aliqua quæ in habitu tuo, aut genere vitæ notabilia sunt. Asperum, incultum, & intonsum caput, & negligentiorem barbam, & indictum argento odium, & cubile humi positum, & quicquid aliud ambitionem peruersa via sequitur, deuita. Satis ipsum nomen philosophiæ, etiam si modestè tractetur, inuidiosum est. Quid si nos hominum consuetudini cœperimus excerpere? Intus omnia dissimilia sint, frons nostra populo conueniat. Non splendeat toga, nec sordeat quidem. Non habeamus argentum, in quo solidi auri cælatura descenderit. Sed non putemus frugalitatis indicium, auro argentóque caruisse. Id agamus, vt meliorem vitam sequamur, quàm vulgus, non vt contrarium: alioqui quos emendari volumus, fugamus, & à nobis auertimus. Nempe propositum nostrum est secundùm naturam viuere. Hoc contra naturam est, torquere corpus suum, & faciles odisse mundicias, & squalorem appetere, & cibis non tantùm vilibus vti, sed tetris & horridis. Quemadmodum delicatas res desiderare, luxuriæ est: ita vsitatas, & non magno parabiles fugere, dementiæ est: frugalitatem exigit philosophia non pœnam.

Ex Epistola VI.

Multa habeam, quæ debeant corrigi, quæ extenuari, quæ attolli. Et hoc ipsum argumentum in melius translati animi est, quòd vitia sua quæ adhuc ignorabat, videt. Quibusdam ægris gratulatio fit, cùm seipsos ægros esse senserunt.

Ego cupio in te omnia transfundere, & in eo gaudeo aliquid discere, vt doceam. Nec me vlla res delectabit, licet eximia sit & salutaris, quam mihi vni sciturus sum: si cum hac exceptione detur sapientia, vt illam inclusam teneam, nec enuntiem, reiiciam. Nullius boni sine socio iucunda possessio est.

Plus tibi viua vox, & conuictus, quàm oratio proderit. Homines semper ampliùs oculis, quàm auribus credunt. Longum iter est per præcepta: breue & efficax per exempla. Plato & Aristoteles, & omnis in diuersum itura sapientium turba plus ex moribus, quàm ex verbis Socratis traxit.

Ex Epistola VII.

Quid tibi vitandum præcipuè existimem, quæris? Turbam: nondum illi te tutò commiseris. Ego certè confiteor imbecillitatem meam. Namque mores, quos extuli, refero. Aliquid ex eo, quod composui, turbatur: aliquid ex his, quæ fugaui, rediit. Inimica est multorum conuersatio. Nemo non aliquod nobis vitium, aut commendat, aut imprimit, aut nescientibus allinit. Vtique quò maior est populus cui commiscemur, hoc periculi plus est. Auarior redeo, ambitiosior, luxuriosior; imò verò crudelior & inhumanior, quia inter homines fui. Necesse est aut imiteris eos, aut oderis. Vtrumque autem deuitandum est, ne vel similis malis fias, quia multi sunt: neue inimicus multis, quia dissimiles sunt. Recede in teipsum quantum potes. Cum his versare, qui te meliorem facturi sunt. Illos admitte, quos tu potes facere meliores. Mutuò ista fiunt, vt homines, dum docent, discant.

Ex Epistola VIII.

Tu me (inquis) vitare turbam iubes, secedere & conscientiâ esse contentum? Vbi illa præcepta vestra, quæ imperant in actu mori? Quod ego tibi videor interim suadere, in hoc me recondidi, & fores clausi: vt prodesse pluribus possem, nullus mihi per otium dies exit: partem noctium studiis vendico, non vaco somno, sed succumbo, & oculos vigilia fatigatos cadentésque in opere detineo. Secessi non tantùm ab hominibus, sed etiam à rebus, & primùm à rebus meis. Posterorum negotium ago. Illis aliqua, quæ possint prodesse, conscribo: salutares admonitiones, velut medicamentorum vtilium compositiones, literis mando: esse illas efficaces in meis vlceribus expertus, quæ etsi persanata non sunt, serpere desierunt. Rectum iter, quod serò cognoui & lassus errando, aliis monstro. Clamo, Vitate quæcunque vulgo placent, quæ casus attribuit: ad omne fortuitum bonum, suspiciosi pauidíque subsistite. Et fera piscis spe aliqua oblectante, decipitur. Munera ista fortunæ putatis? insidiæ sunt. Quisquis nostrum tutam agere vitam volet, quantum plurimùm potest, ista viscata beneficia deuitet, in quibus hoc quoque miserrimi fallimur: abire, quod habere nos putamus, hæremus. In præcipitia cursus iste deducit. Huius eminentis vitæ exitus cadere est. Hanc ergo sanam & salubrem formam vitæ tene, vt corpori tantum indulgeas, quantum bonæ valetudini satis est. Duriùs tractandum est, ne animo malè pareat, cibus famem sedet, potio sitim extinguat, vestis arceat frigus, domus munimentum sit aduersus infesta corporis: hanc vtrùm cespes erexerit, an varius lapis gentis alienæ, nihil interest. Scitote, hominem tam bene culmo, quàm auro, tegi. Contemne omnia, quæ superuacuus labor, velut ornamentum ac decus, ponit. Cogitate præter animum nihil esse mirabile, cui magno nihil magnum est.

Ex Epistola IX.

Beatus quis?

Stilbo, quem Epicuri epistola insequitur, hic enim captâ patria, amissis liberis, amissâ vxore, cùm ex incendio publico solus, & beatus tamen exiret, interroganti Demetrio, cui cognomen ab exitio vrbium Polyorcetes fuit, Nunquid perdidisset? Omnia (inquit) bona mea mecum sunt. Ecce vir fortis ac strenuus ipsam hostis sui victoriam vicit. Nihil (inquit) perdidi. Dubitare illum coëgit, an vicisset. Omnia mea mecum sunt. Iustitia, virtus, temperantia, prudentia, hoc ipsum, nihil bonum putare, quod eripi possit. Si cui (inquit) bona sua non videntur amplissima, licet totius mundi dominus sit, tamen miser est. Miser est, qui se non beatissimum iudicat, licet imperet mundo. Quid enim refert, qualis status tuus sit, si tibi videtur malus? Quid ergo? inquis, si beatum se dixerit ille turpiter diues, & ille multorum dominus, sed plurium seruus, beatus suâ sententiâ fiet? non, quid dicat, sed quid sentiat, refert: nec quid vno die sentiat, sed quid assiduè. Non est autem quòd verearis, ne ad indignum res tanta perueniat. Nisi sapienti sua non placent, omnis stultitia laborat fastidio sui.

Ex Epistola X.

Turpe cõsortium fugiendũ.

Crates (vt aiunt, huius ipsius Stilbonis auditor, cuius mentionem priori epistola feci) cùm vidisset adolescentulum secretò ambulantem, interrogauit, quid illic solus faceret. Mecum (inquit) loquor. Cui Crates: Caue (inquit) rogo, & diligenter attende, ne cum homine malo loquaris. Lugentem, timentémque custodire solemus, ne solitudine malè vtatur. Nemo est ex imprudentibus qui relinqui sibi debeat. Tunc mala consilia agitant: tunc aut aliis, aut ipsis futura pericula struunt: tunc cupiditates improbas ordinant: tunc quicquid aut metu, aut pudore animus celabat, exponit: tunc audaciam acuit, libidinem irritat, iracundiam instigat.

Quid à Deo petendum.

Votorum tuorum veterum licet diis gratiam facias, alia de integro suscipe: roga bonam mentem, bonam valetudinem animi, deinde corporis. Tunc scito esse omnibus cupiditatibus solutum, cùm eò perueneris, vt nihil Deum roges, nisi quod rogare possis palàm. Nunc enim quanta dementia est hominum, quòd turpissima vota diis insusurrant? Si quis admouerit aurem, conticescent, & quod scire hominem nolunt, Deo narrant. Sic viue cum hominibus, tanquam Deus videat. Sic loquere cum Deo, tanquam homines audiant.

Ex Epistola XI.

Signum bonæ in...

Locutus est mecum amicus tuus bonæ indolis, in quo quantum esset animi, quantum ingenij, quantum iam etiam profectus, sermo primò ostendit: dedit enim nobis gustum, ad quem respondebit: non enim ex præparato locutus est, sed subitò deprehensus: vbi se colligebat, verecundia bonum in adolescente signum vix potuit excutere, adeò illi ex alto suffusus est rubor. Hic illum, quantum suspicor, etiam cùm se confirmauerit, & ex omnibus vitiis exuerit, sapientem quoque sequetur. Nulla enim sapientia naturalia corporis aut animi vitia ponuntur: quicquid infixum & ingenitum est, leuiter arte non vincitur. Quibusdam etiam constantissimis in conspectu populi, sudor erumpit non aliter, quàm fatigatis & æstuantibus solet: quibusdam tremunt genua dicturis, quorundam dentes colliduntur, lingua titubat, labra concurrunt. Hæc nec disciplina, nec vsus vnquam excutit, sed natura vim suam exercet, & illos vitij sui etiam robustissimos admonet. Hæc, vt dixi, nulla sapientia abigit: alioquin haberet rerum naturam sub imperio sui, si omnia eraderet vitia. Quæcunque attribuit conditio nascendi, & corporis temperatura, cùm multum se diúque animus composuerit, hærebunt: Nihil horum vitari potest, non magis quàm accersiri. Accipe quidem vtilem & salutarem clausulam, quam te affigere animo volo. Aliquis vir bonus nobis eligendus est, ac semper ante oculos habendus, vt sic tanquam illo spectante viuamus, & omnia tanquam illo vidente faciamus. Hoc mihi, Lucili, Epicurus præcipit, custodem nobis & pædagogum dedit: nec immeritò. Magna pars peccatorum tollitur, si peccatorum testis assistat. Aliquem habeat animus, quem vereatur, cuius authoritate etiam secretum suum sanctius faciat. O felicem illum, qui

qui non actus tantùm, sed etiam cogitatus emendat! O felicem, qui sic aliquem vereri potest, vt ad memoriam quoque eius se componat, atque ordinet! Qui sic aliquem vereri potest, citò erit verendus. Elige itaque Catonem, si hic videtur tibi nimis rigidus, elige remissioris animi virum Lælium: elige eum, cuius tibi placuit & vita & oratio, & ipsius animum ante te ferrens & vultus, illum semper tibi ostende, vel custodem, vel exemplum. Opus est (inquam) aliquo, ad quem mores nostri seipsi erigant. Nisi ad regulam, praua non corriges.

Ex Epistola XV.

Amor corporis contemnendus.

ADijce nunc, quod maiore corporis sarcinâ animus læditur, & minùs agilis est. Itaque, quantũ potes, circũscribe corpus tuum, & animo locum laxa: multa sequuntur incommoda huic deditos curæ. Primùm exercitationes, quarum labor spiritum exhaurit, & inhabilẽ intentioni, ac studiis acrioribus reddit. Deinde, copiâ ciborum subtilitas animi impeditur. Quicquid facies, citò redi à corpore ad animum, illum noctibus ac diebus exerce: labore modico alitur ille. Hanc exercitationem, non frigus, non æstus impediet nec senectus quidem. Id bonum cura, quod vetustate fit melius. Neque enim te semper iubeo immin ere libro, aut tabulis, aut pugillaribus. Dandum est aliquod interuallum animo, ita tamen vt non resoluatur, sed vt remittatur. Gestatio & corpus concutit, & studio non officit: possis legere, possis dictare, possis loqui, possis audire, quorum nihil nec ambulatio vetat fieri.

Stultitia.

Stulti via ingrata est, trepida est, tota in futurum fertur. Quis hæc (inquis) dicit? Idem qui supra, quam tu nunc vitam dici existimas stultam. Habe & Ixionis. Non ita est, nostra dicitur. quos cæca cupiditas in nocitura, certè nunquam satiatura præcipitat, quibus si quid satis esse possit, fuisset qui non cogitamus, quam iucundum sit nihil poscere, quàm magnificum plenum esse, non ex fortunâ pendere. Discedant aliquando ista insidiosa bona, & sperantibus meliora, quàm assecutis. Si quid in illis esset solidi, aliquando & implerent. Nunc haurientium sitim concitant. Quare potiùs à fortunâ impetrem, ut det, quàm à me, ne petam? quare autem petam, oblitus frugalitatis humanæ? Congeram (inquit) laborem.

Ex Epistola XVI.

Philosophiæ laus.

ILlud ante omnia vide, vtrùm in philosophiâ, an in ipsâ vitâ profeceris. Non est philosophia populare artificium, nec ostentationi paratum. Non in verbis, sed in rebus est. Nec in hoc adhibetur, vt aliquâ oblectatione consumatur dies, vt dematur otio nausea. Animum format & fabricat, vitam disponit, actiones regit, agenda & omittenda demonstrat, sed & gubernaculum est, & per ancipitia fluctuantium dirigit cursum: sine hâc nemo securus est. Innumerabilia accidunt singulis horis, quæ consilium exigunt, quod ab hâc petendum est. Hæc adhortabitur, vt Deo libenter pareamus, vt fortunæ contumaciter resistamus. Hæc docebit, vt Deum sequaris, feras casum.

Diuitiæ non satiant.

Sic quoque ab Epicuro dictum est: Si ad naturam viues, nunquam eris pauper: si ad opiniones, nunquam eris diues. Exiguum natura desiderat, opinio immensum. Congeratur in te quicquid multi locupletes possederunt, vltra priuatum pecuniæ modum fortuna te prouehat, auro tegat, purpura vestiat, & eò deliciarum opumque perducat, vt terram marmoribus abscondas. Accedant statuæ, & picturæ, & quicquid vlla luxuria elaborauit: maiora cupere ab his disces.

Ex Epistola XXVIII.

Peregrinatio qualis?

ANimum debes mutare, non cœlum licet vastum traieceris mare, licet (vt ait Virgilius noster terræque vrbesque recedant, sequentur te, quocunque perueneris, vitia. Hoc idem cuidam quærenti, Socrates ait, Quid miraris nihil tibi peregrinationes prodesse, cum te circumferas? Premit te eadem causa, quæ expulit. Quid terrarum iuuare nouitas potest? quid cognitio vrbium, aut locorum? In irritum cedit ista iactatio. Quicquid facis, contra te facis, & motu ipso noces tibi, ægrum enim concutis. At cùm istud exemeris malum, omnis mutatio loci iucunda fiet: in vltimas expellaris terras licebit, in quolibet Barbariæ angulo colloceris, hospitalis tibi illa qualiscunque sedes erit. Magis quis veneris, quàm quo intersit. Non peregrinaris, sed erras, & ageris, ac locum ex loco mutas, cùm illud quod quæris, bene viuere, omni loco positum sit. Nunquid tam turbidum fieri potest, quàm forum? ibi quoque licet quietè viuere, si necesse sit. Sed si liceat disponere se, conspectum quoque & viciniam fori procul fugiam. Nam vt loca grauia etiam firmissimam valetudinem tentant, ita quoque bonæ menti nec dum adhuc perfectæ, & conualescenti sunt aliqua parum salubria. Tempus est desinere, sed si priùs portorium soluero. Initium est salutis, notitia peccati. Egregriè mihi hoc dixisse videtur Epicurus. Nam qui peccare se nescit, corrigi non vult: deprehendas te oportet, antequam emendes. Quidam vitiis gloriãtur, qui mala sua virtutum loco numerant. Tu existimas aliquid de remedio cogitare. Ideo, quantum potes, teipsum coargue, inquire in te, accusatoris primùm partibus fungere, deinde iudicis, nouissimè deprecatoris, aliquando te offende.

Ex Epistola XXXIV.

Doc alios, stabil.

SI agricolam arbor ad fructum producta delectat: si pastor ex fœtu gregis sui capit voluptatem: si alumnum suum nemo aliter intuetur, quàm vt adolescentiam illius suam iudicet: Quid euenire credis his, qui ingenia educauerunt, & quæ tenera formauerunt, adulta subitò vident? Assero te mihi, meũ opus es. Ego cùm vidissem indolem tuam, inieci manum, exhortatus sum, addidi stimulos, nec lentè ire passus sum, sed subinde incitaui, & nunc idem facio. Sed iam currentem hortor & inuicem hortantem. Itaque pars magna bonitatis est, fieri bonum. Non est huius animus in recto, cuius acta discordant.

Ex Epistola XXXV.

Con tia.

ANte omnia hoc cura, vt constes tibi. Quoties experiri voles, an aliquid actum sit, obserua, an eadem velis, quæ heri: mutatio voluntatis indicat animum natare alicubi at alicui apparere, prout tulit ventus. Non vagatur, quod est fixum, & fundatum. Illud sapienti profectò contigit aliquatenus, & proficienti, perfectóque. Quid ergo interest? hic commouetur quidem, non tamen transit, sed suo loco mutat. Ille nec commouetur quidem.

Ex Epistola XXXVII.

Sapie vera.

QVomodo ergo (inquis) expediam me? Effugere non potes necessitates, potes vincere: fiat via, & hanc tibi viam dabit philosophia: ad hanc te confer, si vis saluus esse, si securus, si beatus. Denique si vis esse (quod est maximum) liber, hoc contingere aliter non potest. Humilis res est stultitia abiecta, sordida, seruilis, multis affectibus & sæuissimis subiecta. Hos tam graues dominos interdum alternis vicibus imperantes, interdum pariter, dimittit à te sapientia, quæ sola libertas est. Vna ad hanc fert via, & quidem recta, non aberrabis, vade certo gradu. Si vis tibi omnia subiicere, te subiice rationi, multos reges, si ratio te rexerit, ab illâ disces, quid, & quemadmodum aggredi debeas.

Ex Epistola XXXVIII.

Ser vtili

PLurimùm proficit sermo, qui minutatim irrespserit animo: disputationes præparatæ, & effusæ audiente populo, plus habent strepitus, minùs familiaritatis. Nec enim multis opus est, sed efficacibus. Seminis modo spargenda sunt, quod quamuis sit exiguum, cùm occupauit idoneum, vires suas explicat, & ex minimo in maximos actus diffunditur. Idem facit oratio: non latè patet: si aspicias, in opere crescit. Pauca sunt, quæ dicuntur: sed si illa animus bene exceperit, conualescunt & exurgunt.

Ex Epistola XXXIX.

Inc bona dolii

HAbet enim hoc optimum in se generosus animus, quòd concitatur ad honesta. Ita animus noster in motu est, eò mobilior & actuosior, quò vehementior fuerit: sed felix, qui ad meliora hunc impetum dedit. Magnanimi est, magna contemnere, ac mediocria malle, quàm nimia. Illa enim vtilia vitaliaque sunt. At hæc, quò superfluunt, nocent. Sic segetem nimia sternit vbertas, sic rami onere franguntur, sic ad maturitatem non peruenit nimia fœcunditas. Idem animis quoque euenit, quos immoderata felicitas rumpit, quâ non tantùm in aliorum iniuriam, sed etiam in suam vertuntur. Quis hostis in quenquam tam contumeliosus fuit, quàm in quosdam voluptates suæ sunt? quorum impotentiæ atque insanæ libidini ob hoc vnum possis ignoscere, quod, quæ facere patiuntur. Inania & ex libidine orta sine termino sunt, necessaria metitur vtilitas, superuacua quò redigis? voluptatibus vtique se immergunt, quibus in consuetudinem adductis carere non possunt: & ob hoc miserrimi sunt, quòd eò peruenerunt, vt illis quæ superuacua fuerant, facta sint necessaria. Seruiunt itaque voluptatibus suis, non fruuntur, & mala sua (quod malorum vltimum est) amant. Tunc autem consummata est infelicitas, vbi turpia non solùm delectant, sed etiam placent: & desinit esse remedio locus, vbi quæ fuerant vitia, mores sunt.

Ex Epistola XL.

De t di mo

NIhil autem ordinatum est, quod præcipitatur & properat. Sic itaque habe, vt istam vim dicendi rapidam, atque abundan

abundantem, aptiorem esse circulanti iudices, quàm agenti rem magnam atque seriam, docentique æquè stillare illam nolo, quam currere. Nec extendat aures, nec obruat. Nam illa quoque inopia & exilitas minùs intentum auditorem habet, tædio interruptæ tarditatis. Faciliùs tamen incidit, quod expectatur, quàm quod præteruolat.

xercitatio Præterea exercitatione opus est quotidianâ, & à rebus studium transferendum est ad verba. Hæc autem etiamsi aderunt, & poterunt sine vllo tuo labore decurrere, tamen temperanda sunt Nam quemadmodum sapienti viro incessus modestior conuenit: ita oratio pressa, non audax. Summa ergo summarum hæc erit: tardiloquum te esse iubeo.

Ex Epistola XLV.

Contra ...tico- ...na- ...tio- ...es MVltum illis temporibus verborum cauillatio eripuit, & captiosæ disputationes, quæ acumen irritum exercent. Nectimus nodos, & ambiguam significationem verbis alligamus, deinde dissoluimus, ac tantum nobis vacat, iam viuere, iam mori scimus. Totâ illò mente pergendum est, vbi prouideri debet, ne res nos, non verba decipiant. Quid mihi vocum similitudines distinguis, quibus nemo vnquam, nisi qui disputat, captus est? Cæterùm qui interrogatur, an cornua habeat, non est tam stultus, vt frontem suam tentet: nec rursus tam ineptus, aut hebes, vt non habere se nesciat quod tu illi subtilissimâ collectione persuaseris. Sic ista sine noxâ decipiunt, quomodo præstigiatorum acetabula & calculi, in quibus me fallacia ipsa delectat. Effice vt, quomodo fiat, intelligam: perdidi vsum. Idem de istis captionibus dico: quo enim nomine potiùs sophismata appellem, nec ignoranti nocent, nec scientem iuuant. Si vis vtique verborum ambiguitates deducere, hoc nos doce, beatum non eum esse, quem vulgus appellat, ad quem pecunia magna confluxit: sed illum cui bonum omne in animo est erectum: & excelsum, & mirabilia calcantem: qui neminem videt, cum quo se commutatum velit: qui hominem eâ solâ parte æstimat, quâ homo est: qui natura magistra vtitur, ad illius leges componitur, sic viuit, quomodo illa præscripsit: cui bona sua nulla vis excutit: qui mala in bonum vertit: certus iudicij inconcussus, intrepidus: quem aliqua vis mouet, nulla perturbat: quem fortuna, cum in eum quod habuit telum nocentissimum, vi maxima intorsit, pungit, non vulnerat, & hoc raro.

Ex Epistola XLIX.

...ul ma- ...riles MVs, syllaba est: mus autem caseum rodit: syllaba ergo caseum rodit. O pueriles ineptias! in hoc supercilia subduximus, in hoc barbam dimisimus, hoc est quod tristes docemus & pallidi? Vis scire quod philosophia promittat generi humano consilium? Alium mors vocat, alium paupertas vrit, alium diuitiæ vel alienæ torquent, vel suæ. Ille malam fortunam horret, hic se felicitati suæ subducere cupit, hunc homines malè habent, illum dij Quid mihi lusoria ista proponis? non est iocandi locus, ad miseros aduocatus es. Opem te laturum naufragis, captis, ægris, egentibus, intentæ securi subiectum præstantibus caput pollicitus, quò diuerteris? quid agis? hic, cum quo ludis, timet. Succurrere, quisquis eloquentiores in pœnis. Vtinam tantùm prodessent, quantùm nocent! Hoc tibi, cum voles, manifestissimum faciam, & comminui & debilitari generosam indolem in istas argutias coniectam. Et quod omnes optant, & quod omnes timet calcem, ad grammaticorum elementa descenditis. Quid dicitis? sic itur ad astra? hoc enim est quod philosophia mihi promittit, vt me parem Deo faciat: ad hoc inuitatus sum, ad hoc veni, fidem præsta, quantùm potes. Ergo mi Lucili, reduc te ab istis exceptionibus & præscriptionibus philosophorum: aperta docent & simplicia bonitatem. Etiamsi multùm superesset ætatis, parcè dispensandum erat, vt sufficeret necessariis. Nunc quæ dementia est, superuacua discere in tanta temporis egestate?

Ex Epistola L.

Tempus ... labi... INfinita est velocitas temporis, quæ magis apparet respicientibus. Nam ad præsentia intentos fallit, adeò præcipitis fugæ transitus leuis est. Punctum est quod viuimus, & adhuc puncto minus, sed hoc minimum specie quadam longioris spacij natura diuisit: aliud ex hoc infantiam fecit: aliud, pueritiam: aliud, adolescentiam: aliud, inclinationem quandam ab adolescentia ad senectutem: aliud, ipsam senectutem inquam angusto quot gradus posuit? Modo te prosequutus sum, & tamen hoc modo ætatis nostræ portio est, cuius breuitatem aliquando futuram cogitemus. Non solebat mihi tam velox tempus videri. Nunc incredibilis cursus apparet, siue quia admoueri lineas sentio, siue quia attendere cœpi, & computare damnum meum, eo magis vtque indignor, aliquos ex hoc tempore (quod sufficere nec ad necessaria quidem potest, etiam si custoditum diligentissimè fuerit) in superuacua maiorem partem erogare. Negat Cicero, si duplicetur sibi ætas, habiturum se tempus, quo legat Lyricos, eodem loco Dialecticos: tristius inepti sunt, illi ex professo lasciuiunt, hi agere seipsos aliquid existimant: nec ego nego prospicienda ista, sed prospicienda & à limine salutanda, in hoc vnum, nec verba nobis dentur, & aliquid esse in illis magni ac secreti boni iudicemus. Quid te torques & maceras in ea quæstione, quam subtilius est contempsisse, quàm soluere? Non vacat in verba dubiè cadentia consectari, & vafritiam in illis meam experiri. Nunc mortifera mecum sunt. Nunc vaco ad istas ineptias. Ingens negotium in manibus est. Quid agam? mors me sequitur, fugit vita: aduersus hæc me doce, aliquid effer, ne mortem non fugiam, vita me non fugiat. Exhortare aduersus difficilia de æquanimitate, aduersus ineuitabilia, angustias temporis mei laxa, doce non esse positum bonum vitæ in spacio eius, sed in vsu: posse fieri, imo sæpè fieri, vt qui diu vixit, parum vixerit. Dociles natura nos edidit, rationem dedit imperfectam, sed quæ perfici posset. De iustitia mihi, de pietate disputa, de frugalitate, de pudicitia vtraque, & illa cui alieni corporis abstinentia est, & hac, cui sui cura.

Ex Epistola LIX.

COrpora nostra rapiuntur fluminum more, quicquid vides currit cum tempore. Nihil ex his, quæ videmus, manet. Ego ipse, dum loquor mutari ista, mutatus sum. Hoc est, quod ait Heraclitus: In idem flumen bis descendimus, & non descendimus. Manet enim idem fluminis nomen, aqua transmissa est: hoc in amne manifestius est, quàm in homine. Sed nos quoque non minùs velox cursus præteruehit, & ideo admiror dementiam nostram, quòd tantopere amamus rem fugacissimam, corpus, timemusque ne quando moriamur, cùm omne momentum, mors prioris habitus sit. Vis tu timere, ne semel fiat, quod quotidie fit? De homine dixi: fluida materia & caduca, & omnibus obnoxia causis. Mundus quoque æterna res & inuicta, mutatur. nec idem manet. Quamuis enim omnia in se habeat, quæ habuit, aliter habet, quàm habuit, ordinem mutat. Quid (inquis) ista subtilitas mihi proderit? Si me interrogas: nihil. Sed quemadmodum ille cælator oculos diu intentos ac fatigatos, & remittit atque auocat, & (vt dici solet) pascit: sic nos animum aliquando debemus relaxare, & quibusdam oblectamentis reficere, sed ipsa oblectamenta opera sint. Ex his quoque, si obseruaueris, inuenies quod possit fieri salutare. Quid ex istis traham, quod cupiditates meas comprimat? vel hoc ipsum, quod omnia ista, quæ sensibus seruiunt, quæ nos accendunt, & irritant: negat Plato ex his esse, quæ verè sint. Igitur ista imaginaria sunt, & ad tempus aliquam faciem ferunt: nihil horum stabile nec solidum est: & nos tamen cupimus, tanquam semper futura, ac semper habituri imbecilli, fluidique per interualla constituimus. Mittamus animum ad illa, quæ æterna sunt, miremur in sublime volitantes rerum omnium formas, Deumque inter illa versantem, & hoc prouidentem, quemadmodum quæ immortalia facere non potuit (quia materia prohibebat) defendat à morte: hac ratione vitium corporis vincat. Manent enim cuncta, non quia æterna sunt, sed quia defenduntur cura regentis, immortalia tutore non egent Hæc conseruat artifex, fragilitatem materiæ i suâ vincens.

Tempus præterit.

Recreatio nobis aliquando necessaria.

Frugalitas Platonis.

Ex Epistola. LXV.

QVorundam scripta clarum habent tantùm nomen cætera exanguia sunt. Instituunt, disputant, cauillantur, Non faciunt animum. quia non habent. Cum legeris Sextium, dices, Viuit, viget, liber est, supra hominem est: dimittit me plenum ingentis fiduciæ. In quacunque positione mentis sim (cùm lego hunc) fatebor tibi, libet omnes casus prouocare, libet exclamare: Quid cessas fortuna? congredere, paratum vides Illius animam induo, qui quærit vbi se experiatur, vbi virtutem suam ostendat.

Spumantemque dari pecora inter inertia votis.
Optat aprum, aut fuluum descendere monte leonem.

Libet aliquid habere quod vincam, cuius patientia exerceat. Nam hoc quoque egregium Sextius habet, quod & ostēdet tibi beatæ vitæ magnitudinem, & desperationem eius non faciet Scies illam esse in excelso sed volenti penetrabilē Hoc quidem virtus tibi ista præstabit, vt illam admireris, & tamen speres. Mihi certè temporis multum auferre solet contemplatio ipsa sapientiæ. Non aliter ipsam intueor obstupefactus, quàm ipsum interim mundum, quæ sæpè tanquam spectator nouus video Veneror itaque inuenta sapientiæ, inuentoresque adire tanquam multorum hæreditatem, iuuat. Mihi ista acquisita, mihi laborata sunt. Sed agamus bonum patrem familiæ, faciamus ampliora quæ accepimus, maior ista hæreditas à me ad posteros transeat, Multum adhuc restat operis, multumque restabit, nec vlli nato post mille secula præcludetur occasio aliquid adhuc adiiciendi. Sed etiam si omnia à veteribus inuenta sunt, hoc semper nouum erit, vsus & inuentorum ab aliis scientia & dispositio. Puta relicta nobis medicamenta, quibus

De sophisticis scriptis.

Profectus in homine laudatur.

quibus sanarentur oculi. Non opus est mihi alia quærere, sed tamen morbis & temporibus aptanda sunt. Hoc asperitas oculorum conleuatur, hoc palpebrarum crassitudo tenuatur, hoc vis subita & humor auertitur, hoc acuitur visus. Teras ista oportet, & eligas tempus, adhibeas singulis modum. Animi remedia inuenta sunt ab antiquis: quomodo autem admoueantur, aut quando, nostri operis est quærere.

Ex Epistola LXXII.

In studiis quid præcipuum? Erige te, Lucili virorum optime, & relinque ludum istum literarium philosophorum, qui rem magnificentissimam ad syllabas vocant, qui animum minuta docendo dimittunt & conterunt: fies similis illis qui inuenerunt ista, non qui docent, & id agunt, vt philosophia potius difficilis, quàm magna videatur. Socrates, qui totam philosophiam reuocauit ad mores, & hanc summam dixit esse sapientiam, bona malaque distinguere: Sequere (inquit) illos, si quid apud te habeo authoritatis, vt sis beatus, & te alicui stultum videri sine: quisquis volet tibi contumeliam facere, faciat & iniuriam: tu tamen nihil patieris, si modò tecum erit virtus. Si vis (inquam) beatus esse, si fide bonâ vir bonus, sine contemnat te aliquis. Hoc nemo præstabit, nisi qui omnia bona exæquauerit: quia nec bonum sine honesto est, & honestum in omnibus par est. Non putant enim fieri, quicquid facere non possunt, ex infirmitate sua de virtute ferunt sententiam. Quid miraris, si vri,
De pigritiâ & pusillanimitate. vulnerari, occidi, alligari iuuat? aliquando etiam libet? Luxurioso frugalitas pœna est, pigro supplicij loco labor est. Delicatus miseretur industrij, desidioso studere torqueri est. Eodem modo, hæc ad quæ omnes imbecilli sumus, dura atque intoleranda credimus, obliti quàm multis tormentum sit vino carere, aut prima luce excitari. Non ista difficilia sunt natura, sed nos fluidi & enerues. Magno animo de rebus magnis iudicandum est, alioqui videbitur illarum vitium esse, quod nostrum est. Sic quædam rectissima (cùm in aquam demissa sunt) speciem curui præfractique visentibus reddunt. Magna
Profectus in quo cõsistat. pars est profectus, velle proficere. Huius rei conscius mihi sum. Volo, & tota mente volo te quoque instinctum esse, & magno ad pulcherrima properare impetu video. Properemus, ita demum vita beneficium erit, alioqui mora est, & quidem turpis inter fœda versantibus. Id agamus, vt nostrum omne tempus sit. Non erit autem, nisi prius nos nostri esse cœperimus. Quando continget contemnere vtramque fortunam? quando continget omnibus oppressis affectibus, & sub arbitrium adductis, hanc vocem emittere? Vici. Quem vicerim; quæris? Non Persas, nec extrema Medorum, nec si quid vltra Dacas bellicosum iacet: sed auaritiam, sed ambitionem, sed metum mortis, qui victores gentium vicit,

Ex Epistola LXXXV.

Vicissitudo in studiis Alit lectio ingenium, & studio fatigatum non sine studio tamen, reficit. Nec scribere tantùm nec tantùm legere debemus. Altera res contristabit vires, & exhauriet: de stilo dico: altera soluet ac diluet. Inuicem hoc & illo commeandum est, & alterum altero temperandum, vt quicquid lectione
Apes imitari debemus. collectum est, stilus redigat in corpus. Apes (vt aiunt) debemus imitari, quæ vagantur, & flores ad mel faciendum idoneos carpunt. Deinde quicquid attulere disponunt, ac per fauos digerunt, & vt Virgilius noster ait,

——— ——— liquentia mella
Stipant, & dulci distendunt nectare cellas.

Apum diligentiæ & virtutes. De illis non satis constat, vtrum succum ex floribus ducant qui protinus mel fit: an quæ collegerunt, in hunc saporem mixtura quâdam & proprietate spiritus sui, mutent. Quibusdam enim placet, non faciendi mellis scientiam esse illis, sed colligendi. Aiunt inueniri apud Indos mel in arundinum foliis, quod aut ros illius cœli, aut ipsius arundinis humor dulcis & pinguior gignat. In nostris quoque herbis vim eandem, sed minus manifestam & notabilem, poni, quam persequatur & contrahat animal huic rei genitum. Quidam existimant conditura & dispositione in hanc qualitatem verti, quæ ex tenerrimis virentium florentiumque decerpserint, non sine quodam (vt ita dicam) fermento, quo in vnum diuersa coalescunt. Sed ne ad aliud, quàm de quo agitur, abducar: nos quoque has apes debemus imitari, & quæcunque ex diuersâ lectione congessimus, separare. melius enim distincta seruantur. Assentiamur illis fideliter & nostra faciamus, vt vnum quoddam fiat ex multis, sicut vnus numerus fit ex singulis, cum minores summas & dissidentes computatio vna comprehendit. Hoc faciat animus noster.

Ex Epistola LXXXIX.

De liberalibus artibus. Qvidam illud de liberalibus studiis quærendum iudicauerunt, an virum bonum facerent. Ne promittunt quidem, nec huius rei scientiam affectant. Grammaticus circa curam sermonis versatur, & si latius euagari vult, circa historias. Iam vt longissimè fines suos proferat, circa carmina. Quid horum ad virtutem struit? Syllabarum enarratio, & verborum diligentia, & fabularum memoria, versuum lex, ac modificatio? Quid ex his metum demit, cupiditatẽ eximit, libidinem frænat? Ad Geometriam transeamus, & ad Musicam: nihil apud illas inuenies, quod vetet timere, vetet cupere. Quisquis hæc ignorat alia frustra scit. Quæris, Vlysses vbi errauerit potiùs, quàm efficias ne nos semper erremus? non vacat audire, vtrum inter Italiam & Siciliam iactatus sit, an extra notum nobis orbem: neque enim potuit in tam angusto pati tam longos errores, seu tam longas tempestates. Nos animi quotidie iactant, & nequitia in omnia Vlyssis mala impellit, non deest forma quæ sollicitet oculos, non hostis: hinc monstra effera & humano cruore gaudentia, hinc insidiosa blandimenta aurium, hinc naufragia & tot varietates malorum. Hoc me doce, quomodo patriam amem, quomodo vxorem, quomodo patrem, quomodo ad hæc tam honesta vel naufragus nauigem. Quid inquiris, an Penelope impudica fuerit, an verba seculo suo dederit, an Vlyssem illum esse, quem videbat, antequam sciret, suspicata sit? Doce me, quid sit pudicitia, & quantum in ea bonum: in corpore, an in animo posita sit. Ad musicam transeo. doces me, quomodo inter se acutæ ac graues voces consonent, quomodo numerorum disparem reddentium sonum fiat concordia. Fac potius, quomodo animus secum meus consonet, nec consilia mea discrepent. Monstras mihi, qui sint modi flebiles: monstra potius, quomodo inter aduersa non emittam flebilem vocem. Metiri me geometres docet latifundia: potius doceat, quomodo metiar, quantum homini sit satis. Numerare me docet Arithmetica, & auaritiæ commendat digitos: potius doceat, nihil ad rem pertinere istas computationes, non esse feliciorem, cuius patrimonium tabularios lassat, imò quàm superuacua possideat, qui infelicissimus futurus est, si quantum habeat, per se computare cogatur. Quid enim prodest scire, agellum in partes diuidere, si nescio cum fratre diuidere. Quid prodest colligere subtiliter pedes iugeri, & comprehendere etiam si quid decempedam effugit, si tristem me facit vicinus potens, & aliquid ex meo abradens? Doces me quomodo nihil perdam ex finibus meis: & ego discere volo, quomodo totos hilaris amittam. Paterno agro, inquit, & auito expellor. Quid? Ante auum tuum, quis istum agrum tenuit? Cuius (non dico, hominis, sed populi) fuerit, expedire potes? Non dominus isto, sed colonus intrasti. Cuius colonus es? Si bene tecum agitur, hæredis. Negant iurisconsulti quicquam vsucapi, quod publicum est. Publicum est hoc quod tenes, & quidem generis humani. O egregiam artem scis! scis rotundè metiri, in quadratum redigis quamcunque acceperis formam, interualla siderum dicis, nihil est quod in mensuram tuam non cadat. Si artifex es, metire hominis animum, dic quàm magnus sit, dic quàm pusillus sit. Scis quæ recta sit linea: quid tibi prodest, si quid in vita rectum sit ignoras. Venio nunc ad illum, qui cœlestium notitia gloriatur.

Frigida Saturni quo sese stella recepte,
Quos ignis cœli Cyllenius erret in orbes.

Hoc scire quid proderit vt sollicitus sim, cùm Saturnus & Mars ex contrario stabunt, aut cùm Mercurius vespertinum faciet occasum vidente Saturno. Potius hoc discam, vbicunque sunt ista, propitia esse, non posse mutari. Agit illa continuus ordo fatorum, & ineuitabilis cursus. Per statas vices remeant. Effectus omnium aut monent, aut notant. Sed siue quicquid euenit faciunt, quid immutabilis rei notitia perficiet? siue significant, quid refert prouidere, quod effugere non possis? Scias ista, nescias, fient.

Si verò solem ad rapidum stellasque sequentes
Ordine respicies, nunquam te crastina fallet
Hora, nec insidiis noctis capiere serenæ.

Nunquid me crastina non fallit hora? fallit enim quod nescienti euenit. Ego quid futurum sit, nescio: quid fieri possit, scio. Solæ autem liberales sunt, imo (vt dicam verius) liberæ, quibus curæ virtus est. Cum dicatis (inquit) sine liberalibus studiis ad virtutem non perueniri quemadmodum negatis illa nihil conferre virtuti? qui nec sine cibo ad virtutem peruenitur, cibus tamen ad virtutem non pertinet. Ligna nihil naui conferunt, quamuis non fiat nauis nisi ex lignis. Quid est autem quare existimem non futurum sapientem eum, qui literas nescit, cùm sapientia non sit in literis? Res trahit non verba, & nescio an certior memoria sit, quæ nullum extra se subsidium habet. Tantum itaque ex illis retineamus, quantum est necessarium. An tu existimas reprehendendum, qui superuacua vsu sibi comparat, & preciosarum rerum pompam in domo explicat? Non putas eum, qui occupatus est in superuacua literarum supellectile, plus scire velle, quàm sit satis? Intemperantiæ genus est. Quid? quod ista liberalium artium consectatio molestos, verbosos, intempestiuos sibi placentes facit: & ideo non discentes necessaria, quia superuacua didicerunt. Quid ergo nos sumus? quid ista, quæ nos circumstant, alunt, sustinent? tota rerum natura vmbra est, aut inanis, aut fallax.

Ex Epistola XCV.

QVid autem philosophia nisi vitæ lex est? Sed putemus nõ proficere leges: non ideo sequitur, vt ne monitiones quidem proficiant. Aut sic, & consolationes nega proficere, dissuasionesque, & adhortationes, obiurgationes, & laudationes. Omnia ista monitionum genera sunt, per ista ad perfectum animi statum peruenitur. Nulla res magis animos honesta induit, dubiosque in prauum inclinabiles reuocat ad rectum, quàm bonorum virorum conuersatio. Paulatim enim descendit in pectora, & vim præceptorum obtinet, frequenter audiri, aspici frequenter. Occursus me hercule ipse sapientium iuuat, & est aliquid, quod ex magno viro, vel tacente proficias. Nec tibi facile dixerim, quemadmodum prosit, sic vt illud intelligam profuisse. Minuta quædam (vt ait Phædon) animalia cùm mordent, non sentiuntur, adeo tenuis illis & fallens in periculum vis est: tumor indicat morsum, & ipso tumore nullum vulnus apparet. Idem tibi in conuersatione virorum sapientium eueniet: non deprehendes: quemadmodum & quando tibi prosit, profuisse deprehendes. Quorsum, inquit, hoc pertinet? Æque præcepta bona, si sæpè tecum sint profutura, quàm bona exempla. Pythagoras ait, alium animum fieri intrantibus templum, deorumque simulachra ex vicino cernentibus, & alicuius oraculi aperientibus vocem. Quis autem negauit feriri quibusdam præceptis efficaciter, etiam imperitissimos, velut his breuissimis vocibus, sed multum habentibus ponderis? Nihil nimis. Auarus animus nullo satiatur lucro. Ab alio expectes, alteri quod feceris. Hæc cum ictu quodam audimus, nec vlli licet dubitare, aut interrogare, quare: adeò etiam sine ratione ipsa veritas ducit. Si reuerentia frænat animos, aut vitia compescit, cur non admonitio idem possit? Si imponit pudorem castigatio, cur admonitio non faciat, etiam si nudis præceptis vtimur? Illa verò efficacior est & altiùs penetrat, quę adiuuatur ratione, quæ præcipit, quæ adiicit, quare quidque faciendum sit, & quis facientem obedientemque præceptis fructus expectet. Si imperio & admonitione, proficitur. Atqui proficitur imperio, ergo & adminitione. Marcus Agrippa, vir ingentis animi (qui solus ex his, quos ciuilia bella claros potentesque fecerunt, felix in publicum fuit) dicere solebat, multum se huic debere sententiæ: Nam concordiâ paruæ res crescunt, discordiâ maximæ dilabuntur. Hac se aiebat & fratrem, & amicum optimum factum. Pars virtutis disciplinâ constat, pars exercitatione. Et discas oportet, & quod didicisti, agendo confirmes. Philosophia, inquit, diuiditur in hæc, scientiam, & habitum animi. Nam qui didicit, & facienda ac vitãda percipit, nondum sapiens est, nisi in ea, quæ didicit, animus eius transfiguratus est. Tertia pars ista percipiendi ex vtroque est, & ex decretis, & ex habitu.

Ex Epistola CI.

ORatio sollicita philosophum non decet. Vbi tandem erit fortis & constans, vbi periculum sui faciet, qui timet verba? Fabianus non erat negligens in oratione, sed securus. Itaque nihil inuenies sordidum. Electa verba sunt, non captata, nec huius seculi more contra naturam suam posita & inuersa, splendida tamen: quamuis sumantur è medio, sensus honestos & magnificos habent, non coactos in sententia, sed altiùs dictos, &c.

Ex Epistola CV.

SOcratem, querenti cuidam, quòd nihil sibi peregrinationes profuissent, respondisse ferunt: Non immeritò hoc tibi euenit. Tecum enim peregrinabaris. O quàm bene cum quibusdam ageretur, si à se aberrarent! Nunc primùm seipsos sollicitant, corrumpunt, territant. Quid prodest mare traiicere, & vrbes mutare? Si vis ista, quibus vrgeris, effugere, non alibi sis oportet, sed alius. Puta venisse te Athenas, puta Rhodon, elige arbitrio tuo ciuitatem. Quid ad rem pertinet, quos illa mores habeat? tuos afferes. Quid per se prodesse peregrinatio cuiquam potuit? Non voluptates illa temperauit, non cupiditates refrenauit, non iras repressit: non indomitos amoris motus fregit, nulla denique animo mala eduxit, non iudicium dedit, non excussit errorem, sed vt puerum ignota mirantem, ad breue tempus rerum aliquâ nouitate detinuit. Cæterùm inconstantiam mentis, quæ maximè ægra est, lacessit, mobiliorem leuioremque reddit ipsa tractatio. Itaque qui petierant cupidissimè loca cupidiùs deserunt, & auium modo transuolant, citiusque quàm venerant abeunt. Peregrinatio notitiam dabit gentium, nouas tibi montium formas ostendet, inusitata spacia camporum, & irriguas perennibus aquis valles, & alicuius fluminis sub obseruatione naturam, &c. Cæterùm, neque meliorem facient, neque saniorem. Inter studia versandum est, & inter auctores sapientiæ, vt quæsita discamus, nondum inuenta quæramus. Sic eximendus animus, ex miserrima seruitute in libertatem asseritur. Medicina ergo querenda non regio est. Fregit aliquis crus, aut extorsit articulum, non vehiculum nauemque conscendit, sed aduocat medicum, vt fracta pars iungatur, vt luxata in locum reponatur. Quid ergo? animum, tot locis fractum & extortum, credis locorum mutatione posse sanari? Maius est istud malum, quam vt gestatione curetur. Peregrinatio non facit medicum, non oratorem. Nulla ars loco discitur. Quid ergo? Sapientia res omnium maxima in itinere colligitur? Nullum enim (mihi crede) iter, quod extra cupiditates, extra iras, extra metus sistat, aut si quod esset, agmine facto, gens illuc humana pergeret. Tamdiu ista vrgebunt mala, macerabuntque per terras ac maria vagum, quàm diu malorum gestaueris causas. Fugam tibi non prodesse miraris? tecum sunt quæ fugis. Te igitur emenda, onera tibi detrahe, & emenda desideria. Omnem ex animo erade nequitiam. Vnus est huius vitæ fluctuantis & turbidæ portus: Euentura contemnere: stare fidenter ad portum: tela fortunæ aduerso pectore excipere, non latitantem, nec tergiuersantem. Aurum, & argentum, & quicquid aliud felices domos onerat, relinquatur. Non potest gratis constare libertas. Hanc si magno æstimas, omnia paruo æstimanda sunt. Vale.

Ars nulla loco discitur.

Ex Epistola CVI.

NIhil tantùm æquè proderit, quàm quiescere, & minimũ cum aliis loqui, plurimum secum. Est quæstam dulcedo sermonis, qui irrepit & blanditur, & non aliter quàm ebrietas, aut amor, secreta producit.

Tecum habita.

Ex Epistola CVII.

QVoniam, vt voluisti, morem gessi tibi: nunc ipse dicam mihi, quod dicturum esse te video. Latrunculis ludimus, in superuacuis subtilitas teritur. Non faciunt bonos ista, sed Apertior res est sapere, imò simplicior. Paucis est ad mentem bonam vti literis. Sed nos, vt cætera in superuacuum diffundimus, ita Philosophiam ipsam: quemadmodum omnium rerum, sic literarum quoque intemperantia laboramus. Non vitæ, sed scholæ discimus. Vale.

Intemperantia circa scripturá.

Ex Epistola CIX.

HÆc retuli, vt probarem tibi, quàm vehementes haberent tyrunculi impetus primos, ad optima quæque, si quis exhortaretur illos, si quis impenderet. Sed aliquid præcipientium vitio peccatur, qui nos docent disputare: aliquid discentium, qui propositum afferunt ad præceptores suos, non animum excolendi, sed ingenium. Itaque quæ Philosophia fuit facta, philologia est. Multum autem ad rem pertinet, quò propositio ad quam rem accedat. Qui grammaticus futurus Virgilium scrutatur, non hoc animo legit illud egregium, Fugit irreparabile tempus. vigilandum est, nisi properemus, relinquimur. Agit nox, agiturque velox dies: inscij rapimur. Omnia in futurum disponimus, & inter præcipitia lenti sumus. Sed vt obseruet, quoties Virgilius de celeritate temporum dicit, hoc vti verbo illum fugit:

Optima quæque dies miseris mortalibus æui
Prima fugit, subeunt morbi, tristisque senectus,
Et labor, & duræ rapit inclementia mortis.

Iuuenes quomodo instituendi.

Ille qui ad philosophiam spectat, hæc eadem quo debet, adducit. Nunquam Virgilius inquit, dies dicit ire, sed fugere, quod currendi genus concitatissimè se & optimos quosque primos rapit. Quid ergo cessamus nos ipsi concitare, vt velocitatem rapidissimæ rei possimus æquare? meliora præteruolant, deteriora succedunt. Quemadmodum ex amphora primum quod est syncerissimum effluit, grauissimum quodque turbidum subsidit: sic in ætate nostra, quod est optimum, primum est. Id exhauriri in aliis potiùs patimur, vt nobis fæcem reseruemus. Inhæreat istud animo, & tanquam missum oraculo placeat.

Optima quæque dies miseris mortalibus æui.
Prima fugit. ————————

Quare optima? quia restat quod incertum est. Quare optima? Quia iuuenes possumus discere, possumus facilem animum & adhuc tractabilem ad meliora conuertere: quia hoc tempus idoneum est laboribus, idoneum agitandis per studia ingeniis, & exercendis per opera corporibus. Primus quisque tanquam optimus dies placeat, & redigatur in nostrum. Quod fugit occupandum est. Hoc non cogitat ille, qui Grammaticis oculis carmen istud legit. Ideò optimum quemque primum esse diem, quia subeunt morbi, quia senectus premit, & adhuc adolescentiam cogitantibus supra caput est. sed ait Virgilium semper vnà ponere morbos & senectutem, non me Hercule immeritò. Senectus enim insanabilis morbus est. Præterea inquit, hoc senectuti cognomen imposuit, tristem illam vocat:

Tempus iuuentutis laboribus aptum est.

Subeunt morbi tristisque senectus.

Non est quod mireris, ex eadem materia suis quenquam studiis apta colligere. In eodem prato bos herbam quærit, canis leporem, ciconia lacertam. Illud admoneo, auditionem

Finis studij.

Philoſophorum, lectionemque ad propoſitum beatæ vitæ trahendam, non vt verba priſca, aut ficta captemus, & tranſlationes improbas, figuraſque dicendi, ſed vt profutura præcepta, & magnificas voces, & animoſas, quæ mox in rem transferantur. Sic iſta diſcamus, vt quæ fuerunt verba, ſint opera.

Præceptor ſuum commodum quærens inutilis.

Nullos autem peius mereri de omnibus mortalibus iudico, quàm qui philoſophiam, velut aliquod artificium venale didicerunt, qui aliter viuunt, quàm viuendum eſſe præcipiunt. Exempla enim ſeipſos inutilis diſciplinæ circumferunt, nulli non vitio quod inſequuntur obnoxij. Non magis mihi poteſt quiſquam talis prodeſſe præceptor, quàm gubernator in tempeſtate nauſeabundus. Tenendum eſt, rapiente fluctu gubernaculum, luctandum cum ipſo mari, eripienda ſunt vento vela. Quid me poteſt iuuare rector nauigij, attonitus & vomitans? Quantò maiore putas vitam tempeſtate iactari, quàm vllam ratem? Non eſt loquendum, ſed gubernandum.

Ex Epistola CXII.

Cauillationibus ludit animus, nō proficit.

QVid vocentur Latinè ſophiſmata, quæſiſti à me. Multi tentauerunt illis nomen imponere: aptiſſimum tamen mihi videtur, quo Cicero vſus eſt. Cauillationes vocat, quibus quiſque ſe tradidit, quæſtiunculas quidem vafras. Cæterùm ad vitam nihil proficit, neque fortior ſit, neque temperantior, neque elatior. At ille, qui philoſophiam in remedium ſuum exercuit, ingens fit animo, plenus fiduciæ, inexuperabilis, & maior adeunti. Quod in magnis euenit montibus, quorum proceritas minùs apparet longè intuentibus. Cùm acceſſeris, tunc manifeſtum fit, quòd in arduo ſumma ſint. Talis enim, mi Lucili, verus, & rebus, non artificiis philoſophus. In edito ſtat admirabilis, celſus, magnitudinis veræ. Non exurgit in plantas, nec in ſummis ambulat digitis, eorum more, qui mendacio ſtaturam adiuuant, longioreſque, quàm ſunt, videri volunt. Contentus eſt magnitudine ſuâ. Par ſibi in omni ſtatu rerum, ſiue ſecundo curſu vita procedit, ſiue fluctuatur per aduerſa ac difficilia. Hanc conſtantiam cauillationes iſtæ, de quibus paulò antè loquebar, præſtare non poſſunt. Ludit iſtis animus, non proficit, & philoſophiam à faſtigio deducit in planum. Nec prohibuerim aliquando iſta agere, ſed tunc, cùm voles nihil agere.

Ex Epistola CXIV.

Quon… diſput… dum…

DEſideras tibi ſcribi à me, quid ſentiam de hac quæſtione iactata apud noſtros. An iuſtitia, an fortitudo, prudentia, cæteræque virtutes animalia ſint. Hac ſubtilitate efficimus, Lucili chariſſime, vt exercere ingenium inter irrita videremur: & diſputationibus, nihil profuturis otium terere. Hæc diſputamus, attractis ſuperciliis, fronte rugoſa. Non poſſum hoc loco non dicere illud Cælianum: O triſtes ineptias! ridiculæ ſunt. Quin itaque potiùs nobis aliquid vtique ac ſalutare tractamus, & quærimus quomodo ad virtutes peruenire poſſimus, & quæ nos ad illas via adducit. Doce me, non an fortitudo animal ſit, ſed nullum animal felix eſſe ſine fortitudine, niſi contra fortuita conualuit, & omnes caſus, antequam exciperet meditando prædomuit. Quid eſt fortitudo? Munimentum humanæ imbecillitatis inexpugnabile. Quod qui circundedit ſibi, ſecurus in hac vitæ obſidione perdurat. Vtitur enim ſuis viribus, ſuis telis.

Ex Epistola CXXIII.

De ſe… lenti…

TVrpis, qui alto ſole ſemiſomnis iacet, cuius vigilia medio die incipit, & adhuc multis hoc antelucanum eſt. Sunt qui officia lucis noctiſque peruertunt, nec antè deducant oculos heſterna graues crapula, quam appetere nox cœpit. Qualis illorum conditio dicitur, quos natura (vt ait Virgilius) ſedibus noſtris ſubditos è contrario poſuit:

Noſque vbi primus equis oriens afflauit anhelis,
Illis ſera rubens accendit lumina veſper.

De… tion…

Talis horum contraria omnibus non regio, ſed vita eſt. Tam infauſti homines ſunt, quam nocturnæ aues, licet in vino vnguentoque tenebras ſuas exigant, licet epulis, & in multa quidem pericula diſcoctis, totum [illegible] vigiliæ tempus educant, non conuiuantur, ſed iuſta ſibi faciunt, mortuis certè interdiu parentantur. At me Hercules nullus agenti dies longus eſt. Extendamus vitam. Huius & officium, & argumentum actus eſt. Circumſcribatur nox, & aliquid ex illa in diem transferatur.



SENTENTIÆ ILLVSTRES PERTINENTES AD FLORILEGIVM SCHOLASTICÆ.

DILIGENTIA. Ad Theophraſtum audiendum diſcipuli accurrebant ad duo millia. *Diog. Laërt.* Ad Pythagoram ſexcenti diſcipuli noctu confluebant. *Id.* At hodie accidit quod Stratonico cithariſtæ, qui fertur ſtatuas. 9. Muſarum dedicaſſe, Apolliniſque vnam, cùm duos tantùm haberet diſcipulos. Cùm autem ex eo quæſitum eſſet, quot ipſius diſcipuli forent, reſpondit: σὺν τοῖς θεοῖς δώδεκα. *Pet. Vict. var. lect. l. 2. c. 21.* Profectus præcipuè diligentiâ conſtat. *Fab. l. 2. c. 8.* Ad profectum opus eſt ſtudio, non indignatione. *Id. l. 10. c. 3.* Magna pars eſt profectus, velle proficere. *Seneca ep. 72.* Hæc præcipua eruditio, quòd diſcere volebat. *Plin. ep. 23. l. 8.* Nihil eſt, ſuũ qui officium facere immemor eſt, niſi eſt admonitus. *Plautus Pſeud.* Quare ad meliora ſibi quiſque dux & inſtigator. *Tacitus 17. annal.* Omnes res perinde ſunt, vt agas, & eas magnifacias. *Plautus Pſeud.* Vt quiſque rem accurat ſuam, ſic ei procedit. *Id. Perſa.* Itaque ſi eruditionis oſores euadant aſelli, eueniunt digna dignis. *Id. Pœn.* Non igitur mirum, quòd tot rudes in ſcholis. Obj. Difficilis eſt labor. Reſpond. Multa experiendo fieri, quæ ſegnibus ardua. *Tacitus 15. annal.* Non quia difficilia ſunt non audemus, ſed quia non audemus difficilia ſunt. *Sen. ep. 105.* Canis ſi in ludum iret, potuiſſet iam fieri, vt probè literas ſciret. *Plaut. Perſa.*

Obedientia. Qui monet quaſi adiuuat. *Plaut. Curcul.* Nulli niſi audituro dicendum. *Sen. ep. 29.* Δεῖ τὸν παῖδα κατὰ τὸ πρόσταγμα τοῦ παιδαγωγοῦ ζῆν, Oportet diſcentem iuxta præſcriptum præceptoris viuere. *Ariſt. 5. Ethic. c. 12.* Admoneri bonus gaudet. *Seneca lib. 3. de irâ.* Facilè imperium in bonos. *Plaut. Mil.* Firmiſſimum illud imperium, quo obedientes gaudent. *Liu. l. 8.* τὸ ἄλλῳ ὑποθέσθαι, ab alio moneri facile. *Thales. Liuius.* Sæpe audiui, milites, eum primum eſſe virum, qui ipſe conſulat quid in rem ſit. Secundum eſſe qui bene monenti obediat. Qui nec ipſe conſulere, nec alteri parere ſcit, eum extremi ingenij eſſe.

Athemelus qui ſine fundamento captat ſublimia. *Operum* faſtigia ſpectantur, latent fundamenta. *Fab. lib. 1. inſt. orat.* Ἀμήχανον τὰ μεγάλα πρὸ τῶν μικρῶν παιδευθῆναι: non poteſt fieri vt magna diſcantur ante parua. *Philon.* In ruinam prona ſunt, quæ ſine fundamentis creuerunt. *Sen. 1. de ira cap. 16.* Non ſunt contemnenda quaſi parua, ſine quibus magna conſtare non poſſunt. *Hieron. part. 2. tract. 2. ep. 5.* Δεῖ πιστεύειν τὸν μανθάνοντα: Credere diſcentem oportet. *Ariſt. Elench. c. 2.* Sine pennis volare haut facile eſt. *Plaut. Pœn.* Μεγαλαυχοῦσι καὶ τὰ μικρὰ οὐκ ἴσασι, magna iactant, & parua ignorant. *Epiphan. in Catharis.* Ab illis ἀεροβατοῦσι, *vel* lactis gallinacei hauſtum ſperare poſſis. *Plin. præfat. ad Veſpaſian.* Fundamenta non in ſummo quærantur. Itaque ſi in hoc iuuentus ſobria incumberet, hoc maiores docerent, hoc minores addiſcerent, vix ad fundum veniretur, in quo veritas poſita eſt, quam nunc in ſummâ terrâ, & leui manu quærimus. *Senec. l. 8. nat. quæſt. c. 32.* Qui ſine principiis certis docent vel diſcunt, fundamenta in aqua ponunt: *Cic. de fin.* Neque tamen fundamentis ſemper inhærendum. *Danda* opera eſt vt poſt hæc initia ad incrementa quoque veniatur. *Cypr. l. 1. ep. 5.*

Neceſſaria diſcenda. Quia non tam obeſt audire ſuperuacua, quàm ignorare neceſſaria. *Fabius l. 12. c. 8.* Itaque tu Athemele maximas nugas agis. *Plaut. Aſin.* Age ſis tu ſine pennis vola. *Ibid.*

Diſcipuli inepti. Quidam diſcipuli audent dare legem. *Gell. l. 1. c. 9.* Alius ait: hoc me primum doce: item alius, hoc volo, inquit, diſcere, iſtud nolo.

Stylus. Lectio ſine ſtylo eſt ſomnus. *Damaſus Romanus.* Scribendum itaque. 1. Sæpiſſimè, at non feſtinanter, ſed diligentiſſimè. Nam: citò ſcribendo non fit, vt bene ſcribatur, bene ſcribendo fit, vt citò. 2. Propriè. Sanè difficile eſt propriè communia dicere. *Horat. in arte poët.* 3. Purè. Propone tibi Ciceronem. Stultiſſimum credo, ad imitandum non optima proponere. *Plin. lib. 1. ep. 5.* Præter illum eloquentiæ primas nemo tulit. *Tac. lib. 14. ann.* 4. Ornatè. 5. Perſpicuè: ne orationi OEdipo opus coniectore. *Plaut. Pœnulo* 6. Grauiter: Nec orationes aut literas compones verbis magnificis, rerum vacuas. *Tacit. 15. annal.* Ne ſit mare verborum, gutta rerum. *Adag.*

Procraſti

Procrastinatio. Peccauisti largiter, qui occasionem hanc amisisti tam bonam. *Plaut. Mostell.* Certa amittimus dum incerta petimus. *Plaut. Pseud.* Maxima vitæ iactura dilatio est. Illa primum quemque extrahit diem, illa eripit præsentia, dum vlteriora promittit, Maximum viuendi impedimentum est expectatio, quæ pendet ex crastino. Perdis hodiernum: quod in manu fortunæ positum est disponis, quod in tua, dimittis. *Sen. l. de breu. vitæ c.* 8.

Otium Otium sine literis mors, & viui hominis sepultura. *Sen. ep.* 83. *Areopagitæ* inquirere solebant, quid quisque Atheniensium ageret, quonam quæstu sustentaretur, vt homines honestatem, vitæ rationem memores reddendam esse, sequerentur. Πολυτελέστατον ἀνάλωμα χρόνος: sumptuosissima iactura temporis. *Diog. Laërt. in vitâ Theoph.* Ex hoc quantum lucrum, quantum solicitudines occupant? quantum mors, antequam veniat, optata? quantum teneri; aut rudes, aut inutiles anni? Dimidium ex hoc edormitur. *Sen. ep.* 100. Nihil agere semper infelici est optimum. *Pub. Syr. Mim.* Pigris supplicij loco labor. *Sen. ep.* 72. Piger est mortuus, & terræ odium inambulat. *Plaut. Bach.* Is demum mihi viuere, atque animâ frui videtur, qui aliquo negotio intentus, præclari facinoris, aut artis bonæ famam quærit. *Sallust. in proœm. Catil.* Piger ipse sibi obstat quo minùs strenuus sit. *Sen. ep.* 93. Magnam hanc auditorum partem videbis, cui schola diuersorium otij fit. *Sen. ep.* 109. HOC AGE. Verbera, compedes, molæ magna lassitudo, fames, frigusque durum: hæc præmia sunt pigritiæ. *Plaut. Men.*

Non cessare potest, non otia ducere pigra,
Quem rotat iniuncti circulus officij.

Ioh. Schellenberg in formatorio. Desidioso studere torqueri est, *Sen. ep.* 72. Generosos animos labor nutrit, *Sen. ep.* 31. Qui è nuce nucleum esse vult, frangat nucem. *Plaut. Curcul.*

Memoria. Thesaurus rerum omnium memoria. *Cic.* 1. *de orat.* Turpe est ex commentario sapere *Sen. ep.* 33. Præstat ingenio alius alium concedo: sed vt plus efficiat aut minùs. Nemo tamẽ reperitur, qui sit studio nihil consecutus. *Quintil. l.* 1. *c.* 1. Omnis disciplina memoriâ constat, frustráque docemur, si quicquid audimus, præterfluit. *Fab. l.* 11. *c.* 2. Elephas etiam fuit Grammaticus. *Ælianus.* Et voces humanas discunt exprimere corui & picæ, aues vilissimæ. Ἔδει ἐν τῇ ψυχῇ αὐτὸ, καὶ μὴ ἐν τοῖς χάρτοις καταγράφειν: animo potius quàm chartis commentaria inscribenda. *Antist.*

Sciol., αὐτοδίδακτοι Nos homines non omnia scimus, quod est vnius Dei, dicebat Heraclius: neque omnia nescimus, vt Socrates aiebat, quod est pecudis. *Diog. Laërt. in vita Heracl. & Socrat.* Sed scientia nostra est humana, hoc est, ignoratione temperata *Quotusquisque* vel ætate alterius, vel ætate, vt minor cedit? Statim sapiunt, statim sciunt omnia, neminem verentur, imitantur neminem, atque ipsi sibi exempla sunt. *Plin. lib.* 8. *ep.* 23 ostentatores meri. *Plaut. Cur.* Quibus suis nihil est, nisi vna lingua. *Ibid.* Tu ne statue quòd sis gallinæ filius albæ. *Iuuen. Sat.* 13. Οἴησις προκοπῆς ἐγκοπή, profectus impedimentum elatio. *Bion. Borysth.* Σημεῖον τοῦ εἰδότος, τὸ δύνασθαι διδάσκειν: Signum scientis, posse docere. *Arist.* 1. *Metaphys. cap.* 1. Capnio de studioso iuris: Primo anno scit diiudicare omnes controuersias, secundo incipit dubitare, tertio videt se nihil scire, & tunc primùm incipit discere.

Profectus. Discipuli egregiè proficiunt, ἐὰν τοὺς προέχοντας διώκοντες, τοὺς ὑστεροῦντας μὴ ἀναμένωσι, si excellentiores sequantur, & tardiores non morentur. *Arist.*

Conuersatio. Omnes illi qui te sibi aduocant, tibi abducunt. *Sen. l. de breu. vit. c.* 7. Χωλῷ παροικήσῃς κἂν ἐνὶ, σκάζειν μαθήσῃ: Claudo vel vno claudicabis proximus *Adag.* Κακὸς δὲ κακῷ συντήκεται ἡδονῇ: Malus malo iucundè conuiuit *Arist.* 7. *l. Eudem. c.* 5. Cum his versare qui te meliorem facturi sunt.

Ὡς αἰεὶ τὸν ὁμοῖον ἄγει θεὸς ὡς τὸν ὁμοῖον:
Ad similem similem consueuit ducere numen.

Hom. Odyss. Ideò Deum precare Qui inter hos (malos) nutriuntur, non magis sapere possunt, quàm bene olere qui in culinâ habitant *Petron. Arbit. Satyr.*

Refractarij Licentiosi monitores Neronem Senecæ addictum, monebant, *Exuere magistrum Tacit.* 14. *annal.* Sic hodie sibi inuicem hoc insusurrant isti refractarij: quibus audacia pro muro habetur. *Catilina ad milites.* qui volunt non iuberi, non regi, cunctaque ex libidine agere. *Tacit.* 4 *hist.* Admoneri bonus gaudet, pessimus quisque correptorem asperrimè patitur. *Sen. lib.* 3 *de ira.* Οὐκ ἔστιν εὖ ἄρχειν μὴ ἀρχθέντα: Nemo bene imperat, nisi qui ante paruerit imperio. *Arist.* 3. *Polit.*

Lucubrationes. Inter se ista miscenda sunt, & quiescenti agendum, & agenti quiescendum est. Cum rerum naturâ delibera, illa dicet tibi, se & diem fecisse & noctem, *Sen. ep.* 3. Ne igitur illis nox fit pro die sed si

Νὺξ ἤδη τελέθει, ἀγαθὸν καὶ νυκτὶ πιθέσθαι.
Plurima iam nox est, nocte parere decorum. Homerus Iliad. 11.

Notent hoc illi qui solent, vel Νυκτὶ { πολεῖν / ὑφαίνειν / μαθεῖν / γράφειν.

Somnus animi requies. ἀργία ὁ ὕπνος τῆς ψυχῆς. *Arist.* 1. *Eth. c.* 14. Dandum est aliquod interuallum animo, ita tamen, non vt resoluatur, sed vt remittatur. *Sen. ep* 15.

Peregrinatio. Peregrinaturus habeat duos saccos patientiæ, & vnum pecuniæ. *Adag.* Non Hierosolymis fuisse, sed Hierosolymis bene vixisse, laudandum est. *Hieron part.* 3. *tract.* 9. *c.* 7 Qui enim est erro, est repentinâ & tumultuariâ doctrinâ præditus. *Gell. lib.* 11 *c.* 8. cui talis studiosus dicitur *erraticus homo. lib* 9. *c.* 2. Ille securus quò pes ferat atque ex tempore viuit. *Pers. sat* 3 Inconsultus illis vanusque cursus est, qualis formicis per arbusta repentibus, quæ in summum cacumen, deinde in imum inanes aguntur His plerique similes vitam agunt, quorum non immeritò quis inquietam inertiam dixerit. *Sen. lib. de tranq. vitæ c.* 12. Quidam veniunt vt audiant, non vt discant, sicut in theatrum voluptatis causâ, ad delectandas aures. *Id. ep.* 109. De his *Ennius* *Ephig.*

Imus huc, hinc illuc, cum illuc ventum est ire illinc lubet:
Incertè errat animus, præter propter vitam viuitur.

Ignorat peregrinari, qui nescit, quid fugiendum, quid petendum, quid necessarium, quid superuacuum, quid iustum, quid honestum sit: hoc non est peregrinari, sed errare. *Sen. ep.* 105. Peregrinatio prodest iis, qui non tantùm loca visenda lustrant, sed vitam in iis probatam viuunt. *Hier. part.* 3. *tract* 9. *c.* 7. Nihil diu pati, & mutationibus vt remediis vti, est ægri proprium. *Sen. l. b.* 1. *de tranquil. vitæ c.* 1.

Repetitio. Repetamus & tractemus, & vt cibos mansos, ac propè liquefactos dimittimus, quò facilius digerantur: ita lectio non cruda, sed multâ lectione mollita & velut confecta memoriæ imitationique tradatur. *Quint. l. b.* 10 *c.* 1. Auditor, cùm audit, fit similis edenti. cùm verò audita in memoriam reuocat, fit similis ruminanti. *Aug.* Nulla repetitio nimia *Nunquam* nimis dicitur, quod non satis discitur. *Sen. ep.* 77. Non nocet bis dicere, quod bene dicitur.

Tempus Πολυτελέστατον ἀνάλωμα χρόνος: Sumtuosissima est iactura temporis. *Theoph. Cur.* Quia tempus vnum est, quod nec gratus quidem potest reddere. *Sen. lib* 1. *ep.* 1. Itaque omne tempus perit, quod studiis non impenditur. *Plin* Docet igitur seruire tempori, & non amittere tempus. *Cic. Attic.* 8. *epist.* 3.

Hebetes. Hebetes erudiendo quid facimus? Respond. *Plaut. Pseud.* In pertusum dicta ingerimus dolium, operam ludimus. Perpetuanda est industria nihilo secius, & dicendum id quod quidam (ambigitur enim de authore) fertur dixisse: satis sunt mihi pauci, satis est vnus, satis est nullus. *Sen. lib.* 1. *epist.* 7.

Scopus studiorum. Docenti & discenti quid debeat esse propositum, docet *Sen. ep.* 109. Vt ille prodesse velit, hic proficere. Doce, quod necesse est. *Sen. epist.* 110. Τὰ ἀναγκαῖα δεῖ διδάσκεσθαι τῶν χρησίμων: Necessaria & vitæ vtilia discenda. *Arist.* 8. *de Republ. cap.* 2. Mutuo ista fiunt, & homines dum docent discunt. *Sen. epist.* 2.

Vsus. Rerum omnium efficacissimus magister vsus. *Plin. lib.* 26. *cap.* 2. Longum iter per præcepta, breue & efficax per exempla *Sen. epist.* 6. Οὐ γὰρ μόνον τὴν κτῆσιν ἔχειν δεῖ τῶν καλῶν, ἀλλὰ καὶ τὴν ὄνησιν. Rerum enim eximiarum non tam possessionem, quàm vsum sectari debemus. *Hippodamus Thurius Laërt.*

Doctor malus. Doctor arenarius est, qui ambitiosâ festinatione à posterioribus incipit, & dum ostentare discipulos circa speciosiora mauult, compendio moratur. *Quint. lib.* 1. *cap.* 7. Ille autem pessimus qui in ore habet τὸ σκόπησον σκόπησον.

Eruditio. Διαφέρουσιν οἱ πεπαιδευμένοι τῶν ἀπαιδεύτων, ὥσπερ οἱ δεδαμασμένοι ἵπποι τῶν ἀδαμάστων: quo domiti equi ab indomitis. *Arist.* Item, quo viuentes à mortuis. *Arist.* Παιδεία ἐν μὲν ταῖς εὐτυχίαις κόσμος. ἐν δὲ ταῖς ἀτυχίαις καταφυγή: In prosperis est ornamentum, in aduersis est refugium. *Arist. Laërt.* Doctrinæ fama non senescit, neque marcescit. *Plin. lib.* 15. *cap.* 30. Indoctus est λίθος ἐπὶ λίθῳ, lapis super lapidem. *Aristip.* Πλούσιος ἀμαθὴς πρόβατον χρυσόμαλλον: Diues indoctus est ouis aureo vellere. *Diog. Cynic.* Ἄμεινον ἐπαίτην, ἢ ἀπαίδευτον εἶναι. οἱ μὲν γὰρ χρημάτων, οἱ δὲ ἀνθρωπισμοῦ δέονται: Melius est mendicum fieri quam indoctum. Hîc enim pecuniis, illic humanitate egetur. *Aristip.* Iuuenibus discenda ea, οἷς ἄνδρες γενόμενοι χρήσονται, quæ viris vsui futura sunt. *Arist.* Κάλλιστον ἐφόδιον τῷ γήρᾳ ἡ παιδεία, disciplina optimum viaticum ad senectutem. *Aristot.* Τοιαῦτα δεῖ ποιεῖσθαι ἐφόδια, ἃ καὶ ναυαγήσαντι συγκολυμβήσει, talia viatica comparanda, quæ cum naufragio simul enatant. *Antisth.*

Ordo studiorum. Οὐχ οἱ πολλὰ ἀλλ' οἱ χρήσιμα γινώσκοντες, εἰσὶ σπουδαῖοι: Sicut non qui plurima comedunt & exercetur melius melius valent, quàm qui sumunt necessaria: ita non qui plurima, sed qui vtilia legerunt, studiosi & eruditi habendi sunt, glorianti cuidam dicebat. *Aristippus.*

Tria pueris necessaria. Τριῶν φησι δεῖ παιδεία. φύσεως, μαθήσεως, ἀσκήσεως: ingenio, exercitatione, disciplinâ. *Arist.*

Festinatio. Quid laudis ex celeritate? Resp. *Sen. ep. 125.* Cùm te ad velocitatem parâueris, par lepusculo non eris.

Schola: Est docentium ergastulum; iuuenilis nequitiæ stabulum; puerilis petulantiæ receptaculum; calamitatis hospitium iugis thesaurus penuriæ, pædoris myrothecium; molestiarum deuoratorium; malè tractatorum institutorum sudatorium, otij negotiosissimi pausa inquieta, operis perpetui reciprocatio; momi sese exercitantis decursorium, atque exercitatorium; ærumnarum confluxus: miseriarum Oceanus. *Iohan. Schellenbergius in suauiludio.*

Ingeniorum varietas. Facilius est currentem incitare, quàm languentem commouere.

Stylus. Nec scribere tantùm, nec tantùm legere debemus. Altera res contristabit, & vires exhauriet, de stylo dico: altera soluet ac diluet. Inuicem hoc illo commutandum est, & alterum altero temperandum, vt quicquid lectione collectum est, stylus redigat in corpus. *Sen. epist. 84.*

Libri. In bibliothecis loquuntur defunctorum immortales animæ. *Plin. lib. 5. cap. 2.* Non refert quàm multos, sed quàm bonos libros habeas. *Sen. epist. 45.* Onerat discentem turba non instruit: multóque satius est, paucis te authoribus tradere, quàm errare per multos. *Id. lib. 1. de tranq.* Nullus liber tam malus vt non aliqua ex parte prosit. *Plin.*

Eloquentia. Ὅσον ἐν πολέμῳ δύναται σίδηρον, τοσοῦτον ἐν πολιτείαις ἰσχύει λόγος: Quantum in bello ferrum, tantum in Rep. valet eloquentia. *Demetr. Philos.* Caussa inferior potest fieri superior dicendo. *Cicer. in Bruto.* Compositè & aptè sine sententijs dicere, insania est: sententiosè autem sine verborum & modo & ordine insania.

Præsenti animo. Vbi sum, ibi non sum: vbi non sum, ibi est animus. *Plautus in amorem.*

Disciplina. Præceptorum est interdum acriter inuehi in discipulos. Καὶ οἱ ἰατροὶ τοῖς κάμνουσι ἐπιπλήττουσι: quia & medici quandoque itidem faciunt in languidis & morbo affectis. *Antisth.* Παιδεία τοῖς μὲν νέοις σωφροσύνη, τοῖς τε πρεσβυτέροις παραμυθία, τοῖς δὲ πένησι πλοῦτος, τοῖς δὲ πλουσίοις κόσμος: Disciplina præstat iuuenibus sobrietatem, senioribus solatium, pauperibus diuitias, diuitibus ornatum. *Dialog.* Magis necessaria disciplina, est mala dediscere. *Antisth.* Δεῖ παρέζευχθαι τοῖς παισὶ τὴν αἰδῶ καὶ φιλοτιμίαν ὥσπερ τοῖς ἵπποις μύωπα καὶ χαλινόν: Pudor & laudis studium est frænum, quod pueris admouendum. *Lycon.*

Scholastica. Τοῦτο γὰρ αὐτή μοι φαίνεται τέχνης εἶναι τέχνη καὶ ἐπιστήμη ἐπιστημῶν, ἄνθρωπον ἄγειν τὸ πολυτροπώτατον τῶν ζώων, καὶ ποικιλώτατον: Ars artium & scientia scientiarum esse videtur, hominem regere, omnium animantium versutissimum simul, ac moribus diuersissimum. *Gregorius Nazianzenus.* Inauditum vulnus inaudito cauterio est exurendum.

Pictura. Literæ illæ sunt gallinæ manu scriptæ, quarum aliæ alias scandunt. *Plaut. Pseud.*

Prompto animo. Marti arma non sunt oneri.

Lectio. Probatos semper lege, & si quando ad alios diuerti licuerit, ad priores semper redi. *Sen. epist. 2.* Lectio certa prodest, varia delectat. *Id. epist. 45.* Lectio omnis generis voluminum habet aliquid vagum & instabile. Certis ingeniis immorari oportet, si velis aliquid trahere, quod in animo sedeat. Nusquam est, qui vbique est. *Id. epist. 2.*



APOPHTHEGMATA, SIMILITVDINES, EXEMPLA, EMBLEMATA, ET HIEROGLYPHICA FLORILEGII SCHOLASTICI.

DMONITIO. Qui admonet discipulum frugi, addit calcar equo currenti, iuxta illud Ouidi.:

Acer & ad palmæ per se cursurus honores,
Si tamen horteris, fortiùs ibit equus.

Quædam gemmæ aceto maceratæ mitescunt, pleræque melle decoctæ: ita quosdam meliores reddit acris obiurgatio, quosdam admonitio blandior. *Plin.* Remedia amara etsi mordent, tamen conferunt salutem: ita salubria monita initio nonnihil sunt amara, postea fiunt iucundissima. *Plut.* Equis in ipso cursu frænum non iniicimus, pueros lapsos non statim obiurgamus, cùm morbus in accessu est non admouemus remedia: sic ad primos illos iræ & similium perturbationum motus non est adhibenda admonitio, sed vbi cœperint esse leuiores. *Plut. & Sen.* Ignis è silice non vno ictu elicitur sic in frigido nostro pectore, primo admonitionum ictu non accenditur latens & languens in nobis vis illa Honesti. *Lipsius.*

Adolescentia. Adolescentes æstuant igne cupiditatum. *Ambros.* Verecundia est gemma, ornans adolescentiam. *Bernhard.* Adolescens est veluti ager qui fert zizania, nisi colatur. *Anon.* Pictura ingenui adolescentis ex Plutarcho, Seneca, & Clemente Alexandrino hæc est. Facies coruscans radiis modestiæ & iucunditatis: Os sera clausum: Aures patulæ: Pedes & manus plumis ornati: Vestes mundæ: Oratio denique blanda.

Æmulatio honesta. Vt non est verus amor, qui caret zelotypiâ: sic non amat vehementer virtutem, qui non accenditur æmulatione rectè factorum ab aliis *Plut. in moral.*

Tunc bene fortis equus reserato carcere currit,
Cùm quos prætereat, quósque sequatur habet.

Ouid 3. de art. Alexander Magnus se totum ad exemplar Achillis componebat. Hinc viso Achillis sepulchro, collachrymari cœpit, studio gloriæ & æmulatione virtutis. *Plut.* Sicut infantes loqui discunt, imitando verba loquentium sic in scholis eloquentes fiunt imitatione illorum, qui ipsi tales sunt. *August.* Scipio Africanus Cyrum Xenophontis, Iulius Cæsar Alexandrum Magnum, Selimus Turcarum princeps Cæsarem sibi proposuit imitandum *Zuingerus in theatr.* Plato Socratem vsque adeò in scriptis suis imitatus est, vt passim Socrates iunior, etiam ab Aristotele, fuerit appellatus. *Idem.*

Conatus. Quærendi defatigatio turpis est, cùm id, quod quæritur, est pulcherrimum. *Cic.* Sicut in itinere non satis est viam nosse, nisi ineas: ita scientia nihil prodest, vbi virtus deficit. *Plutarch.* Non oportet boue venari leporem, aut aratro iaculari, aut sagena captare ceruos. *Id.*

Desidia. Apicula videns fucos absque labore vitam transigere, desertis suis apibus æstatem commodè transegit inter fucorum furta. Sub hyemis autem frigora fucis se condentibus in terræ cauernis, apicula cogitat redire ad suum genus. Sed omnibus ostiolis obseratis, gelu hyemis & imbibus oppressa periit. *Ioach. Camer. in fab. Æsop.*

Emblema Alciati:

Quisquis iners abeat. nam in chœnice figere sedem,
Nos prohibent Samij dogmata sancta senis.
Surge igitur, duróque manus assuesce labori,
Det tibi demensos crastina vt hora cibos.

Eiusdem emblema.

Desidet in modio Essæus, speculatur & astra,
Subtus & accensam contegit igne facem.
Segnities specie recti velata cucullo.
Non se, non alios vtilitate iuuat.

Discere. Vt apes omnibus floribus assultant, & vasa quemlibet humorem accipiunt; sic doctrinæ cupidos nihil non attingere, & vndique quæ sunt vtilia colligere oportet. *Maxim. serm. 19.* Solon gloriari solebat, se aliquid quotidie addiscentem senem fieri. Hinc ille ipsius versus:

Αἰεὶ γηράσκω πολλὰ διδασκόμενος.

Cic. in Catone maj. Zeno consulens oraculum, quo pacto posset vitam optimè instituere, hoc accepit responsum εἰ συγχρωτίζοιτο τοῖς νεκροῖς, *Si concolor fieret mortuis*, hoc est, si veteres diligenter legeret. *Laërt. lib. 6.* Demosthenes interrogatus, Quo pacto sibi oratoriam facultatem comparasset? Plus, inquit, olei, quàm vini mihi consumtum est. *Stob. serm. 27.* Idem tanta diligentia versatus est in oratoria, vt nullam aliam ob causam magis se dolere dixerit, quàm si quando opificum antelucana victus esset industria. *Cicer. 4. Tuscul.* Diogenes Athenas profectus, ad Antisthenem se contulit. A quo sæpe repulsus (nullum enim discipulum admittebat Antisthenes) non destitit tamen hærere: adeò, vt cùm aliquando baculum intentaret Antisthenes, vltrò baculo caput subiiceret, dicens: Cæde, si vis: at nullum inuenies baculum tam durum, quo me abs te abigas, dum aliquid dixeris. *Laërt. lib. 6.*

Disciplina. Quemadmodum trunci syluestres in hortum translati & bonis surculis velut impraegnati fructus dulcissimos proferunt: sic homo agrestis disciplinæ beneficio ita subigitur, vt fructus dulces suo tempore ferat. *Thriuerus.* Miscenda est lenitas cum seueritate, & faciendum ex vtraque quoddam temperamentum, vt nec multa asperitate exulcerentur animi, nec nimia benignitate soluantur. *Gregorius lib. 20. moral.*

Discipulus.

Discipulus. Cùm adolescens quidam, Ponticus natione, in numerum discipulorum Antisthenis recipi cuperet, & pater ipsius quæreret, Quibus rebus opus esset: Libro, inquit Antisthenes, nouo, stylo nouo, nouáque tabella, significans animum à vitiis vacuum, studium vigil & memoriam fidelem. *Laert. lib.* 6. Aristoteles interrogatus, quo pacto fieret, vt discipuli quàm plurimùm proficerent: Si, inquit, præcedentes grauiter insequantur, sequentes non morentur. *Laert. lib.* 5. Alexander dicebat, se plus debere Aristoteli præceptori, quam Philippo parenti. Ille enim, inquiebat, vt essem, hic autem, vt præclarè institutus essem, author fuit. *Anton. in Meliss. part.* 2. *serm.* 11. Theodorus dicere solebat: Protagoram, præceptorem omnium fidissimum, dextra manu porrigere auditoribus suis scientiam, illos verò sinistra accipere. *Bruson lib.* 6. *cap.* 2. Isocrates cùm diuersis moribus & ingeniis haberet discipulos, Ephorum & Theopompum, se calcaribus in Ephoro, contra autem in Theopompo frænis vti solere dicebat. *Cicero ad Attic.* Philosophus quidam cùm duos haberet discipulos alterum quidem laboriosum, sed hebetis ingenij, alterum verò ingeniosum, sed ignauum: Ambo, inquiebat, pareatis: quoniam tu cùm velis, non potes, tu verò cùm possis, non vis. *Max. serm.* 7. Bion dicebat, arrogantiam esse profectus obstaculum. *Laert. lib.* 4. Cùm Dionysius Platoni diceret, Aliquis auferet tibi caput, Xenocrates, qui tum preceptori aderat, Non priùs, inquiebat, quàm hoc suum ostendens. *Ibid.* Stratonicus in ludo suo cùm haberet pictas nouem Musas & Apollinem, discipulos autem tantùm duos, rogatus à quodam, Quot haberet discipulos? Cùm diis, inquit, duodecim. *Erasmus* 4. *apoph.*

Ausonius Eidill. 5.

Disce libens, tetrici nec præceptoris habenas
Det stare nepos: nunquam horrida forma magistri.
Ille licet tristis senio, nec voce serenus
Aspera contracta minitetur iurgia frontis.
Nunquam immanis erit, placida assuetudine vultus
Qui semel imbuerit, rugas nutricis amabit.
Qui fugit matrem, pappos, auiásque trementes
Anteferunt patribus seri, noua cura, nepotes.
Sic neque Peliden terrebat Achillea Chiron
Thessalico permixtus equo, nec pinifer Atlas.
Amphytrioniadem puerum, sed blandus vterque
Militibus alloquiis teneros mulcebat alumnos.
Tu quoque ne metuas, quamuis schola verbere multo
Increpet, & trucu enta senex gerat ora magister.
Degeneres animos timor arguit, at tibi consta
Intrepidus, nec te clamor, plagæque sonantes,
Nec matutinis agitet formido sub horis,
Quòd sceptrum vibrat ferulâ, quòd multa supellex
Virgea, quòd mollis scuticam prætexit aluta,
Quòd feruent trepido subsellia vestra tumultu,
Pompa loci & vani fugiatur scena timoris.

Disputatio. In disputationibus laurea debetur ei, qui rei magnitudine se victum ingenuè fatetur, contra quàm fieri solet in certaminibus, vbi laurea datur victori. *Chrysost.* Pythagoras vanam illius philosophi orationem esse dicebat, quæ nullam in homine passionem curaret. Quemadmodum enim medicinæ nullus est vsus, nisi morbos à corporibus expellat: ita neque philosophiæ, nisi animæ vitia exterminet. *Stob. sermon.* 80. Aristippus videns aliquem proponere cuidam ænigma, Quid, inquit, amici, annon horum alter hircum mulgere videtur, alter cribrum supponere? *Erasm.* 8. *apoph.* Idem cùm audiret quosdam de mundi figura disputantes curiosè, Vos, inquiebat, plus æquo de mundo soliciti, vestram ipsorum immunditiem negligitis. *Stob.* Baldus cum Bartholo disputauit Bononiæ anno 1344. per quinque horas in schola, & victor abiit. *Zwing. theatr. fol.* 3812.

Doctrina. Cathedra est hieroglyphicum docentis. Et viri doctrina præstantes hieroglyphicè conferuntur cum plantis virorem gratum diu conseruantibus, vt sunt aloë, semperuiuum & cassia fistula. *Langius in polyanth.* Thales interrogatus, Quisnam esset felix? Qui corpore, inquit, sanus est, animo autem eruditus. *Laert. lib.* 1. Socrates interroganti, quodnam esset pulcherrimum animal, dixit, Homo doctrina ornatus. *Anton. Meliss.* Idem Socrates dicebat, scientiam vnicum esse bonum, contra vnicum malum ignorantiam. *Erasm. apoth.* Idem videns hominem prædiuitem, sed planè indoctum: Hic, ait, equus argento est ornatus. *Erasm.* 8. *apoph.* Diogenes rogatus, Quod onus terra grauissimum sustineret? Indoctum hominem, respondit. *Max. serm.* 17. Theophrastus dicere solebat, virum eruditione præclarum, vbique inuenire Patriam, & in alienis locis nunquam peregrinum esse. *Bruson. lib.* 3. *cap.* 31. Glycon eruditionem dicebat esse asylum, ad quod omnis generis homines concurrerent. *Max. serm.* 17.

Preceptor. Nulla res discipulo ita est perniciosa, sicut vita magistri contumeliosa. *Boëtius de disciplin schol.* Magister priùs discat, quàm doceat: sit mansuetus, prout opportunum est: rigidus, vt lites dissoluat, oblatrantes remordeat, obloquentes reprimat, proteruientes castiget. Debet item esse diligens. Nam sicut in vnoquoque opere mater constantia inuenitur: ita vniuersæ doctrinæ nouerca negligentia. *Idem.* Magister sit in sermone verax, in iudicando iustus, in consilio prouidus in commisso fidelis, constans in vultu, pius aspectu, virtutibus insignis, bonitate laudabilis. *Id.* Miserum est, eum esse magistrum, qui nunquam se nouit esse discipulum. *Id.*

Iuuenalis:

Qui præceptorem sancti voluere parentis
Esse loco ———— ————

Bonus præceptor est instar agricolæ, medici, statuarij, & patris. *Politian & Erasm.* Malus est præceptor, qui tanquam lupus agnos fidei suæ commissos deuorat. *Aldus Man ...* Cùm inter magistros aliquot proponerem de hypodidascalo, quidam non infimæ opinionis subridens, Quis, inquit, sustineat in ea schola vitam agere inter pueros, qui possit vbiuis quomodocunque viuere, respondi modestius: Hoc munus mihi videri vel imprimis honestum, bonis moribus ac literis instituere iuuentutem, neque Christum eam ætatem contempsisse, & in nullum rectiùs collocari beneficium, & nusquam expectari fructum vberiorem: vtpote cùm illa sit seges ac sylua reipubl. Addidi, si qui sint homines verè pij, eos in hac esse sententia, vt putent sese nullo officio magis demereri Deum, quàm si pueros trahant ad Christum. *Erasm. in epist.* Præceptor non sit plagosus Orbilius, sed verba magis quàm verbera in promtu habeat. *Philelph.* 2. *de educat.* Nullum munus reip. adferre maius meliúsve possumus, quàm si doceamus, atque iuuentutem erudiamus. *Cic.* 3. *de diuinat.* Diogenes puerum conspiciens indecorè se gerentem, pædagogum illius baculo percussit, dicens: Cur sic instituis? *Ithibonius.* Laco quidam pædagogus pueri cura suscepta cùm interrogaretur quid esset illum docturus? Efficiam, inquit, vt honestis delectetur, turpibus offendatur. *Plut. in Lac.*

Emblema Andreæ Alciati:

Moris vetusti est aliqua professoribus
Superadiici cognomina.
Faciles apertósque explicans tantùm locos,
Canon vocatur Curtius.
Reuoluitur qui eodem, & iterat qui nimis
Menander, vt Parisius.
Obscurus & confusus, vt Picus fuit,
Labyrinthus appellabitur.
Nimis breuis, multa amputans, vt Claudius,
Mucronis agnomen feret.
Qui vel columnas voce erumpit, Parpalis,
Dictus truo est scholasticis.
Contra est vocatus, tenuis esset Albius
Quòd voce, vespertilio.
At vltimus mutilans colobotus syllabas,
Hirundo Crassus dicitur.
Qui surdus aliis solus ipse vult loqui,
Vt Sturnus in prouerbio est.
Hic blæsus, ille raucus, iste garriens,
Hic sibilat ceu vipera.
Tumultuatur ille rictu & naribus,
Huic lingua terebellam facit.
Singultat alius atque tussit hæsitans,
At conspuit alius vt psecas.
Quàm multa rebus vitia in humanis agunt.
Tam multa surgunt nomina.

Bartolus quinquennium consumsit integrum in prælectione legis de ætate ff. de minoribus. *Richardus in eius vita.*

Eloquentia. Vitiosum est, in re seuera delicatum inferre sermonem. *Cic. in Rhet.* Seneca optimum oratorem dicit eum, qui plurima paucis dicit. *Langius in Polyanth.* Eloquentia in homine prauo est venenum in poculo aureo. *August.* 1. *de anima.* Tullij linguam omnes mirantur, pectus non æquè. Aristotelis pectus omnes, linguam non æquè. Platonis pectus & linguam æquè. *Idem in epist.*

Euripid. in Hecuba.

Τί δῆτα θνητοὶ, τἄλλα μὲν μαθήματα
Μοχθοῦμεν, ὡς χρὴ πάντα, καὶ μαστεύομεν,
Πειθὼ δὲ τὴν τύραννον ἀνθρώποις μόνην,
Οὐδέν τι μᾶλλον ἐς τέλος σπουδάζομεν;
Quid disciplinis, dignum vt est, in cæteris
Sudamus, atque singulas inquirimus?
Annon magis suadelam, quæ mortalibus
Regina sola est, ex amussim inquirimus?

Exempla virorum eloquentissimorum sunt Orpheus, Nestor,

———— ὧ καὶ ἀπὸ στόματος γλυκίων ῥέεν αὐδή

Pericles, Demosthenes, Cicero, & alij. Hieroglyphica suauis eloquentiæ sunt Sirenes, psittacus, apis & angues caduceo complicati; quod postremum hieroglyphicum docet, prudentiam esse necessariam eloquentiæ, quæ per virgam denotatur: quippe quæ regat dictis animos. Quanquam alii virgam istam auream Mercurij, à qua deus ipse χρυσόρραπις appellatur, dignitatis & excellentiæ, quam tribuit eloquentia, signum esse contendunt. *Hier. Val. lib.* 16.

Emblema Alciati:

Arcum leua tenet, rigidam fert dextera clauam,
Contegit & Nemees corpora nuda leo
Herculis hæc igitur facies? Non conuenit illud,
Quòd vetus, & senio tempora cana gerit.
Quid, quòd lingua illi leuibus traiecta catenis,
Queis fissâ faciles allicit aure viros?
Anne quod Alciden linguâ, non robore, Galli
Præstantem populis iura dedisse ferunt?
Cedunt arma togæ, & quamuis durissima corda
Eloquio pollens ad sua vota trahit.

Diligentia. Lacones commune hoc prouerbium semper in ore habebant, Admotâ manu fortunam esse implorandam. Quo innuebant, frustrà inuocari Deum, nisi manum rotæ admoueris *Plut. in Lacon.* Recta prudensque rerum gerendarum in adolescente inquisitio, & animi boni, & vegetæ mentis commune signum est. *Demost.* Nihil est cautis hominibus atque circumspectis adeò formidabile, quin diligentiâ præcaueri possit: neque vllum malum est, quin pigris & incautis euenire queat. *Id.* Alexandrum Magnum idem Demosthenes dicebat factum felicem, non desidendo, sed agendo, & laborando, & audendo *ex* 1. *epist.* Scipio Africanus centurionem, qui pugnæ non adfuerat, cùm increparet, atque ille diceret, se in castris custodiæ causâ remansisse: Odi, inquit, nimiùm diligentes. *Cic.* 2. *de orat.*

Exemplum. Longè magis exemplo, quàm culpâ peccat, qui iuuentuti præest. *Plat.* In facie plus offendit næuus, aut verrucula, quàm in reliquo corpore grandes maculæ. Sic exigua delicta, magna videntur in principe præceptore, ac omnino iis quorum vita in conspicuo est *Gregor. in moral.*

Ouid. 6. Fastor.

Sic agitur censura, & sic exempla parantur.
Cùm iudex alios quod monet ipse facit.

Claudianus.

Scilicet in vulgus manant exempla regentum.

Exercitatio. Vt ferrum aut æs vsu splendescit: sic exercendis negotiis enitescit animi vigor. *Plut. in moral. & Gellius lib* 11. Quem in ipsâ re trepidare nolueris, ante rem exerceas. *Sen.* 23. *epist.* Demonax quendam infeliciter declamantem admonuit, vt sese diligenter exerceret: cumque is respondisset, Nunquam apud me non declamo: Nihil igitur mirum, inquit, si dicis ineptè, qui hactenus semper stulto auditore solitus sis vti, *Erasm.* 8. *apoph.* Plato solebat admonere, vt neque corpus sine animo exerceamus, neque animum sine corpore, sed pariter vtriusque curam habeamus. Nam alterum athletarum est, alterum inertium. *Laërt. lib.* 3.

Ouid.

Arcus & arma tua tibi sunt imitanda Diana,
Si nunquam cesses tendere, mollis eris.

Nulla tam magna eruditio atque virtus, quæ non citra exercitationem tandem elanguescat. *Thriuerius in apoph.* Demosthenes, cùm sibi non tam artem quàm actionem & pronuntiationem deesse animaduerteret, subterraneum locum domi suæ ædificauit, in quem singulis diebus descendit, actionis formandæ vocisue componendæ gratiâ Sæpe etiam duos aut tres menses continuos ibi egit, rasâ alterâ capitis parte, vt ne si quidem vellet, inde præ verecundiâ egredi posset. *Ælian. lib.* 7. *var. hist.* Hercules Amphytrionis filius in Xisto (septum id est in Elide) sentes omnes euellere solebat, vt hoc modo ad laborum patientiam quotidianis exercitationibus se confirmaret. *Paulan. lib.* 6. Socrates subinde ad vesperam vsque ambulabat. Interrogatus autem, cur id faceret? Vt melius cœnem, respondit. *Plato lib.* 2. *de opt. ciue.*

Indulgentia. Fœnum græcum quò peius tractatur, hoc prouenit meliùs: ita pueri quidam, quantò habueris duriùs, tantò meliores euadunt *Erasm. in simil.* Auriga nimis remittens habenas, & equos seipsum corrumpit: ita parentes & præceptores laxâ disciplinâ corrumpunt pueros. *Plutarch.* Sicut est illiberalis præceptoris atque parentis, puero recusare quod vtile est: ita admodum imprudentis, concedere quod cum discrimine est *Eras. in apoph.* Vestes, quæ raiò induuntur, ferè à tineis eroduntur: & pueri, qui nimis indulgenter habentur, fermè à morbis & internis animi vitiis corrumpuntur. *Ibid.* Quod Fronto Consul ad populum dicebat de indulgentiâ Neruæ: Malum esse sub principe viuere, qui nihil, peius sub eo, qui omnia permitteret, nihil prohiberet: id præceptoribus quoque rectè vsurpatur.

Ingenium. Sæpe summa ingenia in occulto latent. *Plaut. Cap.* Inter bonas artes integrum ingenium breui adolet. *Sallust.* Isocrates pueros felici ingenio solebat nuncupare θεῶν παῖδας, deorum filios. *Cic. de clar. orat.* Vt vasa angusto ore difficilius recipiunt, sed retinent certiùs liquorem: ita ingenia, quæ tardiùs percipiunt, ferè meminerunt tenaciùs *Quintil.* 1. *orat. institut.* Adamas vnâ re mollescit, ad ictus ferri aliâs indomitus: ita nullum est ingenium tam ferum, quod non aliqua ratione queat expugnari. *Erasm. in similib.* Vt qui spinas habet in pedibus, vbique spinas calcat: ita sterili ingenio omnis materia est sterilis. *Senec.* Vt horologii vmbram progressam sentis, progredientem non sentis, & herbam creuisse apparet, non crescere: ita & ingeniorum profectus, quoniam minutis constat auctibus, ex interuallo sentitur. *Erasm. in simil.* Vt inter tot hominum millia nullæ facies per omnia similes, nec vllæ voces: ita suum cuique ingenium est *Ibid.* Vt terra, quò melior est naturâ, hoc magis corrumpitur, si negligatur: ita ingenia, nisi rectè excolantur, quò sunt feliciora, hoc pluribus vitiis obducuntur. *Plutar. h. in moralib.* Oliua serò prouenit, sed fructum habet egregium: salix statim adolescit, sed est sterilis: ita præcox ingenium. *Plin. l b.* 16. *c.* 26. 27. Vt arbores quædam bellè florent, sed nullum adferunt fructum: ita quorundam puerorum indoles magnam vitæ frugem pollicetur, qui simul atque adoleuerint, fallunt expectationem omnium. *Plin. lib.* 16. *c.* 26. 27. Vt ad naphtham etiam procul visam ignes transiliunt ob naturæ cognationem: ita ingenia literis nata statim eas arripiunt. *Idem.* 2. *c.* 108. Sicut vina languidiora vapescunt ætate, generosa euadunt fortiora: sic desipiscunt vulgaria ingenia, eximia etiam ad extremam durant ætatem. *Erasm. in simil.* Ex arboribus quæ vehementer fœcundæ sunt celeriter senescunt: ita raro sunt viuaces, qui viuaci præditi sunt ingenio. *Ibid.* Aquila apud Pindarum hieroglyphicè notat ingenii promtitudinem, velocitatem, & perspicacitatem. *Pier. Val.* Sphinx hastæ Palladis subiecta ostendit, nihil tam abditum esse, quod ingenij acumine non possit erui. *Idem.*

Institutio Lectio certa prodest, delectat. Qui quòd destinauit, peruenire vult, vnam sequatur viam, non per multas vagetur, Non ire istud, sed errare est. *Sen. epist.* 43. Quid est stultius, quàm quia non didiceris, non discere? Omnis ætatis homines schola admittit. Tamdiu discendum est, quamdiu nesciat. Si prouerbio credas, quàm diu viuas, etiam seni discendum est. *Id. epist.* 76. Est terra quædam asperior duriorque, quæ tamen culta protinus ferax redditur, sic ingenia duriora institutione mansuescunt. *Plut. in moral.* Quemadmodum cotes, cùm ipsæ secare non possint, ferrum tamen reddunt acutum: ita quidam ad dicendum planè inutiles, alios tamen reddere idoneos possunt: vt videre est in Isocrate. *Erasm. in apoph.* Quemadmodum nullus ager est tam prægnans, nulla planta tam integra, quæ culturâ non habeat opus: ita nullus homo tam felix est, qui negligenter institutus non sordeat, fereque eò sordidior sit, quò est felicior. *Id.* Calathus cum pullis hirundineis est hieroglyphicum institutionis. *Pier. Valer. lib.* 22.

Iuuentus. Studia, quæ sunt in adolescentiâ, tanquam in herbis significant, quæ virtutis maturitas, & quænam fruges industriæ futuræ. *Cic. pro Cœl.* Plutarchus iuuenes hortabatur, vt hæc tria habere curarent, in animo temperantiam, in linguâ silentium, in voce pudorem. *Ant. in serm. de iuuenib.* Ephebi apud Athenienses huiusmodi iuramentum reipubl. præstabant: Non ignominiâ afficiam arma sacra, neque deseram meum commilitonem, cum innctus fuero. Dimicabo pro aris & focis, & solus, & cum multis. Patriam non derelinquam in deteriori statu, sed ampliori melioriqne quàm acceperim. Semper magistratui præfecto prudenter obediam, & legibus constitutis parebo, atque aliis quibuscunque plebiscitis. Quòd si quis leges vel irritas facere, vel eis non obtemperare velit, non concedam, sed vlciscar, & solus, & cum pluribus. Sacra quoque patria colam. Horum dii mihi testes & conscii sunto. *Stob. serm.* 4. *de rep.* Post hyemem denuò recurrit ver, at post senectam nulla recurrit iuuenta. *Erasm.* Vt viti pedamentis ac ridicis opus est ne iaceat: sic iuuentuti monitis, ne cadat. *Lips. de rect. pronun.* Vt aquileges cùm manè halitum quendam è terrâ erumpentem vident, iudicium id habent latentium aquarum: sic de fœcundâ scaturigine virtutum spes, vbi in adolescente præit & elucet cupiditas discendi. *Id. lib.* 4. *Const.*

Labor. Democritus dicebat, omnes labores otio iucundiores esse. *Stob. serm.* 29. Idem adolescentem conspicatus industrium, Optimum, inquit, senectuti paras obsonium. *Max. serm,* 32. Diogenes cuidam admonenti, vt iam senex requiesceret à laboribus: Quid, inquit, si in stadio currerem, vtrum oporteret iam metæ vicinum, cursum remittere, an magis intendere? *Laërt. lib.* 6. Vt asparagus spinosus dulcissimum fert fructum: ita ex duris initiis magna voluptas oritur. *Plut. in moral.* Sicut sine luce videre non possumus: ita animæ oculus nullam virtutis actionem potest attrectare: nisi à labore ceu luce adiuuetur. *Philo Iudæus.* Sicut à cibo pendet vita sic à labore pendet quidquid in rebus bonum est *Id.* Quemadmodum mulier sine viro: ita bona spes absque labore nihil parit. *Socrates apud Stobæum serm.* 108. Vt rosa, flos vnus omnium longè gratissimus, de spinis nascitur: sic è tristibus & asperis, laboris fructus capitur iucundissimus. *Erasm. in simil.* Plantæ medioeri aquâ aluntur, immodicâ suffocantur: sic animus moderatis laboribus adiuuatur, immoderatis obruitur. *Plutarch, in moral.* Vt qui gemmas vel aurum quærunt, non summam terræ cutem leniter stringunt, sed in viscera eius penetrant: sic qui veram mansuramque doctrinam, altiùs necessum est in scriptorum loca & sensa sese immittant. *Lipsius cent.* 1. *ad Belg.*

Belg. ep. 49. Vt ex studiis gaudium sic ipsa studia proueniunt ex gaudio. *1. lib. 1 antiq. lect.* Cleanthes erat omnium laborum patientissimus, adeò vt alter Hercules nuncuparetur, itemque φρεάντλης, quia de nocte hauriebat aquam è puteo, vt diurnum victum pararet. *Laert. in Cleanthe.* Laboris indefessi hieroglyphicum est formica, item apicula. Seruilem autem & vilem laborem hieroglyphicè denotant per asinum clitella instratum. *Pier. Val.*

Lectio. Aristippus cuidam iactanti se, quòd esset πολυμαθής. Quemadmodum, inquit, non hi, qui plurimum edunt excernuntque, meliùs valent his, qui sumunt quantum opus est: ita non qui plurima, sed qui vtilia legunt, studiosi & eruditi sunt habendi. *Laert. lib. 2. c. 8.* Plinius maior dicebat, nullum librum tam malum, qui in aliqua parte prodesset. *Erasm. in apoph.* Alcibiades ludum literarium ingressus, petiit à ludimagistro iliadem Homeri, cuius lectionem plurimum admirabatur. At ludimoderator cùm se nihil Homeri habere affirmaret, inflixit ei pugnum satis durum, dicens: Imperitus es præceptor, & tibi similes facies discipulos. *Plutarch. in apoph.* Alexander præter modum delectabatur lectione Homeri, adeò vt illum ad verbum edidicerit, ac dormiens etiam ceruicali suppositum habuerit. Dicebat, carmina ipsius non ad citharam, sed ad tubam esse canenda. Addebat illud, se malle Homeri Thersitem esse, quàm Chœrili Achillem. Chœrilus autem erat Alexandri poëta non satis felix, qui fertur ita pactus, vt pro quoquo bono versu Philippicum aureum, pro malo colaphum acciperet. *Cicer. pro Archia.* Lectio instituenda est more apum, quæ non quiduis ex omnibus colligunt, sed aliunde metyn, aliunde pissoceron, aliunde propolin, aliunde rhithacê, aliunde sobolem, aliunde mel: ita non omnia petenda ex eodem authore sed ex vnoquoque sumendum quod habet vtilissimum: ex poëtis & oratoribus verborum splendor, ex dialecticis argutia disserendi, ex philosophis cognitio naturæ. *Plin. lib. 11 c. 7.* A floribus marcidis abstinent apes: ita non attingendus liber, qui putridas habet sententias. *Erasm. in similibus.* Vt tutissimum est in trifolio cubare, quòd in hac herba negent serpentem latere: ita in his versandum libris, in quibus nulla venena timentur. *Ibid.* Vt cùm in sole ambulamus, etiamsi aliam ob causam ambulemus, fit naturâ tamen vt coloremur: sic cùm doctorum libros studiosiùs legimus, sentimus orationem nostram illorum cantu quasi colorari. *Cicer. 2. de orat.* Qui semper vnius generis assueuerunt cibo, semper ventrem infirmum circunferunt: & pueros, quos perfectè volumus erudire, oportet ad varios authores traducere. *Thriuerus in apoph.* Apes è variis varios colligunt succos, sed eos suo spiritu mutant ad digerunt, alioqui non facturæ mel: sic euoluendi sunt authores omnes, sed quos legeris, in tuos vsus transformandum. *Senec.* Alphonsus rex Biblia sacra vna cum commentariis & glossis quater & decies perlegit, & pleraque ita tenuit memoria, vt non solùm res, sed verba etiam ipsa pluribus locis sine scripto reddere posset. *Panormit.* Cyprianus in Tertulliani lectione tam fuit assiduus, vt nullum diem absque eius lectione prætermitteret, ac amanuensi suo sæpe diceret Da magistrum, nempe Tertullianum. *Hieron. in catal. vir. illustr.* Scipio Africanus Socraticum Xenophontem in manibus semper habebat. *Cic. 2. Tusc.* Virgilius Ennij opera & diligenter & sæpiùs euoluês, rogatus quid ageret, Aurum, inquit, lego ex stercore. *Sabellicus lib. 2. cap 17.*

Libri. Libri liberis chariores sunt parentibus, quantò mentis filij sunt præstantiores quàm corporis. *Plato epist. lib. 7.* Libri etiam boni scelestorum hominum sunt tollendi lege Græcorum, vt memoria eorum auferatur. *Plat. in Grat.* Sicut in vnguentis & vinis: ita libris pretium addit antiquitas. *Erasm. in similib.* Inuenias ægros, qui varia ciborum genera appetunt, præsentes fastidiunt: tales mihi videntur, qui vario & semper nouo gaudent librorum numero, sed parum fruuntur illorum auxilio. *Thriuerus in apoph.* Vt illud opus est laudatissimum, in quo simul & ars commendat materiam, & materia vicissim artem: ita liber est optimus, in quo & argumenti vtilitas commendat eloquentiam, & authoris facundia commendat argumentum. *Erasmus in similibus.* Vt qui sapiunt, non statim è quouis fonte bibunt: ita non est tutum, quemuis librum euoluere. *Ibid.* Qui diuitiæ gaudent librorum suppellectile, atque illorum magis fruuntur spectaculo quàm studio, similes sunt pueris, quibus totas noctes lampades ardent, sed parum aduigilant. *Thriuer. apoph.*

Meditatio. Meditari nihil aliud est, quàm crebrò repetere imagines atque recurrere. *Themist. de mem.* Nulla ars præsumitur doceri, nisi intenta prius meditatione discatur. *Gregor. in Pastorali.*

Memoria. Maxima est studiorum conseruatio, si non scribantur, sed ediscantur. *Plato in epist. ad Dionys.* Memoria necessarium maximè vitæ bonum, & thesaurus eloquentiæ. *Cic. in Catone.* Ij, qui in magno motu, vel propter perturbationes, vel propter ætatem versantur, non valent memoria. *Arist. de mem.* Cogitatio & meditatio memoriam conseruant recolendo. *Id.* Alimenta, quæ accepimus, quamdiu in sua qualitate perdurant, & solida sunt, stomacho innatant onera. At cùm ex eo quod erant, mutata sunt, tunc demum in vires & sanguinem transeunt. Idem in his, quibus aluntur ingenia, vt quæcunque hausimus, non patiamur integra esse, nec aliena sint, sed concoquamus illa. Alioquin in memoriam ibunt, non in ingenium. *Sen. epist. 85.* Vt libri, quos non euoluas situ cohærescunt: ita memoria euanescit, nisi subinde renoues. *Erasmus.* Cyrus, Themistocles, Cæsar, Seneca, Rauennas, & alij fuerunt præditi memoriæ vi incredibili: de quibus in *Polyanthea Langij titul. memoria.*

Ordo. Attilius dicebat, nec adolescentibus in foro à causis centumuiralibus auspicandum esse, nec pueris in schola ab Homero: quòd vtrumque sit maximum: cùm oporteat paulatim & per gradus ad id, quod summum est, peruenire. *Plin. ad Max.*

Boëtius metro 6 l. 1.

Sic quod præcipiti viâ
Certum deserit ordinem,
Lætos non habet exitus.

Anonym.

Ordine seruato mundus seruatur, at illo
Neglecto possum totus & orbis abit.

Anonym.

Ordine fac doceas, & dexter habebere doctor:
Ordine fac discas, & bene doctus eris.

Qui crudo adhuc cibo nouum adiicit, sæpe atrophiam ac maciem contrahit. Nec potest promouere ad maiora, qui neglectis prioribus properat ad posteriora. *Thriuerus in apo.* Quemadmodum lapides, lateres, ligna & regulæ inordinatè quidem proiecta, ad nihil vtilia sunt: cùm vero ordinantur, domum constituunt: sic etiam in bello, licet multos habeas milites, parum tamen efficies nisi in ordinem colloces. *Xen. pho lib. 1. de dictis & factis Socrat.* Tale quid etiam est in studiis: quæ si ordine careant, fatigant, non recreant, obruunt, non iuuant.

Otium. Sicut aqua reses corrumpitur: ita homo deses perit animo & corpore. *Iustin. Patriarch. de grad. b perfect. cap. 9.* Nec corpus bene proficit, cuius nutritio intermittitur: nec animus feliciter promouet, vbi aut studium diu interrumpitur, aut virtus sua continuitate fallitur ac distrahitur. *Thriuer. apoph.* Otium tantò peius est somno, quòd somnus dumtaxat corpus, otium verò & ipsam afficit animam. *Ibid.* Diogenes crebro habebat in ore versum illum Hesiodi:

Ἔργον γ' οὐδὲν ὄνειδος, ἀεργίη δέ τ' ὄνειδος.

Erasm. lib. 3. apoph. Plato è disputatione discedens, solitus est admonere discipulos: Videte, pueri, vt otium in re quapiam honesta collocetis. *Laert. lib. 3.* Draco Atheniensium legislator statuit, vt qui damnati forent otij, capite mulctarentur. *Langius in Polianth.* Otium literarium & philosophicum est sagina animi, otium illiberale est viui homini sepultura. *Anon.* Ennius dicere solebat, qui nesciret vti otio, plus negotij habere quàm eum qui est in negotio. *Brus. lib 4. c. 28.* Quædam tempora nobis eripiuntur, quædam subducuntur, quædam effluunt. Turpissima tamen est iactura quæ per negligentiam fit. *Polyanth.*

Florilegio nostro inseramus duas Orationes de re scholastica.

ORATIO DE PROVIDENTIA DEI CIRCA SCHOLAS.



NEMO vestrum est, quem fugiat, scholarum hunc esse morem vernaculum, vt in panegyricis conuentibus & celebrioribus congressibus ea proponantur, quæ iuuenturem de rebus necessariis erudire, auditores honorarios oblectare, omnes qui adsunt ad officium pietatis excitare possint. Cùm igitur ab iis, qui cum imperio sunt, Hercules, vt ita dicam, scholasticus ad me deuolutus sit, mihi hoc negotij simul datum esse intelligo, vt hunc actum solemnem solenni aliqua oratione exordiar; non ea, quam hic locus augustus requirit, sed tali, quæ ab angusto meo ingenio proficisci potest. Scio huc loci nihil nisi perfectum ingenio,

elaboratum induſtria, acumine vermiculatum adferri debet. Talia decent hunc locum ad dicendum ornatiſſimum, quæ lucernam olent, & demorſos ſapiunt vngues. Poſtulat eadem conſpectus veſter ampliſſimus Requirit denique officium huius loci maximum. Huic enim loco præfectum eſſe, proximum regno munus eſt: cur itaque maximum hoc non ſit officium? Virorum ſapientia & prudentia præſtantium conſpectus quomodo non poterit eſſe ampliſſimus? Locus florentiſſima lectiſſimorum auditorum corona exornatus, quomodo non ſit ornatiſſimus? Hæc dum conſidero, parum abeſt, quin formidine maxima perculſus vadimonium deſeram. Video enim hanc prouinciam pro dignitate neminem tueri poſſe, niſi maximo ſit ingenio, ſumma copia dicendique facultate præditus. Quæ omnia in me cùm ſint exigua, hoc imprimis tempore, quo non habeo firma latera, quæ oratorem vel imprimis habere conuenit, facilè intelligo, me nonniſi aura & Fauonio beneuolentię veſtræ fretum poſſe ampliſſimum hunc dicendi Oceanum ingredi; me nonniſi veſtræ patientiæ velis adiutum poſſe in eo progredi: nec inde egredi, niſi in veſtra æquanimitate proram puppimque collocem. Adeſte igitur, auditores, méque veſtra beneuolentia & humanitate iuuate, dirigite. Faxo, vt intelligatis, quomodo prouidentia Dei circa ſcholarum incrementum & decremẽtum ſit conſpicua. Quod argumentum nobis omnibus eſt pernneceſſarium: hoc imprimis tempore, quo mira & miſera eſt omnium rerum facies, ita vt non ineptè aliquis vſurpauerit illud Homeri:

Πολλὰ δ' ἄναντα, κάταντα, πάραντά τε, δόχμιά τ' ἦλθον.

Noſtis, doctrinam de prouidentia Dei, eſſe ſapientiæ, bonitatis, & potentiæ Dei infinitæ theatrum illuſtriſſimum, fidei & ſpei fulcimentum firmiſſimum, ſuperbiæ & impatientiæ frænum tutiſſimum, gratitudinis ſtimulum acutiſſimum, religionis denique magiſtram certiſſimam. Hos igitur fructus omnes ex hâc oratione demetere licebit: vtpote in quâ prouidentiam Dei circa ſcholas ex continuâ ſcholarum praxi vobis ob oculos ſtatuam. Quod vt faciliùs aſſequar, in vtroque orationis huius ſpatio ſcholas Chriſtianas (de iis enim potiſſimùm mihi ſermo) cum paradiſo, domicilio illo protoplaſtorum, conferre mihi nunc eſt propoſitum & deliberatum. Potuiſſem quidem hoc ipſum conſequi, ſi ſcholam cum naui comparaſſem, inque illâ naupegum, nauarchum, & archithalaſſum Deum, angelos claſſiarios, epibatas & nauphylaces magiſtratum proretam, libertatem ſaburram oſtendiſſem; ſi doctores gubernatoribus, leges antennæ, executionem legum vento ſecundo, ſumtus proræ & puppi contuliſſem. Sed quia venit in mentem, ſcholas vſitatè hortos & viridaria tenellis plãtis, vtilibus herbis, omniſque generis arboribus aſpectu iucundiſſimis, fructuũque fertilitate præſtantiſſimis, conſita & quaſi conueſtita nuncupari, exiſtimaui me maius operæpretium facturum, ſi de ſcholarum cum paradiſo collatione dicere inſtituerem, indeque prouidentiam Dei circa ſcholas deducerem. Quod dum facio, à vobis, auditores, enixè contendo, vt perexigui temporis interuallum iis rebus audiendis impendatis, de quibus vſurpari poteſt id, quod Hector ille Næuianus apud Tullium ait: Dicere nunquam eſt gradum, niſi cùm eſt neceſſarium. Res ipſa ſpero faciet mihi audientiam. Atque vt hinc proficiſcatur oratio mea, paradiſus fuit hortus artificis dignitate, defenſorum authoritate, cultoris ſanctitate, ſtructuræ pulchritudine, rerum vbertate, loci amplitudine, cœli felicitate, quatuor fluminum fœcunditate, duarum denique arborum excellentiâ tam præclarus & eximius, vt nec Adonidos, nec Alcinoi, nec Heſperidum, nec Semiramidis, nec Iunonis horti, aut ſi qui ſunt his magis decantati, cum paradiſo noſtro in comparationem aut contentionem venire poſſint. Principio enim architectus paradiſi non fuit angelus aliquis aut archangelus, aut homo mortalis, ſed Deus immortalis, ſanctiſſima illa eſſentia.

Ipſa ſuis pollens opibus, nihil indiga noſtri.

Hic opifex ſummâ arte & ineffabili ſapientiâ hunc hortum propriis, vt ita dicam, manibus efformauit, eumque muro validiſſimo & præſidio firmiſſimo circumuallauit, cuſtodiâ nimirum Cherubinâ. Cultor huic horto datus Adam, homo ſapientiâ & ſanctitate præditus, & velut horizon naturæ viſibilis & inuiſibilis. Structuræ pulchritudinem ſi conſideres, hortus iſte tam incredibilis fuit amœnitatis, vt ex omni deliciarum copiâ nullus locus homine ad imaginem Dei creato dignior in hoc vaſtiſſimo totius rerum vniuerſitatis theatro inueniri potuerit. Quid dicam de rerum vbertate, quæ in paradiſo fuit ſumma? Hîc videre erat arbores, herbas, & plantas pulcherrimas, fragrantiſſimis floribus, gratiſſimâ colorum varietate, vtiliſſimâ fructuum dulcedine conſpicuas. Terra vberrimo prouentu largiſſimè & liberaliſſimè in ſinum hominis vltrò effundebat, quidquid ad victum & oblectationem deſiderari poterat. Et quia hic hortus erat palatium, auguſtale, & regia imperatoris Adami non in ſpatiolo aliquo aut humili & anguſto gurguſtiolo fuit incluſus, ſed ambitu ampliſſimo, pomœriiſque latiſſimis protractus. Huc accedebat cœli temperies, nullâ grandine, vredine, aut fulmine terribilis, nullâ frigoris aſperitate auſtera, nullis ventorum inter ſe conflictibus inquieta, nullis moleſtis nebulis obducta: ſed ibi ver erat perpetuũ, aër ſemper amabilis, totuſque delectabilis. Porrò, cùm non vltima hortorum gratia inde ſoleat æſtimari, quòd ad aquarum decurſus plantati ſint, Deus hortum iſtum amœniſſimum, ampliſſimum, non riuulo aliquo turbido, ſed fluminibus quatuor maximis, nobiliſſimis irrigauit: de quibus optimo iure dixeris, Flumina ibi lactis, & flumina nectaris ibant. Denique, ne quid ad ſummum ſplendorem & omnigenam commendationem deeſſet, Deus arborem vitæ plantauit in hoc horto, vt homo, candidatus ille æternitatis, fructu huius panaceæ veſcens nullo morborum inſultu vexaretur, abſque metu etiã debilis ſenectutis, in perpetuo iuuentutis virore ac vigore donis Dei vteretur, ad illum vſque diem, quo ex hâc vtâ animali in ſpiritualem erat transferendus. Huic arbori mirabili addita fuit arbor ſcientiæ boni & mali; cuius nomenclatura ſumta fuit ab euentu, triſti eheu euentu! Quæ omnia cùm ita ſint, quis mecum non exclamet: ô magnificentiam paradiſi incomparabilem! ô decorem prorſus inexplicabilem! ô bonorũ optabilium abundantem ibi affluentiam, & affluentem abundantiam! Sed quorſum hæc recito? quorſum? Vt manifeſtum euadat, quâ ratione hortis ſcholaſticis omnia iſta conueniant, vtque prouidentiam Dei circa ſcholas florentes & defloreſcentes inde colligamus. Principiò igitur ſicut paradiſus architectum habuit Deum: ita natales & incunabula ſcholarum, quæ paradiſi ſunt æmulæ, ad nullum alium authorem, niſi ad Deum, referri poſſunt. Quid enim? An exordium rei tam excellentis, tam bonæ, modiſque omnibus ſuſpiciendæ, ex quâ tanquam ex Amalthéæ cornu lætiſſima & copioſiſſima maximorum bonorum ad vniuerſum genus mortaliũ redundat ſeges, alij authori, quàm Deo fõti & ſcaturigini omnium bonorum, acceptum ferri poteſt? Rectè profectò dixit, quicunque dixit, originem ſcholarum eandem eſſe, quæ eſt Eccleſiæ. Sicut enim Deus, Pater ille cœleſtis, in primo rerum omniũ exordio vineam ingentem (Eccleſiam intelligo) plantauit, plantatam conſeruauit aduerſus vulpes & apros, conſeruatã amplificauit, ita pro ineffabili ſuâ ſapientiâ hic vineæ adiunxit hortulos & ſeminaria ſcholarum, vt quotieſcunque palmites vineæ vel ſenio contabeſcerent, vel morte collaberentur, recentes, vegeti, nouelli, & ſucci pleni ex horto ſcholaſtico poſſent ſubrogari. O ineffabilem Dei ſapientiam, quâ vineæ ſuæ chariſſimæ, Eccleſiæ, adiunctam voluit ſcaturiginem perennem, ſcholam! ô bonitatem admirabilem, quâ, vt voluit eſſe ſemina in magno hoc mundi theatro, ne res mortales vnquam deficerent, ita in horto Eccleſiæ conſtituit ſeminarium inexhauſtum ſcholam, vt inde ſuboleſcentes & arboreſcentes plantæ in vineam illam ſplendidiſſimam tranſlatæ conducerent ad perennitatem! Sed non ſolùm origo ſcholarum, verùm etiam defenſio ipſarum ebuccinat prouidentiam Dei inexplicabilem. Quemadmodum enim paradiſus muro fuit cinctus, & præſidio angelico munitus: ita diuinæ protectionis propugnaculo, angelicarum excubiarum præſidio, & legũ honeſtarũ, diſciplinæque accuratioris vallo, cuius cuſtos eſt magiſtratus politicus; his, inquam, muris communitæ ſunt ſcholæ; vſque adeò, vt nulla extrinſecus oppugnantium vis, nullus intrinſecus debacchantium impetus, conquaſſare illas, nedum euertere poſſit. Hinc ſemper in mundo piæ ſcholæ fuerunt, inprimis in populo Dei: & per infinitã Dei gratiam & potentiam durarunt vſque ad hæc tempora, & (liceat mihi, auditores, vatem agere) permanebunt vſque ad finem mundi, in vitâ denique æternâ perficientur. Quæ res adeò clara eſt, vt ſolis radio depicta videatur: apud eos præſertim, qui non ſunt hoſpites in hiſtoriâ. Nam in Vetere Teſtamento tempore poteſtatis, quam vocant, patriæ, fuerunt ſcholæ domeſticæ, arctatæ intra priuatos patriacharum parietes: fuerũt & ſcholæ publicæ. Sic in domo Adami fuit ſchola priuata, cuius diſcipuli eminentiſſimi fuerunt Abel & Seth. Schola iſta Adamica fuit conſeruata in poſteritate Seth; cuius filius Enos publicam primus erexiſſe ſcholam creditur. Idem fecere Noë ac Sem. Hinc diuerſæ ſcholæ continuatæ ſunt vſque ad Abrahamum; cuius ſchola conſeruata fuit ab Iſaaco, & latiſſimè propagata à Iacobo, & Ioſepho prorege illo Ægypti. Ad poteſtatem ducalem & iudiciariam populi Dei placet deſcendere? Hîc ex præſcripto & ordinatione Moſis, quem cancellarium Dei indigitant, ſcholæ propagatæ ſunt vſque ad tempora Samuëlis. Moſes enim vna cum fratre Aarone inſtituit ſcholas theologicas & iuridicas, iiſque præfecit doctores ordinarios Leuitas: Præter ordinarias iſtas Leuitarum ſcholas fuerunt inſuper ſcholæ extraordinariæ prophetarum, qui heroico zelo reformare agreſſi ſunt ſcholas per incuriam Leuitarum corruptas. Imprimis autem ſcholæ iſtæ prophetarum viguerunt ſub poteſtate regia. Hinc toties Pandectæ illæ ſacræ nominant filios prophetarum, i.e. illorum diſcipulos. Fuerunt & Naziræi, profeſſores & ſtudioſi theologiæ. Quid dicam de ſcholis populi Dei ſub poteſtate ſacerdotali? Hac tempeſtate floruerunt Phariſæi Theologi, Scribæ, ICti, & Legiſperiti Theologi & ICti ſimul: Floruerunt Heſſeni: Fuerunt in ciuitatibus ſingulis ſynagogæ. Neque ſolùm in populo Dei, ſed etiam apud gentiles fuerunt innumeræ ſcholæ ante Chriſti aduentum. Adeò enim ſcholarum vtilitas & neceſſitas, omnibus

omnibus propè dixerim extra populum Dei gentibus innotuit, vt plurimæ, eæque excellentissimæ, scholæ in diuersis regnis constitutæ, regiisque sumtibus conseruatæ fuerint. Quis ignorat antiquissimas Orphei, Lini, & reliquorum poëtarum scholas? quis Magos Persarum? quis sacerdotes Ægyptiorum? quis Gallorum Druidas? quis septem sapientum collegia? quis Platonis Academiam? quis Aristotelis Licéum? quis infinita aliorum gymnasia? Dies me hic potiùs & vox defecerint, quàm dicendi argumentum. Hęc ab exordio mundi numquam interrupta scholarum successio, singulari Dei nutu & benignitate deducta est vsque ad Seruatoris nostri Opti. Max tempora: qui anno ætatis 12. sedit in medio doctorum, & frequentissimè scholas frequentauit, illasque suâ doctrinâ & præsentiâ ornauit, ædificauit. Vestigiis almi Seruatoris semper, vbicunque locorum fuerunt, sancti Apostoli & ipsorum discipuli institisse leguntur. Præterquam enim quòd domesticas habuerunt scholas, qualis fuit illa in domo Nymphæ, publicas etiam magno numero instituerunt. Nam in scholâ Antiochenâ publicè docuerunt Barnabas, Simeon Niger, Lucius Cyrenæus, & Manahen. Thomas apostolus docuit apud Osroënos, Andreas in Scythiâ & Græciâ, Simòn Zelotes in Africâ & Britanniâ, Marcus in Ægypto & Libyâ. In Europâ docuerunt Paulus & Iacobus. Barnabas docuit in Lombardiâ & Mediolani, Apollinaris Rauennæ, Lucius Cyrenensis Ratisbonæ, Maternus discipulus Petri Argentinæ & Coloniæ, Clemens Pauli commilito Metis, Crescens Pauli discipulus Moguntiæ: & quis omnia ea commemoret, quæ apud Eusebium & Nicephorum magno numero se offerunt? Prætereo hìc synagogam Libertinorum, Cyrenensium, Alexandrinorum, Cilicum, & Asianorum, de quibus in Actis Apostolorum. Nihil dico de scholis Corinthiacis, Atheniensibus, Ephesinis, Romanis, Byzantinis, & similibus, à nostra memoria remotioribus. Velim vos duntaxat intueri eas scholas, quæ à Christianissimis Imperatoribus, Regibus, & Principibus sunt institutæ, quarum in Germaniâ numerantur sex & viginti, in Hispaniâ duæ & viginti, in Italiâ vndecim in Poloniâ tres, in Scotiâ tres, in Angliâ duæ, in Gallia sedecim: vt nihil iam dicam de scholis innumeris triuialibus, quas vel leui cogitationis aura percurrere sit labor. Ingratus sim, si tacitus præteream illustres & generosissimos dd. nostros illustris huius scholæ directores, qui inter primas suas curas id curant, vt nostra Sarepta & vidua alat, id est religionem, & Elisæum, id est fidos doctores. Atque hinc patet, ad hæc vsque tempora inde ab origine mundi scholas, nunquam interrupta successione durasse. Vnde non obscurè colligere licet, scholas ad finem vsque mundi permansuras: quidquid etiam alij contra blaterent, qui scholarum fatalem periodum in an[...] futuro & sequentibus figunt. Quilibet spero nisi fortè in meridie noctis constitutus, vt cum Comico loquar ex d[...] intelligit, quàm nobilis sit scholarum origo, quàm veneranda successio, quàm admiranda propagatio, dęsiderabilis perfectio. Ordo nos vocat ad cultores, quos horti scholarum æquè requirunt atque paradisus. Cultores isti sunt doctores & discipuli. In docentibus requiruntur non solùm virtutes illæ, quæ imperatoriæ existimantur, labor in negotiis, fortitudo in aduersis, industria in agendo, celeritas in conficiendo, consilium in prouidendo: sed præter has etiam pietas erga Deum, totius vitæ innocentia, temperantia, summa fides, prudentia, facilitas ac dexteritas, ingenium solers, humanitas, alacritas, rectumque iudicium. Huiusmodi verò viros, quis est, qui non à Deo dari & excitari fateatur? Quòd si per historiarum monumenta eamus, nullum seculum nobis occurret, quod non habuerit doctores illis notis, quas dixi, præsignes. Semper etiam scholæ habuerunt discipulos, qui per omnes pietatis, diligentiæ, modestiæ, ac eruditionis numeros probarunt, quantopere Deo curæ sit scholarum conseruatio. Scholarum dico, quarum pulchritudo tanta est, vt illa instar iubaris totam collustret remp. vtque illâ sublatâ succedant tenebræ Cimmeriis & Ægyptiis multò densiores. Quid enim pulchrius est eo ordine, qui in scholâ, tanquam in exercitu, cernitur? quid amabilius ijs rebus, quæ in scholâ docentur & discuntur? Sed hanc pulchritudinem non vident Cyclopes, Cētauri & Thersitæ, quorum iniquissimis iudiciis, sarcasmis acerbissimis, asininis, clamoribus scholæ vapulant: de quibus vsurpare soleo illud poëtæ.

Vtrem pro citharâ gaudet habere Midas.

Videamus porrò, auditores, quàm singularis sit Dei prouidentia circa hortorum scholasticorum vbertatem, Tanta est illa, vt nullius tantum sit flumen ingenij, nulla dicendi aut scribendi tanta vis, tantaque copia, quæ non dicam exornare, sed enarrare vestram, horti scholastici, fœcunditatem & vbertatem possit. Nam absque vobis si sit, homines transformantur in belluas, in truncos, in lapides, in monstra immania, de quibus ingeniosissimus nequitiarum poëta in sua metamorphosi. Homines natura sunt veluti tabula rasa, cui nihil inscriptum est, quidlibet autem inscribi potest. Vos verò scholæ, inscribitis literas Pietatis & Humanitatis. Homo natura est veluti linea alba, quæ colorem quemlibet recipere potest. Vos tingitis albam istam lineam viuo Honestatis colore. Homines in lucem editi sunt veluti lapides, è quo quælibet statua fieri potest. Vos habetis statuarios peritissimos, qui refingunt hominem, & ita refingunt, vt imago Dei magis magisque se exserat. Vos gigantéam audaciam diffringitis, Cyclopicam immanitatem compescitis, vitam Epicuréam corrigitis. Vos estis emporia & mercatura bonarum literarum: seminaria Ecclesiæ: armamentaria reip. viuaria œconomiæ: officinæ pietatis: magistræ humanitatis: fontes honestatis: scaturigines vtilitatis: nerui morum & disciplinæ: horti Gratiarum, & vno verbo, Cornucopiæ omnimodæ felicitatis, O igitur felices Ecclesiæ, quibus hæc pietatis domicilia sunt adiuncta! ô beatas resp. in quibus hæc iustitiæ emporia sunt aperta! ô seculum nostrum felicissimum, in quo ab innumeris scholis non secus atque ab Apollinis capillis infinita destillāt commoda! Sed amplitudo paradisi vellicat mihi aurem, deque scholarum amplitudine aliquid me dicere iubet. Continentur autem scholæ iisdem, quibus hæc terra habitata, terminis. *6. Amplitudo scholarum.* Etenim nulla gens immanitate tam barbara, crudelitate tam effera vnquam fuit, cuius animos aliqua scholarum vel singularis admiratio & veneratio, vel in suis terris erigendarum cupiditas ac desiderium non inuaserit, non incesserit. Nam & Turci, & Scythæ, & populi in nouo orbe scholas habendas esse censent, & plurimas habent. Slauoni, homines aliàs ipsâ barbarie magis barbari, tantum habent scholis honorem, vt latrones, eò loci qui degunt, conspicati hominem instructum à libro & atramentario, summâ reuerentiâ ipsum excipiant, & quibus possunt humanitatis officiis prosequantur. Vnde verò est tanta scholarum vbertas? amplitudo tanta vnde? Quemadmodum paradisi fœcunditas à blandâ & benignâ cœli temperie: ita scholarum vbertas à gratiæ diuinæ Fauonio à serenissimo veritatis, quæ in ipsis sonat, vultu, atque sole illo concordiæ originem ducit suam. *7 Temperies cœli quæ sit in scholis?* His accedunt quatuor facultates, vt vocant, quæ scholarum vbertatem & vtilitatem promouent, non aliter atque quatuor illa flumina paradisum leni defluxu & stata exundatione fœcundissimum effecerunt. Nimirum sacrosanctæ theologiæ Oceanus profundissimus, iurisprudentiæ mare vastissimum, medicæ artis pontus iucundissimus, philosophiæ denique fluenta septemplicia, sunt quatuor illa flumina maxima, limpidissima, iucundissima, fertilissima, quæ non secus atque quatuor paradisi flumina ex vno, & eo quidem inexhausto, diuinæ sapientiæ pelago scaturiunt, & versus quatuor mundi cardines in quatuor vitæ humanæ ordines fluxu & cursu vnanimi coniunctissima largissimè se exonerāt. *8 Quatuor flumina in scholis quæ.* Posset hìc, auditores, triumphare oratio mea, nisi vestra mihi satietas fugienda esset. Quare vt primum meæ orationis spatium ad finem decurrat, agite videamus, quomodo arbor vitæ, arborque boni & mali in paradiso cuiuslibet scholæ Christianæ à Dei prouidentia plantentur, foueantur. Arbor itaque vitæ in medio, & q. gremio ac sinu hortorum scholasticorum plantata, est almus ille Seruator Iesus Christus. *9. Arbor vitæ in scholis quæ.* Ad hunc enim tanquam ad scopum omnes omnium labores in scholis collimare debent. Hoc est centrum è quo lineæ pietatis & humanitatis ad circumferentiam scholarum deducuntur, & in quod eædem reducuntur. Hoc est cor, hæc ἐντελέχεια actionum scholasticarum. Hunc qui habet, omnia habet: hunc qui scit, omnia scit. Vnde piè pia antiquitas cecinit,

Si Christum bene scis, satis est, si cætera nescis:
Si Christum nescis, nihil est, si cætera discis.

Et rectè mellifluus Ecclesiæ doctor: Iesus inquit, est mel in ore, melos in aure, iubilæus in corde. Hunc thesaurum quæ scholæ retinent, non possunt non perfundi nectare felicitatis & amplitudinis, non quidem temporalis & caducæ, sed spiritualis & æternæ. Quid verò, auditores, videtur vobis de arbore scientiæ boni & mali in horto nostro scholastico? Quæ illa est? quæ amabo? *10. Arbor scientiæ boni & mali quæ in scholis.* Hæc arbor est discrimen honestorum & turpium, cuius notitia mentibus nostris in primo ortu diuinitus est insita: cuius diuinissimum compendium est Decalogus. Decalogus enim sua natiua indole est arbor scientiæ boni: quippe regula iustitiæ, nunquam exorbitans, nunquam fallens, nunquam à recto tramite deflectens, sed sibi perpetuò similis & constans, ac proinde omnes omnium hominum actiones examussim gubernans. Regula dico, non Lesbia, sed diuina, certior omni regulâ Polycleti, omni librâ Critolai. Sed & hic idem Decalogus est arbor scientiæ mali nostro vitio, & simul (quod alicui pradoxum videatur) nostro bono. Nam si nō excidissemus primæuâ nostrâ integritate, nihil opus fuisset ex lege, tanquam ex speculo cognoscere maculas animæ, peccata. Sed postquam à Deo turpiter desciuimus, ex Decalogo discimus fœdissimam vitiorum lernam toto pectore auersari, execrari, & cane peius ac angue fugere. Veniant nunc irrisores scholarū, & dicant, scholas esse nequitiæ iuuenilis stabula, puerilis petulantiæ domicilia, calamitatis hospitia, iuges thesauros penuriæ, pædoris myrothecia, ærumnarum confluxum, & miseriarum Oceanum. Potéstne verò id quod DEVM habet authorem, nequitiæ appellari stabulum? Potéstne id cuius defensionem suscipiunt angeli, & pij magistratus, esse domicilium

cilium petulantiæ? Potéstne id, quod vtilitate est maximum, gloriâ amplissimum, dignitate summum, appellari pædoris myrothecium, & Oceanus miseriæ! Sed videor mihi videre, quid sibi velint, qui scholis talia improperant. Defigunt illi oculos in vitia, quæ in scholas irrepunt, iisdemque exitium minantur & machinantur. Sed quid hæc ad nostram Andromachen? Non enim ipsa facta est meretrix, sed ij, quibus hoc negotij à Deo datum, vt intemeratam huius diuæ castitatem propugnarent, hi, inquam, sui muneris obliti, Dei vindicis irâ prouocarunt, vtque ille phialas excandescentiæ suæ, (de quibus in Apocalypsi) super scholas quoque effunderet, effecerunt. Atque hoc est, auditores, alterum orationis meæ spatium, quod dum eâdem breuitate, qua primum illud, decurro, aures animosque beneuolos mihi accommodate. Dicam hîc de re maximi momenti: de causis videl. corruptarum scholarum: vbi vos oro atque obtestor, ne ab animo satyrico canis alicuius rhetorici hæc qualia qualia profecta esse suspicemini, sed de medio sumta esse vobis persuadeatis. Hîc verò non est, quòd culpam conferamus in architectum horti scholastici, Deum, vel in defensores horti, angelos, vel in quatuor ipsius flumina, theologiam, iurisprudentiam, medicinam, & philosophiam: vel denique in vbertatem horti, cœli temperiem, & duas horti arbores. Quomodo enim res tam sanctæ, tam vtiles, tam excellentes Camarinam fœdam parere, tetramque Mephitim exhalare queant? Fomes itaque huius mali quærendus nobis est in hominibus, horti defensoribus & cultoribus: in magistratu dico, in subditis, in præceptoribus, in discipulis. Hæ enim sunt quatuor rotæ, quibus Deus hunc hortum pensilem voluit vehi. Ex his rotis si vel vna concidat, aut luxetur, hortus noster non ampliùs pendet, sed vel iacet, vel ruinam minatur. Quod igitur ad magistratum attinet, tametsi fatendum sit, plurimos nunc æui esse nutritios ecclesiarum & scholarum: videre tamen est bene multos, quibus res ista non est curatio. Paucos profectò videas, qui scholam habeant pro seminario pietatis: pauciores, qui scholam habeant pro filia primogenita: id quod Galli dicunt de schola Parisiensi, illam esse primogenitam regis filiam: paucissimos, qui eum erga scholas affectum ostendant, quem Theodosij, Iustinianus, Carolus Magnus, & alij principes Christianissimi præ se tulerunt, quando scholas fundarunt, fundatas priuilegiis ornarunt, & amplissimis reditibus instruxerunt. Hinc est, quòd pannosos potiùs, quàm nummosos videmus doctores de scholâ: hinc est, quòd ædificia scholastica, quæ debebant esse ornatissima, non reparantur, non ornantur, hinc est. quòd mensæ publicæ, quæ debebant esse tabulæ, in quibus magnificentia principum velut Apelleis lineis depicta conspiceretur, multis modis deformantur. Non requiro hîc magnificentiam Alex. M. qui Aristoteli scripturo historiam animalium dedit 80 talenta, i. e. quadringenta & octoginta millia Philippicorum: non requiro magnificentiam Augusti Cæsaris, qui Horatio seruos, supellectilem, & totos dedit fundos: non etiam requiro magnificentiam Caracallæ, qui Oppiano in singulos versus sibi inscriptos singulos iussit rependi aureos. Eam hîc postulo in Principe magnificentiam, qua docentes lætentur, discentes excitentur, omnes iuuentur: ne homines de scholâ necesse habeant veterem illam cantilenam gemendo potiùs, quàm canendo proferre:

Nos musæ, mulæ, famaque nostra fames.

Sed multi nunc similes sunt Romano Pontifici Sixto IV. cui cùm Theodorus Gaza exhiberet libros Aristotelis de animalibus ex Græco conuersos, quod fieri non potuit, nisi ab eruditissimo in vtraque linguâ viro, & liber esset ornatus aureis laminis: interrogauit Pontifex, quanti constaret ornatus: dixit minister, quadraginta aureis. Totidem igitur ei reddi, & præterea nihil dari iussit. Nimirum Pontifex aurum pro auro, pro labore nihil numerauit, Pontificio sanè facinore.

Ad subditos me conuerto, & in iis tetram noto ingratitudinem: quâ fit, vt perpauci agnoscant, prædicent, & extollant singulare hoc Dei beneficium, quo nos affecit, quando scholis bene constitutis hactenus halcyonia præbuit. Hinc existit contemtus scholarum, hinc odium erga docentes & discentes, hinc insidiæ, hinc fraudes, quibus vexantur, & tantùm non opprimuntur homines publicè vtiles in scholis, vt & boni iuuenes, qui sunt thesaurus vtriusque politiæ. Dissimiles profectò sunt veteribus Iudæis Phœnicib. Chaldæis, Ægyptiis, Indis, & quod mireris, ipsis etiam Philistæis: qui de scholis honorificè senserunt, & illas amplissimis sumptibus conseruarunt. Quantum gens Græca academiæ & gymnasiis, musarumque delubris (vt Cicero vocat) indulserit, nemo ignorat. Pleni sunt libri, plenæ historiæ istius rei testimoniis. Imprimis verò testantur Græca & Romana iura, ciuilia & ecclesiastica, Cæsarea & Pontificia, Pandectæ, Codex, Nouellæ, Rescriptaque & authenticæ potentissimorum Cæsarum, & fortissimorum ac religiosissimorum principum, quo animo tum ipsi, tum ipsorum subditi fuerint propensi erga scholas. Verùm enimuerò, ne aliquis cum Diogene Cynico me similem esse dicat Grammaticis qui cùm Vlyssis mala notarent, sua negligebant, bona vestra pace, auditores, ingrediar adyta & penetralia scholarum, quidque ibi decrementum scholarum promoueat, indagabo. Hîc primò se offerunt morbi, qui totum scholæ corpus & systema infestant: & inter eos agmen ducit impietas plus quàm Liciniana: quâ fit, vt istæ voces ex quibusdam de gente Criticâ an Creticâ audiantur: legendo Biblia dedidiscimus Latinitatem, & corrumpimus bonam dictionem Ciceronianam: Vacando sacris, πολυπλεκτῶν ἀναλαμμαχρόνος, labitur. Hinc fastidium rerum sacrarum sacerrimum. Hinc multi similes sunt illi Anglo, qui odas Pindari præferebat psalmis Dauidis: & illi Mathematico, qui moribundus legebat Euclidem. His nihilo meliores sunt illi, qui disputationes contra cardines, i. e. principia religionis Christianæ instituunt, & immensos religionis Christianæ agros decempedâ rationis suæ metiri conantur, ausu sacrilego. Vellem istos homines expendere, quod in historiâ ecclesiastica occurrit. Cùm Arrianus quidam proteruus diu multumque disputasset cum nostris, & variis sophismatis irretiisset, tandem accedit agricola, qui ex Arriano quærit, an credat in Christum? Hic Arrianus obmutuit: quod cùm mirarentur Christiani, ipse dixit: Quandiu verba verbis fuerunt opposita, meritò superior fui: sed cùm primùm verbis oppositæ fuerunt res, cedere coactus fui. Impietatem excipit calumnia, quam in cœtu scholastico inuenire habemus validam & variam. Literæ siquidem, quæ diuinitùs sunt datæ, vt homo homini sit Deus, hodie vix alium habere vsum putatur, quàm vt homo ab homine dissideat, vt homo homini sit lupus, vel vt rectiùs dicam, diabolus. Apud seculum prius proterua conuitiorum, scurrilitatum, vernilitatum, contumeliarum nomina in circulis, in lustris, in cauponis nascebantur, & inibi noscebantur. Hodie è sinu literarum non ea tantùm, sed noua, sed inaudita, sed infanda prodeunt. Inciuile, petulans, improbum aliquod dictum excogitandum est? Ne longè discede. Dabunt scholæ, dabunt literæ & quod quæris, & si hoc tibi non satis est, etiam earum rerum gnaros subministrabunt, qui per omnes calumniarum numeros, quantum in eâ palæstrâ profecerint, tibi probabunt. Quid hodierni præferunt libri polemici, qui à theologis super negotio religionis (scilicet) scribuntur? Quid, inquam, præferunt, quàm incredibilem iniuriarum & conuitiorum segetem? Quidam se hodie ad examinandum aliorum sententias conferunt, qui non putent, sibi in literis omnem maledicendi licentiam patere, quæ nemini parcat, nullum genus hominum patiatur expers esse virulentiæ & importunitatis suæ? In hac autem miseria illud est miserrimum, quòd homines istius furfuris hanc laudem ingeniorum suorum maximam credunt, si variis maledictis, quà licet, quà non licet, alios impetant. Hic morbus comitem habet discordiam: qua fit, vt diuersæ sententiæ diuersos, vel potiùs aduersos pariant animos. Vtinam hîc cogitaretur illud poetæ.

Diuersum sentire duos de rebus iisdem,
Incolumi licuit semper amicitiâ.

Vtinam illud Aristotelis succurreret: Aliud est ὁμόνοια, aliud ὁμοδοξία! Sed quid facias animis exulceratis? Æstuarium disputationum, an contentionum hîc est perpetuum: nullæ hîc induciæ: quia hunc discordiarum Euripum foris perflans à gigantibus & Centauris omni ex parte Cæcias permouet, intus ambitiosorum & ἀσπόνδων hominum intemperantia. Quis verò fructus istarum contentionum? Docet id nos fatum Academiæ Atticæ, in quâ perpetuæ altercantium rixæ, iurgia & odia hoc effecerunt, vt tandem dissiparetur miserrimè. Sic florentissima schola Alexandrina, quæ prima Euangeli doctrinam in auditoriis suis excepit, contentionum vanitate dilacerata est. Nec alia pestis Academiam Pragensem, olim florentissimam, afflixit, & tantùm non extinxit, quàm contentio. Nihil hîc dico de logomachiis logodædalorum, prætereo κενολογίαν καὶ ματαιοπονίαν sophistarum, latere patior ventosas ἀεροβατούντων subtilitates, non attingo meteorologicas nasutorum distinctiones. Qui morbus miserrimè afflixit Atheniensium Academiam. Tantus enim philosophorum æstus fuit in suis dogmatis liberè profundendis, & peruicaciter asserendis, vt nationum fermè trecentarum examen in isto genere ad memoriam vsque suam Themistius scripserit extitisse. O si homines isti aërij cogitarent illud, quod Ariston dicebat, ineptos disputatores similes esse iis, qui cancris vescentes propter exiguum alimentum pertenui cum fructu, in ossibus, testis, & crustis occupantur: dubio procul ad meliorem frugem se reciperent! Sed nondum finis est morborum. Nam præter communes illos, quos dixi, & docentes & discentes peculiaribus laborant næuis: quos dum tango, nemo vestrûm opinetur, me esse ἀναμάρτητον. Qui enim statuam, me cæteris anteire: cùm eiusdem imbecillitatis & naturâ sim soboles, & alumnus institutione? Offert se hîc imprudentia, tyrannis, & indulgentia multorum præceptorum. Quæ singula leui brachio perstringam. Quemadmodum nauclerus imperitus nauem semper, imprudens sæpe in discrimen adducit: ita præceptor inscitia sua puppim scholæ sibi

Prouidentia Dei circa scholarum decrementum.

1. Quomodo magistratus desit suo officio circa scholas?

2. Subditi quomodo peccent circa scholas?

3. Vit[...] [...]nibi[...] schola[...] munis[...] modo[...] ceat f[...] lias.

4. [...] pr[...] ru[...]

ſibi commiſſæ nunquam non perdit, imprudentia ſæpiſſimè. De inſcitiâ nihil amplius dico niſi hoc, quod eſt apud Ciceronem de diuinatione: Sus roſtro ſi humi A literam impreſſerit, nō propterea ſuſpicari quiſquam ſanus poterit, Andromachen Ennii ab eâ deſcribi poſſe. Imprudentia præceptoris in tribus potiſſimum eſt cōſpicua, ſi modò eſt conſpicua dicenda. Primò ſunt, qui non habent delectum ingeniorum, ideoque eâdem ferulâ omnes caſtigare, vno pede omnes metiri ſolent. Sane ſi canes & equos ita educamus, vt alij ingenio alium adhibeamus modum, quid exiſtimatis nobis faciendum in educ. ndo animalium delicatiſſimo, quod eſt homo? Non ineptè dixit vir magnus, ingenia adoleſcentium tractanda eſſe vt vitra: quorum alia ſint craſſiuſcula quæ vel à quadrato ruſtico tractari queant, alia ſubtiliora, quæ digitos poſcant ſubtiles. Studioſi quoque iuuenes religioſè tractari debēt tanquam præclarum depoſitum. Quâ de re inſignis eſt locus in hiſtoriâ eccleſiaſticâ. Sanctus Iohannes, euangeliſta & apoſtolus, cùm viſitaret Aſiæ minoris eccleſias, obuium habuit iuuenem lacertoſum & formoſum: quem fidei ac diligentiæ cuiuſdam epiſcopi commendauit. Quid verò ille iuuenis? Hic ventrem curare, cùm furibus & piratis conuerſari, epiſcopum deſerere, in collegio piratarum ſe ſtrenuè exercere, archipiratæ denique inſulam reportare. Sanctus euangeliſta multo pòſt tempore reuerſus ad epiſcopum, Redde, inquit, depoſitum, quod tibi Chriſtus commendauit. Tum epiſcopus illachrymans reſpondet: Mortuus eſt, mortuus. Euangeliſta domum reuerſus incidit in latrones, qui ipſum abduxerunt ad ſuum ducem. Is autem erat iuuenis ille degener. Hic viſo & agnito euangeliſtâ fugam arripere: euangeliſta ipſum paternè affari, Fili mi reuertere, cur patrem fugis? iuuenis ſubſiſtere ad illam vocem paternam: patrem illum ſuum ſpiritualem comitari: dictis eius obedire, & ad frugem ſe recipere. Deinde hoc quoque eſt imprudentiæ, nimis prolixè rem aliquam tractare. Hoc nomine reprehenditur Thomas Haſelbach, qui in Academiâ Viennenſi theologiam prælegens, duos & viginti annos in primo Eſaiæ capite interpretando confecit, neque ad calcem morte præuentus peruenit, vt author eſt Vagetius. O teſtudinem, ó formicinum gradum! Tertius imprudentiæ gradus in eo vertitur, quòd præceptores nimis diu immorantur artium inſtrumentalium, vt vocant, explicationi. Quâ de re Æneas Syluius ita queritur: Maximum, inquit, gymnaſij vitium eſt, quòd nimis diutinam operam in Dialecticâ, nimiumque temporis in re non magni fructus terunt. Oratoria & poëtica apud eos penitùs incognita, quibus omne ſtudium in elenchis eſt, vaniſque cauillationibus, ſolidi haudquaquam multum. Hâc ipsâ de re grauiter ſubinde conqueſtus eſt Maximilianus I. Imp. laudatiſſimus, qui præceptorem ſuum diris deuouit, quòd in cortice Dialectices tamdiu ipſum detinuiſſet. Imprudentiæ germana ſoror eſt tyrānis, quâ ex ludo fit piſtrinum, ex ſcholâ carnificina, quæque doctores conuertit in tortores. Plagoſi iſti Orbilij non didicerunt illud vulgatum: Non habueris præceptorem, niſi eundem & amicum. Sed hic morbus nunc temporis fermè eſt extinctus, inque locum eius ſucceſſit alius longè peſtilentior. Quem exiſtimatis morbum hic à me indigitari? Indulgentia, indulgentia eſt morbus ille ſonticus, quo frænum laxatur iuuentuti ferocienti, adeò quidem, vt licentioſiſſima ſit vita ſtudioſorum in omnibus ſcholis: ſi modò vita dici poteſt, quæ viam expeditiſſimam ſternit ad mortem. Debebamus hic perpendere grauiſſimam vocem Alexandri Seueri Imperatoris: Diſciplina maiorum remp. tenet quæ ſi dilatatur, & nomen Romanum & imperium amittimus. Cur verò hoc, optime Imperator? Quia, vt Valerius Maximus ait, ex diſciplinæ ſinu omnes triumphi manarunt. E contrario ex laxæ diſciplinæ ſinu omnes manant miſeriæ. Exemplo nobis ſit ſchola Berytienſis. Erat illa legum nutrix: erat totius Phœniciæ Phœnix: erat muſéum Romani orbis: erat tribunal iuſtitiæ. Sed non diu erat. Maximus enim fiebat maximorum priuilegiorum, immunitatum & indultorum abuſus. Quæ virtutis & iuſtitiæ erat officina, in omne vitium & iniuſtitiam, in nequitiam, in petulantiam degenerabat. Quarum rerum atrocitate optimus ac ſtudioſorum amantiſſimus Imperator Iuſtinianus adeò commouebatur, vt ad Salaminum, virum diſertiſſimum, ſcriberet hanc in ſententiam: Illud verò ſatis neceſſarium conſtitutum, cum ſummâ interminatione educimus, vt nemo audeat, neque in hâc ſplendidiſſimâ ciuitate, neque in Berytienſium pulcherrimo oppido, ex his, qui legitima peragunt ſtudia, indignos & peſſimos, imò magis ſeruiles, & quorum effectus iniuria eſt, ludos exercere, & alia crimina, vel in ipſos profeſſores, vel in ſocios, & maximè eos, qui rudes ad meditationem legum peruenerint, perpetrare. Quis enim ludos appellet, ex quibus crimina oriuntur? Hóc (adhuc loquitur Imperator) fieri nullo modo patimur, ſed optimo ordini in noſtris tēporibus & hāc partē tradimus, & toti noſtro poſtero tranſmittimus ſeculo, cùm oporteat priùs animas, & poſtea linguas fieri eruditas? Egregiam & verè regiam tanti Imperatoris ſententiam! Sed miſerrimos Berytienſes ſtudioſos! Cùm enim neque Imperatoris ſeueriſſimæ prohibitiones grauiſſimæque comminationes, neque profeſſorum ac præceptorum fideliſſimæ admonitiones quidquam proficerent, Deus qui tarditatem pœnarum ſupplicij grauitate compenſare ſolet, ſubitò intempeſtâ nocte, cùm gurguſtia helluationibus fumarent, ganeę ac luſtra libidinibus feruerent, cyclopicis clamoribus omnes angiportus ciuitatis arderent, cùm, inquam, hæc atrocia ſcelera tam calide deſignarentur, Deus horribili immiſſo terræmotu fundamenta vrbis euertit, mœnia proſtrauit, tecta diruit, domos diſiecit, tanta hominum ſtrage edita, vt teſtante Agathia, qui Iuſtiniani geſta ſcripſit, tria amplius millia ſtudentiū, vulgi numero prætermiſſo, vna illa miſerrima nocte interierint. Hoc exemplū diligēter meditemur, additâ Seruatoris grauiſſimâ admonitione: Niſi ad frugē reuerſi pœnitentiam egeritis, eod. fato cuncti peribitis. Vnū adhuc reſtat, auditores, vt inquiramus in illos morbos, qui exercēt iuuentute ſcholaſticā. Poſſem hic plurima in mediū afferre, quæ iuuentuté à pudore non derelictā in ruborē dare poſſent: ſed quia dicendū eſt ad clepſydra, contētus ero trigā illâ vitiorū, ignauia, arrogantia & vita diſſolutâ. Ignauiā hic offendo plus quam Libethria. Maxima n. vitæ pars hic tranſmittitur nihil agendo: deſidiæ caſtra hic ponūtur, ſigna eriguntur: plerique alto ſole ſtertentes iacent: nullæ hic formicæ, aut certe admodū paucæ paucæ apiculæ. Pauci hic poſſunt dicere cū Demoſthene ſe plus olei quam vini conſumere. Pauci cum eodem vincunt antelucanas fabrorum operas. Hoc morbo multo eſt interior [illegible] quæ ita inflat ſtudioſos, vt ſcientiæ ac eruditionis perſuaſione propere inflati, veluti folles vento, ſibi neſcio quid arrogent. Verè profectò & eleganter dixit Democritus præſumtionē ebriam eſſe [illegible]. Multi enim, vt ait ſapiens Romanus, ad ſapientiam perueniſſent, niſi eò ſe iam perueniſſe ſibi perſuaderent. Quod quàm verè dicatur, fidem faciunt illi, qui cùm exiſtiment ſe in Theologia eſſe Chryſoſtomos, in Iuriſp. Barthołos, in Medicinâ Galenos, in Philoſophiâ Platones, cum ad rem ventum eſt, nulli ſunt in his facultatibus, quas ſibi perſpectiſſimas eſſe opinati ſunt. Magna hæc ſunt auditores, ſtudiorum impedimenta: ſed illud eſt maximum, quòd iuuentus literaria diffluit luxu, quòd viuit vitam diſſolutam, quòd helluationibus, quòd graſſationib. ſe dedit, & tantùm non inſanit. Vix enim dederis mihi ſcholam, vbi clamoribus, graſſationibus, debacchationibus, vlulatu, boatu & rugitu viri boni non moleſtentur. Nihil hic peccauero, ſi ad ſcholas aptauero nouæ mundi deſcriptionem quā Mercurius Gallo-Britānicus euulgauit ſub titulo, Mundus alter & idem; Eſt hic Crapulia diuiſa in Pamphagoniā ſeu terram Gulonū, eſt hic Terra ebrioſa diuiſa in OEnotriā & Lupulaniam, cuius ciues ſunt equites aurei dolij; eſt hic terra Rixatia Plorauia, Riſia maior & minor. Et quis omnes huius noui orbis partes recenſeat? Quam vellem nobis ſemper ob oculos verſaretur cataſtrophe florentiſſimæ Academiæ Erfordienſis? Cùm ſtudioſi illuc loci ſe petulantiùs gererent aduerſus ciues, cùm tumultibus nocturnis vrbem laceſſerent, cùm lapidibus tecta domoſque obruerent, cùm feneſtras & fores hoſpitū frangerent, populus magno agmine excitus collegiorum domos admotis bellicis tormentis obſedit, expugnauit, ac vt quemque ſtudioſorū iuuenū obuiū habuit, velut hoſtem, arripuit, vulnerauit, trucidauit, neque priùs quieuit, quàm vitulantium adoleſcentū multitudo mœnibus vrbis eſſet profligata. Iacet ex illo die etiānum, olim florentiſſima Academia, quam Lutherus, qui primam ibi lauream conſecutus eſt, paradiſum Germaniæ id ætatis fuiſſe teſtatur: in quâ Eobanus Heſſus mille & quingentos auditores habuit: quæ denique id fuit in Germania, quod Bononia in Italia, mater ſcil. ſtudiorum. Habuit ſchola quondam Germaniæ circa ann. C. 1473. nouē regum filios, 24. filios ducū, 19. filios comitū, exceptis baronū, nobiliū & aliorū filiis, quorum innumerus fuit numerus. Nunc proh, quantum huic ſplendori deceſſit ob vitā diſſolutam? Sed finis eſto morborū, qui medullas ſcholarū intimas occuparunt: ne quis mihi cum ſtomacho obiiciat illud, In recenſendis malis quilibet poteſt eſſe diſertus. Ad portū itaque me recipiam, vbi vos, auditores optimi, tria monuero, rogavero. Vitia, quæ incrementū ſcholarum prohibent, nō oportet eximere à Dei prouidentiâ. Tametſi n. enormiū delictorum magnitudo & multitudo, & delinquentiū cōſuetudo nō ſint à Deo: ſunt tamen omnia ſub Deo, qui vt propter iniquitatem transfert regnum a gente ad gentem, ita etiā ſcholas propter noſtra peccata vel è medio tollit, & aliò transfert, vel variis cū malis conflictari ſinit, vt noſtram ingratitudinē puniat, noſtrā ſocordiā & veternum excitet, noſtras preces acuat. Noſtrarū itaque partium fuerit in nos ipſos deſcendere, neque nobis Agathoniam canere cantionem, ac ſi puri ſimus ab iis morbis qui ſyſtema ſcholarum diuexant. Scio, quilibet ſibi eſt Suffenus, &, quando audit querelas de vitiis, quæ publicè priuatimque graſſantur, ſe prorſus eximit. Nos ab hoc vitio abhorreamus, & fomitem mali in nobis (quiſque quàm enixiſſimè) quæramus. Ita fiet, vt Deo ſupplices facti effugiamus ea mala, quæ non poſſunt non longo agmine ſequi grauiſſima illa peccata, quibus omnes & ſinguli vitæ humanæ ordines ſunt inquinati. Atque ſic accipi velim ea, quæ inpræſentiarū edifſerui de morbis ſcholarū. Scaphā ſcaphā, ligonē ligonem dixi. Nullam ego hîc ſcholā notaui, nullius famā læſi: ſed de medio ſumſi, quæ ſimplici ſtylo de vitiis, nō verò de perſonis, commemoraui. Et quî potui aliter? Nam qui ſub initium mihi propoſui oſtendere prouidentiam Dei circa ſcholas, neceſſe habui & incrementum & decrementum illarū vobis ob oculos ponere. Incrementum huius horti audiuiſtis pendere à Dei architecti bonitate, ſanctorum angelorum, legū bonarū & piorum magiſtratuū cuſtodiâ, à cultorū pietate ac diligentiâ, à ſtructuræ

ordine,à rerum vbertate,à veritatis ſerenitate, à quatuor facultatum fœcunditate,arborúmque duarum excellentiâ. Decrementi cauſam non in Deum,non in ſanctos angelos,non in ipſas ſcholas conferendam eſſe intellexiſtis,ſed in hominibus, qui hortum iſtum ritè defendere ac colere debebant, reſidere cognouiſtis:neque tamen in omnibus,ſed in quibuſdam duntaxat fibras fructúſque vitiorum partim hærere,partim eminere ex me audiuiſtis. Incidimus itaque,auditores,in ea tempora,in quibus virtus & vitium, vt in omnibus vitæ humanæ ordinibus ita etiam in ſcholâ, perpetuis & mutuis pręliis ſibi aduerſantur. Ex illâ enim parte principũ munificentia & propenſio erga ſcholas,ex hâc tenacitas & odium erga eaſdem pugnāt:illinc ſubditorum humanitas & liberalitas hinc eorumdem barbaries & auaritia certat:illinc præceptorum eruditio, prudentia & humanitas,hinc illorum inſcitia, imprudentia & tyrannis dimicat : illinc ſtudioſorum diligentia, modeſtia & pietas, hinc ignauia , arrogantia & vita diſſoluta confligitur. Quæ cùm ita ſint,nunc certè,ſi vllo vnquam tempore,neceſſe eſt omnes ij,qui boni eſſe & haberi volunt,ne vos omnes intenti ſint ingenij, vt his ſcholarum morbis cognitis medicina adhibeatur piis votis ac precibus vitæque ac morũ emendatione. Tu igitur, Domine Deus, Pater miſericordiæ, aſpice & facito eſto horti tui architectus & defenſor,& oculo prouidentiæ tuæ illum dirige,manu ſuſtine & guberna,à procellis, vredine,grandine conſerua & protege:ſanctos quoque tuos angelos præfice,qui nos manibus ſuis portent in viis noſtris:hortulanos conſtitue pios principes & doctores,qui ligone diligentiæ ac vomere prudentiæ ſolum ritè ſubigant,ſarmentaque & lolium infelix feliciter exſtirpent : leges legumque executio ſint huic horto inſtar Zephyri,qui lilium iuſtitiæ & violas omnium virtutum educet : procul pelle vulpes,apros,bruchos & fucos,qui hortum tuum corrumpere allaborant. Da denique (tu enim ſolus dare potes)da precor,vt omnes in hoc horto qui ſumus,gnauiter officium faciamus,ita quidem vt alij ſemina præparent,alij eadem ſolo committant,alij plantas nutricent, alij lolium eradicent,alij fructus legant,alij eoſdem condant, alij conditos promant , & omnes ad te vnum oculis noſtris intenti ſimus , vt breui accipiamus immarceſſibilem illam gloriæ coronam,quam nobis meritus eſt Ieſus Chriſtus, cui tecum & cum Spiritu S. ſit benedictio, & honor, & gloria, & robur , in omnes omnium ſeculorum ſempiternitates, Amen.

ORATIO DE CAVSIS CORRVPTARVM SCHOLARVM.

MEMORIÆ proditum eſt,Illuſtriſſime & Clementiſſime Princeps,Demoſthenẽ,Græcorum diſertiſſimũ, interrogatum,quot eſſent neceſſaria ad orationẽ habendam, reſpondiſſe tria.Primum dixit eſſe actionẽ:ſecundũ,actionẽ,tertium, actionem. Quibus verbis nihil aliud voluit innuere , quàm actionis in oratoriâ facultate præſtātiā. Huc reſpexiſſe videtur auguſtus ille Eccleſiæ Doctor Auguſtin⁹, quando ſcriptũ reliquit,humilitatem in choro virtutũ,tenere primas,ſecundas,& tertias.Sic exercitatiſſimus quidam belli dux reſpondit magno cuidā principi,ad bellum feliciter gerendũ tria requiri : primò pecuniam:ſecundò pecuniā:& tertiò pecuniam.Me ſi quis interroget,quot ſint columnæ ſtatus eccleſiaſtici & politici, reſpondebo tres.Primam dixero ſcholas:ſecundā ſcholas : tertiā itidem ſcholas. Tanta enim eſt ſcholarum neceſſitas,& vtilitas tanta,vt abſq;illis ſi ſit;homines transformentur in belluas, in truncos,in lapides,in monſtra deniq; immania,cuiuſmodi metamorphoſin Ouidius acutè admodum deſcripſiſſe putatur. Quid enim?Annon homines naturâ ſunt veluti tabula raſa,cui nihil inſcriptum eſt,quidlibet autẽ inſcribi poteſt?Annon ſunt velut alba linea,quæ colorẽ quemlibet recipere poteſt?Annon ſunt inſtar lapidis è quo quælibet ſtatua fieri poteſt?In ſcholis autẽ tabulis hiſce inſcribuntur literæ Pietatis & Humanitatis. In ſcholis albæ iſtæ lineę tingũtur viuis Honeſtatis& Vtilitatis coloribus.In ſcholis ſunt ſtatuarij peritiſſimi,qui refingũt hominem ad imaginẽ Dei Opt.Maximi.Vnde ſcholæ non immeritò vocātur emporia & mercaturę bonarũ literarũ:ſeminaria Eccleſiæ:armamentaria reip. viuaria œconomiæ:officinæ pietatis:magiſtrę humanitatis:fontes honeſtatis:ſcaturigines vtilitatis:nerui morum & diſciplinæ:horti Gratiarũ:& vno verbo cornucopiæ omnimodæ felicitatis.In his enim gigantéa audacia diffringitur. Cyclopica immanitas cōpeſcitur,vita Epicuréa corrigitur.Abſque his ſi ſit,iuuentus,theſaurus ille vtriuſq; politię,corrũpitur,& hoc theſauro corrupto ipſa reſp.labaſcit, & hâc labaſcente labat quoq; Eccleſia,cuius hoſpitiũ eſt reſp. Nam ex inſtitutione malâ praui pueri,peiores adoleſcētes,peſſimi viri euadunt:è contrario ex bonâ inſtitutione boni pueri, meliores adoleſcentes, optimi viri exiſtunt:vt non immeritò maiorum gentium politici ſcribant,è ſcholis tanquā fontibus felicitatem publicā & priuatā nō ſecus ac ab Apollinis capillis deſtillare.O igitur beatas reſp.in quibus hæc emporia ſunt apertaj ô felices Eccleſias,quibus hęc pietatis domicilia ſunt adiuncta! ô beatitatem huius ſeculi maximā,quod plurimis abũdat ſcholis ! Verùm enim verò quod in omnibus fermè rebus naturâ ſuâ prę ſtātiſſimis & optimis vſu venire ſolet,vt technis, fallaciis & fraudibus antiqui iſtius veteratoris Diaboli mirũ in modum deprauentur,& tantùm non in purũ putum venenum cōmutentur:id etiā proh dolor ſcholis accidiſſe,& indies magis magíſq; accidere videmus,& magno cum dolore videmus, ſi modò aliquid videmus.Tantum enim eſt huius ſeculi(quod nonnulli heroicũ vocare ſolent;quàm rectè ipſi viderint)tantum dico eſt huius exulcerati ſeculi cacoëthes , vt in maximâ ſcholarũ copiâ ſit maxima virorũ publicè vtiliũ, qui tum reip. tum Eccleſiæ functionibus ſatis idonei ſint,inopia:adeò quidẽ vt ſcholas in ipſis ſcholis deſideres,& Tantalũ in mediis aquis ſitire ac ſalamandrā in mediis ignibus algere nō ineptè dicere poſſis.Profectò ſi verum fateri volumus,hoc tempore vſurpari poteſt querela Socratis:qui cùm ſartorũ Athenienſiũ multitudinem cum ſapientũ eò loci raritate componeret,in has erupit voces:Si Athenis dicerẽ, Surgite omnes ſartores,protinùs aliquammulti aſſurgerent, ſibíque de numeroſâ ſuâ multitudine congratularentur:At ſi dicerem,Surgite ſapientes,qui Athenis eſtis, hei quàm paucos videre liceret ! Si quis fortè putet me oratorio more hoc Socratis dictũ noſtro æuo accommodare, hunc iubebo intueri ſtudiorũ ruinā, literarum vaſtitatem,literatorũ raritatẽ,quæ omnia intra decennium proximũ acciderũt.Amiſimus enim,eheu amiſimus in Theologiâ Lutheros & Caluinos,in Iuriſprudẽtiâ Bartholos & Baldos,in Medicinâ Galeno's & Paracelſos,in Philoſophia Melanchthonas & Ramos:& loco illorũ habemus mendicabula Theologorũ,Iuriſconſultorũ,medicorum & philoſophorũ innumera,epitaphia pauciſſima.Nam ſi Eccleſia deſideret paſtorem,faciliùs impoſtorem inueniet,quàm paſtorẽ.Et reſp.pro Atlante & iuſtitiæ ſacerdote ſæpiſſimè accipit harpyiam & iuſtitiæ tortorem;pro doctore iuris,iuris decoctorem.Neq; aliud videas in Medicinâ & Philoſophiâ.Nam ibi pro medicis ſæpiùs mendici, nummorum aucupes,hîc pro præceptoribus ſæpè deceptores ſe offerunt.Quæ ſi quis calumnioſè à me dici ſomniat,næ inſignis eſt calumniator,& plus quàm talpa:quippe qui negat illam rem, quæ lippis & tonſoribus eſt notiſſima,plurimiſq;exēplis teſtatiſſima.Quid verò,Illuſtriſſime Dn.Princeps,in hoc literarum exilio noſtri eſt officij? Morbũ primò agnoſcere:tum medicinam facere:& deniq;ne morbus recidiuam patiatur prouidere. De primo illo ego inpræſentiarũ verba faciam, & vlcus ipſum tangam exſertiùs : non quòd ego par ſim huic arduæ & odioſæ prouincię ſed quia T. Celſitudo illam mihi impoſuit:cuius voluntatẽ ego mihi loco oraculi ſuſpiciendā ſemper exiſtimaui. Proteſtor autem,me non de perſonis,ſed de vitiis verba facere, & illa tantùm ſatyrico dente inuadere.Nec Academias,nec Academicos hîc perſtringo:ſed cauſas corruptarũ Academiarũ, & omninò ſcholarũ,enarro ſimplici & humili ſtylo,& Pſeudoacademicorũ abnormia vitia recito, ſed ita vt memor ſim me hominem eſſe,& quidem hominẽ de ſcholâ,cui fortè nonnulla vitia,de quibus hîc ſermo eſt,queant obiici. Facio hîc, quod boni concionatores ſolent:qui dum vitia carpunt,ſeipſos non. nunquā includũt,ne videantur eſſe angeli. Quid verò,ſi triſtes quædā & malignę naturę,quas Saturn⁹ infauſto aſpexit ſidere, vociferentur,nullum virum bonũ has ſibi partes vnquā ſumpſiſſe, vt diceret de morbis ſcholarũ,& cauſis iſtorũ morborũ? Hi homines produnt maximā ſuā inſcitiā:cùm plurima theologorũ,oratorũ, & hiſtoricorũ extẽt ſcripta de ſcholis corruptis,de morbis ſcholarũ, de fatalibus diſſipationibus & ruinis Academiarum,& deniq;de ſcholis curandis & in integrũ reſtituendis.Quod igitur facio,magnorũ virorũ citrā;controuerſiam bonorum exemplo facio.Et verò quid eſt,quòd nonnulli adeò ſtomachantur & tumultuantur,cùm audiunt ſcaphā vocari ſcapham,& ficum ficũ,niſi quòd ægrè ferunt ſua vitia ſibi ob oculos poni in publicā quaſi tabulā.Non ita animati ſunt viri boni,qui dolent adeò conclamatum eſſe nunc temporis,vt meritò exclamare poſſimus:ô ſcholæ Hannibal ante portas veſtras,vobiſq; ruinā & excidium minatur,niſi breui redieritis in viam regiā,quā iam excidiſtis!Hi dico viri boni dolent fatum rei literariæ,& ex animo optant,vt morbi epidemici graphicè depingantur:vt hâc ratione irā Dei aduerſus ſcholas malè adminiſtratas agnoſcamus,& illam auerruncemus,quantum in nobis eſt,vitando ſcil.peccata magna,peccata multa,& quædā ex iis clamantia,vt vocant,& vindictā diuinam poſtulantia.Hi enim ſunt morbi,qui petunt cor ſcholarũ & iugulum. De his ego verba facere in animum induxi meum.Nihil hîc dicam de fatalibus periodis ſcholarũ:non attingam pœnas,quibus Deus Opt.Max.cuius ira eſt velut ignis conſumens,ſcholas viſitat; quales ſunt peſtilitas,annonæ caritas, dyſenteria, & aliæ ſexcentæ, quæ diſſipationib. ſcholarũ ſternunt viā expeditiſſimā. Hæc omnia præteribo,& fontem iſtarũ pœnarũ indicabo.Atq; vt hinc proficiſcatur oratio mea,tria ſunt hominum genera,in quorũ manu eſt ſcholas ſecundùm Deum fouere,magiſtratus, ſubditi,& homines de ſcholâ.Hæ ſunt veluti trigæ,quibus vehitur

Scholarũ neceſſitas &vtilitas.

Scholarũ deprauatio.

hitur hæc diua, ſchola. Ex his rotis ſi vna concidat, vel ſaltem hæreat, curius progredi non poteſt. Iam verò videmus hoc tempore omnes & ſingulas iſtas rotas luxatas & tantum non fractas. Principiò namq; *magiſtratus politicus* ſuo hìc deeſt muneri, idque multis modis. Videas n. quoſdam principes abhorrere à ſcholis, adeò quidē vt equos, canes, venatores & neſcio quos alios longo interuallo præferat & literis & literatis. Videas alios malè ſentire de ſcholis, quaſi illæ ſint ſeminaria hæreſeon, & pomum eridos. Ex hoc præpoſtero iudicio quid aliud ſequi poteſt, quàm odium erga hoc vitæ genus? Sunt alij magiſtratus, qui ſcholas paganas non fundandas eſſe perſuaſum habent: Cùm tamē vniuerſæ reip. interſit, vt huiuſmodi ſcholæ ex canone ſexto concilij Conſtantinopolitani VI. aperiantur. Sed hæc prætereamus, & diſpiciamus, quomodo ſcholæ fundatæ conſeruentur. Stipendia docentibus non ſoluuntur iuſto tempore, tantū abeſt vt amplificentur. Scholis præficiuntur cenſores & viſitatores partim imprudentes, partim iniqui, partim negligentes. Priuilegia ſcholaſtica vel eripiuntur, vel contrahuntur. Ædificia ſcholaſtica non reparantur, nō ornantur. Menſæ publicæ, quę debebant eſſe tabulæ, in quibus magnificentia principum velut Apelleis lineis depicta conſpiceretur, multis modis deformantur, dum ſubinde acceſſio fit pretio, quod infra mediocritatē conſtitui par erat, & cibus non tantùm non ſufficiens, verùm etiam inſalubris & minùs mundè apparatus datur. Atque hoc eſt curare ſcholam, ô principes: hoc eſt eſſe nutritium Eccleſiæ: hoc eſt ſcholā habere pro filiā primogenitā, quod Galli dicunt de ſcholā Pariſienſi, illā eſſe primogenitam regis filiam. Perpendite amabo principū laudatiſſimorū, & extra omnē ſine dubio aleā poſitorū, facta heroica in ſcholis fundandis, conſeruandis, curandis & amplificandis. Annon meminiſtis, quid Theodoſius, Iuſtinianus, Carolus Magnus, & alij ſexcenti fecerint! Poſtquam Romanū Imperiū didicit Chriſto Domino & Regi æterno faſces ſubmittere, Volaterranus author eſt, poſitam fuiſſe Bononiæ in Italiā Academiam à Theodoſio iuniore: quam paulò antè Ambroſius ſemirutæ potiùs vrbis cadauer, quàm vrbem fuiſſe ſcribit. Sic à Iuſtiniano Cæſare Romanam, Conſtantinopolitanam, & Berytienſem; ſic à Carolo Magno Pariſienſem, Papienſem, Ticinenſem Academiā fuiſſe conditam, hiſtoriæ narrant. Sexcenta poſſem huiuſmodi proferre. Sed paucula iſta ſufficiunt ad inflammandos bonos principes, vt ſcholas fundent in pagis & vrbibus: vt ſumtus conſtituant neceſſarios, vnde tum ædificia ſcholaſtica extruantur & conſeruentur, tum doctores non ſolùm viuere, ſed etiā iucundè viuere poſſint: vt conſtituant curatores ſcholarum doctos, prudentes, æquos & diligentes: vt ſcholis proſpiciant de præceptoribus aptis, qui præditi ſint pietate, facultate item & volūtate docendi: vt habeant rationē illorum ſtudioſorum, qui elegantioris quidem ingenij, ſed tenuioris ſunt fortunæ: vt denique priuilegia concedant, & conceſſa defendant atque amplificent. Venio nunc ad *ſubditos*, & illorum inprimis taxo ingratitudinem erga Deum in hoc negotio. Tanta verò eſt illa, vt nulla oratio poſſit eſſe par illi commemorandæ. Nullus enim fermè eſt ſubditorū, qui hoc Dei beneficium agnoſcat, prædicet, extollat, quòd ſuperiori ſeculo inter nos accendit lucem bonarum literarū apertis vndiquaque ſcholis, cùm omnia Cimmeriis ante id tempus implicata eſſent tenebris. Si quis eſt qui hoc agnoſcat, admodum tamē frigidè hoc fit, & quaſi per ſomnium. Ex hâc ſcaturigine quales riuuli promanent, facile eſt cuiuis intelligere. Hinc exiſtit contemtus ſcholarū: hinc odiū erga ſectatores ſcholarum, inprimis in aulis: hinc inſidiæ, quibus opprimuntur priuilegia docentibus & diſcentibus conceſſa. Sapiens antiquitas literarum humaniorū alumnis dabat priuilegia, vt liberaliore bonorum ſtudiorū culturā ampliùs accenderetur, & inflammarentur ingenia iuuentutis ad res maiores, & ſalutem Eccleſiæ commodáque Reip. viri ſciētiis literarū aucti & ornati faciliùs ac meliùs proueherent. Concedebant illi vacationem ac immunitatem ab oneribus: aſſurgebant literatis: habebant honorē literis: infinitis prærogatiuis mactabant præceptores & diſcipulos. Hoc faciebant Iudæi, Phœnices, Chaldæi, Indi, Ægyptij, &, quod miteris, ipſi etiam Philiſtæi. Quantum gens Græca Academiæ & gymnaſiis, Muſarúmque delubris (vt Cicero vocat) in hoc genere indulſerit, nemo ignorat, qui bonos authores legit. Pleni ſunt illorum libri, plenæ hiſtoriæ iſtius rei teſtimoniis. Inprimis verò teſtantur Græca & Romana iura ciuilia & Eccleſiaſtica, Cæſarea & Pōtificia, Pandectæ, Codex, Nouellæ, reſcriptáque & authenticæ potentiſſimorū Cæſarum & fortiſſimorū ac religioſiſſimorum principum: quæ omnia hìc recitare ſit mora moleſtiſſima. Quid verò nunc dierum fieri videmus hâc in re ſcholis admodum neceſſariâ? Dicam verbo. Hæc tempora, proh dolor, odio infeſtiſſimo & contemtu literarū indigno flagrant, non facilè ornant honoribus, vel priuilegiis augent remp. literariam, intermorientibus ſcientiis, humanitate diſcedente, pietate profligatâ, inualeſcente denique barbarie. Sed cominùs nunc videamus morborū genera, quibus ipſa ſcholarum viſcera infeſtantur. Occurrunt hìc vitia communia præceptoribus & diſcipulis, occurrunt propria. Et communia quidē ſunt impietas, calumnia, diſcordia, vanitas, & confuſio. Ad *impietatem* quod attinet, verum eſſe quotidie experimur, quod magni nominis vir pronuntiauit: *Graſſatur in ſcholis impietas plus quàm Liciniana.* Radix huius vitij eſt vna; rami multifidi; fructus multifarij. Radix eſt ignoratio veri Dei. Rami ſunt atheiſmus & hæreſis in doctrinâ, epicureiſmus in vitâ. Fructus ſunt contemtus verbi Dei, artes magicæ, diſputationes contra cardines religionis noſtræ, quos vocant articulos fidei, temerario & ſacrilego auſu ſuſceptæ, opiniones de religione monſtroſæ & alia innumera, quæ horreo meminiſſe. Hinc nimirum voces illæ criticorum: Legendo Biblia, dedidicimus Latinitatem: Vacando ſacris, corrumpimus bonam dictionem Ciceronianam: Audiendo conciones malè collocamus tempus, cuius ſumtus eſt pretioſiſſimus. Hinc faſtidium nominis IESV, pro quo malunt iſti homines Iouem & Apollinē dicere. Hinc admiratio magnitudinis & antiquitatis Romanæ, & contemtus antiquitatis Eccleſiaſticæ. Hinc deniq; magicæ artes & illarum profeſſio. Non poſſum quin hìc interſeram, quomodo ſchola Pergamenſis ob vetitarum iſtarū artium culturam diuinâ vltione ſit diſſipata. Erat iſta ſchola florentiſſimorū medicorū emporium, erat totius Aſiæ oculus. Sed diuina illa ſalutaris medicinæ profeſſio, quæ ſuâ indole ad ſuperſtitiones procliuis eſt, vt Plinius eſt author, ita breui obſcurata, & magicis vanitatibus fraudulentiſſimiſque, vt idē loquitur, artibus dementata eſt, vt Iohannes apoſtolorum viuaciſſimus, Satanæ ſcholam Pergami dominari, ex reuelatione cœleſtis angeli ſcripſerit. Sed hìc cauto eſt opus, ne ſtatim illa, quæ non intelligimus, damnemus titulo vanitatis magicæ. Quod ſciolo cuidā accidiſſe meminimus, qui rogatus iudicium de arte Lullianâ, quam vocant, reſpondit, Magiæ eſſe compendium: ore impudenti, calumniâ rancidâ, inſcitiâ intolerandâ. Nihil enim illa eſt aliud, quàm Logica quædam concreta, vt philoſophi loquuntur, ipſiſq; rebus applicata. Sed mittamus hanc calumniam, & quomodo *calumnia* noceat ſcholis, abſque calumniâ indicemus. Hanc in hoc cœtu inuenio validam & variam. Literæ ſiquidem, quæ diuinitùs ſunt datæ, vt homo homini ſit deus, hodie vix aliū habere vſum putantur, quàm vt homo ab homine diſſideat, homo homini ſit lupus, &, vt rectiùs dicam, diabolus. Apud ſeculum prius proterua conuiciorum, ſcurrilitatum, vernilitatū, contumeliarum nomina in circulis, in luſtris, in cauponis naſcebantur, & inibi noſcebātur. Hodie è ſinu literarū non ea tantùm, ſed noua, ſed inaudita, ſed infanda prodeunt. Inciuile, petulans, improbū aliquod dictum excogitandum? Ne longè diſcede: dabunt ſcholæ, dabunt literæ, & quod quæris, &, ſi hoc tibi non ſatis eſt, etiā earū rerū gnaros ſubminiſtrabūt, qui per omnes calumniarum numeros, quantū in eâ palæſtrâ profecerint, tibi probabunt. Quid hodierni præferunt libri, quàm incredibilem iniuriarum & conuiciorum ſegetem? Ecquid ſceleratum, execrabile, inexpiabile excogitari poteſt, quod librorum nouorū tot, tanta, tam immania examina non contineant? Quinā ſe hodie ad ſcribendū conferunt, qui non putent ſibi in literis omnem maledicendi licentiam patere, quæ nemini parcat, nullum genus hominū patiatur expers eſſe virulentiæ & importunitatis ſuæ? Vſque adeò verum eſt illud magni cuiuſdam hiſtorici: Homines in ſcholarū puluere & vmbraculis degentes excitant puluerem calumniæ, vt non immeritò dici queant profeſſores calumniæ. Optimè dixiſti, vir optime. Iſtius enim furfuris homines, quos notaſti, animum obtrectandi ad lectionem librorum adferunt, & ita nunquam deeſt, quod reprehendant. Minimâ re contenti ſunt ad calumniandum, & Cyclopeorum librorum portentoſis titulis onerant nundinas Francofurtenſes: vt à ſcholarum ſectatoribus nihil aliud expectandum ſit, quàm plauſtra criminationū, ſycophantiarūm centones, contumeliarū farragines, quarū etiam viliſſimas meretrices puderet. Dicamus ſanè audacter, non Libyam, ſed ſcholam quamlibet aliquid noui hâc in materiâ quotidie parere. Hoc cacoēthes adeò ſerpſit, vt quemadmodum gangræna non tollitur, niſi membro abſciſſo, ita hæc inhumana ſcribendi licentia non, niſi ipsâ authorum morte comprimi poſſe videatur. Neq; tamen ideò finis fuerit. Nam ſucciſis huius hydræ capitibus, alia ſuborientur longè deteriora atque peſtilētiora. Et quod modò diximus de ſcriptis nonnullis, quòd contineant plauſtra calumniarum, idē accipi volumus de diſputationibus pleriſq; quà publicis quà priuatis, de declamationibus, de conuerſationibus hominum literis deditorū. Auditoria enim reſonant calumniis: muſéa perſtrepunt conuitiis: & ſcholæ vno verbo ſunt agri, in quibus ſermonis intemperantia, & effuſa in omnem improbitatem cauillandi licentia ſeritur, plantatur, rigatur, ad florem denique & fructum maturū educatur. In hâc autem miſeriâ illud eſt miſerrimum, quòd homines maleferiati hanc laudem ingeniorū ſuorum maximam credunt, ſi variis maledictis, quà licet, quà non licet, alios impetant. Hinc fit, vt collegæ certatim ſe inuicem proſcindant conuiciis, in aprico & per cuniculos. Hinc fit, vt præceptores calumnientur diſcipulos ſuos, & hi viciſſim illos. Hinc fit, vt diſcipulus non ſit tutus à Theonino condiſcipuli ſui dente. Atq; hoc eſt, quod Pindarus egregiè dixit, *Inuitis ſermones ſunt obſonij loco.* Porrò hic morbus comitem habet *diſcordiam*, quæ ipſa etiā eſt varia. Oriuntur enim ſectæ & contentiones inter theologos, medicos, philoſophos. Religionis negotium tractatur animis exulceratis. Diuerſæ ſententiæ diuerſos vel potiùs aduerſos pariunt animos. Ita nimirum vnâ Troia ædificatur. Ita gloria Dei procuratur. Ita cœlum plantatur. Cæterùm hoc æſtuarium turbarum, rixarum & contentionum eſt perpetuum. Nullæ hìc ſunt induciæ. Hunc enim diſcordiarum Euripū foris perflans à gigantibus & Centauris omni ex parte Cæcias permouet, intus

Calumnia peſtis ſcholarum.

Diſcordia quomodo affligat ſcholas?

tus ambitioſorum & ἀσπόνδων hominum intemperantia. Idem nunc accidit, quod Academiæ Atticæ, quã Plato, princeps ille ingenij, plantauit, accidiſſe hiſtoriæ produnt. Illa enim ipſo etiamnũ viuente & vidente magiſtro, à diſcipulis vexata, à diſcipulis miſerè exagitata, à diſcipulis deſerta & diſſipata fuit. Et hic cõtẽtionis & æmulationis vterꝰ peperit Academiã nouã, peperit mediã, peperit Peripatum, peperit quàm plurimas filias ſpurias, quæ, vt fieri ſolet, matris ſenectuti inſultabant. Inde perpetuæ altercantiũ rixæ, iurgia, odia, inde plurimarum abſurdarũ opinionũ nubes, inde verborũ inanitas, & friuola de rebus omnibus contentiosè diſputandi vanitas. Idẽ planè fuit fatũ ſcholæ Alexandrinæ, quæ prima omniũ cœleſtis doctrinę lucẽ publicis ſuis ſuggeſtis & auditoriis excepit, breuique temporis curriculo tantã celebritatem adepta eſt, vt apud exteras omnes ſcholas ſummã eruditionis opinionẽ etiam ii haberẽt, qui ſaltẽ Alexandrinæ Academiæ limina ſalutaſſent. Hæc florẽtiſſima ſchola miſerrimè dilacerata eſt hæreſi Arrianâ inualeſcente. Huc quoque non ineptè retuleris vehementiſſimas illas cõtentiones inter Germanos & Bohemos de gubernatione ſcholæ Pragenſis, quæ multos annos penes Germanos fuerat: cædes itẽ ſecutas, & exitia, doctrinæ Huſſiticæ oppugnationẽ, cruẽtaque certamina, quibꝰ iſta Academia ita depreſſa fuit, vt ad hæc vſque tempora caput rurſum attollere, priſtinãque celebritatẽ & laudẽ acquirere non potuerit. O peſtem, peſtem ſcholarũ & literarũ certiſſimã contentionẽ & diſcordiam! Illa veritatem omnẽ in dubitationis fumũ & funus trahit. Illa, vbi clariſſima rerum lux eſt, nebulas & caliginem vltrò offundit. Illa, vbi contentio nulla, nulla controuerſia, aduerſitas nulla, ſponte ſuâ litium fauillas ſerit, bellorum ſemina ſpargit. Hâc flammâ deflagrauit Academia Attica, hâc peſte Alexandrina ſchola eſt extincta, hoc morbo Academia Pragẽſis afflicta eſt.

Vanitas in ſcholis recepta.

Sed nondum finis eſt morborum. Succedit iam morbus verè lethalis, quem dicunt *vanitatem*. Hæc vanitas cernitur in verbis, & rebus multimoda. In verbis quidem, quando logomachias logodædali inſtituunt: qualem verborum inanitatem Apoſtolus gentium in Athenienſibus reprehendit. In rebus autem, quando homines ad ſtomachum & nauſeam ſubtiles nodum in ſcirpo quærunt, & ſuis ſophiſticationibus faciunt

Candida de nigris, & de candentibus atra.

Quos optimè Ariſton ſimiles prædicabat eſſe edentibus cancros & aſtacos, qui propter exiguum alimentum pertenui cũ fructu in oſſibus, teſtis & cruſtis plurimis occupantur. Et hæc vanitas miſerrimè quoque afflixit Athenienſium Academiam. Tantus enim philoſophorũ æſtus, & aſtus, πρὸς καινολογίαν καὶ ματαιοποιΐαν fuit in ſuis dogmatis profundẽdis & peruicaciter aſſerendis, vt nationũ fermè trecentarũ examen in iſto genere ad memoriam vſque ſuã Themiſtius ſcripſerit extitiſſe. Quid verò hoc in loco veniat nomine vanitatis, etiã atque etiã diſpiciendũ eſt. Sunt enim multi naſuti, qui ſobriã mnemonicæ, artis Lullianæ & metaphyſicæ cognitionẽ interpretantur vaniſſimã vanitatem. Quibus quidem ſoleo precari ſcientiam & conſcientiam maiorem: vtpote hominibus vel ambitioſis, vel nimiùm ignaris. Hæc nãque vanitatis titulo traducenda ſunt, quæ nullum in vitâ humanâ vſum habẽt, ſed inſtar fumi ſunt & venti: quorũ ille in aëre ſpatiãdo euaneſcit, iſte non implet locum, quem occupat. Vana igitur cenſeãtur omnia iſta quæ neque ſciẽti proſunt, neque ignorãti nocẽt.

Confuſio quomodo peſtis ſcholarũ?

Inter morbos, qui ex æquo moleſti ſunt præceptoribꝰ & diſcipulis, reſtat *confuſio* quàm hîc cernere licet triplicem. Primò enim confunduntur vera cum falſis, hunc fermè in modum. Si quis ſit, qui vixerit aliquamdiu in Academiâ, putát ſe ipſum Apollinem, & pro Apolline ab aliis vult agnoſci: quaſi nomẽ Academiæ ſit Gorgonis caput & clypeus Aiacis. Nõ inficias eo, gradus certos in Academiis optimo conſilio à maioribus noſtris eſſe inſtitutos: ſed maximũ hîc cerni abuſum ſimul proclamo. Per hũc enim fit, vt Magiſtri miſericordiæ, quos ita vocant, Licentiati miſeriæ, & Doctores afflictionũ, nec habeãt præmium ſuæ virtutis & eruditionis, nec aliis ſint in exemplũ, nec rebꝰ publicis ſatis caueatur, vt quæ accipiant ſæpenumero perſonatos doctores pro veris. Hæc velim perpendi à tumidis iſtis doctoribus & ſtudioſis, qui ſemper Academiam & titulos ſuos crepãt, ipſi interim ridiculi & miſeri. Sequitur altera confuſio, quã nõ habetur delectus ingeniorum. Nec enim hodie curatur, num præceptor aliquis excellat ingenio, prudentia & doctrina: ſed eadem ſunt priuilegia illorũ, qui frugi, & iſtorum, qui fungi ſunt & cucurbitæ. Idem iudicium eſto de examine ingeniorum in diſcipulis Curatores enim & doctores ſcholarũ eodem modo curant & inſtituunt omnes & ſingulos, nõ aliter ac ſi materia prima, vt ait ille, ſit præ manibus. Quæ cõfuſio quanto noceat opere, vix fãdo exprimi poteſt. Reſtat cõfuſio tertia, qua plurimę ſcholæ vel eodẽ vel diuerſo planè modo conſtituũtur & adminiſtrãtur, non habita ratione circumſtantiarũ: quæ tamẽ maximas habent vires omnibus in rebus. Atque hæc vna cauſa eſt, quòd multitudo ſcholarũ hodierno die ſit noxia: quia ſcil. multitudo, niſi regatur certo conſilio, & cõpeſcatur vnitate prudentiæ, abit in infinitũ, vel recidit in nihilum. Deſinamus igitur querelarum, nec ampliùs miremur, quid ſit quòd multitudo ſcholarum ſit peſtis ſcholarum. In his enim omnibus cernitur vel inepta æmulatio, vel ſtulta variatio. Æmulationis exemplum habemus in ſchola Rhodia: vbi eloquentia aliquamdiu habitauit, ſed tandem auitã ſuam ſedem, Athenas, repetiuit. Quid verò cauſæ? Ex fabulâ hoc diſcere licet. Rhodij dicebãtur Palladi ſacrificiũ obtuliſſe ſine ſale: quam ob cauſam dea irata & aras & vrbem illorũ reliquerit, & Athenas iterum commigrauerit. Quo hominum naſutorũ figmento Rhodij irridebãtur, quòd in Athenienſium æmulationem nouã & ipſi Academiam excitaſſent, eam verò tam ineptè ordinaſſent, vt de ſale omnis eruditionis, quod eſt eloquẽtia, ne quidem cogitationẽ vllam ſuſcepiſſent. Noſtra tempora plurimos habent Rhodiis quàm ſimillimos: qui dum audiunt ſcholam alicubi feliciter inſtitutam, ſtatim æmulari cupiũt ſimiarum more, non expenſis circumſtantiis. Quid verò dicam de variatione, quæ cernitur in modo docendi & diſcendi. Adeò me perturbat huius rei cogitatio, vt vix nominare queam ſine horrore ac lachrymis rem adeò ineptam. Percurre, ſi moleſtum nõ eſt, & quidẽ breuiter, pleraſque Academias, quæ alicuius ſunt nominis. Maxima hîc ſe offeret docendi & diſcendi varietas, vel vt rectiùs dicã, diſcrepantia. Quod igitur Beatus Rhenanus dixit, multitudinem ſcholarum, gymnaſiorũ & academiarum eſſe impedimento ac remoræ literarũ & ſtudiorũ progreſſui: id nos multò rectiùs de multitudine ſcholarũ, quæ nunc ſunt, vſurpare poſſumus. Ita nimirũ hodierno artiũ curſui contingit, quod Chryſoſtomus prodidit de animalculo, quod à multitudine pedũ Latini millepedũ, Græci verò ἰοῦλον dixére, vt author eſt Pliniꝰ. Sicut enim iſtud animalculũ tardiſſimè omnium inſectorũ progreditur, tametſi pedes mille habeat: ita reſp. literata etſi mille pedibus incedat, ſi ſpectes gymnaſiorum numerum, tamen minima eſt hominũ ſolidè literatorũ copia: ita vt plerique in illo numero

Euadant numerus, fruges conſumere nati.

Satis opinor dixi de vitiis, q̃ ſibi obnoxios habent præceptores & diſcipulos: iam videamus *propria* tũ præceptorũ tum diſcipulorũ.

Pictura præceptoris.

Et præceptorũ quidẽ vitia ex hâc tabellâ facilè fuerit colligere, vbi requiſita fidorũ in ſcholâ doctorũ ponuntur ob oculos. Præceptoris in ſcholâ eſt exercere ſuos diſcipulos in literis, & coërcere in moribus. Hanc ad rem tria conducunt: videl. pietas, facultas & voluntas. *Pietas* facit, vt vita verbis reſpondeat, vt & ipſe præceptor virtutẽ doceat, deque illâ dicat, & ex eâdẽ viuat, ne fortè neceſſe ſit vſurpare iſtud: Doctrinam accipite, mores relinquite. *Facultas* complectitur doctrinam & vſum, vt doctor inſtructus ſit cognitione diſciplinarũ, & in iis bene exercitatus. *Cognitio* debet eſſe ſolida, nõ vẽtoſa vel aëria, non circũforanea. *Vſus* ſit euidens, plenus & prudẽs. *Euidens*, vt diſcipuli capiant. *Plenus*, vt auditorẽ impleat, ipſique ſatisfaciat. *Prudens*, vt ingeniorum delectus habeatur. *Voluntas* complectitur dexteritatem, fidem, methodũ, & patientiam. *Dexteritatis* eſt moderari diſcentiũ labores, ſtudiorũ amorẽ excitare, ſtudioſos ad perferẽdas moleſtias ſpe honoris & vtilitatis propoſitâ animare, ad ætatẽ & captũ auditorum ſe accommodare & demittere, in gratiã deniq; puerorũ aliquãdo repueraſcere. *Fidei* & diligẽtiæ eſt non obiter & perfunctoriè, & ad clepſydrã, vt vetus eſt verbum, ſed firmis lateribus & lacertis docere, ac vno verbo eſſe Herculem ſcholaſticũ. *Methodus* bona facit, vt perſpicuè ac breuiter res neceſſariæ proponãtur, iuxta illud: Præceptor nõ debet vti multitudine ingratâ, diuturnitate iniucũdâ, varietate moleſtâ, obſcuritate difficili: itẽque iſtud: Bonus ordo eſt, qui prolixitate nõ fatigat, breuitate nõ obſcurat, & ſuauitate delectat. *Patientia* deniq; eſt, quâ præceptor induit animum parentis, & aſſiduus potiùs eſt quàm immodicus, nec eſt plagoſus Orbilius. Hæc eſt pictura præceptoris verè Apellẽa. Sed nimis quàm paucos hoc æui videre eſt, in quos cõpetant iſta requiſita. E contrario autẽ plerique præceptores his notis ſunt inſignes, præter illas communes iam recitatas: his dico notis ſunt fermè inſignes; inſcitiâ, imprudẽtiâ, negligẽtiâ, tyrãnide, inuidiâ & indulgentiâ: vt mirum nõ ſit, ſcholas ægrè trahere animam, cùm ipſum caput malè habeat.

Inſcitia præceptorum ſcholarum.

Principiò ſe offert immanis bellua *inſcitia*, quæ in hoc genere hominũ, qui aliis docẽdis ſũt præpoſiti, tãta eſt, vt pigeat cõmemorare. Aut enim planè ſunt indocti, aut ſemidocti. De illis ſic pronũtiant:

Quodque parum didicit, nemo docere poteſt.

De his accipiẽdum eſt illud: Homo ſemidoctus eſt animal peſtilentiſſimũ. O vtinam omnes meminiſſent præceptũ Socraticum, quo iubetur, qui artem cuius ſit ignarus oſtẽtare velit, alia potiùs omnia, quàm eius opera factitare! Nec eſt, quòd laruã eruditionis pro ſolidâ ſapientiâ putemus. Sunt enim homines tumidi, qui magnam præ ſe ferunt eruditionem, cũ ſimillimi ſint ſacco illi apud Catullũ, qui plenus erat aranearũ. Hîc nobis in mentem veniat illius, quod eſt apud Ciceronem de diuinatione: Sus roſtro ſi humi A literã impreſſerit, inquit ille, non propterea ſuſpicari quiſquã ſanus poterit, Andromachen Ennij ab eâ deſcribi poſſe. Hæc porrò inſcitia eò minùs eſt ferenda, quod iſtiuſmodi homines ſui admiratione præferoces, ſoleãt dominari in omnes, quorũ aliquod eſt in doctrinâ nomẽ; & quidquid cenſuerint, extemplò omnes tanquam baſilicis edictionibus audiẽtes eſſe velint. Si cõtrà quis audeat hiſcere, illi minari, furere, omnia miſcere. Quos ego. Sed motos præſtat componere fluctus: cùm non-intelligẽtium plena ſint omnia.

omnia. Ad *imprudentiam* præceptorũ me ducit curſus orationis. Hæc quanta ſit peſtis gymnaſiorum, dici nõ poteſt. Quemadmodum enim nauclerus imperitus nauem ſemper, imprudens ſæpè in diſcrimen adducit: ita & præceptor inſcitiâ ſuâ puppim ſcholæ ſibi commiſſæ nunquam non perdit, imprudentiâ ſæpiſſimè. Hæc autẽ imprudentia nihil eſt aliud, quàm circumſtantiarũ, quæ comitantur rem ſcholaſticam, neglectio, vel oſcitans inſpectio. Cernitur autem hæc imprudentia in tribus potiſſimùm. Primò ſunt, qui nõ habent delectum ingeniorũ, ideoque eadem ferulâ omnes caſtigare ſolent. Quod quàm ſit ineptum, nemo non intelligit. Sanè ſi canes & equos ita educamus, vt alij ingenio aliũ adhibeamus modum, quid nobis faciendũ putauimus in educando animalium delicatiſſimo, quod eſt homo. Multum igitur refert ſcire quo quiſque ſit ingenio: num terreo & ferreo, an igneo & aureo. Non ineptè dixit, quicunq; dixit, ingenia adoleſcentum tractanda eſſe vt vitra, quorum alia ſunt craſſiuſcula, & proinde à ruſticis tractari poſſunt, alia ſubtiliora, vti Veneta, quæ digitis quoq; ſubtilibus eluenda. Deinde & hoc eſt imprudentiæ, nimis prolixè rem aliquam explicare. Hoc nomine malè audit quidam Thomas Haſſelbachius, natione Sueuus, qui in Academiâ Viennenſi Theologiam prælegens, duos & viginti annos in primo Eſaiæ capite interpretando confecit, neq; ad calcem, morte præuentus, peruenit. Huius Haſſelbachij ſimiles ſunt plurimi doctores Academici, qui teſtudineo & formicino gradu ſuis in lectionibus progrediuntur: ſi modò hoc eſt progredi, diſcentium commoda remorari. Tertiò imprudentia præceptorum in eo vertitur, quòd nimis diu immorantur in artibus inſtrumentariis, quas ita vocant. Hàc de re Æneas Syluius ita queritur *Maximum*, inquit, *gymnaſij vitium eſt, quòd nimis diutinam operam in Dialecticâ, nimiumque temporis inre non magni fructus terunt. Qui magiſterij artium titulo decorantur, hac vnâ in arte maximè examinantur. Cæterùm neq; Muſicæ, neq; Rhetoricæ, neq; Arithmeticæ curam vllam gerunt.* Et paulò pôſt: *Oratoria & poëtica apud eos penitùs incognita, quibus omne ſtudiũ in elenchis eſt, vaniſq; cauillationibus, ſolidi haudquaquã multum.* Ita Syluius. Hàc ipsâ de re grauiter ſubinde conqueſtus eſt Maximilianus Imperator, ſuumque præceptorem diris deuouit, quòd in cortice Dialectices tamdiu ipſum detinuiſſet. Sed hîc prouidè agendum, ne dum vitamus Charybdim, incidamus in Scyllam. Sunt enim quidam maligni præceptores, qui deſpiciunt ex alto artes iſtas organicas, & diſcipulos ſuos ſtatim deducunt, vt illi quidem loquuntur, in ipſa facultatum penetralia. Sed hoc nihil eſt aliud, quàm aliquem docere ſine pennis volare. Imprudentiæ germana ſoror eſt *tyrannis*, quâ fit vt ex ſcholâ & ludo fiat piſtrinum & carnificina. Tyrannis iſta & incredibilis quorundam Orbiliorum durities etiam optima ingenia deterret ab inſtituto. Neque id mirum. Cuius enim animus nõ frangeretur, cui literarũ amorem non minueret, ſi corpus ſuum, etiam quandoque immerens, conſcindi flagris ſepties aut octies in dies ſingulos, contundi baculis, & nudum diſtrahi in terrâ Scythico more ſentiret? Quis ferret præceptorem ſpirantem fulmina & ignes? Vulgò dicunt, & rectè dicunt; Non habeeris præceptorem, niſi eundem & amicum, vel patrem. Duo ſiquidem ſunt affectus, qui cum primis ſunt neceſſarij, ſi quis aliquid velit addiſcere, Amor & Admiratio. Neuter verò horum affectuum ibi habet locum, vbi regnat metus ſeruilis. Tametſi verò noſtrâ memoriâ multum remiſerint præceptores à tyrannide, ita vt corpora diſcipulorum non fiant ludus & pila dies & noctes: eſt tamen neſcio quæ moroſitas & difficultas Doctoribus noſtris propria & veluti domeſtica, quâ ſtudioſorũ animos non ſolùm à ſeipſis, ſed etiam à bonis literis reddunt alieniores. Quod peccatum quàm graue ſit, iis æſtimandũ relinquo, quibus eſt vel mica conſcientiæ. Sed mitto hunc morbum, & ad *inuidiã* abeo, cuius œſtro perciti ſunt plurimi ſcholarum doctores: dum vel inuident aliis dona diuinitùs conceſſa, vel non docent omnia, quæ debebant docere, aut ſi docent, per ambages docent & tenebras, vt ait ille: quia ſcil. verentur, ne alij nimis citò enauigent Oceanum eruditionis. Diabolica hæc eſt, non ſancta inuidia, vti multi vocant. Facit enim, vt nolimus videre bene eſſe alteri. Quo quæſo quid eſt tetrius? Quid, inquam, eſt tetrius, quàm homini, qui æquè conditus eſt ad imaginem Dei atque tu, qui æquè Chriſtianus eſt atque tu, & fortè melior, huic inquam precari, vt eius βίος ſit ἀβίωτος? Nam inuidere alicui felicitatem, eſt ipſi precari vitam non vitam. Eſt & alius inuidiæ modus, quo deſideramus nobis aliena bona. Quo fit, vt illis ademta cupiamus: illiſque abſint, vt nobis adſint. Quæ inuidia etſi eſt ſine odio manifeſto aliorum: tamen abſque immoderato & iniquo noſtri amore fieri non poteſt. Vtraque illa inuidia eſt crimen in quouis homine: in doctore autem eſt ſacrilegium. Doctor enim qui eſt, idem debet eſſe pater. Tener autem ille affectus, quo pater complectitur liberos, non ſinit vt illis inuideat. Nec eſt quòd exiſtimet aliquis artem aliquam nimis citò addiſci poſſe. Ars enim eſt longa, vita breuis, vt ait Cous ille ſenex. Et Galli eleganter dicunt, viam ſcholæ eſſe longam. Apagite igitur, præceptores optimi, apagite caninã iſtam inuidiã, & vos eſſe homines, itemque patres, ipsâ docendi promtitudine & dexteritate comprobate. Semper ob oculos vobis obuerſetur, quod habet magiſter ille ſubtilitatum Scaliger, hanc in ſententiam. *Si addideris cariora eſſe, quæ ignorent alij: iam hoc liuoris eſt, nõ hominis. Gaudeo enim, ſi, quæ ſcire mihi perſuadeo, cognita eſſe omnibus intelligam, quin haſce noctes infeſtiſſimo Cauro gelidiſſimas huiuſce rei cauſâ vigilo: vt ingeniorũ felicitates communicentur. Is eſt ſapientum finis qui libros condunt.* Imò verò, vir acutiſſime, hic debet eſſe finis omnium ſapientum, ſiue libros condant, ſiue liberos (diſcipuli enim ſunt filij præceptorum) inſtituant, ſiue aliud quid moliantur & emoliantur. Verùm hodie omnia ſunt plena inſipientium. Non enim huc tendunt dicta & ſcripta, vt felicitates ingeniorum cõmunicentur, ſed ne illæ communicentur. Vltimò præceptores infeſtat *indulgentia*, quâ frænum laxatur iuuentuti ferocienti, adeò quidem, vt licentioſiſſima ſit ſtudioſorum in omnibus ſcholis vita: ſi modò vita dici poteſt, quæ viam expeditiſſimã ſternit ad mortem. Trepido hîc, quando intueor deploratam ſcholarũ faciem. Tametſi enim illæ optimis cõmunitæ ſunt legibus: Perinde tamen eſt ac ſi nullæ ſint leges. Lex enim ſine executione nihil eſt aliud quàm larua, & campana ſine piſtillo. Euigilent itaque, euigilent tandem antiſtites ſcholarum, neque diutiùs graſſari patiantur licentiam: quâ omnes reddimur deteriores, vt ille in comico ſocco loquitur. Diligenter perpendant illud Alexandri Seueri Imperatoris, qui milites ſuos ita alloquitur: *Diſciplina maiorum remp. tenet, quæ ſi dilatatur, & nomen Romanum & imperiũ amiſimus.* Et quemadmodum è diſciplinæ militaris ſinu (vt cum Valerio Maximo loquar) omnes triumphi manarunt: ita è diſciplinâ ſcholaſticâ tanquam corde ſpiritus vitalis in totum ſcholæ corpus deriuatur & diffunditur. Non eſt, quòd pluribus hîc commemorem, quid poſſit diſciplina in omni vitæ ſtatu. Lachrymæ hîc requiruntur, quibus deploremus cacoëthes ingeniorũ iuuenilium, quæ ſtudiis dedita putantur. Planè mihi perſuadeo eandem fore cataſtrophen ſcholarũ, qualis fuit exitus ſcholæ florentiſſimæ Berytienſis. Erat illa legum nutrix, vt à Iuſtiniano vocatur. Erat totius Phœniciæ Phœnix & lampas clariſſima. Erat Muſeum Romani orbis. Erat vno verbo tribunal iuſtitiæ. Sed non diu erat. Maximus enim fiebat maximorum priuilegiorũ, immunitatũ & indultorũ ab Imperatoribus conceſſorum abuſus. Omnis diſciplina iacebat: Leges ibi ſilebant: Profeſſores irridebantur: Præceptores ſpernebantur. Monitores iniuriis & contumeliis afficiebantur. Sed miſerrimus tandem exitus manſit ſcholam Berytienſium florentiſſimam. Cùm enim neq; Imperatoris ſeueriſſimę prohibitiones, grauiſſimæque comminationes, neq; profeſſorum ac præceptorũ fideliſſimæ admonitiones, quidquam loci inuenirent, Deus, vindex omnis iniquitatis certiſſimus, terræmotu terribili immiſſo, fundamenta vrbis euertit, mœnia proſtrauit, tecta diruit, domos diſiecit, tantâ hominum ſtrage editâ, vt, teſtante Agathiâ, qui Iuſtiniani res geſtas ſcripſit, tria ampliùs mille ſtudentium, vulgi numero prætereito, vnâ illâ miſerrimâ nocte interierint. Quid quæſo, Illuſtriſſime & Clementiſſime Dn. Princeps, ex omnibus annalibus funeſtiùs quid miſerabiliùs, quid horribiliùs, literis & literarum cultoribus occurrere poteſt? Eiuſmodi profectò eſt hoc exemplum, vt non tantùm omnibus ſcholis iuridicis, omnibus tribunalibus, omnibus conſiſtoriis, vt Vigilius ICtus ad Carolum V. Imp ſcripſiſſe legitur, ſed etiam omnibus academiis & gymnaſiis ſit appingendum, hoc Virgilij verſu ſubſcripto:

Diſcite iuſtitiam moniti, & non temnere diuos.

additâ inſuper (vt hoc addamus) voce illâ Seruatoris noſtri dulciſſimi, quâ reſpondit illis, qui ruinam Siloæ turris, ſtragemque referebant *Niſi ad frugem reuerſi pœnitentiam egeritis, eodẽ fato cuncti peribitis.* Eò autẽ diligentiùs hoc exemplum eſt frequentandum, quò res ſcholarum nunc ſunt periculoſiore loco. Præceptores enim Beryti faciebant ſuũ officiũ monendo & minando: quod pauci faciunt hodierno æuo profeſſores & præceptores. Etenim vel ſilendo, vel byſſinis verbis adulando, vel comeſſationibus ſtudioſorum ſe miſcendo, ipſi pereunt, & alios perdunt. Quanquam Berytienſes illi præceptores non fecerunt omne, quod debebant facere, officium. Non enim ad Vre Seca progreſſi ſunt. Quod omninò fieri debet in morbis deſperatis, qui vires acquirunt eundo. Atque hæc dicta ſufficiant de morbis, qui primò præceptores, & dehinc ipſas ſcholas inuadunt, occupant, exercent, perimunt. Hæc vti ex animo candido & dolente vitioſam vicem ſcholarum profecta ſunt, ita velim à candidis ingeniis accipi, citra vllã contumeliæ notam. Sed age, Princeps feliciſſime, ſequere me pro tuâ innatâ clementiâ ad morbos ipſius iuuentutis ſcholaſticæ Ad illos dico, qui ſunt conſpectiores. Herculeus enim labor mihi exantlandus foret, ſi omnia & ſingula ſtudioſorum maleferiatorum vitia recenſere vellem. Cernere autẽ hîc eſt iſtos morbos: Odium literarum, Ignauiam, Præpoſterum diſcendi ordinem, Inuidiam, Arrogantiã, Inobedientiam, & Vitam diſſolutam. De his, vel potiùs, in hos morbos dum breuiter dico, Illuſtriſſime Domine Princeps, patientem oro accommoda mihi aurem. Tu enim ſuppeditaſti ὕλην καὶ πρόφασιν huic orationi. Tu author fuiſti, vt in publico hæc proponerem. Principiò videmus immanem belluam, quam dicunt *Odium literarum*: quod eſt vel nullus, vel falſus amor ſtudiorum. Hic hoſtis in omnibus ſcholis vexillum ſuum hodie erexit. Dic enim amabo, vbi veræ doctrinæ cernatur cupiditas, vbi ſtimulus, vbi ardor, vbi animus, qualis in veteribus literarum cultoribus fuiſſe legitur? ô tempora! ô mores! Itáne fieri oportebat, bonæ literæ? Annon vos omni nectare & ambroſiâ eſtis ſuauiores? Annon ipsâ vtilitate vtiliores? Annon Dei immortalis eſtis filiæ, & iter ad immortalitatem

[Marginal notes: Indulgentia nocet scholis. — Morbi ſtudioſorum. I. Odium literarum in animis diſcipulorum.]

litatem ostenditis? Qui ergò nos sumus, quòd à vobis abhorremus? quòd voluptatibus belluinis immergimur! quòd vanitatem huius seculi amamus! quòd vestras arces odio habemus? Hic contemtus, hoc odium si diu duret, conscendetis sine dubio Pegasum vestrum, & auitas vestras sedes repetitum ibitis derelictis nostris gymnasiis, vt ita nil nisi terror, error & squalor sit occupaturus palatia vestra, quæ adhuc quantumuis ægrè tenetis. Cæterùm bella hæc mater, quam modò descripsimus, bellam parit filiam, *ignauiam*: quæ videtur esse domestica hominibus de scholâ. Hîc enim semper sunt feriæ. Hîc maxima vitæ pars nihil agendo transmittitur. Hîc somno impenduntur horæ quotidie plus quàm duodecim. Hîc rara est auis, qui repetat lectiones. In summâ: Ignauiæ castra hîc sunt posita. Nullæ hîc formicæ, nullæ apes: plurimæ verò cicadæ, plurimi fuci. Si qui discant intra priuatos parietes, putant se suo munere præclarè functos: nec opus esse, vt prodeant in lucem, satis esse, si intùs canant sibi musisque suis. Quid multa? Studiosus est animal vel nihil, vel aliud agens. Quod vtrumque in vitio ponitur maximo. Ah, quàm verè dixit polyhistor ille Franciscus Iunius: *Intus ignauia (si dicere fas est) Libethria hodierno die inuadi: omnes plateas, & in domibus penè singulis sobolescit.* Vidit hoc magnus ille ICtus Cuiacius: quem cùm adiret studiosus & rogaret, quænam esset regia ad apicem Iuris via, respondit: *Sume librum in manus, & fac quod me iam vides facere.* Quid verò ille tum faciebat? Libru quendã Iuridicum manu voluebat & reuoluebat. Profectò hæc est maxima scholarum pestis, quòd inter mille vix sint decem assidui, ita quidem vt aliis queant esse in exemplum. Sæpe hoc vidimus, & adhuc videmus non absque cordolio. Non possum hîc præterire stultitiam quorundam ignauam, & ignauiam oppidò stultam, quâ fit vt semper inquirant in modum studendi, manum verò nunquam admoueant aratro. Homines isti non sunt absimiles viatoribus, qui de viâ semper consultant, quam nunquam ingrediuntur. Ita dum tempus ducitur, subducitur. Hanc ignauiam quid putas aliud cõsequi potest, quàm *præposterus discendi ordo*? Qui morbus verè est sonticus. Sicut enim ordo est anima mundi, pater intelligentiæ, memoriæ mater: ita confusio est istarũ rerum nouerca crudelissima. Non itaque mirum, quòd perpauci ritè emetiuntur iter, quod ducit ad templum Virtutis & Honoris. Nam quia studia non includuntur certis cancellis, neque certis interuallis describuntur, plerique regiâ viâ excidunt. Per præcipitia, per anfractus, per dispendia plerique irruunt: ac in quo certissimus lapsus ac ruina est posita, quemadmodum Gregorius Papa hâc de re grauiter monet, ad summum fastigium per abrupta inferioribus gradibus posthabitis cõtendunt. Quid verò possint præstare sine lege & modo tyrocinij, ex architectonicâ, nauticâ, vel sutoriâ discere licet. Si hoc non est cum Icaro sine pennis volare, nescio quid sibi velit istud Plautinum. Quid enim hoc aliud, quàm quod fieri vulgò videmus: Perorant, antequã loqui didicerũt; disputant, antequã rem legerunt, nedum intellexerunt: concionantur, antequam Biblia viderunt, quidque sibi velit hoc vocabulũ, intellexerunt: in forum progrediuntur, antequam cunabula legitimi studij attigerunt: opiũ miscent, antequam apium cognouerunt. Sed quis vias omnes errorum, & tam præposteri ordinis rationes persequatur? si modò viæ, si rationes dicendæ sunt, quæ à compendio in dispendiũ, à luce in caliginẽ, à celebritate in vastitatem, à scientiâ in ignorantiam, ab optimâ culturâ in ruditatẽ & barbariẽ seducunt, &, vt ille ait, ex Arabiâ felici per Arabiam desertam in Arabiam petræam abducunt. Sed vnde oritur hæc confusio? Logicus dictator id nos docet, quando ait: Vbi nullus scopus, ibi nulla media. In studiis autem fermè nullus est finis, vel si est, non est fixus, nõ excellens. Hinc fit, vt multa bona ingenia multas & varias instituant lectiones sine modo, sine fine. Quo pacto studia non iuuantur, sed perturbantur, & ingenia obruuntur. Et sanè cùm omnibus simul studiis nec vita, nec mens humana queat sufficere, id omnibus curandum est quàm enixissimè, vt certum aliquẽ suorum laborũ scopum ante oculos ponant, in quem vnicè ac semper collineent: alia verò studia & alterius argumenti libros sic tractent, vt ancillaturos ipsis ad scopum istũ contendentibus. Quod documentum quàm vtile sit in totâ vitâ dici non potest. Sed necesse est vt nõ solùm præstituamus nobis scopum, sed etiam oportet vt ille scopus sit stabilis, fixus & cuiusque ingenio accommodatus. Verùm enimverò non est è mille vel vnus, qui hæc requisita scopi attendant. Hinc fit, vt alij non discant, alij non seriò discant, alij non necessaria discant, alij verborum studio intenti negligant res ipsas, alij denique fundamenta quærant in summo, cùm illa in imo ponantur ab architectis: & quis omnia studiosorũ diuerticula recenseat? Sequitur *inuidia*, quâ studiosi bene multi sunt insignes. Si enim videant aliquem suorum commilitonum heroico pollere ingenio, statim omnes adhibent machinas, quibus ipsi præcludant viam compendiariam. Hæc inuidia tanta est, vt caninæ naturæ non sustineant indicare libros egregios; vt non communicent manuscripta, quæ habent sæpe vtilia, vel ad tempus iusto breuius accommodent: vt diligentioribus inuidiam conflent apud bonos: vt ipsos in odium adducant apud omnes. Scilicet hoc est, quod pia vetustas dixit: μουσῶν οὐδεὶς ἄφθονοι. Sed hoc de vitio suprà diximus inter morbos præceptorum, quæ huc facilè possunt transferri. Accedamus igitur ad *arrogantiam*, quam dicunt

II. Ignauia studiosorum.

III. Præposterus discendi ordo.

IV. Inuidia.

V. Arrogantia.

δοξοσοφίαν. Huius morbi noxam si æquâ animi lance perpenderent studiosi nostri, pauciores certè stultâ scientiæ & eruditionis persuasione properè inflati, veluti folles vento, sese turpiter daturi essent, & per ἀνωρίαν nauigationis suæ, naufragium facientes, alios secum in periculum naufragij eiusdem abriperent. Verè profectò & eleganter dixit Democritus, præsumtionem ebriam esse ἐγκοπλῶ πεοηκπῆς. Multi enim, vt ait sapiens ille Romanus, ad sapientiam peruenirent, nisi eò se iam peruenisse sibi persuaderent. Quod quàm verè dicatur, fidem faciunt hodierni Academici, & omninò scholastici discipuli: quorum hic est labor, contemnere præceptores, iudicium ferre de hominibus extra omnem aleam positis, damnare inaudita & incognita, sibi mare scientiæ vendicare, aliis guttam sapientiæ vix tribuere, se inuicem contemnere, ex se facere in Theologiâ Chrysostomum vel Augustinum, in Iurisprudentiâ Bartholum vel Baldum, in Medicinâ Hippocratem vel Galenum, in Philosophiâ Aristotelem vel Melanchthonem, vel etiam aliquid tantis viris maius, & quidem longo interuallo. Hæc, hæc est bella ista δοκησόφων præsumtio, hæc persuasio puerilis & inanis. Cui nisi breui nuntium remittimus, regnum literarum concidere necessum est. Quomodo enim duo montes coalescant. Quomodo ibi concordia vigere potest, vbi meræ sunt iactationes, & de κενοσαροπυπία contentiones? Præterea ex hâc radice consurgit ramus maximus, *inobedientia*. Cùm primùm enim pestifera illa persuasio domicilium sibi fixit in animo hominis, ille protinus omnia consilia despicere, admonitiones nihili facere, obiurgationes deridere, præceptores posticâ sannâ excipere, omnes denique superciliosè despicere. Hac inobedientia regnante, nulla in scholis vigere potest disciplina: quæ si iaceat, omnia iacere necesse est. Monendi ergò sunt studiosi, vt humilitati studeant, itaque statuant apud animum suum, humilitatem esse illud vas, quo possint excipere sapientiam, quam Deus paratus est illis dare, vt philosophus ad Alexandrum dicebat. Cæteroquin comes inobedientiæ est ingratitudo discipulorum, qua fit, vt nec agnoscant beneficia in se collata, nec prædicent, nec compensent, sed potiùs malefacta benefactis refundãt, & strenuè mentiantur se hoc vel illud didactron obtulisse. Ad extremum hîc se offert egregia vitiorum coronis, *vita* scil. *dissoluta*, quam plerique studiosi viuunt. Si quis hoc neget, paulisper commoretur in vrbe, vbi schola est fundata, vtcunque celebris. Audiet ibi clamantes, grassantes, debacchantes, vlulantes, boantes, rugientes, giganteo ausu mira meditantes studiosos, quos ita vocant, licet iniuria. Quiduis enim potiùs illi sunt, quàm bonarum literarum studiosi. Biberij sunt, Capitones sunt, Rabirij sunt, sunt sponsi Penelopes, sunt ardeliones. Tales studiosi non studiosi superioris seculi anno vigesimo octauo pœnas luerunt dignas Erfordiensi in Academia. Cùm enim petulantiùs se gererent aduersus ciues, cùm tumultibus nocturnis vrbem lacesserent, cùm lapidibus tecta domosque obruerent, cùm fenestras & fores hospitum frangerent, populus magno agmine excitus collegiorum domos admotis tormentis bellicis obsedit, expugnauit, ac vt quemque iuuenum studiosorum, velut hostem, arripuit, protinus vulnerauit, & trucidauit, neque priùs quieuit, quàm vitulantium adolescentum multitudo mœnibus esset vrbis profligata. Iacet ex illo die etiamnum, olim florentissima Academia: quam Lutherus, qui primam ibi lauream est consecutus, paradisum Germaniæ id ætatis fuisse testatur: in qua Eobanus Hessus mille & quingentos auditores habuit: quæ denique fuit mater studiorum in Germania, quod de Bononiensi in Italia fertur iam à longo tempore. Hîc verò cum omnia sunt misera, tum illud existit miserrimum, quòd studiosi isti certatim conantur esse bibones, vespertiliones, & propè dixerim cacodæmones. Quam in sententiã facit historia tristis an ridicula, quam paucis accipite. In Academia quadã Saxoniæ, quæ ex dissipatæ Pragensis scholæ ruderibus erat excitata, & quasi colonia noua tum temporis deducta (Pragâ enim Germani supra duo millia propter exortas Hussitarũ contentiones, vno die discedentes, triúmque dierum itinere illinc profecti hîc consederunt) in hâc dico Academiâ vixit eques quidam nobilis, hoc nomine celebris, quòd omnibus compotoribus palmam præriperet. Cùm enim Leonardus Filsechius, eques nobilis, in paulò ante excitatam Academiam appulisset, déque sobrini sui studiis ac moribus perquisiuisset, hoc responsum tulit: Optimè illius tui propinqui res se habent. Inter mille enim ac quingentos, qui in hâc vrbe studiorum causâ commorantur, adolescentes, ille vnus potandi gloriam ac palmam possidet. Egregiam verò palmam! Quis verò nostrûm eosdem triumphos in Academiis hodiernis, & quidem multò superbiores non perspicit! quis non dolet hæc fieri! fieri insuper & laudari! O vtinam tandem aliquando Deus excitaret Herculem Academicum, qui more Herculis illius Thebani debellaret monstra illa scholastica. Thebanus ille, vt est apud Plautum,

Cum leone, & cum excetrâ, cum ceruo, cum apro Ætolico,
Cum auibus Stymphalicis, & cum Antæo deluctatus est.

Hæc monstra omnia, imò plura, & magis fera, in scholis nostris grassantur. Quod paucis sic ostendo. Principiò leones plurimi versantur in scholarum gremio: non tales generositate, sed immanitate, quæ cernitur partim in rugitu, partim in tumultu nocturno, partim deniq; in præliis, quæ isti feroculi solẽt instituere, nescio

In di tia

Vi sol

neſcio quo genio impulſore. Deinde nõ vna hîc eſt excetra, ſed innumeræ. Hoc vt meliùs intelligi poſſit, tenendũ eſt, excetram fuiſſe hydram in Lernâ Argiuorum regione, vnde & hydra hæc Lernæa dicitur. Hæc adeò fuit terribilis, vt vno cæſo capite tria excreſcerẽt. Annon improbi quidam ſtudioſi eodem ſe habeant modo, peruelim conſiderare quoſcunque cordatos. Si enim monitionibus vel caſtigationibus vnum vitiorum caput amputare coneris, tria & ſæpè plura ſuccreſcunt. De hâc excetrâ & hoc proditum eſt, illam in Lernâ paludem extitiſſe, quæ aquas euomendo vaſtauerit vicinas ciuitates, in quâ vno meatu clauſo multi eruperint. Et hoc quoque in ſtudioſos iſtos non frugi competit. Illi námque pleno ore euomunt aquas verè ſtygias, quibus eccleſia, reſp. & œconomia vaſtatur. Si velis obſtruere vnum meatum, aliquammulti confeſtim alibi erumpunt, & plus damni dant, non aliter quàm Camarina mota. Quid verò dicemus de ceruo, quem Hercules debellauit? Num inutilia illa terræ pondera cum ceruis aliquid habent commune? Sanè habent. Quemadmodum enim ceruus eſt animal nimis quàm timidum: ita iſti ardeliones omni ceruo ſunt fugaciores, quando periculum debent facere ſuorum ingeniorum in palæſtrâ literariâ, in cathedrâ eccleſiaſticâ, in foro, in praxi medicâ. Ætolicos porrò apros hîc videre datur plurimos: qui omnia vaſtant ſuâ immanitate, publicum priuatum, & ſacrum profanum faciũt. Barbariem hîc noto, quæ cernitur in vita, in morib. in ſermone. Sed intelligenti pauca. Aues quoque Stymphalidas hîc habemus. Quemadmodum enim iſtæ aues, ſic dictæ à palude huius nominis, tantâ fuerunt magnitudine, vt ſolis radios obumbrarent, & totam Arcadiam deuaſtarent: ità in ſcholis inepti iſti ſcholaſtici alis ſuæ nequitiæ nobis eripiunt ſplendorem Solis iuſtitiæ: quo non lucente & nos fouente, omnis peſſum it reſp. tum Iſraëlis, tum forenſis. Antæus denique fuit gigas Libycus, magno ac procero corpore, homo quorumcunque certaminum. Huiuſcemodi Antæos dant nobis ſcholæ plurimos; qui videri poſſint γιγαντομαχίας iſtius veteris inſtauratores. His igitur leonibus oportet detrahere exuuias vitiorum immanium: has hydras prudenter in ipsâ herbâ ſuffocare: hos ceruos ita figere, vt metus exturbetur: hos apros fortiter proſternere: has aues Stymphalidas fugare: Antæos denique ſuffocare. Quod niſi faciant doctores & diſcipuli, verendum eſt, ne Deus, qui ſemper ſui eſt ſimilis, exiguam illam lucem literarum nobis ſubtrahat, & tenebras immittat Cimmerias, loco crepuſculi quod adhuc habemus, quódque facilè conuerti poteſt in lumen meridianum, ſi per noſtram impietatem non ſteterit. Habes iam, Princeps Illuſtriſſime, habes fomitem mali, & cauſas morborum cum ipſis morbis, qui ſcholas infeſtant immane quantum? Hîc igitur ſiſto, & quæ hactenus dixi eâ, quâ potui breuitate, in pauciſſima confero. Impietas in ſcholis incipit furere: ignauia inuadit omnes: perpetuum eſt turbarum æſtuarium: proba & ſana illa Atticorum eloquentia & lepos Atticus fermè iam exulat, & à duro paraſitorum & ſcurrarum ore frigidam potentioribus ſuffundentium, & literulas calumniantium adeò miſerè profligatur, vt nihil præter illud Ariſtophanis ἀττικὸν βλέπος videatur reliquum humanitatem inhumanitas expellit palàm, motuum frequentiâ, aſſentatorum fuco, potentiorum tyrannide; qui tum demum homines ſibi videntur eſſe, cùm id vnum ſatagunt, vt literarum ſtudia intercidant, & homines facti ad imaginem Dei in beſtias transformentur: prudentiæ inſuper & ciuili, & ſanctæ ſuccedit ſceleroſa, profana, demens imprudentia, & iuuenile conſilium: nullus fermè ordo ſeruatur in ſtudiis: omnia plena ſunt ingratorum cuculorum: δοξοσοφία excæcat iuuenes: ſuccreſcit odium & inuidia in literas & literatos omnes per imperitiam vulgi, per Suffenorum cacozeliam, per importunorum aretalogorum malitiam, veneno calumniæ & detractionis omnia quamuis puriſſima inficientium: honores auferuntur dignis, indignis ſcurris & libidinis voluptatúmque adminiſtris certatim offeruntur: comeſſationes, compotationes aleationes, teſſeræ, & vno verbo omnia Sybaritica curantur potiùs, quàm honeſtæ corporum exercitationes, ad animi confirmationem pertinentes, ſtudiorúmque ſanctorum adiumentum. His tot & tantis malis, quæ fusè ſatis opinor commemorauimus, quis non indoleſcat bonus? quis Academias intermorientes non lugeat? quis non videat ſtudia pietatis & humanitatis cum prauitate morum coniungi non poſſe? Perpetuis ſiquidem illa, quaſi mutuis præliis, ſibi aduerſantur. Ex illa enim parte principum munificentia & propenſio erga literatos & literas inprimis, ex hac ſordities & odium erga ſtudia pugnat: illinc ſubditorum humanitas & liberalitas, hinc eorundem barbaries & auaritia certat: illinc præceptorum pietas, voluntas, & facultas, hinc illorum impietas, inuidia, ignauia, & inſcitia dimicat: illinc ſtudioſorum diligentia, ſtudium, modeſtia, obedientia, temperantia & virtutes aliæ: hinc deſidia, otium, petulantia, rebellio, luxuria cum vitiis omnibus: poſtremò bona ratio cum perdita, mens ſana cum amentia, bona denique ſpes cum ſtudiorum omnium deſperatione confligit. Quæ cùm ita ſint, nunc certè, ſi vllo vnquam tempore, neceſſe eſt omnes ij qui boni eſſe & haberi volunt, neruos omneis contendant ingenij, vt his ſcholarum morbis cognitis medicina adhibeatur piis votis & precibus vitæque ac morum emendatione: ita quidem vt magiſtratus, ſubditi, & ipſi homines in puluere ſcholaſtico deſudantes: confirment labentes ſcholas, earúmque elementa, inſtrumenta, ornamenta, commoda pro eo ac poſſunt, promoueant quàm fideliſſimè, atque à fraudibus Satanæ, inimicorum impreſſionibus, & hypocritarum cuniculis defendant propugnéntque religione ſumma.


Inprimis autem Deum ſtudiorum noſtrorum authorem, ducem & arbitrum ſinguli ſtudioſè caſtè adeuntes orent, vt miſertus iſtorum miſerrimorum triſtiſſimorúmque temporum nutantes ſcholas & grauem ruinam minantes ſtatuminet, collapſas erigat, omnes vendicet ab omni malo, eáſque bonis omnibus augeat, quæ ad gloriam ſuam, commune bonum & ſuorum ſalutem nouit pertinere. Tu igitur Domine aſpice & fac. Tu eſto huius nauis naupegus, architalaſſus & nauclerus, & temone ſanctiſſimæ prouidentiæ, æterni conſilij & diuinæ voluntatis illam tanquam manu ſuſtine, dirige guberna, & à procellis, à tempeſtatibus, à ſcopulis potentia tua defende tuere ac conſerua: ſanctos quoque tuos angelos ſuffice claſſiarios, epibatas, nauphylaces: proretam conſtitue principem & magiſtratum frugi: libertatem, conſilia & moderata & prudentia ſine eſſe ſaburram, qua referta & ad certam menſuram impleta nauis hæc & ſtabiliore curſu procedat, & pondere ſuo aduerſus vim ventorum, imbres & tempeſtates obfirmetur: da helciarios antiſtites ſapientiæ concordes & vnanimes: leges ſint pro antenna: legum promta executio pro vento ſecundo: ſumtus neceſſarij nobis ſunto malum, nauale, ſtatumen, puppis denique & prora quoad hâc vitam animalem. Largire porrò, Pater Optime, vt hæc nauis in altum ſubducatur, quando neceſſe eſt: vt litori vicino puppim applicet & illud radat, quando oportet. Concordia cum aliis ſcholis ſit huic naui inſtar roſtri & cornuum. Procul pelle ſecuritatem, quæ ſolet anchoram ſacram præcidere, ora reſoluere, rudentes rumpere. Da denique (tu enim ſolus dare potes) da precor, vt omnes in hâc naui qui ſumus, plenis velis remíſque ad portum æternæ felicitatis contendamus, ita quidem vt alij malos ſcandant, alij remos impellant, alij per foros curſitent, alij ſentinam exhauriant, alij clauum teneant, & omnes ad te nauarchum noſtrum oculis noſtris intenti ſimus, tuámque voluntatem habeamus pro cynoſurâ, & ita decumanis fluctibus ſuperatis in cœleſti tuâ ſcholâ pendeamus ab ore majeſtatis tuæ, téque celebremus in omne æuum. Fac hoc, Domine Deus Pater cœleſtis, & fac breui, per ſoſpitatorem noſtrum Opt. Max. IESVM CHRISTVM, qui tecum & cum paracleto dulciſſimo, Spiritu ſancto, regnat Deus benedictus in omnes ſæculorum æternitates, Amen.

***


FINIS SCHOLASTICÆ.

TABVLÆ IN VNIVERSAM PHILOSOPHIAM PRACTICAM.


ETHICA.




OECONOMICA.



POLITICA.



SCHOLASTICA.




CORONIS

CORONIS TOTIVS PHILOSOPHIÆ PRACTICÆ.

Atque hæc est illa philosophia, quam Socrates è cælo in terram euocauit: de quâ illud rectissimè dicetur, quod *Cicero pro Archiâ* de literarum studiis exclamat: *Hæc studia adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, aduersis perfugium & solatium præbent: delectant domi, non impediunt foris: pernoctant nobiscum, peregrinatur, rusticantur.* Quæ frustrà omninò in aliis videmus atque demiramur, nisi postquam præceptionum gustum percepimus, vsum quoque adiungamus. Quorsum enim attinebit, rotam posteriorem semper currere, priore immotâ? quorsum, semper audire, & nunquam ad vitæ actiuæ perfectionem peruenire? Hoc certè cacoëthes nunc dierum vbique regnat, vt posthabito philosophiæ practicæ reali (vt ita dicam) exercitio, homines præclare putent se munere suo defunctos, si exercitiis disputationum incumbant. Quæ vt vehementer probamus si moderata sint: ita, si immoderata existant, vehementer improbamus. Vtriusque ratio quænam esse debeat, conati sumus exprimere in Tetrade nostrâ practicâ: in quâ Ethicam memineris esse fundamentum, quippe quæ morum integritatem format, & ita palatium vniuersum huius philosophiæ firmat: OEconomicam instar parietum, ex quibus magna domus politiæ constat: Politicam simillimam tecto, quod parietes & fundamentum defendit: Scholasticam denique instar fenestrarum, per quas lux, prima illa domus gratia, intromittitur. Hanc Tetrada conati sumus ita proponere, vt pietatis & humanitatis studium facillimè possit promoueri. Quem nostrum conatum, confido, non improbabunt ij, qui seipsis & doctiores & meliores euadere cupiunt, adeóque sibi proponunt illud elegans: Λέγε πρακτικῶς, κ̀ πρᾶττε λογικῶς. Sed vt hoc possis præstare, sequentem tabulam subinde ob oculos tibi pone.

MODVS VTENDI SYSTEMATIBVS PHILOSOPHIÆ PRACTICÆ.



LIBER QVINTVS ENCYCLOPÆDIÆ,

IN QVO

TRES FACVLTATES PRINCIPES

Totidem libris explicantur.

I. THEOLOGIA.
II. IVRISPRVDENTIA.
III. MEDICINA.



PRÆFATIO

In
TRES FACVLTATES PRINCIPES.

ITA *est, mi lector: Non est vitæ genus, quod calumniis, sycophantiis, censuris iniquis, & aliis id genus monstris æque delectetur, atque illud, quod literatum dicunt. Oportet igitur obfirmare animum aduersus hæc tela, & sub muro aheneo conscientiæ opes scientiæ non solùm possidere, sed etiam foràs dare, nihilque morari eos, quibus hæc vna esca est vesca, vt ait ille, labores aliorum carpere, etiam illos, quos non possunt capere. Feci hoc in superioribus Encyclopædiæ meæ tomis, idémque iam nunc faciam in hoc tomo quinto, qui exhibet tres facultates principes: non sanè eo consilio, vt velim vel ipse* πολυπραγμονεῖν, *vel alios hanc pestilentissimam artem docere; sed vt partim plena sit nostra institutio, partim aly videant num fortè methodus nostra in ipsorum facultatibus aliquid lucis adferre queat, partim denique studiosus theologiæ non solùm facultatis suæ plenum systema hîc habeat, sed etiam ex Iure & Medicinâ possit ea delibare, quibus nunquam non vtimur in theologiâ. Fieri enim non potest, vt aliquis titulum theologi defendat in quibusdam disputationibus mixtis, vti vocant, si planè sit hospes in Iuridicis & Medicis. Agite itaque, vela pandamus, & nobilissimam hanc trigam ritè adornemus: quam soleo conferre cum tribus illis animæ facultatibus, quas Græci eleganter appellant* τὸ νοητικὸν *seu* ἡγεμονικὸν, τὸ θυμικὸν, *&* τὸ ἐπιθυμητικόν. *Has, inquam, facultates animæ humanæ moderantur & regunt tres nostræ facultates discentiæ. Nam Theologia eminet inter hasce facultates, vti* τὸ νοητικὸν *inter facultates animæ. Et Iurisprudentia se habet ad Medicinam, vti* τὸ θυμικὸν *ad* τὸ ἐπιθυμητικόν. *Rursus Theologiæ inprimis propositum est* τὸ ἡγεμονικόν, *in quo cernitur notitia & dilectio: Iurisprudentiæ* τὸ θυμικὸν, *in quo est nemesis: Medicinæ* τὸ ἐπιθυμητικὸν, *in quo est cupiditas. Nam Theologia docet notitiam & dilectionem Dei, summi illius boni. Iurisprudentia hoc agit, vt suum cuique tribuatur in ciuili conuersatione. Medicina præscribit regimen cupiditatis, vt illa seruet modum in edendo, bibendo, & similibus muniis. Vnde manifestum est, quem dignitatis gradum istæ nostræ facultates obtineant, quidque à singulis expectare debeamus. Sed his missis ad ipsam adumbrationem methodicam veniamus, & censoribus malè feriatis opponamus exemplum Antonij Posseuini, qui Bibliothecam suam selectam, quatuor facultatibus, theologiâ, inquam, iurisprudentiâ, medicinâ, & philosophiâ, distinctam, & tanquam quatuor columnis firmatam, in publicum emisit, neque ob hoc suum factum vapulauit. Quanquam hoc exemplo vix & ne vix quidem potero me defendere; quod experiamur pietatis, veritatis, & humanitatis alumnos indies decrescere, vt hodierno die respublica literaria plures habeat sinistros iudices, quàm decennale bellum Bohemo Germanicum milites. Adeò verum est illud:* Scientia crescit, conscientia decrescit. *Verùm quid est, quòd his immoror, & insanum calumniandi pruritum moror? Satis est, si ex mediis inuidiæ flammis, & infinita sycophantarum turbâ vnus sit, qui nostrum iuuandi studiosam iuuentutem studium probet.*

ENCYCLO




ENCYCLOPÆDIÆ LIBER VIGESIMVS QVINTVS,

EXHIBENS

THEOLOGIAM,

In ſeptem ſectiones tributam.



SECTIO PRIMA THEOLOGIÆ

In quâ traditur

Theologia naturalis.

CAPVT I.

De Exiſtentia Dei.

PRÆCEPTA.

THEOLOGIA eſt ſumma huius vitæ ſapientia & prudentia, perueniendi ad vitam æternam. *Dicitur etiam* Theoſophia.

Eius partes duæ ſunt: vna generalis, altera ſpecialis.

Pars generalis proponit & exponit ea, quæ homini ſunt neceſſaria ſcitu,creditu,& factu ad vitã æternam.

Eſtque theologia naturalis, vel ſupernaturalis ſeu arcana.

Theologia naturalis eſt doctrina ex principiis naturæ monſtrans cognitionem & cultum Dei.

Principia illa naturæ ſunt duo: lumen naturæ, & liber naturæ. Illud primam theologiæ naturalis partem conſtituit; iſte,ſecundam.

Lumen naturæ, id eſt,recta ratio, monſtrat cognitionem Dei, quantum ad exiſtentiam, & eminentiam Dei: cultum eius, quantum ad officia pietatis erga Deum,& humanitatis erga hominem.

Exiſtentia Dei probatur principiis naturalibus inſitis,& acquiſitis.

Principia inſita ſunt partim theoretica,in intellectu agente: partim practica,in ſyntereſi & conſcientiâ.

Principia acquiſita ſunt partim rationes philoſophicæ, partim experientia naturalis, eáque tum vniuerſalis, tum particularis.

REGVLÆ.

I. *Vox theologiæ,cùm* πολύσημος *ſit, hoc loco de illa Dei cognitione intelligitur, quam homo in hac vita aſſequi poteſt ex libro naturæ & Scripturæ, per lumen naturæ & gratiæ.*

Vox theologiæ explicatur.

Theologia nomen habet à θεολόγος; & hic à θεὸς & λόγος, quaſi τὸν θεὸν, ſeu περὶ τοῦ θεοῦ λέγων, hoc eſt, qui de Deo diſſerit. Itaque θεολογία eſt λόγος περὶ τοῦ θεοῦ, hoc eſt, ſermo de Deo. Aliâs etiam eſt λόγος τοῦ θεοῦ, id eſt,ſermo ipſius Dei: vt adnotat *Auguſtinus lib.8.de ciuitate Dei cap.*1. Prior ſignificatio eſt vſitatior. Et ita hæc vox ſumitur latiſſimè,ſtrictè, & ſtrictiſſimè. *Latiſſimè* theologia eſt cognitio Dei: eáque falſa, vel vera, vnde & theologia eodem modo diſtribuitur, vel potiùs diſtinguitur. *Theologia falſa*,ſeu opinabilis,eſt ethnicorum veterum & recentiorum, Iudæorum blaſphemorum, Mahumedanorum, & Pſeudo-Chriſtianorum, vt Arianorum, Anabaptiſtarum. Rurſus, ethnicorum veterum theologia erat vulgaris, vel exquiſita; & hæc theoretica, vel practica. Theoretica erat triplex: μυθικὴ,id eſt,fabuloſa & poëtica; φυσικὴ, id eſt,naturalis & philoſophica; πολιτικὴ, id eſt, ciuilis, eò potiſſimùm faciens, vt qualicunque religionis exercitio populus in officio contineretur. Practica, ſiue ſacerdotalis, erat partim magia,de placandis & auerruncandis malis dæmonibus; partim theurgia, de diis & deabus,boníſque dæmonibus,per precationem & ſacrificia inuitandis & adiurandis. *Theologia vera* eſt archetypa, vel ectypa. *Theologia archetypa* eſt cognitio, quâ Deus ſeipſum cognoſcit. *Theologia ectypa* eſt effigies quædam archetypæ, communicata cum creaturis. Eſtque triplex. 1. *Theologia vnionis*; quæ eſt cognitio rerum diuinarum, communicata carni Chriſti, *Iohan.*1.16.*Col.*2.3. Dicitur etiam theologia θεανδρικὴ, & œconomica. 2. *Theologia viſionis*; quæ eſt cognitio rerum diuinarum, communicata cum beatis angelis & hominibus in cœlo, *Matth.*18.10.*Iob.*19.27.1.*Cor.*13.12. Dicitur aliâs theologia excelſa, intuitiua, claræ viſionis, viſionis beatificæ, comprehenſorum, breatorum, eccleſiæ triumphantis. 3 *Theologia reuelationis*; quæ eſt cognitio rerum diuinarum,communicata cum genere humano in hâc vitâ, *Deut.*4.6.2.*Tim.*3.*v.*14.15.16. Alio nomine dicitur theologia viæ, viatorum, noſtra, humilis, eccleſiæ militantis. Et hæc diuiditur in poſitiuam, & methodicam. *Theologia poſitiua* eſt Scriptura ſacra, ſic dicta, quòd tradat meras poſitiones,id eſt,principia firmiter poſita. *Theologia methodica*

thodica eſt epitome axiomatum ſalutarium in verbo Dei occurrentium, ad certa capita, ordine conuenienti, reuocatorum; ſiue illa axiomata ſolo lumine gratiæ comprehendantur, ſiue lumine gratiæ & naturæ ſimul. Et ita quidem latiſſimè ſumitur hæc vox, theologia. *Strictè* eſt illa facultas, quæ diſtinguitur à reliquis tribus facultatibus, iuriſprudentiâ, inquam, medicina, & philoſophia. Atque hoc ſignificatu, eſt cognitio rerum diuinarum, quas homo Chriſtianus in hâc vitâ diſcit ex libro naturæ & Scripturæ. Rurſus, theologia hoc ſignificatu eſt vel habitus in mente reſidens, vel præceptorum ſyſtema. Nos poſteriorem ſignificationem hoc loco attendimus. Ad extremum, theologia *ſtrictiſſimè* eſt aſſertio deitatis τȣ̃ λόγȣ. quo ſenſu Iohannes euangeliſta in Apocalypſis inſcriptione appellatur θεολόγος, quòd τὴν θεότητα τȣ̃ λόγȣ apertè admodum aſſeruerit in iſto libro, itémque in euangelio. Huc & illa ſignificatio pertinet, quâ theologia eſt nomen partis, vt theologia naturalis, theologia caſuum, &c. imò & particulæ, vt theologia de angelis, de iuſtificatione, & ſimilibus materiis ſiue locis communibus theologicis. Vnde patet theologiam noſtram varias admittere partes, quæ non diſtinguuntur ſpecie ſi excipias theologiam naturalem & ſupernaturalem.

An theologia ſit theoretica vel practica?

I I. *Theologia eſt habitus compoſitus ex ſapientia & prudentia; & proinde eſt theoretica & practica.*

Rectè *Thomas Aquinas* diſputat, theologiam eſſe mixtam ex theoriâ & praxi. Conſiſtit enim partim in contemplatione ſeu cognitione veri, partim in actione boni: redditque hominem ſapientem, *Pſ.* 19.8. 2. *Tim* 3.15. & prudentem, *Matth.* 10.16. Ideo theologia eſt *ſapientia*, id eſt, habitus ex intelligentiâ & ſcientiâ emergens. Nimirum per intelligentiam diuinitùs illuminatam principia apprehendit, & per ſcientiam concluſiones exinde demonſtrat. Eadem eſt *prudentia*, quatenus animum hominis in actionibus ſuis dirigit ad bonum ſupernaturale. Porrò, etſi theoria & praxis etiam in theologiâ naturali, catechetica, didactica, & polemica concurrunt: tamen quia ibi primas tenet theoria, & praxis dominatur in theologia caſuum, prophetica, & morali; hinc eſt, quòd theologiæ partes quatuor priores appellantur theologia theoretica, & tres poſteriores veniunt nomine theologiæ practicæ, quæ denominatio fit à potiori.

Theologia naturalis quomodo tradenda?

I I I. *Theologia naturalis perſequitur ea omnia, quæ de naturali cognitione & cultu Dei ſunt patefacta in libro naturæ & Scripturæ, quatenus illa lumine naturæ apprehendi & iudicari poſſunt.*

Theologia eſt veritas, quæ eſt ſecundùm pietatem. Pietas autem conſiſtit in cognitione & cultu Dei, quæ duæ partes ita ſe habent, vt vel natura, ſiue recta ratio, vel gratia, ſit ipſarum norma. Hinc Dei cognitio alia eſt naturalis, alia ſupernaturalis. Idem de cultu Dei eſt iudicium. Qualis enim eſt cognitio Dei, talis & eſt ipſius cultus. Patefecit autem Deus cognitionem & cultum ſui, in libro naturæ & Scripturæ, & quidem ita, vt cognitio & cultus naturalis in vtroque illo libro ſit manifeſtus, ſupernaturalis autem in libro Scripturæ duntaxat. Noſtri ergo muneris eſt, in theologia naturali ea conquirere, quæ recta ratio & ſcriptura nobis tradunt de naturali cognitione & cultu Dei.

Quot ſint partes theologiæ naturalis?

I V. *Duæ ſunt partes theologiæ naturalis: vna eſt communis; altera, ſpecialis: vtraque eſt theoretica & practica.*

Pars communis tractat de cognitione & cultu Dei, ſine reſpectu ad certas creaturas, quæ ſunt veluti paginæ libri naturæ. *Pars ſpecialis* percurrit omnia creaturarum genera, & diſtinctè oſtendit, quid illæ nos doceant de cognitione & cultu Dei. Vtraque eſt theoretica & practica. Theoretica, quatenus agit de cognitione Dei; practica, quatenus de cultu Dei diſſerit. Etſi autem in vtraque illa parte lumen naturæ, & liber naturæ coniunguntur: tamen in prima parte inprimis eſt vſus luminis naturæ; in ſecunda, libri naturæ.

Quomodo lumen naturæ nos conuincat, Deum eſſe?

V. *Lumen naturæ ſuggerit quinque claſſes argumentorum, quibus exiſtentia Dei probatur.*

Quod apoſtolus *Hebr.* 11. ait, Accedentem ad Deum oportet credere eſſe Deum; id non euertit cognitionem Dei naturalem: quia fides, ſiue lumen naturæ, præſupponit lumen naturæ. Id autem docet Deum eſſe, non vno modo. Nam quòd Deus ſit, hoc eſt, ſummum aliquod bonum, etiam gentes naturaliter ſcire potuerunt; & quidem ita; vt naturalis notitia Dei fuerit ipſis congenita, vel ab illis acquiſita proprio ſtudio. *Notitia Dei naturalis, homini congenita*, eſt, quæ nititur principiis theoreticis & practicis implantatis intellectui agenti & ſynteresi; itemque teſtimonio conſcientiæ. Principia theoretica implantata intellectui agenti; & practica, implantata ſynteresi, ſunt, quæ homo ſine magiſtro intelligit. Eiuſmodi ſunt: *Deus eſt; Datur aliquod ſummum & primum, quod ſit ſummè vnum, verum, bonum pulchrum, &c. Deus eſt colendus; Deus eſt ens ſummè amabile, honorabile, &c.* Hæc talia principia ſunt: apud omnes homines, ſanâ mente præditos, confeſſa; vſque adeo, vt cum rectâ ratione inſanire cenſeantur, vel omni ratione deſtituti iudicentur, qui ea in dubium vocare auſint. Huc accedit teſtimonium conſcientiæ; quæ cùm ob recta facta lætatur, & ob malefacta triſtatur atque accuſat, terret, ac flagellat hominem, teſtatur ſanè Deum eſſe, qui iuſte iudicet. quam ob cauſam apoſtolus ait *Rom.* 2.15. *opus legis inſcriptum eſſe cordibus gentilium.* Atque hæ ſunt *tres claſſes argumentorum ἀναποδείκτων*, quibus homo, non Cyclopicus, conuincitur eſſe Deum. Deinde ad notitiam illam Dei, nobis congenitam, accedit notitia naturalis acquiſita, quæ acquiritur partim ratiocinando, partim experiendo. Et primò quidem rationes philoſophicæ docent, nihil certius eſſe, quam Deum reuerâ exiſtere, & ſemper fuiſſe ac fore, nec aliter eſſe poſſe. Nam, 1 Mundus hic, & opera ipſius, non poſſunt eſſe a ſe, neque niſi ab ente ſapientiſſimo & omnipotente. Ratio prioris eſt; quia ſunt finita, & compoſita proinde ab alio finita & compoſita. Et, ſi res artificiales non ſunt a ſe, multò minus res naturales. Ratio poſterioris eſt, quia magnitudo, multitudo, pulchritudo, & ordo rerum, quæ ſunt in mundo, confirmant mentem eſſe ſapientiſſimam & omnipotentem, a quâ omnia iſta ſint profecta, & diſpoſita. Inprimis autem id euincit ordo mirabilis, quo omnes res conuenientiſſimo gradu ſunt diſpoſitæ, & corporeæ huius vniuerſitatis partes aptiſſimè inter ſe commentatæ; quod motuum eſt admirabilis viciſſitudo, & conſtantia; quodque vniuerſa, ea quoque, in quibus ratio nulla ineſt, ad finem ordinatum diriguntur. Conſideretur ſolis & lunæ curſus, maris fluxus & refluxus, admirandum opus generationis, membrorum humani corporis connexio, diſcriminatio, & vſus; & alia, de quibus infrà. 2. Nihil eſt poteſtate, id eſt ita, vt ſit quidem, ſed potuerit quoque non eſſe, & poſſit iterum non eſſe; quin aliquid antecedat, quod actu exiſtat, per quod illud fiat quod fieri poterat, & quod poteſt deficere. Mundus autem, & omnia quæ in eo ſunt, poteſtate ſunt. 3. Multa ſunt contingentia, quæ ſcilicet eſſe vel non eſſe poſſunt. Ea verò tandem aliunde determinari, atque ad certum dirigi euentum oportet. A quo autem id fit, id oportet ſupra omnia eſſe. Hoc verò Deum dicimus. 4. Omnia entia ſunt vera, bona, pulchra. Cauſam igitur illorum oportet eſſe veriſſimam, optimam, pulcherrimam. Huiuſmodi rationes poſſunt eſſe innumeræ. Atque hæ conſtituunt *quartam claſſem* argumentorum, quibus probatur ex lumine ac libro naturæ Deum eſſe. *Quinta & vltima claſſis* eſt experientiæ naturalis, eáque tum vniuerſalis, tum particularis. Vtraque enim docet, Deum eſſe. Nimirum experiuntur omnes & ſinguli homines, & ſenſu duce diſcunt, in hoc mundo, & in politiis atque familiis, admirabiles inſperatoſque eſſe rerum euentus, varia eſſe Dei dona & pœnas infinitas, conuerſiones & euerſiones familiarum atque imperiorum ſubinde accidere, homines quoſdam habere virtutes heroicas. Vno verbo: Imus per cœlum & terram, per hiſtoriam ſacram & profanam, per ſtatus vitæ humanæ, per omnia noſtra membra, per vniuerſum vitæ noſtræ curriculum, & hinc magis ac magis confirmamur in hâc communi notitiâ, quàm altiſſimè mentibus noſtris impreſsâ, *Deus eſt.* Huc pertinet vniuerſalis gentium conſenſus, qui, Cicerone teſte, inſtar legis naturæ putandus eſt. Si enim conſulamus ethnicorum monumenta, videmus omnes gentes naturaliter ad aliquam religionem, id eſt, notitiam & cultum numinis, propenſas fuiſſe. Sane nullus eſt ex authoribus ethnicis, qui non ſubinde teſtetur Deum eſſe. Vnum aut alterum allegaſſe ſatis erit. *Plato* 10. *de legib.* Facile eſt, *inquit*, veritatem hanc oſtendere, quòd dij ſint. Terra, ſol, ſidera, ipſumque vniuerſum, temporum quoque ornatiſſima varietas annis menſibuſque diſtincta id oſtendunt: Græcorum præterea barbarorumque conſenſus, deos eſſe fatentium. *Idem* 4. *de legib.* monet, Deum nobis maximè μέτρον χρημάτων, i.e. menſuram omnium rerum eſſe debere. *Apud Ariſtot. in lib. de mundo cap.* 6. *dicitur:* Vetus ſermo eſt, à maioribuſque proditus inter omnes homines, vniuerſa tum ex Deo, tum per Deum conſtituta eſſe, nullamque naturam ſatis inſtructam ad ſalutem eſſe poſſe, quæ citra Dei præſidium ſuæ demum ipſa tutelæ permiſſa ſit. *Ibidem vocatur mundi σωτὴρ καὶ γενέτωρ*, i.e. ſeruator & genitor. *Et ait:* Quod in naui gubernator, quod in curru agitator, quod in choro præcentor, quod denique lex in ciuitate, & dux in exercitu: hoc Deus eſt in mundo. *Cic.* 1. *de naturâ deor. ait:* In mundo Deus eſt aliquis, qui regit, qui gubernat, qui curſum aſtrorum, qui mutationes temporum, rerum viciſſitudines ordineſque conſeruat, terras & maria contemplans, hominum commoda vitaſque tuetur. *Item:* Dij ſemper fuerunt, nati nunquam ſunt, æterni ſunt futuri. Et 2. *de nat. deor.* Omnibus innatum eſt, & quaſi inſculptum, eſſe Deum. *De reſponſis aruſpicum:* Quis eſt tam vecors, qui cùm ſuſpexerit in cœlum, deos eſſe non ſentiat, & ea, quæ tantà mente fiunt, vt vix quiſquam arte vllâ ordinem

dinem rerũ atque vicissitudinem persequi possit, casu fieri putet? 1. *Tusc. quæst.* Firmissimum hoc adferri videtur, cur deos esse credamus, quod nulla gens tam fera, nemo omnium tam sit immanis, cuius mentem non imbuerit deorum opinio. Plura in hanc sententiã vide apud *Philip. Mornæum de verit. relig. Christianæ.*

V I. *Cognitionem Dei, citra verbum ipsius, Scriptura tribuit gentibus.*

Nam Paulus *Rom.* 1.20. *Act.* 14. v. 16. *& seqq.* tribuit ipsis notitiam Dei ex aspectu creaturarum. Tribuit ipsis legem cordibus inscriptam, *Rom.* 2.14. Tribuit ipsis conscientiam, quæ Deum esse remuneratorem bonorum, & vindicem scelerum, testatur, *Rom.* 2.15. Scriptura docet, homines aspicere creaturas, & ex effectu causam colligere, *Esa* 40.26. *Psalm* 19.1. *Sap.* 13.5. *Sir.* 43.1. Eadem Scriptura testatur, omnia opera Dei benedicere creatorem suum, cœlos, aquas, ventos, fulgura, imbres, niues, maria fluuios, cœlum & terram, & quæ in iis sunt, *Psal.* 69 36. *&* 148.1. quod non fit effectiuè, vt loquuntur, sed obiectiuè, hoc est, quando hominem ad cognitionem opificis adducunt, & materiam laudis, amoris, & cultus, suppeditant.

V I I. *Gentiles ex lumine naturæ habuerunt veram veri Dei cognitionem, sed valde languidam & imperfectam.*

Ratio prioris est; quia sciuerunt, quòd Deus sit, quódque sit bonus, iustus, verax, &c. Ratio posterioris est; quia non tantùm ignorarunt, quis sit verus ille Deus, vnde in applicatione grauissimè errarunt, tribuentes creaturis, quæ creatori debebantur: verùm etiam, quia illis ipsis, quæ de Deo sciuerunt, languidè assensi fuerunt. Interim tamen veri Dei fuit vera cognitio: quia non errarunt in quæstione *an sit Deus, & qualis sit*, sed in quæstione, *quis sit*; quæ duæ quæstiones in aliis quoque rebus distinguendæ sunt, vt in loco de Christo, de antichristo, de peccato originis.

C A P V T II.

De attributis Dei.

P R Æ C E P T A.

EMinentia Dei cernitur in attributis & actionibus eius, ex naturæ lumine manifestis.

Attributa Dei notant eminentiam siue perfectionem ipsius, vel vt entis, vel vt viuentis; entis, inquam, & viuentis spiritualiter.

Quæ notant eminentiam Dei, vt entis, remouent ab ipso imperfectionem, vel multitudinis, vt vnitas; vel causæ, illiúsque tum externæ, vt immutabilitas, vel internæ, vt simplicitas; vel circumstantiæ, vt infinitas, eáque tum immensitas, tum æternitas; è quibus illa remouet circumstantiam loci; hæc, temporis.

Quæ notant eminentiam Dei, vt viuentis, indicant vitæ perfectionem, vel integritatem.

Vitæ perfectio in Deo est intellectus summus, voluntas liberrima, & potentia infinita.

Vitæ integritas in Deo est idea virtutis & beatitudinis.

Idea virtutis in intellectu est summa sapientia; in voluntate, summa sanctitas, eáque tum veracitas, tum bonitas, tum iustitia.

Idea beatitudinis est summum gaudium & gloria.

R E G V L Æ.

I. *Quoniam Deus est primum & summum ens, oportet vt omnia summa ipsi conueniant.*

Hæc est regula, quam recta ratio nobis dictat. Illa siquidem docet, esse Deum, id est, ens summum, & summè honorabile. Necesse itaque est, vt à Deo remoueamus omnem imperfectionem, & ipsi tribuamus omnem perfectionem, summo, siue primo ente dignam. Ista verò perfectio cernitur in proprietatibus seu attributis, & operibus Dei; quæ duo elegantissimè coniunguntur in venustâ & eruditâ descriptione Dei apud Platonem: *Deus est mens æterna, causa boni in natura. In Epinomide* vocat Deum τὸ ἀγαθῶν αἴτιον ἡμῖν συμπάντων, id est, omnium bonorum nobis authorem. Et *Seneca præfat. in quæst. natural.* ait: Deus est mens vniuersi, quod vides totum, & non vides totum, qui cùm solus sit omnia, opus suum & extra & intra tenet. *Lactant. lib. de ira c.* 11. *ait:* Pythagoras vnum Deum confitetur, dicens: incorporalem esse mentem, quæ per omnem rerum naturam diffusa & intenta vitalem sensum cunctis animantibus tribuat. Itaque perfectio Dei iudicatur ex ipsius naturâ, & operationibus. Porrò hanc regulam illustrat, quæ *in vita Pythagoræ* legitur descriptio Dei metaphorica: Θεὸς τῶ μεγίστου τῶν ἀριθμῶν ὑπεροχή, παρὰ τῶν ἐγγυτάτων: Deus est excessus maximi numerorum supra proximos. Id est: Deus est vnitas denarij, tanquam perfectissimi numeri, hoc est, natura simplicissima, omnes omnium perfectionum gradus complexa.

II. *Duo sunt momenta perfectionis Deo digna: essentia & vita spiritualis.* Quot sint momenta perfectionis Deo dignæ?

Deus in creaturis aliquantulum adumbrauit naturam suam. Itaque ex perfectionibus creaturarum rectè colligitur perfectio creatoris. Duo autem sunt momenta perfectionis in creaturis, essentia & vita: ad quæ duo omnes reliquæ perfectiones reducuntur. Itaque hæc duo etiam sunt in Deo, & quidem summè, hoc est, modo planè indefecto. Primò ergo in Deo est *natura spiritualis:* quia essentia & vita corporalis est imperfecta. Deinde natura ista spiritualis est excellentissimo modo vna, immutabilis, simplex, &c. Quâ de re insignis est locus *apud Arist. lib. de mundo:* τοιαῦτα χρὴ περὶ θεοῦ διανοεῖσθαι, δυνάμει μὲν ὄντος ἰσχυροτάτου, κάλλει δὲ εὐπρεπεστάτου, ζωῇ δὲ ἀθανάτου, ἀρετῇ δὲ κρατίστου· διότι πάσῃ θνητῇ φύσει γενόμενος ἀθεώρητος, ἀπ' αὐτῶν τῶν ἔργων θεωρεῖται: id est, Hæc de Deo sentire nos oportet: Si potentiam spectes, esse potentissimum; si pulchritudinem, formosissimum; si vitam, immortalem; si virtutem, optimum. Quapropter cùm naturæ mortali non sit conspicuus, ab ipsis operibus cernitur.

III. *Attributa Dei demonstrantur rationibus, & testimoniis gentilium, hoc ordine.* Attributa Dei demonstrantur, hoc ordine:

I. Deus est spiritus. 1. Natura spiritualis.

1. Quia est simplicissimus: proinde indiuisibilis, adeóque spiritualis naturæ. 2. Quia est creator angelorum, & animæ humanæ h. e. spirituum. 3. Gentiles hoc idem docuerunt. vnde Cato,

Si Deus est animus, nobis vt carmina dicunt,
Hic tibi præcipuè sit pura mente colendus.

Quò pertinet, quòd Deus ab ipsis appellatur mens vniuersi, vt paulò antè diximus ex Senecâ. Porrò, hanc spiritualem & inuisibilem Dei naturam vtcunque intelligemus, si primò cogitemus, Deum non cadere sub vllum sensum corporeum. Nec enim est, vti lux externa aut color, vt videatur: nec vti sonus, vt audiatur: nec vti sapor, vt gustetur: nec vti odor, vt olfactu percipiatur: nec vti calor, aut humor, aut simile quippiam, vt tangatur. Deinde, à conditione simpliciorum corporum, quæ ad naturam spirituum propiùs accedunt, & argumentum à simili & minori petitur: vt à luce, vento, ac aëre. Deus enim est simplicior luce, quæ permeat omnia: est purior vento, quo agitantur & vegetantur vegetabilia & animalia: est simplicior aëre, qui per omnia meat. Denique, perfectiones rerum spiritualium, vt sapientia, iustitia, vis rationis, & similia, faciunt, vt à creatis ad increata adscendamus.

II. Deus est vnus. 2. Vnitas.

1. Omne ens est vnum. Ergo summum ens est summè vnum. 2. Qui est summè perfectus, non potest esse nisi vnus. 3. Plura prima, summa, & infinita esse non possunt. 4 Si plures essent dij, quomodo mundus ordinatè gubernaretur? 5. Plures non possunt esse omnipotentes. Nam ita alij alios possent impedire. 6. Qui vbique est, non potest esse nisi vnus. Si enim plures essent, vbi tandem essent? 7. Si plures dij essent, aut imperfecti essent singuli, aut alij aliorum respectu superuacanei. At Deum oportet esse aliquid perfectissimum, & summè necessarium. 8. Gentiles saniores idem confessi sunt. Hinc Orpheus ita canit:

Εἷς ἐστ' αὐτογενής, ἑνὸς ἔκγονα πάντα τέτυκται.
Vnus est per se existens, ab vno omnia facta sunt.

Phocylides ait:

Εἷς θεός ἐστι σοφός, δυνατός θ' ἅμα, καὶ πολύολβος.
Vnus Deus est sapiens, poténsque simul & beatissimus.

Et Sophocles ita modulatur:

Εἷς ταῖς ἀληθείαισιν, εἷς ἐστὶν θεός,
Ὃς οὐρανόν τέτευχε, καὶ γαῖαν μακράν,
Πόντου τε χάροπον οἶδμα, κἀνέμων βίας.
Vnus reuera, vnus est Deus,
Qui cœlum condidit, & terram longam,
Marisque cæruleos fluctus, & ventorum impetus.

Quòd autem imperiti homines, per imposturas Satanæ seducti, deorum multitudinem commenti sunt, hoc inde est, quòd multæ sunt Dei actiones: vnde multa Dei nomina extiterunt. Quâ de re *Aristot. lib. de mundo, cap.* 7. sic ait: Deus, cùm vnus sit, πολυώνυμός ἐστι, hoc est, multa habet nomina, & ab iis suis effectibus denominatur, quorum specimen edere solet, ἀπὸ αὐτοῦ νεοχμεῖ. Apud eundem Zeno vnitatem Dei probat ex eo, quòd Deus sit optimus.

3. Immutabilitas. *III. Deus est immutabilis.*

1. Omne, quod mutari potest, habet supra se causam aliquam, cuius potestati subsit. At Deus est supra omnia. 2. Quod potest mutari, est ens contingens ita vt possit esse & non esse. At Deus est ens summè necessarium. 3. Quod mutatur, acquirit aliquid de nouo. At Deus nihil nouum acquirere potest: quia habet omnia. 4. Si Deus mutari posset, id fieret aut in melius, aut in deterius, aut in idem vel simile. In melius non potest mutari; quia per naturam est optimus: nec in deterius, quia omne malum prohibere potest. In idem autem non fit mutatio. 5. Aristoteles in metaphysis & physicis prolixè probat, primum motorem mouere, nec moueri, sed esse prorsus immobilem.

4. Simplicitas. *IV. Deus est simplicissimus.*

1. Quod maximè vnum est, id est simplicissimum. At Deus est maximè vnus. 2. Quod compositum est, id habet causas, à quibus, & ex quibus vnitum est. At Deus est prima causa. 3. Quod compositum est, resolui & interne potest. At hoc planissimè est diuinæ perfectioni contrarium. 4. Quod est compositum, imperfectum est. At Deus est ens perfectissimum, sine defectu. 5. Aristoteles 8. *Phys. c.* 10. ex infinita virtute primi motoris colligit eius indiuisibilitatem.

5. Immensitas. *V. Deus est immensus.*

1. Nam qui est supra omnia, nihil est, quod ipsum possit metiri. 2. Omnis imperfectio est à Deo remouenda. At finitum esse, est imperfectio. Quod enim finitum est, ab alio finitum est, adeóque dependens. Iterum, quod finitum est, id vt alicubi adest & alicunde abest, ita alicubi agere, alicubi non agere potest. 3. Deus omnia penitus nouit, maxima & minima. Ergo nusquam abest. 4. Deus omnia regit in toto mundo. Ergo est in toto mundo. 5. *Seneca* idem docet: vt paulò ante regulâ primâ ex ipso adnotauimus. Notum etiam est illud *Hermetis*: Deus est sphæra, cuius centrum est vbique, circumferentia nusquam. *Aristot. lib. 1 de partibus animal. c.* 5. refert & laudat dictum illud cuiusdam insignis philosophi: Nec ab exiguâ domuncula abesse Deum. *Et d. l. c.* 7. ait: numen diuinum ita comparatum esse suâ naturâ, quoquo vt versus permeet, minimum & ea, in quibus ipsi versamur, & nobis superiora.

6. Æternitas. *VI. Deus est æternus.*

1. Deus est primum ens à quo sunt omnia, & quod est supra omnia. Ergo etiam tempus est ab ipso, & ipse est supra tempus. 2. Si Deus non est æternus, aliquando cœpit. Ergo aut à se, aut ab alio. At neutrum est. Non à se: quia nihil est causa sui ipsius. Non ab alio: quia sic ne Deus quidem esset. 3. Deus est immutabilis. E. nec incipere, nec desinere potest. 4. Deus est ens simpliciter necessarium. Itaque nullam sui causam agnoscit. 5. Et hoc gentiles quoque intellexerunt. *Plato in definitionibus* habet hanc descriptionem: Θεός ἐστι ζῶον ἀθάνατον, αὔταρκες, πρὸς εὐδαιμονίαν, οὐσία ἀΐδιος, τῆς τἀγαθοῦ φύσεως αἰτία: Deus est ens viuum, immortale, seipso contentum ad beatitudinem, essentia æterna, causa boni in natura. *Aristoteles* 2. *metaph. c.* 7. ait: φαμὲν δὲ τὸν θεὸν εἶναι ζῶον, ἀΐδιον, ἄριστον. ὥστε ζωὴ καὶ αἰὼν συνεχὴς καὶ ἀΐδιος ὑπάρχει τῷ θεῷ. τοῦτο γὰρ ὁ θεός: Dicimus Deum esse viuentem, æternum, optimum. Itaque vita, & æuum continuum æternúmque est in Deo. Id enim Deus est. *Idem lib.* 2. *de cœlo cap.* 3. θεοῦ ἐνέργεια ἀθανασία. τοῦτο δ' ἐστὶ ζωὴ ἀΐδιος: Dei operatio est immortalitas. Hoc autem est vita sempiterna. Testimonium Ciceronis vide cap. præced. regul. 5.

7. Vita *VII. Deus viuit vitam perfectissimam.*

1. Deus est ens perfectissimum. Ergo non tantùm est, sed viuit quoque. Nam viuere est perfectius, quam simpliciter esse. 2. Deus intelligit & vult. Ergo viuit. 3. Deus fecit creaturas plurimas viuentes vitam intellectiuam. E. talem ipse quoque viuit, modo perfectiori: vtpote fons vitæ. 4. Et gentiles hoc intellexerunt: vt planum est ex commate præced.

8. Intellectus. *VIII. Deus intellectu sapientissimo est præditus.*

1. Deus viuit summè. E. præditus est intellectu summo. 2. Deus fecit creaturas intelligentes. E. ipse intelligit. 3. Opera Dei arguunt opificem sapientissimum. 4. Decreta, & executiones decretorum Dei idem docent. 5. Gentiles passim Deum appellant mentem & primum motorem. Confer etiam paulò post commate 10. & 11.

9. Voluntas *IX. Deus præditus est voluntate liberrimâ.*

1. Dei intellectus est sapientissimus E. & voluntas liberrima. Nam vt ille non accipit aliunde sapientiam, ita neque hæc aliunde motum, impulsum, aut determinationem. 2. Quidquid Deus, vult, aut vult ex immutabilitate naturæ suæ, aut sic vt vim habeat efficiendi & permittendi inuictam. Neutro autem modo mutari, impediri aut retardari potest. 3. Nulla res, neque sensus expers, neque voluntas est supra Deum. 4. Nulla felicitas absque voluntate esse potest. 5. Hoc intellexerunt gentiles, quando Deum appellarunt animum. Quò etiam spectat illud Ouidij,

Est Deus in nobis, agitante calescimus illo:
Sedibus ætheriis spiritus ille venit.

10. Omnipotentia. *X. Dei potentia est summa id est, est omnipotentia.*

1. Potentia sequitur modum essentiæ. At essentia diuina est immensa. Ergo & potentia. Vbi est summus intellectus, & summa voluntas, ibi & summa potentia. At illa sunt in Deo. E. & ista. 3. Opera Dei sunt diuinæ omnipotentiæ illustrissima documenta. 4. Et gentiles hoc ipso argumento Deum omnipotentem esse intellexerunt. Nam si Deus est primus motor, omnia potest mouere, & à nullo moueri. Hinc *Aristot.* 12. *metaph. c.* 7. *&* 8. *phys. c.* 10. primo motori tribuit infinitam virtutem. Et *Homerus* ait: Θεοὶ δέ τε πάντα δύνανται: Dij omnia possunt. Sic *Cicero* 3. *de natura deor.* ait: Nihil est, quod Deus efficere non possit, & quidem sine labore. *Euripides in Phœnissis* ita canit: Πάντα δ' εὔπετῆ θεοῖς: Omnia diis sunt facilia. Insigne est illud Epicharmi: Οὐδὲν διαφεύγει τὸ θεῖον. τοῦτο γιγνώσκειν σε δεῖ. αὐτός ἐσθ' ἁμῶν ἐπόπτης. ἀδυνατεῖ δ' οὐδὲν θεῷ: Nihil effugit numen. Scire te hoc oportet. Ipse nostri est speculator. Impossibile autem nihil est Deo. *Ouidius* 4. *de tristibus* ita canit:

Nil ita sublime est, supráque pericula tendit.
Non sit vt inferius suppositúmque Deo.

Cicero in somnio Scipionis: Deus est, *inquit*, qui sentit, qui meminit, qui prouidet, qui regit & moderatur, & est æternus. *Idem* 1. *de nat. deor.* In mundo Deus est aliquis, qui regit, qui gubernat, qui cursum astrorum, qui mutationes temporum, rerum vicissitudines ordinésque conseruat: terras & maria contemplans, hominum commoda vitásque tuetur. Hinc prisci gentiles familiariter vsurparunt illud: Οὐκ ἄνευ θεοῦ, Non sine Deo: vt est apud *Xenophontem in æquiuocis*.

11. Scientia *XI. Intellectus Dei præditus est summa scientia & sapientia, id est, omniscientia & omnisapientia.*

1. Qui est planè beatus, perfectus, & immensus, fieri non potest, vt sit alicui ignorationi obnoxius. 2. Deus omnia creauit optimo ordine, summâ varietate, ad fines suos. 3. Angelis & hominibus eximiam dedit sapientiam, quâ in arcana omnis naturæ penetrare queunt. 4. Gentiles hanc tantam scientiam prædicant: vt *Orpheus*:

Πάντ' ἐφορᾷ, καὶ πάντ' ἀκούει, καὶ πάντα βραβεύει.
Omnia videt, & omnia audit, & omnia remuneratur.

Sic Hesiodus:

Πάντα ἰδὼν Διὸς ὀφθαλμὸς, καὶ πάντα νοήσας.
Omnia videt Iouis oculus, & omnia intelligit.

Et *Cic.* 3. *de nat. deor.* ait: Obscurum nihil Deo esse potest. Sic *Plautus in Captiuis*: Est profectò Deus, qui quæ nos gerimus auditque videtque.

12. ta *XII. Voluntas Dei prædita est omnimodâ sanctitate, id est, veracitate, bonitate & iustitia.*

Deus est sanctus; quia vbi est summa sanitas intellectus ibi est summa sanctitas voluntatis. *Idem est verax.* 1. Deus est ipsa perfectio: ideóque vt omnia sine errore cognoscit, ita vult. 2. A fide & veritate homines dimoueri contingit vel ob imbecillitatem intellectûs, vel ob metum, vel ob prauam spem. Hæc autem omnia sunt à Deo alienissima. 3. Deus nunquam fefellit quenquam. *Deus est bonus in se, & extra se. In se*; quia vt est summa veritas, ita summa bonitas. *Extra se*; quia bona facit, & benefacit. Fecit enim omnia bona, & erga opera sua est benignus, hoc est liberalis, beneficus, munificus. Denique *Deus est iustus*: quia sibi, vt summo & optimo, tribuit summa & optima: aliis autem rebus tribuit, quæ ipsis conueniunt. Disponit enim omnia optimè, sine vllo vitio: & distribuit vniuersis præmia vel pœnas. Quæ omnia intellexerunt gentiles: vt *Plato in Protagora*: γενέσθαι μὲν ἄνδρα ἀγαθὸν χαλεπὸν ἀληθῶς, οἷόν τε μὲν ἐπὶ χρόνον τινά. γενόμενον δὲ διαμένειν ἐν ταύτῃ τῇ ἕξει, καὶ εἶναι ἄνδρα ἀγαθὸν, ἀδύνατον καὶ οὐκ ἀνθρώπινον. ἀλλὰ θεὸς ἂν μόνος τοῦτο ἔχοι τὸ γέρας: Fieri quidem virum bonum, sanè arduum est. Licèt verò ad tempus aliquod esse. Verùm cùm fuerit aliquis bonus, in hoc habitu permanere, & esse virum bonum, impossibile est & non humanum. At verò Deus habet hoc decus. *Idem ait* θεὸν εἶναι αἴτιον τῶν ἀγαθῶν, ἀναίτιον δὲ κακῶν: Deum esse causam boni. nulla verò ratione causam mali. Idem in Theæteto: Θεὸς οὐδαμῇ οὐδαμῶς ἄδικος, ἀλλ' ὡς οἷόν τε δικαιότατος, καὶ οὐκ ἔστιν αὐτῷ ὁμοιότερον οὐδὲν ἢ ὃς ἂν ἡμῶν αὖ γένηται ὅτι δικαιότατος: Deus nusquam & nullo modo iniustus, sed quàm iustissimus, nihilque illius similius, quàm iustissimus homo. Notum etiam est illud Homeri: ἔχει θεὸς ἔκδικον ὄμμα: Deus habet vindicem oculum. Hinc illa lex apud *Ciceronem lib. 2 de legibus*: Ad diuos caste adeunto: pietatem adhibento. Qui secus faxit, Deus ipse vindex erit. Omnes etiam gentilium historiæ plenæ sunt iustorum Dei iudiciorum: ex quibus manifestum est, Deum omnis iniustitiæ vindicem, at æquitatis remuneratorem esse. Propterea apud gentiles etiam multæ insignes sententiæ leguntur de peccatorum pœnis iustis.

13. tu *XIII. Deus est beatissimus.*

1. Nullo siquidem bono destituitur, omne bonum habet, & nullo priuari potest, & scit, se omne bonum semper habiturum esse. 2. In quo est perfecta essentia, vita, & virtus: in eo quoque est beatitudo summa. Nam non potest non ei optimè esse, qui est in se optimus. 3. Deus nobis est author beatitudinis. Igitur ipse non potest non esse beatus. 4. Beatitudo definiri solet status omnium bonorum aggregatione perfectus. Et talis est in Deo. 5. etiam gentiles id agnouerunt. *Aristoteles* 10. *Ethic. c.* 8 ait: τοὺς θεοὺς μάλιστα ὑπειλήφαμεν μακαρίους καὶ εὐδαίμονας εἶναι: Deos maximè beatos & felices existimamus. Et addit: Τοῖς θεοῖς πᾶς ὁ βίος μακάριος: Diis tota vita beata est,

eſt. *Cicero* 1.*de nat.deorum* : Ea eſt Dei vita,quâ nihil beatius, nihil omnino bonis omnibus affluentius cogitari poteſt : ſua potentia & virtute gaudet, habet exploratum, fore ſe ſemper cùm in maximis,tum in æternis voluptatibus. *Apuleius de Deo Socratis* : Deus eſt bonus & beneficus,optimus,nihil indigens, ipſe conferens omnia. Teſtimonium Phocylidis vide *paulò antè commate* 2.

Atque hæc ſunt attributa,ſeu proprietates & perfectiones eſſentiæ Dei:quas alij referunt ad tria momenta : ſcil.eſſe,viuere, & ſummè viuere. Deum *eſſe* perfectiſſimè oſtendunt ſpiritualis natura, vnitas,immutabilitas,ſimplicitas,immenſitas,& æternitas. Eundem *viuere* perfectiſſimè indicant intellectus ſummus, voluntas liberrima, & omnipotentia. Denique ſummam vitæ ſpiritualis *integritatem* notant virtus & beatitas, vtraque ſine vllo defectu.Virtus eſt ſapientia ſumma in intellectu,& ſumma ſanctitas in voluntate, id eſt, ſumma bonitas,veracitas,& iuſtitia. Beatitas eſt gaudium & gloria ſumma.

CAPVT III.

De actionibus Dei.

PRÆCEPTA.

Actiones Dei, naturæ lumine manifeſtæ, ſunt ante tempora,in tempore,& poſt tempora.

Ante tempora eſt cognitio & ordinatio rerum antequam fiant.

In tempore eſt procuratio vt res fiant, & conſeruatio atque gubernatio poſtquam factæ ſunt.

Poſt tempora eſt beatificatio,& damnatio.

REGVLÆ.

I. *Deus non ſolùm ab æterno nouit omnia,ſed etiam illa ordinat vt fiant in tempore.*

1. Deus eſt ſummus,infinitus, κοίρανος, πατὴρ, βασιλεὺς, κύριος; quibus nominibus paſſim nuncupatur à gentilibus. Oportet itaque ipſum ſcire omnia præterita, præſentia, & futura; adeóque conſtituere ac ordinare quæ fiunt & futura ſunt. 2. Si Vlyſſes,apud Homerum eſt is,

Ὃς ᾔδη τά τ' ἐόντα, τά τ' ἐσσόμενα, πρό τ' ἐόντα:

Qui nouit præſentia, futura, & præterita:

quantò magis hoc Deo tribuendum eſt? 3. Gentiles hoc agnouerunt. *Homerus* enim ὀδυσσ. ι. Vlyſſem ſuum variis iactatum calamitatibus ſic introducit:

Αὐτὰρ ἐμοὶ τὰ φίλ' ἔσκε, τά που Θεὸς ἐν Φρεσὶ θῆκεν.

Cæterùm in illis acquieſcebam,quæ deus in animo ſuo conſtituerat, hoc eſt, quæ decreuerat, antè viderat,& ordinauerat. *Pindarus od.* 1. *in Olymp.* ait : Sed nullus acres excubias deorum fefellit vnquam. *Cyrus lib.*8. *de pædia Cyri* iubet filios ſuos vereri deos, qui ſemper ſunt, & omnia vident, & omnia poſſunt, quíque hunc rerum omnium ordinem continent, certum, immortalem, & ſine errore. 4. Stoici olfecerunt hanc rem,dum fatum ſuum adeo pertinaciter defenderunt. 5. Quæ apud gentiles occurrunt de ideis, huc pertinent. *Triſmegiſtus in Pimandra c.*8.ait:Deum plenum eſſe ideis. *Plato in Timæo* ideas collocat in mente Dei, & ait mundi opificem imitatum eſſe ſempiternum exemplar in mundi conſtructione, ipſúmque ſibi, quantum fieri poterant, ſimillima omnia fieri voluiſſe. *Ariſtoteles* 12. *metaph. text.*52. duplicem conſtituit ordinem, alterum in diuina mente, alterum per vniuerſum orbem expanſum, quorum hic ad illum referatur, ſicut ordo exercitus ad eum, qui eſt in mente imperatoris. 6. Deus eſt architectus mundi,vt docent gentiles nobiliores. Itaque ædificij ſpeciem concepit per proprias partium eius rationes. Confer cum *regul.* 3. *proximè ſequente.*

II. *Deum eſſe opificem mundi, recta ratio docet.*

1. Dantur cauſæ ſecundæ. Igitur & prima. 2. Dantur cauſæ particulares. Ergo & vniuerſalis. 3. Quæ ſunt finita,& compoſita, dependent ab infinito & incompoſito. 4. Natura abhorret à progreſſu in infinitum. Itaque eſt aliquod ens primum, à quo ſunt reliqua. 5. Omnipotentia Dei, præced capite aſſerta, idem confirmat. 6. Gentilium hæc quoque fuit doctrina:vt Orphei & Sophoclis, *cap.præced.com.*1. Platonis, *ibid.reg.*1. Ariſtotelis, *ibi. reg.*2.& *c.*1.*reg.*5. Porrò *Plato in* 2.*epiſtola ad Dionyſium* interrogatus de prima natura, præter omnium regem, qui ſit bonorum omnium cauſa, etiam ſecundi & tertij mentionem facit, adeóque Bonum,Mentem Boni filium,& Animam mundi conſtituit principia, ad vniuerſi rerúmque in eo contentarum productionem concurrentia;quæ proculdubio ſunt fragmenta doctrinæ antiquitùs ad ethnicos propagatæ, de tribus in vnâ Dei eſſentiâ ſubſiſtentibus perſonis, quibus vnum creationis opus communiter tribuitur. *Ariſtoteles* etiam *toto c.*6. *lib. de mundo* prolixè confirmat, Deum rerum omnium & authorem,& conſeruatorem, & gubernatorem eſſe. *Theophraſtus*, præſtantiſſimus Ariſtotelis auditor, *in libro de ſaporibus* in hæc erumpit verba : Quòd Deus ex nihilo creauit omnia. Et *Algazel Arabs in libro contra Auerroëm*,primam omnium rerum cauſam materiâ non indigere contendit. Sic *Plotinus lib.de contemplat.& vno* docet, brutales illas quæſtiones procul amouendas à Deo: Ex quâ materia Deus condidit mundum? quibus ferramentis fabricauit?quo cæmento glutinauit? Plura hanc in ſententiam ex gentilibus citant *Iuſtinus philoſophus & martyr in paræneſi*, *Auguſtinus* 10.*de ciuit. Dei c.*4.*& l.*12.*cap.*17. *Lactantius l.*7. *c.*3. *& Steuchus* 7. *de perenni philoſophia c.*3 *& d.* Confer etiam *regul.ſeq.*

III. *Deum conſeruare atque gubernare omnia, recta ratio docet.* Deus cō-ſeruat & gubernat omnia.

1. Deus eſt ſummè bonus, ſapiens, & potens. Itaque rebus à ſe conditis prouidet, omniáque & ſingula curat. 2. Si Deus non regit mundum,aut non poteſt,aut non vult. Si non poteſt, non eſt omnipotens. Si non vult,non eſt optimus. 3. In operibus Dei elucet ipſius paterna & iudicialis cura:vt in ordine admirabili rerum omnium, in varietate ineffabili, in finibus ad quos omnia tendunt, in euentibus inſignibus & inſperatis, in oſtentis & prodigiis,in horrendis tempeſtatibus, in pœnis ſceleratorum, in præmiis bonorum, in virtutibus & motibus heroicis, in conſtitutione, conſeruatione & mutatione familiarum & politiarum. 4. Conſcientia bona & mala teſtatur eſſe Deum,qui curet res noſtras. 5. Si mens noſtra regit corpus; ſi paterfamiliâs præeſt domui; ſi rex curat regnum; multò magis Deus prouidet rebus à ſe conditis. 6. Conſenſus populorum non Cyclopicorum hoc idem euincit. Vide paulò antè *cap.*1. *regul* 5. *cap.*2. *reg.*1.*&* 2. Quibus adde iſta. *Pindarus ode* 1.*in Olymp.* ita canit:

Sed nullus acres excubias deûm
Fefellit vnquam : nam patrium Pelops
Plorauit ob crimen——

Epicharmus ait :

Nihil effugit Deum, ſcire te hoc oportet.
Ipſe eſt noſtri ſpeculator, nihilque Deus non poteſt.

Diphilus comicus ſic ait:

Putáſne, vita, Nicerate, perfunctos,
Olim voluptas quos refouit,
Fugiſſe numen vel latentes? Protinus
Eſt cuncta cernens oculus.

Plautus in Captiuis ait :

Eſt profectò Deus,qui quæ nos gerimus,auditque vidétque
Is vti me hic habueris, perinde illum illic curauerit :
Bene merenti bene profuerit,malè merenti par erit.

Ouidij carmen eſt notum :

Eſt aliquid ſpectare deos & adeſſe putare.

Thales Mileſius interrogatus, num quis iniuſtè agens,deos lateret : Sed nec cogitans quidem, reſpondet, q. dicat, Deum eſſe καρδιογνώστην. Vide *Laërtium in eius vita.* Apud *Xenophontem lib.*1.*de dictis & factis Socratis*, Ariſtodemum ſic alloquitur Socrates:Num putas tuum quidem oculũ poſſe ad multa vſque millia paſſuum peruenire : diuinum autem oculum impoſſibile eſſe totum ſimul conſpicere? aut tuam quidem animam de illis, quæ apud diuerſas regiones geruntur,aut Athenis, aut in Sicilia, ſiue apud Ægyptios, poſſe cogitare : diuinam verò prouidentiam non poſſe ſimul omnia curare? His verbis ſubiicit *Xenophon* : Itaque viſus eſt mihi, cùm illa diceret,ſuis auditoribus perſuadere, non modò cùm ab hominibus videntur, debere ipſos ab iniuſtis & turpibus abſtinere, ſed non minùs cùm in ſolitudine ſunt; certò tenentes, nihil eorum, quæ agerent, deos latere. *Idem* ſic inducit Cyrum moribundum *lib.*8.*de pædia Cyri* : Deos, qui ſemper ſunt, & omnia vident,& omnia poſſunt;quíque hunc rerum omnium ordinem cõtinent; certum,& immortalem,& ſine errore; quíque præ pulchritudine,atque magnitudine enarrari non poteſt; hoſce vos verentes, nihil vſquam impium, nihil nefarium, neque feceritis, neque faciendum ſuadeatis. *Plato in Parmenide*, *Sophiſta*, *& lib.*10. *&* 11.*de rep.*multis argumentis euincit,minima quæque non ſolùm à Deo videri,ſed etiam regi : nominatim *lib.*10.*de legibus*, ſummum Deum, optimum, prouidentiſſimum, & omnis boni fontem vocat. *Ariſtoteles de arte poëtica c.*12.ait:Quandoquidem deos cuncta inſpicere,ſatis quidem apud nos conſtat. *Cicero lib.*2.*de nat. deorum* : An verò,inquit,ſi domum magnam pulchrámque videres, non poſſis adduci, vt, etiamſi dominum non videas, muribus illam & muſtelis ædificatam non putes: tantum verò ornatum mundi, tantam varietatem pulchritudinémque rerum cœleſtium, tantam vim & magnitudinem maris,atque terrarum, ſi non lucum & deorum immortalium domicilium putes : nónne planè deſipere videare? Anne hoc quidem

dem intelligimus, omnia supera esse meliora? terram autem: esse infimam, quas crassissimus circúfundat aër? Imò & ex ipsâ hominum solertiâ esse aliquam mentem, & quidem acriorem & diuinam existimare debemus. Vnde enim, vt apud Xenophontem loquitur Socrates, nisi à Deo hanc homo arripuit? Talis igitur mens mundi cùm sit, ob eamque causam prouidentia rectè appellari possit (Græcè enim πρόνοια dicitur) hæc potissimùm prouidet, & in his maximè est occupata: primùm, vt mundus quàm aptissimus sit ad permanendum: deinde, vt nullâ re egeat: maximè autem, vt in eo eximia pulchritudo sit, & ornatus. quod & in vniuerso mundo, & in sideribus apparet: vt iam propemodum appareat multitudo testimoniorum non cessantis Dei, nec ea quæ agit molientis cum labore operoso aut molesto. Dico igitur, prouidentiâ Dei mundum, & omnes eius partes, & initio constitutas esse, & omni tempore administrari: quod nostri his ferè rationibus probare solent. quarum prima ducitur ab eo, quòd concesso, Deum esse, eius consilio mundum administrari confitendum est, altera, quòd tam pulchrè omnia reguntur, vt nos res terrestres & cœlestes in admirationem rapiant. Cùm Deo nihil præstantius, nihil potentius sit, ab eo necesse est mundum regi. Omnem ergo regit naturam. Et, si intelligentem esse concedimus, etiam prouidentem esse cognoscemus. Non ignoratio certè cadit in Deum, qui nouit, quomodo singula tractare & tueri velit. Nec imbecillitas aut difficultas in illam maiestatem cadit. *Et, quibusdam interiectis, ait:* Nec vniuerso hominum generi solùm, sed etiam singulis à Deo immortali consuli & prouideri solet. *Rursus ait d.l.* Qui concedit, Deum esse, concedat oportet eius consilio mundum administrari. Neque enim otiosus est Deus, nec in eum cadit vel ignoratio, vel imbecillitas sustinendi tantam molem. Nec sanè multum interest, vtrum quis neget Deum esse, an eum omni procuratione atque actione priuet. Mihi enim, *inquit idem lib. 4. acad. quæst.* qui nihil agit, esse omnino non videtur. *Seneca* scripsit librum singularem de prouidentiâ *ad Lucilium.* Et in *tractatu de remediis fortuitorum* non pauca habet bene & sapienter de hoc ipso argumento dicta. Memorabile quoque est illud prouidentiæ encomium apud *Galenum lib. 3 de vsu partium corporis humani:* Commentarios hos, *inquit*, vt verum hymnum conditori nostro sapientissimo compono; & hunc verum cultum ipsius esse censeo, non si taurorum hecatombas multas ipsi sacrificauerim, aut vnguenta multa & casias adoleuerim: sed, si tum ipse cognouerim, tum etiam aliis exposuerim, quanta sit eius sapientia, quæ virtus, quæ prouidentia, quanta denique bonitas: ignoratio quorum summa impietas. Quòd enim omnia vltrò voluit, quanto fieri potuit ornatu, concinnari, & nulli horum bonorum inuidet, statuo esse perfectæ bonitatis demonstrationem; & hactenus quidem à nobis vt bonus celebratur. Rationem autem inuenisse, quâ vniuersa quàm optimè exornarentur, summæ sapientiæ; & quæcunque priùs decreuerat, ea quoque confecisse, eius demum est potestatis, quæ nullo modo superari possit. *Statius lib. 1. syluarum* ita modulatur:

——audit qui cuncta suorum,
Nouit & inspectis ambit latus omne ministris.
Nec mirum: videt ille ortus obitusque quid Arctos,
Quid Boreas hybernus agat, ferrique togæque
Consilia, atque ipsam mentem probat.

Quomodo gentiles agnouerint prouidentiam DEI circa particulares euentus, circa bona & mala animi, corporis, & fortunæ, circa politias, & similia, vide in *Theologiâ nostrâ naturali parte 1. cap. 18.*

Dei actiones post hanc vitã.

IV. *Deum post hanc vitam largiri præmia & pœnas, recta ratio docet.*

Id manifestum euadit ex iis, quæ gentiles prolixè docuerunt de immortalitate animæ, de corporum nostrorum excitatione, de mundi resolutione, deque campis Elysiis & Tartaro. *De immortalitate animæ* hæc summatim occurrunt. *Cicero de amicitiâ*: Neque enim, *inquit*, assentior iis, qui hæc nuper disserere cœperunt, cum corporibus scilicet animas simul interire, atque omnia morte deleri. *Et paulò pòst ait*, Socratem dixisse semper, animos hominum esse diuinos, iisque, cùm ex corporibus excessissent, reditum ad cœlos patere. His similia tradit *lib. de senectute*, vbi recitat cygneam Cyri cantionem ex Xenophontis Cyripædiâ *lib. 8.* Hanc ipsam animæ immortalitatem tuentur Ægyptij, apud *Herodotum lib. 2.* Druides, apud *Cæsarem lib. 6. comment.* Romani & Græci, apud *Ciceronem de amicit.* Hessæni, apud *Iosephum l. 2. de bello Iud. c. 7.* Perse & Macedones, apud *Xenophontem l. 8. Cyripædiæ*: Brachmanes, apud *Strabonem l. 15. geograph.* Samanæi, apud *Porphyrium lib. 4. de abstin. animalium*: Thraces, apud *Herodotum l. b. 5.* Arabes, apud *Auicennam 5. & 6. parte naturalium* & apud *Algazelem comment. in Phys.* Gothi, apud *Olaum Magnum lib. 1. hist. Goth. c. 3.* His adde philosophos, oratores, & poëtas, tum Græcos, tum Latinos, qui animæ immortalitatem asseruerunt. *De corporum excitatione* ista adnotasse sufficiat. *Phocylides* ita canit:

Terram impertire insepultis cadaueribus:
Nec tumulum mortuorum refodias, neque illos aspectabiles
Soli monstres, diuinamque iram accersas.
Inhonestum est, hominis compagem resoluere.
Nam mox è terrâ speramus in lucem prodituras
Defunctorum reliquias ——

Lucanus lib. 7. de bello ciuili hoc ipsum docet:

Communis mundo superest rogus, ossibus astra
Mixturus ——

De mundi resolutione Stoici & Epicurei statuerunt, illam fore per ignem. Sic enim *Lucretius 5. de nat. rerum* canit:

Principiò maria & terras cœlumque tuere,
Quorum naturam triplicem, tria corpora, Memmi.
Tres species tam dissimiles, tria talia texta
Vna dies dabit exitio, multosque per annos
Sustentata ruet moles, & machina mundi.

Lucanus lib. de bello ciuili ita canit:

Nil agis hâc irâ: tabésne hæc corpora soluat,
An rogus, haud refert. Placido natura receptat
Cuncta sinu, finemque sui sibi corpora debent.
Hos, Cæsar, populos si nunc non vsserit ignis,
Vret cum terris, vret cum gurgite ponti.

Eadem habet 1. *de bello ciuili.*

Etsi verò gentiles modum istius resolutionis ab Hebræis didicerunt: tamen rem ipsam, id est, machinam mundi posse ruere cognouerũt adminiculo luminis naturæ. quia nempe in hoc mundo est pugna materiæ & formæ, itemque qualitatum variarum. *De campis Elysiis & Tartaro* plurima occurrunt apud poëtas, imò & apud philosophos. Summa hæc est. Crediderunt viris bonis post mortem bene esse in campis Elysiis. Socrates in votis habuit per mortem, ceu ianuam, peruenire ea in loca, vbi possit frui conspectus & alloquio magnorum virorum. *Plato in Gorgia* sic ait: Lex & semper, & nunc etiam extat apud deos, vt quicunque homines iustè pieque vitam egissent, cùm è vitâ migrarent, ad beatorum insulas profecti in omni felicitate viuerent, à malis longè seiuncti: qui verò iniustè impieque vixissent, in punitionis, iustique supplicij carcerem, quem appellant tartarum, irent. *Diphilus comicus apud Clementem Alexandrum lib. 5. Stromatum* ait:

Καὶ γὰρ καθ' ᾅδην δύο τρίβους νομίζομεν,
Μίαν δικαίων, ἑτέραν δ' ἀσεβῶν εἶναι ὁδόν.

Etenim quantum ad locum post mortem, duas semitas statuimus,
Vnam iustorum, alteram verò impiorum esse terminum.

Rationes naturales, quibus hæc omnia demonstrantur, partim à naturâ animæ, partim à iustitiâ Dei petuntur. de quibus vide suprà *in Pneumaticis, & in Theologiâ naturali fusè à nobis antehac tractatâ.*

CAPVT IV.

De cultu Dei.

PRÆCEPTA.

Cultus Dei, lumine naturæ manifestus, est immediatus, vel mediatus. Ille in officiis pietatis erga Deum: hic in officiis humanitatis erga hominem.

Immediatus est, quo Deum veneramur.

Eius modus est in sinceritate; partes in pietate, fiducia, timore, precatione, & gratiarum actione.

Mediatus est, quo homines amamus & iuuamus propter Deum.

REGVLÆ.

I. *Lumine naturali demonstratur, Deum esse colendum, & quidem excellentissimo cultus genere.*

Nam si Deus est, & est summum bonum, vniuersæ naturæ causa effectrix, conseruatrix, & directrix, in hâc vitâ & post hanc vitam beans bonos, & affligens malos; vtique ipsius honori vniuersam naturam, inprimis rationalem, inseruire par est. Deinde, modum istius cultus mens nostra deducit & colligit, partim ex naturâ numinis, partim ex suâ ipsius indole. Nam quia videt numen esse spiritum optimum maximum, & se quoque ad similitudinem numinis esse spiritum; statuit naturaliter, numen illud religiosâ cum veneratione, & sanctitate sincerâ, spiritualiter colendum esse, suprà omnia, quæ vel sunt, vel cogitari possunt, adeóque suprà nos ipsos, amore perfecto & perpetuo amandum, timendum, inuocandum, celebrandum.

brandum. Hoc eſt, quod ait *Cicero 2. de nat. deorum :* Cultus deorum optimus eſt, idemque caſtiſſimus atque ſanctiſſimus, pleniſſimuſque pietatis, vt eos ſemper purâ, integrâ, & incorruptâ mente & voce veneremur.

II. *Deum honorandum eſſe pietate, fiduciâ, timore, precatione, & gratiarum actione, recta ratio docuit gentiles.*

De pietate loquuntur iſta ethnicorum teſtimonia. *Plat. in Epinomide :* Hic tibi propoſitus ſit finis, vt Dei cultu, & vitæ puritate optatum tandem exitum conſequare. *Idem 4. de legibus* monet, Deum nobis eſſe debere maximè μέτρον χρημάτων πάντων, id eſt, menſuram rerum omnium. *Cicero 1. offic.* Prima dijs immortalibus debemus officia. *Idem 1. de nat. deor.* Præſtans Dei natura hominum pietate colitur, cum & æterna ſit & beatiſſima. Notum eſt illud *Senecæ :* Primus deorum cultus eſt, deos credere : deinde reddere illis maieſtatem ſuam, reddere bonitatem, ſcite illos eſſe qui præſident, qui vniuerſa vi ſuâ temperant, qui humani generis tutelam gerunt. *De fiduciâ* ſunt hæc dicta. *Plutarchus contra Coloten:* Niſi talis animi motus notitiæ de dijs anteceptæ inſederit, quid nos partim vt vereamur, partim vt metuamus deos impellet? quid tandem relinquetur, quod beneuolentiâ deorum freti ſperemus, quo in proſperis rebus nitamur, quò in aduerſis ope numinis confugiamus. *Triſmegiſtus* : Vna, *inquit*, cuſtodia pietas. Pium enim virum non malus genius, non fatum ipſum deuincit. Deus enim ipſum liberat eripítque ex omni malo. Porrò *Deus colendus et timore.* Sic enim *Cicero 1. de nat. deorum:* Quis non timeat omnia prouidentem, & cogitantem, & animaduertentem, & omnia ad ſe pertinere putantem, curioſum & plenum negotij Deum? *Cyrus apud Xenophontem ſic alloquitur filios:* Pertimeſcite deos, ô filij, vt nihil impij, nihil nefarij vel committatis, vel deliberetis. *De precatione & gratiarum actione*, quâ Deus eſt colendus, innumera ſunt gentilium teſtimonia : è quibus vnum atque alterum delibabimus. *Epictetus :* Si Deum rectè inuocaueris, futurum eſt, vt per angelos, ipſo iubente, admonearis. *Idem :* Si quid mente valemus, quid nobis agendum, niſi vt Deum aſſiduè celebremus, ei hymnos & gratiarum actiones cantemus: dum terram vertimus aut fodimus, ſeu laboramus, ſeu requieſcimus? Quas autem? Magnus Deus, qui hæc inſtrumenta dedit. Magnus Deus, qui ipſas manus nobis largitus eſt. Magnus verò, qui dat, vt nec cogitantes creſcamus, & dormientes reſpiremus. Sunt enim hæc eiuſmodi, vt noſtræ induſtriæ adſcribi non poſſint. Hic omnium debet eſſe quotidianus hymnus. Et cur nos in Deo laudando tam ſegnes, in cuius celebratione tam diligentes aues illæ in aëre volantes? Si luſcinia eſſem, facerem quod luſcinia : ſi olor, oloris munus facerem. Cùm autem homo ſim, ratione præditus, quid faciam? Laudabo Deum, nec ceſſabo vnquam. *Socrates apud Xenophontem primo memorabilium :* Simpliciter precor DEVM, vt bona largiatur, quia is optimè ſcit, cuiuſmodi res ſint bonæ. *Xenophon in Hipparcho :* Primum petendum eſt à diis, vt illud tibi largiantur, vt ea ſentias, loquaris, & agas, quæ gratiſſima ipſis ſunt, tibi autem, amicis, & reip. minimè moleſta, ſumméque glorioſa ac vtilia aggrediaris. *Iſocrates in Plataicis :* Eiuſmodi preces, quæ nihil periculi coniunctum habent, ſed ſanctitatis & iuſtitiæ plurimum; maximâ gloriâ ornabunt eos, qui locum illis reliquerunt. *Iuuenalis ſatyr. 10.*

Orandum eſt, vt ſit mens ſana in corpore ſano.

Martialis lib. 10. epigram.

Et dominum mundi flectere vota valent.

Ouid. 1. de arte.

Flectitur iratus voce rogante Deus.

Vide etiam in hanc ſententiam, quæ recitauimus ex Galeno, *cap. præced. regul. 3. cis finem.*

III. *Deum colendum eſſe officiis erga homines, recta ratio docet.*

Nam iuſtitia erga homines eſt conſectarium religionis & pietatis naturalis. Hinc *Tullius 3. de finibus* ait : Impellimur naturâ, vt prodeſſe velimus quàm plurimis, inprimiſque docendo, rationibuſque prudentiæ tradendis. *Seneca lib. 4. de virt.* Quiſquis iuſtitiam purè ſectari deſideras, priùs DEVM time & ama, vt ameris à Deo. Amabis enim DEVM, ſi in hoc illum imitaberis, vt velis omnibus prodeſſe, nulli nocere. Et tunc te virum iuſtum appellabunt omnes, ſequentur, venerabuntur, diligent. Iuſtus enim vt ſis, non ſolùm non nocebis, ſed etiam nocentes prohibebis. *Idem in prouerb.* Ab alio expectes, quod alteri feceris. Præſtabis parentibus pietatem, cognatis dilectionem. Pacem cum hominibus habebis, bellum cum vitiis geres. Amicis fidem, omnibus æquitatem præſtabis. Neque ſolùm hoc docuerunt nobiliores ethnicorum, ſed etiam ipſo facto præſtiterunt. quomodo de Socrate refert *Xenophon in ipſius apologiâ* : ipſum ne de iuſtitiâ quidem ſententiam animi ſui occultaſſe, ſed etiam reipsâ declaraſſe, cùm priuatim ac publicè erga omnes ex legum præſcripto & vtiliter ſe gereret, ac magiſtratibus, in iis quæ lex mandat, adeo tum domi, tum militiæ paréret.

CAPVT V.

De Modo euoluendi librum naturæ.

PRÆCEPTA.

Atque ita lumen naturæ, id eſt, recta ratio, monſtrat cognitionem & cultum Dei : ſequitur vt oſtendamus, quomodo liber naturæ, id eſt, opera Dei, monſtrent iſta duo, cognitionem, inquam, & cultum Dei.

Liber naturæ conſideratur in genere, & in ſpecie.

In genere ſpectatur modus rectè vtendi hoc libro.

Modus ille conſiſtit in aſcenſione mentis ad Deum : vt nempe diſcamus, quomodo ſingulæ creaturæ nobis ſint magiſtræ ad cognitionem & cultum Dei.

REGVLÆ.

I. *Liber naturæ eſt magnus, vel paruus.*

Magnus, eſt mundus : paruus, eſt homo, qui appellatur paruus mundus, Græcè μικρόκοσμος. Duplex hic liber variis conſtat literis, tanquam notis hieroglyphicis maieſtatis Dei, & officii noſtri. Hinc Plato in Timæo rectè dixit : *Mundus eſt Dei Patris ad genus humanum epiſtola.* Et philoſophi gentiles, Chriſtianíque Dd. rectè monent, creaturas eſſe ſpecula, in quibus artem illius ſingularem intueamur, qui mundum condidit : eſſe ſuccenturiata argumenta & teſtificationes Dei ſapientiſſimi : eſſe profeſſores à Deo nobis præfectos : eſſe paginas libri naturæ : eſſe pediſſequas & virgines cubiculares, quæ Deo ſeruiunt, & nos ad dominum ſuum adducunt : eſſe miniſtras & apoſtolos Dei : eſſe vehicula & vias, quibus ad Deum perducimur : eſſe actores in ſcenâ mundi : eſſe doctores & tortores noſtros, &c. Huc pertinet illud *Eucherij epiſt. ad Valer.* Per iſtos etiam oculos (ita vocat creaturas) raptamur in opificis admirationem. Et iſtud *Fromondi 6. metereolog.* Vbique magnus & ſapientiſſimus opifex ſui poſuit admirationem, & retia tetendit, quibus nos ad ſe rapiat, & in cœlum. Liber naturæ duplex.

II. *Genuina lectio libri naturæ eſt aſcenſio mentis Deum, eáque theorica & practica.* Quomodo ſit legendum in libro naturæ?

Bernhardus (vt eſt in vitâ ipſius) inter amicos dicere ſolebat : Quidquid in Scripturis didicerit, maximè in ſyluis & agris, meditando & orando ſe accepiſſe; nulloſque ſe aliquando magiſtros habuiſſe, niſi quercus & fagos. Quibus verbis innuit, creaturas Dei nobis ſtruere gradum ad variarum rerum cognitionem, inprimis verò ad cognitionem & cultum Dei. Ibi eſt aſcenſio mentis in Deum theorica: hîc, practica. Vtramque indigitat apoſtolus *Rom. 1. v. 20. 21.* vbi docet, nos tum demum rectè vti creaturis, ſi ex rebus factis colligamus Dei inuiſibilia, æternam nempe ipſius potentiam & deitatem, & ipſum glorificemus. Conſiſtit ergo *theorica aſcenſio mentis in Deum* in eo, vt nobis firmiter imaginemus, cuilibet creaturæ velut inſculpta eſſe quatuor iſta axiomata, Deum eſſe, & eſſe ſapientem, omnipotentem, & bonum. *Aſcenſio practica* in eo vertitur, vt propter notas illas maieſtatis Dei, creaturis inſculptas, ipſum amemus, admiremur, & colamus iis virtutibus, quarum veſtigia vel exempla in creaturis obuia ſunt. quod quidem ſi facere omittamus, certò nobis malè ominemur, iuxta illud *Hugonis de S. Victore lib. 2. de arcâ cap. 3.* Omnis creatura tribus vocibus nobis loquitur. Prima vox eſt, Accipe beneficium : ſecunda, Redde officium : tertia, Fuge ſupplicium.

***

CAPVT VI.

De Libro naturæ magno.

PRÆCEPTA.

Liber naturæ in specie est magnus, vel paruus.

Liber naturæ magnus est macrocosmus, siue mundus : in quo attendere oportet ad proprietates ipsius, & partes.

Proprietates mundi sunt octo: videlicet: magnitudo mundi eximia, multitudo rerum infinita, perfectio mundi admiranda, pulchritudo eius inimitabilis, diuturna eiusdem duratio, varietas rerum in mundo existentium ineffabilis, efficacitas earundem incredibilis, & cognatio partium harmonica.

Partes mundi sunt septem, hoc ordine: Angeli, Corpora cœlestia, Elementa, Meteora, Mineralia, Vegetabilia, & Bestiæ.

REGVLÆ.

Proprietates mũdi quid nos doceant?

I. *Proprietates mundi, & rerum in ipso existentium, docent nos partim proprietates Dei, partim officium nostrum.*

Si quis enim proprietates mundi à nobis commemoratas mente non læuâ perpendat, necesse habet fateri, ὅλον δὲ πᾶν σοφοῦ τινος καὶ φιλοζώου δημιουργοῦ εἶναι τεχνικὸν καὶ θαυμαστὸν φύσεως Θεοῦ· καὶ ἱερὸν λόγον, ἀληθινόν τε ὕμνον τοῦ δημιουργήσαντος αὐτὸν· καὶ καλὸν ποίκιλμα τέχνου σοφοῦ· καὶ παιδευτήριον τῆς θεογνωσίας· καὶ ψυχῶν λογικῶν διδασκαλεῖον, ὑπὸ τῆς δημιουργικῆς ἀγαθότητος, σοφίας, καὶ δυνάμεως πεποιημένον. Id autem assequemur, si proprietates istas applicemus partibus mundi. quas ordine percurremus.

Angeli quid nos doceant?

II. *Angeli in genere, & in specie angeli boni nos docent, qualis Deus sit, & quales nos debeamus esse erga Deum: angeli mali docent, quales non debeamus esse.*

Principiò magna est excellentia naturæ angelicæ, posita in spirituali essentiâ, intellectus eminentiâ, & potentiæ prærogatiuâ. Hinc itaque colligimus, Deum esse spiritum omnisapientem & omnipotentem. *Deinde*, angeli boni testantur de bonitate Dei, & inuitant nos ad studium sanctitatis. *Denique*, angeli mali διὰ πασῶν, à Deo distant, eoque sunt infelicissimi. Nos itaque debemus operam dare, vt ipsis quam dissimillimi simus. Ita enim fiet, vt Deo magis ac magis fiamus similes, eoque simus beati. Quod attinet ad numerum angelorum, ille innumeris quasi legionibus est distinctus, & testatur de maiestate Dei, tanquam imperatoris.

Corpora cœlestia quid doceant?

III. *Corpora cœlestia nos erudiunt suâ quantitate, qualitate, & actione.*

Quantitas corporum cœlestium est continua, & discreta. Continua iterum est longitudo seu peripheria, latitudo seu superficies, & altitudo, eaque partim distantia à terrâ, partim capacitas. *Longitudo cœli stelliferi* est milliariũ Germ. 7568000. *Circulus diurnus solis* est milliarium Germ. 6540914. *Superficies plana cœli stelliferi* est milliarium Germ. 38828570000000. *superficies conuexa*, 155142800000000. *Distantia à terrâ* est milliarium Germ. 12040000. *capacitas* milliarium Germ. 3109391885600000000. *Sol* est maior terrâ centies sexagies sexies: quando est altissimus, distat à terrâ milliaribus Germanicis 1016520. mouetur singulis horis, milliaribus 172538. De reliquis corporibus cœlestibus vide supra in Vranometriâ. *Numerus stellarum*, nobis conspicuarum, est 1725. Hæc profecto talia sunt, vt hominem iure merito rapiant in admirationem architecti immensi, potentissimi, & sapientissimi. *Qualitates corporum cœlestium* id est, lux, pulchritudo, ordo, puritas, & similia, docent Deum esse essentiam puram, castam, beneficam ; & monent, nos quoque tales esse studeamus. *Actio corporum cœlestium* est in motu, vicissitudine temporis, illuminatione, calore, influentiâ, & similibus, quibus hæc inferiora reguntur, fouentur, iuuantur. Quæ quidem omnia testantur de primo motore, docentque ipsum esse beneficum, & sapientem, & potentem œconomum. Nobis insuper vellicant aurem, vt nostrum officium strenuè faciamus, & alios iuuemus. Pertinet huc *psalmus* 19. & illud poëtæ :

Qui negat esse Deum, cœli mox sidera spectet
Sidera qui spectat, non negat esse Deum.

IV. *Elementa nos instituunt suâ quantitate, qualitate, & actione, perinde vt corpora cœlestia.* Elem… quid … docea…

Ignis & aër constituunt vnum globum, qui proximè suâ quantitate accedit ad lunam, quæ minor est terrâ tricies nouies, & ab eâ distat 5000 milliaribus Germ. *Aqua & terra* similiter constituunt vnum globum, cuius circumferentia est milliarium Germ. 5400. area 2319545. profunditas 1718. soliditas 2656933936 Et hic globus pendet in aëre, tanquam pila vel sphæra, iuxta illud :

Terra pilæ similis, nullo fulcimine nixa,
Aëre sublimi tam graue pendet onus.

Hæc profectò sunt eiusmodi, vt mentem ducant ad architectum, qui talia effecerit, eundemque & œconomum, qui eadem gubernet. *Qualitates & actiones elementorum* breuiter ita habent. *Ignis* lucet, fouet, innumerasque habet vtilitates in culinâ & officinis variis. *Aër* est subtilis, agitabilis, pabulum ignis, corporum nostrorum balsamum respirationis promotor. *Aqua* lauat, abstergit, sitim sedat, fontes perennes suppeditat, in mari est altior quàm terra, neque tamen è loco suo cadit, *Ierem.* 5. *v.* 21.22.23. Denique *terra* est penu, cella, pharmacopolium, nutrix, mater, mensa, viuarium, vnde plantæ, lapides, & omnis generis mineralia prodeunt. Eadem innumeris prouinciis distincta est ; sed comparatione cœli minor est quàm punctum. Fundata est super aquas, *Psal.* 24. *v.* 1.2. Hinc itaque discamus bonitatem, sapientiam, & potentiam Dei, atque insuper conemur imitari elementa, quæ plena sunt omnis generis vtilitatibus, ne simus vel inutiles, vel noxij reipublicæ.

V. *Meteora nos erudiunt suâ varietate, pulchritudine, vtilitate, & noxâ.* Met… quid … doce…

Merito itaque appellantur voces & faces Dei è cœlo concionantis, oracula eiusdem, & specula clementiæ vel iræ Dei, atque vtriusque instrumenta. Nimirum Deus creat *fulgetrum*, tanquam anteambulonem maiestatis suæ, *Psal.* 18. 13. & 50. 3. Idem edit vocem suam fortissimam, *tonitru*, vt appellatur *Psal.* 29. Ipse *cometas* accendit in aëre, tanquam candelas mole suâ vastissimos montes excedentes. Ille producit *ventum* è thesauris suis, *Psal.* 135. *v.* 6.7. Ille creat *terræmotum*, quo terra concutitur & concutit, *Psal.* 18.8. Ille ligat aquas in *nubibus*, easque in aëre suspendit, tanquam mare vastum, quod quotidie imminet ceruicibus nostris, *Iob.* 26. *v.* 8.9. *c.* 37. *v.* 15. *Psal.* 104. *v.* 3. Idem facit stillare *nubes*, vt fœcundent terram, *Iob.* 36. *v.* 27. 28. Edicit *niui & pluuiæ*, vt decidant in terram, *Iob.* 37. *v.* 5. *c.* 38. *v.* 28. Gignit guttas *roris*, quo terra mirum dictu quam fœcundetur & velut exhilaretur, *Iob.* 38. *v.* 28. Deiicit *grandinem* è cœlo, *Iob.* 38. *v.* 22.23 Ille denique aërem, tanquam palatium, pingit & ornat variis coloribus & figuris, putà *iride, parelijs, paraselene, halone*, &c. & his signis admonet de variis rebus. Quæ omnia si adspicimus oculo hominis, non verò vituli, qui nouam portam adspicit, fallor, si non erumpimus in hæc verba:

Qui meteora videt liquido radiantia cœlo,
Hic videt æterni facta stupenda Dei.

VI. *Mineralia, siue fossilia, nos instituunt eodem modo, vt meteora.* Fos… qui… doc…

Nam & hîc videre est magnam *varietatem* in lapidibus vulgaribus & pretiosis, in terris simplicibus & compositis, vt sunt terra Samia, Cretica, Armenica, Lemnia, terra fullonum & pictorum, &c. in succis concretis, vt sunt sal, nitrum, alumen, sulphur, &c. in metallis, & denique in fossilibus mixtis & compositis. Deinde *pulchritudo* gemmarum, auri, & argenti est eximia Denique *vtilitas* salis, sulphuris, terrarum medicatarum, lapidum, metallorum; & rursus eorundem *noxa* est multifaria. Nostras itaque partes decet, his talibus vti tanquam speculis bonitatis & seueritatis Dei, & imaginibus virtutum & vitiorum, vt illis quidem studeamus, his verò valedicamus, adeóq; creatorem exhilaremus.

VII. *Vegetabilia, seu plantæ, id est, herbæ, frutices, suffrutices, & arbores, sunt commonitoria sapientiæ, bonitatis, & seueritatis Dei, nostrique officij, si perpendamus ipsorum varietatem, qualitates, & virtutes.* Pla… qui… doc…

Varietas plantarum est tanta, vt sex mille species seu differentiæ numerentur : vt est in *Pinace Bauhinij*. Hæ verò species

ores distinguuntur *qualitatibus*, id est, odoribus, coloribus, & saporibus, adeoque pulcherrimum exhibent viridarium. *Virtutibus* quoque innumeris pollent, quibus corpora nostra nutriuntur, vestiuntur, ornantur, sanantur, vel corrumpuntur Meritò itaque exclamat poëta Christianus:

Aut mihi planta suis numen demonstrat in hortis,
Præsentemque refert qualibet herba Deum.
Aut operis series authorem tota recenset,
Qui facit, & læto cuncta vigore fouet.
Emicat ex ipsis diuina potentia terris,
Et leuis est cespes, qui docet esse Deum.

Agite itaque, ingrediamur in hoc viridarium perenne, & sapientiam Dei contẽplemur & admiremur in varietate plantarum; potentiam in vigore, & virore, & virtute ipsarum; bonitatem in vtilitate; seueritatem in damno, quod nobis adferre possunt. Sed & varietatem donorum, id est, virtutum, inter homines, hinc discamus, & ita nostram vitam instituamus, vt simus plantæ vegetæ ac vtiles publicè ac priuatim, non verò noxiæ, aut zizania.

VIII. *Bestiæ nos instituunt varietate specierum, multitudine partium corporis, magnitudine vel paruitate molis, elegantiâ & concinnitate corporis, vtilitate & noxâ multimodâ.*

Interrogemus itaque iumenta, volucres cœli, & pisces maris, vt nos instituant, *Iob.* 12. v. 7. 8. Interrogemus, inquam, aues aëris, pisces aquæ, bestias terræ: consulamus serpentes, insecta, zoophyta, & amphibia: vt his magistris perducamur ad cognitionem, admirationem, amorem, & honorem opificis & patrisfamiliâs, qui creauit illa, suoque spiritu conseruat, fouet, recreat, *Psal.* 104. Incipiamus ab *auibus*. Referri possunt illæ ad viginti auiaria, quadringentis & viginti caueis distincta: vt videre est apud *Vlyssem Aldrouandum*. Tot auium figuras, carnes, plumas, voces, membra, ingenia, si quis vel obiter inspiciat, non potest non rapi in opificis admirationem, & simul ex ipsis capere virtutum & vitiorum effigies. *Figuræ* ipsarum sunt variæ & concinnæ: *carnes* ferè suaues & facilis digestionis: *pennæ* varietate colorum insignes: *vox* harmonica: *membra* pulcherrimè disposita, & decentem quantitatem in singulis efficientia: *ingenium* mite, ferum, crudele, &c. Quid hîc dicam de *ortu*? Prodeunt aues ex ouo: quæ res admiratione est dignissima. Videamus *pisces*, qui natant in aquis, vt aues in aëre volant. Ipsorum varietas, fœcunditas, & magnitudo, si paulò exactiùs consideraretur, cæteris animalibus antestant. Non enim est riuus, fluuius, lacus, stagnum, vel mare, vbi non singulares & peculiares inueniantur pisces. Fœcunditas hîc est tanta, vt omnem fidem superet. Quadrupedes pleræque vnum fœtum, duos, tres, & rarò decem vel ampliùs; aues vltra denarium similiter non parere solent. At in vno pisciculo inueniuntur sæpe chiliades, vel etiam myriades ouorum, è quibus singulis singuli vel pisciculi vel pisces maiores nascuntur. Insectorum species multæ sunt, indiuidua plurima. Sed aquatilium numero excedunt: quippe quæ aquas vniuersas, & marium abyssos multitudine suâ incomprehensibili toto anno, replent. Si aquatilium magnitudinem spectemus, balænæ ac cete superãt elephantum: imò pars ceti, purà caput, maximum animal terrestre sæpenumero excedit. Nec minor est aquatilium vsus, quàm aliorum animalium. Sunt enim populi, qui meris piscibus vescuntur. Et nos in deliciis habemus varia piscium genera. Purpuræ succo tinguntur vestes: margaritis vtimur ad ornatum: ossa piscium ad varios vsus adhibentur: denique varia medicamenta ex piscibus parantur. Discamus etiam aliquid ex *quadrupedibus* animantibus. Illæ nutriunt nos carne ac lacte: vestiunt nos pellibus suis: mouent nos è loco in locum: conuehunt res necessarias ad structuram domus, ad focum, ad culinam, ad mensam: adeoque nobis in memoriam reuocant bonitatem Dei. Magnitudine & multitudine suâ sapientiam & potentiam creatoris ob oculos ponunt. Variarum quoque virtutum & vitiorum exempla suppeditant. Quid verò discemus à *serpentibus*? Miram Dei bonitatem. Hic enim quartus animalium exercitus non est ita numerosus vti tres præcedentes. Nam quantò serpentes generi humano nocentiores futuri erant, tantò pauciores ab optimo creatore sunt producti. Prosunt quidem etiam serpentes: sed admodum pauci. Adoremus itaque hîc iudicia Dei, quorum administri sunt serpentes. Discamus ab ipsis prudentiam: sed fugiamus cane peius & angue venenosam peccati dulcedinem. Quinta bestiarum schola superest nobis frequentanda: vbi *insecta* nos instituunt. Vltimum illa tenent locum inter bestias: sed corporis structurâ, & ingenij motûque subtilitate ferè vincunt. Nam in corpusculis ipsorum est admirandus omnium sensuum & motuum vigor, qui in apibus & formicis est inprimis conspicuus. Magnum volumen de bombycibus scribi posset. Mirabilis est lux cicindelarum, & adhuc mirabilior cocoiorum. Multa ex insectis pennata sunt, & celerrimè volando aues superant. Quædam etiam saltibus suis quadrupedes facilè superant. Nonnulla natant, & quidem agiliùs, quàm pisces, licet pinnis careant. Serpunt alia longè velociùs, quàm serpentes. Quin aculeis suis magnos hominum exercitus probè armatos dispersisse leguntur. Denique myriades insectorum occurrunt: ne quis ea a reliquis animantibus, vt magnitudine, ita quoque multitudine superari putet. Porrò *amphibia & zoophyta*, vt rana, cancer, pediculus marinus, agnus castus, &c. inprimis ebuccinant sapientiam & potentiam creatoris. Eant nunc Epicurei, & nullum Deum esse vociferentur.

CAPVT VII.

De libro naturæ paruo.

PRÆCEPTA.

Paruus liber naturæ est homo; in quo spectatur natura vti est animal rationale; & status, vti est animal sociale.

Natura hominis cernitur in partibus, proprietatibus, & actionibus essentialibus.

Partes essentiales sunt corpus & anima.

Status est œconomicus, scholasticus, politicus, & hieraticus.

REGVLÆ.

I. *Corpus hominis generatione sui admirandâ, perfectione suâ incredibili, & membrorum suorum multitudine, figurâ, concinnitate, atque vsu, plurimum nos iuuat in scholâ naturæ.* Corpus hominis quid nos doceat?

Generatio hominis merito appellatur miraculum. quâ de re audiamus Iobum cap. 10. v. 9. 10. 11. *Recordare quæso*, inquit, *quòd sicut argillam fecisti me. Nonne sicut lac fudisti me? Et tanquam caseum coagulasti me? Cute & carne induisti me? Ossibusque & neruis texisti me?* Pertinent huc versus de formatione fœtus:

Sex in lacte dies; ter sunt in sanguine terni:
Bis seni carnem; ter seni membra figurant.

Mirabilis itaque est formatio fœtus humani. Sed non minùs mirabilis est ipsius nutritio in vtero, & eductio ex vtero, recensque nati lactatio, in quâ id est singulariter obseruandum, quòd mulier lactans intra annum præbeat infanti lactenti mille, & ampliùs libras lactis. Fac enim infantem quotidiè sugere tantùm tres libras. Conficies summam 1095. librarum, quod Germani dicerent, ein fuder milch. Ferreus sit profectò, quem hæc talia non rapiant in admirationem creatoris optimi maximi. Sed & mirabilis est *perfectio* corporis humani formati, & in lucem editi. Reperiuntur enim in eo omnes *quantitatis differentiæ*, longitudo, latitudo, & profunditas: præcipua *figurarum genera*, triangula, rotunda, solida, concaua, conuexa: *proportio* adeo exacta, vt illa pictoribus & architectis sit veluti norma: *qualitates* sensiles & insensiles, nempe lux in oculis, frigus in partibus spermaticis, calor in sanguineis, humor in vasis, carne, & ossibus; siccitas in pilis & ossibus, subtilitas & leuitas in spiritibus, grauitas in toto corpore, raritas in pulmone, crassities in iecore, densitas in arteriis, læuitas in intestinis, mollities in ventre, lubricitas in linguâ, lentor in pituitâ, asperitas in asperâ arteriâ, durities in ossibus; sapor dulcis in sanguine & carnibus, amarus in bile, acidus in melancholiâ, salsus in sero, pinguis in adipe ac medullâ; color candidus in lacte, albus in partibus spermaticis, rubicundus in sanguineis, purpureus in sanguine, ater in liene, viridis in felle; odor gratus & ingratus: omnia genera *motus*, generatio & corruptio, accretio & diminutio, alteratio, motus localis sursum, deorsum, dextrorsum, sinistrorsum, antrorsum, retrorsum: *quies* varia: *continuitas & contiguitas* in membris: *sympathia & antipathia* inter membra: *stellæ fixæ & erraticæ*, quantum ad oculos, cor, cerebrum, &c. *ignis*, partim fouens, partim consumens multa ciborum plaustra, ac potuum cados, in vno etiam homine: *aer* in pulmonibus: *aqua* in oculis, vesicâ, venis, arteriis: *terra* in carne, ossibus: *mineralia*, vt sal, sulphur & mercurius, lapides vesicæ & renum, metalla analogicè considerata: *plantæ* vita, nutritio, auctio: *bestiæ* vita, incessus, comestio, calliditas, stupiditas, &c. *plantarum & bestiarum morbi*, varij quidem illi & horribiles. *Multitudo membrorum* sequitur: quam paucis ita delineamus ex *Indice anatomico Zachariæ Rosenbachij*, collegæ & affinis nostri;

noſtri ; quem laborem Lexico noſtro philoſophico inſertum vide. Partes corporis humani ſimilares ſunt 1180. hoc modo: vngues 20. membranæ 30 cartilagines 40. ligamenta 40. arteriæ 50. venæ 60. nerui 80. glandulæ meſenterij 70. & mamillarum muliebrium 90. muſculi 400. oſſa 300. Quòd ſi oſſium appendices, proceſſus vertebrarum, annuli cartilaginei aſperæ arteriæ, centum articuli in artubus & dorſo, ramuli venarum meſaraicarum, ſurculi venæ arterioſæ & arteriæ venoſæ, tendines (quorum plus minùs ducenti ſunt in manibus & pedibus) quadringentæ membranæ quadringentis muſculis additæ, fibrarum muſculoſarum villi ſeu fibræ centies mille, viſcerum fibræ infinitæ; hæc, inquam, ſi numerentur, partes ſimilares corporis humani plures erunt quàm cœli ſtellæ, plantæ terræ, & beſtiæ aëris, aquæ, & terræ : præſertim ſi addantur partes diſſimilares. quæ tametſi longè ſint pauciores, magnum tamen & ipſæ numerum efficiunt. v. gr. in manibus & pedibus ſunt digiti viginti, quindecim viſcera ſunt in ventre infimo, ſenſuum organa ſunt octo, &c. Hæc & ſimilia, qui profundiùs ad animum reuocat, nullum eſt dubium, quin cum pſalte ita moduletur : *Gratias ago tibi, Domine, quòd ſuſpiciendus modus, mirabiliter creatus ſum : mirabilia ſunt opera tua : & anima mea nouit hoc valde. Non ſunt occultata oſſa mea à te, cùm factus ſum in abdito; cùm artificioſè confectus ſum in imis locis terræ. Embryonem meum videbant oculi tui, & in libro tuo hæc omnia ſcribebantur, diebus quibus formabantur : imò cùm nondum vllum ex eis extaret.* Pſal 139 v. 14 15. 16. Quod attinet ad variorum iſtorum membrorum ſitum, qualitates, officia, & ſimilia, de illis conſule libros Anatomicorum : vtque illa ad praxin transferas, adi *Ciceronem lib. 2. de nat. deorum.* & ſequens *carmen Strigelij* perpende:

Iam vocat ad pulchros nos fabrica corporis artus,
Quæ mirâ authorem monſtrat in arte Deum.
Nam velut æquali diſpenſans fœdere mundum,
Non aliquid temerè condidit author opus.
Corporis humani poſitas ſic ordine partes,
Iuſtitiæ voluit ſigna referre ſuæ
Alta Dei ſedes ſpatioſi machina cœli,
Præſentis ſeriem numinis intus habet.
Aureus in medio ſol aſtra ſequentia ducens,
Prolificâ rerum ſemina luce fouet.
Ima ſed errantum mater fœcunda vaporum,
Subiecto tellus aëre fulta iacet.
Inde niues abeunt, & ros, & ventus, & imber,
Vt reditu foueant cuncta iuuentque ſuo.
Omnia mens intus latè diuina gubernat,
Et ſapiens curâ firmat, & arte iuuat.
Sic etiam humano diuerſa in corpore membra,
Vnanimi ſtruxit fœdere cuncta Deus.
Namque is in extremas à puncto corporis oras
Effigiem cœli circulus arctus habet.
Totius arx cerebrum eſt, rorante ſalubre vapore,
Motibus & teneris ſenſibus vnde via eſt,
Cor tenet in medio vitalis regna caloris,
Et cerebro officium dulce iuuante facit.
Inde abiens tenero exhalans è ſanguine flamma,
Singula viuifico membra calore fouet.
Quæ ſimulac cerebri radios transfudit in arcem,
Lucida cœleſti redditur aura notâ.
Hæc agita vigiles cerebri per nubila ſenſus,
Actibus & neruis percita membra mouet.
At ſimilis terræ, denſis creberrima fumis,
Abdita ſub rigno ventre culina iacet.
Huius opus, molles iecoris per viſcera ſuccos
Fundere, & aſſiduo membra fouere cibo.
Cætera quid memorem? Vigiles ſub fronte miniſtri,
Excubias, oculi, lumen ad arcis agunt.
Libera compoſitum defendunt brachia corpus,
Congruit & variis artibus apta manus.
Hæc mens proſpiciens, mentiſque miniſtra voluntas,
Omnia conſilium, quo moderetur, habent.
Heu miſeros, mundum quicunque coiſſe putarunt
Materia ex atomis triſte fluentis opus.
Ite procul caſus, dubiæque abſcedite ſortes,
Præſentem hæc monſtrat dulcis imago Deum.

Anima hominis quid doceat

II. *Anima hominis nos inſtituit in ſcholâ naturæ, dum eſſentiam ſuam ſpiritualem, vnionem cum corpore, facultates, atque actiones ſuas nobis exhibet.*

Eſſentia eius ſpiritualis docet Deum eſſe ſpiritum. *Vnio eiuſdem cum corpore* planè admirabilis eſt, & oſtendit hoc non eſſe opus alicuius creaturæ. Eadem eſt imago omnipræſentiæ, & prouidentiæ Dei. Sicut enim anima tota eſt in toto corpore, & tota in ſingulis partibus, ita tempe, vt regat vniuerſum corpus: ſic Deus eſt in toto mundo, & ſingulis eius partibus, cunctaque regit ſapientiſſimè & potentiſſimè. *Intellectus animæ* docet, Deum eſſe mentem æternam, quæ vno actu & ictu omnia intelligit. *Voluntas animæ* oſtendit, Deum eſſe cauſam & fontem omnis boni. *De actionibus animæ* vide regul. ſeq. & hæc, quæ iam dicam, non oſcitanter perpende. Anima noſtra eſt Dei ſigillum, ſpeculum nitidiſſimum, particula diuinæ auræ, ac deus quodammodo corporis ; paruus ſcilicet Deus in mundo paruo, vt ille magnus eſt Deus in mundo illo magno. Non videtur anima, & videt atque perſpicit tam quæ in homine, quam quæ extra hominem ſunt omnia. Naturam omnium rerum, ſcientiis atque artibus tanquam directis & certis itineribus peruagatur, per cœlum, terras, & maria incredibili celeritate diſcurrit. Procreat varias ſpecies intelligibiles: procreat ſermonem: infinita opera in corpore & extra corpus edit. Quæ certè arguunt diuinam ipſius originem, adeoque ad Deum voluti manu ducunt.

Pro... tat... act... ho... qui... cea

III. *Proprietates & actiones hominis teſtantur de ſapientiâ Dei πολυποικίλῳ, & omnipotentiâ incomprehenſibili.*

Proprietates hominis ſunt docilitas, conſcientia, facultas cogitandi, iudicandi, ratiocinandi, inueniendi, diſponendi, eligendi, repudiandi, ſuſpendendi, exequendi, loquendi, flendi, ridendi, numerandi, ponderandi, ſcribendi, pingendi, ſculpendi, canendi, &c. pro numero *actionum*, quarum ſunt centies millies millena millia. quod ita patet. *Theodorus Zwingerus* edidit theatrum vitæ humanæ, quod conſtat libris centum & nouendecim. Haud dubiè verò in quolibet libro centum minimùm variarum actionum humanarum exempla propoſita ſunt: in quibuſdam etiam mille, & bis mille. Quòd ſi iam libri 119. multiplicentur per 100 exempla, producunt actionum humanarum vndecim millia, & nongentas. Quibus ſi addantur trecenta exempla œconomica nondum edita, prodibunt actiones hominis duodecies mille & ducentæ. Itaque chiliadi membrorum hominis (de quâ paulò antè *regul. 1.*) eleganter reſpondet myrias actionum humanarum. Myrias, inquam, numero rotundo. ſuperatur enim myrias bis mille & ducentis actionibus. Hic tantus numerus docet, Deum ſpiritum opt. max. eſſe omnium actuoſiſſimum, plenum ſapientiæ & potentiæ. Nam actiones illæ hominis proficiſcuntur ab animâ, quæ eſt ſpiritus ; & proinde docent euidentiſſimè, quò quid magis ad ſpirituum naturam accedit, eò eſſe potentius, vt in ventis apparet. Hinc colligimus, angelos, vtpote ſpiritus à corpore prorſus liberos, eſſe actuoſiores animâ humanâ, Deum verò, qui maximè ſpiritus eſt, putà immenſus, & pater ſpirituum, eſſe omnium actuoſiſſimum: vt nihil mirum ſit, ab illo eſſe, moueri, & conſeruari omnia in cœlo & in terrâ, in mundo & in Eccleſiâ.

S... t... n... n... c...

IV. *Status vitæ humanæ ſuppeditant nobis, in ſcholâ naturæ verſantibus, documenta generalia & ſpecialia.*


In genere ordo egregius, qui obſeruatur in hiſce ſtatibus, duratio ipſorum continua inde ab exordio mundi vſque ad ipſius finem, viciſſitudo in ipſis multiplex, officia perſonarum in ipſis, & ſimilia, ſunt illuſtria monumenta ſapientiæ, bonitatis, potentiæ, & prouidentiæ Dei. *In ſpecie ordo œconomicus* ob oculos nobis ponit mirabiles coniunctiones perſonarum, & amicam ipſarum cohabitationem, parentum & liberorum στοργὴν; officia parentum, liberorum, herorum, ſeruorum; modos acquirendi infinitos, &c. ex quibus non obſcurè colligimus eſſe Deum, qui ſit pater & dominus omnium, & cui debeamus probare amorem & honorem *Status ſcholaſticus* clarè oſtendit eſſe mentem architectam illius luminis, quod eſt in mente hominis, qui tot artes inuenit, docet, diſcit: vt meritò dixerit Plato, gratiſſimam de Deo famam in artibus eſſe ſparſam. Nam omnes artes ad vnam teſtantur Deum eſſe, & eſſe plenum ſapientiæ, potentiæ, ac bonitatis. e. gr. *metaphyſica* docet dari ſummum ens, quod ſit ſummè vnum, verum, bonum, pulchrum, intelligibile, amabile, &c. *pneumatica*, à contemplatione ſpiritus finiti aſſurgit ad contemplationem ſpiritus infiniti : *phyſica* motum ſecundum & omnia mobilia refert ad primum motorem, &c. Porrò *ſtatus politicus* docet, leges & iura ciuilia, præmia & pœnas obedientiam populorum, functiones politicas, & id genus alia non potuiſſe aut poſſe condi, decerni, ſanciri, vigere, niſi ſit ſummus monarcha, qui hæc omnia regat. Ad extremum *ſtatus hieraticus* ob oculos nobis ponit vehementem illam zelotypiam, quâ gentes ægerrimè ferunt cultum illum numinis, quem inuiolatum maximè cupiunt, derideri, aboleri, aut tolli. v. gr. templa, lucos, hecatombas, chiliombas, ſuffitus, dies feſtos, luſtrationes, pontifices maximos, ſacerdotes, augures, vates, altaria, vaſa ſacra, cereos ſacros, veſtes ſacras, & alia ſexcenta. Vnde amabo, eſt hic zelus, niſi ex eo, quòd omnes certatim dimicant pro hâc communi notitiâ, *Deus eſt, & quia eſt, colendus eſt.*

PERO


PERORATIO THEOLOGIÆ NATVRALIS.

HI sunt fines, hæc pomœria theologiæ naturalis; in quâ lumen naturæ est basis, & liber naturæ est scala octo gradibus constans, qui sunt angeli, corpora cœlestia, elementa, meteora, mineralia, vegetabilia, bestiæ, homo. Nostri itaque muneris est, per hanc scalam quotidie ascendere ad Deum, & quidem eo, quo proposuimus ordine; vel isto, quem *Bellarminus* habet in egregio libello, qui inscribitur Ascensio mentis in Deum. Orditur ille ab homine, & inde progreditur ad mundum, terram, aquam, aërem, ignem, & cœlum, tandemque subsistit in animâ & angelo. vnde scala ascensionis in Deum ipsi constat nouem gradibus: quem numerum & nos efficiemus, si proprietates mundi adnumeremus.

SCIAGRAPHIA THEOLOGIÆ NATVRALIS.



FINIS THEOLOGIÆ NATVRALIS.



SECVNDA SECTIO THEOLOGIÆ

In quâ traditur

THEOLOGIA CATECHETICA.

CAPVT I.

De Summo hominis bono.

PRÆCEPTA.

THEOLOGIA catechetica est compendium religionis Christianæ in quinque capitibus ab ecclesiâ catholicâ N.T. receptis.

Eius partes duæ sunt: prima, de summo hominis bono, altera de modo perueniendi ad illud bonum.

Summum hominis bonum est amicitia hominis cum Deo, id est, vnio & communio cum sacrosanctâ Trinitate, Deo, inquam, Patre, Filio, & Spiritu sancto.

Huius boni consideratur fundamentum, & plenitudo.

Fundamentum eius est fœdus gratiæ in Iesu Christo, mediatore inter Deum & homines.

Plenitudo est in eo, quòd vt Deus est summum bonum in se, ita ipsius fruitio est summum bonum in nobis.

REGVLÆ.

I. *Catechismus est epitome Bibliorum: vnde capita Catechetica dicuntur vsitatè parua Biblia.*

Catechismus hoc loco est compendium religionis Christianæ, quod viuâ voce traditur. Nam κατήχησις est institutio, propriè illa, quâ traduntur elementa seu principia artis, voce præceptoris circumsonante aures discipuli. *Gal.* 6.6 Itaque non leuis putari debet, aut puerilis hæc institutio: quia principia artis sunt tota ars. Proinde principia theologiæ, quorū epitome est catechismus, id debent esse Christianis, tum nouitiolis, vt appellat Tertullianus, tum adultis, quod mathematicis sunt elementa Euclidis. Sicut enim mathematici omnem suam demonstrationem fundant super istis elementis: ita Christiani omnes suas disputationes & actiones referre debent ad capita Catechetica. Nam siue velint docere verum, siue refutare falsum, siue instituere in bono, siue corrigere malum, siue denique erigere animum infirmum, id omne poterunt præstare beneficio capitum Catecheticorum: quia vniuersæ Scripturæ pomœria, vel potiùs latifundia, his terminis continentur.

II. *Catechismi ætates & periodi tres sunt.* Catechismi origo & progressus.

Prima est sub Adamo & patriarchis, vsque ad Abrahamum. quo tempore Catechismi summa erat in breuiario illo euangelij, de semine mulieris, *Gen.* 3. *Secunda* ætas est sub Abrahamo & Mose, vsque ad Christum. quo tempore accesserunt sacramentum circumcisionis & paschæ, & promulgatio decalogi. *Tertia* ætas est in N. T. vbi sublatis veteribus sacramentis Christus instituit baptismum & alia Sacramenta & summa fidei redacta fuit in formula, quæ dicitur symbolum apostolorum. Rursus Catechismus N. T. tres habet periodos. *Prima* est in primitiuâ Ecclesiâ: vbi catechumeni & catechistæ, vsque ad annum Christi 600. fontes puros retinuerunt. *Secunda* ætas est inde vsque ad an. 1520. *Tertia* ætas est quasi παλιγγενεσία Catechismi.

III. *Catechismus N. T. habet authoritatem mixtam, id est, partim diuinam, partim ecclesiasticam.* Authoritas Catechismi.

Nam quod attinet ad symbolum apostolicum, id non habet parem authoritatem cum decalogo, oratione Domini, institutione baptismi & Eucharistiæ, &c. quia non est pars Scripturæ sacræ, vt quatuor ista capita quæ in Scripturâ continentur quantum ad verba, res, & dispositionem.

IV. *Catechetica institutio multis nominibus est necessaria.* Necessitas Catechismi.

Nam *principiò* ea est necessitas Catechismi tradendi in ecclesiâ scholis inferioribus, quæ est professionis locorum communium in scholis superioribus. *Deinde*, catechetica institutio est

est fundamentum ædificationis ecclesiasticæ. *Tertiò*, hæc est ὑποτύπωσις ὑγιαινόντων λόγων, i. e. forma sanorum verborum. *Quartò*, hâc ratione omnes præparantur ad conciones intelligenter & fructuosè audiendas. *Quintò*, cathecumeni de controuersiis religionis paulatim iudicare discunt. *Sextò*, hæc consuetudo docendi vnà cum doctrinæ puritate disciplinæ quoque formam restituit & seruat. *Septimò*, ipsi doctores theologi in scholis & ecclesiis habent subsidium memoriæ, & normam iudicij. *Postremò*, capitum Catheticorum vsus est longè amplissimus & suauissimus in quinque illis docendi generibus: putà in genere didascalico, elenctico, pædeutico, epanorthotico, & paracletico.

Modus tradendæ Catechesis.

V. *Modus tradendi Catechesin debet esse triplex: domesticus, scholasticus, & ecclesiasticus.*

Modus docendi domesticus vertitur in capitum seu textuum Catecheticorum inculcatione, liberorum ad conciones & examina Catechetica adductione, & concionum atque examinum istorum repetitione. *Modus scholasticus* in eo est positus, vt tres Catechumenorum classes constituantur, infima, media, & suprema. *In infimâ classe* proponentur nuda capita Catechetica. *in mediâ* exponentur ista capita compendiosis quæstionibus: *in supremâ* tradetur plenum Catechismi systema. *Ecclesiasticus catechizandi modus & vsus* erit ratione iuniorum & adultorum. Quantum ad *iuniores*, 1. conciones Catecheticæ habentor. 2. post concionem examen instituitor. 3. qui ex Catechumenis ad S. cœnam admitti petunt, totam Catechesin interrogantor. Quod attinet *adultiores*, si res ita postulet, cum iis instituetur colloquium Catecheticum, si matrimonium meditentur, aut infantem baptizandum offerant, aut ad baptismum spondeant pro infantibus, aut etiam aliàs, si rudiores esse deprehendantur.

Neruus institutionis catecheticæ.

VI. *Neruus ad Catechizandi modum est quadruplex.*

Est inquam 1. authoritas magistratus 2. paterna & blanda pastorum exhortatio 3. exemplum ab ipsis magistratibus, pastoribus, senioribus, præceptoribus, parentibus, liberis, & famulitio. 4. censura ecclesiastica.

Praxis Catechismi.

VII. *Praxis Catechismi cernitur in hisce tribus.*

Primò Catechesis quotidiè est repetenda, inprimis manè & vesperi: in omnibus item concionibus est vrgenda. *Deinde*, analogia fidei & charitatis petenda est ex his capitibus, vt ita sint regula fidei, vitæ, & vocationis. *Denique*, Iesus Christus quotidiè nobis obuersetur ob oculos tanquam speculum Catechismi perfectissimum & politissimum. Ille siquidem est speculum fidei, idea virtutum, speculum precationis, & denique sacramentorum author & vsurpator.

Summum hominis bonum ostēditur καὶ ἄρσιν καὶ θέσιν.

VIII. *Summum hominis bonum non consistit in rebus caducis, sed in eiusmodi re, quæ appetitum satiat in æternum: cuiusmodi bonum est amicitia nostra cum Deo.*

Theologia Catechetica est compendium theologiæ. Itaque sicut vniuersa theologia sibi habet propositam viam perueniendi ad summum bonum, ita & particula ista, quam hoc loco meditamur. Dispiciamus itaque quodnam sit illud summum bonum, in quo possit homo acquiescere, & vltra quod neque velit, neque possit tendere. Id enim sibi vult ipsa vox & phrasis, videlicet bonum summum seu vltimum. Summum non est quærendum in infimo, & supra illud non datur aliud. Vltimum non est, quod habet aliquid vltra se. Itaque cùm Deus sit summum & vltimum ens erit quoque summum & vltimum bonum, tum in se, tum in nobis, quatenùs nempe cum illo habemus communionem Hoc, inquam, est summum nostrum bonum, adeóque bonum hæreditarium, quod in hâc vitâ inchoatur, & post hanc vitam consummatur. *Gen.* 15. *v.* 1. Ne timeas, Abram: Ego clypeus sum tibi, merces tua ampla valde. *Gen.* 17. 7. Stabiliq fœdus meum inter me & te, ac semen tuum post te per ætates suas, vt sit fœdus perpetuum, me esse tibi Deum, & semini tuo post te. Atque hæc est causa, quòd in Scripturis V. T. toties iteratur ista formula, quòd Deus sit Deus Abrahami, Isaaci, & Iacobi. Pertinet huc prima epistola Iohannis.

***

IX. *Communio hominis cum Deo post lapsum, fluit ex fœdere gratiæ; estque finis vniuersæ Scripturæ & sacramentorum; vtpote omnia complectens, quæ in verbo & sacramentis proponuntur.* 1. Ioh 1. 3.

Homo habet communionem vel cum Deo, vel cum diabolo, vel cum homine, eóque bono vel malo. Quod attinet ad *communionem cum Deo*, illa est primæua, vel instaurata. *Primæua* erat ante lapsum, & nitebatur fœdere creationis *Gen.* 2. Sed hâc excidit homo suâ culpâ. *Gen.* 3. Factus enim est inimicus Dei ex amico intimo. Hanc amicitiam amissam *instaurat* Deus in fœdere gratuito per Christum, qui fœdere arctissimo & intimo copulauit diuinam & humanam naturam in seipso, vt posset nos vnire Deo, à quo eramus alienati. Quare communio nostra primò est cum Christo, & hoc mediante cum Patre & Spiritu sancto. Porro communio cum Christo est essentiæ & beneficiorum. *Communio essentiæ* est tum humanæ naturæ, *Heb.* 1. tum etiam diuinæ 2. *Pet.* 1. 4. Sumus enim caro de carne Christi, & os de ossibus eius: imò & participes sumus diuinæ naturæ. *Communio beneficiorum* est in hâc vitâ, & post hanc vitam. *In hâc vitâ* est communio beneficij iustificationis, sanctificationis, & annexorum. *Iustificatio* est in eo quòd Christus à nobis recipit in se, quod nostrum est, putà peccatum, & vice versâ nobis donat, quod suum est, putà iustitiam perfectam. Illius respectu Christus 1. *Cor.* 1. dicitur nobis factus à Deo redemtio; huius, iustitia. Et hoc est officium Christi sacerdotale. *Sanctificatio* est reformatio intellectûs & voluntatis. Illius respectu Christus dicitur nobis factus à Deo sapientia; huius, sanctificatio. Ibi est officium propheticum: hîc, regium. *Annexa* sequuntur vel plerumque, vt crux, calamitates, tentationes; vel semper & certò, vt tranquillitas animi, pax, gaudium. *Post hanc vitam* est communio gloriæ & gaudij ineffabilis. Hinc patet, communionem illam in hâc vitâ esse perfectam ratione iustificationis; imperfectam, ratione sanctificationis: quæ imperfectio tollitur in statu patriæ.

X. *Communio nostra cum Deo quærenda est in Christo.*

Ille siquidem est mediator fœderis gratuiti, quo fit vt Deo reconciliemur, adeóque ipsius amici fiamus. Est itaque vinculum vnicum, quo procuratur vnio & communio nostra cum Deo. Quoties itaque cogitationem suscipimus de istâ vnione & communione, debemus ad Christum confugere, atque hâc vnicâ consolatione in vitâ & morte nos sustentare, quòd proprij sumus Iesu Christi, qui nos à potestate diaboli liberauit, & Deo reconciliauit, vt simus ipsius amici in æternum, *Rom.* 14. *v.* 7. 8.

XI. *Summum bonum non excludit bona subordinata.*

Nam bonum summum est hæreditarium & simpliciter necessarium: bona reliqua sunt honoraria & summo bono in hâc vitâ subalterna. Eiusmodi sunt sapientia, libertas iudicij & affectuum, eloquentia, & voluptas theoretica & practica, *in animo*: natiuitas clara, educatio bona, longæuitas, securitas à metu, lætitia, voluptas honesta, & mors placida, quantum ad *corpus*: coniugium felix, amicitia, gloria, habitatio commoda, incrementum potentiæ, & liberatio diuina in rebus aduersis; in quibus consistit beatitudo hominis externa, quæ *extra animam & corpus* illius consistit, sed tamen ad alterutrum, vel vtrumque refertur. Itaque bonum hominis est summum, vel sub summo; & hoc aut internum, animi nempe vel corporis, aut externum.

XII. *Summum bonum est, cui competunt nouem illæ conditiones.*

1. Vt sit ab omnibus malis liberum. 2. Vt omnibus bonis affluat, adeóque sit αὐταρκέστατον. 3. Vt sit à se, per se, suâque naturâ bonum. 4. Vt se suamque bonitatem optimè noscat. 5. Vt sit summè desiderabile. 6. Vt sit bonum perpetuò & immutabiliter. 7. Vt sui sit communicatiuum, modò eminentissimo. 8. Vt sit prima idea omnis boni. 9. Vt sit bonum vniuersale. Hæ, inquam, sunt conditiones summi boni: quæ nonnisi in Deo reperiuntur. Itaque solus Deus est summum bonum: proinde & ipsius fruitio, quâ fit vt Deus sit nobis summum bonum. Hinc porrò efficitur, bona animi, corporis, & fortunæ non esse summum hominis bonum: quia nouem illæ conditiones ipsis vel singulis, vel coniunctis non possunt competere. Deinde *bona animi* tametsi longissimè superant bona corporis & fortunæ, non tamen sunt summum bonum: tum quia sunt imperfecta, tum quia terminantur finibus huius vitæ. *Bona* corporis quod attinet, etsi sunt præstantiora bonis fortunæ, sunt tamen inferiora bonis animi, & proinde non possunt appellari summum bonum. Nihil iam dico de eo, quòd istiusmodi

modi bona bonis & malis sunt communia. Denique *bona fortunæ*, quæ appellantur, infimum gradum obtinent in numero bonorum. Summum itaque bonum in iis constitui non potest. Facessant ergò 288. opiniones, quas Varro allegat de summo bono.

CAPVT II.

De Symbolo apostolico.

PRÆCEPTA.

Modus perueniendi ad summum hominis bonum monstratur in quinque capitibus catecheticis, quæ proponunt communionem nostram cum Deo; proponunt, inquam, tum auribus in symbolo apostolico, decalogo, & oratione Dominicâ: tum oculis, in sacramentis.

Symbolum apostolicum est breuis confessio fidei, quam homo Christianus edit de Deo, vt credendo discernatur à non-Christiano, & habeat vitam æternam, vtpote finem fidei.

In symbolo hoc spectantur authoritas, vsus, & explicatio.

Authoritas est, quòd proximum à Scripturâ locum obtinet.

Vsus est, vt sit summa eorum, quæ homini Christiano sunt creditu necessaria ad salutem: ac proinde vt sit tessera, quâ Christianus discernatur ab infidelibus; itemque vt consulat memoriæ; denique vt monstret analogiam fidei, tum in explicatione locorum Scripturæ, tum in diiudicatione controuersiarum religionis.

Explicatio symboli pendet à certis regulis, & partitione.

Regulæ, in explicatione symboli obseruandæ, sunt hæ.

I. Discrimen legis & euangelij obseruetur.

II. Conuenientia V. & N. T. attendatur.

III. Symbolum apostolicum conferatur cum aliis symbolis ab Ecclesiâ receptis.

IV. Cum re etiam modus rei, siue circumstantiæ debent credi: *vt cum creatione ordo & tempus.*

V. Cum re credendum est oppositum rei: *vt cum vitâ æternâ mors æterna.*

VI. Cum re etiam fructus rei credendus est: *vt cum passione Christi satisfactio præstita pro peccatis.*

VII. Cum antecedente consequens, & necessarium connexum est credendum: *vt cum omnipotentiâ Dei reliqua attributa, cum creatione gubernatio, cum crucifixione Christi mœrores ipsius.*

VIII. Ex consequente debet colligi antecedens: *vt à creatione assurgendum est ad decretum creationis, à vocatione Ecclesiæ ad prædestinationem.*

IX. In quolibet articulo expendatur substantia fœderis, adeoque promissio Dei & repromissio hominis. *quâ de re vide Casp. Olevianum de fœdere.*

X. In diexodicâ seu plenâ symboli explicatione sint tria capita considerationis. 1. *Sensus*; vbi est Confirmatio articuli propositi per dicta Scripturæ, Expositio Patrum, & Expositio methodica. 2. *Vsus*; qui est Confirmatio dogmatum religionis, Refutatio errorum, Institutio in sanctâ vitâ, Correctio malæ vitæ, & Consolatio. 3. *Applicatio sensus & vsus*; quæ constat paraphrasi promissionis Dei & repromissionis hominis.

Partitio symboli est generalis, vel minutior.

Partitio generalis est, quâ symbolum diuiditur in tres partes; è quibus prima est de Deo Patre, & nostri creatione; secunda, de Deo Filio, & nostri redemtione; tertia, de Deo Spiritu S. & nostri sanctificatione.

Partitio minutior est, quâ symbolum subdiuiditur in XII. articulos; è quibus vnus pertinet ad primam partem, sex ad secundam, quinque ad vltimam, hâc quidem connexione.

In symbolo proponitur fidei forma, obiectum, & sigillum.

Forma fidei est in voculâ CREDO, quâ denotatur specialissima applicatio.

Obiectum fidei est Deus, populus Dei, & beneficia Dei erga suum populum.

Deus est Pater, Filius, & Spiritus sanctus.

Deus Pater se manifestauit creando cœlum & terram.

Deus Filius se manifestauit redimendo genus humanum.

In eo spectatur persona, officium, & status.

Persona constat naturâ diuinâ, & humanâ. Est enim FILIVS DEI VNIGENITVS, CONCEPTVS EX SPIRITV SANCTO, NATVS EX MARIA VIRGINE.

Officium est propheticum, sacerdotale, & regium. Est enim IESVS CHRISTVS, DOMINVS NOSTER.

Status est humiliationis & exaltationis.

Status humiliationis est, quòd Christus est PASSVS SVB PONTIO PILATO, MORTVVS, SEPVLTVS, ET DESCENDIT AD INFEROS.

Status exaltationis est, quòd Christus TERTIO DIE RESVRREXIT A MORTVIS, ASCENDIT AD COELOS, SEDET AD DEXTERAM DEI PATRIS OMNIPOTENTIS; VNDE VENTVRVS EST AD IVDICANDVM VIVOS ET MORTVOS.

Spiritus sanctus se manifestauit sanctificando.

Populus Dei est ECCLESIA SANCTA ET CATHOLICA.

Beneficia Dei erga populum istum sunt huius & futuræ vitæ. Ibi est COMMVNIO SANCTORVM, ET REMISSIO PECCATORVM: hîc est RESVRRECTIO CARNIS, ET VITA ÆTERNA.

Fidei sigillum est particula AMEN.

REGVLÆ.

I. *Capita Catechetica in vniuersum sunt numero sex: sed vulgo commemorantur quinque quòd sextum, id est, formula disciplinæ Ecclesiasticæ, non tam neophytis Christianis quam veteranis conueniat.* Quot sint capita Catechetica?

Itaque non est, quòd alicui moueamus litem de hoc numero: præsertim cùm quinque capita Catechetica propius faciant ad scopum Catechismi, qui est vt habeamus solidam consolationem in vitâ & in morte. Meritò itaque disciplinam ecclesiasticam à rudimentis religionis sequestramus.

II. *Capita Catechetica inter se cohærent, vt verbum Dei audibile ac visibile.* Connexio capitum Catecheticorum.

Nam verbum Dei audibile compendiosè proponitur in symbolo, decalogo, & oratione Domini: visibile, est in sacramento S. baptismi & S. cœnæ. Atque hoc est, quod capite præced. diximus, communionem nostram cum Deo secundùm omnes partes proponi tum auribus, tum oculis.

III. *Symbolum hoc loco est tessera: & dicitur apostolicum, authoritatis & differentiæ causâ.* Nomenclatura symboli apostolici.

Symbolum, inquam, hoc loco est tessera militaris, quâ Christiani veri, ceu spirituales milites summi Imperatoris Iesu Christi discernuntur ab hostibus ipsius, id est, ab idololatris & hæreticis. Appellatur autem hoc symbolum apostolicum, non quòd singuli apostoli singulos articulos adiecerint, sed quia vel consensu apostolorum est confectum, vel ex apostolorum scriptis est collectum. Deinde sic appellatur differentiæ causâ, vt distinguatur a symbolis partim œcumenicis, siue conciliorum vniuersalium, quale est symbolum Nicænum: partim particularibus, vel certarum ecclesiarum, quale est symbolum Concilij Francofurtani; vel certorum Ecclesiæ doctorum, quale est symbolum Athanasij.

Autoritas symboli apostolici:

IV. *Symbolum apostolicum summo iure primum locum post S. literas obtinet.*

Cyprianus in exposit. symb. ait: *Discessuri ab inuicem apostoli normam prædicationis in commune constituunt.* Sed quia hæc sententia est ἄγραφος, non possumus illam admittere. Itaque symbolum non habemus pro parte Scripturæ canonicæ, sed proximum locum ipsi tribuimus, & ipsius articulos ex Scripturâ confirmamus, hoc modo.

[Primus articulus] *Credo*, Iob. 19.25. Hab. 2.4. Rom. 5.1. Gal. 2.16. Heb. 11. *In Deum*: scil. vnum in essentiâ, Deut. 6.4. Eph. 4. 6. & trinum in personis, Psal. 45.8. Matth. 3.16.17. c. 28.19. 1. Ioh. 5.7. *Patrem*, Ps. 2.7. Eph. 4.4. *Omnipotentem*, Gen. 17.1. Luc. 1.37. *Creatorem cœli & terræ*, Gen. 1. Ps. 33.6. Ioh. 1. [Secundus articulus.] *Et in Iesum*, Matth. 1.21. Luc. 1.31. Act. 4.12. Phil. 2. v. 9. 10. *Christum*, Esa. 61.1. Ps. 45.8. Ioh. 1.42. *Filium eius vnigenitum*, Ps. 2.7. Ioh. 1.14. c. 3.16. *Dominum nostrum*, Ps. 110.1. 1. Petr. 1.18.19. [Tertius articulus] *Qui conceptus est ex Spiritu sancto*, Esa. 7.14. Matt. 1.18.20. Luc. 1.35. *Natus ex Mariâ virgine*. Esa. 7.14. Matt. 1.16. Luc. 2.7. [Quartus articulus.] *Passus sub Pontio Pilato*, Ps. 22. Esa. 53. Dan. 9.26. Matth. 27.26. Act. 3.13. *Crucifixus*, Ps. 22. Esa. 53. Matt. 27.35. Act. 4.10. *Mortuus*, Esa. 53.8. Dan. 9.26. Matt. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioh. 19. *Et sepultus*, Esa. 53.9. Matt. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioh. 19. [Quintus articulus.] *Descendit ad inferna*, Ps. 16.10. Eph. 4.9. *Tertio die resurrexit ex mortuis*, Ps. 16.10. & 22.28.29. Matt. 12.40. 28.5.6.7. Ioh. 2.19. Rom. 1.4. 1. Cor. 15. [Sextus articulus.] *Ascendit in cœlum*, Ps. 68.19. Luc. 24.51. Act. 1.9. Ephes. 4.10. *Sedet ad dextram Dei Patris omnipotentis*, Psal. 110.1. Matth. 26.64. Heb. 10.12. 1. Pet. 3.22. [Septimus articulus.] *Inde venturus est ad iudicandum viuos & mortuos*, Esa. 45.23. Matt. 25.31. Act. 17.31. 1. Thes. 4.14. & seqq. [Articulus octauus.] *Credo in Sp. Sanctum*, Gen. 1.2. Esa. 61.1. Matt. 28.19. 2. Cor. 13.13. 1. Ioh. 5.7. [Articulus nonus.] *Credo sanctam Ecclesiam catholicam*, Ps. 22.28. Esa. 43.5. Eph. 5.25. 26.27. 1. Tim. 3.15. *Sanctorum communionem* Rom. 12.4.5. 1. Cor. 12. Eph. 4.4.5.6. [Articulus decimus.] *Remissionem peccatorum*, Ps. 32.5. & 103.3.10.12. & 130.3.4. Esa. 1.18. Rom. 3.25. 2. Cor. 5.19. 1. Ioh. 1.7. [Articulus vndecimus.] *Carnis resurrectionem*, Iob. 19.25. Ezech. 37. Dan. 12.2. Hos. 13.14. Matt. 25.31.32. Ioh. 5.25. 1. Cor. 15. 1. Thes. 4.16. [Articulus duodecimus.] *Et vitam æternam*, Psal. 1.5.6. Dan. 12.2. Matth. 25.46. Apoc. 7.17. c. 20.14. 15. c. 21.4. Ex his articulis singuli tribuuntur vulgò singulis apostolis, qui numerantur hoc ordine: Petrus, Andreas, Iohannes, Iacobus maior, Thomas, Iacobus minor, Philippus, Bartholomæus, Matthæus, Simon, Iudas, Matthias. Alij hoc ordine singulos apostolos cum singulis articulis connectunt: Petrus, Iohannes, Iacobus, Andreas, Philippus, Thomas, Bartholomæus, Matthæus, Iacobus Alphæi, Simon zelotes, Iudas Iacobi, Matthias.

Trichotomia symboli vnde sumta?

V. *Tres partes principes symboli apostolici desumtæ sunt ex verbis institutionis baptismi.*

Socrates lib. 1. hist. eccles. c. 19 author est symbolum apostolicum desumtum esse ex illis Domini verbis, *Baptizate eos in nomen Patris Filij & Spiritus sancti.* Et *Ambrosius lib. 2. de sacram. cap. 7.* ait: Interrogatus es, Credis in Deum Patrem omnipotentem? Dixisti, Credo, & mersisti, h. e. sepultus es. Iterum interrogatus es, Credis in Dominum Iesum Christum, & in crucem eius? Dixisti, Credo, & mersisti: ideo & Christo consepultus es. Qui enim cum Christo sepelitur, cum Christo resurgit. Tertiò interrogatus es, Credis in Spiritum sanctum? Dixisti, Credo, & tertiò mersisti. Ex his efficitur, symbolum rectè distribui in tres partes principes, pro numero personarum sacrosanctæ Trinitatis, in quas credimus, & in quarum nomen baptizati sumus.

Primus symboli articulus.

VI. *Primus articulus absoluitur quinque membris; è quibus primum est commune, reliqua singularia.*

1. Credo. Hoc est, Certò *scio*, firmiter *assentior*, alacriter *confiteor*, & mihi *applico*, indeque in corde meo solidum gaudium *percipio*, & in vniuersâ vitâ meâ *cupio* ferre fructus fidei. Itaque hîc intelligitur fides, non generalis, cuius tres sunt gradus, putà fides historica, temporaria & miraculorum: sed fides saluifica & catholica, cuius natura est sibi adiudicare promissiones Dei, & in illis acquiescere, & denique fructum charitatis ex se parere. *Rom* 8.38. 1 *Tim.* 1.15. *Gal* 2.20. *Iacob.* 2.

2. In Deum. Hoc est, Credo quòd Deus sit, quòd sit vnus, & quòd meus sit Deus, in quo fiduciam meam ita colloco, vt omne bonum ab illo tanquam summo bono expectem. *Gen* 15.

3. Patrem. Qui nempe ab æterno genuit Filium, characterem suæ hypostaseos. *Heb* 1.

4. Omnipotentem. Hoc est, eundem qui potest facere, quidquid vult, & potest velle optimus, & potest hoc facere solo nutu, atque ita, vt nihil possit ipsi resistere. *Gen.* 17.1. *Esa.* 46.10.11.

5. Creatorem cœli et terræ. Qui nempe solus, mero iussu seu imperio, ex nihilo fecit cœlum & terram, & omnia quæ sunt in cœlo & terra. *Gen.* 1. quique omnia suâ prouidentiâ conseruat & gubernat. *Neh.* 9.6. *Act.* 17.25. Hæc autem omnia fecit facitque ex formulâ decreti, quo ab æterno statuit apud se, in tempore mundum creare, conseruare, & gubernare. *Esa.* 46.10. *Psal.* 33.11. *Eph.* 3.9.11.

Huius loci sunt & istæ regulæ. 1. Vox *Deus* est communis tribus personis, & ita vsurpatur οὐσιωδῶς: sæpe tamen vsurpatur ὑποστατικῶς. Idem est iudicium de voce *Pater*. 2. Omnipotentia Dei in symbolo potius exprimitur, quàm aliud aliquod attributum: quia includit reliqua attributa, & est basis fidei in omnibus articulis. 3. Creatio tribuitur Patri, quia ille creauit per Filium & Spiritum sanctum.

VII. *Secundus articulus complectitur quinque titulos.*

1. Et. Quæ vocula ostendit, Christum esse Patri æqualem ratione cultûs & honoris, adeóque & essentiæ. *Ioh.* 14. *v.* 7.10.11.

2. In Iesum. Hoc est, saluatorem merito & efficaciâ. *Matth.* 1. 21. *Act* 4.12.

3. Christum. Hoc est vnctum prophetam, sacerdotem, & regem. *Heb.* 1. *v.* 1.2.3. à quo nos denominamur Christiani, vt & ipsi simus prophetæ, sacerdotes, & reges. 2. *Cor.* 1. *v.* 21.22. 1. *Pet.* 2.5.9. *Apoc.* 1.6.

4. Filium eius vnigenitum. Ita nempe, vt sit Filius Dei, non gratiâ, sed naturâ: non creatione aut adoptione, sed generatione. *Heb.* 1.3.

5. Dominum nostrum. Qui nos redemit, sibique peculium effecit, & nos defendit in æternum. *Matth.* 1.21. 2. *Pet.* 2.1.

VIII. *Tertius articulus habet duas particulas.*

1. Qui conceptus est ex Spiritu sancto. Filius nempe Dei vnigenitus assumsit naturam humanam, quam Sp. sanctus formauit in vtero virginis Mariæ. *Luc.* 1.35.

2. Natus ex Maria virgine. Illa siquidem concepit ex Sp. sancto, qui fecit eam germinare sine viro, sicut in principio terram fecit proferre herbas sine sole, & sine semine in ipsius gremium proiecto, & sine culturâ hominis, *Gen.* 1.12.

IX. *Quartus articulus distinguitur quatuor commatis.*

1. Passus sub Pontio Pilato. Id est, accusatus & condemnatus, processu iudiciali solenniter instituto: idque præter suum meritum, vt nos liberaret ab æternâ condemnatione. *Gal.* 3.10.

2. Crucifixus. Hoc est, acerbissimum, longissimum, & infamissimum supplicij genus expertus est, vt chirographum legis, quod aduersum nos erat, è medio sublatum cruci affigeret. *Gal.* 3.13. *Col.* 2.14. atque ita supremo hoc obedientiæ gradu. *Phil.* 2. supremum inobedientiæ Adami gradum, *Rom.* 5. expiaret, veteremque hominem in nobis magis ac magis crucifigeret. *Roman.* 6. *v.* 6.

3. Mortuus. Ita nimirum, vt gustauerit & superauerit mortem primam & secundam. *Matth.* 17.50. *Heb.* 2.14.

4. Et sepultus. Ita nempe, vt obsignaret certitudinem mortis suæ, nostra sepulchra sanctificaret, & nostra peccata sepeliret, ne in conspectum Dei veniant. *Marc.* 15. *v.* 42.43.44.45. *Rom.* 6. *v* 4.

X. *Quintus articulus est bipartitus.*

1. Descendit ad inferna. Hoc est, permansit sub dominio mortis, experiendo vniuersum statum mortuorum & sepultorum. *Act* 2.24.

2. Tertio die resurrexit à mortuis. Nam repositus fuit in sepulchro, feriâ sextâ: mansit in eo, totum diem sabbati: resurrexit feriâ primâ. *Matth.* 28. *Marc.* 16. Resurrexit, inquam, verè & gloriosè, tanquam triumphator mortis, sepulchri, inferni, & damnationis, vt nobis partam salutem, seu meritum suum, efficaciter applicaret, spiritualem resurrectionem ex morte peccatorum in nobis efficeret, pignus denique resurrectionis nostræ nobis daret. *Rom.* 4. *v.* 25. *c.* 6. *v.* 4.8. 1. *Corinth.* 15. *v.* 20.21.

XI. *Sextus articulus, similiter vt præcedens, est bimembris.*

1. Ascendit in cœlum. Inferendo nempe corpus suum in cœlum tertium, vt ibi appareat coram Patre cœlesti, & spiritum suum inde ad nos mittat: vt item pignus nostræ ascensionis ibi deponendo, corda nostra sursum tendere faciat. *Heb.* 7.26. *c.* 9. 24. *Eph* 2.6. *Iohan.* 16.7. *Coloss.* 3.1.

2. Sedet ad dextram Dei patris omnipotentis. Hoc est, in summa quiete maximam obtinet dignitatem, exercendo imperium in medio inimicorum suorum, ex paternâ beneuolentiâ Patris sui, cum infinitâ potentiâ. *Psal.* 110. *Ephes.* 1. *v.* 20.21.23.

XII. Septimus

XII. *Septimus articulus est de reditu Christi ad vniuersale iudicium.*

Nam Christus INDE, ex cœlo nempe tertio, VENTVRVS EST, formâ visibili, AD IVDICANDVM, rectè cognoscendo causam, dicendo sententiam apertè, & eandem executioni mandando potentissimè & citissimè, quantum ad VIVOS, qui tum temporis erunt in viuis, quando veniet, ET MORTVOS, qui inde ab initio mundi vsque ad illud temporis momentum, quo Christus veniet ad iudicandum, vitâ fuerunt functi. *Matthæi* 25. *Act.* 10.42. 2. *Thess.* 4. *v.* 16. 17. *Apoc.* 20 10.

XIII. *Octauus articulus est de fide in Spiritum sanctum, adeoque de ipsius personâ & officio.*

Fides in Spiritum sanctum continetur illis verbis, CREDO IN SPIRITVM: i.e ipsum habeo pro vero Deo, & in illo æquè ac in Patre & Filio fiduciam meam colloco. Deinde vox SPIRITVS ostendit, qualis persona sit Spiritus S. quòd nempe spiretur à Patre & Filio, h.e. procedat siue emanet ab illis simul spirantibus: quomodo videmus mentem & rationem in nobis spirare voluntatem. *Ioan.* 15. 26. Quò pertinet, quòd Pater & Filius Spiritum S. spirant in corda nostra, *Gal.* 4. 6. Denique officium Spiritus sancti illâ ipsâ voce SPIRITVS denotatur; quatenus ille spirat & inspirat sanctos motus in corda nostra, *Gal.* 4. *v.* 6 itemque voce SANCTVS. Nam proprium opus Spiritus sancti est nos sanctificare. *Gal.* 4. *v.* 22. 24. 25.

XIV. *Nonus articulus complectitur tres titulos.*

1. CREDO. Hoc est, Credo esse, & meo bono esse, quæ deinceps sequuntur.

2. SANCTAM ECCLESIAM CATHOLICAM. Hoc est, eiusmodi cœtum, qui è statu hominum peccatorum euehitur in statum filiorum Dei, adeoque est sanctus, partim habendo sanctitatem Christi ex gratiosâ donatione, partim sanctitati studendo, imperfectè in hâc vitâ, perfectè in futurâ vitâ. 2. *Tim.* 3. *v.* 16. *Ephes.* 4. *v.* 25. 26. 27. *Phil.* 3. *v.* 12. 14 1. *Cor.* 13. *v.* 9. 10. 11. 12. Porrò hunc cœtum credo esse *Catholicum*, hoc est, vniuersalem, in quo sint omnes credentes, qui fuerunt, sunt, & erunt. *Col* 1. 10. 1. *Cor.* 12. 27.

3. SANCTORVM COMMVNIONEM. Quam habent omnes sancti cum capite suo Christo, & inter sese, quantum ad bona & mala, prospera & aduersa. *Ephes.* 4. *v.* 15. 16. *c.* 5. *v.* 29. 30. *Coloss.* 2. 10. 1. *Ioh.* 1. 3.

XV. *Decimus articulus est de remissione peccatorum.*

Hanc remissionem peccatorum credo esse donum Dei, quo ille non imputat mihi peccata, sed ex purâ putâ misericordiâ, propter vnicam & plenissimam Christi sanctificationem fide apprehensam, condonat, & ita me iustificat. *Rom.* 3. 24. *c.* 8. 33. *Eph.* 1. 7. 1. *Ioh.*. 1. 7.

XVI. *Vndecimus articulus est de resurrectione carnis.*

Credo nempe hanc ipsam carnem, quam hîc gesto, quæque suo tempore cadet, certò resurrecturam in fine seculi, virtute Dei omnipotentis creatoris. *Iob.* 19. *v.* 25. 26. 27.

XVII. *Duodecimus articulus est de vitâ æternâ.*

Hanc vitam credo consistere in sempiternâ ablatione omnis miseriæ, & collatione omnimodæ felicitatis, quam Christus mihi est promeritus. *Matth.* 25. *v.* 34 46. 1. *Cor.* 2. 9.

XVIII. *Particula* Amen *in symbolo est signaculum fidei.*

Etsi enim symbolum non est precatio: tamen rectè ipsi additur hæc vocula, vtpote sigillum fidei, cuius summa est in symbolo.

CAPVT III.

De Decalogo.

PRÆCEPTA.

Decalogus est compendium legis moralis, à Deo præscriptum, *Exod.* 20. & decem præceptis comprehendens officia charitatis erga Deum & proximũ.

In decalogo spectatur vsus & explicatio.

Vsus est, vt sit speculum miseriæ, regula vitæ, vtpote summa eorum, quæ homini credenti sunt factu necessaria ad salutem; item vt sit repagulum malitiæ, & subsidium memoriæ, & denique ostendat analogiam charitatis.

Explicatio decalogi pendet à certis regulis, & partitione.

Regulæ, in explicatione decalogi obseruandæ, sunt hæ.

I. Lex spiritualiter est intelligenda.

II. Sententia præcepti ex proprio & proximo fine est sumenda.

III. Cultus Dei internus simpliciter & semper est necessarius: externus non item.

IV. Cultus Dei internus per se placet Deo; externus nonnisi quatenus oritur ex interno, & ad internum refertur.

V. Tabula secunda cedit primæ.

VI. Lex generalis cedit speciali.

VII. Lex ceremonialis cedit morali.

VIII. Decalogus consideratur vel absolutè, vt est regula præscripta homini: vel relatè, vt est regula hominis per fidem iustificati.

IX. Præcepta negatiua fortiùs ligant quàm affirmatiua. Nam affirmatiua ligant semper, sed non ad semper: negatiua, & semper, & ad semper.

X. Pleraque præcepta decalogi sunt negatiua, tribus de causis. 1. *quia fortiùs ligant, vt modò est dictum.* 2. *quia natura nostra valde propendet ad malum.* 3. *quia hic est ordo pœnitentiæ, desinere à malo, & facere bonũ.*

XI. Idem opus, siue bonum, siue malum, propter diuersos fines ad varia referri potest præcepta.

XII. Cum virtutibus & vitiis comprehenduntur omnis generis causæ, occasiones, & media.

XIII. In quolibet præcepto videnda sunt vitia in excessu & defectu.

XIV. In præcepto negatiuo affirmatiuum est intelligendum; & contrà.

XV. Præcepta decalogi sunt synecdochicè concepta: ita nempe, vt sub parte totum intelligatur, & sub specie genus.

XVI. Cum relatiuis sanciuntur correlatiua.

XVII. In quolibet præcepto vtiliter confertur imago Dei cum imagine diaboli.

XVIII. In diexodicâ & plenâ explicatione decalogi octo ista capita debent obseruari. 1. *Analysis verborum*: vbi sunt duæ partes cuiusque præcepti, vna negatiua, altera affirmatiua. 2. *Paraphrasis*: vbi oportet indicare, quid Deus velit aut nolit, quantum ad intellectum, voluntatem seu affectum, gestum, sermonem, facta, occasiones, & media. 3. *Finis & ratio præcepti*. 4. *Collatio præcepti cum aliis legibus*, tum Mosaicis, tum ciuilibus & humanis. 5. *Catalogus, seu index, rerum mandatarum.* 6. *Catalogus, seu index, rerum vetitarum.* 7. *Catalogus, seu index, rerum permissarum.* 8. *Errores circa singula præcepta.* Quod attinet ad res mandatas, vetitas, & permissas, obseruentur duæ istæ regulæ. 1. Singuli status vitæ humanæ sunt distinctè videndi, vt ita quilibet in statu œconomico, scholastico, ecclesiastico, & politico intelligat, quid sibi sit mandatum, vetitum, vel permissum. 2. Tria sunt videnda in rebus mandatis, vetitis, & permissis. *Primò* indicandum est, *quid* sit illud, quod mandatur, vetatur, permittitur: *deinde*, causæ exponendæ, *cur* ea res sit facienda, fugienda, vel libera habenda: *tertiò* ostendendus est *modus* perueniendi ad obedientiam singulorum præceptorum Quod attinet ad *causas impellentes*, illæ sumi possunt à Dei mandatis, interdictis, permissionibus, promissionibus, comminationibus, tolerantiâ rerum liberarum; à laudationibus, reprehensionibus, remuneratio

nerationibus, pœnis, impunito rerum indifferentium vſu; à commodis & incommodis ciuilibus, iure naturæ & gentium, exemplis denique ſacris & profanis.

Partitio decalogi eſt generalis, vel minutior.

Generalis fit in præfationem, & duas tabulas: minutior in decem præcepta, quorum connexio tribus potiſſimùm modis oſtenditur.

Prima eſt *ſect. ſeq in loco de lege.* Eam nos inprimis probamus, & ita hoc loco delineamus.

Prima decalogi tabula præcipit de ſubſtantiâ cultûs Dei, ſeu religionis, *præc.* 1. & de mediis, quantum ad ritus, *præc.* 2. & profeſſionem faciendam omni tempore, *præc.* 3. vel certo tempore, *præc.* 4.

Secunda tabula præcipit de officiis erga proximum, quæ ſpectantur in partibus, & gradu. Partes ſunt in officiis ſpecialibus, *præc.* 5. & communibus; & hæc ſunt quantum ad bona interna, vt ſunt vita, *præc.* 6. pudicitia, *præc.* 7. & externa, vt ſunt bona ſeu facultates, *præc.* 8. & fama, *præc.* 9. Gradus eſt *præc.* 10.

Secunda eſt eiuſmodi. Decalogus præcipit de religione, & iuſtitiâ; ſeu de pietate, & iuſtitiâ; ſeu de ſanctitate, & iuſtitiâ; ſeu de charitate in Deum, & proximum. Confer *Rom.* 1. 18. *Tit.* 2. 12. *Luc.* 1. 75. *Epheſ.* 4. 24. *Matth.* 22. 37.

Religio eſt obſeruantia præceptorum, quæ honorem Deo directè iubent deferre.

Religionis partes duæ ſunt; cultus naturalis, & inſtitutus.

Cultus Dei naturalis eſt, quem ex ipsâ Dei naturâ, naturali ratiocinatione colligimus. Eſtque poſitus in fide, ſpe, & charitate: *præcepto primo.* Nemo ſcilicet eſt qui Dei naturam rectè intelligit, quin ſimul etiam neceſſariò agnoſcat, in Deum eſſe credendum & ſperandum, & ipſum eſſe amandum.

Cultus Dei inſtitutus eſt medium ex Dei voluntate ordinatum, ad cultum naturalem exercendum & promouendum.

Eius occurrit cauſa adiuuans, & adiunctum, quod eſt in modo & tempore.

Cauſa adiuuans eſt, *præcepto ſecundo*; modus, *præcepto tertio*; tempus, *præcepto quarto.*

Iuſtitia eſt obſeruantia præceptorum, quæ impellunt ad officium proximo debitum ritè præſtandum.

Illa reſpicit proximum immediatè, vel mediatè: & illa rurſum reſpicit vel gradum conditionis in quo proximus collocatur, vel conditionem ipſam abſolutè conſideratam.

Quæ reſpicit gradum, ſiue ſtatum eminentiæ, ea in *præcepto quinto* imperatur.

Iuſtitia quæ reſpicit conditionem proximi abſolutè conſideratam, vel reſpicit perſonam proximi, vel externa eius commoda.

Quæ reſpicit perſonam eius, vel vitam reſpicit, *præcepto ſexto*; vel puritatem ipſius, *præcepto ſeptimo.*

Quæ reſpicit commoda externa, mandatur *præcepto octauo.*

Iuſtitia, quæ proximum reſpicit mediatè, eſt veracitas, *præcepto nono,* & contentatio, *præcepto decimo.* Nam illâ proximus afficitur, mediante ipſius fide: hâc, mediante operâ vel actione aliquâ noſtrâ, ad antecedens aliquod præceptum ſpectante.

Et hæc partitio decalogi eſt apud *Guil. Ameſium lib. 2. medullæ theol.*

Tertia decalogi partitio ſic habet.

Decalogus præſcribit cultum Dei immediatum, & mediatum.

Cultus Dei immediatus eſt, qui Deo immediatè præſtatur, & priore tabulâ docetur.

Eſtque vel internus tantùm, *præcepto primo*: vel internus & externus ſimul, qui vulgo appellatur religo.

Religio ſpectatur in ſuis partibus, & tempore diuinitùs præſcripto.

Partes veræ religionis duæ ſunt: ritus ille, quo Deus in Eccleſiâ vult coli, *præcepto ſecundo,* & ſanctificatio nominis eius, *præcepto tertio* Tempus peculiariter cultui diuino deſtinatum præſcribitur *præcepto quarto.*

Cultus Dei mediatus cernitur in virtutibus & operibus ſecundæ tabulæ.

Huius cultûs occurrunt partes & gradus.

Partes eius duæ ſunt: prior de officio inferiorum erga ſuperiores, & contrà, *præcepto quinto*: poſterior, de officio quorumlibet erga quoſlibet, quod verſatur circa hominis bona interna, vel externa.

Interna hominis (i. e. proximi, & noſtra ipſorum) bona ſunt vita, *præcepto ſexto*: & pudicitia, *præcepto ſeptimo*: externa ſunt partim facultates terrenæ, *præcepto octauo,* partim fama, *præcepto nono.*

Supremus gradus huius cultûs Dei, ſeu officij noſtri erga proximum, eſt *præcepto decimo.*

REGVLÆ.

I. *Præfatio decalogi continet locum attentionis, à maieſtate Dei: & beneuolentiæ, à beneficio adoptionis & liberationis.*

Locus attentionis eſt in illis verbis:
LOCVTVS EST: voce terribili.
DOMINVS: *Elohim*, qui eſt trinus in perſonis.
OMNIA: ne vno quidem excepto.
VERBA ISTA: vt ſint norma vitæ.
EGO: qui non ſum legiſlator terrenus.
SVM IEHOVA: Dominus ille, qui ſemper fui, ſum, & ero, & per quem omnia ſunt, quæcunque ſunt, in regno potentiæ, gratiæ, & gloriæ.
Deus: ſummum illud bonum.
Locus beneuolentiæ eſt in illis verbis:
Deus tuus: qui te elegi, qui te amo, tibi bene volo te curo, tibi benefacio, omnemque meam potentiam & clementiam conuerto ad ſalutem tuam.
QVI EDVXI TE EX TERRA ÆGYPTI, DOMO SERVITVTIS: in quâ variis preſſuris excruciabaris, quo beneficio temporali tibi in memoriam redigere volui beneficium ſpirituale, quo te liberaui ex Ægypto Pharaonis infernalis.

II. *Primum decalogi præceptum ſimplici negatione enuntiatur.*

NON HABEBIS DEOS ALIENOS CORAM ME. Id eſt, Non habebis id pro Deo, quod Deus non eſt, neque id coles tanquã Deum, ſiue ſolùm, ſiue vnà cum vero Deo: Me autem habebis pro vero Deo, & proinde mihi probabis fidẽ, ſpem, & charitatẽ. Hîc itaque *præcipitur* agnitio Dei, & religioſus erga Deum affectus in fide, ſpe, & charitate: vbi ſub *fide* comprehenditur fiducia in Deo, adoratio cordis, & patientia: ſub *ſpe*, feruor fiduciæ: ſub *charitate erga Deum*, pœnitentia, gratitudo erga Deũ, timor Dei, obedientia erga Deũ, humilitas coram Deo, perſeuerantia in amore Dei, & ſimilia. *Prohibentur* ergo contraria hoc ordine. 1. ignorantia veri Dei, atheiſmus, polytheiſmus, negligentia in cognoſcendo Deo. 2. infidelitas, dubitatio de bonitate aut potentiâ Dei, & præſumtio fidei. 3. diffidentia erga Deũ, & fiducia idololatrica. 4. elatio cordis, ſecuritas coram Deo, non metuens ipſius iram & iudicia; adoratio religioſa creaturæ, nimia humiliatio coram creaturâ. 5. impatientia, & patiẽtia hypocritica & Stoica. 6. deſperatio, & ſpes idololatrica. 7. odium Dei, & charitas idololatrica, quâ mundus, & quæ in eo ſunt, ſupra Deũ amantur. 8. perſeuerātio & induratio in peccatis, & ficta vel idololatrica pœnitentia. 9. ingratitudo in Deum. 10. contemtus Dei, timor ſeruilis, & nimius timor creaturarum. 11. inobedientia erga Deum, & obedientia nimia erga creaturam. 12. ficta humilitas & ſuperbia coram Deo. 13. apoſtaſia, & pertinacia in opinionibus impiis & ſuperſtitioſis.

III. *Secundum decalogi præceptum continetur prohibitione, & illius ſanctione.*

Prohibitio eſt gemina, de fabricâ & cultu imaginum, in illis verbis:

1. NON FACIES TIBI SCVLPTILE, AVT VLLAM SIMILITVDINEM EORVM QVÆ SVNT IN COELIS SVPRA, AVT INFRA IN TERRIS, AVT IN AQVIS SVB TERRA. Hoc eſt, Non facies vllam imaginem, quâ coneris me repræſentare.

2. NON INCVRVABIS TE IIS, NEQVE COLES EA. Hoc eſt, Non coles imaginem, tanquam Deum, aut tanquam aliquid diuinum, in quo nempe aut per quod velis mihi honorem deferre.

Sanctio,

Sanctio, siue ratio interdicti, est itidem gemina.

1. NAM EGO IEHOVA DEVS TVVS SVM DEVS ZELOTES, VISITANS PECCATA PATRVM IN FILIIS, IDQVE IN TERTIAM ET QVARTAM GENERATIONEM EORVM, QVI ODERVNT ME. Quòd si ergo sum *Deus tuus*, extremæ ingratitudinis fuerit, si te ad idololatriam prostituas. Si verò hoc feceris, experieris me *Deum fortem Zelotem*, qui riualem non patitur, adeo quidem, vt hanc scortationem spiritualem parentum in liberis puniam, descendendo illos etiam in tertiâ & quartâ generatione, vtpote genitos ex huiusmodi parentibus, qui coniugium meum, quod cum homine iniui, violarunt.

2. ET MISERICORDIA VTENS IN MILLESIMAM EORVM, QVI DILIGVNT ME, ET OBSERVANT PRÆCEPTA MEA. Nam sicut odio prosequor illos, qui me oderunt: ita faueo atque bonis innumeris afficio illos, qui me diligunt: faueo, inquam, & foueo illos, etiam in millesimam generationem, non in tertiam aut quartam tantùm. *Prohibetur* itaque in hoc præcepto partim intermissio veri ritus colendi Deum, partim ritus Deum colendi falsus, qui ratione obiecti est triplex. *Aut* enim à Deo non est præceptus, sed ex humano cerebro profectus, qui dicitur ἐθελοθρησκεία: *aut* est à Deo prohibitus, vt fabrica imaginum religionis ergo, & ipsarum cultus: *aut* denique à Deo quidem est præceptus, sed in alienum finem directus, vt cultus superstitiosus, itemque hypocriticus. Vnde porrò patet *præcipi* ritum illum, quo Deus in Ecclesiâ coli vult. Cuius ritus *partes* sunt in rectâ tractatione verbi & sacramentorum, itemque in oratione: *adminicula*, in ieiunio & voto.

IV. *Tertium decalogi præceptum constat interdicto, & ratione interdicti.* *Interdictum* ita se habet:

NON ASSVMES NOMEN DOMINI DEI TVI TEMERE. Hoc est, Non leuiter & irreuerenter, sed religiosè appellabis me in sermone & scriptis tuis, ratione titulorum, essentiæ, proprietatum, & operum meorum. *Ratio interdicti* est.

QVIA NON DIMITTET DOMINVS IMPVNITVM, QVI NOMEN EIVS VANE VSVRPAVERIT. Horribile si quidem est nomen tanti tamque benigni Domini leuiter & irreuerenter vsurpare. Itaque hîc *præcipitur* sanctificatio nominis Dei, quæ consistit in affectu & effectu. Affectus est in zelo pro gloriâ Dei. Effectus fit verbis & factis. Sanctificatio verbis præstanda, est sancta nominis Dei vsurpatio, & constans eius confessio. Sancta vsurpatio nominis Dei cernitur in quotidianâ conuersatione, precatione, gratiarum actione, consecratione, iuramento, adiuratione, & sortibus. Constans confessio, seu professio, nominis Dei, est, cùm veritatem ex verbo Dei agnitam, quoties opus est, ad eius gloriam liberè & apertè coram hominibus confitemur. Facto ipso sanctificatur nomen Dei, cùm vita & actiones nostræ respondent sanctæ nostræ professioni. Hinc patet, quænam *prohibeantur*: videlicet 1. stupor, gloriam Dei non curans; zelus errans, inconsideratus, & simulatus. 2. superstitiosa nominis diuini reticentia, leuis eius assumtio, facetiæ & sales è Scripturis, blasphemia & probrum in Deum immediatè aut mediatè coniectum. 3. omissio precationis, & precatio impia aut superstitiosa. 4. gratiarum actionis omissio, & gratiarum actio simulata. 5. consecrationis legitimæ, quâ res vsibus nostris inseruientes verbo Dei ac precibus sanctificantur, intermissio, consecratio superstitiosa & magica; incantatio. 6. improbatio iuramenti, aut legitimè delati detrectatio, periurium; iuramentum temerarium, iniustum, idololatricum. 7. adiuratio temeraria, adiuratio diaboli magica, & imprecatio impia. 8. sortitio fraudulenta, vel superstitiosa. 9. veritatis dissimulatio, aperta negatio, & intempestiua confessio. 10. impietas, seu intermissio sanctificationis, quâ Deus ipso facto debebat à nobis sanctificari.

V. *Quartum decalogi præceptum constat tribus membris: præcepto videlicet, ac præcepti tum expositione, tum sanctione seu ratione.* *Præceptum* est in illis verbis:

MEMENTO VT DIEM SABBATI SANTIFICES, Hoc est, Da operam, vt sanctâ quiete transigas diem quietis meæ, cessando ab operibus mundanis, & vacando iis, quibus ille dies potest sanctificari, i.e. separari à reliquis diebus, à communi nempe vsu.

Expositio præcepti est in his verbis:

SEX DIEBVS OPERABERIS, ET FACIES OMNE OPVS TVVM. AT DIE SEPTIMO SABBATVM EST IEHOVÆ DEI TVI. NON FACIES VLLVM OPVS: NEC TV, NEC FILIVS TVVS, NEC FILIA TVA, NEC SERVVS TVVS, NEC ANCILLA TVA, NEC IVMENTVM TVVM, NEC ADVENA QVI EST INTRA PORTAS TVAS. Nimirum *sex dies* de septimanâ tibi relinquo, vt *facias omne opus tuum*, in tuâ nempe vocatione. *At die septimo*, qui claudit septimanam, *est sabbatum Iehouæ Dei tui*, quo debes cessare ab operibus vocationis tuæ, & totus esse in operibus vacationis sacræ, i.e. Dei tui, ita nempe, *vt non facias vllum opus*, quo tuibetur ista quies sacra. *Nec tu*, tanquam princeps familiæ. *Nec filius tuus, nec filia tua*: quia debes illos instituere in operibus vacationis sacræ. *Nec seruus tuus, nec ancilla tua*: quia volo vt & illi instituantur in operibus vacationis sacræ, & simul reficiantur quiete corporis ab operibus vocationis suæ. *Nec iumentum tuum*: quia nisi illa quiescant, neque tu neque familia tua quiescere potestis, vtpote qui regendis iumentis præesse soletis. Deinde volo vt ipsæ quoque bestiæ reficiantur quiete istâ corporis. *Nec aduena qui est intra portas tuas*: quia si ille laboraret hoc die, posses ipsius operâ vti, vel etiam ab ipso seduci.

Sanctio est ab exemplo Dei, in illis verbis:

NAM SEX DIEBVS FECIT IEHOVA COELVM ET TERRAM, MARE, ET OMNIA QVÆ SVNT IN EIS: ET REQVIEVIT DIE SEPTIMO. ICCIRCO BENEDIXIT IEHOVA DIEM SABBATI, ET SANCTIFICAVIT EVM. *Requieuit* autem *Deus*, non quòd fatigatus esset creando (neque enim motu, sed nutu creauit omnia) sed quia perfecit opus creationis, & in illo acquieuit, redeundo ab illarum creatione ad sui contemplationem in rebus creatis, tanquam monumentis naturæ suæ. Tu itaque fac simile, & à tuis operibus ascende ad contemplationem Dei, & in illo quiesce, hoc inprimis die quem *Deus benedixit, & sanctificauit*, segregando ipsum à reliquis diebus, & traducendo ad solennem sui cultum. Itaque hîc *præcipitur* sanctificatio sabbati, quæ consistit in omissione, & actione. Omittenda sunt opera externæ & temporalis vocationis: nisi fortè citra ingens damnum in alium diem reiici nequeant. *Luc.* 14. 5. Facienda autem sunt sabbato opera, quibus dies ille destinatus est: quod genus sunt, sacros cœtus frequentare, sacramenta participare, ægrotos inuisere, &c. Atque hoc est τὸ ἠθικὸν huius præcepti. Quod attinet ad τὸ τυπικὸν, illud est sublatum, & circumstantia temporis (saluâ manente præcepti substantiâ) in diem primum septimanæ à Christo translata: vnde hæc dies dicitur Dominica, 1. *Cor.* 16. 2. *Apoc* 1. 10. eâdem nempe ratione, quâ sacra cœna vocatur cœna Dominica, 1. *Cor.* 11. 20. quia sc. & à Domino nostro Iesu Christo fuit instituta, & ad ipsius cultum debet referri. Porrò sanctificationi sabbati *opponitur* eius tum neglectus, tum profanatio. Neglectus sabbati aut simpliciter committitur, cùm nulla eius habetur ratio: aut secundùm quid, cùm vel solâ cessatione ab operibus nostris adeóque ignauo otio transmittitur, omissis iis operibus, quibus sabbatum destinatum est; vel opera illa perfunctoriè tantùm & sine internâ animi deuotione peraguntur; quale sabbatum meritò hypocriticum dicitur. Profanatio sabbati fit 1. operibus externæ vocationis citra necessitatem susceptis, velut itineribus, debitorum exactionibus, &c. 2. operibus carnalibus, putà lusu, comœdiis, comessationibus, & id genus aliis peccatis. 3. operibus idololatricis.

VI. *Quintum decalogi præceptum duabus constat partibus, præcepto & ratione præcepti, quæ sumitur à promissione.*

Quintum decalogi præceptũ.

Præceptum ita sonat:

HONORA PATREM TVVM ET MATREM TVAM. Hoc est, Omnes illos, qui tibi sunt id, quod liberis est pater aut mater, honora reuerenti opinione *in intellectu tuo*, amore & timore filiali *in voluntate tuâ*, modestia *in gestu tuo*, reuerentia *in sermone tuo*, obsequio & seruitio *in factis tuis*, studio implendi voluntatem ipsorum sanctam *in occasionibus omnis generis*.

Promissio est ita:

VT DIV VIVAS IN TERRA, QVAM IEHOVA DEVS TVVS DAT TIBI. Nam si eos, qui tibi sunt parentes naturali aut ciuili ratione, rectè honoraueris, inter alia præmia etiam hoc reportabis, vt sis longæuus in terra, si quidem hoc expedierit ad salutem animæ tuæ. Ratio huius sanctionis est gemina. 1. quia honor parentum est imago illius honoris, quem Deo, Patri nostro cœlesti, debemus. 2. quia ille idem honor est fundamentum obseruationis reliquorum præceptorum. Nam si inferiores ita se gerant erga superiores, vti par est, totus decalogus eò faciliùs potest ab omnibus custodiri. Cæterum *virtutes inferiorum erga superiores* hîc *præcipiuntur* numero tres: reuerentia, obedientia, gratitudo. Itaque *prohibentur* 1. irreuerentia & contemtus superiorum. 2. inobedientia, rebellio, correctionis impatientia, & obedientia in rebus illicitis. 3. ingratitudo. *Superiorum virtutes* sunt beneuolentia, iustitia, & sedulitas: quibus opponuntur 1. contemtus inferiorum, & ἀστοργία. 2. crudelitas, iniustitia, & tyrannis. 3. ignauia & πολυπραγμοσύνη.

VII. *Sextum decalogi præceptum est negatiuum*, Non occides: *ex quo affirmatiuum colligitur*, sed vitam tuam & proximi conseruabis.

Sextum decalogi præceptũ.

Nostræ vitæ conseruatio consistit in legitimo vsu legitimorum mediorum: quod genus sunt, cibus & potus, recreatio, medicina, periculorum declinatio, & iniuriæ propulsatio legitima. Huic conseruationi opponitur eius neglectus, itemque αὐτοχειρία. *Conseruatio vitæ proximi* est in eo, vt non solùm ab eius læsione abstineamus, sed vitam & incolumitatem eius amemus, ac pro virili tueamur, studendo nempe innocentiæ, mansuetudini, clementiæ, æquitati, iustitiæ vindicatrici, & fortitudini tempore pacis iuxta & belli. Hîc itaque prohibentur 1. iniuria,

1. iniuria, & innocentia fucata. 2. ira iniusta, iracundia, lentitudo, vindictæ cupiditas. 3. feritas seu crudelitas, an nimia indulgentia. 4. summum ius, quod vulgo dicitur summa iniuria. 5. nimia lenitas, quâ non obseruatur regula: *Vnus potius pereat, quàm vnitas.* 6. ignauia seu pusillanimitas, audacia, temeritas.

Septimũ decalogi præceptũ. VIII. *Septimum decalogi præceptum constat simplici negatione,* Non mœchaberis: *ex quâ colligitur ista affirmatio,* sed studebis temperantiæ; adeóque tuam & aliorum pudicitiam conseruabis.

Itaque conseruandæ pudicitiæ medium est temperantia in coniugio, & extra coniugium. Est autem *temperantia* 1. sobrietas circa cibum & potum. 2. vigilantia circa somnum. 3. castitas. 4. verecundia circa gestus & verba. 5. honestas circa vestitum. His virtutibus opponuntur 1. voracitas, crapula, ebriositas, abstinentia noxia. 2. somnolentia, & vigiliæ superstitiosæ. 3. castitas simulata, & omnis impuritas velut fornicatio, adulterium, stuprum, incestus, raptus, mollities, Sodomia, bestialitas, &c. 4. verborum obscœnitas, gestuum lasciuia & turpitudo, choreæ lasciuæ, picturæ & cantiones obscœnæ, turpia spectacula, &c. 5. turpis ac lasciuus corporis vestitus & cultus.

Octauum decalogi præceptũ. IX. *Octauum decalogi præceptum constat simplici negatione,* Non furaberis: *ex quâ concluditur huiusmodi affirmatio,* sed in bonis terrenis iustè ages.

Iustè, inquam, ages quantum ad proximum & teipsum. *Quantum ad proximum*; vt studeas iustitiæ commutatiuæ, & beneficentiæ. Iustitia commutatiua, pro contractuum varietate, est triplex. 1. in vendendo & emendo; quæ rerum & pretij æqualitatem obseruat. 2. in rebus vtendis; quando in locatione & conductione, vsus aut fructus lucro æquatur. 3. in rebus custodiendis; quâ in depositis ac pignoribus repetendis aut restituendis æquitas obseruatur. Beneficentia est, quâ facultatibus nostris proximum rectè iuuamus. Ea est liberalitas, magnificentia, eleemosyna, & hospitalitas. *Quantum ad nos ipsos* requiritur 1. αὐτάρκεια, siue sufficientia. 2. parsimonia, seu frugàlitas. 3. φιλοπονία, seu studium honestè rem parandi. Itaque hîc *prohibentur* ista vitia. 1. iniustitia commutatiua; nominatim vsura lucratoria seu mordax. 2. beneficentiæ neglectus, sordities, immisericordia, beneficentia intempestiua & hypocritica. 3. incredula anxietas de sustentatione vitæ huius, auaritia, & fastidium rerum præsentium. 4. tenacitas, & profusio. 5. otium, vita inordinata, artes lucrandi inhonestæ, vt fœnus, alea, militia mercenaria, aliáque media ditescendi per fas & nefas.

Nonum decalogi præceptũ. X. *Nonum decalogi præceptum est negatiuum,* Non dices falsum testimonium contra proximum tuum: *ex quo colligitur affirmatiuum,* sed proximi tui, itemque tuæ famæ tuendæ studebis.

Itaque & huius præcepti *virtutes* aliæ ad proximum, aliæ ad nos referuntur. Ibi sunt veracitas & candor, quibus subseruiũt fides seu fidelitas, grauitas, taciturnitas, comitas, vrbanitas, & parrhesia: hîc sunt [illegible], quâ de nobis modestè loquimur; & vita inculpata, quâ non tantum bonam conscientiam coram Deo, sed & bonam famam apud proximum seruare studemus. His virtutibus opponuntur ista vitia. 1. veritatis neglectus, dissimulatio vitiosa, mendacium, & falsum testimonium. 2. suspicio praua, curiositas in vitiis proximi, non emendandi, sed calumniandi studio indagandis; calumniæ ipsæ, & adulatio. 3. ἁπλότης in sermone, simplicitas imprudens & simulata, fides simulata. 4. grauitas simulata, garrulitas, stultiloquium. 5. perfidia, & taciturnitas vitiosa. 6. morositas, & comitas simulata. 7. rusticitas, scurrilitas, & dicacitas, seu sermo aculeatus. 8. præpostera timiditas, & nimia alios censendi cupiditas. 9. impudentia, quâ quis de sceleribus suis gloriari non dubitat; præfidens ac stulta gloriatio; extenuatio hypocritica. 10. famæ & conscientiæ contemtus, popularis auræ affectatio, nimiáque in diffamatione ferendâ impatientia.

Decimum decalogi præceptũ. XI. *Decimum decalogi præceptum constat negatione, & declaratione.*

Negatio est ibi:

NON CONCVPISCES: leuiculo etiam motu modoque inordinato.

Declaratio sumitur ex obiecto hunc in modum:

DOMVM PROXIMI TVI: NON CONCVPISCES VXOREM PROXIMI TVI: NEC SERVVM EIVS, NEC ANCILLAM EIVS, NEC BOVEM EIVS, NEC ASINVM: NEC QVIDQVAM EORVM, QVÆ SVNT PROXIMI TVI. Itaque hîc *prohibetur* concupiscentia inordinata, quæ scilicet antecedit consensum voluntatis, seu affectum, ita vt sit mera concupiscentia non ordinata. Nam concupiscentia, quæ fit voluntate pendente, aut inclinante prohibetur in præceptis antecedentibus. *Præcipitur* ergò hîc ordinatio concupiscentiæ, & lucta aduersus concupiscentiam inordinatam. Ordinatio concupiscentiæ est, quâ primum illum motum, qui voluntatem antecedit & præparat, conformamus ad normam legis. Lucta aduersus primum concupiscentiæ motum est, quando carnem nostram ita crucifigimus, vt non solùm pugnemus aduersus delectationem & assensum concupiscentiæ prauæ, quæ in præcedentibus præceptis prohibetur, sed etiam contra suggestionem.

Atque hæc est explicatio decalogi; quam illustriorem & ampliorem facies ex philosophiâ practicâ, locis communibus theologicis, casibus conscientiæ, theologiâ morali, & iurisprudentiâ. de quibus vide suo loco.

CAPVT IV.

De Oratione Dominicâ.

PRÆCEPTA.

ORatio Dominica est compendium rerum à DEO petendarum, à Christo præscriptum. *Matth.* 6. 2. 9. 10. 11. 12. 13. *Luc.* 11. v. 2. 3.

In illâ spectatur vsus, & explicatio.

Vsus orationis huius est, vt sit norma precationis, Lydius lapis omnium aliarum precum, & sacra quædam anchora in omni vitæ genere.

Explicatio pendet à certis regulis & partitione.

Regulæ gubernantes explicationem orationis Dominicæ sunt ita.

I. Cum petitionibus subintelligenda est gratiarum actio.

II. Vbi aliquid boni precamur, ibi simul contraria mala, adeoque & defectus nostros deprecamur. Et sicut pro bonis collatis, ita etiam pro malis ablatis agimus gratias.

III. Quæ oramus, non pro nobis solùm oramus, sed etiam pro aliis, maximè consortibus fidei.

IV. Cum bonis petimus etiam causas ipsorum, & media, & finem. Ita cùm mala deprecamur, eorum quoque causas, occasiones, & euentus deprecamur.

V. Petitiones huius orationis synecdochicè sunt conceptæ, & proinde ex parte totum, ex specie genus debet colligi.

VI. Vna eademque res diuerso respectu potest referri ad plures petitiones.

VII. In diexodicâ narratione singularum petitionum constituantur sex capita, hoc ordine. 1. *Analysis*, siue sensus. 2. *Paraphrasis.* 3. *Agnitio boni*, quod habuimus ex creatione, adeoque imaginis Dei. 4. *Deploratio & deprecatio defectuum,* adeoque imaginis diaboli. 5. *Dona petenda.* 6. *Gratiarum actio.*

Partitio huius orationis fit in exordium, sex petitiones, & epilogum.

Exordium est in illis verbis: PATER NOSTER, QVI ES IN COELIS.

Sex petitiones diuiduntur in duas classes.

Prima classis complectitur tres petitiones, quæ concernunt gloriam Dei: vnde in singulis occurrit pronomen, TVVM.

Prima petitio est in illis verbis: SANCTIFICETVR NOMEN TVVM.

Atque hic est summus finis, ad quem referuntur reliquæ petitiones.

Secunda petitio est in illis verbis: VENIAT REGNVM TVVM.

Tertia petitio ita sonat: FIAT VOLVNTAS TVA, SICVT IN COELO, ITA ETIAM IN TERRA.

Secun

Secunda claſſis petitionum ſimiliter complectitur tres petitiones, quæ ad noſtram neceſſitatem pertinent: vnde in ſingulis occurrit pronomen NOS, NOSTER, NOBIS.

Ex his tribus petitionibus quarta ſpectat bona corporalia; reliquæ duæ, bona ſpiritualia, & quidem quinta iuſtificationem, ſexta ſanctificationem.

Quarta petitio eſt eiuſmodi: PANEM NOSTRVM QVOTIDIANVM DA NOBIS HODIE.

Quinta eſt in illis verbis: ET REMITTE NOBIS DEBITA NOSTRA, SICVT ET NOS REMITTIMVS DEBITORIBVS NOSTRIS.

Sexta ita habet: ET NE NOS INDVCAS IN TENTATIONEM: SED LIBERA NOS A MALO.

Epilogus continet confirmationem & ſignaculum fidei.

Confirmatio eſt in iis verbis: QVIA TVVM EST REGNVM, ET POTENTIA, ET GLORIA, IN SECVLORVM SECVLA.

Signaculum fidei eſt in particulâ AMEN.

REGVLÆ.

I. *Præfatio orationis Dominicæ præparat animum ad docilitatem, fiduciam, charitatem, & humilitatem.*

Ad docilitatem: indicat enim, quis inuocandus ſit, nempe ſolus Deus, qui eſt *Pater* noſter iure creationis, & redemptionis. *Ad fiduciam*: indicat enim, quòd Deus ſit Pater *noſter*, qui vult nos exaudire; & quòd ſit *in cœlis*, qui poteſt nos exaudire & iuuare. *Ad charitatem*: indicat enim, quòd Deus ſit *Pater noſter*, hoc eſt, omnium hominum, & ſpeciatim omnium credentium. *Ad humilitatem*: indicat enim, quantus ſit ille Pater, nempe cœleſtis, id eſt, meâ ſanctimoniâ, & mirâ potentiâ præditus.

II. *Prima petitio orationis Dominicæ eſt de ſanctificatione publica & priuata nominis Dei, per gratiam ipſius, noſtrámque fidem & vitam.*

Itaque *petimus* à Deo, vt nos doceat magis & magis cognoſcere ſuum nomen, id eſt, eſſentiam, proprietates, opera, & verbum; & ſimul hanc gratiam largiatur, vt ipſum ex verbo & operibus rectè cognitum rectè colamus amore, more, ore, & re, ſublatis omnibus iis, quæ gloriam nominis eius obſcurant, vti ſunt durities cordis, ſuperbia interna & ſpiritualis, & ingratitudo erga Deum; quæ proinde *deploramus & deprecamur.*

III. *Secunda petitio orationis Dominicæ eſt de aduentu regni Dei, vt vita æterna in nobis inchoetur per ipſius gratiam, noſtrúmque deſiderium, & ſtudium ſanctitatis, & tandem aliquando conſummetur in illuſtri Chriſti aduentu.*

Itaque *petimus* à Deo, vt in nobis efficiat deſiderium vitæ æternæ ardentiſſimum & practicum, adeóque ſtudium ſanctæ vitæ, quæ eſt via ad vitam æternam. E contrario *deploramus & deprecamur* impedimenta huius regni, vt ſunt furor diaboli, & hoſtium eius, ſeruitus ſub peccato & diabolo, priuatio verbi Dei & ſacramentorum.

IV. *Tertia petitio orationis Dominicæ eſt de abnegatione noſtri, vt voluntatem Dei patiamur & faciamus in vitâ & morte, in rebus ſecundis & aduerſis.*

Itaque *petimus* à Deo, vt det nobis in regno gratiæ facere officium tum commune omnium piorum, tum proprium cuique, ita nempe, vt renuntiemus propriæ voluntati, eámque cum omnibus prauis deſideriis abnegemus & crucifigamus, & ipſi ſoli, Deo & Patri noſtro, promptè, alacriter, & plenè in omnibus obediamus, & more cœlitum, ſine murmure faciamus ipſius voluntatem in lege ac euangelio patefactam, quæ eſt, vt credamus inuiſibilia, ſperemus dilata, & amemus Deum & proximum noſtrum, etiam quando ſe nobis contrarios oſtendunt. Hîc itaque *deploramus & deprecamur* rebellionem & inobedientiam cordis noſtri erga Deum, peccata omnis generis, & nominatim hypocriſin, ignauiam, & imperfectam noſtram obedientiam erga Deum.

V. *Quarta petitio eſt de ſuſtentatione vitæ huius animalis, per media vocationi noſtræ conſentanea.* Quarta petitio.

Hîc itaque *petimus* à Deo, vt nobis largiatur in regno potentiæ, ſeu prouidentiæ, ex merâ liberalitate victum & amictum, qui naturæ, ſiue ſubſtantiæ, & vocationi noſtræ conuenit, toto hoc tempore, quo peregrinamur in hac vita. Huc ergo pertinent omnis generis βιωτικὰ, cibus, potus, veſtitus, habitatio, bona valetudo, omninóque ſtatus œconomicus, ſcholaſticus, & politicus bene ſe habens. Sed non ſolùm iſta petimus, verùm etiam vt Deus vitam noſtram ſibi habeat commendatam, & benedicat laboribus manuum noſtrarum, & det nobis vt contenti ſimus noſtrâ ſorte. E contrario *deploramus & deprecamur* auaritiam, diffidentiam circa res huius vitæ, ignauiam, modos acquirendi illicitos.

VI. *Quinta petitio orationis Dominicæ eſt de condonatione peccatorum noſtrorum, quam colligimus ex condonatione offenſorum proximi noſtri.* Quinta petitio.

Hîc itaque *petimus* à Deo veniam peccatorum noſtrorum, quæ nos tanquam infinita & grauiſſima debita moleſtant: ne ſcil. illorum recordetur, ſed ex immenſa miſericordia ſua propter Chriſtum in profundum maris abiiciat, nobíſque magis ac magis augeat fidem remiſſionis peccatorum, & hanc faciat gratiam, vt proximo condonemus peccata, quibus nos offendit, vt ita ex ſincera hac condonatione, tanquam ex ſigno & fructu iuſtificationis infallibili colligamus nobis remiſſa eſſe peccata noſtra. E contrario *deploramus & deprecamur* onus peccatorum noſtrorum.

VII. *Sexta petitio orationis Dominicæ eſt de præſentia auxilij Dei, ne nos permittat ludibrio Satanæ, carnis, & mundi, ſed aduerſus tot & tantos hoſtes nos ſuſtentet.* Sexta petitio.

Hîc itaque *petimus* à Deo, ne permittat nos tentatione aliqua à Satana, carne, aut mundo immiſſa ſuperari: ſed vt ſpiritu fortitudinis nos inſtruat contra hoſtes, & liberet à malo, quod diabolus nobis laborem & moleſtiam creat. E contrario *deploramus & deprecamur* continuam naturæ noſtræ corruptionem, rebellionem, & contumaciam aduerſus Deum, quâ fit vt propendeamus ad parendum ſuggeſtionibus diaboli, carnis, & mundi, non verò ſanctis motibus à Spiritu ſancto accenſis.

VIII. *Confirmatio orationis Dominicæ complectitur quatuor columnas fidei.* Confirmatio orationis Dominicæ.

Docet enim, Deo preces noſtras cordi eſſe. 1. quia eſt rex. 2. & poteſt exaudire ac iuuare. 3. & vult exaudire ac iuuare, propter nominis ſui gloriam. 4. nec mutat ſuum in nos affectum, aut ſuam naturam & maieſtatem; vtpote qui talis eſt in ſecula ſeculorum.

IX. *Particula* Amen *in oratione Dominica eſt aſſeuerantis & optantis ſimul.* Vocula Amen qualis hoc loco.

Nam ſeriò & cum exauditionis fiducia nos hæc petiiſſe teſtamur, & vt ita eueniant optamus. Itaque aſſeuerando optamus, & optando aſſeueramus.

CAPVT V.

De Inſtitutione S. Baptiſmi.

PRÆCEPTA.

INſtitutio baptiſmi ſacri eſt actio Chriſti, quâ ille primum noui teſtamentum inſtituit, in quo omnibus in familiam Dei receptis, externâ aquæ immerſione vel aſperſione, peccatorum remiſſio per ſanguinem Chriſti, & regeneratio per Spiritum ſanctum, denique reſurrectio ad vitam æternam obſignatur.

Inſtitutio illa complectitur mandatum, promiſſionem, & cōminationem. *Matt.* 28.18. *Marc.* 16. *v.* 15.16.

REGVLÆ.

I. *Mandatum in formulâ baptiſmi eſt tripartitum.* Mandatum in formulâ baptiſmi.

1. ITE: Hoc eſt, Vos mei diſcipuli, eſtote mei legati & commiſſarij, hinc inde proficiſcendo.

2. ET DOCETE OMNES GENTES: Hoc eſt, Per prædicationem euangelij facite mihi diſcipulos.

3. BAPTIZANTES EOS IN NOMEN PATRIS, FILII, ET SPIRITVS SANCTI: Hoc eſt, Ritu merſionis in aquam, illos confirmate in hâc fide, quòd Deus in eſſentia vnus, ſit in perſonis trinus, atque hoc nomen inuocate ſuper baptizatos, vt illi non amplius ſint in regno Satanæ, ſed inde transferantur in regnum Dei Patris, Filij, & Spiritus S. qui ipſos omnis generis beneficiis ornabit, quibus illi reſpondere debent ſuis officiis, quæ nempe digna ſunt ſubditis in hoc regno.

Promiſſio in formula baptiſmi.

II. *Promiſſio in formula baptiſmi eſt de ſalute conferenda omnibus credentibus; & ſic habet:*

QVI CREDIDERIT, in Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, ET BAPTIZATVS FVERIT, ita nempe vt fidem ſuam hoc externo ritu teſtatam fecerit: IS SERVABITVR, hoc eſt, æternum beatus erit.

Comminatio in formula baptiſmi.

III. *Comminatio in formula baptiſmi eſt de condemnatione, quæ manebit incredulos; & ſic habet:*

QVI NON CREDIDERIT; ita nempe, vt ſit profanus, vel hypocrita: IS CONDEMNABITVR, hoc eſt, ira Dei manebit ſuper ipſum. Nam ille iurando in verba ſacramenti fit periurus.

CAPVT VI.

De Inſtitutione S. Cœnæ.

PRÆCEPTA.

INſtitutio S. Cœnæ eſt actio Chriſti, quâ ille alterum noui teſtamenti ſacramentum inſtituit, in quo Chriſtianis adultis, legitimo vſu panis & vini conſecrati, realis participatio corporis & ſanguinis Chriſti obſignatur.

Inſtitutio illa deſcribitur *Matth.26. v.26.27.28. Marc.14. v.22.23.24. Luc.22. v.19.20.* & reperitur *1.Cor.11. v.23.24.25.26.*

In hâc inſtitutione occurrit præfatio, & diſpenſatio epuli ſacri; & hæc eſt in tractatione ſingulari panis & vini, & communi obſignatione vtriuſque actûs.

REGVLÆ.

Præfatio in Inſtitutione S. Cœnæ.

I. *Præfatio in hac formula eſt de authore, & circumſtantia temporis; hoc modo:*

DOMINVS IESVS, almus ille ſeruator: EA NOCTE, QVA PRODITVS EST, vt traderetur Iudæis & Gentibus crucifigendus.

Tractatio panis in Euchariſtiâ.

II. *Tractatio panis continetur acceptione, gratiarum actione, fractione, præceptione primâ, promiſſione, & præceptione ſecundâ; hoc modo.*

1. ACCEPIT, manu ſuâ, PANEM, verum: vt ſignificaret ſpontaneam oblationem corporis ſui, qui fieri debebat panis vitæ.

2. ET GRATIIS ACTIS, Patri ſuo cœleſti: vt panem acceptum conſecraret, ſegregando ipſum à communi vſu ad vocationem & officium ſacrum.

3. FREGIT, id eſt, panem acceptum & conſecratum in fruſta comminuit: vt figuraret multifariam fractionem corporis ſui per flagellationem, coronæ ſpineæ impoſitionem, crucifixionem, & lateris ſui vulnerationem.

4. ET DIXIT, ampliùs conſecrando; ACCIPITE, manibus quiſque ſuis panem, nempe carnem meam, panem illum vitæ: EDITE, panem illum.

5. HOC, id eſt, hic panis benedictus, quem accipitis & editis, EST CORPVS MEVM, QVOD PRO VOBIS FRANGITVR, nempe ſacramentaliter, quatenus eſt ſignum, ſigillum, & medium, quo vobis declaro, obſigno, & offero corpus meum, iam iam frangendum doloribus & vulneribus multimodis, vt ſit vobis verus ille panis, qui vos paſcit in vitam vſque æternam.

6. HOC FACITE IN MEI RECORDATIONEM: ita nempe vt grata mente, ex vera fide, nunquam non recolatis memoriam paſſionis & crucifixionis meæ, quam vobis hæc cœna tanquam pictura & pignus ob oculos ponit.

Tractatio vini in Euchariſtia.

III. *Tractatio vini continetur acceptione, gratiarum actione, præceptione prima, promiſſione, & præceptione ſecunda.*

Acceptio, gratiarum actio, & præceptio prima proponuntur à Paulo implicitè, ibi: ITIDEM ET POCVLVM, POSTQVAM COENASSENT, DICENDO: Id eſt, Peracta comeſtione panis ac epi... vinum in poculo *gratiiſq; actis dedit eis, dicens. Bibite ex eo omnes.* quæ verba ſunt apud Matthæum.

Promiſſio eſt in illis verbis: HOC POCVLVM EST NOVVM ILLVD FOEDVS PER MEVM SANGVINEM: Id eſt, Vinum in hoc poculo eſt ſacramentum noui fœderis, quod ſancitur per meum ſanguinem mox effundendum, vt ſit λύτρον pro peccatis veſtris.

Præceptio ſecunda eſt ibi: HOC FACITE, QVOTIESCVNQVE BIBERITIS IN MEI RECORDATIONEM: ita nempe, vt grata mente, ex vera fide, nunquam non recolatis fuſionem ſanguinis mei, abſque quâ fœdus gratiæ non fuiſſet futurum ratum.

Communis obſignatio vtriuſque actionis Euchariſtiæ.


IV. *Communis obſignatio vtriuſque actionis Euchariſticæ continetur illis verbis:*

QVOTIESCVNQVE ENIM EDERITIS PANEM HVNC, ET POCVLVM HVNC BIBERITIS, MORTEM DOMINI ANNVNTIABITIS, VSQVEQVÒ VENIAT: Hoc eſt, Quamdiu in hoc mundo degitis, celebrate mortis meæ memoriam, & ſubinde prædicate hoc tantum tanti amoris monumentum, eóque vos erigite aduerſus tentationes, & inſimul excitate ad mutuum erga me & inter vos amorem: & quia viſibili forma apud vos non verſabor ampliùs, hoc ſymbolum præſentiæ, gratiæ, & Spiritus mei habete, donec præſentiam gloriæ meæ teſtatam faciam illuſtri meo aduentu.

PERORATIO THEOLOGIÆ CATECHETICÆ.

BReuiter delineauimus capita Catechetica, elementa illa Chriſtianiſmi, & alimenta nouitiolorum Chriſtianorum, de quibus duo iſta monendus es. 1. Textus horum capitum ſuprà ad calcem Grammaticæ Græcæ proponitur in lingua Hebraica, Græca, & Latina, atque etiam ex parte in lingua Syriaca. Inde igitur potes petere. 2. In ſingulis hiſce capitibus Catecheticis, & ſingulorum capitum particulis, oportet diſpicere, quomodo faciant ad cognitionem miſeriæ, mediatoris, & gratitudinis. Quæ obſeruatio multùm valet in praxi Catechiſmi.

ADVMBRATIO THEOLOGIÆ CATECHETICÆ.



FINIS THEOLOGIÆ CATECHETICÆ.

TERTIA



TERTIA SECTIO THEOLOGIÆ

In quâ proponitur

THEOLOGIA DIDACTICA.

ADMONITIO. Numeri minuſculi præfixi vocabulis diuerſo typi genere excuſis indicant titulos cuiuſque loci communis.

LOCVS I.

De Sacrâ Scripturâ.

PRÆCEPTA.



HEOLOGIA didactica eſt tertia pars ſyſtematis theologici, enarrans locos communes theologicos.

Loci communes theologici ſunt generaliſſima capita, ad quæ refertur quidquid eſt ſcientiæ theologicæ,

Horum locorum alij agunt de Scriptura ſacra, alij de dogmatibus, quæ in Scriptura occurrunt.

1. *Scriptura ſacra* eſt verbum Dei iuſſu eius conſignatum literis, vt ſit canon fidei & vitæ.

2. *Verbum Dei* conſideratur in genere, & in ſpecie.

In genere ſpectatur verbi Dei authoritas & facultas.

3. *Authoritas verbi Dei* eſt tanta, quanta eſt ipſius Dei.

4. *Facultas verbi Dei* eſt ſapientem reddere hominem ad ſalutem æternam.

Verbum Dei in ſpecie eſt internum, vel externum.

5. *Verbum Dei internum* imprimitur cordibus credentium; ídque immediatè, vel mediatè.

6. *Verbum Dei externum* eſt ἔγγραφον, vel ἄγραφον, id eſt, ſcriptum vel non-ſcriptum.

7. *Verbum Dei non-ſcriptum* eſt tum propheticum, ante Moſen: tum apoſtolicum, ſtatim initio prædicationis euangelicæ.

8. *Verbum Dei ſcriptum* eſt ipſiſſima Scriptura ſacra, in quâ occurrit partitio, affectio, & tractatio.

9. *Partitio Scripturæ* eſt ratione temporis, authoritatis, & partium eſſentialium.

10. *Ratione temporis* Scriptura diuiditur in libros veteris & noui teſtamenti, ſeu inſtrumenti. Illi dicuntur prophetici: hi, apoſtolici.

11. *Ratione authoritatis* Scriptura diuiditur in libros canonicos, & apocryphos

12. *Libri canonici V. T* ſunt numero XXXIX. N.T. XXVII. Vtrobique autem alij fuerunt ſemper certi: alij aliquando in dubium vocati.

13. *Libri canonici V. T.* aliter ab Hebræis, aliter à Græcis & Latinis diſtinguuntur. Et *Hebræi quidem* 39. libros V. T. reuocant ad 24. eóſque diuidunt in quatuor claſſes: videlicet in Legem, Prophetas priores, Prophetas poſteriores, & Hagiographa. *Græci* autem & *Latini* eos partiuntur in legales, hiſtoricos, dogmaticos ſeu poëticos, & propheticos: vel in hiſtoricos, dogmaticos, & propheticos in libros prophetarum maiorum & minorum.

14. *Libri canonici N.T.* diuiduntur *primò* in Euangelia, Acta Apoſtolorum, Epiſtolas, & Apocalypſim: *deinde* in libros hiſtoricos, dogmaticos, & vnum propheticum.

15. *Libri apocryphi* ſunt numero XVII omnes in V.T. è quibus nouem ſunt integri libri; reliqui octo, appendices librorum canonicorum.

16. *Partes eſſentiales* Scripturæ ſunt materia & forma.

17. *Materia Scripturæ* ſunt lex & euangelium.

18. *Forma Scripturæ* eſt interna, vel externa. Illa eſt in diuina ſignificatione (per hanc enim Scriptura ſacra eſt id quod eſt, & ab aliis ſcriptis diſtinguitur) hæc eſt in diſpoſitione ſyſtematis Biblici.

19. *Affectio*, ſeu proprietas, *Scripturæ* eſt authoritas, perfectio, & claritas.

20. *Authoritas Scripturæ* probatur teſtimoniis variis; quorum *alia* ſunt ſupra Scripturam, vt teſtimonium Spiritus ſancti teſtantis in corde noſtro: *alia* in Scriptura, vt teſtimonium Scripturæ de ſeipsâ, & varia ipſius κριτήρια, ſumpta à cauſis, effectis, ſubiectis, & adiunctis ipſius: *alia* infra Scripturam, vt teſtimonium Eccleſiæ, Iudæorum, Gentilium, hæreticorum.

21.22 23. *Perfectio*, ſiue ſufficientia, *Scripturæ* tanta eſt, vt ſit canon fidei & vitæ, ac proinde *iudex controuerſiarum* in religionis negotio, excludens omnes *traditiones*, quæ ipſius defectum ſuppleant.

24. *Claritas*, ſeu perſpicuitas, *Scripturæ* conſideratur abſolutè in ſe, & relatè ad nos.

25 *Tractatio Scripturæ* eſt ipſius verſio, lectio, & interpretatio.

26. *Verſio Scripturæ* conſideratur ſeparatim, vel coniunctim. *Separata* verſio eſt vetus, vel noua. *Vetus* iterum eſt Scriptúræ alterutrius, vel vtriuſque. *Alterutrius:* vt eſt *tum* verſio V.T. Chaldæa & Græca; & hæc alia ante, alia poſt natum Chriſtum: tum verſio N.T. Syriaca & Arabica. *Vtriuſque:* id eſt, V. & N.T. vt eſt verſio Latina; cuius multa olim genera extitiſſe docet *Auguſtinus lib. 2. de doctrina Chriſtiana c. 1. Noua verſio* etiam eſt vel alterutrius, vel vtriuſque Scripturæ. *Alterutrius:* vt verſio Münſteri V.T. & Eraſmi N.T. *Vtriuſque:* vt verſio Pagnini, &c. *Verſio coniuncta* apud veteres erat in Hexaplis & Octuplis exemplaribus Origenis: hodie eſt in Opere Complutenſi, Regio, &c. Porrò verſio omnis hîc iterum eſt duplex: alia *ſimplicior & adſtrictior*, quâ verbum verbo redditur, vt interlinearis Ariæ Montani: alia *liberior & ſolutior*, in quâ ſæpe ſenſus magis exprimitur quàm verba, & ornatus atque elegantia ſermonis adhibetur.

27. *Lectio Scripturæ* ſpectatur quantum ad neceſſitatem, & modum, qui circumſcribitur ſanctitate, prudentia, & diligentia.

28. *Interpretatio Scripturæ* eſt diuina, vel humana: infallibilis, vel fallibilis: publica, vel priuata: ſcholaſtica, vel eccleſiaſtica: ſynthetica, vel analytica.

REGVLÆ

Regulæ Positivæ.

Admonitio. Scriptura sacra in scholis appellatur *theologia positiua*, quòd tradat varias positiones, id est, principia simpliciter posita; quibus oportet nos assentiri. Hinc *regulas positiuas* hoc loco appellare libuit, quibus ista principia continentur. Regulis hisce positiuis adieci *regulas didacticas*, id est, illustrantes, confirmantes, & refutantes.

Scriptura θεόπνευστος.

I. *Scriptura est θεόπνευστος, id est, diuinitùs inspirata.*

2. *Tim*. 3. v. 16 Tota Scriptura diuinitùs est inspirata. 2. *Pet*. 1. v. 21. Non voluntate hominis allata est olim prophetia; sed acti à Spiritu sancto locuti sunt sancti Dei homines.

Scriptura lucerna.

II. *Scriptura est lucerna, id est, perspicua, & regula fidei & vitæ.*

Psalm. 119. v. 105. Lucerna pedi meo verbum tuum est, & lux itineri meo. 2. *Pet*. 1. v. 19. Habemus firmissimum sermonem propheticum, cui rectè facitis quòd attendatis velut lucernæ splendenti in obscuro loco, vsque dum dies illucescat. & lucifer exoriatur in cordibus vestris. 2. *Tim*. 4. v. 3. 4. Quòd si tectum est euangelium nostrum, iis qui pereunt tectum est. In quibus Deus huius seculi excæcauit mentes, nempe in infidelibus, ne irradiet eos lumen euangelij gloriæ Christi.

Scriptura perfecta.

III. *Scriptura est perfecta.*

Deut. 4. v. 2. Non addetis ad verbum hoc quod vobis loquor: nec auferetis ex eo. *Gal*. 1. v. 8. Etiamsi nos, aut angelus è cœlo annuntiauerit vobis præter id quod annuntiamus, anathema esto. 2 *Tim*. 3. v. 16. 17. Tota Scriptura diuinitùs est inspirata, & vtilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem quæ est in iustitiâ: Vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum perfectè instructus. *Confer Psal*. 19 v. 8. 9. 10. 11.

Scriptura omnibus legenda.

IV. *Scriptura omnibus Christianis est legenda.*

Deut. 6. v. 6. 7. 8. 9. Et erunt verba ista, quæ ego tibi præcipio hodie, in corde tuo: Eaque acutè ingeres filiis tuis, ac loquêris de eis cùm sedes domi tuæ, & cùm ambulas per viam, cùm cubas & cùm surgis: Etiam alligabis ea in signum manui tuæ & erunt pro frontalibus inter oculos tuos: Denique inscribes ea postibus domus tuæ, & portis tuis. *Psalm*. 1. v. 2. Sed cuius oblectatio est in lege Iehouæ; & qui de lege illius meditatur interdiu ac noctu. *Confer Psal*. 119. *Luc*. 16. v. 29. Habent Mosen & Prophetas: audiant illos. 2. *Tim* 3. v. 15. Teque à puero nouisse sacras literas.

Scriptura legitur dispari euentu.

V. *Scriptura dispari euentu legitur & auditur à piis & impiis.*

Rom. 1. v. 16. Non enim me pudet euangelij Christi. Potentia siquidem est Dei ad salutem cuiuis credenti. 1. *Cor*. 1. v. 23. 24 Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem offendiculum: Ipsis autem vocatis, tum Iudæis tum Græcis, Christum Dei potentiam ac Dei sapientiam. 2. *Cor*. 2 v. 15. 16. Nam Christi bona fragrantia sumus Deo in iis qui seruantur, & in iis qui pereunt: His quidem odor mortis ad mortem: Illis verò odor vitæ ad vitam. *Confer*. 2. *Cor*. 4. v. 3. 2. *Pet*. 3 v. 16. In quibus (epistolis Pauli) sunt nonnulla difficilia intellectu, quæ indocti parumque stabiles detorquent, vt & reliquas scripturas, suo ipsorum exitio.

Regulæ Didacticæ,

Causæ & attributa Scripturæ sacræ.

I. *De causis & attributis sacræ Scripturæ sunt hæ regulæ.*

1. *Scriptura sacra est omnium scripturarum caput*: quia si spectes causam efficientem, est dictata à spiritu Dei; si finem, perducit nos ad summum bonum; si materiam, continet veritatem secundùm pietatem; si formam, omnia continentur diuinâ harmoniâ; si effecta & adiuncta, singularis ibi est vbertas, summa facilitas, eximia profunditas, perspicua breuitas, diuina maiestas, orationis gratia mirabilis, perfectio omnimoda. 2. *Scriptura est primum credendi principium*. Omnia siquidem fidei dogmata vltimò resoluuntur in hoc principium: DEVS DIXIT. 3. *Scriptura est regula fidei & morum*. Reddit enim nos sapientes ad salutem. 4. *Scriptura est exarata Deo mandante*. Acceperunt namque prophetæ & apostoli mandatum scribendi à Deo, partim externè, *Deut*. 31. 19. partim internè, 2. *Pet*. 1. 21. 2. *Tim*. 3. 16. Non itaque fortuitis occasionibus scripserunt sancti illi viri. 5. *inspiratio diuina adfuit prophetis & apostolis cum aliquâ varietate*. Nam quædam scribenda incognita prorsus antea fuêre scriptori, vt historia creationis, & prædictiones futurorum. quædam autem priùs nota fuerunt scriptori, vt in historiâ Christi per apostolos conscriptâ patet: & horum alia naturali cognitione tenebant, alia supernaturali. In occultis & ignotis diuina inspiratio præstabat omnia per se: in iis, quæ nota fuerunt, assistentia spiritus efficiebat, ne errarent. Itaque historiæ ignotæ nituntur recordatione Spiritûs sancti: prædictiones reuelatione eiusdem spiritûs. 6. *Spiritus sanctus non solùm res inspirauit, sed etiam singula verba, quibus scriberentur, dictauit*. Hoc autem fecit cum suaui illâ attemperatione, quâ vnusquisque scriptor iis loquendi modis est vsus, qui maximè conueniebant eius conditioni & personæ. 7. *Non sufficit ad Scripturæ sacræ partem constituendam, vt liber scriptus sit per extraordinarium Dei seruum ex certâ spiritûs directione: sed etiam requiritur, vt authoritate diuina, publicè sit datus Ecclesiæ, & sanctificatus, vt sit canon fidei & vitæ*. Non itaq; omnia scripta diuina sunt ἐνδιάθηκα, seu canonica. 8. *Scriptura, quantum ad rem & subiectam materiam, fuit prior Ecclesiâ: sed quantū ad modum, cuius respectu dicitur Scirptura, posterior est Ecclesiâ primâ*. Proinde maior est authoritas Scripturæ quàm Ecclesiæ 9. *Scriptura non est partialis, sed totalis regula fidei & morum*. quia quidquid est necessarium creditu, speratu, & factu, in Ecclesiâ, id omne continetur in Scripturis. 10. *Canon Scripturæ per partes & successiuè fuit constitutus*. Non enim Ecclesiæ status & Dei sapientia postulabat, vt omnia semel & simul scriptis traderentur. Neque tamen ideo creuerunt articuli fidei, secundùm temporum successionem, quantum ad substantiam, sed tantùm quoad explicationem. 11. *Scriptura explicat voluntatem Dei partim regulis catholicis, partim narrationibus, exemplis, præceptis, admonitionibus, & promissionibus*. Prior modus tradendi maximè perficit intellectum; posterior inprimis afficit voluntatem. 12. *Etsi res in Scripturis sunt difficiles captu: tamen modus eos tradendi est clarus & perspicuus*; maximè in iis, quæ ad salutem sunt necessaria. 13. *Vnius loci Scripturæ sensus est vnicus*: quia aliâs Scripturæ sensus non tantùm non esset perspicuus & certus; sed nullus omnino. Quod enim non vnum significat, nihil significat certò. Interim in vaticiniis V. T. sensus interdum est compositus ex historiâ & typo 14. *Scriptura in iis linguis est exarata, quæ maximè communes & vulgatæ fuerunt in Ecclesiâ, tum temporis cùm conscriberentur*. Hinc omnes libri, qui ante aduentum Christi conscripti fuerunt, Hebraicè scribebantur: qui postea scripti fuerunt, Græcè tradebantur. 15. *Nulla versio Scripturæ est absolutè authentica, sed quatenus consentit cum fontibus*. Itaque versionbus humanis tutò possumus credere, quantum ad ea, quæ sunt absolutè necessaria. 16. *Scripturæ non indigent explicatione vllâ, quâ ipsis lux inferatur, sed sibimet lucem ipsæ præbent*. Illam itaque lucem debemus studiosè elicere, & pro vocationis ratione cum aliis communicare. 17. *Nulla traditio, tanquam Scripturæ supplementum, est admittenda*. Interim traditiones siue sanctiones Ecclesiæ, ad externorum rituum εὐταξίαν facientes, suo loco laudem habent atque vsum.

M[...] le[...]ge[...] Sc[...]uræ.

II. *De modo legendi Scripturam.*

1. *Lectio Scripturæ omnibus Christianis est necessaria*. 2. *Etsi Scripturæ interpretatio demandata est Ecclesiæ: summus tamen iudex interpretationis nemo est alius quàm Spiritus S in Scripturâ loquens*. 3. *Media verum Scripturæ sensum inuestigandi hæc sunt*: frequens oratio; linguarum cognitio, adeoque fontium inspectio; argumenti, siue subiectæ materiæ, & scopi consideratio; verborum propriorum & figuratorum distinctio; causarum, circumstantiarum, antecedentium & consequentium notatio, & Logica analysis; fidei analogia; obscuriorum cum illustrioribus, similium cum similibus, dissimilium cum dissimilibus collatio. 4. *Multum prodest catenam & œconomiam librorum sacrorum habere in conspectu*.

CATENA LIBRORVM BIBLICORVM.

Catena librorum biblicorum est institutio methodica de illorum cohærentiâ inter sese.

Libri biblici sunt canonici, vel apocryphi.

Libri canonici sunt libri θεόπνευστοι, in certum systema redacti, vt sint regula fidei & vitæ. *Gal*. 6. 16.

Suntque prophetici, vel apostolici: seu V. vel N. T.

Libri

Libri prophetici (latè ſumpto vocabulo) ſunt libri θεόπνευστοι, per prophetas exarati linguâ Hebræâ, & alicubi etiam Chaldaicâ.

Súntque primi, vel orti.

Libri prophetici primi ſunt quinque libri Moſis, quos Deus eccleſiæ ſuæ tradidit, cùm illa in formam politiæ eſſet redacta, vt eſſent fons doctrinæ catholicæ.

Ex his alij tradunt hiſtoriam eccleſiæ ante exitum ex Ægypto, vt Geneſis: alij ſub exitum & poſt illum, vt reliqui quatuor; ex quibus alij explicant nouam hiſtoriam, vt Exodus, Leuiticus, & Numeri: alij repetunt veterem hiſtoriam, vt Deuteronomium. Itaque

Geneſis eſt hiſtoria canonica de creatione mundi, lapſu hominis, ſtatúque eccleſiæ in priuatis familiis conſeruatæ.

Exodus eſt hiſtoria canonica de liberatione & exitu Iſraëlitarum ex Ægypto, promulgatione legis, & tabernaculo.

Leuiticus eſt hiſtoria canonica de cultu ceremoniali V. T.

Numeri ſunt hiſtoria canonica de militari profectione Iſraëlitarum in terram Canaan.

Deuteronomium eſt commentarius canonicus, leges è tribus proximis libris repetens, & explicans.

Libri prophetici orti ſunt omnes libri V. T. præter quinque libros Moſis, ad quos illi reſpiciunt tanquam ad doctrinæ ſacræ fontem.

Súntque hiſtorici, poëtici, vel prophetici.

Libri hiſtorici V. T. ſunt narrationes de rebus geſtis, ad doctrinam, in libris Moſis propoſitam, illuſtrandam & confirmandam.

Súntque de ſtatu eccleſiæ Iudaicæ ſub iudicibus, regibus, vel ducibus. Primi ordinis ſunt liber Ioſuæ, Iudicum & Ruth: ſecundi, ſunt libri Samuelis, Regum, & Chronicorum: tertij, liber Ezræ, Nehemiæ, & Eſtheræ.

Liber Ioſuæ eſt hiſtoria canonica de introitu & poſſeſſione terræ Canaan ſub Ioſuâ.

Liber Iudicum eſt hiſtoria canonica de corrupto & calamitoſo ſtatu eccleſiæ & reip. Iſraëliticæ à Ioſuâ ad Eli.

Liber Ruth eſt hiſtoria canonica de nuptiis & poſteritate Ruth.

Liber primus & ſecundus Samuelis ſunt hiſtoria canonica ſub Eli & Samuele ſacerdotibus, Saule & Dauide regibus.

Liber primus & ſecundus Regum ſunt hiſtoria canonica de rebus geſtis ſub regibus Iſraël & Iuda.

Liber primus & ſecundus Chronicorum ſunt hiſtoria canonica de initio, incremento, & ruinâ gentis Iſraëliticæ.

Liber Ezræ eſt hiſtoria canonica de reditu è captiuitate Babylonica, & inſtauratione vrbis incipiendâ.

Liber Nehemiæ eſt hiſtoria canonica de inſtauratione vrbis perficiendâ.

Liber Eſtheræ eſt hiſtoria canonica de conſeruatione eccleſiæ Iudaicæ in Perſiâ per Eſtheram.

Libri poëtici ſunt, qui doctrinam cœleſtem in Moſe traditam peculiari carminis genere explicant.

Súntque alij magis hiſtorici, vt liber Iob: alij magis dogmatici, vt liber pſalmorum: alij magis morales, vt tres libri Salomonis; ex quibus Prouerbia ſunt ſcripta ab ipſo iuuene; Eccleſiaſtes, ab ipſo ſene & reſipiſcente; Canticum, ab eodem ſene & reſipiſcentiæ fructum eximium proferente. Itaque

Liber Iobi eſt hiſtoria canonica, metricè ſcripta, de tentationum cauſis, deinde conflictu eius multiplici, poſtremò de felici exitu.

Liber pſalmorum eſt ſyntagma ſacrarum odarum, à Dauide & aliis viris entheis profectarum, vt omni eccleſiæ & populorum conditioni aptentur, & cum gratiâ in corde inprimis pſallantur.

Liber prouerbiorum eſt Chriſtiana ethica, de pietate in Deum, temperantiâ erga ſeipſum, & iuſtitia in proximum.

Eccleſiaſtes eſt concio de vanitate rerum humanarum omnium, quatenus earum vſus expers eſt timoris Dei.

Canticum Canticorum eſt diuinum epithalamium de mutuâ communione CHRISTI cum eccleſia; ſub allegoriâ ſponſi & ſponſæ.

Libri prophetici (ſtrictè accepto vocabulo) ſunt partim prædictiones de beneficiis & iudiciis Dei, nominatim de liberatione eccleſiæ, CHRISTI aduentu perficienda: partim obiurgationes impœnitentium, & conſolationes reſipiſcentium; ad illuſtrandam & confirmandam doctrinam Moſis.

Súntque prophetarum maiorum, vel minorum.

Prophetæ maiores ſunt, qui vberiùs præſtant ea, quæ diximus. Súntque Eſaias, Ieremias, Ezechiel, & Daniel.

Eſaias eſt primus ex maioribus prophetis, qui poſtquam variè reprehendit Iudæos, & ipſorum hoſtibus, putà Gentibus, varias denuntiauit pœnas, vtriſque multiplicem conſolationem proponit.

Ieremias eſt ſecundus ex maioribus prophetis, qui ſcripſit prophetiam, & threnos.

Prophetia Ieremiæ eſt ſyſtema concionum partim pœnitentialium, quibus peccata Iudæorum reprehenduntur, & pœna, nominatim exilium Babylonicum, repræſentatur: partim euangelicarum, quibus liberatio corporalis & ſpiritualis è Babylone promittitur.

Threni Ieremiæ ſunt carmen lugubre, de miſeriâ populi Iudaici circa tempora Ioſiæ.

Ezechiel eſt tertius inter prophetas maiores, qui variis viſionibus repræſentat Dei maieſtatem, & pœnas populi Iudaici; tum reprehendit Iudæos in Babylonia captiuos; denique liberationem ex Babylone corporalem & ſpiritualem prophetat.

Daniel eſt quartus inter prophetas maiores, qui poſtquam ſex primis capitibus narrauit ſtatum regni Babylonici ſua ætate, itémque ſtatum eccleſiæ ſub illo regno, ſubiicit ſex reliquis capitibus ſtatum eccleſiæ futurum vſque ad finem ſeculi.

Prophetæ minores ſunt, qui ſtrictiùs præſtant ea, quæ diximus.

Ex his alij prophetarunt ante captiuitatem Babylonicam, vt nouem priores; alij poſt illam, vt tres poſteriores, putà Haggæus, Zacharias, & Malachias.

Hoſeas eſt primus inter prophetas minores, denuntians ob varia Iſraëlis peccata varias Dei pœnas, nominatim excidium regni per Sarmanaſſarem, & conſolatione inſigni pios erigens.

Ioel eſt ſecundus inter prophetas minores, duabus concionibus tribum Iudæ obiurgans, terrens, exhortans, & conſolans.

Amos eſt tertius inter prophetas minores, qui primò concionatur decem tribubus, populis vicinis, & tribui Iudæ, deinde ſolis decem tribubus.

Abdias eſt quartus inter minores prophetas, vnâ concione denuntians Edomæis interitum, altera promittens populo Dei liberationem ſpiritualem ab illis.

Ionas eſt quintus ex minoribus prophetis, qui duplicem ſui vocationem, diuinitùs factam, hiſtoricè deſcribit.

Michæas eſt ſextus inter minores prophetas, qui vniuerſum Dei populum, nempe tum decem tribus, tum tribum Iudæ obiurgat, terret, & conſolatur.

Nahum eſt ſeptimus inter prophetas minores, vrb. Niniuæ denuntians interitum; idque ad ſolatium Iſraëlitarum, qui à Niniuitis fuerant oppreſſi.

Habacuc eſt octauus minorum prophetarum, prophetans de oppreſſione Iudæorum per Chaldæos, & interitu Chaldæorum ob iſtam preſſuram.

Sophonias eſt nonus inter prophetas minores, conciones ſuas dirigens ad tribum Iudæ per Chaldæos moleſtandam.

Haggæus eſt decimus è prophetis minoribus, templi ſecundi inſtaurationem vrgens, eiúſque gloriam prædicens.

Zacharias eſt vndecimus minorum prophetarum, inuitans populum, è captiuitate Babylonica reducem, ad pœnitentiam, propoſitis primò viſionibus de paterna Dei cura ipſis exhibita & exhibenda, deinde concionibus verum Dei cultum, variáque Dei beneficia, ob oculos ponentibus.

Malachias eſt duodecimus, iſque vltimus, prophetarum minorum, reprehendens populum Iudaicum, & prophetans de aduentu CHRISTI & Iohannis Baptiſtæ.

Hucuſque ſunt libri prophetici: ſequuntur *libri apoſtolici*, qui ſunt libri θεόπνευστοι, Græco ſermone per apoſtolos ſcripti, vel ſaltem ab iis approbati.

Súntque hiſtorici, dogmatici, vel propheticus.

Libri hiſtorici N. T. ſunt narrationes de geſtis CHRISTI & apoſtolorum. Ibi ſunt quatuor euangelia: hic acta Apoſtolorum.

Quatuor euangelia ſunt hiſtoria de CHRISTI in mundum exhibiti vita, geſtis, doctrina, & paſſione, inde à conceptione vſque ad aſcenſionem in cœlum.

Súntque Matthæi, Marci, Lucæ, & Iohannis.

Euangelium Matthæi eſt hiſtoria, incipiens à genealogia CHRISTI, eiúſque perſecutionem ſub Herode, baptiſmum, tentationem, conciones, miracula, paſſionem, reſurrectionem, & baptiſmi gentibus adminiſtrandi inſtitutionem pertexens.

Euangelium Marci eſt hiſtoria, incipiens à prædicatione Iohannis, indéque curriculum vitæ CHRISTI breuiter pertexens.

Euangelium Lucæ eſt hiſtoria, incipiens à natali Iohannis Baptiſtæ, indéque natiuitatem & curriculum vitæ CHRISTI plenè pertexens.

Euangelium Iohannis eſt hiſtoria, à deitate CHRISTI incipiens, indéque miracula, conciones, paſſionem, & apparitionem eius pertexens.

Acta apoſtolorum ſunt hiſtoria de geſtis præcipuè Petri & Pauli, ſcripta, vt extaret exemplar adminiſtrandi eccleſiam.

Libri dogmatici N. T. ſunt epiſtolæ, ita ab apoſtolis exaratæ, vt dogmata ſiue locos communes doctrinæ Chriſtianæ pertractent ſtilo familiari.

Súntque particulares, vel vniuerſales.

Epiſtolæ particulares ſunt, quæ certis eccleſiis, vel perſonis inſcriptæ fuerunt: vt Pauli omnes, & Iohannis ſecunda & tertia; quæ duæ tamen vulgò adnumerantur epiſtolis catholicis propter authoris, vt ita dicam, identitatem.

Epiſtolæ Pauli inſcriptæ fuerunt vel certis eccleſiis, vt nouem priores, & vltima: vel certis perſonis, vt quatuor. *Rurſus* quæ certis

certis ecclesiis inscriptæ fuerunt, aut Romanis, aut Græcis, aut Hebræis destinatæ sunt. In primo ordine est vna; in secundo, octo; in tertio, vna. *Denique* aliæ sunt maiores, vt illa ad Romanos, vtraque ad Corinthios, & epistola ad Hebræos: aliæ minores, vt reliquæ.

Epistola ad Romanos est institutio apostolica de miseria, iustificatione, & ædificatione hominis.

Prima ad Corinthios est institutio apostolica de reformandis abusibus ecclesiæ Corinthiacæ.

Secunda ad Corinthios est institutio apostolica de ratione seipsum & officium suum defendendi contra aduersarios; itémque de officiis hominis Christiani.

Epistola ad Galatas est institutio breuis apostolica de iustitia fidei & operum.

Epistola ad Ephesios est institutio apostolica de mysterio salutis, & vitæ Christianæ officiis.

Epistola ad Philippenses est institutio apostolica de fide, & studio pietatis, humilitatis, & concordiæ.

Epistola ad Colossenses est institutio apostolica de doctrina & vita Christiana.

Prima ad Thessalonicenses est institutio apostolica de perseuerantia fidei, vitæ sanctimonia & resurrectione mortuorum.

Secunda ad Thessalonicenses est institutio apostolica de patientia, aduentu Antichristi, & officiis hominis Christiani.

Prima ad Timotheum est institutio apostolica de officiis ministrorum ecclesiæ, atque etiam aliorum fidelium.

Secunda ad Timotheum est institutio apostolica de officio ministri ecclesiæ, & perfectione S. Scripturæ.

Epistola ad Titum est institutio apostolica de ritè ordinanda ecclesia Cretensium.

Epistola ad Philemonem est institutio apostolica de æquanimitate heri erga seruum ad frugem se recipientem.

Epistola ad Hebræos est institutio apostolica de persona, officio & beneficiis CHRISTI, deque fide bonis operibus fructificante.

Epistolæ vniuersales, seu catholicæ sunt, quæ multis ecclesiis fuerunt inscriptæ: vt vna Iacobi, duæ Petri, vna Iohannis, & vna Iudæ.

Epistola Iacobi est institutio apostolica de operibus cum fide iungendis.

Prima Petri est institutio apostolica de beneficiis Dei spiritualibus, & officiis hominis Christiani communibus & propriis.

Secunda Petri est institutio apostolica de studio proficiendi in fide & spe contra seductores & irrisores.

Prima Iohannis est institutio apostolica de signis communionis cum Deo: putà fide & charitate.

Secunda Iohannis est institutio apostolica de perseuerantia in charitate & fide Christiana.

Tertia Iohannis est institutio apostolica de hospitalitate, perseuerantia, & ambitione.

Epistola Iudæ est institutio apostolica de constantia in fide contra seductores.

Liber propheticus N. T. est Apocalypsis, S. Iohannis, quæ est historia de septem ecclesiis Asiaticis, & prophetia de statu mundi & ecclesiæ tum militantis, tum triumphantis.

Hactenus de libris biblicis canonicis: restant *libri biblici apocryphi*, qui sunt libri ἀνθρωπόπνευστοι, in certum systema olim redacti, vt proximum à libris canonicis locum obtineant in ecclesia ad diligendam historiam & vitam.

Libri apocryphi sunt V. vel N. T.

Libri apocryphi V. T. sunt vel integri libri, vel librorum canonicorum supplementa.

Libri integri apocryphi sunt historici, didascalici, vel prophetici.

Libri historici apocryphi sunt narrationes de rebus gestis, historiæ sacræ inseruientes.

Súntque numero sex: liber Tobiæ, Iudithæ, tertius Ezræ, & tres Maccabæorum. Ex his primus est historia œconomica, reliqui sunt historia ecclesiastica.

Liber Tobiæ est historia apocrypha de vita & morte Tobiæ.

Liber Iudithæ est historia apocrypha de conseruatione ecclesiæ Iudaicæ per Iuditham.

Liber tertius Ezræ est historia apocrypha consarcinata ex libris Chronicorum, Ezræ, & Nehemiæ, cum auctario de re omnium fortissima.

Primus Maccabæorum est historia apocrypha de statu populi Deiinde ab Antiocho Epiphane vsque ad Antiochum Sudetem, describens clades & victorias Iudæorum sub Maccabæis.

Secundus Maccabæorum est historia apocrypha martyrum sub Maccabæis inclytorum.

Tertius Maccabæorum est historia apocrypha de calamitate & liberatione ecclesiæ Iudæorum sub Ptolemæo Philopatore.

Libri didascalici apocryphi sunt institutiones de officiis Christianis, secundùm Scripturam sacram.

Súntque numero duo: liber Sapientiæ, & ecclesiasticus.

Liber Sapientiæ est institutio apocrypha de studio, encomio, & præmio veræ sapientiæ.

Ecclesiasticus est institutio apocrypha de vita ethicè, œconomicè, & politicè transigenda.

Libri prophetici apocryphi sunt prædictiones rerum futurarum, variis admonitionibus temperatæ, inseruientes prophetiis canonicis.

Súntque numero duo: prophetia Baruch, & liber quartus Ezræ.

Prophetia Baruch est concio pœnitentialis ad Iudæos captiuos, desinens in prophetiam apocrypham de liberatione ex captiuitate Babylonica.

Liber quartus Ezræ est prophetia apocrypha, complexa obiurgationes, & prædictiones de ecclesia V. & N. T. variis visionibus illustratas.

Supplementa apocrypha librorum canonicorum sunt supplementa librorum historicorum, vt Oratio Manassis, & Adiectiones ad librum Estheræ: vel poëticorum, vt Psalmus 151. vel propheticorum, vt epistola Ieremiæ, & Adiectiones ad Danielem. *Rursus* ex his supplementis, siue fragmentis, alia sunt historica, vt Adiectiones ad librum Estheræ, historia Susannæ, Belis & Draconis Babylonij: vel didascalica, vt Psalmus 151. Oratio Manassis. Precatio Asariæ, & Hymnus trium puerorum: vel prophetica, vt epistola Ieremiæ. *Denique* ex fragmentis didascalicis alia sunt poëtica, vt Psalmus 151. & Hymnus trium puerorum: alia prosaica, vt oratio Manassis, & Precatio Asariæ. Sed videamus singulorum definitiones.

Oratio Manassis est supplicatio regis Manassis ad Deum conuersi, constans δοξολογίᾳ Dei, & ὁμολογίᾳ peccati.

Adiectiones ad librum Estheræ sunt historia apocrypha de statu ecclesiæ Iudaicæ sub Artaxerxe, siue Xerxe.

Psalmus centesimus quinquagesimus primus est carmen Dauidis apocryphum de sui electione in regem, & protectione aduersus Goliathum. quem vide infrà in Criticis.

Epistola Ieremiæ est prophetia apocrypha de liberatione ex captiuitate Babylonica, desinens in concionem aduersus idololatriam.

Precatio Asariæ est primum supplementum apocryphum capitis tertij Danielis, constans confessione laudis Dei, & peccati proprij, cum imploratione auxilij Dei, edita ab Asaria in fornace Babylonica.

Hymnus trium puerorum est alterum supplementum apocryphum capitis tertij Danielis, constans insigni & heroica δοξολογίᾳ Dei, profecta à tribus sociis Danielis, in fornace Babylonica.

Historia Susannæ est caput decimumtertium Danielis apocryphum, de castitate heroica Susannæ, singulari Dei iudicio & beneficio sarta tecta conseruata & præmio ornata.

Historia Belis Babylonij est prima pars capitis decimi tertij apocryphi Danielis, de vanitate illius idoli & idololatrarum ipsi addictorum.

Historia Draconis Babylonij est secunda pars capitis decimi tertij apocryphi Danielis, de vanitate illius idoli, furore idololatrarum ipsi addictorum, & Danielis ideo periclitantis miraculosâ liberatione.

Libri apocryphi N. T. sunt varij: in quibus excellunt duo; videl. epistola ad Laodicenses, & Canones apostolorum. Illam vide infrà in Criticis: hos in Corpore Iuris ciuilis ad calcem.

OECONOMIA BIBLIORVM, LIBRI V. T. XXXIX.

GEnesis est liber sacrarum originum. clauísque mundi & historiæ. *Partes ipsius principes sunt duæ.* Prima est de mundi creatione & nominatim de ortu Ecclesiæ: secunda, de mundi & Ecclesiæ administratione siue gubernatione per annos bis mille trecentos sexaginta octo. *Partes subordinatæ sunt numero septem* I. De creatione mundi cap. 2. II. Historia Adami cap. 3. 4. 5. III Historia Noë cap. 6. 7. 8. 9. 10. 11. IV. Historia Abrahami à cap. 12. ad 25. V. Historia Isaaci c. 25. 26. 27. VI. Historia Iacobi à cap. 28. ad 37. VII. Historia Iosephi à c. 37. ad 50 Li V.

Exodus est schola crucis & lucis. *Partes ipsius principes sunt duæ.* Prima est de exitu Israëlitarum ex Ægypto. Secunda de commoratione illorum ad montem Sinai *Partes subordinatæ sunt quinque.* I. De pressuris populi Israëlitici in Ægypto c. 1. II. Historia Mosis nati, educati, & vocati, c. 2. 3. 4. III. Decem actiones Mosis apud Pharaonem à cap. 5. ad 12. IV. Præparatio populi ad futuram legislationem, cap. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. V Legislatio, vbi sunt leges morales c. 20. iudiciales c. 21. 22. 23. & ceremoniales a c. 24. ad 40.

Leuiticus est pictura sacerdotij Christi verè hieroglyphica. *Partes ipsius principes sunt tres:* videlicet recitatio legum, narratio rerum gestarum, & recitatio promissionum atque comminationum diuinarum. *Partes subordinatæ sunt quinque* I. Leges de sacrificiis, à c. 1 ad 8. II Historica narratio rerum quarundam. c. 8. 9. 10. III. Variæ leges, maximam partem ceremoniales, à cap. 11. ad 26. IV. Sanctio legum in promissionibus & comminationibus, c. 26. V. Adiectio quarundam legum, c. 27.

Numerorum

Numerorum liber eſt ſpeculum politiæ. Narrat enim ea, quæ acta ſunt a populo Iſraëlitico, eique acciderunt per annos triginta octo, & menſes nouem. Vnde ſumi poſſunt varia documenta de ratione conſtituendi & regendi politiam. *Partes huius libri principales ſunt tres.* Prima eſt de præparatione populi ad iter ſe accingentis: ſecunda de ipſa profectione: tertia de hæreditate populi in terra Canaan. *Partes ſubordinatæ ſunt quinque.* I. Denumeratione ſiue recenſione Iſraëlitarum, qui apti erant ad militiam, c. 1. II. Variæ leges præſcriptæ populo, à c. 2. ad c. 11. III. Octo murmurationes, à c. 11. ad 22. IV. Hiſtoria Bileami, c. 22. 23. 24. V. Populi præparatio ad terræ Canaan hæreditatem adeundam, à c. 25. ad 36.

Deuteronomium eſt commentarius ad legem. *Partes ipſius principes ſunt tres.* I. Præparatio populi. II. Repetitio & expoſitio legis. III. Confirmatio per varia ſigna, variósque modos docendi & implendi. *Partes ſubordinatæ ſunt ſeptem.* I. Repetitio rerum apud populum Iſraëliticum geſtarum, & ſuperiore libro fusè narratarum, c. 1. 2. 3. II. Hortatio populi ad obſequium Legis, c. 4. III. Repetitio Legis, c. 5. IV. Expoſitio Legis, c. 6. 7. V. Variæ exhortationes, promiſſiones, & narrationes, à c. 8. ad 13. VI. Variæ leges, à c. 13. ad 27. VII. Variæ actiones Moſis erga populum ſuſceptæ & peractæ paulò ante mortem ipſius, quæ mors vltimo loco narratur, à c. 27. ad 34.

Liber Ioſuæ eſt ſpeculum veritatis Dei, itémque ſacra polemica. *Partes principes ſunt tres*: videl. de ingreſſu populi in terram Canaan, de terræ diuiſione, & illius gubernatione. *Partes ſubordinatæ ſunt ſex.* I. Ordinatio populi, c. 1. II. Exploratio terræ accipiendæ, cap. 2. III. Tranſitus per Iordanem, cap. 3. IV. Occupatio terræ Canaan, facta vi armata, cæſis pulſiſque incolis, à c. 4. ad 13. V. Diſtributio terræ Canaan inter tribus, à cap. 13. ad 22. VI. Euenta diſtributionem iſtam conſecuta, à c. 22. ad 24.

Liber Iudicum eſt ſpeculum magiſtratus heroici. *Partes ipſius ſunt tres.* I. Tranſgreſſio populi, cap 1. II Reprehenſio tranſgreſſionis, c. 2. III. Septem preſſuræ & ſeruitutes populi & totidem liberationes, è quibus prima, ſecunda & tertia ſunt, c. 3. quarta, cap. 4. 5. quinta, cap. 6. 7. 8. 9. ſexta, cap. 10. 11. 12. ſeptima, c. 13. 14. 15. 16.

Liber Ruth eſt ſpeculum prouidentiæ Dei, circa coniugium. *Duæ ſunt ipſius partes.* I. De pietate Ruthæ, c. 1. 2. II. De matrimonio Ruthæ, c. 3. 4.

Liber primus Samuelis eſt ſpeculum fatalis conuerſionis reipublicæ. *Partes ipſius ſunt tres*, è quibus duæ priores deſcribunt ſtatum populi Dei ſub duobus iudicibus, duæ poſteriores ſub rege Saüle, hoc modo. I. Narrantur res geſtæ ſub ſacerdote Eli, c. 1. 2. 3. II. Commemorantur res geſtæ ſub Samuele, c. 4. 5. 6. 7. 8. 9. III. Saul creatur rex, & præeſt ſummæ rerum, à c. 10. ad finem. Hîc interſeritur narratio de vocatione Dauidis, c. 16. de ipſius victoria magnifica, c. 17. & eius exilio variiſque perſecutionibus, à c. 18 ad 31.

Liber ſecundus Samuelis eſt ſpeculum pij Regis, & narrat hiſtoriam de regno Dauidis. *Partes eius ſunt quatuor.* I. Promotio Dauidis ad regnum, c 1. 2. 3. 4. II. Gubernatio Dauidis laudabilis à c. 5. ad 11. III. Gubernatio Dauidis culpabilis, c 11. IV. Euenta varia, videl. confeſſio Dauidis, pœnæ à Deo ipſi immiſſæ, & præparatio Dauidis ad mortem, ipsáque adeò mors, à c. 11. ad 24.

Liber primus Regum eſt ſpeculum politices. Continet enim res geſtas quinque Regum Iudæ, videl. Salomonis, Rhehabeami, Abiiæ, Aſæ, Ioſaphati, & octo Regum Iſraëlis, videl. Ieroboami, Nadabi, Bahaſæ, Elæ, Simri, Thibni, Homri, & Ahabi. *Partes ipſius ſunt quatuor.* I Incrementum regni Dauidici ſub Salomone, à c 1. ad 11. II. Decrementum illius regni, c. 11. 12. 13. 14. III Status regni Iudæ & Iſraël coniunctim, c. 15. IV. Status regni Iſraël ſeorſim, c. 16 nominatim ſub Ahabo, à c. 16. ad 22.

Liber ſecundus Regum itidem eſt ſpeculum politices. Continet enim res geſtas reliquorum regum Iudæ numero ſedecim: itémque reliquorum regum Iſraëlis numero duodecim: nec non vtriuſque regni interitum. *Partes ſunt tres.* I. Status regni Iſraël ſigillatim deſcribitur ſub quinque regibus, à c 1. ad 4. II. Hiſtoria Regum Iſraëlis & Iudæ coniunctim narratur, cap. 14. 15. 16. III Hiſtoria regni Iudæ ſeorſim proponitur, à c 18 ad 25.

Liber primus Chronicorum eſt ſpeculum prouidentiæ Dei circa multiplicationem, & conſeruationem generis humani. *Tres habet partes.* I. Recitat varias genealogias, à c. 1 ad 10. II. Deſcribit interitum Saulis & regni ejus, c. 10. III. Continet hiſtoriam de regno Dauidis, à c. 10. ad 29.

Liber ſecundus Chronicorum eſt ſpeculum politiæ. Narrat enim *hæc tria*: quomodo ſcil regnum Iudæ. I ſub Salomone feliciter creuerit, à c. 1 ad 10. II. Mortuo Salomone ſciſſum ſit, & variis modis adminiſtratum, à c. 10. ad 36. III. Tandem penitùs interierit, c. 36.

Liber Eſdræ eſt ſpeculum prouidentiæ Dei, & reformationis Eccleſiæ. *Partes ipſius tres ſunt.* I. Reditus populi è captiuitate, duce Serubabele, à c. 1. ad 4. II. Reædificatio templi poſt varia impedimenta, cap. 4. 5. 6. III. Reformatio ab Eſdra ſuſcepta, c. 7. 8. 9. 10.

Liber Nehemiæ eſt ſpeculum reformationis Eccleſiæ. *Partes habet duas.* I Reædificatio murorum & portarum vrbis, à c. 1. ad 7. II. Reformatio ſuſcepta, à c. 7. ad 13.

Liber Eſtheræ eſt ſpeculum prouidentiæ Dei. *Partes ipſius ſunt tres.* I. Erectio Eſtheræ, c. 1. 2. II. Hamanis machinatio & pœna, à c. 3. ad 10. III. Mardochæi euectio, c. 10.

Liber Iobi eſt ſpeculum patientiæ. *Partes eius ſunt quatuor.* I. Aduerſitas Iobi, c. 1. 2. II Sermones Iobi & amicorum eius, à cap. 3. ad 38. III. Sermones Dei ad Iobum, cap. 38. 39. 40. 41. IV. Reſtitutio Iobi in integrum, c. 42.

Liber Pſalmorum eſt paradiſus animæ, breuiarium ſcripturæ. *Diuidi poteſt in tres quinquagenas*, hoc eſt, in tres claſſes, è quibus ſingulæ complectantur 50. Pſalmos.

Prouerbia Salomonis ſunt ſacra Ethica. *Diuidi poteſt hic liber in quatuor claſſes.* I. Claſſis complectitur ſententias ipſius Salomonis, à c. 1. ad 10. II. In ſecunda claſſe ſunt ſententiæ collectæ à piis quibuſdam viris, à c. 10. ad 25. III. Claſſis continet ſententias collectas à miniſtris Ezechiæ regis, à cap. 25. ad 30. IV. Quarta claſſis complectitur cap. 30. & 31. quorum illud eſt Aguris, hoc Salomonis.

Eccleſiaſtes eſt homilia de vera & falſa felicitate. *Partes eius ſunt duæ.* I. Doctrina de vera felicitate: quòd illa non conſiſtat in nuda poſſeſſione aut fruitione bonorum terrenorum; ſed partim ac principaliter in tranquillitate animi ſeu gaudio ſpirituali, quod oritur ex timore Dei; partim in hilari fruitione bonorum terrenorum diuinitùs datorum, à c. 1. ad 8. II. Commonefactio; cuius duæ ſunt partes, quæ reſpondent duabus partibus doctrinæ traditæ. Quædam enim ſunt dehortationes à ſolicitudine acquirendi bona terrena: quædam verò ſunt exhortationes ad filialem Dei timorem, ſtudiúmque bonorum operum, nec non ad hilarem fruitionem bonorum terrenorum, quæ cuique diuinitùs obtigerunt, à c. 8 ad 12.

Canticum Canticorum eſt Epithalamium & ecloga ſacra de coniugio CHRISTI cum Eccleſia. *Partes continet duas.* I. De ſponſalibus ſpiritualibus, à c. 1. ad 7. II. De nuptiis ſpiritualibus. c. 7. 8.

Eſaias eſt clauiger & Euangeliſta inter prophetas. *Prophetia ipſius diuiditur in quatuor partes.* I. Prophetiæ immediatè diriguntur ad Iudæos, à cap. 1. ad 13. II. Prophetiæ diriguntur ad hoſtes Iudæorum, in quibus etiam ſunt decem tribus Iſraëlis, à c 13. ad 29. III Prophetiæ diriguntur ad Iudæos de captiuitate Babylonica, inſertis quibuſdam conſolationibus & hiſtoriis, à c. 29. ad 49. IV Proponuntur prophetiæ de regno CHRISTI, à c. 49. ad 66. Tres itaque priores partes ſunt legales, quarta eſt Euangelica.

Ieremias eſt accuſator populi idololatrici, & conſolator captiui populi. *Prophetia ipſius diuiditur in quatuor partes* I. Cõtinet conciones pœnitentiales: vbi ſunt inuectiuæ in peccata populi, denuntiationes pœnarum, & conſolationes piorum, à c. 1. ad c. 39. II. Narratur complementum prophetiæ de excidio vrbis, à cap. 39. ad 46. III. Complectitur prophetias contra hoſtes Iudæorum, à c. 46. ad 52. IV. repetit narrationem excidij Hieroſolymitani, c. 52.

Threni Ieremiæ ſunt gemitus columbæ *Partes ſunt quinque* pro numero ſermonum ſiue gemituum eccleſiæ totidem capitibus comprehenſorum.

Ezechiel, Propheta captiuus minimè captiuus, *quatuor facit in ſua prophetia.* I. Recitat aliquot viſiones & conciones, quibus denuntiat pœnas Iudæis, à cap. 1. ad 25. II. Denuntiat pœnas hoſtibus Iudæorum, à cap. 25. ad 33. III. Vaticinatur de liberatione corporali ex captiuitate Babylonica à c. 33. ad 40. IV. Prophetat de liberatione ſpirituali per aduentum Chriſti, à cap. 40. ad 48.

Daniel eſt propheta apocalypticus, & ipſius prophetia eſt apocalypſis V. T. *quæ diuiditur in duas partes* non aliter atque apocalypſis Iohannis. Prima pars eſt narratio hiſtorica rerum geſtarum ſex primis capitibus, ſecunda eſt narratio prophetica rerum gerendarum, putà calamitatum & liberationis Eccleſiæ ſex poſterioribus capitibus.

Hoſeas fulmen decem tribuum, *tria præſtat.* I Conqueritur de multiplicibus peccatis decem tribuum, à c. 1. ad 4. II. Minatur eis pœnas, & præcipuè excidium per Salmanaſſarem, à cap. 4. ad 11. III. Conſolatur pios promiſſione gratiæ Dei, & inprimis redemptionis per Chriſtum, à c. 11. ad 13.

Ioel fulmen Iudæorum, *tribus* capitibus totidem conciones abſoluit. I. Obiurgat Iudæos. II. Hortatur ad pœnitentiam. III. Conſolatur.

Amos, fulmen decem tribuum, *duo* præſtat. I. Prædicit pœnas euenturas decem tribubus, tribui Iudæ, & populis vicinis, cap 1 2. II. Conciones reliquas dirigit ad ſolas decem tribus, à c. 3. ad 9.

Obadias fulmen Edomæorum *vno* capite duas prophetias complectitur. I. Denuntiat Edomæis interitum. II. Promittit populo Dei liberationem ſpiritualem.

Ionas ſpeculum infirmitatis humanæ continet hiſtoriam de vocatione ſua tum prima, c. 1. 2. tum ſecunda, c. 3. 4.

Micha fulmen & paracletus regni Iudæ & Iſraëlis *duo* præſtat. I. Habet concionem legalem de peccatis & pœnis vniuerſi populi Dei, c. 1. 2. 3. II. Habet concionem Euangelicam de

de redemptione tum corporali ex captiuitate Babylonica, tum spirituali per Christum, c.4.5.6.7.

Nahum tonitru Niniues *duo* præstat. I. Describit maiestatem Dei, c.1. II. Denuntiat interitum Nineuitis, c.2.3.

Habacuc, fulmen Iudæorum & Chaldæorum, *duo* præstat. I. Prophetat de oppressione Iudæorum per Chaldæos, & interitu ipsorum Chaldæorum, c.1.2. II. Deuotè orat, c.3.

Sophonias, fulmen Iudæorum & Gentium *duo* præstat. I. Habet concionem legalem, c.1.2. II. Habet concionem euangelicam, c.3

Haggæus, instaurator politiæ sacræ, *duo* præstat. I. Hortatur ad reædificationem templi, c.1. II. Consolatur populum promissione Messiæ, c.2.

Zacharias, sol inter prophetas minores, *tria* præstat. I. Proponit octo visiones, quibus partim instituit, partim consolatur populum Dei, à c.1. ad 7. II. Instituit populum concione didascalica de vero cultu Dei, c.7.8. III. Prophetat de deletione hostium populi Dei, & de aduentu Messiæ & beneficiis illius erga Ecclesiam, à c.9. ad 13.

Malachias terminus V. T. *duo* præstat I. Reprehendit populum Iudaicum propter varia peccata, c.1.2. II. Consolatur pios promissione Christi & prodromi eius Iohannis Baptistæ, cap.3.4.

Libri apocryphi.

LIBRI APOCRYPHI XVIII.

Liber Iudith est speculum heroinæ, itémque prouidentiæ Dei. *Partes sunt duæ.* I. Felix successus Holofernis, à c.1. ad 7. II. Catastrophe felicis istius successus, autore fœmina pia & magnanima, à c.7 ad 16.

Liber Tobiæ est pictura bonæ œconomiæ. *Duabus absoluitur partibus.* I. Vita Tobiæ senioris describitur, à pietate, conditione, & filio ipsius, à cap.1. ad 14. II. Mors eiusdem indicatur cap.14.

Liber tertius Esdræ est quodlibetum compilatum ex libris Chronicorum, Esdræ, & Nehemiæ. *Partes sunt tres.* I. De statu populi Dei paulò ante captiuitatem Babylonicam, quæ simul indicatur c.1. II. De statu populi Dei in captiuitate Babylonica sub regimine Persarum, c.2.3.4. III. De dimissione populi Dei ex captiuitate, à c.5. ad 9.

Liber quartus Esdræ est apocalypsis inter libros apocryphos, cuius *partes sunt tres.* I. Recitantur conciones & preces Esdræ, c.1.2.3. II. Esdras docetur ab angelo, c.4.5.6.7.8. III. Esdras docetur à Deo per visiones, ad c.9. ad 16.

Liber primus Maccabæorum est speculum Ecclesiæ militantis. *Partes sunt tres.* I. Historia de tyrannide Antiochi Epiphanis, c.1. II. Historia Mattathiæ, c.2. III. Tripartitia historia trium filiorum Mattathiæ, videl. Iudæ, à c.3. ad 10. Ionathæ, à c.10. ad 14 & Simonis, à c.14. ad 16.

Liber secundus Maccabæorum est martyrologium quoddam. *Partes sunt tres.* I. De statu populi Iudaici ante Antiochum Epiphanem, c.1.2.3.4. II. De statu illius sub Antiocho, c.5.6.7.8.9. III. De statu eius post Antiochum, à 10. ad 13.

Liber tertius Maccabæorum est speculum tyrannorum. *Partes ipsius sunt tres.* I. De peccato Ptolomæi Philopatoris, cap.1.2. II. De illius tyrannide erga Iudæos, c.3.4.5. III. De læta catastrophe persecutionis, c.6.7

Liber sapientiæ est thesaurus ethicus & physicus. Est autem tripartitus. I. Proponit documenta varia, à c.1. ad 9. II. Proponit egregiam precationem ad Deum, à c.9. ad 16. III. Extollit iudicia & beneficia Dei, à c.16. ad 19.

Ecclesiasticus siue liber *Syriachi* est commentarius ad decalogum, adeóque compendium ethicæ, œconomicæ, & politicæ. *Partes sunt tres.* I. Præfatio, quæ præmittitur primo capiti. II. Conciones quadraginta nouem, totidem capitibus comprehensæ. III. Conclusio per ardentem precationem, c.50.

Oratio Manassis est speculum peccatoris resipiscentis. *Tribus absoluitur partibus.* Prima est descriptio maiestatis Dei: secunda, confessio peccatorum: tertia, pollicitatio laudis perpetuò decantandæ Deo.

Liber Baruchi est speculum pœnitentiæ. *Partes sunt tres.* I. Conciones pœnitentiales, c.1.2.3. II. Concio hortatoria ad patientiam, c.4. III. Concio consolatoria, c.5.

Epistola Ieremiæ est graphica descriptio vanitatis idolorum.

Fragmenta siue Adiectiones libri Estheræ sunt speculum prouidentiæ Dei. *Partes sunt quatuor.* I. De somnio & honore Mardochæi, cap 10.11.12. II. De edicto Artaxerxis contra Iudæos, c.13. III. De Estheræ precatione & accessu ad regem, c.12.14.15. IV. De edicto Artaxerxis pro Iudæis, c.16.

Oratio Asariæ est speculum constantiæ in fornace tribulationis. *Duæ sunt partes:* videl. precatio, & exauditio precationis.

Hymnus trium puerorum est formula δοξολογίας Dei. *Partes sunt duæ:* videl. laus Dei generalis & specialis.

Historia Susannæ est speculum castitatis coniugalis. *Partes sunt tres* I. Descriptio Susannæ. II. Duorum senum libido petulans. III. Accusationis Susannæ læta catastrophe.

Historia Belis Babylonici est speculum vanitatis idololatrarum.

Historia Draconis Babylonici est speculum sortis piorum in hâc vitâ. Illi nempe in odio sunt apud mundum, quòd non probent ipsius peccata, sed grati sunt apud Deum.

LIBRI N. T. XXVII.

Matthæus est clauiger inter Euangelistas, & velut homo alatus. *Partes principes Euangelij ipsius sunt numero quinque.* I. Natiuitas Christi, & reuelatio Christi nati, c.1.2. II. Inauguratio Christi per baptismum & tentationem, cap 3.4. III. Functio officij prophetici, à c.5. ad 26. IV. Functio officij sacerdotalis, c.26.27. V. Functio officij regij, c.28. *Partes subordinatæ sunt num.* 134.

Marcus est epitomator Euangelij, & velut leo alatus inter Euangelistas. *Partes principes ipsius Euangelij sunt quatuor.* I. Præparatio Christi ad officium mediatorium, c.1. II. Administratio officij prophetici, à c.2. ad 14. III. Officium sacerdotale, c.14.15. IV. Officium regium, c.16. *Partes subordinatæ sunt* 103.

Lucas est plenus commentator euangelij, & velut vitulus alatus inter Euangelistas. *Partes Euangelij eius principales sunt quinque.* I. Historia conceptionis Christi c.1. II. Historia natiuitatis Christi, c.2. III. Inauguratio Christi, c.3. IV. Functio officij prophetici, à cap.4. ad 22. V. Functio officij sacerdotalis, c.22.23.24. *Partes subordinatæ sunt* 120.

Iohannes est aquila & cygnus inter Euangelistas. Euangelium ipsius habet quatuor partes principales. I. De personâ Christi, c.1. II. De concionibus & miraculis Christi, à cap.2. ad 18. III. De ipsius morte, cap.18.19. IV. De ipsius resurrectione c.20.21. *Partes subordinatæ sunt* 71.

Acta Apostolorum sunt historia Ecclesiastica, quæ continetur *septem partibus principalibus, vt sunt.* I. Acta omnium Apostolorum in genere, c.1.2. II. Concio Petri, c.3. III. Vincula Petri & Iohannis, cap.4. IV. Persecutio Apostolorum, cap.5. V. Institutio & administratio diaconatus, cap.6.7.8. VI. Acta Petri, cap 9.10.11. 12. VII. Acta Pauli respectu quadruplicis peregrinationis, à c.13. ad 28 *Partes subordinatæ sunt* 116.

Epistola ad Romanos est clauis scripturæ. *Partes ipsius sunt tres.* I. Procemium, c.1. ad v.16. II. Institutio doctrinæ Christianæ partim de miseria, c.1. à v.16. & c.2. partim de liberatione, adeóque iustificatione, cap.3.4.5. sanctificatione, c.6.7.8. & prædestinatione, c.9.10.11. partim denique de gratitudine, à c.12. ad v 14. c.15. III. Conclusio, à v.14 c.15. ad finem c.16.

Prior epistola ad Corinthios est magistra sapientiæ & prudentiæ Christianæ. *Præter* procemium c.1. ad v.10. & conclusionem c.16. *sunt tres partes.* I. Institutio de rebus necessariis, à v.10. cap.1. ad c.7. II. Institutio de rebus adiaphoris, c.7.8.9.10. III. Institutio alia de rebus necessariis, à c 11 ad 16.

Posterior epistola ad Corinthios est idea apologiæ necessariæ. Post exordium c 1. versibus primis septem & conclusionem, à v.11. c.13. vsque ad finem. *Partes eius sunt duæ.* I. Est apologia, à c.1. ad 6. II. Est parænesis siue adhortatio à c.6. ad v.11. c.13.

Epistola ad Galatas est epitome epistolæ ad Romanos. *Partes eius post exordium & conclusionem sunt tres.* I. Narrat quomodo Apostolus doctrinam suam ab ipso filio Dei acceperit, & quomodo sit vocatus ad apostolatum, illóque sit functus, c.1.2. II. Disputat de iustificatione, cap.3.4. III. Exhortatur Galatas ad pietatem, c.5 6.

Epistola ad Ephesios etiam est compendium epistolæ ad Romanos. *Ea post exordium & conclusionem duas habet partes.* I. Apostolus differit variè & copiosè de mysterio salutis tribus prioribus capitibus. II. Tradit præcepta vitæ Christianæ, capitibus tribus posterioribus.

Epistola ad Philippenses tradit artem bene viuendi & moriendi. *Partes* eius post exordium & conclusionem sunt *quatuor* pro numero capitum

Epistola ad Colossenses est pictura beneficiorum Christi & officij hominis Christiani. *Partes* eius post exordium & conclusionem *duæ* sunt: in quarum prima apostolus ait de doctrina Christiana duobus prioribus capp. in secunda differit de vita Christiana, duobus posterioribus capitibus.

Prior ad Thessalonicenses continet artem moriendi. Post exordium & conclusionem *duæ sunt eius partes.* I. Hortatio multiplex, c.1.3. & 4. ad v. 13 II. Institutio de resurrectione mortuorum, & aduentu Domini: cui subnectitur hortatio, cap.4. à v.13. & cap 5.

Posterior ad Thessalonicenses est speculum militis Christiani. *Partes eius* post exordium & consolationem sunt *tres,* pro numero capitum. I. Consolatio contra persecutiones, cap.1. II. Prophetia de antichristo, c.2. III. Cohortatio ad varia hominis Christiani officia, c.3.

Prior ad Timotheum est pastorale sacrum. *Partes* ipsius post exordium & conclusionem sunt *quatuor.* I. Apostolus asserit apostolatum suum, c.1. II. Differit de precatione, c 2. III. Agit de personis ecclesiasticis promouendis & remouendis, cap.3.4. IV. Præscribit varia officia vitæ Christianæ, c.5.6.

Posterior ad Timotheum est speculum fortitudinis Christianæ. *Partes sunt tres* post exordium & conclusionem. I. Exhortatio multiplex, c.1.2. II. Prophetia, c.3. ad v.10. III. Exhortatio, v.10. c.3. & c.4.

Epistola ad Titum est pastorale sacrum. *Partes eius* post exordium & conclusionem *sunt duæ*. I. Qualis debeat esse pastor ecclesiæ, c.1. II. Quales debeant esse Christiani omnium ætatum & ordinum, c.2.3.

Epistola ad Philemonem est speculum æquitatis Christianæ erga seruum. *Partes* post exordium & conclusionem *sunt duæ*. I. Apostolus Onesimum seruum fugitiuum & furem, à se in vinculis conuersum, Philemoni remittit. II. Veniam pro illo petit.

Epistola ad Hebræos est commentarius ad Leuiticum, adeóque graphica pictura officij sacerdotalis Christi. *Partes* post exordium & conclusionem *sunt tres*. I. De personâ Christi, c.1.2. II. De officio Christi prophetico, cap.3 4. & sacerdotali, à c.5. ad 11. III. De officio Christianorum, c.11.12.13.

Epistola Iacobi est regula vitæ, seu aureum alphabetum hominis Christiani. *Partes sunt quinque* pro numero capitum: in quibus occurrunt octodecim loci admonitionum.

Prior epistola Petri est compendium Christianismi de fide & vitâ Christianâ. *Partes eius* post exordium & conclusionem *sunt duæ*. I. Commemoratio beneficiorum Dei, cap.1. ad v.13. II. Variæ exhortationes nunc generales, nunc speciales, à v.13. c.1 ad v.10.c 5. vbi incipit epilogus epistolæ.

Posterior epistola Petri est incentiuum militis Christiani. *Partes eius* post exordium & conclusionem *sunt duæ* I. Hortatio multiplex, c.1.2. II. Vaticinium, c.3.

Prima epistola Iohannis est speculum charitatis Alternatim autem tractat de fide & charitate Christiana. *Partes sunt quatuor* I Adhortatio ad fidem, c.1. II. Adhortatio ad charitatem, c.2.3. III. Didascalia de Antichristo, c.4. IV. Adhortatio ad fidem & charitatem, c.5.

Secunda epistola Iohannis est speculum piæ matronæ. *Duæ sunt ipsius partes*. I. De constantia in fide & charitate. II. De fugiendis antichristis.

Tertia epistola Iohannis est speculum hospitalitatis. *Partes eius sunt tres*. I. Laus hospitalitatis. II. Commendatio quorundam ministrorum. III. Querela de Diotrephe.

Epistola Iudæ est idea siue pictura pseudoprophetarum. *Partes eius sunt duæ* post exordium & conclusionem. I. Adhortatio ad constantiam in fide. II. Descriptio seductorum, quòd contaminent doctrinam & vitam.

Apocalypsis Iohannis est prophetia Noui testamenti catholica, vtpote quæ statum mundi & ecclesiæ militantis vsque ad diem iudicij vniuersalis describit. *Partes principales* huius libri post exordium & conclusionem *sunt duæ Prima* est historica & parænetica, tribus primis capitibus *Secunda* est prophetica de statu mundi & ecclesiæ militantis, à c.4. ad v. 11.c.20. ad finem istius cap. & de æterna piorum felicitate, cap.21.22. *Partes subordinatæ sunt septem visiones*, è quibus *prima* est septem ecclesiarum, c.1.2.3. *secunda*, septem sigillorum, c.4.5.6.7. *tertia* septem tubarum, c.8.9.10.11. *quarta* c.12.13.14. *quinta* septem phialarum, c 15.16. *sexta* pœnarum meretricis, c.17.18.19.20. *septima* de gloria ecclesiæ triumphantis, c.21.22.

Locvs II.

De Deo.

Præcepta.

Dogmata Scripturæ sunt alia de Deo, alia de operibus Dei.

In Deo considerantur nomina, essentia, & personæ.

1. *Nomina Dei* sunt propria, vel communia: absoluta, vel respectiua, &c.

2. *Essentia Dei* spectatur in vnitate & perfectione sua.

3. *Vnitas essentiæ Dei* est planè singularis.

4. *Perfectio essentiæ Dei* cernitur in attributis variis, quæ aliàs dicuntur proprietates Dei essentiales & generales, seu communes tribus personis.

5. *Attributa essentiæ Dei* considerantur communiter & singulariter.

6. *Communiter* in attributis Dei spectatur ipsorum *affectio* & *distinctio*.

7. *Singulariter* attributa Dei sunt simplicia, vel comparata.

8. *Attributa Dei simplicia* competunt ipsi propriè citra tropum. Súntque primi, vel secundi generis siue ordinis. Illa dicuntur incommunicabilia & negatiua, hæc communicabilia & affirmatiua.

9. *Attributa primi generis* sunt simplicitas, immutabilitas, immensitas, & æternitas. Sub immutabilitate continetur impatibilitas: sub immensitate omnipræsentia & incomprehensibilitas: sub immensitate & æternitate infinitas.

10 *Attributa secundi generis* notant vitam tum spiritualem, tum integram. *Vitam spiritualem* indicant intellectus, voluntas, & omnipotentia Dei. *Vitam integram* indicant idea virtutis & beatitudinis *Idea virtutis* est omniscientia in intellectu, & veracitas atque bonitas in voluntate. Sub veritate continetur iustitia: sub bonitate benignitas, clementia, misericordia, gratia, amor, &c. *Idea beatitudinis* est gloria essentialis & gaudium. Gloria Dei essentialis (est enim etiam gloria personalis) intelligitur coniunctim, vel sigillatim. Coniunctim videl. in omnibus, vel pluribus attributis simul, *Esa* 42.8.*&* 48.11.1.*Cor.* 10.31. Sigillatim verò in vno aliquo attributo, vt *Ephes.*1.*v.*4.12. *Rom.*9 23.

11. *Attributa Dei comparata* seu figurata, sunt voces vel phrases. Voces figuratæ sunt metonymicæ, ironicæ, metaphoricæ, vel synecdochicæ: è quibus metaphoricæ sunt vsitatissimæ. Quo pertinet ἀνθρωποπάθεια. *Phrases figuratæ* sunt in hypotyposibus diuinæ maiestatis, & in visionibus propheticis.

12. *Personæ in vnâ Dei essentiâ sunt tres.* Pater, Filius, & Spiritus sanctus.

In iis oportet attendere ὁμουσίαν, & distinctionem.

13. Ὁμουσία *seu vnitas essentiæ* est, quâ tres illæ personæ sunt vna illa diuina essentia. Hîc demonstranda est deitas Filij & Spiritus sancti quatuor classibus argumentorum. In primâ classe sunt nomina Dei: in secundâ, attributa: in tertiâ, effecta: in quartâ, cultus.

14. *Distinctio personarum SS. Trinitatis* fit per proprietates personales, & gloriam personalem.

15. *Proprietates personales*, seu speciales & characteristicæ, sunt internæ, vel externæ.

16. *Proprietates internæ* sunt tum Patris, tum Filij, tum Spiritus sancti.

17. *Proprietas interna Patris* est respectu sui, ἀγεννησία: respectu Filij, γέννησις actiua, seu gignere: respectu Spiritus sancti, spiratio actiua seu emissio.

18. *Proprietas interna Filij* est respectu Patris γέννησις passiua, seu gigni à Patre: & respectu Spiritus sancti, vnà cùm Patre spirare seu emittere Spiritum sanctum.

19. *Proprietas interna Spiritus sancti* est ἐκπόρευσις, seu processio, quâ spiratur à Patre & Filio.

20. *Proprietates externæ* sunt hæ. 1. quòd *Pater* creauit & sustentat omnia per Filium, & Spiritum sanctum: quòd dedit Filium redemptorem: denique quòd testatus est de Filio suo. 2. quòd per *Filium* omnia sunt facta: quòd ille assumpsit carnem nostram, & in illa perfecit œconomiam salutis: denique quòd testatus est de Patre suo. 3. quòd *Spiritus sanctus* fouit omnia in primâ creatione: quòd varia dona distribuit hominibus: quòd sanctificauit massam sanguinis in vtero Mariæ virginis, & ex illa formauit humanam Christi naturam: quòd apparuit in quâdam specie columbæ: denique quòd adest humanæ Christi naturæ citra mensuram, nobis secundùm demensum Christi.

21. *Gloria personalis* est propria singularum personarum. Spectatur autem in iis vel *coniunctim*, vt Esa.6. vbi trium personarum gloria describitur, non solùm essentialis illa, de quâ paulò antè: sed etiã personalis: vel *sigillatim*, vt est gloria Patris, Ioh.7.18. Rom.6.4 Hebr. 1.2. & 2 Petr.1.17. & gloria Christi, Ioh.1.14. & c.17.

Regvlæ Positivæ.

I. *Deus reuera est.* Deus est.

*Psal.*14. *v.*1. Dicit stultus cum animo suo, non est Deus.

Esa.44.v.1. Sic ait Dominus rex Israëlis, & vindex eius dominus exercituum: ego sum primus & vltimus, ac præter me nullus est Deus. *Apoc.1.v.4* Gratia sit vobis & pax a Qui est, & Qui erat, & Qui venturus est.

Deus est spiritus,

II. *Deus reuera est.*

Ioh.4.v.24. Deus est spiritus; & qui adorant eum, oportet vt spiritu ac veritate adorent. *1 Tim.1. v.17.* Regi æterno, immortali, inuisibili, soli sapienti Deo, honor sit & gloria in secula seculorum, Amen.

Deus nulli creaturæ similis,

III. *Deus nulli creaturæ potest assimilari.*

Esa 40.v.17.18. Omnes gentes, velut nihil sunt coram Deo, minus nihilo, & inanitate reputantur ei. Cui ergo assimilabitis Deum, & quam similitudinem comparabitis ei?

Deus vnus.

IV. *Deus est vnus.*

Deut.6 v.4. Audi Israël, Dominus Deus noster Dominus vnus est. *Esa.44 v.1.* Sic ait Dominus rex Israëlis, & vindex eius, Dominus exercituum: ego sum primus & vltimus, ac præter me nullus est Deus. *Ephes 4. v.6.* Vnus Deus & pater omnium, qui est super omnes, & per omnes, & in omnibus vobis.

Deus est Iehouah, Iah, &c.

V. *Solus Deus est Iehoua, Iah, Ehejeh, & Schaddai.*

Exod.6. v.2. Nomine MEO Iehoua non cognitus sum illis. *Psal.118.v.4.* Robur meum & carmen Iah. *Exod 3.v.14.* Dixit Dominus Mosi Eheje, qui sum: dixitque ita dices filiis Israëlis, Ehejeh misit me ad vos. *Gen.17.v.1.* Ego אֵל שַׁדַּי Deus omnipotens.

Deus viuit.

VI. *Deus viuit.*

Psal.18.v.47. Viuit Dominus, & benedicta rupes mea *Ier.46. v.18.* Vt viuo ego, dictum regis illius, cuius nomen est Dominus exercituum. *Apoc.15. v.7.* Vnum ex quatuor animalibus dedit septem angelis phialas, plenas iræ Dei viuentis in secula seculorum.

Deus est immutabilis, &c.

VII. *Deus est immutabilis, impatibilis, & immortalis.*

Psal.102. v.27.28. Ista (cœli & terra) peritura sunt: tu autem permanes; ista, inquam, omnia vt vestimentum veterascent, vt indumentum mutabis ea, atque mutabuntur: tu verò idem es, & anni tui non finiuntur. *1.Tim.6.v.15.16.* Quem temporibus suis ostendet ille beatus & solus princeps, Rex ille regum, & Dominus dominorum: Qui solus habet immortalitatem, lucem habitans inaccessam, quem vidit nemo hominum, neque videre potest. *Iac.1.v 17* Omnis donatio bona & omne perfectum donum est supernè, descendens à Patre luminum, apud quem non inest transmutatio, aut conuersionis obumbratio.

Deus immensus.

VIII. *Deus est immensus, & proinde omnipræsens, & incomprehensibilis.*

1.Reg.8.v.27 An reuera habitaret Deus in terrâ? Ecce cœli ipsi, & cœli cœlorum non capiunt te: quantò minùs domus hæc, quam ædificaui? *Esa.66. v.1.* Sic ait Dominus: cœlum ipsum est solium meum, & terra scabellum pedum meorum: vbinam esset domus, quam ædificaueritis mihi? & vbinam locus quietis meæ? *Confer Act.7 v.49. Ier 23.v.24.* Annon cœlum & terram ego impleo? *Confer Psal.139 v.7. & seqq. Act.17. v.27.28.* Deus profectò non longè abest ab vnoquoque nostrûm, in ipso enim viuimus, mouemur, & sumus. *Psal.145.v.3.* Magnum esse Iehouam, & laudandum valdè, imò magnitudini eius non esse peruestigationem.

Deus æternus.

IX. *Deus est æternus.*

Gen.21.v 33. Et inuocauit illic (Abraham) nomen Dei æterni. *Esa.44.v.6.* Ego sum primus, & ego vltimus. *Esa.57.v.15.* Sic ait sublimis, cuius nomen est, Inhabitans æternitatem. *Roman.1. v.20.* Inuisibilia Dei inde a creatione mundi ex rebus conditis intelliguntur & peruidentur: æterna videlicet eius cùm potentia, tum diuinitas. *Apoc 1.v.8.* Ego sum A & Ω, id est, principium & finis, dicit Dominus, id est, Qui est & qui erat, & qui venturus est, ille, inquam, omnipotens. *Confer cap.21. v.6. c.22. v.13.*

Deus omniscius, &c.

X. *Deus est omniscius, & omnisapiens, & proinde* [illegible]

1.Sam.2. v 3. Deus [illegible] Iehoua. *1 Sam.16. v.7.* Iehoua intuetur in cor. *1.Chron 28. v.9.* Omnia corda exquirit Iehoua, & quodque figmentum cogitationum intelligit *Psal.7. vers.10.* Explorator es cordium & renum, Deus iuste. *Confer Act.1.v.24.c.15.8. Actor.15.v.18.* Nota sunt Deo ab omni æuo omnia sua opera. *Iob 12.v.13.* Penes illum (Deum) est sapientia & fortitudo: illius est consilium & intelligentia. *Prou.3.v.19. 20.* Iehoua sapientia fundauit terram, statuit cœlos intelligentia. Scientia eius abyssi diffissæ sunt, & superiores nubes destillant rorem *Hebr 4.v.13.* Nulla res creata non est manifesta in conspectu ipsius: imò omnia sunt nuda & intimè patentia oculis eius.

XI. *Voluntas Dei est immutabilis.*

1.Sam.15. v.29. Æternitas Israëlis non committet mendacium, neque pœnitebit eum. Non enim homo est, vt pœniteat eum. *Esa.46.v.10.* Consilium meum stabit: & omnis voluntas mea fiet. *Rom.11 v 29.* Dona Dei eiusmodi sunt, vt ipsum eorum non pœniteat *Heb 6 vers.17.* Deus volens ex abundanti hæredibus promissionis ostendere immutabilitatem consilij sui, fideiussit iureiurando.

XII. *Voluntas Dei est liberrima.*

Ion.1. v 14. Tu Domine quemadmodum vis, facis. *Rom 9. v.15.* Miserebor cuius miserebor. *Et v.18.* Itaque cuius vult, miseretur: quem autem vult, indurat. *Iacob.1. v.18.* Is (Pater luminum) quia voluit, progenuit nos sermone veritatis, vt essemus quædam primitiæ eorum, quæ creauit.

XIII. *Deus est omnipotens.*

Genes.17.v.1. Ego sum Deus omnipotens *Psal.115.v.3.* Deus noster in cœlis est, quidquid placet, facit. *Ier 32.v.17.18.19.* Domine, Domine, ecce tu fecisti cœlos, & terram virtute tua maxima, & brachio extento: non potest occultari tibi res vlla. Exerces benignitatem in millesimos, & rependis iniquitatem patrum in sinum filiorum ipsorum post ipsos. Deus iste fortis, maximus, potentissimus, cui nomen est Iehoua exercituum. Magnus es consilio, & amplius actione: cùm oculi tui aperti spectent in omnes vias hominum, vt des vnicuique secundùm vias ipsius, & secundùm fructum actionum ipsius. *Luc.1. v.37.* Apud Deum non erit vllum verbum, quod fieri non possit. *Apoc.4. v 8.* Sanctus, sanctus, sanctus est Dominus Deus ille omnipotens *Confer cap.11.v.17 c.19.v.6. 1.Sam.14.v.7.* Non est Domino impedimentum, quin seruet multis aut paucis. *Esa 14. v.27.* Dominus exercituum iniuit consilium, & quis irritum faciat? & manum eius extentam ecquis auertat? *Confer c.42.v 38.*

XIV. *Deus est summè sanctus.*

Leuit.19.v 2. Sancti estote: quia sanctus sum ego Dominus Deus vester. *Ios 24.v.19.* Dixit Iosua populo: Non potestis colere Dominum, quia Deus sanctissimus est. *1.Sam.2.v.2* Nullus est sanctus vt Dominus. *Esa.6. v.3.* Sanctus, sanctus, sanctus est Dominus exercituum. *Confer cap.12. v.6. & Apoc.4. versu 8.*

XV. *Deus est summè iustus.*

Deut.32.v.4. Rupis illius opus est perfectum. Omnes enim viæ illius sunt ius. Deus fortis, fidelis, & expers iniquitatis, iustus & rectus est. *Psal.11.v.7.* Iustus Dominus, quæ iusta sunt, diligit: rectum aspicit vultus ipsius. *Esa.45.v.21.* Ego Iehoua sum Deus iustus & seruator. *Apoc.16. v.5.* Iustus es Domine, qui es, & qui eras, & qui eris, quòd hæc iudicaris.

XVI. *Deus est summè verax.*

Num.23. v 23. Deus non est homo, vt mentiatur. *Psal.36. vers.6.* Veritas tua vsque ad nubes pertingit. *Rom.3. v.4.* Esto Deus verax, omnis autem homo mendax: sicut scriptum est, vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas, quando tu iudicas. *Tit 1. versu 2.* Spem vitæ æternæ promiserat Deus ille mentiri nesciens. *Apoc.19.v 11.* Vidi cœlum apertum, & ecce, adfuit equus albus, & qui insidebat ei, vocabatur fidelis & verax, & qui iustè iudicat & pugnat.

XVII. *Deus est summè bonus, clemens, & misericors.*

Exod.34.v.6.7. Iehoua transiens ante faciem Mosis inclamauit: Iehoua, Iehoua, Deus misericors & gratiosus, longanimis, & multus benignitate ac fide: custodiens benignitatem millibus, &c. *Psal.86 v.15.* Tu Domine, Deus misericors & gratiosus es. *Psal.103.v.8.* Misericors & gratiosus est Iehoua. *Et v.13.* Vt miseretur pater filiorum, miseretur Iehoua timentium ipsum. *Confer Malach.3.v.16. Psal.149.v 5.* Bonus est Iehoua omnibus: & miserationes eius sunt in omnibus operibus eius

Marc.10.

Marc.10.v.18. Nemo bonus nisi vnus nempe Deus. *Rom.2 v 4.* An diuitias benignitatis eius, & tolerantiæ, & lenitatis contemnis?

XVIII. *Deus est summè beatus.*

Esa.42.vers.8. Ego sum Dominus, illud est nomen meum & gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam sculptilibus. *Dan.7 v.9.10.* Videbam donec solia abiecta sunt, & antiquus dierum sedit: cuius vestimentum, vt nix, album erat, & pili capitis vt lana munda, solium vt scintilla ignis, rotæ vt ignis ardens: à cuius conspectu fluuius ignis manabat prodiens: cui millies mille ministrabant, & coram quo myrias myriadum stabant, donec iudicio considente, libri aperti sunt. *Psalm.104. v.1.* Benedic anima mea Domino: Domine Deus mi, magnus es valdè, decorem & maiestatem induisti. *Act 7.v.2.* Deus ille gloriæ visus est patri nostro Abrahamo. *1.Tim.1.v.11* Secundùm euangelium beati Dei. *Confer cap.6.v.15.& Iud v.24.25.*

XIX. *Tres sunt personæ in vna essentia Dei.*

1.Ioh.5. v.7. Tres sunt qui testificantur in cœlo: Pater, Sermo, & Spiritus sanctus: & hi tres vnum sunt. *Matth.28. v.19.* Profecti docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. *Confer Matth.3. Genes.1. v.26.* Postea dixit Deus, faciamus hominem ad imaginem nostram. *Confer Genes.cap 11.v.7.& cap.19.v.24. Psal.45.v.8.* Dilexisti iustitiam, & odisti improbitatem: propterea vnxit te, ô Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis. *Hagg.2.v 5* Sum enim vobiscum, dictum Domini exercituum: cum Verbo, quo pepigeram vobiscum, exeuntibus vobis ex Ægypto, & Spiritu meo stante in vobis.

XX. *Christus est Filius Dei vnigenitus, & verus Deus.*

Psal.2.v.7. Dominus dixit mihi: Filius meus es tu; ego hodie genui te. *Ioh.1. v.1* In principio erat Sermo ille: & Sermo ille erat apud Deum, eratque ille Sermo Deus. *Confer v.14 18.& Heb.1. v.3. Iohan 3. v.16.* Ita Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum illum dederit. *Ierem.23.v.6.* Atque hoc nomen eius est, quo vocabit eum Israël, Dominus iustitia nostra. *Psal. 110.v.1.* Dixit Dominus Domino meo. *Rom.9.vers.5.* Ex quibus est Christus, quod ad carnem attinet, qui est supra omnes, Deus benedictus in secula. *Matth.3. v.17.* Hic est Filius ille meus dilectus, in quo valde acquiesco. *1.Iohan.5 v.20.* Sumus in verace illo in Filio eius Iesu Christo. Hic est verus ille Deus, & vita æterna.

XXI. *Spiritus sanctus est verus Deus, procedens a Patre & Filio.*

Act.5.v.3.4 Dixit Petrus: Anania, cur impleuit Satan cor tuum, vt mentireris in Spiritum sanctum? non es mentitus hominibus, sed Deo. *Iohan.15.v.26* Cùm venerit aduocatus ille, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritus, inquam, ille veritatis, qui à Patre emanat: ille testabitur de me. *Gal.4.v.6.* Quoniam estis filij, emisit Deus spiritum Filij sui in corda vestra, clamantem abba, id est, Pater.

REGVLÆ DIDACTICÆ.

I. *De cognitione Dei sunt hæ regulæ.*

1. *Deus prout in se est à nemine, nisi à semetipso, potest cognosci.* Est enim infinitus. Quidquid autem est præter Deum, est finitum. 2. *Prout Deus seme ipsum nobis reuelauit, concipitur quasi ex dorso non de facie.* Exod. 33.22. hoc est cognoscitur à posteriori, non à priori. 3. *Quod reuelatum est de Deo, sufficit nobis ad bene beatéque viuendum* Deut. 29.29. Itaque non debemus scrutari ea, quæ non sunt reuelata. 4 *Quod sciri potest de Deo, est eius sufficientia & efficientia* Hæ sunt duæ columnæ fidei, consolationis fulcra, pietatis incitamenta. *Sufficientia Dei* est, quâ ipse in sese, sibi & nobis habet satis. *Efficientia Dei* est, quâ omnia in omnibus operatur.

II. *De attributis Dei sunt hæ regulæ.*

1. *Sufficientia Dei est in essentia & subsistentia eius.* Illa est, quâ Deus est ens absolutè primum: hæc est, quâ vna essentia Dei tribus hypostasibus est communis. 2. *Deus est vnus & vnicus* 3. *Deus est seipso.* 4. *Essentia Dei à nobis explicatur quasi multiplex per varia stili et attributa* Neque enim à nobis potest sufficienter comprehendi per vnicum actum. 5. *Attributa Dei in ipso sunt vnus purissimus & simplicissimus actus.* Sunt, inquam, ipsissima Dei essentia. Hinc *Vennerus lib.1. theol.* elegantissimè ita definit attributa Dei. *Omnisufficientia* est essentia Dei sufficiens ad omnia. *Omniscientia* Dei est essentia Dei sufficiens ad omnia vno actu perfectissimè cognoscenda. *Πρόγνωσις* est essentia Dei ad omnia futura, quæ omnino esse possunt, præuidenda. *Consilium* est essentia Dei sufficiens ad rationem sapientissimam omnium, quæ fieri possunt, rectissimè videndi. *Voluntas Dei* est essentia vno actu ad omnia liberrimè rectissiméque volenda; sufficiens. *Robur Dei* est essentia potens ad vim sufficientem in omni opere exercendam. *Bonitas Dei* est essentia erga omnes creaturas benefica. *Amor Dei* est essentia, sine merito omnes creaturas diligens. *Gratia Dei* est essentia, omnes creaturas nihil tale merentes fouens. *Misericordia Dei* est essentia omnium creaturarum miseriis aliquo modo succurrens. *Iustitia Dei* est essentia Dei, in omnibus æquè agens. *Ira Dei* est eius essentia, creaturæ iniquitatem puniens. 6. *Attributa Dei dicuntur de Deo in abstracto & concreto.* 7. *Attributa Dei nullam intrinsecam intensionem, extensionem, remissionem aut imparitatem admittunt.* 8. *Attributa diuina sibi inuicem non sunt contraria.* 9. *Attributa Dei, quæ communicari dicuntur creaturis conueniunt illis per analogiam.* 10. *Attributa Dei non sunt qualitates, nec ab essentiâ, vel à se inuicem separabiles.* 11. *Deus est simplicissimus:* quia nulla compositionis species in ipsum cadit. 12. *Deus est immensus;* quia nec loco capitur, nec à nostro intellectu comprehenditur. 13. *Deus est æternus à priori & posteriori.* 14. *Vita* tribuitur Deo in essendo: *voluntas*, in imperando: *potentia*, in exequendo. 15. *Deus omnia cognoscit per seipsum actu vno & simplicissimo.* 16 *Voluntas Dei est simplicissima.* Non itaque duæ, aut contrariæ in Deo sunt voluntates. 17. *Nihil fit Deo nolente.* 18 *Voluntas Dei pro vario obiecto varia sortitur nomina:* nimirum sanctitatis, bonitatis, amoris, gratiæ, misericordiæ, iræ, iustitiæ, &c. 19. *Deus non solùm potest quidquid vult, sed etiam plura quàm vult.* 20. *Ex potentia Dei non concluditur actus seu τὸ εἶναι rei;* nisi videlicet cum potentia sit coniuncta voluntas. 21. *Obiectum omnipotentiæ Dei est, quidquid eius naturæ non est aduersum.* Talia verò sunt omnia, quæ contradictionem implicant ex parte Dei, vt Deus potest mentiri; & ex parte rei, vt corpus est vbique. Hæc nempe non sunt δυνατά, sed ἀδύνατα. 22. *Potentia Dei prorsus est irresistibilis.* Est enim infinita. 23. *Attributa Dei explicant quid sit & quis sit.* Ibi est hæc quasi definitio: Deus est spiritus seipso viuens: hîc sunt proprietates, quæ explicant quantus sit Deus, & qualis sit. Sub notione quantitatis dicitur vnus, infinitus, & æternus. Qualis sit Deus, explicant proprietates illæ, per quas dicitur operari. Istis attribui debent omnes proprietates essentiæ & quantitatis: putà simplicitas, immutabilitas, æternitas, &c. Qualitates istæ concipiuntur, vel sub ratione facultatum, vt intellectus & voluntas: vel sub ratione virtutis, vt omniscientia, sanctitas, omnipotentia, &c. 24. *Affectus Deo tribuuntur propter similitudinem effectûs.* 25. *Virtutes, quæ in homine oriuntur ex occasione imperfectionis & peccati, non conueniunt Deo.* Eiusmodi sunt humilitas, castitas, pudor, & similia. 26. *Ex omnibus Dei attributis resultat illa perfectio Dei, quâ dicitur beatus.* Hinc fides nostra firmum habet fundamentum: quia nititur Deo, omnis perfectionis possessore. 27. *Attributa Dei vniuersam theologiam illustrant.* Nam in omnibus Dei operibus oportet illa respicere. 28 *Nomen Dei est memoriale de Deo in ipsius titulis.* Præcipuum autem & maximè Dei proprium nomen est Iehoua.

III. *De personis deitatis hæ sunt regulæ.*

Personæ deitatis.

1. *Personæ trinitatis & ὁμοουσίου vocabula etsi totidem syllabis in Scriptura non reperiantur: tamen vtiliter in Ecclesiâ vsurpantur.* Sunt enim Scripturis consentanea. 2. *Persona diuina est ipsissima Dei essentia cum certo τρόπῳ ὑπάρξεως:* seu, est essentia diuina, certo charactere insignita. Itaque quantum ad essentiam, singulæ personæ sunt à seipsis, & habent easdem proprietates essentiales. At differunt proprietatibus personalibus. 3. *Trinitatis dogma non est traditio Ecclesiæ, sed doctrina in S. literis expressa.* Etsi autem in N.T. clariora sunt huius mysterij testimonia, inprimis Matth 3 & 29 & 1 Iohan 5.7. non tamen ignota fuit hæc doctrina in V.T. 4. *Differentia personarum cernitur in ordine proprietatibus & modo operandi.* *Ordo* est, quòd Pater est prima persona, Filius secunda, & Spiritus sanctus tertia. *Proprietates* sunt, quòd Pater gignit, & vnà cum Filio spirat: quòd Filius gignitur à Patre, & vnà cum Patre spirat: quòd Spiritus S. procedit, à Patre & Filio vt vnà spirantibus. *Modus operandi* est, quòd Pater a se, Filius à Patre, Spiritus sanctus ab vtroque agit. 5 *Vnitas trium istarum personarum consistit in ὁμοουσίᾳ, ἰσότητι, & [illegible].* Ὁμοουσία, seu συνουσία, est quâ tres istæ personæ sunt coessentiales, siue eiusdem essentiæ. Ἰσότης est, quâ tres istæ personæ sunt æquales essentia, proprietatibus & actionibus essentialibus, gloria & honore. Vnde Filius & Spiritus sanctus non minùs quàm Pater est αὐτόθεος, [illegible], &c. Περιχώρησις est, quâ personæ istæ arctissimè vnitæ sunt, vt maneat alia in aliâ & cum aliâ. 6. *Filius producitur per actum intelligendi, seu dicendi in mente,* vnde appellatur Sermo: *Spiritus sanctus, per modum spirandi seu amandi,* vnde appellatur Spiritus. 7. *Quatuor sunt classes argumentorum,*

mentorum, quibus deitas Filij & Spiritus ſancti aſſeritur: putà nomina ſolius Dei propria, proprietates eſſentiales, opera Dei propria, & honor Deo proprius.

Locvs III.

De Operibus Dei in genere.

Præcepta.

Sequuntur *opera Dei*, quæ conſiderantur in genere, & in ſpecie.

1. *Opera Dei in genere* habent communes affectiones & diuiſiones generales.

2. *Affectiones operum Dei* ſunt, eſſe & fieri ſine motu; exprimere naturam Dei; ſuperare omnem captum creaturæ.

3. *Diuiſiones generales* ſunt, eſſe.

I. *Communia* totius Trinitatis, vel *propria* ſingularum perſonarum: ſeu, indiuiſa & eſſentialia, vel diuiſa & perſonalia.

II. *interna, vel externa.*

III. *relata ad Deum, vel ad creaturas:* è quibus hæc ſunt beneficia, vel iudicia: vtraque temporalia, vel æterna; & hæc vtraque ſpiritualia, vel corporalia.

IV. *ad intra, vel extra.* Illa terminantur ad ipſum Deum: hæc ad creaturam.

Regvlæ Positivæ.

Opera Dei 1 ſunt ab ipſo, propter ipsũ.

I *Omnia Dei opera ſunt ab ipſo & propter ipſum.*

Eſa.66.v.2. Omnia iſta fecit manus mea, & per eam exiſtunt omnia iſta: dictum Domini. *Rom* 1 1.*v.*36. Ex eo per eum, & in ipſum ſunt omnia. *Prou.*16 *v* 4 Omnia operatus eſt Dominus propter ſe, etiámque improbum ad diem malum.

2. fiunt à Deo liberè.

II. *Opera Dei fiunt à Deo liberè.*

Pſal 115.*v.*3. Deus noſter in cœlis eſt, quicquid placet, facit. *Apoc* 4.*v.*11 Dignus es Domine, qui accipias gloriam, & honorem, & virtutem: quia tu condidiſti omnia, & per voluntatem tuam ſunt, & creata ſunt.

3. ſunt bona, ampla, &c.

III. *Opera Dei ſunt bona, ampla, magna, & omninò indicia naturæ Dei.*

*Pſa.*33. *v.*4.5. Rectum eſt verbum Domini, & omne opus eius conſtans: amat iuſtitiam & iudicium: benignitate Domini plena eſt terra. *Pſal* 104.*v.*24. Quam ampla ſunt opera tua ò Domine, quàm ea omnia ſapienter feciſti! quam plena eſt terra poſſeſſione tua! *Pſalm* 111.*v.*2.3.4. Magna opera Domini, expoſita omnibus qui delectantur illis: glorioſum & decorum opus eius, & iuſtitiam eius perſtantem in æternum. Memoriam comparauit mirabilibus ſuis, gratioſus & miſericors Dominus. *Et v.*7 8 Opera manuum eius ſunt veritatis & iudicij: conſtantia omnia mandata eius. *Dan.*4.*v.*37. Nunc ego Nebucadnezar laudo, extollóque, & glorifico regem cœli, cuius omnia opera veritatis, & cuius viæ ſunt viæ iudicij.

4. ſunt Deo nota.

IV. *Omnia Dei opera ſunt ipſi nota.*

Pſal 94 *v.*9. An plantator auris non audiat? aut formator oculi non intueatur? *Pſal.* 147. *v* 4. Supputat (Deus) numerum ſtellarum, quotquot ſunt, nominibus vocans. *Hebr.*4.*v.*13. Non eſt vlla res creata, non manifeſta in conſpectu ipſius: imò omnia ſunt nuda, & intimè patentia oculis eius.

Regvlæ Didacticæ.

Affectiones operum Dei.

I. *De affectionibus operum Dei hæ ſunt regulæ.*

1. *Operari agere efficere Dei, prout eſt in Deo agente, non eſt aliquid realiter à Deo diſtinctum.* Nulla ſiquidem compoſitio poteſt in Deo habere locum. Addit tamen relationem quandam Dei ad effectum reale. 2. *Deus omnia operatur, quæ ſunt* θεοπρεπῆ Itaque imperfectiones non cadunt ſub efficientiam Dei. 3. *Deus operatur intra ſe vel extra ſe.* Ibi operatur per modum naturæ; hîc, per modum voluntatis.

Generales diuiſiones operum Dei.

II. *De generalibus diuiſionibus operum Dei ſunt hæ regulæ.*

1. *Non omne opus ad extra ſtatim eſt opus Dei externum.* Sic decretum Dei eſt opus ad extra, quoniam ad creaturas, ſeu ad rem extra Deum refertur: eſt tamen opus internum, quatenus in ipſa Dei eſſentia permanet. 2. *Vnum idémque opus ad extra, diuerſo reſpectu, eſt perſonale & eſſentiale.* Sic incarnatio Chriſti, inchoatiuè, eſt opus eſſentiale, totius Trinitatis; terminatiuè, eſt opus perſonale ſolius Filij. 3. *Opera ad extra ſunt indiuiſa, ſeu omnibus perſonis communia.* Vnumquodque tamen opus vnum manet, principio eſſentiali, actu efficiendi, & effectu ipſo. 4. *Opera Dei ad extra ſunt immanentia, vel tranſeuntia.* Ibi eſt decretum: hic, executio decreti. 5 *Quælibet perſona SS. Trinitatis operatur à ſeſe, quantum ad vim cauſalem, quam exercet.* Hinc nulla dignitatis præeminentia eſt in iſta cooperatione, ſed vnius & eiuſdem cauſæ ſumma vnitas & identitas. Sed *modus operandi* diſtinctus eſt, quo quælibet perſona operatur ſecundum diſtinctam rationem ſuæ ſubſiſtentiæ. *Diſtinctus iſte modus* partim eſt in ordine agendi, partim in actionis terminatione. *Quantum ad ordinem*, Patris modus operandi eſt a ſe, per Filium & Spiritum ſanctum. Hinc origo rerum, nempe creatio, tribuitur Patri, qui ordine originis eſt prima perſona. Filij operandi modus eſt à Patre, per Spiritum. Hinc rerum diſpenſatio illi tribuitur, nempe redemptio, & omnium in Eccleſia numerum conſtitutio, Epheſ.4.11. Spiritus ſancti modus operandi eſt à Patre & Filio, per ſeſe. Hinc rerum naturalium perfectio tribuitur Spiritui ſancto, *Geneſ.*1. & regeneratio, tanquam rerum conſummatio; denique donorum omnium ſpiritualium communicatio. *Quantum ad terminum actionis*, illud opus, in quo vnius perſonæ operatio, vel operandi modus potiſſimùm elucet; præcipuè etiam illi tribuitur. Sic Patri creatio; Filio redemptio, Spiritui ſancto ſanctificatio, per appropriationem ſolennem tribuuntur. Sic in myſterio incarnationis, quamuis Pater, Filius, & Spiritus ſanctus cauſæ rationem habeant, ſolus tamen Filius eſt terminus relationis.

Locvs IV.

De Decretis Dei in genere.

Præcepta.

Opera Dei in ſpecie ſunt ab æterno, vel in tempore.

2. *Opera Dei ab æterno* ſunt ad intra, vel ad extra.

Opera Dei ad intra vide paulò ante Loc. II.

3. *Opera Dei ab æterno ad extra* veniunt nomine decreti Dei.

4. *Decretum Dei* conſideratur in genere & in ſpecie

Decretum Dei in genere habet ſuas tum affectiones, tum quaſi partes.

5. *Affectiones* ſeu proprietates, decreti Dei, ſunt immutabilitas, libertas ſapientia, & iuſtitia.

6. *Quaſi partes*, ſeu actus, *decreti Dei*, ſunt conſilium & præſcientia in intellectu, præfinitio & ordinatio, id eſt, conſtitutio finis & mediorum, in voluntate.

Regvlæ Positivæ.

I. *Deus ab æterno iudicauit bonum eſſe, vt aliquæ res in tempore extra ipſum exiſterent.* De…

Eſa. 46. *v.*9.10 Ego ſum Deus & nullus præterea, & nemo par eſt mihi. Indico a principio finem, & ab antiquitate, quæ nondum facta ſunt, dicens: Conſilium meum ſtabit, & omnem delectationem meam faciam. *Epheſ* 1.*v.*4. Elegit nos Deus in Chriſto ante iactum mundi fundamentum. *Pertinet huc vox* πρόθεσις, *q. d. antedecretum, &* προέγνω, *q. d. prædecreuit. Act.*2.*v.*23 *Rom.*8.*v.*29.*c.*11.*v* 2.

II. *Decretum Dei eſt immutabile.* De… immu[ta]bile.

*Pſal.*33.*v.*11. Conſilium (Domini) in ſeculum conſiſtit, cogitationes animi eius in ætates ſingulas. *Eſa.*14. *v.*27. Dominus exercituum inijt conſilium, & quis irritum faciat? & manum eius extentam quis auertat? *Heb.*6.*v.*17. Deus volens ex abundanti

abundanti hæredibus promissionis ostendere immutabilitatem consilij sui, fideiussit iureiurando.

III. *Quicquid Deus in tempore facit vel permittit, ab æterno facere vel permittere decreuit.*

Iob. 14. *v.* 6. Quandoquidem sunt præcisi dies eius (hominis) numerus mensium eius penes te est: determinationes fecisti, quas non transgrediatur. *Prou.* 16. *v.* 33. In gremium coniicitur sors, à Domino autem est tota ratio eius. *Act.* 2. *v.* 22. 23. Iesum Nazaræнum definito consilio, & præcognitione Dei deditum cùm accepissetis, manibus sceleratis cruci affixum interemistis. *Et cap.* 4. *v.* 28. Vt facerent quæcunque manus tua, & consilium tuum priùs definierat vt fierent. *Ephes.* 1. *v.* 11. Omnia agit (Deus) ex consilio voluntatis suæ.

IV. *Deus ab æterno præscit opera sua & creaturarum.*

Psal. 139. *vers.* 2. 3. 12. 16. Tu intelligis cogitationem meam è longinquo, omnium viarum mearum gnarus es, ne tenebræ quidem ita obtenebrare possunt, quin tu peruideas: sed nox vt dies illustrat. Massam meam vident oculi tui, in libro tuo hæc omnia scripta sunt; ex quibus diebus formabantur, cùm nondum vllum ex eis exstaret. *Esa.* 44. *v.* 2. Quis prædicat & indicat istud, aut ordinat illud mihi, ex quo disposui populum æternum, vt futura, & quæ euentura sunt, indicentur illis. *Et cap.* 48. *v.* 3. 4. 5. Priora illa ab eo tempore indicaueram, & ex ore meo prodeuntia pronuntiaueram; ea repentè effeci: atque euenerunt. Et præscientiâ meâ erat, te durum esse: & neruum ferreum esse ceruicem tuam, frontemque tuam chalybeam. Quapropter indicaui tibi ex eo tempore, quum nondum eueniret, pronuntiaui tibi. *Act.* 15. *v.* 18. Nota sunt Deo ab omni æuo omnia opera sua.

V. *Deus ab æterno nouit & decreuit ea, quæ non sunt futura.*

Esa. 8. *vers.* 9. 10. Consociamini ô populi, conteremini, auremque præbete quotquot istis in locis longinquis terræ accingimini, & conteremini; inite consilium, & irritum fiet: & loquimini verbum, & non existet. Nam Immanuelis existit verbum.

REGVLÆ DIDACTICÆ

I. *De affectionibus decreti Dei hæ sunt regulæ.*

1. *In decreto Dei apparet eius constantia, veritas, & fides. Constantia* est, quâ Deus facit decretum immutabile, irreuocabile, & peremtorium. *Veritas* est, quâ illud solum enuntiat, quod decreuit. *Fides* est, quâ efficit quidquid decreuit, & prout decreuit. 2. *Omne Dei decretum est æternum.* 3. *Decretum Dei appellatur* ὡρισμένη βουλὴ, *definitum consilium, Act.* 2. 23. ἡ χεὶρ καὶ βουλὴ τοῦ θεοῦ, *manus & consilium Dei. Act.* 4. 28. *&* εὐδοκία τοῦ θεοῦ, *beneplacitum Dei, Eph.* 1. 9. Nominatur etiam voluntas Dei, & quidem voluntas beneplaciti. 4. *Consilium Deo tribuitur respectu perfectionis iudicij, non respectu imperfectæ inquisitionis.*

II. *In decreto Dei tria ista concurrunt: scopus siue finis propositus, conceptus mentis eò faciens, & voluntatis intentio atque complacentia, iuxta has regulas.*

1. *Scopus seu finis decreti diuini est ipsius gloria,* id est, manifestatio perfectionis summæ, quæ in operibus Dei effulget. 2. *In omni artifice, seu efficiente ex consilio ad extra, præexistit idea, tanquam causa exemplaris.* Itaque & in Deo huiusmodi idea præexistens est nobis concipienda. Non enim operatur extra se naturaliter, neque temerè, neque ex coactione. 3. *Idea omnium rerum est essentia diuina, prout ab ipso Deo intelligitur, vt imitabilis à creaturis:* hoc est, ita vt aliquo modo exprimi possit perfectionis illius imago aut vestigium aliquod in creaturis. 4. *Idea in homine, qui cognitionem acquirit per analysin, colligitur ex rebus ipsis.* Itaque res primò in seipsis existunt, & inde perueniunt ad sensum & intellectum, ibique constituunt ideam directricem operationis. 5. *Idea in Deo, qui intelligit omnia per genesin, non sumitur à rebus, sed ab ipsâ Dei essentiâ.* Itaque scientia diuina, id est, essentia ipsius cognita sub ratione imitabilitatis, est exemplar, & res ipsæ sunt imago vel similitudo eius expressa. In nobis res ipsæ sunt exemplar, & cognitio nostra est imago. 6. *Idea in homine est priùs impressa, & postea exprimitur in rebus: sed in Deo tantùm est exprimens, & non impressa.* Non enim accedit aliunde. 7. *Idea prout in Deo absolutè, & à priori consideratur, est vnica: sed quatenus includit varios respectus ad creaturas, fit multiplex.* Hinc rectè dicitur, ideam vnius creaturæ non esse ideam alterius creaturæ. 8. *In Deo sunt ideæ omnium perfectionum, quæ sunt in creaturis.* Ratio est, quia perfectiones istæ proueniunt ex virtute Dei actiuâ. Quod attinet ad imperfectiones, illæ non habent ideas in mente Dei. Sunt enim priuationes. Itaque cognitio mali in Deo pendet ex negatione boni. 9. *Ideæ considerantur vel vt antecedunt determinationem voluntatis Dei, vel vt eam sequuntur.* Ibi repræsentant rerum quidditatem & existentiam possibilem: hîc repræsentant res vt actû futuras, secundùm actualem suam existentiam. Atque hinc est, quod scientia Dei dicitur esse simplicis intelligentiæ, vel visionis. Illa est rerum possibilium, quas Deus nouit ex suâ omni sufficientiâ: hæc est rerum futurarum; quas Deus nouit ex suâ efficientiâ & decreto voluntatis. 10. *Beneplacitum Dei est actus diuinæ voluntatis, liberrimè & efficacissimè statuens de rebus omnibus.* Hinc voluntas Dei est prima causa rerum, *Apocal.* 4. 11. Est, inquam, causa primò prima. 11. *Voluntas Dei, vt velit operari ad extra, non præsupponit bonitatem obiecti, sed volendo ponit & facit.* 12. *Voluntatis diuinæ nulla propriè datur causa.* Etsi enim Deus vnam rem velit propter aliam existere: tamen illa res vna non est causa propriè dicta, quâ Dei voluntas internè mouetur ad alteram illam decernendam. Sic voluit Deus astra existere propter generationem, conseruationem, & corruptionem inferiorum: astra tamen non sunt causa, cur Deus illa velit generari, conseruari, & corrumpi. Et ita se res habet in omnibus rebus extra Deum, quæ quidem inter sese sunt causæ & effecta, etiam quâ dependent à voluntate Dei: sed ipsius voluntatis Dei nulla est causa extra ipsam. Neque etiam in Deo volitio vnius rei est propriè dicta causa efficiens vt in semetipso velit aliam: quoniam efficientia causæ in effectum, & dependentia effecti à causâ, in voluntatem diuinam, quæ est Deus ipse, omnia simul & semel vnico actu volens, cadere non potest. Verum tamen est, quod Scholastici dicunt, attingentiam diuinæ voluntatis passiuam, respectu vnius rei, esse causam attingentiæ passiuæ, respectu alterius: atque adeò hoc sensu piè ac rectè dicitur, Deum vnum aliquid velle, quia voluit aliud. Quamuis igitur multa velit, quæ non sunt consecutura, nisi ex actu aliquo creaturæ antecedente, ipse tamen volendi actus in Deo, non propriè pendet, vt consequens quid, ex actu creaturæ. Itaque *velleitas*, quæ est imperfecta voluntas, propriè non potest Deo tribui. 13. *Voluntas Dei etsi vniuersaliter statuit de omnibus rebus, non tamen infert necessitatem omnibus rebus futuris, sed certitudinem tantùm quoad euentum.* Sic fieri non potuit, quoad certitudinem euentûs, vt ossa CHRISTI confringerentur, quia Deus voluit vt non confringerentur: nulla tamen militibus illata est necessitas. Imò tantum abest, vt voluntas diuina, quæ certissimè assequitur quidquid vult, res omnes vrgeat durâ necessitate, vt prima radix & causa efficiens sit omnis illius contingentiæ, ac libertatis, quæ est in rebus: quoniam efficaciter præconstituit, ex talibus causis tales effectus secuturos. 14. *In istis rebus, quas Deus vult, ordo quidam concipitur:* videlicet, quòd priùs velit finem, quàm media; & inter media priùs illa, quæ propiùs ad finem accedunt. Nam quod prius est ordine executionis, id posterius est ordine intentionis, & contrà. 15. *Propriè voluntas Dei non est nisi vnica.* Et hæc dicitur voluntas beneplaciti, item voluntas antecedens, absoluta, & occulta. Sed impropriè mandata Dei, promissiones, &c. appellantur eius voluntas, & quidem *voluntas signi.* Sic ergo voluntatis diuinæ nomine intelliguntur, quæ vulgato versu continentur:

Præcipit, ac prohibet, promittit, consulit, implet.

Vt enim magistratus madata, voluntas eius appellantur: ita voluntatis diuinæ nomen tribuitur præceptis, prohibitionibus, promissionibus, consiliis, & ipsismet factis & euentis. Atque hæc voluntas signi dicitur, quia significat quid Deus velit. Dicitur etiam voluntas consequens, conditionalis, & reuelata. Hîc tamen memineris consilium sub præcepto contineri. Itaque pro *consulit* substitue *permittit.*

***

Locvs V.

De Prouidentiâ Dei æternâ.

Præcepta.

1. *Decretũ Dei in specie* est generale, vel speciale. Illud æterna prouidentia; hoc, prædestinatio dicitur.

2. *Prouidentia Dei æterna* spectatur in amplitudine & actibus suis.

3. *Amplitudo prouidentiæ Dei æternæ* comprehendit omnis generis res, bonas & malas, necessarias & contingentes, magnas & paruas, &c.

4. *Actus* sunt duo: videlicet decretum creationis & gubernationis.

5. *Decretum creationis* complectitur formationem & dispositionem in πρωτοκτισία exprimendam.

6. *Decretum gubernationis* complectitur omnes actus prouidentiæ actualis seu temporariæ: cuiusmodi sunt conseruatio, destructio, permissio, &c.

Regvlæ Positivæ.

Deus ab æterno decreuit creatione & gubernationem mundi.

I. *Deus ab æterno decreuit creare & gubernare mundum.*

*Apoc.*4.*v.*11. Tu (Domine) condidisti omnia, & per voluntatem tuam sunt, & creata sunt. *Esa.*45.*vers.*12. Ego feci terram, & hominem super eam creaui, ego manibus meis extendentibus cœlos, omni quoque exercitui eorum præcepta dedi.

Prouidentiâ Dei omnia gubernãtur.

II. *Prouidentiâ Dei omnia gubernantur.*

*Esa.*46.*v.*10. Consilium meum stabit, & omnem delectationem meam facturus sum. *Matth.*10 *v.*29.30. Nonne duo passerculi assario veneunt, & vnus ex eis non cadet in terram sine patre vestro? Vestri verò etiam capilli capitis omnes numerati sunt.

Prouidentia Dei immutabilis.

III. *Prouidentia Dei æterna est immutabilis.*

*Act.*4.*v.*28. Vt facerent quæcunque manus tua & consilium tuum priùs definierat vt fierent. Vide paulò antè *ad n.*1. *Esa.* 46.*v.*10.*& loco præced.num.*2. 1.*Sam.*15.*v.*29. Quin etiam qui est æternitas Israëlis, non committet mendacium, neque pœnitebit eum: non enim homo est, vt pœniteat eum.

Decretum Dei non excludit media

IV. *Decretum prouidentiæ non excludit media & officium nostrum, sed includit.*

Matth. 4.*v.*7. Scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum. *Psal.*50.*v.*14 15. Sacrifica Deo laudem, & redde excelso vota tua: atque inuoca me tempore angustiæ; eripiam te, vt honore afficias me. *Psal.*91. Per totum, nominatim *v.*11.12.15. 16. Nam angelis suis præcipiet de te, vt conseruent te, in omnibus viis tuis: ambabus palmis sustineant te, ne offendas ad lapidem pedem tuum. Simul ac inuocauerit me, exaudiam eum, ipsi adero in angustiâ; eripiam eum, & honore afficiam eum; Longitudine dierum satiabo eum, denique efficiam vt fruatur salute meâ.

Regvlæ Didacticæ.

Decretum prouidentiæ quàm late pateat?

I. *Decretum prouidentiæ est generale.*

Est enim voluntas Dei statuens de rebus omnibus, maximis, minimis, contingentibus, necessariis, sine exceptione. Quòd si voluntas Dei non statueret de rebus omnibus, voluntas eius non esset causa prima, simpliciter, & vniuersaliter; ac proinde duo prima principia essent statuenda. Voluntatis autem diuinæ non est eadem ratio in omnibus. Nam licet decreto & voluntate Dei fiant omnia bona & mala: tamen hæc non fiunt decreto Dei efficiente sed permittente, dirigente, & determinante. Itaque decretum Dei, seu voluntas ipsius, non est causa peccati. Huc pertinet regula: *Quæ fiunt contra voluntatem Dei, non fiunt præter voluntatem eius*: Ita lapsus Adami & omnia omnino peccata sunt contra voluntatem Dei, sed non præter voluntatem ipsius.

II. *Decretum prouidentiæ complectitur creationem & gubernationem simul.*

Decretum Dei rectè distribuitur in generale & speciale. Illud est, quod pertinet ad vniuersa & singula, *Ephes.*1.11. hoc est, quod occupatur circa homines. Decretum generale dicitur decretum prouidentiæ: vbi sub vocabulo prouidentiæ continetur creatio. Etsi enim creatio & prouidentia in executione opponuntur: tamen in decreto hoc generali rectè componuntur; quia scilicet ibi strictè, hîc latè accipitur vocabulum prouidentiæ.

Locvs VI.

De Prædestinatione.

Præcepta.

1. *Prædestinatio* consideratur in genere & in specie.

In genere attenditur modus docendi, & causa eius impellens prima.

2. *Modus docendi* de prædestinatione alius est syntheticus siue à priori, alius analyticus seu à posteriori.

3. *Causa prima impellens prædestinationis* est εὐδοκία, seu beneplacitum Dei.

In specie prædestinatio est ad vitam, vel ad mortem: seu, electio vel reprobatio.

4. *Electio* est Christi, vel vnitorum Christo, id est, bonorum angelorum & hominum saluandorum.

5. *Electio Christi* respicit vnionem humanæ naturæ cum λόγῳ, & totius personæ designationem ad officium mediatoris.

6. *Electio bonorum angelorum* respicit confirmationem ipsorum in bono sub Christo capite.

7. *Electio hominum saluandorum* consideratur in actibus & notis suis.

8. *Actus ipsius* duo sunt: consilium miserendi, & conferendi tum gratiam, tum gloriam.

9. *Consilium miserendi* est, quo Deus discreuit seruandos à non-seruandis.

10. *Consilium conferendi gratiam* respicit gratiam vocationis, iustificationis, & sanctificationis.

11. *Consilium conferendi gloriam* respicit glorificationem.

12. *Notæ siue signa electionis* sunt in vocatione efficaci, quæ in nobis efficit fidem & sanctitatem; siue bona opera.

13. *Reprobatio* est *malorum angelorum* vel *hominum*; & hæc spectatur in actibus & effectis suis.

14. *Actus ipsius duo sunt*: consilium non miserendi, & damnandi.

15. *Consilium non miserendi,* seu relinquendi, quos Deus vult, in miseriâ, dicitur non electio, præteritio, negatio gratiæ, reprobatio passiua & negatiua. Estque prorsus absoluta.

16. *Consilium damnandi*, seu non conferendi gloriam, dicitur reprobatio actiua & affirmatiua. Eius causa meritoria est peccatum.

17. *Effecta reprobationis* alia sunt per se, alia per accidens. *Ibi* ratione piorum est humilitas & gratitudo, ratione impiorum sunt desertio, subtractio gratiæ, induratio, ira Dei, & pœna æterna: *hîc* cæcitas, prauitas, & similia peccata reproborum. Nimirum Diabolus & homo sunt causa istorum peccatorum efficiens, & per se; causa deficiens, adeóque per accidens, est reprobatio, per quam fit, vt hæc mala non prohibeantur vel tollantur à reprobis; quomodo sol est causa deficiens tenebrarum. Si tamen malis hæc dicere consequentia potiùs, quàm effecta per accidens, nihil repugno.

Regvlæ

Regulæ Positivæ.

I. *Deus ab æterno decreuit salutem & damnationem quorundam, hoc est, alios elegit, alios reprobauit, seu non-elegit.*

*Esa.*44.*v.*2. Quis,vt ego,prædicat,& indicat istud,aut ordinat illud mihi,ex quo disposui populum æternum? *Et cap.*45. *v.*17.Israël seruatur per Dominum, salute æternâ: non erubescetis,neque ignominiosi reddemini in sempiterna secula.*Soph.*3. *v.*17. Dominus Deus tuus in medio tui potens, seruaturus est, gauisurus de te lætitiâ, conquieturus in amore suo,exultaturus de te cantu.*Matth.*11.*v.*25.26.Iesus dixit,Gloriam tibi tribuo, Pater,Domine cœli & terræ, quòd hæc occultaueris à sapientibus & intelligentibus, & retexeris infantibus Etiam, Pater, quia ita placuit tibi *Et cap.*20 *v.*16.*Et cap.*22.*v.*14 Multi sunt vocati, pauci verò electi. *Marc.*13. *v* 20. Propter electos, quos elegit, contraxit Deus dies illos: scil. obsidionis Hierosolymitanæ. *Luc.*2.*v.*34. Ecce positus est iste (Iesus) in casum & resurrectionem multorum in Israël. *Act.*13.*v.*48. Crediderunt quotquot erant ordinati ad vitam æternam. *Rom.*8. *v* 28. 29. 30. Nouimus iis qui diligunt Deum, omnia simul conferre in bonum, iis videlicet, qui ex proposito ipsius vocati sunt. Nam quos prædecreuit (προέγνω)eos etiam prædestinauit,vt conformes fiant imagini filij eius:quos autem prædestinauit, eos etiam vocauit: & quos vocauit, eos etiam iustificauit: & quos iustificauit,eos etiam sanctificauit. *Rom* 9 *v.*11.12.13. Nondum natis pueris (Esau & Iacob)cùm nihil fecissent boni vel mali, vt propositum Dei, quod est secundùm electionem, maneret, non ex operibus, sed ex vocante,dictum est ei(Rebeccæ) maior seruiet minori, sicut scriptum est, Iacobum dilexi, Esauum verò odio habui. *Et cap.*11.*v.*2 Non abiecit Deus populum suum,quem prædecreuit. 1.*Thess.*5. *v.*9. Non constituit nos Deus ad iram, sed ad salutem.*Iud.v* 4. Subrepserunt quidam homines, prius iam olim descripti ad hanc damnationem.

II. *Prædestinatio pendet à mero Dei beneplacito.*

*Matth.*11.*v.*26.Etiam Pater, quia sic placuit tibi; seu,vt Syrus habet,quia sic fuit beneplacitum coram te. *Roman.*9. *v.*18. Cuius vult, miseretur: quem autem vult, indurat. *Eph.*1.*v.*5. Prædestinauit nos ad adoptionem filiorum per Iesum Christum ad seipsum, secundùm beneplacitum voluntatis suæ. *Et v* 11.Prædestinati sumus secundùm propositum eius,qui omnia efficit ex consilio voluntatis suæ.

III. *Christus ab æterno electus est, vt esset mediator noster.*

Esa. 42. *v.* 1. En seruus meus,quem sustento,electus meus, quem benignè accipit anima mea.*Confer Matth* 12.*v.*18 *Act.* 2. *v.* 23. Iesum definito consilio, præcognitione Dei deditum, cùm accepissetis, manibus sceleratis cruci affixum interemistis. *Confer Act.*4.*v* 28. 1.*Pet.*1.*v.*20. Præsciti quidem, (Christi) ante iacta mundi fundamenta, patefacti verò vltimis temporibus propter vos. *Confer cap.*2.*v.*4.vbi Christus dicitur lapis ab omnibus reprobatus, apud Deum verò electus.

IV. *Quidam Angeli ab æterno sunt electi ad vitam æternam.*

1.*Tim.*5. *vers.*21 Obtestor in conspectu Dei,& Domini Iesu Christi, & electorum angelorum.

V. *Quidam homines ab æterno sunt electi ad vitam æternam.*

Rom 9.*v.*23.Notas fecit diuitias gloriæ suæ, erga vasa misericordiæ, quæ præparauit ad gloriam. 1.*Thess.*5.*v.*9. Seruauit nos (Deus) & vocauit vocatione sanctâ: non ex operibus nostris,sed ex suo proposito & gratiâ. *Esa* 44.*v.*2. Quis prædicat & indicat istud mihi, ex quo disposui populum æternum. *Iohan.*17.*vers.*6.Manifestum feci nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi selectos in mundo.

VI. *Homines qui sunt electi,in Christo sunt electi.*

*Ephes.*1.*v.*4. Deus elegit nos in ipso (Christo) ante iactum mundi fundamentum. *Ioh.*3. *v.*16. Ita Deus dilexit mundum, vt filium suum illum vnigenitum dederit, vt, quisquis credit in eum, non pereat,sed habeat vitam æternam. *Eph.*3. *v.*11. Præstitutum æternum constituit Deus in Christo Iesu Domino nostro.*Confer* 1.*Pet.*1.*v.*20. ad num.præced. 3.

VII. *Electio non excludit, sed includit studium bonorum operum, tanquam effectum & infallibile signum.* Electio 1. includit studium bonorum operum.

*Ephes.*1.*vers.*4.Deus elegit nos in ipso (Christo)ante iactum mundi fundamentum, vt simus sancti & inculpati in conspectu eius in charitate. 2. *Tim.* 2. *v.* 13. 14. Nos debemus gratias agere Deo semper de vobis, fratres dilecti à Domino, quòd elegerit vos Deus ab initio ad salutem per sanctificationem spiritus, & fidem habitam veritati.

VIII. *Electio nostri ad vitam æternam est gratuita.* 2. est gratuita.

*Rom.*9.*v.* 16 Electio non est eius qui vult,neque eius qui currit,sed eius,qui miseretur,nempe Dei. *Confer Num.* 2. *& paulò post Deut.*7.*ad Num* 12.

IX. *Electio ad vitam æternam est immutabilis.* 3. est immutabilis.

2 *Tim.*2.*v.*19. Solidum fundamentum Dei stat, habens hoc sigillum, Nouit Dominus qui sint sui. *Ioh.*17.*v.*9. Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, sed pro iis,quos dedisti mihi; quia tui sunt. 1.*Pet.*2.*v.*6. Ecce statuo in Sion lapidem angularem, electum, pretiosum: in quem qui credit, nequaquam pudefiet.

X. *Pauci sunt electi respectu reproborum.* 4. est paucorum.

*Matth.*22.*v.*14.Multi sunt vocati,pauci verò electi. *Et cap.*7. *v.*13.14.Introite per angustam portam,quoniam lata est porta, & spatiosa via,quæ abducit in exitium, multíque sunt, qui introeunt per eam.Quia angusta est porta,& stricta via, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniant eam.

XI. *Electionis æternæ consideratio est fundamentum gaudij spiritualis.* 5. est fundamentum gaudij spiritualis.

Luc. 10. *v.* 20. Gaudete quòd nomina vestra scripta sint in cœlis.

XII. *Deus ab æterno non elegit quosdam angelos.* Quidam angeli non electi ab æterno.

2.*Pet.*2.*v.*4.Deus angelis qui peccauerunt,non pepercit, sed in tartarum detrusos catenis caliginis tradidit, damnationi seruatos. *Iud v.*6. Angelos qui non conseruarunt originem suam, sed reliquerunt suum domicilium, iudicio magni illius diei vinculis æternis sub caligine reseruauit.

XIII. *Deus ab æterno quosdam homines non elegit ad vitam æternam.* Quidam homines non electi ab æterno.

*Rom.*9.*v.*13. Iacobum dilexi, Esauum odio habui. *Et v.*18. Itaque cuius vult, miseretur, quem autem vult, indurat. *Et v.*22. Volens (Deus) ostendere iram, & notam facere potentiam suam, pertulit multâ lenitate vasa iræ, coagmentata ad interitum. *Iud. vers.*4. Subrepserunt quidam homines iam olim præscripti ad hanc damnationem impij, qui Dei nostri gratiam transferunt ad lasciuiam. *Deut.*7 *v.*6.7.8. Nam populus sanctus es Iehouæ Deo tuo: te selegit Iehoua Deus tuus, vt sis ei populus peculiaris, præ omnibus populis qui sunt sub vniuerso cœlo. Non eò quòd plures essetis omnibus reliquis populis,amore propendit Iehoua in vos,vos enim eratis populus paucissimus omnium populorum: sed eò quòd diligit Iehoua vos. *Confer Act* 14.*v.*16.17.

Regulæ Didacticæ.

I. *De prædestinationis naturâ sunt hæ regulæ.* Prædestinationis natura.

1.*Prædestinatio etsi est ab æterno:nullā tamen in prædestinatis internam disparitatem facit ante applicationis actualem dispensationem.* Illa siquidem est ratio omnium decretorum, vt ante executionem nihil ponat in personis & rebus.2 *Prædestinationis ratio est immobilis & indissolubilis.*2.Tim.2 19.Itaque prædestinatorum numerus non tantùm formalis & numeralis, sed etiam materialis & numeratus apud Deum est certus: id est, Deus non solùm decreuit,quot homines salui tandem fient,quot non, sed etiam quinam sint singulares illi homines. 3. *Prædestinatio nec terminum nec obiectū suū necessariò præsupponit vt existens, sed ponit vt ex sta*: ita nempe vt vi prædestinationis ordinetur. 4.*Prædestinatio est certa determinatio ordinis mediorū ad finem.* Etsi ergo prædestinatio in mente Dei vnus & simplicissimus sit actus: pro nostri tamen intellectûs capacitate,in prædestinationem ad finem & ad media distinguitur. 5. *Prædestinatus ad finem prædestinatus quoq; est ad media.*Nam qui destinat ad finē, destinat etiam ad media. 6. *Prædestinatio est decretum absolutū, & non est.* Absolutum est ratione causæ efficientis impulsiuæ, quæ nec in eligendis est fides,nec in reprobandis peccatum; sed liberrima

liberrima Dei voluntas. Non eſt abſolutum reſpectu obiecti & mediorum, quibus Deus hoc decretum exequitur. Nam *obiectum* electionis & reprobationis non eſt homo abſolutè conſideratus, ſed ſuâ ſponte in peccatum lapſurus. Præſupponit itaque prædeſtinatio decretum de homine creando; de donandâ homini creando imagine Dei, ſed amiſſibili; denique de lapſu eius permittendo. *Media* verò ſunt ita comparata, vt neque electis materia gloriandi, neque reprobis materia conquerendi relinquatur. Illis enim gratia indebita confertur, his verò pœna debita infertur. 7. *Inter media prædeſtinationis alia ſunt aliorum cauſæ: ipſius verò prædeſtinationis actus non ſunt cauſæ, neque omnium eius effectorum.* 8. *Media prædeſtinationis ſunt interna, vel externa.* Illa ſunt, quæ ſuâ naturâ ordinem habent ad prædeſtinationis finem, vt gratia Dei in Euangelio reuelata: hæc ſunt bona naturalia, vel mala moralia, quæ ſupra vel præter naturam ſuam, ex directione Dei, ad ſalutem noſtram cooperantur.

Electio hominum ad ſalutem.

II. *De electione hominum ad ſalutem hæ ſunt regulæ.*

1. *In electione hominum ad ſalutem tres ſunt actus, ratione diſtincti. Primus* eſt, velle gratiæ gloriam in hominum quorundam ſalute. *Secundus* eſt, deſignare quoſdam homines, qui participes ſint huius ſalutis, adeoque illos ab aliis diſcernere. *Tertius* eſt, præparare media, quibus homines illi ſecreti perducantur ad ſalutem. 2. *Chriſtus primò fuit electus, vt caput; ac deinde homines quidam vt membra.* Nam in primo actu electionis Chriſtus fuit electus, vt medium principale; in tertio actu, vt cauſa. Etſi ergo Chriſtus habet rationem cauſæ reſpectu reliquorum effectorum: non tamen eſt cauſa meritoria vel impulſiua reſpectu ipſius electionis ſiue dilectionis. Nempe decretum de nobis ſeruandis, eſt prædeſtinatio ad finem: decretum verò de Chriſto, tanquam capite nobis dando, eſt prædeſtinatio ad media. 3 *In explorandâ noſtri electione progrediendum eſt methodo analyticâ, à mediis executionis ad decretum, facto initio à ſanctificatione noſtri.* Tali ergo ſyllogiſmo res tota concludetur. Quicunque in ſe ſentit donum ſanctificationis, quâ peccato morimur, & viuimus iuſtitiæ, is eſt iuſtificatus, vocatus, & electus. Atqui per Dei gratiam hoc ſentio. Ergo ſum iuſtificatus, vocatus, & electus.

Reprobatio.

III. *De reprobatione ſunt hæ regulæ.*

1. *Vt in electione, ita in reprobatione tres actus ſunt concipiendi. Primus* eſt, velle iuſtitiæ oſtenſionem. *Secundus,* certos homines deſignare & ſecernere, in quibus manifeſta fiat hæc iuſtitia. *Tertius*, dirigere media, quibus iuſtitia illa poſſit manifeſtari. Huiuſmodi media ſunt, permiſſio peccati, & derelictio in peccato. 2. *Reprobatio probè diſtinguenda eſt à reprobabilitate.* Differunt enim vt potentia & actus. Nam propter peccatum omnes homines erant reprobabiles, ſed non ideo omnes ſunt reprobati. Itaque peccatum non eſt cauſa reprobationis, ſed reprobabilitatis. 3 *Diuerſæ ſunt iſtæ tres quæſtiones: Quo iure Deus hominem, creaturam ſuam reprobauerit: Cur non omnes, ſed quoſdam elegerit, quoſdam reprobauerit: & Cur hunc, v.g. Petrum elegerit, alium verò putà Iudam reprobarit?* Ad primam reſpondetur ex causâ materiali, i.e. ex conditione obiecti; quia homo, quâ lapſurus, erat reprobabilis. Ad ſecundam, ex fine; quia Deus gloriam miſericordiæ & iuſtitiæ voluit patefacere. Ad tertiam, ex causâ impulſiuâ; quia ſic ei placuit. Ita ſi quæratur, cur figulus ex eâdem maſsâ efficiat diuerſa vaſa, reſpondetur ex fine, ad diuerſos in œconomiâ vſus. Rurſum ſi quæratur, cur ex hâc maſſæ particulâ faciat vrceolum, ex iſtâ matulam reſpondetur ex causâ impulſiuâ, quia ſic figulo placet. 4. *In reprobatione duo iſta ſunt diſcernenda: indebitæ gratiæ negatio, & debitæ pœnæ deſtinatio.* Illa dicitur præteritio, & nullam habet cauſam extra Deum: hæc dicitur prædamnatio, & reſpicit peccatum, ſeu perſeuerantiam in peccato.

Locvs VII.

De Creatione.

Præcepta.

Expoſita ſunt *opera Dei ab æterno*: deinceps exponuntur *opera eius in tempore.*

1. *Opera Dei in tempore* ſpectantur in affectione & diuiſione ſuâ.

2. *Affectio* eſt; eſſe ſpeculum decreti, & relinquere opus poſt ſe.

3. *Diuiſio* iſtorum operum eſt; quòd ſunt executio decreti prouidentiæ, vel prædeſtinationis.

4. *Executio decreti prouidentiæ* eſt creatio & gubernatio.

5. *In creatione* ſpectatur modus & ordo.

6. *Modus creationis* eſt, quòd Deus res antè non exiſtentes produxit ſolo nutu, abſque vllo inſtrumento, motu, & auxilio; & quidem valde bene.

7. *Ordo* cernitur in hexaëmero, & ſabbato.

8. *Hexaëmeron* complectitur ſex primos dies, quibus Deus produxit creaturas, hoc pacto.

9. *Primo die* Deus creauit cœlum, terram, aquam, lucem, & angelos; idque ex nihilo.

10. *Secundo die* productum eſt expanſum, i.e. aër. Sohnius tamen & Schonfeldius exiſtimant, expanſum appellari à Moſe ſpatium illud vaſtiſſimum aquis terreſtribus & cœleſtibus determinatum, à ſuperficie terræ vſque ad cœlum tertium; ita vt per aquas ſuperiores intelligendæ ſint aquæ ſupra firmamentum, complectentes conuexitatem cœli tertij. Nam ſupra cœlos cœlorum eſſe dicuntur iſtæ aquæ, *Pſal.* 148.4.

11. *Tertio die* facta eſt collectio aquarum in certos alueos, & omnis generis plantæ ſunt productæ.

12. *Quarto die* creatæ ſunt ſtellæ.

13. *Quinto die* piſces, aues, & reptilia aquatica ſunt producta.

14. *Sexto die* beſtiæ terreſtres ſunt productæ, & vltimo loco homo.

15. *Sabbatum* eſt ſeptimus dies, quo Deus deſiit creare nouas ſpecies, & in creatis acquieuit.

Regvlæ Positivæ.

I. *Solus Deus, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus creauit cœlum, terram, & omnia quæ in iis ſunt.*

Gen. 1. *v.* 1. In principio creauit Deus cœlum & terram. *Exod.* 20. *v.* 11. Sex diebus perfecit Dominus cœlum ipſum, & terram, mare, quicquid eſt in eis. *Eſa.* 40. *v.* 12. Quis menſus eſt pugillo ſuo aquas, & cœlos ſpithamâ expandit, aut complexus eſt trientali puluerem terræ? Et ponderauit ſtaterâ montes, & colles lancibus? *Prou.* 3. *v.* 19. 20 Dominus ſapientiâ fundauit terram, ſtatuit cœlos intelligentiâ: ſcientiâ diffiſæ ſunt eius abyſſi, & ſuperiores nubes deſtillant rorem. *Ierem.* 51. *v.* 15. Deus fecit terram virtute ſuâ, ſtabiliit orbem habitabilem ſapientiâ ſuâ, & prudentiâ ſuâ extendit cœlos. *Iohan.* 1, *v.* 3. Omnia per hunc ſermonem facta ſunt, & abſque eo factum eſt nihil quod factum ſit. *Et v.* 10. Mundus per eum factus eſt. *Col.* 1. *v.* 16. 17. Per eum (Chriſtum) condita ſunt omnia quæ in cœlis ſunt, & quæ in terrâ, viſibilia & inuiſibilia, ſiue throni, ſiue dominia, ſiue imperia, ſiue poteſtates: omnia, inquam, per eum, & eius reſpectu condita ſunt. *Gen.* 1. *v.* 2. Et Spiritus Dei incubabat ſuperficiei aquarum.

II. *Prima creatio intra primos ſex mundi dies peracta eſt*

Gen. 1. & 2. Nominatim *c* 2. *v* 2. Cùm perfeciſſet Deus die ſeptimo opus ſuum, quod fecerat. Vide *Exod.* 20. *v.* 11. *ad num. præced.*

III. *Deus omnia creauit ſimplici nutu & iuſſu.*

Geneſ. 1. *v.* 3. Dixit Deus, eſto lux; & fuit lux. *Et v.* 11. Dixit Deus, herbeſcat terra herbulis. *Pſal.* 148. *v.* 5. Laudent nomen Domini, quæ, ipſo præcipiente illico creata ſunt. 2. *Cor.* 4. *v.* 6 Dixit (Deus) vt è tenebris lux ſplendeſceret.

IV. *Deus ex nihilo creauit mundum.*

Rom. 4. *v.* 17. Vocante (Deo) quæ non ſunt, tanquam ſint. *Heb* 11.3. Per fidem intelligimus conſtructum fuiſſe mundum verbo Dei, vt quæ cernimus non ſint ex apparentibus facta.

V. *Deus creauit omnia valde bona.*

Gen. 1. *v.* 31. Inſpexit Deus, quidquid fecerat: ecce autem, bonum

num erat valde. 1. *Tim.* 4. *v.*4. Quidquid condidit Deus, bonum eſt.

VI. *Deus omnia fecit propter ſe ipſum, & propter hominem, imprimis propter electos ſuos.*

*Prou.*16.*v.*4. Omnia operatus eſt Iehoua propter ſe. *Rom.*10. *v. vlt.* Nam ex eo,& per ipſum,& in ipſum ſunt omnia *Gen.* 1.*v.*28.29. 30. Deinde benedixit eis (Adamo & Euæ) Deus, & dixit eis: Fœtificate,ac augeſcite,& implete terram, eamque ſubiicite, & dominamini in piſces maris, & in volucres cœli, & in omnes beſtias reptantes ſuper terram. Præterea dixit Deus,Ecce dedi vobis omnes herbas,ſementantes ſemen,quæ ſunt in ſuperficie totius terræ, omneſque arbores, in quibus eſt fructus arboreus, ſementantes ſemen:veſtræ ad comedendum erunt. Confer *Pſal.* 8. *& Gen.*9. *v.*1.2.3. *Heb.* 1. *v. vlt.* Nonne omnes (angeli boni) ſunt miniſtratores ſpiritus, qui miniſterij causâ emittuntur propter eos, qui hæredes erunt ſalutis. 1.*Cor* 3.*v.*21. Omnia enim veſtra ſunt: Et Paulus, & Apollos,& Cephas,& mundus,& vita,& mors,& præſentia,& futura omnia,inquam,veſtra ſunt. Vos autem,Chriſti:Chriſtus verò Dei.

Regvlæ Didacticæ

I. *De creatione in genere ſunt hæ regulæ.*

1. *Creatio eſt immediata, vel mediata.* Nam creare non tantùm eſt ex nihilo aliquid facere,ſed etiam ex materiâ inhabili. 2. *Creatio eſt tranſitio à potentiâ ad actum nimirum ratione creaturæ.* Nam Deus ab æterno fuit cauſa potens creare mundum, non autem fuit in potentiâ paſſiuâ ad creandum mundum. 3. *Potentia paſſiua in creatione non eſt priuatiua,ſed negatiua.* Nam terminus à quo in creatione eſt non-ens,idque vel ſimpliciter,vel ſecundùm quid, quatenus materia eſt inhabilis ad id,quod ex eâ creatur.e.gr.in puluere nulla habilitas aut diſpoſitio erat ad corpus humanum exinde tam artificioſè & miraculoſè extruendum. 4. *Creatio vel ponit obiectum ſuum, vel præſupponit.* Illud fit in creatione immediatâ:hoc in mediatâ. 5. *Creatio actiua concipitur per modum actionis; paſſiua, per modum mutationis.* 6. *Per creationem nulla perfectio acceſſit Deo.* Nam creauit mundum, vt ſuam perfectionem oſtenderet. 7. *Creatio aut eſt ſpeciei cum omnibus indiuiduis,* vt angelorum, ſtellarum,& elementorum: *aut eſt ſpeciei cum quibuſdam indiuiduis,* vt reliquarum creaturarum. 8. *Ante creationem creaturæ nullum habuerunt eſſe,vel eſſentiæ,vel exiſtentiæ: quamuis habuerint eſſe cognitum,ab æterno,in ſcientiâ diuinâ* 9. *Opus & honor creationis ſoli Deo competit.* Requirit enim potentiam agendi infinitam. 10. *Bonitas rei creatæ eſt perfectio illa, quâ apta ſit ad vſum cui inſeruit.* Vſus autem iſte eſt particularis, vel vniuerſalis. Ille reciprocatur cum creaturâ,eſtque operatio eius propria:hic eſt ordinatio rei vnius cum alijs ad perfectionem vniuerſi. 11. *Rebus omnibus creatis coëxiſtit locus, & tempus,idque vel verè,vel quaſi.* Locus & tempus verè coëxiſtunt corporibus:locus verè coëxiſtit ſpiritibus creatis; tempus, quaſi.

II. *De creatione primâ, quæ facta eſt ſpatio ſex dierum,ſunt hæ regulæ.*

1. *Primus dies creationis quatuor operibus eſt illuſtris.* Deus enim creauit cœlum ſupremum,angelos, informem maſſam, & lucem primigeniam. 2. *Die ſecundo productus eſt aër* 3. *Tertio die Deus aquas collegit in certa conceptacula, & terræ indidit vim herbeſcentem.* 4. *Quarto die creatæ ſunt ſtellæ.* 5. *Quinto die producti ſunt piſces & aues.* 6. *Sexto die producta ſunt animantia terreſtria;primùm bruta,deinde homo.* 7. *In hoc ordine elucet maximè Dei ſapientia, bonitas, & potentia. Sapientia*; quòd elementa ſimplicia priùs creata ſint, quàm elementata ſeu compoſita; quòd domicilia priùs ſint producta, quàm incolæ; quòd in ſimplicibus priùs perfectiora, quæ propiùs ad naturam Dei accedunt; quòd in ſimplicibus, à perfectioribus ad imperfectiora ſit progreſſus, ſed in compoſitis, ab imperfectioribus ad perfectiora; denique quòd illa priùs ſint creata, quæ tantùm habent eſſe; tum illa, quæ præter eſſe, habent etiam viuere; poſtea illa, quæ præter eſſe & viuere, habent etiam ſentire; tum demum illa, quæ præter eſſe, viuere, & ſentire, habent τὸ intelligere. *Bonitas*; quòd omnibus impreſſit characterem boni,& domicilia priùs produxit quàm incolas, priùs pabulum quàm animalia,priùs illa quæ homini forent vſui quàm hominem ipſum. *Potentia*; quòd omnia produxit nutu, & plantas, herbas, arbores priùs creauit,quàm ſolem & aſtra,quæ vim cauſarum habere ſolent in eorum productione.

III. *De creatione hominis hæ ſunt regulæ.*

Creatio hominis.

1. *Triplex miraculoſa corporis humani productio in Scripturis traditur. Prima,* ex puluere terræ,ſine patre & matre. *Secunda,* ex coſtâ Adami, ſine matre. *Tertia*, ex ſanguine B. virginis, ſine patre. Cum primâ affinitatem habet reproductio corporis humani in fine ſeculi. 2. *Anima primi hominis immediatè à Deo fuit corpori indita.* Et ita quoque hodiè creatur anima. Neque enim aliunde eſt anima noſtra,quàm primi parentis,itemque Chriſti. Et Scriptura hoc docet *Zach.* 12.1. Denique talis eſt cuiuſque rei geneſis,qualis analyſis. At in hominis analyſi anima immediatè redit ad Deum. Itaque ab ipſo immediatè eſt creata. 3. *Anima hominis eſt condita immortalis, corpus mortale.* Ratio prioris eſt; quia Dei ordinatione anima ita ſe habet,vt à cauſis ſecundis deſtrui non poſſit. Ratio poſterioris eſt; quia etſi corpus vi fœderis naturæ poterat eſſe immortale, tamen eam habuit naturam, vt à cauſis ſecundis poſſet deſtrui.

Locvs VIII.

De gubernatione mundi in genere.

Præcepta.

1. Gubernatio mundi* conſideratur in genere & in ſpecie.

In genere ſpectatur in modo ſeu affectione,& diuiſione generali.

2. *Affectio gubernationis,* ſeu prouidentiæ actualis, eſt, occupari circa omnia & ſingula,ſolo nutu, ſapienter,potenter iuſtè,& valde bene.

3. *Diuiſio generalis* eſt ratione partium,& modi.

4. *Partes gubernationis* ſunt actio & permiſſio Dei, conſeruatio & deſtructio rerum & virium, motio & cohibitio earundem,concurſus Dei & ceſſatio concurſus, &c.

5. *Ex modo* gubernatio eſt

I. generalis, vel ſpecialis. Illa etiam vniuerſalis; hæc,particularis dicitur.

II. immediata, vel mediata.

III. efficiens,vel permittens:ſeu,effectiua,vel permiſſiua.

IV. ordinaria,vel extraordinaria; & hîc ſunt miracula.

6. *Miracula* ſpectantur in conditionibus ſeu affectionibus & diuiſionibus ſuis. Conditiones ſunt: eſſe euidentia, vera, ſupra vires naturæ creatæ, directa ad finem bonum. Diuiſiones ſunt, quòd miracula ſunt vera, vel falſa; & illa immediata, vel mediata; priuatiua,vel poſitiua; Dei,Chriſti θεανθρώπου, & ſeruorum Dei atq; Chriſti; βελτίωσις,vel ἐλάττωσις, &c.

Regvlæ Positivæ.

I. *Deus omnia regit vniuersè.*

Deus omnia regit.

Nehem. 9. *v.* 6. Tu ille Dominus ſolus es,tu feciſti cœlos, cœlos cœlorum, & omnem exercitum illorum, terram, & quidquid eſt in eis,& tu viuificas hæc omnia: etiam exercitus cœlorum tibi ſe incuruant,honorem exhibentes. *Pſal.* 104.*per totum:nominatim v.*27.28.29.30 Omnia iſta in te expectationem habent,vt des eſcam ipſorum tempore ſuo:Te dante ipſis colligunt, aperiente manum tuam ſatiantur bono: Abſcondente faciem tuam conturbantur; recipiente ſpiritum ipſorum exſpirant, & in puluerem ſuum reuertuntur. Emittente ſpiritum tuum recreantur: denique renouas faciem terræ. *Eſa.*45.*v.*57. Cognoſcent, me eſſe Dominum formantem lucem, & creantem tenebras, facientem pacem, & creantem malum; me Dominum facere omnia iſta *Thren.*3. *v.*37.38. Ecquo dicente exiſtit aliquid, ſi Dominus non præceperit? Ex ore excelſi,annon prodit malum quoque & bonum? *Amos* 3.*v* 6. An erit malum in ciuitate quod Dominus non efficiat? *Actor.*17.*v* 25. Cùm ipſe (Dominus) det omnibus vitam,& halitum,& omnia. *Et v.*28. In ipſo enim viuimus,& mouemur, & ſumus.

II. *Deus*

Tota Trinitas regit mundum.

II. *Deus Pater, Filius, & Spiritus sanctus regit mundum, & omnia in ipso.*

Gen. 19.24. Iehoua demisit super Sodomam & Gomorrham pluuiam sulphuris & ignis, a Iehouâ è cœlis. *Ioh.* 5.*v.*17. Iesus autem respondit eis, Pater meus adhuc operatur, & ego operor. *Heb.* 1.*v.*3. Qui (Filius Dei) cùm sit effulgentia gloriæ, & character personæ illius, sustineátque omnia, verbo illo suo potente. *Gen.* 1.*v.*2. Spiritus Dei incubabat superficiei aquarum. 1.*Cor.* 12.*v.*11. Sed omnia hæc efficit ille & idem Spiritus, distribuens priuatim illa singulis sicut vult. Exempla vide, *Exod.* 28.*v.*3. *c.* 31.*v.*3. *c.* 35.*v.*31. *Num.* 11. *v.*17.25.26.29. *c.*24 *v.*2. *c.*27.*v.*18. *Deut.* 34.*v.*9. *Iud.* 3.*v.*10. *c.*6.*v.* 34. *c.*11.*v.*29. *c.*14. *v.*6. 19 1.*Sam.* 10 *v.*6.10. *c.*11.*v.*6. Quibus locis homines quidam dicuntur repleti fuisse Spiritu Dei, & Spiritus Domini dicitur irruisse, siue insiliisse super ipsos.

Deus regit mundum ordinariè vel extra ordinariè.

III. *Deus regit mundum fermè ordinariè, nonnunquam etiam extraordinariè.*

Hos. 2. *v.*21.22. Erit etiam die illo, vt exaudiam, dictum Iehouæ: exaudiam cœlos, & ipsi exaudiant terram, & terra exaudiat frumentum, & mustum, & oleum, & ista exaudiant Iizreelem. *Psal.* 104.*v.*9. Terminum opposuisti abysso, ne transeant aquæ, ne reuertantur ad operiendum terram. *Et* 147 *v* 9 Dat iumentis cibum suum, pullis coruorum, qui crocitant. *Gen* 8. *v* 21. 22. Dixit Iehoua cum animo suo: non iterum maledicturus sum amplius terræ propter hominem, eò quòd figmentum cordis hominis sit malum à pueritiâ ipsius: iterumque non percutiam amplius omnia viuentia, quemadmodum feci. Deinceps quamdiu erit terra, sementis & messis, frigusque & æstus, & æstas & hiems, diesque & nox non cessabunt. *Confer Deut.* 28. *Psal* 104. *Matth.* 5.*v.*45. *c* 6.*v.*26.30. *Act.* 14.*v* 17. Quanquam non passus est se esse expertem testimonij, bona tribuendo, dans nobis cœlitus pluuias, ac tempora fructibus edendis apta, implens cibo, & lætitiâ corda nostra *Psal.* 135.9. Deus immisit signa & prodigia in medium tui Ægypte, contra Pharaonem & seruos eius. De hac extraordinariâ gubernatione *vide Psal.* 105. 106. Huc pertinent seqq. beneficia & iudicia Dei: Diluuium *Gen* 7.*v.*1. Confusio Babylonica *Gen.*11.*v.*7.8.9 Decem plagæ Ægypti *Exod* 7. *& seqq.* Transitus per mare rubrum *Exod.* 14. Petra percussa fundens aquam *Exod.* 17.*v.*6. Varia miracula in deserto, annis 40. *Act* 7.36. Transitus per Iordanem. *Ios.* 3.16.17. Statio solis & lunæ *Ios.* 10.13. Miraculosa multiplicatio farinæ, olei, panis. 1.*Reg.* 17.16. *Matth* 14.20. Vmbra solis retrograda 2.*Reg.* 20.*v.*10.11. Conseruatio sociorum Danielis in fornace Babylonicâ. *Dan.* 3.*v* 24.25.26. Aqua in vinum versa à Christo. *Ioh.* 2.*v.*8.9.10. & alia ipsius miracula.

Deus regit mundum sapienter & bene.

IV. *Deus regit mundum sapienter & valde bene.*

Deut. 32.4. Rupis illius opus est perfectum: omnes enim viæ illius sunt ius: Deus fidelis & expers iniquitatis iustus & rectus est. *Ps.* 104 24. Quàm ampla sunt opera tua, ô Domine! Quam ea omnia sapienter fecisti! Quàm plena est terra possessione tuâ! *Ps* 111.2. 4. Magna opera Domini, exposita omnibus qui delectantur illis: gloriosum & decorum opus eius, & iustitiam eius perstantem in æternum. Memoriam comparauit mirabilibus suis, gratiosus & misericors Dominus. *Et v.*7.8. Opera manuum eius sunt veritatis & iudicij: constantia omnia mandata eius. Confer *Dan* 4 *v.* 37. *Rom* 8. *v.*28. Nouimus iis, qui diligunt Deum, omnia simul adiumento esse ad bonum.

Deus regit magna & parua.

V. *Deus regit magna & parua.*

Ier. 5.*v.*22. An me non reuerebimini, dictum Domini: an à facie meâ non contremiscetis? qui disposui arenam terminum mari, statuto perpetuo, quod non transgredietur; quamuis incutiant se, non tamen præualent; quamuis fremant fluctus eius, non tamen transgredientur illud. *Psal.* 147.*v.*7.8 9. Acclamate Domino gratiarum actione: qui obtegit cœlos densis nubibus, qui comparat terræ pluuiam, qui facit, vt proferant montes fœnum, dat iumentis cibum suum, pullis coruorum, qui crocitant, qui edit niuem, sicut lanam, pruinam quasi cinerem dispergit: deiicit gelu suum tanquam frusta, emittens verbum suum, liquefacit ista: simul ac efflat ventum, effluunt aquæ. *Confer Iobi* 36.37.38.39. *Psal.* 34 *v.* 21. Seruat (Dominus) omnia ossa eius (iusti) vnum ex illis non frangitur. *Prouerb.* 21 *v.*1. Vt riui aquarum, sic animus regis est in manu Domini: quocunque vult, inclinat eum. *Ioh.* 4.*v.*7 Parauit Deus vermem ascendente aurorâ, postero mane: qui lædente ricinum exaruit. *Matth.* 6. *v.*26. 30. Intuemini in volucres cœli, non enim serunt, neque metunt, neque cogunt in horrea, sed pater ille vester cœlestis alit eas. Si herbam agri quæ hodie extat, & cras in clibanum immittitur, Deus ita circumuestit: nonne vos multò magis, ô exiguâ fide præditi *Et c.* 10. *v.* 29. Nonne duo passerculi asse vęneunt, & vnus ex eis non cadit in terram sine patre vestro?

VI. *Deus regit peccata sanctè, ita vt non sit autor peccati.*

Psal. 5.*v.*5. Non es Deus, qui delectetur improbitate, non est commoraturum apud te malum *Iac.* 1.*v.*13 Nemo cùm tentatur, dicat, à Deo tentor. Nam Deus tentari malis non potest nec quenquam tentat. 1.*Ioh.* 1.5. Hic est nuntius ille, quem audiuimus ex ipso, & renuntiamus vobis, Deum lucem esse, nec tenebras in eo vllas esse. *Exod.* 7.*v.*6. Ego verò obdurabo cor Pharaonis. 2.*Sam.* 12.*v.*11.12. Sic ait Iehoua: Ecce ego suscitaturus sum contra te malum è domo tuâ: & accipiens vxores tuas, ante oculos tuos tradam proximo tuo: qui cubabit cum vxoribus tuis coram isto sole. Quia tu fecisti clam, etiam ego facturus sum rem hanc coram toto Israële, & coram sole. 2 *Sam.* 16. 10. 11. Si Iehoua dixit ei, (Simei) Maledic Dauidi: ecquis dicat, Quare sic facis? Sinite eum vt maledicat: quia edixit ei Iehoua. 1.*Reg.* 22.*v.* 21 22. Prodiit quidam spiritus, qui consistens coram Domino dixit: Ego pelliciam eum (Achabum) dicente verò Domino, quo pacto? Dixit: Egressus ero spiritus mendacij in ore omnium prophetarum eius. Tum dixit, Pellicies, etiamque præualebis, exi, & fac ita. *Esa.* 10. *v.*5. *& deinceps.* Væ Assyrio, (Sanheribo) virgæ iræ meæ: quamuis in manu baculus est indignationis meæ: in gentem hypocritam immittam ipsum, & contra populum, in quem excandui, dabo mandata ipsi, vt prædetur prædam, & vt diripiat rapinam. *Act.* 2. 23. Hunc (Iesum) definito consilio & ante decreto Dei deditum cùm accepissetis, manibus sceleratorum affixum interemistis. *Et c.*4. *v* 27.28. Congregati verò sunt contra sanctum puerum tuum Iesum, quem vnxisti, Herodes & Pontius Pilatus, cum gentibus & populis Israël, vt facerent quæcunque manus tua, & consilium tuum priùs definierat vt fierent.

REGVLÆ DIDACTICÆ.

I. *De actuali prouidentiâ Dei in genere sunt hi canones.*

1. *Prouidentiam hanc negare, est ipsum Deum negare.* Nisi enim Deus prospiciat creaturis suis, & illas regat, aut non potest, aut non vult. At neutrum Deo est dignum. 2. *Prouidentia actualis differt ab æternâ, vt executio à decreto.* 3. *Vt in prouidentiâ æternâ voluntas beneplaciti, ita in hac voluntas signi cumprimis elucet.* 4. *Prouidentia Dei causas secundas non tollit, sed extollit.* 5. *Quæ sunt contingentia respectu causarum secundarum, sunt necessaria respectu prouidentiæ Dei.* Sunt, inquam, necessaria necessitate immutabilitatis, non verò coactionis. 6 *Prouidentia Dei longissimè abest à fato Stoico* Nam fatum Stoicum alligat Deum connexioni causarum secundarum. At fatum Christianum (sic enim loqui non est non-Christianum) causas secundas liberrimæ Dei voluntati subordinat; quippe quibus non necessariò, sed liberrimè vtitur, non ex indigentiâ, sed ex indulgentiâ.

II. *De partibus & speciebus prouidentiæ actualis hæ sunt regulæ.*

1. *Prouidentia Dei est conseruatio, vel gubernatio.* Hic enim est ordo, vt conseruatio necessariò intercedat inter creationem & gubernationem: quia quidquid creatur, ad aliquem finem & vsum creatur; ad quem debet dirigi & gubernari. Id verò fieri non potest, nisi in suo esse continuetur, id est, conseruetur. 2. *Conseruatio Dei est necessaria creaturæ:* quoniam creatura omnimodè pendet à creatore, non tantùm quoad fieri, sed etiam quoad esse, existere, permanere, & operari: ita vt omnis creatura rediret in illud nihilum ex quo facta est, si Deus illam non sustentaret: & ipsa cessatio diuinæ conseruationis, sine vllâ aliâ operatione, redigeret statim quamlibet creaturam in nihilum, Psal. 104.29 3. *Conseruatio immediata creaturæ est quasi creatio continuata.* Nam re ipsâ est eadem cum creatione, differens solâ ratione: eò quòd creatio nouitatem quandam includit, quam conseruatio excludit; & præexistentiam excludit, quam conseruatio includit. 4. *Prouidentia Dei semper est immediata, ratione entitatis, virtutis, & suppositi: sed ratione causarum aliarum interuenientium, vel non, est alia immediata, alia mediata* Ratio prioris est; quia Deus per semetipsum attingit naturas, vires, & supposita rerum; vtpote qui immediatè, semper, & vbique adest. Ratio posterioris est; quia causæ secundæ sæpe influunt in alias, & ita Deus agit mediantibus virtutibus & suppositis causarum secundarum. 5. *Deus mediis vtitur, non propter defectum suæ virtutis sed propter abundantiam bonitatis:* vt scilicet dignitatem aliquam efficientiæ creaturis communicet; atque suam efficientiam in illis reddat magis perceptibilem. Hinc Deus sæpenumero mediis illis vtitur ad effecta nobilissima producenda, quæ ex sese nullam habent aptitudinem ad istiusmodi effecta, 1. Cor. 1. v.27.28. Amos 5 v.9. 2. Chron. 24. 24. sæpe etiam aptissima media reddit inefficacia, Psal. 33.

Pſal. 33.16. & 127.1.2. Hoſ. 4.10. 6. *Fides noſtra non recumbit in mediis, quibus Deus vtitur, ſed pendet ex ſolo Deo.* Ille ſiquidem per media, vel ſine mediis agit, pro ſuâ liberrimâ voluntate. 7. *Prouidentia Dei ordinaria obſeruat ordinem in rebus à principio ſtatutum.* Cuius quidem ordinis ratio poſtulat, vt certum aliquid antecedat, & ex illo poſito, aliud aliquot certum conſequatur. Iſte autem ordo pendet à vi & efficacitate illius verbi à Deo in principio adhibiti, *Fiat, Eſto.* 8. *Prouidentia Dei extraordinaria vltra & ſupra ordinem ſolitum & ſtatutum agit.* Eius effectum dicitur *miraculum.* 9. *Solus Deus eſt author miraculorum.* Requirunt enim vim infinitam. Quando autem Deus adhibet miniſterium hominum in edendis miraculis, illi ſunt cauſæ morales, quatenus à Deo hoc impetrant vt ipſe faciat, vel quatenus ipſorum operâ vtitur, tanquam ſigno vel indicio miraculi ab ipſo faciendi. 10. *Prouidentiâ Dei reguntur bona & mala. Bona* reguntur virtutis diuinæ præcurſu, concurſu, & ſuccurſu. *Mala* reguntur permittendo, determinando, dirigendo. 11. *Prouidentia Dei etiam circa inordinata & contaminata manet ordinata & incontaminata.*

LOCVS IX.

De Gubernatione creaturarum non-intelligentium.

PRÆCEPTA.

G*Vbernatio mundi in ſpecie* eſt creaturarum non-intelligentium, vel intelligentium.

1. *Gubernatio creaturarum non-intelligentium* cernitur in continuo influxu Dei, & ſeruitute ſeu vanitate ipſarum creaturarum. Legantur hîc hiſtoriæ naturales.

2. *Continuus Dei influxus* ſpectatur in partibus & obiectis ſuis.

3. *Partes influxus diuini* ſunt perennitas, & ſucceſſio. *Perennitas* eſt rerum illarum, quæ permanent: vt cœli, terræ, maris, & omnium ſpecierum. *Succeſſio* eſt rerum illarum, quibus intereuntibus aliæ eiuſdem ſpeciei continenter ſuccedunt.

Obiecta influxus diuini ſunt mundus ſuperior & inferior, ſeu regio cœleſtis & elementaris.

4. *Mundus ſuperior* à Deo regitur & conſeruatur ferè immediatè, ſecundùm ordinem creationis.

5. *Mundus inferior* à Deo regitur & conſeruatur ferè mediatè, iuxta ordinem in creatione à ſe inſtitutum.

Mediatè, inquam, ita, vt Deus vtatur mediis cœleſtibus, vel elementaribus.

6. *Mediis cœleſtibus* vtitur Deus tum in colluſtratione regionis elementaris, tum in affectione eius multiplici, eaque vel ſenſibili, vel occulta. *Affectio ſenſibilis eſt* in calefactione, & viciſſitudine temporum, in diuerſis zonis; item in ſerenitate & tempeſtate variâ: ita vt hic ſit gubernatio ordinaria, & extraordinaria, ſeu conſtans & inconſtans. *Affectio occulta* fit in ſenſili virtute ſtellarum, quam influentiam vocant: cuius manifeſtum documentum eſt in lunâ.

7. *Mediis elementaribus* vtitur Deus tum ad ipſa elementa, tum ad corpora ex elementis compoſita.

8. *Ad elementa*, inprimis ad aërem & terram. *Ad aërem*, videlicet expurgandum, exſiccandum, vel humectandum vtitur meteoris igneis, aëreis, & aqueis.

Ad terram, videlicet humectandam & irrigandam, vtitur meteoris aqueis.

9. *Ad corpora ex elementis compoſita*, vt ad mineralia, vegetabilia, & animalia.

10. *Ad mineralia* ſub terrâ coquenda vtitur humore & calore. Itaque ipſorum gubernatio eſt occulta ſeu latens.

11. *Ad vegetabilia* nutrienda & vegetanda vtitur ſucco terræ, tanquam lacte, & meteoris aqueis.

12. Ad animalia nutrienda & alenda vtitur cibo & potu, id eſt, mineralibus vegetabilibus, & ipſiſmet animalibus. *Immediatè* quoque gubernat animalia, dum ea vi illis inſitâ mouet ac regit.

13. *Seruitus* ſeu vanitas, *creaturarum non-intelligentium*, eſt iudicium Dei, quo illæ maledictioni & corruptioni factæ ſunt obnoxiæ propter hominis lapſum. Gen. 3. Rom. 8.

Regulas poſitiuas vide loc. præced.

REGVLÆ DIDACTICÆ.

I. *Gubernatio communis omnium creaturarum has habet regulas.* Gubernatio communis omnium creaturarum.

1. *Omnes creaturæ à Deo ſunt præditæ inclinatione naturali & potentiâ obedientiali.* Inclinatio naturalis eſt principium agendi ſecundùm naturam, quam Deus omnibus creaturis indidit tanquam legem & normam. Iob 38.12. c. 5.7. Potentia obedientialis eſt, quâ omnes creaturæ aptę natæ ſunt ad parendum imperio Dei, Pſal. 103.21. & 148.8.2. *Gubernatio omnium creaturarum cernitur in ordinatione & prædeterminatione.* Nam primò ordinantur ad finem vniuerſalem & particularem, adeoque non ſolùm ſuam quærunt perfectionem, ſed etiam totius vniuerſi conſeruationem appetitu innato ſibi habent propoſitam. Deinde prædeterminantur, ideſt, excitantur, ad agendum, per influxum & motionem præuiam, & applicantur ad obiectum certum, circa quod in agendo verſantur.

II. *Gubernatio creaturarum non-intelligentium eſt abſoluta vel relata.* Gubernatio creaturarum non-intelligentium.

Abſoluta eſt, quâ ſingulæ gubernantur, vt in ſe ſpectantur, & ſuam perfectionem tuentur. *Relatiua* eſt, quâ referuntur vel ad ſe inuicem, & mutuam quaſi ſocietatem colunt: vel ad hominem, cui ſeruiunt, & propter quem ſubiectæ ſunt vanitati.

LOCVS X.

De Gubernatione creaturarum intelligentium in genere.

PRÆCEPTA.

1. G*Vbernatio creaturarum intelligentium* ſpectatur in genere, & in ſpecie, vt eſt tum angelorum tum hominis.

In genere hic eſt modus docendi & implendi Deo dignus. Vtrique reſpondere debet *officium creaturæ rationalis.*

2. *Modus docendi Deo dignus in genere* eſt ſine conditione, vel cum conditione, eâque expreſsâ, vel intellectâ: item, ſimplex vel ex pluribus compoſitus: *in ſpecie*, eſt ante vel poſt officium creaturarum intelligentium. *Ante officium illarum*, eſt narratio, hortatio, legiſlatio (eaque vel præceptio, vel interdictio, vel conceſſio, ſub quâ continetur conſilium) & ſanctio, quæ eſt promiſſio, vel comminatio. Vbi non extat ſanctio, ibi eſt intelligenda indulgentia. *Poſt officium illarum*, eſt approbatio & commendatio, improbatio & reprehenſio, excuſatio & abſolutio, denique accuſatio & condemnatio.

3. *Modus implendi Deo dignus* eſt præmium ſeu beneficium, vel pœna ſeu iudicium; impeditio vel permiſſio; & denique toleratio.

Officium creaturarum intelligentium eſt circa modum docendi & implendi.

4. *Officium circa modum docendi* eſt fides, circumſpectio, obedientia, ſpes, ſuſpenſio fidei & ſpei, lætitia & triſtitia.

5. *Officium circa modum implendi* eſt gratitudo, humilitas, rectus vſus liberi arbitrij, & pœnitentia.

Regulas poſitiuas vide paſſim in locis ſeqq.

REGVLÆ DIDACTICÆ.

Gubernatio creaturarum intelligentium in genere.

I. *De gubernatione creaturarum intelligentium in genere sunt hæ regulæ.*

1. *Specialis gubernatio creaturarum intelligentium perficitur modo morali.* Nam physicus modus, qui positus est in influxu, communis est cum creaturis non-intelligentibus, quæ morali modo gubernari non possunt. Differentiam hanc facit singularis creaturarum intelligentium conditio. Cùm enim ad imaginem Dei creatæ sint, atque intrinsecum suarum actionum principium habeant à consilio, iccirco gubernandæ sunt consilio & libertati congruenter. 2. *Specialis gubernatio creaturarum intelligentium non excludit gubernationem communem omnium creaturarum, sed ad eam accedit, ac proinde illam includit.* Confer cum loc. præced. 3. *Moralis hæc gubernatio consistit in docendo & implendo.* Huc itaque pertinet voluntas Dei reuelata, quæ agendi regula est creaturæ rationali quantum ad mores. 4. *Modi docendi & implendi communiter attinent ad angelos & homines.* δῆλον ex præcedentibus. 5. *Modi docendi & implendi vniuersam theologiam illustrant.* Nam spectantur in fœdere naturæ & gratiæ: quæ duo vtramque faciunt paginam in theologia. Sed & in analysi S. literarum permagnus est horum modorum vsus, in singulis capitibus Biblicis.

Modi docendi.

II. *De modis docendi hæ sunt regulæ.*

1. *Modus docendi est categoricus, vel hypotheticus.* Ille sine conditione: hic, cum conditione, eáque vel expressâ, vel subintellectâ. 2. *Modus docendi aut solus est, aut coniunctus, & hic coniungitur cum alio modo docendi, vel cum aliquo modo implendi.* 3. *Modus docendi variat in lege & euangelio.* Vide infrà locum de vtroque. 4. *Modus docendi est principalis, vel minùs principalis.* Ille est in legislatione & sanctione: hic in narratione, hortatione, &c. Cæterùm lex fertur præcipiendo & prohibendo: sancitur, promittendo & comminando.

Modi implendi.

III. *De modis implendi sunt hæ regulæ.*

1. *Deus gubernat implendo, cum illa quæ docuit præstat.* Præstat autem vel vt pater, vel vt iudex. 2. *Modus implendi est mediatus vel immediatus.* quæ distinctio etiam locum habet in modo docendi. 3. *Modus implendi aut est solus, aut coniunctus & hic coniungitur cum alio modo implendi, vel cum aliquo modo docendi.*

Officium creaturæ telligentis circa modum docendi & implendi.

IV. *Officium creaturæ rationalis circa modum docendi & implendi his continetur regulis.*

1. *Ex speciali gubernatione creaturarum intelligentium oritur fœdus illud, quod est inter Deum & ipsas.* In hoc autem fœdere Deus præcipit, promittit, minatur, implet, & creatura Deo stipulanti suum promittit obsequium. 2. *Vi huius fœderis opera creaturæ rationalis respectum habent vel ad felicitatem, tanquam ad præmium, vel ad infelicitatem, tanquam ad meritum.* Non enim fieri potest, vt creatura aliquid mereatur, absolutè loquendo: etsi vi conditionis in fœdere legali potest dici meritum.

LOCVS XI.

De Angelis.

PRÆCEPTA.

1. Gubernatio angelorum sequitur: éstque angelorum in genere, vel in specie bonorum & malorum.

2. *Angeli in genere* sunt æquales ex creatione: vbi sunt ipsorum proprietates inseparabiles; & dotes separabiles.

3. *Proprietates angelorum inseparabiles* sunt essentia merè spiritualis, immortalitas, summa vis intellectus & voluntatis & potentiæ agendi expedita.

4. *Dotes separabiles* sunt virtus & beatitudo. Ibi est sapientia in intellectu, & sanctitas in voluntate, hìc est gloria & gaudium.

5. *Angeli boni* considerantur communiter, & singulariter.

Communiter in iis spectantur causa efficiens bonitatis, & ipsorum propria tum adiuncta, tum effecta.

6. *Causa efficiens bonitatis eorum primaria* est electio & sustentatio diuina: *secundaria* voluntas ipsorum.

7. *Propria adiuncta sunt* eximia claritas: & veritas notitiæ in intellectu, & excellens amor boni in voluntate, & inde orta singularis gloria in conspectu Dei.

8. *Propria effecta* bonorum angelorum sunt respectu Dei, ipsorum bonorum angelorum, malorum angelorum, totius mundi, & hominum electorum vel reproborum.

9. *Singulariter in bonis angelis* occurrit ipsorum numerus & distinctio, eáque ordinaria & extraordinaria. Illa est in hierarchia, hæc in ministerio seu legationibus.

10. *Angeli mali* considerantur communiter & singulariter.

Communiter in iis spectantur, causa malitiæ, propria adiuncta & effecta, denique pœna.

11. *Causa malitiæ angelorum* est petulans abusus liberi arbitrij. Iohan. 8. 44. Iud. v. 6.

12. *Propria adiuncta* sunt obscuritas & dubitatio in intellectu; auersio à Deo & contumacia in voluntate; denique deformitas longè maxima in actionibus.

13. *Propria effecta malorum angelorum* sunt vera, vel falsa seu præstigiatoria: & vera rursus sunt respectu Dei, bonorum angelorum, ipsorummet malorum angelorum, totius mundi, & hominum electorum vel reproborum.

14. *Pœna* ipsorum est interna vel externa. *Interna* est in priuatione donorum pristinorum, cui successit horribilis corruptio & ἀταξία in viribus & actionibus: *externa* est tum in eiectione ipsorum è cœlo, tum in abiectione perpetuâ.

15. *Singulariter in malis angelis* occurrit ipsorum numerus & distinctio, eaque ordinaria & extraordinaria. Illa est in ordine, quo alius est princeps, alij subditi; hæc in effectis & operarum distributione.

REGVLÆ POSITIVÆ.

I. *Angeli sunt spiritus meri, hoc est, à corpore liberi.*

Heb. 1. *v.* 14. Nonne omnes (Angeli boni) sunt ministratores spiritus? *Matth.* 10. *v.* 1. Dedit eis potestatem aduersus spiritus immundos. *Luc.* 24. *v.* 19. Spiritus carnem & ossa non habet.

II. *Angeli sunt à Deo creati.*

Coloss. 1. *v.* 16. Per eum (Christum) condita sunt omnia, quæ in cœlis sunt, & quæ in terrâ, visibilia & inuisibilia.

III. *Angeli boni sunt sancti, & Deo promptè obsequuntur.*

Luc. 9. 26. Quando venerit (Filius hominis) cum gloriâ suâ, & patris, sanctorumque angelorum. *Psal.* 103. *v.* 20. 21. Benedicite Iehouæ, angeli eius, valentissimi robore, efficientes verbum eius, auscultantes voci verbi eius. Benedicite Iehouæ omnes exercitus eius: ministri eius facientes placitum eius. Confer *Zach.* 1. *v.* 10. Vbi de angelis dicitur, Hi sunt, quos misit Dominus ad perambulandam terram.

IV. *Boni angeli ordinariè habitant in cœlo beatorum.*

Matth. 18. *v.* 10. Videte ne contemnatis aliquem ex paruis istis, dico enim vobis, angelos eorum in cœlis, per omne tempus videre faciem Patris mei qui in cœlis est.

V. *Bonorum angelorum numerus est longè maximus.*

Dan. 7. *v.* 10. A cuius (*Dei*) conspectu fluuius ignis manabat prodiens, cui millies mille ministrabant, & coram quo myriadas myriadum stabant. *Matth.* 26. *v.* 53. An putas, me non posse nunc

nunc precari Patrem meum,qui huc mihi sistat plures, quàm duodecim legiones angelorum?i.e.79992.Si nempe legio constet 6666.*Heb.*12.22.Accessistis ad montem Sion, & ciuitatem Dei viui.Hierusalem cœlestem,& myriadas angelorum. *Apoc.* 5.v.11.Aspexi,& audiui in circuitu throni,& animalium,& senum, vocem angelorum multorum, numero millies centies mille & decies centies mille.

VI. *Bonorum angelorum potentia est admodum magna.*

*Psal.*103.*v.*20. Benedicite Domino angeli eius, valentissimi robore. 2.*Pet.*2.*v.*11.Ipsi angeli,qui sunt robore ac potestate maiores.2.*Reg.*19.*v.*35.Nocte prodiens angelus domini, percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia.

VII. *Deus per bonos angelos solet* (a) *hominibus impiis vel piis,plurimum tamen piis, aliquid nuntiare.* (b)*pios protegere,illorumque animas in cœlum deferre.*(c)*pios castigare.*(d)*impios punire* (e)*impios reges coercere , ne noceant piis.* (f) *homines in fine seculi à quatuor mundi plagis colliget.*

a)Impio Bileamo.*Num.*22.*v.*32.*& deinceps.*Piis,vt Lotho, *Gen.*19.*v.*13.Monoacho,parenti Simsonis, *Iud.*13.*v.*3.4.5.Danieli,*Dan.*8.*v.*16.*c.*9.*v.*21 *& seqq.*Zachariæ, patri Ioh. Baptistæ.*Luc.*1.13.Mariæ virgini,*ibid.v.*26.*& deinc.*Pastoribus Bethlehemiticis,*Luc.*2.10.*& seqq.* Iosepho marito Mariæ virginis, *Matth.*1.*v* 20.*& deinceps.c.*2.*v.*13 19.10.Mulieribus Christum quærentibus in sepulchro,*Matth.*28.5.Apostolis spectantibus Christum ascendentem in cœlum,*Act.*1.*v.*10 *& seqq.*Iohanni Apostolo in ecstasin rapto, *Apoc* 1.*v.*1.

b)*Psal.*34.*v.*8.Castrametatur angelus Iehouæ circa timentes eum,&eripit eos.*Psal.*91.*v.*11.12.Angelis suis præcipiet de te,vt conseruent te in omnib. viis tuis:Ambabus palmis sustinebunt te,ne offendas ad lapidem pedem tum.*Confer Heb.* 1. *v.*14.Exempla vide *Gen.*19.*v* 10.16.In historiâ Lothi,*Gen.*32. 1.In historiâ Iacobi 1.*Reg.*19.5.*& seqq.*de Eliâ, 2.*Reg.*6. 16.*& seqq.*de Elisæo,2.*Reg.*19.35.de Sennacheribo cæso, & Hiskiâ liberato.*Dan.*3.35.de trib.sociis Danielis,*Dan.*6.23.de Daniele in foueâ leonum. *Luc.*16.22.Lazarus apportatur ab angelis in sinum Abrahæ.

c)1.*Sam.*24.*v.*15.17. Angelus Iehouæ percussit peste viros septuagies mille.*Luc.*1.*v.*20.Angelus Gabriel Zachariam effecit mutum,propterea quòd non crediderat ipsi promittenti filium ex vxore.

d)*Gen.*19.Duo angeli perdunt Sodomitas, & illorum vicinos.2.*Reg.*19. *v.*35. Angelus occidit centum octoginta quinque millia in castris Assyriorum. *Act.*12.*v.*23. Angelus percussit Herodem,vt exederetur à vermibus.

e)*Dan.*10.*v.*13.Angelus Gabriel dicebat Danieli,Princeps regni Persici stet coram me vno & viginti diebus , cùm ecce Michaël primus è principibus primariis venisset ad adiuuandum me.*Et v.*20.Reuertor ad pugnandum contra principem Persidis.

f)*Matth.*24.*v.*31.Mittet angelos suos cum tubæ voce magnâ,& cogent electos eius,&c.Confer 1.*Thess.*4.*v.*16.

VIII. *Angeli boni non sunt adorandi, sed imitatione virtutis honorandi.*

*Apoc.*19.*v.*10.Cùm Iohannes cecidisset antè pedes angeli vt adoraret eum, dixit ille:vide ne feceris. Conseruus tuus sum. *Idem repetitur capite* 22.*v.*9. *Matth.*6.*v.*10. Fiat voluntas tua sicut in cœlo,ita & in terrâ.*Et omninò si volumus post hanc vitam esse ἰσάγγελοι, hoc idem in hac vita à nobis requiritur.* Luc. 20.v.35.36.Matth.23.v.30.

IX. *Christus est caput angelorum.*

*Apoc.*12.*v.*7.Michaël & angeli eius præliati sunt cum Dracone.

X. *Angeli mali fuerunt boni creati.*

*Ioh.*8 *v.*44.Ille(Diabolus)fuit homicida à principio, & in veritate non perstitit. *Iud.v.*6 Angelos,qui non conseruarunt originem suam ; sed reliquerunt suum domicilium , iudicio magni illis diei,vinculis æternis sub caligine reseruauit.

XI. *Angeli mali sunt multi.*

*Luc.*8.*v.*30.Interrogauit autem eum(spiritum immundum) Iesus,dicens,Quod tibi nomen est?Ipse verò dixit,Legio.Nam dæmonia multa ingressa erant in ipsum.

XII. *Princeps malorum angelorum nominatur.* 3. princeps.

Satan.*Iob.*1.*v.*6.*Zach* 3.*v* 1.*Luc.*10.*v.*18.*Apoc.*12.9.1.*Thes.*2. *v.*18.Belzebub.*Matth.*12 *v.*24.Diabolus. *Matth.*25.*v.*41.*Ioh.* 8.*v.*44.1.*Ioh.*3.*v.*8.*Apoc.*12.*v.*9 *Eph.*6.*v.*11.*Iacob.*4.*v.*7. ὁ πονηρὸς,id est,nequam ille.*Matth.*6.*v.*13.*Ephes.*6.*v.*16.1.*Iohan.*3. *v.*12.ὁ πειράζων , id est, tentator. *Matth.*4. *v.*3.1. *Thess.*3.*v.*5. Princeps mundi *Ioh.*12.*v.*31.Draco magnus.*Apoc.*12.*v.*9.Serpens antiquus.*ibidem.*Deus huius seculi.2. *Cor.*4.*v.*4. Aduersarius fidelium. 1. *Pet.* 5. *v.* 8. Accusator fidelium. *Apoc.*12. *vers.*10.

XIII. *Mali angeli sunt tales affectu & effectu.* 4.qualitas.

Hoc testantur illorum nomina, quibus appellantur, Spiritus mali. 1.*Sam.*16.*v.*15. Sehirim, id est,horridi. *Ier.*17.*v.*7. Schedim,id est,vastatores.*Deuteron.*32.*v.*17 Spiritus immundi.*Matth.*10.*v.*1 Principatus,potestates,domini mundi,rectores tenebarum seculi huius,spirituales malitiæ,seu spiritus nequam.*Ephes.*6.*v.*11.Vide etiam num.præced.

XIV. *Angeli mali ex inferno emittuntur,ad castigandum & exercendum pios,& seducendum atque vexandum impios.* 5.locus.

2.*Pet.*2.*v.*4 Deus angelis,qui peccauerunt,non pepercit,sed in tartarum detrusos, catenis , caliginis tradidit, damnationi seruatos. *Vide Iud.v.*6. *ad num* 10.1.*Sam.*16.*v.*15 Nam spiritus Iehouæ recesserat à Saule , perturbabatque eum spiritus malus à Iehouâ.Confer *c.*18.*v.*10.*&* 19.*v.*9.*Iob.*1.*v.*17.Satan dicit, se venire à peragrandâ terrâ *Confer cap.*2. *v.*2. *Et cap.*1. *v.*12.*& seqq.*Exiuit Satan à conspectu Iehouæ,vt nempe affligeret Iobum. Confer *cap.*2.1.*Reg.*22.*v.*22. Dixit spiritus malus:egressus ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum eius Achabi 1. *Reg.* 5.*v.*8.9.Sobrij estote,& vigilate.Nam aduersarius vester Diabolus tanquam leo rugiens , quærens quem deuoret:cui resistite firmi per fidem.*Eph.*6 *v.*11. Induite vniuersam armaturam Dei , vt possitis stare aduersus insidias Diaboli.1.*Thes.*2.18. Impediuit nos Satanas. *Apoc.* 12.9. Qui (Satanas)seducit totum terrarum orbem. *Et v.*12.Væ incolis terræ & maris!Nam descendit Diabolus ad vos,excandescentiæ magnæ plenus , vt qui sciat,se exiguum tempus habere. *Confer c.*20. *v.*1.2.3.8. *Luc.*8. *v.*30. Dæmonia multa ingressa erant in eum. *Vide passim in historiâ Euangelistarum de hominibus à Diabolo obsessis.*

XV. *Diabolus, & ipsius angeli , non possunt hominem plus lædere, quàm Deus eis permittit.* 6.potestas.

*Iob.*1.*v.*12.Itaque dixit Iehoua Satanæ ecce,quæcunque sunt ei (*Iobo*) in manu tuâ sunto,tantummodò me in ipsum mittito manum tuam:& exiuit Satan à conspectu Iehouæ. *Et c.*2.*v.*6. Tum Iehoua Satanæ , ecce eum, inquit, in manu tuâ, veruntamen vitam eius serua. *Matth.*8.*v.*31.32.Dæmones verò precabantur eum, dicentes, si eiicis nos, permitte nobis abire in gregem porcorum illorum , Et ait eis, Abite. Illi verò egressi abierunt in illum gregem porcorum.

XVI. *Mali angeli non sunt adorandi aut consulendi,sed piis precibus,sanctâque vitâ à nobis pellendi.* 7. profligatio.

Matth 4.*v.*9.Dixitque (Diabolus) ei (Iesu) hæc omnia tibi dabo, si prostratus adoraueris me.Tunc dicit ei Iesus. Abi Satana , Scriptum est enim, Dominum Deum tuum adorabis, & ei soli seruies. *Deut.*18.10.Non inuenitor in te diuinans diuinationes, præstigiator, & augur, neque maleficus, neque incantator, neque interrogans Pythonem, neque magus, neque quærens à mortuis.Abominationi enim Iehouæ est,qui facit hæc.*Vide historiâ Saulis* 1.*Sam.*28.1.*Pet* 5.8.9.Sobrij estote & vigilate.Nam aduersarius vester diabolus.&c.*Vide num.præced.*14. *Et ib.Eph.* 5.*v.*11.*Matth.*17.21.Hoc verò genus Dæmoniorum non egreditur nisi per precationem & ieiunium.*Confer Marc.*9.*v* 29. *Et cap.*26.*v.*41.Vigilate & orate,ne introeatis in tentationem *Confer Marc.*13 *v.*13.*Iacob.*4.*v.*7.Resistite Diabolo,& fugiet à vobis. *Confer Matth.*4.*v.*11.

Regulæ Didacticæ.

I. *De angelis in genere sunt hæ regulæ.* Angeli in genere.

1. *Angeli sunt creati, & quidem primo die.* Ratio primi est; quia sunt finiti. Ratio secundi ; quia nusquam meliùs refertur angelorum creatio , quàm ad primum diem. Nam in cæterarum rerum creatione dicuntur applausisse Deo,Iob.38.7.& verisimile est , illos cum suo domicilio esse creatos , id est , cum cœlo supremo,quod primo die fuit conditum. 2.*Angeli conditi sunt integri,in sanctitate & iustitiâ* 3.*Angeli sunt spiritus primariæ perfectionis,ad ministerium Dei creati.* Præditi enim sunt summâ intellectus perspicacitate , voluntatis libertate virium

perfectione ac robore, agilitate denique maxima. 4. *Angeli distinguuntur inter se respectu effectorum & obiectorum, circa quæ versantur, secundum varios gradus.* 5. *Angelis fuit impressa lex moralis, quam sequerentur normam sua obedientia.* Hæc lex fuit quantum ad substantiam eadem cum decalogo, si excipias illa, quæ corporis humani naturam, & conditionem vitæ animalis respiciunt.

Angeli boni.

II. *De angelis bonis hæ sunt regulæ.*

1. *Boni angeli suâ naturâ æquè labiles erant atque mali angeli.* Nam quantum ad conditionem naturæ omnes erant pares inter sese. 2. *Angelorum bonorum confirmatio in bono non fuit debitum meriti alicuius stipendium, sed gratuitum Dei premiū.* Facta enim est illa confirmatio ex gratiâ Dei ordinantis disparem euentum in angelis. Quæ ordinatio euentûs in quibusdam fuit præseruatio ad persistentiam in obedientiâ, in aliis permissio, vnde illi suâ libertate abutentes in apostasiam ruebant. 3. *Angeli boni sunt confirmati in Christo tanquam capite.* Itaque Christus est mediator bonorum angelorum, non iure redemtionis, sed gratiosæ cum Deo vnionis. Atque hinc est, quòd Christus in V. T. sæpe apparuit in formâ angeli & hominis. Ita enim ostendit, se esse caput angelorum & hominum, suæque incarnationi prælusit. 4. *Ordo inter bonos angelos est hierarchicus.* Habent enim illi non solùm caput vniuersale, Iesum Christum, sed etiam certis distinguuntur gradibus: vnde fit, vt inter ipsos sit archangelus. Nam hoc nomine non solùm intelligitur Christus, angelus ille increatus, sed etiam quandoque angelus aliquis creatus. 5. *Boni angeli voluntatis diuinæ promtissimi sunt executores:* inprimis in Deo laudando & piis custodiendis.

Angeli mali.

III. *De malis angelis hæ sunt regulæ.*

1. *Mali angeli sunt tales non ex communi creatione, sed ex propriâ defectione.* Ista verò defectio lapsum hominis antecessit. 2. *Primum peccatum angelorum est defectio à primâ origine, & desertio domicilij sui.* Quod peccatum non fuit admissum sine superbiâ. 3. *Pœna huius peccati est partim in memoriâ amissæ ac irrecuperabilis felicitatis, partim in sempiterno cruciatu.* Ista verò pœna nondum est inflicta in summo gradu, sed in fine mundi est infligenda. 4. *In malis angelis mansit immortalis & inuisibilis substantia; magna, sed confusa & à charitate seiuncta, scientiâ; denique incredibilis potentia.* 5. *Magna est Satanæ potentia, sed sub Dei omnipotentiâ.* 6. *Diabolus facere potest mira, seu mirabilia, non autem miracula propriè dicta.* 7. *Diabolus facit, quod potest, Deo permittente: quod potest, non facit, Deo prohibente.* 8. *Diabolus non callet hominum cogitationes, nisi impuras, quas ipse suggerit.* Nimirum καρδιογνωσία, quâ quis inmediatè cognoscit arcana cordis, requirit immediatum contactum, qui est inter Deum & cor hominis cuiuslibet, itemque inter hominem & cor proprium.

Locus XII.

De Imagine Dei in homine.

Præcepta.

1. Gubernatio hominis alia est ante lapsum, alia post lapsum.

Gubernatio hominis ante lapsum cernitur in imagine Dei & fœdere naturæ.

2. *Imago Dei in homine* non fuit οὐσιώδης, *substantialis*, quomodo Filius Dei est imago Patris; sed μιμητική & accidentaria, quomodo etiam est in angelis.

Imago Dei in homine alia est naturæ, alia gratiæ. Illa est inseparabilis; hæc, separabilis.

3. *Imago Dei, quæ dicitur natura*, in homine spectatur quantum ad animæ substantiam spiritualem, simplicem & immortalem; animæ facultates, intellectum & voluntatem; lumen naturæ in intellectu; libertatem in voluntate; & corporis structuram & staturam.

4. *Imago Dei, quæ dicitur gratia*; in homine consistebat in quatuor rebus:

I. *In intellectu* erat eximia sapientia, & integra cognitio Dei ac operum eius.

II. *In voluntate* erat iustitia & sanctitas originalis.

III. *In corpore* erat dispositio partium perfecta, temperamentum eximium, egregia pulchritudo, imperatoria maiestas, & immortalitas.

IV. *In toto homine* erat felicitas, quæ complectebatur ista quatuor. 1. sanctissimam communionem & familiaritatem cum Deo. 2 omnium bonorum, habitationis amœnissimæ, ciborum optimorum, &c. affluentiam, 3. imperium in omnia animalia absolutissimum. 4. immunitatem ab omni labore & molestiâ plenissimam.

Regulæ Positivæ.

I. *Homo à Deo conditus fuit bonus.*

Gen. 1. *v.* 27. Itaque creauit Deus hominem ad imaginem suam: ad imaginem, inquam, Dei creauit eum. *Eccles.* 7. *v.* 19. Deus fecit hominem rectum.

II. *Gratia animæ in homine protoplasto erat sapientia & iustitia originalis; hoc est, naturaliter propaganda.*

Coloss. 3. *v.* 10. Induite nouum illum hominem, qui secundùm Deum conditus est in iustitiâ & sanctitate verâ.

III. *Gratia corporis in primo homine erat immortalitas & eximia pulchritudo, vtraque naturaliter propaganda, hoc est, pendens à iure creationis.*

Gen. 2. *v.* 17. Nam quo die comederis de eo, vtique moriturus es. *Et c.* 3. *v.* 19. Puluis es, & in puluerem reuerteris. *Et c.* 2. *v.* 25. Erant ambo nudi, Adam & vxor eius, ac non pudebat eos.

IV. *Gratia loci erat in paradisi amœnissimo ornatu & vsu sufficientissimo.*

Gen 2. *v.* 8. Ornauerat autem plantis Iehoua Deus hortum in Edene ab Oriente; vbi collocauit hominem illum, quem finxerat. *Et v.* 16. De fructu quidem omnis arboris huius horti liberè comedes.

V. *Gratia totius personæ in primo homine consistebat in dominio super animalia.*

Gen. 1. *v.* 28. Dominamini in pisces maris, & in volucres cœli, & & in omnes bestias reptantes super terram. *Confer Gen.* 2. *v.* 19. 20. Vnde colligitur hominem à bestiis pro domino fuisse cognitum. Bestiæ siquidem sese stiterunt coram Adamo, vt eis nomina imponeret.

VI. *Continuatio gratiæ primi hominis seu integritatis naturæ, nitebatur fœdere naturæ, cuius sacramentum erat arbor vitæ.*

Gen. 2. *v.* 17. Interdixit Dominus Deus homini dicendo: De fructu quidem omnis arboris huius horti liberè comedes: de fructu verò arboris cognitionis boni & mali, de isto ne comedas. Nam quo die comederis de eo, vtique moriturus es. *Confer Gen.* 3. *v.* 1. 2. 3. 4. *Gen.* 2. *v.* 9. Arbor quoque vitæ in horto illo. *Confer Gen.* 3. *v.* 22.

Regulæ Didacticæ

I. *De imagine Dei in genere sunt hi canones.*

1. *Imago Dei est substantialis, vel accidentalis.* Illa est in Christo, qui est character hypostaseos Patris: hæc est in angelis & hominibus. Illa est perfecta: hæc imperfecta, non priuatiuè, sed negatiuè. 2. *In imagine tria requiruntur: Primò*, vt sit similis. *Deinde*, vt sit expressa & effigiata ad imitationem alterius rei, tanquam exemplaris. *Tertiò*, vt ista similitudo sit vel in naturâ specificâ, vel in nobilissima eius perfectione. Hinc est, quòd in inferioribus creaturis, imago Dei non reperitur, sed vmbra & vestigium tantùm. 3. *Imago Dei est amissibilis, vel inamissibilis.*

II. *De imagine Dei in homine sunt hæ regulæ.*

1. *Præstantia hominis in eo præcipuè erat, quòd imaginem Dei gerebat.*

gerebat. Itaque & felicitas eius hâc ipsâ in imagine fuit poſita. 2. *Imago hæc erat conformis hominis, pro ſuo modulo, ad ſummam Dei perfectionem.* 3. *Imago hæc tota fuit homini naturalis, ſed alia & aliâ ratione.* Partim enim fuit ipſa natura hominis, partim fluebat ex principiis & perfectione naturæ, partim fuit naturæ aliquo modo debita. Hinc eſt, quòd imago Dei in homine dicitur fuiſſe partim naturæ, partim gratiæ: item, quòd dicitur fuiſſe in donis naturalibus, & ſupernaturalibus. Etſi enim tota iſta imago hactenus eſt naturalis, quòd naturæ fuit debita, & naturaliter propaganda, vi fœderis naturæ: tamen rectè diſtinguitur in dona naturalia & ſupernaturalia, quatenus alia ſunt inſeparabilia, alia ſeparabilia. Sic animæ ſimplex & immortalis ſubſtantia, eiuſque facultates, ſunt dona naturalia: intellectûs claritas, voluntatis rectitudo, affectuum conformitas, totius hominis immortalitas, corporis ſanitas, dominium perfectum in creaturas, hæc, inquam, ſunt dona ſupernaturalia. 4. *Imaginis huius ſubiectum primarium erat anima, ſecundarium, corpus; adæquatum, totus homo.* 5. *Imago Dei in homine fuit interna & externa.* Illa erat perfectio animæ & corporis: hæc, dominium in creaturas. 6. *Corpus primi hominis erat immortale, non quòd non potuerit mori, ſed quòd potuerit non mori.* Nitebatur nempe hæc immortalitas pacto fœderis naturæ. 7. *Imperium hominis in creaturas inferiores non tantùm* κυριον *fuit integrum, ſed etiam* χρηστον *mite & placidum.* 8. *Labor ille, quo primus homo debebat paradiſum cuſtodire & colere, non erat cum moleſtiâ coniunctus, ſed longè iucundiſſimus.* Nam laborando non erat laboraturus, quemadmodum hodiè laborantes laborant, id eſt, ægrè id faciunt, & ægritudinem inde ſentiunt.

Locvs XIII.

De Fœdere naturæ.

Præcepta.

1. **F***oedus naturæ*, quod aliâs fœdus creationis, operum, & religionis naturalis dici ſolet, conſideratur vt inſtitutum, & violatum.

2. *Fœdus naturæ inſtitutum* continetur actionibus Dei creatoris, & hominis.

3. *Actiones Dei* ſunt quatuor:

I. *Conceſſio.* Gen. 1. v. 28. 29. 30. c. 2. v. 16.

II. *Legiſlatio.* Gen. 2. v. 16. 17.

III. *Promiſſio:* quam Deus obſignauit ſacramento arboris vitæ. Gen. 3. v. 22.

IV. *Comminatio:* cui addita fuit arbor ſcientiæ boni & mali, tanquam ſignum experiundi boni & mali, atque adeo experiundæ mortis, his qui fructu eius veſcerentur. Gen. 2. v. 16. 17.

4. *Actiones hominis* debebant eſſe fides & obedientia propriis viribus præſtanda.

5. *Fœdus naturæ violatum* eſt per tranſgreſſionem legis à Deo latæ. Gen. 2. 16. 17.

Regulas poſitiuas vide in locis ſeqq.

Regvlæ Didacticæ.

I. *De fœdere Dei in genere ſunt hæ regulæ.*

1. *Fœderis Dei cum homine ratio non eſt inter eos qui paris ſunt iuris, ſed inter dominum & ſeruum.* Quò pertinet diſtinctio fœderis, quòd ſit æquale vel inæquale. Hoc poſterius locum habet inter Deum & hominem. Vnde non dicitur fœdus hominis, ſed Dei. 2. *Etſi etiam fœdus aliquod Dei eſt cum angelis: tamen fœdus cum homine eſt maximè illuſtre.* Ratio prioris eſt; quòd inter Deum & creaturam rationalem datur tranſactio & pactio. Ratio poſterioris; quia homo viuit vitam animalem: vbi ratio fœderis poteſt eſſe manifeſtior. 3. *Vi fœderis moralia opera creaturæ reſpectum habent ad felicitatem, vt præmium, vel ad infelicitatem, vt ſupplicium.* Hic eſt meritum, ibi non item. 4. *Vi fœderis oritur vis & ratio conſcientiæ vel excuſantis vel accuſantis*, quæ eſt iudicium creaturæ rationalis de ſemetipsâ, prout ſubiicitur Deo. 5. *Duplex eſt fœdus Dei cum homine pactum, fœdus naturæ ſeu operum, & gratiæ ſeu fidei.* Illud ante lapſum; hoc, poſt lapſum.

II. *De fœdere naturæ ſunt hi canones.*

1. *In fœdere naturæ ſpectatur præſcriptio legis, & ordinatio*

euentus. Præſcriptio legis eſt, quòd homini non tantùm fuit inſcripta lex generalis per modum habitus (quod ipſi commune eſt cum angelis) ſed etiam præſcripta lex poſitiua & ſpecialis. 2. *Lex iſta poſita fuit Adamo, non tantùm vt perſonæ ſingulari, ſicut factum eſt in angelis, ſed etiam vt publicæ, vel capiti humanæ naturæ.* 3. *In legis huius ſanctione continebatur promiſſio vitæ animalis continuandæ, & exaltationis poſtea ad vitam æternam, necnon comminatio mortis corporalis.* Itaque hoc fuit fœdus Dei cum homine in creatione: *Fac hoc, & viues: ſi non feceris, morte morieris.* In quibus verbis continetur præceptum, promiſſio, & comminatio. 4. *Fœderi naturæ adiuncta fuerunt duo ſymbola, ſeu ſacramenta:* quorum vno præmium obſignabatur, obedientiæ debitum, *arbore* ſcilicet *vitæ*; altero pœna inobedientiæ, *arbore* nempe *ſcientiæ boni & mali.* Illa ſignificabat vitam: hæc ſummum hominis bonum & malum. 5. *Ordinatio euentûs habet* ἀπόστασιν καὶ ἀνάστασιν, *id eſt, defectionem & refectionem hominis.*

Locvs XIV.

De Libero arbitrio.

Præcepta.

G*Vbernatio hominis poſt lapſum* ſpectatur in libero arbitrio, peccato, & aliquâ repreſſione peccati.

1. *Liberum arbitrium* conſideratur communiter, vel ſingulariter.

2. *Liberum arbitrium communiter ſpectatum* eſt immune à coactione.

3. *Immunitas à coactione* alia eſt determinationis, alia indifferentiæ & *illa* eſt determinationis felicis, vel infelicis; hæc eſt libertas contradictionis ſeu exercitij, vel contrarietatis ſeu ſpecificationis.

4. *Liberum arbitrium ſingulariter* eſt tum Dei creatoris, tum creaturæ rationalis.

5. *Liberum arbitrium Dei* eſt αὐτεξούσιον καὶ παντεξούσιον.

6. *Liberum arbitrium creaturæ rationalis* aliud eſt ante lapſum, aliud poſt lapſum.

7. *Liberum arbitrium creaturæ rationalis ante lapſum* erat, quod in vtramque partem, hoc eſt, ad bonum vel malum inclinare poterat.

8. *Liberum arbitrium creaturæ rationalis poſt lapſum*, aliud eſt angelorum, aliud hominis.

Liberum arbitrium angelorum eſt tum bonorum tum malorum.

9. *Angelorum bonorum liberum arbitrium* hîc eſſe cœpit, & eſt ad bona tantùm.

10. *Angelorum malorum liberum arbitrium* hîc eſſe cœpit, & eſt ad mala tantùm.

Liberum arbitrium hominis poſt lapſum bifariam conſideratur; vt eſt in hoc ſeculo, & vt erit in altero.

Liberum arbitrium hominis in hoc ſeculo, aliud eſt in homine non-renato, aliud in renato.

11. *Liberum arbitrium hominis non-renati* eſt ad mala tantùm in ſpiritualibus, & ad mala ferè in moralibus & ciuilibus. Hinc ab *Auguſtino* appellatur ſeruum & captiuatum *lib. 2. contra Iulianum, & ad Bonifac. lib. 1. c. 3. & lib. 3. c. 8.*

12. *Liberum arbitrium hominis renati* eſt partim ad bonum, partim ad malum. *Auguſtino* dicitur arbitrium liberatum *lib. 3. ad Bonifac. cap.* 8. ſcilicet ex parte.

Liberum arbitrium hominis in altero ſeculo erit tum beatorum, tum damnatorum.

13. *Liberum arbitrium hominum beatorum in altero ſeculo* erit ad bonum tantùm.

14. *Liberum arbitrium hominum damnatorum in altero ſeculo* erit ad malum tantùm.

REGVLÆ POSITIVÆ.

Mens hominis peccatoris cœca.

I. *Per peccatum mens hominis ita est obtenebrata, vt in rebus spiritualibus cœca sit.*

1. *Cor.* 2. *v.* 14. Animalis (ψυχικὸς) homo non capit ea quæ sunt spiritus Dei. Sunt enim ei stultitia: nec potest ea cognoscere. *Iohan.* 1. *v.* 5. Lux ista in tenebris lucet: sed tenebræ eam non comprehenderunt. *Et v.* 18. Deum nemo vidit vnquam. Filius ille vnigenitus, qui est in sinu Patris, ille nobis exposuit.

Voluntas hominis peccatoris deprauata.

II. *Voluntas hominis per peccatum ita est deprauata, vt toto impetu feratur contra legem Dei.*

Gen. 6. *v.* 5. Omne figmentum cogitationum cordis hominis, tantummodò malum est omni tempore. *Et cap.* 8. *v.* 21. Figmentum cordis hominis malum est à pueritiâ ipsius *Rom.* 8. *v.* 7. Affectus carnis inimicitia est aduersus Deum, legi enim Dei non subiicitur. Nam ne potest quidem. Huc pertinent loca quibus homo dicitur esse mortuus: vt *Matth.* 8. *v.* 22. *Ioh.* 5. *v.* 25 *Ephes.* 2. *v.* 1. 5. *Coloss. v.* 13.

Quid Deus in homine conuertendo efficiat?

III. *Deus in homine efficit potentiam, quâ potest credere, & ipsum fidei actum: similiter potentiam, quâ potest velle, & ipsum τὸ velle, ipsumque τὸ agere.*

Philip. 1 *v.* 29. Vobis datum est in Christi negotio, in ipsum credere. *Et cap.* 2. *v.* 13. Deus est is, qui efficit in nobis velle & perficere, pro suo beneplacito. Pertinent huc illa Scripturæ loca, quibus dicitur, Deum circumcidere cor nostrum, *Deut.* 30. *v.* 6. Deum dare nobis cor, vt intelligamus, oculos vt videamus, aures vt audiamus, *Deut.* 29. *v.* 4. Deum dare nobis cor nouum & spiritum nouum, auferre cor lapideum, dare carneum, *Ezech* 36. *v.* 26. 27. Deum nos conuertere, *Ierem.* 31. *v.* 18. Deum inscribere legem suam cordibus nostris *Ierem.* 31. *v.* 33. Deum aperire nobis cor, *Act.* 16. *v.* 14 Deum illuminare oculos mentis nostræ, vt videamus, *Ephes.* 1. *v.* 18. 19. Deum omnia nobis donare, quæ ad vitam & pietatem pertinent, 2. *Pet.* 1. *v.* 3. Charitatem Dei effundi in cordibus nostris per Spiritum sanctum *Rom.* 5. *v.* 5. Denique nos iterum gigni & excitari ex morte. *Ioh.* 3. *v.* 3. *cap.* 5. *v.* 25. *Ephes.* 2. *v.* 5.

Homo vt se habeat in conuersionis 1. primo momento? 2 progressu?

IV. *Homo in primo conuersionis momento se habet merè passiuè.*

Iohan. 6. *v.* 44. Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum. *Confer cum num. præced.*

V. *Homo in progressu conuersionis agit actus à Spiritu sancto.*

Cantic. 1. *v.* 4. 2. Trahe me, post te curremus. 2. *Cor.* 3. *v.* 5. 6 Non quod idonei sumus per nos ipsos ad cogitandum quidquam, velut ex nobis ipsis: sed quòd idonei sumus, id ex Deo est. Qui etiam effecit, vt idonei essemus ministri noui fœderis. 1. *Cor.* 15. *v.* 10. Gratiâ Dei sum id quòd sum: & gratia eius quæ in me collata est, non fuit inanis, sed amplius quàm illi omnes laboraui, non ego tamen, sed gratia Dei quæ mecum est. 1. *Cor.* 3. *v.* 5. Quis igitur est Paulus, qui autem Apollos, nisi ministri per quos credidistis, & vt cuique Dominus dedit. *Et v.* 9. Etenim Dei sumus cooperarij, *συνεργοί*. *Et v.* 10. Secundùm gratiam Dei, quæ data est mihi, vt peritus architectus fundamenta posui.

REGVLÆ DIDACTICÆ.

Liberum arbitrium in genere.

I. *De libero arbitrio in genere sunt hæ regulæ.*

1. *Liberum arbitrium cadit in naturam intelligentem.* Datur itaque in Deo, angelo, & homine. 2. *Liberum arbitrium non potest separari à naturâ intelligente.* Et in Deo quidem ita se habet, vt non possit ab illo abesse quantum ad essentiam & eminentiam. At in creaturâ rationali quamuis non possit separari quãtum ad essentiam, tamen separatur quantum ad eminentiam. 3. *Liberi arbitrij ratio formalis est in eo, quòd voluntas fertur in suum obiectum præuiâ cognitione, nec potest cogi.* Et hæc vulgo appellatur libertas naturæ, itemque libertas à necessitate, & coactione. 4. *Libertas voluntatis pro obiecto habet vel vnum duntaxat, vel duo.* Illa dicitur libertas determinationis; hæc, indifferentiæ *Libertas determinationis* aut est naturæ, aut gratiæ & gloriæ, aut miseriæ. Primo modo voluntas Dei, naturæ necessitate determinata est ad bonum tantùm: secundo modo voluntas hominis regeniti, in viâ & patriâ, determinatur à Deo ad bonum: tertio modo voluntas hominis non regeniti determinatur ad malum. Ita quoque in angelis bonis voluntas determinatur ad bonum; in malis, ad malum. Rursus determinatio est interna, vt cùm intellectus determinat voluntatem: vel externa, vt cùm Deus, diabolus, vel alius homo determinat voluntatem hominis. *Libertas indifferentiæ* est contradictionis, vel contrarietatis. Illa etiam dicitur exercitij, & versatur inter terminos contradictorios, vti sunt velle non-velle, agere non-agere: hæc etiam dicitur specificationis, & versatur inter bonum & malum. Ibi fit electio, vno tantùm proposito, illud acceptando vel reiiciendo: hîc fit seligendo vnum è duobus aut pluribus propositis.

II. *De libero hominis arbitrio sunt hæ regulæ.*

1. *Liberum hominis arbitrium est idem essentiâ, sed non idem gradu in quadruplici eius statu.* Nam *in primo homine* liberum erat ad bonum & malum. *In homine lapso* est liberum tantùm ad malum. *In homine regenito* liberum est à malo ad bonum, per Dei gratiam, sed imperfectè. *In homine glorificato* liberum est à malo ad bonum perfectè. *In statu integritatis* poterat non peccare: *in statu miseriæ* nihil potest quàm peccare: *in statu gratiæ* non potest peccatum in homine regnare: *in statu gloriæ* planè non poterit peccare. 2. *Voluntas primi hominis erat indifferens ad bonum & malum.* Potuisset itaque homo in suâ integritate perseuerare, si voluisset, iuxta illud: Adam accepit posse si vellet; non autem velle, vt posset. 3. *Homo fuit à diabolo spoliatus non voluntate aut libertate, sed priuatus voluntatis & libertatis sanitate.* In homine namque renato noua substantia non creatur, sed eadem, quæ fuerat labefactata, reparatur; nec aliud ab eo aufertur, quàm vitium, vt ait Ambrosius lib. 1. de vocat gentium cap. 3. Nimirum ipsum velle mansit in homine reliquum: sed vis volendi bonum in rebus ad salutem æternam pertinentibus est prorsus extincta 4. *Vox libertatis aut opponitur coactioni & necessitati, aut seruituti.* Vnde Augustinus lib. 1. contra 3. epist. Pelagij c. 15. dicit: Liberum arbitrium semper est liberum: sed non semper est bonum. 5. *In actionibus mundanis naturalibus, moralibus, & ciuilibus est libertas, sed vulnerata.* Hæc siquidem libertas non est absolutè libera 6. *Post conuersionem voluntas hominis est libera:* quia nempe est liberata à malo ad bonum. 7. *Triplex nobis est proposita libertas: à peccato, à miseriâ, à necessitate.* Hanc vltimo loco positam contulit nobis in conditione natura: in primâ restauramur à gratiâ: media nobis reseruatur in patriâ. Sunt verba Bernhardi de grat. & lib. arbitr. Vulgo appellant libertatem naturæ, gratiæ, & gloriæ. 7. *Peccatum originale facit, vt arbitrium hominis in statu peccati, quamuis liberum sit quoad actus omnes quos exercet, captiuum tamen & seruum est, quoad modum agendi.* Destituitur enim istâ virtute, quâ bene vellet.

LOCVS XV.

De Peccato & pœnâ peccati.

PRÆCEPTA.

1. PEccatum consideratur in genere & in specie. *Peccatum in genere* spectatur in naturâ, gubernatione, & effectis suis.

2. *Natura peccati* est in ortu & modo eius.

3. *Ortus peccati* non est à Deo, sed à creaturâ rationali liberè deficiente à Deo.

4. *Modus peccati* est in materiali & formali eius. Materiale est qualitas, actio, vel passio: formale, ἀταξία seu ἀνομία.

5. *Gubernatio peccati* est actio Dei circa initium, progressum, & consummationem peccati.

6. *Gubernatio Dei circa initium peccati:* est partim concursus actionis Dei cum actione creaturæ, partim impeditio vel permissio actus mali, partim administratio & oblatio argumentorum & occasionum.

7. *Gubernatio Dei circa progressum peccati* est directio & determinatio.

8. *Gubernatio Dei circa consummationem peccati* est punitio vel remissio.

9. *Effecta peccati* sunt reatus, & pœna.

10. *Reatus* est alius culpæ, alius pœnæ.

11. *Pœna*

11. *Pœna peccati* eſt varia. Nam *ratione modi* eſt interna, vel externa; propriè vel analogicè dicta; ſpiritualis vel corporalis; originalis, vel aduentitia; ordinaria vel extraordinaria, immediata vel mediata; nuda pœna, vel ſimul etiam peccatum; priuatio gratiæ habitualis, vel aſſiſtentis; damni, vel ſenſus: *ratione temporis*, eſt temporalis, vel æterna: *ratione gradus*, maior, vel minor; denique ratione *ſubiecti recipientis*, eſt angelorum malorum, vel hominum piorum aut impiorum.

Peccatum in ſpecie eſt primum vel ortum.

12. *Peccatum primum* eſt lapſus tum angelorum quorundam, tum primorum hominum Adami & Euæ.

13. *Peccatum ortum* eſt corruptio creaturæ rationalis, lapſum ſecuta.

Eſtque naturale, vel actuale.

13. *Peccatum naturale*, ſeu in natura hærens, eſt partim defectus iuſtitiæ originalis, partim praua inclinatio ſeu concupiſcentia.

Eſtque tum angelorum malorum, tum hominis.

15. *Peccatum naturale angelorum malorum* eſt carentia ſapientiæ & iuſtitiæ originalis ineſſe debitæ, & inclinatio ſeu propenſio ad malum, quæ ſtatim à lapſu in eis, omnibus ſimul, extitit.

Peccatum naturale hominis eſt tum Adami & Euæ, tum poſterorum.

16. *Peccatum naturale Adami & Euæ* eſt corruptio illa, quæ ſtatim à lapſu in eis extitit: hoc eſt, carentia ſapientiæ ac iuſtitiæ originalis, & praua concupiſcentia.

17. *Peccatum naturale poſterorum Adami & Euæ*, ipſis per naturalem propagationem inhæret: vnde peccatum originis, ſeu originale in eccleſia dicitur.

Eius partes duæ ſunt: videlicet defectio in lumbis primorum parentum, ſeu imputatio defectionis illius; & corruptio, eáque tum defectus iuſtitiæ originalis, tum praua concupiſcentia, ſeu propenſio ad malum.

18. *Peccatum actuale* eſt malorum angelorum, vel hominis.

19. *Peccatum actuale malorum angelorum* eſt irremiſſibile & mortale.

20. *Peccatum actuale hominis* variè diuiditur ex cauſis, effectis, ſubiectis, & adiunctis ſuis.

I. *Ex cauſis:* peccatum actuale eſt per ſe, vel per accidens: ex ſcientia, vel ignorantia profectum: infirmitatis, vel malitiæ: omiſſionis, vel commiſſionis: voluntarium, vel inuoluntarium, &c.

II. *Ex effectis:* peccatum actuale eſt regnans, vel non regnans: vaſtans conſcientiam, vel non: offendens alium, vel non, & illud dicitur *ſcandalum*.

III. *Ex ſubiectis:* peccatum actuale committitur aduerſus Deum, vel hominem: eſt internum, vel externum: committitur aduerſus legem, vel euangelium; & illud aduerſus primam, vel ſecundam tabulam, &c.

IV. *Ex adiunctis:* peccatum actuale eſt remiſſibile, vel irremiſſibile: clamans vel non: dulceſcens, vel ſordeſcens: viuum, vel mortuum: mortale, vel veniale: magnum, vel paruum, &c.

Regulæ Positivæ.

I. *Peccatum eſt diſcrepantia à lege Dei.*

1. *Ioh.* 3. *v.* 4. Ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία, id eſt, Peccatum eſt illegalitas, ſeu diſcrepantia à lege.

II. *Peccatum cognoſcitur ex lege.*

Rom. 3. *v.* 20. Per legem eſt agnitio peccati. *Et cap.* 7. *v.* 7. Peccatum non cognoui niſi per legem.

III. *Omne peccatum meretur mortem æternam.*

3. q id mereatur?

Roman. 6. *v. vlt.* Stipendia peccati mors. *Confer cap.* 5. *v.* 21. *Matth.* 12. *v.* 36. Sed dico vobis, quodcunque verbum otioſum locuti fuerint homines, de eo reddituros rationem in die iudicij.

IV. *Adam & Eua peccarunt inobedientia erga Deum.*

Peccatum primorum parentum.

Rom. 5. *v.* 14. Peccatum primum primi hominis appellatur παρέκβασις, id eſt, tranſgreſſio mandati. *Confer* 1. *Tim.* 2. *v.* 14. *Roman.* 5. *v.* 19. Sicut enim per inobedientiam vnius hominis, peccatores conſtituti ſunt multi. *Vide Gen.* 3. *vbi v.* 1. eſt ſuſpicio inuidiæ de Deo: *v.* 4. 5. 6. infidelitas & dubitatio de veritate comminationis Dei: *v.* 6. intemperantia gulæ: *ibid.* curioſitas, ſeu cupiditas plura ſciendi quàm erat neceſſarium: *ibid.* cupiditas gloriæ diuinæ. Tandem ſecutus eſt contemptus mandati diuini, παρακοὴ, *Rom* 5. *v.* 19. & παρέκβασις, tranſgreſſio mandati de non edendo fructu arboris cognitionis boni & mali. *Rom.* 5. *v.* 14.

V. *Omnes homines (ſolo Chriſto excepto) peccauerunt in Adamo.*

Omnes homines, excepto Chriſto, 1 peccarunt in Adamo.

Rom. 5. *v.* 12. Per vnum hominem peccatum in mundum introiit, ac per peccatum mors, & ita in omnes homines mors inuaſit, in quo omnes peccarunt. *Et v.* 19 Per inobedientiam vnius illius hominis peccatores conſtituti ſunt multi, οἱ πολλοὶ, nempe quotquot ex illo naturaliter ſunt orti, ex ſanguine videlicet, & in libidine carnis, & in libidine viri. *Ioh.* 1. *v.* 13. 1. *Cor.* 15. *v.* 22. in Adamo omnes moriuntur.

VI. *Omnes homines (ſolo Chriſto excepto) cum peccato concipiuntur & naſcuntur.*

2. excipiũtur cum peccato.

Pſal. 51. *v.* 7. En cum iniquitate genitus ſum, & cum peccato concepit me mater mea. *Epheſ.* 2. *v.* 3. Eramus natura filij iræ, vt & reliqui. *Gen.* 5. *v.* 3. Adam autem vixerat triginta & centum annos, cùm genuit filium ad ſimilitudinem ſuam, ad imaginem ſuam. *Vide Rom.* 7. vbi peccatum originale appellatur cupiditas, *v.* 7. Peccatum ſummè peccans, *v.* 13. peccatum inhabitans, *v.* 17. 20. malum adiacens, *v.* 21. lex in membris noſtris belligerans aduerſus legem mentis, & captiuos nos reddens legi peccati, quæ eſt in membris noſtris, *v.* 23. 25. *Iacob.* 1. *v.* 14. 15. Sed vnuſquiſque tentatur, dum à propria cupiditate abſtrahitur & ineſcatur. Deinde cupiditas, poſteaquam concepit, parit, peccatum: peccatum verò peractum gignit mortem.

VII. *Peccata ſunt inæqualia.*

Peccata inæqualia?

Ioh. 19. *v.* 11. Chriſtus dicit Pilato: qui me tradidit tibi, maius peccatum habet. *Matth.* 10. *v.* 15. Tolerabilior erit conditio terræ Sodomorum & Gomorrhæorum in die iudicij, quàm vrbis illius. Pertinent huc varij gradus peccati in ſcripturis: putà, peccatum ignorantiæ, 1. *Tim.* 1. *v.* 3. peccatum irremiſſibile, *Matth.* 12. *v.* 32. 1. *Ioh.* 5. *v* 16. peccatum cum ſcandalo coniunctum, *Matth.* 18. *v.* 6. 7. peccatum clamans in cœlum, *Geneſ.* 4. *v.* 10. peccatum antè manifeſtum, quod præit damnationem; cui opponitur peccatum ſubſequens, 1. *Tim.* 5. *v.* 24. peccatum alienum & communicatio cum alieno peccato, 1. *Tim.* 5. *v.* 21. peccatum quod fit elatâ manu, *Num.* 15 *v.* 30. peccatum extra proprium corpus, vel improprium corpus, 1. *Cor.* 6. *v.* 18. peccatum regnans vel non-regnans, *Rom.* 6. *v.* 12. *c.* 7. *v.* 19. peccatum mortuum vel viuens, *Rom.* 7. *v.* 9. peccatum priuatum, vel publicum & manifeſtarium, *Matt.* 18 *v.* 15. *& deinceps.* peccatum occultum planè, vel cognitum, *Pſal.* 19. *v.* 13. *Matth.* 10. *v.* 26. 2. *Cor.* 4. *v.* 2. denique cogitatum, dictum, vel factum malum, *Gen.* 6. *v.* 5. *Matth.* 15. *v.* 19.

VIII. *Peccati autor eſt diabolus.*

Peccati autor diabolus.

Ioh. 8. *v.* 44. Ille (*Diabolus*) fuit homicida à principio. Vide *Gen.* 3. 1. *Ioh.* 3. *v.* 8. Qui facit peccatum, ex diabolo eſt: quoniam à principio diabolus peccat.

IX. *Peccatum ex ſe parit reatum & pœnam.*

Peccatum quid pariat?

Rom. 5. *v.* 16. Nam reatus quidem eſt ex vno lapſu ad condemnationem. *Et v.* 18. Nempe igitur per vnum lapſum reatus venit in omnes homines ad condemnationem.

X. *Pœna peccati eſt mors temporalis & æterna, prima & ſecunda, corporis & animi, omníſque afflictio, quæ eſt malum animi, corporis, vel fortunæ.*

Vide *Gen.* 2. *v.* 17. *Rom.* 6. *v. vlt.* *Apoc.* 20. *v.* 14. *c.* 21. *v.* 15.

Regulæ Didacticæ.

I. De peccato in genere ſunt hæ regulæ.

Peccatum in genere.

1. *Peccati nomine aut concretiuè & materialiter ſubiectum* ἀνομίας *cum ipsâ* ἀνομίᾳ *intelligitur: aut abſtractiuè & formaliter ſola* ἀνομία. Et hinc eſt, quòd vulgo diſtinguuntur inter materiale & formale peccati. 2. *Vnum idémque diuerſo reſpectu eſt peccatum, cauſa peccati, pœna peccati.* Sic induratio reſpectu ſui eſt peccatum, reſpectu conſequentium eſt cauſa peccati; reſpectu antecedentium peccatorum eſt pœna. 3 *In peccato eſt effectio & directio* Illa eſt creaturæ rationalis: hæc, Dei. 4. *Deus non eſt autor vel fautor peccati.* Eſt enim ipſiſſima puritas, & rectitudo, & norma omnis puritatis & rectitudinis. 5. *Deus non indurat impertiendo malitiam, ſed non impertiendo miſericordiam*, vt ſunt verba Auguſtini epiſt. 105. ad Sixt. 6. *Peccatum reuera manet in ſanctis in hac vita.* Manet, inquam, ratione vitioſitatis, ſed non ratione efficacitatis, quæ cernitur in damnatione & dominatione. Etſi enim in ſanctis eſt τὸ damnabile: tamen non eſt ὁ damnans. 7 *Nullum peccatum ſua naturâ eſt veniale.* Quod enim veniam conſequitur, id eſt à gratia Dei in Chriſto.

II. De primo hominis peccato ſunt hæ regulæ.

Primum hominis peccatum.

1. *Primum hominis peccatum eſt tranſgreſſio legis à Deo præſcriptæ.* Hinc Rom. 5 v 14 18. 19. appellatur παράβασις, παράπτωμα, παρακοή. 2 *Tranſgreſſio iſta legis ſpecialis includit tranſgreſſionem totius legis moralis ſiue naturalis.* Peccauit enim homo incredulitate, diffidentia, ingratitudine, apoſtaſiâ, idololatriâ, contemptu verbi Dei & ſacramentorum, rebellione, homicidio, intemperantia, furto ſeu contrectatione arboris vetitæ, falſi teſtimonii aſſenſu, & concupiſcentia. 3. *Cauſa primi peccati externa & remota eſt tentatio diaboli; interna & proxima, abuſus liberi arbitrij in homine.* Tentatio diaboli eſt argumentatio ſophiſtica, ſeu fallacia, quâ propoſuit bonum apparens, & occultauit malum. Abuſus liberi arbitrij eſt, quòd noluit bene collocare talentum ſibi conceſſum. Acceperat enim illam iuſtitiam & gratiam, per quam poterat reſiſtere tentationibus diaboli, & perſiſtere in obedientia. 4. *Cum tentatione diaboli concurrit tentatio Dei.* Huiuſmodi, inquam, tentatio, quâ negotium iſtud ſic ordinauit, vt manifeſtum inde fieret, quid eſſet in homine. Hæc autem Dei tentatio neque mala fuit, neque ad malum. 5. *Cauſa huius tranſgreſſionis nec Deus eſt, nec decretum Dei, nec denegatio ſpecialis gratiæ, nec lapſus permiſſio, nec motus naturalis excitatio, nec denique lapſus illius gubernatio. Non Deus*; quia arboris illius fructu ſeueriſſimè homini interdixit. *Non decretum Dei*; quia Deus decreuit lapſum ordinare, homine liberè abutente donis ab ipſo conceſſis. *Non denegatio ſpecialis gratiæ*; quia etſi Deus non dedit primo homini gratiam corroborantem & confirmantem, quâ peccandi actus fuiſſet impeditus, & contrarius obedientiæ elicitus: tamen dederat ipſi gratiam ſufficientem, quâ ille debebat bene vti. *Non motus naturalis excitatio*; quia motus ille per ſe non eſt peccatum *Non lapſus illius gubernatio*; quia illa conſiſtit in permiſſione, directione, & determinatione peccati ab homine patrandi & patrati 6. *Certi ſunt gradus in iſto lapſu*: putà incogitantia, & incredulitas, ſuperbia, intemperantia, & ſimilia. Itaque & hîc locum habet quod dicitur: Nemo repente fit peſſimus. 7. *Ex primo peccato orta ſunt reatus, turpitudo, peccatum originale & actuale, denique omnis generis pœna.* Ex his *reatus* eſt obligatio peccatoris ad pœnam propter culpam. Itaque non eſt forma peccati, ſed affectio, ſeu adiunctum eius conſequens, partim ſeparabile, partim inſeparabile. Separabile; quatenus ſequitur peccatum vi legis diuinæ, peccatis pœnam adiudicantis Inſeparabile; quatenus eſt meritum, fluens ex peccato. *Turpitudo* eſt pollutio ſpiritualis, quâ peccator deſtituitur nitore & honore. 8. *Propagatio primæ tranſgreſſionis nititur triplici iure. Iure*, inquam, *naturali*; quo generans ſuam naturam communicat cum generato. *Iure hæreditario*; quo onera parentum in filios transferuntur. *Iure talionis*; quo boni reiectio, & mali perpeſſio æqualiter extenduntur. 9. *Propagatio primæ tranſgreſſionis perficitur imputatione & reali communicatione* Ibi defectio Adami fit noſtra: hîc eſt priuatio iuſtitiæ, quam ſequitur ineptitudo ad bonum, & peruerſitas omnium facultatum animæ & corporis. Huc pertinent iſta axiomata. 1. *Adamus in hoc negotio, non vt priuata, ſed vt publica perſona, adeóque vt totius generis humani parens, caput, radix, & porta, conſiderandus eſt.* Itaque quidquid accepit & perdidit, ſibi & omnibus ſuis poſteris accepit & perdidit. 2. *Peccatum primum non fuit perſonale tantùm, ſed etiam naturale.* Nam & perſonam Adami, & vniuerſam naturam hominis infecit. 3. *Primò perſona infecit naturam: deinceps natura infecit perſonam* Id nempe fit iuſto Dei iudicio, propter arctiſſimam vnionem Adami, tanquam ſtirpis, & poſterorum, tanquam ramorum.

III. De peccato originis hæ ſunt regulæ.

Pecc. orig.

1. *Peccatum originis habet rationem peccati & pœnæ.* Eſt enim natiua illa vitioſitas, quæ omni homini propter primum peccatum immittitur. 2. *Peccatum originis eſt habitualis priuatio rectitudinis ineſſe debitæ.* Itaque non tantùm eſt boni primitùs accepti amiſſio, ſed etiam contrarij mali immiſſio. Neque ſolùm eſt ineptitudo ad bonum, ſed etiam procliuitas ad malum. 3. *Peccatum hoc in Scripturis appellatur peccatum* καθ' ἐξοχὴν, *peccatum peccans, corpus peccati, peccatum inhabitans, lex membrorum, vetus homo, caro, & concupiſcentia.* Rom. 6. 6. c. 7. v. 7. 13. 17. 23. Gal. 5. 7. Iohan. 3. 6. quæ omnia vim huius peccati emphaticè oſtendunt. 4. *Anima pura infunditur corpori à Deo. ſed iam rea.* Qui reatus eſt iuſtiſſima pœna, pars nempe mortis, quam Deus homini eſt comminatus. 5. *Peccatum originale non admittit magis & minus.*

IV. De peccato actuali ſunt hæ regulæ.

Pec. act.

1. *Peccatum actuale eſt exorbitatio actûs humani*: ſeu, eſt deuiatio eius a lege Dei. 2 *Peccatum actuale fluit ab originali, vt actus ab habitu*: vel, ſicut vitium perſonæ fluit à vitio naturæ. 3. *Peccata actualia ſunt inter ſeſe oppoſita, & connexa. Oppoſita*; quantum ad obiecta, & ſpeciales rationes, quibus tendunt in obiecta. *Connexa*; quantum ad principium & fundamentum, ex quo procedunt. 4. *Peccata actualia diſtinguuntur inter ſeſe, quantum ad gradum & formam ſeu differentiam ſpecificam.* Differentia graduum eſt à perſonis peccantibus, intentione & remiſſione actus, ratione & modo patrandi, & circumſtantiis loci, temporis, & ſimilium. Differentia ſpecifica eſt varia v. gr. peccatum eſt omiſſionis vel commiſſionis. Illud maximè aduerſatur præcepto Dei; hoc, prohibitioni. In illo eſt quædam detractio à lege Dei; in hoc, quædam additio. 5. *Omnia peccata ratione euentûs, meriti Chriſti, & gratiæ Dei ſunt remiſſibilia, excepta finali infidelitate & peccato in Spiritum ſanctum.* Non quòd gratiâ Dei & merito Chriſti ſint maiora, ſed quòd vtrique repugnent, & coniuncta ſint cum vtriuſque contemptu. 6. *Peccata actualia recipiunt magis & minus, hoc modo.* Grauius eſt peccatum, quod committitur à digniore, appetitu, dicto & facto, in Deum, in parentes, &c. quàm quod ab inferiore, nudâ cogitatione, appetitu aut cogitatione, in proximum, fratrem. Ita grauius eſt peccatum commiſſionis quàm omiſſionis, in eodem genere. Et grauius eſt *ſcandalum* datum puſillo, quàm quod datur adultiori.

V. De pœnâ peccati ſunt hæ regulæ.

P. P.

1. *Totam hominis miſeriam Deus complectitur* mortis *vocabulo.* Gen. 2. 17. 1. *Mortis illius quatuor ſunt gradus.* Eſt enim *mors ſpiritualis*, quæ eſt priuatio vitæ ſpiritualis, quâ deſtitutus homo viuit tantùm peccato. Deinde eſt *mors afflictionum*, quæ eſt priuatio primævæ felicitatis, & immiſſio omnis generis calamitatum. Tertius gradus eſt *mors ſpiritualis*, quæ eſt priuatio huius vitæ animalis. Quartus gradus eſt *mors æterna*, quæ in Scripturis appellatur mors ſecunda. 3. *Mors ſpiritualis & corporalis habet ſuam inchoationem & conſummationem, in genere damni & ſenſus. Inchoatio mortis ſpiritualis in genere damni* eſt conſcientiæ ſecuritas & ſtupiditas: *in genere ſenſus* eſt conſcientiæ ſummus terror & deſperatio. *Inchoatio mortis corporalis in genere damni* eſt interna, vt amiſſio ſanitatis & viuacitatis, vnde mortalitas: vel externa, vt amiſſio bonorum externorum, putà in dominij creaturas, paupertas, &c. *in genere ſenſus* eſt fatigatio, dolor, &c. *Conſummatio mortis ſpiritualis in genere damni* eſt totalis & finalis ſeparatio à fauore Dei: *in genere ſenſus* eſt peccati & cruciatuum æternorum plenitudo. *Conſummatio mortis corporalis* alia eſt in electis, alia in reprobis: & in his coniuncta eſt cum morte ſpirituali. 4. *Pœna impiorum eſt ſolutionis & ſatisfactionis: piorum, eſt probationis, caſtigationis, & conformationis.*

Locus XVI.

De Lege.

Præcepta.

1. Repreſſio peccati, quæ fit in regno prouidentiæ, eſt generalis ſeu cõmunis, vel ſpecialis ſeu propria. *Repreſſio generalis* fit per legem.

2. *Lex* eſt archetypa, vel ectypa.

3. *Lex archetypa* eſt ſanctiſſima Dei natura.

4. *Lex ectypa* conſideratur communiter, & ſingulariter.

Communiter

Communiter in affectionibus suis & diuisionibus generalibus.

5. *Communes affectiones legis ectypæ* sunt in perfectione ipsius, & rigidâ exactione.

6. Diuisiones generales legis ectypæ, sunt: quòd est communis, vel propria; æterna, vel temporaria, seu immutabilis, vel mutabilis; simplex, vel mixta, &c.

Singulariter lex ectypa est non-scripta, vel scripta seu positiua.

7. *Lex non-scripta* est lex naturæ.

8. *Lex scripta* est diuina, vel humana.

9. *Lex diuina* est moralis, ceremonialis, vel iudicialis siue forensis.

10. *Lex moralis* consideratur quantum ad summam & vsum.

11. *Summa legis moralis* est *decalogus*: cuius occurrit promulgatio, corruptio Pharisaica, & assertio à corruptelâ Matth. 5.

12. *Vsus legis moralis* est in statu innocentiæ, miseriæ, gratiæ, & gloriæ.

13. Lex ceremonialis consideratur ratione vigoris, antiquationis, & vsus in Nouo Testamento.

14. *Lex Mosaica forensis* est purè forensis, vel mixta; & hæc est vel forensis & ceremonialis, vel forensis & moralis.

15. Lex humana seu ciuilis, est legitima vel illegitima.

Regulæ Positivæ.

I. *Deus in primâ creatione legem suam inscripsit cordi hominis.*

Rom. 2. *v.* 14. 15. Nam cùm gentes quæ legem non habent, naturâ quæ legis sunt faciunt, isti legem non habentes, sibi ipsis sunt lex, vt qui ostendant, opus legis scriptum in cordibus suis. 1. *Cor.* 11. *v.* 14. Anne natura quidem ipsa hoc vos docet?

II. *Deus speciali quâdam lege circumscripsit primi hominis libertatem.*

Gen 1. *v.* 16. 17. Interdixitque Iehoua Deus homini, dicendo: De fructu quidem omnis arboris horti huius liberè comedes: de fructu verò arboris scientiæ boni & mali, de isto ne comedas: nam quo die comederis de eo, vtique moriturus es.

III. *Lex naturæ, siue moralis, est æterna iustitiæ regula.*

Hæc lex à Deo est præscripta in monte Sinai; tanquam regula vitæ, *Exod.* 19. *v.* 5. 8. Eius compendium est decalogus, *Exod.* 20 qui ad omnes pertinet. Summa decalogi est *Matt.* 22. *v* 37. *& deinceps his verbis:* Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex totâ animâ tuâ, & ex totâ cogitatione tuâ. Istud est primum & maximum mandatum. Secundum autem est simile huic (id est, etiam generale & multa in se complectens; & æquè obseruandum) Diliges proximum tuum, vt teipsum. Ab istis duobus mandatis tota lex & prophetæ pendent. *Iacob.* 2 *v.* 8. Quòd si legem regiam præstatis secundùm Scripturam, Diliges proximum tuum vt teipsum, bene facitis. *Matth.* 5. *v.* 16 17. Ita splendeat lux vestra coram hominibus, vt videant vestra bona opera, glorificentque patrem vestrum qui est in cœlis. Ne existimate me venisse vt dissoluam legem aut prophetas Non veni vt dissoluam, sed vt impleam. 1. *Tim.* 1. *v.* 8. Scimus autem bonam esse legem, si quis eâ legitimè vtatur.

IV. *Lex tum moralis, tum iudicialis, tum denique ceremonialis est speculum peccati.*

Rom. 3. *v.* 20. Per legem est agnitio peccati. *Et cap.* 7. *v.* 7. Peccatum non cognoui nisi per legem. *Coloss.* 2. *v.* 14. Deleto, quod aduersum nos erat, rituum chirographo: quod erat nobis occultè contrarium. *Exod.* 21. *v.* 1 Hæc autem sunt iudicia illa, quæ propones eis: vt nempe illa obseruent, & inde discant natiuam propensionem ad peccandum.

V. *Lex moralis est electis abrogata, quantum ad rigidum suum postulatum, adeòque quantum attinet ad iustificationem & maledictionem.* Lex moralis num electis abrogata?

Gal. 3. *v.* 13. Christus nos redemit ab execratione legis, dum pro nobis factus est execratio. *Et v.* 1 . Nullum autem per legem iustificari apud Deum, manifestum est: quoniam iustus ex fide viuet. *Rom* 8. *v.* 2. 3. 4. Lex spiritus vitæ, qui est in Christo Iesu, liberauit me a lege peccati & mortis. Nam quæ legis erat impotentia, cùm viribus destituta esset per carnem, Deus filio suo misso in formâ consimili carni peccato obnoxiæ, idque pro peccato, condemnauit peccatum in carne: Vt ius illud legis compleatur in nobis, qui non secundùm carnem incedimus, sed secundum spiritum.

VI. *Ex legibus forensibus Mosaicis, illæ sunt perpetuæ, quæ sunt iuris communis, siue quæ habent aliquid morale: illæ verò sunt abrogatæ, quæ sunt iuris particularis, id est, eius iuris, quod fuit proprium politiæ Mosaicæ, & quæ habeat aliquid ceremoniale additum.* Leges forenses Mosaicæ an hodie obligent?

Deut 1. *v.* 17. Iudicium Dei est. 2. *Chron* 19. *v.* 6. Videte, quid sitis facturi: Non enim pro homine iudicaturi estis, sed pro Iehouâ: qui nobiscum futurus est in rebus iudiciariis. Sic lex illa, *Exod* 21. *v.* 17. est æterna: Qui maledicit patri suo, aut matri suæ, omnino morte plectitor. At lex *ibid. v.* 2. est propria istius politiæ: Cùm emeris seruum Hebræum, sex annis seruiet. Denique lex illa *Exod.* 22 *v.* 29. est mixta ceremoniâ: Primogenitum filiorum tuorum dato mihi.

VII. *Leges ceremoniales in N. T. non ampliùs durant.* Lex ceremonialis abrogata.

Gal. 3. *v.* 24. 25. Lex pædagogus noster fuit in Christum respiciens: vt ex fide iustificaremur. At postquam venit fides, non amplius sub pædagogo sumus. *Ephes* 2. *v.* 14 15. 16. Ipse (Christus) est pax nostra: qui vtraque fecit vnum, & intergerini parietis septum soluit: inimicitiis, id est, lege mandatorum quæ in ritibus posita est, per carnem suam abolitis: vt ex duobus illis conderet in semetipso vnum nouum hominem, faciens pacem: & vtrosque in vno corpore reconciliaret Deo per crucem, peremptis inimicitiis per eam. *Coloss.* 2. *v.* 14. *& deinceps.* Christus deleto quod aduersum nos erat rituum chirographo, quod erat nobis contrarium: ipsum sustulit è medio, affixo eo cruci, &c. Ne quis igitur vos damnet ob cibum vel potum, vel respectu festi, aut nouilunij, aut sabbatorum. Quæ sunt vmbra futurorum: corpus autem est Christi. *Heb.* 10. *v.* 1. Lex vmbram obtinens futurorum bonorum non expressam formam rerum, &c. *Vide quoque Dan* 9. *v.* 24. 27.

Regulæ Didacticæ.

I. *De lege Dei in genere sunt hæ regulæ.* Lex Dei in genere.

1. *Lex est norma conformitatis, quam Deus à nobis requirit.* Itaque suâ naturâ est bona. 2. *Nemo hominum est qui legem Dei perfectè præter Christum implere possit.* Lex siquidem requirit à nobis perfectam cum Deo conformitatem. 3. *Lex nos obligat & ad pœnam, & ad obedientiam.* Illam comminatio, hanc promissio legis requirit. Quare non satis est nos liberari à reatu: sed insuper oportet implere legem Cùm verò neutram satisfactionem nos ipsi per nos præstare queamus, vtramque oportet in Christo quærere. Atq; hoc fine lex post lapsum à Deo, postliminij iure, repetitur. 4. *Lex manifestat morbum; euangeliũ monstrat medicum.* Quod lex imperat, euãgelium impetrat. Per legem peccati cognitio; per euangelium, peccati abolitio. Lex datur, vt gratia quæratur.

II. *De lege morali sunt hi canones.* Lex moralis.

1. *Lex moralis à Deo per Mosen tradita, à lege naturæ primo homini inditâ, cuius reliquiæ etiamnum cernuntur in gentilibus, non re, sed ratione tantùm differt.* Nam decalogus est vegetatio quædam legis naturæ, illiusque plena informatio. 2. *Lex moralis est perpetui temporis.* Nam lex, cuius ratio est æterna, & ipsa est æterna seu perpetua 3. *Christus legem impleuit triplici nomine:* putà eius sensum explicando, & à glossis Pharisæorum vindicando, Matth. 5. perfectam ei obedientiam præstando, Rom. 8. 3. c. 10. 4. denique suam obedientiam, legi præstitam, nobis donando, 2. Cor. 5. 21. 4. *Renatis in hâc vitâ adscribitur legis obedientia tam perfecta, quàm imperfecta.* Illa est, quæ ipsis imputatur in Christo capite; hæc est, quam ipsi præstant pro viribus. Confer Gal. 3. 6. Luc. 17. 10. 5. *Vsus decalogi politicus & theologicus. Politicus* est, quo disciplina externa contra homines indomitos

domitos conseruatur. *Theologicus* est tum in impiis, tum in piis, & in his tam iustificandis, quàm iustificatis In impiis : vt ipsis sit speculum miseriæ. In iustificandis: vt fiat peccati cognitio, & ad Christum adductio. In iustificatis : vt sit norma gratitudinis.

Lex forensis.

III. *De lege forensi hæ sunt regulæ.*

1. *Vt lex ceremonialis Deum, ita forensis proximum respicit.* 2. *Lex forensis in iis, quæ sunt iuris communis, seu legis moralis, nos quoque obligat.* Quæ verò sunt iuris particularis, & pro terræ promissæ ac politiæ Iudaicæ conditione præcepta sunt, ad ista non magis obligamur, quàm ad aliarum rerum publicarum iura municipalia.

Lex ceremonialis.

IV. *De lege ceremoniali sunt hæ regulæ.*

1. *Lex ceremonialis est pædagogus ad Christum.* Itaque sublata est per Christi mortem. 2. *Lex ceremonialis cedit morali.* Est enim ipsius velut ancilla. Deinde, non debuit esse perpetua. Denique, maior habenda est ratio charitatis, quàm ceremoniarum. 3. *Lex ceremonialis erat velut chirographum & testimonium reatus, quo constricti tenentur omnes homines.* Coloss. 2.14. 4. *Vsus legis ceremonialis ante Christum fuit salubris : post mortem eius vsque ad euangelij promulgationem, fuit indifferens : post euangelij promulgationem non tantùm insalubris est ceremoniarum obseruatio, sed etiam mortifera.* Hinc est, quòd Paulus Timotheum circumcidit, Actor. 16.2. sed Titum circumcidi noluit, Gal. 2.2.

HARMONIA LEGVM MOSAICARVM.

CAPVT I.

Introductio in Harmoniam Mosaicam.

HARMONIA sacrarum literarum, alia est interna, alia externa.

Harmonia interna est diuina & admirabilis consensio, quâ sententiæ & libri sacrarum literarum ita conspirant, vt nec in singulis, nec in vniuersis sit vel minima discrepantia, vnde hæc harmonia est totalis vel partialis; vtraque est à Deo.

Harmonia externa est opus hominis, qui Scripturas inter se confert. Estque vel Conciliatio vel Reductio.

Conciliatio est harmonia, quæ Scripturas pugnantes in speciem non pugnare demonstrat.

Reductio est harmonia quæ sententias sacras eiusdem argumenti, hinc inde dispersas, ad certos reuocat titulos.

Ea inprimis est triplex. Prima, legum Mosaicarum, inde ab *Exodi c.9. vsque ad* 31. *Deut.* Secunda, historiæ Regum & Chronicorum. Tertia, quatuor Euangelistarum.

Harmonia legum Mosaicarum, expendit numerum & modum reductionis istarum legum.

Numerus legum est sexcentum tredecim, è quibus sunt 365. prohibentes, quot sunt dies anni solaris. 248. affirmantes, quot apud Rabbinos sunt membra corporis humani.

Modus reductionis harum legum perficitur vsitata illa trichotomiâ, quâ leges Mosis diuiduntur in morales, forenses, & ceremoniales.

Leges morales seu Ethicæ sunt primariæ vel subsidiariæ. Illæ sunt numero decem in decalogo; hæ sunt quæ singulis istis inseruiunt, ac proinde in decem classes subdiuiduntur.

Leges forenses seu politicæ sunt appendices decalogi, ideóque & ipsæ in decem classes subdiuiduntur, & constituunt iurisprudentiam Mosaicam.

Leges ceremoniales siue hieraticæ, (alias Ecclesiasticæ) sunt de sacris locis & temporibus, rebus & personis, & constituunt magnam partem Theologiæ typicæ.

CAPVT II.

De principiis & affectionibus legum Mosaicarum.

LEges Mosaicæ considerantur in genere & in specie.

In genere attenditur ipsarum habitudo in principiis seu primigenia, & affectionibus.

Principia sunt arcessenda ab authoritate Dei, æquitate rei, & ingenio populi.

Authoritas Dei includit ius creationis, quod Deus allegat quoties ait, Ego Iehoua, ego Deus tuus, &c. & ius redemptionis, id est, liberationis specialis ex Ægypto, quod Deus allegat quoties ait, Ego eduxi te ex Ægypto, ex fornace ferreâ.

Æquitas rei est partim naturalis, quæ complectitur principia naturaliter omnibus cognita, quæ in ipsa lege morali tanquam throno quodam refulgent : partim ciuilis, id est, conditio politiæ seu Reipublicæ, cui attemperatæ sunt istæ leges, partim ecclesiastica, i. e. conditio politiæ, quæ typus fuit regni Christi. Atque hæc Deus allegat quoties dicit, præcepta sua esse propinqua isti populo, & quidem populo suo. Atque hinc est, quòd aliæ leges sunt immutabiles & perpetuæ; aliæ mutabiles & certi temporis.

Ingenium populi Iudaici fuit præfractum, intractabile, irreconciliabile, impatiens, contumax, & pronum ad rebellionem aduersus Deum, legem, & magistratum suum. Itaque onerosâ iuxta & operosâ legum multitudine & pædagogia debuit hoc ingenium in officio contineri.

Affectiones legum Mosaicarum sunt in scriptione & compositione, perfectione & sanctione, obseruatione & asseruatione.

Scriptio est, partim immediata, quâ Deus duas tabulas ipse exarauit; partim mediata, quâ Moses functus est munere amanuensis. A' solo itaque Deo pendet ἀξιοπιστία scripturæ; & inscriptio legis in tabulis lapideis graphicè pingit lapideum hominis cor.

Compositio legum est legalis vel euangelica. Compositio legalis est, quòd plurimæ leges sint mixti iuris. Nam vna eademque lex potest esse. 1. Moralis, forensis & ceremonialis simul, vt illa de sabbato. 2. Moralis & forensis simul, vt illa de tectis domorum planis. 3. Ceremonialis & forensis simul, vt lex de primogenitis. 4. Ceremonialis & moralis simul, vt lex de ceremoniis seu ordine & decoro ecclesiastico.

Compositio euangelica est, quòd lex moralis subordinatur euangelio, & lex ceremonialis in profundo est euangelium, & in superficie est lex.

Perfectio legum est, quòd illis nihil fuit addendum vel demendum, erant enim norma diuinissimè præscripta, quam etiam ipsimet Ethnicorum legislatores, sibi proposuerunt in plurimis ferendis legibus.

Sanctio est partim à promissionibus & comminationibus, quarum compendium & speculum est *Leuit.* 26. & *Deut.* 28. partim in ceremonia, quâ Moses sanguine aspersit librum legis, & vniuersum populum, dicens, Hic est sanguis federis *Exod.* 24. quo quidem ritu, reatus hominis peccatoris, & liberatio hominis credentis per Christum fuit figuratata.

Obseruatio legum est, quòd Iudæi iussi sunt illas repetendo inculcare filiis, & ligare in manibus atque frontibus, & scribere in postibus & portis domuum, & in lapidibus terræ Canaan; denique cordi suo imprimere. Voluit nempe Deus brachialia & frontalia ex legis præceptis confici, vt hunc ornatum opponeret aureis monilibus : & voluit postibus & portis inscribi, vt quisque admoneretur suam domum sacram esse Domino : & voluit scribi in lapidibus terræ Canaan, vt scirent, quicunque illuc ingrederentur, quasi sacrarium esse doctrinæ cœlestis. Hæc autem omnia simul voluit, ne vnquam per incuriam populi obscura & incerta legis cognitio esset, sed in sublimi semper conspiceretur ipsius summa : denique voluit in corde recondi, vt sanctimoniæ pars in externa ostentatione non collocaretur. Quod Christus obiicit Pharisæis, philacteria sua dilatantibus.

Asseruatio legis fuit publica & priuata. Publica iterum duplex. Nam & in arca fœderis fuit asseruatum exemplar autographum, & Rex inde transcripsit apographum, quod sibi proponeret normam regiminis. Priuata fuit, quod singuli habuerunt exemplaria in singulis familiis.

CAPVT III.

De Decalogo.

DEcalogus sunt decem verba sanctitatem communem imperantia.

In decalogo spectatur scriptura singularis & Analysis.

Scriptura singularis, iterum est in modo scriptionis, & causa istius modi.

Modus scriptionis est planè insolens. Cùm enim à naturâ sit, vt vnaquæque vox non nisi vnum habeat accentum Grammaticum; sæpenumerò fit vt in decalogo vna vox habeat duos vel tres accentus grammaticos.

Causa istius insolentiæ est, vt significetur præstantia legis huius, & simul nostrum officium in illa studiosè legenda.

Analysis est in interpretatione & partitione decalogi.

Interpretationis norma est, vt singula præcepta interpretemur integrè. Integritas autem ista est partim in subiecto, partim in obiecto. Ibi requiritur obedientia integra ratione totius hominis,

hominis, adeóque interna & externa, in intellectu, affectu, & effectu: hic requiritur obedientia omnium officiorum, antecedentium tanquam, connexorum, & consequentium.

Partitio Decalogi est communis & singularis; Communis est, quod Decalogus continetur præfatione, quæ habet rationem moralem & typicam, & duabus tabulis, prima & secunda, siue mandato primo & secundo vt Christus loquitur *Matt.22.* Duo autem ista mandata sunt similia, non ratione gradus sed ratione copulæ. Nam alioqui tabula secunda cedit primæ.

Partitio singularis est, quòd tabula prima præcipit pietatem quantum ad personam Dei, siue substantiam & fundamentum cultus, & quantum ad media cultus. Hæc autem partitio non debet peti à Setumà, hoc est, à signo Mazoretico, sed à subiecta materia, & à Sylluk.

Substantiam cultus Dei determinat præceptum primum, ne quid præter Deum pro Deo habeamus, sed vt solum Deum colamus, & quidem solùm in spiritu & veritate.

Modum cultus determinant reliqua tria præcepta; secundum quantum ad media externa; tertium quantum ad professionem priuatam; quartum quantum ad professionem solemnem.

Tabula secunda præcipit iustitiam quantum ad voluntatis assensum vel motum qui voluntatis assensum præcedit: vbi diligentissimè tenendum est illud Senecæ, Vt scias quemadmodum incipiant affectus vt crescant, vt efferantur, est primus motus non voluntatis, quasi præparatio affectus, & quædam commutatio: alter cum voluntate non contumaci; tertius motus iam est impotens qui rationem euicit. Primum illum animi ictum effugere ratione non possumus, tamen assiduâ obseruatione extenuare possumus. Alter ille motus qui iudicio nascitur iudicio tollitur, ita & tertius. Hæc Seneca elegantissimè, quæ ad oculum ostendant, quid intersit inter decimum præceptum, & ea quæ antecedant, hoc nempe: Peccatum originale est habitus innatus in nobis. Concupiscentia est primus motus seu actus ex eo habitu proficiscens. Spectatur autem ista concupiscentia, vt omnis perturbatio, secundùm tres gradus. Primus motus est confusus. Secundus est voluntatis pendentis. Tertius est voluntatis inclinantis. Primum motum prohibet Deus in decimo præcepto; reliquos duos in antecedentibus, hoc modo. Officia iustitiæ specialia præscribit præceptum quintum, communia reliqua quinque, & hæc spectant proximi personam, præcepto sexto; vel adiuncta: & hæc iterum vel præcipua, præcepto septimo; vel minùs præcipua octauo & nono. Itaque decimum prohibet creaturæ rationalis impuritatem, quæ omnem voluntatis consensum regit. *Confer Rom.7. Iacob.1.*

Iam tollamus difficultates ad septem præcepta.

1. Dij alieni sunt qui Deo vero vel opponuntur vel subordinantur, nulla enim hîc debet esse subordinatio: quia solus Deus est vnicus, vt in essentia sua, ita notitia & cultu nostro.

2. Imago religionis causa ab homine facta pugnat, cum hoc præcepto. Quòd autem Moses dicit aquas esse sub terris, id non de natura rei, sed de sensu vulgi est accipiendum. Denique sanctio huius præcepti, etsi est generalis, & ad omnia præcepta suo modo pertinet, tamen speciatim accommodatur à Deo ad hoc præceptum, quia Deus in fœdere suo coniugium init cum Ecclesia, & proinde ardet zelo, qui est consortis impatiens, adeóque ferre non potest idololatriam, spiritualem illam scortationem.

3. Nomen Dei est omne illud, quod de Deo in Scripturis est reuelatum, ínque notitiam & cultum eius vergit.

4. Finis quarti præcepti est vniuersalis vel specialis. Vniuersalis est vel primarius, videl. memoria quietis, quâ Deus cessauit ab opere creationis, itémque spiritualis & cœlestis sabbatismi figuratio: vel secundarius, refocillatio hominis & iumentorum. Specialis est partim ceremonialis Israëlitarum sanctificatio, partim sabbatismi Christi in sepulchro adumbratio. Speciales fines exspirarunt. Ex vniuersalibus omnes adhuc durant, nisi quòd primus est commutatus & translatus à die septimo in primum, ob memoriam nouæ creationis, quæ facta est per Christum resurgentem.

5. Parentes prolongant vitam liberorum partim ritè illos instituendo, partim concipiendo preces pro ipsorum incolumitate. Deinde hoc præceptum est primum quod habet promissionem ad *Ephes.6.* & hæc promissio est præparatio seu causa impulsiua ad totam reliquæ legis obedientiam. Stante siquidem honore superioribus debito, mandata reliqua totius decalogi manent in viridi obseruantia.

6. Christus *Matth.19.* quintum præceptum præponit sexto & reliquis, & Paulus ad *Rom.13.* septimum postponit sexto, quia non recitant sed citant hæc præcepta, & quidem citant materialiter tantùm.

7. Concupiscentia vna & eadem specie prohibetur vno præcepto: quæ causa est quòd Moses vtitur traiectione duarum istarum clausularum, non concupisces domum, non concupisces vxorem. Et *Exod.20.* vtitur vnicâ voce Chamath. *Deut.5.* duabus synonymis.

CAPVT IV.

De reductione omnium legum moralium ad singula decalogi præcepta.

AD primum præceptum pertinent leges de fide, spe, & charitate erga Deum. De fide, vt quòd Deus sit vnus Iehoua, quod sit Elohim, id est, trinus, quòd sit daturus prophetam Christum *Deut.18.* quódque sit honorandus fiducia, adoratione cordis, & patientia. De spe triplici, puta veniæ, gratiæ, gloriæ, De charitate erga Deum, vt quòd sit amandus toto corde; timendus timore filiali, cordis, & operis: itémque honorandus humilitate, precatione mentali & vitali, itémque voto. Huc etiam pertinent interdicta de idololatria interna & subtili, eáque speculatiua vel practica, quâ fit vt homo ex bonis vel malis animi, corporis, & fortunæ, faciat sibi Deos. Item de non tentando Deum, déque vitandis pseudoprophetis, magia item diuinatrice & operatrice.

Ad secundum præceptum pertinent leges de externa & crassa idololatria, quæ fit vel repræsentatione, vel veneratione Dei in imaginibus: itémque omnes leges de ἐθελοθρησκεία, cui opponitur θρησκεία, religio externa, quam Deus circumsepsit legibus de loco sacro, de ieiuniis, & omnino de ceremoniis sibi placentibus, ita vt solus cultus ceremonialis ad hoc præceptum pertineat, excepto tempore sacro.

Ad tertium præceptum pertinent leges de precatione & gratiarum actione vocali, de iuramento necessario & temerario, de voto nuncupatiuo, de sortibus diuinis, politicis, & manticis; de blasphemia directa & indirecta, mediata & immediata, consulta & inconsulta; denique de sanctificatione cibi, potus, & reliquorum bonorum huius vitæ.

Ad quartum præceptum pertinent leges de sanctificatione sabbati interna & externa.

Ad præceptum quintum pertinent leges de honorandis & timendis parentibus; de coërcendis liberis rebellibus; de non maledicendo principibus & iudicibus; déque honorandis senibus.

Ad præceptum sextum pertinent leges de non odio habendo fratre, de homicidio voluntario & inuoluntario, de percussione & iure talionis; de vindicta priuata; de non maledicendo surdis, & offendiculo non ponendo cæcis.

Ad præceptum septimum pertinent leges de scortatione, adulterio simplici & duplici, de Sodomia, de gradibus licitis & illicitis, adeóque de nuptiis incestis: denique de non permutando vestitum muliebrem & virilem.

Ad præceptum octauum pertinent leges de furto & rapina, de sacrilegio, plagio, & abigeatu, de mercede, de prosopolepsiâ; de pascendo & tegendo peregrino; de non obligando os boui triturantis; de iustitia commutatiua quantum ad pondus & mensuram; de dominiis rerum, de non transferendis terminis; de pignore mutuo & commodato; de vsura compensante & rodente; de reducendo pecore errante; de restitutione rei furtiuæ, denique de δωροφαγία.

Ad præceptum nonum pertinent leges de teste & testimonio iudiciali & extraiudiciali; de iudiciis; de mendacio; de restitutione honoris, déque correctione fraterna.

Ad præceptum decimum nullæ leges referuntur, quia est solitarium. Ratio est, quia ipsius latitudo non habet sub se species in sensum incurrentes.

CAPVT V.

De reductione legum forensium ad decalogum.

LEges forenses considerantur in genere & in specie.

In genere admittunt geminam diuisionem; & primò quidem sunt mutabiles & temporariæ; vel immutabiles & perpetuæ. Illæ sunt quæ vel cum legibus ceremonialibus compositæ atque mixtæ sunt, vt de iure primogenituræ, de asylis, decimis &c. vel ad politiam Mosaicam eiúsque populum peculiariter sunt attemperatæ, vt de polygamia, de seruis Hebræis, de familiarum distributione, de venditione liberorum, de libello repudij, &c. Hæ sunt quæ fundantur simpliciter, in iure naturæ vel gentium, vt de pœna adulterij, furti, &c. Deinde leges forenses Mosaicæ sunt Ecclesiasticæ, œconomicæ, vel politicæ. Ecclesiasticæ sunt de officio magistratus circa res, personas, & actiones ecclesiasticas; quod est in eo, vt ordinem externum constituat, constitutum sanciat, & sancitum sua præsentia & authoritate promoueat. Atque hinc est quod Dauid & Salomon constitutiones ecclesiasticas numero auxerunt. OEconomicæ leges sunt de re familiari, de statu matrimoniali, déque officiis in isto statu. Politicæ leges sunt communes vel propriæ. Communes sunt ciuiles vel criminales. Ciuiles sunt de contractibus, iustitia commutatiua, &c. Criminales leges sunt de pœnis scelerum pacis & belli tempore. Propriæ sunt regales,

de

de electione regis, de qualificatione Magistratuum, déque officio subditorum.

AD PRÆCEPTUM PRIMUM.

Lex 1. Capitale erat non parere sacerdoti; quia sacerdos erat typus Christi.

2. Capitalis pœna decernitur cuilibet authori apostasiæ, id est, defectionis a Deo; siue is sit pseudopropheta, id est, hæreticus obstinatus, seducens, & blasphemans: siue frater i.e. quilibet in sinu ecclesiæ; siue denique integra vniuersitas id est, respublica. Ratio legis est, Quia author huiusmodi apostasiæ est insanabilis, & alios insanabiles facit.

3. Capitis pœna decernitur in magos, qui vel fœdus cum diabolo habent, vel hostias humanas mactant, vel signis terrent homines.

4. Fœdera coniugalia & ciuilia Deus populo suo cum gentibus Cananæis inire in solidum prohibet, quia Cananæi mandato diuino erant exscindendi. Hinc itaque non licet colligere, fœdera de commerciis & similibus non esse licita cum infidelibus.

5. Commixtio diuersorum animalium & diuersorum seminum in vno agro, & diuersarum materiarum in vna veste fuit prohibita; quia Deus voluit hoc signo docere sinceritatem esse colendam in religione & conuersatione.

AD PRÆCEPTUM SECUNDUM.

Lex 1. Capitale erat si quis inclinaret se soli, lunæ, & diis alienis; quia Politia Mosaica non poterat constare ex fidelibus & idololatris, data opera hanc professionem factitantibus.

2. Deus iubet abolere imagines, statuas, sculptilia, picturas, templa idololatrica, altaria, excelsa, & lucos; quia vt non potest ferre idololatriam, ita nec instrumenta idololatrica. Rectè itaque fecerunt Constantinus M. Carolus M. & Imperatores Græci quod hanc legem veluti postliminio reuocarunt.

AD PRÆCEPTUM TERTIUM.

Lex. Blasphemiæ seu maledictionis Dei, siue sit immediata vel mediata, siue directa vel indirecta, duo statuuntur genera; vnum quod ex infirmitate & impotentia proficiscitur; alterum cùm homo maledicit Iehouæ certa malitia, & obstinatione voluntaria omnibus rebus sacris, vniuersali blasphemia renuntiat. Primum genus affici iubetur pœna arbitraria, secundum capitali, puta lapidatione. Quod attinet ad pœnam arbitrariam illa pro qualitate delicti erit incarceratio, linguæ perforatio, fustigatio, &c. non verò mulcta pecuniaria.

AD QUARTUM PRÆCEPTUM.

Lex 1. Inter regalia principis *Deut.* 17. primas facile tenet primatus regius quem vocant. Is autem in eo vertitur, vt princeps sit nutritius ecclesiæ, vt custos primæ tabulæ, ita nempe, vt potestate architectonica constituat pastores bonos, destituat malos & restituat res ecclesiæ collapsas; idque exemplo Mosis, Dauidis, Salomonis, Iosaphati, Ezechiæ, Iosiæ, Iudæ Maccabæi, &c. quorum praxis vtique fundata est in lege regiâ quam diximus.

2. Dehonestatio seu violatio sabbati erat capitalis; quia sabbatum Iudaicum erat sacramentum quo obsignabatur vniuersa sanctitas quam Iudæi debebant Deo probare. Hinc obseruatio sabbati erat clausula omnium præceptorum prioris tabulæ. Quapropter qui sabbatum negligebat, negligendo contemnebat sacramentum, & proinde reus erat abdicati totius cultus diuini, ex quo illud profectum est, quod omnes prophetæ passim summam impietatem circumscripserunt violatione sabbati. Quod attinet ad violationem sabbati nostri, quæ fit per mercatus publicos, saltationes, & similia peccata, debebat illa coërceri pœnis corporalibus, iuxta regulam; Vbi cessat ratio pœnarum capitalium Mosaicarum, ibi analogicè substituatur pœna corporalis, vt maneatur in genere pœnæ, sicut manetur in genere delicti.

3. Decimas, oblationes, primitias, primogenita, & similia, Deus populo suo imperauit, non solùm vt essent consecratio ceremonialis, quâ Iudæi seipsos suáque omnia Deo authori sese debere faterentur; neque solùm vt essent præfiguratio Christi, quatenus dabantur sacerdoti, qui vtique fuit typus Christi, sed etiam vt essent pars stipendij sacerdotum, quod sanè illis debetur iure naturali pro officij laboribus. Hodie itaque consuetudo ista meritò retinetur, quia vix & ne vix quidem potest dari æquior & facilior ratio alendi ministros ecclesiæ, adeóque conseruandi ministerium ecclesiasticum.

AD PRÆCEPTUM QUINTUM.

Lex 1. Iniuria erga parentes est parricidium, percussio, & maledictio, eáque vniuersa est capitalis iure naturæ, gentium, & diuino; similiter iniuria magistratui illata, quæ appellatur crimen læsæ maiestatis.

2. Potestas patria est communis vel singularis. Communis est in eo, quòd parentes habent ius vitæ & necis, sed in hisce tribus consistit; in imperio paterno, correctione paternâ, & denique quòd parenti datur actio in filium rebellem. Singularis apud Iudæos erat in venditione liberorum, quæ tum potuit habere locum, quia omnes Israëlitæ erant fratres, & proinde non præsumebantur quòd tyrannicè tractaturi essent fratrum suorum liberos.

3. Lex regia *Deut.* 17. tractat de constitutione regis & iure regio. Constitutionem regis intranei probat Deus, eámque temperatam partim ex monarchiâ & aristocratiâ, partim ex successione & electione. Ius regium consistit in regalibus ecclesiasticis, de quibus paulo ante; & politicis, quorum alia sunt mitiora, vt præesse cum summâ potestate, alia duriora, vt exigere tributa. His opponuntur regalia vsurpata, de quibus 1. *Sam.* 8. qui textus non est contrarius illi nostro. Nam hîc Deus fert legem; ibi autem indignatur ob ingratitudinem populi, anticipantis suam possessionem.

4. Qualitates Magistratuum inferiorum sunt aliæ morales, vt fortitudo, timor Dei, &c. de quibus diximus *Exod.* 18. aliæ ciuiles, vt quòd non debent esse peregrini, eunuchi, spurij, Ammonitæ & Moabitæ *Deut.* 23. Non peregrini, qui scil tales sunt loco & affectu. Non eunuchi, quia illi neque viri sunt, neque mulieres; & insuper sunt effœminati, & in nullo fermè honore, denique ad generationem inepti. Non spurij, quia illi non habent basin sui generis, ac proinde ad honores sunt inhabiles. Intelliguntur itaque hoc loco spurij, qui ex prostibulo sunt nati, incerto planè patre: & hi excluduntur aditu dignitatis politicæ, in decimam vsque generationem; quia interea temporis infamia deleri potest. Denique non Ammonitæ aut Moabitæ, quia illi sunt falsi fratres, prohibentes Israëlem aditu hæreditatis. Non autem excluduntur Edomitæ & Ægyptij, quia illi erant fratres (persequentes tantùm) hi fuerunt hospites Israëlitarum.

5. Ius primogenituræ faciebat ad axioma familiæ, (quod quidem vt conseruetur iure gentium sancitur) & figurabat Christum qui est primogenitus ratione deitatis quantum ad æternitatem; ratione humanitatis quantum ad dona; denique ratione officij, quatenus est caput fratrum suorum, quod ad illum respicere & tandem aggregari oportet.

AD PRÆCEPTUM SEXTUM.

Lex 1. quatuor genera pœnarum fuerant vsitata in populo Dei, lapidatio, viuicomburium, decollatio, & strangulatio. Exsecutio autem fiebat vel promiscuè à populo, vel à delectis quibusdam. Tandem etiam carnifices, quos vocant, ceperunt in populo Dei, qui non sunt infames quòd exsequantur iustum iudicium magistratus, sed quia ferè sordidis rebus occupantur.

2. Homicidium pœnale patratur aut ab homine aut à pecude, si ab homine, aut est voluntarium aut inuoluntarium; illud est capitale, hoc non item; & ideo Deus instituit asyla, vt in iis homicidæ inuoluntarij haberent receptum & perfugium contra vindicem sanguinis propinqui extincti; quanquam & illa Christum figurabant, in quo habemus per fidem refugium contra diabolum, qui & ipse nostrum sitit sanguinem. Homicidium à pecude patratum, aut nescio aut conscio hero contigit: ibi bos cornupeta lapidatur, hic etiam Dominus.

3. Percussiones quæ membri mutilationem aut fracturã importabant, talionis lege puniebantur: quæ citra huiusmodi mutilationem, simplici compensatione. Ius talionis quod attinet, in eo spectatur rigor & æquitas: ibi qui actionem habebat iniuriarum, talionis postulabat eum qui læserat, & iudex, non verò læsus talionem inferebat, hîc talio vel iudicum æstimatione, vel bonorum virorum arbitrio commutabatur in multam pecuniariam.

4. Percussio prægnantis est capitalis, si fœtus sit animalis & moriatur; si verò sit inanimatus, mulcta pecuniaria decernitur.

5. A sanguinis vsu Deus iubet abstinere, vt doceat nos argumentari à minori ad maius, si à ferino abstinendum est sanguine, multò magis ab humano. Sed & ceremoniale huc accessit, quia nempe longè præstantiori rei sanguis destinatus erat Iudæis, vt esset sacramẽtum sanguinis Christi, expiantis reatum sanguinis.

6. Leprosi iubentur degere semoti à commercio hominum, ne inficiantur sani contagione, vbi in immunditia corporali proponitur typus internæ immunditiæ.

7. Iudæi habebant duplicia mancipia, gentium peregrinarum & popularium suorum; & in his locum habebat manumissio; quam si seruus fortè non cuperet, Dominus publico symbolo illum quasi dedititium adscriptum glebæ suæ, & mancipatum dominio suo ostendebat, aurem illius ad postem domus suæ configendo.

8. Leges de bellis huc pertinent; vt nempe neogami, timidi, & agricolæ à bellis sint immunes; vt miles sit viginti annorum? vt dux petat ius transeundi per terras fraternas, vt idem exploratores mittat, vt pacem offerat vel non offerat, vt ante conflictum habeatur precatio & concio: vt duces in primâ acie constituantur,

ſtituantur, vt arbores frugiferæ non excindantur, vt ab omni peccato militari abſtineatur, vt caſtra munda ſeruentur, vt præda diſtribuatur proportione geometrica, vt Deo de ſpoliis offeratur, vt ſocios non deſerant: & hæ quidem leges polemicæ apud Moſen occurrunt: quibus acceſſerunt deinceps illæ. Fœdera & iuramenta ne violentur; exercitui de annona prouideatur, ſtratagemata adhibeantur.

Ad Præceptum septimum.

Lex 1. Adulterium erat capitale non tam typicâ quam ciuili ratione.

2. Filia ſacerdotis fornicatrix viuicomburio mulctabatur, quia ſacerdos erat typus Chriſti, ac proinde debebat habere familiam irreprehenſibilem.

3. Sodomia eſt capitalis ſiue ſit humana, ſiue beſtialis, ſiue dæmoniaca.

4. Sacerdos debuit ducere virginem non viduam aut repudiatam, vt ſanctitas Chriſti & Eccleſiæ figuraretur.

5. Pretium meretricis non erat inferendum in ſanctuarium. *

6. Polygamia & libellus repudij non fuerunt præcepti ſed permiſſionis diuinæ.

7. Coniugium cum fratriâ fuit orbitatis ſolatio peculiare, V.T.

8. Deſponſatio intra tribus ſingulas fuit ſancita propter Chriſtum ex tribu Iudæ naſciturum.

9. Stuprator virginis deſponſatæ verè eſt adulter.

10. Æquiſſima eſt illa lex, vt qui vitiauit virginem, ducat & dotet illam, ſi parentes conſentiant.

11. Gradus conſanguinitatis & affinitatis in *Leu.* 18. *&* 20. prohibiti ſunt morales, & nituntur duplici ratione, tum vt propinquo ſanguini honor habeatur, tum vt humana ſocietas confirmetur coniugio inter diſiunctiores familias. Sunt autem tres regulæ apud Moſen. 1. Nuptiæ conſiſtere non poſſunt inter eas perſonas quæ in numero parentum vel liberorum ſunt. Itaque in linea aſcendente & deſcendente erit prohibitio infinita. 2. In collaterali linea excluduntur qui vel ab altero vel ab vtroque parente ſunt conſanguinei: vt frater, ſoror, patruus, amita, auunculus, matertera, fratris vel ſororis filius aut filia. 3. Eadem eſt ratio affinitatis quæ conſanguinitatis, per omnes gradus lineæ aſcendentis, deſcendentis, & collateralis, vt ex aſcendentibus vir non poteſt ducere nouercam, ex deſcendentibus vxorem filij, ex collateralibus fratris vxorem. Atque hæ ſunt leges Moſaicæ. Ius ciuile addidit quaſdam leges honeſtatis igitur: canonicum etiam exceſſit modum ampliandi gradus.

Ad Præceptum octavum

Lex 1. Triplex furtum de lege Moſaicâ eſt capitale, plagium, ſacrilegium, & furtum compoſitum: furtum ſimplex hodie etiam eſt capitale, ob frequentiam, quâ fit vt reſpublica conſeruari non poſſit ſi hoc genus furti non coërceatur, pœnâ capitali vel ſaltem corporali.

2. Vſura damnatur lege Dei non abſoluta, ſed illa quæ exercetur in proximum egenum. Itaque vſura compenſatoria & ſimplex ſiue ciuilis, ratione lucri ceſſantis & damni emergentis eſt maximè licita.

3. Lex commodati, locati, depoſiti, mutui, & inuenti, nititur illâ regulâ. Qui alterius bona vitiat, fur eſt.

4. Deus noluit eſſe pauperes mendicantes in ſuo populo, i.e. validos mendicantes.

Ad præceptum nonum.

Huc pertinent leges de iudiciis eccleſiaſticis & politicis, vbi nulla eſt difficultas, niſi in hiſce tribus. 1. Res merè eccleſiaſticæ ad iudicium eccleſiæ, merè politicæ ad politicum, mixtæ ad vtrumque deferendæ. 2. Anathemata hominum fuerint occidenda, pecudum & rerum inanimatarum fuerint ſeponenda. 3. Iudex ſententiam condemnatoriam in abſolutoriam conuertere non poteſt ex iure diuino.

Caput VI.

De legum ceremonialium explicatione in genere.

Leges ceremoniales ſequuntur, quarum anima eſt explicatio & applicatio: cuius vtriuſque certiſſima norma eſt epiſtola ad Hebræos. Ea conſideratur in genere & in ſpecie.

Explicatio ceremoniarũ in genere eſt typica & ſacramentalis.

Explicatio typica eſt, cùm propter repræſentationis certitudinem tribuitur typo quod eſt antitypi. Id autem fit tribus modis. (1) Quædam literaliter ſunt intelligenda de typo & antitypo ſimul, vt non confringetis ei os, fundetis ſanguinem eius, &c. (2) quædam dicuntur literaliter de typo, & figuratè de antitypo, vt combuſtio ſacrificij. (3) Quædam figuratè de typo, & literaliter de antitypo dicuntur, vt expiatio peccati.

Explicatio ſacramentalis eſt, in quâ propter vnionem ſacramentalem, & obſignationis certitudinem, res ſignata, aut eius proprietas tribuitur ſacro ſigno, vt *Exod.* 31. Sabbatum eſt fœdus Dei. *Exod.* 24. *&* *Leuit.* 1. Sacrificia ſunt expiatio peccati, & ſanguinis victimarum eſt fœdus. *Exod.* 34. Operculum arcæ eſt propitiatorium, non materialiter, ſed repræſentatiuè.

Explicatio in ſpecie cernitur in ſacris locis, temporibus, rebus, & perſonis.

Caput VII.

De locis ſacris.

De locis ſacris eſt lex communis & ſpecialis.

Lex communis eſt, vt in loco quem elegerit Iehoua, peragantur ſacra. Itaque publicus cultus in publico eccleſiæ cœtu celebrari debet. Figurabat autem hæc lex, primò, nos Chriſtum in cœlo tantùm adire oportere, vt Deum colamus in ipſo. Deinde tandem fore, vt immediatam Dei præſentiam obtineamus in cœlo.

Lex ſpecialis eſt de tabernaculo, quod erat figura. 1. Eccleſiæ catholicæ in Chriſto fabrefactæ. 2. Eccleſiæ particularis, quatenus conſtituitur per paſtores. 3. Chriſti ϑεανϑρώπȣ. 4 Vniuſcuiuſque veri Chriſtiani: id quod per partes ita patet. In tabernaculo ſunt cauſæ & partes. Cauſæ ſunt materia, forma, & efficiens. Partes ſunt contentæ & continentes. Contentæ ſunt varia ſupellectilia, ſiue vaſa. Continentes ſunt tegumentum & tabernaculum, Tabernaculum in ſpecie dictum & atrium. Rurſus tabernaculum per velum diſtinguitur in ſanctum ſanctorum & ſanctum. Quorum omnium explicatio myſtica ſic eſt.

1. Materia offerebatur varia, voluntaria & plenaria. Figurabat autem oblationem voluntariam, quâ quilibet talentum ſibi concreditum, & ſimul conferre ad ſuſtentationem miniſterij, & denique erogare eleemoſynas ad ſanctos Dei tabernaculo ſuſtentandos debet.

2. Forma debebat eſſe conformis archetypo quod exhibitum erat Moſi in monte. Hinc diſcimus nulla ſigna Deo placere in eccleſia, niſi ab ipſo ſint præſcripta.

3. Cauſa efficiens erat quilibet artifex peritus, nominatim Bezaleel & Aholead. Ibi figurantur omnes eccleſiæ miniſtri, qui habent ſua chariſmata, hic autem præfigurantur excellentes illi architecti, qui habent dona heroica, vt prophetæ & alij.

4. Partes ſanctuarij ita compoſitæ erant, vt facilè coniungi & diſiungi, adeóque hinc inde tranſportari poſſent. Significabatur autem fideles in hoc tabernaculo corporis, quod deſtruendum eſt per mortem, & erigendum per reſurrectionem, peregrè abeſſe à Domino, & vniuerſam eccleſiam non tantùm peregrinari in his terris, ſed etiam ex vno loco in alium migrare.

5. Tegumentum ſignificabat totam eccleſiam, eiúſque membra, ſub Dei protectione ſemper ſedere.

6. Tabulatum ex variis columnis compactum in genere ſignificabat eccleſiam ratione miniſterij eſſe columnam veritatis; & in ſpecie munera; id eſt officia & dona membrorum eccleſiæ debere eſſe ſuſtentacula totius corporis.

7. Suppellectilia ſacra ſignificabant omnia pretioſa dona eccleſiæ, vt ſunt verbum, ſacramenta, fides, ſanctitas, &c.

8. Anſulæ quibus colligabantur aulæa, ſignificabant eccleſiæ membra diuerſa in cœlis & terris, vtcunque diſperſa, eſſe vnum tabernaculum.

9. Tegumentum erat duplex, internum & externum; quo ſignificabatur interior & exterior eccleſiæ conditio glorioſa.

10. Porta ſignificabat corda fidelium glorioſa facta per fidem, quâ Chriſtum admittimus.

11. Tabernaculum coagmentatum per commiſſuras ſuas, & ritè erectum, ſignificabat eccleſiam Chriſti, per commiſſuras ſuas, vi intus à capite agente, congruenter compactam.

12. Velum ſignificabat carnem Chriſti, quæ deitatem operuit, & viam nobis ad cœlum dedicauit.

13. Velum erat refertum cherubinis, qui figurabant angelos inſeruientes Chriſto, eccleſiæ & cuilibet credenti.

14. Sanctũ ſanctorũ figurabat cœlũ tertium, in quod ſolus Chriſtus intrat proprio merito, & nos quoq; vi illius meriti.

15. Arca fœderis circum circa auro tecta, figurabat Chriſtum, in quo humana natura ἀνυπόστατος, & in quo ſunt reconditi omnes theſauri ſapientiæ.

16. Teſtimonium impoſitum arcæ ſignificabat Chriſtum eſſe finem legis, & ab eâ teſtimonium habere.

17. Thuribulum aureum ſignificabat cum ſuffitu ſpiritus, ignem paſſionum Chriſti miſceri oportere ab ipſo Chriſto altari, antequam Deo accepta eſſe poſſit noſtra λατρεία.

18. Vrna aurea habens manna iuxta arcam, erat ſacramentum vitæ æternæ in Chriſto reconditæ.

19. Virga Aaronis florens erat ſignum rebellionis exercitæ, & directionis paternæ, quâ fit vt ſub cruce germinemus.

20. Sanctum ſiue tabernaculum conuentus, erat via in ſanctum ſanctorum, & ſignificabat eccleſiam catholicam his in terris militantem, quæ nonniſi ſanctos continet.

21. Altare holocauſtorum ære obductum, figurabat humanam Chriſti naturam, quæ a diuina ſanctificatur, ad omnia pro nobis ſuſtinenda.

22. Altare ſuffitus ſignificabat Chriſtum pro nobis apparere coram Patre, & gratum facere cultum noſtrum, ex virtute ſacrificij pro peccato ſemel facti.

23. Menſa totidem panibus inſtructa, quot erant tribus Iſraëlitarum, ſignificabat Deum ſemper in eccleſia habere menſam inſtructam, ad continuum cum Chriſto conuiuium, pro omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus, adeo quidem, vt etiãm in cœlo ante faciem ſuam Deus nobis paret ſatietatem perpetuorum gaudiorum.

24. Lychnucus ex puro auro & ſeptem lucernis accenſis à ſacerdote inſtructus figurabat φωσφόρον τῆς διανοίας, quo fit, vt in obſcuro huius vitæ loco habeamus lumen perenne, vſque dum phoſphorus poſt hanc vitam in cordibus noſtris exoriatur.

25. Labrum deſtinatum aquæ quâ ſe lauabant ſacerdotes miniſtraturi tabernaculo, ne morerentur, ſignificabat nos ad Deum colendum non poſſe appropinquare labiis noſtris, niſi quotidie illa expiemus aquâ fidei & pœnitentiæ.

26. Atrium ſignificabat eccleſiam viſibilem, quatenus in eam hypocritæ ad Deum externè colendum admittuntur.

Hæc itaque ſunt figuralia & figurata tabernaculi, quæ non melius poſſunt intelligi, quàm ex ipſa Dei interpretatione, qui *Exod.* 25. ait. Faciunto mihi ſacrarium, vt habitem in medio ipſorum: nam illis verbis continetur interpretatio omnium iſtorum capitum ceremonialium, vt doctiſſimè obſeruat Franciſcus Iunius in commentariis.

CAPVT VIII.

De temporibus ſacris.

DE temporibus ſacris eſt lex communis & ſpecialis.

Lex communis eſt partim de rigidiſſimâ ceſſatione ab omni opere, partim de ſacrificiis quæ diebus ſacris erant offerenda. Prius illud figurabat requiem illam in quam Deus ſuo tempore nos introducet: poſterius non tantùm Iudæos ad luxum pronos, duro ſumptuoſitatis iugo exercuit, ſed etiam magnitudine ſumptuum magnitudinem pretij Chriſti omnes mundi theſauros excedentis adumbrauit.

Lex ſpecialis eſt de ſacris diebus & annis.

Dies ſacri erant quotidiani vel ſolennes. Et hi erant partim calendæ cuiúſque menſis partim ſabbatum, partim feſta; & hæc vel maximè ſolennia: vt paſcha, pentecoſte, ſeu feſtum ſeptimanarum, & ſcenopeïa ſeu feſtum tabernaculorum: vel minùs ſolennia, vt feſtum clangoris ſeu tubarum, & feſtum expiationis.

Anni ſacri erant ſabbaticus ſiue ſeptimus, & iubilæus ſiue quinquageſimus. Horum explicatio eſt eiuſmodi.

1. Iuge ſacrificium quotidie bis offerebatur, vt populus quotidiè, manè, inquam, & veſperi de ſuó reatu admoneretur, itémque in recordatione & fide iugis ſacrificij Chriſti exerceretur. Significat item cultum noſtrum quotidianum, ſeu iuge ſacrificium laudis & ſanctitatis, quòd nempe illud Deo per Chriſtum ſit offerendum.

2. Sacrificium, quod ſingulis calendis offerebatur, ſignificabat omnes menſes, illorúmque actiones nobis per Chriſtum conſecrari.

3. Sabbatum erat memoriale creationis, & typus, partim ſabbati Chriſti in ſepulchro, partim ſabbati noſtri in Chriſto, quod hîc inchoatur, & poſt hanc vitam conſummatur. Cauebatur autem ſpeciatim, ne ignis hoc die accenderetur, quo ſignificabatur ſabbatum Chriſti, & noſtrum in Chriſto, liberum eſſe & fore ab igne afflictionis.

4. Feſta ſacra in genere erant. (1) Diſcretio populi Dei à gentibus. (2) Memoria beneficiorum Dei collatorum. (3) Figura & typus beneficiorum conferendorum in Chriſto (4) Neruí congreſſuum miniſterij. (5) Conſeruatio puritatis in cultu diuinitus præſcripto.

5. Paſcha celebratum in principio anni figurabat tempus, modum & fructum. Paſcha immundorum ſignificabat, Chriſtum non prodeſſe peccatoribus quàmdiu in immunditie perſiſtunt, ideóque figurabat pœnitentiæ tempus.

6. In feſto pentecoſtes erat dies agitationis & oblationis frugum. Illa ſignificabat manipulum frugum noſtrarum, hoc eſt, fidem & bona opera non eſſe accepta Deo, niſi agitentur à Chriſto ſummo ſacerdote: hîc, beneficiorum Dei læto animo recordationem eſſe inſtituendam.

7. Feſtum tabernaculorum præterquam quod in memoriam reuocabat peregrinationem Iſraëlitarum, etiam figurabat peregrinationem eccleſiæ in hoc mundo: in quâ tamen perpetua memoria de Chriſti morte, adeóque noſtri redemptione ſic colenda eſt, vt hoc fiat ſummo cum gaudio ſpiritus

8. Feſtum clangoris ſignificabat continuam & ſpiritualem lætitiam ſub euangelio cum continua gratiarum actione reſonantem.

9. Feſtum expiationis ſignificabat eccleſiaſticos conuentus, adminiſ [illegible] tidiano peccantes per Chriſtum expiari. Porrò, expiatio etiam fiebat pro ſancto ſanctorum, & pro ſancto. Illa, ſignificabat, cœlum ipſum peccatis noſtris inquinari, & vnius Chriſti ſanguine expiari: hæc ſignificabat eccleſiam catholicam tantûm ex ſanguine Chriſti acceptam eſſe. Denique applicatio fiebat pro ſingulis perſonis, vt vis fidei applicatiua poneretur ob oculos. Porrò applicatio & expiatio ita fiebat per hircum viuum & iugulatum. Illi imponebantur defectiones filiorum Iſraël, & hircus ita ceremonialiter onuſtus in deſertum emittebatur: hic deſtinabatur in holocauſtum. Prior ceremonia ſignificabat, filium Dei ex cœlo deſcendiſſe in deſertum huius mundi, vt ibi tollat peccatum mundi, ídque non ſuccumbendo, ſed vincendo: poſterior adumbrabat ſanguinem Chriſti, qui ſolus nos lauat ab òmni peccato.

9. Sabbatiſmus annorum habebat vſum eccleſiaſticum & politicum. Nam primò adumbrabat & commendabat populo ſabbatum ſpirituale, quod incipit ab expiatione Chriſti. Secundò, diſcernebat hanc gentem ab aliis. Tertiò, erat exercitium populi in prouidentiæ diuinæ fiducia. Quartò, conſulebat agrorum fertilitati, ne illi perpetuâ cultura exhauſti ſterileſcerent, & malè audiret terra ſancta.

10. Iubilæi habebant vſum eccleſiaſticum, politicum & chronologicum. Nam primò ſignificabant iubilæum gratiæ & gloriæ, quem vtrumque Chriſtus voce ſua ſit proclamaturus & reapſe collaturus. Secundò, conſulebant pauperibus. Tertiò, conſeruabant diſtinctionem tribuum. Quartò, diſtinguebant tempora, inde à diuiſione terræ anno mundi 2050. vſque ad excidium huius politiæ. Quintò, figurabant vnà cum ſabbatiſmis ſabbatum terræ propter iudicia diuina.

CAPVT IX.

De rebus ſacris.

RES ſacræ erant communes vt oleum; vel propriæ, eæque principales vel minùs principales. Res principales erant ſacrificia, quorum requiſita erant tria, ignis, ſal & adeps. Genera ſex, videl. holocauſtum, oblatio ſiue munus, pacifica ſiue euchariſtica, pro peccato ex errore, pro peccato ex proæreſi, denique ſacrificium conſecrationis. Res minùs principales erant vel promiſcuè omnium, vt primitiæ, decimæ vota & noualia: vel peculiares ſacerdoti, vt ſuffitus, adolenda & non adolenda, aqua expiationis & tubæ, Horum applicatio ſic eſt.

1. Oleum dicitur res ſancta ſanctorum, quia eius vſus erat in conſecratione tabernaculi ſacerdotum & populi. Figurabat autem oleum lætitiæ, id eſt, dona Spiritus ſancti, quæ Chriſtus accepit ſine menſura, & poſtea per ipſum omnes eccleſiæ partes, cùm paſtores tùm omnes Chriſtiani. Hi enim omnes & ſoli vnguntur oleo lætitiæ. Hoc autem oleum ita fiebat ex rebus pretioſiſſimis, & eius confectionem non licebat imitari: vt figuraretur, reprobos non conſecrari vnguento filiorum Dei.

2. Ignis è cœlo emiſſus, & continuè fouendus ſignificabat quatuor, puta ignem feruoris Dei, quem accendunt & fouent peccata noſtra. Ignem fauoris Dei, quo conſumuntur peccata noſtra in Chriſto. Ignem operationis Spiritus ſancti tum in genere ratione omnium credentium, tum in ſpecie ratione apoſtolorum, & ipſorum ſucceſſorum. Et denique ignem tribulationis, qui facit vt iugiter in cælum tendamus.

3. Sal fœderis, erat ſymbolum incorruptionis, i.e. perpetuitatis in fœdere Dei, adeóque ſignificabat vnumquemque fidelium ita in fœdere Dei per fidem eſſe confirmatum, vt ſale afflictionum præſeruetur aduerſus omnis generis tentationes & inſultus.

4. Adeps ſiue pinguedo nec afferenti nec offerenti cedebat, ſed ſoli Deo ſacer erat: quo ſignificabatur nos ſelectiſſima quæque Deo conſecrare debere, vt hâc ratione potiamur pinguedine gratiæ & gloriæ in Chriſto nobis repoſitæ

5. Ritus communis omnium ſacrificiorum ex animalibus erat aſperſio ſanguinis per ſacerdotem ſuper altare; quo ſignificatur ſanguis Chriſti, qui eſt & ſacerdos & altare, & victima noſtra. Significantur inquam grumi ſanguinis eius, quibus aſperguntur corda fidelium, quæ & ipſa ſunt altare.

6. Holocauſtum fuit oblatio, quâ pius obſignabat ſe totum dedere Chriſto; & firmiter credere totum Chriſtum eſſe ſacrificium pro peccatis ſuis. Denique hoc vtrumque ſacrificium totum conſumi igni charitatis.

7. In munere non licebat offerre fermentum, aut quiduis fermentans, vt mel; quo ſignificabatur, corruptionem doctrinæ, vitæ, & diſciplinæ longiſſimè remouendam eſſe, ſi velimus nos ipſos Deo offerre, id quod figurabat oblatio iſta.

8. In euchariſticis adhibebatur etiam panis fermentatus, vt cum gratiarum actione iucunda, recordemur afflictionum, quæ nobis id ſunt quod fermentum eſt pani.

9. Agitatio in muneribus & euchariſticis, ſignificabat iugem agitationem labiorum noſtrorum in prece & gratiarũ actione.

10. Sacrificium pro peccato erroris & infirmitatis figurabat omnia peccata noſtra eſſe mortalia, & ab vno Chriſto expiari.

11. Sacrificium conſecrationis oſtendebat diſcrimen inter ſacerdotem

ſacerdotem legalem & Chriſtum, quia ille neceſſe habebat offerre pro peccatis ſuis, hic verò pro peccatis populi.

Atque hæc ſunt ſacrificia ceremonialia, quorum alia ſignant ſacrificium Chriſti, quod eſt maximè morale. Itemque quoduis ſacrificium hominum morale omnium credentium. Quò pertinent omnia opera moralia ex fide profecta, nempe ſpiritus contritus, eleemoſyna, precatio, &c. & denique oblationem illam gentium, de qua Apoſtolus *Rom.* 15. *v.* 16. Præterea in omnibus ſacrificiis nonniſi munda debuerunt offerri, quo ſignificatur mundities Chriſti & ipſius membrorum. Denique oblatio columbarum ſignificauit columbinam ſimplicitatem Chriſti, & ipſius membrorum, quæ ſimplicitas imprimis pendet à gratia Spiritus S. qui figuratur per columbam.

12. Primitiæ Deo erant ſacræ, vt in iis conſecratis reliqua ſubſtantia & ipſa fieret ſacra. Eo figurabantur iſta duo. 1. Chriſti ſanctificationem eſſe ſanctificationem eccleſiæ ratione crucis & lucis. 2. Liberos ſanctorum ſanctos eſſe.

13. Decimæ legales iure diuino ceremoniali erant cleri, qui hoc modo ſuſtentabatur. Sed iure morali Deo erant ſacræ, qui hoc modo volebat agnoſci Dominus & dator omnium bonorum. In N. T. etſi decimæ non ſunt de neceſſitate, tamen ſunt de æquitate, quantum ad ſuſtentationem miniſterij.

14. Decimæ decimarum quas Leuitæ de ſuis decimis offerebant ſummo ſacerdoti, ſignificabant prærogatiuam Chriſti, in quo nos omnes decimamur.

15. Votum ceremoniale & illius redemptio, erat pars cultus Dei. * vota ceremonialia placent Deo ſi liberè ſuſcipiantur, tanquam adminicula & exercitia pietatis. De rebus deuotis idem eſt iudicium.

16. Noualia erant fructus arborei, qui tribus primis annis pro præputiatis habiti, quarto anno offerebantur Iehouæ: vt ſignificaretur omnia alimenta noſtra, nobis per peccatum eſſe incircumciſa, circumcidi autem per fidem in Chriſtum, comitantibus precibus & gratiarum actione.

17. Suffitus ſacer, etiam imitandus quoad confectionem & vſum, figurabat Spiritus ſancti gratiam, quâ cultus piorum ſanctificatur.

18. Aqua expiationis erat figura ſanguinis Chriſti tanquam fontis perennis, ad nos abluendum à ſordibus peccatorum.

19. Combuſtio ſacrificiorum ſignificabat, Chriſtum combuſtum diuina maledictione propter peccata noſtra; ſed combuſtio recrementorum adumbrabat crucifixionem veteris hominis. Denique non comburenda notabant victoriam Chriſti & fidei noſtræ.

20. Tubæ duæ argenteæ adhibebantur à ſacerdote, ob cauſam eccleſiaſticam & ciuilem: ibi ad congregandum & lætandum ſpiritualiter; hîc ad congregandum & proficiſcendum. Ibi clangor fiebat ſine fracto ſono, hîc cum pari ſono. Figurabant autem ſacrorum miniſtrorum in peccatis coarguendis, in lætis annuntiandis, & in hominibus ad ſpiritualem pugnam excitandis clangorem, & vim glorioſam.

Capvt X.

De Perſonis ſacris.

Perſonæ ſacræ conſiderantur communiter vel ſingulariter.

Commune eſt, quod Deus noluit vocare opus niſi à perſona ſacra profectum. Quo docemur opera bona non placere Deo, niſi proficiſcantur à perſona iuſtificata.

Singulariter perſonæ ſacræ ſunt vel adminiſtri ſacri, vel reliqui ſancti.

Adminiſtri ſacrorum ſunt, ſummus ſacerdos, ſacerdotes reliqui & Leuitæ. Sancti reliqui ſunt Naziræi, & mundi. Videamus ſingula.

1. Sacerdotis erat ſacrificare & orare pro populo. Ita ſignificabatur Chriſtum fore noſtrum ſacerdotem, ſupplicio & ſupplicatione.

2. Sacerdotum conſecratio, & immunitas ab omni corporis næuo, ſignificabat Chriſti ſanctitatem habitualem & actualem.

3. Veſtes ſacræ & illarum apparatus magnificentiſſimus, ſignificabant gloriam & ornatum Chriſti atque eccleſiæ, *Pſal.* 45.

4. Vnctio ſummi ſacerdotis ſignificabat gratiam vnctionis Chriſti, quatenus ille vnctus eſt ſacerdos eccleſiæ O. M.

5. Abſtinentia ſancta ſacerdotum ſignificabat ſanctitatem Chriſti actualem.

6. Summus ſacerdos fuit vmbra ſummi illius ſacerdotis noſtri Ieſu Chriſti, vt Apoſtolus ad Hebræos luculentiſſimè explicat. Cæteri verò ſacerdotes noſtram in Chriſto dignitatem officiúmque repræſentarunt. 1. *Pet.* 2. *Apoc.* 1. Adumbrauit autem ſummus pontifex perſonam & officium Chriſti. Perſonam, quatenus fuit homo aliis hominibus ſimilis, ſed tamen illis ſuperior officio & ornamentis, quæ ornamenta ſic repræſentarunt triplex officium Chriſti: alia communiter triplex illud officium figurarunt, vt pallium; alia ſingulariter, ſingula hoc modo. Prophetiam adumbrabant tintinnabula pallij, & mala granata inde pendentia. Sacerdotium ſignificauit lamina illa aurea, cui inſculptum erat Sanctitas Iehovæ. Regnum denique cidaris impoſita capiti illius. Cætera ornamenta quæ erant communia ſummo ſacerdoti cum reliquis ſacerdotibus, ſignificabant partim dona gratiæ, partim panopliam Chriſtianam, quam Apoſtolus *Epheſ.* 6. conſtituit in baltheo veritatis. tunica iuſtitiæ. &c.

7. Duodecim gemmæ in pectorali fuerunt typus eccleſiæ veteris & nouæ, quatenus illa quidem ex XII. tribubus conſtabat; hæc autem per XII. apoſtolos fuit collecta. Duæ gemmæ in ſuperhumerali, figurabant itidem duas illas eccleſias, quatenus habet duo teſtamenta. Deniquæ duæ gemmæ in rationali iudicij, puta Vrim et Thvmim fuerunt typus Chriſti, qui nobis eſt mera lux & mera perfectio.

8. Summus ſacerdos erat vnicus: ita Chriſtus eſt vnicus & perpetuus ſacerdos N. T.

9. Sacerdotes ſoli comedebant reliquias ſacrificiorum. Ita omnes Chriſtiani qui ſunt ſacerdotes ſpirituales, habent communionem cum Chriſto.

10. Aaron portabat nomina filiorum Iſraël coram Iehoua: Ita Chriſtus eccleſiam eiúſque membra omnia ſemper habet in memoria, & cum iis ſemper apparet coram Iehoua.

11. Lumbus firmabat pallium, ne laceraretur. Ita ſignificabatur iuſtitia & robur Chriſti, ad ſalutem ſuorum & inimicorum perditionem.

12. Cùm Aaron ingrediebatur in ſanctum, tintinnabula edebant ſonum; ita Chriſtus pro nobis continuè intercedit, & ſpiritus eius in nobis interpellat Deum. Secundariò etiam ita pingebatur officium paſtorum frugi.

13. Summus ſacerdos non niſi virginem è populis ſuis poterat ducere. Id figurabat eccleſiam virginem Chriſto ſine macula ſiſtendam.

14. Summus ſacerdos prohibebatur lugere, aut veſtimenta diſcindere. Ita Chriſtus poſt reſurrectionem conſecutus eſt gloriam & gaudium, nulla ignominia vel dolore interpellandum. (Hic actus notat ſtatum exaltationis.) Rurſus ita figurabatur ſpiritualis noſtra iuſtitia, quæ debet eſſe continua

15. Sacerdotes & Leuitæ inſeruientes tabernaculo, figurant hierarchiam eccleſiæ, quatenus ea admittit varios ordines & gradus.

16. Naziræatus votum erat de ſe Iehouæ ſeparando, ſpeciali ſanctitate. Ita ſignificabatur Chriſti puritas, & ſimul patria Nazareth alluſione nominis.

17. Qui erant immundi vel propter cibos immundos, vel cadauera hominum, vel lepram, illi ſegregabantur primò, & deinde mundabantur. Eundem in modum omnia peccata, maxima, medioxuma, & minima, nos ſeparant à Deo, & quædam etiam ab eccleſia, ínque ſolo Chriſto expiantur.

18. Puerperæ immundæ natiuam corruptionem pingebant.

19. Leproſorum ſegregatio erat figura excommunicationis maioris.

20 Domus & omnia inſtrumenta leproſorum erant immunda, eóque comburebantur, vel deſtruebantur Ita figurabatur officium noſtrum in deſtruendis omnibus inſtrumentis idololatriæ.

21. Leproſi mundati ſe oſtendebant ſacerdoti, qui ex non immundo faciebat mundum, & mundum pronuntiabat, qui eſt typus abſolutionis eccleſiaſticæ.

22. Leproſus emundatus offerebat duas auiculas, quarum altera iugulabatur, altera dimittebatur libera; ſic figurata fuit mors Chriſti, & mortis efficacia in reſurrectione & aſcenſione.

23. Cibi immundi erant pædagogia eccleſiæ Iudaicæ, quæ ſignificabat primò, mundos & immundos in eccleſia, id eſt, credentes & hypocritas. Secundò, diſtinctionem Iudæorum à gentibus figurabat, quæ diſtinctio ſublata eſt à Chriſto, qui gentes tanquam cibos immundos, effecit cibum Deo gratum. *Act.* 10.

Locvs XVII.

De Coniugio.

Præcepta.

Repreſſio peccati propria fit in ſocietate œconomica, politica, vel ſcholaſtica.

Societas œconomica prima eſt in coniugio.

1. *In coniugio* ſpectantur iſta tria: quomodo contrahatur, colatur, & diſſoluatur. Legantur hic *hiſtoriæ œconomicæ.*

2. *Circa coniugium contrahendum* attenditur prima eius institutio, personarum contrahentium conditio, & modus contrahendi.

3. *Prima institutio coniugij* est Gen. 2.

4. *Conditio personarum contrahentium coniugium*, siue sint politicæ, siue ecclesiasticæ est tum pubertas, tum legitimus consensus.

5. *Pubertas*; videlicet vt per ætatem sint aptæ & habiles ad coniugium.

6. *Consensus & legitimus* est voluntas è sano iudicio profecta, cum lege Dei & naturæ, ac honestis hominum constitutionibus consentiens.

Lex Dei & naturæ cum honorem erga parentes, tum pudorem & reuerentiam sanguinis requirit.

7. *Honor parentibus præstatur*, si liberi consilio & voluntate ipsorum matrimonium contrahant.

8. *Pudor & reuerentia sanguinis* requirit, ne cum nimis propinquis contrahatur matrimonium.

9. *Propinquitas* illa est in consanguinitate & affinitate.

10. *Consanguinei* discernuntur gradibus & lineis.

11. *Gradus* est generatio personæ.

12. *Linea* est series graduum. Estque recta vel transuersa. *Linea recta* est ascendens vel descendens. *Linea transuersa*, quæ etiam dicitur obliqua & collateralis, est æqualis, vel inæqualis.

13. *Affines* etiam discernuntur gradibus & lineis. Etsi enim affines ab affinibus non generantur: tamen quia affinitas est simulacrum quoddam consanguinitatis, similitudine quadam gradus & lineæ dicuntur, & eodem modo, quo in consanguinitate numerantur & distinguuntur.

14. *Honestæ hominum constitutiones* sunt, quæ ob ecclesiasticum vel politicum finem, pro circumstantiis locorum, temporum, & personarum ab ecclesia vel magistratu sanciuntur.

15. *Modus contrahendi coniugium* cernitur in promissione & consummatione. Hinc coniugium est promissum, vel consummatum.

16. *Coniugium promissum* appellamus sponsalia.

17. *Coniugium consummatum* est in ipsa coniugum cohabitatione: quæ solet *nuptiarum* ritu sanciri.

18. *Coniugium colitur* meditatione finis coniugij, & mutuis officiis coniugum.

19. *Finis coniugij* est proprius vel accessorius. *Ille* est procreatio liberorum, & intima duorum hominum familiaritas atque communio: *hic* est, vt coniugium sit remedium aduersus vstionem.

20. *Officia coniugum mutua* sunt vel vtriusque communia, vel alterutrius propria.

21. *Dissoluitur*, siue dirimitur, *coniugium*, quod per se nullum esse declaratur, aut quod rescinditur, siue sit promissum, siue consummatum.

22. *Coniugium nullum esse declaratur*, quando vitium est in consensu contrahentium, aut in personis contrahentibus. *In consensu*: cum ille est turpis vel iniustus. *In personis*: quando *corrupta* deprehenditur, quæ pro virgine nupsit; aut quando altera persona est *inhabilis*.

23. *Inhabilitas* ista est à natura, vt in frigidis: à morbo, vt in fascino: à violentia externâ, vt in læsione genitalium, &c.

24. *Coniugium promissum* dissoluitur *repudio*: consummatum, *diuortio*: vtrumque *morte*.

25. *Repudium* fieri potest, quando post legitimum consensum in personis vitium superuenit: vt est furor, morbus contagiosus vel hæreditarius, infamia ob flagitium perpetratum, &c.

26. *Diuortium* fit duobus modis: dimissione & desertione.

27. *Dimissionis causa* est vna tantùm de iure diuino, videlicet adulterium: de iure ciuili sunt etiam aliæ, vt morbus contagiosus, veneficium, &c.

28. *Desertio* hîc intelligitur malitiosa.

29. *Morte* dissoluitur coniugium, siue promissum, siue consummatum.

Regvlæ Positivæ.

I. *Coniugium est arctissimum fœdus inter vnum virum & vnam fœminam.*

Malac. 2. *v.* 14. Propterea quòd Iehoua testificatus est inter te & vxorem adolescentiæ tuæ, contra quam tu perfidè agis, cùm sit socia tua, & vxor fœderis tui. *Gen.* 2. *v.* 23. 24. Dixit Adam: Hæc ipsa demum est os ex ossibus meis, & caro ex carne mea: hæc vocabitur vira, eò quòd hæc ex viro desumpta est. Idcircò relicturus est vir patrem suum & matrem suam, & adhærebit vxori suæ, eruntque in carnem vnam. *Matth.* 19. *v.* 4. 5. 6. Ille verò (Iesus) respondens dixit eis, Non legistis opificem ab initio fecisse masculum & fœminam? Et dixisse, propterea derelinquet homo patrem & matrem, & agglutinabitur vxori suæ: & qui duo fuerant, erunt vna caro? Itaque non ampliùs sunt duo, sed vna caro. *Confer Ephes.* 5. *v.* 31.

II. *Fœcundum coniugium pendet à benedictione Dei tum generali, tum speciali.*

Gen. 1. *v.* 28. Benedixit eis (hominibus) Deus: & dixit Deus, Fœtificate, ac augescite, & implete terram. *Gen.* 16. *v.* 2. Dixit ergo Sarai Abramo, Ecce nunc conclusit me Iehoua ne parerem. *Et c.* 30. *v.* 1. 2. Cum autem videret Rachel se non parere Iacobo, æmulata est Rachel sorori suæ, dixitque Iacobo, Cedò mihi liberos, sin minùs, morior. Sed accensa est ira Iacobi in Rachelam: adeò vt diceret, an loco Dei sum ego? qui prohibuit à te fructum ventris. *Psalm.* 127. *v.* 3. Ecce possessio Iehouæ sunt filij: merces est fructus ventris. *Confer Psal.* 128.

III. *Coniugium, etiam post lapsum, est status Deo placens.*

Hebr. 13. *v.* 4. Honorabile est inter quosuis coniugium, & cubile impollutum: scortatores autem & adulteros damnabit Deus. *Vide etiam Matth.* 19. *ad num. præced.* 1. Pertinent huc exempla Patriarcharum, sacerdotum, prophetarum, & aliorum, sanctorum, qui vixerunt in coniugio. De coniugio sacerdotum vide *Leu.* 21. *v.* 9. 13. *& deinceps*: de coniugio Episcoporum 1. *Tim.* 3. *v.* 2. *Tit.* 1. *v.* 6.

IV. *Coniugium non debet contrahi à personis, quæ propter consanguinitatem, vel affinitatem prohibentur id facere.*

Vide *Leu.* 18. *&* 20. Confer infrà cum iurisprudentia sacra.

V. *Adulterium soluit matrimonium.*

Matth. 19. *v.* 6. Quod ergo Deus coniunxit, homo non seiungat. *Et v.* 9. Dico autem vobis, Quicunque dimiserit vxorem suam nisi ob scortationem, & aliam duxerit, mœchatur, & qui dimissam duxerit, mœchatur.

VI. *Coniugium conseruatur officiis coniugum mutuis.*

De officio mariti vide *Ephes.* 5. *v.* 25. 28. 29. 33. *Coloss.* 3. *v.* 18. 1. *Tim.* 2. *v.* 9. *& seqq. cap.* 3. *v.* 11. *Tit.* 2. *v.* 4. 5. 1 *Pet.* 3. *v.* 1. *& seqq.* De officio vxoris vide *Eph.* 5. *v.* 22. 23. 24. *Coloss.* 3. 18. 1. *Tim.* 2. *v.* 9. *& seqq. c.* 3. *v.* 11. *Tit* 2. *v.* 4. 5. 1. *Petr.* 3. *v.* 1. *& seqq.*

Regvlæ Didacticæ.

I. *De causa efficiente coniugij sunt hi canones.*

1. *Coniugium non tantùm est iuris naturæ & gentium, sed etiam iuris diuini.* Est enim à Deo institutum & præceptum, Gen. 1. & 2. & per Christum ab abusu & corruptelis, quasi postliminij iure, vindicatum, Matth. 19. 2. *Causa coniugij prima est prouidentia Dei proxima, consensus contrahentium legitimus.* Tum demum autem est legitimus, & rei naturæ conformis, si includat consensum parentum, aut eorum qui sunt loco parentum. Itaque consensus parentum est prior tempore, ad conseruandam potestatem patriam & reuerentiam filialem: sed consensus coniugandorum est potior iure. 3. *Consensus personarum contrahentium ex certo & deliberato consilio prouenire debet, sine coactione & dolo malo siue fraude.* Cōmittitur autem fraus circa personam, castitatem, aut facultates. Primum & secundum

candum faciendis genus dissoluit coniugium: tertium non item. 4. [illegible] *præsenti dicuntur: si verò cum conditione* [illegible] *parentum, siue dotis, &c. sponsalia de futuro nominantur.* Primum consensus genus est verum initium coniugij: secundum non fiet coniugium, nisi conditio requisita adimpleatur, aut non exspectata eius impletione, intercesserit concubitus.

II. *De materia coniugij sunt hi canones.*

1. *Materia coniugij sunt personæ coniugandæ.* In quibus consideratur numerus, ætas, propinquitas, religio. 2. *Coniugium est vnius maris & vnius fœminæ coniunctio.* Non enim potest perfectio illa amicitiæ, & officij mutui, quæ requiritur in coniugio, haberi, nisi inter vnum & vnam. 3. *Polygamiam patriarcharum Deus non probauit: sed tolerauit.* Tolerauit inquam, ea dispensatione, quâ solet infirmitates suorum tolerare. 4. *Ætas iusta requiritur, propter sobolis procreationem, prudentiam œconomicam, & sancti ordinis honorem.* 5. *Iusta distantia sanguinis, i.e. cognationis & affinitatis requiritur.* Distantia ista proponitur Leu. 18. Estque iuris naturæ: sed tamen inæqualiter. Nam *In linea recta ascendentium & descendentium* perpetuum est coniugij obstaculum. In linea collaterali potest esse aliqua exceptio, vel ex mera necessitate vrgente, vt in initio mundi: vel ex speciali Dei mandato, Deut. 25. 5. Cæterùm *in linea collaterali æquali*, iure diuino arcentur à coniugio, frater & soror, maritus & vxoris defunctæ soror, vxor & defuncti mariti frater. *In linea collaterali inæquali*, non possunt duci aut ducere, qui parentum & filiorum loco sunt. Ita nepos non potest ducere materteram. 6. *In affinitate prohibitio coniugij cum sorore vxoris, aut cum fratre mariti, est iuris naturæ.* In reliquis non ita late se extendit affinitas. Maritus à consanguinea vxoris abstinere debet: non a mariti consanguineus à consanguineis vxoris, & econtra. Possunt igitur contrahere duo fratres cum duabus sororibus: pater & filius cum matre & filia. non a patre cum filia. & filius cum matre; sic enim ordo naturæ inuerteretur. Possunt quoque contrahere priuigni & priuignæ. Pater verò & filius duas sorores ducere non possunt. Vna enim alteri fieret socrus. 7. *Cognatio seu proximitas spiritualis Canonistarum, quæ fingitur inter baptizantem, aut compatrem, & filiastrum aut filiastram baptizatam, non est coniugij impedimentum, sed inane figmentum.*

III. *De forma coniugij sunt hæ regulæ.*

1. *Forma coniugij interna est indiuidua coniunctio*; quæ nempe ex natura rei eosdem cum vita humana habet fines. 2. *Perpetuitas ista non pendet à consensu & voluntate contrahentium, sed à iure naturæ & diuino.* 3. *Coniugium soluitur morte, adulterio & desertione obstinata.* 4. *Coniunctio coniugalis est ad communicationem corporum.* Hinc corpus viri dicitur esse in potestate vxoris, & corpus vxoris in potestate viri, 1. Cor. 7. 5. *Necessitudo mutua in coniugio non tollit differentiam gradus inter maritum & vxorem.* Nam ille ius est præesse huius, subesse. 6. *Ritus publicæ consecrationis non est de necessitate coniugij, sed tantùm de honestate.* 7. *Si quis adulterio à se pollutam duxerit, non est coniugium, sed adulterium continuatum.*

IV. *De fine coniugij sunt hæ regulæ.*

1. *Finis coniugij præcipuus, est gloria Dei: subordinatus, est naturalis, vel aduentitius. Naturalis* est, ad quem initio coniugium est institutum, sobolis nempe procreatio, & mutuum auxilium. *Aduentitius* est, vt post naturæ corruptionem, castitatis & pudicitiæ tuendæ sit remedium. 2. *Coniugij præceptum eos tantùm obligat, qui extra coniugium non possunt castitatem illibatam seruare: adeóque ad coniugium quodammodo facti videntur.*

Locvs XVIII.

De Magistratu.

Præcepta.

1. IN *societate politicâ* sunt Magistratus, & subditi. Legantur hîc historiæ politicæ.

2. *Magistratus* occurrit vocatio, & functio.

3. *Vocatio magistratus* est immediata vel mediata; ordinaria vel extraordinaria; simplex vel mixta, &c.

4. *Functio magistratus* spectatur in fundamento, partibus, & speciebus suis.

5. *Fundamentum functionis* sunt bona animi, corporis, & fortunæ, quæ requiruntur in magistratu.

6. *Partes functionis* sunt tum ratione magistratus superioris & inferioris, itémque ratione rerum diuinarum & humanarum; tum tempore pacis, vel belli.

7. *Functio magistratus tempore pacis* fit extra iudicium, vel in iudicio.

8. *Functio magistratus tempore belli* spectat belli antecedentia, connexa, & consequentia.

9. *Species functionis* sunt monarchia, aristocratia, & democratia.

10. *Subditi* sunt vel merè subditi, vel potestate aliquâ præditi: *Officium piorum* est aliud erga magistratum, aliud erga se inuicem.

Regvlæ Positivæ.

I. *Functio Magistratus Deo probatur.*

Magistratus Deo probatur.

Psal. 82. *v.* 1. Deus stat in cœtu Dei: in medio deorum, (id est, Magistratuum, qui sunt vicarij Dei in administrando iure) iudicat. *Et v.* 6. Dixi vos dij estis & filij Excelsi omnes. *Deut.* 1. *v.* 17. Iudicium Dei est. *2. Chron.* 19. *v.* 6. Non hominis iudicium exercetis, sed Dei. *Prouerb.* 8. *v.* 15. Per me reges regnant, & legum conditores iuste decernunt. *Dan.* 2. *v.* 21. Deus transfert regna atque constituit. *Rom.* 13. *v.* 1. 2. Omnis anima potestatibus supereminentibus subiecta esto. Non enim est potestas nisi a Deo: & quæ sunt potestates, sunt a Deo ordinatæ. Itaque quisquis se opponit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi condemnationem afferent. *Ibid. v.* 4. Dei enim minister est (Magistratus) tuo bono.

II. *Ad officium Magistratus pertinet* (a) *studiosè legere verbum Dei* (b) *instituere ac tueri purum Dei cultum.* (c) *exercere ius & iustitiam, tuendo scilicet bonos, & puniendo malos.* (d) *moderata tributa & vectigalia exigere à subditis.*

Magistratus officium.

a) *Deut.* 17. *v.* 18. 19. Sed erit cùm insederit (rex populi Israëlitici) solio regni sui, vt describat sibi exemplum huius legis in libro, ex eo qui erit in conspectu sacerdotum Leuiticorum: eritque penes eum, & leget in eo omnibus diebus vitæ suæ; vt discat timere Iehouam Deum suum, obseruare omnia verba huius legis, & statuta ista, faciendo ea. *Ios.* 1. *vers.* 8. Ne discedito (Deus alloquitur Iosuam) liber iste legis ab ore tuo: sed meditaberis in eo interdiu ac noctu: vt cum obseruantia facias omninò prout scriptum est in eo.

b) *2. Reg.* 18. *v.* 3. *& seqq.* Fecit (Ezechias) quod rectum videtur in oculis Iehouæ, omnino prout fecerat Dauid pater eius. Ipse amouit excelsa, fregítque statuas, & excidit lucum: contudit etiam serpentem æneum, quem fecerat Moses: eò quòd vsque ad dies illos Israëlitæ adolerent ei &c. *Confer 2. Chron.* 19. Vide quoque exemplum Iosiæ, *2. Reg.* 23. & Iosaphati, *2. Chron.* 19. *vers.* 29.

c) *Ier.* 22. *v.* 3. Sic ait Iehoua, Exercete (rex Iudæ & principes) ius & iustitiam: & eripite eum, qui rapinam patitur è manu oppressoris: & peregrino, pupillo ac viduæ ne vim faciatis: ne violentia vtimini, & sanguinem innocentem ne effundite in loco isto. *Psal.* 82. *v.* 2. 3. 4. Quousque iudicabitis inique, & faciem improborum suscipietis? Iudicate secundùm tenuem & pupillum: afflictum & pauperem iustum pronunciate. Liberate tenuem & egentem, è manu improborum eripite. *Rom.* 13. *v.* 3. 4. Magistratus non sunt terrori bonis operibus, sed malis. Vis autem non metuere potestatem? Quod bonum est facito, & laudem ab ipso obtinebis. Dei enim minister est tuo bono. Quòd si feceris quod malum est, metue: non enim temerè gestat gladium. Nam Dei minister est, vltor ad iram ei, qui quod malum est fecerit.

d) *Rom.* 13. *v.* 6. 7. Propter hoc enim etiam tributa soluitis, &c. Reddite igitur omnibus quod debetis: cui tributum debetur, tributum: cui vectigal, vectigal. *Confer Deuter.* 17. *cum* 1. *Reg.* 8.

III. *Magistratus bono exemplo debet prælucere subditis ita vt meminerit, regiam personam decere virtutes regias.*

Magistratus præire debet subditis bono exemplo.

Psal. 2. *v.* 10. 11. 12. Nunc ergo Reges, animaduertite; eruditionem percipite, ô iudices terræ: Colite Iehouam cum reuerentia, & exultate cum tremore. Osculamini Filium vt non irascatur, & pereatis in via, cùm exarserit, vel minimum, ira eius. Beati omnes, qui se recipiunt ad eum. Vide *Psal.* 101. *per totum.*

REGVLÆ DIDACTICÆ.

Magiſtratus natura.

I. *De magiſtratus natura ſunt hi canones.*

1 *Magiſtratus accipitur abſtractiuè, vel concretiuè* Ibi conſideratur vt eſt ordinatio diuina: hic, vt eſt perſona. Ibi eſt vocatio & poteſtas: hic eſt vocationis & poteſtatis vſus vel abuſus. 2. *Magiſtratus eſt à Deo immediatè, vel mediatè.* 3 *Magiſtratus Chriſtianus eſt nutritius Eccleſiæ.*

Conuenientia & differentia magiſtratus & miniſterij Eccleſiaſtici.

II. *De magiſtratus & miniſterij eccleſiaſtici conuenientia & differentia ſunt hæ regulæ.*

1. *Magiſtratus & miniſterium Eccleſiæ ſunt ordinatio Dei.* Et magiſtratus quidem eſt ordinatio Dei creatoris; miniſterium, Chriſti redemptoris. 2. *Magiſtratus habet iuriſdictionem cum imperio: ſed miniſtri Eccleſiæ ſunt meri mandatarij.* 3. *Magiſtratus eſt, vt mediis politicis & poteſtate coactiua procurare bonum commune, tam ſpirituale, quàm corporale. At miniſtrorum Eccleſiæ eſt, procurare mediis eccleſiaſticis bonum ſpirituale.* 4. *Magiſtratus & miniſterium Eccleſiæ rebus, perſonis, & cauſis, circa quas occupantur, non poſſunt accurate diſtingui.* Nulla enim res, perſona, aut cauſa, tam eſt eccleſiaſtica, quin aliqua ratione pertineat ad iuriſdictionem magiſtratus; neque vlla eſt actio adeo ſecularis, (modò ab Eccleſiæ membro præſtetur) quin, quatenus obſeruantiam erga Deum reſpicit, pertinere poſſit ad eccleſiaſticam cognitionem.

Officium magiſtratus.

III. *De officio magiſtratus hæ ſunt regulæ.*

1. *Magiſtratus debet eſſe cuſtos vtriuſque tabulæ* Totius enim decalogi obſeruatio eſt legis moralis, quam magiſtratus tueri debet. 2. *Magiſtratus eſt ſupra & infra legem. Supra*, quatenus leges omnes defendit, & leges fert atque interpretatur. *Infra*; quatenus eſt homo, Chriſtianus, & magiſtratus. 3. *Magiſtratus debet regere paternè.* Nam eſt pater patriæ. 4 *Magiſtratus poteſtas eſt architectonica*, quatenus rempublicam, eccleſias, & ſcholas debet fundare, defendere, & ornare.

Officium ſubditorum.

IV. *De officio ſubditorum ſunt hæ regulæ.*

1. ***Subditi magiſtratui debent ſubiectionem & obedientiam. Subiectio*** eſt authoritatis eminentis agnitio. *Obedientia* eſt præſtatio eorum, quæ præſcribuntur 2. *Obedientia ſubditorum eſt limitata.* Debet enim limitari ſecundùm limites poteſtatis magiſtratus. Itaque non eſt in iis obediendum, quæ ſunt contra præceptum Dei. Hinc etiam illa obedientia non debet eſſe cœca. vel ſine examine præcepti. 3. *Etiam infideli magiſtratui eſt obediendum in iis, quæ ſalua conſcientia præſtari poſſunt.* 4 *Pro magiſtratu, etiam infideli. Deus eſt orandus.* 5. *A ſubiectione magiſtratui debita clerici, quos vocant, non ſunt immunes.* Roman. 13. v. 1. Teſtàntur id exempla Chriſti cenſum dantis, Matthæi 17. 27. & Pauli ad Cæſarem prouocantis, Act. 20. 11.

LOCVS XIX.

De Scholis.

PRÆCEPTA.

1. IN *ſocietate ſcholaſtica* ſunt præceptores & diſcipuli. Legantur hic *hiſtoriæ de ſcholis*, item *de ſacris gentilium.* Ea ſiquidem in ſcholis ſuis tradiderunt.

2. *Præceptorum* occurrit vocatio, & functio.

3. *Vocatio præceptorum* conſideratur aliter apud Iudæos in Veteri Teſtamento, aliter apud Chriſtianos in Nouo Teſtamento, aliter apud gentiles vtrobique.

4. *Functio præceptorum* ſpectatur in fundamento, id eſt, requiſitis; & partibus officij.

5. *Diſcipulorum officium* eſt aliud erga præceptores, aliud erga ſe inuicem.

REGVLÆ POSITIVÆ.

Scholæ ſunt à Deo.

I. *Scholæ ſunt à Deo, & probantur Deo.*

Act. 7. Moſes legitur inſtitutus fuiſſe in omni ſapientia Ægyptiorum. *Dan.* 1. Daniel legitur in ſcholis Chaldæorum eruditus. 2. *Chron.* 17. Ioſaphat ex ſcholarum inſtitutione conſecutus eſt regnum pacatum. 1. *Chron.* 18. 23. tribus Leui ſcholas in toto territorio reip. Hebræorum aperiebat.

II. *Scholæ diſtinguuntur gradibus docentium & diſcentium.*

Leuitarum quidam diſcebant, quidam docebant, hoc eſt, quidam diſcipuli, quidam doctores erant. Diſcipuli & theorici incumbebant theoriæ & ſtudiis legis, vſque ad annum vigeſimum: ab hoc vſque ad annum trigeſimum erant intermedij: poſt trigeſimum verò annum fiebant practici, & ad munus docendi in ſynagogis & ſcholis, vel ad officia eccleſiaſtica admittebantur. *Num.* 4. & 8. 1 *Chron.* 23. *Eſr.* 3. Huc pertinet, quòd ij, qui in ſingulis ciuitatibus docebant & erudiebant populum in ſynagogis, legiſperiti & eruditi in lege appellabantur, *Nehem.* 8. *Matth.* 13. & Rabbi tempore Chriſti, *Matth.* 23 *Iohan.* 3. Dauid quoque & Salomon ordines horum docentium conſtituit, eóſque in claſſes 24. redegit, atque diſtincta munera aſſignauit in ſynagogis & templo, 1. *Chron.* 23. & 25. 2. *Chron.* 8. & 23. & 29.

III. *Scholis conſtituenda ſunt certa loca & ſtipendia.*

Leuitæ, vt meliùs & maiori cum fructu docere poſſent, paſſim in tota terra Iſraëlis habebant ſuas vrbes cum ſuburbanis, *Num.* 35. *Ioſ.* 21. in quibus vrbibus, quarum erant quadraginta octo, ſuas ſcholas, academias, & ſynagogas habebant, & publicè docebant: poſtea verò in ſingulis ciuitatibus erant ſynagogæ, *Act.* 13. & 15. Sicuti & Chriſtum poſtea totam Galilæam & Iudæam tranſiuiſſe & in ſynagogis docuiſſe conſtat, *Matth.* 4. 9. & 13. Ampliſſimos quoque reditus, prouentus & cenſus à ſingulis tribubus Leuitæ habebant, vt nimirum liberati curis & mundi negotiis liberiùs & commodiùs docendi muneri & ſtudioſæ iuuentuti vacare poſſent. *Regulas didacticas* vide ſuprà in Scholaſticâ.

LOCVS XX.

De Executione prædeſtinationis circa angelos in hac vita.

PRÆCEPTA.

1. EXpoſita eſt executio decreti prouidentiæ: ſequitur *executio decreti prædeſtinationis*, quæ fit in hâc vitâ, vel poſt hanc vitam: & *illa* occupatur circa angelos, tum bonos, tum malos; *hæc*, circa homines.

2. *Executio prædeſtinationis circa angelos bonos in hâc vitâ* cernitur in ſtatu & officio ipſorum.

3. *Status bonorum angelorum* eſt ſemper videre faciem Patris cœleſtis, Matth. 18.

4. *Officium* ipſorum eſt quantum ad Deum, Chriſtum, homines electos Vet. & N. T. denique reprobos.

5. *Executio prædeſtinationis circa malos angelos in hâc vitâ* ſimiliter cernitur in ſtatu & miniſterio ipſorum.

6 *Status* illorum eſt, verſari in perpetuâ miſeria, ſiue in inferno detineantur, ſiue inde emittantur ad exercendum iudicia Dei.

7. *Miniſterium ipſorum* eſt circa homines electos & reprobos.

Regulas poſitiuas vide ſuprà loc. de angelis.

REGVLÆ DIDACTICÆ

I. *De ſtatu & officio bonorum angelorum ſunt hæ regulæ.*

1. *Angeli boni inſeruiunt piis hominibus* Pſal. 34. 8. Hinc appellantur πνεύματα λειτουργικά. 2. *Homo pius non vnum modò angelum, ſed multos ſimul habet.* Pſal. 91. 11. 3. *Angeli boni ſeruiebant Chriſto in ſtatu exinanitionis.* Matth. 4. 4. *Angeli boni ſunt honorandi.* * Apoc. 19. & 22. 5. *Angeli boni confirmati ſunt in veritate ſeu origine ſua, & æterna felicitate perfruuntur.* 6. *Angeli boni Deum laudant, hominibus piis inſeruiunt, & de impiis ſupplicium ſumunt.* Pſalm. 103. 20. Matth. 18. 10. Act. 12, 23. Hebr. 1. Plura vide ſuprà in Pneumaticis.

II. *De ſtatu & miniſterio malorum angelorum hæ ſunt regulæ.*

1. *Mali angeli ſunt obfirmati in malo.* Hinc perpetuo flagrant odio

odio aduerſus Deum, & quæ ſunt Dei. 2. *Mali angeli tentant pios & impios*: illos exercendo & excitando, hos perdendo. 3. *Omnis potestas malorum angelorum limitatur prouidentiâ Dei.* Matth. 8. 31. Plura vide ſuprà in Pneumaticis.

Locvs XXI.

De Fœdere gratiæ.

Præcepta.

1. Executio prædeſtinationis circa homines in hac vita reſpicit electos & reprobos: & hi vel non vocantur ad communionem gratiæ vel vocantur. Vide ſparſim loc. ſeqq. ex quibus colligi poteſt benedictio ſpiritualis hypocritarum, & maledictio ſpiritualis tum hypocritarum, tum non vocatorum; puta deſertio, excæcatio, induratio, &c.

Homines electi aſſumuntur in fœdus gratiæ.

2. *Fœdus gratiæ* ſpectatur in formâ, fundamento, & applicatione ſui.

3. *Forma fœderis gratiæ* eſt interna, vel externa.

4. *Forma interna* conſiſtit in ſubſtantiâ fœderis gratuiti, quæ cernitur in gratioſâ obligatione tum Dei, tum hominis. *Ibi* eſt promiſſio; *hic* repromiſſio: vtraque gratuita.

5. *Promiſſio Dei gratuita* eſt de remiſſione peccatorum, & de inſcriptione legis in corda noſtra.

6. *Repromiſſio hominis gratuita* eſt de fide & nouâ obedientiâ. Hæc repromiſſio dicitur gratuita, quoniam homo eam facit & præſtat ex gratiâ Dei.

7. *Forma externa* eſt in œconomiâ ſeu adminiſtratione variâ in Veteri & Nouo Teſtamento.

8. *OEconomia fœderis gratiæ in Veteri Teſtamento* fuit in operoſâ & oneroſâ, itemque contractâ ad certum populum. In oneribus iſtis excellunt feſta & ſacrificia.

9. *Feſta Veteris Teſtamenti* erant ſabbatum, Paſcha, Pentecoſte, Scenopëia, feſtum tubarum, &c.

10. *Sacrificia Veteris Teſtamenti* erant ἱλαστικὰ *propitiatoria*, vel εὐχαριστικά. *Sacrificium propitiatorium*, ſeu expiatorium, erat vniuerſale vel particulare. *Vniuerſale* ſeu διαλλακτικὸν, erat, quo omnium peccatorum in Chriſto expiatio ſignificabatur, & obſignabatur. Dicitur holocauſtum, brandopffer. Erat autem animalium maiorum, vt bouis, agni, &c. vel minorum, vt turturum. *Particulare* ſeu ἀπολυτρωτικόν, erat, quo certorum quorundam peccatorum expiatio ſignificabatur & obſignabatur. Erat autem duplex: vnum *pro peccato*, alterum *pro delicto*. *Sacrificium eucharisticum* erat ſimplex, vel mixtum. *Simplex* vno rerum offerendarum genere conſtabat: & erat *hoſtia pacificorum*, danckopffer / vel *oblatio*, freiwopffer: *mixtum*, lobopffer / ex diuerſis rerum generibus conſtabat, vt ex animalibus & terræ frugibus.

11. *OEconomia fœderis gratiæ in Nouo Teſtamento* eſt facillima & latiſſimè patens. Sub initium fuerunt tria ipſius curricula. 1. à Iohanne Baptiſtâ vſque ad primam Noui Teſtamenti Pentecoſten. 2. inde vſque ad excidium politiæ Iudaicæ. 3. inde ab iſto excidio. Hinc *epocha* Noui Teſtamenti aliter atque aliter figi ſolet.

Regulas poſitiuas vide mox loc. de Euangelio.

Regvlæ Didacticæ.

I. *De fœdere gratiæ in genere ſunt hæ regulæ.*

1. *In fœdere gratiæ Deus homini promittit, ſe fore ipſi patrem in Chriſto, ſi filialem præſtiterit obedientiam.* Iſtam verò conditionem homo implet per gratiam ſibi datam. 2. *Hoc fœdus Deus ex merâ ſuâ miſericordiâ, poſt lapſum, cum homine pepigit.* Vide primam euangelii promiſſionem Geneſ. 3. 3. *Hoc fœdus eſt teſtamentarium.* Deus enim fœderatis deſtinat hæreditatem cœleſtem, morte Ieſu Chriſti Filii ſui interueniente, adeundam. 4. *Cauſa efficiens huius fœderis communiter eſt tota Trinitas, ſingulariter verò Chriſtus* θεάνθρωπος. Ideo vocatur angelus fœderis, Malach. 3. verſ. 1. 5. *Materia huius fœderis ſunt pacta vtriuſque partis, Dei & hominis.* Deus promittit, ſe Deum noſtrum fore in Chriſto, ita vt Chriſtum nobis donet, & ſimul fidem & obedientiam fidei in nobis creet. Itaque à Deo eſt munus & manus. Homo repromittit obedientiam fidei & vitæ, præſtandam viribus à Deo datis ex merâ gratiâ. 6. *Forma huius fœderis conſiſtit in mutuâ obligatione.* Illa verò obligatio ex parte Dei eſt gratuita; ex parte hominis, debita. 7. *Obiectum fœderis gratuiti ſunt omnes vocati, propriè tamen ſoli electi.* Omnibus enim vocatis hoc fœdus offertur, ſed ſoli electi fruuntur promiſſione fœderis. 8. *Fœdus gratiæ eſt clauis Scripturæ & vniuerſæ theologiæ.*

II. *De adminiſtratione fœderis gratuiti hæ ſunt regulæ.* Fœderis gratuiti adminiſtratio.

1. *Fœdus gratiæ, quantum ad ſubſtantiam, eſt vnum & idem, ſed ratione adminiſtrationis, ſeu œconomiæ, aliud eſt vetus, aliud nouum. Fœdus gratiæ vetus* eſt adminiſtratum ante Chriſtum exhibitum: *nouum* adminiſtratur Chriſto iam exhibito. 2. *Adminiſtrationis veteris fœderis forma eſt triplex. Prima*, ab Adamo ad Abrahamum: *ſecunda*, ab Abrahamo ad Moſen: *tertia*, inde ad Chriſtum. *Illa* eſt facta verbis breuiſſimis, & toti generi humano fuit propoſita, & ſacrificiis obſignata: *iſta* facta eſt verbis pluribus, & reſtricta fuit ad Abrahami poſteritatem, & obſignata fuit ritu circumciſionis: *hæc* eſt omnium perfectiſſima, & verè teſtamentaria, quippe non Paſchatis tantùm, ſed quam plurimis aliis mortis Chriſti typis aucta. 3. *Non ſunt parallelæ diſtinctiones: fœdus vetus & nouum, fœdus operum & gratiæ; fœdus legis & euangelij.* Nam vtrumque fœdus, vetus & nouum, eſt gratiæ & euangelij. 4. *Adminiſtratio veteris & noui fœderis differt tempore, loco, claritate, facilitate, & ſuauitate. Tempore*; quia vetus fœdus ſeu teſtamentum debuit durare vſque ad Chriſtum: nouum ſemper durat. *Loco*; quia illud tantùm populo Iſraëlitico fuit oblatum: iſtud per totum terrarum orbem ſe extendit. *Claritate*; quia ibi fuerunt prophetiæ & typi: hic eſt complementum & veritas. *Facilitate*; quia adminiſtratio in V. T. fuit operoſior & oneroſior quam in nouo. *Suauitate*; quia ibi frequentiùs & rigidiùs vrgebatur perfecta legis obedientia, vt homines ad Chriſtum quærendum veluti compellerentur: hic ſunt frequentiores promiſſiones euangelicæ.

Locvs XXII.

De Chriſto mediatore.

Præcepta.

1. Fundamentum fœderis gratiæ eſt Chriſtus mediator: cuius occurrit perſona & officium.

Circa perſonam & officium Chriſti oportet ſpectare rem ipſam & phraſin.

Res ipſa eſt quantum ad perſonam & officium Chriſti abſolutè, vel ratione ſtatus atque cultus.

2. *Perſona Chriſti* conſtat ex duabus naturis, diuinâ & humanâ.

Naturarum iſtarum ſpectatur veritas & vnio.

3. *Veritas* eluceſcit ex proprietatibus.

4. *Proprietates diuinæ naturæ in Chriſto* ſunt eſſentiales vel perſonales.

5. *Proprietates humanæ naturæ in Chriſto* ſunt eſſentiales ſeu perpetuæ, vel accidentales ſeu temporariæ: & vtræque ſunt vel totius naturæ humanæ, vel alterutrius partis, videlicet animæ vel corporis.

6. *Vnio naturarum* eſt perſonalis ſeu hypoſtatica.

In eâ ſpectatur modus & effectum.

Modus vnionis conſiſtit in incarnatione, & eius adiunctis.

7. *Incarnatio* eſt in conceptione, aſſumtione, & natiuitate.

8. *Conceptio* eſt, quâ Filius Dei factus eſt verus homo in vtero virginis Mariæ, per operationem Spiritus ſancti; quæ eſt tum in formatione fœtus, ſeu humanæ naturæ, tum in illius ſanctificatione.

9. *Aſſumptio humanæ naturæ* eſt, quâ ſolus Dei Filius humanam illam naturam, primo conceptionis momento, ſibi aſſociauit in ſuam hypoſtaſin.

10. *Natiuitas* eſt, quâ fœtus ille in lucem eſt editus.

11. *Adiuncta vnionis hypoſtaticæ* ſunt, quòd facta eſt ἀσυγχύτως καὶ ἀτρέπτως, ἀδιαιρέτως & ἀχωρίστως. Quidam addunt ἀδιασπάστως.

12. *Effectum vnionis hypoſtaticæ* eſt ratione perſonæ & humanæ naturæ. Ibi eſt *communio*, eaque tum naturarum, tum proprietatum, ſcil. in perſonâ: hîc ſunt *dona* humanæ naturæ.

13. *Officium Chriſti* ſpectatur in ſe & beneficiis.

Officium Chriſti in ſe ſpectatum eſt triplex: propheticum, ſacerdotale, & regium.

14. *Officium Chriſti propheticum* ſpectatur in partibus & adminiſtratione. *Partes* ſunt promulgatio externa euangelij, & interna illuminatio cordis. *Adminiſtratio* ſpectatur *tum* in Veteri Teſtamento, vbi Chriſtus ordinariè docuit per ſacerdotes & ſeruos ſuos; extraordinariè, apparendo Patribus: *tum* in Nouo Teſtamento vbi Chriſtus docuit in Iudæâ, & hodie nos docet per ſeruos ſuos: *tum* denique in cœlo, vbi docet ſanctos angelos & homines.

15. *Officium Chriſti ſacerdotale* poſitum eſt in ſatisfactione, & interceſſione. *Satisfactionis* partes ſunt obedientia actiua & paſſiua. *Interceſſio* eſt in ſtatu exinanitionis & exaltationis.

16. *Officium Chriſti regium* poſitum eſt in regno œconomico: cuius adminiſtratio cernitur in collectione eccleſiæ, eiuſque defenſione.

17. *Status Chriſti* eſt duplex, exinanitionis & exaltationis. Vterque concernit perſonam & officium ipſius.

18. *Status exinanitionis* cernitur in incarnatione, actionibus, & paſſionibus Chriſti.

19. *Status exaltationis* poſitus eſt in reſurrectione ex mortuis, aſcenſione in cœlum, ſeſſione ad dextram Patris, & reditu ad iudicium.

20. *Cultus Chriſti mediatorius* poſitus eſt in fide, adoratione, & inuocatione ſpeciali quæ fit in baptiſmo. Adoratio facta eſt & fit in ſtatu exinanitionis & exaltionis; & continetur petitione atque gratiarum actione.

21. *Phraſis* ſeu prædicatio, hîc eſt modus loquendi, quo ſcriptura de perſonâ, officio, & ſtatu Chriſti loquens vti ſolet.

In phraſi hâc ſpectantur partes & genera ipſius.

22. *Partes* phraſeos ſunt ſubiectum, & prædicatum. Subiectum exprimitur vocabulis concretis, vel abſtractis. *Concretis*: vt ſunt Immanuel, λόγος, filius hominis, mediator ego, hic. *Abſtractis*: vt ſunt caro, corpus, ſanguis Chriſti. *Prædicatum* concretis plerumque vocabulis exprimitur, quandoque etiam abſtractis. Eſt autem prædicatum proprium, vel commune. *Proprium* eſt nomen perſonæ & proprietatis perſonalis, vt eſſe filium Dei, filium hominis, natum eſſe ab æterno à Patre, & in tempore ex matre: vel naturæ, & proprietatis actioniſque naturalis, vt eſſe Deum, hominem, æternum, circumſcriptum, creare, edere. *Commune* eſt nomen ſignificans officium aut ſtatum Chriſti, vt eſſe mediatorem, humiliari, exaltari, ſedere ad dextram Patris.

23. *Genera prædicationis* duo ſunt: ἰδιοποιΐα ſeu ἰδιοποίησις & κοινωνία. *Illa* eſt quando prædicatum naturæ proprium de perſona enunciatur, vt Chriſtus eſt homo, eſt æternus eſt mortificatus carne, &c. Deus acquiſiuit ſuo ſanguine eccleſiam & *hæc* eſt, quando prædicatum vtrique naturæ commune, communi quoque nomine de perſonâ enuntiatur, vt, Chriſtus eſt panis vitæ, ſacerdos redemptor, &c. Ad ἰδιοποιΐαν pertinet κοινωνία ἰδιωμάτων, *communicatio idiomatum*, quæ dicitur.

Regvlæ Positivæ.

I. *Chriſtus eſt θεάνθρωπος, id eſt, Filius Dei vnigenitus, certo tempore homo factus, idque ex Maria virgine.*

1. *Tim.* 3. *v.* 16. Sine controuerſiâ magnum eſt pietatis myſterium: Deus conſpicuus factus eſt in carne. *Matth.* 1. *v.* 23. Ecce virgo illa prægnans erit, & pariet filium, & vocabis nomen eius Immanuel, quod eſt, ſi interpreteris, Nobiſcum Deus. *Gal.* 4. *v.* 4. Poſtquam venit plenitudo temporis, emiſit Deus filium ſuum factum ex muliere, id eſt, virgine Mariâ. *Matth.* 1. *Luc.* 2. Pertinet huc nomen Ithiel, *Prouer.* 30. quod idem eſt cum nomine Immanuel, & cum Græco θεάνθρωπος.

II. *Chriſtus vnigenitus Dei filius aſſumpſit naturam humanam. (a) veram (b) integram (c) ſanctam (d) ex Mariâ virgine (e) operatione Spiritus ſancti conceptam.*

a) *Eſa.* 9. *v.* 6. 7. Cùm puer natus fuerit nobis, filius datus nobis, cuius humero adſit principatus ipſe; cuius nomen vocat Dominus admirabilem, conſiliarium, Deum robuſtiſſimum &c. *Matth.* 18. *v.* 11. Venit filius hominis, vt ſeruet quod perierat. *Heb.* 2. *v.* 17. Vnde debuit per omnia ſimilis fratribus fieri, Ideo dicitur ſemen mulieris. *Gen.* 3. *v.* 15. ſemen Abrahami. *Gen.* 22. *v.* 18. filius Abrahami, & Dauidis *Matth.* 1. *v.* 1. *Marc.* 10. *v.* 47 factus ex ſemine Dauidis ad *Rom.* 1. *v.* 4. germen Dauidis, *Ier.* 23 *v.* 5. frater noſter *Deut* 18. *v* 18. *Heb* 2. *v.* 17.

b) *Heb.* 2. *verſ.* 14. Quoniam pueri participes ſunt carnis & ſanguinis ipſe quoque conſimiliter particeps factus eſt eorumdem. *Et cap.* 10 *v.* 5 Corpus aptaſti mihi. *Matth.* 22. *v* 38. Dicit Ieſus: Vndiquaque triſtis eſt anima mea vſque ad mortem. *Vide Pſal* 6. *&* 22.

c) *Ier.* 23. *v* 5 Ecce dies venturi ſunt dictum Iehouæ, quibus excitabo Dauidi germen iuſtum. *Zach.* 9. *v* 9. Exulta valde filia Sionis, clange filia Hieroſolymorum. Rex tuus adueniet tibi iuſtus. *Luc.* 1. *v.* 35. Quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei. *Act* 4. *v.* 27 Congregati ſunt in hâc ciuitate verè aduerſus ſanctum filium tuum Ieſum.

d) *Eſa.* 7. *v* 14 Ecce virgo concipiet. Confer *Matth.* 1. *&* 2. *Luc.* 1. *&* 2.

e) *Luc.* 1. *v.* 35. Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi inumbrabit te.

III. *Chriſtus naturam humanam vniuit perſonæ ſuæ (a) ſine confuſione & (b) ſine diffuſione.*

a) *Iohan.* 1. *v.* 1. In principio erat ſermo ille & ſermo ille erat apud Deum, eratque ille ſermo Deus. *Rom.* 1. *v.* 3. 4. De filio ſuo facto ex ſemine Dauidis ſecundùm carnem; declarato filio Dei potenter ſecundùm Spiritum ſanctificationis. *Et c.* 9. *v.* 9. Ex quibus eſt Chriſtus, quod ad carnem attinet, qui eſt ſupra omnes Deus, benedictus in ſecula. 1 *Pet.* 4. *v.* 1. Cùm Chriſtus paſſus ſit pro nobis carne. *Confer cap.* 3. *verſ.* 18.

b) *Coloſſ.* 2. *v.* 9. In eo inhabitat omnis plenitudo deitatis corporaliter. 1. *Cor.* 8. *v.* 6. Nobis vnus eſt Deus, Pater ille à quo omnia, & nos in ipſo & vnus Dominus Ieſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum. 1. *Tim.* 2. *v.* 5. Vnus eſt Deus, vnus etiam mediator Dei hominum, homo Chriſtus Ieſus. Hanc quoque vnionem conſequitur *communicatio idiomatum*, quâ fit vt Chriſto ab alterâ naturâ denominato alterius naturæ proprietates tribuantur, vt *Iohan.* 3 *v.* 13 Nemo aſcendit in cœlum, niſi is qui deſcendit de cœlo filius hominis qui eſt in cœlo. *Confer Ioh.* 6. *v.* 62. *Act.* 20. *v.* 28. Deus Eccleſiam acquiſiuit proprio ſanguine. *Confer* 1. *Cor.* 2. *v.* 8. 1. *Iohan.* 1. *v* 1.

IV. *Chriſtus eſt propheta, ſacerdos, & rex noſter.*

Heb. 1. *v.* 1. 2. 3. Multis vicibus, multiſque modis, olim Deus locutus

locutus patribus in prophetis, vltimis diebus hisce, locutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem omnium, per quem etiam mundum condidit. Qui cùm sit fulgor gloriæ, & character personæ illius, sustineatque omnia verbo illo suo potente, purificatione peccatorum nostrorum per se ipsum factâ, sedit ad dexteram maiestatis illius, in locis excelsissimis *Apoc.1. v.5.6.* Et à Iesu Christo, qui est fidus ille testis, primogenitus ille ex mortuis, ac princeps regum terræ, qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris per sanguinem, suum, & qui fecit nos reges & sacerdotes Deo & patri suo. Huc pertinent ea scripturæ dicta, quibus Christus appellatur pastor, & pastor ille bonus, & pastor ille magnus, *Eccles. 12.v. 13. Esa. 40. v. 11. Ezech. 34. Zach. 13. v. 7. Matt. 26. v. 31. Iohan. 10. v. 11. 14. Heb. 13. v. 20. 21. 1. Pet. 2. v. 25.* Nomen enim pastoris omnia Domini officia complectitur; quia pastoris est oues ad salubria pascua ducere, ægras sanare, pro iis vitam ponere, vt eas à periculo eruat, denique illas regere, & defendere aduersus lupos.

V. *Christus officio prophetæ functus fuit, cùm prædicauit euangelium in Iudæâ; & hodie illo fungitur partim in ecclesiâ triumphante, partim militante.*

Matth.4.v.17. Ex eo tempore cœpit Iesus prædicare, & dicere, Resipiscite: appropinquauit enim regnum cœlorum. *Esa.61.v.1.Luc.4.v.18.19.* Spiritus Domini super me, propterea quòd vnxit me, vt euangelizem pauperibus misit me, vt mederar contritis corde, vt prædicem captiuis dimissionem, & cœcis visus recuperationem, vt confractos emittam in libertatem: vt prædicem annum Domini acceptum. *Apoc.21.v.22.* Nec templum vidi in eâ: Dominus enim Deus omnipotens, templum illius est, & Agnus. *Iohan.1. v.9.* Hic erat lux illa vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum. Propter hoc officium Christus appellatur consiliarius, *Esa. 9. v.6.* testis nationum & præceptor, *Esa 55. v.4.* lux, *Esa. 60. v. 1. Luc. 2. v. 32.* apostolus confessionis nostræ, *Heb. 3. v. 1.* fidus ille testis, *Apoc. 1. v. 5.* Propheta, *Deut. 18. v. 18.* doctor noster, *Matthæi 25. v. 8. 10.* magister, *Iohan. 13. v. 13.*

VI. *Functio muneris sacerdotalis Christi posita est in eo, quòd diuinâ & humanâ voluntate se obtulit victimam pro peccatis nostris ad satisfaciendum pro nobis coram throno iustitiæ; & in humanitate suâ pro nobis intercessit, & adhuc intercedit apud thronum gratiæ.*

Esa.53. v.12. Partem dabo ei pro multis, vt cum robustis partiatur prædam, pro eo, quòd profudit in mortem se ipsum, & cum defectoribus annumeratus est. Nam ipse peccatum multorum perferens, pro defectoribus intercessit. *Ier. 30. v.21.* Erit magnificus eius ex ipso, & dominator eius è medio ipsius prodibit, quem iubeo accedere, vt appropinquet ad me. Nam quis est, qui spondeat cum animo suo, se appropinquaturum ad me? Dictum Domini. *Iohan.17. v.19.* Eorum causâ sanctifico me ipsum; vt sint & ipsi sanctificati in veritate. *1.Cor.6. v.20.* Empti estis pretio. *Hebr.5. v.6. & cap.9 v.28.* Christus semel oblatus est, vt in se ipso tolleret peccata multorum. *Et cap. 10. v.12.* Hic vnâ victimâ oblatâ pro peccatis, sedet ad dexteram Dei; *Et v.21.22.* cùm habeamus sacerdotem magnum, præfectum domui Dei: accedamus cum vero corde, per certioratam fidem, aspersione purgatis cordibus à conscientiâ malâ. *1.Pet.1.v. 18.19.* Vt qui sciatis vos non caducis rebus, auro, vel argento, fuisse redemptos ex vanâ illâ conuersatione à patribus traditâ: sed pretioso sanguine, vtpote agni inculpati & incontaminati, nempe Christi. *1. Pet. 2. v. 24.* Peccata nostra ipsemet sursum tulit corpore suo super lignum, vt mortui peccatis, iustitiæ viueremus: cuius vibicibus sanati estis. *Ioh. 17. v.9.* Ego pro eis rogo: non pro mundo rogo, sed pro eis quos dedisti mihi, quia tui sunt. *1.Ioh.1. v.7.* Sanguis Iesu Christi filij eius purgat nos ab omni peccato. *Heb.9.24.* Non enim in manu factum sacrarium ingressus est Christus, quod sit exemplar vero sacrario respondens: sed in ipsum cœlum, vt appareat nunc, in conspectu Dei pro nobis. Propter hoc officium Christus dicitur iustitia nostra *Ier.23.v.6.1.Cor. 1.v.30.* & peccatum, *2.Cor.5.v.21.* sacerdos in solio suo, *Zach. 6.v.13.* & sacerdos in perpetuum *Heb.7. v.1.2.3.* & sacerdos in seculum, *Psal. 110.v.4.* & altare aureum, super quo offeruntur preces sanctorum, *Apoc.8.v.3.4.* Vide quoque infrà *loc. de iustificatione num.2.*

VII. *Functio muneris regij Christi posita est in eo, quòd instituit ministerium verbi & sacramentorum; & solenniter misit Spiritum sanctum in festo Pentecostes; & hodiè quoque verbum suum in nobis efficax facit per Spiritum sanctum, vt fideles & obsequentes simus, atque salute potiamur; item contra hostes nos defendit, & sub cruce conseruat; denique quòd in fine mundi hostes suos & nostros relegabit in gehennam ad æternos cruciatus, nos autem ad se assumet in cœlum, vt ibi cum ipso regnemus.* 3 regium.

Matth.18. Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terrâ: Profecti ergo docete omnes gentes, baptizantes eos. *Ephes.4. v.11* Is igitur dedit alios quidem Apostolos, alios verò Prophetas, alios autem Euangelistas, alios autem pastores & doctores. *Ioh.15.v.7.& seqq.* Sed ego veritatem dico vobis, confert vobis vt ego abeam. Nisi enim abiero, Aduocatus ille non veniet ad vos: sin autem profectus fuero, mittam eum ad vos. Vide *Act. 2.* Vbi narratur quomodo Christus in die Pentecostes miserit Spiritum sanctum in Apostolos, quo acti illi prædicauerunt euangelium felici successu. Adducti enim sunt multi ad fidem Christi. *Marc.16.v.20.* Illi verò profecti prædicauerunt vbique Domino cooperante, & sermonem eorum confirmante per signa consequentia. *Rom.1 v.16.* Non enim me pudet Euangelij Christi potentia siquidem Dei est ad salutem cuiuis credenti. *1.Cor.1.v.23.24.* Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Dei potentiam ac Dei sapientiam. *Matth.28.20.* Ecce ego vobiscum sum omnib. diebus vsque ad consummationem seculi. *Vide Ps.110. Matth. 16. v.18.* Ego tibi dico, Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non superabunt eam. *Rom. 8. v. 37.* In his omnibus ampliùs quàm victores sumus per eum, qui dilexit nos. *Psal.110.v.2.* Dominare in medio inimicorum tuorum. *Matth 25. v. 34.41* Tunc dicet rex iis, qui ad dextram ipsius erunt, Venite benedicti patris mei, possidete regnum paratum vobis à iactis mundi fundamentis. Tunc dicet etiam iis, qui ad sinistram erunt, Maledicti, abite à me ad ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. *2.Thess.1.v.6.* & deinceps. Iustum est apud Deum vicissim reddere iis qui affligunt vos afflictionem: vobis verò qui affligimini relaxationem nobiscum: cùm patefiet Dominus Iesus de cœlo cum angelis potentibus suis, cum flammæ incendio, infligens vltionem iis, qui Deum non nouerunt, neque auscultant euangelio Domini nostri Iesu Christi. Propter hoc officium Christus appellatur rex Dei, *Psal.2.v.2.* iudex, & procurans ius, & promptus ad iustitiam *Esa 16.v.14.* antecessor, *Esa.55.v.4.* rex regum, & dominus dominantium, *Apoc.19 v.16.* dominus, *Psal. 110.v.1. Dan.9.v.17. Luc 2.v.11. Iohan.13.v.13.14. 1.Corinth. 8.v.6. cap.15.v.47. Actor.2.v.36. Iudæ v.14.* herus, *Iudæ v.4.* princeps, *Ezech.37 v.25. Apoc.1.v.5.* dux, *Dan 9 v.25.* Leo ille ex tribu Iudæ *Apoc.5.v.5.*

VIII. *Christus diuersimodè functus est triplici suo munere: putà in statu exinanitionis & exaltationis.* Esa.53.v.7.8.Phil.2. Status Christi duplex, exinanitionis & exaltationis.

In statu exinanitionis (a) *conceptus est ex Spiritu sancto.* (b) *natus est ex Mariâ virgine, Bethlehemi.* (c) *octauo die à natiuitate est circuncisus, & Iesus appellatus.* (d) *præcursorem habuit Iohannem Baptistam.* (e) *donis paulatim profecit, atque ita ad munus suum fuit præparatus.* (f) *anno ætatis duodecimo specimen quoddam muneris prophetici edidit in templo.* (g) *anno ætatis trigesimo fuit baptizatus à Iohanne.* (h) *post baptismum solenniter inchoauit munus propheticum.* (i) *sacerdotale munus patiendo inchoatum videlicet paupere suâ natiuitate, patiendo continuauit.* (k) *regiam maiestatem suam ad tempus occultauit.* (l) *sacram Eucharistiam, instituit.* (m) *ad magnam passionem se præparauit.* (n) *tandem crucifixus est, mortuus, & sepultus.* (o) *descendit ad inferos.*

Quantum ad statum exaltationis. (p) *tertio die resurrexit à mortuis.* (q) *postquam quadraginta dies se viuum in terris exhibuisset, & ministerium Noui Testamenti constituisset, ascendit in cœlum:* (r) *vbi sedet ad dextram Patris sui, regnans super omnia* (s) *in die Pentecostes Spiritum sanctum effudit in discipulos* (t) *in fine seculi redibit, ad iudicandum viuos & mortuos.*

(a) *Luc.1. v. 34. 35.* (b) *Matth.1. v. 16. Luc. 2. Mich. 5. ver. 2*

v. 2. *Matth.* 2. *verſ.* 1. (c) *Luc.* 2. *verſ.* 21. Ad nomen Ieſus alluſum eſt in V. Teſtam. per voces ישׁוּעָה ישׁע & תְּשׁוּעָה *Eſa.* 12. *verſ.* 3. 4 *cap.* 46. *verſ.* 13. *cap.* 49 *verſ.* 6 *cap.* 62. *verſ.* 13. *Habac.* 3. *verſ.* 13. (d) *Eſa.* 40. *verſ.* 1 2 3. 4. *Matth.* 3. *Marc.* 1. (e) *Luc.* 2. *verſ.* 40 51. *Eſa* 11. *verſ.* 1. 2. *Iohan.* 1. *verſ.* 14. (f) *Luca* 2. *verſ.* 46. 47. (g) *Matth.* 3. *Luc.* 3. *verſ.* 21. 22. (h) *Matthæi* 4 *verſ.* 17. *& ſequentibus.* (i) *Luc.* 2. *verſ.* 7. Peperit igitur filium ſuum primogenitum, & faſciis eum inuoluit, reclinauitque eum in præſepi: eò quòd non erat eis locus in diuerſorio. *Matth.* 2. Chriſtus expoſitus fuit inſidiis Herodis, quas vt effugeret, in Ægyptum eſt tranſportatus. *Matth.* 8. *verſ.* 20. Vulpes habent luſtra, & volucres cœli nidos: filius autem hominis non habet vbi caput reclinet. *Confer Luc.* 9. *verſ.* 58. 2. *Corinth.* 8. *verſ.* 9. Noſtis enim beneficentiam Domini noſtri Ieſu Chriſti, eum videlicet propter vos pauperem factum eſſe, cum eſſet diues: vt vos illius paupertate diteſceretis. (k) *Matth.* 20. *verſ.* 28. Filius hominis non venit vt ſibi miniſtraretur, ſed vt miniſtret. *Philip* 2. *v.* 7. 8 Ipſe ſe inaniuit, formâ ſerui acceptâ, ſimilis hominibus factus: & habitu inuentus vt homo, ipſe ſe ſubmiſit, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis *Hebr.* 5. *verſ.* 5. *& deinceps.* Chriſtus in diebus carnis ſuæ, deprecationibus & ſupplicationibus oblatis cum clamore valido & lachrymis, &c. (l) *Matth.* 26. (m) *Matth.* 26. *Luc* 18. *verſ.* 31. *& ſequentibus. Iohan.* 17. (n) *Matth.* 27. *Luc.* 23. *Actor.* 2. *verſ.* 23. *cap.* 4. *v.* 10. 1. *Corinth.* 1. *verſ.* 13. 23. *cap.* 2. *verſ.* 2. *cap.* 7 *verſ.* 8 *cap.* 15. *verſ.* 4. (o) *Pſal.* 16. *verſ.* 10. Non es derelicturus animam meam in ſepulchro: neque expoſiturus benignum tuum, vt videat corruptionem. *Confer Actor.* 2. *verſ.* 30 31. *Matth.* 12. *verſ.* 40. Sicut fuit Ionas in ventre cæti tres dies & tres noctes: ita erit filius hominis in corde terræ tres dies & tres noctes. *Epheſ.* 4. *verſ.* 9. Cæterùm illud Aſcendit, quid eſt, niſi quòd etiam deſcenderat priùs in infimas partes terræ: (p) *Matth.* 28. *Luca* 24. 1. *Corinth.* 15. (q) *Actor.* 1. *Matth.* 28. *Iohan.* 20. (r) *Pſal.* 110. *Marc.* 16. *verſ.* 19. *Epheſ.* 1. *verſ.* 20. 21. 22. *Actor.* 7. *ver.* 55. *Hebr.* 13 *verſ.* 8. 1. *Pet.* 3. *verſ.* 22. (s) *Actor.* 1. (t) *Matth.* 22. *verſ.* 21. *Actor.* 1. *verſ.* 11. *cap.* 3. *verſ.* 21.

REGVLÆ DIDACTICÆ.

Perſona Chriſti.

I. *De perſonâ Chriſti ſunt hi canones.*

1. *Perſona Chriſti conſideratur* ἀσυνθέτως, *vt eſt Filius Dei ab æterno: vel* συνθέτως, *vt eſt* θεάνθρωπος. Prior conſideratio κατὰ θεολογίαν, poſterior κατ' οἰκονομίαν, ſeu gratioſam diſpenſationem, fieri dicitur. 2. *Natura diuina conſideratur aut* καθ' ἑαυτὴν, *& ſimpliciter; aut relatè, quatenus eſt in perſonâ* τοῦ λόγου, *& in perſonâ* τοῦ θεανθρώπου. Nam perſona Chriſti conſideratur vel in ratione æternâ, vel in vnione quæ facta eſt in tempore. 3. *In perſonâ Chriſti duo ſunt obſeruanda: diſtinctio naturarum, & earum vnio perſonalis. Diſtinctio* ita manet inter naturas, vt illæ maneant eædem quæ antea fuerant, tam quoad eſſentiam, quam quoad eſſentiales proprietates. *Vnio perſonalis* eſt, quâ λόγος & σὰρξ ἓν ἐστὶ, Chriſtuſque manſit quod erat, & factus eſt quod non erat. Nimirum ſecunda perſona deitatis humanam naturam aſſumſit, vt inſeparabiliter ſubſiſtat in eâdem perſonâ. Etſi enim ſecunda iſta deitatis perſona vnicam habet ſubſiſtentiam, duplicem tamen habet ſubſiſtendi rationem: vnam in naturâ diuinâ, ab æterno; alteram in humanâ naturâ, poſt incarnationem. 4. *Incarnatio Chriſti inchoatiuè eſt opus totius Trinitatis, terminatiuè verò ſolius Filij.* 5. *Neceſſitatem incarnationis Chriſti euincit tum Dei veritas, tum noſtra ſalus. Dei veritas*; quia in V. T. vaticiniis plurimis fuit prænuntiata, & variis typis adumbrata. *Vaticinia* ſunt Geneſ. 3. 15. Eſa. 7. 14 c. 9. v. 6. 7. Ierem. 23 5. *Typi* ſunt Melchiſedec ἀπάτωρ καὶ ἀμήτωρ, ſpecies humana quâ Chriſtus apparuit Patribus, tabernaculum, arca fœderis, & ſimilia, de quibus ſuprà in harmonia legum Moſaicarum *Salus noſtra* incarnationis rationem euincit; quia ſeruari non potueramus, niſi per talem redemtorem, qui ſimul eſſet Deus & homo in vnâ perſonâ. Deus vt eſſet, partium requirebat conditio: illinc Dei maieſtas, hinc noſtra egeſtas, & magnitudo mali tollendi & boni reſtituendi. Maieſtas Dei tanta eſt, vt nemo, niſi qui cum Patre vnus eſt, ſe interponere potuerit. Malum tollendum erat peccatum, & quæ peccatum conſequuntur, ira Dei, poteſtas Satanæ, & mors temporalis atque æterna. Bonum reſtituendum erat perfecta iuſtitia ὑφεστῶσα, imago Dei, Spiritus ſancti dona, & vita æterna. Hæc verò non potuerunt præſtari niſi ab eo qui infinitus erat, & Filius Dei, imago illa Patris, & ipſa vita. Homo vt eſſet, poſtulabat Dei iuſtitia, quæ vt peccatum impunitum non relinquit, ita illud non punit niſi in eâ naturâ, quæ peccauit. Denique vt eſſet θεάνθρωπος, id eſt, Deus & homo, in vnâ perſonâ, vt reuerà eſſet medius inter Deum & homines. 6. *Chriſtus non hominem, ſed humanitatem aſſumſit*; id eſt, non perſonam, ſed naturam. 7. *Chriſtus aſſumſit verè humanam naturam* Aſſumſit enim corpus, trina dimenſione conſtans, & animam rationalem, & proprietates eſſentiales humanæ naturæ, denique infirmitates & affectus humanæ naturæ. Infirmitates, inquam non damnabiles, ſed inculpabiles & miſerabiles. Et affectus aſſumſit ſine defectu. 8. *Humana Chriſti natura ſubſiſtit in* λόγῳ. Is enim anteuertit propriam ipſius ſubſiſtentiam. 9. *In vnione perſonali oportet attendere, quomodo humana natura vnita ſit* λόγῳ, *& non ſit.* Non vnita eſt ei συνουσιωδῶς, vt perſonæ diuinæ ſunt vnitæ: non οὐσιωδῶς aut δραστικῶς tantùm, vti Chriſtus eſſentiâ & virtute ſuâ omnibus rebus adeſt: non παραστατικῶς, aut præſentiâ gratiæ tantùm: non φυσικῶς, vt materia & forma vniuntur: non σχετικῶς, vt amicus amico: non μυστικῶς tantùm, vt Chriſtus & fideles ſunt vnum: non ſacramentaliter, vti eſt in S. * Euchariſtia: ſed ὑποστατικῶς, hoc eſt, ἀτρέπτως, ἀδιαιρέτως, ἀσυγχύτως, καὶ ἀχωρίστως. 10. *Vnionis perſonalis effecta ſunt numero tria. Primum* eſt communicatio idiomatum, quæ non eſt realis transfuſio aut donatio proprietatum, ſed communio eiuſmodi, quâ vnius naturæ propria tribuuntur perſonæ, vt cùm Chriſtus dicitur mortuus: vel alteri naturæ propter perſonam, vt cùm Deus dicitur paſſus. Hæc itaque communicatio eſt realiſſima ratione fundamenti, perſonalis nimirum vnionis: ac proinde enuntiatur nominibus concretis, non verò abſtractis. *Secundum* eſt excellentia humanæ naturæ, quæ cernitur in donis, & honore adorationis. Dona ſunt inprimis ſcientia, eâque donatiua, infuſa, & experimentalis. Potentia eſt, quâ facta eſt inſtrumentum τοῦ λόγου ἀνυποστάτου. Scientia donatiua eſt, quâ humana Chriſti natura cognoſcit diuinam naturam immediatè: infuſa, quâ Chriſtus vnctus à Spiritu ſancto nouit quidquid ad res cœleſtes pertinet: experimentalis, in quâ profeciſſe dicitur Luc. 2. v. 52. Honor, qui ex vnione perſonali conſequitur, eſt, quo Deus in carne adoratur. *Tertium* effectum eſt concurſus vtriuſque naturæ in apoteleſmatis, quæ dicuntur θεανδρικά; in quibus quatuor iſta occurrunt; ὁ ἐνεργῶν, agens perſona; τὸ ἐνεργητικὸν, duplex natura; ἡ ἐνέργεια, duplex actio ſecundùm naturam; & ἐνέργημα, ipſum opus. 11. *Chriſtus conceptus eſt non de ſubſtantiâ, ſed de potentiâ Spiritûs ſancti*; non generatione, ſed iuſſione & benedictione, vt ait Auguſtinus. 12. *Forma conceptionis Chriſti conſiſtit in hiſce tribus*: in ſanguinis B. virginis per Spiritus ſancti virtutem præparatione & ſanctificatione; in corporis formatione, ſemel & ſimul, non verò ſucceſſiuè factâ; denique in animæ rationalis inſpiratione. 13. *Natiuitas Chriſti non eſt naturæ, ſed perſonæ*: id eſt, non humanitatis, ſed hominis Chriſti. 14. *Duæ ſunt Chriſti generationes ſiue natiuitates, ſed vna eſt filiatio.* Nam Filius Dei ab æterno factus eſt filius Mariæ in tempore, ita vt non ſit ἄλλος καὶ ἄλλος, ſed ἄλλο καὶ ἄλλο. Proinde Maria non tantùm χριστοτόκος, ſed etiam θεοτόκος rectè appellatur 15. *Chriſti natiuitas ex virgine eſt naturalis & ſupernaturalis. Naturalis*; quatenus ordinario tempore, eſt facta: *ſupernaturalis*; quatenus facta eſt ex virgine. 16. *Maria poſt partum manſit virgo.* Non enim coniugium eius cum Ioſepho in prolis generatione, ſed in eius educatione, & ſanctâ vitæ coniunctione conſiſtebat. 17. *Chriſtus quatuor modis dicitur primogenitus in Scripturâ*: videlicet ratione generationis æternæ, electionis & dignitatis, reſurrectionis, & natiuitatis ex Mariâ virgine.

I I. *De officio Chriſti ſunt hæ regulæ.*

1. *Officium Chriſti eſt mediatorium.* Id oſtendunt nomina *Ieſus, Chriſtus, Meſſias, Dominus.* 2. *Chriſtus eſt ſolus & vnicus mediator.* 3. *Totum Chriſti*, vt vocant *eſt ſubiectum officij mediatorij.* Eſt enim mediator ſecundùm vtramque naturam. 4. *Chriſtus eſt mediator angelorum ratione gratioſæ vnionis; hominum, ratione reconciliationis & redemtionis.* 5. *Obiectum officij Chriſti, quantum ad hominem, eſt Deus offenſus; & homo reus offenſæ.* 6. *Chriſtus eſt mediator merito & efficaciâ.* 7. *In officio Chriſti duo ſunt conſideranda: vocatio ad hanc functionem; & ipſa functio. Vocatio* eſt actio Dei, κατ' ἐξοχὴν. Patris, quâ ſingulari quodam pacto initio, Filium huic muneri deſtinauit. Eſa. 53. verſu 10. Vocatio hæc continet electionem, præordinationem, & miſſionem. Illa eſt finis: iſta, mediorum: hæc, executionis. *Functio* ipſa, ad quam Chriſtus vocatur, triplex eſt, prophetæ, ſacerdotis, & regis. 8. *Numerum & ordinem triplicis officij Chriſti oſtendunt iſta tria. Primò* hominum neceſſitas, ex ignorantiâ, alienatione à Deo, & impotentiâ redeundi ad ipſum: quorum primo medetur prophetia; ſecundo, ſacerdotium, tertio, regnum. *Deinde* ſalutis conferendæ ordo, qui priùs debuit explicari, deinde acquiri, tertiò applicari: quorum primum eſt prophetæ, ſecundum ſacerdotis, tertium regis. *Denique* ſolennis illa exequendi ratio, quâ Chriſtus primò docebat, deinde ſemetipſum offerebat, & poſtea regnum ſuum ingrediebatur. 9. *Officia Chriſti conſiderantur vel ſingula, vel coniuncta. Singula*: vt quòd Chriſtus *propheta* totam Dei voluntatem nobis reuelauit modo eminentiſſimo, idémque ita eſt *ſacerdos*, vt ſimul ſit ſacrificium & altare; denique *rex*, cuius regnum eſt vniuerſale, ſpirituale, & æternum. *Coniuncta*: vt quòd regia Chriſti gloria redundat etiam in

in cætera eius munera, ita vt regiam exerceat prophetiam, & regium ſacerdotium.

III. *De ſtatu exinanitionis Chriſti hæ ſunt regulæ.*

1. *Exinanitio, ſeu humiliatio Chriſti, facta eſt propter ſatiſfactionem & meritum. Satiſfactio ordinatur ad Dei honorem per* compenſationem quandam iniuriæ ipſi per peccata noſtra factæ. *Meritum* ordinatur ad noſtrum commodum. 2. *Meritum & ſatisfactio Chriſti non re, ſed ratione* Debeat enim varia ratione agnoſci in vna eâdemque Chriſti obedientiâ. 3. *Obedientia Chriſti eſt vna copulatiua.* Itaque nulla paſſionis particula debet excludi à ſatiſfactione Chriſti. Sed nec obedientia vitæ debet excludi: ea nempe, quâ Chriſtus ἑκὼν γενόμενος factus eſt ſeruus legis ſeu legi obnoxius. 4. *In primo inſtanti conceptionis Chriſtus ſecundùm humanam naturam accepit plenitudinem omnis gratiæ, quoad actum primum: ita tamen vt augeri potuerit quantum ad actus ſecundos, & per extenſionem ad noua obiecta.* Confer Iohan. 1.v. 14. & Luc.2. v. 52. 5. *Circumciſio Chriſti & obſeruatio ceremoniarum legalium fuit confeſſionis peccati, & ſubiectionis Chriſti argumentum.* Nam ceremoniales iſtiuſmodi obſeruationes totidem fuerunt peccati confeſſiones. Chriſtus igitur, qui factus eſt peccatum pro nobis, congruenter etiam illis fuit conformis. Deinde Chriſtus ſe ſubiecit toti legi. 6. *Baptiſmus Chriſti fuit publica illius inauguratio ad triplex officium, & baptiſmi noſtri ſanctificatio.* 7. *Mors Chriſti fuit vltimus humiliationis actus.* Fuit, inquam, actus, & non mera paſſio: quia ſeipſum ex proæreſi diſpoſuit ad eam ſubeundam. 8. *Quia mors Chriſti eſt conſummatio humiliationis, & eius pars longè maxima: hinc ſæpe in Scripturis, per ſynecdochen membri, mors illa ponitur pro totâ ſatisfactione illâ, quæ in humiliatione eius integrâ continebatur.* 9. *Chriſtus paſſus eſt verè, ſanctè ſeu innocenter, & perfectè.* 10. *Mors Chriſti fuit ſpiritualis & corporalis.* Ibi eſt ſenſus iræ Dei: hîc, ſeparatio animæ à corpore. 10. *Continuatio mortis Chriſti fuit permanſio ſub dominio mortis per triduum.* Status iſte notatur per exiſtentiam apud inferos. Cuius ſtatûs teſtimonium & repræſentatio quædam fuit triduana Chriſti ſepultura.

IV. *De ſtatu exaltationis Chriſti ſunt hæ regulæ.*

1. *Exaltatio Chriſti eſt glorioſus eius triumphus.* Nimirum Chriſtus triumphauit in cruce, tanquam in campo victoriæ; in exaltatione verò tanquam in ſellâ regiâ & curru triumphali. 2. *Exaltatio Chriſti quantum ad naturam diuinam, fuit manifeſtatio actiua: quantum ad humanam, fuit depoſitio infirmitatum, & receptio perfectionum, quas natura creata capere poteſt.* 3. *Tres ſunt gradus exaltationis, totidem gradibus extremæ humiliationis oppoſiti.* Nimirum reſurrectio a mortuis opponitur morti: aſcenſio in cœlos, deſcenſui in ſepulchrum & ad inferos: ſeſſio ad dextram Dei, permanſioni in ſepulchro, & in ſtatu mortis, vel apud inferos. 4. *Exaltationem Chriſtus eſt conſecutus ſuâ obedientiâ, non tanquam merito, ſed tanquam medio.* 5. *Reſurrectio & aſcenſio Chriſti ſunt quaſi motus tendentes ad ſeſſionem.* Itaque reſurrectio eſt gradus infimus exaltationis; aſcenſio, intermedius; ſeſſio ad dextram Patris, ſupremus. Hinc reſurrectio & aſcenſio nobis aliquo modo communis eſt cum Chriſto: ſeſſio ad dextram Patris competit ſoli Chriſto. 6. *In reſurrectione Chriſti eſt actus internus & externus.* Ille in reünione animæ cum corpore: hic, in exitu è ſepulchro 7. *Finis reſurrectionis fuit varius*: nempe, vt Chriſtus Filius Dei demonſtraretur, & victoriam ſuam plenam de morte obſignaret, ac officij ſui partes ampliùs impleret, denique reſurrectionis noſtræ corporalis & ſpiritualis exemplar fieret. 8. *Finis aſcenſionis Chriſti fuit varius*: nempe, vt Chriſtus humanam naturam in domicilio gloriæ collocaret, & ſe illum eſſe oſtenderet qui cœleſtia & altiſſima Dei conſilia penetrare poſſet, ac nobis pararet manſionem, & ſuorum nomine caperet poſſeſſionem regni cœleſtis, &c. 9. *Seſſio ad dextram Patris conſiſtit in adminiſtratione plenâ regni œconomici donatiui.*

LOCVS XXIII.

De Euangelio.

PRÆCEPTA.

1. Applicatio fœderis gratiæ fit per promulgationem & obſignationem ipſius.

2. *Promulgatio fœderis gratiæ* fit per euangelium in eccleſiâ.

3. *Euangelium* conſideratur abſolutè, & comparatè.

4. *Euangelium abſolutè* ſpectatur in ſuâ ſubſtantiâ, quæ in eo vertitur, vt ſit myſterium de ſalute noſtra per Chriſtum.

5. *Euangelium comparatè* ſpectatur partim in ſuâ œconomia, partim in collatione cum lege.

6. *OEconomia euangelij* alia eſt atque alia in V. & N. T. Vnde euangelium diuidi ſolet in vetus & nouum. *Euangelium vetus* eſt in promiſſionibus, typis, & ceremoniis, præcipuéque in ſacrificiis: nouum eſt de Chriſto iam exhibito.

7. *Collatio euangelij cum lege* cernitur in conuenientiâ & differentiâ.

REGVLÆ POSITIVÆ.

I. *Euangelium eſt lætum nuntium de fœdere gratiæ, quod Deus nobiſcum init in manu mediatoris Ieſu Chriſti.* Euangelium quid?

Eſa 54.*v.*10. Quamuis hi montes recederent, & hi colles dimouerentur: at tamen benignitas mea à te non recedet, & fœdus pacis meæ non dimouebitur, ait miſerator tuus Iehoua. *Epheſ.*6.*verſ.*15. Præparatione euangelij pacis, ſcilicet induti eſtote. *Matth.*11. *verſ.* 4.5. Et reſpondens Ieſus dixit ei, Ite & renuntiate Iohanni, quæ auditis & videtis: Cæci viſum recipiunt, & claudi ambulant, leproſi mundantur, & ſurdi audiunt, mortui ſuſcitantur, & pauperibus euangelizatur. *Rom.*1. *verſ.*16. Non enim me pudet euangelij Chriſti, potentia ſiquidem eſt Dei ad ſalutem cuiuis credenti. *Eſa.* 55. *verſ.* 3. 4. Inclinate autem veſtram, & venite ad me. Audite vt viuat anima veſtra: & pangam vobiſcum fœdus perpetuum, benignitates Dauidis certiſſimas collaturus ſum. En teſtem nationum conſtituo eum, anteceſſorem & præceptorem nationum. *Hebr.* 13. *v.* 20. Qui magnum illum ouium per ſanguinem fœderis æterni paſtorem, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, à mortuis reduxit.

II. *Euangelium & fœdus gratiæ eſt vnum idemque in V. & N. T. quantum ad ſubſtantiam & fundamentum attinet. Nam vtrobique (a) promittitur vita æterna. (b) promiſſio fit ex gratiâ. (c) promiſſio fit propter Chriſtum.* Euangelium & fœdus gratiæ idem in V & N.T. quantum ad ſubſtantiam.

(a) *Gen. ſ.*17. *verſ.* 7. Stabilio fœdus meum inter me & te, &c. me fore tibi Deum & ſemini tuo. *Exod.*3. *v.*6. Ego ſum Deus patris tui, Deus Abrahami & Deus Iſaaci, & Deus Iacobi. *Confer. Matth.*22.*v.*32. *Eſa.*51.*verſ.*6. Salus mea in ſeculum erit. *Matth.*8. *verſ.*11. Dico vobis, Multi ab Oriente & Occidente venient, & diſcumbent cum Abrahamo, & Iſaaco, & Iacobo, in regno cœlorum. (b) *Actor.* 15.*v.*11. Imò per gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti, credimus nos ſeruatum iri: quemadmodum & illi, ſcil. patres. (c) *Iohan.*8. *verſ.*56. Abraham geſtiuit videre diem meum: & vidit, & gauiſus eſt. *Heb.*11.*v.*4. Abel per fidem maioris pretij ſacrificium obtulit Deo quàm Cain. *Et cap.*13 *verſ.*8. Ieſus Chriſtus heri & hodie idem eſt, & in ſecula.

III. *Euangelium & fœdus gratiæ modo promulgationis & adminiſtrationis fuit diuerſum in V. & N. T. quatenus (a) ſoli Abrahamo & poſteris eius fuit promulgatum & adminiſtratum in V. T. In Nouo autem aliis quoque populis promulgatur & adminiſtratur. (b) In Veteri Teſtamento fuit obſcurius promulgatum & adminiſtratum: in Nouo promulgatur & adminiſtratur clariùs. (c) In V. T. minore cum efficaciâ Spiritus ſancti fuit promulgatum & adminiſtratum: in Nouo promulgatur & adminiſtratur maiore cum efficaciâ. (d) In V. T. adminiſtratio fœderis gratiæ fuit oneroſior atque operoſior quam eſt in Nouo.* Euangelium & fœdus gratiæ in V. & N. T. diuerſum quoad modum.

(a) *Geneſ.*15.*v.*18 Hoc die pepigit Dominus cum Abrahamo fœdus, dicendo: Semini tuo dedi terram hanc. *Et cap.*17. *verſ.*7. Stabilio fœdus meum inter me & te, ac ſemen tuum poſt te per ætates ſuas, vt fœdus ſit perpetuum, me eſſe tibi Deum, & ſemini tuo poſt te. *Pſal.*147.*v.*20. Non fecit ita vlli gentis ideoque iura illa non nouerunt. *Act.*14 *v.*16. Præteritis
ætatibus

ætatibus ſiuit Deus omnes gentes ſui ipſarum viis incedere. *Matth* 28.*v* 19.Profecti,docete omnes gentes:baptizantes eos in nomen Patris, & Filij , & Spiritus ſancti. *Confer Marc.* 16. *v.*15.*Eſa.*2.*v.*2.*Hagg.*2 *verſ.*7. *Rom.*1.*verſ.*5.*Epheſ.*3.*verſ.*5.6. (b) *Coloſſ.* 2. *verſ.* 17. Quæ ſunt vmbra rerum futurarum, at corpus eſt CHRISTI.*Heb.*10. *v.* 1 Lex vmbram obtinens futurorum bonorum, non ipſam expreſſam formam rerum. (c) *Iohan.*7.*v.*38.39. Qui credit in me, ſicut dicit ſciptura,flumina aquæ viuæ ex ventre ipſius fluent. Hoc autem dixit de Spiritu iſto,quem accepturi erant credentes in eum.Nondum enim erat Spiritus ſanctus, quia Ieſus nondum erat glorificatus. *Act.*2.*v.*17. Erit vltimis temporibus (dicit Deus) effundam ex Spiritu meo in quamuis carnem:& prophetabunt filij veſtri,& filiæ veſtræ,& iuuenes veſtri viſiones videbunt,& ſeniores veſtri ſomnia ſomniabunt. *Gal.*4.*v.*4. Poſtquam venit plenum tempus,emiſit Deus filium ſuum,factum ex muliere, factum legi ſubiectum:vt eos, qui legi erant ſubiecti,redimeret. (d) *Act.*15.*v.*10.Quid tentatis Deum imponendo iugum ceruici diſcipulorum : quod neque patres noſtri,neque nos portare potuimus *Gal*.3. *verſ.* 24. Lex pædagogus noſter fuit in CHRISTVM. *Et cap.*4. *verſ* 1.2 3. Quamdiu hæres infans eſt,nihil differt à ſeruo,quamuis ſit dominus omnium, ſed ſub tutoribus & curatoribus eſt vſque ad tempus , quod Pater præſtituit : ita & nos,cùm eſſemus infantes,ſub elementis mundi eramus in ſeruitutem redacti. *Confer cap.*5.*v.*1. & *Gal.*4.*v.*9.

Euangelium & fœdus gratiæ requirunt ſtudium bonorum operum.

IV. *Euangelium & fœdus gratiæ ſtudium bonorum operum non excludunt,ſed includunt.*

*Eſa.*55 *verſ.*5.6.*& ſeqq.* En gentem, quam non agnoueras, vocabis, & gentes, quæ non agnouerant te, accurrent ad te: propter Iehouam Deum tuum ; & propter ſanctum Iſraëlis, cùm ornauerit te. Requirite Iehouam,cùm præſtò eſt;inuocate eum, cùm eſt propinquus. Derelinquat improbus viam ſuam,&c. *Ierem.*31.*v.*33. Hoc illud eſt fœdus quod pangam cum domo Iſraëlis,poſt dies hos, dictum Iehouæ : Indam legem meam menti eorum, & cordi eorum inſcribam eam , & ero eis Deus,& ipſi erunt mihi populus. 2. *Tim.*2.*v.*19. Solidum ſtat fundamentum Dei;habens ſigillum hoc,Nouit Dominus eos qui ſunt ſui : & abſcedat ab iniuſtitiâ quiſquis nominat nomen CHRISTI.

Fœdus gratiæ & naturæ, itemque lex & euangelium vt differant?

V. *Fœdus gratiæ ſubſtantiâ differt à fœdere naturæ ſeu operum:proinde & euangelium à lege ſic differt.*

Ierem 31.*verſ.*31.32.Ecce dies venturi ſunt,dictum Iehouæ; quibus pangam cum domo Iſraëlis,& cum domo Iudæ fœdus nouum : Non ſecundùm illud fœdus quod pepigeram cum maioribus ipſorum,quo die prehendi manum eorum,vt educerem eos è terrâ Ægypti. Nam ipſi irritum fecerunt fœdus meum, & ego coniugio iunctus manſiſſem eis?dictum Iehouæ.Confer *Heb.*8 *v.*6.*cap.*11.*v.*4.*Gal.*3.*v.*11. Nullum autem per legem iuſtificari apud Deum,manifeſtum eſt:quoniam iuſtus ex fide viuet.

REGVLÆ DIDACTICÆ.

Conuenientia legis & euangelij.

I. *Lex & euangelium conueniunt ſex modis.*

Primò,causâ efficiente principe,quæ eſt Deus;& inſtrumentali,quæ eſt verbum Dei.*Deinde*,materiâ communi,quæ vtrobique eſt obedientia,additis promiſſionibus & comminationibus.*Tertiò* formâ communi,quòd vtrobique perfectæ obedientiæ exhibeatur ſpeculum. *Quartò* , fine ſummo , Dei nempe gloriâ;eique proximè ſubordinato,ſalute noſtrâ,quæ vtrinque ſpectatur. *Quintò*,obiecto communi,homine videlicet lapſo. *Sextò*, adiuncto communi, ſanctitate , bonitate, & perfectione,quam lex iuxtà & euangelium,in ſe conſiderata, habent.

Legis & euangelij differentia.

II. *Lex & euangelium differunt itidem ſex modis.*

Primò,cauſis inſtrumentalibus externis; tum quòd lex per Moſen euangelium per CHRISTVM plenè eſt traditum:tum quòd lex naturaliter quoque homini ſit nota,euangelium verò nonniſi ex gratioſâ reuelatione. *Deinde* , materiâ propriâ: quia lex primariò docet facienda;euangelium,credenda. *Tertiò* formâ propriâ. Lex enim docet , quæ ſit iuſtitia perfecta, Deo placens:euangelium verò docet,vbi,ſeu in quonam reperiamus perfectam illam iuſtitiam. Lex illam à nobis efflagitat;euangelium illam in CHRISTO demonſtrat.*Quartò*,finibus propriis. Lex enim eò eſt data, vt ad CHRISTVM quærendum impellat;euangelium, vt CHRISTVM exhibeat.*Quintò*, obiecto proprio. Legis enim obiectum proprium eſt homo conſternandus& humiliandus:euangelij,homo iam conſternatus & humiliatus.*Sextò*,accidenti:quia lex propter noſtram infirmitatem,ſine euangelio eſt inſufficiens,inutilis,& noxia.

III. *Lex & euangelium ſunt ſubordinata & oppoſita.*

Subordinata ſunt in homine regenito; quia regeneratio incipit à lege,perficitur per euangelium,& deſinit in lege. Nam ex lege agnitio peccati,ex euangelio agnitio mediatoris,& ſecundum legem inſtituitur vita.*Oppoſita* ſunt;quatenus noſtro vitio excidimus iuſtificatione legali,cui opponitur iuſtificatio euangelica. Nam lex promittit vitam æternam perfectè obedientibus:euangelium,in CHRISTVM credentibus.

IV. *Lex & euangelium verſantur circa peccatum;ſed non vno eodemque modo.*

Lex detegit,aperit,agnoſcit, accuſat, & damnat peccatum: *euangelium*,tegit,aperit,ignoſcit, excuſat,& ſaluat. *Rom.*3.20. *cap.* 1. 16.

V.*Promiſſiones euangelicæ ſunt vniuerſales ratione temporum,hominum,& credentium.*

Ratione temporum;quia vnum idemque eſt euangelium,quo omnes ſancti omnibus temporibus ab initio mundi ſunt ſaluati, *Act.*15.11.*Ratione hominum* ; quia promiſcuè omnis generis hominibus offertur euangelium. *Ratione credentium*; quia ad ipſos propriè pertinet promiſſio.

VI. *Incredulitas tam eſt contra legem , quàm contra euangelium.*

Contra legem,ratione generis; quatenus eſt peccatum , ſeu *ἀνομία*, 1.*Iohan.*3.4.*Contra euangelium*,ratione obiecti, quatenus in CHRISTVM delinquit, *Iohan.*15.24.

LOCVS XXIV.

De Eccleſiâ.

PRÆCEPTA.

1.ECcleſia ſpectatur in ſe,& oppoſitè quantum ad hoſtes. Illa eſt vera,hæc falſa.

Eccleſia in ſe ſpectatur ratione collectionis & gubernationis.

Collectio eccleſiæ cernitur in varietate,vnitate,& veritate.

2. *Collectio eccleſiæ quantum ad varietatem* eſt alia ratione modi,alia ratione temporis. Vnde oritur varia partitio eccleſiæ.

3. *Ratione modi* eccleſia eſt

I. *inuiſibilis, vel viſibilis.*

II. *catholica, vel particularis*:& illa eſt *triumphans, vel militans.*

III. *pura, vel impura.*

IV. *publica, vel priuata.*

4. *Ratione temporis* eccleſia eſt Veteris vel Noui Teſtamenti.

5. *Vnitas eccleſiæ* eſt ratione capitis & membrorum.

6. *Caput eccleſiæ catholicæ & inuiſibilis* , eſt ſolus CHRISTVS:*particularis & viſibilis*, eſt præpoſitus eccleſiæ.

7. *Membra eccleſiæ catholicæ & inuiſibilis* ſunt ſoli electi , iam congregati ad eccleſiam,ſiue ſint perfecti, ſiue infirmi :*particularis & viſibilis eccleſiæ membra* ſunt promiſcuè credentes & hypocritæ.

8. *Veritas eccleſiæ* cognoſcitur ex *notis*:quarum *aliæ* concernunt eccleſiam inuiſibilem,ſiue ſit catholica,ſiue particularis ; *aliæ* viſibilem .*Ibi* ſunt fides, ſpes , & charitas:*hic* eſt conſeruatio verbi Dei & ſacramentorum; & *illius* quidem prædicatio, *horum* verò adminiſtratio, ſi eccleſia ſit publica.

REGVLÆ POSITIVÆ.

I. Vocabulo Ecclesiæ intelligitur (a) vere dicta multitudo hominum electorum: & Ecclesia catholica. (b) Interdum coetus professorum in uno loco ... & visibilis dicitur Ecclesia particularis. (c) Interdum conuentus Ecclesiasticus.

(a) *Matth.*16 *vers.*18. Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. *Eph.* c. 5. vers. 23. Christus est caput Ecclesiæ. *Et versu* 25. Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum exposuit pro eâ. *Actor.* 20. v. 28. Deus Ecclesiam acquisiuit proprio sanguine. 1. *Tim.* 3 v. 15. Ecclesia Dei viui est columna & stabilimentum veritatis. (b) Sic Ecclesia nominatur coetus credentium, apud Corinthios, 1. *Cor.* 1. v. 2. 2. *Cor.* 1. v. 1. item apud Galatas, *Gal.* 1. v. 2. item apud Thessalonicenses, 1. *Thess.* 1. *vers.* 1. 2. *Thess.* 1. *Confer Apoc.* 1. v. 20. item *cap.* 2 & 3. (c) *Matth.* 18. *versu* 17. Dic Ecclesiæ. Quòd si Ecclesiam audire neglexit, &c.

II. *Ecclesia ab externâ vocatione est & dicitur visibilis ab internâ, inuisibilis.*

Rom. 1. v. 8. Primùm quidem gratias ago Deo meo per Iesum Christum, super omnibus vobis, quòd fides vestra annunciatur in toto mundo. *Et cap.* 2. v. 28. 29. Non enim qui est in propatulo Iudæus, Iudæus est: nec ea quæ est in propatulo circumcisio, id est, in carne, circumcisio est: sed qui in occulto Iudæus est, & circumcisio cordis, id est, in spiritu, non literâ: cuius Iudæi laus non est ex hominibus, sed ex Deo. *Et cap.* 9. *vers.* 3. 4. 5. 6. 7. 8. *Et c.* 11. v. 1. 2. 3. 4. 17. 19 20. 21. 23. 24. 25. 26. *Ierem.* 7. v. 4. Ne habetote fiduciam vestram in rebus fallacibus, dicendo: templum Domini, templum Domini, templum Domini. *Matth.* 23. v. 2. In cathedrâ Mosis sedent Scribæ & Pharisæi. *Confer cum num præced.* 1. Vide etiam *Exod.* 16. v. 3. & 9. *Num.* 1. v. 2. Vbi fit mentio Ecclesiæ siue congregationis Israëlitarum.

III. Ecclesiæ pars in cœlis triumphat, pars in his terris in medio inimicorum belligerat aduersus diabolum, mundũ, & carnem. Hinc diuiditur ecclesia in (a) *triumphantem, quæ in fine demum seculi tota triumphabit cum iam ex parte tantùm triumphet.* (b) *militantem.*

De vtraque coniunctim vide *Ephes.* 1. v. 10. Vt recolligeret omnia illa in Christo, tum quæ in cœlis sunt, tum quæ in terra. *Et cap.* 3. v. 15. Ex quo tota familia in cœlis, & in terra nominatur. *Confer* 1 *Corinth.* 13. *vers.* 9. & *seqq.* (a) *Hebr.* 12. *vers.* 22. 23. Accessistis ad montem Sion, & ciuitatem Dei viui Hierusalem cœlestem, & myriadas angelorum; Conuentum vniuersalem & concionem primogenitorum qui conscripti sunt in cœlis. Hæc Ecclesia magnificè describitur *Apocal.* 4. 5. 21. & 22 (b) 2. *Cor.* 5. *vers.* 6. 7. 8. 9. Dum commoramur in corpore, peregrè absumus à Domino. Per fidem enim incedimus, non per aspectum, &c. 1. *Tim.* 3 v. 15. Vt noris quomodo oporteat in domo Dei versari, quæ est ecclesia Dei. Hæc vocatur nigra, *Cant.* 1. v. 5. & confertur lilio inter spinas, *Cant.* 2. v 2. & myrteto in profundo, *Zach.* 1. v. 8.

IV. *Ad Ecclesiam catholicam & inuisibilem pertinent soli electi.*

Ephes. 5. v. 25. 26. Christus exposuit se pro ecclesia, vt eam sanctificaret, postquam eam purgasset lauacro aquæ per verbum: vt sisteret eam sibi gloriosam: id est, ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut quidquam huiusmodi: sed vt esset sancta & inculpata: scilicet partim per imputationem, partim per inhæsionem. *Et cap.* 4. v. 12. 15. 16. Ad coagmentationem sanctorum, ad opus ministerij, ad ædificationem corporis Christi: sincerè nos gerentes in charitate, prorsus adolescamus in eum, qui est caput, nempe Christus. Ex quo totum corpus congruenter coagmentatum, & compactum per omnes ... commissuras, ex vi latus agente pro mensura vniuscuiusque membri, incrementum capit corpori conueniens ad sui ipsius extructionem per charitatem. Huc pertinent magnifici illi tituli Ecclesiæ; puta sponsa siue coniux, & filia regis tota honorata, *Psal.* 45. *ver.* 10 & *seqq.* Sponsa Agni, *Apoc.* 21. *ver.* 9. quæ Christi. *Esa.* 5. v. 10. peculium Domini, 1. *Petr.* 5. v. 3. corpus Christi, *Ephes.* 4. v. 16. *cap.* 5. v. 23. *Col.* 1. v. 18. 24. complementum Christi, *Ephes.* 1. v. vlt. electi *Matth.* 24. v. 22. 24 *Marc.* 13. v. 20. 22 27. *Luc.* 18. v. 7. *Rom.* 8. v. 33 *Coloss.* 3 v. 12. 2. *Tim* 2. v. 10. *Tit.* 1. v. 1. *et* ... *Apo* 17 v. 14. genus electum, 1. *Pet* 2. v. 9 vocati, *Hebr.* 9. v. 15. *Iudæ* v. 1. *Apoc.* 17. v. 14. sancti, *Rom.* 8. v. 27. *cap.* 12. *vers.* 13. sanctum sacerdotium, 1. *Pet.* 2 v. 5 populus sanctus, 1. *Pet.* 2. v. 9. oues Christi, *Ioh.* 10. v. 15. *cap.* 21 v. 17. filij Dei, *Ioh.* 11. v. 52. *Rom.* 8. v. 19. 21. Huic porrò ecclesiæ conueniunt duratio perpetua, summa sanctitas, & similia.

V. *Ecclesiæ particulari & visibili, hoc est, cœtui professorum fidem Christi, admixti sunt hypocritæ.*

Hoc docet Christus per parabolas, vt per parabolam de zizaniis natis inter triticum, *Matth.* 13. v. 25. item per parabolam de sagenâ, quæ concludit tam putres quàm bonos pisces, *Matth.* 13. v. 43. item per parabolam vitis, in qua sunt palmites fructiferi & infrugiferi, *Ioh.* 15 v. 1. & *seqq.* Idem docet Iohannes Baptista per parabolam de paleâ admixtâ tritico, *Matth.* 3. v. 12. & Esaias per parabolam vineæ edentis labruscas, *Esa.* 5. Exempla vide in septem ecclesiis, *Apocal.* 2. v 3. Huc pertinet, quòd atrium in templo Salomonis figurauit Ecclesiam visibilem, sicut sanctum ecclesiam catholicam in his terris militantem, & sanctum sanctorum ecclesiam triumphantem in cœlis.

VI. *Notæ Ecclesiæ inuisibilis sunt internæ numero tres; videlicet fides, spes, & charitas.*

1. *Cor* 13 v. 13. Nunc autem manet fides, spes, charitas, tria hæc. *Rom* 1. v. 17. Omnibus, qui Romæ estis, dilectis Dei, vocatis, sanctis. 1. *Cor.* 1. v. 2. Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi, sanctificatis in Christo Iesu, vocatis, sanctis, cum omnibus, qui inuocant nomen Domini nostri Iesu Christi, quouis loco. 1. *Thessal.* 1. v. 2. 3. Gratias agimus Deo indesinenter, commemorantes efficacem vestram fidem, & laboriosam charitatem, & patientem illam expectationem in Domino nostro Iesu Christo coram Deo & Patre nostro. *Et cap.* 5. v. 8. Nos qui sumus diei, sobrij simus, induti thorace fidei & charitatis: & pro galeâ spe salutis. *Confer Ephes.* 2. v. 15. 16. 17. 18. 19.

VII. *Ecclesiæ visibilis nota princeps est integra & pura verbi Dei prædicatio & professio: hinc legitima sacramentorum administratio: cum quibus iungi debet honesta disciplina, illis consentiens.*

Tres hæ notæ coniunguntur *Matth.* 28. *vers.* 19 20. Profecti ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomen Patris, & Filij, & Spiritus sancti Docentes eos seruare omnia quæ mandaui vobis. *Confer Act.* 2. v 36. 37 38. 41. 46. *nominatim versu* 42. *qui sic habet*: Erant perdurantes in doctrina Apostolorum & communicatione, & fractione panis, & precibus. De professione verbi vide *Deut.* 4. v. 8. Quæ gens maxima futura est: cui sunt statuta & iudicia iusta, sicut est tota hæc lex, quam ego propono vobis hodie. *Iohan* 8. v. 31. Si vos manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis. *Et v.* 47. Qui est ex Deo, verba Dei audit. *Iohan.* 10 *versu* 27 Oues meæ vocem meam audiunt, & ego agnosco eas, & sequuntur me *Ephes.* 2. v. 20. Superstructi super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, existente imo angulari lapide ipso Iesu Christo. De administratione sacramentorum vide *Gen.* 17 v. 11. Circumcidetis carnem præputij vestri, vt signum fœderis inter me & vos. *Exod* 12. v. 43. Nullus alienigena vescetur illo, ... *Marc.* 16. v. 16. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ... 1. *Corinth* 12 v. 13. Per vnum spiritum nos omnes in vnum corpus baptizati sumus, & Iudæi & Græci, & serui & liberi, & omnes potati sumus in vnum spiritum *Confer* 1. *Cor.* 10. v. 16. De disciplina Ecclesiæ, vide 1. *Cor* 14. v. *vlt.* Omnia decenter & ordinatè fiant. *Confer infrà loc.* XXXV. *Ibid. n.* 13. v. 35. Ex hoc omnes cognoscent, vos esse discipulos meos, si charitatem habueritis alij in alios: nempe congruenter Christi legibus in veritate.

VIII. *Antiquitas doctrinæ quærenda est in Ecclesiâ, non antiquitas loci.*

Matth. 19. *versu* 8. A principio non fuit ita. 1. *Cor.* 11. v. 23. Ego enim accepi à Domino, quod tradidi vobis. 1. *Iohan* 1. *versu* 1. Quod erat à principio *Et cap* 3. v. 11. Hæc est denuntiatio, quam audiuistis à principio. *Iud. vers.* 3. Necesse habui vobis scribere, ad vos hortandos; vt decertetis pro fide, quæ semel tradita est sanctis.

REGVLÆ DIDACTICÆ.

I. *De Ecclesiâ in genere sunt hæ regulæ.*

1 *Ecclesia est cœtus vocatorum*: puta angelorum, vel hominum. Intellige vocationem externam & internam. Nam electi angeli & homines vocantur internè; & plerique electi homines vocantur etiam externè. Sed hypocritæ vocantur externè tantùm.

Ecclesia vere ... (margin)

In Ecclesia particulari & visibili inueniuntur hypocritæ & denti... bus. (margin)

Notæ Ecclesiæ inuisibilis. (margin)

Notæ Ecclesiæ visibilis. (margin)

Antiquitas vera Ecclesiæ? (margin)

Ecclesia in genere. (margin)

tantùm. 2. *Ecclesia mysticè considerata, est corpus Christi.* Quam ad rem requiritur vnio cum Christo per fidem. Fides itaque est causa efficiens formæ Ecclesiæ. Illa siquidem sola facit, vt Christus sit Ecclesiæ, & Ecclesia Christi. Hinc Ecclesia dicitur sponsa, & Christus sponsus: Ecclesia, ciuitas, Christus rex: Ecclesia, domus, Christus, pater familiâs; Ecclesia, palmites; Christus, vitis. Ecclesia, corpus; Christus caput. Quibus comparationibus non vnio tantùm & communio, quæ inter Christum & Ecclesiam intercedit: sed etiam ordinis ratio significatur, quâ fit vt Christus sit principium omnis dignitatis, vitæ, virtutis, & perfectionis in Ecclesiâ. Porrò ex vnione cum Christo resultat vnio Christianorum inter sese. 3. *Ecclesia mysticè considerata, est individuam.* Proinde nullas habet species. Itaque dicitur catholica, non quasi sit καθ' ὅλα, id est, genus vel species, sed quia est aliquid integraliter vniuersale, quomodo dicitur *orbis vniuersus.*

Partitiones Ecclesiæ.

II. *De variis partitionibus Ecclesiæ.*

1. *Ecclesia vera est vna, quantum ad essentiam. at varia, quantum ad circumstantiam.* Ita enim est vniuersalis vel particularis; triumphans, vel militans: inuisibilis vel visibilis: conspicua vel latens: Israëlitica vel Christiana: primitiua vel orta: clara vel obscura: purior vel impurior. 2. *Ecclesia catholica dicitur tribus modis.* Primò generalissimè de cœtu omnium electorum angelorum & hominum: deinde specialiùs de cœtu omnium electorum hominum: denique specialissimè, de Ecclesiâ militante, quatenus profitetur fidem catholicam. Itaque nulla Ecclesiæ pars verè dici potest catholica, nisi quatenus fidem illam profitetur, quæ est fides Ecclesiæ catholicæ, id est, illius cœtus, qui ratione temporis loci, & personarum dicitur Ecclesia catholica. *Ratione temporis*, quia inde à principio mundi Ecclesia nunquam defecit, neque vsque ad finem seculi deficiet. Semper enim fuit, est, & erit aliqua visibilis Ecclesia in his terris. *Ratione loci & personarum*; quia etsi Ecclesia V.T. fuit alligata loco & personis, vt hoc respectu non fuerit catholica: tamen Ecclesia N.T. illum integerrimum parietem non habet. 3. *Ecclesia militans inchoatæ communionis est particeps: triumphans, consummatæ.* Illa etiam dicitur Ecclesia peregrinans: hæc, consecrata. 4. *Cum Ecclesia militans dicitur esse & inuisibilis & visibilis, neque est distributio generis in suas species. neque integri in sua membra, sed distinctio adiunctorum eiusdem subiecti.* Non itaque hic est sensus, quasi Ecclesia vna sit inuisibilis, altera visibilis: aut quasi vna pars Ecclesiæ sit inuisibilis, alia visibilis: sed inuisibilitas est affectio seu modus Ecclesiæ, respectu formæ essentialis & internæ, visibilitas est affectio seu modus Ecclesiæ, quantum ad formam accidentalem & externam. Nam forma essentialis est inuisibilis, quia est relatio & quidem spiritualis. Iam verò relatio non incurrit in sensum, præsertim spiritualis. Forma accidentalis est visibilis; quia nihil est aliud quàm internæ fidei externa professio, quæ sensu facilè percipi potest. 5. *Ecclesia, quæ in se visibilis est, respectu aliorum distinguitur in conspicuam & latentem.* *Conspicua* est, cùm numerus est maior, & professio liberior magisque publica. *Latens* est, cùm numerus est minor, & professio minùs aperta: id quod fieri solet propter hæreses, persecutiones, & impios mores grassantes. 6. *Ecclesia est purior vel impurior*, prout nempe professio est perfectior vel imperfectior. 7. *Ecclesia nunquam planè desinit esse visibilis.* Quamuis enim huic & illi, puta Eliæ vel Herodi, non appareat: aliquibus tamen est cognita. 8. *Ecclesia, quæ in terris agit, quamuis non sit tota simul visibilis, in suis tamen partibus est visibilis:* tum diuisim in membris singularibus, tum coniunctim in cœtibus, siue illi sint κατ' οἶκον, siue κατὰ πόλιν, siue κατὰ οἰκουμένην &c. 9. *In Ecclesiâ particulari sunt fideles vel professione externâ tantùm, vel etiam perfectione internâ.* 10. *Maximè est probabile, nullam dari Ecclesiam particularem, in qua vera fidei professio viget, quin etiam in eâdem reperiantur nonnulli veri fideles.* 11. *Ecclesia est sancta imperfectione & inchoatione.* Etsi sanctitas est perfecta, posterior non item, CHRISTVS tamen illam imperfectionem suâ perfectione tegit, & spe futuræ perfectionis. Itaque Ecclesia in hâc vitâ non est immunis ab omni errore. Nam etsi Ecclesia catholica non errat in fundamento fidei, neque a fide penitus deficit, suos tamen in hâc vita habet næuos. Quod attinet ad Ecclesiam particularem, illa planè potest deficere. 12. *Notæ Ecclesiæ visibilis sunt pura verbi Dei prædicatio, & legitima sacramentorum administratio*: quatenus nempe Ecclesia visibilis est clara, conspicua, & libera. Alioqui professio veræ fidei sufficit. 13. *Notæ Ecclesiæ visibilis quantum ad fundamentum religionis, omnibus Ecclesiis conspicuis æqualiter competunt: quantum ad accidentia, alij Ecclesiæ magis, alij minus conueniunt.* Non statim igitur propter quemuis errorem aut abusum, de veritate Ecclesiæ particularis est dubitandum.

LOCVS XXV.

De Vocatione.

PRÆCEPTA.

1. Gubernatio ecclesiæ est principalis, vel ministerialis. *Illa* est interna, vel externa, *hæc* externa tantùm.

Principalis gubernatio ecclesiæ est in dispensatione beneficiorum Dei; quorum alia sunt principalia, alia accessoria.

2. *Beneficia Dei principalia* erga ecclesiam sunt spiritualia,

Suntque prima, vel orta: & *illa* sunt numero tria, vocatio, iustificatio, & sanctificatio.

3. *Vocatio* spectatur in se, & effectis suis.

Vocatio in se spectatur ratione modi & latitudinis.

4. *Ratione modi* vocatio est,

I. *efficax, vel inefficax.*

II. *interna, vel externa*: & illa posita est in separatione peccatoris è mundo, atque illius insitione in Christum.

III. *immediata, vel mediata.*

IV. *ad communionem gratiæ tantùm, vel ad communionem gratiæ & gloriæ simul.*

5. *Ratione latitudinis* vocatio est communis, vel propria. Et *illa* est Iudæorum vel gentium. *Vocatio Iudæorum* rursus est alia Veteris, alia Noui Testamenti.

REGVLÆ POSITIVÆ

I. *Per vocationem Deus nos transfert ex mundo in Ecclesiam gratiâ suâ præueniente.*

Esa. 9. versu 2. Populus eius, qui ambulant in tenebris, videbunt lucem magnam: super confidentes in terrâ vmbræ lethalis, lux splendebit. *Confer Matth. 4. v. 16. Actor. 26. vers. 17. 18.* Eruens te ex hoc populo, & gentibus, ad quos te nunc mitto, vt aperias oculos eorum, & conuertas eos à tenebris ad lucem, & a potestate Satanæ ad DEVM, vt remissionem peccatorum, & sortem inter sanctificatos accipiant per fidem, quæ est in me. *1. Petr. 2. versu 9.* Vt virtutes prædicetis illius, qui vos vocauit è tenebris in admirabilem suam lucem. *Roman 9. vers. 25. 26* Vt etiam apud Hoseam dicit, Vocabo populum, qui meus non erat, populum meum: & eam quæ dilecta non erat, dilectam. Et erit in loco vbi dictum fuerat eis, Non populus meus vos, illic vocabuntur filij viuentis Dei. *Confer Hos. 1. v. 10. & c. 2. versu 25. 2. Timoth. 1. v. 9.* Qui seruauit nos, & vocauit vocatione sanctâ: non ex operibus nostris, sed ex vno proposito, & gratiâ quæ data quidē est nobis in CHRISTO IESV ante tempora seculorum: sed patefacta nunc est, &c.

II. *Vocatio externa est, quâ homo transfertur in Ecclesiam visibilem, per concionem legis & euangelij, vel per beneficia & iudicia Dei.*

Matth. 20. v. 16. & cap. 22. versu 14 Multi enim sunt vocati, sed pauci electi. *Et cap. 22. vers. 11. 12* Ingressus autem rex, vt spectaret conuiuas, vidit illic quēdam non indutum veste nuptiali: Tunc dicit ei, Amice, quomodo huc introisti, non habens vestem nuptialem? *Marc. 1. v. 2. 3.* Ecce ergo mitto nuntium illum meum ante faciem tuam, qui parabit viam tuam coram te. Vox clamantis in deserto, Parate viam DOMINI, complanate semitas eius. *Confer Matth 3. v. 3. Iohan. 1. vers. 23. Ierem. 1. vers. 9. 10.* Et extendens Iehoua manum suam, tetigit os meum, dixitque Iehoua mihi, Ecce indo verba mea ori tuo. Vide, præficio te hodierno die gentibus ipsis & regnis, ad exstirpandum, & ad demoliendum, & ad deperdendum, & ad destruendum; ad ædificandum, & ad plantandum. Huc refer loca quibus prophetæ iubentur stillare, id est, prophetare. *Ezech. 20. versu 46. cap. 21. v. 2. Mich. 2. v. 6. 11. Amos 7. versu 16.* Naam fuit vocatus per curationem lepræ, 2 *Reg. 5.* Centurio & turba per miracula edita in morte Christi, *Matth. 27. &*

Luca

Luc. 23. Multi ſpectatores, per miracula Chriſti & apoſtolorum, *Iohan.* 2. *v.* 11. 23. *Marc.* 16. *v. vlt.*

III. *Vocationis externæ diſpar eſt euentus quantum ad electos & reprobos. (a) Quantum ad electos vocatio externa comitem habet internam, cuius effecta ſunt fides, ſpes, & charitas. Quantum ad reprobos, (b) quidam repudiant vocationem externam. (c) quidam per eam illuminantur, & donantur fide hiſtorica. (d) quidam donantur fide temporaria ita vt perfruantur gaudio. (e) quidam donantur fide miraculorum. (f) quidam indurantur & excæcantur magis magiſque.*

(a) *Rom.* 10. *verſu* 17. Fides ex auditu eſt, auditus per verbum Dei. *Eſa.* 55. *v.* 10. 11. Cùm deſcenderit pluuia aut nix de cœlo, rurſus illuc non reuertitur, ſed inebriat terram, facitque vt pariat ipſa, & producat, vt edat ſemen ſatori, & ſemen comedenti: ſic erit verbum meum quod egreſſum fuerit ex ore meo, non reuertetur ad me vacuum, ſed faciet id quod delector, & proſperabitur id quod emiſero. *Luc.* 8. *v.* 10. Vobis datum eſt noſſe myſteria regni Dei. *Confer verſ.* 15. *Actor.* 16 *verſ.* 14. Quædam autem mulier nomine Lydia, quæ purpuram vendebat in vrbe Thyatirorum, DEVM colens, nos audiuit: cuius DOMINVS adaperuit cor, vt attenderet ea, quæ dicebantur à Paulo. *Confer* 1. *Cor.* 1. *v.* 24. *&* 2. *Corinth.* 2. *verſ.* 16. (b) *Luc.* 14. *verſ.* 18. *& ſeqq.* Omnes cœperunt vno ore ſe excuſare, &c. *Matth.* 22. *v.* 5 Illi autem hoc cùm neglexiſſent, abierunt, alius quidem in agrum ſuum, alius verò ad mercaturam ſuam. (c) *Actor.* 26 *v.* 27. Paulus dicebat regi Agrippæ, Credis rex Agrippa Prophetis? Scio te credere. *Luc.* 8. *v.* 12. Qui autem ſecundùm viam ſemen excipiunt, ii ſunt qui audiunt: deinde venit diabolus & tollit ſermonem è corde ipſorum, ne poſtquam crediderunt, ſeruentur. *Hebr.* 4. *v.* 4. Nam fieri non poteſt, vt qui ſemel fuerunt illuminati, &c. (d) *Matthæi* 13. *v.* 20. 21. Qui in petroſa ſemen excepit, id eſt, qui ſermonem audit, & eum ſtatim cum gaudio excipit: non habet autem radicem in ſeſe, ſed temporarius eſt. *Confer Luc.* 8. *v.* 13. *Hebr.* 6. *v.* 4. 5. 6. Nam fieri non poteſt, vt qui ſemel fuerint illuminati, guſtauerintque donum illud cœleſte, & participes facti fuerint Spiritus ſancti, guſtauerintque bonum Dei verbum, ac virtutes futuri ſeculi, ſi prolabantur, denuò renouentur ad reſipiſcentiam. (e) *Matth.* 17. *verſ.* 20. Amen dico vobis: Si habeatis fidem, quantulum eſt granum ſinapis, dicetis monti huic, Demigra hinc illuc, & demigrabit: Et nihil erit impoſſibile vobis. *Confer Matth.* 21. *v.* 21. (f) *Actor.* 7. *verſ.* 51. Duri ceruice, & incircumciſi corde & auribus, vos ſemper reſiſtitis Spiritui ſancto: quales fuerunt patres veſtri, tales & vos eſtis. *Pſal.* 81. *v.* 12. 13. Sed non auſcultauit populus meus voci meæ, & Iſraël non acquieuit mihi. Quapropter dimiſi eos ambulaturos ex ſententiâ animi ſui, dicens, Abeant cum prauis conſiliis ſuis. *Eſa.* 6. *verſ.* 9. 10. Tum dixit, I, vt dicas populo iſti: audite indeſinenter, at ne intelligatis, & videte indeſinenter, neque cognoſcatis. Fac vt pingueſcat cor populi iſtius, & aures eius ingraueſcant, oculique eius fac conniueant: ne videat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat, & corde ſuo intelligat, ſeque conuertat, & ſanitas obueniat ei. *Eſa.* 63. *verſ.* 10. Ipſis rebellantibus, & dolore afficientibus Spiritum ſanctitatis eius. *Ierem.* 5. *v.* 3. Tu percuſſiſti eos, & non doluerunt, imminuiſti eos, & renuerunt accipere diſciplinam, duriores petrâ fecerunt facies ſuas, noluerunt reuerti. *Ierem.* 17. *v.* 23. At illi non audierunt, neque inclinauerunt aurem ſuam, indurantes ceruicem ſuam ne audirẽt, & ne ſuſciperent diſciplinam. *Rom.* 11. *v.* 7. 8. 9. 10. Quod quærit Iſraël, hoc non aſſequutus eſt, ſed electio conſequuta eſt: reliqui verò excæcati ſunt. Quemadmodum ſcriptum eſt: Dedit eis Deus ſpiritum compunctionis: oculos, vt non videant: & aures, vt non audiant, vſque ad hodiernum diem. Et Dauid dicit: Vertatur menſa illorum in laqueum, & in captionem, & in offendiculum, & in retaliationem ipſis. Obtenebrentur oculi eorum, vt non videant, & tergum illorũ ſemper incurua. *Ier.* 44. *v.* 16. 17. In verbo, quod ind. xiſti nobis nomine Iehouæ, minimè ſimus auſcultaturi tibi: ſed omninò facturi, quodcunque verbum prodierit ex ore noſtro, &c. *Iohan.* 12. *v* 37. *& deinceps.* Cùm autẽ tot ſigna coram eis edidiſſet, non credebãt in eum: Vt ſermo Eſaiæ impleretur, quem dixit, Domine, quis credidit ſermoni noſtro, & brachium Domini cui retectũ eſt: Propterea non poterant credere, quia, iterum dixit Eſaias: Excæcauit oculos eorum, & obdurauit corda eorum: ne videant oculis, & intelligant corde, & ſeſe conuertant, & ſanem eos. *Luc.* 8. *v.* 10. Vobis datum eſt noſſe myſteria regni Dei: reliquis autem per parabolas loquor, vt videntes non videant, & audientes non intelligant. 2. *Cor.* 3. *verſ.* 14. 15. Chriſti bona fragrantia ſumus Deo, in iis qui ſeruantur, & in iis qui pereunt: His quidem odor mortis ad mortem, illis verò odor vitæ ad vitam.

IV. *Deus per vocationem internam homines transfert in eccleſiam inuiſibilem, & in iis gratiâ ſuâ operante creat pœnitentiam fidem, & ſanctitatem.* Vocationis internæ effecta.

Eſa. 29. *v.* 23. Cùm videbit natos ſuos, opificium manuum mearum. *Ierem.* 31. *verſu* 33. Hoc eſt illud fœdus, quod pangam cum domo Iſraëlis poſt dies hos, dictum Domini: Indam legem meam menti eorum, & cordi eorum inſcribam eam, & ero eis Deus, & ipſi erunt mihi populus. *Ezech.* 36. *verſ.* 25 *& deinceps.* Aſpergens vos aquis mundis, vt mundemini; ab omnibus impuritatibus veſtris, & ab omnibus ſtercoreis diis veſtris mundabo vos, & dabo vobis cor nouum, & ſpiritum nouum ponam in medio veſtri: & amouens cor lapideum è carne veſtrâ, indam vobis cor carneum: ſpiritum meum ponam in medio veſtri; quo faciam, vt in ſtatutis meis ambuletis, & iura mea obſeruetis, facientes ea. *Confer ad Heb.* 8. *verſ.* 10. 11. 12. *Actor.* 11 *v.* 18. His auditis quieuerunt Iudæi, & glorificauerunt Deum, dicentes: nempe etiam gentibus Deus reſipiſcentiam dedit ad vitam. *Et cap.* 16. *verſu* 14. Cuius (Lydiæ) Dominus adaperuit cor, vt attenderet iis, quæ dicebantur à Paulo. 1. *Cor.* 2. *v.* 5. Ne fides veſtra conſiſtat in ſapientiâ hominum, ſed in potentiâ Dei. 2. *Cor.* 3. *v.* 3. Manifeſtum ſit vos eſſe epiſtolam Chriſti ſubminiſtratam à nobis, inſcriptam non atramento, ſed ſpiritu Dei viui. Non in tabulis lapideis, ſed in carneis tabulis cordis. 2. *Cor.* 4. *verſu* 6. Deus, qui dixit, vt è tenebris lux ſplendeſceret, is eſt, qui ſplenduit in cordibus noſtris ad lucem notitiæ gloriæ Dei in facie Ieſu Chriſti. *Epheſ.* 2. *v.* 5. Nos cùm in peccatis mortui eſſemus, vnà viuificauit Deus cum Chriſto, cuius gratiâ eſtis ſeruati. *Confer ſuprà cum loco de libero arbitrio num.* 3. Hinc patet, vocationem internam eſſe nouam creationem & generationem, ſiue regenerationem.

V. *Præcepta, quibus iubemur credere, & ſanctè viuere, ſunt adminicula, quibus vocatio interna in nobis perficitur.* Præcepta credendi & ſanctè viuendi ſubordinantur vocationi internæ.

2. *Chron* 20. *verſu* 20. Firmè credite Domino Deo veſtro, & confirmabimini, firmè credite prophetis, & proſperabimini. *Pſal.* 34. *v.* 1 . Timete Deum ſancti eius. *Pſal.* 37. *v.* 3. 4. 5. Confide in Domino, & fac bonum: inhabita terram, & paſcere fide, & oblecta te in Domino, qui dabit tibi petitiones animi tui. Deuolue ſuper Dominum viam tuam, & confide in eo. Nam ipſe efficiet. *Geneſ.* 17. *v.* 1. Indeſinenter ambula coram me, & eſto integer. *Deuteron.* 30. *verſu* 6. Circumcidet Dominus Deus tuus animum tuum, & animum ſeminis tui, ad diligendum Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex totâ animâ tuâ, vt viuas. *Et verſu* 8. Tu conuerſus auſcultabis voci Domini, & facies omnia præcepta eius, quæ ego præcipio tibi hodie. *Et cap.* 19. *v.* 20 Conteſtor contra vos hodie cœlum & terram; me vitam ac mortem propoſuiſſe tibi, benedictionem & maledictionem. Quare vitam electurus es, vt viuas tu cum ſemine tuo, diligendo Dominum Deum tuum, auſcultando voci eius, & adhærendo ei Nam ipſe eſt vita tua, & longitudo dierum tuorum. *Matth.* 5. *v.* 16. Ita ſplendeat lux veſtra coram hominibus, vt videant veſtra bona opera. 1 *Corinth.* 6. *v.* 20. Emti eſtis pretio: Glorificate igitur Deum in corpore veſtro, & in ſpiritu veſtro quæ ſunt Dei. *Philip.* 4. *v.* 8. 9. Quæcunque ſunt vera, quæcunque veneranda, quæcũque iuſta, quæcunque pura, quæcunque amabilia, quæcunque boni nominis; ſi qua virtus, & ſi qua laus eſt, hæc reputate. Quæ & didiciſtis, & accepiſtis, & audiuiſtis, & vidiſtis in me; hæc inquã, facite. 1. *Iohan.* 3. *v.* 11. 18. 24. Hæc eſt denuntiatio, quam audiuiſtis à principio, vt diligamus alij alios. Filioli mei, ne diligamus verbo & linguâ, ſed facto & veritate. Hoc eſt eius præceptum, vt credamus nomini Filij eius Ieſu Chriſti, & diligamus alij alios, ſicut præcepit nobis. *Eadem eſt ratio interdictionum diuinarum Pſal.* 32. *v.* 9 Ne eſtote vt equus & mulus, expertes intelligentiæ *Eſa.* 1 *v.* 16. Lauate vos purificate vos, amouete malignitatem actionum veſtrarum ex aduerſo oculorum meorum; deſinite malefacere. 1. *Cor.* 5. *v.* 7. Expurgate vetus fermentum, vt ſitis noua maſſa. 1. *Theſſ.* 5. *v.* 19. 20 22. Spiritum ne extinguite. Prophetias ne pro nihilo habete Ab omni ſpecie mali abſtinete.

VI. *Promiſſiones Euangelij ſunt vniuerſales ratione electorum ſiue credentium, quorum vniuerſitas eſt quaſi peculiaris mundus.* Promiſſiones Euangelij quomodo vniuerſales?

Iohan. 3. *verſ.* 16. Ita enim Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum dederit, vt quiſquis credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam *Et cap.* 5. *v* 51. Panis autem quem ego dabo, caro mea eſt, quam ego dabo pro mundi vitâ. *Matth.* 11. *v.* 28. Venite ad me omnes qui fatigati eſtis, & onerati, & ego faciam vt requieſcatis. *Confer cum verſ.* 25. *&* 29. in quorum illo promiſſionis huius analyſis à priori, in hoc à poſteriori traditur. 1. *Iohan.* 2. *v.* 2. Et ipſe (CHRISTVS IESVS) eſt propitiatio pro peccatis noſtris, nec pro noſtris tantùm, ſed

etiam pro totius mundi peccatis. *Marc.16.v.16.* Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſeruabitur. *Eſa.53.v.11.* Cognitione ſui iuſtificat iuſtus ſeruus meus multos, quorum iniquitates ipſe baiulauerit. *Vide quoque loc.ſeq.num.2.*

Regvlæ Didacticæ.

Vocatio in genere.

I. *De vocatione in genere ſunt hæ regulæ.*

1. *Vnio cum Chriſto efficitur per vocationem.* Nam in vocatione eſt oblatio & receptio Chriſti. 2. *Oblatio Chriſti eſt, quâ ille proponitur hominibus, vt medium ipſis prorſus neceſſarium ad ſalutem.* 3. *Receptio Chriſti eſt quâ Chriſtus oblatus homini coniungitur, & homo Chriſto.* Coniungitur, inquam, vel externè tantum, vel etiam internè: Hinc oblatio & receptio Chriſti, adeóque & ipſa vocatio, eſt externa, vel interna. 4. *Vocatio non pendet à dignitate aut voluntate hominis vocandi ſed à voluntate Dei vocantis.* Vocatur enim homo miſer & mortuus in peccatis; vocatur, inquam, a ſtatu peccati ad ſtatum gratiæ.

Vocatio communis.

II. *De vocatione communi electorum & hypocritarum hi ſunt canones.*

1. *Materia huius vocationis non ſunt omnes homines, ſed quidam ex genere humano.* Id teſtatur praxis V. & N.T. 2. *Forma huius vocationis eſt in oblatione beneficij redemtionis, & in præcepto de acceptatione.* Atque hæc eſt oblatio Chriſti externa; cui reſpondet receptio externa. 3. *Finis huius vocationis eſt, vt homines perducantur ad ſtatum gratiæ communis:* vt, inquam, perducantur ad communionem gratiæ, non autem gloriæ. 4. *Vocatio communis primariò fit propter electos, ſecundariò propter reprobos.* Illos enim Deus vocat ſeruandi propoſito: hos, quia permiſti ſunt electis. 5. *Ex vocatione communi non ſtatim electio concluditur.* 6. *Homines iubentur credere ſe eſſe electos & redemtos, cum exploratione fidei.* 2. *Cor.*13.5.

Vocatio ſpecialis.

III. *De vocatione ſpeciali, quæ eſt electorum propria, ſunt hæ regulæ.*

1. *Hæc vocatio in Scripturis appellatur noua creatio, regeneratio, tractio, reſuſcitatio.* *Ezech.*36.26. 2. *Cor.*4.6. *Iohan.*3.3. *c.*6.44. *In ſcholis nominatur electio actualis, vocatio efficax, & vocatio interna.* Etſi enim vocatio communis ſæpe etiam eſt interna, quatenus radio cognitionis mens illuſtratur & cor gaudio afficitur: tamen vocatio ſpecialis κατ' ἐξοχὴν dicitur interna, quia interiorem hominem efficit & afficit. 2. *Vocationis propria cauſa impellens eſt miſericordia Dei.* Hæc enim efficit, vt homo animalis, miſer, carnalis peccator, alienatus à vitâ Dei, mortuus in peccatis fiat ſpiritualis, felix, filius Dei, &c. 3. *Gratia huius vocationis eſt irreſiſtibilis, non ratione corruptæ noſtræ naturæ, ſed reſpectu gratioſæ operationis Spiritus ſancti.* Ille ſiquidem ex nolente facit volentem. 4. *Tempus huius vocationis non eſt adſtrictum baptiſmo.* Nam alios ante baptiſmum, alios in baptiſmo, alios poſt baptiſmum Deus vocat. 5. *Effecta huius vocationis ſunt immediata, vel mediata.* Ibi ſunt pœnitentia, fides, & ſanctitas: hîc iuſtificatio, ſanctificatio, & glorificatio.

Locvs XXVI.

De Pœnitentiâ.

Præcepta.

1. Effecta vocationis (immediata ſcilicet) ſunt pœnitentia, fides, & ſanctitas.

2. *Pœnitentia* hoc loco eſt deteſtatio peccati, eiuſque deploratio.

Regulas poſitiuas vide loc. præced.

Regvlæ Didacticæ.

Pœnitentiæ vox ambigua.

I. *Pœnitentia vocabulum tribus modis ſumitur.*

Primò pœnitentia ſumitur pro totâ hominis mutatione, & definitur, quâ peccata agnoſcimus, agnita deploramus, fiduciâque in Dei miſericordiâ & Chriſti merito nos erigimus, cum firmiſſimo à peccatis abſtinendi & Deo obediendi propoſito. *Deinde* eſt idem quod reſipiſcentia, quæ conſiſtit in mortificatione veteris & viuificatione noui hominis. *Denique* eſt dolor ille, qui antecedit fidem, & per fidem tollitur. Quæ poſtrema ſignificatio eſt huius loci.

Pœnitentia fidem antecedit.

II. *Pœnitentia fidem naturâ antecedit in vocandis.*

Oportet enim vt is, qui vocatur ex ſtatu peccati ad ſtatum gratiæ, primò doleat de peccato. Itaque pœnitentia, vti hoc loco conſideratur, conſiſtit eſſentialiter in dolore ſecundùm Deum, qui appellatur dolor offenſæ. Aliâs tres ſtatuuntur partes pœnitentiæ: dolor ſiue contritio, fiducia, & emendationis propoſitum. Et ita fides continetur ſub pœnitentiâ. Rurſus pœnitentia ſequitur fidem, quatenus eſt idem quod reſipiſcentia: quâ nempe fit, vt voluntas conuertatur ad bonum agendum cum auerſatione & odio peccati. De hâc vide mox loc. de ſanctificatione.

Locvs XXVII.

De Fide.

Præcepta.

1. Fides eſt hiſtorica, miraculorum, temporaria, vel ſaluifica.

2. *Fides hiſtorica*, ſeu dogmatica; eſt vniuerſalis, vel particularis. *Illa* reſpicit totum Dei verbum; *hæc* aliquam eius partem.

3. *Fides miraculorum* eſt actiua, vel paſſiua.

4. *Fides temporaria* ſpectatur in conuenientiâ & differentia cum fide ſaluificâ.

5. *Fides ſaluifica* ſpectatur in ortu, naturâ, & gradu ſuo.

6. *Ortus* eius eſt immediatus & extraordinarius, vel mediatus & ordinarius.

7. *Natura fidei ſaluificæ* ſpectatur in eſſentiâ & efficientiâ ipſius.

8. *Eſſentia* eius eſt πληροφορία, ſeu ſpecialiſſima perſuaſio & applicatio gratiæ ſalutaris in Chriſto.

9. *Efficientia* ipſius eſt, quòd ex ſe parit fiduciam, ſpem, charitatem, & gaudium.

10. *Gradus fidei ſaluificæ* eſt infimus, medius, & ſummus.

Regulas poſitiuas vide loc. 29.

Regvlæ Didacticæ.

I. *Fides eſt quæ creditur, vel quâ creditur.*

Fides, quæ creditur, eſt ipſa doctrina ſana in Scripturis reuelata, 1. *Tim.* 19. *Fides quâ creditur*, aut eſt generalis & communis, electorum & hypocritarum, eáque hiſtorica ſeu dogmatica, miraculorum, vel temporaria: aut ſpecialis & propria electorum.

II. *Fidei ſaluificæ forma eſt in applicatione ſpeciali promiſſionum euangelij.*

Nam fides ſaluifica eſt, quâ homo electus promiſſiones gratuitas de Chriſto, ex euangelio agnitas, ſibi firmiter applicat, iiſque ſuauiter acquieſcit. Itaque forma fidei eſt in applicatione firmâ, quæ ex ſe parit acquieſcentiam, fiduciam, & ſimilia. Hinc patet, fidem ſaluificam, ſeu iuſtificantem, eſſe formaliter & οὐσιωδῶς in intellectu; conſequenter & ἐνεργητικῶς etiam in voluntate. Nimirum τὸ credere eſt actus fidei elicitus. Similiter credere promiſſionem gratiæ ad ſe pertinere. Iſte verò actus pertinet ad intellectum. Nam vltima reſolutio fidei, quatenus denotat actum credendi, eſt in perſuaſionem & conuictionem intellectûs, profectam à Spiritu ſancto. Aliâs vltima fidei reſolutio, quantum ad rem credendam, fit in authoritatem ſeu reuelationem diuinam. Cæterùm quia conſequenter voluntas moueri ſolet, vt acquieſcat in promiſſione applicatâ, idcircò voluntas vulgò in corde ſeu voluntate collocatur.

III. *In fide ſaluificâ attenditur ortus & gradus.*

Ortus eſt, quòd gratiâ præueniente, quâ electi & vocati ſumus, per efficaciam Spiritûs ſancti, fides in nobis adultis gignitur per verbum, & fouetur per ſacramenta, vt aſſenſu ſpeciali ſtatuamus, Deum eſſe noſtrum patrem in Chriſto, luctando cum dubitationibus, & tandem ex iis eluctando. *Gradus* fidei non tantùm eſt varius in diuerſis hominibus, ſed etiam in vno eodemque homine. Sua namque habet incrementa, & decrementa: nunquam tamen amittitur.

Locvs XXVIII.

De Sanctitate.

Præcepta.

1. Sanctitas quæ existit ex vocatione, analoga est fidei. Proinde est vera, vel apparens.

2. *Sanctitas* vera respondet fidei saluificæ. Estque alia imputata, alia inhærens.

3. *Sanctitas imputata* cernitur in iustificatione.

4. *Sanctitas inhærens* est inchoata, vel consummata.

5. *Sanctitas inchoata* est in sanctificatione.

6. *Sanctitas consummata* est in glorificatione.

7. *Sanctitas apparens* respondet fidei historicæ, miraculorum, & temporariæ.

Regulas positiuas vide paulò antè loc.25.& mox loc.30.

Regvlæ Didacticæ.

I. *Sanctitas est conformitas cum primâ voluntate.*

Sanctitas est personæ, operis, vel rei: & illa est Dei, angeli, & hominis. Vniuersa ista sanctitas est cõformitas cum voluntate archetypâ, quæ est Dei. Nam ideo aliquid est sanctum, quia congruit cum voluntate primâ, quæ est causa efficiens & exemplaris omnis sanctitatis. Ideo Deus dicit: *Sancti estote, quia ego sanctus sum.*

II. *Sanctitas hominis renati est realis, siue imputetur, siue inhæreat.*

Nam si imputetur, fundamentum imputationis est vnio & communio, quæ est inter Christum & credentes. Ea enim facit, vt Christus & credentes sint vna persona. Itaque sanctitas Christi capitis est sanctitas membrorum. Ex hâc sanctitate fluit sanctitas inhærens, quæ in credentibus est per modum qualitatis, sicut prior illa inest per modum relationis.

III. *Sanctitas in nobis est à gratiâ Dei præueniente & subsequente.*

Nam præuenit ac præparat nos diuina gratia, antequam possimus: operatur in nobis, vt possimus: cooperatur nobis, quando ipsius dono iam possumus.

Locvs XXIX.

De Iustificatione.

Præcepta.

1. Iustificatio hominis coram Deo spectatur communiter & singulariter.

Communiter in forma & adiunctis suis.

2. *Iustificationis forma* est absolutio hominis in mente Dei, eiusque sensus viuus in corde hominis.

3. *Adiuncta* sunt: quòd hæc iustificatio est vera, completa, efficax, & vniuersalis.

Singulariter iustificatio hominis coram Deo est legalis, vel euangelica.

4. *Iustificatio legalis* consideratur in Adamo ante lapsum, & in humanâ Christi naturâ.

5. *Iustificatio euangelica* locum habet in omnibus & solis credentibus.

Eius occurrunt causæ, effecta, & adiuncta.

6. *Causæ* iustificationis euangelicæ sunt,

I. *Efficiens*; eaque principalis vel instrumentalis. *Ibi* est εὐδοκία Patris, & satisfactio Christi: *hic* fides.

II. *Materia* est tota iustitia Christi mediatoris, quatenus est mediator.

III. *Forma* consistit in remissione peccatorum, & imputatione iustitiæ Christi.

IV. *Finis* est patefactio sapientissimæ temperaturæ iustitiæ & misericordiæ Dei, & pax consciētiæ nostræ.

7. *Effecta* iustificationis sunt adoptio, libertas, sanctificatio, & glorificatio.

8. *Adiuncta* eius sunt: non admittere magis & minus, fieri semel & simul in mente Dei, denique varium admittere sui sensum in cordibus nostris.

Regvlæ Positivæ.

I. *Iustificandi verbum in hoc doctrinæ loco* (a)*interdum idem valet quod iustum constituere, seu iustum censere reputaréue.*(b)*interdum idem valet quod iustum pronuntiare seu absoluere.* Iustificandi vox explicatur.

(a) *Rom.* 5. *v.* 19. Sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi: ita per vnius obedientiam iusti constituentur multi. *Et cap.*4. *v.*6. Dauid dicit, beatificationem esse hominis cui Deus imputat iustitiam. (b) *Rom.*8. *v.*33.34. Quis accusabit electos Dei: Deus est is qui iustificat. Quis est qui condemnet?

II. *Iustificatio est, quâ Deus gratiâ suâ gratum faciente, id est, beneuolentiâ & fauore paterno, hominem fidelem in animo ipsius certum reddit, quòd eum, peccatis remissis, pro iusto reputet, ob redemtionem seu satisfactionem & meritum Christi mediatoris. Itaque iustificatio pendet* (a) *à gratiâ Dei tanquam causâ architectonicâ:* (b) *à merito Christi tanquam fundamento, seu causâ meritoriâ.* (c) *à fide tanquam instrumento & manu seu causâ organicâ.* Iustificatio quid

De tribus hisce causis coniunctim vide *Tit.* 3. *v.*4. *& seqq.* (a) *Rom* 3. *vers.* 23. 24. Omnes peccauerunt ac deficiuntur gloriâ Dei, vt qui iustificentur gratis, etiam gratiâ. *Et cap.* 5. *v.*21. Vt quemadmodum regnauerat peccatum in mortem, ita etiam gratia regnaret per iustitiam in vitam æternam, per Iesum Christum Dominum nostrum. *Ephes.*2.*v.*8. Gratiâ seruati estis per fidem, idque non ex vobis, Dei donum est. *Romam.*11.*v.*6. Quòd si per gratiam, non iam ex operibus, alioqui gratia iam non est gratia. *Esa.*43.*v.*12. Ego, ego ipse deleo defectiones tuas, propter me, & peccatorum tuorum non recordor. *Matth.*9. *vers.*6. Sciatis, potestatem habere filium in terrâ remittendi peccata. *Genes.*15.*vers.*6. Credidit Abraham Domino, qui imputauit ei illud ad iustitiam. *Rom.*4. *v.*6. *& deinceps.* Dauid declarat beatum eum hominem, cui Deus imputat iustitiam absque operibus, dicens: Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum obtecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputat Dominus peccatum. (b) *Rom.* 5. *versu* 15. At non vt offensa, ita etiam est quod Deus gratificatur (τὸ χάρισμα) nam si illius vnius offensâ, multi mortui sunt, multò magis gratia Dei (ἡ χάρις τοῦ θεοῦ) & donum per gratiam (ἡ δωρεὰ ἐν χάριτι) quæ est vnius hominis Iesu Christi, in multos redundauit. Hîc pulcherrimè gratia gratis data distinguitur à gratiâ gratis dante, & gratis faciente. *Iohan.*1.*v.*16. Et ex plenitudine ipsius (Christi) omnes accepimus, & gratiam pro gratiâ. (χάριν ἀντὶ χάριτος,) id est, gratiam supra gratiam, & gratiam propter gratiam, ita vt Christus sit vberrimus fons gratiarum, quæ nobis conferuntur. *Rom.*3.*v.*23. Omnes peccauerunt & deficiuntur gloriâ Dei, vt qui iustificentur gratis, id est, eius gratiâ, per redemptionem factam in Iesu Christo. *Coloss.*1.*v.*14. In quo (Iesu Christo) habemus redemtionem (ἀπολύτρωσιν) per sanguinem ipsius, id est, remissionem peccatorum. *Tit.* 2.*v.*13.14. Iesus Christus seruator noster dedit semetipsum pro nobis, vt redimeret (λυτρώσηται) nos ab omni iniquitate, & purificaret sibi populum peculiarem, accensum studio bonorum operum. 1. *Petri* 1. *v.*18.19. Non rebus corruptibilibus, argento vel auro, redemti estis (ἐλυτρώθητε) ex vanâ illâ conuersatione à patribus traditâ, sed pretioso sanguine, vtpote agni immaculati & incontaminati, Christi. *Gal.* 3 *v.*13. Christus nos redemit (ἐξηγόρασεν) ab execratione legis, dum pro nobis factus est execratio. *Et cap.*4. *v.*5 Postquam venit plenum tempus, emisit Deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret (ἐξαγοράσῃ) vt adoptionem acciperemus. *Apoc.* 5. *v.*9.10. Dignus es, qui accipias librum, & aperias sigilla eius: quoniam mactatus es, & redemisti (ἠγόρασας) nos Deo per sanguinem tuum, ex omni tribu, & linguâ, & populo, & natione: & fecisti nos Deo reges & sacerdotes: & regnabimus in terrâ. *Coloss.* 1 *v.*13. Eruit (ἐρρύσατο), seu extraxit nos ex potestate tenebrarũ. *Heb.*2.*v.*14.15. Vt per mortem aboleret eum, qui mortis habet imperium, h. e diabolum: & liberos redderet, quotquot metu mortis per omnem vitam obnoxij erant seruituti. Hinc

Chriſtus appellatur vindex, *Iob.*19 *v.*25. liberator, *Ioh* 8.*v.*38. *Gal* 5.*v.* ſaluator & ſeruator *Luc.*2.*v* 11.*Ioh* 4.*v* 4. *&* 5.*v.*31. *&* 13.*v.*23. *Philip.*3.*verſ.*20 2 *Tim.*1.*v.*10.*Tit.*2.*v.*10.13. *&* 3. *v.*46.2.*Pet* 1.*v* 1.*&* 1.*v.*..0.*&* 3.*v.*2.18 1.*Ioh.*4.*v.*14.*Iud.v.*25. *Eſa* 53 *v.*10 Dominus delectatus conterere ipſum morbo affecit, quandoquidem exponebat ſe ipſe ſacrificium pro reatu. *Eph.*5 *v.*2. Chriſtus dilexit nos & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem ac victimam Deo,in odorem bonæ fragrantiæ. *Heb* 9. *v.* 14 Chriſtus per Spiritum æternum obtulit ſeipſum inculpatum Deo. 2.*Cor.*5.*v* 18. Deus reconciliauit nos ſibi per Ieſum Chriſtum. *Heb* 7. *v.* 22. Tantò melioris pacti ſponſor factus eſt Ieſus 1.*Cor.*6.*v.*19.20. Non eſtis veſtri iuris. Nam pretio empti eſtis.*Idem repetitur* 1.*Cor.*7.*v.*23 *Matth.*10.*v.*28. Filius hominis non venit, vt ſibi miniſtretur, ſed vt miniſtret, detque animam ſuam redemtionis pretium pro multis, λύτρον ἀντὶ πολλῶν. 1.*Tim.*2.*v* 6. Qui (Chriſtus Ieſus) ſeſe ipſe dedit redemtionis pretium pro omnibus, ἀντίλυτρον ὑπὲρ πάντων. *Hoc pretium dicitur* pretioſus ſanguis agni inculpati,& incontaminati Chriſti.1.*Pet* 1.*v* 19. ſanguis teſtamenti, *Zach.*9.*v.*11.& pacti æterni.*Heb.*13.*v.*20. *Matth.* 26. *v.* 28 Hoc poculum eſt ſanguis meus,noui fœderis, qui pro multis effunditur in remiſſionem peccatorum.*Confer Luc* 22.*v.* 9 *Eph.*2.*v* 13.Propinqui facti eſtis per ſanguinem Chriſti.*Coloſſ.*1.*v.*20.Pace per ſanguinem crucis eius factâ per eum reconciliare ſibi omnia,per eum, inquam,tum quæ in terrâ,tum quæ in cœlis. 1.*Ioh.*1.*v.*7. Sanguis Ieſu Chriſti filij eius purgat nos ab omni peccato. *Apoc.*1. *v.*5. Lauit nos à peccatis per ſanguinem ſuum.*Et cap.*7.*v.* 4. Sancti lauerunt ſtolas ſuas,ac dealbarunt in ſanguine Agni.*Rom.* 3.*v.* 23 *& deinceps* Omnes peccauerunt,ac deficiuntur gloriâ Dei,vt qui iuſtificentur gratis,id eſt,eius gratiâ,per redemtionem factam in Ieſu Chriſto, Quem propoſuit Deus placamentum (ἱλαστήριον) per fidem in ſanguinem ipſius ad demonſtrationem iuſtitiæ ſuæ propter diſſimulationem peccatorum.*Et cap* 5.*v.*10. Si,cùm inimici eſſemus,reconciliati ſumus Deo per mortem Filij eius, multò magis reconciliati, ſeruabimur per vitam ipſius. *Heb.*2.*v.*17 Debuit per omnia fratribus ſimilis fieri, vt miſericors & fidelis pontifex in iis, quæ apud Deum agenda erant ad expiandum peccata populi. 1.*Ioh.*2.*v.*2. Ieſus Chriſtus eſt propitiatio pro peccatis noſtris,nec pro noſtris ſolùm,ſed etiam totius mundi peccatis *Et cap.*4.*v.*10.In hoc eſt charitas,non quòd nos dilexerimus Deum,ſed quòd ipſe dilexerit nos,& miſerit filium ſuum,vt eſſet propitiatio pro peccatis noſtris.

Phraſes Scripturæ de ſatisfactione Chriſti.

Porrò de redemtionis pretio & ſatisfactione Chriſti,ſunt elegantiſſimæ & ſignificantiſſimæ phraſes Scripturæ. Nominatur enim,

Dominus ipſe,qui ſe tradidit,obtulit & dedit pro nobis *Eph.*5. *v.*2.Chriſtus tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem ac victimam Deo,in odorem bonæ fragrantiæ. 1.*Tim.*2.*v* 5. Qui ſeſe ipſe dedit conueniens liberationis pretium pro quibuſuis. *Confer Tit.*2.*v.* ..*ad Heb* 7 *v.*27 *cap.*9 *v.*14

Corpus eius quod pro nobis traditum eſt 1.*Corinth.*11 *verſ.*24. Accipite, edite, hoc meum eſt corpus quod pro vobis frangitur. 1.*Petr.*2.*v.*24. Qui peccata noſtra ipſemet ſurſum tulit in corpore

*Caro ipſius,Epheſ.*2.*v* 14 15. Lege ipsâ præceptorum quæ in ritibus poſita eſt euaneſcente factâ: vt ex duobus illis conderet in ſemetipſo vnum nouum hominem, faciens pacem. Et vtroſque in vno corpore reconciliaret Deo per crucem, peremtis inimicitiis per eam 1.*Pet.*4.*v* 1. Quum igitur Chriſtus paſſus ſit pro nobis carne, vos quoque eâdem cogitatione armamini, nempe quòd qui paſſus eſt in carne, deſtitit à peccato.

*Corpus carnis,Coloſſ.*1.*v.*20.21.22.Et vt pace per ſanguinem crucis eius factâ per eum reconciliet omnia ſibi, per eum, inquam, tum quæ in terrâ,tum quæ in cœlis. Itaque vos quum eratis quondam abalienati, & hoſtes, mente operibus malis intentâ, nunc ſanè reconciliauit: in corpore illo carnis ſuæ, per mortem: vt ſiſtat vos ſanctos & inculpabiles, & irreprehenſibiles in conſpectu ſuo.

Sanguis Dei & Chriſti, *Actor.*2.*v.*28. Attendite igitur animum ad vos ipſos & totum gregem,in quo vos Spiritus ille ſanctus conſtituit epiſcopos ad paſcendam Eccleſiam Dei, quam ſuo illo proprio ſanguine acquiſiuit. *Epheſ.*2 *v.*13. At nunc in Chriſto Ieſu,vos qui olim eratis longinqui,propinqui facti eſtis per ſanguinem Chriſti. *Coloſſ.*1.*v.*14. In quo habemus redemptionem per ſanguinem ipſius. 1.*Iohan.*1.*verſu* 7. Sanguis Ieſu Chriſti Filij eius purificat nos ab omni peccato. *Hebr.*9.*verſ.*14. Quantò magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum æternum ſeipſum obtulit inculpabilem Deo,emundabit conſcientiam veſtram à mortuis operibus,ad colendum Deum viuum.

*Anima ſeu vita Chriſti,Eſa.*53.*verſ.*10 Complacuit autem Domino eum ſic conterere & infirmitatem inferre, vt ſi poneret animam ſuam pro hoſtiâ delicti, videret ſemen, quod longos viueret dies: & voluntas Domini in manu eius proſperum habuit ſucceſſum. *Matth.* 20. *verſ.* 28. Sicut Filius hominis non venit vt ſibi miniſtretur, ſed vt miniſtret, detque animam ſuam in redemptionis pretium pro multis. *Iohan* 10 *verſu* 15. Prout nouit me Pater, ita & ego noui Patrem, & animam meam depono pro ouibus.

*Iuſtitia Chriſti. Rom.*5.*v.*18. Nempe igitur ſicut per vnam offenſam reatus venit in omnes homines ad condemnationem, ita per vnam iuſtificationem, beneficium redundauit in omnes homines ad iuſtificationem vitæ.

*Obedientia, Rom.*5.*v* 19. Sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi, ita per vnius obedientiam iuſti conſtituentur multi.

Paupertas, 2.*Cor.*8.*v.*9. Noſtis enim beneficentiam Domini noſtri Ieſu Chriſti, eum videl. propter nos pauperem factum eſſe, quum eſſet diues: vt vos illius paupertate diteſceretis.

Paſſio, *Hebr.*13. *verſu* 12. Quapropter & Ieſus vt ſanctificaret populum per proprium ſanguinem, paſſus eſt extra portam.

*Vibices & liuor ſeu tumor,Eſa.*53.*v.*5.Contritus eſt propter ſcelera noſtra, fuitque caſtigatio pacis noſtræ ſuper eum, & per liuorem eius medicatum eſt nobis. 1.*Petr.*2. *verſ.*24. Qui peccata noſtra ipſemet ſurſum tulit in corpore ſuo ſupra lignum illud,vt peccatis mortui, iuſtitiæ viueremus; cuius vibicibus ſanati eſtis.

*Attritio ſeu vulneratio,Eſa.*53.*v.*10.Complacuit autem Domino eum ſic atterere.

Effuſio ſanguinis,Matth 10 *verſ* 28 *Philip.*2.*v.*7. Factus eſt obediens vſque ad mortem,mortem autem crucis.

Immolatio, *Heb* 9.*v.*26. Sed nunc ſemel in conſummatione ſeculorum, ad peccatum per immolationem ſuiipſius è medio tollendum factus eſt conſpicuus. *Et cap.*10.*v.*10 Quâ voluntate ſanctificati ſumus per oblationem corporis Ieſu Chriſti ſemel factam.

Mactatio & ſanguis, *Apocal.*5.*v.*9. Quoniam mactatus es, redemiſti nos Deo per ſanguinem tuum ex omni tribu, & linguâ, & populo, & natione

Mors, *Rom.* 5. *verſu* 8 Commendat autem ſuam erga nos charitatem Deus, eò quòd quum adhuc eſſemus peccatores, Chriſtus pro nobis mortuus ſit. *Et cap.* 6. *verſu* 10. Nam quòd mortuus eſt, peccato mortuus eſt ſemel: quòd autem viuit, viuit Deo. 1.*Cor* 15.*v.*3. Tradidi enim vobis inprimis quod & accepi, Chriſtum videlicet mortuum eſſe pro peccatis noſtris, ſecundùm ſcripturas. *Galat.*2. *v.*21. Non irritam facio gratiam Dei. Nam ſi per legem eſt iuſtitia, igitur Chriſtus ſine causâ mortuus eſt. *Confer.*1. *Theſſal.*5 *v.*10. *Hebr.*2.*v.*14. 1.*Petr* 3.*v.*18.

Crucifixio, 1.*Cor* 1.*v.*23. Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum. *Et cap* 2. *verſu* 2. Non enim ſtatui quicquam ſcire inter vos, niſi Ieſum Chriſtum eumque crucifixum. 2.*Cor.*13. *v* 4. Nam etſi crucifixus fuit ex infirmitate, viuit tamen ex potentia Dei.

*Mors Chriſti, Philip.*2.*v.*8. Ipſe ſe ſummiſit, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis.

Sacrificium, *Hebr.*9.*v.*26. *Et cap* 10.*v.*12. Hic verò vnâ pro peccatis oblato in perpetuum ſacrificio conſedit ad dexteram Dei.

*Derelictio, Pſal.*22. *v.*2. Deus meus, Deus meus, quare dereliquiſti me? *Confer Matth.*27.*v.*46.

*Maledictum, Galat.*3.*v.*13. At Chriſtus nos redemit ab execratione legis, dum pro nobis factus eſt execratio.

*Condemnatio peccati, Rom.*8.*v.*3. Nam quæ legis erat impotentia, quum viribus eſſet deſtituta in carne, Deus ſuo ipſius Filio miſſo in forma conſimili carni peccato obnoxia, idque pro peccato, condemnauit peccatum in carne. Chriſtus factus peccatum,id eſt,ſacrificium pro peccato.2.*Corinth.*5.*v* 21.Fecit enim qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum.

*Profuſio ipſius in mortem,Eſa.*53.*v* 12. Idcirco portionem ei ſegregabo in multis, & cum robuſtiſſimis diuidet ſpolia, eò quòd effudit animam ſuam in mortem.

*Deletio chirographi, Coloſſ.*2.*v.*14. Ac deleto quod aduerſum nos erat chirographo: quod erat nobis ſubcontrarium ipſe cruci affixum ſuſtulit è medio.

*Baiulatio iniquitatum,Eſa.*53 *v.*11. Iniquitates multorum ipſe baiulabit.

Propitiatio, Rom 3.*v.*24. Quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius. 1. *Iohan.* 2. *v.* 2. Et ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: nec pro noſtris ſolùm,ſed etiam pro totius mundi peccatis.

Curatio, *Malach.*4 *v.vlt.* Et reducet cor patrum in filios, & cor filiorum in patres ſuos:ne fortè veniam,& percutiam terram anathemate. *(c) Rom.*3. *v.*28. Colligimus igitur fide iuſtificari hominem abſque operibus legis *Gal.*2.*v.*16. Scientes hominem non iuſtificari ex operibus legis,niſi per fidem Ieſu Chriſti:etiam nos in Chriſtum Ieſum credidimus, vt iuſtificaremur ex fide Chriſti, & non ex operibus legis. *Philip.*3. *verſ.*7.8.9. Quæ mihi erant lucra, ea duxi propter Chriſtum damnum eſſe. Quin etiam certè duco, omnia damnum eſſe propter eminentiam notitiæ Chriſti Ieſu Domini mei: propter quem omnibus iſtis me ipſum mulctaui, eáque duco pro ſtercoribus, vt Chriſtum lucrifaciam: & comperiar in eo, non habens meam iuſtitiam, nempe quæ ex lege, ſed eam, quæ eſt per fidem Chriſti, id eſt, iuſtitiam, quæ eſt ex Deo per fidem *Iohan* 3. *v.*14.*& deinceps.* Prout Moſes extulit ſerpentem in deſerto, ita extolli

extolli oportet filium hominis, vt, quisquis credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. *Et versu* 36. Qui credit in filium, habet vitam æternam. *Cap.* 11. *vers.* 25.26. Ego sum resurrectio & vita. Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, viuet: & quisquis viuit, & credit in me, non morietur in æternum. *Et cap.* 6. *v.* 54. Qui edit carnem meam, & bibit sanguinem meum, habet vitam æternam.

III. *Iustificari ex operibus & lege, est propria iustitia iustum esse: at est fide iustificari, est iustum esse & absolui coram Deo ob alienam nempe Christi, iustitiam, nobis imputatam, & vera fide acceptatam, adeoque appropriatam.*

Philip 3. *v.* 9. Non habens meam iustitiam, &c. Vide paulò antè ad lit. c. *Habac.* 2. *v.* 4. *Rom.* 1. *v.* 17. Iustus ex fide viuet. *Rom.* 3. *vers.* 20. *ad* 29. Ex operibus legis nulla caro iustificabitur, &c. *Actor.* 10. *vers.* 43. Huic, Iesu Nazaræno, omnes prophetæ testimonium dant, remissionem peccatorum accepturum per nomen eius, qui crediderit in eum. *Rom.* 4. *v.* 11. Abrahamus signum accepit circumcisionis, sigillum iustitiæ fidei. *Et vers.* 23.24. Non est scriptum propter eum solum quod hoc imputatum fuerit ei: sed etiam propter nos, quibus futurum est, vt imputetur, iis nimirum, qui credunt in eum. &c. *Roman.* 5. *v.* 1. Iustificati ex fide pacem habemus apud Deum, per Dominum nostrum Iesum Christum. *Galat.* 3. *versu* 24. Lex pædagogus noster fuit in Christum, vt ex fide iustificaremur.

IV. *Fides, qua iustificamur, (a) non est nuda & historica notitia; (b) neque est temporale gaudium: sed est (c) notitia certa & firma, quâ non tantùm assentimur verbo Dei in genere, sed promissionem gratiæ in Christo, nobis vt nostram peculiariter adiudicamus. (d) cum qua coniuncta est fiducia, in Deo acquiescens, & gaudium spirituale (e) quæ denique omnis generis opera, tanquam fructus, ex se producit, & ad finem vsque perseuerat.*

a) *Iacob.* 2. *versu* 17. Fides, si opera non habet, mortua est. *Et versu* 19. Tu credis DEVM vnum esse. Rectè facis. Etiam dæmonia credunt; & horrescunt. *Actor.* 26. *vers.* 27. Credis rex Agrippa Prophetis? Scio te credere. (b) *Matth.* 13. *v.* 20.21. Qui in petrosa semen excepit, id est, qui sermonem audit, & eum statim cum gaudio accipit, non habet autem radicem in se. (c) *Roman* 4. *versu* 18. Qui (Abraham) contra spem sub spe credidit. *Et cap.* 8. *versu* 38.39. Mihi persuasum est, neque mortem, neque vitam, neque angelos, neque principatus, neque potestates, neque præsentia, neque futura, neque sublimitatem, neque profunditatem, neque vllam rem aliam creatam, nos posse separare a dilectione Dei, quæ est in Iesu Christo Domino nostro. 2. *Tim.* 1. *vers.* 12. Non pudefio. Noui enim, cui crediderim; & mihi persuasum est, eum posse depositum meum in illum diem custodire. *Gal.* 2. *versu* 20. Per fidem illam filij Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. *Iohan.* 3. *versu* 33. Qui recipit eius testimonium, is obsignauit DEVM veracem esse. *Esa.* 26. *versu* 3. Cogitationi innitenti custodis continuam pacem, cùm tibi confidit. *Et c.* 53. *versu* 11. Cognitione sui iustificabit iustus seruus meus multos. 1. *Corinth.* 3. *vers.* 12. Vt sciamus, quæ DEVS est nobis gratificatus. *Iob* 19. *versu* 25. Noui redemptorem meum viuere. Huc pertinent magnifici illi tituli, quòd fides appellatur πληροφορία, πεποίθησις, ἔλεγχος, & ὑπόστασις: & quòd dicitur ex se parere παρρησίαν, libertatem ad Deum, & προσαγωγὴν, aditum ad Deum. *Ephes.* 3. *versu* 12. *Roman.* 5. *versu* 2. *cap.* 8. *versu* 38. 2. *Corinth* 3. *versu* 4. *Hebr.* 11. *versu* 1. Item, quòd dicitur nostra victoria, 1. *Iohan.* 5. *versu* 4. scutum, *Ephes.* 6. *vers.* 16. & arma militiæ nostræ, 2. *Corinth* 10. *versu* 4.5. (d) *Ephes.* 3. *vers.* 12. In quo (Christo) habemus libertatem & aditum cum fiducia per fidem ipsius. *Iohan* 8. *versu* 56. Abraham gestiuit, vt videret diem meum, & vidit, & gauisus est. (e) *Iacob* 2. *versu* 17. *& seqq.* Fides si opera non habet, mortua est per se, &c. *Galat.* 5. *versu* 6. In Christo Iesu neque circumcisio quidquam valet, neque præputium, sed fides per charitatem efficax. *Luc.* 22. *vers.* 32. Ego rogaui pro te, ne deficiat fides tua. *Iohan.* 10. *versu* 28. Oues meas nemo rapiet ex manu meâ. 2. *Timoth.* 2. *versu* 19. Solidum fundamentum Dei stat, habens sigillum hoc, Nouit Dominus qui sint sui. 1. *Petr.* 1. *versu* 5. Virtute (ἐν δυνάμει) Dei custodimini per fidem ad salutem. *Et versu* 23. Renati estis ex semine incorruptibili. *Esa.* 42. *versu* 3. *Matth.* 12. *vers.* 20. Arundinem quassatam non franget, & linum fumigans non extinguet. *Ierem.* 32. *vers.* 40. Timorem meum indam cordi eorum vt non recedant à me. 1. *Iohan.* 2. *vers.* 27. Vnctio, quam vos accepistis ab eo, manet in vobis.

V. *Iustificatio ex se parit (a) vnionem & communionem cum Deo. (b) gloriam adoptionis. (c) consolationem viuam. (d) bonam conscientiam. (e) salutarem vsum bonorum huius mundi. (f) tolerantiam crucis. (g) spem firmam. (h) libertatem Christianam.*

a) *Esa.* 54. *v.* 5. Coniux tuus erit opifex tuus, cuius nomen Dominus exercituum. *Hos.* 2. *vers.* 16.19.20. Eritque die illo, dictum Iehouæ, vt voces me viri mi. Et desponsabo te mihi in seculum: desponsabo te, inquam, mihi iustitia, iudicióque & benignitate ac misericordia; & desponsabo te mihi fide, vt agnoscas Dominum. *Iohan.* 6. *v.* 56. Qui edit carnem meam, & sanguinem meum bibit, in me manet, & ego in eo. 1. *Corinth.* 7. *versu* 17. Qui adhæret Domino, vnus cum eo spiritus est. *Ephes.* 5. *ver.* 30. Membra sumus corporis eius (Christi) ex carne eius & ex ossibus eius. 1. *Corinth.* 10. *v.* 17. Vnus panis vnum corpus multi sumus. 2. *Corinth.* 11. *versu* 2. Aptaui vos, quos vni viro, & virginem puram sistam, nempe Christo. *Galat.* 3. *versu* 28. Omnes vos vnus estis in Christo. *Coloss.* 3. *vers.* 15. Vocati estis in vnum corpus. *Iohan* 6. *v.* 54. Qui edit carnem meam & bibit sanguinem meum, habet vitam æternam. *Iohan.* 15. *vers.* 4. *& seqq.* Manete in me, & ego in vobis manebo, sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, id est, nisi manserit in vite: ita nec vos, nisi in me manseritis, &c. *Roman.* 8. *v.* 17. Si filij, sumus etiam hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. *Ephes.* 4. *v.* 3. *& seqq.* Studete conseruare vnitatem spiritus per vinculum pacis. Vnum est corpus, & vnus spiritus: sicut & vocati estis in vnam spem vocationis vestræ. Vnus Dominus, vna fides, &c. 1. *Iohan.* 1. *v.* 5. *& seqq.* Hic est nuntius ille, quem audiuimus ex ipso, & renuntiamus vobis, Deum lucem esse, nec tenebras in eo vllas esse. Si dixerimus, nos communionem habere cum ipso, & in tenebris ambulamus, mentimur, nec sincerè agimus. Quòd si in luce ambulamus, sicut ipse est in luce, communionem habemus cum eo mutuam & sanguis Filij eius purificat nos ab omni peccato. *De hac vnione & communione vide Canticum canticorum.* (b) *Esa.* 43. *vers.* 17. *& seqq.* Sic ait Dominus, qui fecit te & formauit te ex vtero, adiuturus te: ne timeto. Nam effundam aquas super sitientem, & fluenta super aridam: effundam spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super prognatos tuos. Et efflorescent velut inter gramen, velut salices secundùm processus aquarum. Hic dicet, Domini sum, & iste vocabit se nomine Iacobi: ille verò scribet manu sua, sum Domini, & de nomine Israëlis cognominabit. *Et cap.* 56. *vers.* 4.5. Qui obseruarint sabbata mea, & elegerint id quo delector, apprehenderintque fœdus meum: eis daturus sum in domo mea, & intra muros meos spatium & nomen melius, quàm filiorum aut filiarum: nomen perpetuum daturus sum eorum cuique, quod non exscindetur. *Et cap* 62. *versu* 4. Indetur tibi nomen nouum, quod os Domini præfixerit. *Hosæ.* 1. *versu* 10. Erit pro eo, quod dicitur, non populus meus estis, vt dicatur Filij Dei viuentis estis. *Matth.* 5. *versu* 9. Beati, qui sunt pacifici: quoniam filij Dei vocabuntur. *Et versu* 45. Estis filij patris illius vestri, qui est in cœlis. *Et cap.* 13. *versu* 38. Bonum semen sunt filij regni. *Luc* 6. *v.* 35. Diligite inimicos vestros, &c. & erit merces vestra multa, ac filij eritis illius altissimi. *Iohan.* 1. *versu* 12. Quotquot eum (Christum) exceperunt, dedit eis hoc ius, vt filij Dei sint facti, nempe iis, qui credunt in nomen eius. *Roman.* 8. *v.* 14. *& seqq.* Quotquot spiritu Dei aguntur, ij sunt filij Dei: non enim accepistis spiritum seruitutis rursum ad metum, sed accepistis spiritum adoptionis, per quem clamamus Abba, id est, Pater. 2. *Corinth.* 6. *versu* 18. Ero vobis pro patre, & vos eritis mihi pro filiis & filiabus: dicit Dominus omnipotens. *Galat.* 3. *versu* 26. Omnes filij Dei estis per fidem in Christo Iesu. *Galat.* 4. *versu* 5.6. Vt adoptionem acciperemus. Quoniam estis filij, emisit Deus spiritum Filij sui in corda vestra, clamantem Abba, id est, Pater. *Ephes.* 1. *versu* 5. Quos adoptaret in filios per Iesum Christum. *Philip.* 2. *versu* 15. Sitis integri & sine maculâ, tanquam filij Dei sinceri, qui habitant in generatione prauâ & peruersâ. 1. *Iohan* 3. *versu* 2. Dilecti, nunc Filij Dei sumus. *Et vers.* 9.10. Quisquis natus est ex Deo, peccato non dat operam, quoniam semen ipsius in eo manet, nec potest peccare, quòd ex Deo natus est. Per hoc manifesti sunt filij Dei & filij diaboli. *Apocal.* 2. *v.* 17. Qui vicerit, ei tribuam, vt edat ex manna illo occulto, & dabo illi calculum album, & in calculo nouum scriptum, quod nemo nouit, nisi qui accepit. *Et c.* 21. *v.* 7. Victor hæreditario iure obtinebit omnia: & ero ipsi Deus, & ipse erit mihi filiús. (c) *Psal.* 94. *v.* 19. Cùm multæ cogitationes sunt apud me, consolationes tuæ oblectant animam meam. *Esa.* 12. *v.* 1. Dices tempore illo, Celebrabo te Domine, quia iratus fuisti mihi, sed auersa ira tua consolatus es me. *Et c.* 51. *v.* 12. Ego, ego sum consolator vester. *Et c.* 61. *v.* 1.2. Vnxit Dominus me, ad consolandum omnes lugentes. *Et cap* 66. *v.* 13. Vt aliquem consolatur mater sua, sic ego consolaturus sum

Kk 4 vos.

vos. 2.*Corinth* 1. *v.3 & seq.* Benedictus Deus ac Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater miserationum, & Deus omnis consolationis, consolans nos in omni afflictione nostra: vt possimus in quauis afflictione positos consolari ea ipsa consolatione qua nos ipsos consolatur Deus. Nam sicut exundant [illegible] Christi in nos, ita per Christum etiam exundat [illegible] nostra. 2.*Thessal.* 2. *v.16.* [illegible] ipse Dominus noster Iesus Christus & Deus ac Pater noster, qui dilexit nos, & dedit consolationem æternam, & spem bonam per gratiam, consoletur corda vestra, & stabiliat vos in omni sermone & opere bono. (d) 2.*Corinth.* 1. *v.12.* Gloriatio nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quòd in simplicitate & sinceritate Dei versati sumus in mundo. *Heb.* 13. *v.*18. Confidimus nos bonam conscientiam habere, vt qui in omnibus studeamus benè versari. *Iohan.* 8 *v.* 56. Abrahamus, pater ille vester, gestiuit videre diem illum meum, & vidit, ac gauisus est. *Rom.* 5. *v* 1. Iustificati ex fide, pacem habemus apud Deum per Dominum nostrum Iesum Christum. 1.*Petr.* 3 *v.21* Baptismus nos seruat, non quo carnis sordes abiiciuntur, sed stipulatio bonæ conscientiæ apud Deum: id est, non baptismus externus, sed internus. (e) 1.*Timoth.* 4 *vers.* 3.4. Deus condidit cibos ad participandum cum gratiarum actione fidelibus, & iis, qui norunt veritatem. Nam quidquid condidit Deus, bonum est: néc quidquam reiiciendum est, si cum gratiarum actione sumatur. *Deuteron.* 28. *v.* 1. *& seqq.* Erit, si fideliter auscultaueris voci Domini Dei tui, &c. Benedictus eris in ciuitate, & benedictus eris [illegible], &c. (f) *Iob* 9. *versu* 23. Ad probationem innocentium ridet. *Psal n* 37 *v.2*[illegible] Multæ sunt afflictiones iusti: sed ex omnibus illis eripit eum Dominus. [illegible] *Esa.* 28. *versu* 23 *& deinceps Ierem.* 46 *versu* [illegible] Castigaturus sum te modicè, non autem prorsus relicturus impunem. *Roman* 8. *versu* 17. Si modò cum eo patimur, vt & cum eo glorificemur. 1.*Corinth.* 11. *versu* 32. Dum iudicamur, à Domino erudimur, ne cum mundo condemnemur. 2 *Timoth.* [illegible] *versu* 12. Omnes, qui volunt piè viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur. *Hebr.* 11. *vers.* 35 *& 37.* Sanctorum alii distenti sunt, alii ludibria & flagella sunt experti. *Hebr.* 12. *vers.* 5. 6. Obliti estis adhortationis, quæ vobis ceu filiis loquitur: Fili mi, ne parui facito castigationem Domini, neque animo frangitor, cùm ab eo argueris. Quem enim diligit Dominus, castigat: flagellat autem, quemcunque filium agnoscit. *Iacob.* 1. *v* 2.3. Summo gaudio ducite, quoties in tentationes varias incideritis, scientes explorationem fidei vestræ efficere tolerantiam. *Apoc.* 3. *v.*19 Ego, quoscunque amo, arguo & castigo. (g)*Roman.* 5. *v.* 5. Spes non pudefacit, eò quòd charitas Dei effusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum *Et v.*2. Per quem (Iesum Christum) etiam fide adducti sumus in hanc gratiam per quam stamus, & gloriamur sub spe gloriæ Dei. *Psal* 62. *v.*8. Spes mea in Deo est. *Et* 142. *v.6.* Dixi, Tu es spes mea. *Esa.* 30 *v.*15. In silentio & spe erit fortitudo vestra. *Roman.* 8. *v.24.* Spe enim saluati sumus. 1.*Thess.* 5. *v.*8. Induti thorace fidei, & charitatis: & pro galeâ, spes salutis. *Confer Roman* 12. *v* 12. *cap.* 15. *v.*4 2 *Cor.* 1. *v.7. cap* 3 *v.*12. *Coloss.* 1. *v.* 5. 1 *Thess* 1 *v.*3 *Tit.* 1. *v.*2. *Hebr.* 3. *v.*6. 1.*Petr.* 1. *v.* 3. (h) *Libertas Christiana est in eo, quòd liberati sumus* (i) *à maledictione legis.* (k) *à rigida exactione legis* (l) *à ceremoniis legis.* (m) *à rerum adiaphorarum necessaria obseruatione.* (i) *Gal.* 3. *v.*13. Christus nos redemit ab execratione legis, dum pro nobis factus est execratio. *Roman.*6. *v.*14. Non estis sub lege, sed sub gratiâ. (k) *Rom.*7. *v.*22. Delector lege Dei, quoad interiorem hominem. 1 *Iohan.* 5. *v.* 3 Mandata eius grauia non sunt. (l) *Gal.* 3. *v.*24. Postquam venit fides, non ampliùs sub pædagogo sumus. *Ephes.* 2. *v.*14 15. Christus est pax nostra: qui vtraque fecit vnum, & intergerini parietis septum soluit inimicitiis (id est, lege mandatorum quæ in ritibus posita est) per carnem suam abolitis. *Coloss.* 2. *v.* 14. *& deinceps.* Christus deleuit, quod aduersus nos erat rituum chirographum, quòd erat nobis contrarium: ipse verò cruci affixum sustulit. Ne quis igitur nos damnet ob cibum vel potum, &c. quæ sunt vmbra rerum futurarum: corpus autem est Christi. (m) *Galat.* 2. *v.* 3. *& deinceps.* Sed neque Titus, qui mecum erat, quamuis esset Græcus, coactus fuit circumcidi, nempe propter irreptitios falsos fratres qui irrepserant ad explorandum libertatem nostram, quam habemus in Christo Iesu, vt nos in seruitutem adigerent. Quibus ne ad momentum quidem nos subiiciendo cessimus: vt veritas euangelij permaneret apud vos

Regvlæ Didacticæ.

Communio cum Christo duplex.

I. *Communio beneficiorum ex vnione cum Christo fluentium est relatiua, vel absoluta. Illa est in iustificatione & adoptione: hæc in sanctificatione & glorificatione. Horum omnium adiunctum est libertas & perseuerantia.*

Omnia beneficia Dei in Christo continentur vnione & communione cum Christo. Vnio efficitur per vocationem: communio per iustificationem, sanctificationem, adoptionem, & glorificationem. Vbique autem cernitur mutatio aliqua statûs, id est, translatio à statu peccati & mortis ad statum iustitiæ & vitæ æternæ. Ista porrò mutatio est relatiua, vel absoluta: vtraque realis. *Mutatio status relatiua* est, quæ in reputatione Dei consistit. Hinc nullos propriè dictos gradus admittit, sed vnico [illegible] simul existit perfecta: quamuis quoad manifestationem, sensum, & effecta varios admittere potest gradus. Huc pertinet iustificatio, & adoptio. *Mutatio status absoluta* est alteratio qualitatum in homine facta. Itaque varios admittit gradus inchoationis, progressus, & perfectionis. Alteratio ista respicit bonum iustum & honestum, vel bonum commodum & honorificum. Ibi est sanctificatio: hîc, glorificatio Est autem sanctificatio glorificatio inchoata; & vicissim glorificatio est sanctificatio consummata.

Iust[itia] dup[lex].

II. *Iustitia est causæ, vel personæ.*

Iustitia causæ est, quâ homo alioqui peccator, in certo aliquo negotio iustus est & innocens. *Iustitia personæ* est perfecta, vel imperfecta *Perfecta* est legalis, vel euangelica. Illam efflagitat lex; hanc ostendit euangelium in Christo. *Imperfecta* est, quam Spiritus sanctus in hâc vitâ in fidelibus inchoat, in altera verò perficit. Iustitia igitur Christi est perfecta, in iustificationis negotio: iustitia autem nostra est inchoata, in sanctificatione.

Iust[ificatio] quid.

III. *Iustificatio est actio Dei hominem iustum iudicantis & pronuntiantis.*

Iudicat autem hominem iustum, talémque pronuntiat, vel ob inhærentem & propriam iustitiam, vel ob imputatam, donatam, applicatam, & appropriatam iustitiam Hinc iustificatio alia est legalis, alia euangelica. Nos excidimus iustificatione legali. Reliqua autem nobis est per Dei gratiam *iustificatio euangelica*, quæ est actio Dei gratuita, quâ propter plenissimam satisfactionem Christi, fide apprehensam, nos absoluit à peccato & morte, & iustos reputat ad vitam æternam. Itaque iustificatio hominis peccatoris non est physica aliqua mutatio, sed forensis & moralis, quæ in reputatione Dei & sententiæ pronuntiatione consistit. Porrò sententia ista gratiosa in mente Dei ab æterno quasi fuit concepta, per decretum iustificandi: deinde in Christo fuit confirmata: denique per Spiritum sanctum in cordibus nostris pronuntiatur, & acceptatur.

Iu[stifica]tio [actiua] & [passiua].

IV. *Iustificatio accipitur actiuè vel passiuè.*

Forma iustificationis actiuè sumpta est totius satisfactionis Christi imputatio, quâ fit, vt Deus illam nobis applicet, nósque pro iis habeat, qui satisfecerimus. Tota itaque iustitia Christi mediatoris nostra est, non secus ac si ipsi eam præstitissemus. *Forma iustificationis passiuè sumpta* est, quâ credentes, fide tanquam manu, Christum cum merito suo apprehendunt, sibique applicant. Itaque sola fides dicitur iustificare, non quòd propter fidem iusti simus, sed quia per fidem accipimus iustitiam Christi, eámque nobis adiudicamus.

Pa[rtes] [iu]sti[ficatio]ni[s].

V. *Partes iustificationis sunt remissio peccatorum, & imputatio iustitiæ Christi; quæ duo differunt ratione.*

Nam remissio peccatorum est iniustitiæ abiudicatio: imputatio iustitiæ Christi est iustitiæ adiudicatio. Illa est, quâ pro non-iniustis, seu innocentibus, habemur: hæc, quâ pro iustis habemur. Differunt itaque hæc duo terminis.

Iust[itia] im[puta]ta qu[alis].

VI. *Iustitia Christi nobis imputata est perfecta, æqualis in omnibus credentibus, vnica, & inamissibilis.*

Nam omnes electi perfectè, æqualiter, & irreuocabiliter à Deo censentur iusti in Christo & propter Christum, qui factus est nobis sapientia, iustificatio, sanctificatio, & redemptio.

Locvs XXX.

De sanctificatione, & bonis operibus in genere.

Præcepta.

1. Sanctificatio consideratur in genere, & in specie.

Sanctificatio in genere spectatur in natura & effectis suis.

Natura sanctificationis consideratur absolutè, vel comparatè: & iterum absolutè in partibus, & caussis suis.

2. *Partes sanctificationis* duæ sunt: auersio à malo, & conuersio ad bonum. *Illa* dicitur mortificatio veteris; *hæc*, viuificatio noui hominis.

3. *Caussæ sanctificationis* sunt ita:

I. *Efficiens* est principalis, gratia Dei: vel organica, vt fides & concio legis & euangelij.

II. *Materia* est peccati odium, & iustitiæ studium.

III. *Forma* est renouatio mentis, voluntatis, & affectuum.

IV. *Finis* est gloria Dei, confirmatio electionis, conuersio aliorum, & gaudium sanctorum angelorum & hominum.

4. *Comparatio sanctificationis* est conuenientia & differentia eius cum iustificatione & glorificatione.

5. *Effecta sanctificationis in genere spectata* sunt *bona opera*, & ipsa in genere considerata.

In iis spectatur necessitas, essentia, & gradus.

6. *Necessitas bonorum operum* non est meriti, sed præcepti & medij.

7. *Essentia bonorum operum* est obedientia euangelica quæ proficiscitur ex fide, secundùm normam verbi Dei, ad ipsius solius gloriam.

8. *Gradus bonorum operum* in hâc vitâ est remissus, secundùm magis & minus.

REGVLÆ POSITIVÆ.

I. Sanctificatio est, quâ Deus in iustificatis, gratiâ suâ cooperante, sanctitatem gratiâ operante datam, dirigit ad bona opera facienda.

Exod. 31. *v.* 13. Ego Dominus sum, qui sanctifico vos. *Ezec.* 20. *v.* 12. Ego Dominus sanctifico vos. *Et cap.* 36 *v.* 27. Spiritum meum ponam in medio vestri, quo faciam vt in statutis meis ambuletis, & iura mea obseruetis, facientes ea. *Et cap.* 37. *versu* 28. Cognoscant gentes me Dominum sanctificare Israëlem cùm erit sanctuarium meum in medio ipsorum. *Luc.* 11. *versu* 13. Si vos, qui mali estis, nostis bona dare liberis vestris; quantò magis Pater vester cœlestis, dabit Spiritum sanctum, petentibus ab ipso. *Ioan.* 17. *v.* 17. Sanctifica Pater, eos tuâ veritate 2. *Cor.* 3. *v.* 5. Non sumus idonei per nos ipsos, ad cogitandum quidquam, velut ex nobis ipsis: sed quod idonei sumus, id ex Deo est. *Philip.* 4. *v.* 13. Omnia valeo per eum, qui me corroborat, nempe Christum. *Hebr.* 13. *vers.* 20. 21. Deus pacis compingat vos ad omne opus bonum, ad præstandam ipsius voluntatem, efficiens in vobis quod gratum sit in conspectu suo 2. *Thess.* 1. *v.* 18 Oramus semper pro vobis, vt vos dignetur istâ vocatione Deus noster, & compleat omnem gratuitæ suæ bonitatis beneuolentiam, & opus fidei potenter. *Titul.* 2. *versu* 14. Dedit semetipsum Iesus Christus pro nobis, vt redimeret nos ab omni iniquitate, & purificauit sibi ipsi populum peculiarem, accensum studio bonorum operum. *Philip.* 2. *v* 13 Deus is est, qui efficit in nobis, & ipsum velle, & ipsum agere, pro gratuita suâ beneuolentia. 1. *Cor* 15. *v* 10. Gratiâ Dei sum id, quod sum; & gratia eius, quæ in me collata est, non fuit inanis, sed ampliùs quàm omnes laboraui: non ego tamen, sed gratia Dei quæ mecum est. *Rom.* 6. *v.* 22. Liberati a peccato, serui autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctimoniam, finem autem vitam æternam. *Hinc est, quod sancti tum pro se, tum pro aliis orant, vt sanctè incedant Psal.* 92. *v.* 24. Deduc me in viam perpetuam. *Et* 141. *vers.* 3. 4. Compone, Domine, obseruatio os meum, custodiens moderare quidquid efferunt labia mea, ne sine inclinari animum meum ad rem malam, ad agitandum actiones per improbitatem, cum viris operam dantibus iniquitati, etiam nescer rebus amœnis eorum. *Et* 143. *vers.* 10. Doce me facere placitum tuum, quia tu Deus meus es: tuo spiritu bono deduc me per terram planam. *Ephes.* 3. *v.* 14. *& seqq.* Huius rei gratiâ flecto genua ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, ex quo tota familia in cœlis & in terrâ nominatur; vt det vobis pro diuite suâ gloriâ, vt fortiter corroboremini per spiritum ipsius in interiore homine, & inhabitet Christus per fidem in cordibus vestris: vt in charitate radicati & fundati valeatis assequi cum omnibus sanctis, quæ sit illa latitudo & longitudo, profunditas & sublimitas. 1. *Petr.* 5. *v.* 10. Deus omnis gratiæ, qui vocauit nos ad æternam suam gloriam in Christo Iesu, paulisper afflictos, is perficiat vos, stabiliat, roboret, fundet.

II. Bona opera debent fieri ex fide, secundùm legem Dei, ad ipsius gloriam. Tria requisita bonorum operum.

Rom. 14. Quidquid verò ex fide non est, peccatum est *Hebr.* 11. *v.* 6. Fieri non potest, vt sine fide quisquam ei placeat 1. *Samuel* 15 *v.* 22. At dixit Samuel, an delectatur Iehoua holocaustis, & sacrificiis, vt cùm auscultatur voci Iehouæ: Ecce, auscultare est meliùs sacrificio; attendere, adipe arietum. *Ephes.* 6. *v.* 17. Galeam etiam salutis recipite, & gladium Spiritus, h. e. verbum Dei. *Psal.* 119. *ver.* 105. Lucerna pedi meo verbum tuum est, lux itineri meo *Vide passim in ho psalmo. Deuteron.* 12. *v. vlt.* Vnamquamque rem, quam ego præcipio vobis, eam obseruantes facite: ne addito ei, neque detrahito ex eâ. *Esa.* 29. *v.* 13. Dixit enim Dominus, propterea quòd appropinquans populus iste ore suo, & labiis suis honorant me, cor autem suum procul amouet à me: est reuerentia eorum erga me, quam præcepto hominum edocti sunt. *Confer Matth.* 15. *ver.* 8. *Ezech.* 20. *v.* 18. 19. Edixi enim filiis ipsorum in deserto, in statutis patrum vestrorum ne ambuletis, & iura illorum ne obseruetis; neque stercoreis diis illorum vos polluatis. Ego sum Iehoua Deus vester, in statutis meis ambulate, & iura mea obseruate, ac facite ea. *Matth.* 15. *v.* 9. Frustrà me colunt docentes doctrinas, quæ sunt mandata hominum. 1. *Cor.* 10. *vers.* 31. Omnia in Dei gloriam facite. *Et cap.* 6. *versu* 20. Glorificate Deum in corpore vestro, & in spiritu vestro, quæ sunt Dei.

III. Bonorum operum cursus quotidie est instaurandus per pœnitentiam, hoc est, mortificationem veteris, & viuificationem noui hominis. Bonorum operum cursus quotidie instaurandus.

Matth. 3 *vers.* 4. Ferte fructus resipiscentiâ dignos. *Esa.* 1. *vers.* 16. 17. Lauate vos, purificate vos, amouete malignitatem actionum vestrarum ex aduerso oculorum meorum; desinite malè facere, discite bene facere *Amos* 5. *versu* 15. Odio habete malum, & amate bonum *Psal.* 34. *v.* 15. Recede à malo, & fac bonum. *Ephes.* 4. *versu* 21. *& seqq* Per eum (Christum) edocti estis deponere quod ad pristinam conuersationem attinet, veterem illum hominem, qui de seductricibus cupiditatibus sese corrumpit: renouari verò spiritu mentis vestræ, & induere nouum illum hominem, qui secundùm Deum conditus est ad iustitiam & sanctimoniam veram. *Et ap.* 5. *v* 8. Fratis olim tenebræ, nunc autem lux in Domino, vt filij lucis incedite. *Tit.* 2. *v.* 11 12. Illuxit gratia illa Dei salutifera, omnibus hominibus, erudiens nos, vt, abnegatâ impietate, & mundanis cupiditatibus, temperanter & iustè, & piè viuamus in præsenti seculo. 2. *Cor.* 7 *ver* 9 10. Nunc gaudeo, non quòd tristitia affecti fueritis, sed quòd tristitiâ affecti fueritis ad resipiscentiam. Nam tristitiâ fuistis affecti secundùm Deum, &c. Nam qui secundùm Deum dolor est, is resipiscentiam efficit ad salutem, cuius nunquam pœniteat: at mundi dolor mortem efficit.

IV. Deus remuneratur bona opera præmiis temporalibus & æternis ex merâ gratiâ. Deus remuneratur bona opera ex gratiâ.

Luc. 7. *v.* 10. Vos, cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, serui inutiles sumus, nam quod debuimus facere, fecimus. *Matth.* 5. *v.* 12. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra multa est in cœlis. *Confer Luc.* 6. *v.* 23. 25. *Apocal.* 22. *v.* 12. *Matth.* 25. *vers.* 34. *& seqq.* Tunc dicet rex iis qui ad dextram ipsius erunt. Adeste benedicti Patris mei, possidete regnum paratum vobis à iacto mundi fundamento. Esuriui enim & dedistis mihi, quo vescerer; sitiui, & dedistis mihi potum, &c. 1. *Tim.* 4. *v.* 8. Pietas ad omnia vtilis est, vt quæ promissionem habeat vitæ præsentis ac futuræ. *Confer Deut.* 28.

V. Opera primæ tabulæ præcipua sunt (a) Dilectio Dei supra omnia coniuncta cum timore filiali. (b) Fiducia in Deo. (c) Patientia erga Deum, coniuncta cum spe. (d) Precatio. (e) Confessio. (f) Iuramentum. (g) Votum. (h) Religiositas. Præcipua opera primæ tabulæ.

(a) *Psal.* 18. *ver.* 2. 3. Ex intimis visceribus meis diligam te, Domine firmitas mea, Domine petra mea, & propugnaculum meum, & liberator meus, Deus meus, rupes mea, ad quam recipiam me; clypeus meus, & cornu salutis meæ, editus locus meus. *Confer Matth.* 22. *v.* 37. *Deuter.* 10. *v.* 12. Quid Dominus Deus tuus petit abs te (Israel) nisi vt timeas Dominum Deum tuum, ambules in omnibus viis tuis, & diligas eum, & colas Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex toto animo

animo tuo? (b) *Esa.26.v.4.* Confidite Domino vsque in sempiternum. Nam in Domino Domino rupes seculorum est. *Psal.4.v.6.* Fiduciam habete in Domino *Psal.115.v.9. & deinceps.* Israël confide Iehouæ, auxilium horum, & scutum horum est. Vos è familiâ Aharonis confidite Iehouæ, auxilium horum & scutum horum est. Timentes Iehouam confidite Iehouæ, auxilium horum, & scutum horum est. (c) *Luc.8.v.15.* Quod seren in bonam terram cecidit, ii sunt qui corde honesto ac bono auditum sermonem retinent, & fructum afferunt in patientiâ: *Et cap. 21. v. 19.* Per tolerantiam vestram possidete animas vestras. *Apoc.2. v.2.* Noui opera tua, & laborem tuum, & tolerantiam tuam. *Iacob.5. v.8.* Patiente animo estote, & stabilite corda vestra. *Psal.103.v.7.* Expectationem habeat Israël in Domino, quia apud Dominum est benignitas, & plurimum apud eum redemtionis. *Hos. 12. vers.7.* Tu (Israël) ad Deum tuum conuertere; benignitatem & iudicium obserua, & expectationem habe in Deo tuo iugiter. *Psal.22.vers.5.* Tibi confisi sunt maiores nostri: confisi sunt, & liberasti eos. *Confer 1.Pet 1.vers.13.21.1.Tim.th 4.versu 10.* (d) *Psal.50.v.15.* Inuoca me in die angustiæ, eripiam te. *Psal.138.v.1.* Celebrabo te ex toto animo meo. *1. Thess.5. vers.17.18.* Indesinenter orate. in omnibus gratias agite. Hæc enim est voluntas DEI, per IESVM CHRISTVM erga vos. (e) *Rom.10.v.10.* Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. *Matth 10.vers 32.33.* Quisquis igitur agnoscet me coram hominibus, agnoscam & ego eum coram Patre meo qui est in cœlis: Quisquis autem abnegauerit me coram hominibus, abnegabo & ego eum coram Patre meo qui est in cœlis. (f) *Levit 19 vers.12.* Neque iurate per nomen meum ad fallaciam vllam; sic profanaueris nomen Dei, tui, ego sum Iehoua. *Matth 5.v.33.* Non peierabis, sed reddes Domino quæ iuraueris. *Ierem 4.vers.2.* Quin iures, viuit Iehoua, in veritate, iudicio, & iustitiâ. (g) *Psal 50.vers.14.* Redde excelso vota tua. *Et 116 vers 13. 14.* Quid respondeream Domino? omnia beneficia eius superant me. Poculum omnis salutis acceptum exhibeo, & nomen Domini prædicabo; vota mea Domino rependens. *Eccles.5. v.5.* Melius est, vt non voueas, quàm vt voueas ac non persoluas (h) *Psal 50. Esa.1.v.11. & seqq. 1.Cor.11.v.20. & seqq. Iacob.1.v.vlt.* Religio pura & incontaminata apud Deum & Patrem hæc est inuisere orphanos & viduas in afflictione ipsorum, & immaculatum sese seruare à mundo.

Circa precationem quot attendendenda?

VI. *Circa precationem attendenda sunt hæc tria: (a) Quid nos debeat mouere ad precandum: putà sensus nostræ necessitatis, mandatum Dei, & promissio exauditionis. (b) Quomodo sit precandum: videl. reuerenter, ardenter, demissè, fiducialiter, piè, & perseueranter. (c) Quales circumstantiæ sint obseruandæ.*

(a) *Psal 50.v.15.* Inuoca me in die angustiæ: eripiam te. *Iohan.16.v.23.24.* Petite, & accipietis. Amen, amen, dico vobis, Quæcunque petieritis à patre meo, in nomine meo, dabit vobis. *Matth.7.v.7.* Petite, & dabitur vobis. *Et cap.18.v.19.* Si duo ex vobis consenserint in terrâ, quodcunque petierint, fiet eis à Patre meo qui est in cœlis. (b) Vide exemplum Abrahami, *Genes.18.vers.24. & deinceps.* Danielis. *Dan.9. v.3. & deinceps.* Publicani, *Luc 18.vers 13.* Et parabolam de viduâ, *Luc. 18.v.1.& seqq. Heb. 10. v.21.* Cùm habeamus libertatem ingrediendi sacrarium, per sanguinem IESV: accedamus cum vero corde, & certâ persuasione fidei. *Iacob.1. vers.6.* Postulet cum fide. (c) In N T. non sumus astricti ad certum locum publicum. *1.Tim.2.v 8. Iohan 4 Matth.14 v.23. Et cap.6.v.6.* Et priuatis precibus non est præscriptum certum tempus, publicis verò præscriptus est dies Dominicus. *Act 20. v.7.1. Corinth 16.v.2.* Denique gestus varij possunt adhiberi, putà eleuatio manuum, *1.Reg.8.v 22.* flexio genuum, *Actor.20. v.36.* eleuatio oculorum versus cœlum, *Iohan.11.vers.41.* capitis detectio, *1.Cor. 11.v. 4.&c.*

Circa votum quot obseruanda?

VII. *Circa votum hæc sunt obseruanda, (a) ne quid voueamus quod pugnet cum verbo Dei, vel cui præstando non simus pares, vel quod non conueniat nostræ vocationi. (b) Vt per votum nostrum studeamus beneficium aliquod à Deo impetrare, non verò illud habeamus pro opere meritorio. (c) Vt per votum nos adstringamus ad officium faciendum.*

(a) *Actor.23. v.12.* recitatur impium votum quadraginta virorum, qui vouerant se non esuros, neque bibituros, donec trucidassent Paulum. *1. Cor.7. v.9.* Quòd si se non continent, matrimonium contrahant. Itaque peccant, qui vouent cœlibatum, si non habeant donum continentiæ. *1.Cor.7. v.4.* Neuter (coniugum) habet potestatem proprij corporis. Peccaret igitur maritus, si voueret continentiam cum vxore; & vicissim. (b) Tale fuit votum Iacobi, *Genes.28.v.20.* Iephte, *Iudic.11. vers 32.33.* Hannæ, *1.Sam.1.vers.11.* Absalomi, *2.Sam. 5.v.8.* (c) Tale fuit votum Dauidis de inueniendo loco pro arcâ fœderis, *Psal.132.v.2. & deinceps.*

VIII. *Præcipua opera secundæ tabulæ sunt (a) Dilectio proximi sincera & constans. (b) Eleemosyna. (c) Euitatio scandali. (d) Ædificatio proximi. (e) Legitimus vsus rerum indifferentium.*

(a) *Iohan 4.v.21.* Hoc præceptum habemus ab eo, vt qui diligit Deum, diligat etiam fratrem suum. *Matth.5. v.44.* Diligite inimicos vestros, benedicite iis, qui deuouent vos, & precamini pro iis, qui vobis infesti sunt, & prosequuntur vos. *Confer Luc.6.v.27. & Matth.6.v 15 16. Rom. 12.v.20.* Si esurit inimicus tuus, ciba eum: si sitit, da ei potum. Hoc enim si feceris, carbones ignis coarceruabis in caput eius (b) *Daniel. 4. v.27.* Peccata tua iustitiâ abrumpe, & iniquitates tuas gratiâ erga afflictos. Vide etiam *Matth.6 v.1. & seqq. & cap 25. v.34. & seqq.* (c) *Matth.18. v.6 & deinceps.* Quisquis offenderit aliquem ex paruis istis qui in me credunt, præstiterit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, ac demergatur in profundum maris. Væ mundo ab offendiculis. Hîc tamen non debemus curare, si quis nostris rectè dictis aut factis offendatur, *Matth.5 v.12 Iohan 6 v.61.1.Cor.10.v.32.* Estote sine offendiculo, & Iudæis, & Græcis, & Ecclesiæ Dei (d) *Rom.15. v.2.* Vnusquisque proximo indulgeat ad bonum, ad ædificationem. *1.Cor.10. v.vlt.* Sicut & ego per omnia omnibus placeo, non quærens meam ipsius vtilitatem, sed multorum, vt seruentur (e) *Rom.14.v.13.& seqq.* Ne amplius igitur alij alios iudicemus: sed hoc iudicate potiùs, ne offendiculum ponatis fratri, aut scandalum. Item: Si propter escam frater tuus tristitiâ afficitur, non iam secundùm charitatem ambulas. *1.Cor. 10. v.23.* Omnia mihi licent: sed non omnia ædificant *Rom 15.v.1.* Debemus autem nos qui firmi sumus, imbecillitates infirmorum portare, ac non indulgere nobis ipsis.

REGVLÆ DIDACTICÆ.

I. *De Sanctificatione in genere sunt hæ regulæ.*

1. *Sanctificatio est realis mutatio hominis, à turpitudine peccati, in puritatem imaginis Dei.* Iustificatio est & ipsa realis mutatio, sed eiusmodi, vt homo liberetur à reatu peccati. Sed sanctificatio facit, vt homo liberetur magis ac magis à turpitudine & maculâ peccati. 2. *Sanctificatio est mutatio totius hominis.* Primò tamen & præcipuè conuenit animæ, vnde postea deriuatur in totum corpus. *Deut.30.6.* 3. *Sanctificatio in Scripturis appellatur regeneratio, renouatio, conuersio, pœnitentia, resipiscentia, & glorificatio.* Quæ tamen vocabula sunt ambigua. Nam regeneratio, renouatio, & conuersio sæpe etiam ponuntur pro vniuersâ hominis peccatoris restitutione in integrum, quæ continetur vocatione, iustificatione, & sanctificatione. Et pœnitentia interdum est dolor ille, qui fidem antecedit. Et denique glorificatio interdum est sanctificatio consummata. 4. *Sanctificatio differt à iustificatione partim genere, partim formâ, partim gradibus. Genere:* quia iustitia in iustificatione pertinet ad categoriam relationis, in sanctificatione est qualitas. *Formâ:* quia in iustificatione fides est vt manus apprehendens iustitiam CHRISTI; in sanctificatione est principium & radix bonorum operum, adeóque habitus & qualitas. Ibi tollitur peccatum quantum ad reatum & pœnam, ne obsit: hic paulatim aboletur, ne præsit. Ibi iustitia CHRISTI nobis imputatur: hîc noua iustitia in nobis creatur. *Gradibus:* quia iustificatio est actus vnicus, indiuiduus, perfectus, æqualiter contingens omnibus: sanctificatio autem est actus successiuus, ad perfectionem paulatim tendens, & pro donorum Spiritus sancti varietate in aliis magis, in aliis minùs lucens. 5. *Causæ sanctificationis ita sunt. Causa impulsiua interna,* est gratuita Dei beneuolentia, *externa*, meritum & efficacia CHRISTI. *Instrumentalis externa* est doctrina legis & euangelij; *interna*, fides. Huc etiam pertinent afflictiones, miracula, & similia media ordinaria & extraordinaria. *Materia* est totus homo quantum ad intellectum, voluntatem, & affectum. *Forma* est in auersione a malo, & conuersione ad bonum. *Finis* est gloria Dei. & nostra salus, eiusque certitudo. nullum enim electionis euidentius est τεκμήριον.
6. *Sanctificatio duos habet terminos & gradus.* Terminus à quo est labes peccati; ad quem, puritas imaginis Dei. Gradus remissus est in hâc vitâ: intensus & excellens in alterâ vitâ.

***

II. *Partes*

II. *Partes sanctificationis respectu termini à quo & ad quem, sunt mortificatio & viuificatio: vnde oritur lucta carnis & spiritus.*

Mortificatio est, quâ peccatum siue caro magis & magis absumitur. *Viuificatio* est, quâ imago Dei magis & magis restituitur. Hinc oritur bellum spirituale, quo caro concupiscit aduersus spiritum; & contrà. Vnde & illud sequitur, hominem fidelem duplici formâ informari, peccato seu carne, & spiritu seu gratiâ.

Locvs XXXI.

De Præcipuis bonis operibus.

Præcepta.

1. *Sanctificatio in specie* cernitur in variis bonis operibus: quorum videnda sunt summa capita, & praxis.

Summa ipsorum capita sunt duo. *Aut.* enim sunt simpliciter & suâ naturâ bona: *aut* sunt adiaphora, quæ studio nostro fiunt bona.

2. *Bona opera, quæ suâ naturâ sunt talia* referuntur ad primam, vel secundam decalogi tabulam *Ibi* præcipuè est religio, cognitio Dei, cultus Dei, adoratio Dei, confessio, imitatio Christi, iuramentum, & sabbatum: *hîc* est præcipuè rectus bonorum terrestrium vsus, & beneficentia.

3. *Adiaphora* considerantur in genere & in specie.

4. *In genere* attenditur adiaphororum natura, vsus & abusus.

5. *In specie* adiaphora præcipua sunt votum, ieiunium, ceremoniæ, & delectus ciborum.

6. *Praxis bonorum operum* est in pœnitentiâ.

Regulas posituas vide loc. præced.

Regvlæ Didacticæ.

I. *De bonorum operum naturâ sunt hi canones.*

1. *Bona opera non tantùm notant actiones ex habitu profectas, sed etiam ipsos habitus bonos.* Itaque bona opera & virtutes in scholâ theologicâ ferè sumuntur pro vno. 2. *Causa efficiens bonorum operum, quoad inchoationem, continuationem, & perfectionem, est Spiritus sanctus.* 3. *Quædam sunt à Spiritu sancto, sed non cum ipso*, vt dona & virtutes in impiis: *quædam sunt à Spiritu sancto, & cum ipso*, vt fides & bona opera in credentibus: *quædam sunt cum Spiritu sancto; sed non ab ipso*, vt piorum infirmitates: *quædam nec à Spiritu sancto sunt, nec cum ipso*, vt peccata malitiæ. 3. *Duplex est complacentia virtutum.* Prima est generalis, & pendet à conuenientiâ cum lege Dei. Secunda est specialis, & pendet à fide. 4. *Subiectum bonorum operum est homo regenitus.* Nam bona opera oriuntur ex fide.

II. *De præcipuis bonis operibus primæ tabulæ sunt hi canones.*

1. *Religio vera* aut significat vniuersum Dei cultum; aut specialiter cultum Dei immediatum: aut spe i l ìmè vel internum tantùm, vel externum cum interno coniunctum. 2. *Eadem* est diuina ortu, & modo, & fine: est vnica: est antiquissima: est docenda, non cogenda: armis defendenda, non obtrudenda aut propaganda: si corrupta sit, est reformanda ex verbo Dei. 3. *Cognitio Dei* alia est naturalis, alia supernaturalis. Illa est insita, vel acquisita: hæc infusa, vel acquisita. Rursus est salutaris; vel non salutaris. Illa est coniuncta cum affectu pietatis: hæc secus. 4. *Cultus Dei* verus consistit in verâ sanctitate & iustitiâ, seu in studio bonorum operum. Estq; immediatus, vel mediatus. Immediatus Dei cultus est, qui Deo immediatè præstatur, & priore decalogi tabulâ docetur. Estque vel internus tantùm, qui in corde residet, ac primo præcepto continetur: vel internus & externus simul, qui sequentibus tribus præceptis mandatur. Et hic solet appellari religio. 5. *Adoratio Dei* est, quâ Deum cum verâ & humili cordis contritione alloquimur, de iis, quæ sanctæ eius voluntati sunt consentanea. Estque inuocatio, & gratiarum actio. 6. *Confessio peccati coram Deo* simpliciter est necessaria; Item coram Ecclesiâ, & fratribus nostris. 7. *Imitatio Christi* est, quâ conamur exprimere τὰ τοῦ Χριστοῦ μιμῶν, quantum ad doctrinam, vitam, & crucem. 8. *Iuramentum* est res per se bona & sancta, vtpote species adorationis religiosæ *Eius materia* debet esse res grauis & licita: *forma*, contestatio vel imprecatio: *finis*, confirmatio veritatis & decisio litium. 9. *Sabbatum* est sanctificandum, omissione & actione. Omittenda enim sunt opera externæ & temporalis vocationis: nisi fortè circa ingens damnum non possint differri. Facienda sunt opera sabbato digna, quibus nempe dies ille est destinatus 10. *Spes* intuetur rem verbi, sicut fides verbum rei.

III. *De præcipuis bonis operibus secundæ tabulæ sunt hi canones.*

Præcipua bona opera secundæ tabulæ.

1. *Rectus bonorum terrestrium vsus* est ratio Dei, nostri, & proximi. Oportet enim illa primò impendere ad conseruationem Ecclesiarum & scholarum: deinde ad nostram & proximi vitam sustentandam, fouendam, reficiendam. 2. *Beneficentia* est sacrificium eucharisticum, Deo gratissimum. 3. *Honor superioribus debitus* est fundamentum tabulæ secundæ. Sed & primæ obseruantia inde pendet. Nam si contemnantur ij, qui sunt in statu eminentiæ conuellitur vniuersus decalogus. 4. *Amor propriæ vitæ & castitatis, itémq; vitæ & castitatis proximi* debet nobis esse commendatus. 5. *Bona fortunæ* debemus legitimè acquirere & impendere.

IV. *De adiaphoris hæ sunt regulæ generales & speciales.*

Adiaphora.

1. *Adiaphora* sunt, quæ indifferenter se habent ad vsum & abusum. Itaque res simpliciter bonæ, aut malæ non veniunt in hunc censum. 2. *Votum generale* est præceptum, & pars cultûs Dei: *Speciale* est liberum, & adminiculum cultûs Dei. *Eius materia* est res licita, & sita in nostrâ potestate: *forma*, in deliberatione mentis, proposito voluntatis, & promissione internâ aut etiam externâ: *finis*, testificatio grati animi, vel excitatio ad officium: *obiectum*, solus Deus 3. *Ieiunium Ecclesiasticum*, nam naturale, quod valetudinis causâ suscipitur; & politicum, quod à magistratu, publicorum negotiorum causâ inducitur; non est huius loci, siue sit priuatum, siue publicum, ex modo & fine iudicatur. *Ex modo*, vt non sit in ciborum delectu, sed in abstinentiâ ab omni cibo; & abstinentia externa à cibo coniungatur cum abstinentiâ à peccatis. *Ex fine*; vt non statuatur pars cultûs Dei, aut meritum, sed vt sit adminiculum cultûs Dei, vt nempe Deo ardentiùs seruiamus, & carnis lasciuiam retundamus 4. *Ceremoniæ* diuinitùs institutæ sunt necessariæ; Ecclesiasticæ, sunt liberæ, extra casum scandali. 5. *Delectus ciborum* in N.T. est res libera.

Locvs XXXII.

De Adoptione.

Præcepta.

1. *Beneficia Dei erga ecclesiam*, quæ à tribus præcedentibus *oriuntur*, sunt similiter tria: videlicet adoptio, libertas Christiana, & perseuerantia sanctorum.

2. *Adoptio* filiorum Dei constat vnione & communione.

3. *Vnio* est, quâ Deus homines credentes Christo vnitos recipit in filios & hæredes, atque ita etiam sibi vnit.

4. *Communio* est, quâ Christiani participant bonis & cruce Christi. Est itaque hæc communio lucis & crucis.

Regulas positiuas vide paulò antè loc. 29.

Regvlæ Didacticæ.

I. *De adoptionis naturâ hæ sunt regulæ.*

Adoptionis natura.

1. *Adoptio est sententia Dei gratiosa, quâ fideles acceptat propter Christum ad filiorum dignitatem.* Iohan. 1. 12. 1. Ioh. 3. 1. 2. *Pronuntiatur hæc sententia, eâdem graduum varietate cum iustificatione*: primò videlicet in mente Dei prædestinantis,

Ephe.

Ephes. 1. 5 deinde in Christo, Gal. 4. 4. 5. postea in ipsis fidelibus, Gal. 4. 6. 4. *Adoptio sequitur vocationem, iustificationem, & sanctificationem.* Deus enim non adoptat in filios nisi vocatos, iustificatos & sanctificatos. 4. *Fideles dupli i quasi titulo vitam æternam expectant*: titulo nempe redemptionis, & filiationis. 5. *Adoptio nobilem quendam excellentiæ addit ad iustificationem & sanctificationem.* Excellentissima est dignitas filiorum & hæredum. *Rom. 8. 17.*

Adoptio diuina & humana conueniunt & differunt.

II. *Conuenientia & differentia adoptionis diuinæ & humanæ est cuiusmodi.*

Conuenientia est analogica, vel potiùs æquiuoca, non vniuoca. Est enim duntaxat similitudo. *Differentia* sic habet. Adoptio humana est extrinseca tantum denominatio, & communicatio eorum quæ sunt externa; sitque ex indigentiâ & defectu filij naturalis, denique eò ordinatur, vt filius succedat patri. At diuina adoptio consistit in internâ communicatione iustitiæ & sanctitatis, neque fit ex indigentiâ, sed ex abundantiâ bonitatis, denique non ordinatur ad successionem, sed ad participationem hæreditatis assignatæ.

Fructus diuinæ adoptionis.

III. *Tres sunt fructus adoptionis filiorum Dei.*

Primus est libertas illa Christiana, quâ fideles omnes quasi manumissione liberantur à seruitute peccati, legis, & mundi. *Secundus* est, quòd fideles dignitatem Christi participantes, sunt etiam prophetæ, sacerdotes, & reges. *Tertius* est, quòd omnes creaturæ, & quæ per illas fiunt, vel subijciuntur fidelium dominio & vsui puro; vel ministerij vice funguntur pro ipsis, vt angeli, vel cedunt in eorum salutem.

Locvs XXXIII.

De Libertate Christianâ.

Præcepta.

1. Libertas Christiana spectatur in partibus, adiunctis, & speciebus suis.

2. *Partes libertatis Christianæ* sunt pax siue tranquillitas conscientiæ, & securitas ab hostibus spiritualibus.

3. *Adiuncta* eius sunt; inchoare in hâc vitâ, & in alterâ vitâ consummari, longissimè differre à libertate politicâ, &c.

4. *Species* eius sunt: quòd libertas Christiana est communis omnium fidelium, vel propria Noui Testamenti.

5. *Libertas communis omnium fidelium* est

I. *à iustificatione legis.*

II. *à rigidâ ipsius exactione.*

III. *à maledictione eiusdem*, adeoque à potestate satanæ & mortis æternæ.

IV. *à dominio & seruitute peccati.*

V. *à timore seruili in cultu Dei.*

6. *Libertas propria* N.T. est

I. *à legibus Mosaicis ceremonialibus, & forensibus istis*, quæ ad pædagogiam veteris populi & politiam Mosis erant comparatæ.

II. *in rebus adiaphoris.*

Regulas positiuas vide paulò antè loc. 29.

Regvlæ Didacticæ

Natura libertatis Christianæ.

I. *De naturâ libertatis Christianæ sunt hi canones.*

1. *Libertas hæc dicitur Christiana effectiuè & subiectiuè.* Nam parta est à Christo, omnibus Christianis, adeoque iustificatis & sanctificatis. 2. *Libertas Christiana non est licentia carnis.* Hæc enim illi è diametro aduersatur. 3. *A lege* sumus liberati, quantum ad iustificationem, adeoque rigidam exactionem, & maledictionem; non verò quantum ad obseruationem. 4. *A peccato* liberamur in hâc vitâ, quantum ad reatum, damnationem, & dominationem; post hanc vitam, etiam quantum ad inhæsionem seu inhabitationem, & molestationem. *A rebus adiaphoris* sic liberati sumus, vt ad illas seruandas aut non seruandas, conscientia nostra non obligetur: veruntamen ita, vt fidei & charitatis accurata habeatur ratio. *Fidei*; ne res non adiaphoras habeamus pro adiaphoris. *Charitatis*; ne proximum infirmum magis infirmemus. 5. *A præceptis hominum* liberati sumus, quando illa sunt contraria mandatis Dei, aut adiaphora obtrudunt pro necessariis.

II. *Finis libertatis Christianæ est triplex.*

1. *Vera consolatio*, quæ ex liberatione à lege, peccato, morte, & solicitudine in rebus indifferentibus & mandatis hominum, fluit. 2. *Seruitus iustitiæ*; quæ vera demum libertas existit. 3. *Verus Dei cultus*, immunis nempe à superstitione, aut proximi offensione.

Locvs XXXIV.

De Perseuerantiâ sanctorum.

Præcepta.

1. Perseuerantia sanctorum spectatur in causis, partibus, & adiunctis suis.

2. *Causæ* sunt paterna Dei voluntas, & inuictum ipsius robur: meritum & efficacia Christi: assistentia Spiritus sancti: denique fides, quæ est nostra victoria.

3. *Partes* sunt duæ: perpetua voluntas siue serium perseuerandi propositum, & actualis continuatio.

4. *Adiuncta* eius sunt: eundem semper tenorem habere, quantum ad habitum fidei, spei, & charitatis, qui perpetuò manent; ac multiplicem interruptionem admittere, quantum ad actiones, professionem, & sensum istorum habituum.

Regulas positiuas vide paulò antè loc. 29.

Regvlæ Didacticæ.

I. *De naturâ perseuerantiæ sanctorum hi sunt canones.*

1. *Perseuerantia sanctorum non excludit omnem lapsum, aut infirmitatem, sed lapsum totalem & finalem.* Non itaque perseuerantiæ nomine oportet eam intelligere, quâ electi in grauissima peccata prolabi nequeant; quâ fides ipsorum non labefactetur; quâ Spiritus sancti præsentiam efficacem, seu assistentiam actualem, ad tempus amittere nequeant; sed quâ fit vt gratia Dei & fide nunquam penitùs & finaliter excidant. 2. *Causa efficiens* perseuerantiæ huius est Deus in Christo per Spiritum sanctum: *materia* est homo vocatus, iustificatus, & sanctificatus: *forma* est partim in voluntate, partim in facultate seu actu perseuerandi. Voluntas in pijs nunquam deficit: actus modò intenditur, modò remittitur. Etsi ergo fides, quantum ad actum secundum amittitur: nunquam tamen amittitur quantum ad habitum & actum primum, quo Christum apprehendit. *Finis* est certitudo salutis nostræ, ac firma consolatio.

II. *Effecta perseuerantiæ sanctorum duo sunt.*

1. Pax & tranquillitas conscientiæ. 2. Studium bonorum operum. Nam quia certi sumus salutis nostræ, non possumus non lætari, & quidem semper. Et rursus quia certi sumus salutis, odio habemus ea quæ cum salute istâ pugnant. Porrò certitudo ista non est visionis (hæc enim pertinet ad statum patriæ) sed fidei, quæ est ὑπόστασις καὶ ἔλεγχος, omni demonstratione philosophicâ maior & potior.

Locvs XXXV.

De Beneficiis Dei accessoriis.

Præcepta.

1. Exposita sunt *beneficia Dei principalia erga ecclesiam*: restant *accessoria*, quæ sunt *huius vitæ temporalis adiumenta.*

In iis occurrit modus & finis.

2. *Modus* est, quòd dantur pro sapientissimo & sanctissimo Dei arbitrio; & temperantur variis calamitatibus atque iudiciis, putà tentatione, castigatione, martyrio &c. denique non dantur omnibus, neque etiam æqualiter.

3. *Finis* est communis, vel proprius. *Ille* respicit omnes electos Veteris & Noui Testamenti, quibus hæc Dei dona sunt iudicia paternæ Dei curæ erga ipsos, & adiumenta fidei, & instrumenta virtutis: *hic* respicit fideles Veteris Testamenti, quibus hæc bona in terrâ Canaan figurabant futuram in cœlis felicitatem.

Regulas positiuas vide immistas *didactici*.

REGVLÆ DIDACTICÆ.

terre- int a.

I. *Bona terrestria debemus habere pro auctariis & superpondiis gratiæ diuinæ.*

Sunt enim velut appendices bonorum principalium, id est, spiritualium. Itaque in bonis illis accessoriis non debemus collocare portum salutis; neque ex iis colligere felicitatem æternam, aut amorem Dei specialem. Quare nec illis corradendis inhiare decet, sed illud Christi præceptum *Matth.* 6. perpetuò sibi ob oculos ponere: *Quærite primò regnum Dei & iustitiam eius; & ista omnia vobis adiicientur.* Vbi Christus disertè distinguit inter bona Dei principalia & accessoria.

cor- ve- ie- vi.

II. *Bona corporalia in V. T. non solùm fuerunt adiumenta huius vitæ, sed etiam typi futuræ vitæ.*

Bona corporalia Deus addit suis fœderatis ad fœdus gratiæ, vt sint huius vitæ temporalis adiumenta & commoda; pro suo, inquam, sanctissimo arbitrio hæc addit, & prout saluti cuiúsque fœderati, ac inprimis gloriæ suæ nouit expedire. Itaque errant errorem satis crassum, qui opinantur, Deum in fœdere cum Abrahamo, Isaaco, & Iacobo, & posteris illorum inito, terrena bona solummodò, aut principaliter saltem promisisse: quasi Deo nihil aliud propositum fuisset, quàm populum Israëliticum tanquam aliquem porcorum gregem in hâc vitâ saginare. Alius finis Deo fuit propositus: vt nempe fideles in spe vitæ æternæ meliùs alerentur, quam Deus contemplandam sub beneficiis terrenis, ac quodammodo degustandam exhibebat. Quapropter in terrenâ, quâ fruebantur, possessione terræ Canaan, velut in typo, futuram, quam sibi in cœlis præparatam credebant, hæreditatem, sunt intuiti. In N.T. Deus fidelibus præter spiritualia & æterna bona, quæ eis præstat, adiicit etiam in hâc vitâ terrena commoda, non vt nobis sint typi futuræ felicitatis, quemadmodum fidelibus in V.T. sed vt sint diuinæ beneuolentiæ indicium aliquod & paternæ curæ pro nobis Deo, prouidentiâ suâ ita res omnes moderante, vt liberrimâ voluntate det bona corporalia fidelibus suis; aliis plura, aliis pauciora, vt discamus ad spiritualia potiùs & æterna respicere. Ac licèt non pauci fidelium destituantur huiusmodi bonis accessoriis: inde tamen non oportet colligere illos carere bonis principalibus, quia negato accessorio non statim negatur principale.

LOCVS XXXVI.

De Ministerio Ecclesiæ.

PRÆCEPTA.

1. EXpositum est de *principali gubernatione Ecclesiæ*: superest vt exponatur de *gubernatione ministeriali seu externa eiusdem.*

Ea est Veteris vel Noui Testamenti.

2. *Gubernatio ministralis seu externa Ecclesiæ V.T.* alia est ante politiam Mosis, alia in istâ politiâ. *Illa* est *tum* œconomica; partim ante diluuium sub Patriarchis, partim post diluuium vsque ad tempora Nimrodi, in familiis sanctorum: *tum* œconomica & politica simul post tempora Nimrodi, apud gentes prophanas & familias patriarcharum iam auctiores quàm antè: *hæc* est planè ecclesiastica, consistens in exercitiis sacris; quorum alia sunt in ritibus; alia in rebus. *Ritus* sunt varij: putà sacrificia, vota, ieiunia, sabbata, festa, Sacramenta, discrimen ciborum, &c. Res sunt corporales vel spirituales. *Corporales*: vt architectura & custodia templi, eiusque vasorum & thesaurorum; collectio & cura census sacri ecclesiastici; dispensatio stipendiorum & eleemosynarum. *Spirituales*: vt verbum Dei & disciplina. *Verbum Dei* prædicabatur, & decantabatur partim hymnis, partim instrumentis musicis. *Disciplina*, siue censura, erat morum, & doctrinæ. *Illa* erat *morum priuatorum* in synagogâ & correptionibus fraternis; *publicorum* in presbyterio sanctorum, & synedrio seniorum: *hæc* erat in iudiciis ecclesiasticis, redargutionibus propheticis, reformationibus, & solemnibus, conuentibus, seu conciliis. Hîc agendum est de ministris Ecclesiæ V. T. iisque tum ordinariis, tum extraordinariis.

3. *Gubernatio ministerialis seu externa ecclesiæ N. T.* consideratur ratione personarum, à quibus fit, & modi, quo fit.

Personæ sunt ecclesiasticæ vel seculares.

4. *Personæ ecclesiasticæ N.T.* spectantur in officio & potestate communi, vel distinctis gradibus. Vsitatè dicuntur *ministri Ecclesiæ.*

5. *Officium & potestas communis* est doctrinam veram tradere & disciplinam sanctam constituere aut vindicare, pœnis tantùm spiritualibus.

6. *Distincti gradus* sunt, quòd alij sunt superiores, alij inferiores. Vsitatè appellatur *Hierarchia Ecclesiæ.*

Superiores iterum sunt primarij, vel secundarij. *Primarij* sunt extraordinarij: vt Prophetæ, & Apostoli, & Euangelistæ. Horum *vocatio* est immediata & extraordinaria: *qualitas* quod non possunt errare in doctrinâ promulgandâ: *potestas* absoluta circa doctrinam & disciplinam. *Secundarij* sunt pastores & doctores. Horum *vocatio* est mediata, vel composita, ita vt sit mediata & immediata simul: *qualitas* est, quòd possunt errare in doctrinâ: *potestas* est limitata circa doctrinam & disciplinam. *Ibi* sunt alligati ad Scripturam sacram, & subiecti iudiciis ecclesiasticis: *hîc* sunt alligati, quisque ad consensum Ecclesiæ suæ. *Inferiores* sunt seniores, qui appellantur; & diaconi seu eleemosynarij. In secundariis & his inferioribus spectanda est tum *electio*, *probatio*, *missio*, *inauguratio* seu ordinatio, & depositio seu exauthoratio: tum *functio* seu officium speciale.

7. *Personæ seculares in Ecclesiâ* debent ministris Ecclesiæ obedire, & alimenta præbere.

Modus huius gubernationis sequitur. Est autem externa illa gubernatio Ecclesiæ, partim ecclesiastica, partim politica, partim œconomica.

8. *Ecclesiastica gubernatio* vsitatè dicitur regimen ecclesiasticum, & politia ecclesiastica, cuius occurrunt periodi & partes.

9. *Periodi* sunt tres: videlicet regiminis huius constitutio, degeneratio, & emendatio.

10. *Partes* sunt potestas ordinis, & iurisdictionis.

11. *Potestas ordinis* est primaria, vel secundaria. *Primaria* est in prædicatione verbi & administratione Sacramentorum: *secundaria* in constitutione canonum ecclesiasticorum, curatione bonorum ecclesiasticorum, & decisione controuersiarum in concilio, vel extra concilium.

12. *Concilij ecclesiastici* videndæ sunt species & forma. *Species*: quòd sit generale, vel particulare; & *illud* œcumenicum, vel nationale, *hoc* prouinciale, vel diœcesanum seu classicum.

Forma ſpectatur in antecedentibus, connexis, & conſequentibus.

13. *Poteſtas iuriſdictionis Eccleſiaſticæ* dicitur *poteſtas clauium. Eius* occurrunt partes & ſpecies. *Partes* ſunt, ſolutio & ligatio. *Species* ſunt clauis doctrinæ & diſciplinæ. *Clauis doctrinæ* eſt in prædicatione verbi, & diiudicatione ceremoniarum. *Clauis diſciplinæ* eſt in *diſciplinâ Eccleſiaſticâ*; quæ eſt communis vel propria. *Communis* eſt tùm in admonitione ſolitariâ, ſociâ, & presbyterali, tùm in ſuſpenſione à ſacris, & excommunicatione. Quibus omnibus reſpondere debet *ſatisfactio canonica*, ſeu Eccleſiaſtica; quam excipit *abſolutio*. *Propria* eſt, quæ concernit ſolos Eccleſiæ miniſtros.

14. *Gubernatio politica Eccleſiæ* concernit officium Magiſtratus circa Eccleſiam.

15. *Gubernatio œconomica Eccleſiæ* concernit officium patris & matrisfamiliâs circa Eccleſiam.

REGVLÆ POSITIVÆ.

Diſciplina Eccleſiaſtica certis cõſtat gradibus.

I. *Diſciplina Eccleſiæ certis conſtat gradibus, quos non oportet tranſilire.*

Matth.18.v.15.& ſeqq. Si peccauerit in te frater tuus, veni & argue eum inter te & ipſum ſolum. Si te audierit, lucratus es fratrem tuum. Sin verò te non audierit, accipe tecum adhuc vnum aut duos: vt in ore duorum aut trium teſtium ſtabile ſit omne verbum. Quòd ſi neglexerit eos audire, dic Eccleſiæ. Quòd ſi Eccleſiam audire neglexerit, ſit tibi velut quiſpiam ethnicus, & quiſpiam publicanus.

His verbis conſtituuntur quatuor gradus diſciplinæ eccleſiaſticæ, hoc modo.

I. Qui vni alicui priuatim ſcandalum dat, priuatim ab illo ſolo eſt corripiendus.

II. Qui ſolitariæ correptioni locum non dat, corripiendus eſt aſſumptis teſtibus.

III. Qui correptioni teſtium locum non dat, deferendus eſt ad Eccleſiam, i.e. ad presbyterum, & ab illo corripiendus eſt.

IV. Qui presbyterij correptioni locum non dat, excommunicandus eſt. Qui gradus etiam locum habet, vbi aliquis eccleſiam offendit atroci ſcelere. 1.Cor.5. Quòd ſi excommunicatus oſtendat ſigna reſipiſcentiæ, in Eccleſiam recipiendus eſt. 2.Cor.2.v.6.7.8.

Concilia Eccleſiaſtica q alia eſſe debeãt?

II. *Concilia Eccleſiaſtica debent eſſe conformia quatuor Conciliis apoſtolicis.*

De his vide in Act. 5. In horum primo eligitur Matthias c. 1. in ſecundo Diacon. inſtituuntur, *cap.6.* in tertio Iudaica inſtituta antiquantur, *cap.15.* quartum elicitur ex hiſtoriâ *cap.21.* de Pauli aduentu Hieroſolymam.

Miniſterium Eccleſiæ durabit ad finem ſæculi.

III. *Miniſterium Eccleſiæ durabit inde ab initio vſque ad finem ſæculi.*

Matth.16.v.18.& c.28.v.vlt. Quod attinet ad miniſterium V.T. ibi hoc officio perfuncti ſunt.

I. *Sancti Patres*; vt Adam inſtituens filios de ſacrificiis. *Gen.4.* Noah ſimiliter, *Gen.8.v.* [illegible] Abrahamus ſacrificia Deo offerens, & circumciſionem à Deo accipiens. *Gen.12.v.5.& c.17.* Iſaacus filius benedicens, *Gen.27.v.3.& ſeqq.* Iacobus filiis ſuis prædicens fata ipſorum, *Gen.49.* Ioſephus fratres erudiens de introductione ipſorum in terram Canaan, *Gen.ſ.vlt v.24.*

II. *Sacerdotes & Leuitæ.* Vide in Exodo & Leuitico; nominatim *Exod.28. Leuit.8. item 1.Chron.23.*

III. *Prophetæ*: vt Eſaias, Ieremias, &c. Vide infra Chronologiam.

Quantum attinet ad miniſterium N.T. ibi hoc munere partim functi ſunt, partim adhuc funguntur.

I. *Ioannes Baptiſta*, præcurſor Chriſti. *Matth 3. Marc.1. Luc.3 Ioh.1.*

II. *Apoſtoli. Matth.10.v.1.& ſeqq. Act.1.v.29. cap.9.v.15. & ſeqq. Gal.1.v.1.* Item LXX. diſcipuli Chriſti, *Luc.10.v.1.*

III. *Euangeliſtæ*, id eſt, Euangelij præcones. } *Eph.4.v.5.*

IV. *Prophetæ*, [illegible] interpretes Scripturæ. } *11.1.Cor.12.*

V. *Doctores*, [illegible] adhuc durant. } *v 28.&*

VI. [illegible] qui etiam adhuc durant. } *c 14.*

VII. [illegible], *ſiue ſeniores*; qui & ipſi adhuc durant. [illegible] prææſt, præſit cum diligentiâ. 1.Cor. [illegible] gubernationes.

VIII. *Diaconi*, id eſt, curatores pauperum; qui ipſi quoque adhuc durant. *1 Tim 3 v 8. & ſeqq. Act.6*

IV. *Miniſtri Eccleſiæ legitimè ſunt vocandi & ordinandi.*

Vo[cati]o di[...] min[iſt]rum [Eccle]ſiæ.

Quod attinet ad vocationem, quando Eccleſia habet magiſtratum Chriſtianum, ius vocandi miniſtros eſt penes illum, exemplo Moſis, *Exod.21.v.1.& ſeqq. Et cap.20.v.16.* Item Dauidis *1.Chron.23.v.2.& ſeqq.* Item Salomonis *1.Reg.2.v.27. 2.Chron.8.v.26.* Item Ezechiæ, *2.Chron.23.v.25.* Si verò Eccleſia non habeat magiſtratum Chriſtianum, ius vocandi miniſtros ad ipſam pertinet, exemplo Eccleſiæ apoſtolicæ, *Act.1.v.15.& ſeqq.& cap.6.v.2.& ſeqq.& c.14.v.23.* Quantum attinet ad ordinationem, illa debet fieri in timore Dei, ordine, & ſolemniter, *Actor 1.v.15.& ſeqq. 1.Cor.14.v.vlt. Actor.13.v.3. 1.Tim.4.v.14. 2.Tim.1.v.6.* Tribus vltimis locis fit mentio impoſitionis manuum, per quam ordinatio miniſtrorum Eccleſiæ tẽpore Apoſtolorũ eſt facta. Qui ritus eſt liberæ obſeruationis,

REGVLÆ DIDACTICÆ.

Miniſterium [Eccle]ſiaſ[ticum].

I. *De miniſterio Eccleſiaſtico hæ ſunt regulæ.*

1. *Miniſterium Eccleſiæ eſt functio, quâ homo ſelectus ex iure ſpeciali res ſacras diſpenſat.* Miniſterium appellatur; quia poteſtas illa, quæ hominibus eccleſiaſticis committitur, eſt poteſtas tantùm agendi ex imperio Chriſti. Spiritualis poteſtas imperij, ſeu regia, quâ quis agit ex libertate & arbitrio proprio, non eſt hominum, ſed Chriſti ſolius. 2. *Poteſtas miniſtrorum Eccleſiæ non eſt abſoluta, ſed relatiua:* id eſt, non conſiſtit in abſolutâ facultate aliquid agendi, ſed in iure, quo quis poteſtatem habet ritè & legitimè agendi quod antea non potuit ſic agere: atque ideo dicitur *poteſtas iuris.* 3. *Ius miniſterij pendet ex vocatione.* Itaque nemo Eccleſiæ præfici poteſt, niſi legitimè vocatus. 4. *Vocatio eſt actio, quâ cum autoritate miniſtrandi, munus alicui demandatur.* Demandari autem debet volenti: quia nemo ad miniſterium eccleſiaſticum cogendus eſt. 5. *Ad vocationem legitimam tria pertinent; exploratio, electio, & confirmatio. Exploratio* eſt tùm doctrinæ, tùm vitæ. Priùs autem vita exploranda eſt quàm doctrina. Cuius enim mores tolerabiles non ſunt, is ad examen doctrinæ non eſt admittendus. *Electio* eſt penes totam Eccleſiam, aut minimùm Eccleſiam repræſentatiuam. *Confirmatio* eſt perſonæ electæ introductio; quæ ferè comitem habet manuum impoſitionem. 6. *Notæ miniſtri Eccleſiæ extraordinarij, dona ſunt extraordinaria*: putà donum linguarum, prophetiæ, miraculorum. Iſta verò dona tamdiu viguerunt, quamdiu voluntas Dei, & Eccleſiæ neceſſitas ferebat; iiſque ſublatis ſucceſſit miniſterium ordinarium. 7. *Extraordinarium Eccleſiæ miniſterium eſt vel ad Eccleſiæ primam inſtitutionem, vel ad inſtitutæ ſingularem & extraordinariam conſeruationem vel denique ad collapſæ reſtaurationem extraordinariam.* Miniſterium inſtitutionis coniunctum ſemper habet miraculorum teſtimonium. Miniſterium conſeruationis & reſtaurationis ſæpè confirmatur miraculis, at non ſemper, non autem neceſſariò: vt apparet in multis in V.T. & in Ioanne Baptiſtâ. 8. *Miracula non ita doctrinæ diuinæ atteſtantur, vt ſtatim ipſi fidem faciant.* Illa enim doctrina, quæ non conſentit cum voluntate Dei notâ, non debet admitti, quamuis miraculis confirmetur. 9. *Miniſterium Eccleſiæ ordinarium eſt ad Eccleſiam ordinariis mediis conſeruandam, propagandam, & reſtaurandam.* 10. *Miniſterij huius partes duæ ſunt: vt nomine Dei agat apud populum, & nomine populi agat apud Deum, quæ ſunt agenda.* In iſtis autem maximè excellit, atque adeo perpetui ſemper vſus in Eccleſiâ fuit prædicatio verbi Dei.

Pot[eſtas] Ecc[leſiæ].

II. *De poteſtate, & nominatim de diſciplinâ Eccleſiæ ſint hi canones.*

1. *Poteſtas Eccleſiæ cernitur in ordinandâ Eccleſiæ εὐταξίᾳ, in iudicandâ doctrinâ, & in vſu clauium ſeu in diſciplinâ.* 2. *Poteſtas circa Eccleſiæ εὐταξίαν* occupatur circa externas cultus diuini circumſtantias, vti ſunt locus, tempus, & ſimilia per ſe adiaphora. In quibus ſi quid incommodi deprehendatur, Eccleſia ius habet vetera abrogandi, & commodiora ſubſtituendi. Nec tamen canones & conſuetudines Eccleſiæ oportet exæquare canoni Scripturæ. 3. *Poteſtas Eccleſiæ in iudicandâ doctrinâ* limitatur à canone Scripturæ, & competit ſingulis, etiam idiotis: veruntamen ita, vt grauiores controuerſiæ deferantur ad presbyterium vel ſynodum. 4. *Poteſtas clauium* eſt, quâ Eccleſia ad diſciplinæ conſeruationem vtitur. 5. *Claues Eccleſiæ duæ ſunt, claudens, & aperiens.* Id eſt, duæ ſunt partes poteſtatis clauium, ligatio & ſolutio. 6. *Ligatio* eſt, quâ peccatori ira Dei denuntiatur vt reſipiſcat. Ea conſtat quatuor gradibus: putà ſeuera adhortatio & comminatio, antegreſſis, ſed inſuper habitis, priuatis monitis; à presbyterio factæ: abſtentio à ſacrâ cœnâ, ſeu excommunicatio minor: excommunicatio maior: anathema Maran-atha. Ex quibus gradibus poſtremus eſt extraordinarius. 7. *Solutio* eſt, quâ peccator iiſdem gradibus obſeruatis in gratiam ab Eccleſiâ recipitur. 7. *Gradus*

Gradus decenter sunt obseruandi in disciplinâ Ecclesiasticâ. Vbi enim primus aut secundus gradus cum fructu tentatus est, non deueniendum ad tertium. 8. *Finis potestatis clauium est, vt Ecclesia niter decusque conseruetur, & impij in officio contineantur.*

III. *De concilijs hi sunt canones.*

1. *Concilium conuocetur* à magistratu, si fidelis sit: si verò sit infidelis, aut libello supplici impetretur, aut si concilij apertus hostis sit, communi ecclesiarum consensu celebretur. 2. *Præses concilij* sit partim politicus, partim ecclesiasticus. 3. *Materia in concilio tractanda* sit causa ecclesiastica, grauis, & consideratu digna. 4. *Forma concilij* est in religiosâ & ordinatâ disquisitione, canonum scriptione, ac promulgatione, denique sententiæ piâ executione. 5. *Finis concilij* esto veritas doctrinæ, & tranquillitas Ecclesiæ. 6. *Conciliorum authoritas* tanta est, quanta illorum cum Scripturâ conformitas existit. Neque enim habent priuilegium non errandi.

Locvs XXXVII.

De Hostibus Ecclesiæ.

Præcepta.

HActenus considerata fuit *Ecclesia in se*: nunc est *consideranda opposité*, quantum ad hostes suos.

1. *Hostes Ecclesiæ genere* sunt extra Ecclesiam, vel in illa; sunt aperti; vel dissimulati; capitaliores, vel mitiores &c. *in specie* sunt athei, Epicurei, blasphemi, magi, idololatræ, hypocritæ, apostatæ, hæretici, schismatici, & nominatim *magnus ille Antichristus*, qui κατ' ἐξοχὴν sic appellatur.

2. *Circa Antichristum* oportet attendere periodos, notas, & Ecclesiam ipsius.

3. *Periodi Antichristi* sunt: Antichristus nascens, regnans, reuelatus, destructus, & reuiuiscens post mille annos, de quibus *Apoc.* 20.

4. *Notæ Antichristi* sunt variæ; quæ reuocantur ad locum, tempus, doctrinam, potestatem, opera, flagitia, & interitum: videlicet quòd in ipsa Romà sit sessurus, diuisâ & collapsâ Romanâ monarchiâ extiturus, aduersarius Christo futurus quantum ad doctrinam & vitam, potestatem spiritualem & secularem exerciturus, signa & miracula editurus &c.

5. *Ecclesia Antichristi* constat ex clericis & laicis.

Regvlæ Positivæ.

I. *Ecclesia semper habet hostes quosdam.*

Gen. 4. vide historiam Abelis & Caïni. *Gen.* 6. vide historiam impiorum tempore diluuij. *In Exodo* vide historiam pressuræ Ægyptiacæ, &c.

II. *Antichristus non est vnus indiuiduo, sed regno.*

Id patet ex tempore, quod Paulus & Iohannes Antichristo assignat 2. *Thess.* 2. *Apoc.* 13. *& d.*

Regvlæ Didacticæ.

I. *Hostes Ecclesiæ variis gradibus distinguuntur.*

Sunt enim hæretici, schismatici, tyranni, pseudochristi, Antichristi &c. vbi notentur hæ regulæ. 1. Non quilibet error facit hæreticum. 2. Hæreticum facit error in fundamento, conuictio, & contumacia. 3. Non omnis schismaticus est hæreticus. 4. Persecutor Ecclesiæ est fortis vel intus. 5. Pseudochristi non tantum nocent Ecclesiæ, quantum Antichristi.

II. *Hostes Ecclesiæ debellantur armis spiritualibus, & corporalibus.*

Arma spiritualia sunt preces & lachrymæ piorum: *corporalia* sunt, quando pius magistratus gerit bellum pro religione, siue defensiuum, siue offensiuum.

III. *Idea magni Antichristi hæc est.*

Antichristus est homo, qui cœpit tempore Apostolorum, & postea in ciuitate magnâ sensim stabiliuit dominatum spiritualem & temporalem, tandémque reuelatus est mundo, & paulatim destruendus est à propriis amatoribus, donec aboleatur penitus illustri aduentu Christi, cuius vicarium se iactat, cùm ipsi sit aduersarius ratione triplicis officij. *Confer* 2. *Thess.* 2. *& Apoc.* 13. *vsque ad cap.* 20. *inclusiuè.*

Locvs XXXVIII.

De Sacramentis in genere.

Præcepta.

1. EXposita est *promulgatio fœderis gratiæ*: restat ipsius *obsignatio*.

Ea fit per Sacramenta: quorum consideratio est generalis, vel specialis.

2. *Sacramenta in genere* considerantur absolutè vel comparatè.

Absolutè spectantur in substantiâ & circumstantiis: & substantia iterum in caussis & affectionibus.

3. *Caussæ Sacramentorum* sunt hoc ordine.

I. *Efficiens* seu fundamentum, *ex parte Dei* est verbum institutionis, quod continetur præceptione & promissione; *ex parte hominis* est fides, historica in hypocritis, saluifica in electis. Atque hinc, ex hoc nempe gemino fundaméto, existit *vnio Sacramentalis.*

II. *Materia* est res terrestris & cœlestis, siue externa & interna. Vsitatè appellant signum & signatum. *Signum* est *substantia*, vt aqua, panis, agnus: vel *actio*, seu ritus & ceremonia, vt circumcisio in certâ corporis parte, ablutio & manducatio externa siue corporalis. *Signatum* siue res signata, est similiter *substantia*, vt Christus cum omnibus suis beneficiis: vel *actio*, eáque Dei, vel hominis.

III. *Forma* est interna, vel externa. *Interna* rursus est Sacramenti relatè & partialiter, vel absolutè & totaliter considerati. *Ibi* est significatio Sacramentalis, quæ est posita partim in analogiâ signi ad rem signatam, partim in mutuâ relatione vnius ad alterum: *hic* est actio interna, quæ cum externa in legitimo vsu coniungitur. Ex hâc formâ sequuntur tria. 1. præsentia Christi realissima. 2. communicatio Sacramentalis & spiritualis simul. 3. veneratio Sacramenti. *Externa* forma est actio Sacramentalis quam sequitur communicatio Sacramentalis.

IV. *Finis*: est præcipuus, vel subordinatus. *Præcipuus* est: vt Sacramenta sub signa docentia siue significantia, obsignantia, & præbentia, idque in legitimo *vsu*, qui est in eo, vt Sacramenta à Deo instituta, ab iis, quibus instituta sunt, ad finem, cui destinata fuit, vsurpentur. *Subordinatus* est: vt sint testificatio nostræ gratitudinis & officij erga Deū, signa societatis Ecclesiæ & confessionis publicę, notæ professionis discernentes Ecclesiā ab aliis gentibus, vincula mutuæ dilectionis & cōcordiæ in Ecclesia, &c.

4. *Affectiones* sunt habere signum externum ex ordinatione diuinâ; admittere mutationem signi ratione vsus, seu vocationis & officij; constare vnione signi & signati relatiuâ & pactionali; esse organa siue instrumenta gratiæ, non physica, sed θετικά; admittere phrases vel proprias, vel metonymicas, quæ vsitatè dicuntur Sacramentales; denique esse Sacrificia Eucharistica.

5. *Circumstantiæ* sunt variæ: putà locus, tempus, ceremoniæ diuinæ vel Ecclesiasticæ, &c.

6. *Sacramenta comparatè* spectantur in conuenientiâ & differentiâ suâ. *Comparantur* autem vel cum verbo, vel inter sese, & inter non vno modo. Nam Sacramenta Veteris & Noui Testamenti, comparantur inter se: vel Sacramenta Veteris Testamenti inter se: vel denique sacramenta N.T. inter sese.

REGVLÆ POSITIVÆ.

Sacramēta 1. sunt signa.

I. *Sacramenta sunt signa fœderis gratuiti.*

Gen 17. *v* 10.11. Hoc est fœdus meum inter me & vos, & semen tuum post te, quod seruabitis: vt circumcidatur vobis omnis mas. Circumcidetis igitur carnem præputii vestri, vt sit signum fœderis inter me & vos, *Rom.* 4. *v.* 11. Accepit Abraham signum circumcisionis. *Luc.* 22. *v.* 20. Hoc populum est nouum illud testamentum (seu fœdus) per sanguinem meum. *Exod.* 13. *v.* 8. 9. Et anuntiabis filio tuo, die illo, dicendo: propter hoc fecit ista Iehoua mihi, cùm exirem ex Ægypto, vt sit tibi in signum ad manum tuam, & in momentum inter oculos tuos, vt sit doctrina Iehouæ in ore tuo, quia manu forti eduxit te Iehoua ex Ægypto.

2. representant res significatas sua similitudine.

II. *Sacramenta res significatas repræsentant similitudine suâ.*

Deut. 30. *v.* 6. Iehoua circumcîdet cor tuum. Sic ad *Rom.* 2. *v.* 29. *Exod.* 12. *v.* 46. Os ne cōfringatis in illo, agno Paschali. Hoc præfigurauit fore, vt Christo crucifixo non frangerentur crura *Iohan.* 19. *v.* 33. 36. 1. *Cor.* 5. *v.* 7. Pascha nostrum pro nobis sanctificatum est, nempe Christus. *Act.* 22. *v.* 16. Baptizare & ablue peccata tua. 1. *Cor.* 11. *v.* 24. Hoc meum est corpus, quod pro vobis frangitur. *Luc.* 22. *v.* 20. Hoc poculum est nouum illud Testamentum per meum sanguinem, qui pro vobis effunditur.

3. sunt signa significantia, obsignantia &c.

III. *Sacramenta sunt signa* (a) *significantia & docentia, siue picturæ.* (b) *obsignantia & confirmantia, siue sigilla.* (c) *exhibentia rem significatam in legitimo vsu.* (d) *discernentia siue indicātia Christianos.* (e) *memorialia.* (f) *prædicentia resurrectionem carnis, & vitam æternam.*

(a) Vide *Num.* 2. (b) *Rom.* 4. *v.* 11. Et signum accepit circumcisionis (Abraham) sigillum justitiæ fidei. (c) *Matth.* 26. *v.* 26. 27. 28. Accipite, comedite: Hoc est corpus meum. Item: bibite ex eo omnes. Hoc est enim sanguis meus noui fœderis qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum. (d) *Gen.* 17. *v.* 14. Præputiatus autem mas, qui non circumcîderit carnem præputii sui, vtique exscindetur homo ille è populis suis. *Exod.* 12. *v.* 43. Nullus alienigena vescitor illo. (e) *Exod.* 13. *v.* 8. 9. *Num.* 1. *Cor.* 11. *v.* 24. 25. Hoc facite ad mei commemorationem. (f) *Rom.* 6. *v.* 4. Sepulti sumus igitur cum eo per baptismum in mortem: vt sicut suscitatus est Christus ex mortuis, in gloriam Patris, ita & nos nouâ vitâ incedamus.

Vnio sacramentalis qualis?

IV. *In Sacramentis vniuntur res terrestris & cœlestis, vi promissionis Christi verâ fide apprehensa.*

Matth. 26. *v.* 26. Hoc est corpus meum. *Et v.* 28. Hoc est sanguis meus. Sic *Marc.* 14. *v.* 26. 24. *Luc.* 22. *v.* 19. 20. 1 *Cor.* 10. *v.* 4. & 6. 1 *Cor.* 11. *v.* 24. 25.

Phrases sacramentales vt accipiendæ?

V. *Phrases sacramentales sacramentaliter sunt accipiendæ.*

Genes. 17. *v.* 11. Fœdus meum erit in carne vestrâ. *Exod.* 12. *v.* 11. Agnus est transitus Iehouæ. *Act.* 22 *v.* 16. Baptizare & ablue peccata tua. Vide etiam *num. praced.* 4. In his locutionibus nomina rerum significatarum ipsis signis attribuuntur.

Conuenientia & differentia verbi & sacramētorum.

VI. *Verbum & sacramenta* (a) *conueniunt nucleo, qui est Christus.* (b) *differunt modo docendi.*

(a) 1. *Ioh.* 1. *v.* 7. Sanguis Iesu Christi filii ejus purgat nos ab omni peccato. *Matth.* 26. *v.* 26 Hoc est corpus meum. Et *v.* 28. Hoc est sanguis meus. (b) *Rom.* 10. *v.* 17. Fides est ex auditu, auditus autem per verbum Dei. Et *cap* 4. *v.* 11. Signum accepit circumcisionis, sigillum justitiæ fidei.

Verbum in Sacramentis quale?

VII. *Verbum in Sacramentis est concionale; & proinde ratione credentium est practicum, seu efficax, ratione incredulorum est inefficax.*

Rom 2. *v.* 25. *& seqq.* Circumcisio quidem prodest, si legem exequaris, &c. Quòd si transgressor legis fueris, circumcisio tua facta est præputiū, &c. 1. *Pet.* 3. *v* 12. Cui rei nunc correspondens exemplar baptismi nos quoque seruat) non quo carnis sordes abjiciuntur, sed stipulatio bonæ cōscientiæ apud Deum) per resurrectionem Iesu Christi. 2. *Cor.* 2 *v.* 15 16. Christi bona fragrantia sumus Deo, in iis qui seruantur, & in iis qui pereunt. His quidem odor mortis ad mortem: illis verò odor vitæ ad vitam. *Confer* 1. *Cor* 10 *v.* 5. Sed plerosque illorum non approbauit Deus, eos videlicet, qui escam spiritualem non verâ fide sumserunt, &c.

VIII. *In sacramenti administratione sunt distinguenda ista sex: homo exterior dispensans & accipiens sacramentum, res terrestris, & actio circa rem terrestrem; quæ tria sunt externa: tum homo interior, res cœlestis seu tota Trinitas quæ ibi est præsens, & actio interior circa rem cœlestem.*

Ierem. 4. *v* 4. Circumcidite vos Iehouæ, & amouete præputia animi vestri. *Matth.* 3. *v.* 11. Ego quidem baptizo vos aqua ad resipiscentiam, is verò qui ponè me venit, validior me est &c. Ipse vos baptizabit Spiritu sancto, & igne. *Confer Marc.* 1. *v.* 8. *Luc.* 3. *v.* 16. *Iohan.* 1. *v.* 26. *Marc.* 16. *v.* 16. Qui crediderit & baptizatus fuerit, seruabitur. *Matth.* 28. *v.* 19. Baptizantes eos in nomen Patris, Filii, & Spiritus sancti. *Coloss.* 2. *v.* 11. In Christo circumcisi estis circumcisione quæ fit sine manibus. *Vide quoque* 1. *Pet.* 3. *v.* 21. *ad num. praced.* 7.

REGVLÆ DIDACTICÆ.

I. *Sacramentum in Ecclesiâ sumitur latissimè, strictè, & strictissimè.*

Latissimè Sacramentum est idem quod mysterium: ita vt hæc duo vocabula reciprocentur. *Strictè* sacramentum sumitur pro integra actione sacra, in qua est signum & signatum. *Strictissimè* sumitur pro signo tantùm. Rursus vtraque ista significatio vel extenditur ad fœdus Dei in genere; vel restringitur ad fœdus gratiæ. Duæ posteriores significationes hoc loco attenduntur; & quidem quatenus restringuntur ad fœdus gratiæ.

II. *Pro duplici significatione, quam sustinet vox sacramenti hoc loco, duplex etiam est definitio.*

Primò, sacramentum est actio seu institutio diuina, qua per signa sensibilia promissio fœderis gratiæ obsignatur, omniaque bona istius fœderis repræsentantur, applicantur, & exhibentur fœderatis, atque hi vicissim in Dei obsequium adiguntur. *Deinde*, sacramentum est signum visibile, significans obsignans, & exhibens, seu explicans & applicans gratiam inuisibilium. Priori sensu in sacramento est res sensibilis & spiritualis, *Res sensibilis* est signum repræsentans, applicans, exhibens. *Res spiritualis* est illud, quod repræsentatur applicatur, exhibetur.

III. *Signa Sacramentalia sunt causæ non physicæ, sed morales.*

Non enim habent sibi inhærentem vel adhærentem rem illam spiritualem, quam significant & obsignant: sed ad illam referuntur, & quidem ita, vt non sint nuda signa indicantia & repræsentantia, sed rem ipsam communicantia, & exhibentia in legitimo vsu. Porrò res, siue substantia, quæ seligitur & repræsentans, vt panis & vinum in S. Cœna: sed vsus harum rerum dicitur signum applicans, vt distributio, receptio, comestio, potatio. Hinc sacramenta non existunt propriè extra suum vsum, id est, neque antea, neque postea, quàm applicantur ad vsum suum, sunt sacramenta.

IV. *Res spiritualis in sacramentis est fœdus nouum in Christo initum, id est, Christus cum omnibus illis benedictionibus, quæ in ipso fidelibus præparantur.*

Quædam tamen sacramenta magis expressè modum aut respectum aliquem hujus fœderis repræsentant quàm alia, quæ alium aliquem modum magis etiam designant. Sed omnia hoc habent commune, quòd integrum fœdus gratiæ fidelibus obsignant; neque istum vsum habent eo solùm tempore, dum administrantur, sed ad finem vsque vitæ.

V. *De causis sacramentorum hæ sunt regulæ.*

1. *Efficiens princeps* sacramentorum communiter est totâ Trinitas; singulariter verò Christus, Angelus fœderis. 2. *Instrumenta*, per quæ administrantur sacramenta in N. T. sunt ministri ordinarii Ecclesiæ, legitimè vocati. 3. *Instrumentum*, quo sacramenta efficiuntur, id est, quo signa consecrantur, est verbum institutionis, quod est concionale, vt pote concionem Euangelii explicans & applicans: vnde appellatur verbum visibile. Huc accedit, quòd istud verbum constat præcepto, de legitima sacramenti administratione & perceptione; & promissione de eius fructu & efficacia. 4. *Materia externa* est res terrestris, siue elementum: *interna*, res cœlestis, siue significata, id est, Christus cum omnibus beneficiis. 5. *Forma externa* est in legitima administratione & participatione: *interna* est ipsa vnio signi & signati, itemque analogia signi & signati. Et vnio quidem

quidem est forma sacramenti totaliter considerati: analogia verò est forma sacramenti partialiter considerati. 6. *Finis primarius* est obsignare fœdus gratiæ, ex parte Dei & nostra; *secundarius* professio fidei & charitatis.

V I. *Effecta sacramentorum sunt in rebus, & phrasibus.*

In rebus: vt quòd sacramenta confirmant & obsignant iustificationem, sanctificationem, & glorificationem. *In phrasibus*: vt quòd ex vnione & relatione signi & rei signatæ fluit locutio seu phrasis sacramentalis, quâ 1. signum prædicatur de re significata; vt cùm sanctificatio cordis dicitur circumcisio. 2. res significata de signo; vt cùm circumcisio dicitur fœdus, & panis corpus Christi. 3. effectum significati prædicatur de signo; vt cum baptismus dicitur regenerare. 4. proprietas signi de re significata; vt fractio, quæ conuenit pani, tribuitur corpori Christi. 5. proprietas rei significatæ tribuitur signo; vt cùm esca & potus sacramentalis dicitur spiritualis.

Locvs XXXIX.

De Sacramentis V. T.

Præcepta.

1. *Sacramenta in specie* sunt Veteris vel Noui Testamenti. Vtrobique autem est *sacramentum aliud initiationis* & regenerationis, *aliud confirmationis* & nutritionis.

2. *Sacramenta Veteris Testamenti* sunt ordinaria vel extraordinaria.

Ordinaria erant duo: circumcisio & pascha.

3. *Circumcisio* spectatur in formâ, eaque tum externâ, tum internâ; & vsu: atque *hic* est respectu Iudæorum, Christi, & fidelium in Nouo Testamento. *Respectu Iudæorum*: quibus externa resectio præputij semel facta, internam circumcisionem (quam apostolus *Coloss.* 2.11. vocat ἀχειροποίητον) adeoque internam peccatorum abolitionem & regenerationem, & incorporationem in Christum adoptionemque in populum Dei, per & propter Christum exhibendum, significabat, & obsignabat; & hæc tanta bona in legitimo vsu exhibebat. Simul autem hoc sacramentum erat testimonium promissionis de venturo Messiâ; & significabat, ex posteris Abrahami semen benedictum venturum esse. *Respectu Christi* circumcisio fuit signum communionis cum populo Dei, ipsum nempe esse verum Israëlitam. Deinde illius circumcisio sanctificauit veterum circumcisionem. *Respectu fidelium in Nouo Testamento* hic est vsus circumcisionis, vt illius historica recordatio nos commonefaciat de circisione internâ, quæ nunquam non in ecclesiâ est necessaria.

4. *Pascha* spectatur in formâ, eâque tum externâ tum internâ, & vsu: atque *hic* est respectus Iudæorum, Christi, & fidelium in Nouo Testamento. Et primo quidem *Iudæis* per postium conspersionem & properam agni assati manducationem, quotannis semel, manducatio Christi venturi, & liberatio corporalis ex Ægypto, & spiritualis ex potestate Satanæ, atque ita continua in Christo venturo nutritio & viuificatio significabatur & obsignabatur, & hæc tanta bona in legitimo vsu exhibebantur. Deinde *Christus* celebrauit Pascha, tum quod esset Iudæus, tum vt sanctificaret hoc sacramentum. Denique *nobis* recordatio historica agni Paschalis ob oculos ponit Pascha nostrum, quod est Iesus Christus.

5. *Sacramenta extraordinaria Veteris Testamenti* fuerunt varia: vt baptismus in diluuio, nube, & transitu maris rubri; arca Noë; ignis è cœlo, comburens sacrificia; cœna mannæ & aquæ ex petrâ profluentis; serpens æneus; effusio sanguinis victimarum; terra Canaan; tabernaculum; templum; arca fœderis, &c. Ex his

duo quodammodo respondent sacramentis Noui Testamenti; videlicet baptismus ille triplex in diluuio, nube, & mari rubro; & cœna mannæ & aquæ ex petrâ profluentis.

Regvlæ Positivæ

I. *Sacramenta Vet. & Nou. Testam. conueniunt re ipsâ seu fundamento, nucleo, & substantiâ; differunt gradu & modo claritatis, facilitatis, itemque largioris atque laxioris administrationis.* Sacramẽtorum V. & N T. conueniẽtia & differentia.

Vide suprà loc. de Euangelio. Hoc ipsum patet ex collatione circumcisionis cum baptismo, & agni Paschalis cum Sacra Eucharistia. *Matth* 28. *v.* 19 Docete omnes gentes, baptizantes eos. 1. *Cor.* 10. *v.* 1. 2. 3. 4 Et omnes in Mosen baptizatos esse nube & mari: Et omnes eandem escam spiritualem edisse: Et omnes eundẽ potum spiritualem bibisse. Bibebant enim ex sequente spirituali petra. Petra verò illa erat Christus. 1. *Cor.* 5. *v.* 7. Pascha nostrũ pro nobis sacrificatum est, nempe Christus. *Coloss* 1 *v.* 11. 12. In Christo circumcisi estis circumcisione quæ fit sine manibus, corpore peccatis carnis exuto per circumcisionem Christi, consepulti cum eo per baptismum, &c.

II. *Circumcisio ponebat populo Dei ob oculos naturam corruptam, & simul obsignabat ipsos fæderi gratiæ esse insitos, & proinde in Christum venturum incorporatos.* Circumcisio quale sacramentum?

Gen. 17. *v.* 10. 11. Hoc est fœdus inter me & vos, &c. Vide loc. præced. num. 1. De interrupto & redintegrato circumcisionis vsu vide *Ios.* 5. *Rom.* 4. *v.* 11. Et signum circumcisionis accepit, sigillum iustitiæ fidei.

III. *Circumcisio externa, quæ erat signum communionis externæ, hypocritis etiam administrabatur: sed eadem coniuncta cum internâ circumcisione cordis, solis electis fuit propria.* Circumcisio externa & interna.

Rom 2. *v.* 25. *& deinceps vsque ad finem: vbi versu* 28. 29. *apostolus ait*, Nec ea, quæ est in propatulo circumcisio, id est, in carne, circumcisio est; sed circumcisio cordis, id est, in spiritu, non in litera.

IV. *Pascha populo Dei redigebat in memoriam liberationem ex Ægypto, & obsignabat spiritualem liberationem per sanguinem Christi.* Pascha quale sacramentum?

Exod 12. *v.* 13. *collato cum* 1. *Cor.* 5. *v.* 7. Sub liberatione ex Ægypto intelligere oportet conseruationem à cæde primogenitorum, *Exod.* 12. *v* 27. Victima Paschatis est Domino, qui transierit præter domos filiorum Israëlis in Ægypto, cùm cæderet Ægyptios, familias nostras eripuit. *Vide infrà in Historicâ de quinque Paschatis, quæ Christus celebrauit, & suprà in computo de illâ quæstione, Num Christus, iam iam aditurus magnam & solennem suam passionem, anticipauerit Pascha?*

Regvlæ Didacticæ.

I. *Sacramenta V. & N.T. conueniunt re significatâ, & correspondsu.* Conuenientia sacramẽtorum V. & N.T. Testam.

Nam res significata vtrobique est Iesus Christus cum beneficiis: vtpote qui omnium sacramentorum est nucleus. Deinde baptismus analogicè respondet circumcisioni; & Eucharistia agno paschali. Vt enim circumcisio sacramentum fuit initiationis seu insitionis in fœdus, & regenerationis: ita quoque se habet baptismus. Et vt agnus paschalis fuit sacramentum spiritualis nutritionis: ita quoque Eucharistia.

II. *Differentia sacramentorum V. & N.T. consistit in sex hisce capitibus.* Differentia sacramentorũ V. & N.T.

1. In signis externis. 2. In modo significandi. Illîc enim significabatur Christus exhibendus: hîc, exhibitus. 3. In numero. Præter circumcisionem enim & pascha veteres habuerunt alia quoque sacramenta: nos præter baptismum & S. Eucharistiã nullũ: 4. In amplitudine: prout nempe fœdus nouum ad vnũ populum tantùm se non extendit. 5. In duratione. Illa enim tantùm ad primum Christi aduentum, hæc ad finem mundi durat. 6.

In claritate. Et hæc eſt vera differentia inter ſacramenta Vet. & N.T. falſa autem eſt iſta. 1.quòd ſacramenta V.T fuerint typi ſacramentorum N.T. 2.quòd ſacramenta V.T. gratiam iuſtificationis tantùm adumbrarint, noſtra verò gratiam iſtam vi operis operati conferant. Sed vt hæc meliùs pateant, non ab re fuerit pluribus perſequi adminiſtrationem fœderis gratuiti ante & poſt Chriſti aduentum.

Modus adminiſtrationis, qui reſpicit Chriſtum exhibendum, alius fuit ante Moſen,& alius a Moſe ad Chriſtum. *Ante Moſen* politia Eccleſiæ fuit rudis & laxa. & tanquam in infantia: tot eccleſiæ viſibiles fuerunt quot familiæ piorum: miniſterium fuit ordinarium per patresfamiliàs & primogenitos, extraordinarium per prophetas. Aliqua tamen differentia diſpenſationis fuit ab Adamo ad Abrahamum, ab illâ quæ poſt Abrahamum fuit vſque ad Moſen. *Ab Adamo ad Abrahamum* 1. redemtio per Chriſtum fuit promiſſa in genere, per ſemen mulieris. 2. vocatio exercebatur in illâ diſtinctione, quæ fuit inter ſemen mulieris & ſerpentis, inter filios Dei & filios hominum. 3.iuſtificationis ratio deſignabatur per ſacrificia expiatoria.4.adoptionem indicabat titulus filiorum Dei, & tranſlatio Enochi in cœleſtem hæreditatem. 5. ſanctificatio in concionibus vrgebatur, & per oblationes adumbrabatur.6.glorificatio & Enochi exemplo,& Noachi cum familiâ ipſius conſeruatione à diluuio fuit obſignata. 6.ſacramentum extraordinarium fuit arcæ ſtructurā & conſeruatio in diluuio. Sacramentum ordinarium nullum fuit præter ſacrificia. *Ab Abrahamo vſque ad Moſen* eccleſia præcipuè conſtitit in familiá & poſteris eius. In hâc temporis periodo, omnia noui fœderis beneficia magis clarè & diſtinctè teſtata fuerunt quā antea. 1.electio repræſentata fuit in perſonis Iſaaci & Iacobi dilectis præ Iſmaële & Eſauo.2.redemtio fuit ſpecialiùs promiſſa per ſemen Abrahæ. 3.vocatio fuit exercita per deductionem Abrahami ex Vr Chaldæorum. 4.iuſtificatio fuit illuſtrata per expreſſum Dei teſtimonium.quòd fides Abrahamo tanquam patri & exemplari credentium imputata fuit ad iuſtitiam, & per ſacramentum circumciſionis, vtpote ſigillum iuſtitiæ fidei. 5. adoptio illuſtris facta eſt per inuocationem nominis Dei ſuper Abrahamum & filios promiſſionis, & per aſſignationem hæreditatis filiis promiſſionum,genitis ex matre liberâ. 6. ſanctificatio figurata fuit per circumciſionem.7. glorificatio fuit indicata per terram Canaan, quæ typus fuit patriæ cœleſtis. *A tempore Moſis ad Chriſtum* hæc eadem omnia inſuper fuerunt adumbrata mediis tum extraordinariis tum ordinariis. *Extraordinariè* ſignificata fuit redemtio & eiuſdem applicatio 1.per liberationem ex Ægypto, miniſterio Moſis tanquam typi Chriſti.2.per introductionem in terram Canaan, miniſterio Ioſuæ, itidem typi Chriſti. 3. per æneum ſerpentem.4.per nubem, quâ Iſraëlitæ regebantur ab omnibus hoſtium & cœli iniuriis, & præterea lucem ſimul cum refectione virium habuerunt ſubminiſtratam interdiu & noctu. 5 per tranſitum maris rubri, quo viam ſtratam habuerunt ad terram promiſſionis,obrutis & perditis hoſtibus. 6. per manna de cœlo, & aquam è rupe: vnde continuum acceperunt nutrimentum quaſi è manu Dei. *Ordinariè* 1. redemtio per Chriſtum fuit adumbrata per ſacrificia & altaria. 2. vocatio fuit manifeſta in ſegregatione Iſraëlitarum à gentibus. 3. iuſtificatio oſtendebatur ſacrificiis, ablutionibus, & ſacramento paſchæ.4.adoptio in primogenitis,qui Deo erant ſacri. 5.ſanctificatio in omnibus oblationibus & donis,necnon in obſeruationibus illis,quæ munditiem aliquam præ ſe ferebant. 6. glorificatio per hæreditatem terræ promiſſæ, & per ſanctum ſanctorum.

Adminiſtratio fœderis noui à Chriſto exhibito ad finem vſque mundi eſt 1. vſque ad initium mille annorum. 2. tempore mille annorum. 3. in fine mundi. Prima eſt huius loci. Ea verò eſt vnius modi, ſine fine aut alteratione. Differt autem ab adminiſtratione priore, qualitate & quantitate. Qualitas eſt in claritate & libertate. Claritas in eo conſiſtit; 1. quòd doctrina gratiæ ac ſalutis per Chriſtum, & fidem in ipſum, vna cum eius annexis, magis eſt diſtincta & expreſſa, quam antea fuit. 2. quòd non typis & vmbraculis, ſed ratione manifeſtiſſimâ declaratur. Libertas in eo verſatur, quòd œconomia illa ſeruilis, ſeu iugum legis ceremonialis eſt ſublatum. Quantitate hæc adminiſtratio differt à priore,& intēſiuè,& extenſiuè Intenſiuè:quòd efficacior eſt applicatio per Spiritum. Extenſiuè;quia non contrahitur ad vnum aliquem populum, ſed per mundum eſt diffuſa. Hanc N. T. naturam ſequuntur etiam eiuſdem ſacramenta. Sunt enim numero pauca, paratu & obſeruatu facilia,& ſignificatione ſuâ maximè perſpicua, denique à Chriſto ipſo ſanctificata & inſtituta.

LOCVS XL.

De Baptiſmo.

PRÆCEPTA.

1. **S**Acramentum N.Teſtam. eſt baptiſmus.* Ille circumciſioni, ſucceſſit, & viciſſim reſpondet.

2. *In baptiſmo* attenditur ſubſtantia & circumſtantia.

3. *Subſtantia* baptiſmi cernitur in ipſius inſtitutione,neceſſitate,formâ,affectione,& vſu.

4. *Inſtitutio* facta eſt diuinitus, per Iohannem Matth.21.25.

5. *Neceſſitas* non eſt abſoluta,ſiue præciſa, ſed ex hypotheſi præcepti & medij.

6. *Forma baptiſmi interna* eſt partim in analogiâ & relatione, partim in actione interna, prout nempe baptiſmus conſideratur partialiter,vel totaliter:externa eſt in actione ſacramentali.

7. *Affectio baptiſmi* eſt:adminiſtrari ſemel; à miniſtro eccleſiæ legitimè vocato;Chriſtianis qui nondum ſunt baptizati in nomine Chriſti.

8. *Vſus* eſt primarius, vel ſecundarius. *Ibi* eſt ſignificatio, obſignatio & præbitio ablutionis peccatorum:item ſepultura veteris & reſurrectio noui hominis; denique adoptio: *hîc* eſt externa in eccleſiam viſibilem inſertio, membrorum Chriſti coniunctio, profeſſionis noſtræ ſignificatio, & ab omnibus infidelium cœtibus diſſociatio.

9. *Circumſtantiæ* ſunt iſtæ 1. baptiſmum adminiſtrare tum adultis, tum infantibus Chriſtianis. Et horum baptiſmus dicitur *pædobaptiſmus*. 2. adhibere in baptiſmo formulam verborum vſitatam: ſiue illam, *Baptizo te in nomen, ſiue in nomine Patris, Filij, & Spiritus ſancti*;ſiue iſtam, *Baptizo te in nomen, ſiue in nomine Chriſti*. 3.diſcrimen inter baptiſmum Iohannis & Chriſti ſeu diſcipulorum Chriſti.4.locus, tempus, teſtes, &c.

REGVLÆ POSITIVÆ.

I. *Baptizandi ſunt tum adulti,qui recens ad fidem Chriſtianam conuerſi ſunt,tum infantes è Chriſtianis parentibus nati.* c b d

Matth.28.v.19. Profecti docete omnes gentes,baptizantes eos in nomen Patris,Filij.& Spiritus Sancti. *Hic obſeruandum eſt in Græco eſſe μαθητεύσατε, id eſt, diſcipulos facite, quaſi dicat, diſcipulos factos baptizate, h.e. congregates in eccleſiam baptizate. Tales verè etiam ſunt liberi Chriſtianorum. Actor. 16. v. 36.* A Paulo & Silà, baptizatus eſt Commentarienſis Philippenſis,& omnes domeſtici eius. *Ibidem v.15.* Baptizata eſt Lydia, & domus eius. Proinde & paruuli. *Coloſſ.2.v.11 12.* Baptiſmus circumciſioni ſucceſſit At verò liberi Iudæorum ſunt circumciſi octauo die, *Gen.17.v.12.* Itaque & Chriſtianorum liberi recens nati ſunt baptizandi: quia non ſunt deteriori conditione,quàm infantes in V. T. 1. *Corinth.7.v.14.* Liberi veſtri ſancti ſunt: qui ſcilicet comprehenſi ſunt in fœdere, de quo *Gen.17.v.10.* Hoc eſt fœdus meum inter me & vos, & ſemen tuum poſt te,quod ſeruabitis,&c Confer *Matth.19. v 14.15.* Ieſus autem ait, Omittite iſtos puerulos, & ne prohibete eos ad me venire. Talium eſt enim regnum cœlorum. Et cùm impoſuiſſet eis manus,profectus eſt illinc. Sic *Marc.10.v.13. & ſeqq. vbi v. 16.* dicitur, Et impoſitis manibus benedixit eis. *Actor.2.v.38.39.* Petrus autem dixit ad eos,Reſipiſcite,& baptizetur vnuſquiſque veſtrûm in nomen Ieſu Chriſti in remiſſionem peccatorum: & accipietis donum Spiritus ſancti. Vobis enim facta eſt promiſſio, & liberis veſtris, & omnibus longè poſt futuris, quoſcunque videlicet aduocauerit Dominus Deus noſter.

II. *Admini*

II. *Administratio baptismi cohæret cum administratione verbi.*

Matth. 28. *v.* 19. Profecti docete omnes gentes, baptizantes eos. Itaque quia mulieri non licet docere 1. *Cor.* 14. *v.* 34. 1. *Tim.* 2. *v.* 12. neque etiam licet baptizare.

III. *Ritus baptizandi, qui fit per immersionem in aquam, significantiùs exprimit mortificationem veteris hominis, quàm ritus aspersionis.*

Rom. 6. *v.* 3.4. An ignoratis, nos quotquot baptizati sumus in Christum Iesum, in mortem eius esse baptizatos. Sepulti igitur sumus cum eo per baptismum in mortem, &c. *Marc* 3. *v.* 16. Et baptizatus Iesus ascendit ex aquâ. *Act* 8. *v.* 38. Descenderunt ambo in illam aquam, Philippus simul, & Eunuchus, & ille baptizauit eum.

IV. *Per baptismum* (a) *omnes qui baptizantur, profitentur se esse Christianos. Electi & credentes confirmantur* (b) *in fide remissionis peccatorum.* (c) *in fide & spe renouationis naturæ nostræ.* (d) *in fide & spe vnionis cum Christo.*

(a) *Matth.* 28. *v.* 19. Baptizari in nomen Patris, Filij, & Spiritus sancti, est per baptismum consecrari Deo. (b) *Act.* 2. *v.* 38. Baptizetur vnusquisque vestrûm, in nomen Iesu Christi in remissionem peccatorum. (c) *Rom.* 6. *v.* 3. & deinceps. *Vide n.* 3. *Tit.* 3. *v.* 5. Ex suâ misericordiâ seruauit nos per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti. (d) 1. *Corinth.* 12. *v.* 13. Per vnum spiritum nos omnes in vnum corpus baptizati sumus.

V. *Baptismus integer constat actione corporali & spirituali, seu externâ & internâ.*

Marc. 3. *v.* 11. Ego quidem baptizo vos aqua ad resipiscentiam: is verò qui pone me venit validior me est, &c. ipse vos baptizabit Spiritu sancto & igne. Vide *Loc. de sacram. in genere n.* 8. *& confer* 1. *Pet.* 3. *v.* 21.

Regvlæ Didacticæ.

I. *Baptismi vox immersionem & aspersionem significat, & ex consequenti ablutionem.*

De immersione nullum est dubium. De aspersione manifestum est testimonium Marc. 7. 4. Porrò hîc intelligitur baptismus fluminis seu aquæ: non verò luminis seu doctrinæ; neque flaminis seu donorum Spiritus sancti siue ordinariorum, siue extraordinariorum, qui etiam solet appellari baptismus ignis; neque sanguinis seu martyrij.

II. *Baptismus est sacramentum initiationis seu regenerationis.*

Quamuis enim totum gratiæ fœdus simul obsignet fidelibus: singulari tamen appropriatione repræsentat & confirmat insitionem nostri in Christum. Rom. 6. 3. 1. Cor. 12. 13. Quia autem ex illa insitione per fidem in Christum sequitur iustificationis & adoptionis relatio, iccirco baptismus est repræsentatio iustificationis per sanguinem Christi, & adoptionis, dum nomen Patris, Filij, & Spiritus sancti inuocatur super baptizatos. Quia etiam ex Christo, cui inserimur, sanctitas in omnes fideles deriuatur, ideo baptismus etiam est sigillum sanctificationis. Tit. 3. 5. Rom. 6. v. 4. 5. 6. Et quoniam à sanctificatione vera non potest segregari glorificatio, iccirco baptismus simul etiam est sigillum gloriæ æternæ. Tit. 3. 7. Rom. 6. 8.

III. *De caussis baptismi sunt hæ regulæ.*

1. *Efficiens princeps* est Christus: *instrumentalis*, est minister legitimè vocatus. Itaque gynæcobaptismus ipso iure nullus est. 2. *Materia externa* est aqua; quo symbolo nihil est in vsu communi, quod aptiùs repræsentet ablutionem spiritualem per sanguinem Christi; neque vlla re tam commodè exprimitur aspersio seu applicatio sanguinis Christi. 3. *Materia externa* est Christus, cum mortis, sepulturæ, & resurrectionis beneficiis. 4. *Forma externa* est partim in actione, id est, immersione vel aspersione trina aut vnica: partim in verbis illis, Baptizo te in nomine Patris, Filij, & Spiritûs sancti. 5. *Forma externa* est partim in analogia aspersionis & remissionis peccatorum, itemque sanctificationis: partim in vnione signi & signati. 6. *Finis*, præter cæteros communes, est obsignatio receptionis seu insitionis in familiam Dei, adeoque iustificationis, sanctificationis, & glorificationis.

IV. *De subiecto & adiuncto baptismi sunt hi canones.* Subiectū & adiunctum baptismi.

1. *Subiectum* sunt omnes fœderati, etiam infantes. Illi enim sunt æquè capaces huius sacramenti, atque adulti: quia in ipso initio regenerationis, cuius sigillum est baptismus, homo se habet merè passiuè: vnde hominis baptizandi (sicut olim circumcidendi) nulla actio externa requiritur, vt in aliis sacramentis, sed tantùm receptio passiua. Itaque *pædobaptismus* eodem, quo baptismus adultorum, nititur fundamento. His adde mandatum Christi Math. 19. 14. & rationem mandati ibi additam: nec non promissionem Dei Gen. 17. 7. Act. 2. 39. item analogiam circumcisionis, & denique exemplum apostolorum, qui integras familias baptizarunt. 2. Vt naturæ ordine prius est nasci quàm pasci: ita *baptismus prior est Eucharistia.* 3. *Baptismus* semel ritè susceptus, *non est iterandus*: quia vt semel nascimur, ita semel renascimur. 4. *Baptismus est maximè necessarius*, ratione diuinæ institutionis. 5. *Baptismus* Iohannis & Christi est idem re, diuersus modo & gradu.

Locvs XLI.

*De Eucharistia.**

Præcepta.

1. In *Eucharistia*, quæ *variis nominibus* appellatur, oportet attendere substantiam & circumstantiam.

2. *Substantia* cernitur in ipsius institutione, necessitate, formâ, affectione, & vsu.

3. *Institutio* facta est diuinitus per Christum.

4. *Necessitas* est præcepti & medij.

5. *Forma externa* est in actione externâ, quæ est partim ministri administrantis, partim hominis vsurpantis. *Ibi* est consecratio specierum fractio & distributio: *hîc* est sumtio & fruitio. *Interna* est partim analogia signi & signati, & mutua relatio eorundem: partim actio interna, eaque Spiritus sancti, & hominis credentis. In priori formâ spectatur manducatio sacramentalis, in posteriori spiritualis.

6. *Affectio sacræ cœnæ* est: administrari solis adultis, sæpè, à ministro legitimè vocato, requirere probationem sui, &c.

7. *Vsus primarius* est commemoratio seu recordatio mortis Christi, quæ circumscribitur significatione, obsignatione, & præbitione sacramentali corporis & sanguinis Christi, hoc est, omnium beneficiorum morte Christi partorum: ita vt vnio & cōmunio cum Christo, ac participatio omnium beneficiorum eius sit *finis internus* huius sacramenti. *Secundarius* est, vt sit tessera fidelium, symbolum resurrectionis mortuorum, vinculum charitatis mutuæ, &c.

8. *Circumstantiæ* sunt variæ: puta de pane azymo & fermentato; de vino rubro vel albo, de vino mero vel diluto; de quotidianâ hebdomadariâ, menstruâ, bimestri, trimestri, & vsurpatione huius sacramenti; de calice vel aliâ formâ poculi; de loco, &c.

Regvlæ Positivæ.

I. *Ad Eucharistiam nemo admittendus est nisi baptizatus, & maturæ ætatis.* Ad sacrā cœnam qui admittendi?

Exod. 12. 48. Nonnisi circumcisi admittebantur ad agnum paschalem; in cuius locum successit Eucharistia *Matth.* 26. *v.* 26. Edentibus autem eis (discipulis Christi) Iesus cum accepisset panem, &c.

Optima Agenda S. Euchariſtiæ.

II. *Optima Euchariſtiæ adminiſtratio eſt, quæ cum inſtitutione Chriſti per omnia conuenit.*

Prout videlicet illa deſcribitur à tribus euangeliſtis, & apoſtolo Paulo *Matth.*26. *Marc.*14. *Luc.*22. 1 *Cor.*11.

Euchariſtia vbi adminiſtranda?

III. *Sacra Euchariſtia eſt adminiſtranda in conuentu fidelium, eoque ſermè ordinariè.*

1 *Cor.* 11. *v.* 20. Cùm conuenitis in vnum, hoc non eſt Dominicam cœnam edere. *Act.* 20. *v* 7. Primo autem die hebdomadis, congregatis diſcipulis ad frangendum panem, (id eſt, ad celebrandum cœnam Domini) Paulus diſſerebat.

Panis & vinum in Euchariſtiâ vt ſint corpus & ſanguis Chriſti?

IV. *Panis ſacræ Euchariſtiæ eſt corpus Chriſti, itemque vinum eſt ſanguis Chriſti, ſacramentaliter.*

Vide paulò antè *loc. de ſacramentis in genere num.*3.4.5. Idem iudicium eſt de illâ phraſi 1. *Cor.*10. *v.*16. Poculum benedictionis cui benedicimus, nonne communio ſanguinis Chriſti eſt? Panis quem frangimus, nonne communio corporis Chriſti eſt?

Euchariſtia cur inſtituta?

V. *Sacra Euchariſtia eſt inſtituta* (a) *principaliter, vt commemoremus mortem Chriſti, idque ex vera fide, adeoque communionem habeamus cum Chriſto & omnibus eius beneficiis morte ipſius partis.* (b) *ſecundariò, vt nos ipſos Deo immolemus, & ad mutuam charitatem obligemus.*

(a) 1. *Cor.*1. *v.*24.25.26. Hoc facite ad mei recordationem, &c. Quotieſcunque enim ederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis, mortem Domini annunciate, donec veniat. Annuntiatio iſta non eſt nuda & hiſtorica ſed practica & coniunctâ cum verâ fide, quâ ſolâ edimus carnem Chriſti & bibimus ſanguinem ipſius *Ioh.*6. *v.*29.35.50.53.54.55.56.63. (b) 1. *Cor.* 5. *v* 7. 8. Paſcha noſtrum pro nobis ſacrificatum eſt, nempe Chriſtus, itaque feſtum agitemus non fermento veteri, nec fermento malitiæ & nequitiæ, ſed non fermentatis panibus, ſinceritatis & veritatis. 1. *Cor.*10. *v.* 17. Quoniam vnus eſt panis, vnum corpus nos illi multi ſumus, nam omnes ex vno illo pane participamus.

Ad Euchariſtiã quinam debeant accedere?

VI. *Ad ſacram Euchariſtiam nemo debet accedere, niſi qui rectè ſe præparauit.*

1. *Corinth.*11 *v.*28. *& ſeqq.* Probet quiſque ſeipſum, & ita de pane illo edat, & de poculo illo bibat. Nam qui edit & bibit indignè, damnationem ſibi edit & bibit, non diſcernens corpus Domini.

Regulæ Didacticæ.

Euchariſtia quale ſacramentum?

I. *Euchariſtia eſt ſacramentum nutritionis & auctionis fidelium in Chriſto.*

Hinc ſæpiùs debet iiſdem adminiſtrari. Hinc etiam ſolis iis adminiſtranda eſt, qui viſibiliter capaces ſunt nutritionis & auctionis in Eccleſiâ; atque adeo non infantibus, ſed ſolis adultis. Porro quia pleniſſimum & perfectiſſimum nutrimentum in Chriſto obſignatur, iccircò hîc non vnum aliquod & ſimplex ſignum nutritionis adhibetur, ſed duplicis generis prout corporis nutritio poſtulat, panis nempe & vinum. Iccirco autem panis & vinum adhibentur, quia poſt carnis comeſtionem (quæ in ſacris non habet locum, Chriſti ſacrificio iam peracto) & ſanguinis potum, à quo non religio tantùm, ſed & recta ratio abhorret, nihil conuenienter magis exprimit arctiſſimam illam vnionem, quam gradatim cum Chriſto conſequimur, fundatam in corporis eius immolatione, & ſanguinis effuſione. *

Euchariſtiæ Cauſæ.

II. *De cauſis Euchariſtiæ ſunt hi canones.*

1. *Efficiens* eadem eſt, quæ baptiſmi. 2. *Materia externa* ſunt panis & vinum: *interna*, Chriſtus cum toto merito & efficaciâ ſuâ. 3. *Forma externa* eſt in actionibus & verbis. Actiones ſunt, panis fractio, vini fuſio, vtriuſque diſtributio & perceptio manu & ore facta. Verbum eſt tum tota inſtitutio, tum inprimis promiſſio. 4. *Forma* eſt partim in analogia, partim in vnione ſigni & ſignati. Analogia eſt, quâ pane & vino corpus & ſanguis Chriſti, velut cibus & potus ſpiritualis; fractione verò panis & fuſione vini, corporis eius fractio & ſanguinis fuſio; vtriuſque denique diſtributione & perceptione, mortis Chriſti applicatio & fructus ſignificatur. Vnio eſt, quâ res terreſtris & cœleſtis in legitimo vſu coniunguntur. 5. *Finis*, præter communes, eſt, obſignare ſpiritualem nutritionem & conſeruationem ad vitam æternam, per meritum mortis Chriſti: adeoque vnionem fidelium cum Chriſto & inter ſeſe. *

IV. *Chriſtus eſt præſens in Euchariſtia tribus modis.*

1. Deitate ſua. 2. ſpiritu ſuo. 3. corpore & ſanguine ſuo. Primo modo etiam præſens eſt in pane. Secundo modo præſens eſt in corde credentis. Tertio modo præſens eſt præſentia ſacramentali. *

Locvs XLII.

De Vltimo Chriſti aduentu.

Præcepta.

1. Vidimus executionem prædeſtinationis, quæ fit in hac vitâ: ſupereſt illa, quæ fit poſt hanc vitam. *Ea* ſpectatur communiter, vel ſingulariter: & *communiter* ruſus in vltimo Domini aduentu, reſurrectione carnis, & vltimo iudicio.

2. *Vltimus Domini aduentus* ſpectatur in aſſertione ſeu certitudine, modo, tempore, & fine.

3. *Aſſertio* eſt, quòd certò ſit futurus.

4. *Modus* eſt, quòd ſit futurus glorioſus, ſubitus, & improuiſus.

5. *Tempus* erit in fine ſeculi. Id verò nobis eſt incertum. Sunt tamen quædam ipſius *ſigna*; vt conuerſio Iudæorum, diuulgatio euangelij per vniuerſum orbem, felicitas eccleſiæ per mille annos, quam excipiet grauiſſima perſecutio ſub Antichriſto reuiuiſcente. *Apoc.*20.

6. *Finis* eſt partim mutatio huius ſeculi ſiue mundi, partim mutati conſeruatio perpetua. *Mutatio* erit partim deſtructio, partim renouatio ſeu inſtauratio. *Conſeruatio* erit domiciliorum, vel incolarum.

Regvlæ Positivæ.

I. *Chriſtus è cœlo redibit ad iudicium, idque ſubitò, inopinatò, & magnâ cum gloriâ.*

Matth. 24. *v.* 37. Sicut erant dies Noë: ita erit & aduentus filij hominis. *Et v.* 24. Vigilate ergo, neſcitis enim qua hora Dominus venturus ſit. 2. *Pet.*3. *v.*10. Veniet ſicut fur in nocte dies ille Domini. Confer *Matth.*24. *v.*13. *& Luc.*21. *v.*35. *Mat.* 25. *v.*31. Cùm venerit Filius hominis cum gloria ſua, & omnes ſancti angeli cum eo, tunc ſedebit in throno gloriæ ſuæ. 1. *Theſſ.* 4. *v.* 16. Ipſe Dominus cum hortationis clamore, cum voce archangeli, & cum Dei tubâ, deſcendet è cœlo. 1. *Tim.*6. *v.*14. Vſque ad illuſtrem illum aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti. *Tit.*2. *v.*13. Expectantes beatam illam ſpem, & illuſtrem illum aduentum gloriæ magni illius Dei ac ſeruatoris noſtri Ieſu Chriſti. 2. *Pet.*3. *v.*10. Quo (ſcilicet die Dominus veniet) cœli cum ſtridore præteribunt, elementa verò æſtuantia ſoluentur, terraque & quæ in eâ ſunt opera exurentur. *Iudæ v.*14. Ecce venit Dominus cum ſanctis millibus ſuis, ut ferat iudicium aduerſus omnes.

II. *Chriſtus veniet ad iudicium cùm impleta fuerint omnia vaticinia, è quibus tria reſtant* (a) *prædicatio euangelij ſucceſſiua per totum terrarum orbem.* (b) *conuerſio Iudæorum.* (c) *regnum Chriſti per mille annos in his terris.*

(a) *Matth.*24. *v.*14. Et prædicabitur iſtud euangelium regni in toto terrarum orbe, vt ſit teſtimonio omnibus gentibus, & tunc veniet finis. (b) *Rom.*11. *v.*25. *& ſeqq.* Nolim enim vos ignorare, fratres, myſterium hoc, &c. obdurationem ex parte Iſraëli obuenisse, tantiſper dum plenitudo gentium introierit,

Et

Et ita totus Iſraël ſeruabitur,Sicut ſcriptum eſt,Veniet ex Sion ille liberator,& auertet impietates Iacob. Et hoc illis à me fœdus, cùm abſtulero peccata ipſorum. *Hoſ. 3.v.4.5.* Nam diebus multis deſidebunt Iſraëlitæ,nullo rege,nulloque principe, & nullo ſacrificio,ac nulla ſtatua,nullo denique amiculo, aut imaginibus. Poſtea reuerſi Iſraëlitæ quærent Iehouam Deum ſuum, & Davidem regem ſuum; & pauidi accedent ad Iehovam, & ad bonitatem ejus,vltimis temporibus. *(c) Apoc. 20. v.2.* Qui (Angelus) apprehendit draconem, ſerpentem illum antiquum,qui eſt diabolus & Satanas,& vinxit eum ad annos mille &c. *Vide totum caput.*

Regvlæ Didacticæ.

I. *Reditus Christi ad Iudicium eſt certiſſimus.*

Quantum attinet ad vltimum judicium, tria ſunt expendenda:videl.antecedentia, ipſum judicium, & conſequentia. Antecedentia ſunt aduentus Chriſti,& mortuorum reſuſcitatio:judicium conſiſtit in proceſſu judiciali & ſolenni: conſequentia ſunt conſummatio hujus ſeculi,ſeu finis mundi,& vita atque mors æterna. In his omnibus duo attenduntur: certitudo & modus. Certitudo aduentus Chriſti nititur reuelatione jam inde à patriarcharum temporibus factâ *Iudæ* 14. Huc accedit, quòd finalis adminiſtratio Eccleſiæ requirit adventum Chriſti,& perſonalem ejus præſentiam. *Act.* 10.*v.*41.

II. *Aduentus Chriſti ſecundus erit ſimilis & diſſimilis primo.*

Similis in eo, quòd realis,& viſibilis erit:diſſimilis in eo, quòd erit cum ſummâ gloriâ; potentiâ;& cum maximo terrore impiorum,& maximo gaudio piorum,

III. *Signa aduentûs Chriſti ad judicium ſunt antecedentia vel conjuncta: & illa communia,vel propria.*

Etſi tempus aduentûs Chriſti exquiſitè ac præciſè, quantum ad diem & horam, nemo nôrit: ſigna tamen quædam à Chriſto & Apoſtolis tradita ſunt, quæ diem ejus appropinquantem aut inſtantem indigitant. Et primò quidem ſunt ſigna antecedentia *communia*, quæ excidium Hieroſolymitanum & extremum Chriſti aduentum communiter ſignificare debuerunt:cujus modi ſunt pſeudoprophetæ, pſeudo-Chriſti, bella,peſtilentiæ, fames, terræmotus, perſecutiones Chriſti causâ,proditiones, fidei & charitatis defectus &c. Matth. 24. v.4.18. *Propria* ſunt extrema ſecuritas & impietas, Antichriſti reuelatio & per ſpiritum oris Chriſti abolitio, Romæ ruina, meretricis deſolatio & exuſtio, Iudæorum conuerſio. Luc. 17. v.26.30.1.Theſſ.5.v.3.2.Tim.3.v.1.5.2.Theſſ.2.v.3.8.Apoc.17, & 18. Rom.11. Ex hisce ſignis quædam ſunt partim præterita partim præſentia, quædam adhuc futura. *Signum Chriſti jam præſentis*,ſiue conjunctum, erit procul dubio incredibilis fulgor & majeſtas,cum quâ Chriſtus venturus eſt, Matth.26.64. c.25.31. 1.Theſſ.4.16.

Locvs XLIII.

De Reſurrectione carnis.

Precepta.

1. Reſurrectio carnis ſpectatur in aſſertione & modo.

2. *Aſſertio* eſt,quòd certò ſit futura.

3. *Modus* eſt reſpectu mortuorum, & viuentium. *Mortui* ſic excitabuntur,vt eadem numero caro quæ cecidit, reſurgat. Hujus itaque reſuſcitationis partes duæ ſunt:reſtitutio corporum & viuificatio. *Viui*,quos deprehendet vltimus ille dies, compendio mortis per demutationem extinguentur ſubitò, & ſubitò quoque excitabuntur, vt ſcitè loquitur *Tertullianus de reſurrect. carnis cap.* 41. *Vtrique* autem accipient corpora libera à ſtatu vitæ animalis. Ex his colligitur, quòd reſurrectio futura ſit vniuerſalis,ſubitanea,& ita comparata vt nihil hujus vitæ animalis introducat.

Regvlæ positivæ.

I. *Sub vltimum Chriſti aduentum (a) omnes mortui reſurgent (b) viui demutabuntur in ſtatum immortalem.* Reſurrectio quando futura,& quomodo?

(a) *Daniel* 12.*v.*2. Tandem multi ex dormientibus in puluerulenta terrâ expergiſcentur. *Iohan.* 5.*v.*28. Veniet hora, quâ omnes qui in monumentis ſunt audient vocem Filii Dei, & prodibunt. *Apoc.*20.*v.*12.13. Vidi mortuos, magnos & puſillos, ſtantes in conſpectu Dei,& reddidit mare mortuos quos habebat, mors quoque & ſepulchrum reddiderunt mortuos quos habebant. (b) 1. *Corinth.*15.*v.*51. Ecce myſterium vobis dico:Non omnes quidem obdormiemus, ſed omnes mutabimur,momento & jactu oculi ad vltimam tubam. 1. *Theſſ.* 4. *v.*15.*& ſeqq.* Hoc vobis dicimus, verbis Domini,fore,vt nos viui,qui reliqui erimus in aduentu Domini,non præueniamus eos, qui obdormierint. Nam ipſe Dominus, cum hortationis clamore,cum voce Archangeli, & cum Dei tubâ deſcendet è cœlo:& , qui mortui fuerint in Chriſto, reſurgent primùm: deinde nos viui qui reliqui erimus,rapiemur ſimul cum eis in nubes,in occurſum Domini in aëra.

II. *Idem numero corpus, quod hîc geſtauimus, reſurget.* Idem numero corpus reſurget.

*Iob.*19 *v.*26.25. Et poſtquàm vermes confoderint illud,euigilante me,tum carne meâ me viſurum eſſe Deum, noui. Idem qui ſum,ac non alienus viſurus ſum mihi,& oculi mei aſpicient. 1.*Corinth.*15.*verſ.*42.43. Seritur corpus corruptioni obnoxium, ſuſcitabitur cum incorrupti naturâ: ſeritur fœdum, ſuſcitabitur cum decore: ſeritur omnium virium expers, ſuſcitatur potens: ſeritur corpus animale, ſuſcitatur corpus ſpirituale.

III. *Alii ad vitam æternam,alii ad mortem æternam reſurgent.* Reſurrectio erit ad vitam vel mortem.

Dan. 12. *v.* 2. Tandem multi ex dormientibus in puluerulentâ terrâ expergiſcentur;hi ad vitam æternam,illi ad opprobria & contemptum æternum. *Iohan* 5.*v.*28. Veniet hora, quâ omnes qui in monumentis ſunt,audient vocem filii Dei: & prodibunt qui bona fecerunt,in reſurrectionem vitæ: qui verò malè egerunt, in reſurrectionem condemnationis. Huc pertinet, quod Chiſtus *Iohan.* 6.*v.*39.40.44.*&* 54. promittit, ſe electos & credentes ſuſcitaturum vltimo die.

Regvlæ Didacticæ.

I. *Reſurrectionem mortuorum Scriptura probat teſtimoniis, exemplis, typis, & rationibus.* Reſurrectio mortuorum vt probetur?

Teſtimonia ſunt Iob.19.v.25.26.Dan.12.2.Hoſ.6.14.Matth.22.30.c.25.Iob.5.v.26,27.28.Phil.3 21.1 Theſſ.4 *Exēpla* ſunt excitatorum miniſterio Eliæ,1.Reg.17.18 Eliſæ,2.Reg.4.32. c.13.20. à Chriſto item, Matth 9.25.Luc 7.14.Ion 11.Matth. 27.& ab apoſtolis,Act 9.40.& 20.10. *Typi* ſunt Enochi,Gen. 5. & Eliæ,2 Reg.2.item baculi Aharonis reuiſcentis,Num.17.& populi Iudaici ex Babyloniâ reducis, Ezech. 37. *Rationes* petuntur à Chriſto, qui eſt reſurrectionis typus, exemplum,& initium:nec non à fœdere Dei, quod morte non rumpitur, Matth.22 30.à promiſſionibus vitæ æternæ, & à ſacramentis illas obſignantibus.Hæ,inquam, rationes in Scripturis occurrunt.Alioqui nulla ratio purè naturalis hîc datur,neque à priori,neque à poſteriori,quâ certò demonſtretur hic articulus fidei. Nam reformatio & reſuſcitatio corporis ex puluere eſt contra ſolitum naturæ curſum:& reunio animæ cum corpore,ſeu vnio inſeparabilis, vires naturę ſuperat. Neque tamen inde reſurrectio carnis eſt contra naturam,neque contra rectam rationem Nam quòd huiusmodi reparatio hominis ſit Deo poſſibilis,inde colligitur, quòd non ſuperet illam potentiam, quę in ejus primâ creatione fuit manifeſtata. Rurſus, quòd certò ſit futura, inde colligitur,quòd juſtitia Dei poſtulet vt quod ſocium fuit bonorum vel malorum operum, ſit quoque ſocium præmiorum vel pœnarum.

II. *De cauſis reſurrectionis hæ ſunt regulæ.* Cauſæ reſurrectionis.

1. *Cauſa efficiens communiter* eſt tota Trinitas: *ſingulariter*, Chriſtus. 2 *Chriſtus tribus modis eſt cauſa efficiens reſurrectionis*: vt Deus, vt judex mundi,vt mediator ſeu caput. Duobus prioribus modis Chriſtus eſt cauſa efficiens reſurrectionis tam reproborum, quàm electorum:tertiò modo eſt cauſa reſurrectionis electorum,idemque merito,& efficaciâ,inchoatione,& conſummatione: Quamuis itaque omnes reſuſcitabuntur à Chriſto.

Christo θεανθρώπῳ, non vnâ tamen & eâdem ratione. Nam resurrectio fidelium est ad vitam, & perficitur virtute vnionis illius, quam habent cum Christo, & operatione spiritûs ejus viuificantis, qui habitat in ipsis. Aliorum autem resurrectio est per potentiam illam Christi, quâ justitiam vindicantem exequitur. 3. *Angelorum ministerium* non erit propriè ad mortuos resuscitandos, sed ad collectionem partium resuscitandorum, & ad congregandos jam resuscitatos. 4. *Materia* est idem numero corpus, quod homo gestauit in hâc vitâ, & hoc corpore mediante ipse homo. Nam resurrectio est ejus quod cecidit. Quia verò homo cecidit à vitâ, per separationem animę à corpore, ideirco vt resurgat, necesse est eandem animam reuniri eidem corpori, vt ex vtriusque vnione redintegratâ idem homo existat. 5. *Forma* consistit in iteratâ corporis & animę vnione; & mortuorum quidem restitutione, superstitum verò momentaneâ immutatione (quę Tertulliano dicitur compendium mortis, aliis mors analogica) & liberatione à corruptione. 6. *Finis* est declaratio misericordię & justitię Dei: illius quidem, in resurrectione vitę, huius verò in resurrectione condemnationis.

Locvs XLIV.

De vltimo judicio.

Præcepta.

1. Judiciũ vltimũ spectatur in assertione & modo.

2. *Assertio* est, quòd certò sit futurum,

3. *Modus* est in vniuersalitate & processu.

4. Iudicium hoc erit *vniuersale*, respectu piorum & impiorum, Angelorum & hominum.

5. *Processus* erit judicialis. In eo itaque erunt personæ, causæ cognitio, & sententiæ tum dictio, tum executio.

6. *Personæ* sunt judex, judicandi, assessores. In *judicandis* spectatur citatio, separatio, & locatio ad dextram, vel sinistram.

7. *Causæ cognitio* erit admirabilis, accurata, & plena.

8. *Sententiæ dictio*, seu promulgatio, erit confirmatio & declaratio primi seu particularis judicii, hoc est, istius sententiæ, quæ pronuntiatur in hoc seculo, partim in verbo Dei, partim in conscientiis nostris.

9. *Sententiæ executio* est in consummatione seculi, & retributione æternâ; quæ est præmiorum, & pœnarum æternarum. *Ibi* est bonorum angelorum solennis glorificatio, & hominum electorum assumptio in cœlum: *hìc* damnatorum angelorum & hominum detrusio in infernum.

Regvlæ positivæ.

Christus quomodo sit judicaturus mundum?

I. *Christus in formâ aspectabili exercebit hoc judicium erga omnes in vniuersum homines.*

Iohan 5. *v.*22. Nec enim Pater judicat quenquam, sed omne judicium dedit Filio. *Act.* 10.42. Præcepit autem nobis vt prædicemus populo, & cum testificatione denuntiemus, eum (Iesum Christum) esse qui definitus sit à Deo, Iudex viuorum ac mortuorum. *Et c.*17.*v.*31. Eò quòd statuit diem, quo justè iudicaturus est orbem terrarum, per eum virum, quem definiit. *Apoc.* 1.*v.*7. Ecce, venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, etiam qui eum transfixerunt: & plangent coram eo omnes tribus terræ: etiam, Amen. *Matt.* 25.32. Congregabunt (angeli) coram eo, Christo, omnes gentes, & separabit eos, alteros ab alteris, vt pastor separat oues ab hœdis. *Rom.* 14.11. Omnes enim sistemur apud tribunal Christi. 1. *Cor.* 5.10. Omnes nos manifestos fieri oportet coram tribunali Christi, vt vnusquisque reportet, quæ in corpore fecerit, congruenter ad id, quod fecerit, siue bonum, siue malum. Porrò sancti homines approbabunt hoc judicium, *Matth.* 19.*v.*28. 1. *Cor.* 6.*v.*2.

In vltimo judicio tria fient.

II. *In vltimo judicio tria ista fient*, (a) *omnium hominum conuocatorum opera manifestabuntur.* (b) *sententia feretur, absoluendo electos, & condemnando reprobos.* (c) *sententia dicta quantocyus implebitur, seu executioni mandabitur, ita vt electi euehantur in cœlum, & reprobi detrudantur in infernum.*

(a) *Rom.* 2.*v.*12.16. Quicunque enim sine lege peccauerunt, sine lege quoque peribunt; & quicunque in lege peccauerunt, per legem damnabuntur, in die, quo judicabit Dominus de rebus occultis hominum. *Matth.* 12.*v.*36. Quodcunque verbum otiosum locuti fuerint homines, de eo reddent rationem in die judicii. *Vide quoque loc. seq. n.* 1. *& Rom.* 2.*v.*6.7. 1. *Cor.* 5.*v.*10. vide num. præced. *Matth.* 25.*v* 35.36.42.43. Esuriui enim & non dedistis mihi quo vescerer, &c. Vide etiam *lit. seq. Jud. v.* 15. (b) *Matth.* 25 *v.*34. Tunc dicet rex iis qui ad dextram ipsius erunt, Adeste benedicti Patris mei, possidete regnũ paratum vobis à jacto mundi fundamento. *Et v.*41. Execrati, abite à me in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus. *Et c.*7.*v.*23. Tunc autem profitebor eis, Certè nunquam noui vos. Discedite à me qui operam datis transgressioni legis. *Confer Luc.* 13.*v.*27. *Jud. v.*15. Feret judicium aduersus omnes, & redarguet quicunque ex ipsis sunt impii, de factis omnibus, quæ impiè patrarint, deque omnibus duris, quæ locuti fuerint aduersus ipsum peccatores impii. (c) *Matth.* 25.*v. vlt.* Et abibunt isti ad supplicium æternum, justi verò ad vitam æternam.

Cre[ab]it cœl[um n]ouũ & t[erram] no[uam].

III. *In vltimo Iudicii die Deus creabit cœlum nouum, & terram nouam.*

2. *Petri* 3.*v.*13. *& seqq.* Cœlos nouos & terram nouam expectamus, in quibus justitia inhabitat. Quapropter dilecti, cùm hæc expectetis, studete vt incontaminati & inculpati ab eo inueniamini cum pace; Dominique nostri tarditatem ad iram, salutem ducite. *Et v.*10. Veniet autem sicut fur in nocte dies ille Domini, quo cœli cum stridore præteribunt, elementa verò æstuantia soluentur, terraque & quæ in eâ sunt opera exurentur. *Rom.* 8.*v.*19. *& seqq.* Creatura quasi exerto capite obseruans, expectat reuelationem filiorum Dei. Nam vanitati creatura est subjecta: non suâ sponte, sed propter eum, qui subjecit eam isti vanitati: sub spe, quòd & ipsa creatura liberabitur ex seruitute corruptionis in libertatem gratię filiorum Dei. Scrimus enim, omnem creaturam vnà suspirare & vnà parturire ab hoc vsque tempus. *Apoc.* 21.*v.*1. Deinde vidi cœlum nouum, & terram nouam: primum enim cœlum & prima terra abierat & mare non ampliùs extabat. *Confer Esa.* 65.*v.*11. *&* 66.*v.*22.

Regvlæ Didacticæ

Ca[usæ] ...

I. *De causis vltimi Iudicij hæ sunt regulæ.*

1. *Causa efficiens princeps cõmuniter* est tota SS. Trinitas; *singulariter*, Christus, quâ rex. 2. *Christus* erit judex principali authoritate, adeoque inappellabilis: visibilis item & conspicuus ratione humanitatis & majestatis. 3. *Instrumentalis causa* erunt angeli, quorum operâ Christus est vsurus tum in congregatione judicandorum, tum in segregatione piorum & impiorum. 4. *Materia* erunt omnes homines sistendi coram tribunali Christi. Aliter tamen pii, aliter impii judicabuntur. Illi enim judicabuntur, sed non condemnabuntur: hi verò & judicabuntur & condemnabuntur. Itaque hoc judicium respectu fidelium prouenit à gratiâ Dei in Christo: respectu infidelium, est potestatis tantùm & domini. Hinc fidelium peccata non prodibunt in judicium. Cùm enim in hâc vitâ per sententiam justificationis tecta sint & ablata, & vltimum illud judicium confirmatio sit & manifestatio eiusdem sententiæ; non est consentaneum, vt in lucem denuò tum temporis proferantur. Interim electi recordabuntur suorum peccatorum, non vt memoria illa ipsis adferat tristitiam, sed vt commẽdet Dei remittentis gratiam. 5. *Forma* ὑποτυπωτικῶς processus forensis exprimitur: ad quem pertinet causæ cognitio, sententiæ dictio, & eiusdem executio. *Causæ cognitio* librorum, velut protocolli, similitudine, exprimitur, quibus opera ipsorum descripta erant. Librorum autem nomine partim omni scientia Dei, partim conscientia hominis intelligitur. *Sententiæ dictio* erit plena consolationis, quantum ad electos; & plena horroris, quantum ad reprobos. *Executio sententiæ* protinus sequetur sententiæ dictionem. 6. *Finis* est plena & consummata executio consilii Dei, de patefaciendâ gratiâ & justitiâ suâ. 7. *Impii Iudicabuntur* secundùm & propter opera sua; *pii*, secundùm opera fidei, sed non propter opera. 8. *Fideles vnà cum Christo Iudicabunt*, assistentes, non consulentes; adeoque approbantes. 9. *Locus* hujus judicii erit in aëre, 1. Thess. 4.17.

Fin[is] sec[uli]

II. *De consummatione seculi hæ sunt regulæ.*

1. *Ignis*, purgando & innouando mundo destinatus, non antecedet judicium, sed sequetur. 2. *Consummatio huius seculi* non *fiet* immediatè, per nutum Dei, sed *mediatè*, per motum ignis, seu per modum conflagrationis. 3. *Mundus hic peribit* totaliter, quantum ad ποιότητα, seu qualitatem & statum vitæ animalis: partialiter, quantum ad οὐσίαν, siue substantiam quarundam partium. Atque hoc est, quod Scriptura docet, mundum instar vestimenti veterascere, instar fumi euanescere, &c.

Locvs XLV.

De Vitâ æternâ.

Præcepta.

1. Executio prædestinationis post hanc vitam singulariter spectatur in vitâ & morte æternâ: quibus etsi æternitas, liberatio à statu vitæ animalis, & denique vita naturæ sunt communia, tamen in reliquis est differentia longe maxima.

2. *Vita æterna* spectatur in causis, partibus, & gradibus suis.

3. *Causæ* sunt tres. 1. *impellens*; εὐδοκία Dei. 2. *meritoria*; satisfactio Christi. 3. *organica*; fides & bona opera, quibus hæc merces dabitur ex gratia; vtpote quæ est prorsus euangelica.

4. *Partes vitæ æternæ* sunt gloria, & gaudium æternum beatorum, angelorum, & hominum. *Gloria æterna*, quantum ad homines, est animæ, corporis, & totius hominis. Gloria æterna *animæ* est, in sapientiâ, iustitiâ, & sanctitate perfectâ: *corporis* in incorruptibilitate, agilitate, pulchritudine, claritate seu fulgore, & harmonicâ conspiratione cum animâ: *totius hominis* in plenâ conformitate cum Deo, fruitione Dei immediatâ, fruitione bonorum cœlestium, & mutuâ sanctorum communione. *Gaudium æternum* est ineffabilis ex vitâ illa & gloriâ continuè & sine fine fluens suauitas.

5. *Gradus vitæ æternæ* erunt, tum inter angelos, tum inter homines; & rursus inter hos pro mensurâ donorum, quibus quisque in hâc vitâ fuit præditus; & pro officiorum quæ in hâc vitâ obiit, diuersitate, & denique pro passionum & afflictionum huius vitæ multitudine ac magnitudine. Itaque primùm maior & perfectior erit angelorum quàm hominum beatitudo: & inter homines etiam rursus erit discrimen.

Regvlæ Positivæ.

I. *Vita æterna consistit in* (a) *gloriâ virtutis & beatitudinis consummatæ, seu in communione naturæ Dei in secula.* (b) *pleno & perpetuo, & ineffabili, sensu fauoris Dei.* (c) *perpetuâ celebratione nominis Dei.*

(a) *Dan.* 12. *v.* 3. Erudientes splendebunt quasi splendore expansi, & iustificantes multos, vt stellæ, in sempiterna sæcula. *Luc.* 20. *v.* 36. Pares enim angelis sunt. Confer *Matth.* 22. *v.* 30. *Rom.* 2. *v.* 6. 7. Deus reddet vnicuique secundùm opera ipsius: is quidem, qui per tolerantiam quærunt boni operis gloriam, & honorem, & incorruptibilitatem, vitam æternam. *Vide Ioan.* 3. *v.* 15. 16. *& cap.* 5. *v.* 24. vbi hæc vita dicitur æterna: *& Actor.* 26. *v.* 18. vbi appellantur sors inter sanctos: *& Coloss.* 1. *v.* 12. vbi vocatur sors sanctorum in luce. *Rom.* 8. *v.* 18. Reor minimè pares esse temporis præsentis perpessiones gloriæ in nobis reuelandæ. *Et v.* 30. Quos autem iustificauit, eos etiam glorificauit. 1. *Cor.* 15. *v.* 49. Sicut gessimus imaginem terreni, geremus etiam imaginem cœlestis. *Et v.* 53. 54. Oportet corruptibile istud induere incorruptibilitatem, & mortale istud induere immortalitatem. Postquam autem hoc corruptibile induerit incorruptibilitatem, & mortale istud immortalitatem, tum fiet illud, quod scriptum est: Absorpta est mors ad victoriam. 2. *Cor.* 5. *v.* 1. Scimus, nos, si terrestris huius domus nostræ tabernaculum dissolutum fuerit, ædificium ex Deo habituros, domicilium videlicet non manu factum, æternum in cœlis. *Gal.* 6. *v.* 8. Qui seminat carni suæ, ex carne metet interitum: qui verò seminat spiritui, ex spiritu metet vitam æternam. 2. *Tim.* 4. *v.* 8. Reposita est mihi iustitiæ corona, quam reddet mihi Dominus in illo die, iustus ille iudex: non solùm autem mihi, sed & omnibus, qui expetiuerint illustrem illum ipsius aduentum. 2. *Pet.* 1. *v.* 4. Vt per hæc efficeremini participes, καὶ ἀνοί, diuinæ naturæ. *Hebr.* 12. *v.* 22. 23. Accessistis ad montem Sion, & ciuitatem Dei viui, Hierusalem cœlestem, & myriadas angelorum, conuentum vniuersalem & concionem primogenitorum, qui conscripti sunt in cœlis, & iudicem vniuersorum Deum, & spiritus iustorum consummatorum. *Apoc.* 2. *v.* 11. Qui habet aurem, audiat, quid spiritus dicat Ecclesiis. Qui vicerit, nequaquam lædetur à morte secunda. *Et v.* 26. 27. 28. Si quis vicerit, & ad finem vsque obseruauerit opera mea, dabo ei potestatem in gentes, & reget eas virgâ ferreâ, & tanquam vasa fictilia conterentur: sicut & ego accepi à Patre meo. Et dabo ei stellam matutinam. *Et c.* 3. *v.* 5. Qui vicerit, amicietur vestimentis albis neque vnquam delebo nomen eius ex libro vitæ, sed agnoscam nomen eius in conspectu Patris mei, & in conspectu angelorum eius. *Et v.* 12. Qui vicerit, faciam, vt is sit columna in templo Dei mei: nec foràs egredietur amplius: & inscribam ei nomen Dei mei, & nomen ciuitatis Dei mei, nouæ Hierusalem, quæ descendit è cœlo à Deo meo, & nomen meum nouum. *Et v.* 21. Qui vicerit, tribuam ei, vt sedeat mecum in throno meo, vt & ego vici & sedeo cum Patre meo in throno eius. *Apoc.* 21. *per totum. Et cap.* 22. *v.* 5. Nox illic (in Ecclesiâ gloriosâ) non erit, neque opus est ei lumine lucernæ, neque lumine solis; quoniam Dominus Deus illustrat eos: & regnabunt in secula seculorum. 2. *Cor.* 4. *v.* 17. Momentanea leuitas afflictionis nostræ, excellenter excellentis gloriæ pondus æternum conficit nobis. (b) *Psal.* 16. *v.* 11. Satietas lætitiarum est apud faciem tuam, iucunditates in dexterâ tuâ semper. *Psal.* 17. *v.* 15. Satiabor specie tuâ. *Apoc.* 2. *v.* 7. Qui habet aurem, audiat, quid spiritus dicat Ecclesiis. Victori dabo edere ex arbore illâ vitæ, quæ est in medio paradisi Dei. *Et v.* 17. Qui habet aurem, audiat, quid spiritus dicat Ecclesiis. Ei, qui vicerit, tribuam, vt edat ex mannâ illo occulto, & dabo ei calculum album, & in calculo nomen nouum scriptum, quod nemo nouit, nisi qui accipit. 1. *Cor.* 2. *v.* 9. Prædicamus, sicut scriptum est, quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in mentem hominis venerunt: quæ parauit Deus iis, à quibus ipse diligitur. Confer *Esa.* 64. *v.* 8. 1. *Cor.* 13. *v.* 12. Cernimus enim nunc per speculum, & per ænigma, tunc autem coràm cernemus: nunc cognosco ex parte, tunc verò cognoscam prout edoctus fuero. *Et c.* 15. *v.* 28. Vt Deus sit omnia in omnibus. (c) *Apoc.* 22. *v.* 3. Sedes Dei & agni erit in eâ, & serui eius colent eum. Confer *Apoc.* 5. *v.* 12. 13. 14. *& c.* 19. *v.* 1. *& seqq.* Vbi turba in cœlo aliquoties ingeminat Halleluia.

II. *Gloriæ cœlestis erunt quidam gradus.* In vita æterna erunt gradus.

1. *Cor.* 15. *v.* 41. 42. Alia est gloria solis, & alia gloria lunæ, & alia gloria stellarum. Stella enim à stella differt in gloria. Ita & resurrectio mortuorum. Huc pertinet, quòd vita æterna comparatur paradiso, domui, ciuitati, regno, cœnæ magnæ, nuptiis regalibus, brabio, & coronæ. *Luc* 23. *Iob.* 14. *Apoc.* 21. *Matth* 20. *c.* 25. *Luc.* 14. 1. *Cor.* 9. 2. *Tim.* 4. Quæ omnia ita sunt comparata, vt admittant iucundam varietatem. *Matth.* 13. 43. Tunc iusti effulgebunt vt sol, in regno Patris sui: hoc est, splendebunt & coruscabunt radiis solis iustitiæ, quisque videl. secundum suum gradum.

III. *Impij in inferno erunt sub peccatis infelices in omnem æternitatem.* Impiorum status in inferno.

Esa. 66. *v.* 24. Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur, eruntque nauseæ omni carni. 2. *Thess.* 1. *v.* 6. *& deinceps.* Iustum est apud Deum vicissim reddere iis, qui affligunt vos, afflictionem, vobis verò qui affligamini, relaxationem nobiscum, in reuelatione Domini Iesu de cœlo cum angelis suis potentibus, cum igne flammante, infligens vltionem iis, qui Deum nesciunt, neque auscultant euangelio Domini nostri Iesu Christi: qui pœnam pendent æterni exitii, expulsi à facie Domini, & gloriâ virium ipsius. *Apoc* 20. 14. 15. Infernus autem ac Mors coniecti sunt in stagnum ignis, quæ est mors secunda. Et qui non inuentus est in libro vitæ scriptus, coniectus est in stagnum ignis. *Et c.* 21. *v.* 8. Formidolosis, & incredulis, & execrabilibus, & homicidis, & scortatoribus, & veneficis, idololatris, & omnibus mendacibus, portio assignanda est in stagno, vbi ardet ignis & sulphur, quod est mors secunda. *Et c.* 22. *v.* 15. Foris autem erunt canes, & venefici, & scortatores, &c.

IV. *In damnatis erunt gradus cruciatuum.* Gradus damnationis æternæ.

Matth. 10. *v.* 15. Amen dico vobis tolerabilior erit conditio terræ Sodomorum in die iudiciis, quàm vrbis illius, scil. quæ reiecerit euangelium. *Et c.* 11. *v.* 20. *& deinceps.* Væ tibi Corazin, &c. Tyri & Sidonis tolerabilior erit conditio in die iudicij, quàm vestra. *Item*: Terræ Sodomorum tolerabilior erit conditio in die iudicij quàm tua. *scil. Capernaum.*

Regvlæ Didacticæ.

I. *In vitâ æternâ perficietur applicatio redemptionis, quæ in hac vitâ tantum inchoatur.* Vita æterna est inchoata vel consummata.

Applicatio redemptionis, adeóque vita æterna & glorificatio in hâc vitâ inchoatur, in fine seculi consummatur. *inchoata*

luius

huius glorificationis *gradus primus* est apprehensio & sensus amoris Dei ex vnione & communione, quam habent fideles cum ipso, in Christo: *secundus* est indubitata spes & exspectatio fruitionis omnium illorum bonorum, quæ Deus præparauit suis: *tertius* est in participatione donorum gratiæ: *quartus*, in experientiâ beneuolentiæ & benignitatis Dei. Quod attinet ad secundum gradum, ad illum pertinet certitudo, consolatio, pax, & gaudium inenarrabile. Porro hæc certitudo quoad rem ipsam, quæ dicitur certitudo obiecti, est omnibus verè fidelibus obsignata: sed quoad eius perceptionem, quæ dicitur certitudo subiecti, non est omnibus semper præsens. Potest tamen ab omnibus, absque speciali reuelatione comparari: quia nempe fundatur & confirmatur fidelibus verbo, sigillis, iuramento, & arrhâ ipsius Dei. *Perfecta glorificatio* est in ablatione omnis imperfectionis ab anima & corpore, & perfectionis omnis collatione. Tum enim vocationis finis vocatis omnibus aderit: quia vocamur ad gloriam æternam. Tum iustificationis declaratio erit completa. Tum adoptati omnes possessionem ipsam hæreditatis adibunt. Tum Dei imago in sanctificatis omnibus perficietur. Tum denique gloria & beatitudo sperata omnimoda fulgebit in anima & corpore. Quia verò Ecclesiæ status tum erit perfectionis, non ædificationis, idcircò ministerium, Sacramenta, & omnia instituta Ecclesiæ cessabunt, & Ecclesia mystica manebit in immediata communione cum Deo.

Vita æterna quid?

II. *Vita æterna consistit in liberatione ab omni malo, & gaudiorum varietate, magnitudine, & duratione.*

Liberatio ab omni malo respicit malum animi, corporis, & fortunæ. *Gaudiorum varietas* est in glorificatione hominis, habitationis amœnitate, & sanctorum societate. *Glorificatio hominis* erit tum corporis, tum animæ. *Corpus* donabitur claritate, impassibilitate, subtilitate, agilitate. *In animâ* erit intellectus sine errore, lux sine caligine, sapientia sine ignoratione, ratio sine obscuritate, memoria sine obliuione, voluntas sine deprauatione, affectus sine defectu. *Habitationis amœnitas* figuratur typo Hierosolymæ & templi Salomonis. *Sanctorum societas* est in communione immediata cum Deo & sanctis angelis atque hominibus. *Magnitudo gaudiorum* tanta est, vt non solùm eam nemo fando, sed nec cogitando assequi possit. Denique *gaudiorum horum duratio* est infinita; quia huic felicitati nullus præfixus est terminus, ita vt illâ iterum excidere non possimus.

An sint futuri gradus in vita æterna?

III. *Beatitudinis æternæ gradus erunt, non pro diuersitate meritorum, sed pro varietate gratiæ Dei, quæ fuit in hâc vitâ.*

Sicut enim donum fidei & sanctificationis, pro mera Dei gratiâ, inæqualiter obtingit sanctis in hac vitâ; sic gloriam quoque pro gratiosâ suâ voluntate distribuet. Aliàs gloria electorum absolutè spectata, erit æqualis: vtpote quæ fulgori solis assimilatur, Matth. 13. v. 41.

Christi regnum quale?

IV. *Christus etiam post diem iudicij manebit Rex & Mediator inæternum.*

Non enim sic tradet regnum Patri, vt ipsemet cesset regnare: sed vt partim deponat regnum dispensatiuum in Ecclesia militante, partim repræsentet suum regnum completum, quale mansurum est in æternum.

Locus XLVI.

De Morte æternâ.

Præcepta.

1. Mors æterna spectatur in causis, partibus, & gradibus suis.

2. Causæ sunt duæ. 1. *meritoria*; perseuerantia in peccato aduersus legem, vel euangelium. 2. *Impellens*; iustitia Dei puniens.

3. *Partes mortis æternæ* sunt miseria & tristitia æterna damnatorum, angelorum & hominum. *Miseria æterna* est in cruciatu & ignominiâ. *Cruciatus* est tum Angelorum, tum hominum damnatorum. *Angelorum damnatorum cruciatus* respondebit naturæ ipsorum spirituali. *Hominum damnatorum cruciatus* erit tum animi, tum corporis. *Ignominia* est in deformitate ac priuatione fruitionis Dei bonorumque cœlestium. *Tristitia*, siue dolor, miseriam consequetur vt indiuiduus ipsius comes.

4. *Gradus mortis æternæ* respondebunt multitudini & magnitudini peccatorum exactâ nempe proportione, quæ solet dici arithmetica.

Regulas positiuas vide loc. præced.

Regulæ Didacticæ.

I. *Mors æterna est summus gradus pœnæ in æternum duraturæ.*

Est, inquam, summus gradus, respectu damni & priuationis: quia est amissio boni infiniti. Sed ratione sensus, aut positiuæ afflictionis; gradus quidam sunt in ista pœna, pro varietate graduum, qui in peccatis reperiuntur. Porro hæc mors est æterna 1. propter æternam permanentiam culpæ. 2. propter immutabilitatem status, quem iste gradus pœnæ consequitur. 3. propter satisfactionis defectum. Hinc incorruptibilitas damnatorum est immortalitas eorum in morte, & ad mortem.

II. *Mors æterna est consummatio mortis spiritualis & corporalis.*

Spiritualis mortis consummatio, in genere damni, est totalis ac finalis derelictio, quâ homo separatur penitùs à facie, præsentia, & fauore Dei: in genere sensus, est seruitutis plenitudo, quâ homo penitùs traditur in diaboli potestatem. Hinc terrorum conscientiæ & peccáti plenitudo. Peccant enim damnati, & peccabunt odio, indignatione, inuidiâ, & similibus affectibus. *Consummatio mortis corporalis* est in iniectione animæ corporis in gehennam. Hinc dolores, cruciatus, lamentatio, eiulatio, & similia.

III. *Peccata damnatorum non habent eandem rationem meriti, quam in viuentibus.*


Tum enim neque possibilitas vlla est vitandi peccata, neque locus est comminationibus ac incremento pœnæ ex ipsis. Hinc peccata in damnatis plus habent rationis pœnæ quàm in viuentibus: sed in viuentibus plus habent rationis culpæ.

Peroratio Theologiæ Didacticæ.

Hic jam fas sit subsistere: vbi priùs illud monuerimus: Theologiam didacticam ita esse à nobis informatam, vt pleræque controuersiæ, de quibus tractare debet Theologia polemica, possint ex regulis decidi. Contractioribus itaque velis vtemur in Theologia polemica: quam vt cum fructu euolvas, cogita illud: *Veritatem Philosophia quærit, Theologia inuenit, Religio possidet.*

DELINEA

DELINEATIO THEOLOGIÆ DIDACTICÆ.



Finis Theologiæ Didacticæ.



QVARTA SECTIO THEOLOGIÆ

In quâ delineatur.

THEOLOGIA POLEMICA.

CAPVT I.

De Fine Theologiæ polemicæ.

PRÆCEPTA.

THEOLOGIA polemica est doctrina enarrans & decidens controuersias religionis. *Vnde &* Theologia controuersa *dicitur.*

Eius occurrit finis & modus.

Finis est, Ecclesias opinionum varietate dissidentes reuocare ad fidei vnitatem, saltem in fundamento. *Vnde hæc doctrinæ Theologicæ pars appellatur* Theologia irenica.

REGVLÆ.

Nomenclatura Theologiæ polemicæ.

I. *Theologia ex modo tractationis dicitur polemica; ex fine irenica.*

Nam quia in tractatione controuersiarum est conflictus quidam partium dissidentium, vti fieri solet in bello; omnis disputatio appellari potest πολεμικὴ. Proinde & hæc Theologiæ pars. Rursum, quia finis belli est pax, rectè hæc ipsa Theologiæ pars appellatur irenica. Hîc itaque cogitetur illud *Ciceronis 9. Philip.* Neque enim ille magis iuris consultus, quàm iustitiæ fuit. Itaque quæ proficiscebantur à legibus & à iure ciuili, semper ad facilitatem æquitatemque referebat: neque constituere litium actiones malebat, quàm cõtrouersias tollere.

Finis Theologiæ polemicæ.

II. *Finis Theologiæ polemicæ sit* ὁμόνοια καὶ ὁμοδοξία, *id est, vnitas animorum & sententiarum, in negotio fidei, saltem quantum ad fundamentum.*

Ratio canonis patet ex commentario ad præced. canonem. Itaque grauiter hîc peccant, qui hoc sibi propositum habent in controuersiarum Theologicarum tractatione, vt eruditionem & eloquentiam suam ostentent, aut ventrem & culinam curent, aut præconceptas opiniones defendant, &c. Quibus velim ob oculos versari illud *Bernardi super Cantica sermone 36.* Sunt qui scire volunt, eo fine tantùm, vt sciant; & turpis curiositas est; & sunt qui scire volunt, vt sciantur & ipsi, & turpis vanitas est: & sunt qui scire volunt, vt scientiam suam vendant; verbi causâ, pro pecunia, pro honoribus; & turpis quæstus est. Sed sunt quoque qui scire volunt, vt ædificent; & charitas est: & item qui scire volunt, vt ædificentur; & prudentia est.

CAPVT II.

De modo componendi controuersias Theologicas in genere.

PRÆCEPTA.

MOdus Theologiæ polemicæ spectatur in genere & in specie.

In genere modus componendi controuersias Theologicas pendet à canone fidei, charitatis, & prudentiæ.

Canon fidei est sola Scriptura canonica V. & N. T.

Canon Charitatis est ædificatio infirmorum, & æquitas in iudicando.

Canon prudentiæ est discretio illorum, quibuscum versamur, & quæ versamus siue tractamus.

REGVLÆ.

Fid... qu...

I. *Illa est vera fides, cuius author est Spiritus sanctus in Scripturâ.*

Hæc est illa fides, ad quam Paulus Corinthios reuocabat; vt labefactatam inter illos doctrinam de sacra Eucharistia in integrum restitueret. *Ego,* inquit, *à Domino accepi, quod & tradidi vobis.* 1. Cor. 11. 23. Ea est fides, ad quam idem Apostolus etiam Galatas reuocabat, tanta contentione affirmans, aliud nullum esse Euangelium, nisi illud, quod ipse eis prædicauerit: nihil dubitans, spiritu Dei plenus, etiam de cœlo venientibus Angelis anathema dicere, si aliquid aliud doctrinæ fidei adiicerent, παρ᾽ ὃ παρελάβον, *præter id quod acceperant,* Gal. 1. vers. 6. 7. 8. 9. Ea est fides, ad quas Iudas vers. 4. omnes omnium Ecclesiarum fideles reuocabat, cùm pullulantibus inter ipsos iam tum hæresibus, hortatur pios ἐπαγωνίζεσθαι τῇ ἅπαξ παραδοθείσῃ πίστει τοῖς ἁγίοις, *vt fortiter decertent pro fide, quæ semel tradita fuit sanctis.* O diuina verba, numero illa quidem paucissima, sed sensu vberrima! quæ vel sola rectè expensa, hodiernas de fide controuersias tollere, & Ecclesiis pacem reddere, si mens plerísque mortalium non esset læua, sint idonea! Volumus scire, quæ sit vera fides? Ea est, authore Iuda Apostolo, QVAE SEMEL FVIT TRADITA. Volumus fidei regulam tenere? Sequamur Iudam, & illo docente discamus, illam demum esse veram regulam fidei, QVAE SEMEL FVIT TRADITA. Volumus hodiè scire, vbi tot iactantur fides, Pontificis Romani, Lutheri, Caluini, & cuius non? quæ sit vera; quam defendere, sit veram antiquitatem defendere; quam oppugnare, sit meram nouitatem inducere? Confugiamus ad sacram anchoram, & discamus à Iuda, illam demum esse veram fidei antiquitatem, QVAE SEMEL FVIT TRADITA. Huc pertinet, quod Christus Pharisæis nouatorib. respondit, NON ITA FVIT À PRINCIPIO. Matth. 19. 8. Nos itaque in controuersiis religionis assiduè rotemus illum Christi gladium, *A principio non ita fuit:* aut illud Iudæ vnicum SEMEL arripiamus. Sic v. gr. si quis in S. cœna non adhibeat panem verum & vsitatum, neque fractionem panis admittat, neque poculum porrigat communicantibus: nos dicamus, *Non ita fuit à principio.* Si quis tot religiones monachorum defendat, dicamus, *Non ita fuit à principio.* Si quis merita operum operosè defendat, dicamus, SEMEL tradita fides hæc erat, *Colligimus igitur, fide iustificari hominem absque operibus legis,* Rom. 3. 28. Quòd si hæc via obseruetur, facillimo negotio componentur controuersiæ, quæ tanto feruore hodiè vel testimoniis Patrum, vel variis ratiunculis suffultæ gliscunt.

Ca... charitatis & prudentiæ est ... tiu...

II. *Canon charitatis & prudentiæ est secundarius: vtpote qui pendet a Canone fidei.*

Scriptura siquidem sacra est regula regulans: charitas & prudentia est regula regulata. *Charitatis* etenim *Canon* facit, vt condescendamus infirmis, secundùm præscriptũ fidei seu Scripturæ: & studeamus æquitati in iudicandis & interpretandis aliorum dictis. *Canon prudentiæ* facit, vt discernamus eos, qui errant, & ipsos errores. Nam illi qui errant, aut ex infirmitate & simplicitate aut ex malitiâ & prauâ dispositione errant. Et

errores

errores sunt circa doctrinam vel ceremonias; & rursum circa doctrinæ substantiam & fundamentum, vel extra fundamentum. Quæ omnia lex prudentiæ iubet discernere.

CAPUT III.

De Modo componendi controuersias Theologicas in specie.

PRÆCEPTA.

MOdus componendi controuersias Theologicas in specie cernitur in multiplici methodo, quæ seruari potest in Theologiâ polemicâ, itemque in delectu.

Methodus ista est historica, Biblica, parallela, Catechetica, vel Systematica.

Methodus historica, siue temporis, est, cùm hæreses, & aliæ erroneæ opiniones circa Religionem, eo ordine recitantur & refutantur, quo vixerunt authores & patroni ipsarum.

Methodus Biblica est, cùm ad singula capita Scripturæ adnotantur & confutantur hæreses & alij errores in religionis negotio.

Methodus parallela est, cùm singulis locis communibus Theologicis subiiciuntur errores, & refutantur.

Methodus catechetica est, cùm hæreses & errores referuntur ad titulos capitum Catechismi, & eo ordine refutantur.

Methodus systematica est, cùm hæreses & aliæ opiniones erroneæ, quos defendit aliqua secta, referuntur ad vnum caput, & postea digeruntur iuxta ordinem locorum communium, e.gr. si errores Anabaptistarum digerantur iuxta locos de Scripturâ, de Deo, de Christo, de peccato, &c.

REGULÆ.

I. *Methodus tractandi controuersias Theologicas debet esse accommodata lectori & auditori.*

Itaque hîc nunc adhibenda fuerit Methodus prudentiæ, nunc sapientiæ. Illa conuenit rudioribus & simplicioribus, & omninò decet Cathedram Ecclesiasticam: hæc peritioribus est accommodata, & pertinet ad Cathedram Scholiasticam.

II. *In variâ illâ methodo Theologiæ polemicæ duplex seruari potest modus tractandi.*

Aut enim *synopticè* errores recitantur, & ipsorum antidota, hoc est, fundamenta solutionum paucis attinguntur: aut *diexodicè* omnia enarrantur, ita nempe, vt quinque sint partes tractationis in nobilioribus controuersiis, hoc ordine: Thesis, Antithesis, Confirmatio Theseos, Confirmatio Antitheseos, & Antidotum.

CAPUT IV.

De Modo componendi controuersias, quæ nobis intercedunt cum Ecclesiâ Romanâ.

PRÆCEPTA.

DElectus controuersiarum Theologicarum est, quo illæ deliguntur, quarum cognitio nobis est imprimis necessaria: vti hodiè inprimis sunt controuersiæ, quæ nobis intercedunt cum Ecclesiâ Romanâ, & iis qui Lutherum sequuntur ducem.

Prioris generis controuersiæ multis modis tractari solent: è quibus illum hoc loco trademus, quem *Iohannes Hallerus* an. 1571. obseruauit in libello, cui titulum fecit: *Sententiæ ex Decretis canonicis collectæ,* Tom. III.

REGULÆ.

I. *Delectus controuersiarum Theologicarum est habendus duplici de causâ.* — Delectus controuersiarum quare necessarius?

Principiò si quis hæreses inueteratas & vulgò ignotas recitet atque refutet, merito ipsi obiicitur illud tritum: *Incognitos errores enumerare, est illos serere.* Cauto itaque est opus, ne ad hunc scopulum impingamus. Proinde oportet illas controuersias in religionis negotio seligere, quæ in vulgus notæ sunt, & magnam noxam nocent. Deinde vix fieri potest, vt vnus aliquis æque feliciter versetur in omnium controuersiarum Theologicarum tractatione. Itaque satius fuerit Spartam suam in paucis tractandis ritè ornare, quàm ingenium multis onerare, & frigidè in illis multis operam suam occupare.

II. *Errores Ecclesiæ Romanæ quatuor potissimùm modis refutari possunt.* — Errores Ecclesiæ Romanæ.

Ex Bibliis, inquam, sacris, Iure canonico, & scriptis Patrum, vel ipsorummet Romanensium. Nos hoc loco elegimus modum secundum: quòd videamus hâc ratione confici Symphoniam Catholicam Iuris canonici (quantum ad decretum Gratiani attinet) cum Scripturis canonicis.

SUMMA RERUM

TRACTARUM CAPITA.

CAPUT I.

De Doctrinâ.

Non aliud docendum aut sentiendum esse, quàm quod à beato Petro, & reliquis Apostolis traditum est. Marcellus Papa.

Rogamus 24. q. 1. Rogamus vos fratres dilectissimi, vt non aliud doceatis, neque sentiatis, quàm quod à B. Petro, & reliquis Apostolis à Patribus accepistis.

Non ex proprio corde docendum, vel ex humano sensu, sed ex Scripturis sanctis, & ea quæ Spiritus sanctus docet. Hieronymus.

Dist. 36. Si quis vult.) Hæc duo sunt Pontificis opera, vt à Deo discat legendo scripturas diuinas, & sæpius meditando, aut populum doceat. Sed illa doceat, quæ à Deo ipse didicerat, non ex proprio corde vel humano sensu, sed quæ Spiritus sanctus docet.

Substantiam Sacerdotij esse Sacram Scripturam. Ex VII. Synodo.

Dist.38.Omnes Psallentes.) Substantia summi sacerdotii nostri, sunt eloquia diuinitus tradita, id est, vera diuinarum scripturarum disciplina, quemadmodum magnus perhibet Dionysius.

Vide plura eiusmodi infra de examine eorum qui ad sacros ordines admittendi.

CAPVT II.

De Sacrâ Scriptura.

De authoritate Scripturæ Sanctæ. Augustinus

Dist 9.Ego solis.) Ego solis eis scriptorum,(alias scripturarum) libris, qui iam canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque referre,(alias deferre) vt nullum eorum scribendo errasse audeam credere, aut si aliquid in eis offendero, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud existimem, quàm mendosum esse Codicem, vel non assecutum esse interpretem, quod dictum est, vel, me minimè intellexisse non ambigam. Alios autem ita lego vt quantalibet sanctitate, quantaue doctrina polleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi per alios authores, vel canicos, vel probabiles rationes, quòd à vero non abhorreat, persuadere potuerunt.

Et paulò post ibidem. Quis nesciat) Quis nesciat sacram scripturam Canonicam, tam veteris quàm noui testamenti, certis terminis suis contineri, eamque posterioribus omnibus Episcoporum literis ita præponi, vt de illa omnino dubitari & disceptari non possit, vtrum verum vel vtrum rectum sit, quicquid in ea scriptū sit vel constiterit esse. Episcoporum autem literas, quæ post confirmatum Canonem, vel scriptæ sunt, vel scribuntur & per sermonem fortè sapientiorum in ea re cuiuslibet peritioris, & per aliorum Episcoporum grauiorem authoritatem, doctioremque prudentiam, & per Concilia licere reprehendi, si quid in eis fortè à veritate deuiatum est?

Item ibidem C. Noli frater.) Noli frater contra diuina tam multa, tam præclara, tam indubitata testimonia colligere velle calumnias ex Episcoporum scriptis, siue nostrorum, sicut Hilarij, siue Cypriani, & Agrippini, antequam pars Donati separaretur, primoque hoc genus literarum, ab authoritate Canonum distinguendum est. Non enim sic leguntur, tanquam ita ex eis testimonium proferatur, vt contra sentire non liceat, sicubi fortè aliter sapuerint, quàm veritas postulat. In eo quippe numero sumus, vt non dedignemur, etiam nobis dictum ab Apostolo accipere: Etsi quid aliter sapitis, hoc quoque vobis Deus reuelabit.

Ibidem. C. Noli meis.) Noli meis literis quasi Canonicis scripturis deseruire, sed in illis & quæ non credebas, cùm inueneris, incunctanter crede: in istis autem, quod certum non habebas, nisi certum intellexeris, noli firmum tenere.

Scripturam rectè debere intelligi. Hier.

Dist. 37. Vino) Vino inebriantur, qui scripturas sacras malè intelligunt atque peruertunt. Sicera, qui abutuntur seculari sapientiâ, & Dialecticorum tendiculis. Quæ non tam tendicula sunt appellanda quàm phantasmata, id est, Vmbræ quædam & imagines, quæ citò pereunt, & resoluuntur. *Idem.* Secundùm tropologiam Pseudoprophetas eos debemus accipere, qui aliter scripturarum verba accipiunt, quàm Spiritus sanctus sonat, & Diuinos eos, qui coniecturâ mentis suæ, incerta futurorum quasi vera pronuntiant, absque diuinorum authoritate verborum. *Idem.* Quicunque scripturas non ita intelligunt, vt rei veritas habet, vuam acerbam comedunt.

Non aliunde sed ex ipsis scripturis, veritatis sensum capiendum esse Clementis PP.

Dist. 37. C. Relatum.) Lex Dei cùm legitur, non secundùm propriam ingenij virtutem vel intelligentiam legatur vel doceatur. Sunt enim multa verba in scripturis diuinis, quæ possunt trahi ad eum sensum, quem sibi vnusquisque sponte præsumpserit, sed non oportet. Non enim sensum extrinsecus alienum & extraneum debetis quærere, vt quoquo modo ipsum ex scripturarum authoritate confirmetis, sed ex ipsis scripturis sensum capere veritatis oportet.

Scripturarum sensum ex linguis originalibus eruendum.

Dist.9.C) Vt veterum librorum fides de Hebræis voluminibus examinanda est, ita nouorum veritas, Græci sermonis normam desiderat.

Dist.9.C.) De quibus causis nulla soluendi ligandique authoritas, in libris veteris & noui Testamenti & quatuor Euangeliorum cum totis scriptis Apostolorum non appareat, ad diuina recurrite scripta Græca.

CAPVT III.

De Patribus eorumque scriptis. August.

Dist.9.C. Negare.) Negare non possum nec debeo, sicut in ipsis maioribus, ita multa esse in tam multis opusculis meis, quæ possunt iusto iudicio, & nullâ temeritate culpari.

Dist.8.C.Neque quorumlibet.) Neque quorumlibet disputationes, quamuis Catholicorum & laudatorum hominum veluti scripturas Canonicas habere debemus, vt nobis non liceat salua honorificentiâ, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare atque respuere, si fortè inuenerimus quòd aliter senserint, quàm veritas habet, diuino adiutorio vel ab aliis intellecta vel à nobis. Talis ego sum in scriptis aliorum, quales volo esse intellectores meorum.

De scriptis incertis, quemodo legenda sunt.

Dist.15. C. Sancta Romana.) Scripta de inuentione sanctæ Crucis Dominicæ, & alia scripta de inuentione capitis B. Ioannis Baptistæ, nouellæ quidem reuelationes sunt, & nonnulli eas Catholici legunt, sed cùm hæc ad Catholicorum manus peruenerint, beati Pauli Apostoli sententia præcedat: Omnia probate, quod bonum est, tenete.

De Canonibus Apostolorum.

Dist.16.C. Apostolorum Canones, qui per Clementem Pontificem Romanum, sicut quidam asserunt, dicuntur esse translati, sunt quinquaginta. Hos non recipiendos, sed inter Apocrypha deputatos Isidorus scribit, dicens: Canones qui dicuntur Apostolorum, seu quia eosdem nec sedes Apostolica recepit, nec sancti Patres illis assensum præbuerunt, pro eo quòd ab hæreticis sub nomine Apostolorum compositi dignoscuntur, quamuis in eis vtilia inueniantur, tamen ab authoritate Canonica atque Apostolica eorum gesta constat esse remota, atque inter Apocrypha deputata.

Zepherinus Papa, mox 60. ex eis sententias recipiendas dicit, Leo, omnes, exceptis quinquaginta.

Dist. 32. C. Præter.) dicitur, quòd Canonibus Apostolorum Orientalis, & ex parte tantùm Romana vtatur Ecclesia.

CAPVT IV.

De Conciliis.

Concilia quædam in ipsis Decretis damnata.

Dist.15. C. Sancta Romana.) Imprimis Ariminensem synodum à Constantino Cæsare Constantini filio congregatam, mediante Tauro Præfecto, ex tunc & in æternum confitemur esse damnatam,

Concilia quomodo concilianda. Isidori.

Dist.50.Domino sancto.) Quotiescunque in gestis Conciliorum discors sententia inuenitur, illius Cōcilij sententia magis teneatur, cuius antiquior & potior existit authoritas.

Iudices qui debeant esse. Ex Concilio Niceno.

11.q.1.C. *Iudices*) Iudices autem esse non debent, nisi quos qui impetitur, elegerit.

Neminem simul accusatorem & iudicem esse posse.

4.q.4. C.) Nullus vnquam præsumat accusator simul esse & iudex, vel testis, quoniam in omni iudicio quatuor personas semper necesse est esse, id est iudices electos, accusatores idoneos, defensores congruos, atque testes legitimos. Iudices autem debent vti æquitate, testes veritate, accusatores intentione ad amplificandam causam, defensores extenuatione ad minuendam causam.

Et mox C. sequente. Accusatores & accusati, æquâ audiantur ratione iuxta quod ordo exigit. Accusatores verò & iudices non ijdem sint, sed per se accusatores, per se iudices, per se testes, per se accusati, vnusquisque in suo ordine.

Quòd qui inimici sunt, iudices esse non possint. Nicolai Papæ.

3.q.5.C. *Quod suspecti*) Quòd suspecti & inimici iudices esse non debeant, & ipsa ratio dictat, & plurimis probatur exemplis. Nam quid gratius & amabilius dare quis inimico potest, quàm si ei ad impetendū commiserit, quem lædere fortè voluerit? Quod prouidè Constantinopolitana Synodus Canonum suorum sexto dignoscitur prohibere Capitul. Veniamus & ad sanctam Chalcedonensem synodum, & quid nobis de ipso Anastasio Pelenonum referat Episcopo, audiamus. Is enim antistes tertio euocatus quia non occurrit, à suo Patriarcha Canonicè condemnatus extiterat, sed solum, quia cùm vocaretur ad synodum, quòd inimicus esset eius ipse qui iudicabat, clamauit, à sancta Chalcedonense synodo ad causas illatas sibi examinandas reseruatur, & nisi denuo conuinceretur, recipere propriam iudicatur Ecclesiam. Si Anastasius à Patriarcha suo depositus, quia de inimicitia eius conquestus est, iteratò ad iudicium reuocandum dirigitur, & si manifesta sibi officiant crimina, tamen suæ Ecclesiæ reddi præcipitur, quanto magis Ignatius, qui non à Patriarcha, sed potius ipse existens Patriarcha, minimè debuit Ecclesiâ propriâ priuari, & inimici & suspectis iudicibus decernentibus expoliari? Veniat & facundissimus noster pater Papa Gelasius, hæreticorum expugnator fortissimus, & quid de Constantinopolitanis Episcopis (more solito) tunc ægrotantibus dixit, etiam nunc nobis edisserat; Quæro inquit iudicium quod prætendunt, vbinam possit agitari, an apud ipsos (qui) iidem inimici sint, & TESTES & REI, & IVDICES? Sed tali iudicio nec humana debent committi ne-

mitti negotia. Quòd ſi in iudicio, vbi iidem ſunt inimici qui iudices, nec humana committi debent iudicia, quanto minus diuina, id eſt, Eccleſiaſtica? qui ſapiens eſt, intelligat. Et reuerâ hinc Iuſtinianus Imperator pius legibus ſuis promulgaſſe dignoſcitur, dicens, liceat ei, quoniam ſuſpectum ſibi iudicem putat, antequam lis inchoetur, eum recuſare, vt ad alium recurratur. Nam quoddammodo naturale eſt, ſuſpectorum iudicum inſidias declinare, & inimicorum iudicium velle refugere. Hinc ſanctus Iohannes os aureum, Concilij contra ſe congregati renuit intrare collegium. Patet ergo, quòd etſi manifeſta ſunt crimina alicuius, tamen accuſatione inimici condemnandus non eſt.

Nuper inimicos, accuſatores vel teſtes eſſe non poſſe. Anacl. Papa.

Ibidem. C. Accuſatores.) Accuſatores & teſtes eſſe non poſſunt, qui ante heſternum diem aut nudius tertius inimici fuerunt, ne irati nocere cupiant, ne læſi ſe vlciſe velint. Inoffenſus igitur accuſatorum & teſtium affectus quærendus eſt, & non ſuſpectus.

In abſentes ſententiam non ferendam.

3. q. 9. C.) Caueant iudices Eccleſiæ, ne abſente eo cuius cauſa ventilatur, ſententiam proferant, quia irrita erit &c.

Et mox ibidem. C. Omnia, quæ aduerſus abſentes in omni negotio aut loco arguuntur aut iudicantur, euacuentur omnino, quoniam abſentem nullus addicit, nec vlla lex damnat.

Item. C. Non oportet quemlibet iudicari vel damnari, priuſquam legitimos habeat præſentes accuſatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina.

Item. C. Abſente aduerſario, non audiatur accuſator, nec abſente alia parte, ſententia à iudice dicta, nullam obtineat firmitatem.

Item. C. Neceſſe eſt ſecundùm ſacrarum ſcripturarum documentum, ac ſecundùm iuſtitiæ tramitem, & accuſatum, & accuſatorem ſimul adeſſe, & vnam partem quantacùmque & qualicùmque prædita ſit authoritate, ſic prorſus audiri, vt alteri parti nullum præiudicium irrogetur.

CAPVT V.

De ſynodis bis in anno celebrandis.

Diſt. 18. C. De Conciliis.) Sancti patres ſalubriter ordinauerunt, vt ſcilicet bini conuentus per annos ſingulos habeantur, in quibus de omnibus querelis, quæ inter diuerſos Eccleſiæ ordines naſci aſſolent, iudicetur.

Item. C. Propter Eccleſiaſticas. Sufficere nobis viſum eſt, bis in anno per ſingulas prouincias Epiſcoporum Concilium fieri.

Item. C. Peruenit. Statuit hæc ergo ſancta Synodus, ſecundùm regulas Patrum, bis in anno in vnum conuenire per ſingulas prouincias Epiſcopos, vbi ſingula quæ emerſerint, corrigantur.

CAPVT VI.

De conſtitutionibus humanis.

Quòd ſtare non poſſit, quod contra Euangelicam vel Propheticam doctrinam factum fuerit.

25. q. 1. C. Omne quod.) Rubrica habet. Stare non valet quod contra Euangelicam vel Propheticam doctrinam ſeu conſtitutionem factum fuerit.

Pſeudoprophetas & Diuinos eſſe, qui aliquid tanquam verum pronuntiant abſque diuinorum autheritate verborum.

Diſt 37 C. Vino.) Secundùm tropologiam pſeudoprophetas eos debemus accipere, qui aliter ſcripturarum verba accipiunt, quàm Spiritus ſanctus ſonat, & Diuinos eos, qui coniecturâ mentis ſuæ incerta futurorum quaſi vera pronuntiant, abſque diuinorum auctoritate verborum.

Papam non poſſe condere leges contra diſertam Chriſti, & Apoſtolorum doctrinam. Vrbani Papa.

25. q. 1. C. Sunt quidam.) Vbi verò apertè Dominus vel eius Apoſtoli & eos ſequentes ſancti Patres, ſententialiter aliquid diffinierunt, ibi non nouam legem Romanus Pontifex dare, ſed potiùs quod prædicatum eſt vſque ad animam & ſanguinem confirmare debet. Si enim quod docuerunt Apoſtoli & prophetæ deſtruere (quod abſit) niteretur, non ſententiam dare, ſed magis errare conuinceretur.

Papam contra ſtatuta Patrum nihil condere poſſe. Zoſimi Papa.

25. q. C. Contra.) Contra ſtatuta Patrum condere aliquid vel mutare, nec huius quidem ſedis poteſt authoritas.

Decretales non debere aliquid Euangelicis præceptis contrarium habere.

Diſt. 19.) Poſtquam multis capitibus & authoritatibus Paparum Gratianus oſtendit, Decretales Romanæ ſedis epiſtolas ab omnibus ſuſcipiendas eſſe, tandem c. Ita Dominus, ſubiungit: Hoc autem intelligendum eſt, de illis ſanctionibus vel Decretalibus epiſtolis, in quibus nec præcedentium Patrum decretis, NEC EVANGELICIS PRÆCEPTIS ALIQVID CONTRARIVM INVENITVR.

Non prohibendum quod ſcriptura non prohibet.

27. q. 2. C. Lex diuina.) Nam cur prohibeatur, quod prohibendum nunquam ſancta ſcriptura declarat?

De onere conſtitutionum humanarum Auguſt.

Diſt. 12 C. Omnia) Ipſam religionem, quam in pauciſſimis, & manifeſtiſſimis celebrationum ſacramentis miſericordia Dei voluit eſſe liberam, ſeruilibus oneribus premunt, adeò vt tolerabilior ſit conditio Iudæorum, qui etiam tempus libertatis non cognouerunt, legalibus tamen ſacramentis, non humanis præſumptionibus ſubiiciuntur.

Conſtitutiones excludendæ.

Diſt. 9. C. Sacra.) Conſtitutiones ergo vel Eccleſiaſticæ vel ſæculares, ſi naturali iuri contrariæ probantur, penitus ſunt excludendæ.

CAPVT VII.

De conſuetudinibus.

Veritati conſuetudo cedat.

Diſt. 8. C. Veritate.) Veritate manifeſtata cedat conſuetudo veritati. Planè quis dubitet veritati, manifeſtè conſuetudinem cedere? Item nemo conſuetudinem rationi & veritati præponat, quia conſuetudinem ratio & veritas ſemper excludit.

Item. C. Si.) Si conſuetudinem fortaſſis opponas, aduertendum eſt, quod Dominus dicit, Ego ſum via, Veritas, & vita. Non dixit, Ego ſum conſuetudo, ſed Veritas. Et certè vt B. Cypriani vtamur ſententiâ, quælibet conſuetudo quantumuis vetuſta, quantumuis vulgare, veritati omnino eſt poſtponenda, & VSVS QVI VERITATI EST CONTRARIVS, EST ABOLENDVS.

Item. C. Mala autem conſuetudo non minùs quàm pernicioſa corruptela abiicienda & vitanda eſt, quæ niſi citiùs radicitus euellatur in priuilegiorum ius ab impiis aſſumitur, & incipiunt præuaricationes, & variæ præſumptiones celerrimè non compreſſæ pro legibus venerari, & priuilegiorum more perpetuâ celebrari.

Item. C. *Qui contempta.*) Reuelatione igitur facta veritatis, veritati cedat conſuetudo, quia & Petrus qui circumcidebat, ceſſit Paulo veritatem prædicanti. Igitur cùm Chriſtus veritas ſit, magis veritatem quàm conſuetudinem ſequi debemus, quia conſuetudinem ratio & veritas ſemper excludit.

Item. C. Fruſtra quidam qui ratione conuincuntur, conſuetudinem nobis obiiciunt, quaſi conſuetudo maior ſit veritate.

Item. C Conſuetudo, quæ apud quoſdam irrepſerat, impedire non debet, quò minus præualeat veritas & vincat. Nam CONSVETVDO SINE VERITATE VETVSTAS ERRORIS EST, propter quod relicto errore ſequamur veritatem.

Item C. Si ſolus Chriſtus audiendus eſt, non debemus attendere, quid aliquis ante nos faciendum putauerit, ſed quid prius, qui ante omnes eſt Chriſtus prior fuerit. Neque enim huius conſuetudinem ſequi oportet, ſed Dei veritatem, cùm per Eſaiam Prophetam loquatur & dicat, Sine cauſa colunt me, mandata & doctrinas hominum docentes.

Diſt. 11 C. Conſuetudinem laudamus, quæ tamen contra fidem Catholicam nihil vſurpare dignoſcitur.

CAPVT VIII.

De abuſibus tollendis.

Diſt. 63. C. Quia.) Gratianus ait: Si nonnulli ex prædeceſſoribus & maioribus noſtris fecerunt aliqua, quæ illo tempore potuerunt eſſe ſine culpa, & poſtea vertuntur in errorem & ſuperſtitionem, ſine tarditate aliquâ, & cum magnâ authoritate, poſteris deſtruantur. Adducit etiam exemplum Ezechiæ regis, qui confregit ſerpentem æneum à Moſe erectum cùm populus illum venerari cœpiſſet.

35. q. 9. C. Quod quis.) Rubrica habet: corrigendum eſt, quod illicitè admittitur, aut à prædeceſſoribus admiſſum inuenitur. Et ſequitur: Quod quis commiſit illicitè, aut à prædeceſſoribus ſuis inuenerit admiſſum, ſi proprium periculum vult vitare, damnabit.

Sententiam Romanæ ſedis in melius mutare licere.

Sic ſonat Rubrica 35 q. 9. C.) Sententiam Romanæ ſedis non negamus poſſe in melius commutari.

Altaria in quib. non certæ ſanctorũ reliquiæ ſint, euertenda eſſe.

De conſecrat. Diſt. 1. Placuit) Ex Concilio Aphricano Placuit vt altaria quæ paſſim per agros & per villas, tanquam memoriæ martyrum conſtituuntur, in quibus nullum corpus, aut reliquiæ martyris conditæ probantur, ab Epiſcopis, qui iiſdem locis præſunt, ſi fieri poteſt, euertantur. Si autem hoc propter tumultus populares non ſinitur, plebes admoneantur, ne

ne illa loca frequententent, vt qui rectè sapiunt, nullâ ibi superstitione deuincti teneantur. Et ideo nulla memoria martyrum probaliter accipiatur, nisi aut vbi corpus, & reliquiæ certæ sunt, aut vbi origo alicuius habitationis vel possessionis, vel passionis fidelissimâ origine traditur. Nam quæ per somnia, aut per inanes quasi reuelationes quorumlibet hominum, vbicunque constituuntur altaria, omnino reprobantur.

Capvt IX.

De gratiâ, remissione peccatorum, & sola fide iustificante.

Gratiam non esse, quæ gratis datur vel accipitur.

1. q. 1. *Gratia.*) Leo Papa. Gratia, si non gratis datur, vel accipitur, gratia non est.

Contra venditores gratiæ. Bedæ.

1. q. 2. *Non solùm.*) Non solùm venditores sunt columbarum, & domum Dei faciunt domum negotiationis, qui sacros ordines largiendo, pretium pecuniæ vel laudis, vel etiam honoris inquirunt: Verùm hi quoque qui gradum vel gratiam in Ecclesiam spiritualem, quam Domino largiente perceperant, non simplici intentione, sed cuiuslibet humanæ causa retributionis exercent, &c.

Grauiter peccare eum qui Dominica debita sine pœnitentiis dimittat.

23. q. 4. *Si quis.*) Si is qui prælatus est debitori Dominico culpas impunè dimittit, non mediocriter profectò offendit, qui debita cœlestis regis & Domini, suâ præsumptione resoluit. Ea namque quæ in nos committuntur, facilè possumus dimittere; ea verò quæ in Deum commissa sunt, cum magnâ discretione, nec sine pœnitentiâ possumus relaxare.

Indulgentiam sine pœnitentiâ præstare peccatis non esse curare sed occidere. Cleri Romani ad Cyprianum.

Dist. 50. (*Absit.*) Absit à Romanâ Ecclesia, vigorem suum tam prophana facilitate dimittere, & neruos seueritatis euersa fidei majestate dissoluere, vt cùm adhuc non tantùm iaceant in peccatis, sed etiam cadant, euersorum fratrum ruinæ properata nimis remedia communicationum, vtique non profutura præstentur. Vbi enim poterit pœnitentiæ medicina procedere, si etiam ipse medicus interceptâ pœnitentiâ indulget periculis? Hoc est non curare, sed si verum dicere volumus, occidere est.

Impœnitentibus veniam concedi non posse.

Dist. 50. C. *Si quis.*) Si quis præpostera festinatione temerarius remissionem peccatorum cunctis putat se dare posse, aut audet Domini præcepta rescindere, non tantùm nihil prodest, sed obest lapsis. Prouocasse enim iram Dei est, non servasse sententiam, nec misericordiam piissimi Domini deprecari, sed contempto Domino de sua facilitate præsumere.

Non meritis hominum, sed virtute Spiritus S. & à Spiritu S. peccata dimitti. August. in Serm. de remiss. peccat.

1. q. 1. *Vt euidenter.*) Vt euidenter ostenderet Dominus à Spiritu sancto quem donauit fidelibus suis dimitti peccata, non meritis hominum, quodam loco sic ait, Accipite Spiritum sanctum, & continuò subjecit, Si cui dimiseritis peccata remittuntur ei, hoc est, Spiritus sanctus dimittit, non nos.

Solum Christum dimittere peccata. Sic habet Rubrica.

De Consecrat. Dist. 4. *Nemo.*) Nemo tollit peccata mundi, nisi solus Christus qui est agnus tollens peccata mundi. Tollit autem & dimmittendo quæ facta sunt, ubi & originale continetur, & adiuuando ne fiant, & perducendo ad vitam, vbi fieri omnino non possunt.

Pœnam & culpam per Christum sublatam esse.

De Consecr. Dist. 4. *Filius Dei.*) Filius Dei Carnem peccati suscepit, & pœnam sine culpa, vt in carne peccati & culpa solveretur & pœna.

Solam fidem habere veniæ promissionem, & solâ fide peccata relaxari.

De Pœnitent. Dist. 2. *Charitas est aqua.*) Inter alia ax Augustino. Quòd si charitas à fide Christianorum sejungi nequit, cui scilicet SOLA VENIA promittitur, quomodo qui charitatem non habuerit, fidem Christianorum habuit, id est, in Christum credidit?

Et mox. Hoc est enim manducare panem viuum, quod credere in CHRISTVM, id est, amando tendere in ipsum. Cum ergo reprobus in eum non credit, quem non manducauit, & ita fidem Christianorum (QVA SOLA PECCATA RELAXANTVR) non habuit, quomodo, si viuit Dominus, cui omne iudicium dedit Pater, iudicium perpetuæ damnationis effugiet?

Iustitiam non esse, vbi fides non est.

24. q. 1. *Vbi.*) Vbi sana fides non est non potest esse iustitia, quia iustus ex fide viuit.

Non nisi per fidem Christi ab irâ nos liberari.

De Cons. Dist. 4. *Firmissimo.*) Eramus enim naturâ filij iræ, sicut & cæteri, & à qua nullus liberabitur, NISI per fidem mediatoris, hominis Iesu Christi.

Capvt X.

De Sacramentis,

Sacramentum quid sit.

De Cons. Dist. 2. *Sacrificium.*) Sacramentum, id est, sacrum signum.

Item Sacramentum est inuisibilis gratiæ visibilis forma.

Signum quid sit.

Ibidem. Signum est res præter speciem quam ingerit sensibus, aliud aliquid faciens ex se in cognitionem venire.

De figuratis locutionibus.

De Cons. Dist. 4. *Quæris.*) Sæpè ita loquimur, vt pascha appropinquante crastinam, vel perdissenam, vel perendissenam, Domini passionem dicamus, cùm ille ante multos annos passus sit, nec omnino nisi semel ipsa passio facta sit. Nempe ipso die Dominico dicimus, Hodiè Dominus surrexit, cùm ex quo resurrexerit, tot anni transierunt. Cur nemo tam ineptus est, vt ita nos loquentes, arguat nos esse mentitos, nisi quia istos dies, secundùm illorum, quibus hæc gesta sunt, similitudinem nuncupamus, vt dicatur ipsa dies, quæ non est ipsa reuolutio temporis, sed similis eius, & dicatur illo die fieri propter Sacramenti celebrationem, quod non illo, sed jam olim factum est in alio?

Sacramentum sine Verbo nihil esse quàm elementum. August. Homil. 80.

1. q. 1. *Detrahe.*) Detrahe Verbum ab aqua, quid erit nisi aqua? Accedit Verbum ad elementum & fit Sacramentum. Vnde ista tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente Verbo? non quia dicitur, sed quia creditur.

In Sacramentis aliud videri, & aliud intelligi.

De Con. Dist. 2. *Qui manducant.*) Quod videtur, panis est, quod etiam oculi renunciant. Quod autem fides postulat instruenda, panis est corpus Christi, calix sanguis. Ista ideo dicuntur Sacramenta, quia in eis aliud videtur, & aliud intelligitur. Quod videtur, speciem habet corporalem, quod intelligitur, fructum habet spiritualem.

Aliud esse Sacramẽtum, aliud operationem Spiritus S. August.

1. q. 1. *Multa autem.* Cùm aliud sit Sacramentum, quod habere etiam Simon Magus potuit, & aliud prophetia, quæ in malis hominibus etiam fieri solet, vt in Saul, aliud operatio eiusdem Spiritus sancti, quam nisi boni habere non possunt.

1. q. 1. *Etiam.*) Aliud est Sacramentum ab effectu Sacramẽti.

Sacramenta omnibus communia esse, sed non communem gratiam: Gratianus ait.

De Pœnit. Dist. 4. *Peccatum.*) Etsi in aliquibus communia omnibus sunt omnia Sacramenta, sed non communis gratia ita & nunc babtismus est communis, sed non virtus baptismi.

Dominum non nisi per seipsum dare gratiam.

De Con. Dist. 4. *Quomodo.*) Sacramentum gratiæ dat Deus etiam per malos, ipsam verò gratiam non nisi per seipsum, vel per Sanctos suos. Et glossa marginalis addit, imò per seipsum semper, nunquam per ministrum hominem.

In Sacramentis, neque eũ qui plantat, esse aliquid, neque eũ qui rigat, sed Deum qui dat incremẽtum: ex Hieronymo in Michæã.

1. q. 1. *Nunquam.* Cùm enim in Sacramentis neque qui plantat, neque qui rigat sit aliquid, sed qui incrementum dat Deus, quis operatur in eis, si Dominus qui incrementum dat, in eis non lucet, sed est otiosus?

Sacramenta sine charitate nullã apud Deum iustitiã præstare.

De Pœnit. Dist. 2. *Si enim inquit.* Qui si charitatem Dei non habent, ante Dei oculos aqua tantùm regenerantur, non Spiritu sancto. Opera enim seu sacramentorum participatio, nisi ex charitate procedant, apud Deum nec iustitiam nec innocentiam præstant.

Aurum Sacramenta non quærunt. Ambros. de Off.

12. q. 2. *Aurum.*) Aurum Sacramenta non quærunt, neque auro placent quæ auro non emuntur. Ornatus sacrorum, redemptio captiuorum est, & vera illa sunt vasa pretiosa, quæ redimunt animas à morte, ille verus thesaurus est Domini, qui operatur, quod sanguis eius operatus est.

Pretium pro Sacramentis non debere exigi. Ex VI. Synodo.

1. q. 1. *Nullus Episcopus.*) Nullus Episcopus aut Presbyter aut Diaconus, qui sacram dispensat communionem; à percipiente gratiam communionis, aliquod pretium exigat, neque enim venditur gratia, neque pro pretio gratiam Spiritus sancti damus, sed dignis muneribus sine defraudatione participare concedimus. Si quis verò eorum qui connumerantur in Clero, ab eo cui sacram communionem dispensat, aliquod pretium exegerit, deponatur sicut imitator Simoniacæ fraudis.

Et mox ex Consilio Toletano XI. Quicquid inuisibilis gratiæ consolatione tribuitur, nunquam quæstibus vel quibuslibet præmiis venundari penitus debet, dicente Domino. Quod gratis accepistis, gratis date.

Item ex Concilio Triburiensi ibidem. Dictum est, solere in qui

quibusdam locis pro perceptione chrismatis nummos dari, similiter pro baptismo & communione. Hoc Simoniacæ hæresis esse testata est sancta Synodus, & anathematizauit, & vt de cætero, nec pro ordinatione, nec pro chrismate vel baptismo, vel pro balsamo, nec pro sepulturá vel communione quicquam exigatur, statuit, sed gratis dona Christi gratuita dispensatione donentur.

CAPVT XI.

De Baptismo.

Idem esse in nomine Trinitatis & in nomine Christi baptizare. Nicol.Papa.

De Con. Dist. 4. A quodam.) A quodam Iudæo, nescitis utrùm Christiano an pagano, multos in patria vestra baptizatos asseritis, & quid inde sit agendum consulitis. Hi profectò, si in nomine sanctæ Trinitatis, vel tantùm in nomine Christi (sicut in Actibus Apostolorum legitur) baptizati sunt, (vnum quippe idémque est, vt sanctus Ambrosius exponit) quia non illorum, sed eius est, rebaptizari non debent.

Mox tamen ibidem C. *Si reuera:*) iubentur rebaptizari, qui tantùm in nomine Domini baptizati sunt.

Nihil referre vtrum semel vel ter baptizandus immergatur.

De Con. Dist.4 De trinâ.) De trina mersione baptismatis, nihil responderi veriùs potest, quàm quod ipsi sensistis, quia in vna fide nihil officit sanctæ Ecclesiæ consuetudo diuersa.

Et mox: Reprehensibile esse nullatenus potest infantem in baptismate, vel ter vel semel immergere, quoniam etiam in tribus mersionibus personarum Trinitas, & in vna potest diuinitatis singularitas designari.

Olim in festo Paschæ & Pentecostes tantùm baptizatum esse.

De Con.Dist.4.Non ratione.) Non ratione authoritatis alicuius, sed solâ temeritate præsumitur, vt passim & liberè in Natiuitate Christi, seu apparitione, nec non Apostolorum seu Martyrum festiuitatibus innumeræ plebes baptizentur, cùm sibi priuilegium hoc apud nos & apud Ecclesias omnes Dominicum Pascha defendat specialiter cum sancta Pentecoste.

Et mox. Duo tempora, id est, Pascha & Pentecostes ad baptizandum à Romano Pontifice legitimè sunt præfixa.

Non aquam sed Verbum, vel Verbum in aqua mundare.

De Con.Dist.4. Aliud est.) Item. Iam vos mundi estis propter Verbum quod locutus sum vobis. Quare non ait, mundi estis propter baptismum quo abluti estis, sed ait, propter Verbum quod locutus sum vobis, nisi quia etiam in aqua Verbum mundat.

Non tàm ablutione corporis quàm fide cordis baptisma constare.

De Con. Dist. 4 Verùs.) Verus baptismus constat non tam ablutione corporis, quàm fide cordis, sicut Apostolica doctrina tradidit, dicens: Fide mundans corda eorum. Et alibi, saluos facit baptismus, non carnis depositio sordium, sed etiam conscientiæ bonæ interrogatio in Deum.

Ministros ministerialiter, tantùm baptizare, Christum autem per potestatem.

De Con.Dist.4.Aliud.) Aliud est baptizare per ministerium, aliud baptizare per potestatem.

Et mox. Per hanc enim potestatem, quam Christus solus tenuit sibi, & in neminem ministrorum transfudit, quamuis per ministros baptizare dignatus sit, per hanc inquam stat vnitas Ecclesiæ, quæ significatur in columba, de quâ dictum est: Vna est columba mea, vna est matris suæ electa. Si enim, vt iam dixi fratres mei, transferretur à Domino potestas ad ministros, tot baptismata essent, quot ministri essent, & iam vnitas baptismi non staret.

Baptismum communem esse, sed non virtutem baptismi.

De Pœnit. Dist. 4. Peccatum.) Etsi in aliquibus communia omnibus sunt omnia Sacramenta, sed non communis gratia, ita & nunc baptismus est communis, sed non virtus baptismi.

Non damnari fideles, qui à baptismo necessitate excluduntur. August.

De Conf. Dist. 4 Baptismi vicem.) Etiam atque etiam considerans inuenio, non tantùm passionem Christi id quod baptismo deerat, posse supplere, sed etiam fidem confessionemque cordis, si fortè ad celebrandum mysterium baptismi in angustiis temporum succurri non potest.

Et mox. Quantum itaque valeat, etiam sine visibili Sacramento baptismi, quod ait Apostolus, Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem, in illo latrone declaratum est, sed nunc impletur inuisibiliter, cùm mysterium baptismi, non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit.

Non reiterandum esse baptisma, quod in nomine Trinitatis ministratum est.

De Con.Dist.4.Si qui.) Si qui apud illos hæreticos baptizati sunt, qui in sanctæ Trinitatis confessione baptizant, & veniunt ad Catholicam fidem, recipiantur quidem vt baptizati, ne S. Trinitatis inuocatio vel confessio annulletur.

Multis hoc capitibus agitur per totam distinctionem illam.

Ibidem. C. *Rebaptizare.*) Rebaptizare hæreticum hominem, qui hæc S. Trinitatis signa susceperit, quæ Christiana tradit disciplina, omnino peccatum est, rebaptizare autem Catholicum, immanissimum scelus est.

CAPVT XII.

De Cœnâ Domini.

A quibus Missa instituta sit

De Con. Dist. 1. Iacobus.) Iacobus frater Domini secundùm carnem, cui primum credita est Hierosolymitana Ecclesia, & Basilius Cæsariensis Episcopus (cuius claritas per totum orbem resplendet) in scriptum addiderunt nobis Missæ celebrationem.

Eucharistiam non ab homine, sed à Deo sanctificationem accipere. Gregor.

1.q.1. Non accep.) Eucharistia & omnia quæcunque in altari ponuntur, non ab homine, sed à Deo sanctificationem accipiunt.

In Cœna Domini nihil faciendum esse, nisi quod Dominus prior fecit.

De Con. Dist.2. Scriptura.) Scriptura dicit, vt quotiescumque calicem in commemorationem Domini & passionis eius offerimus, id quod constat Dominum fecisse, faciamus.

Et mox. C.In Sacramento.) In Sacramento corporis & sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quàm quod ipse Dominus tradidit.

Item C.Cùm omne.) Manifestum est, & euidens exemplum veritatis Euangelicæ illuxit, quòd præter panem & vinum aliud offerri non licet.

Quid sit corpus Christi manducare, & Sanguinem eius bibere?

De Con. Dist.2. Quid est.) Quid est Christum manducare? Non hoc est solum in Sacramento corpus eius accipere, multi enim indignè accipiunt, de quibus ait Apostolus, Qui manducat & bibit calicem Domini indignè, iudicium sibi manducat & bibit. Sed quomodo manducandus est Christus? quomodo ipse dixit: Qui enim manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet & ego in eo, & si indignè accipit Sacramentum, acquirit tormentum magnum.

Ex mox C. sequente. Vt quid paras dentem & ventrem? Crede & manducasti. Credere enim in eum, hoc est panem viuum manducare. Qui credit in eum, manducat eum.

Item C.Credere.) Credere in Iesum Christum, hoc est, manducare panem viuum. Qui credit, manducat. Inuisibiliter saginatur, quia inuisibiliter renascitur, & qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, habet vitam æternam.

Et mox ibidem C.Qui discordat à Christo, non manducat carnem eius, nec bibit sanguinem, etiamsi tantæ rei Sacramentum ad iudicium suæ perditionis quotidiè accipiat.

Non carnaliter sed spiritualiter Christi corpus & sanguinem debemus comedere.

Sic sonat Rubrica de Con.Dist.2. C.Prima quidem.

Spiritualiter intelligenda esse verba Domini, quæ de manducatione corporis sui loquitur.

Ibidem.) Cum enim diceret, Nisi quis manducauerit carnem meam, & biberit Sanguinem meum, non habebit vitam æternam. Illi verò non intelligentes dixerunt ad inuicem, Durus est hic sermo, quis eum potest manducare? (aliàs audire) Dicentes, Durus est hic sermo, separauerunt se ab illo & remansit cum duodecim discipulis. Discedentibus illis, instruxit eos qui remanserunt, Spiritus est inquit, qui viuificat, caro nihil prodest, verba quæ locutus sum ad vos, spiritus & vita sunt. Intellexistis spiritualiter, spiritus & vita sunt. Intellexistis carnaliter, etiam sic illa spiritus & vita sunt, sed tibi non sunt spiritus & vita, qui spiritualiter non intelligis. Spiritualiter intelligite quæ locutus sum. Non hoc corpus quod videtis, manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem, quem effusuri sunt, qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendaui, spiritualiter intellectum viuificat vos, caro autem non prodest quicquam.

Manducare Christum, esse credere in Christum.

De pœnit.Dist.2.Charitas.) Hoc est enim manducare panem viuum, quod credere in Christum, id est, amando tendere in ipsum.

Distinguendum esse inter naturam verbi & corporis Christi.

De Con.Dist.2.C.Si credis.) Si credis à Christo carnem esse susceptam, & offeras transfiguratum corpus in altari, nec tamen distinguis naturam verbi & Corporis Christi, dicitur tibi, si rectè offeras, rectè autem non diuidas, peccasti.

Verbum Christi æquè magnum esse ac corpus Christi. August.

1.q.1.Interrogo.) Interrogo vos fratres vel sorores, dicite mihi, quid plus videtur vobis, Corpus Christi an verbum Christi? Si vultis verè respondere, hoc dicere debetis, quòd non sit minus Dei verbum, quam Christi corpus, & ideo quantâ sollicitudine obseruamus, quando nobis Christi corpus Ministratur, vt nihil ex ipso de manibus nostris in terram ca-

dat, tantâ ſollicitudine obſeruemus, ne Verbum Domini, quod nobis erogatur, dum aliud aut cogitamus aut loquimur, de corde puro pereat. Quia non minùs erit reus, qui Verbum Dei negligenter audierit, quam ille qui corpus Chriſti ſuâ negligentiâ in terram cadere permiſerit.

Sacramentum ſuo modo vocari corpus Chriſti, non rei veritate, ſed ſignificante myſterio.

De Con. Diſt. 2. Hoc eſt.) Sicut ergo cœleſtis panis, qui Chriſti caro eſt (id eſt cœleſte Sacramentum quod verè REPRÆSENTAT Chriſti carnem) ſuo modo vocatur corpus Chriſti, (in Gloſſa iterum additur, vt ſit ſenſus, vocatur Chriſti, id eſt, SIGNIFICAT. cum reuerâ ſit Sacramentum corporis Chriſti illius videlicet, quod viſibile, quod palpabile, mortale in cruce poſitum eſt, vocaturque ipſa immolatio carnis, quæ ſacerdotis manibus fit Chriſti paſſio, mors, crucifixio, non rei veritate, ſed ſignificante myſterio. Sic Sacramentum fidei, quod baptiſmus intelligitur, fides eſt.

Pane ſignificari corpus Chriſti, & vino ſanguinem.

De Con. Diſt. 2. Comperimus. Gloſſa habet:) Portione, id eſt, ſpecie panis, quæ tantùm ſacrum corpus SIGNIFICAT, Item. A calice, id eſt, à ſpecie vini, quæ SIGNIFICAT ſacrum ſanguinem.

Ibidem C. Nulli.) Nulli eſt aliquatenus dubitandum, vnumquemque fidelium, corporis & ſanguinis Dominici tunc eſſe participem, quando in baptiſmate membrum efficitur Chriſti, nec alienari ab illius panis calicisque conſortio, etiam ſi antequam panem illum comedat, calicemque bibat, de hoc ſeculo migrauerit, in vnitate corporis Chriſti conſtitutus. Sacramenti quippe illius participatione ac beneficio non priuabitur, quando in ſe hoc, quod illud Sacramentum SIGNIFICAT, inuenitur.

Aſcenſionem Domini teſtari, quòd Dominus corpus ſuum carnaliter non eroget, & quòd gratia morſibus non conſumatur.

De Con. Diſt 2. Prima quidem.) Sciens autē Ieſus ait, Hoc vos ſcandalizat, quia dixi, Do vobis carnem meam manducare, & ſanguinem meū bibere? Si ergo videritis filium hominis aſcendentem vbi priùs erat. Quid eſt hoc? Hic ſoluit quod illos mouerat, hîc aperuit vnde fuerant ſcandalizati, hinc planè, ſi intelligerent. Illi autem putabant erogaturum corpus ſuum, ille dixit, ſe aſcenſurum in cœlum, vtique integrum. Cùm videritis filium hominis aſcendentem vbi erat priùs, certè vel tunc videbitis quia non eo modo, quo putatis, erogat corpus ſuum, vel tunc intelligetis, quia gratia ejus non conſumitur morſibus.

Dominum ſurſum eſſe, & corpus eius in quo reſurrexit in vno loco eſſe.

De Con. Diſt. 2. Prima quidem.) Item, donec ſæculum finiatur, SVRSVM DOMINVS EST, ſed tamen etiam hîc nobiſcum eſt veritas Domini. Corpus enim in quo reſurrexit IN VNO LOCO ESSE OPORTET, veritas autem ejus vbique diffuſa eſt.

Quomodo Chriſtus ſemel immolatus ſit, & in Cœnâ quotidiè immoletur. Rubrica.

De Con. Diſt. 2. Semel Chriſtus.) Semel Chriſtus mortuus eſt, juſtus pro injuſtis: & ſcimus & certum habemus & ſpe immobili retinemus, quia Chriſtus reſurgens à mortuis, jam non moritur, mors illi vltra non dominabitur. Verba iſta Apoſtoli ſunt. Tamen ne obliuiſcamini quod ſemel factum eſt, in memoria noſtrâ ſit omni anno. Quotiens Paſcha celebratur, nunquid totiens Chriſtus occiditur? Non, ſed anniuerſaria recordatio repræſentat quod olim factum eſt, & ſic nos facit moneri, tanquam videamus præſentem Dominum in cruce.

Ibidem C. In Chriſto) In Chriſto ſemel oblata eſt hoſtia ad ſalutem ſempiternam potens. Quid ergo nos? Nonne per ſingulos dies offerimus? ſed ad recordationem mortis eius. Et vna eſt hoſtia, non multæ. Quomodo eſt vna, non multæ? quia ſemel oblatus eſt Chriſtus, hoc autem ſacrificium, EXEMPLVM eſt illius.

Et mox ibidem.) Quod nos facimus, in COMMEMORATIONEM fit eius quod factum eſt. Hoc enim facite, ait, in meam commemorationem.

Quomodo veteres eandem eſcam ſpiritualem nobiſcum comederint.

De Con. Diſt. 2. Inquit Apoſtolus.) Inquit Apoſtolus, omnes eandem eſcam ſpiritualem manducauerunt. Spiritualem vtique eandem, nam corporalem aliam, quia illi manna manducauerunt, nos aliud. Et omnes eundem potum ſpiritualem biberunt, aliud illi, aliud nos, ſed ſpecie viſibili, quod tamen idem eſt virtute ſpirituali.

Quod in Miſſa omnes communicare debeant.

De Con. Diſt. 2. Peracta. Peracta conſecratione OMNES communicent, qui noluerint Eccleſiaſticis carere liminibus. Sic enim Apoſtoli ſtatuerūt, & Sancta Romana tenet Eccleſia.

Quoties communicandum ſit.

De Con. Diſt. 2. Quotidie.) Quotidie Euchariſtiæ communionem accipere nec laudo, nec vitupero, omnibus tamen Dominicis diebus communicandum hortor.

Et mox.) Si dixerit quiſpiam, non quotidiè accipiendam Euchariſtiam, alius affirmat, quotidiè. Faciat vnuſquiſque quod ſecundum fidem ſuam piè credit faciendum.

Ibidem C. Etſi.) Etſi non frequentiùs, ſaltem in anno ter homines communicent, niſi fortè quis in majoribus quibuſlibet criminibus impediatur, in Paſcha videlicet, & Pentecoſte, & Natali Domini.

Et mox C. Seculares.) Qui in Natali Domini, Paſcha, Pentecoſte non communicauerint, Catholici non credantur, nec inter Catholicos habeantur.

De vtraque ſpecie exhibendâ.

De Con. Diſt. 2. Cùm omne.) Cùm omne crimen atque peccatum oblatis Deo ſacrificiis deleatur, quid de cætero pro delictorum expiatione Domino dabitur, quando in ipſa ſacrificii oblatione erratur? Audiuimus enim quoſdam ſchiſmatica ambitione detentos, contra diuinos ordines & Apoſtolicas inſtitutiones, lac pro vino in diuinis ſacrificiis dedicare, Alias quoque intinctam Euchariſtiam, populis pro complemento communionis porrigere.

Et mox ibidem.) Illud verò quod pro complemento communionis intinctam tradunt Euchariſtiam populis, nec hoc prolatum ex Euangelio teſtimonium receperunt, vbi Apoſtolis corpus ſuum commendauit & ſanguinem; Seorſum enim panis, & ſeorſum calicis commendatio memoratur. Nam intinctum panem aliis Chriſtum præbuiſſe non legimus, excepto illo tantùm diſcipulo, quem intinctâ buccellâ magiſtri proditorem oſtenderet, non quæ ſacramenti huius inſtitutionem ſignaret.

Item. C. Comperimus.) Comperimus autem, quòd quidam ſumptâ tantummodo corporis ſacri portione, à calice ſacrati cruoris abſtineant, qui proculdubio (quoniam neſcio quâ ſuperſtitione docentur aſtringi) aut integra ſacramenta percipiant, ab integris arceantur, quia DIVISIO VNIVS EIVSDEMQVE MYSTERII, SINE GRANDI SACRILEGIO NON POTEST PROVENIRE.

In priuatis domibus & oratoriis Miſſam non eſſe celebrandam, Ex Concil. Aurel.

De Con. Diſt. 1. C. Vnicuique.) Vnicuique fidelium in domo ſuâ oratorium licet habere, & ibi orare, Miſſas autem ibi celebrare non licet.

Fidelem etiam ante perceptionem Euchariſtiæ morientem ſaluari poſſe.

De Con. Diſt. 2. C. Nulli.) Nulli eſt aliquatenus dubitandum, vnumquemque fidelium, corporis & ſanguinis Dominici tunc eſſe participem, quando in baptiſmate membrum efficitur Chriſti, nec alienari ab illius panis calicisque conſortio, etiam ſi antequam panem illum comedat calicemque bibat, de hoc ſeculo migrauerit, in vnitate corporis Chriſti conſtitutus. Sacramenti quippe illius participatione ac beneficio non priuabitur, quando in ſe hoc quod illud Sacramentum ſignificat inuenitur.

Excommunicandos, qui vſque ad finem Miſſarum ſolemnia non audierint, neque communionem perceperint.

De Con. Diſt. 1. C. Omnes fideles.) Omnes fideles qui conueniunt in ſolemnitatibus ſacris ad Eccleſiam, & ſcripturas Apoſtolorum & Euangelium audient: Qui verò non perſeuerant in oratione vſque dum Miſſa peragatur, nec ſanctam communionem percipiunt, velut inquietudines Eccleſiæ commouentes conuenit communione priuari.

Idem ibidem C. cum ad celebrandas.

Non niſi duobus præſentibus Miſſam celebrandam.

De Con. Diſt. 1. Hoc quoque.) Hoc quoque ſtatutum eſt, vt nullus Presbyterorum Miſſarum ſolemnia celebrare præſumat, niſi duobus præſentibus ſibique reſpondentibus, & ipſe tertius habeatur, quia cùm pluraliter ab eo dicitur, Dominus vobiſcum, &c.

De his qui pro pecuniis vnâ die plus quã vnã faciunt Miſſam.

De Con. Diſt. 1. Sufficit.) Qui verò pro pecunis aut adulationibus ſæcularium vna die præſumunt plures facere Miſſas, non æſtimo euadere damnationem:

Quamdiu clericis poſt Miſſam jejunandum.

De Con. Diſt. 2. Tribus gradibus.) Si igitur manè Dominica portio editur, vſque ad ſextam jejunent miniſtri, qui eam conſumpſerunt. Et ſi tertiâ vel quartâ horâ acceperint, jejunent vſque ad veſperas.

CAPVT XIII.

De excommunicatione.

Ligandi & ſoluendi poteſtatem veris non falſis Sacerdotibus traditam eſſe.

24. q. 1. *Audiuimus.*) Gratian. inquit, Ligandi namque vel ſoluendi poteſtas veris non falſis ſacerdotibus â Domino tradita eſt. Apoſtolis enim dicturus, quorum remiſeritis peccata &c. præmiſis, accipite Spiritum S. vt euidenter cunctis oſtenderet, eum qui Spiritum S. non habet, peccata non poſſe tenere vel remittere.

Nemi

Neminem excommunicandum, niſi de certâ & manifeſtâ peccati cauſâ.

11. q. 3. *Nemo Epiſcoporum.*) Nemo Epiſcoporum quemlibet ſine certâ & manifeſtâ peccati cauſâ, communione priuet Eccleſiaſticâ Ex Concilio Meldenſi.

Quòd pro injuriâ propriâ Epiſcopo aliquem excommunicare non liceat.

23. q. *Inter querelas.*) Nil te cogitare de cœleſtibus oſtendis ſed terrenam te habere conuerſationem ſignificas, dum pro vindictâ propriæ injuriæ, quod ſacris regulis prohibetur, maledictionem anathematis inuexiſti.

Pro leuibus cauſis neminem excommunicandum eſſe. Ex Concilio Aluemini.

11. q. 3. *Nullus ſacerdotum.*) Nullus ſacerdotum, quemquam rectæ fidei hominem pro paruis & leuibus cauſis à communione ſuſpendat, præter eas culpas, pro quibus antiqui Patres arcere ab Eccleſia juſſerunt committentes.

Excommunicationem non niſi in impiis ratam eſse.

1. q. 1. *Vt euidenter.*) Sicut is quem ſacerdos tolerat in Eccleſia, tamen eſt extra Eccleſiam, & extra corpus eius, cujus caput eſt Chriſtus, ſi ei oſtiarius non aperuerit: Ita non ideo extra Eccleſiam eſt, & non eſt de corpore, ſi quis paſtoris præjudicio compellitur foris eſſe. Auguſt. in Sermone de Remiſſione peccatorum.

Excommunicationem erga inſontes non valere.

11 q. 3. *Quomodo.*) Quomodo ſacerdos mundum leproſum non facit, ſic Epiſcopus vel Presbyter non alligat eos qui inſontes ſunt nec ſoluit noxios, ſed pro officio ſuo, cùm peccatorum varietates audierit, ſcit qui ligandus ſit, qui ſoluendus. Hier. ſupra Malach. l. 3.

Ibidem. Auguſt. de verbis Domini: Cœpiſti fratrem tuum habere tanquam publicanum, ligas illum in terra, ſed vt iuſtè alliges vide, nam injuſta vincula diſrumpit juſtitia.

Idem ad clerum Hipponenſem. Quid obeſt homini, quòd ex illa tabulâ vult eum delere humana ignorantia, ſi de libro viuentium non deleat iniqua conſcientia?

De iis qui innocentes excommunicantur. Hier. Origenes ſuper Leuiticum.

24. q. 3. *Si quis.*) Si quis non recto judicio eorum, qui præſunt Eccleſiæ depellatur & foras mittatur, ſi ipſe antea non exiit, hoc eſt, ſi non ita egit vt mereretur exire, nihil læditur in eo, quòd non recto judicio ab hominibus videtur expulſus. Et ita fit, vt interdum ille, qui foras mittitur, intus ſit, & ille foris, qui intus videtur retineri.

Et mox C. Cùm aliquis.) Cùm aliquis exit à veritate, à timore Dei, à fide, à charitate, exit de caſtris Eccleſiæ, etiam ſi per Epiſcopi vocem minimè abjiciatur, ſicut è contrario aliquis non recto judicio foras mittitur: ſed ſi antè non exierit, i. e. ſi non egerit, vt mereretur exire, nihil læditur. Interdū enim qui foras mittitur, intus eſt, & qui foris eſt, intus videtur retineri.

De præcipiti excommunicatione.

24. q. 3. *Non in perpetuum.*) Multi ſacerdotum culpam zelo Dei ſe perſequi profitentur, ſed dum indiſcretè hoc agitur, ſacrilegii facinus incurrunt, & dum præcipites quaſi ad emendandum ruunt, ipſi quoque multò magis in deterius cadunt.

Quòd qui aliquem illicitè excommunicet, ſemetipſum non illum condemnet.

Sic ſonat Rubrica 24. q. 3. Comperimus.

Illum ſe ligandi & ſoluendi priuare poteſtate, qui eâ abutatur. Greg. homil 27.

11. q. 3. *Ipſe ligandi.*) Ipſe ligandi atque ſoluendi ſe poteſtate priuat qui hanc pro ſui voluptatibus, & non ſubditorum moribus exercet.

Idem in regiſtro.) Priuilegium omnino meretur amittere, qui permiſſâ ſibi abutitur poteſtate.

Et aliquando poſt. Auguſt.) Si quiſquam fidelium fuerit anathematizatus injuſtè, potius ei oberit qui facit, quàm qui hanc patitur injuriam.

Quòd qui contra fidem aliquid docent, neminem deiicere valeant nec damnare.

24. q. 1. *Miramur.*) Gratianus. His authoritatibus perſpicuè monſtratur, quòd ex quo aliquis contra fidem cœperit aliquid docere, nec dejicere quenquam valet, nec damnare.

Excommunicandos eos, qui dum ſacra fit concio, egrediuntur.

De Con. Diſt. 1. Sacerdote.) Sacerdote verbum in Eccleſia faciente, qui egreſſus de auditorio fuerit, excommunicetur.

Excommunicandum, qui prætermiſſo Eccleſiæ conuentu, ad ſpectacula vadit.

De Con. Diſt. 1. Qui die) Qui die ſolemni, prætermiſſo Eccleſiæ conuentu, ad ſpectacula vadit, excommunicetur.

CAPVT. XIV.

De ritibus Eccleſiaſticis ſeu adiaphoris.

De libertate Eccleſiarum circa ritus adiaphoros.

Diſt. 11. In his rebus.) In his rebus, de quibus nihil certè ſtatuit diuina ſcriptura, mos populi Dei, & inſtituta majorum pro lege tenenda ſunt, & ſicut præuaricatores diuinarum legum ita contemptores Eccleſiaſticarum conſuetudinum coercendi ſunt.

Diſt. 12. Illud. Illud breuiter te admonendum puto, traditiones Eccleſiaſticas, præſertim QVÆ FIDEI NON OFFICIANT, ita obſeruandas, vt à maioribus traditæ ſunt, nec aliquorum conſuetudinem, aliorum contrario more ſubuerti.

Item C. Nouit Non. Fraternitas tua Rom. Eccleſiæ conſuetudinem, in quâ ſe meminit eſſe nutritam, ſed mihi placet, vt ſiue in Romanâ, ſiue in Gallicorum, ſiue in qualibet Eccleſiâ inueniſti, quod plus omnipotenti Deo poſſit placere, ſollicitè eligas, & in Anglorum Eccleſiâ quæ adhuc in fide noua eſt, & in conſtitutione præcipua, quæ de multis Eccleſiis colligere poteris, infundas. Non enim pro locis res, ſed pro rebus loca amanda ſunt. Ex ſingulis ergo quibuſcunque Eccleſiis, quæ pia, quæ religioſa, quæ recta ſunt, elige, & hæc quaſi in faſciculum collecta, apud Anglorum mentes in conſuetudinem depone.

Item C. *Illa autem*) Quòd alij ieiunant ſabbatum, alij non, alij verò quotidiè communicant corpori & ſanguini Domini, alij certis diebus accipiunt, & ſi quid aliud huiuſmodi animaduerti poteſt, totum hoc genus rerum liberas habet obſeruationes. Quod enim neque contra fidem Catholicam, neque contra bonos mores eſſe conuincitur indifferenter eſt habendum, & pro eorum inter quos viuitur, ſocietate ſeruandum eſt, Auguſtinus idem auctoritate Ambroſij aſſerit, Mater mea Mediolanum me ſecuta, inuenit Eccleſiam ſabbato non ieiunantem, cœpit fluctuare quid ageret, tunc ego conſului de hac re beatiſſimæ memoriæ Ambroſium Epiſcopum. At ille ait, cùm Romam venio, ſabbatum ieiuno. Cùm Mediolani ſum, non ieiuno. Sic & tu, ad quamcumque fortè Eccleſiam veneris, eius morem ſerua, ſi cuiquam non vis eſſe ſcandalum, nec quenquam tibi. Hoc cùm matri renunciaſſem, libenter amplexa eſt.

De Con. Diſt. 4. De trinâ.) In vnâ fide nil officit ſanctæ Eccleſiæ conſuetudo diuerſa.

CAPVT XV.

De cantu Eccleſiaſtico.

Diſt. 23. C. Pſalmiſta.) Cùm cantores à Preſbyteris ordinantur, dicitur illis, Vide vt quod ore cantas, corde credas; & quod corde credideris, operibus compleas.

Diſt. 92. Cantantes.) Cantantes & pſallentes in cordibus veſtris Domino. Audiant hi, quibus in Eccleſiâ eſt pſallendi officium, Deo non voce, ſed corde cantandum, nec in tragœdiarum modum guttur & fauces medicamine liniendæ ſunt, vt in Eccleſiâ theatrales moduli audiantur & cantica. Hier. in epiſt. ad Epheſ.

Et mox *C. In ſanctâ.*) Fit plerumque vt in ſacro miniſterio dum blanda vox quæritur, congrua vita negligatur, & cantor miniſter Deum moribus ſtimulet, cùm populum vocibus delectat.

Quomodo Pſalmi canendi.

De Con. Diſt. 5. Non mediocriter.) Nunquid verborum multitudine flecti Deus vt homo poteſt? Non enim verbis tantùm, ſed corde orandus eſt Deus. Quapropter melior eſt quinque Pſalmorum decantatio cum cordis puritate ac ſerenitate, ac ſpirituali hilaritate, quàm totius Pſalterij modulatio cum anxietate cordis atque triſtitiâ.

CAPVT XVI.

De bonis Eccleſiaſticis.

De vſu auri Eccleſiaſtici.

12. q. 2. *Aurum.*) Aurum Eccleſia habet non vt ſeruet, ſed vt eroget, & ſubueniat in neceſſitatibus. Quid eſt opus cuſtodire, quod nihil adiuuat? An ignoramus, quantum auri atque argenti de templo Domini Aſſyrii ſuſtulerunt? Nonne melius conflat ſacerdos pro alimonia pauperum, ſi aliqua ſubſidia deſunt, quàm ſi ſacrilegus contaminat & aſportat hoſtis? Nonne dicturus eſt Dominus, Cur paſſus es tot inopes fame mori? Certè habebas aurum, vnde adminiſtraſſes alimoniam. Cur tot captiui in captiuitatem ducti, nec redempti ab hoſte occiſi ſunt? Melius fuerat vt vaſa viuentium ſeruares quàm metallorum? His non potes reſponſum referre. Quid enim dices? Timui ne templo Dei ornatus deeſſet. Reſpondet, AVRVM SACRAMENTA NON QVÆRVNT, neque auro placent quæ auro non emuntur. Ornatus ſacrorum redemptio captiuorum eſt, & vera illa ſunt vaſa pretioſa, quæ redimunt animas à morte, ille verus theſaurus eſt Domini, qui operatur, quod ſanguis eius operatus eſt.

De bonis Eccleſiaſticis in quatuor partes diuidendis.

12. q. 2.

12.q.2. *Conceſſo.*) Reditus & oblationes fidelium in quatuor partes diuidat, quarum vnam Epiſcopus ſibiipſi retineat, alteram Clericis pro officiorum ſuorum ſedulitate diſtribuat, fabricis tertiam, quartam pauperibus & peregrinis habeat fideliter erogandam, quarum rationem diuino eſt redditurus examini.

Et mox C. *Quatuor.*) Quatuor autem tam de reditu, quàm de oblatione fidelium prout cuiuslibet Eccleſiæ facultas admittit, ſicut dudum rationabiliter eſt decretum, conuenit fieri portiones, quarum vna ſit Pontificis, altera Clericorum, tertia pauperum, quarta eſt fabricis applicanda.

Idem mox C. Moſeſt.

De his qui bona Eccleſiaſtica in milites, aut ſeruitores, vel conſanguineos conferunt.

16.q.7 *Peruenit.*) Peruenit ad nos fama ſiniſtra, quòd quidam Epiſcoporum, non ſacerdotibus propriæ diœceſis decimas atque Chriſtianorum oblationes conferunt, ſed potiùs laicalibus perſonis, militum videlicet ſiue ſeruitorum, vel (quod grauiùs eſt) etiam conſanguineis. Vnde ſi quis amodò Epiſcopus inuentus fuerit huius præcepti diuini tranſgreſſor, inter maximos hæreticos & Antichriſtos non minùs habeatur. Et ſicut Nicena Synodus de Simoniacis cenſuit, & qui recipiunt ab eo laici, & qui dat Epiſcopus, ſiue pretio ſiue beneficio, æterni incendii ignibus deputentur.

De ornatu templorum. Hieronymus ad Nepetianum.

12.q. *Ol'a. Epiſcop.*) Multi ædificant parietes, & columnas Eccleſiæ ſubtrahunt, marmora nitent, auro laquearia ſplendent, gemmis altare diſtinguitur, & miniſtrorum Chriſti nulla eſt electio. Neque verò mihi aliquis opponat diues in Iudæa templum, menſam, lucernas, thuribula, patellas, cyphos, mortariola, & cætera ex auro fabricata. Tunc enim hæc probabantur à Domino, quando ſacerdotes hoſtias immolabant, & ſanguis pecudum erat remiſſio peccatorum. Quanquam hæc omnia præceſſerint in figuram. Scriptum eſt autem propter nos, in quos fines ſæculorum deuenerunt. Nunc verò cùm paupertatem domus ſuæ pauper Dominus dedicauit, portemus crucem, & delicias lutum putemus.

De vaſis Eccleſiaſticis.

De Con. Diſt.1. Vaſa.) Bonifacius martyr & Epiſcopus interrogatus ſi liceret in vaſculis ligneis Sacramenta conficere, reſpondit, quondam ſacerdotes non aureis ſed ligneis calicibus vtebantur. *Zepherinus* ſedecimus Romanus Epiſcopus patenis vitreis Miſſas celebrari conſtituit. Deinde Vrbanus Papa omnia miniſteria ſacra fecit argentea, &c.

Et mox C. *Vt calix*) Si quis autem tam pauper eſt, ſaltem vel ſtanneum habeat calicem.

Capvt XVII.

De Magiſtratu.

Magiſtratibus tributa ab Eccleſiaſticis non neganda: Ambroſius ad Auxent.

11.q.1. *Si tributum.*) Si tributum petit Imperator, non ei negamus, agri Eccleſiæ ſoluant tributum. Si agros deſiderat Imperator, poteſtatem habet vendicandorum, tollat eos, ſi libitum eſt. Imperatori non dono, ſed non nego.

Et mox idem. Magnum quidem eſt & ſpeciale documentum, quo Chriſtiani viri ſublimioribus poteſtatibus docentur debere eſſe ſubiecti, ne quis conſtitutionem terreni regis putet eſſe ſoluendam. Si enim cenſum filius Dei ſoluit, quis tu tantus es, qui putas eſſe non ſoluendum? Item Apoſtolus: Omnis anima ſublimioribus poteſtatibus ſubdita ſit. Item Petrus Apoſtolus generaliter omnibus fidelibus ſcribit, Eſtote ſubditi dominis veſtris ſiue regi quaſi præcellenti, ſiue ducibus tanquam ab eo miſſis, ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum.

Capvt XVIII.

De Iureiurando & votis

Non iurandum eſſe per creaturas.

22.q.1. *Et iurabunt.*) Quòd per mortuos iuret omnis idololatra. Hier. ſuper Ierem. lib. 1.

Item. C. *Conſidera.*) Conſidera quòd ſaluatos non per Deum iurare prohibuit, ſed per cœlum & terram, etiam per Hieroſolymam, & per caput tuum. Hier. ſuper Matth. lib. 1.

Et mox ex Concilio Carthaginenſi IV. Clericum per creaturas iurantem, acerrimè eſſe obiurgandum, ſi perſtiterit in vitio excommunicandum decernimus.

Et mox iterum C. *Si quis.*) Et ſi quis per creaturas iurauerit, acerrime caſtigetur, & iuxta id quod Synodus diiudicauerit, pœniteat. Si quis autem talem hominem non manifeſtauerit, non eſt dubium, quin diuina condemnatione coërceatur. Sed ſi Epiſcopus iſta emendare neglexerit, acerrimè corripiatur.

Et mox C. *Monet te.* Auguſtinus ad Publicolam, quòd bis peccet, qui per falſos Deos iuret, & fidem quoque non ſeruet.

Ibidem. Alia quæſtio eſt, vtrum non peccet, qui per falſos Deos ſibi iurari facit, quia ille qui ei iurat, iurat per falſos Deos quos colit. Cui quæſtioni poſſunt illa teſtimonia ſuffragari, quæ ipſe commemoraſti de Laban & Abimelech, ſi tamen Abimelech per Deos ſuos iurauit, ſicut Laban per Deum Nahor. Sicut etiam cùm in libro Machabæorum Romani leguntur pacem firmaſſe cum Iudæis, intelligendi ſunt iuraſſe per falſos Deos, ſicut & Iudæi iurauerunt per Deum verum. Sic etiam & de iuramento quod fit per creaturas, intelligendum eſt, quod IPSVM QVIDEM IVRARE PER CREATVRAS MALVM EST, QVIA A DEO PROHIBITVM, ſed ſeruare quod iuratur, bonum eſt, vt euitetur peccatum mendacii & doloſitatis.

Et mox ibidem. Deus autem per creaturas iurare prohibuit, ne vel more gentilium aliquod numen Deitatis creaturis ineſſe crederetur, vel ne creaturas contemptibiles iudicando, per eas promiſſa pro nihilo duceremus.

Maius eſſe per Deum: quàm per Euangelium iurare.

22.q.1. *Si aliqua.*) Si aliqua cauſa fuerit, modicum videtur facere, qui iurat per Deum, qui autem per Euangelium, maius aliquid feciſſe videtur, quibus dicendum eſt, Stulti, propter Deum ſcripturæ ſanctæ ſũt, non Deus propter ſcripturas.

Illicita iuramenta & vota non eſſe ſeruanda.

22.q.4. Multis hoc agitur capitibus, & inducuntur diuerſa Herodis & Dauidis exempla. Ibidem etiam hæc teſtimonia citantur.

Iſidorus in Synonymis lib 2. In malis promiſſis reſcinde fidem, in turpi voto muta decretum, quod incautè vouiſti, ne facias, impia eſt promiſſio, quæ ſcelere adimpletur.

Ambroſius de Officiis. Melius eſt non vouere, quam vouere id, quod ſibi iis cui promittitur nolit exſolui.

Auguſt. Magnæ ſapientiæ eſt reuocare hominem, quod malè locutus eſt.

Concil. Elibertinum. Diffinitio incauta laudabiliter ſoluenda eſt, nec eſt præuaricatio, ſed temeritatis emendatio.

Auguſt. Mulier ſi fide coniugali violata fidem ſeruet adultero, vtique mala eſt, porò ſi eam flagitii pœniteat, & ad caſtitatem rediens coniugalem, pacta ac placita adulterina reſcindat, miror ſi eam fidei violatricem vel ipſe adulter putabit.

Capvt XIX.

De Hæreticis.

24.q.3 *Hæreſis.*) Quicunque igitur aliter ſcripturam intelligit, quàm ſenſus Spiritus ſancti flagitat, à quo ſcripta eſt, licet ab Eccleſiâ non receſſerit, tamen hæreticus appellari poteſt.

Angelos colere hæreſim eſſe.

24.q.3. In Catalogo hæreticorum recenſentur etiam Angelici, qui ideo ſic dicti ſunt, quia Angelos colebant.

Capvt XX.

De primatu in Eccleſiâ, & de Papâ.

Omnes Apoſtolos eodem honore & eâdem poteſtate præditos fuiſſe. Cyprianus Papa.

22.q.1. *Loquitur.*) Hoc vtique erant cæteri Apoſtoli, quod Petrus fuit, pari conſortio præditi & honoris & poteſtatis.

Paulum Petro non fuiſſe imparem. Hier. de Paulo ſuper epiſtolam ad Gal.

2.q.7. *Paulus.*) Paulus Petrum reprehendit, quòd non auderet, niſi ſe non imparem ſciret. Hic addit Gratianus de ſuo. Hoc nõ de officio Eccleſiaſticæ dignitatis, ſed de puritate vitæ, & ſanctitate conuerſationis intelligitur. Solus enim Petrus inter Apoſtolos primatum gerebat. Hoc ſcilicet Hieronymus ignorauit.

Et mox. Ambroſius. Beati Petrus & Paulus eminent inter vniuerſos Apoſtolos, & ſpeciali quadam prærogatiuâ præcellunt, verùm inter ipſos quis cui præponatur incertum eſt, Puto enim illos æquales eſſe meritis, qui æquales ſunt paſſione, & ſimili eos fidei deuotione vixiſſe, quos ſimul videmus ad martyrii gloriam perueniſſe. Non enim ſine cauſa factum putamus, quod vna die paſſi ſunt, vno loco, ſub vno perſecutore. Vna die, vt ad Chriſtum pariter peruenirent. In vno loco, ne alteri Roma deeſſet. Sub vno perſecutore, vt æqualis crudelitas vtroſque conſtringeret. Dies ergo pro merito, locus pro gloria, perſecutor decretus eſt pro virtute.

Primitiuam Eccleſiam nullos ordines habuiſſe præter diaconatum & presbyteratum. Vrbanus Papa.

Diſt.6. C. Nullus.) Nullus in Epiſcopatum eligatur, niſi in ſacris ordinibus religioſè viuens fuerit inuentus. Sacros autem ordines dicimus Diaconatum & Presbyteratum. Hos ſiquidem ſolos primitiua legitur habuiſſe Eccleſia.

Epiſcopos

Episcopos & presbyteros olim idem & eiusdem dignitatis fuisse.

Dist. 21. *Cleros.*) Apud veteres idem Episcopi & Presbyteri fuerunt.

Dist. 91. *C. Legimus.*) Ex Hieronymo ad Euagrium vel Eugenium Episcopũ multis probatur, quòd Episcopi & Presbyteri eiusdem olim fuerint dignitatis. Postea sequitur: Quòd autem postea vnus electus est, qui cæteris præponeretur, in schismatis remedium factum est, ne vnusquisque ad se trahens Ecclesiam Christi rumperet.

Dist. 95. *Olim.*) Hier. super epistolam ad Titum. Olim idem erat presbyter qui & Episcopus, & antequam diaboli instinctu studia vel schismata in religione fierent, & diceretur in populis, Ego sum Pauli, ego sum Apollo, ego autem Cephæ, communi Presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur. Postquam vnusquisque eos quos baptizauerat suos esse putabat, non Christi, in toto orbe decretum est, vt vnus de Presbyteris superponeretur omnibus, & schismatum semina tollerentur.

Et paulò post: Sicut ergo presbyteri sciunt se ex Ecclesiæ consuetudine ei qui sibi præpositus fuerit esse subiectos, ita Episcopi nouerint se magis consuetudine quàm dispensationis Dominicæ veritate Presbyteris esse maiores, & in communi debere Ecclesiam regere.

Parem omnium Ecclesiarum & Episcoporum esse dignitatem. Hieron.

Dist. 93 *C. Legimus.*) Nec altera Romanæ vrbis Ecclesia, altera totius orbis æstimanda est, & Galliæ & Britanniæ. Nam & Aphrica, & Persis, & Oriens, & India, & omnes barbaræ nationes, vnum Christum adorant, vnam obseruant regulam veritatis. Si autem auctoritas quæreretur, orbis maior est vrbe. Vbicunque fuerit Episcopus, siue Romæ, siue Eugubii, siue Constantinopoli, siue Regii, siue Alexandriæ, siue Thebis, siue Guarmatiæ, eiusdem meriti est, eiusdem & sacerdotii. Potentia diuitiarum, & paupertatis humilitas, vel sublimiorem vel inferiorem, Episcopum non facit.

Vnicuique Ecclesiæ suus honor seruetur Ex Concilio Niceno.

Dist. 63. *C. Mos antiquus.*) Mos antiquus perduret in Ægypto vel Lybia & Pentapoli, vt Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quandoquidem & Romano Episcopo parilis est mos. Similiter autem apud Antiochiam & cæteras prouincias, honor suus vnicuique seruetur Ecclesiæ.

De primatu in Ecclesiâ. Ex concilio Aphricano.

Dist. 99. *C. Primæ.*) Primæ sedis Episcopus, non appelletur princeps sacerdotum, vel summus sacerdos, aut aliquid huiusmodi, sed tantùm primæ sedis Episcopus.

Vniuersalis autem, nec etiam Romanus Pontifex appelletur. Vnde Pelagius omnibus Episcopis:

Nullus Patriarcharum vniuersalitatis vocabulo vnquam vtatur, quia si vnus Patriarcha vniuersalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur. Sed absit hoc à fidelibus, hoc sibi velle quempiam arripere, vnde honorem fratrum suorum imminuere ex quantulacunque parte videatur. Quapropter charitas vestra neminem vnquam etiam suis in Epistolis vniuersalem nominet, ne sibi debitum subtrahat, cùm alteri honorem infert indebitum.

Item Gregorius Eulogio Patriarchæ Alexandrino. Ecce in præfatione Epistolæ quam ad meipsum, qui prohibui, direxistis, superbæ appellationis verbum, Vniuersalem me Papam dicentes, imprimere curastis. Quod (peto) mihi dulcissima sanctitas vestra vltra non faciat, quia vobis subtrahitur, quod alteri, plusquam ratio exigit, præbetur. Ego non verbis quæro prosperari, sed moribus, nec honorem esse deputo, in quo fratres meos honorem suum perdere cognosco. Meus namque est honor vniuersalis Ecclesiæ, meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tunc ergo honoratus sum, cùm singulis quibusque honor debitus non negatur. Si enim vniuersalem Papam vestra sanctitas dicit, negat se hoc esse quod me fatetur vniuersum. Sed absit hoc, recedant verba quæ veritatem inflant, & charitatem vulnerant.

Primatum quærentem in terra, confusionem inuenturum in cœlo, nec inter seruos Christi numerandum. Chrysost.

Dist. 4. *C. Multi.*) Quicunque desiderauerit primatum in terra, inueniet confusionem in cœlo, nec inter seruos Christi computabitur, qui de primatu tractauerit. Nec vnusquisque eorum sustinet quomodo aliis maior appareat, sed quomodo omnibus inferior videatur. Quoniam non qui maior fuerit in honore inter homines, ille est iustior, sed qui fuerit iustior, ille maior.

Episcopi sacerdotes se sciant esse, non dominos. Ex Hier. ad Nepotianum.

Dist. 59. *C. Esto subiectus.*) Esto subiectus Pontifici tuo, & quasi parentem animæ ama, sed EPISCOPI SACERDOTES SE SCIANT ESSE, NON DOMINOS.

Episcopi ordinantur, non vt præsint, sed vt prosint. Leo.

7. q. 1. *Si qui Episcopi.*) Non solùm vt præsint, sed etiam vt prosint sacerdotium datur.

Sacerdotes præeminere debere sanctitate.

Ibidem mox. C. *Hi quoscunque.*) Qui ad hoc eliguntur, vt cæteris præsint sicut ordinantur dignitate, sic præeminere debent sanctitate. Alioquin cur cæteris præferuntur, qui nullâ merito à gratiâ à cæteris assumuntur?

Quomodo Apostolorum vicarij debeamus esse.

Dist. 35. *C. Ecclesiæ principes.*) Si in Apostolorum loco sumus, non solùm sermonem eorum imitemur, sed etiam conuersationem & abstinentiam.

Papam etiam suis ab Imperatore corrigi debere. Leo IV. Ludouico Augusto.

2. q. 7. *Nos si.*) Nos si incompetenter aliquid egimus, & in subditis iustæ legis tramitem non conseruauimus, vestro ac missorum vestrorum cuncta volumus emẽdare iudicio. Quoniam si nos qui aliena debemus corrigere peccata peiora committimus, certè non veritatis discipuli, sed (quod dolentes dicimus) erimus præ cæteris erroris magistri.

Papam non habere omnia iura in pectore.

Dist. 63. *C. Præterea.*) In Glossa marginali, vbi Papa Nicolaus dicit, Nisi nos fallat obliuio, Glossator addit, Non ergo Papa habet omnia iura in pectore suo.

CAPVT XXI.

De electionibus & ordinationibus.

Non consecrari debere, nisi Canonicè electum. Et nisi hoc non fiat, & consecrantem & consecratum absque recuperationis spe deponendos. Calixtus Papa.

Dist. 62. *C. Nullus.*) Nullus in Episcopum nisi Canonicè electum consecret. Quod si præsumptum fuerit, consecrans & consecratus absque recuperationis spe deponantur.

Ius ordinandi amittere eos, qui indignos consecrant. Leo Papa.

25. q. 2. *Si qui Episcopi.*) Si qui Episcopi talem consecrauerint sacerdotem, qualem esse non licet, etiamsi aliquo modo damnum proprii honoris euaserint, ordinationis ius vlterius non habebunt, nec vnquam eidem sacramento intererunt, quod, neglecto diuino iudicio, immeritò præstiterunt.

De promotione indignorum.

Dist. 61.) Postquam multa de irreprehensibilitate ministrorum, & quales eligi debeant, dictum est, sequitur inter alia.

Vnde Leo Episcopis. C. Miramur.) Miramur tantum apud vos per occupationem temporis impacati, aut ambientium præsumptionem, aut tumultum voluisse popularem, vt indignis quibuslibet, & longè extra sacerdotale meritum constitutis, pastorale fastigium, & gubernatio Ecclesiæ crederetur. Non enim est hoc consulere populo sed nocere; nec præstare regimen, sed augere discrimen. Integritas enim præsidentium salus est subditorum, & vbi est incolumitas obedientiæ, ibi sana est forma doctrinæ.

Qui non debeant ad ordines sacros admitti.

Dist. 33. *C. Maritum.*) Inter alia. Neque illos qui vsuras accepisse conuincuntur, aut in scena lusisse noscuntur, nec eum qui publica pœnitentia mortalia crimina defleuit, neque illum qui in furiam aliquando versus insaniuit, vel afflictione diabolica vexatus est, neque eum qui per emptionem ad imitationem Simonis Magi pecuniam obtulerit.

Milites clericos fieri non posse. Innocentius.

Dist. 50. *C. Si quis.*) Si quis, post remissionem peccatorum, cingulum militiæ sæcularis habuerit, ad clericatum omnino admitti non debet.

De ambitione, qua ex laicis subitò fiunt sacerdotes & Episcopi. Gregor. Brunnichildi reginæ Francorum.

Dist. 61. *C. Sacerdotale*) Sacerdotale officium vestris in partibus, in tanta, sicut didicimus, est ambitione perductum, vt sacerdotes subitò, quod nimis graue est, ex laicis ordinentur.

Seculo implicatos, in clerum non recipiendos esse.

Dist. 59. *C. Legem.*) Gregor lib. 8. Registri, de Lege Mauritii Augusti, inter alia. Hi qui seculi actionibus implicati sunt, in clero Ecclesiæ, præposterè, suscipiẽdi non sunt, quia dum in Ecclesiastico habitu, non dissimiliter quàm priùs vixerant, viuunt, nequaquam student seculum fugere, sed mutare.

Illiteratos non debere ordinari.

Vide Dist. 55 multis locis.

Non debere ad sacerdotium promoueri, Ecclesiasticis disciplinis prius non imbutos Zosimus Papa.

Dist. 59 *C. Qui Ecclesiasticis.*) Qui Ecclesiasticis disciplinis per ordinem non est imbutus, nec temporum approbatione diuinis stipendiis eruditus, nequaquam ad summum sacerdotium Ecclesiæ aspirare vel præsumere debet, & non solùm in eo ambitio inefficax habeatur, verùm ordinatores eius careant eo ordine, quem contra præcepta crediderant præsumendum.

Item ibidem. C. Hoc ad nos peruenisse, quod non dissimili dignum est detestatione complecti, quòd quidam honoris desiderio inflammati, defunctis Episcopis tonsurantur, & fiunt repentè ex laicis sacerdotes, atque inuerecundè & repente religiosi propositi ducatum arripiunt, qui esse nec adhuc milites didicerunt. Quid putamus quod isti subiectis præstituti sunt, qui antequam disciplinatus limen attingant

tenere locum regiminis non formidant?

Et. C. Ordinatos. Celeſtinus Epiſcopis Galliarum Debet enim antè eſſe diſcipulus, quiſquis doctor eſſe deſiderat, vt poſſit docere quod didicit. Omnis enim vitæ inſtitutio ad id quod tendit,ſe ratione confirmat. Qui minimè literis operam dederit,præceptor eſſe non poteſt literarum Qui non per ſingula ſtipendia creuerit,ad meritum ſtipendii ordinem non poteſt peruenire. Solum ſacerdotium inter iſta rogo vilius eſt? Cur facilius tribuitur,cùm difficiliùs impleatur?

Eruditionem Epiſcopis neceſſariam eſse.Ex Concilio Toletano.

Diſt. 38. *C. Ignorantia.* (Ignorantia mater cunctorum errorum, maximè in ſacerdotibus Dei euitanda eſt,qui docendi officium in populo Dei ſuſceperunt. Sacerdotes legere ſanctas admonentur ſcripturas, Paulo Apoſtolo dicente ad Timotheum,Attende lectioni, & exhortationi doctrinæ, & ſemper permane in his. Sciant ergo ſacerdotes ſanctas ſcripturas & canones,& OMNE OPVS EORVM IN PRÆDICATIONE ET DOCTRINA CONSISTAT, atque ædificent cunctos, tam fidei ſcientiâ,quàm operum diſciplinâ

Ibidem C.Si in laicis.Leo Epiſcopis Conſtantinopol. Si in laicis videtur intolerabilis inſcitia, quantò magis in his qui præſunt,nec excuſatione eſt digna nec veniâ.

Ibidem.C. Omnes pſallentes Ex V I I. Synodo. vnde diffinimus, omnem qui ad Epiſcopatus eſt prouehendus gradum, modis omnibus Pſalterium noſſe,vt ex hoc etiam omnis clerus qui ſub eo fuerit,ita moneatur & imbuatur. Inquiratur autem diligenter à metropolitano, ſi in promptu habeat legem, ſcrutabiliter & non tranſitoriè,tam ſacros canones & ſanctum Euangelium,quàm diuini Apoſtoli librum,& omnem diuinam ſcripturam, atque ſecundùm mandata conſeruare & docere populum ſibi commiſſum. Subſtantia enim ſummi ſacerdotii noſtri ſunt eloquia diuinitus tradita,id eſt vera diuinarum ſcripturarum diſciplina, quemadmodum magnus perhibet Dionyſius. Quòd ſi diſceptauerit,& ita libenter facere & docere minimè ſpoponderit,nullatenus conſecretur. Ait enim Prophetæ Deus:Tu ſcientiam repuliſti,& ego repellam te, ne ſacerdotio fungaris mihi.

Sacerdotes debere eruditos eſse.

Vide Decreta Gelaſii & Zoſimi Pontificum Diſt.36. C. Illiteratos, & qui Eccleſiaſticis. Quibus mox ſubjungit Gratianus.

Ecce quòd ſacrarum literarum oportet Epiſcopum habere peritiam. vnde in veteri Teſtamento inter cætera ornamenta Pontifex rationale ferebat in pectore,in quo ſcribebatur, Manifeſtatio & veritas,quia in pectore Pontificis manifeſta debet eſſe cognitio veritatis.

Colligit deinceps multa ſcripturarum teſtimonia & exempla. Tandem concludit.Ex quibus omnibus liquidò colligitur, quòd non ſufficit Prælatis bona conuerſatio & morum honeſtas,niſi addatur ſcientia doctrinæ.

Et mox ibidem. C. ſi quis vlt. Ex Hieronymo. Hæc duo ſunt Pontificis opera, vt à Deo diſcat legendo ſcripturas diuinas,& ſæpiùs meditando,aut populum doceat. Sed illa doceat, quæ à Deo ipſe didicerat, non ex proprio corde, vel humano ſenſu,ſed quæ Spiritus S.docet.

De examine eorum,qui ad ſacrum miniſterium accedere volunt.

Diſt.24.C.Quando) Epiſcopus à latere ſuo eligere debet ſacerdotes,& alios prudentes viros,gnaros diuinæ legis,exercitatos in Eccleſiaſticis ſanctionibus,qui ordinandorum vitam,genus, patriam,ætatem, inſtitutionem,locum vbi educati ſunt, ſi ſint bene literati,ſi inſtructi in lege Dei, ante omnia diligenter inueſtigent, ſi fidem Catholicam firmiter teneant, & verbis ſimplicibus aſſerere queant.

Et mox: Igitur per tres continuos dies examinentur, & ſic Sabbato,qui probati ſunt,Epiſcopo repræſententur.

De examine Epiſcoporum.

Diſt. 23. *C Qui Epiſcopus.*)Qui Epiſcopus ordinandus eſt, antea examinetur,ſi naturâ ſit prudens,ſit docibilis, ſi moribus temperatus, ſi vitâ caſtus, ſi ſobrius, ſi peruigil,ſi ſemper ſuis negotiis cauens,ſi humilis,ſi affabilis,ſi miſericors,ſi literatus, ſi in lege Domini inſtructus ſi in ſcripturarum ſenſibus cautus vel acutus,ſi in dogmatibus Eccleſiaſticis exercitatus, & ante omnia ſi fidei documenta verbis ſimplicibus aſſerat.

Nullus inuitis detur Epiſcopus.

*Diſt.6*1.*C.Nullus.*) Nullus inuitis detur Epiſcopus,

Quando de alienâ Eccleſiâ Epiſcopus eligendus.

Ibidem. Tunc autem alter de alterâ eligatur Eccleſiâ, ſi de ciuitatis ipſius clero, cujus eſt Epiſcopus ordinandus, nullus (quod euenire non credimus)dignus poterit reperiri. Vide ibidem plura.

Extraneos & ignotos in electionibus, notis & bene meritis de Eccleſiâ non debere præponi.Celeſtinus Papa.

Diſt.61.Nec emeritis.)Nec emeritis in ſuis Eccleſiis peregrini & extranei, & qui antè ignoti ſunt ad excluſionem eorum qui bene ciuium ſuorum meruerunt teſtimonium,præponantur.

Quâ ætate ordinandi miniſtri

Diſt.77.Subdiaconus.) Ex VI Synodo.Subdiaconus non minor X X.annorum ordinetur.Si quis verò in aliquo ſacro ordine ſacerdotali, præter conſtituta tempora ordinatus fuerit, deponatur.

Item. C. Placuit, ex Concil. Carthaginen. Placuit vt ante XXV.annos ætatis nec Diaconi ordinentur,nec virgines conſecrentur.

Item ex Concilio Agathen.Epiſc. benedictionem diaconatus minoribus X X V.annorum penitus non committat.

Et mox:Presbiterum vel Epiſcopum ante X X X.annos, id eſt,antequam ad perfecti viri ætatem perveniant, nullus metropolitanorum ordinare præſumat, ne per ætatem, quod aliquoties euenit,aliquo errore culpentur.

Item ex Concilio Toletano,à X X V.anno ſuo ętatis Leuitæ conſecrentur,& à X X X.Presbyteri ordinentur.Bonifacius.

Diſt.78.Si quis.) Si quis X X X.ætatis ſuæ annum non impleuerit, nullo modo Presbyter ordinetur, etiam ſi valde ſit dignus.

Ibidem.C.Nemo.) Nemo Presbyter conſecretur qui minor X X X.annis ſit.Nemo Diaconus vel Subdiaconus fiat,qui minor X X V.annis ſit.Nemo lectoribus connumeretur, qui minor XV I I I.annis fuerit.Nemo intra Diaconiſſas conſecretur ſacroſanctæ Eccleſiæ,quæ minor ſit X L.annis, vel ad ſecundum matrimonium peruenerit:

Item ex Concilio Neocæſarienſi.Præbyter ante X X X.annorum ætatem non ordinetur,quamuis ſit probabilis vitæ, ſed obſeruetur, vſque ad præfinitum tempus. Dominus enim X X X.anno baptizatus eſt,& tunc prædicauit.

Laicos poſſe aliquando ordinari.

Diſt.33.C.Laici.) Laici qui habentes vxores, baptizati ſunt, ac ſic ſe inſtituerunt vt in nullo eorũ opinio vacillaret,aut clericis juncti ſunt,aut monaſteriis ex quo baptizati ſunt adhæſerunt, ſi non concubinam,ſi non pellicem nouerint, ſi in bonis operibus vigilauerint, non prohibentur hujuſmodi ad clericatus ſortem aſſumi.Innocentius Papa.

De Laicis qui Epiſcopi facti ſunt.

Diſt.61.C.Statuimus Gratianus ait.) Econtrà beatus Nicolaus ex laico electus eſt in Epiſcopum.Beatus Seuerus ex lanificio aſſumptus eſt in Archiepiſcopum. Beatus Ambroſius, cùm nondum eſſet baptizatus, in Archiepiſcopum eſt electus.

Romani Pontificis nõ ritè electi,eiusq; ſequacium condemnatio.

Diſt.23.C.In nomine Domini.) Quòd ſi quis contra hoc decretum noſtrum, ſynodali ſententiâ promulgatum, quaſi per ſeditionem vel præſumptionem,aut quolibet ingenio, electus, aut etiã ordinatus,ſeu inthronizatus fuerit,authoritate diuinâ & ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, perpetuo anathemate cum ſuis authoribus & fautoribus & ſequacibus, à liminibus ſanctæ Dei Eccleſiæ ſeparatus abjiciatur, ſicut Antichriſtus,& inuaſor & deſtructor totius Chriſtianitatis, nec aliqua ſuper hoc ei audientia reſeruetur, ſed ab omni Eccleſiaſtico gradu in quocunque fuerat prius, ſine retractione deponatur. Cui quiſquis adhæſerit, vel qualemcunque tanquam Pontifici reuerentiam exhibuerit,aut in aliquo eum defendere præſumpſerit,pari ſententiâ ſit mancipatus.Quòd ſi quis huius noſtræ ſanctæ Decretalis ſententiæ temerator extiterit,& Romanam Eccleſiam ſua præſumptione confundere & perturbare contra hoc ſtatutum tentauerit, perpetuo anathemate atque excommunicatione damnetur,& cum impiis,qui non reſurgent in judicio, reputetur. Omnipotentis iram contra ſe ſentiat, & ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, quorum Eccleſiam præſumit confundere,in hac vita & in futura furorem ſentiat.Fiat habitatio ejus deſerta, & in tabernaculis ſuis non ſit qui inhabitet. Fiant filii eius orphani, & vxor eius vidua. Commotus commoueatur,ipſe & filii eius mendicent, & ejiciantur de habitationibus ſuis. Scrutetur etiam fœnerator omnem ſubſtantiam eius,& diripiant alieni labores eius. Orbis terrarũ pugnet contra eum, & cuncta elementa ſint ei contraria, & omnium ſanctorum quieſcentium merita illum confundant, & in hac vita ſuper eum apertam vindictam eorum oſtendant. Obſeruatores autem huius noſtri Decreti, omnipotentis gratia protegat, & authoritas beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli omnium peccatorum vinculis abſoluat.

Imperatorem ius habere eligendi Pontificem, & ordinandi Apoſtolicam ſedem, & inueſtiendi Archiepiſcopus & Epiſcopos per ſingulas prouincias.

Diſt.63.C.Hadrianus.) Hadrianus autem PP.cum vniuerſa ſynodo tradiderat Carolo jus & poteſtatem eligendi Pontificem,& ordinandi Apoſtolicam ſedem.Dignitatem quoque patriciatus ei conceſſerat. Inſuper Archiepiſcopos & Epiſcopos per ſingulas prouincias ab eo inueſtituram accipere diffiniuit, vt niſi à rege laudetur & inueſtiatur Epiſcopus,à nemine conſecretur. Et quicunque contra hoc decretum ageret anathematis vinculo eum innodauit,& niſi reſipiſceret, bona eius publicari præcepit.

Et mox item Leo Papa in ſynodo congregata Romæ in Eccleſia ſancti Saluatoris, ad exemplum B.Hadriani Apoſtolicæ ſedis antiſtitis,qui Domino Carolo victorioſiſſimo regi Francorum ac Longobardorum patriciatus dignitatem ac ordinationem Apoſtolicę ſedis, & inueſtituram Epiſcoporum conceſſit.

cessit. Ego Leo quoque seruus seruorum Dei Episcopus cum toto clero ac Romano populo, constituimus & confirmamus, & corroboramus, & per nostram Apostolicam authoritatem concedimus atque largimur Domino Ottoni primo, regi Theutonicorum, eiusque successoribus huius regni Italiæ in perpetuum, facultatem eligendi successorem, atque summæ sedis Apostolicæ Pontificem ordinandi, Ac per hoc Archiepiscopos seu Episcopos, vt ipsi ab eo inuestituram accipiant, & consecrationem vnde debent, exceptis his quos Imperator Pontificibus & Archiepiscopis concessit. Et vt nemo deinceps cuiuscunque dignitatis vel religionis eligendi vel patricium, vel Pontificem summæ sedis Apostolicæ, aut quemcunque Episcopum ordinandi habeat facultatem absque consensu ipsius Imperatoris. Quod tamen fiat absque omni pecuniâ, & vt ipse sit patricius, & rex. Quòd si à clero & populo quis eligatur Episcopus, nisi à supradicto rege laudetur, & inuestiatur, non consecretur. Si quis contra hanc Apostolicam auctoritatem aliquid molietur, hunc excommunicationi subiacere decernimus, & nisi resipuerit, irreuocabili exitio puniri, vel vltimis suppliciis affici.

In eadem distinctione plura inuenies in hunc sententiam, vtpote. Quòd sacra principis authoritas ordinandis sit necessaria. C. Principali. Item Papa rogat Augustum, vt Reatinam Ecclesiam cuidam electio dignetur concedere. C. Reatina.

Item, quòd Imperatoris epistola in electionis confirmatione desideretur. C. Lectis.

Item. Quòd electus in Romanum Pontificem non ordinari debeat, nisi eius decretum Imperatori primò præsentetur, C. Agatho.

Hæc omnia quantumuis disertè ponantur, postea tamen diuersum statuitur. C. Quia. Item C. cùm Hadrianus. Item C. Ego Ludouicus. Item C. tibi Domino. Et C. Omnis electio.

De ordinibus Ecclesiasticis tum ex Iudaismo, tum ex gentilismo desumptis.

Dist. 21. C. Decretis.) dicitur quòd summorum Pontificum, præsulum & reliquorum Sacerdotum institutio in veteri Testamento inchoata sit. Et sequitur.

Summi etenim Pontifices & minores Sacerdotes à Deo sunt instituti per Mosen, qui ex præcepto Domini Aaron in summum Pontificem, filios verò eius vnxit in minores Sacerdotes. Postea verò Dauid, cùm ministeria domus Domini ampliaret, ianitores & cantores instituit. Porrò Salomon quendam modum exorcizandi inuenit, quo dæmones adiurati ex obsessis corporibus pellebantur. Huic officio mancipati exorcistæ vocati sunt. De quibus Dominus in Euangelio: Si ego in Beelzebub eiicio dæmonia, filij vestri, scil. exorcistæ, in quo eiiciunt? Hæc omnia in N. T. Ecclesia imitata, habet ianitores suos, quos hostiarios appellamus. Pro cantoribus lectores & cantores instituit. Exorcistas autem nomine antiquo & officio permanente recepit. Pro filiis verò Aaron, omnes infra summum Pontificem Sacerdotium administrantes sunt consecrati. Inter eos quædam discretio seruata est, vt alij appellentur simpliciter Sacerdotes, alij Archipresbyteri, alij Chorepiscopi, alij Episcopi, alij Archiepiscopi seu Metropolitæ, alij Primates, alij Patriarchæ, alij summi Pontifices. Horum discretio A GENTILIBVS MAXIME INTRODVCTA EST, qui suos flamines, alios simpliciter flamines, alios archiflamines, alios protoflamines appellabant.

CAPVT XXII.

De Simonia.

De Simoniacis.

1. *q. 6. Quid verò.*) Perinde Simoniacus habetur, qui pro electione præmia largitur, ac si pro cõsecratione munera dedisset.

Et mox. Gregor. Siagrio Episcopo Augustodunensi. Sicut is qui inuitatus renuit, quæsitus refugit, sacris altaribus est admouendus, sic qui vltrò ambit, vel importunè se ingerit, est proculdubio repellendus. Nam qui sic nititur ad altiora conscendere, quid aliud agit, nisi vt crescendo decrescat, & ascendendo exterius: interius in profundum descendat? itaque frater charissime in Sacerdotibus ordinandis sinceritas vigeat, sit simplex & sine venalitate consensus, pura præferatur electio, vt ad summum Sacerdotij (vel Pontificij) non suffragio venditorum prouectus, sed Dei credatur esse iudicio.

1. *q.* 1. Reperimur. Ambrosius. Reperiuntur quamplurimi negotiatione muneris mercari velle gratiam Spiritus sancti, dum illi pretium donant, vt Pontificalis ordinis sublimitatem accipiant, obliti verborum Petri, qui dixit ad Simonem, Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia existimasti donum Dei posse pecuniâ possideri. Proinde quia & vsitatum est tantum malum, & maiorum extat frequenter mucrone succisum, nos quoque huic vulneri canceroso, ignitum quod superest adhuc iniicimus ferrum, decernentes omnino, vt quicunque deinceps pro accipiendâ diuinâ dignitate doni, quodlibet præmium detectus fuerit obtulisse, ex eodem tempore se nouerit anathematis opprobrio condemnatum, atque à participatione Corporis & Sanguinis Christi alienum, ex quo illum constat execrabile Christo perpetrasse flagitium. Quòd si aliquis eius acceptator extiterit, ille qui hunc ordinem, munerum fuerit donatione lucratus, & suscepto honoris gradu priuetur, & in monasterio sub perenni pœnâ retrudatur. Illi verò qui hâc causa munerum acceptore extiterint, si clerici fuerint, honoris sui amissione mulctentur, si verò laici, perpetuo anathemate condemnentur.

Item ex VIII. Synodo. Qui per pecuniam quenquam consecrauerit, vel ab alio consecratus est, alienus à Sacerdotio fiat.

Item Gregor. Nazianzenus. Qui studet donum Dei pretio mercari, in sacro ordine nullâ ratione de cætero permanere aut reuocare posse dubium non est, talis à communione omnibus modis abscindatur. Nam Spiritus sancti donum pretio comparari, quid aliud est, quàm capitale crimen & Simoniaca hæresis? Quod quàm detestabiliter in vtroque Testamento vindicatum sit, multorum exemplis facilè apparet. Giezi enim gratiam sanitatis Naaman Syro vendidit, eandemque gratiam sanitatis Helisæo vindicante leprosus factus amisit. Iudas omnium redemptorem vendidit, mox laqueo suspensus, eandem redemptoris gratiam non obtinuit. Et meritò, quia nemo potest retinere quod vendidit. Simon etiam Magus cùm eandem Spiritus sancti gratiam emere vellet, damnationis sententiam à Petro audiuit: Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia donum Dei existimasti pecuniâ possideri. Dominus etiam, vt ementes & vendentes huius gratiæ expertes ostenderet, cunctos alios peccatores per gratiam in templo dimisit, singulariter vendentes & ementes increpans & flagellans, de templo eiecit, in quo venditores & emptores suo gratia Spiritus sancti constat destitutos esse & vacuos. Quos enim Christus eiecit è templo, nunquam spiritus Christi sibi facie templum.

Item Ambr. ait. Cùm ordinaretur Episcopus, quod dedit aurum fuit, quod perdidit, anima fuit. Cùm alium ordinaret, quod accepit, aurum fuit, quod dedit, lepra fuit.

1. *q. 7. Si quis omnem.*) Omnis Episcopus vel Presbyter aut Diaconus, conuictus, quòd pro muneribus ordinationem dederit vel acceperit, à Sacerdotio cadat.

Et mox ibidem. Cum omni fiduciâ clamo, qui per Simoniam ordinatus est, siue Episcopus, siue Presbyter, siue Diaconus, alienus est à Sacerdotio, neque enim venalis est gratia Spiritus sancti. Cajaphæ traditio, & adinuentio Simonis, à sancto Sacerdotio, est aliena. Vide ibidem plura.

Item ibidem ampliùs. Quicunque per pecuniam dispensationem vel curam sortiti sunt monasteriorum, vel Ecclesiarum, vel religiosarum domorum, gerontocomiorum, xenodochiorum, orphanotrophiorum, cum depositione expellantur à dispensatione illâ & curâ.

Et mox ex Concil. Melden. Cauendum est & summoperè studendum, ac per virtutem Christi sanguinis interdicendum Episcopis & regibus, & omnibus sublimioribus potestatibus, atque cunctis fautoribus & electoribus quorumcunque consensoribus seu ordinatoribus in gradu Ecclesiastico, vt nemo per Simoniacam hæresim obtineat locum, quacunque functione, calliditate, promissione seu commoditate aut datione, per se aut submissam personam.

Simoniacam hæresim cæteris damnabiliorem esse.

1. *q. 7. Patet.* Paschalis pp. Patet Simoniacos veluti primos & præcipuos hæreticos ab omnibus fidelibus respuendos, & si commoniti non resipuerint, ab exteris etiam potestatibus opprimendos. Omnia etiam crimina ad comparationem Simoniacæ hæresis quasi pro nihilo reputantur.

1. *q.* 1. *Eos qui.*) Eos qui per pecunias manus imposuerunt vel imponunt, Petrus diuinus Apostolus, cuius Cathedram sortita est sanctitas vestra, tanquam Simonem Magum deponit. Tolerabilior est enim Macedonij, & eorum qui circa ipsum sunt Spiritus sancti impugnatorum impia hæresis. Illi enim creaturam & seruum Dei Patris & Filij Spiritum sanctum delirando fatentur, isti verò Spiritum sanctum efficiunt suum seruum. Omnis enim dominus quod habet si vult vendit, siue seruum, siue aliquid aliud eorum quæ possidet. Similiter & qui emit, dominus eius volens esse quod emerit, per pretium pecuniæ illud acquirit. Ita & hi, qui hanc iniquam actionem operantur, detrahunt Spiritui sancto, æqualiter peccantes his qui blasphemauerint, dicentes Christum in Beelzebub eiicere dæmonia. Atque vt veriùs dicamus Iudæ comparantur, perditori, qui Iudæis occisoribus Christum vendidit.

De his qui per munera inuadunt Ecclesias vacantes. Ex concilio Rothomagensi.

7. *q.* 1. *Sancitum est.*) Sancitum est atque omnibus modis prohibitum, vt si quis presbyter inuentus fuerit alicui clerico vel laico munera dare vel dedisse, aut aliam pecuniam tribuere, vt alterius Presbyteri Ecclesiam vacantem pretio redimat, pro hâc cupiditate, seu rapinâ, seu præsumptione, turpis lucri gratiâ, dejiciatur à clero, & alienus existat à regulâ.

Simoniacos non esse sacerdotes, ideóque deponi debere.

1. *q.* 1. *Quicunque.*) Quicunque sacros ordines vendunt aut emunt, sacerdotes esse non possunt.

Item Gregor. Quicunque studet per pretij dationem sacrum

ordinem accipere, sacerdos non est, sed inaniter tantummodo dici concupiscit.

Idem in Registro. Presbyter si per pecuniam Ecclesias obtinuerit, non solum Ecclesia priuetur, sed etiam sacerdotii honore spolietur, quia & altare & decimas & Spiritum sanctum emere vel vendere, Simonicam hæresim esse nullus fidelium ignorat.

Simoniacos habere & dare Spiritum mendacii. Leo Papa.

1. q. 1. *Gratia.*) Quid ergo dant? Profectò quod habent. Quid habent? Spiritum vtique mendacii. Quomodo hoc probamus? Quia si spiritus veritatis (testante ipsâ veritate de quâ procedit) gratis accipitur, proculdubio spiritus mendacii esse conuincitur, qui non gratis accipitur vel datur.

Simoniacos panem pollutum offerre. Hier. super Malach.

Dist. 49. *C. Sacerdotes.*) Sacerdotes nomen Domini despiciunt, & quantum ad se, panem pollutum offerunt, qui ad altare indignè accedunt, quique dato munere sacerdotium præsumunt, &c.

De his qui vendunt beneficia Ecclesiastica. Gregor.

1. q. 3. *Si quis dator.*) Si quis dator vel acceptor Dei Ecclesias, vel Ecclesiastica beneficia, quæ quidam præbendas vocant, sub pecuniæ interuentu susceperit, siue dando emerit, siue accipiendo vendiderit, à Simonis non excluditur perditione. Sed si perseueratus fuerit, perpetuâ mulctetur damnatione, &c.

Et mox. Si quis Episcopus præbendas, archidiaconatus, præposituras, vel aliqua officia Ecclesiastica vendiderit, vel aliter quàm statuta sanctorum patrum præcipiunt ordinauerit, ab officio suspendatur. Dignum est enim, vt sicut gratis Episcopatum accepit, ita membra eiusdem Episcopatus gratis distribuat.

Contra pluralitatem beneficiorum. Ex Synodo VII.

21. q. 1. *Clericus.*) Clericus ab instante tempore non connumeretur in duabus Ecclesiis. Negotiationis enim hoc est, turpis lucri proprium commodum, & ab Ecclesiæ consuetudine penitus alienum. Audiuimus enim ex ipsâ Dominica voce, quòd nemo potest duobus dominis seruire.

Et mox ex Chalcedonen. Conc. Clericum in duarum Ecclesiis ciuitatum conscribi non oportet.

Duas præbendas clericum non debere habere, nec in duabus intitulari Ecclesiis.

Dist. 70. *Sanctorum.*) In qua Ecclesia quilibet intitulatus est, in ea perpetuò perseueret. Omninò autem in duabus aliquem intitulari non liceat, sed vnusquisque in qua intitulatus est in ea tantum Canonicus habeatur. Licet enim Episcopus dispositione vnus diuersis præesse possit Ecclesiis, Canonicus tamen præbendarius nisi vnius Ecclesiæ in qua conscriptus est, esse nô debet.

Plures Ecclesias vni presbytero debere committi.

10. q. 3. *vnio.*) Plures Ecclesiæ vni nequaquam committantur Presbytero, quia solus per totas Ecclesias, nec officium valet persoluere, nec rebus earum necessariam curam impendere.

Qui sumptibus propriis viuere potest, stipendium ab Ecclesiâ non debere accipere Hier ad Damasum Papam.

1. q. 1 *Clericos autem.*) Clericos autem illos conuenit Ecclesiæ stipendiis sustentari, quibus parentum & propinquorum nulla suffragantur bona. Qui autem bonis parentum & opibus suis sustentari possunt, si quod est pauperum accipiunt, sacrilegium profectò committunt, & per abusionem talium, judicium sibi manducant & bibunt.

Ad alienas Ecclesias non transeundum esse.

7. q. *Quia frater.*) Ambitionis causa quicunque Ecclesiæ suæ mediocritate despecta, ad majorem Ecclesiam transire voluerit, debet reuocari ad propriam. Quòd si redire contempserit, careat aliena & propria.

Ibidem mox ex Conc. Niceno, quòd Episcopus vel quilibet clericus non debeat relictâ suâ Ecclesiâ ad aliam transire.

Item in monasterium deputatur Episcopus qui in Ecclesia sua residere contemnit.

Item excommunicari jubentur clerici, qui relictâ suâ Ecclesiâ, ad eam redire noluerint.

Item ex Concilio Antiocheno. *C. Episcopum.*) Episcopum de diœcesi ad diœcesim non debere transire, neque si seipsum ingesserit, neque si à populis fuerit violenter attractus, neque si etiam hoc ei ab Episcopis suadetur. Manere autem eum debere in Ecclesia Dei, quam ab initio sortitus est, & non ab ea alibi demigrare, secundum regulam super hoc olim à Patribus constitutam decernimus.

Suâ sede careat, qui alienam appetit.

7. q. 1. *Si quis.*) Si quis Episcopus suæ ciuitatis mediocritate despecta administrationem celebrioris loci ambierit, & ad majorem plebem se quacunque ratione transtulerit, à cathedra quidem pellatur aliena. Carebit etiam propria, vt nec illis præsideat, quos per auaritiam concupiuit, nec illis quos per superbiam spreuit. Suis igitur terminis contentus quisque sit, nec supra mensuras juris sui affectet augeri.

Et mox ex Concilio Meldensi. Si quis de ordine sacerdotali, contemptu minoris Ecclesiæ ambitiosè & improbè ad potiorem aspirauerit, canonica erga eum diffinitio conseruetur, hoc est, vt vtraque careat.

De conductitiis Presbyteris.

21. q. 2. *Præcipimus.*) Præcipimus etiam, ne conductitiis Presbyteris Ecclesia committatur, sed vnaquæque Ecclesia cui facultas suppetit, proprium habeat sacerdotem.

De Quæstionariis & Curtisanis Ex Concilio Meldensi.

6. q. 3. *De illis autem.*) De illis autem, qui infra parochiam beneficium aut hæreditatem habent, & alterius Episcopi parochiani sunt, & de loco ad locum iter faciunt, & rapinam & deprædationes peragunt, placuit vt excommunicentur, nec antè ex parochia exeant, quam quę patrarunt dignè emendent. Quorum excommunicatio seniori eorum & proprio Episcopo significanda est, ne eos recipiat antequam illuc redeant vbi rapinam fecerunt, & ibi omnia pleniter emendent.

Pro pallio nihil accipiendum.

Dist. 99. *C. Nouit.*) Nouit sanctitas tua, quia priùs pallium nisi dato commodo, non dabatur. Quod quia incongruum erat, facto Concilio ante corpus Petri Apostolorum principis, tam de hoc, quàm de eorum ordinationibus aliquid accipere, sub districta interdictione vetuimus. Oportet ergo, vt neque per commodum, neque per gratiam, aut quorundam supplicationibus aliquos ad sacros ordines consentiatis vel permittatis adduci, Gregorius.

Caput XIII.

De officio & studiis Sacerdotum & Episcoporum.

Omne opus sacerdotum in prædicatione consistere debere.

Dist. 38. *Ignorentia.*) Sacerdotes legere sanctas admonentur scripturas, Paulo Apostolo dicente ad Timotheum: Attende lectioni, & exhortationi doctrinæ, & semper permane in his. Sciat ergo sacerdotes sanctas scripturas & canones, & omne opus eorum in prædicatione & doctrinâ consistat, atque ædificent cunctos tam fidei scientiâ, quàm operum disciplinâ.

Episcopos docere debere.

Dist. 43. *C. Sit rector.*) Episcopi sine tintinnabulis incedunt, qui non prædicant Verbum Dei. Scriptum autem est: Sacerdos ingrediens vel egrediens, moritur, si de eo sonitus non audiatur.

Item. C. *Dispensatio.*) Nicolaus Papa ipse dicit: Dispensatio est nobis cœlestis seminis injuncta. Væ si non sparserimus, væ si tacuerimus.

Substantiam sacerdotii nostri esse sanctam scripturam.

Dist. 38. *C. omnes psallentes.*) Substantia summi sacerdotii nostri sunt eloquia diuinitus tradita, id est vera diuinarum scripturarum disciplina.

Gentilium libros Episcopos non debere legere. Ex Concilio Carthaginensi.

Dist. 37. *C. Episcopus.*) Episcopus gentilium libros non legat, hæreticorum autem perlegat pro necessitate aut tempore.

Et mox, C. *Sacerdotes Dei.*) Ex Hier. ad Damasum Papam, Sacerdotes Dei omissis Euangeliis & prophetis, videmus comœdias legere, amatoria bucolicorum versuum verba cantare, tenere Virgilium in manibus, & id quod in pueris adest causâ necessitatis, crimen in se facere voluptatis.

Item C. *Legimus.*) Ex Rabano de pressuris Ecclesiasticis. Legimus de B. Hieron. quòd cùm libros legeret Ciceronis, ab Angelo est correptus, eò quòd vir Christianus paganorum figmentis intenderet. Hinc etiam filius ille prodigus in Euangelio reprehenditur, qui de siliquis quas porci comedebant, ventrem suum replere cupiebat. Hinc etiam Origenes cyniphes & ranas, quibus Ægyptii sunt percussi, dialecticorum garrulitatem & sophistica argumenta intelligit. Ex quibus omnibus colligitur, quòd non est ab Ecclesiasticis secularium literarum quærenda peritia.

Episcopum non debere rei familiaris curam gerere, sed tantùm lectioni, orationi, & prædicationi vacare. Ex Concilio Carthaginensi.

Dist. 88. *C. Episcopus nullam.*) Episcopus nullam rei familiaris curam ad se reuocet, sed lectioni & orationi, & verbo prædicationis tantummodo vacet.

Episcopos debere annuis vicibus Ecclesiam visitare. Ex Concil. Tarraconen.

10. q. C. Decreuimus, vt antiquæ consuetudinis ordo seruetur, & annuis vicibus diœceses ab Episcopo visitentur.

Qui Episcopi plebem docere debeant.

10. q. 1. *C. Placuit.*) Inter alia doceant illos, vt errores fugiant idolorum, &c.

Capvt XXIV.

De vitâ & conuersatione clericorum.

Professionem operibus ostendendam. Ambrosius.)

22 *q.5.Cauete.*) Mendacium est se Christianum dicere, & opera Christi non facere. Mendacium est Episcopum, Sacerdotem, vel clericū se profiteri, & contraria huic ordini operari.

Dignitatē non facere Episcopū, sed vitā. Hier. ad Heliodorum.

2.*q.7.Non omnes Episcopi.*) Non omnes Episcopi sunt Episcopi. Attende Petrum, sed Iudam considera, Stephanum suscipe, Nicolaum respice. Non facit Ecclesiastica dignitas Christianum. Cornelius centurio adhuc ethnicus dono sancti Spiritus mundatur. Presbyteros Daniel puer judicat. Non est facile stare in loco Petri, & Pauli, scilicet tenere locum jam cum Christo regnantium. Infatuatum sal ad nihilum prodest, nisi vt projiciatur foras, & à porcis conculcetur.

De habitu clericorum. Ex Concilio Carthaginensi IV.

Dist.41.C.Clericus.) Clericus professionē suā & habitu & incessu probet, & ideo nec vestib⁹ nec calceamētis decorē quærat.

Clericos non debere vsurari. Ex Concilio Arelatensi.

14.*q.4.Ministri.*) Ministri qui fœnerantur, placuit juxta formam diuinitus datam eos à communione abstinere.

Item ex Concilio Tarraconen. Canonum statutis firmatum est, vt quicunque in clero esse voluerit, emendi viliùs & vendendi cariùs studio non vtatur. Quod si exercere voluerit, cohibeatur à clero. Vide ibidem plura.

Negotiatorem clericum tanquam pestem fugiendum. Hier.

Dist.88.C.Negotiatorem) Negotiatorē clericum, & ex inope diuitem, & ex ignobili gloriosum quasi quandam pestem fuge.

Dist.46.C.Non licet) Non licet fœnerari ministris altaris, vel in sacerdotali ordine constitutis, vel vsuras vel lucra quæ sexcupla dicuntur, accipere.

Dist.47.C.Episcopus.) Ex Canonibus Apostolorum. Episcopus aut Presbyter aut Diaconus, vsuras à debitoribus exigens aut desinat, aut certè deponatur.

Et mox.C.*Quoniam multi.*) Ex Cōcilio Niceno. Quoniam multi sub regulâ constituti auaritiam & turpia lucra sectantur, obliti que diuinæ scripturæ dicentis: Qui pecuniam suam non dederit ad vsuram, &c. mutuum dantes centesimas vsuras exigunt juste censuit magna & sancta Synodus, vt si quis inuentus fuerit post hanc definitionem vsuras accipiens, aut aliquam adinuentionem faciens, vel quolibet modo negotia transigens, aut hemiolia, id est, sexcupla exigens, vel aliquid tale prorsus excogitans, turpis lucri gratiâ, deijciatur à clero, & alienus existat à regulâ.

Item paulò pòst ex Concilio Elibertino, Si quis clericorum detectus fuerit vsuras accipere, placuit degradari & abstinere.

Item Leo Episcopus Anatholio Episcopo. Virum Catholicum, & præcipuè Domini sacerdotem, sicut nullo errore implicari, ita nullâ opum cupiditate violari.

Sacerdotes & qui scientiam Domini tractant, non debere agitare iudicium sanguinis. Ex Concilio Tolet. VI.

23.*q.8.Sæpe.*) Sæpe principes contra quoslibet majestatis obnoxios, sacerdotibus negotia sua committunt. Quia verò sacerdotes à Christo ad ministerium salutis electi sunt, ibi consentiant fieri Regibus judices, vbi jurejurando suppliciis indulgentia promittitur, non vbi discriminis sententia præparatur. Si quis ergo sacerdotum contra hoc commune consultum discursor, in alienis periculis extiterit, sit reus effusi sanguinis apud Christum, & apud Ecclesiam perdat proprium gradum.

Et mox ex Concilio Toletano IX. His à quibus sacra Domini tractanda sunt, judicium sanguinis agitare non licet.

Clericos otiosos fori obambulatores degrapandos esse.

Dist.91.C.Clericus.) Qui verò non pro emendo aliquid in nundinis vel foro deambulant, ab officio suo degradentur.

Clericos non debere militiam exercere.

Dist.59.C Clericum.) Cùm discreti sint milites seculi à militibus Ecclesiæ, non conuenit militibus Ecclesiæ militare sæculo, per quod ad effusionem sanguinis necesse est peruenire.

Clericum militaria arma ferentem gradum amittere. Ex Concilio Meldensi.

23.*q.8.Quicunque.*) Quicunque ex clero videntur esse, arma militaria non sumant, nec armati incedant, sed professionis suæ vocabulum religiosis moribus & religioso habitu præbeant. Quod si contempserint, tanquam sacrorum canonum contemptores, & Ecclesiæ authoritatis prophanatores, propriū gradus amissione mulctentur, quia non possunt simul Deo & sæculo militare.

Ibidē, quòd Episcopis vel quibuslibet clericis non liceat nec suâ nec Romani Pontificis authoritate arma sumere, probatur.

Item ex Concil. Telet. Clerici.) Clerici qui in quâcunque factione arma volentes sumpserint, reperti, amisso ordinis sui gradu, in monasterio perenniter tradantur.

Item Ambrosius ibidem C. conuenior. Lachrymæ meæ arma mea sunt. Talia enim sunt munimenta sacerdotis, aliter nec debeo nec possum resistere.

Pro clerico non orandum, qui aut in bello, aut in rixâ, aut in gentilium ludis perit. Ex Concil. Triburien.

23.*q.8.C.Quicunque.*) Quicunque clericus aut in bello, aut in rixâ, aut gentilium ludis mortuus fuerit, neque in oratione pro eo postuletur, sed in manus incidat judicis, sepulturâ tamen non priuetur.

Aleatores & ebrios Episcopos & Presbyteros excommunicandos. Ex Canon. Apost.

Dist.35.C.Episcopus.) Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus aleæ atque ebrietati deseruiens, aut desinat, aut certè damnetur. Subdiaconus autem, aut lector, aut cantor, similia faciens aut desinat aut communione priuetur. Similiter & laicus

Ebrii Clerici quomodo puniendi. Ex Concilio Agathensi.

Dist.35.C.Ante omnia.) Ante omnia clericis vetetur ebrietas, quæ omnium vitiorum fomes ac nutrix est. Itaque is qui ebrius fuisse constiterit (vt ordo patitur) aut 30. dierum spatio à communione submoueatur, aut corporali subdatur supplicio.

Quomodo Sacerdotes se in conuiuiis gerere debeant. Ex Concil. Nannetensi.

Dist.44.C.Nullus.) Nullus Presbyterorum, quando ad anniversarium diem, trigesimum aut septimum aut tertium alicujus defuncti, aut quacunq; vocatione ad collectam Presbyteri conuenerit, se inebriare vllatenus præsumat, nec precatus amore sanctorū, vel ipsius animæ, bibere, aut alios ad bibendū cogere, vel se alienâ precatione ingurgitare, nec plausus & risus inconditos & fabulas inanes ibi referre aut cantare præsumat.

Item ex eodē ibidem. Quando autē conueniunt Presbyteri ad aliquod conuiuiū, aliquis prior illorū versum ante mensam incipiat, & cibum benedicat, & tunc secundùm ordinē sedeant, alter alteri honorem præbentes, & per vices cibum & potum benedicant, & aliquis de illorum clericis aliquid de sanctâ scripturâ legat. Post refectionem similiter hymnum dicant, ad exemplum Domini, sicut in cœnâ fecisse legitur: Et se contineant omnes Presbyteri (maximè in talibus locis) vt non vituperetur ministerium eorum.

Nuptialibus conuiuiis clericos interesse non debere. Ex Concil. Agathensi.

Dist.34.C.Presbyteri.) Presbyteri, Diacones, Subdiacones, vel deinceps, quibus ducendi vxores licentia modò non est, etiam aliarum nuptiarum euitent conuiuia, nec his cœtibus misceantur, vbi amatoria cantantur, & turpia, & obscœni motus corporum choreis & saltationibus efferuntur, ne auditus & obtuitus sacris ministeriis deputati, turpium spectaculorum atque verborum contagione polluantur.

Clericos non debere tabernas intrare Ex Concil. Laodicensi.

Dist.44.C.Non oportet.) Non oportet clericos seruientes à Presbyteris vsque ad Diaconos, & deinceps ordinis Ecclesiastici omnes, vsq; ad ministros, aut lectores, aut exorcistas, aut ostiarios, aut psalmistas, aut etiam eos, qui in proposito continentiæ sunt, tabernas (nisi causâ necessitatis) intrare.

Item ex VI. Synodo. Nulli clerico licet tabernam aut ergasterium (id est, stationē) habere. Si enim huiusmodi tabernam ingredi prohibetur, quantò magis aliis ministrare in eâ? Si quis verò tale quid fecerit, aut cesset aut deponatur.

Item ex Concilio Carthaginen. IV. Clerici edendi vel bibendi causâ tabernas non ingrediantur, nisi peregrinationis necessitate compulsi.

Et mox Gregorius Natalem Episcopum corripit, quòd pastorali cura relictâ, conuiuiis occuparetur.

De clericis scurrilibus.

Dist.46.C.Clericum.) Clericum scurrilem & verbis turpibus joculatorem, ab officio esse retrahendum censemus.

De clericorum laicitate.

2.*q.7.C.Secuti.*) Nonnunquam multi Catholicorum in tantum mercedem amant iniquitatis, vt etiam docti ab indoctis, clerici à laicis meritò redarguantur. Qui verè & jure comparantur prophetæ qui verbis asinæ contra naturam loquentis corripitur, nec tamen à proposito praui itineris retardatur. Beda in 2. epist. Pet 2. cap.

Quòd sæpe laici Episcopis, & clericis meliores sint: vide 8. q.1. Vereor, & deinceps.

Negligentes Episcopi canes potiùs appellandi quàm Episcopi.

2.*q.7.August.*) Qui nec regiminis in se rationem habuit: nec sua delicta detersit, nec filiorum crimen correxit, canis impudicus dicendus est magis quàm Episcopus.

Indignos sacerdotes coruis similes esse.

2.*q.7.Non omnis.*) Non omnis qui dixit pax vobis, quasi columba est audiendus. Corui de morte pascuntur. Hoc columba non habet, imò de fructibus terræ viuit, innocens est victus ejus. Hic in glossâ additur. Coruo æquiparatur malus Prælatus vel malus Presbyter, in nigredine vitiorum, & in raucedine vocis, & in voracitate, scili mortuorum oblationum, & in fœtore Spiritus, & in garrulitate, & in furto.

De clericis diutiùs ab Ecclesiâ suâ absentibus. Ex Concil. Agathen.

7.*q. Si quis.*) Si quis in clero constitutus, ab Ecclesiâ diebus sollennibus defuerit, id est, natiuitate Domini, epiphaniâ, paschâ vel Pentecoste, dum potiùs secularibus lucris studet,

quam seruitio Dei parere, conuenit vt triennio à communicatione suspendatur. Similiter Diaconus vel Presbyter, si per tres hebdomadas ab Ecclesia sua desuerit, huic damnationi succumbat.

Venationes Episcopis prohibitæ.

Dist. 34.*C. Quorundam.*) Exemplum ponitur cuiusdam Laniae Episcopi venationibus intenti, & iubetur admoneri; atque si desistere nolit, excommunicari.

Et ibidem mox sequitur. C. Episcopum. Ex Concilio Aurelianen. I V. Episcopum, Presbyterum aut Diaconum, canes ad venandum, aut accipitres, aut huiusmodi res habere non licet. Quod si quis talium personarum, in hac voluptate sæpiùs detentus fuerit, si Episcopus est, tribus mensibus à communione suspendatur. Diaconus verò ab omni officio & communione suspendatur.

Et mox C. Omnibus.) Omnibus seruis Domini venationes & syluaticas vagationes cum canibus, & vt accipitres aut falcones habeant, interdicimus.

Dist. 86.*C. Esau.*) Hieronymus in Psal. 82. Esau venator erat, quoniam peccator erat. Et penitus non inuenimus in scripturis sanctis, sanctum aliquem venatorem, piscatores inuenimus sanctos.

Satius esse paucos bonos habere ministros, quàm multos inutiles.

Dist. 23.*C. Tales.*) Tales ad ministerium eligantur clerici, qui dignè possunt Dominica Sacramenta tractare. Meliùs est enim Domini sacerdotium paucos habere ministros, qui possint dignè opus Dei exercere, quàm multos inutiles, qui onus graue ordinatori adducant.

Deponendos esse illicitè viuentes.

Dist. 81.*C. Maximianus.*) Qui sancti non sunt, sancta tractare non possunt, atque alieni efficiantur à ministerio, quod viuendo illicitè polluerunt.

Qualis debeat esse Clericorum conuersatio. Isidorus.

Dist. 13.*C. His igitur.*) His igitur lege patrũ caueatur, vt à vulgari vitã seclusi, à mundi voluptatibus se abstineant, non spectaculis, nõ pompis intersint, conuiuia publica fugiant, priuata non tantùm pudica, sed sobria colant, vsuris nequaquam incumbant, neque turpiũ occupationibus lucrorũ, non fraudibus cuiuscunque studiũ appetant. Amorem pecuniæ quasi materiã cunctorum criminum fugiant, & secularia negotia, officiaque abnuant. Honoris gradum per ambitionem non suscipiant, Pro beneficiis medicinæ Dei munera non accipiant. Dolos & coniurationes caueant. Odium, æmulationes, obtrectationes, atque inuidiam fugiãt Non vagi oculis, non effreni lingua, aut petulanti fluidoque gestu incedant, sed pudorẽ & verecundiam mentis, simplici habitu incessuque ostendant. Obscœnitatem etiam membrorum & verborum sicut & operum penitus execrentur. Viduarum & virginũ frequentationes penitus fugiant. Contubernia extranearum fœminarum nullatenus appetant. Castimoniam quoque nõ violati corporis perpetuò obseruare studeant, AVT CERTE VNIVS MATRIMONII VINCVLO FOEDERENTVR. Senioribus quod debitam præbeant obedientiam, neque vllius iactantiæ studio semetipsos attollant. Postremò, doctrinæ, lectionibus, psalmis, hymnis, canticis, exercitio iugiter incumbant. Tales enim debent esse, qui diuinis cultibus sese emancipandos student, scilicet vt dum scientiæ operam dant, doctrinæ gratiam populis administrent.

Capvt XXV.

Contra luxum Sacerdotum.

Clericos secularia non debere tractare.

Dist. 10.*C. Quoniam idem.*)

Itẽ 21.*q.*3.*Mollitiis.*) Mollitiis & secularibus rebus laqueisque obligari non debẽt, qui diuinis rebus & spiritualibus occupati sunt, nec ad terrenos, & seculares actus vacare. Vide ibid. plura.

Dist. 88.*C. Episcopus.*) Ex Can Apost. Episcopus aut Sacerdos aut Diaconus nequaquam seculi curas assumant, sin aliter, deiiciantur.

Item ex Concilio Carthaginen. I I I. Episcopus nullam rei familiaris curam ad se reuocet, sed lectioni & orationi, & verbo prædicationis tantummodò vacet.

Clericos nihil proprij possidere debere.

12.*q.*1.*Clericus.*) Qui Dominum possidet, & vnà cum Propheta dicat, pars mea Dominus, nihil extra Dominum habere potest. Quod si quippiam aliud habuerit præter Dominum, pars eius non erit Dominus, verbi gratiã: si aurum, si argentũ, seu possessiones, si variam supellectilem; cum istis partibus non dignatur Dominus fieri pars eius.

Et mox. Cui portio Deus est, nihil debet curare nisi Deum. Vide ibidem plura.

Clericis non licere sua repetere.

14.*q.* 1. Quod autem sua repetere non possint, facilè videtur probari. Ait enim Dominus, si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus. Quia ergo isti iter perfectionis arripiunt, non licet eis sua habere. Multò ergo minùs licet eis repetere quia nõ debet repeti quod possideri non licet.

Episcopi victus & supellex qualis esse debeat.

Dist. 41.*C. Episcopus.*) Episcopus vilem supellectilem & mẽsam ac victum pauperem habeat, & dignitatis suæ auctoritatem, fidei & vitæ meritis quærat, hospitium quoque non longè ab Ecclesiã habeat.

De habitu clericorum. Ex Concil. Carthaginen. I V.

Dist. 41.*C. Clericus.*) Clericus professionem suam & habitu & incessu probet, & ideo nec vestibus nec calceamentis decorem quærat.

De luxu sacerdotum. Hier.

Dist. 44.*C. Cum autem.*) Tibi ô sacerdos de altari viuere non luxuriari permittitur. Ibidem, quod non ebrietati vacare debeant, aut gulæ.

12.*q.*2. *Gloria Episcopi.*) Hier. ad Paulinũ. Crates ille Thebanus, homo quondam ditissimus, cùm ad philosophandum Athenas pergeret, magnũ auri pondus abiecit, neque putauit se posse & virtutes & diuitias simul possidere. Nos suffarcinati auro, Christum pauperem sequimur, & sub pretextu eleemosynæ pristinis opibus incubantes, quomodo possumus aliena fideliter distribuere, qui nostra timidè reseruamus?

De vestitu Clericorum.

21.*q.*4.*C. Omnis.*) Omnis iactantia & ornatura corporalis à sacrato ordine aliena est. Eos ergo Episcopos vel Clericos, qui se fulgidis & claris vestibus ornant, emendari oportet. Quod si in hoc permanserint, epitimio (id est), suspensioni vnius septimanæ, vt glossator habet, Epitimium dicitur increpatio, vel est genus pœnæ) contradantur, similiter & eos qui vnguentis vnguntur, &c. Ex V I I. Synodo.

Et mox. Priscis enim temporibus, omnis sacratus vir cum mediocri aut vili veste conuersabatur. Omne quippe quod non propter necessitatem suam, sed propter venustatem accipitur, elationis habet calumniam, quemadmodum magnus ait Basilius. Sed neque ex sericis texturis vestem quis variatam induebat neque apponebat variorum colorũ ornamenta in summitate vestimentorum, Audierat enim, quia qui in mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt.

Delicatulos principes Ecclesiæ eiiciendos in tenebras exteriores.

Dist. 35. *Ecclesiæ principes.*) Ecclesiæ principes, qui delitiis affluũt, & inter epulas atque lasciuias pudicitiã seruare se credunt, propheticus sermo describit, quod eiiciendi sunt de spatiosis domibus, lautisque cõuiuiis, & multo labore epulis conquisitis. Et si vis scire quò eiciendi sunt propter malas cogitationes & opera sua, Euangelium lege. In tenebras scil. exteriores, vbi erit fletus & stridor dentiũ. Annon confusio & ignominia est, Iesum crucifixum, pauperem & esurientem, fartis prædicare corporibus, & ieiuniorum doctrinam rubentes buccas, tumentiaque ora proferre? Si in Apostolorũ loco sumus, non solùm sermonem eorum imitemur, sed etiam conuersationem & abstinentiam.

Quinam Ecclesiam faciant speluncam latronum? Origenes.

16.*q.*7. *Et hac diximus.*) Nunc autem arbitror templum Dei ex lapidibus viuis constructũ esse Ecclesiam Christi. Sunt autem multi in eã, non sicut condecet spiritualiter viuẽtes, sed secundùm carnem militantes, qui & domum orationis de viuis lapidibus constructã, faciunt esse speluncam latronum actibus suis, non Ecclesia Dei digni, sed spelunca latronum. Qui enim considerat, in multis Ecclesiis talium Christianorum peccata, arbitrantes quæstum esse pietatem, & cùm deberent de Euangelio viuere, secundùm quod decet viuere seruos Dei, hoc non faciunt, sed diuitias & multas possessiones acquirunt: nonne dicet speluncam latronum factam esse sub illis Ecclesiam? &c.

Capvt XXVI.

De fornicatione Sacerdotum.

Pudicos esse debere sacerdotes.

Dist. 43, *C. Pudicus*) Pudicus quoque debet esse sacerdos, vt & moribus & verbis pudorem indesinenter exhibeat. Vnde in Canticis Canticorum, Genæ sponsæ, id est, prædicatores, turturi comparantur.

Fornicarios in sacerdotium non recipiendos.

1.*q.*7.*Si quis omnem.*) Et si in fornicationem lapsus est aliquos post baptismum, in sacerdotium non recipitur, canones enim hoc prohibent. Si quis verò cum hoc peccato ad sacerdotium prouectus est, cognitus degradetur.

De pœnã sacerdotum fornicantium. Ex Can. Apostolorum.

Dist. 81.*C. Si quis Episcopus.*) Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, post diaconii acceptum gradũ fuerit fornicatus aut mœchatus, deponatur, & ab Ecclesia proiectus inter laicos agat pœnitentiam

Officium fornicariorum non audiendum. Greg.

Dist. 81.*C. Si qui.*) Omnibus per regnum Italicum & Theutonicorũ. Si qui sunt Presbyteri, Diaconi vel Subdiaconi, qui in crimine fornicationis iaceant, interdicimus eis ex parte Dei omnipotẽtis, & S. Petri authoritate, Ecclesiæ introitum, vsque

dum

dum pœniteant & emendent. Si qui verò in peccato suo perseuerare maluerint, NVLLVS VESTRVM EORVM PRÆSVMAT AVDIRE OFFICIVM, quia benedictio eorum vertetur in maledictionem, & oratio in peccatum, testante Domino per Prophetam, Maledicam, inquit, benedictionibus vestris. Qui verò huic saluberrimo præcepto obedire noluerint, idololatriæ peccatum incurrent, Samuele testante, & B. Greg. instruente.

Clericos solos cum mulieribus versari aut miscere sermones non debere.

Dist. 81. *C. Clericus.*) Clericus solus ad fœminæ tabernaculum non accedat, neque properet sine maioris natu sacerdotis iussione. Nec solus Presbyter cum solâ fœminâ fabulas misceat. Nec Archidiaconus sub prætextu humilitatis aut officii frequenter intret domicilia matronarum, aut fortè per clericos aut domesticos matronæ mandet aliquid secretè. Si agnitum fuerit, & ille deponatur, & illa à liminibus Ecclesiæ arceatur.

Non esse audiendam Missam Presbyteri concubinam habentis.

Dist. 32. *C. Nullus.*) Nullus Missam audiat Presbyteri; quem scit concubinam indubitanter habere, aut subintroductam mulierem. Hæc Nicol. Papa omnibus Episcopis scribit.

Et mox C. Præter. Alexander II. Præter hoc autem præcipiendo mandamus, vt nullus Missam audiat Presbyteri quem scit concubinã habere indubitanter, vel subintroductã mulierem. Vnde etiam sancta Synodus hoc capitulum sub excommunicatione statuit dicens, Quicunque Sacerdotũ, Diaconorũ, Subdiaconorum post constitutum beatæ memoriæ prædecessoris nostri sancti Leonis Papæ & Nicolai, de castitate clericorum, concubinam palam duxerit, vel ductam nõ reliquerit, ex parte omnipotentis Dei, & authoritate Principum Apostolorũ Petri & Pauli præcipimus, & omninò contradicimus, vt Missas non cantet, nec etiam Euangeliũ legat, neque epistolam ad Missam, neque in presbyterio cum his ad diuina officia, qui præfatæ constitutioni obedientes fuerint, maneat, neque partem ab Ecclesiã suscipiat.

Clericos mulieres secum non debere habere, nisi fortè matres, aut sorores, aut alias, quæ non possint esse suspectæ. Ex Nic. Concilio.

Dist. 32. *C. Interdixit.*) Interdixit per omnia sancta synodus, non Episcopo, non Presbytero, non Diacono, non Subdiacono, non alicui omninò qui in clero est, licere subintroductam habere mulierem, nisi fortè aut matrem aut sororem, aut amitam, aut etiam eas idoneas personas, quæ fugiant suspiciones.

Et mox. Item Hieronymus. Hospitiolum tuum, aut rarò aut nunquam mulierum pedes terant. Quia non potest toto corde cum Deo habitare, qui fœminarum accessibus copulatur, fœmina conscientiam secum pariter habitantis exurit. Nũquam de mulierũ formis disputes. Fœminæ nomen tuum nesciant. Fœminam quam benè videris conuersantem, mente dilige, non corporali frequentiâ. Si bonum est, mulierem non tangere, malum ergo est tangere.

Dist. 81 *C. Oportet.*) Gregorius Neque enim hoc silere debeo, quod cum graui animi tristitiâ & amaritudine dico. Sacerdotes cum fœminis habitare conspicio, quod nefarium est dicere vel audire, & contra sanctorũ Canonũ sancita. Vbi enim talis fuerit cõmorantiũ cohabitatio, antiqui hostis stimuli non desunt.

Itẽ. C. Volumus. Symmachus. Volumus vt sacerdotes prohiberi debeant, ne cũ mulieribus conuersentur, exceptâ duntaxat matre vel sorore vel vxore, quæ castè regenda est.

Et mox C. Legitur.) Legitur quòd B. Aug. nec cum sorore cohabitare consenserit, dicens: Quæ cum sorore meâ sunt, sorores meæ non sunt.

Item *C. In omnibus.*) Certè solum ad solam accedere, nulla religionis ratio permittit.

Item ex Concil. Carthaginen. *C. Cum omnibus*) Cum omnibus omninò clericis extraneæ fœminæ non cohabitent, &c.

Item ex Concil. Toletano. *C. Quidam.*) Clerici legitimum non habentes coniugium, extranearum mulierum vel ancillarum suarum (quæ interdicta sunt) consortia appetunt. Ideò quæcunque clericis taliter coniunctæ sunt, ab Episcopo auferantur & venundentur, illis pro tempore relegatis ad pœnitentiam, quos suâ libidine infecerunt.

Item. C. *Fœminas.*) Siricius Papa. Fœminas nõ alias in domo clericorũ esse patimur, nisi eas tantùm, quas propter solas necessitudinis causas habitare cum eis Synodus Nicena permisit.

De pœna sacerdotum, ex quibus infantes procreantur. Innocentius.

Dist. 81. *C. Proposuisti.*) Proposuisti quid de his obseruari debeat, quos in diaconii ministerio, aut in officio presbyterii positos, incontinentes esse aut fuisse, generati filii prodiderunt. De his etiam manifesta est diuinarum legum disciplina, & beatæ recordationis Siricii Episcopi monita euidentia commonstrarũt, vt incontinentes in officiis positi talibus, omni honore ecclesiastico priuarentur, nec admittantur ad tale ministerium, quod sola continentiâ oportet impleri.

Quæ pœnitentia imponenda sacerdoti fornicario. Ex Gangren. Concilio.

Dist. 82. *C. Presbyter.*) Presbyter si fornicationem fecerit, quanquam secundùm canones Apostolorum debeat deponi, tamen iuxta authoritatem B. Syluestri, si in vitio non perdurauer, si sponte confessus adiecit, vt resurgat, decem annis in [illegible] Tribus quidem mensibus [illegible] tantum [illegible] & præcipuis festis, modico vino, & pisciculis atque leguminibus recreetur sine carne, & sãguine, ouis & [illegible] humi adhæreat, die ac nocte mise[illegible] Finitis tribus mensibus [illegible] in publicum non procedat, ne grex fidelis [illegible] non debet sacerdos publicè [illegible] sicut laici. Postea aliquantisper viribus resumptis, [illegible] annum & dimidium in pane & aquâ expleat, &c. Vide [illegible]

De ipsis qui ferentibus fornicationem suorum clericorum. Gregor. VII

Dist. 83. *C. Si quis Episcopus*) Si quis Episcopus in fornicationẽ Presbyterorum, Diaconorum vel crimen incestus in suâ parochiâ pretio vel precibus interueniente consenserit, vel commissum authoritate officii sui non impugnauerit, ab officio suspendatur.

Et mox August. Episcopus qui talium crimina non corrigit, magis dicendus est canis impudicus quàm Episcopus.

De spuriis clericorum. Ex Concil. Tolet. IX.

15. *q.* 8 *Cum multæ*) Cùm multæ super incontinentiã ordinis clericorum hactenus emanauerint sententiæ Patrum, & nullatenus ipsorum firmari correctio morum quiuerit, vsque adeò sententiam iudicantium protraxere commissa culparum, vt non tantùm inferretur vltio in actores sceleris, verùm etiam in progeniem damnatorũ. Ideoque quilibet ab Episcopo vsque ad Subdiaconũ deinceps, qui vel ex ancillę vel ex ingenuæ detestãdo connubio in honore cõstituti, filios procreauerint, illi quidem ex quibus geniti probabuntur, canonicâ censurâ damnentur. Proles autem alienâ pollutione nata, nõn solùm hæreditatem nunquam accipiet, sed etiam in seruitutem eius Ecclesiæ, de cuius sacerdotis vel ministri ignominiâ nati sunt, iure perenni manebunt.

De pœnâ sacerdotum, cum filiabus spiritualibus (hoc est; his, quas vel baptizarunt, vel quæ illis confessæ sunt) rem habẽtium.

30. *q.* 1. *Si quis.*) Si quis sacerdos cum filia spirituali fornicatus fuerit, sciat graue adulterium commisisse. Idcirco fœmina, si laica est, omnia derelinquat, & res suas pauperibus tradat, & conuersa in monasterio Deo vsque ad mortem seruiat. Sacerdos autem qui malum exemplum dedit hominibus, ab omni officio deponatur, & peregrinando duodecim annis pœniteat, postea verò ad monasterium vadat, ibique cunctis diebus vitæ suæ Deo seruiat.

Item. Non debet Episcopus aut Presbyter commisceri cum mulieribus, quæ ei sua fuerint confessæ peccata. Si fortè (quod absit) hoc contigerit, sic pœniteat, quomodo de filiâ spirituali, Episcopus quindecim annos, Presbyter duodecim, & deponatur, tamen si in conscientiam populi deuenerit.

Lapsos clericos non iterum in ordinem assumendos.

Dist. 50. Multis hoc agitur, quòd lapsi non debeant iterum in ordinem assumi. Item quòd post perpetratum homicidium sacerdotale officium administrari non possit.

Ibidem. C. *Peruenit.*) Gregor. Qui post acceptum sacrum ordinem lapsus in peccatum carnis fuerit, sacro ordine careat, & ad altaris ministerium non accedat.

Item. C. *Si post.*) Martinus Papa. Si post ordinationem suam quispiam in lapsum ceciderit, & si præuaricationis peccato fuerit deprehensus obnoxius, omnimodo prohibendus est cum manibus lutulentis atque pollutis mysteria nostræ salutis tractare.

Mox tamen diuersum probatur. Nam. C. *Ponderet.*) Calixtus Papa inter alia inquit: Errant itaque qui putant, sacerdotes post lapsum, si condignam egerint pœnitentiam, Domino non posse ministrare, & suis honoribus frui, si bonã deinceps vitam duxerint, & suum sacerdotium dignè custodierint. Et ipsi qui hoc putant, non solùm errant, sed etiam traditas Ecclesiæ claues despicere videntur, de quibus dicitur: Quodcunque solueritis super terram, erit solutum & in cœlo.

Presbyteros fornicantes minus ferendos quàm vxoratos. Ex Conc. Neocæsar.

Dist. 28. *Presbyter.*) Presbyter si vxorem duxerit, ab ordine deponi debet. Quòd si fornicatus fuerit, vel adulterium commiserit, extra ecclesiam abiici, & ad pœnitentiam inter laicos redigi oportet.

Concubinas sacerdotum non ferendas.

Dist. 27. *C. Presbyteris.*) Presbyteris, Diaconibus, & monachis concubinas habere, seu matrimonia contrahere penitus interdicimus.

Item *Dist.* 28. *C. Decernimus.*) Decernimus vt hi qui in ordine subdiaconatus & supra, vxores duxerint, aut concubinas habuerint, officio, atque ecclesiastico beneficio careant. Cùm enim ipsi templum & vasa Domini, sacrarium Spiritus sancti debeant esse & dici, indignum eos est cubilibus & immunditiis deseruire. Innocentij II.

Castitatem seruandam clericis.

Dist. 28. *C. Priusquam.*) Scribit Gregorius nobilibus ciuibus

Neapolitanis de Ioanne quodam qui filiam habebat paruulam, & tamen ab illis electus erat in Episcopum, & non vult eum confirmare, dicens, quòd nec ipsi eum eligere debuissent, nec ipse electioni consentire, cùm (filia teste) conuincatur corporis sui continentiam non habuisse.

Et mox. *C. De his.*) Subdiaconibus cùm ad diaconatum promoti sint, præcipitur, ne quando suæ sponsionis immemores, aut ad terrenas nuptias, aut ad furtiuos concubitus vltrò concurrant.

Capvt XXVII.

De coniugio, secundis nuptiis, & diuortio

De contemptoribus coniugij. Ex Concilio Gangrensi.

Dist. 30. *C. Si quis.*) Si quis propter Deum virginitatem professus, in coniugio positos per arrogantiam vituperauerit, anathema sit.

Ibidem. Si quis vel virginitatem, vel continentiam professus tanquam abominabiles nuptias iudicat, & non propter hoc solum, quòd continentiæ & virginitatis bonum sanctum prodositum sit, anathema sit.

Et paulò pòst ibidem. *C. Si quis.*) Si quis nuptias in accusationem duxerit, & mulierem fidelem, ac religiosam cum viro suo dormientem abominandam crediderit, aut etiam accusandam, tanquam non posse coniugatos in regnum Dei ingredi, anathema sit.

Item *Dist* 31. *C. Si quis.*) Ex Conc. Gangren Si quis vituperat nuptias, & dormientem cum viro suo fidelem, ac religiosam detestatur, aut culpabilem æstimat, velut quæ regnum Dei introire non possit, anathema sit.

Item, Quicumque virginitatem custodiens, aut continentiæ studens, vel vt horrescens nuptias, nec propter hoc quod bonum & sanctum est, nomen virginitatis assumit, anathema sit.

Secundas nuptias non damnandas.

Dist. 23. *C. Qui Episcopus.*) In examine Episcoporum inter alia requiritur etiam ab eo, si nuptias non prohibeat, si secunda matrimonia non damnet, si carnium perceptionem non culpet.

De secundis nuptiis. Chrysost.

31. *q.* 1. *Hac ratione*) Hâc ratione & Apostoli præceperunt secundas adire nuptias propter incontinentiam hominum. Nam secundam quidem accipere secundùm præceptum Apostoli licitum est. Secundùm autem veritatis rationem verè fornicatio est. Sed cùm permittente Deo publicè & licenter committitur, fit honesta fornicatio. Vide an sic de permissionibus diuinis loquendum sit?

Sed mox ibidem August. ad Pammachium, in Apologetico contra Iouinianum, *C. Aperiant.*) Aperiant quæso aures obtrectatores mei, & videant me secundas nuptias & tertias in Domino concessisse. Qui secundas & tertias nuptias non damnaui, primum potui damnare matrimonium?

Idem. Non damno bigamos, imò nec trigamos, & si dici potest, octogamos.

Idem. Ego nunc voce proclamo libera, non damnari in Ecclesia bigamiam, imò nec trigamiam, & ita licere quinto & sexto & vltra, quomodo & secundo marito rectè nubere.

Et mox. Deus masculum & fœminam propagandi generis causa nuptiali castitate coniunxit, & secundas nuptias, quæ in vtroque Testamento permittuntur licitas esse monstrauit.

Item ibidem. Quòd si dormierit vir eius, non dicit primus, vel secundus, vel quartus, nec nobis diffiniendum est, quod non diffiniuit Apostolus. Vnde nec vllas debeo damnare nuptias, nec eis verecundiam inferre numerositatis; Dominus autem septemuiram non damnauit.

23. *q.* 4. *Quod autem.*) Post mortem Saræ Abraham Cethuram duxit vxorem, ne secundùm August. Christiani putarent esse peccatum post mortem vxoris aliam ducere. Ex mox idem ex August. lib. 2. contra aduersarium Legis & Prophetarum.

Coniugium cum infidelibus non contrahendum.

28. *q.* 1. *Caue.*) Caue Christiane Gentili aut Iudæo filiam tuam tradere. Caue inquit Gentilem, vel Iudæam atque alienigenam, hoc est, omnem hæreticam & alienam à fide tua accipere tibi vxorem, &c.

Parentum consensum in nuptiis requiri.

30. *q.* 5. *Aliter.*) Aliter legitimum non fit coniugium, nisi ab his qui super ipsam fœminam dominationem habere videntur, & à quibus custoditur vxor petatur, & à parentibus & propinquioribus sponsetur, &c.

Et mox. Aliter verò præsumpta, non coniugia, sed adulteria, vel contubernia, vel stupra, aut fornicationes potiùs quàm legitima coniugia esse non dubitatur.

32. *q.* 2. *Non omnis.*) Gratianus. Paterno arbitrio fœminæ viris iunctæ carent culpa.

Et mox. Cùm ergo dicitur paterno arbitrio fœminæ iunctæ viris, datur intelligi, quòd paternus consensus desideratur in nuptiis, nec sine eo legitimæ nuptiæ habeantur, iuxta illud Euaristi Papæ. Aliter non fit legitimum coniugium, nisi à parentibus tradatur.

Item Ambrosius in lib. de Patriarchis. Honorantur parentes Rebeccæ muneribus, consulitur puella non de sponsalibus, illa enim iudicium expectat parentum, non est enim virginalis pudoris eligere maritum.

36. *q.* 2. *Placuit vt hi.*) Ex lib. 1. instit. de Nuptiis. Iustas autem nuptias inter se ciues Romani contrahunt, qui secundùm præcepta Legis coëunt: Masculi quidem puberes, fœminæ viri potentes, siue patresfamilias sint, siue filiifamilias, dum tamen filiifamilias consensum habeant parentum, quorum in potestate sunt. Nam hoc fieri debere, & ciuilis & naturalis rapio persuadet.

Pueros non esse matrimonio iungendos. Nicolaus Papa.

30. *q.* 2. *Vbi non est.*) Vbi non est consensus vtriusque, ibi non est coniugium. Ergo qui pueris dant puellas incunabulis, & è conuerso, nihil faciunt, nisi vterque puerorum, postquam venerit ad annos discretionis, consentiat. Nec est coniugium nisi sit consensus vtriusque, etiamsi pater & mater hoc voluerint & fecerint.

Non iudicem, sed crimen facere diuortium. Isidorus.

33. *q.* 2. *Quos Deus.*) Quos Deus coniunxit, homo non separet. Quæris quomodo? subaudi, violenter, sine lege, absque ratione, quos Deus coniunxit, homo non separet. Non enim homo separat quos pœna condemnat, quos reatus accusat, quos maleficium coarctat.

Sine culpa relinqui posse vxorem, quæ cùm fideli marito habitare non vult.

28. *q.* 1. *Vxor.*) Vxor legitimâ societate coniuncta, sine vlla culpa relinquitur, si cum viro Christiano permanere noluerit.

Et mox. Si aliquem cogat vxor sacrificare idolis, qui talem dimittit, causâ fornicationis eam dimittit, non tantùm illius, sed etiam suæ: Illius, quia fornicatur: suæ, ne fornicetur.

Item. Non solùm mœchatio est illius, quæ carnem suam coinquinat, sed etiam quæ simulachrum facit, mœchatur. Quòd si in his factis perseuerat, & pœnitentiam non agit, recede ab illa, & noli viuere cum illa. Sin autē, & tu particeps peccati illius eris.

Item ibidem. Ambr. Si infidelis, dicit Apostolus, discedit, discedat, non est seruituti subiectus frater, aut soror in huiusmodi, id est, si infidelis, noluerit esse cum coniuge fideli, hîc cognoscat fidelis suam libertatem, nec ita se subiectum putet seruituti, vt ipsam dimittat fidem, ne coniugem amittat infidelem.

Et mox ex August. Coniunx fidelis relinquere coniugem licitè potest infidelem.

Item 28 *q.* 2. *Si infidelis.*) Si infidelis discedit odio Christianæ fidei, discedat, non enim est frater, aut soror subiectus seruituti in huiusmodi, NON EST ENIM DIMISSO PECCATVM PROPTER DEVM, SI ALII SE COPVLAVERIT. Ergo post dimissionem alij se copulare licet.

Capvt XXVIII.

De Coniugio Sacerdotum.

Continentiam ministrorum altaris non fuisse semper.

Dist. 28. *C. de Syracusana.*) Gratianus confitetur tempore Neocæsariensis Concilij & Anchiritanæ Synodi nondum introductam fuisse continentiam ministrorū altaris. Item: Orientalem Ecclesiam non suscipere generale votum castitatis.

12. *q. Præcipimus.*) Sed notandum est Episcopos orientales vxores habere & filios.

Clericis licere vxores habere. Ex Concilio Toletano.

33. *q.* 2. *Placuit.*) Dicitur, quod clericis, si vxores ipsorum adulterium commiserint, liceat eas sine mortis acerbitate habere in custodia, & ad ieiunia eas cogere, non tamen vsque ad necem affligere. Ex quo sequitur manifestè, licere illis vxores habere.

Coniugatos olim fuisse Sacerdotes. Gratianus dicit.

Dist. 56. *C. Cœnomanensem.*) Cùm ergo ex sacerdotibus nati in summos Pontifices suprà legantur esse promoti, non sint intelligendi de fornicatione, sed de legitimis coniugiis nati, quæ sacerdotibus ante prohibitionem vbique licita erant, & in Orientali Ecclesia vsque hodie eis licere probatur.

De concubinis ducendis. Ambrosius.

33. *q.* 4. *Dicat aliquis.*) Præsta concubinæ tuæ libertatem & nomen vxoris, ne adulter sis potiùs verus, quàm maritus.

Vxoratus quidam in Episcopatum promotus.

Dist. 28. *C. De Syracusana.*) Quidam habēs vxorem & liberos à Pelagio PP. cùm non esset alius magis idoneus, intercedente Cethego patritio Prætore, confirmatur in Episcopatu Syracus.

Olim promotos subdiaconos non promissâ continentiâ.

Dist. 31. *C. Ante triennium.*) Hîc glossator dicit. Olim promouebantur Subdiaconi non promissâ continentiâ, & licitè vtebantur vxoribus & beneficiis. Posteà Pelagius prædecessor Gregorij statuit, vt vel contenti essent vxoribus tantùm, vel beneficiis tantùm. De quâ constitutione Gregor. facit mentionem 27. q. 2. Multorum. Posteà idem Pelagius aliam edidit consti

constitutionem, in qua præcisè prohibuit, vt Subdiaconi nullo modo commisceri debeant amodò vxoribus suis. Et illam constitutionem quidam Subdiaconi seruabant, quidam non. Sed quia illa constitutio fuit iniqua (N. quod ipsemet confitetur eam iniquam fuisse) retractatur à Gregorio loco prædicto, & statuitur, quòd si qui Subdiaconi non sunt non cogantur continere, nisi velint. Si qui alia in futurum sint ordinandi, non admittantur, nisi promittant continentiam.

Coniugatos Presbyteros non discernendos, nec ab eorum communione abstinendum. Ex Concilio Gangren.

Dist.28. C. Si quis discernit.) Si quis discernit Presbyterum coniugatum tanquam occasione nuptiarum, quòd offerre non debeat, & ab eius oblatione ideò abstinet, anathema sit.

Castitatem esse cum propria vxore concubitum, etiam in Episcopis & Presbyteris.

Dist.31. C. Nicæna Synodus.) Nicæna Synodus volens corrigere hominum vitam in Ecclesiis commorantium, posuit leges, quas canones vocamus. In quorum tractatu videbatur aliquibus introducere legem, vt Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, cum coniugibus, quas ante consecrationem duxerant, non dormirent. Surgens autem Paphnutius confessor contradixit. Honorabiles confessus nuptias, & castitatem, dicens esse cum propria coniuge concubitum. Suasit itaque Concilio, ne talem poneret legem, grauem esse asserens causam, quæ in ipsis, aut eorum coniugalibus occasio fornicationis existeret. Et hoc quidem Paphnutius (licet nuptiarum esset inexpertus) exposuit. Synodusque laudauit sententiam eius, & nihil ex hac parte sanciuit, sed in vniuscuiusque voluntate non necessitate permisit.

Propter religionem coniugium non deserendum esse. Ex Gangren. Concilio.

Dist.30. C. Si qua mulier.) Si qua mulier derelicto viro discedere voluerit, soluto vinculo coniugali, nuptias contemnendo, anathema sit.

Causâ religionis coniugia non soluenda esse.

27. q. 2. *Sunt qui dicunt religionis gratiâ coniugia debere dissolui.*) Verùm sciendum est, si hoc lex humana concessit, lex tamen diuina prohibuit. Per se enim Veritas dicit, Quos Deus coniunxit, homo non separet. Qui etiam ait, Non licet dimittere vxorem, exceptâ causâ fornicationis.

Et mox ex VIII. Synodo. Si quis coniugatus vult conuerti ad monasterium, non est recipiendus, nisi prius à coniuge castitatem profitente fuerit absolutus Nam si illo viuente illa per incontinentiam alteri nupserit, proculdubiò adultera erit, nec recipietur apud Deum eius viri conuersio, cuius sequitur coniugalis fœderis prostitutio.

Item August. Si tu abstines sine vxoris voluntate, tribuis ei fornicandi licentiam, & peccatum illius tuæ imputabitur abstinentiæ.

Vxorem propter religionem non contemnendam. Ex Canonibus Apostolorum.

Dist.28. C. Si quis.) Si quis docuerit Sacerdotem sub obtentu religionis propriam vxorem contemnere, anathema sit.

Dist 10. C. Lege.) B. Gregorius scribens ad Theotistam patritium ait inter cætera. Si religionis causâ coniugia debere dissolui dicantur, sciendum est, quia etsi hoc lex humana concessit, lex tamen diuina prohibuit.

Nubentes post votum etiam non esse separandos. August. in lib. de bono coniugali.

Dist 37. C. Quidam.) Quidam nubentes post votum asserunt adulteros esse, ego autem dico vobis, quòd grauiter peccant, qui tales diuidunt.

Et paulò antè ex Decreto Martini Papæ. Tanta est vis in Sacramento coniugij, quòd nec ex violatione voti potest dissolui ipsum coniugium.

Idem copiosè tractatur 27. q. 1. Nuptiarum, & obiectiones refelluntur.

Presbyteri & Diaconi nullo modo à legitimis dissoluantur vxoribus. Ex VI. Synodo.

Dist.31. C. Quoniam.) Quoniam in Romani ordine canonis esse cognouimus traditum, eos qui ordinati sunt Diaconi, vel Presbyteri, confiteri, quòd non suis iam copulentur vxoribus, antiquum sequentes canonem Apostolicæ diligentiæ, & Constitutiones sacrorum virorum, legales nuptias amodò valere volumus, nullo modo cum vxoribus suis eorum connubia dissoluentes, aut priuantes eos familiaritate adinuicem in tempore opportuno. Quicumque ergo diligens inuentus fuerit in Subdiaconali ordinatione, aut Diaconali, aut Sacerdotali, hi nullo modo prohibentur ad talem ascendere gradum, pro vxoris suæ cohabitatione, nec etiam tempore ordinationis suæ profiteri castitatem cogantur, quòd abstinere debeant à legalis vxoris familiaritate.

Deponendum eum qui aliquem Presbyterorum, aut Diaconorum priuare vult communione legalis vxoris.

Ibidem. Si quis igitur præsumpserit contra Apostolicos canones, aliquos Presbyterorum & Diaconorum priuare à contactu, & à communione legalis vxoris suæ deponatur.

Excommunicandum Presbyterum & Diaconum, vxorem religionis causâ expellentem.

Ibidem Similiter & Presbyter, aut Diaconus, qui religionis causâ vxorem suam expellit, excommunicetur, si verò in hoc permanserit, deponatur.

Subiungit his Gratianus. Hoc autem ex loco intelligendum est. Orientalis enim Ecclesia, cui VI. Synodus regulam viuendi præscripsit, votum castitatis in ministris altaris non suscepit, &c. Quasi non Apostolus omnibus dixerit, Episcopus sit vnius vxoris maritus, & Dominus Qui potest capere capiat.

De virginitate.

32. q. 1. Nuptiæ terram implent, virginitas paradisum. Sed mox Gratianus addit, Verùm hæc ad exhortationem, non ad necessitatem obseruandæ virginitatis refertur. Vnde Ambrosius ait:

Integritas corporis expetenda à nobis est. quam ego pro consilio suadeo, non pro imperio præcipio. Sola est enim virginitas, quæ suaderi potest, imperari non potest, res magis voti, quàm præcepti est.

Capvt XXIX.

De Monachis, Monialibus, & Claustris.

Monachos solitarios esse debere. Ex Nicænâ Synodo.

16. q. 1. *Placuit.*) Placuit omnibus residentibus in sanctâ Nicænâ Synodo, vt Monachorum conuersatio & vita secundùm etymologiam nominis ab omnibus discrepet. Monachus enim Græcè, Latinè singularis dicitur. Vnde Monachum per omnia singulariter agere oportet. Quamobrem firmiter & indissolubiliter omnes præcipimus, vt aliquis Monachus pœnitentiam nemini tribuat, nisi sibi inuicem, vt iussum est: mortuũ non sepeliat, ni monachum in monasterio secum commorantem, vel si fortuitu quenquam aduenientiũ fratrũ ibi mori contigerit.

Ibidem. Si cupis. Hieron. ad Paulinum. Si cupis esse quod diceris, monachus, id est, solus, quid facis in vrbibus? quæ vtique non sunt solorum habitacula, sed multorum, &c.

Abbates etiam ostiario subesse debere. Ex Synodo Syluestri.

Dist. 93. C. A Subdiacono.) Abbates etiam ostiario subesse iubentur Dicitur enim ostiario Abbas, Abbati monachus in omni loco repræsentet obsequium.

Monachos Ecclesiasticis deseruire non posse. Gregor.

16. q. 1. *Nemo potest.*) Nemo potest Ecclesiasticis deseruire officiis, & in monastica regula ordinatè persistere. Et mox inde concludit Gratianus, quòd parochianis Ecclesiis monachi præfici non possint.

Et mox.] Hier. ad Piparium & Desiderium. Monachus non docentis, sed plangentis habet officium, ne vel se vel mundum lugeat, & Domini pauidus præstoletur aduentum.

Item. C. Adiicimus. Leo Papa, Adiicimus illud etiam, quod nobis propter improbitatem quorundam monachorum religionis vestræ verbis mandatis, per Vicarios vestros hoc specialiter statuentes, vt præter Domini Sacerdotes nullus audeat prædicare, siue monachus, siue laicus ille sit, qui cuiuscumque scientiæ nomine glorietur.

Item. C. Hinc est etiam. Hier. contra Vigilantium. Monachus non Doctoris, sed plangentis habet officium. Et ad Heliodorum. Alia causa est monachi, alia clerici.

Et mox. Monachos verò vsque ad tempus Eusebij, Zosimi & Syricij monachos simpliciter & non clericos fuisse, Ecclesiastica testatur historia.

Monasteria olim fuisse scholas, ex quibus ministri sumpti. Hieronym.

16. q. 1. C. *Sic viue.*) Sic viue in monasterio, vt clericus esse merearis. Multo tempore disce quæ postmodum doceas. Et inter bonos semper sectare meliores. Quòd si populus vel Episcopus te in clericum elegerit, age ea quæ clerici sunt.

Et paulò antè ibidem. C. De Præsentium. Faciat autem Deus, vt tales sint hi, vel qui à nobis in isto habitu nutriuntur, vel in monasteriis crescunt, perfectâ ætate & vitâ probatâ, non ad litigiorum Officia, sed ad Sacerdotium valeant promoueri.

Abbates & Monachos nihil proprij habere. Ex Synodo VIII.

Dist.54. C. Abbati.) Abbati vel Monacho Monasterij seruum non licebit facere liberum. Qui enim nihil proprium habet, libertatem rei alienæ dare non potest.

Monachos lucri gratiâ de monasterio non debere egredi. Eugenius Papa.

16. q. 1. *Placuit communi.*) Placuit communi nostro Concil. vt nullus monachorum pro lucro terreno de monasterio exire nefandissimo ausu præsumat. Neque pœnitentiam dare, neque filium de Baptismo accipere, neque baptizare, neque infirmum visitare, neque mortuum sepelire, neq; ad Ecclesiam secularem transire, neq; aliis qualibuscunque negotiis sese implicare. Sic claustro suo contentus, quia sicut piscis sine aquâ caret vitâ, ita sine monasterio Monachus. Sedeat itaque solitarius & taceat, quia mundo mortuus est, Deo autem viuit. Agnoscat nomen suum. Monos enim græcè, latinè est vnus. Achos græcè, latinè

eſt triſtis. Vnde dicitur Monachus, id eſt, vnus triſtis. Sedeat ergo triſtis,& officio ſuo vacet.

Item paulò ante, C.ſi cupis. Quem ſenſeris tibi aut ſemper aut crebrò de nummis loquentem (exceptâ eleemoſynâ, quæ indifferenter omnibus patet) inſtitorem potiùs habeto quàm Monachum.Præter victum & veſtimentum & magnas neceſſitates,nihil cuiquam tribuas,ne filiorũ panem canes comedant.

Monachos debere laborare

De Con D ſt.5.Nunquam de manu.) In deſideriis eſt omnis otioſus. Ægyptiorum monaſteria hunc ordinem tenent, vt nullum abſque opere & labore ſuſcipiant, non tam propter victus neceſſaria,quàm propter animæ ſalutem, ne vagentur pernicioſis cogitationibus,& ad inſtar fornicantis Hieruſalem omni tranſeunti diuaricent pedes ſuos.

Carnem Monacho guſtare non licere.

Ibidem.Carnem.) Carnem cuiquam Monacho nec guſtandi nec ſumendi eſt conceſſa licentia.

Monachis non licere ad fœminas accedere.

18.q.2.Peruenit.) Neque commatres ſibi facere, neque ad fœminas accedere monacho licet.

Epiſcopos monaſteria frequenter viſitare, & corrigenda corrigere debere.Ex Concilio Agathen.

18.q.2.Non ſemel) Non ſemel, ſed ſæpiùs in anno Epiſcopi viſitent monaſteria Monachorum, & ſi aliquid corrigendum fuerit,corrigatur.

Duplicia monaſteria fieri non debere. Ex VII.Synodo.

18.q 2. Diffinimus.) Diffinimus minimè duplex monaſterium fieri,quia ſcandalum,id eſt, offendiculum multis efficitur.

Et iterum.C.In nullo loco.Ex Regiſtro Gregorii.Monachos & Monachas non debere cohabitare ſimul,ſed & duplicia monaſteria tollenda.

Item ex Concilio Agathen. Monaſteria puellarum longiùs à monaſterio monachorum, aut propter inſidias diaboli, aut propter oblocutionem hominum collocentur.

Quâ ætate virgines ſacra velanda & conſeruandæ ſint.

20.C.q.1.Iuuenculas.) Ante ſexageſimum ætatis ſuæ annum virgines non conſecrentur.

Et mox ex Concil. Carthaginen. III. Sanctimoniales ante annum quadrageſimum non velentur.

Item ex Cõcil Aphricano IV.Placuit vt ante vigintiquinq; annos nec diacones ordinentur,nec virgines conſecrentur.

Item Pius Papa.Virgines non velentur ante vigintiquinque annos.

De Monialibus,& hi quicum illis ſcortantur.Gregor.

27.q.1.Si qua.) Si qua Monacharum,vel per antiquiorem licentiam, vel per impunitatis prauam conſuetudinẽ ad lapſum adulterii deducta fuerit,aut in ſtupri fuerit deducta voraginẽ, hanc,poſt competentis ſeueritatẽ vindictæ,in aliud diſtrictius monaſterium virginum in pœnitentiâ volumus redigi,vt illic orationibus & jejuniis vacet,& ſic pœnitendo proficiat,& metuendum cæteris arctioris diſciplinæ præſtet exemplum.Is autem qui cum hujuſmodi fœminis in aliquâ fuerit iniquitate repertus, omni communione priuetur,ſi laicus eſt,ſi verò clericus, à ſuo quoque remotus officio,pro ſuis continuò lugendis exceſſibus in monaſterium detrudatur.

Mulierem religionis gratiâ non tondendam. Ex Gangrenſi Concilio.

Diſt.30.C.Quæcunque.) Quæcunque mulier religioni judicans conuenire,comam ſibi amputauerit, quam Deus ad velamen ejus,& ad memoriam ſubjectionis illi dedit,tanquam reſoluens jus ſubjectionis,anathema ſit.

De his qui aſtu circumuenti in Monaſteria detruſi ſunt. Ex Concilio Moguntien.

16.q.7.Conſtituit.) Conſtituit ſanè ſacer iſte conuentus, vt Epiſcopi ſiue Abbates, qui non in fructum animarum,ſed in auaritiam & turpe lucrum inhiantes, quoſlibet homines circumueniendo totonderunt,& res eorum tali perſuaſione ſurripuerunt,pœnitentiæ canonicæ, vtpote turpis lucri ſectatores ſubjaceant. Hi vero qui illecti comam depoſuerunt, in eo quod ceperunt perſeuerare cogantur,res vero eorum hæredibus reddantur.

Pertruſi in monaſteria preter voluntatem,non retineantur.

20.q 1.C.Sicut qui.) Extra voluntatem propriam retruſi, in monaſteriis non retineantur.

Non licet nouos ordines conſtituere.

Ne nimia religionis diuerſitas grauem in Eccleſiam Dei cõfuſionem inducat,firmiter prohibemus, ne quis de cætero nouam religionem inueniat: Sed quicunque ad religionem conuerti voluerit, vnam de approbatis aſſumat. Similiter qui voluerit religoſam domum de nouo fundare,regulam & inſtitutionem accipiat de approbatis. Cur ergo Ieſuitarum & aliorum quorundam ordines poſteriùs ſunt inuenti?

Hoc decretum eſt in Concilio generali Lateranenſi,ſub Innocentio 3.anno 12.15.Et citatur à Gregorio in Decret.lib.3. De Religioſis domibus.Et appenditur.

Illud etiam prohibemus ne quis in diuerſis monaſteriis locum monachi habere præſumat, NEC VNVS ABBAS PLVRIBVS MONASTERIIS PRÆSIDERE.

CAPVT XXX.

De Iejunio.

De pœnit.Diſt.5.C.Sint tibi.) Sint tibi quotidiana jejunia, & refectio ſatietatem fugiens. Nihil enim prodeſt tibi biduo vel triduo transmiſſo vacuum portare ventrem, ſi poſt pariter obſtruatur.

Et mox C.Sint tibi jejunia pura, continua moderataque, id eſt,quotidie eſurire,& quotidie prandere.

Item.C.Nihil enim prodeſt homini jejunare & orare,& alia religionis bona agere,niſi mens ab iniquitate, & ab obtrectationibus prohibeatur.

Item. C. Non mediocriter. Nonne rationabiliter homo dignitatem amittit, qui vel jejunium charitati,aut vigilias præfert ſenſus integritati?

Item.C. Iejunium. Iejunium autem magnum & generale eſt abſtinere ab iniquititabus, & ab illicitis voluptatibus ſeculi. Quod eſt perfectum jejunium in hoc ſeculo.

12.q.2.Gloria Epiſcopi.) Hier.ad Paulinum.Plenus venter facilè de jejuniis diſputat.

Diſt.4.C.In iſtis.) Teleſphorus inſtituit, vt non à carnibus modò,ſed & à deliciis clerici abſtinerent.Et additur ibi. Quoniam moribus vtentium hoc approbatum non eſt,aliter agentes,trangeſſionis nos non arguit.

Et mox. C. Sacerdotes. Cæterùm piſcium eſus ita Chriſtiano relinquitur,vt hoc ei infirmitatis ſolatium non luxuriæ pariat incendium. Denique qui à carne abſtinent, nequaquam ſumptuoſiora marinarum belluarum conuiuia præparent. Vinum quoque ita bibere permittitur,vt ebrietatem omninò fugiamus,alioquin reſtat,vt omnia quæ corporibus libent, ſimiliter faciamus.

Diſt.13. C. Qui Epiſcopus.) Ab Epiſcopo in examine illius etiam requiritur,ſi carnium perceptionem non culpet.

De pœnitentiâ Diſt.3 C.Nihil.) Nihil prodeſt homini jejunare & orare, & alia religionis opera facere,niſi mens ab iniquitate reuocetur.

De jejunio ſuperſtitioſo. Auguſt de Doctrinâ Chriſt.

Diſt.41.C. Quiſquis.) Quiſquis rebus prætereuntibus reſtrictiùs vtitur, quàm ſeſe habent mores eorum cum quibus viuit,aut intemperans aut ſuperſtitioſus eſt. Quiſquis verò ſic eis vtitur, vt metas conſuetudinis bonorum,inter quos verſatur,excedat, aut aliquid ſignificat, aut flagitioſus eſt. Vide ibidem plura.

CAPVT XXXI.

De Confeſſione auriculari.

Confeſſionem auricularem non eſſe ad ſalutem neceſſariam multis authoritatibus Gratianus probat. De pœnitentiâ. Diſt.1. mox ab initio ſic ſcribens.

Sunt qui dicunt, quamlibet criminis veniam ſine confeſſione factâ Eccleſiæ & ſacerdotalis judicio poſſe promereri, juxta illud Ambroſii ſuper Lucam:Petrus doluit & fleuit, quia errauit vt homo.Non inuenio quid dixerit,ſcio quòd fleuit,lachrymas ejus lego,ſatisfactione non lego.

Item Chryſoſt. Lacrymæ lauant delictum, quod pudor eſt confiteri.

Item propheta. Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus,cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.

Item Dauid.Dixi confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei. Quod Auguſt. exponens ait, Magna pietas Dei,vt ad ſolam promiſſionem peccata dimiſerit. Nondum pronuntiat ore, & tamen Deus jam audiuit in corde, quia ipſum dicere quaſi quoddam pronuntiare eſt.Votum enim pro opere reputatur.

Et aliquanto pòſt. Scindite, Scindite corda veſtra, & non veſtimenta, oſtendens contritionem cordis, quæ in eiuſdem ſciſſione intelligitur,non in confeſſione oris (quæ pars eſt exterioris ſatisfactionis, quam ſciſſuram veſtium nominauit,à patre totum intelligens)peccata dimitti.

Hinc etiam per eundem prophetam ait, dicens: Conuertimini ad me in toto corde veſtro,& ego conuertar ad vos,conuerſio autem dicitur,quaſi cordis vndique verſio. Si autem cor noſtrum vndique à malo ad Deum vertitur,mox ſuæ conuerſionis fructum meretur, vt Deus ab irâ ſuâ ad miſericordiam conuerſus,peccati præſtet indulgentiam, cuius primò præparabat vindictam. Vnde, intelligi datur quòd etiam ore tacente veniam conſequi poſſumus. Hinc etiam leproſi illi, quibus Dominus præcepit vt oſtenderent ſe ſacerdotibus, in itinere, antequam ad ſacerdotes venirent,mundati ſunt. Ex quo facto nimirum datur intelligi, quòd antequam ſacerdotibus ora noſtra oſtendamus, id eſt, peccata confiteamur, à leprâ peccati mundamur, &c. Vide ibidem plura.

Ibidem

Ibidem. C. Omnis. Non ergo in confessione peccatum remittitur, quod iam remissum esse probatur. Fit itaque confessio ad ostensionem pœnitentiæ, non ad impetrationem veniæ. Et sicut circumcisio data est Abrahæ in signum iustitiæ, non in causam iustificationis, sic confessio sacerdoti offertur in signum veniæ acceptæ, non in causam remissionis accipiendæ.

Item. C. Verbum Dei. Verbum Dei dimittit peccata, sacerdos est iudex. Sacerdos quidem suum officium exhibet, & nullius potestatis iura exercet. Ibi Glossa addit. Iudex, id est, minister. Ministerio enim non authoritate habet dimittere.

Item. C. Quis aliqua. do. Chrysost. super epistolam ad Heb. Non dico tibi vt te prodas in publicum, neque apud alios te excuses (alias accuses) sed obedire te volo prophetæ dicenti: Reuela ante Deum viam tuam. Ergo tua confitere peccata apud Deum verum iudicem, cum oratione delicta tua pronuntia, non lingua, sed conscientiæ tuæ memoria, & tunc demum spera te misericordiam posse consequi.

In eandem tamen distinctionem Gratianus diuersas quoque collegit authoritates. Dicit enim C. Omnis. Alij è contra testantur, dicentes sine Confessione oris, & satisfactione operis neminem a peccato posse mundari, si tempus satisfaciendi habuerit. Tandem distinctionem hanc Gratianus his fermè verbis concludit: Quibus authoritatibus, vel quibus rationum firmamentis vtraque sententia satisfactionis & confessionis innitatur, in medium breuiter exposuimus. Cui autem harum potius adhærendū sit, lectoris iudicio reseruatur. Vtraque enim fautores habet sapientes & religiosos viros. Quibus verbis mox subiungit verba Theodori Cantuariensis Episcopi, qui vtramque quoque probat sententiam. Deo autem confiteri, perfectorum esse dicit.

De pœnit. Dist. 5. C.) In pœnitentiā. Glossator in margine dicit. Videndum est quando oris confessio sit instituta, vtrùm necessaria sit, vel tantùm voluntaria, qualiter sit facienda, & cui, & quando. Dicunt quidam institutam fuisse in paradiso, statim post peccatum, dicente Domino ad Adam, Adam, vbi es? Ideo enim quæsiuit, vt ipso confitente peccatum, daretur forma aliis in posterum confitendi. Sed quia in illâ interrogatione Dominus minùs expressè videbatur ad confitendum monuisse, ideo postea exquisiuit à Cain fratricidâ expressiùs, Vbi est Abel frater tuus? Alii dicunt quòd sub Lege fuit primò instituta, quando Iosue præcepit Achor crimen suum confiteri, & lapidatus est 45. Dist. Sed & illud. Alij dicunt quòd in Nouo Testamento à Iacobo dicente, Confitemini alterutrum peccata vestra, &c. SED MELIVS DICITVR eam institutam fuisse à quadam vniuersalis Ecclesiæ traditione potius, quàm ex noui vel veteris testamenti authoritate. Et traditio Ecclesiæ obligatoria est (vt præceptum art. 11. Dist. In his rebus.) Ergo necessaria est confessio in mortalibus apud nos, APVD GRÆCOS NON, QVIA NON EMANAVIT APVD ILLOS TRADITIO TALIS. Sicut nec conficiunt in azymis, sed in fermentatis. Illud ergo Iacobi, Confitemini alterutrum peccata vestra, fuit consilii primò, alioquin ligaret & Græcos, non obstante eorum consuetudine.

CAPVT XXXII.

De Feriis.

De die Dominico.

De Con. Dist. 3. C. Peruenit.) Aliud quoque ad me perlatum est vobis à peruersis hominibus esse prædicatum, vt Dominico die nullus debeat lauari. Et quidem si pro luxuria & pro voluptate quis lauari appetit, hoc fieri nec reliquo quolibet die concedimus. Si autem pro necessitate corporis, hoc nec die Dominico prohibemus.

Et mox infra C. Ieiunia. Die autem Dominica nihil aliud agendum est, nisi Deo vacandum, nulla operatio in illa die sancta agatur, nisi tantùm hymnis & Psalmis & canticis spiritualibus dies illa transigatur.

De feriis humanis.

24. q. 1 Odi & proieci.) Hieronymus Odit autem Deus, & non solum odit, sed proiicit festiuitates eorum, qui non celebrant festiuitates Dei sed suas.

De saltationibus in diebus festis.

De Con. Dist. 3. C. Irreligiosa.) Irregiliosa consuetudo est, quam vulgus per sanctorum solennitates & festiuitates agere consueuit. Populi qui debent diuina officia attendere, saltationibus turpibus inuigilant, cantica non solùm, mala canentes, sed etiam religiosorum officiis perstrepunt. Hoc enim vt ab omnibus prouinciis repellatur, sacerdotum & iudicum à Concilio sancto curæ committitur.

CAPVT XXXIII.

De eleemosynis & oblationibus ex rebus iniuste acquisitis.

14. q. 5. Quod verò.) Quod verò eleemosynæ non sint faciendæ ex fœnore vel vsuris, nec quolibet male acquisito, Augustinus testatur in lib. de Verbis Domini Tract. 35. Nolite velle eleemosynas facere de fœnore & vsuris.

Item Augustinus. Immolans ex iniquo, oblatio est maculata. Dona iniquorum non probat altissima, nec respicit in oblationibus iniquorum, nec in multitudine sacrificiorum eorum propitiabitur peccatis. Qui offert sacrificium de substantia pauperis quasi qui victimat filium in conspectu patris sui.

Item C. *Denique.* Denique si non potest subueniri alteri, nisi alter lædatur, commodius est neutrum iuuari, quàm grauari alterum.

Item C. *Scriptum est.* Scriptum est. Victimæ impiorum abominabiles sunt Deo. Vota iustorum placabilia. Neque enim in omnipotentis Dei iudicio quid, sed à quo detur, inspicitur. Hinc est enim quod scriptum est, Respexit Deus ad Abel & ad munera eius, ad Cain autem & ad munera eius non respexit. Dicturus quippe quia Dominus respexit ad munera, præmisit sollicitè, quia respexit ad Abel. Ex qua re patenter ostēditur, quia non offerens à muneribus, sed munera ab offerēte placuerunt. Dona quippe iniquorum non probat altissimus, nec respicit in oblationibus eorum, nec in multitudine sacrificiorum propitiabitur peccatis eorum.

1. q. 1 Non est putanda.) Leo Siagrio Episcopo. Non est putanda eleemosyna, si pauperibus dispensetur, quod ex illicitis rebus acquiritur, quia qui hac intētione mala accipit, vt benè dispenset, grauatur etiam potius quàm iuuatur. Vnde etiam certū est quia & si monasteria vel xenodochia, vel aliquid aliud ex pecunia, quæ pro sacris ordinibus daturi cōstruantur, non proficit mercedi. Ne ergo sub obtentu eleemosynæ cum peccato aliquid studeamus accipere prohibet scriptura, dicens: Hostiæ impiorum abominabiles sunt Domino, quæ offeruntur ex scelere. Quicquid enim in Dei sacrificio ex scelere offertur, omnipotentis Dei non placat iracundiam, sed irritat. Hinc rursum scriptum est: Honora Deum de tuis iustis laboribus. Qui ergo malè tollit, vt quasi benè præbeat, constat, quia sine dubio Dominum non honorat. Hinc quoque per Salomonem dicitur: Qui offert sacrificium de substātia pauperis, idem est ac si victimet filium in cōspectu patris. Quantus autem dolor sit patris, perpendamus, si in eius cōspectu filius victimetur, & hinc facilè cognoscitur, quantus apud Deum dolor exasperatur, quando ei sacrificium ex rapina tribuitur.

CAPVT XXXIV.

De peregrinationibus religionis ergò, & locis sacris.

12. q. 2. Gloria Episcopi.) Hieronymus ad Paulinum. Non Hierosolymis fuisse, sed Hierosolymis bene vixisse, laudandum est.

Dist. 40. C. Non est facile.) Hieron. Non sanctorum filii sunt, qui tenent loca sanctorum, sed qui exercent opera eorum.

Et mox Gregorius. Nos qui præsumus, non ex locorum vel generis dignitate, sed morum nobilitate innotescere debemus, nec vrbium claritate, sed fidei puritate.

Idem Anastasio Presbytero. Non loca vel ordines creatori nostro nos proximos faciunt, sed nos aut merita bona ei cōiungunt, aut mala disiungunt.

Item Ambrosius ibidem. Extra paradisum, hoc est, inferiori loco, vir factus melior inuenitur: & illa quæ in meliori loco, hoc est, in paradiso facta est, inferior inuenitur.

Item Gregorius Loth in ipsa peruersa ciuitate fuit iustus, in monte peccauit.

Et mox. Quid enim paradiso iucundius, quid cœlo securius? & tamen homo ex paradiso, & angelus de cœlo peccando cecidit.

Item Chrysost. ibidem. Multi sacerdotes, & pauci sacerdotes multi nomine, & pauci in opere. Videte ergo fratres quòmodo sedetis super cathedram, quia non cathedra facit sacerdotem, sed Sacerdos Cathedram. Non locus sanctificat hominem, sed homo sanctificat locum. Non omnis Sacerdos sanctus, sed omnis sanctus Sacerdos. Qui bene sederit sui Cathedram, honorem accipit, qui malè sederit, iniuriam facit cathedræ, ideoque malus Sacerdos de Sacerdotio suo crimen acquirit, non dignitatem.

Caput XXXV.

De Sepulturâ, purgatorio, & defunctorum exequiis.

Nihil prodesse Sepulturas & exequias operosas.

13. *q.*2. *Animæ.*) Curatio verò funeris, conditio Sepulturæ, pompa exequiarum, magis sunt viuorum solatia, quàm subsidia mortuorum. Si aliquid prodest impio Sepultura pretiosa, oberit pio vilis aut nulla.

Nihil referre vbicunque sepeliamur.

13. *q.*2. *Vbicunque.*) Chrysost. in epist. ad Heb, Vbicunque sepeliamur, Domini est terra & plenitudo eius.

Sacra loca impios defunctos nihil iuuare.

13. *q.*2. *Quibus peccata.*) Augustin. Quibus peccata dimissa non sunt, à sacris locis post mortem adiuuari non possunt quia quo peccata grauiora deprimunt, si in Sacris locis se sepeliri faciunt, restat vt de sua præsumptione iudicentur, quia eos sacra loca non liberant, sed de culpâ temeritatis accusant.

Et mox Gregorius Quos peccata grauia deprimunt, ad maiorem cumulum damnationis potiùs, quàm ad solutionem eorum corpora in Ecclesiis ponuntur.

De Sepulturis nihil exigendum esse.

13. *q.*2. Quæritur, an pro sepulturâ mortuorum aliquid sit exigendum? tibi inter alia. C. Questa est. Gregor. in Registro Ianuario Episcopo Sardinæ scribit.

Questa est nobis Neteida fœmina clarissima, quòd ab ea solidos pro filiæ suæ Sepultura fraternitas vestra velit exigere. Hoc autem vitium & nos, postquàm Deo authore ad Episcopatus honorem accessiemus, de Ecclesia nostra omnino vetuimus, & per prauam denuo consuetudinem nequàquam vsurpari permisimus, memores quia dum Abraham à filiis Ephron: hoc est, à filiis Seor, Sepulchrum pretio ad humandum corpus coniugis postularet, pretium accipere renuit, ne commodum de cadauere videretur consecutus. Si ergo tantæ considerationis paganus vir fuit, quantò magis nos qui Sacerdotes dicimur, hoc facere non debemus? Vnde, hoc auaritiæ vitium, ne in alienis denuo tentari præsumatur, admoneo. Sed si quando aliquem in Ecclesia vestra sepeliri conceditis, siquidem parentes ipsius, proximi, vel hæredes, pro luminaribus sponte quid offerre voluerint, accipere non vetamus. Peti verò aut aliquid exigi omnino prohibemus, ne quòd valdè irreligiosum est, aut venalis, quod absit dicatur Ecclesia, aut vos de humanis videamini mortibus gratulari, si ex eorum cadaueribus studeatis quærere quolibet modo compendium.

Ibidem. Ex Concilio Triburiensi. Quid terra terram vendis? Memento quòd terra es, & in terram reuerteris. Et alibi de homine dictum est, Terram teris, terram geris, & in terram conuerteris, qui de terra sumeris. Domini est terra & plenitudo eius, non hominis.

Item ex Concilio Varen. Præcipiendum est secundum canonum authoritatem, vt de sepulchris & hominibus sepeliendis nihil muneris exigant.

De purgatorio igne.

27. *q.*1. *C. Impuditus.*) Pœnitentia purificatorius vocatur ignis. Et est Canon Concilij Triburiensis.

Defunctos ignorare res nostras.

13. *q.*2. *Qui diuina.*) De mortuis autem quæritur, vtrùm sciant ea quæ à viuis geruntur. Esaias ex persona populi afflicti ait, Abraham pater noster nesciuit.

Augustinus quoque in libro de agenda cura pro mortuis illud idem testatur, dicens. C. *Fatendum est* (Fatendum est nescire quidem moortuos quid hîc agatur dum hîc agitur. Postea verò audire ab eis qui hinc ad eos moriendo pergunt, non quidem omnia, sed quæ sinuntur etiam isti meminisse, & quæ illos, quibus hæc indicantur, oportet audire, &c

De exequiis. August. in lib de Curâ pro mortuis agenda.

13. *q.*2. *Non æstimemus.*) Corpori humano quicquid impenditur, non est præsidium salutis, sed humanitatis officium.

Orationes viuentium defunctis non prodesse. Hier.

13. *q.*2. *In præsenti.*) In præsenti seculo scimus, siue orationibus siue consiliis inuicem posse nos adiuuari, cùm autem ante tribunal Christi venerimus, nec Iob, nec Daniel, nec Noë rogare posse pro quodam, sed vnumquemque portare onus suum.

Quod defuncti non possint nec excommunicari, nec absolui.

24. *q* 2. *Quòd autem.*) Quòd autem post mortem nullus excommunicari valeat vel absolui, ex verbis Euangelij monstratur, quibus dicitur: Quodcunque ligaueris super terram, &c. Super terram inquit, non sub terrâ, &c.

Et mox. C. *Legatur*) Gelasius Papa Mortuos suscitasse. Christum legimus, in errore mortuos absoluisse non legimus. Et quia hoc tantùm faciendi solus habuit potestatem, beato Petro Apostolo principaliter mandauit: Quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis, & quodcunque ligaueris super terram, &c. Super terram, inquit: nam in ligatione defunctum nunquam dixit absoluendum.

Caput V.

De Modo componendi controuersias, quæ nobis intercedunt cum iis qui Lutherum sequuntur ducem.

Precepta.

Modus componendi controuersias, quæ nobis intercedunt cum iis qui Lutherum sequuntur ducem, est potissimùm triplex. Aut enim ex sacris literis, aut ex orthodoxâ antiquitate siue D d. Ecclesiæ, aut ex propriis Lutheri & Lutheranorum scriptis depromuntur argumenta anasceuastica & catasceuastica.

Nos vltimum modum delineabimus hoc loco.

Regulæ.

I. Optima ratio tollendi controuersias inter nos & Lutheranos est, si confessiones nostrarum Ecclesiarum harmonicè conferantur cum confessione Augustana: & insuper ex scriptis Lutheri & præcipuorum Lutheranorum confirmetur orthodoxa sententia.

Prius illud præstitum est ab eo qui edidit insigne opus, quod inscribitur *Harmonia Confessionum.* Posterius accuratè præstitit, *Neodorpius in Luthero orthodoxo.*

II. Nos Lutherani quantum ad fundamentum religionis consentimus.

Fatemur enim vtrinque solum CHRISTVM θεάνθρωπον esse mediatorem merito & efficaciâ, ita vt in nullo alio salutis particula quæri debeat, aut inueniri possit. *Act.*4 12. Sed jam adferamus syllogen præcipuarum controuersiarum in quibus Lutherus & Lutherani stant à nostris partibus.

I. *Chemnitius in suo Enchiridio*, de prædestinatione scribit, quòd electio, seu propositum gratiæ, efficiens causa sit omnium eorum, quæ ad salutem pertinent. Idem scribit *Lutherus prologo Gerem super epist. Rom* originaliter nempe fluere ex prædestinatione, quinam credere vel non credere saluari vel non saluari debeant.

II. *Lutherus exposit cap.*1. *epist Hebr in Postillâ pag.*72. de persona Christi sic scribit: Humana Christi natura æquè ac alius homo non semper cogitauit, locuta est, voluit, aut obseruauit omnia, quomodo videmus nonnullos ex ipso facere hominem omnipotentem, adeoque imprudenter confundere naturas.

III. *D. Iacobus Andreæ libello de S. Cœnâ excuso Tübingæ anno* 1557: Sic ergo, *inquit*, propone tibi Christum, vt caro ipsius non extendatur per omnia loca, vel ex vno loco in alterum vagetur, sed stet ad dextram Patris, & ibi præbeat tibi carnem & sanguinem suũ &c. *Idem libello, Cur Missam non debeat frequentare Christianus* ita scribit: Manducamus corpus Christi in cœlis, coram facie Patris cœlestis. Nam ex cœlò, & in cœlo Christus nobis dat suam carnem.

IV. *Ioannes Pappus commentario in Augustanam confessionem* de fidelium liberis ita docet: sunt fidelium liberi in fœdere Dei, etiam ante baptismum. Sed tamen promissio illa & fœdus requirunt omnino vt tales baptizentur.

V. *Tilemanus Heshusius comment in epist. Rom.* de induratione scribit hanc in sententiam: Pharaonis cor indurat Deus dum ei lucem & spiritum subtrahit, denegat, & potenter retinet, vt non possit nec intelligere, nec eligere veritatem: immittit ei spiritum furoris & amentiæ, vt spontè ruat in perniciem. Idem docet *Formula Concordiæ pag.*451.

VI. *Chemnitius harm. l.*2. *pag*, 83. de merito Christi ait: Sicut herba ægro non medetur, nisi rectè vsurpetur & applicetur: ita virtus passionis Christi sufficiens est ad tollenda peccata totius mundi, sed illis solis prodest, qui agnum hunc recipiũt.

VII. *Lutherus de seruo arbitrio cap.* 152. de lapsu Adami ita scribit: Cur permisit Adam ruere, cùm potuisset illum seruare? Deus est, cuius voluntatis nulla est causa, nec ratio, quæ illi ceu regula & mensura præscribatur.

VIII. *Idem d. l. cap.* 46. de absoluto Dei iure sic pronuntiat.

tiat: Superant hæc nimis captum rationis, nec captiuare etiam se potest, vt credat, bonum esse Deum, qui talia faciat & iudicet, sed seclusâ fide, palpare, & videre, & comprehendere vult, quomodo sit bonus, & non crudelis. Comprehenderet verò tunc, quando sic de Deo diceretur: Neminem indurat, neminem damnat: sed omnibus miseretur, omnes saluos facit: vt destructo inferno, positoque metu mortis, nulla pœna formidaretur futura. Ideo sic æstuat & contendit, vt Deum excuset & defendat, iustum & bonū. Sed fides & spiritus aliter iudicant, qui Deum bonum credunt, etiamsi omnes hómines perderet.

IX. *Idem d.l.cap.* 109. *&* 116. quomodo Deus velit & non velit omnes homines saluos fieri, sic docet: Vult omnes seruari, voluntate reuelatâ, seu verbo prædicato: non vult omnes, voluntate arcanâ & imperscrutabili. Multa siquidem facit Deus, quæ verbo suo non ostendit nobis. Multa quoque vult, quæ verbo suo non ostendit sese velle. *Hunnius explicat controu. E.* 2. Vult, *inquit*, omnes seruari, voluntate appobante; non vult omnes, voluntate decreti.

X. *Augustana Confess. tit. de numero & vsu Sacramentorum* disertè docet, fidem requiri in vsu Sacramentorum: Nos docemus, quòd in vsu Sacramentorum fides debeat accedere, quæ credat illis promissionibus, & accipiat res promissas, quæ ibi in Sacramento offeruntur. Et est ratio plana & firmissima. Promissio est inutilis nisi fide accipiatur. At Sacramenta sunt signa promissionum. Igitur in vsu debet accedere fides.

XI. *Lutherus in cantione sua* Dis sind die heiligen zehn gebott partitionem decalogi retinet, quæ est Deut. 5.

Huiusmodi multa possunt adferri ex scriptis Lutheri & Lutheranorum, quæ faciunt ad stabiliendam concordiam, apud nos nempe, qui spiritu Christi reguntur.

PERORATIO THEOLOGIÆ POLEMICAE.

ITa ergo delineauimus Theologiam Polemicam. Neque enim fusè illam tradere siuit breuitatis studium, quod nobis cordi est in hac Encyclopædia. Et verò controuersiæ Theologicæ possunt facilè iudicari ex regulis positiuis & didacticis præcedentis sectionis: itémque ex capitibus Catecheticis. Colophonis loco teneatur *Confessio Græcorum*, quæ illo ipso tempore ad nos fuit missa, quo hæc meditabamur.

CONFESSIO FIDEI

REVERENDISSIMI DOMINI CYRILLI PATRIARCHÆ Constantinopolitani.

Scripta Constantinopoli. Anno 1629.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.

CYrillus Patriarcha Constantinopolitanus, sciscitantibus intelligere de Religione Ecclesiæ Orientalis, id est Græcæ, quid credamus videlicet, quidque sentiamus de Articulis Orthodoxæ fidei, nomine omnium Christianorum communiter, exponit breuem istam confessionem, vt sit in testimonium coram Deo & totâ Ecclesiâ, sine simulatione, sed bonâ conscientiâ.

Credimus vnum verum Deum omnipotentem & infinitum, trinum in personis. Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum. Patrem ingenitum, Filium genitum à Patre ante secula, Patri consubstantialem, Spiritum Sanctum à Patre per Filium procedentem, eandem habentem essentiam, quam Pater & Filius: istas tres personas in vna essentia appellamus Sacrosanctum Trinitatem, semper benedicendam, glorificandam atque ab omni creaturâ adorandam.

Credimus Scripturam sacram esse θεοδίδακτον, habereq; authorem Sp. Sanctum non alium, cui habere debemus fidem indubitatam. Scriptum enim est, habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benè facitis attendere, quasi lucernæ splendenti in caliginoso loco. Præterea eius authoritatem esse superiorem Ecclesiæ authoritate, nimis enim differens est, loqui Spiritum sanctum, & linguam humanam, cùm ista possit per ignorantiam errare, fallere, & falli, scriptura verò diuina nec fallitur, nec errare potest, sed est infallibilis semper & certa.

Credimus Deum Optimum Maximum ante originem mundi suos electos ad gloriam prædestinâsse, sine respectu ad illorum opera, nullamque causam impulsiuam ad istam electionem aliam esse, nisi beneplacitum & diuinam misericordiam, similiter ante constitutionem huius seculi, reprobasse, quos reprobauit, cuius reprobationis si respexeris absolutum ius Dei, voluntatem Dei esse causam, si autem ius ordinatum respexeris, iustitiam Dei esse causam, misericors nam est Dominus & iustus.

Credimus Deum Trinum, Patrem, Filium, & Sp. Sanctum esse creatorem visibilium: & inuisibilium: Inuisibilia vocamus Angelos, visibilia cœlum, & quæ sub cœlo, & quia bonus est creator naturâ, omnia creauit bona, nec vnquam malum potest facere, & si quid malum est, illud est diaboli & hominis. Debet enim esse nobis certa regula quòd Deus non est autor mali, nec culpa iustâ ratione potest ei imputari.

Credimus omnia gubernari per Dei prouidentiam, quam adorare & non inuestigare debemus, cùm sit supra captum nostrum, neque rationes ipsius possimus certè à nobismetipsis intelligere: in quâ materiâ sentimus silentium, in humilitate potius amplexandum, quàm plura loqui, quæ non ædificant.

Credimus primum hominem à Deo creatum cecidisse in paradiso, quia neglecto diuino præcepto, serpentis fraudulento obtemperauit consilio, indeque originale pullulasse peccatum posteritati, ita vt nemo secundùm carnem nascatur, qui non portet hoc pōdus, fructúsque suos in hâc vitâ non sentiat.

Credimus Filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum se exinanisse, h.e. in suâ hypostasi humanam assumpsisse naturam, Spiritu S. conceptum, factumque hominem in ventre semper Virginis Mariæ, natumque, passum, sepultum, & resurrectione glorificatum, salutem & gloriam omnibus fidelibus peperisse, quem expectamus venturū viuos & mortuos iudicare.

Credimus Dominum nostrum Iesum Christum sedere in dextrâ Patris, ibique pro nobis interpellare & intercedere solum officio fungentem veri & legitimi Pontificis & Mediatoris, indeque solum curam gerere suorum, & præesse Ecclesiæ, ipsam variis benedictionibus ornando, & fœcundando.

Credimus sine fide neminem posse saluari. Fidem autem eam vocamus, quæ est in Iesu Christo iustificans, quam vita & mors Christi Domini peperit, Euangelium prædicat; & sine quâ nemo potest placere Deo.

Credimus Ecclesiam, quæ vocatur Catholica, fideles in Christo continere vniuersaliter, qui vel defuncti in patriâ sunt, vel adhuc in viâ peregrinantur, cuius Ecclesiæ caput, quia homo mortalis esse nullâ ratione potest, ipse Dominus noster Iesus Christus solus caput est, ipseque clauum totius regiminis Ecclesiæ in manu tenet, sed quoniam in viâ particulares Ecclesiæ visibiles sunt, & in ordine vnaquæque habet vnum primum, ipsum non esse propriè vocandum caput particularis illius Ecclesiæ, sed impropriè & hoc, quia in ipsâ est membrum principale.

Credimus membra Ecclesiæ Catholicæ esse sanctos ad vitam æternam electos, à quorum consortio excludi hypocritas, quamuis in particularibus Ecclesiis mistæ cum tritico paleæ inueniantur.

Credimus Spiritu sancto sanctificari & doceri Ecclesiam in viâ, ipse enim est verus Paracletus, quem mittit Christus à Patre vt doceat veritatem, tenebrasque excutiat à mentibus fidelium. Certum enim est, quòd Ecclesia in viâ errare potest, falsum pro vero eligendo, à quo errore solius Spiritu sancti lumen & doctrina nos liberat, non mortalis hominis, quamuis mediante operâ ministrantium Ecclesiæ hoc possit fieri.

Credimus hominem iustificari per fidem non ex operibus, Cùm autem dicimus per fidem, intelligimus fidei correlatiuum, quod est iustitia Christi, quam fides apprehendit, nobisque applicat ad salutem, hoc autem optimè, sinéque operum præiudicio stare cognoscimus, nam & opera non esse negligenda, esseque media necessaria, & fidei nostræ testimonia, ad vocationis nostræ confirmationem, veritas ipsa nos docet. Ipsa vero per se esse sufficientia, hominem saluare, in tribunalique Christi comparere posse vt ex condigno salutem retribuant, hoc esse falsum, testatur humana fragilitas; at Christi iustitia applicata resipiscentibus, sola iustificat atque saluat fidelem.

Credimus liberum arbitrium in non renatis esse mortuum, quia nil benè possunt facere, & quicquid faciunt esse peccatum, in renatis verò esse per gratiam Spiritus sancti arbitrium excitatum, & operatur quidem, sed non sine gratiæ auxilio. Ergo vt homo faciat bonum, præuenit gratia arbitrium, quod sine gratiâ inuenitur esse vulneratum, vt à latronibus ille qui descendebat ab Hierusalem, ita vt nihil ex se vel possit, vel faciat.

Credimus Euangelica Sacramenta esse in Ecclesiâ, quæ Dominus instituit in Euangelio, & ipsa esse duo: ampliorem numerum Sacramentorum non habemus, quia institutor non plura tradidit. Porro constare verbo & elemento, esséque sigillacula promissionum Dei, & conferre gratiam non dubitamus, vt autem Sacramentum sit integrum, opus esse vt concurrat res terrena & actio externa, cum vsu rei terrenæ à Christo Domino instituto, atque cum verâ fide coniuncto, quia fidei defectus præiudicat integritati Sacramenti.

Credimus Baptismum esse Sacramentum à Domino institutum, quem nisi quis susceperit, communionem non habet cum Christo, cuius ex morte, sepulturâ, & gloriosâ resurrectione pro

ne promanat tota virtus & efficacia Baptismi, ideo eâ formâ quâ Dominus præcepit in Euangelio Baptizatis, certi sumus quod remittantur peccata tum originale, tum actualia, ita vt quiqui abluti fuerint in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. regenerati, mundati, atque iustificati sint. De iteratione autem non habemus mandatum, vt iteretur baptismus, ideo abstinendum esse ab hoc inconuenienti.

Credimus alterum Sacramentum à Domino institutum, esse illud, quod vocamus Eucharistiam. Nocte enim quâ tradebat semetipsum, accipiens panem & benedicens dicebat Apostolis, accipite & manducate, hoc est Corpus meum, & accepto calice gratias agens dicebat, bibite ex hoc omnes, hic est Sanguis meus, qui pro multis effunditur, hoc facite in meam commemorationem, & addit Paulus, quotiescumque enim comederitis panem hunc & calicem hunc biberitis, mortem Domini annunciabitis. Ista est simplex, vera & legitima huius mirabilis Sacramenti institutio, in cuius administrationem præsentiam veram realem Christi Domini confitemur & profitemur. At illam quam fides nobis offert, non autem quam excogitata docet transsubstantiatio. Credimus enim fideles Corpus Christi manducare in cœnâ Domini non dente materiali terendo, sed animæ sensu percipiendo, cùm Corpus Christi non sit illud quod oculis in Sacramento sese offert, sed illud quod spiritualiter fides apprehendit, nobisque præbet, vnde verum est, si credimus manducamus & participamus, si non credimus omni fructu destituimur: consequenter calicem bibere in Sacramento esse Sanguinem verum Domini nostri Iesu Christi communicare, eo modo sicut & de corpore asseruimus, institutor enim sicut de suo Corpore, ita de suo Sanguine mandauit, quod mandatum nec lacerari nec mutilari debet pro libitu humani arbitrij, imo seruari debet institutio prout nobis tradita est. Vbi ergo participauerimus dignè, & communicauerimus integrè Corpus & Sanguinem Christi in Sacramento, fatemur esse iam nos reconciliatos, capiti nostro vnitos, & συσσώμους, cum certa spe, & cohæredes futuros in regno.

Credimus defunctorum animas esse vel in beatitudine vel in damnatione, prout quisque gesserit, migrantes enim ex corporibus illicò vel ad Christum, vel in infernum migrare, quia qualis vnusquisque in morte inuenitur, talis iudicatur, post hanc vitam nulla est facultas resipiscentiæ, in hac vita tempus est gratiæ: ideo qui hîc iustificantur, nullam amplius posthac subibunt pœnam, qui autem non iustificati moriuntur, in pœnas destinantur æternas. Ex quo patet commentum de purgatorio non esse admittendum, sed in veritate statuendum, vnumquemque debere in hoc seculo resipiscere, remissionemque peccatorum per Dominum nostrum Iesum Christum impetrare, si saluus esse voluerit. Et hîc finis sit.

Compendiosam istam confessionem nostram futuram coniecturamus in signum contradictionis apud illos, quibus placet nos calumniari & iniustè persequi. At nos confidimus in Domino nostro Iesu Christo, & speramus quòd causam suorum fidelium non relinquet, neque virgam malignorum super sortem iustorum.


Data in Constantinopoli in Patriarchatu, mense Martio Anno 1629.

Cyrillus Patriarcha Constantinopolitanus.

Descripta fuit hæc copia ex autographo, quod propria Reuerendissimi Domini Patriarchæ Cyrilli manu, quam optimè cognosco, scriptum penes me manet, & per me facta collatione, eam cum hoc ipso de verbo ad verbum conuenire, attestor.

Cornelius de Haga, Confœderatarum Belgicarum Prouinciarum pro tempore apud Portam Ottomannici Imperatoris Orator

METHODVS THEOLOGIÆ POLEMICÆ.



QVINTA SECTIO THEOLOGIÆ.

In quâ traditur

THEOLOGIA CASVVM.

CAPVT I.

De Casibus conscientiæ in genere.

PRÆCEPTA.



THeologia Casuum est doctrina soluens casus siue quæstiones conscientiæ.

Casus conscientiæ est scrupulus, siue dubium, de quo conscientia sine informatione iudicium suum ritè instituere non potest.

Casus iste consideratur in genere, & in specie.

Casus conscientiæ in genere spectatur ratione conscientiæ, & modi soluendi.

Conscientia hominis spectatur in formâ, & gradu suo.

Modus soluendi casum conscientiæ cernitur in fundamento & applicatione.

REGVLÆ.

I. *De conscientiâ sunt hæ regulæ.*

1. *Quòd sit conscientia docent sacræ litteræ, vniuersalis experiëtia, & cõsensus omnium gentium.* Sacræ literæ id docent imprimis Rom. 1. & 2. Experientia vniuersalis cernitur in piorum gaudiis, 1. Ioh. 3. 21. & impiorum terroribus, Rom. 2. 15. Consensus omnium gentium est in variis dictis: quale est illud *Menandri*, Βροτοῖς ἅπασιν ἡ συνείδησις θεός.

Et istud *Ciceronis pro Milone:* Magnam vim habet conscientia in vtramque partem, vt semper pœnam ante oculos versari putent, qui peccauerint, & nihil timeant, qui nihil admiserint. Quò pertinet illud *Ouidij* 1. *Fast.*

Conscia mens vt cuique sua est, ita concipit intra
Pectora, pro facto spemque metumque suo.

2. *Conscientia ita est dicta, quasi cum alio scientia.* Est enim cõscientia ordinatio scientiæ ad aliquem actum, qui reuocatur ad legem iudicii Dei, qui tribunal aliquod in cordibus nostris erexit. Ille primum scit, quid prescripserit & probauerit nec ne: deinde nos ex testimonio cordis nostri conscimus. Vnde conscientia quibusdam dicitur q. cordis scientia: aliis q. concludens scientia. Sed prima notatio est potior: vt patet ex Græco συνείδησις. 3. *Conscientia tribus modis sumitur, perinde vt scientia.* Sicut enim *scientia* est id, quo scimus, nempè intelle-

ctus qualitas, & ipſum ſcire, & aliquando pro eo ſumitur, quod ſcitur: ita & *conſcientia* eſt facultas mentis, vel actio ipſa ſeu τὸ conſcire, quod hoc vel illud rectè aut ſecus fieri poſſit, vel fiat, vel factum ſit, aut non: denique eſt id, quod conſcimus. Hinc patet, conſcientiam non eſſe in voluntate, ſed in intellectu. 4. *Conſcientia eſt facultas intellectus practici, quæ principia actionum ex lumine naturæ vel Scripturæ applicat ad aliquod factum.* 5. *Duo concurrunt actus intellectus in conſcientiâ.* Vnus præcedit opus faciendum, & non tantùm eſt cognitiuus, ſed etiam motiuus, quia mouet & inclinat animum ab bonum proſequendum vel fugiendum. Hunc alij vocant actum practicum. Hoc reſpectu conſcientia coiungitur ſuperiori lumini rationis, ſeu habitui inſito, qui appellatur ſynteresis. Alter actus ſequitur opus jam factum. Eſt enim judicium de tali opere, vtrum ſit bonum vel malum, quo judicio fit applicatio ſcientiæ, ſeu legis, ad ipſum opus jam factum. Alij vocant hunc actum ſpeculatiuum. Et quoad hunc actum conſcientia differt à ſynteresi. *Nam ſynteresis* eſt habitus primorum principiorum practicorum, & nunquam poteſt errare, ſemperq; ſuppeditat propoſitionem in ſyllogiſmo practico: At conſcientia eſt facultas vel actus rationis practicæ, & interdum aberrat, ſemperque format aſſumptionem & concluſionem in ſyllogiſmo practico. 6. *Duo ſunt ſumma conſcientiæ genera maximè propria: conſcientia recta & erronea.* Conſcientia recta eſt, quæ conformis eſt legi aut Euangelio: *erronea*, quæ ad legis aut Euangelij normam non congruit. 7. *Duo ſunt ſumma conſcientiæ genera minus propria; conſcientia bona & mala.* Nam bonitas & malitia non eſt in ipſâ conſcientiâ, ſed in actionibus, quæ efficiunt vt homo habeat conſcientiam bonam vel malam: Itaque conſcientia dicitur recta & erronea, denominatione intrinſecâ; bona & mala, denominatione extrinſecâ. Eſt enim conſcientia bona, læta & tranquilla cogitatio cordis, de rebus noſtris iuxta legem aut Euangelium rectè geſtis. E contrario mala conſcientia eſt terrifica cogitatio cordis de rebus noſtris malè adminiſtratis. 8. *Conſcientia dubia, opinabilis & ſcrupuloſa in theſi eſt indifferens; in hypotheſi eſt erronea.* Nam *conſcientia dubia* eſt, quæ de opere aliquo nihil certi iudicat, ſed ſuſpenſa hæret: *opinabilis*, quæ probabiliter judicat, partem alteram honeſtam eſſe in aliquo opere, cui & aſſentitur, timet tamen, ne fortè & altera pars contraria honeſta ſit: *ſcrupuloſa* eſt, cùm quis in quæſtione ad actionem pertinere vni parti adhæret, ſed motus rationibus leuibus ab actione deterretur, & ſic veluti perpetuâ animi anxietate torquetur. 9. *Conſcientiæ actiones ſeu propriæ operationes ſunt obligare vel mitigare, ſeu impellere ad agendum vel depellere & reuocare ab agendo, teſtificari, accuſare vel excuſare.* Hinc itaque eſt ordo. *Primò* cùm intellectus practicè iudicat aliquid faciendum vel omittendum eſſe, quia legi eſt conforme vel non, conſcientia dicitur obligare ſeu inſtigare, vel retrahere. Obligat autem conſcientia non per ſe, ſed ratione legis. Lex enim propriè obligat: conſcientia, tanquam præco legis. *Deinde*, cùm intellectus poſt opus jam factum ſpeculatiuè judicat de eo, an bonum ſit vel malum, tunc teſtificari dicitur. *Tertiò*, cùm opus patratum eſt conforme legi, conſcientia excuſat, laudat, commendat, ſolatur: cùm verò opus eſt contra legem, conſcientia accuſat, reprehendit, mordet. 10. *Conſcientiæ rectæ fundamentum eſt lex & Euangelium. Lex*, inquam, naturæ, & poſitiua, eaq; tum diuina, tum humana, quatenus nempe conſentit cum lege naturæ. Itaque lex naturæ & diuina obligat conſcientiam immediatè; humana, mediatè. *Euangelium* obligat conſcientiam immediatè: conſcientiam dico hominis vocati, cuius aures circumſonat vox Euangelij. 11. *Conſcientia recta obligat ſimpliciter; erronea, ſecundùm quid.* Ita ſi conſcientia erronea inſtiget ad faciendum rem indifferentem, quam putat eſſe diuinitùs præceptam, tunc contra illam conſcientiam non eſt faciendum, licet id quod fit, præceptum non ſit. 12. *Conſcientia dubia eſt talis ſpeculatiuè vel practicè. Speculatiuè*; cùm quis extra actionis exercitium dubius eſt, an actio illa ſit illicita: vt, an liceat hoſtem prodere. *Practicè*; cùm quis in ipſo actionis exercitio dubitat, an rectè agat vel ſecus: vt, ſi quis prodendo hoſtem, dubitet, an rectè faciat. Si conſcientia ſit dubia practicè, neminem obligat, donec dubitationem deponat, & ex juſtis rationibus ſtatuat hanc vel iſtam rem licere. Fieri tamen poteſt, vt quis in dubio ſpeculatiuè dubitet, practicè tamen ſit certus de re aliquâ, & tunc non peccat: vt dubitare aliquis poteſt, an hoc bellum ſit licitum, cùm tamen certus ſit in praxi, ſibi licitum eſſe militare in hoc bello, vtpote quod à Principe ſuo geritur. 13. *Conſcientia opinabilis non obligat, cùm opinio planè eſt improbabilis.* Nam judicium practicum, quod ei innititur, eſt temerarium. Si verò improbabilem opinionem aliquis habeat pro probabili, tunc eſt conſcientia erronea. *Non etiam obligat*, cùm opinio nititur ſola pluralitate ita ſentientium. *At obligat*, quando opinionem aliquam ob cauſas probabiles pro verâ habes. 14. *Conſcientia ſcrupuloſa non obligat.* Nec enim nititur vllâ ſiue certâ ſiue probabili ratione. Igitur deponenda eſt & certis remediis exuenda: videlicet ardentibus precibus, ſeriâ pœnitentiâ, contemptu ludibrij Satanæ, conſilio bonorum & doctorum virorum, & ſimilibus. 15. *Septem ſunt modi & genera malæ conſcientiæ. 1. conſcientia cauteriata*, hoc eſt, reſecta per malitiam, & velut ſtigmate indelebili notata. 2. *conſcientia nimis laxa*; cùm quis enormia tantùm ſcelera vitat, leuioribus autem ſecurè indulget. 3. *conſcientia perverſa*; cùm quis peccata minima, vel etiam nulla, pro magnis habet, maxima pro nullis. 4. *conſcientia peri[illegible]*; cùm ne quidem maxima peccata curantur, ſed pertinaciâ miſericordiæ Dei obliterantur. 5. *conſcientia nimis arcta*; cùm quis ob frequentes lapſus de miſericordiâ Dei deſperat, ac proinde in iniquitate pergit. 6. *conſcientia perplexa*, cùm quis inter duo peccata hæret, neſcius vtrum eligere debeat, cùm neutrum ſit eligendum. 7. *ſcrupuloſa conſcientia*; cùm quis metuit ſe in ſingulis actibus peccare. 16. *Bona conſcientia acquiritur & conſeruatur vitæ innocentiâ & pœnitentiâ.* Illa facit, ne vulneretur conſcientia: hæc ſanat vulneratam. Vtraq; nititur ſatisfactione Ieſu Chriſti. Nam ſolus Chriſti ſanguis emundat conſcientias noſtras. 17. *Indicia bonæ conſcientiæ ſunt vitæ innocentia, pœnitentia, gaudium in Domino, & obſequium verbi Dei.* Hinc itaq; aliquis poteſt ſcire, an habeat bonam conſcientiam. 18. *Indicia malæ conſcientiæ ſunt perſeuerantia in peccatis, & peccati palliatio atq; imitatio.* Malam itaq; conſcientiam habent, qui ſunt ex numero apertè ſceleratorum, aut ſcientes volentes malè agunt ſub ſpecie recti, aut ad exemplum vulgi. 19. *Chriſtianos oportet vel imprimis habere conſcientiæ rationem.* Nam Deus conſcientiæ puritatem nobis mandauit; & ſancti Angeli delectantur operibus bonis, quæ pariunt bonam conſcientiam; & diaboli opera impediuntur, ſi ſtudeamus immaculatam ſeruare conſcientiam; deniq; amiſsâ bonâ conſcientiâ amittuntur omnia bona, videl. fides, exercitia fidei, ſolatium fortitudo in aduerſis, tranquillitas vitæ, & ἰσθανασία. 20. *Conſcientia vulneratur per peccata, quæ fiunt ex malitiâ: ſanatur vniuerſaliter per ſanguinem Chriſti; particulariter per bona opera.* Ratio primi eſt; quia peccata infirmitatis non fiunt contra conſcientiam, ſed ſolum peccata malitiæ. Ratio ſecundi eſt; quia Chriſtus alienâ culpâ contriſtatam habuit conſcientiam. Ideo ſola ejus paſſio idoneum eſt remedium ad ſananda conſcientiæ noſtræ vulnera, Hebr. 9. verſu. 14. Iohan. 1. v. 29. Matth. 26. v. 38. Ratio tertii eſt, quia ſanguis Chriſti nos ita mundat à peccatis, vt non ſolùm juſtificemur, ſed etiam magis ac magis ſanctificemur. 21. *Conſcientia in homine non prorſus poteſt extingui: ſæpiſsimè tamen quoad actum impeditur.* Ratio prioris eſt; quia conſcientia eſt lumen naturale in homine. Ratio poſterioris eſt; quia conſcientia ſæpè non facit officium, quòd impediatur violentiâ morbi, vi affectuum, occæcatione mentis, ignoratione voluntatis Dei, obſtinatione, & ſimilibus. 22. *Forma conſcientiæ* in homine eſt, quòd eſt facultas mentis ſeu rationis practicæ, in quâ manifeſtum eſt tribunal Dei: *gradus* variant ſecundùm ſtatum innocentiæ, miſeriæ, gratiæ, & gloriæ. Et ſtatus miſeriæ eſt miſeriæ vel inchoatæ in hâc vitâ, vel conſummatæ in inferno. *In ſtatu innocentiæ* conſcientia erat recta & bona naturaliter: *in ſtatu miſeriæ inchoatæ* conſcientia eſt aliquatenus recta, maiori tamen ex parte erronea: *in ſtatu miſeriæ conſummatæ* conſcientia eſt erronea & mala tantùm: *in ſtatu gratiæ* eſt recta & bona vniuerſaliter & particulariter, ſed ita vt ſubinde interpelletur rectitudo & bonitas particularis: *in ſtatu gloriæ* eſt perfectè recta & bona.

II. *Fundamentum ſolutionis in caſibus conſcientiæ eſt verbum Dei.*

Fundamentum ſolutionis in caſibus conſcientiæ.

Nam Deus in verbo ſuo conſcientiam in quâuis actione format, informat, vrget, cogit, vt ita dicam, & impellit, vt quid faciendum aut omittendum ſit, judicet, vel factum accuſet aut excuſet. Porrò verbum Dei complectitur legem & Euangelium. Itaque ſola lex non obligat conſcientiam: etſi vſitatè ſolius legis fiat mentio. Vbi cogitandum eſt illud vulgatum: Vnius incluſio non eſt alterius excluſio. Item: Excluſiua non excludit concomitantia, ſed repugnantia.

III. *Applicatio fundamenti, id eſt, verbi Dei, in ſoluendis caſibus conſcientiæ fit in miniſterio verbi: vbi ex parte miniſtri opus eſt concione legis & Euangelij, ex parte peccatoris, opus eſt contritione & fide.*

Applicatio fundamenti in ſoluendis caſibus conſcientiæ.

Per legem tangitur vulnus: *per Euangelium* offertur medicina. *Per contritionem* ſentitur dolor: *per fidem* accipitur & applicatur medicina.

CAPVT II.

De Casibus conscientiæ circa primam Symboli partem.

PRÆCEPTA.

Casus conscientiæ in specie sunt circa quinque capita Catechetica, id est, circa Symbolum Apostolicum, Decalogum, orationem Dominicam, Baptismum, & cœnam Domini.

Casus conscientiæ circa Symbolum Apostolicum sunt circa primam, secundam, vel tertiam partem.

Prima Symboli pars est de Deo Patre & nostri creatione: vbi sunt casus de Scripturâ sacrâ; de fide; de Dei essentia, attributis, & operibus; denique de SS. Trinitate, & nominatim de primâ persona.

REGVLÆ.

Casus de S. scriptura.

I. *De Scripturâ sacrâ præcipui casus ita habent.*

1. *Scriptura sacræ diuina authoritas* potissimùm colligitur ex sanctitate præceptorum, amplitudine promissionum, varietate miraculorum, veritate, vaticiniorum. *Scriptura sacra est vnicum principium* salutaris cognitionis Dei, rerumque diuinarum. Nam in omnibus artibus ac diciplinis melius principium dari non potest, quàm quod est οἰκεῖον, homogeneum, & illi disciplinæ proprium. Ita de rebus medicis è principiis Medicinæ, de Iurisprudentiâ ex regulis Iuris omnium rectissimè docetur. Ita etiam de Deo & rebus diuinis non meliùs quàm ex Dei verbo iudicatur. 3. *Si de Scripturâ incipiamus minùs honorificè sentire*, confugiamus ad preces, & instituamus collationem sacrarum & profanarum literarum. Ita enim patebit, quàm distent æra lupinis.

Casus de fide.

II. *De fide sunt hi præcipuè casus.*

1. Quæ de Deo rebúsque diuinis dicuntur, duûm sunt generum. *Alia sunt fidei*, vt esse Deum, esse vnum in essentiâ & trinum in personis &c. *alia sunt præter fidem*, vt vbi fuerit paradisus, vbi sit infernus, quid Deus fecerit ab æterno &c. Quod attinet ad illa priora, in iis non licet opinari: in posteriobus licet. 2. *Contradictiones in rebus fidei* sunt licitæ, si fiant discendi causâ: quæ proficiscuntur ex pertinaciâ, seu ex spiritu contradictionis, sunt illicitæ. *Fides implicita*, quâ creduntur fidei veritates, non distinctè in semetipsis, sed in communi earum principio, est quidem bona & necessaria, sed non est sufficiens ad salutem. Commune autem istud principium, quo continentur omnia hoc modo credenda, non est Ecclesia, sed scriptura. Act. 24. 14. Itaque fides implicita, quâ quis cœco impetu credit omnia, quæ Ecclesia Romana credit, non est probanda. 4. *Fides explicita* est, quâ in particulari creduntur fidei veritates, & non in communi tantùm. Atque hæc fides omnibus Christianis, etiam laïcis, est necessaria, quantum attinet ad illa, quæ ad salutem consequendam sunt necessaria. 5. *Infantes, qui saluantur, habent fidem.* Est enim vnica salutis via, fides in Christum. 6. *Notæ veræ fidei* sunt fiducia seu πληροφορία, humiliatio cordis coram Deo & proximo, opera charitatis, confessio eorum quæ credimus, assidua precatio, εὐσέβεια, & similia. 6. *Contra fidei infirmitatem* nos consolari debet dispensatio illa Spiritus sancti, quâ liberè operatur.

Casus de Dei essentiâ, attributis, & operibus.

III. *Præcipui casus de Dei essentiâ, attributis, & operibus hi sunt.*

1. *Gentiles ex lumine naturæ* veram Dei cognitionem hauserunt. Etsi enim non sciuerunt quis sit Deus, tamen sciuerunt quòd sit Deus, & qualis sit. nempe iustus, verax, bonus. 2. *Gentiles ex hâc generali & qualicunque Dei notitiâ* non potuerunt adipisci salutem. Hæc siquidem notitia est valde languida & imperfecta, longéque distat à cognitione mediatoris, quæ omnino requiritur ad salutem. 3. *Quicunque Christum ignorant*, non possunt excusari à peccato: quia nempe propriâ suâ culpâ ignorant. 4. *Confessio eorum, quæ de Deo creduntur, est necessaria*; quando ad edendam fidei confessionem legitimè vocamur, vel proximum lucrifacere possumus nostrâ confessione. 5. Cùm Deus sit spiritus infinitus, *non debemus illum concipere sub imagine formæ externæ*. Neque refert, quòd Deus sub conceptu senis, ducis armati &c. se oculis hominum obiecerit. Nam hæc talis imago est transiens, non verò permanens. Quomodo autem Deus concipi à nobis potest? Ita, inquam, vt adhibeatur via negationis, eminentiæ, & causalitatis, quâ de re vide suprà in Pneumaticis. 6. *Quòd Deus sit*, testatur liber naturæ, Scripturæ, & conscientiæ. 7. *Attributa Dei non pugnant cum ipsius simplicitate* quia vt intellectus & voluntas, & infinitæ facultates putà numerandi, canendi, properandi, iudicandi, disponendi, &c. non pugnant cum simplici essentiâ animæ rationalis: ita quoque in Deo se res habet. 8. *Affectus, qui Deo tribuntur* notant similitudinem effectus, qui oritur ab effectibus humanis. 9. *Deo omnia sunt possibilia*, quæ nempe Deo sunt digna. 10. *Deus ita est omnipræsens*, vt sit extra cuncta continendo, intra cuncta adimplendo, supra cuncta præsidendo, iuxta cuncta sustinendo. Præsens, inquam, est, omnibus & singulis creaturis, non expansione aut diffusione essentiæ, sed punctaliter omnia sibi præsentando. Nam totus hic mundus est ad instar puncti coram Deo. 11. *Deus iustè punit peccata parentum in liberis* non eadem numero, sed specie: quatenus videl. liberi consentiunt aut communicant peccatis parentum. 12. *Dei iustitia non periclitatur, quòd impius in mundo plerumque benè, & pius malè*, est; tum quia nemo est in mundo tam sanctus, qui non habeat labem peccati; tum quia impiorum felicitas non est vera, sed vmbratilis; tum denique quia calamitas piorum ipsis prodest, & aliquando commutabitur cum verâ & perenni felicitate. 13. *Deus ab æterno non fuit otiosus*, sed fuit maximè actuosus, quantum ad opera ad intra, & quantum ad decreta. 14. *Deus hodieque creat*; quia absque intermissione influit vires operandi, & ita res varias producit per creaturas, quibus influit vires agendi. 15. *Deus fecit hominem bonum mutabiliter*; neque tamen ideo est causa peccati, quod homo patrauit. Nam homo peccauit deficiendo à Deo; quod non accepit à Deo. 16. *Deus impediuit lapsum hominis moraliter*, dando ipsi legem, adeóque prohibendo actum malum: *non impediuit euentualiter* prohibendo euentum: quia iudicauit melius esse, vt permitteret hominem labi, quàm à lapsu prohibere. 17. *prouidentia Dei se extendit ad omnia bona & mala*: ad bona, efficiendo & afficiendo; ad mala, afficiendo tantùm.

IV. *De SS. Trinitate sunt hi casus conscientiæ.*

1. *Trinitas personarum in vna Dei essentia* probatur ex Scripturis: & illustratur similitudinibus variis. Quibus accedit consensus veterum Rabbinorum, priscorum Philosophorum, & vniuersæ antiquitatis in Ecclesiâ N.T. Quantum attinet *ad dicta Scripturæ*, illa probant pluralitatem, vel trinitatem. *Dicta prioris generis* in tres ferè classes disparantur. Et *primò* quidem pluralitas in vnitate Dei probatur ex dictis, in quibus Deus de scripto loquitur in plurali numero: vt Genes. 1. v. 26. cap. 3. v. 22. cap. 11. v. 7. Exod. 6. v. 8. *Deinde* probatur pluralitas ex dictis, in quibus Deus de Deo loquitur: vt Genes. 19. 24. Dan. 9. v. 17. Zach. 2. v. 8. Hos. 1. v. 7. Psal. 110. v. 19. *Tertiò* pluralitatem in Deo ostendunt illa dicta, in quibus nomini Elohim iungitur verbum singulare, absque enallage aut catachresi: vt Gen. 1. 1. *Dicta posterioris generis*, quibus nempe pluralitas ista restringitur ad tres, sunt Psal. 33. 6. Esa. 48. 16. Matth. 3. v. 16. 17. c. 28. v. 19. 1. Ioh. 5. v. 7. *In similitudinibus* excellit meo iudicio, quòd omnia corpora naturalia constant ex tribus principiis hypostaticis. *De consensu Rabbinorum & priscorum philosophorum* vide Mornæum de veritate religionis Christianæ. *De consensu orthodoxæ antiquitatis* vide Symphoniam catholicam Polani. 2. *Tres personæ in Deo non sunt tres dii*; quia si in creaturis tria principia hypostatica non multiplicant essentiam, multò minùs in Deo tres personæ distinguuntur essentiâ, vtpote quæ est infinita.

V. *De primâ personâ SS. Trinitatis hi ferè sunt casus.*

1. *Deus Pater gignit Filium actu æterno & interno*; quomodo ratio est perpetuum geninem mentis, & radius semper emanat à sole. 2. *Deus Pater gignit Filium, reflectendo imaginem hypostaseos suæ*; non verò hypostasin suam minuendo.

CAPVT III.

De Casibus conscientiæ circa secundam Symboli partem.

PRÆCEPTA.

Casus conscientiæ circa secundam Symboli partem complectuntur sex articulos, qui sunt de Deo Filio & nostri redemptione.

Reuocantur autem ad tria capita, videl. de personâ, officio, & statu Christi.

REGVLÆ.

REGVLÆ.

I. *De personâ Christi sunt hi præcipuè casus.*

1. *Quòd Christus sit Deus & homo in vna persona*, probatur dictis scripturæ,& illustratur partim similibus,partim testimoniis ethnicorum, itémque oraculis, partim consensu venerandæ antiquitatis. *Dicta scripturæ* loquuntur vel sensim de diuinâ & humanâ naturâ, vel de incarnatione. Ioh.5.v.17.18. 1.Tim. 2. 5.Ioh.1. 14.Col.2. 9 1. Tim.3.16. Heb.2. v.14. 16. Rom.1. 3.1.Petr.4. 1.*Similitudines* occurrunt variæ: in quibus istæ tres excellunt, putà vnio animæ & corporis in homine, ferrum ignitum, & surculus trunco insitus. *Testimonia* sunt apud Platonem, Virgilium,& alios.Quò pertinet quod Boetius de disciplinâ scholastica scribit, in tumbâ Platonis repertam fuisse laminam auream, in quâ scriptum fuerit: *Credo in Filium Dei nasciturum de virgine*, Inter oracula excellunt ista duo. Vnum Sibyllæ Erythrææ,quæ vaticinata est hunc in modum: *In nouissimis temporibus humiliabitur Deus, & humiliabitur proles diuina,iacebit in fœno agnus,& officio puellari educabitur Deus & homo.* Alterum est Apollinis Delphici, qui Augusto consulenti paulò ante natiuitatem Christi sic respondit,vt est apud Plutarchum:

Me puer Hebræus,diuos Deus ipse gubernans,
Cedere sede iubet,tristemque redire sub Orcum.
Aris ergo dehinc tacitus discedito nostris.

De consensu venerandæ antiquitatis vide in Symphoniâ Catholicâ Polani,& apud Martinium de personâ Christi, vbi & reliqua argumenta egregiè recitantur & explicantur. 2. *Deus & homo in Christo sunt duæ naturæ constituentes vnam personam*; quæ cogitari solet quasi composita.3.Vt in Trinitate tres personæ sunt vna essentia: sic vice versà *in Christo* duæ naturæ, seu essentiæ, sunt vna persona.4.*Caro Christi facta est Deus* (ἡ σὰρξ ἐθεώθη) quatenus est assumpta in vnitatem personæ Filij Dei. 5. *Ad conceptionem Christi duo concurrerunt principia*; passiuum. beata Virgo;& actiuum, Spiritus sanctus. Neque tamen ideo Christus dici potest filius Spiritus sancti; quia non est eiusdem naturæ cum Spiritu sancto, neque conuenit naturæ, sed personæ, vt filij habeat rationem.6. *Spiritus sanctus fœcundauit Mariam*; quomodo terram in principio fœcundauit,vt proferret plantas,Sole nondum existente. 7.*Maria fuit Virgo*; quia non habuit maritum ratione cohabitationis maritalis, sed ratione defensionis. 8. *Natiuitas non tollit virginitatem*, sed cognitio viri.

II. *De officio Christi sunt hi præcipuè casus.*

1.*Quòd Iesus Nazarenus sit redemptor generis humani*,docet collatio V. & N. T. quia promissiones & vaticinia de Messiâ concurrunt in Christo.2.*Redemptio Christi non est planè aliena*; quia Christus & credentes sunt vna persona. 3. Anima quæ peccauit, ipsa debet mori, si spectetur rigidum legis postulatum. Si verò consideretur ἐπιείκεια, *aliquis potest pro aliquo mori*; si nempe morti non succumbat, sed moriendo satisfaciat. Talis autem est mors Christi. 4. *Deus accepit sanguinem Filij sui pretium redemptionis*; quia primo homini minatus erat mortem. Cùm ergo Filius Dei sponte maledictum legis in se receperit,eamque ab causam de muliere natus sit,vt nos à lege redimeret,ideo ipsi moriendum fuit, sanguisque eius profundendus.Atque huc pertinent sacrificia ἱλαστικὰ V.T.

III. *De statu Christi sunt hi ferè casus.*

1. *Status humiliationis finis fuit satisfactio & meritum.* *Satisfactio* dicitur,quæ ordinatur ad Dei honorem, per compensationem iniuriæ ipsi per peccata nostra factæ. Rom.3.v. 25.Ostenditur hoc omnibus illis Scripturæ locis,quibus Christus dicitur pro nobis mortuus. *Meritum* est, quod ordinatur ad nostrum commodum,siue ad boni aliquid sub ratione mercedis nobis acquirendum. Ostenditur hoc omnibus illi Scripturæ locis, quibus dicitur obedientiâ suâ nobis procurasse iustitiam,fauorem Dei,& vitam æternam. 2. *Status exaltationis finis est efficacia*; quâ fit vt Christus nobis, applicet meritum suum. 3. *Christus se subiecit legi morali*, quia etsi ab ipso iam homine facto, iure creationis exigebatur ista ebedientia: tamen quia pro nobis factus est homo, illa ipsa obedientia pars fuit satisfactionis ac meriti illius,quod Deus pro nobis ab illo postulauit & acceptauit.4 *Christus subiecit legi ceremoniali*; quia ceremoniales istæ obseruationes totidem fuerunt peccati confessiones.Christus igitur, qui factus est peccatum pro nobis, congruenter etiam illis factus est conformis. Denique Christus illos typos impleuit. 5. *Contra vilitatem conditionis Christi* facit meditatio ornatûs duplicis, quem humana eius natura habuit ex gratiâ vnionis & vnctionis.6.*Diligenter oportet meditari miracula Christi*;quoniam illa personam eius demonstrant,doctrinam confirmant,& spirituales ipsius operationes significant 7. *In morte Christi facta est separatio animæ à corpore*;sed vtriusque tamen vnio mansit cum naturâ diuinâ,ita vt personæ solutio non sit secuta.8.*Exaltatio Christi pendet ab omnipotentiâ ipsius*;quam habet communem cum Patre & Spiritu sancto.9.*Reditus Christi ad iudicium non debet videri cunctatio*;quia oportet vt omnia priùs fiant,quæ prædicta sunt.

CAPVT IV.

De Casibus conscientiæ circa tertiam Symboli partem.

PRÆCEPTA.

CAsus conscientiæ circa tertiam symboli partem sunt de Deo,Spiritu sancto,& nostri sanctificatione. Itaque.

Versantur circa quinque articulos.

REGVLÆ

I. *De Spiritu sancto notentur isti casus.*

Casus de Spiritu sancto.

1. *Spiritus sanctus procedit à Patre & Filio*, non vti ramus procedit ex arbore, aut riuus ex fonte, sed vti amor procedit ex voluntate, ita nempe vt in voluntate maneat. 2. *Spiritus sanctus vbi est, sanctus est*, sed non statim sanctificat, vbi sanctus est. 3. *Spiritus sanctus in homine sancto non est otiosus.* Etsi enim non semper se exserit quantum ad actum fidei primum: semper tamen actum primum conseruat, hoc est, fidei scintillam fouet,ac paulatim excitat, ne deficiat.

II. *De Ecclesiâ & communione sanctorum sunt hi casus.*

Casus de Ecclesia & communione sanctorum.

1. *Primò omnium in Ecclesiâ oportet oculos defigere in mysticam vnionem*; quia nempè hæc est, quæ dat Ecclesiæ ἐντελέχειαν. Secundò demum loco consideranda est Ecclesia, prout in his terris instituitur.2.*Etsi Ecclesia in his terris semper in se est visibilis: tamen respectu aliorum nunc est conspicua,nunc latet.* Non itaque debemus despondere animum, quando Ecclesia non incurrit in oculos nostros.aut quando sub cruce gemit. 3. *Fidelibus annumerandi sunt ipsorum liberi; tanquam Ecclesiæ membra.* Etsi enim non sunt adeo perfecta membra Ecclesiæ, vt possint actus communionis exercere: tamen vera sunt membra; vtpote confœderati Dei. 4. *Professio vera fidei est maximè essentialis nota Ecclesiæ.* Vbi ergo hæc nota conspicitur, ibi veram Ecclesiam esse statuendum est. 5. *Communio sanctorum in grauissimis persecutionibus debet nobis addere animum.* Illa siquidem est inter Christum & eius membra, itemque inter ipsa membra,quo vinculo nihil est firmius,nihil augustius. 6.*Qui in Ecclesiâ facit officium suum, is est in numero electorum & iustificatorum.* Istud autem officium est positum in auditu & obsequio verbi Dei.

III. *De remissione peccatorum, carnis resurrectione, & vitâ æternâ notentur isti casus.*

Casus de remissione peccatorũ, & seqq. articulis.

1. *Remissio peccatorum fit propter iustitiam Christi.* Eius enim merito iusti coram Deo reputamur. 2. *Remissio peccatorum est irreuocabilis.* Nam Christi obedientia est δικαίωμα illud, cuius nomine nos gratia Dei iustificat, & tandem glorificat. 3. *Remittũtur peccata præterita,præsentia,& futura.* Nam iustificatio nullum relinquit locum condemnationi,Ioh.5.24.Petitur tamen quotidiè remissio peccatorum, quia continuatio huius gratiæ nobis est necessaria & vt sensus & manifestatio eius magis magisque percipiatur.4.*Resurrectio carnis pendet ab illâ Dei potentiâ quæ in prima creatione fuit manifesta.* Et varia ipsius exempla sunt in cursu naturæ: vt quando arbores tempore verno recuperant suum nitorem, & granum in terram coniectum ibique mortuum germinat &c. 5. *Vita æterna certò est expectanda iis, qui vitam istam hic inchoarunt.* Sunt enim membra Christi. Quare vbi est caput, ibi oportet etiam esse membra.

CAPVT V.

De Casibus conscientiæ circa primam decalogi tabulam.

PRÆCEPTA.

SEquuntur casus conscientiæ circa decalogum, & primò quidem circa primam eius tabulam. Itaque.

Huc pertinent caſus circa primum, ſecundum, tertium, & quartum decalogi præceptum: quibus præmittuntur caſus de dilectione Dei & proximi, in genere.

REGVLÆ.

Caſus de dilectione Dei & proximi in genere.

I. Caſus conſcientiæ de dilectione Dei & proximi in genere hi notentur.

1. *Oportet diligere Deum & proximũ amore naturali & ſupernaturali.* Amore naturali diligimus Deum, vt creatorem: ſupernaturali, vt redemptorem. Amore naturali diligimus proximum vt hominem: ſupernaturali, vt capacem gratiæ Dei. 2. *Deum oportet amare amore vnionis, complacentiæ, & beneuolentiæ.* *Amor vnionis* eſt affectus ille, quo cum Deo coniungi volumus. *Amor complacentiæ* eſt affectus ille, quo omne illud, quod in Deo eſt, probamus, & acquieſcimus in ſummâ eius bonitate. *Amor beneuolentiæ* eſt affectus ille, quo nos totos Deo tradimus, & volumus atque conamur, vt omnia ipſi deferantur, quæ pertinent ad eius gloriam. *Amor concupiſcentiæ*, ſeu appetitionis, quo Deum nobis appetimus, quia ſperamus ab ipſo commodum & beatitudinem æternam, pertinet ad amorem vnionis. 3. *Gradus charitatis erga Deum debet eſſe ſummus obiectiuè, appreciatiuè, & intenſiuè:* hoc eſt. quantum ad obiectum, æſtimationem, & conatum, vt nulli velimus maius bonum quàm Deo, & ipſum anteponamus omnibus noſtris bonis, & vehementi conatu applicemus omnes facultates & vires noſtras ad eius dilectionem. 4. *Proximus nobis inimicus etiam eſt diligendus*, non quòd inimicus ſit, ſed quòd ſit conſors naturæ noſtræ, & gratiæ diuinæ capax. 5. *Poſſumus proximo malum aliquod optare, aut malo eius lætari*, non quà malum eſt, ſed quatenus eſt ipſi bonum, vt patiatur malum. 6. *Oportet proximum diligere affectu & actu.* Nam dilectionem inimici Chriſtus exprimit per Benefacite. 7. *Charitas proximi etiam bona temporalia cum vita contemnit*, quando nempe id exigit ſalus æterna proximi.

Caſus circa primum præceptum.

II. Caſus circa primum præceptum ſunt hi ferè.

1. *Internus Dei cultus eſt fundamentum cultus æterni.* Quid eſt eius anima. Nihili ergò putandus eſt cultus Dei externus, ſi non perficiatur ab interno. 2. *Duo ſunt actus cultus interni, deuotio & ſubmiſſio.* *Deuotio* complectitur tres virtutes cardinales, fidem, ſpem, & charitatem. *Submiſſio* complectitur quatuor virtutes, timorem Dei ſeu reuerentiam numinis, patientiam, inuocationem, & gratitudinem. 3. *Timor filialis facit, vt primò timeamus Deum propter offenſum, ſecundo verò loco propter pœnam.* Oportet enim primò cauere peccata propter Deum ipſum, qui hoc vult, & cuius naturæ aduerſatur peccatum. Deinde verò etiam metuuntur pœnæ, quia nemo ſibi ipſi malè vult, optatque ſibi magis Deum propitium & beneficum, quàm iratum. 4. *Gemitus & querelæ de miſeriis noſtris, orti ex conſideratione peccati, ſunt licici.* Secus ſe habent gemitus profecti ex impatientiâ. 5. *Nulla creatura diuino cultu eſt afficienda.* Nam cultus dinini obiectum eſt Deus. 6. *Vna perſona SS. Trinitatis diuino cultu affici poteſt ſine altera, ſed non extra alteram.* Sicut enim de vnâ cogitare & loqui poſſum diſtinctè, abſque alterâ: ſic & vnam ſine alterâ venerari poſſum. Fit autem cultus ille non extra alteram perſonam. Itaque qui Patrem adorat diſtinctè, ſimul etiam Filium & Spiritum ſanctum adorat vnitè. Perinde ergo eſt, ad quamcunque perſonam preces tuas dirigas, dummodo nullam à fiduciâ tuâ excludas. 7. *Cùm humana Chriſti natura adoratur, fiducia terminatur ad perſonam τοῦ λόγου, ſeu mediatoris.* Vbi probè notandum eſt, cultum illum, quo caro Chriſti afficitur, eſſe peculiare axioma, ſoli Chriſto proprium. 8. *Homo non poteſt bona conſcientiâ fiduciam ſuam collocare in Deum & creaturam:* ſi quidem ſermo ſit de eodem fiduciæ genere. Alioqui rectè dicitur: Ego confido, Deo & arte meâ, Ich verlaſſe mich auf Gott vnd meine kunſt. Neque enim hic eadem fiducia diuiditur inter Deum & artem, ſed diuerſa fiduciæ genera exprimuntur.

Caſus de cultu Dei externo in genere.

III. Caſus conſcientiæ de cultu Dei externo in genere hi ſunt.

1. *Cultus Dei externus* (qui vſitatè appellatur religio) *in qualibet republica benè conſtituta eſt neceſſarius.* Eſt enim fundamentum ciuitatis, origo iuſtitiæ, vinculum diſciplinæ, impedimentum confuſionis. 2. *Religio vera conſeruatur à quatuor perſonarum generibus, per totidem media.* Perſonæ ſunt miniſtri verbi, magiſtratus, ſubditi, & patresfamilias. *Media*, ſiue adminicula, ſunt aſſidua precatio, ſcripturarum meditatio, ſabbati ſanctificatio, & bonorum Eccleſiaſticorum collatio aut conſeruatio. 3. *Vnitas religionis in rep. eſt vouenda & fouenda, quoad eius fieri poteſt.* Interim diuerſæ religiones in tribus hiſce caſibus tolerandæ ſunt: ſi nempè reſpublica ſit turbata, & magiſtratus non habeat imperium merum, & quando magiſtratus per leges imperii fundamentales ſe ad diuerſarum religionum obſeruantiam iuramento obſtrinxit. 4. *In republica pacatâ ſi qui priuatim errent in religione, cætera quieti, ferendi ſunt.* Nam illos expellere, crudele eſt: & eos cogere ad religionem, aduerſatur naturæ religionis: quia nihil tam eſt voluntarium, quàm religio, vt ait Lactantius. 5. *Iudæi bonâ conſcientiâ tolerari poſſunt inter Chriſtianos*: ſi nempè certis legibus cohibeantur ipſorum blaſphemiæ & vſuræ. 6. *Aliquis bonâ conſcientiâ ſacris infidelium & hæreticorum intereſſe poteſt videndi cauſa*, vt nempè de profanitate iſtorum ſacrorum meliùs teſtari poſſit: *& officij politici cauſâ*, vt ſi quis neceſſe habeat Principem comitari ad Miſſam. Oportet autem vt in vtroque caſu vitetur ſcandalum infirmorum, & diligenter caueatur ne qua pollutio ſubeat animum noſtrum. 7. *Vrgente ſumma neceſſitate aliquis vti poteſt baptiſmo hæreticorum*: ſi nempè ſubſtantialia retineantur integra. Reliquis ſacris, id eſt, auditu verbi, & vſu Euchariſtiæ abſtinendum eſt: quia vtrumque hoc ſacrum ratione ſubſtantiæ & fundamenti corruptum eſt. 8. *Inter hoſtes veritatis, conſeruandæ veræ religionis cauſa, licet vti priuato miniſterio*: hoc eſt, paterfamilias ad ſe vocare poteſt paſtorem, vt ſibi ſuiſque in curâ religionis inſeruiat: niſi fortè in viciniâ poſſit vacare diuino cultui. 9. *Si quis, rebus aliter non ferentibus, inter hoſtes veritatis habitare cogatur, ſex iſta obſeruet.* 1. non affectet nimiùm ipſorum amicitiam aut familiaritatem. 2. ne colludat cum iis in religione. 3. ad ſacra ipſorum ne accedat. 4. matrimonia cum ipſis ne contrahat. 5. operam ſuam ne nauet ad propugnandam falſam religionem. 6. accuratè diſcernat geminam vitam, quam quilibet Chriſtianus in hoc mundo viuit: animalem videlicet ac ſpiritualem.

IV. Caſus conſcientiæ circa præceptum decalogi ſecundum, hi notentur. Caſ[us circa] ſec[undum] præ[ceptum].

1. *Imago religionis cauſâ ficta & facta ab hominibus inducit idololatriam*: quia religionis immediatum obiectum, cui defertur, eſt Deus; idque tam adæquatum, vt nec religionis officium aliquod ad aliud obiectum ſine grauiſſimâ Dei iniuriâ poſſit referri. 2. *Imaginibus iſtis homogeneæ ſunt omnes illæ ceremoniæ, quæ ad myſticam vel religioſam ſignificationem ab hominibus inſtituuntur.* iſtiuſmodi enim ceremoniæ neque per vim inditam à naturâ, neque per inſtitutionem diuinam, vllam habent determinatam vim docendi: per inſtitutionem autem humanam nullam poſſunt accipere; quia homo neque hoc impetrando poteſt efficere, cúm ſuperet eius authoritatem; neque impetrando, cùm Deus nihil tale petenti promiſerit. 3. *Sancti Angeli inuitantur & retinentur piis precibus ad Deum, & imitatione virtutum, quibus illi delectantur*: cuiuſmodi ſunt inprimis obſequium Dei, humilitas, caſtitas, concordia, & aſſiduitas in precibus. 4. *Honor, qui ſoli Deo debetur, & quem ſancti Angeli accipere renuerunt, ipſis ne deferatur.* Honorantur autem rectè ſancti Angeli reuerenti opinione & virtutum imitatione. 5. *Sanctorum Angelorum colloquia, vel viſiones, affectare non licet*: tum quia hoc eſt periculoſum, quòd Satanas ſoleat ſe transformare in Angelum lucis; tum quia Deus in N. Teſtam. hunc modum inſtituendi per Angelos ſuſtulit. 6. *Bonæ cogitationes, & bona opera ſæpenumero à bonis Angelis ſuggeruntur & promouentur.* Inde itaque colligere poſſumus, ſanctos Angelos nobis adeſſe. 7. *Reuelationi ſanctorum Angelorum in ſacra Scripturæ interpretatione tutò fidimus*: quando iſta interpretatio non pugnat cum reliquo filo S. literarum. 8. *Omninò ſtatuendum eſt, eſſe malos Angelos.* Id enim S. literæ teſtantur, & omnium ſeculorum hiſtoria & experientia confirmat. 9. *Prædictiones diaboli aut ſophiſticationibus implicantur, aut cauſis naturalibus nituntur, aut denique ſunt mera ludibria.* Diſcamus itaque diaboli aſtutiam animaduertere. 10 *Diabolus nouit impuras cogitationes, quas hominibus immittit.* Vigilato itaque eſt opus, ne per huiuſmodi ſuggeſtiones vnum fiat cum corde noſtro. 11. *Miracula diaboli non ſunt niſi æquiuocè dicta miracula.* Sunt enim miracula naturæ, artis, vel ſophiſticationis. 12. *Semper in conſpectu habere oportet tabulam illorum operum, quæ diabolus præſtare non poteſt.* Recitantur autem vſitatè duodecim huiuſmodi opera: videlicet, nouas creaturas producere, creaturas multiplicare, creaturas mutare aut transformare in aliam ſpeciem, mortuos reſuſcitare, morbos ſine medicamentis tollere, vterum matrum claudere vel recludere, curſum Solis inhibere, mare vel alias aquas diuidere, futura immediatè & certò ſcire, qualitates elementorum tollere vel ſuſpendere, denique miracula à DEO in Scripturis edita præſtare. 13. *Quia diabolus etiam poteſt mira præſtare, ſemper attendamus quo fine mirum aliquod opus fiat.*

Si enim

Si enim fiat in confirmationem falsæ doctrinæ, debemus illud auersari & detestari. 14. *Etsi diabolus, permittente Deo, morbos corporis potest immittere: tamen illos non debemus referre ad authorem diabolum.* Omnia siquidem mala pœnæ nobis à Deo immittuntur ob peccata. 15. *Si contingat, diabolum in assumpta visibili formâ nobiscum conuersari, quatuor ista faciamus.* Primò confugiamus ad preces, & verbum Dei. Deinde ne colludamus aut abblandiamur diabolo. Tertiò maneamus in vijs nostris, hoc est, officia vocationis nostræ diligenter faciamus. Postremò diabolum magno animo, ex vera fide & timore Dei contemnamus. 16. *Præcipua diaboli studia & opera, ex quibus eius præsentiam agnoscere possumus, cùm visibili formâ non apparet, sunt aduersari Deo, Christo, sanctis Angelis, & sanctis Hominibus.* Et Deo quidem aduersatur corrumpendo eius cultum: Christo, persequendo ipsius regnum: sanctis Angelis, impediendo cogitationes puras quas nobis suggerunt: sanctis Hominibus, impellendo ipsos ad ea opera, quæ Deo & proximo sunt contraria. 17. *Aduersus diabolum pugnare oportet fide, precibus, sobrietate, patientiâ, exercitijs pietatis, & verbo Dei.* Hæc siquidem sunt arma defensionis, & offensionis spiritualis. 18. *Quando illusiones, & tumultuationes spirituum nobis molestiam creant, debemus adhibere media licita, non verò illicita.* Licita sunt, si confugiamus ad preces, & adhibeamus verbum Dei, & innitamur vocationi. Illicita sunt si quis adiuret spiritus apparentes, aut illa fugere conetur precibus pro defunctis, vel oblatione corporis Dominici in Missa, vel oblatione cereorum, vel eleemosynis, vel reliquijs Sanctorum, vel signo Crucis, aut similibus nugis. 19. *Magia necromantica tota, quanta est, à diabolo est.* Huius apotelesmata sunt, contra iniuriam globorum & ictuum hostilium corpus suum facere immune, per verba curare morbos, & alia mira efficere; consecrare sal, oleum, & similia; efficere, vt in media hominum turba aliquis aliorum conspectum effugiat, &c. 20. *Diabolo per varias quarumque modo nocenti resistendum est fide in Deum, precibus, patientiâ, studio pietatis.* Magicis autem artibus contra magos vti est magicum, & proinde homine Christiano indignum. 21. *Libri magici, in quibus magicarum artes traduntur, pijs omnibus ...* exemplo nempe primitiuæ Ecclesiæ, Act. 19. 18. Huc pertinet illud Erasmi: Libro malo nihil est perniciosius. 22. *Magistratus politicus magos & sagas postquam tales agniti fuerint, debet è medio tollere.* Id enim Deus iubet Exod. 22. 18. Leuit. 20. 27. Et ratio idem dictat. Sunt enim sagæ & magi idololatræ, homicidæ, adulteræ & adulteri, fures, & alijs vitiis dediti. Neque tamen censendi sunt committere peccatum in Spiritum sanctum, quod est irremissibile.

V. *Casus conscientiæ circa tertium decalogi præceptum notentur isti.*

1. *Soli Deo, non verò Sanctis, oportet vouere.* Vota siquidem sunt actus religionis. 2. *Vota à nobis vouentur, vel de moralibus officiis, vel de corporalibus exercitijs.* Ibi sunt vota de obseruantia Mandatorum Dei, & fugâ peccatorum: hic sunt vota de ieiunio, de facienda eleemosyna, de abstinentia à certo potu, & similia. Quod attinet ad *vota de officiis* cæremonialibus, illa sunt propria à V. T. 3. *Vouere possunt omnes, qui sui iuris sunt ratione ætatis, vel status & conditionis: quique vouendo manent intra limites vocationis suæ.* Itaque non possunt vouere infantes, amentes, filij, serui & illi qui per votum in sua vocatione impediuntur. 4. *Non sunt vouendæ res illicitæ, ineptæ, leuiculæ, impossibiles, aut aliqui certo euentura.* Nam voti materia debet esse actus alicuius virtutis, aut res alioqui bona, honesta, grauis, possibilis, vtilis. 5. *Aliquis potest votum Deo facere, quòd certum aliquod peccati genus velit vitare.* At nemo potest, vel debet vouere, quòd velit vitare omne peccatum. Id enim in hac imperfectione impossibile est. 6. *Materia voti non debet esse res indifferens, simpliciter & in se considerata.* Vanum esset votum, non accedere ad conuiuium, non ingredi aliquam domum, non alere cum aliquo amicitiam 7. *Votum, quod est contra matrimonium, planè non est faciendum:* vt si quis voueat, se nunquam ducturum vxorem, licet ad matrimonium aptus sit. Esset enim votum contra ordinationem Dei, & cum periculo animæ coniunctum. 8. *Potest aliquis voto se obstringere ad contrahendum matrimonium:* verbi gratia si spes sit, per huiusmodi coniugium, puellæ alicuius salutem promoueri posse. 9. *Quando legitimè factum est votum, quod procedente tempore manet tantum impeditum, illud non est rescindendum:* nisi fortè extrema necessitas id suadeat. 10. *Vota, quæ ex mera perturbatione animi proficiscuntur, irrita sunt.* Dico ex *mera perturbatione:* quia huiusmodi votum est merè inuoluntarium 11 *Si quis fictè, ac simulatè aliquid vouerat, huiusmodi votum est nullum:* nisi postea illud ratum habuerit, aut scandalum sit metuendum. 12 *Votum factum sub conditione possibili & honesta est seruandum.* Secus se habet votum, quod fit cum conditione impossibili, turpi, & scandalosâ. Cæterum conditio possibilis & honesta est necessaria, vel contingens. Votum sub conditione necessaria statim obligat; sub conditione contingente factum, seruandum est, impletâ conditione. 13. *Votum personale nemo pro altero persoluere potest:* vt si vouerit peregrinationem, & morte præueniens præceperit petere, alius eius nomine non tenetur. 14. *Votum reale potest aliquis loco alterius persoluere:* vt hæredes votum defuncti dispositum pro eo ... pecuniæ summâ in vsum pauperum. 15. *Vota mixta, quæ ex parte sunt personalia, ex parte realia, ... tenentur:* ... quatenus realia sunt. v. gr. si quis voueat peregrinari ... ad certum quendam locum, & pauperibus in exilio viuentibus, certam pecuniam offerat, hæres ... peregrinari non tenetur, pecuniam tamen exhibere ... debet. 16. *... retractare illicita ... nisi sint moralia.* Ratio primi est: quia ... vota ... nulla sunt. Ratio secundi est; quia tametsi vota illa ratione materiæ sunt bona, tamen ratione personæ, quæ non est sui iuris, sunt illicita. Ratio tertij est, quia votum morale pertinet ad bona opera, quæ nullus mortalium debet impedire. 17. *Votum licitum nullam admittit dispensationem.* Non enim licet homini dispensare contra ius diuinum quod est Deut. 23. 21. Psal. 50. 14. Eccles. 5. 3. Interim licet votum commutare, ac compensare. 18. *Iuramentum fidelitatis, calumniæ, militiæ, & veritatis est licitum:* siue sit voluntarium, siue necessarium, siue assertorium. Illud Suidæ dicitur κατάμαχον; istud, ...; hoc, ἐπάμαχον. At iuramentum religionis, quo quis ad certam religionem se obligat & leuitatis, est illicitum. 19 *Non est licitum iurare per Deum & Sanctos:* quia Deus solùm approbat iuramenta in suo nomine facta, Esa. 19. 18. & alibi. 20. *Iuramentum, quod fit per falsum Deum, obligat iurantem in conscientia:* verbi gratia: Turcam, paganum. Etsi enim id, per quod iuratur, non est verus Deus: ... tamen iuramenti ... Deus. 21. *Materia iuramenti debet esse res certa magni momenti, honesta, & possibilis* 22. *Non omnes personæ sunt habiles, vt iurent:* verbi gratia pueri, ebrij, virgines, maritæ, furiosi, homines leues, coacti. 23. *Ceremoniæ in iuramentis adhibendæ sunt, quæ alicubi in loco sunt vsitatæ:* dum modo vacent superstitione. 24. *In iuramentis verba ambigua sunt accipienda secundùm intentionem iurantis.* Si verò verba sint clara, eo sensu accipienda sunt, quem præ se ferunt. 25. *Iuramenta, quæ officia pietatis & charitatis, & bonum publicum impediunt, non obligant conscientiam.* Sunt enim ipso iure nulla. 26. *Res indifferens, quâ talis, non cadit sub iuramentum:* vt si quis iuret se dexterâ potiùs quàm sinistrâ aliquid attacturum. 27. *Si quis iuret se aliquid facturum, quod sit vtile & Deo gratum, tale iuramentum præstare tenetur, etiamsi malum sit illud, ex quo oritur bonum quod iurat.* v. gr. si quis iuret, se facturum aliquid vtile, Deóque gratum, si ex bello iniquo saluus redierit. 28. *Iuramentum de re exigua, & parui momenti factum, obligat conscientiam, si res sit honesta.* 29. *Iuramentum de re licita & possibili, cum electione factum à scientibus, & non planè inuitis, præstandum est, etiamsi vi metuue sit extortum.* Tale siquidem iuramentum fit cum inuocatione nominis diuini, quod non est profanandum 30. *Iuramentum retractari debet, quando temerè, vel malè iuratur.* Malè autem iuratur respectu materiæ & personæ. *Respectu materiæ;* cùm quid contra Deum & proximum, & salutares reipubl. leges iurando promittitur. *Respectu personæ;* cùm ij iurant, qui iurare non possunt, vt pueri, liberi, serui, &c. 31. *Iuramentum, quod dolo & astu est elicitum, obligat conscientiam.* Non enim hîc animus deferentis, sed intentio iurantis est attendenda. Iosu. 6. 18. & seqq. 32. *Promissio iurata, licèt alias valida, in quatuor casibus non obligat:* nempe cùm res iuramento promissa fiat illicita, inutilis, vel impossibilis: si status rerum, vel personarum mutetur: si iuramentum sit mutuum, & ex vna parte id quod promissum fuit, non præstitum sit: denique cum aliquid promissum est ob causam, quæ subesse putabatur, & non subest. 33. *Relaxatio locum habet in iuramento assertorio.* Secus res habet in iuramento promissorio. Si enim sit legitimum, vinculum eius est naturale, quod nullius hominis autoritate relaxari potest. Si verò sit illegitimum; non opus est dispensatione sed retractatione 34. *Ieiunium morale diuinitùs est præceptum, & semper necessarium.* Est enim sobrietas in cibo & potu. *Politicum à magistratu indicitur ad tempus.* Estque seruandum ratione mandati, & boni publici. *Religiosum est cùm interdum à cibis abstinemus, vt ad exercitia pietatis aptiores simus.* Et de hoc variæ sunt quæstiones conscientiæ, 35. *Abstinentia est anima ieiunij.* Est autem quadruplex abstinentia: videlicet ab omni cibo & potu, vel à cibo potu largiore & ordinario, vel à cibis delicatioribus, vel ab omnibus voluptatibus. Et rursus abstinentia ab omni cibo potúque est totalis, quando neque prandemus, neque cœnamus; vel partialis, cùm omisso prandio cœnamus. 36. *Ieiunium vel priuatum, vel publicum.* Illud est voluntaria abstinentia, quam aliquis absque instituto Ecclesiæ suscipit: hoc ab Ecclesia solemniter indicitur. Prius illud obligat conscientiam ratione propositi & scopi: posterius, ratione ordinis & scandali: ne scilicet bono ordini resistatur, & scandalum infirmis præbeatur. *Ieiunium ab Ecclesia indictum, omnes obligat qui ad Ecclesiam*

siam istam pertinent: nisi fortè ætas, natura, & valetudo aliquem excipiat. Ætas excipit pueros & senes. Natura, eos, qui habent stomachum frigidiorem. Valetudo, grauidas, ægrotos, valetudinarios. His omnibus non peculiari aliqua lege, aut dispensatione opus est, sed necessitas est instar legis, idque eò magis, quia ieiunium non est cultus Dei, sed libera Ecclesiæ constitutio.

Casus circa quartum præceptum.

VI. *Casus conscientiæ ad quartum decalogi præceptum notentur isti.*

1. *Auditus verbi Dei sine peccato intermitti non potest*: si nempe aliquis degat in eiusmodi loco, vbi verbum Dei purè doceatur, saltem quantum ad fundamentum. 2. *Vt verbum Dei rectè audiatur, ante concionem, in concione, & post concionem cor auditoris ritè compositum esse oportet*. *Ante concionem* requiritur præparatio; ad quam pertinent preces, vera animi deuotio, animus à curis vacuus, depositio præsumptionis, prauæ affectionis erga doctores, & pruritus aurium. *In concione* requiritur recta cordis dispositio, quæ in eo vertitur vt cor sit bene affectum erga doctorem, doctrinam, & vniuersam Ecclesiam. *Post concionem* requiritur concionis ruminatio, & vitæ emendatio. 3. *Si quis non possit audire verbum Dei ob persecutionem, lectione & meditatione priuatâ desiderium suũ oportet explere.* Ista enim in hoc casu est instar prædicationis. 4. *Auditor non potest bonâ conscientiâ deserere ordinarium suum Pastorem, & apud alium animæ suæ curam quærere.* Nam Pastor ordinarius suspectus redditur, quasi officium suum non rectè faciat, & aliis scandalum præbetur. 5. *Tempus cultus maximè solemnis hodie est cuiusque septimanæ dies primus, qui dicitur dies Dominica.* Apoc. 1.10. 1. Cor. 16. 2. Dicitur autem dies Dominica eadem ratione, quâ sacra cœna vocatur cœna Dominica, 1. Cor. 11.20. Quia scilicet à Domino nostro Iesu Christo fuit instituta. 6. *Quòd certus aliquis dies solemniori cultui Dei sit destinandus, est iuris moralis naturalis: quòd autem iste dies solemnis debeat esse saltem vnus in septimana, hoc est iuris moralis positiui.* Prius illud à Scholasticis rectè dicitur esse iuris moralis, non disciplinæ, sed naturæ; posterius, iuris moralis, non naturæ, sed disciplinæ. 7 *Sanctificatio Sabbati consistit in cessatione, & operatione*: seu, in quiete, & quietis sanctificatione. *Cessatio* est in eo, vt omittantur omnia opera vocationis, quæ diebus profestis fieri solent, nisi sit casus extremæ necessitatis. *Operatio* est in eo, vt fiant opera istius diei propria: vti sunt congregatio in templo, concio & auditio verbi, cantus, preces, eleemosyna, vitæ sanctificatio. Quò pertinet illud: Triplicia opera Sabbato concessa sunt: videlicet opera ἀνάγκης, προσευχῆς, καὶ ἀγάπης, id est, necessitatis, pietatis, & charitatis. Itaque non licet in Sabbato facere opera seruilia, & opera peccati. Peccant ergo, qui piscantur, venantur, & studia profana tractant; nisi magna sit necessitas. Grauiùs autem peccant, qui nundinas, nuptias, & similia hoc die instituunt. Quod attinet ad honestas & liberales corporis, atque animi recreationes, quæ fiunt trocho, pilâ, & comœdiarum Christianarum celebratione, aut frequentatione, illæ non repugnant scopo huius præcepti; si cum modo habeantur. 8. *Sabbati violatio debet à Magistratu coërceri pœnâ temporali*; pro varietate delicti 9. *Dies festi præter diem Dominicum, in honorem Dei ab Ecclesiâ instituti, non sunt negligendi*: ne scilicet ordo turbetur, & scandalum infirmis detur. 10. *Ceremoniæ, quæ ab Ecclesiâ instituuntur ex causâ rationabili, non sunt negligendæ, aut contemnendæ.* Tametsi enim non sint pars cultus, tamen eius sunt adminicula, vel ornamenta. *Sed nec temerè sunt mutandæ*, priuatâ authoritate. Quòd si laborent manifestâ impietate, aut superstitione, vel sint contrariæ verbo Dei, vel vrgeantur vt necessariæ, vel conscientiam onerent, etiam priuatâ authoritate mutari & aboleri possunt, nisi fortè perturbatio pacis Ecclesiasticæ, aut politicæ sit metuenda. Tutissimum itaque fuerit, si mutatio aliqua rituum suscipienda sit, vt neque à solo Magistratu, neque à solo ministerio id attentetur, sed conuocatis Ecclesiæ ordinibus deliberationes eâ de re instituantur. 11. *Ceremoniæ, quæ à Christo & Apostolis originem habent, sunt retinendæ, & vrgendæ*: vtpore substantiales & necessariæ. Quod attinet ad humanas, siue Ecclesiasticas, de illarum conformitate in omnibus & singulis Ecclesiis non est anxiè laborandum. 12. *Diuersæ religionis assertoribus sepultura non est deneganda; nisi fortè fuerint seductores & contumaces irrisores.* Ratio prioris est; quia simpliciter errantes in suâ simplicitate moriuntur. Ratio posterioris est; quia seductores & irrisores communionem Ecclesiæ, dum adhuc viuerent, non solùm insuper habuerunt, sed etiam contumeliâ affecerunt. 13. *Ministri Ecclesiæ habent potestatem clauium non αὐτοκρατορικὴν, siue absolutam, sed ministerialem.* Nam solus Christus habet potestatem absolutam. Vbi habet locum illud politicorum: Iura maiestatis & regalia sunt indiuisa. 14. *Confessionis, quæ fit ministro, non est absoluta necessitas.* Vtiliter tamen retinetur, tanquam pars disciplinæ & solatij. 15. *In confessione non est necessaria omnium, ac singulorum peccatorum enumeratio.* Est enim impossibilis: præsertim si iuxta omnes circumstantias fieri debeat, vti methodus confessionis exigit:

Quis, quid, vbi, per quos, quoties, cur, quomodo, quando
Peccasti, dices, vt sit confessio vera.

16. *Minister non habet potestatem imponendi satisfactionẽ confitenti*: quia neque satisfactio propriè dicta, neque satisfactio Ecclesiastica hic locum habet. Non illa: quia solus Christus abundè satisfecit pro peccatis. Non ista: quia satisfactio ista est pars disciplinæ Ecclesiasticæ, quæ cernitur in abstentione & excommunicatione. 17 *Minister Ecclesiæ potest aliquid accipere à confitente*: non tanquam debitum & ordinarium, sed vt honorarium. 18. *Confessarius accuratè distinguere debet gradus peccatorum.* Illos enim Christus præscripsit. 19. *Minister facinus aliquod occultum, in confessione sibi concreditum, non debet euulgare*: nisi videlicet publicæ tranquillitatis & salutis ratio id requirat. 20. *Disciplina Ecclesiastica potissimùm cõsistit in Christiana correctione.* Itaque non est statim incipiendum ab excommunicatione, neque semper à correctione veniendum est ad excommunicationem. Neque enim proprius finis correptionis, siue correctionis est, vt aditus fiat ad excommunicationem (quamuis per accidens illud nonnunquam sequatur) sed vt excommunicandi necessitas, si fieri possit, anteuertatur, & peccator per maturam resipiscentiam in Ecclesia retineatur. 21. *Excommunicatio plenaria non est adhibenda, nisi ad peccatum accedat contumacia.* Peccator enim ritè admonitus, vel pœnitens, vel contumax apparet. Pœnitens autem non est excommunicandus. Solus ergo contumax. In atrocioribus tamen flagitiis excommunicatio locum habet. In iis enim neque necessaria, neque vtilis est tanta patientia & mora, ad pœnitentiam expectandam aut contumaciam discernendam. 22. *Quando res pati potest moram, & delicti natura ita fert, excommunicatio minor adhibeatur potiùs quàm maior.* Illa fit per suspensionem & abstentionem à sacra cœna, & similibus Ecclesiæ priuilegiis: hæc fit per segregationem completam à communione fidelium. 23. *Vbi excommunicatio minor proficit & sufficit, ibi non est progrediendum ad maiorem.* 24. *Qui legitimè excommunicantur, à communicantibus omnibus vitandi sunt*: non quantum ad officia simpliciter moralia, aut aliâs necessaria, sed quoad illas conuersationis partes, quæ approbationem & interiorem conuersationem comitari solent, de quibus est versiculus:

Os, orare, vale, conuiuia, mensa negatur.

25. *Ab excommunicationis vinculo nemo non pœnitens debet solui, neque cuique pœnitenti debet negari.* Sufficiens autem pœnitentia colligitur ex certis indiciis, in quibus Ecclesia tenetur acquiescere. 26. *Propter notoria quædam & enormia scelera, quæ à maiori parte, vel etiam à tota Ecclesia patrantur, tota Ecclesia simul non est excommunicanda.* Hac enim ratione non fuerit excommunicatio, sed totius Ecclesiæ destructio. 27. *Excommunicatio minor locum habere potest in Principe; maior non item.* Non enim oportet Ecclesiam priuare defensore suo.

Capvt VI.

De Casibus conscientiæ circa secundam decalogi tabulam.

Præcepta.

Casus conscientiæ circa secundam decalogi tabulam, id est, circa quintum, sextum, septimum, octauum, nonum, & decimum præceptum.

Sicut autem in primâ tabulâ plures tituli fuerunt ad singula præcepta: sic etiam hoc loco fieri oportet.

Regvlæ.

I. *Circa quintum decalogi præceptum notentur hi casus conscientiæ.*

Ca qui pra

1. *Cupiditas honoris debiti est, quando honor est præmium virtutis.* Itaque intra hos cancellos continere nos debemus, ne modum excedamus appetendo honorem. 2. *Absque vllâ legitimâ vocatione priuatim viuere, cùm tantum habeas virium & donorum à Deo, vt aliis laudabiliter inseruire possit, nemini est consulendum.* Vult enim Deus, ne quis talentum suum defodiat, sed dona sibi collata fœnori exponat. 3. *Vnus idémque homo bonâ cum conscientiâ non potest Ecclesiasticam simul & politicam exercere potestatem.* Distincti enim sunt hi ordines, & distinctas habent expeditiones. Quod attinet ad exempla, quæ contra hanc sententiam obiiciuntur ex V. T. illa sunt talium personarum, quæ vel nondum constitutâ regiminis Ecclesiastici, & politici formâ vixerunt, vt *Patriarchæ*: vel ad breue tempus & extra ordinem vtroque munere defuncti sunt, vt *Moses* in inauguratione Aharonis: vel in perturbato reipub.

ſtatu vtrumque regimen extraordinariè ſuſtinuerunt, vt *Elias* vel fuerunt viuoſa, vt *in Machabæis*: vel denique erant typi Christi, vt *Melchiſedec, Samuel, Dauid.* 4. *Qui canonicati bus, vt vocant, fruuntur bona conſcientia, diſparantur in quatuor claſſes.* Sunt enim *aut* Eccleſiaſtici & Scholaſtici, qui docent in Eccleſiis & Scholis: *aut* politici, qui conſilio & auxilio iuuant remp. *aut* ſunt emeriti: *aut* denique ſunt iuniores, & quidem nobilium, aut ditiorum filij, ſed id paupertatem redacti, quorum tamen parentes olim locupletarunt Eccleſias. His tamen etiam adiungi poſſunt, & verò debent pauperes; præſertim quando fundat rum liberi non ſunt digni vel apti. 5. *Nemo poteſt ingredi monaſterium, meriti & cultus causa.* Poteſt autem aliquis bonâ cum conſcientia mud ingredi ob diſciplinam, pietatem, ac eru ditionem, ſi habeat donum continentiæ: vel poteſt ad tempus ibi deg re. Id patet ex veterum cœnobiis & monaſteriis. Valet autem iſt canon de viris & fœminis, ſeu iuuenibus & virginibus. Nam mariti & vx res id ſalua conſcientiâ non poſſunt facere. 6. *Vendi me dica tes in repub. non ſunt toler nd.* Non enim viuunt in certo & honeſto vitæ genere. 7. *Qui tractant artes ludicras & ſcurriles, non ſunt in certo vitæ genere.* Tales ſunt funambuli, præſtigiatores, & iis ſimiles. Proinde in repub. non ſunt f rendi. 8. *Deficientibus veris doctoribus quiſ.tue. d na, poteſt operam ſuam offerre Eccleſiæ.* Ita enim habebit verum fundamentum ſuæ vocationis. Non ergo munus docendi poteſt ſibi ſumere bonâ cum conſcientia. 9. *Si Chriſtiani viuant i ter Barbaros, vnus ex illis abſque vocatione olemni li et docere*: ſi nempe intus vocetur a Deo. 10. *Legitima & mediata vocatio ad mini terium colligitur ex eo, ſi quis totâ Eccleſiâ vocetur.* Nam vocatio miniſtrorum eſt totius Eccleſiæ, iuxta illud Leonis Papæ: *Qui præfuturus eſt omnibus, eligatur ab omnibus.* Eccleſia autem conſtat tribus ordinibus, puta m niſtris, magiſtratu, & populo: quibus ſuæ diſtinctæ ſunt partes in vocatione miniſtrorū. 11. *Cùm locum aliquem in min ſterio plures, donis ac virtutibus æquales, amb unt v iliter adhibetur ſors.* Cum en m non ſ ti vnus vocari queat, & neuter præ altero priuilegium eruditionis, aut virtutis habeat, ne quid affectibus dari videatur, ſors honeſtè interuenire & rem decidere poteſt. 12. *Quid ſi duæ, vel plures vocationes alicui ſimul offerantur, duo ſunt opus.* Primò diſpicere oportet, ad quam nam ſe maximè dignum & aptum iudicet. Sol t enim Deus eos quos vocat, id neis inſtruere donis iuxta illud: Wen Gott ſchickt, den macht er geſchickt. *Deinde* precibus ſollicitandus eſt Deus, vt non ſignis aut miraculis, ſed ductu Spiritus ſancti flectat animos noſtros eo, vbi maiori cum fructu Eccleſiæ aut reipub inſe uire poſſumus. 13. *Ius patronatus non vitiat vocationem, ſi patronus diuerſæ religionis ſit, ſi inquam integritatem doctri æ in Eccleſia,* e.gr. ſi patronus Pontificius Eccleſiæ reformatæ aliquem præficiat iſti Eccleſiæ. 14. *Si duo patroni, vel l tigent de iure p tronatus, vel vnus tantùm conſentiat, non vitiatur vocatio*; ſi quis vocetur ab eo, qui eſt in poſſeſſione; & alter nullam ſui diſſenſus cauſam iuſtam habeat. 15. *Omnes Paſtores ſunt æquales quatenus ſunt ſymmyſtæ.* Et inæquales ſunt ætate, donis, zelo, & ſimilibus 16. *Alicui officium Eccleſiaſticum cũ m conditione promitti, aut commendari poteſt, vt defuncti Paſtoris viduam, aut filiam ducat*: ſi ad officium ſit ſatis aptus, & toti Eccleſiæ acceptus, & in tale coniugium conſentiat 17. *Miniſter verbi legitimè vocatus poteſt ſe abdicare miniſterio Eccleſiaſtico*; ſi nempe anim aduertat; ſe non habere dona ſufficientia, neque vti ſecundo auditorio. Poteſt autem in hoc caſu ſe conferre ad officium potius ſcholaſticum, quàm politicum: quia tranquilliori cum conſcientiâ laboribus ſcholaſticis perfungi poteſt. 18. *Mulier ad publ.cum Eccleſiæ miniſterium vocari non debet* 1 Cor. 14. 34. Neque verò in caſu neceſſitatis licet mulieribus baptizare: quia caſus ille nititur falsâ hypo heſi, quaſi nemo poſſit ſaluari ſine Baptiſmo. Verum quidem eſt: Deus nos alligauit ad Baptiſmum. Sed & hoc verum eſt, quòd nos alligauerit ad Baptiſmum rectè adminiſtrandum. 19. *Magiſtratus malè ſibi ſoli arrogat dimiſſionem Paſtorum.* Sicut enim vocatio, ita quoque dimiſſio Paſtorum eſt penes totam Eccleſiam. 20. *Alioqui bonâ cum conſcientia magiſtratum gerere poteſt.* Deus enim eſt autor, fautor, & conſeruator huius ordinis. 21. *Poteſtas magiſtratus non dependet à Pontif. Rom. ſed à conſenſu populi & iure belli*: quorum illud eſt ordinarium; hoc, extraordinarium 22. *Magiſtratus infidelis, aut hæreticus, imperãs Chriſtiani, pro legit mo eſt habẽdus.* Tametſi enim non eſt nutritius Eccleſiæ, aut defenſor fidei: tamẽ eſt cuſtos legum politicarum, & tutor reip. quæ eſt hoſpitium Eccleſiæ. Habet itaque huiuſmodi magiſtratus eſſentiam legitimi Magiſtratus, etſi nõ habeat eminentiam. 23. *Princeps ſolutus eſt iis legibus, quos figere & refigere poteſt, ac debet, pro exigẽtiâ reip.* Si enim obligatus eſſet iſtis legibus, illas ferre & mutare non poſſet. 24. *Iudicium politic: Magiſtratus rectè exerceatur & frequentatur.* Eſt enim iudicium ipſius Dei, non hominum. 2. Paral. 19. 6 Et eſt iuſta defenſio ſubditorum. 25 *Iudex in omnibus controuerſiis ſecundùm conſcientiam ſuam reſpondere, ac decernere debet* Itaque non debet condemnare reum per teſtes legitimè conuictum, quem tamen ipſe certò nouit innocentem. Eſt enim iuris naturalis iudicare ſecundùm rei veritatem iu-

ri gentium, ſecundùm acta & probata. Iam verò ius gentium n [illegible] 26. *Magiſtratus tempore pacis* [illegible] *commodum & ſuſpenſionem* [illegible]. Rom. 13. 4. vbique vigeat iuſtitia, æquitas, & prudentia. 27. *Iudex non debet illum* [illegible] *iuramentum, quem falſum iuraturum, aut quod iuramentum non ſeruaturum nouit*. niſi forte negotium nulla ratione alia, quàm per iuramentum compon ri queat. Oportet autem in hoc caſu permittere ſufficientẽ admonitionem [illegible] 28. *Iudex bona cum conſcientiâ accipere* [illegible] *ſportulas*: [illegible] *ante iudicium* [illegible] petere & recipere poteſt, non à partibus litigantibus, ſed à Magiſtratu, aut ex fiſco publico. *Expenſas* accipit à partibus litigantibus. *Sportulas* accipit pro receſſibus, pro [illegible] ſententiæ & ſimilibus. *Donaria* ſunt, quæ iudici priuatim offeruntur, vel ante iudicium ad promouendam cauſam, vel pro adhibito ſtudio & latam ſententiam. Ibi non ſunt accipienda. Deut. 17. 25. hîc poſſunt accipi tanquam honoris & grati animi ſignificatio. 29. *Magiſtratus non gerat* [illegible]*um.* Iuſtum autem eſt bellum, ſi iuriſdictio Magiſtratus bellũ indicentis ſit fũdata, & ſi cauſa ſit iuſta, vt inter [illegible] pacti aut iuris gentium, inuaſio &c. & ſi recta ſit intentio i.e. ſi directa ſit ad pacẽ, & denique ſi legitimo modo geratur, vbi eſt pietas, humilitas, fortitudo &c. 30. *Si ſubditi a* [illegible] *militare iubeantur, dum adhuc iuſta belli cauſa* [illegible] *conſtat, parere tenentur.* Etſi enim dubitare de cauſa belli tamen ſatis eſt, Principem, & eos qui in conſilium adhibentur, iudicare hoc bellum non eſſe iniuſtum. Si tamen in conſcientia dubitent, an rectè faciant, ſatius eſt, ſi à bello tali abſtineant, quàm conſcientiæ iugum imponant Quòd ſi certò ſciant bellum, quod ſuſcipitur, iniuſtum eſſe, contra hanc claram ſuam ſententiam militare non poſſunt 31. *In bello iuſto parcendum eſt pœ ſonis innocentibus*, putà paruulis, mulieribus, ſenibus decrepitis, ſimplicibus agricolis, & ſimilibus. Duo tamen caſus excipiuntur: ſi nempè arx aut caſtellũ neceſſario ſit oppugnandum, & ſi bona innocentum inſeruiant hoſti. 32. *Reges ſubditi ſunt paſtoribus in ſpiritualibus, paſtores regibus, in temporalibus.* Mutua hæc ſubiectio eſt iuris naturæ & Scripturæ. Rom. 13. Vide Chryſoſtomum ſuper hunc locum. 33 *Clerici, quantũ ad perſonas & ſtipendia ſua ſunt exempti ab oneribus & muneribus ciuilibus* Quantum autem ad bona ipſorum, ut uſura, de illis meritò ſoluũt tributa. Ita enim non ſunt clerici ſed ciues. Cæterùm ſi extrema ſit neceſſitas, ſtipendia & bona publica clericorũ in vſus reip. ad tempus verti poſſunt 34 *Leges neceſſariæ & bonæ à magiſtratu latæ, obligant conſcientia ſubditorum*, non ſimpliciter & directè, ſed ex hypotheſi & indirectè, quatenus conſentiunt leges illæ ciuiles cum naturalibus & diuinis, & quatenus violatio earũ ſit ex cõtemptu & cum ſcandalo. 35. *Ius venandi magiſtratus bonâ cum conſc ẽtia ſolus vſurpare poteſt, ſi has quinque obſeruet cautiones.* *Primò* venatio fiat ob legitimas cauſas: videl. honeſtæ recreationis ergo, ad minuendas noxias feras, ad parandum victum Principis. *Deinde*, Magiſtratus non ſit nimius in venatione, cũ neglectu iuſtitiæ & pernicie totius reip. *Tertiò*, feras multiplicari non permittat, cum maximo ſatorum detrimentò. *Quartò*, venationes iuſto tempore inſtituat, non ſub concione. *Quintò*, venationes fiant abſque damno ſubditorũ, ne conculcentur ſegetes. Porrò triplici iure priuilegium venandi ceſſit Principibus: iure compẽſationis, occupationis, & præſcriptionis. 36. *Magiſtratus bonâ cum conſcientiâ non poteſt ferre lupanaria in rep.* Sunt enim fomenta impuritatis, ſcortationis, inquam, & adulterij. 37. *Parentes liberis debent alimenta*: id eſt, cibum & potum, veſtitum & lectum, habitationem, medicinam, ſumptus ad ſtudia, nuptias &c Occurrunt tamen cauſæ, ob quas parentibus licet liberis alimenta recuſare: ſi nempè filius in parentes manus iniecerit, ſi prodigus fuerit &c. In ſummâ tamen egeſtate hi caſus ceſſãt. 38. *Pater alimenta debet ſpurio.* Id enim eſt æquitatis naturalis, & iuris canonici. Leges ciuiles adimunt ſpuriis alimenta, cùm aliunde ali poſſint. 39. *Matres certis de cauſis liberos ſuos pro rio lacte alere non tenentur.* Cauſæ vulgò tres recẽſentur: puta in becillitas, inopia, & nobilitas matris. *Imbecillitas* eſt vel defectus in vberibus, vel inualetudo corporis. *Inopia* eſt, cùm non habet mater vnde ſibi victum ſufficientem procuret. *Nobilitas* eſt, cùm mater adeo illuſtris eſt, vt dedecori ſit ipſi contra receptam conſuetudinem liberos proprio lacte alere. 40. *Parentes non habent ius vitæ & necis in liberos.* Id enim ius Deus cõceſſit ſoli Magiſtratui, ſuo in hac re vicario 41. *In omnibus, quæ non ſunt cõtra Deum aut bonos mores, liberi obſtricti ſũt parẽtibus.* Quod attinet ad res adiaphoras, in iis liberi non ſẽper tenẽtur obedire parentibus: vt in ducẽda vxore, in capeſſendo hoc vel illo vitæ genere. 42. *Spurij etiam tenẽtur honorare parentes.* Vbi enim lex Exod. 20. non diſtinguit, ibi nec nos diſtinguere debemus. 43. *Liberi conſenſum parentũ in contrahẽde matrimonio non poſſunt negligere bonâ cum cõſcientia.* Hæc enim eſt præcipua pars honoris, quem debẽt parentibus. 44. *Parens ſuo diſſenſu, ſi iuſtas eius cauſas habuerit, matrimonium contractum, ſed nondum conſummatum, reſcindere poteſt: & ſi non* [illegible] *matum fuerit, filiũ immorigerũ parte aliqua hæreditatis priuare*

Oo 4 poteſt

potest. Etsi verò parentes sponsalia contra ipsorum voluntatem inita rescindere, & nuptias liberorum impedire possunt: necesse tamen est, vt causam matrimonii aliam iudicibus rationes huius rei [illegible] 45. *Liberis [illegible] vota tran [illegible]* [illegible]. Sunt enim emancipati. 45. *Si liberi iniussu parentibus, interposito iuramento, matrimonium al[illegible], promissio est inualida.* Iuramentum [illegible] temerarium, & proinde rescindendum nisi [illegible] parentum consensus possit impetrari. 47. *Si pater [illegible] & filius alterutrum tantum alere [illegible], qui max[illegible] indiget*: verbi gratia, si pater non possit laborare mater autem possit, patri potius subueniri oportet. Quòd si pariter [illegible], patri potius est succurrendum. 48. *Liberi [illegible] negare possunt parentibus; ciuilia, possunt* [illegible] pater sit hostis patriæ, aut reus criminis læsæ maiestatis, tunc ex vi statutorum ciuilium patri à filio in officio magistratus constituto negantur officia ciuilia. Sed [illegible] nunquam negari possunt, aut dependent à [illegible] de quâ poëta:

Δεινὸν γὰρ [illegible]

Itaque liberorum est semper honorare parentes. 49. *Filio non licet parentem in ius vocare, aut coram iudice accusare.* Id enim [illegible] pugnat pietati naturali. Leges quidem ciuiles in duobus casibus hoc licitum esse statuunt; quando parens est hostis, vel proditor patriæ & reipubl. & si principi necem, aut interitum minetur. Sed maioris pietatis fuerit, etiam in his criminibus actionem aliis permittere. 50 *Fratri indigenti frater, aut sorori necessaria debet alimenta.* Quilibet enim tenetur proximo suo in hoc casu succurrere. 51. *Frater al[illegible] debet fratri à patre exhæredato*; [illegible] exhæredatus sit planè degener, ac desperatus. 52. *Frater [illegible] debet [illegible] alimenta ad sustentationem vitæ [illegible].* Id enim est æquitatis naturalis. 53. *Cognatis [illegible] debemus honorem, [illegible] debitum; [illegible] fratrum [illegible].* Itaque sunt tres classes cognatorum [illegible] propinquorum. 54. *Domini [illegible]* [illegible]. Id [illegible] magistratus. 55. *Quo[illegible]* [illegible]. Itaque in hoc casu dominus serui sui [illegible] præstare debet & propter illud puniri potest, [illegible] quando [illegible] iussu & authoritate sui heri delinquit, aut in eo ministerio & officio, quod iussu domini [illegible]. 56. *Domin[illegible] mercedem, quam pactus est.* S[illegible] tamen soluere tenetur tantum, quantum pro more [illegible]. Sunt tamen quibus nulla debetur merces: qui nempe 1. [illegible] ad minimi frandum offi[illegible], non spe mercedis, sed beneuolentiæ & promotionis. 2. alios non indigentes suâ operâ rogant, vt se suo famulitio adiungant. 3. in aulis Principum honestè educantur.

Casus ad sextum præceptum.

II. Circa sextum decalogi præceptum hi sunt casus conscientiæ.

1. *Cupiditas vindictæ ma[illegible] aduersatur Deo & charitati Christianæ.* Oritur enim ex animo iracundo. 2. *[illegible]* Quâ de re vide suprà Pathologiam. *De metu* idem est iudicium. 3. *Reconciliatio cum proximo ita fieri debet.* Si altera pars tantùm alteram offenderit, ea ad reconciliationem sola tenetur; quæ, si pars offensa præstò est, accedere illam debet, veniam [illegible] ab eo pet[illegible]. Si verò absens fuerit, sufficit interna animi reconciliatio, & testificatio huius rei apud alios. Quòd si offensio fuerit mutua, is qui prior offendit, reconciliationis initium facere debet, modò omnia sint paria, quantū ad personas, & delicti grauitatem: alias, qui posterior offendit, prior tamen reconciliationem petere debet, si delictum eius est grauius, aut persona offensa conditionis longè dignioris. Et hæc quidem sunt honestatis ciuilis. Si verò quis Deum & proximum ex animo diligat, discrimen hoc non tam strictè attendet, sed etiamsi in offensione posterior & conditione nobilior sit, initium tamen reconciliationis facere non grauatur, si altera pars sit ad reconciliationem aliquatò difficilior. Quâ in re imitatur patrem cœlestem, qui nobilissimus omnium est, & neminé offendit, offensus autem à nobis semper reconciliationis initium facit. 4. *Ira iusta est necessaria.* Est autem *ira iusta*, quæ habet causam iustam, vt [illegible] violatio decalogi; quæque concipitur ex præeunte consilio & deliberatione, item quæ accenditur ex [illegible] affectibus, [illegible] ex studio virtutis, & ex amore Dei, & [illegible] eius, quæ porrò non in personam, sed in vitium [illegible] quæ non violat charitatem proximi; denique [illegible] non quærit perniciem, sed bonum eius, cui irascimur. E contrario *ira iniusta* (quam Suidas vocat ἀχαλίνωτον πάθος [illegible] *affectum*) est, cùm quis appetit puniri aliquem, qui nihil tale est promeritus, vel cùm quis appetit puniri aliquem [illegible] meruit; vel cùm appetit aliquem puniri absque [illegible] ordine, vel absque iusto fine; vel absque iusto modo. His addе præcipitantiam, & temeritatem in irascendo. 5. *Remedia illicitæ iræ sunt, si quis cogitet naturam Dei, proximi, & suiipsius.* In Deo est longanimitas; in proximo, fragilitas, propter quam et est ignoscendum; [illegible] est noxa, quam ira illicita solet nocere. 6. *[illegible] cita, vel licita.* Illa est, cùm bene meritis laudem [illegible] citatem inuidemus: hæc est, cùm [illegible] bonum [illegible], quatenus ab eo nobis imminet malum; vel quia [illegible], qui bonum illud habet, eo est indignus. 7. *In[illegible] est pro alio vitam suam profundere*: si nempe is, pro quo parati sumus vitæ periculo nos exponere, sit persona publica, in cuius salute reipub. salus vertitur; si quis pro salute totius populi vitam periculo exponat; denique si quis vitam corporalem periculo exponat propter vitam alterius spiritualem, vt si quis tempore pestis præstò sit infectis, vt illis præbeat animæ pabulum. 8. *Moderata carnis castigatio est necessaria.* Illa autem fit subtractione deliciarum. Quod attinet ad maceratione corporis per ieiunia & flagellationem, illa pugnat cum hoc sexto præcepto. Idem est iudicium de iis, qui in gratiam aliorum; vel religionis causâ, vel propter lucrum, vel [illegible] causâ lædunt sua corpora. 9. *Membrum aliquod corporis abscindere licet, vt vita conseruetur.* Ista verò abscissio prouenire potest *vel* ab interna causa, vt à gangræna: *vel* ab externo periculo, vt si quis esset manu alligatus, subitùmque exoriretur incendium, quod nonnisi manus abscissione effugere posset: *vel* denique ab imperio tyranni, si nempe tyrannus iubeat mutilationem alicuius membri sub comminatione mortis. 10. *Non est mutilandum membrum aliquod corporis, ob salutem reipub. aut alterius cuiusdam commodi maioris gratia.* Nemo enim est dominus membrorum suorum, sed quilibet est custos, atque rector sui corporis. Et salus reipub. aliis mediis conseruari potest. 11. *Digladiatio cruenta est illicita*: Cruenta verò dicitur, quæ hunc scopum sibi habet propositum; vt aliquis vulneretur. 12. *Duellum ordinariè non est licitum.* Itaque nec prouocare alterum, nec prouocanti comparere licet. 13. *Vim vi repellere licet*; quando subita est violentia inuasoris, eadémque manifesta; & quando seruatur moderamen inculpatæ tutelæ. Tria autem requiruntur ad moderamen inculpatæ tutelæ: vt fiat defensio in continenti; neque fiat animo vindicandi, sed defendendi; & vt paria sint arma, ne fuste te inuadentem bombardâ ferias. Porrò defensio ista non habet locum contra parentem & Principem inuadentem. 14. *Si iniuria fuerit verbalis, illata [illegible] pœna corporalis infligi [illegible]* Si verò inferatur aliquo per [illegible], quàm magistratui, sufficit vt verbis reprimatur, vel pecuniaria multâ compescatur. *Iniuria realis* resistentia reali comprimi potest: vt cùm alicuius tentatur pudicitia, aut cùm alapa viro honesto impingitur, præsertim in publico. 15. *Melancholia in genere tempestiuè profliganda est argumentis & medicamentis.* Potissima *argumenta* sunt, quòd melancholia Satanam habet authorem, qui est spiritus melancholicus; & aduersatur naturæ Dei, qui Deus est gaudij & omnis consolationis; & impedit preces; & nocet valetudini. *Medicamenta* sunt honestæ conuersationes, moderatus vini vsus, musica suauis, & liberalis, & remedia specifica. 16. *Melancholia in specie profligatur remotione causarum, ex quibus oritur.* Sic verbi gratia, melancholicæ cogitationes oriuntur ex defectu rerum temporalium, putà honoris, opum, sanitatis: ex persecutionibus & exilio propter confessionem fidei: ex dilatione auxilij diuini: ex consideratione mortalitatis & mortis: ex recordatione peccatorum: ex molestia prauarum suggestionum diaboli: ex eo, quòd non possimus concipere serium dolorem ob peccata, &c. De his & similibus casibus vide passim Casuistas. 17. *Si quis ex melancholia, aut phrenesi sibi ipsi mortem consciscat, de ipsius salute non protinus est desperandum.* Alia est ratio illorum, qui ex desperatione, aut malo proposito hoc faciunt. 18. *Signa obsessorum, vel antecedunt obsessionem, & ingressum dæmonis, vel sequuntur.* *Ibi* sunt horribilis aspectus, insolitus sonus, molestatio corporis, somnia horribilia: *hic* sunt variarum linguarum pronunciatio, occultorum, quæ in remotissimis locis fiunt, reuelatio; dementia & risus immoderatus, mira & stupenda opera, robur corporis insolitum, &c. Cùm verò nonnulla ex his signis etiam in epilepticis, lethargicis, phreneticis, & similibus reperiantur, ideò, cùm de obsessis iudicium faciendum est; non singula, sed coniuncta sunt adhibenda. 19. *Dæmon non potest obsessos priuare fide, & salute.* Nam obsessio dæmonum est pœna corporis, non verò animæ. 20. *Quidam obsessi admittendi sunt ad vsum Eucharistiæ*: ii nempe, qui à maligno spiritu id temporis habent requiem, sibique quasi restituuntur. 21. *Diabolus ab obsessis eiicitur mediis licitis, vel illicitis.* Media licita sunt, vel extraordinaria, vt donum exorcismi, vel ordinaria, vt sunt medicamenta, preces, ieiunium, &c. *Media illicita* sunt artes magicæ, signum crucis, & similia, quibus personati Exorcistæ vtuntur. 22. *Sponte obsessi ac [illegible] discernendi sunt ab inuitis.* Illi obsessionem simulant quæstus causâ, vel pro arbitrio suo dæmonem admittunt: hi à diabolo no[illegible] occupantur & excruciantur. Priores sunt fere [illegible] posteriores possunt etiam esse pij.

III. *Circa ſeptimum decalogi præceptum notentur hi caſus.*

1. *Duo ſunt caſus, vbi quis habitum abſque peccato mutare poteſt*: ſi nempè aliquis verſetur in præſentiſſimo periculo inter hoſtes, vbi fuga opus eſt, & quando in legitimo bello exploratoris munere quis fungitur. 2. *In comediis & tragediis liberalibus licitum eſt larvas induere, aut mutatis veſtibus aliam agere perſonam.* Nam repræſentatio perſonarum, quę ad actionem comœdiarum pertinet, ſine habitu fieri non poteſt. 3. *Balnea virorum & mulierum promiſcua non ſunt permittenda.* Oportet enim à repub. auertere, quæ aliquam inhoneſtatis ſpeciem habent. Quò pertinet, quòd Gualtherus epiſt. ad Philipp. diaboli inuentum eſſe indicat, cùm mares nudantur in conſpectu fœminarum, & contrà. Turcæ quoque auerſantur huiuſmodi lauacra. 4. *Non nocet ſi fœminæ, ſi honeſtatis gratia faciem tegant.* Nam & ſanctæ virgines hoc fecerunt, vt Rebecca, Gen. 24. 65. Eſt autem pro diuerſitate regionis diuerſa tegendi ratio. 5. *Pulchritudinis cauſâ faciem ſtibio pingere, aut colores capillorum mutare non licet.* Hæc ſiquidem pictura eſt ſophiſtica, quæ pertinet ad ornatum meretricium, & corpori damnum infert. 6. *Voluptas illicita, tum gulæ, tum veneris, nocet animæ & corpori.* Oportet itaque fugere hanc talem voluptatem, & eius occaſionem. 7. *Puriorem conſcientiam habent omnes ij, qui viuunt in coniugio caſto, quàm qui in cœlibatu impuro.* Neque enim cœlibatus omnis purus & ſanctus eſt. 8. *Nuptiæ primæ, ſecundæ, &c. non dedecent miniſtrum Eccleſiæ.* Coniugiũ namque legitimum eſt ordinatio Dei ſancta & religioſa, in ſtatu innocẽtiæ facta, & poſt lapſum confirmata. Id autem obtinet de primis, ſecundis, tertiis &c. votis. Nam vinculũ coniugale durat tantùm vſque ad mortem alterius coniugis. Itaque licitum eſt tum ad ſecundas nuptias tranſire. 9. *Ob impotentiam naturalem, quæ ab initio & ante nuptias adfuit, ſeparatio fieri poteſt*: quâ nempè declaretur, inter has perſonas nullum fuiſſe coniugium. Quòd ſi autem impotentia poſt nuptias demum ſuperuenerit, vel ex maleficio, vel ex alio aliquo caſu, ea non ſtatim ſeparat coniuges, quia progreſſu temporis corrigi poteſt) 10. *Poſt legitimum diuortium pars innocens bonâ cum conſcientiâ ad ſecunda vota tranſire poteſt*: ne videlicet coniiciatur in periculum perpetuæ vſtionis, vel fornicationis. 11. *Periculoſum eſt poſt commiſſum adulterium inter coniuges tentare reconciliationem*: quia vulnus ſubinde recrudeſcit. 12. *Coniux deſerta malitiosè in ordinario iudicio ſolutionem à deſertore marito petere poteſt.* Leges autem hic præſcribunt certos annos, quibus expectandum eſt, ſi deſertor peregrè abſit. 13. *Si maritus deſertor tandem redeat, & vxorem ſuam, quæ interim alteri nupſit, repetat, non eſt audiendus*: ſi nempè ſine honeſtâ & probabili cauſâ malitiosè diſceſſit, neque legitimè citatus comparuit, vxor verò interim iudicialiter ab ipſo fuit ſoluta, & aliud coniugium ei conceſſum. Non, inquam, audiendus eſt huiuſmodi deſertor, ſed pro meritis puniendus, & pro re natâ in exilium, quod ſibi inuitâ coniuge elegerat, eiiciendus. 14. *Quando coniugium contractum eſt in gradu aliquo, iure diuino prohibito, illud eſt reſcindendum.* Neque enim eſt coniugium, ſed contagium. Itaque nullâ diſpenſatione eſt palliandum. Nam contra ius diuinum nulla valet humana diſpenſatio; quia inferior non poteſt diſpenſare aut diſponere in legibus ſuperioris. Cùm verò matrimonium in gradu aliquo humanitùs, ſeu iure poſitiuo, prohibito contractum fuerit, ibi diſpenſatio locum habere poteſt. Porrò gradus lege diuinâ prohibiti Leuit. 18. & 20. vſitatè his verſibus comprehenduntur:

Nata, ſoror, neptis, matertera, fratris & vxor,
Et patrui coniux, mater, priuigna, nouerca,
Vxorisque ſoror, priuigni nata, nuruſque
Atque ſoror patris, coniungi lege vetantur.

Iure poſitiuo plures adduntur gradus. 15. *Officia coniugum debent eſſe mutua eaque in choro, domo, & toro. In choro* mutuas debent ſibi preces: *in domo*, mutuas operas: *in toro*, mutuam beneuolentiam.

IV. *Circa octauum decalogi præceptum hi notentur caſus.*

1. *Cupiditas immenſa diuitiarum frænanda eſt meditatione noxæ, quam nocet auaritia.* Facit enim ex homine mancipium luti, idololatram, & carnificem proprii cordis atque corporis. Eſt cauſa litium & bellorum. Denique inducit atheiſmum. 2. *Chriſtiani ſalua pietate poſſunt opes colligere & poſſidere* Sunt enim dona Dei. 3. *Chriſtiani bona cum conſcientia poſſunt plura bona poſſidere, quàm quotidianus eorum vſus poſtulat.* Nam Patriarchæ ſancti magnis abundarunt opibus. 4. *Tria ſunt præcipua media, quibus diuitiæ abſque peccato, bona cum conſcientia colligi poſſunt*: videlicet κληρονομία, συνάλλαγμα, καὶ φιλοπονία, id eſt, hæreditas, contractus legitimus, & labor aſſiduus in operibus vocationis. 5. *Vſura lucratoria, ſeu propriè dicta eſt illicita: ſed compenſatio, ſeu penſio annua, quæ dicitur vſura compenſatoria, eſt licita.* Ratio prioris eſt, quia vſura propriè dicta eſt lucrum, quod vltra ſortem exigitur, propter ſolum mutuationis officium, cum damno mutuatarij. Quiſquis ergo hoc modo colligit diuitias, vt ex re mutuo datâ, propter ſolum mutuationis officium, aliquid quærat lucrum, quod mutuatario, præſertim pauperi, manifeſtum adfert damnum, is manifeſtè deliquit, charitatem proximi lædit, & fit vſurarius. Ratio poſterioris eſt; quia vſura compenſatoria eſt, cùm iuxta leges certi quid, puta quinque vel ſex pro centum mutuò ſumptis, penduntur, ab iis, qui pecuniâ noſtrâ res ſuas multiplicarunt. Huiuſmodi cenſum annuum bonâ cum conſcientiâ petere poſſumus: quia neque cum naturâ, neque cum Scripturâ, neque cum legibus ciuilibus id pugnat. 6. *Pignus à mutuario accipere licet, æquè ac hypothecam*: dummodo mutuatarius non ſit pauper, neque terminus ſolutionis ſtatuatur mutuatario nimis anguſtus. 7. *Illegitimus eſt modus ditescendi per minorationem monetæ.* Nocet enim omnibus, in primis pauperibus, & pugnat cum legibus reipub. fundamentalibus. 8. *Si fortè bona quædam malè fuerint acquiſita, & poſſeſſor eo nomine in conſcientia ſua angatur, duobus modis conſulitur conſcientiæ*: videlicet per reſtitutionem & eleemoſynam. Quòd ſi reſtitutio fieri non poſſit, ſufficit propoſitum reſtituendi, & dolor ob admiſſum peccatum. 9. *Legitimus bonorum rectè acquiſitorum vſus, qui cum bonâ conſcientiâ ſtare poſſit, conſiſtit in dando & vtendo. Dare* oportet Deo, in ſuſtentationem Eccleſiæ, magiſtratui, ad ſuſtentationem politiæ, proximo pauperi, ad ſuſtentationem œconomiæ. His autem omnibus dandum eſt libenter, hilariter, ſimpliciter, fideliter, frequenter. *Vti* oportet ad animi & corporis ſuſtentationem & recreationem. 10. *In eleemoſyna oportet ſpectare perſonã & ordinem. Perſona* eſt dans & accipiens. *Dans* debet habere iuſtum dominum eius, quod dare vult in eleemoſynam: debet dare ex ſuperfluitate bonorum: debet dare animo hilari: deniq; ita, vt eleemoſynæ non ſint nimiæ, quibus ad paupertatem redigatur. *Accipiens* oportet vt ſit egens, qui laboret neceſſitate, ſiue illa ſit extrema, ſiue grauis, ſiue communis & ordinaria. *Ordo* ſeruandus in dandis eleemoſynis eſt, vt inter parentes primum locum habeat pater, deinde ſequantur liberi, tum fratres, ſorores, & alii ſanguine nobis propriùs coniuncti, dehinc domeſtici, denique extranei, in quibus primum locum obtinent religionis noſtræ ſocii. 11. *Si debitor & creditor extremâ neceſſitate pariter laborent, debitor non tenetur ad reſtituẽdam rem commodatam*: quia in extremâ neceſſitate omnia ſunt communia, & in communi periculo melior eſt conditio poſſidentis.
12. *Qui mutuum dedit pauperi, præceptũ eleemoſynæ impleuit, ſi quod mutuum dedit, reſtitui ſibi poſtulet.* Nam eleemoſyna vel ſimpliciter datur gratis, ſine ſpe reſtitutionis, Luc. 6. 35. vel cum obligatione reſtitutionis, Sirac. 29. 2.

V. *Circa nonum decalogi præceptum notentur hi caſus.*

Caſus ad nonum decalogi præceptum.

1. *Correptio fraterna exigitur ab omnibus Chriſtianis*: inprimis tamen à ſuperioribus. 2. *Omnes peccatores, præſertim ſcandaloſi, ſine reſpectu dignitatis, ſexus, aut ætatis, ſunt corripiendi.* Vbi enim communis eſt morbus, ibi etiam cõmuni opus eſt medicinâ. Idcircò etiam ſuperior ab inferiore, ſenior à iuniore maritus ab vxore poteſt corripi, obſeruato tamen debito more ac modo. 3. *Correptio fit vel ſimplici reprehenſione peccantium, vel denuntiatione facti apud alios*, præſertim apud ſuperiorem, aut etiam apud Eccleſiam totam. 4. *Si corripiendus ſit ſuperior, fiat correptio magnâ cum humilitate & reuerentia*, per modum nempe obſecrationis potiùs quàm reprehenſionis, & clam 5. *Corripiens prius deponat peccatum, quàm alium corripiat ob ſimile peccatum.* Magnâ etiam cum manſuetudine tractet peccatorem, ne ipſi videatur inſultare. 6. *Nemo corripiendus eſt ex meris ſuſpicionibus, aut rumoribus.* 7. *Ne corripiantur ebrij & iracundi, dum adhuc tales ſunt Finis correptionis fraternæ ſit legitimus*: non diffamatio proximi, non delectatio in eius lapſu, non inſultatio, multò minùs interitus eius, ſed correctio vitæ, & euitatio mortis æternæ. 9. *Quicunque abſque peccato humanus eſſe vult erga proximum, quatuor iſta obſeruet. Primò*, nec omnibus placere cupiat, nec ipſe omnia probet: *deinde*, non ſemper delectare alios ſtudeat: *tertiò*, aliter conuerſetur cum hominibus in dignitate conſtitutis, aliter cum vulgo: *denique* omnem offenſionis occaſionem vitet in oratione & actione. 10. *Nunquam licet mentiri*: quia omne mendacium vergit ad contumeliam Dei, ad incommodum mentientis, & detrimentum proximi. Quod attinet ad ſimulationes, hyperbolas, ſtratagemata, & ſimilia, non oportet illa mendacio, ſed prudentiæ adſcribere.

VI. *Circa decimum præceptum decalogi breuiter ſunt hi caſus.*

Caſus decimi præcepti

1. *Nemo tam ſanctè viuit in mundo, quin affectibus ſuis in-*

terdum

terdum abripiatur in transuersum. Itaque hominis pij est, non omni affectui nuntium remittere, sed lapsum præcauere, affectus suos edomando, & seipsum vincendo. 2. *Generalis gubernatio affectuum in eo consistit, ne iis statim consentiamus, quæ nostro allubescunt animo: sed motibus illis in animo exsurgentibus masculè restamus.* Eam verò ad rem in primis opus est precatio: de qua iam disseremus.

CAPVT VII.

De Casibus conscientiæ circa Orationem Dominicam.

PRÆCEPTA.

SEquitur Oratio Dominica, vbi sunt casus conscientiæ in genere, & in specie. Itaque..

Hic traduntur casus iuxta seriem sex petitionum in Oratione Dominicâ.

REGVLÆ.

Casus de oratione in genere.

I. *De oratione in genere sunt hi casus conscientiæ.*

1. *Oratio dirigatur ad solum Deum, in nomine Christi ex verâ fide, cum assiduâ resipiscentia.* Ita enim obiectū, fundamentum, instrumentum, & incrementum precationis erit legitimum. 2. *Modus precandi legitimus est, ne malus, malè, malum petat. Malus* est, qui in peccatis contra conscientiam adhuc viuit. *Malè* petit, qui non orat in nomine Christi, neque satis perpendit quid petat. *Malum* est, quod est vel contra Dei voluntatem, vt omnia vitia, vel extra Dei voluntatem, vt omnia, de quibus non habemus expressum Dei mandatum, aut exemplum, vt petamus. Regula ergo petendorum est voluntas Dei: voluntas reuelatur in verbo. Quod itaque in verbo Dei nec mandatum est, vt petamus, nec promissum, nec alicui datum, id petere non debemus, si vel maximè nobis vtile videatur. 3. *Non est orandum pro impiis*, vt Deus conatibus ipsorum faueat, *neque pro remissione pœnarum*, quæ debentur obstinatis & impœnitentibus peccatoribus, *neque pro iis qui peccant ad mortem.* 4. *Non orandum est pro defunctis hominibus.* Nam si piè decesserint, iam sūt in requie. Sin verò in statu peccati sunt mortui, habitatio eorum est in inferno. Itaque nec illis, nec istis prosunt preces. 5. *Bona spiritualia & æterna sunt à Deo petenda sine conditione: bona corporalia & temporalia petenda sunt in thesi sine conditione, in hypothesi, cum conditione.* Intellige conditionem voluntatis Dei. 6. *Omnes fideles debent esse certi de exauditione precum in vera fide factorum.* Nam vera fides excludit diffidentiam: & habemus promissiones firmatas iuramento Dei Oportet autem hîc acquiescere in voluntate Dei, dum non statim ad nutum nostrum nobis succurrit in tribulationibus nostris. Nam preces nostræ ritè formatæ semper exaudiuntur, si non secundùm voluntatem, tamen ad vtilitatem nostram: quia & negatio rei noxiæ, & suppeditatio solatii aut melioris boni, species est exauditionis. 7. *Licitum est orare contra alios*, si nempè sint hostes Dei & Ecclesiæ incorrigibiles, pertinaces, & incurabiles. Oportet autem istas preces non tam contra personam, quàm contra causam ipsorum dirigere. Nam contra personas hostium nemò rectè orat, nisi ex reuelatione Dei certus sit, hominem illum, contra quem orat, exitio destinatum esse. Denique contra hostes illos Dei & Ecclesiæ orandum est, non ex vitioso affectu, sed expio zelo. 8. *In precibus nostris vocem & omnem corporis habitum ita comparatum esse oportet vt humilitatem & fiduciam spiret.* Etsi autem quantum ad gestus in precibus præcepta certa dari non possunt: in genere tamen hoc tenendum, quòd in precibus publicis quilibet Ecclesiæ particularis, in quâ degit, ritum sequi debeat: nam dissensio à ritibus vsitatis ferè parit schisma: in priuatis verò precibus sequatur quisque id, quod affectus animi sui exprimat, permoueat, inflammet, id quod gestu corporis modesto, decenti, honesto, & graui fieri debet. 9. *In precibus priuatis quâlibet linguâ vti possumus, modò ea nobis sit nota. Sed preces, liturgias & litanias publicas eâ linguâ, quæ Ecclesiæ est vernacula, instituere oportet.* Nam in precibus publicis minister orando est os Ecclesiæ, cuius nomine ad Deum loquitur, sicuti prædicando est os Dei, cuius nomine loquitur ad populum. Quemadmodum ergo linguâ peregrinâ non est docendum, ita nec orandum. 10. *Priuatæ preces quouis in loco possunt concipi.* In templo tamen non tantùm publicæ preces rectè instituuntur, verùm etiam priuatim cor ad Deum effunditur, in congregatione inprimis solemni: non quòd aliqua in loco sit religio atque sanctitas, sed quia pars præcipua cultus sacri sunt preces, & præsentia plurium deuotorum hominum, deuotionem in orantibus accendit, consensio verò precantium super vna eademque petitione, spem promissionis habet, Matth. 18. 19. Itaque preces in templis, præsertim publicæ, magni sunt faciēdæ. 11. *Etsi quouis tempore precari oportet: vtile tamen est certas ad orandum horas eligere.* Ita Daniel ter orasse legitur in die, Dan. 6. 11. & Dauid vespere, meridie, & manè orauit, Psal. 55. 18. Vnde factum, quòd Christiani ordinarias suas preces ter de die instituunt: manè, cùm surgunt, & ad labores accedunt, meridie, sub tempus prandij, & vesperi, quando cœnant, & à cœnâ cubitum eunt. Quòd si plures ad orandum horæ sumantur, pium est & vtile, modò absit superstitio & opinio necessitatis aut meriti: quæ res maculam adspergit horis canonicis hodiernis. 12. *Quilibet eâ formulâ & numero precum vtatur, quem necessitas requirere videtur.* Excellunt autem hîc formulæ psalmorum & orationis Dominicæ. 13. *Cogitationes alienæ, quæ inter precandum incidunt, exauditionem precum non impediunt*, si ante preces ad Deum suspiremus, ne permittat malas cogitationes nobis incidere, & in precatione simus breues & deuoti, & sub finem precum deprecemur culpam imbecillitatis huius, adeóque doleamus ob defectus, quibus laborat nostra oratio. Inprimis oportet meminisse, defectus illos tegi perfectione Iesu Christi.

II. *De singulis petitionibus Orationis Dominicæ notentur isti casus conscientiæ.*

1. *Circa primam petitionem* est tentatio blasphemiæ, quam profligabimus seriâ meditatione maiestatis Dei, & tacitâ increpatione Satanæ, suggerentis impuras cogitationes. 2. *Circa secundam petitionem* est tentatio mortis, cui opponemus gloriosam Christi mortem 3. *Circa tertiam petitionem est tentatio impietatis*, quâ sollicitamur ad contraueniendum voluntati Dei. Hanc profligabimus consideratione sanctæ naturæ Dei & Angelorum, & meditatione vitæ ac mortis Christi. 4. *Circa quartam petitionem* est tentatio prosperitatis & crucis. *Tentatio prosperitatis* est, quâ homo effertur in rebus secundis. Hæc profligatur meditatione fragilitatis omnium bonorum huius mundi, & maiestatis Dei; itemque legitimo vsu bonorum terrestrium, ne illis abutamur contra Deum, nos ipsos, & proximum nostrum. *Tentatio crucis* profligatur meditatione causæ meritoriæ, quæ est peccatum, impulsiuæ, quæ est paternum Dei cor, & finalis, quæ est nostra castigatio, probatio, & cum Christo conformatio. 5. *Circa quintam petitionem* est tentatio remissionis peccatorum, & priuatæ vindictæ. *Tentatio remissionis peccatorum* profligatur meditatione infinitæ potentiæ & misericordiæ Dei, & infinitæ satisfactionis Christi. *Tentatio priuatæ vindictæ* profligatur meditatione longanimitatis Dei, & Christi. Vbi & illud obseruare expedit Ad remissionem siue condonationem offensæ semper obligamur: ad remissionem seu condonationem pœnæ, itemque iudicij forensis non ita obligamur. Porrò quotidiè petimus remissionem peccatorum, non quòd peccata nobis non sint remissa, sed quia vtile est à Deo petere continuationem & notitiam illius boni, quod nos iam antè consecutos esse credimus. 6. *Circa sextam petitionem est* tentatio tentationis & infestationis Satanicæ. *Tentatio Satanica* profligatur patientiâ, fortitudine, & prudentiâ. Patientia est in eo, vt cogitemus fieri non posse, vt vita hominis electi sit expers tentationum. Fortitudo est in fiduciâ & instantiâ precum. Prudentia est in eo, vt discamus ingenium diaboli & ordinem tentationum eius. Solet ille omnium primò leuem quandam cogitationem immittere animo: quæ si protinus reiecta non fuerit, profundior imaginatio subsequitur: post imaginationem oritur delectatio: ad hanc accedit consensus rationis, & executio per locomotiuam. Quare nostri muneris est, serpentem in ouo extinguere, & primo aditu hostem prohibere. *Infestatio Satanica* profligatur precibus, fide in Christum, & meditatione impotentiæ diaboli.

CAPVT VIII.

De Casibus conscientiæ circa sacramenta in genere & in specie.

PRÆCEPTA.

SVpersunt casus conscientiæ circa Institutionem S. Baptismi & S. Cœnæ, quibus præmittuntur casus de Sacramentis in genere. Itaque.

Tres sunt classes casuum huius capitis.

REGVLÆ.

REGVLÆ.

I. Casus conscientiæ de sacramentis in genere notentur isti.

1. *Sacramentorum vsus ita est necessarius, vt sine periculo salutis intermitti non possit.* Etsi enim Deus se non alligauit ad hæc organa fidei & salutis: tamen nos alligauit. Sacramenta itaque sunt necessaria ex hypothesi institutionis diuinæ, & medii ordinarii. 2. *Quod aures nostræ audiunt in concione Euangelii, id oculi nostri vident in Sacramentis.* Itaque nihil noui nobis proponitur in Sacramentis: sed vna eademque communio à Spiritu sancto proponitur nostris tum auribus, in verbo, tum oculis, in Sacramentis. Ista porrò communio est justificationis, sanctificationis, & glorificationis: quæ omnia nobis proponuntur, obsignantur, & exhibentur in verbo audibili & visibili. 3. *Circa sacramenta in genere* est tentatio infidelitatis & indignitatis. *Tentatio infidelitatis* est, quâ fit vt anima hominis Christiani infirmi aut tentati non ita honorificè sentiat de Sacramentis, sed incipiat illa ὀλιγωρεῖν, *vilipendere.* Hæc tentatio profligatur meditatione dignitatis & efficacitatis Sacramentorum. Dignitas est ab institutione & voluntate Dei. Efficacitas est, quòd in legitimo vsu fides percipit rem Sacramenti. *Tentatio indignitatis* est, quâ homo tentatus se indignum judicat his tantis misteriis, illorumque communione. Hanc profligabis deploratione tuæ indignitatis, & meditatione dignitatis Christi, quam impertit omnibus suis membris, dum facit illos regale sacerdotium.

II. Casus conscientiæ circa baptismum hi sunt.

1. *Quòd si infans Christianorum parentum ante baptismum moriatur, non ideo actum est de ipsius salute.* Neque enim baptismus præcisè est necessarius ad salutem. Interim viderint parentes, ne ex contemptu Sacramenti, aut negligentiâ aliquâ aut nimiâ procrastinatione liberos suos defraudent baptismo. 2. *Optimæ ceremoniæ in baptismo sunt, quæ vel ab Apostolis profectæ sunt, vel à viris Apostolicis, quæq; omni impietate ac superstitione carent.* Quòd si ceremoniæ quædam accedant, quæ contaminent quidem baptismum, non verò substantiam eius tollant, vt in Ecclesiâ Romanâ, baptismus nihilominus censeri debet legitimus. Proinde, vbi substantia baptismi retinetur, ibi parentes tutâ conscientiâ liberos suos ministris illis, à quibus dissentiunt in religione, baptizandos offerre possunt, si quidem baptismum alibi & aliâ ratione habere non possint. 3. *Si mater sola, remotis arbitris seu testibus, vel iis adhibitis infantem suum in casu necessitatis baptizet, ille baptismus irritus & nullus est.* Idem judicium est de baptismo, qui proficiscitur ab obstetrice, vel aliâ muliere. Itaque qui hoc modo sunt baptizati, pro non baptizatis meritò habentur. Quare meritò offeruntur Ecclesiæ, vt à ministro baptizentur. Nec verò hic baptismus pro iterato est habendus. Nam, vt Ambrosius ait, iteratum dici non potest, quod ita nescitur factum esse. 4. *Patrini non sunt de absolutâ necessitate baptismi.* Non enim à Christo hic ritus est institutus, nec ab initio vsitatus. Interim valde est antiquus, & præclarum habet vsum: quia Patrini sunt fideiussores infantum; & compatres, hoc est, adiutores parentum; & testes baptismi. Etsi ergo hæc res est liberæ obseruationis: tamen consuetudinem, quæ in quâlibet Ecclesiâ obtinet, non debemus temerè conuellere. 5. *Non sunt rogandi vel admittendi Patrini, qui sunt vitæ dissolutæ, aut infamiâ notati, aut à religione nostra alieni.* Nam officium Patrinorum, de quo modò diximus, requirit homines pios, & integros vitæ, & in religione sinceros. 6. *Si quis ab aliquo diuersæ religionis parente rogetur, vt infantem suum ex lauacro baptismi suscipere velit, potest id facere cum protestatione huiusmodi*: sibi cum doctrinâ ipsius nihil esse negotij, & se hoc facto nihil aliud, quàm de baptismo infantis testari velle. 7. *Si quis rogetur, vt infantem ex baptismo suscipiat, honestè id recusare non potest*: cùm sit officium pietatis & charitatis. 8. *Vsus baptismi se ad vniuersam vitam extendit.* Est autem triplex: videlicet *præmunitorius*, contra suggestiones Satanæ, quibus ad peccandum nos instigat: *consolatorius*, cùm in peccata incidimus, & cùm in operibus vocationis versamur: denique *monitorius*, quia baptismi recordatio admonet nos cautè incedere, ne cadamus, & cùm prolapsi sumus, vt sine morâ resurgamus. *Principio* itaque, quando Satanas pellicere nos conatur ad peccandum, in mentem protinus nobis veniat baptismus, in quo valediximus regno diaboli, & omnibus eius operibus, nosque totos seruitio Dei addiximus. *Deinde* si prolabamur in peccata, & propterea Satan conetur salutem nostram reddere dubiam, erigat nos recordatio baptismi, qui est sigillum remissionis peccatorum. Rursus, quando in operibus vocationis versamur, & variis periculis circumuallamur, ex baptismo nostro efficacissimam consolationem hauriamus de præsidio & præsentiâ Dei, in cuius familiam cooptati sumus, & cuius nomen est inuocatum super nos. *Denique* baptismus admoneat nos, vt circumspectè agamus, ne cadamus: & postquam lapsi sumus, vt maturè resurgamus. Itaque baptismus prodest stantibus, vt videant ne cadant, & lapsis, vt sine morâ resurgant. 9. *Baptismus à ministro ebrio aut mendaci administratus, pro vero & legitimo est habendus, si non is immutet ipsam substantiam alibi.* Neque enim virtus Sacramenti pendet à deuotione, intentione, aut dignitate ministri, sed ab institutione Christi, quæ etiam à malis ministris obseruari potest. 10. *Baptismus in nomine Trinitatis aut Christi administratus pro vero & legitimo est habendus.* Vtrobique enim fit mentio SS. Trinitatis implicitè. Interim satius est retinere illam baptismi formulam, quam Christus nobis præiuit & præscripsit. 11. *Minister Ecclesiæ non facilè gratificabitur ditioribus parentibus si fortè liberos suos aquâ rosatâ baptizari petant.* Etsi enim negari non potest, aquam ex herbis stillatitiam, esse aquam: tamen singularitas illa parit scandalum. 12. *Si parentes iusto diutiùs differant baptismum liberorum, minister ipsos grauiter debet admonere, vt maturent baptismum.* Etsi enim baptismus non est simpliciter necessarius ad salutem: tamen est necessarius ratione ordinationis Christi, & ordinis Ecclesiæ. 13. *Si quis sit diuersæ religionis, & à ministro petat baptismum sui infantis, ille non est ipsi denegandus.* Est enim indicium, quòd parens iste religionem puram non contemnat. Deinde, minister tenetur omnes in Ecclesiâ suâ natos baptizare. 14. *Minister Ecclesiæ non debet baptizare infantes parentum infidelium*: nisi fortè in nostram potestatem venerint, siue jure belli, siue per emptionem, donationem, captiuitatem &c. 15. *Si quis baptizatus à laico, superuixerit, & dubitet an rectè sit baptizatus, minister illum sine morâ baptizare debet.* Nũquam enim fuit baptizatus. 16. *Si quis fortè dubitet, an vnquam fuerit baptizatus, cùm tamen sit baptizatus, duo ipsi sunt inculcanda*: ipsum nempe natum esse ex Christianis parentibus, qui proculdubio ceremoniam istam à Christo institutam non neglexerint; & huius rei testimonium locuples esse nomen proprium, quod cuilibet in suo baptismo solet imponi.

III. Casus conscientiæ circa S. cœnam notentur isti.

Casus circa S. cœnam.

1. *Nemo ad S. cœnam accedat, nisi dignus hoc tanto conuiuio.* Dignitas autem hìc requiritur gemina: personæ, & præparationis. *Persona digna* est, quæ prædita est verâ, etsi languidâ fide in Iesum Christum. *Præparatio digna* complectitur diiudicationem corporis Domini, & probationem suiipsius, id est, meditationem miseriæ propriæ, recordationem beneficiorum Christi, & propositum vitæ sanctæ. 2. *Si quis forte sentiat, se indignum accessisse ad S. cœnam, maturè resipiscat.* Sibi nempe in memoriam reuocet, hoc ipsum etiam peccatum vnum ex iis esse, pro quibus mortuus est. Proinde se ipsum accuset, atque remissionem propter Christum petat, & fideli pectore speret, hancque suam fiduciam digniore vsurpatione S. cœnæ confirmet, cum serio proposito perfectioris emendationis. 3. *Enormiter facinorosus, v. gr. homicida, vel adulter, non est admittendus ad S. cœnam nisi publica coram Ecclesiâ deprecatio præcesserit: etiam si remissionem pœnæ ordinariæ à Magistratu impetrârit.* Nam pœna vel remissio pœnæ facta à Magistratu pertinet ad forum soli, ac proinde nihil præjudicat iis quæ pertinent ad forum poli. 4. *Qui litigant in foro, possunt dignè ad hoc sacramentum accedere.* Nam litigare in foro non est peccatum. Itaque iudici totum negotium est committendum, & cum parte aduersariâ nullum odium fouendum. Cogitetur hìc ista sententia Germanorum: Amicus personæ, inimicus causæ. Si tamen partes litigantes mutuo flagrent odio, vel saltem pars altera, oportet ad tempus abstinere ab hoc epulo; vtpote quod est signum & pignus meri & mutui amoris. 5. *Si quis habitet inter eos, qui de S. cœnâ non rectè sentiunt, non potest tutâ conscientiâ sibi & suis cœnam porrigere.* Nam hic est actus ministerii, quem priuatus sine profanatione Sacramenti exercere non potest. 6. *Panis, qui aliquo in loco est vsitatus, rectè adhibetur in S. cœna.* Itaque panis, qui apud Indos ex radicibus pinsitur, & in cibo vulgari adhibetur, meritò vsurpatur in administratione S. cœnæ. 7. *Hostiæ orbiculares sunt panis imitatitius.* Itaque non statim nullam Eucharistiam habere censendi sunt, qui illas adhibent. 8. *Fractio panis non adhibita in S. cœna, non tollit essentiam sacramenti, sed integritatem vitiat.* Itaque satius est, illam adhibere, quàm omittere. 9. *Abstemii, qui ne guttulam quidem vini sine nausea & periculo vomitionis assumere possunt, à communione S. cœnæ absque vulnere conscientiæ possunt abstinere.* Nam si panem duntaxat sumant, non accedunt ad Sacramentũ à Christo institutum; vtpote quod est sacrum epulum, constans ex pane & vino benedicto. 10. *Qui naturâ sunt surdi & muti, possunt admitti ad vsum S. cœnæ*: si nempe per nutus & gestus informentur, vt aliquam de Christo notitiam hauriant. 11. *Si quis morbo excludatur à publicis conuentibus, & desiderium huius mensæ sacræ habeat, nihil obstat, quin ea domi suæ possit uti.* Nam vbi duo vel tres congregati sunt in nomine Christi, vbi ipse est in medio eorum, & ibi est vera Ecclesia.


12. Frequen

12. *Frequenter oportet accedere ad hanc sacram mensam neque certo anni tempore astringere.* Nam conſcientiæ anxietas, cuius in hoc ſacro conuiuio refectio quæritur, menſuræ temporis erit hac in parte. Quotieſcunque igitur deſiderium huius ſacri epuli ſentimus, & nos rectè præparatos & probatos ſcimus, ſiue hoc ſingulis ſeptimanis, ſiue ſingulis menſibus, ſiue ſingulis anni quadrantibus fiat, non errauerimus hâc in re: dummodo caueamus, ne ipſo opere operato videamur velle placere Deo. 13. *Conſuetudo Eccleſiæ, quâ ſumitur Eucharistia ieiuno ſtomacho, eſt laudabilis obſeruationis.* Non tamen temerè eſt conuellenda. 14. *Miniſter Eccleſiæ bona cum conſcientia non poteſt admittere notoriè ſceleratum & impœnitentem, ad communionem S. cœnæ, ſiue precibus rogetur, ſiue vi adigatur.* Nam officium miniſtri eſt, non tantùm abſoluente, ſed etiam ligante claue vti. 15. *Cœna Domini non eſt adminiſtranda agonizantibus, qui ſenſuum & rationis vſum amiſerunt.* Neque enim hi tales legitimè vti poſſunt hoc ſacro epulo. Nec refert, quòd ſint pij & ſancti homines: quia non requiritur ad vſum huius menſæ pietas tantùm habitualis, ſed etiam actualis. 16. *Cœna ſacra non eſt danda iis, qui per illius vſum ſuam probare volunt in re aliqua innocentiam.* Nam hoc Sacramentum eſt inſtitutum, vt ſit fidei confirmatio, non verò innocentiæ teſtificatio. 17. *Miniſter verbi poteſt ſibi ipſi porrigere ſacram cœnam*: ſi nempe non habeat collegam. Ita Chriſtus in primâ cœnâ ſumpſit de pane & vino à ſe conſecratis. 18. *Si qui peſte infecti petant ſibi porrigi cœnam à miniſtro, qui collegam non habet, propter reliquam Eccleſiam cautè agendum eſt.* Sunt qui exiſtimant, paſtorem elementa conſecrata per alium poſſe mittere ad ægros. Sed hæc res habet ſpeciem incluſionis Papiſticæ, & ex Sacramento facit opus operatum. Itaque oportet vt paſtor ipſe viſitet ægrotum, verùm ita vt medecinis præſeruatiuis vtatur, & meminerit ſe in viis ſuis ambulare, adeóque ſub vmbra alarum Dei & præſidij Angelorum tutum eſſe poſſe.

PERORATIO THEOLOGIÆ CASVVM.

VErùm hîc ſiſto ratim, & pro ratione compendij ſatis dictum iudico de caſibus conſcientiæ: quos alij nauibus onerariis, vt ita dictum, impoſitos variè iactant, eoſque ſoluunt ex principiis Theologiæ Philoſophiæ Practicæ, & Iuriſprudentiæ; prout nempe caſus ſunt ſimplices vel mixti, hoc eſt, merè Theologici, vel Theologico, iuridici &c. Nobis hic eſto portus nauigationis, quòd ſanguis Chriſti purget noſtras conſcientias, eaſque in tuto collocet.

METHODVS THEOLOGIÆ CASVVM.



SEXTA SECTIO THEOLOGIÆ,

In quâ traditur

PROPHETICA.

CAPVT I.

De Fine Rhetoricæ Eccleſiaſticæ.

PRÆCEPTA.



THEOLOGIA Prophetica eſt doctrina de officio Prophetæ, id eſt, paſtoris Eccleſiæ.

Eius partes duæ ſunt, Rhetorica & politia Eccleſiaſtica.

Rhetorica Eccleſiaſtica eſt ars concionandi. *Dici etiam poteſt* Oratoria Eccleſiaſtica.

Eſtque generalis, vel ſpecialis.

Generalis præcipit de fine, ſubiecto, & mediis huius artis.

Finis Rhetoricæ Eccleſiaſticæ externus eſt perſuadere religionem Chriſtianam: internus, tradere modum perſuadendi.

REGVLÆ

I. *Prophetica eſt doctrina rectè exercendi Prophetiam, eſt munus Eccleſiaſticum.* Prop[...] ca qu[...]

Nam vox iſta *prophetia* non ſolùm ſignificat prædictionem futurorum, ſed etiam prædicationem præteritorum, præſentium, & futurorum, de quâ ſignificatione vide Rom. 12. 6 & 1. Cor. 12. v. 1. 3. Porrò duo pertinent ad officium Prophetæ, id eſt, doctoris Eccleſiæ: videlicet rectè concionari, & gubernare. Ibi eſt, Rhetorica Eccleſiaſtica; hîc politia Eccleſiaſtica.

II. *Finis concionatori propoſitus eſt triplex: videlicet perſuadere religionem Chriſtianam, perſpicuè docendo, ſuauiter delectando, & acriter flectendo.* Finis [...] ciona[...] propo[...]

Concianatoris officium eſt, Dei voluntatem ex verbo eius proponere, ad ædificationem ſpiritualem auditorum. Iſta verô ædificatio tum demum obtinetur ſi concionator omnes neruos ingenij eò intendat, vt perſuadere poſſit religionem Chriſtianam, quæ non ſolùm in theoriâ, ſed etiam in praxi verſatur. Porrò perſuaſio iſta tum demum obtineri poteſt, ſi concionator auditorium ſuum doceat res ſacras, & ſpiritualiter delectet, atque flectat. Oportet itaque vt ſimul adhibeat verbum Dei & artificium dicendi. Exemplum illuſtre huius rei vide in concione Petri Act. 2.

Capvt II.

De Subiecto rhetoricæ Eccleſiaſticæ.

Præcepta.

Svbiectum rethoricæ Eccleſiaſticæ eſt informationis, tractationis, & operationis.

Subiectum informationis eſt ipſe concionator: ſubiectum tractationis eſt concio: ſubiectum operationis eſt Eccleſia.

Regvlæ.

I. *Concionator debet habere dona, ſiue requiſita, oratoris ſacri.*

Miniſterium verbi duas habet partes vt nempe miniſter nomine Dei agat ad populum, quæ ſunt agenda; & vt nomine populi agat apud Deum, quæ ſunt apud ipſum agenda. Meritò itaque concionator appellatur os Dei & populi, ac proinde *orator ſacer*. In eo itaque requiruntur non ſolum dona oratoris, ſed etiam oratoris ſacri. Eiuſmodi autem ſunt bonitas ingenij, fidelitas memoriæ, vocis concinnitas recta corporis conſtitutio, cognitio rerum diuinarum, linguarum, & artium; prudentia Eccleſiaſtica, eloquentia ſpiritualis, amor erga Deum & homines, amor virtutis, odium peccati, contemptus mundi, fortitudo ſpiritualis, parrheſia, pura conſcientia, humilitas ſumma, & ſimilia: ex quibus alia ſunt naturalia, alia acquiſita, quæ precibus & exercitatione impetrantur à Deo.

II. *Concio ſacra eſt oratio ſancta, Scripturis conſentanea, & Eccleſiæ accommodata.*

Oportet enim primò textum ſumere ex Scripturâ quæque ibi occurrunt declarare. Deinde requiritur illorum applicatio ad auditorum conſcientias, prout illorum conditio poſtulare videtur.

III. *Eccleſia, quæ curæ concionatoris committitur, accuratè ipſi eſt cognoſcenda & examinanda.*

Pendet autem hoc examen à diuerſitate affectûs & profectûs auditorum. Sunt enim ſeptem genera hominum, cum quibus paſtori ferè eſt negotium: putà infideles, ignari vel indociles; dociles, ſed ignari, cognitione aliqua imbuti, ſed nondum humiliati; iam humiliati; credentes, lapſi; denique populus mixtus. His omnibus paſtor debet συγκαταβαίνειν, atque ita omnibus fieri omnia.

Capvt III.

De Officio concionatoris ante concionem.

Precepta.

Media, quæ præſcribit Rhetorica Eccleſiaſtica, ſunt ante concionem, in concione, vel poſt concionem.

Ante concionem requiritur eius formatio, & impreſſio.

Formatio concionis abſoluitur innentione, diſpoſitione, & elocutione Eccleſiaſtica.

Inuentio Eccleſiaſtica eſt thematis & argumentorum.

Diſpoſitio Eccleſiaſtica eſt apta & ordinata rerum ab Eccleſiaſte inuentarum digeſtio.

Eius partes ſunt numero tres: acceſſus ad tractationem textus, tractatio textus, & receſſus à tractatione textus.

Elocutio Eccleſiaſtica eſt exornatio concinna rerum ab Eccleſiaſte inuentarum & diſpoſitarum, per verba accommodata.

Impreſſio concionis eſt, quâ concio ritè formata imprimitur memoriæ.

Regvla.

I. *Media ſiue adminicula, concionatori neceſſaria, ſunt trium generum.* Media neceſſaria cō-cionatori.

Alia habet communia cum omnibus Chriſtianis: vbi excellit precatio, prima illa, media, & vltima virtus concionis & concionatoris. *Alia* habet communia cum oratore quocunque. *Alia* denique ſunt ipſi propria. Nos obiter attingemus adminicula ſecundæ claſſis, pluribus explicaturi ea quæ pertinent ad claſſem tertiam: quòd ſecundi generis media poſſint peti ſuprà ex Oratoriâ.

II. *Thema Eccleſiaſticum ſpectatur in delectu & reductione.* Thema concionis.

Delectus thematis eſt, quo eligitur textus, & cum textu thema, quod accommodatum eſt circumſtantiis loci, temporis, & perſonarum. *Reductio thematis* eſt, quâ illud non ſolùm reducitur ad characterem & genus cauſæ, ſed etiam ad locum aliquem communem, caput aliquod catecheticum, & finem propinquum. *Character* thematis eſt ſublimis, mediocris, vel humilis. *Genus cauſæ* eſt doctrinale, demonſtratiuum, deliberatiuum, vel iudiciale. *Locus communis* eſt petendus ex Theologiâ didacticâ: *caput catecheticum*, è Theologiâ catecheticâ. *Finis propinquus* eſt informatio & reformatio doctrinæ & vitæ. Hinc thema eſt didaſcalicum, elencticum, inſtitutiuum, correctiuum, conſolatorium, vel mixtum. Hæc itaque omnia obſeruet concionator in ſuo themate. Diſpiciat, inquam, cuiuſnam ſit illud characteris, ad quodnam cauſæ genus pertineat, ad quem locum communem ſit referendum, & ad quod caput catecheticum, denique num ſit doctrinale, redargutiuum &c. Ita enim fiet, vt multa ſub manu naſcantur, de quibus alioqui ne per ſomnium quidem cogitaſſemus.

III. *Argumentorum inuentio Eccleſiaſtica gubernatur his regulis.* Argumentorum inuentio Eccleſiaſtica.

1. *Tres coſtituendæ ſunt claſſes argumentorum.* In prima claſſe ſunt argumenta docentia; eáque explicantia, ſeu declarantia; probantia, ſeu demonſtrantia; & amplificantia, ſeu dilatantia. In ſecundâ ſunt argumenta delectantia, ſeu conciliantia; quæ & ethica dicuntur. In tertiâ ſunt argumenta ducentia, ſeu mouentia; vulgo pathetica. 2. *Horum argumentorum omnium inuentio eſt generalis, vel ſpecialis. Inuentio generalis* fit ex locis inuentionis Logicæ, ex locis virtutum & vitiorum, & denique ex locis affectuum: de quibus vide ſuprà in Oratoriâ. *Inuentio ſpecialis* fit ex capitibus catecheticis, locis communibus Theologicis, & ſacris Bibliis. 3. *Poſtilla realis ſuppeditat multa argumenta*: id eſt, conſideratio beneficiorum & iudiciorum Dei, & præſentis ſtatûs Eccleſiæ. 4. *Eccleſiaſtes primò percurrat textum in linguâ originali: deinde inſpiciat verſionem vnam atque alteram: tertiò colligat argumenta ordine tumultuario iuxta claſſes modò præſcriptas: quartò conſulat commentaria: quintò & vltimò inſpiciat Poſtillam realem.* Quod quidem ſi fecerit, inuentio erit oppidò facilis.

IV. *Diſpoſitio totius concionis gubernatur his regulis.* Diſpoſitio totius concionis.

1. *Acceſſus ad tractationem textus, & receſſus habent formulas ſolennes & ſtatas, vel variantes.* Illæ ſunt generales, quæ in omni concione locum habent: hæ ſunt ſpeciales, quæ accommodantur præſenti textui, loco, & tempori, magnámque habent gratiam. 2. *Acceſſus ad tractationem textus conſtat octo partibus*: vti ſunt

1. votum breue & Chriſtianum.
2. indicatio cauſæ finalis & impulſiuæ conuentus.
3. indicatio & deploratio miſeræ, ineptitudinis, & indignitatis noſtræ.
4. exhortatio ad implorandum diuinum auxilium.
5. inuocatio, ſeu imploratio auxilij diuini.
6. commodus acceſſus ad prælectionem textus.
7. prælectio textus ſacri.
8. commoda & votiua clauſula; quâ obſignatur prælectio textus.

3. *Receſſus à tractatione textus habet partes numero quatuor*: vti ſunt

1. tranſitio perfecta; quâ indicatur quid ſit actum, & quid reſtet agendum.
2. promulgatio ſolennitatum Eccleſiaſticarum: quales ſunt indictio concionum, proclamatio coniugum, adminiſtratio ſacramentorum &c.
3. precatio; cuius formulæ ſunt ſollennes vel variantes.
4. clauſula votiua, & dimiſſio cœtus.

4. *Tractatio, ſeu enarratio, textûs, abſoluitur ſex partibus, quarum diſpoſitio mnemonica hæc eſt.*

I. Exordium, quod constat
1. sententiâ fundamentali.
2. explicatione huius sententiæ.
3. applicatione ipsius ad propositionem.

II. Propositio; quæ constat
1. enumeratione thematis.
2. commendatione thematis.
3. inuocatione Dei

III. Enarratio propositionis; quæ constat
1. explicatione subiecti, & prædicati.
2. probatione, quæ sumitur
1. ex textu.
2. ex aliis Scripturæ dictis
3. ab exemplis.
4. a similibus.
5. à rationibus.

IV. Vsus; qui est
1. confirmatio veræ doctrinæ, seu articulorum fidei.
2. confutatio falsæ doctrinæ.
3. institutio vitæ sanctæ.
4. correctio vitæ impiæ.
5. consolatio conscientiæ.

V. Applicatio; quæ constat
1. commemoratione præsentis status
2. collatione textûs & status.

VI. Peroratio; quæ constat
1. repetitione præcipuorum capitum.
2. affectuum concitatione.
3. precatione ad Deum.
4. glorificatione nominis diuini.

Hæ itaque sunt hermæ mnemonicæ, quas concionator potest & debet respicere, vt concio non solum sit copiosa, sed etiam methodica: quâ de re sunt sequentes regulæ. 1. *Exordia non debent esse longa vel longe petita.* Vtrumque enim est molestum 2. *In enarratione textus quid veri sit in textu, prius explicari debet, & tum postea quid veri ex eo sequatur.* Illa pars in doctrinis, seu documentis versatur; hæc in vsu, seu vtilitatis ex doctrinis illis deriuatione. Qui partes istas inuertunt & confundunt, auditorum memoriæ non consulunt, ac ædificationem ipsorum non promouent. 3. *Doctrina est axioma Theologicum, vel in scriptura verbis expresse positum, vel ex illis per immediatam consequentiam fluens.* 4. *Doctrina rectè debet inuestigari & tractari. Inuestigatio* fit per analysin logicam, cui inseruit etiam analysis Grammatica & Rhetorica. *Tractatio* est partim illustratio, partim probatio. *Illustratio* est explicatio ratione subiecti & prædicati. *Probatio* est confirmatio ratione subiecti & prædicati, eaque ex textu, aliis Scripturæ testimoniis, & reliquis paulò antè indicatis. 5. *Doctrina quæque satis iam explicata debet statim ad vsum transferri.* Quâ quidem in parte, nisi ratio aliqua singularis aliud postulet, magis est insistendum: quippe quæ alterius finem ac bonum continet, & cum concionis præcipuo scopo, auditorum scilicet ædificatione, magis est coniuncta. Peccant igitur, qui inhærent nudæ veritatis indagationi, neglecto vsu. 6. *Non omnes doctrinæ, quæ possunt ex textu erui, sunt proponendæ neque omnes vsus inculcandi.* Oportet enim illa duntaxat eligere, quæ circunstantiis loci, temporis, & personarum maxime sunt accommodata; quæque inprimis faciunt ad religionis vigorem vel excitandum, vel confirmandum. 7. *Doctrina & vsus ita formari debent, vt connexionem aliquam inter se habeant, & eam etiam præ se ferant.* Neque enim sine incommodo rapitur animus ab vno aliud: neque est quod magis memoriam iuuat, quàm ordo deductionis. 8. *Vsus est axioma Theologicum, ex doctrinâ deductum, bonitatem vel finem eius ostendens.* Pertinet autem ad iudicium seu intellectum, vel ad praxim seu affectum. *In iudicio* est mentis informatio & reformatio. *Informatio* est veritatis alicuius probatio. *Reformatio* est falsitatis alicuius refutatio. Quamuis autem omnis veritas possit ex occasione doceri, omnis tamen error non est vbique refutandus. Veteres enim hæreses, quæ iam sunt sepultæ, non sunt refodiendæ vt refutentur, neque blasphemiæ nefandæ sunt facile refutandæ. *In praxi* est institutio, correctio, & consolatio. *Institutio* est vitæ sequendę demonstratio. *Correctio* est vitę fugiendę damnatio. *Consolatio* est conscientię anxię tranquillatio. 9. *Post vsum sequi debet applicatio*: quę tamen cum vtilitatum deriuatione tantam habet cognationem, vt sępè cum illa permisceri possit. Hæc autem respicit animum vel deficientem in persecutione boni, vt *exhortatio*; vel in vitatione mali, vt *admonitio*; vel oppressum magnitudine aut multitudine crucis, vt *consolatio specialis*. 10. *Tractatio textus est magis scholastica, vel magis Ecclesiastica. Tractatio magis scholastica* continet decem hæc membra

1. Antithesi vel locum.
2. Definitione seu interpretatione ὁρικῇ.
3. Diuisione seu interpretatione διαιρετικῇ, quę & ele-[illegible]
4. Sectione accommodatoriâ, quâ indicatur, quid in persona [illegible]
5. Explanatione αἰτιολογικῇ; quâ indicatur, cur hunc, &
6. Collatione; quâ indicatur, quomodo de eâdem vel oppositâ re alibi doceatur.
7. Prolepsi, seu oppositione.
8. Conciliatione τῶν ἐναντιοφανῶν.
9. Obseruatio, commemoratio, conciliatio, & refutatio sententiarum discrepantium.
10. Vsus, qui est
doctrina
redargutio
correctio
disciplina
oratio
consolatio.

Tractatio magis Ecclesiastica similiter habet decem partes: vti sunt.

1. Declaratio, seu explicatio.
2. Præmonita de quæstionis enodandæ difficultate, vtilitate, necessitate.
3. Demonstratio ex contextu.
4. Demonstratio ex aliis Scripturæ dictis,
5. Demonstratio ex rationibus.
6. Demonstratio, vel potius illustratio, ex comparationibus.
7. Demonstratio ex exemplis.
8. Obiectionum refutatio.
9. Regularum paucarum collectio, ad iudicandas controuersias.
10. Vsus.

Exempla vtriusque tractationis apud Matthiam Martinium. lib. 3. & 4. de promptâ rerum vtilium meditatione hæc sunt.

Exemplum tractationis magis scholasticæ, ex 1. Thess. 4. 11.

I. Apostolus itaque non iubet prorsus ἠρεμεῖν vel ἀεργεῖν, id est, planè sine opere & ociosos ac ignauos esse: sicut nonnulli opinantur, præclarè se pietatem colere, si nihil agant, & aut suo solio suisque fundis victitent, aut ex alieno stipem cogant, nemini interim homini vtiles nec Deo seruientes. Hi dictitant, eo se iustos esse, quòd neminem lædant. Ipsum verò non iuuare est deiuuare & nocere, non prodesse est obesse, qui n. non colligit, hoc statu spargit. Quis enim frugi seruũ dicat eum, qui foco assidens sit liber laborum etsi nec verbo nec facto patrem aut matremfamilias offendat, nec liberos eorum pulset, interim tamen foueri, ali, vestiri, honorari velit? Prorsus tales sunt homines, qui in ocio ac omnium curarum vacuitate probitatem positam existimant. Multò verò minus permittit Apostolus vagari, erronem & discordiosum esse, pariterque suam quietem & alienam turbare: vt qui aucturi rem suam lites & bella in publici exitij segetem serunt. Vult autem nos *quiescere* ἡσυχάζειν.

II. Est vero ἡσυχάζειν propriè quietum esse, non turbare. ἡσυχία non quamlibet quietem significat, quæ motui, tanquam actus cessatio, opponitur in rebus Physicis, & quæ quiescere dicuntur, quando non mouentur ab vno ad aliud quasi meantes: sed notat tranquillitatem quâ quis est placidus & inturbidus. Sicut enim motus interdum idem est quod turbatio, quæ est motus confusus: sic quies est status sedatus. Suauis vt ea res est sensu, ita & dulce auditu verbum. Ex eo enim ductum videtur, quod ἡσυχία, id est, oblectationem fundat. Id Latinis est, quietum esse: nobis still seyn / ein still leben führen. Still autem est à stellen/quod est ponere, vt res *stet* non nutet aut agitetur. Vnde etiam Latinis ponere aliquando est cessare: vt apud poëtam:

Aurora in roseis fulgebat lutea bigis.
Cum venti posuere, omnisque repente resedit.
Flatus.

III. Est autem quies varia. De eâ certè, quæ est diaboli puluinar, quam ocium dicimus, hîc locus, vt modo indicauimus, minimè est accipiendus. Contra eam enim quietem vniuersa scriptura nos instituit & armat. *Prou.* 13. *v.* 4. dicitur. *Desiderio permouetur anima pigri*, vt scilicet à voto & cupiditate ad opus non procedat, *sed nihil agit*. Nec enim optando, sed orando & laborando vitæ commoditates parantur. *Anima verò sedulorum efficietur pinguis. Studio minimè ignauos esse* iubet Apostolus *Rom.* 12. *v.* 11 Ob luxuriem & *tranquillitatis quietem* Sodoma fuit excisa, *Ezech.* 16. *v.* 49. 50. Ob pigritiã seruus malus, qui lucri nihil talento suo faciebat, reprehẽditur, & depositio in alienam fidem transmisso priuatur. *Matth.* 25. *v.* 26. Et Cretensibus vitio vertitur, quòd pigri ventres essent: Apostolo Epimenidis versum in eos factum approbante. *Tit.* *v.* 12. Hâc ergo nemo existimet Deo se commendari posse. Est autem & alia quies, quâ quis nec se nec suos, nec alios supra se, aut iuxta se, aut infra se, turbat discordiâ, seditione, rerum nouarum cupiditate: sed vnumquemque pacatè sinit esse, qui est, & sua agere, vt neminem præter ius impediat, aut in re

in re suâ retardet vel infestet. Et hæc quidem alij faciunt impotentiâ aliquid mouendi præpediti, aut vi maiore ac metu coacti, animis interim liuidis, inquietis, ac turbulentis, qui ingenia sua callidè ad tempus occultant, at aperta occasione produnt, & simulationem retectam vertunt in crudelitatem aut obtrectationem: infesti aliis, sibi ipsis perniciosi: & sunt veluti maria quæ despumant sua dedecora. Talem se Cainus gerebat, verbis humanitatem præferens, animo & tandem facto parricida. Alii autem ex verâ charitate & Christianâ mansuetudine, vt suam amant tranquillitatem, ita nutriunt alienam, & suo quoque damno pacem redimunt, si vel de iure suo, quantum honestas & conscientia sinunt, concedere oporteat, & si ab alijs in alios irritentur & inflammentur, eos coarguunt, ac placidorum morum similitudine student imbuere, suos etiam affectus in cōtraria lapsuros timore Dei velut sufflaminant, ne in intemperiem soluantur.

IV. Hanc ipsam postremam quietem hoc loco Apostolus intelligit, ad quam se vniuersi, qui Christo nomen dederunt, summo studio assuefaciant. Vrget autem eam & doctrinâ & exemplo pariter sanctus magister, vrget, inquam, tum nostrâ, tum aliorum causâ. Deo enim patenius, si pacem, quæ eius est institutum, in mundo non turbemus. Nobis contu imus ipsis, pacatè si viuamus. Cui enim in dissidio melius est atque in cōcordiâ? nisi si cui malignitas pro alimento est. Si alios non turbemus: ipsis etiam nobis licebit esse tranquillioribus. Si autem alios mordeamus aut excedamus: videamus, ne vicissim alij ab aliis consumamur: vt est Gal. 5. v. 15. Debemus aliis honestum concordiæ ac placabilitatis exemplum, quo probemus eius religionis, in quam iurauimus, naturam & ingenium, & nos quoque idoneos eius discipulos esse confirmemus. Sumus omnes vnius domus familiares, vnius patris filij, hæreditatis eiusdem consortes, eiusdem massæ progenies, iisdem obnoxij infirmitatibus, alij aliorum ope indigentes. Sed, vt nunc habēt tempora, omnes legum inuentione magis quàm exemplo clariores esse laboramus.

V. Cæterum explicat se ipsum Apostolus, & quid per quietem intelligat, planè ostendit, dum exigit, vt simus *ἰδιοπραγμονες*, non *ἀλλοτριοεπίσκοποι*. Id enim quietem humanarum rerum plurimùm luxat, & mentes etiam coniunctissimorum hominum disiocat: quòd *πολυπράγμονες* sunt plerique, & suis posthabitis, alienarum occupationum limites curiosi inuolant quod commissum est alijs, se laudabilius semper acturos esse opinati, quasi qui suas domos negligunt, alienarum sint tutores optimi: & ij prudentissimi procuratores vicinalium bonorum, qui propria intemperante gulâ abligurierunt. Nemo verò is persona esse cupit, animo scilicet & corpore permutatis, qui alius quispiam est: at omnes annituntur ea agere, quæ aliorum officiis sunt commendata.

VI Hanc verò admonitionem aliis etiam modis Scripturæ sanctæ exprimunt. *Roman. 12. v. 18. Si fieri potest, quantum in vobis est, cum omnibus hominibus in pace viuite. Et* 14. 19. *Quæ ad pacē faciunt sectemur*, 2. *Cor.* 13. *v.* 11. *Idem sapite, in pace agite. Heb.* 12. *v.* 14. *Pacem sectamini cum omnibus, & sanctimoniam, sine quâ nemo videbit Dominum.* Hanc rem cum etiam gentiles intelligerēt, præclaras de eâ sententias reliquerunt, ipsis cumprimis principibus, qui inquietudinis peste plurimùm ardent, obseruandas. Micyspa rex Numidarum, referente Salustio, filiis suis Iugurtham regni participem & socium adiungens, vtque quieti viuerent, cohortans, *Concordiâ*, inquit, *res paruæ crescunt, discordiâ maximæ dilabuntur.* Quàm tragica sunt exempla magnorū & mediocriū hominum, qui alienam quietē ambitione, auaritiâ, regnandi cupiditate conuellentes & perturbantes, se, vniuersasque suas familias omnibus bonis & vitâ ipsâ euerterunt! Ipse Iugurtha patrui hortamenta negligens, & patrueles flagitiosè opprimēs, postquam multa defendendi sui causâ vi & fraude tentasset, per ignominiam tandē in triumpho cum duobus filijs deductus, Romæ in carcerem coniectus, animi dolore contabuit. Quid Alexandro ipsi, qui ob rerum gestarum magnitudinem Magni nomen sortitus est, quid tandem ei accidit? quamuis nonnullis bellis iustas causas prætexere posse videretur, multa etiam ex libidine arripuit, vt non immeritò pirata quidam captus, & de suo facinore interrogatus, id se in mari facere responderit, quod Alexander faceret in terra: & Scytharum legati eum his sunt affati verbis, liberis illis quidem & asperis, at veritati consonis: *Si dij habitum corporis tui auiditati animi parem esse voluissent, orbis te non caperet, alterâ manu orientem, alterâ occidentem contingeres. Et hoc assecutus scire velles, vbi tāti numinis fulgor cōderetur. Ab Europâ petis Asiam, ex Asia transis in Africam. Deinde si humanum genus omne superaueris, cum syluis & niuibus & fluminibus ferisque bestiis gesturus es bellum. Quid tu? ignoras arbores magnas diu crescere vnâ hora exstirpari? stultus est qui fructus earum spectat, altitudinem non metitur. Vide, ne, dum ad cacumen peruenire contendis, cum ipsis ramis, quos comprehendisti, decidas: Leo quoque aliquando minimarum auium pabulum fit, & ferrum rubigo consumit. Nihil tam firmum est, cui periculum non sit ab inualido. Tu, qui te gloriaris ad latrones persequendos venire, omnium gentium, quas adisti, latro es. Impone felicitati tuæ frenos: faciliùs illam reges. Si Deus es, tribuere mortalibus beneficia debes: sin autem homo, id quod es, te semper esse cogita. Quibus bellum non intuleris, bonis amicis vti poteris.* Sed *ὁ σκάζων* non dilectat inquietum & ambitiosum ingenium, & tam insatiabilis rerum helluo erat, vt ea, quæ circumfluebant, adhuc implere vellet & ob rerum successum animos supra humanum fastigium elatus per iniurias, cædes, libidines, suorum clientium perfidiam ad se perdendum accendit, vt florens ætate & rebus gestis maximus misere tandem veneno per amici conuiuij fiduciam hausto, trigesimo tertio ætatis anno occubuerit: & ne paternæ quidem ditionis hæredem reliquerit, vxoribus & liberis trucidatis, tot regnis & opibus inter parricidarum & exterorum vngues acceptis: Quàm stultè in se, quàm crudeliter consuluit in posteros, quos ne haberet, præ se coæuos spreuit omnes: at sicut indignos iudicabat alios, qui secum pari titulo regnarent, ita eius liberi & propinqui non sunt iudicati digni, qui post ipsum regnarent. Ita hodieque multi intractabilibus & molestis suis moribus arrogantique aliorum despicatu, dum omnium se detractores & arrosores præbent, eam etiam, quâ, functis illis vitâ, liberis opus erat, beneuolentiam viui ad imas vsque radices depascuntur, ipsam etiam regerminationis spem enecantes. *Quæ verò acies externæ auerti poterunt, si perpetuus foret pacis amor & ciuilis cura concordiæ.* Liuius. Sed nostris, hoc est, sacrarum literarum exemplis potiùs vtamur. In quantum luctum Simeon & Leuis coniecerunt pium patrem Iacobum, cum quieti non essent & sua domi agerent, sed Sichemitas inconsultâ vlciscendi audacia aggressi trucidarent? Gen. 34. Quàm triste sibi exitium Philistei attraxerunt, cum sine causa Dauidem nouum regem adorirentur? 2. Sam. 5. Quid Achitophel, quid Absolomus, nouis rebus studentes, cum ille contra regem, hic contra patrem etiam insurgeret omni consiliorum calliditate, & fraudibus ac violentiâ suâ obtinuerunt? 2. Sam. 11. Achitophelem desperatio ad laqueum adegit, virum politicâ prudentia nobilissimum: Absolomum 2. Sam. 13. perplexus de quercu ramus arripuit, & de impiâ eius inquietudine pœnam tanquam vindex poposcit. Etiam verò inter sanctiores reges diuino testimonio celebratus Iosias 2. Reg. 23. cum quieti non studeret, sed temerè contra Nechonem Ægypti regem arma sumeret, miserè occubuit & tristi exemplo docuit, neque ipsi virtuti tutum esse tranquilla turbare.

Præoccupatio.

VII. Non est quidem, fateor, humanæ prudentiæ, aut virium opus, omnem effugere inquietudinem & inuitis sæpè litium accrescit materia. Et, vt dicere solemus, hominum concordia non in ipsorum modò arbitrio, sed & in vicinorum ingeniis sita est: & nemini diuturnior quietis est vsura, quàm per eius, qui ad latus habitat, voluntatem licet, & vt communissima, ita acerbissima hæc est miseria inter tales vitam trahere, qui litium succo ad omnia turbanda sunt enutriti. Sed horum hominum studia noscitanda sunt, & ipsi, prout iusta ratio suadet, silentio, malitiæ contemptu, & fugâ familiaritatis, si prauitas videatur inemendabilis, sunt vlciscendi. Verè enim statuendum est, non minimum è malis esse, mala non posse ferre. Vnde inter Bionis apophthegmata celebre est, *μέγα κακὸν τὸ μὴ δύνασθαι φέρειν κακόν.* Interdum ne foueatur peruersitas, acriter contrà eundum est: vt vel metus ignominiæ viciis pessulum obdat. Neque enim patientia Christiana est in fatuitatem vertenda, vt si quæ nostra, si aliena mala minuere possumus, ea in immensum sinamus fruticari. Ideo Angelum Ephesinæ Ecclesiæ princeps salutis nostræ commendat. *Apocal.* 2. *v.* 2. dicens: *Noui tolerantiam tuam, & quòd non possis ferre malos.* Quasi contrariis, optimè tamen concordantibus sententijs, inter vtrumque extremum nos rex sapiens continet, dum *Prou.* 26. *v.* 4. 5. ait; *Ne respondeto stolido secundùm stultitiam eius, ne adæquéris ei tu quoque. Responde stolido secundùm stultitiam eius, ne sit sapiens in oculis suis.* Non vult nos criminibus certare, sed ea verbo ac opere redarguere & obicem grassaturæ pone re malignitati. Dilectioni nihil decedat, vt etsi vitium auerseris, hominem tamen in melius mutatum velis & seruatum. Alij beneficiis, alij declinatione vincuntur, alios dies ipse corrigit.

Malorum & periculorum societas etiam nonnullos iungit, quos bonorum paritas distraxerat. Nostra tamen opera indigentibus etiam inimicis non est subducenda: ne, vt monet Apostolus, *Rom.* 12. *v. vlt. Vincamur à malo, sed vincamus bono malum.* Qui autem ne his quidem pactis mitigantur (vt sanè perfidia & improbitas multorum nullis placatur meritis) ij sinendi sunt, nos ipsos interim impatientiâ victi ne vlciscamur, sed locum iræ demus.

8. Obiect.

VIII. Sed imperitis rerum hæc quies, quam Apostolus nobis imperat, videatur cum aliis nonnullis sanctarum scripturarum locis non consentire. Militia enim dicitur hominis vita in terrâ *Iob.* 7. *v.* 1. In militiâ autem quiescere non licet. Verùm non confertur vita militiæ, ac si hæc Christianorum sit strenuitas, vt alij in aliorum ocium & quietem maledictis aut telis incursent, mutuis se pugnis cædant, aut prædas inter se agant, & his quasi virtutis, calliditatis & roboris spectaculis laudem

laudem captent, ac si vita hominum sit venatio ferarum. Barbarorum ista sunt studia, quos Deus stupendo iudicio ad belluinam illam immanitatem damnauit: quam si & nos imitari non pudeat, possunt aliquando hanc præclaram sane feræ barbariei hæreditatem etiam nostri adire posteri, aut etiam nos ipsi. Latrocinantium & illi, iusto Dei iudicio derelicti, soboles esse videantur. Militia est sanè vita nostra, in quâ non contra homines, sed contra hominum communes hostes, malos spiritus & peccata, dimicandum est, vt ærumnis illis, quas in nos peccata induxerunt, patientia & honestatis studio obnitamur, ne à timore Dei, ne ab officij mandati religione declinemus. Satis enim est, quod plurimis per se implicata est vita molestiis, & nodosa velut eius tela multis crucium nexibus texitur, etsi nulla ex nostris simultatibus, odiis, & insectationibus fiat accessio. Sed, heu, vicinæ & suæ ipsius domus ruinæ quilibet extremus velut cumu-
Esa. 11. v. 6. 7, 8. 9. lus accedit. Tantæ hominibus curæ est malorum perfectio, & accuruata pariter atque acerbata possessio! Ita scilicet cordi est nobis, vt eorum vaticiniorum complementum adiuuemus, quæ in noui testamenti Ecclesia concordiæ vniuersitatem prædicant & amplitudinem; vt scilicet *commoretur lupus cum agno, pardus cum hœdo recubet, vitulusque ac iuuenis leo & pingue pecus simul sint, & vacca ac vrsa compascantur, & simul recubent catuli eorum, & leo sicut bos comedat stramen, & oblectet se lactens super foramen hæmorrho, & super specum viperæ depulsus à lacte infans manum suam in-*
Psam. 10. *iiciat: vt neminem afficiant malo, nec quicquam corrumpant in monte sanctitatis Dei.* Non fiunt ista, sed quod regius Propheta queritur: *Superbiâ suâ improbus feruidè persequitur pauperem; dicit cum animo suo, non dimouebor. Exsecratione eius os plenum est fraudibusque & dolo; subest linguæ eius molestia & vanitas. Desidet in specu villarum, in latebris occisurus innocentem: oculi eius contra defectum viribus delitescunt, insidiatur in latibulo, sicut leo in tugurio suo, insidiatur ad rapiendum pauperem afflictum. Non est in illorum ore rectum, intimum eorum ærumnæ, sepulchrum apertum gut-*
Psal. 5. *tur eorum, linguâ suâ dolosè blandiuntur. Cogitant mala in*
Psal. 140. *animo suo, quotidiè conueniunt ad bella, exacuunt linguam suam similem serpentis, venenum; tyados subest labiis eorum.* Veruntamen, si nos cessemus in officio & nostra Prophetarum dictis implendis ministeria denegemus: inueniet alios Deus, qui auctoritatem & veritatem verbi eius suis obsequiis tueantur. Neque etiam illud pacis officio obstat, quod Dominus profitetur, *se non venisse, vt mitteret pacem sed gladium.* Non enim eo dicto inimicitias inter nos constituit, sed sancit doctrinæ, & doctorum, discipulorumque veritatis dis-
Matth. 10. v. 34. sensionem & dissidium à falsitate & mendaciis. Nec enim vnquam corruptum cum sincero misceri debet, neque fucus ad integritatem admitti. Errores odisse, & hominum salutem simul amare possumus, si quæ Dei sunt & diaboli, dis-
Martial. l. 10. cernere ea queamus, & quod etiam gentilis homo faciendum esse agnouit.

Parcere personis, dicere de vitiis:

Puræ fidei professionem, & redarguitionem peccatorum bella inter homines, & discordiæ sequuntur, improbis suas defensantibus turpitudines: id quod naturæ veritatis non est at-
9 Refutatio. παρεξηγήσεως seu falsæ interpretationis tribuendum, sed ascribendum erroris pertinaciæ.

IX. Ex iis quæ hactenus ad explicandam Apostolici præcepti ἡσυχίαν diximus, iam constare potest, hæc & quæ eius generis sunt scripturæ dicta perperam accipi, si ad omnem humanæ conuersationis auersationem trahantur. Sic falluntur monachi & monachiæ, qui se eximios mentiuntur huius legis obseruatores, dum in angulum mundi aliquem correpunt, & ociosi quotidianæ superstitionis quosdam ritus obeunt, se religiosos, se sanctos, se à mundo segregatos, se cœlo addictos somniant, cum inferis sint proximi: alios autem mundanos & profanos nuncupant, animo sub humilitatis veste fastuosissimo: scilicet Christo & Apostolis mundi desertione anteuntes, & sine omni distractione Deo adhærentes. Verùm notior & nunc mundo detectior est ociosa illa, delicata, voluptuosa, incuriosa & flagitiosa, atque ex miserorum olim rapinis constituta vita, quam vt verba de eâ plura facere intersit. Aliter verò sanctus Apostolus quietè illam exponit *Phil. 2. v. 14. 15. Omnia*, inquiens, *facite absque murmurationibus & disceptationibus, vt sitis inculpati & simplices, Dei filij, inculpati, in medio nationis prauæ & peruersæ.* Et sic fugitur mundus, non si amœniorem à publico secessum curamus, in quem nos abdamus, aut etiam desertam solitudinem ingrediamur, hominum eiuratâ dilectione, charitate in Deum impuratâ: sed si nos studiis & operibus non misceamus cum improbis, vt vel eos sequamur, in eosdem criminum gurgites abrepti, & ne familiaritate nostrâ eorum blandiri videamur obstinationi. Omnem enim malorum consuetudinem declinare si velimus, debemus scilicet ex mundo exire, vt ait sanctus Apostolus. 1. *Cor.* 5. *v.* 10.

10. Vsus. X. Sed ad vsum expositi verbi nunc est pergendum. 1. Cum ergo Christiana doctrina exigat, vt quieti simus; confirmamur præter cæteras, etiam hâc parte, in honorificâ eius opinione s quòd sancta sit & pacifica. Non enim potest vera religio esse, quæ præceptis est turbulenta ac infœdata, inimicitiarumque altrix, quæque non est mansuetudinis magistra. Nam oportet eam fidem, quæ à Deo auctore sit profecta, diuinæ naturæ clementiam & iustitiam referre vnà cum perpetuâ veritate. Turcica autem latrociniorum & parricidiorum, pontificia persecutionum contra quietos Dei cultores plena est, & auctorem mendacij ac homicidij operum similitudine prodit: etsi politiæ ac regnorum stabilimen, & maiorum religio velandis sceleribus prætexatur. 2. Interim tamen nequiter nostra à papatu digressorum doctrina ob varias dissensiones apud plebem falsitatis suspecta redditur. Neque enim eæ religiones omnes falsæ sunt, quæ discordant, neque ij verum sentiunt omnes, qui conspirant. Sunt sua etiam latronibus & furibus fœdera & conciliabula. Eas autem religiones corruptas dici oportet vniuersas, quæ ab vnâ illâ, quæ ad verbum Dei examinari sustinet, discedunt, & quò longiùs, eò corruptiores. 3. Cum verò hæc sit pars non minima muneris nostri, vt quieti simus: videant, quo iure Christiani populi florem se esse glorientur, quibus adeò quies non est cordi, vt noctes diesque nihil meditentur, nisi ordinis publici confusionem, tum vt vlciscantur eos, quos suis sceleribus iudicant aduersari; tum vt excusso disciplinæ metu audere quiduis audeant, tum etiam vt turbatis rebus sua venentur commoda. Quemadmodum enim piscatores opimiorem capturam sperant, si vndas, quibus euerricula destinant, altè commouerint: ita & hi reipublicæ motum sibi quæstuosum cupiunt. 4. Nos verò vt nobis, vt alijs consulamus, & maximè vt Deo pareamus: simus φιλήσυχοι εἰρηνοποιοί. *Beati* enim sunt *mites, quoniam ipsi terram hæreditatis iure obtinebunt*, & vt tranquillitatem procurant, ita eâdem perfruentur. *Beati misericordes, quoniam ipsis misericordia tribuetur. Beati, qui sunt pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* 5. Et gratias agamus Deo, qui huiusmodi legibus, quarum obseruatio & cultus ipsis nobis commodissimus esse potest, vitam nostram regere dignatur: eumque rogemus, vt ipse tanquam. *Deus pacis sanctificet nos totos, & compingat ad omne opus bonum, vt nos ipsos in charitate Dei conseruemus, exspectantes misericordiam Domini nostri Iesu Christi ad vitam æternam.* 6. Solemus etiam nos hâc Dei beneuolentiâ, qui sicut ipse in nos placidè affectus est, sic & nos inter nos eodem pacto vult esse animatos. Si enim malè nobis vellet: faceret, quod hostes solent, qui animos eorum quos oderunt, mutuis incitationibus distrahunt & dissociant. Quare memores simus huius verbi, vt discamus ἡσυχάζειν, non πεῤῥάζειν. 1. *Cor.* 16. *v.* 14. *Omnia nostra cum charitate fiant. Et quod reliquum est, fratres gaudeamus, compingamur, consolatione fruamur, idem sapiamus, in pace agamus: & Deus charitatis ac pacis erit nobiscum.*

Exemplum tractationis magis Ecclesiasticæ ex Luc. 2. v. 22. *de nomine Iesus.*

I. Dicimus hoc nomen *Iesu* filij virginis Mariæ non esse vulgare, more aliorum nominum, quæ discretionis aut boni voti causâ imponuntur: sed plenum esse maximi mysterij de æternâ salute nostrâ in ipso propositâ. Initio autem probè intelligi volo, cuius Iesu nomen hîc supra omnia Angelorum & hominum nomina commendem & extollam, adeò vt in totâ rerum vniuersitate nullum eo celsius, nullum iucundius, dignitus nullum censeri oporteat, & nullum sit ei æquale. Multa sunt in hominum vsu posita perelegantia nomina, at hoc nomen Iesu, est elegantia ipsa, & ipsa pulchritudo: sed non omne nomen Iesu: verùm Dei filij & virginis Mariæ, qui solus sic est φερώνυμος. Legimus etiam alios hoc nominis gessisse. Qui enim vsitatiùs Iosua vocatur, filius Nunis, minister initio Mosis, postea dux populi, *Act.* 7. 4. 8. *& Heb.* 4. Iesus nuncupatur, & summus sacerdos, filius Iosedechi *Hagg.* 1. 1. *& Zach.* 3. *& 6.* eandem appellationem est sortitus. Veruntamen horum nomen in Hebræo sermone erat Iehosua; vnde Græci Iesum fecerunt, sed noster Dominus est *Iesua.* Iehosua à seruando, à salute ipsâ Iesua dictus fuit. Et illi, inprimis filius Nunis illustrem typum Domini & seruatoris nostri gessit: vt supra communem discriminandi causam in eo aliqua tam magnifici nominis ratio exstiterit: vt infrà planum faciemus. Is autem conuersus Iudæus, qui Iesus cognomento Iustus nominabatur, cuius meminit diuus Apostolus. *Col.* 4. 11. pro vulgari tantum notitiæ & differentiæ indicio id nomen habuit, nullius excellentiæ momento insigne æstimandū. Hoc autem Christi nomen non est nudæ differentiæ, nec est figuræ sed est veritatis, plenum est rei & certum omnis salutis auctoramentum: quo indito Pater cœlestis eum obsignauit & obligauit ad hoc, vt nos ex omni seruitute Diaboli ereptum iret; Hoc nomen dico Euangelij illustre compendium esse, hoc breue documentum eius doctrinæ, quæ lætum nobis nuncium affert contra metum iræ Dei & contra terrores inferorum.

II. Non est autem existimandum, in literis & syllabis, in figurâ aut sono vocis vim inesse tantā: sed nomen hoc significat, quod

quod est persona,& hoc notat intellectui nostro,quod ipse inuictâ potentiâ agit. Quod nomé ait, nominatus agit:quod verbum Dei per Angelum vocatum dicit,id verbum Deus,à Patre genitum, creator Angelorum & hominum dicat & facit: in quem fides auditu & intellectu verbi excitari debet,vt per vmbram sparsi nominis ad corpus & veritatem Domini deducatur. Nec etiam opinandum est, inutilem esse de nomine hoc meditationem; cum eius causâ Angelus è cœlo legationem obierit: quod cum frequentissimè ob aures nostras sonet,turpe foret nobis vim eius ignorare.

III. Nunc ad propositi probationem accedo. In hoc autem nomine plurimum esse positum, ex verbis, quæ explicanda sumpsimus,manifestum est,dum monemur,nomen Iesu in circumcisione inditum esse Mariæ filio non casu quodam aut ex notâ aliquâ quam in lucem editus præ se tulerit,aut opinione aliquâ de ipso probabiliter conceptâ:sed ab Angelo,priusquam in vtero Dominus conciperetur. Varia est nominū impositio, quæ aut non habentibus tribuuntur, aut habentibus. Qui nomina ante non habēt,eis ad vitæ commoditatem & distinctionem sunt imponenda: Quibus autem jam sunt nomina,eis alia assignari nō est necessum,nisi postulet distinctio inter cognomines;aut necessitas, aut cum ex iustâ occasione ea permutant, aut ex aliorū imperio,siue illi mero arbitrio vtantur, sie ex casu & historiæ alicuius causâ id faciant,siue ex religione aut superstitione. Filius Dei fuit nomen eius,de quo hic agimus:qui cum homo fieret, manebat quod erat:nec erant plures Dei filii,à quibus esset discriminandus. Hoc ergo ei sufficiebat, dici Dei filium & Virginis Mariæ,illius vnigenitū sine matre,& huius primogenitum, quin etiam vnigenitum sine patre. Sed ad nos alio nomine opus erat. Nā filius Dei & filius Virginis manens mundū damnare poterat:& horum nominū neutrū, nec etiam vllum aliud erat idoneum ad nostram miseriam leuandam ac tollendā,nisi solum nomen Iesu. Sed ne illud fieret,Iesus dici & esse Iesus voluit. Hoc nomen ne quis inane titulum esse opinaretur, Gabriel astans in conspectu Dei ad Mariam illud detulit; & quidem missus à Deo. Idem etiam de Ioannis nomine mandatum dedit Zachariæ; veruntamen eum tantùm gratiæ diuinæ prædicatorem non autem partorem esse docet, & præparaturum viam ei Domino,qui à salute ipsâ merendâ & donandâ nomen gerit,is est Iesus. Nomen n. hoc est Hebræum & significat σωτῆρα i.e. salutis auctorem, seu vt vulgo loquimur, saluatorem. Saluos igitur faciet eos,quibus datus est. Ideo Angelus ait ad pastores: *Annuncio vobis gaudium magnum, quod futurum est omni populo,natum esse vobis hodie seruatorem, qui est Christus Dominus.* Ita rem cum nomine habet:& seruat nos ab iniusto hoste liberans, iustum hostē placans, hostilia mala auertens & reducens amica bona. Hic noster Dominus est Iesus contra hostem iniustū. Iniustus hostis erat Diabolus. Ex eius potestate nos eripit. Ideo dicitur particeps factus carnis & sanguinis,vt per mortē abolent eum,penes quem mortis erat imperiū,diabolum, & liberos redderet quicunq; metu mortis per omnem vitā erant obnoxii seruituti. Hic idē noster est Iesus erga hostem iustū. Iustus hostis propter peccata nostra erat Deus. Huic nunc reconciliati sumus per mortē filii eius. Hic placatus est filii sui sanguine:vt Apostolus ait,quod *Deus Iesum Christū proposuerit ἱλαστήριον,i.e.placamentū in sanguine eius.* At dicas, quomodo placatus est, si ipse eū ex eâ gratiâ dedit,quâ nos ab æterno dilexit? Vtrumq; dicitur,& Deum proposuisse eum, in placamentū.iam autem placandus erat is,qui offensus erat. Nos Deum læseramus,dum ab eo defecimus: ipse nos non læserat. Ipse igitur ἱλάσκεται Deum, vnde & ἱλασμὸς dicitur pro peccatis nostris,vt est in 1. Ioh.2.2.epistolâ,*Ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Item c.4.10. *ipse dilexit nos, & misit filium suum,* vt esset propitiatio pro peccatis nostris. Placatio autem fit duobus modis. Vnus est,odium,quod erat,auertere:alter;iram & odium quæ jure esse poterant,præuertere. Priore modo placauit Christus Deum ratione nostrorum peccatorum,quæ in nobis erant, quæque Deus verè oderat. Posteriore modo Christus placauit Deum,ratione nostri peccatorum,quos Deus jure, animo damnandi, odisse, & quibus exitiabiliter irasci poterat. Ita ergo iam *gloriamur de Deo per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem nunc reconciliationem recepimus.* Idem hic noster est Iesus contra hostilia mala; peccatum & mortem seu pœnam. Peccatum tollit, dum obedientiâ suâ expiat inobedientiam nostram: mortē tollit,dum mortis causam,peccatum,aufert. Nam, vt est Rom.5.*per peccatū mors in mundum introuit:*ergo per peccati egressum mors exibit. Idem hic noster est Iesus ad iustitiam & vitam.iustitiā affert,dum se, cui ipsi nos debitores eramus,pro nobis debitorē constituit;& vt est *Psal.*69.5.quod nō rapuit rependit;culpā nostram in se recipiens,non in hærentē, sed in debitorio contractu imputatā. Pœnæ autē vero sensu se subiecit. Vt n. lignum crucis à Iudæis sibi passus est imponi:ita peccatorum nostrorum immensum onus sibi iniectum vltrò admisit.ita supplicium pro eis passus est,quibus se in Iesum dedit;peccator videri voluit,& non esse; cum nos esse voluerimus & non videri. Pœnā ferre voluit,non mereri: vt nos meriti reatus,quod ferre nolebamus,imo nec poteramus sine certo eoq; externo exitio. ille voluit nobis benedicta esse maledictio:cum per nos omnis Dei benedictio in hoc mundo maledicta esse cœperit. Non est autē iustitia tantùm quia remissionē peccatorū suâ satisfactione impetrat:verùm etiam,quia suâ virtutis diuinæ affectione naturam nostrā renouat,vt in Deo ad fidem & bona opera reualescamus. ita dicitur *Rom.* 5.19. *sicut per vnius nempe Adami inobedientiam peccatores constituti sunt multi,ita per vnius nempe Christi obedientiā iustos constitui multos* quatenus scil. *iustificati eius sanguine seruamur per eum ab irâ* vt est *Rom.* 5. 9. Ita etiam dicitur eundem esse, qui nos spiritu suo sanctificet. Hinc Apostolus 1. *Cor.* 6. 11. loquens de conuersis Corinthiis dicit: *Abluti estis,sanctificati estis, iustificati estis, in nomine Domini Iesu & per spiritum Dei nostri.* Ita restitutâ iustitiâ redditur vita & salus. Hinc *Rom.* 5. 21. dicitur: Quemadmodum regnauerat peccatum ad mortem: ita gratia regnat per iustitiam ad vitam æternam per Iesum Christum Dominum nostrum.

IV. Nunc pressiùs videamus, quomodo vis nominis Iesu declaretur. Omniū autem proxima eius expositio est *Matth.* 1. v.21.quum Angelus Gabriel ad Mariam de eius filio, *Vocabis,* inquit, *nomen eius Iesum. Ipse enim seruabit populum suum ex peccatis ipsius.* Iesus dicitur quia σώσει, i.e. saluos nos faciet. Hic docet causam tam magnifici nominis ex *certâ,verace, benignâ, amplâ,iustâ potente operatione* peti: atque ita nomen illud esse rei plenum. CERTA est hæc operatio. Cum enim Angelus dixisset, *vocabis nomen eius Iesum:* subiicit,euidentem rationem esse;& dicit ipse *enim.* Nam vocula *enim* causam indicat;vt cum Angelus ad opiliones metuentes ait *Luc.*2.10. *Ne metuite:Ecce* ENIM *annuncio vobis gaudium magnum.* VERAX est hæc operatio. Quod enim in paradiso dictum est,*Gen.*3.IPSE conteret te serpentem:id iam hic impletur;IPSE seruabit. Deum enim conterit perditorem,seruat perditos IPSE hic vtrobique idem est ille est,de quo dicitur *Deut.*18.15.*ipsum audite:& Psal* 45.12. *ipse est Dominus Deus tuus.* BENIGNA est illa operatio. Seruabit enim,seu salutem præstabit perditis. Amabile est salutis nomen sed Iesus est salus. Propterea & in Veteri & Nouo Testamento salus dicitur Iesus enim est salus illa,de quâ *Esa.*52.10. *Nudat* DOMINVS *brachium sanctitatis suæ ante oculos omnium gentium;vt videāt salutem Dei nostri:*de quâ etiam *Psal.*98.v.2.3. *Notam fecit Dominus salutem suam, ante oculos ipsarum gentiū iustitiam suam. Viuent omnes gentes salutem Dei nostri* Hæc ergo salus est aspectabilis: qua visa Simeon in templo dixit, vt est *Luc.*2.30. *Viderunt oculi mei salutem tuam.* Ideo *Esa.*49.6.de hoc filio suo Iesu ait Deus Pater:*Constituo te in lucem gentium, vt sis salus mea vsq;ad extremitatem terræ.* De hâc Dominus *pronunciat ad extremum vsq;terræ;dicite filiæ Sionis,Ecce salus tua aduenit Ecce merces huius penes ipsum est.* Igitur hic salus est persona,est salus ipsa,imo est SALVS IPSE, *qui de se ipso dicit Apoc.*22 12,*Ecce venio citò,& merces mea mecū est.* Hic est ille seruator de quo *Esa.* 19 v.20. *Cum inclamat Dominus propter oppressoris immittet eis seruatorem & magnatem,qui eripiat eos.* Et *Zach.*9.v.9 dicitur,*Exsulta valdè filia Sionis, clange filia Hierosolymorum,Ecce rex tuus aduenit tibi, iustus & seruator,* seu salute præditus. Hic verè est seruator mundi. *Iohan* 4.v.42. Hunc interpretatione adiectâ *seruatorem Iesum* vocat Apostolus *Act.*13.v.23. Hic est *seruator sui corporis*, id est, Ecclesiæ. *Ephes.*5.v.23.*Hic est seruator noster Iesus Christus,qui mortem aboleuit & vitam produxit.* 2. *Tim.*1.v.10. Hic est *seruator noster Deus. Tit.*1.3.*Dominus Iesus Christus seruator noster. Tit.* 1. 4. *magnus ille Deus & seruator noster Iesus Christus. Tit.* 2.v.13. Hic est de quo Iohannes ait 1.*Ep.c.*4.v.14.*Nos spectauimus & testamur,patrem misisse filium,qui esset seruator mundi* Hic est, de quo æternus Pater dicit *Hos.*1.v.7.*Domus Iudæ miserebor,& seruabo eos per Dominum Deum ipsorum.* Hic est de quo *Ioh.*3. v.17.dicitur:*Deus non misit filium suum in mundum, vt damnet mundum,sed vt seruetur mundus per eum.* Quomodo verò seruat nos? Id vanè exponi potest, seruat nos vt Deus & homo. Vt Deus efficaciter dat salutem; vt homo promeretur. Seruat nos in statu exinanitionis & exaltationis. in exinanitione acquisiuit nobis iustitiam & vitam, quam se acquisiuisse testatum facit in exaltatione,& nobis applicat. ita *Rom.*4.v.25. docet Apostolus, *Christum traditum esse propter lapsus nostros, & suscitatum ad nostri iustificationem.* Seruat nos vt propheta, sacerdos & rex noster. vt propheta docet viam salutis, vt sacerdos acquirit salutem, vt rex eam nobis opere ipso impertit. Seruat nos vitâ & morte. *Nam* vt ait Apostolus *Rom.*5 v.10.*Si cum inimici essemus, reconciliati fuimus Deo per mortem Filii eius, multò magis reconciliati seruabimur per vitam eius.* Trita phrasis in Ecclesiâ est, Iesum esse seruatorem nostrum merito & efficaciâ: merito nempe obedientiæ suæ & mortis,& efficaciâ spiritus sui:ita meretur nobis absolutionē à pœnâ,vt propter deccata non damnemur: & operatur in nobis per diuinam virtutem, vt acquisitam iustitiam nobis applicemus. Hunc vtrumque modum clarè exponunt hæc dicta. *Act.* 5.v.31.*Deus Iesum constituit principem & seruatorem, vt det resipiscentiam Israëli & remissionem peccatorum,* nempe secundùm formulam federis gratiæ,de quo est *Ier.*31.v.31.32.33. Ideò Iesus ex mortuis excitatus, voluit *nomine suo resipiscentiam & remissionem peccatorum prædicari Luc.*24.47.ita *Gal.*1.4.*Dominus noster Ie-*

sus Christus dedit semetipsum pro peccatis nostris; vt eximeret nos ex præsenti seculo malo Et vt est *Tit.2.14. Dedit semetipsũ pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & purificaret sibi ipsi populum peculiarem, accensum studio bonorum operum.* Item *Ephes. 5. v. 25. Christus dilexit Ecclesiam & semetipsum exposuit pro eâ: vt eam sanctificaret, ab eo purificatam lauacro aquæ per verbum, vt sisteret eam sibi gloriosam, Ecclesiam quæ ne habeat maculam aut rugam, aut quicquam eiusmodi, sed vt sit sancta & inculpata.* Et totam hanc rem in ardenti illâ suâ precatione *Ioh. 17. v. 19.* Dominus complectitur, quum ait de nobis omnibus: *Ego sanctifico meipsum pro eis, vt & ipsi sint sanctificati in veritate.* Sanctificat se pro nobis, dum se in victimam sanctam & propitiatoriam offert: & sanctificat nos in nobis, dum veritate suâ nos illuminat, & bonitate suâ nos calefacit ad viuam fidem & patientem spem ac charitatem operosam. Ipse, vt est, *Heb. 7. v. 25. seruare perfectè potest eos, qui per ipsum accedunt ad Deum, semper viuens, vt interpellet pro eis.* Hæc est illa gratia remissionis peccatorum & renouationis naturæ; & hæc est illa pax conscientiæ, quam Apostoli a Deo Patre & Domino nostro Iesu Christo in exordiis suarum Epistolarum iis precantur, ad quos scribunt. Hæc omnino est illa beata conditio in libertate à peccati maledictione & eius dominatu, & à miseriâ: de quâ suprà disseruiamus. Quam benigna est hæc operatio, & quanta hæc saluatio! quæ si angusta esset, magna tamen esset: sed est etiam AMPLISSIMA. Non seruabit me solum, nec te solum, non vnam ciuitatem, sed populum. Quis verò ille populus? Populus omnis qui sub Sole est. Quicunque enim per corruptam generationem in Adamo lapso salutem amiserunt; ii omnes, si regenerationis gratiam in secundo Adamo suscipiant, per eum salutem repererunt, non soli Iudæi sed & Israëlitæ ac gentiles. Ideo, *Ier. 23. 5. 6. & 33. 15* dicitur: *Ecce dies venturi sunt, dictum* DOMINI, *quibus excitabo Dauidi germen iustum, qui regnabit rex secundabiturq; ac exercebit ius & iustitiam in terrâ: diebus eius seruabitur Iuda & Israël habitabit securè: atq; hoc est nomen eius, quo vocabit eum,* IEOVA, *iustitia nostra.* Ideo mundi seruator dicitur *Ioh. 4. 42. 1. Ioh. 4. 14.* & nos redemisse ex omni tribu, linguâ, populo, & natione *Apoc. 5. v. 9.* Sed inquies, tamen *Luc. 13. v. 23.* pauci dicuntur esse qui seruentur. Pauci sunt ad improbos collati: multi in suo numero æstimati. Et omnibus Christus pater, & eorum, qui ad ipsum veniunt, neminem excludit. Homines autem plurimi gratiæ Christi sunt contemptores, vnde suâ culpâ pereunt. Nam, vt *Iohan. 3. 19. Hæc est condemnatio; quòd lux venit in mundum, sed dilexerunt homines potiùs tenebras quàm lucem; quia sunt eorum mala opera.* Porrò IVSTA est operatio, quâ Christus se seruatorem præstat. Seruat enim populum *suum*, à se factum & sibi datum, vt est *Ioh. 1. v. 10. 11. In mundo erat, & mundus per eum factus est, etsi mundus eum non agnouit, & ad sua venit: etsi sui eum non receperũt. Quotquot verò eum exceperunt, eis dedit hoc ius, vt filii Dei fiant facti nempe ii, qui credunt in nomen eius.* Ideo etiam dicitur caput Ecclesiæ, & is qui salutem det corpori. *Ephes. 5. 23.* Ideo *Iohan 10.* nos vocat oues suas, *Ego*, inquiens, *sum pastor ille bonus, & agnosco meas, & agnoscor à meis.* Si ergo Christus est Dominus noster: iustè omnino nos liberat è Satanæ Tyrannide & nos in peculium suum postlimino asserit. Postremò POTENS est hæc seruandi ratio, quâ Iesus sui nominis veritatem planè confirmat. Liberat & saluum facit populum suum *ex peccatis eius.* Peccatorum magna est potentia, vt quæ Deum à nobis alienant; & planè insanabilia sunt per omnem sapientiam &

Cant. 7. 10. vim omnium creaturarum, & certam mortem inducunt. Mors fortis dicitur, quæ omnia sibi subiugat: at si non sit peccatum, mors mortua est, Christus verò potentior Diabolo, mundo, morte, & peccato: redimit nos ab omnibus peccatis; & vt hoc nos in compendio doceret, Iesus appellari voluit. Hoc est illud nomen alexipharmacum, ex cuius quasi literis & foliis medela inuicta fit ad persanandas omnes iniquitates nostras. Hoc est nomen, quo omnia nomina, id est, debita nostra desentur, & per quod nostra nomina eam gratiam merentur, vt in libro vitæ cum honore legantur. Hoc est illud nomen, extra quod nullum est nomen, in quo seruari possimus; vt *Act. 4. v. 12.* Petrus docet. Dum peccata abolet Dominus: terra cum cœlo in gratiam redit, & ea maledictio, quæ per lapsum est in mundum introducta, eluitur. De hâc potenti peccatorum abolitione multa passim scriptura recitat; quæ hic commemorare non licet per eam tractationis angustiam, intra quam nos inclusimus. Christus est, *qui peccata multorum tulit Esa. 53. v. 12.* Ipse *est agnus, qui tollit peccata mundi Ioh. 1. 29.* qui *mortuus est pro peccatis nostris. 1. Cor. 15. v. 3.* quem *cum non esset peccatum, fecit Deus peccatum*, id est, hostiam pro peccato; *vt nos efficeremur* iustitia Dei in eo. *2. Cor. 5. v. 21. qui peccata nostra ipsemet tulit in corpore suo super lignum.* Id autem non fecit, vt nos securè in peccatis permaneremus; & accepto antidoto, venena audacter helluaremur, sed, *vt peccatis mortui iustitiæ viueremus.* Ideo dicitur seruare populum suum ex peccatis; ea per sanguinem suum pretiosum expurgando, & exputando per Spiritum suum: perfectus scilicet medicus & pharmaco morbum expellit, & diætâ sanctâ vitam regit & moderatur. Nunc meritò cœlesti voci & nostra assonat, vt est *Apoc. 12. v. 10. 11. Nunc facta est salus & potentia, & regnum Dei nostri, & potestas Christi eius: quia deiectus est accusator diabolus.* Eum nunc vicimus *per sanguinem agni & per sermonem testimonii eius.*

V. Ita igitur etiam ex scripturæ testimoniis satis liquet, quàm augustum sit Iesu Domini nostri nomen. Idem & rationes confirmant. Nam *primò* exhibito mediatori hoc solum proprium nomen datum est. *Secundo* Angelus magnæ curæ habuit eius vim ex origine explicare. *Tertiò* (vt ex iis apparet, quæ supra diximus) in suauissimis veteris testamenti promissionibus iucundè ad id grauisus est Spiritus sanctus alludere. Etiam cum in paradiso prima Euangelica promissio promulgaretur, in voce ישופך id est, conteret te primæ tres literæ eædem sunt cum tribus primis nominis ישוע vbi iam nominis huius misterium abscondi, aut potius reuelari videtur. Ipse enim est serpentini capitis contritor, atque ita nobis liberator. *Quartò* hoc nomen rem sonat omnium maximè expetendam, nempe veram salutem. Quid autem salute esse potest desiderabilius? quid eâ optabilius? in hoc nobis promittitur status omnium bonorum aggregatione perfectus. *Quintò* hinc iam colligitur hoc nomen esse fœderis gratiæ, verbi scilicet & signorum eius illustre monumentum; quo aduersus omnes miserias nostras sufficiens & efficax remedium spondetur. *Sextò*, in eo nomine fideles omnium temporum lætitiæ suæ summam posuerunt & nullo se nomine ita oblectarunt, vt illo. Extra huius nominis misturam omne mel est amarum, & tristis lætitia. Nostra nomina sunt damnata peccatorum nomina: quibus oppositum Iesu nomen ea sanat & facit vt iustorum nomina dici mereantur. Si ipse enim est seruator noster: nos sumus seruati ab eo. Nomen hoc rem non excedit, vt multa solent alia: sed nomen est rei veritate plenum, *Iniquique*, vt Cyrillus Hierosolymitanus in catechesi ait, *fit varius seruator ad vtilitatem. Qui enim indigent recreatione & lætitiâ, illis fit vinea: qui opus habent vt ingrediantur, illis fit ostium; & qui cuperent offerre orationem, illis fit mediator summusq; sacerdos. Rursus habentibus peccata fit ouis vt pro iis mactetur.* Ita implet rem nominis sui, & medicus est non confectione & præparatione medicinæ ex alia officinâ petitæ, sed ex animo suo & ex venis suis expressæ. Si vero *medicus*, vt Chrysostomus ait homil. 1. oper. imperfect. *qui nullam potestatem habet salutis humanæ, propter solam confectionem herbarum, non erubescit medici nomen sibi imponere: quanto dignius iste vocatus est saluator per quem totus mundus saluatus est?* Hoc nomen est sponsi nostri, de cuius præsentiâ castis in religione animis non potest non ingens esse lætitia, etsi ea quædam absentiæ eius specie in mœroribus obnubiletur, auerso velut vultu serenitatis eius. *Visitatio*, vt anima huius nominis igne ardens ait, *lætificat, sed molestat vicissitudo. Et hoc tamdiu necesse est pati dilectam eius sponsam, donec semel positâ corporeæ molis sarcinâ, auolet & ipsa pennis desideriorum suorum, liberè iter carpens per campos contemplationis & mente sequens expeditâ dilectum, quocunq; ierit.* Hic Dominus noster Iesus *est verax in corde, verax in cogitationibus, verax in responsionibus, verax in verbis, verax cum Deo, verax cum hominibus, verax cum Angelis, verax in vitâ, in morte, verax in resurrectione: & ad summam verax in nomine, & verax in opere.*

V I. Porro nomen Iesu ob maiestatem suam etiam præclaris dignum est similitudinibus. Ecclesia Cant. 1. 3. de sponsi sui Christi nomine dicit; *velut vnguentum diffunditur nomen tuum.* Hoc imprimis ad Iesu nomen pertinet, quod nobis aduersus inferiorem mephitim est vt vngentum fragantissimum, vt balsamum pretiosissimum, cuius odorẽ serpentina colluuies auersatur. Et sermone 15. in cantico canticorum spiritus plenus sanctus Bernardus illa Salomonis verba in nomen Iesu transfert; quæ digna sunt vt recitemus. *O nomen* inquit, *benedictum, ô oleum vsquequaq; effusum. Quousq;? De cœlo in Iudæam, & inde in omnem terram excurrit, & de toto orbe clamat Ecclesia: oleum effusum nomen tuum. Effusum planè, quod non solùm cælum terraq; perfudit, sed aspersit & inferos; adeò vt in nomine Iesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium & infernorum. Quam carum! quam vile! vide, sed salubre. Si vile non esset, mihi non effunderetur: si salubre non esset, non me lucraretur. Cur verò oleum? Est proculdubio inter oleum & nomen sponsi similitudo: nec ociosè Spiritus sanctus alterutrum comparauit. Ego autem dico in triplici quâdam qualitate olei, quod lucet, pascit & vngit. Fouet ignem, nutrit carnem, lenit dolorem; lux, cibus, medicina. Nonne in huius nominis luce Deus vocauit in admirabile lumen suum, quibus illuminatis & in lumine isto videntibus lumen, dicat meritò Paulus: Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Hoc deniq; nomen coram regibus & gentibus & filiis Israel portare iussus est idem Apostolus, & portabat nomen tanquam lumen. Nunquid non ignem sparsit, cum Petrus ait: in nomine Iesus Christi Nazareni surge & ambula? Nec tantùm lux est nomen Iesu, sed & cibus. Annon toties confortaris, quoties recordaris? Quid æquè mentem cogitantis impinguat? Quid ita exercitatos reparat sensus, virtute roborat, vegetat mores bonos atq; honestos, castas fouet affectiones? Aridus est omnis animæ cibus, si non oleo isto infunditur. insipidus est, si non hoc sale conditur. Si scribas*

non sapit

V.P

Ex bus

Vei tin di no

non sapit mihi, nisi ibi legero Iesum. Si disputes aut conferas: non sapit mihi nisi sonuerit ibi Iesus. Iesus mel in aure, in ore melos, in corde iubilus, sed est & medicina. Tristatur aliquis nostrum? veniat in cor Iesus & inde saliat in os, & ecce ad exortum nominis lumen, nubilum omne diffugit, redit serenum. Labitur quis in crimen, currit insuper ad laqueum mortis desperando? nonne si inuocet nomen vitæ, confestim respirabit ad vitam? Habuit & Iudæa quosdam Iesus, quorum vacuis gloriatur vocabulis. Illa enim nec lucent, nec pascent, nec medentur. Quàm dulce existimamus Iosuæ nomen accidisse Israëlitis, quum ex horrido deserto in possessionem terræ promissæ, felici, licet inter grauia bella, itinere, illos introduceret? ille typus erat veri Iesu, & ille, vt in symboli expositione apud Cyprianum legitur, *Iesus appellatus est, qui cunctum à terra Ægypti populum, & de erroribus eremi liberatum in terram repromissionis induxit. Et hic Iesus dicitur, qui populum de ignorantiæ tenebris eductum & de erroribus euocatum introduxit ad regna cœlorum.* Nobis igitur longè dulcius nostri Iesu nomen erit, qui neminem ritè sequentem in profectione perdidit, & non caducam sed terrenam requiem nobis parat, nullà expulsione interturbandam. Hoc nomen Iesu certum nobis pignus est paterni amoris Dei erga genus humanum. Potuisset enim eum æquè nostri atque serpentis, ad quem defeceramus, vocare contritorem: sed vocauit eum Iesum nobis, qui ad plenum sanaret omnia nostra. Hoc nomen sit animo nostro turbato grata refectio, hoc sit nobis animo deficientibus aqua recreationis & vitæ. Hoc quippe nomen est Euangelij & diuini federis artificiosissimum compendium: & tanquam infragilis adamas, quem pectorum nostrorum palæ includamus, & quo nos aduersus ictum Satanæ tueamur: non in sono hærentes ad superstitionem, sed in virtute eius per fidem Deo habitam vigentes. De æternâ salute nostrâ, de nostri etiam paternâ gubernatione in hâc vitâ promissiones omnes in duas huius vocabuli syllabas sunt collectæ: modò vim eius teneamus: de quo vnicè nobis est laborandum.

VII. Vim hanc sui nominis non curauit Dominus ambitiosè prædicandam per Angelum, vt vanis hominibus mos est, qui suos decumanos titulos, & quasi in aliquot iugera extensos, vix palmari virtute replent. Ille autem veracibus & dictis & factis nominis sui amplitudinem penitus explet. Quis enim, licet deploratissimus, ad eum cum spe confugit, & ope est frustratus? Qui dixit paralytico Matth. 9. *Confide fili remissa sunt tibi peccata tua.* Quid fecit? Dixit, *Surge & ambula*, & fecit vt surgeret & ambularet. Ita & nos etiamnum in Euangelij prædicatione alloquitur: & nos ex morte surgere iubet & ad cœlum ambulare: & dat quod iubet. Quid dixit Marthæ *Iohan.* 11. *Ego sum resurrectio & vita. Qui credit in me etiamsi mortuus fuerit, viuet. Et quisquis viuit ac credit in me, non morietur in æternum.* Et ne putemus eum erga paucos tam benignè affectum esse, quid dicit ad omnes, quid facturus omnibus, *Matth.* 11. dicit: *Venite ad me omnes, qui fatigati estis & onerati, & ego faciam vt requiescatis. Discite à me quòd lenis sim & summissus corde: & inuenietis requiem animabus vestris.* Et *Iohan.* 7. dicit. *Si quis sitit, veniat ad me & bibat. Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina aquæ viuæ ex ventre ipsius fluent.* Huius nominis vim Paulus est expertus, cum à furore suo conuersus, Iesu gratiam prædicat. 1. *Timoth.* 1. dicens: *Certus est hic sermo, & dignus modis omnibus qui recipiatur, Christum venisse in mundum, vt peccatores seruaret,* quorum etiam non erubescit se primum dicere. Et hic nominis Iesu definitionem ab Angelo positam reperit. Huius nominis efficacitatem sentiebat Bernardus, cum in homil. 2. de beatâ Virgine diceret: *Bona & desiderabilis, vmbra sub aliis Iesu, vbi tutum est fugientibus refugium, gratum fessis refrigerium. Miserere mei Domine Iesu, miserere mei, quoniam in te confidit anima mea, & in vmbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas.* Et serm. 32. *A quantâ, inquit, me amaritudine frequenter liberasti adueniens Iesu bone. Quoties post anxios fletus, post enarrabiles gemitus & singultus sauciam conscientiam meam vnxisti vnctione misericordiæ tuæ & oleo lætitiæ perfudisti? Quoties me orario, quem penè desperantem suscepit, reddidit exsultantem & præsumentem de veniâ? Qui similiter afficiuntur, ecce hi sciunt, quod verè medicus sit Dominus Iesus, qui sanat contritos corde & alligat contritiones eorum.*

VIII. Verùm dicat quispiam, ampliora eo, de quo nobis sermo fuit, esse alia nomina: & vocem commendationem nimiam facilè abire in superstitionem. Est quidem Dei nomen supra omne nomen, quia Deus est supra omnem rem; at nullum erga nos est benignius, quàm Iesu nomen. Dei nomen est terribile maiestate, nisi adsit Iesu nomen amabile bonitate. Et verò in Iesu nomine etiam Dei nomē includitur. Seruare enim nos non potest, nisi omnipotens, & omnipotens non est nisi Deus. Ita Iesu nomē est nomen regium, est sacerdotale, est propheticum, est planè diuinum. Nam hæc ad salutem nobis præstandā necessum est concurrere. Neque hic metuēdum est, ne nomen in idolum vertamus, si illud pro suæ rei pleno signo habeamus. Vt enim totum Dei verbum honorandum est, sic etiam eius pars, & verò etiam compendium, sacratissimum Iesu nomen.

IX. Duo enim nobis cauenda sunt, cum de testimoniis ac mediis diuinis, verbo & Sacramentis, disserimus. Vnum est, ne eam vim atque efficaciam quæ penes solam Dei omnipotentiam & bonitatem residet, & ab eo liberè exseritur, externis illis symbolis inclusam esse opinemur, & ne ad pronunciationem aut ritum aliquem, nostro arbitrio aut temeritate sumptum, diuinam virtutem alligare velle videamur. Ita enim abuti velle nomine Iesu non tantùm inutile est, sed planè perniciosum. Ita malè hoc cessit filiis Scevæ Iudæi primarii Sacerdotis, qui spiritus malos adiurabant per nomen Domini Iesu, spretis enim eis Iesum se nosse dæmonium respondit, ipsos autem non agnoscere: & insiliit in eos ac cecidit, vt nudi & vulnerati effugerent. Alterum verò est, ne tamen voces & ceremonias diuinitus nobis commendatas inanes sonos ac figuras esse statuamus, sed certò teneamus, id per ea doceri, quod Deus ad ea vult operari in iis, qui illis legitimè vtuntur, imo vt ea per illa agere, fidem illam, quâ rectus vsus constat, excitando & roborando, vt ipsa apprehendat gratè, quod Deus dat gratis.

X. Superest vt de vsu doctrinæ, quæ fuit de nomine Iesu, etiam aliquid moneamus. *Primò* itaque hinc patet, quanta Dei vt in agendo, ita & in docendo sit sapientia, qui vno hoc Iesu nomine plus est complexus quàm totus mundus habuit in arcanis suæ sapientiæ. Cum etiam noster Dominus sit Iesus & saluator dictus: consequens est, nos fuisse perditos. Seruator enim est eorum curator, qui perierunt: vnde ait, *venisse filium hominis vt seruaret quod perierat.* *Secundo* nomen hoc est nobis instar iustæ refutationis eorum, qui salutem aut eius partem in Mariâ, in sanctis demortuis aut semetipsis quærunt. Nemo hominum est Iesus dictus à Deo, præter hunc vnum. In ipso igitur salutem quærere solidè oportet, quicunque damnationem non sunt inuenturi. Huius nominis participationem nemo sine sacrilegio sibi sumere potest, cum redimi alios, ipsum solum redimere doceat. Quare nec à Iesu Iesuitas, sed à Christo Christianos dici Iesu discipulis conueniebat. Vngimur enim cum eo ab eodem spiritu: sed in salute tribuendâ consortem ille habet neminem. *Tertiò* cum tot signis & monumentis verum iter ad vitam nobis Deus notauerit: cogitemus, quàm turpe futurum nobis sit, si ne nunc quidem verum tramitem sequamur. Nunc tempus est monere cum Apostolo, *ne perfluamus. Quomodo enim effugiemus, si tantum Iesum, si tantam salutem neglexerimus?* Cum iis etiam Deus non pepercerit, qui inter tenebras aberrarunt, quid de nobis fiet, si in luce nos deuios esse contingat? *Quartò* quia tam opiparum omnis salutis apparatum in Iesu habemus: de hoc promptuario per fidem conuiuemur & pinguescant animæ nostræ, vt impleatur, quod ait Propheta, de infidelibus contra incredulos: *Ecce serui mei comedent, vos autem esurietis, ecce serui mei bibent, vos autem sitietis: ecce serui mei lætabuntur, vos autem erubescetis.* Et demus operam, vt huius nominis vis in totâ vitâ nostrâ appareat, & cum timore ac tremore salutem nostram conficiamus: colamus Dominum in timore, & exsultemus ei cum tremore. Iudices & reges terræ se sub huius nomen humilient, ne eorum gloria exeat in ignominiam. *Quintò* gratias etiam Deo agamus, qui tam benignè nobis prouidit, vt in ipso Filij sui nomine omnem salutem nobis certò sit pollicitus: & oremus eum, vt nominis Filij sui virtutem imprimat in animis nostris. *Sextò*, nomen hoc, tanquam paterni erga nos affectus Dei plenum, sit aduersus peccatum & ærumnas omnes nobis æternum solatium. Esto enim, nos simus peccatores & miseri, vt certè crimina nostra æquata sunt arenis maris: Christus est nobis Iesus, qui in mundum venit non propter iustos, sed vt peccatores seruaret & vocaret ad pœnitentiam.

IX. Regulæ ad obiect. soluendas.
Act. 19. v. 13. 14. 15. 16.
X. Vsus.
1. Doctrinæ.
Mat. 18. 11.
2. Redargutio.
3. Correctio.
4. Institutio.
Esa. 65. 13.
Phil. 2. 12.
Psal. 2. 11.
5. Oratio.
6. Consolatio.

V. *Elocutio Ecclesiastica his gubernatur regulis.*

Elocutio Ecclesiastica.

1. *Sermo debet esse spiritualis*, hoc est, ita comparatus, qui ex intimo corde fluat, & indicet hominem in Scripturis & pietatis exercitiis multùm versatum; qui etiam illa quæ aliis suadere conatur, sibimet antè persuasit & conscientiæ suæ penitus infixit, cui denique adest zelus, charitas, lenitas, libertas, humilitas, cum authoritate graui. 2. *Ex figuris dictionis & sententiæ deligantur aliquot insignes, quæ concionem nostram exornent.* Hæc enim res præterquàm quòd facit ad copiam, insigniter prodest memoriæ. 3. *Variatio sententiæ grammatica, rhetorica, lexica &c. multum habet momenti hâc in re.* Vide suprà in Grammaticis & Rhetoricis. 4. *Non solùm formulæ figurarum, sed etiam partium concionis, & modorum docendi sint in promptu.* Huc itaque pertinent formulæ exordiorum, propositionum, epilogorum, transitionum, consolationum, & similes multæ.

VI. *Impressio concionis perficitur tribus potissimùm adminiculis.*

Impressio concionis.

Primum est delineatio concionis in chartulâ, secundùm hermas dispositionis paulò antè propositas: vel, si malis, in tabellâ. *Secundum* est repetitio aliquoties facta. *Tertium* est

variatio philologica, quâ fit vt memoria non alligetur ad verba.

CAPVT IV.

De Officio concionatoris in concione.

PRECEPTA.

Officium concionatoris in concione est partim occultatio humanæ eloquentiæ & sapientiæ, partim demonstratio spiritus, partim pronuntiatio, partim denique actio.

Occultatio humanæ sapientiæ est, quâ tegitur artificium eloquentiæ forensis & scholasticæ.

Demonstratio spiritus est, quâ dominatur affectus spiritualis.

Pronuntiatio est in sermone gratioso, & voce naturali.

Actio est in gestu graui, & analogo tum rebus, tum verbis.

REGVLÆ.

Occultatio humanæ eloquentiæ & sapientiæ in concione.

I. *Quantum præualet eloquentia & sapientia humana in concione, tantum decedit efficacia Spiritus sancti.*

Etsi ergo artificium logicum & oratorium in concione adhibendum est: tamen hoc ita fieri debet, vt occultetur. Si enim præualeat, efficacia Spiritus sancti succumbat, vel potiùs nulla sit, necesse est. Oportet itaque vt sermo & actio tota sit spiritualis, id est, ita comparata, vt constet verbis Spiritus sancti, & fluat ex Spiritu seu corde spirituali.

Pronuntiatio & actio in concione.

II. *Sermo, pronuntiatio, & actio, quæ in senatu, in iudiciis, in foro, in scholis esset ridicula, illa in concione magis est fugienda.*

Ratio est in promtu, quia concio est oratio longè sublimior, quàm illa quæ in iudicijs, foro, & scholis habetur. Quò & illud pertinet: Quantùm affectationis apparet, tantum perit efficaciæ & authoritatis.

CAPVT V.

De Officio concionatoris post concionem.

PRÆCEPTVM.

Officium concionatoris post concionem respicit profectum & affectum, tum in concionatore, tum in auditoribus.

REGVLÆ.

Officium concionatoris post concionem I. quàm necessarium.

I. *Officium concionatoris post concionem est velut anima concionis.*

Parum enim profuerit vnâ vel alterâ horâ docere populum, si non subsequatur obseruatio vitæ auditorum. Itaque hæc pars officij non est negligenda.

2. Quibus in rebus constat.

II. *Concionatori quinque sunt factitanda post concionem.*

Primò requiritur precatio, quâ Deum oret Ecclesiastes tum pro se, tum pro auditoribus suis, vt vtrisque prosit doctrina proposita. *Secundò* instituenda est censura concionis, requisitis iudiciis collegarum, imò & auditorum. *Tertiò* concio exigenda est ab auditoribus, præsertim in catechizatione. *Quartò* requiritur censura vitæ auditorum, quâ Ecclesiastes despicit, an auditores proficiant ex concione, nec ne. *Quintò* requiritur pia vita in concionatore: quia qui bene docet, & malè viuit, se ipsum viuâ voce condemnat.

CAPVT VI.

Rhetorica Ecclesiastica specialis.

PRÆCEPTA.

Rhetorica Ecclesiastica specialis edisserit modum benè concionandi in specie.

Hic itaque sunt variæ classes concionū: putà conciones pœnitentiales, dominicales, festales, nuptiales, funebres, typicæ, parabolicæ, & similes: itemque proprietates seu idiotismi linguarum; & denique mores, ingenia, virtutes, & vitia cuiusque nationis, quæ omnia debet expendere concionator.

REGVLÆ.

Gen[...] cion[...] cern[...]

I. *Genera concionum accuratè sunt discernenda.*

Habet enim quodlibet genus aliquid peculiare ac proprium. e.gr. concio funebris alium apparatum requirit quàm nuptialis. Vide præcepta in vulgaribus libellis de methodo concionandi.

Con[...] in al[...] guis

II. *Conciones in aliis atque aliis linguis habent aliquid singulare.*

Non quidem quantum ad res & methodum, sed quantum ad verba & genium linguæ atque populi. Sic videas in concionibus Gallicis artificium, quod in linguâ Germanicâ non æquè procedat.

CAPVT VII.

Politia Ecclesiastica delineatur.

PRÆCEPTA.

Altera propheticæ pars superest, nimirum politia Ecclesiastica de ordine & decoro in Ecclesia seruando.

Estque generalis, vel specialis.

Politia Ecclesiastica generalis in omni Ecclesia est obseruanda.

In ea spectatur fundatio, conseruatio, amplificatio, & curatio politiæ.

Fundatio politiæ Ecclesiasticæ peragitur vnione & communione personarum & rerum Ecclesiasticarum.

Personæ Ecclesiasticæ sunt Pastores, Presbyteri, Diaconi, œconomi seu procuratores bonorum Ecclesiasticorum, cantores, & æditui seu ianitores.

Res Ecclesiasticæ sunt templa, vasa sacra, eleemosynæ, & bona Ecclesiastica.

Conseruatio politiæ Ecclesiasticæ pendet ab officiis personarum, quatenus illa faciunt vt politia Ecclesiæ pergat esse id quod est.

Amplificatio fit per scholarum institutionem & conseruationem, catechizationem, conuentus Ecclesiasticos, & visitationes Ecclesiasticas.

Curatio est, qua politia Ecclesiastica collapsa in integrum restituitur per reformationem & disciplinam Ecclesiasticam.

Politia Ecclesiastica specialis est partim historica, partim practica.

REGVLÆ.

Tres [...] perso[...] eccle[...] carum

I. *Tres sunt gradus, siue classes & ordines, personarum Ecclesiasticarum.*

In primo & supremo gradu sunt Pastores: *in secundo & intermedio,*

medio, Presbyteri, siue seniores, & Diaconi : *in tertio & infimo*, œconomi, seu procuratores bonorum Ecclesiasticorum, cantores, & æditui. Ex his pastores sunt institutionis diuinæ, Presbyteri & Diaconi, Apostolicæ, reliqui, humanæ. De harum personarum vocatione, & quarundam ordinatione atque præsentatione, sunt hæ regulæ. 1. *Pastor* est legitimè vocandus, & solenniter ordinandus atque præsentandus. 2. *Vocatio legitima* est, quâ Ecclesia pastorem sufficientibus donis instructum vocat, magistratu, presbyterio, & populo, suas quolibet partes faciente. 3. *Ordinatio* est, quâ pastor legitimè vocatus, præuio examine aut collatione, itemq; concione, proclamatur in publico Ecclesiæ cœtu, vel priuatim coram aliis pastoribus pronuntiatur idoneus ad ministerium Ecclesiæ ipsique datur potestas docendi verbum Dei in Ecclesia, & dispensandi Sacramenta, & vtendi clauibus Ecclesiæ à Christo datis. Hæc interdum comitem habet præsentationem, interdum est sine illa. 4. *Præsentatio* est, quâ pastor legitimè vocatus, ordinatus, & communi totius Ecclesiæ suffragio approbatus, publicè in conspectum Ecclesiæ producitur, & patheticè sistitur: ita nimirum, vt formula præsentationis complectatur ista tria; videlicet sciagraphiam officii pastoris erga Ecclesiam, & Ecclesiæ erga pastorem: tum stipulationem publicam & solennem pastoris, qui interrogatur, an omnes & singulas partes officii sui, prout illas commemorari audiuit, implere velit, & postea voce atque manu hoc pollicetur: denique confirmationem & inaugurationem, cum impositione manuum & precatione ad Deum. 5. *Presbyter* legitimè eligitur & vocatur à pastore & reliquis Presbyteris, si quidem Ecclesia iam habeat presbyterium institutum, Sin, ius vocandi est penes pastorem, Diaconos, & præcipuos incolas loci. Vocandi autem sunt eiusmodi Presbyteri, qui sunt gnari & amantes religionis, qui piæ & inculpatæ vitæ testimonium habent, nulliusque sceleris suspicione laborant; qui prætérea prædíti sunt παῤῥησίᾳ, ita tamen, vt iuxta non sint impetuosi; qui insuper non sint exosi, sed bonis iuxta & malis chari; qui non sint pleni iiarum; qui sint benefici & misericordes; denique qui per occupationes priuatas domo sæpè non cogantur abesse. 6. *Presbyteri electi, publicè nominabuntur* & significabuntur Ecclesiæ, & solenniter confirmabuntur atque inaugurabuntur receptione in consistorium & gratulatione. 7. *Presbyteri confirmati*, non facilè alternabuntur, nisi euidens quædam necessitas vel vtilitas Ecclesiæ postulet. 8. *Diaconi* ab optimatibus Ecclesiæ sunt eligendi, hoc est, à presbyterio, & prœcipuis loci incolis, 9. *Eligendi sunt diaconi*, qui pietate sint conspicui, religionis intelligentes & amantes, pauperum studiosi, fraudum & auaritiæ expertes. Hi tales sunt confirmandi à pastore. 10. *Oeconomi bonorum Ecclesiasticorum* aut sunt iidem cum Diaconis, aut ab iis diuersi; quod posterius est satius. Hi eliguntur à magistratu, vel ministerio; eliguntur, inquam, ex piis, honestis, prudentibus, fortibus, & integræ famæ hominibus. 11. *Cantores* eliguntur à pastore & senioribus; qui humilitatem & peritiam in iis notabunt. 12. *Ianitores seu custodes templ.*, eliguntur à pastore & senioribus, qui gustum veræ doctrinæ, peritiam lectionis & scriptionis vernaculæ, pietatem, & honestæ vitæ testimonium spectabunt in electione. 13. Sæpenumero tenuior Ecclesiæ res exigit, vt *idem sit æditius, qui est cantor*.

II. *De rebus Ecclesiasticis sunt hæ regulæ.*

1. *Templa* sunt ædes sacræ, in quibus populus Christianus ad auditum verbi Dei, Sacramentorum administrationem, preces publicas, & similia diuini cultus exercitia conuenit ordinis & decori causâ. 2. *Ornatus templorum* debet esse simplex, non theatrus; religiosus, non superstitiosus; moderatus, non luxuriosus. 3. *Templa* non sunt multiplicanda sine manifestâ necessitate, ne scilicet exhauriatur Ecclesiæ ærarium. 4. *Partes templorum*, putà suggestum, baptisterium, mensa sacra, sedilia, campanæ, loculi elemosinarii, feretra pro defunctis &c. hæ, inquam, partes, debent templis esse analogæ, ne luxui vel superstitioni fenestra aperiatur. 5. *Vasa sacra* tot debent esse, quot requirit administratio Sacramentorum; & è tali materiâ, quæ non arguat luxum; tali deņique forma, quæ non redoleat superstitionem. 6. *Bona Ecclesiastica* diuidantur in quatuor partes, ex sanctione Gregorii Magni: ita nempe vt vna pars ministris verbi, secunda clericis, tertia pauperibus, quarta ædibus sacris parandis aut reparandis cedat. Vbi sub pastoribus comprehenduntur doctores & pædagogi scholarum, quæ nempe incorporatæ sunt Ecclesiis. Hic obiter obserua, *clericos* in ista Gregorii sanctione dici, qui se suamque operam Ecclesiæ consecrarunt.

III. *Conseruatio politiæ Ecclesiasticæ perficitur his officiis.*

1. *Prima* cura pastoris in eo est, vt verbum Dei prædicet purè, plenè, patheticè, & discretè: *secunda*, vt Sacramenta dispenset planè ac religiosè: *tertia* vt, curet politiam Ecclesiæ, ita nempe vt gradus officiorum Ecclesiasticorum sarto tectos conseruet, Presbyteros, Diaconos, cantores, & ianitores grauitate suâ pastorali in officio contineat, temperando istam grauitatem singulari humanitate atque æquanimitate: vt illorum conatus pios & laudabiles probet, laudet, defendat: vt concordiam inter ipsos foueat: vt denique illis sit adiumento in omnibus partibus officii. Quod attinet ad gradus, siue classes, officiorum Ecclesiasticorum pastor id operam dabit, ne classes illæ inter se confundantur, verbi gratiâ, classis prima pastorem cum secundâ, quæ est Presbyterorum; aut secunda cum tertiâ, quæ est Diaconorum, œconomorum Ecclesiæ &c. Hanc triadem harmonicam pastor conseruabit illibatam. Rursus in singulis classibus gradus intermeratos conseruabit. Sic in munere pastorali sunt gradus, non iurisdictionis, authoritatis, & imperii alicuius, sed ordinis duntaxat, qui est ratione ætatis, donorum, vocationis antiquioris, meritorum plurium, & consuetudinis rationabilis. Ita videmus in primitiuâ Ecclesiâ pastores) quos vocabant *Presbyteros*) ex suo numero in singulis ciuitatibus elegisse vnum, quem *Episcopi* titulo peculiariter insigniebant, cuius authoritate vnanimis Presbyterorum consensus retineretur. Quòd si amplior esset ager, qui sub vnius episcopatu erat, quàm vt sufficere omnibus muniis Episcopus posset, per istum agrum certis locis designabantur ex Presbyteris *Corepiscopi*, qui Episcopi vices in minoribus negotiis obirent, & per istum agrum, siue classem, Episcopum repræsentarent. In singulis quoque prouinciis inter Episcopos *Archiepiscopus* fuit constitutus. Et si quid in Ecclesiis incideret, quod ab Episcopo non satis rectè expediri posset, ad Archiepiscopum referretur, perque illum in synodo decideretur. Alicubi etiam *Patriarchæ* fuerunt constituti, qui eam rationem obtinebant ad Archiepiscopos, quam Archiepiscopi habebant ad Episcopos. *Clericorum* partes nullæ erant in administratione Ecclesiæ, sed exercitia & progymnasmata sua habebant in collegiis, tanquam seminariis, vt functiones Ecclesiastica, paulatim præpararentur. Vnde illi gradatim promouebantur, ita vt primò fierent ostiarii, tum acoluthi, dehinc lectores, hypodiaconi, diaconi, archidiaconi &c. 2. *Presbyterorum* est obseruare doctrinam & vitam pastoris, inquirere in doctrinam & mores totius cœtus, pacem colere cum suis sympresbyteris, denique prouidere vt Diaconi rectè faciant suum officium. Quòd si næuum aliquem deprehendant, maturè quærent remedium. 3. *Diaconorum officium* est diligentissimè inquirere, quinam reuerâ egeant, eleemosynas sollicitissimè colligere, collectas prudenter distribuere, deque singulis rationem reddere. 4. *Oeconomus bonorum Ecclesiasticorum* illa studiosè conseruabit & augebit; tempestiuè, plenè, & fideliter erogabit; acceptorum & expensorum rationem accuratè reddet. 5. *Cantor Ecclesiæ* cantum rectè moderabitur, & pueros canere docebit. 6. *Æditus* templum aperiet atque claudet tempestiuè; signum campanæ, quibus oportet temporibus dabit; pastori famulabitur circa administratio nem Sacramentorum; sacra vasa conseruabit; templa & cœmeteria munda seruabit.

IV. *Amplificatio politiæ Ecclesiasticæ pendet ab his regulis.*

Amplificatio politiæ Ecclesiasticæ.

1. *Scholæ vernaculæ*, tum paganæ, tum ciuicæ, plurimùm faciunt ad decus & amplificationem Ecclesiæ. 2. *Catechizatio*, diligenter, frequenter prudenter, & simpliciter, debet fieri. 3. *Conuentus presbyterales & synodales* debent fieri ordinariè, vel extrahordinariè, prout necessitas postulauerit. 4. *Visitationes Ecclesiasticæ* sunto priuatæ, seu domesticæ, & publicæ. In illis pastores, diuisis inter se operis, Ecclesias suas quotannis, minimùm semel, ita visitant, vt per singulas familias sciscitentur de doctrinâ & vitâ: *hæ* sunt speciales, vel generales. *Illæ* suscipiuntur à superintendente, per omnes & singulas Ecclesias alicuius diœceseos: *hæ* ab aliquot ex synodo prouinciali deputatis suscipiuntur. Oportet autem, tum illic, tum hic, adiungere consiliarios politicos, qui brachio seculari coerceant petulantes.

V. *Curatio politiæ Ecclesiasticæ instituitur iuxta has regulas.*

Curatio politiæ Ecclesiasticæ.

1. *Reformatio Ecclesiæ* fiat quantum ad doctrinam & ceremonias. 2. *Reformatio doctrinæ* fiiat fundamentaliter & prudenter. 3. *Reformatio ceremoniarum* suscipiatur tempestiuè, discretè, & successiuè. 4. *In ceremoniis* vrgeatur inprimis simplicitas ceremoniarum sacramentalium, à Christo institutarum. 5. *Disciplina Ecclesiastica* inprimis cernitur in censurâ consistoriali & solenni, & hæc potius in suspensione à S. cœnâ, quàm in excommunicatione.

VI. *Politia*

Politia Ecclesiastica specialis.


VI. *Politia Ecclesiastica specialis plurimùm habet momenti, siue Ecclesiastem, siue Ecclesiam spectes.*

Nam *politia specialis historica* considerat Agenda, quæ vocant, id est, politias insigniorum Ecclesiarum, & ex iis seligendo, quæ faciunt ad nostrum institutum: *Practica* consignat obseruationes practicas, ex praxi Ecclesiasticâ, & quotidianâ obseruatione, illásque casibus incidentibus accommodat.

PERORATIO PROPHETICÆ.

Talis etiam est methodus Theologiæ propheticæ, in quâ hæc est summa summarum, vt loquuntur: Omnia referre ad Dei gloriam & Ecclesiæ ædificationem, atque semetipsum antea & simul etiam docere, denique officium suum concionando & gubernando facere, non tantùm vniuersaliter, respectu omnium auditorum in communi, sed etiam specialiter, respectu ætatis & ordinis cuiuscunque, non publicè tantùm, sed etiam priuatim.

SCIAGRAPHIA PROPHETICÆ.



SEPTIMA SECTIO THEOLOGIÆ,

In quâ continetur

THEOLOGIA MORALIS.

CAPVT I.

De Fine Theologiæ moralis.

PRÆCEPTA.



HEOLOGIA moralis est doctrina de conformandis moribus homine Christiano dignis.

In eâ occurrunt finis, subiectum, & media.

Finis Theologiæ moralis externus est informatio morum Christianorum: internus, tradere modum istius informationis.

REGVLÆ.

Quid sit Theologia moralis.

I. *Theologia moralis est sacra quædam ethica, eaque tum generalis, tum specialis, ac proinde sacra etiam œconomica & politica.*

Virtutum disciplina est Philosophica, vel Theologica. Errant enim, qui virtutum disciplinam vel solam Philosophiam vel solam Theologiam constituunt: cùm virtus philosophica differat à Theologica. Itaque meritò vtriusque magistra distinctè traditur. Hoc autem interest inter vtramque, quòd *Philosophia moralis* docet de virtute, quatenus est mediocritas, siue medium, quod viribus naturę homo attingere potest, in quantum homo: sed *Theologia moralis* docet de virtute, vt est conformitas cum naturâ Dei, quam homo viribus naturę assequi non potest.

Finis Theologiæ moralis.

II. *Theologia moralis tradit modum eleuandi mores, vt longo interuallo superent mores in ciuili conuersatione.*

Quantum differat *conuersatio Christiana* à conuersatione ciuili, vel ex eo manifestum est; quòd Ecclesia est ciuitas Dei, in qua homo tanquam ciuis Dei, & conciuis sanctorum, viuit vitam spiritualem, & proinde conuersatur cum Deo, Christo, sanctis Angelis & hominibus. At *conuersatio ciuilis* decet hominem quatenus est ciuis reip. Sed hâc de re multiùs iudicari potest ex sequentibus.

CAPVT II.

De Subiecto Theologiæ moralis.

PRÆCEPTA.

Vbiectum Theologiæ moralis est informationis tractationis, & operationis.

Subiectum informationis est intellectus, voluntas, affectus, & actio hominis Christiani.

Subiectum tractationis est modus conformandi intellectum, voluntatem, affectum, & actionem hominis Christiani.

Subiectum operationis est omnis status siue ordo vitæ humanæ, quatenus ipsi accidit vt sit Christianitatis capax, & Christianismi index.

REGVLÆ.

I. *Theologia moralis informat totum hominem Christianum, vt ille sit conformis Christo.*

Propositam enim sibi habet sanctitatem intellectus, voluntatis, affectuum & omnium actionum, vt illa conformia sint vitę Christi. Inprimis tamen informat voluntatem, vt illa sit conformis

formis voluntati Dei cum ſubiectione. *Rom.* 8. 7. Nam ſi voluntas noſtra eſt conformis voluntati Dei, ipſi ſubiicitur, & ſi ipſi ſubiicitur, eſt ipſi conformis. Itaque ex conformitate ſequitur ſubiectio, & ex ſubiectione conformitas.

I I. *Theologia moralis explicat modum conformitatis, ſiue ſubiectionis, quâ homo Chriſtianus ſit conformis Deo.*

Hic enim modus eſt adæquatum obiectum, quâ fit vt Theologia moralis differat à Philoſophiâ morali, quæ ſolùm hoc ſpectat, vt virtus ſit medium inter extrema.

I I I. *Quatuor ordines, ſiue ſtatus, vitæ humanæ, nimirum œconomicus, ſcholaſticus, Eccleſiaſticus, & politicus, in Theologia morali expenduntur ratione* εὐταξίας *&* εὐπραξίας *ſpiritualis.*

Homo eſt capax virtutis ciuilis vel ſpiritualis: idque ſecundum quatuor, quos diximus, ſtatus. Itaq; ſicut virtus ciuilis in Philoſophiâ morum tum generali, tum ſpeciali, tum ſpecialis in Theologiâ morum: ita vtrobique diſtincta eſt horum ſtatuum conſideratio.

Capvt III.

De Obſeruantiâ ſpirituali.

Præcepta.

Media, per quæ mores Chriſtiani ritè conformantur, in genere & in ſpecie expenduntur.

In genere, quantum ad partes & normam.

Partes mediorum iſtorum ſunt obſeruantia & perſeuerantia ſpiritualis.

Obſeruantia ſpiritualis eſt quâ Dei voluntatis in ipſius gloriam cum ſubiectione præſtatur.

Eius partes duæ ſunt: virtus ſpiritualis, & actio virtutis.

Virtus ſpiritualis eſt habitus, quo voluntas inclinatur ad ſpiritualiter agendum.

Actio virtutis ſpiritualis eſt operatio fluens à virtute. *Dicitur aliàs* bonum opus.

Regvlæ.

I. *Obſeruantia ſpiritualis reſpicit voluntatem Dei, quæ officium noſtrum præſcribit, cum humillima ſubiectione.*

Itaque voluntatem Dei non reſpicit, quatenus eſt arcana, & potenter efficiens aut ordinans (ſic enim omnes creaturæ, etiam ipſe diabolus, faciunt voluntatem Dei) ſed quatenus eſt reuelata ſeu patefacta, vt à nobis impleatur, *Mich.* 6. 8. Quæ voluntas eam ob cauſam dicitur bona perfecta, & Deo accepta, *Roman.* 12. 2. *Bona*, quia complectitur in ſe omnem rationem honeſti. *Perfecta*; quia nihil vltra quærendũ eſt ad inſtitutionem vitæ. *Deo accepta*, quia obedictia huic voluntati præſtita, à Deo probatur & coronatur. Itaque hujus voluntatis cognitio eſt neceſſaria, *Prou.* 4. *v.* 14. 19. Sed & timor ſiue metus transgrediendi hanc voluntatem Dei requiritur à nobis, *Prou.* 8. *v.* 12. 13. *&* 14. 16. præcipuè quidem ratione offenſæ; ſed & ratione iræ & pœnæ, maximè quæ à Deo ſeparat. Neq; enim hic talis metus eſt ſeruilis. Porrò modus obſeruantiæ eſt in ſubiectione, ſiue humilitate, quâ homo ſe ſubmittit Deo, ad eius iuſſa capeſſenda & exequenda.

I I. *Virtus ſpiritualis determinat intellectum & voluntatem ad benè agendum ſpiritualiter.*

Eſt enim habitus ſupernaturalis, ſiue forma ſupernaturalis diuinitus impreſſa, quæ determinat facultatem ad bonum, id eſt, ad benè agendum. Iſta verò actio fluit ab intellectu, vel voluntate. Itaq; virtus ſpiritualis eſt partim dianoëtica ſeu intellectualis, partim practica ſeu moralis. Cæterùm magna eſt virtutum ſpiritualiũ communio, eaq; in earũ inter ſe connexione & ſubordinatione. Connexio eſt, quâ omnes virtutes, quæ ſunt ſimpliciter neceſſariæ ad conſequendum vitam æternam, inter ſe cohærent, quantum ad principium, finem, & auxiliarem operam quam mutuò ſibi inuicem præſtant. *Subordinatio* eſt, quâ alicuius vnius virtutis ordinatur ad actum & obiectum alterius vel ſicut medium ad finem, vel cauſa ad effectum.

I I I. *Actio ſpiritualis, ſiue ſit interna, ſiue externa, eſt bona ſecundùm ſubſtantiam & circumſtantias.*

Actio ſpiritualis.

Subſtantia eſt in quatuor caſus. Primò enim ad talem actionem requiritur efficiens ſeu principium bonũ, id eſt, intellectus & voluntas bene à Spiritu ſancto diſpoſita, ex virtute agenes. Deinde materia, ſeu obiectum bonũ, id eſt aliquid à Deo præceptum. Tertiò forma, ſeu modus bonus, qui ponitur in actionis conuenientiâ ad voluntatem Dei reuelatam, & ratione cognitam. Hinc ipſa conſcientia hominis eſt actionum ſpiritualium ſubordinata norma: ita vt omnis actio rectæ conſcientiæ congruere debeat, & conſcientia errans vel dubia ſit antè deponenda, quàm contrà facere liceat; quamuis leuior conſcientiæ ſcrupulus, aut hæſitatio, actionem aliàs probatam, non debet vllo modo retardare. Deniq; finis bonus requiritur, i. e. gloria Dei. Hîc obſerua, intentionem bonam non conſtituere actionem bonam, ſi cæteræ conditiones deſint: ſed malam intentionem ſemper conſtituere actionẽ malam: *Circumſtantia* actionis concurrit cum formâ. Nam vt forma, ſiue modus actionis ſit bonus, circumſtantias omnes poſtulat bonas. Actio enim quælibet circumſtantiis ſuis ſemper eſt veſtita. Ratione harum circumſtantiarum fit, vt quamuis multi actus in genere ſint indifferentes, nullus tamen in ſpecie detur, quin ſit bonus vel malus. *Actus in ſuo genere indifferens* eſt, quando eius obiectum nihil includit, quod pertinet ad voluntatem Dei præcipientem vel prohibentem. Huiusmodi tamen actus in exercitio ſingulariter conſiderati, ſi ex deliberatâ ratione procedant, & conformitatẽ habeant cũ voluntate Dei, ſunt boni: ſi verò nõ rectè dirigantur, & à voluntate Dei diſſentiant, ſunt mali. Præter actus bonos, malos, ac indifferentes, quidã obſeruant actus nonnullos, *qui ſonant in malum*, i. e. qui abſolutè conſiderati inordinationem aliquã important, ſed circumſtantiis quibuſdam accedentibus efficiuntur aliquando boni, vt hominem occidere. Sed & iſti actus referri debent ad indifferentes. Videntur enim tantùm aliquid mali in ſe habere. Sic v. g. innocentem occidere, aut nocentem liberare, malum eſt: nocentem iuſtè occidere, aut innocentem iuſtâ ratione liberare, bonum eſt. Porrò harum cauſarum & conditionum omnium bonitas collectiuè requiritur ad actionem abſolutè bonam: ſed vnius alicuius defectus efficit actionem eatenus malam. Quæ omnia ſunt accipienda de actione tum internâ, tum externâ. *Actio interna* propriè eſt intellectûs & volũtatis: *Actio externa* eſt alterius facultatis ab intellectu & voluntate diſtinctæ. Actio interna bonitatem vel prauitatem habet tam intrinſecam, vt non poſſit idem actus manere in genere naturæ, quin idem etiam ſit in genere moris. Sed actus exterior poteſt idem in genere naturæ manere, & alius fieri in genere moris, ex bono nempe malus, vel ex malo bonus: vt ſi qui incipiens ambulare ex honeſto propoſito, perſiſtat in itinere ob malum finem. Vbi & iſta duo notentur. 1. actûs interni & externi vna & eadem eſt bonitas vel prauitas. Idem enim eſt actus in genere moris vt velle Deũ colere, & ex illa voluntate Deum colere, non ſunt duo actus obedientiæ; ſed duo gradus vnius & eiusdem actûs, ita vt bonitas vnius perficiatur in altero, 2. *Cor.* 8. 11. 2. Actus externus ſine interno non eſt propriè bonus aut malus: ſed internus eſt bonus aut malus ſine externo; quia bonitas alicuius actionis pendet primò ac præcipuè ex voluntate, quæ Deo ſæpè eſt accepta, quamuis opus ipſum externum abſit. 2. *Cor.* 8. 13.

Capvt IV.

De Perſeuerantiâ ſpirituali.

Præcepta.

Perſeuerantia ſpiritualis eſt firma perſiſtentia in rectè agendo.

Eius partes ſunt ſpiritualis confidentia, conſtantia, & patientia.

Regvlæ.

I. *Perſeuerantia ſpiritualis eſt firma perſiſtentia in rectè agendo, omnes illas difficultates ferẽdo & ſuperando, quæ vel ex diuturnitate & intenſione actus, vel ex aliis impedimentis quibuscunque emergere poſſunt.*

Politia Eccleſiaſtica ſpecialis.

Hinc eſt, quòd Hebræis virtus deſignatur nomine חיל *Prou.* 31. 10. quia fortis corroboratio requiritur in omni virtute.

I I. Perſeu-

Partes perseuerantiæ spiritualis.

II. *Perseuerantia spiritualis continet in se confidentiam spiritualem, constantiam spiritualem, & patientiam spiritualem.*

Confidentia spiritualis excludit metum, *Act.4.29.Phil.1.14. Constantia spiritualis* facit vt persistamus in bonâ actione vsque ad finem, *Apoc.2.26.* Ea excludit animi fractionem & fatigationem benè agendi, *2.Thess.3.13.Gal.6.9.Heb.12.v.3.12. Patientia siue tolerantia spiritualis* stabilit corda, ne succumbant difficultatibus innumeris, quæ in cursu pietatis obiiciuntur, *Luc.5 v.7.8.Heb.10.36.*

Capvt V.

Quomodo imago Dei sit norma, seu regula, virtutis & actionis spiritualis?

Præcepta.

Norma seu regula morum Christianorum est prima vel subordinata: seu, primaria vel secundaria.

Norma prima est imago Dei, & vita Iesu Christi.

Imago Dei spectatur in partibus suis, & in archetypo suo.

Partes imaginis Dei sunt sanctitas naturæ & actionum.

Sanctitas naturæ est sanctitas animi & corporis & illa est intellectus, & reliquarum facultatum, facultatem intellectus sequentium; vti est sanctitas memoriæ, & facultatum practicarum, id est, voluntatis & affectuum.

Sanctitas actionum est pietas & iustitia.

Archetypum imaginis Dei est essentia seu natura Dei in attributis eius.

Regvlæ.

Imago Dei est rigidissimũ exemplar morum Christianorum.

I. *Imago Dei est regidissimum exemplar morum Christianorum.*

Hic enim spectatur natura Dei absolutè, quam homo debet referre sanctitate suâ. Sed eadem imago spectatur κατὰ τὸ ἐπιεικὲς in Christo, qui nos reformat ad imaginem istam Dei, ad quam sumus conditi. Oportet itaque maginem Dei primò quidem sibi proponere normam virtutis & actionis spiritualis, sed vitam Christi præcipuè: vtpote quæ est speculum istius magis nitidissimum & perfectissimum.

Partes imaginis Dei.

II. *Partes imaginis Dei semper debent esse in conspectu.*

Sic autem istæ se hebent. Duo sunt primaria capia imaginis Dei, sanctitas naturæ & actionum. *Sanctitas naturæ* est, quâ homo refert naturam Dei. Estq; sanctitas animi & intellectûs. *Sanctitas animi* est, quâ homo Deum refert sanctitate omnium facultatum. Estq; sanctitas intellectûs & reliquarum facultatum, facultatem intellectûs sequentium. *Sanctitas intellectus* est, quâ homo ad Dei similitudinem rectè versatur circa verum & falsum, bonum & malum, approbando & reprobando, vnde oritur πνευματικὴ σύνεσις καὶ σοφία. *Illa* est perspicientia veri & falsi, boni & mali, καθ' ὅλου, adeoq; est eius quod licet 1.*Cor.6.12 & 10.23.* *hæc* est veri & falsi, boni & mali perspicientia κατὰ μέρος, pro varietate circumstantiarũ, *2.Cor.1.12 Col.3.16.& 2.4.* adeoq; est τοῦ συμφέροντος, seu eius quod expedit, *1.Cor.6.12.* Huic subiiciuntur res mediæ, quorum vsus legitimus vel illegitimus est circumstantiarum conuenientia vel inconuenientia, *Rom.14.1.Cor.8.13.* *Sanctitas reliquarum facultatum* est quæ intellectûs πληροφορίαν plenè sequitur, *Luc.1 vers.46.47.* Eius partes sunt sanctitas memoriæ & practicarum facultatum, *Psal.119.v.10.11.16.Prou.4.4.* *Sanctitas memoriæ* est, quâ rectè intellecta ita retinentur, vt etiam suo tempore ad sanctitatem practicarum facultatum ea recordemur, *Num.15.v.39.40.Prouerb.4.4.* *Sanctitas practicarum facultatum* est, ex quâ rectè intellectorum & memoriâ retentorũ oritur practicarum facultatum εὐταξία, adeoq; bona conscientia. *Earum εὐταξία* est earum omnium æquabilis ordinatio pro boni maliue magnitudine & paruitate. *Matth.12.vers.37.38.39.* *Bona conscientia* est, quæ coram Deo iuste semper excusans, animo lætum testimonium adfert, *Act 23.1.& 24.16.2.Cor.1.v.8.12.Heb.13.18.Pet.3.21.* Porrò sanctitas practicarum facultatum est tum voluntatis, tum affectionum. *Sanctitas voluntatis* est quæ rectè approbata & reprobata rectè eligit & reiicit, & de incertis ἐπέχει, *1.Chron.29.v.9.17.Psal.119.28.Phil 1.v.23.24* *Sanctitas affectionum* est, quâ omnes affectus pro vniuscuiusq; spiritus incitationis rectitudine rectè mouentur, *1.Thes.5.23.* iuxta has definitiones. 1. *Sanctitas admirationis* est, cùm spiritus nouitate rei iustè afficitur. Vnde etiam cùm iuste augetur, *sancta stupefactio* est, *Matth.8.10.Luc.4.32.Act.3.10.* 2 *Sanctitas communis æstimationis* est, cùm ex communi & vsitatâ rei constitutione animus rectè afficitur, *Eccles.7,v.16.17.Act 20.24* 3. *Sanctitas lætitiæ* est, cùm bonum præsens alacritate spiritûs amplectimur. Quæ si continuatur, *gaudium*; si augetur, *exultatio* dicitur, *1.Thess.2.v.19.20.1.Pet.4.13.* 4. *Sanctitas tristitiæ* est, quando malum præsens spiritu nostro rectè auersamur. Quæ continuata, *dolor & mœstitia secundùm Deum*: aucta, *lamentatio secundum Deum* dicitur, *2.Cor.7.11.Ioh.16.20.* 5. *Sanctitas misericordiæ* est, cùm aliorum miseriæ spiritualiter condolemus, *1.Ioh.3.17.Phil.2.1.Col.3.12.* 6. *Sanctitas fiduciæ* est, cùm spiritus noster de bono certò futuro rectè acquiescit, *Phil.2.19.* deque futuro incerto rectè dubitat vel vacillat, *Act.10.9.* 7. *Sanctitas spei* est, cùm spiritus noster ad bonum certò futurum expectandum excitur, *Rom.8.21.* Hæc aucta dicitur ἀποκαραδοκία, *Rom.8.9. Phil.1.20.* 8. *Sanctitas desperationis* est, cum rectè animus sui pendet, *2.Cor.1.9.* 9. *Sanctitas timoris* est, quâ animus rectè ex impendenti malo ægrè afficitur, *2.Cor.11.3.* 10. *Sanctitas desiderii* est, cùm spiritus rectè afficitur erga bonum verum, certum, an incertum, *Psal.27.4.* *recursationis*, contra *Actor.20.33.* 11. *Sanctitas amoris* est, quâ spiritus noster ex boni præsẽtis absentisue iucunditate rectè afficitur, *Psal.16.8.12.* *Sanctitas reuerentiæ* est, quâ spiritus ex boni præsentis absentisue, vel dignitatis exuperantiâ, rectè afficitur, *Hebr.12.28.* 13. *Sanctitas odii* est, quâ malum præsens absensu spiritus recte auersatur. Hæc si rectè augeatur, *abominatio sancta*, siue *fastidium sanctum* oritur, *Psal 139.v.21 22* 14. *Sanctitas vilis æstimationis* est cùm spiritus noster ex ex nullâ rei præstantiâ, vel fœditate, ad declinandũ rectè mouetur, *Esa.30.22 Phil.3.8* 15. *Sanctitas iræ* est, cùm spiritus ex iustâ tristitia & desiderio mali rependendi rectè afficitur, *Marc.3.5.* Quæ si rectè augeatur, *sancta indignatio* dicitur. *Marc.10.14.16.* *Sanctitas εὐδοκίας* est, cùm spiritus rectè afficitur ex sanctâ delectatione boni, & desiderio illius remunerandi, *Prou.14 35.* 17. *Sanctitas zeli* est, cùm spiritus ex sancto amore boni, & irâ in malum, vehementer afficitur, *Psal 68.10.Ioh.2.17.Apoc.3.19* 18 *Sanctitas χλιάνσεως* est ex sancto defectu iræ & amoris vlciscendi, *Num.12.3.Apoc.3.16.* Atque hæc est sanctitas facultatum: ex cuius assiduâ exercitatione *varii habitus* oriuntur: vt ex amore charitas, ex timore vigilantia &c. *Sanctitas corporis* est, quâ omnia corporis membra, eorumque singulæ actiones fiunt adiumenta & instrumenta spiritualia, ad sanctitatem animi extrinsecùs exprimendam, *Prouerb.4.v.22.23.24. Rom.6.19.Psal.119 v.36.37.Iob.31.1.1.Cor.6 20.* Sequitur *sanctitas actionum*, quæ est conformatio spiritualis omnium actionum & motuum, *1.Cor 6.20.& 10.31.Coloss.3.17.1.Sam.15.22.1.Cor.7.v.17.18* 19. Estque *pietas*, in officiis quæ Deum spectant, *1.Tim.2.2.Tit.1.8.& 2.12. Apoc.5.v.11.12.* & *iustitia*, in officiis, quæ proximum spectant, *1.Tim.2.2.Tit.1,8.*

III. *Magunm est operæ pretium attributa Dei semper habere in conspectu, vt illa exprimamus in animo & corpore facultatibus & actionibus nostris, quoad eius fieri potest in hâc imperfectione.*

Oportet nempe naturam Dei imitari tanquam prototypum. Consistit autem *imitatio Dei* in eo, vt exprimamus ipsius perfectionem κατὰ τὸ δυνατὸν, hoc nempe modo. 1. Deus est *spiritus*. Itaq; ipsum debemus colere in spiritu. 2. Quia Deus est *immutabilis*, id operam dabimus, quò per gratiam constantes atq; immutabiles fiamus in ipso amando. 3. *Simplicitatem Dei* sic imitabimur, vt studeamus integritati, ne quid alienum à perfectione hominibus Christianis conueniente, in nobis inueniatur. Ideo monet nos Apostolus, vt simus inculpati & simplices, *Phil.2.15.* Hæc vocatur simplicitas cordis, *1.Chrõ.29.17. Eph.6.5.Coloss.3.21.* & simplicitas sine adiectione, *Prou.11.3.& 19.1.& 20.7.* & opponitur cordi duplici, *1 Chron.12.33.Iac.1.8. & 4.8.* 4. Quia Deus est *sapiens, verax, iustus, bonus, misericors &c.* debemus has virtutes Patris nostri optimi maximi tanquam filii imitari.

CAPVT VI.

Quomodo vita Christi sit norma, seu regula morum spiritualium?

PRÆCEPTA.

VIta Christi est norma morum spiritualium, siue homine Christiano dignorum, quatenus Christus nobis præiuit bono exemplo.

Bonum istud exemplum consistit in virtute & virtutis actione.

Virtus est in amore Dei & proximi, & abnegatione & exercitatione sui. Ita enim Christus vixit, vt rectè se gesserit erga Deum, alios homines, & seipsum.

Actio virtutis cernitur in officio Christi.

REGVLÆ.

I. *Vita Christi est speculum omnium vitutum & actionum spiritualium.*

Rectè dixit quicunque dixit:

Omnia te Christi vita docere potest.

Nam Christus eam viuendi rationem nobis reliquit, vt qui hanc sibi proponit normam, non possit non placere Deo.

II. *Vita Christi in his tribus est posita, nobisque imitanda proposita in amore Dei, in amore proximi, & abnegatione sui.*

Christus ita Deum amauit, vt ed effectum amoris, *Ioh.* 14. 15. accesserit affectus obedientiæ, *Iohan.* 4 *Phil.* 2 fiduciæ, *Psal.* 16. humilitatis, patientiæ, spei, zeli pro gloria Dei &c. & effectus precationis, gratiarum actionis, sanctificationis sabbati &c. *Ioh.* 8. & 17 *Luc.* 23. &c. Deinde *Christus ita proximum dilexit*, vt ad effectum amoris, *Ephes* 5. accesserit affectus & effectus mansuetudinis, patientiæ, misericordiæ, humanitatis, beneficentiæ, humilitatis, iustitiæ, veracitatis &c. *Matth.* 11. 26. & 27. *Luc.* 7. *Ioh.* 14. 15. 16. &c. Denique *Christus abnegauit se ipsum* exinaniendo se vsque ad mortem crucis, subeundo omnis generis miserias, acquiescendo in voluntate Dei, *Phil.* 2. 2. *Cor.* 8. &c. & *seipsum exercuit in omni puritate animi & corporis*, temperantiâ, prudentiâ, simplicitate, & similibus virtutibus quæ respiciunt hominem in se consideratum. Hæc itaque omnia oportet nos imitari, si velimus esse χριστοφόροι, hoc est, si velimus gestare imaginem Christi.

III. *Officium Christi proponitur nobis imitandum in statu œconomico, scholastico, Ecclesiastico, & politico.*

Nam *in statu œconomico* Christus nobis proponitur vt pater affectu & effectu, vt sponsus amore & decore, vt maritus affectione & defensione, vt paterfamiliâs naturâ & curâ, vt filiusfamiliâs dilectione & effectione, vt seruus exinanitione & satisfactione &c. *In statu scholastico & Ecclesiastico* est idea boni doctoris, auditoris, interpretis, discipuli &c. *in statu politico* proponitur nobis vt rex, consiliarius, legatus: & quis omnia edisserat? De his & similibus vide *Thomam Kempis in aureo libello de imitatione Christi, Iohannem Arndt de vero Christianismo, Paulum Eghardum de vitâ Christi.*

CAPVT VII.

Quomodo sancti Angeli & sancti homines sint norma, seu regula, morum Christianorum?

PRÆCEPTA.

NOrma subordinata, seu subalterna, morum Christianorum sunt sancti Angeli & homines,

Sancti Angeli sunt norma morum Christianorum quantum ad dona & officia sua.

Sancti homines sunt norma morum Christianorum, tum qui jam in cœlis degunt, tum qui sanctè vixerunt & adhuc sanctè viuunt in his terris.

REGVLÆ.

Normæ subordinatæ se inuicem iuuant.

I. *Normæ subordinatæ siue subalternæ, se inuicem iuuant, etiam in perfectione morum Christianorum.*

Hoc est quod Paulus docet 1. *Cor.* 4. 16. & 11. 1 *Eph* 5. 1. *Phil.* 3. 17. 2. *Thess.* 1. 6. & 2. 14 *Hebr.* 6. 12. quibus locis proponit hæc exemplaria imitationis, Deum, Christum, sanctos, & seipsum. Et Christus in precatione, quam præscripsit, proponit nobis cœlites imitandos.

Imitatio sanctorum Angelorum.

II. *Imitatio sanctorum Angelorum est ratione qualitatum seu naturæ, & officii seu curæ.*

Debemus enim similes esse Sanctis Angelis quantum ad intellectûs claritatem, voluntatis sanctitatem, obedientiæ alacritatem, perpetuam Dei δοξολογίαν, & similia: quæ Christus in precatione suâ complectitur impletione voluntatis Dei. Nam sancti hi spiritus eò collimant in omnibus suis actionibus, vt officium suum per omnes numeros sanctitatis præstent ad quemcunque Dei nutum.

Imitatio sanctorum hominum triplex.

III. *Imitatio sanctorum hominum debet esse triplex.*

Prima est admirationis; quâ fit vt admiremur perfectionem hominum beatorum in cœlis, & omnium illorum, qui in Scripturis commendantur à singulari & eximiâ sanctitate. *Secunda* est conformationis; quâ meditamur exempla sanctorum non adeò excellentium, quibus possumus esse pares aut etiam superiores. *Tertia* est conuersationis, quâ fit vt sanctâ æmulatione imitemur, & superare conemur sanctos homines, quibuscum viuimus. Vide in hanc sententiam *Paulum Eghardum in Christianismo Dauidis, Salomonis, & Iohannis.*

CAPVT VIII.

Communis consideratio quatuor statuum vitæ humanæ.

PRÆCEPTA.

MEdia per quæ mores hominis Christiani rectè formantur, in specie variant secundùm quatuor status seu ordines vitæ humanæ.

Status illi considerantur communiter & singulariter.

Communiter spectantur quantum ad εὐταξίαν καὶ εὐπραξίαν.

Εὐταξία est ordo virtutis spiritualis, seu ipsius directio ad actionem certam in officio. *Aliàs dicitur* Hierarchia.

Εὐπραξία est in officiis & ritibus εὐτακτικοῖς.

Officia εὐτακτικὰ sunt officia ad actiones hierarchicas, in commune sanctitatis felicitatisque adiumentum destinata. 1. Pet. 4. 10. Rom. 11. vers. 4. 5. 2. Tim. 2. 12. Prou. 31. Deut. 12. 13. Eccl. 2. 8. Gen. 2. vers. 15. 16.

In istis officiis occurrunt requisita, & species:

Ad ista officia requiritur ἱκανότης, vocatio, & abdicatio.

Ἱκανότης est facultas ex peculiari Dei dono, ad propriam actionem peragendam. 1. Petr. 4. v. 10. 11. 1. Corinth. 7. 7. & 12. v. 4. 5. 6.

Vocatio est separatio personæ idoneæ ad officium aliquod εὐτακτικόν. 1. Cor. 7. v. 20. 24.

Abdicatio est vel depositio muneris spontanea, vel à munere reiectio, ob justas causas.

Species officiorum istorum sunt, quòd alia sunt superiorum, alia inferiorum.

Officia superiorum sunt in modis docendi & implendi: vti sunt præceptio, promissio, remuneratio &c. spiritualis.

Officia inferiorum sunt in subiectione & obedientiâ spirituali.

Ritus sunt res mediæ, officiorum εὐτακτικῶν spirituale adjumentum, pro variâ circumstantiarum ratione vtiliter dispositæ.

REGVLÆ.

Christianus debet viuere in aliquo statu.

I. *Christianus debet viuere in aliquo statu hierarchico.*

Theologia format mores hominis Christiani, dum præscribit, qualis Christianus esse debeat ratione Christianismi in genere, & ratione officii seu status certi. Nam Deus instituit certos ordines siue status, qui sint sanctitatis spiritualis, & felicitatis ipsam consequentis, adjumenta. Oportet itaque vt quilibet homo Christianus viuat in aliquo huiusmodi statu: quanquam etiam duo status iungi possunt. Nam status œconomicus conjungitur necessariò cum reliquis: & statui scholasticus potest conjungi cum Ecclesiastico, & interdum etiam cum politico.

Officia. εὐτακτικά.

II. *Officia in singulis statibus reuocantur ad statum eminentiæ & subiectionis.*

Qui sunt in statu eminentiæ, meminerint suum officium ita sibi esse faciendum, vt coram inferioribus imaginem diuinæ sapientiæ, justitiæ, æternitatis &c exprimant. *Qui sunt in statu subiectionis*, debent superiorum dona, adeoque imaginem Dei in ipsis lucentem, agnoscere, debitoque honore prosequi, & pro virili imitando exprimere. Porrò officii partes cernuntur in modis docendi & implendi, de quibus vide suprà in Ethicis & in Theologiâ didacticâ: vnde faciliè potest transferri, quod hoc loco sit vsui.

Quilibet ordo vitæ humanæ suos habet ritus.

III. *Quilibet ordo vitæ humanæ suos habet ritus, quos sanctificare oportet pio vsu.*

Ritus illi sunt ceremoniæ & signa, quibus aliquid docetur, & aliquis confirmatur. Ita in politicis est inuestitura per annulum, inauguratio & coronatio &c. in scholasticis sunt solemnes renuntiationes, quibus adhærent varij ritus. Hos tales ritus Theologia moralis docet sanctificare pio vsu, qui includit preces ad Deum.

CAPVT IX.

De Statu œconomico.

PRÆCEPTA.

Status vitæ humanæ singulariter spectati sunt œconomicus, scholasticus, Ecclesiasticus, & politicus.

In statu, seu ordine œconomico est sanctitas parentum, & liberorum, mariti & vxoris, patris & matrisfamiliâs, heri & serui, heræ & seruæ, iuuenis & virginis, sponsi & sponsæ, vidui & viduæ.

REGVLÆ.

Officium superiorum in familia.

I. *Officium superiorum in familiâ respicit domesticos & aduenas.*

Officium quod respicit domesticos, est ipsos continere in subjectione ad omnia sanctitatis officia, & diligentiam in vnius cuiusque opere. Quum ad rem opus est domestica institutio & sustentatio. *Institutio domestica* est institutio perspicua & familiaris, pro vocatione & donis patris & matrisfamiliâs, vt tota familia in veritate quæ est secundùm pietatem quotidiè proficiat, 1. *Cor.* 14. *vers.* 34. 35. *Genes.* 18. 19. & 14. 14. *Deut.* 6. *v.* 20. 21. *Sustentatio domestica* est prouidere de victu, amictu, requie, & similibus, 1. *Tim.* 5. 8. *Prou.* 31. *v.* 15. 21. *Officium* erga aduenas est in hospitali liberalitate, & sanctitatis communicatione: vbi est operum Dei recordatio, de religione colloquium, sabbati obseruatio, mutua exhortatio, precatio. Atque hoc officium οἰκοδεσπότου debet fieri μετὰ σεμνότητος, id est, cum dignitate, 1. *Timo.* 3. 4.

II. *Officium inferiorum in familiâ est duplex.*

Prius, vt in omnibus subiectionem & obedientiam præstent in Domino. *Posterius*, vt inter sese pro suâ virili promoueant studium sanctitatis.

II. *Officio œconomica in specie ita se habent:*

1. *Parentum* est
   - Liberos agnoscere dona Dei.
   - illos alere & fouere.
   - in timore Dei educare.
   - moderatè castigare.
   - bono exemplo ædificare.
   - pro eorum salute orare.
   - ad certum laborem assuefacere.
   - bene elocare.
2. *Liberorum* est
   - parentes amare.
   - honorare.
   - timere.
   - beneficiis afficere.
3. *Coniugum* est
   - mutuo & vero amore cohærere.
   - perpetuò cohabitare.
   - optimè de se inuicem sentire & loqui.
   - lectum coniugalem intemeratum seruare.
   - concordiæ studere.
   - infirmitates occultare & tolerare.
   - habere communia bona & mala.
   - beneuolentiam mutuam sibi præstare.
   - mutuis precibus se iuuare.
   - separationem per mortem grauiter ferre.
4. *Mariti* est
   - ius & authoritatem suam illæsam conseruare.
   - diligere vxorem tanquam carnem suam.
   - cohabitare vxori tanquam vasi infirmo.
   - prospicere illi de victu & amictu.
   - contra vim iniustam defendere ipsam.
   - orare pro vteri eius fœcunditate.
   - grauidam prudenter tractare.
   - cor suum cautè ipsi aperire.
   - de rebus ad salutem spectantibus cum illâ deliberare.
   - recta pro tempore monentem audire
5. *Vxoris* est
   - maritum sincerè diligere.
   - ipsum agnoscere suum caput.
   - morem ipsi gerere
   - grata ei facere.
   - offensionem eius timere.
   - pro vitâ & salute ipsius orare.
   - accommodare se ad eius mores.
   - sequi eum, quocunque pro vocatione ierit.
   - laborem eius fideliter iuuare & conseruare.
   - maritum modestè in tempore monere, si quid se indignum facere in animo habet, aut facit.
6. *Patris & matris familiâs* est
   - primâ luce surgere & orare pro salute domûs.
   - ordinare quæ ad salutem domûs pertinent.
   - pro vocationis ratione sedulò laborare.
   - omnia in tempore facere.
   - imperium in domesticos paternum & maternum exercere.
   - tantum cibi & potus, quantum satis est, illis iusto tempore præbere.
   - malè habentes curare.
   - in conspectu ipsorum optimè agere.
   - instituere ipsos in agnitione Dei, & ad studia pietatis inflammare.
7. *Seruorum & ancillarum* est
   - non ad oculum, sed fideliter seruire.
   - rem familiarem agere.
   - incommoda auertere.
   - timere heros & heras.
   - amare eosdem.
   - gaudere de sorte ipsorum lætâ.
   - dolere de sorte ipsorum aduersâ.
   - facere eorum honestam mentionem.
   - domi quæ fiunt, non eliminare.
   - infirmitatem & næuos superiorum tegere.
8. *Iuuenis* est

ambulare

ambulare in viis Domini.
fugere otium.
temperanter viuere.
vitare consortia malorum.
bonis se coniungere.
vestitu decente vti.
optimis moribus studere.
nuptias cum suorum consensu rectè inire.
senectutem & virtutem honorare.

9. *Virginis* est
pietati operam dare.
domi semper aliquid agere.
non prodire domo, nisi honestâ & graui de causâ.
pudicitiam studiosè conseruare.
ex nuptiis & conuiuiis maturè domum redire.
iuuenibus se nimis familiarem non reddere.
cum honestis & spectatæ pudicitiæ hominibus conuersari.
fugere omnia loca, tempora, & personas suspectas.
pauco & puro sermone vti.
corporis cultum honestum & pudicum seruare.
incessu & gestu decente vti.
potestatem contrahendi coniugium totam à se ad parentes transferre.

10. *Sponsi* est
legitime sponsam sibi despondere.
fidem coniugij verbis dare, pignore confirmare, reipsâ seruare.
ab omni personâ alienâ abstinere.
sponsam ardenti amore complecti.
magnam ex ea capere voluptatem.
absentem cogitare & somniare.
illam subindè inuisere, & honestæ beneuolentiæ officiis exhilarare.
cor suum illi aperire & detegere.
publico ritu eam sibi iusto tempore iungere.
domum deducere, & tori, mensæ, ac bonorum omnium consortem reddere.

11. *Sponsæ* est
habere sponsum suo & parentum consensu electum
ipsi datam fidem seruare.
ipsum diligere tanquam donum Dei.
eius desiderio ardenti flagrare.
aduenientem fronte & ore blando excipere.
dare operam, vt sponso placere, eiusque animum sibi magis ac magis deuincire possit.
potestatem sui corporis ante diem nuptiarum ipsi non concedere.

12. *Vidui* est
vxoris mortem grauiter ferre.
honestè eam terræ mandare.
agnoscere Deum huius sortis authorem.
acquiescere in Dei voluntate.
domi se continere, & aliquamdiu hominum conuictu abstinere.
ad tempus præ se ferre signa veræ tristitiæ.
ad nuptias secundas neque leuiter, neque nimis citò transire.
castè in solitudine istâ viuere.
domus rationem, quantum fieri potest, habere.

13. *Viduæ* est
tristem suam sortem æquo animo ferre.
spem suam in Deo ponere, eiusque ipsius curâ gaudere.
diligenter meditari verbum Dei.
crebrò & seriò orare.
castè & temperanter viuere.
vera præ se ferre doloris signa.
solitariam agere vitam.
de secundis votis non cogitare, nisi rei necessitas iubeat.

CAPVT X.

De statu scholastico.

PRÆCEPTA.

IN statu scholastico & sanctitas doctoris & discipuli.

Sanctitas doctoris iterum est pædagogi, vel professoris.

REGVLÆ.

I. Officium pædagogi est — Officium pædagogi.
teneram iuuentutem docere sacram catechesin, & rudimenta literarum.
animos ad amorem pietatis & literarum flectere.
moderatè discipulos castigare, pro delicti & ætatis ratione.
ad pietatis & litterarum studia animos inflammare datis præmiolis.
bono & laudabili vitæ exemplo prælucere.
orare pro discipulorum in pietate & arte progressu.
non tam spectare magnitudinem laboris, & hominum ingratitudinem, quàm Dei remunerationem.

II. Officium professoris est — Officium professoris.
artes & facultates perspicuâ breuitate proponere & exponere.
lectionem non facilè negligere.
vitam officio dignam agere.
studiosorum vitam & mores formare.
delinquentes pro necessitate castigare.
beneuolentiâ complecti industrios.
priuilegia studiosorum defendere.

III. Officium discipuli est — Officium discipuli.
frequenter adesse in scholâ.
diligentiam adhibere in legendo, audiendo, scribendo.
pietati & modestiæ operam dare.
præceptorem amare, timere, honorare.
fidelibus admonitionibus locum dare.
castigationes moderatas æquo animo ferre, & in viam statim redire.
orare Deum, vt per Spiritum suum gubernet studiorum & vniuersæ vitæ cursum.

CAPVT XI.

De Statu Ecclesiastico.

PRÆCEPTA.

IN statu Ecclesiastico est sanctitas doctoris verbi, Presbyteri, Diaconi, curatoris bonorum Ecclesiasticorum, cantoris, ianitoris, & auditoris.

Nominatim sanctitas auditoris requiritur ante concionem, in concione, & post concionem.

REGVLÆ.

I. Officium doctoris verbi est — Officium doctoris verbi.
piè & rectè aggredi suam vocationem.
puram de Christo doctrinam docere ac defendere.
verbum Dei ὀρθοτομεῖν.
ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν.
peccata pio zelo arguere.
corda contrita erigere.
superiori se modestè subiicere.
æquali debitum honorem tribuere.
inferiorem non contemnere.
orare pro salute Ecclesiæ.
incitare auditores ad serium pietatis studium.
sanctè viuere, tum domi, tum foris.
intra officij limites se continere.
non temerè locum mutare.

II. Officium auditoris verbi est. — Officium auditoris verbi.
frequenter adesse in templo, & se sistere coram Domino.
verbum Dei attentè audire, meditari, & conseruare.
vitam ad illud instituere.
sacramentis crebrò & rectè vti.
spiritu orare & psallere.
eleemosynam dare.
ministrum verbi audire, amare, reuereri.
eundem alere ac sustentare.
abstinere die sacro à labore vocationis.

De

De ſpecialibus officiis Preſbyterorum, Diaconorum, &c. vide apud alios.

Capvt XII.

De Statu politico.

Præcepta.

IN ſtatu politico eſt ſanctitas magiſtratus, & ſubditi.

Sanctitas magiſtratus eſt tum ſuperioris, tum inferioris.

Regvlæ.

Fœdus inter Deum & rempublicam. I. *Inter Deum & rempublicam debet eſſe fœdus.*

Fœdus illud in eo conſiſtit, vt reſpublica ſit populus Dei, cultumque præſcriptum in ſtatutis & iudiciis ſuis fideliter præſtet, præſtatiſque reduiò curet: qui ſecus faxit, debitam pœnam luat.

Officia politica. 1. Principis. II. *Officia politica in ſpecie ita habent.*

1. *Principis Chriſtiani* eſt
imperium iuſtè capeſſere.
puram de Deo Doctrinam accipere, fouere, promouere, & defendere.
omnes falſos cultus abolere ac tollere.
ſcholarum rationem habere, & viros doctos diligere.
ius & iuſtitiam adminiſtrare.
agere patrem patriæ.
clementem ſe exhibere erga bonos & afflictos.
ſeueritate vti erga malos.
ſupplices libellos accipere, perlegere, ponderare.
ſubditos ad ſe admittere, cauſaſque illorum audire.
pugnare pro lege & grege, vbi neceſſitas poſtulat.
publicam pacem in finibus ſuis pro virili ſeruare.
priuilegia ſubditorum relinquere intacta.
præfectos & iudices pios, prudentes, & ab iniuſtitia & auaritia alienos eligere.
mandare illis iuſtitiam & æquitatem.
conſilio bono locum dare.
prudenter diſſimulare, & ad tempus eſſe cæcum, ſurdum, & mutum.
laudabili pietatis exemplo ſubditis prælucere.
piam familiam alere.
petere à Deo ſapientiam, & artem benè gubernandi.

2. præfecti principis. 2. *Præfectus Principis* debet
Principis ſui bona ſtudioſè augere & conſeruare.
incommoda, quæ ad principem redire poſſunt, omni ſtudio cauere ac auertere.
ſubditos principis rectè gubernare, atque id operam dare, vt res eorum ſit optimo loco.
agnoſcere ſe ſeruum, non dominum; diſpenſatorem, non poſſeſſorem.
non plus oneris imponere ſubditis, quàm eſt à principe demandatum & conceſſum.
mulctas bonâ fide referre ad principem.
in pœnis infligendis adhibere æquitatem.
mandata principis, niſi ſint contra Deum, fideliter exequi.
nihil contra principem ſuum tentare aut facere.

3. conſiliarii principis. 3. *Conſiliarius principis* debet
ſua conſilia attemperare, non ad voluntatem domini, ſed ad neceſſitatem & æquitatem rei; non ad priuatam, ſed ad publicam vtilitatem.
principis animum ad amorem & ſtudium pietatis, iuſtitiæ, humilitatis, & temperantiæ flectere.
ſincerè & bonâ fide animi ſui ſenſum re dubiâ & magni momenti depromere, & oſtendere quid factu optimum cenſeat.
principem à viâ aberrantem & minùs rectè ſentientem liberè interpellare, & modeſtâ admonitione in viam reuocare.
iniuſta & nimia onera, non ſuadendo imponere, ſed diſſuadendo impedire & tollere.
iuſta & bona ſemper approbare, nunquam verò mala.
non ſolùm regionis, ſed & religionis habere rationem.
principis ſui ſenſum & arcana ſcire, ſed non aperire.
mandata & voluntatem principis bonâ fide iis, quorum intereſt, exponere, & non aliud pro alio fingere.

4. *Senatus vrbis* debet 4. ſenatus vrbis
nonniſi vnam religionem in vrbe ſuâ probare; etſi poſſit plures tolerare.
miniſterium verbi honorare & ornare.
ſcholarum rationem diligenter habere.
iudicare rectè ſecundùm leges optimas.
bonas conſtitutiones in ſalutem vrbis & ciuium ordinare & obſeruare.
morigeros & bonos ciues amare, laudare, defendere.
rebelles & malos pro ratione delicti punire.
iniuſta onera ciuibus non imponere.
excubare pro ſalute vrbis, eiuſque incrementum ſpectare & quærere.
publicos reditus rectè collocare & conuertere ad publicam vtilitatem.
flagitioſorum hominum luſtra, & lupanaria, non tolerare.
pauperum rationem habere.
priuilegia & vetera iura optimo modo cuſtodire, ac defendere.
laudabili pietatis & virtutis exemplo ciuibus præire.
ſuperiori magiſtratui debitam obedientiam & iuſtum honorem tribuere.

5. *Iudicis Chriſtiani* eſt 5. iu[dicis]
omni tempore ſe ad iudicandum exhibere paratum.
meminiſſe ſe Dei loco eſſe, & in conſpectu Dei verſari.
vtramque partem audire, & diligenter inquirere veritatem.
teſtes idoneos admittere, & rectè examinare.
diligenter ponderare ipſam cauſam & teſtimonia.
nullam in iudicio ſpectare perſonam, aut aliud quid extra cauſam poſitum, ſed ipſam nudam cauſam.
dicere ſententiam, non ſecundùm propriam opinionem, ſed ſecundùm legem & rei veritatem.
maturare ſententiam.
iniuſtæ collegarum ſententiæ contradicere & reclamare.

6. *Subditi Chriſtiani* eſt, magiſtratum ſuum 6. ſ[ubditi]
amare.
honorare.
timere.
alere.
Deo commendare.


Hîc iam agendum erat de officio Chriſtiani mercatoris, typographi, bibliopegi, ſartoris &c. niſi ratio compendij obſtaret.

PERORATIO THEOLOGIÆ MORALIS.

TAlis etiam eſt Theologia moralis, quæ mores hominis Chriſtiani luſtrat, non lumine naturæ (id enim philoſophia moralis habet ſibi propoſitum) ſed lumine gratiæ, proponendo regulam vitæ omnium exactiſſimam, putà imaginem Dei, vitámque Chriſti & ſanctorum Angelorum & hominum: inprimis autem vitam Chriſti, vtpote quæ per omnia conformis eſt diuinæ voluntati. Chriſtum itaque imitari diſcamus, ſi Chriſtianos mores in vniuerſâ vitâ exprimere cupimus.

ELINEA

DELINEATIO THEOLOGIÆ MORALIS



Finis Theologiæ moralis.

PERORATIO VNIVERSÆ THEOLOGIÆ.

ITa se habent fines Theologiæ, quæ ab aliis appellatur θεοζωία, & θεουργία; quòd sit doctrina Deo viuendi, adeóque hominem quasi Deum efficiendi. Eius methodum pro virili nostrâ propositam, & paucelis regulis illustratam hîc exhibemus, secuti cumprimis, *in Theologiâ naturali*, Mornæum de veritate religionis Christianæ; *in catecheticis*, Perkinsum; *in didacticis*, Piscatorem, Amesium, VVollebium; *in polemicis*, Hallerum; *in Theologiâ propheticâ*, Perkinsum & Zepperum; *in Theologia morali*, Paulum Eghardum. Hoc iam superest, vt omnes simus Theologi in Iesu Christo, de quo veteres rectè cecinerunt:

Si Christum bene scis, satis est si cætera nescis.
Si Christum nescis, nihil est si cætera discis.

Nam homo in Christo est filius Deo dilectus, voluptas & gaudium Dei, finis & centrum Dei, cor Dei, frater & membrum Christi, templum & sanctuarium Spiritus sancti, Angelorum gaudium & cura, hæres omnium bonorum cœlestium, denique thesaurus Deo charissimus, quem ille ornat sapientiâ spirituali, saluo conductu munit, manu suâ defendit, & Spiritu sancto obsignat.

FINIS THEOLOGIÆ.



ENCYCLOPÆDIÆ LIBER SEXTVS ET VIGESIMVS,

Exhibens

IVRISPRVDENTIAM

Tribus sectionibus.

SECTIO PRIMA IVRISPRVDENTIÆ,

In quâ traditur

IVRISPRVDENTIA

Ciuilis generalis.

CAPVT I.

De Fine Iurisprudentiæ ciuilis.

PRÆCEPTA.



IVRISPRVDENTIA est ars æqui: eodémque sensu iuris scientia, legum scientia, Nomica, & Dicæologica dicitur.

Estque ciuilis, vel Ecclesiastica.

Iurisprudentia ciuilis est iuris ciuilis scientia.

Estque generalis, vel specialis.

Iurisprudentia ciuilis generalis est, quæ tradit æquitatem apud omnes, vel saltem plerosque, populos peræquè custoditam.

Estque de fine suo, subiecto, & mediis.

Finis iurisprudentiæ est internus, vel externus.

Finis internus est partim tradere præcepta iuris, partim leges interpretari.

Præcepta iuris sunt principia, vel conclusiones: & in principiis tria ista principatum obtinent, Honestè viuere, Neminem lædere, Suum cuique tribuere.

Interpretationis legum occurrit fons & modus.

Fons interpretationis est ius naturale, vel positiuum. Illud etiam commune; hoc proprium dicitur. Vtrique accidit, quòd sit publicum, vel priuatum.

Ius naturale est ius apud omnes populos peræquè custoditum.

Estque naturæ, vel gentium. Illud etiam ius naturale primarium, & primæuum; hoc secundarium dicitur.

Ius naturæ est, quod natura docuit etiam brutas animantes. *Dicitur etiam* ius naturale κατ᾽ ἐξοχήν.

Ius gentium est, quod ratio naturalis constituit.

Ius positiuum est, quod arbitrio alicuius est constitutum.

Estque diuinum, vel ciuile.

Ius diuinum est, quod hab[et] Deum authorem.

Ius ciuile est, quod quæque ciuitas sibi constituit, non aliis, aut saltem paucioribus, commune.

Modus interpretationis legum sumi d[eb]et à fine, subiecta materia, & similibus: itemque ex verborum significatione, & regulis iuris.

Finis iurisprudentiæ externus est, procurare vt seruetur æquitas ciuilis.

Æquitas est duorum pluriúmue, inter quos res aliqua est, proportio.

REGVLÆ.

I. *Iurisprudentia generalis debet illa persequi, quæ sunt iuri dicundo apud omnes nationes.*

Itaque ex iure ciuili Romano illa sunt huc transferenda, quæ desumpta sunt ex iure naturali. Sed quia p[l]eraque ita sunt cónexa cum iure ciuili, fieri non potest, quin subinde hæc & illa misceantur.

II. *De iure naturali & gentium sunt hæ regulæ.*

1. Naturâ duce errari nullo modo potest. 2. Ius naturale est immu

immutabile. 3. Ius naturale est positiuū & negatiuum. 4. Ius gentium est primarium & secundarium. 5. Quod est iuris gentium, quandoque dicitur iuris ciuilis esse. Iuris quidem gentium inuentione & origine: iuris autem ciuilis approbatione, confirmatione, & infirmatione.

III. *De iure ciuili sunt hæ regulæ.*

1. Ius ciuile neque in totum à iure naturali vel gentium recedit, neque per omnia ei seruit. 2. Ius ciuile est proprium alicuius ciuitatis. 3. Statuta sūmi principis, vel alterius qui superiorē non recognoscit, iuris ciuilis sunt, cætera iuris prætorij.

IV. *De legibus sunt hæ regulæ.*

1. Ius fit lege aut moribus seu consuetudine. 2. Lex est sanctio seu iussum eius, qui iuris condendi authoritatem habet: vti sunt Deus, magistratus, & populus. 3. Deus est author legis naturæ & positiuæ, quæ dicitur diuina. 4. Magistratus tum superior, tum inferior potest legem condere. Ille siquidem habet supremam potestatem: hic habet potestatem à superiori magistratu. Itaque authoritas condendæ legis est vel supremæ potestatis, vel à supremâ illâ potestatis inferioris. 5. Potestas suprema eam authoritatem habet ex seipsâ. 6. Inferior potestas authoritatē iuris condendi non habet, nisi quatenus à potestate suprema ei est concessa. 7. Populus omne imperiū omnemque potestatem suam concedit & resignat suo magistratui. 8. Constitutio principis est edictū, vel decretum. *Edictum* est cōstitutio citra determinationē personæ aliúsue circumstantiæ facta. *Decretum* est cōstitutio sub determinatione quidem personæ, causæ, aliúsue circumstantiæ facta, quæ tamen in aliis consimilibus valeat & locū habeat. 9. Constitutio est generalis, vel specialis. Illâ tenentur omnes subditi: hæc singulis personis vel causis cōceditur, & dicitur priuilegium. 10. Lex omnis authoritate est publica: vtilitate interdum publica, interdum priuata. Hinc ius est publicum vel priuatum. Illud reip. hoc singularem vtilitatem spectat.

V. *De rescriptis principum sunt hæ regulæ.*

1. Rescripta principum vim legis habent, si non generalem, saltem in causis, de quibus facta sunt. 2. Potest impetrans rescripto impetrato renuntiare, aduersario etiam inuito.

VI. *De rebus iudicatis sunt hæ regulæ.*

1. Res iudicata vim legis non habet 2. Non tam spectandum est, quid sit factum, quàm quid fieri debuerit.

VII. *De principum placitis seu constitutionibus, & priuilegiis.*

1. Quod principi placet, vim legis habet. 2. Constitutiones personales, seu priuilegia, ad exemplum non trahuntur. 3. Priuilegia non præiudicant alteri. 4. Priuilegium à tempore scientiæ effectum habet. 5. Priuilegium alicui concessum, ei auferendum non est, nec contra faciendum. 6. Priuilegium personale liberis & hæredibus non competit. 7. Priuilegia concessa viduis, non competunt meretricibus & luxuriosè viuentibus. 8. Priuilegijs ac iuri speciali faciliùs derogatur, quàm iuri communi.

VIII. *De consuetudine seu moribus sunt hæ regulæ.*

1. Consuetudo æquiparatur priuilegio à principe concesso. 2. Consuetudo introducitur decem annis. 3. Consuetudo vim legis obtinet. 4. Ratio ius consuetudinarium facit. 5. Consuetudo pro lege non immeritò custoditur, si inueterata sit, & diuturna, & longa, & rationabilis. 6. Ex consuetudine lex est interpretanda. 7. Consuetudo iuri scripto præualet.

IX. *De opinionibus Doctorum sunt hæ regulæ.*

1. Authoritas Doctorum quamuis olim fuerit necessaria: hodie tamen probabilis est, non necessaria. 2. Authoritas glossæ necessaria est, non probabilis.

X. *De legum interpretatione sunt hæ regulæ.*

1. Finis legum est vtilitas publica. 2. Lex est contractus. 3. Legis virtus est imperare, vetare, permittere, punire. 4. Interpretatio legum est triplex: declaratiua, restrictiua, & extensiua. 5. Si præsens casus speciali aliquâ lege comprehensus non est, ad similes leges recurrendum: & vbi est eadem ratio, ibi idem quoque ius est constituendum. Huc pertinent ea, quæ æquiparantur: v. g. adoptio & vnio prolium, alimenta & dos, codicilli & testamentum, compromissum & transactio, consuetudo & statutum, contractus & vltima voluntas, ciuilia & criminalia, criminales & matrimoniales causæ, destinatum & factum, dolus ex proposito & dolus qui fit reipsâ, dos data & promissa, expressa & tacita, Falcidia & Trebellianica, falsum & nullum, vita & fama, feudum & emphyteusis, fides data & iuramentū, filius & nepos, furiosus & minor, infamia & mors, iniuria verbalis & realis, loqui & scribere, parum & nihil principium & quod ex principio sequitur, probare & præsumptionem pro se habere, prodigus & furiosus, pubes curatorem habens & pupillus, senex & infirmus, supplicatio & appellatio, vendere nolle & immodico pretio vendere velle. 6. Prohibito effectu, omnis eius causa prohibita censetur. 7. Quod iuris est in vno correlatiuorum, idem etiam in altero. 8. Mens potiùs, quàm verba legis spectanda. 9. Cessante legis ratione, cessat lex. 10. Quod in alicuius fauorem est introductum, id in eius detrimentum non est detorquendum. 11. In legibus interpretandis non ad propriam verborum significationem, sed ad communem vsum loquendi est respiciendum. 12. Vna regula secundùm aliam est intelligenda. 13. Consuetudo in legibus interpretandis est attendenda. 14. Leges priores in posterioribus interpretandis possunt adhiberi. 15. Statutum ita interpretandum, vt quàm minimùm fieri potest, lædatur ius ciuile. 16. Indefinita æquipollet vniuersali. 17. Verba ita interpretanda sunt, vt aliquid operentur, nec debent esse otiosa. 18. Statutorum verba strictè sunt interpretanda. 19. Verba statutorum secundùm communem loquendi vsum sunt intelligenda. 20. Doctoris dictum secundùm allegata est intelligendum. 21. Rationes legum non superstitiosè sunt inquirendæ. 22. Interpretatio nigri sumitur ex rubro. 23. Beneficia principum quàm plenissimè sunt interpretanda. 24. Mens & vis legis in ratione eius est posita, quæ ex eo dicitur anima legis. Neque tamen omnium, quæ constituta sunt, ratio reddi potest. 25. Priores leges interdum ad posteriores trahuntur. 26. Si quæ reperiuntur contra iuris rationem, ad consequentias producenda non sunt. 27. Non facilè sunt mutanda, quæ semper interpretationem certam habuerunt.

XI. *De antinomiis, seu contrariis legibus & opinionibus conciliandis, sunt hæ regulæ.*

Antinomiæ legum.

1. Contrarietas in iure non est admittenda. 2. Antinomiæ & contrariæ opiniones per distinctionem sunt redigendæ ad concordiam. 3. Si contrarietas sit inter ius ciuile & canonicum in non concernentibus peccatum, ius canonicum obseruatur in terris Ecclesiæ, ciuile autem in terris Imperij. Imò in dubio statur decisioni iuris canonici, etiam in foro ciuili. 4. Si alia lex prohibet, alia permittit, in dubio illa huic est præferenda. 5. Si idem à seipso dissenserit, eius loci opinio est sequenda, in quo materiam istam pleniùs tractauit. 6. Si interpretes iuris inter se dissenserint, communis opinio sequenda. 7. Magis standum consiliis alicuius collegij, quàm alicuius doctoris.

XII. *De exceptionibus aduersus leges sunt hæ regulæ.*

Exceptione aduersus leges.

Regulariter leges sunt obseruandæ, nisi 1. lex ab eo lata sit, qui eius ferendæ potestatem non habuit. 2. laicus de rebus Ecclesiasticis legem tulerit. 3. populus, qui alterius imperio regitur, legem tulerit. 4. lex iniqua sit, & sine ratione lata. 5. lex non sit vtilis, vel vtilis esse desinat. 6. is qui legem tulit, temporalem habuit iurisdictionem. 7. lex iuri naturali contraria sit, vel contra bonos mores. 8. lex iuri gentium sit contraria. 9. lex in odium seu præiudicium certæ personæ sit lata. 10. æquitas contra legem propositam in casu proposito suadeat 11. aliud inter partes actum sit. 12. necessitas contra legem vrgeat, vel periculum sit in morâ. 13. causa legem præcesserit. 14. lex nondum fuerit insinuata, vel ab insinuatione nondum duo menses effluxerint. 15. lex aliâ lege vel consuetudine sit mutata. 16. lex non sit in vsu. 17. iuri ciuili ius canonicum repugnet. 18. princeps vel Papa contra legem dispensauerit. 19. princeps vel Papa dissimulet, hoc enim casu dispensare creditur. 20. ipse statuens contra suum statutum fecerit. 21. consilium magis sit quàm præceptum. In his exceptionibus particula *nisi* semper ἀπὸ κοινοῦ est repetenda.

XIII. *De verborum significationibus sunt hæ regulæ.*

De verborum significationibus.

1. *A* & *Ab* dictiones nisi aliud obstet, sunt exclusiuæ, non separatiuæ. 2. *Ablatiui absoluti* vim conditionis habent. 3. *Abhinc* dictio est inclusiua. 4. *Accipere* prohibitus non solùm exigere, sed vltrò oblatū accipere prohibitus censetur. 5. *Actio in personam* ideò dicta est, quòd personam ipsam obligatam sequatur, non rem siue singularem successorem. 6. *Ad* dictio interdum inclusiua est, interdum exclusiua, ideò interdum idem quod *Post* significat. 7. *Adærare* est ad pretium redigere, seu laxatione adhibitâ æstimare. 8. *Ad adgnatos & gentiles deducere*

re ſt curæ proximorum committere. 9 *Addictio* eſt, cùm res creditori datur in cauſam iudicati. 10. *Affines* interdum pro cognatis accipiuntur. 12. *Administratione commiſſa* etiam tutela continetur. 13. *Æquitas* dicitur benignitas, benigna interpretatio & æquum. 14. *Æs* dicitur omne genus monetæ. 15. *Aliàs aliter, & alioquin* dictiones faciunt conditionem. 16. *Alienationis prohibitio* non continet alienationem neceſſariam. 17. *Alienatum* non propriè dicitur, quod in dominio venditoris manet; venditum tamen rectè dicitur. 18 *Alienatum* non propriè dicitur quod poteſt reuocari. 19. *Alienationis vocabulo* continetur etiam locatio ad longum tempus, niſi quoad pœnam. 20 *Alienationis vocabulo* continetur etiam hypotheca. 21. *Annus* conſtat ex continuatis diebus trecentis ſexaginta quinque. 22 *Annorum computatio* eſt varia. 23 *Ante* dictio & *poſt* ſunt earundem virium, eiuſdémque naturæ, ſéque mutuò reſpiciunt 24. *Apices iuris* ſunt ius ſtrictum, ſicut ſummum quod bonam fidem non tingit 25. *Area* locus ſine ædificio, in vrbe quidem Area, ruri autem *Ager* appellatur. Idemque ager cum ædificio fundus appellatur 26 *Area* pars domus eſt. 27. *As* pro ære dicitur. 28. *Auri & argenti* appellatione pecunia numerata continetur. 29. *Baſtardus* eſt idem quod filius naturalis. 30. *Bonorum appellatione* præſentia tantùm, non etiam futura continentur 31. *Bonorum approbatione* non continetur ius patronatus Eccleſiaſtici. 32. *Campſores* ſunt menſarii, ſeu nummularij. 33. *Circa* dictio interdum ſumitur pro particulâ *In*. 34. *Citra* dictio eſt velut appoſitum dictionis *Vltra*. 35. *Codicilli* latâ ſignificat[ione] etiam teſtamentum ſignificant. 36. *Commendatum* dici non poteſt, vbi dominium transfertur, licet idem ſit reddendum. 37. *Conatus* non habetur pro actu perfecto. 38 *Conceſſio* Imperialis donatio, non feudalis conceſſio. 39. *Culpa* eſt lata, leuis, & leuiſſima. 40. *Damnorum appellatione* non veniunt expenſæ. 41. *Dare in ſolidum, & addicere* differunt: nam debitor dicitur dare inſolutum, iudex dicitur addicere. 42. *Decima* eſt tributum animarum egentium 43. Aliud eſt *declarare*, aliud addere, vel emendare, aut mutare. 44. *Decretum & ſententia* differunt. 45. *Denunciatio & proteſtatio* idem ſignificant. 46. *Deponere* non eſt ſoluere. 47. *Deuotiones* pro executionibus accipiuntur. 48 *Digitus* non eſt membrum. 49. *Dignior* quis ſit, relinquitur arbitrio iudicis 50. *Dimittere* creditorem, eſt illi ſatisfacere. 51 *Dolum etiam bonum* veteres dicebant, & pro ſolertiâ accipiebant. 52. *Dolus* diuiditur in præſumptiuum & verum. 53. *Domicilium* in dubio intelligitur habitationis potiùs quàm originis 54. *Domicilium* triplex eſt, Naturale, Accidentale, vel Commune. 55. *Dominus* cenſetur etiam is, a quo res abire poteſt ex quâ iam conditione. 56. *Domus* accipitur etiam pro familiâ & agnatione. 57. *Dos* tantum promiſſa dos eſt, & ex ea mulier dicitur dotata. 58. *Dubius* pro ignorante accipitur. 59. *Dummodò* particula conditionem facit. 60 *Durum* accipitur pro iure ſtricto & iniquo. 61. *Exigere* prohibitus non cenſetur à ſponte offerente accipere prohibitus. 62. *Expenſarum* nomine veniunt etiam ea quæ in futurum ſunt ſoluenda. 63 *Filij appellatione* continentur etiam nepotes. 64 *Filij appellatione* filia quoque continetur. 65. *Fœminino vocabulo* non continetur maſculinum. 66. *Fratrum appellatione* non continentur ſorores. 67. *Frumenti appellatione* etiam farina continetur. 68. *Hæreditas* nomen iuris eſt, & omnia bona tam præſentia quàm futura complectitur. 69 *Inteſtatus* propriè non dicitur, qui teſtamentum facere non poteſt. 70. *Ius in dubio* accipitur de iure proprio illius loci, non de iure communi Romanorum. 71. *Liberorum* quatuor ſunt genera. 72. *Liberorum appellatione* libri adoptiui non continentur 73. *Maſculinum* continet fœmininum. 74. *Miſerabilis* quis dicatur, relinquitur arbitrio iudicis. 75. *Nullum eſt, aut certè annullandum*, quod geſtum eſt, lege prohibente. 76. *Pars in dubio* intelligitur medietas. 77. *Pia cauſa* dicitur etiam cauſa alimentorum. 78. *Probationis vocabulo* non continetur ea, quæ fit per iuramentum. 79. *Quilibet & quælibet* diſtributionem ſignificat, vt in quolibet ſolidum requiratur. 80. *Quis* continet etiam fœmininum ſexum. 81 *Rationes reddere* eſt reliqua ſoluere. 82. *Reditus* ſpecies eſt ſylua cædua. 83. *Rei appellatio* omnem contractum & obligationem continet. 84 *Rei appellatione* etiam pars continetur. 85. *Scientia* non continet ſub ſe conſenſum. 86 *Sententiâ in dubio* intelligitur de definitiua, non interlocutoria. 87. *Si* dictio conditionem facit, niſi ex eo abſurdus ſequeretur intellectus. 88. *Teſtamentum* etiam continet codicillos. 89. *Vxoris* appellatione continetur etiam ſponſa.

XIV. *Ex Regulis iuris teneantur hoc loco iſta.*

Quædam regulæ iuris.

1 Acceſſorium ſequitur naturam ſui principalis. 2. Actus legitimi neque conditionẽ recipiunt, neque diem. 3 Cùm principale non ſubſiſtit, nec acceſſorium valet. 4. Beneficium datur propter officium. 5. Plus cautionis in rem eſt, quàm in perſonam. 6. Ex eo non debet quis commodum accipere quod viſus eſt impugnare. 7. Ad quem non ſpectat incommodum, ad eum nec commodum ſpectare debet 8. Contrarium allegans non eſt audiendus. 9. Deſtinatum pro facto habetur. 10. In ambiguâ oratione maximè ſpectanda eſt ſententia eius qui eam protulit. 11. Expreſſa nocent, non expreſſa non nocent. 12. Expreſſio eius quod tacitè ineſſe videtur, nihil operatur. 13 Aduerſa fortuna non eſt in conſideratione. 14. Semper ſpecialia generalibus inſunt. 15. Non debet alteri per alterum iniqua conditio ferri. 16. Alterius conditionem meliorem facere poſſumus non deteriorem. 17. Nemo perſequendo & contendendo litem deteriorem ſuam cauſam facit, ſed plerumque meliorem. 18. Minimis rebus cura non impenditur. 19. Vnus duorum perſonas gerere non poteſt. 20. Ratihabitio mandato comparatur. 21. Ratum habere non poſſum, quod meo nomine geſtum non eſt. 22. Si quis ex duobus iuris remediis, quæ ſibi competunt, vnum elegerit, alteri renuntiaſſe videtur. 23. Renuntiatio vnius beneficij non nocet alio 24. Nemo plus iuris ad alium transferri poteſt, quàm ipſe habet. 25. Superflua non nocét 26. Tacens conſentire videtur. 27. In toto & pars continetur, minorque ſumma ineſt maiori. 28 Cui quod plus eſt licet, quod minus eſt licet. 29. Veritas rerum erroribus geſtarum non vitiatur. 30. Veritas conſuetudinem & ſtylum vincit. 31. Virtus excitatur præmiis. 32. Voluntas ceſſare, non reuocari per cuiuſuis mortem intelligitur.

CAPVT II.

De Subiecto Iuriſprudentiæ ciuilis.

PRÆCEPTA.

Subiectum iuriſprudentiæ ciuilis eſt informationis, tractationis, & operationis.

Subiectum informationis primarium eſt voluntas; ſecundarium, affectus hominis.

Subiectum tractationis eſt modus ſeruandi æquitatem.

Subiectum operationis eſt obiectum cui obligamur, & quod obligatur.

Obiectum cui obligamur, eſt ſuperius, vt Deus: vel inferius, idque primarium, vt homo, vel ſecundarium, vt beſtia & res naturalis vel artificialis.

Obiectum quod obligatur, eſt primarium, vt homo vel ſocietas integra: vel ſecundarium, vt beſtia & res naturalis vel artificialis.

REGVLÆ.

I. *Iuriſprudentia informat & reformat voluntatem & affectum hominis.*

Omnis facultas & diſciplina ſanat aliquem morbum animi in homine. Itaque & Iuriſprudentia. Eſt autem illa tota practica, & proinde occupatur in ſanandis illis animi morbis, qui voluntatem & affectum hominis tranſuerſum abripiunt, vt præuaricetur aduerſus tria illa iuris principia, Honeſtè viuere, Neminem lædere, Suum cuique tribuere.

II. *Iuriſprudentia explicat modum rectè ſeruandi æquitatem.*

Æquitas illa eſt moderamen iuris rigidi, quæ conſeruat omnem ſocietatem. Nam quia ſummum ius, ſumma iniuria: neceſſe eſt, vt illud reuocetur ad circumſtantias, & illis ita accommodetur, vt pulcherrima exiſtat proportio.

III. *Beſtiæ, & inanima, tum naturales, tum artificiales, duobus modis ſubiiciuntur Iuriſprudentiæ.*

Primò, quatenus homo iis obligatur, ita nempè, vt non liceat ipſi eas tractare pro ſuo arbitrio: vnde punitur, ſi eis non reddat debitum. Sic v.g. obligatur arboribus, ne illas corrumpat. *Inde*; quia beſtiæ & res naturales atque artificiales ſuo modo cenſentur obligatæ homini, quatenus ad illum peculiari ratione referuntur.

CAPVT III.

De Personarum diuisione.

PRÆCEPTA.

Media, per quæ finis iurisprudentiæ in subiectum introducitur, respiciunt reip. originem, vel statum.

Origo reip. est in ipsius fundatione, quæ pendet à materia & forma.

Materia reip. est in personis, rebus, & factis ciuilibus.

Personæ ciuiles considerantur in diuisione & potestate suâ.

Diuisio personarum ciuilium est, quòd homo consideratur vel quà homo, vel quà persona.

Homo, quà homo, est, qui habet caput naturale: & distinguitur ex sexu & adiunctis.

Ex sexu homo est mas, fœmina, vel hermaphroditus.

Adiuncta sunt interna, vt ætas & valetudo: vel externa, vt status.

Ætas est minor, vel maior.

Ætas minor est prima, vel secunda.

Ætas prima est pueritia; vnde homo dicitur puer & impubes.

Ætas secunda est adolescentia; vnde homo dicitur adolescens & pubes.

Ætas maior, seu iusta & legitima, est iuuentus & senectus: vnde homo dicitur iuuenis & senex.

Valetudo est integra vel secus. Hinc homo est sanus animo & corpore: vel non sanus, vel animo, vt mente captus & prodigus; vel corpore, vt mutus, cæcus, surdus.

Status est hominis conditio, in quâ viuit. Estque alius ex iure gentium, alius ex iure ciuili. Ille dicitur propriè status: hic, ordo.

Status est libertatis, vel seruitutis.

Libertas est status hominis, quo facultatem faciendi iure habet, quod velit.

Estque naturalis, vel ciuilis.

Libertas naturalis est omnibus omnino hominibus communis. *Dicitur etiam* libertas nuda & imperfecta.

Libertas ciuilis est propria illorum, qui sunt ciues. *Dicitur etiam* libertas vera & legitima.

Ex statu libertatis homo dicitur liber, qui est ita natus, vel factus. Ille ingenuus, hic libertinus dicitur.

Ingenuus est homo liber, qui ex matre liberâ, dum in vtero fuit, quocunque tempore est natus.

Libertinus, seu libertus, est homo liber manumissione ita factus.

Manumissio est libertatis datio, quâ qui dominus fuerat, fit patronus serui manumissi, nunc liberti facti. Vnde ius patronatus, sicut ante ius dominij seu potestatis dominicæ.

Manumissio fit à lege, vel ab homine.

Manumissio à lege solâ fit citra voluntatem hominis, imò quandoque etiam homine, nimirum domino, inuito.

Manumissio ab homine fit vel verè, vel non verè.

Verè, nempe à domino serui, qui manumittitur lege approbante.

Non verè, cùm aliquis manumittitur vel imaginariè, vel errore iuris aut facti.

Seruitus est status hominis, quo subiicitur alieno dominio. *Hinc homo dicitur* seruus.

Seruus aliquis nascitur, vel fit.

Nascitur ex ancillâ, seu seruâ: fit iure gentium, vel ciuili.

Iure gentium captiuitate in bello iusto non ciuili.

Iure ciuili vel venditione sui ipsius, vel damnatione in metallum, vel ob ingratitudinem liberti erga patronum, vel connubio liberæ mulieris cum seruo.

Ordo est status hominis, conditionem eius in communi hominum societate significans.

Estque primus, vel ortus.

Status primus est, ex quo homo dicitur ciuis, vel peregrinus.

Ciuis est homo liber sub imperij tutelâ constitutus.

Estque cum dignitate aliquâ, vel sine dignitate.

Ciuis cum dignitate habet dignitatem vel imperiosam, vt Princeps & quilibet magistratus: vel imperij expertem, vt sacerdos, miles, nobilis, professor in scholâ, &c.

Ciuis sine dignitate est vel cum certo vitæ genere, vt scriba, tabellio, theologus, ICtus, orator, medicus &c. vel sine eo, vt plebeius.

Peregrinus est, qui cùm liber sit, ciuis tamen non est in aliqua rep. Estque fœderatus, vel non: hostis, vel non.

Status ortus est *familia*, ex quâ homines sunt necessarij, vel extranei.

Necessarij, seu propinqui, ex necessitudine seu propinquitate aliqua sibi sunt deuincti.

Hæc necessitudo oritur ex sanguine, vel nuptiis. Illa dicitur cognatio, hæc affinitas.

Cognatio spectatur in generibus & ordinibus suis. Ibi est cognatio naturalis, vel ciuilis: hîc cognatio distinguitur lineis, & lineæ gradibus.

Linea est collectio personarum ad eundem stipitem relatarum.

Estque recta, vel transuersa.

Linea recta, seu limes directus, est inter parentes & liberos.

Estque superior, vel inferior.

Superior est parentum: inferior, liberorum. Hinc parentes ad liberos collati, ascendentes: liberi ad parentes, descendentes appellantur.

Linea transuersa, seu collateralis, est inter fratres, sorores, cæterósque cognatos.

Affinitas est necessitudo ex nuptiis contracta.

Extranei sunt à nobis alieni, non necessarij cognatione vel affinitate. Et ita quidem homo consideratur vt homo: idem vt persona consideratur hoc modo.

Persona est homo habens caput ciuile.

Caput ciuile positum est in libertate, ciuitate, & familia; & iure acquiritur, vel amittitur. Vtrumque natura vel facto hominis.

Libertas acquiritur iis modis, quibus paulò antè diximus.

Ciuitas acquiritur origine, vel receptione in ciuitatem.

Familia constituitur cognatione, vel affinitate.

Caput, quod quis habet, cùm amittitur, *capitis diminutio* dicitur, quæ est status, quem quis in libertate, ciuitate, vel familiâ habet, mutatio.

Estque vniuersalis, vel particularis.

Vniuersalis est totius capitis diminutio, quæ contingit amissa libertate: quæ ex eo maxima capitis diminutio appellatur. Libertate enim amissa, & ciuitas, & familia, quam quis habuit, amittitur.

Particularis diminutio capitis est, cum aliquo capite amisso, aliud nihilominus saluum remanet.

Estque ciuitatis, vel familiæ.

Quæ ciuitatis est, minor capitis diminutio dicitur, interdum etiam magna. Minor quidem, si conferatur

tur ad maximam, quâ omne caput amittitur: magna verò, si conferatur ed eam, qua vnicum duntaxat, nimirum familiæ caput amittitur. Atque cùm inter vtramq; illam sit, intermedia nonnunquam dicitur. Quæ familiæ est, minima capitis diminutio appellatur.

REGVLÆ

Sexum vt considerat ICtus?

I. *Sexus consideratio iuridica est in hisce regulis,*

1. *Hermaphroditus* etsi nec mas est, nec fœmina: eius tamen sexûs æstimatur, qui in eo præualet. 2. Qui adhuc in vtero est, ficte est homo: verè, qui jam natus. Neque enim *venter* rectè homo dicitur, Quamuis in vtero existens, quoties de eius commodo quæritur, pro nato habetur. 3. *Mas & fœmina* iure vtplurimum vtuntur eodem nonnunquam diuerso; & tum vnus alio, iure meliori vel deteriori. 4. *Mas perfectus* est, cui ad naturam nihil deest: imperfectus contra & hic est *spado, castratus, vel thlibias*. Ille testiculos habet exsectos, ille tractos, hic attritos.

Ætatis consideratio in Iure.

II. *Ætatem ita considerat ICtus.*

1. *Ætas minor* est hominis intra annum ætatis vigesimumquintum. 2. *Pueritia* seu prima ætas, continetur annis à primo ortu maris quatuordecim, à primo ortu fœminæ duodecim. Tam verò hæc quàm ille interim impubes est: Atque inde hæc ætas pupillaris dicitur. 3. *Impubes* est infans, vel infante maior. Ille est, qui septem annis minor: hic intra septimum & duodecimum annum si fœmina sit, vel annum septimũ & decimumquartum si mas sit. 4. *Secunda seu pubes ætas*, id est, adolescentia, est ab ætate prima completa vsque ad annum vigesimumquintum. 5. *Pubertas* est plena, vel non prorsus plena. Illa est in mare, ineunte anno decimo octauo, in fœminâ anno decimoquinto: hæc est intra annum decimumquartũ ad decimum octauum, itemque intra annum duodecimum & decimumquintum. 6. *Iuuentus* est ab anno vigesimoquinto vsque ad annum quadragesimũ sextum. *Senectus* inde vsque ad mortem hominis. 7. Ex veniâ Principis masculus maior est ex anno vigesimo, fœmina ex anno decimo octauo. 8. Ætas maior in nonnullis casibus desideratur amplior, nimirum triginta, quadraginta, quinquaginta, sexaginta, & septuaginta annorum.

Valetudo vt consideretur in Iure?

III. *Valetudinis consideratio iuridica sic est.*

1. *Non-sanus animo* est mente captus vel prodigus. 2. *Mente captus* est demens vel furiosus. 3. *Demens* est homo mentis errore ductus, eâ captus non vsquequaque. 4. *Furiosus* est homo mente captus ex omni parte. 5. *Furor* aut est continuus, sine intermissione durans, aut habet interualla quibus remittitur. 6. *Prodigus* est, qui bona sua inutiliter profundit, eorumque expendendorum modum aut finem ignorat. Ideo ipsi bonorum suorum administratione interdicitur. 7. *Corpore non-sanus* est, qui morbo vitioue corporis laborat: eoque vel *sontico*, id est, qui hominem ad quamcunque rem negotiumque gerendum reddit inutilem; vel *non sontico*, qui est perpetuus vel temporalis.

Status libertatis & seruitutis.

IV. *De statu libertatis & seruitutis sunt hæ regulæ.*

1. *Ingenuorum* conditio omnium est optima: siue sint tales verè, id est, iure gentium, siue fictè, id est, iure ciuili. 2. Post ingenuos *libertinorum* conditio est optima. 3. *Seruitus* à iure gentium originem accepit. 4. Seruitus est contra ius naturale. 5. Serui à Dominis fugere non debent. 6. Seruitus non dicitur propriè quæ à personâ personæ debetur. 7. Dominus seruos verberare potest. 8. Serui iure ciuili pro nullis habentur: ideoque nec obligare nec obligari possunt. 9. Seruus Reip. causæ obesse non potest. 10. Manumissione seruus efficitur liber. 11. Si seruus liberam vxorem duxerit, per hoc ipse liber efficitur. 12. Si Dominus ancillam suam in vxorem duxerit, ipsa libera efficitur. 13. Si seruus per viginti annos pro libero se gesserit, per hoc libertatem præscripsit. 14. Si libertus ius aureorum annulorum impetrauit, vt ingenuus habetur. 15. Libertorum successio patrono descendentibus in infinitum, ac transuersalibus vsque ad quintum gradum competit. 16. Si nobilis subditos suos expulerit, eorumque liberos alimentis priuauerit, dominium illorum amittit. 17. Si libertus bona sua alienauit, vel aliud gessit, quo minus legitima portio ad patronum perueniat, patrono ad id reuocandum Fauiana datur actio. 18. Manumissio quæ fit à lege, fit quandoque domino inuito. Illius causæ sunt variæ: putà si seruus reum criminis læsæ maiestatis indicauerit, vel cædem domini sui; raptorem virginis prodiderit &c.

Ord[illegible] hom[illegible] vt c[illegible] ret[illegible]

V. *Ordinem, in quo versatur homo, ita expendit Iurisprudentia.*

1. Principis dignitas est summa. 2. Eam proximè excipit magistratuum dignitas. 3. Inter magistratuum dignitates prima est senatoria; proxima, equestris. 4. Nobilis est ciuis [illegible] suæ, ex voluntate Principis illustrior 5. Infirmum gradum in rep. obtinent, qui non agunt in certo vitæ genere, vt plebeij. 6. Peregrina sunt fœderati, hostes, vel neutri.

Fam[illegible] con[illegible] rio[illegible]

VI. *Familiam ita considerat ICtus.*

1. *Familia* est corpus hominum necessitudine agnationis inter se deuinctorum. Estque hoc corpus commune, vel proprium. Ibi plures agnati communem quidem agnationis stipitem & originem habent, sed interim proprias familias ha[illegible] [illegible] hîc est vnus paterfamilias, qui est princeps familiæ 2. *Paterfamilias* rectè hoc nomine appellatur, etsi filium non habeat. 3. *Fœmina* familiæ suæ caput est eius nimirum, in quam matrimonio adsciscitur, liberos in eâ pariendo, per quam familia conseruetur: sed eadem etiam familiæ suæ finis est, nimirum eius, in quâ est nata, quæ ipsi perit. 4. Per mares familiæ conseruantur, in quibus ipsi nati sunt: per fœminas non æquè: quippe ex quibus progeniti paternam familiam conseruant, non maternam. 5. Fæmina, quamdiu in potestate patris est, familiam habet, atque ita caput in familiâ patris sui, vt maximè matrimonio alii familiæ iuncta sit. 6. *Necessitudo* ex sanguine dicitur in genere cognatio: quæ ex nuptiis est, dicitur affinitas. 7. *Cognatio in genere* est necessitudo hominum, quos ab eodem stipite cõmuni descendentes sanguis coniunxit vel naturâ vel legis fictione. Hinc est cognatio naturalis, vel ciuilis. Naturalis est, quam sola natura nouit. Eaque ex solâ fœminâ æstimatur. Ciuilis cognatio est, quam lex nouit & approbat. Estque vel ciuilis & naturalis simul, vel ciuilis tantùm. Illa est cognatio sanguinis legitimis nuptiis conciliata: hæc copulatur sanguinis fictione per adoptionem, & dicitur cognatio legitima. 8. *Cognatio specialis* est cognatio per fœminam vt inter consobrinos: *agnatio* est cognatio per marem ex eadem familiâ; cuiusmodi est inter patrueles. 9. *Soli legitimi* iure sunt & vocantur cognati & agnati. 10. *Illegitimi* nati ex scortatione dicuntur spurii & vulgò quæsiti: ex stupro, naturales: ex adulterio, adulterini: ex incestu incestuosi, quibus iure ciuili ne alimenta quidem debentur. 11. *Cognatio* distinguitur lineis siue limitibus, lineæ gradibus. 12. *Linea* est collectio personarum ad eundem stipitem relatarum. Estque ascendentium, descendentium, vel collateralium. 13. *Gradus* sunt, quibus istæ lineæ distinguuntur. Quemadmodum enim scalæ gradus plures sunt, ex quorum vno in alterum ordine suo, nullo relicto intermedio deueniatur, ita & lineæ gradus plures sunt, ex quibus transitus fiat de alio in alium. 14. Inter parentes & liberos scala siue linea ad cognoscendum gradum vnica sufficit, eaque recta: inter cæteros autem præter rectam requiritur etiam transuersa. Ita si quæratur de cognatione inter me & patrui mei, hoc est, patris mei fratris filium, qui mihi patruelis est, vterque communem habemus stipitem, nempe auum, per quem sumus cognati non immediatè, sed per vtriusque nostrûm patrem. Itaque primùm se offert vsus lineæ rectæ, vt dicam me genitum ex patre meo, patrem meum genitum ex auo meo: quod idem etiam patruelis meus de se dicet. Verùm cùm ratio cognationis, quæ inter vtrumque nostrûm est, nondum sit cognita, sed eius duntaxat, quæ vtrique nostrûm est cum auo, auus vtrique nostrûm in lineâ rectâ communis est, à quo vtrinque transuersim & ad latus excurrendum, & per communem hunc auum eundum, vt distantiam & rationem cognationis inueniamus. At verò *in iure ciuili* ad cognoscendum gradum cognationis tam in lineâ transuersâ, quàm in lineâ rectâ, prodita est vnica regula, eaque certissima, quâ dicuntur tot esse gradus cognationis, quot sunt generationis: vel, vt alii efferunt, Tot esse gradus, quot sunt personæ dempto stipite. Ita linea recta à gradu primo incipit, transuersa à secundo. In rectâ filius generatur à patre vnâ generatione, quâ fit vnus gradus, quo in cognatione filius distat à patre: inter nepotem & auum duæ sunt generationes, atque adeò gradus duo. In transversâ si quæram, quot gradibus distem à fratre meo, communis noster stipes proximus est pater, qui me genuit, atque idem genuit fratrem meum: quod cùm duabus generationibus factum sit, à fratre meo disto gradu secundo. Ita si de patrueli meo quæratur, quot gradibus à me distet, dicam quarto gradu. Nam pater meus genuit me, & auus meum genuit patrem meum. Rursum auus meus genuit patruũ meum, & hic patruelem meum. Cùm itaque sint quatuor generationes, quarto cognationis gradu patruelis meus à me distare dicitur. 15. *Affinitas* est, in quâ duæ cognationes diuersæ copulantur, & vna ad alterius cognationis fines accedit: vnde & ipsi nomen. 16. Affinitas inter maritum duntaxat est & cognatos vxoris: item inter vxorem & cognatos mariti, non etiam inter cognatos mariti & vxoris. 17. Affinitas iure ciuili nullus definita est

nita eſt lineis, multò minùs gradibus. Analogicè tamen inter affines eſt quidam parentum & liberorum, ſicut & fratrum ſororumque inter ſe reſpectus. 18. *Extranei* dicuntur multis modis: nempe qui non ſunt neceſſarij cognatione vel familià, vel ad quos aliquid non pertinet: vt in teſtamento inter liberos facto extraneus eſt qui non eſt inter liberos.

VII. *De capitis acquiſitione & amiſſione ſunt hi canones.*

1. Tria iſta capita, libertas, ciuitas, & familia ita inter ſeſe ſunt affecta, vt libertas quidem poſſit eſſe ſine ciuitate & familià, ciuitas ſine familia quidem, ſed non ſine libertate; familia verò nonniſi vtraque illa & libertas & ciuitas vnà cum ipsâ ſit. 2. *Libertas* ingenua acquiritur naſcendo: libertina, manumittendo. 3. *Origine ciuis* eſt is, qui ciuis naſcitur ex vtroque parente, vel ſaltem patre, eius in ciuitatis in quâ pater ciuis ſit. 4. *Ciuis*, qui fit receptione in ciuitatem, iure veteri Romano, eſt vel propriè ciuis vel municeps, qui & ciuis municipalis. Ille ciuitatem Romanam, hic aliam præter illam acquirit. 5. Aliquis poteſt eſſe plurium locorum incola. 6. Fieri poteſt, vt idem ſit reip. alicuius ciuis, qui alio loco ſit incola. 7. Libertate amiſsâ & ciuitas & familia, quam quis habuit, amittitur. Itaque hæc eſt *maxima capitis diminutio* eâque aliquis fit ſeruus. 8. *Minor capitis diminutio* eſt, cùm quis amittit ciuitatem, adeóque ex ciue fit peregrinus. 9. *In minimâ capitis amiſſione*, quæ eſt familiæ, caput potiùs mutatur, quam vt amittatur. Saluâ namque libertate & ciuitate, familiæ mutatio fit in meliorem plerumque ſtatum quàm deteriorem, aut ſi non meliorem, certè eundem. 10. Dignitatis acceſſio non minuit, ſed auget potiùs caput. 11. Qui liber eſt, perſona eſt; qui ciuis eſt, perſona eſt; qui in familia eſt, perſona eſt. Sed omnium optimo iure cenſetur perſona illa, quæ tria hæc capita ſimul habet coniuncta.

CAPVT IV.

De Poteſtate Perſonarum.

PRÆCEPTA

Poteſtas eſt eius perſonæ in perſonam, quo vna præeſt, altera ſubeſt.

Eſtque publica, vel priuata.

Poteſtas publica eſt Eccleſiaſtica, politica, vel ſcholaſtica.

Poteſtas Eccleſiaſtica eſt, quæ occupatur circa ſacra, ſine vllo imperio vel iuriſdictione.

Eſtque vel vniuerſæ Eccleſiæ, vel eorum qui Eccleſiæ præſunt.

Poteſtas politica eſt cum iuriſdictione Magiſtratûs in ſubditos.

Magiſtratus eſt perſona publica partem habens iuriſdictionis.

Eſtque ſummus, vel ſub ſummo: ordinarius, vel extraordinarius: togatus, vel ſagatus.

Subditus eſt, qui iuriſdictioni ſubeſt.

Poteſtas ſcolaſtica eſt præceptoris in diſcipulos.

Poteſtas priuata eſt ſingulorum in ſingulos.

Eſtque domeſtica, vel adminiſtratoria.

Poteſtas domeſtica eſt, quam habet princeps familiæ in perſonas ad eam familiam pertinentes.

Eſtque maritalis, vel patria.

Poteſtas maritalis eſt, quam maritus habet in vxorem.

Poteſtas patria eſt ius, quod pater habet in liberos.

Eius occurrit conſtitutio & diſſolutio.

Conſtitutio poteſtatis patriæ, ſeu modus eius acquirendæ, eſt à naturâ, vel lege. Ibi ſunt nuptiæ, tum primæ, tum ſecundæ: hîc adoptio, vel legitimatio.

Nuptiæ, ſeu matrimonium, ſunt maris & fœminæ coniunctio, indiuiduam vitæ conſuetudinem continens. Eæ ſunt continuæ, vel illegitimæ: & priores aut rectè conſtituuntur, aut rectè diſſoluuntur.

Matrimonium conſtituendum alia antecedunt, vt ſponſalia & munera: alia conſtituto accedúnt, vt dos & donatio propter nuptias.

Sponſalia ſunt mentio & repromiſſio futurarum nuptiarum.

In iis ſpectantur perſonæ ſponſalia contrahentes, & modus tum contrahendi, tum diſſoluendi.

Perſonæ, quæ ſponſalia contrahere poſſunt, cenſentur omnes illi, qui iure vel lege contrahere prohibiti non ſunt.

Prohibuit autem lex ob rationem naturalem, vel ciuilem. Ibi ergo lex & natura ſimul prohibent, hìc lex ſola.

Lex & natura ſimul prohibent eos contrahere ſponſalia, quos vel neceſſitudo coniunxit, vel impedit defectus aliquis animi aut corporis.

Neceſſitudo eſt cognationis, vel affinitatis.

Defectus ſeu impedimentum animi eſt in his, qui non intelligunt quid agatur: cuiuſmodi ſunt infantes & furioſi: corporis, eſt in iis, qui ob vitium aliquod corporis ad procreandam ſobolem inepti ſunt.

Lege ſolâ prohibentur quidam omninò, quidam quodammodo.

Prioris generis ſunt illi, qui iuris ciuilis nullam habent communionem; vt peregrini & ſerui.

Prohibentur quodammodo alij ob honeſtatem, alij ob cauſam ſpecialem.

Ob honeſtatem, quibus ſponſalia contrahere non quidem eſt expreſsè prohibitum, contrahere tamen illa minùs videtur eſſe honeſtum: vt etſi ſponſa filij tui nurus tua non ſit; honeſtum tamen eſt ab iſtiuſmodi nuptiis abſtinere.

Cauſa ſpecialis eſt inæqualitatis, vel officij ſeu adminiſtrationis.

Inæqualitatis, quæ ex dignitate eſt vel ex ætate. Ex dignitate: vt vir Senatorij ordinis non debet vilem perſonam ducere: neque patrona nubere liberto. Ex ætate: vt vir ſexaginarius cum iuuenculâ non adeò rectè contrahit.

Officij ſeu adminiſtrationis æqualitas, eſt publicæ vel quaſi publicæ. Ibi Magiſtratus prouincialis prohibetur ducere vxorem ex eâdem prouinciâ oriundam: hîc tutor eiúſve filij pupillam ſibi deſponſare vetantur.

Modus contrahendi ſponſalia eſt internus, vel externus. Ille conſiſtit in conſenſu: hic, in rebus & ſolemnibus.

Modus diſſoluendi ſponſalia ferè ita fit vt in nuptiis ſeu matrimonio.

Munera, ſiue dona, ſunt arrhæ & ſponſalitia.

Arrhæ ſunt munera à ſponſo ſponſæ data: & dicuntur arrhæ ſponſalitiæ, ad differentiam arrharum in aliis contractibus dari ſolitarum.

Sponſalitia ſunt munera, quæ dat ſponſus, aut ſocer vel ſocrus ſponſæ vel ſocero, aut contrà ſponſa ſponſo.

Dos eſt ius in re marito conſtitutum ad ſuſtinenda onera matrimonij. Huc pertinent *Pacta dotalia.*

Donatio propter nuptias eſt à viro, quaſi dos viri: eſtque contractus, quo ſponſæ hypotheca conſtituitur in ſecuritatem dotis recuperandæ.

Matrimonium iure diſſoluitur vel more, vel inter viuos: & inter hos ſponſalia diſſoluuntur repudio, matrimonium diuortio.

Adoptio eſt legitima hominis liberi in locum filij electio.

Eſtque arrogatio, vel adoptio in ſpecie.

Arrogatio eſt adoptio hominis, qui eſt iuris ſui.

Adoptio in ſpecie eſt adoptio eius, qui in patriâ poteſtate eſt, atque adeò filij aut filiæfamiliâs.

Legitimatio eſt legis actio, quâ liberi naturales efficiuntur legitimi.

Et ita quidem *patria poteſtas* conſtituitur: eadem *diſſoluitur*

dissoluitur vel iure & naturâ simul, vel iure tantùm. Ibi est mors naturalis vel ciuilis: hic est dignitas magna, expositio infantum, præscriptio, emancipatio, & adoptio.

Sequitur *potestas administratoria*, quæ est potestas priuata in hominem sui iuris.

Estque tutela, vel curatela.

Tutela est ius tuendi impuberis pupilli.

Curatela, seu cura, est ius curandi puberis, qui sua negotia tueri non potest.

Vt obique sunt quædam communia, & quædam propria.

Communia sunt in constitutione, administratione, & finitione.

In constitutione spectantur ius & personæ, quæ prohibentur vel excusare se possunt.

Administratio est in confectione inuentarij, cautione, & ipsa administratione.

Finitio est, quod tutela & cura finitur morte alterutrius, nimirum vel pupilli vel tutoris, item vel adulti vel curatoris.

Propria sunt in diuisione vtriusque. Est enim tutela legitima, vel datiua.

Legitima est à solâ lege. Estque verè vel quasi.

Verè legitima est, quam lex ipsa definiuit.

Estque directa, vel obliqua.

Directa est, quam lex expressè definiuit, deferendo proximis cognatis tutelam proximorum cognatorum.

Obliqua tutela est, quam lex tacitè definiuit, deferendo tutelam patronis in liberos impuberes.

Quasi legitima, seu vicelegitima, tutela est, quæ ad exemplum tutelæ legitimæ introducta est. Estque parentum, vel fiduciaria. Illa habent parentes in liberos suos emancipatos: hæc est fratrum in impuberes defuncto parente tutore.

Tutela datiua est testamentaria, vel honoraria.

Tutela testamentaria est, quando pater liberis suis impuberibus in potestate existentibus, testamento dat tutorem.

Tutela honoraria est, quam magistratus dat vel ex officio, vel requisitus. *Dicitur* tutela datiua κατ' ἐξοχήν.

Cura est puberum minorum, vel maiorum.

Illa datiua, hæc legitima dicitur.

R E G V L Æ.

Potestas Ecclesiastica vt spectetur in iure ciuili.

I. *Potestas Ecclesiastica consideratur in iure ciuili, quatenus facit ad reip. statum tuendum.*

Etsi enim potestas Ecclesiastica distincta est à potestate politicâ: tamen vtraque in eo conueniunt, quòd ad reip. statum tuendum collineant. Itaque in iurisprudentiâ ciuili sanciuntur leges de coercendis iis, qui potestatem illam labefactant: vt de hæreticis, Simoniacis, apostatis &c.

Potestas politica vnde.

II. *Potestas politica ordinem suum habet à Deo immediatè, vel mediatè.*

Immediatè, quando Deus excitat homines extra ordinem, eosque maiestate ac superioritate armat, *Mediatè*, quando aliquem vocat ad hoc ἀξίωμα per homines. Ita ferè potestas politica concordi suffragio à pluribus in vnum vel plures confertur ad reip. statum tuendum.

Potestas scholastica vt consideretur à Icto.

III. *Potestas scholastica consideratur à Icto, quatenus subest potestati politicæ.*

Oportet enim vt ex plenitudine potestatis politicæ, tanquam ex fonte, reliquæ potestates, ceu riuuli, deducantur. Etsi ergo in iure non explicatur ratio modusue potestatis scholasticæ, tamen ipsius origo & subordinatio ibi traditur.

IV. *Potestas mariti in vxorem consistit in duobus, in concubitu & operis seu seruitiis marito præstandis.*

In concubitu quidem: quia vxor inprimis hoc nomine ducitur, vt soboles ex eâ suscipiatur. *In operis* autem seu seruitiis, non promiscuè quibusuis, sed obsequialibus & reuerentialibus duntaxat. Quod ad cætera, vxor est sui iuris, adeoque sicut maritus est paterfamilias, ita ipsa est materfamiliâs. Habet verò potestas maritalis & sibi quædam consequentia, vtpote castigationem vxoris modicam, vxoris defensionem, vt vxor maritum sequatur, vt priuilegiis mariti vtatur, adeoque ipsius honore fulgeat, & eius generis alia, quæ priuilegia retinet etiam marito mortuo, quamdiu vidua permanserit & honestè vixerit.

V. De iure inter parentes ac liberos sunt hæ regulæ.

1. Liberi parentibus obsequium ac reuerentiam debent. 2. Liberi sunt in potestate parentum. 3. Iudæis patria potestas in liberos non competit. 4. Maior erga parentem quàm erga filium charitas esse debet. 5. Pater filium vendendi vel alio modo alienandi ius non habet. 6. Mater ipsa tenetur lactare infantem, non alii lactandum dare. 7. Parens tenetur alere & educare liberos. 8. Etiam liberos & vxorem filii parens alere tenetur. 9. Parens filiam dotare tenetur, & filio dare ante nuptias donationem. 10. Competens dos danda, quæ non sit minùs legitima. 11. Parens filio ad literas sumtus suppeditare tenetur. 12 Filius patrem bona sua dissipantem cogere potest, vt debitam sib. in alimenta portionem seponat: aliâs autem filius viuo patre in eius bonis nihil habet iuris, quamuis Dominus bonorum dicatur. 13. Liberi matrem dotare non tenentur. 14. Liberi parentes inopes alere tenentur. 15. Pater & filius eadem persona censetur. 16. Liberi non possunt retractare alienationes à parentibus factas. 17. Aduersus parentes famosæ actiones non dantur. 18. Parentibus per liberos aquiritur: iure tamen non mutatum est, vt parentibus in rebus liberorum non ampliùs dominium, sed vsusfructus acquiratur. 19. Hodiè parentibus in bonis liberorum vsusfructus acquiritur. 20. Filius res, quorum pater vsumfructum habet, alienare non potest, nec de iis testari.

V I. *De potestate patriâ sunt hi canones.*

1. Quamdiu filius in potestate est, etiamsi ipse filios genuerit, in potestate tamen illos non habet. 2. Mater in potestate suâ liberos non habet, nisi id à Principe solemniter impetrauerit. Multò minùs auus & cæteri parentes materni. Nati enim non matris, sed patris familiam sequuntur. 3. Soli legitimi sunt in potestate patriâ. Nam spurij, & multò magis ex illicito concubitu nati, cùm in familiâ nullius sint, non sunt in patriâ cuiusquam potestate. 4. Omnes legitimi liberi sunt in potestate patriâ, nisi ab eâ sint liberati & exempti. 6. Quod sibi inuicem præstare tenentur, qui huius potestatis vinculo innexi sunt, id omne continetur ex parte quidem parentum pietate & affectione paternâ, ex parte verò liberorum reuerentia & obsequio. Vide numero proximè præced.

V I I. *De sponsalibus sunt hæ regulæ.*

1. Sponsalia diuiduntur in sponsalia de præsenti & de futuro. 2. Sponsa de præsenti quamuis carnaliter non cognita vxoris loco habetur. 3. Sponsalia perinde ac nuptiæ consensu contrahuntur. 4. Nuptiis non secutis, arrha sponsaliorum nomine data restitui debet. 5. Nuptiis non secutis dos data repetitur. 6. De damno ex contractu matrimonii emergente actio non datur, nisi dolus interuenerit. 7. Tametsi sponsalia & nuptia reipsâ distincta sunt, & tam hæ quàm illa habent quædam sibi propria, sunt tamen vtrisque non pauca communia, 8. In lineâ rectâ cognationis spõsalia & nuptiæ prohibita sunt in infinitum. Quod adeo verum est; vt neque ij qui per adoptionem, atque ita ciuili duntaxat iure parentum liberorumque loco sibi esse cœperint, sponsalia contrahere ac matrimonio iungi possint. 9. In lineâ transuersâ inter eos, qui sibi inuicem sunt loco parentum & liberorum, sponsalia itidem & nuptiæ prohibita sunt, veluti inter patruum & neptem ex fratre. Quod idem in cognatis est ex adoptione 10. In cæteris gradus secundus & tertius prohibitionem habet. 11. De quarto gradu dubitatur, an iungi possint eo sibi cognati, vt sunt cõsobrini. Sed plerique stant à parte affirmatiuâ. 12. Inter eos, qui vltra quartum gradum sunt, manifesti iuris est & sponsalia & nuptias esse. 13. Inter affines qui parentum liberorumque loco sibi inuicem sunt, sponsalia aut nuptiæ non sunt atque ne affinitate quidem alterutrius coniugum morte extinctâ. Quin etiam qui sibi inuicem sunt loco fratrum & sororum, vt leuir mariti frater. Qui extra hos sunt affines, ob affinitatem prohibitionem non habent. 14. Infantium vsque ad septimum

septimum annum nec sponsalia sunt, nec nuptiæ. Qui vltrà sunt, sponsalia quidem rectè inibunt, sed non item nuptias. In sponsalibus enim contrahendis ætas contrahentium definita non est, sicut in matrimoniis. 15. Inter seruos est coniunctio, sed non matrimonium iure ciuili. Nimirum coniunctio est naturæ, matrimonium iuris ciuilis. Ideò cùm serui ancillis iunguntur, non matrimonium, sed contubernium dicitur. 16. In coniunctionibus non tantùm id quod licet, sed etiam quod honestum est, spectare oportet. 17. Filiam tutoris pupillo rectè nubere iuris est expediti. 18. Tutor eiusue filij pupillam sibi desponsare aut in vxorem ducere prohibentur, nisi rationibus à tutore redditis, temporeque, intra quod pupilla restitutionem in integrum impetrare potuit, elapso, aut nisi à patre desponsa destinataue vel testamento nominata sit. 19. Liberi qui sui iuris sunt suo solo consensu sponsalia ineunt, neque ad ea parentum consensus desideratur. 20. Liberi qui iuris sunt alieni, hoc est, in potestate patriâ, iniussu eius, in cuius potestate sunt, nuptias non rectè contrahunt. 21. Sponsalia & munera ita nuptias antecedunt, vt tamen non necessariò antecedant, cum nuptiæ fieri possint, vt maximè nec sponsalia vlla fiant, nec munera dentur.

VIII. *De dote sunt hæ regulæ,*

1. Petitio dotis est actio bonæ fidei. 2. Hæc actio ex præsumptione iuris competere videtur, dote nullâ constitutâ: hoc enim casu omnia mulieris bona doti data esse præsumuntur. 3. Dote autem constitutâ seu promissâ hauddubiè competit actio. 4. Ex promissione dotis factâ marito, vxori, cuius respectu data est, non datur actio. 5. Hac actione maior dos peti non potest, quàm est antenuptialis donatio. 6. Vsuræ quoque in hanc actionem veniunt. 7. Si intra annum dotem dari stipulatus quis sit, à die nuptiarum, non stipulationis, annus currit. 8. Ad dotem petendam ex stipulatu competit actio, quamuis stipulatio non interuenerit. 9. Huic actioni nonnisi quadraginta annis præscribitur. 10. Maritus tacitam habet hypothecam in bonis dotem constituentis. 11. Dote cuictâ marito eo nomine datur actio. 12. Si maritus in res dotales impensas fecerit, eas tam per actionem repetere, quàm per exceptionem ex dote deducere ac retinere potest. 13. Repetitio dotis est actio bonæ fidei. 14. Regulariter aduersus maritum dotis repetitio datur, quamuis aliis dos sit data. 15. Fideiussor pro dote restituendâ inuito marito interuenire non potest. 16. Mariti bonis publicatis, fiscus ad restitutionem dotis potest conueniri. 17. Non in loco contractus, sed in loco domicilii dotis repetitio competit. 18. Constante matrimonio dos repeti non potest. 19. Post annum à soluto matrimonio repetitio dotis competit. 20. Dum dos restituatur vidua ab hæredibus est alenda. 21. Mariti bona pro dote tacitè sunt pignori obligata: Ideoque non solùm personali, sed etiam hypothecariâ actione pro dote agi potest: & præfertur mulier cæteris creditoribus. 22. Soceri etiam, qui dotem cum assecurationis promissione recepit, bona pignori pro dote sunt obligata. 23. Nuptiis iniustis existentibus, non datur actio de dote ad eam repetēdam, sed condictio sine causâ. 24. Soluto matrimonio regulariter quidem dos repeti potest. 25. Dotis repetitio regulariter nulli alij competit, præterquam mulieri, eiusque defunctæ hæredibus. 26. Si auus pro nepte dotem dedit, patri datur repetitio dotis tanquam profectitiæ. 27. Filiæ absque patris cōsensu non datur dotis repetitio. 28. Fructus rei dotalis in dotis repetitione non veniunt. 29. Partus ancillæ dotalis in repetitionem dotis venit. 30. Vsuræ dotis in eius repetitione non veniunt. 31. Si vendito prædio dotali maritus & vxor confessi sunt pretium se recepisse: præsumitur pars pretii ad vxorem peruenisse: ideòque soluto matrimonio nonnisi altera pretii pars dotis actione peti potest. 32. Res pro dote permutata in dotis actione venit. 33. Ipsa res dotalis non eius æstimatio in repetitionem dotis venit. 34. Per pactum & statutum maritus partem dotis lucrari potest. 35. Dotis actio non nisi in id quod reus facere potest conuenit. 36. Dotis repetitioni triginta annis præscribitur. 37. Dote, constāte matrimonio, repetitâ, vxor maritū eiusque liberos ex eâ tenetur alere. 38. Si maritus dotem non restituat, vxor mittitur in possessionem bonorum eius. 39. Soluto matrimonio vxor tenetur stare locationi rei dotalis à marito factæ. 40. Alienatio fundi dotalis à marito facta non valet, sed mulieri vindicatio eius salua est. 41. Dote alienatâ, etiam ipsi marito ad eam repetendā datur actio. 42. Euictâ re alienatâ per mulierem, emptor aduersus venditorem de euictione agere potest. 43. Dos etiam propriè dicitur soluto matrimonio. 44. Dos in bonis & dominio mariti est. 45. Rem dotalem mulier vel alius qui dedit alienare nequit. 46. Dos dicitur ius vniuersale & incorporale. 47. Dos est magis priuilegiata quàm fiscus. 48. Mulier suo consensu dotis causam deteriorem facere non potest. 49. Frater sororem dotare non tenetur. 50. Filia vnius fratris ex communi patrimonio est dotanda. 51. Pater legitimus est administrator in dote profectitiâ filiæ. 52. Fructus aduentitiæ dotis debebantur patri mariti, qui & dotem penes se habebat, & ex eâ filium ac nurum alebat. 53. Dos in mulieris personâ est lucrosa, in mariti personâ onerosa. 54. Dotem constituit vel ipsa mulier, quæ nempe sui iuris est: vel alius nomine mulieris, qui est vel pater ipsius, vel à patre extraneus. Dos à patre constituta, dicitur profectitia, altera, aduentitia. 55. Scripturæ de pactis dotalibus confectæ appellantur instrumenta dotalia, non quòd in scripturam ea redigi sit necesse, sed quòd plerúmque scribi soleant. 56. Dos datur æstimato vel inæstimato. Æstimato, nimirum rerum dotalium pretio designato. Inæstimato, cùm pretium rei in dotem datæ non designatur.

IX. *De donatione ante vel propter nuptias sunt hæ regulæ.*

Donatio ante vel propter nuptias.

1. Ex donatione ante vel propter nuptias mulieri ad rem donatam persequendam datur actio & ad retinendam exceptio. 2. Hæc actio datur non solùm aduersus hæredes viri, sed etiam aduersus tertios possessores. 3. Matrimonio soluto, repetitio rei propter nuptias donatæ marito competit. 4. Donatio propter nuptias olim donatio ante nuptias dicebatur. Græcis ἀντίφερνα. 5. Donatio propter nuptias iisdem in rebus, in quibus dos constitui potest, & verò etiam formâ eâdem: vnde iisdem vtraque passibus ambulare dicitur, potissimùm in eo, vt pares sint & æquales, hoc est, vt quantitatis sint eiusdem, & iisdem fiant condititionibus, & vt constante matrimonio simul augeri possint: quod augmentum in dote dicitur *dotarium*. 6. Donatio propter nuptias fit non tam ob onera matrimonii, sicuti dos, quàm ob securitatem, vt fœmina de dote suâ sit certior. 7. Ex donatione propter nuptias, vel aliis mariti bonis, quidquid soluto matrimonio morte mariti lucratur vxor, *dotalitium* dicitur. 8. Potest mulier præter dotem habere etiam bona alia, quæ ob id quòd præter dotem ad maritum adferantur, *paraphernalia* dicuntur, in quibus maritus ius nullum habet.

X. *De matrimonio sunt hæ regulæ.*

Matrimonium

1. Matrimonium dictum est à matre, quòd in procreandis & educendis liberis potiores sunt partes matris quàm patris. 2. Matrimonium de iure canonico est sacramentum. 3. Diuiditur matrimonium in legitimum, ratum, & consummatum. 4. Nuptiis & procreationi liberorum præmia constituta sunt, & cœlibatui pœnæ. 5. Liberi ex iniustis nuptiis procreati spuriis similes sunt. 6. Nuptiis iniustis existentibus, nec dos, nec donatio propter nuptias intelligitur. 7. Iniustis nuptiis existētibus, quod dotis nomine datum est fisco vindicatur. 8. Iniustæ nuptiæ pœnâ excommunicationis puniuntur. 9. Regulariter nuptiæ iustæ præsumuntur: ideóque dicenti iniustas probatio incumbit, quæ probatio sumenda est ex requisitis nuptiarum. 10. Ex contractu matrimoniali actio nascitur, qua alter coniugum alterum deserentem persequi potest. 11. Vxor habet triplicia bona, scilicet dotalia, paraphernalia, & receptitia. 12. Maritus vxorem alere tenetur. 13. Alimentorum nomine, quæ maritus vxori debet, actio hypothecaria non competit. 14. Coniunx coniugi cohabitare debet. 15. Vxor maritum mutantem domicilium sequi tenetur: nisi aliud conuenerit. 16. Vxor in patris, non mariti est potestate. 17. Maritus ob dotem non solutam vxorem potest expellere. 18. Vxor domicilium & forum mariti sortitur. 19. Coniunx coniugi obligatur ad debitum coniugale præstandum. 20. Bona constante matrimonio acquisita vtrique coniugi sunt communia. 21. Initium nuptiarum, seu matrimonii, est à consensu, consummatio ab affectione maritali. Ex quo nuptias consensus non concubitus facere dicitur. Aliàs enim consensus sponsalia quidem faciet, sed non nuptias.

XI. *De secundis nuptiis hæ sunt regulæ.*

Secundæ nuptiæ.

1. Secundæ nuptiæ sunt in iure concessæ. De nuptiis secundis, tertiis, &c. idem est iudicium. 2. Dissoluto matrimonio, mulier intra annum nuptias iterare non potest. 3. Secundæ nuptiæ de iure canonico non sunt benedicendæ. 4. Si diuortio matrimonium sit solutum, neutri viuente altero nuptias iterare permittitur. 5. Bona quæ coniunx superstes à priore coniuge acquisiuit, eorum dominium per secundas nuptias amittit: transit enim ad liberos prioris matrimonii. 6. Bona quæ à liberis prioris matrimonij acquisiuit superstes, alienare non potest: sed tenetur ea liberis prioris matrimonii post mortem suam restituere. 7. Superstes coniunx & nuptias iterans secundo coniugi quantum velit ex bonis suis alienare potest. 8. Pœnæ secundò nubentium communes sunt tam masculis quàm fœminis secundò nubentibus. 9. Pœnæ secundò nubentium iure Canonico sunt sublatæ, exceptis iis quæ concernunt fauorem filiorum. 10. Pœnæ secundarum nuptiarum obtinent etiam in honestè viuentibus. 11. Matrem nuptias iterantem filius vel filia dotare non tenetur. 12. Nuptiæ secundæ, tertiæ, quartæ &c. quas fœmina facit intra annum luctus, habent reprehensionem immaturitatis. 13. Luctus viduæ potissimùm in continen-

continentiâ eſt, minùs præcipuè in habitu. 14. Luctui peragendo decem menſes præſtituuntur, vel annus integer. Ratio eſt non in incerto tantum vtero, confuſione ſanguinis, ſed etiam in memoria & reuerentiâ defuncti mariti.

Solutio matrimonii.

XII. *De ſolutione matrimonii ſunt hæ regulæ.*

1. Fornicatio coniugis eſt iuſta cauſa diuortii. 2. Sodomitæ crimen eſt iuſta cauſa diuortii, quoad thorum. 3. Hæreſis eſt iuſta cauſa diuortii. 4. Votum continentiæ ac religionis eſt iuſta cauſa diuortii. 5. Diſpenſatio eſt iuſta cauſa diuortii. 6. Diutina coniugis abſentia videtur iuſta cauſa diuortii: ſed reprobatur. 7. Furor alterius iuſta cauſa dirimendi matrimonii non eſt. 8. Diuortio ſoluitur matrimonium. 9. Si maritus ſit frigidus vel maleficiatus, matrimonium diſſolui poteſt. 10. Si in eum caſum deuenerit alteruter coniugum, quo ab initio matrimonium contrahere non potuit, matrimonium poteſt diſſolui. 11. Matrimonium coitu nondum conſummatum alienâ parte inuitâ poteſt diſſolui. 12. Ad forum Eccleſiaſticum, non etiam ciuilem iudicem pertinet actio de diſſoluendo matrimonio. Et ita quidem ius Canonicum ſentit de coniugii diſſolutione. 13. Hæres defuncti mariti viduam alere tenetur. 14. Dos propriè dicitur etiam ſoluto matrimonio. 15. Soluto matrimonio ab initio contractus data ad dantem redit. 16. Mortuâ vxore, veſtes eius pretioſæ, quas maritus ei comparauit, ad maritum pertinent. 17. Mortuo marito hæres veſtes lugubres viduæ præſtare tenetur. 18. Inter viuos ſponſalia & matrimonia diſſoluuntur repudijs: quæ ſunt ſponſalium vel matrimonii aliter quàm morte facta diſſolutio. Quæ in ſponſalibus propriè dicuntur repudia, in matrimoniis diuortia. Tam verò hæc quàm illa fiunt vtriuſque coniugis voluntate, vel alterutrius tantùm, altero etiam inuito. Vtrouis modo non fictè & ſimulatè, ſed verè neque calore iracundiæ, ſed præmeditatò, atque adeo teſtato coram ſeptem teſtibus. Quod niſi ita fiat, iurgium potius eſt, quàm diuortium, & vt loquuntur, fribuſculum. 19. Sponſaliorum diſſolutio facilior eſt quam nuptiarum. Vnde fit, vt ex quibus cauſis matrimonia diſſolui poſſunt, ex iiſdem, & quidem multò magis diſſolui poſſunt ſponſalia, non etiam viciſſim, ex quibus cauſis ſponſalia, ex iiſdem etiam matrimonium. 20. Diuortium fit mutuo conſenſu coniugis vtriuſque, vel alterutrius duntaxat. 21. Mutuo conſenſu diuortium dicitur fieri bonâ gratiâ, id eſt, dulciter ſine querelâ & libello repudij. Sed hoc diuortium improbatur nouellis conſtitutionibus. 22. Diuortium, quod fit alterius voluntate, nempè mariti vel vxoris, fit ex cauſâ aliquâ, vel ſine cauſa. Ex cauſa nimirum criminis, non tamen cuiuſuis, ſed eius quod lege expreſſum eſt. Cum enim cauſæ illæ olim arbitrariæ eſſent & in iudicantium diſquiſitione poſitæ, hodiè ſunt illæ definitæ. 23. Ex his cauſis quædam ſunt communes marito & vxori, quædam alterutri peculiares. *Communes*, ex quibus vel vir vxorem vel vxor virum repudiare poteſt, tres ſunt, adulterium, inimicitiæ capitales (ſub quibus continentur inſidiæ quas vitæ alterius alter coniugum ſtruxit) & crimen læſæ maieſtatis. *Peculiares ex parte* mariti, vt vxorem repudiet, itidem tres ſunt, ſi vxor cum extraneis, id eſt, his qui non ſunt cognati aut propinqui, conuiuetur aut lauet marito nolente: ſi extra domum mariti maneat, niſi cum parentibus, ſi denique marito ignorante aut nolente ludis interſit. *Peculiares ex parte vxoris*, quibus ipſa maritum repudiare poteſt, ſunt duæ: vna lenocinium, id eſt, ſi maritus vxoris ſuæ propriæ caſtitati inſidietur, eámque alteri tradat adulterandam: altera, ſi maritus vxorem falsò accuſet de adulterio. 24. *Sine cauſâ* matrimonium diſſoluitur deſertione alterutrius coniugis iniuſtâ.

Adoptio.

XIII. *De adoptionibus hæ ſunt regulæ.*

1. *Arrogatio*, hoc eſt, adoptio hominis, qui eſt ſui iuris cum cognitione cauſæ peragitur: in quâ illa potiſſimum ſpectantur, cuius ætatis ſit adoptans, qualis ſit ipſius vita, vtrum honeſta & iuſta arrogandi cauſa ſit an turpis. 2. *Adoptio in ſpecie*, i.e. adoptio eius qui in patriâ eſt poteſtate, fit voluntate non adoptantis duntaxat & adoptiui, ſed etiam patris naturalis, in cuius poteſtate eſt adoptandus. 3. Vtraque iſtâ adoptione patria poteſtas acquiritur adoptanti. 4. Adoptio naturam imitatur. Itaque inter eos, qui per naturam parentes & liberi ſibi inuicem eſſe non poſſunt, adoptio conſiſtere non poteſt. Hinc infans & impubes, itemque pubes caſtratus, non poſſunt adoptare; quia per naturam liberos habere nequeunt. Ex quo etiam fit, vt minor maiorem adoptare non poſſit, nec æqualis æqualem ætate: ſed neceſſe ſit, vt adoptans adoptando maior ſit minimùm octodecim annis, quæ plena pubertas dicitur. 5. Inuitus nemo adoptat vel adoptatur, ſed conſenſum vtrinque eſſe oportet. 6. Adoptio affert ius agnationis, non ſanguinis, nimirum in eâ familiâ, in quam quis adoptatur: & rurſus in eâ familiâ, ex quâ quis adoptatur, ius agnationis perimit, iure ſanguinis interim manente ſaluo & incolumi.

XIV. *Diſſolutio patriæ poteſtatis fit iuxta has regulas.*

1. Patria poteſtas diſſoluitur morte eáque tam ciuili quàm naturali. 2. Soluitur autem morte naturali alterutrius. 3. Morte ciuili eodem modo, illâ exceptâ quæ fit captiuitate ab hoſtibus. 4. Omnis dignitas, quæ liberat à curia, liberat etiam à patria poteſtate: puta dignitas patritiatus, præfecturæ vrbicariæ &c. 5. Si pater liberos infantes exponi & abiici curauerit, poteſtatem patriam amittit. 6. Præſcriptione ſoluitur hæc poteſtas, ſi pater ad decennium paſſus ſit filium ſuum agere vt hominem iuris ſui. 6. Emancipatio facit filiumfamilias ſui iuris, adeoque patriam poteſtatem tollit. 7. Adoptione ſpeciali tollitur poteſtas patria.

XV. *De liberis naturalibus & legitimatione ſunt hi canones.*

1. Illegitimi liberi diuiduntur in naturales & ſpurios. 2. Naturales legitimantur per ſubſequens matrimonium. 3. Naturales legitimantur etiam per reſcriptum principis, vel alterius cui ius eſt legitimandi. 4. Filius naturalis etiam legitimatur per oblationem curiæ. 5. Naturalis etiam legitimatur, ſi religioni offeratur. 6. Naturalis etiam legitimatur, ſi pater in inſtrumento publico vel apud acta confiteatur hunc filium ſuum eſſe, non adiecto naturalem. 7. Si mulier naturalis nupſerit viro legitimo, per hoc ipſa quoque legitima efficitur. 8. Legitimati per omnia legitimis æquiparantur. 9. Pater naturalibus liberis nihil in teſtamento relinquere vel donare poteſt, præter vnciam bonorum ſuorum. 10. Pater qui liberis naturalibus nihil relinquere poteſt, matrem eorum inſtituendo hæredem facit, vt eâ mediante, ſua hæreditas ad liberos perueniat. 12. Hæreditas parentum ab inteſtato liberis naturalibus non debetur. 13. Hæreditas tranſuerſalium liberis naturalibus non debetur. 14. Adrogato defuncto relictis bonis partim à naturali, partim ab adoptiuo patre per ſucceſſionem acquiſitis; iſta bona redeunt ad cuiuſque parentis hæredem legitimum vel ſubſtitutum. 15. Si adrogator ſine cauſa impuberem emancipauerit, quartam ſuorum bonorum partem cogitur ei relinquere. 16. Per emancipationem filius liberatur à patriâ poteſtate. 17. Per monachiſmum patris filius liberatur ab eius poteſtate. 18. Per captiuitatem vel deportationem patris filius liberatur ab eius poteſtate. 19. Per dignitatem filii patria poteſtas non amittitur. 20. Per militiam filii, per matrimonium filii filiæue patria poteſtas non tollitur. 21. Per monachiſmum filii patria poteſtas amittitur. 22. Si filium infantem pater expoſuerit; per hoc patriam poteſtatem non amittit.

XVI. *De tutelâ & curâ ſunt hæ regulæ.*

1. Ex eo quod tutor geſſit finitâ tutelâ actio in pupillum datur. 2. Tutor ex eo quod in cauſa pupillari geſſit, nullum patitur præiudicium circa res ſuas. 3. Tutor teſtamento vtiliter datur. 4. Tutor teſtamento datus, & à iudice confirmatus, pro datiuo, non teſtamentario tutore habetur. 5. Tutor à matre datus confirmatur à iudice cum inquiſitione: ſecus ſi datus ſit à patre. 6. Teſtamentaria tutela euaneſcit, ſi ex teſtamento hæreditas adita non ſit. 7. Ex die vel ſub conditione tutor dari nequit. 8. Ad certam cauſam tutor dari non poteſt. 9. Dato tutore in teſtamento, ipſa datio pura cenſetur, & reſoluitur conditione exiſtente. 10. Tutor ſimpliciter datus cenſetur ad totum patrimonium datus. 11. Cognati æquè ac agnati ad tutelam admittuntur. 12. Tutoris datio non competit iure magiſtratus, nec poteſt delegari. 13. Mulier tutrix vel curatrix eſſe non poteſt. 14. Qui ſine conſenſu cognatorum ſua bona ſtatuto prohibetur alienare, tutor inutiliter datur. 15. Qui creditor vel debitor eſt minoris, non rectè illi tutor datur. 16. Qui legitimum tutorem habet ei alius tutor datus non eſt. 17. Impuberi curator non rectè datur. 18. Minori viginti quinque annis inuito curator non datur. 19. Maiori viginti quinque annis curator non rectè datur. 20. Si adulto prodigo curator datur, intelligitur datus vt minori, non vt prodigo. 21. Si mater filio tutorem non petierit, hæreditate eius priuatur. 22. Qui litem cum pupillo habent, ſi is tutorem non habet, ipſi petere illi tutorem poſſunt, cognatis petere ceſſantibus. 23. Excuſationem à tutelâ præſtat numerus liberorum & inimicitia cum patre pupillorum. 24. Si tutor res alienari prohibitas ſine decreto, diſtraxerit, vel inuentarium non confecerit tanquam ſuſpectus remouetur. 25. Si tutor peruerſè tutelam adminiſtret, tanquam ſuſpectus poſtulari ac remoueri poteſt. 26. Qui tutorem ſuſpectum dicit non habet neceſſe in crimen ſubſcribere. 27. Adfine remedium poſtulationis ſuſpecti tutoris eſt vindicatio rerum ab ipſo alienatarum. 28. Pubertate pupilli tutela finitur. 29. Finitur cura furioſi & prodigi, ſi is ad ſanam mentem reuerſus fuerit. 30. Tutor. rem pupilli ſaluam fore ſatisdare tenetur. 31. Tutori vel curatori priùs decernenda eſt adminiſtratio, quàm adminiſtret. 32. Tutor regulariter inuentarium rerum pupillarium conſcribere

ſc. bere tenetur. 33. Tutor in dubio proprium commodum pupilli præferre poteſt, cum vtrique commodare nequit. 34. Si debitor pupilli ſoluendo eſſe deſierit, vel tempore ſit liberatus, tutoris periculum eſt. 35. Tutor ex facultatibus pupilli ius donandi non habet. 36. Alienatio rerum minoris non valet, poteſtque retractari. 37. Geſtum à pupillo tutoris authoritate interueniente ratum eſt. 38. Ex dolo & culpâ tutoris datur aduerſus eum tutelæ actio. 39. Pater nomine filij tutoris interdum de peculio, interdum in ſolidum tenetur. 40. In actione tutelæ iuratur in litem. 41. Tutoris bona pupillo tacite ſunt obligata. 42. Si tutor ſoluendo non ſit, vt tutelæ actio aduerſus eum ſit inanis, minor aduerſus id, in quo dolo vel culpâ tutoris læſus eſt, in integrum reſtitutionem petere poteſt. 43. Sed & ſi tutor ſoluendo non ſit aduerſus magiſtratum, qui tutorem dedit, ſubſidiaria datur actio. 44. Tutor ſalarium petere non poteſt, niſi ei ſit conſtitutum. 45. Cautio, quâ pupillus ſiue pubes de fideli adminiſtratione à tutore vel curatore ſecurus redditur, eſt iuratoria vel ſatiſdatio. Iuratoria, quâ tutor vel curator ſe fidelem & integrum fore in adminiſtratione iuratò promittit. Satiſdatio, quâ promittit ſatisfactum iri, ſi quid in adminiſtratione ſecus fiat. 46. Finitur tutela & curatela morte alterutrius, nimirum pupilli vel tutoris, item vel adulti vel curatoris: & morte tam ciuili quàm naturali. Naturali quidem indiſtinctè: ciuili autem, amiſsâ libertate & ciuitate, vel ciuitate tantùm, non etiam familiâ. 47. Tutela ſola finitur pubertate, in maſculo qui compleuit annum ætatis decimumquartum, in fœmina quæ compleuit duodecimum. Poſt annos iſtos cura eſſe incipit, quæ terminatur in vtroque tam maſculo quàm fœmina anno vigeſimoquinto.

CAPVT V.

De Rerum diuiſione.

PRÆCEPTA.

RES ſunt omnia illa, de quibus dici non poteſt, quòd ſint perſonæ aut actiones.

Res aut ſunt res in ſpecie ita dictæ, aut rerum acceſſiones.

Res in ſpecie ita dictæ primò ſunt corporales, vel incorporales.

Res corporales ſunt, quæ tangi poſſunt.

Suntque mobiles, vt ſeruus, equus, lapis, argentum &c. vel immobiles; eæque vel res ſoli, vt prædium, fundus, area &c. vel res ſolo cohærentes aut contentæ, vt fructus pendentes, granaria &c.

Res incorporales ſunt, quæ tangi non poſſunt.

Suntque quantitatis, vt nummus, pondus, & menſura: vel qualitatis, vt dominium, poſſeſſio, ſeruitus, hæreditas, neque eius generis alia, quæ iura dicuntur.

Deinde res in ſpecie ita dictæ, ſunt alicuius vel nullius.

Alicuius res ſunt, quæ pertinent ad aliquem ratione poſſeſſionis vel dominij.

Suntque publicæ, vel priuatæ.

Publicæ res promiſcuè omnibus ſunt communes.

Suntque tales iure gentium, vt vſus aëris, maris litoris, luminis &c. vel ciuili, vt bona ciuitatum, collegiorum &c.

Res priuatæ ſunt res ſingulorum.

Nullius res ſunt, quæ nec poſſidentur, nec in dominio habentur.

Suntque tales ſimpliciter, vel ſecundùm quid.

Prioris generis res ita ſunt nullius, vt ex hominis voto ne fieri quidem alicuius poſſint aut debeant. Eiuſmodi ſunt res diuinæ.

Res diuinæ ſunt verè, vel quaſi.

Verè diuinæ res ſunt, quæ Deo vſibuſue diuinis immediatè ſunt conſecratæ.

Suntque ſacræ, vel religioſæ.

Res ſacræ ſunt, quæ ſolenni & publicâ benedictione conſecrantur: vt templa, donaria, calix, & ſimilia.

Res religioſæ ſunt, quæ priuatâ authoritate conſecrantur: vt cœmeteria, ſepulchra.

Res quaſi diuinæ ſunt, quarum violatores non minùs peccare videntur, quàm illi, qui in res verè diuinas impingunt.

Suntque Eccleſiaſticæ, vel ſanctæ.

Res Eccleſiaſticæ ſunt, quæ diuino cultui mediatè conſecrantur: vti ſunt bona Eccleſiaſtica.

Res ſanctæ ſunt, quæ ab hominum iniuria muniuntur ſanctione quadam: vt leges, muri, portæ, legati &c.

Poſterioris generis res aut ita ſunt nullius, vt nec vllius vnquam fuerint, vt volucres, piſces, feræ: aut ita ſunt nullius, vt tamen antè alicuius fuerint, & poſtea eſſe deſierint: & hæ ſunt vacantes, vel relictæ.

Res vacantes ſunt, quæ vel reipſa, vel præſumptione iuris dominium vel poſſeſſorem habere deſierunt: vt theſaurus abſconditus, cuius ob vetuſtatem, quando reconditus ſit, memoria non extat.

Res relictæ ſunt, quarum habendarum animum dominus aut poſſeſſor qui fuit, abiecit.

Suntque vel ſponte relictæ, quæ dicuntur res pro derelictis habitæ: vel non ſponte relictæ, vt ſunt feræ vel animalia capta, quæ reuertendi conſuetudinem intermiſerunt.

Acceſſiones rerum & ipſæ ſunt res, ſed quæ reſpectum habeant ad alias.

Acceſſiones ſunt hominis, vel præter hominem aliarum rerum.

Acceſſiones hominis ſunt ſerui & ancillæ, & vtrorumque peculium, atque huius etiam partus.

Rerum præter hominem aliarum acceſſiones ſunt impenſæ & fructus.

Impenſæ ſunt acceſſiones rerum in ipſas collatæ.

Suntque vtiles vel voluptariæ.

Vtiles ſunt vel neceſſariæ, vt cibaria mancipiis data: vel vtiles ſimpliciter, vt ſi ager ſtercoretur.

Voluptariæ impenſæ ſunt, quibus omiſſis res nec deteriores fiunt, nec factis ipſis fructuoſiores: vt ſunt picturæ, balnea.

Fructus ſunt omnis rei commoditas atque vtilitas.

Suntque 1. pendentes vel percepti. 2. percepti, vel percipiendi. 3. extantes vel conſumpti. 4. naturales, induſtriales, vel ciuiles.

Fructus pendentes, ſiue ſtantes, ſunt, qui terrâ adhuc continentur, eíque cohærent: percepti, qui à ſolo ſunt ſeparati.

Fructus percepti ſunt, quos aliquis poſſidet: percipiendi, quos diligens paterfamilias percipere potuiſſet.

Fructus extantes ſunt, qui in rerum natura adhuc ſunt: *conſumpti*, qui vſu ſunt deperditi.

Fructus naturales ſunt, qui ſponte naſcuntur ſine vllâ hominis operâ: vti ſunt oliua, fœtus, lac, pilus, lana.

Fructus induſtriales ſunt, quos natura quidem etiam producit, non tamen citra hominis operam & induſtriam: vt ſunt fruges & ſegetes.

Fructus ciuiles ſunt, qui non ex ipſo rei corpore proueniunt, ſed occaſione rei percipiuntur; adeóque ſunt ex conuentione: cuiuſmodi ſunt vſuræ, intereſſe, penſiones, mercedes &c.

REGVLÆ

I. *De rebus mobilibus & immobilibus hæ ſunt regulæ.* Res mobiles & immobiles.

1. Rerum aliæ mobiles ſunt, aliæ immobiles. 2. Annui reditus nec mobiles ſunt, nec immobiles: immobilium tamen naturam ſortiuntur 3. Pecunia ad rem immobilem comparandam deſtinata vtrum mobilis an immobilis cenſeatur controuertitur. 4. Pecunia tranſcripta ſeu ad cambium collata immobilibus annumeratur. 5. Pecunia pro conſeruatione patrimonij repoſita immobilibus connumeratur. 6. Seruitutes quia immobi-

libus adhærent,& ipsæ immobiles censentur. 7. Pecunia redacta ex venditione rei immobilis vtrum mobilis sit, an immobilis controuertitur. 8. Mutatis personis mutatur conditio. 9. In solis rebus corporalibus consideratur, mobilesne sint, an immobiles. 10. Res mobilis aut à seipsâ mouetur; aut ab alio. Prioris generis est seruus,equus: posterioris,lapis,argentum.

Res corporales & incorporales.

II. *De rebus corporalibus & incorporalibus hæ sunt regulæ.*

1. Posse tangi sufficit vt res corporalis dicatur, etiamsi actu ipso non tangatur: cuiusmodi sunt domus, prædium, fundus, equus, liber, argentum, & similia. 2. Res incorporales quantitatis sunt numus, pondus, & mensura. Huc etiam pertinet rei cuiuslibet æstimatio, quæ definitur quantitate. Cæteræ res incorporales sunt qualitatis, quæ propriè iura dicuntur. Ex his quædam in facto magis consistunt, quàm in iure, vt est possessio; quædam in iure magis quam in facto, vt dominium. 3. Vtrumque, possessio & dominium, spectatur in re tam corporali quàm incorporali. 4. Possessio & dominium sunt rerum iura, extra res tamen posita in homine: cætera iura rebus in ipsis insunt, in quibus possessio & dominium occupantur.

Numisma.

III. *De numismate sunt hæ regulæ.*

1. Aureus & solidus æquiparantur. 2. Monetam eiusque valorem solus Princeps mutat sine consensu populi. 3. Solus Princeps monetam cudere potest: item liberæ ciuitates possunt ex speciali priuilegio vel ex consuetudine. 4. Moneta tantùm debet valere formata quantum in massâ. 5. Septuaginta solidi faciunt libram auri, & quinque solidi faciunt libram argenti. 6. Pecunia connumeratur iis rebus quæ seruando seruari non possunt. 7. Numus est valor materiæ, non materia ipsa. In numo siquidem attenditur valor & potestas, non aurum & argentum.

Accessiones rerum.

IV. *De accessionibus rerum sunt hæ regulæ.*

1. *Accessiones rerum* & ipsæ res sunt, si per se considerentur: accessiones, si vel origo earum vnde profectæ sunt, vel vsus, in quem impensæ sunt. 2. Serui & ancillæ peculium, & huius etiam partus, sunt accessio domini. 3. *Impensæ necessariæ* sunt, quæ si factæ non essent, res aut peritura aut deterior futura fuisset. 5. *Impensæ vtiles* sunt, quibus res, in quas conferuntur, meliores redduntur. 6. *Impensæ voluptariæ* ornant speciem, fructum rerum non augent. 7. Impensæ præcedunt fructus rerum. 8. *Fructus* rerum sunt, qui deducto ære alieno, hoc est, impensis in res factis, supersunt. 9. Fructus prouenuint vel ex reipsa eiúsque corpore, vel rei occasione: atque illo modo naturâ, vel solâ, vel adiutâ hominis industriâ: hoc conuentione: & fructus illi inde naturales appellantur, isti industriales; hi ciuiles. 10. Ad hoc vt fructus percepti dicantur, necesse non est vt etiam sint asportati, sed sufficit, vt terra sese continere desierint. 11. In fructibus naturalibus & industrialibus spectatur tempus collectionis, in ciuilibus tempus cessionis, quo deberi incipiunt. 12. Fructus extantes in rerum naturâ adhuc sunt, siue percepti sint, siue pendentes, aut vt non extent, extare tamen adhuc intelliguntur ex eo, quod iis quis factus est locupletior. 13. Fructus consumpti sunt fructus percepti tantùm, sed vsu deperditi.

Res quæ nullius aut alicuius sunt.

V. *De rebus quæ nullius aut alicuius sunt, teneantur istæ regulæ.*

1. Res diuinæ ita sunt nullius; vt nec ex hominis voto possint fieri alicuius. Reliquæ res, quæ dicuntur esse nullius, solâ apprehensione protinus alicuius fieri possunt. 2. Nullius vnquam fuerunt volucres aëris, pisces maris, & feræ terræ: simulatque verò illa capta fuerint, alicuius esse incipiunt. 3. Res vacantes ita dicuntur, quod vacent à domino & possessore. 4. Res pro derelictis habitæ intelliguntur illæ, quas dominus eâ mente abiecit; vt eas in rerum suarum numero esse nolit. Itaque merces nauis subleuandæ causâ in mare proiectæ, pro derelictis habendæ non sunt. 5. Res alicuius dicuntur esse, quæ possidentur à domino. Suntque publicæ, seu vniuersitatis, vel priuatæ, seu singulorum.

Res publicæ & priuatæ.

VI. *De rebus publicis & priuatis hæ sunt regulæ.*

1. Quilibet rerum suarum moderator atque arbiter est, licétque cuiuis in re sua facere quod libet. 2. Nemo inuitus res suas vendere cogitur. 3. In re communi neuter sociorum inuito altero quidquam facere potest, & potior est causa prohibentis. 4. In re communi priuilegium vnius etiam sociis prodest. 5. In alieno solo aucupari vel venari quis inuito domino non potest. 6. Res publicæ sunt eiusmodi vel iure gentium, id est, indifferenter communes omnibus hominibus, vt est vsus maris, litoris, luminis &c. vel iure ciuili, hoc est, quibusdam hominibus, omnibus tamen vniuersitatis illius, cuius sunt, ciuibus, inter se communes: tametsi respectu aliorum, qui ad ciuium illorum societatem non pertinent, sint priuatæ; cuiusmodi sunt bona ciuitatum, collegiorum &c. 7. Vna eadémque res dici potest publica ratione vsus publici, & priuata ratione dominij seu proprietatis. v.gr. flumen. 8. Res aliqua ratione possessionis potest esse alicuius, quæ tamen ratione dominij nullius est. e. gr. mare respectu dominij nullius est.

CAPVT VI.

De Factis ciuilibus.

PRÆCEPTA.

Acta ciuilia, seu negotia, sunt opera hominis, externo aliquo actu declarata.

Facta ista spectantur tum in seipsis, tum in circunstantiis.

Facta in seipsis spectata, sunt pura vel conditionalia.

Facta pura sunt, quæ nullâ conditione suspenduntur.

Facta conditionalia sunt, quæ additam habent conditionem possibilem, vel impossibilem.

Suntque simplicia, vel mixta: & vtraque coniuncta, vel disiuncta.

Facta conditionalia simplicia sunt, quæ habent conditionem vnicam, aut plures eiusdem generis.

Conditio illa est casualis, vel potestatiua. Illa ex euentu dependet extra facientis voluntatem: hæc est in arbitrio facientis.

Facta conditionalia mixta sunt, quæ concipiuntur sub conditione & casuali & potestatiua.

Facta conditionalia coniuncta sunt, in quibus conditiones plures sunt simul iunctæ.

Disiuncta sunt, in quibus conditiones plures sunt, sed separatæ, vel alternatæ, quarum vnam ad facti perfectionem impleri sufficit.

Circunstantiæ respiciunt vel facientis voluntatem, vel faciendi occasionem.

Quantum ad voluntatem facientis facta sunt voluntaria, vel inuoluntaria: & vtraque vel bonæ, vel malæ fidei.

Facta voluntaria sunt, quæ proficiscuntur ab eo, qui velle non impeditur: neque naturâ, vt infans, furiosus, surdus, mutus; neque lege, vt prodigus & impubes.

Suntque voluntaria tacitè, vel expressè; & huc pertinet *ratihabitio.*

Facta inuoluntaria fiunt præter aut contra voluntatem.

Facta, quæ fiunt præter voluntatem, habent causam in faciente, vel extra illum.

In faciente est ignorantia & error.

Ignorantia est iuris, vel facti.

Error est, cùm ius quidem aut factum non ignoratur, sed de alterius vel vtriusque qualitate non constat.

Extra facientem est *casus fortuitus*, isque vel vulgaris, vel talis quem nullum humanum consilium prouidere aut euitare potuit. *Dicitur etiam* fatum, damnum fatale, casus maior, vis maior, & θεοῦ βία. *Huiusmodi est mors, incendium, ruina, naufragium, prædonum hostiumue incursus, vis aquarum &c.*

Facta contra voluntatem sunt, quæ fiunt aliquo inuito, siue ipse id faciat siue alius, ab ipso.

Facta bonæ fidei sunt, quæ fiunt illæsa conscientiâ: *malæ fidei* contra.

Mala

Mala fides spectatur in culpâ & dolo.

Culpa est lata, leuis, & leuissima.

Culpa lata est summa & dissoluta negligentia atque ignorantia, cùm quis non intelligit, quod intelligunt omnes.

Culpa leuis est, cùm quis adhibet diligentiam, sed non exactam.

Culpa leuissima est, cùm quis adhibet diligentiam, sed non exactissimam.

Dolus est, qui fraudem habet coniunctam.

Occasio faciendi seu agendi cernitur potissimùm in circumstantiâ loci & temporis.

Locus est publicus, vel priuatus; & ille diuinus, vel profanus.

Tempus primò est finitum, vel infinitum: deinde, vtile vel continuum.

Tempus finitum est momenti, vel interualli; & hoc est horæ, diei, mensis, & anni.

Hora est pars diei quota: naturalis quidem diei pars duodecima, ciuilis autem pars vigesima quarta.

Dies est naturalis, vel ciuilis: fastus, vel nefastus.

Dies naturalis est 12 horarum; ciuilis, 24: fastus, quo coram magistratu pro tribunali sedente, agendi potestas est; nefastus contrà, qui & feriatus.

Mensis est vel singulus, vel coniunctus, vt sunt menses duo, tres quatuor &c. menses.

Annus est vel singulus, vel coniunctus, vt sunt anni duo, tres quatuor, &c. vsque ad centum inclusiuè.

Extra hoc tempus si quod est aliud, infinitum est.

Tempus vtile est dierum, quibus experiundi sui iuris potestas est: in quod non computantur dies nefasti.

Tempus continuum est series dierum continua, sine vllâ eorum distinctione.

Hinc annus continuus est constans ex diebus 365 ciuilibus continuis: vtilis, constans ex diebus 365 non continuis ciuilibus.

REGVLÆ.

I. *Conditio est causa, rem, quæ agitur, ita suspendens, vt antequam illa existat, neque ipsum factum, neque effectus eius extitisse videatur. Estque possibilis vel impossibilis.*

Etsi factum ipsum, quoad naturale est, existat: effectu tamen iuris non censetur existere, nisi conditione impletâ. Quòd si tamen per eum, cuius interest, steterit, quò minùs impleatur, pro impletâ habebitur. Atque hæc est *conditio possibilis*, quæ nempe impleri potest. *Impossibilis* est, quæ impleri nequit, vel per naturam, vel quòd ius obstet, etsi per naturam impleri possit. Illi similis est conditio præstitu difficilis: huic, conditio perplexitatem in se continens.

II. *Volens facit, qui id, quod facit, facit deliberatò.*

Idque sponte suâ, atque ita ex proposito: vel mandato alterius, atque ita metu vel coactus. Velle autem omnis potest, qui naturâ & iure non impeditur. Natura impeditur infans & furiosus, ob defectum animi: surdus & mutus, ob vitium corporis. Lege impeditur prodigus, & impubes, nimirum solus, quod ad effectum iuris attinet: veruntamen quod illi deest, authoritate tutoris suppletur.

III. *De voluntate apparet tacitè vel expressè.*

Tacitè; si quid fiat, ex que voluntas per discursum colligatur per aliud, puta per nuncium, vel per epistolam. *Expressè*; si quid fiat ita vt ipse faciens desuper voluntatem suam declaret, puta verbis vel nutu. Hinc si quid fiat aliquo sciente, alio interim faciente, is qui sciuit, & cùm impedire posset, non impediuit, ipse fecisse existimatur. Hinc etiam qui facienti opem tulit, ipse fecisse existimatur. Hinc etiam quod quis per alium facit ipse facere intelligitur. Est tamen cùm factum voluntas sequitur, nimirum si quid factum sit ab alio quod quis postea comprobet. Quæ voluntas *Ratihabitio* dicitur, quæ actum quidem tempore sequitur, sed iure retrotrahitur ad ipsum tempus facti.

IV. *Non volens facit, qui id quod facit, non facit deliberatò.* Non volens quis facere dicatur?

Id autem fit vel præter voluntatem facientis, vel contra voluntatem ipsius. Ibi est ignorantia, error, & casus: hîc est τὸ inuitum. *Ignorantia* est facti vel iuris. *Ignorantia facti* est eius, quod fit aut factum est ignorantia. Estque facti proprij vel alieni. *Ignorantia facti proprij* est, cùm quis ignorat quid faciat aut fecerit. *Ignorantia facti alieni* est, cùm quis ignorat, quid fiat aut factum sit ab alio. *Ignorantia iuris* est nescire quid iuri sit consentaneum. Estque iuris naturalis vel ciuilis. Ignorantia facti proprij est intolerabilis, adeóque non præsumitur: quæ facti est alieni, est probabilis, & præsumitur. Hinc illa non excusat, nisi de damno ignorantis vitando agatur: hæc excusat, nisi fortè sit affectata. Ignorantia iuris naturalis nemini patrocinatur: ignorantia iuris ciuilis in lucro captando nihil prodest, in damno vitando nihil obest. Atque ita accipiendum est, quòd ignorantia facti excusare, ignorantia iuris non excusare dicitur. Succurritur tamen etiam minoribus viginti quinque annis, mulieribus item & militibus iura ignorantibus, & rusticis; quamuis non aliter, nisi cùm iura ciuilia ignorauerint, & peritiores consulendi facultatem non habuerint. *Error* est, cùm de facti vel iuris, aut vtriusque qualitate non constat. Erranti similis in multis est is qui dubitat, in quibusdam ignoranti. *Casus fortuitus* aut est vulgaris, aut eiusmodi, qui dicitur vis maior & superior. Veruntamen quod contemplatione vnius ad casum fortuitum pertinet alterius contemplatione interdum refertur ad factum voluntarium. Τὸ inuitum est, quando aliquid fit contrà voluntatem, siue ipse id facias, siue à te alius.

V. *Tam volens, quàm non volens in bonâ aut malâ fide esse dicitur.* Fides bona & mala.

Bona fides est illæsa conscientia circa factum: *mala fides* est conscientia læsa eius, qui factum suum nouit iuri siue æquitati non esse consentaneum. In vtrâque spectatur *culpa*; in malâ fide maximè, interdum etiam in bonâ. *Culpa* est negligentia hominis, quâ quid fit, quod fieri non debuit, & rursus quid non fit, quod fieri debuit. Estque duplex: vna malitiæ, altera imprudentiæ. Illa proprio vocabulo dolus dicitur, hæc nomine generis culpa. *Dolus* est culpa malitiosa, alterius decipiendi causâ adhibita. Huic fraus inest, & fides bona opponitur, nec vnquam committitur nisi à sciente & volente. *Culpa in specie* est culpa desidiosa, cum imprudentiâ seu imperitiâ coniuncta. Estque lata, leuis, & leuissima. *Culpa lata* æquiparatur dolo. *Culpa leuis* simpliciter culpa dicitur: & in dubio, cùm culpæ fit mentio, ea de culpâ leui accipienda est. *Culpa leuissima* est talis in gradu infimo. Tres itaque sunt gradus culpæ: quot etiam sunt gradus diligentiæ; etsi in iure ciuili duo tantùm gradus diligentiæ commemorantur, summus & medius; quia nempe tertius, seu infimus, diligentiæ gradus, est diligentiæ penè nullius. *Summus diligentiæ gradus* est vehementissima & exactissima diligentia, cui opponitur culpa leuissima. *Medius gradus* est diligentiæ exactæ, eius nimirum, quæ opponitur culpæ leui. *Infimus gradus* est, qui opponitur culpæ latæ.

VI. *In iure ciuili varia est temporis mentio, inprimis dierum, mensium, & annorum.* In iure ciuili varia est, mentio temporis.

Fit enim mentio *diei* vnius, bidui, tridui, quinque, septem, nouem, decem, quindecim, viginti, triginta, quadraginta, quinquaginta, sexaginta, centum dierum. Ita *mensium* trium, quatuor, quinque, sex, septem, octo, nouem, vndecim. Sic *anni* vnius; duorum, 3.4.5. 7.8.10. 12.14.15.16.17. 18. 20.25.30. 40.50.60.70.100.

CAPVT VII.

De Obligatione, Possessione, & Dominio in genere.

PRÆCEPTA.

Vidimus materiam reip. quantum ad personas, res, & actiones: iam videbimus ipsius formam, quæ integratur obligatione, possessione, & dominio. *Quæ tria hîc spectantur in genere, quatenus constituunt formam reipublicæ, quæ regitur legibus.*

Obligatio ius personæ, quo personam aliam sibi habet obligatam ad soluendum id quod debet.

In ea spectantur partes, affectiones, & species.

Partes ſunt creditor, cui debetur ex obligatione, & debitor, qui ex obligatione debet.

Affectiones ſunt ratione rerum & perſonarum.

Ratione rerum eſt intereſſe rei, æſtimatio, & reſtitutio.

Ratione perſonarum obligationes quædam deficiunt, ita vt quidam teneantur alterâ, videl. naturali vel ciuili, quidam neutrâ: quædam vltrò citroque obligant, tum creditorem, tum debitorem.

Species ſunt, quod obligatio eſt ſimplex, vel mixta: & illa, naturalis, vel ciuilis.

Obligatio naturalis eſt, quæ eſt iuris gentium: ciuilis, quæ nititur iure ciuili.

Obligatio mixta eſt, quæ nititur iure vtroque, naturali & ciuili.

Poſſeſſio eſt vſus rei.

Eius occurrunt requiſita & ſpecies.

Requiſita ſunt 1. affectus ſeu voluntas poſſidendi. 2. apprehenſio, eaque naturalis, vel ciuilis. Illa fit corpore, putà viſu, tactu: hæc peragitur vel nudâ rei demonſtratione, vel ſymbolo, id eſt, ſigno certo, vnde dicitur apprehenſio ſymbolica.

Species ſunt, quod poſſeſſio eſt vera vel quaſi.

Vera poſſeſſio eſt rerum corporalium.

Eſtque naturalis, vel ciuilis.

Naturalis eſt, quæ in corpore conſiſtit, citra ius & affectionem dominii.

Poſſeſſio ciuilis eſt, quæ in iure conſiſtit cum affectione dominii.

Poſſeſſio quaſi eſt detentatio rei cuſtodiæ cauſâ.

Dominium eſt ius, quo res proprietate noſtra eſt.

Eius occurrunt partes & ſpecies.

Partes ſunt cōmodum & incommodum ſeu onus.

Species ſunt, quòd dominium eſt verum, vel quaſi.

Dominium verum eſt plenum, vel minùs plenum.

Dominium plenum, ſeu abſolutum, eſt, in quo vſusfructus proprietatem comitatur. *Huic affine eſt emphyteuticum, feudale, & ſuperficiarium.*

Dominium minùs plenum, ſeu imperfectum, eſt, in quo eſt nuda proprietas, vel nudus vſus.

Dominium quaſi eſt, quod opinione hominum habetur pro vero dominio. *Ita* vxor eſt quaſi domina dotis, maritus eſt quaſi Dominus rei dotalis, debitor eſt quaſi Dominus pignoris.

R E G V L Æ.

Ius perſonarum, rerū, & actionum quibus contineatur?

I. *Ius perſonarum continetur poteſtate & obligatione: ius rerum, poſſeſſione & dominio: ius actionum conditione & indicio. Quæ ſex capita, totam Iuriſprudentiam illuſtrant.*

Totum ius occupatur circa perſonas, res, & actiones. *Ius perſonarum* eſt, quod de perſonis eſt conſtitutum, ita vt perſonas ipſas attingat, & quæ inter ipſas mutua ſit relatio in ſuum cuique tribuendo oſtendat. Hoc ius in duobus ſummis capitibus eſt poſitum, in proteſtatione & obligatione. Quorum illud vinculum eſt perſonarum inter ſeipſas, ſine vllâ rerum admixtione: hoc ita quidem inter perſonas eſt, vt tamen res vel facta plerumque ſint quaſi medium, quo homo homini coniungatur, atque inter ipſas mutuus quidam reſpectus exoriatur: quod tamen ad ipſam obligationis ſubſtantiam & perfectionē nihil aut certè parum momenti habet. *Ius rerum* ſimiliter duo ſumma capita complectitur, poſſeſſionem & dominium, quæ duo inter homines atque res mutuam quandam videntur facere relationem. Quòd ſi duo illa in perſonâ eâdem coniungantur, res ab illâ plenè, ſi alterutrum res minùs plenè habere dicantur. Omnis itaque quæ de rebus diſpectio eſt, eò pertinet, vt intelligamus res quatenus poſſideantur vel in dominio habeantur, & in vtroque illo, quatenus eæ acquirantur vel omittantur. Denique *ius actionum* continetur condictionibus & iudicio. Atque ſex iſta totam Iuriſprudentiam abſoluunt.

Obligatio.

II. *De obligationibus hoc loco teneantur iſtæ Maximæ.*

1. Obligatio vniuocè dicta eſt inter perſonas, analogicè etiam inter perſonas & res. Priori modo Deus ſe obligat homini, & homo obligat ſe vel Deo, vel Angelo bono aut malo, vel alteri homini. Poſteriori modo homo obligatur beſtiæ, aut rei inanimatæ, & viciſſim beſtia aut res inanimata homini. Vide ſupra cap. 2. huius ſect. Prior ſignificatio hoc loco attenditur. Nam obligatio Ictis definitur ius perſonæ, quo perſonam ſibi aliam habet obligatam ad ſoluendum id quod debet. Id verò eſt in eo, vt quid fiat vel præſtetur, & præſtetur vel res vel perſona: & vel res ipſa, vel intereſſe, vel vtrumque ſimul. 2. Obligationis doctrina in tribus eſt poſita: in ipſius naturâ, conſtitutione, & diſſolutione. Primum eſt huius loci, vbi agitur de formâ reip. quatenus illam introducit & conſeruat Iuriſprudentia. 3. Ex obligatione naturali non datur actio, niſi iure ciuili adiuuetur. 4. Naturalis obligatio præſcriptione ipſo iure tollitur. 5. Naturalis obligatio cedi poteſt. 6. Obligationis ſubſtantia non in hoc conſiſtit vt corpus aliquod noſtrum faciat.

III. *Vt in obligatione vidimus naturam, conſtitutionem, & diſſolutionem ipſius: ita quoque in poſſeſſione & dominio tria ſpectare oportet: videlicet naturam, & modum acquirendi vel amittendi.*

Natura poſſeſſionis & dominij hoc loco attenditur, vbi agitur de formâ reip. infrà de modis acquirendi & amittendi vtriuſque diſſeritur. Cæterum poſſeſſio dominio natura prior eſt, cùm rerum dominia à naturali poſſeſſione cœperint.

IV. *De poſſeſſionis natura teneantur hi canones.*

1. Poſſidere & in poſſeſſione eſſe Ictis idem non ſignificat. Nam prius illud ita eſt facti, vt habeat etiam aliquid iuris: hoc poſterius, merum atque nudum factum ſignificat omnis iuris expers. Rurſus illud in eo eſt, vt quis rem ſibi habeat; hoc, vt non ſibi habeat, ſed alij: vt putà colonus ſiue conductor rem detinet, ſed non poſſidet, atque eſt adeo in eius poſſeſſione: fur rem non detinet tantùm, ſed etiam poſſidet, vtpote qui animum habet rem habendi ſibi, non alij. 2. Tria iſta verba, habere, tenere, & poſſidere tametſi interdum confunduntur: tamen differunt, *Habere* generale eſt, & tam de dominio quàm de poſſeſſione aut detentatione accipitur. *Poſſidere* ad Dominum non pertinet, pertinet tamen ad eum qui habet animum rem habendi ſiue cum affectione Domini, ſiue ſine illâ. *Tenere* autem merum atque nudum factum ſignificat, atque refertur ad poſſeſſionem corporalem: ſiquidem tenet etiam is, qui corpore inſiſtit, etiamſi non poſſideat. Et tenere propterea poſſunt quiuis, ſiue ſerui ſint ſiue liberi; poſſidere & habere nonniſi liberi. 3. Poſſeſſio naturalis facto, ciuilis iure definitur: tametſi vtraque facti ſit; & vtraque etiam iuris, ſed illa facti magis, hæc magis iuris. 4. Poſſeſſio ciuilis naturali quidem firmior eſt propter ius dominii, quod cum ciuili ſolet eſſe coniunctum: ſed naturalis ciuili vtilior eſt & commodior ob fructus rei, qui poſſeſſionem naturalem vt plurimum conſequuntur. 5. In tantum poſſeſſionis cauſa ſeparata eſt à cauſâ dominii, vt is qui dominus eſt, ſæpè non poſſideat, & viciſſim is qui poſſidet, non ſit dominus rei. Cùm autem is qui poſſidet ſimul etiam rei eſt dominus, tum ſub firmiori occultatur infirmius, & dominii maior quàm poſſeſſionis ſolet haberi ratio. 6. Rei dominus rem ſemper poſſidet ciuiliter, non ſemper naturaliter: alius etiam qui dominus non eſt, poſſidet interdum ciuiliter, ſæpè etiam naturaliter. 7. Si quis rem habeat animo domini, is poſſidet ciuiliter: ſi animo non domini, tum ſi quidem animum is habeat poſſidendi, ſibi poſſidet naturaliter, ſi non ſibi, ſed alij, rem detentat, quæ poſſeſſio dici poteſt naturaliſſima. 8. Vt duo pluréſue vnam eandemque rem tempore eodem in ſolidum poſſideant, id iure cenſetur fieri non poſſe, haud magis, atque vt eo loco, quo ego ſto, tu ſtare, aut quo ego ſedeo, tu ſedere videaris. Quod de eâdem poſſeſſionis ſpecie veriſſimè dicitur. At quin diuerſâ poſſeſſionis ſpecie, nempè vt naturaliter vnus, alter ciuiliter poſſideat, nihil eſt quod impediat, atque fit illud vt plurimum. Ita enim rei dominus rem poſſidet ciuiliter, naturali poſſeſſione apud alium etiam quàm ipſum conſtitutâ.

V. *De naturâ dominii teneantur hæ regulæ.*

2. Dominium eſt ius de re corporali pro libitu diſponendi, niſi quis vi aut iure prohibeatur. 2. Ex dominio dicitur aliquis rei dominus. 3. Non intereſt quidquam, vtrum aliquis rem, cuius eſt dominus, poſſideat necne. Siquidem cauſa proprietatis cum cauſâ poſſeſſionis nihil habet commune, vt Vlpianus ait. 4. Dominium ex proprietate diſtribuitur. Proprietas nempè eſt vel ſola & nuda ſine vſu, vel cum vſu coniuncta, Illa conſtituit *dominium directum*, hæc, *plenum*. 5. Vtraque hæc dominii ſpecies dominum facit verum vel quaſi: quod vtrumque ſemper ſpectatur in re vnâ atque eâdem, nunquam in diuerſa, veruntamen in hominibus diuerſis, & duobus minimùm, nunquam in vno. 6. Verum dominium eſt dominium rei ipſius,

vel iuris

vel iuris in re conſtituti. Ita rei dotalis ipſius domina vera eſt vxor, dotis ſiue iuris illius, ex quo res iſta dotalis dicitur, dominus verus eſt maritus. Sic debitor dominus eſt verus ipſius rei pignori obligatæ, ſed pignoris ipſius, hoc eſt, iuris in re conſtituti dominus verus eſt creditor. 7. Quaſi dominium eſt dominium rei ſiue iuris, non in ſe, ſed in alio. Ita vxor eſt quaſi domina dotis, maritus eſt quaſi dominus rei dotalis: creditor eſt quaſi dominus rei pignori obligatæ, debitor eſt quaſi dominus pignoris. Atque hoc modo verùm & quaſi dominium inter ſeſe conferuntur; cùm aliâs extra collationem hanc nulla ſit dominij veri & quaſi conſideratio. Hinc eſt, vt cum iure proditum ſit, duos pluréſue rei eiuſdem dominos in ſolidum eſſe non poſſe, id de eodem dominij genere accipiendum ſit: at quia duo pluréſue eiuſdem rei diuerſo reſpectu domini eſſe poſſint, nihil eſt quod impediat.

CAPVT VIII.

De Iurisdictione & Subiectione.

PRÆCEPTA.

Verunt media iuriſprudentiæ, quæ reſpiciunt reip. originem: ſequuntur media, quæ reſpiciunt reip. ſtatum, eumque integrum vel turbatum.

Status integer eſt in conſeruatione & amplificatione.

Conſeruatio reip. procuratur ratione perſonarum & rerum.

Ratione perſonarum eſt iuriſdictio & ſubiectio ciuilis.

Iuriſdictio ciuilis eſt poteſtas politica, ſtatuendi aliquid de negotio ciuili vel criminali, iudiciali vel extraiudiciali.

Eſtque primò iuriſdictio ſimplex, vel imperium.

Iuriſdictio ſimplex eſt iuriſdictio in cauſæ cognitione poſita cum poteſtate iuris dicendi de priuatis.

Imperium eſt iuriſdictio in coërcitione poſita.

Eſtque merum, vel mixtum. Illud habet coërcitionem grauiorem & atrociorem: hoc habet coërcitionem cum iuriſdictione ſimplici.

Deinde iuriſdictio eſt voluntaria, vel contentioſa.

Voluntaria eſt, quæ agentium conſenſu explicatur apud eum, qui iuriſdictioni præeſt.

Contentioſa eſt, quæ in nolentes etiam vi imperij exercetur.

Tertiò iuriſdictio eſt propria, vel non-propria.

Iuriſdictio propria eſt, quæ iure ſuo proprio alicui competit.

Eſtque lege ſoluta, vel legitima.

Lege ſoluta eſt, quæ iure maieſtatis competit principi.

Legitima eſt, quam quis habet iure magiſtratus, quem gerit.

Iuriſdictio non-propria eſt, quam quis habet ab alio, quàm à lege vel principe.

Eſtque mandata, vel prorogata.

Mandata iuriſdictio eſt, quam quis habet nomine non ſuo, ſed alieno.

Iuriſdictio prorogata eſt iuriſdictionis, quam magiſtratus habet ad rem vel cauſam etiam aliam quàm quæ iuriſdictionis illius ſit, ab illis, inter quos res vel cauſa iſta eſt, extenſio.

Subiectio ciuilis eſt, quâ quis iuriſdictioni ciuili ſubeſt, indéque ſubditus appellatur.

Subditus aut eſt cum iuriſdictione, vt magiſtratus ſuperior & inferior, qui vterque principi ſubeſt: aut ſine iuriſdictione, vt reliqui ſubditi, qui & principi & magiſtratibus parent.

REGVLÆ.

I. *De iuriſdictione ſunt hi canones.*

Iuriſdictio.

1. Iuriſdictio & officium iudicis ſunt diuerſa. 2. Iuriſdictio adhæret perſonæ, & in territorio habetur ad inſtar dominij. 3. Iuriſdictio eſt ordinaria vel delegata. 4. Cauſæ cognitio imperij magis eſt, quàm iuriſdictionis. 5. Imperium merum eſt poteſtas gladij animaduertendi in facinoroſos. 6. Imperium miſtum eſt iuriſdictio, quæ impartitur officio iudicis nobili ad priuatam vtilitatem. 7. Conceſſo territorio ipſa iuriſdictio conceſſa videtur. 8. Iuriſdictio acquiritur vnico actu, voluntate domini accedente. 9. Iuriſdictio non transfertur per rerum traditionem, ſed per exercitium. 10. Iuriſdictio acquiritur præſcriptione & longo vſu. 11. Iuriſdictio acquiritur pactis & ſtipulationibus. 12. Sola poſſeſſio bonorum non facit aliquem ſubditum, ſed domicilium. 13. Subditi mei ſubditus, meus ſubditus non eſt. 14. Si alicui iuriſdictio mandata vel delegata ſit in aliquâ causâ, is iudex competens cenſetur, & iuriſdictionem in causâ delegatâ poteſt exercere. 15. Delegatus fines mandati excedere non debet. 16. Iudex delegatus ea quæ imperij ſunt, exercere non poteſt. 17. Delegatus in cauſis criminalibus vſque ad vltimum ſupplicium procedere poteſt. 18. Delegatus non poteſt mittere in poſſeſſionem ex primo decreto. 19. Iudex delegatus ſententiam ſuam exequi non poteſt. 20. Iudices à populo electi, & domino confirmati, ſuam iuriſdictionem habent à domino confirmante, non à populo eligente. 21. Princeps concedendo alicui iuriſdictionem, cenſetur eam cumulatiuè, non priuatè concedere. 22. Cui commiſſa eſt cauſæ cognitio, ei definitio cauſæ & executio non cenſetur eſſe commiſſa. 23. Patronus in ſuos clientes iuriſdictionem non habet; quemadmodum nec dominus in ſuos vaſallos. 24. Si quis ius dicenti non obtemperauerit, punitur.

II. *De imperatore ac principibus ſunt hæ regulæ.*

Imperator & princeps.

1. Regum origo eſt ex iure gentium. 2. Princeps habet legis condendæ & mutandæ poteſtatem. 3. Populus non habet poteſtatem abdicandi principem. 4. Finis principum publica eſt vtilitas, non ipſorum priuata. 5. Legum quàm principium ſalubrius eſt imperium. Ideóque principum arbitrio quàm minima ſunt relinquenda, & ea quæ legibus comprehendi nequeunt. 6. Principis contractus habet vim legis. 7. In principe duplex eſt poteſtas, ordinaria & abſoluta. 8. Imperator eſt dominus vniuerſarum, non verò ſingularum rerum. 9. Imperator præeſt clericis & laïcis in terris imperij. 10. Ab Imperatore ad Papam appellari non poteſt. 11. Imperator eſt vicarius Dei in temporalibus. 12. Imperator ſubeſt Epiſcopo in ſpiritualibus & concernentibus peccatum. 13. Imperator poteſt punire ſubditum de crimine vbicunque commiſſo. 14. De iudicio Imperatoris vel Principis diſputari non oportet. 15. Imperator non poteſt abdicare Imperium; niſi ob ſenecturem vel morbum præeſſe ampliùs non poſſit. 16. Princeps nemini ius ſuum poteſt auferre. 17. Principem decet humanitas & clementia, nulla ſæuitia. 18. Confugientes ad ſtatuas Principum, inde abſtrahendi non ſunt. 19. Principes in ducatu, marchionatu, comitatu omnia poſſunt in ſubditos ſuos, quæ poteſt Imperator in orbe. 20. Princeps pro elocandâ filiâ ſuâ ſubditis collectas imponere poteſt. 21. Ciues non rectè dicuntur homines principis. 22. Inferior à principe non poteſt ſibi ſubſtituere vicarium. 23. Vicarius omnia poteſt facere, quæ iudex ordinarius, cuius vicem gerit. 24. Familia principis non eſt gratis alenda à ſubditis.

III. *De magiſtratibus hæ ſunt regulæ.*

Magiſtratus.

1. Magiſtratus eſt ſecundùm naturam. 2. Omnes magiſtratus à principe ſuam habent originem. 3. Fœminæ magiſtratus ſunt incapaces. 4. In magiſtratibus diſtribuendis originarij peregrinis ſunt præferendi. 5. Magiſtratus debent ordinari gratis. 6. In magiſtratu poſiti, cum ſubditis contrahere nequeunt. 7. In magiſtratu poſiti, ne donationes à ſubditis accipiant; neque nimium exactionibus & ſeruitiis eos grauent, neque ſæuitiam in eos exerceant. 8. Si magiſtratus ſubditos ſuos nimiùm grauet, non competit aduerſus eum actio, ſed officium iudicis imploratur. 9. Pœna huius delicti eſt priuatio iuriſdictionis. 10. Iudex in hoc caſu ſingulas facti circumſtantias probè examinare debet, & attendere ne ſubditi contra ſuum magiſtratum armentur.

IV. *De dignitate ſunt iſtæ regulæ.*

Dignitas.

1. Omnes dignitates à principe, tanquam ex fonte profluunt. 2. Si duæ vel plures dignitates in eodem concurrunt, tunc maior dignitas ad ſe trahit minorem. 3. Digniores altiori loco ſedere debent. 4. Si plures ſint eiuſdem dignitatis, præ-

fertur nobilis ignobili: item is qui prior dignitatem eſt adeptus. 6. Doctor qui publicè viginti annis legit, illuſtris efficitur. 7. Vxor eius qui in dignitate eſt poſitus, ex marito dignitatem ſortitur. 8. Secretarius Principis amittit dignitatem, ſi fiat infamis.

Nobilitas.

V. *De nobilitate ſunt hi canones.*

1. Nobilitas ſcientiæ præfertur nobilitati generis. 2. Ignobilis virtute præditus præfertur nobili non virtuoſo. 3. Nobilis exercens tabellionatus officium, vel mercaturam, priuilegia nobilitatis perdit. 4. Naturales liberi nobilitate parentum non cohoneſtantur.

Munera & honores.

VI. *De muneribus & honoribus ſunt hæ maximæ.*

1. Munus diuiditur in patrimoniale, perſonale, & mixtum. 2. In muneribus & honoribus iniungendis inprimis conſideranda perſona eius, cui defertur honos vel munus: item origo natalium & facultates. 3. Munera & honores indignis, dignis electis, conferri non debent. 4. Sufficit digno eſſe collata, quamuis alius dignior ſit neglectus. 5. Ad munera ciuilia tenentur incolæ. 6. Municipes cum liberis ſuis ad munera ciuilia adſtringuntur. 7. Originarij aliis incolis in muneribus præferendi ſunt. 8. Ob poſſeſſiones, quas forenſis in aliquo loco habet, ad munera eius loci non eſt aſtrictus. 9. Nominis ſimilitudo non facit aliquem municipem. 10. Numerus liberorum excuſationem à muneribus præſtat. 11. Paupertas excuſationem meretur à muneribus, ne quis vltra bona ſua oneretur. 12 Præſcriptione immunitas acquiritur. 13. Priuilegio quoque immunitas acquiritur. 14. Doctores quoque legum ſunt immunes. 15. Minores quoque & maiores ætate à capitationis cenſu excuſantur. 16. Immunitas etiam emi poteſt. 17. Vnius immunitas eſt onus alterius. 18. Si malè munus adminiſtratum ſit, eo nomine datur actio. 19. Pluribus conuentis, inter eos habetur ratio ordinis & diuiſionis.

Ius ciuitatum.

VII. *De iure ciuitatum, collegiis, & corporibus hæ ſunt regulæ.*

1. Ciuitates priuatorum loco habentur. 2. Præſidentes ciuitatum non habent merum imperium, ſed tantùm minimam iurisdictionem. 3. Minor viginti quinque annis non poteſt eſſe decurio. 4. Nec ruſtici in conſules ciuitatum eligendi. 5. Decreta decurionum regulariter ciues obligant. 6. Actor vniuerſitatis ſeu ſyndicus in dubio legitimè conſtitutus præſumitur. 7. Actor non eſt ſingulorum, ſed vniuerſitatis procurator. 8. Adminiſtratori reipublicæ conuenit, ne ædificia ſuæ adminiſtrationis pereant ruinâ. 9. Mutatis perſonis ob id non cenſetur mutatum collegium vel vniuerſitas. 10. Quod vniuerſitati debetur non debetur ſingulis: & contrà, quod vniuerſitas debet, ſinguli non dicuntur debere. 11. Poſſeſſio vniuerſitati acquiritur ac retinetur per ſingulos homines vniuerſitatis. 12. Ciuitas ex actoris ſeu ſyndici ſui contractu obligatur. 13. Vniuerſitas non obligatur per priores, niſi eis ſpecialiter ſit commiſſum 14. Tres faciunt collegium. 15. Deſtructo collegij ædificio iura & priuilegia collegij amittuntur. 16. In collegiis ſcholarum nonniſi clericus in Rectorem eligendus. 17. Illegitimè nati non poſſunt eſſe Doctores, quamuis ſint legitimati. 18. Scholaris notoriè peritus ſine examine in Doctorem promoueri poteſt. 19. Cœcus in Magiſtrum poteſt promoueri. 20. Doctor dicitur eſſe nobilis. 21. Doctores ſunt repleti ſplendore ſicut Sol. 22. Doctores Domini non fratres appellandi 23. Doctores quando legerunt viginti annis, efficiuntur illuſtres. 24. Doctor poteſt expellere fabrum in proximo habitantem, per quem ſtudia eius impediuntur. 25. Doctor non poteſt ſuas vices per alium ſupplere. 26. Medicus in fine curæ, non in principio, nec medio ſalarium ab ægroto recipere debet: nec vllam pactionē cum ægroto inire. 27. Mortuo profeſſore ſalarium totius anni eius hæredibus debetur. 28. Puer ob delictum è ſcholâ non debet extrahi. 29. Scholari ſtudium alterius ſcholaris perturbanti ſilentium iniungendum. 30. Ex pollicitatione ciuitati, Eccleſiæ, & alij pro loco datur actio. 31. Vniuerſitas etiam conueniri, accuſari, & puniri poteſt. 32. Ex facto maioris partis ciuium, item ſui magiſtratus, ciuitas poteſt conueniri ac puniri. 33. Ex delicto vniuerſitatis etiam rectores & gubernatores tenentur. 34. Si quis muros ciuitatis violet vel tranſcendat, punitur.

VIII. *De agricolis & colonis teneantur iſta.*

1. Coloni ſunt adſcriptitij, originarij, vel cenſiti. 2. Coloni in fundo ſuo manere debent, nec tranſire ad alios. 3. Dominus coloni fugitiui arreſtare, ipſumque capere poteſt. 4. Coloni adſcriptitij incapaces ſunt dignitatum & honorum. 5. Ruſtici ſumptibus domini operas præſtant. 6. Valet conſuetudo quâ mortuo ſine liberis ruſtico, dominus terræ occupat ipſius bona iure peculij.

CAPVT XI.

De Seruitutibus.

PRÆCEPTA.

Conſeruatio reip. ratione rerum eſt quantum ad ſeruitutem, & poſſeſſionis acquiſitionem, retentionem, & amiſſionem.

Seruitus eſt vſus rei alienæ,

Eſtque realis vel perſonalis.

Seruitus realis eſt ius prædij, quo ei prædium alienum ſeruit: vnde & prædialis dicitur,

Eſtque prædij ruſtici vel vrbani.

Seruitus prædij ruſtici eſt iter, actus, via, aquæductus, hauſtus aquæ, pecoris ad aquam appulſus, ius paſcendi, ius calcis coquendæ, ius arenæ fodiendæ.

Seruitus prædij vrbani eſt ſeruitus altiùs tollendi vel non tollendi, ne hominibus officiatur, igni immittendi vel non immittendi, proiiciendi, oneris ferendi, luminum, proſpectus, ſtillicidij, cloacæ, foraminis, poſitum habendi.

Seruitus perſonalis eſt ius perſonæ, quo perſonæ res aliena ſeruit,

Eſtque nominata, vel innominata.

Nominata eſt, cui nomen certum iure eſt inditum.

Eſtque vſus, habitatio, & vſusfructus.

Vſus eſt, quo quis re vtitur ad neceſſitatem, re manente ſalua & integra.

Habitatio eſt, quà ædes alienæ inhabitantur.

Vſusfructus eſt vſus rei ad voluptatem, re manente ſaluâ & integrâ.

Eſtque verus vel quaſi.

Vſusfructus verus eſt earum rerum, quibus ita vtimur, vt ſalua maneat earum ſubſtantia.

Quaſi vſusfructus eſt earum rerum, quibus ita vtimur, vt eædem vtendo abſumantur.

Seruitus perſonalis innominata eſt, quæ de iure certum nomen non habet.

REGVLÆ

I. *De ſeruitutibus in genere ſunt hæ regulæ.*

1. Seruitus non acquiritur nudis pactis, vel ſtipulationibus, ſed traditione vel patientiâ. 2. Si quis duo prædia vicina habens vnum ex iis vendiderit, vnum alteri conſuetam ſeruitutem debet, etiamſi ea in venditione non ſit excepta. 3. Seruitus longō vſu acquiritur per decem annos inter præſentes, & per viginti annos inter abſentes. 4. Amittitur ſeruitus ſi quis eâ inter decem annos vſus non ſit. 5. Amittitur item ſeruitus, ſi dominus prædij ſeruientis libertatem vſu cæperit. 6. Si vicus, cui ius compaſcendi cum ciuitate debebatur, ab eâ ſit exemptus, videtur quod ius compaſcendi amittat. 7. Actio Seruitutum duplex, Perſonalis & Realis: Illa pro conſtituendâ ſeruitute competit, hæc pro conſtitutâ conſeruandâ. 8. Seruitus perſonalis perſonam ſequitur, & cum illâ extinguitur. 9. Seruitus perſonalis conſiſtit in rebus mobilibus & immobilibus: realis, in immobilibus tantùm. 10. Ex ſeruitutibus realibus poſſunt fieri perſonales. 11. Seruitutes cuiuſmodi ſint, realesne àn perſonales, id omne ex eo, cui ſeruitus debetur, æſtimandum eſt; vt ſi debeatur perſonæ, dicatur perſonalis, ſi rei, realis. 12. Seruitutis perſonalis ſpecies tres ponūtur, vſusfructus, vſus, & habitatio: quòd hæ nunquam poſſint fieri aut dici ſeruitutes reales, ſed ſemper ſint perſonales. Aliâs enim cùm ex ſeruitutibus realibus fieri poſſint perſonales tot ſeruitutum perſonalium ſpecies poſſunt conſtitui, quot in vniuerſum ſunt ſeruitutum ſpecies; ſiquidem quod vſui eſt rebus, idem etiam poſſit eſſe vſui perſonis. 13. Seruitutum perſonalium & prædialium amittendarum modi ſunt tres; negligentia non vtentis, rei ſeruitutem debentis interitus; & aquiſitio dominij rei, quæ ſeruitutem debet.

II. *De*

II. *De seruitutibus vrbanorum prædiorum sunt hæ regulæ.*

1. Si quis altiùs ædificando, vel quid aliud faciendo, vicini conditionem faciat deteriorem, eo nomine datur actio. 2. In seruitute stillicidii non licet domino seruientis areæ, ibi ædificare, vbi cadere cœpit stillicidium. 3. Prædia vrbana dicuntur ædes. 4. Prædia vrbana sæpenumero sunt extra vrbem vt villæ.

III. *De Seruitutibus rusticorum prædiorum tenea ntur istæ regulæ.*

1. Ius piscandi, secandi ligna, & pascendi pecora, non reale est, sed personale. 2. Via, quæ semel assignata est in eâ constituendâ, mutari poterit, si æquè commoda alibi præstetur. 3. Prædia rustica dicuntur fundi. 4. Prædia rustica sæpenumero sunt in vrbe, vt horti, vineæ. 5. Ex rusticis seruitutibus fieri possunt vrbanæ, non vicissim. 6. Seruitutes omnes rusticæ consistunt in patiendo tantùm, nimirum vt vicinus patiatur aliquid: at vrbanæ non in patiendo tantùm, sed etiam in non faciendo; putà ne vicinus altiùs attollat suas ædes, & luminibus officiat. 7. Omnis seruitus prædii rustici suâ naturâ intermissionem habet; seruitus prædii vrbani vsum possessionemque continuam.

IV. *De operibus priuatis hæ sunt regulæ.*

1. Si quis iuxta publicas ædes ædificare velit, spatium quindecim pedum relinquere debet. 2. Ad æmulationem priuati castrum ædificare non licet. 3. Ita ædificandum penes loca religiosa, ne prospectus sit in hortos religiosorum & monialium.

V. *De viâ & aquæductu hæ sunt regulæ.*

1. Viæ latitudo iure definita est, vt in porrecto sit pedum octo, in anfractu pedum sedecim. 2. Aqua ducitur per fundum alienum canalibus vel fossâ ductâ. 3. Eatenus aqua ducitur, quatenus fundo dominanti opus est. 4. Aqua ducitur ex aquâ publicâ, vel priuatâ. Ex aquâ publicâ cuiuis licet ducere, nisi ab eo, qui id prohibendi ius habet, sit prohibitum, aut aqua illa in vsu publico non sit: ex priuatâ non licet, nisi is, cuius interest, consentiat.

VI. *De Pascuis publicis hæc notetur regula.*

Dominus prædii conciues suos prohibere non potest collectis fructibus, ne in eo pecus suum pascant.

VII. *De Molendinis hæ sunt regulæ.*

1. In præiudicium molendinorum nihil statui aut ordinari potest. 2. Qui molendinum habet, alium in proximo ædificantem molendinum prohibere potest. 3. Dominus non potest cogere subditos ad suum molendinum: nisi aliud habeat ex consuetudine & priuilegio.

VIII. *De Censibus ac tributis, nec non de vectigalibus & commissis hæ sunt regulæ.*

1. Prædiis census & tributa ob publicam necessitatem indicuntur. 2. In loco vbi prædium situm est, non in loco vbi dominus habet domicilium, tributum est pendendum. 3. Sine principis auctoritate census, vectigal vel tributum indici non potest. 4. Si illicitè vectigalia constituta sunt, pœna constituitur. 5. Onus tributorum sequitur possessorem fundi. 6. Primogenitus solus, non etiam secundò genitus, qui non succedit tributum soluit. 7. Emphyteuta, non dominus, tenetur soluere tributum. 8. Emptor, non venditor tenetur soluere gabellam. 9. Ciuis nouus non tenetur ad collectas impositas pro debitis veteribus. 10. Ab alio quàm qui debet tributum non exigendum. 11. Pauperes non collectantur. 12. Gabella pro annuo legato debetur quolibet anno eiusdem anni conductori: non autem pro annuo, quod ex stipulatu debetur. 13. Si gabella in decimâ parte rei venditæ sit præstanda, deducendæ sunt expensæ: quod etiam de alio quolibet grauamine est intelligendum. 14. Nonnisi perfectâ venditione & re traditâ gabella debetur. 15. In vectigalibus consuetudo spectatur. 16. Tributa ob deteriorationem prædiorũ sunt reuelanda. 17. In foro conscientiæ gabella est soluenda. 18. Si non soluatur gabella vel vectigal res in cõmissum incidit. 19. Si pluribus rebus emptis, de quibusdam gabella soluta sit, de quibusdam non: hæ tantùm nòn etiam illæ in commissum incidunt. 20. Si fraudandi pædagii causa per aliud iter non consuetum transeat, res in commissum incidit. 21. Collecta imposita ab vniuersitate habet executionem paratam.

IX. *De Vsufructu hæ sunt Maximæ.*

1. Vsusfructus diuiditur in formalem & causalem. 2. Vsufructuarius etiam dominus dicitur. 3. Vsufructuarius non cuius vsumfructum habet, alienare non potest, nec vsumfructum alteri cedere: non tamen ob id vsum fructum amittit. Facultatem tamen percipiendorum fructuum alteri cedere, potest. Sed & consensu proprietar. ius suum alteri cedere potest. 4. Acquiritur vsusfructus variis modis: etiam præscriptione decem vel viginti annorum cum titulo, vel triginta annis sine titulo. 5. Vsusfructus finitur morte vsufructuarij: item per capitis diminutionem vsufructuarij. 6. Si vsufructuarius ad mortem naturalem damnatus aufugerit, vel absens sit, amittit vsumfructum. 7. finitur vsusfructus ciuitati vel Ecclesiæ constitutus, si in ciuitate vel monasterio aratrum ducatur. 8. Amittitur item vsusfructus, si vsufructuarius nõ fecerit ea quæ sui sunt officii. 9. Si ciuitati vel Ecclesiæ vsusfructus sit constitutus, post centum annos amittitur. 10. Extinguitur item vsusfructus, si vsufructuarius proprietatem rei nactus sit. 11. Amittitur item vsusfructus non vtendo per decem annos inter præsentes, & viginti annos inter absentes. 12. Si vsufructuarius ius suum alteri cesserit, vsumfructum amittit. 13. Vsusfructus extinctus ad proprietatem reuertitur. 14. Actio pro vsufructu persequendo datur vsufructuario. 15. Hæreditas vsufructuarij dicta actio non datur. 16. Vsufructu legato vel vendito, seruitus sine quâ vtifrui non potest, vsufructuario debetur. 17. Omnium bonorum vsufructu relicto, omnium rerum tàm mobilium, quàm immobilium vsusfructus debetur legatario. 18. Actioni de vsufructu nonnisi triginta annis præscribitur. 19. Vsufructus non potest propriâ authoritate occupari. 20. Omnes fructus rei & obuentiones ad fructuarium pertinent. 21. Vsusfructuarius curam & custodiam rei debet præstare. 22. Cui gregis vel armenti vsusfructus debetur, is ex natis debet gregem supplere. 23. Vsufructuarius proprietario cauere debet. 24. Vsufructuarius regulariter dans fideiussoribus cauere debet. 25. rectè facient hæres & legatarius vsufructu legato, si qualis res est, cùm frui incipit legatarius, in testa, tum redegerint, vt inde possit apparere an & quatenus rem vsufructuarius deteriorem fecerit. 26. Si finitio vsufructu æstimatio rei vsufructu consumptæ sit restituenda, æstimatio ea debet præstari: quæ est tempore traditionis, non quæ est tempore restitutionis. 27. Finito vsufructu, meliorationes hæredi vsufructuarij restituendæ. 28. Vsum syluæ habens potest ligna vendere. 29. Ius piscandi, secandi ligna ex nemore, item pascendi pecora in pratis alienis, est personale. 30. Vsus alteri locari non potest: habitatio potest.

CAPVT X.

De Acquisitione, Retentione, & Amissione possessionis.

PRÆCEPTA.

Acquisitio possessionis consideratur in modo, & causâ acquirente.

Modus acquirẽdæ possessionis à iure definitus est apprehensio, quam in detentatione corpore fieri sufficit: in cæteris autem possessionibus eam & corpore & animo siue voluntate rem habendi fieri necesse est.

Causa acquirens est quòd possessio acquiritur nobis per nos vel per alios: & quòd possessor est bonæ vel malæ fidei possessor.

Retentio possessionis est, quòd possessio animo & corpore simul acquisita, solo animo retinetur.

Amissio possessionis est, quòd possessio protinus amittitur, vbi quis sese possidere nolle constituerit, hoc est, animo solo.

REGVLÆ.

I. *De possessione acquirenda, retinanda, & amittenda hæ sunt regulæ.* Modus acquirendi, retinendi, & amittendi possessionem.

Possessio alia ciuilis est, alia naturalis. 2. Possessio alia vera est, alia quasi possessio. 3. Ex pluribus causis eandem rem possidere possumus. 4. Possessio acquiritur per apprehensionem rei. 5. Clauibus receptaculi traditis, ipsa quæ in receptaculo sunt per hoc tradita censentur. 6. Instrumentis rei traditis ipsa quo

ipſa quoque poſſeſſio rei tradita cenſetur. 7. Si venditor ex turre fundum demonſtret, ſéque eum tradere dicat, transfertur poſſeſſio. 8. Si cùm venditor me tollere iuſſiſſet, ego cuſtodiam poſuerim, acquiritur mihi poſſeſſio. 9. Si hæres rem hæreditariam relocauerit inquilino, acquirit poſſeſſionem. 10. Si ſignauerit rem, acquirit eius poſſeſſionem. 11. Si poſſeſſor alicui nouum opus nunciauerit, per hoc in eum transfert poſſeſſionem. 12. Quaſi poſſeſſio ſeruitutis negatiuæ acquiritur ſola prohibitione vnicâ. 13. Inueſtiturâ abuſiuâ non acquiritur poſſeſſio. 14. Apprehensâ poſſeſſione caſtri, eius quoque pertinentiæ poſſideri cenſentur. 15. Poſſeſſio per ſeruum vel filiumfamiliâs apprehenſa, domino vel patri acquiritur, non ipſi apprehendenti. 16. Per ſeruum quoque alienum poſſeſſio nobis acquiritur, volente ſeruo & nobis ratum habentibus. 17. Plures eandem rem in ſolidum poſſidere non poſſunt. 18. Per apprehenſionem vnius partis vel ſpeciei acquiritur poſſeſſio totius vel aliarum ſpecierum eiuſdem qualitatis. 19. Amittitur poſſeſſio ſi poſſeſſor corpore poſſeſſionem relinquat. 20. Si poſſeſſor in animo conſtituat ſe nolle poſſidere, per hoc poſſeſſionem amittit. 21. Si quis id quod poſſidet alieno nomine poſſidere incipiat, ſuam poſſeſſionem amittit, & ad alium transfert. 22. Si quis rem quam poſſidet ab alio conducat, per hoc poſſeſſionem amittit & alium poſſeſſorem facit. 23. Si alius in poſſeſſionem miſſus ſit, per hoc poſſeſſio non amittitur. 24. Si rem apud alium depoſuit per hoc poſſeſſionem non amittit. 25. Poſſeſſio amittitur & extinguitur per mortem poſſeſſoris. 26. Si is per quem poſſidetur poſſeſſionem alij tradiderit, poſſeſſionem amittit. 27. Si is per quem poſſidetur furioſus ſit factus, ob id poſſeſſio non amittitur. 28. Si ſeruus poſſeſſus fugerit amittitur poſſeſſio ciuilis; non autem naturalis: niſi diu pro libero ſe geſſerit: tunc enim naturalis amittitur. 29. Si dominus naturalem poſſeſſionem apud alium conſtitutam per decem annos ſuſque déque habeat, per hoc ciuilem etiam poſſeſſionem cum naturali amittit. 30. Amittitur item poſſeſſio pacto & conſuetudine.

Nunciatio ac delatio ad fiſcum.

II. *De Nuntiatione ac delatione ad fiſcum hæ ſunt regulæ.*

1. Ciuitas ius fiſci non habet. 2. Confiſcatio eſt duplex: ordinaria & extraordinaria. 3. Confiſcatio fit ratione iuriſdictionis territorio cohærentis. 4. Epiſcopi non poſſunt confiſcare. 5. Si ei qui capere non poteſt in teſtamento quid relictum ſit, hoc fiſco defertur. 6. Si mors defuncti ab eius hæredibus non vindicata eſt, hæreditas fiſco vindicatur. 7. Si quis coactus teſtamentum fecerit, hæredi ſcripto hæreditas tanquam indigno aufertur & fiſco vindicatur. 8. Si quacunque ratione hæres hæreditate ſit indignus, hæreditas fiſco vindicatur. 9. Si quis ſine hærede deceſſerit, bona eius ad fiſcum pertinent. 10. Si nauis ad littus appulſa fuerit vel naufragium factum fiſco iure antiquo acquirebatur. 11. Quod meretrici queſtûs causâ datur, fiſco acquiritur. 12. Si mulcta alicui indicta ſit, ea fiſco debetur. 13. Cauſæ fiſci diuiduntur in ordinarias & extraornarias. 14. Metalla in loco priuato inuenta non ſunt fiſci, ſed domini ſoli, ſic tamen vt decima pars fiſco ſoluatur. 15. Qui alium defert, tertiam eius quod defert partem premij loco conſequitur.

Noui operis nuntiatio.

III. *De noui operis nuntiatione teneantur hæ regulæ.*

1. Triplex nunciandi forma eſt, verbis, per iactum lapilli, & per prætorem. 2. Nouum opus nunciari poteſt, ſi quis ex ſuo ædificet, quo ſibi non prodeſt, & nocet vicino: item ſi ædificet vt videat in hortos religioſorum aut monialium: vel ad æmulationem, inuidiam aut iniuriam alterius caſtrum, vel quid aliud ædificauerit. 3. Sed & quandocunque quis ædificauerit aliter quàm ei licet, nouum opus nuntiari poteſt. 4. Inquilinus & colonus nec procuratorio nomine nouum opus nuntiare poteſt: vſufructuarius tamen poteſt. 5. Si in publico opus fiat, quilibet nunciandi ius habet. 6. Cuiuis præſenti nouum opus poteſt nuntiari. 7. Etiam aduerſus abſentem inuitum & ignorantem nunciatio fieri poteſt. 8. In eum locum vbi opus fit non alium nouum opus nuntiandum eſt. 9. Noui operis nuntiatio remittenda, ſi is cui nunciatum eſt, caueat de opere demoliendo, ſi non iure fuiſſet ædificatum. 10. Loco noui operis nuntiationis interponitur proteſtatio aduerſus eum cui lis moueri non poteſt. 11. Si quis contempta noui operis nuntiatione, opus fecerit; illud deſtruere cogitur. 12. Si is cui opus nouum nuntiatum eſt ab ædificando non abſtineat, mandatum inhibitorium aduerſus eum impetratur. 13. Si contempta operis noui nuntiatione ſit ædificatum, agi etiam poteſt aduerſus ipſos opifices. 14. Iniuſtè nuncians aduerſario tenetur actione iniuriarum.

Ius caſtrorum.

IV. *De iure caſtrorum hæ ſunt regulæ.*

1. Caſtrum poteſt eſſe ſine diſtrictu, territorio vel iuriſdictione: quo caſu nullo gaudet priuilegio, ſed ciuitati vicinæ ſubeſt. 2. Caſtrum habens iuriſdictionem iiſdem gaudet priuilegiis quibus ciuitas. 3. Quemadmodum ciuitas minori æquiparatur, & læſa meretur reſtitutionem in integrum, ſic & caſtrum & villa. 4. Caſtrum poteſt poſſidere & præſcribere alterius ſubditos. 5. Pertinentiæ caſtrorum poſſeſſoris caſtri deſtinatione conſtituuntur, vt quia iis vſus ſit ad caſtrum. 6. Apprehensâ poſſeſſione caſtri, ipſius pertinentiæ quoque cenſentur apprehenſæ.

V. *De contra tabulas bonorum poſſeſſione ſunt hæ regulæ.*

1. Liberis & parentibus nec non aliis, quos ex aliqua parte hæredes inſtitui neceſſe eſt, in teſtamento præteritis, contra tabulas bonorum poſſeſſio ex edicto prætoris datur. 2. Si vnus ex liberis defuncti hæres ſit inſtitutus ex minore parte quam ab inteſtato habiturus eſſet, poteſt is commiſſo per alium edicto, per contra tabulas bonorum poſſeſſionem tantam partam petere, quantam ab inteſtato habiturus eſſet. 3. Præteritus non ſolùm contra tabulas bonorum poſſeſſionem petere poteſt, ſed etiam habet ius dicendi teſtamentum nullum.

VI. *De fluminibus & eorum ripis hæ ſunt regulæ.*

1. Proprietas riparum illorum eſt, quorum prædiis adhærent. 2. Flumen diuiditur in publicum & non publicum. 3. Flumina nauigabilia earum ciuitatum ſunt, per quarum territorium tranſeunt. 4. Aquam ex flumine publico ducere licet.

CAPVT XI.

De Acquiſitione, & amiſsione Dominij.

PRÆCEPTA.

Sequitur amplificatio reip. vbi eſt partim dominij acquiſitio & amiſsio, partim obligationis conſtitutio & diſſolutio.

Acquiſitio dominij eſt naturalis, vel ciuilis.

Acquiſitio naturalis fit iure gentium.

Eſtque apprehenſio, acceſsio, & ſpecificatio.

Apprehenſio eſt in occupatione & traditione.

Occupatio eſt apprehenſio rei iuſta, ſola apprehendentis voluntate conſtans.

Eſtque captiuitas, venatio, & inuentio.

Captiuitas eſt occupatio facta iure belli.

Eſtque rerum, vel hominum.

Venatio eſt occupatio animalium, quorum natura eſt fera. Sub hac continentur *Aucupium* & *Piſcatio.*

Inuentio eſt occupatio rerum aliarum quàm animatarum.

Traditio eſt apprehenſio rei iuſta voluntate eius, qui rei transferendæ ius habet, facta.

In hac eſt tradens & accipiens.

Tradens eſt rei dominus vel ipſe, vel alius ipſius nomine.

Accipiens eſt omnis ille, cui acquiri poteſt.

Acceſſio eſt modus acquirendi dominium, quo res aliqua propterea fit alicuius, quòd illa rei, quæ ſua eſt, accedat.

Eſtque naturalis, vel artificialis.

Acceſſio naturalis eſt partim fœtus ſeu procreatio animalium, partim alluuio, quæ eſt appulſus fluminis ad ripam, quo paulatim fundo alicuius quid accedit latenter, id eſt, vt acceſſiſſe aliquid animaduerti non poſſit.

Induſtrialis acceſſionis ſpecies ſunt inædificatio, intextura, implantatio, ſatio, ſcriptio, & pictura.

Specificatio eſt, quando ex materia diuerſa, ſiue eadem, atque illa vel mea & aliena, vel aliena tantùm, noua quædam ſpecies ſiue corpus conſtituitur.

Eius præcipuæ ſpecies ſunt confuſio & commixtio: & ipſius comes eſt expenſarum erogatio.

Ciuilis acquiſitio dominij eſt præſcriptio & ſucceſſio.

Præſcriptio eſt acquiſitio dominij per continuationem

tionem possessionis tempore legitimo,

Estq. vsucapio, vel præscriptio κατ᾽ ἐξοχὴν ita dicta.

Vsucapio est præscriptio rerum corporalium: *præscriptio in specie* est præscriptio rerum incorporalium.

Vtraque est præscriptio certi vel incerti temporis.

Præscriptio breuioris temporis, nempe triennij, in rebus mobilibus duntaxat locum habet: longioris, in rebus etiam immobilibus & incorporalibus.

Et temporis longioris iterum longi vel longissimi.

Longi rursus vel decennij nimirum inter præsentes: vel vicennij, nimirum inter absentes.

Longissimi temporis præscriptio est annorum 30. vel 40.

Præscriptio temporis incerti est temporis immemorialis, id est, eius, cuius in contrarium memoria non existat.

Successio est in locum alterius cessio.

Estque vniuersalis, vel singularis.

Successio vniuersalis est, quæ fit in ius aliquod vniuersale.

Hæc si in locum viuentis fiat, dicitur acquisitio per arrogationem; si in locum defuncti, successio specialiter.

Acquisitio per arrogationem est adeptio dominij in bonis arrogati per arrogationem arroganti facta.

Successio in specie est in locum defuncti iuris vniuersalis facta concessio.

Estque ciuilis, vel prætoria.

Successio ciuilis est, quam ius ciuile introduxit: & ex eâ aliquis dicitur *hæres*, isque necessarius, vel voluntarius.

Hæres necessarius est, qui in potestate defuncti constitutus, protinus à morte eius volens nolens hæres existit.

Hæres voluntarius est, qui hæres non existit, neque etiam fit, nisi velit.

Porrò successio ciuilis est testamentaria, codicillaris, vel legitima.

Successio testamentaria est, vbi aliquis succedit ex testamento.

Testamentum est voluntatis nostræ iusta sententia, de eo quod quis post mortem suam fieri velit, vt Modestinus definit: seu, est hæredis institutio, definitore Vlpione.

In testamento spectatur factio, publicatio, & infirmatio.

Factio testamenti est ius testamenti communionem tribuens.

In eâ spectantur personæ & forma testamenti.

Personæ sunt principales, vt testator & hæres: vel minus principales, vti testes.

Ex parte testatoris factio testamenti dicitur actiua, quâ aliquis testari potest, qui nempe testari non prohibetur vel naturâ, ob defectum animi aut corporis: vel lege, vt qui alienæ potestati est subiectus, aut statum non habet, vti est peregrinus, obses, & ab hostibus captus.

Ex parte hæredis factio testamenti dicitur passiua, quæ est ius ex testamento capiendi. Quod ius regulariter omnes omnino habent homines, tam serui quàm liberi.

Testes adhibendi sunt idonei, hoc est, qui non prohibentur vel naturâ, ob defectum animi aut corporis, vel lege, vt condemnatus hæreticus &c.

Forma testamenti spectatur in ipsâ testamenti substantia, & in actione testamenti facendi.

Substantia testamenti est in hæredis institutione, & in rebus, de quibus disponitur.

Hæredis institutioni opponitur exhæredatio: & vtraque spectatur in personis, modo, & ordine.

Personæ sunt necessariò instituendæ, vel exhæredandæ, aut non item, in quibus nempe præteritio pro exhæredatione est.

Modus instituendi hæredem positus est in qualitate, & quantitate.

Qualitas est in occasione testamenti faciendi, & in hæredis existentia.

Ex occasione faciendi testamenti est regula ista, quòd hæredis instituendi facultas debet esse libera, non coacta, neque verò etiam captatoria.

Ex hæredis existentia institutio hæredis est pura, vel mixta.

Pura est, cùm quis simpliciter hæres instituitur.

Mixta institutio fit sub die vel conditione.

Quantitas institutionis est in hæreditatis partibus, quarum tum demum habetur ratio, cùm plures eodem testamento hæredes instituuntur.

Ordo institutionis introductus est, ne testamentum irritum fieret ex hæredis instituti defectu, quòd institutus vel hæreditatem omitteret, vel moreretur.

Hinc *hæredis institutio* est prima, vel vlterior. Illa institutio specialis, hæc substitutio dicitur.

Institutio specialis est prima hæredis institutio.

Substitutio est hæredis institutio vlteriori loco facta.

Estque directa, vel obliqua.

Directa est substitutio facta hæredi in casum deficientiæ.

Estque vulgaris, & pupillaris.

Vulgaris substitutio est, quæ fit ætati cuiuis, tam puberi quàm impuberi, & hæredi tam suo quàm extraneo.

Pupillaris substitutio est, quæ fit tantùm liberis.

Obliqua substitutio est substitutio facta verbis precariis in locum hæredis existentis, cuius hæredis fidei committitur, vt hæreditatem acquisitam restituat alteri. Hinc *fideicommissum* est vltima quædam voluntas, quâ hæreditas datur instituto sub fide restituendi substituto.

Sequitur ipsa testamenti faciendi actio, quæ potissimùm spectatur in adhibitione testium, & in ipso testandi modo.

Hinc testamentum est, ciuile vel prætorium. 2. Paganum vel militare.

Testamentum ciuile est cùm actus faciendi testamenti secundùm iuris ciuilis præscriptum expeditur: prætorium, cùm secundùm ius prætorium.

Paganum est testamentum iustum solenne: militare est testamentum iustum minùs solenne.

Vtrumque est scriptum vel nuncupatum seu nuncupatiuum. Illud calamo scribitur, hoc voce nuncupatur.

Publicatio testamenti est actio, quâ testamentum factum in publicum producitur.

Testamenti facti infirmatio nititur iure ordinario vel extraordinario.

Iure ordinario testamentum rumpitur, vel fit irritum.

Iure extraordinario est querela inofficiosi testamenti, quod certis personis immeritò exhæredatis non ex officio pietatis factum videtur.

Successio codicillaris fit ex codicillo, qui est vltima defuncti testati vel intestati voluntas imperfectior, minùsque solennis.

Codicillus est scriptus vel nuncupatus: & vterque vel verus, vel quasi codicillus.

Codicillus verus est, qui habet hæredis institutionem obliquam.

Codicillus quasi est, qui testamento accedit.

Estque testamentarius, vel subsidiarius.

Codicillus testamentarius est pars testamenti, eiusque

júſque appendix, qua teſtamentum declaratur, addendo vel detrahendo.

Codicillus ſubſidiarius eſt, qui teſtamento inſeritur, vt ſi id iure teſtamenti valere non poſſit, valeat iure codicillorum.

Sic fuit ſucceſſio vniuerſalis teſtamentaria: ſequitur *legitima*, quæ eſt hæreditatis extra caſum vltimæ voluntatis defuncti acquiſitio.

Eſtque perſonalis, vel repræſentalis. Illa fit in capita; hæc, in ſtirpes.

Vtraque eſt naturalis, vel ciuilis. Illa competit iure ſanguinis & proximitatis, ideóque competit liberis in infinitum, iiſque deficientibus, parentibus, fratribus, ſororibus, aliiſque collateralibus: hæc eſt patroni, coniugis, ſortis, vel fiſci.

Succeſſio ciuilis eſt expoſita: ſequitur *prætoria*, quæ authoritate prætoris, ſeu iudicis, eſt inducta.

Eâ acquiritur non hæreditas, ſed bonorum ſucceſſio, eaque edictalis vel decretalis.

Edictalis eſt bonorum poſſeſſio ex edicto prætoris de iure ſuccedendi facto alicui competens.

Decretalis eſt bonorum poſſeſſio; quæ competit ex prætoris decreto præuiâ cauſæ cognitione, non tam, vt qui eam accipit, defuncto ſuccedat, quàm vt interim, donec quid factum ſit, tantùm poſſideat.

Talis eſt ſucceſſio vniuerſalis: reſtat *ſingularis*, quæ eſt dominij rerum ſingulari titulo facta acquiſitio.

Eſtque oneroſa, vel lucratiua.

Oneroſa eſt redemptione rei, in quam ſucceditur, facta ſucceſſio: cuiuſmodi eſt ſucceſſio emptoris mariti, qui dotem accipit, & ſimilium.

Lucratiua eſt ſucceſſio ex dantis liberalitate proueniens.

Ea fit inter viuos, vel mortis causâ.

Quæ fit inter viuos, *donatio* dicitur.

Eſtque pura, vel conditionalis.

Succeſſio lucratiua mortis causâ, eſt nominata vel innominata. Illa eſt donatio mortis causâ & legatum: hæc, pactum ſucceſſorium.

Donatio mortis cauſâ eſt, quæ fit intuitu ſiue cogitatione mortis, alicui præſenti & conſentienti.

Legatum eſt liberalitas in aliquem collata qualicunque vltimâ voluntate. Sub eâ continetur *fideicommiſſum ſingulare*.

Pactum ſucceſſorium eſt vltima quædam voluntas; quâ duo pluréſue in ſuorum alterutrius præmorientis bonorum ſucceſſionem conſentiunt.

Atque hæ ſunt ſucceſſiones, in quibus locum habet ius accreſcendi, quo pars vacans cedit & accreſcit parti occupanti.

Talis eſt acquiſitio dominij: *amiſſio* eius fit voluntate domini, vel ſine illâ.

Voluntate domini fit omnibus illis modis, quibus ab alio alium transfertur dominium.

Sine voluntate domini fit, vel contra ipſius voluntatem, quod fit bonorum publicatione: vel præter illam, quod fit morte, & conſequenter ſucceſſione ab inteſtato.

REGVLÆ

Cauſæ acquirendi dominij.

I. *De acquirendi dominij cauſis hæ ſunt regulæ.*

1. Earum rerum, quæ nullius ſunt, nec vllius eſſe poſſunt; cuiuſmodi ſunt res diuinæ, vt poſſeſſio, ita dominium acquiri non poteſt. Sed harum rerum acquiſitio ipſo iure nulla eſt. 2. Illarum rerum, quæ alicuius eſſe poſſunt, acquiſitio interdum inhibetur iure, cùm aliàs naturâ ſint eiuſmodi, vt acquiri poſſint, ſed quòd acquiri nequeant, obſtet legis prohibitio. Quò pertinent prohibitiones alienationum ab homine factæ, atque à iure comprobatæ. Omne enim hoc ad legem ſiue ius reuocandum eſt, quod ſolum regula eſt & cauſa acquirendi dominij ſumma principalis. 3. Vt poſſeſſio, ita etiam dominium acquiritur per nos vel per alios. 4. Per alios acquiritur nobis, cùm illi ſunt in noſtrâ poteſtate, vt liberi noſtri & ſerui. 5. Liberi noſtri nobis acquirunt ex peculio & labore ſuo, re verò noſtrâ. 6. Serui acquirunt nobis ex omni causâ. 7. Liberi & ſerui etiam nobis ignorantibus acquirunt.

Modi acquirendi dominij in ſpecie.

II. *De Dominio rerum acquirendo in ſpecie ſunt hæ regulæ.*

1. Dominium nonniſi ex vnâ causâ nobis acquiri poteſt. 2. Si pater dotem pro filio dans ſtipuletur eam ſibi reddi, ſi filia ſine liberis deceſſerit: nepos ex filiâ dotem conſequitur vt hæres matris, non ex ſtipulatione aui. 3. Si teſtator inſtituto filio hærede ſubſtituat Sempronium, ſi filius ſine liberis deceſſerit: hæres filij idemque nepos teſtatoris ex filio hæreditatem conſequitur ab inteſtato, non ex teſtamento aui. Si hæres rem, quam Titio reſtituere rogatus erat, eidem Titio in ſuo teſtamento legauerit, vel vnum eligere iuſſus elegerit, non ex hæredis electione vel teſtamento, ſed ex priore teſtamento legatum acquiritur. 5. Si eidem eadem res titulo legati & inſtitutionis relicta eſt, in arbitrio ipſius eſt, vtrum eam ex titulo legati, an ex titulo inſtitutionis habere velit. 6. Si eidem defeſatur hæreditas ex ſubſtitutione pupillari, vulgari & fideicommiſſariâ, in ipſius electione eſt, ex quâ ſubſtitutione hæreditatem velit adire. 7. Feræ, beſtiæ, volucres, & piſces capienti acquiruntur. 8. Quod capitur ex hoſtibus capientis efficitur. 9. Theſaurus inuentori acquiritur. 10. Inuenta in mari vel eius littore occupanti conceduntur. 11. Per alluuionem quoque nobis acquiritur. 12. Ædificium in alieno ſolo poſitum cedit domino ſoli. 13. Si quid ex re alienâ, quàm bonâ fide poſſidemus, perceperimus, nobis acquiritur. 14. Ex contractu etiam, ex quo res ita datur vt fiat accipientis, dominium acquiritur. 15. Traditione acquiritur dominium: item præſcriptione triginta annorum. 16. Per liberum hominem nobis nihil acquiritur. 17. Si eadem res duobus diuerſo tempore alienata eſt, ei acquiritur dominium, cui primùm res eſt tradita. 18. Si quis alterius pecuniâ rem emerit: eius res eſt qui eam emit, non eius cuius fuit pecunia. 19. Si quis alterius nomine rem aliquam accipiat, quem tamen non nominat, accipienti, non alteri acquiritur dominium. 20. Seruus communis cuilibet dominorum pro Dominicâ parte acquirit. 21. Legatis donata ipſis legatis acquiruntur, non mittentibus.

Modi amittendi dominij in ſpecie.

III. *De Dominio rerum amittendo & alienando hæ ſunt regulæ.*

1. Alienationis vocabulum ſtrictè & largè accipitur: ſtrictè pro omni actu per quem dominium transfertur: largè etiam cum ſeruus vel hypotheca conſtituitur ſine dominij tranſlatione. 2. Per alienationem autem regulariter dominium amittitur, & in alium transfertur. 3. Dominium etiam amitti videtur, ſi dominus rem ſuam ab alio conduxerit. 4. Cedens bonis dominus bonorum eſſe non deſinit ante diſtributionem. 5. Lucrum quod alicui auferrur alicuius contemplatione: debet ei applicari, cuius contemplatione aufertur.

Præſcriptio.

IV. *De præſcriptionibus hæ ſunt regulæ.*

1. Præſcriptio à iure ciuili inuenta eſt, vt quod iuri naturali ſeu gentium deerat, per ius ciuile ſuppleretur. Itaque præſcriptio non eſt pœna. 2. Præſcriptio eſt certi vel incerti temporis. 3. Præſcriptio breuioris temporis, nempe triennij, in rebus mobilibus duntaxat habet locum: longioris, in rebus etiam immobilibus & incorporalibus. 4. In præſcriptionibus hic ordo ſeruatur, vt rerum mobilium ſit triennij, rerum immobilium & incorporalium longi temporis: quòd ſi hæc non habeat locum ex naturâ rei, vel ob poſſidentis malam fidem, ſuccedat præſcriptio temporis longiſſimi; ſi denique iſtarum nulla habeat locum, recurratur ad tempus, cuius initij memoria non extat. Fit tamen per anomaliam, vt tempus modò coanguſtetur, modò amplietur. 5. In præſcriptione requiritur poſſeſſio, eaque continua & iuſta: rurſus iuſta, quæ ſit acquiſita titulo iuſto & bonâ fide.

Vſucapio.

V. *De vſucapionibus hæ ſunt regulæ.*

1. Vſucapio non eſt contra naturalem æquitatem. 2. Vſucapione acquiritur dominium, directum quidem rerum mobilium, vtile verò rerum immobilium. 3. Qui rem vſucepit, aduerſus vendicantem dominium exceptione defenditur. 4. Vſucapio ex vna cauſa perfecta ceſſat ex altera. 5. Non amplius vſucapitur aut præſcribitur quàm eſt poſſeſſum. 6. Vſucapio procedit ex diutinâ poſſeſſione. 7. Pro hærede non vſucapit ſuus hæres. 8. Pro ſuo poſſeſſio talis eſt, vt cùm dominium nobis acquiri putamus, & ex ea cauſa poſſideamus, ex qua acquiritur. 9. Res teſtamento vendi prohibitæ, vſucapi non poſſunt.

VI. De

V I. *De iure venandi ſunt hæ regulæ.*

1. Ius venandi principibus maximè competit. 2. Ius venandi ſeruitus eſt. 3. Hoc ius ſeruitus eſt realis, non perſonalis. 4. Ius venandi eſt ſeruitus diſcontinua. 5. Hoc Ius acquiritur ſi quis aduerſario ſciēte & patiēte longiſſimo tempore in ſyluâ eius venatus ſit. 6 Conſtituitur item hoc ius pactionibus & ſtipulationibus nec non teſtamento. 7. Si quis in iure venandi turbetur, ſuccurritur ei per edictū vti poſſidetis, & per actionem confeſſoriam: item in caſu per mandatum ſine clauſulâ. 8. Competunt autem iam dicta remedia primùm quidem, ſi dominus ſeruiētis ſyluæ arbores cumulatim & magno numero exſcindere vnâ vice velit: item ſi omnes fructus ſyluæ auferat, quod feræ beſtiæ non habent alimenta: item ſi non patiatur eum, cui ius venandi competit, ſyluam ſuccisis arbuſtis cingere ad capturam ferarum.

V I I. *De Hæreditate & bonorum poſſeſſione in genere ſunt hæ regulæ.*

1. Hæreditas ſine vllo corpore iuris intellectū habet. 2. Bonorū poſſeſſio hæreditatis appellatione continetur. 3. Hæredis appellatione hæres quoque hæredis continetur. 4. Hæredis appellatione extraneus quoque hæres continetur. 5. Hæredis appellatione fœmina quoque hæres continetur. 6. Hæredis appellatione non venit ſucceſſor ſingularis. 7. Hæreditas ex teſtamento legitima ſeu iuſta hæreditas nō dicitur. 8 Hæreditas iacens nō dicitur hærede ſuo exiſtente. 9. Hæreditas ſemel adita non amplius dicitur hæreditas 10. Pactis nō datur hæreditas. 11. Magna eſt cognatio bonorum poſſeſſionis & hæreditatis. 12 Bonorum poſſeſſio duplex eſt, Edictalis & Decretalis. 13. Bonorum poſſeſſio non eſt miſti imperij. 14. Bonorum poſſeſſio poteſt delegari. 15. *Suitas* eſt hæredum ſuorum & neceſſariorum qualitas, domini continuationem, neceſſitatemque ſucceſſionis ipſo iure inducens.

V I I I. *De Teſtamentis hæ ſunt Maximæ,*

1. Diuiditur Teſtamentū in ſcriptum & nuncupatiuum. 2. Si duo in eadem chartâ teſtamentum fecerint duo ſunt teſtamenta, nō vnum. 3. Teſtamenti factio iuris gentium eſt, non iuris ciuilis. 4. Teſtamēta ſunt ſtricti iuris, exceptis duob caſibus. 5. Si quis tabulas teſtamenti ſibi exhiberi deſiderat, ei competit interdictum de tabulis exhibendis. 6. Quæ in teſtamenti tabulis inſinuandis ac aperiendis ſemel comperta ſunt, non poſſunt vllo modo interuerti. 7. Teſtamentum apud ciuilem iudicem inſinuandum eſt. 8. Monachi minores executores teſtamentarii conſtitui planè nō poſſunt. 9 Nullo executore à teſtatore nominato, hæredi executio teſtamenti competit. 10. Executor teſtamenti agere non poteſt. 11. Executor teſtamenti res hæreditarias vendere non poteſt. 12. Expēſas ex bonis defuncti iuſtiſſimè poteſt petere. 13. Executor teſtamenti non tenetur cauere de exequendo: Nec executionis officium inuitus cogitur ſuſcipere: niſi ſemel vel tacitè receperit. 14. Mortuo executore vel in officio negligente, eius officium tranſit ad Epiſcopum. 15. Vtrum a. ad Epiſcopum originis, an ad Epiſcopum domicilii tranſeat, diſtinguitur. 16. Tranſit etiam ad diœceſianum: item ad capitulum ſede vacante: item ad Abbatem vel alium religioſum adminiſtrationem habentem. 17. Ex teſtamento regulariter quidem datur actio, tùm ad hæreditatem, tùm ad legata, tùm ad alia in teſtamento relicta conſequenda. 18. Hæredibus hæredis inſtituti, vel ab inteſtato venientis defuncti regulariter eadem hæreditas debetur, quæ debebatur defuncto. 19. Poſthumo hærede inſtituto, is propriè inſtitutus cenſetur, qui poſt mortem patris naſcitur. 20 Filii hæredibus inſtitutis vel ſubſtitutis etiā filiæ continentur. 21. Filiis in genere hæredibus inſtitutis, etiā is inſtitutus eſſe cenſetur, quem teſtator credebat eſſe mortuū, aut ignorabat ſe habere. 22. Per hanc conditionem ſubſtitutionis ſi filius non eſt hæres, vel ſi inſtitutus ſine filiis deceſſerint, filii cenſentur inſtituti & ad hæreditatem vocati 23. Duobus hæredibus inſtitutis, ſubſtitutus poſt mortem omnium, vel ita, ſi inſtituti hæredes non erunt, vel intra pubertatem deceſſerint: quamuis in vnius perſonâ conditio ſubſtitutionis extiterit, ſi in altero defecerit, ſubſtitutus nō admittitur, ſed cohæredi adcreſcit. 24 Si vltimo morienti facta ſit ſubſtitutio directa vel fideicommiſſaria, videtur facta ſubſtitutio reciproca inter inſtitutos, 25. Ex ſubſtitutione habente plures gradus, ſi primus deficit, admittitur ſecundus loco illius, & ſic deinc. 26. Titio hærede inſtituto & poſt mortem eius vno ex filiis eius ipſi ſubſtituto, qui voluerit nomen familiæ teſtatoribus & eius inſignia habere, pluribus filiis Titii exiſtentibus & habere volentibus, primogenito debetur hæreditas. 27. Titio eiuſque hæredibus ſubſtitutis, deſcendentes tantùm, non etiam extranei hæredes cenſent ſubſtituti. 28. Fideicommiſſaria conſtitutio non extenditur à perſonâ ad perſonam 29. Pluribus hæredib. inſtitutis & inuicem ſubſtitutis, ad omnes ex æquo ſubſtitutio pertinet ſine diſtinctione, quod alii aliis magis, alij minùs ſint coniuncti. 30, Monacho hærede inſtituto monaſterio debetur hæreditas. 31. Cognatis hæredibus inſtitutis proximi tantùm cognati, non etiam vlteriores inſtituti cenſentur. 32. Quorum nomina teſtator induxit vel deleuit, illi indigni cenſentur hæreditate: ideoque illorum portio ad fiſcum pertinet. 33. Filiofamilias hærede inſtituto ipſi, non patri, acquiritur hæreditas. 34. Seruo hærede inſtituto, domino eius acquiritur hæreditas. 35. Si hæres inſtitutus duos habeat ſubſtitutos, vnū vulgarē, alterum fideicommiſſarium: vulgaris ſubſtitutus præfertur fideicommiſſario. 36. Nullis partibus nominatis, plures hæredes inſtituti ex æquis partibus hæredes ſunt. 37. Partibus nominatis pro eá parte quisque hæres erit, ex quâ eſt inſtitutus. 38. Qui pro parte adit, cohærede nullo exiſtente, in ſolidum fit hæres, quamuis alteram partem expreſſè repudiet. 39. Adrogato decedente, qui à patre naturali & ab adrogante inſtitutus hæres fuerat, ſubſtituto à patre naturali debentur bona patris naturalis, & ſubſtituto ab adrogatore debentur bona adrogatoris Quod non ſolùm in ſubſtituto, ſed etiam in hæredibus ab inteſtato venientibus locum habere dicitur. 40. Vxor hæres vſufructuaria ad vitam inſtituta, & poſt mortem bonorum reſtitutione grauata nō in hæreditatis, proprietate, ſed in vſufructu bonorum cenſetur inſtituta 41. Pupillariter ſubſtituto tàm teſtatoris quam pupilli bona aliunde quæſita debentur. 42. Vltimo morienti ſubſtitutus ſi omnes deceſſerint, non ſolùm poſtremò, ſed etiam primò defuncti portionem ex ſubſtitutione acquirit. 43. Duobus filiis hæredibus inſtitutis, & filio in re certâ inſtitutâ, ipſisque ſub nomine collectiuo ſubſtitutione factâ, ſubſtitutus nō ſuccedit filiæ in re certæ inſtitutæ. 44. Pluribus hæredibus inſtitutis, vel ab inteſtato venientibus, vno ex iis deficiente, portio eius cæteris adcreſcit. 45. Omnibus aliis cohæredibus portio deficiens regulariter accreſcit. 46. Emptori hæreditatis, aut alii ſingulari ſcceſſori portio deficiens nō adcreſcit. 47. Omnibus æqualiter portio deficiens adcreſcit. 48. Si idem vulgariter ſit ſubſtitutus, & per fideicommiſſum, in arbitrio ſubſtituti eſt, ex quâ ſubſtitutione velit hæreditatem petere.

I X. *De inofficioſo Teſtamento hæ ſunt regulæ.*

Teſtamentum in officioſum.

1. Liberis teſtatoris & parentibus iniquè exhæredatis vel præteritis, inofficioſi querela cōpetit ad reſcindendum teſtamentū, & hæreditatē ab inteſtato reſtituendam, vel ſaltem ad legitimā conſequendam. 2. Etiā liberis filii exhæredati vel præteriti cōpetit inofficioſi querela, quamuis exhæredatus ipſe agere non potuerit. 3. Non ſolùm liberis, ſed etiā parētibus teſtatoris præteritis vel iniquè exhæredatis inofficioſi querela competit. 4. Fratri & ſorori defuncti præteritis vel exhæredatis inofficioſi querela non datur. 5. Hæredibus exhæredati vel præteriti inofficioſi querela non datur. 6. Fiſcus, bonis præteriti vel exhæredati publicatis, poteſt detrahere legitima. 7. Aduerſus hæredem inſtitutum competit. 8. Querelæ inofficioſi teſtamenti quinquennalis præſcriptio nocet. 9. Ab aditâ hæreditate non à die mortis teſtis dies actionis cedit. 10. Querela inofficioſi teſtamenti dupliciter proponitur: principaliter per modum actionis, & incidenter per exceptionem.

X. *De Codicillis hæ ſunt regulæ.*

Codicilli.

1. Quod codicillis relictum eſt, perinde ac ſi in teſtamento ſolenni relictum eſſet, debetur. 2. Iniuſtum teſtamentum vim codicilli non habet. 3. Ex codicillis non datur petitio hæreditatis: ſed actio ex teſtamento. 4. Codicillus verus imitatur teſtamentum, atque eſt vice teſtamenti factus ab inteſtato, coram quinque teſtibus tum maribus tum fœminis.

X I. *De Hæreditatibus & bonorum poſſeſſionibus ex inteſtato hæ ſunt regulæ.*

Hæreditas ex inteſtato.

1. Nullo legitimo teſtamēto exiſtente, inteſtatus quis deceſſiſſe dicitur, eiuſque hæreditas ab inteſtato ſuccedentibus defertur. 2. Hæreditas ab inteſtato primo loco liberis defuncti defertur. 3. Deficientibus liberis defuncti, ſecundo loco eius hæreditas parentibus ab inteſtato defertur. 4. Pater defuncto filio ſuccedit ab inteſtato. 5. Auus defuncto nepoti ab inteſtato ſuccedit. 6. Mater etiā defunctis liberis regulariter ab inteſtato ſuccedit. 7. Cognatis quoque collateralibus hæreditas defuncti ab inteſtato debetur. 8. Soror ratione regulæ præcedētis defuncto fratri ab inteſtato ſuccedit. 9. Fratrū & ſororū liberi ad defuncti patrui, amitæ, auunculi, & materteræ hæreditatem ab inteſtato vocantur. 10. Maritus quoque vxori & vxor contrà marito ſuccedit ab inteſtato. 11. Vxor inops locupleti marito exiſtentibus liberis ſuccedens quartā hæreditatis partē conſequitur. 12. Adrogato decedenti, qui tam à naturali, quàm ab adrogante patre inſtitutus hæres fuerat, ſuccedit ab inteſtato vtriusq; patris hæres, ita vt patris naturalis hæres ea bona capiat, quæ defunctus à patre naturali, & alter hæres ea quæ defunctus ab altero patre acceperat. 13. In multis Germaniæ locis inueteratâ conſuetudine domini propriis hominibus ſine liberis decedentibus iure peculii ſuccedūt. 14. Cui potuit defunctus ſuccedere, ſi ſu-

peruixisset, is etiam defuncto succedit. 15. Pluribus hæredibus ab intestato venientibus quilibet virilem habet portionem.

Officia hæredum post delatam hæreditatem.

XII. *De officiis hæredum post delatam hæreditatem hæ sunt regulæ.*

1. Annus ad deliberandum de adeunda vel repudianda hæreditate constituitur. 2. Adeundæ hæreditatis facultas ius est. 3. Hæreditatis aditio est animi 4. Adeundo hæreditatem, & pro hærede gerendo, hæres hæreditatem acquirit, tam quoad commoda quàm quoad incommoda hæreditaria. 5. Pro re certa vel parte agnoscens hæreditatem, nullo cohærede dato, vel cohærede dato repudiante, in solidum fit hæres. 6. Si is qui adit cohæredem ventrem habeat seu posthumum, interim ex quarta parte hæres erit. 7. Adita hæreditas non amplius dicitur hæreditas. 8. Repudiatâ hæreditate, hæres oneribus hæreditariis non est obligatus, nec actionibus hæreditariis tenetur. 9. Hæres interdum bona sua, vel quæ à defuncto percepit, cohæredibus conferre tenetur. 10. Omnibus hæredibus regulariter est conferendum. 11. Res quas à defuncto hæres acquisiuit, cohæredibus conferre tenetur. 12. Si cum Dominus vim pateretur & occideretur, seruus ei auxilium non tulit: quæstio de seruo habenda, & supplicium sumendum est. 13. Si occiso testatore, ante quæstionem de familia habitam & sumptum supplicium hæreditas adita sit, punitur hæres publicatione bonorum & aliis pœnis.

Petitio hæreditatis.

XIII. *De Petitione hæreditatis hæ sunt regulæ.*

1. Genus est actio in rem. 2. Proprium petitionis hæreditatis est, vt nihil in præiudicium eius fieri debeat. 3. Petitio hæreditatis competit vel ex testamento, vel ab intestato. 4. Aduersus possessorem hæreditatis vel rei hæreditariæ petitio hæreditatis competit. 5. Etiam eæ res, quas reus post litem contestatam possidere cœpit, veniunt in hanc actionem. 6. Fructus quoque veniunt cum ipsa hæreditate restituendi. 7. Res pecuniâ hæreditariâ comparatæ non veniunt in hanc actionem. 8. Res ex precio rei hæreditariæ venditæ comparatæ non veniunt in hanc actionem sed ipsum pretium. 9. Res hæreditatis gratiâ comparatæ veniunt in hanc actionem. 10. Viuente testatore, nec hæreditas, nec legitima peti potest. 11. Pendente institutionis conditione, hæres institutus hæreditatem petere non potest. 12. Petitioni hæreditatis nonnisi triginta annis præscribitur: Nisi ergo intra triginta annos petita sit hæreditas, postea detenti obstat præscriptio. 13. In hâc actione priùs petendum, vt actor hæres declaretur, tum vt reus ad restitutionem hæreditatis condemnetur. 14. In petitione hæreditatis valet libellus generalis, consultius tamen est res hæreditarias specificari. 15. In hâc actione sufficit probari, rem esse ex hæreditate defuncti; licet non probetur dominium. 16. Successio ex testamento regulatur secundùm naturam successionis ab intestato. 17. Causa liquidationis ante executionem sententiæ peragenda. 18. Directè substitutus propriâ authoritate hæreditatem potest acceptare.

Legata conditionalia.

XIV. *De Conditionibus & legatis Conditionalibus hæ sunt regulæ.*

1. Si datum vel factum sit quod in conditione continetur, conditio regulariter dicitur impleta, & ex testamento datur actio. 2. Conditione existente, perinde ac si contractus vel legatum ab initio fuisset purum, & retrotrahuntur omnia ad tempus contractus. 3. Si datum vel factum non sit, quod in conditione continetur, conditio defecit & legati actio denegatur. 4. Conditio, si nupserit, existit, si mulier nupserit. 5. Conditio hæc, Si vel Cum nupserit regulariter deficit, legatique actio denegatur, si non nupserit. 6. Conditio hæc, Si non nupserit, legatique actio denegatur, Si nupserit mulier: quæ regula iure antiquo improbata approbatur nouo. 7. Conditio hæc, Si castè honestéque vixerit non deficit, si nupserit. 8. Conditio hæc, Si vel cum vel quoties viduâ erit, vel mas viduus, existit, si vidua vel viduus factus sit, nec deficit si postea nuptias iterauerit. 9. Conditio hæc, si liberos habuerit, existit liberis existentibus. 10. Conditio hæc, Si sine liberis decesserit, existit, si sine liberis mortuus sit. 11. Conditio hæc, Si sine liberis decesserit, deficit liberis existentibus. 12. Legatum relictum sub hac conditione, Si vel dum cum liberis erit, deficit si à liberis recesserit. 13. Legatum ab aliquo relictum, Si hæres erit, conditionale non est: Ideoque quamuis is hæres non sit, nihilominus legatum debetur. 14. Conditio hæc, Si hæres non erit existit, si hæres non sit. 15. Conditio hæc, Si sine hærede vel hæredibus decesserit, intelligitur tantùm de filiis hæredibus, non de extraneis. 16. Conditio hæc, Si arbitratus fuerit, de boni viri arbitrio intelligitur. 17. Conditio hæc, Si offenderit pœnali stipulatione adiecta, non existit, Si adulterium committatur. 18. Conditio hæc, Cùm peruenerit ad septem annos vel similis, non habetur pro impleta, si septimum annum fuerit ingressus: aliter ac si dictum sit: Cuius in septimo anno fuerit. 19. Conditio hæc, Cùm ad legitimam ætatem peruenerit, existit, pubertate vel vigesimoquinto anno completo. 20. Conditio hæc cùm ad legitimam ætatem peruenerit, deficit si ad legitimam ætatem non peruenerit. 21. Legatum relictum vxori vel alij vt cum liberis habitet, præsumitur legatarij, non liberorum fauore relictum. 22. Conditio hæc si consenserit existit, quamuis in genere consenserit.

XV. *De Legatis & fideicommissis hæ sunt regulæ.*

1. Legatio est donatio quædam à testatore relicta ab hærede præstanda. 2. Hodiè fideicommissa legatis per omnia sunt exæquata. 3. Legati appellatio in lege XII tabularum latissimè accipitur, vt etiam hæredis institutionem contineat. 4. Legatum non est pars testamenti, sed accessorium. 5. Tot sunt legata quot res in legatum adductæ. 4. Dominium rei legatæ ad legatarium pertinet. 5. Hæres rem legatam alienare non potest, nec pignori obligare. 6. Res legata ad alium vsum, quàm cui à testatore deputata est transferri non debet. 7. Si creditor, cui legatum est, accepto legato, debitum perierit, exceptione submouetur. 8. Legatarius actionibus hæreditariis non tenetur. 9. Hæres rei legatæ euictionem non præstat. 10. Si legatarius rem legatam propriâ authoritate occupauit, hæredi interdicto. Quorum legatorum tenetur. 11. Legata regulariter quidem debentur legatario, & fideicommissa fideicommissario. 12. Si pater filio spurio legauerit, cognatis proximis defertur hoc legatum: quibus per duos menses cessantibus fisco defertur. 13. Si legatarius ante conditionem legati existentem decesserit, legatum penes hæredem, a quo relictum est, manet. 14. Si hæres quod defunctum occiderit, eius hæreditate priuatur: hæreditas ad fiscum pertinet. 15. Si legatarius se à tutela excusauerit, legatum ad pupillum transfertur. 16. Si legatarius sit in metallum damnatus vel deportatus; legatum non ad fiscum, sed ad hæredem à quo relictum est, pertinet. 17. Si testator extraneum vt filium per errorem instituit hæredem, hæreditas eius non fisco, sed legitimis hæredibus defertur. 18. Si filiusfamilias ad pias causas testamentum fecit, legatum alii in eo relictum ad hæredes ab intestato pertinet. 19. Si hæres hæreditate tanquam indignus priuatus est, hæreditas ad fiscum pertinet. 20. Id quod conditionis implendæ causâ incapaci datum est, fiscus, non qui dedit, repetit. 21. Si hæres intra tempus deliberandi sit deportatus, ad fiscum hæreditas pertinet. 22. Hæreditas aliquo casu hæredi adempta, si casus ille extiterit: vel ad cohæredes, vel ad substitutos, vel ad cohæredes ab intestato pertinebit. 23. Lucrum quod alicui alterius contemplatione aufertur, debet ei applicari, cuius contemplatione aufertur. 24. Hæreditas ascendentis descendenti ablata, & ab eo non adita, non transmittitur ad alios descendentes.

XVI. *De liberatione legata sunt hæ regulæ.*

1. Hoc legatum regulariter valet. 2. Etiam hæredibus & fideiussoribus debitoris prodest hoc legatum. 3. Si fideiussori liberatio legata sit non prodest hoc legatum reo principali. 4. Generaliter debito remisso, non veniunt res testatori debitæ, aut actiones in rem testatori competentes. 5. Si quis rationes reddere vetitus sit, nihilominus reliqua soluere tenetur. 6. Si hæres quid facere iussus sit regulariter vtile est legatum & obligatorium. 7. Quod opere extructo superest hæredi debetur.

XVII. *De actione, seu eo quod sibi debetur legato sunt hæ regulæ.*

1. Si alicui chirographum alicuius legatum sit, ipsum debitum censetur legatum. 2. Debito legato, ad id persequendum legatario competit actio. 3. In hoc legatum non venit ex die vel sub conditione debitum. 4. Actione personali legatâ vel cessâ, etiam hypothecaria actio legatario debetur.

XVIII. *De legato familiæ relicto vel alterius hæ sunt regulæ.*

1. Si legato familiæ relicto, vel ita ne alienetur, res legata fuerit alienata: tum aliis eius familiæ datur actio ad rem alienatam repetendam. 2. Omnibus regulariter qui sunt eius familiæ, cui res relicta est, fideicommissi actio competit. 3. Si cognato hærede instituto, eius fidei commissum sit, vt proximioribus cognatis restituat: testatoris non hæredis proximioribus cognatis datur fideicommissi actio. 4. Testator in dubio præsumitur vocasse ex se descendentes, non etiam transuersales suos.

XIX. *De optione vel electione legata hæ sunt regulæ.*

1. Si incerta res legata sit, vel genus legatarii est electio. 2. Si vni vna res ex pluribus, & alteri alia res ex iisdem rebus legata sit: prioris non posterioris legatorii electio est. 3. Electio est meri facti. 4. Legatarius ad exhibendum agere potest, vt res, quarum electio legata est, sibi exhibentur. 5. Re electâ, eius vendicationem legatarius habet.

X X. *De alimentis legatis hæ sunt regulæ.*

1. Alimentis legatis ad ea consequenda datur ex testamento actio. 2. Alimenta marito ex stipulatu debita præsumuntur etiam vxori deberi. 3. Alimentorum legato continetur cibus, vestitus, & habitatio. 4. Alimentorum legato etiam cura valetudinis continetur. 5. Alimenta petuntur officio iudicis, actione ex testamento, ex stipulatu & præscriptis verbis. 6. Si Monacho alimenta relicta sunt officio iudicis peti possunt.

XXI. *De mortis causa donationibus hæ sunt regulæ.*

1. Mortis causâ donatio ad exemplum legati se habet. 2. Species cognata mortis causâ donationis est mortis causâ capio. 3. Is cui mortis causâ donatum est, ad rem donatam petendam habet actionem. 4. ius adcrescendi etiam in mortis causâ donatione locum habet. 5. Falcidiæ etiam ex eâ detrahitur. 6. Prò re mortis causâ donatâ actio ex stipulatu competit. 7. Stricti iuris actio est, & in multis bonæ fidei actionis naturam habet. 8. Reuocatâ mortis causâ donatione, fructus etiam repeti possunt. 9. Reuocatâ mortis causâ donatione, donatori in rem competit actio aduersus quemuis possessorem.

X X I I. *De annuis legatis hæ sunt regulæ.*

1. Annuum legatum vnum est, non plura 2. Annuum legatum censetur si alicui certum quid præstandum sit certo die anni. 3. Annuum item legatum censetur, si alicui certum, quid relictum sit, donec nubat, vel quoad viuit. 4. Ex legato annuo regulariter datur actio.

CAPVT XII.

De Pollicitatione.

PRECEPTA.

Obligationis constitutio fit per conuentionem vel delictum.

Conuentio est duorum pluriùmue consensus in idem dandi vel faciendi causâ.

Consensus iste interdum est solus, interdum cum causa.

Consensus solus est in pollicitatione & pacto.

Pollicitatio est conuentio ab vno spontaneo oblata.

Quæ fit Deo vel homini. Illa appellatur *votum:* hæc appellationem generis retinet; & fit reip. vel homini priuatim.

REGVLÆ.

I. *De conuentione sunt hæ regulæ.*

1. Consensus illorum est, qui & consentire possunt naturâ & quibus vt consentiãt iure permissum est. Neque enim omnes qui naturâ, iure etiam consentire possunt. 2. Ætas quosdam impedit, quosdã animi vitium, quò minùs consentire possint. 3 Infantium cõuentio nulla est, atq; adeo nec naturalis, nec ciuilis ipsorum est obligatio, quæ quidem ex ipsorum personis initium capiat. 4. Impuberes, authoritate tutoris interueniente, conuenire possunt, & ex conuentione suâ tam obligari aliis, quam sibi alios obligare. 5. Impuberes conditionem suam possunt meliorem facere, sine tutorum authoritate; deteriorem sine illâ nunquam. 6. Puberes minores conuenire possunt, & ex conuentione illâ obligantur, siue habeant, siue nõ habeant curatores. 7. Furor & prodigalitas impediunt conuentionem. Atque ille quidem sine distinctione vllâ: hæc autem non, nisi conditio prodigi inde fieri possit deterior. 8. Nullum corporis vitium est, quod omnem omnino conuentionem impediat. 9. Conuentio facta ab eo qui sui iuris est, conuenientem ipsum obligat, & non alium: facta ab eo qui iuris est alieni, non item. 10. Consensus in conuentione est verus vel fictus, purus vel conditionalis, expressus vel tacitus.

II. *De pollicitatione sunt hæ regulæ.* Pollicitatio.

Promissio Deo facta, seu votum, si præstetur ab eo qui iuris sui est, obligat: à seruo vel filiofamiliâs non alter nisi iussu domini vel patris facta. 2. Pollicitatio facta reip. vel homini priuatim, efficax non est, si causa, cur fiat, nulla sit, nisi facere cœperit. 3. Pollicitatio homini priuatim facta, etiam si causa eius faciendæ aliqua sit, aut esse possit, obligationem non producit.

CAPVT XIII.

De Pactis.

PRÆCEPTA.

Pactum est conuentio nudo placiti sine consistês. *Dicitur etiam* pactio, pactum conuentum, placitum, & pactum nudum.

Estque legitimum, vel iuris gentium.

Legitimum est pactum, quod cùm idem sit iuris gentium, iure tamen ciuili est confirmatum.

Iuris gentium est pactum, quod ad obligationem, quæ iure ciuili consistat, est inefficax contractibus tamen additum non exigui est momenti.

Vtrumque est personale, vel reale.

REGVLÆ.

I. *De Pactis hæ sunt regulæ.* Pacta.

1. Pacta sunt realia vel personalia. 2. Pactorum alia expressa sunt, alia tacitè insunt. 3. Pactorum alia sunt secundùm leges, alia contra leges, alia præter leges. 4. Pacta conuenta regulariter sunt obligatoria. 5. Ex pacto de non petendo competit exceptio pacti conuenti, si petatur. 6. Ex pacto de non petendo non datur actio, sed tantùm exceptio. 7. Conuentio cum alio facta alii non prodest. 8. Conuentio alterius alii non obest. 9. Conuentio in vnâ re facta non nocet in aliâ. 10. Ex pacto obligatus non tenetur ad factum, sed ad interesse. 11. In contractibus non habet locum ius accrescendi. 13. Alter alteri ad conficiendam scripturam super contractu tenetur. 14. Certi condictio competit ex omni contractu, & ex omni obligatione ex quâ certum petitur.

I I. *De retractu conuentionali.* Retractus conuentionalis.

1. Hoc pactum vulgus de retrouendendo, nonnulli de reuendendo appellant. 2. Iustum præsumitur pactum: nec inducit præsumptionem fraudis, scilicet contractus pignoraticij in fraudem vsurarum initi. 3. Pactum reuendendi censetur pars contractus. 4. Hoc pactum facit rem minoris æstimari. 5. Res vendita pro pacto de reuendendo tacitè censetur pignori obligata. 6. Emptor ob pactum de reuendendo non potest cædere arbores frugiferas aut alias incíduas. 7. Empto viuaria cum pacto reuendendi, feræ occidi possunt dummodo aliæ in locum occisarum restituantur. 8. Fundus cum pacto reuendendi emptus, pendente tempore reuendendi, antequam redimatur, censetur immobilis: in quo hæredes rerum immobilium succedunt: Postquam verò redemptus est, pecunia, quâ redemptus est, ad hæredes rerũ mobilium pertinet. 9. Ex pacto reuendendi ex parte tantùm emptoris oritur obligatio, non etiam ex parte venditoris: nam hic inuitus ad redimendum cogi non potest. 10. Emptori cum pacto reuendendi competit interdictum. Quod vi aut clam, cæteraque similia. 11. Ex venditione cum pacto reuendendi debentur domino laudemia, non autem ex reuenditione. 12. Hæc actio Retractus conuentionalis appellatur, quod ex conuentione partium proficiscatur, cùm scilicet inter emptorem & venditorem conuenit, vt venditor intra certum aliquod tempus, aut quandocunque aut simpliciter sine temporis præfinitione possit rem venditam oblato pretio retrahere. 13. Ex pacto de reuendendo duæ actiones oriuntur: nimirum venditi & præscriptis verbis actio. 14. Bonæ fidei actio est. 15. Actio est in rem scripta. 15. Competit hæc actio ex pacto reuendendi. 16. Hæredibus quoque venditoris hæc actio competit. 17. Etiam hæredibus hæredis hæc actio non deneganda. 18. Etiam extraneo cui à venditore cessa est hæc actio competit. 19. Creditore pignus cum pacto reuendendi vendente, debitori quoq; actio proposita non denegabitur. 20. Duobus rem communem cum pacto reuendendi vendentibus, vnus sine altero hâc actione experiri non prohibetur, & quidem in solidum. 21. venditor eiusque cognati concurrant vtroque retrahere volente, illo quidem ex pacto reuendendi, hoc autem ex iure municipali, venditor cognato

gnato eſt præferendus 22. Actio hæc aduerſus emptoris hæredes quoque competit. 23. Etiam aduerſus tertium poſſeſſorem venditori oblato pretio competit vendicatio. 24. Apud judicem domicilij ipſius rei conuenti hæc actio competit non iudicem loci in quo eſt res ſita. 25. Res ipſa venit reſtituenda, nec emptor liberatur præſtando id, quod actoris intereſt. 26. Emptor qui eſt in morâ reuendendi, tenetur etiam ad fructus. 27. Res talis reuendenda eſt, qualis eſt retractus tempore, non qualis fuit tempore contractus: niſi dolo emptoris deterior ſit facta. 28. Id quod rei venditæ per alluuionem vel alio modo acceſſit, cum ipsâ re venditori reſtituendum. 29. Theſaurus in fundo vendito repertus ante reuenditionem communis eſt emptori & venditori: ideoque non niſi pro parte dimidia propoſita actione peti poteſt. 30. Si ius aliquod venditori competens per venditionem ſit confuſum in perſona emptoris, hoc redempto prædio venditori eſt reſtituendum. 31. Si pacto ſit adiectum, vt poſt aliquod tempus venditori rem retrahere liceret, ante illud tempus elapſum agens exceptione repellitur. 32. Intra ſtatutum tempus omni die licet venditori rem retrahere. 33. Si actor intra legitimum tempus non egerit, poſtea agenti temporis præſcriptio nocet. 34. Actor rem ex pacto retracturus pretium reo debet offerre: alioquin exceptione ſubmouetur. 35. Non autem ſufficit præmium offerre, ſed rectè offerendum eſt. 36. Si emptor oblatum pretium recuſauerit accipere, id à venditione conſignandum ac deponendum eſt. 37. Non ſufficit actori conſignare ac deponere pretium, ſed etiam requiritur vt rectè id ab eo fiat: Proinde ſi non totum pretium conſignauerit ac depoſuerit exceptione ſubmouetur quamuis vel vnus nummus deſit. Item etiam obtinet, ſi non intra tempus reluitionis conſignauerit ac depoſuerit, ſed poſt illud elapſum. 38. Ad officium quoque actoris pertinet, vt reum intra tempus reluitionis faciat citari. 39. Præter pretium & vſuras, etiam expenſas, quas rei causâ emptor fecit, venditor reſtituere tenetur. 40. Pactum reuenditionis poteſt probari per duos teſtes. 41. Si contractus principalis eſt ſimulatus, pactum quoque adpoſitum ſimulatum eſt cenſendum. 42. Scriptura priuata non probat tempus in præiudicium tertij. 43. Conſignatio & depoſitio pretij non probatur confeſſione ipſius depoſitarij in præiudicium tertij, ſed tantùm in præiudicium confitentis. 44. Si vltra confeſſionem depoſitarij conſtet depoſitum eſſe marſupium, in quo venditor dixerat pretium reuenditionis eſſe, nec tamen id numerat: nec hoc ſufficit ad probandum depoſitum in præiudicium tertij. 45. Per actionem propoſitam in iudicium deductam res efficitur litigioſa, vt pendente iudicio non poſſit alienari. 46. Ex pacto de reuendendo, oblato pretio emptori, ipſo iure contractus venditionis reſoluitur, vt ad venditorem dominium ſine noua traditione tranſeat. 47. Res ex pacto reuendendi recepta redit ad venditorem libera ab emptoris obligationibus. 48. Emptor poſt reuenditionem manet in poſſeſſione rei, donec fructus perceperit. 49. Venditori accedit tempus, quo poſſedit emptor: quemadmodum contra quoque emptori accedit tempus, quo poſſedit venditor. 50. Venditor rem redimens tenetur domino facere homagium, nec laudemia aut gabellam tanquam ex noua venditione ſoluere. 51. Vaſallus vel emphyteuta rem ex pacto redimens non cadit feudo vel Emphyteuſi. 52. Res à marito ex pacto reuendendi recepta non fit communis marito & vxori. 53. Si emptor facultatem reuendendi redimat à venditore conſtante matrimonio, tantùm illa facultas redempta ei & vxori fit communis, non tota res. 54. Si ius redimendi duobus competat & vnus ex iis tantùm redemerit, hic alteri tenetur ad communicandum id quod redemit. 55. Si annuo reditu cum pacto redimendi à pluribus vendito vnus ex iis ſuam partem redemerit: hic pro aliis ad annuum reditum ſtandum non tenetur. 56. Hæres rem ex pacto redemptam fideicommiſſario cum reliquâ hæreditate tenetur reſtituere. 57. Si emptor vſumfructum rei venditæ venditori legauit, eiuſque fideicommiſit, vt poſt mortem ſuam rem alij reſtitueret: redempta re à venditore fideicommiſſum extinguitur: ſic tamen, vt fideicommiſſarius pretium, quo res redempta eſt, ab hæredibus emptoris petere non prohibeatur. 58. Ius primogenituræ, quod hæres emptoris in re non redempta habuiſſet, durat re redempta in pretio. 59. Sequeſtri munus neceſſitatis eſt, non voluntatis. 60. Si pretium depoſitum caſu periit, quod emptor ſine iuſta cauſa accipere recuſauit, emptori, non venditori periit. 61. Depoſitarius ad pretium depoſitum reſtituendum ipſi deponenti actione præſcriptis verbis tenetur.

CAPVT XIV.

De contractibus

PRÆCEPTA.

Conuentio, quæ cauſam habet, *contractus* dicitur. Itaque contractus eſt conuentio cum causâ.

In eo ſpectantur diuiſio ſeu ſubſtantia, & adiuncta:

Diuiſio ſumma eſt, quòd contractus eſt immediatus, vel mediatus: & ille verus, vel quaſi.

Contractus immediatus, ſeu proprius, eſt, ex quo ipſe qui contraxit ſibi obligationem acquirit, & non alij.

Contractus verus eſt, qui habet conſenſum verum in id ipſum ordinatum, vt contractus ſit atque ex illo obligatio.

Eſtque nominatus, vel innominatus,

Contractus nominatus eſt, qui cauſam habet iure definitam, & nomine proprio appellatam.

Eſtque iuris gentium vel iuris ciuilis.

Contractus iuris gentium eſt, qui in iure gentium apud omnes recepto cauſam habet, ſed formam certam certumque nomen à iure ciuili accepit.

Et initur re, vel conſenſu. Ille dicitur realis.

Qui re initur contractus, in illo oportet rem eſſe præſentem & tradi, vt contractus initus dicatur.

Eſtque primi generis in Mutuo & Commodato; vel ſecundi, in Depoſito & pignore. Illud genus in re ſpectatur, hoc extra rem. In re eſt dominium rei, vel eius vſus. Dominium rei in mutuo ex traditione transfertur in eum, qui mutuò, accepit: vſus rei in commodato in eum cui res commodatur. Extra rem eſt cuſtodia eius & ſecuritas; quarum illa depoſitum, hæc pignus conſtituit.

Mutui datio, ſeu mutuatio, eſt contractus realis, quo rem in quantitate conſiſtentem ita damus, vt qui accipit, eandem reddat, non quidem in ſpecie, ſed in genere.

Eſtque vera vel quaſi.

Vera eſt, quæ ab initio ſtatim traditione & acceptione rei perficitur.

Quaſi eſt, quæ cùm ab initio non eſſet, ex poſt facto inducitur.

Commodati datio eſt contractus realis, quo res aliqua gratuitò vtenda alicui conceditur, vt illa ipſa etiam reſtituatur in ſpecie.

Commodatum eſt propriè dictum, vel precarium.

Commodatum propriè dictum eſt, quo res ad certum aliquem vſum & finem vtenda datur, quo finito demum & non antè ea reſtituatur.

Precarium eſt, quo res ita datur vtenda, vt danti reſtituatur, quandocunque ipſi libuerit.

Depoſitum eſt contractus realis, quo res mobilis gratis datur cuſtodienda, vt eadem in ſpecie reſtituatur à depoſitorio, quandocunque libuerit deponenti.

Cuſtodia iſta eſt rei non-litigioſæ, quæ propriè depoſitum dicitur: vel rei litigioſæ, quæ dicitur ſequeſtratio.

Sequeſtratio eſt rei litigioſæ depoſitio.

Eſtque conuentionalis, vel iudicialis.

Conuentionalis fit partium, inter quas eſt controuerſia, voluntate.

Iudicialis fit magiſtratûs competentis authoritate, parte etiam vtrâque vel certè alterutrâ inuitâ.

Pignus eſt conuentio, quâ creditori ius in re alicuius

cuius constituitur, vt debitum ipsi sit tantò tutius.

Estque hypotheca, vel pignus specialiter ita dictum.

Hypotheca est pignus rei non traditæ.

Estque expressa vel tacita: generalis vel specialis.

Pignus specialiter ita dictum est pignus rei traditæ.

Estque necessarium vel voluntarium. Illud prætorium, hoc conuentionale dicitur.

Pignus necessarium est, quod magistratus authoritate accipitur, idque extra iudicium, vel in iudicio. Illud appellatur pignus prætorium specialiter: hoc, pignus iudiciale.

Pignus volnntarium est, quod ex partium conuentione traditur.

Eiusmodi sunt contractus iuris gentium, qui re perficiuntur: qui solo consensu perficiuntur, sunt itidem vel in re, vel circa rem.

In re, nempe dominij vel vsus.

Circa rem, nempe communionis vel facti.

Dominij est Emptio venditio: vsus est Locatio conductio: communionis est Societas: facti, Mandatum.

Emptio venditio est contractus ex consensu de re certo pretio habendâ.

Locatio conductio est contractus ex consensu certâ mercede aliquid faciendi vel vtendi.

Societas est contractus ex consensu de re vtrinque communiter habendâ.

Estque generalis, bonorum omnium; vel specialis, bonorum quorundam.

Mandatum est contractus ex consensu de faciendo aliquid gratuitò.

Contractus nominati, qui iuris ciuilis sunt, fiunt verbis vel literis.

Verbis fit *stipulatio*, quæ est contractus verbis initus interrogatione præcedente, eamque responsione congruâ subsequente; dandi vel faciendi alicuius causâ.

Stipulatio est vel speciatim ita dicta, vel fideiussio.

Stipulatio speciatim ita dicta est 1. conuentionalis vel iudicialis. 2. stipulatio dandi vel faciendi. 3. certa vel incerta. 4. simplex vel composita. 5. diuidua vel indiuidua. Stipulatio conuentionalis est, quæ simpliciter ex conuentione vtriusque partis contrahentis fit: iudicialis, quæ magistratu authore alicuius negotij confirmandi causâ fieri iubetur. Estque vel specialiter iudicialis, quæ ex mero solóque iudicis officio proficiscitur: vel prætoria, quæ ex mero solóque prætoris seu magistratus officio venit. Et hæc est vel prætoria specialiter, quam prætor fieri iubet non rogatus, sed sponte suâ, futuri iudicij constituendi & confirmandi causâ: vel cautionalis, quam prætor nonnisi imploratus fieri iubet.

Stipulatio dandi est, cùm rem dari aliquis stipulatur: faciendi, cùm factum fieri aliquis stipulatur.

Stipulatio certa est, quâ certum aliquid stipulamur, vt sunt pleræque stipulationes rerum, nunquam factorum: incerta, cùm incertum aliquid stipulamur, vt sunt omnes stipulationes factorum, aliquando etiam rerum.

Stipulatio simplex est, cùm vna aliqua res in stipulationem deducitur: composita, cùm plures coniunctim vel disiunctim, atque hæc posterior dicitur stipulatio alternatiua.

Stipulatio diuidua est, quæ rei vel facti, quod in stipulationem venit, præstationem pro parte recipit: indiuidua; quæ partis præstationem non recipit.

Fideiussio est stipulatio, quâ quis pro debitore stipulanti promittit suo nomine, saluâ manente obligatione debitoris principalis.

Contractus qui literis initur, dicitur literarum obligatio, quâ quis chirographo suo seu literis fatetur & scribit, se ex hac vel illâ causâ ei, cui chirographum dedit, eiúsue hæredibus debere.

Sequitur *contractus innominatus*, qui nullum ex iure ciuili nomen habet certum.

Et is vel potest, vel non potest referri ad aliquem contractum nominatum. Ibi est contractus æstimatorius & permutatio: hic est contractus ex dando, vel ex faciendo. Ex dando: vt est contractus, Do vt des, & Do vt facias. Ex faciendo: vt est contractus Facio vt facias, & Facio vt des.

Contractus æstimatorius est contractus innominatus ex consensu, quo id agitur, vt rem vendam, & æstimationem, quam indicasti, soluam, aut si vendere non possim; vt eandem ipsam restituam, sed possim nec vendere nec restituere, mihi verò retinere & æstimationem soluere, quo genere ipse emisse videbor.

Permutatio est contractus innominatus re & consensu constans, quo certa species cum certâ specie eiusdem generis commutatur.

Vterque hic contractus ad Emptionem venditionem ferri potest.

Contractus Do vt des, Do vt facias, Facio vt facias, & Facio vt des, adeo latè patent, vt ipsos contractus nominatos complectantur: sed iure ciuili ab illis distinguuntur.

Contractus quasi, seu improprius, est, qui consensu ficto constat: hoc est, in quo quidem de partis vtriusque consensu non satis constat, sed tamen pro ratione & naturâ negotij consensus ex vtraque parte interuenire fingitur.

Eius genera sunt quinque, hoc ordine.

I. Administratio negotij; quæ est expeditio negotij alieni sine mandato domini facta. Estque vel negotiorum gestio, vel tutelæ administratio.

II. Communio rei; putà rei hæreditariæ, vel cuiusuis aliæ; cùm nempe res inter cohæredes, vel quosuis alios sunt communes.

III. Aditio hæreditatis; quâ qui hæreditatem adit, se omnibus eo ipso obligat, & quasi cum illis contrahit, quibus ex hæreditate illâ aliquid debetur.

IV. Indebiti solutio, seu Promutuum, vt Cuiacius iuuat; quæ est contractus improprius, quo is cui per errorem solutum est indebitum, obligatur ad eius restitutionem.

V. Exhibitio; quæ est contractus improprius, quo is, qui rem tenet, in quâ alius interesse habet, eo ipso quòd eam tenet, interesse habenti consensisse intelligitur, de re illâ, quandocunque ipsi libuerit, exhibendâ.

Contractus mediatus seu alienus, est, ex quo ipse qui contraxit, sibi non acquirit obligationem, sed alij; aut sibi, ita tamen vt etiam alij.

Estque generalis, vel specialis.

Generalis dicitur Præpositio, quæ est negotiationis alicuius à domino facta & suscepta commissio.

Specialis pertinet ad eos qui iuris sunt alieni. Et ex hoc tali contractu pater vel dominus obligatur in solidum, vel non in solidum.

Talis est contractûs diuisio, siue substantiæ: supersunt adiuncta, quorum alia contractui insunt, alia adsunt.

Adiuncta quæ contractui insunt, nunquam ab illo abesse possunt: ideóque dicuntur inseparabilia.

Eiusmodi sunt, quòd contractus est. 1. bonæ fidei vel stricti iuris. 2. obligatorius ex vtraque, vel alterutra parte. 3. initus vtriusque contrahentis causâ, vel alterutrius tantùm. 4. gratuitus, vel mercenarius.

Contractus bonæ fidei eſt, ex quo præſtatur id, quod æquum & bonum videtur, etſi de eo cogitatum non ſit. Eiuſmodi ſunt commodatum, depoſitum, pignus, emptio venditio, locatio, conductio, ſocietas, mandatum, ſtipulatio ſuper dote interpoſitâ, permutatio, contractus exiſtimatorius, tutelæ adminiſtratio, negotiorum geſtio, communio rerum.

Contractus ſtricti iuris eſt, ex quo id tantùm de quo conuenit & quod expreſſum eſt, præſtatur: vt mutuum, ſtipulatio, & reliqui præter ſupra enumeratos.

Contractus eſt vtraque parte obligatorius, quem Cuiacius δίπλευρον vocat, eſt, ex quo contrahentes vtrinque obligantur; quæ natura eſt plerorumque contractuum.

Contractus ex quo alteruter tantùm contrahentium obligatur, eſt mutuum, promutuum, & ſtipulatio.

Contractus, qui vnitur vtriuſque contrahentis causâ, eſt pignus, emptio venditio, locatio conductio, ſocietas, mandatum, & contractus innominatus quilibet. Cæteri omnes alterutrius tantùm.

Contractus gratuitus eſt mutuum, commodatum, depoſitum, ſtipulatio, mandatum, negotiorum geſtio, tutelæ adminiſtratio, promutuum, communio, & exhibitio. Cæteri mercenarij ſunt: & in his alij magis, vt locatio conductio, alij minùs, vt reliqui præter enumeratos.

Adiuncta, quæ contractui adſunt, poſſunt ab illo abeſſe: ideóque dicuntur ſeparabilia.

Suntque communia omnibus, vt pacta, acceſſiones, & mora: vel certis propria, vt in emptione venditione, addictio in diem & lex commiſſoria, in emptione venditione & locatione conductione ædilitium edictum, euictio, & arrha.

Pacta ſunt ex conuentione, non autem ex naturâ contractûs.

Suntque adiicientia vel detrahentia. Illa adiiciunt contractui quædam extranea, circa contractûs adminicula, ſaluâ interim contractûs ſubſtantiâ: hæc fiunt circa aipſam contractûs ſubſtantiam.

Acceſſiones contractuum in illis ſunt, quibus quid præter rem in contractum deductam ſiue ſortem principalem exigitur.

Idque ipſo iure, vt interuſurium: vel ex conuentione, vt quoddam interuſurium, fœnus, & pœna omnis.

Interuſurium, ſeu intereſſe, eſt incommoditas actoris vel rei, quæ culpâ aduerſarij contingit.

Eſtque vel intereſſe ſpecialiter ita dictû, vel vſura.

Intereſſe ſpecialiter ita dictum eſt intereſſe cauſæ.

Vſura eſt intereſſe quantitatis debitæ.

Fœnus eſt lucrum, quod propter cauſam mutui certis temporibus exigitur.

Pœnam creditor ſæpenumero ſtipulari ſolet, vt niſi id quod debetur certo die detur aut fiat, pœna, de quâ per ſtipulationem conuenit, præſtetur: vnde pœnalis ſtipulatio dicitur.

Addictio in diem eſt vna emptionis venditionis pactio, quâ res à venditore traditur emptori hâc lege, niſi intra diem certum, de quo conuenit, quis ſupra adiecerit, ſeu meliorem conditionem attulerit.

Lex commiſſoria eſt altera emptionis venditionis pactio, quâ id agitur, vt ſi in diem ſtatum emptor pretium non ſoluerit, & venditor rem veniſſe nolit nec vendita illa ſit, nec alienata.

Ædilitium edictum eſt, quo rei quæ in emptionem venditionem, vel locationem conductionem venit, vitio contractûs vel omnino tollitur vel ad æqualitatem reducitur.

Euictio eſt in iudicio rem efficax & plena victoria eius qui agit aduerſus emptorem vel conductorem, aut cum quo agit emptor vel conductor.

Arrha in probationem & confirmationem contractui additur: ideóque contractu perfecto aut redditur, aut in partem pretij ſeu mercedis retinetur.

REGVLÆ.

I. *De contractibus in genere ſunt hæ regulæ.*

1. Contractus lex eſt. 2. Cauſa ſiue negotium facit contractum. 3. Cauſa, cùm à iure probata ſit, facit vt obligatio ex contractu ſit, & ex contractu actio. 4. Subſtantia contractuum eſt in conſenſu, & causâ ſeu negotio. 5. Conſenſus in contractibus interponitur reuerâ vel fictè. Atque hinc eſt ſumma illa contractuum diuiſio, quòd alij ſunt veri, alij quaſi contractus. 6. Si finem & effectum contractuum ſpectes, nulla inter ipſos eſt differentia, ſed plerique omnes tam quaſi quàm veri contractus obligationem habent, & obligatio actionem. 7. In contractibus omnibus datur aliquid aut fit.

II. *De contractibus nominatis & realibus hæ ſunt regulæ.*

1. *Contractus nominati* ſunt certi formâ, numero, & nomine. 2. Contractu nominat perfecto pœnitentiæ locus non eſt: hoc eſt, ab huiuſmodi contractu, alterutrâ parte inuitâ, nec in integrum reſtitutis omnibus, recedi non poteſt, ſed is omnino eſt conſummandus, & vel res ipſa quæ in contractum venit, præſtanda, aut ſi præſtari illa nequeat, loco illius intereſſe. 2. *Contractus reales* ſunt, quibus re traditâ & acceptâ obligamur ad rei eiuſdem reſtitutionem, aut ſi id fieri nequeat, eius æſtimationem atque intereſſe. 3. Contractuum realium ſpecies ſunt quatuor: nimirum mutuum, commodatum, depoſitum, & pignus. Quibus omnibus commune eſt, vt ſint gratuiti: quippe quòd mercede interueniente in aliorum contractuum naturam degenerent.

III. *De mutuo ſunt hæ regulæ.*

1. Is qui dat mutuum, mutuans: qui accipit mutuatarius dicitur. 2. Vera mutui datio ab initio ſtatim traditione & acceptione rei perficitur. Quaſi eſt, quæ cùm ab initio non eſſet, ex poſt facto inducitur. 3. Regulare eſt, vt qui rem dat mutuam, eiuſdem ſit dominus, atque adeo rem tradendo dominum eius transferat, ſi ipſius ſit, aut ſi ipſius non ſit, vſucapiendi conditionem. Vnde mutuum dictum putatur, quaſi ex meo tuum fiat. 4. Solæ res in quantitate conſiſtentes mutuò dari poſſunt, atque præter eas nullæ aliæ. Eiuſmodi autem ſunt, quæ numerari, ponderari, & menſurari ſolent & poſſunt. 5. Res eadem, quæ data eſt mutuo, non ſpecie redditur eadem, ſeu indiuiduo, ſed genere.

IV. *De commodato ſunt hæ regulæ.*

1. Per commodatum nec dominium, nec poſſeſſio transfertur. 2. Si commodatarius rem commodatam non reſtituit, commodati actione tenetur. 3. In commodati actionem directam fructus non veniunt, niſi poſt moram. 4. Si commodatarius re aliter, quàm accepit, vtatur, etiam furti actione tenetur. 5. Qui rem vtendam dat, commodans; qui accipit, commodatarius dicitur. 6. In commodato mutuum eſt ad vſum; in mutuo commodatum ad abuſum. 7. Omnis generis res, corporales & incorporales, mobiles & immobiles commodari poſſunt, modò eiuſmodi ſint, vt earum poſſit eſſe vſus aliquis. 8. Rerum, quſi in quantitate conſiſtunt, commodatum eſſe non poteſt, Illarum ſiquidem eſt abuſus.

V. *De depoſito hæ ſunt regulæ.*

1. In depoſitarium nec poſſeſſio nec aliud ius tranſit. 2. Si rem depoſitam depoſitarius reſtituit, depoſiti actione tenetur. 3. In depoſiti actionem venit res ipſa, vel eius æſtimatio & totale intereſſe, item condemnatus fit infamis. 4. Depoſiti actio in ſimplum competit. 5. In depoſiti actione in litem iuratur. 6. Si depoſitarius re depoſitâ vtatnr, etiam furti actione tenetur. 7. Si res in naue recèpta non reſtituatur, vel furto ſit ablata: aduerſus exercitorem nauis actio datur. 8. In actione in factum aduerſus nautas, caupones, ſtabularios, ſi dubitatur de quantitate pecuniæ vel rei receptæ actoris iuramento ſtandum. 9. Eſt in electione damnum paſſi, vtrum cum exercitore nauis, an cum aliquo ex nautis, an cum fure agere velit. 10. Dans rem in cuſtodiam vocatur deponens: accipiens, depoſitarius. 11. Natura huius contractus eſt in cuſtodiâ rei depoſitæ grauitâ, non in vſu vt commodatum, multò minùs in abuſu vt mutuum. 12. *Sequeſtratio conuentionalis* poſſeſſionem controuertentibus aufert, & ſequeſtri tribuit, vt victori illam reſtituat, niſi fortè expreſsè ita conuenerit, vt ſequeſter detineat tantùm, non etiam poſſideat. 13. *Sequeſtratio iudicialis* poſſeſſionem non aufert, ſed quoniam eſt dubia, in ſuſpenſo relinquit, donec vel

inter

inter partes controuertentes de lite amicabiliter conuenerit, vel iudicis sententiâ, quia possessor sit & esse debeat, declaratum fuerit. Ea verò regulariter illicita esse putatur, & non nisi ex iustis atque vrgentibus causis facienda. 14. Depositum est rerum mobilium: sequestratio etiam aliarum quàm mobilium.

[Pigno]ra & [hypo]thecæ.

V I. *De pignoribus & hypothecis sunt hæ regulæ.*

1. Pignus diuiditur in prætorium & conuentionale. 2. Pignus constituitur etiam solâ æquitatis ratione per exceptionem seu retentionem. 3. Inuecta & illata in domum vel terreum conductum tacitè pro pensione pignori sunt obligata & interdicto Saluiano petuntur. 4. Bona debitoris fisci tacitè fisco pignori sun obligata. 5. Vsurarij bona tacitè pro vsuris restituendis sunt hypothecata. 6. Si quis annuum reditum ex bonis suis alicui constituerit, bona ista pro isto reditu pignori sunt obligata. 7. Pignore siue expressim, siue tacitè constituto; ad id persequendum datur creditori actio aduersus quemuis possessorem, etiam extraneum. 8 Alij quam ei pignus pactus est, hypothecaria non competit actio. 9. Si vniuersa bona pignori sunt obligata regulariter quidquid habet debitor, creditor pignoris iure persequi potest. 10. Melioramenta quoque pignoris in actione hypothecariâ conueniunt, nisi ab alio quàm debitore sint factâ. 11. Re pignori obligatâ ab vno creditorum venditâ, de pretio non tenetur venditor alteri creditori actione hypothecariâ. 12. Aduersus singulos possessores in solidum competit actio. 13. Antè personalis actio aduersus debitorem eiusque intercessores instituenda, quàm actio hypothecaria instituatur aduersus extraneos possessores. 14. Priùs sententia iudicis intercedere debet: quòd excussio legitimè facta sit, citatis ad eam possessoribus ac fideiussoribus, quàm actio hypothecariâ instituatur. 15. Si in actione hypothecariâ dubitetur, vtrum res pignori obligata tempore obligationis debitoris fuerit, necne: creditori probatio incumbit. 16. Hypothecariæ actioni, decem, viginti, triginta vel quadraginta annorum diuerso respectu præscriptio obstat. 17. Affine hypothecariæ actionis remedium est, quòd creditor ex speciali pacto propriâ authoritate pignus occupare possit, etiam contra tertium singu'arem successorem, qui causam à debitore habet. 18. Si eadem res duobus vel pluribus pignoris iure obligata, prior tempore potior est iure. 19 Si non soluatur debitum, creditor pignus vendere potest. 20. Ex contractu pignoris creditor quoque debitori obligatur ad pignus restituendum: idque actione pignoratitiâ directâ. 21 Hæc actio personalis est, quemadmodum actio hypothecaria realis.

[Emptio] vé-[ditio.]

V I I. *De emptione venditione sunt hæ regulæ.*

1. Venditionis vocabulo in lege X I I. tabularum omnis alienatio continetur. 2. Rerum permutatio non est venditio. 3. Litis æstimatio, vel cùm res æstimata datur, venditionis est species. 4. Constitutio annuæ pensionis locatio potius est quàm venditio. 5. Venditor non habet necesse rem emptoris facere. 6. Emptor non habet necesse stare colono, cui venditor locauit. 7. Colonus ab emptore expulsus, aduersus venditorem habet regressum. 8. Arrha data, si altera sine alterius consensu à contractu recedit, si quidem emptor sit, perdit quod arrhæ nomine dedit: sin verò sit venditor duplum emptori restituere tenetur. 9. Rescissâ venditione, fructus medio tempore percepti venditoris sunt, non emptis. 10. Periculum & commodum rei venditæ regulariter ad emptorem, non venditorem pertinet. 11. Venditor emptori de euictione tenetur cauere. 12. Si venditor rei conditionem vel vitium dissimulat, aut obscurè loquitur, empti actione tenetur. 13. Si venditor sciens rem sacrã vel publicam vendidit ignoranti, empti actione tenetur. 14. Si venditor emptori rem venditam non tradat, empti iudicio tenetur. 15. Si venditor emptorem in possessione potiorem non præstet, empti iudicio tenetur. 16. Si conuenerit, vt si emptor rem rursus vendere velit, venditor eam redimat, valet pactum, & venditor empti iudicio cogi potest, vt redimat. 17. Duobus vel pluribus vendentibus, aduersus singulos in solidum competit actio empti 18. Venditor fidem non seruans arrham in duplum, cum eo quod emptoris interest, præstare tenetur. 19. Si venditori stipulatio interuenerit, etiam ex stipulatu actio competit. 20. Fructus quoque rei venditæ in empti actionem veniunt. 21. In dubio censetur venditor totam rem, non partem, vel quod in eâ re habet, vendidisse. 22 Fundo vel domo venditâ, ea quoque quæ fundi vel domui accedunt, vel adhærent, eodemque nomine nuncupata sunt, in empti actionem veniunt. 23. Venditor prædii seruitutem emptori præstare non tenetur, nisi in venditione sit expressa. 24. Domo venditâ: statuæ basibus affixæ non debentur. 25. Venditâ domo, hortus quoque domui proximus venditus censetur. 26. Vendito fundo, ripa in modum eius non computatur. 27. Vendito fundo, ius patronatus, quod venditor in Ecclesiâ intra ipsius fundi limites constitutâ habet, ad emptorum pertinet. 28. Ancillâ, equo, oue vel boue venditis, partus vel fœtus etiam debetur emptori. 29. Equo vendito, & sella & cætera ornamenta empta censentur. 30. Vino vendito, dolia in quibus vinum continetur, emptori non debentur, vasa & cupæ debentur. 31. Si nihil de pondere vel mensura rei nominatum conuenit, locus contractus spectatur. 32. Venditâ certa specie adiectâ postea mensura, ipsa species tota debetur, siue plus, siue minus in eâ sit, quàm est in mensura expressum. 33. Pluribus rebus emptis si vna sit vitiosa, ea tantum, non etiam aliæ redhiberi debent. 34. Re aliena vendita & euictâ, venditor emptori tenetur de euictione vel empti actione vel ex stipulatu. 35. Aduersus alium quàm qui vendidit, de euictione actio non competit. 36. Re aliena vel alij obligata à pluribus vendita, si sit euicta, omnes venditores euictionem præstare tenentur: non tamen quilibet in solidum, sed pro parte ciuili. 37. Re euicta emptori in id quod sua interest rem euictam non esse, competit actio. 38. Parte rei emptæ euictâ, de toto agi non potest. 39. Competit de euictione actio non solùm, si emptor à tertio conuentus & condemnatus fuit, sed etiam si emptor rem à tertio petens succubuerit. 40. Non solùm si res emptori euicta est, competit actio, sed etiam si aduersus tertium obtinuit, empti actione agere potest ad expensas litis recuperandas. 41. Re vendita cùm pacto de retrouendendo, ex vendito actio est, vt oblato pretio quo res vendita est, ea restituatur. 42. Venditori ex vendito competit actio ad pretium soluendum. 43. Vsuræ pretij regulariter in venditi actionem non veniunt. 44. Id quod actoris interest pretium suâ die solutum esse in venditi actionem venit.

V I I I. *De hæreditate vendita sunt hæ regulæ.*

Hæreditas vendita.

1. Si hæreditas vendita sit emptori ad eam tradendam empti competit actio. 2. Hæreditate vendita, portio postea adcrescens emptori non debetur. 3. Vendita hæreditate, venditor etiam id quod à debitoribus hæreditariis exigit emptori restituere tenetur. 4. Vendita hæreditate, non veniunt ea quæ antea ex ea hæreditate sunt alienata. 5. Emptori hæreditatis sine cessione vtiles actiones aduersus debitores hæreditarias competunt: cessis autem iis, directæ competunt. 6. Emptor creditoribus hæreditariis non tenetur, sed venditor. 7. Venditâ hæreditate venditor emptori tenetur de eo quod defuncto debuit.

I X. *De actione vendita est hæc regula.*

Actio vendita.

Actione vendita emptori ad eam sibi cedendam empti competit actio.

X. *De pacto legis commissariæ sunt hæ regulæ.*

Pactum legis commissariæ.

1. Si pretium sua die non soluatur, ex pacto legis commissariæ res fit inempta, & venditori ad eam repetendam venditi datur actio. 2. Etiam fructus veniunt restituendi. 3. In arbitrio venditoris est, vtrum lege commissaria vti, an pretium petere velit.

X I. *De adductione in diem est hæc regula.*

Addictio in diem.

Si res in diem addicta sit, meliore conditione allatâ resoluitur venditio.

X I I. *De priuilegiis creditorum hæ sunt regulæ.*

Priuilegia creditorum.

1. Venditis bonis debitoris fisci causa potior est. 2. Dotis causa cæteris præfertur creditoribus. 3. Pupilli causa in tutelæ actione cæteris creditoribus præfertur: vbi sciendum, quòd non solùm bona matris tutricis nuptias iterantis, sed etiam bona noui mariti pupillo tacitè sunt obligata. 4. Is quoque cuius pecunia res est comparata, in eâ re cæteris creditoribus præfertur. 5. Venditor in re venditâ cæteris creditoribus non præfertur. 6. Rem vendicans in eâ re potior habetur. 7. Qui in rem conseruandam vel conficiendam credidit, is eâ in re potior est. 8. Hæres quoque creditoris priuilegiati idem priuilegium prælationis habet, quod habuit defunctus. 9. Is cui res pignori obligata est, in ea re cæteris creditoribus præfertur. 10. Si plures sint creditores personales non hypothecarii, tunc concurrunt, nec tempore priores cæteris sunt potiores: imò posteriores priuilegiati præferuntur prioribus non priuilegiatis. 11. Si fiscus & alius priuilegiatus concurrant: interest vtrum fisci causa sit onerosa, an lucratiua: vt in priore casu fisci causa potior sit, in posteriore causa priuati.

X I I I. *De locatione conductione hæ sunt regulæ.*

Locatio conductio.

1. Ex locatione & conductione oritur locati & conducti actio. 2. Si res locata perierit vel deterior sit facta, conductor locati actione tenetur. 3. Si conductor rem alij locauerit, videtur actione locati teneri. 4. Si conductor pensionem vel mercedem non soluerit, locati actione tenetur. 5. Si finito conductionis tempore conductor rem non restituat, locati actione tenetur. 6. Non solùm locati actione, sed etiam in-

terdicto vti possidetis, & propria authoritate conductorem resistentem locator expellere potest. 7. Locati actio non datur priori locatori aduersus secundum conductorem, qui rem à priori conductore conduxit. 8. Locati actione non plus pensionum nomine exigendum, quàm conuenit. 9. Conductor nisi rem ante sententiam restituerit, in duplum tenetur. 10. Si locator non præstiterit conductori quod in lege conductionis conuenit, ex conducto tenetur. 11. Si locator rem conductam postea alij locauerit, ex conducti actione tenetur. 12. Si conductori re conductâ frui non liceat, ex conducto locator tenetur. 13. Ex conducto actio etiam aduersus hæredem locatoris datur. 14. Si conductor damnum in fructibus percipiendis vel perceptis passus sit: ad remittendam pensionem ei conducti actio datur. 15. Datur item ad remittendam pensionem ex conducto actio, si ob pestem vel bellum domo vel agro frui non licuit. 16. Prorata sterilitatis remissio facienda. 17. Quando quæritur de augenda vel minuendâ pensione propter sterilitatem, vulgi opinione standum est. 17. Locationis species est si quis operam suam locauerit, vel opus faciendum conduxerit. 18. Ex iam dictâ locationis specie datur locati actio, si conductor non fecerit ea de quibus conuenit. 19. Ex iam dictâ locationis specie datur etiam locati actio, si denunciatione factâ ne ager coleretur, conductor nihilominus eum coluerit. 20. Ex iam dictâ locationis specie oritur etiam conducti actio, si locator non soluat mercedem.

Societas.

XIV. *De societate sunt hi canones.*

1. Societas duplici modo contrahitur, tacitè & expressè. 2. Si res aliqua duobus vel pluribus communiter acquiratur, hoc modo societas non contrahitur. 3. Ex societate regulariter actio pro socio nascitur. 4. Pro socio actio competit si damnum quod vnus ex sociis passus est, alter pro sua parte non præstet: vel sumptus, quos vnus fecit, alter pro sua parte non restituat. 5. Tam lucrum quàm damnum omnibus sociis debet esse commune. 6. Si vnus pecuniam, alter operam tantùm contulerit, finitâ societate pecunia seu sors non est communicanda, nisi aliud conuenerit. 7. Socius, qui industriam & laborem pecuniæ, quam alter confert præstat partem sortis deperditæ, alteri non resarciet. 8. Si vniuersaliter societas sit contracta, omnia bona vndecunque acquisita veniunt communicanda, siue expressa, siue tacita sit societas. 9. Actio pro socio hæredibus & in hæredes competit, sed non ius societatis. 10. Vnus ex pluribus sociis, nonnisi pro eâ parte, qua socius est, tenetur. 11. Socius non tenetur vltra sortem in societate positam 12. Socij mei socius mihi socius non est. 13. Finitur societas renuntiatione, itemque morte socij. 14. Finitur etiam societas, si finis negotio, cuius gratia societas inita est, sit impositus.

Mandatum.

XV. *De mandato sunt hæ regulæ.*

1. Mandatum regulariter præsumitur obligatorium, & ex eo mandati actio nascitur. 2. Si mandatarius fines mandati excessit, seu legem mandati non seruauit, mandati actione domino tenetur. 3. Mandatarius etiam leuissimam culpam præstat. 4. Mandatarius præstat factum eius quem substituit in causa mandata 5. In mandati actionem venit id quod mandatoris interest. 6. Mandatarius mandatori tenetur rem mandatoris nomine emptam cum fructibus restituere, quamuis sua pecunia eam emerit. 7. Mandatario quoque aduersus mandatorem contraria mandati actio competit ex causis enumeratis 8. In contrariam mandati actionem venit, quod mandatarius nomine interesse aliis soluit, dummodo solutio ab eo probetur. 9. Vnus ex pluribus mandatoribus in solidum tenetur. 10. Ratione promissi salarij mandatario vel certi condictio competit, vel ex stipulatu actio.

Obligationes, quæ re contrahuntur.

XVI. *De obligationibus quæ re contrahuntur sunt hæ regulæ.*

1. Ex mutuo datur certi condictio. 2. Ex mutuo filius patri, non sibi, quærit obligationem naturalem. 3. Vsuræ ex mutuo non debentur. 4. Mutuum non desinit esse mutuum, licet conuenerit vt res melior vel deterior redderetur.

Verborum obligatio.

XVII. *De verborum obligatione sunt hæ regulæ.*

1. Stipulatio diuiditur in diuiduam & indiuiduam, pro re quæ in eam est deducta. 2. Tot sunt stipulationes, quot res vel summæ in eam sunt deductæ. 3. Stipulatio in annos singulos facta vna est, non plures. 4. Ex stipulatione regulariter oritur actio. 5. Si non præstetur id quod promissum est, actio ex stipulatu datur. 6. Si quis stipuletur alicui nominando, nominatione non facta, ipsi stipulatori actio datur. 7. Si non præstetur quod est promissum, in id quod actoris interest, non ad id quod promissum est, datur actio. 8. Si quis genus stipulatus sit, vel vnam rem ex duabus, putà illam aut illam, promissoris non stipulatoris est electio. 9. Si quis decem aut quinque stipulatus sit, minor summa debetur. 10. Si quis genus stipulatus sit, quid sit in obligatione controuertitur. 11. Promittens quòd stipulator cum duobus equis commodatis habeat tres, tenetur ad quinque equos. 12. Si scriptum sit promisisse aliquem, præsumitur stipulatio facta, & quidem vtilis, nisi contrarium probetur. 13. Stipulatio propriè contractus non est, sed assumit naturam contractus cui interponitur. 14. Stipulatio interpretationem sumit ex materia subiecta. 15. Si quis pœnam stipulatus sit, sub hac conditione: Si opus intra certum tempus, putà biennium, factum non sit: etiam ante tempus, quando constat amplius intra tempus promissum fieri non posse, competit ex stipulatu actio pœnalis. 16. Si quis aliquid dari vel fieri stipulatus sit, & nisi fiat pœnam quoque fuerit stipulatus: in arbitrio ipsius est, vtrum ad rem, an ad pœnam agere velit. 17. Differentia pœnæ conuentionalis & legalis controuertitur. 18. Si factum non sit quod sub pœna promissum est, pœnalis stipulatio committitur. 19. Stipulatio rem habere licere committitur, si stipulatori de re controuersia mota fuerit. 20. Duo rei stipulandi sunt, quorum vtrique stipulanti simul promittitur. 21. Duo rei promittendi sunt, qui se simul obligauerunt, quorum quilibet in solidum tenetur. 22. Vnus reus promittendi, qui solidum soluit, id pro parte ab altero repetere potest; item vnus reus stipulandi qui solidum consecutus est: alteri quod accepit communicare tenetur. 23. Vno ex duobus reis promittendi liberato, liberatur simul & alter.

XIX. *De iure emphyteutico sunt hæ regulæ.*

Ius e[mphy]teuti[cum]

1. Emphyteusis est contractus iuris ciuilis. 2. Emphyteusis est contractus nominatus. 3. Emphyteusis species cognatæ sunt, Feudum, contractus libellarius, censualis, & locatio. 4. Emphyteusis æquiparatur feudo. 5. Differentia emphyteusis & locationis consistit in quantitate pensionis. 6. Locatio ad vitam naturam habet perpetuæ locationis. 7. Emphyteusis regulariter vtilis & validus est contractus. 8. Emphyteusi alienata domino datur ius retractus. 9. Emphyteusi alienata quinquagesima pars pretij vel æstimationis, domino debetur. 10. Emptor, non venditor dictam quinquagesimam soluere debet. 11. Domino defuncto, vsufructuario omnium bonorum, non hæredi, dicta quinquagesima soluenda. 12. Domo cum mobilibus, vel fundo cum fructibus vendito, laudemia non pro tuto pretio debentur, sed tantum pro valore & æstimatione domus vel fundi. 13. Mobilibus domui affixis, item tegulis, lignis & trabibus domus venditis, & postea domo vendita, etiam pro pretio ipsarum rerum antea venditarum laudemia domino debentur. 14. Re emphyteutica permutata, non potest dominus rem permutatam pro laudemio retinere. 15. Emphyteuta prædio emphyteutico seruitutem imponere potest, quæ finitur finita emphyteusi. 16. Augmentum quod accedit prædio emphyteutico, acquiritur domino, non emphyteutæ. 17. Emphyteusis transit ad liberos emphyteutæ. 18. Emphyteusis transit ad hæredes emphyteutæ. 19. Concessa emphyteusi vsque ad tertiam generationem, persona eius cui facta est concessio, connumeratur in prima generatione. 20. Emphyteusis pluribus collata singulis pro virili parte debetur. 21. Emphyteusi per generationem vel tempore finitâ, descendentes vel adgnati confirmationem petere possunt. 22. In emphyteusi non est locus iuri accrescendi. 23. Bonis emphyteutæ publicatis, emphyteusis ad fiscum transit. 24. Stipulato empythensis pro se & filiis suis, filiis non prodest nisi mortuo patre. 24. Pater non potest vni ex filiis prælegare vel donare emphyteusin. 25. Si emphyteuta non soluerit canonem seu pensionem, ius suum amittit. 26. Si emphyteuta non requisito vel nolente domino ius suum alienauerit, eo priuatur. 27. Si emphyteuta rem fecerit deteriorem, iure suo cadit. 28. Si emphyteuta religionem ingrediatur emphyteusis expirat. 29. Si emphyteuta emphyteusin negauerit, vel possessionem domino interuerterit, iure suo cadit. 30. Si alia causa in instrumento sit expressa, eâ superueniente emphyteusis extinguitur. 31. Si emphyteuta domino Apochas fiscales intra triennium non reddiderit, iure suo cadit. 32. Si emphyteuta ius suum à domino recognoscere nolit, iure suo cadit. 33. Hæredi domini non datur actio ad reuocandam emphyteusin. 34. Aduersus hæredem emphyteutæ datur actio ad reuocandam emphyteusin. 35. Vno ex pluribus emphyteutis emphyteusin committente, aduersus omnes datur actio. 36. Prædio emphyteutico pro parte abalienato, nonnisi pars alienata in commissum incidit. 37. Fructus quoque in actionem propositam veniunt à die commissi prædij. 39.

dij. 38. Probatio soluti canonis emphyteutæ, non domino incumbit. 39. Ad emphyteusin commissam repetendam domino condictio ex lege competit. 40. Potest item dominus rem commissam propriâ authoritate occupare. 41. Si dominus repetierit prædium emphyteuticum ex causâ commissi, nihilominus præteritorum annorum pensionem petere potest. 42. Emphyteusis præsumitur si quis per triginta annos vniformem canonem soluerit. 43. Emphyteuta ius suum inuito domino non potest refutare. 44. Emphyteuta rei vendicationem habet.

X X. *De innominatis contractibus sunt hæ regulæ.*

...tus ...ati.

1. Vtrum sit contractus nominatus, an innominatus ex genere actionis consideratur: nam si præscriptis verbis actio est, contractus dicitur innominatus: sin alia competit actio, putà empti, venditi, locati, conducti, & contractus dicitur nominatus. 2. Contractuum innominatorum quatuor sunt genera: Do vt des, do vt facias: Facio vt des & facio vt facias. 3. Contractuum innominatorum proprium est, quòd re integrâ pœnitentiæ locus sit. 4. In actionem præscriptis verbis venit id quod actoris interest. 5. Huius actionis species est: Si res æstimata vendenda vel permutanda sit data, vt pretium vel lucrum communicaretur, si non contrahendæ societatis animo data sit. 6. Huius actionis affine remedium est, condictio causâ dati non secuta.

X X I. *De donationibus hæ sunt regulæ.*

1. Donatio diuiditur in eam quæ fit traditione, & in eam quæ fit solâ promissione. 2. Donatio propriè non est contractus. 3. Donatio est contractus nominatus; nempè improprius. 4. Donatio conditionalis non est propriè donatio. 5. Donatio reciproca, item remuneratoria non est propriè donatio. 6. Re donatâ euictâ, actio datur donatario aduersus donatorem de euictione. 7. Donatarius donatorem omnium bonorum alere tenetur. 8. Ex donatione datur actio donatario ad rem donatam tradendam, & exceptio ad rem retinendam. 9. Donatio sponsæ à consanguineis sponsi facta, soluto matrimonio hæredibus sponsi non sponsæ debetur. 10. Donatio facta nepoti ab auo non acquiritur patri. 11. Donatio ambasiatoribus facta ipsis, non principi acquiritur. 12. Omnibus bonis donatis non veniunt ea quæ in generali obligatione non venirent. 13. Donatio generalis non continet rem donatori ex causâ fidei commissi debitam. 14. Donatio rerum mobilium & immobilium non continet iura & actiones. 15 Donans rem alienam nonnisi ius quod in eâ re habet, censetur donare nec debetur æstimatio rei, quemadmodum in legatis. 16. Actione personali donatâ, etiam hypothecaria donata censetur: sed non contrà. 17. Donator non nisi in id quod facere potest, ex causâ donationis tenetur. 18. Donatio fundi trium iugerum, etiam si plura sint iugera omnia comprehendit. 19. In actione proposita merita probanda sunt ab eo, cui aliàs donari non potest, nisi ob bene merita. 20. Qui asserit donatorem facere posse hoc probare debet. 21. In dubio præsumitur donatio inter viuos non mortuis causâ facta. 22. Donationis interpretatio latissima est contra donantem. 23. Condictio ex l. si quis argentum C. de donatione competit. 24. Si donatio ita facta sit, vt casu aliquo contingente res donata vel eius pars ad tertium peruenerit, casu contingente tertio datur condictio, non vendicatio. 25. *Donatio inter virum & vxorem* regulariter quidem inutilis est.

X X I I. *De fideiussoribus & mandatoribus hæ sunt regulæ.*

...ores ...to-

1. Fideiussorum varia sunt nomina 2. Fideiussorum quatuor sunt genera. 3. Si quis pro aliquo fideiussit, vel vt alij crederetur mandauit, eo nomine actione ex stipulatu fideiussoriâ vel mandati tenetur. 4. Etiam hæres fideiussoris propositâ actione tenetur. 5. Fideiussor in suo non debitoris foro est conueniendus. 6. Fideiussor aduersus eum pro quo intercessit, mandati vel negotiorum gestorum habet actionem, vt indemnis præstetur. 7. Mulier quæ pro alio intercessit, vel res suas obligauit, exceptione SC. Velleiani defenditur.

X X I I I. *Quod cum eo, qui in alienâ potestate est, negotium gestum esse dicetur.*

...dum ...ge- ...qui ...liena ...te.

1. Pater filij nomine nonnisi quatenus in peculio filij est, conueniri potest. 2. Si quis aliquem tabernæ aut cuilibet alij negotiationi præposuit, quoque cum eo eius rei causâ contractum est, eo nomine aduersus præponentem dominum institoria competit actio. 3. Vnus ex pluribus dominis præponentibus institoriâ actione in solidum tenetur.

X X I V. *De adiunctis contractuum hæ sunt regulæ.*

Contractu adiuncta.

1. *Pacta* omnia sunt ex conuentione, nulla ex naturâ contractûs: tametsi contrahentes interdum etiam paciscantur expresse de his, quæ sunt de naturâ contractûs, eique insunt, etsi de illis conuentum non sit. Quò pertinent duæ illæ iuris regulæ: *Ea quæ abundant, non nocent: Ea quæ dubitationis tollendæ causâ contractibus inseruntur, ius commune non lædunt.* 2. In contractibus id sequimur, quod actum est: at si non appareat, quid actum sit, sequimur id, quod in quolibet contractu ius nos sequi voluit. Itaque vel conuentio hominum, vel ius ipsum legem dat contractui. 3. Conuentio hominis præfertur dispositioni iuris; quia ius illam sibi præferri voluit, non tamen simpliciter, sed quatenus iuri è diametro non est contraria. 4. Pacta cùm facti sint, certâ regulâ definiri non possunt. Ad duo tamen genera reuocari solent: vt vnum sit eorum pactorum, quibus contractus informatur, alterum eorum, quibus probatur. 5. Affectiones contractuum communes sunt culpa, casus fortuitus, & periculum. 6. In contractus omnes ac singulos veniunt dolus & culpa lata: sed in quosdam nonnisi dolus & culpa lata, vt in depositum & precarium. Casus fortuitus in nullum venit, præterquam in mutuum. 7. Præter dolum & culpam latam venit etiam culpa leuis, sed non leuissima, in emptionem venditionem, pignus, locationem conductionem, societatem, rei communionem, & dotis dationem. 8. Omnia illa, & dolus, & culpa lata, & culpa leuis, & culpa leuissima in commodatum, tutelam, mandatum, & negotiorum gestionem veniunt. 9. *Mora* est culpa non respondentis ad conuentionem opportunam debitoris vel creditoris. 10. An mora sit facta, neque constitutione vllâ, neque iuris authorum quæstione decidi potest, cùm sit magis facti quàm iuris: ideoque apud iudicem examinabitur. 11. Cùm mora est facta, triplicem ferè habet effectum: vnum, vt producat & perpetuet obligationem: alterum, vt in bonæ fidei iudiciis vsurarum cursum vel excitet vel sistat: & tertium, vt fructus rei principales debeantur. 12. Mora facta ipso iure non purgatur, sed æquitate 13. Mora purgatur, seu emendatur, cùm ex morâ contracta culpa re integrâ sic eluitur, vt eius omnis pœna euitetur. 14. In omnibus contractibus haberi potest ratio. *Interesse*, quacunque etiam culpâ quid commissum sit. 15. Interesse est facti, adeoque incertum semper, atque difficilis eius æstimatio & taxatio, iudicisque arbitrio relicta. 16. *Vsura* conceditur creditori ad compensationem eius, quod ipsius interfuit vsu sibi debitæ pecuniæ caruisse, dum eam debitor retinebat. 17. *Fœnus* in contractu tantùm mutui locum habet.

C A P V T X V.

De Obligatione per delictum.

P R Æ C E P T A.

Expositus est acquirendæ de iure obligationis modus vnus, qui conuentionis est: sequitur alter qui delicti.

Delictum est offensio contra ius illata: & aliâs dicitur maleficium.

Hæc offẽsio facit, vt is qui eam fecit, obligetur vel reipublicæ, vel homini priuato, vel vtrique simul.

R E G V L Æ.

I. *Delictorum doctrina proponitur, vt intelligatur obligatio ex illis proficiscens, atque hæc iterum, vt intelligatur actio, quæ ex obligatione illa oritur.* Delictorum doctrina cur proponatur.

Oportebat itaque hoc loco delicta in specie commemorare. Sed quia commodior eius rei tractatio futura est, vbi agitur de statu reip. turbato (quæ doctrina mox sequitur) eo reiecimus particularem delictorum commemorationem. Quanquam satis est hoc loco scire, quòd obligatio oriatur, ex delictis, & quidem obligatio simplex, vel composita. Illa est, cùm delicta sunt vel publica tantùm, vel priuata tantùm: hæc, quando sunt mixta. Sunt enim delicta quædam, ob quæ vtplurimùm ratione publici interesse, quædam ob quæ vtplurimùm ratione priuati interesse, quædam ob quæ, ratione vtriusque interesse agitur,

II. *De obligationibus ex delicto descendentibus hæ sunt regulæ.*

Obligationes ex delicto.

1. Iudicia ex delicto descendentia partim publica sunt, partim priuata. 2. Similis diuisio est, quâ actiones ex delicto descendentes

ſcendentes diuiduntur in ciuiles, criminales, & mixtas. 3. Diuiduntur item delicta in Eccleſiaſtica, ciuilia, & mixta ſiue communia: item in nominata & innominata, in leuia, grauia ſeu atrocia, & atrociſſima. 4. Contumacia non eſt delictum. 5. Ignorantia non eſt delictum nec punitur. 7. Ex delicto regulariter datur actio pœnalis. 8. Ei datur actio pœnalis, qui læſus eſt, & cuius contemplatione pœna eſt impoſita. 9. Actio pœnalis etiam hæredibus læſi datur. 10. Ex delicto vnius aduerſus alium non datur actio. 11. Si plures aduerſus vnum deliquerint, omnes in ſolidum tenentur, nec vnus ſolidum ſoluendo alterum liberat. 12. Si vnus ex reis ſoluendo non exiſtat, cæteri pro eo non tenentur. 13. Actioni ex delicto deſcendenti obſtat temporis præſcriptio. 14. Ex delicto tam ciuiliter, quàm criminaliter agi poteſt.

CAPVT XVI.

De Obligationis diſſolutione.

PRÆCEPTA.

SEquitur *obligationis diſſolutio*, quæ eſt liberatio ab obligatione.

Modus diſſoluendæ obligationis eſt communis, vel proprius.

Communis eſt, qui in omni obligatione, ex quàcunque tandem causâ ſit ſiue modo, locum habet. Itaque iſto modo tollitur obligatio conuentionis & delicti.

Eſtque primi vel ſecundi generis. Ibi eſt modus, quo perimitur omnis obligatio ipſo iure: hîc perimitur ope exceptionis. Ibi ſunt ſolutio, acceptilatio, nouatio, confuſio, compenſatio, tranſactio, & capitis diminutio: hîc ſunt exceptio pacti, exceptio rei iudicatæ, exceptio præſcriptionis, & exceptio liberationis teſtamento datæ.

Solutio eſt ſatisfactio naturali præſtatione debiti legitimè facta: debiti, inquam, vel ex obligatione ipſa, vel ipſius occaſione.

Eſtque ſolutio obligationis conuentionis, & nominatim contractûs, vel delicti.

Solutio obligationis conuentionis eſt, quâ præſtatur res, qualiſcunque demum illa ſit, de quâ conuentum eſt.

Solutio obligationis delicti eſt, quâ præſtatur debitum, vel rei ipſius circa quam delictum commiſſum eſt, vel damni in eâ dati, & verò etiam pœnæ.

Acceptilatio eſt ſolutio imaginaria, in quâ non eſt præſtatio naturalis, ſed eius loco interueniunt verba: ita vt acceptilatio ſit ſolutio verbis facta.

Nouatio eſt prioris debiti in aliam obligationem tranſlatio.

Eſtque ſimplex, vel miſta.

Nouatio ſimplex eſt, quâ prioris obligationis cauſa vel ſtatus mutatur, nullâ creditoris vel debitoris factâ mutatione.

Miſta eſt, quâ obligationis causâ mutatâ mutantur etiam contrahentes, & vel vterque tam creditor quàm debitor, vel ex illis alteruter.

Iſta mutatio non fit ſine delegatione, quæ eſt mandatum, quo creditor debitorem iubet id quod ſibi debet, promittere alteri.

Confuſio obligationis eſt, quando debitor creditori, vel creditor debitori hæres exiſtit, vel vnus vtrique.

Compenſatio eſt debiti & crediti inter ſe vltrò citróque facta contributio.

Tranſactio eſt rei dubiæ definitio dato aliquo & aliquo retento.

Capitis diminutio eſt diſſolutio, quâ debitor deportatus, in exilium ire iuſſus, ad opus publicum damnatus, aut in ſeruilem ſtatum deductus, liberatur ab obligatione.

Exceptio facti eſt exceptio actioni ipſo iure competenti obiecta, ex eo quòd pacta iam antè conueniſſe eo nomine, ſuper quo factum eſt, ageretur.

Exceptio rei iudicatæ eſt exceptio oppoſita actioni, à quâ is qui conuenitur iam ante ſententia iudicis, à quâ appellatum non eſt, abſolutus eſt.

Exceptio præſcriptionis eſt exceptio oppoſita actori, qui tempora actioni illi præſcripta labi paſſus eſt.

Exceptio liberationis teſtamento datæ, quâ debitor liberatur, ex quâcunque causâ debeat, ſi liberatio ipſi legetur, eſt exceptio iſti liberationi oppoſita.

Modus tollendæ obligationis proprius, ſeu ſpecialis, eſt, quo alterutra obligatio, conuentionis nimirum vel delicti, non vtraque diſſoluitur.

Eſtque conuentionis, vel delicti.

Modus ſpecialis diſſoluendæ obligationis conuentionis diſſoluit obligationem vel ipſo iure, vt oblatio & obſignatio, interitus ſpeciei debitæ, exemptio rei debitæ, & ceſſio: vel ope exceptionis, vt iuſiurandum.

Oblatio & obſignatio eſt pecuniæ debitæ oblatæ, ſed à creditore non acceptæ.

Interitus ſpeciei debitæ debitorem liberat, ſi res debita abſque morâ, culpâ, aut facto debitoris pereat.

Exemptio rei debitæ eſt, cùm res debita citra moram, culpam, factumve debitoris commercio hominum ſubducitur.

Ceſſio eſt iuris ſui, quod debitor habet, abdicatio.

Iuſiurandum eſt aſſeueratio religioſa: qui eſt vnicus modus, quo obligatio conuentionis ope exceptionis diſſoluitur.

Modus ſpecialis diſſoluendæ obligationis delicti eſt mors naturalis.

REGVLÆ.

I. *De diſſolutionis obligationes ſunt hæ regulæ.*

1. Obligationi opponitur liberatio. 2. Modi obligationis conſtituendæ ſunt conuentio & delictum: liberationis autem modus eſt ſatisfactio, quæ omnia in facto ſunt poſita. 3. Liberatio eſt obligationis iure conſtitutæ iure facta diſſolutio. 4. Liberatio fit ſatisfactione. 5. Satisfactio eſt eius, quod occaſione obligationis inſtitutæ debetur, præſtatio. 6. Præſtatio fit verè vel quaſi. Hinc ſatisfactio eſt vera vel quaſi. Illa eſt ſolutio: hæc vicem ſolutionis obtinet. 7. Obligatio tollitur iure, vel ope exceptionis. Ibi nulla ampliùs datur actio, multò minùs exactio: hîc actio quidem datur, ſed ſi actioni conceſſæ exceptio obiiciatur, nulla exactio, imò exactio etiam, ſi exceptio non opponatur.

II. *De ſolutione ſunt hæ regulæ.*

1. Solutio alia eſt in obligatione conuentionis, alia in obligatione delicti. 2. *in obligatione conuentionis* eſt res, qualiſcunque demum illa ſit, de quâcunque conuentum ſit. 3. Præſtatio debiti eſt ita naturalis, vt debeat etiam eſſe legitima. 4. Quiuis adminiſtrationem rerum ſuarum habens, ſoluere poteſt debitum, ſiue ab ipſo, ſiue ab alio. 5. Debitum ſoluere quis poteſt, vel ipſe obligatus eſt vel pro ipſo alius. 6. Soluitur debitum creditori, & quidem cuique, ſi ſanæ mentis ſit, & ætatis iuſtæ. 7. Rectè ſoluitur non creditori tantùm, ſed etiam procuratori eius. 8. Solutione eius quod debetur, obligatio tollitur. 9. *In obligatione delicti* ſoluitur debitum vel ipſius rei circa quam delictum commiſſum eſt, vel ipſius, vel damni in eâ dati, & verò etiam pœnæ. Pœnæ autem in delicto omni: rei nonniſi in delicto circa rem commiſſo. Et rei quidem, vt ſi ablata eſt, reſtituatur: ſi læſa, damnum & intereſſe præſtetur.

III *De acceptilationibus hæ ſunt regulæ.*

1. Acceptilatione tollitur obligatio. 2. Si vni ex iis qui eandem pecuniam debent, acceptilatum ſit, liberatur & alter: 3. Acceptilatio verbis perficitur: fit enim ſtipulatione. 4. Acceptilatio eſt ſtipulatio, quâ creditor debitori debitum accepto tulit. Quæ res ita geritur, interrogante v. gr. debitore, *Decem quæ tibi promiſi accepta habes vel facis?* & creditore reſpondente, *Habeo vel facio.*

IV. De

III. *De nouationibus hæ sunt regulæ.*

1. Nouatio fit aut in persona debitoris, aut in persona creditoris, aut in re debita, aut in tempore vel conditione obligationis. 2. Nouatione tollitur obligatio, & liberatio contingit. 3. Si quis creditori suo debitorem suum delegauerit, vel creditor ab alio sit stipulatus, quod alius ei debet, debitor delegans liberatur. 4. Si quis debitorem suum alij delegauerit, ipsi aduersus eum denegabitur actio. 5. Nouatur item actio, si dies aut conditio ei adiiciatur.

IV. *De transactionibus hæ sunt regulæ.*

1. Transactio regulariter valet, paritque exceptionem. 3. Ex transactione inducitur nouatio. 3. Re cuius nomine transactio facta est, euicta, euictionis actio denegatur. 3. Transactio semper est de re aliqua, eâque controuersâ. 4. Transigere vel paciscí licet etiam de crimine capitali, excepto adulterio: in aliis autem publicis criminibus, quæ sanguinis pœnam non ingerunt, transigere non licet citra falsi accusationem.

V. *De compensatione sunt hi canones.*

1. Compensatione vtitur, qui vicissim sibi habet obligatum eum, qui petit. 2. Tam in priuatorum, quàm ciuitatum & fisci causis compensatio locum habet. 3. Ex omni obligatione actioneque compensatio rectè fit: exceptâ depositi causâ. 4. Compensatio in omni causa admittitur, si debitum vtrinque sit liquidum. Siquidem liquidi ad illiquidum compensatio non conceditur. 5. Æqualia quoque debita inter se compensantur.

VI. *De liberationibus hæ sunt regulæ.*

1. Liberatio alia ipso iure actionem tollit, alia exceptionis ope. 2. Solutione transfertur dominium, nec res in solutum data repeti potest. 3. Solutione factâ debitor chirographum condicere potest. 4. Creditor actiones suas, quas aduersus alium eius crediti nomine habet, soluenti cedere tenetur. 5. Solutione regulariter contingit liberatio. 6. Si cùm ex pluribus causis deberetur, pars debiti sit soluta, non expressâ causâ, ex qua soluatur: tunc enim in duriorem causam accepto ferendum.

VII. *De reliquis causis liberationum hæ sunt regulæ.*

1. Si debitor pignoribus cesserit, eaque creditori in solutum dederit, vel vendiderit liberatur. 2. Si creditor debitori ad extorquendum debitum vim adhibuit, ius crediti amittit. 3. Si creditor debitorem defunctum sepeliri impediuit, si acta falsauit vel corrupit, causa cadit. 4. Si testes corrupit vel instrumenta falsificauit, causâ cadit actor vel reus. 5. Si creditor clericum debitorem ad ciuilem iudicem ius vocauit, causâ cadit. 6. Si creditor ex testamento debitoris legatum petierit, ius crediti amittit. 7. Si debitor instrumentum obligationis vel chirographum recepit, defenditur per exceptionem. 8. Si omnibus creditoribus sub pœna perpetui silentij ad certum tempus citatis, quidam ex iis constituto tempore non adsint, aduersus hos debitor exceptione defenditur. 9. Si chirographum sit deletum vel cancellatum, debitor præsumitur liberatus. 10. Si debitor sit capite diminutus, vel bona eius sint confiscata, ipsi aduersus suos creditores datur exceptio. 11. Si debitor omnibus bonis sit spoliatus interim dum restituatur exceptione defenditur.

VIII. *De oblatione & obsignatione sunt hæ regulæ.*

1. Oblatio & obsignatio vt effectum habeat, non sufficit vt verbis tantùm fiat, sed præterea requiritur vt obsignata deponatur. Tametsi oblatio sola sufficit, vt debitor liberetur à periculo, si postea contingat rem oblatam perire. 2. Obsignatio vt effectum habeat, legitimo modo & solenniter fieri necesse est.

IX. *De confusione obligationum hæ sunt regulæ.*

1. Si creditor debitori, vel contra debitor creditori hæres extiterit, confunditur obligatio & extinguitur actio. 2. Si fideiussor debitori hæres extiterit, confunditur obligatio fideiussoria, non principalis.

X. *De rei debitæ interitu hæ sunt regulæ.*

1. Si res debita interierit, liberator debitor vel saltem exceptione defenditur. 2. Interitus speciei debitæ debitorem liberat: speciei, inquam, quoniam quantitas nunquam perit. 3. Tum verò liberat, si res debita absque morâ, culpâ, aut facto debitoris pereat.

XI. *De iureiurando teneatur hoc loco ista regula.* Iusiurandum.

Iusiurandum de re controuersâ interpositum, siquidem debitor creditore deferente iurauerit se non debere, non facit vt ipso iure obligatio, si qua est, tollatur, sed iuranti ex iurisdictione prætoris exceptio accommodatur, quâ creditorem agentem repellat, vt de eo debitum fuerit necne, ampliùs non quæratur.

XII. *De morte naturali hæc teneatur regula.* Mors naturalis vt tollat obligationem.

1. Morte naturali delictum demortui omni modo extinguitur, vt ex eo aduersus hæredes ipsius agi non possit, nisi quid ex causâ delicti ad hæredem peruenerit, aut lis cum defuncto cœpta sit: tametsi tum obligatio magis conuentionis esse videatur, quàm delicti. In crimine tamen lææ maiestatis post mortem etiam inquiritur, mortuíque fama damnatur.

CAPVT XVII.

De Delictis.

PRÆCEPTA.

Vidimus media iuris prudentiæ circa statum reip. integrum: supersunt media circa statum reipub. turbatum, vbi est morbus, & remedium. Morbus est delictum: remedium est pœna & iudicium.

Delictum est offensio contra ius illata.

Estque proprium, vel improprium.

Delictum proprium est, quod delinquentis dolo admittitur.

Estque nominatum, vel innominatum.

Delictum nominatum est, quod certum in iure nomen habet.

Estque proprium vel commune.

Delictum proprium est, quod pertinet ad causam publicam tantùm, vel ad causam priuatam tantùm.

Causa publica est sacra, vel profana.

Circa causam sacram delictum committitur vel quantum ad doctrinam cultúmque vt hæresis, schisma, periurium, & apostasia: vel quantum ad res sacras, vt sacrilegium & sepulchri violatio.

Circa causam publicam profanam delictum committitur vel quantum ad statum reipublicæ, vt crimen læsæ maiestatis, perduellio, rebellio, ambitus, coniuratio, collegio illicita, & receptatio: vel quantum ad res ipsas, vt peculatus, crimen residuorum, annonæ flagellatio, & monopolium.

Delictum circa causam priuatam committitur vel circa personas priuatas, vt plagium, vulneratio, homicidium, parricidium, præuaricatio, tergiuersatio, calumnia, concussio, Sodomia, adulterium, stuprum, fornicatio, concubinatus, polygamia, incestus, raptus: vel circa res, vt hæreditatis expilatio, termini motio, crimen repetundarum, furtum, abigeatus.

Delictum commune est, quod committi potest circa causas & priuatas & publicas: vt praua suasio, iniuria, rapina, damnum iniuriâ datum, vis, crimen falsi, veneficium.

Delictum innominatum est, quod nullum in iure nomen habet.

Estque stellionatus & dolus malus: quæ vtraque appellatio est generalis, & non vni factorum generi, sed pluribus communis.

Stellionatus est delictum, cuius nomine agitur publicè & criminaliter.

Dolus est delictum, cuius nomine agitur priuatim & ciuiliter.

Delictum improprium est, quod committitur

sine

sine dolo, sed non sine culpâ.

REGVLÆ.

Delicta in genere.

I. *De delictis in genere sunt hæ regulæ.*

1. Etsi offenso priuato, vix est vt non videatur etiam offensa esse respublica, vt vicissim, offensâ republicâ, offenduntur etiam eius reipublicæ singuli ciues: tamen est quædam offensio magis rei priuatæ, quædam magis reipublicæ. Atque hinc delictum publicum est offensio publicæ rei, priuatum, offensio rei priuatæ. 2. Hæc offensio facit, vt is qui eam fecit obligetur vel reipub. vel homini priuato, vel vtrique. 3. Ex quâ obligatione actio datur reipub. vel homini priuato, vel vtrique. Et ista actio instituitur ordinariè vel extraordinariè, criminaliter vel ciuiliter. 4. Omne delictum in facto est positum. 5. Non omnis offensio delictum est, sed quæ contra ius infertur, idque scienter, & ex proposito. Nam animus & propositum distinguit maleficia. Et prout animus offendendi affectus fuerit, ita delictum censetur grauius vel leuius. 6. Cogitationis delictum nullum est: conatus, quia dolum & propositum sibi habet adiunctum, plerumque. 7. Bruta, infantes, furiosi, & dormientes non delinquunt. 8. Ebrius reuera delinquit: etsi in actionis executione ebrius ab ebrioso distinguitur. 9. Etsi quis sit intelligens, tamen non ignorans quid faciat, quo offensio fiat, non censetur delinquere regulariter. 10. Magistratus officium suum ritè faciens non delinquit. 11. Non solum is, qui factum ipsum exercuit, sed etiam is, qui iussit, persuasit, curauitque quid fieri, delinquere censetur. 12. Sæpe fit, vt aliquis ex eodem delicto obligetur non vni tantum, sed etiam pluribus. 13. Omne delictum est ab homine, idque ex proposito & voluntate eius iuri contrariâ, idque iterum dolosè plerumque, quandoque, sed rarius, culpâ, & multò rarius casu. 14. Propriè delictum dicitur, quod perfectum est: imperfectum, conatûs appellationem accipit, qui inter cogitationem delinquendi & delictum ipsum est quasi intermedius.

Delicta circa causas publicas sacras.

II. *De delictis circa causas publicas sacras hæ sunt regulæ.*

1. *Schisma* est separatio ab vnitate & communione Ecclesiæ, facta citra errorē in fundamento doctrinæ. 2. *Hæresis* est pertinax erroris in doctrinæ Christianæ articulo fundamentali defensio. 3. *Apostasia* est à Christianâ religione defectio: eaque totalis vel particularis. 4. *Periuriū* est nominis diuini in vanum assumptio. 5. *Sacrilegium* est fraudulenta rei sacræ animo lucrandi facta contrectatio. 6. Sacrilegium ex qualitate æstimatur, non ex loco. Nam rei sacræ contrectatio in loco non-sacro facta sacrilegium dicitur. 7. Sacrilegium est verum vel quasi. Illud est rei, quæ reuerâ sacra est: hoc est rei, quæ pro sacrâ habetur: putâ contemptus & violatio constitutionum principis, disputatio de potestate principis, disputatio an iudex sit idoneus, quem princeps elegit. 8. *Sepulchri violatio* aut est hominis in eo loco sepulti, aut loci ipsius, aut rerum eo in loco depositarum.

Delicta circa causas publicas profanas.

III. *De delictis circa causas publicas profanas hæ sunt regulæ.*

1. Delicta in statum reip. committuntur, quando illa quæ ad statum publicum pertinent, euertuntur, aut certè deteriora redduntur. 2. *Crimen læsæ maiestatis* committitur à subdito in maiestatem eius, qui reip. præest. Estque verum vel quasi. Illud in principem summum cōmittitur: hoc in magistratus, qui in suo statu principum iure quodammodo vtuntur. 3. Læso statûs principe, ipse status simul læsus esse putatur. 4. *Perduellio* committitur in vniuersum reip. statum, adeoque in illos qui præsunt & subsunt: & positum est in statûs immutatione, vt si ex statu democratico quis conetur facere monarchicum. 5. *Rebellio* subditorum aduersus eos qui iurisdictioni præsunt seditiosa contumacia. 6. *Ambitus* spectatur in modo illicito petendi honores & magistratus: quo nempe honoris aut magistratus authoritas immunuitur. 7. *Coniuratio* est conspiratio illicita contra statum reip. 8. *Collegia illicita* sunt sodalitates hominum complurium, sine authoritate publica conflatæ. 9. *Receptatores* sunt hominum facinorosorum occultæ receptiones. 10. *Peculatus* est furtum pecuniæ publicæ vel fiscalis, factum ab eo, cuius illa periculo non fuit. 11. *Crimen residuorū* est pecuniæ publicæ retentio, quæ apud aliquem ex administratione resedit, in publicum non relatæ. 12. *Annonæ flagellatio* fit ab eo, qui frumentorum aliarumue rerum emptionem venditionem facit cariorem. 13. *Monopolium illicitum* est, cùm vnus aut plures socii arbitrio suo vendunt, reique pretium statuunt.

Delicta circa personas priuatas.

IV. *De delictis circa personas priuatas commissis hæ sunt regulæ.*

1. *Plagium* est crimen, quo quis sine vi, dolo malo, sciens abducit ingenuos aut liberos homines, & vendit pro seruis, aut opprimit: vel quis seruos alienos abducit sine vi, & fugam persuadet, aut fugitiuos celat. 2. *Vulneratio* est vulneris inflictio, quæ quidē fit corpori. Eius species sunt *circumcisio* & *castratio*. 3. *Homicidium in specie* est cuiusuis hominis, qui non est necessitudine aliquâ coniunctus. Estque verum vel quasi. Homicidium verum est, cùm homo reipsâ occiditur. Estque voluntarium vel casuale: & illud est sine causâ, vel ex causâ item suipsius, vel alterius 4. *Parricidiū* est cædes hominis necessitudine coniuncti. Estque verum, vel quasi: & illud inter parentes & liberos committitur. 5. *Præuaricatio* est causæ quæ agitur maliciosa proditio 6. *Tergiuersatio* est accusationis publicæ, iudicio iam ordinato ab accusatore citra abolitionem facta desertio 7. Tergiuersatori seu desertori similis est *morator*, qui intra tempus legitimum non peragit reum, quem semel detulit. 8. *Calumnia* est obtrectatio malitiosè alicui facta ab aliquo: idque in iudicio, vel extra iudicium. 9. *Concussio* est terror iniectus alicui pecuniæ aut alius alicuius rei extorquēdæ causâ 10. *Raptus* est violenta fœminæ abductio libidinis explendæ causâ. Estque solus, quem coitus non sequitur: vel coniunctus cum coitu. 11. *Coitus illicitus* est, qui, improbatur naturâ vel legibus. Itaque huc pertinent, commixtio sexus eiusdē, commixtio hominis cum bruto animante, adulterium, stuprum, concubinatus, fornicatio, polygamia, incestus. Ex his *adulterium* est coitus cum aliena vxore: *stuprum in genere* est coitus illicitus inter personas vtrinq; solutas, aut certè marem coniugatum, fœminam verò solutam: *stuprum in specie* committitur in virginem, aut viduam honestè viuentem, aut puerum: *concubinatus* est coitus cum fœmina honesta, cum qua matrimonium erat licitum, citra matrimonij affectionem; qui hodie etiā stuprum est: *fornicatio* est stuprum cum meretrice: *polygamia* est, cùm mas vel fœmina eodem tempore in duobus pluribusue est matrimonijs, siue consummata illa sint, siue sponsalibus duntaxat perfecta: *incestus* est coitus illicitus inter personas sanguine aut necessitudine, ex qua inter ipsos matrimonium constare nequeat, coniunctas. Estque iuris gentium, vel ciuilis. Ille incestus committitur inter liberos & parentes & eos qui sibi inuicem sunt loco liberorum & parentum: hic est inter collaterales. 12. Coitus illicitus sæpenumero conciliatur *lenocinio*, quod Iustiniano dicitur castitatis furtum & latrocinium. 13. *Crimen expilatæ hæreditatis* est rerum hæreditariarum mobilium post mortem defuncti ante hæreditatem, vel aditam quidem, sed possessionem earum nondum apprehensam, ab aliquo facta subtractio. Dicitur etiam *furtum improbius*. 14. *Crimen repetundarum* est, quod committitur ab aliquo dum est cum magistratu, potestate, curatione, legatione, vel quo alio officio publico. 15. *Furtum* est rei alienæ dolo malo facta contrectatio. Estque manifestum vel nec manifestum: diurnum, vel nocturnum: domesticum, vel non domesticum: in tumultu, in balneo &c. furtum cæsarum arborum, vel pecorum, quod dicitur abigeatus, vel præter hæc aliud quoduis. Est etiam quoddam furum genus, qui à modo furandi dicuntur *saccularii*, qui ex sacculis alienis suppilant pecunias, similes *sectoribus zonariis*.

V. *De delictis communibus hæ sunt regulæ.*

1. *Commune delictum* est, quod committitur circa causas & priuatas & publicas. Causas autē intelligimus personas & res. Personæ publicæ sunt, quæ sunt cum officio: priuatæ, quæ officio subsunt. Res publicæ sunt, quæ ad statum reip. tuendum spectant: priuatæ, quæ ad vtilitatem singulorum. 2. *Praua suasio* est consilium fraudulentum alteri datum, 3. *Iniuria* est delictum in contumeliā alterius admissum. Committitur autem verbis vel re: vnde iniuria est verbalis vel realis 4. Iniuria committitur re, in corpus alterius, idq; vel suum, vel alienum: vt si qui iniuriet maritum, vel vxorem. Nā iniuria vxori illata, pertinet ad maritum. 5. Verbis iniuria committitur vel voce, vel scripto, & hic est libellus famosus, & pictura famosa. 6. *Libellus famosus* est scriptum conuitiosum quoquo modo verbis intelligibilibus expressum. 7. *Pictura famosa* est, qua nulla quidem verba exprimuntur, eiusmodi tamen aliquid in contumeliam alterius pingitur, ex quo mens & animus iniuriandi facilè appareat. 8. Iniuria ex ratione circumstantiarum, maximè loci, temporis, vel personæ, est atrocior vel leuior. 9. Iniuria præsumitur facta iniuriandi animo, nisi contrarium probetur, aut circumstantiæ aliud suadeant. 9. *Rapina* est rerum, vti raptus est personarum. Estq; furtum improbius Nam furtum fit clam, vel saltam eâ intentione vt homines lateat. Sed rapina committitur vi apertà 10. *Damnū præter ius datum* (nam datur aliquando iure, vel immittitur diuinitùs) est quod datur à quadrupede, & dicitur *pauperies*: & nō habet rationem delicti. At *damnū contra ius datum* est delictum, & definitur damnum, quod alterius culpa sentit. Dicitur etiam *damnum iniuriâ datum*, quod datur personis vel rebus, & his animatis, vel inanimatis. Eius species sunt incendium & effractio. 11. *Incendium* est damnum igne culpa vel dolo alterius excitato aut supposito datum. 12. *Effractio* est damnum datum ab his, qui perfringunt fores carcerum ad aufugiendum, vel domorum ad furandum Hic adiunguntur *Expilatores*, qui sunt præ

ſunt prædones expugnantes villas aut domos aliorum. 13. *Vis* eſt delictum, quo violentia aliqua adhibetur rebus vel perſonis. Eſtque ſimplex, vel mixta. Simplex eſt,quæ ita committitur, vt aliud crimen ei non ſit coniunctum: vt ſi quis per vim alienam poſſeſſionem ingreſſus ſit. Mixta eſt vis commiſſa cum facto,quod per ſe ſolum etiam criminoſum eſt: vt ſi quis per vim adulterium fœminæ inferat. Vtraque eſt publica, vel priuata. Illa infertur à perſonâ publicâ: hæc, à priuatâ. Et ita quidem dicitur vis publica & priuata ex cauſâ efficiente. Sed ex modo vis publica eſt, quæ armis infertur: priuata, quæ ſine armis. 14. *Crimen falſi* eſt veri immutatio per fraudem facta. Eſtque in homine partus ſuppoſiti, nominis, & teſtimonij: in rebus, monetæ, & ſcripti. 15. *Crimen partus ſuppoſiti* eſt partus falſi ſubiectio, vel in locum partus veri, qui eſt, vel cùm fingitur partus,& illi ſubſtituitur partus, cùm non ſit reuerâ cui ſubſtituatur. 16. *Nomen mutatio* eſt crimen falſi, quo quis dolo malo ſibi nouum nomen imponit, vt ex eo quid alienum intercipiat. Hoc enim animo niſi mutatio nominis fiat, crimen falſi non admittitur: quippe quod vnicuique homini libero liberum ſit, citra iniuriam alterius nouum nomen ſibi aſſumere. 16. *Falſum teſtimonium* eſt in teſtibus ipſis, vel in ipſorum dictis. In teſtibus ipſis, vel ſubornando ipſos vt falſum dicant, vel producendo falſum teſtem. In dictis, nimirum vel dicendo falſum teſtimonium, vel vtendo falſò dictis. 17. *Crimen falſi in monetâ* committitur ab eo, quicunque monetam adulterinam flat, ferit, vel probam vitiat, minuit, exſcindit, arrodit, aut eiuſmodi monetam expendit. 18. *In ſcripto falſum committitur* vel in inſtrumento ipſo, vel in ſcripturâ. *In inſtrumento ipſo*, nimirum illud abolendo, vel inficiendo. Aboletur a. non tantùm cùm omnino tollitur, ſed etiam cùm celatur, ſubripitur, ſupprimitur. Inficitur, cùm conficitur de re quod omnino non eſt, vel eſt quidem, ſed non talis, qualis inſtrumento eſſe dicitur. *In ſcripturâ*, vel eam imitando, vt ſi quis chirographum alterius imitetur: vel delendo, radendo, vel denique ſcribendo, quod ſcribi non debuit, aut non ſcribendo, quod ſcribi debuit. 19. Crimen falſi poteſt in quouis quidem ſcripto committi: vt plurimùm tamen in teſtamento & teſtimonio. 20. Committitur etiam crimen falſi circa leges: in earum nempè allegatione, interpretatione, vel ſuppreſſione. 21. *Veneficium* eſt crimen, quo quis hominem alio quàm telo necandi voluntatem habet, quin & res inficiendi. Eſtque veneficium, ſpecialiter ita dictum, quod fit veneno: vel maleficium, quod fit, vt carminibus, diris deuotionibus, certis imaginibus &c, noxa inferatur hominis valetudini & vitæ. Quò pertinent *Mathematici* in iure Iuſtinianeo, i. e. impoſtores, qui abutuntur liberali mathematicorum nomine ad ineptias magicas: item arioli, augures, aruſpices, falſi ſomniorum interpretes.

VI. *De delictis innominatis hæ ſunt regulæ.*

1. Delicta, quæ ratione facti ſui ad vnum ex hactenus enumeratis referri nequeunt, ſunt innominata. Sunt autem ſtellionatus & dolus malus, quæ vtraque appellatio generalis eſt, & non vni factorum generi, ſed pluribus communis. 2. *Stellionatum* eſt omnis fraus & impoſtura, quæ certum de iure nomen non habet; putà ſi quis rem alienam ſciens pro ſuâ obliget. 3. *Dolus*, quod ad rem ipſam attinet, à ſtellionatu non differt: ſed ex modo perſequendi hæc duo diſtinguuntur. Cùm enim ob delictum illud priuatim & ciuiliter agitur, de dolo eſt actio: ſi ob illud ipſum publicè & criminaliter, accuſatio eſt ſtellionatus, non de dolo actio.

VII. *De crimine ſtellionatus hæ ſunt regulæ.*

1. Iudicium ſtellionatûs competit ex crimine innominato. 2. Stellionatus appellatur ad ſimilitudinem ſerpentis ſtellionis. 3. Crimen ſtellionatus committitur, ſi quis rem alij obligatam diſſimulatâ obligatione alij obligauerit, diſtraxerit, permutauerit, vel in ſolutum dederit. 4. Crimen ſtellionatûs committitur ſi quis impoſturam fecerit, vel in necem alterius colluſerit. 5. Stellionatus crimen etiam committitur, quando quis maius pretium impoſuit tritico, vel alij annonæ, quàm vendi ſolet vt cariùs venderetur. 6. Si quis venditâ aliquâ re poſtea aliam tradat, quàm antea oſtenderat, ſtellionatum committit. 7. Huius criminis pœna extraordinaria eſt, non tamen modus excedi debet. 8. Stellionatus iudicij affine remedium eſt falſi accuſatio, ſi quis eandem rem diuerſis contractibus in ſolidum, diſſimulatâ obligatione duobus obligauerit. 9. Iudicij ſtellionatûs affine remedium eſt titulus de extraordinariis criminibus.

VIII. *De improprijs delictis hæ ſunt regulæ.*

1. Delictum improprium committitur ſine dolo eius, qui ex eo tenetur, aliquâ tamen eius culpâ. 2. Delictum improprium committitur vel ab illo ipſo, qui tenetur: vel ab alio. Illud eſt, quo aliquis læditur ex imprudentiâ; hoc committitur vel à quadrupede, & dicitur *pauperies*: vel ab homine, vt delictum commiſſum à filiofamilias iuſſu patrisfamiliâs &c.

Capvt XVIII.

De Pœnis.

Præcepta.

Pœna eſt omne id, quod extra rei ipſius perſecutionem eſt.

Eſtque conuentionalis, vel legitima.

Pœna conuentionalis eſt, de quâ in contractu conuenit præſtandâ, ſi quid fieret aut non fieret.

Pœna legitima eſt, quæ citra conuentionem delicto irrogatur, ex eo ſolo, quòd delictum admiſſum eſt.

Eſtque 1. ordinaria vel extraordinaria. 2. ſimplex vel miſta. 3. ciuilis vel criminalis.

Pœna ordinaria eſt, quæ expreſſè in legibus indicitur delictis: extraordinaria, quæ arbitrio iudicis committitur.

Pœna ſimplex eſt, quæ ſola, alij non coniuncta, infligitur: vt eſt ſola pecuniaria, vel ſola corporalis.

Pœna miſta eſt, cùm pecuniaria & corporalis pœna coniunctim infligitur.

Pœna ciuilis eſt, quæ priuatim infligitur; eſtque pecuniaria.

Pœna criminalis eſt quæ publicè infligitur.

Eſtque pecuniaria, vel corporalis.

Pœna pecuniaria eſt, quæ infligitur delinquenti, quatenus ipſius bona fiſco addicuntur.

Pœna corporalis eſt, quod delinquentis corpori infligitur.

Eſtque capitalis, vel non capitalis.

Pœna capitalis eſt, quæ capiti hominis delinquentis infligitur.

Caput autem eſt naturale vel ciuile: atque inde capitalis pœna eſt naturalis capitis, vel ciuilis. Ibi vita naturalis, hîc ciuitas vel libertas adimitur.

Non-capitalis eſt quæuis pœna alia corpori inflicta, quæ interdum ſanguinis eſt, interdum ſine ſanguine infligitur.

Regvlæ.

I. *De pœnis in genere ſunt hi canones.*

Pœna in genere.

1. Pœna non eſt imponenda, vbi à iure non imponitur. 2. Pœna non cenſetur impoſita delinquentis conſenſu. 3. Capitales pœnæ ſubdiuiduntur in tria genera: in vltimum ſupplicium, in amiſſionem libertatis & ciuitatis ſimul, & in amiſſionem ciuitatis tantùm. 4. Qui vltimo ſupplicio damnantur, & ciuitatem, & libertatem amittunt. 5. Ad ignem damnatus, priùs eſt ſtrangulandus. 6. Pœna ad beſtias hodiè eſt ſublata, & pro eâ ſuccedit decollatio. 7. Pœna vt de ſaxo aliquis præcipitetur, hodiè eſt ſublata. 8. Amiſſio libertatis hodiè non eſt in vſu, & in eius locum ſucceſſit perpetuus carcer vel triremium. 9. Seruus pœnæ, mortui loco habetur. 10. Pœna metalli & operis metalli in vſu eſſe deſiit, & in eius locum ſucceſſit damnatio ad triremes. 11. Poteſt quis damnari ad opus publicum. 12. Pœna corporis mutilandi vel deformandi non eſt capitalis. 13. Carcer non infamat; ſed damnum irreparabile adferre cenſetur. 14. Poteſt alicui pœna imponi, ne domo vel alio loco excedat vel ne per illam viam tranſeat. 15. Exilij tempus continuum eſt, non interpolatum. 16. Tempus quo quis fuit in carcere, non connumeratur tempori exilij. 17. Relegatus ad tempus, tempore non determinato, cẽſetur ad decennium relegatus. 18. Relegato debet reſtitutio concedi. 19. Pœna deportationis in vſu eſſe deſiit. 20. Cauſa, ex quâ bannum infligitur, eſt duplex: delictum & contumacia. 21. Nonniſi ab Imperatore & Camerâ banni pœna infligi poteſt. 22. Banniti deſinunt eſſe ciues Romani, & pro hoſtibus habentur, omniaque ſua bona & iura alia perdunt. 23. Bannitus poteſt impunè offendi, vi ſtatuti. 24. Bannitus non amittit iura communia, e.g. poteſtatem patriam. 25. Bannitus non debet vi pertrahi in territorium, in quo proſcriptus eſt: alioqui pœnâ liberatur. 26. Deuaſtatio domus, vel alterius loci, vel bonorum, non ſubſiſtit iure communi, ſed ſtatuto vel conſuetudine ſpeciali. 27. Mulcta, ſeu pœna pecuniaria, non rectè indicitur à iudice Eccleſiaſtico. 28.

Iudex delegatus poteſt modicam mulctam indicere. 29 Mulcta debetur non ei, qui tempore litis conteſtatæ, ſed qui tempore ſententiæ lator dominus eſt. 30. Si crimini certa pœna à legibus eſt conſtituta, eam iudex irrogare tenetur. 31. Pœnæ plures pro eodem delicto imponi non debent. 32. Tortura non eſt loco pœnæ. 33. Si idem crimen diuerſis legibus ac pœnis coërceatur: ſi quidem alia lex generalis ſit, alia ſpecialis; hæc in ſpecie criminis eſt obſeruāda, no illa. Sin verò vtraque lex generalis ſit vel ſpecialis, ſed alia vetus, alia noua; ea imponenda, quam accuſator petierit. 34. Si crimini certa pœna conſtituta non eſt, ea permittitur arbitrio iudicis irroganda. 35. Iudex igitur, penes quem eſt arbitrium puniendi pro varietate circumſtantiarum pœnam variabit ac imponet. 36. Honeſtiores perſonæ mitius puniuntur quàm viliores. 37. Pecuniaria pœna in ſeruos non cadit. 38. Si aduerſus cognatos crimen commiſſum ſit, ſeuerius magis quàm mitiùs eſt puniendum. 39. Si ſine dolo crimen commiſſum ſit, nunquam corporalis pœna irroganda eſt, ſed aliâ mitior. 40. Qualitas criminis auget vel minuit pœnam; ſi vel grauius, vel leuius ſit crimen. 41. Pœna non debet eſſe maior delicto. 42. Quantitas rei in qua crimen eſt commiſſum, auget vel minuit pœnam. 43. Minuitur pœna criminis, quod ante multos annos eſt commiſſum. 44. Si per inquiſitioné ſit proceſſum, pœna minuitur. 45. Ex poſt facto non creſcit præteriti delicti æſtimatio. 46 Nemo duplici pœnâ puniendus eſt. 47. Si reus crimen vltrò ſit confeſſus, mitius punitur. 48. Si nimium multis graſſantibus exemplo eſt opus, pœnæ ſunt augendæ. 49. Reus præter pœnam criminis etiam ad damnum iſto præſtandum poteſt condemnari. 50. Accuſator in crimen quod obiicit, inſcribere tenetur. 51. Locum & tempus accuſatio debet continere. 52. Accuſatio in ſcriptis edenda, non viua voce. 53. Plura crimina in eodem libello aduerſus eundem cumulari poſſunt. 54. Reo latitante, vel contumaciter abſente, bona eius obſignantur, & niſi venerit, fiſco adiudicantur. 55. Nemo poteſt delinquentem propria authoritate capere. 56. Iudex vel eius officialis delinquentem non poteſt in alieno territorio capere, ſed iudex territorij. 57. Antequam reus apprehendatur, cauſæ cognitio & commiſſio iudicis præcedere debet. 58. Receptator rei eſt puniendus. 59. Ei, qui reum comprehenderit, debetur præmium. 60. Si graue ſit crimen, reus in carcerem eſt conijciendus. 61. Incarceratus non eſt prohibendus cum alio colloqui. 62. Alimenta, & alia neceſſaria, incarcerato ſunt præbenda. 63. Accuſatus, pendente accuſatione, ab officio eſt ſuſpendendus.

Pœna in ſpecie.

II. *De pœnis in ſpecie ſunt hæ regulæ.*

1. *Pœna ciuilis* eſt pecuniaria, & priuatim indigitur. 2. *Pœna criminalis* infligitur publicè, ſiue ſit pecuniaria, ſiue corporalis. 3. Pœna, qua vita amittitur, eſt furca, crematio, decollatio &c. 4. Pœna, quâ ciuitas amittitur, ſalua libertate, eſt exilium: ciuitas & libertas ſimul, metallum & ludus. 5. Relegatio, verbera, & infamia ſunt non-capitales: itemque membri amputatio. 6. Pœna arbitraria nonniſi vrgentiſſimâ cauſa ad mortem extendi debet. Sed iam videamus præcipua pœnarum genera eo ferè ordine, quo delicta cap. præced. enumerauimus

Hæreſis.

1 *De hæreſi.*

1. Hoc iudicio etiam tenetur Apoſtata & qui Chriſtum abnegauerit: item excommunicatus, qui ob ſuam contumaciâ per annum in excommunicatione perſeuerauerit. 2. Si quis de fide dubitet, tenetur hoc iudicio. item ſi imagines baptiſauerit, vel pueros rebaptizauerit. 3. Si quis inuocet dæmones, ſi ſortilegus ſit, diuinator vel maleficus: item ſi neget ſimplicem fornicationem eſſe peccatum, tenetur hoc iudicio. 4. Aduocati quoque & procuratores hæreticorum puniuntur. 5. Eccleſiaſticus non laicus iudex competens eſt. 6. Epiſcopo loci regulariter inquiſitio hæreticæ prauitatis cõpetit. 7. Nec Epiſcopus abſque inquiſitoribus, nec inquiſitores abſque Epiſcopo hæreticum poſſunt damnare, ſed poſſunt abſoluere. 8. Vltimo ſupplicio hæretici afficiendi non ſunt. 9. Excommunicati traduntur iudici ſeculari arbitrio eius puniendi. 10. Hæreſis per duos teſtes probatur. 11. Iudex ſecularis cui executio mandatur, denuò de cauſa hæreſis cognoſcere non poteſt. 12. Damnati bona confiſcantur. 13. Filij hæreticorum illis non ſuccedunt, auis tamen Catholicis ſuccedunt. 14. Filij hæreticorum ſunt infames, quamuis ſunt legitimi. 15. Liberi hæreticorum ſunt incapaces dignitatum. 16 Infideles à Chriſtianis ſine cauſa non ſunt debellandi, nec iis bona auferenda. 17. Iudæorum filii inuitis parentibus baptiſandi non ſunt. 18. Iudæus nutrices Chriſtianas habere non poteſt. 19. Iudæi ſunt ciues Romani.

Schiſma.

2. *De ſchiſmate.*

Schiſmaticorum pœna eſt extraordinaria, adeóque arbitraria.

Apoſtatæ

3. *De Apoſtatis.*

Apoſtatarum pœna eſt deportatio & bonorum confiſcatiò,

Periurium.

4. *De periurio.*

Periurij pœna eſt relegatio, vel infamia.

Blaſphemia.

5. *De blaſphemiâ.*

1. Blaſphemiæ publicum crimen eſt, quod quilibet de populo accuſare poteſt. 2. Tam à ciuili quam Eccleſiaſtico iudice blaſphemia puniri poteſt.

6. *De Simonia.*

1. Competit etiam iudicium Simoniæ, ſi precibus quis vel fauore ad ſacros ordines ſit promotus. 2. Si quis ſeruiat prælato ad conſequendum beneficium, ſimonia eſt. 3. Si ſacerdos intra Eccleſiam præſens ſit diuinis officiis ob percipiendas quotidianas diſtributiones, ſimonia eſt. 4. Si quis renuntiauerit beneficio vt illud alij conferatur, ſimoniæ tenetur. 5. Tam dans quàm accipiens tenetur. 6. Hæc actio competit apud iudicem Eccleſiaſticum, non ciuilem. 7. Is qui deponitur, & ſacerdotij honore priuatur. 8. Simoniacus ipſo iure & facto eſt priuatus beneficio & excommunicatus.

7. *De ſacrilegio.*

Sacrilegium extra ordinem punitur: etiam capite punitur.

8 *De ſepulchri violatione.*

Sepulchrum violans quoque modo infamis redditur: aliâs punitur pecuniariter.

9. *De crimine læſæ maieſtatis.*

Crimen læſæ maieſtatis punitur gladio, & omnium bonorum confiſcatione, ſi honeſtiores ſint: humiliores comburuntur. Memoria inſuper ipſorum poſt mortem damnatur.

10 *De rebellione & ſeditione.*

Authores rebellionis & ſeditionis deportantur, vel in furcam aguntur: multitudini verò parci ſolet.

11. *De ambitu, coniuratione collegiis illicitis, receptatione, & peculatu.*

1. *Ambitûs* pœna eſt deportatio, nonnunquam pecuniaria cum infamiâ. 2. *Coniuratio, collegia illicita, & receptatio* habent pœnam extraordinariam. *Peculatûs* pœna eſt litis æſtimatio, vel deportatio, vel vltimum ſupplicium.

12. *De Homicidio.*

1. Homicidium punitur lege Cornelia de ſicariis. 2. De homicidio tenetur etiam is qui hominis necandi causâ venenum confecerit, dederit, vendiderit, habuerit. 3. Si quis falſum dixerit teſtimonium, quo quis innocens publico iudicio capitis damnaretur, homicidij reus eſt. 4. Si iudex aliquem indebitè torſit, vel torquendo necauit, de homicidio tenetur. 5. Si iudex innocentem ad mortem damnauit, de homicidio tenetur. 6. Si medicus ſecando vel malum dando medicamentum aliquem occidit, de homicidio tenetur. 7. Si mulier partum abegit, vel quis abortum procurauit, de homicidio tenetur. 8. Si author ſeditionis fuerit, de homicidio tenetur. 9. Si quis partum abiicit, eique alimoniam denegat, punitur, ſed extra ordinem. 10. Qui cauſam mortis præbuit, puniendus eſt, ſed pœnâ extraordinariâ. 11. Si plures hominem occiderint, ſiquidem certum ſit qui vulnera lethalia miſerint, hi ſolùm de homicidio tenentur: ſi verò ignoretur cuius ictu perierit: nullus tenetur, ſed omnes ſunt abſoluendi. 12. Is quoque qui mandauit occidi, tanquam homicida tenetur: itemque is qui auxilium tulit. 13. Homicidæ hodiè capite puniuntur, ſed ac pœnâ legis Corneliæ de ſicariis. 14. Homicidæ excommunicantur & deponuntur. 15. Si illuſtris perſona accuſetur, princeps conſulendus, & ipſe reus cum iudice debet ſedere.

13. *De maleficis & ſortilegis.*

Malefici & ſortilegi vltimo ſupplicio afficiuntur.

14. *De vulneratione.*

Vulnerationis pœna eſt extraordinaria.

15. *De Parricidio.*

1. Etiam conſcius itemque ſocius parricidij, quamuis extraneus de parricidio punitur. 2. Parricidium non præſumitur niſi probetur.

16. *De plagiariis.*

1. Hoc iudicio punitur qui liberum hominem vel ſeruum alienum ſuppreſſerit, celauerit, vel in vinculis habuerit. 2. pœna plagij eſt vltimum ſupplicium.

17. *De adulteriis & ſtupro.*

1. Adulterium, ſtuprum, lenocinium & inceſtus vno iudicio puniuntur. 2. Inceſtus etiam committitur, ſi quis cum moniali rem habuerit vel mulier cum clerico. 3. Si quis duas vxores ſimul habuerit, vel vna duobus ſimul nupta ſit, eodem quo adulterio iudicio puniuntur. 4. Si mares cum maribus, aut mulier cum muliere coierit, puniuntur. 5. Si quis cum bruto animali coierit, punitur. 6. Maritus adulteræ iure mariti adulterij accuſationem habet. 7. Hæres quoque mariti adulterij accuſationem habet. 8. Extraneis quoque poſt maritum & patrem adulterij accuſatio competit. 9. Vxor adulteri accuſationem adulterij non habet. 10. Tam apud ciuilem, quàm apud Eccleſiaſticum iudicem hæc actio competit. 11. Intra quinquennium cõpetit hæc actio, poſtea accuſanti obſtat præſcriptio. 12. Vitium fornicationis omnium maximum eſt ſcelus. 13. Adulterij pœna capitalis eſt. 14. Stupri pœna eſt publicatio dimidiæ partis bonorum, vel corporis coercitio cum relegatione. 15. De iure Canonico ſtuprū committens vitiatam ducere ac dotare tenetur. 16. Mulier adultera in monaſterio perpetuam pœnitentiam agere debet. 17. Inceſtus pœna eſt in inſulam deportatio. 18. Si tutor pupillam ſuam corruperit, deportatur. 19. Si mulier propriis ſeruis ſe iunxerit, punitur capite: ſecus obſeruatur, ſi dominus cum ancillâ ſua rem habuerit. 20. Si quis virginem nondum viripotentem corrupit, punitur. 21. Si Iudæus cum Chriſtianâ rem habeat, punitur:

nitur: ſic quoque Chriſtianus punitur, ſi cum Iudæâ rem habuerit. 22. Si quis ſæpius cum eâdem commiſerit adulterium, pro vnico adulterio punitur, non pro pluribus. 23. Poteſt item ob adulterium agi ad ſeparationem thori, & ad priuationem dotis donationis propter nuptias. 24. Si quis cum moniali rem habuerit, punitur. 25. Si quis cum mortuâ rem habuerit, punitur. 26. Si ſacerdos commatrem ſuam cognouerit, punitur. 27. Si ſtuprator dicat puellam non fuiſſe virginem eo tempore, quo cum eam rem habuit, in dubio virgo fuiſſe præſumitur, niſi contrarium probetur. 29. Adulterium probatur oſculo. 30. Lupanaria ob euitandum adulterium tolerantur.

18. De raptu feminæ, ſtupro, inceſtu, Sodomiâ &c.

1. *Raptus* punitur vltimo ſupplicio. 2. Raptoris bona rapta addicuntur: niſi rapta raptori nupſerit. 3. *Stuprum* virgini nondum viropotenti illatum coërcetur metallo vel deportatione: ſtuprum illatum maturæ, ſi quidem violentum non ſit, punitur, relegatione, fuſtigatione &c ſi verò ſit violentû & perfectum. capite punitur; imperfectum, deportatione. 4. *Inceſtus* pœna eadem quæ adulterij. 5. *Sodomia* vindicatur gladio: item *l. nocinium cum liberis & vxoribus* item *polygamia*.

19. De furtis.

1. Furtum committit, qui ſciens ludit cum eo qui rerum adminiſtrationem liberam non habet. 2. Qui rem inuentam celauerit, furtum committit. 3. Qui ſciens rem alienam vendit, furti actione tenetur. 4. Ex furto regulariter competit furti actio. 5. Si res furtiua penes aliquem inuenta ſit, hoc ipſo furtum probatur. 6 Furti actione tenetur etiam is qui ſciens rem furtiuam ſusceperit ac celauerit: item qui rem furtiuam cum fure diuiſerit. 7. Furti manifeſti pœna quadruplum eſt: nec manifeſti duplum. 8. Res furtiua non venit in actionem furti. 9. In hâc actione in litem iuratur. 10. In dubio contra furem præſumitur. 11. Etiam criminaliter agi poteſt. 12. Hodie furtum vltimo ſupplicio punitur. 13. Affine remedium actionis furti eſt perquiſitio rei ſurreptæ apud furem vel alium. 14. Affine item remedium eſt furti actionis, vindicatio rei furtiuæ. 15. Sed & licet domino propriâ authoritate rem furtiuam auferre. 16. Condictio quoque furtiua affine remedium eſt furti actionis. 17. Condictio furtiua ſoli domino competit, non etiam alii. 18. Condictio furtiua etiam aduerſus hæredem furis competit. 19. In condictione furtiua iuratur ad litem.

20. De termino moto.

Si quis terminum agri mouit vel protulit, extra ordinem punitur.

21. De crimine expilatæ hereditatis.

Huius criminis pœna eſt arbitraria.

22. De vſuris.

1. Vſura vtroque teſtamento prohibetur. 2. Si quis vſuras exerceat hoc iudicio tenetur. 3. Si quis plus iuſto pretio rem ſuam vendiderit ob dilatam pretij ſolutionem, hoc iudicio tenetur. 4. Si mercator ante moram reſtituendæ pecuniæ de intereſſe pactum fecerit, hoc iudicio tenetur. 5. Hæredes vſurarij quoque ad vſuras reſtituendas tenentur. 6. Apud iudicem Eccleſiaſticum non ciuilem competit. 7. Vſurarius criminaliter puniri non poteſt. 8. Vſurarius punitur extra ordinem arbitrio iudicis. 9. Vſurarius rem ex vſuris comparatam debitori reſtituere non tenetur. 10. Vſurarius prohibetur facere teſtamentum. 11. Vſurarius bona ſua omnia, vel pro maiore parte donare non poteſt, niſi cauerit de reſtituendis vſuris. 12. Vſurarius per Eccleſiaſticum iudicem punitus nihilominus per ciuilem iudicem puniri poteſt. 13. Actio hypothecaria ex tacitâ hypothecâ pro vſuris reſtituendis competit. 14. Competit quoque officium iudicis quamuis non petitum.

23. Arborum furtim cæſarum.

Arborum furtim cæſarum delictum etiam criminaliter in iudicium deduci poteſt; & latrocinij pœnâ punitur.

24. De rapina.

Ex rapinâ vi bonorum raptorum actio competit. 2. Aduerſus dominum territorij in quo rapina facta eſt, actio competit. 3. Vi bonorum raptorum actio in quadruplum competit, in quo ineſt etiam valor rei, & poſt annum in ſimplum cum reſtitutione valoris rei.

25. De annonæ flagellatione.

Annonæ flagellatores extra ordinem puniri ſolent.

26. De falſis.

1. Falſi crimen publicum eſt. 2. Si quis alicuius teſtamentum aperuerit, recitauerit vel alia iniuria affecerit, falſi tenetur. 3. Notarius committit falſum, ſi in inſtrumento appoſuerit quod verum non eſt, ſi requiſitas ſolennitates omiſerit, ſi ſuper re illicita inſtrumentum confecerit, ſi falsò negauerit ſe eſſe rogatum, ſi inſtrumentum raſerit, ſi inſtrumenta ſuppreſſerit vel celauerit, ſi literas alienas aperuerit ac reſignarit, & eas aduerſario oſtendat, ſi falſo inſtrumento ſciens vſus ſit, ſi libros archiui publici corruperit, ſi in teſtamento vel codicillis ſibi aliquid adſcripſerit. 4. Si quis aliquem teſtari prohibuerit, de falſo tenetur. 5. De falſo tenetur qui contraria teſtimonia depoſuerint: itemque teſtis, qui de negatiua depoſuerit. 6. Si ob dicendum vel non dicendum teſtimonium pecuniam quis acceperit de falſo tenetur. 7. De falſo etiam tenetur qui falſos teſtes produxit, vel teſtes corrupit quamuis iis vſus non ſit. 8. Si quis ſciens falſo teſtimonio vtatur, de falſo tenetur. 9. Si quis falſam monetam cuderit, vel adulterauerit, vel falſam commiſerit, de falſo punitur. 10. Si quis nomen dolo malo vel alterius damno mutauerit, falſumque aſſumpſerit, de falſo punitur. 11. Si quis illicitis inſignnis vſus ſit, de falſo tenetur. 12. Si quis eandem rem duobus ſeparatim in ſolidum alienauerit, de falſo tenetur. 13. Si aduocatus ab vna parte inſtructus ad alteram tranſeat, de falſo tenetur. 14. Cuilibet de populo falſi accuſatio competit. 15. Periurij cauſa ad Eccleſiaſticum iudicem pertinet. 16. Falſi crimen eſt deportatio, omniumque bonorum publicatio. 17. Domus in qua falſa moneta cuſa eſt, confiſcatur. 18. Pœna falſi capitalis non eſt niſi in certis caſibus. 19. In iudicio falſum commiſſum peccatur amiſſione cauſæ. 20. Sola ſuſpicio ſufficit ad falſum conuincendum. 21. Teſtibus dicentibus ſe precibus inductos falſum teſtimonium perhibuiſſe, credendum.

27. De praua ſuaſione, incendio, iniuria &c. Praua ſuaſio, incendium &c.

1. *Praua ſuaſionis* pœna eſt extraordinaria. 2. *Incendiarii* talionis igni cremantur. 3. *Iniuria* vindicatur ordinariè atque extra ordinem. Eſt autem pœna iniuriæ plerumque pecuniaria. 4. *In damno iniuria dato* damnum ſarcitur æſtimatione iudicis. 5. *Effractores* extra ordinem puniuntur. 6. Pœna *vis publicæ* eſt deportatio, furca &c. *vis priuatæ* publicatio tertiæ partis bonorum. 7. *Venefici* damnantur vltimo ſuplicio. 8. *Stellionatus & doli* coërcitio eſt extraordinaria. 9. *In delictis impropriis* vt plurimùm Intereſſe habetur ratio.

28. De extraordinariis criminibus. Crimina extraordinaria.

1. Si quis per vim oſculatus ſit mulierem, extra ordinem punitur. 2. Si quis id egerit, quo leues hominum animi ſuperſtitione numinis terreantur, punitur. 3. Incendiarij vltimo ſupplicio puniuntur. 4. Si quis admotis ſcalis noctu domum alienam aſcenderit, ſi quis ſeipſum caſtrauerit, ſi quis ſeipſum occidere voluerit, punitur.

CAPVT XIX.

De Perſonis in iudicio requiſitis.

PRÆCEPTA.

IVdicium eſt legitima rei controuerſæ inter litigantes apud iudicem actio. *Iuſtiniano dicitur* certamen cognitionale.

Eius occurrunt partes, ſpecies, & proceſſus.

Iudicij partes ſunt perſonæ & quæſtio.

Perſonæ in iudicio ſunt homines, qui vt res controverſa tractetur faciunt.

Suntque principales, vel acceſſoriæ.

Perſonæ principales ſunt iudex & litigantes.

Iudex eſt perſona, quæ iudicio præeſt, inter litigantes medium agens.

Eſtque ordinarius, vel extraordinarius.

Ordinarius eſt iudex, iure magiſtratus, quem gerit, ſecundùm modum iuriſdictionis ſuæ iudicans.

Extraordinarius index eſt ex hominis voluntate, qui poteſt, iudicandi poteſtatem habens.

Ex voluntate inquam, perſonæ publicæ, vel priuatæ. Ibi eſt iudex pedaneus: hîc, arbiter.

Iudex pedaneus, ſeu ſpecialis, eſt iudex à magiſtratu ſecundùm iuriſdictionem ſuam cauſæ alicuius ſpecialis vnius vel plurium notioni additus.

Arbiter eſt iudex ex partium compromiſſo cognoſcens: vnde iudex compromiſſarius dicitur.

Partes litigantes ſunt actor & reus.

Actor eſt, qui ad iudicium contra reum prouocat: idque ſimpliciter, vel ſorte.

Reus eſt, qui ab actore prouocatur, vt cû eo agatur.

Perſonæ acceſſoriæ, ſeu minùs principales, ſunt, quæ ad principales accedunt.

Accedunt autem ad iudicem, vel ad litigantes.

Ad iudicem accedunt quidam conſultandi, quidam iudicij inſtruendi cauſa. Ibi ſunt aſſeſſores: hîc, tabelliones & viatores.

Aſſeſſores ſunt ICti, iudici in iudicio, cauſæ cognoſcendæ & rectè iudicandæ cauſa, aſſidentes.

Tabelliones sunt scribendis his quæ in iudicio proponuntur scribendis & dirigendis præpositi: aliàs notarij,& iudiciorum secretarij dicti.

Viatores,seu cursores, sunt iudiciorum nuntij, ea quæ in iudicio fieri debent, ex commissione iudicis litigantibus alijsue denuntiantes.

Ad litigantes accedunt quidam interueniendo, quidam patrocinando. Ibi sunt interuenientes, & consortes litis: hîc,aduocati & procuratores.

Interuenientes sunt,qui ipsi quidem ab initio controuersiam in iudicium non deduxerunt, sed cùm deducta iam est,eò quòd sua intersit controuersiam illam tractari vel non tractari,se interponunt.

Consortes litis sunt vel ex vnâ tantùm parte,vel ex vtrâque.

Aduocati sunt patroni causarum, litigantes suis consiliis iuuando,& merita,controuersiæ pendendo.

Procuratores sunt patroni alienam litem ex mandato domini prosequentes.

REGVLÆ.

Iudicia.

I. *De Iudiciis hæ sunt regulæ.*

1. Iudicia vbi iudex voluerit exerceri possunt. 2. Nonnisi in sua diœcesi prælatus iudicia exercere debet. 3. Iurisdictio delegata consensu partium de loco ad locum potest prorogari: ordinaria non item. 4. Diebus feriatis iudicia non exercenda. 5. Iudicium antequam aliquid debeatur, accipi non potest. 6. Causæ intra triennium finiri debent. 7. Finitur iudicium per cursum instantiæ. 8 Non finitur per mortem litigatoris, sed continuantur in hæredem, nisi hæres clericus sit. 9. Si libellus est ineptus, absoluitur rèus ab instantia. 10. Si in termino reus adest,& abest actor, perit instantia. 11. Si iudex appellationis videt sententiam in prima instantia latam, ex processu nullo finitur iudicium. 12. Si lite pendente reus debitum soluat, finitur iudicium. 13. Lite pendente nihil est innouandum. 14. Adfine iudiciorum remedium,videtur esse priuata vindicta, & quod quis propria authoritate rem occupare possit. 15. Adfine quoque iudiciorum remedium videtur ius repressaliarum.

Compromissa.

II. *De Compromissis hæ sunt regulæ.*

1. Adfine iudicorum remedium est compromissum 2. Compromissum regulariter quidem vtile est ac obligatorium. 3. Per compromissum laudo secuto inducitur nouatio. 5. Is in quem compromissum est, sententiam dicere cogendus est. 5. Si arbitri dissentiant,vt tertium assumant cogi possunt. 6. Arbitri nec ordinariam nec delegatam habent iurisdictionem, sed tertiam speciem magis delegatæ quàm ordinariæ iurisdictioni similem. 7. Si quis id,de quo compromissum est, in iudicium deduxerit, in pœnam compromissi incidit, & exceptione repellitur. 8. Ex sententia arbitri non nascitur actio, vel exceptio [illegible] iudicatæ. 9. Pœna non parentis compromisso, parti non fisco debetur,

Iudex.

III. *De Iudice teneantur hæ regulæ.*

1. Regulariter quidem iudex competens præsumitur nisi probetur incompetens. 2. Iudex noctu sedere ac in publicum prodire non cogitur. 3. Assessores non possunt esse illegitimè nati,quamuis sint legitimati. 4. In Assessoratus dignitate originarij extraneis sunt præferendi. 5. Assessores consulti de iure non debent respondere: nisi causa iis committatur definienda.

Officium Iudicis.

IV. *De officio iudicis hæ sunt regulæ.*

1. Iudici de crimine constare debet, antequam contra reum procedat. 2. Si reus factum negauerit, non est vlterius examinandus, sed ad probationem criminis procedendum. 3. Absens & indefensus, non est damnandus. 4. Si plura crimina ex eodem facto nata à diuersis deferantur, non licet iudici separatim de vno crimine sententiam ferre, priusquam de reliquis quoque criminibus cognitio sit facta. 5. Pluribus simul accusatis,potest iudex contra vnum sententiam ferre, eamque exequi, licet instantia adhuc duret contra alios. 6. In criminalibus secundùm apertas probationes sententia ferenda. 7. Iudicium eius qui de se tortus & confessus est, aduersus alium fidem non facit. 8. De populi acclamatione non est laborandum in iudicando.

V. *De Aduocatis hæ sunt regulæ.*

1. Pauperibus aduocati publicis expensis dandi. 2. Ne aduocati cum clientibus paciscantur de quota litis. 3. Aduocatus qui fuerit præuaricatus, punitur. 4 Si aduocatus vnius partis ad alteram se contulerit, pœna falsi coërcetur. 5. Aduocatus causam agere non decipere debet. 6. Aduocatus ad consulendum litigantibus cogi potest. 7. Ne aduocati alicui patrocinium denegent. 8. Aduocatus iustam fouens causam aduersarium potest decipere. 9. Aduocati immunes sunt à functionibus publicis. 10. Honorarium aduocato promissum exigi potest. 11. Etiam ipso iure aduocatis honorarium debetur,quamuis promissum non sit. 12. Officio iudicis mercenario honorarium petitur.

VI. *De Procuratoribus hæ sunt regulæ.*

1. Inuitus nemo cogitur procuratorem præstare. 2. Procuratoris officium vilissimum. 3 Procurator per mandatum côstituitur. 4. Regulariter quidem procurator iustus præsumitur nisi contrarium probetur. 5. Regulariter dominus procuratorem mutare, & in se vel in alium iudicium transferre non potest. 6. Causam peragere vsque ad finem procurator tenetur. 7. Procurator domini intentionem declarare non potest, nec dominus procuratoris. 8. Procurator actoris dominum in reconuentione defendere tenetur 9. Gestum per procuratorem regulariter valet, atque ex eo tam domino quam contra dominum datur actio & exceptio. 10. Procurator ex eo quod gessit, etiam finito officio conueniri potest. 11. Si sententia contra dominum lata,procurator non appellauit,vel dominum non certiorauit, tenetur. 12. Ratione promissi salarij procuratori certi condictio competit,vel ex stipulatu actio.

VII. *De Notariis hæ teneantur regulæ.*

1. Pupillus notarius esse nequit. 2. Infamis potest esse notarius. 3. Spurius potest esse tabellio. 4. Clericus potest esse tabellio. 5. Monachus non potest esse tabellio. 6. Tabellionatûs officium non est vile. 7. Notarius damnatus ob id quod circa officium deliquit, censetur eo priuatus. 8. Notarius non computatur inter testes, nisi à iudice sit examinatus. 9. Notarius probato errore suo potest illum propria authoritate corrigere. 10. Notarius conficiens instrumentum super contractu iure improbato punitur.

VIII. *De Postulantibus hæ sunt regulæ.*

1. In dignitate positi in iudicio postulare prohibentur. 2. Excommunicatus postulare non potest indicio. 3. Fœmina in iudicio postulare prohibetur. 4. Minor annis postulare prohibetur. 5. Illustris persona in iudicio postulare prohibetur. 6. Monachus nec agere, nec conuentiri in iudicio potest. 7. Qui cum bestiis pugnauit, vel operas suas vt cum bestiis pugnaret, locauit, postulare in iudicio prohibetur. 8. Contra eum, pro quo antea postulauit, in eadem causa postulare prohibetur. 9. Omnium prædictarum regularum hæc generalis est exceptio, nisi postulare prohibitus pro se postulare velit: In illustri tamen vel insigni loco constitutus neque pro se debet postulare.

IX. *De Actore & Reo,item de re litigiosâ.*

1. Rei sunt fauorabiliores quàm actores. 2. Diues reus pauperi actori sumptus & alimenta in litem suppeditare tenetur. 3. Actor vel reus qui iudicem corrumpit,perdit litem. 4. Res litigiosa prohibetur alienari, si contra fiat, pœna constituitur. 5. Regulariter res litigiosa sequestranda non est. 6. Actor ab initio semper est volens, inuitus nunquam: siquidem regula est,vt agere est, vel accusare inuitus nemo compellatur: à lite autem cœpta impunè ipsi desistere non licet, nisi reo consentiente. 7. In reum etiam inuitum iudicium exponitur. 8. In omni iudicio reum aliquem esse oportet: actoris vero vices supplet interdum magistratus. 9. Actor rei forum sequi tenetur.

CAPVT XX.

De quæstione facti & probationibus.

PRÆCEPTA.

Quæstio est res controuersa in iudicium deducta.

Eius occurrit diuisio & tractatio.

Diuisio est,quòd quæstio est facti vel iuris.

Quæstio

Quæstio facti est, quâ de facto quod in iudicium ductum est, quæritur.

De facto quæritur, an illud sit, & quale sit; quorum illud ad substantiam ipsius pertinet, hoc ad adiuncta.

Vtrumque verò illud constat ex rei ipsius notorietate, vel probationibus.

Notorietas facti est, quoties factum aliquid sit necne, & quomodo factum sit, omnibus constat, quibus constare potuit. Hinc illud est, quod dicitur *Notorium*.

Probatio est rei dubiæ per argumenta iudici facta demonstratio.

Estque præsumptiua vel vera.

Præsumptiua est probatio factum eiúsue qualitatem ex alio demonstrans.

Hinc *præsumptio*; quæ est argumentum rei dubiæ fidem faciens ex alio: idque ex causâ vel adiuncto.

Ex causâ præsumptio est, quæ ex causâ effectum, & vicissim effectum ex causâ arguit.

Eius species est *iusiurandum litis decisorum*, quod est probatio cum obtestatione diuinâ litem definiens.

Estque conuentionale, vel iudiciale.

Conuentionale est iusiurandum à parte parti in iudicio delatum. Estque necessarium, vel voluntarium.

Iudiciale est iusiurandum alterutri parti litigantium à iudice, prout ipsi videbitur, delatum.

Ex adiuncto præsumptio posita est in præsumptione iuris & hominis.

Præsumptio iuris est, cùm aliquibus positis verosimiliter atque probabiliter sequitur id, quod intendimus iure confirmatum: putà, si probo chirographum, quo me tibi decem debere professus sum, esse cancellatum, verosimilis inde probatio oritur, me tibi satisfecisse.

Præsumptio hominis est præsumptio ex circumstantiâ aliquâ probabiliter desumptâ, nullo iure confirmatâ: vt si quis reperiatur cum gladio sanguine consperso, cæde factâ, is cædem illam fecisse præsumitur. Huc pertinent indicia, coniecturæ, & rumores vulgi siue fama.

Probatio vera est probatio ad factum ipsum demonstrandum directa.

Ea est vel ab alterutra parte litigante, vel ab alio. Ibi est confessio: hîc, testimonium, & instrumentum.

Confessio est spontanea, vel extorta: & vtraque vel iudicialis, quæ fit in iudicio, vel extraiudicialis, quæ fit extra iudicium.

Testimonium est probatio facti per testes.

Instrumentum est charta vel membrana, in qua factum, quod in iudicium deductum est, vel aliquid ad factum illud pertinens, descriptum est.

Estque publicum vel priuatum: & vtrumque authenticum, vel authentici exemplum.

Instrumentum publicum est, quod publica authoritate confectum est; eáque magistratus, vel tabellionis, vel notarij.

Priuatum instrumentum est, quod inter homines priuatos nulla accedente publica authoritate est confectum: cuiusmodi sunt rationes, inuentaria priuata, apochæ, antapochæ, & similia.

Authenticum est, quod originale vulgò dicitur: exemplum, quod ex authentico illo transumptum est, & vulgò dicitur *Copia*.

REGVLÆ

I. *De quæstione in genere, & de quæstione facti in specie sunt hæ regulæ.* [margin: ...tio in &c.]

1. *Quæstio* est altera pars iudiciorum; estque res controuersa in iudicium deducta. 2. Controuersia consistit in facto vel iure. Hinc quæstio iudicij duplex est, facti & iuris. 3. Vt iudex iudicare & litigantes sententiâ suâ dirimere possit, de facto ante omnia constare oportet: quoniam ex facto ius oritur, i. e. facto, de quo constat, ius in genere scriptum accommodatur in specie. 4. De facto constat, si sciatur, an illud sit, & quale sit.

II. *De præsumptionibus hæ sunt regulæ.*

1. Præsumptio dicta est quasi electio vnius sententiæ ex duabus sententiis dubiis, quæ dubitatio oritur, vel ex conflictione probationum, siue argumentorum, vel ex conflictione partium, cùm idem vnus affirmat, alter negat: quo casu pro negatiuâ præsumitur, donec affirmatiua probetur. 2. Ratio quâ nititur præsumptio, aut speciali lege subsistit, aut lege deficiente pendet ab arbitrio iudicis: Vnde duplex præsumptio: vna legitima, quam iuris præsumptionem appellant: altera arbitraria, quàm vocant præsumptionem hominis. 3. Quemadmodum obligatio & actio ex iure & facto constat, quorum vno deficiente nec obligatio, nec actio oritur; sic etiam probationem & præsumptionem ex iure & facto constare. 4. Indicium, signum, coniectura &c. differunt à præsumptione vt causa & effectus. 5. Præsumptio & fictio nonnulla quidem verba habent communia, vt *videtur*, *intelligitur*, *creditur*, sed plurimum inter se differunt: nam præsumptio semper versatur circa rem dubiam, fictio autem circa rem certam, quam pro falsâ veram lex fingit æquitatis causa 6. Primus præsumptionis effectus est, quòd eum pro quo est præsumptio ab onere probandi releuet, idque in aduersarium transferat. 7. Alter præsumptionis effectus est, quòd ea sufficiet ad sententiam ferendam, nisi contrarium fuerit probatum. 8. Tertius præsumptionis effectus est, quòd ex ea deferri possit iuramentum litis decisorium: itemque suppletorium. 9. Quartus præsumptionis effectus est, quòd ei contra quem est præsumptio, iuramentum calumniæ possit deferri. 10. Libellus obscurus sustinetur ex præsumptione. 11. Præsumptio libello repugnans libellum non impedit. 12. Præsumptio ad similes casus extendi potest, ad diuersos non potest. 13. Si actor presumptionem pro se habeat & inops sit, alimenta & litis expensæ illi à reo præstari debent. 14. Præsumptio efficit vt rigori præferatur æquitas. 15. Quod colligitur præsumptionibus & coniecturis, pro expresso habetur.

III. *Per quod quodque probetur vel præsumatur, ex his regulis constat.* [margin: Per quæ quodque probetur vel præsumatur?]

1. Absentia, non Præsentia, in dubio præsumitur. 2. Absentia iusta, legitima & necessaria præsumitur: si absentia canonicorum ex ciuitate. 3. Absolutio in criminalibus præsumitur, facta ratione defectus probationis, & non defectus criminis: non alia præsumitur in condemnato, vel excommunicato, nisi probetur. 4. Absolutus à rei vendicatione, in dubio censetur absolutus ab instantia, quòd non possederit. 5. Acta causæ regulariter vim probandi non habet. 6. Aditio hæreditatis à creditoribus hæreditariis probanda. 7. Adgnati in feudum antiquum succedere volentes non præsumuntur ex linea primi acquirentis descendere, nisi hoc probent. 8. Allodium præsumitur nisi feudum probetur. 9. Antiqua leuibus probationibus egent, nisi cum iustitia facit pro reo & possessore. 10 Apocha sola facit aliquam præsumptionem. 11. Appellatio iusto tempore interposita præsumitur. 12. Appellatio deserta non præsumitur nisi probetur. 13. Arbitrator potiùs quàm arbiter in dubio præsumitur. 14. Argumentum à minori ad maius in criminalibus negatiuè procedit. 15 Antecedentia declarant & inferunt sequentia: clausula verò in fine posita refertur ad omnia præcedentia. 16. Arra est indicium celebrati contractus. 17. Beneficium præsumitur reale nisi probetur personale. 18. Bonorum appellatione in dubio præsumitur de præsentibus, non de futuris actum. 19. Bona fides in dubio præsumitur. 20. Bona fides etiam præsumitur ex temerariis & iniustis causis. 21. Bona fides probatur iuramento. 22. Bona fides præsumitur ex eo quod palam gestum est. 23. Bonus quilibet præsumitur nisi probetur malus. 24. Calumnia non præsumitur nisi probetur. 25. Capitalis pœna in in dubio non accipitur de vltimo supplicio, sed de mitiori pœna. 26. Casu potiùs interuenisse, quàm consulto interfuisse maleficio, in dubio præsumitur. 27. Casus fortuitus & impedimentum probatur iuramento, concurrente qualitate personæ iurantis. 28. Causa iusta præsumitur in statuto, vel rescripto principis. 29. Causa sine qua actus inutilis est, non præsumitur interuenisse, etiam disponente ita affirmante. 30. Census & monumenta publica vim habent probandi. 31. Citatio facta præsumitur. 32. Clausula codicillaris ex coniecturis etiam præsumitur. 33. Clericus in dubio bona ex rebus, vel intuitu Ecclesiæ adquisiuisse præsumitur. 34. Coitus probatur iureiurando agentis ad matrimonium contrahendum. 35. Communicatio fructuum non inducit communicationem

proprietatis. 36. Compensandi animus præsumitur, si debitor creditori quid dederit, legauerit, vel pro eo soluerit. 37. Cõ promisso in arbitrum & arbitratorem facto, in dubium præsumitur processisse vt arbitrator. 38. Concessio Imperialis in dubio donatio, non feudum præsumitur. 39. Condemnatus præsumitur iniustam habuisse litigandi causam. 40. Conditio in dubio non præsumitur, nisi probetur. 41. Conditio potius præsumitur quàm pœna. 42. Conditio impleta non præsumitur nisi probetur. 43 Confessio probatur duobus testibus. 44. Confessio præsumitur ex contumacia. 45. Confessio criminis præsumitur ex fuga è carcere facta. 46. Confessio præsumitur, si officialis post finitum officium accusatus non stetit per quinquaginta dies in loco officij. 47. Confessio criminis præsumitur ex transactione. 48 Confessio non præsumitur ex gratia delicti petita. 49. Confessio in scriptis facta probat contra confitentem. 50. Confessio non probat pro confitente, nec eius hæredibus, quamuis in mortis articulo sit facta. 51. Confessio numeratæ dotis, vel pecuniæ, quæ numerata non est, præsumitur donandi animo facta. 52. Confessio dotis receptæ inducit præsumptionem, quòd in continenti, non ex interuallo, dotem receperit. 53. Confessio de dote numerata præsumitur simulata: contra quam præsumptionem non admittitur probatio in contrarium, nisi confessio aduersæ partis. 54. Confessio in diuersis scripturis de quantitate facta, de diuersis quantitatibus, non de eâdem intelligitur. 55. Confessio mulieris cum marito facta de pretio rei dotalis venditæ recepto, non probat partem pretij ad mulierem peruenisse. 56. Coniunctus præsumitur scire facta coniuncti. 57. Consensus præsumitur ex receptione vel productione literarum: qui enim recipit vel producit literas, præsumitur ea quæ in iis continentur approbare. 58. Consensus præsumitur ex subscriptione vel scripturâ alicuius manu facta. 59. Consensus præsumitur ex consignatione. 60. Consensus præsumitur ex præsentiâ & taciturnitate. 61. Consensus venditionis rei suæ ab alio factæ præsumitur ex receptione pretij. 62. Consensu eius cuius est sigillum, id instrumento præsumitur appositum 63. Consensus præsumitur ex diuturnitate temporis. 64. Consensus parentis vel domini non præsumitur in iis quæ gerit filiusfamilias vel seruus. 65. Consuetudo non præsumitur, nisi probetur. 66. Consuetudo non probatur testimonio Doctoris attestantis esse consuetudinem. 67. Consuetudo probatur per testes singulares. 68. Consuetudo vt probetur requiritur quòd testes deponant de visu actus, cuius consuetudo allegatur, & quòd deponant de frequentia, & tempo... [illegible] tale, & actus tales factos fuisse, vt appareat interuenisse tacitum populi consensum. 69. Continuatio actuum facit, vt alter alterius gratia factus præsumatur. 70. Contractus præsumitur pignoratitius ex modicitate pretij & pacto de retrouendendo. 71. Contractus in dubio præsumitur innominatus. 72. Contumacia inducit præsumptionem confessionis. 73 Confessionis verbum non facit præsumi stipulationem. 74. Corruptela testis non præsumitur ex falso eius testimonio. 75. Crimen publicum non nisi apertis & euidentibus probationibus est probandum. 76. Crimen per scripturam non probatur. 77. Culpa non præsumitur. 78. Culpa in dubio intelligitur de lata & leui, non de leuissima. 79. Damnum non præsumitur nisi probetur. 80. Damnum præsumitur sentire creditor, cùm creditum vnius in plures debitores partitur. 81. Debitum præsumitur ex solutione vsurarum vel sortis. 82. Decretum interpositum inducit præsumptionem bonæ fidei & liberæ voluntatis 83. Decretum in dubio præsumitur iustum. 84. Defensio præsumitur ex præsentia cognatorum & affinium ipsius rei. 85. Delictum non præsumitur nisi probetur. 86. Delictum per instrumenta non probatur. 87. Dies in dubio magis præsumitur quàm conditio. 88. Dispensatio præsumitur ex eo, quòd princeps inhabilem sciens promouerit. 89 Distractus eodem modo probandus quo contractus. 90. Diuitem aut pauperem qui dicit, hanc suam intentionem probare tenetur. 91. Diuisio præsumitur ex diutinâ possessione separatâ. 92. Diuisio præsumitur etiam, si bona fratrum separatim descripta sunt in libro ciuitatis. 93. Diuisio facta inter maiorem & minorem fratrem præsumitur facta maiore fratre ad diuisionem prouocante. 94. Diuisio non inducitur ex petitione & solutione partis. 95. Dolus non præsumitur nisi probetur. 96. Dolus colligitur ex eo quod in continenti. 97. Dolus perspicuis indiciis, quæ facti qualitatem concernunt, probandus est. 98. Domicilium in dubio intelligitur habitationis potiùs quàm originis. 99. Domicilium præsumitur ex habitatione continuâ decem annorum. 100. Domicilij mutatio non præsumitur. 101 Dominium probatur communi opinione & famâ. 102. Dominium non probatur ex locatione. 103. Dominium probatur potissimùm præscriptione. 104. Dominiũ non probatur solâ possessione, nisi etiam probetur titulus. 105. Dominium præsumitur ex loco seu situ rei, si in alicuius territorio res sita sit. 106. Si dubitatur cuius territorij sit locus, præsumitur eius territorij cui magis est propinquus. 107. In probatione dominij requiritur etiam probare venditorem dominum fuisse. 108. Dominium non probatur contra tertium ex inuestiturâ. 109. Qui semel probatus est Dominus, semper præsumitur retinuisse dominium, etiam post mille annos. 110. Donatio non præsumitur nisi probetur. 111. Donatio facta sponsæ à consanguineis viri præsumitur viri, non vxoris contemplatione facta: secus, si facta sit à consanguineis vxoris. 112. Donatio filiofamilias facta præsumitur contemplatione patris, non filij facta. 113. Donatio facta legatis præsumitur contemplatione principis facta 114. Donans in dubio non præsumitur cogitasse de liberis futuris: ideoque affirmanti incumbit probatio. 115. Donatio in contractu matrimonij vel dotis facta, præsumitur facta cogitatione liberorum. 116. Donatio sponsæ facta præsumitur sub tacita conditione, si nuptiæ fuerint secutæ, facta. 117. Donatio simulata non præsumitur ex eo, quòd donans in possessione permanserit. 118. Donatio non præsumitur ob merita facta. 119. Donatio in dubio præsumitur inter viuos, non mortis causa. 120. Dos data non præsumitur fratris filiæ ex bonis communibus. 121 Doti data non præsumuntur bona mulieris simpliciter nubendo. 122. Dotata mulier non præsumitur nisi probetur. 123. Dotis instrumentum in dubio censetur priùs confectum. 124. Emancipatio non præsumitur. 125. Emphyteusis, an locatio simplex sit, ex quantitate pensionis præsumitur. 126. Emphyteusis magis quàm feudum in dubio præsumitur. 127. Emphyteusis præsumitur ex solutione certi canonis triginta vel quadraginta annorum. 128. Emptum præsumitur pecuniâ propriâ, quàm communi. 129. Epistola regulariter probat. 130. Error non præsumitur nisi probetur. 131. Exhæredatio etiam coniecturis probari potest. 132. Factum non præsumitur, sed est probandum. 133. Falsum in dubio non præsumitur. 134. Falsum a instrumentum, in quo continetur pecuniam fuisse numeratam, ex eo præsumitur, si constiterit pecuniam nullam præsentem fuisse, cum instumentum conficeretur. 135. Falsum item præsumitur instrumentum, quando notarius aliquid facit sibi prohibitum, vel omisit aliquid, quod sibi incumbebat. 136. Falsum præsumitur ex suspicione. 137. Falsum testimonium ex eo non probatur, quod testis sit corruptus. 138. Falsum rescriptum præsumitur ex nouis & insolitis clausulis. 139. Fama semiplenè probat. 140. Fama probatur duobus testibus. 141. Fama probanda est ita vt testes deponant se à pluribus audiuisse, & nominent particulariter aliquas personas etiam non interrogati: idem quod audiuerint à maiore parte populi: quòd exprimant causam, ob quam fama sit orta; item quòd fama præcesserit accusationem. 142 Soli iudici asserenti in inquisitione famam publicam præcessisse, non creditur. 143. Fatua causa non præsumitur in criminibus nisi probetur. 144. Fideicommissum in dubio non præsumitur nisi probetur. 145. Fideicommissum in dubio præsumitur iniunctum, non filio, cui debetur legitima, sed eius hæredibus. 146 Filiatio probatur præsumptionibus; itemque duobus testibus. 147. Filiatio probatur, si nascatur in domo ex vxore vel concubina alicuius. 148. Filiatio non probatur ex solâ nominatione filij. 149. Filiatio probatur ex eo quòd quis vt filius sit tractatus. 150. In filiatione probandâ [illegible] aduocati. 151. In filiatione probandâ non creditur asseuerationi mulieris prægnantis. 152. Matri neganti filium sui mariti esse, non creditur: nec marito; nec vtrique tam marito quàm vxori creditur negantibus filium suum esse. 153. Filius in dubio præsumitur legitimus, non spurius. 154. Filius illegitimus in dubio potiùs spurius quàm naturalis præsumitur. 155. Filius præsumitur diligere parentes. 156. Filius patri similis virtute & moribus præsumitur. 157. Filius in dubio præsumitur acquisiuisse ex re patris, non ex propriis bonis, & sic profectitium magis, quàm aduentitium præsumitur. 158. Filiusfamilias in dubio præsumitur accepisse pecuniam in eam causam cui fuit præpositus. 159. Fraus in dubio non præsumitur nisi probetur. 160. Fructus qui seruando seruari non possunt, non præsumuntur vltra triennium extare. 161. Fuga regulariter quidem non probat delictum. 162. Fuga incarcerati arguit negligentiam custodis. 163. Furiosus non præsumitur nisi probetur. 164. Furiosus præsumitur tempore furoris contraxisse, non in interuallo. 165. Gratia principis non nisi per scripturam probatur. 166. Habitus præsumitur donec probetur priuatio. 167. Hæredis institutio coniecturis & præsumptionibus colligitur. 168. Hæres ex eo quis non præsumitur quòd sit filius defuncti. 169. Hæres in dubio præsumitur rem pecuniâ hæreditariâ magis, quàm suâ emisse. 170. Hæreticus nemo præsumitur nisi probetur. 171. Homicidium probatur solis minis præcedentibus. 172. Idoneus præsumitur qui non probatur non idoneus. 173. Ignorantia præsumitur nisi probetur scientia. 174. Ignorantia proprio iuramento probari potest. 175. Impedimentum probatur iuramento concurrente qualitate personæ. 176. Impedimentum matrimonij nondum contracti probatur famâ, item vnico teste ad denuntiandum. 177. Incendium præsumitur culpâ inhabitantium factum. 178. Incendium præsumitur ex culpa leuissimâ. 179. Indicia quoque & alia argumenta, præter testes & instrumenta, probandi vim habent. 180. Infirmus morbo caduco præsumitur durare in infirmitate; secus in aliâ infirmitate. 181. Iracundiâ quid factum

ctum esse non præsumitur nisi probetur. 181. Insolita pacta allegantı probatio & incumbit. 183. Instrumenti contenta & solennitas, item eius fraus & falsitas per testes potest probari. 184. Instrumentum præsumitur perfectum, si non contineat consuetum. 185. Instrumentis duobus prolatis, de quibus dubitatur, vtrum fuerit prius, præsumitur pro dote etiam contra fiscum. 186. Intelligentia præsumitur ex præsentiâ. 187. Inuentarium facit præsumptionem & de iure, contra tutorem & curatorem. 188. Iudicium subterfugiens præsumitur habere malam causam. 189. Iuramentum facit præsumptionem. 190. Iuramentum operatur vt videatur in genere cogitatum. 191. Ius nonnisi legibus, constitutionibus aut moribus probandum est. 192. Tale quidque præsumitur, quale quidque esse debet. 193. Ius patronatus non præsumitur nisi probetur. 194. Iuuenes præsumuntur validiores, robustiores, & calidiores senioribus. 195. Lex vel statutum in vsu esse non præsumitur nisi probetur. 196. Legitimus pronuntiari cupiens, nondum motâ lite, non temerè audiendus. 197. Legitimus præsumitur ex coniunctâ virorum parentum cohabitatione. 198. Liberatio præsumitur ex temporis diuturnitate, taciturnitate, coniunctione sanguinis, & calculcatione sæpius initâ sine debiti mentione. 199. Liberasse â præstatione interesse creditor debitorem præsumitur, si sortem recepit nullâ protestatione interpositâ. 200. Liberum prædium præsumitur donec probetur seruitus. 201. Licito tempore gestum præsumitur. 202. Literæ lapidibus insculptæ non probant. 203. Locatio in dubio potiùs præsumitur, quàm Emphyteusis. 204. Locupletior quis in dies fieri præsumitur. 205. Locus inducit præsumptionem. 206. Longum tempus inducit præsumptionem. 207. Malæ fidei præsumptio tollitur spatio triginta annorum. 208. Mala fides etiam dicto vnius testis inducitur. 209. Mandatum non præsumitur nisi probetur. 210. Mandatum præsumitur ex scientiâ & patientiâ. 211. Mandatum non præsumitur interuenisse ex temporis diuturnitate. 212. Mandatum ei præsumitur qui mandati vel crediti instrumentum producit. 213. Maritus in dubio præsumitur se peruixisse vxori. 214. Matrimonium probatur consensu per traditionem annuli expresso. 215. Matrimonium præsumitur per cohabitationem diuturnam. 216. Matrimonij causam impedientem probat fama publica; item vnicus testis, item præsumptiones & coniectura. 217. Matrimonium non probatur iuramento coniugum necessario; nec per nominationem, quæ tamen inducit præsumptionem: nec probatur ex verbis narratiuis vel enuntiatiuis instrumenti: nec testimonio sacerdotis, qui dicit in confessione sacramentali sibi esse confessum. 218. Medium probatur probatis duobus extremis. 219. Mens contrahentium ex coniecturis colligitur. 220. Merita in donatione non præsumuntur: ideoque sunt probanda, non obstante testimonio donatoris dicentis ob benemerita se donasse. 221. Metus non præsumitur nisi probetur. 222. Metus magis probatur duobus testibus, quàm centum testibus libera voluntas. 223. Miles in dubio præsumitur testari voluisse iure communi, non militari, nisi contrarium probetur. 224. Minor an maior ætate quis sit, cùm quæritur, præsumitur contra eum qui se in hâc quæstione fundat. 225. Minor præsumitur ex eo, quòd illi curator sit decretus. 226. Minor facilè lædi non præsumitur. 227. Modus in dubio potiùs præsumitur quàm conditio. 228. Morbus præsumitur in æquo tempore venditionis extitisse, si breui post decesserit: secus, diu post decessit. 229. Mulier facilè lædi præsumitur. 230. Mutatio voluntatis non præsumitur, nisi probetur. 231. Mutatio testamenti septem testibus est probanda, & codicillorum mutatio quinque testibus. 232. Mutuum præsumitur in dubio pecuniâ datâ magis quàm donatio. 233. Negotium quis magis proprium quàm alienum in dubio gessisse præsumitur. 234. Nobilitas non præsumitur. 235. Nobilitas virtutis præsumptionem indicit. 236. Nomen interdum argumentandi materiam ac præsumptionem suppeditat. 237. Notarius non præsumitur nisi probetur. 238. Notarius non præsumitur rogatus. 239 Notorium probatur per duos testes 240. Nouarum rerum studiosi sunt suspecti. 241. Numeratio præsumitur ex eo si quis se recepisse scripserit. 242. Opinio communis probatur testimonio vnius Doctoris. 243. Pactum in dubio præsumitur nudum. 244. A parte ad totum valet argumentum. 245. Partus an naturaliter viuere possit, in hoc statur iudicio obstetricum. 246. Partus subiectus non præsumitur, nisi probetur. 247. Partus in dubio præsumitur tempestiuus & maturus. 248. Pater præsumitur diligere filium. 249 Patria potestas in dubio præsumitur. 250. Pecunia â filiofamilias scolari, legato vel milite mutuò sumpta præsumitur in necessarios vsus versa. 251. Permissum præsumitur quod non inuenitur prohibitum. 252 Perpetuum in dubio præsumitur non temporarium. 253. Peruenisse rem ad aliquem non præsumitur. 254. Pignus in dubio magis præsumitur quam solutio. 255. Pluralitas vel identitas non præsumitur, nisi probetur ab eo, qui intentionem suam in eo fundat. 256. Possessio non præsumitur nisi allegetur. 257. Possessio probatur testibus singularibus. 258. Possessio ex locatione non probatur. 259. Possessio probatur per receptionem mercedis 260. Possessio præsumitur, si quis olim se possedisse probauerit. 261. Possessio præsumitur, ex eo, quòd quis in rem actione conueniatur. 262. Possessio in dubio magis præsumitur quàm detentio. 263. Possessio præsumitur clandestina vel violata, si aduersarius probauerit antiquiorem possessionem. 264. Possessio intermedia probatur probatis duobus extremis. 265. Possessio præsumitur ex titulo qui eam præcessit. 266. Possidere quisque præsumitur suo magis quàm alieno nomine. 267. Præiudicium tertiò facere voluisse sua constitutione vel rescripto Princeps non præsumitur, nisi hoc fuerit expressum. 268. Præscriptio non præsumitur nisi probetur. 269. Priuata scriptura pretij mentione venditionem arguit. 270. Princeps non præsumitur contra ius rescripsisse. 271 Princeps præsumitur potiùs secundùm ius commune, quàm secundùm ius speciale concessisse vel rescripsisse. 272. Princeps non præsumitur suo priuilegio derogare vel tollere statum ciuitatis. 273. Principium potiùs attendendum quàm finis: item quale principium est, talis etiam præsumitur finis. 274. Priuata scriptura in mercatoris libro pro tertio contra tertium facit semiplena probationem. 276. Procurator in dubio non videtur constitutus ad futuras causas. 276. Procurator in dubio non videtur constitutus ad futuras causas. 277. Procurator in dubio de causâ instructus præsumitur. 278. Promitto verbum arguit stipulationem esse factam. 279. Prorogatio iurisdictionis in dubio non præsumitur 280. Protestatio probatur iuramento. 281. Proximior præsumitur, quamdiu non probatur alium esse proximiorem. 282. Quantitas pretij sæpe inducit præsumptionem, cuius generis sit contractus. 283. Ratihabitio præsumitur ex scientiâ & patientiâ. 284. Rationes vnius legis in dubio præsumuntur plures, non vna. 285. Ratio reddita præsumitur ex taciturnitate decem annorum. 286. Reditus annuus in dubio præsumitur redimibilis, non perpetuus. 287 Relocatio præsumitur ex taciturnitate finito locationis tempore factâ. 288 Renuntiatio non præsumitur nisi probetur. 289. Renuntiatio vnius iuris præsumitur ex electione alterius. 290. Renuntiatio societatis præsumitur, si vnus sociorum separatim negotiari cœperit. 291. Renuntiatio hæreditatis patri â filio facta præsumitur potius in commodum fratrum quàm patris facta 292. Rescriptum principis in dubio præsumitur ad instantiam partis potius, quam proprio motu concessum. 293. Responsum præsumitur conforme interrogationi. 294. Rogatus non præsumitur neque testis, neque notarius, nisi probetur. 295. Rogatus præsumitur notarius apponere clausulas consuetas. 296. Sana mens testatoris præsumitur. 297. Scientia non præsumitur nisi probetur. 298. Scientia præsumitur ex consanguinitate. 299. Scientia præsumitur ex vicinitate. 300. Præsumitur contra scholares, quia sunt calidi. 301. Senectus inducit præsumptionem infirmitatis: itemque prudentiæ & veritatis. 302. Pro sententia præsumitur. 303. Sententia in absentem lata præsumitur ex contumaciâ, non ob iniustam causam lata. 304 Serui iisdem probationibus continentur, quibus liberi. 305. Seruitus non præsumitur nisi probetur. 306. Seruitus mulieri concessa præsumitur etiam concessa marito. 307. Signa quoque probandi vim habent. 308. Simulatus contractus præsumitur, quando maritus emens nomen vxoris in instrumento conscribi iubet. 309. Sine liberis quis decessisse præsumitur donec contrarium probetur. 310. Solennitas extrinseca præsumitur spatio decem annorum. 311. Solutio non præsumitur nisi probetur per confessionem eius cui solutio facta esse dicitur, si is creditor non sit. 313. Solutio per vnum testem probari potest debito per duos testes probato, estque in supplementum probationis reo iusiurandum deferendum. 314. Solutio centum non probatur per Apocham & per testes deponentes creditorem confessum esse quinquaginta se recepisse. 315. Solutio canonis emphyteutici per duos testes probanda. 316. Solutione trium annorum in annuo canone pobata, etiam præcedentium annorum solutio facta præsumitur. 317. Solutio non præsumitur, sed pignus, quando reus in certam quantitatem condemnatus speciem creditori dedit. 318. Solutio pretij, duobus vendentibus præsumitur vtrique facta. 319. Solutio alieno nomine facta præsumitur facta pecuniâ soluentis, non pecuniâ debitoris. 320. Solutio præsumitur facta nomine proprio magis quàm alieno. 321. Soluens non videtur cautionem agnoscere. 322. Spolium præsumitur antiquiore possessione probatâ. 323. Statutum etiam per testes probari potest. 324. Stipulatio patris filiis facta, præsumitur vt hæredibus facta. 325. Stipulatio, non præsumitur ex verbo Conuenit posito in instrumento. 326. Stipulatio præsumitur ex verbo Promitto. 327. Substitutio coniecturis & præsumptionibus colligitur. 328. Substitutio in dubio directa, non fideicommissaria præsumitur. 329. Sumptus in alendo equo pignorato præsumitur de bonis creditoris factus. 330. Tabellio non præsumitur nisi probetur titulus. 331. Tempus non præsumitur nisi probetur. 332. Tempus præsumitur continuum, nisi vtile probetur. 333. Tempus inducit præsumptionem. 334. Testamentum in dubio factum non præsumitur nisi probetur. 335. Testamentum mutatum non præsumitur nisi probetur. 336. Testamentum cancellatum præsumitur voluntate testatoris. 337. Testamentum etiam

probatur sine scripturâ solis testibus. item probatur per instrumentum: item illud legitimè esse factum probatur per duos testes testamentarios 338. Testator præsumitur hæredem quàm minimè onerare voluisse. 339. Titulus in seruitute ex sola patientiâ præsumitur. 340. Titulus ex diutinâ possessione, & ex diutinâ præstatione annui reditus præsumitur. 341. Titulus in beneficialibus non probatur confessione aduersarij. 342. A toto ad partem valet argumentum. 343. Traditio non probatur instrumento venditionis. 344. Venditio præsumitur, si pretij mentio sit facta. 345. Venditio præsumitur facta ante litis contestationem, non post. 346. Venditio non probatur, nisi de quantitate pretij constet. 347. Veditor rem tradens præsumitur de pretio emptori fidem habere. 348. Verba enunciatiua non probant. 349. Vestitus etiam facit præsumptionem. 345. Vicinus præsumitur scire factum vicini. 346. Virgo præsumitur nisi contrarium probetur. 347. Vis non præsumitur nisi probetur. 348. Viuere quis præsumitur vsque ad centum annos. 349. Viuere partum statur iudicio obstetricum 350. Voluntas testatoris præsumitur magis conformis statutis quàm iuri communi. 351. Vsurarius contractus in dubio non præsumitur. 352. Vxor constante matrimonio quæsita præsumitur ex bonis mariti quæsiuisse. 353. Vxor occisa præsumitur à marito occisa. 354 In re dubiâ quod benignius & humanius est, præsumitur: item quod est credibilius, & quod plerumque fieri solet. 355 Quæ argumenta cuique rei probandæ sufficiant, nullo certo modo potest definiri, sed relinquitur arbitrio iudicantis.

Probatio.

IV. *De probationibus hæ sunt regulæ.*

1. Probationis species cognatæ sunt informatio, indicium seu præsumptio & semi-plena probatio. 2. Probatio non est de substantiâ iudicis. 3. Lite contestatâ probatio eius de quo inter partes controuertitur, alterutri parti est iniungenda. 4. Affirmanti non neganti incumbit probatio. 5. Post terminum probationi præstitutum, probatio nón ampliùs est admittenda. 6. Post conclusionem in causa probatio non est admittitenda. 7. Post publicatas attestationes probatio non amplius admittitur. 8. Exceptio tunc demum probanda si prius actio fuerit probata, vel lis contestata. 9. Probatio æstimationis rerum vi ablatarum præcedere non [illegible] qui debet sententiam. 10. Renûtiationis exceptio in causa spolij opposita non ante probanda, quà spolium fuerit restitutum. 11. Si fuerit probatum regulariter obtinet is qui probauit & punitur aduersarius. 12. Si rei vêdicatione conuentus de dominio actoris, vel de sua possessione, quam negauerat, fuerit conuictus, possessio ad actorem transfertur. 13. Si non probauerit is cui probandi onus incubuit, succumbit, siue actor sit siue reus, & obtinet aduersarius.

Instrumenta.

V. *De Instrumentis hæ sunt regulæ.*

1. Instrumentorum appellatione larga omnis scriptura côtinetur. 2. Priuata scriptura instrumenti appellatione continetur in fauorabilibus, sed non in odiosis. 3. Eandem vim habent tam fides instrumentorum, quàm depositiones testium. 4. Plus valet in instrumentis subscriptio, quàm sigillatio. 5. Instrumenta vim probandi habent. 6. Si falsum dicatur instrumentum, & manus eius, qui scripsisse dicitur, esse negetur, aliaque eius probandi argumenta deficiant, ad comparationem literarum confugiendum. 7. Comparatio literarum facit plenam probationem.

Confessa.

VI. *De Confessis hæ sunt regulæ.*

1. Confessio non est probatio. 2 Confessus pro iudicato habetur. 3. Instrumentum producens ab eo qui illud falsum dicturus est interrogari potest, an eo instrumento vti velit. 4. Ecclesia interrogari potest, num stet contractui, quem nullum aut irritum potest dicere. 5. Confessio vnius alteri non præiudicat.

Quæstiones & tormēta.

VII. *De quæstionibus & tormentis hæ sunt regulæ.*

1. Ad eliciendam veritatem reus est torquendus. 2. Vnius testimonium ad torturam non sufficit. 3. Fama ad torturam non est indicium ad torturam. 5. Fuga socii facit indicium ad torturam alteri socio detento. 6. Minæ non sufficiunt ad torturã. 7. Si reus deprehensus sit in flagranti crimine, sufficit ad torturam. 8. Côfessio extraiudicialis sufficit ad torturam. 9. Confessio facta coram iudice incompetente sufficit ad torturam. 10. Indicium socij nô sufficit ad torturam. 11. Inimicitia capitalis sola nô est sufficiens indiciû ad torturam. 12. Indicium morientis vel vulnerati sufficit ad torturam. 13. Si reus variat, & mentitur, sufficit hoc ad torturam. 14 Fuga facit indicium ad torturã, præsertim si è carceribus aufugit. 15. Contumacia citati non comparentis indicium facit ad torturam. 16. Consuetudo delinquendi indiciû est sufficiens ad torturam. 17. Assertio loci neque ad torturam neque ad inquisitionem indicium facit. 18. Regulariter omnis torqueri potest, qui non reperitur prohibitus. 19. Præsentibus clarissimis viris & patronis causarum quæstio est habenda. 20. Causæ cognitio præmittenda est torturæ 21. Prius cognoscatur, an de delicto constet, quàm tortura adhibeatur. 22. Priùs de qualitate delicti cognoscatur, quàm ad torturam veniatur. 23. Priùs cognoscatur, an alio modo delictum probari possit. 24. Reus ante prandium torquendus est, ieiunius. 25. Testibus torquendis copia indiciorum & processus dari non debet. 26. Quæstionem habiturus non debet specialiter interrogare: putà, an Lucius Titius homicidium fecerit: sed generaliter, quis id fecerit. 27. De socio criminis interrogare reum iudex potest. 28. Si vnius criminis plures sint rei, à timidiore, iuniore, suspectissimo, & à quo facillimè posse verum sciri iudex crediderit, incipienda est quæstio. 29. Quæstioni fides est habenda, seu, Ei, quod tortus confessus est, stari debet. 30. Si iudex iniustè aliquem, vel vltra modum torqueri fecerit, punitur.

CAPVT XXI.

De Quæstione iuris.

PRECEPTA.

Quæstio iuris est quæstio de facti merito

Meritum facti est ius, quod applicatur facto, si quidem illud facti in iudicium deducti iustitiam vel iniustitiam demonstrat.

Estque generale, vel speciale.

Generale meritum est, quod iuris historiâ definitum est, siue legibus aut statuto sancitum sit, siue vsu approbatum, hoc est, consuetudine.

Meritum speciale est, quod nullo iure est definitum, sed pro iudicis vt viri boni arbitrio specialiter facto accommodatur, quod ita est Æquitas.

REGVLÆ.

I. *De merito generali sunt hæ Maximæ.*

1. Meritum generale ipso facto, cui accommodatur, est prius & antiquius: quippe quod factum futurum respiciat. 2. Si generale meritum cum ipso facto, atque ita quæstio tam ex hoc quàm ex illo profluens consideretur, facti quæstio incerta est atque vaga, quæstio iuris certa & definita: illa hypothesin continet, hæc thesin: illa syllogismi assumptionem constituit, hæc præpositionem: illa tempore posterior est, hæc prior: in accommodando tamen thesin ad hypothesin illa tempore prior est, quippe de quâ priùs constare oporteat, hæc posterior. 3. De facto disceptatur semper: de iure siue de facti merito generali disceptatur nunquam, nimirum si effectum spectes. Nam fieri aliàs potest, vt litigantes ius quidem in dubium vocent vel ipsum, vel ipsius ad factum applicationem, quod iudici, de facto constet, certum est. 4. Facti quæstio est quidem in potestate iudicantium, at iuris authoritas non est.

II. *De merito speciali sunt hæ regulæ.*

1. Non potuerunt omnia factorum genera definiri, vt quæ sint infinita, ius autem nonnisi finitum esse possit: & infiniti regula non possit esse nisi infinita, cuiusmodi est æquitas. 2. Quotiescunque igitur quid legibus aut iure definitum non est, toties ad boni viri arbitrium est recurrendum. 3. Arbitrium boni viri omne est positum in æquitate, cuius in omnibus, maximè verò in iure ratio est habenda.

CAPVT XXII.

De Actionibus in genere, & in specie de condictionibus ex conuentione.

PRÆCEPTA.

Tractatio quæstionis est in actione & exceptione.

Actio est ius persequendi debiti in iudicio.

Eius occurrit communis affectio & diuisio.

Com

Communis affectio eſt, quòd actio eſt 1. ciuilis vel prætoria. 2. comparata rei perſequendæ cauſa, vel pœnæ, vel vtriuſque. 3. bonæ fidei vel ſtricti iuris. 4. perpetua vel temporalis. 5. continuata vel non.

Actio ciuilis eſt actio legitima, ex lege ſiue quacunque alià iuris parte, præterquam magiſtratuum edicto, competens, legitimâ cauſa ſubnixa.

Actio prætoria eſt actio ex prætoris vel alius magiſtratus iuriſdictione introducta. *Dicitur etiam* honoraria.

Vtraque eſt directa, vel vtilis. Illa datur ex ipſis legis ſiue edicti verbis expreſſis: hæc non ex ipſis verbis, ſed ex mente & ſententiâ legis ſiue edicti.

Rei perſequendæ causâ comparatæ ſunt potiſſimùm actiones reales omnes, itemque actiones ex obligatione contractus proficiſcentes: *pœnæ causâ*, pleræque actiones ex obligatione delicti proficiſcentes: *pœnæ & rei causâ ſimul*, itidem actiones ex obligatione delicti.

Actio bonæ fidei eſt, in quâ libera poteſtas à lege permittitur iudici ex bono & æquo æſtimandi quantum actori reſtitui oporteat.

Actio ſtricti iuris eſt, in quâ iudex præcisè adſtrictus eſt de actione in iudicium deducta pronuntiare ſecundùm naturam actioni iſti à lege vel à iure datam.

Actio, quæ nec propriè bonæ fidei eſt, neque etiam propriè ſtricti iuris, appellatur *actio arbitraria.*

• *Actio perpetua* eſt, quæ nullo temporis ſpatio finitur: *temporalis* contra.

Actio in iudicium deducta hæredibus & in hæredes *continuatur vel non continuatur.*

Diuiſio actionis eſt, quòd vna eſt in perſonam, altera in rem: vnde illa perſonalis, hæc realis dicitur.

Actio perſonalis eſt actio, quâ cum eo agimus, qui obligatus eſt nobis ad faciendum aliquid, vel dandum.

Eſtque præiudicialis, vel condictio.

Actio præiudicialis eſt actio de ſtatu hominis, ſeu eſt actio in perſonam ex poteſtate profecta: vt eſt actio de iure perſonarum Eccleſiaſticarum, de iure magiſtratus & ſubditorum, de iure ciuitatis & peregrinitatis, de gentis nobilitate & obſcuritate: item actio liberalis, quæ eſt de libertate & ſeruitute: actio ingenuitatis, de liberis legitimis vel illegitimis, de iure tutoris & curatoris.

Condictio eſt actio in perſonam ex obligatione profecta.

Ea in genere eſt ordinaria vel extraordinaria, ciuilis vel criminalis: in ſpecie eſt condictio orta ex obligatione conuentionis, vel delicti. Illa ſpecialiter condictio dicitur: hæc nomine caret.

Condictio ex obligatione conuentionis profecta eſt ordinaria, vel extraordinaria; & illa oritur vel ex contractu, vel ex adiunctis contractuum, vel ex obligatione prætoriâ, vel ex lege.

Ex contractu vero oriuntur hæ actiones.

I. *Actio ex mutuo promutuo:* vbi eſt condictio certi, condictio ob cauſam dati, condictio ob cauſam inhoneſtam, condictio ſine causâ.

II. *Actio commodati*; quæ datur commodanti aduerſus commodatarium, vel huic contra illum.

III. *Actio depoſiti:* cui cognata eſt actio ex recepto, & actio ſequeſtraria. Datur autem actio depoſiti deponenti contra depoſitarium, & retrò.

IV. *Actio pigneratitia*; quæ datur creditori contra debitorem, vel contrà.

V. *Actio venditi empti*; quæ datur venditori aduerſus emptorem.

VI. *Actio empti venditi*; quæ datur emptori aduerſus venditorem.

VII. *Actio locati conducti*; quæ datur locatori aduerſus conductorem.

VIII. *Actio conducti locati*; quæ datur conductori aduerſus locatorem.

IX. *Actio pro ſocio*; quæ naſcitur ex contractu ſocietatis.

X. *Actio mandati*; quæ datur mandatori contra mandatarium; vel mandatario contra mandatorem.

XI. *Actio ſtipulationis, ſeu actio ex ſtipulatu.*

XII. *Actio chirographaria*, quæ eſt condictio ex literarum obligatione.

XIII. *Actio incerta, quæ & actio incerti, & actio præſcriptis verbis dicitur.* Ea eſt condictio incerti ex contractu innominato. Hîc nominatim eſt *actio æſtimatoria*, quæ oritur ex contractu æſtimatorio, & *actio ex contractu permutationis.*

XIV. *Actio negotiorum geſtorum.*
XV. *Actio tutelæ.*
XVI. *Actio familiæ herciſcundæ.*
XVII. *Actio de communi diuidundo.*
XVIII. *Actio finium regundorum.*
XIX. *Actio ex teſtamento.*
XX. *Condictio debiti.*
XXI. *Actio ad exhibendum*
} Hæ condictiones oriuntur ex quaſi contractibus.

XXII. *Actio ex præpoſitione.*
XXIII. *Actio ex iuſſu.*
XXIV. *Actio tributoria.*
XXV. *Actio de peculio.*
XXVI. *Actio de in rem verſo.*
} Hæ actiones dicuntur adiectitiæ, & oriuntur ex contractu alieno.

XXVII. *Actio triticiaria.*
XXVIII. *Actio conſtitutoria.*
XXIX. *Actio iuratoria.*
} Hæ actiones dantur ex obligatione prætoriâ, h.e. magis ex æquitate, quàm obligatione.

XXX. *Actio ex ædilitio edicto*; eáque redhibitoria & æſtimatoria.
XXXI. *Actio de editione*; eáque ex empto, vel ex ſtipulatu.
} Hæ condictiones, ſiue actiones, oriuntur ex contractuum adiunctis communibus.

XXXII. *Condictio emphyteucaria*; & quædam aliæ, quæ dantur ex lege.

XXXIII. *Actio quod metus cauſa.*
XXXIV. *Actio de dolo.*
XXXV. *Actio quæ datur minorib. 25. annis.*
XXXVI. *Actio, quæ datur his, qui propter minimam capitis diminutionem debitoris, actiones ſuas intermiſerunt.*
XXXVII. *Actio maioris 25. annis.*
XXXVIII. *Alienatio iudicij mutandi causâ facta.*
} Hæ condictiones ſunt extraordinariæ.

Regvlæ.

I. *De actionibus in genere ſunt hæ regulæ.*

Actiones in genere.

1. Actionis ſignificatio partim generalis eſt, partim ſpecialis. 2. Actio nec mobilis nec immobilis res eſt, ſed tertia ſpecies. 3. Cum duo facta requiruntur ad actionem (veluti in permutatione requiritur contractus & traditio) quorum vnum alterius eſt implementum, competit actio non ex implente, ſed ex impleto: ſecus in iureiurando quo contractus confirmatur. 4. Ex ſolo iure naturali ſeu gentium ſine iure ciuili non datur actio. 5. Actionum aliæ in perſonam ſunt; aliæ in rem, & aliæ mixtæ. 6. Actionum aliæ ſunt vniuerſales, aliæ generales, aliæ particulares. 7. Actionum aliæ rei, aliæ pœnæ perſequendæ gratiâ ſunt, aliæ ſunt miſtæ. 8. Actionum alia arbitraria eſt, alia non. 9. Actionum aliæ bonæ fidei ſunt, aliæ ſtricti iuris. 10. Ex geſto filiifamiliâs patri, non filio datur actio. 11. Ex eo quod ſeruus geſſit domino, datur actio. 12. Monacho non datur actio. 13. Alij quàm creditori non competit actio. 14. Actio quæ competiit defuncto eius quoque hæredibus datur. 15. Ei cuius dolo vel culpâ commiſſa eſt cauſa, ex quá agitur, actio non eſt danda. 16. Domino pro ſubdito ſuo actio non competit. 17. Poſſeſſori non datur actio. 18. Aduerſus Monachum non datur actio. 19. Ex facto alterius aduerſus alium non datur actio. 20. Quæ aduerſus defunctum, eadem etiam aduerſus hæredes eius datur actio. 21. Hæres à diuerſis iudici

iudicibus citatus potest comparere apud quem velit. 22. Si reus promisit hic vel alibi soluere, in arbitrio actoris est, vbi petere velit. 23. Si non præstatur id quod debetur, vel tardiùs præstatur, reus tenetur in id quod interest actoris, pecuniam suo die solutam esse. 24. In æstimatione eius quod interest, inspicitur tempus contractus. 25. In æstimatione eius quod interest actoris, etiam lucrum cessans venit. 26. Id quod actoris interest, arbitrio iudicis relinquitur. 27. Id quod interest actoris, ipsius actoris etiam arbitrio committi potest. 28. Ratio eius quod actoris interest, vsque ad executionem habenda est: & in bonæ fidei contractibus debetur non iure actionis, sed officio iudicis. 29. Æstimatio rei petitæ quæ præstari non potest, arbitrio iudicis relinquitur. 30. In æstimatione rei debitæ attenditur tempus quo petitur. 31. Si æstimatio permittitur arbitrio aduersarij vel alterius, de boni viri arbitrio intelligenda est. 32. Æstimatio rei immobilis fit ex eius fructibus, non magnitudine. 33. Expensæ in æstimatione rei deducendæ. 34. Commodum longioris vitæ in obligationibus respectu præscriptionis non est considerabile. 35. Non tam quantitatis quàm qualitatis ratio in æstimatione habenda. 36. Affectionis æstimatio non attenditur. 37. Quando dubitatur, cuius valoris vel monetæ pecunia debeatur, intelligitur moneta vsualis & currens in loco contractus. 38. Si pecunia debita sit alterata, æstimatio pecuniæ debetur, quæ fuit tempore contractus, vltimæ dispositionis, vel statuti, non quæ est tempore solutionis, 39. Monetæ valor in sententiâ consideratur tempore sententiæ, non executionis. 40. Monetæ valor in gratiâ principis attenditur tempore gratiæ factæ. 41. Si moneta, quæ fuit tempore contractus, testamenti vel statuti, ampliùs non extat, tum solutio fieri potest in aliâ monetâ, ad valorem tamen intrinsecum monetæ antiquæ. 42. Species quæ debetur, non eius æstimatio in libello petenda. 43. Qui certâ summa diuersas summas scripsit, non de eâdem, sed de diuersâ summâ scripsisse præsumitur. 44. Si quis plus petierit causâ cadebat iure antiquo, hodiè triplici pœnâ tenetur. 45. Si creditor non totum debitum, sed partem eius petierit, exceptione repellitur. 46. Vsuræ nec iure ciuili peti possunt nisi ex certis causis. 47. Ex stipulatu vsuræ debentur. 48. Vsuræ ex morâ debentur. 49. Quantum vsurarum nomine promissum est, tantum etiam solui debet. 50. Vsuræ & id quod actoris interest, sortis summam excedere non possunt. 51. In actiones veniunt fructus, accessiones, & omnis causa. 52. Fructus intelliguntur deductis impensis fructuum gratiâ factis. 53. Fructus pendente lite percepti debentur officio iudicis, non iure actionis. 54. Si reus rem quæ petitur non restituit, vel de damno dato, aut ex delicto agatur: quanti sua interesse actor iurauerit, in tantum reus est condemnandus. 55. Miles & nobilis non nisi in id quod facere potest tenetur. 56. Clericus nonnisi in id quod facere potest tenetur. 57. Filiusfamiliâs sui iuris effectus, ex contractu quem in patriâ potestate constitutus gessit, nonnisi in id quod facere potest tenetur. 58. Si quid actor reo debet, compensatione oppositâ minuitur condemnatio. 59. Compensationis affine remedium est Reconuentio, quod cessante compensatione habet locum. 60. Si pura sit obligatio, statim agi potest. 61. Si in diem sit obligatio, ante diem venientem agi non potest, sed nec die veniente, nisi eo præterito. 62. Tempus contractui adiectum incipit currere à die contractus. 63. Dies in contractu adiectus in dubio intelligitur de proximo non vlteriori die. 64. Si quis promiserit certam summam tribus terminis soluendam, termini illi relinquuntur arbitrio iudicis constituendi. 65. Si sub conditione obligatio contracta est, nonnisi existente conditione actio competit. 66. Ante calendas dari stipulari nihil aliud est, quàm si quis stipuletur calendis dari. 67. Si quis promisit post aliquot dies vel annos dare, post duos dies vel duos annos dare tenetur. 68. Si quis sine temporis præfinitione quid dare promisit, tenetur dare quàm primùm poterit. 69. Si quis annua, bima, trima die quid dare promisit, vel dare iussus est: singulis annis tertiam eius partem tenetur præstare. 70. Si causa criminalis ciuili incidat, interim ciuilis est suspendenda. 71. Si reus in magistratu positus sit, nonnisi finito magistratu aduersus eum datur actio. 72. Tempore luctus reus non debet conueniri. 73. Si princeps reo dilatoriam exceptionem concessit, interim non est actio aduersus eum instituenda. 74. Si actor dilationem aduersus suos creditores impetrauit, eâdem aduersus eum vti possunt eius debitores. 75. Si reus ex causâ necessariâ vel iustâ est absfuturus, interim actio differenda. 76. Cumulatio actionum regulariter est prohibita. 77. Si plures competant actiones, in arbitrio actoris est, quâ potissimùm velit experiri. 78. Quot sunt facta, tot sunt actiones & libelli, totidemque sententiæ requiruntur. 79. Si statuto ad probationem alicuius negotij requirantur testes optimi, vel optimæ famæ & conditionis: tunc fundans se in hâc qualitate, articulare illam & probare debet. 80. Nemo inuitus agere cogitur. 81. Officium iudicis affine remedium est actionis, quod competit si verba legum dirigantur ad iudicem. 82. Est item affine actionis remedium denuntiatio Euangelica. 83. Est item actionis affine remedium exceptio.

II. *De retractu municipali hæ sunt regulæ.* Retr. munipalis

1. Ius huius actionis dicitur commune esse multis ciuitatibus. 2. Ius hoc retractus odiosum dicitur non fauorabile: ideoque restringendum non extendendum esse. 3. Actio est personalis. 4. Actio est stricti iuris. 5. Actio hæc cum suo iure per omnia ius successionis sequitur. 6. Si cognatus actoris rem aliquam vendidit, vel alio simili modo alienauit, competit actori actio proposita ad rem oblato pretio retrahendam. Huius plures sunt exceptiones, partim ex venditoris, partim ex emptoris personâ, partim ex re venditâ, partim ex aliis circumstantiis desumptæ: Procedit itaque nisi 1. venditor sit bastardus vel non legitimè natus. 2. nisi venditor sit venetus. 3. nisi non cognatus actoris rem vendidit, sed alius. 4. nisi clericus venditor sit. 5. nisi venditor sit alterius prouinciæ, quæ retractus iure non vtitur. 6. nisi proprietarius vsumfructum, vel dominus directus vtile dominium emerit. 7. nisi cognato res vendita sit: hoc enim casu remotioribus cognatis ius retractus denegatur. 8. nisi emptor ex pacto de reuendendo rem redemerit: hoc enim casu cognatis reuendentis denegatur retractus. 9. nisi Rex vel summus princeps rem emerit. 10. nisi res mobilis, incorporalis, qualia sunt ea quæ in iure consistunt. nisi feudum, nisi emphyteusis vendita sit. 11. nisi res vendita alio loco, in quo ius retractus non seruatur, sita sit: nam statuta & consuetudines, quod sunt contra ius commune, non extenduntur ad res alibi sitas. 12. nisi res non patrimonialis, sed ab ipso venditore acquisita vendita sit. 13. nisi venditor rem venditam non ex parentum, sed ex transuersalium successione adeptus sit. 14. nisi res vendita à venditore sit vsu capta. 15. nisi quis non suam, sed alienam rem vendiderit. 16. nisi res à testatore alienari prohibita vendita sit. 17. nisi res alio quàm venditionis titulo sit alienata. 18. nisi promissa tantùm venditio sit, non secuta: hoc enim casu retractui locus non est. 19. nisi res sit permutata. 20. nisi res donata sit vel legata. 21. nisi res ex causa transactionis data sit, vel apud possessorem remaneat. 22. nisi in diuisione vel rei communis vti tota res sit addicta, vt alteri dimidiæ partis pretium solueret, vel aliam rem mobilem pro eâ cederet. 23. nisi res alij cedatur, vt cessionarius æs alienum cedentis susciperet, & creditoribus eius solueret. 24. nisi vasallus vel emphyteuta pretio accepto ius suum domino renuntiauerit. 25. nisi dominus vectigalis vel alterius annui reditus hoc suum ius accepto pretio remiserit. 26. nisi per compensationem res sit alienata. 27. nisi res locata sit, non vendita. 28. nisi res in emphyteusin, libellum aut censum sit data: cuius scilicet pensio perpetua est, nec redemptioni subiecta. 29. nisi in res feudum data sit, non vendita. 30. nisi res in dotem data sit. 31. nisi pignori data sit. 32. nisi nulla vel inutilis sit venditio. 33. nisi venditio sit simulata. 34. nisi quis rem suam quasi alienam, putà cuius negotia gerit, vendat. 35. nisi sub conditione venditio sit contracta. 36. nisi venditio sub modo sit facta. 37. nisi venditio ita sit facta, ne dominium rei venditæ ad emptorem transiret, nisi soluto priùs pretio. 38. nisi venditio ita sit facta, vt si venditoris cognatus retrahere velit, res esset inempta 39. nisi venditio facta sit cum pacto retrouendendi. 40. nisi venditio sit ad tempus facta, putà ad vitam emptoris. 41. nisi venditio facta sit pro pecuniâ à principe reprobatâ. 42. nisi venditio sit necessaria, non voluntaria. 43. nisi actor in venditionem consensit. 44. nisi actor venditori tanquam aduocatus vel procurator aut consiliarius adfuit in venditione. 44. nisi actor rem patris sui vendidit. 45. nisi actor pro euictione fideiussit. 46. nisi actor instrumentum venditionis scripsit vel subscripsit, nisi pretium venditionis recepit, vel emptori vt emeret persuasit, vel præsens in contractu venditionis tacuit, nec ei contradixit. 47. nisi actor rem communem cum socio vendidit, vel sibi ante oblatam emere noluit. 48. nisi actor ante venditionem permiserit venditori rem eandem cui velit. 49. nisi actor iuri retractus renuntiauit, vel re semel venditâ eam non retraxerit. 50. nisi actor omnes suos ad quæstus, præsentes & futuros, alteri donauit. 51. nisi res vendita emptori nondum sit tradita. 52. nisi emptor & venditor postea à venditione discedant. 53. nisi pretium venditori ab emptore nondum sit solutum. 54. nisi venditor emptori pretium remiserit. 55. nisi actor pretium actori oblatum atque depositum postea recepit. 56. nisi actor ius reretractus alteri cesserit. 57. nisi feudo vendito, dominus laudimia acceperit. 58. nisi coniecturis vel alio modo probari possit, actorem non sibi, sed alij rem retrahere velle aut retraxisse. 59. nisi hac actione semel actum sit: Tum enim rursus agenti nocebit exceptio. 60. nisi reus conuentus eiusdem rei nomine ab alio controuersiam patiatur. 61. nisi res empta perierit. 62. nisi actor non omnes partes venditas, sed quasdam ex iis: vel non totam rem, sed partem eius retrahere velit. 65. nisi actor non omnia retractus solennia impleuerit. 7. Datur hæc actio cognatis venditoris. 8. Plures cognati venditoris, qui sunt eiusdem gradus, simul actione propositâ agere possunt. 9. Nec adoptiuis cognatis, nec spiritualibus, nec Ecclesiæ seu monasterio, quod cognatus, cui ius retractus com

ctus competit, est ingressus, hæc actio competit. 10. Pueri cognati tanquam administratori filij sui, qui ad postulandum est inhabilis, actio non denegabitur. 11. Venditori hæc actio non competit. 12. Si emptor rem rursus vendiderit, ipsius non prioris venditoris cognatis ius retractûs competit. 13. Si plures veluti maritus & vxor rem vendant, vtriusque cognatis actio competit. 14. Si quis non suam, sed alienam rem, consensu domini vendiderit, non venditoris, sed domini cognatis ius retractûs competit. 15. Si quis rem communem vendiderit, cognatis vtriusque socij competit ius retractûs. 16. Affinibus venditoris non competit ius retractûs. 17. Hæredibus cognatorum venditoris item ius competit, quod competebat defunctis. 18. Ius hoc cedi non potest. 19. Marito vxoris nomine agenti competit actio. 20. Vxori sine consensu vel authoritate mariti hæc actio non competit. 21. Domino feudi alienati ius retractûs competit. 22. Emphyteusi venditâ, domino, directo ius retractus non denegatur. 23. Vicino quoque ius retractûs competit ex constitutione Imp. Friderici de iure protomiseos, & ex speciali loci consuetudine. 24. Socio quoque ius retractûs competit ex constitutione Friderici. 25. Socio quoque omnium bonorum intra annum à solutâ societate competit ius retractûs in parte alteri socio durante societate per retractum acquisita, oblato pro ratâ parte pretio. 26. Cui testator ius retractûs in testamento legauit, ei quoque competit ius retractûs ex testamento, ita vt cognatis venditoris sit præferendus, etiam non oblato pretio. 27. Regulariter hæc actio aduersus emptorem non alium competit. 28. Hæc actio etiam per alium competit, puta per patrem cognati. 29. Tam rei venditæ, quàm emptoris, pro arbitrio actoris potest adiri. 30. Si alibi domicilium habeat, alibi habitet emptor, in loco domicilij potest conueniri. 31. Clericus emptor tam apud ciuilem, quàm Ecclesiasticum iudicem potest conueniri. 32. Si plures res diuersarum iurisdictionum vno contractu venditæ sunt, is iudex adeundus, in cuius iurisdictione res principalis est sita, cuius aliæ sunt accessiones: aut si æquè principales sunt, is iudex adeundus, in cuius iurisdictione maior pars est rerum venditarum. 33. Fructus quoque rei venditæ cum ipsâ re veniunt restituendi. 34. Vsusfructus qui proprietati venditæ accessit: etiam actione propositâ peti potest. 35. Nonnisi totam, vel omnes res venditas actor petere potest. 36. Rescommissa, puta castrum vel feudum, quod ex aliquâ causâ in commissum cecidit, & sic castro vendito accessit, vnà cum castro peti potest. 37. Arbores etiam pendente anno retractûs ab emptore cæsæ in hâc actione veniunt præstandæ. 38. Re sub conditione venditâ, conditione venditionis adhuc pendente nondum actio proposita competit. 39. Si actor intra legitimum tempus non egerit, postea agenti obstat temporis præscriptio. 40. Omnia retractûs solemnia ab actore sunt obseruanda, videl. generis recensio, aut eius recensionis oblatio, pretij oblatio & residui pollicitatio, inquisitio vt actor ad retractum admittatur, citatio formalis (quam vocant) in causa retractûs & recusatæ pecuniæ. 41. Prima igitur solemnitas actoris est generis recensio. 42. Alterum actoris officium, pretij oblatio: secus exceptione submouebitur. 43. Non sufficit autem actori offerre pretium, quo res venit: sed rectè eum offerre oportet, alioqui adhuc dicendum, exceptionem pretij non rectè oblati ei obstare; quia in iure paria sunt: Aliquid non esse factum, & non legitimè esse factum. Qui verò dicit, non rectè pretium esse oblatum, ei probatio eius quod dicit incumbit. 44. Tertium actoris officium videtur, pretium oblatum, si id emptor accipere nolit, vel absit, consignare atque deponere. Sed id actori remittitur. Secus est de iure communi & cuiusque loci consuetudine speciali. 45. Quartum actoris officium est requisitio, vt ad retractum remittatur. 46. Quintum, vt emptorem in ius vocari seu citari faciat. 47. Pertinet item ad officium actoris rem quam petit designare. 48. Iurare debet actor, quod hanc actionem suo nomine & ad suum commodum sine fraude instituat: Si verò reus non petierit iusiurandum, actor ad id præstandum non est adstrictus. 49. Pertinet item ad officium actoris, soluere impensas reo, quas rei retrahendæ nomine fecit. 50. Cognatio actoris probatur confessione aduersarij, quamuis ab eo sit reuocata, nisi errorem confessionis probauerit. 51. Citatio per testes reprobari potest sine aliâ renuntiatione nuntij: eique duo testes sunt adhibendi. 52. Contractus simulatus & fraus non præsumitur nisi probetur. 53. Si dubitetur vtrùm permutatio simuletur in fraudem retractûs, necne, venditor eius rei censetur testis idoneus. 54. Simulatio permutationis in fraudem retractûs factæ etiam testibus probatur. 55. Non satis est dicere ac probare in genere contractum esse simulatum, fraudulentum ac fictitium, nisi etiam species fraudis probetur. 56. Fraus actoris non sibi, sed alij retrahentis, deprehenditur coniecturis & argumentis verisimilibus: item si reus retractum statim alij cedat. Et quamuis actor iurauerit se sibi non alij retracturum, tamen contra hoc iuramentum admittitur probatio in contrarium. 57. Si dubitetur vtrùm emptor venditori pretium soluerit, necne, venditoris confessione standum est. 58. Res vendita in dubio præsumitur acquisititia, donec patrimonialis probetur. 59. Per actionem propositam in iudicium deductam res efficitur litigiosa, ita vt alienari non possit: antequam autem ea fuerit in iudicium deducta, emptori alienatio rei non est interdicta. 60. Actor qui rem retraxit, non tenetur domino tanquam nouus emptor soluere laudemia. 61. Emptor retracta non tenetur domino soluere laudemia. 62. Venditor emptori re retractâ de euictione non tenetur. 63. Re actori euictâ, is non habet regressum aduersus emptorem a quo retraxit, sed aduersus venditorem. 64. Tempus quo possedit emptor, actori ad vsucapionem vel præscriptionem implendam accedit. 65. Actor qui sententiam obtinuit, potest postea pœnitentiâ ductus retractui renuntiare, inuito etiam emptore. 66. Si actor non sibi, sed alij rem retraxit, emptori datur actio ad rem repetendam. 67. Socius bonorum actoris retrahentis dimidiam rei retractæ partem acquirit. 68. Cessante consuetudine communionis inter maritum & vxorem, item oblationis pretij dimidij soluto matrimonio, maritus rem vxoris nomine retractam ei eiusue hæredibus soluto matrimonio, tenetur restituere. 69. Cùm vir & vxor simul vendunt, præsumitur pretium ad vtrumque pro parte interuenisse. 70. Si emptor rei immobilis decedat, relictis aliis hæredibus mobilium, aliis immobilium, posteaque res retrahatur: pretium oblatum ad hæredes mobilium pertinet, quamuis res si retracta non fuisset, hæredum rerum immobilium esset.

III. *De actione legatorum sunt hæ regulæ.*

Actio legatorum.

1. Si filiofamiliâs legatum sit, patri datur actio. Relictum Titio vt Mæuiam in vxorem ducat, Titio, non Mæuiæ debetur. 3. Si ciuibus legatum sit, ciuitati si prælato legatum sit, Ecclesiæ debetur. 4. Legatum Canonico vel Canonicis, nõ debetur Ecclesiæ, sed ipsis Canonicis. 5. Si Ecclesiæ relictum sit, in dubio parrochiali Ecclesiæ relinquitur. 6. Si fratribus legatum sit, etiã Priori debetur. 7. Si pauperibus legatũ sit, vel. vt inter pauperes distribuatur, hæres vnum solum pauperem eligere non potest. 8. Si legatũ sit Titio, & plures sint eius nominis, vt ignoretur de quo Titio testator senserit, inutile est legatum. 9. Heredibus legatarij, vel fideicommissarij eadem actio competit. 10. Filiabus relictum debetur posthumis. 11. Hæres grauatus restituere, si sine liberis decesserit, non tenetur hoc liberis relictis restituere. 12. Hæres proximioribus cognatis restituere rogatus, suis, non testatoris proximioribus cognatis hoc restituere debet. 13. Si pluribus sit legatũ, omnibus legati actio competit. 14. Descendentibus relictum debetur omnibus descendentibus, tam masculis quàm fœminis, & ex fœminâ descendentibus. 15. Actio ex testamẽto pro legatis aduersus hæredes testatoris competit. 16. Si quis rogatus sit, vt acceptâ certâ quantitate, alij fideicommissum præstet, hæres, non fideicommissarius adiectam quantitatem præstare tenetur. 17. Etiam aduersus executorem testamẽti actio proposita cõpetit. 18 In dubio ab hærede instituto, non substituto; neque hæredis hærede legatum præsumitur relictum. 19. Vbi maior pars hæreditatis est, ibi actio hæc cõpetit. 20. Legata pia etiam apud Ecclesiasticum iudicem peti possunt. 21. Si res aliena, non testatoris sit legata: hæres eam a domino redimere tenetur: aut si hoc nõ possit, æstimationẽ eius tenetur præstare. 22. Si res alij obligata legata sit, hæres ad eã luendam & præstandam tenetur. 23. Augmentũ rei legatæ in hanc actionem venit. 24. Quod rei legatæ decessit, hoc detrimentũ hæres præstare non tenetur. 25. Fructus rei legatæ, vsuræ, & omnis causa in actione legatorum nõ veniunt. 26. Regulariter ipsa res legata, nõ eius æstimatio debetur. 27. Si alij fundus, alij eiusdem fundi vsusfructus sit legatus; is cui fũdus legatus est, nõ nudam habebit proprietatem, sed etiam dimidiam partem vsusfructus. 28. Si vsusfructus legato adiecta sint verba, quæ proprietati magis quàm vsufructui conueniunt: proprietas magis censetur legata quàm vsusfructus. 29. Si vsusfructus omnium bonorum per institutionem relictus sit, & alius post mortem vsufructuarij heres sit institutus: in vsusfructus legato videtur etiã proprietas inesse. 30. Interdũ proprietate legatâ, vsusfructus tantùm præsumatur legatus. 31. Interdum vsufructu legato, vsus tantùm debetur. 32. Interdum fructibus legatis, vsusfructus debetur. 33. Si res ad vsum sit legata vel donata, intelligitur proprietas rei legata, non merus vsus. 34. Cẽsu legato, non debetur res censualis. 35. Rebus, quæ in loco aliquo sunt, legatis, ea quæ extra illum locum sunt, non debentur. 36. Rebus, quæ in aliquo loco sunt legatis, ea quæ extra illum locũ sunt, non debentur. 37. Rebus, quæ in aliquo loco sunt, legatis, nõ debentur ea, quæ postea testatore ignorante eò peruenerunt. 38. Rebus, quæ in ciuitate sunt, legatis, debentur etiam ea quæ sunt in suburbiis. 39. Eo quod ex hæreditate superest, legato, id quod medio tempore alienatum & diminutum est, ex hæreditate non debetur. 40. In iam dicto legato regulariter, quod tempore mortis hæredis ex hæreditate superest, omne venit restituendum. 41. His quæ viuus testator præstare solitus est legatis, ea debentur quæ ordinariè, non quæ extra ordinem testator præstitit. 42 Legato prædio, simul etiam seruitus, quæ prædio debetur, legata præsumitur. 43. Mobilibus rebus legatis, nõ veniunt nomina debitorum.

44. Gre

44. Grege legatô non debentur oues alienæ. 45. Sub hoc legato vt omnia debita soluantur, non continetur quod alieno, vt fide, iussorio nomine, testator debet. 46. Seruis omnibus cum peculio legatis, etiam hi serui debentur, qui nullum peculium non habent. 47. Seruo legato, peculium eius legatorio non debetur. 48. Libertate seruo legatâ non debetur peculium. 49. Dote legatâ, ius actionis de dote legatum præsumitur, nisi ita legauerit testator: Quidquid ex dote peruenit: hoc enim casu quantitas legata præsumitur. 50. Si testator vxori legauit centum præter dotem, ipsam etiam dotem legasse præsumitur. 51. Legatum in rebus æstimatis & inæstimatis, de rebus ipsis, non æstimatione soluendâ, nô comprehendit res inæstimatas. 52. Si genus sit legatum quantitate vel summâ non adiectâ, omne id quod testator eius generis habet, legatũ intelligitur 53. Si eidem centum, si vxorem duxerit: & ducenta, si vxorẽ non duxerit, sint legata: si vxorem duxerit, ducenta, non etiam alia centum debentur. 54. Sumptus quos hæres in rem legatâ fecit, in restitutione rei deducit, vel per restitutionem rei recuperat. 55. Æstimatio eius quo res legata melior est facta, refertur ad tempus restitutionis, non ad tempus quo sumptus facti sunt. 56. Omnibus rebus certi alicuius generis legatis, res etiam venales eius generis legatario debentur. 57. Si eidem sæpius legatum fit, vel si eidem decem ab instituto, & decem vel alia summa à substituto legata sint: non debetur vtraque summa. 58. In dubio præsumitur legatum vnius præstationis, non annuum vel reiterabile. 59. De legato generis debet extrahi species eidem legata. 60. Si filiofamiliâs hærede instituto, pater rogatus sit filium emancipare, simul etiâ rogatus præsumitur emancipato hæreditatẽ restituere, 61. Rebus quæ pondere, numero vel mensurâ cõsistunt legatis, nõ habet hæres necesse huiusmodi res emere & præstare, si in hæreditate inueniantur. 62. Si legatum pluribus sit relictum singulis pro virili parte cõpetit actio. 63. Si cùm vni incertæ personæ cui quid contigisset, centum legata essent, duo vel plures extiterint, quibus id contigit, vel in quorum personis conditio legati sit impleta, singulis centum debentur. 64. Si legatum pluribus relictum in vnius personâ deficiat, cæteris adcrescit. 65. Si piis locis relictum nõ soluitur, in duplum actio cõpetit. 66. Dies legatorum regulariter cedit à die mortis testatoris. 67. Si in diẽ vel ex diẽ quid sit legatum, nõ nisi die veniente actio legati cõpetit. 68. Si cui sub conditione non faciendi quid sit relictum, non aliter datur ei legati actio quàm præstiterit cautionem de non faciendo. 69. Coniectura in legatis & fideicommissis potest admitti. 70. In rebus dubiis ad morem regionis est respiciendum. 71. In dubio ex iure communi vel consuetudine fit interpretatio. 72. In testamentis de casu ad casum fit interpretatio. 73. Verbum ambiguum accipit interpretationem ex aliâ parte testamenti. 74. In dubio præsumitur testator minùs grauare voluisse hæredem. 75. In dubio pro testamento respondendum est. 76. In dubio conditio magis quàm modus præsumitur. 77. In dubio modus præsumitur impulsiuus magis quàm finalis. 78. Quatenus testator dilexit instituendo, eatenus etiam censetur dilexisse substituendo. 79. Verba etiam impropriè sumenda, ne id quod gestum est, pereat. 80. De legato competit actio ex testamento in personam, in rem & hypothecaria. 81. Si relicta venerabilibus locis non præstentur in duplum actio est. 82. De legato etiam ante diem legati cedentem vel venientem agi potest ad cautionem præstandam deueniente legatum solutum iri 83. Si hæres non præstiterit cautionem suprà dictam, vel legatum non soluerit, legatarius in possessionem rerum hæreditariarum mittitur. 84. Tam Ecclesiasticus quàm ciuilis iudex, etiam nemine petente, suum officium interponere potest, vt legata soluantur. 85. Legato prædio seruitus, quæ prædio debetur, ipso iure videtur competere sine actione. 86. Legatarius ex voluntate testatoris etiam propriâ authoritate rem legatam potest occupare.

Actio confessoria & negatoria.

IV. *De Confessoriâ & Negatoria actione sunt hæ regulæ.*

1. Si quis ædificando vel aliud faciendo causam seruitutis faciat deteriorem: ei cui seruitus debetur, eo nomine datur actio confessoria vel negatoria. 2. Si quis alio iure suo præter seruitutem vti prohibeatur eadem competit actio. 3. In negatoriâ actione actor negat aduersario ius competere. 4. In negatoriâ actione actor tenetur probare se esse dominum prædij cui libertatem vendicat.

Actio familiæ herciscundæ &c.

V. *Familiæ herciscundæ actio, & de communi diuidundo has habet regulas.*

1. Si hæreditas vel res aliqua hæreditaria inter aliquos communis sit, ad eam diuidendâ familiæ erciscundæ actio competit. 2. Omne quod defuncti fuit regulariter, venit inter cohæredes diuidendum 3. Ea quæ filius ex pecuniâ patris est lucratus, veniunt in diuisionem hæreditatis paternæ. 4. Ea quæ filius casu nactus est, vel suâ operâ atque industriâ acquisiuit, non confert. 5. Eaque filius ratione pœnæ consecutus est, non confert. 6. Modus diuidendæ hæreditatis est, vt maior natu diuidat, & minor eligat. 7. Diuisio etiam fit vel sorte vel officio iudicis. 8. Si vnus hæredum commune negotium gesserit, & sumptus fecerit, per familiæ erciscundæ iudicium id pro parte recuperat. 9. Iudex diuisionem à testatore factam sequi debet. 10. Si res commodè diuidi non potest ad licitationem venitur. 11. In diuisione non solùm quantitatis, sed etiam qualitatis ratio est habenda. 12. Sumptus quos hæres in defendendâ hæreditate fecit, ex hæreditate deducit. 13. Si res inter aliquos communis sit, competit actio communi diuidundo. 14. Si vnus sociorum re communi vsus est, & fructus ex eâ percepit, ad eos communicandos socio tenetur. 15. Si res ex diuisione perceptâ euincatur, aduersus cohæredes, vel socios eo nomine actio competit. 16. Communi diuidundo actioni triginta annis præscribitur.

Ac... re... rui...

VI. *Finium regundorum actio has habet regulas.*

1. Finium regundorum actio cõpetit, si de finibus prædiorum contentio fit. 2. Si quis sepem, maceriam, murum, domum, sepulchrum aut foueam faciat, terminus ei constituitur. 3. Finium regundorum actioni triginta annorum obstat præscriptio. 4. Communibus sumptibus diuisio facienda.

Ac... fic... na...

VII. *De actione inofficiosæ donationis hæ teneantur regulæ.*

1. Si quis inofficiosam fecerit donationem, liberis & parentibus donatoris actio datur ad legitimam. 2. Actio inofficiosæ dotis non datur contra maritum. 3. Hâc actione non in totum infirmatur donatio: sed siue aliquod, siue nihil actori à donatore sit relictum, agitur ad præstandam seu supplendam legitimam. 4. Fructus post mortem donatoris percepti in hanc actionem veniunt restituendi. 5. Propositæ actionis affine remedium est, condictio ex l. si vnquam. C. de reuocandis donationibus.

A... fi... ti... ti...

VIII. *De actione ad supplementum legitimæ sunt hæ regulæ.*

1. Si iniquè exhæredato vel præterito aliquid testator reliquerit: inofficiosi querela ei denegatur, & pro eâ datur actio ad supplementum legitimæ. 2. Etiam hæredibus exhæredati vel præteriti actio proposita competit. 3. Actio ad supplementum legitimæ etiam aduersus legatarios pro tota competit. 4. Datur etiam hæc actio aduersus tertios possessores quibus hæres, qui non est soluendo, bona defuncti alienauit. 5. Legitima computatur æstimatione bonorum ad tempus mortis testatoris facta. 6. Fructus ab actore percepti computantur illi in legitimam. 7. Legitimæ ex singulis corporibus hæreditariis detrahenda est arbitrio boni viri. 8. Legitima non est actori assignanda in pecuniâ numeratâ, sed in bonis defuncti. 9. In actione propositâ fructus quoque veniunt à morte testatoris. 10. Actio ad legitimam nõ competit filio patre viuente. 11. Bona à defuncto alienata non augent legitimam, quamis in fraudem legitimæ sint alienata. 12. Actioni ad supplementum legitimæ non nisi triginta annis præscribitur. 13. Ad supplementum legitimæ condictio ex lege omnimodò C. de inoffic. testam. datur. 14. Actio hypothecaria ad bona defuncti pro legitima non datur. 15. Legitimæ supplementum ipso quidem iure debetur, sed nisi petatur, adiudicari non debet.

VIII. *De loco religioso hæ sunt regulæ.*

1. Actio sepulcri violati competit, si quis cadauera spoliarit. 2. Actio sepulchri violati competit, si cadauer detinuit, vexauit, transtulit, extraxit, vel emit. 3. Actio sepulchri violati hodie in vsu non est.

IX. *Actio damni infecti has habet regulas.*

1. Si aliquid fiat vel factum sit, ex quo alius damnum metuat, de damno infecto ei datur actio, vt sibi caueatur de damno, si contigerit, præstando. 2. Si reus non caueat actor, mititur in possessionem. 3. Si cautum sit & damnum secutum ex stipulatu datur actio. 4. Damni infecti actionis adfine remedium est, si quis timeat, se ab aliquo offensum iri: hoc casu cautionem petere potest de non offendendo. 5. In iam dicta actione de non offendendo per fideiussores est cauendum. 6. Reus cauere debet non solùm pro se, sed etiam pro consanguineis suis & amicis. 7. Non in perpetuum cauere debet, sed ad tempus pro arbitrio iudicis moderandum. 8. Si reus non caueat, mittitur in exilium. 9. Si cautum fit & offensa secuta ex stipulatu datur actio. 10. Iam dicta actio aduersus alium quàm qui læsit non datur. 11. Adfine propositæ actionis de non offendendo remedium est merum iudicis officium, quod impertire iudex potest etiam non petitum.

X. De-

X. *De actione ad rem donatam reuocandam teneantur hi canones.*

1. Actio ad reuocandam donationem datur ex iidem cauſis ex quibus dantur exceptiones aduerſus actionem præcedentem. Hæredibus quoque donatoris actio ad reuocandam donationem competit. 3. Aduerſus hæredes donatarij actio propoſita competit. 4. Fructus quoque veniunt propoſitâ actione reſtituendi à die commiſſæ ingratitudinis percepti. 5. Ad rem donatam reuocandam donatori non ſolùm condictio,ſed etiam vindicatio datur.

X I. *De eo quod metus cauſa geſtum eſt, ſunt hæ regulæ.*

1. Si quid metús cauſa geſtum eſt,ad id reſcindendum datur actio, *Quod metus cauſa*. 2. In actione quod metus cauſa in litem iuratur. 3. Interdum ipſo iure non valet,quod metus cauſa geſtum eſt,ſine actione reſciſſoria.

X I I. *De dolo malo hæ ſunt regulæ.*

1. Si quid dolo malo geſtum eſt,ad id reſcindendum de dolo actio datur. 2. In hanc actionem venit vt geſtum retractetur. 3. De dolo actio intra biennium,non pòſt datur.

X I I I. *De iniuriarum actione ſunt hæ regulæ.*

1. Si alicui iniuria facta ſit, iniuriarum actio datur. 2. Si quis pulſatus verberatuſue ſit iniuriarum actio datur. 3. Si quis ſimo corrupto &c. aliquem perfuderit, punitur. 4. Si alicui conuitium factum ſit, iniuriarum actio naſcitur. 5. Si quis alicui dixerit, Tu mentiris,iniuriarum actione tenetur. 6. Si gratia concedi ſolita petenti denegetur iniuria eſt. 7. Si quis venandi cauſa in agrum meum ingrediatur me inuito, iniuriarum actio datur. 8. Si quis ſecreta alicuius reuelauerit, iniuriarum actione tenetur. 9 Si quis libellum famoſum ſcripſerit, dictauerit,manifeſtauerit,non lacerauerit iniuriarum actione tenetur. 10. Si quis aliquem fecerit capi,aut alias in iudicio ſine cauſa inquietari, tenetur actione iniuriarum. 11. Si executor in exequendo fines mandati exceſſerit,tenetur. 12. Si iudex iniuſtè aliquem excommunicauit, iniuriarum actione tenetur. 13. Si filio vel ſeruo facta ſit iniuria,patri vel domino eius competit actio. 14. Cognati quoque iniuriis affecti datur actio. 15. Si famulo facta ſit iniuria domino competit actio. 16. Si cadaueri vel defuncto iniuria facta ſit, hæredi competit actio. 17. Si iniuria facta ſit clerico vel Monacho, Eccleſiæ vel abbati competit actio. 18. Si vxor iniuria ſit affecta, marito quoque eius datur iniuriarum actio. 19. Subditis iniuria affectis magiſtratui illorum iniuriarum actio competit. 20. Pœna iniuriæ hodiè æſtimatur ab actore & permittitur arbitrio iudicis decernenda. 21. Si ex loco iniuriæ ſtatutum pœnam auxerit, putà ſi in domo poteſtatis aliquem percuſſerit,obtinet iſta pœna etiam ſi in confinibus eius domus aliquem percuſſerit. 22. Si ſtatutum pœnam auxerit delinquenti de nocte, item auxerit delinquenti in tali plateâ, ſi quis de nocte in tali plateâ deliquerit non augetur ex hoc dupliciter pœna. 23. Si officiali iniuriam fecerit capite punitur. 24. Si quis libellum famoſum inuentum manifeſtauerit capite punitur. 25. Si quis libellum famoſum conſcripſerit capite punitur. 26. In actione iniuriarum peti etiam poſſunt ſumptus,damna,lucra amiſſa,& omne id quod actoris intereſt. 27 In actione iniuriarum actor certum dicere debet, quid iniuriæ factum ſit: item annum, menſem & locum iniuriæ deſignare debet. 28. Sufficit actori exprimere ſummam quâ iniuriam æſtimat, ſalua taxatione iudicis: nec opus habet iuramentum de æſtimatione præſtare,niſi poſt taxationem à iudice factam. 29. Iuramentum purgationis in actione iniuriarum, ſcilicet, quòd reus iniuriandi animum non habuerit,deferri nôn poteſt. 30. Damnatus actione iniuriarum fit infamis. 31. Tam ciuiliter quàm criminaliter iniuriarum agi poteſt. 32. Actionis iniuriarum affine remedium eſt condictio ex l. diffamari. 33. Hæc condictio non eſt actio, ſed imploratio officij iudicis. 34. Duplex eſt iudicium, prius diffamatorium,poſterius actionis ſeu cauſæ principalis. 35. Ex omni diffamatione,ſiue de crimine, ſiue de poſſeſſione,ſiue de debito quis diffametur, hæc condictio competit. 36. Actio l. diffamari competit apud iudicem diffamati non diffamantis. 37. Si creditores incerti citandi ſunt ad credita ſua proponenda: omnium creditorum ſuperior iudex ad citationem interponendam poteſt adiri. 38. Diffamator non diffamatus actor eſt in cauſa principali. 39. In hoc iudicio cum citatione plerumque etiam mandata de non offendendo decernuntur. 40. In iudicio diffamationis lis non conteſtatur, ſed ſummariè proceditur. 41. Diffamator tenetur diffamato edere inſtrumenta quæ penes ſe habet. 42. A ſententiâ in hoc diffamationis iudicio licet appellare. 43. Antequam diffamator citetur in hoc iudicio, præcedere debet cauſæ cognitio ſummaria. 44. Bina citatio præmittenda, antequam ſententia contra diffamatorem feratur. 45. Sententia in hoc iudicio nondum lata, licet diffamatori quandocunque velit agere. 46. Huius actionis affine remedium eſt, vt debitor, antequam conueniatur vocato in iudicium creditore,oſtendat ſibi exceptionem competere.

X I V. *De Actione ſi familia furtum feciſſe dicatur, eſt hæc regula.*

Si familia furtum feciſſe dicatur.

Si familia furtum fecerit vel damnum dederit, dominus tantum præſtando, quantum ſi vnus liber homo deliquiſſet, præſtaretur, exceptione tutus eſt.

X V. *De Condictione indebiti ſunt hæ regulæ.*

Condictio indebiti

1. Condictio indebiti competit ſi indebitum ſit ſolutum: competit item,quando debitum quidem ſolutum eſt, ſed ſolutione non contingit liberatio. 2. Condictio indebiti competit quocunque loco, & ſic in loco etiam in quo ſolutio facta eſt. 3. Condictio indebiti regulariter triginta annorum præſcriptione repellitur, perinde ac quæuis alia.

X V I. *De condictione ob cauſam eſt hæc regula.*

Condictio ob cauſam.

Cauſâ non ſecutâ, condicitur id quod ob cauſam iſtam datum vel promiſſum eſt.

XVII. *De condictione ob turpem cauſam ſunt hæ regulæ.*

Condictio ob turpem cauſam.

1. Si quid ob turpem vel iniuſtam cauſam datum vel promiſſum eſt, hâc actione condicitur. 2. Condictio ob turpem cauſam eſt condictio dati ob id, vt quid fiat, quod bonis moribus eſt contrarium, quæ datur etſi res ſecuta non ſit. 3. Requiſita eius tria ſunt: datum eſſe aliquid vel factum: datum illud eſſe vel factum ob cauſam turpem: ſolius accipientis turpitudinem ſubeſſe.

X V I I I. *De Negotiorum geſtorum actione hæ ſunt regulæ.*

Negotiorum geſtorum actio.

1. Negotiorum geſtor,niſi à ſententiâ contra dominum latâ appellauerit, & appellationem fuerit proſecutus, domino litis tenetur. 2. Negotiorum geſtori contraria negotiorum geſtorum actio aduerſus eum, cuius negotia geſſit, datur de eo quod in res eius impendit reſtituendo.

X I X. *De mandato de non offerendo ſunt hæ regulæ.*

Mandatum de non offendendo.

1. Affine actionis de damno infecto remedium eſt Mandatum de non offendendo,quod quis offenſionem timens petere poteſt. 2. Mandatum de non offendendo ſub pœnâ banni decernitur, non ſub pœnâ pecuniariâ. 4. Decernitur hoc in mandatum ſine clauſulâ. 4. Facilè decernitur etiam non citato aduerſario. 5. Per huiuſmodi mandatum de non offendendo, multi in officio retinentur,ideóque ſunt fauorabilia. 6. Si contra mandatum de non offendendo factum ſit,agitur ad pœnam banni mandato inſertam. 7. Mandati de non offendendo adfinia remedia ſunt mandata auocatoria: item affine remedium eſt, vt à iudice impetretur, vt ſibi liceat cuſtodes corporis adiungere. 8. Si item inhoneſta mulier vel meretrix in viciniâ habitet,vel hæreticus,vt metuatur ſcandalum vel ne alios inficiat, item ſi quis peſte laboret,peti poteſt à iudice vt expellatur.

X X. *De ludis & ſpectaculis hæ ſunt regulæ.*

Ludi & ſpectacula.

1. Cuius equus prior ad metam peruenit,is victoriam reportat,quamuis ipſe in medio deciderit. 2. Si dubitetur vter prior ad ſtadium peruenerit,omnibus ex æquo currendi denuò poteſtas facienda. 3. Ludus prohibetur,& datur actio ad repetendum id quod quis luſu perdidit. 4. Non ſolùm victo, ſed eius etiam procuratori,patri & defenſori,item domino datur dicta actio 5. Furti actio eſt, ſi quis cum iis qui liberam rerum adminiſtrationem non habent, ſciens luſerit.

C A P V T XXIII.

De Condictionibus ex delictis.

P R E C E P T A.

Condictio ex obligatione delicti eſt actio in perſonam delinquentis, quâ pœnam ipſius perſequimur.

Eius tot ſunt genera, quot ſunt delictorum ſuprà

commemoratorum. Eſt enim actio de ſchiſmate, hæreſi, apoſtaſiâ, ſepulchro violato, crimine læſæ maieſtatis &c. Huc itaque pertinent iſtæ condictiones: actio ſerui corrupti, actio vi bonorum raptorum, actio albi corrupti, actio per vim exempti, actio aduerſus eum qui ſine prætoris veniâ in ius vocari prohibitum vocauit, actio noxalis, actio de paupere &c.

Præcepta.

Condictio ex delicto in genere.

I. *Condictio ex delicto in genere hæc habet regulas.*

1. Condictio ex delicto eſt actio in perſonam delinquentis, quâ ipſius perſonam perſequimur. 2. Quam pœnam, cùm ita perſequimur, vt agenti illa applicetur, agi dicitur ciuiliter; cùm applicatur fiſco, vel delinquentis corpori infligitur criminaliter. 3. Pœna aut eſt lege iuréue definita, aut iudicis arbitrio definienda relicta. Hinc actiones aliæ ſunt ordinariæ, aliæ extraordinariæ. 4. Vnius eiuſdemque delicti nomine agi poteſt ordinariè vel extraordinariè. 5. Perſecutio delicti publici criminalis in ſpecie accuſatio appellatur; delicti priuati ciuilis, actionis nomen retinet. 6. Cõmune vtriuſque requiſitũ eſt facti narratio, quòd in delictum incidat, quod ex propoſito dolosè aut certè culpâ conuenti perpetratum ſit. 7. Specialia in ſingulis ſumuntur ex delictis ipſis eorumque circumſtantiis,

Condictio ex delicto in ſpecie.

II. *De condictionibus ex delictis in ſpecie notentur iſtæ regulæ.*

1. Delicta hæc vel illa vindicantur ex ſpecialibus legibus apud has & illas gentes: vt hæreſis, & apoſtaſia ex Imperatorum conſtitutionibus; ſacrilegium ex lege Iuliâ, peculatus, ex eadem lege; calumnia, ex lege Remm &c. Ex furto eſt actio duplex, ciuilis ordinaria, & criminalis extraordinaria. 3. Ex iniuriâ itidem duplex oritur actio, ciuilis & criminalis. 4. Actio noxalis, ſeu actio de pauperie, eſt directa, ſi quadrupes damnum dederit, vtilis, ſi animal bipes.

Capvt XXIV.

De Condictionibus realibus.

Præcepta.

Sequitur *condictio realis*, quâ quis agit cum eo, qui nullo iure ciuili eſt obligatus, mouet tamen alicui aliquâ de re controuerſiam: ſeu, eſt actio de re controuerſâ.

Eſtque poſſeſſoria, vel petitoria. Illa interdictum, hæc vindicatio dicitur.

Interdictum eſt actio in rem de poſſeſſione vel quaſi, rei controuerſæ litigantibus à prætore data.

Eius genera ſunt varia: putà interdictum ne quid in loco ſacro fiat, interdictum de itinere publico, de fluminibus, de ſuperficiebus, de fonte, de reficiendo riuo, de precario, de glande legenda &c. Quæ omnia ſunt prohibitoria, vel iuſſoria.

Interdictà prohibitoria ſunt, quibus prætor in re vim fieri vetat: iuſſoria, quibus prætor aliquid fieri iubet. Atque hæc ſunt reſtitutoria, vel exhibitoria. Illa ſunt interdicta, quibus prætor iubet vel poſſeſſionem rei reſtitui, vel opus: hæc ſunt, quibus prætor iubet aliquid exhiberi. Sub vtriſque continentur mixta, quæ ſunt & prohibitoria & exhibitoria ſimul. Rurſus hæc omnia ſunt propria, de rebus publicis aut priuatis: vel communia, de rebus publicis & priuatis ſimul.

Vindicatio eſt actio ex dominio competens.

Eſtque rei vniuerſalis vel ſingularis.

Rei vniuerſalis vindicatio eſt, quâ rerum vniuerſitas petitur: & dicitur hæreditatis petitio, quæ ex eo definitur vindicatio hæreditatis. Eſtque ciuilis, prætoria, vel ex vtraque mixta.

Rei ſingularis vindicatio eſt ciuilis vel prætoria: vtraque verò rei corporalis, vel incorporalis.

Vindicatio ciuilis rei corporalis eſt actio domino contra detinentem data.

Vindicatio ciuilis rei incorporalis eſt vindicatio iuris in re alienâ actoris vel rei ipſius iure ciuili conſtituti.

Vindicatio prætoria eſt actio in rem ex prætoris iuriſdictione comparata, iuris ciuilis partim confirmandi, partim ſupplendi causâ.

Regulæ.

I. *De Interdictis ſeu mandatis hæ ſunt regulæ.*

1. Interdictorum loco ſucceſſerunt mandata, quæ nihil aliud quàm interdicta eſſe videntur, in quibus decernendis ſtatur narratis ſupplicis libelli. 2. Mandata duplicia ſunt: cum clauſula & ſine clauſula: mandatum cum clauſula his verbis definitur: Mando tibi vt hoc facias, vt rem ablatam Titio reſtituas: vel ſi te grauatum ſenſeris, compareas tali die allegaturus cauſas, quare non tenearis mandato parere. 3. Talia mandata cum clauſula iuſtificatoria de iure ex communi opinione ſubſiſtunt ac valent. 4. Hæc mandata non decernuntur niſi iuriſdictio iudicis quoad reum immediatè ſit fundata. 5. Mandatum cum clauſula per comparitionem ſoluitur in vim ſimplicis citationis. 6. Si non comparet is cui mandatum eſt, mandatum firmum manet. 7. Mandatum cum clauſula vim habet ſententiæ interlocutoriæ, non definitiuæ: niſi decretum ſit in iudicio cum cauſæ cognitione, & poſt confeſſionem rei. 8. Mandata ſine clauſula valent. 9. Iudex in decernendis mandatis ſine clauſula non debet eſſe facilis, præſertim ad inſtantiam ſubditorum contra dominos. 10. Si quis mandato ſine clauſula non paruerit, in pœnam eius mandati incidit. 11. Mandata ſeu interdicta ſunt triplicia: Adipiſcendæ, retinendæ & recuperandæ poſſeſſionis. 12. Recuperandæ poſſeſſionis remedia plura ſunt. 13. Poſſeſſoria remedia non dantur pro iuribus merè perſonalibus. 14. Si annua penſio non ſoluatur, interdictum vti poſſidetis vel vnde vi competit. 15. In poſſeſſoriis remediis non admittuntur exceptiones altiorem indaginem requirentes. 16. Iudicium poſſeſſorium retinendæ poſſeſſionis duplex eſt: ordinarium ſeu plenarium & ſummarium. 17. In ordinario poſſeſſorio retinendæ requiritur proceſſus ordinarius & plena probatio. 18. Sententia in hoc iudicio lata eſt definitiua. 19. In ſummario poſſeſſorio retinendæ ſummariè proceditur & appellatur illud etiam momentaneum. 20. Finis huius iudicij eſt ne lite pendente partes veniant ad arma. 21. Sententia in hoc iudicio eſt interlocutoria. 22. In hoc iudicio probationes imperfectæ & ſemiplenæ ſufficiunt. 23. Appellatio in plenario iudicio in camerâ recipitur, non in ſummario. 23. In ſummario ſeu momentaneo poſſeſſorio retinendæ proceditur abſque libello & litis conteſtatione: in camerâ primùm fit inhibitio & ſequeſtratio poſſeſſionis: & vtrique parti iniungitur vt certo termino compareant, & iura ſua poſſeſſoria ſummatim per articulos cum nominibus teſtium proponant. 24. In hoc iudicio non datur aduerſario productorum copia, non exiguntur reſponſiones, lis non conteſtatur, nec iuratur de calumniâ, nominati commiſſarij deputantur, commiſſio in communi formâ decernitur, & certum tempus cauſæ cognitæ aſſignatur: Atteſtationes vtrinque producuntur, nulli earum fit publicatio, ſed ſtatim concluditur. 25. Sententiâ in hoc iudicio latâ, iudex poteſt partibus aſſignare terminum ad exhibendum libellum ſuper ordinario iudicio poſſeſſionis vel proprietatis: quod tamen in camera non obſeruatur. 26. In hoc iudicio ſummariè de poſſeſſione cognoſcitur ſaluo plenario poſſeſſorio. 27. Interdictum vti poſſidetis competit, ſi vis fiat poſſidenti. 28. Interdicti vti poſſideris duo ſunt requiſita: poſſeſſio ex parte agentis, & turbatio ex parte rei conuenti. 29. In interdicto vti poſſidetis is obtinere debet, qui antiquiorem poſſeſſionem probat. 30. Quòd ſi pariter probaſſent poſſeſſionem, nec appareat vtra ſit antiquior, tunc is obtinere debet, qui titulum allegauerit & probauerit. 31. Interdicti vti poſſidetis adfine remedium eſt interdictum, quod interim Hiſpani appellant: item eius adfine remedium eſt mandatum de non offendendo.

II. *De mandato pignorationis eiuſque actione hæ ſunt regulæ.*

1. Ratio huius mandati, eiúſque conſtitutionis & actionis eſt pax publica. 2. Hoc mandatum eſt retinendæ poſſeſſionis: ideóque ab interdicto vti poſſidetis nihil aut parum admodum differt. 3. Hoc mandatum eſt ordinarium & pleniſſimum poſſeſſorium. 4. Iudaïco l. diffamari non eſt abſimile. 5. Vterque actor & reus in hoc iudicio dici poteſt: quanquam Actoris loco pignoratus in Camera habetur. 6. Cauſa huius mandati eſt Pignoratio, quando ſcilicet ſtatus vel nobilis Imperij alterius ſtatus vel nobilis ſubditos, aut eorum bona mobilia

mobilia ob contentiosam iurisdictionem vel possessionem alterius iuris, quod in loco, vbi fit pignoratio prætenditur, capit & pignori accipit: quando vnius pro alio, vel res vnius pro re alterius apprehenditur 7 Etiam domino vasalli vel vsufructuarij in re, cuius vsumfructum habet, vel in re feudali turbati, datur actio proposita. 8. Non solùm domino sed ipsi vasallo & vsufructuario datur actio. 9. Ciuitati pro suo ciue capto agenti non denegatur actio. 10. Domino hominis proprij, adscriptitij vel originarij capti non datur actio. 11. Aduersus alium quàm pignoratorem non competit hæc actio. 12. In Camerâ de pignorationibus agendum, nec admittitur exceptio ordinationis der austrâg vel alterius priuilegij. 13. In mandato pignorationis mandatur pignoratori primò quidem, vt personam captam ante omnia relaxet, vel rem pignoratam è vestigio restituat sine omni exceptione: deinde vt veniat causam pignorationis in termino præfixo deducturus sub pœnâ perpetui silentij. 14. De ablatâ peremptâ, eius æstimatio præstanda est. 15. Si res deterior facta restituatur, æstimatio eius, quo res deterior facta est. permittitur iureiurando actoris: Sed & iudex hoc casu potest æstimatores decernere: Item testibus valor rei potest probari. 16. Citatus in termino præfixo comparere & per instrumentũ docere debet, quòd mandato per omnia sit satisfactum. 17. Nisi pignorator in termino præfixo ius suum deduxerit, perpetuum silentium ei imponitur. 18. Summariè proceditur sine litis contestatione. 19. Commissio ad perpetuam rei memoriam non decernitur. 20. Admittuntur articuli defensionales: quia probationes vtrinque in possessorio, quando vterque se magis possidere cõtendit, recipiuntur. 21. Nisi pignorator vel pignoratus articulis aduersarij responderit, ij pro confessatis habentur. 21. Plenæ probationes in hoc iudicio requiruntur. 23. Probanda est possessio ex parte agentis & turbatio ex parte rei. 24. Probatis duobus extremis media quoque possessio probata cẽsetur. 25. Actori incumbit probatio pignorationem iussu rei factam. 26. Si sæpius pignoratio facta sit, sufficit vnus processus. 27 Is obtinere in hoc iudicio debet, qui antiquiorem & continuatam possessionem accuratiùs probauerit. 28. Quòd si pariter probârunt, vtrique pro parte possessio adiudicanda videtur. 29. Sententia in hoc iudicio lata est definitiua, plenum præiudicium in possessorio victo adferens, saluo petitorio. 30. Si pignorator non paret mandato, declaratur in pœnam mandato insertam. 31. Victor in hoc iudicio denuò turbatus exceptione rei iudicatæ defenditur, & mandatum inhibitorium contra turbantem impetrat. 32. Pignorato competit etiam actio confessoria: Item interdictum vti possidetis.

III. *De Interdicto vnde vi sunt hæ regulæ.*

1. Si quis vi ex aliquo loco sit deiectus, ad recuperandam possessionem datur ei hoc interdictum. 2. Interdum vnde vi regulariter deiecto seu vim passo cõpetit, non alij. 3. Hæredibus deiecti datur hoc interdictum. 4. Interdum vnde vi non competit contra alium quàm qui vi deiecit. 5. Interdictum vnde vi regulariter apud iudicem ordinarium ipsius rei conuenti competit. 6. In interdictũ vnde vi venit id quod interest actoris & omnis causa. 7. In interdicto vnde vi in litem iuratur. 8. Fructus quoque in interdictum vnde vi veniunt. 9. Pertinentiæ quoque castri, à quo quis est deiectus, veniunt restituendæ. 10. Si is qui alieno nomine possidet, petenti domino rem non restituerit: tàm rem ipsam, quàm eius æstimationem præstare tenetur. 11. Si res mobilis ex iniustâ causâ ad aliquem peruenit, de quâ is ad quem peruenit, actori proprietatis quæstionem mouet, prius eam restituere debet, posteáque dominium vendicare. 12. Interdictum vnde vi intra annum competit, non pòst. 13. Locus & tempus spolij ab actore in libello exprimi debet.

IV. *De Precario sunt hæ regulæ.*

1. Interdictum de precario competit, si precarium non restituatur. 2. Interdictum de precario alii, quàm ei qui concessit, non datur. 3. Interdictum de precario competit etiam aduersus tertium possessorem.

V. *De rei vindicatione sunt hæ regulæ.*

1. Rei vindicatio competit ex Dominio actoris. 2. Rei dotalis vindicatio marito non vxori competit. 3. Si prior dominus rem ab alio præscriptam receperit, & legitimo tempore præscripserit: in eius vindicatione primò præscribenti præfertur. 4. Rei vindicatio aduersus possessorem rei competit. 5. In arbitrio actoris est, vtrùm in loco vbi res est, an in domicilio rei conuenti rei vindicationem instituere velit. 6. Si possessor in rem sumptus fecit, agens rei vindicatione hos possessori tenetur restituere. 7. Actor petens rem sibi exhiberi, audiendus est. 8. Vindicatione duo sunt deducenda & probanda: Vnum est, dominium ex parte actoris: alterum possessio seu detentio ex parte rei conuenti.

CAPVT XXV.

De Exceptionibus.

PRÆCEPTA.

Hactenus de actione: sequitur de *exceptione*, quæ est rei conuenti defensio.

Estque 1. nominata vel innominata. 2. prætoria vel ciuilis. 3. perpetua vel temporalis. 4. pertinens ad ipsam actionem, vel processum.

Exceptio nominata est, quæ certo nomine in iure est designata: vt est exceptio doli mali, metûs, rei venditæ &c.

Exceptio innominata est, quæ iure non est definita, sed ex facto incidenti, concepta: vnde Exceptio in factum dicitur.

Exceptio prætoria ex iurisdictione prætoris substantiam capit: vt est exceptio doli, & pleræque exceptiones aliæ, vtpote quæ in naturali magis æquitate, quàm in iure fundatæ sint.

Exceptio ciuilis est, quæ ex legibus, vel his quæ vicem legum obtinent, proficiscuntur.

Exceptio perpetua est, quæ agentibus semper obstat: vbi & quandocũque agatur, qualis est exceptio doli.

Dicitur etiam exceptio peremptoria.

Temporalis, seu dilatoria, est, quæ ad certum tempus obstare potest, quo elapso locum non ampliùs habet.

Exceptio ad actionem pertinens est exceptio pacti, præscriptionis, transactionis &c.

Ad processum pertinet exceptio fori declinatoria, procuratoria &c.

Exceptioni ab actore rursus opponitur *replicatio*: huic duplicatio iterum à reo, duplicationi triplicatio, triplicationi quadruplicatio, atque ita vlteriùs, donec conclusione disputationi partium finis imponatur.

REGVLÆ.

I. *De exceptionibus hæ sunt regulæ.* Exceptiones.

1. Species exceptionis est præscriptio. 2. Differentia exceptionis & defensionis est, quòd illa sit actionis exclusio, hæc intentionis repulsio. 3. Ex quibus causis datur actio, ex iisdem multò magis datur exceptio. 4. Exceptio competens debitori eius quoque fideiussori competit. 5. Exceptio vni ex reis debendi competens, etiam alteri reo competit. 6. Exceptio competit etiam singulari successori. 7. Debitor delegatus exceptiones, quas aduersus delegantem habet, ei cui est delegatus opponere non potest. 8. Exceptiones dilatoriæ ante litem contestatam non sunt opponendæ: peremptoriæ post litem cõtestatam opponendæ. 9. Exceptiones peremptoriæ post litem cõtestatam ante sententiam quandocunque opponi possunt. 10. Omnis exceptio perpetua est cui nulla temporis obstat præscriptio. 11. Pluribus exceptionibus quis vti non prohibetur. 12. Non videtur confiteri de intentione actoris, qui exceptione vtitur. 14. Vis exceptionis est, vt repellat agentem, non etiam vt actor reo condemnetur, nisi hoc nominatim petatur.

II. *De doli mali exceptione hæ sunt regulæ.* Exceptio doli mali.

1. Doli mali exceptio competit, si quis id petat quod est restituturus. 2. Ex omnibus in factum exceptionibus doli exceptio datur. 3. Aduersus alium quàm qui dolum commisit, doli exceptio non datur. 4. Contractus bonæ fidei cui dolus causam dedit, ipso iure nullus est, etiam sine exceptione: secus in contractu stricti iuris.

III. *De ignorantia exceptione hæc est regula.* Exceptio ignorantiæ.

Ex eo quod errore & ignorantiâ gestum est, exceptio ignorantiæ datur.

Exceptio absentiæ.

IV. *De absentiæ exceptione est hæc regula,*

Si absente & non citato eo cuius interest, quid actum sit, non valet quod est actum.

Exceptio non numeratæ pecuniæ.

V. *De non numeratæ pecuniæ exceptione hæ sunt regulæ.*

1. Si numeratum non sit, quod tanquam numeratum petitur, non numeratæ pecuniæ exceptio nocet. 2. Non solùm exceptio, sed etiam actio de non numerata pecuniâ competit.

Exceptio protestationis.

VI. *De protestationis exceptione hæc est regula.*

Protestatio efficit, ne actus præiudicet, qui aliàs omissâ eâ erat præiudicaturus.

Exceptio rei iudicatæ

VII. *De exceptione rei iudicatæ & in iudicium deductæ sunt hæ regulæ*

1. Si eadem causa quæ antea in iudicium fuit deducta rursus in iudicium deducatur, obstat exceptio vel rei iudicatæ, vel in iudicium deductæ, per quam posterior processus infirmatur. 2. Exceptio rei iudicatæ vel in iudicium deductæ, alij, quàm contra quem in priori iudicio actum est, non competit. 3. Aduersus alium quàm qui priore iudicio egit, exceptio rei iudicatæ & in iudicium deductæ non datur. 4. In alia re, quàm de qua in priore iudicio actum est, exceptio rei iudicatæ vel in iudicium deductæ non obstat.

Cessio bonorum.

VIII. *De cessione bonorum hæ sunt regulæ.*

1. Si debitor bonis cesserit, conuentus postea à creditoribus exceptione cessionis defenditur. 2. Qui bonis cessit actionem, cœptam amplius persequi non potest.

Exceptio quod quis iuris in alterum.

IX. *De exceptione quod quis iuris in alterum hæ sunt regulæ.*

1 Si Magistratus aduersus aliquem ius iniquum statuit, vel quis alius iniquum ius impetrauit aduersus alium: ipse eodem iure vti tenetur. 2. Exceptio iniqui iuris impetrati etiam alij competit, quàm aduersus quem impetratum est. 3 Est item appellationis adfine remedium *Denuntiatio Euangel ca.* 4. Est item appellationis adfine remedium actio in factum: Si iudex litem suam fecisse dicatur.

CAPVT XXVI.

De Speciebus iudiciorum.

PRÆCEPTA.

ITa sunt partes iudicij in personis & quæstione: supersunt species & processus.

Species iudicij sunt, quòd est. 1. publicum vel priuatum. 2. ordinarium, vel extraordinarium.

Iudicium publicum est, quod vtilitatis publicæ tuendæ & conseruandæ causa potissimùm instituitur.

Estque populare, vel criminale.

Iudicium populare est, quo ius populi conceditur.

Iudicium criminale est, quo delicta vindicantur publicè.

Priuatum iudicium est, in quo agitur de iure hominis priuato.

Estque priuatum in specie, vel ciuile. Illud rei familiaris tuendæ causâ constituitur: hoc, vindictæ causâ, ad hoc nimirum, vt pœnâ applicetur parti læsæ, quæ agit.

Iudicium ordinarium est, in quo modus siue ordo rem controuersam tractandi solennis atque vsitatus obseruantur: *extraordinarium*, in quo forma illa solennis non obseruatur, sed proceditur quomodocunque sine vllo strepitu & figurâ iudicij de no.

REGVLÆ.

Iudicia popularia, criminalia.

I. *De iudiciis popularibus & criminalibus hæ sunt regulæ.*

1. Quædam iudicia popularia ius publicum ita tuentur, vt populi videantur esse propria, non etiam alicuius priuati: quædam vero ita ius publicum tuentur, cuius vtilitas nonnisi priuati alicuius esse videatur. Prioris generis est iudicium de albo corrupto: posterioris, iudicium populare de sepulchro violato. 2. Crimiualia iudicia sunt, quæuis delicta vindicantur publicè, hoc est, ita, vt pœna corpori delinquentis infligatur, vel si pœna sit pecuniaria, illa fisco applicetur 3. Iudicia mixta sunt ciuilia & criminalia simul: in quibus nempe communicatio pœnæ fit inter fiscum & priuatum.

Iudicia publica.

II. *De iudiciis publicis hæ sunt regulæ.*

1. Iudicium publicum dicitur, quod cuius de populo permittitur. 2. In accusatione index procedit officio iudicis nobili, non mercenario. 3. Regulariter omnibus accusare volentibus competit. 4. Si plures eundem accusare velint, nec tamen omnes simul possint; iudex vnum ex iis eligere debet, qui magis sit idoneus. 5. Si non sit qui accuset; potest magistratus loci constituere fiscalem, qui accuset. 6. Regulariter alius, quàm qui crimen, de quo agitur, commisit, accusari non potest. 7. Pæna defuncti regularitet non comitatur liberos & hæredes, nec ex eius crimine tenentur, nisi tale crimen defunctus commiserit, ob quod memoria eius damnari potest. 8. Per alium accusatio institui non potest. 9. Reus per alium se in criminalibus defendere non potest. 10. Reus regulariter accusandus est in loco, vbi crimen est commissum: vel vbi deprehenditur: vel vbi habet domicilium. 11. Si crimen ad duorum iudicum iurisdictionem pertineat; qui preuenit, alterum excludit. 12. Vicarius potest de criminalibus cognoscere. 13. Iudex delegatus non est iudex competens causarum criminalium. 14. Causæ criminales non pertinent ad iudicem, ad quem causæ pecuniariæ pertinent. 16. Ecclesiastici per se de causis criminalibus non cognoscunt, sed per laicos. 16. Iudicia publica intra biennium finiri debent. 17. Viginti annorum præscriptione publicæ accusationes excluduntur. 18. Crimina in iudicium deducuntur pluribus modis; qui tamen contrahuntur ad duo genera, ex officio seu per inquisitionem, & ad instantiam partis. 19. Per exceptionem quoque crimina deducuntur in iudicium. 20. In notoriis officio iudicis proceditur, sine accusatione. 21. Alij purgationis modi, præter iuramentum purgationis, sunt illiciti. 22. Quòd si citatus ad purgandum iurare nolit vel non compareat, pro confesso habetur atque damnatur. 23. Causæ publicorum iudiciorum sunt crimina publica. Quarum causarum exceptiones sunt multifariæ. e. g. nisi non constet de crimine, an sit commissum: nisi reus crimen, de quo accusatur, non esse commissum, vel fieri non potuisse probauerit: nisi sine dolo malo factum sit: nisi per ebrietatem commiserit: nisi dormiens commiserit crimen; nisi per ignorantiam vel errorem commiserit: nisi mandata alterius, cui parere necesse fuit, commiserit: nisi authoritate magistratus fecerit: nisi vi, metúsue causa commiserit: nisi prouocatus commiserit: nisi iusto dolore fecerit: nisi minor ætate commiserit: nisi furiosus commiserit: nisi per iracundiam commiserit: nisi per amorem fecerit: nisi animal brutum commiserit: nisi omnes conditiones, sub quibus pœna imposita est, sint impletæ: nisi crimen propositum non fuerit perfectum: nisi reus de crimine pœnitentiam egerit: nisi abolitio criminis interuenerit, vel princeps crimen remiserit: nisi de crimine transactum sit, & accusatio ab aduersario remissa: nisi viginti anni à crimine commisso præterierint: nisi iudicium ceptum, intra biennium non fuerit finitum: nisi reus mortuus sit: nisi accusator mortuus sit: nisi crimen in publicam vtilitatem vergat.

Iudicia priuata.

III. *De iudiciis priuatis sunt hæ regulæ.*

1. Iudicia priuata constituuntur vel rei familiaris tuendæ causâ, & dicuntur priuata in specie: vel vindictæ causa, ad hoc nimirum, vt pœna applicetur parti læsæ, quæ agit, & hæc dicuntur ciuilia. 2. Iudicia priuata instituuntur rei familiaris causâ, instituta actione reali omni, & personali ex potestate & conuentione: vindictæ verò causa, instituta actione ex obligatione delicti.

CAPVT

CAPVT XXVII.

De Proceſſu iudiciali.

PRÆCEPTA.

PRoceſſus iudicialis, ſeu ordo & ritus iudiciarius, eſt modus rem controuerſam tractandi legitimè.

Eſtque ordinarius, vel extraordinarius.

Proceſſus ordinarius eſt in iis quæ fiunt ante iudicium, in ipſo iudicio, & poſt iudicium.

Quæ fiunt ante iudicium, dicuntur præparatoria iudicij, & fiunt vſque ad litis conteſtationem.

Suntque ſubſtantialia vel incidentia.

Subſtantialia ſunt, quæ ad iudicij conſtitutionem neceſſariò requiruntur, & niſi fiant, iudicium nullum redditur.

Eiuſmodi ſunt actionis editio, citatio, & libelli oblatio.

Actionis editio eſt futuræ litis deſignatio.

Actionis editionem ſequitur citatio, ſeu in ius vocatio. Nam citatio eſt authoritate magiſtratus ad ipſum qui ius vocandi habet, facta vocatio.

Citatio eſt extraiudicialis, vel iudicialis.

Citatio extraiudicialis eſt de re quauis alia, quàm quæ iudicialiter controuerſa ſit, ad magiſtratum vel iudicem vocatio.

Citatio iudicialis eſt citatio facta à iudice, in causâ iudicialiter controuersâ.

Eius occurrunt partes & ſpecies.

Partes citationis ſunt eius conceptio, & conceptæ expeditio.

In conceptione citationis ſex potiſſimùm exprimenda ſunt 1. nomen & cognomen iudicis citantis. 2. nomen & cognomen citati. 3. nomen & cognomen illius, ad cuius inſtantiam & petitionem citatio decreta eſt. 4. cauſa ob quam & ad quam citatur. 5. locus, in quo citatus compareat. 6. tempus, quo vocatus compareat.

Expeditio citationis habet tria capita. Primum caput eſt commiſſio iudicis, quæ eſt mandatum iudicis datum nuntio de citatione iam decretâ & conceptâ exequendâ atque inſinuandâ. Secundum eſt executio citationis, ſeu eius inſinuatio. Tertium eſt de citatione decretâ & inſinuatâ relatio.

Species citationis ſunt, quòd eſt 1. publica vel priuata. 2. verbalis vel realis. 3. ſimplex vel peremptoria.

Publica citatio fit per edictum vel proclama: priuata fit voce, ſcripto, vel manus iniectione.

Simplex citatio eſt quæ vlteriorem patitur: peremptoria, poſt quam citatio nulla ampliùs emanat.

Libellus eſt ſcriptura, actoris intentionem continens.

Eſtque articulatus, vel non. Ille concipitur certis articulis: hic ſerie continuâ procedit.

Incidentia præparatorium iudicij ſunt, quæ vt adſint, abeſſe tamen à iudicio poſſint.

Eiuſmodi ſunt contumacia, procuratoris conſtitutio, exceptionis oppoſitio, ſatiſdatio, feriæ, ſequeſtratio, interuentio, interrogatio, libelli oblati mutatio, reconuentio, interlocutio iudicis, & ad perpetuam rei memoriam commiſſio.

In iudicio attenditur principium, medium, & finis.

Principium iudicij eſt in litis conteſtatione.

Medium ſeu continuatio iudicij eſt in ſubſtantialibus, & incidentibus.

Subſtantialia ſunt, quæ ſi non adſint, iudicium omnino eſſe nequit, aut ſi illud ſit, legitimum tamen non ſit, atque adeo nullum.

Huiuſmodi ſunt libelli oblati repetitio, ad libellum repetitum reſponſio; probatio, diſputatio, eique adiuncta concluſio.

Incidentia ſunt, quæ etſi abſint, iudicium tamen eſſe poſſit: cuiuſmodi ſunt, iuramentum calumniæ, exceptionis peremptoriæ oppoſitio, prorogatio termini, nullitatis exceptio, proceſſus redintegratio, iuramenti delatio, relatio ad iudicem ſuperiorem facta ab inferiori, & conſilia.

Finis iudicij eſt in ſententiâ definitiuâ.

Quæ fiunt poſt iudicium ſunt in executione & impugnatione ſententiæ. Nam ſententiâ latâ litigantes illi acquieſcunt vtrinque, vel non acquieſcunt. Si acquieſcunt, ſententia tranſit in rem iudicatam, quam ſequitur executio, quæ eſt rei iudicatæ conſummatio. Si non acquieſcunt, ſententia lata impugnatur, idque quinque potiſſimùm modis: videlicet appellatione, ſupplicatione, reductione ad arbitrium boni viri, reſtitutione in integrum, & viâ nullitatis.

Atque hic eſt proceſſus ordinarius: *extraordinarius* eſt, in quo ordo procedendi à iure conſtitutus non tam accuratè cuſtoditur. In eo tractantur cauſæ ſummariæ: cuiuſmodi ſunt cauſæ diffamationis, cauſa dotis, cauſæ miſerabilium perſonarum, cauſæ carceratorum, punctus liquidationis, cauſa alimentorum, cauſa pignorationis, petitio miſſionis in poſſeſſionem ventris nomine, & ſimiles.

REGVLÆ.

I. De Litis conteſtatione ſunt hæ regulæ.

Litis conteſtatio.

1. A litis conteſtatione incipit iudicium. 2. Omiſsâ litis conteſtatione proceſſus eſt nullus. 3. Per litis conteſtationem celebratur quaſi contractus. 4. Litis conteſtatio non fit per exceptionem peremptoriam oppoſitam. 5. Si reus reſpondeat libello, per hoc fit litis conteſtatio. 6. Si reus nolit litem conteſtari, præcisè cogendus ad litem conteſtandam. 7. Effectus litis conteſtationis ob id non pereunt, ſi inſtantia perierit, vel ſi reus ab inſtantiâ ſit abſolutus.

II. De in ius vocando & citationibus hæ ſunt regulæ.

De in ius vocando

1. Actus in ius vocandi primus eſt, & initium actionum inſtituendarum. 2. Iure diuino hic actus ſubſiſtit. 3. Cauſa citationi inſeri debet. 4. Non eſt opus, vt totus tenor libelli citationi inſeratur, licet aliud conſuetudine ſit receptum. 5. In citatione poteſt adiici pœna contumaciæ, non tamen confiſcationis bonorum 6. Reus de domo ſuâ vi trahi non debet in ius. 7. Furioſus non citatur: nec pupillus, nec Reipub. causâ abſens, ſed horum amici & cognati. 8. Contumax non ſolùm is dicitur, qui in ius vocatus non venit: ſed etiam is qui in iudicio comparens dicit iudici: Non intendo in vos conſentire: Niſi ita dicat: Compareo coram vobis in termino præfixo, attamen non intendo per hanc comparationem in iuriſdictionem veſtram conſentire, niſi quatenus de iure teneor. 9. Contumax litis damno coërcetur. 10. Actore latitante reus abſoluendus eſt.

III. De inquiſitione ſunt hæ regulæ.

&c. Inquiſitio

1. Inquiſitio non eſt actio, ſed officium iudicis. 2 Inquiſitio ſuccedit loco accuſationis. 3. Si de crimine alicuius fuerit denuntiatum, de eo eſt inquirendum. 4. Si accuſator ab accuſatione deſtitit, vel pendente accuſatione mortuus eſt, iudex poteſt ex officio inquirere. 5. Si ex generali inquiſitione, quam iudex de crimine fecit, author criminis conſtet, poteſt etiam ſpecialiter contra eum inquirere & procedere ſine querela vel denuntiatione vlteriore. 6. Si aliquis de crimine fuerit diffamatus, vel indicia & præſumptiones cōtra aliquem extent, poteſt iudex aduerſus eum inquirere, etiam nemine denuntiante. 7. Si reus in flagranti crimine ſit repertus, poteſt aduerſus eum procedi, etiam nemine denuntiante. 8. Si iudex viderit crimen committi, poteſt ex officio inquirere. 9. Si crimen ſit notorium, poteſt iudex inquirere. 10. Si enorme ſit crimen, vt hæreſis, læſæ maieſtatis, falſæ monetæ, Sodomiæ, vel ſimile, poteſt iudex, etiam nemine denuntiante, inquirere. 11. Si offenſus querelam propoſuit, iudex poteſt inquirere. 12. Si cùm ciuiliter actum fuiſſet, crimen fuerit probatum, iudex poteſt inquirere. 13. Si quis incidenter crimen confeſſus ſit, vel iudex incidenter cognouerit, iudex poteſt inquirere.

14. Si delictum per conspirationem sit commissum, si inimicitiæ sint inter ciues, vt suspicio sit ne ad arma veniant, iudex potest inquirere. 15. Ad euitandum scandalum, item contra lusiones, ociosos & rixosos iudex potest inquirere. 16. Inquirit iudex de omni crimine in iudicio incidenter commisso. 17. Si accusator crimen non probauit vel præuaricatus est, iudex potest inquirere. 18. Inquirit de moribus & qualitate eligendi & ordinandi. 19. Iudex inquirit de adulterio, item quæ si filius sit iniuriosus in parentes. 20. Inquirit iudex contra custodem carceris, contra lenones, famosos latrones, fures, aggressores stratarum, latitantes in syluis, maledicentes & contumaces: item in socios criminis alicuius, item de homicidio & damno clandestino. 21 Iudex potest inquirere in caritate annonæ & cogere homines ad vendenda frumenta. 22. De omnibus criminibus pœnam mortis ciuilis, vel naturalis, vel membri abscissionem irrogantibus, potest ex constitutione regni & ex iure canonico inquirere. 23. Ex iis qui in querelâ aut denunciatione nominati sunt, potius inquirendum est: sed nullis nominatis tum ex iis inquirendum, qui verisimiliter possunt esse informati, putà vicini. 24. Nec tamen ex omnibus passim inquirendum est. Nam qui in ciuilibus causis à testificando repelluntur, multò magis in causâ criminali repelli debent: inter quos etiam numeratur socius criminis. 25. Denunciatus non tenetur probare. 26. Iudex inquirens in crimine insolescere non tenetur. 27. Debet inquisitor ordinem inquisitionis debitum obseruare. 28. Inquisitione facta citanda est pars offensa ad subministrandum, si quid contra reum habet. 29. Expensis fisci inquisitio facienda. 30. Si per inquisitionem non plenis crimen fuerit probatum, arbitraria non ordinaria pœna reo imponitur. 31. Denunciatus non probans punitur. 32. Ex inquisitione generali non sequitur condemnatio, sed tantum informat ad inquisitionem particularem. 33. Damnatus ex inquisitione non fit infamis. 34. Si inquisitio est inepta, tutius est inquisitum, quamuis confessum, absolui, & inquisitionem aptè repeti.

Testes.

IV. De Testibus hæ sunt regulæ.

1. Si alterutra pars probandi causâ testes nominet ac producat, ii forte, si contra eum id est, de testimonio reprehendi. 2. Etiam testes non productos potest examinare iudex pro absentibus & in ciuilibus. 3. A iudice, non à notario vel alio testes examinandi. 4. Iudex potest ex causâ alteri examen testium committere. 5. Clam, non in turba testes examinandi. 6. Ante litem contestatam testes examinandi non sunt, nec ante examinatis fides adhibenda. 7. Diebus feriatis testes non examinandi. 8. Ante examen articuli sunt diiudicandi an sint pertinentes: nisi exceptio articulorum impertinentium altiorem requirat indaginem: tunc enim admitti possunt saluo iure impertinentium. 9. Aduersarius aduersus quem testes producuntur, ad examen testium citandus. 10. Producens testes etiam ad examen est citandus. 11. Præter expensas, etiam operarum mercedes, quibus testis cariturus est, à producente sunt præstandæ. 12. Si testis testimonium perhibere nolit, cogendus est. 13. Multitudo interrogatoriorum refrænanda & inutilia resecanda. 14. Interrogatoria dantur vt testes ad varietatem & contraria inducantur. 15. Interrogatoria ex ipsis articulis formanda. 16. In concipiendis interrogatoriis circumspectè agendum. 17. Copia interrogatoriorum aduersario non est danda. 18. Non datis interrogatoriis iudex de singulis circumstantiis ex officio testes interrogabit. 19. Si commissarius idioma testis non intelligit, interprete vti potest. 20. Commissarius examinis instrumenta recipere non debet, nec hoc ei permittendum: nisi periculum subsit in transmissione instrumentorum. 21. Absoluto examine, acta ad iudicem committentem sigillo commissarij obsignata transmittenda. 22. Publicatio attestationum ad perpetuam rei memoriam non fit ante litem contestatam. 23. Publicatio attestationum non est de substantiâ iudicij, sed omitti potest. 24. Publicatio attestationum fieri debet vtrâque parte præsente: quæ tamen necessaria non est, si vtrâque parte præsentes testes sunt examinati. 25. Attestationes ab alio iudice, quàm qui testes examinauit, publicandæ non sunt. 26 Publicatis attestationibus, excipitur contra personas & dicta testium: item probationes ex iis colliguntur: necnon contra exceptiones testium replicatur & duplicatur. 27 Producens de criminibus testium respondere debet. 28. Examinator qui scientiæ causam non interrogauit, parti ad interesse tenetur. 29. Regulariter quidem pro dictis testium præsumptio est, cui iudex inniti debet, nisi aliud obstat. 30. Si opponens de infamia testis non probauerit suam exceptionem: iniuriarum actione testi tenetur.

De edendo.

V. De edendo hæ sunt regulæ.

1. Nomen actionis edi non est necesse, sed factum ita exponendum, vt inde actio iudici constare possit. 2. Causa actionis siue petitionis omnino edenda ac in libello exprimenda est. 3. Cum duplex sit cuiuslibet actionis causa, proxima & remota, non sufficit proximam exprimere, nisi exprimatur etiam remota. 4. Per positiones accusatio criminalis edenda, non autem defensio. 5. Petitio seu conclusio libelli non omittenda. 6. Certa res petenda est, nisi interesse petatur: ideóque petitio seu conclusio libelli non debet esse alternatiua. 7. Aliud pro alio peti non debet. 8. Libellus non debet esse obscurus. 9. Si minus apte actio edita sit, ob id libellus non vitiatur. 10. Si ineptus est libellus, iudex reum ab obseruatione iudicij absoluere, & actorem in expensas condemnare debet, reseruato tamen ei iure agendi ex alia ampta causa. 11. Perempta instantia ob ineptitudinem libelli, pereunt omnia acta ordinarij iudicij. 12. Sine die & consule instrumenta edenda. 13. Actor reo edere tenetur instrumenta ad fundandam ipsius exceptionem. 14. Non quemadmodum actor reo, ita contra quoque reos instrumenta sua edere tenetur. 15. Aliis quàm quorum mandato instrumenta confecta sunt, ea non edenda. 16. Omnia quæ quis apud iudicem editurus est vel edidit, aduersario suo edere tenetur. 17. Quibus quis in iudicio vsurus non est, & quæ ad causam non pertinent, ea edere non tenetur. 18. Non totum instrumentum edendum, sed id dumtaxat quod ad causam pertinet. 19. Non est necesse vt in scriptis edatur actio nisi reus petierit. 20. Expensis rei, non actoris, libellus edendus. 21. Si actio edita sit, nihilominus emendari ac mutari potest. 22. Editio instrumentorum & rationum petitur non iure actionis, sed officio iudicis. 23. Mercatores ad edendas actiones suas tenentur. 24. Cui tenetur rationes reddere, vtique etiam libros rationum edere tenetur. 25. Notarius etiam ad edendum instrumentum tenetur sub duabus conditionibus.

VI. De dilationibus & exceptionibus dilatoriis, necnon de reconuentionibus & interuentionibus hæ sunt regulæ.

1. Dilatio non nisi causa cognita concedenda. 2. Dilationes sunt arbitrariæ. 3. Reo ad respondendum de proprio facto non est danda dilatio in criminalibus. 4. Si reus possessor nominet authorem vel dominum domus, dilatio ei est danda ad denunciandum. 5. Reo ad excipiendum dilatio danda. 6. Probationum & instrumentorum adferendorum causa dilatio danda. 7. Dilationes vni parti concessæ alteri non sunt denegandæ. 8. Dilatio à iudice indulta ab eodem & contrahi & mutari & reuocari potest. 9. Probationum facultas non angustari sed ampliari debet: item in testibus ad perpetuam rei memoriam examinandis nulla certa datur dilatio. 10. Quantum temporis actori concessum, tantum reo non est denegandum: imò reo longior danda. 11. Feriæ in tempus dilationis numerantur. 12. Secunda dilatio tantum in eo est concedenda, in quo in prima dilatione est impeditus. 13. Non nisi semel dilatio danda. 14. Dilatio etiam non citato aduersario dari potest. 15. Dilatio etiam parte non petente dari potest. 16. Causa cognita dilatio danda. 17. Dilatione data iudicis officium interim conquiescit. 18. Dilatio regulariter est peremptoria. 19. Adfine dilationis remedium est prorogatio termini. 20. Exceptio dilatoria ante litem contestatam, non post opponenda. 21. Exceptiones dilatoriæ omnes simul intra certum tempus à iudice statuendum sunt obiiciendæ. 22. Recusatoria iudicis est exceptio dilatoria. 23. Regulariter quæstio competentiæ iudicis ad cognitionem iudicis recusati pertinet. 24. Recusatio vt appellatio iurisdictionem suspendit. 25. Si iudex tanquam suspectus recusatur libellus recusationis offerendus. 26. Recusans tenetur petere adiunctum. 27. Iudice recusato arbiter ad dirimendam litem eligendus. 28. Excommunicato actori obiici potest excommunicationis exceptio 29. Excōmunicationis exceptio excommunicato, non ei cui excommunicatus actionem suam cessit, obstat. 30. Spoliatus reus in iudicio respondere non cogitur nisi fuerit restitutus. 31. Vis exceptionis spolij hæc est vt repellat agentem, non etiam vt agens ad restitutionem condemnetur 32. Cautionis etiam occasione reo datur exceptio dilatoria, item actori replicatio. 33. Per fideiussores regulariter cauendum, non pignoribus, nec nuda repromissione. 34. In loco iudicij, non domicilij fideiussores præstandi. 35. Cautio de rato committitur si dominus nō habuerit ratum. 36. Item committitur de rato cautio, si dominus eo tempore ratum habuerit, quò amplius agi non possit. 37. Item committitur de rato cautio, si procurator ante conclusionem causæ mandatum cum ratificatione non exhibuerit: vel quamuis dominus ratificauerit, sed inutiliter. 38. Quamuis de rato cautum non sit falsus tamen procurator tenetur. 39. Cautio iudicio sisti adimpletur si reus sistatur. 40. Iudicio sisti cautio committitur, si reus non sistatur. 41. Si reus non sistatur, ex cautione iudicio sisti datur actio in id quod actoris interest. 42 Si in causa criminali iudicio sisti cautum sit, pœna ex hac actione fisco applicatur. 43. Adfine cautionis iudicio remedium est, vt reus apprehendatur & custodiatur. 44. Committitur

iudicatum

iudicatum solui stipulatio, si iudicatum non soluitur: vel reus non defendatur, vel dolus in causa defendenda committatur. 45. Reus actorem in eodem iudicio reconuenire potest. 46. Si actor reconuentioni respondere nolit denegatur ei actio. 47. Quamuis iudex pari passu non processerit in causa con & reconuentionis, ob id tamen sententia nulla est, sed est appellabilis. 48 Modus procedendi in reconuentione petitorij iudicij possessorio iudicio opponitur. 49. Reconuentionis affine remedium est compensatio. 50. Interuentio tertij regulariter est permissa. 51. Interueniens iisdem terminis coarctatur quibus prin̄c palis. 52. Interueniens qui nec actorem nec reum dete. surus est, litem inter actorem & reum non suspendit. 53. Interueniens actoris partibus fungitur. 54. Interueniens non potest forum declinare. 55. Interueniens cautam in eodem statu acceptare debet, in quo eam reperit. 56. Interueniens non tenetur actionem edere, nec litem contestari: nisi principalis non appellauerit, vel appellationem interpositam deseruerit: Articulos tamen interuentionales edere tenetur. 57. Interueniens etiam post litem contestatam exceptiones dilatorias opponere potest. 58. Interuenienti copia attestationum est danda. 59 Potest allegare & probare quæ à principali sunt omissa. 60. Interueniens potest alios testes super iisdem articulis, vel directè contrarijs producere. 61. Interueniens post conclusionem causæ in integrum restitutionem petere potest. 62. Si duo agant, vnus directa, alter vtili actione aduersus eundem, ei res est adiudicanda qui directa, non qui vtili actione agit.

VII. De iuramento calumniæ & aliis eiusmodi iuramentis hæ sunt regulæ.

1. Iusiurandum calumniæ statim post litem contestatam præstandum. 2. Iuramentum calumniæ etiam sine speciali mandato præstare possunt tutor, curator & alij similes. 3. Aduocati vtriusque partis iurare etiam coguntur. 4. Procurator non solum in d. mini, sed etiam in propriam animam iurare debet. 5. Non ante sed post litem contestatam iurandum est de calumnia. 6. Iuramentum debet habere tres comites, veritatem, iustitiam & iudicium. 7. Per procuratorem iurari potest. 8. Actor iurare nolens causa cadit. 9. Reus iurare nolens pro confesso habetur. 10. Iuramenti calumniæ affine remedium est iuramentum malitiæ: quod præstatur toties quoties præsumptio est contra aliquem, quod malitiosè aliquid proponat.

VIII. De positionibus & articulis hæ sunt regulæ.

1. Positiones in iudicio fiunt ad eliciendam confessionem aduersarij. 2. In locum interrogationum hodie successerunt positiones & articuli 3 Loco probationum succedunt positiones. 4 Qui ponit pro confesso habetur eius quod ponit; secus in eo qui articulos exhibet 5. Non sunt necessariò dandi articuli. 6. Ex ipso libello articuli formandi. 7. Iura in articulis non ponenda, multò minus alleganda. 8. Positiones tam ante quàm post litis contestationem possunt exhiberi. 9. Cauendum ne contraria in articulis ponantur. 10 Positiones exhibentur med o iuramento dandorum: quemadmodum etiam iis respondendum medio iuramento respondendorum. 11. Si interrogatus non responderit pro confesso habetur & in solidum tenetur. 12. Obscure vel non ad interrogatoria respondens, æquè pro confesso habetur, perinde ac si non respondisset. 13. Respondere nolens tormentis subijci potest, vt respondeat. 14. Si quis non purè vel simpliciter responderit positioni, sed cum conditione, responsio non dicitur sufficiens. 15. Si respondens positioni est mentitus in solidum tenetur. 16. Dominus litis, non procurator, si hoc aduersarius exegerit, positionibus respondere debet.

IX. De iureiurando hæ sunt regulæ.

1. Iurandum regulariter non est. 2. Exigere ab aliquo iusiurandum peccatum non est. 3. Iusiurandum iudiciale obtinet vim rei iudicatæ. 4. Iusiurandum non est probatio. 5 Iuramentum diuiditur in iudiciale & extraiudiciale 6. Iuramentum diuiditur in assertorium & promissorium. 7. Per Deum non per creaturas iurandum. 8. Si deficiente probatione iusiurandum delatum sit, aut iurandum aut causâ cadendum. 9. Procurator iurat in animam domini sui. 10. Iuramentum inducit obligationem. 11. Iuramentum habet executionem paratam. 12. Si iudex nolit deferre iusiurandum, vel illud ex causâ non satis iustâ deferri admiserit, ab eo potest appellari. 13. Si falsum iuramentum sit, vel non præstetur quod est iuratum periurium committitur ac punitur. 14. Periurij pœna infamia est. 15. Testis periurus qui in criminali causâ falsum dixit testimonium, mortis pœnâ puniri potest. 16. Clericus periurium committens deponitur. 17. Commisso periurio nihilominus id quod gestum est valet. 18. Si delato vel relato iureiurando, iuratum sit: iuranti ex eo iureiurando tam actio, quam exceptio datur.

X. De ordine cognitionum hi sunt canones.

Ordo cognitionum.

1. Prius de possessione quàm de proprietate aut alio iure cognoscendum. 2. Relevandus ante relevatorum agendum. 3. Causa præiudicialis, quæ cum alia concurrit prius est expedienda. 5. Causa præiudicialis, quæ cum alia concurrit prius est expedienda. 4. Si testes falsum dixisse testimonium in causa perhibentur, talis accusatio ante sententiam est expedienda.

XI. De officio iudicis hæ sunt regulæ.

Officium iudicis.

1. Interrogare potest iudex post conclusionem ad fundandum ius partis de nouo. 2. Seniores & prudentiores debent priùs votare. 3. Iudex debet iudicare secundùm acta & probata, non secundùm conscientiam. 4. Iudex non debet impertire suum officium nisi rogatus. 5. Quod à litigatoribus vel aduocatis prætermissum est, hoc iudex debet supplere. 6. Iudex Ecclesiasticus non tenetur stare processui facto coram iudice politico. 7. Successor potest interpretari & exequi sententiam sui prædecessoris. 8. Super incidenti non pronuntiatur. 9. Iudex non aliter debet iudicare, quàm legibus, constitutionibus & moribus proditum est. 10. Quod legibus definitum non est relinquitur arbitrio iudicis. 11. Facti quæstio est in arbitrio iudicantis. 12. Deficiente probatione, iudex alterutri partium iusiurandum potest deferre. 13. Quilibet est interpres verborum suorum. 14. In re dubiâ ita interpretatio facienda, vt quantum fieri potest euitetur falsitas. 15. In obscuris quod minimum est sequimur. 16. In obscuris inspici solet, quod est verisimilius & quod plerumque fieri solet. 17. Id in dubio actum præsumitur, quod legibus cautum, aut statuto loci vel consuetudine est receptum. 18. Quod verisimilius est disponentem interrogatam respondisse fuisse, amplectendum. 19. Cùm dubitatur quæ actio sit instituta, ea est eligenda, quæ actori est vtilissima. 20. Libelli verba in actoris fauorem sunt interpretanda. 21. Confessio dubia pro confitente interpretanda. 22. Contractus in re dubia nomen, formam & iuris effectus ex mente & proposito contrahentium ex verbis melius intelligitur. 24. Verba contractus strictè interpretanda contra eum, qui se in iis fundat 25. Fauores ampliandi odia restringenda. 26. In dubio reis potiùs quàm actoribus fauendum. 27. In pœnalibus causis benigniùs interpretandum est. 28. In dubio fauendum potius ei qui agit de damno vitando, quam qui agit de lucro captando. 29. Verba testium ambigua contra producentem sunt interpretanda. 30. In dubio pro Ecclesia pronuntiandum. 31. In dubio præsumitur pro fisco, nisi de lucro vel pœna agat. 32. In dubio ita interpretatio facienda est, vt actus potiùs valeat quàm pereat. 33. Actus gestus præsumitur, vt valeat omni meliori modo quo valere potest. 34. In dubio pro testamento est præsumendum. 35. Quod inter partes conuenit iudex pronuntiare potest. 36. Procurator, non reus principalis qui abest, condemnandus. 37. Causa sententiæ in eâ exprimi non debet. 38. Iudex pœnam in sententia potest adijcere; si condemnatus intra statutum tempus non soluerit. 39. Sententia tenenda est in loco iudicij solito, non extra illum locum nec extra territorium. 40. Sententia ab ipso iudice recitanda. 41. Sententia ex scripto recitanda. 42. Sententiâ latâ cessat officium iudicis. 43. Iudex sententiam amplius mutare vel corrigere non potest.

XII. De euentis & consequentibus publicorum iudiciorum hæ sunt regulæ.

Euenta & consequentia publicorum iudiciorum.

1. Si accusator non probauerit quod intendit, calumniari præsumitur: ideóque tanquam calumniator punitur, nisi contrarium probauerit. 2. Si accusator fuerit calumniatus, punitur. 3. Reo absoluto incipit iudex de accusatoris consilio inquirere; & si eum in euidenti calumniâ deprehendit, pœnam ei irrogat, peculiari iudicio de calumniâ non instituto. 4. Eadem pœnâ calumniator puniendus est, quâ reus, si fuisset conuictus. 5. Calumniator in expensas condemnatur. 6. Si accusator præuaricatus sit, seu cum aduersario colluserit, eo nomine punitur. 7. Si accusator tergiuersatus est, seu ab accusatione destitit, hoc nomine potest accusari. 8. Si accusator cùm reo transegerit, etiam in casibus reo permissis, tanquam tergiuersator punitur. 9. Damnatus ob tergiuersationem fit infamis. 10. Reo damnato, sententia regulariter statim est exequenda. 11. Si pœna certa in sententiam non est expressa, legis pœna non est irroganda. 12. Si cui capitalis pœna sit imposita, in dubio de exilij pœnâ intelligitur. 13. Si cui amputatio manus sit imposita, intelligitur de manu debiliori. 14. Si amputatio manus imposita sit ei qui vnam tantùm habet, in aliam pœnam sententia mutanda. 15. Si in

pecuniariam pœnam reus sit damnatus, non est audiendus malens sustinere pœnam corporalem. 16. Executio in loco consueto est facienda 17. Sententia in vno territorio lata, in alio sine cognitione causæ non est executioni mandanda. 18. Executio publicè, & in die, non noctu facienda est. 19. Executio damnato est insinuanda. 20. Executio facienda est expensis fisci. 21. Reo damnato, bona eius iure antiquo publicantur. Sed iure nouo ista publicatio est sublata. 22. Iudicia publica etiam comitatur infamia. Regulariter autem ob crimen damnatus fit infamis. 23. Periurium committens, infamis efficitur. 24. Potest princeps omnes pœnas, etiam post rem iudicatam, indulgere. 25. Infamia per restitutionem non tollitur. 26. Si satisfactum sit pro crimine, reus est absoluendus. 27. Facultas absoluendi potest delegari.

Appellationes.

XIII. *De appellationibus hæ sunt regulæ.*

1. Si quis se per sententiam grauatum, vel non rectè iudicatum, esse conqueratur: regulariter quidem licet illi appellare. 2. Alij quàm qui in iudicio succubuit ius appellandi non competit. 3. Gradatim est appellandum non omisso medio. 4. A delegato appellatur delegans. 5. A principe Ecclesiastico Camera non Papa appellatur. 6. Ab arbitris iudice recusato appellatur iudex superior iudicis recusati, seu delegans. 7. Ab Episcopo appellatur Archiepiscopus. 8. Iudex præparantis est iudex iudicij præparati ad quem possit appellari. 9. A ciuili iudice Papa non appellatur nisi sit de temporali iurisdictione Ecclesiæ. 10. Ab executore laico in causa Ecclesiasticâ appellatur iudex superior laici, non Ecclesiasticus. 11. Si duo iudices quorum alter laicus alter clericus est in causâ pronuntiauerint, appellatur clerici non laici superior. 12. A decreto decurionum appellatur capitaneus ciuitatis. 13. Iudex superior, nec inferior sed æqualis est appellandus. 14 Alternatiua appellatio non valet. 15. Intra decendium à die latæ sententiæ est appellandum. 16. In scriptis regulariter est appellandum. 17. Coram iudice à quo appellatur præsente est appellandum. 18. Absente iudice coram notario & teste spectatæ fidei, est appellandum. 19. Appellatio his verbis concepta, appello iudicem competentem vel hunc aut illum; valet. 20. Si appellatio intra legitimum tempus non fuerit insinuata, vel libelli appellatorij dati obstat præscriptio. 21. Inprimis in libello deduci & probari debet esse appellatum. 22. Appellatio reducit causam in pristinum statum qui fuit post litem contestatam. 23. Appellatio sententiam extinguit & suspendit diuerso respectu. 24. Appellationis iudex potest cogere, & sententia vel acta edantur sub pœnâ priuationis. 25. Appellanti à iudice appellationis inhibitio cùm citatione decernitur. 26. Appellatione pendente nihil innouandum: & si quid innouatum est tanquam attentatum rescindendum. 27. Ad iudicem ad quem appellatum est attentata reuocanda 28. Qui attentauit, ad fructus etiam restituendos tenetur. 29. Causâ cognitâ & parte citatâ sunt attentata reuocanda. 30. Duplici viâ reuocantur attentata, principaliter & incidenter. 31. Appellans iudicem à quo iniuriâ afficere non debet. 32. Potest quis in causâ appellationis allegare, quod in priori iudicio prætermissum est. 33. Appellatus etiam sententiam à quâ est appellatum, reformari petere potest. 34. Appellatus non potest producere libellum ad confirmandam sententiam. 35. Appellãs inuito appellato appellationem deserere non potest. 36. Iudex appellationis, petente appellante, potest omissâ appellationis causâ de principali negotio cognoscere. 37. Iudex appellationis super interlocutoriâ factâ, siquidem interlocutoriam retractet, debet de causâ principali iudicare, nec eam ad iudicem à quo remittere. 38. Si appellans obtinuerit, executio facta retractanda & id, quod soluit, ei restituendum. 39. Appellans exemptus est à iurisdictione iudicis à quo, & ad iudicem appellationis remittendus. 40. Apud iudicem appellationis etiam nullitatis causa agi potest. 41. Nullitatis causa non potest apud eum iudicem proponi, qui sine appellatione adiri non potest: Ergo nec inter subditos Episcopi suffraganei metropolitanus de nullitate potest cognoscere. 42. In causâ nullitatis non est opus litis contestatione. 43. Causa nullitatis non proponenda iure actionis, sed officio iudicis. 44. Causâ nullitatis principaliter intentata, iudex etiam de causa principali potest cognoscere & pronuntiare. 45. Inhibitio in causa nullitatis non decernenda. 46. Nullitatis causa incidenter in iudicium deducta, simul cum principali causa ventilari peragique debet. 47. Causa nullitatis in supplicatione pro citatione exprimi debet. 48. Nullitas vsque ad triginta annos potest proponi: post triginta anos non potest proponi. 49. Ad causam nullitatis tractandâ aduersarius citari debet. 50. Pendente causa nullitatis nihil innouandum & attentata reuocanda. 51. Iudex appellationis quamuis sententia nulla sit, potest tamen in honorem iudicis à quo eam iniquam non nullam pronuntiare. 53. Si actor in nullitatis causa deficiat, causa cum condemnatione expensarum ad iudicem ordinarium remittitur. 54. Sententiâ nullâ pronuntiatâ, causa ex iisdem actis cognosci potest.

XIV. *De syndicatu & reuisione sunt hæ regulæ.*

1. Est item appellationis adfine remedium, supplicatio pro retractanda sententiâ. 2. Soli Imperatori de sententia retractanda supplicandum. 3. Reuisores Cameræ ordinariam habent iurisdictionem. 4. Reuisio non suspendit executionem. 5. A sententia reuisorum appellare non licet.

XV. *De in integrum restitutione sunt hi canones.*

1. Est item appellationis adfine remedium petitio in integrum restitutionis aduersus sententiam. 2. Etiam ab eodem iudice qui sententiam tulit, in integrum restitutio peti potest. 3. Ordinarius processus in huiusmodi restitutionibus seruandus, & causa plenè probanda, nec aduersus absentem procedendum. 4. In integrum restitutio magis reale, quàm personale est beneficium. 5. In integrum restitutio etiam hæredibus & aliis successoribus vniuersalibus competit. 6. In integrum restitutionis causa delegari potest. 7. In loco contractus, non solutionis, petenda est in integrum restitutio. 8. Fructus etiam veniunt in actionem, ad quam quis restituitur. 9. In integrum restitutio petenda est apud iudicem rei, non actoris. 10. In integrum restitutio intra quadriennium petenda ac determinanda est. 11. In integrum restitutione impetrata, aduersarius quoque per omnia est restituendus.

XVI. *De in integrum restitutione aduersus lapsum fatalium hæ sunt regulæ.*

1. In integrum restitutio aduersus lapsum fatalium competit ex iusto impedimento. 2. Hæc in integrum restitutio petenda est à iudice. 3. Impedimentum probatur non solùm testibus sed etiam iureiurando appellantis. 4. In hac in integrum restitutione petenda non requiritur litis contestatio. 5. Suspenditur per hoc iudicium causa principalis. 6. Huius petitionis affine remedium est actio mandati aduersus procuratorem.

XVII. *De in integrum restitutione maiorum sunt hi canones.*

1. Si absentis ius sit læsum, per restitutionem in integrum ei succurritur. 2. Si reipublicæ causa in aliquo læsa sit, per in integrum restitutionem ei succurritur. 3. Si fisci ius sit læsum, per in integrum restitutionem ei succurritur. 4. Ecclesiæ læsæ perinde ac minori per in integrum restitutionem succurritur, 5. Regi quoque & Reginæ in integrum restitutio conceditur. 6. Prodigis quoque curatorum culpâ læsis succurritur. 7. Rusticis quoque læsis per in integrum restitutionem succurritur. 8. Ignorantia quoque est iusta causa petendæ in integrum restitutionis. 9. Datur quoque in integrum restitutio ex clausulâ generali, si qua mihi iusta causa esse videbitur. 10 Mulieri quoque læsæ succurritur. 11. In integrum restitutione aduersus temporis præscriptionem petitâ, non totius temporis, sed eius tantùm quo agi non potuit, vel quod superfuit, restitutio petenda. 12. Minor ad totam causam restituitur absens ad appellandum tantùm. 13. Minorum quàm absentium & ignorantium causa in restitutionibus in integrum est fauorabilior.

XVIII. *De minoribus viginti quinque annis hæ sunt regulæ.*

1. Si minor viginti quinque annis aliquid gesserit, quo læsus est, per in integrum restitutionem ei succurritur. 2. Alij quàm minori læso in integrum restitutio ex persona eius non conceditur. 3. Aduersus tertium possessorem in integrum restitutio non competit. 4. Minor ob rem viliùs venditam non restituitur ad ipsam rem, sed ad id quod iusto pretio deest, si hoc emptor malit. 5. In integrum restitutio ex persona minoris intra quadriennium post completum vicesimum quintum annum petenda. 6. Minori in integrum restitutionem petenti probatio ætatis suæ incumbit. 7. Minor debet probare se læsum esse. 8. Minor probare debet, quod sit intra tempus restitutionis in integrum. 9. Minor ætas magis priuilegiata, quàm alia causa. 10. In integrum restitutio dupliciter petitur, principaliter & incidenter per modum exceptionis.

XIX. *De reductione ad arbitrium boni viri sunt hæ regulæ.*

1. Inter adfinia appellationis remedia numeratur etiam Reductio ad arbitrium boni viri. 2. Reductio ad arbitrium boni viri ad ordinarium iudicem pertinet, qui iudex competens fuisset, si compromissum non esset. 3. A sententia reductionis appellari potest. 4. Succumbens in causa reductionis indistinctè tenetur ad pœnam compromisso insertam.

5. Redu-

5. Reductioni ad arbitrium boni viri non præſcribitur niſi triginta annis. 6. Reductionis ad arbitrium boni viri adhuc remedium eſt conductio.

XX. *De ſententiâ & re iudicatâ ſunt hæ regulæ.*

1. Sententia eſt ſtricti iuris. 2. Sententia æquiparatur contractui, non vltimæ voluntati. 3. Sententia ciuilem & naturalem obligationem producit. 4. Dominium per ſententiam transfertur. 5. Rei iudicandæ ſtandum eſt próque eâ præſumitur.

XXI. *De actione iudicati, nec non de executione ſunt hæ regulæ.*

1. Actio iudicati competit ex re iudicatâ. 2. Actio iudicati competit non ex ſententia confirmata ſed confirmante. 3. Actio iudicati non nouat priorem obligationem vel actionem. 4. Res inter alios iudicata aliis non prodeſt. 5. Res inter alios iudicata aliis non obeſt. 6. Condemnato quatuor menſes dantur ad ſoluendum. 7 Sententiæ verba ſtricte ſunt intelligenda. 8. Sententia ad mandatum iudicis executioni mandanda. 9. Iudex qui ſententiam tulit, non alius, eam exequi debet. 10. Alterius loci magiſtratus, quàm vbi ſententia dicta eſt, ad eam exequendam non tenetur. 11. Executor non cognoſcit de negotio principali. 12. Eccleſiaſticus iudex per excommunicationem compellere poteſt laïcum ad auxilium præſtandum: non tamen contrà laïcus Eccleſiaſticum 13. Aduerſus alium quàm qui condemnatus eſt, executio non facienda. 14. Non ante ſed poſt rem iudicatam exceptio facienda. 15. Citatio aduerſarij executioni præmittenda. 16. Ante præſentationem literarum quibus executio mandatur ea facienda non eſt. 17. Executio tempore meſſium fieri poteſt. 18. Duplici modo fit executio, per actionem iudicati, & per officium iudicis. 19. Executoriales decernuntur aduerſus victum ſub pœnâ banni; ſed eo mortuo decernuntur aduerſus hæredem ſub pœnâ pecuniariâ. 20. Executoriales & mandata executoria decernuntur ſine clauſulâ iuſtificatoriâ: cùm termino ſex ſeptimanarum & trium dierum, annexâ citatione ad docendum de paritione, vel videndum ſe declarari in pœnam executorialium, aut allegandum cauſas cur talis declaratio fieri non debeat. 21. Iudex inferior ſuperioris auxilium pro faciendâ executione implorare poteſt. 22. Exceptiones aduerſus executionem, non coram executore, ſed coram iudice, qui ſententiam tulit, opponendæ ac diſputandæ ſunt 23. In exceptionibus aduerſus executionem oppoſitis cognoſcendis non eſt opus nouo proceſſu, hoc eſt, libello & litis conteſtatione, ſed ſufficit ſummaria cognitio 24. Non plus in executionem venire debet, quàm in ſententia continetur. 25. Res adiudicata non alia venit in executionem. 26 Regulariter quidem in omnibus bonis condemnati executio fieri poteſt 27. Alius modus executionis eſt, vt debitor apprehendatur & incarceretur. 28. Debitor de fugâ ſuſpectus non ſolùm ad petitionem creditoris, ſed etiam ceſſionarij capi poteſt: Non tamen ad inſtantiam procuratoris ſpeciale mandatum non habentis, niſi cum libera. 29. Debitor de fugâ ſuſpectus etiam à non competente iudice capi poteſt.

XXII. *De ſumptibus litis præſtandis ſunt hæ regulæ.*

1. Victus victori expenſas litis reſtituere tenetur. 2. Etiam ex pacto ſeu ſtipulatione expenſarum præſtandarum, ſi non fiat, quod promiſſum eſt, expenſæ peti poſſunt. 3. Interdum victor in expenſas victo eſt condemnandus, putà ſi contumaciter abfuerit: Nam contumax ſiue vincatur, ſiue vincat in expenſas condemnari debet. 4. Taxatio expenſarum permittitur arbitrio iudicis. 5. In cauſâ appellationis appellans condemnatus, cenſetur etiam in expenſas primæ inſtantiæ condemnatus. 6. In expenſas computatur etiam id quod victor aduocato cauſæ præſtare debet. 7. Taxatio expenſarum facienda eſt citata parte. 8. Taxatione expenſarum à iudice facta, victori defertur iuriurandum.

XXIII. *De ſportulis hæ ſunt regulæ.*

Sportulæ.

1. Sportulæ iudici debentur. 2. Non tamen à partibus ſportulæ iudici debentur, ſed is gratis debet adminiſtrare iuſtitiam. 3 Si plures libelli porrecti ſunt pro ſingulis ſportulæ debentur: non tamen pro ſingulis actionibus in eodem libello cumulatis. 4. Pœna temerè litigantium iure ciuili triplex eſt. iure Canonico minor: In Camerâ eſt arbitraria pro magnitudine cauſæ & qualitate perſonæ.

XXIV. *De miſſione in poſſeſſionem & venditione bonorum ſunt hæ regulæ.*

Miſſio in poſſeſſionem &c.

1. Miſſio in poſſeſſionem eſt ſpecies arreſti. 2. Si reus conuentus poteſtatem ſui non faciat, nec defendatur, in bona eius fit miſſio, vel ſaltem in rem petitam. 3. Delegatus iudex non poteſt mittere in poſſeſſionem ex primo decreto. 4. Miſſione decreta etiam alij creditores quàm qui mitti petierunt, in poſſeſſionem bonorum ſunt mittendi. 5. In omnia bona debitoris fit miſſio. 6. Petita miſſione aduerſarius eſt citandus. 7. Creditor miſſus ex primo decreto non fit poſſeſſor: ex ſecundo autem decreto miſſus fit verus poſſeſſor. 8 Miſſus in bona acquirit pignus prætorium & ius hypothecæ, vnde poteſt bona perſequi: vbi ſubijcitur exceptio hæc, niſi non verè, nec realiter bona apprehendiſſet. 9. Creditor miſſus non poteſt compellere debitorem, vt intra annum oblato debito poſſeſſionem redimat. 10. Creditor miſſus ex primo decreto tenetur ſtare colono. 11. Miſſus in bona condemnati vel latitantis debitoris poteſt ea vendere 12 Creditoribus regulariter ius vendendi competit; niſi debitor abſens non latitet: tunc enim bonis curator conſtituitur, à quo vendantur 13. Antequam bona vendantur vendendi ius à iudice eſt impetrandum. 14. Venditis bonis debitor venditionem reuocare non poteſt niſi ſtatuto intra certum tempus reuocandi poteſtas debitori permittitur.

XXV. *De arreſtis hæ ſunt maximæ.*

Arreſtum.

1. Arreſtum eſt executionis ſpecies: item turbationis: item ſimile eſt miſſioni in poſſeſſionem. 2 Arreſta concedantur ex ſpeciali pacto ſeu conuentione. 3. Si quis vi, clam vel precariò poſſideat, arreſtum conceditur. 4 Si condemnatus non faciat iudicatum arreſtum conceditur 5. Si ſubditi magiſtratui ſint obedientes aduerſus eos arreſtum conceditur. 6. Si de damno infecto non caueatur arreſtum conceditur. 7. Si hæres legatario non caueat die conueniente, vel conditione exiſtente legatum ſolutum in arreſtum conceditur. 8. Si colonus non ſoluat annuum canonem, inuecta & illata in horreum poſſunt arreſtari. 9. Tempore belli princeps ob neceſſitatem poteſt iumenta, plauſtra, & naues arreſtare. 10. Si conſuetudo exiſtat, vt cadauer defuncti debitoris arreſtare liceat, iſta conſuetudo non valet. 11. Si debita non ſoluantur fiſco, videtur arreſtum concedendum. 12. Cauſæ cognitio conceſſionem præcedere debet. 13. Per arreſtum non amittitur poſſeſſio. 14. Arreſti ratio eſt pax publica. 15. Mandatum arreſti relaxandi fit ſine clauſulâ iuſtificatoria. 16. Si quis ſit arreſtatus, hoc mandatum petere poteſt, vt arreſtum relaxetur: ſiquidem arreſta regulariter ſunt prohibita. 17. Dominus ſubditis ſuis mandatum de relaxando arreſto petere poteſt. 18. In Camera mandatum de relaxando arreſto petendum eſt. 19. Æſtimatio rei quæ periit, aut deterior facta eſt, item fructus & omnis cauſa in hoc mandatum veniunt reſtituenda. 20 Cumulari non poteſt interdictum vti poſſidetis, vel vnde vi. 21. In arreſto celeriter procedendum eſt. 22 Arreſtator in termino comparere debet ac docere, quod mandato per omnia ſit ſatisfactum: poſtea cauſa principalis ad iudicem ordinarium remittenda. 23. Arreſtatus in Camera actor eſt, at in cauſa principali reus. 24. Arreſtato etiam iniuriarum actio competit tam aduerſus arreſtatorem, quàm aduerſus iudicem.

DELINEA

DELINEATIO IVRISPRVDENTIÆ Ciuilis Generalis.

- IVRISPRVDENTIA est
  - Ciuilis
    - Generalis; de
      - Fine, *cap.* 1.
      - Subiecto, *cap.* 2.
      - Mediis; quæ respiciunt reip.
        - Originem ratione
          - Materiæ: vt sunt
            - Personæ; quarum est
              - Diuisio. *cap.* 3.
              - Potestas. *cap.* 4.
            - Res *cap.* 5.
            - Facta. *cap.* 6.
          - Formæ, quæ integratur obligatione; possessione, & domino. *cap.* 7.
        - Statū
          - Integrum, in reip.
            - Conseruatione; quam procurant ratione
              - Personarum, iurisdictio & subiectio, *cap.* 8.
              - Rerum
                - Seruitus. *cap.* 9.
                - Possessionis acquisitio, retentio, & [amis]sio. *cap.* 10.
            - Amplificatione: vbi est
              - Dominij acquisitio & amissio. *cap.* 11.
              - Obligationis
                - Constitutio per
                  - Conuentionē; in quâ est consensus
                    - Solus in
                      - Pollicitatione. *c.* 12.
                      - Pacto. *c.* 13.
                    - Cum causâ, in contractu. *c.* 14.
                  - Delictum. *c.* 15.
                - Dissolutio. *cap.* 16.
          - Turbatum vbi est
            - Morbus, siue delictum. *cap.* 17.
            - Remedium
              - Pœna. *cap.* 18.
              - Iudicium in quo sunt
                - Partes
                  - Personæ. *cap.* 19.
                  - Quæstio; cuius
                    - Diuisio, quòd est quæstio
                      - Facti. *c.* 20.
                      - Iuris. *c.* 21.
                    - Tractatio
                      - Affectio. *c.* 22.
                      - Actione; cuius Diuisio; quòd est
                        - Personalis.
                          - Præiudicialis. *ib.*
                          - Condictio ex
                            - Cõuentione. *ib.*
                            - Delicta, *cap.* 28.
                        - Realis. *cap.* 24.
                      - Exceptione. *cap.* 25.
                - Species. *cap.* 26.
                - Processus. *cap.* 27.
    - Specialis Vide *sect.* 2.
  - Ecclesiastica. Vide *sect.* 3.

PERORATIO IVRISPRVDENTIÆ CIVILIS GENERALIS.

ITa nempe disponenda censeo τὰ νομικὰ καθολικὰ, id est, præcepta iurisprudentiæ ciuilis, quæ omnibus, vel certè pluribus nationibus sunt communia. Secutus autem sum duos illos Iurisprudentiæ methodicæ ocellos, Nicolaum Vigelium & Hermannum Vulteium. Quid ipse attulerim, verbo dicam. Aliquid luminis methodici conatus sum inferre facultati amplissimæ. Cùm verò mihi non satisfecerim, oratum eo præstantes artifices, vt ex hoc nostro labore sumant materiam cogitandi de exasciando toto Iurisprudentiæ systemate, cuius methodum ego quidem triplici hoc nomine aggressus sum. Principiò volui-debui explere numerum Enclyclopædiæ. Deinde etiam in hoc agro periclitari vires ingenij Logici fuit mihi volupe. Denique exemplo præstantissimorum Theologorum, Martyris, Bezæ, Danæi, Iunij, Azorij, materias iuridicas delibare in studio Theologico necessarium duxi, quod vt felici cum successu facerem, existimaui facem methodi præferendam esse.

SECTIO

SECTIO IVRISPRVDENTIÆ SECVNDA,

In quâ traditur

IVRISPRVDENTIA CIVILIS SPECIALIS.

CAPVT I.

Delineatio Iurisprudentiæ ciuilis Mosaïcæ.

PRÆCEPTA.

IVRISPRVDENTIA ciuilis generalis est exposita: nunc exponenda est specialis.

Estque primaria, vel secundaria.

Iurisprudentia specialis primaria est, quæ à Deo est præscripta populo Iudaïco, per Mosen: vnde Mosaïca dicitur.

Eius methodus potest esse duplex. Aut enim leges Mosaïcæ forenses digeri possunt iuxta ordinem decalogi, aut seruari potest methodus Iurisprudentiæ generalis præced. sect. Nos breuitatis studio priorem methodum seruabimus.

REGVLÆ.

I. *Iurisprudentia specialis duplici nomine est necessaria.*

Nam format iudicium & plurimum delectationis habet: quando ex singularibus colliguntur vniuersalia, & hæc vicissim in illis, tanquam theoria in praxi, visenda exhibentur. Vtrumque manifestum euadet intuenti ea, quæ deinceps proponentur.

II. *Iurisprudentia Mosaïca est ciuilis & Ecclesiastica.*

Prior illa complectitur leges purè forenses, pertinentes ad politiam Iudaïcam: posterior, leges forenses mixtas, pertinentes ad Ecclesiam Iudaïcam. Vtriusque lineamenta duximus *libro præced. sect. 3. loc. de lege*, vbi proposuimus Harmoniam legum Mosaïcarum. Hoc loco exhibemus **Compendium Iurisprudentiæ Mosaïcæ**, collectum ex **Epitome iurisprudentiæ Christianæ authore Conrado Heresbachio IC.**

I. Præceptum.

1. E mundi creatione creaturísque, Deum esse omnia gubernantem ac naturæ vim suppeditantem, perspicuum esto: *Rom.* 1. 2. Verum Deum, prout in Scripturis se patefecit, credito. *Exod.* 20. *Deut.* 5. *Ioh.* 1. 3. Deus essentiâ vnus, personis trinus colitor. *Deut.* 6. *Matth.* 3. & 28. 4. Voluntas Dei in omnibus cogitatis, dictis, & factis inquiritor. *Exod.* 9. 5. Deus spiritus est, & in spiritu & veritate adorator. *Ioh.* 6. 6. Captiua omnis cogitatio ad obedientiam Christi ducitor. 2. *Cor.* 10. 7. Vnus mediator inter Deum & hominem, homo Christus Iesus esto. 1. *Tim.* 2. 8. Corde creditor ad iustitiam, ore confessio ad salutem editor. *Rom.* 10. 9. Fides certa nihilque dubitans esto. *Iacob.* 1. 10. De misericordiâ Dei non desperato. 1. *Tom.* 1. 11. Curam omniúmque rerum successum in Deum coniicito. *Psalm.* 37. Dominum Deum tuum ne tentato. *Matth.* 4. 13. Ne obmurmurato Deo, eiúsque operibus & ministris 1. *Cor.* 10. Fidei articulos, & Scripturam Canonicam in dubium ne vocato. 15. Scripturæ sacræ nihil addito, nihilque detrahito. *Deut.* 12. 16. Quicunque vnitatem doctrinæ veræ, pacémque Ecclesiæ turbant, hæreticis accensetor, vitantor & coërcentor. *Deut.* 13. *Gal.* 1. *Tit.* 3. 17. Errores per doctrinam potiùs extirpantor, quàm homines tolluntor. 18. Errones in doctrinâ, placiditate ac pietate alliciuntor. 19. Fides esto viua, non mortua. *Gal.* 5. *Iac.* 1. 20. Quidquid non fit ex fide, peccatum censetor. *Rom.* 14. 21. Opera fidei, & quæ Deus mandauit, sola bona; contrà quæ ille vetuit mala habentor. *Deut.* 12. 22. Obedientia præfertor sacrificio & omnino rebus externis. 1. *Reg.* 15. 23. Cultus Dei rationabilis esto. *Rom.* 12. *v.* 1. 24. Dominum Deum timeto, atque illum colito. *Deut.* 6. 25. Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & totâ animâ tuâ, & totâ mente tuâ diligito. *Matth.* 22. 26. Omnem fiduciam in Deum collocato. *Prou.* 3.

II. Præceptum.

1. Idololatriam fugito. 1. *Cor.* 10. 2. Qui honorem Deo debitum, creaturis deferunt, maiestatis diuinæ rei sunto. *Psal.* 115. 3. In afflictionibus, in morbis ac calamitatibus pecorum aut frugum, Deum non inuocare, sed à solis medicis aut magis auxilia quærere, idololatria habetor. 2. *Paral.* 16. *v.* 9. 11. 12. 4. Qui consulunt magos, pythones, augures, aut mortuos, abominales sunto. *Exod.* 23. *Leuit.* 20. *Leuit.* 19. *Deut.* 18. 5. cantatores in ciuitate ne sunto. *Deut* 18. 6. Vanas astrologorum prædictiones metuere, idololatriam existimato. *Ier.* 10. 7. In amuletis & characteribus fiduciam collocare, idololatria censetor. 8. Credere, creaturam in aliam speciem posse verbis scripturæ transformari, idololatria existimator.

III. Præceptum

1. Malè per nomen Dei & per sanctos ne precator. *Exod.* 20. 2. Verba blasphema in Deum ne proferto. *Leuit.* 24. 3. Impatientiæ verba in afflictione vitato. *Matt.* 10. *v.* 38. 4. Verbo Dei in confirmandis falsis dogmatis aut in veris oppugnandis, ne abutitor. *Exod.* 20. 5. Verbum Dei ad res ludicras ne adhibeto. 6. Sacram scripturam affectibus carnis ne accommodato. *Galat* 5. *v.* 16. 7. Verbo Dei ad magicas artes aut transformandas creaturas ne abutitor. *Deut.* 12. 8. Ne temerè iurato. *Exod.* 20. *Deut.* 5. 9. Non peierato. *Matt.* 5. *Leuit.* 19. 10. Qui per caput, capillos, Christi crucem ac vulnera iurant, per magistratum coërcentor 11. Occasio periurij vitator. *Matt.* 5. 12. Iuramenta & vota ne sunto vinc[illegible] iniquitatis. 13. Iuramenta & pacta impossibilia, & contra Dei verbum, contráque leges receptas ac bonos mores, irrita sunto. *Rom.* 14. *v. vlt.* 14. Iuramenta & promissa præstita vltra fines mandati, irrita censentor: quia iuratur saluo iure superioris. 15. Vltroneum iuramentum, nemine deferente delatum, prætor non tuetor. 16. Mendacia periuriis æquantor. 17. Pacta, transactiones, fœdera, induciæ, legati, fœciales, in rebus licitis, ne violantor, sed iure gentium inuiolabiles habentor. *Gen.* 21. *v.* 24. *Exod.* 22. *Deut.* 6. 18. Fides hosti data ne violator. 19 Fides hominibus data, fidei Deo datæ cedito. 20. Pacta contra bonos mores nullius momenti sunto. 21. Sophisticè ne iurato. *Esa.* 65. *v.* 16. 22. Fides prædonibus ac hostibus data seruator: si nempe circa peccatum præstari possit. 23. Dominum Deum solum in omni necessitate inuocato. *Psalm.* 20. Quæcunque facis, in nomine Dei facito. *Colos.* 3. 25. Gratias Deo indesinenter agito. 1. *Thessal.* 2. 26. Per nomen Dei quoties necessitas exigit in rebus seriis & honestis, ad honorem Dei, & reip. ac proximi vtilitatem, aut innocentiæ excusationem, rectè iurare fas esto. *Deut* 6. 27 Iurato eâ formâ, quæ est licita. 28. In veritate, in iudicio & iustitiâ iurato. *Ierem.* 4. 29. In iuramento res & persona consideator. 30. Iuramentum & fidei præstatio æquiparanto. 31. In bonæ fidei contractibus, nec-non in aliis causis, inopiâ probationis, per iudicem iurejurando causa cognita deciditor. 32. Iurisiurandum non solum

lùm probationis, verùm etiam pactionis & conuentionis vim habeto. 33. In cauſis criminalibus iuramentum non defertor. 34. Manifeſtæ turpitudinis eſt & confeſſionis, neque iurare velle, neque iuramentum referre. Græci dicunt, ὅρκον διδόναι, ἢ λαμβάνειν. 35. A iuramentis licitis nemo poteſt abſoluere. 36. Iuramenta interpretationem accipiunt ſecundum verbum Dei atque leges, & ſecundùm communem morem atque ἐπιείκειαν

IV. Præceptum.

1. Sabbatum in ſanctificatione nominis Dei conſiſtito. *Exod.* 31. 2. Dominicus dies loco Sabbati in Nou. Teſt. ſanctificator. 3. Maieſtati Dei feſti dies dicantor. 4. Dies feſti, non voluptatibus aut ciuilibus negotiis profanantor. 5. Patresfamilias, magiſtratus & omnes in ſtatu eminentiæ ea quæ ad Sanctificationem Sabbati pertinent, promouento. 6. Iumenta die ſabbati quiete ſuâ fruunto. 7. Neceſſitati, charitati ac piis cauſis ſeruiendis feriæ non obſtanto. *Matth.* 12. 8. Auocamenta ab operibus Sabbati vitantor. 9. Pridianâ ſobrietate ad diem feſtum præparatio fiat. 10. Feſto die verbum Dei legito & audito, Sacramentorum adminiſtrationi vocato, & claues Eccleſiæ non negligito. 11. Miniſtros Eccleſiæ honorato, & iis ſalarium honeſtum ſoluito. 12. Eleemoſinas largitor. 13. Scholæ ad iuuentutem inſtituendam conſeruantor. 14. Bona Eccleſiaſtica in ſuum vſum ſeruantor.

V. Præceptum.

1. Parentes honorato, iiſque in omnibus honeſtis pareto. 2. Parentes liberos educanto, & tam in religione quàm moribus erudiunto. 3. Liberi egenos parentes ſuſtentato. 4. Parentes maturè liberos coërcento. 5. Liberi parentibus immorigeri à magiſtratu coërcentor. 6. Liberi qui parentibus maledixerint, aut eos pulſauerint, morte moriuntor *Exod.* 21. *verſ.* 17. 7. Liberi citra parentum authoritatem matrimonia ne contrahunto. 8. Patriam, tanquam communem parentem, amanto. 9. Eadem cura magiſtratuum, quæ parentum eſto. 10. Magiſtratum, etſi aliquid incommodi habeat ferto. 11. Magiſtratus vtriuſque tabulæ cuſtos eſto. 12. Quæ ſunt Cæſaris, Cæſari dato. 13. Soli magiſtratui ius gladij eſto. 14. Bellum genere defendendis ſubditis, arcendis iniuriis, & ſceleratis, publicamque pacem turbaantibus vindicandis, magiſtratui licitum eſto. 15. Milites, qui ſuis ſtipendiis contenti ſunt, ne contemnito. 16. Miniſtros Eccleſiæ, ceu ſpirituales parentes, honorato. 17. Diſcipuli præceptores ſuos loco parentum honoranto. 18. Præceptores diſcipulos ſuos tanquam filios amanto. 19. Senes, maiores natu, ac dignitate ſuperiores, venerator. 20. Pupilli tutores ſuos loco parentum honoranto. 21. Liberti patronis, & hi illis officia debita præſtanto. 22. Gradus inter homines ſunto. 23. Serui dominis ſuis fideliter ſeruiunto. 24. Domini grauitatem æquibilitatemque ſeruis exhibento. 25. Familiæ, ne malè ſit, paterfamiliâs prouideto, ne algeat, ne eſuriat. 26. Seruos & familiam laboribus exerceto, & an ea, quæ imperaueris, facta ſint, conſiderato. 27. Mercedem laborum maturè perſoluito. 28. A litibus, compotationibus & obſcœnis verbis familiam abſtrahito: Si quid deliquerint, pro noxâ bono modo vindicato.

VI. Præceptum.

1. Qui ſanguinem hominis effuderit, eius ſanguis funditor. 2. Occidere ſoli magiſtratui ius eſto. 3. Homicidij per vim aut venenum commiſſi pœna capitalis eſto. 4. Occidens ſeipſum homicidâ peior eſto. 5. Qui cauſam mortis præbuit, occidiſſe dicitor. 6. In maleficiis voluntas, non exitus ſpectator. 7. Si quis graſſatorem aut ſicarium occiderit, vt homicida non tenetor. 8. Qui diſcipulum crudeliùs cædit vel tractat, Aquiliâ tenetor. 9. Medicus venenum propinans, aut imperitè ſecans, Aquiliâ tenetor. 10. Si quis ex arbore ramum deiecerit, nec proclamauerit, atque præteriens eo ictu perierit, in metallum damnator. 11. Publicè refert, ſine metu & periculo per itinera commeari. 12. Beſtia hominem occidens, lapidator. 13. Si animal ratione carens dederit damnum, animalis dominus damnum ſarcito. 14. Si furtim arbores cæſæ ſint, ex lege Aquiliâ & legibus XII. tabularum actio datur. 15. Iniuriam re, verbis aut ſcriptis ne inferto. 16. Vis in populo abeſto. 17. Seditionum authores vel morte, vel deportatione mulctantor. 18. Iram virulentam fugito. 19. Odio proximum ne habeto. 20. Proximo ne maledicito, neque obtrectato. 21. Nemini inuideto. 22. Offenſam proximo condonato. 23. Inimicos diligito.

VII. Præceptum.

1. Adulterii pœna capitalis eſto. 2. Scortatio, ſtuprum, inceſtus, mollities, maſculorum concubitus, omniſque fornicatio & coitus extra coniugium adulterij nomine continetur. 3. Cum iumento coiens morte moriatur. 4. Concubinatu abſtineto. 5. Plures vxores habere fas non eſto. 6. Lupanaria, ſcolæ illæ libidinis publicæ, ne tolerantor. 7. Lenocinia prohibentor. 8. Raptores virginum aut viduarum legibus coërcentor. 9. Ebrietatem, crapulam, & conuiuia luxurioſa, tanquam libidinis fomenta, vitato. 10. Venerem, ſomnum & vinum immoderata fugito. 11. Contubernia & conſuetudinem hominum impudicorum vitato. 12. Choreas impudicas & laſciuos mimos ac hiſtriones vitato. 13. A cultu & ornatu immodico atque à fuco abſtineto. 14. Omnis geſtus, aſpectus atque ſermo impudicus, ſpurcus & ſcurrilis abeſto. 15. Otium, deſidiam, omnemque acediam vitato. 16. Continenter viuito. 17. Ieiuniis ac precibus carnem laſciuientem frænato. 18. Ad vitandam ſcortationem vnuſquiſque ſuam vxorem, & ſuum quæque maritum habeto. 19. Coniugium caſtum ſeruato. 20. Viri vxores diligunto, vxores propriis viris ſubditæ ſunto. 21. Quicunque vxorem ſuam repudiat, niſi ob ſtuprum, & aliam ducit, adulter eſto. 22. Parentes maturè proſpiciunto liberis de matrimonio. 23. Virgines & viduæ caſtitati ſtudento. 24. Cœlibatus votum nemo voueto, niſi qui habuerit donum ſpecialis continentiæ.

VIII. Præceptum.

1. Sua quemque poſſidere fas eſto. 2. A furto & alieno abſtineto. 3. Qui alienam rem ſurripit, furto tenetor: qui rapit, fure deterior cenſetor. 4. Qui rem ſacram clepſerit, ſacrilegus eſto. 5. Qui monetam publicam ſignant, furtum feciſſe conuincuntor. 6. Si quis ex pecuniâ ſacra in rem ſuam verterit, aut pecuniam publicam in vſum aliquem acceptam, retinuerit, nec erogauerit, lege Iuliâ peculatûs tenetor. 7. Frugum, olerum atque vuarum fures puniuntor. 8. Villaticas ſi aues, ſi auolauerint, quicunque lucrandi animo retinuerit, fur eſto. 9. Suppoſiti partus accuſatio nullâ præſcriptione repellitur. 10. Qui pecora ex paſcuis ſubſtraxerit, furti obligator. 11. Glandem in alienum fundum decidentem colligere fas eſto. 12. Expilatores, atrociores fures cenſentor. 13. Hæreditatem alienam expilans, extra ordinem coërcetor. 14. Qui tabulas, inſtrumenta vel apochas amouit aut intervertit, furti tenetor. 15. De hæreditate viuentis paciſci nefas eſto. 16. Teſtamentum falſum ſcribens, vel teſtamentum factum celans, ſignans, mutans, corrumpens, pœnâ legis Corneliæ de falſis, damnans eſto. 17. Receptatores furum tanquam fures, latronum tanquam latrones puniuntur. 18. Opem & conſilium furto patrando præbens, furti tenetor. 19. Serui & filij quidem faciunt furtum, ſed furti non tenetur. 20. Qui filiisfamiliâs pecuniam mutuant, his poſt mortem parentum actio denegator ex SC. Macedoniano. 21. Furta domeſtica, ſi leuiora ſint, publicè ne indicuntor. 22. Impuberes obligatur furti, ſi ſint proximi pubertati & doli capaces. 23. Prodigere res, quib poſſis ſuccurrere neceſſitatibus proximi, furti eſt ſpecies. 24. Verbis, ſtipulationibus, obligationibus, emptioni, locationi, conductioni, commodato, precario, depoſito, mandato, & ſimilibus, ſi fraus interuenerit, eſt furti ſpecies. 25. Venditor dolum præſtare nô debet, neque vitium ſubticere. 26. In emendo & vendendo qui proximum ſciens defraudat, furti tenetur. 27. Emens rem furtiuam, etiam citra pretium, domino reſtituere tenetur. 28. Rei furtiuæ æterna authoritas eſto, id eſt, vſucapio ſiue præſcriptio eius nulla eſto. 29. Qui duobus in ſolidum eandem rem vendidit diuerſis contractibus, falſi pœnâ coërcetor. 30. Pretia iuſta ſunto. 31. Monopolia tanquam furta publica coërcentor. 32. Decepto vltra dimidietatem iuſti pretij tempore contractus, pretium reſtituendo, rem recuperare fas eſto. 33. Qui ſocietatem coierint, quò annona carior fieret, pœnâ legis Iuliæ de annona coërcentor. 34. Merces falſas, aut iniquo pretio extrudentes, furti tenentor. 35. Qui vinum, oleum, cereuiſiam, aromata & merces cuiuſcunque generis corrumpunt atque adulterant, non ſolùm furti, verùm etiam veneficij tenentor. 36. Qui falsâ vtitur menſurâ & pondere, furti obligator. 37. Operarium fraudare mercede ſuâ, ſpecies furti habetor. 38. Mercenarius infideliter ſeruiens, furti reus eſto. 39. ICti, aduocati, procuratores, qui malas cauſas lucri cauſa ſcientes defendunt, fures ſunto. 40. Iudices falſam & iniquam ſententiam pronuntiantes, fures cenſentor. 41. Creditor falſus furtum committit. 42. Tutor res pupilli parum fideliter adminiſtrans, furti tenetor. 43. Prodigus furti tenetor. 44. Mendici validi ac plani, qui pauperibus Eleemoſynas præripiunt, fures ſunto. 45. Quæ ludo aleæ, & ſimilibus inhoneſtis ludis acquiruntur furtiuis acquirendi modis accenſentor. 46. Vſura mordax furtum exiſtimator. 47. Pignore aliter vtens, quàm datum eſt, furti obligator. 48. Depoſito ſi quis ad ſuum commodum vtatur, furti tenetor. 49. Nautæ, caupones, ſtabularij, quod cuiuſque ſaluum fore receperint, niſi reſtituant, fures exiſtimantor. 50. Commodatis aliter vtentes, quàm vtenda acceperunt, fures ſunto. 51. Circa locationes & conductiones fidem contractus non ſeruans, fur eſto. 52. Fullo aut ſarcinator, qui veſtimenta polienda ſarciendaue acceperit, ſi fortè his vtatur, furti tenetor. 53. Ad functiones, quibus quis par non eſt, accedens, aut muneri demandato non reſpondens, fur eſto. 54. Magiſtratus, qui ſubditos ſupra modum

dum iustum grauat, furti tenetor. 55. Qui mandati suscepti fines excesserit, furti reus esto. 56. Clerici, qui dissipant bona Ecclesiæ, sacrilegi sunto. 57. Qui cauponantur res sacras, Simoniæ tenentor. 58. Auaritia, & rei alienæ cupiditas, tanquam furtum vitator. 59. Ablata & male parta restituuntor. 60. Dominia distincta sunto. 61. Modi acquirendi iusti sunto. 62. Acquirimus accessione, ædificatione, confusione, inuentione, præscriptione seu vsucapione, donatione, successione, testamento, codicillis, petitione hæreditatis, actione familiæ herciscundæ, actione communis diuidundi, iudicio finium regundorum, vsufructu, agricultura, mercatura, negotiatione, militiâ, artibus liberalibus, labore, opificiis, parsimonia & pœna furti.

IX. Præceptum.

1. Falsi crimen est imitatio veritatis, dolo facta. 2. Testimoniorum vsus frequens est, & ab iis exigendus, quorum fides non vacillat. 3. In testibus fides, dignitas, mores, grauitas, conditio explorantor. 4. Testes omnes idonei, quibus lege non interdicitur testimonium. Sic infames, iudicio publico damnati, surdi corrupti muneribus, & similes, testari non possunt. 5. Testes in quibusdam sunt cogendi, vt dicant testimonium. 6. Testes quibusdam in causis sunt rogandi. 7. Testes de circumstantiis rei diligenter examinantor. 8. Causam scientiæ rogatus nisi adferat testis, eius testimonium reiicitor. 9. Duo testes sufficiunto, vbi numerus testium non adiicitur. 10. Falsi nominis vel cognominis asseueratio pœna falsi coërcetor. 11. Qui falsas attestationes fecerit, faciendasue curauerit, crimine falsi tenetor. 12. Iudex aliter iudicans quàm legibus, constitutionibus aut moribus proditum, falsi obligator. 13. Isti, aduocati, & procuratores, qui ope & consilio bonas causas impugnant, malasque defendunt, falsi testimonij rei habentor. 14. Præuaricatores, calumniatores, tergiuersatores è SC. Turpiliano plectuntor, 15. Obtrectatores, sycophantæ, adulatores, falsi testimonij rei habentor. 16 Qui testimonium amouerit, celauerit, rapuerit, deleuerit, interleuerit, subiecerit, resignauerit, quique testamentum falsum scripserit, signauerit, recitauerit, mutauerit dolo malo, legis Corneliæ pœnâ damnator. 17. Qui falsa instrumenta, aut probationes falsas, vel chirographum falsum scribunt, falsi criminis rei sunto. 18. Qui edicta proposita dolo malo corrumpunt, falsi pœna plectuntor. 19, Qui literas falsas reddit, aut veras supprimit, legis Corneliæ reus esto. 20. Qui rumores vanos dolo malo, vel ad infamiam alicuius spargit, falsi testimonij reus esto. 21. Diffamari statum ingenuorum iniquum est. 22. Si quis librum ad infamiam alicuius scripserit, composuerit, ediderit, vel vt aliquid horum fieret instituerit, intestabilis esto. 23. Proximi dicta factáue candidè, non malitiosè interpretator. 24. Qui doctrinam falsam spargit, falsa defendit, veritatem impugnat, Scripturam sacram impiè detorquet, falsi testimonij obligator. 25. Qui in dua partes iudicant, & ad hominum fauorem loquuntur, falsi testimonij rei sunto, 26. Qui falsam monetam cudunt, mensuram & pondus falsum adhibent, partum supponunt, nomen suum in fraudem alterius mutant, crimine stellionatus se obstringunt, præter furtum falsi testimonij obligantor. 27. Veritatem vnusquisque cum proximo suo loquitor. 28, Iudicia Dei, non hominum exercentor. 29. Iudicia omnia, aut dirimendarum controuersiarum, aut puniendorum maleficiorum causa habentor. 30, Iudiciorum ratio in in accusatione & defensione consistito. 31. Quod in veritate est plus valeat, quàm id, quod in opinione consistit. 32. Quod quisque iuris in alterum statuit, ipse eodem vtatur. 33. Actor temerè proximum ne vocato. 34. Actio est ius persequendi in iudicio, quod sibi debetur. 34. In ius vocatus ito vel satis dato. 36. Si quâ vitare licet, ne quæras litem. 37. Actor forum rei sequitor. 38. Actori probandi onus incumbito. 39. Rei fauorabiliores quàm actores habentor. 40. Actore non probante quod intendit, reus absoluitor. 41. Testimonia & instrumenta non ad præstigias rationum, sed è conscientiæ fide producuntor. 42. Patroni causarum præstent sacramentum, se iusta & æqua in causa clientum producturos. 43. Iudex vir bonus, iuris dicundi æquitatisque peritus, & ad id munus publica authoritate constitutus esto. 44. Iudex corruptè iudicans punitor. 45. Iudex sit inadulabilis, contra flagitiosos inexorabilis, potensque vi & maiestate veritatis terrificus. 46. Iudicis est ad finiendas lites causarum personarumque rationem habere. 47. Iudex sententiam ne præcipitato. 48. Iudex ad absoluendum, quàm ad damnandum pronior esto. 49. Iudex omnes circumstantias & affectus litigantium expendito. 50. Iudex semper æqui & boni rationem habeto, & seueritatem aliquo condiat temperamento. 51. Iudex non secundùm acta & probata, sed secundùm conscientiam iudicato, si quidem aliter constet. 52. Iudex negligens causam intra triennium terminari, mulctator. 53. Iudex aditus & rogatus, si negligat ius dicere, quod interest, præstato. 54. Iudex si litem suam fecerit, & in fraudem legis sententiam dixerit ex maleficio tenetur, litisque æstimationem præstabit. 55. Sententia debet esse vel absolutoria, vel condemnatoria. 56. Sententia incerta nullam parit iudicati actionem. 57. Sententia falsis allegationibus extorta, ipso iure nulla. 58. Inuentus falsum testimonium dixisse, legis Corneliæ pœnam subito.

X. Præceptum.

1. Domum, rem familiarem, dignitatem, natales, imperium, functionem, omniaque illa, quæ domus nomine contineantur, neque appetito, neque ambito. 2. Domus cuique sua tutissimum refugium atque receptaculum esto. 3. Domum tuam ita reficito, ne officias alteri, in quo ius non habes. 4. Ædium vsum habens, hactenus ius habet, vt ipse inhabitet: at ius hoc ad alium transferre non licet. 5. Ædium effractores, parietum perfossores, tanquam fures & prædones plectuntor. 6. Incendiarij legitimis pœnis coërcentor. 7. Vxorem proximi ne concupiscito. 8. Agrum alienum ne concupiscito. 9. Agrum malè colens, censorio probro notator. 10. Fures aratri, vomeris, iugorum, plaustrorum, coërcentor. 11. Frugibus è fundo surreptis, furti actio tam domino quàm colono competat. 12. Vicinum bonum præstato. 13. Vicinorum conditionem meliorem, non deteriorem facito. 14. Vicinorum sulcos ne transgreditor, aut interuertito. 14. Terminos arboresue terminales ne moueto. 16 Si de finibus ambigitur, is qui pluribus annis possederit, in possessione maneto. 17. In finalibus quæstionibus vetera monumenta seruantor. 18. Qui sepem vel maceriam in confinio ponit, terminum non excedito: qui murum, pedem relinquito: qui domum, pedes duos: qui foueam, quantum ea profunda erit, tantundem relinquito: qui puteum, passum: qui oliuam ficúmue, pedes nouem: qui alias arbores, quinque pedes ab alieno ponito. 19. In finali quæstione triginta annorum præscriptio tantùm locum habeto. 20. Inter confines vicinorum agros spatium medium, liberum & commune, vt eò ire, agere, & aratrum sine alterius incommodo circumuertere vterque dominus possit, quinque pedum relinquitor, neque vsucapitor. 21. Quinque pedum spatium, quod relinquitur viæ, idem & aratro relinquitor. 22. Seruum ancillámue proximi non concupiscito, neque pellicito. 23. Seruum alienum emens aut intercipiens, aut fugitiuum celans, vel ad fugiendum persuadens, lege Fabiâ, aut furti tenetor. 24. Seruitus est iuris gentium. 25. Seruitute debitâ proximum ne defraudato. 26. Initio vt homines, ita prædia ædificiaque libera erant, at vsu exigente seruitutes institutæ. 27. Vsusfructus est ius alienis rebus vtendi fruendi, saluâ rerum substantiâ. 28. Fructus separati à solo ad fructuarium, non separati & pendentes ad proprietarium pertinent. 29. Vsufructuarius ita frui debet rebus, ne proprietas deterior fiat. 30. Finitur vsusfructus morte vsufructuarij. 31. Minus iuris est in vsu, quàm in vsufructu. 32 Seruitutes reales durant, etiamsi persona, cui debentur, sublata sit. Tales sunt seruitutes, quæ dicuntur rusticæ: vt iter, actus, via, aquæductus. 33. E stagno & lacu nihil accrescit, neque decrescit. 34. Seruitutes prædiorum perpetuas causas habento. 35, Tria sunt, per quæ inferior locus superiori seruit, lex, natura loci & vetustas. 36. Seruitutes vrbanorum prædiorum sunt, vt vicinus vicini onera toleret: velut vicini luminibus officiendi, proiiciendi, stillicidium in vicini tectum vel aream conuertendi. 37. Seruitus cum fundo transit. 38. Seruitutes continuæ præscribuntur instar immobilium: & inter præsentes 10. inter absentes 20. annis. 39. Bouem, asinum aut iumentum proximi ne concupiscito: quinetiam periclitanti succurrito. 40. Ab alienis appetendis, non solùm manus, sed etiam oculos abstineto. 41. In maleficiis voluntas, non exitus spectator.

EX his videre est, ex decalogo bibliothecas omnium Ictorum & Legumlatorum ortas esse. Nam *ad primam tabulam* pertinent leges & constitutiones vel ethnicorum vel Christianorum de cultu Dei, de sabbato sanctificando, de summâ Trinitate, de fide Catholicâ, de sacrosanctis Ecclesiis, de Episcopis & clericis, de hæreticis, de apostatis, de blasphemiis, de iuramentis; quæ in Iure Ciuili & Canonico traduntur. *Ex quinto præcepto* hausta sunt quæ ab ethnicis & Christianis Legumlatoribus tradita sunt de iure personarum, de statu hominum, de officiis magistratuum, de officio præsulis, de officio proconsulis, de liberis agnoscendis, de adoptionibus, de tutelâ, de operis libertorum & seruorum, de his qui sunt sui vel alieni iuris, de manumissionibus &c. *Ex præcepto sexto* profectæ sunt leges de homicidiis, de parricidiis, de sicariis, de pœnis, de quæstionibus, de iniuriis, de talione, de lege Aquiliâ: *Ex præcepto septimo* sunt ortæ leges de adulteriis, stupris, incestu, nuptiis, matrimonio, diuortiis, & sponsalibus. *Ad octauum præceptum* pertinent leges de rerum diuisione, de acquirendo rerum dominio, de rei vindicatione de triente & semisse, de successionibus, de petitione hæreditatis, familiæ herciscundæ, de testamentis, de legatis, de furtis, peculatu, sacrilegio. *Ex fonte noni præcepti* oriuntur iudicia & actiones de accusationibus, de calumniatoribus, de lege diffamari, de præuaricatoribus, de testibus, de probationibus, de exceptionibus, de edendo, de fide instrumentorum, de iudiciis, de sententiis, de re iudicata,

de appellationibus. *Decimo præcepto* congruunt actiones legis, Aquiliæ, legis Iuliæ de adulteris, de abigeis, de seruo corrupto si quadrupes pauperiem fecerit, Termini moti, & Finium regundorum. Quæ ipsa diuerso respectu ad septimum, vel octauum præceptum pertinent. Ita patet, decalogum optimo iure dici Elementa Iurisprudentiæ, profecta ab æterno Prætore Deo, ad quæ omnes omnino leges tanquam appendices & succedaneæ referri, & velut ad Lydium lapidem examinari debent. Quod si facerent ij, qui iuri dicundo præsunt, non haberemus tot *τρίμματα δικῶν* non tot *γραψοδικοῦντας*, qui, vt est apud Comicum, *τὸ ἧττον κρεῖττον* faciunt.

CAPVT II.

Delineatio Iurisprudentiæ veterum Græcorum.

PRÆCEPTA.

IVrisprudentiæ specialis secundaria est gentilium, vel Christianorum, & illa est, quam gentiles partim ex lumine naturæ hauserunt, partim à se inuicem acceperunt.

Estque minùs vel magis celebrata.

Iurisprudentiæ gentilium minùs celebrata est Chaldæorum, Chalcidensium, Locrensium, Persarum, &c.

Iurisprudentia gentilium magis celebrata est Græcorum, vel Romanorum.

Iurisprudentia Græcorum est in primis Atheniensium, & Lacedæmoniorum.

REGVLÆ.

Iurisprudentia gentilium minùs celebrata.

I. *Nonnisi fragmenta Iurisprudentiæ Chaldæorum, veterum Germanorum, Persarum, Chalcidensium, &c. hinc inde occurrunt.*

Sic apud *Chalcidenses* lex erat, ne magistratûs munere fungeretur, qui annis quinquaginta minor esset. *Cretensium* lex erat, ne quis vxorem duceret nisi ætate æqualem. *Thebanorum* lex erat, ne ciui Thebano liceret infantem exponere, neque in solitudinem abiicere, sub capitis supplicio: verùm si in extremà mendicitate esset constitutus pater, cogebatur statim ipsum infantem ad magistratum cum ipsis fasciis adferre, qui acceptum alicui tradebat leui pretio; cum quo pactum inibatur, vt bonâ fide infantem aleret & adultum serui vel seruæ loco haberet, sic vt alimentum & educatio seruitute compensaretur. Tennes legem tulit *Tenediis*, de adultero deprehenso securi necando. Apud *Corinthios* lex erat constituta in eos, qui sumptuosiùs, quàm pro rei familiaris modo viuebatur. Lex erat *Iaensibus*, quâ non licebat ad nuptias inuitare plures, quàm decem viros, & totidem fœminas; neque nuptiarum solennitatem vltra biduum extrahere. De his & similibus vide *Keckermanum disput. de sexaginta rebuspublicis priscis.*

Iurisprudentia veterum Græcorum.

II. *Ex veterum Græcorum legibus occurrunt fragmenta quædam legum apud Athenienses, & Lacedæmonios.*

Iohannes Azorius lib. 6. Instit. moralium has leges eleganter & accuratè commemorat, hanc in sententiam.

Varij gentium legislatores.

Inprimis animaduertendum est, multos fuisse legislatores, qui vel respublicas fundarunt, vel præcepta de ferendis ad populum legibus tradiderunt. Etenim primus omnium Minos Cretensibus leges tulit, teste Aristot. *lib.2. Polit. cap.8.* Strabone *lib.12* & Diodoro: *lib.2. cap.1. & lib.6. cap.13.* Zoroastres Bactrianis, vt ait Plinius & Iustinus, Plinius *lib.6. cap.16. & lib.30. c.1.* Iustin *lib.1.* Charondas Chalcidicis, & aliis ciuitatibus, quæ sunt circa Italiam & Siciliam, secundùm Diodorum, & Valerium Maximum & Aristotelem. Diodo. *lib.12.* Val. *lib.6. cap.5.* de Iustitia. Zaleuchus Locrensibus, vt testatur Aristot. *lib. 2. Polit. cap.10.* Zamolxis Scythis, vt est apud Herodotum, Strabonem, & Diodorum. Herod. *lib.4.* Strabo *lib.7.* Diodo. *lib.2. cap.5.* Mennas Ægyptiis, teste Diodoro *lib 2. cap.5.* Dracon, & Solon Atheniensibus. Plutarchus, Laërtius, *in Solone*, & Gell. *lib.12. cap.18.* Lycurgus Lacedæmoniis; vt ait Plutarch. *in Lycurgo*: Romulus, & Numa Pompilius Romanis, vt testatur Dionysius *lib.2.*

Aristoteles in Politicis, multa reprehendit in rebuspublicis fundatis, & in legibus datis à magnis alioqui viris, & sapientiæ laude præstantibus. Primum reprehendit rempub. à Socrate institutam, eò quod voluerit omnes vxores, filios, & facultates, & possessiones esse communes: quia ciuitas sit, vt Socrates aiebat, veluti vna magna domus, & vt omnes ciues maiori necessitudinis vinculo tenerentur. Postea *cap. 3.* reprehendit Lacedæmonios, quòd voluerint omnes seruos, iumenta, & possessiones esse communia: cum profectò, quæ communia sunt (inquit Aristoteles) à singulis negligi soleant. Carpit deinde *cap.4. & 5.* alios legislatores statuentes, vt fœminæ, quemadmodum & viri pugnarent, & publicis officiis fungerentur: alios item *cap. 6.* quòd decreuerint, patrimonia ciuium esse æqualia, ita vt alij aliis nec ditiores essent, nec pauperiores, tantæque essent singulorum facultates, quantæ sufficerent ad honestè, & commodè viuendum. Alios quoque eodem *cap.6.* vituperat, quòd rempublicam diuiserint solùm in milites, agricolas, & artifices; bonam ac præcipuam reipublicæ partem neglexerint, videlicet patritiorum, & nobiliorum hominum. Alios verò, quòd nihil statuerint de fœminis, aut filiis, aut seruis, vel aduenis & peregrinis: cùm reuerà in republicâ magna pars sint fœminæ, filij, serui, & peregrini, in aliis quoque improbat, nihil ab iis esse decretum de sacris, hoc est, de templis, Sacerdotibus & Sacrificiis, in quibus Diuini cultus religio consistit, cùm in omni republicâ sapienter & bene institutâ potissimùm habenda sit ratio religionis, & sanctitatis. Denique *cap. 7.* etiam in rebuspublicis tum Lacedæmoniorum & Cretensium, tum Atheniensium quædam non probat. Nihil porrò Aristoteles de Romanorum republicâ, & legibus scripsit.

Porrò inter Gentilium respublicas tres, aut quatuor fuere cæteris celebriores; Carthaginensium, Lacedæmoniorum, Atheniensium, & Romanorum: è quibus duæ potissimum habentur insignes, & inclitæ, Atheniensium, & Romanorum.

Atheniensibus leges dederunt Cecrops senior, & deinde Theseus; sed de eorum legibus nihil certi habetur, solùm referuntur *tres leges à Cecrope latæ.* Prima, ne vnquam mulier in senatum ingrederetur. Secunda, vt nulla proles maternum nomen acciperet. Tertia, ne quis mulieres Atticas siue Athenæas siue Athenienses diceret. Tandem anno quarto Olympiadis. 39. vt Clemens & Eusebius memoriæ prodiderunt, Athenienses Draconi rempublicam permiserunt, vt latis suo arbitratu legibus eam temperaret. Narrat Gellius *lib. 11. cap. 18.* eum Atheniensem ciuem virum probum fuisse, & multâ prudentiâ præditum; iuris diuini, & humani peritum, primùm omnium leges scripsisse, quibus Athenienses vterentur, verùm, vt inquit Plutarchus in vitâ Solonis vsque adeo graues, & acerbas, vt noxis, & delictis omnibus pœnam capitalem adscripserit: quippe qui in eos, qui vagi, & ignaui otij, & desidiæ conuicti fuissent, capitis pœnam constituerit: item, in eos, qui olera, poma aliosue fructus in alieno prædio legissent, æquè ac in sacrilegos, & homicidas videlicet capitali supplicio animaduerti voluerit. Vnde vox illa Demadis profecta est, Draconis leges sanguine, non atramento fuisse descriptas. Cuius rei causam cùm Dracon à quodam rogatus esset, cur videlicet plurima delicta capite plectenda statuisset, respondisse fertur: Paruas quidem noxas capitis pœnâ dignas censuisse: magnis verò, quas maiores pœnas constitueret, nullas habuisse. Vsi sunt Athenienses his legibus per annos viginti septem vsque ad annum tertium Olympiadis 46. teste Eusebio in chronico. Quam Solon rempublicam intestinis discordiis afflictam: & tumultuantem nouis legibus & institutis, stabiliuit, abrogatis iis quas Dracon tulerat. Et inprimis ea lex placuit, vt populi essent conciones, comitia, & conuentus, & iudicia; sed magistratus, & sacerdotia solis viris patritiis paterent.

Ciuitatem sensus æstimatione in ordines distribuit. In primis ij fuere, quibus quingentorum medimnorum census esset. Secundo loco adscripti fuerunt, qui trecentis censi forent, & equos alere possent. Tertius equorum alendorum onere ademto pari censu æstimatus est. Ex his ferè ordinibus magistratus creabantur; qui infra fuerunt, mercenarij nuncupati, concionis habendæ iudicandique munia cæteris exclusi magistratibus obibant.

Concilium in Areopago ex annuis magistratibus constituit, ex quatuor tribubus, quæ Athenis erant quadringentos viros delegit, centum ex singulis: his permissum est, vt quæ Areopagitæ decreuissent, si æqua & iusta visa forent, probarent, si minus placerent, pari potestate rescinderent. Et ita velut duabus anchoris nixa ciuitas aduersus omnes fluctus immobilis, permansura esse videbatur; statuit, vt qui vnius corporis & collegij essent, vt mercatores, nauicularij, opifices, possent statuta condere, quæ ad eorum collegia pertinerent, dummodo ne quid in publicis tabulis prohibetur.

Parricidij affectatæque tyrannidis conuicti, & damnati, ne magistratum capere possent, lege vetuit.

Non

Non ſolùm hos ab honorum petitione prohibuit & excluſit, ſed eum quoque qui ortâ in populo ſeditione neutram partium ſequutus eſſet, mali ciuis eſſe ratus, cùm proprias rationes in tuto collocarit, nullâ communi curâ, ſollicitudineue teneri.

Conſtituit, vt fœminæ, quæ viros parùm ad rem coniugalem idoneos ſortitæ eſſent, vnum, quem mallent, ex mariti propinquis impune prorſus admitterent.

Pecuniarias dotes è medio ſuſtulit, vt pauca veſtimenta, & vaſa quædam paruo empta pretio paternâ domo ferret mulier: cenſebatur coniugij ſocietatem non pretio, ſed & liberorum amore, & charitate iungi oportere.

Si quis in ſacro, aut in iudicio in ciuem conuitium contuliſſet, quinque drachmis mulctaretur.

Legandæ pecuniæ, cæterarúmque rerum facultatem teſtari volentibus permiſit, quum prius patrio inſtituto in familiâ eſſe deberent, ad familiámque pertinerent: vnde amicitia in hâc parte propinquitati, & gratia neceſſitati prælata eſt.

Ploratus, eiulatus, & lamentationes lugubres in alieno funere ſuſtulit, conſtituit quoque vt ſubſidia alimentáue filius patri denegaret, à quo non eſſet arte aliquâ ad vitæ vſum inſtitutus.

Lege cauit, ne plures decem tibicinibus ad funerum pompam adhiberentur.

Voluit etiam vt qui illegitimo eſſent toro procreati, parentes non alerent. Nam qui meretricio congreſſu non abſtinet, videtur non liberorum procreationi, ſed libidini, & voluptati ſtudere.

Mœchum in adulterio deprehenſum impune necari permiſit. Qui vim ingenuæ virgini intuliſſet, decem drachmis mulctari decreuit.

Ius vendendi filiæ ſororiſue ſuſtulit, niſi in ſtupro deprehenſæ.

Qui lupum viuum attuliſſet, quinque drachmas acciperet ex publico: qui lupam, drachmam vnam: Athenienſes hanc belluam inſectabantur, quippe quæ non ſolùm pecuariæ rei, ſed etiam agrorum cultui eſt infeſta & noxia.

Præcepit vt eorum liberi, qui in prælijs occubuiſſent, publicè nutrirentur, & inſtituerentur, quo ſanè animati ſinguli in bellis fortiter & ſtrenuè dimicarent, voluit itidem vt & is, qui in bello oculum amiſiſſet, aleretur ex publico.

Lege vetuit, ne is fieret curator, ad quem poſt pupillorum obitum ſubſtantia & hæreditas pertineret. Cauit item, ne liceret annulario venditi annuli ſigillum ſeruare.

Lege ſanxit, vt qui alteri vnum oculum erueret, ipſe ambos amitteret, vel ſaltem alterum. Statuit, vt canis, qui cuipiam nocuiſſet, trunco quatuor pedum longitudine alligatus dederetur.

Legem tulit, vt quæ non poſuiſti, ne tollas: ſi quis ſecus fecerit, capitali pœnâ mulctetur.

Principem, ſi ebrius deprehenſus eſſet, voluit morte mulctandum.

Statuit, vt Athenienſes dies ſecundùm lunæ curſum numerarent.

Ex omni genere frugum mel & ceram extra fines Atticos exportari permiſit.

Nullum ciuitate donari, niſi opificem, qui cum totâ domo Athenas ſe contuliſſet, aut perpetuo exilio pulſus eſſet è natali ſolo.

Has leges, teſte Plutarcho in vitâ Solonis, Solon ligneis tabulis inſcribendas, & in centum annos ſanciendas curauit. Earum præceptricem Mineruam fuiſſe dixit: & in verba ſua iurare in foro ad lapidem ſenatum & populum induxit.

Cæſos in bello in hunc modum ſepeliebant, facto ante triduum tabernaculo mortuorum oſſa proponebantur, & propinquorum quiſque reliquijs, ſi quid iuberet, imponebat: cùm funera efferebantur ſingularum tribuum, ex ſingulis tribubus quælibet, ſuæ tribus oſſa continens portabat in vehiculis, efferebant funus promiſcuè voluntarij quinque, vel ciues, vel hoſpites, fœminis propinquitate coniunctis ad ſepulchrum eiulantibus, & condebant in publico monumento extra vrbem apud ſuburbana: & poſtquam mortuum humauerant, aliquis à ciuitate delectus vir ad id idoneus ſuper eum orationem habebat, qualem decebat, de eius laudibus, & deinde cuncti diſcedebant.

Lycurgi leges, quas Lacedæmoniis tuliſſe fertur, teſte Plutarcho in vitâ eius.

Primùm omnium Lycurgus ſeniores è republicâ viginti octo delegit, qui regibus aſſiderent, & vnà cum eis de rebus conſultarent, atque decernerent, vt is ſeniorum ordo velut arbiter eſſet inter regiam poteſtatem & vim populi: ne aut rex poteſtate abuteretur, & tyrannicum quidpiam moliretur, ne item imperio ſæuiret: aut ne multitudo in contumaciam, & ferociam procederet, paucos à multitudine elegit, ne nimium Democratia inualeſceret.

Voluit, vt quæ ordo ſeniorum vnà cum regibus decreuiſſet, reliqua multitudo ſciret.

Agros diuiſit, nam perſuaſit multitudini, vt ſolum omne Laconicum in medio poſitum æquis portionibus in ſingulos diuideretur, oportere ratus ciuem ciue, ingenio, virtute & diligentiâ, & induſtriâ, non luxu, non diuitijs, & opulentiâ præſtare. Diuiſa igitur eſt vniuerſa terra in triginta nouem millia ſortium: vrbanus ager in nouem millia; paganicus & municipalis in duplo, & ampliùs maiorem numerum. Portio quælibet ea fuit, quæ viro frumenti medimnos ſeptuaginta, fœminæ duodecim annuos ferret.

Omnem auri & argenti vſum è medio ſuſtulit: & ferreum nummum induxit, ignitum ferrum, ex quo nummum percuſſit, aceto extinxit, vt ad nullam rem ampliùs ob mollitiem vtile redderetur.

Omnes artes, quibus aliquid ex auro, argento, ferróue conflatur, ex vrbe eiecit: vnde artifices ſe aliò contulerunt.

Publica voluit eſſe conuiuia, vt diuites promiſcuè; & pauperes ſimul epularentur, vt omnem ex ciuitate luxum tolleret; hunc conuiuandi morem Philias dixerunt, quòd eſſent publicæ & communis amicitiæ, & humanitatis argumentum. Permiſit vt qui ſacrificij aut venationis causâ conuiuio abfuiſſent, domi cœnarent, reliqua multitudo conuiuio adeſſe debebat, conferebant ad hoc conuiuium quotannis ſinguli farinæ medimnum, vini coros octo, caſei quinque minas: inde fiebat, vt quiſque parſimoniæ aſſueſceret. Frequentabant id pueri etiam, velut temperantiæ & omnis ciuilis diſciplinæ gymnaſium, ibi vrbanis ſermonibus aſſueſcere & iocari diſcebant, ac ſine ſcurrilitate cauillari.

Virgines curſu, palæſtrâ, iaculo, diſco exercebantur, vt otio & muliebribus delitiis ſublatis robuſtiores ad tolerandos partus redderentur.

Nudæ, vt pueri, in publico verſabantur, ſaltabant, & cantabant in ſacrificiis, & feſtis ac ſacris diebus.

Nubebant virgines raptu maturæ iam viro, & eas ſine dote nubere præcepit, vt vxores non pecuniæ cauſa eligerentur; ſeueriúſque viri ſuas vxores coërcerent, cùm nullis dotis frænis tenerentur.

Non prius ſponſus ſponſam accipiebat interdiu, quàm ex illâ factus eſſet pater: noctu tantùm interim ad eam accedebat.

Qui cœlebs vixiſſet, Gymnicis & publicis ſpectaculis arcebatur: nudúſque hyeme forum circuibat: nec vt cæteri ſenes, in honore apud iuuenes erat.

Licebat ſeniorum cuique honeſtum ac probum aliquem ex iuuentute ad vxorem procreationis causâ admittere: & vbi eam alieno ſemine impleſſet, ſuum habere, quod naſceretur; nec id probro dabatur: Ridicula profectò lex, & cum ipſo naturæ iure pugnans, quam cæteræ quoque gentes ridebant, & deteſtabantur.

Ius alendi partus nullum parentibus erat: natus infans in publicum deferebatur ad certum locum; vbi magno effecto puero, ſi eum cæteri probabant, ex nouem millibus ſortium, in quas diuiſus fuit Vrbanus ager, vnam illi adſcribendam curabant: ſin minùs, vt re publicæ inutilem reiiciebant, iniqua quoque lex quæ parentes iure ſuo in filios orbabat.

Pueri à ſeptimo anno in æqualium cœtu exercebantur, literáſque pro neceſſitate addiſcebant. Ad cutem tondebantur, nudis pedibus incedebant: duodecimo anno tunicam vnicam patrio inſtituto ſortiebantur neque balnea, neque fomenta vlla ſciebant, natu grandiores ignari imperauit, minores onera ferre, furta quærere, furtum vt honeſtum permiſit. Qui deprehenſi erant in furto, flagris cædebantur, non quia nefas eſſet furari, ſed quia parum prudenter & ingenioſè furati eſſent.

Iuſſit, vt omnes quæſtuoſæ artes ex vrbe pellerentur, bellicæ tantùm exercitationis ſtudio omnes ciues teneri voluit.

Permiſit in vrbe cadauera ſepeliri, tum etiam circa templa monumenta ſortiri. Nec viri nec fœminæ nomen licebat cuiquam ſepulchro inſcribere, niſi eorum, qui in bello fortiter periiſſent.

Lugendi tempus vndecim dierum ſpatio præſcripſit.

Non permiſit ciuibus peregrinari, ne alienos mores in vrbem & patriam importarent. Imò, & peregrè delatos niſi qui reipublicæ vtiles eſſent vrbe excluſit: ne quid peregrinæ diſciplinæ Lacedæmones imbiberent: inhumana profectò lex, quæ cum iure naturali pugnat.

Iuuenibus non amplius vnâ veſte toto anno vti permiſit, nec vnum cultius quàm alterum.

Emi ſingula non pecuniâ, ſed mercium permutatione, & compenſatione iuſſit.

Maximum honorem non diuitibus & potentibus, ſed ſenioribus deferri voluit.

Voluit, vt ſine muris vrbes ædificarentur, ratus bellicâ ciuium virtute non muris vrbes defendi.

Pueros puberes non in forum, ſed in agrum deduci iuſſit, vt primos annos non in luxuriâ, ſed in omni labore & opere agerent: nihil eos ſomni & quietis causâ ſubſternere, ſine pulmento cibum ſumere, nec priùs in vrbem redire, quàm viri facti eſſent conſtituit.

Voluit, vt Lacedæmones graui oratione vterentur, & sententiis breui sermone comprehensis: ita vt res in prouerbium abierit facilius philosophari homines posse, quam Laonicum sermonem imitari.

Regibus potestatem & ius indicendi, inferendi, & gerendi bellum, magistratibus iudicia, senatui custodiam legum, populo creandi & deligendi senatum, & quos vellet magistratus constituendi concessit.

Harum legum dixit Apollinem Delphicum auctorem fuisse, & eius præcepto se eas detulisse, & promulgasse. Deinde, vt æternitatem suis legibus daret, iureiurando ciues obstrinxit; nihil eorum, quæ sanxisset, mutaturos, priusquam ipse reuerteretur: dixit enim se ad oraculum Delphicum profecturum, vt consuleret quid mutandum, addendum, detrahendumue suis legibus Apollini videretur. Profectus est autem Creatam, ibique perpetuò mansit: & moriens præcepit, vt ossa sua in mare proijcerentur, ne Lacedæmonem delata Spartani se à iureiurando de non mutandis legibus absolutos esse existimarent.

Capvt III.

Delineatio Iurisprudentiæ veterum Romanorum.

Præcepta.

Iurisprudentia Romanorum est vetus, vel noua. Iurisprudentia vetus est in fragmentis quibusdam: vt sunt leges regiæ, leges XII. tabularum, & leges à diuersis magistratibus latæ.

Regvlæ.

I. *Leges regiæ Romanorum.*

Inter omnes respublicas gentium, Romanorum respublica legum tractatione sapienter olim, & laudabiliter instituta esse perhibetur, quæ primò administrari & gubernari cœpit regiis legibus: mox legibus XII. tabularum, postea multis aliis legibus à populi seu plebis magistratibus constitutis, deinde multis senatusconsultis, plebiscitis, prætorum edictis, iurisperitorum responsis, & postremò Cæsarum placitis, siue Imperatorum constitutionibus. Regiæ leges latæ esse traduntur à Romulo, Num. Pompilio, & cæteris, deinceps succedentibus regibus: quas leges in vnum collegisse Papirius fertur *l. necessarius ff. de orig. iuris* & inde dictum esse ius Papirianum: non quidem quòd Papirius condiderit illud ius, sed quòd collegerit, inque vnum veluti corpus contraxerit. Hæ leges dicuntur fuisse sequentes.

1. Ne quid inaugurato faciunto.

2. Patres sacra, magistratusque soli peragunto, ineuntóque, iisque dicunto.

3. Sacrorum omnium potestas sub regibus esto: Sacra patres custodiunto.

4. Plebs agros colunto.

5. Populus magistratus creanto, leges sciscunto; bella decernunto.

6. Deorum fabulas ne credunto.

7. Deos peregrinos præter Faunum ne colunto.

8. Nocturnas in templo vigilias ne habento.

9. Ne quis præsentibus fœminis obscœna verba facito.

10. Quisque demissam ad talos togam in vrbe habeto.

11. Parricidas omnes capite puniunto.

12. Ne quis nisi per portas vrbem ingreditor, neue egreditor. Mœnia sacrosáncta sunto.

13. Mulier viro legitimè coniuncta fortunarum, & sacrorum socia illi esto: vtque domus ille dominus; ita hæc domina.

14. Filia vti Patri, ita defuncto viro hæres esto.

15. Adulterij conuictam vir, & cognati, vti volent, necanto.

16. Si vinum biberit, domi vt adulteram puniunto.

17. Parentum in liberos omne ius esto relegandi, vendendi, & occidendi.

18. Monstrosos partus sine fraude cædunto.

Has leges Franciscus Balduinus, & Paulus Manutius recensent: alias addit Pandulphus Prateius in veteri iurisprudentiâ.

19. Virum vxor ne deserito. Vxorem, si in veneficio natorum, adulterióue deprehensa, clamue marito fuerit, repudiandi ius esto. Qui præter has causas repudiarit, rerum suarum pars vxori dator, pars Cereri sacra esto.

20. Deprehensi in homicidio, statim puniuntor.

21. Plebem, quem sibi ex patritiis patronum volent, designanto.

22. Iudiciis fraus ne adhibetor.

23. Maximarum iniuriarum iudicium penes reges esto: minorum penes senatores.

24. Annis mensis decimas esto.

Franciscus Balduinus ICtus testatur se inuenisse primas duodeuiginti leges in antiquissimâ tabulâ; ex quibus etiam aliquas Paulus Manutius in suo de legibus libello recenset: sed eiusmodi legibus multi docti viri auctoritatem & fidem abrogant. Iacobus Cuiacius affirmat eas leges esse confictas: alij veras esse contendunt, eò quòd ex Cicerone, Dionysio, Liuio, & Plutarcho videantur esse collectæ. Primæ námque legis coniectura sumpta est ex Cic. 1. *de Diuinatione.* & ex Dionys. *lib. 2 antiq. Roman.* vbi ait: *At Romulus, confirmatus in regno diis vltus, aduocata concione, & indicatis auspiciis, rex declaratur consensu omnium, & morem instituit in posterum ne quis inauspicato regnum assumeret, magistratumue iniret.*

De secundâ & quartâ legibus ita Dion. *lib. 2.* Romulus porrò postquam discreuit potiores ad inferioribus, mox latis legibus præscripsit, quid vtrisque faciendum: vt Patritij sacra curarent, magistratus gererent, ius redderent, seu rempublicam administrarent: Plebeij verò ab his negotiis, quippe qui talium imperiti essent, vacarent propter inopiam, agros colerent, pecora alerent, opificia quæstuosè exercerent.

De tertiâ lege idem Dion. *lib. 2.* sic Honores, & potestates Romulus distribuit sic: Regis quidem eximia munera fuerunt hæc: primò, vt sacra curaret atque sacrificia, per eúmque gereretur quicquid ad placandos Deos attinet. Deinde, vt legum ac morum patriorum haberet custodiam, & iuris siue naturalis, siue eius, quod scripta & pacta continet; vtque senatum cogeret, populum in concionem vocaret, & primus sententiam diceret: quod pluribus placuisset, ratum haberetur: Regi denique attribuit summum imperium in bello.

De quinta lege, ita Dionys. *lib. 2.* scribit: Plebi tria hæc commisit: Magistratus creare; leges sancire, de bello, referente Rege decernere: ita tamen, vt senatus quoque in his auctoritas accederet.

Sexta lex ex eodem Dionys. *lib. 2.* sumpta est, apud quem ita legimus: Fabulas à maioribus de diis traditas, proba eorum continentes, & crimina, turpes censuit & inutiles, ac ne probis quidem viris dignas, nedum diis superis: repudiatisque his omnibus, ad benè & præclarè de immortalibus sentiendum & loquendum, ciues suos induxit, nihil his affingi passus beatæ illi naturæ parùm consentaneum.

Septima lex colligitur ex Dionys. *lib. 2.* & apud Cic. 2. *lib. de legibus*, inter alias habetur: separatim nemo habebit Deos: neue nouos; sed nec aduenas, nisi publicè ascitos; priuatim colunto.

Octaua apud eum sic legitur. Nocturna mulierum sacrificia ne sunto, prætor olla, quæ pro populo ritè fient. Neue quem initianto, nisi (vt assolet) Cereri, Græco sacro: & ex Dionysio *lib 2.* videtur desumpta.

Nona & decima, & vndecima ex Plutarcho sumptæ videntur, is enim in Romulo scribit: *Mulieribus Sabinis raptis multos honores esse tributos: cuius generis & hi fuerunt, vt viâ eis decederetur: ne eis præsentibus obscœnum quidquam diceretur: vt qui nudum se ab eis videri passus fuisset, criminis capitali reus haberetur.* Id etiam singularis fuit consilij, quòd cùm nullum contra eos, qui patrem suum occidissent, ius priuatim posuisset, omne homicidium parricidi vocabulo notauit, quòd hoc scelestum, illud ne existere quidem posse, iudicaret.

De duodecima Pomponius Iurisconsultus *in l. vlt. ff. de rerum diuisione*, mentionem facit, cùm ita scriptum reliquit. *Si quis violauerit muros, capite punitur: sicuti si quis transcenderit scalis admotis, vel aliâ quâlibet ratione. Nam ciues Romanos aliò quam per portas egredi non debet; cum illud hostile, & abominandum sit. Nam & frater Romuli Remus occisus traditur ob id, quòd muros transcendere voluerit.* Sic ille Plutarchus *in quæstionibus Romanis*, q. 27. quæritur cur omnem murum sacrum habent, portas non item? An vera est Varronis sententia, muros propterea sacros habendos, vt pro iis ciues pugnent, & mortis periculo se committant? Portæ verò sacræ esse non possunt, quia per eas, & alia necessaria, & cadauera, & stercora efferuntur. Sed melius Pomponius: *Muri*, inquit, *sacri existimantur, quia hostium est muros transcendere, & per muros in vrbem intrare: ciuium verò est per portas ingredi & egredi.* Item, muri sunt vrbium propugnacula ad custodiam eorum; ac proinde intacti esse debent; portæ verò sunt ad ingrediendum & egrediendum.

Legis XIII. & XIV. apud Dion. *lib. 2.* testimonium extat: Mulierem legitimè nuptam voluerunt sacratæ leges ita cum viro conuenire, vt particeps esset possessionum & sacrorum omnium. Legitimas nuptias antiqui Romani Farracia vocabant, quia coniuges eodem farre vescerentur. Et paulò pòst: Mulieres nuptæ non habebant, quò se aliò verterent; quia lex cogebat vxorem mariti se accommodare moribus, & virum sic vxorem habere, vt rem sibi necessariam putaret, vxor enim pudica & marito semper obsequens, æquè ac ille, domus est domina, in mariti defuncti bona succedit vt hæres, sicut parentis filia, ex asse quidem, si is liberis carens ac intestatus decedat; quòd si prolem habeat, ex æquo cum liberis.

XV. Legis sic meminit Dionys. *lib. 2. Si aliquid contra pudicitiam peccasset mulier, pœnam luebat ex mariti læsi arbitrio: de quo crimine vnà cum eo cognati cognoscebant.*

XVI. Le

XVI. Legis sic idem meminit auctor *lib.* 2. *Damnauit Romulus in mulieribus, & adulterium, & vinolentiam. Si deprehensa uxor vinum bibisset, vt adultera puniebatur.* Valerius Maximus *lib.* 2. *c.* 2. *Vini vsus*, inquit, *olim Romanis fœminis ignotus fuit, ne scilicet in aliquod dedecus prolaberentur: quia proximus à libero patre intemperantiæ gradus ad inconcessam Venerem esse consueuit.* Plinius *lib* 14. *c.* 13. Non licebat vinum fœminis Romæ bibere. Inuenimus inter exempla, Egnatij Mecenij vxorem, quòd vinum bibisset è dolio, interfectam fuisse à marito, eumque cædis à Romulo absolutum. Agellius *lib* 10. *c.* 23. adducit M. Catonis orationem de dote, in quâ erat scriptum, in adulterio vxores deprehensas ius fuisse necare. & ex eâdem oratione subiungit. Si quid peruersè, tetrèque factum est à muliere, mulctatur, si vinum bibit, si cum alieno viro probri quid fecerit, condemnatur. Fabius Pictor in annalibus suis scripsit Matronam, quod loculos, in quibus erant claues vinariæ cellæ resignauisset, à suis inediâ mori coactam.

XVII. Legis testimonium etiam extat apud Dionysium: nam *lib.* 2. scribit, Romulum potestatem patri dedisse in filium, idque toto vitæ tempore, siue in carcerem eum mittendi, siue flagris cædendi, siue vinctum ablegandi ad opera rustica, siue necandi, etiam si filius tractaret rempublicam, & gereret magistratus maximos. Imò dedit potestatem eum vendendi etiam ter, si primò, aut secundò venditus redimeretur: quæ lex tametsi iniqua esse videretur, tamen filios in officio continebat, & cogebat esse parentibus obsequentes.

XVIII. Legis etiam meminit idem Dionys. *lib.* 2. cùm ait: Quicquid esset masculum, & è filiabus primogenita, educari voluit: nullam prolem necari permisit minorem triennio; nisi fortè si quid mutilum, vel alioqui prodigiosum esset: tales enim fœtus exponi à parentibus non vetuit, sed indicatos priùs quinque viris vicinis proximis, si illis quoque exponendos esse visum fuisset. Contra hanc legem committentium, præter alias mulctas, etiam dimidium bonorum addixit ærario.

XIX. Lex sumpta est ex Plutarcho in Romulo, vbi legimus; *Leges etiam quasdam tulit Romulus, inter quas vehemens est illa, quâ mulieri maritum relinquendi potestas adimitur viro autem repudiandi vxorem conceditur, si veneficio circa prolem vsa fuisset: aut alienam clàm pro suâ supposuisset, aut adulterium commisisset: si quis aliâ de causâ repudiasset vxorem, eius bona partim vxori cederent, partim Cereri sacra forent.*

XX. Est eadem, quæ vndecima, de quâ iam dixi

De XXI. Lege sic Dionys. *lib.* 2. *Commendauit Romulus plebem patritiis, optione cuique à vulgo datâ, vt quem vel et patronum sibi deligeret.* Et Plutarchus *in Romulo. Romulus*, inquit, *potentiores à vulgo seiunxit, Patrones eos appellans, vulgus autem clientes: eaque mirificam beniuolentiam mutuo excitauit, & eam iura inuicem magni ponderis consecuta sunt.*

De XXII. & XXIII. Sic est apud Dionys. *lib.* 2. *Statuit Romulus, vt Res de iniuriis grauissimis causas ipse decerneret: senatui leues permitteret.*

XXIV. Legis meminit Macrobius *libro primo Saturnaliorum c.* 12.

Mihi videtur incertum, an hæ leges scriptæ fuerint eo tempore, quo Reges rempublicam tenebant: nam Latini sermonis stylus cum illis temporibus antiquissimis non videtur admodum conuenire. Fortasse tunc vsu, & consuetudine, & mandato ac iussu Regum verbis, non scriptis tradito seruabatur, quod in his legibus continetur: ita vt posteà scriptæ sint leges; vel quod verisimilius puto, hæ leges coniecturâ quadam sumptæ sunt ex aliquibus Dionysij Halicarnassæi, & Plutarchi, Liuij, Ciceronis, & aliorum scriptorum locis, quos adscripsi.

II. Leges XII. Tabularum.

Leges XII. Tabularum Cicero plurimùm commendauit, quare cùm sex libros de optimo genere reipublicæ scripsisset; animaduertisset Platonem de republicâ, & de legibus multa literis tradidisse, eius imitatione, & exemplo, maximis laudibus prosecutus est leges, quibus optimus reipublicæ status vtetetur: & libro secundo multa ex veteribus illis legibus commemorat. Et libro primo de Oratore loquens de legibus 12. tabularum, ait: *Fremant omnes licet, dicam quod sentio, bibliothecas mehercule omnium Philosophorum vnus mihi videtur* 12. *tabularum libellus, si quis legum fontes, & capita viderit, & auctoritatis pondere, & vtilitatis vbertate superare.* In libro secundo de legibus, pueros Romanos discere solitos ait. 12. tabularum leges, vt carmen necessarium. Vnde quidam putarunt. 12. tabularum leges esse versibus conscriptas: quod ipse non probo. Romani decem viros constituerunt, quibus legum ferendarum auctoritatem dederunt, nam tres legatos in Græciam miserunt: qui anno tertio reuersi ex Græciâ, in decem tabulis descriptas leges ex Dracone, Solone, & Lycurgo attulerunt: quibus alias duas tabulas legum, decemuiri ad id à populo delecti addiderunt: in quibus aliqua suppleuerunt, mutarunt, detraxerunt, & declararunt. Harum porrò. 12. tabularum leges multi variis modis enumerant. Antonius Augustinus Tarraconensis Archiepiscopus. 15. refert, alij plures recensent. Porrò meo iudicio, leges. 12. tabularum partim erant de iure sacro, partim de iure publico partim de iure priuato.

Prima lex XII. Tabularum.

Sacra priuata perpetuò manento Huius legibus meminit Cicero *in Oratione pro Murana, & lib.* 3. *de legibus.* sententia legis hæc: vt quæ sacra gens aliqua coleret, siue illa patritia, siue plebeia esset, ea deinceps ab iis, qui eiusdem stirpis futuri essent, colerentur, & conseruarentur, vnde etiam illud institutum constat, vt & mulieres in virorum, & adoptati in parentum, & hæredes in defunctorum sacra transirent.

II. Hominem mortuum in vrbe ne sepelito, neue vrito.

Refert hanc legem Cicero *lib.* 2. de legibus, & explicat eam. Ideo statutum id esse, ne locus publicus priuatâ religione obligaretur. Fortassis lex prohibuit in vrbe sepeliri cadauera, ne vrbs contaminari videretur: *Neue vrito.* Credo, inquit Cicero, propter ignis periculum. Legimus tamen Imperatores sepultos esse in vrbe, quia erant legibus soluti. Virgines Vestales licet viuæ ob crimen intra vrbem tamen cremabantur; sic etiam quidam alij ob eximiam virtutem in vrbe sepulti fuerunt.

III. Ne funerum sumptus fierent, nisi in tribus ricinijs, & clauis purpureis, & decem tibicinibus.

Legis sententia est: Ne plures quàm tres vestium cum mortuo, vel conderentur, vel vrerentur. Hanc legem refert Cicero libro secundo de legibus, sumptaque est ex legibus Solonis. Apud Athenienses Solonis lege cautum erat, ne plures decem tibicinibus ad funerum pompam adhiberentur. Ricinium, ait Festus, erat omne vestimentum quadratum, vel toga, quâ mulieres vtebantur, prætexta clauo purpureo. In more apud veteres erat, vestimenta quædam cum mortuis condere vel vrere. Inde Virgilius Æneid. 6.

Purpureasque super vestes velamina nota, Iniiciunt.

Et Suetonius in Cæsare: Scænici artifices vestem, quam ex instrumento triumphorum ad præsentem vsum induerant, detractam sibi atque discissam iniecere flammæ. Quidam alij ricinia putant fuisse vestes lugubres: quibus mulieres in funeribus vterentur.

Et decem tibicinibus. Teste Seruio. *lib.* 5. *Æneidos* apud Antiquos consuetudo fuit, vt mortui maioris ætatis ad tubam proferrentur; minores, ad tibias. Lex ergo præscribit modum funeris.

IV. Rogum asciâ ne polito.

Sententia legis est; vt è rudibus, & impolitis lignis pyra conficeretur, ad cremanda mortuorum cadauera. Solebant Romani nimio quodam fastu, & nimio sumptu sepulchra exornare: vnde lex remouet è funeribus sumptus immoderatos, vanos, & inutiles: fuit quoque lex Solonis, vt qui faceret rogum, asciâ ne poliret.

V. Mulieres genas ne radunto; neue lessum funeris ergo habento.

Hæc lex desumpta est à Solone, qui prohibuit, teste Plutarcho, in funeribus corpus laniare: lamentationemque meditatam edere. Testatur Seruius in illud *Æneidos.* 12.

Et roseas laniata genas.

moris fuisse apud veteres, vt ante rogos humanus sanguis effunderetur, vel captiuorum, vel gladiatorum: quorum si fortè copia non fuisset, mulieres laniatas genas vnguibus eas cruentabant, & ora lacerabant, vt cruore effuso inferis satisfacere viderentur. Hoc igitur vetuit lex 12. Tabularum, vt ait Plinius *lib* 11. *cab.* 37.

Lessum funeris Ex Cicerone *secundo libro de legibus*, videtur esse aliquod genus vestimenti funebris, vel lugubris eiulatio: Prohibuit itaque lex, ne aliquid in funeribus abiectò, timidè, seruiliter & muliebriter fieret, vt ait idem Cicero *in Thusculanis quæstionibus.* Vnde Plato lib. 12. *de legibus Flere* inquit, *mortuum iubere, aut vetare absurdum est: plangere verò & voces ac lamenta extra ædes mittere, vetandum.*

VI. Homini mortuo ne ossa legito, quod post funus fiat: extra quam si militiæ, aut peregrè mortuus sit.

Extat apud Ciceronem *libro secundo de legibus.* Legisque sententia hæc est: vt posteaquam crematum cadauer est, ossa è cineribus legerentur, statimque loco proximo in terram conderentur, ne si alium locum sepeliendi causa deportarentur, luctus duplicaretur, & sumptus Excipitur autem ab hâc lege, qui aut in militia aut peregrè mortuus fuisset, vbi scilicet funus ei fieri non liceret. Vnde *in l. Etsi §. Impensa. & leg. Diui fratres ff. De religiosis, & sumptibus funerum*, is sumptus funeris probatur, cùm peregrè mortuus in suum sepulchrum transfertur. Alij legem sic interpretantur.

Homini mortuo ne ossa legito. Id est, ne adimito, & auferto. Legere enim apud antiquos, idem erat quod auferre: vnde dictus est sacrilegus; qui aufert res Deo consecratas. Et quia mortuis digitus, vel aliquod aliud membrum detrahebatur, reliquo corpore combusto Ideo hoc fieri vetuit lex.

VII. Vti seruilis vnctura, omnisque circumpotatio tollatur.

Solebant olim mortuorũ corpora vngi odoribus & vnguentis; quare prohibuit id fieri in corporibus seruorum sepeliendis:

[illegible] prohibet lex, quominus liberi homines [illegible] *[illegible]* [illegible] vnguento pro mortui corpore comparato, [illegible].

[illegible] aspersio fieret : neue murrata potio mortuo inderetur : neue longæ coronæ : neue acerræ adhibentur.

Mos fuit apud veteres, vt cadauer [illegible] liquoribus [illegible] perfunderetur : quod ne amplius fiat, hac lege prohibetur.

Murrata potio: siue [illegible] putatur fuisse quædam potio [illegible] & magni sumptu.

Neue longæ coronæ. Longæ coronæ dicuntur, vt distinguantur à [illegible] quibus [illegible], sepulchra, sellæ curules, theatra, & currus triumphales exornari solebant.

Neue acerræ, Festus scribit acerram esse aram, quæ ante mortuum poni solebat, in qua odores incendebantur. Alij vero putant esse arculam in quâ thus reponebatur : Vetuit ergo lex, aras prope sepulchra fieri cum thure incensisque odoribus.

IX. Qui coronam parit ipse, pecuniaue eius, virtutis ergo arduitor, [illegible], parentibusque eius duminutus positus erit, [illegible], sine fraude imposita esto.

Sensus legis est : vt permittatur adhiberi ad funera eas coronas, quas quis vel per se ipse, vel per seruos, equosque suos virtutis ergo in publicis ludis & certaminibus sibi peperisset, quasi dicat, Tanquam præmium virtutis victoribus proponantur coronæ in sepulchris eorum, qui eas consecuti sunt.

Pecuniæ nomine intelliguntur equi, & serui.

Arduitor. Antiquum est verbum, ab arduo siue ad duo, idem significans quod addo. Recitat hanc legem Plinius *lib. 21. c. 3.*

X. Vti plura funera ne vni fierent : neue lecti plures insernentur.

Gloriosum fuerat apud veteres Romanos funera plurimis lectis efferri : pauperes capulis siue pheretris efferebantur: diuites, & potentiores lectis. Vnde Sulla sex millia lectorum habuisse fertur.

XI. Neue aurum addito : ast quoi auro dentes vincti erunt, im cum illo sepelire & vrere, se fraude esto.

Vetat lex sepulchris aurum iniici : nam moris erat apud Antiquos vt in rogum vnà cum mortuo pretioso multa iniicerentur ; Excipit verò lex eos, quibus dentes, qui exciderant, aut euulsi fuerant, auro incrustati essent, ita vt liceret eos cum mortuo sepelire sine fraude.

Ast quoi. Id est : At cui dentes, qui exciderint vel euulsi fuerint, auro erunt vincti, id est incrustati.

Im cum ido. Significat, cum cum illo auro cremari, vel sepelire licet per legem.

Se fraude Id est Sine fraude, se, pro sine, antiquè dictum est, teste Festo.

XII. Rogum bustumue nouum ne propius ædes alienas 60. pedes inuito domino adiicito : neue forum sepulchri, bustumue vsucapito.

Præscribit lex ambitum sepulchrorum. Cicero Philippica 9. *Maiores*, inquit, *nostri statuas multas decreuerunt: sepulchra paucis, sed statuæ intereunt tempestate, vi, vetustate : sepulchrorum autem sanctitas in ipso solo est, quod nulla vi moueri, neque deleri potest.*

XIII. Dominum esse omnium rerum ac moderatorem Deum. Hanc legem recitat Cicero *libro secundo de legibus*: quamuis more gentilium dicat, Deos esse rerum omnium dominos, & moderatores.

XIV. Ad Diuos adeunto castè: pietatem adhibento : opes amouento, Qui secus faxit, Deus ipse vindex erit.

Cicero *libro secundo de legibus.*

XV. Constructa à Patribus delubra habento. Lucos in agris habento, & larium sedes.

XVI. Diuos, & eos, qui cælestes semper habiti, colunto, & ollos, quos in cœlo merita vocauerint.

XVII. Nulla vitiorum sacra solemnia obeunto : ast olla, propter quæ datur homini ascensus in cælum, virtus, pietas, fides, colunto.

XVIII. Feriis iurgia amouento : easque in famillиis, operibus, patratis, habento.

XIX. Certas fruges, certásque boccas sacerdotes publicè libanto : hoc certis sacrificiis ac diebus : itémque alios addes, vbertatem lactis fœtusque seruanto.

XX. Cursu annuos sacerdotes finiunto.

XXI. Diuis aliis, alij sacerdotes ; omnibus Pontifices, singulis flamines sunto.

Atque hæ quidem leges vt prædiximus ad ius sacrum pertinebant : ad ius vero publicum sequentes.

1. Lex. *Iussus populi, & suffragia sunto. Quodcunque postremum populus iusserit, id ius ratumque esto.*

Sic ex Liuio *lib.* [illegible] 9. *Decadis* & hinc est, vt Iustinianus. *Instit. de iure naturali, & gentium.§.Lex.* dixerit : *lex est, quam populus Romanus Senatorio magistratu, veluti consule, interrogante constituebat.* Rogabatur autem populus in hunc modum, quē Cicero in oratione pro domo suâ expressit: velitis, iubeatis vt M. Tullio aqua & ignis interdicatur, sed postea lege, regia potestate in principem translata, is solus legislator censetur.

Suffragia sunto, suffragium est vox illa: quæ dabatur in Comitiis, & in tabellis describebatur, quâ quisque declarabat suam voluntatem de aliquo magistratu creando, aut reo capitis damnando. Initio palam ferebatur : postea latæ sunt tabellariæ leges, quæ voluerunt, vt suffragia tabellis describerentur cùm senatus & populus multa iubebat.

2. Lex. *Priuilegia ne irroganto.*

Huius legis meminit Cicero *lib. tertio de legibus*, cuius sententia est, Ne priuis, h. e. singulis hominibus leges ferrentur, cùm æquitatis ratio postulet, vt omnes homines summi cum infimis, pari iure teneantur, & iura non in singulos, sed in omnes generatim ferantur.

Ne Priuilegia. Hoc est, Ne iura sint singularia, ne in gratiam, aut fauorem certi hominis iura constituantur.

Irroganto. Irrogare propriè significat infligere, vt irrogare pœnam, iniuriam : hoc in loco videtur positum pro simplici, roganto, quasi diceret, Ne iura in singulos introducantur.

3. *De capite ciuis nisi per maximum comitatum ollosque quos censores in partibus populi locassint, ne ferunto.*

Hanc legem commemorat Cicero *lib. tertio de legibus, & in oratione pro Sestio.* sententia legis est de capite ciuis nisi centuriatis comitiis sententiam ferri Romani noluerunt. Vnde scribit Pomponius, non potuisse consules iniussu populi de capite ciuis Romani iudicare; ideoque secures consulibus aliquando ademptæ, eâ leges & conditione à Largio Dictatore restitutæ dicuntur, ne iis in caput Romani iniussu populi animaduerterent, Posterioribus tamen temporibus, constitutis quæstionibus publicis non ipse populus de omnibus criminibus capitalibus iudicauit, sed quæsitores parricidij, vel prætores publicarum quæstionum delegit, isque illa comitia commisit.

Per maximum comitatum. Hoc est, per centuriata comitia, in quibus populus descriptus, sensu, ordinibus ætatibus plus adhibebat in suffragium consilij, quàm fusè, & generatim in tribus conuocatus.

4. *vt si iudex arbiterue iure datus pecuniam ob rem indicandam acce pisset, capite pœna lueret.*

Damnat lex Iudicum perfidiam.

5. *vt qui falsum testimonium dixisset, è saxo Tarpeio deiiceretur.*

Sumpta est hæc lex ab Atheniensibus, vt colligitur ex Cicerone *in oratione pro Flacco.*

6. *Ne quis hominem indemnatum occideret : hominisue occidendi causâ cum telo esset*

Sententia legis est, post patrata facinora, neminem sine iudicis sententia puniendum. Petita est hæc lex ex legibus Lycurgi, quæ id prohibent. Nam si absque iudicio, & sententia hominem fas esset occidere, multis daretur occasio ad cædes pro libidine patrandas.

Hominisue occidendi. Huius partis legis meminit Cicero *in orat. pro Milone*, sic inquiens; Cùm lex vetat esse cum telo hominis occidendi causa ; eadem tacitè permittit, esse cum telo sui defendendi causa.

7. *Ne quis in vrbe cœtus nocturnos agitaret.*

Fit huius legis mentio in declamatione Portij Latronis in Catilinam apud Salustium, prohibebantur nocturni cœtus, ne facinorosi homines aliquid contra rempublicam noctu molirentur: Hinc alia lex 12. tabularum : *Sol occasus suprema tempestas esto.* Hoc est: Post solis occasum nullum fit agendi tempus.

8. *Vt si quis hostem concitasset, ciuemue hosti tradidisset, capite pœnas lueret.*

Recitat hanc legem Marcianus *in l. 3. ff. ad legem Iuliam maiestatis.* Prima pars legis, teste Francisco Balduino, significat: Si quis iniussu populi, vel principis bellum gereret, delectum haberet, exercitumue compararet, tanquam reus maiestatis, capite puniretur. Secunda pars : Si quis exercitum populi Romani hostibus traderet, capite puniretur. Tertia : Si quis hostem arcere nollet, aut exercitum desereret, vel ad hostes profugeret, capite plecteretur.

9. *vt qui ædes alienas aceruumue frumenti iuxta ædes positum, dolo malo combussisset vinctus : verberatus igne necaretur: at si casu id fecisset, noxiam sarciret, prætorisue arbitratu castigaretur.*

Huius legis testimonium extat apud Caium ICtum. *in l. qui ædes ff. de incend. ruin.* & apud Callistratum. *in l. Capitolium. §. 10. ff. de pœnis*, & apud Paulum *lib. 5. sent. cap. 4.*

10. *Ne quis fruges excantassit.*

Meminit huius legis Seneca, *lib. 4 naturalium quæstionum*, & Plinius *lib. 28. c. 2. & lib. 1. c. 1.* Alij hanc legem sic recitant. Qui fruges exacntassit : & qui malum carmen incantassit coercetor.

11. *Neue alienam segetem pellexeris.*

Sententia legis est : Ne satas segetes alio transtuleris.

12. *Sanatibus idem quod fortibus ius esto.*

Extat hæc lex apud Festum, qui sanates dictos vult eos, qui supra infráque Romam habitauerunt; qui cùm à Romanis defecissent,

fecissent, bieni post redierunt, quasi sanâ mente. Legis senten-tia est: Vt idem iuris illis sit quod forctibus, id est, bonis, qui nunquam defecerunt a populo Romano.

Tertia pars legum 12. tabularum erat de iure priuato.

I. Lex. *De patria potestate.*

Vti qui ex patre, matrequefamiliâs eius nasceretur: in sui patrisfamiliâs manu, potestate, mancipioque esset, haberétque paterfamilias ius in eum vitæ, ac necis, terque filium venun-dandi potestatem.

Hoc ius fuit proprium ciuium Romanorum, vt ait Iustinia-nus institut. de patria potestate.

II. De testamentis ac tutoribus.

Paterfamiliâs vti legassit super pecunia, tutelaue suæ rei, ita ius esto.

In l. verbis legis, ff. de verb. signif. habetur, amplissimam po-testatem hâc lege tributam esse patribusfamiliâs testandi, hæ-redes instituendi, legata & libertatem dandi, tutores quoque constituendi: ita vt etiamsi prætorem aut consulem suis liberis tutorem instituerent, eos ad hoc onus suscipiendum obliga-rent.

Vti legassit, id est, vti statuerit, siue decreuerit.

III. Parentibus tutorem liberis in potestate dandorum testa-mento ius esto.

Meminit huius legis Caius *l. 1. ff. de testam. tutel.* Et addit, etiam posthumis filiis posse tutores parentum testamento da-ri, eò quòd posthumi pro iam natis habeantur.

IV. Vt si paterfamilias intestato moreretur, agnatorum, gen-tiliúmque, in ipsius pupillis, eorúmque pecunia potestas esset.

Vlpianus l. 1. ff. de legitim. tutor. Ratio legis erat, vt ij qui sperare poterant hæreditariam successionem tuerentur bona tanquam legitimi tutores, ne dilapidarentur. Agnati dicuntur: qui ex eâdem familiâ nascuntur, & idem cognomen habent: Gentiles verò, qui ex eodem genere nascuntur, & simili nomine appellantur. Item, agnati dicebantur, qui erant per patris cogna-tionem coniuncti, veluti frater ex eodem patre natus, fratris fi-lius, & nepos ex eo.

VI. Si furiosus existat, agnatorum gentiliúmque in eo, pecu niáque eius potestas esto.

Huius legis meminit Cicero *lib. 2. de Inuentione, & Tuscu-lana sextâ*: vt qui prodigus existeret, si prætor causâ cognitâ bonis suis interdiceret, inque ipsius pecunia, agnatorum, gen-tiliúmque potestas esset. Huius etiam legis meminit Vlpianus *leg. 1. ff. de curatoribus furiosi.* Testatur Balduinus ex lege So-lonis, infamia notari eum, qui patrimonium decoxisset, & foro & concionibus arceri.

VII. Mulieres orbæ, innuptæ in fratris agnatiue proximi tu-tela sunto.

Huius legis meminit Cicero *in oratione pro Muræna*: nam propter infirmitatem consilij voluit lex, vt fœminæ essent in potestate parentum, fratrum, vel virorum. Vnde dicta est ser-uitus muliebris, quia dum viuunt parentes, fratres, vel viri, eorum potestate solutæ non sunt. Filiæfamiliâs, in matrum suarum potestate, nuptæ in virorum manu? orbæ, innuptæ, in fratrum, vel agnatorum tutela erant: vt ostendit M. Cato disse-rens de lege Oppia apud Liuium *decadu 4 lib. 4.*

VIII. De suspectis tutoribus.

Vt si quis doli mali culpæue in tutelâ gerendâ suspectus vi-deretur: eum cuiuis apud prætorem suspecti arguere, ius esset: vtque dolo damnatus infamis fieret.

Hanc legem Cicero *lib. 3. Officiorum* commemorat.

IX. Vt qui per tutelam pupillum fraudasset, eiúsque rem fura-tus esse conuinceretur, infamiâ notatus, duplionis pœnam subi-ret.

Extat huius legis testimonium apud M. Tullium *in oratione pro Cæcinnâ, & pro Roscio Comœdo.*

X. Patronus si clienti fraudem fecerit, sacer esto.

Apud Romanos, vt dicit Agellius *lib. 20. cap. 1. & lib. 5. c. 13.* moribus comprobatum fuit, vt clientem in fidem receptum ca-riorem patroni haberent, quam propinquos: eúmque etiam ad-uersus hos tuerentur: nam licebat patronis testimonium contra propinquos dicere, aduersus verò clientem pro cognatis non item.

Sacer homo dicebatur, teste Festo, quem populus ob malefi-cium iudicauit, quémque immolari fas erat, sed qui eum occi-debat, impunitus relinquebatur.

XI. De legatis & hæredibus. Vt quisque legassit: ita ius esto.

Memorans hanc legem Pomponius in l. verbis ff. de verbo. significa. ait liberum erat Romanis simpliciter hæredem insti-tuere quem vellent, ita vt etiam bona suis seruis relinquerent. Seruus autem eo ipso quod hæres instituebatur, liber fiebat: & hoc erat vnum genus manumissionis, videlicet per testamen-tum.

XII. Vt cùm paterfamiliâs super familiâ suâ legaret, ne-xum faceret, perque æs & libram familiam manciparet. ac præ-ter libripendem ciues Romanos puberes ne minus quinque adhi-beret.

Apud Romanos testamentum per æs & libram appellaba-tur cum paterfamiliâs ei, quem vellet successorem relinquere, familiam suam, & vniuersum ius patrisfamiliâs mancipio ven-debat, & simul hæredes mancipabat: & quinque aderant testes, omnes ciues Romani, & puberes, & ipse libripens, & emptor. Huius legis argumentum suppeditabat Agellius *libro 15. capite 3.*

XIII. Cùm nexum faciet mancipiúmque, vti lingua nuncu-passit; ita ius esto.

Sensus legis est: Cùm paterfamiliâs per æs & libram fami-liam vendet, vt nominauerit, videlicet hæredem, & vti de suis bonis decreuerit, id ratum sit. Huius legis reliquiæ extant a-pud Ciceronem libro primo de oratore, & apud Festum.

XIV. Qui se sierit testarier, libripensue fuerit, in testimo-nium fariatur, id est, fatiatur. improbus intestabilisque esto.

Sententia legis est: qui de testibus ad testamenta adhibitis, quales quinque ciues Romani puberes cum libripende ex le-ge supradicta erant, rogari, iure voluerint testimonium dicere, & fateri testamentum ita conditum fuisse, séque testes à testa-tore fuisse adhibitos, pœna mulctentur. Extat hæc lex apud Agellium lib. 15. c. 13.

Qui se sierit testarier Id est, qui se in testem vocari passus fuerit. Scierit pro siuerit, vetustè dictum. Intestabilis in hâc lege dicitur is, cui testimonij dicendi ius non est: siue is, cuius testimonium.

XV. Vtique filij familias bonorum paternorum suorum, suique hæredes essent.

Tria erant apud Romanos hæredum genera: Aut enim e-rant hæredes necessarij, aut sui & necessarij, aut extranei. Ne-cessarius, erat seruus hæres institutus, quia siue vellet, siue nol-let; omnino post mortem testatoris protinus liber & necessa-rius hæres fiebat. Hæredes sui & necessarij erant filius, filia, ne-pos, vel neptis ex filio, & deinceps cæteri liberi, qui in potesta-te testatoris, cùm obiit, fuerint.

Dicuntur sui hæredes, quia sunt in potestate testatoris. Ne-cessarij verò hæredes, quia siue velint siue nolint, tum ab in-testato, tum ex testamento, lege XII. Tabularum hæredes fiunt. Cæteri, qui testatoris iuri subiecti non sunt, extranei hæ-redes vocantur. Vnde hæc lex ab aliis recitatur in hunc mo-dum: Intestatorum hæreditates, primo suorum hæredum, ve-lint, nolintue, sunto.

XVI. Vt si qua mulier post viri mortem in decem proximis mensibus pareret: qui, quæue ex eâ nasceretur, suus, suaue in viri familiâ hæres esset.

Prima legis pars inuenitur apud Agellium *lib. 3. cap. 16.* Al-tera pars habetur apud Vlpianum *l 3. ff. de suis & legitim.* & apud Iulianum *lib. 6 & 7. eodem titulo.*

XVII Si paterfamilias intestato moritur, cui suus nec exta-bit hæres, agnatus proximus familiam habeto.

Huius legis fit mentio apud Iustinianum. *Instit. de hæredit. ab intestat. §. Intestatorum,* & apud Paulum, *ff. de liberis & post-hum. l. 9.*

XVIII. Intestato liberto mortuo, proximi sui succedunto: si hi non fuerint, patronus.

Meminit huius legis Iustinianus *Institut. de successione li-bertorum. u. Nunc de libertorum bonis.* Et Vlpianus *in leg. inte-stato. §. de suis & legitim.* poterat tamen libertus etiam extra-neum in testamento scribere, & patronum impune præterire *leg. is autem ff. de iure patron l. liberto ff. de bonis liberto.*

XIX. Vt cæterarum rerum, si hæredes partem quisque suam habere mallent, familiæ herciscundæ arbitrium sumerent, cui to-tius rei ius, arbitriumque permitterent.

Habetur hæc lex apud Caium *l. 1. Familiæ herciscundæ.* Nomine familiæ, intelligitur res hæreditaria. Hercisci vete-res dicebant pro diuidere. Id significat lex: Vt arbiter, hoc est, iudex compromissarius (familiâs herciscundæ) id est, diui-dundæ additus, primum singulas res, si commodè fieri possit singulis adiudicet. Si non possit, & vnius pars præponderet, tunc eum alteri in pecuniam certam condemnet. Quod si vnus aliquis solus fructus percepit, rémque hæreditariam cor-rupit, aut consumpsit, tunc eum in certam quoque pecuniam condemnet.

XX. Inter hæredes pro hæreditariis portionibus, obligationes hæreditariæ diuisæ sunto.

Sententia legis est: Vt obligationes testatoris: hoc est, quæ à testatore ad hæredes veniunt, inter hæredes diuidantur pro hæreditariis portionibus. Verbi gratiâ: Si testator vo-tum aliquod fecit, aut centum alicui debet, tunc solutio illius voti vel pecuniæ debet fieri, non per vnum hære-dem, sed diuidi in singulos hæredes, ita vt omnes confe-rant ad illius solutionem pro hæreditaria portione. Vnde creditores demortui debitoris nequeunt agere contra v-num hæredem, sed benè tamen possunt contra omnes. Pa-ri ratione, si quis testatori aliquam pecuniæ summam de-beat, nec soluat ante obitum testatoris, tunc hæredes eius omnes; non vnus tantum contra debitorem actionem ha-bent.

XXI. vt qua mulieres cùm sui iuris esse annum vnum apud virum maior mony cau,a fuisset, ea mulier, ni trinoctium v, usurpatum esset, pro vsu apta habetur.

Habetur hæc lex apud Agellium *lib.4.cap.* 11. Et Macrobium li. 1. Saturnal. cap. 2. Præcipit hæc lex, vt quæ mulier annum vnum matrimonij causa apud virum fuisset, ea mulier anno exacto, in eius viri manu esset; at si ante anni finem tres noctes ab eâ vir abfuisset, dat potestatem lex mulieri interrumpendi vsucapionem, siue possessionem viri: sicut res mobiles anno vno vsucapiuntur: sic etiam vxor, si anno integro cum viro fuerit, manet in potestate viri. Et sicut iure ciuili rerum vsucapiones infringuntur, ita vxor si ante annum exactum tres noctes vir ab eâ abfuerit, non manet in potestate viri, tanquam vsucapio eius sit interrupta.

XXII. Ne connubium Patribus cum plebe esset.

Scribit Dionysius *lib.* 10. Decemuiros legem posuisse, vt concubia non essent inter patriciulos & plebeios. Abrogata est hæc lex postea per legem Canuleiam: Canuleius enim teste Liuio. *lib.4. Decadu.* 1. Tribunus plebis legem tulit, vt deinceps Patribus cum plebe connubij ius esset.

XXIII. vt si è coniugibus alter alteri nuncium mitteret eumque suas res sibi habere iuberet, diuortium esset.

Extat hæc lex apud Caium *in lege penultima. ff. ad leg. Iul. am de adult.* Cicero in 2. Philipp. scribit, diuortia ex 12. Tabulis permissa fuisse. *Vols*, inquit, *creueres: fugi, actum est Antonius: mimam illam suam suas res sibi habere iussit ex 12. Tabularum causa lenit, ex. mit*: Sic ille. Sed etsi diuortia in 12. Tabulis permissa fuerint, intra quingentos tamen annos Romæ nullum diuortium factum esse, Dionysius *lib.2.* & Gellius *lib.17.cap.21.* scriptum reliquerunt, primusque omnium Spur. Seruilius diuortium fecisse dicitur ob vxoris sterilitatem eò quod iurasset se liberorum quærendorum causâ vxorem duxisse.

XXIV. De in ius vocando.

Si in ius in vocato morbus, æuitasue vitium esit qui in ius vocassit iumentum dato: si volet arceram, ne sternito.

Extat apud Agellium *lib.20.c.1.* Vult hæc lex, vt in ius vocato homini pauperrimo, qui aut pedibus forte æger esset, aut aliquo alio incommodo ingredi nequiret, arceta daretur, hoc est, plaustrum tectum vndique, & quasi quadam arca conclusum, ne causatio ægri corporis perpetuam daret fidem detrectantibus, iurisque actiones declinantibus vacationem. Phauorinus apud Agellium *loco citato*, improbauit hanc legem tanquam inhumaniter scriptam, videlicet si homo in ius vocatus, aut ætate æger, ad ingrediendum inualidus esset, arcera non sterneretur, sed ipse auferretur, & iumento impositus, ex domo suâ ad prætorem in Comitium, nouâ funeris facie efferretur. Quam ob causam, inquit Phauorinus, morbo affectus, & ad respondendum pro se non idoneus, iumento adnæxens, in ius deportatur? At Sex. Cæcilius in hanc legem, dicit esse humanissimam, quæ iumentum dari iubet ægro, aut seni in ius vocato; ne quis ob excusationem morbi, inopiæ, vel senectutis, lites & controuersias subterfugeret & declinaret.

XXV. Si iudex, vel alter ex litigantibus morbo sontico impediatur, dies iudiciis diffeisus esto.

Extat apud Agellium *lib.* 20. *cap.* 1. & apud Festum, ad hanc legem referuntur verba Iuliani iurisconsulti *in l. quæsitum. ff. de sentent. & re iudicata.* Vult hæc lex, vt si iudex, vel alter ex litigantibus graui morbo corriperetur, atque sic impediretur, vt in iudicio apparere, vel præesse non posset, actio illa in alium diem differretur. *Morbo sontico.* Id est vehementi; & habente vim grauiter nocendi, vt explicat Sex. Cæcilius apud Agellium *lib.20.c.1.* Nam quia Sontes dicuntur nocentes, inde Sonticus morbus dictus est, quia noceat, vt habetur in l. morbus. ff. de verb signific. & in l. vlt. ff. de ædilit. edictio. *Diffeisus esto*: Id est, Diffisus, quasi dicat, diffindatur: vt explicat apud Agellium lib. 14. c. ... & diem esse diffisum idem est quod iudicium differri oportere.

XXVI. Si in ius vocet atque eat.

Si vis vocationi fuat, antestaminor: ni it, aurem capito antestati.

Si caluitur, pedemue struit, manum endo iacito.

Mentio huius legis est partim apud Ciceronem *libro.* 1. *de legibus*, partim apud Festum in verbo struere. Sententia legis est: Vti ciuis Romanus in ius vocatus; illico nulla mora interposita, vocantem sequatur: & hoc est quod dicitur: *Si in ius vocet*, Atque eat. Antiquè dictum est, atque, pro statim, vt docet Agellius lib. 10. cap. vlt. Qui si sequi nolit, adeo vt vi cogi oporteat, actor præsentes aliquos ciues antestetur, id est, in testes vocet quod si adhuc sequi nolit, aurem antestati capiat. Si fugiat reus, actor ei manus iniiciat, atque in ius rapiat.

Si vis vocationi fuat. Hoc est, si aduersarium in ius vocauerit, & is vi restiterit. Fuat veteres dixere pro fiat, teste Nonnio Marcello. *Antestaminor*, id est, Testes aliquos aduocato.

Aurem capito antestati. Mos erat in antestatione, vt memoriæ causâ actor auriculam imam tangeret antestati, cum hoc verbo, Memento. Hinc Plinius *lib.* 11. *cap.* 45. Est in aure imâ memoriæ locus, quem tangentes antestantur.

Si caluitur, id est, si frustratus, teste Nonnio, *Pedemue struit.* hoc est dicere, si retrorsum it, aut fugit, vel si remoratur, ait Festus. *Manum endo iacito.* antique dictum est, pro, manum iniicito.

XXVII. Si testatus dies sit cum hoste, venito.

Refert hanc legem Cicero *in* 1. *Officiorum* & hoc significat lex: Is qui in iudicio se sistere promiserit aduersario secundùm suam, vel fideiussorum promissionem, se sistat ad diem statutum.

Cum hoste. Antiquo more dictum est pro aduersario, vel peregrino. Hostis apud veteres, inquit Festus, dicebatur peregrinus: & qui nunc hostis, tunc dicebatur perduellis.

XXVIII. De iudiciis.

Rem vbei pagunt oranto: nei pagnunt ante meridiem in foro, aut in comitio caussam coniciunto: post meridiem, præsente ambobus, leitem addicito, sol occasus suprema tempestas esto.

Legis sententia est, vt litigantes, si de re controuersâ paciscerentur, vel litem inter se componerent, orarent, id est, id oratione peragerent. Quod si non pacisceremtur, tunc ante meridiem in foro, aut in comitio (in quibus locis ius dicebatur) causam coniicerent. Id est, breuiter narrarent: non integrâ, & prolixa oratione exponerent: & eo facto Prætor, post meridiem, litem, id est, rem controuersam ei, qui causam obtinuisset, addiceret, ambobus præsentibus: & post solis occasum, nullum a Prætore ius diceretur, quod si diceretur irritum esset.

Præsente ambobus. Antiqua locutio est, pro eo, quod est præsentibus ambobus.

Sol occasus. Vetusta etiam est phrasis, pro eo vsurpata, quo dicimus, sol quando occidit.

Suprema tempestas esto. Id est, diei nouissimum tempus.

Vbei. Idem est quod vbi.

Pagunt. Pago, pagis pagere, idem significat quo pacisci.

XXIX. Si qui in iure manum conseruerunt, vtreique superstitibus præsentibus vindicias sumunto.

Lex hanc habet sententiam: Si qui de domo, vel agro, vel aliâ quapiam re contendunt, & super eâ re festucas inter se, quasi hastas dicis causa committunt, *vtreique superstitibus præsentibus vindicias sumunto.* Id est, vtrique litigantium præsentibus testibus festucas illas inter se committunt, & manus conferunt. Videtur lex intelligere, appellatione vindiciarum ipsam manuum consertionem. Quid vindiciæ significent, explicat Festus in voce vindiciæ.

XXX. Si vindiciam falsam tulit rei siue litis arbitros tres dato: eorum arbitriis fructus duplione damnum decidito.

Recitat hanc legem Festus in verbo Vindiciæ. Vult lex eum, qui falso sibi rem alienam vendicauit, duplos fructus restituere debere.

Si vindiciam falsam tulit. Vindiciam ferre, est sententiâ & decreto rem possidere. Vindiciæ appellantur res illæ, de quibus est controuersia, eò quod vindicarentur.

XXXI. vt si quis è libertate in seruitutem assereretur, Prætor vindicias secundum libertatem daret.

Sententia legis est: Vt non solùm liber homo, qui status controuersiam pateretur, relinquatur suæ libertati; & eius possessionem retineat, dum quæstio status, causæque liberalis penderet, sed etiam vt seruus qui in libertatem ab aliquo legitimo & iusto vindice asseritur, interea pro libero habeatur, & assertori libertatis, dominus serui possessionem serui cedat.

Vindicias secundum libertatem daret. Id est, Prætor possessionem eius, de cuius libertate, vel seruitute disputatur, ei daret qui libertatem defendit, non ei, qui seruitutem quærit. Vindiciæ etiam hoc loco possessionem significant. Est statut lex, vt liberi, vel serui hominis possessio defendatur, dum causa disputatur: vt si liber homo sit, cuius tamen seruitutem actor quærit, suæ libertati relinquatur; si verò seruus sit, & ab aliquo in libertatem vindicetur, ei possessio detur, non Domino serui.

XXXII. Ne quo rem litigiosam in sacrum dedicaret. Qui dedicasset duplicenam subieret.

Erat hæc lex apud Caium *in l. vltima ff. de re litigiosa.* Duplum aduersario præstandum erat, vt id veluti solutum haberet, pro eo quod potentiori aduersario traditus erat.

XXXIII. Cui testimonium defuerit is tertiis diebus ob portum obuagulatum ito.

Extat apud Festum in voce Portus. significat lex: si ei qui litem habet, testis defuerit, ei licet die tertio ante domum eius cuius testimonio vti volebat, liberè conqueri, & implorare testimonium, & conuicium recusanti facere.

Ob portum. Portum inquit Festus pro domo in lege. 12. Tabularum positum esse, omnes fere consentiunt.

Obuagulatum. Obuagulationem, dicit Festus esse quæstionem cum conuicio, & deducitur à vagulo, quod deriuatur à Vagio.

XXXIV. De re iudicata.

Æris cõfesei, rebusque iure ioudicatis, triginta dies iustei sunto: postidea in iu manus iactio esto, io ious licito. Nei ioudicatum facit. Aut quips endo ioure vindicit: secum ducito. Vindicito, aut neruo, aut

neruo, aut compedibus quindecim pondo, ne minore: aut ſi voles maiore vincito. Si volet, ſuo viuito. Ni ſuo viuit, qui eum vinctum habebit, libras farris endies dato. Si volet plus dato.

Habetur hæc lex apud Agellium lib. 20. cap.1. Legis ſententia eſt, vti eam explicat Sex. Cæcilius apud Agellium loco citato.

Confeſſi æris. Id eſt, debitæ pecuniæ iudicatis triginta dies dantur conquirendæ pecuniæ cauſâ, quam diſſoluerent. His diebus nihil agi cum debitoribus poterat: poſt deinde, niſi diſſoluerent, ad prætorem vocabantur, & ab eo, quibus erant iudicati, addicebantur. Neruo quoque, aut compedibus vinciebantur.

Confeſſi æris. Id eſt, pecuniæ, quam per confeſſionem adverſarij in iudicio factam conſtiterat eſſe debitam.

Rebuſque iure iudicatis Alij legunt. *Aeriſque debiti iudicatis.*

Poſtidea, id eſt poſtea.

Indu manus iacta. Id eſt, manus iniectio. Quaſi dicat, poſt illos triginta dies, niſi tibi ſatisfecerit, licet tibi in eum manus iniicere, & in ius ducere.

Niu iudicatum facit. Id eſt, Niſi ſoluerit id; quod ſententia iudicis continet.

Aut quips endo iure vindicit. Id eſt, eſt, Niſi quis eum in iure vindicet.

XXXV. Ni cum eo pacit, ſexaginta dies in vinculis retineto. Trinis nundinis continuis in comitium procitato, æriſque æſtimiam prædicato. Tertiis nundinis capite pœnam luito, aut trans Tyberim peregre venum ito. Aſt ſi plures eſunt rei tertiis nundinis parteis ſecanto: ſi plus, minusue ſecueſcunt, ne ſi fraude eſto.

Memorat hanc legem Agellius lib.20.cap.1. Senſus eſt: Erat ius interea paciſcendi inter creditorem & debitorem; & niſi pacti fuiſſent, habebantur in vinculis dies ſexaginta; inter eos dies tribus nundinis continuis ad comitium producebantur, quantæ pecuniæ iudicati eſſent, prædicabatur. Tertiis autem nundinis capite pœnas dabant, aut trans Tyberim peregre venundabantur. Quòd ſi plures eſſent creditores; quibus reus eſſet iudicatus, permittebat lex, vt ſi vellent creditores, corpus debitoris ſecaretur, & cuilibet creditori pars diſſecti corporis addiceretur.

Ne ſi fraude eſto. Antiqua phraſis hæc eſt, pro eo quod dicitur ſine fraude. Quinctilianus *lib. 3. c.6* ita ait. *Sunt quædam non laudabilia naturâ, ſed iure conceſſa, vt in duodecim tabulis debitoris corpus inter creditores diuidi licuit, quam legem mos publicus repudiauit.* Phauorinus apud eundem Agellium *lib. 20. cap.1. nihil*, inquit, *profecto inhumanius, nihil immanius* (videlicet huius legis pœnâ) *niſi* (vt re ipsâ apparet) *eo conſilio tanta immanitas pœnæ denunciata est, ne ad eam vnquam perueniretur. Addici namque nunc, & vinciri multos videmus, quia vinculorum pœnam deterrimi homines contemnunt. Diſſectum eſſe antiquitus neminem equidem neque legi, neque audiui, quoniam ſæuitia iſta pœnæ contemni non potuit.* Reſpondet Sex Cæcilius: *Grauitatem pœnæ eſſe decretam, non vt debitorum corpora ſecarentur, ſed vt debitores legis pœnam extimeſcerent, & acerbitate pœnæ conterriti non auderent, acta & conuenta perfidè rumpere: ſic etiam*, inquit, *Decem viri ſtatuerunt, vt qui falſum teſtimonium dixiſſe conuictus eſſet, è ſaxo Tarpeio deiectus eſſet. Acerbitas legumque vlciſcendi maleficij, bene atque cautè viuendi diſciplina eſt. Oderunt enim peccare mali formidine pœnæ.* Horat.

XXXVI. Aſſiduo vindex aſſiduus eſto. Proletario ciui quibus volet vindex eſto.

Refert hanc legem Agellius *libro 16. cap.10.* Statuit vt aſſidui, vel locupletes ciues creditoribus addicti, ab aſſiduis vel locupletibus vindicarentur; hoc eſt, ſi ita res ferret, aſſibus rêdimerentur; non autem à proletariis, ne cùm ſint tenuioris fortunæ, quàm vt naſſes poſſent dare, quibus aſſiduos à vinculis liberarent, ipſi pro aſſiduis & ſe ſuoſque liberos, familiamque totam in diſcrimen adducerent, néue corpus liberum aſſidui hominis liberandi gratiâ, ſeruituti, capitiſque pœnæ, aut ſectioni ſubiiceretur. Proletario autem ciui quiuis vindicem eſſe permiſit lex, quia eius debita non ſolent eſſe maiora, quàm quæ ære exiguo ſolui poſſint.

Aſſiduo. Veteres dixere pro locuplete ab aſſibus dandis.

Vindex eſto. Antiqui vindicem appellabant, qui vinctum ſiue addictum alteri, ſiue prehenſum liberabat.

Proletarius ciuis dictus eſt ab officio prolis edendæ: nam qui rem familiarem paruam habebant, Rempublicam adiuuabant, liberorum copiâ.

XXXVII. De emptione, venditione, & vſucapionibus.

Venditæ & traditæ res non aliter emptori acquiruntor, quàm ſi is venditori pretium ſoluerit, vel alio modo ſatisfecerit.

Declarat hanc legem Iuſtinianus. *Inſt. de rerum diuiſione §. Venditæ, & Inſtit. de empt. & vend. § item pretium.*

XXXVIII. Vſus & auctoritas fundi biennis, cæterarum rerum annuus eſto.

Extat hæc lex apud Ciceronem *in Oratione pro Cæcinnâ, & in Topicis ad Trebatium*, & apud Iuſtinianum *Inſtit. de vſucapionib. §. iure ciuili* Legis ſententia eſt: adeptio dominij per continuationem poſſeſſionis, temporis annui eſt in rebus mobilibus, biennij verò in rebus immobilibus. Hanc legem Iuſtinianus loco citato correxit, voluit tempora vſucapionis eſſe longiora ſcilicet, vt res quidem mobilis per triennium vſucaperetur: immobilis verò inter præſentes, decennio, inter abſentes, viginti annis.

Vſucapere, eſt vſu & poſſeſſione rem facere ſuam.

Auctoritas ſumitur hoc loco pro iure, quod poſſeſſione, tempore, & loco definito acquiritur. Fundus generatim accipitur pro omni eo quod ſolo adhæret, hoc eſt, pro rebus immobilibus.

XXXIX. Aduerſus hoſtem æterna auctoritas eſto.

Extat apud Ciceronem lib. Officiorum.

Noluerunt decemuiri alios quàm ciues ſuos poſſeſſores tueri, & vſucapionis iure donare. Eſt igitur legis ſententia: Perpetuum ſit ius cuilibet ciui Romano vindicandi rem ſuam à quolibet peregrino poſſeſſam, ita vt nullus peregrinus vllo tempore poſsit vſucapere rem ciuis Romani.

Hoſtis, in hoc loco ſumitur pro peregrino: vt explicat Cicero. *lib 1. officiorum.* & Varro lib.4. de lingua Latinâ.

XL. Rei furtiuæ æterna auctoritas eſto.

Apud Agellium *lib. 17. cap.7.* ſic habetur. *Quod ſubreptum erit, eius rei æterna auctoritas eſt.* Hoc eſt, perpetuum ſit cuique ius vindicandi rem ſuam furto ſublatam: ita vt non ſolum denegetur furi vſucapiendi poteſtas, ſed etiam cuilibet alteri, quamuis à fure bonâ fide emerit, vel aliâ de causâ acceperit. Extat hæc lex apud Iuſtinianum *inſtit. de vſucapionib. §. furtiuæ.*

XLI. De Collegiis.

Vt ſodalibus, qui ius coëundi haberent, poteſtas eſſet pactionem quam vellent, ſibi ferre: dum ne quid ex publicâ lege corrumperent.

Extat huius legis teſtimonium apud Caium Iuriſconſultum, *in l. vlt. ff. de Collegiis.*

Tranſlata eſt hæc lex ex legibus Solonis, in quibus ita erat: Si qui eiuſdem corporis, aut ſi qui tribules, aut ſacerdotes Orgiorum, aut Nauicularij, aut Sodales, aut eiuſdem ſepulchri religioniſue conſortes, aut ad pecorum coëmptionem, aliúdue negotiationis genus ſimul proficiſcentes, pactionem inter ſe aliquam inierint, ratum id ſit, dum ne quid in publicis tabulis prohibeatur.

Teſte Plutarcho in vitâ Numæ: Numa Pompilius diuiſit multitudinem plebis ſecundùm artificia, vt ſuum peculiare corpus haberent tibicines, ſuum artifices, architecti, tinctores, ſutores, coriarij, fabri ærarij, & figuli: & inde orta ſunt certa collegia, quæ Senatusconſulto & conſtitutionibus ſunt approbata. Quibus autem permiſſum eſt corpus habere collegij, fas erat in modum Reipublicæ res habere communes, arcam communem, & actorem ſiue ſyndicum, per quem tanquam in republicâ quid communiter agi & fieri oporteret, ageretur & fieret. Poterant hæc collegia manumittere, legatum capere, leges ſibi ferre, hoc eſt, ſtatuta condere, dummodo nihil ex iure communi corrumperent.

XLII. De ſeruitutibus & finibus regundis.

Viæ latitudo in porrectum, octo pedum eſto, in anfractum ſedecim.

Extat hæc lex apud Caium. *ff. De ſeruitutibus, l. viæ latitudo*; & ſtatuit ius de ſeruitutibus ruſticorum prædiorum. Iuſtinian. Imperator. *Inſtitut. de ſeruitute prædiorum, §. Ruſticorum prædiorum*, ait *Ruſticorum prædiorum iura ſunt hæc: iter actus, via, aquæductus. Iter eſt ius eundi & ambulandi hominis, non etiam iumentum agendi vel vehiculum. Actus eſt ius agendi iumentum, vel vehiculum. Via, eſt ius eundi & ambulandi hominis, & agendi iumentum, & vehiculum. Aquæductus, eſt ius deducendæ aquæ per fundum alterius.* Lex ergo loquitur de ſeruitutib. ruſticis, & præcipit, vt ſi quis ius habeat ducendi vehiculi, ſiue plauſtri, ſiue agendi iumentum per prædium alterius, ea via in porrectum, id eſt, in directum ſit octo pedum. In anfractum, id eſt, in inflexum ſit duodecim pedum: ad plauſtri videlicet circumducendi commoditatem.

XLIII. Vt ſi cui priuatè aquæductus alterius in publico noceret, ei aquæductus Dominus noxæ nomine caueret.

Vult dicere lex: Si per publicum locum vnus aquæ ductus priuato nocebit, erit actio, vt dominus aquæ de damno ipſi caveat. Extat hæc lex apud Paulum Iuriſconſultum *in l. 5. ff. ne*

XLIV. Vt ſi cui aqua pluuia ex vicini agro noceret vicino, cui ea noceret, eam per arbitrium arcere ius eſſet.

Extat apud Ciceronem *in Topicis hac lex*: Vbi Boëtius *ius*, inquit, *eſt aquam pluuiam arcere*: id eſt, vt ſi in alicuius agro pluuia aqua colligatur, & in alterius agrum defluat, eáque vicini frugibus nocitura concreſcat, arceat eam ſuis finibus ille, qui ſua putat intereſſe, ne defluat. Vlpianus *libr. 1. ff. de aqua pluuia.* ait. *Si cui aqua pluuia damnum dabit, actione aquæ pluviæ*

via arcendæ auertetur aqua.

XLV. Ambitus parietum sesquitertius pes esto.

Ambitus, teste Varrone *lib. 4. de linguâ Latinâ*, dicitur in hâc lege, inter vicinorum ædificia locus relictus: quem iubet lex esse duorum pedum, & semipedis ad circumeundi facultatem.

XLVI. Qui sepem in confinio ponet, terminum ne excedito: Qui murum, pedem derelinquito: qui domum, pedes duos: qui sepulcrum fossamue, quantum profundum erit: qui puteum, passum: qui oliuam, ficumue, pedes nouem: qui denique alias arbores pantabit, quinque pedes ab alieno loco ponito.

Extat apud Caium *l. 1. vlt. ff. de Finibus regum.* vbi eam ex Solonis legibus desumptam esse testatur.

XLVII. In controuersiâ de finibus quinque pedum vsucapio nulla esto.

Habetur hæc lex apud Ciceronem *libro de legibus.* Voluit lex inter confines vicinorum agros spacium quinque pedum non vsucapi, sed medium relinqui, quod liberum semper esset & commune, vt eò ire, agere, & aratrum etiam circumuertere, sine alterius incommodo vterque Dominus posset. Vnde postea lege Maniliâ cautum est, vt quoties de his quinque pedibus controuersia esset, arbiter siue agri mensor eligeretur, qui eos regeret, atque suâ constitueret.

XLVIII. [illegible] arboris quæ in alienum agrum impendet, ramos quindecim pedes altius à terrâ circumlucere ius esto [illegible].

Hoc ideo statutum est, ne vmbra arboris vicino prædio noceret. Extat apud Vlpianum iurisconsultum in lib. 1. ff. de arboribus cædendis.

XLIX. Glandem suam in alienum fundum procideutem colligendi ius esto vicino.

Huius legis facit mentionem Plinius *lib. 16. cap. 1.* Et glandis nomine omnis fructus continetur. *leg. vni. ff. de glande legen. & l. qui venenum ff. de verb. signif. a*

L. Vt si vicini inter se iurgant Finibus regundis, arbitros tres darent: e quæ totius rei ius, arbitrium que permitterent.

Huius legis pars inuenitur apud M. Tullium *libro 1. de legib.* Fines vocantur agrorum termini ac limites: & regi dicuntur, quoties vnusquisque ager propriis finibus terminatur.

LI. De iniuriis aliisque delictis.

Si quis actitauerit, siue carmen condiderit, quod infamiam flagitiumue alteri precetur, capite punitor.

Mentio huius legis est apud Ciceronem lib. 4. de republica, & apud Augustinum lib. 2. de ciuitate Dei, cap. 9. constituitur capitis pœna in scriptores libellorum famosorum. Quidam hanc legem sic recitant.

Si quis carmen occentassit, quod alteri flagitium parit, capitale esto.

Occentassit. Antiqui dicebant pro eo quod est conuitium facere. Flagitium item veteres infamiam appellabant. Flagitium facere, conuiciis aliquem lædere. Apud Græcos ait Augustinus loco citato, fuit lege concessum, vt quod vellet comœdia nominatim, vel de quo vellet, diceret. Itaque quem illa non attingit? vel potius quem non vexauit? cui pepercit? At contra Cicero *lib. 4 de R publ. & Thusculana 4.* ait: *Nostræ tabulæ duodecim cùm perpaucas res capite sanxissent, in his tamen sanciendum esse capitis pœnam putarunt.* Vnde Arnobius *lib 7. carmen malum inquit, conscribere, quo fama alterius coinquinetur, & vita, decemviralib. scitis euadere noluistis impune.*

LII. Si iniuriam alteri faxit, XXV. æris pœna sunto.

Apud Agellium *lib. 20. cap. 1.* Phauorinus Philosophus Academicus hanc legem improbauit, veluti mollem & remissam, vbi sic inquit: *Quod dixi, videri quædam esse impendio molliora, nonne tibi quoque videtur esse dilutum, quod ita de iniuriâ vniendâ scriptû est? Si iniuriam alteri faxit, viginti quinque æris pœna sunto. Quis enim erit tam inops, quem ab iniuriâ faciêdâ viginti quinque asses deterreant? taque cùm eam legê L. quoque Labeo veteris libris quos ad 12. Tabulas conscripsit non probaret, inquit, L. Veratius fuit egregiè homo improbus, at que immani vecordiâ. Is pro delectamento habebat os hominis liberi manus suæ palmâ verberare, eum seruus sequebatur, crumenam plenam assium portitans, & quemcunque depalmauerat, numerari statim secundum 12. Tabulas, 25. asses iubebat. Pro terea, inquit, Prætores, hâc abolere cere & relinqui censuerunt, iniuriisque æstimandis recuperatores se daturos edixerunt.* Hæc Phauorinus. Sex. autem Cæcilius legem defendens, ait, non omnes iniurias hac pœnâ æstimatas fuisse, sed leuiores tantùm, & hanc paucitatem assium, graue pondus æris fuisse, cùm populus Romanus eâ tempestate librariis assibus vteretur.

LIII. Si membrum ruperit, è pacto talio esto.

Repetitur hæc lex apud Agellium *lib. 20 cap. 1.* Et apud Festum *in voce Talio.* Et apud Iustinianum institut. de iniuriis §. pœna.

Vult lex vt de graui & atroci etiam illatâ iniuriâ pacisci liceat: sed (à pacto) i. e. sine pacto, vel extra pactum, Talionem esse pœnam. Notat etiam Phauorinus apud Agellium, hanc legem, vt iniquam, sic inquiens: *Nonnulla in istis decem virorû legibus, nec consistere quidem visa sunt. Veluti illa lex Talionis: cuius verba (nisi memoria me fallit) hæc sunt: Si membrum rupit meum, è pacto Talio esto. Præter enim vlciscendi acerbitatem, ne procedere quoque executio iusta talionis potest. Nam cui membrum ab alio ruptum est, si ipsi itidem rumpere per talionem velit, quæro an efficere possit rumpendi pariter membri æquilibrium. In quâ re primùm rei difficultas est inexplicabilis. Quid si membrum alter imprudens ruperit, quod enim per imprudentiam factum est, retaliari per imprudentiam debet. ICtus quippe fortuitus & consultus non cadunt sub eiusdem talionis simi itudinem.* Hæc & plura Phauorinus. Sed Cæcilius legem Decem virorum defendens, ait, Prædictam pœnam esse irrogatam, quia voluerit lex eo metu improborum hominum audaciam coërceri: nec in lege habitam esse rationem, prudénsne an imprudens, qui alteri membrum ruperit, quia lex opus ipsum punit, non voluntatem & animum. Nec acerbam esse talionis pœnam, quia qui ruperit membrum alteri, pacisci potest, ita vt talionem pati non cogatur, nisi eam ipse elegerit. Hactenus ex illo Auctore. Ad Talionem non ante veniebatur, quàm is qui iniuriam fecerat, pacisci nollet: imo & ad id æstimationem iudicis redigi solitum fuit: nam si reus, qui pacisci noluerat, iudici Talionem imperanti non parebat, æstimatâ lite iudex hominem pecuniæ damnabat. *Talio*, inquit Isidorus, *est similitudo vindictæ, vt quis taliter patiatur, qualiter fecit.* De Talione Athenienses legem habuerunt, & ante Romanos & Athenienses Hebræi. Pœnæ grauitas improbos à maleficiis patrandis, & iniuria facienda deterret.

LIV. Si os fregit æris sunto.

Similiter apud Agellium *lib. 20. cap. 1.* habetur hæc lex, & apud Iustinianum. *instit. de iniuriis. §. Pœna.* Cæcilius apud Agellium. *Iniurias*, inquit, *atrociores, vt de osse fracto, non liberis modo, verùm etiam seruis factas impensiore damno vindicauerunt.* Iustinianus autem: Pœna iniuriarum ex L. 12. Tabularum, propter membrum quidem ruptum talio erat: propter os verò fractum, nummariæ pœnæ erant constitutæ, quasi in magnâ veterum paupertate.

LV. Si in tuo alienum pecus pascatur, de pastu pecoris actio esto.

Voluerunt Decemuiri concordiam inter ciues tueri, & caussas litium & controuersiarum præcidere, ideóque hæc leuia in suas tabulas retulerunt. Hæc legitima actio de pastu pecoris tunc competebat, cum in meo tuæ pecudes meum aliquid depastæ essent.

LVI. Si quadrupes pauperiem fecerit: ei cuius interierit in eum, qui dominus erit quadrupedis, actio noxalis esto.

Extat hæc lex apud Vlpianum. *l. 1. ff. si quadru. paup.* Voluit hæc lex aut dari animal quod nocuit, & noxam commisit, aut æstimationem noxæ offerri. Noxa, est ipsum delictum: Pauperies dicitur damnum siue iniuria facientis datum. Animal enim iniuriam non facit, quadrupes verò est animal non ferum & indomitum, sed in potestate, & curâ hominis constitutum. Hanc legem Decemuiri ex Solone sumpserunt: qui legem Atheniensibus tulit teste Plutarcho, vt canis, qui cuipiam nocuisset, trunco quatuor pedum longitudine alligato dederetur.

LVII. Vt qui alienas arbores iniuriâ cecidisset, in singulas æris viginti quinque lueret.

Habetur hæc lex apud Plinium libro decimo octauo cap. 1.

LVIII. De Furtis.

Qui noctu furtum faxit, aut interdiu telo se defenderit, ei domino cum clamore testificanti occidere ius esto. Si neque noctu, neque telo se defendens prehendatur, virgis cæsus ei cui furtum fecit addicitor. Seruus verberibus affectus, de Saxo deiicitor. Impubes arbitratu Prætoribus verberator.

Memorat hanc legem *Agellius l. 20. cap. 1. & lib. 11. cap. 18. Extat in l. plebs. ff. de verb. signif.*

Draco, teste Agellio, furtum cuiuslibet modi supplicio capitis puniendum sanxit. Solon dupli pœnam in fures constituit. Apud Ægyptios furta omnia impunita fuerunt, apud Lacedæmonios verò ius & vsus furandi fuit, non ob turpia lucra, neque ad sumptum libidini præbendum, sed ad exercitationem & disciplinam rei bellicæ.

LIX. Si adorat furtum, quod nec manifestum erit, duplionem luito.

Extat apud Agellium lib. 11. cap. 18.

Adorare apud antiquos idem erat quod agere, teste Festo.

LX. Furta per lancem, liciumque concepta, sicuti manifesta vindicantor

Apud Agellium, eodem libro, & capite præfato Quæ sint furta per lancem, liciumque concepta, explicat Alexander *lib. 6. Genialium dierum, cap. 10.* vbi ait ea esse cùm fures in alienas ædes penetrabant, & licium ferebant, quo furta alligarent, & lancem præ oculis, ne innotescerent. Alij verò explicant sic: Fures quidem licio se accingebant, vt expeditiores essent ad quærendum quæ furari volebant, & lancem oculis apponebant, vt fœminas deterrerent. Et hæc furta dicebantur per lancem & licium concepta. Obscura sunt verba, & licet apud Agellium legantur, ea tamen Agellius non explicuit.

LXI. Is, cuius ope, consilio furtum factum erit, dupli actione tenetor.

ne teneatur. Si seruus furtum faxit noxamue nocuit, sciente etiam domino, serui nomine actio esto: Dominus serui nomine non teneter. De furto pacisci liceatum esto.

Prima pars huius legis extat apud Labeonem Iurisconsultum, *in l. sæpe §. vlt ff. de verb. signif.*

LXII. Frugem aratro quæsitam, furtim noctu si pauerit, secueritue pubes suspensus Cereri necator, impubes verberator, noxamue duplionem præstato.

Descripta est lex Plinio *lib. 18. cap. 3.* constituit pœnam in eos, qui alienas fruges depauissent, aut demessuissent.

LXIII. Tignum iunctum ædibus, vineaque & concapus ne soluito. Qui illud iunxit, Domino dupl m præstato.

Extat apud Festum *in voce Tignum.* Extat etiam apud Caium. *in l. adeo ff de acquiren. re um domi* Et apud Vlpianum *in l. 1. ff. de tigno iuncto* Et apud Iustinianum Inst. *de rerum diuisio. §. cum in suo.* Tigni nomine, vt aiunt Vlpianus & Caius locis citatis intelligitur omnis materia, ex quâ ædificium constat, etiam tegula, lapis testa, calx, arena.

Legis sententia est: Ne quis alicuius alterius tignum, hoc est ligna, cæmenta, & alia ex quibus ædificium constat, suis ædibus iungeret, inuito, cuius tignum esset: Ne quis item quæ sunt necessaria alicui ad vineam alteri, surripiat, cuiusmodi sunt pedamenta, perticæ, & quæ sunt generis eiusdem.

LXIV. Ne quis vnciario fœnore amplius exerceto.

Variæ erant vsuræ species apud Romanos. Summa vsura, quæ & vsura centesima, & as vsurarius dicebatur, erat, cùm pars sortis centesimæ singulis mensibus pendebatur, i.e. cùm de centum aureis singulis mensibus vnus, & singulis annis duodecim soluebantur.

Vsura deunx dicebatur, cum singulis annis in centenos vndecim pendebantur, Dextans cum decem, Dodrans, cum nouem: Bes, cum octo: Septunx, cum septem: semis, cum sex: Quincunx, cum quinque: Triens, cum quatuor: Quadrans, cum tres: Sextans, cum duo: Vnciaria, cum vnus pendebatur, & de hac loquitur lex.

LXV. Iurisiurandi ad fidem adstringendam præcipua vis esto.

Cicero *lib. 3. de offi iis: Nullum, inquit, vinculum ad adstringendam fidem iureiurando maiores nostri arctius esse voluerunt.* Id iudicant leges 12 Tabularum.

Alij leges XII. Tabularum ita digerunt.

Tabula I. de rebus sacris & religiosis,

1. Diuos castè adeunto: pietatem adhibento, opes amouento. Qui secus faxit, Deus ipse vindex erit. 2. Separatim nemo habessit deos: néue nouos siue aduenas, nisi publicè ascitos, priuatim colunto 3. sacra priuata perpetua manento. 4. Res litigiosa ad sacrum vsum ne delegator. 5. Quique non paruerit, capitale esto. 6 Feri s iurgia amouento, eásque in famulis, operibus patratis, habento. 7. Ritus familiæ patrúmque seruanto 8. Constructa à patribus delubra habento: Lucos in agris habento, & Larum sedes. 9. Sacrum sacróue commendatum qui clepserit rapseritque, parricida esto. 10. Periurij pœna diuina exitium humana dedecus esto. 11 Sanctè vita redduunto, 12. Ne quis sepulchra deleto, néue alienum inferto,

Tabula II. de legibus & magistratibus.

1. Salus Reipub. suprema lex esto. 2. Quodcunque postremùm populus iusserit, ius ratumque esto. 3. Senatibus id m ius esto, quod Fortibus. 4. Priuilegia non irroganto. 5. De capite ciuis Romani, nisi per maxim im comitiatum, ne ferunto. 6. Sol occasus suprema tempestas esto. 7. Imperia iusta sunto: iis ciues modestè ac sine recusatione parento. 8. Quodcunque Senatus decreuerit, agunto. 9. Quodcunque is, qui bellum gerit, imperassit, ius ratúmque esto: & ab eo, qui militiæ imperabit, prouocatio ne esto. 10. Minores magistratus periti iuris plures in præ ia sunto. 11. Plebis, quos pro se contra vim, auxilij ergo creassit, tribuni eius sunto; quódque hi prohibessint, quódque plebem rogassint, ratum esto, sanctique sunto, néue plebem orbam tribunis relinquunto 12. Ædiles curatores vrbis annonæ, ludorúmque solemnium sunto: ollisque ad honoris amplioris gradum is primus ascensus esto. 13. Censores populi ciuitates, familias, pecuniásque censento. Bini sunto: magistratum quinquennium habento: cœlibes esse prohibento. 14 Eundem magistratum, ni interfuerint decem anni ne quis capito. 15. Magistratus nec obedientem & nocuum ciuem mulctâ, vinculis, verberibúsue coërcento: nisi par maiórue potestas populúsque prohibessit, ad quos prouocatio esto. 16. Promulgata proposita, in ærario condita: nec plus, quàm de singulis rebus ferre consulunto: censoréque fidel legem custodiunto: priuati ed eos acta referunto, nec eò magis lege liberi sunto. 17. Moneta sacra existimantur.

Tabula III. de iudiciis.

1. Si in ius vocat, nei it antistator: igitur im capito: si caluitur, pedémue struit, manum endo iacito. 2. Si in ius vocato morbus æuitásue vitium sit, qui in ius vocasit, iumentum dato: si volet arceram, ne sternito. 3 Si status condictus dies intercedit cum hoste, ito. 4. Si quid hor m fuit vitium iudicis arbitróue reóue, dies diffissus esto. 5 Si quis vocationi fiat, testam ni: igitur im capito antestato. 6. Iudicem arbitrúmue iure datum, qui ob rem dicendam accepisse pecuniam, conuictus est, capite punito. 7. Iuris disceptatori qui priuata iudicet, iudicatiue iubeat, prætor esto: Is iuris ciuilis custos esto, huic potestati parento: quos is, Senatus crearit, populúsue iusserit tot sunto. 8. Cum populo patribúsque agendi ius esto consuli, prætori, m gistro populi equitumque, eique quem produnt patres consulum rogandorum ergo, tribu isque, quos populus rogassit. 9. Vis in populo abesto. 10 Æris confessi, rebusque iure iudicatis, triginta dies iusti sunto. Pòst deinde manus iniectio esto: in ius ducito, ni iudicatum facit.

Tabula IV. de potestate priuatâ.

1. Vendendi statuliberos ius potestásque esto 2. Si patronus cl enti fraudem fecerit, sacer esto 3. Si pater filium ter venumduit, filius à patre liber esto: liberos cæteros, si semel venumduit, lui iuris so to. *Alij hanc legem sic legunt.* Patri endo filio, vitæ necisque potestas esto: terque in venundaries ious esto. Parentes liberos educare coguntor: & decimo mense legitim s infans nascitor. 4. Filius arte carens patris incuriâ, eidem necessaria vitæ subsidia ne præstato. 5. Seu puer parenteis verberit, ast ouiloe plorassint, puer diueis parentum sacer esto: sei nuius, sacra diueis parentum esto. 6. Tutores liberis in potestate constituendis testamento parentis danto: Si non sint dati, qui successionem sperant, tutores sunto. 7. Si aliqua sit infirmarum propter pupillos iudicato. Tutor autem cum matre pup. lorum ne habitato. 8. Si furiosus existit, ast ei custos nec esset, agnatorum gentiliúmque potestas esto. 9. Prodigo bonorum suorum administratio interdicta esto. 10. Suspecti tutores remouentor. 11 Mulieres orbæ innuptæ in fratris agnatiue proximi tutelâ sunto.

Tabula V. de connubiis.

1. Vxor farreatione iuncta viro in sacra & bona viri transito, & is diuertendi non habeto. 2. Vxor per coëmptionem marito tanquam filia ex asse. si sine liberis & intestatus decedat, quod si liberos habeat, ex æquo cum illis succedito. 3. Quæ mulier cùm sui iuris esset, vnum annum apud virum matrimonij causâ fuit, ea, nisi trinoctium vsurpatum ierit, pro vsucaptâ habetor. 4. Si mulier temetum biberit, pœna cum propinquis statuitor: sed adultera in facto deprehensa occidendi ius & potestatem maritus habeto. 5. Incestum Pontifices supremo sanciunto. 6. Si vir aut mulier alter alteri nuntium miserit, diuortium esto, mulieres suas sibi habeto, vir mulieri adimito eiicitóque. 7. Mulier post obitum mariti intra decem menses non nubito: si nupserit, vaccam immolato. 8. Mulierem, quæ prægnans mortua est, non sepelito néue vrito, antequam partus excisus fuit. Qui contra faxit, spem animantis cum grauidâ peremisse videbitur. 9. Vim ingenuæ virgini inferre, aut eam suasione in tuam sententiam trahere, caueto.

Tabula VI. de homicidiis.

1. Sei quis hominem liberum sciens dolo malo morti duxit parricida esto: seu imprudens sè dolo malo occisit, pro kapite occisei & natis eius endo concione arietem subicito 2. Si membrum rupit ni cum eo pacit, talio esto. Propter os verò fractum nummariæ pœnæ constitutæ sunto.

Tabula VII. de rerum administratione.

1. Viæ latitudo in porrectum octo pedes: in anfractum sedecim habeto. Si qui sepem vel maceriam iuxta alterius regionem effoderint, terminum ne excedunto. Si autem murum, pedem vnum: si domum duos pedes relinquunto: si puteum: passum: Oliuam autem, aut ficum, nouem pedes ab extraneâ regione plantato. In cæteris autem arboribus quinque pedes seruanto. Si in agrum alterius arbor impendeat vtque quindecim pedes, à terrâ altiùs coërcito. Et ne vmbra arboris vicino prædio noceat, quindecim pedes altiùs ramos arboris circumcidito. Glandem in alienum fundum procidentem colligere fas esto. Si aqua pluuia nocet, arcesto. 2. Vsus authoritas fundi biennium esto: cæterarum rerum omnium vsus annus esto. 3. Quod surreptum erit, eius æterna authoritas esto. 4. Vti paterfamiliâs legassit super pecuniæ tutelæue rei suæ, ita ius esto. 5. Cùm nexum faciet mancipiumque, vti lingua nuncupassit, ita ius esto. 6. Qui erit testator libripénsue fuerit, si graui crimine damnetur, in testimonium feriatur improbus intestabilisque esto. 7. Intestatorum hereditates primò suorum hæredum velint nolintue, sunto. His deficientibus

tibus, agnatus proximus familiam habeto. 8. Cohæredes à communione dirimendo certes, agunto. Vti rerum, si hæredes partem quisque suam habere mallent, familiæ erciscundæ arbitrum sumerent, cui totius rei ius arbitriumque permitterent. Pro hæreditariâ parte debitores hæredibus obligati sunto. Pro hæreditariis portionibus vicissim hæredes tenentor. 9. Quisque in agrorum suorum finibus lapides Ioui terminali consecrato, sacraque quotannis ibidem facito. Si verò per fraudem terminum mouisset, vel exarasset, ipsius & boues sacri sunto. 10. Venditæ res & traditæ post pretium solutum, aut si alio modo satisfactum existat, emptori acquiruntor. 11. Si nox furtum faxit, si im aliquis occisit, iure cæsus esto. 12. Si adolat furto, quod nec manifestum sit, duplione damnum decidito. *Oldendorpius hanc & præcedentem legem ita concipit*: Furem, qui manifesto furto prehensus erit, si furtum aut noctu faciat, aut interdiu comprehenderetur, se telo defendat, occidito. E ceteris manifestis furibus, liberos verberato, & ei, cui luci factum furtum erit, si se telo non defendat, addicito: pueros impuberes prætoris arbitratu verberatu, noxamque ab his factam sarcri facito. 13. Furta, quæ per lancem liciumque concepta erunt, sicut manifesta vindicato. 14. Tignum alienum fartiuum ædibus vel vineis iniunctum ne quis eximere cogitor, sed duplum pro eo per actionem de tigno iniuncto præstare compellitor. 15. Si seruus sciente domino furtum faxit aliamue noxam nocuerit, dominus noxæ dedito: *Oldendorpius aliter refert eandem legem.* Seruos manifesto furto prehensos verberibus afficito, & è saxo præcipitato. 16. Si quadrupes pauperiem faxit, dominus sarcito, noxæ debito. 17. Ex causâ depositi in duplum actio esto. 18. Ne quis vnciario fœnore ampliùs exerceto. 19. Si fruges excantasit, pœnas dato: neue alienam segetem pellexeris excantando. Ne incantanto, ne agrum defrugando. Ne frugem aratro quæsitam, nocte furtim depascunto. Puberes si secanto. Cereri eos inspendunto. Impuberes, arbitratu prætoris verberanto, ac noxam duplionemue decernunto.

Tabula VIII. de testimoniis ferendis.

1. Vt qui falsum testimonium dixisset, è saxo Tarpeio deiicitor. 2. Qui se sierit testarier libripensue fuerit, in testimonium feriatur, improbus intestabilisque esto. 3. Vt iurisiurandi ad fidem astringendam præcipua vis esset. 4. Si iniuriam alteri faxit. 25. æris pœnæ sunto. Si quis occentassit malum carmen siue condidisset, quod infamiam faxit flagitiumue alteri, capitale esto. 5. Defuncti iniuriâ ne afficiuntor.

Tabula IX.

Nihil certi potest affirmari de hâc tabulâ, tractaueritne de de materiâ iniuriarum, an verò leges quasdam prohibitiuas seu negantes, quemadmodum sequens, continuerit.

Tabula X. de legibus sumptuariis.

1. Hominem mortuum in vrbe ne sepelito néue vrito. 2. Sumptum minuito: Tria si volet reiicinia & vincula purpuræ & decem tibicines adhibeto: hoc plus ne facito. 3. Rogum ascia ne polito. 4. Homini mortuo ne ossa legito, quos post funus faxit. 5. Vnctura seruilis tollatur, omnisque circumpotatio: ne respersio, ne longæ coronæ, nec aceræ. *Forsterus hoc fragmentum ita concipit*: Cadauer ne vngito, vino rogum ne respergito: ne in funere circumpotatio: ne longæ coronæ sepulchris imponantur: ne aceræ funeris ergò ponantur. 6. Muratam potionem mortuo ne indito. 7. Vni plura funera ne facito, lectosue plures ne inferto, néue aurum addito. 8. Rogum bustumue nouum propiùs 60. pedes, alienas ædes, si Dominus nolet, ne adiicito. 9. Qui coronam parit, ipse, pecuniáue eius (*scil. serui*) virtutis ergò arguitor, ipsique mortuo, parentibusque eius, dum intus positus sit forisue effertor, sine fraude imposita esto. 10. Quos auro dentes vincti essent, ast in cum illo sepelire vreréue se fraude esto. 11. Mulieres genas ne radunto, néue lessum funeris ergo habento.

Tabula. XI. & XII.

Hæ duæ tabulæ fuerunt additionales; vnde leges XII. tabb. appellatæ fuerunt ex accidentiâ, teste Pomponio Icto. Referunt autem ad has duas tabulas *ius feci alium*, & istam legem: *Ne plebi connubium esset cum patribus.* Atque hæc sunt fragmenta potiùs, quàm leges XII. tabularum: de quibus vide annotationes criticorum & Ictorum.

Leges Romanorum à diuersis magistratibus latæ.

III. *Leges Romanorum à diuersis Magistratibus latæ.*

Præter leges à Regibus latas, & præter leges 12. Tabularum quas Decemviri exactis Regibus ex Græcis legibus descriptas dederunt, & aliæ leges à diuersis magistratibus institutæ: quarum *quædam ad ius sacrum pertinebant*; cuiusmodi fuerunt lex Sulpitia, Sempronia, lex Papiria de templis, & aris dicandis & consecrandis, Hortensia de nundinis, Publicia de Cereis: Cornelia de Feriis, Licinia, Roscia, Iulia de ludis, de spectaculis: de locis siue sedibus ordinum in spectaculis: Cornelia de sumptibus funerum: Sextia Licinia de sacerdotibus: Ogulnia de auguribus & pontificibus: Manlia de Triumuiris Epulonum; Claudia de sacerdotiis: Papia de virginibus Vestalibus.

Aliæ leges fuerunt de ciuitate, & iure publico ciuium Romanorum: qualis erat Valeria, vt esset prouocatio Magistratuum ad populum. Ne quis vllum magistratum sine prouocatione crearet, & qui creasset, iure posset occidi, néue ea cædes capitalis noxia haberetur. Portia ne quis Magistratus ciuem Romanum virgis cæderet, necarétue: sed damnato exilium permitteret: cùm antea duorum ceruix inferretur furcæ, corpus virgis ad necem cæderetur. Semproniæ item leges, ne de capite ciuis Romani, iniussu populi iudicaretur: vt qui Magistratus indictâ causâ, in ciuem Romanum animaduertisset, de eo populi quæstio constitueretur. Papia lex: Vt peregrini vrbe Româ expellerentur: quod etiam postea statuit, & Iunia lex, vt peregrini vsu ciuitatis prohiberentur: quam legem Cicero *libro tertio de officiis*, vt inhumanam reprehendit. Fuit item lex Iulia, vt Itali ciuitate donarentur: & Sempronia, vt sociis Latinis ius suffragij ferendi perinde vt ciuibus Romanis esset, & Seruilia, Vt si quis Latinus Senatorem Romanum accusando condemnasset, is ciuis Romanus esset: Calpurnia, vt milites virtutis ergo ciuitate donarentur. Mensia, vt ex alterutro peregrino natus, deterioris parentis conditionem sequeretur.

Fuerunt & aliæ leges ad ius publicum pertinentes de Comitiis habendis: cuiusmodi sunt Ælia lex, vt quoties cum populo ageretur, Augures de cœlo seruarent. Item vt Magistratus & obnuntiandi, & legislationi intercedendi potestatem haberent: & Fusia, vt certis diebus, qui tamen fasti essent, agi cum populo non liceret: Clodia, vt omnibus fastis diebus legem ferri liceret. Vnde Cicero *pro Sestio ad Pisonem*, & alibi toties queritur Claudium propugnacula, & muros tranquillitatis atque otij euertisse. Curia, vt ante comitia, Magistratuum Patres auctores fierent: Claudia, ne in Magistratuum Comitiis absentium ratio haberetur.

Fuerunt etiam leges de suffragiis per tabellam ferendis, quæ leges tabellariæ dictæ sunt. Primùm enim Romani per multos annos voce suffragium tulerunt, postea verò, vt quisque liberiùs suam sententiam proferre posset absque metu periculi, inuentæ tabellæ sunt, idque quibusdam legibus fuit constitutum: Huiusmodi fuerunt Gabinia, Cassia, Papiria, Cælia, Sempronia, Mariana.

Latæ sunt & aliæ leges de Senatu habendo, & de Senatoribus creandis, Cania, Claudia, Sulpitia, Ouinia, Sentia, Galbinia, Papia. Aliæ de Consulibus. Aliæ de Prætoribus, Aliæ de Censoribus, de Dictatore, de Quæstionibus, de Tribunis plebis, de Ædilibus Curulibus, de Triumuiris capitalibus. Fuerunt aliæ de Legum vi & potestate, qualis fuit Horatia: vt quod tributim plebs iussisset, populum teneret, teste *Liuio lib. 3. Deca. 1. & Dionysio lib. 2.* quam legem postea confirmauit & extendit Hortensia, vt eo iure quod Plebs statuisset, omnes Quirites tenerentur, cùm antea Patritij non stringerentur. Teste Agellio lib. 15. capit. 27. quam etiam legem confirmauit Publitia lex. Fuit etiam lex Cæcilia & Didia, vt in legibus promulgandis trinæ nundinæ seruarentur, quam confirmauit lex Iunia & Licinia. Fuit etiam Eburia, vt XII. Tabularum capita, quæ inutilia essent reipublicæ, tollerentur.

Fuerunt item multæ leges de Prouinciis gubernandis, de coloniis deducendis. Fuerunt & multæ, quæ dictæ sunt Agrariæ leges, quòd de agris populo diuidendis statutæ fuerint, veluti Cassia, Licinia, Flaminia, Rubria, Sempronia, Bæbia, Apuleia, Titia, Martia, Cornelia, Seruilia, Flauia, Iulia. Aliæ fuerunt de terminis siue limitibus agrorum, vt Sempronia, Manilia, Cornelia, Iulia.

Fuerunt aliæ leges frumentariæ; qualis fuit Sempronia, vt semisse triente frumentum menstruum plebi ex publico viritim darentur. Terentia & Cassia, vti frumentum alteræ decimæ à Prouinciis coëmerentur, pretio in singulos modios HS quatuor constituto. Cicero Verrinâ V. Et Clodia, vt frementum populo, quod antea semissibus ac triennibus in singulos modios dabatur; gratis daretur.

Fuerunt præterea leges Sumptuariæ dictæ, nomen inde sortitæ, quòd modum sumptibus in conuiuiis præscripserint. Cùm enim à veteri & auitâ Maiorum parsimoniâ Romani discederent, & nullum modum luxuria inueniret, legum animaduersione opus fuit. Et ita lata est Orchia, quæ numerum conuiuarum definiebat: deinde Fannia, quæ præscripsit numerum assium impendendorum singulis diebus, & singulis mensibus: & Didia & Lycinia, & Cornelia, quæ conuiuiorum magnificentiam moderabantur ac temperabant.

Latæ quoque leges fuere de iure priuato, & primùm de manumissione & libertis, Manlia, vt ij, qui manumitterentur, fortunarum

natum suarum vigesimam ærario darent. Liuius *lib. 7. Decadis*: Falia, Carnia, vt in testamentum ex tribus seruis non plures, quàm duos manumittere liceret, vsque ad decem, dimidium partem, à decimo vsque ad triginta, tertiam partem, vt tamen adhuc quinque manumittere liceret: æque vt ex priori numerò à triginta vsque ad centum, quartam partem, ita vt æque decem ex priori numero manumitti possent: à centum vsque ad quingentos: partem quintam, similiter & ex antecedenti numero viginti quinque libertate donari possent. Itẽ ne plures omnino quàm centum ex cuiusquam testamento manumitti possent: prætereà, vt libertates seruis testamento nominatim darentur.

Fuit etiam lex Ælia Sentia, vt qui serui pœnæ causâ vincti à Domino, quibusue inustæ notæ fuerant, quiue propter noxam torti, nocentésue inuenti, quiue traditi ad metalla, aut vt cum bestiis depugnarent: quiue in custodia fuissent si manumitterentur, non ciues Romani, sed in Dedititiorum numero essent, hoc est, nec connubium, neque commercium, neque testamenti factionem haberent. Item vt minorem triginta annis seruum, vindictà aut testamento, nisi causâ apud consilium probatâ, manumittere non liceret. Item: Ne Dominus annis viginti minor, seruum, nisi causâ apud consilium probatâ, manumittere posset. Item, vt seruus ab eo Domino: qui soluendo non esset, testamento liber esse iussus, & hæres institutus, & si minor esset triginta annis, vel in eâ causâ, vt Dedititius fieri deberet, ciuis Romanus, & hæres esset. Item: Patronus prohibebatur adigere iureiurando, ne nuberet liberta, néue libertus liberos tolleret. Prætereà si duo, pluresue liberi & hæredes esse iussi fuissent, primo loco scriptus, liber & hæres esset. Insuper: Vt si patronus libertum inopem non aleret, primùm tam ipse quàm is, ad quem ea res pertinet, mulctaretur: deinde ipsius hæreditate tum ipse, tum eius liberi priuarentur, nisi hæres esset institutus: postremò, à bonorum possessione remoueretur, præterquam secundum tabulas. Denique prohibebantur patroni liberos obligare, vt mercedem operarum præstarent onerandæ libertatis causâ: & vt libertus patronpingratus in seruitutem redigeretur.

Lex Iunia Norbana fuit: vt ij serui, qui neque censu, neque vindictâ: neque testamento, sed aut per epistolam, aut inter amicos, aut conuiuij adhibitione liberi fierẽt, non ciues Romani, sed eodẽ iure quo Latini coloni essent. Fuit & Papia lex de iure patronatus, vt ex bonis liberti, qui H S. centum millium patrimonium reliquerat, & pauciores quàm tres liberos habebat, siue is testamento facto, siue intestatus mortuus esset, virilis pars patrono deberetur. Itaque cùm vnum quidẽ filium hæredem reliquerat libertus, perinde pars dimidia patrono debebatur, ac si absque filiis intestatus decessisset. Cùm verò duos filios relinqueret, tertia pars patrono debebatur: si tres relinquebat, patronus repellebatur.

Fuerunt aliæ leges de iure Connubiorum: prima Canuleia, vt plebi cum Patribus connubiorum ius esset contra XII. Tabulas. *Liuius Decadis* 1. *libro* 4. *Augustinus lib.* 5. *de ciuitate Dei cap.* 17. Iulia & Papia: Ne cœlibes, nisi qui genere essent proximi, quicquam ex testamento ciuis Romani caperent, neue orbi, plusquam dimidium eorum, quæ relicta essent. Item ne coniux coniugis testamento, nisi decimam relictorum partem caperet, fiscus reliquas nouem: Item fœminis lex Iulia à morte viri annuam tribuit vacationem, à diuortio sex mensium. Lex verò Papia à morte viri, triennij, à repudio, anni, & sex mensium. Item. Ne qui Senator esset, quiue filius, nepos pronepósue ex filio, vel filiâ natus, sponsam, vxorémue sciens dolo malo duceret Libertinam, aut eam, quæ ipsa, cuiusue pater, materue artem ludicram faceret, fecissetue, nec item cæteri ingenui lenam à lenone manumissam, vel in adulterio deprehensam, & iudicio publico damnatam, aut quæ artem ludicram fecisset. Item: Neque sponsalia rata essent, nisi statim exacto biennio nuptiæ fierent: hoc est, ne puellæ decem annis minores ducerentur: quia annus ætatis duodecimus, maturus coniugio habebatur. Item, vt qui liberos, quos haberent in potestate, iniuriaque prohibuissent vxores ducere, vel nubere, à Magistratibus cogerentur in matrimonium collocare, & dotare. Insuper: Vt patriciis liberum esset vxores Libertinas ducere: præterquam si Senatores, Senatorúmue liberi essent.

Lex Papia instituit, ne quinquaginta annis minor fœmina sexagenario nuberet, neue hâc ætate iuniori vir quinquagenariam fœminam vxorem duceret.

Latæ etiam leges fuerunt *De Tutelis*, quæ fuerunt quatuor, Attilia, Lætoria, Iulia, Titia, & Claudia.

Fuerunt etiam leges de Testamentis, hæredibus, & legatis: hæ nimirum, Furia, Voconia, Falcidia, Cornelia, Iunia, Velleia, Iuliæ tres, & Papia. Fuerunt aliæ de vsucapionibus, de successione bonorum, & de Furtis: Atinia, Iunia, Plantia.

Aliæ multæ latæ fuerunt leges de re nummariâ, & fœnore, aliæ de iudicibus, donis & muneribus, & de iudiciis.

Postremò fuerunt leges de criminibus publicis, & eorum pœnis, videlicet, de crimine læsæ maiestatis quinque, Appuleia, Varia, Valeria, Cornelia, & Iulia. Aliæ de adulterio, vt Iulia. Aliæ de Sicariis, Veneficis, Homicidis, & Parricidis, vt Cornelia & Pompeia. Aliæ de crimine falsi, vt Cornelia. Aliæ de vi illatâ, vt Plantia, Clodia, Pompeia, Iulia, Prædia, Cornelia: item de Peculatu, hoc est, furto pecuniæ publicæ, & de sacrilegio, vt Petilia & Iulia. Item de Ambitu, vt Petilia, Bæbia, Æmilia, Mariana, Fabia, Acilia, Calpurnia, Tullia, Aufidia, Licinia, Pompeia, Iulia. Aliæ de pecuniis repetundis, vt Portia, Calpurnia, Iunia, Seruilia, Acilia, Cornelia, Iulia. Insuper aliæ de Lusu, vt Cornelia, ne quis in ludo sponsionem faceret, nisi suscepto virtutis & corporis exercendi causâ: veluti si certatur de hasta, piláue iaciendâ, currendo, salicudo, luctando, pugnando. Eandem legem confirmauit lex Publitia, & lex Titia de lusu. Est etiam lusus aleæ, & talorum legibus interdictus. Denique paganâ lege in plerisque Italiæ populis curabatur, ne mulieres per itinera ambulantes, torquerent fusos, aut omnino detectos ferrent, quoniam aduersaretur id omnium spei, præcipuéque frugum. *Plin. lib.* 22. *cap.* 8.

CAPVT IV.

Quomodo Iurisprudentia Romana methodicè sit disponenda.

PRÆCEPTA.

Alis est Iurisprudentia Romana vetus: noua est, quæ à Iustiniano in systema est redacta.

Ea disponi potest duobus modis: eo, inquam ordine, quem in Iurisprudentiâ generali expressimus, vel ita vt in Corpore Iuris ciuilis vulgò proponitur.

Prior modus paucis ita habet.

Præcepta in Iurisprudentiâ generali disposita retineantur, & singulis subiiciantur regulæ, leges, & tituli Institutionum, Digestorum, Codicis, & Iuris feudalis.

REGVLÆ


I. *Methodus Iurisprudentiæ Romanæ, quâ illa reuocatur ad certos locos communes, est varia.* Methodus Iurisprudentiæ Romanæ varia.

Nam alij minùs, alij magis methodicè materias vniuersi Iuris Iustinianei digesserunt: quâ de re consuli potest *Antonius Possevinus tom. 2. Bibliothecæ selectæ lib.* 13. Nobis hoc loco placet inserere methodum *Nicolai Vigelii*, quam ille sic adumbrat.

Totum ius ciuile, in septem partes commodè diuidi potest. Nam omne ius aut ad publicam, aut ad singulorum spectat vtilitatem: illud publicum, hoc priuatum ius vocatur. Spectant autem ad publicam vtilitatem: leges, magistratus, iudicia tam publica quàm priuata, religio, fiscus, res militaris & ciuitatum. Horum iura legésque Primam Iuris Ciuilis partem constituere possunt. Singuli verò ius habent aut in personis, aut in rebus: quibus sublatis, ipsum ius tolli necesse est. Sic ius habet in personâ serui Dominus, quod Dominicam potestatem vocant: in personâ liberti, patronus, quod Ius patronatus dicunt: in personâ pupilli, tutor: in personâ adulti, curator ius habet, quorum illud Tutela, hoc Cura nuncupatur: in vxoris personâ maritus, & contrà in mariti personâ ius habet, quod per nuptias constituitur. In personis denique liberorum, parentes ius habent, quod Patriam potestatem appellant. Ex hisce & similibus Iuris speciebus in personâ consistentibus cum suis causis & actionibus, Secunda pars Iuris Ciuilis confici potest.

In rebus autem habemus dominium, possessionem, vsumfructum, vsum, seruitutes, & similia iura, quæ cum suis causis & actionibus in Tertiam partem reiici possunt. Porrò sunt causæ Iuris generales, quibus Iura vel acquiruntur, vel conseruantur, vel amittuntur, vel denique amissa recuperantur. Acquiruntur iura per successiones tam ex testamento, quàm ab intestato, per legata & fideicommissa, per donationes item & vsucapiones, quæ causæ cum suis actionibus Quartæ parti possunt includi. Sed & adquiruntur iura per pacta & conuentiones, item per obligationes & actiones, quarum aliæ ex contractu, aliæ ex delicto nascuntur: illæ quidem Quintam, hæ verò Sextam partem constituere possunt. Conseruantur demum iura per exceptiones, & amittuntur per alienationes, capitis diminutiones, captiuitatẽ &c. recuperantur denique amissa iura per in integrum restitutionem, postliminium &c. cuius generis causæ in Septimam, eamque vltimam partem reiici possunt adiunctis duobus titulis generalibus de Verborum significatione, & de Regulis Iuris; quorum ille quidem leges declarat, hic verò confirmat.

Hoc modo Iure Ciuili in ſeptem partes diſtributo, tres quidem priores genera Iuris, cum ſingulorum generum cauſis & actionibus: quatuor verò poſteriores cauſas Iuris generales continebunt. Nam PRIMA quidem pars Ius publicum, SECVNDA vero Ius Priuatum, quod in perſonis: TERTIA demum Ius, quod in rebus habemus, tractabit. Cumque cauſæ vel in acquirendo, vel in conſeruando, vel in amittendo, vel denique id recuperando iure conſiſtant, tres quidem ſequentes partes, cauſas, quibus iura acquiruntur, poſterior verò reliquas continebit. Nam QVARTA pars comprehendet cauſas lucratiuas: putà ſucceſſiones tam ex teſtamento, quàm ab inteſtato, legata & fideicommiſſa, donationes & vſucapiones. QVINTA continebit pacta, obligationes, & actiones ex contractu: SEXTA obligationes & actiones ex delicto deſcendentes: SEPTIMA denique & vltima pars exceptiones, capitis diminutiones, captiuitates, in integrum reſtitutiones, poſtliminium, & alias ſimiles cauſas, quibus iura vel conſeruantur, vel amittuntur, vel amiſſa recuperantur, adiunctis dictis duobus Titulis generalibus. Hæ partes ſingulæ rurſus in libros, libri in capita, capita in quæſtiones ac membra ſubdiuidi poſſunt ſingulis generibus in ſuas ſpecies ac membra ſubdiuiſis, ſingulisque ſpeciebus ac membris per ſuos locos deſcriptis.



In hàc

In hâc methodo illud vehementer placet, quòd regulæ subiiciuntur singulis locis & titulis: etsi methodus ipsa non est adeò exquisita, vt patebit consideranti.

II. *Exquisitissima Iurisprudentiæ Romanæ methodus est, quando eadem series præceptorum retinetur, quæ est à nobis expressa in Iurisprudentia generali.*

Potest itaque hoc systema ita adornari.

Iurisprudentia Romana est ars æqui a Romanis recepti.

Ea tractat de fine, subiecto, & mediis, quæ respiciunt reip. Romanæ originem, & statum.

Origo reip. Romanæ est in materiâ & formâ.

Materia est in personis, rebus, & factis.

Personarum occurrit diuisio & potestas.

Diuisio personarum est imprimis ratione status & ordinis.

De statu hominum vide *Dig. 5. 1. Instit. 3. &c.*

Ratione status est homo liber, aut seruus.

Homo liber est ingenuus vel libertinus.

Ingenuorum conditio erat omnium optima apud Romanos, quippe qui & ciues Romani sint inde vsque à natiuitate, & communionem iuris à Romanis recepti indistinctè habeant. De ingenuis vide 1. *Inst.* 4.

De libertinis vide 1. *Inst.* 5.

De seruis vide 5. §. 1. *Inst. de iure personarum.*

Ex ordine homo est ciuis, vel peregrinus.

Ciuis est cum dignitate aliquâ, vel sine dignitate.

Et rursus cum dignitate imperiosâ, vel imperij experte.

Imperiosam dignitatem habet princeps, & post principem magistratus.

Principis dignitas est summa. 12. C. 8.

Eam proximè excipit dignitas magistratuum.

Inter hos prima est Senatus, altera Equestris, tertia Perfectissimatûs.

Rursus senatoriæ dignitatis gradus erant tres: supremus nimirum Illustrium, secundus Spectabilium, & tertius Clarissimorum.

Illustres sunt, qui sententiæ in Senatu dicendæ ius habent: inter quas quidam sunt Superillustres, nempe Patricij, Consules, & Consulares.

Illustratûs dignitatem seu gradum sequitur dignitas Spectabilium. Quo titulo ornantur Proconsules, legati ipsorum, Comes Orientis &c.

Postrema est Clarissimatûs dignitas, quâ ornantur omnes Senatores.

Post Senatoriam dignitatem est dignitas Equestris.

Hanc sequitur dignitas Perfectissimatûs, quam consequebantur hi, qui iudicio principis, vel ad præsidatum prouinciæ, vel aliam administrationem promoti fuissent: vt Præses Arabiæ & Dalmatiæ, Magistri census &c.

Dignitatem imperij expertem habent Pontifices, Sacerdotes, Milites armati & togati &c.

Ciuis sine dignitate est Scriba, Tabellio, Apparitor, Actuarius, Cohortalis, Lictor, Accensus &c.

Peregrinus est, qui cùm liber sit, ciuis tamen Romanus non est.

De his ordinibus vide *Vulteium lib. 1. Iurisprud. Rom. cap. 6.* vbi loca Iuris sunt adnotata in margine.

Ita Magistratus Romani ab eodem digeruntur d. l. cap. 11.

Ex his itaque constat, quomodo Iurisprudentia Romana possit μεθοδικώτατον disponi.

Quomodo autem regulæ possint colligi, aliquot exemplis planum faciemus.

1. *De lege Iuliâ Maiestatis.*

1. Hâc lege punitur crimen læsæ maiestatis: cui annumerantur contumacia in magistratum, ædificia ad æmulationem imperij extructa: item omnes actiones, quæ ad arma & seditionem spectant. 2. Crimen læsæ maiestatis committitur, si quis Cardinalem offenderit, si quis offenderit vel occiderit consiliarium principis: item si magistratus populi Romani, quiue imperium potestatémue habeat, occidatur: nisi occidatur tyrannus, qui non est hæreditario iure princeps. 3. Committitur crimen læsæ maiestatis, si arma, aurum, vinum vel alia victualia ad hostes transtulerit: item si trâstulerit ad hostes merces alioquin licitas, belli tempore. 4. Committitur crimen læsæ maiestatis, si cōspiratio facta sit. 5 Si quis incarceratum vel captiuum vi exemerit, aut se pro magistratu gesserit, committit crimen læsæ maiestatis. 6. Etiam liberi damnatorum ex lege Iuliâ maiestatis puniuntur. 7. Etiam is qui sciuit coniurationem, vel crimen læsæ maiestatis commissum iri, & non indicauit, propositâ accusatione tenetur. 8. Vltimo supplicii crimen læsæ maiestatis punitur. 9. In hoc crimine proceditur summariè, simpliciter, & de plano. 10. Damnati bona publicantur: itemque destruitur eius domus.

2. *De Interdicto Quorum bonorum.*

1. Si alicui bonorum possessio competit, interdicto Quorum bonorum corporale possessionem adipiscitur. 2. Interdictum Quorum bonorum datur aduersus possessorem rerum hæreditariarum. 3. Interdicti Quorum bonorum affine remedium est l. vlt. C. de edicto diui Hadriani toll. 4. Interdictum Quorum bonorum duplex est, Directum & Vtile.

3. *De Publicianâ in rem actione.*

1. Datur hæc actio ad rem, quam quis à domino bonâ fide comparauit, persequendam. 2. In Publicianâ actione actor non tenetur probare, auctorem suum non fuisse dominum.

4. *De Missione in possessionem. ex l. 3. C. de edicto diui Hadriani.*

1: Si quis in testamento hæres scriptus sit, potest vi constitutionis d. l. 3 exhibito testamento coram iudice petere, vt in possessionem rerum hæreditariarum mittatur. 2. Hoc beneficium etiam possessori hæreditatis competit.

5. *De C. Redintegrandâ.*

1. Interdicto vnde vi affine remedium est C. Redintegranda. 2. Hoc remedium C. Redintegranda est plenissimum remedium & magis generale. 3. C. Redintegranda competit, si quis de suâ possessione sit deiectus, vel etiam possessio eius occupata. 4. Remedium C. Redintegranda non solùm possessori competit, sed etiam conductori, mandatario, depositario, commodatario, & similibus. 5. Remedium C. Redintegranda non solùm aduersus deiicientem competit: sed etiam aduersus quemuis possessorem. 6. In hoc remedio veniunt etiam fructus, expensæ, & omnis causa. 7. Remedium C. Redintegranda perpetuum est, cui nulla temporis præscriptio nocet. 8. Hoc remedio conuentus nominare potest eum, cuius nomine possideat: estque dilatio ei hoc nomine danda.

6. *De Actione legis Aquiliæ.*

1. Damno alicui dato competit actio legis Aquiliæ. 2. Qui causam damni dat, damnum dedisse videtur. 3. Dominus domus non tenetur de incendio commisso per familiam vel hospitem 4 Ex damno dato aduersus hæredes dantis non datur actio. 5. Si ratione alterius damnū datum sit, is quoque cuius ratione damnum datum est, tenetur. 6. Si in corpore liberi hominis damnum datum sit, æstimatur damnum, & id quod actoris interest, tam quoad lucrum, quàm quoad damnum. 7 Cicatricum & deformitatis non fit æstimatio 8. De damno dato etiam criminaliter quis puniri potest. 9. Pœna statuti imposita percutienti vel vulneranti aliquem non augetur, quamuis vno ictu duo vel plura vulnera infligantur. 10. Incendiarij etiam vltimo supplicio puniuntur. 11. Legis Aquiliæ actio durat viginti annos. 12. Si quadrupes pauperiem fecisse dicatur, datur actio 13. Huius actionis affine remedium est vt animal, quod damnum dedit, retineatur, donec læso de damno satisfiat.

7. *De vi publicâ & priuatâ.*

1. Si quis vim vel armis, vel sine armis fecerit, in legem Iuliam de vi publicâ & priuatâ incidit. 2. Si arma gestauerit ex lege Iuliâ de vi publicâ, item ex statuto loci de speciali tenetur. 3. Pœna eius qui arma gestauerit, est amissio armorum. 4. Si domi habuerit arma prohibita, punitur lege Iuliâ. 6. Si quis insultum in domum fecerit, ex speciali statuto tenetur. 7. Si armata vis arguatur, olim quidem deportatio reo irrogabatur, & confiscatio omnium bonorum: si verò sine armis, in tertiâ parte bonorum suorum mulctabatur.

8. *De Senatusconsulto Trebelliano.*

1. Ex SC. Trebelliano competit actio ad restituendum ex fideicommisso hæreditatem. 2. Si hæres rogatus hæreditatem restituere, nolit adire hæreditatem: ad eam adeundam & aditam restituendam cogitur. 3. Eo etiam petente, cui fidei commissarius restituere rogatus est, hæres cogendus est. 4. Hæres grauatus tenetur fideicommissario rationes reddere, & inuentarium exhibere. 5. Hæreditate per fideicommissum relictâ, prælegata & fideicommissa hæredi relicta non veniunt restituenda fideicommissario hæreditatis. 6. Ea quæ grauatus à defuncto per mortis causâ capionem, vel per donationem inter viuos quæ morte confirmatur, accepit, non veniunt fideicommissario restituenda. 7. Omnia bona tam mobilia quàm immobilia, quæ testator reliquit, fideicommissario vniuersali sunt restituenda. 8. Ea quæ hæres post aditam hæreditatem acquisiuit, non veniunt restituenda. 9. Hæreditate per fideicommissum relictâ res emphyteutica non venit restituenda fideicommissario 10. Nec feuda veniunt restituenda fideicommissario. 11. Dos non venit in restitutione hæreditatis. 12. In restitutionem fideicommissi, si vniuersalis etiam veniūt res ab hærede alienatæ, perditæ aut corruptæ, earúmue æstimatio. 13. Fructus non veniunt in restitutionē hæreditatis. 14. Portio quæ adcreuit portioni per fideicommissum relictæ, simul cum eâ venit restituenda. 15. Ius patronatus non transit in fideicommissarium. 16. Pupillariter substitutus, & bona alteri restituere rogatus, non solùm testatoris, sed etiam pupilli bona fideicommissario restituere tenetur. 17. Hæreditate per fideicommissum relictâ, hæres rogatus detrahit quartam partem hæreditatis, quam Trebellianicam vocant. 18 Hæreditate per fideicommissum relictâ, hæres qui præteritus vel iniquè exhæredatus inofficiosi quærelâ habere potuit, deducere potest legitimam. 19. Restitutâ ex fideicōmisso hæreditate, fideicom-

missarius hæredis loco habetur: hæredis tamen appellatione non continetur fideicommissarius. 20. Omnes actiones tam excipiendæ quàm inferendæ, in eum cui hæreditas est restituta, transferuntur. 21. Restitutio hæreditatis in vitâ rogati facta, non tam restitutio est, quàm donatio, vel successio. 22. Vtile, non directum dominium in commissarium confertur.

9. *De lege Falcidiâ.*

1. Si testator vltra dodrantem bonorum legauerit: hæres ex omnibus legatis quartam hæreditatis partem potest detrahere. 2. Etiam hæredi hæredis quartæ detractio competit. 3. Fisco etiam, ad quem hæreditas peruenit, quartæ detractio competit. 4. Legatario & fideicommissario, à quo aliis relicta sunt legata vel fideicommissa, quartæ detractio non competit. 5. Quarta hæreditatis computatur, quæ fuit tempore mortis. Licet igitur postea aucta hæreditate non augetur quarta. 6. Quod bonis post mortem testatoris decessit, non minuit hæreditatem, nec eius quartam. 7. Rerum quas hæres subtraxit, vel malâ fide alienauit, quartam non retinet. 8. Rerum quas hæres hæreditarias esse negauit, quartam non retinet. 9. Legitima quam hæres detraxit in Trebellianicam, ei non imputatur. 10. Ex singulis legatis pro ratâ portionis quarta detrahenda. 11. Emphyteusis hæredi non computatur in quartam.

Ex his etiam patet, quomodo regulæ sint digerendæ. Nimirum tituli sunt reuocandi ad præcepta, & regulæ titulis subjiciendæ.

CAPVT V.

Quomodo Institutiones, Digesta, Codex, Nouellæ, & reliquæ appendices possint methodicè digeri.

PRÆCEPTA.

Alter modus disponendi Iurisprudentiam Romanam sequitur; quo nempe seruatur ordo titulorum in corpore Iuris ciuilis expressus.

Corpus iuris ciuilis est systema iuris ciuilis Romanorum, maximam partem à Iustiniano ex omni antiquitate Iuris Romani collectum.

Ius illud diuiditur in libros isagogicos, principales, & accessorios.

Libri isagogici sunt quatuor libri Institutionum, qui ad primam rudium informationem pertinent.

Libri principales sunt libri Pandectarum seu Digestorum, & Codicis, quibus tota ars boni & æqui ex veterum Iurisconsultorum monumentis, & Constitutionibus Principum, plenè perfectéque describitur.

Libri accessorij sunt, in quibus vetera iura emendantur, explanantur, supplentur.

Súntque

1. Authenticæ, seu Nouellæ Constitutiones Iustiniani.
2. Edicta eiusdem.
3. Constitutiones aliquot Iustiniani, Iustini, & Tiberij ex libro Iuliani Antecessoris.
4. Nouellæ Leonis Imperatoris.
5. Constitutiones Imperatoriæ Iuris orientalis.
6. Consuetudines feudorum.
7. Consuetudines Friderici II.
8. Extrauagantes.
9. Liber de pace Constantiæ.

REGVLÆ.

Collatio studij iuridici & theologici.

I. *Quemadmodum in studio theologico requiritur methodus locorum communium, & librorum Biblicorum: ita in studio Iuris requiritur methodus locorum communium, & librorum qui constituunt Corpus iuris ciuilis.*

Vtraque ista methodus vtrobique est necessaria. Nam loci communes vt in omnibus disciplinis, ita in duabus hisce facultatibus augustis, Theologiâ, inquam, & Iurisprudentiâ, memoriam firmant. Deinde vt œconomia librorum Biblicorum, ita quoque librorum in Corpore iuris ciuilis plurimùm adiumenti adfert tyroni, imò & veterano, siue intelligentiam, siue memoriam spectes.

II. *Oeconomia librorum in Corpore iuris ciuilis est alia vniuersalis, alia particularis.*

Hac de re placet summatim adscribere quæ *Ioachimus Hopperus lib. 1. 3 Pandect.* disserit. Primò (inquit) de vniuersis, pòst de singulis dicamus. Libri iuris ciuilis omnes trium sunt omnino generum: alij sunt, quos isagogicos licebit appellare, qui quòd rudem quandam, & inchoatam iuris descriptionem constitutionem *Institutionum* nomen acceperunt: alij, quos proprio nomine legales, vt sunt *Pandectæ* & *Codex*: alij denique, quos emendationum, quibus, quòd multa nouant ac emendant de prioribus, Nouellarum nomen est impositum. Et est quidem hic librorum numerus, non temerè, nec fortuitò, sed certa quadam ratione constitutus. Nam è maiori legum volumine breuiarium aliquod decerpi, quod rudibus ad primam conformationem, prouectis ad memoriam seruiat, etiam Moses lata lege præcepit. Librum aliquem emendationum haberi, partim ipsius naturæ humanæ fragilitas suadet, (nam priores cogitationes adiuuantur per posteriores) partim ipsarum rerum, quo quotidie se offerunt, varietas requirit: nam quæ post emergunt, nouo indigent auxilio. Ac quantum quidem ad *Institutiones* attinet, eas hac moderatione delibauit ac desumpsit Imperator ex Pandectis, vt nec in quæstionum difficultates intret, nec in forensium rerum fluctus se immergat: sed propositis præcipuis iuris capitibus satis habeat, in nonnullis demonstrare, quæ vocabulis iuris ciuilis subiecta sit significatio, quod quidem proprium est præexercitamentorum in nonnullis, paucis ostendere, quæ sit nuda simpléxque legis sententia, quod ad elementa pertinet. In quibus etiam hoc diligenter obseruatur, vt ne vnum cum alio misceatur, nec cuiusque negotij actio, cum ipsa re confundatur, sed vniuersus potiùs actionum tractatus, à personis & rebus, segregetur: quod quidem longè diuersum est in *Pandectis.* Nam in his, quoniam agitur, vt cum ipsarum legum traditione (tum proprium est plenè cumulatéque perfectæ artis) tum quæstionum varij nodi extricentur, tum vsus etiam forensis ratio implicetur: talis ordo custoditur, vt is non ad naturalia iuris capita, personarum, rerum, & actionum: sed ad vsum magis & cursum forensem, & ipsarum actionum seriem accommodetur. Et ideo primo quidem loco tractatur de his, quæ ad ingressum iudiciorum pertinent: secundo, de ipsis iudiciis ciuilibus, prætoriis, & criminalibus: tertio, de prouocationibus, & aliis, quæ post rem iudicatam expediri solent. Atque hac quidem etiam re contingit, vt quæ in libris Institutionum propter naturæ propinquitatem copulata sunt, ea in Pandectis propter iudiciorum, ad quæ referuntur, diuersitatem, longè latéque deiungantur. *Codex Iustinianeus* in plerisque quidem omnibus deficit à summa illa Pandectarum & expleta, nihílque, requirente perfectione, sed exsuperat tamen, & antecedit in nonnullis. Nam perpetuus ille contextus rerum, & continuata series, qua extrema primis, & media vtrisque mirabiliter respondent in Digestis, abest quidem à constitutionibus principum, nisi quòd in ordine rescriptorum à prioribus principibus, ad posteriores fiat progressio: sed hoc tamen est, quod habent eximium, quòd derelictam in veteri prudentia iuris publici descriptionem, quæ religionum sanctitate, & magistratuum authoritate continetur, nobis exhibeant, quódque nonnullas Pandectarum rubricas singulares, veluti de minoribus, de iudiciis, de vsucapionibus, & alias similes in plures tractatus ac titulos minutatim distribuant & diffundant. Et ita quidem Hopperus de œconomiâ & methodo Institutionum, Digestorum, & Codicis sentit. Vbi non est prætereundum Saturnij consilium, in omnibus artibus & facultatibus primò tradendas esse *Institutiones*, hoc est, prima principia; illísque secundo loco adiungendas *Pandectas*, id est, plena commentaria. Sed iam in specie tradamus œconomiam Corporis Iustinianei.

III. *Institutionum Iustiniani hæc est methodus.*

Tria sunt summa capita quatuor librorum Institutionum de iustitia & iure, de diuisione iuris, & de subiectis iuris.

De iustitia & iure est *tit. 1. lib. 1.*

De diuisione iuris est *tit. 2.* de iure naturali, gentium, & ciuili.

Subiecta iuris sunt personæ, res, & actiones, è quibus hæ inter personas de rebus exercentur.

Personarum diuisio est prima & secunda. Illa est iuris gentium, hæc iuris ciuilis.

Prima diuisio est, quòd homines sunt liberi aut serui. *tit. 3.*

Liberi sunt vel nati, qui dicuntur ingenui, *tit. 4.* vel ex iusta seruitute manumissi, *tit. 5. 6. 7.*

Secunda personarum diuisio est, quòd homines sunt sui vel alieni iuris.

Homines alieni iuris sunt in potestate dominorum, *tit. 8.* vel parentum, *tit. 9.*

Potestas parentum acquiritur nuptiis, *tit. 10.* vel adoptionibus, *tit.*

bus tit.11 & soluitur, tit.12.

Homines qui sui iuris sunt, vel in tutelâ sunt, vel in curatione, vel neutro iure tenentur.

Tutela & curatio considerantur singulariter & communiter.

Tutelæ occurrit I. delatio, tit.13. II. an sit, quòd sit testamentaria, tit.14 legitima, tit.15.16.17.18 & dativa, tit.19.20. III, authoritas, tit.21. IV. modus quo finitur, tit.22.

Curatela occurrit, tit.23.

Tutelæ & curatelæ communia sunt tria: satisdatio, tit.24. excusatio, tit.25. & suspicio, tit.26.

Hactenus est liber primus Institutionum, de personis.

Res sunt, quibus homines ad vitam degendam vtuntur.

In iis occurrit dominium & commercium.

Rerum dominium spectatur in diuisione & acquisitione ipsarum.

Diuisio rerum est prima, vel secunda.

Prima est iuris ciuilis, quòd res vel in patrimonio nostro, vel extra patrimonium nostrum habentur, lib.2.tit.1.

Altera est naturalis, quòd res sunt corporales vel incorporales, tit.2.

Res incorporales sunt seruitutes, eæque vel prædiorum, tit.3. vel personarum, vt vsusfructus, tit.4. & vsus ac habitatio, tit.5.

Acquisitio rerum est particularis, vel vniuersalis.

Acquisitio particularis est in modis & personis.

Modi sunt vsucapio & longi temporis præscriptio, tit.6.7.

Personæ sunt alienantes, tit.8. vel acquirentes, tit 9.

Acquisitio vniuersalis est vsitata vel sublata; & illa fit hæreditate bonorum possessione, arrogatione, & addictione.

Hæreditas defertur successione ex testamento, vel ab intestato.

In testamento sunt constitutio, dissolutio, & accidentia.

Constitutio est quantum ad testatorem, tit.10.11.13. & hæredem, cuius institutio, tit.14. substitutio vulgaris, tit. 15. pupillaris, tit. 19.

Dissolutio testamenti est tit.17.18.

Accidentia testamenti sunt qualitas hæredum, tit.19. legata, tit.20.21.22. fideicommissa, eaque vniuersalia, tit.23. vel particularia, tit.24. denique codicilli, tit.25.

Et hic etiam est liber secundus.

Successio ab intestato est hominum ingenuorum, seruorum, & libertorum

Successio ingenuorum est hæredum suorum, tit.1. vel agnatorum, tit.2.3.4. vel cognatorum, tit.5.

Sunt autem cognationis certi gradus, tit.6.

Successio seruorum est tit.7.

Successio libertorum est tit.8.9.

Bonorum possessio est tit.10.

Acquisitio per arrogationem est tit.11.

Acquisitio per addictionem est tit. 12.

Successio sublata est tit.13.

Atque ita est dominium rerum: sequitur ipsarum commercium, quod spectatur in obligatione.

Obligationis occurrit definitio, tit.14. & diuisio, quòd oriatur ex contractu, vel delicto.

Contractus occurrit constitutio & dissolutio.

Constitutio est in modo & personis.

Modus est in contractu vero & quasi.

Verus contractus fit re, tit.15. verbis, literis, & consensu.

Verbis, nempe stipulatione, tit.16.17.18.19.20. fideiussione, tit.21.

Literis, tit.21.

Consensu: qui spectatur in genere, tit.23 & in specie, videlicet in emptione venditione, tit.24. locatione côductione, tit.25. societate, tit.26. & mandato, tit.27.

Quasi contractus est tit.28.

Personæ, per quas obligatio nobis acquiritur, sunt tit.29.

Dissolutio obligationis ex contractu est tit.30.

Atque hic est liber tertius Institutionum.

Obligatio ex delicto seu maleficio oritur ex delicto tit.1.2. 3.4. vel quasi delicto, tit.5.

Sequuntur actiones, eæque ciuiles, prætoriæ, & crimina les.

Actiones ciuiles considerantur in seipsis, & oppositis exceptionibus.

Actiones ciuiles sunt, quibus de re pecuniariâ ad commodum priuatum lege agitur.

Earum occurrit diuisio, tit.6.7. 8. deductio in iudicium, tit. 9.10.11 & duratio, tit.12.

Exceptiones sunt tit. 13. quibus opponuntur replicationes, tit.14.

Actiones prætoriæ sunt, quæ ex interdictis prætorum competunt tit.15.16.17.

Actiones criminales sunt, quibus de crimine vindicando agitur, iudicio publico, tit.18.

Atque hic etiam est liber quartus Institutionum iuris.

Si placet, hæc œconomia in tabulam redigatur.

IV. *Methodus Pandectarum, siue Digestorum, hæc est.*

Methodus Pandectarum.

Digesta *primò* generalissimè diuiduntur in tres partes, nempe in Digestum vetus, infortiatum, & nouum. Digestum vetus continet libros quatuor & viginti: infortiatum, quatuordecim: nouum duodecim. *Deinde* specialius diuiduntur in septem partes *Prima* est de principiis iuris & iudiciorum, lib.1.2.3.4. *Secunda* de iudiciis realibus, lib.5.6.7.8.9.10.11. *Tertia*, de iudiciis personalibus rerum creditarum, l.12.13.14.15.16.17.18.19. *Quarta*, de pignoribus, dotibus, & tutelis, l.20.21.22.23.24.25. 26.27. *Quinta*, de vltimis voluntatibus, lib.28.29.30.31.32.33. 34.35.36. *Sexta*, de possessionibus ac hæreditatis, lib.37.38.39. 40.41.42.43.44. *Septima*, de obligationibus, delictis, appellationibus, & iis quæ extraordinaria appellantur, lib. 45.46.47. 48.49.50. *Ad extremum* specialissime singulorum librorum connexio traditur. quâ de re *Hopperus lib.1. ad Pandect. iuris ciuilis* ait: Quæstionis esse solet, vtrum ipsorum inter se capitum nexus aliquis sit & copulatio, nec ne. Et est vetus quidem opinio, quæ & recentiorum omnium firmata est consensu, nullam esse capitum interse cohærentiam, sed rudem indigestamq; molem. Cæterùm mihi rem propiùs aspicienti, ac consideranti pressius, paulò aliter semper visum est, voluisse videlicet Iustinianum, certum aliquem ordinem & processum, in digerendis disponendisque legibus custodire. Nam cùm permultos reperiam titulos, in quibus nemo vel leuiter eruditus, negare possit methodum aliquâ versari: item quia multis locis video, quantâ diligentiâ, siue potiùs religione, vnam aliquam sententiam, è pluribus consultorum responsis, connectat Imperator: non possum in animum inducere, quin quod pluribus in locis reapse præstiterit, & euidenter: in omnibus eum fecisse credam, licet in aliis obscurior quædam & minùs apta, in aliis promptior ac expeditior ratio inueniatur. Atque adiuuat quidem & confirmat hanc meam sententiam, partim quòd in plerisque omnibus Pandectarum titulis periclitatus sum, posse fieri, vt ordinis aliqua via reperiatur: partim, quia quotidiè animaduerto, eos, qui id ex professo suscipiunt, vt leges in ordinem adducant, idque suis, non alienis verbis, maiore in obscuritate versari, quàm Iustinianum ipsum, qui etiam seruatis veterum prudentum verbis, id effecerit. Et ideo prolixior sim, ego sic existimo, capita titulorum omnia sic esse collocata, vt ad certum aliquem articulum, certumque membrum, quæque referantur, non quidem vt perpetuam orationem & continuam, semper (licet hoc nonnunquam fiat, constituant, sed vt tanquam plures sententiæ, ad eundem communem locum pertinentes, in eundem ordinem concludantur: quanquam tamen & hoc etiam concedam nonnunquam fieri, vt vnà cum his quæ proposito seruiunt, irrepant simul & ea, quæ alieniora sunt, & ad rem non admodum pertinentia, idque propter implicationem & continentiam sermonis, quâ contingit, vt vnus & idem sermo, plures in se sententias complectatur. Hactenus *Hopperus*: qui idem in sua Isagoge in veram Iurisprudentiam proponit methodum Digestorum, his verbis. Summa eorum diuisio est, in τὰ πρῶτα. siue priora iuris & iudiciorum, quæ procœmii loco & quasi pro capite sunt: in iura ipsa & iudicia, quæ pro re & corpore, ipso: & in posteriora iuris & iudiciorû, quæ pro epilogo & quasi pedibus sunt: Porrò τὰ πρῶτα iuris & iudiciorum sunt principia iuris subiectorum iuris, & iudiciorum. Principia iuris sunt *lib.1.tit.1.2.3.* 4. Principia subiectorum iuris sunt quantum ad personas & res, *lib.1.tit.5.6.7.8.* Principia iudiciorum iuris sunt tum in iudicibus, *lib.1.tit.9.10.* 11.12.13.14.15.16.17.18.19.20.21.22. tum in iurisdictione, *l.2. tit.1.2.3.* tum in primo ingressu in iudiciû, id est, in vocatione in ius, & in editione *tit.4.5.6.7.8.9.10.11.12.* 13. tum denique in iis, quæ pendere lite solent interuenire vt sunt conêntiones, *lib.2 tit.14.15.* postulationes, *lib.3.tit.1.2* 3.4.5.6. in integrum restitutiones, *lib.4.tit.1.2.3.4.5.6.7.* & arbitria. *lib.4.tit.8.9.*

Post τὰ πρῶτα iuris & iudiciorum sequuntur iudicia, eaque ciuilia, prætoria, & criminalia.

Iudicia ciuilia complectuntur actiones ciuiles, quarum capita summa sunt quatuor.

I. Vendicationes, seu dominia rerum, siue actiones in rem, *lib.* 5.6.7.8.9.10,11.

II. Actiones, seu iudicia in personam, siue commercia: vbi sunt contractus, *lib.*12.13.14.15.16.17.18.19.20.21.22.

III. Maris & fœminæ coniunctio, liberorumque procreatio & educatio, *lib.*23.24.25.26.27.

IV. Successio post mortem, *lib.*28.29.30.31.32.33.34.35.36.

Iudicia prætoria cernuntur in.

I. Bonorum possessionibus, *lib.*37.38.

II. Sartis tectis, & donationibus, *lib.*39.

III. Manumissionibus, *lib.*40.

IV. Possessione, *lib.*41.

V. Re iudicata, *lib.*42.

VI. Interdictis, *lib.*43.

VII. Exceptionibus *lib.*44,

VIII. Stipulationibus, *lib.* 45. 46.

Iudicia etiam alia conſiderantur quantum ad delicta priuata & extraordinaria *lib.* 47. itemque publica. *lib.* 48.

Superſunt poſteriora tum iudiciorum & rerum iuris ſubiectorum, *lib.* 49. & 50 *ad tit* 16 tum iuris, putà verborum ſignificatio & regulæ iuris, *lib.* 50. *t.t.* 16. 17.

Methodus Codicis. De minutioribus diuiſionibus vide ipſum Hopperum.

V. *Methodus Codicis hæc eſt.*

Codex diuiditur in propria iuris & iudiciorum, ipſa iudicia & iura, & poſteriora, quemadmodum de diuiſione Pandectarum diximus, quarum veſtigiis Codex magnâ ex parte inſiſtit, niſi quòd quædã aliis locis poſita ſunt: nam & vnam & eandẽ rem diuerſo reſpectu alio atque alio loco rectè poni poſſe conſtat.

Priora iuris & iudiciorum ſunt partim in iis qui iuri ac iudiciis præſunt, partim in iis quæ in principio iudiciorum & in ipſis interueniunt. Ibi ſunt Eccleſiaſtici, & ſeculares, *lib.* 1. hîc ſunt in ius vocatio, editio, conuentio, poſtulatio, in integrum reſtitutio, arbitrium, ſatiſdatio, formula, & iuſiurandum, *lib.* 2.

Iudicia & iura conſiderantur in genere, & in ſpecie.

In genere, *lib* 3 *tit.* 1. *ad* 27

In ſpecie ſunt iudicia ciuilia, prætoria, & criminalia.

Iudicia ciuilia pertinent ad

I. Res vindicandas, *lib.* 3. *à tit.* 28. *ad finem.*

II. Condictiones & contractus, *lib.* 4.

III. Coniunctionem maris & fœminæ, liberorumque educationem & tutelam, *lib.* 5.

IV. Succeſſionem poſt mortem, *lib.* 6.

Iudicia prætoria cernuntur in decem capitibus; è quibus

Manumiſſio, vſucapio, longi temporis præſcriptio, & reiudicatæ, ſunt. *lib.* 7.

Interdicta, ſarta tecta, pignora, exceptiones, ſtipulationes, & donationes, ſunt *lib* 8.

Iudicia criminalia tractantur. *lib.* 9

Poſteriora iuris & iudiciorum ſunt res partim fiſcales, partim patrimoniales, partim palatinæ.

Res fiſcales cernuntur in rebus, quæ fiſco obueniunt, *lib.* 10. *tit.* 1 *ad* 31. partim in perſonis, iisque vel municipalibus, quæ ſubiiciuntur rei fiſcali, *à tit.* 31. *ad* 69. vel miniſteria libus, quæ rei fiſcali ſeruiunt, *tit* 69. *ad finem.*

Res patrimoniales ſpectantur in perſonis & rebus. Perſonæ ſunt partim aulicæ, *lib.* 11. *tit.* 1. *ad.* 13. partim vrbicæ, *tit.* 13. *ad* 47. partim ruſticæ, *tit.* 47 *ad.* 58. Res patrimoniales ſunt agri, domus, greges, *à tit* 58. *ad finem.*

Res palatinæ pertinent vel ad dignitates palatinas, *lib.* 12. *tit.* 1. *ad* 9. vel ad officia, ſcholas, & ſcrinia palatina, *tit.* 9. *ad.* 39. vel ad militiam palatinam. *tit.* 34. *ad* 49 vel ad varios miniſtros palatinos *tit.* 50. *ad finem.*

Minutiores partes, & illarum cohærentia ſunt apud *Hopperum lib.* 3. *iſag.*

Methodus Nouellarum.

VI. *Methodus Nouellarum hæc eſt.*

Hic liber non diuiditur vllis partibus ac membris, vt ſuperiores, ſed prout cõſtitutiones aliæ aliis priùs ac poſteriùs editæ fuere, ita ordine ſine vlla methodo ſunt poſitæ: Quas quidem Iuriſconſulti poſteriores, non omnes quidem & ſingulas, ſed pleraſque in vnum volumen colligentes *nouem collationibus*, quas vocant, diſtinxerunt.

In iſtis collationibus occurrunt conſtitutiones. 167. tituli 49.

Quod attinet ad reliquos libros acceſſorios, de illis idem eſt iudicium, quod modò de Nouellis diximus. Itaque non eſt, quòd methodum iſtorum librorum adornemus. Hoc interim tenere oportet, ius feudale peculiari methodo diſponi poſſe ac ſolere: & omnes libros acceſſorios reuocari poſſe ad certas regulas, e.g.

De Accuſatione violata pacis publicæ eiuſque conſtitutione Caroli V. â ſunt hæ regulæ.

1. Accuſatio hæc primùm cœpit ex Conſtitutione Imp. Maximiliani primi; deinde Conſtitutionibus Caroli V. & aliquot ſeqq. Impp. partim confirmata, partim etiam declarata eſt. 2. Hæc accuſatio numeratur inter iudicia publica merè criminalia. 3. Competit hæc accuſatio, ſi quis alicui bellum, ſeu vim armatam coactis hominibus intulerit. 4. Hæc accuſatio non ſolùm læſo, ſed etiam cuique volenti competit, quamuis nihil eius interſit. 5. Quoad pœnam pecuniariam & damnum illatum etiam hæredibus læſi competit. 6. Etiam ij quorum ope & conſilio pax publica violata eſt, propoſitâ accuſatione tenentur. 7. Hi quoque qui fouent ac recipiunt violatores pacis publicæ, eâdem pœnâ tenentur. 8. Qui bannito pecuniam, commeatum, annonam vel arma ſuppeditauit, eâdem pœnâ tenetur item qui ſcienter læſum contra vim illatam non adiuuant. 9. Vniuerſitas factum ſuorum ciuium præſtat & poteſt de violatâ pace accuſari. 10. Aduerſus hæredes violatoris pacis publicæ hæc actio non datur. 11. Hæc actio per procuratorem in iudicio poteſt proponi, quemadmodum etiam reus per eundem ſe poteſt defendere. 12. Eſt in arbitrio accuſatoris, vtrùm in Cameræ iudicio, an apud iudicem ordinarium accuſationem hanc velit proponere. 13. Hâc accuſatione agitur ad pœnam banni, item ad publicationem bonorum. 14. Eſt item violatæ pacis publicæ pœna pecuniaria ducentarum marcarum auri puri, & amiſſio priuilegiorum 15. Accuſatio propoſita, quemadmodum & aliæ accuſationes publicæ, viginti annorum præſcriptione eliditur. 16. Accuſationes iuris communis etiam cum accuſatione propoſitâ cumulari poſſunt. 17. Tria requiſita huius accuſationis in libello deducenda & probanda ſunt, nimirum vis publica, armata manus & dolus malus. 18. Non obſtantibus quibuſcunque exceptionibus reo litis conteſtatio eſt iniungenda, ſaluis tamen exceptionibus merita cauſæ concernentibus, poſt litem conteſtatam opponendis. Sed & probatio fori præſcriptionis poſt litem conteſtatam reo eſt ſalua. 19. Pendente iudicio reus liberè de ſuis rebus diſponere poteſt. 20. Sententia dicta eſt exequenda. 21. Ab iis executio facienda, ſub quorum iuriſdictione banniti bona ſunt. 22. Si ob contumaciam quis ſit bannitus, in bona eius fit immiſſio: Sin verò ob crimen ſit bannitus, executio fit in bona banniti, quæ vel offenſo traduntur, vel ab executoribus occupantur. 23. Bannitus in iudicia agere prohibetur. 24. Inter affinia propoſitæ accuſationis remedia primum locum obtinet, vt vis vi repellatur. 25. Aduerſus violatorem pacis publicæ inſtitui etiam poſſunt actiones iuris communis tam criminales, quàm ciuiles. 26. Competunt item aduerſus violatores pacis publicæ mandata de non offendendo, & mandata auocatoria.

CAPVT VI.

De Iuriſprudentiâ Chriſtianorum.

PRÆCEPTA.

SVpereſt Iuriſprudentia ciuilis ſpecialis Chriſtianorum.

Eius occurrit fundamentum, & methodus.

Fundamentum eſt Iuriſprudentia generalis, & ſpecialis, eáque tum Moſis, tum gentilium, quatenus vtraque complectitur ea quæ ſunt iuris communis.

Methodus eſt exquiſita, vel arbitraria. Illa eſt, cùm obſeruatur methodus Iuriſprudentiæ ciuilis generalis: hæc eſt, cùm quælibet reſpublica ſuum ius ſtatutarium peculiari methodo diſponit.

REGVLÆ.

I. *Iuriſprudentia Chriſtianorum peti debet ex libro naturæ & Scripturæ.*

Atque hæc eſt prærogatiua Iuriſprudentiæ Chriſtianorum, quòd non ſolùm ex iure naturæ & gentium, ſed etiam ex iure diuino depromitur, & ita habet omnes numeros harmoniæ. Neque eſt quòd obiicias, Iuriſprudentiam Moſis nihil habere commune cum politiis, quæ nunc temporis vigent. Nam, vt in philoſophiâ practicâ & theologiâ docuimus, plurima ſunt apud Moſen, quæ nituntur iure communi ſeu vniuerſali. Et, quæ nituntur iure proprio iſtius politiæ, magnam lucem præbent in conſtituendis & applicandis legibus propriis harum vel illarum rerumpublicarum; quòd ob oculos ponant modum ſanciendi & applicandi.

II. *Iuriſprudentia Chriſtianorum publica non ſolum eſt conferenda cum Iuriſprudentiâ Moſis & gentilium, ſed etiam ius topicum ſeu locale huius vel illius reip. Chriſtianæ conferendum eſt cum iure topico aliarum rerump. Chriſtianarum.*

Ratio huius collationis eſt; quia veritas vbique noſtra eſt, vt aiunt: & iſtiuſmodi collatio mirificè facit ad emendationem iuris ſtatutarij.


PERORATIO IVRISPRVDENTIÆ CIVILIS SPECIALIS.

SEd flectamus nauim ad portum: vbi prius illud monuerimus. Ius ciuile Romanum allegari ſeptem modis. Primo: *l. ſi quis ex argentariis, §. 1. ff.* & ſignificatur, eam legem eſſe in aliquo ex quinquaginta libris Digeſtorum, hoc eſt, in lege, quæ incipit: ſi quis ex argentariis, §. in titulo de edendo. Secundo modo, *l. minimè. C. de Epiſc. audien.* h. e. in l. cuius initium eſt, Minimè, in Codice de epiſcopali audientiâ. Tertio modo *C. de Agricolis, & Cenſitis, l. Cum ſcimus, lib.* 11. & ſignificatur, eâ legem nõ eſſe in nouem libris Codicis, ſed in vno ex tribus libris, qui habentur


habentur in volumine, in quo Inſtitutiones Iuſtiniani, & Authenticæ continentur. Quarto modo: *Authent. ſtatuimus. C. de Epiſc. & Cleric.* hoc eſt, in lege, cuius initium eſt, Statuimus, in Codice, titulo de Epiſcopis & Clericis. Quinto: *Authent. de Leno. §. Sancimus*; hoc eſt, in Authent. de lenonib. §. Sancimus. Sexto modo: *in lib. Feud. de prohibitâ feu. alie. C. vel l. Quoniam*: hoc eſt, in capite, vel lege, quæ incipit, Quoniam in libro feudorum tituto de prohibitâ feudi alienatione. Septimo: *Inſtit. de rer. diu. §. Item ea*: hoc eſt, In Inſtitutionibus Iuſtiniani, titulo de rerum diuiſione, paragrapho, Item ea.

IDEA IVRISPRVDENTIÆ

CIVILIS SPECIALIS.



Finis ſecundæ Sectionis Iuriſprudentiæ.



IVRISPRVDENTIÆ SECTIO TERTIA,

In quâ traditur

IVRISPRVDENTIA ECCLESIASTICA.

CAPVT I.

Delineatio Iuriſprudentiæ Eccleſiaſticæ generalis.

PRÆCEPTA.

EXPOSITA eſt Iuriſprudentia ciuilis: reſtat Eccleſiaſtica, quæ eſt ars boni & æqui in politiâ Eccleſiæ. *Vulgò dicitur* ius canonicum.

Eſtque generalis, vel ſpecialis.

Iuriſprudentia Eccleſiaſtica generalis tradit finem ſuum, ſubiectum, & media.

Finis eſt internus, vel externus.

Finis internus eſt tradere modum iuris in politiâ Eccleſiaſticâ obſeruandi: externus eſt procurare, vt politia Eccleſiaſtica nullum capiat detrimentum.

Subiectum informationis eſt voluntas & affectus: tractationis, eſt modus adminiſtrandi iuſtitiam in politiâ Eccleſiaſticâ: operationis, eſt obiectum cui obligamur, & quod obligatur. Ibi eſt Deus, & Eccleſia catholica ac particularis: hîc eſt homo & Eccleſia particularis.

Media reſpiciunt Eccleſiæ fundationem, & fundatæ ſtatum.

In fundatione eſt materia & forma.

Materia eſt in perſonis, rebus & actionibus Eccleſiaſticis.

Perſonæ Eccleſiaſticæ ſunt, quibus rerum diuinarum cura eſt commiſſa, in iis ritè rectéque tractandis.

Suntque primi vel ſecundi ordinis. Ibi ſunt epiſcopi, lectores, cantores, oſtiarij: hîc ſunt qui pias cauſas tractant, vt orphanotrophi, brephotophi, ptochotrophi, xenodochi, noſocomi, gerontocomi. Hæ ſiquidem perſonæ omnes ſunt religioſæ, ſeu Eccleſiaſticæ, variiſque vtuntur priuilegiis.

Res Eccleſiaſticæ ſunt vniuerſales, vel particulares. Ibi ſunt templum, & bona pertinentia ad templum, putà veſtes ſacræ, vaſa ſacra, bona Eccleſiaſtica ſeu patrimonium Eccleſiæ: hîc ſunt bona Clericorum.

Actiones Eccleſiaſticæ, quantum ad fundationem Eccleſiæ, ſunt ratione perſonarum & rerum. Ibi eſt nominatio, electio, præſentatio, confirmatio: hîc, fundatio Eccleſiæ, & ædificatio templi.

Forma eſt in vnione, & communione Eccleſiaſticâ, quantum ad obligationem poſſeſſionem, & dominum.

Status Eccleſiæ alius eſt integer, alius turbatus.

Status integer ſpectatur in conſeruatione & amplificatione Eccleſiæ.

Conſeruatio Eccleſiæ eſt ratione perſonarum & rerum. Ibi eſt iuriſdictio & ſubiectio Eccleſiaſtica, in officiis Clericorum & auditorum: hîc eſt acquiſitio & amiſſio poſſeſſionis Eccleſiaſticæ.

Amplificatio Eccleſiæ eſt ratione dominij & obligationis. Illius occurrit acquiſitio & amiſſio: huius conſtitutio & diſſolutio; & illa fit per policitationem, pactum, & contractum.

Status Eccleſiæ turbatus ſanatur per cognitionem morbi Eccleſiaſtici, & applicationem remedij, quod eſt in pœnâ & iudicio Eccleſiaſtico.

Morbus Eccleſiaſticus eſt delictum aduerſus primam vel ſecundam decalogi tabulam. Ibi eſt hæreſis, ſchiſma, apoſtaſia &c. hîc eſt homicidium, adulterium &c.

Pœna Eccleſiaſtica eſt cenſura, ſuſpenſio, degradatio, excommunicatio.

Iudicium Ecleſiaſticum ſpectatur in perſonis, quæſtione, & proceſſu iudiciali.

REGVLÆ.

I. *Iuriſprudentia Eccleſiaſtica rectiſſimè & vtiliſſimè diſponitur eâ methodo, quâ diſponitur Iuriſprudentia ciuilis.* Iuriſprudentia Eccleſiaſtica vt diſponenda.

Ratio huius rei eſt gemina; vna ex parte materiæ, altera ex parte docentis & diſcentis. Nam ſi ſpectes materiam, magna eſt illius affinitas. Itaque ſic rectè adhibetur eadem methodus. Deinde huiuſmodi diſpoſitio, præterquàm quòd ſummam parit iucunditatem, docenti iuxta & piſcenti memoriæ præſentiſſimum eſt ſubſidium.

Iuris prudentia Ecclesiastica generalis vt plenè adornanda?

II. *Iurisprudentia Ecclesiastica generalis plenè potest adornari, si ex Mose & Iure canonico, seu Pontificio, seligantur illa, quæ sunt communis iuris sacri.*

Quod quidem facilè potest fieri ab exercitato siue theologo, siue ICto. Nos hunc laborem lubentes læti exantiassemus, nisi metuendum fuisset, fore vt nimium excresceret moles nostræ Encyclopædiæ.

CAPVT II.

Delineatio Iurisprudentiæ Ecclesiasticæ Mosaicæ.

PRÆCEPTA.

IVrisprudentia Ecclesiastica specialis est inprimis Mosaica, Pontificia, vt vocant, & Ecclesiæ cuiusque particularis.

Iurisprudentia Ecclesiastica Mosaica consideratur vt instituta, & aucta sub Dauide & Salomone.

Institutio eius spectatur in sacris subiectis & temporibus.

Sacra subiecta sunt loca, res, & personæ.

Locus sacer est tabernaculum: cuius partes occurrunt variæ.

Res sacræ sunt oleum, sal, sacrificia, primitiæ, decima, vota, noualia, aqua expiationis, tubæ, suffitus, panes propositionis, vestes, lucernæ &c.

Personæ sacræ sunt sacerdotes & Leuitæ.

Tempora sacra sunt dies, septimanæ, vel anni.

Politia Mosaica est aucta partim sub Dauide, qui stabile tabernaculum tetendit, & ordinauit peculiaria Agenda Sacerdotum, Leuitarum, Musicorum, Ianitorum: partim Sub Salomone, qui templum ædificauit & dedicauit.

REGVLÆ.

Iurisprudentia Ecclesiastica Mosaica cur sit necessaria?

I. *Iurisprudentia Ecclesiastica Mosaica duplici nomine nobis est cognoscenda.*

Et primò quidem ordo deducit nos ad illud Apostoli: Omnia in Ecclesiâ fiant ἐυτάκτως ϗ ἐυσχημόνως. Deinde in singulis habeatur ratio typorum: quod innuit *Dudleius Fennerus lib. 9. theologiæ sacræ.*

Iurisprudentia Ecclesiastica Mosaica vt disponenda?

II. *Iurisprudentia Ecclesiastica Mosaica duobus modis potest methodicè disponi.*

Principiò plenè ac diexodicè potest tractari. Deinde synopticè potest adumbrari. Sic *Iohannes Azorius lib. 6. Instit. moral. à cap. 4 vsque ad 55.* hos constituit titulos Iurisprudentiæ Mosaicæ tum ciuilis tum Ecclesiasticæ.

1. De rege eligendo & creando, *Deut.* 17.
2. De æquitate & charitate inter ciues tenendâ & conseruandâ, *Deut.* 22.
3. De alienationibus & venditionibus, *Leuit.* 25.
4. De mutuo, *Deut.* 23. *&* 25.
5. De pignore, *Deut.* 24.
6. De locato & conducto, *Deut.* 24 *Leuit.* 19.
7. De deposito, *Exod.* 20.
8. De bello suscipiendo & gerendo, *Deut.* 20.
9. De vxoribus ducendis, & nuptiis contrahendis, *Deut.* 7. 4. *&* 25. *Num.* 36. *Leuit.* 18.
10. De successione ex testamento, vel ab intestato, *Num.* 27. *Deut.* 11.
11. De seruis & ancillis, *Exod.* 21. *&* 22. *Leuit.* 25. *Deut.* 23.
12. De parentibus & filiis, *Exod.* 12.
13. De externis & peregrinis, *Exod* 12. *&* 22. *Leuit.* 19. *&* 24. *Deut.* 3.
14. De iudiciis, *Num.* 11.
15. De diuersis pœnis in improbos constitutis, *Deut.* 25. *Leuit.* 20. *&* 21. *Exod.* 21. *&* 22. & alibi.
16. De septimo quoque anno, qui dicitur annus remissionis, *Leuit.* 25. *Exod.* 23.
17. De anno quinquagesimo, seu Iubilæo, *Leuit.* 25.
18. De cibis immundis, siue de ciborum delectu, *Leuit.* 11. *Deut.* 14.
19. De hominibus & rebus immundis, *Leuit.* 11. 12. 13. 14. *&* 15. *Num* 19. *Deut.* 23.
20. De Nazaræis, *Num.* 6.
21. De sacrificiis, *Leuit.* 2. 3. *&* 4.
22. De hostiâ pro peccato summi sacerdotis, *Leuit.* 4.
23. De hostiâ pro peccato principis, *Leuit.* 4.
24. De hostiâ pro peccato populi, *Leuit.* 4.
25. De hostiâ pro peccato priuati hominis, *Leuit.* 4.
26. De hostiâ pro delicto, *Leuit.* 5.
27. De diebus sacris & festis, *Leuit.* 23.
28. De neomeniâ, seu Calendis, *Num.* 28.
29. De paschate, *Leuit.* 23.
30. De diebus festis azymorum, *Leuit.* 23.
31. De pentecoste, *Leuit.* 23.
32. De festo turbarum, *Leuit.* 23.
33. De die festo expiationis, *Leuit.* 25.
34. De celebritate tabernaculorum, *Leu.* 23. *Num.* 29.
35. De die festo cœtûs, siue collectæ, *Leuit.* 23.
36. De die ignis cœlitùs dati, 2. *Maccab.* 2.
37. De encæniis, 2. *Maccab.* 10.
38. De sacerdotibus Leuiticis, *Num.* 2. 3. 8. 18. 30. *Exod.* 29.
39. De vestibus sacerdotalibus, *Exod.* 28.
40. De rebus sacris, quarum vsus erat in tabernaculo, & deinde in templo.
41. De arcâ testamenti. seu fœderis, *Exod.* 25.
42. De propitiatorio, *Exod.* 25.
43. De duobus Cherubinis obumbrantibus propitiatorium, *ibid.*
44. De altari thymiamatis, *Exod.* 30.
45. De mensâ, & panibus propositionis, *Exod.* 23.
46. De candelabro, *Exod.* 28.
47. De duabus columnis in porticu templi constitutis, 3. *Reg.* 7.
48. De mari æneo, quod erat in templo Salomonis, 3. *Reg.* 7.
49. De altari holocaustrorum, *Exod.* 26. *&* 38.
50. De templo Salomonis, eiusque partibus, 3. *Reg.* 6.
51. De atriis ante templum constitutis, *ibid.*
52. De vasis templi, *ibid.*

Ex hisce titulis quindecim priores pertinent ad Iurisprudentiam Mosaicam ciuilem, reliqui ad Ecclesiasticam. Explicationem singulorum vide apud Azorium, & suprà sect. 3. theol. in harmoniâ legum Mosaicarum.

CAPVT III.

Delineatio Iuris Pontificii seu canonici.

PRÆCEPTA.

IVrisprudentia Pontificia vsitatè appellatur ius canonicum, quod auspiciis Pontificum Romanorum ita est constitutum.

Eius methodus potest esse duplex. Aut enim obseruari potest methodus in Iurisprudentia Ecclesiasticâ generali expressa, quæ quidem est exactior: aut tituli Iuris canonici possunt ad locos quosdam communes, vel certè classes certas, reuocari: prout factum est ab Azorio reg. 4. huius cap.

REGVLÆ.

I. *Iurisprudentia Pontificia duplici potissimùm nomine est vtilis.*

Iurisprudentia Pontificia cur sit vtilis?

Primò variæ ibi occurrúnt sententiæ, quibus religio vera potest confirmari, quâ de re vide in *Paratilis nostris theologicis tractatum Iohannis Halleri ex Iure canonico excerptum.* Deinde multa ibidem se offerunt, quæ referri possunt ad Iurisprudentiam Ecclesiasticam generalem.

II. *Iurisprudentia Pontificia μεθοδικώτατον disponitur, si præcepta Iurisprudentiæ generalis retineantur, iisque subiiciantur regulæ ex Corpore Iuris canonici.*

Iurisprudentia Pontificia quomodo accuratè disponatur?

Sic e. g. possunt regulæ colligi de Ecclesiis, Clericis, excommunicatione &c. hoc nempe modo.

1. *De Ecclesiis.*

1. Ex contractu vel delicto Clerici Ecclesia non obligatur, nec ei præiudicatur. 2. In casibus, in quibus Ecclesia conferre debet, pro ratâ, non pro arbitrio conferendum. 3. Priuilegia Ecclesiæ ad bona Clericorum non extenduntur. 4. Ecclesiæ vacantis bona per Episcopum vel instituere valentem administranda

ſtanda. 5. Sede vacante iuriſdictio penes Capitulum eſt: nihil tamen Capitulum in præiudicium Eccleſiæ vel futuri Epiſcopi facere poteſt. 6. Sede vacante permutatio beneficiorum à Capitulo peraci nequit; poterit tamen ab eo recipi reſignatio ex cauſâ permutationis.

2. *De Epiſcopis aliiſque prælatis.*

1. Maiores tantùm ciuitates priuilegio Epiſcopatus ſunt honorandæ. 2. Epiſcopus ſine conſenſu Capituli nihil adminiſtrare debet. 3 Non requiritur conſilium Capituli in eo quod gerit Epiſcopus, ſed requiritur conſenſus: niſi in ſpecialiter expreſſis. 4. Epiſcopus laicus eccleſiaſtica negotia committere non debet. 5. Ne vnus Epiſcopus alterius plebem vſurpet, nec alterius parochiæ terminos aut ius inuadat. 6. Ceſſante aliquo in iure ſuo exercendo, ius iſtud ad ſuperiorem deuoluitur qui ſupplet: imò ad ſolum Papam deuoluitur. 7. Epiſcopo ex reditibus & oblationibus Eccleſiæ debetur tertia pars. 8. Charitatiui ſubſidij exactio eſt de iure diœceſiano. 9 Archidiaconus & alius inferior prælatus non poteſt petere charitatiuum ſubſidium: niſi hoc habeat ex priuilegio vel conſuetudine. 10. Charitatiuum ſubſidium debet ſolui ab eo qui fructus percipit, & non à nouo poſſeſſore. 11. Charitatiuum ſubſidium non exigitur à monaſteriis. 12. Res Epiſcopi ab Eccleſiæ rebus debent eſſe ſeparatæ. 13. Confugiens ad domum Epiſcopi vi non eſt inde abſtrahendus 14. Epiſcopus ſedem mutare non debet. 15. Prælatus non habet territorium, nec poteſt habere officiales annatos, nec illorum iuriſdictio adhæret territorio. 16. Vnius Epiſcopi ſubditi alterius iuriſdictioni non ſunt ſubiecti. 17. Laici ad ad iuriſdictionem Epiſcopi non pertinent. 18. Vacante Eccleſiâ electioni locus eſt. 19. Illegitimè natus eſt eligendus. 20. Electio accuſati vel denuntiati non valet. 21. Clericis & Monachis ius eligendi prælatum competit 22. Si ij, quorum eſt electio, eo iure omnes fuerint priuati, ad proximum ſuperiorem illud ius eligendi deuoluitur, 23. Ei quoque qui eſt in quaſi poſſeſſione iuris, eligendi electio competit. 24. Nonniſi ſepulto priùs deceſſore de electione tractandum eſt. 25. Etiam noctu poteſt fieri electio. 26. Electionis vota non debent fieri ſcriptis, ſed viua voce. 27. Si in electione diſſentiant, ſtatur ſententiæ maioris partis. 28. Electus præſumitur gratus eligentibus. 29. Electus debet ſe intra viginti dies præſentare pontifici. 30. Munus conſecrandi electum delegari poteſt.

3. *De Clericis & Monachis.*

1. Clericorum appellatione continentur etiam in minoribus ordinibus conſtituti. 2. Canonici ac dignitates in fauorabilibus Clericorum appellatione continentur, ſecus in odioſis. 3. Ordinatio Clericorum facta vltra numerum valet, etiam præſtito iureiurando, quòd vltra numerum neminem ordinare vellet. 4. Peregrini in Clericos non ordinandi. 5. Periuri in Clericos non ordinandi. 6. Qui viduam vel corruptam duxit, non ordinandus. 7. Nec illegitimè nati, nec fœminæ, nec minores ætate, nec corpore vitiati, nec bis térve baptizati, nec pœnitentes, nec expoſiti, nec ſuſpenſi non obtemperantes, nec neophyti, nec denique homicidæ in Clericos ordinandi. 8. Accuſator vel teſtis in cauſâ criminali ſecuto mortis ſupplicio nõ ordinandus. 9. Inquiſitor hæreticæ prauitatis, ſecuto mortis ſupplicio, non ordinandus. 10. Si aliquem ad mortem pro fide ſuſtinendâ hortatus eſt, ex eâ non eſt irregularis. 11. Iudex, qui aliquem ad mortem damnauit, eſt irregularis. 12. Iudex, qui aliquem in carcerem coniecit, in quo mortuus eſt, fit irregularis. 13. Qui delegauit cauſam criminalem, quâ quis ad mortem à delegato damnatus eſt, non eſt irregularis. 14. Qui paſſus eſt ſibi cauſam criminalem à Principe delegari, damnatione ad mortem ſecutâ, non fit irregularis. 15. Ex mutilatione membri alteri factâ quis fit irregularis. 16. Ordinis defectus maior quàm ætatis. 17. Monachi in Clericos non ordinandi. 18. Ante ordinationem Clericorum edictum cap. vlt. de elect. proponendum, ſi quis ſe velit opponere. 19. Præbenda vacatura ordinato promiſſa ordinationem non vitiat.

4. *De officiis Clericorum & Monachorum.*

1. Clerici tabellionatus officium exercere prohibentur. 2. Religioſus executor in alicuius teſtamento datus non poteſt hoc officium ſine ſuperioris licentiâ ſuſcipere. 3. Clericus & Monachus prælato ſuo reuerentiam & obedientiam præſtare debet. 4. Ne concubinas alant. 5. Ne ab Eccleſiâ ſuâ recedant, ſed ibi reſideant. 6. Ne ad ſecularem vitam redeant. 7. Clericus qui homicidium commiſit, vel mortis cauſam præſtitit, deponitur. 8. Clerici & Monachi nihil proprium habere debent. 9. Ne officia vel negotia ſecularia tractent, néue negotientur. 10. Clerici regulares debent communiter & ſimul viuere.

5. *De priuilegiis & rebus Clericorum & Monachorum.*

1. Clerici de bonis ſuis teſtari eáue alienare non prohibentur. 2. Monachi & Monaſtriæ bona monaſterio acquiruntur. 3. Clerici & Monachi apud Eccleſiaſticum non ciuilem iudicem conueniendi. 4. Epiſcopus eſt iudex ordinarius Clericorum & Monachorum non prælatus inferior. 5. Clericus non niſi in quantum facere poteſt, tenetur, deductis neceſſariis alimentis, ne cogantur mendicare. 6. Nobilitas non amittitur per ingreſſum religionis. 7. Clericus habet omnia priuilegia armatæ militiæ.

6. *De Præbendis & dignitatibus,*

1. Ex mandato vel reſcripto Papæ de præbendâ alicui conferendâ, poteſt præbenda peti. 2. Qui beneficium habet, ei aliud beneficium non conferendum. 3 Diuitibus qui per ſe ſuſtentari poſſunt præbenda non conferendæ. 4. Liberis hæreticorum præbendæ non conferendæ vſque ad ſecundam generationem. 5. Clericis vſurariis beneficia non conferenda. 6. Beneficia ſecularia religioſis non conferenda, & contra 7. Si duo ſunt expectantes, prior tempore poſteriori eſt conferendus. 8. Excommunicatis beneficia non conferenda. 9 Penſio præbendæ Theologicæ alij non theologo à Papa aſſignari non poteſt. 10. Laicus præbendas conferendi ius non habet. 11. Vicarius Epiſcopi ius conferendi non habet ſine ſpeciali mandato, ſed ius inſtituendi ad præſentationem patroni. 12. Si ſede vacante capitulo mandatum ſit de præbendâ alicui conferendâ, epiſcopus poſtea electus exequi mandatum tenetur. 13. Si duobus conferendi præbendas ius competat, vnus ſine altero conferre non poteſt. 14. Si is cui ius conferendi competit, præbendam vacantem intra ſex menſes alij non contulerit: ius conferendi eam amittit. 15. Excommunicatus vel ſuſpenſus præbendas conferre non poteſt. 16. Filio legitimo poteſt conferri beneficium per patrem vicarium. 17. Si is cui ius conferendi beneficia competit, illud amiſit; regulariter id ad ſuperiorem tranſit. 18. Præbenda nondum vacans alij non conferenda vel tradenda. 19. Mandatum de beneficiis vacaturo conferendo regulariter primum vacans continet. 20. Mandatum de beneficio proximè vacaturo conferendo continet etiam id quod tempore mandati impetrati vacabat. 21. Mandatum de præbendâ canonico conferri conſuetâ conferendâ continet etiam canonicatum. 22. Fructus beneficiorum etiam non habenti titulum à Papâ poſſunt conferri. 23. Si quis duplicem perſonam ſuſtineat, non ob id ex quotidianis diſtributionibus duplicem portionem percipit. 24. Inſtitutio Clerici de beneficio confert ius plenum inſtituto ſine apprehenſione poſſeſſionis quæ vacat. 25. Actio beneficialis competit ex mandato Papæ de conferendo alicui beneficio: item ex collatione & aliis cauſis. 26. Recepti authoritate Apoſtolicâ præferuntur cæteris in conferendâ præbendâ. 27. Si duo diuerſo tempore mandatum de conferendâ ſibi præbendâ vacante re vacaturâ impetraſſent: prior impetrans poſteriori eſt præferendus. 28. Apud Eccleſiaſticum, non ciuilem iudicem actio beneficialis competit. 29. Præbendæ & dignitates ſine cauſâ alicui non ſunt auferendæ. 30. Si quis per ſimoniam præbendam conſecutus ſit, vel à diuinis ceſſauerit, vel ab Eccleſia ſua abſit nec reſideat, priuatur præbenda. 31. Prælatus inſufficiens dignitate priuatur. 32. Si aduerſus eum qui contulit beneficium fuerit ingratus, ex hac cauſa beneficium non auferendum. 33. Si continentiam non ſeruauerit, vel vxorem duxerit, præbendâ priuatur. 3. Si in hæreſin lapſus ſit, deponitur. 35. Si pater Clerici hæreticus ſit factus, vel hæreticos acceperit filius beneficium amittit. 36. Si beneficio vel dignitati renuntiauit, eam amittit. 37. Si habens præbendam vel dignitatem aliam poſtea ſit adeptus, priorem amittit. 38. Si aduerſus Apoſtolicam ſedem contumax exiſtens ſuſpenſus fuerit, & per annum in ſuſpenſione permanſerit, beneficio priuatur. 39. Si factus ſit miles, ſi ſit excommunicatus vel ſuſpenſus, ſi beneficium permutauerit vel colluſerit in cauſa beneficiali, etſi bannitus ſit, perpetuò beneficium amittit. 40. Laicis non competit ius auferendi beneficia 41. Promotus à Papa ab ordinario deponi non poteſt. 42. Epiſcopus non niſi à Papa deponendus. 43. Priuatus præbendâ fructus etiam reſtituere tenetur. 44. Beneficium permutatum ſine noua collatione reuertitur ad permutantes. 45. Reſolutâ permutatione permutantes non tenentur ad reſtitutionem fructuum. 46. Clericus eſt vſufructuarius, non vſuarius fructuum beneficij.

7. *De rebus Eccleſiaſticis.*

1. Valet legatum Eccleſiæ relictum, vel ad pias cauſas. 2. Res Eccleſiæ alienari non poſſunt. 3. Quatuor ſunt genera decimarum. 4. Ab omnibus regulariter decimæ ſunt ſoluendæ. 5. Decimæ debentur eius parochiæ Clericis, in cuius territorio colliguntur, non in aliis. 6. Decima pars omnium frugum ratione decimarum debetur. 7. Laicis decimæ non ſunt conferendæ. 8. Non deductis expenſis decimæ ſunt ſoluendæ. 9. Antequam fructus exportentur, decimæ ſoluendæ. 10. Laici quandoque coguntur ſacerdotibus oblationes exhibere. 11. Oblationes regulariter debentur Eccleſiæ parochiali. 12. Si die feſto oblata vni debeantur, & die Dominico oblata debeantur alteri: & contingat feſtum eſſe in Dominico, oblationes tunc factæ inter eos ſunt diuidendæ. 13. Ius patronatus competit ex gratia & fauore Eccleſiæ, vt laici ad amplificationem Eccleſiarum inuitentur. 14 Ius patronatus tranſit ad ſucceſſorem vniuerſalem, ſiue hæredem, ſiue alium. 15. Ei cui patronus ius ſuum ceſſit, hoc ius non competit. 16. Creditori, cui fundus pignori datus eſt, cui ius patronatus eſt annexum, non competit

hoc

hæc ius. 17. Pluribus patronis existentibus, sufficit maiorem præsentare vel consentire. 18. Vacante Ecclesiâ, nonnisi ad præsentationem patroni aliquis est instituendus vel ordinandus. 19. Si in præsentando patroni discordent: præfertur sententia maioris partis. 20. Ius patronatus amittitur per alienationem. 21. De iure patronatus cõpetit actio confessoria & negatoria. 22. Ædificia ex quibus prospectus est in religiosum vel monialium hortos, prohibentur. 23. Violatio imaginum sanctorum punitur capitaliter.

8. *De Actibus Ecclesiasticis.*

1. Oratio particularis plus prodest ad remissionem peccatorum quam generalis. 2. Concubinarius & fornicarius diuina officia administrare non debet. 3. Sodomita simoniacus & alius hæreticus diuina officia administrare non debet. 4. Is qui per somnum illusus est coire, à diuinis officiis abstinere debet. 5. In profanis ædificiis diuina officia peragere non licet. 6. Sacramenta solus Episcopus conferre potest. 7. Sacramenta gratis ministranda. 8. Sacramentum Eucharistiæ etiam damnatis ad mortem petentibus non est denegandum. 9. Ante, non post festum Missa celebranda. 10. Baptismatis sacramentum delet peccatum, & prodest baptizato ad salutem. 11. Is qui est in vtero matris, non est baptizandus. 12. Compater ipse, non per alium baptizatum debet offerre. 13. Nomina in baptismo ad placitum sumuntur. Est tamen bonum habere nomen bonum. 14. Baptismatis sacramentum non reiterandum. 15. Baptizatus potest compellere susceptorem ad præstanda sibi alimenta. 16. Charitas potiùs fratri, quamuis hæretico, quàm extraneo catholico exhibenda.

9. *De Sepulturâ.*

1. In ciuitate non est sepeliendum. 2. Potest quis sepulturam sibi eligere: pater autem filio sepulturam eligere non potest. 3. Vsurarij manifesti in cœmeterio non sunt sepeliendi. 4. Relegati in loco, à quo relegati sunt, non sepeliendi. 5. Vltimo supplicio affecti non prohibentur in cœmeterio sepeliri. 6. Qui seipsum occidit, in cœmeterio non est sepeliendus.

10. *De excommunicatione.*

1. Excommunicatione nulla maior est pœna in Ecclesiâ. 2. Excommunicatio est seperatio Christiani à communione Ecclesiæ. 3. Excommunicatio est minor vel maior, publica vel occulta. 4. Excommunicationis causæ hæ sunt: si quis decreto prælati sui non obtemperauerit: si quis Ecclesiam contra immunitatem suam grauauerit: si Clericum vel religiosum percusserit, vel vim ei intulerit: si Episcopum percusserit: si quis Ecclesiam sacrilegè fregerit ac spoliauerit: si excommunicato communicauerit: si sit schismaticus; si incendiarius fuerit: si quis contrahat scienter matrimonium in gradu prohibito &c. 5. Excommunicandi potestas prælatis à Christo data est. 6. Laicus excommunicandi potestatem non habet. 7. Trina monitio excommunicationi est præmittenda. 8. Vestigia excommunicationis etiam apud ethnicos fuerunt.

Iuris canonici diuisio. III. *Ius Canonicum diuiditur in quatuor partes principes, in Decretum videl. Decretales, Sextum, & Clementinas: quibus accedunt Extrauagantes tum propriæ, tum communes.*

Decretum in tres partes diuiditur: quarum prima continet distinctiones centum & vnam: secunda habet causas triginta & sex, quarum singulæ in quæstiones diuiduntur, & quælibet quæstio in capita, at verò quæstio. 3. causæ trigesimæ tertiæ continet tractatum de pœnitentiâ in 7. dist. per capita diuisum. Tertia pars continet tractatum de consecratione in quinque distinctiones distributum.

Prima pars, quæ continet distinctiones, sic habet.

Prima distinctio tractat de iure naturali & humano, ius ipsum naturaliter eiusque species omnes definiens, & inter ius scriptum & non scriptum differentiam ponens.

Secunda, de iure Quiritium, siue Romanorum, ipsum per species diffiniens.

Tertia, Iuris Canonici varia nomina distinguit, breuiterque exponit.

Quarta, ad quid leges inuentæ sint, & quid sacri canones mandent.

Quinta, quomodo ius naturale est immobile, nec obstat, quod ibi ponitur.

Sexta, in illusiones nocturnæ ad peccatum imputentur; & circa finem prosequitur de iuris naturalis dignitate.

Septima, ponit legislatores, ostendendo qualiter ius incæperit.

Octaua ponit differentiam inter ius naturale, & consuetudinem.

Nona, authoritate & exemplo probat constitutiones hominum iuri naturali cedere.

Decima ostendit, quòd leges Imperatorum vincuntur à canonibus.

Vndecima dicit, consuetudinem legibus approbatis cedere.

Duodecima habet, laudabilem consuetudinem esse seruandam, quæ nec canonibus sacris, nec veritati, nec bonis moribus obuiet.

Decimatertia vult, quòd contra ius naturale non admittatur dispensatio, nisi in fugâ maioris mali.

Decimaquarta, quòd quis non debet minus peccatum committere, vt aliquid maius euitare possit.

Decimaquinta notat de tempore quo sacri canones, librique & concilia celebrata fuerunt, & quæ opuscula sunt admittenda.

Decimasexta ponit, quòd canones Apostolorum sunt recipiendi, postea ostendit quo tempore, & quo residente in Papatu vel imperio, quodlibet Concilium est celebratum.

Decimaseptima dicit, non Concilia, sed Conuenticula celebrari sine Papâ.

Decimaoctaua ostendit, quòd prouincialia Concilia nihil generaliter possunt constituere: ideo consequenter declarat ad quid sint vtilia, & quoties in anno, & quo tempore anni, & cuius auctoritate sunt celebranda, & quod Metropolitanus nihil debet exigere ab Episcopis ad Concilium conuenientibus. Addit de pœnâ Episcopi qui vocatus ad Synodum non venit.

Decimanona, vim decretalium ostendens dicit, mandata Ecclesiastica deuotè seruanda.

Vigesima dicit, quòd in causis diffiniendis sacri canones, in exponendâ vero sacrâ Scripturâ sancti doctores attenduntur.

Vigesimaprima tractat de diuersis ordinibus & gradibus ministrorum, docendo qui sunt executores, siue ministri canonum à maiori vsque ad infimum, et differentias ministrorum locorum assignat, probans quòd maior à minori non debet iudicari.

Vigesimasecunda de dignitate Romanæ Ecclesiæ, & quarundam aliarum.

Vigesimatertia, de ordinatione ministrorum, incipiens à Romano Pontifice, & descendens vsque ad Ostiarium.

Vigesimaquarta, de examinatione ordinandorum.

Vigesimaquinta, de officiis Clericorum, incipiendo ab Ostiario, ascendendo vsque ad Episcopum. Circa medium distinctionis inchoat tredecim præcepta regulæ Apostolicæ, & prosequitur ibi, Oportet Episcopum esse sine crimine. Et inde nactâ occasione, ponit varias significationes huius nominis crimen. Et ostendit quod sit mortale, & quòd veniale.

Vigesima sexta exequitur secundum præceptum Apostolicæ regulæ. Oportet Episcopum esse vnius vxoris virum.

Vigesima septima probat, quòd nolentes vouere continentiam, ad sacros ordines promouendi non sunt, assignans differentiam inter solemne & simplex votum.

Vigesima octaua probat, quòd Clericis habere vxores non licet in Ecclesiâ occidentali, addens de subdiaconatu, qui olim prohibitus non erat. Vide quod ibi notatur.

Vigesimanona ostendit quædam capitula tradita esse ex causâ, quædam ex tempore quædam ex loco, quædam ex personâ.

Trigesima, quia dictum fuit 28. dist. suprà, quòd Sacerdotes non debent à se abiicere vxores suas prætextu religionis, hìc dicit quod ex causâ fuit hoc statutum, scil. propter quosdam hæreticos, qui coniugia detestabantur.

Trigesimaprima probat, & ponit exempla in terminis, qualiter Clerici continere debent, & quòd ab omnibus est seruanda continentia, nisi ab Orientalibus.

Trigesimasecunda adhuc prosequitur de continentiâ Clericorum. Et dicit quod constituti in quatuor sacris ordinibus renentur continere, & si habent publicas concubinas, nullus eorum Missam audiat.

Trigesimatertia ostendit, quòd bigami, corpore vitiati, vsurarij, publicè pœnitentes, lusores, in scenâ ludentes, furiosi, arreptitij, accipientes meretrices in vxores, & concubinas habentes promoueri non possunt.

Trigesimaquarta ponit, quòd oportet Episcopum vitare nimiam familiaritatem domesticarum personarum, & etiam consanguinearum, & quòd venari non licet.

Trigesimaquinta agit de tertio c. Apostolicæ regulæ, Oportet ordinandum non esse violentum.

Trigesimasexta, exponendo illud, prudentem, dicit quòd Clerici debent habere peritiam literarum sacrarum.

Trigesima septima ostendit, quòd Clerici non debent libros Gentilium respicere; peritiam tamen secularium scientiarum debent habere.

Trigesimaoctaua probat, quòd literis debet esse eruditus Saberdos, & canones ignorare non debet. Ignorantia enim ipsi est periculosa.

Trigesima nona ostendit, quòd oportet Episcopum esse prudentem in negotiis secularibus, vt suâ cautelâ reddantur Ecclesiæ indemnes.

Quadragesima prosequitur quintum capitulum Apostolicæ regulæ, oportet Episcopum esse ornatum. Et primò de ornatu interiori, qui consistit in virtutibus.

Quadragesima prima tractat de ornatu, qui consistit in grauitate, incessu, habitu, & temperantiâ potus & cibi.

Quadragesimasecunda declarat illud hospitalem.

Quadragesimatertia, illa duo, pudicum & doctorem.

Quadragesima

Quadragesimaquarta, illud non vinolentum, quod est pa s eius, quod diximus supra 20. dist.
Quadragesimaquinta, illud, non percussorem.
Quadragesimasexta, illud, non litigiosum.
Quadragesimaseptima, illud non cupidum, domui suæ benè præpositum.
Quadragesimaoctaua, illud, non neophytum.
Quadragesimanona, prædicta præcepta Apostolicæ regulæ sub compendio, & breuiter recapitulat, & ponit causas, & rationes quare criminosi, & vitiosi non debent in Episcopos promoueri.
Quinquagesima agit de lapsu, & reparatione Clericorum.
Quinquagesimaprima, de curialibus siue officiariis ratiociniis obligatis, iudicibus & aduocatis ordinandis, vel non.
Quinquagesimasecunda, de præposteratione sacrorum ordinum, siue de Clerico per saltum promoto.
Quinquagesimatertia, de curiæ annexis in Clero, vel monasterio recipiendis, vel non & ibi probat quare curiales, & aliter obligati ordinandi non sunt.
Quinquagesimaquarta, de seruis à non dominis manumissis non promouendis, nisi libertatem sint consecuti.
Quinquagesimaquinta, de corpore vitiatis, bigamis, illiteratis, publicè pœnitentibus, ordinandis vel non.
Quinquagesimasexta, de filiis Presbyterorum, & natis de fornicatione & adulterio non ordinandis.
Quinquagesimaseptima, de baptizatis in ægritudine, an ordinentur.
Quinquagesimaoctaua, de Monachis non ordinandis sine licentiâ Abbatis.
Quinquagesimanona, de laicis literatis non subitò ordinandis.
Sexagesima, ostendit ex quibus ordinibus aliquis eligendus sit in præpositum vel Decanum, vel Archipresbyterum, vel Episcopum.
Sexagesimaprima, ostendit, quòd laici non sunt eligendi in Episcopos, sed postulandi.
Sexagesimasecunda ostendit quòd Clericorum est eligere, & populi consentire.
Sexagesimatertia probat, quòd nullo modo laici debent se ingerere electioni Episcoporum.
Sexagesimaquarta ponit quo tempore, & quibus præsentibus debent Episcopi consecrare.
Sexagesimaquinta dicit, quòd præsentibus omnibus Episcopis cum prouincialibus, vel se excusantibus debet Episcopus consecrari ab Archiepiscopis. Et ibi dicit, quòd si cæteris ordinationi Episcoporum consentientibus duo vel tres contradicant, obtineat plurimorum sententia.
Sexagesimasexta, de promotione Archiepiscopi, qui ab omnibus Episcopis comprouincialibus est ordinandus, & non est consecrandus à paucioribus, quàm à tribus.
Sexagesimaseptima, de promotione, siue ordine Presbyterorum.
Sexagesimaoctauâ, dicit quòd illi, qui sunt ordinati ab illis, quos non constat esse Episcopos, iterum sunt ordinandi. siue determinat de ordinatione non iterandâ, & Chorepiscopis.
Sexagesimanona, quòd prima tonsura Clerici, de manu Abbatis potest suscipi, vel dic, quòd terminat de non ordinatis, ne in Ecclesiâ Dei ministrent.
Septuagesima tractat, ne quis ordinetur sine tit.
Septuagesimaprima, ne quis ordinetur à non suo Episcopo.
Septuagesimasecunda, ne ignotus Clericus sine literis dimissoriis siue commendatiis recipiatur.
Septuagesimatertia ostendit qualiter literæ formatæ dimissoriæ fiant.
Septuagesimaquarta tractat an inuitis ordines conferantur.
Septuagesimaquinta, de tempore, & die consecrationis Episcoporum, nec non de temporibus ordinationum aliorum Clericorum.
Septuagesima sexta, de ieiuniis quatuor temporum, & quare sunt ieiunanda.
Septuagesimaseptima ponit, qualiter Clerici sunt per gradus ordinandi, & etiam tractat de interstitiis temporum.
Septuagesimaoctaua, in quâ ætate sunt sacerdotes ordinandi.
Septuagesimanona repetit de ordinatione summi Pontificis, quæ solis Cardinalibus fieri debet.
Octuagesima, in quibus locis sunt ponendi Episcopi, vel Archiepiscopi.
Octuagesimaprima epilogando docet, quòd ordinandus in Episcopum debet esse sine crimine, nec Clerici mulieribus cohibitare debent.
Octuagesimasecunda docet, quòd Episcopus his qui sui manibus laborare non possunt, prouidere debet, & addit, quòd si quis ministrorum fornicationem committat, & agat pœnitentiam, ex dispensatione potest in ordinibus remanere.
Octuagesimatertia docetur, quòd Prælatus non solùm à peccato immunis esse debet, sed etiam peccatis aliorum consentire non debet.
Octuagesimaquarta vult quòd Prælatus sit vigilans circa defensionem pauperum, releuationem oppressorum, & curationem monasteriorum.
Octuagesimaquinta tractat de hospitalitate Clericorum, quæ est Episcopis necessaria.
Octuagesimasexta probat, quòd oportet Episcopum esse doctorem, vt sciat subditos corrigere; item liberalem circa patientes necessitatem, non circa histriones.
Octuagesimaseptima probat quòd viduis, orphanis, & oppressis, episcopus debet dare subsidium.
Octuagesimaoctaua dicit, quòd Clerici cupiditatis causa negotiatores esse non debent, sed pietatis causa curam orphanis & viduis impendere.
Octuagesimanona dicit, quòd oportet Episcopum esse domui suæ benè propositum, vt sciat in dispensatione rerum Ecclesiæ regulam esse obseruandam.
Nonagesimâ docetur, qualiter litigiosi corripiendi sunt, & non ordinandi, tractans de licitis, & honestis operibus.
Nonagesimaprima, de modo cantandi in Ecclesia, etiam de electis pro ætate. Dicit etiam, quòd si Clericis sua beneficia non sufficiant, possunt sibi necessaria quærere artificio suo licito.
Nonagesimasecunda dicit, quòd magis corde, quàm vocibus cantandum.
Nonagesimatertia, de obedientiâ minorum erga maiores, & quòd nullus debet communicare inimicis Romanæ Ecclesiæ.
Nonagesimaquarta, de legato Romani Pontificis, qui impediendus non est, & impedientes sunt excommunicandi. Probat etiam quòd maior in officio minori vices suas cōmittere potest, & de præsumptione Archidiaconorum.
Nonagesimaquinta dicit, quòd etiam præsentibus Episcopis Presbyteri, quamuis eis subditi, possunt sacra mysteria celebrare, & prædicare.
Nonagesimasexta dicit, quod laicis (etiam Imperatoribus) non licet aliquem ordinare, vel de rebus Ecclesiarum iudicare.
Nonagesimaseptima dicit, quòd precibus Ecclesiæ Imperator, & cæteri principes possunt eam iuuare, subientibus Ecclesiam Romanam legationem vndecunque sine signatis apicibus non recipere.
Nonagesimaoctaua dicit, quòd Clerici peregrini & vltramarini, sine testimonio quinque Episcoporum recipiendi non sunt.
Nonagesimanona dicit de Primatibus, & potestate eorum, qualiter nullus est appellandus vniuersalis.
Centesima tractat de pallio, & vsu eius.
Centesima prima, & vltima, dicit vnam prouinciam in duas non diuidendam.

Secunda pars quæ est de causis, distincta est in causas XXXVI. quarum quælibet plures sub se quæstiones continet.

Prima causa quæstiones habet septem.
Prima quærit, vtrum vendere spiritualia sit peccatum. Sol. sic.
Secunda, an pro ingressu Ecclesiæ, vel monasterij pecunia sit exigenda, vel persoluenda. Sol. non.
Tertia, vtrùm præbendas Ecclesiæ emere sit simonia. Sol. sic.
Quarta, vtrùm ille reus criminis sit, cuius pater pro eo ignorante simoniam commisit. Sol, ignorantia facti, non iuris, excusat eum.
Quinta, vtrum liceat ei retinere, quod pater pro eo simoniacè acquisiuit. Sol, de rigore iuris non, de misericordiâ secus.
Sexta, vtrùm ignoranter à simoniaco ordinati sint abiiciendi, vel non. Sol. probatâ ignorantiâ misericorditer tolerantur.
Septima, vtrùm renuntians suæ hæresi in Episcopali dignitate sit suscipiendus. Sol. rigor vult eum deponi, sed dispensatio sustineri.

Secunda causa habet octo quæstiones, & in eâ quinta præcedit quartam.

Prima, quærit vtrùm in manifestis sit ordo iuris seruandus Sol. sic, nisi sint notoria.
Secunda, vtrùm spoliatus ab aliquo sit iudicandus. Non, ante restitutionem.
Tertia, quâ pœnâ sint feriendi in accusatione deficientes. Talione.
Quinta, vtrùm accusatore deficiente reus sit cogendus ad purgationem. Non, nisi infamiâ publicâ laboret.
Quarta, an duorum testimonio episcopus sit condemnandus. Sic.
Sexta, quo remedio causa subleuatur; Appellatione, quæ tamen ei danda non est, qui causa dilationis appellat.

Septima, an laici vel Monachi, vel quilibet inferiorum ordinum sunt admittendi in accusatione maiorum. Non, de iure nouo.

Octaua, qualiter accusatio fieri debeat. Sol. in scriptis.

Tertia causa quæstiones vndecim complectitur.

Prima, vtrùm restitutio sit facienda quibuslibet spoliatis. Sol. sic, nisi in casibus. Nam infamatus, apostata, iustè spoliatus præclusus, & suspectus, non sunt restituendi.

Secunda, quæ sint in iudiciis, quo spatio sint dandæ, an post restitutionem tantùm, an post vocationem ad causam, cuiuslibet concedendæ sint. Sol. ad arbitrium iudicis.

Tertia, quo spatio mensium sint vtrique concedendæ. Sol. Vt prius.

Quarta, vtrùm infames sint recipiendi ad testimonium. Sol. Non nisi contra suspiciones.

Quinta, an testes domestici, vel inimici sint producendi. Sol. Non.

Sexta, vtrùm reus extra prouinciam sit producendus. Sol. Non.

Septima, vtrùm criminosus possit esse iudex. Sol. sic, ab Ecclesia toleratus.

Octaua, vtrùm Episcopus possit ab vno iudicari tantùm. Sol. non, nisi à 12. Episcopis, reseruata sententia summo Pontifici.

Nona, vtrùm accusatores, vel testes in absentem vocem accusationis, vel testificationis exhibere valeant. Sol. non.

Decima, vtrùm deficientes in vno capitulo sint admittendi ad sequentia. Sol. non.

Vndecima, vtrùm accusatus in accusatorem possit conuertere accusationem. Sol. non nisi in maiori crimine.

Quarta causa habet sex questiones.

Prima, an in communicatione constitutus alium accusare valeat. Sol. non.

Secunda, an infra XII annos in criminali causâ quis testificare possit. Sol. non.

Tertia, an ab accusatione prohibitus possit esse testis. Sol. non.

Quarta, an idem possit esse accusator, & testis. Sol. non.

Quinta, an si vocatus ad causam non veniat, sit excommunicandus. Sol. sic, nisi iustam absentiæ causam probauerit.

Sexta, an calumniator in propriâ causâ sit audiendus. Sol. sic, si causa non sit criminalis.

Quinta causa habet sex questiones.

Prima, quâ pœna sit feriendus, qui famosum libellum scribit. Sol. Anathemate, nisi scripturam probauerit.

Secunda, quoties quis sit ad causam vocandus, antequam excommunicetur. Sol non tantùm semel, sed bis.

Tertia, an per procuratorem quis causam agere valeat criminalem. Sol. non, nisi sit persona illustris. Causam verò iniuriarum ciuilem, sic.

Quarta, an absque synodali audientiâ Episcopus sit damnandus. Sol. non.

Quinta, an sit habendus pro inimico, qui aliquem accusat. Sol. non, si hoc faciat ex charitate.

Sexta, quâ pœnâ sit plectendus, qui non probat obiecta. Sol. Talione.

Sexta causa quæstiones quinque continet.

Prima, vtrùm criminosi, vel infames religiosum Episcopum possint accusare de simoniâ. Non.

Secunda, si Episcopus accusationem in accusantem conuertere voluerit, an eius verbo simplici fides adhibenda sit. Non.

Tertia, an liceat petere iudicium Episcopis alterius prouinciæ. Non, nisi in causâ damnationis.

Quarta, cuius iudicium sit expetendum, cùm Episcopi prouinciæ in suâ sententiâ discordant. Archiepiscoporum & Episcorum vicinæ prouinciæ.

Quinta, an accusatore deficiente, reus sit ad probationem cogendus. Non. sed benè ad purgationem, si laboret infamiâ.

Septima causa habet duas quæstiones.

Prima, vtrùm viuente Episcopo alius poterit in eâdem Ecclesiâ ordinari. Non, nisi transferatut, vel cedat. Tamen pro infirmitate, vel seuectute, datur sibi coadiutor.

Secunda vtrum, hi qui cesserunt causâ infirmitatis, sanitate receptâ possint cathedram repetere. Non.

Octaua causa quæstiones quinque colligit.

Prima, vtrùm liceat Episcopo sibi successorem eligere. Non.

Secunda, an, amicorum patrocinia in electione valeant Non.

Tertia, an sit simonia post electionem pro indemnitate Ecclesiæ iuramentum præstare. Sic, si pactum super hoc præcesserit.

Quarta an liceat Clericis declinare iudicia Episcopi de crimine accusati ante scientiæ tempus. Non ante condemnationem, nisi per appellationem.

Quinta, an accusatus coram Apostolico, sine eius literis debeat reuerti. Non.

Nona causa habet tres quæstiones.

Prima, an ordinatus ab excommunicato eiiciendus sit. Non, si ignorauit illum esse excommunicatum.

Secunda, an liceat Archiepiscopo, vel Episcopo Clericos alterius ordinare. Non, sine literis proprij Episcopi.

Tertia, an liceat Archiepiscopo Clericos sui suffraganei absoluere, vel damnare. Non, nisi datâ negligentiâ, vel appellatione interpositâ.

Decima causa quæstionibus tribus est contenta.

Prima, an Ecclesia cum omni dote ad Episcopum pertineat, vel ad eius ordinationes. Sol. Sic.

Secunda, an liceat Episcopo res Ecclesiæ distrahere. Sol. non, nisi in certis casibus.

Tertia, quid à singulis Ecclesiis nomine catedratici valeat exigere. Sol. duos solidos.

Vndecima causa habet tres quæstiones.

Prima, an Clericus ante ciuilem iudicem sit trahendus. Non.

Secunda, quâ pœnâ dignus sit qui Clericum ad secularem iudicem traxit. Excommunicatione.

Tertia, quâ pœnâ dignus sit, qui sententiam Episcopi non seruauerit. Depositione.

Duodecima causa quæstiones continet quinque.

Prima, an liceat Clericis proprium habere. Non, regularibus.

Secunda, an res Ecclesiæ possint dare. Non, nisi in casibus.

Tertia, vtrùm Clerici acquisita de rebus Ecclesiæ possint relinquere quibus voluerint. Non, nisi Ecclesiæ.

Quarta quibus possint Clerici relinquere, quæ de suis & Ecclesiæ rebus prouenerunt, partim Ecclesiæ, partim hæredibus.

Quinta, an liceat Clericis testamentum facere. Sic, de propriis rebus.

Tredecima causa habet duas quæstiones.

Prima, vtrùm decimæ sint dandæ ratione territorij vel personæ. Sol. ratione vtriusque.

Secunda, an ius percipiendi, & soluendi decimas tollatur ratione temporis Sol. sic.

Decimaquarta causa habet sex quæstiones.

Prima, an liceat Clericis in iudicio sua repetere. Sic.

Secunda, an super rebus Eccles. testes eiusdem sint audiendi. Sic.

Tertia, an præter sortem aliquid accipere sit vsura. Sic.

Quarta, an liceat Clericis, vel laicis vsuras accipere. Non.

Quinta, an Eleemosynæ sint de vsuris faciendæ. Non.

Sexta, an vsurarij possint pœnitentiam agere. Non, si habeant vnde possint restituere.

Decimaquinta causa habet sex quæstiones.

Prima, an ea, quæ fiunt ab ignorantibus vel mente alienatis, sint eis imputanda. Non, nisi culpâ suâ ad ignorantiam deuenerint.

Secunda, an pro impensis patrimoniis liceat Cleris munera exigere. Sic.

Tertia, an per confessionem mulieris cum quâ peccauit Sacerdos, sit condemnandus. Non.

Quarta, an die Dominico debeant Episcopi cuasas audire. Non.

Quinta, an neganti crimen purgatio sit indicenda. Sic, si laborat infamiâ

Sexta, an in criminalibus confessio sit extorquenda. Non.

Septima, an solus Episcopus Diaconum, vel Presbyterum deponere possit. Non.

Octaua, si confessus, vel conuictus de his, quæ ante ordinationem commisit, valeat ministrare. Non.

Decimasexta causa habet septem quæstiones. Et in eâ quinta quæstio ponitur in tertio loco.

Prima, an liceat Monachis officium celebrare. Sol. sic cum permissione Episcopi, & licentiâ Abbatis.

Secunda, an liceat eis in Capellis suis Sacerdotes instituere. Sol. sic, si quas possideant pleno iure.

Tertia, an Episcopus vel Abbas iure territorij Capellam valeat vendicare. Sol. non.

Quarta, an iura Ecclesiæ per præscriptionem tollantur. Sol. sic.

Quinta. an Ecclesia contra Ecclesiam, vel monasterium possit præscribere. Sol. sic.

Sexta, Si quis in rem Ecclesiæ ab aliquo detentam suâ authoritate irrepserit, an cadat à causâ. Sol. sic, sed non Ecclesia.

Septima, an liceat alicui Ecclesiam de manu laici recipere. Sol. non, nisi, Ecclesia, vel monasterium habeat ius patronatus.

Decimaseptima causa habet quatuor quæstiones.

Prima, an reus sit voti, qui à proposito sui cordis recedit. Sol. non, quantum ad Ecclesiam, nisi ore pronuntiauerit.

Secunda, an beneficia ei reddenda, sint, qui ei in infirmitate renuntiauit. Sol. sic, si non erat sui compos.

Tertia, an liceat illi, qui se monasterio tradidit, postea ad propria redire. Sol. non.

Quarta, an discedens de monasterio sine Abbatis sui licentia possit sua vendicare. Sol. non.

Decimaoctaua causa habet duas quæstiones.

Prima, an Abbas factus Episcopus acquirat Ecclesiæ, vel monaste-

monasterio. Sol. dum fuit Abbas, acquisiuit monasterio, sed factus Episcopus Ecclesiæ.

Secunda, an per Episcopum Abbas sit eligendus, vel instituendus. Sol. ab Episcopo est ordinandus, à fratribus verò eligendus.

Decimanona causa continet tres quæstiones.

Prima, an Episcopus debeat permittere Clericos transire ad monasterium. Sol. sic.

Secunda, si noluerit, an liceat eis eo inuito transire. Sol. sic.

Tertia, an liceat canonicis regularibus transire ad monasterium Monachorum. Sol. non sine licentiâ sui Prælati.

Vigesima causa quæstiones quatuor comprehendit.

Prima, vtrum pueri traditi monasteriis sint cogendi ibi manere. Non. nisi postquam venerint ad annos discretionis.

Secunda, si præter voluntatem parentum intrauerint monasterium, an per eos inde possint extrahi. Sic intra annum & diem, si sint intra annos discretionis.

Tertia, an qui inuitus cucullam induit, cogatur eam retinere. Non. nisi post consenserit.

Quarta, an liceat ab vno monasterio ad aliud transire. Sic.

Vigesimaprima causa habet quinque quæstiones.

Prima, an Clericus possit in duabus Ecclesiis inscribi. Sol. non.

Secunda, an liceat Clericis à suâ Ecclesiâ ad aliam transire. Sol. non, sine literis, vel licentiâ sui Prælati.

Tertia, an liceat Clericis suscipere procurationem sæcularium negotiorum. Sol. non nisi causâ pietatis.

Quarta, an liceat Clericis, vestibus fulgidis ornari. Sol. non.

Quinta, quâ pœnâ sint puniendi Clerici ad iudicium sæculare fugientes. Sol. excommunicatione.

Vigesimasecunda causa gerit quæstiones quinque.

Prima, an iuramentum sit præstandum. Sic, causâ necessitatis.

Secunda, an sit periurus, qui iurat falsum, & credit verum. Sic, propter intentionem fallendi, tamen posteà dicitur contrarium.

Tertia, an liceat Clericis denegare Episcopo consuetam obedientiam. Non ante condemnationem.

Quarta, an iuramentum illicitum sit seruandum. Non.

Quinta, an periurus sit, qui alium peierare cogit. Sol. sic.

Vigesimatertia causa habet octo quæstiones.

Prima, an militare sit peccatum. Non, si iustè fit.

Secunda, quid sit bellum iustum. Sol. Quod fit edicto superioris, repetendarum rerum, aut propulsandarum iniuriarum causâ.

Tertia, an iniuria sociorum sit armis propulsanda. Sic.

Quarta, an vindicta sit inferenda. Sic, ab eo cuius interest.

Quinta, an sit peccatum iudici vel ministro reos occidere. Non, causâ iustitiæ.

Sexta, an mali sint ad bonum cogendi. Sic.

Septima, an hæretici sint spoliandi suis, & Ecclesiæ suæ bonis. Sic.

Octaua, an liceat Clericis arma mouere. Non, manu propriâ, nisi causâ necessitatis.

Vigesimaquarta causa habet quæstiones tres.

Prima, an hæreticus possit aliquem excommunicare. Non.

Secunda, an post mortem possit aliquis excommunicari. Sic, pro hæresi.

Tertia, an pro peccato Domini eius familia possit excommunicari. Non, sed interdicto supponi.

Vigesimaquinta causa habet duas quæstiones.

Prima, an auctoritate priuilegij quis contra ius commune valeat se tueri. Sol. sic.

Secunda, an sequentia priuilegia derogent prioribus. Sol. sic, si ex certâ scientiâ fuerint concessa.

Vigesimasexta causa quæstiones septem continet.

Prima, an sint sortilegi, qui sub ficto religionis nomine futura promittunt. Sol. sic.

Secunda, an sit peccatum, esse sortilegum. Sol. sic.

Tertia, à quibus genus diuinationis sumpsit exordium. Sol.

Quarta, quot sunt genera diuinationis. Sol. quatuor secundùm numerum, duo secundùm formam, quod videre potes.

Quinta, an sortilegi sint excommunicandi. Sol. sic.

Sexta, an excommunicatus ab Episcopo possit reconciliari à Presbytero. Sol. non Episcopo inconsulto, nisi in necessitatis articulo.

Septima, an morientibus sit pœnitentia imponenda, non tamen est eis innotescenda.

Vigesimaseptima causa habet quæstiones duas.

Prima, an coniugium possit esse inter vouentes. Sol. non, si votum sit solemnizatum; secus si simplex fuerit.

Secunda, an liceat sponso à sua sponsa recedere. Sol. non, si desponsatio sit de præsenti.

Vigesima octaua causa gerit quæstiones tres.

Prima, an coniugium sit inter infideles. Sol. non.

Secunda, an liceat conuerso ad fidem ducere aliam viuente priore. Sic, si sit diuisus ab ipsa in fide.

Tertia, an bigamus sit, qui ante baptismum vnam vxorem, & post aliam habuit. Sic.

Vigesimanona causa habet duas quæstiones.

Prima, an sit coniugium inter seruum, & ingenuam. Sol. sic, nisi error impediat.

Secunda, si prius putabat hunc esse liberum, & postea deprehendit ipsum esse seruum, an possit eum deserere. Sol. sic.

Trigesima causa habet quinque quæstiones.

Prima, an liceat reddere debitum uxori, quæ filium de sacro fonte leuauit. Sic, nisi de consensu vtriusque sit factum.

Secunda, an sponsalia contrahantur inter infantes. Non.

Tertia, an spirituales vel adoptiui filij possint naturalibus copulari. Non.

Quarta, an liceat alicui commatrem in vxorem, siue ducere in vxorem. Sic, mortua vxore, si commaternitas matrimonium præcesserit.

Quinta, an clandestina desponsatio manifestè præiudicet. Non, apud Ecclesiam.

Trigesimaprima causa habet tres quæstiones.

Prima, an possit duci in vxorem, quæ prius fuit polluta per adulterium. Sol. sic, nisi adultera dederit ei fidem viuente viro, vel machinatus sit in mortem eius.

Secunda, an filia sit inuita alicui in vxorem tradenda. Sol. non.

Tertia, an post patris sponsionem possit alij nubere. Sol. sic, si non consenserit.

Trigesimasecunda causa habet octo quæstiones.

Prima, an liceat ducere meretricem in vxorem. Sic.

Secunda, an sit vxor appellanda, quæ dicitur incontinentiæ causa. Non.

Tertia, an mulier sequatur arbitrium aui liberi, an patris serui. Aui.

Quarta, an viuente vxore, liceat alicui ex ancilla filios quærere. Non.

Quinta, an ea, quæ patitur inuita, pudicitiam perdat. Non.

Septima, an viuente dimissa, aliam accipere possit. Non.

Octaua, si in hoc saltem infidelem ducere possit ea conditione, vt ad fidem conuertatur. Non.

Trigesima tertia causa habet quinque quæstiones.

Prima, an propter impotentiam coëundi sit aliqua à viro separanda. Sol. sic.

Secunda, an separata possit nubere cum quo priùs est fornicata. Sol. sic, pœnitentiâ factâ.

Tertia, an sola cordis contritione possit peccatum deleri. Sol. sic, vbi facultas confitendi non suppetit.

Notandum hic, quod ratione huius tertiæ quæstionis motæ agitur de pœnitentia, cuius tractatus per distinctiones septem est distinctus.

Prima, quærit an sola cordis contritio deleat peccatum. Sic, si confitenti facultas desit.

Secunda, an charitas semel habita possit amitti. Sol. sic, in via, secus tamen in patria.

Tertia, an pœnitentia possit iterari. Sol. sic, præter solemnem.

Quarta, an peccata semel dimissa redeant. Sol. non simpliciter.

Quinta, quis modus debeat obseruari in imponenda & accipienda pœnitentia. Solut. ad arbitrium proprij sacerdotis discreti.

Sexta, cui quis confiteri debeat. Sol. proprio sacerdoti, si sit discretus, alioquin alteri de eius licentia.

Septima, an pœnitentia timore mortis accepta sit fructuosa. Solut. sic.

Quarta quæstio causæ suprà proximè, est, an actus coniugalis sit prohibitus tempore orationis. Sol. sic.

Quinta, an vir sine consensu vxoris, & è conuerso vouere possit continentiam. Sol. non.

Trigesimaquarta causa habet quæstiones duas.

Prima, an rea sit adulterij, quæ credens maritum mortuum nupsit alteri. Sol. non.

Secunda, an redeunte priore, cogenda sit recedere à secundo, & ad priorem redire. Solut. sic.

Trigesimaquinta causa habet decem quæstiones.

Prima, an liceat aliquam ducere de propriâ cognatione. Sol. non.

Secunda, an liceat aliquam ducere de cognatione vxoris suæ. Sol. non.

Tertia, vsque ad quem gradum debeat quis abstinere à consanguineis suis, & vxoris suæ. Solut. olim vsque ad VII. hodiè vsque ad IV.

Quarta, quare vsque ad septimum gradum computatur consanguinitas. Sol. ad instar septem ætatum mundi.

Quinta, quomodo gradus consanguinitatis sunt computandi. Sol. sicut ostenditur in arbore.

Sexta, qui iusiurandum de propinquitate firmare debent. Solut. propinqui, & vicini.

Septima, an incestuosi filij reputentur. Sol. non.

Octaua, si consanguinei ignoranter coniuncti simul possint rema-

Nona, an matrimonium per falſos teſtes ſeparatum,ſi poſtea apparuerit Eccleſiam fuiſſe deceptam, ſit radintegrandum. Solut.ſic.

Decima, ſi relicta alicuius in ſecundas nuptias tranſierit,an proles ex eis ſuſcepta poterit copulari conſanguineis prioris viri: Sol.non.

Trigeſimaſexta , & vltima cauſa habet duas quæſtiones.

Prima,an virginem opprimens raptum committat.Sic.

Secunda,an rapta raptori nubere poſſit. Vtique.

Tertia pars eſt de conſecratione,quæ quinque diſtinctiones. duntaxat complectitur.

Prima agit de conſecratione Eccleſiarum , & Miſſarum celebratione.

Secunda,de ſacramento Euchariſtiæ.

Tertia,de feſtiuitatibus per ann circulum celebrandis.

Quarta,de baptiſmi ſacramento.

Quinta,de confirmatione & ieiunio.

Atque hoc eſt Decretum , quod ſolet citari quatuor modis. Primò ſic : *diſt.16.ca. Acutius* , ita vt Acutius ſi principium capitis , quod in eâ diſtinctione continetur. Secundo modo, ſic: 17. *q. c. Decima*. Tertio modo tractatus de pœnitentiâ allegatur ſic:*De pœnit.diſt.2.c.Septies*. Quartò, Tractatus de Conſecr. ita in medium produci ſolet: *De conſec. diſt. 1.c.Vaſa.*

Decretales,in quinque libros diuiſæ ſunt:in primo lib.agitur de munere , & officio perſonarum Eccleſiaſticarum , & propterea agitur de ſummâ Trinitate , & fide Catholicâ , quam credere,profiteri,& docere debent Eccleſiaſtici viri.

De Conſtitutionibus.
De Reſcriptis. De Conſuetudine.
De Poſtulatione Prælatorum.
De Electione,& electi poteſtate.
De Tranſlatione Epiſcopi vel electi.
De Auctoritate,& vſu Pallij.
De Renunciatione.
De ſupplendâ negligentiâ Prælatorum.
De Temporibus ordinationum.
De Scrutinio.
De ordinatis ab Epiſcopo,qui reſignauit Epiſcopatum.
De Ætate,& qualitate,& ordine perficiendorum.
De Sacrâ Vnctione.
De Sacramentis non iterandis.
De Filiis Preſbyterorum ordinandis,vel non.
De Seruis non ordinandis,& eorum manumiſſione.
De Obligatis ad ratiocinia,ordinandis vel non.
De Bigamis non ordinandis.
De Clericis peregrinis.
De Officio Archidiaconi.
De Officio Archipreſbyteri.
De Officio Primicerij. De Officio Sacriſtæ.
De Officio Cuſtodis. De Officio Vicarij.
De Officio & Poteſtate Iudicis delegati.
De Officio Legati.
De Officio Iudicis ordinarij. De Officio Iudicis.
De Maioritate,& obedientiâ.
De Treugâ,& pace. De Pactis.
De Tranſactionibus. De Poſtulando.
De Procuratoribus. De Syndico.
De iis,quæ vi,metuſue cauſâ fiunt.
De In integrum reſtitutione.
De Alienatione iudicij mutandi cauſâ factâ.

Libro ſecundo agitur de iudiciis & iis,quæ ad iudicia pertinent : cuius Tituli ſunt.

De Iudiciis. De Foro competenti.
De Libelli oblatione. De Mutuis obligationibus.
De Litis conteſtatione.
Vt lite non conteſtatâ non procedatur ad teſtium receptionem.
De Iuramento calumniæ. De Dilationibus.
De Feriis. De Ordine cognitionum.
De plus petitionibus.
De Cauſâ poſſeſſionis,& proprietatis.
De Reſtitutione ſpoliatorum.
De Dolo,& contumaciâ.
De Eo,qui mittitur in poſſeſſionem,cauſâ rei ſeruandæ.
Vt lite pendente nihil innouetur.
De Sequeſtratione poſſeſſionis,& fructuum.
De Confeſſis.
De Teſtibus,& Atteſtationibus.
De Teſtibus cogendis,vel non.
De Fide Inſtrumentorum.
De Præſumptionibus.
De Iureiurando. De Exceptionibus.
De Præſcriptionibus. De Sententiâ & re iudicatâ.
De Appellationibus,recuſationibus,& relationibus.
De Clericis peregrinantibus.
De Confirmatione vtili,vel inutili.

Libro tertio agitur de rebus , quæ ad Clericos , Eccleſias pertinent : cuius Tituli ſunt.

De Vitâ & honeſtate Clericorum.
De Cohabitatione Clericorum,& mulierum.
De Clericis coniugatis.
De Clericis non reſidentibus in Eccleſiâ , vel præbendâ
De Præbendis & dignitatibus.
De Clerico ægrotante,vel debilitato.
De Inſtitutionibus. De Conceſſione præbendæ.
Ne Sede vacante aliquid innouetur.
De Iis quæ fiunt â prælatis ſine conſenſu capituli.
De Iis quæ fiunt â maiori parte capituli.
Vt Eccleſiaſtica beneficia ſine diminutione conferantur.
De Rebus Eccleſiæ alienandis,vel non.
De Precariis. De Commodato.
De Depoſito. De Emptione,& venditione.
De Locato,& conducto.
De Rerum permutatione. De Feudis.
De Pignoribus,& aliis cautionibus.
De Fideiuſſoribus. De Solutionibus.
De Donationibus. De Peculio Clericorum.
De Teſtamentis,& vltimis voluntatibus.
De Succeſſionibus ab inteſtato.
De Sepulturis.
De Parochiis,& alienis Parochianis.
De Decimis,primitiis & oblationibus.
De Regularibus.
De Tranſeuntibus ad religionem.
De Conuerſione coniugatorum.
De Conuerſione infidelium.
De Voto & voti redemptione.
De Statu monachorum, & canonicorum regularium.
De Religioſis domibus,vt Epiſcopo ſint ſubiectæ.
De Capellis monachorum,& aliorum religioſorum.
De Iure patronatus.
De Cenſibus,exactionibus & procurationibus.
De Conſecratione Eccleſiæ ; vel altaris.
De Celebratione Miſſarum,& ſacramento Euchariſtiæ, & diuinis officiis.
De Baptiſmo & eius effectu.
De Preſbytero non baptizato.
De Cuſtodia Euchariſtiæ , Chriſmatis , & aliorum Sacramentorum.
De reliquiis & veneratione ſanctorum.
De Obſeruatione ieiuniorum.
De Purificatione poſt partum.
De Eccleſiis ædificandis,vel reparandis.
De Immunitate Eccleſiarum , cœmiteriorum , & rerum ad eas pertinentium.
Ne Clerici , vel monachi ſæcularibus negotiis ſe immiſceant.

In libro quarto agitur de rebus , quæ ad laicos attinent : cuius tituli ſunt:

De Sponſalibus,& matrimoniis,
De Deſponſatione impuberum.
De Clandeſtina deſponſatione.
De Sponſa duorum,
De Conditionibus appoſitis in deſponſationibus , vel aliis contractionibus.
Qui Clerici,vel vouentes matrimonium contrahere poſſint.
De Eo qui duxit in matrimonium ; quam polluit per adulterium.
De Coniugio leproſorum.
De Coniugio ſeruorum. De Natis ex libero ventre.
De Cognatione ſpirituali, De Cognatione legali.
De Eo , qui cognouit, conſanguineam vxoris ſuæ , vel ſponſæ,
De Conſanguinitate ; & affinitate.
De Frigidis,& maleficiatis,& impotentia coeundi.
De Matrimonio contracto contra interdictum Eccleſiæ.
Qui Filij ſint legitimi.
Qui Matrimonium accuſare poſſunt , vel contra illud teſtificari.
De Diuortiis.
De Donationibus inter virum, & vxorem , & de dote poſt diuortium reſtituenda,
De Secundis nuptiis.

In libro quinto agitur de delictis ſiue criminibus,& eorum pœnis : vnde eius tituli ſunt.

De Accuſationibus,inquiſitionibus,& denunciationibus.
De Calumniatoribus.
De Simonia,& ne aliquid pro ſpiritualibus exigatur, vel promittatur.
Ne Prælati vices ſuas , vel Eccleſias ſub annuo cenſu concedant.
De Magiſtris,& ne aliquid exigatur pro licentia docendi.
De Iudæis,Saracenis,& eorum ſeruis.

De Hæ

De Hæreticis, & ſchiſmaticis, & ordinatis ab eis.
De Apoſtatis, & reiterantibus Baptiſma.
De iis qui filios occiderunt.
De Infantibus, & languidis expoſitis.
De Homicidio voluntario vel caſuali.
De Clericis pugnantibus in duello.
De Sagittariis. De Adulteriis.
De Raptoribus, incendiariis, & violatoribus Eccleſiarum.
De Furtis. De Vſuris.
De Crimine falſi. De Sortilegis.
De Colluſione detegenda. De Delictis puerorum.
De Clerico venatore. De Clerico percuſſore.
De Maledicis.
De Clerico excommunicato, depoſito, vel interdicto miniſtrante.
De Clerico non ordinato, miniſtrante.
De Clerico per ſaltum promoto.
De eo, qui ordinem furtiuè ſuſcepit.
De Exceſſibus Prælatorum, & ſubditorum.
De Noui operis nunciatione.
De Priuilegiis, & exceſſibus priuilegiatorum.
De Purgatione Canonica. De Purgatione vulgari.
De Iniuriis & damno dato. De Pœnis.
De Pœnitentiis & remiſſionibus.
De Sententia excommunicationis.
De Verborum ſignificatione. De regulis iuris.

Totum igitur canonicum ius in quinque libros decretalium diuiſum, ad quatuor capita potiſſimùm reducitur, videlicet, ad perſonas clericorum, vel laicorum: Ad eas earundem perſonarum: Ad iudicia, & actiones: Ad delicta & eorum pœnas. In 1. lib. agitur de perſonis clericorum, & de modis quibus eliguntur, transferuntur, vel ab officio amouentur.

In ſecundo libro, agitur de actionibus, & iudiciis Eccleſiaſticis. In 3. lib. de rebus clericorum, & Eccleſiarum, & proinde etiam de vita & honeſtate clericorum, & de ſacramentis, quorum clerici ſunt miniſtri.

In quarto libro agitur de ſtatu laicorum: ac proinde de iis, quæ ad matrimonium ſpectant, & de iis quæ ipſum antecedunt, vel ſequuntur, vel comitantur. In 5. lib. agitur de criminibus, & eorum pœnis. In his omnibus Ius Canonicum eo modo quo potuit, iuris ciuilis ſeruauit ordinem, quod attinet ad titulos librorum.

Allegantur decretales hoc modo: *c. Etſi Iudæos. De Iudæis*, hoc eſt, in decretali, quæ incipit, Etſi Iudæos, titulo de Iudæis, vel ſic, *extra, de Iudæis etſi Iudæos*, hoc eſt, extra decretum, tit. de Iudæis in ca. quod incipit. Etſi Iudæos.

Sextus liber decretalium diuiditur etiam in quinque libros, & in eoſdem titulos, in quos libri decretalium diuiduntur, ſed pauciores. Nam quinque libri decretalium continent titulos centum octoginta quinque. Sextus verò liber decretalium habet titulos ſeptuaginta ſeptem. Dictus eſt ſextus, quia editus poſt quinque libros decretalium à Bonifacio VIII. ante quem quinque libros decretalium promulgarat Gregorius IX. Hic porrò liber ſextus allegatur ſic: *ca. ſi iudex. de ſent. ex. om. in 6.*

Clementinarum liber diuiditur & ipſe etiam in quinque libros, & in eoſdem titulos, ſed pauciores diſtribuitur: nam ſolùm continet titulos quinquaginta tres. Dictus eſt liber Clem. quia editus eſt auctoritate Clementis V.

Allegatur ſic: *Clemen. ſi furioſus, de Homicidio*, hoc eſt, in Clem. quæ incipit, ſi furioſus, titulo de homicidio.

Præter has quatuor partes iuris canonici extat liber qui continet conſtitutiones à Iohanne 22. editas, quæ dicuntur *Extrauagantes Ioannis 22.* & quatuordecim tit. habet vnde allegari ſolent hoc modo: *Extrauag. Execrabilis. De Præben. inter Extrauagantes Ioannis 22.*

Extat etiam liber *Extrauagantium communium*, hoc eſt, conſtitutionum, quæ à diuerſis Pontificibus ſunt editæ. Et diuiditur etiam is liber Extrauagantium communium in quinque libros, eoſdem titulos, ſed pauciſſimos continentes.

Ita allegari ſolet. *Extrauag. Ambitioſæ de reb. Eccleſiæ non alienan. inter communes.*

Iu- noni- iore co.

IV. *Iohannes Azorius lib. 5. Inſtit. moral. cap. 29. hoc modo Ius Canonicum diuidit per libros & titulos.*

De Origine Iuris Canonici.
De Summa Trinitate, & fide Catholica.
De Libris, & ſcripturis Canonicis. De Iure Diuino.
De Conſtitutionibus. De Reſcriptis.
De Mandatis Apoſtolicis. De Statutis.
De Priuilegiis perſonarum.
De Summo Pontifice Romano.
De Cardinalibus S. Eccleſiæ Romanæ.
De Patriarchis. De Primatibus.
De Archiepiſcopis. De Epiſcopis.
De Chorepiſcopis. De Abbate, & eius officio.
De officio Præpoſiti. De officio Decani.
De officio Archidiaconi. De officio Archipresbyteri.
De officio Primicerij. De officio Theſaurarij.
De officio Perſonatus. De officio Sacriſtæ.
De officio Prioris. De officio OEconomi.
De officio Vicarii. De officio Iudicis ordinarij.
De officio Iudicis delegati. De officio Legati.
De officio Nuncij Apoſtolici.
De officio Conſeruatoris. De Syndico, & eius officio.
De iis qui habent Dignitates. De Canonicis.
De Portionariis, & Beneficiariis. De Commendatariis.
De Parocho & eius officio. De Capellanis.
De Coadiutore.
De Clericis, qui ſunt in ſacris ordinibus conſtituti.
De Presbytero. De Diacono. De Subdiacono.
De Clericis in Minoribus ordinibus conſtitutis.
De Acolytho. De Lectore. De Exorciſta.
De Oſtiario. De Monachis.
De Sanctimonialibus. De Canonicis Regularibus.
De Religioſis Mendicantibus. De religioſis Militibus.
De Procuratoribus. De Laicis.

In ſecundo libro.

Quomodo Clerici acquirant, conſeruent, vel amittant dignitatem, officium, Eccleſiam vel quoduis aliud Eccleſiaſticum beneficium, cuius tituli eſſent.
De Electione, & electi poteſtate.
De Poſtulatione Prælatorum.
De Præſentatione & iure patronatus.
De Nominatione. De Inſtitutione. De Collatione.
De Iure ad ſuperiorem deuoluto, De Confirmatione.
De Conſecratione. De Tranſlatione Epiſcopi.
De Renunciatione. De Vacatione Eccleſiæ.
De Auctoritate, & vſu pallij.
De Supplendâ negligentiâ Prælatorum.
De Vitâ & honeſtate clericorum.
De Cohabitatione clericorum, & mulierum.
De Priuilegiis clericorum.
De Temporibus ordinationum.
De Scrutinio faciendo.
De Ætate, & qualitate, & ordine præficiendorum.
De Horis Canonicis, De Clericis non reſidentibus.
De Clericis coniugatis. De Clericis peregrinis.
De Clerico ægrotante, vel debilitato.
De Conciliis, & conuentibus Epiſcoporum.
De Viſitatione per Epiſcopum faciendâ.

In tertio libro.

De Iudiciis.
De Iuriſdictione omnium iudicum Eccleſiaſticorum.
De Foro competenti. De In ius vocando.
De Libelli oblatione. De Mutuis petitionibus.
De Litis conteſtatione.
Vt lite non conteſtatâ non procedatur ad teſtium receptionem.
De Iuramento calumniæ. De Dilationibus.
De Feriis. De Ordine cognitionum. De Plus petitionibus.
De Cauſâ poſſeſſionis & proprietatis.
De Reſtitutione ſpoliatorum. De Dolo & contumaciâ.
De Mittendo in poſſeſſionem.
Vt lite pendente nihil innouetur.
De Sequeſtratione poſſeſſionum & fructuum.
De Procurationibus. De Confeſſis. De Probationibus.
De Teſtibus. De Fide inſtrumentorum.
De Præſumptionibus. De Præſcriptionibus.
De Appellationibus, & recuſationibus. De Iureiurando.
De Sententiâ, & re iudicatâ. De Tranſactionibus.
De Pactis. De iis, quæ vi metuſque cauſâ fiunt.
De In integrum reſtitutione. De Compromiſſis.
De Induciis, & pace.
De Parendo, ſiue obediendo iudici. De Citando reo.
De iis quæ poteſt collegium Canonicorum ſede vacante.
De iis quæ fiunt à prælatis ſine conſenſu Capituli.
De iis quæ poteſt collegium Canonicorum.
De Obligationibus. De Empto & vendito.
De Locato, & conducto. De Mutuo. De Commodato.
De Rerum permutatione. De Depoſito.
De Contractu ſocietatis. De Cenſibus.
De Emphyteuſi. De Feudo. De Pignore.
De Fideiuſſoribus. De Solutionibus.
De Donationibus. De Teſtamentis.
De Succeſſionibus ab Inteſtato.

In quarto libro.

De Rebus Eccleſiarum, & Clericorum: cuius tituli eſſe poſſent.
De Præbendis, & dignitatibus. De Beneficiis.
De Penſionibus. De Peculio Clericorum.
De Spoliis Clericorum. De Decimis.

De Primitiis. De Canonicâ portione.
De Quotidianis distributionibus. De Annatis.
De Quindenniis. De Parochiis.
De Sepulturis. De Fundandis Ecclesiis,& dotandis.
De eisdem erigendis. De Ædificandis.
De Reparandis. De Consecrandis.
De Vnione Ecclesiarum. De Violatione Ecclesiarum.
De Immunitate Ecclesiarum.
De Rebus sacris,altaribus,vestibus,& vasis.
De Alienandis rebus Ecclesiæ,vel non.
De capellis monachorum.
De Exactionibus , & procurationibus à Clericis petendis vel non.
De Sacramentis. De Baptismo.
De Confirmatione. De Eucharistiâ.
De Celebratione Missarum. De Pœnitentiâ.
De Extrema Vnctione.
De reliquiis,&veneratione sanctorum.
De Obseruatione ieiuniorum. De Ordine.
De Matrimonio. De Sponsalibus.
De Cognatione spirituali. De Cognatione legali.
De Consanguinitate. De Affinitate.
De Impedimentis omnibus matrimonij.

In quinto libro.

De Criminibus & eorum pœnis,cuius tituli essent qui sequuntur.
De Accusatione. De Inquisitione.
De Denunciatione. De Calumniatoribus.
De Simoniâ. De Iudæis,& Saracenis.
De Hæreticis. De Shismaticis. De Apostatis.
De Homicidio. De Adulteriis. De Furto.
De Raptoribus. De Vsuris. De Crimine falsi.
De Maledicis. De Sortilegis. De Sacrilegis.
De Clerico venatore. De Clerico percussore.
De Iniuriis,& damno. De Censuris Ecclesiasticis.
De Excommunicatione. De Suspensione.
De Interdicto. De Cessatione à diuinis.
De Pœnis. De Irregularitate. De Degradatione.
De Purgatione Canonica. De Pœnitentiis.
De Indulgentiis,& remissionibus.
De Verborum significatione. De Regulis Iuris.

CAPVT IV.

De Agendis Ecclesiæ cuiusque particularis.

PRÆCEPTVM.

Iurisprudentia Ecclesiastica specialis , propria cuiusque Ecclesiæ particularis , maximam partem continetur in Agendis Ecclesiasticis. Nam in iis non solùm præscribitur ratio sacris operandi , sed etiam de bonis Ecclesiasticis , de Eleemosynis , de templis , & similibus Iurisprudentiæ Ecclesiasticæ rubricis tractatur.

REGVLÆ.

I. *Agenda sunt sacra apostolica,vel Ecclesiastica.* Agei clesi dupl

Agenda potiùs plurali numero vsurpantur , quàm singulari. Ea nihil sunt aliud, quàm norma actionum in Ecclesiâ necessariarum : siue illæ sint absolutè necessariæ , siue secundùm quid Quæ sunt prioris generis,eæ gubernantur Agendis apostolicis : reliquæ Ecclesiasticis.

II. *Vtile est Agenda Ecclesiarum inter sese conferre.* Age clesi intei conf tur.

Ita enim hoc assequimur , vt conformitas sit inter Ecclesias Christianas , etiam quantum ad ritus , quoad eius nempe fieri potest per circumstantias. Vide etiam suprà in Theologicis politiam Ecclesiasticam.

PERORATIO IVRISPRVDENTIÆ. ECCLESIASTICÆ.

Ita se habent lineamenta Iurisprudentiæ Ecclesiasticæ; quibus Apelles aliquis facilè superinduxeris colores. Quò minùs enim nos hoc fecerimus,in causâ est, quòd nimis excreuerit moles Encyclopædiæ nostræ , quam vnico tomo includi votum erat nostrum.

DELINEATIO IVRISPRVDENTIÆ ECCLESIASTICÆ

Iurisprudentia Ecclesiastica est
- Generalis, *c.* 1.
- Specialis.
  - Mosaica, *c.* 2.
  - Pontificia, *c.* 3.
  - Cuiusque Ecclesiæ, *c.* 4.

PERORATIO VNIVERSÆ IVRISPRVDENTIÆ.

Sed finis sit commentationis methodicæ , quâ facultatem amplissimam pro virili nostrâ illustrare conati sumus. Hoc iam superest, vt qui sacris hisce operari velit , aut hæc nostra serperastra feliciter vsurpet, aut iis meliora adferat. Nullum sanè mihi sit dubium , quin τὰ νομικὰ possint geri μεθοδικώτατα , si quis meditationes nostras de methodo Iurisprudentiæ paulò illustriores & ampliores efficiat. Quod attinet ad regulas nonnullas hinc inde propositas, protestamur illas non ex nostrâ mente , sed ex Dd. vel Canonistarum placitis desumptas esse. Quod beneuolum lectorem admonere debuimus.

FINIS IVRISPRVDENTIÆ.

ENCY



ENCYCLOPÆDIÆ LIBER SEPTIMVS ET VIGESIMVS,

Exhibens

MEDICINAM

Tribus ſectionibus.

PRIMA SECTIO MEDICINÆ

Ex mente

Hippocratus & Galeni.

CAPVT I.

De Fine Medicinæ.

PRÆCEPTA.



EDICINA eſt ars benè curandi valetudinem corporis, imprimis humani.

Eſtque generalis, vel ſpecialis.

Medicina generalis eſt dogmatica, vel chymica; & illa præcipit de ſuo fine, ſubiecto, & mediis.

Finis medicinæ eſt internus, vel externus.

Finis internus, eſt tradere modum benè curandi valetudinem.

Externus eſt benè curare valetudinem.

REGVLÆ.

I. *Optima Medicinæ definitio eſt, quæ omnibus ipſius partibus aptari poteſt.*

Vt reliquæ diſciplinæ, ita quoque Medicina, eſt generalis, vel ſpecialis;& vtraque ſub ſe habet varias partes. Oportet itaque huiuſmodi definitionem conſtituere, quæ omnibus & ſingulis partibus competat. Talis autem eſt ea ipſa, quam attulimus. Cum quâ conſentit illa *Duncani Liddely lib.1. artis Medicæ*: Medicina eſt ars ποιητικὴ, *affectiua*, ratione & experientiâ ſanitatem in corpore humano conſeruans,& morbum omnem ſanabilem remouens. Quam definitionem ille ſic explicat. Medicina non eſt *ars* contemplatiua, nec practica, ſed propriè, *effectiua*, eáque non ſeruilis, ſed dignior, quæ non quidem aliquid noui facit, ſed ex parte vitiatum corrigit. Deinde dico. *in humano corpore*, propter veterinarios, & eos qui curam animalium ſuſcipiunt, quæ ab officio Medici aliena, ſunt & diuersâ conſideratione indigent. Præterea annectitur, *morbum ſanabilem remouens*, propter eos qui à morbis victi ſunt. Nam (vt ſcribit *Hippocrates lib. de arte*) omnia mala corporis Medicinâ non tolluntur. Cùm enim Medicus naturæ miniſter ſit, iis ſuccurrere non poteſt, nec manum temerè admouere debet, qui à morbis planè victi ſunt. An verò victi ſint, Medici eſt intelligere. Nam (vt docet *Galen. 3. meth. c. 2.*) artis etiam opus eſt ſcire, an ſanitatem, id ſcil. quo tendis, ſperare debeas. Quòd ſi nequeas (vt admonet *1. Prognoſt. Hippocrates*) ægri prognoſticis potiſſimùm ſunt relinquendi. Quartò additur *ratione & experimento*, quæ duo inſtrumenta & principia ſunt, quibus ſalubria eligimus, & inſalubria vitamus: quibus etiam Medicina rationalis ſeu dogmatica omnium perfectiſſima, ab empiricâ & methodicâ diſtinguitur. In his Duncani verbis nihil eſt, quod requiram, niſi quòd curam animalium, id eſt, beſtiarum, à Medicinâ excludit. Si enim in genere ſermo ſit de Medicinâ, non video cur iſta cura remouenda ſit ab hâc arte. Vide hanc in ſententiam quæ diximus cap. ſequenti.

II. *Quatuor ſunt ſectæ Medicorum hoc tempore.* Sectæ Medicorum.

Hâc de re audiamus *Duncanum d. l. c. 2.* Secta ſecundùm Medicos eſt conſenſus multitudinis in doctrina, ſiue in coaceruatione dogmatum, quæ ex certis principiis ſe mutuò conſequuntur aut conſequi putantur. Ex triplici autem dogmatum diuerſitate tempore Galeni tres ſectæ Medicorum fuerunt, Empirica, Methodica, & Rationalis, quæ per excellentiam Dogmaticâ appellatur, quibus acceſſit hoc ſeculo quarta noua Spagirica, quæ artificioſa medicamentorum præparatione illam Medicinæ partem, quæ φαρμακοποιητικὴ dicitur auxit, variiſque egregiis remediis Dogmaticam inſtruxit, & Paracelſiſtica à Philippo Theophraſto Paracelſo dicitur. Qui ab experientia *Empiricos* ſe vocarunt, poſthabita omni indicatione, & reiecta corporis humani, cauſarum internarum, & facultatum cognitione, quæ omnia illis incomprehenſibilia erant, ſolam obſeruationem & experimentorum notitiam, ad ſalubria eligenda, & inſalubria vitanda ſufficere iudicarunt. Ad curationem verò triplici experientiæ genere vtebantur: quorum primum caſu, alterū conſultò agentibus obuenit, tertium cum id imitantur, quæ fieri viderunt: hoc genus imitatorium artem eorum maximè conſtituit. Qui verò à compendiariâ artis ratione ſeipſos falſo nomine *Methodicos* vocarunt, ſolis euidentibus cōmmunitatibus vtebantur, reiecta experientia, contemptaq; loci affecti, cauſarum facultatum, & ſimilium cognitione, ſolam indicationem quæ ab effectu ſumitur, ſufficere ad curationem exiſtimarunt. Verùm *Dogmatica ſeu rationalis Medicina* inter has duas ſectas medium quodammodo tenet. Nam rationales Medici neq; omnia vtilia ex obſeruatione deprehendi dicunt, quemadmodū volunt Empirici, neque rurſum omnia ex indicatione, vt ſtatuunt Methodici, ſed nonnulla ex obſeruatione, veluti deleteria, & nonnullorum Medicamentorum vires: aliqua ex indicatione, ea videl. quorum cauſæ reperiuntur. Cauſæ verò vt cauſæ ſenſui euidentes non ſemper ſunt, ſed ratione plerum-

que iudicantur. Quare cum experientia rationem coniungunt, & naturæ cognitionem, vnde Rationales vocantur, ac ad curationem necessariam esse demonstrant, cognitionem non modò remediorum, sed etiam causarum tam latentium quàm euidentium, & signorum: item corporis totius, loci affecti, partium singularum, & facultatum: præterea regionis, aëris, ætatis, sexûs, cæterarumque circumstantiarum. Atque hæc Medicina hodiè fermè Galenica nuncupatur.

Finis Medicinæ propositus.

III. *Finis Medicinæ propositus est sanitas.*

Huc enim tendunt omnia Medici officia, & Medicinæ præcepta. Vnde *Duncanus d.l.c.* eleganter ait Officium Medicinæ est, appositè curare gratiâ sanitatis tuendæ restituendæque. Et hic quidem est finis externus, id est, eiusmodi, vt non sit in Medici potestate. Finis internus est, quem semper assequitur Medicus, & est tradere præcepta seu modum curandi gratia sanitatis tuendæ restituendæque. Curare autem non solùm est quæ noxia sunt in corpore, actiones lædentia, submouere, sed etiam omnia mala quæ instant præcauere, ac in summa, quæ deficiunt corpore addere, quæ redundant subtrahere. Vnde ab *Hippocrate lib. de stat.* Medicina adiectio subtractioque describitur. Verùm eo Medicina cæteris artibus differt, quòd maxima ex parte naturæ operanti subministret, & in operatione, naturæ motum respicere debeat: vnde Medicus naturæ & παρεργάτης minister dicitur, atque etiam corrector, quòd nonnulla interdum efficiat, quæ naturæ possibilia non sunt.

CAPVT II.

De Subiecto Medicinæ.

PRÆCEPTA.

Subiectum Medicinæ est informationis, tractationis, & operationis.

Subiectum informationis est partim intellectus poëticus, partim voluntas & affectus.

Subiectum tractationis est modus benè curandi.

Subiectum operationis est primarium, vel secundarium.

Primarium est homo; & quidem directè, quantum ad corpus & spiritum vitalem, vel indirectè, quantum ad animam rationalem, vt illi benè sit in suo domicilio.

Secundarium est bestia.

REGVLÆ.

Quid exe[illegible] Medici[illegible]

I. *Ars medica non solùm informare debet intellectum poeticum in Medico, sed etiam voluntatem & affectum eius.*

Etsi enim hoc posterius non præstat, quà talis, sed quatenus coniungitur cum Ethicâ & Theologia: tamen illius mentio vt fiat in ipso Medecinæ limine non parum interest. Atque huc pertinent capita illa de Christiana medendi ratione, quæ *Baptista Codronchius* peculiari libro explicat. Summa hæc est. 1. Medicum grauiter peccare, sine sufficienti scientiâ ad medendum se exponentem. 2. Medicum curando, antequam morbum cognoscat, peccare. 3. Qui medecinæ præcepta negligit, experimento suo fidens, ac proprio sensui nimium tribuens, illum peccare. 4. Medicum negligentem in studendo, visitando, morborum signa animaduertendo, vel in consulendo, cùm est opus, grauiter peccare, & aliquando ad damnum teneri. 5. Dubia medicamenta præbentem, vt experiatur, vel quæstûs causa, aut ne videatur imperitus, graue peccatum admittere. 6. Si ægrotum deserat, non absoluta curatione, peccare. 7. Grauiter ab eo peccari, si medicamenta corrupta, vetusta, & noxia permittat ægrotis dari. Hæc & similia Codronchius d. l. persequitur. Vnde manifestum est, vt orator Ciceroni est vir bonus dicendi peritus, ita medicum esse virum bonum curandi peritum. Porrò, quia Medecina est ars, occupata est in informando intellectu poëtico. Proinde Medicus non est dicendus, qui futili speculatione est contentus.

Corpus hu[illegible] [illegible]modo subiectum Me[illegible]

II. *Corpus humanum, quatenus sanabile, est subiectum Medecinæ primarium & directum.*

Subiectum Medecinæ, in quo operatur, est corpus humanũ nõ absolutè, aut quatenus est corpus naturale (illius enim consideratio pertinet ad Physicam) sed quatenus est sanabile, siue sanitas præsens in corpore sit conseruanda, siue absens restituenda. Est autem corpus hominis subjectum Medicinæ primarium. Neque enim ab officio boni Medici est alienum, si occupetur circa corpus bestiæ, hoc inprimis nomine, vt inde proficiat in curâ corporis humani; quod insuper ita curare debet, vt etiam habeat rationem animæ, quatenus illa corpore tanquam instrumento vtitur.

CAPVT III.

Physiologia Medica, seu Medicina physiologica traditur compendio.

PRÆCEPTA.

Media, per quæ finis in subiectum à Medico introducitur, sunt communia, vel propria.

Media communia sunt quæ pertinent ad sanos & ægros. Suntq; naturalia, nõ-naturalia, vel artificialia.

Media naturalia vulgò dicuntur septem res naturales vti sunt elementa, temperamenta, humores, spiritus, partes corporis humani, facultates, & quæ è facultatibus proficiscuntur actiones. Horum consideratio dicitur Medicina physiologica, seu physiologia medica.

Elementa sunt prima corpora simplicia, ex quibus corpora mixta componuntur, & in quæ vltimò resoluuntur.

Temperamentum est harmonia, siue vnita quædam proportio, quatuor primarum qualitatum, orta ex perfectâ mistione, in hunc finem, vt sit velut instrumentum necessarium ad omnes mixti illius perfecti actiones.

Estque ingenitum vel accersitum, temperatum vel non tẽperatum, æquale ad pondus vel ad iustitiã &c.

Humor est corpus liquidum, in quod chylus vi iecoris pro corpore alendo trãsmutatur. Estque partim cholera & sanguis, partim phlegma & melancholia.

Spiritus est corpus ex vapore genitum à naturâ, gratia conseruationis facultatis animæ in corpore. Estque insitus, vel influens.

Pars corporis humani, propriè sumpta, est corpus toti cohærens, communi vita coniunctum, & ad illius functiones vsumue comparatum. Estque ratione substantiæ homogenea seu similaris, vel heterogenea seu dissimilaris; vt ad actionem refertur, est vel organum, vel pars organi.

Facultas est vis, quã anima de se promit, ad munerum fũctiones. Estque naturalis, vitalis, vel animalis.

Actio est facultatis functio seu exsertio: eaque est naturalis, vitalis, vel animalis, prout nempe ipsa facultas est triplex.

REGVLÆ.

I. *Optima Medicinæ partitio est, quâ diuiditur in generalem & specialem; & illa rursus in eam, quæ communiter ac sanos & ægros pertinet; & eam quæ est propria sanorum, vel ægrorum.*

Variæ circunferuntur Medicinæ partitiones, è quibus duæ illæ sunt celebriores. *Prima* est Arabum, qui Medicinam partiuntur in Theoricam Vniuersalium, & Praxim particularium. *Altera* est *Duncani lib. 1. artis medicæ cap. 3.* & ita habet. Cùm finis Medicinæ sit sanitas, quatenus eam præsentem in corpore conseruat, vel absentem restituit; duæ propriissimæ & primariæ Medicinæ partes erunt, ad quas cæteræ quæ in Medicina proponuntur, tendunt; quas *Galenus 1. de san. c. 1. & ad Thrasyb. c. 30.* primas & maximas vocauit. Vna ὑγιεινὴ aut φυλακτικὴ, quæ sanitatem in corpore tuetur & confirmat, ac ab imminentibus malis conseruat. Altera θεραπευτικὴ, quæ appositâ remediorum administratione dextroque vsu corpus humanum à morbis liberat & sanitati restituit. Quia verò nec sanitas conseruari, nec morbus à corpore submoueri à Medico ritè poterit, sine ipsius subiecti corporis, partium, facultatum, & similium, quæ a natura corpori humano insunt: consideratione: deinde Op[illegible] Me[illegible] par[illegible]

sine

fine morbi & ſanitatis cognitione,differentiis,cauſis,& acciden-tibus:præterea nec hæc ſine ſignis,quibus etiam,euentum morbi, & quid de ægro ſperandum ſit, Medicus præcognoſcit: proinde præter duas illa partes principales, quæ in operatione conſiſtunt (vnde à nonnullis practicæ, ab aliis factiuæ nominantur) ad artis Medicæ conſtitutionem aliæ tres partes requiruntur; quas quia per ſe ad opus non tendunt, ſed potiùs cognitione ſuâ duabus partibus principalibus inſeruiunt,theoricas nonnulli vocarunt nimirum φυσιολογικὴ, παθολογικὴ, σημειωτική. Eſt autem φυσιολογικὴ non omnis rei naturalis in Medicinâ cognitio, ſed ſolius humanæ naturæ, & eorum quæ ſecundùm naturam homini inſunt, conſideratio: qualia ſunt ſeptem illa,quæ dicuntur ſeptem res naturales. Deinde παθολογικὴ quæ & αἰτιατικὴ dicitur,eſt accurata eorum explicatio,quæ præter naturam corpori inſunt: qualia ſunt tria,morbus,morbi cauſa,& ſymptoma. Tertiò σημειωτικὴ eſt, quæ ex ſignis non ſolùm de re præſenti & præterita conſtitutione cauſiſque eiuſdem iudicat,ſed etiam futurum morbi euentum præcognoſcit. Porrò an duabus illis partibus principalibus, à fine ſumptis, tertia addi debeat, quæ neutris conueniat, dubitari ſolet. Nam ſanitatis magna latitudo eſt,& inter ſanitatem & morbum,medium ſiue neutralitas quædam eſt, eáque duplex potiſſimùm, vna decidentiæ,quando ſcil.corpus in termino ſanitatis exiſtens ſemina quædam morbi concipere incipit, vt facilè cauſarum progreſſu in morbum labatur:altera conualeſcentiæ,quando ex morbo in ſanitatem tendit. Vtriuſque cura Medico incumbit: & huic refectio aut reſumptio,illi præſeruatio conuenit.Verùm cùm neutra conſtitutio ſit quæ actiones producit,vel non ſatis firmas vel leuiter offenſas, vel cuius occaſione corpus nunc morbo, nunc ſanitati ſubiicitur: ſi ſenſibilis ſit actionum læſio, ad θεραπευτικὴν, ſi verò actiones ſatis firmæ non ſint, ſed ſine ſenſibili læſione,ad ὑγιεινὴν illa neutrius conſtitutionis cura refertur. Corrigit n. magna & euidentia vitia θεραπευτική, parua & minùs ſenſibilia ὑγιεινή. Nihilominus præſeruatio quædam eſt, quæ ſoli therapeuticæ debetur in morbis qui adhuc fiunt, & à cauſa fouentur, quæ ſimplex non eſt, ſed cum curatione propriè dicta coniungitur. Nam curatio propriè quantum morbi genitum eſt tollit: præſeruatio viribus conſulit & progreſſum cauſarum nocentium impendit. Quòd ſi igitur valetudo intra limites ſanitatis contenta ſit, omnis eius cura ad ὑγιεινὴν ſiue προφυλακτικὴν referenda erit, quæ à ſubiectâ materiâ in tres ſpecies diuiditur. Nam ſanum corpus triplex eſt; primò ſanum κατὰ φύσιν, deinde καθ' ἕξιν, denique οὐδετέρως. Quare vna pars Medicinæ ſalubris, εὐεκτικὴ dicitur, quæ perfectè valentem accipiens, in eo hoc ipſum gradu conſeruat. Altera nomine generis ὑγιεινὴ vocatur, quæ ſanitatem in habitu,& inculpatam, non perfectam, tuetur & confirmat. Tertia ἀναθρεπτική, *refectrix*, dicitur, quæ valetudinem non ſatis firmam, & in habitudine ſolùm accipiens, ad meliorem ſtatum perducit, aut ſaltem à morbo defendit. Hæc maiora grauioraque mala, quàm cæteræ duæ, corrigit: & ſub ea contineri poterunt illæ partes, quæ neutrius conſtitutionis eſſe dicuntur: nimirum ἀναληπτικὴ,quæ à morbis iam liberatos reficit: deinde quæ facultatem huic oppoſitam habet προφυλακτική: tertiò γηρωκομική, quæ ſenum curam ſuſcipit,qui licet non ægrotent, firmâ tamen valetudine non vtuntur: præterea ἐπανορθωτική, quæ corpora & membra debilia,morbo nondum detenta, paulatim corrigit & reficit.Materiæ auxiliorum,ſiue operationum medicarum, inſtrumenta tria potiſſimùm ſunt: primò diæta, quæ comprehendit curam ſex rerum non-naturalium. Secundo loco ſunt medicamenta propriè dicta: tertiò,manuum operatio ſiue adminiſtratio. Ex iſtâ operationis & inſtrumentorum diuerſitate tota practica Medicina in tres ſpecies diuiditur. Quarum prima eſt διαιτητικὴ, quæ adhibitâ conſideratione ſex rerum non-naturalium,vnicuique certam viuendi rationem præſcribit. Huc etiam refertur Gymnaſtica, non illa athletarum,ſed veterum,cuius meminit Plato.Secunda eſt φαρμακευτικὴ,quæ apto & conuenienti medicamentorum tam ſimplicium quàm compoſitorum vſu morbos è corpore tollit,& priſtinam ſanitatem reſtituit.Sub hâc natura, vires,& vſus omnium medicamentorum continentur, ac etiam illa artificioſa ratio præparandi medicamenta in vſus medicinæ; ſiue ea fiat vulgari & vſitato modo,ſiue arte ſpagiricâ,quæ vnico nomine φαρμακοποιητικὴ dici poterit.Tertia eſt χειρουργική, quæ manuum adminiſtratione, imponendo, ſecando,vrendo, & ſimilibus, corpori affecto medetur.Quia verò commodâ victûs ratione,non ſolùm ſanitas conſeruatur,ſed etiam morbi non rarò ſanantur,tam θεραπευτικὴ,quàm ὑγιεινὴ ſuam διαιτητικὴν poſtulare videtur. Verùm ὑγιεινὴ commodâ victûs ratione potiſſimùm abſoluitur: quare διαιτητικὴ ei primariò tribuitur, & cognitio ſex rerum non-naturalium,quæ cauſæ ſalubres,circa quas ars conſeruatiua ſanitatis verſatur,à *Galeno c.85.artis Med.*dicuntur.Nam vbi modum ſeruarint in qualitate & quantitate, ſalubres ſunt: vbi ab hoc modo receſſerint,morboſæ efficiuntur.Chirurgia verò & φαρμακευτικὴ propriè ad θεραπευτικὴν referuntur. Nihilominus in his penè omnibus,mutuas ſibi operas θεραπευτική & ὑγιεινὴ præſtare videntur.Hæc itaque eſt ſententia Duncani de Medicinæ partitione: quam nos μεθοδικώτερον ita proponimus. Medicina eſt generalis,vel ſpecialis:& illa rurſus eſt theorica,vel practica. Theorica perſequitur ea,quæ ad ſanos & ægros communiter attinent.Eſtque rerum naturalium,vel non-naturalium, vel artificialium.Illic eſt φυσιολογική, illic, διαιτητική, hîc, σημειωτικὴ καὶ φαρμακευτική. Practica eſt ſanorum, vel ægrorum. Illa eſt partim ὑγιεινὴ, partim προφυλακτική: hæc dicitur θεραπευτική, eſtque partim παθολογικὴ, partim χειρουργική. Et ita quidem hactenus cenſeo proponendam eſſe Medicinam, quam dicunt Galenicam.Hoc itaque ordine ſingulas partes compendioſè tradetmus.

II. *Medicina phyſiologica ſe occupare debet in iis,quæ poſita ſunt in accommodatione ſeptem rerum naturalium ad ſanitatem corporis humani.* — Medicina phiſiologica vt tradenda?

Vulgo in primam hanc Medicinæ partem congerunt illa,quæ in Phyſicis traduntur,i. e. ea quæ pertinent ad explicationem corporis naturalis, quatenus eſt naturale. Sed hoc eſt peccatum in legem homogeniæ: quæ præcipit vt modus conſiderandi variet,vtut res conſiderata ſit vna & eadem.Itaque huius præcepti memores, ea ſolùm hîc trademus, quæ ad Medicum propriè ſpectant.

III. *De elementis hæ ſunt regulæ Medico cognoſcendæ.* — Elementorum conſideratio phyſico-medica

1. *Elementorum cognitio accurata Medico eſt neceſſaria.* Fieri n.non poteſt, vt cognoſcat corporis humani cauſas procreantes,conſeruantes,& corrumpentes, ſi prima ſimplicia corpora, quæ elementa vocantur, ignorauerit. 2. *In elementis duæ ſunt qualitates motiuæ,ſeu loco-motiuæ, grauitas & leuitas, & quatuor alteratiuæ,calor,frigus,humiditas,ſiccitas.*Ex his *grauitas & leuitas* duplex eſt: alia ſimpliciter & abſolutè, alia comparatè. Ita ignis eſt abſolutè leuis;terra,abſolutè grauis: aër ad naturam ignis,aqua ad naturam terræ accedit: *Calor & frigus* quia habent rationē cauſę efficientis,materiam determinantis,actiuæ vocantur: *humiditas & ſiccitas*,quia in hâc actione materiam faciunt obedientē actioni caloris & frigoris;paſſiuæ qualitates vocãtur. 3. *Corpora mixta motū & naturam prædominantis elemēti ſemper ſequuntur,& ad locum prædominantiæ elementi naturaliter mouentur, vt ibi conſeruentur & quieſcant.* 4. *Caliditas ad agendum potentiſſima eſt & efficaciſſima; ad reſiſtendum verò omnium maximè infirma; deinde frigiditas; tertiò humiditas; omnium verò ad agendum efficaciſſima ſiccitas, ad reſiſtendum verò firmiſſima;deinde humiditas,tertiò frigiditas,quartò caliditas.*Quod quidem mira ratione factū eſt à naturæ opifice.Nam vt certa quædam elementorum proportio eſſet,illi vim contrariarū qualitatum in agendo & reſiſtendo proportione quadam librauit & compenſauit.Hinc eſt,quòd calidū in frigidum agit calefaciendo; & frigidum viciſſim in calidum, refrigerando: pari ratione humidum in ſiccum,humectando; & viciſſim ſiccum in humidum exſiccando in ſuam naturam conuertit.Proinde vbi qualitates contrariæ,planè impares concurrunt,imbecilliorem validior ſuperat, & in ſuam naturam conuertit: ſed ſi viribus quodammodo pares fuerint, altera alteram in ſuam naturam conuertere nequit, ſed mutua actione & paſſione ſeſe mutuò contundunt & contemperant, donec ſub communis formæ imperio deuinctæ perfectè vniantur. Talis vnio tantùm in mixtione conſpicitur ex illa duplici quatuor qualitatum pugna, vbi noua oritur actio, quæ non eſt contrarij in contrarium,ſed velut artificis in materiam. 5. *Caliditas omnium qualitatum non ſolùm eſt actuoſiſſima,ſed & præſtantiſſima,æmula virtutis cœleſtis, eiuſque proximum inſtrumentum.* Nam vt homogenea in vnum cogit,& heterogenea diſſoluit, proxima compoſitionis,ſeu generationis,mixti,& reſolutionis cauſa iudicatur. Proinde caloris reſpectu cæteræ qualitates vicem materiæ quodammodo obtinent;peculiariter verò frigiditas rationem priuationis & interitûs habet. 6. *Frigiditas in vnum cogit homogenea & heterogenea.* Proinde conſtipat,& corpus ad motum reddit ineptum.*Deinde calorem contemperat, & externam determinationem miſtis interdum addit.* 7. *Siccitas & humiditas duobus præcedentibus qualitatibus in agendo ſunt inferiores, in reſiſtendo firmiores: præcipuè verò ſiccitas*: Vnde nonnulli nullam actionem per ſe,niſi mediante calore & frigore,ſiccitati & humiditati tribuunt. 8. *Calor humectat non per ſe,ſed per accidens:* quatenus nempe vapores excitat. *Idem exſiccat, quatenus humidum abſorbet.* 9. *Natura humiditatis eſt,primò calorem, deinde frigus obtundere, atque ſiccitatem mixtione formabilem reddere.* 10. *Siccitatis eſt,calorem & frigus acuere,ac humiditatem fluidam in vnum cogere.* 11. *Ignis natura eſt caliditimus.* Proinde omnium elementorum ad agendum efficaciſſimus,ſed reſiſtentiæ minimæ. *Eſt item leuiſsimus & rariſsimus.* Itaque eius eſt naturæ, vt apud nos vllâ vi contineri poſſit, quin continuò euolet,& ſtatim corrumpatur. Quare vt conſeruetur, pabulo indiget,ex quo continua ſucceſſione generetur. Pabulum autem iſtud proximum apud nos eſt vapor aëreus, terreſtri ſiccitate permixtus. 12. *Aër eſt natura ſua calidus & humidus, licet ab humiditate prædominante caloris vis obtundatur.* Dominatur n. in aëre naturaliter humiditas propriè dicta,quæ alieno termino non facilè continetur,altiuſque penetrat,& permeat. 13. *Aqua reſpectu ignis & aëris vicem materiæ in mixtis quodammodo obtinent.*

tinent Vt enim terra consistentiam mixtis perfectis tribuit, & formas simul impressas diu retinet: ita aqua ad impressiones & formas faciliè suscipiendas idonea efficit. 14. *Aqua est principium frigidorum.* Proinde magis est frigida, quàm humida. 15. *Terra in mundi penetralibus coeunt effectus siderum, velut matrix omnium mixtorum est.* Nihil itaque mirũ, quòd Drebbellius & alii primam materiam in terrâ quærant. Cogunt enim cœlestia vim suam in vnum circa terram. 16. *Terra est naturâ suâ sicca.* Sed variè alteratur à corporibus cœlestibus, & ab aquâ perfunditur multiplici humore. Ex his patet, ignem esse primum calidum, aërem, primum humidum; aquam, primum frigidum: terram, primum siccum. 17. *Vnum elementum permutatur in aliud, si duo viribus ita imparia concurrant, vt quod validius est, alterum in suam naturam conuertat.* Conuertit enim permutato symbolo, vel symbolis, quibus ab altero distinguitur. Nam duo elementa à se mutuò, vel vno solùm contrario, vel duobus, siue duplici contrarietate, distinguuntur. Quare elementa, quæ communione vnius qualitatis conueniunt, ac vnâ contrarietate solùm dissident, faciliori & celeriori transitu permutantur. Quæ verò duplici contrarietate pugnant, planéque contraria sunt, difficiliori & tardiori. 18. *Interdum fit, vt ex duobus contrariis elementis, vnâ vtrobique qualitate permutatâ, medium aliquod elementum generetur.* 19. *Mixtio fit, quando omnia elementa viribus quodammodo paria concurrunt.* In istâ verò mixtione elementa ita franguntur, sibique mutuo complicantur & consociantur, vt sub suo esse perfecto non conseruentur, sed sub formâ mixti.

Temperamentorum consideratio physico-medica.

IV. *De temperamentis hæ sunt regulæ Medico noscendæ.*

1. *Imperfectâ mixtione, ex mutuâ contrariarum qualitatum actione, oritur illud, quod Græcis κρᾶσις, Latinis temperies temperamentum, & temperatura dicitur.* Vulgo appellatur complexio, quia plura in se complectitur. 2. *Temperamentum dispositionem tantum ad actiones benè vel malè obeundas.* Itaque in eius cognitione solidâ plurimum est situm. 3. *Temperamenti finis est, non solum quocunque modo operationes formarum adiuuare, sed instrumentum necessarium esse, sine quo non operatur vlla substantia aut forma.* Habent quidem omnes formæ naturales, ingenitam agendi vim, sed illam non exserunt nisi in subiecto aptè disposito & præparato. Aptè autem disponitur temperamento, velut proprio instrumento. Quare vt diuersa partium sunt temperamenta: ita forma exercet suas qualitates diuersas, & discrepantes edit actiones. 4. *Temperamentum est harmonia, seu concentus quidam quatuor qualitatum proportio.* Itaque simpliciter non est qualitas, neque etiam nuda vnio primarum qualitatum: sed eiusmodi vnio, quæ certâ proportione inseruit formæ mixti tanquam primario artifici; similitudine concentûs in voce & fidibus. Nam vt vniuscuiusque cantûs sua est vocum harmonia: ita in generatione mixti contrariæ elementorum qualitates coëuntes, temperamentum non efficiunt, aptum actionibus illius formæ, nisi concordi harmoniâ & mediocritate coëuntes ad talem gradum reducantur, qualem mixti perfecti in suo genere forma postulat. 5. *Temperamenti alia ratio est in inanimatis, vt in mineralibus & metallis: alia in animatis.* Nam ibi totum & singulæ partes vnius sunt temperamenti, quia nempe corpora ista sunt homogenea: hîc diuersæ sunt singularum partium temperamenta. 6. *In animalibus duplex apparet temperamentum, vnum fixum, innatum, siue radicale: aliud fluens, ortum, seu accersitum.* Hoc perpetuò mutabile est, & facilè restituitur: illud licet varietur, penitus tamen ante dissolutionem mixti non extirpatur, nec facilè aut vnquam restituitur. 7. *Temperamenti diuisio ex vario contrariorum concursu sumitur.* Quot enim modis variantur in mixtione elementorum vires, tot temperamentorum differentiæ oriuntur. In mixtione autem mensura elementorum omnium est æqualis, aut inæqualis: seu qualitates primæ viribus sunt pares, aut impares. Ibi oritur temperamentum *æquale ad pondus* seu σύμμετρον κατ' ἰσορροπίαν: hîc existit temperamentum *æquale ad iustitiam.* Breuiùs etiam appellatur temperamentum ad pondus, & ad iustitiam. Porrò, in isto inæquali qualitatum concursu, aut vna qualitas cæteras vincit, siue excellit: aut duæ cæteras duas, nunquam autem tres vnam. Si vna; quatuor simplices oriuntur temperaturæ nimirum calida, frigida, humida, sicca: sin duæ, cæteras duas, quatuor compositæ seu coniugatæ, nimirum calida sicca, calida humida, frigida sicca, frigida humida. Quare nouem erant temperamenta, vnum absolutè medium siue σύμμετρον: octo illius medij respectu δύσκρατα siue intemperata. 8. *Inter omnia animantium genere perfectissimum temperamentum habet, quod rationalissimas & perfectissimas actiones edit.* Tale autem est homo. Rursus in specie humanâ ille, qui functiones tam animi, tum corporis præstantissimas habet, temperatissimus est, cuius respectu cæteri homines intemperati dicuntur. 9. *Temperamentum diuersimodè se habet in toto corpore & partibus corporis humani, ætatibus, temporibus anni, alimentis, medicamentis, & rebus naturalibus & non-naturalibus.* Nam homo respectu omnium partium in toto aut æquabiliter temperatus dicitur, aut inæquabiliter. Æquabiliter autem; non quia omnia membra sunt vnius temperamenti, sed quia omnium membrorum diuersè temperatorum debita proportio & competentia est, quæ competentia, si fuerit partium singularum perfectè temperatarum, non solùm æquabiliter, sed etiam perfectè temperatus dicitur: inæquabiliter verò temperatus vocatur, si non sit omnium partium naturalis ἀναλογία, sed aliæ iusto calidiores, aliæ frigidiores. Deinde vbi partes inter se comparantur, aliæ temperatæ iudicantur, aliæ intemperatæ, calidæ nimirum, frigidæ, humidæ, vel siccæ. Eadem ratio est in ætatibus, temporibus anni, alimentis, medicamentis, ac in summâ in rebus naturalibus & non-naturalibus. 10. *Partium singularum humani corporis temperamenta hoc modo cognoscuntur.* Omne molle vel durum, mediocri calore præditum, humidum est vel siccum. Deinde omne exangue est frigidum, contrà, omne sanguine abundans, est calidum. Quare quæ pars inter hæc medium obtinet locum, temperatissima erit: qualis est *cutis* in homine. Quare cum hâc collatæ aliæ partes intemperatæ dicuntur, calidæ, frigidæ, siccæ, humidæ: ac primò quidem *cor* est calidissimum: deinde *iecur* hinc *caro musculorum*, *lien*, & *renes*. Deinde partes frigidæ aliæ simul siccæ, aliæ humidæ sunt. Frigidissimus autem & siccissimus est *pilus*, & quæ extra prominent: deinde *os* & *cartilago*, hinc χονδροσύνδεσμος, pòst *tendo*, deinceps *membrana*, *arteria*, *vena*, tandem *nerui duri*: *nerui* verò *molles*, frigidi quidem sunt, sed mediam in siccitate & humiditate naturam obtinent, vt *cutis*. Frigidæ simul & humidæ sunt primùm *adeps*, deinde *medulla ossium*, hinc *cerebrum*, & *spinalis medulla*. Verùm à cute incipiendo, primùm humidi sunt *nerui*, deinde *cor*, *iecur*, *lien*, *caro simplex*, *pulmo*, hinc *spinalis medulla*, *cerebrum* tandem *ossium medulla*, & *adeps*. 11. *Humorum temperamenta hoc modo cognoscuntur.* Flaua bilis, igni; sanguis, aëri, pituita, aquæ; melancholia, terræ respondet. Proinde similibus qualitatibus præditi sunt. 12. *Temperamentum totius corporis humani æstimatur à corpore, animo, & facultatibus animi. Temperatissimus* enim homo iudicatur *à corpore & corporis habitu*; si apta omnium partium sit constitutio, inprimis verò trium partium principalium, cordis, iecoris, & cerebri: deinde si habitus medius sit inter crassum & gracilem, mollem & durum, calidum & frigidum, hirsutum & glabrum: præterea, si corpus viuidum sit, aptéque perspirans, & pilos habeat colore medios inter album & nigrum, sed cùm puer est, magis ruffos, cùm iuuenis, magis nigros. *Ab animo* verò, si animo medius sit inter timidum & audacem, cæterosque affectus; item si prudens, perspicax, alacer, humanus: præterea, si alimenta bene concoquat, & digerat, omnesque *actiones* tam animales quàm naturales inculpatas habeat, & medius sit inter somnolentum & peruigilem. Qui ab hâc mediocritate discedunt, intemperati iudicantur. Nam *calidi* latas habent venas, sed pingues non sunt, pilisque abundant, & capillo magis nigro sunt, & acri calore præditi, animo verò magno, iracundo, & audaci. verùm *si sicci simul* sint, corpore erunt gracili, magisque nigro, hirsuto, & duro; deinde animus magis præceps, ferus, & implacabilis, cum actionum promptitudine, præterea peruigiles: sin *calidi simul & humidi*, erit corpus magis carnosum, molle, colore ex albo & rubro, obnoxium putridis morbis, animus verò præceps, sed nec ferus, nec implacabilis. Qui verò *frigidi* sunt, angustas habent venas, sunt pinguiores magis quàm carnosi & naturâ desides, corpore glabro, calore miti, pilis magis albis, animo demissiori & timidiori. Verùm si *simul humidi* fuerint, erit corpus molle, magis obesum, & debile, deinde segnities, ingenij stupiditas, & somnolentia maior: sin *frigidi simul & sicci*, erunt corpore duriori & graciliori, animo constanti, sed tristi & timido. Verùm in temperamento totius æstimando, singularum partium temperamenta priùs obseruanda erunt, præcipuè verò trium principum partium. Deinde, nisi æquabile temperamentum sit, ex vnâ parte solùm non est coniectandum; nec etiam ex solis moribus. Ante omnia etiam sexus & ætas consideranda sunt. 12. *Temperamentum sexûs facillimè cognoscitur.* Mares siquidem naturali constitutione sunt calidiores siccioresque fœminis. 13. *Qualibet ætas suum temperamentum habet.* Nam infantium temperamentum est calidissimum & humidissimum. Ab infantiâ vsque ad consistentiam æqualis quodammodo calor manet, differens à puerorum calore tantùm qualitate. Nam puerorum calor est blandus, vaporosus, substantiâ purus & copiosus: iuuenum verò acris, mordax, & ex alieni admistione impurus. Quæ ætas florentem sequitur, frigidior sicciorque semper euadit. Quare extremum senium in frigiditate & siccitate consistit. 14. *Tempores in rebus non-naturalibus, à quibus alteratur nostrum corpus, variat.* Sic v.gr. aër nos ambiens variatur ratione temporum anni & regionum. Quatuor anni tempora considerari debent ex vincentibus in vnoquoque qualitatibus, & non collatione mutuâ. Deinde quodlibet anni tempus diuiditur in initium, medium, & finem. Medium habet stabilem constitutionem, & qualitatem naturalem: initium, aliquid naturæ temporis præcedentis adhuc retinet: finis, sensim ad qualitatem temporis consequentis inclinat. *Ver* autem naturaliter est calidum & humidum: *æstas* naturaliter

turaliter calida & ſicca : *autumnus* ex calore & frigoris miſtus, & ſiccus : *hyems*, frigida & humida. Deinde regiones & loca terræ aërem & corpora quoque contenta immutant & variant. Differunt autem regiones pro ratione climatum & poſitûs cœli. Quare regiones ſub Vrſa frigidæ humidæque ſunt : ſed homines ibidem inæquali temperamento ſunt præditi. Nam exteriora frigidiora ſunt, ideoque corpore molli, pingui, & albo ſunt : interiora verò immodicè calent, vnde moribus ſunt magis agreſtes, feroces, auſteri, inhumani, ſimplices. Qui verò in calidis regionibus degunt, ob ambientem æſtum torrentur, iiſque calor naturalis extrahitur, vnde cutis ſicca & nigra eſt, corpus gracile, capillus niger, mores ſæui, ingenium ſubdolum & aſtutum. Verùm, qui in temperatis regionibus degunt, naturaliter in medio omnium exceſſuum ſunt, & totum corpus magis temperatum habent. Præterea natura ipſius regionis corpus animumque variè diſponit, & aliter montoſa & aſpera, aliter plana & pratenſis : itidem aliter aër tenuis, aliter craſſus.

V. *De humoribus hæ ſunt regulæ phyſio-medicæ.*

T... rio ce-

1. *Humoris vocabulum ſumitur latè, ſtrictè, & ſtrictiſſimè.* Humor *latè* eſt omne corpus liquidum and perfluens, non ſuâ ſed aliena ſuperficie contentum. Hàc ſignificatione omnes ſucci & liquores dicuntur humores, vti ſunt in humano corpore omnia liquida cauitatibus aut ſolidis partibus contenta. Talia vnius generis non ſunt. Nam nonnulla contenta naturæ ſunt vtilia, nonnulla ſuperuacanea aut planè noxia. Et aliqua ex primâ concoctione gignũtur in ventriculo, vt chilus, fæces, & viſcidus humor oblinens inteſtina : quædam ex ſecundâ concoctione, vt chymus, maſſa ſcilicet ſanguinis cum tribus excrementorum generibus: aliqua ex tertiâ concoctione in partibus dum nutriuntur : quædam denique ſunt ſuperfluitates, aliis vſibus neceſſariæ, vt lac, ſemen, & alia id genus. *Strictè* humores dicuntur corpora liquida, quæ in ſecundâ concoctione ex chylo, & in tertiâ ex ſanguine oriuntur. Vnde plerique diuidunt humores in alimentarios & excrementitios. *Strictiſſimè* ac propriiſſimè humores ſunt corpora liquida, in quæ chylus vi iecoris pro corpore alendo tranſmutatur. Et ita humores ſunt alimentarij, vel excrementitij. *Alimentarij* ſunt primi vel ſecundi. Ibi ſunt quatuor ſucci, ex quibus chymus ſiue maſſa ſanguinis componitur, qui corpori alendo inſeruit : hîc ſunt humores, qui ex primis oriuntur, & in partium nutritione conſiderantur. *Excrementitij* ſunt naturales, qui alimentariis primis reſpondent, & non naturales. 2. *Humores alimentarii primi ſunt quatuor : ſanguis nimirum, pituita, bilis flaua, & melancholia.* Ex his maſſa ſanguinis oritur, quæ à potiori parte ſanguis dicitur. Chymici appellant quatuor ſalia ſanguinis. 3. *Quatuor iſti humores reſpondent quatuor elementis.* Vnde dicuntur humores elementarij. Nam *bilis*, ſuccus ſubſtantiæ tenuis, calidus ſiccus, igni reſpondet : *ſanguis*, calidus humidus, aëri: *pituita*, ſuccus frigidus humidus, aquæ: *melancholia*, humor frigidus ſiccus, terræ. 4. *Proportio quatuor humorum in maſſa ſanguinis hominis ſani hæc eſt.* In maſſa iſta ſanguinis plurimum eſt puri ſanguinis, minus pituitæ, minimum melancholiæ & bilis flauæ. In non ſanis plerumque hæc proportio violatur. 5. *Serum non eſt pars maſſæ ſanguinis, ſed vehiculum & excrementum omnibus eius partibus commune.* Nam tot ſpecies ſunt ſeroſi humoris, quot ſpecies ſuccorum in venis, & quilibet ſuccus ſuum habet ſerum, à quo vrina variè coloratur. Nam à ſanguine prodit ſerum coloris rubri, à pituitâ, albi, à cholerâ, flaui; à melancholia, ſubfuſci. 6. *Humores alimentarii ſecundi ſunt, qui primos conſequuntur, & ex illis immediatè oriuntur.* Hi ſingulis partibus deſtinati ſunt, nutritionis & conſeruationis gratiâ, quatenus alimentum ſuum præparant, & per gradus alterant. Hi magis humiditates quàm humores dici merentur. 7. *Humores ſecundarii ſunt itidem quatuor.* Primus eſt in extremitatibus exilium venarum & arteriarum, quæ ſingulis partibus appropriatæ ſunt, eaſque irrigant. Dicitur *humor ſanguineus.* Secundus ex primo illo gignitur, dum in vacua membrorum ſpatia roris modo diffunditur, & ſingulis membrorum partibus apponitur : vnde à ſimilitudine *ros* appellatur. Nutrimentum vbi partibus appoſitum fuerit, inſito calore cogitur, & concoctione primùm partibus agglutinatur & affigitur. Deinde abſolutè & vſquequaque aſſimilatur, ſiue in ſubſtantiam partis conuertitur. Ex hac duplici operatione duo poſteriores humiditates oriũtur, putà *gluten & cambium.* 7. *Humores excrementitii ſunt qui in corpore abundant, & à corpore expelli & ſeparari debent.* Hi ſunt vel vtiles, vt fel ad aluum irritandam, & detergendos humores craſſos ab inteſtinis, melancholia ad excitandum appetitum: alij inutiles, vel ſimpliciter, vt ſtercus, lotium, ſudores : vel planè noxij, qui præternaturales vocantur. 8. *Quatuor humores primary in iecore generantur, hoc modo.* In primâ concoctione ex alimentis in ventriculo chylus oritur, quem Galenus recenti muſto comparat: qui dum in inteſtina protruditur, pars eius vtiliſſima ad iecur per venas meſeraicas deducitur, vbi formam ſanguinis recipit, qui quatuor illos alimentarios humores continet. Nam vt ex muſto, dum deferueſcit, quatuor emergunt: ita ex chylo, dum in iecore concoquitur, quatuor humores oriuntur, quorum vnus præcipuus eſt, & puriſſimo vino aſſimilatur, vt ſanguis ſincerus; alter fæcibus, vt melancholia; tertius floribus comparatur, vt bilis flaua; quartus crudis & incoctis in vino fæcibus, vt pituita. Oriuntur hi quatuor in iecore naturaliter, ab vno eodemque calore, pro varia materiæ diſpoſitione. Dum enim iecur calore inſito, & virtute ſpecifica, in chylũ agit, mediocres partes in ſanguinem, tenuiores calidiores in bilem, ſicciores frigidiores in melancholiam, frigidiores humidiores in pituitam commutat. Verùm vt flores à vino, ita cholera & melancholia à ſanguine non planè ſeparantur, ſed vtriuſque pars vtiliſſima cum ſanguine & pituita vi iecoris debitè permiſcetur, ac in maſſam ſanguinis coit, quæ poſtea vehiculo ſeroſi humoris, pellente iecore, ac trahentibus primò partibus, deinde venis, in totum corpus diſtribuitur. Reliqua verò pars bilis & melancholiæ redundans, ad veſiculam fellis & lienem relegatur. 9. *Humores omnes, & ſeorſim ſinguli, in corpore vel naturaliter ſe habent, vel à naturali conſtitutione diſcedunt.* Ac primò *ſanguis ex quatuor humoribus commixtus*, naturaliter ſe habet, ſi ex debitâ proportione quatuor humorum componatur; deinde, ſi temperatus ſit, & ſubſtantiæ mediocris: verum ipſe *ſanguis purus & per ſe*, naturalis iudicatur, ſi calidus & humidus, ſapore dulcis & extra vaſa facillimè concreſcat vt ſibi aium, quas à venoſo genere accepit : nihilominus qui *in arteriis continetur*, magis formæ rationem obtinet, quia cordis calore abſoluitur, vnde calidior, ſubtilior, clarior, & flauior efficitur : *qui verò in venis*, coloris rubri & ſubſtantiæ craſſioris eſt. *Non-naturalis ſanguis* ab his naturæ legibus diſcedit, vel quantitate, ſi vires premat, aut vaſa diſtendat, vnde oritur plenitudo ad vires & vaſa : vel qualitate, ſi calidior, frigidior, ſiccior, aut humidior reddatur, vel alieno humore copioſè perfundatur (quæ cacochymia dicitur) aut corrumpatur & putreſcat. Secundò gignitur *bilis* ex calidiſſimâ & ſubtiliſſimâ chyli parte, vnde naturæ igneæ eſt, ſubſtantiæ tenuiſſimæ & ſubtiliſſimæ, ac per ſe ſaporis amari, coloris flaui, niſi ſeroſo humore permiſceatur, à quo pallida efficitur. Huius portio vtiliſſima vi iecoris cum ſanguine permiſcetur, vt cum ſanguine membra calidiora alat, & humores frigidos calefaciat & extenuet. Reliqua pars ad veſiculam fellis, ac tandem ad duodenum relegatur, vt excretionem adiuuet, & inteſtina à craſſis viſcoſis humoribus repurget. *Non-naturalis bilis* quadruplex eſt : prima *vitellina*, oui vitello ſimilis, quam Auicenna bilem maioris famæ appellat : ſecunda *porracea*, πρασοειδής, porro ſimilis : tertia *æruginoſa*, ἰώδης, æruginem referens : quarta glaſtina, ἰσατώδης, glaſti ſeu iſatidis colorem referens, ſub quâ cœrulea quoque continetur. *Melancholia naturalis* ea eſt, quæ à medicis plerumque μελαγχολικὸς χυμὸς, id eſt, ater ſuccus, & non atra bilis, vocatur. Hæc in iecore cum aliis humoribus gignitur, per reſidentiam quaſi, vt fæx in vino, ex maximè terreſtri chyli portione. Eius pars vtiliſſima & benigniſſima cum ſanguine miſcetur, & per venas diſtribuitur, ad corporis nutritionem. Superuacanea verò & inutiliſſima pars, quæ acerba magis & acida eſt, ad lienem, propriam ſedem, præcipuè relegatur : portio verò ad ventriculum mittitur, vt ventriculum conſtringat, famemque excitet. Nam quò iecur & ſanguis à redundanti melancholiâ expurgetur, inſeruit lien. quare ſi lien minùs quàm oportet ad ſe trahat, corpus melancholico humore redundabit. Attrahit autem lien melancholiam, vt eâ mutata & confecta perfruatur, vnde quaſi alterum ſiue ſiniſtrum iecur ab Ariſtotele vocatur : quod verò in liene deinde redundat, per ventrem naturaliter expurgatur. *Præter naturam melancholia*, naturæ noxia & inutilis, oritur ex primis humoribus per aduſtionem, vel putredinem, in cinerem quaſi conuerſis, & non tam acida quàm acris eſt. Oritur autem primò ex ſucco melãcholico, deinde ex cholera aduſtâ. Ita enim fit, vt & ſanguis aduratur, atque in bilem flauam conuertatur, & pituita fiat ſalſa. *Pituita* denique, ſeu phlegma, ſi naturaliter ſe habeat, eſt maſſa ſanguinis crudior, quæ ſanguis ex dimidio coctus vocari ſolet, ac per venas in totum corpus diſtribuitur, vt partes frigidiores, humidiores, qualis eſt cerebrum, alat. *Pituita non-naturalis*, ſeu excrementitia, eſt vel acida, vel vitrea, vel ſalſa. Prima eſt naturali multò frigidior & crudior : ſecunda eſt multò crudior, frigidior, viſcidior, & craſſior quàm prima, & partibus adhæreſcens, vt inteſtinis, dolores colicos & cruciatus grauiſſimos, excitat: tertia eſt calida & ſicca, planè diſſimilis duabus præcedentibus. Atque hi ſunt humores alimentarij & excrementitij, ex quibus corpus humanum nutritur, in ſe variè diſponitur & afficitur : quæ varietas pro ſingulorum humorum diuerſitate, & conſtitutione euenire ſolet, quatenus in corpore vel augentur vel minuuntur. Augentur autem vel minuuntur pro temperamento, naturâ, & conſtitutione corporis, pro ætate, diæta, anni tempore, regione, & ſimilibus.

IV. *De ſpiritibus hæc ſunt tenenda Medico.*

Spirituum conſideratio phyſico-medica.

1. *Spiritus eſt corpus mixtum, ex vapore genitum, ad conſeruationem*

tionem facultatum animæ in corpore. Sunt autem duplices facultates in corpore: aliæ enim diſſeminatæ ſunt per ſinguas totius corporis partes, omnibuſque ſimiliter inſunt, conſeruationis gratiâ, quæ inſitæ dicuntur: aliæ in certo organo ſedem & domicilium habent, vnde velut à principio & fonte, quemadmodum radij à ſole, in totum corpus diffunduntur & emanant. Quare duplex erit ſpiritus: vnus, qui inſitus, innatus, & complantatus dicitur: alius influens & emanans, qui eſt triplex, naturalis, vitalis, & animalis, ſicut tres principes ſunt facultates. Nam vnicuique facultati ſuus eſt ſpiritus inſtrumentum, ſine quo non conſeruatur, nec etiam agit. 2. *Spiritus inſitus eſt ipſiſſimum calidum innatum: & eſt præcipuum & communiſſimum conſeruatiuum inſtrumentum omnium animæ facultatum in corpore.* Hinc à Galeno dicitur author omnium operationum, & ab aliis vinculum & animæ & corporis. 3. *Omnes totius corporis partes fruuntur & viuunt ſpiritu inſito.* 4. *Spiritus inſitus initio partes omnes format, auget, & ad terminum vitæ conſeruat.* Quare ſublato hoc cuſtode facultas ceſſat, & corpus actionibus animæ fit ineptum. 5. *Spiritus inſitus, ſiue calidum innatum, duobus conſtat: nimirum humido primigenio, perfuſo calore innato:* Vnde flammæ comparatur, quæ oleo alitur. 6. *Spiritus inſitus eſt corpus cœleſti proportionale.* Similes enim vires habet. 7. *Spiritus inſitus maximè viget in corde.* Vnde fons & origo illius vocatur. 8. *Iecur gignit ſpiritum naturalem; cor vitalem; cerebrum, animalem.* Naturalis gignitur ex vapore ſanguinis; vitalis ex naturali; animalis ex vitali. 9. *Spiritus naturalis eſt corpus mobile, genitum ex vapore ſanguinis, ſiue ex eiuſdem optimâ tenuiorique portione, vi inſitâ iecoris, gratiâ ſanguificationis, vt ſanguis perficiatur, meliuſq; per venas in totũ corpus diſtribuatur.* Non eſt adeo purus, vt cæteri duo, ſed caliginoſus & ſanguineus, aut potiùs vapor ſanguinis, proportionatus ipſi iecori, cuius actio ſanguificatio, maximè naturalis eſt: vnde ſpiritus, actionis illius inſtrumentum, minùs eſt efficax, magiſque terreſtris. Nam quò facultas ignobilior eſt, eò craſſiores minuſq; efficaces ſpiritus ſibi vendicat. 10. *Spiritus vitalis eſt corpus mobile, à corde per arterias in totum corpus diffuſum, genitum in ſiniſtro cordis ventriculo, vi inſitâ cordis, ex aere cum ſanguinis vapore commiſto, vt facultas vitalis conſeruetur & deferatur, ac calor innatus in ſuâ temperie cuſtodiatur.* Hic ſpiritus eſt manifeſtiſſimus, eiuſque actio euidentiſſima. Nam pulſat, impetuque mouetur, & calorem euidentiſſimum habet. Oritur ex ſpiritu naturali, vel tenuioris ſanguinis portione fluentis ad cor, ſiue ex humorum vapore permiſto cum aëre ope reſpirationis attracto. 11. *Spiritus animalis eſt corpus mobile, genitum in cerebro ex ſpiritu vitali, cum aëre permiſto, propriâ vi cerebri & per neruos in corpus diffuſum, vt facultas animalis conſeruetur & diſtribuatur.* Gignitur, inquam, hic ſpiritus ex ſpiritu vitali potiſſimùm per arterias in retiformem contextum dilato, permixto vnà cum aëre ope inſpirationis attracto, & in cerebrum, cerebrique ventriculos effuſo, cerebro ſe dilatante, & materiam idoneam attrahente, vbi poſtea vi ſpecificâ cerebri abſoluitur, & formam vltimam acquirit. Ex his omnibus efficitur, vniuerſum animal tribus principalibus facultatibus, totidemque facultatum vehiculis, ſpiritibus ſcilicet influentibus, gubernari, & ſine his nullam partem calorem innatum & facultates ab ortu inſitas conſeruare: præterea omnes partes corporis & inſito ſpiritu & influentibus viribus viuere, facultateſque ſuas conſeruare.

VII. *De partibus corporis humani hæ ſunt regulæ Medico obſeruandæ.*

Partes corporis humani apud Medicos.

1. *Pars corporis humani ſumitur latè aut ſtrictè.* Nam omne quod naturaliter in corpore continetur, & ad conſtitutionem atque conſeruationem eius requiritur, pars *communiter* vocatur. Ita. *Hippocrates. 6. Epidem, com. 7.* corpus humanum diuidit in continentia, contenta, & impetum facientia. Continentia ſunt partes ſolidæ, in quibus reſidet facultas: contenta, humores, qui à facultate naturali gignuntur: impetum facientia, ſpiritus, qui facultates deferunt & conſeruant. *Propriè* tamen partes corporis humani ſunt continentia, id eſt, partes ſolidæ. 2. *Partes propriè ſumptæ sũt ſimplices vel compoſitæ.* Illæ ſunt, quæ in partes ſibi ſimiles diuiduntur, vnde ſimilares & homogeneæ dicuntur, aliis etiam primæ & primigeniæ, item ſenſibilia corporis elementa: hæ ſunt, quæ in partes diuerſæ rationis diuiduntur, vnde diſſimilares & hæterogeneæ vocantur, aliis etiam compoſitæ, organicæ, inſtrumentariæ, & ſimpliciter organa. 3. *Partes ſimilares oriuntur ex ſemine & materno ſanguine:* quatenus nempe elementis reſpondent. 4. *De numero partium ſimilarium non conſentiunt Medici, plerique tamen decem numerãt:* vti ſunt os, cartilago, ligamentum, membrana, neruus, arteria, vena, tendo, caro, cutis; quibus interdum adduntur adeps, vngues, medulla, & pili, licet propriſſimè partes nõ ſint. 5. *Actiones primò prodeunt à partibus ſimilaribus, ſed à diſſimilaribus perficiuntur.* Conſpirant enim vnius cuiuſque organi particulæ in vnius actionis famulatum, etſi non vno modo. 6. *Partes totius corporis, quatenus functionum aut officij ratione inter ſe conferuntur, in principales & minùs principales diuiduntur. Pars principalis* eſt, quæ ad vitã per ſe eſt neceſſaria; ſeu, quæ primariæ facultatis ſedes & origo eſt, quam cæteris partibus, mediãte Spiritu transmittit. Eiuſmodi ſunt tres, ſicuti tres ſunt primæ facultates, nimirum iecur, ſedes facultatis naturalis; cor, vitalis; cerebrum, animalis. *Partes minùs principales* ſunt cœteri corporis humani partes, quæ ad principalium miniſterium neceſſariæ ac vtiles iudicantur. Hæ triplices ſunt. Nam *aliæ* ſunt miniſtrantes, numero tres, videlicet nerui, arteriæ, & venæ: quia cerebrum per neruos diſtribuit ſenſum & motum; cor, per arterias calorem & ſpiritum vitalem; iecur, ſanguinem: *aliæ* quæ ſeipſas gubernant, ſed ita vt vim quandam mutuentur à tribus principibus; cuiuſmodi ſunt ventriculus, inteſtina, lien, & renes: *aliæ*, quæ nec aliorum gubernationi præſunt, nec aliunde gubernantur, cùm innatam habeant facultatem, vt ſunt os, ligamentum, membrana, cartilago, glandula, pinguedo, caro ſimplex. *Denique* partes principales Galeno ſunt triplices: *aliæ*, ſine quibus non præſtatur actio: *aliæ*, quibus melius: *aliæ*, quibus tutiùs. Sed hæc fuſius tractantur in Anatomia, cuius præcipuæ partes ſunt *Oſteologia*, de oſſibus; *Myologia*, de muſculis, *Angeiologia*, de vaſis; *Splanchnologia*, de viſceribus.

VIII. *De facultatibus animæ Medicus iſta cognoſcito.*

1. *Tria iſta ſe mutuò conſequuntur, facultas, functio, & opus.* Proinde hæc tria ex ſe mutuo intelligunt. Nam facultates animæ ex functionibus ſuis deprehenduntur: quia quot ſunt functiones, tot ſunt illarum functionum cauſæ, & totidem quoque opera. Cauſa autem eſt ipſa facultas: at opus eſt, quod iam completum eſt, poſt actionem facultatis. *Facultas animæ eſt triplex: naturalis, ſeu vegetatrix, vitalis, & animalis.* Ex his facultatibus communiſſima eſt naturalis, quæ non ſolum cæteris quaſi fulcimentum quoddam ſubſternitur, ſed etiam per ſe ſeparatim exiſtit, infimumque gradum viuentium, nimirum τὸ ζωτὸν conſtituit. 3. *Facultas naturalis eſt triplex, altrix ſiue nutrix, auctrix, & generatrix ſeu procreatrix: & quælibet ex his tribus tria neceſſario poſtulat, puta materiam, inſtrumentum, & facultates auxiliares ſiue adminiſtras.* *Materia* eſt alimentum; *inſtrumentum* eſt calor inſitus cuique parti deſtinatus: *facultates adminiſtræ* ſunt quatuor, videlicet attractrix, retentrix, concoctrix ſeu alteratrix, & expultrix. Tot facultates auxiliatrices omnibus partibus neceſſarias eſſe, hinc manifeſtum euadit. Ineſt enim, authore *Galeno. 4. de natur. facult.* ſingulis partibus deſiderium conuenientis, & alieni odium: quod autem deſiderant, attrahunt; quod auerſantur, à ſe propellunt, ni impediantur. Quod attrahitur, ideo attrahitur, vt partes illo fruantur: & nihil frui poteſt, niſi id retineat. 4. *Facultates iſtæ quatuor potiſſimum perficiuntur in partibus quæ ſubſtico munere funguntur fibris ſiue villis quibuſdam.* Nam attractio abſoluitur fibris rectis per membri longitudinem extenſis: retentio propriè fibris obliquis, quæ obliquè, & ad impares angulos feruntur; excretio tranſuerſis, quæ ad pares rectoſque angulos incidunt: concoctio verò licet omni ſtaminum genere vti aliquando dicatur, propriè tamen à vi inſitâ, mediante calore naturali abſoluitur. 5. *Has facultatum functiones adiuuant qualitates primæ.* Nam caliditas, inſtrumentum concoctionis, omnibus functionibus naturalibus per ſe interuit, niſi immodicè augeatur; frigiditas verò ex accidente ſolum. At ſiccitas ad attractionem, retentionem, & expulſionem conducit. Humiditas concoctioni & nutritioni eſt accommodata. Ex his omnibus colligitur, quòd *vegetatio* ſit actio organorum naturalium in alimentum, à facultate vegetante, inſtrumento caloris natiui, vt mediante alimenti attractione, retentione, concoctione, ac ſuperuacui expulſione, quod è ſubſtantiã corporis animati defluit, reparetur, & ipſum corpus ad terminum, à natura præfixum, perducatur, ac aliud ei ſimile gignatur. 6. *Tres ſunt gradus concoctionis.* Imperfectiſſimus primuſque omnium in ventriculo eſt χύλωσις, *chylificatio*: intermedius & ſecundus perficitur in hepate, diciturque αἱμάτωσις, *ſanguificatio*: ſupremus, cui duo illi communes, vt præparationes inſeruiunt, eſt in ſubſtantiâ ſolidarũm partium, & dicitur ὁμοίωσις, *aſſimilatio.* Itaque partes ſolidæ in corpore propriè nutriuntur: impropriè verò ſpiritus & humores. 7. *In omni accretione nutritio requiritur, ſed non contra.* 8. *Nutritio per totam vitam fit, & ſubſtantiam numero vnam conſeruat.* Per accretionem vero auctis in omnem dimenſionem primùm ſimilaribus, deinde diſſimilaribus, totum animatum augetur, & ad determinatum vitæ tempus, quod conſiſtentia dicitur, perducitur. 9. *Facultatis vitalis ſedes eſt cor,* quod ſitum eſt in thorace, medio loco inter iecur & cerebrum, quemadmodum ipſa facultas media eſt inter concupiſcibilem, quæ belluinis facultatibus delectatur, & rationalem, quæ diuinis honeſtiſque ſtudiis afficitur. 10. *Functiones vitalis facultatis tres ſunt, totidemque facultates, vnde promanant.* Prima & præcipia eſt ſpiritum vitalium generatio, à facultate vitali propriè dictâ: ſecunda priori ſubſeruit, pulſûs effectio, à vi pulſificâ cordis: tertia cæteras conſequitur, nimirum affectuum

concitatio

concitatio, à facultate irascibili. 11. *Facultas animalis est vis animæ residens in cerebro, cuius functiones cernuntur in sensu & motu.* Est itaque partim sensitiua, partim motiua. *Facultas sensitiua* cernitur in quinque sensibus exterioribus, visu nempe, auditu, olfactu, gustu, & tactu: & tribus interioribus, vti sunt sensus communis, phantasia, & memoria. *Facultas motiua* cernitur in motu locali, itemque in respiratione. De his vide supra in Physicis.

IX. *Actiones analogæ sunt suis facultatibus.*

Nam facultas est propter actionem, siue functionem. Itaque actionum doctrina lucem accipit ex doctrinâ facultatum. Sic v.g. facultatis naturalis seu vegetantis actio est vegetatio; vitalis, procreatio Spirituum vitalium, effectio pulsus, & concitatio affectuum; animalis, sensatio & motus localis. Atque hæc est Physiologia medica: quam eleganter descriptam vide apud Heurnium, Riolanum, & Ducanum, cuius vestigia nos secuti sumus.

CAPVT IV.

Diætetica generalis delineatur.

PRÆCEPTA.

Vidimus media naturalia, quibus sanitas procuratur: sequuntur non-naturalia, quæ vulgò dicuntur sex res non-naturales, & sunt hoc ordine. 1. aër. 2. cibus & potus. 3. motus & quies. 4. excreta & retenta, seu redundantia & inanitio. 5. somnus & vigilia. 6. pathemata siue perturbationes animi.

Horum doctrina dicitur Diætetica; quæ præscribit rationem diætæ: éstque generalis vel specialis: & vtráque præscribit diætam regularem vel irregularem. Nos hoc loco trademus Diæteticam generalem. Nam specialis est pars Higieinæ vel Therapeuticæ: quia persequitur diætam sanorum & ægrorum.

REGVLÆ.

I. *Diætetica explicat victus rationem in vsu sex rerum non-naturalium: ésque præcipua Medicinæ pars.*

Diætetica nomen habet à *diætâ*, id est, victûs ratione, quæ est legitima administratio, siue legitimus vsus sex rerum non-naturalium, gratiâ sanitatis conseruandæ, & amissæ restaurandæ. Sex illæ res non-naturales sunt, sine quibus vitam ducere impossibile est, nimirum aër, cibus & potus, motus & quies, excreta & retenta, somnus & vigilia, & animi affectiones, quæ ob id dicuntur res non-naturales, quia per se nec secundum, nec præter naturam humani corporis sunt, sed naturæ vtiles aut noxiæ efficiuntur, pro ratione bene maléue vtentium. Nam illarum dextro vsu & administratione sanitas conseruatur, morbique à naturâ faciliùs depelluntur; contrà minùs dextro vsu sanitas corrumpitur, variique morbi excitantur & augentur. Merito itaque diæta magnam habet laudem apud Medicos: vtpote antiquissima, vtilissima, & facillima, inter ómnes Medicinæ partes. Quod quidem paucis ita fit planum. Quæcunque adhibentur à medico, siue ad corpus humanum curandum, siue ad sanitatem conseruandam, sub triplici genere comprehenduntur, diætâ, medicamentis, & chirurgiâ. Inter quæ omnium vetustissima est diæta, vtpote sanctis Patriarchis frequentata. Eadem est vtilissima: quia diætæ ad vitam conseruandam, & morbum probandum summa est necessitas, quâ de re vide *infrà Biographiam, & Pantheum hygiasticum Claudij Deodati parte* 1. Sed & diæta est omnium facillima: quippe quæ non requirit aliquem apparatum vel sumptum extraordinarium.

II. *Diætetica est generalis, vel Specialis; & vtráque est diateretica, vel prophylactica.*

Tutela sanitatis continetur diætâ. *Diæta* est ratio salubriter vtendi rebus ad vitam necessariis. Eius partes duæ sunt, Diateretica & Prophylactica. *Diateretica* est diætæ pars, quâ sanitas firmatur, Eius partes duæ sunt, communis & specialis. Communis est, quæ omnium sanitatis est specierum: Specialis est, quæ corpori secundùm temperamenta varianti particularia sanitatis obseruandæ præcepta præscribit. *Prophylactica* est errorum diætæ correctrix: eáque itidem generalis, vel specialis. Nos hoc loco meditamur Diæteticam diatereticam & prophylacticam generalem. De speciali vide infrà in Hygieinâ & Therapeuticâ.

Diætetica aëris

III. *Diætetica aëris habet has regulas.*

1. *Aëris rationem præ cæteris habere oportet.* Hunc siquidem continenter attrahimus & mittimus ad spiritûs generationem, & caloris natiui contemperationem: præterea contactu suo corpora nostra afficit. Meritò itaque aër refertur inter fouentia & ambientia. Sic enim quidam subdiuidunt res non-naturales; quòd sint fomenta aut gesta: & fomenta, vel sumenda tantùm, vt cibus & potus: vel sumenda & foris ambientia, vt aër: gesta sunt motus & quies, & reliqua. 2. *Considerantur in aëre substantia & qualitas. Substantiâ suâ* aër debet esse purus, tenuis, nitidus: *qualitate*, pro sanis corporibus aër temperatus est vtilissimus, pro ægris aut naturis intemperatis, aër ad contrariam qualitatem declinans, aut à naturâ talis, aut arte præparatus. Aër purus nitidus tam sanis quam ægris conuenit: ac crassus, impurus, inquinatus, omnibus inimicus. 3. *Qualitas aëris oritur ex dispositione cœli, & potissimùm ex motu solis: deinde ex positu & naturâ regionis.* Nam sol motu suo quatuor anni tempora, diem & noctem constituit. *Vernum tempus*, & inprimis medium, naturâ calidum humidum est: *æstas*, calida & sicca: *autumnus*, inæqualis; sed ad siccitatem & frigiditatem vergens: *hyems*, frigida humida. Eadem ratio *in partibus diei*, sicut in temporibus anni: nam *tempus matutinum* respondet veri, *meridies* æstati, *vespertinum tempus* autumno, *nox* hyemi. Assimilantur etiam *quatuor septimanæ mensis lunaris*, quatuor anni temporibus. Hæc omnia tempora qualitates suas aliquo modo mutant pro *naturâ & positu regionis*. Frigidiores enim sunt, quæ sub zonâ frigidâ sunt, & ad zonam frigidam declinant; calidæ, quæ magis ad zonam calidam; temperatæ, in medio sunt. Deinde *montes & loca montosa* frigida sicca sunt, *valles*, calidæ & humidæ; *planities*, temperatæ; *maritimæ regiones*, calidiores, *mediterraneæ*, frigidiores. Similiter & *loca, quæ ad septentrionem spectant*, & perflantur ventis septentrionalibus, frigida sunt; *quæ ad meridiem*, calidiora &c. 4. *Aër non solùm est considerandus vniuersaliter, ratione quadrantum anni, zonæ, climatis, &c. sed etiam ratione domûs, ciuitatis, plateæ, & vestimentorum.* Ea siquidem omnia debent esse munda & naturæ grata. *Aedes, ciuitates, & plateæ* saluberrimæ sunt orienti occidentique soli patentes, & rectæ atque inter se æquæ: ex vrbis partibus editissimæ sunt omnium saluberrimæ. *Vestimenta* ita conficiantur & induantur, vt aërem benignum admittant, vehementem excludant. 5. *Medicum decet aërem accommodatum præscribere, & vitia in substantiâ & qualitate corrigere.* Corrigitur aëris corruptio & inquinatio perflatione ventorum, & mutatione loci: venenata qualitas, vt in peste, vapore aceti, aut fumo ex baccis iuniperi, mirrhæ &c. frigiditas foco, & similibus calefacientibus: caliditas, refrigerantibus, veluti ad nimiam caliditatem æstiuam contemperandam, ægri domos frigidiores eligant, quales sunt subterraneæ, aut ad terram versus septentrionem sitæ & perflatæ extra radios solis, & pauimenta assiduo conspergant aceto cum aquâ rosarum, aut sternant foliis salicis, vitis, rosarum, &c. Præcipit *Galenus comm.* 4 *in* 6. *Epid.* calidos loco frigido dormire, vt frigidum aërem inspirent, sed contectos stragulis calefacientibus, vt calor ab interioribus ad cutim reuellatur. In aere calido concluso, vel in vaporariis dormire, nec sanis, nec ægris satis expedit. 6. *Aër tribus modis à nobis hauritur.* Primò per asperam arteriam, ad pulmones & cor; secundò, per palati foramina, ad nares & cerebrum; tertiò, per oscula cutis in ambitu corporis.

Diætetica alimentorum.

IV. *Diætetica alimentorum in genere hæc est.*

1. *Alimentum omne substantiæ corporis nostri simile esse debet, aut aptum, vt similem substantiæ speciem ei, quæ defluxit, reparare queat.* Intellige alimentum solidum, id est cibum; & alimentum liquidum, id est, potum. 2. *Omne alimentum, siue cibus, siue potus, est duplex.* Aliud simpliciter tale, aliud medicinale seu medicamentosum. 3. *Alimenta variè diuiduntur.* Et primò quidem sunt calefacientia, refrigerantia, humectantia, vel siccantia: *deinde*, attenuantia, incrassantia, vel mediæ naturæ: *tertiò*, nutrientia multùm, parùm, mediocriter: *quartò*, concoctionis facilis vel difficilis: *quintò*, quæ facilè vel difficilè corrumpuntur: *sextò*, succi boni vel praui: *septimò*, generantia humores pituitosos, melancholicos, biliosos, crassos, crudos: *octauò*, aluum subducentia vel sistentia: *nonò*, flatus gignentia, vel dissipantia: *decimò*, quæ difficulter tardéque, vel facilè atque citò distribuuntur. Vide *Duncanum lib. 4. artis medicæ cap. 20.* 4. *Terrestria volucrum generi comparata magis alunt; & caro animalium pubescentium, magis semper quàm senio confectorum & quæ boni habitûs, obesioráque sunt, magis quàm graciliora & macilenta, duræ neruosæque carnis.* 5. *Ex piscibus plurimùm alunt testacea & crustacea*; vt cancri, astaci. 6. *Alimentum respondeat sumentis viribus, & temperamento consentiat.* Si per se vires superat, sumendum parciùs: si suppar sit, maiore quantitate, quantum ad indigentiam explendam sat erit. 7. *Alimentum nunquam tepidum sumendum.* Ratio est; quia corpus nostrum iis

alim:

aliur, ex quibus constat, id est, calido, frigido, humido, & sicco. At tepidum neque calidum est, neque frigidum: ac proinde præter naturam. 8. *Sumatur suadente appetitu.* 9. *Vesperi plus sumendum.* Nam tempus nocturnum habet coctionem vegetiorem & diuturniorem. Sed hoc præceptum non conuenit omnibus naturis. Nam quibus facilior est distributio, quàm coctio, ei plus cœnabunt: quibus verò difficilis distributio & facilior concoctio, ii plus prandio indulgebunt. 10. *Tempora cibi & potus eadem sunto.* 11. *Cibus & potus sumantur post turbationem corporis ab exercitio, sedatam.* 12. *Vbi assumptum est alimentum, statim laborandum non est, sed paulò quiescendum.* Sicut enim salutare est ante cibos exercitium: ita perniciosa res est post cibum commotio. Labefactat námque retentricem, & coctionem interrumpit.

Diætetica cibi.

V. Diætetica ciborum hæc est.

1. *Cibus potum præcedat, liquidus solidum, concoctu facilis difficilem.* Ratio est, quia hic ordo promouet concoctionem. 2. *Initium fiat à iusculentis, si qua sunt, item ab oleribus: quibus adiungatur caro.* 3. *Præmisso cibo alternatim est bibendum.* Ita enim faciliùs cibus cum potu miscetur ac digeritur. 4. *Cibi omnes vna mensâ sumendi, sint simillimi, quoad eius fieri potest, nostróque temperamento consentientes.* Diuersi enim & heterogenei cibi quasi seditionem excitant. 5. *Cibi sint ex benè habitis.* Carnes v. g. sint ex iuuenibus, & pullis. 6. *Omnium ciborum basis & fundamentum est panis.* 7. *Panis esto fermentatus, sale aspersus; non mucosus, aut nimium siccus.* 8. *Cibus esto duplus ferè ad potum, panis duplus, & sesquialter ad oua, triplus ad carnes, quadruplus ad pisces, adipem & fructus humidiores.* Hæc proportio panis ad cibum putatur maximè secundum naturam: vtpote ex quâ temperatissimum existit alimentum, quod nec humiditate aut siccitate, neque caliditate aut frigiditate excedit. 9. *Quibus ventriculus capacior, iis alimenti moles melior, quàm facultas, & contrà:* Proportio nempe cibi totius secundùm ventriculi constitutionem est æstimanda. Quibus enim stomachus maior, iis quidem copia cibi maior, at minùs nutriens conuenit. Nam si parum comederent, non constringeretur ventriculus super cibum, sed remaneret spacium vacuum, quod deinde flatibus repleretur, coctionémque infringeret. Idcircò qui ita sunt constituti, meliùs habent, si plurimo cibo minùs tamen nutrienti, reficiantur. Nam si benè nutriat, ad plethoram disponit. Quibus verò stomachus non ita capax est, iis cibi quidem copia minor prodest, sed quæ multùm nutriat, ne ex maiore cibi quantitate ventriculus distendatur, & debilis reddatur, corporique ex minùs nutriente debitum alimentum denegetur. Et hoc est, quod voluit *Hippocrates lib. de alimentis, text.* 84. Facultas, *inquit*, alimenti melior quàm moles, & moles alimenti melior quàm facultas. 10. *Materia ciborum sumitur ex stirpibus & animalibus.* de quorum facultatibus & præparationibus vide *Arnoldum* freitag *de esculentis & potulentis, Pantheum hygiasticum Claudij Deodati, & alios.*

Diætetica potus.

VI. Diætetica potus hæc est.

1. *Exhibetur potus tribus de causis*: putà, pro siti naturali; pro distributione & concoctione ciborum in ventriculo; pro siti non naturali aut morbosâ. 2. *Potus pro siti naturali debet esse multi & vtilissimi nutrimenti*: quale est vinum & cereuisia benè cocta. Quòd si vires debiles sint, oportet parum sæpéque bibere. 3. *Potus pro descensu & commixtione, aut elixatione ciborum in ventriculo, commodissimè exhibetur, dum cibus assumitur, pro quantitate ciborum.* Itaque *qui copiosum cibum assumit*, copioso etiam eget potu, sed non confertim, aut simul quàm plurimùm, nisi virtus valida fuerit. nam *qui robusti non sunt*, & parum per ambitum corporis dissipant, largum potum vitare debent, ne vis ventriculi lædatur, & fluctuationes oriantur. *In calidis biliosis naturis*, aut dum alimenta leuia assumuntur, quæ in calore facilè dissipantur aut corrumpuntur, potus sit vinum tenuissimum, cereuisia tenuis, & similia, quæ suâ qualitate calorem contemperant: contrà *in frigidis naturis*, aut dum sumuntur alimenta, quæ difficulter superantur, potus si vinum, aut cereuisia potentior, quæ calorem natiuum excitat. *Pueris* cereuisia aut vinum tenuius; *senibus*, meracius conuenit. *Hyeme* plus edere expedit, minus, seu meracius, bibere. At *vere* paululum cibo demendum, adiiciendum potioni, sed dilutiùs bibendum, potissimùm æstate. Verùm *post concoctionem ciborum in ventriculo*, vt alimentum ad iecur per venas deferatur, *alii qui* potu nullo indigent, quia amplos meatus habent, & satis validam vim expultricem ventriculi, & attractricem venosi generis, aut alimentum suâ naturâ satis liquidum: *alii*, quia contrario modo se habent, potu aliquo indigent, qualis tenuium partium esse debet, vt secum faciliùs alimenta deuehat; exhibetur talis potus potissimùm post integram concoctionem in ventriculo, vbi ructus nullam qualitatem ciborum referunt, ad minimum post quatuor aut quinque horas à cibo: quo tempore, si siti molestentur, & grauitatem circa ventriculum senserint, bibere commodissimè poterunt: dum verò elixatur cibus in ventriculo, aut abstinere, aut parum assumere potûs consueti, ne cibi in ventriculo fluctuent, & eos minimè amplecti queat. 4. *Potus pro siti non naturali, vel morbosâ, variè administratur, pro varietate causarum.* Nam si sitis oriatur ex ariditate ventriculi, potus sit consueto tenuior, magísque humectans, vt vinum dilutum aquâ hordei, &c. paulatim sæpiúsque bibant: si à totius corporis calore, potus sit potestate frigidus, simúlque tenuium partium, vt per totum corpus celeriter permeare queat &c. 5. *In corporibus sanis potus actu frigidior præferendus est*: quia meliùs sitim restinguit, appetitum excitat, viscera roborat, calorem natiuum auget. 6. *Potus si ex aquâ sit, illa esto pura, limpida, omnis saporis expers, tenuis, aut leuis.* Pluuialis optima est, quæ in fine æstatis, aut principio autumni descendit. Fontana optima, cuius fons ad solem orientem erumpit, curritque super arenas & terram puram. 7. *Cereuisia fiat ex frumento benè maturo & puro: igneque succen o optimè elixetur.* 8. *Vinum esto defæcatum & tenue.* Si tartaro acri redundat, corrigatur assumptis aliquot granis mastichis. Id enim Hermes Trismegistus obseruabat, ne vinum tartareis fæcibus corpus corrumperet. 9. *Si aluus dura extiterit, paulo liberalius bibendum.*

VII. Diætetica motus & quietis hæc est.

1. *Hominem sanum & ægrum in motu & quiete modum seruare decet.* 2. *Sub motu continentur variæ exercitationes.* Ex *primò* sunt leuiores, vt deambulatio, vectio &c. vel validiores, vt illæ, quæ anhelitum mutant, & tandem crebram respirationem inducunt. *Deinde* exercitationes sunt vel simpliciter tales, vt cursus, saltus &c. vel exercitationes & opera siue labores simul, vt venatio, fossio &c. *Tertiò*, exercitationes aliæ fiunt cum robore, siue contentione & nixu, aliæ sine robore: *item* aliæ celeriter, aliæ lentè. Exercitatio cum robore, sine celeritate, valida dicitur, vt si quis magno onere sublato in eodem loco consistat, vel paululùm procedat: at exercitatio robusta cum celeritate, vehemens vocatur, vt graui armaturâ pugnare, remigare, ac in summâ omnis valida exercitatio, si accedat celeritas motûs. Exercitationes, quæ celeriter fiunt sine robore, sunt cursus, paruæ pilæ lusus &c. *Quintò* exercitationes aliæ cum intermissione fiunt, aliæ continuè. *Sextò* aliæ totum corpus æqualiter exercent, vt paruæ pilæ lusus: aliæ potissimùm certas corporis partes, vt saltus & cursus crura & lumbos; remigatio, brachia & manus; respiratio magna & vociferatio, pectus & pulmones. *Octauò*, exercitationes quædam antecedunt, vt frictio præparatoria: quædam sequuntur, vt frictio recuratoria, Græcis ἀποθεραπεία dicta: aliquando etiam balnea. De his, & similibus exercitationum generibus vide infra in *Gymnastica.* 3. *Frictionis differentiæ præcipuæ sumuntur à qualitate & quantitate.* Ratione qualitatis frictio est dura, mollis, vel media: ratione quantitatis, multa, pauca, vel mediocris: ex his simplicibus nouem coniugationes oriuntur. Dura autem frictio corpus indurat, cogit, densat; mollis contrà emollit, laxat, soluit: media mediam rationem obtinet: at multa carnem minuit, dissoluit, & gracilitatem inducit; pauca, eâdem quantitate relinquit; mediocris carnem auget: quare dura mediocris carnem duram auget, mollis mediocris carnem mollem auget, multa dura carnem minuit & indurat. Ex his facilè erit æstimare, qualis frictio vnicuique corpori conueniat. nam si quis sanus mediocri corporis habitu sit præditus, ei nec qualitate dura aut mollis, nec quantitate multa aut mediocris conuenit, sed pauca & qualitate mediocris: at si corpus molle, & supra modum resolutum sit, duriter fricare oportet, si corpus durum siccumue, molliter: sin gracile, sine qualitatis alteratione decet reficere, & augere adhibitâ mediocri frictione in quantitate & qualitate &c. 4. *Instituatur frictio potissimùm manè, post communium superfluitatum excretionem, aliquando vesperi ante cibos.* 5. *Frictio præparatoria adhibetur ante exercitationem:* quia nempe validos motus non oportet aggredi ex improuiso. 6. *Frictio fiat successiuè.* Itaque fricetur corpus linteo primùm blandiùs, deinde sensim, paulò fortiùs, donec incalescat, & corpus rubore suffundatur. 7. *Seruit exercitatio ad excrementorum inanitionem, & εὐεξίαν siue bonum corporis habitum comparandum.* Nam in exercitando corpore tria perficiuntur: videl. augmentum caloris insiti, spirituum motus concitatior, & membrorum durities siue robur ex mutuo attritu. Hinc cætera sequuntur: alimentorum melior attractio, concoctio, & nutritio, excrementorum expulsio, actionum omnium robur, & similia. Nam otium calorem natiuum obtundit, vires corporis eneruat, excrementorum copiam gignit. 8. *Omnis motus vehementior lentè suscipiatur; cum inualescat; alui & vesicæ excrementis priùs depositis, manè ventre ieiuno, capite retrorsum benè pexo.* 9. *Exercitatio corporis vniuersalis ita instituatur.* Corpus leniter fricetur, oleóque dulci inungatur, & ambulatiunculâ præparetur. Vocis contentio etiam hic locum habere potest. 10. *Particularis exercitatio corporis ita instituatur.* *Oculi* salubriter exerceantur, spectando prata, flumina, gemmas, montes, syluas, interdiu, sidera noctu: *pulmo*, cantu & screatu; *spina & renes*, deambu

terdiu, ſidera noctu; *pulmo*, cantu & ſcreatu; *ſpina & renes*, deambulatione & equitatione; *manus & brachia*, omni artificio mechanico &c. 11. *Ceſſatio ſit ante defatigationem, adhuc tumeſcente corpore, colore florido, concinnè motus edente, & ſudorem cum vapore permixtum emittente.* 12. *Poſt exercitationem vel molliter inambulandum, ſpiritu contento, vel apotherapiâ vtendum.* 13. *Poſt cibum oportet quieſcere horam vnam, tum modicis paſſibus incedere, aut apotherapiâ vti.* 14. *Balneum adhibetur poſt exercitia, vt apotherapiæ pars.* Adhibetur, inquam, ad partes duras, denſas relaxandas, excrementa diſcutienda, ſudorem aut puluerem detergendum. 15. *Balneum ſit aut ex liquoribus, aut ex vaporibus, aut ex ſolidâ ſubſtantiâ.* Liquor potiſſimùm eſt aqua dulcis, aut ex medicatis fontibus, ſulphureis, nitroſis &c. aliquando ex decoctis herbarum &c. quorum omnium vſus eſt, vel corpus euacuare per ſudores, vel habitum corporis implere. 16. *Sani euacuato corpore balneum ingrediantur, & in eo tamdiu commorentur, donec non ampliùs delectationem ſentiant.* 17. *Quies eſto, dum vires recreentur.* Id locum habet in quiete vniuerſali & particulari.

VIII. *De excretis & retentis hæ ſunt regulæ.*

1. *Excreta nonnulla & retenta ad communem vitam omnium animalium pertinent.* Vt enim omnia aluntur, ita in omnibus retineri debet; quo alantur, & aliquid expelli, vel quod toto genere præter naturam, vel multitudine tantùm alienum ſit. Triplex autem alimenti concoctio in nobis eſt, & quælibet habet ſua excrementa, ergo in quâlibet erit, quod retinere & expellere oportet. In primâ concoctione retinetur chylus, expelluntur *fæces*: in ſecundâ retinetur ſanguinis maſſa, expellitur *ſerum*, & ſeparatur ad lienem *melancholia*; ad veſiculam fellis & duodenum inteſtinum *flaua bilis*: in tertiâ concoctione dum ſanguis conuertitur in verum alimentum, expellitur naturaliter primum materia craſſior, vnde *ſordes*, & diſſipatur tenuior in *vapores*, vel efficitur *ſudor*. Adduntur his nonnullæ conſuetæ euacuationes materiæ quantitatem excedentis, vt *menſium, ſeminis, lactis, hemorrhoidum, ſputi &c.* 2. *Si ſecundùm naturæ modum, quæ accommodata ſunt ad alendum, retineantur, & quæ expelli debent, debito modo excernantur, ſanitas conſeruatur.* Sin retenta à naturæ modo diſcedant, veluti ſanguis in quantitate aut qualitate peccarit, aut conſuetæ euacuationes ſupprimantur, plethora, cacochymia, obſtructiones, conſtipationes, aliaque mala oriuntur, vnde ſanitas labefactatur. Simili moddo læditur ſanitas, ſi humores expellantur, qui retineri debeant, aut inutiles cum vtilibus, aut inutiles non naturali viâ, quantitate, modo, & tempore, quibus modis variæ concitantur fluxiones, vel intra corpus manentes, vt arthritis, angina; vel extra prorumpentes, vt in alui, vrinæ, menſtruorum, ſeminis profluuio, hæmorrhagiâ &c. vel partim intrà, partim extrà, vt in coryzâ, raucedine, catarrho ad pectus &c. Medici ergo erit his omnibus malis ſubuenire; & primùm plethoram phlebotomiâ, cacochymiam purgatione, cæteraque retenta præter naturæ modum debitâ ratione euacuare, vt vrinas diureticis; menſes, medicamentis eos mouentibus; ſudores balneis, exercitiis, frictionibus, medicamentis diaphoreticis, decocto ligni ſancti, ſaſſafras &c. ſemen, tempeſtiuo Veneris vſu &c. cibi abſtinentiam imperare, omnes conſuetas euacuationes reuocare, obſtructiones aperire; ſimiliter fluxiones præter naturam concitatas, legitimo modo compeſcere. 3 *Excretiones vniuerſales, ſeu publicæ, primo irritamento excernantur, & à ſomno nocturno ſine morâ expediantur.* 4. *Priuata excrementa, vti moleſta ſunt, egerantur.* Interdum etiam ſtudio proliciendæ ſunt. 5. *Ablutiones particulares oris, vultus, & manuum, aquâ frigidâ peragantur.* 6. *Ablutio vniuerſalis valde prodeſt, quoties Luna arietem ſubit.* Rationem vide ſuprà in Aſtrologiâ.

IX. *Vigiliam & ſomnum gubernant hæ regulæ.*

1. *In vigiliâ & ſomno modum ſeruare oportet.* Nam vigiliæ immodicæ corpora exſiccant & attenuant, vires euacuant & debilitant &c. ſomnus immoderatus nimium humectat, calorem natiuum obruit, excrementorum copiam gignit, mentem ſenſuſque obtundit. 2. *Somnus maximè naturalis eſt nocturnus*: ſi quidem non ſtatim à cœnâ, ſed poſt horam vnam ad minimum ineatur. 3. *Non aſſuetis à prandio dormire noxium eſt*: inprimis qui catarrho, epilepſiâ, & ſimilibus capitis affectibus laborant. 4. *Spatium temporis nocturni ſomni ſit, quo compleatur prima concoctio in ventriculo, & ſecunda in hepate.* Id autem ex vrinæ colore flauo, ructibus, atque ventre contractiore percipitur. 5. *Super dorſum dormire non expedit, præcipuè initio ſomni, ſed ſuper latus, inprimis dextrum.* Itaque dormiturus incumbat lateri primùm dextro, brachiis & cruribus modicè contractis, capite parum eleuato, vt caput altitudine par ſit humero ſummo: ad finem verò ſomni in ſiniſtrum ſe conuertat. 6. *Plurimum conducit ad ſomnum cubiculi ſtructura*: ſi nempè ſit in loco opaco, tranquillo, & à clamoribus, & pulſantium ſonis vacuo, ad frondoſa nemora & viridaria, per quæ murmur aquæ leniter decurrentis ad ſomnum inuitat. 7. *Non minus conſultum eſt tam animo, quàm corpori per ſomnum proſpicere.* Somnus enim, vt eſt apud *Scaligerum exerc.* 289. non tam ad corporis recreationem, quàm ad animæ libertatem à Deo eſt affectus. Vt igitur in ſomno æquè delectemur ac in vigiliis, conducet à cœna veſci melliſ : viridi. Nam enim ſomnia iucunda excipere ſolent. Abſtinendum præterea ab allio, cæpis, lentibus, eruis, fabis, & cæteris, quæ ſomnia turbulenta procreant.

X. *De perturbatione & tranquillitate animi hæ ſunt regulæ.*

Diætetica affectuum.

1. *Perturbatio & tranquillitas animi motui & quieti corporis comparantur, ac non minùs quàm illa corpus afficiunt.* Nam animi tranquillitatis otio & quieti reſpondet, quæ aptiſſima eſt ad concoctiones perficiendas: perturbationes vero animi calidum innatum cum ſpiritu & ſanguine variè mouent, corpuſque afficiunt. Nam *ira* calorem natiuum in corde vehementer accendit; & proinde totum corpus calefacit: *metus & triſtitia* calorem ad interiora retrahunt, & marceſſere faciunt, & externas partes frigidas relinquunt: contrà *gaudium profuſum* calorem cum ſpiritu in ſumma corporis ita diffundit, vt partes externæ calefiant, internæ refrigerentur: *hilaritas moderata* totam corporis machinam in perfectiorem ſtatum diſponit, & reliquas perturbationes adimit & delet, adeò quidem, vt nulla aduerſis tempeſtatibus & fluctibus anſa præbeatur: vnde diutiùs eius harmonia cuſtodiri, & ſtructura eius durabiliùs ſubſiſtere poteſt. 2. *Si perturbationes ſint vehementiores & crebriores, inducunt morbos, imò & quandoque mortem.* Quare tam ſani quàm ægri immodicas animi perturbationes vitare debent, & hoc vnicè curare, ne illæ corpus vehementer agitent. 3. *Vtile interdum eſt, quoſdam affectus excitare.* Ita qui calidis laborant morbis, aut ad calidos morbos inclinant, iram vitare debent cane peius & angue: verum in ſoporiferis affectibus, & in aliis omnibus, in quibus calor natiuus elangueſcit, vtile eſt ægros ad iram concitare. Ita melancholicos à metu & mœſtitiâ ad hilaritatem oportet reuocare; at contrà ſanguineos, à nimio gaudio ad moderatam triſtitiam. *Animi ſtudium ſit iucundum & delectabile.* Ita enim fiet, vt μετριοπάθειαν conſequamur. Sed plura hanc in ſententiam exhibet noſtra *Pathologia*, quam vide infrà ſuo loco.

XI. *Anomalia diætæ generalis eſt duplex.*

Anomalia diætæ generalis.

Prima dependet ex conſuetudine: ſecunda, ex ratione vitæ. Conſuetudo eſt acquiſititia quædam natura, quæ ingenitæ noſtræ naturæ per continuum vſum fit familiaris. Quare ſatius eſt, conſueta retinere, quàm inſueta cum periculo adhibere. Ita enim eſt, vt Hippocrates *ſ.2. aphor.*50. ait: Quæ ex longo tempore conſueta ſunt, etſi deteriora ſint, inſuetis tamen minùs moleſtare ſolent. Deinde quiſque pro ratione & conditione vitæ ſuæ ea obſeruabit, quæ ad tutelam ſuæ ſanitatis commodiſſima eſſe experitur.

CAPVT V.

Semeiotica generalis delineatur.

PRÆCEPTA.

Media artificialia, quibus curatur valetudo corporis humani ſunt partim ſigna, partim remedia. Ibi eſt Semeiotica: hîc Pharmaceutica.

Semeiotica eſt doctrina ſignorum medicorum.

Eſtque generalis, vel ſpecialis. Illa eſt huius loci: hæc diſtinctè pertinet ad Hygieinê & Therapeuticê.

Semeiotica generalis explicat communes diuiſiones ſignorum, & ipſorum loca.

Communes diuiſiones ſunt, quòd ſigna medica ſunt 1. ſalubria, inſalubria, vel neutra. 2. διαγνωστικά, προγνωστικά, vel ἀναμνηστικά. 3. ſigna tantùm, vel etiam cauſæ. 4. principalia, vel minùs principalia. 5. ſimplicia, vel coniuncta. 6. τεκμήρια, vel εἰκότα. 7. ſalutaria, vel lethalia. 8. bona, vel mala: & illa, optima vel valde bona, hæc, peſſima, vel valde mala. 9. communia, vel propria: ſeu, ſeparabilia, vel inſeparabilia.

Loca ſiue fontes ſignorum, vnde illa ſumuntur, ſunt pulſus, reſpiratio, res euacuatæ, id eſt, vrina, excremen-

crementum,sudor,sputum;& denique accidentia.

Pulsus est 1. à robore facultatis, vehemens, languidus,vel mediocris. 2. ab instrumento, id est, arteriâ,durus,mollis,vel mediocris. 3. à tempore motus,celer, tardus, vel mediocris. 4. à dimensione, magnus,paruus,vel mediocris. 5. à proportione seu rhythmo,æqualis, aut inæqualis.6.ab ordine, ordinatus vel inordinatus, & hic deficiens aut intermittens.

Respiratio est 1. à materiâ,calida,frigida,vel tepida.2.à motu,tarda,celeris,vel media.3.à quiete, frequens rara, vel mediocris. 4. a thoracis dilatatione vel contractione,magna,parua,vel media.

In vrinâ spectantur ista quatuor:color,consistentia seu hypostasis,quantitas & contenta.

In excrementis attenduntur itidem quatuor:consistentia,color,odor,& tempus.

In sudore spectantur quantitas & qualitas:in sputo, substantia,color,& modus.

Accidentia,vnde sumuntur signa,sunt varia:putà color faciei,oculorum, & aliarum partium; maculæ oculorum,digitorum,& alia id genus.

REGVLÆ.

Signorum diuisio apud Medicos.

I. *Signorum diuisio apud Medicos his illustratur regulis.*

1. *Σημειωτικὴ est ars signorum medicorum.* Est autem generalis, vel specialis. Semeiotica generalis est ars signorum medicorum in genere.Semeiotica specialis est ars signorum salubrium,insalubrium, vel neutrorum. Quæ diuisio sumitur à signato, quod per signa cognoscitur. Illud verò signatum est corporis constitutio,& quæ in eâ constitutione eueniunt.Constitutio autem triplex est:sana,ægra, & neutra. Proinde omnia signa aut salubria,aut insalubria,aut neutra erunt. *Salubria* autem, quæ sanam: *insalubria*, quæ morbidam:*neutra*, quæ mediam constitutionem corporisque conditionem ostendunt & manifestant. Deinde omnis corporis constitutio vel præsens est, vel futura,vel præterita.Quare signa omnia triplica erunt. διαγνωστικὰ, quibus præsentem constitutionem intelligimus: προγνωστικὰ,quibus futurum corporis statum, & ea quæ pòst futura sunt præcognoscimus: ἀναμνηστικὰ, quibus præterita, percipimus & commemoramus. Signorum *diagnosticorum & prognosticorũ* maximus planeque necessarius in Medecina vsus est: *commemoratiuorum* non item. 2. *Signa quædam tantùm signa sunt, quædam signa simul & causæ.* Hic itaque αἰτιολογικὴ, concurrit cum σημειωτικῇ. 3. *Signa principalia inprimis oportet obseruare.*Non itaque negligenda sunt signa minus principalia. 4.*Cùm plura signa concurrunt, σημειωτικὴ est certior.* Magno autem hîc opus est iudicio,vt ex illâ syndrome siue coniunctione signorum aliquid solidè concludamus.Non enim ex signis diuisis,sed coniunctis oportet elicere conclusionem. 5. *Signa necessaria,quæ vocantur τεκμήρια, conficiunt demonstrationem, quæ ab Aristotele appellatur τεκμηριώδης, ex signis necessariò concludens.* His opponuntur τὰ εἰκότα, quæ Galenus nomine generis appellat σημεῖα. Hæc signa sunt verisimilia: quæ probè discernere oportet à necessariis. Reliquæ diuisiones,in præceptis propositæ nihil habent difficultatis.

Sphygmice delineatur

II. *Sphygmice,id est,ars diuinandi ex pulsu,his præcipuè continetur regulis.*

1. *Medici potissimùm obseruant signa à pulsu & vrinâ.* Nam vitalis facultatis robur omnium optimè cognoscitur ex pulsatione arteriæ ad carpum;eâ enim parte cùm homo sit ex carnis pulsationis differentia melius cognoscitur;& ægri istâ partem faciliùs,quàm aliam quamuis,ferunt à Medico contrectari.Vrinam quod attinet,illa est secundæ concoctionis,quæ fit in hepate,excrementum,& ideo coctionis aut cruditatis quatuor humorum fidelis est nuntia. 2. *Ex vrinis petuntur certiora signa diagnostica;à pulsu certiora prognostica.*Illis morbi species,causa,& tempus dignoscitur:his præuidemus, sitne moriturus æger, an conualiturus.Rursus partium naturalium affectus,& quotquot sunt in genere venoso, ex vrinis veriùs deprehenduntur; vitalium verò,seu spiritalium partium affectus, arteriæ pulsatione. 3.*Pulsus non tantùm rebus contra naturã,vt morbo & symptomate,sed etiam rebus naturalibus & non-naturalibus mutatur: naturalibus, vt ætate, sexu,temperamento;non-naturalibus,vt anni constitutione,alimento,exercitatione, perturbationibus.* Viri enim velocior est pulsus quàm mulieris,iuuenil quàm senis, biliosi quàm pituitosi,æstate quàm hyeme.Exercitio quoque propter calorem auctum,pulsus velocior solito redditur: metu paruus efficitur tristitia languidus, iracundiâ velox. Item pulsus dormientis minor & tardior est quàm vigilantis. Propterea cùm primum æger à somno excitatur, pulsus à Medico obseruari nõ debet:quia tum pulsus ex paruo fit magnus,ex tardo velox. Hæc itaque omnia diligenter præcognoscẽda sunt prius,quam ex pulsu iudicium feras.*Vtriusque brachii arteria est attingenda.* Nonnunquã m.accidit,aut propter brachium constrictum, aut propter vulnus aliquando in arteria vnius brachij acceptum, vt pulsatio sit imperceptibilis. 5.*Vehemens pulsus fit à facultatis robore languidus est soboles facultatis imbecillæ.* 6. *Durus pulsus est à refrigeratione immodicâ:aut siccâ mollis indicat arteriæ humiditatẽ.*7.*Pulsus magnus,celer,& creber calorem magnum indicat:paruus,debilis,& tardus contrà.*8. *Æqualis pulsus est naturalis:inæqualis,graue malum indicat.*9.*Pulsus deficiens extremum facultatis casum significat: intermittens, que quiescit diutius,eò periculosior est.* Et ita quidem se habet Sphygmice generalis: specialem vide in Hygiemâ & Therapeuticâ.Vtramq; omnium accuratissimè post Galenum tradidit Struthius.

III. *Diuinatio Medicorum ex respiratione fit iuxta has regulas.*

1. *Respiratio est pulsui affinis.* Analoga siquidem est diastole inspirationi,systole expirationi. 2. *Respiratio est opus facultatis animalis;pulsatio, vitalis.* 3. *Interuallo vnius respirationis cor quinquies pulsat.*4. *Respiratio moderata* ostendit bonam temperiem: *frequens & parua* inflammationem,dolorem,& oppressionem partium spirabilium: *magna, quæque it longis interuallis,* delirium aut melancholiam:*frigida,itemque æstuosa & fumida,* valde est funesta: *foras parua,intro magna,* est morti vicina; *similiter foras magna,& intrò parua.*5.*Vt in omni morbo,præsertim acuto,liberè spirare,perpetuo bonum est,ita malè spirare,malum; eoque peius,quò difficilior est respiratio.* Ad summam:Respiratio æqualis,proportionata,& ordinata est bonum signum;in æqualis,improportionata,& inordinata secùs.

VI. *Vroscopia,seu Vromantia,est diuinatio artificialis ex vrina,iuxta has regulas.*

1.*Vt excrementa alui primam, ita vrina secundam concoctionem manifesto prodit.*Propterea affectus hepatis, venarum, renum,& vesicæ facillimo negotio ex rationali & artificiali vrinæ inspectione cognoscuntur.2.*In vrina,vitro exceptâ,tres regiones oportet distinguere,summam,mediam, & imam.* Imâ primæ;mediâ,mediæ,summa tertiæ regionis affectus potissimùm declarantur. 3. *In vrina considerantur color, consistentia, odor, quantitas,& contenta. Coloris* differentiæ sunt sex:albus, pallidus,rufus,flauus,ruber,niger. Quorum mutatio contingit multis modis:nempe à cibo,potu,sexu,ætate,somno & vigiliâ, exercitio & quiete.*Consistentia*,seu hypostasis,est crassa, mediocris,tenuis.*Odor.* est suauis vel grauis. Ex *quantitate* vrina est multa vel pauca. *Contenta* sunt superiora, vt corona & bullæ: media,vt corpuscula sparsa in vrina:vel inferiora,vt sedimẽta. 4. *Vrina sanorum constituenda est,quæ sit cæterarum regula.* Quæ illi similiores erunt,meliores;quæ dissimiliores, deteriores iudicantur.Ea verò debet habere mediocrem cõsistentiã,& citrinum colorem.Quod itaque Plutarchus præcipiebat de pulsu,de vrinâ quoque dici potest,vt quisque dum sanus est,suam vrinã diligenter inspiciat,ex quâ facilius cognoscat,si quando ægrotet, quantum ab illius mediocritate recesserit.5. *Vrina debet respondere,proportione certâ,ætati,temperamento, sexui, & victus rationi.*Nam pueri & senis vrina variat;& huius,propter naturæ & caloris imbecillitatem,vrina est cruda,tenuis,& alba: biliosi coloratior est vrina quàm pituitosi, viri quàm mulieris: pituitosi verò crassior est quàm biliosi, mulieris quam viri, pueri quam iuuenis. 6. *Vrina alba* cruditatis est nuntia, & facultatis concoctricis imbecillitatem indicat:*pallida*,mancam adhuc concoctionem, sed minus tamen quàm alba, significat: *rufa & flaua*,perfectam concoctionem & corporis totius sanitatem pollicetur: *rubra*,notat calidam iecoris intemperiem, iram & ebullitionem sanguinis:*nigra*,indicat sanguinem assari, & in flauam vel nigram bilem transmutari. 7.*Vrina crassa* ostẽdit excessum humoris in ventriculo,intestinis, & iecore:*tenuis* innati caloris imbecillitatem,frigiditatem dominantem, & iecoris, renum, & vasorum vrinariorum obstructionem indicat: *mediocris*,arguit eucrasiam corporis. 8.*Vrina copiosa,seu multa,* indicat vsum ciborum liquidorum, ingurgitationem potûs, otium &c.*parua*,indicat cibos licciores,potûs paucitatem,exercitium,& similia.9.*Vrina fœtida*,cruditatis insignis aut putredinis est index. 10.*Si vrina sedimentum habeat suspensum,* arguit infirmam naturam;*nubes* adhuc magis debilem.Si materia sedimenti subsistat in medio, est argumentum caloris impotentis; impotentioris, si in sublimi. Semper enim contenta inferiora meliora sunt sublimioribus.11.*Crassamentum siue sordes, quæ lotio permiscentur,morbum produnt.*Ita v.g.carunculæ docent renés exulceratos :subsidentes arenæ subesse calculum indicant; si albæ,in vesica:si rubræ,in renibus.

V. *Scatomantia,*

Scatomantia delineatu.

V. Scatomantia, id est, diuinatio ex fæcibus, ita se habet.

1. *In alui proluuie, quemadmodum in vrina, considerari debent substantia, quantitas & qualitas. Substantia:* sitne mollis an dura, liquida an sicca. *Quantitas:* sitne multa an pauca. *Qualitas:* sitne alba, nigra, flaua: item an suaue oleat vel graue: denique an sit alienis rebus, vt flatibus & vermibus, permista. 2. *Laudabile aluı excrementum debet esse molle, vt mel compactum, & cohærens, subrufum, assumptis alimentis proportione respondens.* Id quod habet consistentiam duram, vel liquidam, vel alieno colore, albo, viridi, rubro, tinctum est, quod paucum vel multum, quod habet partes distractas, miniméque cohærentes, est contra naturam. 3. *Deiectiones nigræ*, in morbi principio semper sunt malæ; in statu, possunt esse criticæ: *atrabilariæ*, quæ splendent vti pix, semper sunt funestæ: *versicolores*, varios affectus multosque prauos humores indicant: *insigniter putidæ*, cruditatem & insignem putredinem arguunt: *liquidæ & aquosæ*, præsertim in morbis acutis, malæ: *spumosæ*, similiter. 4. *Periculosum est, si aluus fluat citra sensum & voluntatem ægri.* Hoc enim prostratas vires arguit.

Hidromantia delineatur.

VI. Hidromantia, id est, diuinatio ex sudoribus, est eiusmodi.

1. *Vt stercus primæ, lotium secundæ, ita sudor tertiæ concoctionis est excrementum.* Proinde vt stercus affectus primæ regionis certò indicat, vrina secundæ, ita sudor tertiæ. 2. *Sudor distinguitur à substantia*, in tenuem & crassum, viscidum & friabilem: à *quantitate*, in multum & paucum: à *qualitate*, in frigidum & calidum, salsum & dulcem, denique flauum, rubrum, & viridem. 3. *Sudor naturalis debet esse calidus, itemque rufus* à bile nempe, quæ sola ex quatuor humoribus in sudores resoluitur. 4. *Colores in sudore distinguuntur lintei detersorij tinctura.* 5. *Sudor generalis* est, qui de toto corpore erumpit; *particularis*, qui ex vnâ parte. 6. *Sudor est criticus, vel symptomaticus.* Quas duas differentias Medicus in primis debet attendere. *Criticus* debet esse generalis, calidus, copiosus. *Symptomaticus* dicitur, qui contingit magnitudine morbi, aut morbificæ causæ, nullis præcedentibus signis coctionis: qualis solet esse particularis, paucus, frigidus. 7. *Sudor tenuis* fit ex sero tenuiore & crudiore: *crassus*, coctione, aut humoris sicci permistione: *viscidus*, colliquatione, aut ab humore viscido: *friabilis*, humorum assatione & incineratione: *multus* fit multo potu, copiosiore sero, aut à calore humido, qui solus humores in sudorem resoluit. Hinc naturâ calidi humidi, vt sanguinei, pueri, & adolescentes plurimùm & frequenter sudant: graciles verò, sicci, & senes, non sudant. Adiuuat plurimùm laxitas cutis: nam qui sunt siccâ, durâ, & adstrictâ cute, raro minimùmque sudant. 8. *Sudor calidus fit calidi, frigidus frigidi humoris permistione.* Calidus etiam est à calore febrili; frigidus à natiui caloris extinctione. 9 *Sudor diaphoreticus & gelidus est mortis prænuntius* Vterq; veriùs ἱδρώσις, quàm ἱδρὼς à Medicis nuncupatur. 10. *Graue olet sudor propter humorum putredinem.* 11. *Frigidus sudor in acuta febre, est index mortis: in mitiore, longioris morbi.* 12. *Copiosus sudor, qui ægrum non leuat, in malis habendus est:* quia vires exoluit. 13. *Bonus est sudor, qui toto corpore prodit.* Et de hoc pronuntiat Crollius: Per sudorem tertia morbi pars eiicitur. 14. *Pessimus est sudor, qui est frigidus, & circa caput tantùm, vel circa faciem, aut ceruicem.* Sed finis sit hidromantiæ. *De sputo* breuiter obserua in eo attendi *substantiam*, vt illa sit media inter crassam & tenuem: *colorem*, vt is sit secundùm naturam, albus nempe: denique *modum*, vt facilè excernatur.

CAPVT VI.

Pharmaceutica delineatur.

PRÆCEPTA.

PHARMACEVTICA est doctrina de medicamentis.

Medicamentum est, quod initium à calore nostro accipiens, corpus humanum immutat, sed neque nutrit, neque corrumpit.

Eius consideratio est communis, vel propria.

Consideratio communis est quantum ad facultatem, præparationem, & quantitatem.

Facultas medicamenti est qualitas, essentiam medicamenti consequens, & corpus nostrum alterans.

In ea spectatur diuisio, affectio, & cognitio.

Diuisio est, quòd facultas est prima, secunda, tertia, vel quarta.

Facultas prima est, quæ immediatè sequitur mixtionem elementorum.

Eaque caliditas & frigiditas, siccitas humiditas seu, vis calefaciendi, frigefaciendi, exsiccandi, & humectandi.

Facultas secunda est, quæ à prima promanat, & actionem primæ consequitur: vt vis rarefaciendi, aperiendi &c.

Facultas tertia est, quæ oritur ex consociatione primæ & secundæ qualitatis: vt vis maturandi, glutinandi &c.

Facultas quarta est, quæ immediatè à totâ substantiâ oritur.

Affectio est, quòd his facultatibus accidit intensio, & relatio ad substantiam medicamenti.

Intensio est, quòd singulæ qualitates admittant quaternos gradus, & singuli gradus ternas mansiones.

Gradus est recessus à temperato. Estque primus, secundus, tertius, & quartus.

Primus gradus est primus recessus à temperato, vbi obscurè, aut non nimis manifestè medicamentum alterat corpus temperatum.

Secundus gradus est secundus recessus, quando medicamentum manifestè quidem, sed citra noxam agit.

Tertius gradus est tertius recessus, quando medicamentum vehementer, non citra noxam aliquam corpus temperatum immutat.

Quartus gradus est quartus recessus quando medicamentum vehementissimè, & grauissimâ cum noxâ corpus alterat vel corrumpit.

Mansio est latitudo gradus; eáque prima, secunda, tertia.

Illa dicitur principium; ista medium; hæc finis.

Relatio ad substantiam medicamenti est, quòd medicamenta sunt substantiæ tenuis, crassæ, vel mediocris.

Cognitio facultatis, seu modus indagandi & explorandi vim alicuius medicamenti, fit per ratiocinationem & experientiam.

Ratiocinatio est, quæ sumitur ex primarum qualitatum manifestis effectibus, itemque ex loco, regione, & tempore.

Experientia, cùm singulorum medicamentorum vires ab exacto experimento inueniuntur.

Præparatio medicamenti est infusio, elixatio, assatio, vstio, calcinatio, liquatio &c.

Quantitas medicamenti appellatur dosis; quam metimur manipulis, pugillis, granis, scrupulis, dracgmis, vnciis, semunciis, sescuntiis, libris, selibris.

Consideratio propria medicamenti est ipsius diuisio in simplex & compositum.

Medicamentum simplex est quod suâ naturâ tale, ab arte nihil alieni permixtum habet.

Id sumitur ex minerabilibus, vegetabilibus, & animalibus.

Medicamentum compositum est, quod suâ naturâ sincerum non est, sed arte ex diuersis commixtum.

Hic occurrunt compositionis causa & modus, & medicamentorum compositorum diuisio.

Causa compositionis est triplex: putà morborum diuersitas, natura ægri partisque affectæ, & medicamenti simplicis defectus.

Modus compositionis requirit certam proportionem ingredientium, & aptam singulorum præparationem.

Diuisio medicamentorum compositorum est multiplex.

I. *Ratione formæ* composita sunt solida, liquida, vel mediocria.

Solida ſunt,quæ ſunt ſicca,vt puluercs; vel dura, aut craſſa,vt paſtilli,catapotia, clectuaria ſolida,emplaſtra,glandes &c.

Liquida ſunt,quæ humidam fluxilemque ſubſtantiam habent: vt aquæ deſtillatæ,decocta,infuſa,ſyrupi,olea &c.

Mediocria ſunt, quæ medio modo ſe habent: & aliàs dicuntur medicamenta mediæ conſiſtentiæ: vti ſunt eclegmata, electuaria mollia,quæ communiter opiata dicuntur,linimenta &c.

II. Ratione vſus ſunt interna,vel externa.

Medicamenta compoſita interna ſunt, quæ intra corpus aſſumuntur. Eorum alia deuorantur, alia iniiciuntur.*Deuorantur* tragemata,trochiſci ſiue paſtilli, catapotia, boli, condita ſimplicia & compoſita, eclegmata, electuaria liquida, & ſolida, nimirum confectiones aromaticæ, catharticæ, opiatæ, antipharmacæ,antidoti, ſub quibus omnibus continentur tabulæ, pantalea, paſtæ, morſelli, orbiculi: item apozemata diluta, potiones, ſyrupi, iulepi, emulſiones,ſucci,ſapæ &c. *Iniiciuntur*, ſiue ingeruntur, clyſteres, gargariſmi, errhina, apophlegmatiſmi, glandes ſiue ſuppoſitaria peſſi, & ſimilia; quorum nonnulla magis ſunt facultatum, quàm formarum nomina.

Externa ſunt, quæ extrinſecùs corpori admouentur: vt olea, vnguenta, linimenta, cerata, emplaſtra, cataplaſmata ſiue malagmata, fomenta ſicca & humida, inceſſus, balnea, epithemata, embroche, ſacculi, pulueres inſpergendi, ſapones, ſuffitus &c. Verùm ex his omnibus nonnulla ſunt,quæ & apponuntur, & iniiciuntur, vt olea, decocta, emulſiones,& ſimilia.

III. Ab effectibus compoſita ſunt purgantia,diuretica,narcotica, lætificantia &c.

IV. A parte affectâ,cui deſtinantur,compoſita ſunt cephalica,cardiaca,carrhina, collyria, ὠτέγχυτα, arthetica,ſtomachica &c,

V. A baſi: vt theriacha, à theriis ſiue viperis; dialacca,à laccâ &c.

VI. Ab ingredientibus: vt electuarium diaphœniconis à dactylis.

VII. A præſtantiâ: vt hiera, benedicta laxatiua,luoch ſanum &c.

VIII. Ab inuentore: Mithridatium; Philonium,confectio Hamech.

IX. A loco: vt ſyrupus Byzantinus.

X. A calore: vt emplaſtrum citrinum, vnguentum album,&c.

REGVLÆ.

Medicamēta,alimenta,& venena qui differant,

I. *Medicamentum agit vi formæ ſuæ ſubſtantialis, ſed mediante facultate ſeu qualitate ſuâ.*

Medicamenta ſunt, quæ inſitâ vi corpus humanum à ſtatu non-naturali immutant,ſeu illud alterant. *Alimenta* ſunt, quæ à corpore noſtro alterantur, & in ſubſtantiam corporis conuertuntur, ſeu perfectè ei aſſimilantur. *Venena* ſunt, quæ non ſolum corpus alterant à ſtatu naturali, ſed etiam ſubſtantiam eius corrumpunt, & colorem natiuum euertunt. Quare à naturâ nutrimentorum plurimùm diſcrepant venena; & inter alimenta & venena media quadammodo ſunt medicamenta. Porrò alimenta ſunt aut alimenta tantùm, quæ nullâ manifeſtâ qualitate corpus alterant: aut alimenta medicamentoſa, quæ corpus alterant, & aliàs dicuntur medicamenta alimentoſa.

Medicamēta vt agat,

II. *Medicamentum agit vi formæ ſuæ ſubſtantialis, ſed mediante facultate ſeu qualitate ſuâ.*

Omnia inſtrumenta, quibus ars medica vtitur,ſiue ad curandam, ſiue ad ſanitatem humani corporis conſeruandam, ſub triplici genere comprehenduntur,diætâ, medicamento, & chirurgiâ. Diæta pendet ab alimentis; quibus hoc eſt commune cum medicamentis quòd efficacia agendi qualitati, vt cauſæ proximæ; formæ,vt cauſæ remotæ debetur. Hinc in quolibet alimento & medicamento tot facultates ſunt,quod aduerſæ actionum cauſæ:cùm facultas ſit cauſa proxima actionum. Inſunt autem qualitates,quibus agunt alimenta & medicamenta, vel actu,vel potentiâ. *Actu*; quando id ipſum quod eſſe dicuntur, nunc ſunt: vt aqua eſt frigida.*Potentiâ*; quando id ipſum, quod eſſe dicuntur,nondum ſunt, ſed poſſunt euadere,ſi exhibeantur vel admoueantur corpori noſtro, leuiter immutata, â corporis calore: ita piper dicitur calidum,lactuca frigida, licet actu talia non ſint.

Differ. facult. in medicamentis

III. *Ex effectibus medicamentorum, quatuor ipſorum facultates deprehenduntur.*

Cum facultates medicamentorum ſint proximæ omnium actionum cauſæ, ex effectibus meritò intelliguntur & diſtinguuntur. Ex effectibus autem quatuor facultates medicamentorum deprehenduntur, quarum aliæ temperamentum, aliæ formam ſubſtantialem conſequuntur. Illæ dicuntur facultates ſiue qualitates manifeſtæ, quia operationum cauſæ euidentes ſunt: hæ,occultæ,quia fluunt à totâ ſubſtantiâ. Priores illæ ex effectuum ordine & differentiâ, vt à temperamento promanant,triplices eſſe deprehenduntur:nimirum primæ, ſecundæ, & tertiæ.

Medic... ment... perat... tempe...

IV. *Medicamenta ſunt temperata,vel intemperata.*

Medicamenta cum ſint compoſita ex calido, frigido, humido,& ſicco;iiſque vel æqualiter contemperatis, ita vt vna qualitas alteram non excedat,vel inæqualiter temperatis, vbi vna aut duæ cæteras vincunt; cum, inquàm, medicamenta ita ſe habeant, rectè alia dicuntur eſſe temperata, alia intemperata. *Temperata* ſunt, quæ aſſumpta vel admota corpori humano temperato calorem aut naturalem eius humiditatem nec augent, nec minuunt, ac proinde quantum ad ſenſum ſimilibus qualitatibus prædita ſunt. Verùm alia temperata dicuntur in omnibus qualitatibus,vt oleum,cera: alia in caliditate & frigitate temperata ſunt,quæ manifeſtè humectant,vt glycyrrhiza; vel éxſiccant,vt maſtiche:alia contrà in ſiccitate & humiditate ſunt temperata,quæ calefaciunt,vt ſemen lini, vel refrigerant, vt ſemperuiuum. *Intemperata medicamenta* ſunt, quæ aſſumta aut admota corpori humano temperato, calorem aut humiditatem eius augent vel minuunt.Quod autem auget caliditatem corporis temperati; calidum; quod minuit, frigidum; quod auget humiditatem, humidum; quod minuit, medicamentum ſiccum vocatur. Proinde medicamentum intemperatum erit quadruplex, & *quatuor facultates primæ*, quæ aſſimilantur virtutibus elementorum, & mixtionem conſequuntur: ſcil. caliditas, frigiditas, humiditas, ſiccitas. Hic prima debetur actio.

Facu... prim...

Facu... ſecu...

V. *Secundæ qualitates, ſiue facultates, dicuntur, quæ â primis promanant, & actiones primarum conſequuntur.*

Eæ ſimiliter ex effectibus ſuis numerantur,& præcipuè ſunt hæ emolliens,indurans; intendens,relaxans; rarefaciens,condenſans; incraſſans,attenuans; incidens reddens viſcidum; attrahens, repellens; vaſa aperiens,& occludens, ſiue adſtringens; obſtructiones tollens & infarciens; detergens,& oblinens; agglutinans, exulcerans; exaſperans, leuigans; euacuans,replens;dolorem leniens & irritans; flatûs diſcutiens, & generans; maturans ſiue concoquens, & putrefaciens &c. Et ita quidem ex effectibus ſuis numerantur. Aliâs in duas claſſes diſtinguuntur. *In prima claſſe* ſunt, quæ afficiunt totum corpus: vt χρηστὸν, ἄχρηστον: τηκτὸν, ἄτηκτον &c. *In ſecunda claſſe* ſunt color,odor,ſapor,durities,mollities &c.

Facu... terti.

VI. *Tertiæ facultates determinatum membrum, aut materiam reſpiciunt.*

Hæ aliis dicuntur qualitates & facultates particulares; & mediæ quodammodo naturæ videntur inter facultates ſecundas & quartas à tota ſubſtantia, Fernelius tamen,aliique plures, tres tantùm medicamentorum facultates conſtituunt, & has vel ad ſecundas, vel ad quartas referunt. Verùm quia ſi modum agendi reſpicias, euidentibus qualitatibus adnumerari poſſunt; ſi materiam in quam agunt,magis occultis meritò ab vtriuſque diſtinguuntur,& appellantur mediæ qualitates ſiue facultates. Eiuſmodi facultates ſunt duplices. *Alia* enim reſpiciunt contenta: vt ſunt facultates excitantes aut comprimentes lac vel ſemen,mouentes vrinam vel menſes &c, *alia* reſpiciunt partes continentes,vnde medicamenta dicuntur cephalica,cardiaca,hepatica; ſplenetica,bechica &c.

VII. Quar

VII. *Quartæ facultates agunt occultâ ratione, vel per motum localem, vel per tranſmutationem ſiue alterationem aliquam.*

Quartæ medicamentorum facultates non promanant à temperamento, vt primæ; neque à materiâ perfusâ primis qualitatibus, vt ſecundæ & tertiæ: ſed immediatè à totâ ſubſtantiâ & formâ ſubſtantiali. Agunt hæ non euidenti modo, vt ſuperiores, ſed occultâ ratione, extrinſecùs vel intrinſecùs, in bonum aut in malum, vel per motum aliquem localem, vel per tranſmutationem. *Per motum localem* tripliciter: *vel* retinendo reprimendóque ea quæ præter naturam mouentur, vt ætites brachio alligatus conceptum retinet, fimus porcinus ſanguinem ſiſtit: *vel* expellendo, vt lapis bezoar venenum expellit: *vel* attrahendo, vt ſcorpius, vipera, mus ſuis propriis venenis ſuccurrunt. *Per tranſmutationem*, ſiue alterationem, agunt, quæ certas humani corporis partes reſpiciunt, eáſque totius ſubſtantiæ ſimilitudine vel iuuant, vel lædunt. Ita ſaluia capiti, pulmo vulpis pulmonibus, ſmaragdus & os de corde cerui cordi, &c. conferunt. Proinde ſub hoc genere comprehenduntur omnia cephalica, cardiaca, ſtomachica, &c. item quæ certis morbis conueniunt, vt pœonia, viſcus quercinus, cranium hominis epilepſiæ, ſtercus canis, anginæ; cinis leporis, calculo; cerebrum leporis, tremori. Verùm totius ſubſtantiæ contrarietate, ſiue ἀντιπαθεία, cantharides, veſicam, lepus marinus pulmones exulcerat, argentum viuum dentibus & neruis eſt infenſum.

VIII. *Gradus eorúmque manſiones omnibus quidem medicamentorum facultatibus competunt, præcipuè tamen ſecundis & tertiis.*

Nam omnium calidorum, frigidorum, humidorum, & ſiccorum, non eſt vna vis, aut æquè valida facultas, ſed alia magis, alia minùs non alterant. Proinde ex receſſu à temperato, *quattuor gradus*, ſiue ordines, ſingulos, medicamentorum facultatibus medici aſſignarunt: prout illi paulò antè fuerunt definiti. Verùm cùm in ſingulis gradibus intenſio & remiſſio fit, & ſatis magna latitudo: cùm omnia primo aut ſecundo, &c. gradu calida aut frigida, non æquè nos calefaciant aut refrigerent: igitur medici eam latitudinem in *tres manſiones*, ſiue partes, diuiſerunt: ſcil. in principium, medium, & finem. Nam quæ in cuiuſque gradus principio ſunt, remiſſiùs; quæ in medio, vehementiùs, quæ in fine, vehementiſſimè agunt. Et hi quidem gradus, eorúmque manſiones, conſiderantur quidem in cæteris quoque medicamentorum facultatibus: verùm euidentiſſimè in primis deprehenduntur, quæ ſunt cauſa ſecundarum & tertiarum: licet in calidis & frigidis magis accuratè, quàm in ſiccis, & in his omnibus magis, quàm in humidis.

IX. *Modus ſubſtantiæ medicamenti triplex eſt.*

Nam medicamenta alia dicuntur tenuis eſſentiæ, aut ſubſtantiæ, alia craſſæ, alia mediocris. *Tenuis ſubſtantiæ* ſunt, quæ celeriter in partes tenues ſoluunt, ſiue promptè faciléque in corpus noſtrum & humores ſeſe inſerunt & inſinuant. *Craſſæ* verò contrà, quæ ſubſtantiam corporis aut humorum non penetrant, ſed hærent & ſubſiſtunt. *Mediocris*, quæ medio modo ſe habent.

IX. *Certiſſimus modus indagandi & explorandi vires medicamentorum eſt, qui ſumitur ex ſaporibus: idque per ratiocinationem, vel experientiam.*

Cognitio de medicamentorrum viribus, per ratiocinationem, oritur ex primarum qualitatum manifeſtis effectibus, vti ſunt congelatio, condenſatio, reſolutio, emollitio, combuſtibile & incombuſtibile, durabile & indurabile, color, odor, ſonus, ſapor, durities, mollities, &c. His Auerroës addit conſiderationem loci, regionis, temporis, & naturalium operationum. Ex his omnibus ſumitur aliqua coniectura de temperamento medicamenti: & ex pleriſque incerta & dubia, præterquam ex ſapore. *Sapor* enim eſt qualitas orta ex ſicco terreo, diluto aqueo humore, actione caloris in mixto, determinante formâ ſubſtantiali. Proinde diſtinguuntur ſapores pro variâ mixtione humidi cum ſicco, per diuerſam actionem caloris. Vnde alij calidi, vt acris, amarus, ſalſus: alij frigidi, vt acidus, acerbus, auſterus: alij temperati, vt pinguis, inſipidus, dulcis. Deinde ex tribus, tam calidis quàm frigidis & temperatis, prior ſemper tenuioris ſubſtantiæ eſt: ſecundus, eius reſpectu, tenuioris; tertius, vtriuſque comparatione, tantùm mediocris: ita acris ſapor tenuis ſubſtantiæ eſt, amarus terrenæ & craſſæ, ſalſus mediocris. Itaque tutiſſimum eſt, vt medicus vires medicamentorum ex ſaporibus indaget: verùm ita, vt ante omnia naturalem saporem cuiuſque medicamenti ab aſcititio diſtinguat, itémque ſimplicem à compoſito. *Cognitio de medicamentorum viribus, per experientiam* oritur ex manifeſtis medicamentorum effectibus. In effectu autem producendo tria conſiderantur. 1. *Efficiens*, i.e. medicamentum, quod explorare debemus. 2. *Subiectum corpus*, ſiue patiens, in quo exploramus. 3. *Modus tempúſque agendi*. Quod attinet ad medicamentum, quod explorare debemus, illud omni qualitate aliena, ſeu aſcititia, aut accidentariâ, liberum eſſe debet, & ſuâ tantùm facultate agere. Subiectum corpus eſt humanum, vel alicuius beſtiæ: Nam quam vim in homine, eandem in alio animali non neceſſariò ſortitur, licèt in beſtiis interdum exprimentum fiat. Et corpus humanum, à quo præcipuum iudicandæ facultatis experimentum ſumitur, eſt ſanum vel ægrum: & ſanum, aliud temperamentum, aliud intemperatum: ægrum, aliud ſimplici, aliud compoſitâ temperie laborat. Tandem in explorandis viribus medicamentorum obſeruandus eſt modus tempúſque agendi. Non enim omnia vno eodémque modo ſemper agunt, ſed nonnulla aliter initio, quando applicantur, deinde aliter, poſtquam applicata ſunt: nonnulla verò inde à principio ad finem vno eodémque modo ſemper agunt, id eſt, calefaciunt, refrigerant, &c.

X. *Præparatio medicamenti duo requirit.* Præparatio medicamenti.

Et *primò* quidem oportet diſtinguere inter medicamenta ſimplicia & compoſita. Nam præparatio ſimplicium alia eſt tantùm ſine mixtione, alia in mixtione, ſeu propter mixtionem. Vtraque præſupponit omnium ſimplicium, quæ præparanda ſunt, exactam cognitionem, item effectuum, omniúmque operationum naturalium. Verùm præter hæc præparatio compoſitorum exigit, vt non ſolùm proportionem omnium facultatum & effectuum cognoſcamus, ſed etiam, ſi fieri queat, omnes mixturarum rationes; quid, quantum, & quale oriatur, ſi hoc cum illo coniungatur; itémque fermentationum vires. *Deinde* modi præparationum ſunt varij: ex quibus alij ſunt communes & vſitati, alij chymici. *Illi* certo numero definiti non ſunt, verùm præcipui exiſtimantur infuſio ſiue maceratio, elixatio, aſſatio, vſtio, calcinatio, liquatio, diſſolutio, tritura ſiue pulueriſatio, & leuigatio. Adduntur his expreſſio, percolatio, deſpumatio, putrefactio, extractio, humectatio, exſiccatio, ſectio &c. *Chymicæ* præparationes magis efficaces ſunt, magiſque laborioſæ & ingenioſæ, vt ſunt verba *Duncani lib.4. de therapeuticâ c.11.* De huiuſmodi præparationibus vide infrà Pharmacopoëticam.

XI. *Doſis, ſiue quantitas, cuiuſque medicamenti, in humano corpore mediæ ætatis & conſtitutionis, ex facultatis ipſius ordine ſiue vehementia deprehenditur.* Doſis medicamentorum.

Quæ enim pari ordine ſunt, eâdémque vehementiâ agunt, pari menſurâ, ſiue doſi, ſtatuuntur: quæ diſpari modo agunt, diſpari doſi. Verùm in alterantibus potiſſimùm, pro magnitudine ſitúque partis affectæ, doſis augenda minuendáque erit. Simplicia medicamenta, vbi per ſe ſatisfaciunt operibus efficiendis, nullum peculiare artificium requirunt. Verùm quia per ſe plerumque minùs idonea ſunt, vt id præſtent, quod intentio medica requirit, ars aliqua φαρμακοποιητικὴ neceſſaria videtur: quæ vel in debitâ præparatione, vel in legitima ſimplicium compoſitione, vel in vtrâque conſiſtat: vt ait *Duncanus lib.4. de therapeuticâ c. 8.* Hanc artem infrà delineatam à nobis vide. De doſibus vide paulò poſt Rulandum.

XII. *Medicamenta ſimplicia ſumuntur ex mineralibus, vegetabilibus, & animalibus.* Medicamenta ſimplicia vnde ſumantur.

Sub mineralibus continentur hoc loco non ſolùm foſſilia, ſed etiam aquæ thermales, & omnia mixta inanimata, contenta terrâ & aquis. *Sub vegetabilibus* continentur omnes ſtirpes, ſiue plantæ, nimirum gerbæ, ſuffrutices, frutices, arbores; eorúmque partes, vt ſunt radices, rami, ligna, cortices, ſtipites, ſurculi, folia, flores, ſemina, fructus, ſucci, liquores, gummi, reſinæ, olea &c. *Sub animalibus continentur* animalia tota, vt lumbrici, cantarides, cancri, hirundines &c. illorúmque partes & excrementa, veluti pinguedines, adipes, medullæ, oſſa humana, coagulum, cor, & cerebrum leporis; caro & lapides cancrorum, cornu & ſanguis cerui, tunicæ ventriculorum gallinæ, lac, oua, mel, cera, fel, vrina, ſtercus caprinum &c. De his apud *Iacobum Syluium* eſt eiuſmodi tabella.

Medicamenta ſumuntur ex

1. Plantis, & harum partibus ſimilaribus, & diſſimilaribus	Radice	Surculis	Corticibus
	Floribus	Foliis	Succis
	Stipite	Fructibus	Liquoribus
	Ramis	Seminibus	Reſinis Gummis.
2. Animalibus totis	Vulpe	Limacibus	Oſtreis
	Hirundine	Cicadis	Buccinis
	Motacillâ	Cantharidibus	Purpuris
	Galeritâ	Cancris	Lumbricis, Tineâ.

Organicis,

3 E partibus animalibus
- Organicis, vt Capite Mænidum, Hepate Lupi, Testibus Fibri, Renibus Stincorum, Corpore toto Viperæ, exceptâ caudâ, & capite, pelle, interaneis.
- Similaribus, vt Pinguedine, Adipe, Cerebro Leporis, Medullâ, Osse, Dente, Coagulo, Lacte, & eius partibus, Sanguine, Tunicâ internâ ventriculi, Vnguibus caprarum, asinorum, Cornu cerui, Vnicornis, Glutino Tauri, Senectâ Serpentis.

4. Animalium excrementis.
- Stercore Canum —— Bubulo, Caprino, Columbino
- Felle Luporum,
- Vrina Puerorum.
- Sorde, Pilis Sudore Saliuâ Lanâ Succidâ,

5. Ceu excrementis, vt Ouis, Cerâ, Lacte.

6. Terreis compositibus
- *Marinis*, vt Salibus & eius partibus, Adarce, Spongiâ, Alcyonio, Nitro, Asphalto.
- *Terrâ multiplici.*
- *Lapidibus*: vt pumice, Iaspide, Iudaico, Smaragdo, Pyrite, Saphyro, Gagate, Hæmatite.
- *Metallicis*; vt Salibus, Nitris fossitiis, Auripigmento, Sandrachâ, Sulphure, Cadmiâ, Litargyro, Chalciti, Auro, Argento, &c. & horum partibus.

Horum omnium singulorúmque vires, vitiúmq; gradus, quantum fieri queat, medico cognoscendæ sunt & obseruandæ: obseruatis iis, quæ simplicium vires augent minuúntque; qualia sunt regio, tellus, cultura, & situs loci vbi proueniunt, item tempus collectionis, & ætas, tandem præparatio. Nam locus & regio calida, sicca, calidiora, acrioráque semper producit. Deinde plantæ plantarúmque partes meliores tum putantur, cùm succo maturo probéque concocto turgentes sunt. Verùm alio tempore ipsæ plantæ, alio flores, alio semina perfecta sunt. Et alia ratio in plantis adhuc virentibus, alia in siccis aridísque est. Præterea plurimùm potest præparatio medicamenti.

Causæ cōponendo ū medicamentorum.

XIII. *Tres sunt causæ compositionis medicamentorum: putà morborum, itémque causarum & symptomatum diuersitas; ipsa pars affecta ægrique natura & constitutio, deniquè medicamenti simplicis defectus.*

Medicamentuntum componere, est plura simplicia in vnam aliquam formam reducere, gratiâ sanitatis restituendæ aut conseruandæ, nimirum vt instrumenta idonea habeamus, ad id præstandum, quod indicatio requirit. Omnium autem maximè necessaria componendi causa est *morborum diuersitas*, item causarum & symptomatum vrgentium. Nam quilibet affectus pro suâ naturâ remedium indicat. simplex affectus, remedium simplex, simplici facultate præditum: compositus affectus, remedium compositum, aut naturâ, aut arte tale. Complicantur primùm morbi, qui diuersa, aut contraria exigunt remedia, *vel* in vnâ parte, vt vlcus cum inflammatione, obstructio iecoris cum intemperie calidâ: *vel* in diuersis, vt hydrops cum febre, calida iecoris affectio cum calculo. Deinde aliud interdum morbus indicat, aliud morbi causa: vt febris & à pituicâ putrescente, & ab obstructione visceris. Similiter aliud morbus, aliud symptoma vrgens, vt inflammatio in principio cum vehemente dolore. Præterea, quæ à diuersis, aut contrariis, oriuntur causis, diuersa, aut contraria, exigunt remedia. Cùm igitur natura non progignat simplicia, quæ omnibus his indicationibus satisfaciant, & sigillatim vnumquemque affectum, affectúsque causam, depellant: necesse erit medico, ex pluribus diuersâ, aut contrariâ, facultate præditis, idoneum medicamentum componere. *Secundò* ipsa pars affecta, ægrique natura & constitutio componendorum medicamentorum occasionem præbent. Considerantur verò *in parte affectâ* quinque 1. dignitas, actionisque necessitas. 2. situs, connexióque. 3. temperamentum. 4. conformatio. 5. sensus. Nam *primùm* ventriculo, iecore, aut alia principe parte laborante, nunquam vti oportet solis relaxantibus, ne robur visceris dissoluatur: sed adstringentia miscenda sunt, aut quæ facultate substantiæ corroborant. Robur enim partis principis semper tuendum est similibus appropriatis, licet affectus contraria exigat. *Deinde* vis medicamenti ad partem in profundo, aut remoto loco sitam, non facilè deducitur, nisi admixto aliquo, quod tenuitate, aut peculiari proprietate eò penetret, aut quasi vehiculum sit: alioqui in magno itinere, magnóque interuallo, de virtutis robore multum perit. Ita frangentibus calculum, permiscent, canthárides; medicamentis cardiacis buglossum, crocum; cephalicis, betonicam &c. Sub situ continetur connexio partis cum aliis. Ita ad consensum ventriculi cum corde, aut cerebro, à validè refrigerantibus temperamus, & medicamentis stomachicis admiscemus, quæ peculiari proprietate illas partes respiciunt. *Præterea* cum actione partis concurrit temperamentum à quo primùm actio. Temperamentum autem conseruatione semper indiget. Igitur vbi cum temperamento morbus pugnat, vt si cerebrum erysipelate laboret, non solùm vehementioribus indiget, sed etiam quæ partis temperamentum, & robur tuentur, & conseruant, præcipuè si pars princeps sit. Eadem ratio est, vbi curatio temperamento contraria est: veluti si iecur obstructione laboret, quia substantiæ porosæ est, & dissolutioni idoneum validè extenuantia & dissoluentia non sustinet, sed extenuantibus, dissoluentibusque necessariò corroborantia, & adstringentia miscenda erunt. *Quartò* conformatio partis quæ medicamenti formam, modumque vtendi præscribit, componendorum medicamentorum occasionem aliquam præbet. Propter formam enim idoneam multa miscentur. Deinde propter cauitates & meatus partis affectæ, addimus, quæ per patentes vias ducuntur: vt si malum in caua hepatis parte, purgantia; si in gibba, diuretica hepaticis miscemus. *Postremò*, cùm pars acuti sensus validis remediis tentanda non sit, ne vires dolore dissoluantur, aut partes in consensum trahantur; remedia congruentia erunt contemperanda, & si acria sint validaque, miscenda, quæ acrimoniam obtundunt, & partis robur confirmant. Quæ verò est partis affectæ ratio, eadem ipsius ægri. *In ægro* autem considerantur potissimùm ætas, sexus, consuetudo, vitæ genus, temperamentum, naturæ proprietas; quæ omnia medicamentorum compositionem interdum variant. *Tertia causa compositionis est in ipsis medicamentis*, quòd nullum tale simplex reperiatur, quale cupimus, & necessitas exigit. Non reperitur potissimùm, vel ob minùs idoneam substantiam, vel non debitam qualitatem, vel non iustam quantitatem, vel minùs conuenientem agendi modum. His addunt duas alias necessitates, formam videlicet, atque medicamenta πλώχηστα. Et *primò* quidem substantia medicamenti variam permixtionem requirit. Nam liquidis sicca miscemus, ne diffluant; & siccis liquida, vt faciliùs penetrent: crassis viscidisque, attenuantia, & incidentia: aspera leuigamus, & viscidis miscemus. Medicamenta, quæ facilè computrescunt, & corrumpuntur, saccaro, melle, aceto, aut similibus conseruantibus, condiuntur. *Deinde* ratione qualitatis medicamenta debiliora, aut ignauiora, vehementioris, aut acrioris permixtione intenduntur & excitantur: vt medicamenta primo gradu calida, permixtis calidis secundo, aut tertio gradu. Vis purgans pilularum intenditur additis granis aliquot diagridij. E contrario validiora intensioraque medicamenta, permixtione medicamenti, vel contrariæ qualitatis, vel eiusdem, sed debilioris, contemperantur. Nam remissum remittit intensum, & intensum intendit remissum. Ad eundem modum, vbi purgantium violentia metuitur, validioribus ignaua interdum miscentur. Aliquando violentia purgantium contemperatur contrariis. Vt enim quorum vis in crassa materia hæret, acrioris extenuantis permixtione exstimulantur: ita acriora & vehementiora, crassioris viscidiorisque permixtione contemperantur. Præterea quod maligna qualitate præditum est, benignioris permixtione obtunditur, aut contrariis contemperatur, aut mitigatur. Quòd si medicamentum superuacanea, non necessaria qualitate sit præditum, vt si sola humectatio intentioni nostræ necessaria sit, & detur medicamentum frigidum humidum; tum debita permixtione calidi humidi frigiditatem illam superuacaneam temperabimus, & intentioni nostræ satisfaciemus. Ad hæc sapor, odor, vel color iniucundus assumptionem medicamenti impedit. Proinde medicamentorum insuauitas vino aut aromatibus corrigitur: pro odoria iucunditate aqua rosarum additur: coloris verò causa, vnguentis cerussa miscetur, vt albescant; pilulæ, boli, & electuaria foliis auri integuntur. *Tertiò* propter quantitatem non debitam interdum compositio est necessaria, sed rariùs, & potissimùm, vbi iusta medicamenti necessarij quantitas deficit: qui defectus alio simplici, eiusdem qualitatis, suppleri debet: velutí, si opus duabus drachmis agarici, ℈ ij deficiant, supplebitur addita quantitate proportionata alterius phlegmagogi, vt turbith. *Quartò* modus agendi medicamentorum, vbi intentioni nostræ non satisfacit, compositionis occasionem præbet. Intentio enim est, vt nunc citò nunc tardè agat: nunc facilè penetret, nunc subsistat, aut non descendat. Quorum omnium ratione aliquid plerumque miscetur. *Quinta* compositionis causa est, vt formam eam consequantur, quæ maximè ex vsu nobis futura est. Forma autem multiplex vtilitas. Nam non solùm alij hac, alij illa forma magis delectantur: sed etiam aliæ atque aliæ formæ, aliis atque aliis affectibus, partibusque affectis, & operationibus, magis accommodatæ sunt. Pilulæ enim magis à capite, potiones à ventriculo, vicinisque partibus trahunt. Propter formam a. varia miscemus: Vt propter formam emplastri, pulueribus ceram, oleum, resinam; propter electuarij formam, speciebus syrupos admiscemus. Cum forma coniungi poterunt medicamenta conseruantia. *Postremus* compositionis scopus est, vt medicamenta πλώχηστα semper in promptu habeamus: qualia sunt theriaca, diacatholicon, acetum scillitieum, & similia, quæ variis vsibus seruiunt, & intentioni nostræ promptè satisfaciunt.

Mo s cō- pondi me a- me t.

XIV. *De modo compositionis medicamentorum sunt hæ regulæ.*

1. *In compositione medicamentorum vna pars principalis est radix & domicilium curationis, quæ per similitudinem basis dicitur.* Vt enim in ædificio basis est, cui totum ædificium superstruitur;

ſtruitur: ita in compoſitis medicamentis baſis eſt pars illa præcipua, quam cæteræ omnes ſpectant. 2. *Baſis alia eſt ſimplex, alia compoſita*: quæ duo diuerſis modis dicuntur. Nam ſimplex baſis eſt, quæ *vel* vnum vſum præſtat, licet ex pluribus ſimplicibus, eiuſdem facultatis, compoſita ſit, vt in electuario Diatrion-pipereon: *vel*, quæ vno ſimplici medicamento conſtat, vt aloe in hierâ picra. Ita ergo baſis compoſita erit, vel quæ plures vſus præſtat, vel quæ ex pluribus ſimplicibus eſt compoſita. 3. *A baſi plerúmque tota compoſitio denominatur; & ex baſi facultas, facultatiſque gradus & doſis totius medicamenti æſtimatur.* 4. *In compoſitis medicamentis præter baſin potiſſimùm conſiderantur, corrigentia, dirigentia, & conſeruantia.* Quorum proportio medico in compoſitione obſeruanda erit. Nam medici eſt in compoſitione medicamentorum omnem inæqualitatem tollere, & medicamentum morbo partique affectæ, aut ſanitati conſeruandæ accommodare. Itaque ſi vis baſeos ignaua, debilis, & tarda ſit, aut in materia minùs efficaci, extimulantibus & acuentibus *corrigitur*. Sub acuentibus continentur corroborantia, quæ virtutem medicamenti tenuis ſubſtantiæ in vnum cogunt, augent, & quaſi concentrant. Appropriata verò parti affectæ, vel in ſanitate conſeruandæ, redditur baſis directiuis, ſeu *dirigentibus*: ſub quibus comprehenduntur non ſolùm, quæ familiaritate ſubſtantiæ parti conueniunt, ſed etiam quæ vias ductúſque aperiunt, humores præparant: & concoquunt. Hæc omnia, vt meliùs componantur & agant, alia nonnulla requirunt, quæ corrigentia & dirigentia affigunt baſi, vel quæ formam idoneam toti compoſito attribuunt. Et his ipſis medicamenta *conſeruantur*. 5. *Modus componendi conſtat ratione & experientiâ.* 6. *In compoſitione duo inprimis attendenda ſunt*: putà baſis proportio ſiue ea ſimplex, ſiue compoſita fuerit: & cæterorum ingredientium proportio ad baſin. Nam ex debitâ ſimplicium proportione tota compoſitionis ratio dependet. 7. *Doſis, ſiue determinata quantitas baſis, dependet ex ipſius facultatis vehementiâ.* Nam ſi baſis ſit robuſta, vt ſcammonium, aut opium, de eâ minorem quantitatem in compoſitione ſumimus: ſi debilis, vt caſſia, roſa, maiorem: ſi mediocris, vt agaricus, lacca, mediam. Sed & doſis variatur pro naturâ ægri, magnitudine, ſenſu, ſitu, & dignitate partis affectæ, itémque actionis celeritate aut tarditate. 8. *Compoſitæ baſis, pro componentium ratione multis modis variatur.* 9. *Commiſcentur medicamenta ſecundùm qualitates primas, ſecundas, tertias, aut quartas.* Secundùm primas autem, quando in vno ſimplici non datur gradus, quem cupimus, ſed vel remiſſior, vel intenſior: vt ſi opus ſit medicamento calido in ſecundo gradu, & nullum detur ſimplex tale, ſed vel calidum, vel frigidum gradu primo, & calidum in tertio gradu, dubitatur non ſolùm, ex quibus componi debeat calidum ſecundo gradu, ſed etiam de doſi ſingulorum. Nam de proportione ordinum, ſiue graduum, in alterantibus non conſentiunt medici. Tutiſſimè autem conſtituuntur gradus alterantium, ex effectibus ſenſui euidentibus, vt partes ſiue gradus æquales conſtituantur, & aqua omnium partium diſtantia. Ita namque medicamentum temperamentum, æquales partes caloris & frigoris, humiditatis & ſiccitatis habet. Nimirum, ſi ſummus gradus ſit quatuor partium in temperatis, erunt duæ partes caloris, totidem frigoris. Si duodecim, ſex caloris, totidem frigoris. In intemperatis verò tantum vnius contrarij ſemper corrumpi debet, quantum alterius generatur. Proinde calidum in primo gradu dicitur, quia vno gradu vincit temperatum: in ſecundo, quia duobus: in tertio, tribus: in quarto, quatuor. Vt igitur intelligatur in quolibet gradu, quot partes vtriuſque contrarij ſint, nimirum calidi aut frigidi: primò à totâ graduum latitudine, ſcilicet quatuor, auferatur numerus appellationis propoſiti gradus. Deinde dimidium relicti numeri addatur numero dati gradûs, & prodeunt partes qualitatis prædominantis: alterum relicti dimidium, erit quantitas, partis alterius contrarij in mixto. Ita calidum in primo gradu partes $2\frac{1}{2}$ caloris $2\frac{1}{2}$ frigoris habet. Calidum in ſecundo gradu tres partes caloris, vnam frigoris. Calidum in tertio gradu, partes caloris $1\frac{1}{2}$. frigoris $\frac{1}{2}$. Calidum in quarto gradu, omnes quatuor partes caloris, nullam frigoris. Quæ eſt ratio in gradibus, eadem etiam in ſingulorum graduum manſionibus. Ita calidum in primâ manſione primi gradûs habet partes $2\frac{1}{6}$. caloris, frigoris $1\frac{1}{6}$. in ſecundâ manſione ſecundi gradûs partes caloris $2\frac{1}{6}$. frigoris $1\frac{5}{6}$, &c. Nam vt in compoſitorum, ita in ſimplicium partibus intenſum intendit remiſſum, & remiſſum remittit intenſum ad medium vtriuſque. Proinde gradus in ſemiſſes, manſiones in ſextantes graduum diuiduntur. Ex hâc ratione non erit difficile determinare proportionem ſimplicium in compoſitis, & qualitatem, qualitatiſque gradum. 10. *Componuntur plura ſimplicia vel eiuſdem facultatis, vel contrariæ; item vel eiuſdem gradûs, vel diuerſi.* Quando plura vnius & eiuſdem facultatis & gradus componuntur, neceſſe eſt & compoſitum eiuſdem tam facultatis quàm gradus eſſe. Verùm vbi componuntur plura eiuſdem facultatis, ſed gradus diuerſi; vt piper calidum in tertio gradu, & ſpica calida in primo gradu, remiſſum remittit intenſum, & intenſum intendit remiſſum ad medium vtriúſque, oritúrque compoſitum in ſecundo gradu calidum. Quando verò plura miſcentur contrariæ qualitatis, ſed gradus eiuſdem, vt roſa & ſpica, oritur temperatum. Sin gradus diuerſi, vt roſa & piper, compoſitum reducitur ad medium vtriuſque, ſcilicet ad calidum in primo gradu. Eadem eſt ratio in manſionibus. Nam calidum in primâ manſione primi gradus, reducit frigidum in tertiâ manſione tertij gradus, ad frigidum in primâ manſione ſecundi, ad calidum in tertiâ manſione primi: idem reducit ad primum gradum perfectum. Verùm in his quantitas omnium componentium æqualis eſſe debet: ſi inæqualis, pro ſuo augmento, & decremento cuiuſque, qualitas eiuſdem in compoſito augetur & minuitur. 11. *Medici eſt non ſolùm vires medicamentorum, viriumque gradus dignoſcere, ſed etiam vires modúmque fermentationis.* Nam quæ hactenus diximus, ea locum habent in compoſitis ante fermentationem, quamdiu vires ſimplicium integræ adhuc ſunt. Poſt fermentationem autem noua & occulta vis emergit. Oritur autem fermentalio ex mutuâ ſimplicium alteratione, ab igne, vapore, aëre, putrefactione, & ſimilibus. 12. *Quæ eſt ratio in primis qualitatibus, eadem quoque in ſecundis tertiiſque.* Verùm cùm ſecundæ, tertiæque viribus primarum duntaxat agant; neceſſe eſt contemperatis ſimplicium primis qualitatibus, in compoſitis ſecundas, & tertias vnâ ſimilique ratione alterari. Proinde tota, compoſitionis ratio medicamentorum ſecundùm qualitates ſecundas, tertiáſque, pendet à compoſitione & affectibus primarum. 13. *Purgantia miſcentur variis modis*: primùm ſimilia ſimilibus, nimirum lenientia lenientibus, mediocria mediocribus, vehementia vehementibus: deinde diſſimilia diſſimilibus, vt lenientia mediocribus, aut vehementibus, mediocria vehementibus. Quando ſimilia ſimilibus miſcentur, & alterum alterius actionem promouet, totius compoſiti quantitas nunquam excedat iuſtam eorum doſin. tantum enim de cuiuſque doſi detrahendum eſt, quantum reliquorum quantitate ſuppletur. Verùm rationem habere oportet facultatis, quæ nobis maximè neceſſaria eſt: veluti, ſi maximè neceſſaria ſit facultas bilem purgans, & miſceatur rhabarbarum cum agarico, compoſiti quantitas non excedat duas drachmas, quæ vtriuſque doſis eſt: verùm maior pars in compoſito ſit rhabarbari; minor agarici. Quando componuntur purgantia, quorum vnum alterius actionem impedit, vt caſſia cum hierâ, ſemper augenda erit compoſiti doſis. Quando lenientia mediocribus, aut validis miſcentur, vtriuſque ea doſis ſit, quæ ſeparatim. Vbi valida mediocribus, vt vires mediocrium acuant, mediocrium doſis ſit vſitata, vehementium minor: ſin pari ratione purgare debeant, augeatur mediocrium quantitas ſupra partis debitæ proportionem. Verùm in his omnibus cautio adhibenda eſt, vt perpendamus, quæ manifeſtâ, quæ occultâ vi agant. Nam tutius eſt multò plura miſcere, quæ manifeſtâ, quàm quæ occultâ qualitate agunt. 14. *Cùm in omni compoſitione, baſis, ſi non quantitas, ſaltem vis ſumma eſſe debeat, cum baſi nunquam miſcenda erunt vehementiora maiori doſi.* Proportio autem baſis, & cæterorum ingredientium, ex baſis vehementiâ & debilitate æſtimatur, habitâ ratione morbi, partiſque ſanæ aut affectæ. Nam ſi baſis vehemens fuerit, vt opium, de eâ minorem quantitatem ſumimus; ſi debilis, multò maiorem quàm cæterorum. Deinde vbi baſis vna ſimpléxque eſt, plus in compoſitione requiritur; vbi ex diuerſis compoſita, ſingulorum minùs. Præterea quæ partem affectam ſimul alterant & corroborant, aut longè penetrare, & in profundum agere debent, aut quorum vis citò faciléque diſſoluitur; maiori quantitate ſemper ſumuntur: contrà minore, vbi partem affectam tantùm alterant, aut in ſuperficiem tantùm agunt, aut quorum vis tardè difficultérque diſſoluitur. Eodem modo & illius, quod facultate alienâ, & non neceſſariâ, præditum ſit, aut quod nullum in contrario habeat oppoſitum. 15. *Corrigentia, quæ augent, vel minuunt facultatem baſis, in minori quantitate ſemper eſſe debent.* Communiter autem baſis proportio ad minuentia & acuentia tripla nonnullis putatur. Verùm variatur hæc proportio pro naturâ baſis, & ipſorum corrigentium. Nam alia magis, alia minùs vires baſis augent, minuúntque. Deinde variatur proportio pro variâ intentione medici. Quæ denique malignitatem baſis occultâ naturæ proprietate corrigunt, vbi plurimùm æquali quantitate aſſumuntur: quæ verò qualitatibus manifeſtis non-neceſſaria, aut ſuperuacanea corrigunt, qualia potiſſimum oppoſitis viribus conſtant, æquali, aut maiori. 16. *Dirigentia ſequuntur rationem baſis.* Quò enim baſis debilior eſt, eiuſque quantitas maior, eò quantitas dirigentium minor ſit, adeo, vt ſæpè octupla, aut decupla ſit baſis ad dirigentia. Contrà quò baſis vehementior, eiuſque doſis minor, eò dirigentium quantitas maior eſſe debet, nimirum quantitati baſis æqualis, aut paulò maior: quemadmodum eſt ſtœchas in pilulis cochiis, quæ ob id cephalicæ vocantur. Nam vis medicamenti dirigentis valida non eſt, & in exiguâ doſi ad partem affectam aliorum medicamentorum vires deducere nequit. 17. *Quæ conſeruationis, formæ, & ſuauitatis gratiâ compoſitis permiſcentur*, baſin nec

nimiâ quantitate planè obtundere, nec alienâ qualitate pervertere debent, sed qualitate suâ vires basis iuuare, vt mel in syrupis & electuariis: aut viribus basis nihil, aut quàm minimum resistere, vt saccarum in syrupis & iulepis, cera & oleum in vnguentis & emplastris. Quantitas autem adiunc cæteris æqualis, nunc maior, nunc minor, prout basis fortior aut debilior. Quæ consistentiam compositi variant, in dispari proportione sumuntur. Verùm hæc, aliáque omnia, necessariâ & perpetuâ lege definita non sunt, sed pro intentione prudentis medici discernenda sunt.

X V. *Apparatus & farrago medicamentorum variis modis digeri solet.*

Apparatus medicamentorum.

Et *alij* quidem ordine alphabetico recensent omnis generis medicamenta: *alij* ordine tumultuario vtuntur: *alij* ad certas classes, putà ad electuaria, conseruas, syrupos &c. omnia reducunt: *alij* secundum varia morborum genera digerunt, vt vna sit methodus morborum & medicamentorum. Vbi rursus quidam vtuntur ordine alphabetario, quidam singularum partium morbos coniunctim tradunt. *Certas medicamentorum classes* vide infra in Pharmacopoeticâ: *ordinem illorum alphabeticum*, secundùm omnis generis morbos vide in Practicâ Rulandi, sub finem huius systematis Hippocratico-Galenici.

Medicamenta. πολύχρηστα.

X V I. *Magnum est operæ pretium in promptu habere præcipua medicamenta πολύχρηστα: quibus sequentia præcipuam laudem obtinent.*

I. A L O E est balsamus naturæ, cunctos humores succósque, si quidem naturales adhuc fuerint, conseruans, præternaturales euacuans, medios emendans, vniuersos putrefieri ac corrumpi prohibens, humani præterea corporis compagem, eiúsque membra omnia, ossa, neruos &c. defendens. Est hæc herba foliis semper virentibus, pinguibus, & succo balsamico plenis prædita: quibusdam Botanicis semperuiuum Indicum dicta. Optima est *Succotrina*, splendens, nitida, minimè adulterata, sapore amarissima, colore rufa, boni odoris, calculorum expers, hyeme friabilis, æstate lentescens manuum affrictu, denique iecoris modo densata. In maximo semper vsu fuit non paucis duntaxat medicis, qui varias remediorum formas ad varios morbos ex aloë concinnarunt: sed & neoterici omnes, Galenici non solum, sed & Hermetici, magnis eandem laudibus extulerunt: cùm per se sola pro sanitate tuendâ, siue præparetur, siue non, sufficiat; & plurimorum hominum vires, robur, incolumitatémque vnicè iam olim tutata sit, & adhuc tuetur. Arcet enim cuiuscunque generis putredines tam in vitâ functis quàm in viuentibus. Nam cadauera à corruptione & interitu præseruat: & humores in corporibus viuis ab omni corruptione vindicat, vsque adeò, vt febribus putridis, malignis, contagiosis, & pestilentibus materiam non relinquat. Si quod visus extra pulmones, vesicam, & aluum cariem sensit, aloe suppetias fert. Nec est quòd quisquam vermes, lumbricos, & alia id genus animalia in ventre progigni, aut permanere posse metuat, si aloen crebrò assumpserit: cùm nihil in homine viuere permittat, nisi quod ad eius partes vel vitam spectat. Quòd si caput catharris obnoxium, humido & æstuanti ventriculo respondeat, & defluxiones ad articulos ruituras molitur, aloe has subtrahit; adeo vt clarissimi medici ausi fuerint iis, qui sibi continuum aloes vsum familiarem fecerint, polliceri, eos ab omni podagrâ & arthritide securos fore. Meritò itaque aloe dicitur basis medicinæ, tertia medicinæ pars, & parua panacea. Cauendum tamen est, ne modum excedamus vsu nobilissimi huius medicamenti: quod Caluinum fecisse author est Beza in ipsius vitâ. Nam ex immodico aloes vsu incidit in hæmorrhoidas vlcerosas, & in sanguinis excreationem. Itaque & hîc obseruetur illud: μηδὲν ἄγαν. Cæterùm vsus aloes potissimùm est triplex. *Primò* sola aloe sumitur, eáque vel lota, vel non. *Deinde* commendatur ipsius vsus in pilulis pestilentialibus & angelicis: quæ iure merito habentur loco panaceæ. Vide illarum descriptionem infrà in Pharmacopoëticâ. *Denique* balsamus, & extractum, seu tinctura aloes commendatur. Sed hæc, & similia vide apud Mindererum in Aloedario, & apud Claudium Deodatum lib. 1. Panthei hygiastici cap. 13. Ego primò doctus sum præstantem huius medicinæ, simplicis, inquam, aloes, vsum à Generoso viro, Alexandro Grotio Slupetzki, Domino in Kinar, qui à Mareschallo Poloniæ didicerat, aloen omnibus simplicibus medicinis palmam præripere.

II. T A B A C V M & ipsum panaceæ loco habetur: vt infrà in Tabacologiâ docemus.

III. T E R E B I N T H I N A omnium resinarum mitissima est, & inter omnes resinas principem obtinet locum, ob vim & proprietatem balsamicam: vnde & omnibus vulneribus familiarem præbet balsamum. Colligitur autem ex arbore terebinthino, omnes Germaniæ arbores facilè superante; liquor scilicet pinguis, totus balsamicus, clarus, pellucidus, albus, acris, & odorus. Moderatè calefacit, mollit, expurgat renes & vniuersum corpus, discutit, vrinam ciet, vi suâ balsamicâ totum corpus ab omni corruptione & putredine vindicat; adeo quidem, vt quæ hoc succo inunguntur cadauera, nunquam putrescant, vti nec lingua, nec plantæ eo illitæ. Vnde meritò censetur vetus & naturalis balsamus, ipso Indico non inferior: præsertim quia temporis diuturnitate aliam insuper in balsamatione concipit essentiam, vt alteri omnino similis euadat. Varia & insignia remedia ad varios morbos persanandos è terebinthinâ parantur. Datur enim primò in substantiâ, priùs probè lotâ, & ad niueam quasi albedinem redactâ. Lauatur autem aquis appropriatis, præ præsentis affectûs ratione: datúrque ad vnciam semis, vel drachm. iij, in forma boli, cum saccaro; vel soluta in brodio calente: vel, quod commodius fuerit, frangitur ouum recens, & cortici interiori glutinoso infunditur aliquid iulepi violati; mox infunditur terebinthina præparata: iterum superfunditur aliquid iulepi: mox vnâ vice sorbetur, oui sorbilis instar. Hoc modo sumpta sedes mouet, laxatque, sabuiosos & arenosos renes expurgat, obstructos aperit, vrinam ciet, aliaque egregia præstat. Deinde in formâ pulueris exhibetur terebinthina. Denique inde paratur oleum.

IV. L I G N V M G V A I A C V M, S A S S A F R A S, S A L S A P A R I L L A, E T C H I N A; hæc, inquam, vegetabilia possident maximas vires balsamicas: vtpote quibus non solùm grauissimi morbi curantur, sed & corpus humanum ab humorum corruptionibus liberum, & ad plures annos sartum rectúmque seruari potest.

V. R O S S O L I S, siue S O L A R I A, teste Isaaco Hollando, est herba mirabilis, supra quam sol radios vitales effundit, & balsamicas influentias expandit, vsque adeò, vt fœcundiorem & ditiorem eam reddat omnibus plantis à Deo creatis. Eius ea est natura, vt quò calidior fuerit regio, vel anni tempus, aut maior solis æstus, aut quò sol eam diutiùs, eò magis rore perfundatur tota, pendentibus è cauliculo plus quam mille guttulis; quibus flexili ferulâ leuiter excussis, & lato vitro exceptis, totum vitrum mirifico hoc rore solari adimplere queas. Quòd si centies eâdem ferulâ rorem excutias, hæc planta nouis guttulis abundabit. quod sanè miraculi loco habendum est: cum solis ardor reliquas plantas aridiores reddat exsiccétque, hanc verò solam aquis perfundat. Hinc meritò admirandis viribus pollere iudicatur. Nam aqua ista vitro excepta, omnes oculorum morbos, omnésque cordis affectûs & punctiones curat; hepar, & ventriculum in candiorem contemperat, omnem capitis dolorem à calore ortum mitigat, deliria tollit, cancrum & lupum sanat, venenatorum animalium morsibus medetur, pestem arcet, aliaque sexcenta commoda præstat. Arnoldus de Villa-noua author est, mirum esse, hominem mori, qui quotidiè aliquid de hâc plantâ, etiam in crassâ suâ substantiâ degustauerit. Quòd si ad suam tenuitatem redigatur, & à fæcibus repurgetur, poculo venenato infusa, vitrum dissilire facit; parturientis vtero alligata, fœtum illicò euocat, demortuum vero ac putridum statim excutit; gestantes, & quotidiè de ea gustantes, ab astralibus morbis, epilepsia, apoplexia, paralysi, &c. liberati, sensûs omnes & loquelam vegetam conseruat &c. Hinc Isaacus hac planta nullam in terris præstantiorem esse ait; & Penotus in suo vegetabilium tractatu tria simplicia proponit, admirandis virtutibus prædita, saccarum scilicet, mel, & hanc ipsam herbam.

VI. O P I V M est succus, qui ex nigri papaueris capitibus vulneratis, vel etiam sponte sua effluit. Variæ sunt eius differentiæ, pro regionum, in quibus colligitur, varietate. in assignandis eiusdem qualitatibus magnæ authoritatis scriptores inter se discrepant: Galenus, Dioscorides, & Auicenna opium quarto gradu frigidum esse scribunt. Matthiolus & plerique Hermetici calidissimum esse statuunt, quod sit amarissimum. Huc accedit, quod totum sit sulphureum, vt flammam facilè concipiat, suúmque odorem narcoticum, etiam post ignis examen diù retineat. Qualitas ergo illius narcotica, & soporifera, non à frigiditate oritur, sed à sulphure inflammabili, quo abundat. Non igitur mirum, si opium crudum, indigestum, minúsque præparatum, multis veneni loco habeatur, eo quod paucorum granorum pondere sumptum, vitæ spiritus suffocet, mortémque adferat. At si ritè præparatum, excoctum, & a suo sulphure narcotico liberatum fuerit, vtile, viuificúmque anodynum euadit, quod instaurat & sedat spiritûs perturbatos, ipsísque dulcem & placidam quietem conciliat. Pauci profectò sunt morbi, ad quorum ferociam in ardoribus, inflammationibus, languoribus, oppressionibus, vigiliis, deliriis, defluxionibus, doloribus capitis, pectoris, ventriculi, ventris, vteri, vel cuiuscunque alterius partis, compescendam, opium non habeat specificam & peculiarem proprietatem, quia vel vnum ex his symptomatibus seorsim, vel plura cum morbo coniuncta simul, cum admiratione adstantium, ipsorúmque ægrorum vincat & subigat. Vnde in veterum antidotis, & recentiorum lauda-

nis

nis opium eſt baſis. Plura de admirandis huius ſimplicis facultatibus, ad grauiſſimos morbos depellendos, dolores mitigandos, ſomnumque producendum facientibus vide apud eos, qui ex profeſſo hunc ſuccum deſcripſerunt.

VII. Lapis bezoar, tum orientalis, tum occidentalis, è capris ſyluestribus, in præaltis montium cacuminibus degentibus, & varias herbas contra venena pugnantes depaſcentibus extrahitur. Hoc lapide nullum ad venena, alioſque, difficiles morbos prædicatur præſtantius medicamentum: vnde medicamenta bezoardica ab hoc ipſo lapide nomen ſuum habent. Adhibetur intrinſecus & extrinſecus. Ad omnium animalium venenatorum ictus morſuſque valet, ſi vulneri applicetur. Idem præſtat in vulneribus, quæ infliguntur armis toxico & quocunque veneno tinctis. Si puluis eius à granis 4. ad 7. aut 10. cum liquore idoneo propinetur, omnibus cordis affectibus mirè opitulatur: cor à venenis, aëreque peſtifero & contagioſo tuetur. Ad ſyncopen mirè iuuat, tum in paroxyſmo, tum paulò ante, ſi ex aquâ cordiali, putà borraginis, bugloſſæ, meliſſæ, vel cardui benedicti ad grana 4. 7. vel 10. exhibeatur. Sic ad cordis palpitationem quotidiè manè 2. grana cum aquâ meliſſæ plurimùm proſunt. Ad melancholicos humores domandos, miris præſtat facultatibus. Elephantiaſin, malam ſcabiem, pruritum, impetiginem, eryſipelas, & cætera corporis vitia, tanquam præſens remedium ſanat. Febris quartanæ ſymptomata, vt animi mœrores, cordis anxietates, & ſimiles affectus aufert, vel saltem lenit mitigatque. Morbo ſacro, ſeu epilepſiæ infantum, puerorum, & adultorum medetur, ſi illis quidem grana 2. in lacte materno, iſtis autem & his grana 6. vel 10. in aquâ pœoniæ, tiliæ, aut lilij conualium exhibeatur. Exhibitus cum aquæ graminis, aut gentianellæ vermes, lumbricos, & tineas enecat. Ad venenatos & contagioſos morbos hic idem lapis ſummoperè conducit. Nam & peſtem, & febrium peſtilentialium virus ac ſymptomata, exanthemata, & ſimilia mala citò ac miraculi inſtar compeſcit & extinguit. Proponatur autem quotidiè ad grana 6. vel. 7. cum vnciâ j. aquæ acetoſæ, aut borraginis, aut florum citri, maximo cum fructu. Neque ſolùm corpus à veneno præſeruat, ſed etiam infectum aut oppreſſum liberat. Ad præſeruationem duo ſufficiunt grana, vel cum vino generoſo, ſi febris abſit; vel cum aquâ cordiali meliſſæ, aut cardui benedicti. Ad curationem verò hauſto iam veneno 8. vel 10. grana cum vino exhibentur. Imò ad napelli, veneni truculentiſſimi, hauſtús, varioſque morbos, nihil præſtantius reperiri poteſt: ita vt verbo dicere poſſimus, lapidem Bezoar ad omnes diuturnos & importunos morbos, etiam à flatibus originem ducentes, panaceæ inſtar eſſe, ſi præuiâ purgatione per aliquot dies exhibeatur. Indi ad conſeruandam iuuentutem, omnia membra corroboranda, totumque corpus à morbis præſeruandum, bis in anno præmiſsâ purgatione, quinque dierum ſpatio ad 10. grana cum aq. roſ. exhibent.

VIII. Oleum olivæ reluctatur quibuſuis corruptionibus & putredinibus, veneni acrimoniam retundit, & per vomitum exturbat, butyrum bonitate & ſalubritate longiſſimè præcellit.

IX. Acetum scylliticum in vitæ propagatione, valetudiniſque conſeruatione magnam apud veteres & neotericos habet laudem: nominatim apud Galenum. Salubre, *inquit*, & optimum eſt hoc acetum ſcylliticum. Ab ipſius enim authore fertur, quicunque hoc vtatur, longæ vitæ fore, & eius extrema ad finem vſque permanſura. Et ipſe quidem Samius ſenex huiuſmodi extitit: quantum enim temporis vixerit, haud ignoras. De ipſo in libro traditum eſt, quòd cum ſuis conſanguineis hanc facultatem communicauerit; cumque illo medicamento vti cœpit. 50. annos natus erat, & vſque ad 117. vitam produxit integer, nullâ vnquam aduerſa valetudine tentatus. Hæc ſanè medicamenti author diſſeruit, quòd fortaſſe vir philoſophus erat, mentiri neſcius. Nos verò huius viri, & fidei periculum fecimus, ac firmam conſtantemque huius medicamenti facultatem eſſe teſtamur. Huius aceti parum manè ſorbeto. Tibi autem hæc euenient, vt nec faucium oriſque partes vnquam remolleſcant; os ventriculi benè valebit, facilè ſpiritum duces, vox rectè habebit, oculi acutiſſimè cernent, aures in officio manebunt, nulluſque flatulentus vapor vnquam in ventre excitabitur, nullum viſcus ſuſpenſum erit, & bene ſpirans, beneque coloratus deges: ad ciuilia negotia rectè affectus, non acidum, non ſalſum ructabis, ſi aliquid illius aceti ſumpſeris: ieiunus autem vt ſumas præcipio ſeptémque ſtadia deambules: ita enim diſſoluetur. Hoc aceto qui vtitur, in victu quantumuis licentioſus eſto: omnia enim cibaria conficiet, & à nullo nunquam offenſam patietur, neque valde implebitur, ſed in melius proficere videbitur; nec ſuperuacui quidquam in corpore reſidebit, non flatus, non bilis, non ſtercus, non vrina, ſed omnia facilè excernit & educit. Aluus lubrica omnino eſt, totiuſque corporis purgatiuum medicamentum, etiamſi oſſibus excrementa inhæreant. Phtiſicos item ab omnibus deploratos, hoc medicamento ſanitati reſtitutos nouimus. Morbo comitiali diuturno efficaciter profuit, vt niſi poſt longa temporis interualla non redierit: incipientem verò ac nouum perfectè diſcutit, neque de integro hunc redire permittit. Ad podagras prætereà, & articulorum morbos, iecoris lieniſque duritiés, vehementer facit. Et particulares quidem aceti ſcyllitici effectus hi ſunt. Huculque *Galenus*.

X. Theriaca meritò accenſetur compoſitis polychreſtis quā de re vide paſſim libros Medicorum.

XI. Oleum lateriNum, quod ob præſtantiam ſuam appellatur oleum philoſophorum.

Capvt VII.

Hygieina delineatur.

Præcepta.

Vidimus media communia ſanis & ægris: iam videbimus propria ſanorum & ægrorum.

Media ſanorum propria ſunt in conſeruatione ſanitatis, & illius præſeruatione. Ibi eſt Hygieina, hic Prophylactica.

Hygieina eſt doctrina de ſanitate conſeruandâ.

Sanitas eſt harmonia humorum & membrorum corporis, actionibus ſalubriter obeundis apta.

Eius occurrunt membra, genera, ſigna, & tutela.

Sanitatis membra duo ſunt, eucraſia & diaplaſis ſalubris.

Eucraſia eſt pars ſanitatis, quâ corpus humanum rectè temperatur primis qualitatibus.

Eucraſiæ membra duo ſunt: elementarium qualitatum miſtio ſalubris, & calidi innati certa proportio.

Diaplaſis ſalubris eſt pars ſanitatis, quâ corporis partes conuenienti ſymmetria & conſtructione ſunt præditæ.

Genera ſanitatis ſunt, quòd eſt accurata, vel deflectens.

Sanitas accurata eſt, cuius cataſceue ad opera ſummè diſponitur.

Sanitas deflectens eſt, quæ ab accuratâ deficit.

Signa ſanitatis ſunt actionum operumque ſalubritas.

Suntque ſanitatis accuratæ vel deflectentis.

Sanitatis tutela continetur diætâ, & pharmacis.

Diæta ſanorum eſt ratione ſanitatis accuratæ vel deflectentis.

Pharmaca ſanorum ratione ſanitatis accuratæ debent eſſe fouentia; ratione ſanitatis deflectentis erunt primò purgantia, deinde fouentia.

Regvlæ.

I. Hygiena eſt ſemeiotica, diætetica, & pharmaceutica. Hygieina tribus abſoluitur partibus.

Tres iſtæ partes communiter accidunt Hygieinæ & Therapeuticæ. Itaque in Hygieinâ eſt ſpecialis quædam ſemeiotica, diætetica, & pharmaceutica. Traduntur enim hîc ſigna, diæta, & pharmaca ſanorum, quantum ad partes & ſpecies ſanitatis. Partes ſunt eucraſia & diaplaſis: ſpecies, ſanitas accurata & deflectens.

II. Eucraſia corporis humani continetur elementarium qualitatum miſtione ſalubri, & calidi innati certa proportione. Eucraſia corporis humani.

Miſtio ſalubris qualitatum elementarium eſt, quâ partes corporis humani ſuam quæque qualitatem obtinent. Qualitas iſta eſt vel temperata, vt in cute: vel flectens ad calidum, frigidum, humidum, aut ſiccum. *Ad calidum*: cor, renes, lien, iecur, pulmo, caro ſimplex. *Ad frigidum*: cerebrum, ſpinæ medulla, nerui tantùm ſentientes, nerui motionis, vena, arteria, menbrana, tendo, ligamentum, chondroſyndeſmus, cartilago, os. *Ad humidum*: nerui ſenſus, cor, renes, iecur, lien, caro ſimplex, pulmo, ſpinæ medulla, cerebrum. *Ad ſiccum*: nerui motio

vi motionis, vena, arteria, membranæ, tendo, ligamentum, chondrosyndesmus, cartilago, os. *Proportio calidi innati* est, cùm partes quò publicæ magis sunt, aut his ortu vicinæ, eò calore natiuo vberiùs perfunduntur: *classe primâ* cor, arteria, pulmo; *secundâ*, iecur, venæ, ventriculus, intestina, vesica fellis, lien, renes testiculi, vterus, vesica, vrinæ receptaculum. *Tertiâ & vltimâ*, cerebrum nerui sensûs, spinæ medulla, nerui motionis, membranæ omnes, tendo, chondrosyndesmus. cartilago, os. Atque hic est status qualitatis in sanitate: sequitur status quantitatis reg. seq.

Diaplasis corporis humani.

III. Diaplasis salubris continetur partium corporis symmetriâ & constructione.

Partium symmetria est, quâ altera ad alteram existit analoga. Eius partes duæ sunt: partium quantitas analoga, & earum figuratio. *Quantitas* est in magnitudine & numero seu multitudine. *Magnitudo* est, qua partes nec maiores sunt iusto, nec minores. *Numerus* est, quo nec plures, nec iusto pauciores. *Figuratio analoga* est, quâ pars quælibet suam naturalem sortita est figuram. Quæ figurationis analogia est secundùm organorum cauitatem & soliditatem. In cauis requiritur ipsorum libertas & amplitudo. In solidis asperitas leuitas, vel aliter pro naturæ vsu figuratio. *Constructio* est pars diaplasis, quâ organa inter se salubriter aptantur. Ea continetur situ & nexu inter se salubri. *Situs* est, quo suum quælibet obtinet locum. *Nexus* est, quo concinnè partes copulantur.

Diæta sanorum.

IV. Diæta sanorum considerantur in genere, & in specie.

In genere continetur his regulis. 1. Excrementa à somno nocturno sine morâ expediantur. 2. Ablutiones fiant aquâ dulci, temperatâ. 3. Exercitationes corporis suscipiantur lentè, tum inualescant. 4. Post exercitationem vel molliter inambulandum, vel apotherapiâ vtendum. 5. Post cibum quiescendum horam vnam, tum mollibus passibus incedendum, vt cibus descendat. 6. Ante prandium & cœnam celeriter est deambulandum. 7. Concubitus nocturnus esto. 8. Perturbationes ne sint vehementes. 9. Quies esto, dum vires recreentur. 10. Somnus esto nocturnus, horâ vna vel alterâ post cœnam, lecto consueto. 11. Aër purus esto. 12. Alimentum respondeat viribus famentis. 13. Cibus potum præcedat liquidus solidum, concoctu facilis difficilem. 14. Panis esto fermentatus & salsus. 15. Inter cibandum, pitissando, per vices, cibo prius sumpto, bibatur. 16. Cibi omnes vna mensa sumpti, sint, quoad fieri potest, simillima virtute, temperamento, materiæque firmitudine. 17. Ædes, vestimenta, & omnia ambientia munda sunto. 18. Huius diætæ anomalia communis est ex consuetudine & vitæ ratione. *Diæta sanorum in specie* est sanitatis accuratæ, & deflectentis. *Diæta accuratè sani* continetur his regulis. 1. Somno sufficiunt horæ septem vel octo. 2. Stratum esto inter durum & molle moderatum. 3. Circa res Venereas se gerat moderatè. 4. Aër temperatus esto qualitatibus, vel arte temperetur. 5. Panis esto purus: carnes exquisitæ. 6. Potus sit vinum vel cereuisia, viribus & ætate vtrumque moderatum: aut aqua fontana, pura, limpida, leuis, ac omnis saporis expers. 7. Domus esto ad orientem. Sed qui accuratè sanus est, nullis diætæ legibus se obligare debet. Sufficit enim, si modum seruet in cibo, potu, somno, & exercitiis. *Diæta quantum ad sanitatem deflectentem* est ratione temperiei & conformationis deflectentis. *Ibi* est diæta temperiei calidæ, humidæ, calidæ siccæ, frigidæ humidæ, & frigidæ siccæ: *hic* diæta rarorum vel densorum corpore. De his vide *Timotheum Brigthum in Hygieinâ*, & Iohannis Bickeri Herm. tum rediuiuum. Nos proponemus vniuersam diætæ rationem, quantum ad sanos & ægros ex Duncano.

Quinque considerantur in legitimâ victus ratione.

V. In legitimâ victus ratione considerantur quinque: primò substantia & forma alimentorum; secundò, quantitas; tertiò, qualitas; quartò, tempus & occasio; quintò modus exhibendi; quæ omnia metiri debemus in sanis penes virtutem & exigentiam virium; in ægris penes collationem virtutis ad morbum. nam, vt monet Hippocrates 1. aph. 9. coniectare oportet, an æger cum eo victu sufficiat perdurare ad vigorem vsque morbi, an prius deficiat, & cum tali victu succumbat & hebescat morbus.

Hunc canonem proponit *Duncanus lib. 4. artis medicæ, cap. 20. & duobus seqq. capitibus* ita exponit. Substantia aut forma victûs consideratur secundum alimentorum vim & efficaciam maiorem aut minorem, ad corpus nutriendum & propriè est ea victus ratio, quâ vires conseruantur iuxta diuersam ipsarum virium rationem. Substantiæ autem virium, quæ alimentis reficitur, triplex ratio est: nam studemus in nutritione, vel plus substantiæ apponere, quàm deperditum est, atque ita vires corporis augere; vel tantum apponere, quantum deperditum est, vires in eodem statu conseruare: vel minus apponere; atque ita substantiam virium imminuere: quare victus forma triplex primùm erit; vna augens siue exactè plena, crassaque victus ratio, alimentis plenissimè nutrientibus, quæ substantiam virium adauget, & plus apponit, quàm deperditum est: alia media simpliciter plena, quæ tantum præstat refectionem, quanta est dissipatio: tertia tenuis victus, quæ minorem præstat refectionem, quanta est satis pro eo restaurando, quod amissum est: atque eo respectu victus, minuens vocatur; tenuis verò victus, iuxta Gal. *comm. 4. Aph. 1.* in tenuem & tenuissimum diuiditur, quorum vterque, vel simpliciter talis est, vel exquisitè.

Quare in vniuersum sex erunt victus formæ, nimirùm exactè plena, simpliciter plena, tenuis simpliciter, tenuis exquisitè, tenuissima simpliciter, tenuissima exquisitè: quare singulæ suam debitam alimentorum administrationem requirunt: *Hipp. lib. de prisca medicina*, victus formam ratione alimentorum diuidit in ea, quæ comeduntur, quæ sorbentur, & quæ bibuntur; quibus quartam addit Gal. ex Hipp. *comm. in lib. 1. Aph.* nimirum omnimodam abstinentiam. Sub victu per ea quæ comeduntur contineri poterit exactè & simpliciter plena victus forma. Per ea quæ sorbentur victus tenuis simpliciter & exquisitè: nam sorbitiones duplices sunt: aliæ tenuiores, qualis est cremor aut succus hordei, ius pulli cum modico panis: aliæ crassæ vt ptisani hordei non colata, panatella crassior ex iure pulli, &c. Victus simpliciter tenuis per crassas sorbitiones: victus exactè tenuis per tenues sorbitiones perficitur. Sub victu, per ea, quæ bibuntur, vt sunt aqua hordei, aqua panata, ius prunorum, aqua mulsa, &c. simpliciter tenuissimus victus continetur; sub inediâ extremè tenuissimus. Verum quia hoc tempore in his locis septentrionalibus potissimùm homines pleniori & frequentiori victu vtuntur, quàm veteres illi medici, ac ob consuetudinem has victuum materias difficillimè ferunt.

Proinde pro extremâ tenuissimâ diæta loco inediæ cogimur aquam hordei, aut melicraton exhibere, & aliquando ad sorbitiones tenues transire, ac pro simpliciter tenui loco crassarum sorbitionum, ea quæ comeduntur, & non multum nutriunt, vt pisces saxatiles, auiculas montanas, interdum carnes pullorum, gallinæ, columbæ, turturis, aut pro consuetudine aliquid validioris alimenti præbere, vt carnem vitulinam, &c. Alimenta considerata secundùm efficaciam & vim, quam habent ad nutriendum triplicia sunt, vt in præcedente capite dictum est, alia enim plurimum alimenti corpori præbent, seu multum nutriunt, alia parum, cætera medio modo se habent: igitur victus exactè plenus fit alimentis plurimum nutrientibus, simpliciter plenus mediocriter nutrientibus: tenuis communiter, parum nutrientibus, cuius quatuor species sunt, vt iam dictum. In quouis genere eligenda sunt semper alimenta boni succi, facilis concoctionis & digestionis.

Vt autem idonea victus forma constituatur tam in sanis, quàm in ægris vires primum intueri oportet: nam vires alimentum propriè indicant, & non tantum genus, formamque alimenti, sed etiam quantitatem & modum; verum non eodem modo in sanis vt in ægris, aut neutris sed in sanis simpliciter pro modo virium, in ægris curandis, aut in sanis, qui ad morbos inclinant, habita ratione morbi, aut causæ morbificæ. Nam in sanis potissimùm decet vires roburque corporis augere exactè plena, aut in eodem statu conseruare mediâ victus forma. Deinde quò sanorum vires maiores sunt, eò plenius nutrire, & copiosiùs nutrimentum exhibere conuenit; quò minores, eò minus plenè: quare iuuenes, qui plurimum habent caloris natiui, iuxta Hipp. 14. *aph.* 1. plurimo egent alimento, pleniorique victus forma, aliòquin corpus absumitur, senes verò contrà. Demonstrãt autem vires, ætas, temperamentum, corporis habitus, consuetudo, vitæ institutio, aër ambiens, vt infrà de quantitate deinceps dicemus. Nam plena crassaque victus ratio debetur sanis, benè valentibus, assuetis, robustis, qui exercitiis dediti sunt, beneque dormiunt, temporibus primùm frigidis, deinde temperatis.

Verùm in iis, qui ad morbos inclinant, aut in ægris, vt forma victus constituatur, vires oportet cum morbo & causis morbificis conferre, & videndum an id permittat & prohibeat morbus, aut morbifica causa, quod vires insinuant, veluti pro sanitate conseruanda in sanis, non benè valentibus rarissimè & nonnisi post euacuationes vires debilitantes, licet vires corporis pleniori victu augere, sed aut eodem statu conseruare, aut minus exhibere tenuiorique victus ratione vti quam vires insinuant, potissimùm in dispositione plethorica aut cacochymica, aut in iis qui cruditatibus infestantur & non benè concoquunt, nec consueto modo dormiunt aut à solitis exercitiis desistunt. Similiter in ægris rarissimè morbus permittit substantiam corporis maiorem reddere, quàm accepimus, pleniusque nutrire, sed aut in eodem statu vires conseruare media victus forma, vt in morbis cronicis, aut nonnihil debilitatas tueri ad statum

statim vsque tenui victus ratione, vt in morbis acutis; nam in morbis plerisque si tantum exhiberemus, quantum vires insinuant, distraheretur natura a concoctione materiæ morbificæ, & pugna cum morbo, & causis morbificis, simulque augeretur morbus & causæ morbificæ, nimirum humorum cruditas, plethora, cacochymia, & eò magis copia alimentorum distraheretur, quò acutior est morbus, & humoribus concoquendis magis incumbit, sine quo magis morbo resistit, aut maior est pugna naturæ & morbi. Quare in ægris victus formam indicant pro constitutione & modo morbi, quæ constitutio intelligenda est secundùm dispositionem quoad symptomata, & prout morbus tardiùs aut velocius mouetur cum magnis symptomatibus, an acutus, peracutus, aut chronicus: nam quò acutior morbus est, celeriusue mouetur, symptomata magis vigent, eò tenuiori diætâ vtendum erit; quò minus acutus, eò pleniori, vt natura diuturnæ obeundæ concoctioni sufficiat, & non planè succumbat; cùm enim in peracutis citò futurus sit vigor, & symptomata vehementissimè vrgeant, vt necesse sit in pugnâ aut naturam succumbere, aut morbum, laborandum erit, vt dum natura tantam vim patitur, pleniori victu à pugnâ nullo modo distrahatur, sed omnibus viribus resistat, & concoctioni materiæ morbificæ incumbat.

Proinde in morbis extremè acutis, qui intra quartum diem iudicantur, exactè tenuissimus victus requiritur: in simpliciter peracutis, qui intra 7. desinunt, simpliciter tenuissimus: in exquisitè acutis, qui intra 14. exactè tenuis: in simpliciter acutis qui intra 20. aut 21. terminantur, simpliciter tenuis victus: in morbis chronicis pro longitudine, plenior victus ratio conuenit, tribuêdo semper aliquid, non solùm ætati & temperamento, sed etiam consuetudini, tempori anni, regioni & similibus. Nam norma victus in ægris est status morbi, quo tempore grauissima symptomata sæuiunt, & error maximus in victus ratione committitur: igitur in victus ratione constituendâ semper oculos ad statum dirigere oportet, & coniicere, an cum tali victus forma vires ægri ad summum vigorem perdurare queant, an priùs deficiant, vt statim tenuiorem victum corrigamus, atque ita vnum oculum ad vires, alterum ad morbum dirigere, vt vtriusque vi perspectâ, eam victus formam constituamus, quæ vires conseruet, & morbum non augeat.

Verum in his oportet non solum vires præsentes considerare, & potissimùm vitales ex pulsu, sed etiam imminentes siue futuras ex temperamento, ætate, consuetudine, inediæ facili aut difficili tolerâtia, sanguinis tenuitate & paucitate & similibus: nam ætas puerilis, habitus rarus, laxus, têperatura calida, sanguinis tenuitas, & paucitas, consuetudo multi alimenti, plenius quàm pro morbi ratione côueniat, præbere cogunt: accedit his immodica euacuatio, vigiliæ, morsus orificij ventriculi, lumbrici & similia, quæ vires vehemêter dissoluunt. Igitur cum propter ea, quæ vires debilitât & ex soluunt dubitamus, an æger ad statum cum tali victu perdurare queat ab eâ recedamus ad magis plenam victûs formam, cùm virium prima sit dignitas & scopus in victus ratione, virium defectui occurrere. Debilitas autem virium dupliciter accidit: vno ob virium oppressionem, ob morbi aut symptomatum vehementiam; alio ob dissolutionem substantiæ virium ex vtilis alimenti defectu. Si debilitas virium oriatur propter oppressionem ob morbi aut symptomatum vehementiam, & humorum cruditatem, copiam, &c. victus plenior concedendus non est, sed potius tenuior: sin ob defectum substantiæ virium, ex vtilis, alimenti defectu, victus augendus erit.

Constat autem substantia corporis nostri immediatè triplici substantia, spirituosâ, nimirum, carnosâ, & solidâ, quarum singulæ per sui similia restaurationê insinuant: igitur vbi virtus incipit deficere ex defectu spirituum, quod confertim accidere solet, sui refectionem indicat per respirationem, transpirationem, & per eum, qui ex sanguine transmittitur, vaporem: sed vt vapor vtilis transmittatur, refectio fieri debet per alimentum spirituosum, id est, tenue, aëreum, humidum, qualia sunt liquida reficientia; vt vinum, iura reficientia cum aquâ cinamomi & similibus: si ratione substantiæ solidæ virtus deficiat, vt in phtisicis, indicant custodiam per nutrimentum solidum, vt caro caponis, vituli, cancrorum, morsulæ ex pineis, pistaceis, amygdalis & similibus: sin ratione carnosæ substantiæ, per nutrimentum, quod in medio humidorum & solidorum corporum est, pro modo affectus, & prout morbus magis minusue vrgeat, celeriusque moueatur. Nam in victu ægrorum constituendo conferendæ sunt vires cum morbo, & obseruandum, verum morbus an vires magis vrgeant, vt ei quod maximè vrgeat, primùm occurramus, altero non neglecto.

Virium defectus alimentum indicat, & quò debiliores ex defectu boni alimenti, eò magis vrgent, siue maiorem refectionem requirunt: morbus quidem alimentum non indicat, sed paruus id permittit, quod vires præscribunt, magnus prohibet, & eò magis, quò magis vrget, & vehementius sæuit: quare in ægris virtute maximè vigente ob virium dissolutionem, sed morbo non vrgente, confestim plenior victus ratio conuenit, quò vires deficientes refici queant: contrà virtute non vrgente, morbo vehementissimè vrgente, vt in exquisitè peracutis, victus exactè tenuissimus: at nec morbo, nec virtute vrgente, vt si morbus paruus sit, & vires validæ, media victus forma: morbo & virtute mediocriter vigente, victus simpliciter tenuis: morbo mediocriter vrgente, virtute non vrgente, victus exquisitè tenuis: morbo vehementissimè vigente, virtute paululum, victus simpliciter tenuissimus: eadem in cæteris ratio. Sed in his omnibus declinare oportet potius ad excessum quam defectum, quia virium est præcipua dignitas, & ægri defectum grauius ferunt, potissimùm in principio & augmento. Status autem morbi à Gal. tripliciter sumitur: Primò *in libris Crisium*, quoad concoctiones, nam in statu viget concoctio, quo tempore potissimùm fiunt crises, in principio omnia crudiora sunt: Deinde *libro de morborum temporibus*, quoad dispositionem affectus, vt quando inflammatio distinguitur secundum magnitudinis incrementum: Tertiò *com. in* 1. *Aphor*, quoad symptomata, & symptomatum sæuitiam.

Verùm status si sumatur pro materiæ morbificæ concoctione, quia nullum certum definitum tempus habet, ob materiæ diuersitatem & virium inæqualitatem, ac varium motum in morbis, ab eo non poterit sumi mensura victus: eadem ratio est si status pro crisi sumatur: Nec etiam à statu, quoad effectus dispositionem sumi potest victus forma: Nam dispositio per se nullum præbet iudicium, nisi quatenus actiones lædat; relinquitur igitur quòd victus norma sumenda potissimùm sit statu, quoad symptomatum sæuitiam, quo tempore maximè sæuit morbus; & id prohibet, quod vires insinuant: circa principia enim & finem, teste Hipp. & Gal. omnia imbecilliora sunt; circa statum symptomata maximè vigent, quo verò tempore maxima vis morbi est, victu tenuissimo vtendum erit: verum cum statu quoad symptoma vtile erit coniungere considerationem concoctionum, & dispositionum morbi, vt factâ ex omnibus collatione faciliùs certiùsque queamus debitam victus formam præscribere. Aquo statu sumenda sit victus forma.

Status autem quoad symptomatum sæuitiam accidit non solùm, quando vigent concoctiones, sed etiam in principio, quando materia cruda & copiosa est, ac præsertim in progressu morbi, quando incipit concoctio: Nam vt *Hipp. l. b.* 1. *Epid. sect.* 3. morborum triplex est ratio, quoad symptomata: quidam statim vigent, id est, cum grauissimis symptomatibus incipiunt, qui deinde paulò post incipiente concoctione minuuntur, quod accidit in pleuritide & peripneumoniâ, & plerisque inflammationibus neruosarum partiû, in febribus nonnullis tertianis, &c. ob summam materiæ copiam, cruditatem, crassitiem, acrimoniam, &c. in initio morbi, quæ incipiente concoctione paulò post mitescunt: veluti in pleuritide & peripneumoniâ dolores sensim desinunt, vbi sputa apparere, & aliquid effatu dignum expurgare cœperint: nec alia est causa, quòd mors in principio accessionum interdum accidat, vt testatur *Gal.* 3. *de Crisibus cap.* 9. mors verò in deteriori parte paroxysmi euenire solet. Triplex ratio morborum quoad symptomata. 1. Morbi cû grauissimis symptomatibus incipientes qui sensim minuuntur.

Deinde alij morbi contrà leniter incipiunt, paulatim augentur, aut sub, ac in crisi maximè vigent, nimirum quorum materia ad vnam criticam excretionem reseruatur, vt pleræque febres continuæ: vnde quo tempore complentur concoctiones, maximè vigent symptomata, tum ob materiæ putredinem, tum ob maximum certamen naturæ cum morbo. 2. Morbi quib. symptomata paulatim augentur ad crisin vsque.

Tertiò aliqui morbi mediam naturam habent, leniter incipiunt, augentur, vt vbi ad vigorem symptomata deuenerint, rursus ante crisin paulatim sese remittant; quod euenire consueuit in morbis, vbi mali humores cum bonis commixti sunt, ex commotione humorum: nam in progressu sæpè vi morbi concitatis humoribus vehementissima symptomata oriuntur, quæ circa crisin sedantur aut mitigantur. 3. Morbi quib. symptomata se se remittût ante crisin.

Cùm autem authore *Hipp. Aphor.* 8. *lib.* 1. tenuissimo victu vtendum semper sit eo tempore, quo morbi maxima vis est, igitur in morbis, qui cum vehementissimis symptomatibus incipiunt, quæ postea sese remittunt, victus statim initio tenuissimus esse debet, & remissis symptomatibus nonnihil augendus, vt vires reficiantur, & concoctio meliùs procedat; contrà in morbis, quorum materia ad vnam criticam excretionem reseruatur, aut qui circa crisin maximè sæuiunt nam in principiis alere conuenit, in, aut circa statum parciùs multò. At quando in progressu sæuit morbus, & circa crisin symptomata esse nonnihil remittunt, in principio pleniùs: in progressu, vbi sæuiunt symptomata, tenuissimè: circa crisin, mædio modo ægri alendi sunt. In singulis horum morborum quomodo victus instrui debeat.

Secundò, quantitas alimenti in victus ratione sæpè sumitur pro forma victus, siue efficaciâ alimenti maiori aut minori ad nutriendum: propriè pro copiâ maiori vel minori alimenti cuiuscunque formæ non rarò pro formâ victus & copiâ. 2. De quantitate alimenti.

Norma autem quantitatis propriè dictæ est virium robur, in sanis absolutè: in ægris, prout permittit aut prohibet morbus & morbifica causa: semper enim in sanis, quò virtus robustior, & vis caloris natiui maior, non solùm plenior victus, sed etiam maior ciborum copia exhibenda erit. Norma quantitatis.

Æstimatur virium robur ex ætate, temperamento, habitu corporis Vnde co-

gnoſcitur vi iam robur. corpori, conſuetudine, vitæ inſtituto, aëris conſtitutione, tempore anni, regione &c. Nam qui creſcunt, vt pueri & adoleſcentes, plurimum habent calidi innati, & corporis habitum rarum, ideo plurimo egent alimento, & potiſſimum qui naturâ viuidiores ſunt, alioqui corpus abſumitur: ſenibus contrà parum caloris natiui ineſt, ideò medium facilè ſuſtinent, & paucis fomentis indigent: à multis enim ca or natiuus obruitur. Qui mediæ ætatis ſunt inter ſenes & eos, qui creſcunt, medio modo ſe habent, & quò magis ad ætatem ſenilem, eò minori; quoad iuuenilem, eò maiori alimentorum copiâ indigent, ſi temperamentum, conſuetudo & ſimilia concurrant: nam in quâlibet ætate qui viuidiores ſunt, temperamenti calidioris, difficiliùs inopiam alimenti ferunt: eodem modo, qui pluribus alimentis, aut multis laboribus & exercitiis dediti: nam vbi fames, ibi laborandum non eſt. In temporibus anni & regionibus eadem eſt ratio, ſicut in ætatibus; nam hyeme primùm ventres naturâ calidiſſimi ſunt, & ſomni longiſſimi, ideò eo tempore alimenta copioſiſſimè exhibenda erunt; ſecundò vere; pauciora autumno, pauciſſima æſtate, comparatione aliorum temporum: ſimilis ratio in regionibus; Nam in regionibus frigidis homines maiorem copiam cibi requirunt, quàm in temperatis; & in temperatis, quàm in calidis.

Quantitas [illegible] in ſanis. Commune præceptum in ſanis eſt, eam cibi copiam ingerere; quæ grauitatem ventriculo non inferat, nec reſpirationis paruitatem, cùm ſanitatis ſtudium ſit, non ſatiari cibis, & ad labores impigrum eſſe; cibi verò tantum ingeratur, quantum par laboribus: quare peccant, qui vitam ſedentariam & in otio literarum agentes, plurimam variorum ciborum copiam ingerunt, idque præter conſuetudinem; qui enim parum laborat, minùs comedat: verùm in iis, qui naturaliter frigido ſunt ventriculo, minùs comedendum erit, quàm appetitus poſtulat, quia plus appetunt quàm concoquunt; At ſi quis prauâ conſuetudine aut ciborum illectamentis pluſculum ingerat, optimum exiſtimatur vnicâ die in ſeptimanâ, aut à meridie in meridiem à cibo penitus abſtinere, ſimulque ſomno, & quieti indulgere: verum vbi ex copiâ aut prauitate alimenti cruditas oritur, ſatius putatur parum alimenti, ſed boni ſucci concedere; quàm à priſtinâ conſuetudine multum recedere; imò in robuſtis aſſuetis poſt crapulam veſpertinam manè vinum indulgere. Verùm ſani benè valentes non tenentur ita exactam victus rationem ſeruare, ſed ægri aut valetudinarij.

In ægris aut ſanis non bene valentibus debita quantitas alimenti æſtimari debet non ex ſolis viribus, ſed ex comparatione virium cum morbo, & morbificis cauſis: & quanquam virtus, quò robuſtior, eò maiorem quantitatem indicat; tamen eam quantitatem magnitudo morbi minuit, & eò magis, quo magis vrget morbus, & morbifica cauſa. Forma autem victus in morbis, manente eâdem conſtitutione, mutanda ſtatim non eſt, ſed potiſſimùm quantitas, prout morbus incrementum ſuſcipit, vt enim ſe habet victus tenuior & craſſior, ad morbum magis minúſue acutum; ita ſe habere debet quantitas maior minorque eiuſdem formæ, ad diuerſas eiuſdem morbi diſpoſitiones: nam maior quantitas eiuſdem formæ, minùs graui eiuſdem morbi diſpoſitioni conuenit; minor quantitas magis graui; igitur virtus valida cum paruo morbo magnam alimenti copiam, cum magno morbo paruam indicat: debilis verò virtus, licet paruam quantitatem indicare videatur, tamen quia cum tali victu vires in certamine ad extremum morbi perdurare nequeunt, vt defectui virium occurramus cogimur maiorem copiam exhibere, aut ſæpè parumque: Impura verò corpora, ſiue in ægris, ſiue neutris pleniùs nutrienda non ſunt.

3 Qualitas victus. Qualitas victus ſumitur ex qualitate ſiue proprietate alimentorum: alimenta autem vt ſuprà diximus, alia tantùm alimenti rationem habent, alia alimenta ſimul ſunt & medicamenta, quæ calefaciunt, refrigerant, craſſum aut tenuem ſuccum gignunt, &c. Idonea qualitas in victus ratione ſumitur in ſanis ab ipſâ naturâ, quæ vel ingenita eſt, & dignoſcitur ex temperamento & ætate; vel acquiſita potiſſimùm longâ conſuetudine; cum his coniunge regionem, anni tempus, & cœli ſtatum, quorum omnium eadem ratio non eſt: nam regio & cœli ſtatus, ſi temperata, ſimilia indicant: ſi intemperata, ſemper contraria: at ætas & temperamentum, licet intemperata, non ſtatim indicant contraria, niſi mediante conſuetudine; ſi enim puer fuerit temperamento humido ac humidis aſſuetus, humidum victum concedemus: at ſi vir ſit ſicci temperamenti, ſed aſſuetus humido victui, ſiccum non dabimus, ſed potiùs humidum; quia conſuetudinis, vt demonſtrat Galen. *cap. vlt. lib. 8. Meth.* tanta vis eſt, vt indicatio ſumpta à conſuetudine, potior multò ſit indicatione ſumptâ à temperamento & ætate: conſueta enim alimenta licèt non ſatis boni ſucci minùs moleſtant; faciliuſque vincuntur, & iucundiora ſunt; iucundiora autem, quàmuis paulò deteriora melioribus ſed ingratis præferenda eſſe cenſet *Hipp. 38. aph. 2.* qui ſuauiora ventriculus meliùs complectitur & concoquit.

Quibus at- In non benè valentibus, qui pituitam aut crudos humores coaceruare ſolent, ſecurior eſt diæta attenuans, quàm incraſſans; nam obſtructiones aperit, craſſa extenuat, viſcoſa incidit & expurgat, ſed modicè alit & firmitatem corporibus non addit, quare ab attenuantium ciborum vſu bilioſos abſtinere conuenit, quia ſeroſa & bilioſa coaceruant, tandemque ſanguinem atrabiliarium: Cibi verò incraſſantes multum alunt, ſi in ventriculo & iecore probè concoquantur, verùm diuturnitate temporis iecur & lienem obſtruunt, tamen illi craſſâ diætâ tutiſſimè vti poterunt, qui latas venas habent, probè concoquunt, exercitiis dediti ſunt, benè dormiunt, talique victu vti conſueuerunt: qui verò ante cibum ſeſe exercere nequeunt, alimenta craſſi ſucci vitare debent; optima igitur ſunt alimenta, quæ inter attenuantia & incraſſantia medium locum obtinent, vt ſuprà dictum eſt. Verùm à cibis praui ſucci, & à magnâ varietate ciborum diuerſæ naturæ, quorum alia celeriùs alia tardiùs conficiuntur, abſtinendum erit, vnde multæ corruptelæ cruditas oritur. Malum quoque eſt tempus cœnæ aut prandij ad multas horas extendere, vt primus cibus digeratur, quàm aduenerit vltimus.

Præterea in cibis ordo obſeruandus eſt, vt ea præcedant, quæ faciliùs ſuperantur, nec longâ morâ in ventriculo corrumpuntur, citiuſque deſcendunt, vnde præcipit Galenus *2. de aliment, fac.* mala perſica, ceraſa, & ſimiles fructus horæos, quia facilè deſcendunt & facilè corrumpuntur, in primâ menſâ offerre: nam in ſanis, quibus ventriculus temperatus, beneque conſtitutus eſt, conſultiſſimum videtur, liquida & tenuia ſolidis præmittere: verùm iis, quibus ventriculus laxior eſt, præſtiterit in primâ menſa ſolida & aſtringentia exhibere. Deinde robuſtis, aſſuetis craſſioribus alimentis initio prandij aut cœnæ (vt paſſim in Saxoniâ) cogimur aliquid conſuetudini indulgere; ac præterea in iis, quibus ſtomachus calidus eſt, & bilioſis humoribus refertus, aut alimenta in bilem aut fumoſos vapores corrumpuntur, præmittere ſolida tenuibus, aut ſimilis naturæ cibos exhibere, qui non facilè corrumpuntur, & calori natiuo nonnihil reſiſtunt.

In ægris indicatio qualitatis victus à tribus potiſſimùm ſumitur, à morbo, à conſuetudine, & à naturali temperamento: quibus additur aër ambiens; morbus contraria, conſuetudo & naturale temperamentum ſimilia indicant, aer, ſi morbus contrarius, è præſidiorum numero vnus eſt; ſi ſimilem intemperiem habeat contraria vt morbus exigit.

Quod innuit Hippocrates *16. aph. lib. 1.* victus humidus febricitantibus accommodatus eſt, maximè verò pueris, & aliis qui tali victu vti conſueuerunt. Hæc indicantia interdum conſentiunt in vnum, aliquando diſſentiunt, potiſſimum morbus & conſuetudo: nam naturale temperamentum ſemper coindicat morbo, qui ſui ablationem indicat, vnde reducitur æger ad priſtinum temperamentum; vbi autem in vnum conſpirant indicantia, ſtatim exhibendum erit; ſi diſſentiant morbus & conſuetudo, veluti ſi morbus calidus & ſiccus ſit, qui expoſcit victum frigidum humidum, & æger calido ſicco aſſuetus, conſiderandum erit an tali victui aſſuetus ſit, quod frigidorum humidorum vſu malè haberet, aut deteriùs, quàm calidis ſiccis, aut à frigido humido nihil incommodi percipiens; ſi priùs contingat, medio aut temperato victu vti debet, ſi ſecundum, morbo contrario victu occurrendum erit, ſed ſimul aliquid dandum conſuetudini, minùs tamen, quam in tertio caſu. Conſulit Hippocrates *lib. de Morbis.* laborantes tali victu vti, quali tempore ſanitatis vti conſueuerunt, ſed primùm adhibitâ concoctione, iuxta affectus naturam, deinde quia fortiora ſunt, detracto nonnihil ipſorum vigore pro magnitudine affectus, vnde Celſus monet; cauendum eſſe ne in ſecundâ valetudine aduerſæ præſidia conſumantur, quod euenire conſueuit, vbi ſani nimis molli & delicatâ victus ratione vtuntur. Tandem in morbis vbi ardet appetitus cupiditate alicuius cibi etiamſi non ſatis boni ſucci, rariſſimè denegandum erit: nam cibus quò magis appetitur, meliùs concoquitur, & minùs excrementi relinquit.

Quartò tempus offerendi cibi ſumitur à preſentiâ virtutis conſueto tempore potiſſimùm vrgentis, quæ ſemper conſeruanda eſt, ſi nihil eius actionem impediat; impedit in ægris morbus, in ſanis & ægris cibus priùs exhibitus nondum concoctus, aut excrementa, quæ nondum excreta ſunt, nec deſcenderint, quibus dum natura intenta eſt, nouos cibos perfectè concoquere nequit; quare in ſanis tempus cibandi optimum eſt hora conſueta ſanitatis priori cibo confecto & ventriculo exonerato, fameque nonnihil vrgente; nam vt horam illam anteuertere cruditatis cauſa eſt, ita tempus pro trahere, & diu famem tolerare ventriculum prauis humoribus replet: at ſi conſueta hora opportuna non ſit, & ob vitæ inſtitutum & negotia vacare nequeant, conſultiſſimum erit, conſuetudinem ſenſim pro vitæ inſtituto mutare, veluti qui variis reipublicæ negotiis interdiu impediuntur, mane leui ingeſto cibo, veſperi pleniùs cœnare, & à prandio potiùs abſtinere, quàm nunc circa meridiē, nūc poſt horam 2. aut 3. pomeridianam prandere. Dandus autē cibus non eſt quo tēpore à naturâ elaborari nequit, ideò anhelantibus ab exercitiis cibus aut potus offerri nō debet, ſed ſedatâ priùs turbatione corporis.

In

In ægris tempus cibandi æſtimatur ex virium præſentiâ iuxta ægri conſuetudinem tempore ſanitatis, & virium tolerantiam, tolerant vires ægri facillimè cibum quo tempore minùs à morbo grauantur, proinde in morbis, qui typos non habent, tempus ſumendi cibi ſit hora conſueta tempore ſanitatis: In continuis hora minoris afflictionis: in intermittentibus tempus declinationis, aut hora quæ longiſſimè recedit à paroxyſmorum incurſu: nam in paroxyſmis cibos præbere noxium eſt, ſemper autem, ſi quis certo viuendi genere quàm plurimò tempore ſanus permanſerit, ad aliam conſuetudinem nullo modo reducendus eſt, quia ſi illa victus conſuetudo naturæ conueniens non fuiſſet, eam tolerare nullo modo reducendus eſt, quia ſi illa victus conſuetudo naturæ conueniens non fuiſſet, eam tolerare nullo modo potuiſſet: at in ægris mala conſuetudo & naturæ intemperatæ (vt monet Galen. 5. *de ſanit. tuend.*) mutanda non ſunt tempore ægritudinis, ſed ſenſim tempore ſanitatis.

Tandem modus cibandi, an rarò aut ſæpè, & ſingulis vicibus, an parum aut multum exhibendum ſit, æſtimatur in ſanis ex viribus tantùm pro modo indigentiæ, in ægris habitâ ratione morbi; ac in vtriſque condonantes ſemper aliquid tempori, regioni, ætati, & conſuetudini, vt præſcribit Hippocrates 17. *aph.* 1. Verùm ſani benè valentes, vt monet Celſus nullis obligare ſe legibus debent, nullum genus cibi fugere, quo populus vtatur, interdum in conuiuio eſſe, interdum ſe ab eo retrahere, & bis in die potius quàm ſemel cibum capere, & ſemper quàm plurimùm, dummodo id concoquant, benè dormiant, ſeſeque frequentiùs exercere queant: verùm robuſtis plus ſemper exhibere conuenit, debilibus parum ſæpéque, & hyeme, aut in regionibus ſeptentrionalibus, plus quàm æſtate & in meridionalibus, offerre; & iuuenes pleniùs ſæpiuſque quàm ſenes, & aſſuetos, quàm non aſſuetos nutrire.

In ægris verò comparandæ ſunt vires cum morbo: vires aut ſunt debiles, mediocres aut robuſtæ, morbus verò, aut cum humorum defectu, copiâ, aut corruptelâ: vires robuſtæ copioſa, debiles pauca, mediocres mediocria exigunt; humorum defectus copioſa indicat, vt deperditum reficiatur, humorum copia, pauca: corruptela, vt malignitas omnis contemperetur, copioſa alimenta: quare in morbis, ſi virtus ſit valida cum humorum copiâ, vt in plethoricis, rarò paucis nutriemus. Sin vires validæ cum humorum defectu aut corruptione, ſæpè multumque, modò paroxyſmi & ſymptomata non prohibeant; tum enim parum ſæpeque dare conuenit; at ſi vires debiles fuerint cum humorum copiâ aut mediocritate aliquâ, rarò & pauca offeremus, & eò minùs quò maior copia: ſin vires debiles cum humorum defectu aut corruptione, parùm ſæpéque exhibere decet, & in corruptione humorum epicraſi aliquâ vti, ſiue paulatim euacuare, & paulatim reficere: nam impura corpora, quantò magis nutries, tantò magis lædes, verùm in his dandum aliquid tempori, regioni, ætati, & conſuetudini.

Ad tempora quod attinet, æſtate pauciora offerre conuenit, quia vires debiles ſunt ex defectu innati caloris, ſed ſæpè, quia corpora plurimum diſſoluuntur: contrà hyeme in ſanis, multa, ob vim caloris natiui, & rarò, quia corpora parum difflantur: in ægris verò licèt poſitâ morborum inæqualitate virtus hyeme robuſtior ſit, quàm in æſtate, tamen, quia virtus naturalis membrorum non ita operatur in ſanis, vt in ægris, vincet indicatio ab ægritudine indicationem ſumptam à viribus, ideò Auicenna in ægris hyeme minùs exhibet quàm æſtate: & Galenus *Commen.* 44. *libro* 1. *Acut.* minùs exhibet temporibus minùs calidis, vbi ex proportione defluxus cibi quantitatem definit; vere medio aut æſtati proximo, pauca & rarò offeremus, quia eo tempore ægri aut plethorici ſunt, aut ad plethoricam diſpoſitionem proximè accedunt, ob fluxionem aut reſolutionem humorum, qui hyeme concreuerunt. Autumnalis conſtitutio aſſimilatur morbis ex corruptione humorum, ideo ſi vires validæ ſint, multum & ſæpè cibandum erit, ſin debiles parum ſæpéque, verùm ſani æſtate & autumno cibos difficillimè ferunt, hyeme facillimè, vere medio modæ. Eadem propemodum ratio eſt in regionibus, ætatibus, & conſuetudine ſumptâ indicatione à viribus & corporis diſpoſitione; nam ſingula aut fortes aut debiles vires & vim caloris natiui efficiunt vel arguunt. Deinde ipſum corpus diſponunt vel ad humorum copiam, vel ad corruptionem, vel ad vtilis alimenti defectum; quare iuuenibus ob robur virium, & multam corporis difflationem plus, ſæpéque dandum quàm ſenibus; & Septentrionalibus, ob vim caloris innati, quàm Meridionalibus, & aſſuetis ob robur virium, quàm non aſſuetis, & exercitatis ob multam difflationem: quàm non exercitatis.

Temporum interualla in ſanis dependent potiſſimùm à conſuetudine: In ægris magis incerta ſunt, vt ſupra demonſtratum eſt. Deinde certa quantitas ſingulis vicibus accuratè determinari nequit, ſed à viribus dependet, pro varietate concoctionis & diſtributionis alimenti per corpus, ac diſpoſitionis corporum & humorum in ventriculo aut venis: concoctio autem quiete perficitur, & potiſſimùm calore natiuo ad interiora retracto, vt in ſomno, digeſtio verò meliùs motu corporis & exercitatione: corpora autem alia meliùs comparata ſunt ad concoctionem, quàm diſtributionem, alia magis ad diſtributionem, vt calida ſicca, rari habitus, quæ latas venas habent, multiſque laboribus dedita ſunt, multumque difflantur; proinde qui meliùs alimenta concoquunt, quàm digerunt, vt diſtributio melior fiat, plus cibi in prandio quàm in cœnâ aſſumere deberent, contrà qui meliùs digerunt quàm concoquunt, vt meliùs concoctio procedat, plus in cœnâ.

Qui æqualiter digerunt & concoquunt, tantum in cœnà, quantum in prandio, aut paulò plus, quia plus temporis intercedit inter cœnam & prandium, plus etiam in cœnâ aſſumant benè valentes, aſſueti plus veſperi ingerere, ac qui multis negotiis interdiu occupati ſunt: Verùm diſpoſitiones partium & humorum in ventriculo & venis, contrarium interdum fieri ſuadent: nam qui catarrhis, epilepſiâ & ſimilibus morbis capitis obnoxij ſunt, quia ſomnus caput replet, imprimis ſi adſit redundantia crudi humoris in ventriculo, tales à copioſá cœnâ abſtinere debent, & plus in prandio aſſumere. In conualeſcentibus aut extenuatis, qui longo tempore extenuati ſunt, lentè reficere oportet inprimis alimentis ſolidis: qui breui breuiter, alimentis magis humidis: *Hipp.* 7 *Aphor.* 2. Prandium an cœna largius eſſe debeat?

VI. *Signa ſanorum ſpectantur in genere & in ſpecie.* Signa ſanitatis.

In genere hic eſt canon: Signa ſanitatis ſunt, quando opera partium ſunt tempeſtiua, & quantitate qualitateque moderata. *In ſpecie* ſunt ſigna accuratè ſani, vel deflectentis ab accuratâ ſanitate. *Signa accuratè ſani* ſunt actiones animales motibus validæ & concinnæ, ſenſus integri, inſomnia leuia & pura, cupiditates intra modum, thymoſes virtutibus conſentientes, pulſus & reſpiratio mediocres, actiones naturales tempeſtiuæ, humores & excrementa nec quantitate nec qualitate moleſta; ſanguinis pars maxima, mox pituitæ, tum melancholiæ, dehinc bilis; deiectio conſiſtentiâ mediocri, colore paululum bile tincta, quantitate reſpondens eſculentis; vrina conſiſtentiâ mediocri, clara, pellucida, colore ſubaureo, quantitate reſpondens eſculentis; color cutis floridus, & tanquam ex albo & rubro pariter miſtis; crines capitis inter denſos & tenues moderati, interque criſpos & rectos medij. *Signa ſanitatis deflectentis calidæ humidæ* ſunt ſenſus hebetiores, motus temperatis tardiores, inſomnia viſis plena, propenſio ad iram, pulſus molles, ſanguinis redundantia & ſeminis, calor ſanguineus, excrementa copioſa & moderatè cocta, corpus mollius & carnoſius temperato, capilli ſubflaui, recti, plani, craſſi, molles: *calidæ ſiccæ*, motus perfectus, mobilitas in opinionibus, celeritas motûs, ſomni leues breueſque, inſomnia ignea, ingenij celeritas, audacia, temeritas, ad Venerem propenſio, vox clara & aſpera, excrementa pauca, ſemen paucum & craſſum, pili citò & multùm aucti, cutis dura & nigella. *Signa ſanitatis deflectentis frigidæ humidæ* ſunt ſenſus obtuſiores, motus tardiores, ſomnolentia, ſomnus grauis & profundus, pulſus molles ac parui, iræ minimè tenaces, penes tarda erectio, emiſſio ſeminis velox, excrementa multa, ſemen tenue & aquoſum, corpus molle & laxum, pili albicantes & molles: *frigidæ ſiccæ*, corpus duriuſculum, tenue, reſpiratio & pulſus tardiores ac rariores, ira tenax, ſanguis parcus, ſemen paucum. *Rari corpore* maximam partem calidiores humidioreſque exiſtunt; tactu molles, facilè ac citò exercitatione ſudantes, laboribus citò exſoluti, externis facilè offenſi. *Denſi corpore* habent ſigna his contraria.

VII. *Qui ſunt accuratè ſani, vel non adhibebunt pharmaca, vel adhibebunt fouentia: qui verò deflectunt ab accuratâ ſanitate, vtentur primò lenibus purgantibus, deinde fouentibus, ſed tamen vtriſque parcè, inprimis prioribus.* Remedia ſanitatem tuentia.

Sanitas eſt medium latitudinis, & proinde varios admittit gradus. *Quicunque* ergo *ſunt accuratè ſani*, contenti erunt diætâ, & ſi cauſa incidat, vtentur pharmacis fouentibus, ſiue ſimplicibus, vti ſunt cubebæ, nux muſcata &c. ſiue compoſitis, vti eſt Electuarium cordis Petri Aponenſis, Reſtaurantium Rantzouij, & Medicamentum Hieronymi Brunſuuick, de quibus vide *Rantzouium lib. de conſeruandâ valetudine cap.* 27. Quod attinet ad illos, *quorum ſanitas deflectit ab accuratâ*, illi leni purgatione interdum vtentur, inprimis aloe, & ex fouentibus adhibebunt lapidem bezoar.

Caput VIII.

Prophylactica Galenicorum.

Præcepta.

Prophylactica est doctrina, quâ sanitas in morbos prona erigitur. *Usitatè dicitur* Medicina neutrorum.

Eius partes duæ sunt; sanitatis nimium flectentis emendatrix, & errorum diæta correctrix.

Sanitatis nimiùm flectentis emendatrix est vel craseos, vel conformationis.

Crasis nimiùm flectit, vel cùm aliqua tantùm membra crasi flectunt, vel cùm pariter omnia, siue totum corpus. Ibi potissimùm sunt partes publicæ ac principes, vt caput, ventriculus, cor, pulmo, iecur, lien, testes, vterus.

Conformatio nimiùm flectit ad nimis raros vel densos corpore.

Prophylactica corrigens errores diætæ inprimis est circa cibum & potum, aërem, & exercitationem.

Error circa cibum est repletio vel inedia: circa potum, crapula.

Error circa aërem corrigitur prophylacticâ quatuor temporum, id est, veris, æstatis, autumni, & hiemis; aëris pestilentis.

Error circa exercitationem est lassitudo vel inanitio corporis ex labore.

Regulæ.

Crasis duobus modis nimium flectit.

I. *Crasis nimium flectens flectit ad calidum vel frigidum; & vtrumque humidum, vel siccum: idque ratione partium principum, & totius corporis.*

Sanitas flectens plurimùm differt à sanitate nimis flectente. Nam illa est in statu naturæ; hæc nonnihil ab isto statu recedit. Vtrobique tamen hoc est commune, quòd flectitur ad calidum vel frigidum; & quidem ad calidum humidum vel siccum, itemque ad frigidum humidum vel siccum. Itaque oportet ire per singulas partes principes, & corrigere crasin cerebri, cordis &c. nimis flectentem ad calidum humidum vel siccum, & ad frigidum humidum vel siccum. Correctio fit secundùm sex res non-naturales. Quam doctrinam breuiter & eleganter tractauit *Timotheus Brigthus in sua Higieina:* quò te amandare iubet compendij nostri ratio. Cæterum Prophylactica hîc sumitur κατ' ἐξοχὴν, siue strictè. Nam latè est prophylactica alia sanorum, alia ægrorum.

Conformatio nimium flectens.

II. *Conformatio nimiùm flectens eodem corrigitur modo, vt crasis nimiùm flectens.*

Nimirum & hîc oportet percurrere sex res non-naturales, & indicare quomodo in raro & denso corpore se debeant gerere, si conformatio nimium deflectat.

Correctio diætæ.

III. *Correctio diætæ inprimis occupatur circa repletionem, inediam, crapulam, rectificationem aëris, lassitudinem, & inanitionem.*

Repletio est vniuersalis, vel particularis. Illa est totius corporis; hæc, partium publicarum, vt capitis, thoracis, ventris. *Inedia* est communis, vel planè singularis. *Crapula* est species quædam repletionis, coniuncta cum dolore capitis, & corporis lassitudine. *Rectificatio aëris* spectat aërem qualitatibus elementaribus temperatum vel intemperatum, aut venenatum; atque hîc est prophylactica pestis. *Lassitudo*, seu defatigatio, est ambulantium, equitantium, nauigantium, loquentium &c. *Inanitio*, ex labore, est leuior, vel grauior. Signa & cura singulorum occurrunt apud Brigthum d. l. & hinc inde in Medicinâ practicâ Rulandi, quam vide infrà.

Caput IX.

Therapeutica traditur.

Præcepta.

Media ægrorum propria sunt in Therapeuticâ & Chirurgicâ,

Therapeutica est doctrina de sanitate restituendâ. *Dicitur aliâs* medicina curatrix.

Eius partes sunt tres: Pathologia, Semeologia, & Antipathologia.

Pathologia, siue Nosologia, est doctrina de tribus rebus præter naturam: vti sunt causa morbifica, morbus, & symptoma.

Causa morbifica est externa seu manifesta, & interna seu occulta; & hæc præcedens, vel continens.

Morbus est constitutio corporis viuentis, præter naturam, quæ per se primò actiones notabiliter lædit.

Eius differentiæ spectantur in genere, & in specie.

Symptomata est affectus corporis viuentis præter naturam, morbum instar vmbræ consequens.

Semeiologia (nempe therapeutica) est ars insalubrium signorum.

Signa insalubria sunt, quæ partem affectam, morbi causam, speciem euentum demonstrant.

Signa ista sunt παθογνωμονικὰ, vel συνεδρεύοντα. Illa sunt διαγνωστικὰ, hæc προγνωστικά.

Signa pathognomica sunt, quæ perpetuò morbum comitantur, ita vt cum eo incipiant & desinant. *Itaque sunt propria & inseparabilia morborum accidentia.*

Signa συνεδρεύοντα, siue assidentia, sunt, quæ non semper, neque necessariò, sed vtplurimùm morbis accidunt. *Itaque sunt communia & separabilia morborum accidentia.*

Signa diagnostica partem affectam, morbum, & causam morbificam demonstrant: prognostica durationem & euentum morbi prænuntiant.

Signa prognostica sunt peptica, vel chrisima.

Signa peptica sunt, quæ breuitatem aut longitudinem morbi demonstrant.

Signa chrisima sunt, quæ morbi euentum & consequentia ostendunt.

Antipathologia est doctrina de curatione morbi & symptomatis, quæ fit per adiectionem & subtractionem.

Estque prophylactica diætetica vel pharmaceutica.

Prophylactica hoc loco docet rationem præseruandi corpus ægrum, dum morbi in fieri sunt.

Diætetica hoc loco præscribit diætam ægrorum.

Pharmaceutica tradit pharmaca cuilibet morbo symptomati conuenientia; eaque præseruantia, purgantia, vel refocillantia. *Illam vide paulò antè cap. 8. hanc paulò post in Medicinâ practicâ Rulandi.*

Regulæ.

I. *Therapeutica latè est medicina, sanitatis curatrix: strictè est ea pars therapeuticæ, quæ dicitur antipathologica.* Therapeutica

Tria præcipuè sunt muuera medicinæ, conseruare, præseruare, curare. Itaque & tres sunt partes medicinæ operatricis conseruatrix, præseruatrix, & curatrix. Illa Higieina, ista Prophylactica, hæc Therapeutica dicitur. *Medicina conseruatrix* in eodem statu sanitatem tuetur ac conseruat, aut parua minùsque sensibilia vitia corrigit. Eius scopi tres sunt. 1. salubri diætâ restituere, quod à corporis substantiâ dissoluitur. 2. excrementa

excrementa expellere. 3. prohibere, ne homo citò senescat. Quod si in horum vsu error grauior sit commissus, *curatrice* opus erit. Nam præseruatio, siue præcautio, debetur corporibus sanis paratis ægrotare, quæ vulgò dicuntur neutra. At *curatio* morbum tantùm respicit. Itaque medicina conseruat corpora sana non parata ægrotare: præseruat corpora neutra, siue sana parata ægrotare: curat denique corpora non sana iam ægrotantia. Quanquam etiam est præseruatio corporum ægrorum. Non enim solum præseruantur corpora sana parata ægrotare, sed etiam ægra, dum morbi in fieri sunt, & à causâ fouentur. In morbis namque fientibus, qui causam antecedentem tollit, non propriè curare, sed quod futurum est præcauere & auertere dicitur; ex quâ præseruatione sequitur custodia naturalis habitûs. At curatio morbum tantùm respicit, & quantum morbi genitum est tollit. Quare præseruatio in ægris est cum curatione propriè dictâ; in neutris, cum conseruatione tantùm: sola verò conseruatio propriè sanis debetur. Itaque prophylactica est referenda partim ad medicinam conseruatricem, partim ad curatricem. Porrò medicina curatrix, siue therapeutrica, dicitur latè & strictè. Latè complectitur pathologiam & semeiologiam pathologicam: strictè distinguitur ab vtrâque, vt videre est apud Duncanum, qui lib. 2. tradit pathologiam, de morbis & morborum differentiis; lib. 3. Semeioticam; lib. 4. Therapeuticam, id est, vniuersalem medendi rationem & materias auxiliorum.

II. *Causa morbi (nempe efficiens) vel euidens & manifesta est, vel occulta & latens. Causa euidens dicitur procatarctica; estque necessaria, vel contingens. Causa occulta, siue interna, est primò congenita, vel adscititia: deinde* προηγουμένη, *vel* συνεκτική, *id est, antecedens, vel continens.*


Causa morbi manifesta est, quæ omnibus sensu nota est, ita vt ad eius cognitionem nullâ opus sit coniecturâ. Aliâs dicitur causa procatarctica, id est, præincidens, item causa recens & externa, denique occasio morbi. Hæc talis causa est necessaria, vel contingens. *Illa* complectitur res, quæ necessariò nobis occurrunt, & sine quibus viuere non licet: sub *hâc* continentur res, quæ nullâ necessitate obueniunt, & quas declinare possumus. *Causæ itaque morborum necessariæ* sunt res non-naturales, vtpote quæ ad vitam sunt necessariæ: putà 1. aër. 2. cibus, potus. 3. retenta, excreta. 4. somnus, vigilia. 5. motus, quies. 6. animi pathemata. Hæ res dicuntur non-naturales; quia vsu ipsarum moderato sanitas conseruatur; immoderato, morbi gignuntur: quare nunc causæ salubres, nunc insalubres vocantur. Cæteræ causæ procatarcticæ ad vitam necessariæ non sunt, sed fortuitò nobis obueniunt, vt casus, ictus lapidis vel gladij, contagium, venenum, & similia infinita. *Causa morbi occulta, siue interna*, originis suæ respectu, vel congenita & natiua est, vel adscititia. *Congenita*, in vtero, ab ipso ortu contrahitur: *adscititia* verò post ortum. Deinde causa interna, prout ad morbum producendum concurrit, est antecedens vel continens. *Antecedens* causa est, quæ affectum antecedit, & per se propriè tantisper durat, actuque mouet; donec effectus constituatur, siue continens morbi causa in actum deducatur. *Causa continens* est causa morbi immediata & adæquata. Porrò causa morbi interna est in partibus continentibus, siue solidis, vel in contentis, vel in spiritibus. Denique causa morbi est alia *primaria & principalis*, quæ propriâ ratione & per se sola vim agendi habet: alia *adiuuans*, quæ propriâ quidem ratione, sed non per se sola agere potest, nisi cum primariâ coniungatur: alia denique est *sine quâ non*, quæ nec propriâ ratione, nec per se sola agit, sed ab iis quæ agunt, seiungi potest.

III. *Morborum differentiæ in genere sumuntur à morbo, subiecto, & causâ morbificâ.* [Morborum differentiæ generales.]

In morbo ista quinque considerantur: morbi essentia, magnitudo, motus, mos siue modus, & exitus seu euentus. Ab essentiâ morbi sumuntur differentiæ specificæ, quibus genera & species morborum continentur: à cæteris omnibus differentiæ tantùm accidentales. Itaque *à morbi essentiâ* constituuntur tria prima & summa morborum genera: vnum, partium similarium dyscrasia siue intemperies: alterum, partium dissimilarium mala compositio: tertium, vtrique commune, vnitatis siue continuitatis solutio. *Intemperies* est, vbi elementorum debita proportio non est, sed vel vna sola qualitas tres cæteras vincit, vel duæ reliquas duas. Ea propriè tribuitur partibus similaribus: eiusque genera sunt octo; quatuor videlicet intemperies simplices, vbi vna tantùm qualitas exuperat, nimirum calida, frigida, humida, vel sicca: & quatuor compositæ, siue coniugatæ, nimirum calida humida, calida sicca, frigida humida, frigida sicca. *Mala compositio* est, vbi appropriata organi alicuius compositio per se labefactatur: quod quidem quatuor modis contingit. Ergo quatuor erunt genera morborum organicorum: vnum, conformationis; vbi est morbus in figurâ, superficie, & cauitate seu meatu: alterum, magnitudinis, auctæ scilicet vel diminutæ; tertium, numeri, ratione defectûs vel exuperantiæ; quartum connexionis, siue consensûs, & sitûs: ibi est coalescentia labiorum, strabismus &c. hîc luxatio, procidentia vteri &c. *Solutio vnitatis* tam similaribus quàm dissimilaribus est communis. Varia sunt ipsius genera: nempe vulnus, vlcus, ruptio, contusio, fissura, fractura, caries, conuulsio, diuulsio &c. Hæc sunt prima & simplicissima morborum genera, eorumque species, quibus corpus humanum contra naturam afficitur. Afficitur autem vel in vnâ parte, vel in pluribus; idque aut simplici aliquo morbo, aut composito. Componuntur autem morbi illi simplices multis modis: aut generis eiusdem, vt intemperies cum intemperie: vel generis diuersi, vt intemperies cum malâ compositione, aut vnitatis solutione. Rursus componuntur vel in vnâ particulâ, vel in diuersis particulis vnius organi. Hæ sunt differentiæ morborum essentiales: quæ sequuntur, sunt accidentales. Ita ergo morbus *à magnitudine*, causæ, effecti, & adiuncti, est magnus, paruus, vel intermedius. *A motu & duratione*, quæ diuiditur in quatuor tempora, principium, augmentum, statum, & declinationem; ab hoc, inquam, motu & duratione, morbus est breuis vel longus, acutus vel non, continuus vel intermittens; & hic habet suum typum & periodum. *Typus* est ordo intentionis & remissionis in morbo: *periodus* est tempus illius intensionis & remissionis. *Ex more, seu modo*, morbus est mitis & benignus, vel sæuus & malignus: *ab euentu*, salutaris, vel lethalis. *Differentiæ morborum à subiecto* & ipsæ sunt variæ. Nam *ratione naturæ* siue temperamenti, morbus est naturæ familiaris & cognatus, vel minùs cognatus: *ratione sexûs*, est virorum vel fœminarum proprius: *ratione ætatis* est puerorum, iuuenum, vel senum: *ratione loci & regionis* est sporadicus, vel pandemius; & hic endemius, vel epidemius: *ratione partium affectarum* est vniuersalis, vel particularis; itemque functionem lædit vel per se, vel per consensum, seu, per ἰδιοπάθειαν, vel συμπάθειαν. Tandem *à causis* oriuntur non paucæ morborum differentiæ. Ita enim morbus est legitimus, vel nothus, seu illegitimus: hæreditarius, à vitio seminis & materni sanguinis; vel à natiuitate, vel adscititius post partum: denique ab humoribus est morbus sanguineus, biliosus, pituitosus, vel melancholicus.

IV. *Differentiæ morborum in specie duobus potissimùm modis colliguntur.* [Morborum differentiæ in specie.]

Principio quidam obseruant ordinem alphabeticum: vt paulò pòst in Medicinâ practicâ Rulandi videre est. *Deinde* alij historiam morborum texunt methodicè: vbi maximè probatur hæc tabella.



V. *Symptomatis causa est morbus; differentia in genere triplex, in specie multiplex.* [Symptomatum doctrina.]

Cùm symptoma sit morbi effectus, & morbum ad instar vmbræ consequatur, necesse est omnium symptomatum *causam* morbos esse, & quoduis symptoma à morbo aliquo, vel immediatè, vel mediantibus aliis symptomatibus oriri. *Differentiæ symptomatum in genere* tres sunt. Et *primò* quidem symptoma morbum immediatè consequens, est actio siue functio læsa, quæ pro numero facultatis est animalis, vitalis, vel naturalis. Functio animalis est princeps, siue gubernans, motiua, & sensitiua. Functio princeps est imaginatio, cogitatio, & memoria: motiua in manibus est apprehensio, in cruribus ambulatio, in thorace respiratio, in linguâ locutio: sensitiua est visio, auditio &c. Functio vitalis est pulsus, affectus, & gene-

& generatio spiritus vitalis. Functio naturalis est nutritio, auctio, generatio, attractio, retentio, alteratio. Ex his omnibus & singulis differentiæ symptomatum actionis læsæ primùm sumuntur: deinde ex læsionis modo. Nam primum ex illâ actionis, siue functionis differentiâ, symptomata & facultatis principis, vt delirium, obliuio &c. vel motiuæ, vt conuulsio, prauitas vocis &c. vel sensitiuæ, vt peruigilium, vertigo &c. vel vitalis, vt pulsus debilis, syncope, lipothymia &c. vel naturalis, vt est appetitus abolitus aut deprauatus, *κακοχυμία, καχεξία, ἀτροφία* &c. *Secundum genus symptomatum* consideratur in habitu corporis, nimirum sensibilis qualitas: quò pertinent colores, soni, odores, sapores, magnitudo, numerus, & figura præter naturam. v. gr. color flauus in ictero, color niger in linguâ febricitantis, stridor dentium, graueolentia oris, humor salsus linguam imbuens, cutis arida, nasus acutus, oculi concaui, collapsa tempora, aures contractæ, crura dissecta &c. *Tertium genus symptomatum* in contentis consistit: vti sunt excrementorum & retentorum vitia. e. gr. profusio sanguinis præter naturam, excrementorum suppressio, excretio & retentio immodica excrementorum, & alia id genus. *Differentia symptomatum in specie* sunt vt differentiæ morborum. Itaque symptomata sunt cerebri, occulorum, aûrium, oris, cordis, hepatis &c. de quibus consule Duncanum inprimis & Riolanum.

Signa in sa- lubria.

VI. *Signa diagnostica præsentem statum ægri demonstrant; prognostica futurum prænunciant.*

Signa diagnostica iterum indicant partem affectam, vel ipsam affectum, siue morbum, eiusque caussam internam. Præcipua signa, quibus pars, seu sedes affecti dignoscitur, ad quinque capita solent reduci. Nam dignoscimus partem affectam 1. ab actione læsâ 2. ab excretis. 3. à situ. 4. à doloris proprietate. 5. à propriis accidentibus. quibus addi poterit colligantia siue consensus partium. Cognitâ parte affectâ plerumque vnà morbus & causa morbi interna manifesta erit. Nam pauca sunt signa, quæ non simul affectum vnà cum parte affectâ ostendant. Nihilominus accidit, vt cognitâ parte affectâ ignoretur, quomodo lædatur, an proprio affectu, an ex consensu: deinde, quâ specie morbi laboret, & an morbus in fieri sit, an factus: Præterea si plures morbi, an vnus alterius sit caussa, siue an vnus sit primarius, alius secundarius. Quæ omnia in curatione planè sunt necessaria. Dignoscitur autem affectûs siue morbi species omnium accuratissimè ex propriis symptomatibus, siue signis pathognomicis: quanquam Galenus præcipua affectuum signa ad quatuor genera reducit: quorum 1 sumitur ab excretis. 2. à loci natura. 3. à doloris proprietate. 4. ex propriis accidentibus. His addi poterunt alia signa, quæ sunt minùs principalia, quæ coniecturam confirmant, & sumuntur à promptitudine ægrotandi, seu ab habilitate ac inclinatione ad morbum. Porrò signa morborum vel sunt signa tantùm, vt symptomata consequentia morbos: vel sunt signa & caussæ simul, quæ morbos præcedunt & producunt. Inuento iam affectu, parteque affectâ, & caussis, mox ad *prognostica*, seu præsagia, accedere debemus. Sunt autem in ægris tria potissimùm præcognoscenda. 1. quò erumpet morbus, an ad salutem, vel exitium. 2. quo tempore potissimùm. 3. quisnam sit futurus modus salutis vel mortis. Signa, ex quibus hæc præcognoscimus, triplicia ferè sunt: primò, salutis & mortis: secundò, concoctionis & cruditatis: tertiò signa critica, seu decretoria, & modi euentûs. Sumuntur autem signa prognostica non ab effectis (cùm effecta futurorum nondum sint) sed à caussis proximis, nempe à morbo, & à naturâ seu viribus laborantis, quæ duo inter se pugnant: ex quorum vehementiâ & viribus, vtrius sit futura victoria, deinde quando sit futura, & quomodo, prævidet medicus. Quare duo erunt fontes signorum prognosticorum, duplicia que signa, quorum alia sumuntur ab ipso morbo, alia à naturâ laborantis, & ab iis, quæ circa laborantis corpus apparent. Ac primùm in morbo quinque sunt consideranda 1. idea, seu species morbi. 2. magnitudo. 3. mos. 4. motus. 5. euentus seu exitus. Deinde signa sumpta à statu laborantis triplicia sunt. nam alia ad functiones referuntur, alia ad excrementa, nonnulla ad ipsum ægri corpus pertinent. Ex his itaque signis vires ægri & morbi æstimantur: ex quarum cognitione omnis morbi euentus, euentûsque differentia, tempus, & modus præcognoscitur. Verùm cum morbo morbi caussas & symptomata coniungere debemus, & cum natura omnia auxilia naturalia & artificialia; postea perpendere, vtræ vires sint maiores. Sub caussis morbificis omnia lædentia comprehenduntur: sub auxiliis verò omnia iuuantia, scilicet medicamenta & similia. Quare sex res nonnaturales, aër, cibus, potus &c. item sexus, ætas, consuetudo, &c. quatenus pro viribus contra morbum pugnant, auxiliis annumerantur; quatenus morbum fouent, caussis morbificis. Cæterùm *euentus morbi* præcognoscitur potissimùm ex morbi specie, magnitudine, motu, & more, facta comparatione cum viribus ægri. *Modus illius euentûs* est subitò vel paulatim. Paulatim morbi salutares alteratione, aut concoctione soluuntur; lethaleles consumptione, calorisque natiui extinctione sensim ad mortem tendunt. Subitus verò euentus, vel cum pugnâ naturæ & morbi est, & materiæ morbificæ secretione, vel sine pugnâ. Subita mutatio, quæ cum pugnâ est, siue salutaris siue perniciosa, crisis vocatur. at subita mutatio sine pugnâ, quia natura repugnare nequit, sed planè succumbit, non crisis, sed subitus interitus dicitur. Denique *tempus salutis & mortis* ex comparatione virium ægri & morbi æstimatur, & ex tempore status. De his vide *Prosperum Alpinum*, *medicum Patauinum*, qui de præsagienda vitâ & morte ægrotantium hæc summatim habet. Cognitio virium naturæ, vitium morborum, partium corporis, & criseos absoluit prognosticum medicum. Et *primò* quidem oportet cognoscere vires naturæ, seu actiones facultatum robustas & debiles ratione facultatis animalis, vitalis, & naturalis. Hic itaque prædictio sumitur à deliriis, fatuitate, obliuione, visione nullâ vel tenebricosâ, surditate, tinnitu aurium, tactu deperdito, vigiliâ, somno, decubitu, inquietatione, iactione, tremoribus, palpitationibus, conuulsionibus, aphoniâ, respiratione, pulsu, appetentiâ cibi & potûs magnâ, paruâ, vel nullâ. Vires *deinde* morbi debiliores & potentiores cognoscuntur ex ideâ, magnitudine, more &c. morbi. *Tertiò.* in partibus corporis, itemque in toto corpore, sunt dolor, lassitudo, caliditas, frigiditas, siccitas, humiditas, mutatio caloris ad frigus, & vicissim frigoris ad calorem, corporis emaciatio, color corporis & aliquot partium, mutatio faciei; accidentia varia oculorum, genarum, aurium, nasi, labiorum, dentium, linguæ, faucium, dorsi, hypochondriorum, partium ignobiliorum & extremarum. *Crisis* propriè est subita mutatio in morbis ad salutem vel mortem, cum pugnâ & perturbatione. Mutatio autem illa quadruplex est: vel immediatè ad salutem, vel immediatè ad mortem, vel ad statum meliorem, vel ad statum deteriorem. Quare crisis est quadruplex: verùm illa per excellentiam absolutè & sine adiectione crisis, itemque optima crisis dicitur, quæ ad salutem ducit; quæ verò ad mortem, crisis mala, reliquæ duæ, crises imperfectæ: sed quæ ad statum meliorem, crisis bona imperfecta, quæ ad deteriorem, crisis mala imperfecta. Absoluta crisis, norma cæterarum, definitur subita mutatio ad salutem, cum pugnâ & perturbatione, facta die critico bono, in statu, à naturali virtute, vniuersam materiam morbificam vincente, & expellente. Porro crisis est duplex: alia per excretionem, siue euacuationem extra corpus, alia per translationem, siue transmissionem à parte affectûs ad partem debiliorem & ignobiliorem. Quod attinet ad dies criticos, non quouis die crises bonæ incidunt, sed certis tantùm, vt longa experientia docuit, in quibus septenarij & quaternarij ordo potissimùm obseruatur, quo determinato motu natura sua munia exequitur. Dierum quoque criticorum non eadem est dignitas, aut vis, verùm illi optimi æstimantur, quibus plurimæ crises bonæ incidunt, nimirum perfectæ, fidæ, tutæ, antea iudicatæ, cum subitâ excretione potiùs, quàm cum abscessu: deinde, qui non adeo magnum apparatum in corpore requirunt, id est, non magnum robur virium, & omnia adeo expedita. Talis intra 20. diem primò est dies 7. deinde 14. hinc 9.11. mox 17.3.5. & 4. tandem 18. E conuerso intra vegesimum diem periculosissimus, & naturæ maximè contrarius est 6. quia Galeno dicitur tyrannus, quòd vel interficiat, vel difficillimas crises faciat hinc sequitur 8 & 10 deinde 12.16.19. At 13. & 15. indifferens est. Post 20 diem, ad 40. quia crises de vehementiâ suâ plurimùm remittunt, rariusque incidunt, aut imperfectæ sunt, pauciores dies critici numerantur: in quo ordine primus est 27.34. & 40. hinc 21.24.31. 37. Dies non-critici appellantur indices & contemplatorij; quia in iis contemplari & prævidere possumus, quæ futura sunt sequenti die critico. Ita quartus dies est index septimi, vndecimus decimiquarti, decimus septimus vigesimi &c. Dies intermedij, qui intercidentes vocantur, scilicet sextus 8.10.12. &c. aliquando indicant, sed rarissimè.

VII. *Methodus medendi est ipsa rerum salubrium cognitio, legitimâ ratione & ordine procedens, per intentiones & indicationes, ad sanitatem conseruandam, & amissam recuperandam.* M odu mant qu & qu ple

Itaque methodus medendi est duplex; methodus videlicet sanitatis tuendæ, & methodus curatiua. Instrumenta, per quæ operationes illæ perficiuntur, sunt similia & contraria. nam duo Medicinæ principia sunt: Quæcunque humanò corpori secundùm naturam insunt, conseruanda esse; quæ præter naturam, tollenda. Conseruantur omnia in suo statu similibus, tolluntur & immutantur contrariis. Itaque *methodus curatiua* est ratio & ordo medendi

niendi per indicationes certa cuique morbo remedia, gratiâ sanitatis amissæ restituendæ. Ratio illa & ordo est à primis communissimisque indicantibus & indicationibus ad secundas & subalternas, & hinc ad proximas, donec ad maximè speciales appropriatas deuentum fuerit. *Inventiones* sunt scopi agendi, vti sunt omnia illa, quæ in medium proponuntur, dum consultamus, vel ad agendum nos accingimus. Huc itaque pertinet methodus consulendi, & interrogandi ægrotos. *Indicationes* sunt processus ab indicante ad indicatum, qui fiunt instar enthymematis, quod constat ex antecedente indicante, & consequente indicato: veluti, Plato febricitat. Ergo refrigerandus est.

...dus ...andi.

VIII. *Consulendi, seu consultandi, methodus, quam vocant collegiandi, apud Hieronymum Capiuaccium est huiusmodi.*

Facti historiã proponatur non mutila, non confusa, non superflua, quæ neque ab aliis sit iteranda, nî fuerit aliquid necessarium omissum.

Qui adsunt, consilio supponant, quæ à primo, vel primis sunt dicta.

Mox agatur de aëris qualitate, in quo versatur ægrotus: diuersâ enim ratione progrediendum in aëre calido, aut frigido. Quò item referendum est, quod ad varias anni constitutiones, aut adeò ad regiones diuersas pertinet.

Deinde veniatur ad res secundùm naturam, & quænam sint proponantur: præterea ad res contra naturam, in quibus nihil aliud fit quàm considerare recessum patientis à statu secundùm naturam; Quod dum facimus, neminem latere debet quisnam fuerit eius status secundùm naturam. In statu autem secundùm naturam considerare possumus temperamentum & totius & partium, habitum corporis, ætatem, veterem consuetudinem, ac cui rei est addictus, denique vel difficilem vel facilem tolerantiam patientis, causa tum morborum, tum auxiliorum. Veruntamen quamuis hæc sint proponenda, non tamen in omnibus, siue in quolibet patiente, nec in quacunque consultatione semper eodem modo ponderanda sunt, at diuersâ ratione de his dicendum. Quæ enim secundùm naturam dicuntur, ea vel sunt manifesta, vel occulta: si manifesta, supponantur vt manifesta, ne tempus teratur; signa autem proponantur planiùs, & pleniùs, siue nota, siue occulta. Atqui in rebus naturalibus explicandis cauenda est nimia diligentia, quàm plerique adhibent proponendis temperamentis totius & partium. In febribus verò quæ totum hominem occupant, inquirendum, quænam sit totius corporis temperatura in morbo occupante: At secus in iis, quæ totum non occupant hominem. Præterea laborandum in cognoscendo statu naturali partis laborantis siue principalis, siue non principalis, vt in catharro è capite fluente, & capite quidem per essentiam affecto omni cum diligentiâ laborandum, vt noscatur status cerebri naturalis: si verò testes inficiantur, pariter noscendus status, naturalis testium: ac denique inquirenda sunt accuratè quæ huc pertinent.

Cæterùm quoniam interdum rerum naturalium, dum consultationes habentur, historia recitatur ex scripto, interdum autem ex relatu patientis; tunc si ex relatu ipso videmus patientem, dum aliquid est ignotum, per signa est manifestandum: Quòd si non aderit patiens, & verò historia exter scripto, quoniam non semper integra scribitur, indaganda sunt ex propositis: quæ desiderantur. Verbi gratiâ: In catharro, non scribit Medicus quænam sit dispositio patientis, quæ temperies naturalis cerebri, & tamen in scripto asserit patientem antequam in morbum laberetur, habuisse somnos diuturnos, ac profundos, caput item excrementitium, ac proinde per os expuitiones copiosas, & nullius saporis: Tunc igitur patebit patientem habuisse caput frigidum & humidum. Quibus propositis quærendum, quonam modo ægrotus sit redditus dissimilis sibi ipsi, in quonam similitudo consistat, an verò cùm anteà non affligeretur à rebus præter naturam, iam, modò dum patitur a rebus præter naturam vexetur.

At quoniam res præter naturam sunt vel symptomata, vel morbi, vel causæ, tunc ex traditis in hystoriâ colligendum, quænam symptomata, seu morbi sint: quòd si morbi fuerint propositi in historiâ mox videndum quænam sint causæ, in quibus proponendis duplex ordo potest adhiberi. Alter, vt si, qui primo loco est locutus, sit ordinatè progressus, is qui secundo loco dicturus est, alio vtatur ordine, ne ea quæ à primo dicta sunt, repetere videatur. Alter est, dum progredimur à symptomatibus in morbos, & alius, dum à morbis in symptomata. Quoniam autem hoc non sufficit, sed multò maioris momenti est ita circa hæc progredi, vt nec superflui, nec diminuti simus, & ideò noscendum quænam, & quot capita sint proponenda. Nempe natura, & & symptomatis, & morbi, & sedis affectæ, vel symptomatis, vel morbi. Dico vel symptomatis, vel morbi, nam pars potest duobus affici morbis, nimirum per consensum, & per essentiam. Si per consensum, locus potest esse, vel symptomatis tantum, vel morbi. Quod si pars sit affecta etiam morbo, necesse erit constituere partem illam per essentiam esse affectam, nec alio modo progrediendum esse in curatione.

Præterea dum ad symptomata accedimus, ea transferenda sunt in rem præter naturam, in quam mediate infertur: immediatè & solet & potest referri in morbum, vt dicit Galenus libro de differentiis symptomatum, capite vltimo. Et hoc quidem dicimus, vt semper ostendi possit legitimus recessus à naturali statu, quoniam fieri potest, vt referatur in symptomata, & tandem in morbum, verbi gratiâ, læsa functio immediatè procedit à morbo, læsam verò functionem sequuntur excuntia immutata. Dum igitur ad morbum accedimus, dicendum quisnam sit ille morbus, neque enim sistendum est in generalibus, cùm in consultationibus ratio habenda sit morbi: cuius ideò dicendum quisnam sit affectus, at si is sit affectus, in temperie, calidâne an frigidâ. Qui autem immorantur in differentiis morborum enarrandis, vt inde efficiant non esse ephimeram, neque hecticam, ergo putridam, annus est, antequam quæ dicunt, absoluant. Ad immediata itaque semper veniendum. Porrò si manifestus sit morbus nulla probatione opus est: sin minus, ex signis comprobandum, ac monstrandum talem esse morbum. Quòd si is, qui primò est locutus, apertè rem enunciauit, id iam supponendum tanquam manifestum. At si deceptus sit, accuratè, sed amanter eius sententia improbanda, suus vt veritati sit locus: idque ex signis, vt facilius corruat illa sententia. Præterea referẽdus est morbus in suas causas primò in externas, deinde in internas, primò in proximas, secundò in remotas. Ac causæ quærendæ à patiente non solùm natiuæ, sed adscititiæ, deinceps primariæ, mox adiuuantes, nimirum sine quibus effectus produci nequeunt, v.g. si fiat erisipelas, considerandæ causæ quæ per se, quæ per accidens concurrant. Num aëris frigiditas prohibens defluxionem sit causa per accidens calefactionis, num calidior aër sit causa calefactionis per se, primaria causa bilis confluens; causa verò adiuuans sit bilis tenuitas, causa quâ non, meatuum amplitudo. Quòd si pars erisipellate affecta imbecilla fuerit, à principio generationis est causa natiua; sin minùs, adscititia: Quâ in re non diuidendæ sunt causæ in colloquiis, neque ars proponenda, sed artificium applicandum proposito.

Hæc vbi erunt acta, versandum adhuc circa res præter naturam, atque monstrandum quonam tempore sint affectus, de quibus quæritur: Considerandum item num in principio sint, an alio tempore: Quod si patet supponendum est, vt manifestum; sin minùs, è signis probandum est. Denique res omnes præter naturam affligentes ægrotum, de quibus consulitur, comparandæ sunt inuicem, quæ cùm sint causa morbi, symptoma perpendendum est, ecquid ex his rationem vrgentis habeat. Tum ex traditis declarandum, quodnam habeat rationem causæ efficientis, vel conseruantis, quodnam rationem affectus, quodnam vel producatur, vel conseruetur, ac tandem quodnam habeat rationem causæ sine quâ non, de quâ dicendum est antea.

Iam verò proposuimus causas sine quibus non producitur affectus, vt modo agendum sit id, sine quo non potest aliquid præter naturam remoueri. Mox descendendum ad indicanda iuuantia, atque adeò ad differentias circa inuentionem iuuantium, sed & tunc disquirendum an liceat conferentia & iuuantia inuenire, vel per indicationes, vel per obseruationes, vel per analogismos. Sanè verò damnandi sunt, qui per solas indicationes semper progrediuntur: namque interdum locum habet indicatio, interdum obseruatio, interdum analogismus, interdum omnibus vtimur, interdum vno solo pro diuersitate rerum præter naturam: quâ de re Medici agunt in curâ putridarum in generali.

Iam his absolutis antequam ad remedia veniatur, prognosticum faciendum est, præsertim post indicationes. At de prognostico quidem est loquendum, dum sermo habetur de patiente, qui non sit illicò moriturus. Quod quidem dixerim, quoniam si quis proximè moriturus sit, non est tempus terendum in inuentione iuuantium, sed prognosticum faciendum. At si mors non adeò sit propinqua, satis est, vt primò inueniantur iuuantia, verbi gratiâ, si prius apparuerunt indicationes, tum prædicendum est, num possint absolui necne, in quo ex alterâ parte perpendendæ sunt res præter naturam, & ex alterâ vis rerum naturalium, longitudo item, & breuitas futuri status morbi, è quibus patet aditus ad prognostica. Denique cùm morbus curationem admittit, descendendum est vltimò ad materias præsidiorum, sed antequam fiat sermo vel de chirurgiâ, vel de pharmaciâ, vel de diætâ, ne quâ contingat confusio, optimum est si repetatur, cuinam primò occurrendum, cui secundò, cui tertiò, deinceps. Quæ si ignorentur, frustrà adhibebitur curatio. At vbi innotuit quodnam habeat rationem

rationem causæ efficientis, siue conseruantis, quodnam item efficientis, quod meretur habere rationem causæ sine qua non, facili negotio licet ... afferre, cui primò occurrendum vrgenti, dummodo vrgeat, de quo videatur Galenus 7. Methodi 12. cui est priùs occurrendum, quod habet rationem causæ sine qua non; Ac cùm illa multiplicia sint, illi occurrendum est, quod habet rationem efficientis, quibus explicatis, descendendum ad proponenda remedia, siue de Chirurgiâ, siue de Pharmaciâ, siue de Diætâ, in quibus omnibus ordinatè, ac distinctè progrediendum, cauendum autem ab eo, quod imperiti quidem facere solent, qui dum de Chirurgia, Pharmaciâ, & Diæta consulunt, de his agunt ita confusè, vt & quod dixerint, ignorent, deinde loquentes de Chirurgia, miscent aliquid de Pharmaciâ, atque adeò ad Chirurgiam redeuntes, subdunt aliquid de Diæta neglecto ordine.

Methodus [illegible] ... ægrotos.

IX. *Methodus interrogandi ægrotos valde est necessaria, & paucis ita habet.*

Methodus consultandi pendet è notitiâ eorum, quæ acciderunt ægroto. Hæc autem nequeunt innotescere, nisi rectè interrogetur. Ideo & de methodo illam interrogandi operæ pretium est hæc pauca adiicere. Cum igitur constet ipsum esse medicum qui dogmaticus sit, hunc autem esse, qui per indicationes ea, quæ conferunt, venetur, siquidem tanta vis est indicationum, vt conferentia inueniantur, quod citra obseruationes, & citra analogismos fieri nequit, denique etiam hoc sit tanquam fundamentum, vnde iuuantia à noxiis secernantur, profectò ei, qui optimus velit esse medicus, laborandum est, vt noxia rectè intelligat, percepturus mox facillimè iuuantia, & remedia adhibiturus. Itaque ægrotum primò roget, quænam sint, quibus afficitur, & quando ea cœperint illum vexare, quod nisi ipse dicere possit, dicant astantes; sic enim & Galenus monet primò de locis affectis. Quæ verò patent, ac sunt præsentia, omittuntur. Eò verò prima tendat interrogatio, vt noscantur res secundùm naturam, ex quibus in notitiam earum, quæ sunt præter naturam deueniri possit. Qui sanè ordo & iuuabit ægrotum, & efficiet, vt Medicum admiretur, quòd eius morbum prænouerit, quare & in curatione libentius ei obtemperabit, ac sanitatem Deo iuuante consequetur. Verbi gratiâ: Ægrotus inquit se multùm expuere, idque nullius esse saporis, is igitur tum interrogandus est, num altè; diúque dormiat, nam ex ipsâ pituitâ copiosâ hoc conicitur, quæ indicat cerebrum frigidum, & humidum esse: deinde progrediendum ad actiones, quæ cùm sint in capite, propriæ sunt ipsius, nempe animales, deinde item perquirendæ naturales functiones quæ extant in omni viuentis corporis parte, nimirùm quonam modo, circa actiones animales, & principales, & non principales, siue cognitiuas, siue motiuas, se habeat, idque eâ ratione est ante interrogandum, vt noscatur quonam modo se habuerit patiens, antequam laberetur in morbum, quæruntur enim res secundùm naturam, & temperamentum capitis. Quæ vbi absoluta fuerit interrogatio, veniendum ad actiones naturales, ad differentiam animalium, quæ in capite sunt. Quæ quidem actiones naturales ad differentiam animalium quando non ita parent, ex iis functionibus est intelligendum, quæ eas consequuntur, sunt autem exeuntia, sunt qualitates, seu affectiones. Exeuntia sunt & oris & narium, & reliquarum partium, de quibus interrogandus ægrotus. Qualitates sunt, calor, & reliqua seu corporis, seu capitis; nam & è vario capitis dolore, & magnitudine venarum venitur in notitiam status naturalis capitis. Inde quærendum, quonam modo se habuerit ægrotus ante morbum penes ventriculum, quisnam fuerit appetitus cibi & potus, quæ celebrata sit coctio cibi: Quæ noscuntur etiam ex exeuntibus mutatis, quæ per aluum descendunt; interdum item ex iis, quæ per os exeunt. Tunc interrogandus ægrotus, an solitus sit pati nauseam, vomitum, flatus & per os, & per infernas partes prorumpentes, è quibus intelligitur, bonane fuerit ventriculi temperatura, nec ne; mox de iecore videndum bonane fiat sanguificatio, è quâ noscitur temperies, & conformatio iecoris, ac status naturalis ipsius. Quæ item deprehenduntur ex exeuntibus, & ex affectionibus non ex actione, quia naturalis est non animalis; excrementa verò sunt melancholia, & excrementitia bilis, quæ sunt duo excrementa sanguificationis, quæ fit in iecore. Præterea adest lotium, quod quamuis sit excrementum venarum & arteriarum; nihilominus tamen nequit iecoris statum indicare. Quamobrem diligenter ægroti interrogandi sunt, nam excrementa sunt biliosa. Vbi enim gignitur bilis copia, qualis à iecore calido, exeuntia maximè citrina sunt, & colorata. At dum viget excrementum melancholicum, non tantò per venas hæmorrhoidales melancholicus sanguis erumpit. Quòd si noscatur ex aliis iecur esse calidius, non interrogandus est de lotio, sed dicendum, antequam ipsi ægroti dicant, lotium fuisse coloratum, vel subflaui coloris. Mox quærendum ab iisdem de statu renum, & vesicæ eodem modo, nam benè se habent hæ partes, cùm sine dolore emittitur lotium.

His quæsitis, ad vitales functiones est veniendum, nimirum ad eas, quæ in corde, atque eas quæ extra cor educuntur. Mox tangendus pulsus, in quo cùm possit esse deceptio, (nam cùm æger ægrotat, pulsus non est secundùm naturam) prudens Medicus animaduertet, quænam sit vis morbi, quo tunc corripitur ægrotus, & quam mutationem possit efficere, & ita functionem indicabit propter pulsum in statu naturali. Verbi gratiâ, laborabit aliquis febre quotidianâ, cui frequens sit pulsus, & velox, quique illi febri non respondet: dicendum igitur hanc velocitatem indicare, & frequentem & velocem fuisse pulsum tempore sanitatis; Quod profectò Medici prudentiores spectant, qui noscere velint, quæ sit actio cordis, ac quænam sit vis animalis. Nec verò quærendum, num ægrotus sit timidus, necne. Ecquis est enim, qui fortem se esse neget? At cùm noscitur ex pulsu esse cor calidum, ægrotus item noscetur audax & fortis.

Hæc vbi acta fuerint, quærendæ erunt res præter naturam, & omittenda interrogatio omnium exeuntium, ne tædio ægrotis, & astantibus sit Medicus, qui tamen ex iis intelliget, quænam sit pars affecta, verbi gratiâ, si læsum sit caput, interrogandus ægrotus, quænam secuta mutatio à statu naturali penes functiones capitis, penes exeuntia, penes qualitates mutatas, & alia id genus. Quamobrem si quis malè habet in capite, non est interrogandus de aliis corporis partibus; nisi fortè aliqua sit suspicio, symptoma capitis non prodire ex capitis, sed ex aliarum partium morbo, quæ per consensum afficiunt caput: Quod cùm per consensum afficitur, facilè è traditis ab ægroto, noscetur mutatio, quæ ventriculo acciderit. At quod de ventriculo dictum est, de reliquis quoque dicendum est.

X. *Methodus medendi apud Fernelium breuiter ita se habet.*

Su... hat... lij... me... Ca...

Medici munus est citò, tutò, & iucundè remedia conferre, quod quidem facit interdum vt adiutor, interdum, vt opifex primarius, vt cùm luxatos artus reponit, & vulneris disiuncta labra adducit. Habet enim ars instinctum, quo caret natura. Medicinæ autem finis est sanatio, quæ in morbis leuibus fit à naturâ, in periculis & grauibus vt plurimùm ab arte; est autem curatio recta, & conueniens remediorum vsurpatio, quæ tripliciter considerantur, hoc est Genus remedij, Quantitas, & vtendi ratio.

Ca... Morbus omnis contrario profligatur, quod contrarium aliud est positiuum, vt frigidum & calidum, aliud priuatiuum, vt plenum, & inane; & reducuntur ad tria genera; ad Medicamentum, Chirurgiam; & Diætam. Rata igitur constánsque manet curandi lex per contraria, etsi quidam contrariam velint, dum morbos similibus curari dicimus, quæ licet morbo similia sint, eius tamen causæ primariò aduersantur, vt vomitus curat vomitum, materiam morbificam è medio tollendo. Vnde quot morbum tot remediorum genera sunt constituenda: illa autem modò in temperie simplici, modò in mixtâ, consistunt, & quilibet habet suum è diametro contrarium.

C... Simplex affectus, simplici remedio, compositus composito repellendum: si autem obscurior morbi species nondum tibi penitus cognita perspectaque est, huic ne properes remedia adhibere, sed rem totam naturæ committito, si quid fortè experiri cogeris, leue id esto, ne fiat in re ancipiti iactura grauis.

C... Causa omnis priusquam affectus methodo rectâ excludi & summoueri debet, in connexis verò affectionibus ab eâ curationis ducetur exordium, quæ ortu prima, inuestigatione verò postrema fuerit inuenta. Verbi gratiâ, si quis cerebri distillatione vexatur, quæ ex immodico excrementorum prouentu sit orta, nullatenus curabitur, nisi priùs excrementorum colluuies sublata fuerit. Connexi verò affectus omnes eò singillatim extirpentur ordine, quo sibi ortu succedunt.

Morbi disparati, & qui sedibus valdè distant, vt vnicuique sua possint remedia, cæteris intactis, adhiberi, omnes & singillatim possunt curari: nec refert cui primùm propria remedia decernas: Impliciti verò morbi methodo sunt curandi, qui si familiares fuerint, potuerunt simul curari. Si verò contrarij temperatis remediis, vt in inflammatione, vi quâ repercutientia resoluentibus admiscemus. In cæteris verò complicatis affectibus, illud priùs est faciendum, sine quo perfecta sanitas haberi nequit. C 5.

In affectuum connexione interdum ab eo auspicanda est curatio, à quo maximè ægro periculum impendet. Vrgemur autem ad id faciendum aut essentiæ morbi magnitudine, aut læsæ functionis præstantiâ, quibus vires prosternuntur & franguntur. vnde si maius periculum propter magnitudinem morbi, quàm propter virium prostrationem incumbat, illi tanquam grauissimo omni curâ est incumbendum. Grauissimum autem dicere possis, vel quod maximè ægrum in vitæ discrimen adducit, vel de quo is grauissimè queritur. Qui tamen methodum in omnibus nimiùm pertinaciter exquirit, pariter cum morbo plerúmque hominem de medio tollit; sæpe etiam graui alicui symptomati, quod nimis vires conuellat, diligenter est succurrendum, C 6.

endum, modo etiam intermedium prætermisso. Et hæc est curatio extraordinaria.

Expugnando morbo paria quodammodo exponenda sunt remedia, & considerandum, quantum ægrotas a naturali statu distet, quod ex morbi magnitudine dignoscetur. In variorum verò administratione, eo vsque est progrediendum, donec in naturalem, vt certe in pristinam gradum sit recessus. Id autem modò subito, modo sensim est faciendum. hoc in morbis leuibus, iuxta Hippocratis sententiam in extremis: illud in mediocribus morbis; vniuersim, etenim aut vacuare, aut alterare est naturæ odiosum, ex Hippocr. Bifariam autem lentè, paulatimque curationes fieri contingit, vel pari contrario; vel inferiore recessus ordine. In iis verò quæ tertij gradus sunt, non est admodum tutus vsus, etiamsi in modicâ quantitate, vt frequenter administrentur. Non enim immodicum corporis calorem congruenter, vel Opio, vel Mandragorà, vel Hyoscyamo exiguâ licèt portione repetita extingues, neque exuperantem humorem paruâ portione, vel Scamonij, vel Colocynthidis repetitâ vtiliter detrahes: viribus etiam imbecillis lenta curatio necessaria est, cauendum autem, ne dum vni mitiori remedio insistis, illo assuefacta natura contemnat remedium, vnde per varia & multa vagari licet.

Remedij quantitas non solùm ex morbi magnitudine, sed etiam ex partis conditione est sumenda, in quâ considerari debent conformatio, positus præstantia, & sensus. In conformatione consideranda est raritas, & densitas; In situ an sint vicina ori, vel non; In præstantia, an vel sint principalia, an toti corpori interuientia, In sensu, num is hebes sit, an acutus. Densitas exposcit remedia validiora quam raritas, si procul distent ab ore fortiora, quia medicamentum ad illa refractum pertingit, omnia item præstantia membra requirunt remedia mitiora, quam ignobilia. Et qui sensu sunt acri, acria renuunt medicamenta. Sciendum est autem fieri non posse, vt arte quis ad similem, aut meliorem statum redeat, in quo ante morbum erat constitutus.

Remediorum alia euacuant, alia duntaxat immutant, & affectum depellunt. Remedia quæ solùm immutant, siue exteriùs, siue interius addantur, sunt parti affectæ proximæ adhibenda. Perspecta igitur oportet sit Anatome, vnde ad caput purgandum optima via est quæ per nares, os, & occiput fit. Pectoralia optimè per euaporationem. Hepati, Ventriculo, & Renibus per ea, quæ per os sumuntur, succurritur. Vacuatio autem triplex est, prima est eorum quæ citra motum, aut exagitationem peccant, secunda est reuulsio humoribus in præceps ductis idonea, tertia deriuatio eorum, quæ partim obsident ipsi quodammodò impacta. Reuulsio autem fit etiam venæ sectione, & purgatione.

Formæ remediorum sunt duæ; liquida, quæ competit locis distantibus, & solida, quæ etiam vicina iuuat. Porrò liquida magis aperiunt, laxant, resoluunt, quam solida. Quod attinet ad tempus, id, quod priùs est curandum, præcedat. Non enim scirrosum humorem discutere est tentandum, antequam is planè attenuatus sit, & emollitus. In fluxionis initio astringentia, in statu digerentia, in declinatione resoluentia. In febribus quidem initio exuperantis materiæ portio euacuanda, reliqua deinde naturæ imitatione digerenda, & demum per loca congrua propellenda. Sed & victus ratio praescribenda est ex morborum temporibus, nam initio tenuis quodammodo est habendus, incremento tenuior, in statu tenuissimus. Breuis morbus tenui victu indiget, longus pleniori. Cauenda accessio, & accessionis inuasio, dum cibum & medicamenta offerimus. Sed redeamus ad indicationes, ad quas reg. 7. substitimus.

XI. *Indicationes primæ tres sunt, curatiua, præseruatiua, & conseruatiua: & tria prima præcipuaque indicantia, morbi, causa morbi & facultas.*

Tres præcipui scopi in Medicinâ sunt: curare, præseruare, & conseruare. Curatio morbo, præseruatio causæ, conseruatio facultati debetur. Sublato morbo tolluntur symptomata. Quare tres primæ indicationes erunt, curatiua, præseruatiua, & conseruatiua; & tria prima præcipuáque indicantia, morbus, causa morbi, & facultas. Morbus primariò, causa propter morbum sublationem indicat per contraria, facultas conseruationem per similia. Ab his generibus incipere debemus in methodo curandi, & ordine per subalterna ad specifica descendere. Verùm indicationes primæ non sufficiunt. nam indicatio, quæ sumitur à morbo, plebeiis & brutis nota est. Itaque hæc indicationis pars minima est, & tantùm principium, vnde procedit medendi ratio. Non enim satis est scire, affectum calidum esse refrigerandum, sed quibus, quantum, quomodo, quando, & vbi refrigeratio sit necessaria, vt prosis, nunquam obsis: quæ omnia absque ratiocinatione & consideratione rerum naturalium in humano corpore cognosci nequeunt; inter quas præcipuè sunt temperamentum, & constitutio totius corporis partisque affectæ, consuetudo, ætas, sexus, aër ambiens, symptomata vigentia. Ab his aliisque pluribus sumuntur indicationes secundariæ, quæ primarias promouent: vnde coindicationes dicuntur. Quæ verò indicationes primario impediunt & corrumpunt, contraindicationes: quæ verò per secundario, correpugnantes. Nimirum coindicantia sunt, quæ non per se, sed per aliud indicant, quæ verò addunt, quod à primo indicante sumitur, ea vel contraindicantia, vel contrarepugnantia dici solent. Contraindicans autem est, quod per se primò impedit: correpugnans, quod secundariò. Verbi gratiâ, cacochymia euacuationem indicat; coindicant vires robustæ, consuetudo, &c. contraindicat, vires debiles; correpugnant ætas, sexus, tēpus anni &c. quæ vires fractas demonstrant. Similiter facultas victū indicat, coindicat ætas, temperamentum, contraindicat morbi vehementia; correpugnant symptomata consequentia. Ex quibus apparet, vnumquodque pro diuersâ ratione coindicans, contraindicans, aut contrarepugnans dici posse. Cæterùm cum methodus curatiua analytica sit, & ab effectis ad causas proximas ordine procedat, donec ad primas deuenerit, vbi incipit curatio, oportet vt indicatio curatiua primum locum sibi vendicet. Prima autem maximéque generalis *indicatio curatiua* est ipsa contrarietas, quæ à morbo sumitur. Nam sanitati morbus est contrarius, & semper genus remedij indicat. Ceteræ indicationes, sumptæ à parte affectâ, ab ætate &c. magis particulares sunt, & mutationis illius mensuram, modum, & tempus determinant. Nam quantitatem remedij indicat naturale corporis temperamentum, partisque affectæ: modum adhibendi indicant dignitas, sensus, & situs partis affectæ, itemque vires ægri: tempus administrandi ipsa morborum tempora, & similia indicant. Post indicationem curatiuam sequitur *præseruatiua*, à causâ morbi, internâ videlicet ac antecedente, quæ morbum gignit & fouet. Sumitur hæc indicatio à substantiâ materiæ peccantis, à qualitate humoris peccantis, à quantitate humoris redundantis, à motu humoris peccantis, illiúsque situ & quiete. Tandem veniendum est ad *indicationem conseruatiuam*, seu vitalem quæ vitiis adhibetur. Indicant autem vires per se conseruationem, quæ similibus perficitur, secundariùs id permittunt vel prohibent, quod morbus aut morbifica causa insinuat. Porrò similia sunt, quæ substantiam virium reficiunt. Igitur alimentum victúsque rationem virtus primò indicat, secundariò morbus, quatenus id permittit, vel prohibet, quod virtus dictat. Considerantur autem in victûs ratione quinque: forma, quantitas, qualitas, modus, tempus: de quibus suprà.

XII. *Euacuatio medica est vniuersalis, vel particularis.* Euacuatio medica.

Cùm Medicina sit adiectio subtractióque; adiectio quidem deficientium, subtractio verò redundantium; & Medici officium sit, vt sanitatem præsentem conseruet, amissam restituat: quod deest in corpore humano, supplere, quod redundat, subtrahere debet. Igitur in curationibus requiritur, vt Medicus instrumenta illa cognoscat, quibus omnis defectus suppleatur, & redundantia detrahatur. Impletur autem id, quod exhaustum est in corpore, reficientibus & nutrientibus. detrahitur redundantia euacuantibus. Porrò redundantia in vasis humorum quantitate nocentium phlebotomiâ; qualitate nocentium catharricis euacuatur. Redundantia verò humorum extra vasa in habitu corporis, sudoribus & insensibili perspiratu. Atque hæ *vniuersales euacuationes* vocantur, quia vnâ aliquâ peculiari parte materiam vitiosam subtrahunt: at quæ ab vnâ aliquâ parte euacuant, vt à capite errhina, à pectore bechica, à viis vrinæ diuretica &c. *particularia purgantia* nominantur.

XIII. *Cathartica est doctrina de rectâ ratione purgandi: & absoluitur tribus partibus. 1. de medicamentis, quibus perficitur purgatio. 2. de modo vtendi siue de methodo purgandi. 3. de accidentibus purgationem consequentibus, siue de iis, quæ facienda sunt, assumpto pharmaco cathatrico.* Cathartica quid.

Principiò pharmaca euacuant vel manifestâ qualitate quemcunque humorem, lubricando, abluendo, extergendo, aut comprimendo: vel peculiarem humorem, aut ex peculiari parte, idque occultâ proprietate. In pharmacis, quæ occultâ substantiæ proprietate euacuant, quatuor potissimùm considerantur; 1. quem humorem proprium euacuare debeant. 2. per quas vias. 3. à quâ parte potissimùm. 4. quo modo. Ab his omnibus distinguuntur purgantia. Nam ratione humorum medicamenta electiuè purgantia sunt cholagoga, melanagoga, phlegmagoga, hydragoga. Secundò alia per inferiora deiectione, alia per superiora vomitu euacuant. Tertiò alia à ventre magis, alia à iecore, splene, cerebro &c. Quartò alia blandè leniterque, alia mediocriter purgant. *Deinde* in legitimâ methodo purgandi quinque sunt obseruanda. 1. an, & quibus

quibus purgatio conueniat. 2. quæ, & qualia purgare oporteat. 3. quantum, quouſque, & quoties. 4. quo tempore potiſſimùm. 5. per quas vias, ſiue loca. Vbi ſunt hæ regulæ. 1. *Corpora cacochymica purgari debent* : quæ nempe prauis ſuccis ſiue humoribus qualitate peccantibus redundant. Proinde purgatio vehemens non conuenit ſanis, ſed neutris, & ægris, in quibus prauorum ſuccorum redundantia eſt. 2. *Corpora cacochymica non ſemper purganda ſunt : ſed primùm* , ſi vires ferant , corporis conſtitutio , aër ambiens , cæteráque permittant ; *deinde* , ſi aliis lenioribus curare non liceat ; *tertio* , vbi natura per ſe non ſufficit , ad morbificam cauſam depellendam , aut vbi natura ſe ducem non præſtat ; *quartò* , ſi humor ad purgationem planè ineptus & indoneus ſit. 3. *Ætas media omnium optimè purgationes ſuſtinet : peſſimè ætas ſenilis & infantia.* Proinde ſenibus & pueris purgantia exhibere non conuenit , niſi vires conſtent , & magna neceſſitas vrgat. 4. *Viri plerumque purgationibus magis idonei ſunt, quàm mulieres.* 5. *Temperamentum & conſtitutio media purgationibus maximè opportuna eſt.* Corpora verò ſicca , frigida , macilenta , laxa, rara , mollia , aut nimis obeſa , purgationes ægriùs ferunt. 6. *Ob idioſyncraſiam nonnulli valida purgantia facilè ſuſtinent, alij leuibus multum offenduntur ; alij his , alij illis magis delectantur.* 7. *Conſuetudo purgandi, valide purgantia minùs infeſta reddit.* 8. *Tempus vernum , deinde autumnale , itémque zona temperata purgationibus maximè accommodata ſunt : deinde aer calidus , humidus.* Nam conſtitutio aëris aut regionis frigida humores nimium cogit ; calida vires corporis exhaurit. 9. *Quatuor humores qualitate peccantes , euacuare oportet* : ſiue redundet vnus humor , ſiue duo , ſiue plures. Itaque humor redundans ſiue ſimplex , ſiue compoſitus , appropriato medicamento expurgandus eſt ; bilioſus cholagogis , pituitoſus phlegmagogis &c. 10. *Humor vitioſus , ratione qualitatis eſt crudus vel concoctus ; conſiſtentiæ tenuis , craſſæ , mediæ ; denique quietus , impactus , furens , turgidus, vel mobilis.* Facilè autem purgantur humores cocti , deinde turgidi , conſiſtentiæ tenuis , aut mediocris : difficulter humores crudi , quieti , aut impacti, craſſi , & viſcidi. Itaque nonniſi concocta , non autem cruda , purgare oportet. 11. *quantum humoris , quouſque, & quoties purgandum ſit, exactè ſciri nequit.* Nihilominus artificioſâ quâdam coniecturâ aliquo modo deprehenditur quantitas medicamenti ad quantitatem humoris peccantis, habitâ ratione virium ipſius ægri, tum naturæ & ſitûs humoris peccantis, interdum etiam aëris ambientis. Genus quidem medicamenti ex humoris ſpecie æſtimatur , vt diximus : at quàm validum eſſe debeat, non tam ex naturâ, quàm ex ſitu humoris peccantis. Nam benigna medicamenta à prima regione corporis ; mediocria à media regione ; validiſſima à tertia euacuant. Verùm qua doſi, ſiue quantitate, offerri debeant, ex viribus ægri potiſſimùm colligitur. Proinde Medici vnicuique ferè purganti triplices doſes aſſignant , comparatione facta ad vires : nimirum robuſtis, maximam ; debilioribus, minimam ; medio modo ſe habentibus , mediam : ac quantitatem determinatam purgantis medicamenti intra amplitudinem minimæ & maximæ comprehendunt plerumque. 12. *Plurimum lenientia blandeque euacuantia vnciarum pondere exhibentur ; mediocriter purgantia , drachmarum ; validiſſimè, granorum.* 13. *Duo ſunt ſigna bonæ purgationis* : ſi nempe ea quæ oportet euacuentur, & æger facilè ferat. 14. *Medicamentum plenam purgationem faciens , ſine ſumma conſideratione non eſt exhibendum.* Euacuatur quidem materia cocta vna vice, ſi vires facilè ferant : ſed præcipuè ſi tota ſimul ſit , aut parata ad expulſionem. Alioqui paulatim pluribus vicibus , initio facto à leuioribus, præmiſſis præparantibus, ſi neceſſitas exigit. 15. *Ordinis ratio habenda eſt in purgationibus* : ita nempe , vt reficientia & venæ ſectio præcedat, vel ſequatur , prout neceſſitas exigit. Incipiendum namque eſt ab ea operatione , quæ alteri conducit , tollendo id, quod cauſa eſt conſequentium : ſed ei , quod maximè vrget , omnium primò occurrendum erit. Velut ſi in venis ſit magna humorum redundantia , primum venam ſecare , deinde purgare ex venis conuenit , tandem , quod reliquum eſt , contemperare. Nam vbi venæ copia diſtentæ ſunt , poſt phlebotomiam purgatio ex venis facilius ſuccedit. Verùm ſi impuritas aliqua ſit in primâ corporis regione , ante phlebotomiam conſultum erit , leui pharmaco euacuare , ne in venas rapiatur, ſuâ labe ſanguinem inficiat. 16. *Initio morborum , quo omnia cruda ſunt , purgare non conuenit, niſi materia turgeat : nec in augmento perfectè , neque etiam in ſtatu.* Nam hoc tempore morbus cum impetu fertur. Quare ſi materia non turgeat , purgatio perfecta plenáue differenda erit ad finem vigoris , quando omnis concoctio peracta eſt. 17. *In morbis , qui carent paroxyſmis , æſtate horæ matutinæ potiſſimùm conueniunt ; frigidis verò temporibus , tempus meridianum magis.* Inprimis decet medicamenta ſumere tanto antè tempore , quanto ipſa egent, vt in actum deducantur , & prædictis horis operationem perficiant. 18. *Tempore tranquillo & temperato tutior & commodior eſt purgatio : tempore calido & humido copioſior.* 19. *Dantur interdum purgationes horis veſpertinis* : vt pilulæ lenes vnâ horâ ante cœnam ad euacuationem è ventre : aut tribus horis à cœnâ, ad euacuationem à capite. Verùm validè purgantia aſſumenda non ſunt , niſi ieiuno ventriculo : leuia verò dantur & ante cibum , & cum cibo interdum. 19. *Purgatio inſtituitur aut per ſuperiora , vomitu ; aut per inferiora , alui deiectione.* Oportet autem conſiderare, num viæ , per quas purgatio inſtitui debet , ſint conſuetæ, patentes , liberæ , vicinæ loco quem occupat humor , naturaliter diſpoſitæ , necne. 20. *Forma medicamenti liquida altiùs faciliúſque penetrat , promptiùs agit , potentiùs detergit, obſtructionéſque aperit : firma verò ſolida , vt pilularum, diutiùs in ventriculo hæret , tardiùs operatur , & à ſuperioribus partibus meliùs trahit.* 21. *Aſſumpto medicamento per aluum purgante hæc ſunt agenda.* Hordei aqua, mulſa , aut ſimile quid paucâ quantitate ſtatim bibatur : vt reliquiæ à faucibus & gula detergantur, & faciliùs deſcendant. Deinde corpus in quiete primùm contineatur ; & ſi vomitus timeatur, paululum mali acidi aut cidonij, vel miuæ cidoniorum, & ſimile deguſtetur ; naribus acetum roſaceum , aut cum cruſta panis admoueatur, ſummi manuum digiti in aquam frigidam immergantur , facies aqua frigida ſubitò aſpergatur , *Pilulis* autem *aſſumptis*, permittitur ſomnus, vt vires earum citiùs in actum deducantur : à potione aut bolo non item. Incipiente verò purgatione per aluum , ab omni cibo , & ſomno , etiam ab omnibus animi perturbationibus abſtinere oportet , ad conſummatam vſque purgationem , nam cibus & ſumnus vires medicamentorum obtundunt. *Aſſumpto vomitorio* conuenit corpus mouere , cibum aliquando exhibere , aut aquam calidam cum oleo, vt faciliùs ſuccedat euacuatio , deinde fauces irritare. Peracta purgatione ſenſim ad cibos accedere oportet , ſed non ſtatim copioſè aſſumere , nec quàm diu ventriculus ex purgatione languidus eſt.

XIV. *Euacuatio ſanguinis aut eſt vniuerſalis, & fit venæ ſectione, ſeu phlebotomiâ : vel particularis, & fit per hirudines, ſcarificationem , & cucurbitulas.*

Phlebotomia eſt euacuatio humorum quantitate nocentium , arte facta per apertionem venæ aut arteriæ , in eum finem, vt vaſa multitudine diſtenta, aut vires onere grauatæ leuentur , vel materia noxia à parte affecta auertatur. Proinde triplex eſt phlebotomia. 1. *euacuans* ; alia ex toto corpore, alia ex determinata parte. 2. *reuellens* ; qua humores cum impetu fluentes, aut fluxuri, in partem contrariam trahuntur , vt impetus fluxionis quàm citiſſimè cohibeatur. 3. *deriuans* ; qua humores citra impetum in partem affectam defluentes , aut qui defluxerunt, ſed nondum impacti ſunt, auertuntur ad locum vicinum , vt pars affecta ab humore noxio liberetur. De his generibus, vt & requiſitis phlebotomiæ, notentur iſtæ regulæ. 1. *Vbi requiritur phlebotomia à toto euacuans, quauis vena ſecta effunditur ſanguis.* Commodiſſimè tamen plenitudo in toto, ſiue plethora, detrahitur, *ſectis cubiti venis, præcipuè interiore vena cubiti dextri* , quæ à caua plurimùm, à iecore validiſſimè prolicit , maximè ſi plenitudo ſimplex aut bilioſa fuerit : quòd ſi melancholica , *interior ſiniſtri cubiti* potius ſecari debet. 2. *Euacuat interior cubiti vena, quæ baſilica dicitur , non ſolùm à toto corpore , ſed etiam à partibus infra collum & renes citò validéque reuellit* : tardius & ſegnius eius propago , quæ *ſaluatella* dicitur inter minimum digitum & annularem. 3. *Vena cubiti exterior ſiue humeraria, quæ cephalica dicitur euacuat citò & validè reuellit à partibus ſupra clauiculas* : tardiùs verò & debiliùs vena illa brachij , quæ *funiculus* dicitur. 4. *Vena communis ex baſilica & cephalica, circa mediam iuncturæ flexuram deducta, quia ab vtriſque deriuata eſt, à ſuperioribus & inferioribus euacuat & reuellit.* 5. *Si affectus conſiterit ſub renibus , ſecta vena crurum citiùs & perfectius euacuatio efficitur ; tardiùs, ſectis venis malleoli.* 6. *Semper à ſuperioribus ad inferiora conuertitur humor , ſecta vena crurum & pedum : contrà ab inferioribus ad ſuperiora, ſecta vena brachij.* 7. *Reuulſio humoris fluentis à parte affecta in contrarium fieri debet, ſeruata, quantum fieri queat , rectitudine & communione venarum.* Rectitudo autem venarum eſt ſecundùm longitudinem potiſſimùm. Nam à dextris ad ſiniſtra, & contra, non eſt tanta venarum rectitudo, nec etiam communio, quanta dextrorum cum dextris, & ſiniſtrorum cum ſiniſtris. 8. *Deriuatio fit ſecta ea vena, quæ in partem affectam inſeritur ; aut ſecta vena deducta ab his, quæ in parte affecta ſunt.* 9. *Eadem eſt propemodum ratio in arteriarum ſectione, vt in venarum* : licet arteriarum ſectio periculo non careat, potiſſimùm ſi maiores fuerint. 10. *Vires robuſtæ perfectam ; mediocres imperfectam, ſed vtilem, deiectæ exiguam aut nullam ſanguinis detractionem ſuſtinent.* 11. *Tempus opportunum præſcribit neceſſitas vrgens, & virtus tolerans.* Neceſſitas alia eſt maxima , quæ ſanguinis miſſionem tardare non ſinit : alia minor, quæ diem aut horam accommodatam eligere ſinit. Vnde alia phlebotomia eſt coacta, alia electa. 12. *Phlebotomia inſtituitur aut gratiâ curationis, vt in ægris : aut præſeruationis, vt in ſanis.* Nominatim venæ ſectio debetur omni inflammationi, phrenitidi, hepatidi, ſplenitidi, nephritidi, pleuritidi

tidi, ophthalmiæ, odontalgiæ, vertigini, sanguinis violentæ eruptioni &c 13. *Tutò sanguis mittitur iis, qui sunt assueti, quibus venæ amplæ, quique facilè morbis à repletione ortis occupantur.* 14. *Sanguis tutissimè mittitur in vere: tum in autumno.* His enim temporibus, vtpote temperatis, vires sunt integriores. 15. *Tribus de causis iteratur venæ sectio:* vt tutior & facilior fiat reuulsio: vt virium imbecillitati prospiciatur, denique vt sanguinis totius habitus è venis capillaribus hauriatur. 16. *Ante sectionem venæ* expurgetur prima corporis regio, & ventriculus atque cor roborentur: *in sectione* probatur sessio, & emissio sanguinis pro ratione virium: *post sectionem* requiritur motus moderatus, & refectio: *Hirudines* inprimis conueniunt cutis vitiis, vt scabiei. *Scarificatione* vtimur aut sine cucurbitulis, aut cum cucurbitulis: & vicissim *cucurbitulis* aut siccis sine sacrificatione, aut cum sacrificatione. Sacrificatione sine cucurbitulis vtimur, vbi attractione magna opus non est, nec copiosa euacuatione, & potissimùm in pueris, & corporibus mollibus raris. Cucurbitulæ autem vtrolibet modo adhibitæ euacuant, attrahunt, loco materiam mouent, reuellunt, alterant, dolores mitigant. Euacuant autem siccæ tantùm insensibiliter, & flatuosos spiritus discutiunt, vomitum & singultum sistunt, destillationes in stomachum suspendunt. Cum sacrificatione sensibiliter sanguinem cæterosque humores euacuant, & à remotioribus altioribusque partibus eliciunt. Ad extremum, scarificatio vtilitatem interdum non minorem præstat, quàm ipsa venæ sectio. Euacuat enim non solùm humorem parti inhærentem; efficaciùs multò quam phlebotomia, sed etiam redundantiam à toto quodammodo. Item reuellit & deriuat, tutius quidem quàm phlebotomia, verùm segniùs tardiùsque, & citra minorem corporis commotionem, aut virium iacturam, etiam in vigore morbi. Atque hæc est Therapeutica, quam Riolanus totam in Indicationibus & Remediis occupari docet. De remediis vide mox Practicam Rulandi.

CAPVT X.

Chirurgica delineatur.

PRÆCEPTA.

Chirurgica est doctrina, quæ medicâ & artificiosâ manu morbos externos ab homine depellit.

Ea versatur in duobus tantùm morborum generibus: in solutione continui, & immoderatione partis externæ.

Ad solutionem continui pertinent vlcera, vulnera, fracturæ, & luxationes: ad immoderationem, tumores contra naturam.

REGVLÆ.

I. *Chirurgice est mentis, vel manus.*

Partes Medicinæ interiores communi omnium suffragio sunt tres: Diætetice, Pharmaceutice, & Chirurgice, quia tribus instrumentis Therapeutes morbos omnes depellit. ***Diæta*** administri sunt coqui, aut clinicæ mulieres: ***pharmaciæ***, pharmacopæi: ***chirurgiæ***, chirurgi. Quibus omnibus præest Medicus. Hodie tamen videntur Medici cum Chirurgis ita suas operas partiri, vt interiorum præcipuè morborum sanationem retineant, externorum verò potissimùm, qui manus operam requirunt, vt vulnerum, fracturarum, luxationum curationem Chirurgis relinquant. Eâ tamen lege, vt & diætæ, & pharmaciæ, & chirurgiæ fundamenta & methodum præscribat Medicus: qui non aliter, quàm gubernator nauem, aut architectus ædificium, consilio suo totum negotium regit. Meritò itaque Chirurgica rationalis ab empiricâ, & mentalis à manuali distinguitur. Confer reg. seq. 3. & infrà Chirurgicam.

II. *Chirurgica est pars Therapeuticæ latè acceptæ.*

Chirurgica qualis pars Medicinæ?

Therapeutica, latè accepto vocabulo, est ars curandi morbos: siue illi sint interni, siue externi. Sed quia plus artis & industriæ requiritur ad curationem morborum internorum, quam externorum, per excellentiam ars morborum internorum curandorum *Therapeutica*, *& Medicina practica*: externorum vero *Chirurgica* appellatur. Itaque Chirurgica pertinet ad Therapeuticam, latè sumpto hoc vocabulo.

III. *Externorum morborum curandorum scientia Medico quoque tenenda est, vt possit præesse operi: operatio ipsa Chirurgo relinquenda.*

Chirurgia ad Medicum quoque pertinet.

Itaque Medicus chirurgiam methodicam elaborabit, vel ab aliis elaboratam addiscet: cuius hæc est ratio apud Riolanum. Chirurgia est pars Therapeutices, quæ artificiosâ manu morbos ab homine depellere docet. Istorum verò morborum duo sunt genera: solutio continui, & immoderatio partis externæ. Ad solutionem continui pertinent ***vlcera***, ***vulnera***, ***fracturæ***, *& luxationes*: ad immoderationem ***tumores contra naturam***. Quibus veluti finibus vniuersa chirurgia circumscribitur. Itaque chirurgia definiri potest ars curatrix solutæ continuationis, & immoderationis in partibus externis: & adhuc specialiùs, therapeutice vlcerum, vulnerum, fracturarũ, luxationum, & tumorum. Quod attinet ad operationem chirurgicam, seu medicas manus, quas adhibet chirurgus in istorum morborum depulsione, præcipui Chirurgiæ authores ad tria capita reduxerunt: ad διαίρεσιν, συνάρεσιν, ἐξαίρεσιν, id est solutionem continui, vnionem soluti, remotionem superflui. ***Solutio continui*** fit incidendo, vel excidendo: ***vnio soluti***, luxatum os reponendo, aut fractum intermedio callo adiungendo: ***remotio superflui***, extrahendo tela aut globulos sclopetarios corpori impactos, cataractam ab oculo, lapidem à vesica. In quibus operationum primis & generalibus differentiis summa laus & perfectio chirurgiæ consistit.

IV. *Vnguentum armarium, siue S. Anselmi, quod vocant, potius in vulneris emundatione, quam nescio quâ occulta vnione & communione consistit.*

Hoploiatricen num probanda?


Nam præcipuum hoploiatrices præceptum est, vt vulnus mundum seruetur. Id quod Lappones probè norunt, quibus nihil est prius, nihil antiquius in vulnerum curatione, quàm illa probè eluere aquâ frigidâ, & hunc actum subinde repetere, simplici linteo imposito.

PERORATIO MEDICINÆ HIPPOCRATICO-GALENICÆ.

ITA ergo methodum Medicinæ Hippocraticæ, siue Galenicæ, adeoque Hippocratico-Galenicæ, adornandam esse censeo, in quâ velim ista duo inter alia obseruari. 1. quòd artis huius authores methodum vel inprimis obseruent. Nam quia morbus est accidens, in subiecto est, & propriam inhærentiæ causam habet. Quæ omnia Medicus inuenit methodo resolutiuâ, & regrediendo, per methodum compositiuâm demonstrat affectionem quamuis de suo subiecto per causam proximam. 2. quòd specialia loca inuentionis medicæ in hâc arte occurrunt, inprimis in Semeioticâ & Indicationibus, vbi argumentamur à pulsu, sudore, vrinâ, deiectione alui; ab affectu contra naturam, à temperie totius corporis, à parte affectâ, illiúsque dignitate, situ, consensu &c. ex viribus ægri, ab ætate, à consuetudine, à peculiari cuiusque naturâ, seu ab ἰδιοσυγκρασίᾳ, à sexu, ab exercitio vitæque genere, ex remediorum viribus, à sideribus, à solemnibus naturæ functionibus, à paroxismo, a morbi longitudine vel breuitate, à quatuor morbi temporibus, videlicet ab initio, augmento, vigore, & declinatione, & ab aliis id genus.

ADVM

ADVMBRATIO MEDICINÆ HIPPOCRATICO-Galenicæ.



MEDICINÆ SECTIO SECVNDA,

Ex mente

CHYMICORVM.

CAPVT I.

De Fine Medicinæ.

PRÆCEPTA.



MEDICINA Chymica, seu spagirica, similiter vt Galenica explicat suum finem, subiectum, & media.

Finis internus est tradere modum inueniendi medicinam ab omnibus impuritatibus separatam, & illam ritè applicandi corpori humano: externus est illius medicinæ inuentio & applicatio.

REGVLÆ.

Laus medicinæ chymicæ. I. *Medicina Chymica hoc inprimis nomine commendatur, quòd sollicitè præparat medicamenta.*

Fatetur hoc *Duncanus lib. 4. de Therapeuticâ cap. 11.* his verbis: Chymicæ præparationes magis efficaces sunt, magisque laboriosæ & ingeniosæ. Perficiuntur enim instrumento caloris, artificiosâ manuum operatione, siue ἐγχειρεία, in eum finem, vt per artificiosam quandam transmutationem portio substantiæ, medicamentosâ vi prædita, à terrena fæce, omnibusque impuris & alienis separetur, viresque melius consocientur. Quibus verbis egregiè ob oculos ponitur finis veræ Chymiæ propositus. Vnde illud πολυθρύλητον: Alchymia est separatio puri ab impuro. Et hoc opponendum est Chymicomastigibus.

Quinta essentia quid? II. *Chymia medica, seu medicina chymica, eò refert omnia, vt habeat ex mineralibus, vegetabilibus, & animalibus quintam essentiam, siue id, quod in istis naturis est cœleste.*

Hæc nimirum est illa Chymicorum Helena: de quibus vide infrà in Pharmacopoëtica tractatum Cornelij Drebbellij, & cœlum Philippi Vlmstadij.

CAPVT II.

De Subiecto Medicinæ.

PRÆCEPTA.

SVbiectum Medicinæ est ex quo, & in quo illa operatur.

Subiectum in quo Medicina operatur, est corpus humanum seu microcosmicum.

Subiectum ex quo Medicina Chymica operatur, est corpus macrocosmicum, inprimis minerale.

REGVLÆ.

I. *Microcosmi & macrocosmi, seu megacosmi, analogia, symmetria, & harmonia inprimis est obseruanda Medico.*

Tantus enim ex hâc philosophandi ratione fructus & vtilitas emanat, vt his velut illecebris animus humanus captus, ante non acquiescat, quàm omnes macrocosmi thesauros in microcosmo latentes educat, eruat, foueat, spagyrica vtriusque copulatione. Vide hanc in sententiam copiosè *Pantheum hygiasticum Claudij Deodati lib. 1. cap. 1.* & paulò pòst *Duncanum.*

II. *Medicina ex mineralibus, ritè præparata, plus præstat in microcosmo, quàm medicina ex vegetabilibus & animalibus.*

Ratio huius rei est, quòd in mineralibus corpora sint magis compacta & pura, spiritusque subtiles & penetrantes. Quare si accedat exacta spargiria, inde parati possunt medicamenta magnæ virtutis & efficaciæ.

CAPVT

Caput III.

Medicina Chymica communis.

Præcepta.

Media sunt vel sanis & ægris communia, vel propria alterutrorum.

Hinc itaque Medicina Chymica est communis, vel propria.

Medicina communis est physiologica & diætetica, & semeiotica & pharmaceutica.

Medicina Chymico-physiologica explicat signaturas rerum medico-physicarum, & constitutionem microcosmi.

Signaturæ rerum medico-physicarum sunt figuræ mineralium, vegetabilium, & animalium, ex quibus colliguntur vires medicamentorum.

Constitutio microcosmi est eucrasia & salubris diaplasis.

Eucrasia est, quâ aliàs partes corporis ad actiones salubriter obeundas, habiles reddit.

Estque balsamica, vel chærionia.

Eucrasia balsamica est, quâ corpus vitali liquore temperatur.

Eucrasia chærionia est, quâ corpus elementari temperie perfunditur.

Diaplasis salubris est, quâ corporis partes in organa actionibus idonea finguntur, siue formantur.

Estque mathematica, vel physico-magica.

Mathematica in dimensionibus consistit, adeoque in symmetriâ partium, & earum constructione.

Physico-magica diaplasis est, quâ corporis humani dimensiones & termini suis astris assignantur.

Diætetica chymica expendit sapidas tincturas alimentorum, & balsamicam aëris naturam.

Semeiotica chymica expendit signa temperamenti ratione planetarum, & morborum ratione trium principiorum hypostaticorum.

Pharmaceutica chymica docet naturas & operationes medicamentorum.

Regulæ.

I. Signaturæ rerum faciunt plurimùm ad indagandas vires medicamentorum.

Audiamus hâc de re *Duncanum lib.4. de therapeuticâ cap. 8.* Præterea, inquit, ad explorandas & indagandas vires medicamentorum, Paracelsus nouam quandam physiognomiam & chiromantiam excogitauit, & ex signaturis rerum, occultas vires inueniendas esse putauit. Nam (authore *Paracelso libro de signaturis rerum, & libro de Persicariâ*) natura omnia signauit, & latentes vires certis signis expressit, nobisque manifestauit. Signaturæ autem aliæ externæ sunt, vt forma, figura, lineamenta, & similia: aliæ internæ, spagiricâ & artificiosâ præparatione introductæ. Veluti quæ partis similitudinem habent, ei potissimùm conferunt, vt hepatica hepati, euphrasia oculis, haliacabum vesicæ, pulmones vulpis pulmonibus &c. item lapidosa, & quæ lapidosum quid proferunt, vt saxifragia, calculo: herbæ perforatæ, vt hypericon, vulneribus &c. Hæc ratio contemnenda non videtur, licet vniuersalis non sit, nec in omnibus locum habeat, præcipuè in signaturis externis. Quid per internas sibi velit, inter ipsos Chymicos adhuc controuertitur. Hactenus ille. Vide in hanc sententiam suprà in Physicis.

II. Eucrasia hominis est astralis, vel elementaris. Illa balsamica: hæc, chærionia dicitur.

Hominis substantia, siue regio, est triplex: diuina, astralis, & elementaris. *Diuina* non est huius loci, sed ad theologiam, siue medicinam animæ pertinet. *Astralis* est in balsamo radicali, & sensuum præstantiâ totum corpus gubernat. Hic balsamus corporis vita est & astrum, quo corporis membra vitalibus radiis illuminantur, perinde ac solis lumine tota magni mundi machina illustrari solet. Vnde *Hippocrates lib. de principiis* ait: Quod calidum vocamus, id mihi immortale videtur, cunctaque intelligere, videre, & audire, & scire quæ omnia, tum præsentia, tum futura, cuius pars plurima, cum omnia essent perturbata, in supremum ambitum secessit: quod mihi veteres videntur æthera appellasse. Videbat nempè Hippocrates, omnia huius calore nescio agitari, viuere, ac moueri, eoque extincto omnia interire: qua ratione motus immortale id dicebat, ætheriumque existimabat. Quam sententiam Chymici secuti, balsamum, calidum radicale, & hominem æthereum seu astralem promiscuè appellant. Mirabili namque sympathiâ cum astris macrocosmi conspirat balsamus & astrum microcosmi, vt penè eadem vicissitudine, statis temporibus, moueantur, & se vltrò citròque afficiant. Nam sole à nobis sub hyemem recedente, vita elementorum magni mundi languescit; herbæ & arbores deperdunt comas, & quasi emoriuntur: homo tristatur & languet, eiusque balsamus interiora viscera petens maiorem cibi & potus copiam conficit, quàm aliàs. Reuertente vero sole, tempore verno, omnia reuiuiscunt, insecta quoque, muscæ, ranæ, & alia, quæ hyemali tempore semimortua in rimis & latebris se reconditerant, nouam quasi vitam accipiunt. Homo etiam, abiectis impuritatibus mineralibus, quas tota hyeme contraxit, renouatur; & vitam quasi nouam cum magno mundo induit. Taceo, quòd balsamus noster perfusus claritate lucis solaris, sereno tempore gaudeat, nubilâ verò tempestate tristetur ac deficiat. Sic oriente sole homo lætior, & balsamo renouato plenior est, quàm à meridie; cùm ad occasum lux diei inclinat: quod ægroti magno suo incommodo nimis quàm experiuntur: Vnde philosophi subtiliores vitam microcosmi & macrocosmi eandem esse, & vtramque non sine luce esse statuunt. Nam quia similia tantùm à similibus iuuantur, augentur, & sustentantur, & verò corpus nostrum ex vegetabilibus & animalibus alimentum suum capit, necesse est, vt omnia illa de corporis nostri balsamo participent, ac proinde balsamum istum à superioribus accipiant. Vnde non sine causâ *Hermes in tabulâ smaragdina*, Quod est interius, *inquit*, est sicut id quod est superius: &, Quod est superius, est sicut id quod est interius. Et *Aristot. lib. 1. meteor. 2.* testatur mundum hunc inferiorem esse subditum superioribus lationibus, vt omnis eius virtus inde regatur. Hinc *Platonici* docent, inferiora à superioribus, non superiora ab inferioribus aliquid accipere. Et *Scaliger exerc. 6. sect. 2.* pro superiorum viribus, concursu, mistione, alienatione, hæc sublunaria tum fieri, tum perire probat. Cuius rei rationem ex similis spiritûs proportione, materiam inferiorem disponentis, petit: vt, sicut ad citharæ pulsæ sonum altera ex aduerso pendens reboat: ita inferiorum balsamus ab æthereo stimuletur. Atque hic locum habet harmonicus ille concentus, & suauis musica Pythagoræ, quâ omnes creaturæ inuicem accinunt. Quod longè planius ab *Aristotele 3. de generat.* proponitur, dum ait: Generantur in terrâ humoreque animalia & plantæ, quoniam humor in terrâ, spiritus in humore; calor animalis in vniuerso inest, ita vt quodammodo animæ plena sint omnia. Sic Aristoteles. Hinc è lignis omnis generis vermes, ex stercore equi scarabæos, ex limo Nili mures prodire scimus. Ex quibus omnibus liquidò constat, balsamum microcosmi à macrocosmo pendere, & mirâ analogiæ sympathiâ conspirare. Porro, quod vterque balsamus, macrocosmi & microcosmi, sit lux, aut luci cognatus, ita patet. Lux in quibusdam corporibus est euidens, in quibusdam occultò velamine tecta latet. Euidens est in sole, luna, astris, carbunculo, & similibus: in reliquis verò tegitur, & nonnisi per calorem se prodit. Tanta siquidem lucis & coloris est cognatio, vt si lux per medium coloratum transeat, magis, magisque coloretur. Et in Optica docuimus, lucem & colorem obtinere principatum inter omnia visibilia. Quare cùm in omnibus plantis, lapidibus, & animalibus colores conspiciantur; lux lucisque facultas non est ipsis neganda. Quod vt manifestius euadat, tempus vernum ob oculos nobis ponamus. Tum enim colorum diuersitas à diuersâ balsami constitutione oritur. Nam quòd totam terram viridi colore vestitam, variisque floribus ornatam videmus; eius, inquam, rei causa nulla est alia, quàm balsamus renouatus, qui singulari lucis fœcunditate fœtus nouos exornat. Hominem præterea viuum & sanum roseo & amabili colore perfundi, ægrotum verò & mortuum pallescere videmus. Herbas insuper recens natas virescere, marcescentes colorem perdere animaduertimus. Quæ omnia indicio satis esse possunt, balsamum à luce pendere, & luci cognatum esse. Itaque balsamus noster nihil est aliud quàm liquor lucidus, & vitalis opifex, omnes operationes in nobis perficiens. Sicut autem in toto vniuerso balsamus, seu vita, variat: ita quoque in homine se res habet. Quemadmodum enim septem planetæ in cœlo, vitæ balsamique cœlestis vehicula, illum cum inferioribus distribuunt: ita septem membra hominis principalia, hisce planetis respondentia, balsamum suum per vniuersum corpus, distribuunt. Rursum sicut vniuersus lucis & coloris fons in corpore solis, tanquam in centro collectus, inde cum sublimari mundo communicatur: ita balsamus microcosmicus in

membra

Quatuor summa morborum genera.

II. *Omnes morbi analogicè reduci possunt ad quatuor summa genera:* vt est apud Petrum Seuerinum in ideâ Medicinæ.

Nimirum *ad lepram* pertinent vlcera, pruritus, scabies, furfur, alopecia, squamæ, scissuræ, & omninò fœditates cutis: *ad podagram*, siue guttam, cephalalgia, arthritis, dolor dentium, colica, hemicrania, calculus: *ad hydropem*, febres, apostemata, icterus, cachexia: *ad epilepsiam*, catarrhus, paralysis, syncope, spasmus, vertigo, melancholia, apoplexia, suffocatio matricis &c.

Curatio Chymica summa.

III. *Curatio Chymica morborum tutissimè fit per medicinam catholicam, & ipsius vehicula.*

Omnes Medici in ore habent illud: *Curandum est citò, tutò, & iucundè.* Id verò quam pauci præstent, quotidiana experientia locuples est testis. Chymici quidem conantur hoc vel solicitissimè. Sed vix est vt aliquis vel sibi vel expectationi ægrorum satisfaciat, nisi forte instructus sit tincturâ seu medicinâ catholicâ, quam vocant. De huius præparatione & vsu apponam breuem & luculentum tractatum, cuius hic est titulus.

MEDICINA VNIVERSALIS

Siu,

DE GENERALI MORBORVM OMNIVM remedio liber, quo veritas facilitasque Medicinæ cuiusdam Catholicæ, omnes omnino morbos curantis, ostenditur, ad eandemque adipiscendam aditus aperitur.

Authore,

Iohanne VVolfgango Dienheim, anno. 1610.

CAPVT I.

Quotidiana medicæ facultatis exercitatio, nec non accurata studiorum meorum assiduitas, diurnis nocturnisque laboribus tanquam perpetuo quodam filo contexta, ob eandemque causam terrâ marique suscepta itinera, cò me tandem aliquando perduxerunt, vbi admodum clarè perspicio fieri id planè posse, vti generali quadam medicinâ omnes omninò morbi à corpore humano depellantur, obtrepat licet ingens aduersariorum vulgus, qui id rationibus apparentibus nihil concludentibus, attamen refutare conantur. Scilicet.

Multa tegit sacro inuolucro natura, neque vlli
Fas est scire quidem mortalibus omnia, namque
In manibus quæ sunt hæc nos vix scire putandum,
Est procul à nobis adeò præsentia veri.

Multi multa negant, quòd pauca sciant, & quòd in ipsorum cerebro non est, id neque in rerum naturâ esse existimant. Iniecit mihi primò hanc cogitationem, veritatemque inde subolfacere iussit communis illa totiùs vetustatis omniumque olim populorum indubitata consensio; quasi omnes enim veterum Philosophorum libri vnico illud ore docent & inculcare conantur. Apud Arabes illud sensit & docuit sapientissimus ille Euanthes Arabum Rex, apud Babylonios Hyparchus, Alcmæon, Kyrannides apud Græcos, Hermes ter maximus, qui splendidum istud nomen adeptus est, quòd cum regiâ maiestate summam Philosophiæ cognitionem, summam quoque sacerdotij coniunxerit dignitatem. Sed Ægyptiorum idem sentientium (Deus bone!) quàm ingens, quàm ad miraculum erudita congregatio! Osthanes sanè (quicquid alij blaterent) ex illorum est numero, cuius obscurissimos libros è sepulchro erutos (quò illos cum cadauere suo importari curauerat) Abderites Democritus commentariis illustrauit. Iudæos etiam, Chaldæos, Persas, Thraces, Æthiopes, in hoc sensu fuisse, derelicta posteris scripta eorum testantur, & nominatissimus ille Leo Hebræus testis est, qui se Berith Salmona nominauit. Apud alios verò populos nominatos, Hiarchas, Tespion, Zamolxides, & (ne longus sim) tota Philosophorum turba loquitur. Sanè authorum istorum omnium vel opera integra, vel fragmenta saltem in Vaticanâ Pontificis maximi Bibliothecâ adhuc hodiè Romæ ostenduntur: aliqua quidem stylo in pugillaribus cereis exarata, alia verò in arborum corticibus, plurima etiam vsitatâ nobis ratione in chartâ atramento descripta. Quid? quòd audio apud Bragmanes etiam & regni Chynæ qualescunque Philosophos hunc ab antiquissimis temporibus morem inualuisse, vt quotannis certo quodam die, funebri ritu, veste lugubri, nobilissimæ huius artis interitum & obliuionem, non secus ac maximi alicuius principis mortem soleant deplorare, ac iteratis vocibus è cælo, quò abiisse fingunt, repetere: illud vti audiui refero, vt vt autem sit, certè Authores illi, quos supra nominauimus, diuersissima distantissimaque loca incoluerunt, diuersis etiam vixerunt temporibus, ita vt à se inuicem illum errorem (ita enim loquuntur) discere potuisse non videantur, vnde apparet consensum illum tam latè patentem, non vnius vrbis, sed orbis, aliud nihil quàm euidentissimam infallibilemque veritatem continere.

CAPVT II.

Scio equidem Medicinam hanc vniuersalem à viris doctissimis optimisque aliquot sarcasmo perstrictam explosamque fuisse, non tamen vti medicina est, sed quatenus ad chrysopœiam siue metallorum transmutationem creditur pertinere, quod sane per me licet non enim ego metalla, sed humana corpora curare desidero, aurum argentumque producere, naturæ, non meum opus est, aut certè eorum qui id se assequi posse existimant, ego exorbitantes discordesque humani corporis humores ad æqualitatem Physicam omnis sanitatis originem reducere sum conaturus. Illi ergo quos hæc tangunt, si velint, respondeant, ergo ad obiectiones eorum, qui medicinæ huius vniuersalis veritatem, quatenus medicina est, impugnant, pro virili meâ, sed tamen breuiter: posteaquam illam ipsam medicinam definiero, respondebo, tempus enim est, vti quid ea sit, vnde fiat, quos effectus sortiatur, cupido lectori declaremus: habebit inde veritatis amans clariorem rei verissimæ cognitionem, Antagonista verò vberiorem oppositionum campum ad agnitam veritatem oppugnandum. Nam quæ de implicatione contradictionis effectus de ignorantiâ dosis, mixturæ, temperamenti, de impossibilitate reperiendi materiam, & quæ his similia sunt afferuntur, illorum omnium veritas falsitasue, intellectâ definitione, clariùs intelligetur. Primus ergo & solus absque & ænigmatibus & amphibologiæ tegumentis nudam hanc Dianam vestris & omnium oculis demonstrabo, nominibusque iis vtar, quæ subiecto nostro vni, soli, semper & vbique conueniunt, malo: etenim indignos aliquot vnà cum iis qui digni sunt hâc felicitate perfrui, quàm dignos omnes vnà cum indignis fraudari; neque eâ re sapientis alicuius indignationem me aut maledictionem incursurum esse existimo, cùm non propriæ sed publicæ studeam vtilitati, quam impedire aut iuuare, vbi possis, nolle, non Philosopho duntaxat, sed Christiano quouis homine est indignum, cùm præcipuè quantumcunque clarus futurus sim, nulli tamen me alij quàm Philosophi iique naturæ inuestigatores sagacissimi sint intellecturi: Ad rem igitur. Medicina vniuersalis est quatuor elementorum, seu primordiorum mundi quinta essentia, quam suapte naturâ sempiternam, veteres ὕλην nominauerunt. Siue. Est ipsa elementa, quintum aliquod homogeneum & inseparabile facta, quam Icosaëdri figurâ, duplicis harmoniæ ex Diapason & Diapente bifariam constantis hieroglyphico Ægyptij depinxerunt. Siue est inseparabilis certâ quadam naturæ dosi elementorum omnium permixtio, quâ mediante ipsa elementa secundùm indiuidua sua considerata æquè benè incorruptibilia facta sunt, atque eorum materia secundùm totum antè fuit. Vbi certè non qualificatas siue elementatas vllas alias res, sed ipsa elementa propriè, naturaliter, genuinè, sumpta, ab omnibusque heterogeneis depurata intelligo. Ex his enim solis medicina vniuersalis fieri debet; omnia alia non generales, sed certas quasdam definitasque suæ actiuitatis sphæras ex formis suis particularibus sunt consequuta. Quid autem in re medicâ vniuersale nostrum efficiat, accipe. Renitentes, obluctantes, deprauatos & incurabiles humanorum corporum humores, cuiuscumque tandem qualitatis aut malignitatis sint, aut quocumque nomine appellentur, ita disponit, vti medicinis iis, quæ de iure ac communiter adhibentur, non solùm nullo modo resistant, verùm etiam iisdem ad effectus suos certò consequendos, strenuè opitulentur; non obstantibus impedimentis quibuscunque, nisi ab expressa creatoris voluntate prohibeantur.

CAPVT III.

Si quis conditiones eas quas vniuersalis medicinæ materies iuxta Philosophorum axiomata habere creditur, apud se accuratè perpenderit, ille infallibilibus argumentis eam nihil aliud esse neque esse posse, quàm ipsa elementa, concludet. Quas conditiones equidem non omnes (nimis enim longum foret) sed tantùm præcipuas in medium afferam, vti sincerus inde studiosusque lector doctrinæ meæ intelligat veritatem: hoc autem ante omnia scitu necessarium est, antiquissimos quosque, imò & neotericos & omnium omnino ætatum Philosophos, materiam huius medicinæ Catholicæ vnam eandemque numero esse existimasse cum eâ, ex quâ Alchymistæ decantatum illum lapidem Phylosophicum fabricare cona-

se conantur: vtrùm verò hi ipsorum conatus effectus suos consequi naturâ possint an non, ad me planè nihil: mi satis est, eandem nos habere cum Chemistis materiam, quæ iisdem signis possit cognosci, & iisdem soleat descriptionibus explicari: attamen quid de his sentiam, suo sum loco disputaturus. Materiæ huic nostræ igitur, illa omnia quæ de lapide Philosophico à probatis authoribus attribuuntur, non quo ad effectus, sed quantum ad materiæ numericam identitatem quarto propriorum modo conueniunt, ita vt vniuersalis humanorum corporum medicina, & metallorum illa siue vera siue fabulosa metamorphosis, ex eodem fonte scaturiant & oriantur. Materiam & lapidis & Medicinæ Catholicæ philosophi aiunt esse debere informem, chaoticam, indefinitam, omnium formarum capabilem, hoc est, dispositam, vti ex illâ æquè benè animal quàm planta, minerale aliquod imperfectum, quàm metallum generatur. oportet illi conueniat nomen Adam, vt constet ex quatuor partibus, quæ vnum quid æternum sui totius respectu possint appellari; quarum duæ visibiles, aliæ duæ nostros sensus suâ effugiant subtilitate, duæ agant, duæ itidem patiantur: oportet vt inueniri possit semper, vbique & ab omnibus, vti tàm sit humanæ vitæ necessaria, quàm cibus potúsue, imò multò magis; vti pars eius solidior incombustibilis sit, liquida verò ab igne fugiat, & reliquorum volatilium more in fumum resoluatur; quarum vna oriatur ex alterâ, & in eandem reciprocè desinat ac commutetur. Vti nota denique illa Hermeticæ tabulæ archidoxa in illâ perfectissimè compleantur. Sed cui obsecro rerum creatarum omnium præterquam solis elementis illa conueniunt? Quid Hydrargirum, sulphur, vitriolum, stibium, sales, alumina, quid animalia, plantæ, arbores, quid metalla ipsa cum hisce proprietatibus commune habent? Nulli eorum, etiamsi per capillos traxeris, hasce qualitates poteris applicare. Elementa verò nunquid omnium omnino rerum materiæ & subiecta sunt? nonne vt per separationem è chao illo antiquo emerserunt, & quatuor facta sunt, ita planè chaotica manent, & iterum confusa pristinum chaos efficere omninò possunt? nunquid ex eadem terrâ & aqua computrefacta serpens enascitur, ex aqua coacta & coctâ cœlorum vi silex fieri, aut pretiosus etiam lapis aliquis potuisset? nónne idem vitalis spiritus siue aër telluris opacitate inclusus (si Aristoteli credendum est) metalla generat? Qui vbi exhalandi aliquem locum adeptus est, omnium omnino terrâ nascentium vegetabiliúmue genitiua vis & causa efficitur? Nónne Adam aliud quàm terram eamque rubram, qualis creationis tempore fuisse creditur, & adhuc hodiè purissima quæque est, significat? Nónne quatuor elementa, cùm sint vnum tantummodò eandemque naturalem essentiam habent? Nónne id perquam clarè ex reciproco eorum ortu & occasu, quo vnum ex altero oritur & in idem desinit colligitur? terra nunquid & aqua videri se & palpari manibus etiam patiuntur, ignis verò & aër nostros sensus effugiunt? nam qui videri à nobis ignis potest, ille non elementalis sed elementatus tantummodo est, concretione substantiarum terrestrium, impurarum, inflammabiliumque coinquinatus: verus ignis aërque vti agentia decet in passibilium elementorum visceribus haud secus ac naturalis calor in animatis stomacho, non tamen absque actione, abscondita delitescunt: vnde cecinit Gallus quidam non indoctè.

> Le feu est enclos bien & beau
> Dans la terre, & l'air dans l'eau.

Hoc est, aërem quidem aquâ, ignem verò terrâ inuisibiliter contineri. Quid autem obsecro æquè aut plus etiam quàm cibus homini necessarium est, nisi ipsa elementa? terra videlicet, cui insistimus, aër quo respiramus, aqua & ignis, sine quibus adeò viuere nequimus, vti Romani iis olim aquâ & igne interdicerent, quos secum vnà viuere ob ingens aliquod perpetratum scelus nullo modo vellent, cùm enim sine eorum vsu neminem viuere posse perspicerent, interdictû eorundem vitâ & societate humanâ interdicebant. Atqui elementa semper vbique & ab omnibus haberi posse, ita clarum est vti nullâ egeat probatione: vel in altissimo enim mari terra est, & in siccissimâ terrâ aqua, licet profundiùs quærenda egesto solo inuenitur: in quibus bina alia elementa diximus contineri.

Caput IV.

Ad tabulam illam Hermetis (Smaragdinam nominant) quod attinet, ipsa meritò lapis Lydius vel criticus omnium opinionum, quæ de hâc re circumferuntur, potest appellari. Omnibus enim Philosophis de hoc conuenit, quòd falsissima ea sint & à materiâ vniuersalis remedij maximè aliena, quæcunque supradictis conditionibus & proprietatibus hâcce tabulâ contentis non respondent. Loquitur illa autem de parte liquidâ seu volatili materiæ nostræ vtpote potiore, circa quam omnis labor & studium nostrum occupatur. Illamque à patris & matris genealogiâ depingit, & Mercurium proprio, sed non intellecto vocabulo, nominat, cuius quidem appellationis rationem proximo sequenti capite sum redditurus. Formalia, quantum memini, tabulæ verba nunc accipe. Quod est inferius, est sicut quod est superius, ad penetranda miracula rei vnius, & sicut omnes res fuerunt ab vno meditatione vnius, sic omnes res natæ fuerunt ab hâc vnâ re adoptione. Pater eius sol, mater eius luna portauit illud, ventus in ventre suo, nutrix eius terra est, hic est vis totius mundi, si versa fuerit in terram, separabit terram ab igne, subtile à spisso. suauiter, cum magno ingenio, ascendit à terrâ in cœlum, & iterum descendit de cœlo in terram, & recipit vim superiorum & inferiorum. Sic habetis gloriam totius mundi, ideo fugiat à te omnis obscuritas, hæc est totius fortitudinis fortitudo, fortis, quæ vincit omnem rem subtilem, & omne solidum penetrabit. Sic mundus creatus est. Hæc sunt omnia quæ vnquam ex Hermetis tabulâ & omnibus scriptis eius in manum meam peruenerunt. Quorum sensus naturâ suâ clarissimus ineptissimorum hominum nugis & næniis est obscuratus: pudet me enumerare quàm pueriliter, quàm absurdè, parum est, quam stultè, hic locus à Chemistarum plerisque hactenus sit explicatus. Sol ipsis aurum est, argentum luna, caput alembici cœlum, fundus terra, & quæ pars alembici non impleta est, aër illis siue ventus appellatur. Sed quæ hæ chimeræ? quæ ineptiæ? quæ somnia? aggrediar ergo ænigma hoc quod tam difficile ipsis & indissolubile esse videtur, illudque (licet Dauus sim, non Oedipus) veriùs saltem, si non subtilius, explicabo; vt qui malim vera quàm pulchra dicere, vbi vtrumque simul naturâ rei prohibeor. Mercurius, Hermetis omniumque Philosophorum aqua est, eaque cœlestis siue pluuia, hanc sol tenuissimi vaporis specie è terrâ extrahit & vsque in eam aëris regionem, in qua impressiones fieri solent eleuat, vbi ab indita & naturali lunæ vi, qua inferioribus hisce dominatur, in aquam pluuiam cogitur & inspissatur, quam pondere suo ima petentem ac distillantem, aër postea siue ventus (is enim nil nisi aëris quidam fluxus est) nolens volens vsque dum centrum suum, id est, terram attigerit, gremio suo cogitur baiulare in Gordium nodum, forsitan illo Alexandri implicatiorem, solo rationis gladio dissolutum: quòd si materiæ vilitas, facilitasue huius solutionis tibi offendiculo est, stultus es si ante facillimæ vilissimæque rei experimentum verissimam alioquin reiicis opinionem.

Caput V.

Mirum est quàm multis nominibus Philosophi hanc medicinæ nostræ materiam appellarint; quæ nescio an occultandi an explicandi gratia tam abundanter ac superfluè cumularunt, sanè plus obscuritatis quàm lucis pariunt, ita vt indè maxima eorum seges, quibus orbis adhuc hodiè laborat, pullularit, adeo quòd omnes quasi qui in hac arte vel aliquid proferunt, vel existimarunt tantummodo se profecisse, pro libitu suo noua nomina, nouos characteres, & hieroglyphica excogitarint; veterum tamen consuetudo illa semper fuit, vt Deorum Dearumque sed planetarum præcipuè nominibus vterentur, sed proh Deum immortalem, qui vel inde errores, qui abusus, quæ deliramenta emanauerunt: quàm miserè doctissimas veterum inuentiones, neoterici nostri defigurarunt, quam longè ab antiquorum aberrauerunt sententiâ? Iupiter illis stannum est, Saturnus plumbum, argentum verò viuum Mercurius. Aurum, argentum, æs, chalybem, Solem, Lunam, Venerem & Martem nominant: quæ hæ tenebræ, quæ antiquitatum, imo bonarum omnium literarum ignorantia? Non metalla sed elementa veteribus pro diis habita, vti antiquitatum obseruatores scriptoresque Hieroglyphici vnà cum mythologorum turba testantur. Physici (ait Calepinus) interpretantur Iouem esse elementum ignis, dictumque à iuuando, eò, quòd nulla res sit quæ sic omnia foueat, quemadmodum calor; & paulò post. Aliquando, ait, per Iouem intelligimus ipsam vim superiorum elementorum, quæ actiua est, dum agit in hæc duo inferiora ad generationem & corruptionem. I nunc Chemista, & stanneum tuum Iouem aliis vende, nos meliorem habemus verumque Iouem; stanneo illo tuo parasangis innumeris præstantiorem, sed heus de Iunone, cuius tu alitem in phialis tuis tam videre desideras, & ego vidi, Marci Tullij Ciceronis audito iudicium. Sic enim de illa libro secundo de natura Deorum loquitur. Aër vti Stoici disputant, interiectus inter mare & cœlum Iunonis nomine consecratur, quæ & soror & coniunx est Iouis, quod similitudo est ætheris & cum eo summa coniunctio. Sed quàm hæc, inquis, paradoxa sunt, quantum ab antimonio differunt, cuius variegatos colores ignis violentissimi viribus excitatos nos autem Iunoniam, caudam pauonis, Irim & ipsam Iunonem nominamus? quàm longè scilicet ab errore veritas, à Cimmeriis tenebris meridiana lux, à pestilentissimo toxico ipsius vitæ principium distat & separatur.

Capvt VI.

Saturnum plumbum esse nullâ authoritate, sed sequenti tantummodo ratione freti, existimant. Saturnus,inquiunt, senex, & propriorum infantium vorax à poëtis fingitur, quod sanè plumbum præstat egregiè; omnia enim metalla si septuplo pondere cum illis permisceantur & in vase quodam cineritio (capellam vocant) igni imponantur, ita deuorat, vti nullum eorum vestigium possit reperiri, auro tamen & argento intacto inuiolatoque permanente; neque abs re senex, cùm reliqua metalla illo iuniora sint, vtpote quæ ex illo generentur. Hæc illi: sed quæ hæc per Deum ratio aut comparatio? Saturnus vt in fabulâ est, omnes infantes suos deuorauit, Ioue tantùm, Neptuno, & Plutone matris astutia liberatis? plumbum verò reliqua metalla non filios, sed fratres suos deuorat, vel potiùs igni deuoranda præbet. Non è plumbo enim metalla sed ex elementis prima instantia absque vllo semine seu materiâ proximè generantur, vatem de his audi non ratione tantùm, sed & experientiâ ipso forsitan Hermete doctiorem:

Pourtant ne se vante la gente,
Et dise soubs ce mot notable;
Toute chose fait son semblable.
C'est mal dict quant aux mineraux;
Mais bien est vray des vegetaux
Et de sensitifs vrayement.
Car ils prennent nourrissement
Ils se sement & se plantent,
Les metaux iamais rien ne sentent,
Et sont aussi grands au dernier
Comme ils sont en leur an premier;
Des Elements prennent leur estre
Par nature en l'Element terrestre.

Sensus istorum ferè hic est. Nullus inquit glorietur nimis vsitato illo Philosophorum axiomate, similia scilicet à similibus tantummodo generari. Vera enim hæc quidem sunt, si de animalibus aut vegetabilibus intelligantur, quæ quoniam semen habent, seminari, plantari, ac crescere sine dubio possunt, metallica verò vti semine carent, ita neque sensum vllum habent, aut crescere omnino possunt, & non maiora sunt illo anno, quo è visceribus terræ eruuntur, quàm eo quo primò metallicam suam naturam induerunt: in elemento terræ obstetricante naturâ ex ipsis elementis enascuntur. Hæc ille: sed an alicubi gentium idem fratris & filij nomen significat? Anne idem est etiam rem aliquam edere aut alteri porrigere edendam? non enim plumbum metalla deuorat; sed disponit tantùm, vt citiùs commodiùsque igni deuorentur, quocirca vnà etiam cum ipsis absumitur. Sed cur quæso Saturnus claudicat? An plumbi fixitas in causa est? at certè illud omnium metallorum est alatissimum, ita vt tardiora reliqua secum ociùs faciat auolare, ô mœneam, ô dissimilem similitudinem, ô nulli rationi innixam comparationem! Saturnum ego, Martem, & Venerem terræ, Lunam verò & Mercurium aquæ Hieroglyphica esse intrepidè assero. Solem denique ac Iouem ad reliqua duo elementa, quæ actiua sunt, indifferenter pertinere; nominum verò hanc diuersitatem elementa quoque diuerso more effecta denotare. singularum causas in promptu habeo, & omnia vetustatis monumenta, obelisci, pyramides, Ægyptiorum literæ pro meâ hâc sententiâ depugnabunt, sed neque hîc Dij solùm Deæque, sed quæ illis etiam antiquitas animalia consecrauit, easdem apud Philosophos significationes habent. Ad rem. Saturnus à satu nomen suum est mutuatus, non quòd primus satorum ac ruris peritiam, (vti Quintiliano placet) edocuerit, sed quòd sata omnia in terrâ, cuius ipse Hieroglyphicum est, ferantur, è terra crescant, è terra viuant & nutriantur, non enim quæuis terra, sed pinguis illa & putrefacta agrorum, quæ frugibus ferendis dedicata est, Saturni nomine appellatur; illa enim maximam corrumpendi vim habet, quæ in frugibus producendis requiritur. Nisi granum in terram cadat & moriatur, id est, corrumpatur, nullum fructum feret, sed solum permanet, veritas est ipsius veritatis testimonio comprobata.

Capvt VII.

Edit sanè terra absumitque infantes suos, id est omnia quæ ex illâ veniunt, ab eadem consumuntur. Quot & eiusmodi aues aer, quàm immania & monstrosa piscium corpora mare, quàm bonos, sapientes, opulentos, bellicosos homines terra, quàm elegantes speciosasque mulieres, quàm nobilia ferorum cicurumque animalium genera continet? ast illa omnia & terra sunt & in terram iterum reuertentur. Vbi splendidissima illa regum ædificia? vbi superbi illi regiique cultus? vbi ipsi tandem Reges ac principes? omnia insatiabilis ille terræ venter vasto suo ambitu complexus est, & deuorauit. Adhuc verò hodiè Ioui, Neptuno, Plutoni à Saturno parcitur, inuiolabile ipsorum priuilegium semper manet & permanebit, neque enim aliter fieri potest, cùm neque hi, neque iste naturam suam mutauerit, aut vllo vnquam tempore sit mutaturus; ingentes illas, admirandas obstupendasque cœlestium orbium machinas aspice, quæ indefesso & humanâ cognitione celeriore motu circa centrum suum, hunc nimirum terræ globum, in quo nos viuimus, violentissimè rapiuntur potiùs, quàm volutantur; mirare immensa astrorum quà fixorum; quà errantium corpora: ista omnia Iouialia sunt, ætherea sunt, immortalia sunt, in quibus nihil quod deuoret, corrumpat, immutet, terra potest inuenire: quamobrem distantissimis etiam regionibus (quæ creatoris sapientia est) distinguuntur. Sed & Neptuno siue aquæ & ex aquâ immediatè enatis priuilegium illud concessum est, quod vti intelligas, animum tuum atque oculos è cœlo reuoca & mundum hunc considera inferiorem, videbis primò sexcenta lapidum pretiosorum & communium genera, sales etiam plurimos & anonymas alias aquaticas Neptuni generationes, quas omnes hîc enumerare aut describere velle, Neptuno ipsi parenti eorum περὶ ὄνου foret, horum verò omnium radix aqua est, ex quâ sine semine vti metalla ex aquâ & terrâ mixtis immediatè cœlesti virtute calescũt & indurantur, colore & accidentibus aliis quæ in huiusmodi rebus inueniuntur è natiuitatis suæ loco, seu matrice terreâ secundùm qualitates & proprietates eiusdem acquisitis; ergo illa omnia vti à Saturno Neptunus, ita à terræ esu libera, ab eadem nutriuntur potius quàm deuorantur. Christallum, adamas, marmora, sal culinarium, Armoniacum, Smeraldi denique ac Hyacinthi, cum infinitis illud aliis attestantur, tandem aliquando ad Plutonem etiam vltimum huius immunitatis socium ius illud extenditur ac prorogatur. Quos non ille obsecro diuitiarum opumque cumulos in diuitem illum ditem suum, id est, intimæ terræ penetralia comportauit? inde metalla omnia, inde mineralia reliqua hominum vsui & abusui æquè inseruientia ingenti humanæ societatis commodo & incommodo eruuntur. Sed & illa cùm Plutonica sint, à Saturno nequeunt deuorari. Quot enim mille annis quandoque aurum, argentum, in terrâ latuisse existimas, antequam auaritiâ humanâ inde extracta aut quæsita etiam omnino sint? attamen nullum in his vetustatis aut corruptionis apparet vestigium, sed semper manent sibi similia, aut etiam fortassis emendantur. sal verò fossile centum licet annis humatum custodias, nunquam peius aut minus fit, sed quod admirandum est, in pellucidum & transparentem lapidem coagulatur acrimoniâ suâ reliquo sale multò præstantiorem; quod idcirco hîc addidi, quod benè sciam hoc salis genus ob admixtas terreas quasdam qualitates, non aqueum planè sed minerale existimari, quàm verè autem, ipsi viderint, ego rem nihil ad me pertinentem in medio indecisam relinquo.

Capvt. VIII.

Sed quid est quòd Saturnus claudicare à Poëtis fingitur? terra scilicet contraria reliquis elementis more nullo naturali sed violento duntaxat motu cieri potest, & vti centrum decet, in medio semper fixa ac stabilis permanens requiescit: hinc vnum quidem consistendi videlicet pedem, integrum; alterum verò qui motus est & ambulationis, fractum habet, aut illo omnino frustratur. Quòd si Alchymicam à me rationem postulent, licet Alchymistam me esse nullo modo profitear, illam tamen, vti puto, vel ipsis iudicibus non absurdam sum redditurus: quòd terra, vti alia faciunt in igne, non aufugiat, sed tanquam comminuta confractaque haberet crura, vti fugere idcirco non posset, in flammis mediis vsque ad mundi finem, sitam diu quis cuperet vrere, stabilis & sine damno vllo coloris, ponderis substantiæque permaneret. Iam quæ illi veteres animantia dedicarunt consideremus. Sane dracones, basiliscos, colubros, atque ipsum omnino Cerberum video, tum quòd hæc animalia corruptione è terrâ putri siue Saturniâ, communi Physicorum cõsensu, enascantur, tum etiam quòd triceps ille canis & custos Erebi Cerberus, quasi κρεοβόρος, i.e. carniuorax ideo appelletur, quòd terra sibi credita animantium corpora consumat: ita enim a Mythologis omnibus explicatur.

Capvt IX.

Martem nos appellamus terram lapideam, saxeam, glareâ & saburrâ refertam, frugibus autem aliisque omnibus vegetabilibus rebus ferendis inutilem, gypsi tantummodo, calcis fossilis, talci, ac carbonum terestrium, quos lapideos vocant, feracem. Ferro, chalibéque plurimùm grauidam, hoc enim metalli genus in lapideis montibus & inter durissima saxa plerumque gignitur, qua proprietatum ac naturalium qualitatum vicinitate similitudine decepti neoterici, filium loco parentis acceperunt, id est, ferrum eo nomine appellarunt, quo ferrigena tellus siue minera ferri sola meritò debet appellari. Confirmauit eos in errore signum Martis astronomicum ♂ quod teli similitudinem habet. non enim aliud teli genus quàm ferreum in rerum naturâ existere arbitraban-

bitrabantur, cùm tamen lapides antiquiora multò & naturaliora, ne dicam meliora arma sint ad eminus cominusque dimicandum. Aries propterea & hircus huic planetæ appingitur, quòd salebrosa ac montana eiusmodi terrâ hoc animalium genus quàm maximè gaudeat, vti Arcadiæ montes ac Thraciæ, vt de aliis sileam, attestantur. ita enim de hac in Troade canit Seneca:

——— meliorque fœtu
Fortis armentis lapidosa Thrace.

Et quæ sequuntur. Tempus enim me perdere existimo in rebus iis, quæ ante omnium oculos sunt, longâ argumentatione aut exemplorum serie comprobandis. quocirca plurima, quæ hîc dici possent, de consulto intermittimus, & à furioso Marte nos ad suauissimam Venerem transportamus.

Capvt X.

Nobilis illa, excellens, ac speciosa Venus, hortorum ac veris Dea (sic enim eam Pyerius libro trigesimo quarto Hieroglyphicorum, folio ducentesimo quadragesimo septimo, post Marsilium Ficinum & antiquiores nominat) lasciuientibus oculis, facie compta, veste viridi, incessu leui & lubrico, gestu meretricio à poëtis depingitur, omnia in illâ rident, omnia ad iucunditatem inuitant, ad curarum obliuionem, ad maximam animi corporis hilaritatem. Verna nimirum temperie ac cœli clementia ad gignendum mille fœtus irritata tellus est, quando, dissolutis Zephyrorum anhelitu niuibus, prata herbis, syluæ foliis, vineta gemmis, agri frugum germinibus, omnia virescentibus terrâ nascentium cacuminibus vestiuntur.

Prataque pubescunt variorum flore colorum,
Indocilique loquax gutture vernat auis.
Herbaque quæ latuit Cerealibus obruta sulcis,
Exerit è tepidâ molle cacumen humo.
Quoque loco est arbor, turgescit in arbore ramus,
Nam procul à Geticis finibus arbor abest.
Quoque loco est vitis, de palmite gemma mouetur,

Et quæ sequuntur, Nam vel iis veritas ab eius inuestigatore potest deprehendi: propterea autem meretrix esse fingitur, quòd vti meretrices omnium virorum concubitus admittunt atque etiam ambiunt, sic ista omnes cœlorum ac astrorum influentias, omnes formas ac semina concupiscat, fœcundorum tamen maximè imbrium appetitiua sit, scilicet:

Vere tument terræ & genitalia semina poscunt,
Tunc Pater omnipotens, fœcundis imbribus æther,
Coniugis in gremium lætus descendit, & omnes
Magnus alit magno commistus corpore fœtus.

Ita vt non abs re Menander ἐρᾷ μὲν ὄμβρου γαῖα dixerit; est, enim verna temperies quasi lena ad procreationem vbique quocirca antiqui desiderium terræ quo gignere desiderat, aëris clementia excitatum significantes. Venerem è genitalibus cœli partibus & ex mari natam fuisse fabulantur. Per genitales verò partes cœli intelligunt caloris verni temperiem, quæ confert rerum omnium generationi. Taurus illi idcirco sacer est, quòd illud Zodiaci signum verno tempore sol ingrediatur, siue quòd ob terrestrem animalis huius naturam iam olim illud Veneri Persæ dedicauerant, vti longo poëmate describit Papinius, ad quem legendum curiosiores, nè longior sim, reiicio. Subscripsit huic meæ opinioni Ptolemæus Assertor, suâ de Osiri ac Plutone disputatione, vbi Venerem apertissimè terram nominat, & eandem cum Cerere esse profitetur. Tacco de mille aliis poëtarum fictionibus, quas iure meo ad hanc meam sententiam comprobandam possem allegare: omnia enim priscorum instituta tam ad cognitionem rerum naturalium, quàm ad rectorum etiam morum pertinentia rationem, ab antiquis, vt Mythologi aiunt, sub fabulosis tegumentis occultantur.

Capvt XI.

Luna, vti diximus, aqua est, eaque triplex, cœlestis videlicet, terrestris & subterranea, quod versu illo poëta voluit significare:

Luna polo, Diana solo, Proserpina Dite.

Cœlestis illa quam pluuiam nominant, à terra in cœlum vsque eleuatur, eademque cadens (vt cum Plinio loquar) omnium terra nascentium causa fit: fruges, arbores, fruticesque iuuat, & vitalem herbis animam è cœlo delatam elargitur: quapropter vegetabilis ob præcipuam potioremque suam virtutem meritò appellatur. Terrestris illa Diana, à Philologo quodam multimammia appellata, animantium omnium vitam sustinet, è scaturientibus enim manantibusque fluuiis ac fontibus homines animaliaque terrestria, aërea & aquatica vitam ducunt, ita vt non ineptè Calepinus dixisse videatur, aquam dici, quasi à qua vitam nostram habemus. Ast quæ sub terra cæcis anfractibus circumserpit, & in varias species ac formas à minerali telluris vi coalescit & cogitur, sponsa Plutonis est siue Proserpina: id est, inseparabili amicitia ac matrimonij quodammodo vinculo cum terræ proprietatibus colligatur: hinc libertatem illam suprema petendi & ad inferiora recidendi amisit, quam aqua sibi pluuia propriam vendicauit. Nuntiam diceres, quæ à superioribus elementis vsque ad inferiora, & ab his vicissim vltrò citróque cum muneribus deportandis ablegatur: sanè Mercurius propterea, id est, Deorum nuntius, vt & iris nuntia eorundem appellatur, quòd illa mediante cœlum terræ, terra cœlo, suprema infimis, infima supremis, commeare quodammodo & coniungi virtutibus mutuis videantur. Versicolor autem Mercurius fingitur, quòd aqua pluuia vel calore solis, vel aliâ non absimili certa quadam ratione tepefacta omnes omnino colores, qui in mundo sunt, à se ipsa efficiat. cuius rei rationem quidem nullam, sed experientiam ocularem habeo demonstrationem: quanquam quæ de Iri dixit Aristoteles ad hanc rem (vti planè eandem) facere videantur. Mercurio idcirco autem coruus sacer est, quòd is pluuiarum nuntius existat, quam futuram indicat suâ crocitatione. Nec miretur aliquis, cur Mercurius serpentes caduceo suo circumuolutos habeat, antiquissimum enim serpens aquæ hieroglyphicum est, vti à Pyerio lib. 14. fol. 103. eleganter sanè ac doctè ad longum narratur, corpus habet videlicet serpens lubricissimum, quemadmodum aqua, atque inter serpendum pandos ac repandos vndarum flexus imitatur, taceo quæ Leo Baptista, Albertus Florentinus nobilis ille, & si vllus alius, excellens Architectus, tum antiquitatum indagator studiosissimus de Lernæâ illa Hydrâ, Hydrâ multicipite, ab Hercule interfectâ scripta reliquit: illam videlicet nihil aliud nisi aquam stagnantē fuisse, quam Hercules perruptis aggeribus partim aliò deriuauit, partim soli exposuit desiccandam. certè Hydræ nomen à vocabulo ὕδωρ originem mutuatur. quid quòd draco ille, qui Hesperidum hortis in Insula positis tutelaris affingebatur, à fabularum scriptoribus Euripus fuisse explicatur? quid quòd Socrates ait amnes quosdam, circa terrarum orbem, instar anguium reptare? quin etiam Hesiodus Echidnam ait dimidia sui parte Nympham, dimidio altero immanem anguem existere. pro quâ interpretes vapores exhalantes à mari nec non omnem humoris vim plerumque accipiunt. Nympha verò est ob id, quòd subministrat nutrimentum: serpens propterea quòd flumina tortuosis ambagibus feruntur, perinde ac serpentium corpora sinuosis plurimùm flexibus obstrepunt. Iouis nomen naturamque, quoniam superiùs explicaui, hîc repetere supersedeo, & de sole illud addam tantummodo, vel hinc intelligi posse per eum apud Philosophos duo superiora & agentia elementa, ignem scil. & aërem intelligi, quòd iisdem hieroglyphicis notis & solem & duo hæc elementa Ægyptij soleant depingere, de quo vide Orum Apollinem Niliacum in figurâ Leonis, Pierium in Leone, Halycarnassæum de pyramidibus & coincidentia angulorum. Iam tu, quicunque es, candide & æquitatis amans lector, in vtramque partem æquilibrio ponderatis rationibus iudica, quisnam veriorem antiquorum Philosophorum de materiâ vniuersalis medicinæ scribentium sensum attigerit. Hinc, qui omnia hæc supradicta nomina metallicis quibusdam rebus temerè & sine vlla solida ratione attribuunt, an verò ego, qui ex intimo Philosophiæ sacrario naturas rerum latitantes tanquam alter Hercules ex inferis Cerberum Herculeo sanè labore in solem eduxi, iisque non noua nomina indidi, sed vetera, quæ illis malè ablata, aliisque peius collata fuerant, reddidi: hoc maximè fundamento nixus, quòd certò scirem, vel Plutarchi testimonio, antiquitus elementis diuinum honorem delatum, diuinaque nomina consecrata fuisse, quòd eorum materia secundùm totum æterna sit & nulli subiaceat corruptioni.

Capvt XII.

Si characteres eos, quibus hodiè hæc scientia plena est, omnes enumerare atque explicare vellem, non me dies tantùm, non annus, sed vita ante deficeret, non subterfugissem tamen etiam hunc laborem, si vtilitatem aliquam aut eruditionem inde sperare potuissem; verùm cùm nonnisi stultissimorum hominum commenta & somnia sint, tempori laborique parcendum esse existimaui. Proferam tamen quascunque figuras apud antiquos aut neotericos etiam, sed authenticos scriptores, potui inuenire; in illorum numero sunt figura sphærica puncto siue centro insignis, qualis hæc est ☉, lunæ etiam crescentis facies ☽, tum figura cubica, octaedra, Icosaedra, Pyramidica, & quæ ex his componuntur. Pyramide verò rerum naturam & substantiam informem, quam Chaos nominant, aliquando etiam ignem significari, vti cubo terram, octaedro aëra, aut ipsam elementorum ad se inuicem proportionem, Cælius Aug. Curio author est. Signum hoc ☉ Alchymista aurum, ego terram, illamque purissimam, assero denotare. Quæ enim alia insignia clariora manifestioraque terræ appingi

gi aut affingi potuissent? ſanè punctum illud circuli ambientis centrum eſt, vti terra centralem ſiue medium cœlorum locum occupauit. quod ſi ſolis influxum dominationemque, quam ipſum præ cæteris metallorum corporibus in aurum habere exiſtimas, allegare velis, & inde huius figuræ ſignificationem ad aurum detorquere cogites, eadem ego ratione, & meliore adhuc, eandem ad terram applicabo. Quid enim eſt, quòd apud Perſas barbara ceremonia bos fronte in leoninam faciem conformata ex intro cornibus arreptus ad ſacrificium adducebatur? quippe cum Taurus terrenum animal ſit, terræ & inferis poteſtatibus damnatum, ſoli tamen ab eâ gente dedicatus vim eam oſtendere videbatur, quam ſol in vniuerſam terram exercet. Quòd autem extrahebatur ex antro, delitescere vim eius in terræ viſceribus indicabat, quam vt euocarent & frugem feracitati conſulerent, id ſacrificij genus instituerunt: hæc Porphyrius. videas vti terræ meliùs quam auro hoc ſolis mathematicum ſignum conueniat? eadem eſt de lunâ eiuſque ſigno ☾ ratio. cur enim argento potiùs quàm aquæ, ☉, neſcio quem, imaginarium influxum attribueretur? Anne lunæ in aquam & aquea omnia dominium ab vllo ignoratur? certè æſtus maris, quo certis quotidie horis inflatur, turgeſcit, extollitur, certis aliis defluit, ſubſidet, deprimitur, lunaris influxus vires demonſtrat ac poteſtatem: vti cancros, teſtudines, oſtreas & aquatica alia omnia, quæ cum luna creſcente augentur, cum deficiente imminuuntur, prætereamus. Atque hæc de figuris nominibuſque iis, quibus veteres materiam huius medicinæ Catholicæ nuncuparunt, dixiſſe ſufficiat, prudens inde lector ſine dubio manifeſtam cognouerit veritatem.

Capvt XIII.

Ad obiectiones aduerſariorum nunc reſpondendum eſt. Quatuor, inquiunt, humano corpori inſunt qualitates, quæ elementis numero proprietate reſpondent, atqui vnaquæque earum particulares ſuas habet deprauationes, reliquis tribus e diametro contrarias, ergo totidem ad minimum medicinæ requiruntur, vt vnaquæque qualitas ſuo contrario poſſit ſanari. Quibus ego ita reſpondeo, me non negare, diuerſis morbis diuerſas etiam medicinas, pro cuiuſque morbi qualitate, adhibendas eſſe: ſed illas eaſdem vno aliquo vniuerſali medicinæ genere, licet plures ſint ac diuerſæ, acuendas, & de effectibus ſuis certiores reddendas eſſe contendere: quòd ſi & hoc impoſſibile eſſe exiſtimant, caueant ſibi ne erroneam de curatione per contraria opinionem nimis pertinaciter tueantur, neque enim mentem Galeni aut Hippocratis, cùm de hac curandi methodo diſputant, aſſequuntur: nam licet illa per contraria curandi ratio bona, vtilis vſique recepta ſit, non tamen ſemper & vbique neceſſariò, vti putant, requiritur; ſufficit implicitè nonnunquam, id eſt, eo modo medicinam morbo contrariam eſſe, quo diei nox, poſitioni priuatio, bonum malo, vitiumque virtuti aduerſatur: vti Antonius Poſſeuinus, Societatis Ieſu Theologus, doctiſſimè libro 14. Selectæ Bibliothecæ, cap. 8. tractatu de medicinâ annotauit. Plurima illud etiam medicinarum euacuantium genera, ne dicam pleraque, clarè teſtantur, quæ humorem peccantem non ſuo contrario corrigunt, ſed multò vtiliùs extrahunt, expellunt, euacuant, & in nihilum planè reſoluunt. In illorum numero ſunt phlebotomiæ, ſcarificationes, cauteria, balani, peſſi, ἐγχυματισμοὶ, embrochæ dropaces, errhina pharmica, apophlegmatiſmi, & trecenta huius generis alia. vbi non de calido aut frigido humido aut ſicco, ſibi mutuò opponendis, ſed de quouis corrupto humore exturbando quæſtio eſt: ſiue is melancholicus, ſiue bilioſus, ſiue ſanguineus, phlegmaticuſue nominetur. Taceo de iis quæ ſecretam habent in ſe occultamque medendi vim, quæ non vi calidi aut frigidi, humidi aut ſicci operantur, ſed ex virtute ſpecificâ inter abditas rerum cauſas collocandâ. Cuius rei exempla mille, ſi vſus eſſet, in medium proferre poſſem. Quoniam verò poſt Galen. qui haſce cauſas abditas in rerum naturâ exiſtere confeſſus eſt, lib. 1. de ſemine. 17. de vſu partium ſecundò de temperamentis, lib. 2. de natur. facult. lib. 11. de ſimpl. medicinæ, vbi promiſit etiam ſeorſim ſe librum aliquando conſcripturum eſſe de iis, quæ non elementali qualitate, ſed proprietate totius ſubſtantiæ in nobis quidquam efficerent, quanquam alias ambiat medicamentorum vires cum Dioſcoride in vulgatas elementorum facultates refundere, Fernelius Ambianus copioſè admodum de his, duobus egregiis iuſtiſque codicibus tractauit, ad illum te, ne longior ſim, remittendum eſſe exiſtimo. hoc tantùm addam, virtute hæc fieri, non materiæ talis, vt talis, ſed formæ cuiuſdam ſpecificæ, quæ non per diametralem illam qualitatum contrariarum oppoſitionem, ſed per inexplicabilem σὺν καὶ ἀντιπάθειαν, morbos morborumque cauſas, inſtar violentiſſimi ignis, obuia omnia temerè & abſque delectu conſumentis, depaſcitur. Sed cur in genere negant, quod concedunt in ſpecie? hepar lupi quibuſcunque hepatis humani affectionibus & ex quacunque cauſâ oriundis ſympathiâ aut ſignaturâ, id eſt, occultâ vi, non elementali qualitate mederi fatentur; oſſiculum cordis ceruini eodem modo reſiſtit cardiacis paſſionibus; pulmonaria aſthmati aduerſatur, cur cùm hæc ita fieri in organicis morbis contingat, in ſimilaribus eodem modo non poſſit? nunquid in diſſenteria lapidem hæmatitem, Iudaicum, calaminarem, terram Lemniam, & Armeniam adhibemus? cuius quidem vſum, vti Poſſeuinus ait, inuenit Democritus, cauſam verò adhibendi in iiſdem non inuenit. Nunquid pœonia illa maſcula collis infantium alligata epilepſiam abigit? quâ, obſecro, qualitate? ſi vt Galeno placuit, ſiccitas in cauſâ eſt, cur idem non præſtant alia, quæ maiore prædita ſunt ſiccitate? Sed cur quæſo veneni mali vires latius quam boni patere exiſtimant? nonne Arſenicum, auripigmentum, ſtibium, ſanies viperina, æquè frigidam ac calidam, humidam ac ſiccam complexionem inuadunt, deſtruunt, enecant, nonne ſanguineos æquè ac melancholicos, phlegmaticos vti cholericos emori faciunt? cur ergo venenum aliquod bonum reperiri non poſſet, quod omnes æquè humores ad priſtinum ſuum naturalemque ſtatum reducere poſſet, vnde illos malum illud venenum ſiue toxicum deturbauit? nonne panis omnes omnino homines, cuiuſcunque tandem temperamenti aut complexionis ſint, ſaturat, vinum inebriat, ſopor recreat, Venus delectat? anne cibo medicina inferior? anne eius actus naturales & interni cum reliquis humanæ vitæ actibus non ſunt conferendi?

Capvt XIV.

Sed boni homines, vt medicinæ noſtræ materiam, id eſt, elementa habere nequeamus, cùm vbique inueniantur, timent, atqui nos iis tantummodo quæ habere poſſumus, vti dictum eſt, & quæ vbique omnibus præſtò ſunt, indigemus, non alium ignem, non alium aërem niſi qui terrâ & aquâ occultatur, deſideramus, cui ergo aqua & terra deeſt, ille medicinæ noſtræ materiâ ſe carere poterit affirmare. Sed hic ſcrupulus iis credo exemptus eſt, de grauioribus videamus. Fieri aiunt nullo modo poteſt, vti pugnantia inter ſe, adeoque diſcordia elementa, tam ſtrictis legibus inuicem copulentur, vti vnum quid inſeparabile & homogeneum efficiant. Atqui ego experientiâ illud, rerum magiſtrâ, non fieri tantùm poſſe, ſed actu fieri demonſtrabo & illam ex elementis compoſitam in incorruptibilem naturam, qua ἄϋλον Rauiſius libro octauo theatri philoſophici nominat nunc quidem rationibus & exemplis, ſed breui re ipſâ omnibus videndam exhibebo. Inter ea omnia quæ ſub lunâ ſunt, aurum tantummodo, argentum, & tertium aliud anonymum inueniuntur, quæ ignis violentiam intacta effugere valeant ac ſuperare. Illa ſola ſunt quæ inſtar Salamandræ ex igne vitam & perfectionem ſuam nanciſcuntur; reliqua omnia relictis cineribus tantùm, in fumum abeunt, & labuntur: vnde tantum auro, argento, & tertiæ illi materiæ priuilegium? vnde illa ſola in igne intacta manet, alia omnia comburuntur? firmitas illa fixitaſque non aliunde eſt, quàm ab ipſis elementis, quæ in productione eorum ſoli naturæ cognita proportione ita inter ſe coierunt & confuſa ſunt vt omnes eorum partes homogeneas & inſeparabiles fecerint: cùm verò terra ipſa (de pura loquor) ſuapte natura incombuſtibilis ſit, & elementa reliqua in compoſitione ſupradictorum ita terræ confuſa ac copulata ſint, vt inde ſeparari non valeant; inde fit, vt neque tota, neque partes eorum aliquæ comburantur: non enim qualitates tantummodò elementorum, ſed ipſa etiam elementa actu & realiter in metallis inſunt, ex quibus immediatè ſiue in primâ inſtantia generantur animalium eorum more, quæ ſine ſemine fotu duorum elementorum agentium, ignis ſcilicet atque aëris, ex paſſiuis aliis duobus, aquâ nimirum & terrâ enaſcuntur. eſtque illis pro materia proxima ſiue adiacente (προσεχεστάτην nominant) ea, quæ aliis rebus omnibus ex traduce oriundis prima eſt, ſiue remota; vti experientia mihi poſt euidentem rationis perſuaſionem demonſtrauit: hem vti elemẽta hîc omnia in quintum aliquod coierunt, vnumque homogeneum effecta ſunt? nonne illud eſt, quod primo de generatione capite ſexto ait Ariſtoteles, contrarias qualitates nunquam, ſed qualitatum ſubiecta, id eſt, elementa coire & in ſe inuicem tranſmutari; & ſecundo de generatione capite ſecundo, tum quarti Meteororum capite primo, vbi duo actiua, duo paſſiua eſſe orbis primordia definiuit? actiua verò paſſiuis incorporari, & ab iiſdem ob mixtionem per minima retineri poſſe, quis obſecro vnquam ſapiens dubitauit? quòd ſi hoc in re metallica accidit, quid eſt cur minùs in medicina etiam fieri poſſit? an illa ſola è rerum natura excludenda eſt? an in exilium extra rerum vniuerſitatem deportanda? cur medicinæ Medici derogamus? cur rebus omnibus facimus inferiorem? ſanè demonſtratum eſt, elementa in ſe commigrare inuicem, vnde ex eorum temperamento qualitas aliqua quinta emergit omnium in ſe elementorum vires continens & qualitates.

Capvt

Caput XV.

Naturæ temperamentum & dosim, qua in elementorum commixtionibus vtitur, soli Deo, spiritibusque cognitam esse, & à nullo hominum intelligi posse affirmabunt. neque eo inficias: hinc inferent, nullam igitur ignorata hac proportione elementorum permixtionem tentandam esse; quod nullius frugis nostri conatus futuri sint; quam ego illorum consequentiam nullam esse ostendam. Idem enim est ac si dicerent, propterea è maris ac fœminæ coniunctione nullam sobolem gigni posse, quòd amborum spermatum doses ac proportiones ignorentur; cùm natura ipsa emulgentium venarum ac vasorum iaculatoriorum indita vi tantum fœminis ex humano corpore excernat, quantum ad embryonis formationem desideratur. Aut si quis neget idcirco spongiam aqua impleri ab aliquo nostrûm non posse, quòd quantum aquæ ad illam implendam necessarium sit, ignoremus: cùm vel temerè iniecta in perfluentem spongia, illam eandem quantitatem, cuius ipsa capax est non amplius minusue, attrahat; habet enim eodem modo se remedij nostri vniuersalis compositio, quo illa aquæ ac spongiæ similitudo à nobis allegata: non plus terra humoris accipit, quàm vt eius pori impleantur, si quid reliquum est, id à naturâ respuitur, & ipsam terram diluuij instar supernatat, nisi vbi post coagulatam primam istam aquei humoris quantitatem, terra noua rursus indiget irroratione. Res ad triarios rediit, vltimum antagonistarum argumentum (ex his aliis) est dissoluendum: illud autem tale ab illis, veritatis huius propugnaculis instar arietis admouetur. Graduum ignis ad hanc compositionem faciundam obseruatio aut impossibilis, aut adeo difficilis saltem est, vt nemo ad illorum cognitionem vnquam potuerit peruenire, tum etiam ignis noster, tantùm abest vei nutritiuus aut viuificatiuus sit (quod tamen in opere isto desideratur) vti omnia destituat potius & occidat. Atqui vtrumque falsum est; nam res ipsa ignem nostrum non solùm nutritiuum, sed & facillimum esse demonstrabit. Ignis nimirum quo ad hanc medicinam opus est, non est alius quàm aër calidus; qui vaporariis illis fornacibus in hypocaustis nostris excitatur, qui multo igne intensus, paruo remissus, nullo etiam nullus euadit. adiecto ligno augetur, subtracto minuitur, aperta tantùm fenestra vel ostiolo refrigeratur, quæ hîc obsecro impossibilitas, quæ omnino difficultas est? an verè destructiuus, an viuificatiuus hic calor sit, tibi cogitandum relinquo: ego sanè neminem adhuc hypocausti calore ambustum vnquam audij, nisi forsan fornacem (quæ ipsius culpa aut negligentia est) temerè contrectarit; sed calorem naturalem externis frigoribus emortuum, isto reuixisse, in me ipso & aliis plurimis expertus sum; nam quæ in igne vis destructiua latitat, illa ab interstite aëre inter ignem calefacientem, & rem calefaciendam interposito emendatur, naturæ exemplo, quæ aërem inter solem ac terram interesse voluit, ne illa quæ ex terra nascuntur, solis tactu comburerentur: pro comperto illud etiam à viris grauissimis habeo, isto caloris genere ex gallinorum ouis pullos exclusos fuisse, non secùs ac si gallina ipsa incubasset; vnde nutritiua vis aëris tepidi manifestatur.

Caput XVI.

Superest vti absoluto libello nostro, quo veritatem facilitatemque medicinæ vniuersalis ostendimus, materiamque eiusdem demonstrauimus, pauca quædam de vsu eiusdem subiungamus: dicimus ergo eandem omnibus medicinis quæ intra humanum corpus sumuntur ac pro qualitate cuiusque morbi adhibentur, non vlla re mutata commiscendam, ita vt illa non partis integrantis alicuius, sed fermenti quodammodo locum obtineat. Casum demus, temperamenti eucrasia desideretur in corde; si propter frigus sit, doronicum adhibetur. si calor in vitio fuerit, eundem expugnat caphura: sin turbidus ac melancholicus vapor, buglossum, bezoar, melissamque porrigimus, in frigidis passionibus huius visceris accumulamus electuaria diamargariton, calida, diambræ, diamosci, confectionem Alkermes, trochiscos de ligno aloes, & his similia, in calidis verò Zulapia ex succo buglossi, endiuiæ, pomorum, condita ex conseruis anthos, rosarum nymphææ, syropes de bisantiis, oxysaccaro, deque acredine Cytriorum, in iis quæ ex siccitate oriuntur, gelatinam ex pedibus vitulinis, hœdinis, suillis, cum pauco aceto & momento santalorum rubrorum, aut gummi tragacanthi: vt & syrupos è Persicorum floribus, succo endiuæ &c. ordinamus in cardiacis passionibus flatulentis galangam, angelicam, hysopum, maioranum, decoctum carminatiuum, & ex radice vincetoxici, tormentillæ etiam & scorzoneræ vsitato more præscribimus. Quòd si medicina hæc vniuersalis, quemadmodum tam diuersis rebus commisceri debeat, quis me interroget, dicam: humore aliquo qui alioquin medicinam eam quâ vti volumus, ingreditur diluendam, & ita medicinæ illi cum morbo pugnanti commiscendam esse: neque refert ex quo humore morbus oriundus sit, dummodo medicina particularis cui hæc vniuersalis admiscenda est, illi directâ oppositione aduersetur.

Caput XVII.

Hepar calore peccat vt plurimum, sæpè etiam frigore. hunc siccitas, illum humor superfluus comitatur: licet aliquando sed rarius, postremò hæc sola vitium faciant: vbi ergo æstu recur feruet, . . . aquæ vitriolatæ, scobs santalorum, omphacium, intybus, taraxicon, sonchus, lichen, cicorea & trecenta alia adhibentur. compositioni idoneæ ex his factæ simplicibus medicinam vniuersalem inspergito atque hepatis feruore porrige laboranti, inde certissimam pristinæ sanitatis recuperationem, nisi Deus ipse te impediat, pollicere. A Mesue descriptus syrupus Eupatorij, Triphera Saracenica, Theriaca, Diatessaro, Diacurcuma, Cyphoides, Andromachi, si cum decocto Nardi Celticæ, aut capi iusculo propinentur, addaturque aliquid generalis remedij, inueteratos hepatis frigidissimi affectus, icy rhos, hydropisim, atque omnem omnino cacochymiam in instanti sanant. Hepar leporinum si côquatur in aqua di stillata è innatibus, atque eryngato vino, per se quidem nec . . . hepatis medetur egregie, sed si aliquid huius medicinæ admisceatur, ita medetur, vt nulla interpositâ morâ nullo obstante humore contrario, exemplo ægri, cui hepatis siccitas morbum causata est, conualescat, etiamsi totum sanguinem Elephantiaco morbo infectum, aut tabe pleuriticâ habuisset: sola denique Guaiaci decoctione in aquâ medicina hæc macerata fuerit, mador hepatis criminosus omnis ocius emendatur, atque ita emendatur, vt a lue Venereâ & omnibus aliis morbis, qui ex hepatis nimiâ humiditate oriuntur, æger continuò expediatur. Quàm magnis mortalium segetes è cerebri intemperie eruditur, nemo est qui vel medicinam à limine salutauit, ignorat. Inde enim Epilepsia, mania paralysis, Ægylopes, Lippiæ, ganglij, inde dentium, aurium, oculorum dolores, inde anginæ, catarri, ancestimata & mille alia morborum ac symptomatum pestilentium genera oriuntur; ita vt hoc viscus plus negotij facessat medicis, quam reliqua omnia quæ in corpore humano continentur. Tacco quòd plurimæ ad nodum cerebri affectiones sunt tantâ præditæ malignitate, vt nullius remediis, nullâ medicina sanari posse videantur. In horum numero est Epilepsia, quæ hominem post vigesimum quintum annum occupauit: hæc enim, Hippocrate teste, atque omnibus medicis, nullo ingenio, nullâ vi, nullâ industriâ à sede, quam semel nacta est, vnquam poterit exturbari; cui non multum sanè cedit Paralysis, quæ nec præuideri potest, nec quantum oporteret, impediri, quin noceat; nec vbi nocuerit, admodum emendari. Rident hi morbi conatus Medicos, & inuictos se ab ipso Phœbo aut Asclepiade gloriantur. Scilicet quidquid malignitatis toto corpore latitat, illud omne in cerebrum rapitur, & inde factum adhuc pestilentius in totum iterum corpus defluit, atque instar fluminis alicuius dispergitur, vnde mille morborum riuuli in omnia membra, in omnia viscera deriuantur. Quicunque autem morbi & à quacunque causa è cerebro oriuntur, ab vniuersali hâc medicina præsentissimum remedium accipiunt. Neque aliud facto opus est, quam medicinam hanc redactam in pollinem vnà cum stillatitiâ aliqua aquâ per nares attrahere, quæ humori peccanti qualitate contrariâ ex diametro opponatur. In affectibus calidis fiat id aquâ nymphææ portulacæ, asparagi; in frigidis, primulæ veris, maioranæ, Betonicæ; in humidis, florum citri, cinnamomi, Pæoniæ; in siccis, Lactucæ, citrulli, cucurbitæ: tum aliquantum dictæ medicinæ cum aqua contrariâ morbo, vti explicatum est, deglutiendum, subitoque profligato morbo pristina se sanitas reducem esse ostendet, atque tanti energiam remedij non verbis, sed experientia prædicabit.

Caput XVIII.

Pulmones stragulum cordi exhibent ac ventilabrum, non iucunditatis tantummodo, vt falso nonnulli æstimant, verùm etiam necessitatis gratia comparati: absque pulmonibus scilicet calidum innatum materiam non haberet quo sustentaretur: deficeretque non secus ac ignis qui marcore consumitur, ideò, quòd aëre, quem ignis nutrimentum dixit Aristoteles, destituatur. Cor verò ipsum, calidi innati sedes, etiam calido innato remanente, si molli pulmonum careret stragulo, illisum duriusculæ alicui corporis parti, continuis pulsationibus frangeretur. Hi officium suum præstare sæpissimè nequeunt, quòd madore, aut frigore, calore etiam aut siccitate nimiâ impediantur. In eorum morbis ex quacunque causa supradictarum oriundis, vina mulsa, melicrata, sorbitiunculæ imbutæ saccharo, præcipuè crystallino (candidum nominant) tanquam medicinarum vehicula, vtilissimè propinantur. Mucagines, & ex his psyllij, seminis Cydronicorum, fœnugræci, siccandi loch contra asthma, è pulmone vulpis, conseruas Pimpinellæ. è farinâ erui, trochiscos è carabe, syrupos adianti vtriusque, Prassij, Pulegij,

legij, Hyſſopi, Iridis : Olea, Sulphuris intra corpus, Vitrioli, ex ærugine, antimonij præparati, ſucceſſu optimo deglutimus. Pillulæ de Cynogloſſo, & Antidotus Fernelij analeptica, Pantaleon Heurnij, Pillulæ Hypoglottides, Diacorallium, & Paulina Galeni : olus Pulmonariæ, decoctum Botryos, Ambroſiæ, Archibij, Diacyminum Nicolai in Florentino Antidotario deſcriptum, & ſimilia hiſce, tum infinita alia, non ſolùm ad pneumonica vitia plurimùm conferunt, verùm etiam in officinis quibuſque nominatioribus parata ſemper ac optima inueniuntur. Atqui ſi vniuerſalis noſtræ medicinæ doſin minimam illis iungas, humorem peccantem cauſantemque morbos in pulmonibus abſorbebit radicitus, adeo vt non ſolùm morbi progreſſus impediatur, verùm etiam emendetur reſtituaturque in integrum, quod dictus iam humor peccans malignâ ſuâ qualitate vitiarat : affirmoque alacriter, in nullo viſcere hanc medicinam vires ſuas exercere clariùs, quàm in pulmonibus, ita vt niſi iniuriam tanto tamque generali bono facere mihi viſus eſſem, vocabulo illud particulari cognominans, Pneumaticum ſanè remedium, à præcipuâ eius virtute appellauiſſem. Datur verò in calidiſſimis pulmonum morbis, vt conceptam in iiſdem bilem abſorbeat, cum ſupradictis remediis permixta, tum optimè ex oleo Diuino, quod è caphurâ niuéque Martiâ, inuſitatum quidem, ſed vtiliſſimum deſtillamus. In frigidis, ex vino Maluatico, ſublimato, (quod aquam vitæ nominant) Græco de monte Pauſilipo, Sardiniâ & aliis, quæ vim æquipollentem habent. In humidis, maximè vbi flatus adſunt & tormina, ex oleo Anethi, Aniſi; fœniculi, Cymini. In ſiccis, ex lacte mulierum, decocto radicis enulæ, violatum, vino paſſulato, aut ſyrupo nenupharis, cum Farfarâ, aut ſanè Botryos decoctione. In implicitis verò, ſola porrigitur, ſolaque ſufficit ad implicitas quaſque pulmonum affectiones perſanandas.

Capvt XIX.

Habet ſe ventriculus in corpore humano inſtar armarij in bene conſtitutâ ciuitate. Nam vt inde armantur & veſtiuntur ciues, ita ex hoc ſuccis viſcera membraque omnia imbuuntur. Atque vti ciues armari benè non poſſunt, vbi bona arma non reperiuntur in armario, ſicque officium ſuum præſtare nequeunt ; ita niſi ſucci ij, quos viſcera & membra trahunt è ſtomacho, boni digeſtique admodum benè fuerint à dicto ſtomacho, membra viſceráque præſtare non poterunt, quæ ab ipſis deſiderantur, & ad omnia inepta fient. Quòd ſi hoc (vti plerumque fit) à frigore accidat, ſumuntur quæ flatus diſcutiant, excitent appetitum, & hepatis ob ſympathiam conſulant imbecillitati : tale eſt vinum medicatum è Conyzâ, caryophyllis, menthâ, Dauco, ſilere montano, abſinthio Pontico : ſpecies etiam aromaticæ, Diagalangæ, Dianthos, Roſati, Gabrielis, Diaxyloaloes, Diacolaminthes, Diacinnamomi &c. Pulueres ſtomachales, Montagnanæ, Pilulæ ex ſpeciebus, Diacymini ; Diatrion pipereon, cum ſyrupo Betonicæ aut Cinnamomi. Ventriculum verò humiditate peccantem, ſiccant corroborantque ſequentia, Trochiſci de ſpodio, Myrtus, Zynziber, ladanum, Mumia, Anacardina, Athanaſia, Alexandrina, & quæ Alchermes confectio appellatur; vti Cupreſſi nuces, acacia, Balauſtia, labruſcas, Antheram, Biſtortam, ſimiliaque prætereaim, quæ alioquin in vſu & cognitione omnium verſantur. Si (quod rarum tamen eſt) à ſiccitate aut calore ventriculi peccatum ſit, baccæ oxyacanthæ, Pruna dactyli, mala granata, Cydonia, ſeu Punica, Meſpila, Rob de ribes, de berberis, Diatragacanthum, Diamargaritum frigidum, diatrion ſantalon, Philonium Romanum, cum poſcâ; Tryphera Perſica, Diaolibanum opiatum, emulſio è quatuor ſeminibus maioribus frigidis, ſyrupus cucurbitæ, lac ex amygdalis, & cætera in manus ſumuntur. Cautè attamen, ne ob madorem nimium friguſque ventriculus officij ſui immemor reddatur, hoc eſt, non digerat ſiue concoquat cibos, & ita æger è Scillâ in Charybdim, è minori in maximum mortiferumque malum ruat. Ex enumeratis remediis vnum ſumatur pro morbi, quo laborat ventriculus, qualitate, & cum illo dilutum noſtrum propinetur vniuerſale remedium ; illicóque ad iſtam temperiem reducet ſtomachum, quæ ad hoc, vt benè ſuo muneri ſatisfaciat, deſideratur: etiamſi hæreditarius forſitan & in proſapiâ morbus fuerit, atque ita incurabilis, vti loquuntur hodiè, videatur.

Capvt XX.

Traianus Imperator, medicinæ æquè ac legum peritiſſimus, lienem fiſco ſolitus eſt comparare, quòd creſcente liene membra reliqua ac viſcera contabeſcant, decreſcente verò plurimùm augeantur. Nam & hoc facit fiſcus in Republicâ : exhauriuntur videlicet priuatorum ciuium opes, cùm fiſcus turgeſcit pecuniis; vtpote quæ & vectigalibus, decimis, atque mille aliis exactionibus è ciuium pecuniâ corraduntur. Fit hoc propterea, arbitror, quòd nimiam in ſe proleſtet humoris terrei quantitatem. Licet etenim hoc à naturâ optimè comparatum ſit, vti ſanguis nobilior lienis officio à ſuccis melancholicis depuretur, attamen ſi hos, vel omnes, vel pleroſque lien attrahat, nutrimentum ſimul ſubtrahitur membris, cum ſanguis reliquus ſpirituoſus, nimis, ſubtiliſque, hoc detracto ſit, & conſiſtentiam per ſe ſolùm efficere nequeat: aut etiam quòd lienis accretio pororum eiuſdem, ad impletionem inſpiſſationemque dicatorum, vti nihil aut parum admodum ſucci melancholici ad ſe trahere poſſit cùm ſpongioſitatem amiſerit, atque cum melancholiâ corrodentes aut exedentes vires habeat, membra ipſa nimiâ melancholici humoris quantitate exedantur. Ergo qui lienem ab obſtructione ſeruauerit & excreſcentiâ, ille eundem continuerit in officio, & effecerit, vt non ſolùm effugiat malum, ſed neque faciat viſceribus membriſque reliquis, quæ peſſimè aliâs ab ipſo afficiuntur. Sed eſto, calore induratum lienem ſanandum tibi aliquis offerat, huic porrige foliorum ſalicis, caſſutæ & fragariæ decoctionem, ſuccum creſpini, conſolidæ regalis, ſyrupum ſcolopendriæ, florum tamariſci, præparatam cum ſaccharo & oxymelite confectionem: acria amaraque ſint omnia; nam dulcia turgere lienem obſtruique faciunt, hinc neceſſariò artus reliqui tabe conſumuntur. Quòd ſi æſtus inſignis adiunctus ſit, vnguentum potabile, quod ad ſanguinem coagulatum aliâs bibitur, aut ſyrupus pomorum, portulacæ, Bugloſſi, Boraginis, epotandus. Compactum ob frigus ſplenem Diacoſto, Dialaccâ Diacurcumâ, radice anonidis, naſturtio, radicum tamariſci corticibus, vino denique in quo ruſcus, Ciceres, ac caparina radix maduerint. Humore ſi forſan peccauerit, quod vix tamen fieri aliquando poſſe exiſtimo, Mumia bibatur, aquaque, in quâ lautus, Ariſtolochia, ſaſſafres coxerit, aut propinetur vinum Aſarites. Quomodocunque vitium faciat ; aqua chalybeata prodeſt, electarium è ferri ſcoriâ, vitrioli oleum vtrumque, atque etiam qui ſpiritus arte chymicâ è vitriolo diſtillatur, quod Celſum mouit, vt diceret, fabrorum canes lienes nullos habere, aut exiguos, quòd aquam plerumque potent chalybeatam. Excerpe ad morbum oblatum, quod maximè facere tibi videbitur ex ſupradictis medicamentis remedium, admiſce momentum noſtræ medicinæ catholicæ, ægrum perſanari, te laudem inde mercedemque mereri, me ſecretiſſima veriſſimáque tibi medicinæ occultioris arcana reuelaſſe videbis.

Capvt XXI.

Si quando renes officium ſuum negligunt, mirum eſt quot calculorum, arenularum, ſtranguriæ, ac aliorum morborum genera cauſent: omnia indifferenter remedium noſtrum ſanat, cum vehiculo tamen quod nullo modo dulce ſit aut amarulentum etiam, verum ſubacre, aperiens, emolliens ac seroſum; ſi calore peccetur, fiat id ſero lactis caprilli, aquâ metallicâ, quæ frigidam vim habeat, ac os non contrahat ſi bibatur: qualis eſt vitriola, nitroſa, & quæ alumen continet; cereuiſiâ Belgicâ, vel tenui illâ Bohemorum, quæ alba ab ipſis nuncupatur: Aut decocto Alkakengi, florum fabarum, milij ſolis, fructuum ſpinæ acutæ, in quo trochiſci, caphuræ, electuarium Diaſpermaton, aut ſaxifragiæ Tralliani fuerint diſſoluta. Frigus ita emendatur in renibus: detur medicina noſtra cum ſale Polypodij, geniſtæ, frumentorum, fabarum, Hyperici, Anonidis : omnia diluantur in ſanguine Hircino, ſero lactis, aut vino Halycacabi, porriganturque velut certiſſima indubitataque renum frigore laborantium medicamenta. Humorem nimium puluere Aſtacinorum, corticis caſſiæ, Balauſtiorum, mandibularum luciorum, Schænantos, electarij ducis, lithontribon, moſci terreſtris, cochlearum, limacum, mirrhæ rubræ, pentaphylli & ſimilibus abſorbemus. Si morbi cauſa origoque eſt ſiccitas, medicina noſtra porrigatur cum ſucco raparum, lacte papauerino, oleo amygdalorum, Ptiſanâ ſucco parietariæ, aquâ melonum, cucurbitarum, citrullorum aut petroſelini & cerefolij, niſi æger Epilepſiæ periculo ſubiiciatur. Quòd ſi bilem renes iam amandauerint ad veſicam: coquantur fraga aut fructus Idæi rubi, cum pulpa paſſularum & ficuum, portulacæ, cucumeris, vrticæ, ſolani hortenſis ſeminibus, & in decocto hoc aut altero illo quod lagopi vocant, aut in emulſione è quatuor ſeminibus frigidis maioribus noſtra medicina propinetur. Sin pituitam veſica conceperit, miſceatur eadem oleo ſuccini : nucis moſcatæ, Rhenano vino quod Baccharacenſe vocant : nam illud ſpecificâ quadam vi veſicam frigidam corroborat, & pituitam exturbat amplius, quàm vllum aliud medicamentum ; ſi melancholico ſucco imbuatur hoc viſcus, detur medicina noſtra è vino Cretico, in quo piſtachia & eryngij radix fuerint macerata: Aut iure carnium vulpinarum, cui olei terebinthinæ guttæ aliquot adiiciantur.

Capvt

Caput XXII.

Immanitas dolorum, quæ ex vteri depiauati affectionibus nascitur, specimen præbet, quasi vincus hoc semel offensum nunquam restitui possit integræ pristinæque suæ sanitati.atque ita longo ego tempore sensi,quòd viderem, medicamenta quæ adhiberi solent à medicis nihil admodum aut parum efficere posse: vti de Epilepsiâ iam ac paralysi antea est declaratum: nam capitis ac vteri persimiles æqualesque omnino morbi sunt, si spectes ad malignitatem effectuum, è causis tamen contrariis plurimùm oriuntur. Verùm medicina nostra à morbo quouis liberat vterum, dummodo vehiculis accommodatis ad naturam morbi, sicut decantatum est iam sæpius,propinetur.In frigidis ergo matricis affectibus detur cum abrotano,Petasite,granis sesami, costo, Nepitâ, iuâ,seseli,serpillo, Loicoio, angelicâ, Teucrio,radice eryngij, Baccis Lauri, Castoreo,Malabatro,Bdellio,Sagapeno,Borace,sabinâ,saturciâ,trifolio.In calidis, Oxyacanthâ,Scariolâ, Oxalide,Styrace,Daiolibano, Tryphera saracenicâ, spodio, Palmulâ immaturâ. In humidis, sumach, Amarantho,costo. Bursa pastoris, sassafras, Acoro, Karabe,Philonio Persico,requie Nicolai, Assa fœtidâ, beniouino, Aliptâ,ladano,Gallia moscata,mosco querno,bolo armeniaco, Hæmatite, & similibus, quibus vis indita est, sanguinem & humores omnes constringendi. In siccis, Calendulâ. Satirio,smirnio,tanaceto, dictamno, origano,Caricâ,fumaria, Gladiolo,& quæ ad partum facilè reddendum, expellendas secundinas aut menstrua obstructa promouenda communiter adhibentur. In implicitis, commixtio fit medicamentorum, quæ tam ad calidos quàm frigidos, siccos quàm humidos morbos propellendos valent: siue illud fiat in forma Apozematis, Roob, Looch, Trochisci,Electuarij, Syrupi, Tragea,tabulæ,siue alia aliqua forma, quæ apta videbitur ad morbi statum, aut voluntatem eius qui æger est,maximè accommodata, & cum illis omnibus ita commixtis ac spacio dierum quindecim egregriè fermentatis(vt loquimur)medicina nostra exhibetur.Si bilem effusam intestina contineant, detur medicina nostra in aqua hordei, quæ vim traxerit è foliis salicis, oliuæ aut seminum frigidiorum, addatur ebullitio spodij, diacodium, intybus, thapsus,verbascum, terra Lemnia, & quæ pungentissimam illam dissenteriæ impressionem, quæ diu admodum inhærere, solita est intestinis, poterunt abolere. Vbi illud fuerit pituita proderit dare hoc remedium cum vino absinthij, Conyzæ aut saluiæ, si melancholia, datur cum Alth æ, Alceæ, Passularum & spinachiæ decoctione. Artuum iuncturarumque dolor è capitis siue cerebri intemperie secundùm Medicos Physicosque omnes exoritur, ita vt causa doloris artuum cerebrum dici possit, & dolor ipse effectus cerebri intemperati,hinc curato cerebro artus quoque ac iuncturæ curabuntur: quomodo scilicet effectus cessant, si quando causæ protinus auferuntur. Attamen topicis etiam dissoluenda est materia Gypsea, quæ distillata è cerebro in artubus ipsis iam lapidis instar est coagulata, nam altera illa curatio istud tantummodo præbet commodi, vt defluxus noui è capite in artus prohibeantur, ista verò, vt quæ iam antè defluxerant, hæsitantque in membris, & dolorem causant,dissoluantur,ac vi attractiuâ postmodum medicamenti Heraclei cute integra per poros extrahantur,talia sunt in affectibus calidis Cataplasmata, quæ ex Mandragora, solano, Hyosciamo, bismalua, sambuco, lumbricis terrestribus,parietaria, lente palistri, medulla panis siliginacei, mucaginibus Cydoniorum, Psillij, lini, Fœnugræci, Altheæ, axungia angullarum,gelantina è squammis piscium, & similibus præparantur. In frigidis oleum saponis, vinaceorum, salis maritimi, de lateribus, mellis,cætæ.Galbani, Castorij, piperum,& quod è lapidibus stillaticium ad nos ex Alexandria asportatur: nam illud solum ego Petrolei nomine dignum esse iudico, quòd alia omnia partim supposita sint, partim alioquin hoc Alexandrino multùm imbecilliora. In humidis admoueantur perpetuò lintea calida, quæ odore imbuta sint thuris masculi, mastichis, Galbani, sulphuris viui,quale scil. extrahitur è minera, nam quod iam ignem vel semel tantummodo est expertum, desiccatiuam ac maximè subtilem suam proprietatem exhalauit. homo totus inhumetur in frumenti recentis grandi cumulo,ita vt nil præter solum caput (gratiâ respirandi) exerat,reliqua omnia frugibus contegantur:prosunt sacculi ex milio vstulato, furfure macro,sale assato, baccis lauri,si in oleo coquantur Euphorbij, & calidissimè locis dolentibus circumponantur. In siccis, fotus adhibentur aut etiam balnea ex oleo oliuarum, amygdalorum, nucleorum auellanarum, ex lacte etiam & aqua pluuiâ in aqua coxerint veruecum capita,vsque dum balneum ex ipsis contraxerit ingenitam viscositatem. Verùm istis omnibus supersedendum, cùm sola medicina nostra sufficiat, dummodo intra corpus sumatur ad coagulatos humores in artubus dissoluendos expellendosque, aut si coagulati non fuerint,protinus absorbendos,& robur insigne neruis, venis, tendonibus,musculis adiiciendum.

Caput XXIII.

His ego complexus videor totius humani corporis plerasque vel omnes etiam morbosas affectiones, neque vllum quis mihi morbi genus inueniat, quod huc aliquo morbo referri,& ex allegatis remediis nequeat persanari. Superest vt de Dosi tantummodo, quâ intra corpus humanum sumenda est medicina nostra, paucula doceamus. Primum esto, falsissimam illam esse opinionem, quæ vulgo circumferri solet,medicinam hanc si vltra iustissimam ac scrupulosissimè pensitatam Dosim sumatur, officere admodum sanitati humanæ, quin imo planè eos qui nimiùm sumpserint, enecari. nam hoc quidē accideret, si materia medicinæ venenosum aliquid, Narcoticum,corrosiuum,aut aliqua alia qualitate naturæ humanæ inimicum complecteretur, quales illæ materiæ sunt, quas ipsi idoneas esse existimant ad medicinam hanc admirabilem conficiundam, Antimonium scilicet, Arcenicum, Hydrargyrum, siue illud viuum, vti nascitur, manserit, siue admixtione corrodentium salium, vti in sublimato fit, siue ignis regimine enecatum. Verùm longè abest à medicina nostrâ ista malignitas, non turbat viscera,aut purgat ceu colocynthis, Agaricum, Pithymalus, Elaterium,non ædit aut qualitate hostili offendit spiritus, vti mineralia faciunt istorum, quæ sanè tutò assumi nec debent nec possunt in humana corpora: sed amicissima est vtilissimaque & maxima affinitate nobisipsis coniuncta,ita vt non solùm ceu cibi reliqui, quibus vescimur in dies, sumi proportione eadem valeat, verum etiam vi ere omnino non possimus, nisi eam esculentis potulentisue nostris, quamuis indigestam adhuc, admisceamus. Veruntamen dosis certa adhibenda est, ne pretiosissimâ medicina prodigè nimis ac inutiliter abutamur, cum frustra fiat per plura, quod paucioribus potuit effici. Respiciendum ergò est ad ætatem sexumque ægroti, nec non quo anni tempore medicina adhibetur: hoc viso, remedia illa, quibus hæc admiscenda est, præscribantur, mensura illa ac pondere, quo decet tali ætate, tali tempore, personæ tali,eadem propinare. Secundum istorum pondera pondus etiam nostræ medicinæ est moderandum, vt si videlicet robusto alicui decoctum detur libræ integræ herbarum eiusmodi, quæ ad morbum ipsius propulsandum maximè valent, huic scriptulus etiam integer medicinæ nostræ cum præscripto decocto detur. Si libram dimidiam imbecilliori tantùm dare conueniat, scriptulus tantùm semis seu grana decem erunt admiscenda. Si tres vnciæ sufficiunt: tribus vnciis sufficiat grana quinque tantummodo admiscuisse: hæc enim proportio nec excedere quantitate admodum neque nimiùm etiam imbecillis esse videtur: de reliquis idem esto iudicium, cùm pondera singula persequi superfluum esse videatur: Vt quæ iis, queîs hæc scripsimus, iam antè multùm cognita esse debent, aut certè ignorata etiam facillimè addiscantur: taceo iam etiam ab Heurnio, Fernelio & aliis, vt antiquiores prætertam,ad nauseam vsque esse tractata, quò studiosum lectorem ablegatum volo.


PERORATIO MEDICINÆ CHYMICÆ.

HAbes quoque compendium medicinæ Chymicæ; quam exornamus hâc eleganti coronide Duncani.

Duncanus Liddelius lib 1. *artis Medicæ* sic adumbrat medicinam Paracelsi. Primùm medicinam non pro arte, sed pro medicamento propriè accipit; & ex Medicinâ Medicum fieri, & in Medicinæ natura, omnem Medici scientiam, artem, theoreticam & practicam, consistere arbitratur. Medicinam autem definiunt Paracelsistæ essentiam quandam in naturâ collocatam, depromptam ex materia vegetabilium, mineralium, & animalium, quæ arte Spagyrica debitè præparata, & ab impuritatibus separata humani corporis morbos auferre potest. Separatis verò impuritatibus explicantur & manifestantur tres primæ substantiæ, vltima cuiusque rei materia, *quæ Sal, Sulphur, & Mercurius ab iis vocantur.* Existimat Paracelsus primùm ex his tribus constare non solùm res cæteras totius vniuersi, sed etiam hominem, quoad corpus Physicum. Deinde ex illis omnia bona & mala, siue sanitatem & morbos habere; Sanitatem autem si hæc tria in vnum corpus coëant, planeque consentiant; morbum verò oriri, si dissoluantur, & rupto fœdere vnum eorum à cæteris, aut omnia tria inter se dissentiant: quod fit, quando ab astro virilia aut astralia redduntur, siue in exaltationem deducuntur, vbi sal resoluitur, calcinatur, reuerberatur; Mercurius destillatur,sublimatur, aut præcipitatur; sulphur accenditur, coagulatur, resoluitur, &c. Causam autem efficientem ens & astrum plerumque vocat, ac entium quinque præcipua genera ponit, *vt ens astrale, ens naturale, ens veneni, ens spirituale, ens deale.* Quare concludit, verum medicum debere in omnibus corporibus trium primorum compositionem, statum, & dissolutio-

& diſſolutionem ſcire, & primùm in maiori mundo omnia probare arte Spagyricâ, igne, qui res occultas in lucem profert. Deinde accommodare totam maioris mundi diſpoſitionem Microcoſmo, & in homine (vt ſanitas & morbi intelligantur & curentur) conſiderare omnia omnium creaturarum genera, ſpecies, motus, motuumque omnium viciſſitudines & leges. Nam pro confeſſo accipit homines Microcoſmum dici, quia re ipſa ſecundùm ſpeciem in ſe complectitur, quæcunque in toto mundo continentur, nimirum elementa (quæ matrices & nuda receptacula vocat) & quæ elementis continentur ſydera, meteora, mineralia, metalla, &c. ac etiam omnes eorum mutationibus & cauſas, ac proinde artem medicam & philoſophiam vnam ſcientiam eſſe. Deinde corpora omnia ex tribus conſtare, Sale, Sulphure, & Mercurio, & in ea reſolui. Tertiò generationes & tranſmutationes omnes à ſemine fieri ope ſpirituum. Nam in ſemine contineri putat ſpiritus mechanicos & tincturas vniuerſæ anatomiæ ſuæ ſpeciei, ac ſemen ſingula adminiſtrare, prædeſtinationes & officia motuumque leges diſtribuere; Spiritus verò corpora aſtralia & inuiſibilia, functiones omnes & tranſmutationes perficere, inter ſe contrarios eſſe, pugnaſque excitare, &c. 4. Corpora generari, ſi ſemina digeſtis temporibus ex abyſſo elementorum præcedentia, ſibi ex conſentaneis principiis nouum corpus fabricent: Corrumpi, ſi depoſito illo corpore rurſus ſeſe in eandem abyſſum recondant. 5. Secretione conſentaneorum principiorum corpora ex corporibus naſci illaque omnia actu alimentis ineſſe, quæcunque in corporibus ex alimentis oriuntur. 6. In Microcoſmo non alias quàm Macrocoſmo mutationes ſecundùm aut præter naturam exiſtere, nec alias illarum mutationum omniumque effectuum (veluti ſanitatis & morborum) cauſas. 7. Doceri debere, quid in homine ſit, non ex homine ſiue in humano corpore, ſed ex maiori mundo, certâ experientiâ arte chymicâ per ignem ſingula examinando & reſoluendo in vltimam materiam. 8. Vires medicamentorum acdſribendas non eſſe, qualitatibus euidentibus, quæ rellolaciæ ſterileſque ſignaturæ ſunt, & accidentia innata ſolius corporis medicamenti gratiâ, in quibus nulla confluentia eſt cum aſtris morborum, ſed proprietatibus conſubſtantialibus naturæ cheirioniæ ſiue arcanis viribus, in quibus ſcientia & prædeſtinatio ſanationis vrget. 9. In omnibus corporibus venenum parteſque inutiles, excrementitias & noxias reperiri, quas vt Vulcanus naturæ, aut Archéus arte chymicâ ope ignis ſiue caloris natiui ſeparat (quemadmodum in nutritione animati corporis apparet) ita verus medicus imitator naturæ eodem artificio medicamenta à primâ materiâ ad vltimam deducere, & venenum omnéque inutile ab vtili veráque medicina ſeparare debet. 10. In ſpiritu veram medicinam eſſe, non in corpore medicamenti. 11. Similibus (quæ eandem ſignaturam veræque Anatomiæ concordantiam habent) ſimilia curari, vt morbos mercuriales mercurio, ſulphureos ſulphure, ſalinas ſale, &c. 12. Medicinam dirigendam ſemper eſſe contra hoſtem, ſiue proprietatem aſtrorum, veluti in tartari generatione ſpiritum ſalis coagulationis vincendum eſſe, ne ampliùs coagulare queat, &c. 13. Tandem ſingulas res ſuis formis & imaginibus præditas eſſe, in quibus illarum vera Anatomia ſita eſt, docens coniungere, quæ coniungenda ſunt. Nam vbi medicinæ Anatomiam cognouerit Medicus, diſcet Anatomiam quoque morborum, ac vnà reperiet concordantias eorum quæ cognata ſunt, & coniungi debent. Igitur quod prodeſt matrici, id præditum eſt matricis Anatomiâ, ac in hoc quoque omnium morborum illius anatomia continetur. Quare vt veteres illi methodici Sectam ſuam definierunt cognitionem euidentium communitatum, ita Paracelſiſtæ ſuam quoque definire poterunt *cognitionem concordantiæ Microcoſmi cum Macrocoſmo.* Attamen fatetur Paracelſus cum dogmaticis ſe experientiâ & ratione niti, licèt morbos, cauſas, & ſymptomata plerúmque confundat, & methodum medendi cum indicationibus more Empiricorum reiiciat; quo vno Empiricum ſe eſſe probat. Deinde aut cum experientiâ rationem confundit, aut conſiſtere ſolùm putat in nuda ſimilitudine & concordantia rerum. Nam libro de Ppyſiogn. medicinam nil aliud eſſe aſſerit, quàm experientiam: & lib. 1. Paragran. morbis & remediis diſcendos, & iuxta remedia diſtinguendos: lib. 1. Paramir. duplicem eſſe noſtram cognitionem, vnam quam noſtro ingenio habemus audiendo & legondo, ſed hanc medicum non facere, alteram quam experientia addiſcimus, quæ duplex illi viciſſim eſt, vna fortuita, error & fallacia; & altera certa, medici vnicum fundamentum & magiſter, quam arte chymicâ ex igne tantùm diſcit: Hâc experientia abſoluitur medicus, & inueniuntur tres primæ ſubſtantiæ, cuius ſunt naturæ, proprietatis & conditionis per totum mundum in omnibus creaturis; hinc propter concordantiam in homine. Nam docetur homo ex maiori mundo, non ex homine. Deinde medicina, & id cui medetur, eodem modo cognoſcuntur, cùm eadem vtriuſque ſit Anatomia. Ex hac concordantia oritur perfectio medici, cognitio morborum, vnâ cum inuentione veræ medicinæ, quâ abſoluitur curatio.

DELINEATIO MEDICINÆ CHYMICÆ.



MEDICINÆ SECTIO TERTIA,

In quâ delineatur

MEDICINA SPECIALIS.

CAPVT I.

Medicina ſpecialis ratione regionis.

PRÆCEPTA.

MEDICINA ſpecialis docet modum conſeruandi & curandi valetudinem inprimis ratione nationis, ſexûs, ætatis, & officij.

Ratione nationis medicina diſtinctè applicatur quantum ad cardines, & partes terræ. Ibi ſunt homines orientales & occidentales, ſeptentrionales, & meridionales: hîc Europæi, Aſiatici &c.

REGVLÆ.

I. *Medicus diſcat regionum diſcretiones, quas vocant.* R onum di etione

Diſcretionem populorum terræ deſumit Hippocrates potiſſimùm ex tribus: ex conſideratione nimirum plantarum, animalium, & hominum; docétque hæc tria ritè inter ſeſe conferre. Nam v. gr. regionis præſtantiam declarant hæc ſigna: *ſi* homines ibi ſint proceræ ſtaturæ, pulchræ formæ,

boni

boni coloris, robusti; *si* plurimi reperiantur ibi senes, qui fruantur integrâ valetudine: *si* animalia sint pinguia, & magna, cum visceribus integris: *si* sata, & quæ sponte sua è terra proueniunt, in copia ibi crescant, hantque maiora quàm in aliis locis, sintque præterea boni saporis & odoris, atque diu durent &c. Hæc, & similia oportet Medicum attendere, & ex præstantia regionis iudicium ferat de hominibus, alimentis, esculentis, aëre, & medicamentis simplicibus ibi prouenientibus. Hac de re legatur *Bickeri Hermes rediuiuus.*

II. *Non est vtendum medicinis vltramarinis, quando vernaculæ haberi possunt.*

Hac de re placet adscribere iudicium anonymi in Denatio medico, quem *Bernhardus Penotus* publicauit. Sic autem ibi legere est. Dico, dicuntque alij, veræ philosophiæ inuestigatores, meum abundanter concessisse, pro omni morbo curando, remedia, quæ subsistunt in herbis, fontibus, mineralibus: ita vt etiam proculdubio cuilibet morbo suum assignatum sit remedium, & vnicuique regioni sint concessa quædam naturalia, ad morbos curandos, ea in regione. Et hinc, ex magna Dei prouindentia, in Italia, vbi dominantur vt plurimùm morbi calidi, raro absinthium reperitur, & illud quidem in hortis: sed cicuta, papauer, & alia frigida, magnâ copiâ. Hinc colligitur, ibi plus esse opportuna refrigerantia, quàm calida. Sic in Polonia & Germania vrtica, absinthium &c. vbique locorum, magna copia crescit. Hinc patet, in illis locis magis esse opportuna calida, quàm frigida. Et hac ratione ductus quidem Fuchsius Norimbergensis Medicus, quàm primùm in aliquam villam venit, accersitus ad aliquem curandum, considerauit circumcirca villam illam simplicia, & ea frequentiora, quæ destillabat (secum enim alembicum argenteum ferebat) & sic faciebat quintam quandam essentiam, qua in Polonia omnes morbos curabat.

CAPVT II.

Medicina specialis ratione sexus.

PRÆCEPTA.

Ratione sexûs medicina distinctè applicatur quantum ad mares & fœminas.

Quantum attinet ad fœminas, varij sunt gradus: putà virgo, vxor prægnans, lactans, sterilis &c.

REGVLÆ.

I. *Sexus consideratio plurimùm variat medicinæ applicationem.*

Nam sexus masculinus est robustior, & liber à molestissimis accidentibus, quibus obnoxiæ sunt mulieres. Itaque omnes Medici magnam hic adhibent prudentiam.

II. *Cura prægnantium & parturientium accurata est habenda Medico.*

Est, inquam, accurata ipsarum cura habenda secundùm omnes Medicinæ partes, inprimis quantum ad signa, diætam, & prophylacticam. Sic *in prægnantibus* attenduntur *signa conceptionis*; qualia sunt, si Veneris appetentia languet, si menses non apparent, si cauitates oculorum subpallidæ fiunt, si circa mensem secundum salsa aut acida appetunt &c. *diæta ipsarum* est, vt omnem motum vehementum fugiant, mammas non constringant, moderato victu vtantur, paulò ante partum balneo frequenti vtantur, & à viris abstineant &c. *Signa partus instantis* sunt: acrior est sub vmbilico dolor, & ad inguina premit, & inde se flectit ad lumborum vertebras, genitalia cum dolore tument, febrilis horror corpus inuadit, vrinæ adest incontinentia. Hæc, & similia signa si appareant, obstetrix experta est adhibenda, de cuius officio vide Brigthum & Bickerum.

CAPVT III.

Medicina specialis ratione ætatis.

PRÆCEPTA.

Rationes ætatis Medicina distinctè applicatur pueris, iuuenibus, & senibus.

Quantum ad senes, alij sunt vegeti, alij non item.

REGVLÆ.

I. *Cura puerorum medica, vsque ad annum ætatis decimum, ferè est diætetica & gymnastica.* Cura puerorum medica.

Præscribuntur enim hic præcepta, quomodo infans recens natus sit curandus, quomodo lactandus & ablactandus, quomodo exercendus &c. vbi sunt hæ regulæ. 1. Infanti recens nato, vbi modicè requieuerit, præcidendus est vmbilicus, & ligandus tribus digitis à ventre mensuratis. 2. Ligato vmbilico veniendum est ad corporis ablutionem. 3. Deinceps bis de die potest ablui, horarum aliquot interstitio post cibum, loco obscuro, & temperatè calido. 4. Fasciis inuoluatur, dum satis solida fuerint membra. 5. In vlnis gestetur iam tres quatuorue menses natus. 6. Antequam applicetur mamma, lac crassum ex vberibus priùs emulgeatur. 7. Lactandi tempus opportunum est, cùm infans labia mouerit, eáque aperuerit sæpiùs. 8. Post annum & sex menses est ablactandus; aut expleto biennio. 9. Alimento iurulento est alendus, dum inferiores dentes ediderit. Dentire autem ferè incipiunt infantes mense septimo: quo tempore gingiuæ butyro ac melle pariter mistis leuiter fricentur. 10. Prout infans ætate ac robore creuerit, alimentis vtatur, sensim firmioribus, quàm in ipsa prima infantia, omnibus tamen liquidis & calidis. 11. Ne infantes in vehementes animi motus incidant, magnoperè cauendum. 12. Tertium aut quartum annum agentes, nauigio aut vehiculo modicè agitari sustinent. 13. Septennes equitare permittantur. 14. Ab anno sexto corpora sunt magis exercenda. Huiusmodi regulæ plures colligi possunt.

II. *Cura senum medica inprimis in diætâ consistit & medicinis lenioribus.* Cura senum medica.

Hæc medicinæ pars appellatur γηροκομική, de qua multis dicere possemus, si liceret per compendium. Summa est, vt diæta senum sit strictior, & medicina lenior. quanquam hæc omnia variant pro ratione virium & officij. Teneatur hîc illud elegans: *Lac est vinum puerorum; vinum, lac senum.* Sanè vinum quibusdam senibus est loco panaceæ.

CAPVT IV.

Medicina specialis ratione officij, in quo homines degunt.

PRÆCEPTA.

Ratione officij, in quo quisque degit, medicina applicatur literatis, fossoribus, & similibus.

Hîc inprimis traditur ratio tuendi sanitatem studiosorum & literatorum. Quâ de re admodum eleganter scripserunt Marsilius Ficinus, Henricus Rantzouius, & Gregorius Horstius.

REGVLÆ.

I. *Qui viuunt in officiis nobilioribus eligant medicamenta solaria.* Medicina solaris conuenit officio nobili.

Nam in illis occultatur *aurum medicum philosophorum*, id est, spiritus solaris, siue sulphur viuificum, cardiacum, maximè alexiterium, theriacale, & bezoarticum, quod sanitatem cumprimis conseruat, & corporis nostri tum partes tum humores, à corruptione & putredine vindicat & tuetur. Spiritus hic solaris, cardiacus, & viuificus, est tanquam ignis temperatissimus, qui mouet, excitat, & fouet viuificum natiui caloris igniculum; præcipuè in corde: deinde etiam in aliis membris: ac temperiem in illis ad æqualitatem & operationem perducit. Sed texamus catalogum medicamentorum istorum solarium, in quibus iste spiritus copiosè habitat. *Principiò* hic spiritus in metallis, terrisque & succis metallicis est fortior & perfectior quàm in vegetabilibus & animalibus. Mineralia ista solaria sunt hoc ordine: aurum, argentum, ferrum, chalybs, sulphur, vitriolum, corallia, margaritæ, succinum, thermæ, & acidulæ. *Deinde* vegetabilia, in quibus vis illa solaris & opobalsamum aureum maximè delitescit, sunt hoc ordine.

1. *Calida*

1. *Calida & ſicca primo ordine*: agrimonium ſiue eupatorium, amygdalæ dulces, bugloſſum, borago, glycyrrhiza,

2. *Calida primo, ſicca ſecundo ordine*: abſynthium, coriandri ſemen, eryngium, fumaria, numularia, ſaluia.

3. *Calida primo, ſicca tertio ordine*: China radix & ſarſaparilla.

4. *Calida & ſicca ſecundo ordine*: acorum ſeu calamus odoratus, adiantum, aloe, betonica, caltha, crocus, iuniperi baccæ, lauri baccæ, libyſtici ſemen, lilium conuallium, maſtix, meliſſa, myrrha, ocymum, oſtrucium, pœonia, petroſelinum, pimpinella, rhaponticum, ſambucus, ſcabioſa, ſcolopendrium, terebinthina valeriana, viſcum quercinum.

5. *Calida & ſicca tertio ordine*: abrotanum, amaracus, ammiacus, amygdalæ amaræ, aniſum, angelica, ariſtolochia, artemiſia, carduus benedictus, corum, caryophyllum, caryophyllata, centaurea, chamædris, chelidonium, cinnamomum, dictamnum, fœniculum, gentiana, guaiacum, helenium, hypericum ſiue perforata, hyſſopus, nux myriſtica, pulegium, rhabarbarum, roſmarinus, ruta, veronica, zedoaria, zingiber.

6. *Frigida & ſicca primo ordine*: cydonia mala, & saccarum.

7. *Frigida & ſicca ſecundo ordine*: acetoſa, berberi, cichorium, endiuiæ, fragaria, penthaphyllum, plantago, prunella, pulmonaria, ribes, roſæ.

8. *Frigida & ſicca tertio ordine*: camphora, ſantalium, tormentilla.

9. *Frigida primo & humida ſecundo ordine*; tuſſilago, violæ purpureæ, nymphæa alba, ſedum ſiue ſemperuiuum.

Tertiò ſimplicia animalia cumprimis ſolaria & balſamica ſunt hoc ordine: alces vngula, bezoar, caponum & gallinarum carnes, cancrorum lapilli, caſtorium, cornu ceruinum, cornu vnicornis, lupi piſcis maxilla, oua recentia, ſanguis hircinus, viperinæ carnes.

Hæc itaque ſunt ſimplicia illa ſolaria, in quibus opobalſamum illud cœleſte, viuificum, alexiterium inprimis inuenire eſt. Quod attinet ad frigidiora, quæ in hoc ipſo catalogo poſita ſunt, licet illa ob qualitatem & temperaturam frigidiorem ſint lunaria: tamen quantum ad opobalſamum, quo abundant, meritò accenſentur ſolaribus, hoc eſt, illis medicamentis, quæ quadruplici facultate excellunt: vi, inquam, diaphoreticâ ſeu abſtergente, alteratrice & exſiccante, alexiteriâ, & ſpecificâ. Quas quidem vires inprimis exſerunt, ſi rectè præparentur, iuxta illud *Fernelii lib. 2. de abditis rerum cauſis c. 18.* Satis nobis ſit, *inquit*, è rebus ſingulis ſincerum quid puriſſimúmq; elicere, in quo vis illa occultarum proprietatum ſumma (licet non omnis) inſideat. Sed redeamus ad aurum noſtrum medicum. Conficiuntur ex ipſo phamuaca omnium tutiſſima & iucundiſſima, quæ literatis hominibus debent eſſe commendatiſſima. Oportet autem ſolaribus hiſce medicamentis præmittere cathartica, ſiue purgantia, mitia & blanda, cuiuſmodi ſunt.

1. *Calida primo, & ſicca ſecundo ordine*: fumaria, flores pruni ſylueſtris, mechoaca.

2. *Calida & ſicca ſecundo ordine*: agaricum, aloe, ebuli baccæ & radix, polypodium quercinum, ſambuci radix, ſena, terebinthina.

3. *Calida & ſicca tertio ordine*: ariſtolochia longa, epithymum, iris, rhabarbarum.

4. *Calida & humida primo ordine*: caſſia fiſtularis, lactis bubuli & caprini ſerum, manna Calabrina, malua, oleum oliuæ.

5. *Calida & humida ſecundo ordine*: vuæ paſſæ.

6. *Frigida & humida ſecundo ordine*: atriplex, beta vtraque, braſſica, ceraſa dulcia, pruna dulcia, violæ Martiæ.

Hæc etiam ſunt cathartica benigniora & tutiora, quæ ſolaribus medicinis præmittere oportet. Plura in hanc ſententiam vide apud *Chriſtophorum Hornium in dialogo de auro medico philoſophorum.*

II. *Ratio tuendi ſanitatem literatorum his ferè continetur regulis.*


1. Vt homo literatus *mediocrem iudicii functionem* à Deo ſibi conceſſam defendat, corroboret, atque in ſtatu naturali conſeruet, eligat *aërem* purum, eumque rebus odoratis incenſis conuenientiorem reddat: *cibum & potum* adhibeat facilis digeſtionis, qui ſcilicet vi refrigerandi, vel craſſos ac viſcidos humores producendi deſtituatur: *eſculenta* condiat ſaluiâ, maioranâ, roremarino, fœniculo, caruo, cinnamomo, croco, mace, nuce moſchatâ, & ſimilibus: *potulenta* ſint temperata, minùs euaporantia diuretica: qui potus eò commodior redditur pro ingenio corroborando, ſi infundantur radices helenij, garyophyllatæ, ſaluiæ, roriſmarini, betonicæ, ſeminum fœniculi, aniſi, & inprimis ambra griſea ß ʒ quantitate in vinum quotidiani potûs infuſa: hæc enim ſpiritus animales optimè corroborat, quod & ſapor eius qualitates indicat. *In ſuperfluis excernendis* ſit diligens reſpectu cerebri, euacuatione vniuerſali vel particulari promouendo excretionem ſuperfluorum quotidianam per nares, palatum, aures, oculos &c. imò & euaporationem poſt ſomnum pectine eburneo capitiſque frictione iuuet. *Corpus exerceat moderatè, iuſtóque tempore*, nimirum peractis concoctionibus. *Animo ſit præſens*, & iuxta præcepta virtutis prudenter reſiſtat opinionum mobilitati, ſuâque fretus vocatione labores ſtudiorum ſubeat, & iuuante methodicâ diſciplinâ facultates latentes excitet. 2. Homo literatus *memoriam mediocrem & ſufficientem* ita conſeruabit & augebit. Rurſus eligatur aër purus, & ſubinde corrigatur floribus ſaluiæ, lauendulæ, roriſmarini, maioranæ, rutæ, origani, ſerpilli, thymi &c. vel incenſis baccis iuniperi, eiuſdémque radice fumus excitetur in muſeo: cui vſui inſeruiunt etiam thus, ſtyrax, calamita, benzoi, danum, ambra, moſchus, ſuccinum &c. ſi viuis carbonibus aliquid eorum adſpergatur. *Cibum* eligat facilis concoctionis, qui parum excrementitiorum humorum generet, carnium videlicet hœdorum, agnorum, pullorum, columbarum, auium montanarum, piſcium ſaxatilium, ouorum ſorbilium, iuſculorum vini cum aquâ roſarum &, pauxillo macis atque croci conditorum, iuſculorum cereuiſiæ cum baccis lauri, cumino, & vitellis ouorum præparatorum, iuſculorum carnium cum ouis diſſolutis, medullâ panis triticei vel etiam amygdalis confectorum. *Panis* condiatur ſale, cumine, vel carui ſemine, optiméque ſit coctus. *Potus ſit vini temperati*, probéque depurati, cui condituræ gratiâ radices helenij, ſaluia, flores lauandulæ, ſummitates roriſmarini, nux moſchata, & ſimilia poſſunt infundi. *Cereuiſia* benè depurata, nec admodum euaporans ſit, quæ maximè redditur accommodata pro quotidiano potu literatorum, ſi cum baccis lauri, galangâ, caryophyllis, mace, nuce moſchatâ, ſeminibus pœoniæ, granis paradiſi, & ſimilibus condiatur, eâ quantitate, vel omnibus vel ſingulis receptis, vt ſapor inde iucundus proueniat. Porrò *ſuperfluas excrementitias humiditates*, quæ memoriæ plurimum obſunt, homo liberatus promoueat, vt paulò antè diximus: *balneum* nonniſi moderatè vſurpet. *Exercitia corporis* pro calore excitando cibum præcedant: *ſummus* duabus aut tribus horis à cœnâ fiat, & non vltra naturæ cuiuſque rationem protrahatur: *lucubrationes nocturnæ & crapula* cane peius & angue vitentur: *animi affectus* obiecto bono ſuſcitentur. Denique lectio ſit moderata. quam in ſententiam *Heurnius de morbis capitis capite* 14. ita ſcribit: Admonitione dignum puto, ad memoriæ ſtabilimentum mirum in modum facere ſtudiorum moderationem. Nec illis credendum, qui aſſiduè ſtudiis incumbendum putant, quòd omnia euoluenda ſint, vt aliquando optima excerni poſſint. *Et mox*: Multum, non multa legenda, ſi memoriæ conſulendum: alioqui quæ infarſeris, quaſi per vas Danaidum effluunt. Id ne fiat, meditatio remedio erit. Conſiſtit enim memoria in fidâ ac ſtabili imaginum conſeruatione. Quare aſſiduitas lectionis obeſt ſemper, nunquam prodeſt. Nam animi noſtri promptuaria ita expedita ſunt, vt alia pars excipiendis imaginibus, alia iudicio, alia reſeruandis iis, quæ recepta ſunt, attribuatur. Quoties itaque tanta eſt imaginum frequentia, vt altera alteri occurrat, vt quaſi vnda propellatur, tunc irritus omnis labor. Certè remiſſione ſtudia acuuntur, ac vegetiùs ad ſtudia remiſſa reditur. Quod Heurnij conſilium non in poſtremis eſt habendum. 3. *Viribus ingenij & memoriæ deficientibus ſuccurritur* per confectionem anacardinam, aquam ſophoram, & ſimilia, de quibus vide infrà Mnemonicam. 4. Vt ingenium & memoria rectè faciant officium, *non ſolùm functiones cerebri, ſed etiam cordis & iecoris ſunt corroboranda.* Hæc enim ſunt tria membra principalia. *Deinde* robur organorum ſenſus atque motus eſt conſeruandum, & pectus atque pulmones præſeruanda. Nam vt cerebrum cooperantibus organis ſenſuum animales functiones perficit: ita cor, vitalis functionis organum, tum demum toti benè proſpicit, quando pectus & pulmones, tanquam partes eidem inſeruientes, optimè valent. *Tertiò* cruditas eſt præcauenda, & ſtomachus corroborandus, lieniſque obſtructio præſeruanda. Hæ ſiquidem partes inſeruiunt iecori, quod tertium locum inter partes principes tenet, 5. Corroboratio totius omniumque partium impeditur à coaceruatione peccantium humorum. *Illos itaque euacuare oportet* per purgationem & venæ ſectionem. Sed hæc elegantiſſimè perſequitur *Gregorius Horſtius duobus libris de tuendâ ſanitate ſtudioſorum & literatorum*, quos aliquoties laudauimus.

PERORATIO MEDICINÆ SPECIALIS.

PAucula hæc ſufficiant de Medicinâ ſpeciali, cuius hæc eſt regula: Vt in Medicinâ generali plus ſcientiæ, ita in ſpeciali plus prudentiæ requiritur: quam regulam vel inprimis obſeruare debet Medicus, ſicut illam Senecæ quilibet æger; Pars ſanitatis eſt ſanari velle.

DELI

DELINEATIO MEDICINÆ Specialis.



Medicina practica recens & noua, continens omnes totius humani corporis morbos, per alphabeticum ordinem collectos: Quibus καθ' ἕκαστον sunt addita Medicamenta omnia Composita τὰ εὐπόριστα, & quæ vbique locorum hodie in *Pharmacopæis*, seu *Apothecis* semper extant parata: nunc denuò emendatior edita & auctior; Cum certâ compositorum omnium Dosi sub finem appensâ.

Authore

MARTINO RVLANDO, Frisingensi, Medicinarum Doctore.

Verè Generoso, Illustri ac Nobiliss. DN. DOMINO LVDOVICO *Comiti ab Oetingen, &c. Domino & Mæcenati clementi, Mart. Rulandus Frising. Medicus S. P. D.*



VLLA ars, nullaque facultas tam est magna, difficilis, & periculosa, atque Medicinæ scientia, Generose Comes Ludouice. Hæc enim plurimarum linguarum, maximè verò Græcæ, Latinæ, Hebraïcæ, ac Arabicæ, quibus tradita est nobis vniuersa Medicina, cognitionem haud vulgarem requirit. Etenim artium omnium Magistrum desiderat. Grammaticum, qui rectè loqui cum ægrotis, rectéque præscribere medicamina possit. Quantum enim orationis genus obscurum barbariei, & periculi adferat, non in cæteris tantum artibus, sed in Medicinæ etiam scientiâ clarum est: in quâ vita hominis agitur. Dialecticum vt ritè Medicinæ vocabula, eiusque res exponat, partes enumeret, ac argumentis omnia ægrotantibus probet, aut improbet. Rhetoricum, qui exornato & suaui orationis genere suos persuadeat. Astronomum, vt cœli faciem, astrorum & siderum ortus atque occasus, eorúmque vires, naturas, & proprietates intelligat. Astrologum etiam, vt is ex stellarum & planetarum naturis nouerit morbos, morborum causas, τὰς κρισίμας, indicationes, euentus, curationes, medicamentorum administrationes, venarum sectiones, scarificandi locum, & modum atque alia, quæ ex cœli, stellarúmque naturâ, & clementiâ dependent. Arithmeticum insuper, qui certam numerandi disciplinam accommodet tam ad pulsuum notitiam, quàm ad medicamentorum proportionem, & quantitatem numeris comprehensam. Musica præterea his socia est: nam eius vi sana corpora vegetant, morbis affecta soporantur. Cum istis coniuncta est Geographia, quæ ostendat ægrotis variorum locorum & regionum naturas, situs, aërem, ventos, homines, morbos, simplicia, stirpes, arbores, herbas, folia, flores, gemmas, fructus, ramos, surculos, radices, succos, liquores (gummi, resinas, cortices, stipites, ligna, semina, animalia, eorúmque partes. Metalla, lapides, gemmas, terras, maria, aquas, sales, succina, spongias, bitumina, &c. quæ pro suâ temperie, quam ex propriâ regione conceperunt, cautè ac benè à Medicis compliceantur & coaptentur nostratium hominum corporibus. Ad hæc Physicus sit Medicus oportet, vt diligenter consideret res naturales, non-naturales & quæ sunt præter naturam. Naturales quidem, vt quæ corpus humanum constituunt, elementa sunt, ignis, aër, aqua, terra. Sunt temperamenta, calidum, humidum, frigidum, siccum: quibus annumerantur qualitates ac temperies, veris, æstatis, autumni, hyemis, ætatum locorum, regionum, terræ situum; ventorum, aquarum, astrorum, visilium, olfactilium, gustatilium, & tactilium. Sunt & humores, sanguis, pituita, bilis flaua & atra. Sunt partes humani corporis, caro, os, membrana, neruus, vena, arteria, manus, pes, caput, cerebrum, cor, iecur, testes, aliæque minutissimæ partes. Sunt facultates, animalis, vitalis, & naturalis, attractrix, retentrix, concoctrix, atque expultrix. Sunt functiones, animalis, quæ sensus habet, visum, auditum, odoratum, gustum, tactum, motum, imaginationem, cogitationem, memoriam, Est naturalis, vt generatio est, nutritio, concoctio, respiratio &c. Sunt spiritus, animalis, vitalis, & naturalis. Res verò non-naturales hominis naturam & sanitatem destruunt: tales sunt, aëris essentia, qualitas, mutatio. Cibi & potus bonitas, quantitas, qualitas, consuetudo, delectatio, ordo, tempus, hora acceptorum, & modus. Motus, quies totius partiumque corporis. Somnus, vigilia, retentiones, excretiones, euacuationes, phlebotomia, pharmaca, vomitus, scarificatio, balneum, exercitium, frictio, somnus, inedia, vrina, sudor, sputum, fluxus sanguinis, menses, hemorroides, coitus, insensilis, perspiratio, animi παθήματα & affectus. Et res præter naturam in Medici cognitionem recidentes: Morborum sunt omnia genera & interna & externa: Oculorum, aurium, narium, faciei, dentium, oris, pectoris, pulmonis, cordis, ventriculi, hepatis, lienis, intestinorum, renum, vesicæ, genitalium, vteri, articulorum, pedum, cutis, & febres trecentæ. Morborum intem nomina, signa, causæ, συμπτώματα, curationes διαιτητικαὶ, φαρμακευτικαὶ & χειρουργικαὶ certæ, ratione ac experimento comprobatæ. Decet porrò medicum virum & Ethicum esse, vt, Hippocratis exemplo & iuramento, moribus bonis, vitæ honestate, virtutibusque excultâ apud suos conuersetur. Ne vitiosus vitiosum curet, vitiáque vitiis addantur. Nec à Theologiâ medicus alienus esse potest, quia Deus (iuxta Syrach) ipsum eiusque Medicinam creauit. Et Lucas Medicus cùm esset, nihilominus Theologiæ studium perdidicit.

Ἀσθενεῖ τις, (Inquit D. Iacobus) ἐν ὑμῖν, προσκαλεσάσθω τοὺς πρεσβυτέρους τῆς ἐκκλησίας καὶ προσευξάσθωσαν ἐπ' αὐτὸν ἀλείψαντες αὐτὸν ἐλαίῳ ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ κυρίου, καὶ ἡ εὐχὴ τῆς πίστεως σώσει τὸν κάμνοντα καὶ ἐγερεῖ αὐτὸν ὁ κύριος, κἂν ἁμαρτίας ᾖ πεποιηκώς, ἀφεθήσεται αὐτῷ.

Ex quibus verbis morborum causam & curationem accipimus. Causa morborum peccatum est: quam & Prophetæ referunt. Propter peccata, aiunt, nostra patimur, & Deus est qui nos vulnerat, ac medetur: percutit, & manus eius iterum sanat. Sic Giezi leprâ in sempiternum percussus est ob peccatum. Et cùm Christus hominem illum qui triginta & octo annos decubuisset, sanitati restitueret, morbi eandem causam adiicit dicens: ἴδε ὑγιὴς γέγονας, μηκέτι ἁμάρτανε ἵνα μὴ χεῖρόν τι

σοι γένηται Curatio morborum hic triplex cernitur, pœnitentia, medium seu res externa, & inuocatio. Nam Medicus ægrotum rectè curaturus, ad peccati commissi pœnitentiam reducat: deinde medicamenta a Deo de terrâ procreata accommodet: postremò in nomine Iesu preces ad Deum fundat, pro ægrotantium salute & remediorum suarumque curationum benedictione diuina. Postremò, quoniam vulgò, sed impiè dicitur: Medicus necat impunè, Iurisprudentia Medicis haud omnino ignara esse debet, quæ monet alios non lædere, & tribuere quod suum, propriumque est vnicuique, tam pauperibus, quam diuitibus corpore male habentibus. Caueant igitur veri Medici ne ipsis obiiciatur, quod moriturus Imperator Hadrianus dictabat, *Turba medicorum me perdidit.* Dixerat hoc scomma in imperitos Medicos, quales sunt hodiè, nugiuendi, veteratores, Iudæi, superstitiosi, *χαρακτηριάτροι, ἐξορκισταί, ψευδοχυμισταί, ἀφυσιόπται, ἄσοφοι, ἄθεοι*, & qui alij falso Medicinæ titulo hominibus imponunt, quos ex Iure omni meritò damnamus & fugimus. Contra hos *συκοφάντας*, tergiuersatores, omnémque in medendis morbis difficultatem & nocumentum nos tam ægrotorum infirmitati, quàm medicorum curæ summo studio & assiduitate ingenti consulere statuimus. Atque nunc quidem omnium primùm ægritudines totius humani corporis vniuersas tam internè quàm externè nascentes collegimus accuratè, & per Alphabeti seriem eâ commoditate disposuimus, vt cuius ægritudini subscriptæ sint certæ ac vsitatæ curationes per omnia medicamenta Composita, quæ hodie apud nos frequenti sunt vsu probata, & semper in Pharmacopœis parata inueniuntur. Pondera præterea atque Doses, quibus illæ medicinæ compositæ pro quâuis ætate ac tempore tuto & sine ægrotantis periculo, à vero & perito Medico exhiberi patientibus possunt, perdiligenter & exquisitissimè anneximus vice libri secundi, & nomine Appendicis. Quamobrem non dubito, quin multi multas & immortales nobis agent gratias, quod artem practicandi (vt vsu trito vocabulo vtar) per Composita in tam breue, facile, *ὁδοιπορικόν τε ἐγχειρίδιον* atque Compendium coëgerim: & Medicis iunioribus neque adhuc satis exercitatis labores, quos assiduos, dubios & anxios in ægrotorum curam & salutem insumere coguntur, leuarim ac minuerim. Si vitam Deus Opt. Maxim. longam & meliorem dederit ac concesserit, Pharmacopœam maiorem ex omni parte completam edemus, qualem *οἱ φιλίατροι* nullibi locorum conspexerunt. Perutilis illa quidem & omnino necessaria est futura, tum Medicis tum Pharmacopolis: Imò etiam Simplicia *εὐπόριστα*, paratu quàm facillima, domestica, nostratia, Germanica, nullâ vel paruulâ pecuniâ emenda prompta nunc habemus atque parata & calamo instructa: quibus solis omnia morborum genera persæpe certò & indubitatò curantur meliùs longè (crede rationi & expertis) faciliùs, nullóque cum incommodo & noxâ, quàm compositis Officinarum longis, pecuniosis, malè, ignorante medico, sæpe collectis, ineptè commixtis, indoctè confusis, imperitè coctis, non rarò putrefactis, temporis vetustate consumptis, negligentiâ & impuritate magnâ confectis. Illa, inquam, Simplicia ad hunc modum cum suis Dosibus magno labore, & (laus Deo) industriâ in vnum hortulum conseuimus: quæ olim cum aliis in manu versantibus, in communem vsum conferre cogitamus. Porrò cùm diu animo versarem libri huius Dedicationem, patronus nemo dignior & melior hoc tempore potuit existere, nobisque constitui, quàm tu, Comes Ludouice Generose & optime. Tu enim literarum & artium liberalium studiosiss. es, tu veram, puriss. & sanctam Euangelij doctrinam miro & ardentissimo animo cum Generosissimâ tuâ Dominâ coniuge, Susannâ, Comite à Mansfeld, &c. diligis, amplecteris, atque in tuâ vniuersâ diœcesi semina & radices huius Christianæ fidei altissimas ac salutiferas mittis & propagas, conatu summo, & animo; per viros eruditione, pietate, & virtute claros: quorum è numero præcipuos statuo esse, Vitum Steinheymerum, & Thomam Huldricum Pistorium & Ecclesiarum tuarum non minima lumina atque columnas, viros vtpote doctiss. & amicos meos chariss. Similem curam & in Scholis ponere incipis. Instituere enim cogitas gymnasium, in quo sacræ literæ, artes honestæ, Philosophia magna, & linguæ præcipuè tradantur, & excolantur per viros, quos ad hoc eligis, eximios & optimos. Et quoniam Medicinæ quoque scientiam vsque adeò te amare intelligo: ego animi tui feruorem & in hanc studium accendere percupio libello hoc: quem tibi offerunt & dedicant Musæ nostræ, quas velim benignè ac clementer audias, ab iisque accipias munusculum, quòd in generosi nominis tui honorem summum, tuique, sempiternam memoriam concinnarunt. Deus Opt. Maxim. te tuamque stirpem, virtute ac singulari pietate generosam coniugem, Ecclesiæ Christi superstitem, diúque incolumem conseruet, fiddémque vestram adaugeat, atque confirmet per Spiritum sanctum suum, cui cum Patre & Filio laus sit immortalis, & gloria in secula Amen. Vale & nos tibi commendatos habe. Datæ Laugingæ 9. Martij Anno 1564.

Authores quorum secuti sumus fidem, rationem, & experientiam tum in Practicâ, tum in Compositorum Dosibus.

Actuarius.	*Leombard. Fuchsius.*
Aetius.	*Manardus.*
Alex. Trallianus.	*Matthæus Curtius.*
Amatus Lusitanus.	*Mesue.*
Antonius Musa Bras.	*Montagnana.*
Anutius Foësius.	*Nic. Myrepsus.*
Auicenna.	*Oribasius.*
Benedictus Victor. Fauent.	*Rhazes.*
Conciliator.	*Rhemaclus F. Lymburg.*
Cornelius Celsus.	*Sauanarola.*
Dioscorides.	*Serapio.*
Galenus.	*Speculum Aromat.*
Gulielmus Rondeletius.	*Valerius Cordus.*
Hippocrates.	*Varignana.*
Iacobus Syluius.	*Aliique plures.*
Ioannes Dryander.	

Medicina practica, noua, continens alphabetico ordine totius corporis morbos, eorúmque Medicamenta COMPOSITA *& in officinis parata.*

A

AD ABORTVM.

Vnguentum Comitissæ, Guilhelmi Varig.
Diamargarithon. Philonium Persicum.
Mithridatis confectio, & Erinaciorum cinis cum oleo inunctus.

AD ABBESSVS CORPORIS.

Mithridatis antidotus N.Myrep. Esdra N.Myrep.
Emplastrum Apostolicum eiusdem.

AD ACHORES.

Vide Vlcus.

AD ACRIMONIAM.

Pastillus Ramich. Ioan. Damasc.

AD ADVSTIONEM.

Vnguentum album commune.
Vnguentum album cum Lithargyrio.
Vnguentum cum Sedo. Vide Vstio, Ambustio.

AD ÆSTVM.

Collyrium cygnus albus N Myrepf.

ALIMENTVM.

Alimenti distributionem in iecur & omne corpus celerans & promouens.

Diacinnamomum Ioan. Damasc.
Zingiber conditum.

ALTERANS.

Antidotus catholica, N.Myrepsi.

AD ALOPECIAM.

Oleum Laurinum.

AD ALPHOS.

Oleum Balaninum. Antidotus.
Hamech altera seu minor. Catapotia fœtida maiora.

Ad Alphos nigros curatu difficiles.

Catapotia ex colocynthide Ioan. Damasc.

Ad Alphos nigros curatu difficiles.

Catapotia Inda Hali.

ALVVS.

Ad duram aluum.

Diacassia cum Mannâ. Cassia extracta cum foliis senæ.
Cassia extracta pro clysteribus.
Catharticum Imperiale N. Hiera veterum simplex.

Aluum citra molestiam & dolorem soluens, leniens, emolliens, purgans, deiiciens, & subducens.

Antidotus è rosaceo Iulapio.
Cassia extracta cum foliis senæ.
Pastillus è violis. Electuarium lenitiuum.
Iulapium violaceum. Vnguentum aluum soluens.
Vnguentum cyclamini maius.
Oleum balaninum. Oleum ricininum.
Serapium ex Intybo syluestri cum Rhabarbaro.
Catapotia aurea. Aqua mulsa.

Pro iis qui voluntariè Alui excrementa emittunt.

Hiera Logadij.

Alui fluorem sistens.

Cydonia condita. Diacydonium simplex.
Pastillus Oxyacantha.

Ad alui fluorem à frigidis humoribus natum.

Serapium è Mentha maius.

Ad

Ad vitiosa alui profluuia.
Serapium ex omphacino.
Hydromelum simplex P.
Succus medicatus Ribes compositus.
Succus medicatus Oxyacanthæ simplex & compositus. *Vide* Excrementum.
Aluum nimium solutam impediunt præterea.
Oryza cum lacte.
Syrupus de piris, de cydoniis.
Syrupus acetosus de cydoniis.
Micleta. Diacydoniten.
Conserua rosantiqua.
AMBVSTVM.
Oleum myrthinum, sanans ambusta igne.
Vide Vstio. Adustio.
ANGINA.
Pro Anginâ laborantibus.
Dialibanu. Hiera composita.
ANIMVS.
Tranquillum animum reddens.
Pastillus Ramich.
Ad Animi defectionem.
Electuarium analepticon. Quære Defectio, Deliquium animi.
ANVS, SEDES.
Vide Sedes, Aluus.
ANHELITVS.
Quære Spiritus.
APERIENS.
Obstructa aperiens.
DECOCTVM APERITIVVM.
Oleum costinum. Oleum absynthinum.
Vnguentum aureum. Vide Obstructa.
APPETENTIA, APPETITVS.
Appetentiam inuitans, excitans, & languentem restituens.
Mithridatis antidotus.
Aromatica rosata Gab. Hiera Logadij.
Pastillus ex Absynthio.
Ceratum stomachicum Galeni.
Ceratum stomachicum Fuchsij.
Oleum absynthinum. Oleum menthaceum.
Serapium ex absynthio.
Catapotia stomachica.
Myrabolani chebuli conditi.
Cydonia condita. Diacydonium simplex.
Diacydonium compositum N.Myreps.
Diacydonium è succo cydoniorum, incerti authoris. Idem Galeni.
Miua cydoniorum composita seu Aromatica.
APHTHÆ.
Quære Vlcus.
APOPLEXIA.
Ad Apoplexiam.
Saccharum lauendulæ. Aurea Alexandrina.
Theriaca Andromachi. Diacastorium.
APOSTEMA.
Vide Vlcus.
APPREHENSIO.
Apprehensionem iuuans.
Anacardina.
AQVA INTERCVS.
Ad Aquam intercutem incipientem.
Serapium ex Eupatorio. Pastilli è rosis.
Ad Aquam intercutem à frigida iecoris intemperie natam.
Emplastrum ceroneum.
Ad Aquam intercutem generaliter.
Theriaca. Diatessaron.
Dialocha maior. Diaturpetu cum Rheobarbaro.
Pastillus è Rheobarbaro, Quære plura in Hydrops.
Ad aquæ pauores.
Theriaca Andromachi.
AD ARDOREM stomachi.
Vide Stomachus.
ARTHRIS, ARTHRITICVS, Articulus.
Pro Arthriticis, & Articulorum morbo laborantibus.
Catapotia arthritica vera. Catapotia fœtida maiora.
Catapotia ex colocynthide. Catapotia è sagapeno.
Catapotia ex opoponace. Saccharum melissophylli.
Antidotus catholica. Antidotus Episcopi.
Hiera Pacchij, Scribonij Largi.
Oleum euphorbinum simplex.
Oleum è piperibus. Oleum vulpinum.
Oleum è lumbricis terrestribus.
Oleum è lateribus.
Oleum populinum.
Emplastrum diachylon.
Theriaca Andromachi.
Ad morbos articulorum è biliosis & calidis humoribus natos.
Antidotus è succo rosarum.
Ad Arthritidem è calore natam.
Electuarium rosatum.
Ad omnium articulorum dolores frigidos.
Oleum Irinum.
Oleum è castoreo simplex.
Oleum è castoreo compositum.
Oleum laurinum. Vnguentum marciatum magnum.
Aqua mulsa. Catapotia ex hermodactylo.
Articulos roborans.
Oleum lentiscinum. Oleum mastichinum.
Ad influxiones Articulorum.
Emplastrum apostolicum.
Articulorum dolores subleuans.
Oleum anethinum. Catapotia arthritica Nic.
Ad Articulorum siccitatem.
Oleum amygdalarum dulcium.
Ad conuulsionem articulorum & duritiem.
Oleum è semine lini. Vide Podagra, Artus, Iunctura.
ARTERIA.
Ad Asperitatem arteriæ.
Diahyssopum. Oleum violaceum.
Oleum sesaminum.
Ad Arteriæ raucitatem.
Hiera ex colocynthide.
ARTVS.
Luxatos artus persanans.
Oleum myrtinum. Vide Artus, Membra, Iunctura.
ASCARIDES & Vermes.
Vide Vermes.
ASCITES.
Ad Ascitem.
Pastillus è lachâ.
ASPERITAS.
Ad asperitatem partium externarum.
Oleum amygdalarum dulcium.
ASTHMA, & Asthmaticus.
Ad Asthma.
Serapium è prassio. Serapium ex hyssopo.
Serapium è calaminthâ. Catapotia ex agarico.
Catapotia hieræ cum agarico.
Catapotia linguæ subdita.
Eclegma è scyllâ. Eclegma è pineis.
Eclegma è pulmone vulpis. Eclegma ad asthma.
Theriaca Andromachi.
Dialibanu. Diathamaron.
Diatragantes calida. Diaireos Salomonis.
Diamargariton frigidum incerti authoris.
Diamargariton N.Myrepsi.
Hiera Pacchij, Scribonij Largi. Pleres archonticon.
Ad Asthma quo laborant pueri.
Pastillus aliptæ moschatæ. Vide Spirare.
ASTRINGENS.
Oleum melinum. Oleum myrthinum.
ATTONITVS.
Pro Attonitis.
Theriaca Andromachi.
ATTRITVS.
Ad Attritus hyeme concitatos.
Oleum myrtinum.
AVRIS, AVDITVS.
Ad Aurium dolores.
Oleum hyoscyaminum. Oleum balaninum.
Oleum ricininum. Oleum de ouis.
Mithridatis antidotus.
Ad Aurium dolorem, surditatem & tinnitum.
Catapotia sine quibus esse nolo.
Ad aurium sonitus & sibilos.
Oleum amygdalarum amararum.
Ad frigidos dolores Aurium.
Oleum irinum, Io.Damasc.
Ad Aurium dolorem & exulcerationem.
Esdra N.Myrepsi.
Ad Auditus difficultatem.
Oleum amygdalarum amararum. Acetum scylliticum.
Ad Aurium fœtorem.
Oleum Irinum. Ioa.Damasc.
Auditum amissum reparantia.
Catapotia Arabica, N.Præpositi.
Vermes in auribus occidens.
Oleum amygdalarum amararum.

B

BILIS.

Bilem vtramque sine molestiâ, dolore, & innoxiè purgans & educens.

Electuarium lenitiuum, incerti authoris.
Diamanna, Nic. Antidotus Hamech.
Catharticum imperiale. Catapotia polychresta.

Ad atram Bilem.

Serapium ex epithymo.

Ad Bilem vstam.

Catapotia è lapide Armeno, Mesues filij.

Flauam Bilem sine molestiâ purgans & educens.

Catapotia Azaiereth, Auicennæ.
Catapotia sine quibus esse nolo, Nic. Præpositi.
Diaturpetu cum Rheobarbaro, Montagnanæ.
Diaturpetu, Mesues filij.
Diacnicu Arnoldi Villanouani. Diacassia cum mannâ, incerti authoris.
Serapium rosatum purgatorium compositum, Auicennæ.
Antidotus è Psyllio, N. Myrepsi.
Antidotus è succo rosarum. Nic.
Antidotus diaphœnicon Mes. filij.
Antidotus Episcopi Mesues filij.
Electuarium rosatum Mesues filij.
Pastillus ex nymphæâ. Io. Damasc.

Ad ... lum, acrimoniam & feruorem bilis.

Pastillus ex nymphæâ. Io. Damasc.
Serapium violatum simplex. Serapium nymphææ simplex.
Serapium ex acido citri succo Io. Damasc.

Ad biliosos affectus & dolores.

Saccharum nymphææ.
Serapium acidum simplex. Io. Damasc.
Hiera Logadij, N. Myrepsi.
Electuarium rosatum Mesues filij.

Ad omnia vitia ex atrâ bile procreata.

Diasena vulgaris Nic. Diasena vera Nic. Myrepsi.

BVBO.

Ad bubones pestilentes.

Emplastrum ad bubones pestilentes.

C

CALAMVS,

Calamos educens.

Emplastrum apostolicum N. Myrepsi.

CALCVLVS, LAPIS.

Ad Calculum & lapidem renum ac vesicæ.

Oleum è scorpionibus simplex Io. Damasc.
Oleum amygdalarum amararum.
Oleum Balsami, Guilhelmi Placentini.
Dialacha maior, Mesues filij
Diaprassiu, N. Myrepsi. Electuarium Ducis, N.
Nephrocatharticum, N. Myrep.
Antidotus Mithridatis, Nic. Myrep.
Philonium maius siue Romanum, N Myrep.
Acetum sylliticum. Puluis contra calculum Fuchsij.
Aqua mulsa Pimpinella condita.
Catapotia è benedictâ, N. Myrep.
Saccharum Betonicum.
Vnguentum aureum, N. Myrep.
Vnguentum aluum soluens, N. Myrep.
Vide Renes & Vesica.

CALEFACIENS.

Calefacientia & discutientia.

Oleum anethinum. Oleum liliaceum.
Oleum balsami Petri de Eobano.
Oleum sampsuchinum.
Oleum ex hyperico, incerti authoris. Oleum rutaceum.
Oleum costinum, Ioan. Mesues fil.
Oleum absinthinum. Oleum laurinum.
Oleum è lateribus. Io Damasc.
Oleum Irinum, N. Myrep. Oleum moschatum.
Petræoleon. Lætificans Rhazis.

Calefacientia cerebrum, cor, ventriculum, & reliquum ventriculum inferiorem.

Diambareos, Io Damasc.

CALIDVM ET CALOR.

Ad calidam intemperiem.

Serapium ex Intybo satiuo compositum.
Gentilis. Oleum papauerinum, Io. Damsc.
Pastillus è violis, Nicol. Alex.
Pastillus ex oxyacanthâ, Io. Damas.
Diacodion, Nic. Myrep.

Ad immodicum calorem instrumentorum nutritioni inseruientium.

Serapium ex Intybo satiuo simplex.

Ad calorem ventriculi, iecoris, lienis, pulmonisque.

Diarrhodon Abbatis, N. Myrep.

Ad calorem ventriculi & iecoris.

Diatrion santalon, N. Myreps.
Pastillus ex nymphæâ, Io. Damasc.
Triphera Persica, Io. Damasc. Saccharum oxalidis.

Ad flammeum calorem, cordis & ventriculi.

Serapium è succo oxalidis, Io. Damasc.

Ad calorem stomachi.

Rosata nouella, Nic. Myreps.

Ad calorem iecoris.

Oxysaccharum compositum, Actuarij.
Pastillus è nymphæâ, N. Myreps.

Ad omnes intemperaturas calidas partium corporis.

Ceratum santalinum, Io. Damasc.

Ad vitia & dolores à calore ortos.

Antidotus è rosaceo Zulapio, N. Myreps.
Diarrhodon Abbatis, eiusdem.
Oleum papauerinum. Io. Damasc. Oleum hyosciamum.

CANCER.

Cancrum & carcinoma exedens.

Antidotus hamech. Mes. fi'ij. Catapotia Inde, Hali.
Catapotia è lapide cyaneo, Mesues filij.
Oleum è sarmentis iuniperi, Io. Damasc.
Serapium ex epithymo, Idem. Emplastrum apostolicum, N. Myreps.

CANICIES.

Capillos à canicie vindicans.

Lætificans Galeni. Nic. Oleum ligustrinum.
Oleum costinum Io. Mes. filij.

CANIS ET CANINVS.

Pro iis qui à rabidis canibus morsi sunt.

Emplastrum Apostolicum, N. Myreps.

Ad conuulsionem caninam.

Hiera Pacchij Scribonij Largi.
Catapotia ex opoponace, Io. Damasc.

CAPILLVS.

Capillos fouens, caniciemque remorans.

Oleum costinum, Io. Dam. Mes. fil.
Oleum ligustrinum. Lætificans Galeni. Nic.

Capillos regignens.

Oleum de ouis expertum. Vide Pilus.

CAPVT.

Contra capitis vitia, mala, & dolores.

Triphera Saracenica, N. Myreps.
Esdra, N. Myreps. Mithridatis eiusdem.
Antidotus è psyllio, eiusdem. Hiera composita, eiusdem.
Electuarium rosatum, Mesues fil.
Antidotus catholica, N. Myreps.
Catapotia cocera, N. Myr. Vulgo Cochiæ.
Catapotia è Hierâ composita, eiusdem.
Catapotia Arabica, Præpos.
Hiera ex colocynthide, N. Myreps.

Ad capitis dolorem à calore ortum.

Vnguentum rosatum, Ioan. Damasc.
Vnguentum populeum, N. Myrepsi.

Ad inueteratum capitis dolorem.

Theriacà Andromachi.

Ad diuti... um capitis dolorem.

Hierà Pacchij Scribonij Largi.

Ad pituitam capitis.

Pastillus ex Agarico, incerti authoris.

Ad humores capitis.

Catapotia stomachica, Mes fil.

Ad capitis humorem pituitosum, biliosum, & melancholicum,

Catapotia sine quibus esse nolo, Nicolai Præpositi.

Ad destillationes & defluxiones humorum à capite.

Diacaryon simplex. Catapotia è Cynoglossâ, N. Myreps.
Catapotia coccera, eiusdem. Diaprassium, eiusdem.
Aurea Alexandrina, eiusdem.

Ad varios affectus capitis.

Catapotia polychresta, Io. Damasc.

Pro iis, qui capite laborant à ventriculo

Catapotia Azaiereth, Auicennæ.

Ad capitis refrigerationem.

Vnguentum Marciatum magnum, Nicolai Myreps.

Ad capitis furfures.

Oleum Laurinum.

Ad capitis ardores & feruores.

Saccharum Nymphææ.

Ad caput roborandum.

Oleum è spicâ Fuchsij. compositum eiusdem.

Caput

Caput roborans & calefaciens.
Oleum Sampſuchinum.
Caput expurgans,& ex eo craſſos humores vacuans.
Catapotia coccia Rhazis.
Catapotia ex octo rebus, N.Præpoſiti.
Puluis Senæ præparatæ Moutagnanæ.
Catapotia aurea, N.Myrepſ.
Ad frigida vitia capitis.
Diahyſſopum, Nicolai.
Ad vlcera capitis.
Oleum ricininum. Vide Defluxio & Deſtillatio.
AD CARBVNCVLVM.
Vide Eryſipelas,Inflammatio,Phlegmone.
CARDIACA.
Pro cardiacis.
Electuarium analepticon,N.Myrepſ.
Aurea Alexandrinæ,eiuſdem. Dianthon eiuſdem.
Diamargariton, eiuſdem. Diarrhodon Abbatis, eiuſdem.
Roſata nouella,eiuſdem. Pleres Archonticon, eiuſdem.
CARO.
Carnem mortuam abſumens,amiſſam reparans,& duram emolliens.
Vnguentum Apoſtolorum Auicennæ.
Carnem excreſcentem & emortuam expurgans & vehementer exiccans.
Vnguentum Ægyptiacum, Meſue.
Contra liquationem carnis.
Anacardina, Ioan.Damaſc.
CADERE, CASVS.
Pro iis qui ex alto ceciderunt.
Vnguentum potabile. Vide Lapſus & Concidere.
AD CATHARRHVM.
Quære,Deſtillatio,Fluxus,defluxio.
CEPHALALGIA.
Ad cephalalgiam.
Oleum euphorbinum ſimplex, Io.Damaſc.Quære Caput.
CEREBRVM.
Cerebrum roborans,alterans,& calefaciens.
Paſtillus Galliæ Moſchatæ,Iohan.Damaſc.
Oleum Maſtichinum Ioan.Meſ.fil.
Aromatica roſata Gabrielis. Diambres,Io.Damaſc.
Ad repentinos in cerebrum vapores.
Saccharum roſaceum.
Ad omnem debilitatem cerebri.
Pleres archonticon, N.Myrepſ.
Cerebrum purgans & vacuans ab humoribus putridis, pituitoſis,& excrementis aliis.
Catapotia ex Aloë lotâ,incerti authoris.
Catapotia maſtichina Conciliatoris.
Catapotia optica maiora,Meſues fil.
Paſtillus ex Agarico,incerta authoris.
Ad omnes morbos,affectus,& vitia frigida cerebri.
Anacardina,Io.Damaſc. Diamoſchum dulcis,eiuſdem.
Diamoſchum amara,eiuſdem.
Oleum laurinum. Oleum ſampſuchinum.
Aqua mulſa. Saccharum lauendulæ.
Acorus conditus.
Ad cerebrum refrigeratum & humectatum.
Saccharum Roſmarini. Mel Anacardinum.
CERVIX.
Ad ceruicis dolores.
Emplaſtrum Apoſtolicum,N.Myrepſ.
Pro iis qui non niſi recta ceruice & difficulter ſpirant.
Catapotia ex Agarico,N.Myrepſ.
Theriaca Andromachi.
CHOLERA.
Pro cholera laborantibus.
Diacodion, N.Myrepſ. Theriaca Andromachi.
Hiera ex Colocynthide,N.Myrepſ.
Paſtillus Ramich,Iohan.Damaſc. Vide Bilis.
CIBVS.
Pro iis qui cibum retinere nequeunt.
Emplaſtrum è cruſto panis,Montagnanæ.
Pro iis,quibus cibus in ventriculo aceſcit,& nauſeâ aſſiduè infeſtante,& ſaliua abundant.
Hiera Pacchij Scribonij Largi.
CICATRIX.
Ad cicatrices.
Vnguentum à Citriis,N.Myrepſ.
Cicatrices eminentes ad planas.
Oleum balſami,Guilhelmi Placent.
Ad fœdas cicatrices.
Oleum ricininum.
Vlceribus cicatrices inducens.
Emplaſtrum gryſeum,incerti authoris.
Ad nigras Cicatrices.
Oleum balaninum.

COELIACVS.
Ad Cœliacos affectus omnes.
Micleta, N.Myrep. Diacodion,eiuſdem.
Athanaſia magna,eiuſdem.
Theriaca Andromachi. Eſdra,N.Myrepſ.
Oleum myrtinum,Nic.Myrep.
Paſtillus è ſuccino,Ioan.Meſ.fil.
Diarrhodon Abbatis,N.Myrepſ.
COITVS.
Pro iis qui coire nequeunt, medicamenta coitum facientia & augentia.
Diaſatyrium,N.Myrep. Diathamaron,eiuſdem.
Catapotia genitale ſemen augentia,incerti authoris.
COLOR.
Ad vitioſum & malum colorem,medicamenta,bonum & viuidum colorem corpori tribuentia.
Mithridatis Antidotus,Nic.Myrepſ.
Anacardina,Ioan.Damaſc. Acetum ſcylliticum.
Serapium roſatum purgatorium compoſitum,N.Myrep.
Diacurcuma Meſues fil.
Antidotus è gemmis,Iohan.Damaſ.
Lætificans Galeni.N.Myrep.
Priſtinum colorem corpori reſtituens.
Diacydonium compoſitum,N.Præpoſiti,N.Nyrepſ.
Diacydonium è ſucco cydoniorum,incerti authoris.
COLVM, COLICVS.
Ad colicos dolores & cruciatus.
Oleum è iuglandibus. Oleum moſchatum. Aqua mulſa.
Diacyminum,N.Myrep. Antidotus Epiſcopi eiuſdem.
Theriaca Andromachi. Philonium Galeni.
Philonium maius,ſiue Roman.N.Myrep.
Aurea Alexandrina,eiuſdem.
Catapotia fœtida maiora,Meſ.fil.
Catapotia aurea,N.Myrepſ.
COLVM.
Ad coli cruciatus & dolores.
Oleum liliaceum. Oleum ricininum.
Antidotus è baccis lauri,Rhazis.
Ad inflationem coli.
Electuarium Indum,maius,Meſues,fil.
COLVMELLA.
Ad columellam quæ tanquam acus intus pertuſa videtur.
Diaireos Salomonis,N.Myrepſ.
Columellam exiccans.
Diahyſſopu, N.Myrepſ.
Ad columellam defluxione tentatam.
Eſdra, N.Myrepſ.
COMITIALIS MORBVS
Ad comitialem morbum.
Diacaſtorium,N.Myrepſ. Aurea Alexandrina,eiuſdem.
Theriaca Andromachi. Saccharum lauendulæ.
Acetum ſcylliticum. Saccharum pæoniæ.
Oleum è lateribus,Ioh.Damaſc.
Pleres Archonticon,N.Myrepſ.
Hiera Pachij Scribonij Largi.
Hiera ex colocynthide,N.Myrepſ.
Hiera Logadij,eiuſdem. Vide Epilepſia.
CONCEPTIO.
Ad conceptionem.
Tryphera magna,N.Myrepſ.
Saccharum Betonicæ.
CONCIDERE.
Pro ſubitò concidentibus.
Hiera Logadij,N.Myrepſ. Vide Caſus,lapſus.
CONCOCTIO.
Pro concoctione & retentione ventriculi.
Diagalanga,Ioh.Damaſc. Antidotus è gemmis, eiuſdem.
Diaxyloaloës,eiuſdem. Diamargariton,N.Myrep.
Diacuminum,eiuſdem. Diahyſſopum,eiuſdem.
Aromatica roſata,Gabrielis,Iohan.Damaſc.
Diambareos,eiuſdem. Lætificans Rhazis.
Ceratum ſtomachicum Ioh. Damaſ.Galeni, Fuſchij. Paſtilli è roſis,Rhazis.
Serapium è menthâ maius,Ioh.Damaſc,
Mel roſatum,eiuſdem.Oleum menthaceum.
Catapotia ſtomachica,Meſ.fil.
Citria condîta. Mirobolani chebuli condîti.
Cydonia condîta. Diacydonium ſimplex.
Diacydonium compoſitum,Nic.Myrepſ.& Nic.Præpoſiti.
Diacydonium.
Miua cydoniorum compoſita, ſeu aromatica Ioh.Damaſc.
Catapotia aromatica,eiuſdem.
Ad tardam & deprauatam concoctionem, quæ in cibo acidam cruditatem corrumpit.
Zinziber condîtum.
Theriaca diateſſaron, Ioh. Damaſc. Meſue. Acetum ſcylliticum.

CONDYLOMA.

Condylomata sanans.

Oleum myrtinum, N Myrepſ.

CONSERVANS.

Facultatem naturales conſeruans.

Catapotia imperialia, incerti authoris.

CONTVSVM.

Ad omnem contuſum locum.

Emplaſtrum oxycroceum, N.Myr. Vide Plagæ.

CONVALESCENS.

Pro conualeſcentibus ex morbo.

Aromatica roſata Gabrielis, Ioh.Damaſc.

CONVVLSIO, ſeu σπασμός.

Ad conuulſionem.

Oleum Irinum, Ioh.Damaſc. Oleum è ſemine lini.
Oleum è piperibus, Ioan.Damaſc.
Oleum ſamſuchinum.
Oleum è caſtoreo ſimplex & compoſitum.
Serapium è ſtœchade ſimplex, Ioh. Damaſc. compoſitum, eiuſdem.

Ad conuulſionem caninam.

Catapotia ex opoponace, Ioh.Damaſc.

COQVENS.

Oleum Irinum Ioh.Dam.

COR.

Cor imbecillum roborans.

Paſtillus Ramich.Ioh.Damaſc.
Paſtillus Galliæ moſchatæ, eiuſdem.
Roſata nouella N.Myrepſ.
Aromatica roſata Gabrielis, ex Ioh.Damaſ.
Aromatica caryophyllata, ex eodem.
Dianthon, N.Myrepſ.
Serapium ex intybo ſylueſtri cum Rheobarbaro, Nic. Florentini. Citriâ condîta.
Serapium è pomis, Ioan.Damaſ.
Serapium è ſucco boraginis. Serapium è ſucco echij.
Serapium ex acido limonum ſucco.

Ad malum cordis vitium, dolorem, & affectum.

Lætificans, Rhazis. Diaxyloaloes, Ioh.Damaſ.
Reges, N.Myrepſ.

Ad palpitationem cordis.

Lætificans, Rhazis. Diaxyloaloes, Ioh.Damaſc.
Diamoſchu dulce, eiuſd. Diamoſchu amarum, eiuſdem.
Succus vuæ immaturæ. Succus prunorum ſylueſtrium.
Serapium è pomis, Ioh.Damaſc.

Ad cordis exſolutionem.

Diamargarithon, Auicennæ.

Pro Epithemate cordis.

Puluis pro Epithemate,

Ad cordis tremorem & ſyncopen.

Saccarum bugloſſatum.
Antidotus è gemmis, Ioh.Damaſc.
Dianthon, N.Myrepſ. Diamargarithon, eiuſdem,
Vide Syncope & Tremor.

Cor à peſte conſeruans.

Antidotus cordialis, incerti authoris.

Cor refrigeratum calefaciens roborans, & exhilarans.

Diambareos, Ioh.Damaſc.
Diamargarithon, N. Myrepſ.

Flammeum & immodicum calorem cordis refrigerans & firmans.

Serapium ex intybo ſatiuo compoſitum Gentilis, incerti authoris, ſimplex.
Zulapium roſaceum, Cydonia condita.
Saccharum roſaceum. Zulapium violaceum.
Serapium è ſucco oxalidis, Iohan.Damaſc.

CORPVS.

Ad malum corporis habitum,

Theriaca diateſſaron, Iohan.Damaſc.
Paſtillus è Rheobarbaro.
Serapium ex Eupatorio, Iohan.Damaſc.
Serapium roſarum purgatorium compoſitum, N.Myrep.
Dialachan, eiuſdem. Diacurcuma Meſ.fil.
Dialachan maior, eiuſdem.

Ad corporis exſolutionem,

Diamargariton, Auicennæ.

Ad robur corporis.

Hiera Logadij, N.Myrepſ. Dianthon, eiuſdem,

Ad fœtorem corporis.

Diacydonium compoſitum, N.Præpoſiti.

Totius corporis vires & ſanitatem conſeruans & reddens.

Myrobalani chebuli conditi.
Hiera ex colocynthide, N.Myrepſ. Acetum ſcylliticum.

COSTA.

Ad coſtarum phlegmonem.

Philonium Galeni.

CRASSVS, OBESVS.

Pro craſſis & obeſis.

Catharticum Imperiale.

CRVENTVM.

Pro cruenta ſpuentibus.

Eſdra, N.Myrepſ. Paſtillus è Lemnio ſigillo. Ioh.Damaſc.

CVLEX.

Culices enecans.

Oleum laurinum.

CVTIS.

Ad cutis vitia, fœditatem, vlcera & ſcabiem.

Vnguentum tripharmacum, Iohan.Damaſc.
Oleum de ouis. Decoctum ſenæ.
Oleum è ſarmentis Iuniperi, Iohan.Damaſc.
Oleum ricininum.
Catapotia fœtida maiora, Mel.fil.
Antidotus Hamech altera, ſeu minor, eiuſdem.
Catapotia è fumaria, Auicennæ.

Ad omnem fœditatem & vitia cutis, à bilioſis, falſis & peruſtis humoribus orta.

Serapium è fumariâ, Iohan.Damaſc.
Vnguentum album, N.Myrepſ. Rhazis.
Antidotus Hamech. Meſues filij,

Cutem erugans.

Oleum amygdalarum amararum.

Cutem exercens & expurgans.

Oleum de ouis.

CYNICVM.

Ad Cynicam conuulſionem.

Theriaca diateſſaron, Iohan.Damaſc.

D

DÆMONIACVS.

Ad dæmoniacos.

Hiera Logadij, N. Myrepſ.

DELIQVIVM, DEFECTIO ANIMI,

Pro deficientibus animo.

Diamargarithon, N.Myrepſ. Dianthon, eiuſdem.
Diarrhodon Abbatis eiuſdem.
Diaxyloaloës, Iohan.Damaſc.
Pleres archonticon, N.Myrepſ.
Electuarium analecticon, eiuſdem.

DEFLVXIO.

Ad omnem defluxionem capitis, thoracis & pulmonis.

Catapotia è Cynogloſſo, N.Myrepſ. Diapraſiu, eiuſdem.

DENS.

Ad dentium affectus, dolores & cruciatus.

Diamoron ſimplex, Pauli.
Catapotia è Cynogloſſo, Nic.Myrepſ.
Aurea Alexandrina, eiuſdem. Eſdra, N Myrepſ.
Mithridatis antidotus, eiuſdem.
Oleum roſaceum. Oleum de ouis.

Dentes vacillantes mobileſque ſtabiliens.

Oxymeli ſcylliticum ſimplex, Iohan.Damaſc.
Compoſitum, eiuſdem.
Acetum ſcylliticum.

DESTILLATIO.

Ad deſtillationes à capite in thoracem, quas frigidus excitauit humor, conducens.

Serapium è ſtœchade ſimplex, Iohan.Damaſc.
Compoſitum eiuſdem.

Ad deſtillationem à calore ortam.

Zulapium zizyphorum.

Ad deſtillationem inſomnij cauſam.

Serapium è papauere compoſitum, Iohan.Damaſc.

Ad deſtillationem tenuium & acrium homorum à capite.

Diacarion ſimplex.

Ad omnes deſtillationes & deſtillationum morbos.

Catapotia è cynogloſſo, N.Præpoſ.
Serapium è papauere ſimplex, Iohan.Damaſc.
Catapotia ex Agarico, N.Myrepſ.
Hiera compoſita, eiuſdem.
Dianthon eiuſdem. Diapraſiu, eiuſdem.
Oleum rutaceum. Philonium Galeni.
Philonium maius, ſiue Romanum, N.Myr.
Dialibanu, eiuſdem. Decoctum ſenæ.

DIARRHOEA.

Ad exſolutionem è diarrhœa.

Electuarium analepticum, N. Myrepſ.

DISCVTIENS.

Diſcutientia medicamina.

Oleum lilaceum. Oleum Irinum, Ioh.Damaſc.
Oleum moſchatum. Petreoleon. Oleum rutaceum.
Oleum è lateribus, Iohan. Damaſc.
Oleum balſami, eiuſdem. Petri de Ebano.

Oleu

Oleum ex hyperico, incerti authoris.
Emplastrum apostolicum, N.Myrep.

DISTENSIO.

Ad distensiones.

Vnguentum aregon, N.Myrepſ.

DISTENTIO.

Ad distentionem à crassis humoribus natam.

Diacotu, N.Myrepsi.

DOLOR.

Ad omnis generis dolores partium corporis.

Catapotia è Cynoglosso, Nic.Præp.
Emplastrum diachylon, N.Myrepſ.
Hiera Logadij, eiuſdem.
Oleum è capparibus. Oleum anethinum.
Oleum mastichinum, Iohan.Damaſc.Meſ.fil.
Oleum rutaceum. Oleum leucoinum.

Ad dolores lienis, renum, articulorum, & aliarum partium à frigiditate natos.

Petræoleon. Vnguentum marciatum magnum, N. Myr.
Oleum è lateribus, Iohan.Damaſc.

Ad dolorum partium corporis ortum à flatibus & frigidâ intemperie.

Emplastrum è baccis lauri, Iohan.Damaſc.

DORSVM.

Ad dorsi dolores.

Oleum vulpinum, Iohan.Damaſc.

DVRITIA.

Ad omnem duritiem ventriculi, iecoris, lienis, viſcerum & reliquarum partium medicamentum molliens, ſoluens & diſcutiens.

Emplastrum è meliloto. Iohan.Damaſc.
Oleum amygdal.dulcium, eiuſdem.
Emplastrum diachylon ſimplex, eiuſdem.
Oleum liliaceum. Oleum Irinum, Iohan.Damaſc.
Oleum è capparibus.
Emplastrum è mucilaginibus, incerti auth.

DYSENTERIA.

Ad dyſenteriam.

Pastillus è ſuccino, Iohan.Meſ.
Serapium myrtinum ſimplex, eiuſdem.
Micleta, N.Myrepſ. Athanaſia magna, eiuſdem.
Diacodion, eiuſdem.

E

EBRIETAS.

Ebrietati reſiſtens.

Serapium, Iohan.Damaſc. ex acido ſucco citri.

ELEPHANTIA.

Ad elephantiam.

Catapotia Inda Hali. Catapotia è lapide Cyaneo, Meſ.fil.
Catapotia fœtida maiora, Meſues.
Antidotus Hamech altera ſeu minor, Meſ.
Serapium ex epithymo, Iohan.Damaſc.
Dianthon, N.Myrepſ. Antidotus Hamech. Meſues.
Diaſena vulgaris, Nicolai. Diaſena vera, N.Myrepſ.
Hiera Logadij, N.Myrepſ. Theriaca Andromachi.

EMPLASTRVM.

Emplaſtrum educens ſurculos, calamos, tela, & omnia venenata.

Emplastrum apoſtolicum, N.Myrep.
Emplastrum deſiccans & explens.
Emplastrum diuinum, Nicolai.

EMOLLIENTIA.

Emolliens.

Antidotus catholica, N.Myrepſ.
Oleum populinum, N.Myrepſ.
Oleum Irinum, Iohan.Damaſc. Oleum laurinum.
Emplastrum è mucilag. incerti authoris.

EPILEPSIA.

Ad epilepſiam.

Serapium è stœchade ſimplex, Ioh.Damaſc.
Serapium è stœchade compoſitum eiuſdem.
Oleum è piperibus, Ioh.Damaſc. Petræoleon. Theriaca.
Diateſſaron, Iohan.Meſ.Damaſc.
Diamoſchu dulce, Iohan.Damaſc.
Diamoſchu amarum, Iohan.Damaſc.
Hiera compoſita, N.Myrepſ.
Vnguentum aregon, N.Myrepſ.
Vide Comitialis morbus.

ERYSIPELAS.

Ad eryſipelata.

Vnguentum roſatum, Iohan.Damaſc.
Vnguentum è pompholyge, N.Alexand.
Vnguentum album, Galeni.
Ceratum liquidem, eiuſdem.

EVAPORATIO.

Ad euaporationes.

Antidotus è pſyllio, N.Myrep. Vide Vapor.

EXCREARE, & Excretio.

Pro ægrè & difficulter excreantibus, & rectâ ceruice ſpirantibus.

Diatragacanthes calida, N.Myrepſ.
Theriaca Andromachi.

Excreationem ſputi puri, pituitæ craſſæ & lentæ promouens, accelerans, & iuuans.

Aqua mulſa. Pastillus bechius niger.
Vnguentum pectorale, Fuchſij. Decoctum pectorale.

Pro excreantibus ſanguinem & purulenta.

Philonium Galeni.
Philonium maius ſiue Romanum, N.Myr.
Serapium myrtinum compoſitum, incerti authoris. Pastillus è ſuccino, Ioh.Meſ.
Philonium Perſicum, Iohan.Damaſc.
Eſdra, N.Myrepſ.

EXCREMENTVM.

Excrementa ſeroſa, & aquas valenter euacuans & purgans.

Catapotia ex thymælæâ, Iohan.Damaſc.
Vnguentum cyclamini maius, Ioh.Damaſc.

Excrementoſam materiam omnem abſumens.

Petræoleon. Oleum è lateribus, Iohan.Damaſc.

Ad excrementa acria & biliosa.

Dyacodion, N.Myrepſ.

Excrementa è toto corpore educens.

Antidotus Epiſcopi, Meſ.fil. Vide Aluus.

EXICCARE.

Exiccatos ſupra modum reficiens & recreans.

Vnguentum reficiens. Vide Siccans.

EXPLERE.

Explens.

Emplastrum griſeum, incerti authoris.

EXPVERE.

Pro expuentibus purulenta.

Pastillus è ſuccino, Iohan.Damaſc. Vide Sputum.

EXOLVTIO.

Ad exolutionem cordis & corporis.

Diamargarithon, Auicennæ.

Ad exſolutionem è diarrhœâ, aut ſanguinis excretione, aut alia vacuatione calorem natiuum diſſipante natam.

Electuarium analepticon, N.Myrepſ.

EXTENVATVS.

Extenuatos & morbo infirmatos reficiens, & recreans ſupra modum.

Vnguentnm reficiens.
Pleres Archonticon, N.Myrepſ.
Diamargarithon frigidum, incerti authoris.
Diamargarithon frigidum, aliud, incerti authoris.

EXTERGENS.

Oleum Irinum, Iohan.Damaſc.

Extergens & repurgans maculas.

Oleum balaninum.

EXTRAHENS.

Extrahens omnia aliena in profundo corporis ſita.

Emplastrum apoſtolicum, N.Myrepſ.

EXVLCERATIO.

Ad exulcerationes inueteratas.

Mithridatis Antidotus, N.Myrepſ. Vide Vlcus.

F

FACIES.

Ad faciei næuos, maculas, liuores, lentigines, cicatrices, & à ſole factas vſtiones, &c.

Oleum balanium. Vnguentum è Citriis, N.Myrepſ.
Oleum ricininum.

Faciei cutem extergens & expurgans.

Oleum de ouis, probatum,

Ad erugandam & tergendam faciem.

Oleum tartari.

FAVX.

Ad faucium aſperitatem, & ſiccitatem.

Diapenidion, Nicolai.
Serapium è papauere ſimplex, Iohan.Damaſc.
Catapotia bechica, Ioh.Damaſc. Pastillus bechius, Niger.

Ad faucium aſperitatem, ex destillatione ortam.

Electuarium analepticon, N.Myrepſ.

Collum obducens faucibus.

Acetum ſcyllicitum. Vide Guttur.

FEBRIS.

Pro febricitantibus.

Diacodion, N.Myrepſ. Vnguentum populeon, eiuſdem.
Oleum è mandragorâ.

Ad diuturnas & quotidianas febres.
Pastillus è rosis, Rhazis.
Pastillus ex absynthio, Iohan. Damasc.
Pro dissolutis in quotidiana febre.
Philonium Galeni.
Philonium maius, siue Romanum, Nic. Myrepf.
Ad febres diuturnas ex variis humoribus natas.
Catapotia è Rhabarbaro, Mes. fil.
Ad febres non admodum calidas & diuturnas, earumque dolores.
Oleum Chamæmelinum.
Ad febres diuturnas natas ex obstructione, lienis & iecoris.
Pastillus è Lacchâ. Iohan. Damasc.
Ad febres diuturnas, natas ex humore & tumore iecoris & lienis, & febrium rigorem.
Pastillus ex Eupatorio, Iohan. Damasc.
Ad febres diuturnas & compositas.
Antidotus diaphenicon.
Catapotia polychresta, Iohan. Damasc.
Ad febres ardentes & acutas.
Serapium Nymphææ simplex.
Zulapium violaceum. Zulapium zizyphorum.
Diarrhodon Abbatis, N. Myrepf.
Antidotus è rosaceo zulapio, N. Myrepf.
Manus Christi. Ceratum liquidum, Galen.
Pastillus ex Nymphæâ, Iohan. Damasc.
Pastillus ex Oxyacantha, N. Myrepf.
Pastillus ex absynthio, Ioh. Damasc.
Tryphera Persica, eiusdem.
Ad febres continuas, & ardentes, & acutas.
Requies N. Myresp.
Ad febres ardentes, acutas, & difficiles curatu.
Antidotus è psyllio, N. Myrepf.
Ad febres longas, quas sanguis & bilis creat.
Oxosaccharum compositum, Actuarij.
Mirificè auxilians febribus circuitu repetentibus biliosis.
Catapotia ex Eupatorio, Mesues fil.
Ad febres biliosas & pestilentes.
Serapium è succo oxalidis, Ioh. Damasc.
Ad febres pestilentes.
Serapium acidum simplex, Iohan. Damasc.
Serapium ex intybo syluestri cum Rheobarbaro N. Florent.
Zulapium rosaceum.
Ad febres biliosas.
Micleta, N Myrepf.
Serapium acidum simplex, Ioan. Damasc.
Ad febres biliosas, & quæ ex pituitosis flammam multi [illegible] inuehunt.
Serapium è granatis acidis, Iohan. Damasc.
Ad febres biliosas intermittentes continuas, earumque sitim & vehementiam.
Electuarium è Myxis, Monragnanæ.
Ad febres putridas, biliosas, pituitosas, solutu contumaces.
Serapium è quinque radicibus, incerti authoris.
Zulapium rosaceum.
Ad febres nat[illegible] ex putredine humorum & pleuritide.
Electuarium lenitiuum, incerti authoris.
Ad febres acutas & biliosas cum aluifluore.
Pastillus è spodio cum semine oxalidis, Ioh. Damasc.
Ad febres vehementiores, acutas, ardentes, omnesque alias, vtpote tertianas, quotidianas continuas, hecticas, marasmodas, lipyrias.
Antidotus è Damascenis prunis, N. Myrepf.
Aurea Alexandrina, eiusdem. Saccharum nymphææ.
Oxosaccharum simplex, N. Myrepf.
Ad febres tertianas.
Antidotus è succo rosarum Nicolai.
Ad febrem quartanam.
Dianysu, Iohan. Damasc.
Ad leuiter febricitantes.
Mel violaceum.
Ad febrium rigores & horrores.
Oleum è castoreo, simplex compositum.
Theriaca Andromachi.
In febribus sitim inexplebilem mitigans, & extinguens.
Zulapium rosaceum, Serapium ex omphaceo, Ioh. Dam. Medulla seu pulpa prunorum.
Contra æstum, calorem & feruorum febrium.
Serapium rosatum simplex. Serapium ex acido citrij succo.

F E R A.
Ad ferarum venenum.
Antidotus lætalibus aduersans.

F I R M A N S.
Omnia viscera firmans.
Serapium myrthinum simplex, Ioh. Damasc.

F I S T V L A.
Fistulosa vlcera extergens & curans.
Oleum de ouis. Serapium ex epithymo, Ioh. Damasc.
Vnguentum Ægyptiacum, eiusdem.
Vnguentum Apostolorum, Auicennæ.

F L A T V S.
Flatus è toto corpore educens.
Antidotus Episcopi, Mesues fil.
Ad crassos flatus ventriculi & intestinorum.
Catharticum imperiale, Nicolai.
Catapotia aurea, N. Mirepf. Dianysu, Ioh. Damasc.
Ad omnes crassos flatus.
Serapium ex Eupatorio, Io. Dam. Oleum è iuglandibus.
Serapium ex absynthio, Ioh. Dam.
Oleum amygdalarum amararum. Oleum recininum.
Antidotus è baccis lauri, Rhazis.
Electuarium Indum maius, Mesues fil.
Diagalanga, Io. Dam. Aromatica caryophyllata. Io. Dam.
Zingiber conditum. Saccarum rorismarini.
Diacydonium compositum, N. Præpositi.
Diacydonium compositum, N. Myrep.
Diacydonium è succo cydoniorum, incerti authoris.
Vide inflatio.

F L V X V S.
Ad fluxiones.
Antidotus è rosaceo zulapio, N. Myrepf.
Ad fluxiones moderatas.
Oleum Chamæmelinum.
Ad defluxionem acrem.
Collyrium cygnus albus N. Myr.
Ad tenuissimas, & acres fluxiones, & eas, quæ sunt cum exulceratione.
Collyrium aridum, è myrrhâ, incerti authoris.
Ad fluxiones è capite ad thoracem descendentes.
Diatrion pipereon, Mesues fil.
Vide Defluxio & Destillatio.
Ad fluxiones oculorum.
Esdra, N. Myrepf. Vide Mulier.
Ad fluorem alui natum è frigidis humoribus.
Serapium è menthâ maius, Iohan. Damasc.
Vide Profluuium.

F O E M I N A, M V L I E R.
Pro fœminis difficulter parientibus.
Esdra, N. Myrepf.

F O E T V S.
Fœtum mortuum eiiciens.
Theriaca Ardromachi.
Mithridatis antidotus, N. Myrepf.
Fœtum in vtero retinens.
Philonium Persicum, Iohan. Damasc.

F O E T O R.
Ad fœtorem corporis.
Diacydonium compositum. Nic. Præpof.
Diacydonium compositum. N. Myrepf.
Diacydonium è succo cydoniorum, incerti authoris.

F R I G E R A N S, & F R I G V S.
Ad refrigeratas partes corporu.
Oleum laurinum, N. Myrepsi.
Ad frigidos affectus, morbos & dolores, omnium corporu partium vbicunque consistant.
Theriaca diatessaron. Ioh Damasc. Anacardina, eiusdem.
Saccharum betonicæ, Iohan. Damasc.
Dialaccha maior, Mes. fil. Diacurcuma, eiusdem.
Diatragacanthes calida, N. Myrepf.
Antidotus è gemmis, Iohan. Damasc.
Diambareos, Ioh. Dam. Diamoschu dulce, Ioh. Damasc.
Dianysu, eiusdem. Diachyminum, N. Myrepf.
Diaxyloaloës. Ioh Dam. Oleum irinum, eiusdem.
Aqua musa. Oleum è castoreo simplex compositum.
Oleum euphorbinum simplex. Ioh. Damasc.
Oleum è piperibus, eiusdem. Petræoleon.
Vnguentum martiatum magnum, N. Myrepf.
Oleum è lumbricis terrestribus.
Oleum è lateribus, Iohan. Damasc.
Oleum terebinthinum simplex.
Oleum laurinum. Oleum rutaceum.
Oleum balsami, Ioh Dam. Oleum samsuchinum.
Oleum ex hyperico, incerti authoris.
Saccharum Rorismarini. Catapotia ex opoponace.

F V R I O S V S.
A furiosos.
Aurea Alexandrina. Nic. Myrepf.
Hiera Logadij eiusdem. Vide Mania, Phrenesis.
Ad furfures capitis.

F V R F V R.
Oleum laurinum. Oleum amygdalarum amararum.

Ad Galli

G

Ad Gallicum morbum.

Decoctum fenæ. Diacatholicon.
Syrupus de fumariâ,buglossâ,cichoreâ.

GINGIVA.

Gingiuas humore laxas putrescentes,& alias habentes noxas,sanans, reprimens, & firmans.

Acetum scylliticum. Diamoron simplex,Pauli.

GENV.

Ad genu dolorem.

Catapotia ex opoponace, Iohan.Damasc.

Ad defluctiones genuum.

Emplastrum apostolicum, Nic.Myrepf.

GENITALE.

Semen genitale augens.

Oleum sesaminum,Iohan.Damasc.
Oleum amygdal. dulcium,eiusdem.
Vide Semen, Coitus,Venus.

GLVTINANS.

Oleum balsami,Iohan.Damasc.& Petri de Ebano.
Oleum ex hyperico,incerti authoris.
Collyrium acidum album,Rhazis.
Rubeum,eiusdem. E plumbo, eiusdem. E thure,eiusd.
Collyrium liquidum è Cadmiâ,interti auth.

GVTTVR.

Ad gutturis asperitatem & siccitatem.

Oleum amygdalarum,dulcium,Iohan.Damasc.
Zulapium violaceum. Eclegma,Iohan.Damasc.
Serapium è papauere simplex.Ioh.Damasc.
Zulapium zizyphorum. Catapotia bechica. Ioh.Dam.

Ad omnia gutturis vitia.

Saccharum prunellæ. Acetum scylliticum. Vide Faux.

H

HABITVS.

Ad malum habitum corporis.

Theriaca diatessaron,Ioh.Dam. Dialacchen,N.Myrepf.
Diacurcuma,Mes.fil. Dialaccha maior,eiusdem.
Pastillus è Rhabarbaro,Iohan.Damasc.
Serapium ex eupatorio,eiusdem.

HALITVS.

Pro oris halitu

Diagalanga,Iohan.Damasc.
Diaxyloaloës,eiusdem. Vide os,oris.

HÆMORRHOIS.

Ad fluxum hæmorrhoidum.

Catapotia è bdellio maiora,Ioh. Damasc.
Vnguentum Comitissæ,Guilhelmi Varign.
Philonium Persicum,Iohan.Damasc.

HECTICE.

Ad Hecticam.

Pastillus ex Nymphæâ,Iohan.Damasc.
Oleum amygdalarum dulcium.

HEMICRANIA.

Ad hemicraniam.

Oleum euphorbinum simplex,Ioh.Damasc.
Hiera composita, Nic. Myrepf.
Catapotia coccera, N.Myrepf.
Arabica, N.Myrepsi.

HERPETES.

Ad herpetem.

Vnguentum rosatum,Iohan.Damasc.
Oleum de ouis. Vide Serpigo.

HILARIS.

Ægrotantem hilarem faciens.

Hiera Logadij,N.Myrepf. Vide lætitia.

HORROR.

Ad horrores certo circuitu remeantes.

Oleum anethinum.

HVMECTANS.

Mel violaceum.

HVMOR.

Humores crassos & vitiosos extenuans & incidens.

Vnguentum pectorale,Fuchsij.
Serapium ex eupatorio,Iohan.Damasc.
Serapium acidum simplex,eiusdem.
Eclegma ad asthma,eiusdem.
Hiera Logadij,Nic.Myrepf.

Humores per vrinam pellens.

Serapium ex absinthio.
Electuarium è myxis,Montagnanæ.

Ad humores crassos & frigidos in thorace. ac pulmone.

Oleum irinum, Iohan. Damasc.
Eclegma sanum & expertum,eiusdem.
Eclegma è pineis,eiusdem.
Eclegma è pulmone vulpis,eiusdem.

Contra humores crassos & pituitosos.

Oxymeli compositum, incerti authoris.
Acetum scylliticum.
Oxymeli scyllicitum simplex. Ioh.Damasc.
Oxymeli scylliticum compositum,eiusdem.
Catapotia fœtida maiora,Mesues fil.

Ad humores maximè pituitosos ac putridos,ventriculi. & aliorum instrumentorum.

Benedicta laxatiua,Nicolai.
Aromatica caryophyllata,Iohan.Damasc.
Diamoschu amarum,eiusdem.

Humores crassos,lentos,pituitosos in ventriculo,& venis incidens,extenuans,& abstergens.

Oxymeli simplex, Galeni.
Myrobalani empelirici condîti.
Catapotia pestilentialia,incerti authoris.

Crassos humores à capite & neruis educens & purgans.

Catapotia coccia,Rhazis.
Catapotia ex octo rebus,N.Præpos.

Destillationem humorum & phlegmonem excitantia, & acrem à capite.

Diacarion simplex.

Ad biliosos & pituitosos humores capitis, iecoris, ventriculi, & alios.

Catapotia stomachica,Mesues filij.
Catapotia è Hierâ simplici, Galeni.

Purgans ventriculum, cerebrum, & sensoria omnia à crassis & pituitosis humoribus.

Catapotia aromatica,Iohan. Damasc.
Decoctum senæ.

Ad tenues humores à capite in thoracem & pulmonem.

Serapium è papauere simplex, Iohan.Damasc.

Cerebrum & reliqua viscera oculos & vterum à putridis humoribus liberans & defendens.

Catapotia masthichina Conciliatoris.

Humores pituitosos ad articulos decumbentes alliciens & à renibus ac vesicâ purgans.

Benedicta laxatiua,Nicolai.

Ad biliosos & adustos humores.

Antidotus Hamech.Mesues fil.
Antidotus Hamech altera,seu minor,eiusdem.
Serapium ex epithymo,Iohan.Damasc.

Ad biliosos humores & euaporationes.

Antidotus è phyllio. N.Myrepf.

Humores biliosos acres & salsos è corpore purgans.

Catapotia è fumariâ,Auicennæ.

Ad humores pituitosos.

Puluis medicamenti turpeti,Auicen.

Ad humores pituitosos, & ad articulos decumbentes.

Catapotia è benedictâ. N.Myrepf.

Ad vitia cutis ex salsis & perustis humoribus orta.

Serapium ex absinthio, Iohan.Damasc.

Ad humores,ad renes & vesicam decumbentes.

Antidotus Episcopi, Mesues fil.

Ad humores crassos,lentos,frigidos, pituitosos, & eradicatu difficiles.

Oxymeli scylliticum simplex, Iohan. Damasc. compositum, eiusdem.
Serapium Byzantinum sine aceto , eiusdem : & cum aceto, eiusdem.
Serapium è passio,eiusdem.
Serapium acidum compositum,eiusdem.

Pro humores ægrè reiicientibus à thorace.

Aurea Alexandrina, N.Myrepf.

Ad morbos & vitia è crudis humoribus nata.

Antidotus diaphœnicon, Mes.fil.
Triphera Persica, Iohan.Damasc.

Pro humidis pueris,mulieribus,& senibus.

Puluis medicamenti turpeti, Auicennæ.

Omnes corporis humores mirificè purgans.

Antidotus catholica.N. Myrepf.
Catapotia Arabica,N.Præpositi.
Catapotia è lapide Armeno, Alexandri Tralliani.

HYDROPS.

Ad hydropem.

Vnguentum cyclamini maius,Iohan.Damasc.
Catapotia Sabellia,eiusdem.
Catapotia ex thymælæâ,eiudsdem.
Saccharum maioranæ. Saccharum melissophylli.

Catapotia ex Rheobarbaro,Mes.fil.
Hiera ex colocynthide, N.Myrepſ.
Diacurcuma,Meſ.fil.
Vnguentum Agrippæ, Nic.Myrepſ.
Vnguentum aureum,eiuſdem.
Oleum Irinum. Theriaca Andromachi.

Ad morbum regium hydropem incipientem.

Paſtillus ex Eupatorio,Iohan.Damaſc.

HYPOCHONDRIA.

Ad omne vitium & dolores & tenſionem hypochondriorum.

Triphera Perſica,Iohan.Damaſc.
Antidotus Epiſcopi, Meſues fil.
Serapium ex Eupatorio.

I

ICTERVS.

Ad icterum.

Paſtillus è Rheobarbaro, Iohan.Damaſc.
Catapotia ex eupatorio, Meſ.fil.
Electuarium roſatum, eiuſdem.

Ad icterum nigrum.

Catapotia Inda Hali.

Ad icterum calidum.

Triphera Perſica,Ioh.Damaſc. Vide Morbus regius.

IECVR.

Ad iecoris dolores & affectus varios.

Oleum coſtinum,Iohan. Meſ.fil.
Oleum Euphorbinum ſimplex,Ioh.Dam.
Paſtillus ex abſynthio. N.Myrepſ.
Paſtillus è Lacchâ. Iohan. Damaſc.
Paſtillus è Lacchâ, N.Myrepſ.
Paſtillus ex oxyacanthâ,eiuſdem,& Iohan.Damaſceni.
Oleum amygdalarum amararum.
Catapotia polychreſta, Iohan. Damaſc.
Serapium roſatum purgatorium,compoſitum, N.Myrepſ.
Catapotia è Rhabarbaro,Meſ.fil. Philonium Galeni.
Philonium maius,ſiue Romanum,N.Myrepſ.
Eſdra,eiuſdem. Hiera Logadij,eiuſdem.
Dialacchan,eiuſdem. Diatrion pipereon,Nic.
Hiera ex colocynthide,N.Myrepſ.
Lætificans,Rhazis. Diacoru, N.Myrepſi.

Iecur roborans & firmans.

Dialaccha maior,Meſ.fil.
Oleum melinum , Ioh.Damaſc.
Paſtillus ex abſynthio,eiuſdem.
Serapium ex abſynthio,eiuſdem.
Serapium è fumariâ,eiuſdem. Paſtillus Ramich,eiuſdem.
Oleum maſtichinum, Iohan.Meſ.fil.
Diacydonium ſimplex.
Miua cydoniorum compoſita ſeu Aromatica,Ioh.Damaſc.
Diacydonium compoſitum,N.P.
Diacydonium è ſucco cydoniorum,incerti authoris.

Ad iecoris phlegmonem.

Paſtillus è ſpodio , N.Myrepſ.

Ad iecoris humores.

Catapotia ſtomachica,Meſ.fil.

Ad ſcirrhum iecoris.

Oleum balaninum.

Alimenti diſtributionem celerans in iecur, & omne corpus.

Zingiber conditum.

Ad iecoris ſiccitatem.

Roſata nouella,N.Myrepſ.

Ad omnem duriciem ieoris.

Emplaſtrum è meliloto,Iohan damaſc.
Emplaſtrum diachylon,ſimplex, eiuſdem.

Ad iecoris dolores & vitia à frigid.orta.

Oleum irinum,Iohan Damaſc.
Ceratum ſtomachicum, eiuſdem.
Diagalanga, eiuſdem. Diaxiloaloës, eiuſdem,

Ad frigidos pituitoſos ,& bilioſos affectus iecoris,

Paſtillus è Rhabarbaro, Iohan. Damaſc.

Ad iecoris dolorem ortum à flatibus,aut frigidâ intemperie.

Emplaſtrum è baccis lauri, Iohan. Damaſc , & incerti authoris.

Iecur roborans,& frigidis iecoris vitiis,& eiuſdem. obſtructionibus ſuccurrens.

Serapium ex eupatorio,Iohan.Damaſc.

Ad iecoris obſtructionem.

Paſtillus è Lacchâ, Ioh.Dam. Paſtillus è Rhabarbaro.
Paſtillus ex Abſinthio,eiuſdem.
Serapium acidum compoſitum, Iohan.Damaſc.
Catapotia ſebellia, eiuſdem.
Oxymeli compoſitum,incerti authoris.
Catapotia ex eupatorio, Meſ.fil.
Decoctum aperitiuum.

Ad iecoris obſtructiones & inflammationes.

Dialaccha maior,Meſ.fil.
Dialacchan.N.Myrepſ.

Ad omnem calorem iecoris.

Vnguentum roſatum,Iohan.Damaſc.
Ceratum ſantalinum,eiuſdem.
Diatrion ſantalion,N.Myrepſ. Diamanna,Nicolai.
Diarrhodon Abbatis, N.Myrepſ.
Paſtillus ex Nymphæâ,eiuſdem. Zulapium roſaceum.
Oxyſaccharum compoſitum,Actuarij.
Zulapium violaceum.
Serapium ex intybo ſatiuo compoſitum,Gentilis.
Paſtillus è nymphæâ,Iohan.Damaſc.
Tryphera Perſica,eiuſdem.

Ad iecoris excalefactionem,& ſitim magnam & continuam.

Paſtillus è ſpodio cum ſemine oxalidis,Ioh.Damaſc.
Antidotus è pſyllio, Nic.Myrepſ.

Iecur calefaciens,& eius frigiditatem expellens.

Diacurcuma,Meſues fil.
Emplaſtrum ventriculum & iecur calefaciens & roborans, Ioh.Damaſc.

Iecur refrigerans.

Cydonia condita.
Vnguentum marciatum magnum,N. Myr.

Contra tumorem in iecore.

Paſtyllus ex abſynthio.

Contra obſtructionem & tumorem iecoris.

Paſtillus ex eupatorio,Ioh.Damaſc.

IGNIS.

Igne ambuſta ſanans.

Oleum myrrhinum,N.Myrepſ.

ILEVS.

Ad ileum.

Dialibanu,N.Myr. Theriaca Andromachi.
Electuarium Ducis,N. Hiera compoſita,N.Myrepſ.
Catharticum imperiale,Nicolai.
Catapotia ſine quibus eſſe nolo,N.Præpoſ.

IMAGO.

Ad ſuffuſorum imagines patientem.

Hiera veterum ſimplex.

IMBECILLITAS.

Ad omnem corporis virium imbecillitatem.

Diamargariton,N.Myrepſ. Dianthon,eiuſdem.
Diamargariton frigidum,incerti authoris.
Diathamaron,N.Myrepſ. Acetum ſcylliticum.

IMPETIGO.

Ad impetiginem.

Vnguentum è citriis,N.Myrepſ.
Antidotus Hamech, Meſues filij.
Serapium è fumariâ,Iohan.Damaſc. Oleum de ouis.
Antidotus Hamech altera,ſeu minor,Meſues filij.

Ad feras & aſperas impetigines.

Oleum laurinum. Hiera Logadij,N. Myrepſ.

IMPINGVENS.

Oleum ſeſaminum,Iohan.Damaſ.
Oleum amygdalarum dulcium,eiuſdem.

INFIRMATVS.

Vide Extenuatus.

INFLAMMATIO.

Inflammationem omnem extinguens.

Oleum è mandragorâ,N.Myrepſ. Vide Phlegmon.

INFLATIO.

Ad inflationes & inflatos.

Diagalanga,Ioh Damaſc. Diatrion pipereon,Nicolai.
Diacurcuma , Meſ.fil.
Dianiſu , Ioh.Dam.
Catapotia è quinque myrobalanis.Nic.Myrepſi.

Ad inflationes ventriculi,ſtomachi,coli, renum,iecoris. lienis, ventris , inteſtinorum , & aliorum viſcerum.

Electuarium Indum maius,Meſ.fil.
Electuarium Ducis Nicolai,
Dialachan, N.Myrepſ.
Dialacha maior, Meſ.fil.
Theriaca. Diateſſaron,Iohan.Meſ.Damaſc.
Mithridatis antidotus,N.Myrepſ.

Pro valdè inflatis.

Catapotia aurea,Nic.Myrep. Vide Flatus.

INCVBVS.

Ad incubum.

Hiera Pacchij,Scribonij Largi.

INFANS.

INFANS.

Vide Puer.

INTELLECTVS.

Intellectum iuuans.

Anacardina, Iohan. Damaſc.

INTERTRIGO.

Ad intertrigines quacunque ex occaſione factas.

Emplaſtrum album, coctum ſimplex.
Oleum myrrhinum, N.Myrepſ.

INTESTINA.

Ad omnem inteſtinorum dolorem, & cruciatum.

Philonium Galeni.
Philonium maius, ſiue Romanum, N.Myrepſ.
Eſdra, N.Myrepſ.

Ad tenuium inteſtinorum cruciatum.

Antidotus è baccis lauri, Rhazis. Oleum Irinum.

Inteſtina lauans, tergen. & purgans.

Aqua mulſa.

Inteſtina lubrica roborans & conſtringens.

Paſtillus Ramich. Iohan.Damaſc.

Ad inteſtinorum flatus.

Catharticum Imperiale, Nicolai.
Catapotia aurea, N.Myrepſ.

Ad inteſtinorum aſperitatem.

Caſſia extracta cum foliis ſenæ.

Ad inteſtinorum leuitatem & inflammationes.

Micleta, N.Myrepſ.

Ad eroſiones inteſtinorum.

Oleum roſaceum.

Ad inteſtinorum cruditatem & inflationem.

Electuarium Ducis, Nicolai.

Ad inteſtinorum dolorem ortum à flatibus, aut frigida intemperie.

Emplaſtrum è baccis lauri, Iohan. Damaſce. & incerti authoris.

ISCHIAS.

Ad iſchiadem.

Oleum è piperibus, Iohan.Damaſc.
Oleum laurinum. Acetum ſcylliticum.
Catapotia è ſagapeno, Iohan.Damaſc.
Hiera Logadij, Nic.Myrepſ.

IVNCTVRA.

Ad effectus frigidos iuncturarum.

Oleum balaninum. Vide Artus.

IVVENTVS.

Iuuentutis vires tuens.

Myrobalani chebuli conditi.

L.

LÆTITIA.

Lætificans & lætitiam generans.

Serapium è ſucco boraginis. Serapium è ſucco echij.
Catapotia Arabica, N.Præp. Lætificans Galeni, Nic.
Lætificans Rhazis. Dianthon, Nic.Myrepſ.
Antidotus è gemmis, Ioh.Dam. Vide Hilaris.

LAPSVS, CASVS.

Pro ex alto lapſis.

Hiera Pacchij, Scribonii Largi. Vide Caſus.

LASSITVDO.

Ad laſſitudinem.

Oleum ſamſuchinum.
Oleum anethinum.

LATVS.

Ad lateris dolores & morbos.

Vnguentum dialthææ, Nic.Myrepſ.
Aurea Alexandrina, eiuſdem.
Hiera Pacchii, Scribonii Largi.

Ad laterum dolores à frigido.

Oleum rutaceum.

LAVANS.

Lauans inteſtina ac viſcera.

Aqua mulſa.

LENIENS.

Partium externarum aſperitatem leniens.

Oleum amygdalarum dulcium, Ioh.Damaſc.

Aluum lenientia medicamenta tum liquida, tum ſolida.

Quære titulum eundem de lenientibus, & purgantibus.

LENTIGO.

Ad lentigines.

Vnguentum è citriis, Nic.Myrepſ.
Oleum balaninum. Oleum ricinium.

LEPRA.

Ad lepram.

Antidotus Hamech altera ſeu minor, Meſues filij.
Serapium ex epithymo, Ioh.Dam. Decoctum ſenæ.

LETHARGVS.

Ad lethargum.

Oleum Euphorbinum ſimplex, Ioh.Damaſc.
Hiera Logadij, N.Myrepſ.
Hiera ex colocynthide. N.Myrepſ.

LIBERI, FILII.

Ad libererum procreationem valen.

Diaſatiriu, N.Myrepſ.

LINGVA.

Pro linguam mordentibus.

Hiera Logadij, N.Myrepſ.

LIEN.

Pro lienoſis.

Antidotus catholica. Nic.Myrepſ.
Diaſena vulgaris, Nicolai.
Diatragacanthes frigida, eiuſdem.
Vnguentum Agrippæ, eiuſdem.
Hiera compoſita, eiuſdem.
Dialacchan, eiuſdem.
Serapium roſatum purgatorium compoſitum, eiuſdem.
Catapotia è quinque myrobalanis, N.Myrepſ.
Oleum è lateribus, Ioh.Damaſc.
Oleum euphorbinum ſimplex, Ioh.Damaſc.
Oleum amygdalarum amararum, eiuſdem.
Paſtillus ex abſynthio, N.Myrepſ.
Philonium Galeni.
Philonium maius, ſiue Romanum, N.Myrepſ.
Serapium è calaminthâ, Ioh.Damaſc.
Paſtillus è Lacchâ, N.Myrepſ.

Ad omnia vitia lienis.

Oleum è capparibus.

Lienem roborans.

Paſtillus ex abſyntho, Ioh.Damaſc.

Ad lienis tumorem & ſcirrhum.

Oleum balaninum. Acetum ſcylliticum.
Vnguentum cyclamini minus. Iohan.Damaſc.

Ad duritiem lienis.

Serapium è calaminthâ, Ioh.Damaſc.
Emplaſtrum è melyloto, eiuſdem.
Vnguentum marciatum magnum, N. Myrepſ.
Emplaſtrum Apoſtolicum, eiuſdem.
Emplaſtrum diachylon, ſimplex, Iohan.Damaſc.
Theriaca Andromachi.

Ad lienis duritiem & flatus in eo.

Paſtillus è capparibus, Ioh.Damaſc.

Ad lienis frigiditatem, frigidóſque eius dolores.

Vnguentum marciatum magnum, Nic.Myrepſ.
Oleum irinum, Iohan. Damaſc.
Diacurcuma, Meſ.fil.

Ad lienis obſtructiones.

Paſtillus è Lacchâ, Iohan.Damaſc.
Paſtillus è Rheobarbaro, eiuſdem.
Paſtillus ex Abſinthio, eiuſdem.
Catapotia ſabellia, eiuſdem.
Oxoſaccharum compoſitum, Actuarij.
Oxymeli compoſitum, incerti authoris.
Decoctum ſenæ.

Ad lienis obſtructiones & inflammationes.

Dialaccha maior, Meſ.fil.
Dialacchan, N. Myrepſ.

Ad obſtructionem & tumorem præter naturam lienis.

Paſtillus ex eupatorio, Iohan.Damaſc.

LIENTERIA.

Lienteriam ſedans & reprimens.

Miua cydoniorum compoſita, ſeu aromatica, Iohan. Damaſc.
Diacydonium ſimplex.

LIPPITVDO.

Ad lippitudinem incipientem & aliam.

Collyrium cygnus albus, N.Myrepſ.
Catapotia coccera, eiuſdem.

LOTIVM.

Ad lotij difficultatem.

Philonium Galeni.
Philonium maius ſiue Romanum, N.Myr. Vide Vrinam.

LVMBRICVS.

Lumbricos enecans & eiiciens.

Oleum ricininum. Oleum abſynthinum.
Puluis aduerſus lumbricos, Fuchſij.
Vnguentum aduerſus lumbricos. Vide Vermis.

LVMBVS.

Ad lumborum dolores.

Hiera Pachij, Scribonij Largi.

Hiera

Hiera Logadij, N. Myrepi.
Catapotia ex eupatorio, Mes.fil. Saccharum echij.

LYMPHATICI.

Pro Lymphaticis.

Theriaca Andromachi.

M.

MACIES.

Pro macie confectis.

Diatragacanthes frigida, N.Myrepſ.

MAMMA.

Ad duritiem quæ eſt in mulierum mammis.

Hiera Pacchij,Scribonij Largi.

MANIA.

Ad maniam.

Antidotus Hamech altera,ſeu minor,Meſ.fil.
Saccharum bugloſſatum. Diaſena vulgaris,Nicolai.
Diaſena vera,Nic.Myrepſ.
Vide Phreneticus,& Furioſus.

MEATVS.

Meatus rarefaciens, & vapores diſcutiens, & contemperans.

Oleum chamæmelinum.

MEDICAMENTVM.

Ad pernicioſa medicamenta.

Mithridatis Antidotus,N.Myrepſ.

MELANCHOLIA.

Ad melancholiam.

Theriaca Andromachi. Triphera Saracenica,N.Myrepſ.
Catapotia è quinque mirobalanis,N.Myrepſ.
Catapotia Sabellia, Iohan.Damaſc.
Catapotia ex colocynthide,eiuſdem.
Saccarum bugloſſatum.
Catapotia optica minora, Meſ.fil.
Antidotus Hamech altera ſeu minor,eiuſdem.
Mithridatis antidotus,N. Myrepſ.
Acetum ſcylliticum. Pleres archonticon,N. Myrepſ.
Diaſena vulgaris, Nicolai.
Hiera ex colocynthide, N.Myrepſ.
Diamoſchu dulce,Iohan. Damaſc.
Diamoſchu amarum,eiuſdem.
Hiera Pacchij,Scribonij Largi.
Antidotus è gemmis,Iohan.Damaſc.
Catapotia è lapide Armeno,Meſ.fil.& Alex.Tralliani.

Ad morbos,affectus, & vitia ex melancholico humore nata.

Catapotia Inda Hali.
Catapotia è lapide Cyaneo, Meſues fil.
Catapotia è colocynthide, Ioh.Damaſc.
Hiera Logadij, N.Myrepſ.
Caſſia extracta cum foliis ſenæ.

Ad melancholiam & eius timorem ac mœrorem.

Catapotia Inda Hali.
Catapotia è lapide Armeno,Alex.Tral. Vide Bilis.

MEMBRVM.

Ad omnia membra nutritioni famulantia.

Aromaticum roſatum, Gab. ex Ioh.Damaſc.
Aromatica caryophyllata,eiuſdem. Vide Pars.

MEMORIA.

Memoriam roborans & iuuans.

Anacardina, Iohan. Damaſc.
Catapotia Arabica, N.Præpoſiti.

Memoriam amiſſam reſarciens.

Mel anacardinum.
Pleres archonticon,N.Myrepſ. Vide Obliuio.

MENS, INGENIVM.

Mentis aciem, & vigorem conſeruans & acuens.

Myrobalani empelirici conditi.
Myrobalani chebuli conditi.
Catapotia Arabica,Nic. Præpoſ. Mel anacardinum.

MENSVS, & MENSTRVVM.

Menſtrua mulierum ciens & euocans.

Saccarum maioranæ.
Catapotia è ſagapeno , Iohan.Damaſc.
Serapium ex Arthemiſiâ,Matth.de Gradib.
Serapium e calaminthâ, Ioan.Damaſc.
Dialaccha maior. Meſ. fil. Hiera Logadii, N. Myrepſ.
Theriaca Andromachi.

Menſes potenter admodum euocans,ita vt fœtum etiam excutiat,& vitiis è recenter menſibus natis ſuccurrat.

Paſtillus è myrrhâ, Rhazis.

Menſtrua ſuppriments.

Serapium myrthinum ſimplex,Ioh.Damaſc.

Ad menſes immodicos.

Catapotia è bdellio maiora,Iohan. Damaſc.

MINGERE.

Ad guttatim & difficulter mingentes.

Dialibanu, N.Myrepſ. Diapraſiu,eiuſdem.

Ad mictum ſanguinis.

Paſtillus ex Halycacabo, Ioh.Meſ. Vide vrina.

MOLLIENS.

Emplaſtrum molliens omnem viſcerum & reliquorum duritiem.

Emplaſtrum è meliloto,Iohan.Damaſc.

MORBVS.

Ad morbos acutos & peracutos.

Antidotus catholica, Nic.Myrep.

Ad omnes morbos natos ex humoribus

Triphera Perſica, Ioh.Damaſc.

Ad omnes morbos frigidos.

Diacaſtoriu, Nic.Myrepſ.

Ad omnes morbos bilioſos & melancholicos.

Caſſia extracta cum foliis ſenæ.

Pro conualeſcentibus ex morbo.

Aromatica roſata,Gabrielis,Ioh.Damaſc.

Pro extenuatis, conſumptis & valde infirmatis longo vel diuturno morbo.

Pleres Archonticon, N.Myrepſ.
Diamargarithon frigidum, incerti authoris.
Diamargarithon, Nic.Myrepſ.
Roſata nouella, N.Myrepſ.

Ad morbos corporis & animi.

Theriaca Andromachi.

MORBVS REGIVS.

Contra morbum regium.

Serapium Bizanthinum ſine aceto,Ioan.Damaſc.
Serapium Bizanthinum cum aceto,eiuſdem.
Vide regius morbus & Icterus.

MORDENS, MORSVS.

Pro morſis à ſerpente,ſcorpione,viperâ & ferâ.

Theriaca diateſſaron, Iohan.Meſ.Damaſc.
Mithridatis antidotus,N.Myrepſ.
Theriaca Adromachi. Hiera Logadij,N.Myrepſ.
Saccharum echij.

MVLIER.

Ad muliebria vitia.

Oleum liliaceum.

Ad fluxum muliebrem.

Athanaſia magna, N.Myrepſ.

Pro mulieribus humidis,delicatis,& ocioſis, purgatio humorum.

Puluis medicamenti turpeti,Auicennæ.

Ad muliebria mala & vitia frigida omnia.

Mithridatis antidotus, N.Myrepſ.
Tryphera magna , eiuſdem.

Pro mulieribus vterum ferentibus.

Diamargarithon, Nic.Myrepſ.

Pro mulieribus grauidis facilem partum efficientibus.

Oleum liliaceum.

Ad mulierum ſterilitatem.

Eſdra, N. Myrepſ.

Ad duritiem in mulierum mammis cum dolore conſiſtentes.

Hiera Pachij, Scribonij Largi.

Pro mulieribus quæ non probè purgantur.

Hiera veterum ſimplex.
Pimpinella condita. Vide fœmina.

MVSCVLVS.

Maſculus roborans.

Oleum lentiſſinum.

N.

NÆVVS, MACVLA.

Næuos & maculas faciei tollens.

Oleum amygdalarum amararum.
Oleum balaninum.

NARES.

Ad narium fœtorem.

Oleum Irinum, Iohan.Damaſc.

Ad profluuium ſanguinis narium.

Athanaſia magna, N. Myrepſ.

NAVSEA.

Ad nauſeam & nauſeâ vexatos.

Serapium è menthâ maius,Iohan. Damaſc.
Aromatica caryophyllata, eiuſdem.
Hiera Pacchij Scribonij Largi.
Philonium Galeni.
Philonium maius,ſiue Romanum, N. Myrepſ.

NEPHRETICVS.

Ad nephreticos.

Catapotia aurea, Nic. Myrepſ.
Diacorum, eiuſdem. Dialaccha, eiuſdem.
Hiera ex colocynthide, N. Myrepſ.
Dialibanu, eiuſdem.

NERVVS.

Ad neruorum dolores.

Catapotia è hierâ compoſita, N.Myrepſi.
Catapotia fœtida, maiora, Meſues fil.
Oleum leucoinum.
Vnguentum Agrippæ, Nic.Myrepſ.

Partes neruoſas calefaciens & roborans.

Oleum ſamſuchinum. Oleum coſtinum, Meſ.fil.
Oleum lentiſcinum.

Ad neruorum præciſionem.

Vnguentum dialtheæ, N.Myrepſ.

Ad omnes neruorum præciſiones & puncturas à ferro factas, à phlegmone arctatas.

Emplaſtrum apoſtolicum, N.Myrepſ.

Pro neruorum incontinentiâ affectis.

Catapotia coccera, N.Myrepſi.

Ad neruos attritos, vel punctos.

Oleum è iuglandibus.

Ad neruos contuſos.

Emplaſtrum oxycroceum, N.Myrepſ.

Pro neruorum imbecillitatibus.

Diacoru, N.Myrepſ.

Ex neruis craſſos humores educens.

Catapotia coccia, Rhazis.

Ad duriciem & conuulſionem neruorum.

Oleum è ſemine lini.

Neruorum vulnera glutinans.

Oleum ex hyperico, incerti authoris.

Ad neruorum torſiones & reſolutiones.

Serapium è ſtœchade ſimplex, Ioh. Damaſc.
Compoſitum, eiuſdem. Mel anacardinum.
Hiera Pachij, Scribonij Largi.

Ad omnem neruorum incontinentiam, duriciem, & reſolutionem.

Vnguentum dialtheæ, N.Myrepſ.

Ad frigidos morbos vitia & affectus neruorum.

Oleum balaninum. Oleum laurinum.
Oleum euphorbinum ſimplex, Ioh.Damaſc.
Oleum è piperibus, eiuſdem.
Oleum vulpinum, eiuſdem.
Oleum è lumbricis terreſtribus.
Oleum è lateribus, Ioh.Damaſc.
Oleum terebinthinum ſimplex.
Oleum ſamſuchinum.
Vnguentum marciatum magnum, N.Myrepſ.
Oleum è caſtoreo ſimplex compoſitum.
Aqua mulſa. Serapium è ſtœchade ſimplex, Ioan. Damaſc.
Compoſitum, eiuſdem. Saccharum roriſmarini.
Saccharum lauendulæ. Acorus condîtus.
Catapotia ex opoponace, Iohan.Damaſc.
Diacoru, eiuſdem.

O

OBESVS.

Pro obeſis.

Catarthicum Imperiale.

OBSTRVCTIO.

Obſtructiones aperiens & tollens.

Oleum abſynthinum.
Oleum amygdalarum amararum.
Oleum rutaceum. Oleum è capparibus.
Serapium è fumariâ.
Theriaca diatheſſaron, Iohan.Damaſc.
Diacurcuma, Meſ.fil. Diacoru.N.Myrepſ.
Oxymeli ſimplex, Galeni. Decoctum aperitiuum.

Ad obſtructiones quæ ſunt in inſtrumentis.

Catapotia è benedictâ, N.Myrepſ.

Obſtructa aperiens in quartanis & quotidianis.

Oxymeli ſcylliticum compoſitum, Ioh.Damaſ.

Pro laborantibus obſtructione, ex humoribus craſſis & lentis.

Serapium è calaminthâ, Ioan.Damaſc.

Obſtructiones aperiens, & tollens viſcerum ventriculi, iecoris, lienis, & renum.

Dialaccha maior, Meſ.fil. Dialacchan.N.Myrepſ.
Oxymeli compoſitum, incerti authoris.
Serapium acidum compoſitum, Ioh.Damaſ.
Catapotia Sabellia, eiuſdem.
Catapotia ex Eupatorio, Meſues fil.
Decoctum aperitiuum.

OBLIVIO.

Ad obliuionem.

Mel Anacardinum. Petræoleon.
Oleum è lateribus, Iohan.Damaſc.
Antidotus Hamech altera, ſeu minor, Meſ. Vide Memoria.

OCVLVS.

Ad oculorum claritatem & aciem.

Catapotia aurea, N.Myrepſ.
Catapotia ſine quibus eſſe nolo, Nicolai Præpoſiti.

Ad oculorum dolorem.

Electuarium roſatum, Meſ.fil.

Ad oculorum ruborem.

Vnguentum è Citriis, N.Myreſp.

Ad oculorum hebetudinem.

Diapraſiu N.Myreſp. Theriaca Andromachi.

Ad oculorum hebetudinem & furfures.

Oleum amygdalarum amararum.

Ad oculorum lachrymas, fluxiones, & humores putridos.

Eſdra, Nic.Myrep. Aurea Alexandrina, N.Myrepſ.
Mithridatis antidotus, eiuſdem.
Catapotia optica maiora, Meſues fil.
Catapotia maſtichina Conciliatoris.

ODOR.

Odorem gratum & optimum præſtans.

Paſtillus aliptæ moſchatæ, N.Myrepſ.

Bonum odorem ori & toti corpori faciens.

Paſtillus Galliæ moſchatæ, Ioh. Damaſc.
Oleum coſtinum, Meſues fil.
Diacydonium compoſitum, Nic.Præpoſ.Nic.Myrepſ.
Diacydonium è ſucco cydoniorum, incerti authoris.

OLEVM.

Oleum calefaciens, deſiccans, tenuans, diſcutiens, tergens, glutinans.

Oleum balſami, Iohan.Damaſc.
Oleum balſami, Petri de Ebano.
Oleum liliaceum. Oleum anethinum.
Oleum irinum, Ioh. Damaſc.

Oleum refrigerans & aſtringens.

Oleum roſaceum. Oleum violaceum.
Oleum nymphæatum. Oleum melinum, Ioh. Damaſc.
Oleum myrthinum, N.Myrepſ. Oleum è myrti baccis.

Oleum extergens & purgans.

Oleum balaninum.

Oleum ſoluens duricies.

Oleum liliaceum.

OMNE.

Ad omnia fermè efficax remedium.

Acetum ſcylliticum.

OPHIASIS.

Ad ophiaſes.

Oleum laurinum.

Os, Oris.

Contra oris halitum, depellens fœtorem, ſuauem odorem efficiens.

Oxymeli ſcylliticum ſimplex, Ioh.Damaſc.
Paſtillus Galliæ moſchatæ, eiuſdem.
Citria condîta. Diagalanga, eiuſdem.
Diaxyloaloes, eiuſdem. Vide Halitus.

Oris putredines compeſcens, eiuſque odorem commendans fœtore illius diſſipato.

Acetum ſcylliticum.
Diapraſiu, N.Myrepſ.

Ad oris torturam.

Diamoſchu dulce, Iohan. Damaſc.
Diamoſchu amarum, eiuſdem.

Oris vlcera depaſcentia.

Diamaron ſimplex Pauli, compoſitum.

Ad omnia oris vitia.

Diamoron ſimplex Pauli compoſitum.
Diamoron vſitatum, N.Præpoſ.
Succus acidus citrij. Succus vuæ immaturæ.
Succus prunorum ſylueſtrium.
Saccharum prunellæ.
Mithridatis antidotus, N.Myrepſ.

Os, Oſſis.

Ad oſſa contuſa.

Emplaſtrum oxycroceum, N.Myrepſ.

P

PALATVM.

Ad omnia vitia palati.

Mithridatis antidotus, N.Myrepſ.
Diapraſiu, eiuſdem.

PARERE, PARTVS.
Pro difficulter parientibus fœminis.
Esdra, N.Myrepſ.
PARS, MEMBRVM.
Ad omnia vitalia membra & partes.
Diamargarithon, N.Myrepſ. Vide membrum.
PECTVS, Vide Thorax.
PEDICVLVS.
Ad pediculos.
Oleum laurinum. Vnguentum aduerſus pediculos.
PERICARDIA, Præcordia.
Pro iis qui laborant pericardiis.
Hiera Logadij, N.Myrepſ.
PERIPNEVMONICVS.
Pro peripneumonicis.
Diatragacanthes frigida, N.Myrepſ.
Diapenidion Nicolai.
PES.
Ad pedum dolores.
Catapotia fœtida maiora, Meſ.fil.
Catapotia ex opoponace, Iohan.Damaſc.
PESTILENTIA.
Ad peſtilentiæ contagia.
Theriaca Andromachi.
Oleum è ſcorpionibus compoſitum, Ioh.Damaſc.
Puluis contra peſtem. L.Fuchſij.
Catapotia peſtilentialia, incerti authoris. L.Fuchſij.
Pimpinella condita.
Cor à peſte conſeruans.
Antidotus cordialis, incerti authoris.
Ad peſtilentem conſtitutionem æſtatis.
Serapium ex acido citrij ſucco, Iohan.Damaſc.
Ad febres peſtilentes.
Serapium acidum ſimplex, Iohan.Damaſc.
PHLEGMONES.
Ad phlegmones
Oleum violaceum. Oleum roſaceum.
Oleum de ſemine lini.
Ceratum ſantalinum, Ioh.Damaſc.
Emplaſtrum apoſtolicum, N.Myrep.
Vnguentum roſatum, Iohan.Damaſc.
Ad omnem phlegmonem ob duritiem factam.
Emplaſtrum diachylon, N.Myrepſ.
Phlegmonas coquens & ſuppurans.
Oleum Irinum, Iohan.Damaſc.
Ad phlegmonem coſtarum.
Philonium Galeni.
Pro phlegmonibus maximè pudendorum.
Ceratum liquidum, Galeni.
Phlegmonas ad ſuppurationem ducens, durities emolliens, & diſcutiens, puſque à rupta phlegmone abſtergens.
Emplaſtrum diachylon ſimplex, Iohan. Damaſc. Vide Inflammatio.
PHRENETICVS.
Pro phreneticis.
Oleum è mandragorâ. Eſdrâ, N.Myrepſ.
PHYGETHON.
Ad phygetha.
Emplaſtrum apoſtolicum, N.Myrepſ.
PITVITA, PLEGMA.
Ad pituitam.
Catapotia ſine quibus eſſe nolo, N.Præp.
Catapotia Sabellia, Ioh.Damaſc.
Antidotus Epiſcopi, Meſues fil.
Contra pituitæ putredinem.
Diacinnamomum, Iohan.Damaſc.
Pituitam ſine moleſtiâ vacuans.
Antidotus Diaphœnicon, Meſ.fil.
Diaphœnicon ſolidum, incerti authoris.
Catapotia Azaiereth, Auicennæ.
Pituitam purgans, extenuans, & concoquens.
Diaturpetu maius, incerti authoris.
Pituitam ſalſam purgans.
Antidotus Hamech, Meſues filij.
Decoctum ſenæ.
Pituitam craſſam & lentam tenuans & incidens.
Oleum ricininum.
Pituitam quæ in ventriculo hæret, crudam conſumens & eliciens leniter.
Diaturpetu minus Zezaris.
Diaturpetu, Meſ.fil.
Diaturpetu, incerti authoris.
Diacnicu, Arnoldi Villanouani.
Catarthicum imperiale, Nicolai.
Dianiſu, Ioh.Damaſc.

Pituitam purgans capitis, iecoris, ventriculi, membrorumque ſenſoriorum, & partium nutritioni famulantium.
Mel roſatum, Ioh.Damaſc.
Catapotia polychreſta, Iohan.Damaſc.
Purgans pituitam craſſam & putrem thoracis.
Catapotia ex agarico.
Ad pituitam cerebri & capitis.
Paſtillus ex agarico, incerti authoris.
Excrementa pituitoſa vacuans à cerebro & oculis.
Catapotia optica maiora, Meſ.fil.
Ad pituitam frigidam & craſſam ad neruos decumbentem.
Catapotia ex euphorbio, Meſ.fil.
Ad excreationem puris & pituitæ craſſæ & lentæ.
Aqua mulſa.
Ad pituitoſos affectus.
Catapotia ex ſarcocollâ, Meſ.fil.
Catapotia ex colocynthide.
PILVS.
Pro pilis odoratis cogentis.
Oleum moſchatum. Vide capillus.
PLAGÆ.
Plagas glutinans & ſanans.
Vnguentum Apoſtolicum, Auicennæ.
Vnguentum aureum, Ioh.Dam. Vide Vulnus.
PLEVRITIS.
Ad pleuritidem.
Oleum violaceum.
Serapium è glycyrrhizâ, Iohan.Damaſc.
Serapium violaceum compoſitum, eiuſdem.
Zulapium zizyphorum.
Serapium è granatis acidis, eiuſdem.
Electuarium lenitiuum, incerti authoris.
Hiera Logadij, N.Myrepſ.
Hiera ex colocynthide, N.Myrepſ.
Diapenidion, Nicolai.
Diatragacanthes frigida, N.Myrepſ.
Philonium Galeni.
Philonium maius, ſiue Romanum, eiuſdem.
PODAGRA.
Ad podagram.
Catapotia è ſagapeno, Iohan.Damaſc.
Catapotia arthritica vera, N.Myrepſ.
Catapotia arthritica, Nicolai.
Catapotia ex hermodactylo, Meſues fil. maiora.
Hiera Pachij, Scribonij Largi.
Antidotus catholica, Nic.Myrepſ.
Oleum populinum, eiuſdem.
Emplaſtrum diachylon, eiuſdem.
Ad podagram à pituitâ concitatam.
Catapotia ex Euphorbio, Meſues fil.
Quære plura in tit. Arthris.
PRÆFOCATIO.
Ad ſubitas præfocationes.
Hiera Pachij, Scribonij Largi.
PROCREATIO.
Ad liberorum procreationem.
Diaſatyriu, N.Myrepſ.
PROFLVVIVM.
Ad fluxium diuturnum ventris.
Serapium myrtinum ſimplex, Ioh.Damaſc.
Compoſitum, incerti authoris.
PRVRITVS.
Ad pruritum à ſalſâ pituita ortum.
Catapotia è fumariâ, Auicennæ.
Vnguentum album, N.Myrepſ.
Vnguentum album, Rhazes.
Decoctum ſenæ.
PVDENDA.
Pro phlegmonibus maximè pudendorum.
Ceratum liquidum Galeni.
PVER, INFANS.
Pro pueris humidis, delicatis, ocioſis.
Puluis medicamenti turpeti, Auicennæ.
Pro pueris qui laborant aſthmate & lac hauſtum non retinent, & anguſto ſunt thorace.
Paſtillus aliptæ moſchatæ, N.Myr.
PVLMO.
Contra pulmonis affectus.
Roſatæ nouellæ, Nic.Myrep.
Diamoſchu dulce, Ioh.Damaſc.
Diamoſchu amarum, eiuſdem.
Pulmones expurgans.
Serapium è glycyrrhizâ, Ioh.Dam.

Serapium

Serapium è prasio,eiusdem.

Ad pulmonis calorem.

Diarrhodon Abbatis, Nic.Myrepſ.

Ad pulmonis defluxionem.

Catapotia è cynoglossâ,Nic.Myrep.

Ad pulmonis siccitatem.

Rosata nouella. N.Myrepſ.

Ad asperitatem pulmonis.

Oleum violaceum.
Oleum amygdalarum dulcium, Ioh.Damasc.

Ad crassos humores pulmonis,

Eclegma sanum & expertum,Iohan.Damasc.
Oleum irinum,eiusdem.

PVLVIS.

Puluis laxatiuus.

Vide Puluis laxatiuus in Dispensat.

Puluis sistens sanguinem.

Vide Puluis sistens sanguinem, L.Fuchsij.

PVRGATIO.

Purgans maculas.

Oleum balaninum.

Purgans purgantia & plurimum roborantia viscera.

Catapotia Imperialia,incerti authoris.

Purgans serosum excrementum seu aquas.

Catapotia ex thymelæâ, Ioh.Damasce.

Purgans caput à crassis humoribus.

Catapotia ex octo rebus, N.Præpoſ.
Puluis senæ præparatæ,Montagnanæ.

Purgans aluum per vrinam.

Serapium ex intybo syluestri cum rheobarbaro , N. Florentini.

Purgans ventrem.

Serapium rosatum purgatorium,compositum,N.M.

Purgans thoracem à pituitâ crassâ & putri.

Catapotia ex Agarico, Meſ.fil.

Leniter purgantia ventriculum.

Catapotia masticina Conciliatoris.

Purgans, ex capite,iecore, ventriculo, cerebro, vtero, intestinis,visceribus, & aliis sensoriis, humores putridos, & bilem vtraque.

Catapotia polychresta, Iohan.Damasc.
Catapotia Azajereth, Auicennæ.
Catapotia aromatica, Iohan.Damasc.
Catapotia stomachica, Meſ.fil.
Maiora,Meſ.fil. Minora,Ioh.Dam.
Saccharum Betonicæ.
Catapotia mastichina,Conciliatoris.
Catapotia ex aloë & mastiche, Nic.Præp.
Catapotia ex aloë natâ,incerti authoris. Aqua mulsa.

Spiritus & sanguinem purificans.

Catapotia imperialia , incerti authoris. Quære titulum Sanguis.

Ad purgationem sanguinis,bilis flauæ & atræ,iecoris calefacti,& totius corporis.

Diamanna, Nicolai.

Purgans melancholiam,& humores adustos.

Antidotus Hamech altera,seu minor,Mesues filij.

Purgans flauam bilem.

Serapium rosatum purgatorium compositum,N. Myrepſ.

Purgans varios humores,terrenum,melancholicum, & alios citra molestiam,

Catapotia è lapide Armeno. Meſ.fil.& Alex.Tralliani.
Catapotia Azajereth,Auicennæ.

Purgans mirificè omnes humores.

Catapotia Arabica,N.Præpositi.

PVS & PVRVLENTVM.

Pro purulentis,

Diapenidion, Nicolai.

Pro purulenta expuentibus.

Pastillus è succino,Ioh.Meſ.

Pus à ruptâ phlegmone abstergens.

Emplastrum diachylon simplex Ioh.Dam.

PVSTVLA.

Ad pustulas.

Collyrium cygnus albus , N.Myrepſ.

Pustulas erumpentes illitum emendans.

Vnguentum album,Rhaces.
Vnguentum album,N.

Ad pustulas à salsâ pituitâ in cute natas.

Vnguentum è citriis,N.Myrepſ.

PVTRE, & PVTREFACTIO,

Ad putredinem.

Serapium acidum simplex,Iohan.Damasc.

Putrefactioni resistens.

Serapium ex acido limonum succo.

Q

QVARTANA.

Ad quartanas.

Hiera ex colocynthide, N. Myrepſ.
Diatrion piperion,Nicolai.
Antidotus catholica,N.Myrepſ.
Diasena vulgaris, Nicolai.
Diasena vera,N.Myr. Catapotia Inda,Hali.
Catapotia è lapide cyaneo,Meſ.fil.

QVOTIDIANA.

Ad quotidianas.

Antidotus catholica, N.Myrepſ.

R

RABIDVS,

Pro iis qui à rabidis animantibus sunt morsi.

Emplastrum Apostolicum, N.Myrepſ.

RAMEX.

Ad ramicem.

Ceratum ad ramicem,N.& L.Fuchsij.

RATIO.

Rationalem animæ partem vegetam reddens & sensificam.

Myrobalani chebuli condîti.
Myrobalani empelirici condîti.

RAVCEDO.

Ad raucitatem.

Diatragacanthes frigida,N.Myrepſ.
Diapenidion,Nicolai. Zulapium zizyphorum.
Serapium zizyphorum,Iohan.Damasc.

Ad arteriæ raucitatem.

Hiera ex colocynthide,N.Myrep.

REFICIENS.

Vnguentum reficiens. Vide restituere.

REFRIGERANS.

Refrigerans calidam intemperiem.

Oleum violaceum. Oleum nymphæatum.
Mel violaceum. Ceteratum liquidum,Galeni.

Refrigerans & astringens.

Oleum melinum,Iohan.Damasc.
Oleum myrthinum,N. Myrepſ.
Oleum è myrthi baccis. Oleum rosaceum.

Refrigerans & penetrans.

Serapium ex acido limonum succo.

Refrigerans iecur,cor, ventriculumque firmans & reliqua viscera & vniuersum corpus.

Cydonia condîta. Saccharum rosaceum.

Refrigerata corporis membra & viscera roborans.

Catapotia Imperialia,incerti authoris.
Diamargarithon,N.Myrepſ.
Oleum laurinum. Oleum absynthinum.
Oleum menthaceum.

Ad refrigerationem capitis,thoracis,stomachi,iecoris, lienis,aliosque dolores à frigiditate natos.

Vnguentum marciatum magnum.
Vide frigerans,& frigus.

REGIVS MORBVS.

Ad morbum regium.

Esdra,N.Myrepſ. Theriaca Andromachi.
Hiera ex colocynthide,N.Myrepſ.
Antidotus è psyllio.
Diatrion sentalion eiusdem. Pimpinella condîta.
Serapium ex absynthio, Iohan.Damasc.

Ad morbum regium hydropem incipientem.

Pastillus ex Eupatorio, Iohan.Damasc.
Vide Morbus Regius,& Icterus.

RELAXANS.

Relaxans ventrem & aperiens.

Vnguentum aureum, N. Myrepſ.

RENES.

Renes purgantia.

Nephrocatharticum,N.Myrepſ.

Renes roborans laxatos.

Vnguentum Comitissæ, Guilhelmi Varig.

Ad renum impotentiam & debilitatem.

Diathamaron,N Myrepſ.

Ad renum dolores & vitia.

Oleum muschatum.
Oleum amygdalarum amararum.
Oleum vulpinum,Ioh.Damasc. Oleum liliaceum.
Oleum è lateribus, Iohan.Damasc.
Diasatyrion,Nic.Myrepſ.
Electuarium Iustini, Nicolai.
Vnguentum aragon, N.Myrepſ.

Vnguentum Agrippæ, eiusdem.

Humores à renibus purgans.

Benedicta laxatiua, Nicolai.
Autidotus Episcopi, Mesues filij
Decoctum aperitiuum.

Ad renum obstructiones.

Serapium acidum compositum, Iohan.Damasc.
Oxymeli compositum, incerti authoris.

Ad inflationem renum.

Electuarium Indum, maius, Mes.fil.
Emplastrum è baccis lauri, Iohan.Damasc.

Ad renum dolores & vitia à frigido nata.

Oleum rutaceum.
Vnguentum marciatum magnum, N.Myrepſ.
Diacurcuma, Mesues filij.
Emplastrum è baccis lauri, Iohan. Damasc. & incerti authoris.

Ad renum exulcerationem & vatam inde dysenteriam.

Pastillus ex Halycacabo, Iohan.Mes.

Pro iis qui renum lapide laborant.

Catapotia è benedictâ, N.Myrepſ.
Pimpinella condita. Vide Calculus.

RESOLVTIO.

Ad resolutiones.

Vnguentum dialtheæ, N.Myrepſ.
Vnguentum aragon, eiusdem.
Oleum è lateribus, Ioh.Damasc. Petræoleon.
Oleum samsuchinum.
Oleum è castoreo simplex, compositum.
Oleum è piperibus, Iohan.Damasc.
Catapotia ex opoponace, Iohan.Damasc.
Catapotia ex euphorbio, Mesues fil.
Diatriton piperon, Nic.
Hiera ex colocynthide, N.Myrepſ.
Hiera Pacchij, Scribonij Largi.
Diamoschu dulce, Iohan.Damasc.
Diamoschu amarum, eiusdem.
Theriaca Andromachi.
Diacastoriu, N.Myrepſ.

RESTITVERE, RECREARE.

Mirificè restituentia & recreantia vires lapsas.

Electuarium analepticon, N.Myrepſ.

RETENTIO.

Retentionem cibi firmans & iuuans in stomacho.

Diacydonium compositum, N.Præpos. N.Myrepſ.
Diacydonium è succo cydoniorum, incerti authoris.
Serapium ex absynthide, N.Myrepſ.

RIGOR.

Ad vehementissimos rigores in febribus.

Oleum è castoreo simplex & compositum.

RIMA.

Rimis conferens.

Oleum è semine lini.

ROBORANS

Oleum ex hyperico, incerti authoris.
Oleum Irinum, N.Myrepſ.
Oleum moschatum.
Oleum ligustinum.
Antidotus catholica, N.Myrepſ.

Roborans omnia viscera & nutritionis membra.

Miua cydoniorum composita seu Aromatica, Ioh.Dam.
Serapium ex intybo syluestri cum Rheobarbaro, Florent.
Diacydonium simplex, compositum, N.Præp.
Serapium ex absynthio, Iohan.Damasc.
Serapium è fumariâ, eiusdem.

Roborans vniuersa viscera & corpus vniuersum ac partes eius.

Hiera Logadij, N.Myrepſ.
Catapotia imperialia, incerti authoris.
Oleum absynthinum.

RVCTVS.

Ad acidum ructum.

Diagalanga, Iohan.Damasc.
Diatrion piperon, N.Myrepſ.

S

SALIVA.

Ad saliuâ abundantes.

Hiera Pachij, Scribonij Largi.

SANGVIS.

Pro sanguinem excreantibus.

Serapium myrthinum compositum, incerti authoris.
Pastillius è succino, Iohan.Mes. Philonium Galeni.
Philonium maius, siue Romanum, Nic.Myrepſ.
Aurea Alexandrina, N.Myrepſ.

Pro reiectionibus cuiuscunque sanguinis.

Theriaca Andromachi. Athanasia magna, Nic.Myrepſ.
Saccharum rosaceum.

Ad omnem sanguinis eruptionem & profluuium vndecunque manat.

Pastillus è Lemnio sigillo, Iohan.Damasc.
Pastilus è succino, Iohan.Mes.
Pastillus Ramich, Ioh.Dam. Philonium Persicum.
Puluis sanguinem sistens. L.Fuchsij.

Ad feruores sanguinis.

Pastillus è nymphæâ, Ioan.Damasc.

Sanguinem purgans, purificans.

Catapotia Imperialia, incerti authoris.
Diamanna, Nic. Anacardina, Iohan.Damasc.
Catapotia è quinque myrobalanis, N.Myrepſ.

Ad multum sanguinis.

Pastillus ex halycacabo, Ioh.Mes.fil.

SANITAS.

Ad sanitatem totius corporis.

Hiera ex colocynthide, N.Myrepſ.

SCABIES.

Ad scabiem.

Vnguentum tripharmacum, Iohan.Damasc.
Decoctum sennæ.
Vnguentum aduersus scabiem, L.Fuchsij.
Aliud, Nic.Myrepſ. Vnguentum ex inulâ, eiusdem.
Oleum laurinum. Oleum ricininum.
Oleum balaninum. Serapium è fumariâ, Ioh.Damasc.
Serapium ex epithymo, eiusdem.
Catapotia è fumariâ, Auicennæ.
Antidotus Hamech altera, seu minor, Mes.fil.
Antidotus Hamech, eiusdem.

Ad scabiem & adustionem.

Vnguentum album commune.
Vnguentum album cum lythargyro.
Vnguentum album cum ledo.

Ad scabiem & iumentorum & canum.

Oleum lentiscinum.

SCAPVLA.

Ad scapularum dolorem à frigore ortum.

Emplastrum ceroneum, N.Alexandrini.

SCIRRHVS.

Scirrhos emolliens & discutiens.

Emplastrum diachylon magnum, Iohan.Damasc.
Oleum anethinum.

Ad scirrhum iecoris & lienis.

Oleum balaninum.

SCORPIO.

Ad ictus scorpionum.

Saccharum maioranæ.
Saccharum melissophylli.

SEDES.

Sedis conferens rimis & persanans.

Oleum è semine lini.
Oleum myrthinum, N.Myrepſ.

SEMEN.

Vide infrà Sperma.

SENEX.

Senes iuuans.

Serapium è calaminthâ, Ioan.Damasc.

Pro senibus humidis, delicatis, & ociosis.

Puluis medicamenti turpeti, Auicen.

SENSVS.

Sensus omnes acuens & iuuans plurimùm.

Serapium è prassio, Ioh.Damasc. Anacardina, eiusdem.
Pleres Archonticon, N.Myrepſ.

Labantes sensus refricans.

Mel anacardinum.

Sensificam & rationalem animæ partem vegetam reddens.

Myrobalani chebuli conditi.

SERPENS.

Pro morsis à serpente.

Saccharum echij.

SERPIGO.

Ad serpiginem.

Oleum è sarmentis Iuniperi, Io.Damasc. Vide Herpes.

SICCANS.

Desiccans.

Petræoleon.
Oleum balsami, Ioan. Damasc. Petri de Ebano, Guilhelmi Placentini, Montagnanæ.
Emplastrum griseum, incerti authoris.
Emplastrum viride.

Ad siccitatem iecoris & pulmonis.

Rosata nouella, N.Myrepſ.

Ad sic

Ad siccitatem articulorum aliarumque partium.
Oleum amygdalarum dulcium, Io.Dam. Vide Exiccans.

SINGVLTVS.

Ad singultum.
Esdra, N.Myrepſ.
Serapium è mentha maius, Iohan.Damasc.

Pro singultientibus, mordicus vellicato ventriculo.
Philonium Galeni.
Philonium maius, siue Romanum, N.Myrepſ.

SITIS.

Sitim restinguens & sedans.
Aqua mulsa. Mirobalani empelitici conditi.
Succus medicatus ribes simplex, compositus.
Succus medicatus oxyacanthæ simplex, compositus.
Zulapium violaceum.
Serapium è granatis acidis. Ioan.Damasc.
Serapium è papauere simplex, eiusdem.
Rosata nouella, N.Myrepſ.
Electuarium è myxis, Montagnanæ.
Triphera Persica. Iohan.Damasc.

Sitim inexpletam in febribus etiam acutis restinguens.
Zulapium rosaceum. Serapium rosatum, simplex.
Medulla seu pulpa prunorum.

Ad sitim vehementem, immodicamque potenter restinguens.
Serapium ex acido citrij succo, Ioan.Damasc.
Pastillus è spodio, N.Myrepſ.
Antidotus è psyllio, eiusdem.

Ad immodicam sitim, & linguæ ariditatem.
Pastillus ex Oxyacantha, N.Myrepſ.

Sitim immodicam, & linguæ ariditatem, magnis æstibus mirificè restinguens.
Serapium ex omphacio, Ioan.Damasc.

Ad sitim immodicam à plurimo pulmonis calore ortam.
Diatragacanthes N.Myrepſ.

SOLITARIVS.

Ad solitarios melancholicos.
Antidotus è gemmis, Ioan. Damasc.

SOMNVS, SOPOR.

Somnum faciens & inducens.
Oleum nymphæatum. Oleum anethinum.
Oleum papauerinum, Iohan.Damasc.
Oleum hyoscyaminum.
Serapium è papauere simplex, Ioan.Damasc
Serapium ex intybo syluestri cum Rhabarbaro, N.Florent.
Saccharum nympheæ.
Serapium nympheæ simplex compositum, Francisci Pedemontani. Philonium Galeni.
Philonium maius siue Romanum, N.Myrepſ.
Requies, eiusdem.
Vnguentum populeon, eiusdem. Esdra, eiusdem.

SPASMVS.

Vide Conuulsio.

SPERMA, SEMEN.

Sperma & genitale semen augens.
Oleum sesaminum, Ioan.Damasc.
Oleum amygdal.dulcium, eiusdem.
Catapotia genitale semen augentia, incerti authoris.
Vide Venus, Coitus.

SPINA.

Ad spinæ dolores.
Vnguentum arago, Nic.Myrepſ.
Catapotia fœtida, maiora, Mesues fil.
Hiera Pacchij, Scribonij Largi.

SPIRANS, & SPIRITVS.

Ad spirandi difficultatem.
Diamoschu amarum, Ioan.Damasc.
Diamoschu dulce, eiusdem.
Diaireos Salomonis, N. Myrepſ.
Diathamaron, eiusdem. Oxymeli simplex, Galeni.
Eclegma è scylla, Ioan.Damasc.
Eclegma è pulmone vulpis, eiusdem.
Pastillus bechius albus, incerti authoris.
Esdra, N.Myrepſ. Decoctum pectorale.

Spiritus resolui prohibens.
Serapium ex acido limonum succo.

Pro iis qui non nisi rectà ceruice & difficulter spirant.
Catapotia ex agarico, Nic.Myrepſ.
Theriaca Andromachi. Vide Asthma.

SPVENS, & SPVTVM.

Sputi excreationem accelerans & educens.
Oxymeli simplex, Galeni. Pastillus bechius niger.
Zulapium zizyphorum. Decoctum pectorale.

Ad sputum sanguinis & cruenti.
Pastillus è Lemnio sigillo, Iohan.Damasc.
Philonium Persicum, eiusd. Vide Cruentum expuere.

SPVMAS.

Pro spumantibus & linguam mordentibus.
Hiera Logadij, N.Myrepſ.

STERNVTATIO.

[illegible]
Vide Puluis Sternutatorius, L Fuchsij.

STERILITAS.

Ad sterilitatem mulierum.
Esdra, Nic.Myrepſ.

STILLICIDIVM.

Ad stillicidium.
Vnguentum aluum soluens, N.Myrepſ.

STOMACHVS.

Pro stomachicis.
Diacarion, N.Myrepſ. Catapotia aurea, eiusdem.
Catapotia è quinque myrobalanis. Acetum scylliticum.
Catapotia hieræ cum agarico. Philonium Galeni.
Philonium minus, siue Romanum, N.Myrepſ.
Triphera magna, N.Myrepſ.
Ceratum stomachicum, Ioan.Gal.Fuch.
Hiera ex colocynthide, N.Myrepſ.
Diathamaron, eiusdem. Hiera Pachij Scribonij Largi.
Hiera composita, N.Myrep. Pastillus è Laccha, eiusdem.

Ad omnem dolorem & vitium stomachi.
Triphera Saracenica, N.Myrepſ.
Vnguentum aragon, eiusdem.

Ad stomachi imbecillitatem.
Catapotia linguæ subdita, N.Myrepſ.
Serapium ex acido limonum succo.
Catapotia è lapide Armeno, Alex.Tral.
Rosata nouella, N.Myrepſ. Oleum lentiscinum.
Oleum masticinum, Ioan.Mes.fil.

Ad stomachi cruditatem & imbecillitatem.
Catapotia è Hiera composita, N.Myrepſ.
Diamargarithon, Auicennæ. Hiera composita, N.Myr.
Electuarium Ducis, Nicolai.

Pro stomachi frigidis vitiis.
Diahyssopu, Nicolai. Diacyminum, N Myrep.
Vnguentum marciatum magnum, eiusdem.

Ad calorem stomachi.
Rosata nouella, N.Myrepſ.

Ad patientem symptomata ex stomachi vitio.
Hiera veterum simplex.

Retentionem cibi in stomacho iuuans.
Diacydonium è succo cydoniorum, incerti authoris.
Vide Ventriculus.

STRANGVRIA.

Pro stranguria.
Lithontribon, Nicolai. Decoctum aperitiuum.
Nephrocatharticum, N Myrepſ. Vide Mingere, Vrina.

STRVMA.

Strumas discutiens & dissipans.
Oleum irinum, Ioan.Damasc.
Emplastrum apostolicum, N.Myrepſ.
Vnguentum cyclamini maius, Ioan.Damasc.
Emplastrum diachylon, simplex, eiusdem.

SVBVERSIO.

Ad subuersionem.
Hiera composita, N.Myrepſ.

SVCCVS.

Ad succos vitiosos ventriculi.
Hiera veterum simplex.

SVDOR.

Sudores mouens & euocans.
Serapium acidum simplex, Ioan.Damasc.
Oxymeli compositum, incerti authoris.

Sudores dissoluens.
Rosata nouella, N.Myrepſ.

Sudores cohibens & coërcens.
Oleum myrthinum, N.Myrepſ. Oleum lentiscinum.

Sudorem vltra iusto emanantem prohibens.
Oleum melinum, Io.Ramich.

SVFFITVS.

Faciens suffitum optimum & odoriferum.
Pastillus aliptæ moschatæ, N.Myrepſ.

SVFFVSIO.

Ad suffusiones.
Catapotia sine quibus esse nolo, N.Præp.
Catapotia ex octo rebus, eiusdem.

Suffusiorum imaginationes patientem.
Hiera veterum simplex.

SVPPVRATIO.

Ad suppuratos.
Electuarium analepticon, N.Myrepſ.

SVSPIRIVM.

Pro suspiriosis.
Oleum amygdalarum amararum.

SVRDITAS.

Ad ſurditatem.

Oleum balaninum. Vide Auris.

SVRCVLVS.

Surculos educens.

Emplaſtrum Apoſtolicum, N.Myrepſ.

SYNCOPE.

Ad ſyncopen.

Electuarium analepticon,N.Myrepſ.
Saccharum bugloſſatum.
Serapium è pomis,Ioan.Damaſc.
Serapium è ſucco boraginis.
Diamargarithon frigidum, incerti author.
Diamargarithon frigidum,aliud,incerti authoris.
Antidotus è gemmis,Ioan.Damaſc.
Dianthon, N.Myrepſ.
Diamargarithon,eiuſdem. Vide Cor.

T

TABES, & TABIDVS.

Pro tabe & tabidis.

Paſtillus è ſuccino,Io.Meſ. Saccharum roſatum.
Eclegma è pulmone vulpis,Io. Dam.
Serapium è papauere compoſitum,eiuſd.
Diatrion ſantalon, N.Myrepſ.
Diapenidion,Nicolai. Diamargarithon,N.Myrepſ.
Diamargarithon,incerti authoris.
Diamargarithon frigidum aliud,incerti authoris.
Diathamaron, N.Myrepſ. Diapraſiu eiuſdem.
Aurea Alexandrina,N.Myrepſ. Eſdra,N.Myrepſ.
Mithridatis antidotus,eiuſdem. Philonium Galeni,
Philonium maius,ſiue Romanum,N.Myrepſ.

TELVM.

Tela educens.

Emplaſtrum Apoſtolicum, N.Myrepſ.

TENVANS.

Oleum rutaceum. Oleum Irinum,Ioan.Damaſc.
Oleum balſami,eiuſdem. Petri de Ebano.
Oleum ex hyperico, incerti authoris.
Decoctum aperitiuum.

TERGENS.

Oleum balſami,Ioan.Damaſc. Petri de Ebano.
Oleum Irinum,Ioan. Damaſc.

Tergens inteſtina & viſcera.

Aqua mulſa.

TERTIANA.

Pro tertianis.

Antidotus catholica,N.Myrepſ. Vide Febris.

THORAX.

Ad thoracis dolorem & vitia.

Eclegma è ſcillâ,Ioan.Damaſc.
Serapium è glycyrrhizâ,eiuſdem.
Serapium ex hyſſopo,eiuſdem. Oleum liliaceum.
Vnguentum pectorale,L.Fuchſij.

Quæ ſunt in thorace diſcutiens.

Oleum leucoinum.

Thoracem purgans à pituita craſſa & putri.

Catapotia ex agarico, Nic.Myrepſ.
Serapium è glycyrrhizâ, Ioan.Damaſc.
Serapium ex hyſſopo,eiuſdem.

Ad thoracis affectus & vitia ſicca & calida.

Zulapium violaceum. Serapium violatum ſimplex.

Ad omnia vitia,dolores & affectus,à frigiditate ortos,thoracis.

Emplaſtrum ceroneum,N.Alexand.
Diahyſſopu,N. Diacyminum,N Myrepſ.
Diatragacanthes calida,N,Myrepſ.
Vnguentum marciatum magnum,eiuſdem.

Ad aſperitatem & grauitatem thoracis.

Oleum violaceum. Diatragacanthes frigida,N.Myrepſ.

Ad omnem deſtuxionem thoracis.

Catapotia è cynogloſſo, N.Myrepſ.
Mithridatis antidotus,eiuſdem.

Ad humores craſſos,lentos,malos & pituitoſos thoracis.

Oleum Irinum, Ioan.Damaſc.
Eclegma ſanum & expertum,eiuſdem.
Eclegma è ſcyllâ,eiuſdem. Eclegma è pineis,eiuſdem.
Aurea Alexandrina,N.Myrepſ.
Catapotia hieræ cum agarico. Decoctum pectorale.

Pro pueris qui anguſto ſunt thorace.

Paſtillus aliptæ moſchatæ,N.Myrepſ.

Ad omnem noxam,thoracis.

Diapenidion,N.Myrepſ. Vide Pectus.

TIBIA.

Ad tibiarum vlcera.

Vnguentum è pompholige N.Alexand.
Vnguentum album,Galeni.

TIMIDVS.

Pro timidis.

Antidotus è gemmis.Ioan.Damaſc.

TINNITVS.

Contra tinnitum aurium.

Oleum balaninum.
Catapotia ſine quibus eſſe nolo,Nicolai Præpoſ.

TORTVRA.

Ad torturam.

Theriaca diateſſaron,Ioan.Meſ.Damaſc.

TREMOR.

Ad omnem tremorem.

Diacaſtoriu,N. Myrepſ.
Serapium è ſtœchade ſimplex,Ioan.Damaſc.
Compoſitum,eiuſdem.
Oleum è piperibus,Ioan.Damaſc.

Ad tremorem cordis.

Antidotus è gemmis,Ioan.Damaſc.

TRISTITIA.

Pro valde triſtibus, quibus triſtitiam aufert.

Diamargarithon,N.Myrepſ.
Diaſena vulgaris,Nicolai.
Diaſena vera,Nic.Myrepſ.
Pleres Archonticon,N.Myrepſ.
Dianthon eiuſdem. Catapotia Arabica,N.Præp.

Pro ſine cauſa triſtibus.

Antidotus è gemmis,Ioan.Damaſc.

Ad innatam triſtitiam.

Diamoſchu dulce.

TVMOR.

Tumores calidos diſcutiens & maturans.

Emplaſtrum diachylon paruum.Ioan. Damaſc.
Oleum è iugulandibus.

Ad tumores crudos.

Oleum anethinum.

Tumores duros leniens & emolliens.

Oleum maſtichinum,Ioan.Meſ.fil.
Oleum îrinum,Ioan.Damaſc.

Ad lienis tumores & ſcirrhos.

Vnguentum cyclaminum minus,Iohan.Damaſc.

TVSSIS.

Ad tuſſim.

Diapenidion,N. Diatragacanthes frigida,N.Myrepſ.
Diamargarithon,N.Myrepſ. Diapraſiu,eiuſdem.
Diamargarithon frigidum,incerti authoris.
Diathamaron,N,Myrepſ.
Diahyſſopu,Nic. Philonium Galeni.
Philonium maius ſiue Romanum,N.Myrepſ.
Aurea Alexandrina,eiuſdem.
Paſtillus bechius niger. Serapium ex hyſſopo Io.Dam.
Paſtillus bechius albus,incerti authoris.
Vnguentum pectorale,L.Fuchſij.
Catapotia linguæ ſubdita,N.Myrepſ.
Eclegma è papauere,Ioan.Damaſc.
Eclegma ſanum & expertum, eiuſdem.
Serapium zizyphorum,eiuſdem.
Serapium è granatis dulcibus,eiuſdem.

Ad tuſſim humidam.

Aqua mulſa.

Ad tuſſim quæ fit defluxione à calore.

Zulapium zizyphorum.

Ad tuſſim à calore ortam.

Serapium violatum compoſitum,Ioan.Damaſc.

Ad tuſſim à calidis & tenuibus humoribus natam.

Serapium myrthinum ſimplex,Ioan.Damaſc.

Ad tuſſim ſiccam & aridam.

Zulapium violaceum.
Serapium è papauere ſimplex, Iohan. Damaſc. compoſitum eiuſdem.

Ad tuſſim veterem & ſiccam.

Catapotia bechica, Ioan.Damaſc.

Ad tuſſim recentem & vetuſtam.

Theriaca Andromachi.

Ad tuſſim & deſtillationem à calore.

Zulapium zizyphorum.

Ad longam,antiquam,& diuturnam tuſſim.

Eſdra,N,Myrepſ. Serapium è calaminthâ,Ioan.Damaſc.
Serapium è glycyrrhizâ,eiuſdem.
Eclegma ad aſthma,Ioan.Damaſc.
Eclegma è pineis,eiuſdem.
Catapotia ex agarico,Meſ.fil. Dianiſiu,Ioan.Damaſc.

VAPOR

Pastillus ex absynthio, N.Myrepſ.
Antidotus è gemmis, Ioan.Damaſc.

Ad frigidam intemperiem,& à pituita cruda natam ventriculi,& craſſos eius flatus.

Dianysu, Ioan.Damaſc.
Diacyminum, N.Myrepſ. Vide Stomachus.

VERMIS.

Vermes enecans & educens.

Oleum laurinum.
Vnguentum cyclamini maius,Ioan.Damaſc
Vide Lumbricus.

VERTIGO.

Ad vertiginem.

Hiera Pachij,Scribonij Largi.
Hiera ex colocynthide,N.Myrepſ.
Diamoſchu dulce, Ioan.Damaſc.
Diamoſchu amarum,eiuſdem.
Antidotus è pſyllio,N.Myrepſ.
Electuarium roſatum, Meſ.fil.
Hiera Logadij, N.Myrepſ.
Serapium ex acido citrij ſucco, Ioan.Damaſc.
Acetum ſcylliticum. Catapotia Arabica,N.Præp.
Antidotus Hamech altera,ſeu minor,Meſ.fil.
Theriaca Andromachi. Diacaſtoriu,N.Myrepſ.
Petræoleon. Oleum è lateribus,Ioan.Damaſc.

VESICA.

Ad veſicæ dolores & vitia.

Oleum liliaceum. Oleum è lateribus,Ioan.Damaſc.
Decoctum aperitiuum.

Ad veſicæ frigidos dolores, & vitia à frigido nata.

Vnguentum marciatum magnum, N.Myrepſ.
Diacurcuma,Meſ.fil. Oleum rutaceum.

Ad veſicæ dolorem ortum à flatibus,aut frigida intemperie.

Emplaſtrum è baccis lauri,Ioh.Damaſc. incerti authoris.

Ad veſicæ imbecillitatem.

Diaſatyriu, Nic.Myrepſ.

Quæ in veſica ſunt diſcutiens.

Oleum leucoinum.

Ad veſicæ exulcerationem , & inde natam vrinæ difficultatem.

Paſtillus ex Halycacabo, Ioan.Meſ.fil.
Theriaca Andromachi.

Humores à veſicà purgans.

Benedicta laxatiua, Nicolai.
Antidotus Epiſcopi,Meſues fil.

Pro iis qui laborant veſicæ lapide.

Catapotia è benedicta,N.Myrepſ. Vide Calculus.

VIGILANS, & VIGILIÆ.

Ad vigilias.

Electuarium è myxis,Montagnanæ.

Pro vigilantibus.

Oleum è mandragora, N.Myrepſ.

Pro vexatis peruigilio.

Diacodion, N.Myrepſ.

VIRES.

Ad omnium virium imbecillitatem & defectum totius corporis , quas recreat, reſtituit & tuetur.

Electuarium analepticon,N.Myrepſ.
Myrobalani chebuli conditi.
Diamargarithon frigidum,incerti authoris.
Roſata nouella, N.Myrepſ.
Diamargarithon, N.Myrepſ. Manus Chriſti.

VISCERA.

Ad viſcerum mala.

Aurea Alexandrina,N.Myrepſ.

Viſcera roborans & firmans omnia.

Diacydonium ſimplex,Ioan.Damaſc.

Ad viſcerum lubricitatem.

Zinziber conditum.

Lubrica viſcera roborans & conſtringens.

Paſtillus Raamich,Iohan.Damaſc.

Ad viſcerum humiditatem excrementoſam.

Aromatica roſata Gabrielis,Ioan.Damaſc.

Ad viſcerum inflammationes & obſtructiones.

Dialaccha maior,Meſ.fil. Dialacchan,N.Myrepſ.
Decoctum aperitiuum.

Omnem duritiem viſcerum molliens

Emplaſtrum è meliloto, Ioan.Damaſc.

Viſcera lauans ,tergens,purgans.

Aqua mulſa.

Ad viſcerum cruciatum.

Oleum amygdalarum amararum.

VISVS.

Viſum acuens , roborans & conſeruans.

Catapotia optica maiora,Meſ.fil.

Catapotia Arabica,N.Præpoſiti.
Mirobalani chebuli conditi.
Catapotia ſine quibus eſſe nolo,N.Præp.
Catapotia ex octo rebus,eiuſdem.
Acetum ſcylliticum.
Collyrium liquidum è pompholig.incerti authoris.
Mithridatis antidotus,N.Myrepſ. Vide Oculus.

VITIVM.

Ad omnia vitia diuturna.

Hiera Logadij,N.Myrepſ.

VLCVS.

Ad vlcera.

Vnguentum album commune.
Vnguentum album cum lythargyrio,cum ſedo.

Ad vlcera contumacia,maligna,pernicioſa,& fiſtuloſa,quæ rumpit & ſanat.

Oleum de ouis.
Oleum è ſarmentis Iuniperi,Ioan.Damaſc.
Serapium ex epithymo,eiuſdem.
Vnguentum Apoſtolorum,Auicennæ.
Emplaſtrum Apoſtolicum,N.Myrepſi.& N.Alex.

Vlcera caua,ſordida,& alia partium corporis implens,ſanans,& ad cicatricem ducens & refrigerans.

Vnguentum è pompholyge,Alex.
Vnguentum album,Galeni.
Collyrium cygnus albus,N.Myrepſ.

Vlcera phlegmone carentia,præſertim partium neruoſarum,tergens & carne implens.

Vnguentum baſinum magnum,Ioan.Damaſc.
Vnguentum baſin,eiuſdem.
Emplaſtrum baſilicum magnum.

Ad ſananda vlcera tibiarum.

Vnguentum è pompholyge,N.Alex.
Vnguentum album,Galeni.

Ad vlcera capitis.

Oleum ricininum.

Ad vlcera cutis.

Vnguentum tripharmacum,Ioan.Damaſc.

Ad vlcerum fluxum.

Catapotia è bdellio maiora,Ioan.Damaſc.

Vlceribus inducens cicatrices, ea deſiccans & explens.

Emplaſtrum griſeum,incerti authoris.
Emplaſtrum viride. Vide Exulceratio,

VNGVENTVM.

Vnguentum pro iis qui ex alto ceciderunt.

Vnguentum potabile.

Vnguentum odorem gratum concilians,& caput roborans.

Oleum è ſpicâ noſtrate.

Vnguentum reficiens.

Vnguentum reficiens. Quære in diſpenſat.

Vnguentum exiccatorium.

Vide Vnguentum exiccatorum.

Vnguentum reprimens.

Quære Vnguentum reprimens.

VOLVPTAS.

Voluptatem excitantia.

Diaſatyrium,N.Myrepſ.

VOMITVS.

Vomitum cientia medicamenta.

Oxymeli ſcylliticum ſimplex,Ioan.Damaſc.
Compoſitum,eiuſdem.

Pro vomiturientibus & nauſea vexatis.

Philonium Galeni.
Philonium maius,ſiue Romanum,N.Myrepſ.

Vomitum & nauſeam ſiſtens , cohibens &, reprimens.

Serapium è menthâ maius,Ioan.Damaſc.
Oleum menthaceum.
Miua cydoniorum compoſita,ſeu aromatica,Io.Damaſc.
Serapium ex omphacio,eiuſdem.
Cydonia condita Diacydonium ſimplex.
Hydromelum ſimplex,Pauli. Roſata nouella,N.Myr.
Aromatica caryophyllata,Ioan.Damaſc.

Ad vomitum puerorum,& iis qui cibum retinere nequeunt.

Emplaſtrum è cruſtâ panis,Montagnanæ.

Ad vomitum bilioſum,

Succus medicatus ribes,ſimplex,compoſ.
Succus medicatus.
Oxyacanthæ ſimplex,compoſitus.

Ad vomentes cibum.

Hiera compoſita, N.Myrepſ.

Vomitum purgans.

Vnguentum cyclamini maius,Ioan.Damaſc.

VOX.

Vocem amiſſam recuperans.

Paſtillus bechius niger. Hiera Pacchij, Scribonij,Largi.

Diaireos

Diaireos Salomonis, N. Myrepſ.
Diapenidion, Nicolai.
Eclegma ad vocem amiſſam, N. Myrepſ.
Theriaca Andromachi.

Ad vocis aſperitatem à frigiditate natam.

Eclegma ſanum & expertum.

Vocem clariorem & validiorem efficiens.

Acetum ſcylliticum.
Oleum ſeſaminum, Ioan. Damaſc.

VRINA.

Vrinam mouens & euocans.

Vnguentum Agrippæ, N. Myrepſ.
Diacurcuma, Meſues fil. Dialaccha maior, eiuſdem.
Serapium acidum ſimplex, Ioan. Damaſc.
Oxymeli compoſitum, incerti authoris.
Paſtillus è Laccha, Ioan. Damaſc.
Oleum è lateribus. Ioan. Damaſc. Decoctum ſenæ.

Ad ardorem vrinæ.

Oleum amygdalarum dulcium, Ioan. Damaſc.

Vrinas diſſipans.

Serapium ex Eupatorio, Ioan. Damaſc.

Meatus vrinarios lauans, tergens, & purgans.

Aqua mulſa.

Ad difficultatem vrinæ & ſtillicidium, cui ſine mora ſuccurrit.

Mithontribon, Nicolai.
Nephrocatharticum N. Myrepſ.
Vnguentum aluum ſoluens, eiuſdem.
Saccharum maioranæ. Electuarium Iuſtini, Nicolai.
Paſtillus ex Halycacobo, Ioan. Meſ.
Oleum amygdalarum amararum.
Theriaca Andromachi.
Mithridatis antidotus, N. Myrepſ.
Aurea Alexandrina, eiuſdem.

Per vrinam acres humores, & multos pellens, educens & expurgans.

Electuarium è myxis, Montagnanæ.
Serapium ex abſynthio, Ioh. Damaſ.
Serapium ex Intybo ſylueſtri cum Rheobarbaro, N. Floren.
Vide Mingere, Lotium.

VSTIO.

Ad vſtiones à ſole factas.

Vnguentum è citriis, N. Myrepſ. Vide Aduſtio, Ambuſtio.

VTERVS.

Vterum iuuans, firmans, & eiuſdem dolores, vitia, & affectus tollens.

Saccharum ſaluiæ. Catapotia fœtida, maiore, Meſ. fil.
Diambareos, Ioan. Damaſc.
Catapotia è ſagapeno, eiuſdem.
Antidotus è gemmis, eiuſdem.
Oleum liliaceum. Vnguentum Aragon, N. Myrepſ.
Oleum è lateribus, Ioan. Damaſc.
Aurea Alexandrina, N. Myrepſ.

Ad vteri dolores à frigido nates.

Vnguentum marciatum magnum, N. Myrepſ.
Oleum Irinum, Ioan. Damaſc. Oleum rutaceum.

Ad vteri dolorem ortum à flatibus, aut frigidâ intemperie.

Emplaſtrum è baccis lauri, Iohan. Damaſc. & incerti auth:

Vteri mola à frigidâ iecoris intemperie nata.

Emplaſtrum ceroneum, N. Alexandrini.

Vterum purgans, à putridis humoribus liberans & defendens.

Catapotia maſtichina Conciliatoris.
Catapotia ex aloe lotâ, incerti authoris.
Saccharum betonicæ.

Ad vitia vteri, & præſertim eius præfocationem, flatus, & dolores.

Serapium ex arthemiſiâ, Matthæi de Grad.
Diamargarithon, N Myrepſ Vide Vulua.

VVLNVS.

Vulnera ſanans, in iis carnem creans, & putridam depaſcens, & amiſſam reſtaurans.

Vnguentum nigrum, N. Myrepſ.
Vnguentum Apoſtolorum, Auicennæ.

Ad vulnera cruenta.

Emplaſtrum apoſtolicum, N. Myrepſ.

Vulnera grauida (etiam neruorum) glutinans & curans.

Oleum ex hyperico, incerti authoris.
Vnguentum potabile. Vnguentum aureum, Io. Damaſc.

Vulnera vetera & fiſtuloſa extergens:

Vnguentum Ægyptiacum, Ioan. Damaſc.

Vulnerum ſordida exiccans.

Vnguentum è pompholyg. N. Alex.

Ad omnia vulnera ſananda.

Oleum balſami, Petri de Ebano, Guilhelmi Placentini, Montag. Vide Plaga.

VVLVA.

Ad ardorem vuluæ.

Oleum amygdalarum dulcium, Ioan. Damaſc.

Pro vuluarum ſtrangulationibus.

Acetum ſcylliticum.

Pro vuluis quæ occluſæ & conuerſæ ſtrangulant.

Oleum ricininum. Vide ſupra Vlcus.

Index Alphabeticus morborum, omniumque malorum totius corporis: quorum certa Pharmaca compoſita & parata hoc in libro ſunt deſcripta.

Pudenda

Appendix de Dosibus, seu iustâ quantitate ac proportione medicamentorum Compositorum omnium, quæ hodiè Officinis parata extant; summâ cum fide accurato iudicio alphabeti ordine conscripta.

Per

MARTINVM RVLANDVM Frising. Medicinarum Doctorem.

Præfatio ad lectorem amicum Rulandi.

SVPERIORI libello, amibe Lector, habes ceu in promptuariâ cellâ quæuis φάρμακα composita certa, Officinis parata in omnium terrarum vrbibus rectè constitutis: quibus remediis omnia morborum secundùm alphabeti seriem dispositorum genera profligantur. Sed quod hoc in libello habetur maximum, ac in id vsque tempus à malignis & infidelibus præceptoribus reconditum, *Pondus*, & *Compositorum* illorum omnium *Dosis*: quæ multis iam seculis Medicinæ studiosis plurimum negotij, difficultatis, periculique conflauit & exhibuit. Hanc nostrâ (quam à Deo Opt. Max. accepimus) industriâ breuissimè per superiorem seriem alphabeticam conscripsimus: vt quemadmodum ad quemuis morbũ in prima parte composita φάρμακα suppetunt, ita eorum certa hîc quantitas semper habeatur in oculis. Quoniam autem hæc res, quæ de ponderibus est, per se valde sanè periculosa existit; securior lõge reddetur certior & plenior: vbi notauerimus, quando prima præscribenda sit Dosis parua, (tres enim sunt) maior seu media & maxima. Deinde, quando sit eligendum medicamentum compositum vel imbecille, vel mediocre, vel vehemens. Postea, quâ formâ & consistentiâ exhibenda cõposita. Quartò & postremò, vtrũ eligenda sint cõpos. Phlegmagoga, Cholagoga, Melanogoga, vel an duo aut tria simul.

Quod ad primum attinet: *corpus* compactum & coactum magnâ eget Dosi. Rarum & laxum, paruâ. Robustum, magnâ. Imbecille, paruâ. *Humor* crassus & lentus, magnâ. Lenis & fluxilis, paruâ Humor euacuandus à partibus propinquis proximis directis communibus, paruâ, indirectis mediocri indiget Dosi. *Ætate* consistentes & Iuuenes, magnâ. Pueri & Senes, paruâ. Viri, magnâ. Mulieres, paruâ. Grandes, paruâ. Obesi, magna. Ruffi, paruâ. Nigri, magnâ. Candidi, mediâ. *Temperaturâ* calidi & sicci, parua. Frigidi & sicci, magnâ. Frigidi & humidi, media. *Tempore æstus*, dosis esto parua. Tempore frigoris, magna. Imbrium tempore, parua. Squaloris tempore, magna. Autumno, magna. Æstate, parua. Hyeme, media. *Re-*

dia. *Regioni calidæ & siccæ*, parua dosis conuenit. Frigidæ & siccæ, magna. Frigidæ & humidæ, media. *Victus* ratio ex calidis & siccis, requirit dosin paruam, ex frigidis & siccis, magnam. ex frigidis & humidis, mediam. *Vitæ conditio* sedentaria, magnam dosin exigit. Laboriosa, paruam. *Vrinâ* apparente tenui, acri, dosis erit parua, apparente, obscurâ, magna. albâ, media. *Aluum* habentibus siccam, dosis magna conuenit. humidam, parua. *Sudores*, quibus sunt acres, parua dosis esto. quibus nullum sensum sui præbent, magna. *Iracundis* parua. Mansuetis magna. *Insomnia* incendiorum postulant dosin paruam. Pluuiarum & niuium, mediocrem. Tristium rerum, magnam. *Morbi & febres*, præsertim ardentes omnes Tertianæ exquisitæ, requirunt paruam dosin. Quartanæ continuæ & intermittentes, mediocrem. Vesicæ, fellis affectio, paruam, Scyrrhus, Elephantiasis, Cancer, Icterus niger, Melancholia, magnam. Oedema, Hydrops, mediam. Siti inexplebili, assiduis vigiliis & virium imbecillitate affectis datur dosis parua. Fame insatiabili, acido ructu cum virium robore laborantibus, magna. Oris amarore, orificij ventriculi morsu vexatis, parua. Oris insipiditate, ostioli ventriculi aggrauatione pressis, magna: Dosis itaque parua præscribitur, si hæ indicationes omnes, cum pluribus iisdemque præstantioribus paruæ quantitatis concurrunt. Media præscribatur, si omnes illæ indicationes concurrant. Magna, si concurrant omnes, aut plures, eæque præstantiores.

Reliqua est indicatio secunda, ex quâ consulimus, an eligendum sit compositum vehemens, vel imbecille, vel mediocre. *Humor* ergo indicat primò, qui est in ventriculo, intestinis, mezereo, opus esse medicamento imbecilliori. Qui sunt in articulis, cerebro, pectore, validiori. Qui intestina habent exquisitissimi sensus, egent imbecilliori iudicio: qui obtusissimi sensus, validiori. *Sensus* autem intestinorum percipiuntur à victus ratione. Nam qui synapi aut simili aliquo mordaci, vel acriori plurimo vescantur sine noxâ, obtusissimi sunt sensus. Qui verò mordicationem statim sentiunt, iis sensus est exactus. Qui intestina habent medij sensus, mediâ Dosi egent. *Humores*, qui trahens medicamentum sponte sequuntur, vel simul sunt biliosi, imbecilliori egent. Qui trahens medicamentum tardissimè sequuntur, validiore, vt sunt Melancholici. Qui sunt pituitosi, mediocri. *Pueri*, mitissimo medicamento habent opus. Adolescentes, miti. Iuuenes, mediocri. *Ætate* consistentes, validissimo. Viri, validiore. Mulieres, imbecilliore. Ruffi, imbecilliori. Candidi, mediocri. *Temperaturâ* frigidi & sicci, validiori. Calidi & sicci, imbecilliori. Frigidi & humidi, mediocri. *Tempore* frigoris, validiore. Æstu, imbecilliori. Imbrium tempore, mediocri. Autumno, validiore. Æstate, imbecilliori. Hyeme, mediocri. *In regione* frigidâ & siccâ, vtimur medicamento validiori. In regione calidâ & siccâ, imbecilliori. In regione frigidâ & humidâ, mediocri. *Victus* ratione vtentes ex crassis & frigidis, validi vtemur medicamento validiori. Viuentes ex tenuibus & calidis & imbecillibus, mediocri. *Vitæ conditionem* nacti sedentariam & otiosam, validiori vtemur medicamento. Qui laboriosam, imbecilliori. Vrinam flauam reddentes tenuem & acrem, imbecilliori egent medicamento. Qui obscuram & crassam, validiori. Vomentes amara, imbecilliori, arida, validiori, insipida, mediocri. *Sudores* quibus effluunt veluti cutim pungentes, pharmaco egent imbecilliori, quibus sudores effluunt nullum sensum præbentes, validiore. *Insomnia*, quibus frequenter contingunt luctuosa, validiore. Quibus sunt insomnia incendiorum & contentiosa, imbecilliori. Quibus insomnia pluuiæ, niuis, fluuiorum, mediocri egent medicamento. *Ab irâ* alieni, validiori. Iracundi, imbecilliori. *Febre* ardente continuâ, tertianâ aut intermittente exquisitâ laborante, mediocri. Ictero, phrenitide, aut morbis vesicæ fellis laboranti, imbecillius. Scirrho, elephantiâ in cancro, ictero nigro, melancholia, lienis morbo laboranti validius. OEdemate, hydrope, apoplexia, paralysi, stupore, comate laborante, mediocre. Siti inexplebili, vigiliis assiduis vigilanti, imbecillius. Fame insatiabili, ructi acido laboranti, validius. Oris amarore, orificij, ventriculi morsu affectis, mediocri. *Validum* ergo medicamentum est præscribendum, si concurrant omnia indicia validioris medicamenti, vt elleboru nigrum, Scammoneum, &c. *Imbecille* præscribatur, si concurrant omnes indicationes imbecilliores medicamenti: vt, manna, tamarindi, &c. Mediocre præscribatur, si concurrant omnes indicationes medicamenti mediocris, vt: Sena, Rheubarbarum, &c.

Sequitur indicatio tertia, quæ docet inquirere formam & consistentiam medicamenti. Est autem medicamentorum forma triplex. Alia *liquida*, alia *crassa*, alia *media*. Liquidæ sunt potiones omnes, quibus vtimur vacuaturi humores trahenti medicamento non reluctantes: aut eos humores, qui non sunt à Mezereo remoti. Crassa sunt *Catapotia* seu *pilulæ*, quibus tum vtimur, quando humores purgamus, qui medicamento valde reluctantur, aut longè à Mezereo distant. Media dicuntur *Boli* aut *Bucellæ*, quibus vacuamus humores, qui medicamento nec prorsus obediunt, nec planè reluctantur, neque omnino proximi, neque remoti sunt à Mezereo. Et, vt habeamus indicationes, quæ nos commonefaciant, qua consistentiarum seu formarum sit exhibendum medicamentum, connotabimus hæc. *Ætati* primæ exhibenda est medicamenti forma liquida. Mediæ media. Postremæ crassa. *Viris* quoque liquida. Mulieribus crassa. Gracilibus, liquida. Obesis, crassa. Ruffis siue pilis, siue cutis colore sint tales, liquida. Nigris, crassa. Candidis, media. *Temperaturâ* calidis siccis, liquida. Frigidis & siccis, crassa. Frigidis & humidis media. *Æstus tempore* & ætate mediâ suam naturam seruante liquida forma conuenit. Frigoris tempore & hyeme mediâ suam naturam seruante, media. Tempore squalido & autumno, crassa, nisi humores melancholici fuerint vsti. *Regione* calidâ & siccâ, liquida. In regione frigidâ & humidâ, crassa. *In victus ratione* delicatiore, liquida detur; in victu asperiori, crassa. *In vitæ conditione* laboriosa, liquida. In sedentariâ, crassa. *Vrinâ* apparente flaua, tenui & acri, liquida propinetur. Vrinâ apparente obscurâ, albâ, crassa. *Aluum* habentibus humidiorem conuenit consistentia crassa: habentibus siccam, liquida. *Vomentibus* facilè, crassa. difficilè, liquida. *Sudores* quibus sunt acres, liquida: quibus insensibiles, crassa. *Iracundis*, liquida: ab ira alienis, crassa. *Somniantibus* frequenter incendia, liquida. Somniantibus mare, pluuias, aquas, niues, media. Somniantibus tristia sine causa manifestâ, crassa. *Febris* ardens tertiana vtraque exquisita requirit consistentiam liquidam. Febris quotidiana exquisita, mediam. Febris exquisita vtraque, liquidam. Icterus, Pleuritis, & consimiles affectus, liquidam. OEdema, hydrops, mediam. Apoplexia, paralysis, stupor, coma, & eius generis reliqui, crassam. *Siti* inexplebili, & assiduis vigiliis laborantibus, debetur liquida. *Fame* magna, ructuque acido vexatis, media. Oris amarore, orificij, ventriculi morsu affectis, liquida. Oris insipiditate, oris ventriculi aggrauatione detentis, crassa. Atque hæc sunto indicia, quibus medicamentorum forma seu consistentia demonstratur.

Nunc ad quartam indicationem procedamus, quæ talis erat: vtrum præscribendum sit medicamentum Phlegmagogum, Cholalogum, aut Melanagogum, vel vtrum duo aut tria ex his simul præbenda Hæc nobis demonstrant, quæ sequuntur. *Ætas* Pueri pleni sunt pituita, his igitur conuenit phlegmagogum. Adolescentes sanguine abundant. Iuuenes calidiss. existentes bile redundant. Ætatis consistentis & viridis senectutis homines multam gignunt Bilem. Seniorum corpus totum est repletum pituita. Viri calidi & Biliosi. Mulieres frigidæ & pituosæ. *Obesi* sunt frigidiores & pituitosi. *Ruffi* sunt biliosi. Nigri melancholici. *Hirsuti* sunt biliosi. Glabri pituitosi. *Venarum* amplitudo bilem demonstrat: angustia pituitam. *Temperaturâ* calidi sicci biliosi sunt. Calidi humidi, sanguinei. Frigidi sicci, melancholici. Frigidi humidi, pituitosi. *Pulsus* vehemens, celer, frequens bilem significat. Languidus, tardus & rarus, pituitam. Languidus, paruus, durus, tardus & rarus, bilem atram indicat. *Æstus* precedés & perseuerans, bilem significat. Frigus pituitam. Siccitas cum inæqualitate caloris & frigoris bilem atram. Humiditas & imbres aquosos humores indicant. *Ver* suam naturam seruans indicat sanguinem. *Æstas* bilem. Autumnus, nigram bilem. Hyems pituitam. *Regio* temperata sanguinem. Calidior bilem. Frigidior pituitam. Siccior bilem nigram arguit. *Victus* ratio præcedens & præsens acris & calidus, bilem. Salsus & crassus, bilem nigram, Insipidus acidus & frigidus, pituitam. Dulcis & temperatus sanguinem monstrat. *Vitæ* conditio, quâ multum & vehementer corpus exercetur, & præcipuè in locis siccioribus bilem indicat. Quæ in ocio est, aut quæ exercetur in locis aquosis pituitam. Quæ moderatè corpus exercet, & in locis temperatis sanguinem nunciat. Quæ contrà, bilem nigram & plerumque adustam. *Vrina* ruffa & tenuis, bilem indicat. Rubea & crassa sanguinem. Alba pituitam, Obscura bilem nigram. *Alui* excrementum liquidum & ruffum vellicans sedem; bilem indicat. Excrementum album liquidum, sedem minimè vellicans, pituitam, præterquam in vtero. *Vomitus* flauus, aut viridis, aut amarus bilem, albus & insipidus pituitam. Fuscus & crudus bilem nigram. Albus & acidus pituitam acidam. *Sudores*, qui talem sensum inferunt, vt quis à multis acubus videatur compungi, bilem. Qui nullum inferunt sensum tristem, indicant pituitam. *Sputum* flauum aut citrinum, bilem. Insipidum & aquosum & spumans, pituitam. Nigrum & aridum, bilem nigram. Album & aridum, pituitam. Citrinum, bilem flauam. Cruentum indicat sanguinem. *Vteri* excretio si est subalba, pituitam, flaua bilem. Nigra aut liquida, nigram bilem. Rubra, sanguinem demonstrat. *Insomnia* si sint tristia aut luctuosa ostendunt bilem nigram. Si sunt contentiosa ac incendia imaginantia, bilem. Fluuiorum insomnia, pluuiarum aut niuis, pituitam indicant. Læta & iocunda, sanguinem. *Febris* ardens tertiana, continua & intermittens, prodit pituitam. Quartana continua & intermittens, bilem nigram. Synocha aut continens, sanguinem. *Erisypelas*, regius morbus, phrenitis, morbi vesicæ, fellis ostendunt bilem. OEdema, Hydrops, Apoplexia, Paralysis, Stupor, Epilepsia, Somnus profundus, pituitam indicant. Scirrhus, elephantiasis, icterus niger, melancholia mania, varices. Lienis morbus, bilem nigram demonstrat, *Cancer* non vlceratus, significat humorem melancholicum

non

non vstum, vlceratus verò vstum. *Phlegmones* fermè omnes, quæ à solo sanguine proueniunt tum internæ, vt Angina, tum externæ, vt cuti propinquæ indicant sanguinem. *Situs* inexplebilis, assiduæ vigiliæ inquietudo, inappetentia, ructus bilem signat. *Fames* insatiabilis, coctio tarda, somnolentia, ructus acidi aut insipidi, arguunt pituitam. *Oris* amator, morsus Orificij ventriculi, falsa simulacra splendida & ignea ab oculis volitantia, bilem. Oris insipiditas, cutis mollicies & frigiditas, pituitam. Atque hæc sunt indicia bilis, bilis nigræ & pituitæ, quibus concurrentibus omnibus, quæ bilem significant, certissimum erit tum esse præscribendum cholagogum medicamentum. Exempli gratiâ, pono in aliquo homine coincidere hæc bilis indicia: illum esse biliosum, gracilem, latis venis lentiginosum, capillis ruffum, ætate florentem, vsum cibis acribus & salsis, habentem vrinam flauam, somniantem pugnas, esse iracundum, laborantem febre tertianâ cum oris magnâ amaritudine, & ariditate, idque euenire in æstate & aëre calido & sicco, tunc certissimum esto huic homini exhibendum esse *cholagogum*. Similiter & *melanagogum* præscribatur, si concurrant omnes indicationes bilis atræ. *Phlegmagogum* verò, si conueniant omnes indicationes phlegmatis seu pituitæ. Concurrentibus item indiciis bilis & pituitæ, præscribitur *cholagogum & phlegmagogum* ex æquis viribus ac quantitate. Quòd si pituita bile copiosior fuerit, & phlegmagogum quantitate ac viribus superare debet *cholagogum*. An verò bilis vincat pituitam, aut pituita bilem, obseruari potest ex indicatione omnium & maximè ex præstantiâ. Si enim vnica indicatio præstat, quatuor aut tribus, ea vincet non præstantes. Et sic de reliquis iudicandum. Qui plura petit, legat doctiss. virum D. Rondel. Nos quæ necessaria magis sunt, concerpsimus & perstrinximus,

Habes ergo, Lector amice, clariss. veras Dosium rationes: quas omnes medici obseruent, tum fides tum conscientia postulat. Qui verò nostris vti præsumpserit, nullâ aut præposterâ ratione affectuum aliarumque circumstantiarum habitâ: is manum à libro abstineat, velim. Hæc enim non aniculis, non rudibus, non illiteratis conscribimus: sed, qui experimentum cum ratione atque doctrinâ faciunt, proponimus.

Quæ si hominibus grata (nam quin perutilia sint ac necessaria vsus arguet) esse cognouerimus: ad eundem modum & ordinem edemus omnium nostratium Simplicium (quibus certò morbos omnes curari nouimus) Doses exquisitas, veras & rectas. Cuiusmodi sanè opus hactenus visum non est: neque posthac tale iri editum credo. Quamuis enim Galenus & ante hunc Dioscorides simplicia quoque εὐπόριστα & facilè parabilia bene admodum descripserint: minimè tamen omnium isti assecuti sunt finem & scopum, quem nos in illis habemus & prosequimur. Vale mi Lector, & hoc nostrum scribendi & alios iuuandi studium æquo & candido accipe animo. Laugingæ 14. Iunij Anno 1566.

Appendix, continens compositorum omnium Doses iustas & certas, per Alphabeticum ordinem descriptas.

A

Acetum Scyllinum, Mes.

Sumitur à drachma vnâ ad vnciam vnam manè cum liquoribus, aut decoctis conuenientibus.

In affectibus thoracis paulatim lambitur. Suspectus est eius vsus hecticis, tabidis, consumptis febrientibus, & calida intemperie laborantibus, & æstu. Cyathis tribus hordei ad sesquiunciam cum mellis aut sacchari vnciis tribus aut quatuor, tepidum sumptum, vomitione stomachum lentis, crassis, & putridis humoribus exonerat.

Acorus conditus.

Datur quantitate Auellanæ quoties expedit.

Agaricus trochiscatus.

Datur à drach.s. ad drach.ij. etiam ad drach. iij. tritus ex vino, aqua vel conuenienti liquore.

Alipta moschata, Nic.

Propinatur à drach.s. ad drach. j. vel drach.j. s. dissoluta in vino, aquâ, aut alio liquore conueniente affectui.

Alkermes confectio.

Datur ab aureo vno ad aureos duos cum dimidio, eo modo, quo aliæ confectiones aromaticæ. Vide Confectio Alkermes.

Anacardina confectio, Mes.

Datur Mesueo ad drachmas duas cum aqua fœniculi & apij, quo sumpto, vitabis laborem, iram, coitum, & ebrietatem. Moderni dant semidrachmam in hyeme bis in hebdomadâ cum vino, æstate verò semel.

Anodyna.

Dantur à scrupulis duobus ac drachmam vnam, cum syrupo rosarum. Veteres dabant summa quantitate & magnitudine nucis auellanæ. Sumuntur autem vesperi dum itur cubitum ex vino, aut alio liquore congruente affectui.

Antidota venenis & lethalibus aduersantia.

Exhibentur ex vino, vel aquâ mulsâ, vel aliquo stillaticio, vel alio quodam liquore, sicut ipse morbus postulat. Recentia quidem dantur à scrup.j.s. ad scrup.ij. Antiqua verò à drach. s. ad drach.j. vel drach.ij. in morbis in quibus conueniunt. Alij exhibent ad quantitatem fabæ Ægyptiæ, vbi est exiguum interuallum ad coctionem eorum. Interdum magnitudine auellanæ, aut Ponticæ nucis sumere licet, si plus interualli erit ad distributionem ipsorum.

Non præbentur per æstatem, maximè Theriaca, nisi ingens aliquod periculum iubeat. Et cùm is, qui sumit, probè concoxerit, nec cibis grauatus fuerit. A ieiunis itaque minimè autem crudis, & appetente nunc diluculo, insumenda sunt. Saturis non præbenda, nisi cogat summa necessitas, quâ impellente & veneno hausto, quâuis horâ exhiberi possunt.

Pueris ætate florentibus, & multo calore natiuo præditis magnâ copiâ & sæpe non sunt danda, neque nisi ex aquâ. Qui verò declinant ad senectam, aut sunt confecti ætate, de his multùm & sæpe sumendum est, non modo ex aquâ, sed etiam ex vino ad drach j.

Antidota dolorem sedantia & stupefacientia.

Antidotus his narcoticis maximè vehementioribus non est vtendum omnino, nisi vbi Anodynis dolor sedari nequit, aut maxima necessitas vrgeat. Vsurpantur in vehementibus doloribus podagricis, oculorum, &c. & non diebus continuis, sed interuallis. Admiscenda illis sunt calefacientia, castorium, crocus, cassia, pyretrum, costum, euphorbium, piper, & similia. Consultius est primò vti iis quæ extrinsecus admouentur & temporibus illiniuntur, quàm quæ intra corpus sumuntur. Cauendum autem ne vnquam extrinseca adhibeantur partibus principalibus, cerebro, cordi, pulmoni, iecori, ventriculo, & similibus. Neque pueris, senioribus, grauidis, aliisque imbecillibus, & frigidioribus.

Dosis istorum est à scrup.ij. ad drach.j. cum syr. rosato. Veteres ad magnitudinem nucis auellanæ dabant. Vesperi dum itur cubitum ex vino, aut congruenti liquore.

Antidota somnifera &

Præbentur à scrup. duobus ad drach. j. cum syr. ros. vel viol. vesperi cubitum ituris, nisi aliud suadeat necessitas. Eodem vespere vnguenta quoque illinenda sunt temporibus. Interdiu vtimur, cùm cogit necessitas, & tum ægri cubiculum sit sine tubâ & strepitu.

Antidotus aurea Alexandrina.

Datur vtentibus quantitate nucis auellanæ, vel à drach.j. vsque ad drach.ij. maximè post balneum.

Antidotum Hæmagogum.

Præbetur vsque ad drach.iij. aut vnc.s.

Antidotus catholica, Nic.

Huius vsus est tutissimus. Tutò & non temerè ab vnc.s. vsque ad drach.x. quibusdam etiam drach.xij. propinamus. Benignum enim est medicamentum, & quod leniendo tantùm emollit.

Antidotus exhilarans, Nic.

Datur ad drach. vj.

Antidotus Hamech, Mes.

Datur tutò à drach.iiij. ad drach.vj. aut etiam vnc.j.

Antidotus è Satyrio.

Datur vesperi dormituro ex vino veteri, aut dulci cochleare vnum. Aliquibus à drach.j. ad drach.ij. Datur imbecillioribus cum lacte.

Apozema.

Omnium apozematum & decoctorum iura per colum transmissa, appetente diluculo, quantitate trium, quatuor, plurium, aut pauciorum vnciarum pro morbi aut ægrotantis ratione, assumuntur. Interdum etiam vesperi, præsertim vbi frequentem exhibitionem ægrotanti nullam afferre molestiam, aut eandem morbum ipsum requirere compertum habemus.

Aromaticum rosatum, Gabrielis.

Datur à scrup. j. ad drach.j. vel drach. ij. aliis cum melle ad drach. v.

Aromaticum caryophyllatum.

Præbetur à drach.iij. ad drach.v.

Athanasia magna.

Præbetur à drach.j. ad drach.iij. cum vino dulci & grato.

Aurea Alexandrina.

Exhibemus eam à drach.j. ad drach.ij. post balneum.

B

Benedicta laxatiua.

Dosin habet à drach.iij. ad drach.vj. & drach. viij. cum vino calido. Nic. præbet ad magnitudinem castaneæ. In clystere ab vnc.j. ad vnc.ij.

Bezoar-

Bezoardicus puluis.

Ex vino per se sumitur odoro & grato, aut cum syrupo de citro, aut ribes mixtura adornatur drach.j.

Bolus purgatorius.

Est buccella, quantum bucca vnâ vice capere potest. Quantitas eius nunquam transire debet vnc.ij. quia vnâ vice deuoranda est.

C

Caputpurgia, Nasalia.

Datur ad quantitatem vnc.s. pro vnâ vice, corpore priùs purgato. Et qui his vtuntur, os aquâ compleant, ne è naribus per vias siue meatus in os perfluant succi atque liquores: & ipsum caput in posteriora reclinet.

Cassia extracta sine foliis Senæ.

Datur per se, si recens sit, à drach.iij. ad vnc.j. si per os assumatur: si in clysteribus, ab vnc.j. ad vnc.ij. dari poterit. Si non recens sit ab vnc.s. ad vnc.j. s. vel ad vnc. ij. quæ tamen portio videtur nimia. In casu ab vnc. ij. ad vnc. iiij. sumpsit Montag. Sumitur manè vel ante cœnam

Cassia extracta cum foliis Senæ.

Capitur à drach. iij. ad drach. vij. alij plus sumunt pro ratione ægri.

Catapotia, quære Pilulæ. Carthamum.

Datur infusum à drach. iiij. ad drach. IX. Tritum à drach. j. ad drach. iiij. quandoque verò ad drach. vj. licet procedere, præsertim si rotulæ fuerint recentes.

Catharticum imperiale.

Præbetur à drach. iij. ad drach.v. Vide infrà Purgantia.

Catholicum.

Datur ab vnc.s. ad vnc.j. sed certè haud temerè drach. x. aliquibus etiam drach.xij. propinare conuenit.

Chebulæ conditæ.

Exhibentur manè & vesperi quantitate nucis iuglandis. Dantur aliis quâuis horâ post cibum ad cochl. vnum. Alij præbent cochlear vnum vel medium sæpè in die, & tempore sitis cum aquâ calidâ, aut cum aquâ hordei.

Citria condita.

Dantur quantitate vnc.iiij.

Clyster.

Clysteris quantitas est ab vnc.iiij. vsque ad l.j. verùm eius quantitas colligitur ex magnitudine corporis, plenitudine ventris, morbo, atque scopo.

Clysteris totius forma & dosis est hæc.

1. Enematis cuiusuis dosis est à l.s. ad l.j.
2. Sacchari vel mellis ab vnc.j. ad vnc. ij.
3. Olei vnc.ij. vel vnc.iij.
4. Vitel. oui numero ad summum duo.
5. Salis drach. j.
6. Purgantis dosi dupla ad dosin, quæ sumitur ore.

In proceris corporibus & inanitionibus magnis intestinorum dantur l.ii. iniectionis, vt sit l. i. s. decoctionis, olei verò aut succorum l. s. ita vt omnia adimpleant l. ii.

In maximis hominibus excedit quantitas hæc.

In affectibus cum fluoribus iunctis, & vbi detergenda sunt vlcera, datur ad l.i.s. vel l.ii.

In aliis affectibus, in quibus diu retinendi sunt, minorem quantitatem damus. Decoctionis enim tantùm l. s. aut l. i, iniicimus, Idque fit in cholicâ, nephritica, excrementorum multitudine, inflammatione ventris inferioris, tumoribus, grauidis, difficulter spirantibus, ac in recti intestini affectu. In Enterocele minorem multò impertamus iniectionem. In aliis Hermis nihil est periculi. Neque cùm ius aliquod aut brodium nutritionis gratia iniicimus. Similiter pueris clysteres adhibemus in eadem vel minore quantitate.

Iniiciuntur clysteres duabus aut tribus horis, vel longiùs à cibo sumpto, aut stomacho ieiuno imponuntur, non admodum calidi.

Quibus abluimus & extergimus, illi supra dimidiam partem horæ in corpore non retineantur.

Qui dolores mitigant & tormina extra vnam horam detineantur.

Omnium diutissimè retinentur, qui glutinant, & qui in dysenteria iniiciuntur.

Qui purgant plerunque sponte sua erumpunt. Nam si diutiùs, quam par sit, in ventre cunctantur, suppositorio proliciantur.

Condita & conserua.

Sumuntur quauis hora quantitate auellanæ, aut cochlearium vnum post cibum. Vsus tamen hodie seruat, vt manè & vesperi exhibeantur nucis iuglandis quantitate. Et dari solet cochear vnum ve medium sæpè in die & tempore sitis cum aqua calida, aut cum aqua hordei.

Confectiones aromaticæ.

Confect. omnium dosis quantitas auellanæ, aut drach. i. s. vel drach. i. hoc est: Dantur vna vice orbiculi duo, aut tres plùs aut minùs pro morbi & corporis ratione. Morsellus quoque dimidius, aut ad summum vnus, nisi exiguus valde fuerit, sufficiet pro vna vice.

Secundùm aliquos dari possunt confect. solidæ à drach. iiij. vsque ad drach vi. aut etiam vnc.i. ratione tamen habitâ valentium medicamentorum aut imbecillium.

Dantur dissoluta in iure aliquo, aut aquis destillatis, aut decoctionibus, aut vino bono, aliquando solùm commanduntur.

Dantur verò singulis diebus diluculo & vesperi tribus aut quatuor horis à cœnâ elapsis, haustо priùs apozemate.

Confectionis magistralis dosis & forma.

Confect. fiunt ex speciebus, troch. & quibusuis pulueribus, vbi drach.j. pulueris vel specierum requirit vnc.j. vel minus, sacchari, mellis aut syrupi. Dissoluitur saccharum cum aliquâ aquâ ad expellendum morbum aptâ, vel decoctione aut fumo pro medici intentione, & scribitur in fine: sacchari q. s. dissoluti in aquâ. Exemplum esto generale:

Recip. Specierum, vel pulueris aromat.rosf.drach.j.
Sem. aniss.drach.s.
Sacchari in aquâ prassii dissoluti, vnc.j.s
F. El. in tab. quarum sunto singulæ drach.i.s. Capiatur vna singulis diebus manè, tribus ante cibum horis.

Confectiones ergò concoctionem adiuuantes, non statim à cibo, sed subsidente ferè cibo & ventriculi fundo comprehenso ac veluti manibus excepto. Cæteræ à cibo sumi possunt.

Quæ succi distributionem adiuuant, cibo iam ferè demisso & detumescente ventre.

Quæ flatus dissoluunt & cruditates corrigunt duabus vel tribus horis ante cibum.

Quæ appetentiam & ventriculi robur sopitum excitant, non longâ interposita mora cibum requirunt.

Quæ roborant cerebrum; quidam statim à cibo obtrudunt, quæ dantur ad quantitatem fabæ.

Quæ humores expulsioni apparant, meatus reserant, crudos & lentos succos corporis dissoluunt, crassos incidunt, & deorsum propellunt, horis duabus cibum præcedant.

Somnum conciliantes, si horâ somni exhibeantur, perditam appetentiam restituunt, & inquietudines tollunt. Purgantes confect. tribus aut quatuor horis cibos præcedunt pro medicamentorum celeritate aut tarditate, & corporis ac humoris purgandi natura.

Confectio liberantis.

Dosin recipit communem confectionum nempe drach.ii. pro sumentis habitu atque affectu.

Confectio Alkermes seu ex granis tinctoriis, Mes.

Dosin habet variam, pro diuersa intentione, & variâ præparatione. Nam si ex lapide Lazuli assato paratur, ad virium corroborationem à drach.s. ad drach. i. dabitur. Si verò ex eodem lapide totum abluto & non assato à scrup. s. ad scrup. j. Ad virium etiam corroborationem, cùm nulla est fluxus ventris suspicio, cùm ventrem mouere volumus, & à corde arcere atrabilarios fumos, & in affectibus melanch. damus à drach.j. ad drach. ij. cum syrupo violato, vel buglossæ aut capillus Veneris, & eorum aquis: atque hoc etiam in statu morborum, cùm medicamenta laxantia dare formidamus: tunc potius cum syr. viol. vnc. j. vel vnc. ij. datur, quàm cum alio quolibet. Laxat enim & refrigerat. Ad eius igitur actionem iuuandi, optimum est clysterem iniicere. Nam ea compositio assumpta in ea quantitate ventrem mouet.

Confectio cordialis.

Dosin habet communem, vtpote quantitate auellanæ.

Confectio Anacardina, Mes.

Propinat Mesueus ad drach. ij. cum aqua Fœniculi & Apii, ea cautione, vt laborem, iram & cætera omnia immodicè calefacientia & vacuantia vitaret. Moderni dant drach.s. in hyeme bis in hebdomada cum vino, æstate verò semel.

Confectio Aromatici rosati.

Præbetur à scrup.i. vel scrup. ii. ad drach.i. vel drach.i.s.

Confectio Hamech.

Tutò datur à drach. ij. ad vnc. s. aut drach. vi. aut etiam vnc. i.

Confectio vsualis pro vermibus.

Datur ad drach. iij.

Confectio de hyacintho.

Datur æquali pondere quo Confectio Alkermes, vel etiam maiori, quia eius vsus est tutior & minùs periculosus.

Confectio Magna & Opiata.

Dosin istarum habes in antidotis letalibus aduersantibus, stupefacientibus & somniferis.

D

Decoctum.

Decoctum purgatorium datur in diluculo ante cibum horis tribus pro vnâ vice quantitate vnc. iii. Quære Apozema.

Decoctum Sena.

Solum aliquando ex iure galli aut sero caprino exhibetur ad vnc.iiij Decocta cætera communem dosin habent.

Diaboraginatum simplex.

Datur ad vnc.j.

Diabuglossatum simplex.

Datur ab vnc.s.ad vnc.j.

Diacalaminthes Galeni.

Exhibetur ante ac post prandium & vesperi cubitum ituris ex vino bono,nucis auellanæ quantitate.Gal. cum saccharo salis vice in obsonia dabat,Dant alij ad drac.j.s.vel drach.ij. quidam ad drach.iiij.

Diacalaminthes,Nic.

Eandem recipit dosin,quam Galen.habet.

Diacarthamu,seu Diacnicu. Arnoldi.

Datur tritum à drach.j,s.ad drach.iij.quandoque ad drach. vj. præsertim si tabulæ non sit recentes. Infusum datur à drach.iiij.ad drach. viij.

Diacarion,aut Dianucum,Mes.

Datur Eclegmatum pondere.

Diacameron.

Datur manè & serò à drach.iij.ad vnc.s.

Diacapparis.

Datur à drach.ij.ad drach.iij manè atque serò.

Diacaryophyllatu.

Datur à drach.ij.ad drach.iiij.

Diacassia.

Datur ab vnc.i.ad vnc.ij.

Diacastoriu.

Dosis est quasi vnc.j.qui ipsum assumit & transglutit, mane abstineat vsque ad sextam vel nonam horam. Datur aliis quantitate nucis Ponticæ cum aqua saluiæ.

Diacatholicon.

Datur à drach.ii.aut potius à drach.iiij,ad vnc,j. aut etiam drach.x.cum vino limphato,aut calido.

Diacichoreum.

Dosis eius est ab vnc.s.ad vnc.j.

Diacinamomu.

Datur à drach.s.ad drach.ij.

Diacitron.

Datur ad drach.j.s.

Diacodion,Mes.

Datur à drach j. plus minus, si affectus postulat. Ore retinetur, & quantum eius est saliua solutum, cum eâ paulatim deglutitur.

Diacolion,Nic.Myr.

Datur pondere à drach.j.s.vsque ad drach.iiij.aut drach.vj.

Diacameron,Nic.

Datur vtentibus eo drach.iij.ex vino.

Diacori.

Datur ad drach. j. s. aut drach. ij.Montag.ad drach.vj.dat.

Diacorali albi.

Datur ad drach.j.s.vel drach.ij.

Diacostu,Mes.

Datur mane ac sero à drach.ij.ad drach.iij.

Diacuminum,Nic.

Datur à drach.j.ad drach.ij.aliis ad drach.iiij.cum vino albo optimo.

Diacurcuma,Diacucurma,Diacrocu,Mes.

Datur à drach.j.ad drach.ii.Mesueo ad drach.iij.

Diacydonium simplex,seu commune.

Datur ab vnc. s. ad vnc. j. & ante epulas sumptum, aluum sistit Post epulas vero soluit,& vapores ex ventriculo sublatos deprimit.

Diacydonium compositum,Nic.

Datur vnc.j.siue etiam vnc.ij.secundum aliquos.

Diacydonium è succo cydoniorum,Gal.

Ieiunis datur mediocris mystri mensura, hoc est,vnc.j.tribus aut duabus horis ante cibum.

Diadamascenum,Nic.

Antidotus è Damascenis prunis.

Diaprunum simplex.

Diaprunum compos.non laxatiuum.

Præbetur ab vnc.s.ad drach.v,aut vnc.j.aliis ad drach.x.

Diaprunum solutiuum.

Potenter educit,si à drach.ij.ad drach.iiij.exhibeatur.Cum tamen ad drach. v. & drach.vi, nonnunquam progrediamur in aluo astrictiore. Et sine Diagrydio potest exhiberi in omni hora diei;cum Diagrydio vero in aurorâ,& cum cautelâ,quia est fortè solutiuum.

Diagalanga,Mes.

Dari potest duabus horis ante cibum, cum vino aliquo generoso,aut cum vino decoctionis galangæ, in Elect.à drach.j. s.ad drach iij.In formâ solidâ ad drach.vj.

Diagrydium,Diacrydion.

De hoc præbemus scrup.j.vel etiam drach.s.

Diaireos simplicis.

Datur à drach.s.ad drach.j.vel ad drach.ij.

Diaireos Salomonis.

Datur à scrup.s.ad vnc.s.aliqui ad drach.v procedunt,augentes vel minuentes pro remedij forma.

Dialaccha maior,Mes.

Datur ab aureo vno ad duos.Alij à drach.ij.& ad drach.iij.

Dialibanu,Diaolibanu,Nic.

Præbetur à drach. j. ad drach.ij. cum vino albo calido, cui thus aut saluia incocta sit.

Diamanna,Nic.

Datur ab vnc. j. ab vnc.ij.cum aquâ frigidâ in æstate, cum calidâ in hyeme.

Diamargarithon frigidum,Nic.

Datur à scrup.j.ad drach.j.cum brodio,vel aliqua aqua.

Diamargarithon calidum,vel Diamargarithon,seu Elect.de Gemmis.

Sumitur ab aurei dimidio ad aureum vnum cum aqua buglossi,ac vino odorifero,seu bono.

Diambra, vel Diambar.Mes.

Accipitur mane & vesperi cum vino, in forma solida, à drach.vj.ad vnc.j.In elect.drach.iij.

Diamoron,Nic.

Capitur à drach.j.s.ad drach.vj.

Diamoschu dulce,vel amarum,Mes.

Exhibetur vtrumque mane horis duabus ante cibum à drach.j.ad drach.j.s.aut drach.ij.Montag.dat in elect.drach.ij in forma solida drach.iiij.

Dianenufar simplex.

Præbetur mane & sero à drach.ij.ad vnc.j.

Diairium,Mes.

Datur ex vino à drach.ij.ad drach.iiij.

Dianthos,Nic.

Datur ex vino à drach.iij.ad vnc.s.

Diapapauer,Mes.

Sumitur innocentius lambendo à drach. j. ad drach. iiij. ieiunis, aut hora vna, vel circiter à cœna, si somnus quæritur: si vero materia tenuis in capite contenta est crassanda etiam hora vna post prandium. Ad ipsius affectus verò horis quibusuis, ante cibum tamen rectius sumitur, dictâ modo quantitate: nec admodum sæpe, ne ventriculum ostendat, præsertim frigidum humidum.

Diapenidion,Nic.

Datur mane & vesperi cum ptisana ab vnc.s.ad vnc.ij.

Diaphœnicon,Mes.

Datur Mesueo ab aureis tribus ad aureos septem. Sed nos drach. viij. non excedere debemus, & celeberrimè propinamus drach.vj.cum infuso aliquo, cuius mirificam vim est experiri quotidie cum Senæ decocto.

Datur per se ad drach. iiij. Frequenter cùm cassia & manna præbetur.

Dat Montag.in Elect.ab aur.iij. aur quatuor,in forma solidâ à drach.vj.ad vnc.j.

Diaprassiu,Nic.

Datur ex vino à drach.ij. vsque ad drach. iiij. mane ac sero.

Diaprunum.

Vide Diadamascenum.

Diarhabarbarum.

Datur à drach.j.ad drach.ij.

Diarob commune.

Datur à drach.iiij.ad drach.vj.

Diarob cum Agarico.

Datur à drach.s.ad drach.vj.

Diarob cum Senna.

Datur ab vnc.s.ad drach.vj.

Diarob cum Turbith.

Exhibe à drach.ij.ad drach.j.

Diarhodon Abbatis, Nic.

Sumitur à drach.ij.ad drach.iiij.

Diasatyriu, Nic.

Datur cum vino veteri, aut dulci vesperi dormituro cochleare vnum,aut drach.j.Montag.ad drach.iij.

Diasatyriu,Mes.

Dosis eius est ab vnc. s. ad vnc. j. aliquibus ad aureos quinque.

Diasenna,Nic.

Datur cum aqua cui incocta sunt Sana,Scolopendrium, ramus Tamaricis, & radix capparis.Dosis est ab vnc.s.ad drach. vij,aut vnc.j.& cum vino calido infusionis Senæ per noctem, aut cum alio liquore.

Diaspermaton,Nic.

Dosin habet à drach.j.s.ad vnc.s.

Diastœchados.

Drach à drach.ij.ad drach.iiij.

Diasucco

Diasucco rosarum.

Datur ad drach.iiii.ad drach.v.

Diassyron

Datur à drach.j.ad drach.ij.contra venena verò à drach. ij. ad drach.iiij.

Diatamaron.

Datur à drach.ij.ad drach.iij.mane ac vesperi ex vino.

Diatragacanthum frigidum & calidum, Nic.

Datur à drach.j.ad drach. j mane ac sero, vel vtilius teneatur in ore, & paulatim deglutiatur omni horâ, maximè de mane & sero vacuo stomacho.

Diatrionpipereon, Mes.

Dosis est à drach.j ad drach.ij. Aut nucis magnitudo ex vino temperato.

Diatrion Santalon, Nic.

Dosis est à drach.j s.ad drach.ij. mane ac sero.

Diaturbith, Diacarthamu, M.

Pondus est ab vnc. s. ad vnc.j. seruatur puluere, & in catapotiis exhibetur drach.j. aut drach.j.s. quod pondus in forma placentularum augendum est.

Diaturbith cum rhabarb.

A drach.iij.ad drach.vi.vel vij.

Diamythera Saracenica, Nic.

Præbetur quantitate castaneæ. Aliquibus ab vnc. s. ad vnc.i.datur.

Diazyaloes.

Sumitur à drach.i.ad drach.ij.

Diazingiber.

Datur à drach.i.s.ad drach.iiij.

Diluendum, Infusio.

Diluti per colum transmissi accipiuntur vnc.iiij.

Drangea.

Quære Tragea.

E

Eclegma, Linctus, Loch, Lohoch, Elambatiua.

Eclegmata exhiberi possunt quouis tempore ante & post cibum sumptum, quantitate nucis auellanæ vel fabæ. Imperantur etiam ad drach. iiij. vel drach.vi.potissimum autem diluculo & vesperi. Præstat vt pondere vnc. i. aut plurium, lambendo sumantur. Detinentur in ore, donec sua sponte liquescant, atque paulatim descendant, & per asperam arteriam ad pulmonem atque thoracem perueniant. Si eclegma ex diuersis parandum sit, quæ non ex æquo conueniant, tunc non æquali portione permiscentur: sed illius semper maiorem quantitatem accipimus, quod scopo magis fuerit accommodatum.

Electuaria.

Dantur singulis diebus diluculo tribus aut quatuor horis ante prandium, & vesperi totidem horis à cœnâ ciapsis.

Sumenda vnâ vice est magnâ ex parte dra. i.s.aut drach.ij. Et dantur vna vice orbiculi duo, aut tres, plus minusue, pro morbi & corporis ratione atque diuersitate.

Morsulus quoque dimidius, aut summùm vnus, nisi admodum exiguus fuerit, sufficiet pro vnâ vice. Dissoluantur in iure aliquo aut aquis destillatis, aut decoctionibus, aut vino. Nam vinum vires auget. Aliquando etiam solida comeduntur, vtque liquida deuorantur citra dissolutionem. Electuaria itaque solida communiter dari possunt à drach. iij. ad drach. v. aut vnc. i. plus & minus habitâ ratione valentium medicamentorum, aut imbecillium, & affectus ipsius ac corporis habitus.

Electuaria liquida, aut purgantia.

Datur à drach.s.ad drach.i.

Elect. digest. humorum.

Dentur à drach. ij. ad drach. iiij. cum vnc. ij. aquæ appropriatæ.

Elect. in decocto, aut infuso.

Datur à drach.i.ad drach.iiij.

Elect. confortantia caput.

Exhibe post cœnam per horam ad quantitatem Fabæ.

Quære plura de Electuariis supra in Confect. aromaticis.

Electuarium
- de Baccis lauri, datur per os vnc. s. in clystere vnc.ij.
- de Citrio solutiui, à drach.i.s.ad drach.vi.
- Diapœonias, à drach.i.ad drach.iij.
- Ducis, à drach.i.ad drach.iij. cum brodio cicerum rub aut cum vino.
- Elescoph aut Episcoui, datur à drach.iiij. ad drach.vi. Musa frequenter drach. vi. & quibus astrictior fuit aluus drach. viij. quibusdam etiam vt rusticis, fossoribus drach. x. exhibuit.
- de Epithymo, à drach ij.ad drach vi.
- de Gemmis, ab aurei semisse ad aur.i.cum aquâ Buglossi, aut vino bono.
- Indum maius, à drach.iiij.ad vnc. i. Si copiosius ipsi mel admisceatur, tunc drach. x. aut drach.xij. pro maiori quantitate vix sufficiunt.
- Indū minus à drach. ij.ad drach.iiij aut drach. v.aut drach.vi.securè proceditur.
- ...ntium, à drach.ij.ad drach.iij.
- Lætitiæ, à drach.iij.ad drach.vi.
- Lenitiuum, ab vnc.i.ad vnc.ij.
- Lithontribon, à drach.ij.ad drach.iij. aut quantitate nucis Ponticæ. Diluitur vino, aut decocto saxifragiæ, vel anisi, vel aliquo diuretico.
- Plerisarcon con, à drach i.ad vnc.s.
- e Psyllio, Mes. à drach. iij.ad vnc.i. Tutò datur, æstiuo.iore tempore & calidiore naturâ securè venitur ad drach. viii. & drach. x.licet Mes. non excedat vnc. s. Datur cum aquâ cichoreæ aut violæ, aut alio liquore.
- Resumptiuum, à drach.iii.ad vnc.i.
- Regum, à drach.i.ad drach.ii.
- Rosatum, Mes. à drach.v.ad drach.vi.
- de Sorbis, à drach. ii. ad vnc.i.
- è succo rosarum, à drach.iii.ad drach. iiij.vi. aliquando etiam ad drach. viii. non temere progredi licet.
- è Sebesten, liberaliter, & citra noxam ab vnc. s. ad vnc. i aut drach. x. Montag. procedit ad vnc.ii.
- de Trochiscis ab Hamech, à drach. iii. ad vnc.i.

Emma.

Vide Clyster: est enim synonymum

Ensia carne condita.

Dosis est auellanæ quantitas, aut plus.

Errhina.

Quære Caputpurgia, quorum & nomen atque dosim commune habent.

Esdra, Nic.

Datur magnitudine fabæ. Aliqui à drach.i. ad drach. ii. & plerunque cum vino.

H

Confect. Hamech maior, Mes.

Datur à drach.ii.ad drach.vi.aut drach.vii crebrò, & leniter educit. Datur vnc.i.tutò ad morbos melancholicos.

Confect. Hamech.

Dosin habet à drach.ii.ad drach.v.

Hiera picra, Galeni.

Hiera picra simplex Galeni.

Hiera veterum simplex Gal.

Hiera simplex, Gal.

Datur à Galeno atque aliis à drach. s.ad drach. i. cum tribus cyathis aquæ. Syluius vnc. s. cum drach. i; diaphœnici mulieri innoxiè ex hydromelite vidit propinari. Præbetur hodie sicca ad drach. ii. & securè ad drach.iii. magno profectu. Arnoldus dat cum liquoribus appropriatis morbis quasi vnc. s post balneum, vel eunti dormitum, & acuatæ cum Diagrydio est à drach. i. ad drach. ii. Alii Picræ non acuatæ dant à drach.iii.ad drach. vi. aut etiam vnc. i. post digestionem: & drach.ii. absque digestione de octo in octo diebus, his, quibus humores κακόχυμοι multiplicantur.

Hiera picra, Nic.

Hiera magna & composita.

Hiera ex decem rebus.

Dosis est in Enemati, ab vnc s.ad vnc.ii. Si propinatur per os, sumi potest à drach. .Nic. Alexand. i eius cum aquâ tepidâ exhibet ad tria exagia, hoc est, drach.iiii.

Hiera Pacchij.

Hiera diacolocynthidos Anthidos Scrib.

Dosis est ex puluere cum liquore aliquo, vel in catapotiis à scrup.s.ad scrup.ii. Melle vero excepta à drach.ii.ad drach.iiii. aut etiam ad drach.v.progredi possumus.

Hiera Logadij Aetij.

Datur à drach.ii.ad drach.iiii. aut à drach. iii. cum tribus mulsæ cyathis, ad drach. v. cum tot cyathis mulsæ. Præbet Montag. ab vnc.s ad drach.v.aut vi Dari potest cum vino; aut liquore conuenienti.

Hiera Ruffini.

Exhibetur à drach. i. ad drach. ii. s. si purganda est melancholia. Si phlegma, dabitur à drach.ii ad drach.iii.

Hydromelum Pauli.

Præsumitur vnc. ii. in imbecillitate ventriculi cum aquâ menthæ, & ad alui fluxum cum aquâ chalybeatâ, aut plantaginis, per aluum ante acrimonia materiæ deposita.

Hydromeli.

Vide Mulsas.

I

Indum maius.

Datur à drach.ii.ad drach.vi.

Infusio.

Quære Dilutum.

Dosis & forma Iulebi.

Communiter pars vna syrupi vel Rob requirit partes quatuor aquæ fontis,vel destillatæ : aliquando sex,octo, item decem vel duodecim pro morbi ratione , in quibus etiam aliquando dissoluuntur confect. aromata, &c. Exemplum , Recip. Syr. rof. vnc.i. aquæ fontis vel endiuiæ vnc. iiij. misce. F. Iuleb.

Iulapium, Iulebum, Iulepum, Zulapium.

Propinatur ex aqua optima & omnibus notis absoluta, priùs calefacta , deinde niue aut arte refrigerata ; ea adhibetur quadrupla , sextupla , aut etiam pro ægroti arbitrio liberalior. Bibitur ad placitum sine præscripta quantitate pro ægri scopo.

L

Lætitia Gal.

Datur à drach.iij. ad drach.vi.

Lætificans Almansoris.

Conceditur à drach.iij. ad drach.vi.

Lenitiua.

Vide infra , Purgantia.

Lithontribon, Nic.

Exhibetur à drach.ii. ad drach. iii. Dilui debet vino , aut aquâ, vel decocto saxifragiæ, vel anisi, & mastiches,aut aliquo diuretico.

Loch , Lohoch.

Loch parata vsurpantur sine certa quantitate : imperantur tamen ad drach. iiii. vel drach. vi. præscribendo , vt sensim transglutiantur, accipiendo quantum baculo glycyrrhizæ assumi potest. Sumuntur autem omni ac quauis hora & tempore , (præter Loch de papauere , quod datur hora post cœnam) ante & post cibum sumptum , quantitate nucis auellanæ aut fabæ. Præstat vt pondere vnc.i lambendo sumantur, oréque detineantur, vt sponte liquescant, & paulatim descendant. Plura lege suprà in Eclegma.

Loch datur
- de Alliis.Mes.à drach.iij. ad drach.vj.
- ad Asthma, Mes.à drach.iij. ad vnc.j.
- de Caulibus, Gord. à drach.v.ad drach.vij.
- de Farfarâ, à drach.iij.ad vnc.j.
- è Papauere,Mes. sumitur lambendo innocentius ad vnc.s. (Montag. dat ad vnc.j.) non tamen crebrò, ne ventriculum lædat,præsertim frigidum & humidum. Capitur verò hora vna,aut circiter à cœnâ , si somnus quæritur. Si verò materia tenuis in capite contenta , est crassanda , etiam hora vna post prandium. Ad alios verò affectus horis quibuslibet , ante cibum tamen rectiùs accipitur,dictâ prius quantitate , nec tamen sæpè.
- Pectorale , Gor. Idem pondus habet,quod synonymum, de Caulibus.
- è Pino, Mes. ab vnc.s. ad vnc.j.
- è Pulmone vulpis,Mes. à drach.iij.ad drach. vj.
- Sanum & expertum , Mes. dat à drachm. v. ad drach. x. sed sufficit dedisse ad vnc. s. Si febris abest , caliditas cœli , calidi morbi,& calidum ægri temperamentum. Ideóque non temerè dandum cuilibet tussi, & spiritus vitiis leuibus.

Loch datur è Scyllâ, Mes.

A drach.ij. ad vnc.s.ieiuno.

Lozengia.

Dosin habent , confectionum aromaticarum , & Morsellorum , de quorum pondere suo loco.

M

Manus Christi.

Manus Christi perlata.

Datur à drach.j. ad drach.ij.

Masticatoria , Apophlegmatismi.

His vtimur matutino tempore , & quando à reliquis excrementis corpus est vacuum. Et aut in partes minutas concisa commanducantur & dentibus confringuntur. Aut trita & contusa aliquo succo vel liquore , vel melle excipiuntur , & in mansiles pastillos coguntur : & vbi postulat vsus, vnus præbetur manducandus. Aut medicamenta contusa,sacculo è subtili linteo confecto induntur, & manduntur. Aut ius decoctorum medicamentorum diu in ore continentur. Oportet autem manducantem deorsum nuere, & ex interuallis, quo congestus humor effluat , hiare. Post vsum autem ipsorum aqua calida os abluendum , aut melicratu , aut ptisanæ succo.

Mel rosatum.

Datur ab vnc. s.ad vnc.j. Montagna. ad vnc. ij.

Mel violatum.

Dosis à drach.j. ad vnc.s.

Melicratum.

Datur ad arbitrium , vnc.iij. plus minúsue:

Metrenchytes.

Iniicitur tempore somni , retinetur horis sex plus aut minus pro morbi naturâ. Constat vnc. vi. aut vnc.vij. decocti medicamentorum morbo expellendo conuenientium, pulueris aut electuarij purgantis , si morbus exigit , vnc.8.

Micleta , Nic.

Datur vesperi decubituris , aut mediâ nocte à drach. ij. ad drach. iij. aut drach.vi. aut etiam vnc. j.(secundùm Montag.) cum decocto Plantaginis maioris , polygoni , rhois culinarij, radicis symphyti , aut cum baccis myrti.

Mithridatium Democratis.

Datur ex vino tepido , cui incocta sit Saluia , magnitudine nucis Auellanæ , seu fabæ Ægyptiacæ , idque ad veneni præcautionem. Post venenum verò , quantitas danda erit quadruplo , vel quintuplo maior , & bis in die , vt euincatur veneni vis.

Mithridatis antidotus , Nic. Mithridatium Andromachi , Gal.

Datur recens à scrup. s. ad scrup. ij. Antiquum à drach. s. ad drach. i. aut drach i. aut drach.ij. ex vino tepido , idque in morbis, in quibus conueniunt. In venenis autem, si datur ad præcautionem , ad fabæ magnitudinem , est assumendum. Si post venenum , quantitas danda erit quadruplo , aut quintuplo maior , & bis in die , vt vis veneni euincatur. Aliqui dant in vino , vel aqua cui incocta sit Saluia , vel mentha quantitate nucis Auellanæ.

Mithridatis antidotus ex Androm.

His qui mediâ sunt ætate, nec febricitant , cum vino datur, aut mulso, aut condito. In obstructionibus iecoris & febricitantibus datur ex aquâ aut mulsâ ea Dosi , quâ præcedentia Mithridatia.

Miua , Rob , Robub , Succus medicatus , Defrutum , Sapa.

Exhibe cum medicinali aliquo , aut cum aquâ simplici, aut brodio, aut cæteris huiusmodi secundùm intentionem diuersam medici. Sed non transcendere debemus propinaturi Rob quantitatem ac dosin vnc. ij. Et vtimur quemadmodum conseruis & serapiis.

Miua cydoniorum simplex.

Præsumuntur vnc. ij. in imbecillitate ventriculi cum aquâ menthæ : & ad alui fluxum cum aqua chalybeata vel plantaginis , per aluum , ante materiæ acrimonia deposita,ne huius vsu suppressi humores biliosi, putridas febres excitent.

Morselli, Morsuli.

Dantur singuli quantitate drac. j. s. aut drach. ij. Hoc est : pro vnâ vice sufficit dimidius morsellus , aut summum vnus, nisi exiguus admodum fuerit , aut aliter morbi ac corporis ratio ponderet. Sumuntur verò diebus singulis diluculo ac vesperi tribus aut quatuor horis à cœna elapsis , hausto prius apozemate.

Mulsa, Aqua Mellis , Hydromeli, Mes.

Largam habet dosin, & arbitrariam, ac rationi corporis atque morbi concessam.

Musa ænea, siue Zazenea , Egetea, Sagenea , vel Azaranei antidotus , Mes.

Exhibetur cum vino ab aurei semisse ad aur. i. Aliquibus à drach.j ad drach. ij.

Mirobalani emblici conditi.

Datur vna mane singulis aliquot diebus , ad sistendum aluum.

Mirobalani chebuli conditi.

Vna similiter dari potest mane diebus aliquot singulis.

N.

Narcotica , seu stupefacientia.

Non vtendum est vehementioribus Narcoticis , nisi maxima necessitas iubeat, neque continuis diebus, sed ex interuallis sunt danda. Horum dosis est à scrup. ij. vsque ad drach. j. cum syr. rof.

Consultius est autem vti primò iis , quæ extrinsecus admoueantur, eaque temporibus illinantur , quam quæ intra corpus sumantur. Cauendum inprimis,ne vnquam membris principalibus, cerebro, cordi, iecori adhibeantur : neque pueris,senioribus, grauidis , ac aliis imbecillioribus applicentur. Respice ad antidota dolorem sedantia.

Nasalia , errhina.

Liquida naribus illinuntur aut iniiciuntur : interdum oleis & speciebus aromaticis calidis admiscentur.

Quæ

Quæ sicca sunt, calamo induntur naribus, vel aliquo liquore aut certa componuntur, & filo naribus induntur. Liquorum vnc. s. vnâ vice infudisse sufficit, vnicè tamen obseruandum, vt qui sumitur, prius os aquâ impleant, ne è naribus per vias siue meatus defluant succi: ac caput in posteriora reclinandum. Neque his vtendum, nisi corpus prius euacuatum fuerit medicamento deiectorio, aut plebotomia. Horum vsus est in longis capitis morbis, comitiali, narium obstructionibus, odoratus difficultate, & oculorum affectibus antiquis.

O.

Opiata.

Vide Narcotica. Nam horum & nomen & pondus commune habent.

Orbiculi, Placenta, Rotulæ, Tabulæ.

Dantur vna vice orbiculi duo, aut tres, plus aut minus pro morbi & corporis ratione. Præbentur diluculo tribus aut quatuor horis ante prandium: vesperi quoque ituris cubitum totidem à cœna elapsis horis.

Oxosacchar simplex, vel compositum.

Datur vtrumque ad drach. v. ad vnc. j. s.

Oxymel. scyllinum.

Sumitur in potionibus ab vnc. s. ad vnc. j. si Eclegmatis modo sumitur, cochlearis mensura. In remediis præparantibus ab vnc. j ad vnc. ij.

Oxymel simplex.

Oximel omne sequitur dosin similium syruporum. Datur illud ab vnc. j. ad vnc. iij. Laxatiuum à drach. iiij. ad drach. vij. In præparantibus igitur remediis sumitur ab vnc. j. ad vnc. ij. In potionibus verò ad vnc. j. vt in prouocantibus vrinam, & frangentibus calculum. In Eclegmate accipitur cochleare.

Oxymel compositum.

Dosin recipit ab vnc. j. ad vnc. iij.

Oximel Iuliani.

Conceditur ab vnc. s. ad vnc. j. mane, meridie, atque sero cum calidâ.

P.

Pastilli trochisci.

Pastilli cùm vsus postulat, triti ex aquâ, vino, aut alio liquore conuenienti dissoluti propinantur, & ebibendi exhibentur. Nonnunquam Antidotis, saccharo, pilulis, clysteribus, vnguentis, aliisque eiusmodi commiscentur.

Qui grati palato sunt pastilli, & minùs efficaces & sine Opio, & intus assumendi citra compositionem aliorum medicamentorum, eorum dosis erit à drach. s. vel drach. j. vel drach. j. s. aut aliquando ad drach. ij. pro vnâ vice tales sunt pastilli de Bolo, Terra sigillata, &c.

Si sunt ingrati & magis efficaces, & cum Opio, à scrup. s. ad scrup. j. aut etiam scrup. j. s. tales sunt trochisci de Rheobarbaro, de Eupatorio, &c.

Si caustici & vrentes sunt, & exulceratæ parti adhibendi sunt maior quantitas est vitanda, ea tamen audacius admittenda, cùm ab iis cutis tantum attingi debet. Verùm Pastillorum causticorum & acrium quantitas minuenda augendáue pro ratione partium, & personarum diuersitate.

Non vrentes Trochisc. extrinsecus apponendi & absque opio à drach. s. ad drach. j. præscribuntur.

Aperimus aliquando trochiscis illis partem aliquam corporis, in quâ si magna est apertura facienda, maior quantitas, si verò parua, minor requiritur. Aperitiui tamen pastilli non debent exhiberi vltra quantitatem scrup. j. aut drach. i.

Trochisci porrò omnes, exceptis causticis, rarò per se & Trochiscorum formam seruantes, vsurpantur.

Dissoluuntur enim, & in puluerem rediguntur. Et tantùm de iis addendum, vel detrahendum, quantùm natura eorum quibus commiscentur, postulabit.

Si enim cum saccharo, vel cum syrupo grato, grati assumantur, multùm illorum addere non erit inconueniens. Cæterum pastilli soli ad suffumigia & cauteria instituti, suam figuram seruant, & retinent, in eáque quantitate, quam volumus vsurpantur, tales sunt pastilli Gall.

Pastil.
- de Absynthio, Mes. datur cum succo vel aquâ destillatâ, absynthij, eupatorij, apii aut intybi mensurâ communi pastillorum.
- de Agarico, Mes. à drach. i. ad drach. ij. aut drach. iij. datur tritum ex vino, aquâ vel conuenienti liquore.
- Alkekengi, Mes. datur drach. i. cum Iulep, aut hydromelite, febri carentibus ex vino dulci, aut sapa Febrientibus verò ex vino optimè diluto.
- Alhandaal, siue colocynt. Mes. si per se sumatur à Gr. vi. aut Gr. xii. Nos drach. i. integram etiam securissimè & saluberrimè infuso ad affectus permisimus.
- Aliptæ moschatæ, Nic. Commune pondus habet Trochisc.
- Becchij albi & nigri, dantur communi pondere pastillorum.
- de Berberis, Mes. à drach. i. ad drach. i. s. aut drach. ij, ex vino dilutiori vel conuenienti aqua.
- de Camphora, Caphura, Nymphæa, Mes. à drach. i. ad drach. i. s. aut ii.
- è Charabe, Electro, seu succino, Mes. sumitur drach. i. cum aqua, aut succo plantaginis, vel polygoni, vel similium, aut vino granatorum, aut omphacio non salso, aut vino austero, imbecillo, & aqua pluuiali chalybeata.
- de Capparibus, Mes. Datur aureus vnus ex vino, in quo radices capparum, cortices fraxini & tamaricis, aut eorum turiones & cymæ incoxerint.
- Colocynth. Mes. Exhibet Marandus pondere scrup. i. sed securissimè & saluberrimè drach. i. infuso permisimus.
- Diarhodon, Mes. datur sextula, seu sexta pars vnciæ cum Zulapio rosarum vel nymphææ.
- de Eupatorio, Mes. Datur cum infuso cancami & oxymelite drach. i. plus minúsue, pro scopo.
- de Galliâ moschatâ, Mes. potest sumi multis matutinis horis à drach. i. ad vnc. s. ex vino, iure, vel aquâ destillata idonea, tutò.
- de Halycacabo, Mes. Pondus aliáque communia habet cum Troch. Alkekengi.
- è Myrrha, Rhazis. Exhibentur ex decocto seminis Iuniperi efficacissimè pondere drach. i. aut drach. i. s.
- Oxyacanthæ, Mes. vel Nic. Ex vino diluto vel aqua conuenienti mensura drach. i. s. aut drach. ii.
- de Rheo, Mes. Datur drach. i. ex aqua aut vino pro ratione & naturâ affectuum aliorúmque indicantium.
- de Spodio, Nic. Datur drach. i. s. aut drach. ii. ex vino, vel alio potu austero congruo.
- de Spodio cum semine Oxalidis, Mes. exhibetur drach. i. cum aquis idoneis in siti & æstu febrili, & in alui fluore ac dysenteria cum aqua Plantaginis, aut vino austero, aqua chalybeata diluto, si febris adest, vel drach. ii. clystere iniectæ.
- de Terra sigillata, Lemnia, Lemnio sigillo Mes. Dosis est pro vna vice drach. s. vel drach. i. Mesue dat cum aqua infusionis spodii, gummi, boli Armeni, spicæ. Ad sputum sanguinis ex Thorace vel pulmone reiecti sumitur cum aqua portulacæ. Ad excoriationem, cum succo cydoniorum, vel alio astringenti. Ad Hæmorrhagiam partium infernarum iniicitur cum aqua bursæ pastoris.
- è Vesicariis Dosi & aliis conueniunt cum Troch. Alkekengi.
- Cæteri Pastilli mensurantur communi dosi.

Philonium Gall.

Datur quantitate nucis Ponticæ adultis, minoribus fabæ, pueris ciceris, cum potione conueuienti.

Philonium maius siue Romanorum, Nic.

Dosis est adultis & suspiriosis magnitudo auellanæ. Minoribus & delicatioribus & debilibus, fabæ paruæ. Pueris ciceris, in potu conuenienti. Modò enim posca, modò vino, modo in oxymelite propinatur. Nam stomachicis datur cum succo hypocistidos & vino pauxillo. Suspiriosis cum thymi aut pulegii decocto, Sanguinem expuentibus cum polygoni succo propinamus. Nauseabundis & in stomachi morsibus cum absynthii, aut pulegii decocto. Tussientibus cum vino mulso. Peripneumonicis cum hydromelite. Contra indigestionem stomachi, & vomitum cum posca. Contra dolorem Hepatis cum œnomelite. Spleneticis & Auriginosis cum oxymelite subuenit. Montag. dat post cibum per vnam horam, cùm oportet prouocare somnum. Quando verò sedare dolorem aut fluxum cohibere, exhibetur per quinque horas ante cibum.

Philonium, Mes.

Dosis est adultis magnitudo auellanæ. Minoribus fabæ, Pueris ciceris cum potione conuenienti.

Philonium Persicum, Iohan. Dam.

Exhibet Montag. à drach. i. ad drach. iii. post cibum per vnam horam cùm somnum prouocare oportet. Quando verò sedare dolorem, aut fluxum cohibere, exhibet per quinque horas ante cibum. Bibitur autem dissolutum cum succo plantaginis ad menstrua retinenda, Hæmorrhoidas, ventris fluxum, vomitum & sputum sanguinis, & ad fluxum menstruorum mittatur in vuluam, & ad fluxum sanguinis excoriatiuum clysterizetur.

Pilulæ. Catapotia.

Exhibentur media nocte à leuissimè cœnatis, aut post primum somnum, vt à cibo liber ventriculus in iis conficiendis libe

liberiùs exerceatur. Tunc enim crassæ & duræ, vt diutiùs & potentius agant, & à toto corpore attrahant. præbentur: quo tempore tardiorem moram ad actiones suas in ventriculo desiderant. Sed hoc tempore non omnia catapotia exhibentur.

Nam cum ventrem totum inferiorem, ventriculum & primas venas leuiter exonerare volumus, & nauseabundum stomachum confirmare leuibus catapotiis, vt sunt Rufi, Mastichina, Ex aloe: quæ horâ vnâ ante cibum, aut etiam post exhibentur, túncque paruâ quantitate sumpta, abundè purgant, vnáque potum & cibum absque noxiâ deturbant.

Reliqua genera catapotiorum exhibentur manè horâ vnâ, duabus aliquando, quinque aut sex ante epulas.

Vt porrò faciliùs deuorentur, inuolui tutò possunt prunorum aut pomorum palpâ. Aut pane azymo vino molliter perfuso. Aliqui ex ouo sorberi iubent. Dosis pilularum communis est, & summa drach. s. raro autem excedimus scrup.iiii. Licet tamen plus minusve pondus constituere, pro pilularum, corporum & naturarum diuersitate.

Pilularum igitur imbecilliorum, quales sunt, Alephanginæ, stomachicæ, &c. Dosis est à scrup.i.ad drachm.i. vel drach.ii. si fortè sumantur duabus aut tribus horis à cibo. Si verò deuorantur vnâ aut duabus horis ante cibum, est Dosis à scrup.i. ad drach.s.

Pilulæ mediæ siue fortiores, quales sunt de Agarico, Aggregatiuæ, &c. sumuntur à scrup.s.ad scrup.iiii.

Pilulæ fortissimæ & vehementissimæ, vtpote sunt de lapide Lazuli; Euphorbiæ, Indę, &c. assumuntur à scrup.i.ad drach.i. vel scrup.iiii.

Pilulæ dantur

- de Agarico, Mes. à scrup.s.ad scrup.iiii.
- Aggregatiuæ, Mes. à scrup.s.ad drach.i.vel scrup.iiii.
- Alephanginæ, Mes. Dantur innoxiè à drachm. i. ad drach.ii. aut drach.ii.s.
- de Aloë, à scrup.i.ad drach.i.
- Arabicæ, Nic. à drach.i. ad drach.ii.
- Aromaticæ, Mes. innoxiè præbentur à drachm. i. ad drach. ii.
- Arthriticæ, Nic. à drach.s. ad drach.ii. dantur semel, aut qualibet septimanâ.
- Assaiereth, Auicen. à drach. i. ad scrup. iiii. aut etiam drach. ii.
- Aureæ, Nic. à scrup.i.ad drach.i.vel scrup.iiii.
- de Bdellio maiores, Mes. à drach.ii.ad aur.ii.
- Bechicæ, Mes. à drach. i. ad drach.i.s.
- Benedictæ, Nic. à drach.i.s.ad drach.ii.s.
- Coccia, Rhazis, à scrup.ii.ad scrup.iiii.aliquibus à drach. i. ad drach.iii. cum vino calido limphato.
- de Colocynthide, aut Nitro Alex. à scrup.iii. ad scrup. iiii. deducuntur sine molestiâ in adultioribus & robustioribus ad scrup.vi.
- Communes, à drachm. i. ad scrup. iiii. certus & tutus earum vsus est in contagione pestiferæ luis præcauendâ, si quotidiè vacuo stomacho ex his globulus scrup. i. aut etiam maiore pondere sumatur.
- è Cynaglosso, Nic. à scrup.i.s.ad drach.i.
- de Eupatorio maiores, Mes. à drach. i. ad scrup.iiii.aut drach. ii. cum aquâ casei.
- de Euphorbio, Mes. à drachm. s. ad drach.i. non sunt vtendæ, nisi in magna necessitate, & robustis corporibus.
- Fœtidæ maiores & minores, Mes. dari possunt fortibus à scrup.i. ad drach. i. Nam drach.i. abundè purgat. Harum vsus per se non est tutus.
- de Fumo terræ, Auicen. à drach.ʒ.ad drach.ii.
- de Hierâ cum Agarico. à scrup.i.ad drach.i.
- de Hierâ fœtidâ, à scrup.i.ad drach.i.
- de Hierâ simp. à drach.j. ad scrup. iiii.
- de Hermodactylis maiores & minores, à drach. i. ad scrup. iiii. aut drach.ii.
- Imperiales à drach.i. ad scrup.iiii.
- Indæ, Mes. à scrup.i.ad drach.i. vel scrup.iiii.
- de lapide Armenio, Mes. à scrup.i. ad drach. i. s. pro virium noxii humoris ratione.
- de lapide Cyaneo, aut Lazuli, Mes. tutò & sine molestiâ purgant à drach.ʒ.ad drach.i.s.
- Lucis, siue Oculares maiores, & minores, Mes. à drach. i.ad scrup.iiii.aut drach.ii.
- Masticinæ Conciliat. è drach.i. ad scrup.iiii.aliquibus ad drach.iiii. conceduntur.
- de Mezereo, Mes. à scrup.ii.ad drach.i.aut scrup.iiii.
- Myrrhinæ, à drach.i.ad drach.ii.
- de Nitro, Alex. à drach.i.ad scrup.iiii.aut scrup.v.
- de octo rebus; à drach. i.ad scrup.iiii.
- Oculares maiores & minores, à drachm. i. ad scrup. v.
- de Opoponace, Mes. à scrup. ii. ad aureum.i.cum aquâ Chamæpytios.
- Pestilentiales, eam vendicant Dosin, quam habent communes.
- de Quinque generibus myrobolanorum, Nic. à drach. i. ad scrup. iiii.
- de Rhabarbaro, Mes. à drach.i.ad drach.i.s.aut drach.ii. aut etiam plus. Musa in autumno aut hyeme in pituitosis febribus exhibet scrup. i. alternis diebus sumendum.
- de Sagapeno, Mes. à scrup.i.ad drach.i.
- de Sarcocollâ, à scrup.s. ad scrup.iiii.
- de Serapino, à scrup.i.ad drach.i.
- Sine quibus esse nolo, Mes. à drach.i.ad drach.ii.
- Stomachicæ, Mes. à scrup. i. ad drach. ii. aliquibus, à drach.i.ad drach.ii aut drach.iii.

Plures Archonticon, Nic.

Dosis est à drach.i.ad vnc.s.

Potiones.

Vide infrà Purgantia.

Puluis, Suffus. Tragea, Dragœa, Tragema, Tritura.

Pulueres cordiales, stomachi, cerebrales, pectorales ponderantur iuxta efficaciam suam, vel secundùm remediorum formam, aut ad ea, quibus commiscentur, vel secundùm scopum, vel secundùm diuersam præparationem.

Omnes pulueres suauiores, si in brodio, aut aliquâ aquâ excipiantur à scrup. i. ad drachm.i. sumentur, vt puluis Aromatici ros. Diasantali, Diarhodon Abbatis, &c.

Efficaciores autem pulueres, vt Diacameron, de Gemmis, Confect. Alkermes, in formâ Opiatæ, à scrup. s. ad scrup. ii.

Si vino admiscentur, vel aquis efficacioribus, vt ex aqua vitæ, tunc minuitur dosis.

Puluis

- Alexipharmacus, seu Bezoardicus, sumitur ex vino per se odoro & grato, aut cum Syrupo citrio, aut ribes mixtura adornatur, à drach.s ad drach.i.
- ad Casum, vel præcipitatos, propinatur cum vino astringenti, drach.i. plus, minúsue.
- Confectionis Alkermes, à scrup.s.ad scrup.ii.
- Cordialis drach.cum vnc.i.decoctionis capi.
- Diacameron, à scrup.s.ad scrup.ii.
- Diamargaritonis frig. à scrup.i. ad drach.i.sumitur in brodio vel aquâ aliquâ.
- Diarhodon Abbatis, à scrup.i. ad drach.i.
- Diasantali, à scrup.i.ad drach.i.cum brodio vel aliquâ aquâ.
- Diatragacanthi, in crassantibus à drachm. i. ad drach. iii.
- Diairis simpl. à drach. s.ad drach.i.vel drach.ii.
- Diairis Salomonis, à scrup.s.ad vnc.s. augendo vel minuendo pro remedij formâ.
- Ducis à drach. ii. ad drach. i. vel drach.ii. manè & vesperi ante prandium & cœnam, in pane tosto & macerato in vino optimo.
- de Gemmis à scrup.s.ad scrup. ii.
- Laxatiuus, datur quasi vnum cochleare,
- Limaturæ chalybi, drach. i. plus minúsue pro scopo,

Puluis

- ad Lumbricos, datur à drach. i. aut drach. i. s, ex vino aut aquâ Portulacæ,
- ad Partum, Serap. exhibetur drach.i.cum decocto anisi & mastiches.
- Contra Pestem, sumuntur quasi drach. ii. s. ieiunè ex vino optimo & odoro.
- Pituitam purgans, sumitur ieiunè ex pulli iusculo, aut idoneo liquore drach.i.vel drach.i.s.
- Purgantes, dissoluuntur communiter cum iure aliquo pulli, vel alius carnis aut ptisana hordei, aut ex vino, vel alio liquore conuenienti, ieiunis & diluculo appetente. Rarò tamen dantur pulueres purgantes, nisi in formâ potabili cum aquis, decoctis & syrupis, quorum potus fit pro vnâ dosi cochleare vnum aut medium, per horam ante prandium.
- Roborantes, de his pulueribus exhibe manè ieiunis drach.i. aut drach.ii. super pane tosto in vino optimo macerato per horam ante prandium, vel longè à pastu. Vesperi eodem planè modo ac pondere, iterum præbentur.
- Senæ, Montag. Potest dari in iusculo ad vnc.s. Cordus dat drach.i. ante cœnam.
- Solutiui, à scrup.i. ad drach.i. cum cyatho medio aquæ hordei, brodij carnium aut vini.

Pulueres è Turbith, Auicen.

A scrup.i.ad drach.i.plus minúsue pro ratione status. Alij qui per os sumuntur à drach.i. vel drach.ii.

Purgantia,

Purgantia, Cathartica, Solutiua, Lenitiua, Potiones purgantes.

Cathartica primo gradu distantia à constitutione corporis nostri, qualia sunt, quæ lenissimè & lubricè purgant, vt syr. violatus, Cassi, &c. quouis tempore sine periculo exhibentur ab vnc.i.minimâ dosi,ad vnc.ii.mediocrem dosin,& ab hâc ad vnc.iiii.dosin maximam.

Secundo verò gradu distantia, vt sunt Opiata omnia, myrobalanorum omnia genera, & quæ leniter purgant ac attrahunt,dantur minimâ dosi ad vnc.s.Mediocri ad vnc. i. Maximâ ad vnc.ii.

Tertio gradu distantia, vt sunt vehementiùs purgantia, quibus vtimur ætate confirmatâ, valentibus viribus & tempore selecto, dantur minimâ dosi ad drach. i. Mediocri ad drach.i.s.Maximâ ad drach.ii.

Quarto gradu distantia, vt sunt pilulæ de Euphorbio, sagapeno,Colocynthide,&c.quæ vehementissimè attrahunt, & quibus nunquam vtimur, nisi magnâ necessitate & correctis & diligenter præparatis, dantur minimâ dosi ad scrup.i. Mediocri ad scrup.ii.Maximâ ad vnc.i.

Clementiora igitur (à quibus semper inchoandum est) dabuntur ad vnc. s. interdum vnc. i. talia sunt: Antid. è prunis Damasc.è mannâ,&c.

Vehementiora autem valentiora præbentur ad drach. vi. aut paulò plus minúsue pro ætatis, sexus, anníque temporum ratione,& pro sumentis viribus.

Purgans decoctum.

Dantur vnc. iii. de decocto pro vnâ vice diluculo ante cibum horis tribus vacuo stomacho.

Purgatorius Bolus.

Vide supra, Bolus purgatorius.

R.

Requies Nicolai.

Datur quantitate castaneæ, aliquibus à drach. i. ad. drach. iii. ex syr. violato. Exhibetur quibusdam cum syr. violato,in quo semen lactucæ tritum per noctem infusum fuerit. Datur etiam cum syr. rosato aqua rosacea temperato, aut etiam ab his postea expressa, licet non ita præsenti auxilio. Lectum petituris propinari debet, longo ante interuallo præsumpto cibo. Ex his vero tritis in aqua coctis & cum saccharo conditis, syrupus ad insomnium non inefficax parari potest.

Rhodomeli cathart. Actuar.& Aëtij.

Datur à drach.iiii.ad drach.vi.

Ribes succus.

Datur cum aqua frigida aut niuis, à drach. ii.ab vnc.i.ad vnc.ii.

Rob, Robub, Miua, Succus medicatus.

Vide supra Miuarum Dosin generalem.

Rob de Ribes.

Ab vnc.i.ad vnc.ii.

Rob de Berberis.

Datur quasi ab vnc.i.s.vel vnc.ii.

Rosata nouella, Nic.

Dilui debet syr. violaceo aut rosaceo, aut decocto prunorum aut hordei:& datur quasi vnc.s.Montag.vnc.i.

Rotulæ.

Dantur à drach. i. ad drach. ii. manè ac vesperi tribus aut quatuor horis ante prandium,& totidem à cœnâ. Vide suprà Morselli.

Rubia trochiscata.

Dantur vnciæ mediæ quantitate.

S.

Saccharum rosatum.

Dosin habet ab vnc. s.ad vnc. ii. serò, mane atque meridie.

Saccharum buglossatum.

Præbetur ab vnc.i. ad vnc.ii.

Saccharum candum.

Datur vnc. s. vel vnc. i. plus minúsue pro statu sumentis.

Saccharum violatum.

Datur vnc.i.manè atque meridie.

Sacchara reliqua quantitate auellanæ, vel vnius cochlearis præbentur quauis hora,post cibum.

Sapa.

Quantitas eadem est Sapæ,Sacchari atque mellis.

S O L V T I V A.

Quære Purgantia.

S O M N I F E R A.

Quære Antidota Somnifera.

Species Aromaticæ.

Præbentur communiter à drach. i. ad drach.ii. mane ac vesperi, tribus aut quatuor horis ante prandium, & totidem à cœna.Plura inuenies in Tit.Confect.Aromaticæ.

S T V P E F A C I E N T I A.

Horum pondus repete ex Opiatis. Narcoticis, & Antid Stupefacientibus.

Succus medicatus.

Pondus horum succorum generale præscribitur in Tit. Miua.

Succus granatorum.

Datur ab vnc.i.ad vnc.ii.cum aliquâ aquâ congruâ.

Succus rosarum purus.

Præbetur ab vnc.i.ad vnc.ii.cum saccharo.

Succus viol.

Exhibetur ab vnc.i.ad vnc.ii.

Succus fumi terræ.

Præscribitur ab vnc.i.ad vnc.ii.

Suffuf.

Respice Tit. Puluis.

Syrupi, Serapia.

Syrupi aquis destillatis commiscentur hoc modo. Syruporum dosis est drach. ii. aliquibus à drach. vi. ad vnc.i.vnc. i. s. vel summe ad vnc. duas. Aquarum verò appropriatarum, vel decocti dupla mensura admiscetur ad syruporum mensuram vnam, vt, si fuerit syrupi vnc.i. aquarum admiscendarum erit mensura dupla,hoc est,vnc ii.

Syruporum autem, & aquarum mixitioni quantitas non aut rarò debet transcendere vnc.iiii.pro vnâ vice bibenda.

Exhibentur plerumque omnes syrupi manè, antea quidem igne aut feruente aquâ calefacti. Interdum etiam vesperi, & iam dormituris propinantur, & tum potissimè, vbi somnus est conciliandus.

Cùm autem præbentur diluculo, repetuntur per dies quatuor,horis tribus ante cibum.

Syrupus
- de Absynthio,Mes.ab vnc. i. ad vnc.ii. datur per se, si materia,quæ lædit appetentiam, est frigida: si autem calet,datur cum frigidis.
- Acetosus simplex Mes. ab vnc. ii. ad vnc.iiii & ipso sumpto post horas duas bibantur vnc. iiii. aquæ hordei.
- Acetosus compos.Mes.ab vnc.i.ad vnc.iii.
- de Agrestâ,Mes.ab vnc.i.ad vnc. ii.
- Aranciorum acetosorum, ab vnc. s. ad vnc.i.s. aut plus.
- de Artemisiâ, Matth.ab vnc.s.ad vnc.i. s.vel vnc.ii.
- de Boragine,ab vnc.i.ad vnc.iiii.
- Bizantinus,Mes.ab vnc.i.ad vnc.iii.
- de Calamento,Mes.ab vnc.i.ad vnc.ii.
- de Capillis Veneris,ab vnc.ii.ad vnc.v.
- de Cichorio cum rheo, Nic.ab vnc. i. s. ad vnc.iiii. cum aquâ appropriatâ.
- de Corticibus citri,Mes.ab vnc.i.ad vnc.ii.pro statu.
- Cydoniorum simpl. Mes. ab vnc. i. s. ad vnc.ii. vel plures, quæ præsumuntur cum aqua menthæ. & ad alui fluxum cum aqua chalybeata aut plantaginis, per aluum ante materiæ acrimonia deposita.
- Endiuiæ,ab vnc.ii.ad vnc.iiii.
- de Epithymo, Mes. ab vnc.ii.ad vnc.iiii,aut vnc.vi. cum aqua lupuli, intybi,fumariæ,aut boraginis.
- de Eupatorio,Mes.ab vnc.i.ad vnc.i.s.
- de Fumo terræ, Mes. sumitur cum aqua intybi vel buglossi ab vnc. i. ad vnc. iii. aut vnc. iiii.cum aqua conuenienti.
- de Glycyrrhiza,Mes.ab vnc.ii.ad vnc.iiii.aut vnc.v vel plus.

Syrupus
- de Granatis acidis,Mes.ab vnc.i ad vnc.ii.
- de Hyssopo,Mes.ab vnc.i.ad vnc.ii.vel vnc.iii.
- de Iuiubis,Mes.ab vnc.i ad vnc.tres.
- Intybi simplex,ab vnc.ii.ad vnc.iii.
- de Lupulo,ab vnc.i.ad vnc.ii.
- de Limonibus,ab vnc.i.ad vnc.ii.aut plures.
- de Mentha,Mes.ab vnc.i.ad vnc.ii.aut vnc.iii.
- Myrthinus,Mes.ab vnc.s.ad vnc.i.s.
- de Nymphæa simpl. ab vnc, s.ad vnc.i.vel vnc.i.s.
- de Papauere,ab vnc.s.ad vnc.i.
- è Persicorum florum infusione, ab vnc.i.ad vnc.iii.
- è Pomis,ab vnc.s.ad vnc.i.
- de Portulaca,Mes.à drach ii.ad vnc.i.
- de Prasio,Mes.ab vnc.s.ad vnc.i.aut vnc.ii.
- de Quinque radicibus,ab vnc.i.ad vnc.ii.vel iii.
- de duabus Radicibus,ab vnc.ii.ad vnc.iiii.
- Rosatus simplex, aut ex infusione rosarum, Nic ab vnc. i. s. ad vnc. ii. aut vnc. iii. vel etiam vnc iiij.
- de Scolopendria,ab vnc.i.s.ad vnc.ii.vel tres.
- de Stœchade.Mes.à drach.ii.ad vnc.i.
- de Succo acetosæ,Mes.ab vnc.s.ad vnc.i.s.

è Succo concurbitæ. Mes. à drach. *ij.* ad vnc. j.
è Succo citri acido, Mes. ab vnc. s. ad vnc. *j.* s. vel vnc. *ij.* sumitur cum duplâ aquâ contra bilem. Ad sitim & calorem febrilem longè à cibo frequenter sumitur die unc. *ij.* cum quadruplo aquæ.
de Thymo, ab vnc. *i.* ad vnc s. *iij.*
Violatus simplex & compos. aut ex infusione violarum ab vnc. *j.* ad vnc. *ij.* Montag. ab vnc. *ij.* ad vnc. *iij.* præscribitur.

T

Tabulæ.

Præscribuntur Tabulæ, vt Morselli, à drach. j. ad drach. j. s. vel drach. *ij.* manè ac vesperi tribus, aut quatuor horis ante prandium & totidem à cœnâ. Vide suprà Morselli.

Theriaca Andromachi.

Dosis eius est diuersa pro quantitate & qualitate cuiusque morbi. Exhibetur cum conuenientibus liquoribus. Et dosis eius augetur vel minuitur, aut iteratur pondere vnius lupini vsque ad drach. j. s. aut etiam drach. duas, penes malignitatem, vel amicitiam, vel quantitatem veneni, vel morbi: penes distantiam membri læsi, & penes tempus, complexionem, regionem, & ætatem confectionis ipsius.

Quando pueris est danda Theriaca, præscribetur à scrup. s. ad scrup. *j.* tantùm, idque in valde senibus pondus obseruandum.

Datur aliquibus hæc Theriaca ad præcautionem veneni quidem fabæ Ægyptiacæ magnitudine semel cum tribus aquæ calidæ cyathis. Ad curationem verò sumpti iam veneni, quotidiè bis detur, quadruplo aut quintuplo aucta cum vino.

Capitur etiam horâ somni, vel manè vel vtroque tempore. Manè quidem his, qui die ægrotant: Vesperi verò, quibus nox est molestior. Danda autem potui nec recens nimis nec vetustate perarida, sed quæ est ab anno quinto, sexto, septimo vtpote vigentior & validior. Etsi potens est ad annos triginta.

Dare oportet theriacam, cùm probè concoxerit, qui sumpturus est ipsam, neque cibis refertus sit. Bibat ieiunus, & iube, vt sufficienti tempore abstineat à cibis, vt medicamentum hoc concoqui possit. Æstate hæc danda non est, neque existentibus in vigore ætatis, neque sæpius admodum est exhibendum.

Sed iis, qui iam vitæ declinationem attigerunt, pituitosis, nauseabundis & laborantibus cruditate, quique cibum non appetunt ex melancholiâ aut frigiditate, qui stomachi inflatione laborant, & vteri malis, non cum aquâ, sed cum vino veteri bono hanc frequenter & plurimam exhibere conuenit. In biliosis autem, febricitantibus, & valde pueris omninò vitare oportet exhibitionem.

Theriaca diatessaron, Mes.

Pauperibus & non multum pecuniâ abundantibus hæc pertinet Theriaca. Dosis eius est ab aur. s. aut drach. j. ad aur. *j.* vel drach. *ij* Contra venenum & venenata à drach. *ij.* ad drach. *iij.* cum vino, aut congruo liquore.

Theriaca magna, Nic.

Datur à drach. j. ad drach. *ij.* cum aquâ lactucæ, Cichor. vel violarum, vel oxysaccha, vel oxymelite simplici.

Trigenta, Tragema, Tritura.

Referuntur hæc ad puluerum mensuram.

Trochiscus.

Quære Pastillus.

Tryphera magna, Nic.

Exhiberi potest à drach. j. ad drach. ij. aliquibus ad vnc. *j.* Sed etiam ad drach. x. progressus non est inutilis & noxius, cum aquâ lactucæ, cithor. violarum, oxysacch. aut oxymel simpl. vel alio conuenienti liquore.

Tryphera Sarracenica, Nic.

Datur ea quantitate Castaneæ.

Tryphera Sarracenica, Mes.

Præbetur à drach. j. ad drach. *ij.* quibusdam ad vnc. s. ad vnc. j.

Tryphera Persica, Mes.

Ab vnc. s. ad vnc. j. & tutò ad drach. x. progredimur, cum aquâ cichor, grami lupuli, cum ser. fum. vel bugloss. In magno æstu, & feruore biliosorum & calidorum humorum in bolo exhibetur, aut dissoluitur liquore endiuiæ atque solatri.

Tryphera minor Phœnonis.

Dosin habet à drach. i. ad drach. *iij.*

V

Vomitoria.

Composita vomitum elicientia sumuntur à cibo ab vnc. j. s. ad vnc. *ij.* tepida. Quantitas verò decocti ex simplicibus, nimirum semine raparum, nasturcio, & aliis vomitum cientibus simplicibus, est vnc. s. cum vnc. *ij.* oxymelitis. Quæ mediocriter vomitum eliciunt, ieiunis etiam propinari possunt. Aliàs post assumptionem ciborum acrium & salsorum post coctionem humorum & corporis præparationem. Quæ igitur vehementiora & valentiora sunt vomitoria, iis confert præsumere paucum cibum: neque danda sunt hæc, nisi quando strangulatûs fuerit suspicio.

Z

Zaccharum.

Vide Saccharum.

Zazenea, Mes.

Exhibetur cum vino ab aur. s. ad aureum integrum.

Zingiber conditum.

Insumitur à drach. j. ad drach. j. s. vel drach. *ij.* aut vnc. s.

Zulapium.

Quære Iulapium.

FINIS

Dosium medicamentorum omnium compositorum, quæ hodiè veniunt in vsum.

SEQVVNTVR TABVLÆ VSITATORVM COMPOSITORUM species præcipuas continentes.

TABVLA I.

Pharmaca omnia composita sunt interna, aut externa.

INTERNA, quæ sumuntur intra corpus, & eorum sunt 12

1 Syrupi.
2 Purgantia.
3 Species aromaticæ siue confectiones.
4 Conseruæ seu condita.
5 Troschisci siue Pastilli.
6 Loth, seu Eclegmata.
7 Stupefacientia, vel somnifera.
8 Vomitoria.
9 Errhina.
10 Masticatoria vel Apophlegmatismi.
11 Odoramenta.
21 Suffimigationes.

Purgantia liquida, vt
Potiones, Infusiones, Decocta, Clysteres.

Purgantia solida, vt
Bolus, Pilulæ, Suppositoria.

EXTERNA *& topica seu localia dicta, quæ extrinsecus admouentur corpori.*
Olea, Vnguenta, Emplastra, Cerata.

TABVLA II.

De Syrupis & Aquis vnum quemlibet humorem concoquentibus.

SYRVPI PRAEPARANTES
Pituitam.

Clementiores.	*Valentiores.*
Mel rosaceum.	De duab. radic.
Oxymel simplex.	De quinque radic.
Oxymel compos.	Oxymel scyllit.
Syr acetosus.	Syr. de Stœchade.

Aquæ.
Fœniculi, Apij, Absynthij, Saluiæ, Nepetæ. Asparagi: Menthæ, Petrosellini, Decoct. rubiæ.

Syrupi præparantes bilem flauam.

Clementiores.	*Valentiores.*
Syrup. violaceus.	Oxysaccharum.
Syr. ros. ex infusione.	Syr. de Granatis.
Syr. de succo ros.	Syr. de Limonibus.
Syr. de Endiuiâ.	Syr. de acetositate citri.
Syr. de Cichorio simpl.	Robub de Ribes.
Syr. de Cicho. cum Rheobar.	
Syr. de succo acetosæ.	
Syr. de Agrestâ.	
Syr. de Nymphæâ.	

Aquæ.
Violarum, Endiuiæ, Acetosæ, Cuscutæ, Lactucæ, Portulacæ, Nymphææ, Cichorii, Plantaginis, Solani.

Syrupi præparantes bilem atram.

Clemen

Clementiores	*Valentiores.*
Mel. rosac.	Syr. de Thymo.
Syr. de Lupul.	Syr. de Epithymo.
Syr. de Fuma.	Syr. de Pomis.
Syr. de Byzantiis.	Syr. de calamenth.
Oxymel simpl.	Syr. Scolopen.
Oxymel compos.	
Syr. de Buglossa.	

Aquæ.

Melissæ, Basiliconis, Lupulorum, Fumariæ, Absinthij, Boraginis, Buglossæ, Scolopendriæ, Maioranæ, Florum Sambuci, Florum Genistæ.

TABVLA III.

De Syrupis & aquis cuilibet membro appropriatis.

Syrupi concoquentes pituitam.

In capite.

Mel rosac. Syr. de Stœchade.

Aquæ.

Saluiæ, Bethonicæ, Maioranæ, Rorismarini.

In thorace.

Mel violac. Syr. de Hyssopo. Syr. de Prassio. Syr. de Calamentho.

Aquæ.

Scabiosæ, Capil. Veneris, Hissopi, Saluiæ, Enulæ campanæ.

In ventriculo.

Mel rosac. Syr. de menthâ, Syr. de Absynthio.

Aquæ.

Menthæ, Absynthij, Melissæ, Fœniculi.

In hepate.

Syr. de absynthio, Syr. de Eupatorio, Oxymel simp. Oxymel compos.

Aquæ.

Cuscutæ, Cichorij, Absynthij, Apij, Eupatorij.

In liene.

Syr. de Eupatorio, Syr. de Thymo, Syr. de Calamentho, Oxymel simplex, Oxymel compositum.

Aquæ.

Cuscutæ, Genistæ, Scolopendriæ, Calamenthi, Buglossæ.

In renibus.

Syr. de duab. radic. Oxymel simp. Oxymel compos.

Aquæ.

Asparagi, Saxifragiæ, Fœniculi.

In vtero.

Syr. de Artemisiâ, Syr. de Rubeâ tinctorum, Oxymel simplex, Oxymel compos.

Aquæ.

Artemisiæ, Matricariæ, Melissæ, Nepetæ, Fœniculi.

AD BILEM FLAVAM.

Syrupi & aquæ concoquentes bilem flauam.

In capite.

Syr. de Nymphæâ: Syr. de Papauere.

Aquæ.

Lactucæ, Plantaginis. Nenupha.

In thorace.

Syr. viol. de Iuiubis, de Liquiritiâ, Iulep. viol. De Papauere.

Aquæ.

Hordei, Violatum, Capil. Veneris.

In ventriculo.

Acetosæ, Syr. Myrtillorum, de Cydoniis, de Agrestâ, de succo acetosæ.

Aquæ.

Lactucæ, Cichorij, Acetosæ, Plantaginis, Rosarum.

In hepate.

Syr. de succo Endiuiæ. De Cichor. cum Rheobar. Acetos. simpl. De Bizantiis.

Aquæ.

Endiuiæ, Acetosæ, Cichorij, Portulacæ.

In liene.

Viol. Acetos. simpl, Syr. de duabus radic.

Aquæ.

Endiuiæ, Buglossi, Boraginis, Scolopend.

In renibus.

Syr. acetosus simpl. Syr. acetos. compos. Endiuiæ, Violarum.

Aquæ.

Endiuiæ, Maluæ, Sem. commu. frigi. Solatri.

In capite.

AD BILEM ATRAM.

Concoquentes bilem atram.

In capite.

De Lupulis, De Fumo terræ, De Pomis, Oxymel.

In ventriculo, hepate, liene.

Mel rosac. De Thymo, De Epithymo, Oxymel.

Aquæ.

Melissæ, Basiliconis, Fumariæ, Boraginis, Buglossæ, Scholopend. Maioranæ.

TABVLA IV.

De purgantibus liquidis, siue potionibus, humorem vnumquemlibet.

Pituitam purgant.

Simplicia componenda.

Hermodact. drach. ij. cum Cinamomo, Myrobal. embli. drach. ij. Euphorb. drach. j. cum Tragacantho. Turbith. drach. ij. cum Mastiche, Epithymi drach. vj.

Singul. cum decoct. ad vnc. iij

Hyssoppi, Prassij, Orig. Menthæ. ana, M. s.

Composita.

Clementiora.	*Valentiora.*
Hiera Picra Gal.	Elect. Elescop.
Diacatholicon.	Elect. Ind. maius,
Diaphœnicon.	Diacydoniten.
	Diacarthami.
	Troch. de Alhan.
	Benedicta laxati.

Singul. cum Syr. & aquis.

Syr. de cortice citri.	Syr. de menthâ.
Syr. de Calamentho.	Aqua Samsuchi.
Aqua Prassij.	Aqua hyssopi.

AD BILEM FLAVAM.

Bilem flauam, seu Choleram purgant.

Simplicia componenda.

Rhabar. drach. j. cum Spic. nar. Ellebo. drach. j. cum Aniso. Myrobal. Fl. drach. iij. cum Aniso. Scammo. drach. j. cum Mastich.

Singula cum decocto ad vnc. iij

Absynthij, Fumariæ, Lupulo, Rosarum, Violarum. ana. M. j.

Composita.

Clementiora.	*Valentiora.*
Cassia fistul.	De succo ros.
Catholicon.	Diarhabarb.
Diaprunis simpl.	Diaprunum sol.
Diamanna.	Stomach. Laxat.
Hiera Gal.	De Psysillio.
	Catarrh. imperial.
	Tryphera.

Singul. cum.

Serap. acet. simpl. Serap. Endiuiæ.
Oxysacchari. Oxymel. simpl. Aqua viol.
Aqua Lactu. Aqua Cichor.

AD BILEM ATRAM.

Bilem atram & melancholiam purgant.

Simplicia componenda.

Turbith. drach. j. cum Zingib. Elleb. nig. drach. j. cum Traga. Myrobal. Cheb. drach. iiij. cum Anis. Senæ. vnc. j. cum Zingib. Lapid. lazuli drach. j. Epithymi drach. iij.

Singula cum decocto ad vnc. iiij.

Orig. Buglos. Fumar. Thymi, Lupuli. ana. M. s.

Composita.

Clementiora.	*Valentiora.*
Tryphera Persi.	Confect. Hamech.
Diacassia.	Elect. de Epithy.
Diasennæ lenit.	Diacydoniten.
Diacassia.	Hiera Russi.
Cassia fistul.	Hiera Logadij.
Catholicon.	

Singula cum

Syr. buglos. Syr. fumariæ. Syr. Capil. Veneris. Syr. Liquiritiæ, Aqua Lupul. Aqua Gram. Aqua Cichor.

AD SANGVINEM.

Sanguinem mundificant.

Simplicia componenda.

Taramind. vnc. iiij. Cassiæ, vnc. iij. Mannæ vnc. iij. Sennæ drach. s. *Cum decocto ad vnc. iiij.*

Prunor. Sebest. ana. par. vj.

Fumar. Buglos. Adianth. ana. M. s.

Composita.

Diacathol. Diasennæ.

Singula cum.

Syr. de adianth. Syr. de Cichoreâ Aquâ buglos. Aquâ fumar. Aquâ Saluiæ.

TABVLA V.

De purgantibus solidis, seu Pilulis.

Pituitam educunt.

Clementiores.	*Valentiores.*
Assaiereth.	De Hierâ cum Agar.
De Hierâ simpl.	Cochiæ.
Alephanginæ.	Indæ.
Imperiales.	Arthriticæ.
De Agarico.	Fœtidæ.
Stomachicæ.	Lucis.
Sine quibus.	De Hermodact.
	De Euphorbio.

Cum syrupo non limitando, vel Aquâ conuenienti.

Prassij. Stœchadis. Liquiritiæ. Corticum citri. Calaminthæ. Menthæ. Absynth. Hyssopi.

Et cum

Et cum horum aliquo simplici, quod vires illorum auget. Tutoria seruct. s. vel Eupatorii. Gr. iii. vel agar. troch. scrup.i. vel troch. halhan ial. Gr. iiij.

Educunt bilem flauam.

Clementiores.	*Valentiores.*
De Rhabarbaro.	Aggregatiuæ.
Sine quibus.	Aureæ.
Communes seu Pestil.	De Aloë.

Cum Oxysacchar, vel syr de

Limonibus, Succo acetosæ. Rosis. Cichorea.

Et cum aliquo simplici, quod acuit eas, vt Scammo. Gr. iii. Elater, Gr. iiii. Colocynth. Gr. iiii.

Educunt bilem atram.

Clementiores.	*Valentiores.*
Indæ.	De Lapide Lazuli.
De fumo terræ,	De Lapide Armeno.

Cum Oxymelite simp. & comp. ac syr. de

Byzantiis. Stœchade. Eupatorio, Calamintha. Duabus Radicibus.

Et cum aliquo simplici acuenti & augenti earum vires, vti Ellebori Gr. vi. Aut Lapidis Lazuli G. iiii.

TABVLA VI.

De Speciebus Aromat. siue Confection, roborantibus singula membra.

Roborant caput.

Frigidæ.	*Calidæ.*
Diarhodon Abbatis.	Diambræ.
Diacoralli.	Mithridatum.
Manus christi.	Diamarg. cal.
Ad cerebri passiones calidas.	Elect. Pleres Archont.
	Apoplexiæ, Epilepsiæ, & Melancholicis morbis medentur.

Roborant thoracem.

Frigidæ.	*Calidæ.*
Tragacanth. frig.	Tragacanth. cal.
Diapapauer.	Diacalamenthum.
Diapenidion,	Diaprasium.
	Diairis Salomon.
Destillantibus ad Pectoralia calidis dantur.	Ad thoracis & Pulmonis vitia, vt Sputulenta, crassa in pectoralibus contenta.

Roborant ventriculum.

Calidæ.

Rosata nouella. Aromat. rosſ. G. Aromat. Caryophyl. Diatrion piper. Diagalanga. Dianisum. Diacyminicum. Diacynamomum. Diazingiber. Confectio diaxyloaloë.

Ad prauam ventriculi coctionem, flatus & ructus acidos.

Frigidæ.

Triasantali. Diarhodon Abbatis. Diacydoniten. Contra calorem ventriculi & hepatis.

Roborant cor.

Frigidæ.

Manus Christi. Diamargar. frig. Diacoralli. Triasantali.

Deiectis viribus, & feb. ardentibus medentur.

Calidæ.

Diamarg. cal. Confect. de moscho. dul. Diambra. Diacameron. Elect. lætitiæ Gal. Rosata nouella. Mithridatum. Theriaca.

Contra cordis palpitationem.

Roborant hepar.

Frigidæ.

Diarhodon Abbatis. Triasantali.

Contra calores hepatis.

Calidæ.

Dialaccha. Diacurcuma. Ad hepatis & lienis obstructiones & hydropem.

TABVLA VII.

De Conseruis, siue Conditis.

Respiciunt caput.

Anthos. Achori. Lauendulæ. E Betonica. E Pæonia. Contra Epilepsiam, Apoplexiam, & alia capitis & neruorum mala frigida.

Frigi.

De Nenuphare. Rosarum. Violarum. è Prunella.

Ad vapores in cerebrum irrepentes reprimendos.

Thoracem.

Enulæ campanæ. Capil. Veneris. Ad viscida & lenta sputa in pectoralibus educenda.

Cor.

Boragi, Buglossæ. Acetosæ. Ad palpitationem, melancholicos, & tristes.

Ventriculum.

Absynthij. Zingiber conditum. Acorus conditus. Saluiæ. Citria condita. Ventriculum firmant, concoctionem iuuant, orisque suauitatem efficiunt.

Ventriculum.

Rosarum. Cichorij Acetosæ. Cotonea condita. De Nenuphare. Acrimoniam Bilis obtundunt, vehementioribus febribus subueniunt, doloribus biliosis & capitis.

TABVLA VIII.

De Trochiscis.

Trochisci aperitiui.

De Rhabarbaro. De Eupatorio. De Myrrha. Ad hepatis obstructiones & febrium horrores pituitosos, & hydropem.

Constrictiui.

De spodio. De Vesicaria. De terra Lemnia. De Caphura. De Berberis. Ad feberes ardentes, hepatis calefactionem & ventris profluuium.

TABVLA IX.

De Loch, siue Eclegmatis.

Mitiora.

Loch de Pino, Mes. De pulmone vulpis Mes. de caulibus, Gord. Tussi diuturnæ & Asthmati medentur.

Valentiora.

Sanum & expertum. De Scylla. Asthmati antiquo à crassis viscidis humoribus subueniunt.

De Papauere frigid. Tussi calidæ & siccæ auxiliatur.

TABVLA X.

De Stupefacientibus atque somniferis.

Stupefacientia & somnum prouocantia.

Interiùs sumenda.

Mitiora.	*Valentiora.*
Syr. violaceus.	Phil. antidotus.
Syr. de papauere.	Athanasia.
Succus Lactucæ.	Dialibanum.
Succus semperuiuj.	Diacodion.
Suc. Solatri.	Micleta.
Suc. Portulacæ.	
Suc. Cicutæ.	
Conserua violar.	
Conserua Nymphææ.	

Vehementioribus in maxima tantùm necessitate vtendum, & ex interuallis dierum, cum syr. ros. à scrup. ii. ad drach. i.

Exteriùs admouenda.

Oleum viol.
Oleum mandrago.
Vnguentum populeon.
Decoctum corticis mandragoræ.
Decoctum salicis.
Anethum viride cum oleo coctum.

Temporibus illinuntur. Non cerebro, cordi, iecori, neque pueris, senioribus grauidis & imbecillibus applicentur.

TABVLA XI.

De Oleis.

Olea repellentia frigida & astringentia.

Oleum Rosatum. Ol. Omphacinum. Ol. myrtinum. Ol. violarum. Ol. nymphææ Ol. papaueris. Ol. cydoniorum. Refrigerant, astringunt, incandescentibus inflammationum feruoribus medentur.

Digerentia, seu rarefacientia.

Mitiora.

Oleum chamæmelinum, Ol. Anethinum, Ol. ros. completum. Ol. de nucibus. Ol. amygdal. dul. Calore temperato rarefaciunt, discutiunt longas maximè febres.

Valentiora.

Ol. de Iunipero. Ol. laurinum. Ol. costinum. Ol. rutaceum. Ol. mastichinum. Ol. absynthinum. Ol. nardinum. Ol. vulpinum. Ol. amygdal. amarum. Ol. scorpionum. Calefaciunt, siccant, membra refrigerata & imbecillia roborant, neruorum morbis medentur.

TABVLA XII.

De Vnguentis.

Vnguenta repellentia frigida.

Populeon. In frigid. Gal. Santalinum. De Bolo. Accommodantur ad partes refrigerandas, medentur erysipelati aliisque calidis inflammationibus.

Calida valenter rarefacientia, siue digerentia.

Aregon. Martiatum. Agrippa. Dialthea. De meliloto. Alabastrum.

Contra frigida corporis mala, resolutionem, Ischiadem, Nephritim, Febrium pituitosarum horrores maximè faciunt, emolliunt durities, &c.

TABVLA

TABVLA XIII.

De Emplaſtris.

Emolliunt durities.

Diachylon ſimpl. Diachylon comp. De Meliloto. Oxycroceum.

Maturant.

Diachylon comp. Diachylon magnum. Diachylon paruum.

Extrahunt.

Apoſtolicon Nic. Apoſtolicon Nic. Alex.

Dolores ſedant.

De baccis lauri. Apoſtolicon Nic. Oxycroceum. De Meliloto.

Vulnera ſanant.

Apoſtolicon Nic. Alex. Tripharmacum.

Vlcera ſanant.

Baſilicon magnum, Griſeum de lapid. Calam.

TABVLA XIV.

De Cerotis.

Refrigerant.

In frigid. Gal. Santalinum Meſ.

Roborat, calefacit.

Stomachal. Gal

FINIS.

Tabularum præcipua compoſita comprehendentium.

Ἡ δόξα Θεῷ τῷ κτίσαντί με τὸν ἰατρόν τε, καὶ τὴν ἰατρείαν ἐμοῦ.

PERORATIO VNIVERSÆ MEDICINÆ.

HÆc nimirum eſt regia illa ſcientia, Medicina: verè profectò regia. Nam, Horatio teſte,

Si ventri benè, ſi lateri eſt, pedibuſque tuis, nil
Diuitiæ poterunt regales addere maius.

Tum demum verò regia hæc ſcientia ſuum conſequitur effectum, ſi precibus & pietate primò efficiamus, vt animus benè ſe habeat, & deinde ſanitatem corporis à Deo petamus, legitimiſque remediis promoueamus. Itaque ſemper ob oculos nobis obſeruetur illud:

Orandum eſt, vt ſit mens ſana in corpore ſano.

Sed ne quid deſit huic coronidi, age illam exornemus regulis metricis Scholæ Salernitanæ.

DE CONSERVANDA BONA VALETVDINE, LIBER SCHOLÆ SALERNITANÆ.

CAPVT I.

Animi pathemata, & remedia quædam generalia. Medicorum defectus.

ANglorum regi ſcribit Schola tota Salerni:
Si vis incolumen, ſi vis te reddere ſanum:
1 Curas tolle graueis, 2 iraſci crede profanum,
3 Parce mero, 4 cœnato parùm, 5 non ſit tibi vanum
Surgere poſt epulas, 6 ſomnum fuge meridianum,
7 Ne mictum retine, 8 nec comprime fortiter anum:
Hæc benè ſi ſerues, tu longo tempore viues.
Si tibi deficiant medici, medici tibi fiant
Hæc tria, 1 mens hilaris, 2 requies, 3 moderata diæta.

II. Confortatio cerebri Viſus recreatio.

1 Lumina manè, 2 manus ſurgens gelidâ lauet vndâ,
3 Hac illac modicum pergat, 4 modicùm ſua membra
Extendat, 5 crines pectat, 6 dentes fricet: iſta
Confortant cerebrum, confortant cætera membra.
1 *Lote calo, 2 ſta; ranſe vel i, 3 frigeſce minute.*
1 Fons, 2 ſpeculum, 3 gramen, hæc dant oculis releuamen:
Manè igitur montes, ſub ſerum inquirito fontes.

III. Somnus diurnus ſiue meridianus.

Sit breuis, aut nullus tibi ſomnus meridianus:
1 Febris, pigrities, 3 capitis dolor, 4 atque catarrhus,
Hæc tibi proueniunt ex ſomno meridiano.

IV. Flatus in aluo detentus.

Quatuor ex vento veniunt in ventre retento:
1 Spaſmus, 2 hydrops, 3 colica, 4 & vertigo: hoc res probat ipſa.

V. Cœna.

Ex magnâ cœnâ ſtomacho fit maxima pœna;
Vt ſis nocte leuis, ſit tibi cœna breuis.

VI. Diſpoſitio ante cibi ſumptionem, edendi item atque ciborum ratio.

Tu nunquam comedas, ſtomachum nî noueris eſſe
1 Purgatum, 2 vacuumque cibo, quem ſumpſeris antè:
1 Ex deſiderio id poteris cognoſcere certo,
Hæc ſint ſigna tibi, 2 ſubtilis in ore ſaliua.

VII. Cibi melancholici & vitandi. Caſeus.

1 Perſica, 2 poma, 3 pyra, 4 & lac, 5 caſeus, 6 & caro ſalſa:
7 Et caro ceruina, 8 & leporina, 9 bouina, 10 caprina:
Atrâ hæc bile nocent, ſuntque infirmis inimica.
Caſeus eſt nequam, quia concoquit omnia, ſe quàm:
Caſeus ille bonus, quem dat auara manus.

VIII. Cibi benè nutrientes. Oua.

1 Oua recentia, 2 vina rubentia, 3 pinguia iura
Cum ſimilâ purâ, naturæ ſunt valitura.
Regula presbyteri iubet hoc pro lege teneri:
Quòd bona ſunt oua, candida, longa, noua.

IX. Cibi impinguantes.

Nutrit 1 triticum & impinguat, 2 lac, 3 caſeus infans,
4 Teſticuli, 5 porcina caro, 6 cerebella, 7 medullæ,
8 Dulcia vina, 9 cibus guſtu iucundior, 10 oua
Sorbilia, 11 & ficus maturæ, 12 vuæque recentes.

X. Boni vini proprietates.

Vina probantur 1 odore, 2 ſapore, 3 nitore, 4 colore,
Si bona vina cupis, quinque hæc laudantur in illis:
1 Fortia, 2 formoſa, 3 & fragrantia, frigida, 5 friſca.

XI. Vinum dulce & album.

Sunt nutritiua plus dulcia candida vina.

XII. Vinum rubrum.

Si vinum rubrum nimiùm quandoque bibatur,
1 Venter ſtipatur, 2 Vox limpida turbificatur.

XIII. Lethalium venenorum remedia. Allia.

1 Allia, 2 ruta, 3 pyra, 4 & raphanus, 5 cum theriacâ, 6 nux,
Præſtant antidotum contra lethale venenum.
Allia qui manè ieiuno ſumpſerit ore,
Hunc ignotarum non lædet potus aquarum,
Nec diuerſorum mutatio facta locorum:
Hæc ideò miſcere cibis meſſoribus eſt mos,
Vt ſi fortè ſopor feſſos depreſſerit illos,
Vermibus à nociuis tuti requieſcere poſſint.

XIV. Aër.

1 Lucidus, 2 ac mundus ſit ritè habitabilis aër,
3 Infectus neque ſit, 4 nec olens fœtore cloacæ.

XV. Nimia vinipotatio.

Si nocturna tibi noceat potatio vini,
Hoc tu manè bibas iterum, & fuerit medicina.

XVI. Melius vinum.

Gignit & humores melius vinum meliores:
Si fuerit nigrum, corpus reddit tibi pigrum.
Vinum ſit 1 clarumque, 2 vetus, 3 ſubtile, 4 maturum,
5 Ac bene dilutum, 6 ſaliens, 7 moderamine ſumptum.

XVII. Ceruiſia.

1 Non acidum ſapiat ceruiſia, 2 ſit benè clara,
3 Ex granis 4 ſit cocta bonis, 5 ſatis ac veterata.

XVIII. Vſus ceruiſiæ.

De quâ potetur, ſtomachus non inde grauetur.

XIX. Quæ victus ratio quolibet anni tempore ſit vtilis.

Temporibus veris, modicum prandere iuberis;
Sed calor æſtatis dapibus nocet immoderatis;
Autumni fructus caueas, ne ſint tibi luctus;
De menſâ ſume, quantum vis, tempore brumæ.

XX. Prauus potus corrigendus.

1 Saluia 2 cum rutâ, faciunt tibi pocula tuta;
Adde 3 roſæ florem, minuuntque potenter amorem.

XXI. Nauſea marina.

Nauſea non poterit hæc quem vexare, marinam
Vndam cum vino mixtam qui ſumpſerit antè.

XXII. Generale condimentum.

1 Saluia, 2 ſal, 3 vinum, 4 piper, 5 allia, 6 petroſelinum.
Ex his fac ſalſam, ne ſit commixtio falſa.

XXIII. Vtilitas lotionis manuum.

Lotio poſt menſam tibi confert munera bina:
1 Mundificat palmas, 2 & lumina reddit acuta.
Si fore vis ſanus, ablue ſæpe manus.

XXIV. Panis.

1 Panis non calidus, 2 nec ſit nimis inueteratus,
Sed 1 fermentatuſque, 2 oculatus, 3 ſit benè coctus,
4 Et ſalſus modicè, ex 5 granis validis electus,
Non comedas cruſtam, choleram quia gignit, aduſtam.

Et panis

Et panis salsus, fermentatus, bene coctus,
Purus sit sanus, non talis sit tibi vanus.

XXV. *Caro porcina.*

Est porcina caro sine vino peior ouinâ;
Si tribuas vinum, fuerit cibus ac medicina.
Ilia porcorum bona sunt, mala sunt reliquorum.

XXVI. *Mustum.*

1 Impedit vrinam mustum, 2 soluit citò ventrem,
3 Hepatis emphraxin, 4 splenis generat, 5 lapidémque.

XXVII. *Potus aquæ & vini.*

Potus aquæ sumptus comedenti incommoda præstat:
Hinc friget stomachus, crudus & inde cibus.
Vina bibant homines, animantia cætera fontes;
Absit ab humano pectore potus aqua.

XXVIII. *Caro vitulina.*

Sunt nutritiuæ multum carnes vitulinæ.

XXIX. *Aues esui aptæ.*

Sunt bona, 1 gallina, 2 & capo, 3 turtur, 4 sturna, 5 columba,
6 Quiscula, 7 phasiades, 8 merulæ, simul 9 ortygometra,
10 Perdix, 11 frigellúsque, 12 otis, 13 tremulúsque, 14 amarellus.

XXX. *Pisces salubres. Lucius.*

Si pisces molles sunt, magno corpore tolles;
Si pisces duri, parui sunt plus valeturi.
1 Lucius, 2 & perca, 3 & saxatilis, 4 albica, 5 tinca,
6 Gornus, 7 plagitia, & cum 8 carpâ, 9 galbio, 10 truta.
Lucius est piscis rex atque tyrannus aquarum.

XXXI. *Anguilla, & caseus.*

Vocibus anguillæ prauæ sunt, si comedantur.
Caseus, anguillæ, nimis obsunt, si comedantur;
Ni tu sæpe bibas, & rebibendo bibas.

XXXII. *Cibi potúsque in prandio atque cœnâ permistio, siue alternatio.*

Inter prandendum, sit sæpe, parúmque bibendum:
Si sumas ouum, molle sit, atque nouum.

XXXIII. *Pisa.*

Pisum laudandum nunc sumpsimus, ac reprobandum:
Est inflatiuum cum pellibus, atque nociuum;
Pellibus ablatis, sunt bona pisa satis.

XXXIV. *Lac tabidorum.*

Lac phthisicis sanum, 1 caprinum, póstque 2 cameli,
Ac nutritiuum plus omnibus est 3 asininum;
Plus nutritiuum 4 vaccinum, sic & 5 ouinum:
Adsit si febris, 6 caput & doleat, fugiendum est.

XXXV. *Butyrum.*

1 Lenit, & 2 humectat, 3 soluit, sine febre, butyrum.

XXXVI. *Serum.*

Inciditque, lauat, penetrat, mundat quoque serum.

XXXVII. *Caseus. Idem de seipso.*

Caseus est gelidus, stipans, crassus, quoque durus.
Caseus & panis sunt optima fercula sanis;
Si non sunt sani, tunc hunc ne iungito pani.
Ignari medici me dicunt esse nociuum;
Et tamen ignorant, cur nocumenta feram.
Expertis reor esse ratum, quia commoditate
Languenti stomacho caseus addit opem.
Caseus ante cibum confert, si defluat aluus;
Si constipetur, terminet ille dapes.
Qui physicen non ignorant, hæc testificantur.

XXXVIII. *Modus edendi & bibendi.*

Vt minùs ægrotes, non inter fercula potes;
Vt vites pœnam, de potibus incipe cœnam.
Post pisces, nuces; post carnes, caseus adsit.
Vnica nux prodest, nocet altera, tertia mors est.
Singula post oua pocula sume noua.

XXXIX. *Pyra.*

Adde pyro potum, nux est medicina veneno.
Fert pyra nostra pyrus, sine vino sunt pyra virus.
Si pyra sunt virus, sit maledicta pyrus.
Dum coquis, antidotum pyra sunt, sed cruda venenum:
Cruda grauant stomachum, releuant sed cocta grauatum.
Post pyra da potum, post pomum vade cacatum.

XL. *Cerasa.*

Si cerasum comedas, tibi confert grandia dona:
1 Expurgat stomachum, 2 nucleus lapidem tibi tollit.
3 Hinc melior toto corpore sanguis inest.

XLI. *Pruna.*

1 Frigida sunt, 2 laxant, multùm prosunt tibi pruna.

XLII. *Persica, racemi, & passulæ.*

Persica cum musto, vobis datur, ordine iusto
Sumere; sic est mos, nucibus sociando racemos.
Passula, non spleni, tussi valet, est bona reni.

XLIII. *Ficus.*

Stropha, tumor, glandes, ficus cataplasmate cedunt.
(*Tunc cataplasma facis, cùm succum ponis, & herbam.*)
Iunge papauer ei, confracta foras trahit ossa:
Vermiculos, Venerémque facit, sed cuilibet obstat.

XLIV. *Mespila.*

1 Multiplicant mictum, 2 ventrem dant mespila strictum,
Mespila dura placent, sed mollia sunt meliora.

XLV. *Mustum.*

1 Prouocat vrinam mustum, 2 citò soluit, 3 & inflat.

XLVI. *Cereuisia, & acetum.*

1 Crassos humores nutrit cereuisia, 2 vires
Præstat, 3 & augmentat carnem, 4 generátque cruorem,
5 Prouocat vrinam, 6 ventrem quoque mollit, 7 & inflat,
8 Frigidat & modicum; sed plus 1 desiccat acetum,
2 Frigidat, 3 emaciátque, 4 melanch. dat, 5 sperma minorat:
1 Siccos infestat, 2 neruos, & 3 pinguia siccat.

XLVII. *Rapa.*

Rapa 1 iuuat stomachum, 2 nouit producere ventum,
3. Prouocat vrinam; præstátque 1 in dente ruinam,
Si malè cocta datur, 2 tibi torsio sic generatur.
Radix rapa bona est, comedenti dat tria dona:
1 Visum clarificat, 2 ventrem mollit, 3 benè bombit.
Ventum sæpe rapis, si tu vis viuere rapis.

XLVIII. *Animalium viscera.*

Egeritur tardè cor, concoquitur quoque durè;
Sic quoque ventriculus, tamen exteriora probantur.
Reddit lingua bonum nutrimentum medicinæ.
Concoctu facilis pulmo est, citò labitur ipse.
Est melius cerebrum gallinæ, quàm reliquorum.

XLIX. *Semen fœniculi.*

Semen fœniculi pellit spiracula culi.
Bis duo dat marathrum, 1 febres fugat, 2 atque venenum.
3 Et purgat stomachum, 5 lumen quoque reddit acutum.

L. *Anisum.*

Emendat 1 visum, 2 stomachum confortat anisum:
Copia dulcoris anisi sit melioris.

LI. *Spodium. Simplicia visceribus appropriata.*

Si cruor emanat, spodium sumptum citò sanat.
Gaudet hepar spodio, mace cor, cerebrum quoque moscho,
Pulmo liquiritiâ, splen capp. stomachúsque galangâ.

LII. *Sal.*

Vas condimenti præponi debet edenti.
Sal 1 virus refugat, 2 rectè insipidúmque saporat;
Non sapit esca probè, quæ datur absque sale.
1 Vrunt res salsæ visum, 2 seménq; minorant,
3 Et generant scabiem, 4 pruritum siue rigorem.
Sal primò poni debet, primóque reponi:
Non bene mensa tibi ponitur absque sale.

LIII. *Sapores, ac eorum qualitates.*

Hi feruore vigent tres, 1 salsus, 2 amarus, 3 acutus;
Alget 4 acetosus, sic 5 stipans, 6 ponticus atque:
7 Vnctus, 8 & insipidus, 9 dulcis, dant temperamentum.

LIV. *Vippa, i. panis vino imbutus.*

Bis duo vippa facit, 1 mundat dentes 2 dat acutum
Visum, 3 quod minus est implet, 4 minuit quod abundat.

LV. *Diæta.*

Omnibus assuetam iubeo seruare diætam;
Quod sic esse probo, ni sit mutare necesse:
Hippocrates testis, quoniam sequitur mala pestis.
Fortior hæc meta est medicinæ, certa diæta,
Quam si non cures, fatuè regis, & malè curas.

LVI. *Diætæ administratio.*

1 Quale, 2 quid, 3 & quando, 4 quantum, 5 quoties, 6 vbi, rectâ.
Dabent hæc medico in victus ratione notari,
Ne malè conueniens ingrediatur iter.

LVII. *Caulis, seu brassica.*

Ius caulis soluit, cuius substantia stringit;
Vtraque quando datur, venter laxare paratur.

LVIII. *Malua.*

Dixerunt maluam veteres, quòd 1 molliat aluum,
Huius radices rasæ 2 soluunt tibi fæces,
3 Vuluam mouerunt, & fluxum sæpè dederunt.

LIX. *Mentha.*

Mentitur mentha, si sit depellere lenta
Ventris lumbricos, stomachi vermésque nociuos.

LX. *Saluia.*

Cur moriatur homo, cui saluia crescit in horto?
Contra vim mortis non est medicamen in hortis.
Saluia 1 confortat neruos. 2 manuúmque tremorem
Tollit, 3 & eius ope febris acuta fugit.
1 Saluia, 2 castoriúmque, 3 lauendula, 4 primula veris.
5 Nasturt. 6 Athanas. hæc sanant paralytica membra.
Saluia saluatrix, naturæ conciliatrix.

LXI. *Ruta.*

Nobilitas rutæ hæc, quòd 1 lumina reddat acuta,
Auxilio rutæ vir quippe videbit acutè,
Ruta comesta recens oculos caligine purgat:
2 Ruta viris minuit Venerem, mulieribus addit,

Ruta

Ruta facit castum, dat lumen, 3 & ingerit astum:
4 Cocta & tuta facit de publicibus loca tuta.

LXII. Cæpæ.

De Cæpis medici non consentire videntur:
Fellitis non esse bonas ait quidam Galenus,
Phlegmaticis vero multum putat esse salubreis.
Non modicum sanas Asclepius asserit illas,
Præsertim stomacho, pulchrumque creare colorem.
Contritis cepis loca denudata capillis
Sæpe fricans, capitis poteris reparare decorem.
Apposita cæpa tritum morsus curare caninos,
Si trita cum melle prius fuerint & aceto.

LXIII. Sinapi.

Est modicum granum, calidum siccumque sinapi,
Dat 1 lachrymas, 2 purgatque caput, tollitque venenum.

LXIV. Viola purpurea.

1 Crapula discutitur, 2 capitis dolor atque grauedo;
3 Purpuream violam dicunt curare caducos.

LXV. Vrtica.

Ægris 1 dat somnum, 2 vomitum quoque tollit, & vsum
3 Illius semen colicis cum melle medetur,
Et 4 tussim veterem curat, si sæpè bibatur,
5 Frigus pulmonis pellit, 6 ventrisque tumorem,
7 Omnibus & morbis ea subuenit articulorum.

LXVI. Hyssopus.

Hyssopus purgans herba est è pectore phlegma,
Ad pulmonis opus cum melle coquenda iugata;
Vultibus eximium fertur præstare colorem.

LXVII. Chærefolium.

Appositum 1 cancris tritum cum melle medetur;
Cum vino potum 2 lateris sedare dolorem
Sæpe solet, 3 tritam si nectis desuper herbam,
Sæpe solet vomitum, ventremque tenere solutum.

LXVIII. Enula campana.

Enula campana 1 reddit præcordia sana;
Cum succo rutæ succus si sumitur eius,
Affirmant, 2 ruptis quòd prosit potio talis.

LXIX. Pulegium.

Cum vino 1 nigram choleram potata repellit,
Appositam 2 veterem dicunt sedare podagram.

LXX. Nasturtium.

Illius succus 1 crines retinere fluentes
Illitus asseritur, 2 dentisque leuare dolorem;
3 Lichenas succus purgat cum melle perunctus.

LXXI. Chelidonia.

Cœcatis pullis hac lumina mater hirundo,
(Plinius vt scripsit,) quamuis sint eruta reddit.

LXXII, Salix.

Auribus infusus 1 vermes succus necat eius,
Cortex 2 verrucas in aceto cocta resoluit.
Huius flos sumptus in aquâ frigescere cogit
2 Instinctus Veneris cunctos acres stimulantes,
Et sic desiccat, vt nulla creatio fiat.

LXXIII. Crocus.

Confortare crocum dixerunt 1 exhilarando,
2 Artus defectos reficitque, 3 hepar reparatque.

LXXIV. Porrum.

Reddit 1 fœcundas mansum persæpè puellas:
Manantemque potes 2 naris retinere cruorem,
Vngas si nares intus medicamine tali.

LXXV. Piper.

Quod piper est nigrum, 1 non est dissoluere pigrum,
2 Phlegmata purgabit, 3 concoctricemque iuuabit;
Leuco piper 1 stomacho prodest, 2 tussique 3 dolorique
Vtile, præueniet 4 motum 5 febrisque rigorem:
Quodque mouere solet frigus periodica febris,
Compescit, febris si sumitur ante tremorem.

LXXVI. Grauitas auditus.

Et 1 mox post escam dormire, 2 nimisque moueri,
Ista grauare solent auditus, 3 ebrietasque,
4 Balnea, 5 sol, 6 vomitus, 7 affert repletio, 8 clamor.
Post cœnam stabis, aut passus mille meabis.

LXXVII. Tinnitus siue sonitus aurium.

1 Motus, 2 longa fames, 3 vomitus, 4 percussio, 5 casus,
6 Ebrietas, 7 frigus tinnitum causat in aure.

LXXVIII. Visus nocumenta.

1 Balnea, 2 vina, 3 Venus, 4 ventus, 5 piper, 6 allia, 7 fumus,
8 Porrum cum 9 cæpis, 10 faba, 11 lens, 12 fletusque, 13 sinapi,
14 Sol, 15 coitusque, 16 ignis, 17 labor, 18 ictus, 19 acumina, 20 puluis,
Ista nocent oculis, sed 21 vigilare magis.

LXXIX. Corroborantia visum.

1 Fœniculus, 2 verbena, 3 rosa, & 4 chelidonia, 5 ruta,
Subueniunt oculis dirâ caligine pressis.
Nam ex istis aqua fit, quæ lumina reddit acuta.

LXXX. Dolor dentium sedandus. Hyoscyamus.

Sic dentes serua; porrorum collige grana,
Vre cum hyoscyamo, adiuncto quoque thure, decenter
Sicque per embotum (*infundibulum*) fumum cape dente remotum.
Ore diu tepidum si contineatur acetum,
Quo sunt decoctæ radices illius Herbæ,
Dicitur immodicum dentis pacare dolorem.

LXXXI. Raucedo vocis.

1 Nux, 2 oleum, 3 frigus capitisque, 4 anguillaque, 5 potus.
Ac 6 pomum crudum, faciunt hominem fore raucum.

LXXXII. Rheumatis remedia.

1 Ieiuna, 2 vigila, 3 caleas dape, 4 tuque labora,
5 Inspira calidum, 6 modicum bibe, 7 comprime flatum;
Hæc benè tu serua, si vis depellere rheuma.
Si fluat ad pectus, dicatur rheuma catarrhus;
Si ad fauces, branchos; si ad nareis, esto coryza.

LXXXIII. Curatio fistulæ. Sapo.

1 Auripigmentum, 2 sulphur miscere memento,
His decet apponi 3 calcem, coniunge 4 saponi.
Quatuor hæc misce; commistis quatuor istis
Fistula curatur, quater ex his si repleatur.
Attrito sapone genas purgare memento.

LXXXIV. Dolores capitis. Alui profluuium.

Si capitis dolor est ex potu, lympha bibatur:
Ex potu nimio nam febris acuta creatur.
Si vertex capitis, vel frons æstu tribulentur,
Tempora fronsque simul moderatè sæpe fricentur.
Morellâ (*solano*) coctâ nec non calidâque lauentur,
Istud enim credunt capitis prodesse dolori.
Qui fluxum pateris, si non caueas, morieris,
1 Concubitum, 2 nimium potum, 3 cum frigore, 4 motum.

LXXXV. Quatuor anni tempora. Vomitus.

Temporis æstiui ieiunia corpora siccant.
Quolibet in mense & confert vomitus, quoque purgat
Humores nocuos, stomachus quos continet intus.
Ver, autumnus, hyems, æstas dominantur in anno.
Tempore *vernali* calidusque äër madidúsque,
Et nullum tempus melius est phlebotomiæ:
Vsus tunc homini Veneris confert moderatus,
Corporis & motus, ventrisque solutio, sudor,
Balnea, purgentur tunc corpora per medicinas.
Æstas more calet sicca, & noscatur in illâ
Tunc quoque præcipuè choleram rubram dominari:
Humida frigida fercula dentur, sit Venus extrà,
Balnea non prosunt, sint raræ phlebotomiæ,
Vtilis est requies, sit cum moderamine potus.

LXXXVI. Ossa in corpore humano, 219, vel 248.
Dentes 32. Venæ 365.

Ossibus ex denis, bis centenisque, nouenis,
Constat homo; denis bis dentibus, & duodenis:
Ex tercentenis, decies sex, quinquéque venis.
Ossa ducentena, atque quater sunt & duodena.

LXXXVII. Quatuor humores humani corporis.

Quatuor humores humano in corpore constant.
1 Sanguis cum 2 cholerâ, 3 phlegma, 4 melancholia.
Terra melancholicis, aqua confertur pituitæ,
Aër sanguineis, ignea vis choleræ.
Humidus est sanguis, calet, est vis aëris illi.
Alget phlegma, humetque, illi sic copia aquosa est.
Sicca calet cholera, & sic igni fit similata.
Frigens sicca melancholia est, terra assimilata.

LXXXVIII. Temperatura siue complexio sanguinea.

Naturâ 1 pingues isti sunt, atque 2 iocantes,
3 Rumoresque nouos cupiunt audire frequenter;
Hos 4 Venus, & 5 Bacchus delectant, 6 fercula, 7 Risus,
Et facit hos 8 hilares, & 9 dulcia verba loquentes;
Omnibus hi 10 studiis habiles sunt, & magis apti.
Quâlibet ex causâ non hos facilè excitat 11 ira.
1 Largus, 2 amans, 3 hilaris, 4 ridens, 5 rubeique coloris,
6 Cantans, 7 carnosus, 8 satis audax, atque 9 benignus.

LXXXIX. Temper. cholerica siue biliosa.

Est humor choleræ, qui competit 1 impetuosis;
Hoc genus est hominum cupiens 2 præcellere cunctis,
3 Hi leuiter discunt, 4 multum comedunt, 5 citò crescunt;
Inde & 6 magnanimi sunt, 7 largi, 8 summa petentes:
9 Hirsutus, 10 fallax, 11 irascens, 12 prodigus, 13 audax,
14 Astutus, 15 gracilis, 16 siccus, 17 croceique coloris.

XC. Temp. phlegmatica, siue pituitosa.

Phlegma dabit 1 vires modicas, 2 latosque breuesque:
Phlegma facit 3 pingueis, sanguis reddit mediocres,
4 Otia non studio tradunt, 5 sed corpora somno,
6 Sensus hebes, 7 tardus motus, 8 pigritia, 9 somnus.
Hic 1 somnolentus, piger, & 3 sputamine plenus
Est huic 4 sensus hebes, 5 pinguis, 6 facie color albus.

XCI. Temperat. melancholica.

Restat adhuc tristis choleræ substantia nigræ.
Quæ reddit 1 prauos, 2 pertristes, 3 pauca loquentes:
4 Hi vigilant studiis, 5 nec mens est dedita somno,
6 Seruant propositum, 7 sibi nil reputant fore tutum:
1 Inuidus, 2 & tristis, 3 cupidus, 4 dextraque tenacis,
5 Non expers fraudis. 6 timidus, 7 luteique coloris.

XCII. Colores. Indicia redundantis sanguinis, choleræ siue flauæ bilis, phlegmatis, & melancholiæ.

Hi sunt humores, qui præstant cuique colores:
Omnibus in rebus ex phlegmate fit calor albus,
Sanguine fit rubeus, cholerâ rubeâ quoque rufus.
Si peccet sanguis, 1 facies rubet, 2 extat ocellus,
3 Inflantur genæ, 4 corpus nimiúmque grauatur:
5 Est pulsúsque frequens, 6 plenus, 7 mollis, 8 dolor ingens,
Inprimis frontis, 9 fit constipatio ventris,
10 Siccáque lingua, 11 sitis, 12 sunt somnia plena rubore,
13 Dulcor adest sputi, sunt acria dulcia quæque.
Accusat choleram dextræ color, aspera lingua,
Tinnitus vomitusque frequens vigilantia multa,
Multa sitis, pinguisque egestio tormina ventris.
Nausea fit, morsus cordis, languescit orexis.
Pulsus adest gracilis, durus, veloxque, calescens
Aret, amarescitque, incendia somnia fingit.
Phlegma supergrediens proprias in corpore leges,
Os facit insipidum, fastidia crebra, saliuas;
Costarum, stoma hi, simul occipitisque dolores.
Pulsus adest rarus, tardus, mollis, quoque inanis,
Præcedit fallax phantasmata somnus aquosa.]
Humorum pleno dum fex in corpore regnat,
Nigra cutis, durus pulsus, tenuisque vrina,
Sollicitudo, timor tristitia, somnia terra:
Acescunt ructus, sapor & sputaminis idem;
Læuáque præcipuè tinnit vel sibilat auris.

XCIII. De phlebotomiâ, ac primò quidem phlebotomiæ ætate.

Denus septenus vix phlebotomon petit annus.
Spiritus vberiorque exit per phlebotomiam;
Spiritus ex potu vini mox multiplicatur,
Humorúmque cibo damnum lentè reparatur.
1 Lumina clarificat, 2 syncerat phlebotomia
Mentes & cerebrum, 3 calidas facit esse medullas:
4 Viscera purgabit, 5 stomachum ventrémque coërcet,
6 Puros dat sensus, 7 dat somnum, 8 tædia tollit;
9 Auditus, 10 vocem, 11 vires producit & auget.

XCIV. Quibus mensibus conueniat, quibúsue noceat phlebotomia.

Tres insunt istis, Maius, September, Aprilis,
Et sunt Lunares, sunt velut Hydra dies.
Prima dies primi, postremáque posteriorum,
Nec sanguis minui, nec carnibus anseris vti.
Sit senium atque iuuenta licèt, si sanguis abundat,
Omni mense probè confert incisio venæ.
Hi sunt tres menses, Maius, September, Aprilis,
In quibus eminuas, vt longo tempore viuas.

XCV. Impedimenta phlebotomiæ.

1 Frigida natura, & 2 frigens regio, 3 dolor ingens,
4 Balnea, post 5 coitum, 6 minor ætas, atque senilis,
7 Morbus prolixus, 8 potus repletio, 9 & escæ,
10 Si fragilis, vel subtilis 11 sensus stomachi sit,
12 Et fastiditi tibi non sunt phlebotomandi.

XCVI. Quæ circa venæ sectionem obseruanda.

Hæc facienda tibi, quando vis phlebotomari,
Vel quando minuis, fueris vel quando minutus,
1 Vnctio, 2 siue lauacrum, 3 & potus, 4 fascia, 5 motus,
Debent non fragili tibi singula mente teneri.

XCVII. Quidam phlebotomiæ effectus.

1 Exhilarat tristes, 2 iratos placat, 3 amantes,
Ne sint amentes, phlebotomia facit.

XCVIII. Scissuræ quantitas in venæ sectione.

Fac plagam largam mediocriter, vt citò fumus
Exeat vberiùs, liberiusque cruor.

XCIX. Quæ in venæ sectione consideranda.

Sanguine subtracto, 1 sex horis est vigilandum.
Ne somni fumus lædat tibi sensile corpus.
2 Ne neruum lædas, non sit tibi plaga profunda:
Sanguine purgatus 3 ne carpas protinus escas.

C. Quæ post phlebotomiam vitanda.

Omnia 1 de lacte vitabit ritè minutus,
Et vitet 2 potum phlebotomatus homo.
3 Frigida vitabit, quia sunt inimica minutis,
Interdictus eritque minutis 4 nubilus aër.
Spiritus exultatque minutis luce per auras,
Omnibus apta 5 quies, & motus sæpe nociuus.

CI. Quibus morbis & ætatibus phlebotomia conueniat, & quantum sanguinis quoque tempore detrahendum.

Principio minuas in acutis, perperacutis.
Ætatis mediæ multum de sanguine tolle;
Sit puer atque senex, tollet vterque parum.
Ver tollat duplum, reliquum tempus tibi simplum.

CII. Quæ membra, quoque tempore venæ sectione vacuanda.

Ver, æstas, dextras; autumnus, hyemsque sinistras:
Quatuor hæc membra, hepar, pes, cepha, cor, vacuanda.
Æstas hepar habet, ver cor, sicque otdo sequetur,

CIII. Commoda ex sectione saluatellæ.

Ex saluatellâ tibi plurima dona minutâ:
1 Splenem, 2 hepar, 3 pectus, 4 vocem, 5 ptæcordia purgat,
6 Innaturalem tollit de corde dolorem.

F I N I S.

Antonij Musæ Brasauali de præsenti libello Iudicium.

Vulgatus Salernitarum de tuendâ valetndine libellus, his qui legunt, non parùm vtilitatis præstat; illisque multò maiorem, qui libelli præcepta obseruant.

Hippocr. 6. epidem. sect. 4. sent. 20.

ἄσκησις ὑγιής ἀκορίη τροφῆς ἀοκνίη πόνων.

Valetudinem excolunt

Citra satietatem cibis vesci, & impigrum esse ad laborem.

Finis vniuersæ Medicinæ.

TOMVS

TOMVS SEXTVS
ENCYCLOPÆDIÆ
IN QVO
ARTES MECHANICÆ
Methodicè digeruntur, & quædam plenius explicantur.

TRIBVS HISCE LIBRIS.

I. Mechanologia Generalis, & ſpecialis Miſcellanea.

II. Mechanologia Phyſica.

III. Mechanologia Mathematica.



PRÆFATIO IN ARTES MECHANICAS.



T liberos, ita libros seipsis meliores fieri oportet. Quare cùm Encyclopædia nostra denuò sub prelum vocaretur, mearum partium esse duxi, hoc dare operam, vt opus responderet titulo, hoc est, vt in circulum seu vniuersitatem disciplinarum & illæ venirent, quæ vulgò mechanicæ appellantur. Neque enim Encyclopædiæ nomen meretur institutio, quæ disciplinas illas ne attingit quidem, quibus circulus ille integratur. Huc accedit, quòd in artibus liberalibus, imò in sacris Bibliis, & bonis authoribus multa ignorare oportet eum, qui ne à primo quidem limine salutauit τὰ μηχανικά. *vt nihil dicam de eo, quòd mathesis plurimùm lucis accipit à mechanicis artibus, & hoc nomine fit acceptior, quando videmus ipsius vtilitatem in vitâ quotidianâ. Latere hîc patior viros vndecunque doctissimos, quorum alij mechanicis operati sunt, alij eas vel ex professò explicarunt, vel scriptis suis hinc inde insperserunt. Nec est, quòd aliquis opinetur artes has, vtpote illiberales, liberali ingenio non esse dignas. Hoc enim nomine appellantur, quòd apud Græcos liberi homines excolerent artes eruditas, & serui occuparentur circa mechanicas: etsi etiam ita dictæ sunt in ordine ad liberales. Quòd ergo illiberales dicuntur, non de illarum contemptu & despectione, sed de ipsarum cum liberalibus collatione intelligi debet. Aliâs sunt æquè dona Dei, atque liberales: vt vel ex eo fit manifestum, quòd Deus* Exod. 31. *ait:* Ecce vocaui Bazaleel, & impleui eum spiritu Dei, sapientiâ, & intelligentiâ, & scientiâ, in omni opere, ad excogitandum, quidquid fabrefieri potest ex auro, & argento, & ære, marmore, & gemmis, & diuersitate lignorum. Dedíque ei socium Aholiab. Et in corde omnis eruditi posui sapientiam, vt faciant cuncta, quæ præcepi ibi. *Quæ verba possunt deiicere cristam & supercilium nostrorum scholasticorum, vt vocant, qui ex alto despiciunt artes mechanicas, & earum cultores. Hoc nimirum est dona Dei contemnere, & quidem huiusmodi dona, quibus vita nostra carere minimè potest, quæque cum artibus liberalibus habent cognationem, vnde propagines illarum & traduces appellari solent. Quæ cùm ita sint, nostrum hoc studium proculdubio probabunt viri non tantùm* φιλομήχανοι, *vt dicam, sed etiam* φιλομέθοδοι. *Sumus enim id conati, vt facem methodi mechanicis inferremus, & rectis ingeniis ansam daremus hanc Encyclopædiæ partem vberiùs & accuratiùs illustrandi. Faxit Deus, à quo descendit omne bonum donum, vt in omnibus nostris studiis ea quæramus, quæ faciunt ad sacrosancti ipsius nominis gloriam, animæ nostræ salutem, & huius vitæ molestiis plenæ, condimentum.*

ENCY

ENCYCLOPÆDIÆ LIBER VIGESIMVS OCTAVVS,

Exhibens

Mechanologiam generalem, & primam partem Mechanologiæ ſpecialis.

CAPVT I.

De causâ finali artium mechanicarum.

PRÆCEPTA.



XPOSITÆ ſunt diſciplinæ liberales in Philologiâ, Philoſophiâ, Theologiâ, Iuriſprudentiâ, & Medicinâ: ſequuntur diſciplinæ mechanicæ, quæ manuum miniſterio inprimis exercentur.

Earum tractatio dicitur Mechanologia, ſeu Mechanographia; eáque generalis, vel ſpecialis.

Mechanologia generalis ediſſerit cauſas, affectiones, & diuiſiones generales artium mechanicarum.

Cauſæ ſunt externæ, putà finis & efficiens, vel internæ, materia nempe & forma.

Finis artium mechanicarum primò eſt eſſentialis vel accidentalis.

Finis eſſentialis eſt reſpectu animi, vel corporis.

Reſpectu animi artes mechanicæ docent, regunt, vel delectant.

Reſpectu corporis artes mechanicæ curant illius ſanitatem, formam, actiones, & paſſiones.

Finis accidentalis eſt prodeſſe literatis, qui ſæpè diſcunt artes mechanicas voluptatis causâ.

Deinde finis artium mechanicarum eſt communis, vel proprius.

Communis eſt, quem etiam artes liberales intendunt; videlicet honeſtas, neceſſitas, vtilitas, & voluptas.

Proprius eſt facere opus miniſterio corporis & inſtrumentorum mechanicorum.

Denique finis eſt primarius, commodare animo vel corpori: aut ſecundarius, incommodare, vt quando lictores aliquem comprehendunt.

REGVLÆ.

I. *Artes mechanicæ ita dicuntur, quia in iis non tam habitus internus animi, quàm effectio ingenioſa ſpectatur: vnde & poeticæ appellantur.*

Artes mechanicæ ἀπὸ τοῦ μηχανᾶσθαι; ποιητικαὶ, ἀπὸ τοῦ ποιεῖσθαι eádem ratione dicuntur: quia nempe ipſis propoſita eſt effectio ingenioſa hominum vitæ quotidianæ vtilis & iucunda; propter quam periti & induſtrij ab opere faciendo opifices nomen trahunt: etſi iuxta alios opifex ab ope ferendâ dictus eſt. Alio nomine dicuntur *manuariæ, ſellulariæ, & illiberales.* quæ vltima nomenclatura comparatè eſt accipienda. Ita enim eſt, vt *Zmingerus in Theatro* monet, mechanicarum artium aliæ liberales & ingenuæ, aliæ ſeruiles & ſordidæ dici poſſunt. Et rurſus artes mechanicæ dicuntur illiberales, quia olim nonniſi à ſeruis exercebantur, cùm homines liberi ab illarum profeſſione prorſus abſtinerent & abhorrerent.

II. *Finis artibus mechanicis propoſitus eſt ſupplere defectum aliquem in vitâ humanâ, idque effectione artificiali.*

Finis artibus mechanicis propoſitus.

Non eſt quòd hîc diſſeramus de fine vltimo artium mechanicarum, qui eſt gloria Dei & ſalus æterna hominis (huc enim omnia debent referri) neque de fine illo communi, qui propoſitus eſt omnibus diſciplinis, liberalibus æquè ac mechanicis. Proprium finem artium mechanicarum oportet attingere. Is autem eſt multifarius. *Et primò* quidem artes mechanicæ ſunt inuentæ, atque exercentur vel declinandi mali causâ, vel concinnandi boni gratiâ, *Deinde* efficiunt aliquid per πρόσθεσιν vel ἀφαίρεσιν. *Tertiò* animum docent, vt Pictura: hominem regunt, vt Gymnaſtica, Athletica: eundem oblectant, vt Muſica organica, Hiſtrionica: corpus curant, vt Obſtetrica. Balneatoria &c. *Quartò* commodant, vel incommodant homini. Et commodare quidem ſolent omnes artes mechanicæ, ſi non ratione boni particularis, tamen ratione boni vniuerſalis. Sic Lictoria incommodat, ſi ſpectes malum conditionis, quo affligitur hæc vel illa perſona. At eadem commodat, ſi ſpectes bonum reip. ſeu politiæ Sed in pauca contrahamus, quæ *Zmingerus in Theatro* fuse perſequitur de fine artium mechanicarum. *Artes mechanicæ agunt in hominem* commodando vel incommodando. *Quæ commodant*, agunt in hominem viuum, vel mortuum *Quæ agunt in hominem viuum*, agunt in illius animum, vel corpus. *In animum*, quatenus docent, vt pædagogi: vel regunt, vt agoranomi: vel interpretantur ſiue voce, ſiue ſcripto, vt ſcribæ: vel ſignificant, vt nuntij, curſores, tabellarij, præcones: vel oblectant, vt Muſici, hiſtriones, ſcenici, gladiatores, xyſtici, funambuli. *In corpus*: vt ſunt obſtetrices, chirurgi, gymnaſtæ, pincernæ, prægustatores, cubicularij, balneatores, tonſores, vnctores, nutritij, nutrices, coqui, ſatellites, comites, deductores, lecticarij. *In hominem mortuum agunt* libitinarij, pollinctores, veſpillones, νεκροθάπται. *In hominem agunt incommodando* latrunculatores, lictores, carnifices. Hos fines reducimus ad generalem illum, qui eſt ſupplere defectum aliquem in vita humana, idque effectione artificiali.

CAPVT II.

De cauſa efficiente artium mechanicarum.

PRÆCEPTA.

Efficiens artium mechanicarum eſt princeps, vel organica; & vtraque ſpectatur ratione acquiſitionis, poſſeſſionis, & exercitationis.

Acquiſitio fit per ingenium mechanicum, quantum ad inuentionem & inſtitutionem.

Poſſeſſio eſt ratione artis, ſeu rei poſſeſſæ, & artificis, ſeu perſonæ poſſidentis.

Execitatio eſt in profeſſione mechanicâ, & iudicio mechanico.

REGV

REGVLÆ.

Inuentio artium mechanicarũ.

I. *Inuentio artium mechanicarum est rationalis, vel fortuita, heroica, vel vulgaris; simplex, vel coniuncta.*

Mechanicarum artium insignis est varietas, cùm pro vsu vario nunc veteres intercidant, nunc nouæ suboriantur: & apud alios quidem opera eiusdem generis diuersis artificibus tribuantur, apud alios verò opera diuersi generis vni eidemque artifici subiiciantur. In quibus ipsis primò spectatur inuentio. eáque non vnius generis. Sunt enim aliæ certo consilio, & insigni mentis agitatione inuentæ: aliæ autem casu fortuito, ab hominibus aliud agentibus. Deinde quidam artium istarum inuentores heroico ingenio & acumine fuerunt præditi, cùm alij vulgares habuerint animi dotes. Denique artes mechanicæ vel singulæ ab hominibus sunt inuentæ, vel plures simul. Sic Plinius author est, Cyniram Agriopæ filium, tegulas, metalla æris, forcipem, marculum, & vectem inuenisse. Noe primus vitem coluit. Figulinam Anacharsis philosophus primus inuenit &c. quá de re vide *Zvvingerum in Theatro vitæ humanæ volumine 20. lib.1.*

Disciplina mechanica

II. *Vt artes liberales, ita quoque mechanicæ postulant disciplinam, id est, institutionem, & quidem imprimis illam quæ fit viuâ voce, & oculari inspectione percipitur:*

Ratio huius est; quia omnis ars discitur tribus hisce adminiculis, natura seu ingenio, methodo seu præceptis, & exercitatione. Atque hinc est, quòd viri laudatissimi artes mechanicas docuerunt & propagarunt partim viuâ voce, partim scriptis. Ita Saturnus classe in Italiam vectus, & ab Iano exceptus hospitio, docuit illum peritiam ruris. Osyris Ægyptius Marso, Germanorum regi sexto, aratrum & reliqua armamenta rustica ostendit, boues iunxit, vites putare docuit, prata tondere, transferre stirpes & plantare: pecuariam instituit, pastinésque villaticas. Zythum ex hordeo conficere ab ipso Germani didicere. Hesiodus primus agriculturæ præcepta docuit. Modum plantandi digessit Solon, Atheniensis ille legislator, perquàm artificiosè. De culturâ agri præcipere, principale fuit etiam apud exteros, vt sunt verba *Volaterrani lib.17. Anthropologiæ.* Siquidem & reges fecere, Hiero, Philometor Attalus, Archelaus: & duces, Xenophon, & Pœnus etiam Mago. M. Varro, octogesimum primum vitæ annum agens, eâdem de re scripsit. M. Cato præcepta in eandem sententiam condidit. Seleucus Emisenus carmine artem piscatoriam scripsit, ἁλιευτικὰ vocat, quatuor libris. Cæcilius Argiuus Halieutica scripsit. Oppianus edidit libros Halieuticon quinque, Cynegeticon quatuor, Ixeuticon 2. Gratius Phaliseus Cynegetica composuit. Aur. Olympius scripsit Cynegetica, Halieutica. & Nautica. Petrus Angelus Bargæus Cynegetica, seu de venatione, lib.6. Ixeutica, seu de aucupio, lib.1. carmine eleganter & methodicè scripsit. Cuius laborem P. Victorius omnibus aliis eiusdem generis, ne veteribus quidem exceptis, præfert. Cimon Atheniensis scripsit librum de equis dignoscendis. Apelles, & Albertus Durerus de arte pingendi libros scripserunt. Antigonus statuarius edidit præcepta Statuariæ. Coquinariam complures tradiderunt.

Ingenium mechanicum.

III. *Ingenium mechanicum cognoscitur ex propensione, & facilitate, vel, si qualis, felicitate.*

Propensio est inclinatio ad hanc vel illam artem mechanicam. *Facilitas* est in promptâ operis mechanici effectione. Videas enim quosdam ludendo quasi conficere hæc vel illa opera mechanica. Si quis ergo hæc duo, impetum, inquam, animi, & facilitatem agendi in se deprehendat, is verè εὐφυὴς censeri debet ad capessendum hanc vel illam artem mechanicam.

Artium mechanicarum possessio.

IV. *Possessio artium mechanicarum consideratur respectu artis, vel artificis.*

Respectu artis est excellentia in vnâ aliquâ arte mechanicâ, vel pluribus simul: vnde ingenij bonitas egregiè perspicitur. *Respectu artificis* est variorum accidentium concursus. Dantur enim mechanici artifices & docti simul, mechanici & viri boni, mechanici & pauperes vel diuites, mechanicæ mulieres, reges & principes qui mechanicas artes calluere, mechanici periti vel imperiti, mechanici industrij vel ignaui &c.

Exercitatio mechanica.

V. *Exercitatio artium mechanicarum est in operatione & iudicio mechanicis.*

Operatio mechanica rursus consideratur vel nudè, absque contentione, vel cum contentione. Ibi sunt mechanici liberi vel serui, principes vel subsidiarij, diligentes vel negligentes, pauci vel multi, magnifacientes vel contemnentes artem suam, subtiles vel tardi &c. hîc sunt certamina mechanicorum artificum, & quidem artis vel eiusdem, vt picturæ, architecturæ, machinariæ &c. vel diuersæ, vt architecturæ & machinariæ. *Iudicium mechanicum* est de proprio vel alieno opere [illegible] ráue: vbi sunt iudices periti vel imperiti, sinceri, vel inuidi &c.

CAPVT III.

De materiâ artium mechanicarum.

PRÆCEPTA.

Materia artium mechanicarum consideratur in genere, & in specie.

In genere est nobilis vel ignobilis, naturalis vel artificialis, simplex & vniusmodi vel composita & multiformis, communis vel propria.

In specie materia artium mechanicarum est ratione institutionis seu disciplinæ, & operationis. Ibi sunt præcepta & regulæ mechanicæ: hic est corpus inanimatum, vel animatum. Inanimatum est naturale, vel artificiale. Naturale est terra, aqua, aër, vel ignis. Artificiale est locus, vel locatum. Locus: vt domus horreum. Locatum: vt vestis, liber, arma. Corpus animatum est brutum, vel rationale. Ibi sunt artes mechanicæ animalium brutorum curæ & cultui deditæ: hîc sunt artes mechanicæ hominum curæ cultuique mancipatæ. *Et ita quidem Zvvingerus digerit materiam artium mechanicarum tom.20. lib.2. Nos paulo μεθοδικώτερον digessimus suprà pag.21.*

REGVLÆ.

I. *Materia artium mechanicarum tam latè patet, vt exhauriat prædicamentum substantiæ, quantum ad corpora naturalia, & prædicamentum qualitatis, quantum ad formam artificialem.*

Ratio prioris est, quia artes mechanicæ occupantur circa corpora cœlestia, quatuor elementa, & omnia: ex elementis composita. Et primò quidem circa corpora cœlestia versantur artes mechanicæ, quæ conficiunt globos cœlestes, astrolabia, & similia instrumenta, quorum vsus est in Vranometria. Deinde circa terram occupantur rustici, agricolæ, hortulani, vinitores, olitores, arborarij, metallarij, fossores, topiarij, aratores, pastinatores, agrimensores. Aquam eliciunt aquileges, custodiunt, hydrophylaces, metiuntur, nautæ. Circa aërem occupantur ventilatores: circa ignem fornacarij, focarij, incendiarij. Animalia bruta curant bubulci, opiliones, caprarij, subulci, equisones, agasones, muliones, aucupes, apiarij, curatores bombycum, & cicuratores, domitores, pastores, muscarij seu μυιοσόβαι, venatores, piscatores &c. Circa hominem occupantur pædagogi, agonothetæ, nũtij, tabelliones, interpretes, indices, præcones, cursores, histriones, scenici, gladiatores, xystici, obstetrices, chirurgi, gymnastæ, pincernæ, prægustatores, λαβανοφόροι, h. e. qui mantulam porrigunt, balneatores, ventilatores, cubicularij, tonsores, vnctores, cõptores, nutritores, altores, nutrices, coqui, satellites, deductores, comites, lecticarij, vespillones, pollinctores, lictores, carnifices, legati, scribæ, amanuenses, notarij; qui sunt ab archiuo, epistolis, vel libellis; adiutores seu [illegible], dispensatores, calculatores; præficæ, viatores, armigeri, proci, tutores, propugnatores &c. *Ratio posterioris* est; quia forma artificialis nonnisi ab opificibus mechanicis inducitur, vel saltem conseruatur. Huc itaque pertinent ædiles, æditui, metatores, cœnacularij, valetudinarij, diætarij, ostiarij seu ianitores, fullones, lotrices, vestispicæ, capsarij, bibliothecarij, bibliopolæ, bibliopegi, præfecti tormentorum, publicani, mensarij, nummularij, argentarij, collybistæ, thesaurarij, arcarij &c.

II. *Materia variat dignitatem artium mechanicarum.*

Dignitas autem materiæ est in ipsius necessitate, subtilitate, honestate, vtilitate, iucunditate. Sic inter artes mechanicas Agricultura primas tenet. Nam præter id quòd alimenta humano generi suppeditat, & cum terrâ matre commercium honestissimum

neſtiſſimum habet, exercitio quoque ſuo vires corporis firmat, roborat, excitat. Quapropter Heſiodus ſolam agriculturam Perſæ fratri commendat, tum vtilitatis nomine, tum etiam honeſtatis. Subtilitas materiæ eſt in quibuſdam artibus mechanicis, quæ ſunt colonæ & propagines artium mathematicarum: vt in Gnomonicâ, arte aurifabrili, & ſimilibus.

CAPVT IV.

De formâ artium mechanicarum.

PRÆCEPTA.

FOrma artium mechanicarum eſt ratione inſtitutionis, vel exercitationis.

Ratione inſtitutionis forma ipſarum eſt in digeſtione ſeu ordine præceptorum & regularum.

Ratione exercitationis forma eſt varia, eáque certis inſtrumentis introducitur in materiam.

Inſtrumenta mechanica ſunt interna, vel externa. Ibi eſt cauſa exemplaris: hîc ſunt inſtrumenta naturalia, vt ignis & aqua; vel artificialia, vt aſcia, malleus, ſcalprum &c.

REGVLÆ.

I. *Artifices mechanici inducunt formam, naturæ imitatione.*

Forma eſt eſſentialis, vel accidentalis. Forma eſſentialis ſubiicitur ſoli Deo & naturæ: accidentalis eſt obiectum artis, ſiue illa ſit liberalis, ſiue mechanica. Ars autem imitatur naturam, adeo quidem, vt ars appelletur ſimia naturæ, & tota ſit *μιμητική*. Imitatio autem iſta eſt gemina. Nam ars imitatur vel ea quæ ſunt, vel ea quæ finguntur. Vnde ars alia eſt *εἰκαστική*, alia *φανταστική*. Porrò artes mechanicæ imitantur naturam vel ſecundùm ſubſtantiam totam; vel ſecundùm accidens. *Ibi* ſunt opifices imitantes ignem, vt qui conficiunt ignem Græcum, vel aquam, vt qui parant aquas ſtillatitias: vel fibras, ligamenta, neruos, tendines, vt filatores, reſtiones: vel corium, pellem, & membranam, vt chartharij, textores: vel lapides igniarios, vt carbonarij: *hîc* ſunt qui inducunt colorem, vt tinctores, vel figuram. Rurſus figuram inducunt vel ſuperficiei per infectionem colorum, inciſionem, eroſionem, inuſtionem, impreſſionem typicam, compoſitionem corporum, contextum filorum, conſutionem: vel corpori, vt ſtatuarij, figuli, plaſtæ, fuſores, ſculptores.

II. *Nulla ars mechanica carere poteſt inſtrumento.*

Omnes mechanici agunt animi vi, corporis miniſterio: ſed in aliis magis elucеſcit occupatio animi, & hæ appellantur artes mechanicæ liberales (cuiuſmodi eſt Pharmacopœia & Pictoria; illa Medicinæ, hæc Matheſeos colona) in aliis occupatio corporis, quæ mechanicæ eximiè dicuntur. Vtræque vtuntur inſtrumento omnigeno, eóque naturali vel artificiali. Inſtrumentum naturale eſt ignis vel aqua. Igne vtuntur artes igniariæ, quæ ſubſtantiam totam aut emolliunt, vt fuſores & fabri metallarij quicunque, aut vrunt, vt lapides in calcem, lignum in cinerem, carbonem; lutum in teſtam, tegulam, laterem: vel ex ſubſtantiâ extrahunt partem ſubtiliorem, & ſeparant purum ab impuro, vt ſeplaſiarij, & ſpagirici. Aquâ vtuntur artes illæ, quæ ſubigunt aut eluunt aliquid. Inſtrumentum artificiale eſt multifarium. Vtuntur enim artifices penicillo, calamo, ſtylo, acu, ſcalpro, torno, malleo, aſciâ, ferrâ, molâ, piſtillo, typis &c. Vniuerſè autem omnes mechanici indigent inſtrumento illo excellentiſſimo, quod appellatur idea, eaque vel mente concepta, vel modello expreſſa.

III. *Artium mechanicarum forma, quam inducunt, eſt indefinita vel definita.*

Forma indefinita & communis eſt, quam illi indunt, qui materiam multis aliis artificibus communem præparant: vt corium, lignum, linum, metallum. *Forma definita & certa* eſt, lignum exſculpunt, qui metallum cælant, qui ex paleâ vannos faciunt, qui ex cornu pectines. Atque hæ ſunt cauſæ artium mechanicarum, breuiter explicatæ. Vberiorem efficies hanc doctrinam, ſi quæ in genere diximus ſuprà *lib. 2.* de principiis diſciplinarum, accommodes huic materiæ.

CAPVT V.

De affectionibus artium mechanicarum.

PRÆCEPTA.

AFfectiones, ſeu proprietates, artium mechanicarum ſunt tres: varietas, conuenientia, & differentia.

Varietas eſt, quâ artes mechanicæ longo interuallo ſuperant artes liberales.

Conuenientia eſt, quâ artes mechanicæ habent aliquid commune vel cum artibus liberalibus, vel inter ſeſe.

Differentia eſt, quâ artes mechanicæ diſtinguuntur partim ab artibus liberalibus, partim à ſe inuicem.

REGVLÆ.

I. *Varietas artium mechanicarum eſt tanta, vt ipſarum numerus vix queat ſubduci, neque nomina ſatis conuenientia extent, quibus illæ nuncupentur.* Varietas artium mechanicarum.

Ad primum illud quod attinet, nihil eſt mirum, artes mechanicas tam eſſe diffuſas. Ita enim eſt, vt ait polyhiſtor ille Zvvingerus: *Πραγμάτων* inſignis eſt varietas, & neſcio an à quoquam emenſus Oceanus. At quia *τῶν καθ᾽ ἕκαστα* cognitio infinita eſt, ſummis capitibus contenti ſint oportet, quibus ſingula ſenſu explorare, ratione complecti, non datur. Fontes ergo operum mechanicorum, id eſt, cauſas ipſas contemplemur ſingillatim, à quibus artes *ποιητικαὶ* quælibet & eſſe & nomen trahunt, itâ tamen vt ad vnam aliquam cauſarum, hanc vel illam, eximiè referantur. Ergo ſi quatuor cauſæ expendantur, *materia* primo loco occurret: atque ita mechanici opifices verſantur circa aquam, vt ſalis coctores: vel circa metalla, vt aurifabri, fabri argentarij & ferrarij: vel circa vitrum, vt vitriarij: vel circa lignum, vt fabri lignarij: vel circa corium, vt coriarij & pelliones &c. Deinde mechanici opifices ſecundùm *formam* conſiderati, ſunt confectores ignis artificialis, extractores aquæ per deſtillationem, filatores & filatrices, textores & textrices, chartarij, carbonarij, tinctores, infectores, pictores, inciſores formarum, amuſſeatores ſeu confectores operis muſiui, typographi, ſtatuarij, cælatores, fictores, marmorarij, ſculptores, plaſtæ, fuſores, *δακτυλιογράφοι* ſeu annulorum ſculptores. Porrò mechanici opifices conſiderati ſecundùm *organum*, quo faciunt opus, vtuntur vel igne, vt opifices igniarij, cuiuſmodi ſunt fuſores & conflatores metallorum atque lapidum, fabri metallici, calcarij, laterarij, Chymiſtæ: vel malleo, vt ſunt omnes *σφυρηλάται*, putà fabri ferrarij, argentarij &c. vel acu, vt ſartores & ſartrices, ſutores vel ſcalpro, vt ſculptores: vel torno, vt diatretarij ſeu tornatores: vel piſtillo, eóque manuali aut machinali, piſtores; vel molâ, vt molitores. Denique ratione *finis* magna eſt varietas opificum mechanicorum. Etenim finis operum mechanicorum conſiderari poteſt duobus modis: eſſentialiter, & accidentaliter. Eſſentialiter, reſpectu ſcilicet vel perſonarum, quæ his inſtructæ organis agunt (ſic citharæ vſus, vt eâ muſicus perſonet) patiunturue (ſiue citharæ vſus, vt eius ſono afficiantur aures humanæ) vel reſpectu effectus, quem organum imprimit in re vel perſonâ, cui adhibetur. Ita citharæ vſus eſt mentem humanam delectare, erudire, incitare, refrænare. Accidentaliter item conſideratur, quatenùs organum ab artifice factum inſeruit vſui vel ipſiuſmet (ſic faber ferrarius malleum, forcipem, clauum ſibi ipſi fabricat; & Cyclopes olim *ἑκατόγχειρες* dicti ſunt, fortè quia inſtrumenta & fabricari, & fabrefactis vti noſſent) vel aliorum: & ita faber ferrarius ſuppeditat arma venatori, paſtori, coquo, fabro lignario: lignarius, capſas mercatori, veſtiario. Huc itaque pertinent opifices, qui varia parant inſtrumenta, e.g. typos, currus, rhedas, acus, vaſa &c. quique paratis vtuntur, vt typographi, aurigæ, ſartores, pharmacopœi. Iam diſpiciamus de *nomenclaturâ artium mechanicarum*: vbi certè magnâ laboramus inopiâ. Neque enim omnes artes mechanicæ habent certa nomina, quibus appellentur. Hinc tres claſſes artium mechanicarum poſſunt conſtitui. Primæ claſſis ſunt, quæ certis nominibus appellantur: vt Agricultura, Paſtoritia, Venatoria, Pictoria, Figulina, Nautica, Statuaria, Typographica, Coquinaria, Veſtiaria, Scriptoria, Sculptoria, Textoria, Meſſoria, Foſſoria, Machinaria, Gnomonica, Cauponaria, Vnguentaria &c. Secundæ claſſis ſunt, quæ circumlocutione ſeu circumſcriptione quâdam efferuntur: vt ars domandi bruta, Ars abigendi muſcas, Theatrum artis ferrariæ ſeu ars ferraria, Thea-

trum artis fabrilis &c. Tertiæ classis sunt, quæ denominationem sortiuntur ab ipsis artificibus: vt, Ars equisonum, Ars altorum, Ars funambulorum.

Cōuenientia artium mechanicarum cum liberalibus.

II. *Conuenientia artium mechanicarum cum artibus liberalibus spectatur in genere & in specie.*

In genere: quatenus artes mechanicæ æquè in bonis animi numerantur, atque artes liberales. Sunt enim habitus intellectuales, vt ex Hexilogia constat: sæpéque tantam ingenij bonitatem requirunt, quantam artes liberales. Deinde vt artes liberales, ita & mechanicæ commoditati vitæ humanæ omnes inseruiunt: eóque nomine Gnomologus Megarensis vocat ipsas παντοίας ἰδότε παλάμας, & poëtæ Cyclopas ἐγχειρογάστορας appellarunt. *In specie* artes mechanicæ diuiduntur in liberales & ingenuas, itémque seruiles & sordidas. Nam quò quæque animi potius quam corporis nituntur præsidio, sic hominis excellentiâ digniores censentur. Itaque artes mechanicæ liberales maiorem habent affinitatem cum artibus liberalibus, quam mechanicæ sordidæ. Rursus artes mechanicæ logicæ seu theoricæ magis conueniunt cum artibus liberalibus, quàm artes mechanicæ chirurgicæ. Vniuersè autem omnes artes mechanicæ, seu poëticæ, maiorem habent conuenientiam cum artibus liberalibus poëticis; quatenus vtræque continentur sub vno genere proximo. Est enim ποίησις, siue τέχνη, altera species habituum practicorum, theoreticis oppositorum; eáque subdiuiditur in τέχνην liberalem & mechanicam. At verò, si principia & fundamenta artium mechanicarum spectentur, iam non recurrendum est ad τέχνην liberalem, sed vel ad physicam, vel ad mathesin, vel ad medicinam &c. Vide infrà Alchymiam. Denique potest etiam esse aliqua conuenientia inter artes medicinas & liberales quantum ad methodum. Sic v. g. Agricultura in quinque partes diuidi potest; quomodo ferè Medicina diuidi solet. Prima pars Agriculturæ dicitur Physiologia, quæ explorat naturam agri, fundi, terræ, aëris, aquæ, plantarum, olerum, anni, ad fructibilitatem feliciùs obtinendam. ea enim intenditur ab agricolâ. Secunda pars est Semeiotica, quâ cognoscimus viuentis fructibilitatem, causas, & species, itémque signa terræ bonæ vel malæ, quæ sumantur ex odore, sapore, colore, plantis & fructibus ibi ortis, aquis, fontibus, tactu. Tertia est Pathologia, quæ edisserit affectiones, morbos, & symptomata plantarum, olerum, animalium, terrarum, causásque inuestigat. Quarta pars dicitur Præseruatiua, quæ custodit fructibile, ne damnum aliquod patiatur. Quinta est Curatiua, quæ fructibile morbosum sanat. Quemadmodum itaque medicus, sic Agricola debet considerare res non-naturales, res naturales, res præter naturam &c. ille in homine, hic in fructibili, vt fructibilitas animati, seu viuentis, conseruetur, generetur, & recuperetur: de quâ collatione vide apud *Iohannem Colle in Theatro Agriculturæ*: vbi etiam ait, agriculturam esse naturalem quandam magiam.

Cōuenientia artium mechanicarum inter se.

III. *Conuenientia artium mechanicarum inter sese spectatur in genere, & in specie.*

In genere omnes artes mechanicæ requirunt vim & vigorem mentis, corporísque ministerium. Intendunt enim effectionem ingeniosam, hominum vitæ quotidianæ vtilem & iucundam. *In specie* artes mechanicæ, quæ sunt colonæ & traduces vnius eiusdémque artis liberalis, aut plurium simul, arctiori quâdam necessitudine continentur. Sic v.g. artes illæ, quæ peculiari quâdam notione mechanicæ dicuntur, valde sunt cognatæ quod ita patet. Artes mechanicæ dicuntur latè, strictè, vel strictissimè. *Latè* sunt, quæ opus externum sibi habent propositum. *Strictè*, quæ opus externum sordidum tractant; quo vel corpus, vel anima inquinatur, vt coquinaria, histrionica, adulatoria, lenonica. *Strictissimè*, quæ determinatis mouentibus aliquod corpus externum facilè aut difficulter mouet, retardat, auget, vel minuit. Hoc postremo significatu artes mechanicæ dicuntur, quæ efficiunt machinas motiuas, quibus grauia faciliùs mouentur, leuia retardantur &c. Atque hæ tales artes appellantur magia mathematica, seu magia artificialis. Subiectum ipsorum est corpus artificiale faciliùs motiuum, aut retardatiuum: finis, introducere motum velociorem, aut quietem contra naturam corporum. Huius mechanicæ magiæ communia supposita sunt numero quindecim. 1. *Centrum grauitatis facit, vt motus vel quies sit æquabilis.* 2. *Si æqualibus grauibus adduntur partes æquales, omnes simul grauis erunt æquales pondere.* 3. *Si ab æqualibus grauibus auferantur æquales partes, quæ remanent sunt æqualiter graues.* 4. *Quæ inter se pondere sunt æqualia, sunt etiam inter se æqualiter grauia.* 5. *Vnius corporis vnum solum est grauitatis centrum.* 6. *Centrum grauitatis vnius corporis semper in eodem situ est respectu sui corporis; & duplex est, vnum mobile, vt in rotis currus, alterum immobile, vt in trochleâ.* 7. *Pondera deorsum feruntur iuxta centrum grauitatis.* 8. *Ad circulum & semicirculum, rotundáque corpora reducuntur omnia mouentia artificialia.* Sic v. g. vectis reducitur ad libram, libra ad circulum: cuneus est duplex vectis. 9. *Semper potentia est minor pondere, sed instrumento artis superat.* Atque hoc maximè in magia mechanicâ est aduertēdum. 10. *Maiores circuli faciliùs ab eâdem virtute mouentur, & faciliùs trahunt pondera, quàm minores.* verbi gratiâ, rotæ maiores, libræ maiores, arbor nauis altior, & remus longior. *Rotundæ figuræ quouis modo moueantur, faciliùs mouentur semper*: quia nempe in puncto planum tangunt, scindúntque medium. 12. *Quò magis aliquid à centro vel fulcimento distat, eò faciliùs inflectitur.* Ita lignum longum infirmius est breui & flexibilius: libra & vectis longior faciliùs eleuat pondus, & velocius mouet: lignum faciliùs frangitur ad genu, si vtraque extremitas manibus apprehendatur. 13. *Omnia cùm in motu sunt, faciliùs mouentur quàm si è quiete protinùs moueantur.* 14. *Pressa ab impellente, vel expellente, vel attracta ab attrahente, debent esse proportionata vi mouenti, non nimis grauia vel leuia.* Omne enim mouens resistente eget, quo si careat, mouere nequit. Debet autem illud esse proportionale. Nam nimis leue non facit resistentiam æqualem mouenti, & nimis graue, immoderatam facit. At semper mouens debet esse validiurius moto, aut trahens, pellens, & circumuoluens, tracto, pulso, & circumuoluto. 15. *In vorticibus, & motibus mixtis ex pulsu & tractu, motum suâ ponderositate tandem ad centrum tendit.* Circulus enim maior, & primus, velociùs & faciliùs mouet, atque impellit ad secundum. nam fugit motum alienum, & sequitur suum motum atque inclinationem, quæ est, vt graue ad centrum vergat. Ita secundus circulus pellit tertium, & hic quartum, atque ita deinceps, vt tandem ad centrum perueniatur. Atque hæ sunt notiones communes magiæ mechanicæ, seu artibus mechanico-magicis, vti sunt automatopoëtica, isorrhopica, clasmatica, hydraulica, & similes.

IV. *Artes mechanicæ differunt à liberalibus ratione acquisitionis, possessionis, & exercitationis.*

Nam artes liberales acquiruntur, possidentur, & exercentur ab hominibus vitæ theoricæ, actiuæ, aut factiuæ sublimioris amantibus, in scholâ, certâ præceptorum methodo, vt studia pietatis & humanitatis tueantur homines à barbarie: sed mechanicæ acquiruntur, possidentur, & exercentur ab hominibus vitæ factiuæ humilioris amantibus, extra scholam, ferè oculari inspectione & manuali exercitatione, vt vitam animalem degamus commodè.

V. *Artes mechanicæ distinguuntur causis, effectis, subiectis, & adiunctis.*

Causis: putà organis seu instrumentis, materiâ, formâ, fine. *Effectis*: putà προσθετικῇ, ἀφαιρετικῇ &c. *Subiectis*: nempe loco, & obiecto. *Adiunctis*: putà facilitate, difficultate, & similibus. Confer ea, quæ hactenus dicta sunt cum capite seq. & vniuersâ artium mechanicarum explicatione, quam deinceps trademus.

Capvt VI.

De diuisionibus generalibus artium mechanicarum.

Præcepta.

IN Mechanographiâ generali superest vltima pars, de diuisionibus generalibus artium mechanicarum. Sunt itaque artes mechanicæ,

I. Ἀφαιρετικαί, vel προσθετικαί. Illæ aliquid auferunt, vt Balneatoria: hæ aliquid conferunt, vt Pharmacopoëtica. Quædam sunt mixtæ: vt Chirurgica.

II. Ἀρχιτεκτονικαί, vel ὑπηρετικαί. Illæ imperant, vt Pastoritia: hæ famulantur, vt Fossoria. Quædam sunt mixtæ: vt Nautica.

III. Occupantur circa substantiam, vt Seplasioria: vel circa accidens, vt Architectura.

IV. Ἀλλακτικαί seu μεταβλητικαί, vel ληπτικαί. Illæ sunt commutatrices, vt Mercatura: hæ acceptatrices, vt Messoria.

V. Κοσμητικαί, vel ὠφελητικαί. Illæ sunt ornatrices, vt Statuaria: hæ adiutrices, vt Georgica.

V I. Faciliores, vel difficiliores: idque vel in se, respectu ingenij capacis vel incapacis.

V I I. Antiquæ, vt Agricultura: vel nouæ, vt Typographica.

V I I I. Necessariæ simpliciter, vt Georgica: vel secundùm quid, vt Venatoria, Tormentaria.

I X. Necessariæ, vt Bucolica: vel non-necessariæ, vt Histrionica.

X. Honestæ, vt Pictoria: vel inhonestæ, vt Lenonia, Parasitica.

X I. Vtiles, vt Statuaria: vel inutiles, imò noxiæ, vt Lenonia.

X I I. Iucundæ, vt Phyturgica: vel iniucundæ, vt Lictoria.

X I I I. Sellulariæ, vt Sutoria: vel consistentes in motu, vt Gymnastica.

X I V. Nobiliores, vt Automatopoëtica: vel ignobiliores, vt Ferraria.

X V. Logicæ, seu mentales, vt Gnomonica: vel chirurgicæ, seu manuales, vt Aurifabrilis.

X V I. Ποιούμεναι, vel χρώμεναι. Illæ aliquid faciunt, licet eo non vtantur, nisi per accidens, vt Automapoëtica: hæ operibus aliorum vtuntur.

X V I I. Motrices, vt Nautica: effectrices, vt Ferraria.

R E G V L Æ.

I. Artes mechanicæ diuiduntur duobus modis.

Et primò quidem sunt diuisiones generales, siue communes, è quibus præcipuas modò attigimus. Hæ siquidem non pariunt vltimas differentias, vt patebit consideranti. Deinde sunt diuisiones in species infimas: de quibus *cap. seq.* Quod attinet ad diuisiones generales, illæ passim apud authores occurrunt. Sic *Plato* commutatrices mechanicas diuidit in αὐτοπωλικὰς, quándo is qui fecit rem, dat alteri, vt si sutor calceos vendat pistori vel commutet: & μεταβλητικάς, quando aliquis dat rem, quam non fecit, vt cùm sutor pecunia emit à pistore panem. *Aristoteles* 1. *Phys.* artes mechanicas diuidit in ποιούμενας καὶ χρωμένας. Illæ faciunt aliquid; hæ vtuntur iis, quæ ab aliis facta sunt. Ita qui frænum fabricat, à Ferrario ferrum præparatum accipit, ipse frænum à se confectum equiti vtendum præbet. Sartor à textore pannum accipiens, vestem quâ tegantur alij, parat. *Pappus Alexandrinus lib. 8. collectaneorum mathem.* constituit duo summa genera artium mechanicarum. Alias enim appellat logicas & theoreticas, alias chirurgicas & practicas. Ibi sunt Catapultica, Belopoëtica, Hydraulica, Pneumatica, Clasmatica, Automatopoëtica, Centrobarica, Sphæropoëtica: hîc sunt Ferraria, Æraria, Pistoria &c.

I I. Dignitas artium mechanicarum est interna, vel externa.

Interna pendet ab ipsarum naturâ: externa, ab aliquo accidente nobili. Sic eæ artes mechanicæ hominis excellentiâ digniores censentur, quæ animi potiùs quàm corporis nituntur præsidio. Atque hæc dignitas est ipsis intrinseca. Sed extrinsecùs ipsis accidit, quòd excoluntur à principibus & doctis viris. Idem est iudicium de indignitate. Sic artes mercenariæ suâ naturâ sunt indigniores: & quæ exercentur ab ignauis vel imperitis, aliquem dignitatis suæ gradum amittunt.

C A P V T VII.

De serie artium mechanicarum in hoc opere explicatarum.

P R Æ C E P T A.

Expoſita est Mechanographia generalis: iam exponetur specialis, de vltimis differentiis artium mechanicarum.

Mechanologia specialis, est miscellanea, vel distinctior.

Mechanologia miscellanea promiscuè explicat artes mechanicas colonas Physices & Mathematices, circa hominis victum, amictum, vel domicilium occupatas.

In primo ordine sunt artes sumendi, asseruandi, & parandi cibi & potus in genere.

In secundo ordine sunt artes parandi pannum, farciendi vestes, & parandi calceos: vbi cognatæ sunt artes & parandi ephippia & restes.

In tertio ordine sunt hæ artes: ferraria, lignaria, figulina, lateraria, lapicidaria, & cæmentaria.

Mechanologia specialis distinctior explicat seorsim artes mechanicas, quæ sunt colonæ Physices, vel Matheseos. Illas dicimus artes mechanico-physicas: has, mechanico-mathematicas.

Artes quædam mechanico-physicæ explicantur *libro seq. 29.* mechanico-mathematicæ, *libro 30.*

R E G V L Æ.

I. Tametsi omnes in vniuersum artes mechanicæ, limitibus methodi circumscribi possunt: tamen in hâc Encyclopædiâ id fieri minimè oportuit. Tres classes artium mechanicarum hic explicatarum.

Zmingerus tom. 10. theatri sui rectè ait: Effectus ipsos (artium mechanicarum) numero propè indefinitos, siue opera sola, siue opus in considerationem veniat, certis circumscribere limitibus methodi est & artis: sed quàm id difficile, quàm sit operosum; Platonis Politicus & Sophista satis ostenderunt. Est itaque difficile ac operosum, at non impossibile, artes mechanicas non solùm ad calculum reuocare, sed etiam lumine methodi easdem illustrare. Quò minùs autem id præstiterimus in hâc Encyclopædiâ, duo fuerunt in causâ. Boni artificis est, inquit ille, quædam ignorare velle. Hanc ego mihi cynosuram proposui cùm in aliis meis lucubrationibus, tum etiam in hac ipsa. Deinde moles libri huius nimiopere excreuisset, si hunc laborem exantlandum sumpsissem. Itaque rectè me facturum existimaui, si tres duntaxat classes & familias artium mechanicarum constituerem, inque illas redigerem ea genera, quæ vel notiora sunt vbique, vel maiorem afferre possunt legentibus vtilitatem & voluptatem. In primâ verò classe breuiter explicantur artes quædam mechanicæ ordine miscellaneo: in secunda, artes celebriores mechanico-physicæ: in tertiâ, artes celebriores mechanico-mathematicæ. Vbi duo mihi es monendus; quicunque hæc nostra leges. Ac primò quidem series, quam modò diximus, quamque deinceps obseruabimus, potior est illa serie, quam suprà pag. 42. 262. 263. expressimus. Itaque ordo ibi expressus est emendandus ex iis, quæ tribus hisce libris differuntur. Deinde quod attinet ad methodum in artibus hisce mechanicis, vix fuit aliquis, qui præiret nobis viam. At in regulis, & commentariis ea proposuimus, quæ viri extra omnem ingenij aleam copiosè ac doctè persecuti sunt: putà Varro, Columella, Cardanus, Rantzouius, Pontanus, Quercetanus, & alij, quos suo loco laudauimus. Quod monitum oportuit, ne quis vel πολυπραγμοσύνης, vel leuitatis nos alliget.

I I. Magnum est operæpretium, conficere catalogum artium mechanicarum insigniorum, & in eo summa saltem capita digerere. Admonitio de quibusdam artibus mechanicis.

Ea enim res facit, vt temporis iacturam non faciamus, & bonos authores intelligamus, & inquiramus in ea, quæ nobis sunt ad gustum. Itaque huius diligentiæ specimen quoddam dabimus. *Statuaria* distribuitur in quinque species, de rationibus subiectæ materiæ. Siquidem lignorum vel eboris elaboratrix, Tomice nuncupatur: ex quo & artifices id genus quibusdam dicti Desectores. Quæ argillam tractat, Plastice vocari solet: at quæ gypsum, Paradigmatice, quoniam ab typis non abscedit. Gypsochoos sunt qui dicant ipsos artifices. Quæ lapides scalpit, Colaptice nomen habet, seu sculptura: Lithoxoos appellant hosce. Postremò quæ cum metallis contrahit, Glyphice est, vel scalptura: cuius ratio duplex: nam si adhibeatur cera, deductionis ratione, Agogice vocatur. Etenim ab fundendi argumento chemicem, id est, χημικὴν, alteram dixere. Porro Anaglyphicem intelligunt, cùm ita exculpsimus, vt promineant imagines: Diaglyphicem verò ad impressuram spectare. Nam Encolapticæ, laminas cælando conformatur: sicut vasa Toreuticæ, fibras, candelabra, ac id genus plura. Encausticæ, vel inustoria, argentum, æs, vitrum expingit: vnde encaustum dicere vulgò smaltum possumus. Proplasticem accipiunt, vbi futuri operis formas confingunt plastæ ex creta: nam si id ipsum ex cera sculptor facit, Protypus dicitur: si ex ligno architectus, Modellus. *Cælius Rhodiginus lib. 29. c. 24.* Sed pergamus. *Graphice*, seu ars scriptoria, diuiditur in Orthographiam, Calligraphiam, & Tachygraphiam.

phiam. Tria enim requirit, vt rectè, vt eleganter, vt celeriter & expeditè scribatur. Rectè scribere, summæ est artis. Primam itaque laudem habet Orthographia. Cuius tanta est necessitas vt si in eâ peccetur, nullam nec elegantia, nec celeritas laudem ampliùs mereatur. Eleganter scribere, imitationis est probæ, & quædam velut picturæ species. Celeriter scribere, partim naturæ est, veloci ad nutum manu posse literas exarare: partim artis, notis quibusdam integra verba significare (quarum Cicero author fuisse perhibetur) de quibus Martialis.

Currant verba licet, manus est velocior illis:
Vixdum lingua suum, dextra peregit opus.

Quæ tamen notæ cùm multarum litium in contractibus causa essent, aliis alio modo easdem notas interpretantibus: edictio cautum fuit, ne quis amplius in foro & iudiciis, notis istis vteretur. Apud nos ignotum est hoc scribendi artificium, vel potius compendium, nisi quantum ex antiquis marmoribus & scriptis colligere licet. In notarum locum successere apud neotericos abbreuiaturæ (sic enim vulgò appellantur) quibus longè certiùs ea quæ volumus scripto exprimere possumus, quam notis, nec minori celeritate, quandoquidem minutis literis vti consueuimus. *Zmingerus volum. 20. theatri. lib. 3.*

CAPVT VIII.

De artibus quibusdam mechanicis, circa hominis victum occupatis.

PRÆCEPTA.

Artes mechanicæ circa hominis victum occupatæ & hoc loco explicandæ, aliæ versantur circa cibum & potum assumendum, aliæ circa vtrumque recondendum, aliæ circa cibum parandum.

In primo odine est Trapezonomica, in secundo Penuaria, in tertio Culinaria, Laniatoria, & Molitoria: quibus omnibus communis est distributio, quòd sunt generales, vel speciales.

REGVLÆ.

Trapezonomica. I. *Trapezonomica explicat rationem rectè assumendi cibum & potum, adeoque tractat de modo apponendi & distribuendi vtrumque. Proinde sub eà continetur Creodætica seu Trapezocomica.*

In appositione cibi & potus oportet spectare mensam, vasa, & ordinem. *Mensa* debet esse capax, munda, sedilibus instructa, & mappis ornata. *Vasa* erunt munda, & sufficientia & distincta. e. g. salinum, cochlearia, patinæ, pocula. *Ordo* esculentorum & potulentorum variat pro qualitate & quantitate vtrorumque, & pro more gentis aut habitu patrisfamiliâs. In genere autem distinguitur mensa in primam & secundam; & si lautior sit tractatio, in tres missus. *In distributione cibi* requiritur structor, qui dicitur τραπεζοκόμος: *in distributione potus* pocillator, seu οἰνοχόος. Huc itaque pertinet ars *Trapezocomica*, cuius potissimum præceptum in eo versatur, vt aliquis ad vnguem norit partim articulos in animalibus, quarum carnes solent apponi, partim ordinem, quo hæc vel illa ciborum genera priori aut posteriori loco solent distribui. Hîc itaque agendum fuerit de carne assa & elixa; de carne suilla, aprugnâ, bubulâ, vitulinâ, veruecinâ, hœdinâ, ouillâ, agninâ, caprinâ, gallinaceâ, anserinâ, & quauis ferinâ; de iure, pulte, intrito, pisculentis, ouis, placentis, bellariis, deliciis, & tuceto, quod Græca voce dicitur artocreas.

Penuaria. I I. *Penuaria explicat rationem recondendi & asseruandi cibum & potum.*

Ad cibum quod attinet; ibi considerantur condus, promus, carnarium, cista, res asseruandæ, & modus asseruandi. Sic. v. g. salsamentum, halec, caro infumata, pisces infumati, pelamis salita, & similia, asseruantur, illorumque condimentum vniuersale est sal. Asseruantur autem vel in fumo, vel in vase. *Potus* asseruatur à cellario, in cella apta, doliisque mundis. qua de re vide infra in OEnopoëticis & Zythopoëticis.

Culinaria. III. *Culinaria explicat rationem culinæ, ignis, & instrumentorum culinariorum.*

In culina, seu coquina, spectantur focus, furnus, profurnium, mundities, & capacitas. Vbi generalis est regula de fumario, quod Græcis appellatur καπνεῖον, vt suprema eius pars sit latior quàm inferior. Ita enim fit, vt fumus absque vllo impedimento euolet. *Ignis* requiritur varius: videlicet nunc flamma, nunc carbo &c. *instrumenta culinaria* sunt varia. e. g. flabellum, forceps, batillum, ignitabulum, tripus, catena, ahenum, sartago, lebes, cacabus, olla, operculum, spatha seu rudicula, ligula, haustrum, fuscina, veru, cratula, mensa coquinaria, cultri varij, radula, catini varij, patellæ, lances, paropsides, scutellæ, vrnæ, vrcei, peluis, mantile; aquarium seu ὑδρεῖον.

Lan[...] I V. *Laniatoria, seu Creurgica explicat de lanio, instrumentis laniatoriis, & modo laniandi tum genere tum in specie.*

Lanius ὁ κρεουργός, erit mundus, gnarus rei pecuariæ, & prudens, *instrumenta laniatoria* sunt securis, malleus, vas sanguinarium, funis; culter iugulatorius, excoriatorius, & sectorius; mensa laniatoria, statera carnium, radula. *Modus laniandi* est in mactatione pecudis, detractione pellis, dissectione carnis, & fartura, si quidem illa sit opus: vt quando paranda sunt farcimina: quanquam alicubi lanius & fartor distinguuntur officio.

Mo[...]ia V. *Molitoria explicat officium molitoris, & rationem molendi.*

Officium molitoris est, vt moletrinam accuratè custodiat, & rationem molendi exactè teneat. *In moletrinâ* spectantur ipsius genera, & instrumenta. *Genera* sunt mola trusatilis, mola asinaria, molendinum aquarium, & mola alata, quæ Græcis dicitur μύλη ἀνεμική. *Instrumenta* sunt cista, seu arca pollinaria, infundibulum, lapis molaris, catillus, meta, subscus ferrea, hydraula, rota molaris, pinnæ, septum aquarium seu catarrhactæ, ligna subscudata, incernibulum seu cribrum, cribrum pollinarium vel excussorium &c. *Ratio benè molendi* est in eo posita, vt molitor norit naturam frumenti, vt est triticum, hordeum &c. modumque illud ritè confringendi: vbi oportet distinguere farinam, furfur, & puluerem; & rursus farinam crassiorem à polline.

CAPVT IX.

De artibus quibusdam mechanicis circa hominis amictum occupatis.

PRÆCEPTA.

Artes mechanicæ quæ circa hominis amictum occupantur, quæque hoc loco sunt explicandæ, parant materiam, vel formam vestium.

Materiam parant Fullonia, Textoria, Tinctoria seu Infectoria, & Coriaria.

Formam parant Sartoria & Sutoria.

Cum Coriariâ conuenit Ephippiaria & Restiaria

His omnibus communis est diuisio, quòd sunt generales vel speciales.

REGVLÆ.

I. *Fullonia, seu lanificium explicat omne studium & opus, quod circa lanam, vel ex lana fit.* Ful[...]a.

Plato duas huius artis *partes* constituit, discretoriam & concretoriam. Discretoria est carminatio. Concretoria fit implicatione staminis & subtegminis. Præcipua *instrumenta* sunt radius, trama, spata, regula, & viuerra. *Ratio artificij* consistit in delectu & præparatione lanæ, texturâ seu confectione panni, & eius lotione, exsiccatione, atque complicatione: vbi magna est varietas ratione serici, panni florulenti seu Damasceni, panni villosi vtrinque vel ex vnâ parte &c.

I I. *Textoria, se textrina, dicitur latè vel strictè.* Te[...]ria

Latè complectitur sub se se lanificium & linurgiam: atque ita textor est lanifex, vel linteo: *Strictè* est linurgia. Sunt enim quædam communia lanifico & linteoni: vt liciatorium seu iugum scapus seu pecten, licium, stamen, nicetæ seu duplex stamen, triplex seu triplicatum stamen, lapides appensi, subtegmen siue trama, radius, panus siue glomus, nodus, insilia, tela siue textum. Propria textoris sunt parare cadurcum, byssum, carbasum siue sindonem, sabanum, trilicem, & similia genera lintei.

III. Tinctoria

ria. III. *Tinctoria explicat instrumenta, colores, & modum tingendi.*

Instrumenta sunt cortina siue ahenum, rudicula, & similia. *Colores*, quibus baphici infectores pannorum vtuntur, ferè sunt diluti. Vtuntur enim coloribus temperatis calce, alumine, ligno Brasilio, rubiâ, gallis, chalcantho, vrinâ, aceto, lixiuio. *Modus tingendi* est vel in fuco, vel in semel tincto, vel in bis tincto, quod Græcis est δίβαφον.

VI. *Coriaria explicat instrumenta, colores, & modum parandi corium.*

Instrumenta sunt scalprum coriarium, scabellum, frutex coriarius, & psilothrum seu depilatorium. *Colores*, quibus coriarij vtuntur, ferè ita diluuntur, vt diximus de tinctoriâ. Eadem enim ferme est ratio tingendi pannum & corium. Hic obiter memineris: multa tingi floribus, corticibus, lignis, terrâ, spumâ, atramento, vino, fumo, animalium saniè, lixiuio, mari, luto, nucum iuglandium cortice. *Modus parandi corium* variat apud coriarios & alutarios; & rursus variat pro diuersitate corij equini, ouini, caprini, bubuli &c.

V. *Sartoria explicat instrumenta sartoris, partes & genera vestium.*

Instrumenta sunt vlna, forfex, digitale, acus, filum. *Partes vestium* sunt manicæ, alæ, collare, stria, limbus, sinus &c. *Genera vestium* variant, ratione materiæ, formæ, partium corporis, officij, sexûs, & nationis. Et *primò* quidem vestis est tenuis, diuersicolor seu Babylonia, coccinea, bombycina seu Coa, Alexandrina seu multilix, auro intertexta seu Attalica, lacera, ouilla, vulpina &c. *Deinde* est longa vel breuis, pulchra vel deformis &c. *Tertiò* est capitis, medij vel infimi corporis. *Capitis*: vt cucullus, bardocucullus. *Medij corporis*: vt pectorale, tunica, manica, interula, thorax; amiculum, diplois, stola, pallium seu mantellum, penula, chlamys, toga, tunica, bracca, cingulum, marsupium, pelliceum, rheno, calasiris, endromis, gausapina &c. *Imi corporis*: vt loculus, pera femorale, tribiale. *Quartò* est trabea, torques, vestis militaris, toga prætexta, toga purpurata, abolla, lacerna, palla &c. *Quintò* thorax, vitta, examis, violacea, cyclas &c. *Sextò* vestis linea fimbriata Persarum, vestis Germanorum, Gallorum &c.

VI. *Sutoria explicat instrumenta sutoris, & pedum tegumenta.*

Instrumenta sunt atramentum sutorium, scalper sutorius, cultellus sutorius, subula, filum sutorium, pix, acus, forma seu calopus, lignum, inductorium. *Tegumenta pedum*, quæ quidem conficit sutor sunt calceus, solum, obstragulum, corrigia, ocrea, pero, solea endromis, baxea, carpatina, tentipellium, calopodium, cothurnus, soccus, crepida siue sandalium.

VII. *Ephippiaria explicat instrumenta ephippiarij, & eius officia.*

Instrumenta sunt culter, atramentum, lignum, acus, & similia. *Officia* ephippiarij, siue sellularij, sunt conficere ephippium seu stratum, cingulum, antilenam, postilenam, capistrum, & habenam.

VIII. *Restiaria explicat materiam, instrumenta, & officia restionis.*

Materia sunt stupa, iuncus, & spartus seu genistæ. *Instrumenta* sunt girgillus seu rhombus, lignum &c. *Officia* sunt conficere omnis generis funes & funiculos: cuiusmodi sunt funis sparteus, funis iunceus, funis stupeus, laqueus seu restis, tendiculum seu pedica, funis aurigarius, rudens, camilus, retinacula, pes, restis culcitræ, trochlea, tomex, neruus siue amentum, linum, numella.

CAPUT X.

De artibus quibusdam mechanicis circa hominis domicilium occupatis.

PRÆCEPTA.

Artes mechanicæ circa domicilium hominis occupatæ, & hoc quidem loco explicandæ, sunt ars ferraria, lignaria, figulina seu pelurgia, lateraria seu plinthurgica, lapicidaria, & cæmentaria.

His artibus communis est diuisio, quòd sunt generales vel speciales.

REGULÆ.

I. *Ferraria explicat instrumenta communia fabri ferrarij, & genera artis ferrariæ in specie.* Ferraria.

Faber est bractearius, stannarius, ahenarius, plumbarius, cultrarius, orichalcarius, falcifex, aurifaber, ferrarius. Nos hoc loco agimus de fabro ferrario, cuius *instrumenta* sunt fornax, follis, incus, incudis fulcrum, forceps, malleus, lacus, carbo, corbis &c. *Genera artis ferrariæ* multa sunt: videlicet clauaria, frænaria, aratoria, equestris, solaria, ferraria, catenaria, annularia, & similes.

II. *Lignaria, seu lignifabrilis, explicat instrumenta & opera fabri lignarij.* Lignaria.

Instrumenta sunt securis, securicula, ascia, dolabra, bipennis, terebra, terebella, serra, subscus seu fibula, amussis siue norma, regula, rubrica, vectis, palanga, cochea, radula, plana, scalprum, cælum. *Opera* ipsius sunt domus & partes domus, e.g. contignatio, trabs, limen, columna, helices, epistilium, capreolus, longurius, paxillus siue clauus, commissura, intercolumnium, paries, trabs transuersa coassatio, contabulatio, tabulatum, laquear seu lacunar, fornix, seu camera, vmbilicus, opus fornicatum, ianua, postes, limen inferum & superum seu super liminare, valuæ, conspicilium, impluuium, pila, basis, torus, canaliculus, pluteus, striæ, astragalus, trochulus, supercilium, cymatium, epistylium, superior pars domus. Vide infra *Architectonicam*.

III. *Figulina explicat materiam, instrumenta, & opera figuli.* Figulina.

Materia figuli est lutum vel argilla: quæ duo variant pro varietate locorum. *Instrumenta* sunt fornax, rota, & similia. *Opera* sunt olla, fidelia, vrceus, amphora, seria, catinus luteus.

IV. *Lateraria explicat materiam, instrumenta, & opera laterarij.* Laterina.

Materia est terra arenosa. *Instrumenta* sunt fornax calcaria & forma siue typus. *Opera* sunt later, tegula & imbrex. Vide infrà *in Architectonicis*.

V. *Lapicidaria, seu Latomica, explicat instrumenta & officium lapicidæ.* Lapicidaria.

Instrumenta sunt malleus sculptorius, cælum, scalprum, scalprum leuigatorium, tudes, trulla, palanga, regula, norma, perpendiculum, amussis. *Officium* est lapides excidere, & cisos polire.

VI. *Cæmentaria, seu Chaliceutica explicat materiam, instrumenta, & opera cæmentarij.* Cæmentaria.


Materia est cæmentum, arena, calx, gypsum, albarium, rudus, mortarium, arenatum, marmoratum, rutrum, lapis, glutinum, emblema, tessella, scutella. *Instrumenta* sunt malleus, grus siue coruus, axis, axiculus, trochlea, tympanum, polyspastum seu artemo, penicillus tectorius, funis ductorius. *Opera* sunt fundamentum, coria, lapis angularis, proceres, partes, nurus fulcimentum, cippus, fornix, lacunar, pauimentum, asarotum, via strata, testudo, turris, pinna.

PERORATIO LIBRI VIGESIMI OCTAVI.

Sed quis immensum Oceanum Mechanalogiæ enauiget? Nobis equidem id nec licet, nec libet: quòd Encyclopædiæ moles non debeat excrescere in infinitum. Alios itaque adeas, si placet atque vacat: inprimis Panopliam Hartmanni Schopperi.

DELINEA-

DELINEATIO VNIVERSÆ Mechanographiæ.



FINIS LIBRI VIGESIMI OCTAVI.

ENCY



ENCYCLOPÆDIÆ LIBER VIGESIMVS NONVS,

Exhibens

MECHANOLOGIAM PHYSICAM.

SECTIO PRIMA

In quâ delineatur

GEORGICA.

PRÆCEPTA.



EORGICA est ars bene colendi agrum.

Estque generalis, vel specialis.

Georgica generalis persequitur requisita agricolæ, quatuor partes agriculturæ, & prognostica rustica.

Requisita agricolæ sunt scientia rei rusticæ, prudentia, & tolerantia.

Partes agriculturæ sunt hoc ordine.

I. Cognitio fundi; in quo quatuor ista videnda sunt; eius forma, terræ natura, modus seu magnitudo, & tutela.

II. Instrumenta; eáque vocalia, semiuocalia, & muta. Illa sunt operarij; ista, boues, equi, canes; hæc, corbes, dolia, funes, aratrum, & similia.

III. Quæ agenda in prædio.

IV. Quo tempore quidque faciendum.

Prognostica rustica sunt communia agricolæ, hortulano, & pastori.

Georgica specialis variat ratione locorum, personarum, & nationum.

Ratione locorum Georgica est occupata circa agrum sterilem, pinguem, planum, montanum &c.

Ratione personarum Georgica est amplior vel contractior, lautior vel minùs lauta, prout ὁ γεωργὸς est in re lautâ vel minùs lautâ.

Ratione nationum Georgica habet aliquid speciale in Italiâ, Germaniâ, Poloniâ &c.

REGVLÆ.

I. *Georgica sumitur latè vel strictè.*

Τὰ γεωργικὰ sunt præceptiones, siue doctrina terræ colendæ institutionem modúmque complectens. Quo nomine Virgilius alterum suorum monumentorum appellauit: cui quidam eruditi Latinam, & pleniorem appellationem dare maluerunt, *De re rusticâ*: quando illis quatuor libris rusticorum opera functionésque perdocet, atque ita diuersas res & multum inter se distantes persequitur. Nam quid magis discrepans, quàm gregum armentorumque cura à terræ subactione atque cultu? quàm dissimilia stirpes & apes? Quare adhuc iidem singulis suum vocabulum addentes, primum de agriculturâ nominant: siquidem de aratione & satione illic agitur: quanquam aptius foret, De frugibus. Secundum, De insitione, siue De plantis: qui potest etiam dici De arboribus & vitibus. Tertium, De re pecuariâ, seu De pecoribus. Quartum, De mellatione, siue De apibus. Itaque & nos distinguimus ista tria, Georgica, Phyturgica, & Bucolica; adeóque strictè accipimus vocabulum hoc *Georgica*, quod Virgilius latè vsurpat.

II. *Res rustica consideratur communiter & singulariter.*

Rei rusticæ consideratio duplex

Communiter spectantur rei rusticæ scriptores, laudes, partitio generalis, & Kalendarium œconomicum. *Singulariter* tres ipsius partes, agricultura, horticultura, & bucolica, in specie explicantur. Incipiamus itaque à communibus. *De scriptoribus rei rusticæ* teneantur duæ istæ regulæ. 1. *Scriptoris antiqui conferantur cum recentibus.* Ex antiquis M. Cato rem rusticam primus Latinè loquentem, Scrofa Tremellius eloquentem, M. Terentius Varro expolitam, Virgilius carmine Latino potentem, Columella variam fecit: Hesiodus, Aratus, Aristoteles & Theophrastus multa quoque præclarè hanc in rem prodiderunt. De Hesiodo Plinius *lib.* 18. *c.* 24. testatur, quòd ille princeps de agriculturâ præceperit. Ex recentibus Palladius, Heresbachius, & Colerus rem rusticam graphicè depinxerunt. Oportet autem quàm diligentissimè instituere collationem inter antiquos & recentes rei rusticæ scriptores: quia præcepta veterum non ad omnes terras communiter, sed ad peculiares spectant. Ita præcepta Virgilij ad solam Italiam, Venetiámque præcipuè spectant, quod Seruius etiam monuit. 2. *Scriptores rei rusticæ sint periti physices, astronomiæ, & philosophiæ moralis.* Hæc quippe omnia requiruntur ad tractationem rei œconomicæ. *Prædicatio rei rusticæ* est varia. Summa hæc est. *Principiò* vita rustica est antiquior vrbanâ: quandoquidem ante vrbes constitutas agrum coluit Adam. *Deinde* maxima est huius vitæ innocentia, siue personas intueare, quæ sint simplicitatis & probitatis amantes, siue quæstum ipsius consideres, qui neque periculosus est, neque sordidus, neque fraudulentus. *Tertiò* agricultura vtilissima est vitæ hominum; quia vitam ipsam quodammodo in vitâ retinet. *Quartò* hæc vita est mare quoddam delectationis ac iucunditatis. Quid enim potest pratorum viriditate pulcherrimis

Scriptores rei rusticæ qui?

Encomium rei rusticæ.

pratis variatâ flosculis, arborum tam bellè dispositarum ordinibus, vinearum & oliuetorum specie ad aspectum fingi pingique iucundius? Quid voluptuosius, quàm imperare terræ? Quid iucundius, quam greges longo agmine pascētes intueri? aut fauos aluearibus eximere? aut lanam demere ouibus? aut fructus autumno carpere? aut vindemiam cogere? Hæc & similia vitæ rusticæ commoda perspexerunt sanctissimi Patriarchæ, qui fuerunt velut professores rei rusticæ. Viderunt reges & principes: vt Attalus Asiæ rex, qui hortos coluit; Cyrus minor rex Persarum, qui Lysandro se visenti, arbores ab se consitas, hortos à se dimensos descriptosque ostendit, Deiotarus tetrarcha, qui diligentissimus agricola & pecuarius est habitus. Imò & monumenta quædam de agricultura reliquerunt Attalus modò dictus, Hiero, Philometor, & Archelaus, omnes purpurâ fulgentes. Apud Latinos senator, orator, & imperator optimus M. Cato eandem rem literis est complexus, eiusdemque fuit studiosissimus & vsu peritissimus. Ambo Scipiones Africani, Sylla dictator, & alij bellatores Romani cum castris coniunxerunt rastra. Senatores, consules, & dictatores ab aratro arcessere necesse erat. Attilio serenti, L. Q. Cincinnato aranti nuntius venit, dictatorem esse creatum. M. Curius victis Samnitibus, Sabinis, ac Pyrrho extremum vitæ tempus ruri consumpsit. Romanorum familiæ nobilissimæ a rebus rusticis appellationem traxerunt. e.g. Fabij, Lentuli, Cicerones, Pisones, Hortensij, Stolones, Tauri, Equitij, Vituli, Bubulci, Caprilij, Porcij, Ouinij. Italia ipsa à iuuencis, seu vitulis nuncupata fertur, quòd pecore abundaret. Vitulos enim Græci veteres *ἰταλοὺς* dicebant. Diocletianus Imperator in Dalmatiam, vnde oriundus se recepit resignato imperio, atque in villa prope Salonam oppidum decennium ipsum haud copioso lare, in hortulorum cultione transmisit. Hinc Romani quem virum bonum, bonum agricolam, bonumque colonum dixissent, amplissimè laudatum credebant. Agrum malè colere censorium probrum iudicabant. Locupletes vocabant loci, hoc est, agri plenos. *Partitio rei rusticæ.* *Virgilius* rem rusticam facit quadripartitam, hoc modo:

Partitio rei rusticæ.

Quid faciat lætas segetes, quo sydere terram
Vertere, Mæcenas, vlmisque adiungere vites
Conueniat, quæ cura boum, quis cultus habendo
Sit pecori, atque apibus quanta experientia parcis,
Hinc canere incipiam. ———

Princeps igitur Georgicorum pars in cultu agrorum, altera hortorum, tertia in tractatione pecoris, quarta in apum procuratione sita est. Huius quadripartitionis causam ex Varrone Seruius hanc adfert. Omnis terra quadrifariam diuiditur. Aut enim aruus est ager, id est, sationalis: aut consitus, id est, aptus arboribus: aut pascuus, qui herbis tantùm & animalibus vacat: aut floreus, in quo sunt horti apibus congruentes & floribus. *Varro* tres partes rei rusticæ constituit, quas totidem voluminibus persequitur: vno de agriculturâ, altero de re pecuariâ; tertio de villaticis pastionibus. *Qui ad viuum resecant*, duas tantùm constituunt, agriculturam & pastoritiam, & huius rursum duas faciunt partes, agrestem pastionem, quæ pecuaria nominatur & villaticam. *Columella* absolutissimè persequitur omnia capita Virgilij, & duobus primis libris agriculturam explicat: tribus insequentibus agit de re vineaticâ: sextum & septimum in ratione habendi pecoris consumit: octauum & nonum villaticis educationibus impertit: decimum attribuit hortis: vndecimus & duodecimus sunt tanquam supplementa & appendices, de villici ac villicæ officiis, de hortorum culturâ, de conditurâ fructuum: tertius decimus est singularis, seu vagus & extraordinarius, de vitibus & arboribus. Columella igitur sex fecit partes: agriculturam, vineaticam, pecuariam, pastionem villaticam, rem hortensem, rem arborariam. In *Catone* nullus est ordo. *Plinius* libris aliquot, at non ita partitè, ruralia descripsit. *Palladio* per duodenos menses ire, & quid quoque fieri conueniret, docere collibuit. *Coleri* volumina versantur in manibus omnium. Communia his partibus sunt instrumenta & officia rustica: cum quibus propria quædam coniungimus, hoc modo. *Instrumenta rei rusticæ* vsurpatiora sunt flagellum, sudes, palus, vallus, linter, aqualiculus, vehiculum, vectabulum, carruca, rheda, traha, plaustrum, mulctra seu mulctrale siue mulctrum, sinum, area, stabulum, haustrum, vrna, pedum, cribrum, iuncetum, arundinetum, cannetum, dumetum, coryletum, quercetum, ficetum, castanetum, pinetum, glabretum, vepretum, spinetum, frutetum, senticetum, salicetum, fimetum, carectum, viridarium, pomarium, plantarium, violarium, rosarium, cucumerarium, cucurbitarium, latifundium, prædium, spicilegium, volutabrum; dolia seu vasa olearia, amurcaria, vinaria, frumentaria; crates scirpeæ, labra, infundibula, fiscellæ, trullæ, mutelliones, alui, molæ trusatiles & asinariæ; manubrium, molile; pila fabaria, farraria, seminaria; torcularia, cuppæ, hibernæ corbes, occæ, ligones, prela, sacci, tridentes; falces messoriæ, fœnisecæ, & putatoriæ; cylindrus, pastinum, merga, dolabra, sporta, currus, & similia. *Ad rustica officia* referantur agricolæ, ruricolæ, aratores, coloni, olitores, messores, colligatores, fossores, vinitores, vitisatores, vindemiatores, frondisectores, seminatores, satores, sartores, occatores, procuratores, prædiatores, porculatores, mellarij, columbarij, auiarij, caprimulgi, equimulgi, bimulgi, operarij, gallinarij, iugarij, villici, salictarij, bubulci, subulci, opiliones, caprarij, armentarij, asinarij, equarij, anserarij, & alij multi. *Kalendarium œconomicum* vide infra sub finem Bucolicæ.

Instrumenta rei rusticæ.

Officia rustica.

III. *Agriculturam inprimis commendant antiquitas, facilitas, innocentia, & vtilitas.*

Primum siquidem opus, cui homo addictus fuit, etiam in statu innocentiæ, terræ cultura fuit, *Gen.* 2. Deinde hæc ars tam est facilis, vt sine magistro, naturâ duce, possit addisci. Adhæc innocentissima & iustissima est acquisitio, quæ fit per agriculturam. Petit enim à matre omnium, magnâ illâ & volente, alimenta: non ab inuitis, vt fit in bello; nec à nolentibus, vt fit in cauponariâ & mercatoriâ. Denique nihil est vberius, fœcundius, & vtilius hâc ipsâ professione. Quam in sententiam vide *Aristot. 7. polit. c.* 4. *&* 1. *œcon. cap.* 1. *Xenophontem in OEcon. & Ciceronem* 1. *offic.*

IV. *Eadem sunt agriculturæ principia, quæ mundi.*

Effatum est Ennij, eadem agriculturæ esse principia, quæ mundi. Ea verò sunt aqua, terra, aër, sol. Nimirum his tanquam columnis nititur hæc ars: è quibus si vnam tollas, nihil est quod speret agricola. Vide apud *Varronem lib.* 1. *cap.* 4.

V. *Quatuor in fundo videnda sunt: eius forma, terræ natura, modus seu magnitudo, tutela.*

Formam quidem aliam natura largitur, aliam labor imponit: est namque hic ager benè natus: ille autem malè: & fundus alius probè consitus, alius haud probè. Ergo illa naturalis appelletur forma, quandoquidem aliunde non existit: hæc artificiosa: quoniam ab industriâ & arte accedit. Iterum prioris formæ fastigia seu species quatuor reperio, quòd est ager quidam campestris, quidam collinus, quidam montanus, quidam insuper in quem horum duo, aut omnia tria concurrunt: ita illis simplicibus, hæc postrema species erit composita. Iam singula genera, siue, vt vocabamus, species, alias senas species continent: soli pinguis vel macri, soluti vel spissi, humidi vel sicci: quæ qualitates commixtæ & alternatæ, mirabilem agrorum varietatem creant. Depressa & infima, quoniam summis & excelsis calidiora sunt, aliter coluntur. Et collina aliter, quæ vt inter suprema & humilia medium locum tenent: sic ambobus tepidiora sentiuntur. In campestribus maturior est satio, maturior messis: in sublimibus vtraque serior. Quædam feraciora, validiora, proceriora sursum, alia deorsum: illic vt arbutus, quercus, abietes, sapini: hic vt populi, salices, nuces Græcæ, ac mariscæ fici. In collibus humilibus maior societas fructibus cum campestribus, quàm cum montanis: in altioribus contrà. Moderatè siccis ac pinguibus campis, quàm præcipitibus locis melior prouentus segetum. Quare & agri frumentarij celsiores habere planicies, & quàm mollissimè deuexi esse, positionemque campestrem imitari debent. Vineæ lætiores sunt in collibus, syluæ in montibus. Amplius commendatur locus campester, qui vnam in partem totus æquabiliter vergit, quàm qui est ad libellam æquus. Etenim hic cùm aquæ non habeat delapsum, vliginosus redditur, maximè, si est inæquabilis. Campum, inquit Columella, non æquissimâ situm planicie, nec perlibratâ, sed exiguè pronâ: collem clementer & molliter assurgentem: montem non sublimem & asperum, sed nemorosum & herbidum callidissimi rusticarum rerum maximè probauerunt. De secundâ formâ hoc solum dixerim, plus reddere arua, & fœcundiùs respondere votis, quæ speciem venustiorem sunt adepta. Quod in arbustis & oliuetis pulchrè in ordinem consitis, & modicis interuallis, & aliis similiter intelligite. Ex agro igitur æquè spatioso, sed non æquè diligenter eleganterque consito & minùs bonum, & minùs multum vini frumentique quin redditurum sit, dubitare non decet. Fœcundior omnino est benè culta exiguitas, quàm neglecta magnitudo. Minorem videas occupare locum, quod suo loco est positum: nec alterum alteri à sole & lunâ tantum officere. Vites quoque & arbores si per ordines satæ sint, æquabiliter cœlesti lumine solis ac lunæ perfusum iri, indéque celeriorem fore coctionem fructuum, vberiorem copiam, grandiorem redigi posse pecuniam apertum est.

VI. *Diuersus soli habitus, seu terræ qualitas, probè attendatur.*

Quippe nostra plurimùm refert quid nobis illa neget, quid promittat, & quam ad rem bona, aut non bona videatur. Hîc fructuosè vineta instituas, illic frumenti vtilior satio, alicubi leguminum, alicubi olerum, quibusdam fundis stirpium. Ob naturam terræ est vbi platani, quercus, ficus, vites per hybernam

nam tempeſtatem minimè amiſſis frondibus caluefcant. Eadem in cauſâ eſt, cur multa in anno frugem iteratò fundant. Regionibus ac locis feris & inhoſpitis plures, habitatis atque cultis grandiores fœtus ac meliores prodeunt. Reperiuntur quæ tantummodo paluſtribus locis, lacubus, fluminibus vel nata; vel plantata viuant. Sunt terræ quædam pomis, vuis, aliis fructibus procreandis prorſus inhabiles. Quod admonuit *Virgil. 1. Georgicis.*

At priùs ignotum ferro quàm ſcindimus æquor.
Ventos & varium cœli prædiſcere morem
Cura ſit, ac patrios cultuſque habituſque locorum,
Et quid quæque ferat regio, & quid quæque recuſet.
Hic ſegetes, illic veniunt fœliciùs vuæ,
Arborei fœtus alibi.

& quæ ibidem prætetea adducuntur. Apertiùs etiam & pleniùs in ſecundo.

Nec verò terræ ferre omnes omnia poſſunt:
Fluminibus ſalices, craſſiſque paludibus alni
Naſcuntur: ſteriles ſaxoſis montibus orni:
Littora myrtetis lætiſſima. Denique apricos
Bacchus amat colles, Aquilonem & frigora taxi.

Denique in diſcriminibus non paucis ager agro præſtat. Noſcendæ etiam ſubtiliùs differentiæ terrarum, vnde ſingula genera numerantur. Eſt alia lapidoſa, alia argilloſa, alia arenoſa, alia glareoſa, alia cretoſa. Et vnumquodque horum in aliâ tellure admodum, in alia temperatè, in alia vix inuenitur; vt genus quodlibet ternos quaſi gradus cohibeat. Singulæ inſuper, quas in medium attuli terræ ſpecies, alias, & quidem ternas coërcent: quoniam partim humidiores, partim aridiores, partim mediocres ſunt. Intereſt adhuc macra ſit humus an pinguis, an vtriuſque particeps. Indicia item haud fallacia tenentur, quæ tellus apta ſit culturæ: eaque vel ab ipſa dantur, vel ab iis certè, quæ ex ipſa generantur.

VII. *Modus fundi ſpectatur dimenſione, & adiunctâ villâ.*

Metiebantur agros, vt quanti eſſent cognoſcerent. Ad iſtas menſuras pertinent iuga, verſus, iugera. Iugum dicebant quod iuncti boues vno die exarare poſſunt. Verſum, centum pedes quoquo verſum quadratum. Iugerum quod quadratos actus duos habet. Actus quadratus, qui & latus eſt pedes c x x. & longus totidem. Iugeri pars minima ſcrupulum, id eſt, decem pedes in longitudinem & latitudinem quadratum. Sed quod Cleobolus ſapiens vnus è ſeptem, menſuram dixit eſſe optimam in rebus, hoc ad ſe quoque vehementer attinere exiſtiment licet, qui agrum mercabuntur. Inter Pœnos circumferebatur: imbecilliorem agrum quàm agricolam eſſe oportere: quia cùm ſit colluctandum cum eo, ſi fundus præualeat, allidi dominum. Nec controuerſum eſt, quin minùs reddat laxus ager non rectè cultus, quàm anguſtus eximiè. Non fugit hoc Maronem, cuius eſt: laudato ingentia rura, exiguum colito. Modus itaque fundi ſit ſua cuique moderata & voluntas & facultas. Quia verò ad modum fundi accommodanda eſt villæ ædificatio, agamus de villâ hîc potiſſimùm, atque inſuper de villico. *De villâ vrbanâ nihil hic dicemus, ſed de ruſticâ & frumentariâ coniunctim.* Ac de ſitu quidem eius & poſitione iſta: In demiſſo, humili, cauo loco; in conuallibus ideo prohibent excitari, quòd huiuſcemodi ædificiis effuſiùs de cœlo prorupti imbres flumina ſuper ripas excreſcentia, & per apertos campos exſpatiata, torrentium repentini affluxus importunam cladem detrimentumque grauiſſimum apportare ſolent. Sublimior deligendus locus, qui cùm diem totum à ſole feriatur illuſtreturque; cùm etiam perfletur (& ita flatibus, ſi quid aduerſarium inferatur perquàm facile diſcutiatur ac repellatur: vti & beſtiolæ prope exiſtentes, quæ aut efflantur, aut aritudine breui interuallo extinguuntur) exiſtimari debet ſalubrior. Apud Columellam ſic eſt. Petatur aër calore & frigore temperatus, quem ferè medius obtinet collis, quòd neque depreſſus hyeme pruinis torpet, aut torret æſtate vaporibus, neque elatus in ſumma montium perexiguis ventorum motibus, aut pluuiis omni anni tempore ſæuit: ſed locus paululum intumeſcat: ne cùm à vertice torrens imbribus conceptus defluxerit, fundamenta conuellat. Hæc ille. Villæ frons auerſa ſit ab infeſto regionis vento: ſit autem oppoſita ad flatus eorum ventorum, qui ſaluberrimi, amiciſſimique flare iudicabuntur. Ne in paluſtribus ædificatio ſuſcipiatur; néue circum, ſiue ad paludes, quòd caloribus noxium virus eructant; & ibidem naſcuntur animalia quædam puſilla, quæ aciem oculorum noſtrorum fugiunt, ſeu quæ oculis conſequi nequimus: & eadem vbi in corpus humanum vnà cum ſpiritu per os perque nares ſeſe inſinuauerint, difficilibus ad curandum morbis dant initium. Item alia infeſtis aculeis armata, denſiſſimis examinibus in nos inuolantia, natrices quoque & ſerpentes ibidem enaſcuntur: ſitus atque humor inſtrumentum ruſticum, ſupellectilemque, conditos inconditoſque fructus corrumpit. Vetant inſuper iuxta viam militarem ædificare, quòd prætereuntium viatorum populationibus, & aſſiduis diuertentium hoſpitiis res familiaris infeſtatur. Si editior ſitus ripæ villam profluenti ſuperponere patietur, caue ne aduerſo amne, vt à tergo potius, quàm præ ſe flumen habeat. Amnes enim plerique æſtate vaporoſis, hyeme frigidis nebulis caligant: quæ niſi vi maiore inſpirantium ventorum ſubmoueantur, pecudibus & hominibus peſtem conciliant. Quanquam Homerus omnino è flumine ſemper antelucanas auras inſalubres veriſſimè tradidit. Ad exortus æquinoctiales aptiſſimè villa collocabitur, quòd inumbratur æſtate, irradiatur hyeme. Spectare villa in æſtuoſis locis ſeptentriones debet, inquit Plinius, meridiem in frigidis, exortum æquinoctialem in temperatis. Ad fundi amplitudinem eius magnitudo dirigetur: quò neque fundus villam quærat, neque villa fundum, vt Catonis verbum eſt. Conſepta diffuſiora maiores impenſas deſiderant vtrobique, tum vt conſtruantur, tum vt ſarta tecta conſeruentur. Cellæ igitur & horrea tam numero quàm capacitate fructibus atque meſſi reſpondeant. Dicam nunc quæ in villâ ædificanda ſint. Propter ianuam Procuratori, & ſupra ianuam habitationes extruendæ, vt ingredientes egredienteſque videre facilè poſſit. Curandum, vt ſit, vbi ſerui opere faciendo laſſi domum venientes, aut afflicti calore algoréue ſe recipiant. Cellæ paſtorum vicinæ pecorum ſuorum ſtabulis erunt: ſic enim commodiùs ea curabunt. Culinam præcipiunt altam fieri, ne ſit contignationi metuendum incendium. Amplam quoque Columella deſiderat, quòd in eâ hyeme antelucanis temporibus aliquot res conficiebantur, cibus parabatur & capiebatur. Aquam villa inter ſe natam, aut foris è perenni fonte inductam, aut ſaltem maximè propinquam habebit putealem, quæ nec hauſtus ſit profundi, nec ſaporis aut amari aut ſalſi. Stabula ita condentur, vt nec frigore, nec calore vexetur pecus. Domitis armentis bubilia gemina poſtulant, alia nimirum æſtiua, alia hyberna: gregibus reliquis ex parte tecta loca: vbi per hyemem ſtabulentur, ex parte ſubdialia, celſis incluſa parietibus, vbi per æſtatem. Hoc etiam in præceptis poſuerunt, cuſtodiendum in extruendis ſtabulis, ne quis humor illaberetur: ſi quis ibi extitiſſet, vt celerrimè deflueret: quò nec parietum fundamenta exedi, nec pecudum vngulas corrumpi contingeret. Latitudo bubilis pedes patebit decem, nouem minimùm, vt & beſtiæ commodiùs procumbant, & iugarius faciliùs circumeat. Deinde conſtituentur cellæ oleariæ, torculariæ, vinariæ, defrutariæ, fœnilia, palearia, apothecæ, horrea. Humida, vt vinum, oleum in plano aſſeruanda: ſicca, vt frumenta, fœnum, frondes, paleæ, & reliqua pabula tabulatis committenda. Granaria ſcalis adeunda, quæ anguſtioribus feneſtellis Aquilonibus inſpirentur: quòd illa cœli poſitio frigida in primis, ac nequaquam humida cùm ſit, idcirco perennitatem conditis frugibus impertit. Cella vinaria à balneis, furno, ſterquilinio, & aliis immunditiis procul diſtabit: à ciſternis & ſaliente ſimiliter: nam exhalationes iſtorum humidæ vino dant perniciem. Fumarium, vbi materia recentiùs cæſa feſtinatò ſiccetur, propè balneas fiet. Plauſtris, inſtrumentiſque cæteris, quibus cœlum pluuium nocet, amplâ tecta in corte curanda. Cors identidem opera ſtramentis ac palea, pecudumque pedibus conculcata, lætamen ſaturandis agris ſuppeditat. Secundùm villam requiruntur furnus, piſtrinum, piſcinæ minimùm duæ. Altera quâ vtantur anſeres & pecudes: altera vbi lupinum, virgæ, vimina & alia macerata; & in aquam demiſſa vſibus noſtris opportuniùs inſeruiunt. Sterquilinia item bina: vnum quo noua purgamenta conferantur elata è villâ, & in annum conſeruentur: alterum ex quo iam vetuſteſcentia beneque putria vectanda petantur. Stercorata colluuie proficiunt, vt cibatu quodam horti, pomaria, arbores, olera. Quam ob cauſam ea in vicinio eſſe volunt, quò poſſit illa multiplex & commiſta ſpurcities ac ſanies influere. Ambo ſterquilinia piſcinarum more deuexa erunt leni cliuo, & extructo pauitoque ſolo, vt humorem tranſmittat. De Villâ hactenus: deinceps de Villico agamus, vt propoſuimus. *Officia Villici* hæc ſunt. Cui hæc præfectura mandabitur, hunc oportet eſſe ætate viridi ſeu mediâ, ab anno tricesimo vſque in ſexageſimum: quoniam adoleſcentiæ ad imperandum deeſt auctoritas: & ſenecta non eſt ſufferendis laboribus operoſis. Ex popinis & ganeis, ex aleonibus, hiſtrionibus, ex ludicrarum, ac delicatarum artium exercitoribus ac profeſſoribus, ex pediſſequorum & lecticariorum turbâ, ex formoſulis & feſtiuis non prodeunt probatiles Villici. Ille compos laudis euadet, qui peritiſſimis agricolis commendatus, à puero in agreſti negotio operas dederit, lacertoſus, viribus valentibus: qui non à ſubiectis quid quóue modo faciendum ſit diſcat: ſed eos ipſe doceat tanquam magiſter diſcipulos, nec verbis tantùm, verùm etiam exemplis. Si peculium habuerit, & in matrimonij ſocietate conſeruam, à quâ contineatur & adiuuetur, ex quâ pater fiat, non opinor eſſe dubitandum, quin ſtabilior, fundoque coniunctior, & domino fidelior ſit futurus. Si quem operarium impigrum in munere ſuo aſſiduumque notauerit, eum feriis ſuâ menſâ dignabitur. Vrbem & nundinas niſi rei neceſſariæ aut emendæ, aut vendendæ cauſâ, non adibit: ne ex abſentiâ ſuâ familiæ ceſſationis delictorum-

Officia villici.

ne nascatur occasio. Duplicia videbit vt sint instrumenta: ne si quid in opere vitiabitur, à vicino mutuum sumere compellatur. Et in vrbe dominus, & ruri villicus supellectilem rusticam omnem scriptam, & suo quæque loco posita habebit. Sic familiam vestiet, vt aduersum frigus, ventum, pluuias eam pellibus manicatis, centonibus, sagatis cucullis muniat. Imperia nec remissa erunt ac dissoluta: nec inhumana tamen & crudelia. Proinde sciat, qualis quantusque labor cuilibet iniungendus. Etenim nec robustissimus exsequatur iussa, si, quid agat nesciat: nec peritissimus peritè agat, si sit inualidus. A peccatis absterreat, peccantesque puniat, si idem obtinere poterit, potius verbis quàm verberibus, vt magis seueritatem vereantur, quàm sæuitiam detestentur. Qui de operariis præstabunt, cum iis communicandum, quæ facienda sunt opera. Sic enim aliquo loco & numero se haberi cùm arbitrentur, accuratiùs suo in officio versentur. Eodem pertinet, vt eos aut cibariis aut amictu; aut remissione operis, aut aliquâ demum concessione liberaliùs tractet. Opera frequentissimè inspiciet, eaque exiget. Nulla, vt Catoni placet, maior vel nequissimi hominis custodia est, quàm operis exactio. Ne pecuniam domini, vt sibi negotietur, in pecore, aut aliis rebus promercalibus occupet. Quod ignorat, quàm citissimè studebit addiscere & sciet se nescire quod nescit. Hoc cùm in villicatione vniuersâ, tum in cæterâ vitâ pretiosissimum est intelligere. Somni vinique parcissimus sit, quoniam vtraque impedimenta sunt diligentiæ. Ebrioso cura officij cum memoriâ perit: & somniculoso plurima effugiunt. A venereis cupiditatibus sit alienus: quibus si se permiserit, non aliud quàm quod amat cogitabit. Ne habeat parasitum. Aruspicem, augurem, ariolum, Chaldæum ne consulat. Primus cubitu surgat, postremus cubitum discedat: priusque villam videat, clausa vt sit: & suo quisque loco cubet: & vti iumentis pabulum suppetat.

Tutela fundi.

VIII. *Septorum, sepimentorum, ac sepium, quæ sunt fundi tutelæ, quatuor genera inueniuntur: naturale, agreste, militare, fabrile.*

Primum viuit: quandoquidem habet radices, obsitum virgultis ac spinis, nec prætereuntis lasciui ardentem facem metuit. Secundum ex agresti ligno constat, ex palis videlicet, dum frequentes desiguntur: ex virgultis implicatis, aut latis perforatis, traiectisque per ea longuriis ferè binis aut ternis: aut ex arborum truncis in terram defossis. Tertium est fossa & agger terreus. Hoc genus fieri secundùm vias publicas mos est, & secundùm amnes. Postremum est maceria. Maceriæ fiunt è lapide, è lateribus coctilibus, è crudis ex terrâ & lapillis compositis. Præterea monent serendas circum fines prædij arbores, quæ familias litibus de limitibus prohibeant, quæ simul sepem sustentent, frondem ouibus ministrent, virgas foco sepimentisque præbeant. Atque hæ partes solo hærent. Totidem aliæ extra fundum sunt, quæ quanquam ad tutelam parum, ad eius culturam vehementer spectant. Si vicina regio est infesta: si quò neque fructus nostros exportare expediat, neque inde quæ opus sunt apportare: si viæ aut fluuij quà portentur, aut non sunt, aut idonei non sunt: si quid ita est in confinibus fundi, vt nostris agris prosit aut noceat. Nam vt paucis singula qualia sint videatis, propter grassationes & latrocinia vicinorum tutum non est, nec expedit ægros quanquam naturâ fertiles colere. Non omnium prædia vel habent omnia, vel abundant omnibus, quibus proinde quo egent importandum, sicut aliis quo abundant exportãdum est. Fit deinde fructuosior fundus, si eiusmodi sunt viæ, vt plaustra facilè agantur: aut vicina flumina per quæ nauigetur. Interest demum fundi fructuum, quomodo in confinio vicinus agrum consitum habeat. Si steterit ad limitem quercetum, fas tibi non erit secundùm eam syluam serere oleam: tam enim sunt naturæ contrariæ, vt non solùm minùs ferant, sed fugiant etiam, & introrsum in fundum se reclinent, vt vitis adsita ad olus facit. Vt porrò quercus, sic iuglandes magnæ & crebræ finitimæ, fundi oram reddunt sterilem.

Instrumenta agriculturæ.

IX. *Diuidi possunt instrumenta agricolationis in homines, & adminicula hominum.*

In priore sunt serui: in posteriore boues, plaustra, vomeres, ligones & alia. Verùm homines, quorum operâ vtimur in agris, partim sunt liberi, partim serui. Quis enim nescit, quosdam, quamuis liberos, cum liberis & familiâ cogi à paupertate ad colendos agellos suos vel alienos? idque mercede, ex quo dicuntur mercenarij. Parandos iubent operarios, qui tolerare laborem queunt, non minores annorum XXII. & qui ad agrariam disciplinam videantur appositi: nec eiusdem nationes plures, quod inde potissimùm domesticæ offensiones proseminantur. Boues subiungendos aratro rudes, neque minores trimos, aut maiores quadrimos. Validi sint & inter se viribus respondeant: sin minùs, firmior imbecilliorem in opere conficiet. Minutatim assuefaciendi sunt adiugum, & tyro veteranis adiungendus, quia minore negotio domabitur imitando: ac priùs quidem in plano loca citra aratrum, post cum aratro, sed eo leui, & per arenam aut molliorem terram deducto. Vecturæ sic assuefient, vt principio inania plaustra ducant. Alternis sinistri fient, vt in dexterâ parte laboranti detur requies. Reliqua instrumenta, quæ etiam muta dicuntur, hoc habent præceptum, vt quæ nata sunt in fundo, quæque fieri à domesticis possunt, ex manu rusticâ, ne emantur. Aliis emendis appareat potius vtilitatem quæsitam quàm speciem, ne sumptus fructum extenuet. Huius generis varia discrimina ac multitudinem agri magnitudo definiet.

X. *Agricolæ est diligenter obseruare, quæ quoque loco serenda sint.*

Alia quippe loca ad fœnum apposita sunt, alia ad frumentum, alia ad vinum, alia ad oleum. Sic alia ad pabulum, in quò excellunt ocymum, farrago, vicia, medica, cytisum, lupinum. Neque verò in pingui solo omnia rectè, nec in macro nihil rectè seritur. In tenuiore terrâ fæl ciùs, quæ non multo succo indigent, vt cytisum & legumina, dempto cicere. In vbere meliùs quæ cibi sunt maioris, vt olus, cytisum, siligo, linum. Seruntur etiam nonnulla magis ob futuram vtilitatem, quàm ob præsentem fructum: quod videl. ibi subsecta atque relicta terram feraciorem efficiunt. Locus salicto, arundineto, & aliis humoris appetentib. idoneus capessendus. Faba, & quæ arida amant loca, ibi serenda tibi frumenta. In apricis conualescunt horti, & veniunt affatim violæ. Nebulosus ager rapis, raphano, milio, panico destinetur.

XI. *Tempora ad solis annuam lustrationem, & ad menstruam lunæ conuersionem referenda, & obseruanda sunt agricultoribus.*

Primò annuus solis cursus ternis mensibus quadrifariam diuiditur, in ver, æstatem, autumnum, & hyemem. Ver habet dies 91. æstas, 94. autumnus, 91. hyems, 89. *Secunda* temporum diuisio cum Sole & luna quodammodo coniuncta est. Ea sex partes complectitur. Nam omnis propemodum fructus quinto denique gradu ad perfectum peruenit: vt nempe in villâ dolium ac modium videat, ex quo sextò ad vsum prodit. Etenim est præparandum, serendum, nutricandum, legendum, condendum, promendum. *Tertio* quædam facienda sunt in agris potiùs crescente lunâ, quàm senescente. Videris hâc de re supra Astrologiam. Varro tempus annale diuidit in octo interualla, quæ agricolis sint obseruanda. Primum interuallum est inter Fauonium & æquinoctium vernum, dierum 42. quo tempore semina omnis generis seri oportet, radices in summa terrâ præcidi, prata purgari, salicta seri, terram aratro proscindere. Secundum est inter vernum æquinoctium & Vergiliarum exortum, dierum 45. quo tempore segetes runcari, herbam è segetibus expurgari, salicem cædi, prata defendi oportet. Tertium est inter Vergiliarum exortum & solstitium, dierum 48. quo tempore vineas nouellas fodere, vites pampinare, fœnum secare oportet. Quartum interuallum est inter solstitium & Caniculam, dierum 29. quo tempore messem faciunt: quod frumentum dicant quindecim diebus esse in vaginis, quindecim florere, quindecim exarescere. Quintum est inter Caniculam & æquinoctium autumnale, dierum 67. quo interuallo oportet stramenta desecari, aceruos construi, aratro offringi, prata irrigua iterum secari. Sextum interuallum est ab æquinoctio autumnali vsque ad Vergiliarum occasum, dierum 32. quo serere oportet & facere vindemiam. Septimum inter Vergiliarum occasum & brumam, dierum 57. quo tempore oportet nouas fossas fodere, vineas arbustumque putare. Octauum interuallum est inter brumam & Fauonium, dierum 45. quo tempore aqua de segetibus deducenda, vineas arbustaque putare, & quæ sub tecto possunt, conficere oportet. Atque hæc in Kalendario œconomico scripta habere oportet.

XII. *Ad agriculturam pertinent prognostica rustica: qualia sunt è multis ista.*

Pluuiam præsagiunt canes gramina comedentes, eorumque ventres murmurantes. Muscæ & vespæ equos acriùs compungentes. Fumus per camini gulam spissiùs subuolans. Crebriores atrocioresque morsus pulicum. Sal humescens, puls ad ollam intus adhærescens, ancillæ inter pensa carpendum dormitantes, mulierum dentes prurientes. Si tonat à Septentrione, si ab Oriente, si ab Occidente. Si nubes complures vti vellera ab Oriente sparguntur. Si in cacuminibus montium nubes consederint, hyemabit: si eadem pura fient, disserenabit. Sunt insuper argumenta pluuiarum grues silentiò per alta cœli inuolantes. Boues aërem olfactantes, seque contra pilum lambentes. Hirundo lacum circumuolitans, summisque alis

alis aquæ ſuperficiem verberans. Ranæ inſuetum coaxantes: formicæ è cauernulis oua efferentes: arcus cœleſtis: corui & cornices crocitantes, terreſtres volucres aduerſus aquam clangores edentes, ſeſeque perfundentes. Oleum lucernæ ſcintillans, & fungi ſe inde tollentes: luna creſcens obſcurior: ſol exoriens concauus & maculoſus. Item ſub ortum ſolis nigræ nubes, rubentibus intercedentes. Quòd ſi eo exſurgente nubes partim ad Auſtrum, partim ad Aquilonem differentur, cingat eum licet pura ſerenitas, pluuia tamen ventique ſequentur. Si naſcente aut occumbente ſole contractos videbis radios, imbrem denuntiari ſcies. Cùm terras luſtrare incipiens, non iaculabitur radios illuſtres, pluuiam portendet. Si eo occidente, pluet, aut radij in ſe nubem trahent: ſi ſub exortum nubes globabuntur, in proximè ſecuturum diem aſpera tempeſtas expectetur. Graues etiam tempeſtates minatur, repentè, ſine nubilo caliginéque ſtellarum fulgor obfuſcatus. Pluuiæ quoque ſignificationem dant circum aliqua ſidera circuli. Nubes ante ſolem emerſum rubeſcentes. Item ſereno cœlo impulſæ, à qua parte id ſit, ex eâ flatum diuinabis. Luna rubicunda. Tonitrua matutina (nam meridiana imbrem afferunt) montium fragor, murmur nemorum. Si volitare plures ſtellæ videbuntur, quo feruntur albeſcentes, ex iis partibus ventos ſignificabunt. Sublimior volatus ardeæ, fulicarum in arenis, plumarum in aquis colluſio, flamma flexuosè volitans & lumina cùm ex ſeſe flammas elidunt, aut vix accenduntur. Cùm ad ollas ſublatas carbo adhæret: aut cùm coopertus ignis è ſe fauillam diſcutit, ſcintillamue proiicit: aut cùm cinis in foco concreſcit, & cùm carbo vehementiùs perlucet. Mare tumidum. Mari tranquillo ſonitus, ſpumæ diſperſæ, aquæ bullantes venturæ tempeſtatis indicia ſunt. Delphini ſedato mari laſciuientes, mergi & anates pennas roſtro purgantes, corui ſingultu quodam latrantes, ſéque concutientes ſi continuabunt, ventos: ſi verò carptim vocem reſorbebunt, ventoſum imbrem nuntiabunt. Stellæ & luna puro nitore micantes. Nebulæ è montibus deſcendentes, aut cœlo cadentes, aut vallibus inſidentes. Noctu ſilens noctua: niſus caſſitam perſequens: clara & frequens coruorum crocitatio: flocci vagabundi per aëra: halcyones non captantes ſolem, paſſis alis in littore: porci non lacerantes iactantéſque ſtraminis aut fœni manipulos. Sol pridie ſerenus occidens, poſtridie ſerenus exoriens, certiſſima ſerenitatis fides. Si item viſentur ad occaſum rubeſcere nubes. Si eodem ab ortu propellentur. Ver & æſtas ſi non ſine riguo aliquo tranſierint, autumnum ſerenum & denſum, ac minùs ventoſum facient. Autumni ſerenitatem plerúmque hyems ventoſa excipit. Signa futuræ fertilitatis hæc habemus. Autumnus ſiccus & ſerenus, ver temperate calidum. Si folia amygdalorum à floribus ſuperabuntur: ſin contra, ſequetur ſterilitas, & in ſegetibus culmorum palearúmque plus, quàm granorum erit. Greges auium nemoribus & inſulis relictis, agros, villas, vrbes celebrantes, graculi turmatim ſyluis valedicentes: verni præterea flores, & fructus vberiores habitioréſque quàm conſueuerint eſſe: pluuiæ diuturnæ: quercus, ilicis fœcunditas: fabarum copia: locuſtæ, vermes, erucæ, hæc omnia futuram annonæ difficultatem prædicunt. Præterea ſumuntur prognoſtica ex diebus criticis, per duodecim menſes. *Si Calendis Ianuariis* cœlum latè rubuerit, bellorum ac tempeſtatum hoc quoddam prædictum fuerit. Dies S. Vincentij cum ſole puto, vini magnum numerum pollicetur. Dies Diu. Paulo conuerſo ſacer fertilitatem. Eo ſi ningat aut pluat, annus mediocriter non beabit. Nebulæ ſi fuerint, ex contagionibus cumulabuntur vulnera. *Februario menſe*, Bacchanalium die ſupremo plantandum, ſeminandum. Sic enim plantarium & ſegetem viridia ſemper habiturus es. Quantum lumen eo die ſol fundet, tantum ſequentibus diebus quadraginta fuſurum confide. Quàm crebras *in Martio* ſentiemus nebulas, tam frequentes per annum reliquum ſuſtinebimus pluuias, ſeu imbres potius: & quoties ceciderint rores, toties poſt paſcha pruinæ. Dies palmarum turbidus, malum. *Aprilis* non ſiccus placet. *Maio* dies Vrbano feſtus, ſi fuerit ſerenus, vberrimum vini prouentum ſpondebit. Pluuiæ eiuſdem lucis, vt Pentecoſtes, infauſtum omen. *Iunio menſe* feriis Iohannis Baptiſtæ pluuia, clamat actum eſſe de auellanis. *Quintilis* ſi maduerit die Viſitationis Mariæ, in quadraginta alios cœleſtes aquas expectabimus. Si ante ferias Apoſtoli Iacobi triduana fuerit ſerenitas, frumenta bonitatem retinebunt: ſin minùs, fient olida. Eiuſdem dies ante meridiem prognoſticum eſt hyberni temporis, quod venit ante natalia Seruatoris. Hoc igitur die ſi luxerit ſol, frigida erit toleranda hyems: ſi pluerit, tepida & humida. *Sextili menſe*, ſi ſol terras aſpiciet per diem aſſumptæ in cœlum Virgini dedicatum, benè de vino ſperabimus. *In Septembri* ſi voles anni futuri ſtatum præſcire, ſub diem Archangeli Michaëlis glandem apertam fac inſpectes. Si araneolum intus inueneris, infœlix omen, quia infœlix annus: ſi vermiculum, gratum omen, qui bonus annus & ferax: ſi nihil, lues per corpora graſſabitur. Si fuerit glandium copia maior, maturiúſque prouueniens, ſignificabitur citiùs ſenſuros nos hyemem, & ante natalem Chriſti ferè niues altas, ac poſtea intolerandum frigus. Si beſtiolæ in glande latitantes pulchræ fuerint, æſtatis pulchritudinem frumentorúmque bonitatem indicabunt: ſi maduerint, æſtatem madidam: ſi macræ, calidam & aridam. *Si Octobri* arboribus folia non deciderint, perfrigida hyems ſubeunda erit: aut erunt frequentes poſtmodum erucæ. *Nouembri* inſpice æſculum: ſi lignum inueneris ſiccum, hyemem tepidam, ſi humens, algidam fore puta. *Si Decembri* natalis veniat lunâ incrementum capiente, annus optabilis promittitur: ſi creſcente, inimicus. Si ligna cædas duobus diebus anni poſtremis, & primo Ianuarij, nouâ lunâ non ſentiunt cariem & magis magiſque vetuſtate dureſcent. Ex aëris conſtitutione, quæ incidit in diem Medardi vel circiter, de totâ meſſis tempeſtate coniecturas faciunt. Fridericus III. elector Saxoniæ, de numero hybernarum niuium coniectare fuit ſolitus ex dierum numero qui à primâ niue ad proximum ſupereſſent nouilunium, idque ex vetuſtis & ſæpe comprobatis attentorum venatorum annotationibus. Vſitatum eſt colonis prædicere tot tempeſtates pluuias æſtate oborituras, quot dierum in Martio nebuloſa fuerit conſtitutio, tótque Paſcha ſecuturas pruinas, & Auguſto menſe effumaturas nebulas, quot noctibus Martius irrorarit. Atque hæc eſt diuinatio communis ſeu popularis, vt vocat *Peucerus de diuinationum generibus*: quâ fit vt agricolæ non inquiſitis ſollicitè cauſis euentuum in naturâ, nec conſiderato ſignorum cum rebus ſignificatis conſenſu, ex iis ſolùm, quæ vtplurimùm eodem modo euenire, iiſdem antegreſſis ſignis animaduerterunt ac notarunt, artem effecerunt, & regulas Canonicas conſtituerunt, ex quibus de multiplicibus euentibus, de tempeſtatum, cœlique conuerſionibus, ac commutationibus, de frugum & fructuum prouentu, de vbertate vel caritate annonæ, de aëris ſalubritate vel infectionibus, de externorum hoſtium incurſionibus, ſæpe ſatis feliciter diuinant. Quidquid ergo harum diuinationum popularium ſuperſtitione vacat, & experientiâ ſancitur, id ex conſentientibus inter ſe plurimorum annorum euentibus, quos cauſæ Phyſicæ pepererunt, natum eſt. Neque enim ſtatis temporibus recurrerent neque vno modo, vt maximè antecedentibus ſignis, reſponderent, niſi à certis & ordinatis cauſis gignerentur & gubernarentur. Quæ quanquam non in conſpectu ſunt omnibus, nec cùm perueſtigatæ ſunt, à quouis intelliguntur, neque effectus ſimiles quouis anno procreant: tamen à ſyderum virtute pendent, atque efficaciâ, conſenſúque inter ſe eorundem miro. Sic v. g. regula iſta, *Si in globulis gallarum reperiantur vermiculi, vbertatem frugum promitti; ſi muſcæ, bella portendi; ſi araneos, peſtem ſignificari*: nititur hoc fundamento. Vermiculi ex putrefactione nati, argumentum ſunt & indicium conſtitutionis cœli calidæ & humidæ, quæ fœcundat terram. Muſcæ vrentem cœli ſiccitatem arguunt, quâ inflammantur corpora, & velut uſtulata implentur feruidis atq; acribus humoribus. Aranei ex venenatâ, contagioſâ atque impurâ putredine naſcuntur, quæ ſolet gignere peſtilentes febres.

***

SECTIO SECVNDA,

In quâ delineatur

PHYTVRGICA.

PRÆCEPTA.

Phyturgîca eſt ars bene colendi hortum vel vineam.

Eſtque generalis, vel ſpecialis.

Phyturgica generalis explicat requiſita phyturgi, & partes phyturgiæ.

Requiſita phyturgi ſunt ſcientia rei phyturgicæ, prudentia, & tolerantia.

Partes phyturgicæ ſunt cognitio ſoli, inſtrumenta, quæ agenda ſint, & quo tempore.

Phyturgica ſpecialis eſt de horti vel vineæ culturâ.

Horti cultura eſt in ipſius horti diſtinctione, adeóque reſpicit herbas, ſuffrutices, frutices, & arbores: idque ſecundùm varias regiones.

Vineæ cultura reſpicit vinitorem, vineam, & vites: vbi etiam eſt magna varietas in aliis atque aliis regionibus, vt in Hiſpaniâ, Germaniâ &c.

REGVLÆ.

Encomium rei hortenſis.

I. *Pythurgica æquè eſt antiqua, neceſſaria, vtilis, & iucunda, atque Georgica.*

Virgilius in doctrinâ ruſticâ hortorum cultum prætermiſit, tum quia feſtinaret ad finem, vt naturæ ad proximum portum; tum quia ſpatiis iniquis excluderetur. Si enim canit:

Atque equidem extremo ni iam ſub fine laborum
Vela traham, & terris feſtinem aduertere proam:
Forſitan & pingues hortos quæ cura colendi
Ornaret, canerem, biferique roſaria Peſti:
Quoque modo potis gauderent intyba riuis &c.
Et poſt multa
Verùm hæc ipſe equidem ſpatiis excluſus iniquis
Præterea, atque aliis poſt me memoranda relinquo.

Hæc poëta: non quia curam hanc vt tenuem ac vilem deſpiciendam putet. Quapropter mirantur viri docti, cur ita ſcribere voluerit *Columella præfat. lib.* 10. Veruntamen non ſine ſpe proſperi ſucceſſus aggreſſi ſumus tenuem admodum, & penè viduatam corpore materiam, quæ tam exilis eſt, vt in conſummatione quidem totius operis annumerari velut particula poſſit laboris noſtri, per ſe verò, & quaſi ſuis finibus terminata, nullo modo ſpecioſè confici. Nam etſi multa ſunt eius quaſi membra: tamen eadem tàm exigua ſunt, vt (quod aiunt Græci) ex incomprehenſibili paruitate æternæ funis effici non poſſe. Hæc, inquam, illum dicere mirantur docti viri, cùm videamus non minùs de re hortenſi, quàm de agriculturâ, pecuaria, cæteriſque partibus Georgicis conſcriptos eſſe libros. Nec illa aut minùs latè patet, quàm harum partium aliqua: aut præſtantibus viris minùs digna iudicari debet, qui ex omnibus hanc potiſſimè adamarunt, cùm vitam ruſticam agere decreuiſſent. Porrò Phyturgus primus fuit Adam, in ſtatu innocentiæ. Eoſdem itaque hæc ars cum homine natales habet. Neceſſitas eius inde patet, quòd bona pars alimentorum ex hortis petitur; & vinea nobis ſuppeditat vinum, præſtantiſſimum illud alimentum & medicamentum. Vtilitas potiſſimùm in eo cernitur, quòd plantæ animum euehunt ad contemplationem Dei, & corpori ſuppeditant eſcam, potum, medicinam. Denique incredibilis eſt voluptas, quam rei hortenſis cura parit ratione animi & corporis.

Res hortenſis quam latè pateat?

II. *Hortorum nomine comprehenduntur etiam pomaria & vineæ.*

Non itaque ſolùm herbas, ſed arbores ſatiuas, itémque vineas, & illarum cultum complectitur Phyturgica. Nimirum horti vocabulum latè ſumitur, vel ſtrictè. Incipiunt autem plerique ſcriptores à vineâ, quòd vinum primas facilè teneat interea, quæ ex plantis oriuntur, potulenta.

III. *In vineâ ponendâ magni refert conſiderare conditionem ſoli & cœli.*

Conualeſcit enim & ferax euadit æquè campis, quàm collibus, nec minùs denſâ humo, quàm reſolutâ: non infrequenter etiam exili, & pingui, ſiccâ, & vliginoſâ. Veruntamen non ſine delectu quodcunque genus vitis in quacunque terrâ deponendum. Agro vberiori ac pinguiori mandabis gracilem, macro fœcundam, ſpiſſo vehementem, materiáque & frondibus luxuriantem, reſoluto ac læto, quæ eſt rari ſarmenti. Quæ ſunt fructus teneri, & amplioris acini, humido ſolo inſcitè committuntur. Varro exceptis aliquot, cæteras vites & de his miſcellas maximè in omne genus agri conuenire dicit. Ad vini præſtantiam & largitatem plurimum conducit ſoli bonitas. Locus qui ſegetes tulerit, aut arbuſtum nutrierit, aut antè vinetum fuerit, & iam vetuſtate exoleuerit, parandæ vineæ non ita aptus cenſetur, vt qui eſt rudis. Nam illius alterius ſolum pluribus radicibus infra impeditum eſt, & ſenectutis ſuæ ſqualorem atque cariem, quæ tanquam venena ſunt, etiam tum retinet. Vitia loci peſtifera vinetis apud Columellam hæc inuenio: maciem, & ſterilitatem, terram ſalſam vel amaram, vliginem, præcipitem & præruptam poſitionem, nimiùm opacam, & ſoli auerſam, valles arenoſas, arenoſos etiam tofos, plus iuſto ieiunum ſabulonem, nec minùs terreno carentem, & nudam glaream. Gratum eſt vineæ cœlum nec ſummè frigidum & glaciale: nec æſtuoſum: magiſque calido quàm algido proficit & potiùs imbribus quàm ſerenâ tempeſtate offenditur, amat ſolum ſiccum magis quàm humidum: lenem perflatum non recuſat: ventos & procellas odit. Vitis ſeritur vel ad eſcam & delicias, vel ad vtilitatem. Vtriúſque ſpeciei nomina varietatémq; & vuarum quoque diuerſitatem ſi perſequar, videbor & veſtrâ patientiâ abuti, & otio. Qui vinetum inſtituet, plus ſuæ ipſius, quàm alienæ curæ fidat. Viuiradicem ne mercetur: genus ſurculi probatiſſimi domi conſerat, faciátque vitiarium; ex quo poſſit agrum veſtire vitibus: propterea quòd minùs quàm vernacula noſtro ſolo fælicia ſunt ſemina, quæ ex aliâ regione transferuntur. Vbi vineis locum idoneum elegerit, electo præcipuam in paſtinando curam impendat, eâ peractâ non minore diligentiâ vitem conſerat, & cùm ſeuerit, ſummâ ſedulitate culturæ ſeruiat. Diſpoſitio generum percommoda eſt, quam ſi tenere nequeas, diuerſæ notæ non alias conſeres, quam quæ ſaporem conſimilem, & fructum maturitatis eiuſdem præbent. Nullum genus ruris, niſi diligenter ac ſcitè etiam exercitum fructibus colono reſpondet: hoc autem maximè facere ſolent vineæ: Res tenera, infirma, iniuriæ valdè impatiens, quæ plerúmq; nimio labore vbertatéque conſumitur, & ſuâ fœcunditate perit, niſi modum adhibeas. Si ſe confirmauerit vinea, & quaſi ad iuuenile robur peruenerit, non tantoperè negligentia cultorum illi nocebit. Nouella dum adoleſcit, niſi omnia iuſtè perceperit, extremâ conficitur macie & ſic intabeſcit, vt deinceps nullis impenſis recreetur. Foſſio tantò plus prodeſt, quantò crebrior fuerit. Iudicarunt plerique ex Calend. Martiis vſque in Octobres triceſimo quoque die nouella vineta confodienda, herbáſque omnes, & gramina præſertim extirpanda; quæ niſi manu eligantur, & in ſummum reiiciantur, quantulacunque parte adobruta ſunt, reuiuiſcunt, vitiúmque ſemina ita perurunt, vt ſcabra ac retorrida efficiant. Ad prudentiam vinitoris ſpectat, non ſolùm ablaqueationes, pampinationes, aliáque omnia adhibere: ſed reputare etiam, num maiore fructu vitis ſe induerit, quàm vt eum perferre queat. Quocirca non ſolùm ſuperuacuas frondes decerpet, verùm etiam interdum partem aliquam fœtus decutiet. Cæterùm ablaqueare vites, eſt vitis radicem ſeu codicem dolabrâ diligenter terram aperire, purgatiſque omnibus velut lacus, ſeu lacuſculos efficere, vt ſolis teporibus & imbribus prouocetur. Itaque à lacubus deductum eſt vocabulum Inde ablaqueatio. Pampinare vites, eſt ex ſarmento coles qui nati ſunt, de iis qui plurimùm valent primum ac ſecundum, nonnunquam etiam tertium relinquere, reliquos decerpere: ne relictis colibus ſarmentum nequeat miniſtrare ſuccum. Ideo in vitiario primitus cùm exit vitis, tota reſecari ſolet, vt firmiore ſarmento è terrâ exeat, atque in patiendis colibus vires habeat maiores. Vbi cœlum eſt frigidum, ibi verna

putatio

Putatio eligenda. Locis apricis & vbi molliores hyemes, optima & in primis naturalis eſt quæ fit per autumnum: quo tempore diuina quadam & æterna lege fructum cum fronde ſtirpes deponunt. In pedatâ iugataque vinea alligator rectam ſtirpem conſeruabit, rectam vitem, inquam, in iugum producet, nec flexum ridicæ aut pali perſequetur, ne ſtatuminum prauitas ad ſimilitudinem ſui eam configuret. Hoc non ad ſpeciem ſolùm refert admodum, ſed ad vbertatem, firmitatem, perpetuitatem quoque. Rectus quippe truncus ſimilem ſui medullam gerit, per quam velut quodam itinere ſine flexu atque impedimento faciliùs terræ matris alimenta meant, & ad ſummum perueniunt. Intereſt etiam quale ſit vinculi genus, quo ſemina religantur. Nam dum nouella vinea eſt, quàm molliſſimo nectenda eſt: quia ſi viminibus ſalicis aut vlmi ligaueris, increſcens vitis ſe ipſam præcidit. Optima eſt ergo geniſta, vel paludibus deſectus iuncus.

IV. *Rei arborariæ conſideratio eſt generalis & ſpecialis.*

Ex arboribus homines multis ſæculis alimoniam petiuerunt: ex earum quoque frondibus cubilia ſibi fecerunt, & ex cortice veſtes. Arboribus domos amplas conſtruimus, & theatra fabricamus, & in magnâ orbis parte non aliæ, quàm ex lignis, ciuitates, nec amplitudine, nec frequentiâ, nec magnificentiâ noſtris inferiores viſuntur. Arboribus maria quoque habitamus, quarum ſeruitio omnem hunc terræ aquarùmque globum obimus & perluſtramus. Apud priſcos certæ arbores certis numinibus dicabantur, tantus illarum honos. Sanctitate clariſſimi viri, quò mentem omnem in rebus à ſenſu diſiunctis & cœleſtibus liberè poſſent defigere, in nemora ſyluáſque ſecedebant. Eſt autem in arboribus plurima ſanè & admiranda varietas. Quædam enim ſunt vrbanæ ac domeſticæ, aliæ ſylueſtres atque agreſtes. Sunt quædam perpetuò omninóque ſteriles ſine ſemine, ſine fructu, vt ſalices: quædam etſi proferunt ſemen, non tamen fructum, vt fagus: aliæ vtrúmque habent, vt pomiferæ & glandiferæ. Eſt & in quibuſdam ſexûs diſtinctio, vt in palmâ, ilice, quercu. Hæc ſit prima varietas. Altera hæc eſt. Quemadmodum non in omni regione omnes proueniunt arbores, ita neque quas eadem regio procreat, quibuslibet eius locis aut naſcuntur aut adoleſcunt, aut fructificant. Montes quippe amant cedrus, larix, teda, cæteræque è quibus reſina gignitur. Item buxus, ilex, iuniperus, terebinthus & populus. Montes & valles deligunt abies, robur, caſtaneæ, cornus. Aquoſis montibus gaudent fraxinus, ſorbus, ceraſus. Non temerè in montibus viſæ ſunt prunus, oleaſter, iuglans, morus, ſambucus. Subeunt & in montoſa vlmus, mulus, pyrus, laurus, myrti, Gaudet frigidis ſorbus: aquas odere cupreſſi, iuglandes, & caſtaneæ. Non niſi in aquoſis proueniunt ſalices, alni, populi, liguſtra. Tertia eſt in radicibus & cortice. Quarta in foliis. Quinta in floribus. Sexta in fructibus. Septima in vmbris. Octaua in ætatibus. Declarare ſingula diſcrimina longum foret. Nos itaque de arboribus ſatiuis & hortenſibus diſſeremus. Quæ vitibus vtilis eſt terra, eadem & arborum ſationi habetur idonea. Anno antequam feras, ſcrobem fodito: ita ſole ac pluuiis humus macerabitur, quódque poſitum erit, citò comprehendet. Quòd ſi eodem anno lubebit & ſcrobem facere, & ſeminare, minimùm duobus menſibus antè fac ſcrobes fodias, eas ſtramentis incenſis calefacito: ſi latiores patentioréſque feceris, lætiores & vberiores fructus reſpondebunt. Raris interuallis ſerendæ arbores vt cùm adoleuerint, ramis extendendis ſpatia ſuppetant. Quòd ſi ſpiſsè poſueris, nec infrà quid ſerere poteris, nec ipſæ fructuoſæ erunt. Semina legenda craſſa, non minùs quàm manubrium bidentis, recta, leuia, procera, ſine vlceribus, integro libro. Nucem antequam deponas, in aqua mulſa, nec nimis dulci macerato: ſic fructus erit iucundior. Curandum, vt quàm generoſiſſimis pyris pomaria conſeramus. Ea ſunt cruſtumina, regia, ſignina, larentia, purpurea, ſuperba, ordeacea, aniciana, &c. Præterea malorum genera exquirenda, maximè ſcandiana, maciana, orbiculata, ſextiana, peluſiana, &c. Sorbi quoque & perſici non minima eſt gratia. Omnis ſurculus omni arbori poteſt inſeri, ſi non eſt ei cui inſeritur cortice diſſimilis. Antiqui genera inſitionum tria tradiderunt. Vnum quo reſecta & fiſſa arbor reſertos ſurculos accipit. Alterum quo reſecta inter librum & materiam ſemina admittit. Vtrumque genus verni temporis eſt. Tertium quo ipſas gemmas cum exiguo cortice in partem ſui delibratam recipit, quam agricolæ emplaſtrationem, vel inoculationem vocant. Hoc genus æſtiuo tempore optimè vſurpatur. Ex quâ arbore inſerere voles, & ſurculos ad inſitionem ſumpturus es, videto vt ſit tenera & ferax, nodiſque crebris, & cùm primùm germina tumebunt, de ramulis anniculis, qui ſolis ortum ſpectabunt, & integri erunt, eos legito, craſſitudine digiti minimi: ſurculi ſunt bifurci, aut triſurci, &c.

V. *Horti cultura & cura ſpectatur in genere & in ſpecie.*

Hortos vrbanos primùm inſtituiſſe fertur apud Athenas Epicurus. Apud Romanos veteres hortus nihil aliud erat, præterquam agellus, & qualiſcunque prouentus, vnde victus tenuis, & menſa ſine arte compararetur. Non egebat igni, non deſiderabat ſumptus macelli: ac merces tum herbaceas, tum arboreas oppidatim venales præbebat, re ſemper expeditâ, & ad extemporaneum alimentum præſentiſſimâ. Itaque voluptas illecebroſa tantopere ſe propagauit, vt arbores, fructus, olera, flores, & alia ruris ſeu ruſtica ſolaria intrà muros etiam ab agris, montibus, ſyluiſque deduxerit, feceritque vt nequam in domo materfâmiliâs haberetur, cui indiligens & neglectus eſſet hortus. Qui de horto vtiliſſimo & iucundiſſimo cogitat, is debet ſcire, velle, & poſſe colere. Conſtruendus erit primùm ad vſum vitæ neceſſarium: deinde ad ſanitatem, & vires tum corporis tum animi inſtaurandas: poſtremò ad aſpectus & odoratus delectationem. Si fieri poſſit, ſit in propinquo, vt dictorum commodorum particeps fiat dominus & frequenter illum adeat. Sed hoc metu olitorem operáſque omnes in officio continebit. Sed quia dementiæ ſumma eſt, hortum poſſidere probè conſitum, optimè cultum, qui dies ac noctes pateat incurſibus iniuriiſque deprædantium hominum, & deuaſtantium quadrupedum atque alituum, ideo quibus copia ſuppetit, hortos parietibus cingunt. Alij macerias ex luto & lapide circumducunt. Plerique tenuiores paleato vtuntur fimo & limo: aut ſaxa in ordinem congeſta iam coagmentant. Sunt qui foſſis & aggeribus circumdent, quod maximoperè vitandum: nam horti humores ita ſubducuntur, niſi fortè locus paluſtris fuerit. Ruſtica & plebeia turba in ſyluis reciſa ſpineta, viminetа & arundineta pro munimento adaptat. Horti ab areâ, ſtabulo fœnario longè ſiti eſſe debent, ſi poterit. Nam palearum puluerem ceu inimicum ægrè patiuntur: imo verò nec paleas ipſas, quòd olera lædunt. Nam hærendo ſol a perforant, quæ perforata ſtatim aduruntur. Proſunt tamen radicibus pèrinde atque ſtercus; ſed ramulis & foliis nocentiſſimæ iudicantur. Adhæc arborum fœtibus qui lignoſi non ſunt, præcipuè vitibus, & inter lignoſos amygdalis. Poſitio horti optima, ſi leniter inclinata planities curſum fluentis aquæ per diſcreta ſpatia exceperit. In quam rem ſi defuerit fons, eius loco aut imprimendus erit puteus: aut ſi id nequeas, ciſterna ſuperiori parte conſtruetur, vt illinc aquas conferente pluuiâ, hortus per æſtiuos ardores excipiat. Si his omnibus facultatibus carueris, hortum tribus quatuórue pedibus altiùs fodies ad ſimilitudinem paſtini. Ita enim cultus ſiccitates negliget. Terra ſalſa omnino vitanda, vt amara. Optima quæ neque æſtate valde reſiccatur, neque argilloſa eſt, neque arenoſa & aſpera, neque hiatibus per æſtus obnoxia. Ante omnia ſit elapidatum ſolum, minimè rimoſum, ne ſol penetrans plantarum radices exurat. Terra quæ fluminibus, aut perpetuis aquis circumdatur, nō ſemper eſt laudabilis: nam ſata & plantata quædam, aquâ facilè ſeneſcunt fructúſque ſiue herbarum ſiue arborum inſipidos ac humidulos, plerúnque gignunt. Plantantem hortulanum non oportet ſtatim ſtercus ad radices iniicere: ſed primùm tenuem terram illis immittere, deinde ſtercus, quod rurſus terrâ tegendum erit. Ita neque comburentur plantæ, neque ſtercorarius calor illico exhalabit. Olitores ne vtuntor ſtercore annuo; nam præterquam quod eſt inutile, quàm plurimas beſtiolas generat. Triennale commendatur. Longiori enim tempore quidquid habuit fœtidi ac mali, euaporauit, & ſi quid durum inerat, ætas remolliuit. Ciuis tenuiſſimus, naturâ calidus, herbis ac oleribus ſtercus optimum. Pulices enim hortenſes, vermes, erucas, limaces, & animalia parua ſtirpes depopulantia aut occidit aut obigit. Præceperunt quidam hortum non eſſe ſeminandum, niſi cùm terra pluuiis permaduerit. Ex ſi tempeſtiuè & opportunè deſcendant, non improbo. Si tardè labantur, quantumuis ſitienti horto ſemen committi poterit. Curandum etiam ante ſationem, vt prauarum herbarum radices necentur: digerendus in areas, quæ ita informandæ, vt runcantium manus ad dimidiam latitudinis partem facilè perueniant: ne dum herbas inutiles illæ perſequuntur, ſemina pedibus interim proculcentur. Vehementer adnitendum, vt ſationi ſerenitas, & temporis clementia ſuccedat. Nam fauente cœlo, tepentibus locis & à ſole illuſtratis, citiſſimè prorumpunt ac pullulant ſemina. Sin autem ſemina vegeta, plena, recentia, ſucculenta. Si timor fuerit, ne frigoribus, pruinis, ardoribus perurantur aut offendantur, paleis contegentur, quibus tranſuerſæ virgæ imponentur, & virgis arundines aut ſarmenta, ne à ventis rapiantur, vel ab auibus deprædentur. Rigatio ſolibus æſtiuis, & maximè circa exortum caniculæ, ſummopere probatur horâ matutinâ ac veſperi, ne à ſole inferueſcat aqua, & radices adurat. Sed ne tum quidem nimiæ debent eſſe rigationes, quoniam inebriatis radicibus nocent. Non eſt haurienda aqua putei, ne ob frigus cruditate nimiâ radices percellat. Quòd ſi alterius non erit facultas, horis aliquot antè haurienda, & ſub dio exponenda erit, vt tepeſcat. Salſæ aquæ hîc ſummoperè fugiendæ: niſi in raphano, betâ, rutâ, cunilâ, quibus aquea ſalſitudo peculiaris medicina. Minùs vtiles è ſtagnis hauſtæ ad rigationem, & quas elices inducunt, quoniam herbarum ſemina inuehunt: præcipuè tamen imbres alunt plantas: nam illis innaſcentes beſtiolæ necantur. Iam de auxiliis contra peſtes hortenſes longioris operæ ſit diſſerere:

 vt ſunt

vt ſunt vermes, erucæ, talpæ, limaces, culices, muſcæ, ranæ, bufones, hortenſes mures, muſtelæ, ſerpentes, & alia reptilia: grando, fulmen, tempeſtas, rubigo, pruina, carbunculatio. Dicendum eſſet de cultu lactucarum quomodo lata fiat, candida, & tenera: quomodo pomata, ſuauis, odorata, ſapida: quomodo condenda. Multa item de braſſicâ, quæ terra illi commoda, quando transferenda, quæ ſpecies, quomodo ſapore fiat inſignis: de apio, quomodo fiat folio latiſſimo, de betâ, portulacâ, de aſparagis, de rutâ, quomodo ſerenda, vbi optima naſcatur, de oxaliolis, & ſpinaceorum curâ. De radicibus eſculentis, vt porro, allio, cæpis, raphano. De fructibus herbaceis eſculentis, vt cucurbitâ, cucumere, peponibus, hortenſi carduo. De floribus ac plantis odoratis, vt roſis, liliis, amarantho, violis, ſaluia, fœniculo, lauandula, roremarino, mentha, ſolſequio, maiorana, bellio, abſinthio. Sed nimis prolixum foret iſta omnia perſequi.

SECTIO TERTIA,

In quâ delineatur

BVCOLICA.

PRÆCEPTA.

BVCOLICA eſt ars parandi curandique animalia œconomico neceſſaria.

Eius partes tres ſunt: Paſtoritia, Villatica paſtio, & Cura apum.

Paſtoritia, ſeu Pecuaria, eſt ars parandi curandique pecoris.

Eſtque generalis, vel ſpecialis.

Bucolica generalis agit de naturâ paſtoris, & pecoris in genere.

Bucolica ſpecialis eſt ratione varij pecoris, & variarum regionum. Ibi eſt curatio boum, equorum, ouium, apum &c. hîc eſt Bucolica propria Italorum, Germanorum, Bohemorum &c.

Villatica paſtio eſt ars alendi ſaginandique animalia intra aut iuxta villam.

Cura apum eſt in loco, pabulo, & mellificatione.

REGVLÆ.

Bucolicæ ſumma diuiſio.

I. *Bucolica ſynecdochicè ita dicta complectitur Paſtoritiam, Villaticam paſtionem, & Curam apum.*

Bucolica nomen habet à βοῦς: quod iumentum apud veteres vtramque faciebat paginam in œconomiâ. Itaque per ſynecdochen ſpeciei vtrumque vocabulum poteſt vſurpari, vt complectatur iſta tria, quæ diximus. Nihil enim inſolens eſt apud philoſophos, ad ſpeciem principem, ſaltem analogicè, reducere minus principes.

Summæ partes rei pecuariæ.

II. *Rei pecuariæ partes ſummæ atque vniuerſæ ſunt tres.*

Prima eſt de minore pecore, cuius ſpecies tres ſunt; ouis, cum quâ veniunt agnus & aries; capra, & huic coniuncti, hircus & hœdus, ſus & verres. *Secunda* eſt de maiorum pecudum cura & tractatione; quarum item terna ſunt genera, boues cum vaccis, aſini cum aſinabus, equi cum equabus. *Tertia* pars continet ea, propter quæ fructus capiuntur, tametſi ex illis non capiuntur: nempe mulos atque hinnos, canes & paſtores. Atque hæc eſt diſtributio Varroniana.

Cura pecoris qua re côtineatur.

III. *Cura pecoris conſiſtit in parando & paſcendo.*

Quodlibet pecus, ſeu minus, ſeu maius, ita demum parabitur & habebitur rectè, ſi ætas in eo, ſi forma, ſi qualitas, ſi ſeminium conſiderabitur: quæ omnia ad emptionem referuntur. Poſt emptionem, ſi ſcienter alatur, ſi fœturæ, nutricationis, & ſanitatis ſedula adhibita fuerit procuratio. Et his quatuor rebus abſoluitur alterum Pecuariæ munus, quod communi nomine dicitur paſcere.

Encomium Bucolicæ.

IV. *Bucolicam nobis commendant antiquitas, vtilitas, & iucunditas.*

Et primò quidem Bucolica nata eſt poſt agriculturam, vt ex ſacris conſtat. Deinde innumeræ vtilitates ad nos redundant ex paſtoritia, villatica paſtione, & cura apum. Atque vt hinc incipiamus, ex liquidis omnibus, quæ cibali cauſa vſurpantur, non eſt vllum lacte alibilius: in quo primas dant ouillo, ſecundas caprino. Sunt autem tria (vt hoc obiter adiiciam) in quibus lac à lacte manifeſtò diſcrepat: paſtus, natura pecudum, & mulctus. Habet namque vim maiorem ad alendum, quod ab hordeo, ſtipula, & prorſus arefacto gignitur nutrimento: ſicut ad purgandum potentius eſt, quod è viridi paſcuo, & quidem eò ampliùs, ſi pecudes eas ipſas herbas abſumpſerint, quæ purgationem afferre corporibus conſueuerunt. Quod ad naturam lactis attinet, nobilius & melius eſt, quod nullis impeditæ morbis ac vitiis, & nondum vetulæ animantes miniſtrant. A mulgendo id laudatur, quod neque longè abeſt, neque à partu continuò mulctum eſt: ſiquidem omne lac primum & nouiſſimum cenſetur inutile. Porrò ex lacte parantur butyrum & caſeus, geminæ illæ deliciæ, vel potiùs columnæ, menſæ iuxta & culinæ. Nihil hîc dico de carnibus, lana, corio, & ſimilibus quæ ex animantibus ſumuntur in cibum, amictum, & lucrum. Latere patior mellis vtilitatem & quæſtum. De iucunditate id ſolùm adfero, curam pecoris & apum adeo hominem oblectare, vt animus philoſophia quadam reali imbuatur, & corpus voluptatem ſentiat ſecundùm omnes ſenſus.

Bu... pe... m...

V. *Bucolica pecudum minorum breuiter ſic habet.*

Probantur ab ætate *oues*, ſi neque vetulæ ſint, neque meræ agnæ, quoniam cuiuſuis pecudis primam ætatem & ſupremam ſterilitate natura damnauit. In forma exquiri ſolent corpus amplum, lana non modica eadémque mollis, villi alti atque denſi, circum ceruicem & collum præcipuè, venter lanoſus, crura humilia. Quàm porrò ſint egregio ſemine, forma & progenies documenta dabunt, ſi formoſos agnos pariunt. Genere præſtantes olim ducebantur Mileſiæ, Calabræ, Appulæ, & potiſſimùm Turentinæ. In ariete laudatur altum procerúmque corpus, frons ampla, intorta cornua, & ad roſtrum prona, quo pacto minimè nocebunt, raui oculi lana operti, aures latæ, pectus, ſcapulæ, clunes lati, venter promiſſus, teſtes ampli, cauda denſi velleris & prolixa Suadent nunquam mercandum marem candidiſſimum, quòd ex albo ſæpè fuſcus edatur: ex erythræo autem pullóque non ſolere album generari. Probando ariete etiam iſta ſcribuntur: ſi palatum atque lingua concolor lanæ inueniatur, Nam pullas, aut etiam variatas proles naſcituras, ſi hæ partes corporis nigræ ſint, aut maculoſæ. De hoc nos Virgilius admonendos putauit.

Illum autem quamuis aries ſit candidus ipſe,
Nigra ſubeſt vdo tantum cui lingua palato,
Reiice, ne maculis infuſcet vellera pullis
Naſcentum.

Anno toto cùm domi, tum foris prouidè & ſollicitè paſcentur. Ouilia prohibebuntur ventis, ad orientem magis obuerſa, quàm ad meridiem. Pauimentum eruderatum, & procliuum eſto, quò leui negotio euertatur ac repurgetur: nam vligo & ſcabritiem ouibus importat, & lanam ipſarum vnguláſque corrumpit. Sed vt conſiſtant & procumbant molliùs, habeantur mundiùs, pabulo ſuo reficiantur libentiùs, virgulta illis, aliáque ſtramenta ſubiicere oportebit. Cum luce matutinâ æſtiuis menſibus paſtum eas agere conducet: longè enim ſuauiùs, longéque auidiùs rorulenta tondebunt gramina diluculo, quàm ſiccata & arefacta meridie. Cùm ros in tenerâ pecori gratiſſimus herbâ eſt, ait Maro noſter. Sole iam cœlo libero ingrediente, denuo propellentur vltra ad paſtum, quo ſic redintegratæ reſtauratæq; alacriores fiant. Æſtus die medio ſi ſæuierit, tantiſper ſub rupes vmbroſas, ſub arborum patularum tegmina gregem compellemus, dum feruore ſub crepuſculum lenito, rurſus pabulo ſedent, quoad contenebrauerit. Quibus locis deſecta ſunt frumenta, per eoſdem locos ſi paſcantur, geminum exiſtit commodum: quòd & caducâ ſpicâ ſaturabuntur: obtritiſque ſtramentis & fimo ſuo in annum venturum opimam ſegetem reddunt. De paſtione hæc. De fœturâ nunc.

Tempus

Tempus à conceptu ad partum prægnationis videlicet primos extremoſque menſes fœturam appello. Arietes admiſſarios ante à fœminis bimeſtri interuallo ſecerni, largiore alimento expleri, ad ſtabula redeuntibus hordeum dari præcipiunt. Ventrem ferunt oues menſibus quinque, ſeu diebus quinquaginta ſupra centum: nec aliter quam muliebris ſexus enituntur, ſæpiuſque in i[?] ſa p[?]tudine laborant. Quocirca magiſtrum pecoris veterinariæ medicinæ haud ignarum eſſe conueniet: vt re poſtulante vel integrum fœtum tranſuerſim locis genitalibus hærentem educat: aut ferro conuulſum, matre illæſa extrahat. Fœminas poſt bimatum maritandas, alio qui partum fore inutilem, ipſaſque deteriores euaſuras. Mares ad progenerandum cenſent idoneos trimos, quinquennium natos inertes, ſeptennium fatiſcentes. De nutricatu audiamus. Agnus à procreatione mox erigendus eſt, & ad maternam mammam admouendus, ſi per ſe non acceſſerit. Tum etiam eius os diductum papillis compreſſis humectandum, vt ſibi paratum à natura alimoniam ſuctu ducere condiſcat. Hoc antequam faciamus, exiguum lactis emulgendum eſt, coloſtrum vocant, ne alumnus noxam ex eo capiat. Diebus paucis ab ortu addenda vicia molita, aut herba tenerior, & ſic nutricandus menſes omnino quatuor. Quanto ſpacio ſunt qui matres mulgere non ſoleant: quinimo quidam haud vnquam eas mulgent ideo, quòd iſto modo cùm lanâ plus abundent, tum agnos plures edant: qui vbi à lacte depulſi fuerint, curabitur ne deſiderio ſeneſcant, & vt pabulum quàm optimum ne deſit: & vt ne frigore aut calore nimio contriſtentur. Etenim hoc animal, tametſi inter omnia à veſtitu inſtructiſſimum, tamen quas diximus vtriſque rebus facilè offenditur. Quapropter & humilia, & longiora quàm latiora parabuntur ouilia, quo per hyemem caleſcant, & per anguſtias ſoboles ne oblidantur. Non priùs caſtrabitur agnus, quam aut cœlum frigidum intepeſcere, aut æſtuoſum refrigerari cœperit, nec minor quinque menſibus. Arietes ſummittendi potiſſimùm diligenter ex matribus, quæ geminos pariunt. Ad morbos ouium ſanandos quæ requirantur, ea magiſter exſcripta ſecum portabit: etiam res nonnullas quæ eodem valebunt. Paucæ quidem & paruæ morborum differentiæ cernuntur minorum maiorumque quadrupedum, quandoquidem eadem ferè eſt natura corporum. Fiunt pulmonariæ, ſacro igne corripiuntur, quam puſtulam nuncupant, & pituitâ grauantur. Herba quæ dicitur ſanguinaria, illis exitioſa eſt. Spirandi præterea difficultate laborant. Agni febribus affecti, aut aliâ ægritudine comprehenſi, ad matres non admittentur, ne ſuum in eas malum transferant. Vitioſum ac morboſum pecus, totius gregis eſt calamitas, & oues præſertim contagione vexantur. Sed quanquam paſtor prouidus ac ſedulus medicari poſſit, videtur nihilominus aliorum hæc eſſe ſcientia, quibus veterinariis nomen factum: medicis, inquam, iumentorum, qui perfectiùs & morborum formas quibus inuaduntur, & eorum cauſas, & cuiuſque profligandi rationes didicerunt. Qualem fuiſſe aliquando Virgilium antequam in Auguſti amicitiam reciperetur, in ſcriptis Donatus reliquit.

Ab ouillo *ad caprinum pecus* ſermonis curſum flectamus. Ex ouium lanâ fructum percipimus ad veſtimenta, ex caprarum pilis ad vſum nauticum, ad bellica tormenta, & fabrilia vaſa. In Getuliâ, Sardiniâ veſtes de pellibus caprinis conficiebant. Vſos iiſdem ad amictum veteres etiam Græcos ex eo cognoſcas, quòd ſenes in tragœdiis ab hoc pellis genere διφθέραι vocantur, & in comœdiis qui in ruſtico opere morantur: vt apud Cœcilium in Hipobolimæo habet adoleſcens, apud Terent. in Heaut. ſenex. In magnâ parte Phrygiæ, quòd magis eſſent villis, tondebantur: vnde cilicia ſimiliaque tegumenta fiebant. Hæc curſim ex Varrone. Hîc quoque nouella ætas, quæ fructum dare diutiùs poteſt, veteri præferenda. Firmas, magnas, corpore leui, crebro pilo, vberis maximi, & lactis abundantiſſimi, hirco ſimillimas, & ſub roſtro duas mammulas habentes probant. Quæ ex caprarum faucibus quaſi papillæ dependent: aliâ noncolæ apud Feſtum, pro quo legunt quidam neuolæ, quòd ſint vt næuli, quomodo & Gellius eſt locutus, de mammillis cùm loqueretur. Columella verruculas dixit. Caper, inquit, cui ſub maxillis binæ verruculæ collo dependent, optimus habetur. Quæ iſtis neuolis præditæ ſunt, fœcunditatis laude præſtant. Vbera quoque in capris grandiora quærunt, vt & multum & gingue lac præbeant. Hircum deſiderant ampliſſimo corpore, cruribus craſſis, plenâ & breui ceruice, gurgulione largiore, flaccidis & prægrauantibus auribus, exiguo capite, nigro denſoque, nitido, molli & longiſſimo pilo. Menſium ſeptem aptus eſt admiſſuræ. Tam intemperanti libidine beſtia, vt adhuc ſubrumus matrem conſtuprare non dubitet. Sic Veneris cupidinibus primâ ſtatim pueritiâ emaciatus & exhauſtus, ante ſextum annum conſeneſcit. Mattes meliore ſunt natura, quæ bis pariunt: ex quibus inprimis appoſiti ad implendas fœminas mares ſecernuntur. Aiunt etiam meliorem fore gregem, ſi non ſit comparatus ex collectis ſed ex vnâ conſuetis. Præſtat vnum gregem totum, quàm ex pluribus particulatim mercari. Ita in caprili pax & concordia vigebit. Quod quidem, ſicut omnia fermè ſtabula, conſtratum lapide poſtulant, ne vliginoſum lutulentumque ſit. Ob hoc paſtor quotidiè conuerret. In paſtu eâdem propemodum ratione, quâ oues habebuntur. Hoc aliter, altibus eas, dumetis, aſperis, ſyluestribuſque locis & montibus amplius gaudere, hec auerſati cibos, ſectari frutices & arbuſtulas, locis cultis virgulta carpere: quamobrem illis nomen inditum capris à carpendo quarum dentes ſationibus pernicioſæ. Admittendi tempus autumno ſub Decembrem. vt propinquante vere frutetis ſyluisque germinantibus, conceptus in lucem veniat. Ac generoſæ quidem ſæpè duos hœdos, nonnunquam trigeminos pariunt. Qui cùm in nutricatione trimeſtre conſumpſerunt, in gregem redigi ac ſummitti poſſunt. Remedia caprinis morbis, haud ſecus quàm ouillis paſtores & magiſtri conſcripta retinebunt. Capras autem ſanas nemo venditor promittit, ſiquidem ipſe ſit ſanus: nunquam etenim febre carent, quod & Plinius ex Archelao affirmat: atque ideò fortitan anima his quàm oculus ardentior, calidioreſque concubitus, quod & Ariſtoteli viſum eſt. Sæpe gerunt vulnera: nam cum crebrò cornibus concurrant, & ſpinoſis in locis paſcantur, fit vt cutem lacerent. Nocet illis æſtus: ſed frigus aliquantò amplius, potiſſimum fœtæ, quæ gelicidio hyemis conceptum fecit. Quanquam non ob iſta ſolùm; ſed etiam ob glandem citra ſatietatem datam in abortionem incidut.

Nunc de *ſue* videamus: *Virgilius in lib.* 3. *de re ruſticâ* nihil de ſue præcipit: quia non tam exquiſitè omnia ruſtica perſequi inſtituit. Nos aliquid adferamus. Approbationem conſequuntur ſcrofæ longiſſimi ſtatus, & reliqua verribus ſimiles, vnicolores potius quàm varij. Sunt autem dotes verris hæ. Corpus amplitudine eximium, quadratum magis quàm longum aut rotundum, venter promiſſus, clunes vaſti, nec crura procera, nec vngulæ, ampla & glandulosa ceruix, roſtrum breue & reſupinum. Bonitatem generis cùm in ſcrofa, tum in verre facies formoſa indicat, frequenteſque porculi vno partu effuſi. Aliis item regionibus præſtantiores, maioreſque, aliis minus probabiles, & exiles fiunt. Hoc pecus & montibus, & campis commodè impaſcitur: quanquam meliùs paluſtribus agris quàm ſitientibus. Mirè paſcuis ſuum conueniunt nemora quæ veſtiuntur quercu, ſubere, fago, cerris, ilicibus, oleaſtris, tamaricibus, cotylis, pomiferiſque ſylueſtribus, vt ſunt albæ ſpinæ, græcæ, ſiliquæ, iuniperus, lotos, pinus cornus, arbutus, pronus, & paliurus, atque archadres pyri. Hæc enim diuerſis temporibus miteſcunt ac toto pene anno gregem ſaturant, vt ſcriptum extat apud Columellam. Mas duobus menſibus ante admiſſionem ſeparatur. Porca menſes quatuor grauida, parit cùm pabuli copia eſſe incipit. Minores anniculis admitti nolunt. Malunt etiam viceſimum expectare menſem, vt ita bimæ fœtum deponant. Admiſſuræ cauſa in cœnoſa loca eos prodigunt, vbi thalamus actorus tam eleganti coniugio idoneus. Eſt autem ſubare vſurpari ſolitum de fœminis, vnde & prima, ſecunda ſubatio, ſurire de maribus, qui ſalire incipiunt octauo menſe. Ex primo partu ſcrofæ cognoſcitur fœcunditas: nam in ſequentibus nihil ferè mutat: & illam cenſent fructuatiam idoneam, quæ pro numero mammarum parit catulos. Vbi pepererit, reficienda eſt largiùs, quò lac ſuppeditet natis faciliùs: quare bis ſinunt bibere de die. Si lacte deficiatur, triticum frictum præbebitur, aut hordeum ex aqua obiicietur. In nutricatu, quæ & porculatio, duobus menſibus fœtum cum matre relinquebant, quod tamdiu nutricaret, cùm quaternis menſibus ventrem ferret. Hara, quæ contegi non debet, ita erit alta, vt paruaopera porculator videat circumquaque, num quis porcellus à matre decumbente opprimatur, & vt cubile purgari ſine negotio queat. Mirum eſt, cùm ſit tam immodum animal, & in pabulatione tam ſpurcè verſetur, tam cubile mundum deſiderat. Quoties autem purgabitur, toties arena, aut quippiam aliud iniicietur, quod humorem exſordebat. Curator mox quot, qualeſque nati ſint, inſpiciet, & ne quis alieno vbere educetur, prouidebit: quando porci, ſi harâ exiuerint, facillimè miſcentur, & mater cùm decubuit, tam patienter alieno, quàm proprio mammam indulget. Quamlibet cum ſuâ prole ſuo clauſo cuſtodiet. Quòd ſi metuit ne obliuione minùs cuiuſque proles agnoſcat, pice liquatâ eandem notam illis matribuſque imponet, ac ſiue per elementa literarum, ſiue per alias notas vnumquemque partum cum ſuâ parente diſcriminabit. Limen haræ inferius palmipedale fiet: ne cùm mater ex harâ prodierit, porculi tranſiliant: qui iam à mammâ remoti, delici nominantur. Nutricare octonos poſſunt: ſi plures alant, fatiſcunt ipſæ, neque congenerati aleſcendo robur adipiſcuntur. Cùm paulùm adoleuerunt, parentum comitari ad paſtum mirè capiuntur. Verribus poſt annum commodiſſimè vernâ & autumnali tempeſtate virilitas ferro adimitur: quâ ſpoliati nomen accipiunt maiales. vt in equis cantetij, in gallinaceis gallis capi, & capones, & ſemimares, in arietibus verueces, in hominibus eunuchi. Et hic quidem cultus eſt ſuilli pecoris.

VI Bucolica

Bucolica pecudum maiorum.

VI. *Bucolica maiorum pecudum breuiter sic habet.*

Quatuor sunt gradus in genere bubulo, vitulorum, iuuencorum, boum nouellorum, vetulorum. In primo sexus discernit vitulum à vitulâ in altero iuuencum à iuuencâ, in duobus vltimis taurum à vaccâ. Nondum initas Arnobius virgines vitulas, virgines bubulas appellat. Sterilis vacca dicitur taura prægnans horda. Taurus eximius a castrato hoc tantùm discrepat, quòd illi torua facies, aspectus vegetior, breuiora cornua, torosior ceruix, eâ valitudine, vt sit corporis maxima pars, ventre aliquantum substrictiore, qui magis rectus, & ad fœminas ascendendas habilis sit. Præponendi sunt in emptione ætate ad fructus ferendos integri, quàm aliquamdiu exerciti & experti, benè compositis, grandibus perfectisque membris, porrectis lateribus, amplis, nigrantibus, proceris & robustis cornibus, latis & crispis frontibus, oculis magnis, iisdem & labiis nigris, hirtis auribus, compressis malis, dorso recto & plano, vel etiam subsidente, non gibbero, patulis naribus, resimis subnigris, ceruicibus torosis ac longis, a collo palearibus pene ad genua propendentibus, corpore bene costato, bonis rotundisque clunibus, caudâ profusâ vsque ad calces, inferiore parte frequentibus pilis subcrispa, compactis cruribus, iisque breuioribus potiùs quàm longis, non improbis genibus, eminulis, pedibus non latis, neque qui ingredientibus displodantur, quorum vngulæ sint leues ac pares. Corium ne sit attactu asperum ac durum. Colore placent potissimùm nigro, pòst rubeo, tertio heluo, quarto albo. Genus siue seminium ponderandum ex formâ iam descriptâ, & iis quos procreauerint, si ad parentū speciem respondeant. Boum pabulationi propter virgultorū frondiúmque copiam nemora sunt idonea. Fœminis antè vno mense, quàm tauri ruentis in Venerem pondus excipiant, pabulū minuetur, ne obesitate corporis nimia steriles euadant: macris siquidē conceptus facilior. Contrà verò tauros secretos à fœminis per tempus duorū mensium herba, palea, fœno pleniores, & ad ineundū valentiores oportet efficere. Non minores bimos patiendū est iniri, vt trimæ pariant quanquā meliùs si quadrimæ. Tauri infra quadrimatum, & maiores quam XII. annorum admissurâ prohibetur: illi quòd tanquam ætate pueri seminandis armentis non sunt apti: hi quia senio sint effœti. Generant vaccæ pleræque in decem, aliæ diutiùs, sed vitulos parum egregios. Consepta requiruntur laxo spatio, ne concursant, & se cornibus grauiter mutuò vulnerent. Stabula laxo, glareâ, etiam tabulatâ sternentur, carebuntque frigore, quod maciem illis affert, vti fames. Per æstatem tabani, & pusillæ bestiolæ compunctionibus eas acerbè vexant & ad cursum concitant. Lactentes cum matribus cubare nolunt, ne obterantur: manè & vesperi cùm è pastu redierint, vitulos ad eas adigunt, quos si ante bimatum exsecueris, difficulter se recipiunt. Fissâ autem ferula testiculos comprimendos, paulatimque confringendos, non ferro exscindendos suadent. In vaccis, vt in omni grege pecuario quotannis delectus habendus, & reiiculæ reiiciendæ. Si quia vitulum amiserit, ei supponentur, quibus matres haud satis præbent. Semenstribus furfures triticeos, farinam hordeaceam, & teneram herbam obiiciunt. De morbis quibus tum boues, tum minora quæque pecora interdum corripiuntur, quæ signa horum, quæ medicinæ aduersum singula vsurpandæ, & quomodo procuranda, fusè admodum Columella, ego aliquot adducam. Languor, nausea, pestilentia, cruditas, dolor viscerum, tormina, vitiosa linguæ incrementa, quæ veterinariis ranæ, cibi fastidium, febris, tussis, suppuratio, claudicatio, rabiosorum canum, luporumque morsus, coriago. Hæc accidit, si bos aut ex languore aliquo ad maciem peruenit: aut sudans in opere faciundo refrixit: aut sub onere pluuiâ madefactus est. Est autem, cùm pellis ita tergo adhæret, vt apprehensa manibus deduci à costis non possit. Sunt insuper pulmonis & palati exulceratio, ceruicum tumor & clauus. Et bobus caluescunt colla, & læduntur vomere tali atque vngulæ, calcant aliquando surculos, testâ acutâ aut lapide vngulam pertundunt. Sæpius aut iniquitate oneris, aut grauitate diuturnioris laboris, aut cùm in aratione, vel duriore solo, vel radici obluctati sunt, armos conuellunt, cornua frangunt. Haustâ cum aquâ hirudo adhæret faucibus, ducit sanguinem, suoque incremento cibis transitum præcludit.

Asini, quo vtilitatibus dominorum commodissimè ac diutissimè præstò sint, bona sit eorum ætas, sint firmi, omni parte honesti, corpore amplo, seminio probato. Olim commendabantur Arcadici, & in Italiam Rheatini. Alij numerantur feri, quibus nomen onagris, alij mansueti. Cùm porrò ex hoc genere illud alterum nunquam, ex altero hoc, ex syluestri, inquam, fit domesticus asinus: onager ad seminationem haud nihil idoneus putatur. Decet autem in vtroque sexu ad fœturam delecto messe dignitatem: propterea quòd proles parentum similes generantur. Qualicunque pabulo contenti sunt, etiam vilissimo: vel foliis, vel carduis, vt habeant similes labra lactucas, vel salignis perticis vel obiecto fasce sarmentorum aluntur: paleis etiam ad pinguetudinem perueniunt. Mense duodecimo semen conceptum reddunt. Minùs onerum imponendum prægnantibus, ne quod nascetur, ob id deterius fiat. Mari quidem non est ab opere concedenda vlla vacatio, quoniam segnior ac peior inde redditur. Anno sinunt esse pullum asininum cum matre: secundo leniter capistris vinciunt: tertio ad eas operas domitare incipiunt, quas ab iis exigere decreuerunt. Greges seu multitudo asinorum non nisi ad onera gestanda, ad vinum, oleum, frumentum & similia haberi consueuit & vocantur tales dossuarij. Plerique ad molam deducuntur: ad arandum quoque vbi est leuis terra. Custodis imprudentis negligentiam fortissimè ustinent, plagarum, penuriæ, laboris & famis tolerantissimi, morbis non valde subiecti.

Equorum cura iam sequitur. Minores trimos non putant emendos. Equorum & omnium propemodum animantium, quorum indiuisæ sunt vngulæ, & cornibus quoque præditorum, è dentibus amissis ac renatis ætatem deprehendi autumant: quo de Columellam consuletis si libuerit. Modica magnitudo commendat equum, vastitas & paruitas dedecorant. Fœminæ clunibus ac ventribus latæ sint, admissarij corpore amplo, formosi, partibus inter se vbique proportione respondentibus. Equi futuri species ab indole & corpore ipsius equuli seu pulli pendet. Optimus erit, si hilaris ac intrepidus appareat: quem nouæ rei conspectus auditusque nequaquam conterret; qui in pastu & cursu cum lasciuiâ alacritate gregales ad pugnam lacessit, & palmam nititur præripere: & fossas nihil cunctatus transiliens, pontes quoque & flumina sociis haud expectatis transgreditur. Adde caput exiguum, membra non confusa, oculos nigros, nares apertas, auriculas breues & arrectas, ceruicem latam, nec longam, & mollem, iubam crebram, subcrispam, in dexteriorem partem inclinatam, pectus latum musculorumque toris numerosum, humeros grādes, ventrem substrictum, lumbos latos, ac deorsum versus pressos, testes pares & exiguos, spinam duplicem: sin minùs, non extantem, caudam amplam, setosam, subcrispam, crura recta, alta, æqualia, genua parua, rotunda, clunes rotundos, nec introrsum spectantes, vngulas duras, altas, concauas, coronis mediocribus superpositis. Totum denique corpus grande, sublime, erectum. Cùm sint autem multa equorum genera, videndum quâ stirpe veniant: nobiles rectè è regionibus nuncupantur. Alimentum equini pecoris in prato herba, in stabulo fœnum aridum. Cùm tempus aderit, manè & vesperi admittendi. Fœmina bimatu probè concipit: mas trimo inferior ad generis propagationem est inhabilis: generat autem ad annum vicesimum: equa post decimum, vt annosa iam mater, tardam inertemque prolem edit. Hoc armentum præ aliis intemperatissimæ Veneris est, & insigniter furit, immensâ libidine concitatum. Inde hippomanes, de quo sic Virgilius.

> *Hinc demum hippomanes vero quod nomine dicunt*
> *Pastores: lentum distillat ab inguine virus*
> *Hippomanes, quod sæpe malæ legere nouercæ,*
> *Miscueruntque herbas, & non innoxia verba.*

Huius (siue caruncula sit, quam in fronte natam pullus statim vt aluo emittitur secum affert: siue quoddam venenum ab equorum naturalibus defluens, cùm ardore venereo rapiuntur) Aristoteles, Plinius, Columella meminerunt: vtrumque ad insaniam amoris immittenda certum est adhiberi. Tradiderunt quidam in Lusitaniâ ad oceanum equas sine mare assiduâ & nimiâ cupiditate sibi ipsis Venerem animo figurantes, è vento grauidas fieri: vt gallinas item, quarum oua ὑπηνέμια. Verùm ex illis conceptibus existentes pullos equinos vltra triennium non viuere. Admissuræ præfectus Perοriga dicitur. Postquam conceperunt, non sinentur aut quippiam laboris subire grauioris aut versari in locis frigidis: prægnantibus enim algor maximè officit. Quæ in annos singulos fætu implentur, instar segetum restibilium exsucciores euadunt: nec pulli æquè laudabiles ac diuturni ex anniuersariâ, quàm ex alternâ admissura procreant. Loco amplo & tepido cum matre pullus versabitur: ne aut frigore infirmus adhuc lædatur, aut propter angustias ab imprudenti matre obteratur. Vbi vires increuerint, in pabulum prodigendus, in quod etiam ipsa mater: ne desiderio nati (quod huic pecori natura præcipuè dedit) noxam trahat, & contabescat. Quinquemestres pascendi farina hordeaceâ cum furfuribus, & si quid aliud terra editum cupidè ac libenter edent. Antequam à matre distrahantur, tractandi sunt manibus, ne postea exterreantur. Quò pertinet, quòd vbi stant, fræna suspendunt: nempe vt iis intuendis, & crepitu audiendo consuescant. Vbi iam trimus factus ad manus accedere cœperit, puer illis nunc in ventrem pronus, nunc sedens imponendus. Equorum alij militantibus, alij villaturam facientibus, alij ad cursuram, alij ad admissuram sunt accommodati à natura. Quamobrem non eadem ratione spectandi habendique sunt. Morbi horum macies, & quòd vrinam suo tempore non mittunt, dolor capitis & maxillarum, armi læsi, vermes in visceribus specie lumbricorum, cuius pestis argumentū, si cum dolore crebriùs volutātur, si vterò caput admouent, si caudâ sæpiùs agitant. Tussis, impetigines, papulæ, intertrigo, oculorum cicatrices,

trices ciborum fastidia, rabies: sic enim lego apud Columellam, equos cùm in aquâ suam ipsorum imaginem contuiti fuerint, amore sui exardescere, atque ita passionis oblitos tabe cupidinis interire. Signa huius vesaniæ, cum per pascua, veluti extimulati concursant, subinde circumspicientes, q. requirant aliquid. Istæ furiæ ita curantur. Ad aquam aiunt deducendas: ibi speculatas deformitatem suam, pristinæ imaginis memoriam abolituras.

Muli sunt bigeneri & insititij, quando ab radicibus distinctum ac proprium genus suum nullum habent, cùm equæ & asini satu creentur: vti contrà ex equo & asina progignitur hinnus, sortitus à patre nomen, cùm alioqui per omnia matri sit similior. Verùm & muli & hinni vsibus vtiles, fructibus sunt inutiles. Pullum hinnum recentem equæ ignoranti subiiciunt. Fallitur tenebris: nam obscuro loco partu eius legitimo remoto, alienus equam ex eâ natus nutricatur. Eo lacte fit amplior, quoniam equinum quam asinini meliùs est. Planè hos vt equulos educunt, eorumque ætatem ex dentibus æstimant. Minori corpore hinnus est quàm mulus, plerumque rubicundior, auribus vt equinis, iubâ & caudâ, & cætera, vt dictum est, similis asino. Ad mulos generandos equa videnda in annos decem, quousque amplissimæ & pulcherrimæ formæ sit, membris robusta, & laboris patiens, vt discordem vtero suo generis alieni stirpem indutam faciliè recipiat ac perferat, & ad fœtum non solùm corporis, sed ingenij quoque bona conferat. Docet experientia, plus eos à patribus socordiæ, quàm a matribus vigoris trahere. Maris electio difficilior, quòd sæpe probantis iudicium ab experimento est confutatum. Mulorum gregem qui parabit, consideret num sint amplissimo corpore, num validâ ceruice, robustis ac lentis costis, pectore musculoso & vasto, feminibus lacertosis, cruribus compactis coloris nigri vel maculosi. Tales & vecturis labores tuli... rent, & oculos aspectu delectabunt.

21. ## VII. *Custodes bucolici sunt canes & pastores. Cura canum est eiusmodi.*

Canum genus vnum est venaticum, alterum pecuarium: illud in syluis vagatur, & ad feras pertinet: hoc ad pastorem, quia custodiæ causâ comparatur. Nolo n. subtiliùs, id quod Columellam fecisse noui, in tria genera discernere, in villaticum, pastorale, venaticum. Ex his primum genus affirmat aduersus hominum insidias eligi, & villam, quæque in villâ sunt, custodire: secundum propellendis hominum, ferarumque bellarum iniuriis, idque obseruare domi stabulum, foris pecuda pascentia: tertium quæri ad venatum exercendum, quod agricolam nihil iuuet: tam diligenti, inquam, partitione non vtar: possunt n. pecuarij nomine pastoralis & villaticus intelligi, quia scil. pecoris nomine potissimùm, tanquam custodes illius necessarij habentur: quâ custodiâ & defensione præsertim capræ & oues indigent: aliæ contra lupos quidem satis se ipsæ defendunt. Malè autem pecuarius canis custos mutus appellatur: nullus quippe homo clariùs vociferatione aut clamoribus, quàm hic latratibus suis bestiam aut furem pecudibus rapiendis appropinquantem prodit. Quis tam incorruptus, tam vigilans excubitor; quis tam constans vindex; quis famulus domino tam fidelis? Hic, quandoquidem villam fructus, pecora, familiam accerrimè custodit, inprimis rustico charus esse debet. Proprietates non illas quidem omnes, sed aliquas adducam à Varrone & Columellâ requisitas in canibus istis. Magnitudo ampla, vastus & canorus latratus, color vnus, magisque albus aut niger, deiectæ & propendentes aures, nigri vel glauci oculi, acri lumine radiantes, amplum villosumque pectus. Bonitas generis olim à regionibus ducebatur maximè. A venatoribus aut laniis ne emantur: quòd hi ad pecus sequendum inertes sunt: illi si leporem aut ceruum conspexerint eos citiùs quàm oues insequentur. Cognati canes se tuentur mutuò egregiè: quare ex eodem semine prognatos refert non parum. Pascuntur è culinâ & ossibus, quibus si cibaria defuerint, destitutis gregibus ipsi sibi alimonium quærunt: quod quia magno gregum periculo fit, ne fiat, studiosè prouidendum est. Datur & panis hordeaceus in lac intritus, farina hordeaca cum sero. Non eos sinunt gustare carnes morticinæ ouis, ne irritati sapore, ægriùs se postmodum ab illis laniandis abstineant. Apponunt etiam ius ex ossibus, & ossa ipsa contrita, vnde & dentes illis confirmentur, & medullarum sapore acrimonia augeatur. Non nisi post annum vel mari vel fœminæ indulgenda Venus, ne & corpora labefactentur, & animi degenerent. Principium admittendi principium veris quòd tunc catulire dicuntur. Tres menses gestant vterum In fœturâ obiicientur panes hordeacei, quòd ij magis alent eos quàm triticei, & lactis vberiorem præbebunt facultatem. Secundùm partum statim eliges catulos qui placebunt ampliùs, reliquos abiicies. Quàm paucissimi in nutricatu relinquentur, tam optimos fieri necesse est propter lactis abundantiam. Diebus xv. catuli videre incipiunt, & duobus primis à partu mensibus à matre non separantur, sed minutatim desuefiunt. Quorum generosam indolem conseruare volueri-mus, eos alienæ nutricis vbera sugere haud permittemus. Si ... lacte ... catulis caprinum dabitur, dum quadrimestres fiant. ... catenis per diem continel... tur, soluentur noctibus. Qui eos castrant, eo minus relinquere gregem illos aiunt ... putant idcirco esse acriores. Nucibus Græcis in aquâ tritis ... eorum, & inter digitos perliniunt ne à muscis & ricinis, & pulicibus exulcerentur. Ac per æstatem ... sic eorum aures aliquando à muscis exulcerantur ... curatio præscribitur. Sume cyminum tritum, pari pondere cum veratro aquaque mistum illine: seu cucumeris anginei succum, aut veterem amurcam per totum corpus infunde. Ne porrò à bestiis atrocibus discerpantur, collaria iis imponunt. Nomina ne sint: multum polysyllaba, quo quisque vocatus celeriùs exaudiat dissyllaba commendantur vt sunt ista Græca σκύλαξ, λάκων, & muliebria στιβὴ, ἀλκὴ, ῥώμη, de quo & Xenoph. in lib. de venat.

VIII. *De pastoribus teneantur ista.* Pastores quales?

Ad pecudes grandiores, qui sunt maiores natu ad minores etiam pueri puellæque adhibentur. Illi firmiores qui in collibus pascunt, quàm qui in fundo, & ad villam se quotidie recipiunt. Qui in saltibus versantur, erunt omnes sub vno magistro pecoris, qui cæteros vt ætate, sic peritiâ antecibit. Senio nimis grauem esse nolunt, quòd nec pueri, nec senes difficultatem, arduitatem, asperitatemque collium, atque montium perferre queunt; quod illis tolerandum qui sequuntur greges armentitios & caprinos, quibus rupes ac syluæ ad pabulandum cordi. Horum erant antra non solùm temporaria diuerticula, sed etiam legitima domicilia. In speluncis enim ouilia sua constituebant, quod ex Polyphemi fabulâ apud Virgilium & Homerum discas. Et μάνδρα nunc stabulum nunc antrum significat. Basilius quoque ... Seruator est ed..., mandram appellat. Et Tityro fuisse speluncam pro domo, in carmine bucolico patet, quòd ibi pennum suum habebat. Sic enim Melibœum inuitans ait,

Hic tamen hanc mecum poteris requiescere noctem
Fronde super viridi sunt nobis mitia poma,
Castaneæ molles, & pressi copia lactis.

Pastores item veloces oportet esse, mobiles, expeditis membris: qui pecus insuper à bestiarum prædonumque incursu defensare, onera in iumenta tollere, excurrere, iaculari queant. Galli quondam ad pascendum iumenta idonei censebantur. Opilio duci propior quàm domino, vigilantiâ & clementiâ magnâ vtetur, nec vnquam longiùs à grege recedet, nec telum in eas immittet. Caprarius erit acer, durus, strenuus, alacer atque audax: quique per rupes, solitudines, vepreta plerumque gregem non sequatur sed præcedat. Qui in arbitrio vnius pastoris erunt, vesperi simul cœnabunt, & is curabit vt in promptu sint semper instrumenta, quæ pecori pastoribusque sunt opus. Quâ de fæturâ pastorum qui in fundo pascunt, habent conseruam vxorem in villâ, nec terminos quærit longiores pastoralis Venus. Eorum qui in syluis & saltibus manent, mulieres viribus integris esse oportet, quæ in opere multis regionibus viris nihil cædunt, quæ possint pascere pecus, ligna ad focum apportare, cibaria coquere, instrumenta seruare, eædem nutrices & matres esse.

IX. *Villatica pastio versatur circa aues, feras quadrupedes, & pisces.* Villatica pastio qualis?

Ad primum genus accommodantur qui dicuntur ὀρνιθῶνες, ὀρνιθοβοσκεῖα, ὀρνιθοτροφεῖα. stabula scil. seu receptacula auium cohortalium, & earum quæ conclauibus septæ ad pinguitudinem nutriuntur: ad alterum λαγοτροφεῖα, leporaria: ad postremum ἰχθυοτροφεῖα, piscinæ. Alites intra villæ ambitum ferè aluntur, bestiæ syluestres & pisces circum villam. Rursum alituum quidam terrâ sunt contenti, vt pauones, turtures, turdi: quidam insuper aquâ & stagnis gaudent vt anseres & anates.

X. *Auium cura breuiter sic habet.* Cura auiũ.

Pauonum multitudini magnitudo loci respondeat, cubilia discreta sunto, & tectorio leuata, quò nec serpens, nec alia bestia aspirare queat. Et quoniam purum locum amant, pastor eorum circumiens fimum tollet. Stato diei tempore eos signo dato cõuocabit, pauxillum hordei accurrentibus obiiciet: tum vt ne esuriant, tum vt numerũ recognoscat. Trimatu peracto ad generandum habiles iudicantur. Mas ob gallinaceã salacitatem quã viget fœminas quinque desiderat, easque Veneris exercendæ amore fermè locis soli obtentis, spirantibusq; Fauoniis sollicitat. In fæturâ & ante admissurã vberiore pastu procurãdi sunt, & ante stabulũ curãdum, vt sit locus in quem diei apricitate hilaritateq; inuitante emittantur. Oua pauonina gallinis etiã supponuntur: quæ quantò recentiora, tãtò commodiùs excluduntur. Pauones matres quæ non incubant, tertiùm anno pariunt ferè: quæ autem oua à se facta fouent, totum fœcunditatis tempus aut excubandâ aut educandâ pullitie consumunt.

Turtures in ornithone neque faciunt oua, neque excludunt: & vt capiun

& vt capiuntur,ita farturæ destinantur. Seminibus milij delectantur, quamuis & tritico, & aliis etiam frumentis opimentur:quæ tamen sicca dari non debent. In dies singulos vicenos & centenos semodius satietatem explebit. Hyeme offæ panis vino madefactæ ad crassitudinem eas breui perducent. Aqua potui semper recens in vasculis quam mundissimus apponetur. In pariete mutuli, aut pali in ordinem defigentur,expansis supra cannabinis tegeticulis prætenlisque retibus ne auolent. Eæ quotidie mundabuntur, ne à stercore offendantur, quod agris & arboribus medicandis seruatur. Saginæ faciendæ sub messem tempus conuenientissimum,quoniam tum matres optimæ, tum confirmata pullities. Nouella turturum ætas quàm vetus farturæ aptior. De pudicitiâ huius & casta viduitate legetis Ælianum, Aristotelem, & alios.

Prima *columbis* nota pudicitia,inquit Plinius,& neutri nota adulteria. Coniugij fidem non violant,communémque seruant domum;nisi cælebs aut vidua nidum non relinquit. Amor vtriusque sobolis æqualis: sæpe ex hâc causâ castigatio pigrius intrantè fœminâ ad pullos: parturienti solatia & ministeria ex mare. Ælianus ait,si fortè impudico amore captum hoc animal alienam Venerem persequatur, ipsum circumsederi ab aliis,ac marem quidem à maribus dilacerari,fœminam à fœminis disperdi. Hæc auis est omnino innoxia,nulli insidiatur,& minutissimis etiam bestiolis quibus aluntur passeres, columbæ parcunt. Diebus quadragenis columbæ concipiunt, pariunt, incubant,educant,idque totum propè annum faciunt. Pulli eduntur bini, qui mox vt creuerunt, & robur adepti sunt,cum matribus pariunt. Insignis est columbarum timiditas,quam causam puto, cur in locis excelsis, in summis tectis ac turribus libenter habitent:a culminibus quidem dictas scribunt. Amplius tamen agrestes & saxatiles columnæ, quæ vario sunt colore, turres colunt. Alterum genus colore albo ferè est clementius:id cibo contentum domestico intra limina ianuæ pascitur. Cauum seu locus in quo conclusæ aluntur,περιστερεών & περιστεροτροφεῖον appellatur, in quo sæpiùs ad quinque millia includi solitas Varro docuit. Vt testudinem περιστερεῶνα idem fieri vult, magna tectum camerâ, vno ostio, eoque augusto,fenestris punicanis,aut latioribus, vtrinque reticulosis,vt locus omnis sit illustris,& ne quis serpens aliúdve animal maleficum introeat. Intrinsecus totus locus, ipsæque columbarum cellæ albo tectorio poliantur, quo colore præcipuè delectari eas constat, & extrinsecus circum fenestras, ne mus aut lacerta ad columbarium adrepat. Parietes cubilibus cõtinuis excauabantur,aut paxillis in eos adactis tabulæ superponentur, quæ vel locula menta quibus nidificent aues,vel fictilia columbaria recipiant,præpositis vestibulis,per quæ ad cubilia perueniant. Aqua pura influat,vnde bibant,vbi se lauent,quia mundæ sunt aues. Idcirco columbarum pastorem quotquot mensibus frequenter euerrere columbaria oportebit, & pullos promere, si qui erunt idonei ad vendendum. In locum certum distinctúmque transferentur fœtæ, è quo euolare foras in agros possint, ne velut graui perpetuæ custodiæ seruitio afflictæ senescant. Paulùlum vbi circa ædificia volitauerint, recreatæ exhilaratæque ad fætus suos vegetiores reuertuntur. Cibus earum milium, triticum, hordeum, pisum,faseoli,eruum,lenticula,excreta tritici. Quò saginentur melius pulli columbini, cùm plumâ fuerint tecti, secludentur: deinde manducato candido farcientur pane, hyeme bis,æstate, ter, manè, meridiè, vesperi. Faciliùs pulli sub matribus crassescunt, si priusquam subuolent, paucas pinnulas subtraxeris, crura obtriueris, vt vno loco quiescant, & cibatum copiosè præbueris.

Ampla construitur testudo, quâ *turdorum, coturnicum, merularum* aliquot millia contineantur,in quam per canales angustos aqua illabatur, quò & difficiliùs inquinetur, & vtiliùs bibatur, Caduca educenda per fistulam, ne luto aues laborent. Ostium sit angustum & humile, eius ferme generis, quod cochleam vocant. Paucæ fenestræ, & eiusmodi,ne per eas conspicere queant arbores: quoniam earum aspectu atque desiderio macrescunt: nec plus luminis ipsis indulgendum,quàm vt videant vbi assideant,vbi cibus sit,vbi aqua. Ipsa ostia & fenestræ debent operiri circum tectorio, ne quâ bestiola nocens irrepat. Intus multi per parietes figantur pali, in quo aues sessum subuolent. Item perticæ inclinatæ ex humo ad murum, & in eis aliæ transuersæ gradatim, interuallis modicis annexæ. Præterea transuersæ perticæ perforatis parietibus aduersis aptantur, quibus insideant, cum expleti cibo requiem capessere volunt: eæ non altiùs à terrâ subleuantur,quàm hominis statura patiatur,vt à stante contingi queant. Cibatus turdorum ficus arida, diligenter pinsita,permista polline,adeò largè,vt supersit. Ne fastidio capiantur, censent varietate ciborum reficiendos, obiicienda myrrhi, & lentisci semina, item oleastri, baccæ ederaceæ, & arbuti. Quando necesse est ex auiario idoneas depromi, in aliud minusculum vuiarium, quod seclusorium dicunt,includuntur,ibique dantur neci omnes. Ne si spectent cædem reliqui, animis concidant, alienóque tempore venditoris moriantur. Sunt & turdi aduentitij generis:nam vt hirundines,grues,ciconiæ trans mare volant ac reuolant.

Gallinarium seu ὀρνιθοβοσκεῖον instituere meditanti, sex sunt perpendenda: Emptio, pastio, fætura cum partione, oua, pulli, sagina,seu fartura. Numerus sit capitum ducentorum:iis oberrantibus, præsit anus aut puer custos,ne vel à furibus excipiantur, vel à sæuioribus animalibus deuorentur. Plumas laudant rubicundas aut fuscas, pennas nigras,Vitari monent albas:etenim cùm fermè molles reperiantur, ac minùs vegetæ, insuper nec fœcundæ sunt: & quia propter candorem admodum conspicuæ,aquilæ & accipitri prędæ fiũt.Sint robusti corporis,quadratæ,pectorosæ,capitibus magnis,rectis rutilisque cristis.Probatissimæ numerantur quæ quinos habent digitos, ita ne cruribus emineant transuersa calcaria. Nam quæ hoc virile insigne gerunt,contumaciâ efferuntur,& iniungi sibi marem non sustinent, raróque fœcundę:etiam quando incubant,calcis aculeis oua perfringunt.Gallinacei mares comprobantur salacissimi,fœminis altiores,rubentibus ac sublimibus cristis,non obliquis, rostro breui & adunco, oculis rauis aut nigris,paleâ ex rutilo subalbicante,iubis ex auro flauis,per colla ceruicésque in humeros diffusis, feminibus hirtis, cruribus breuibus, vnguibus longis,caudâ magnâ,frequentibus pinnis.Præstantes etiam habentur si sint elati, alacres, vigilaces, qui non facilè terreantur, qui vociferent sæpè, qui in pugnâ pertinaciter resistant, coniugalem gregem animosè defendant,animalia gallinis infesta non solùm non fugiant, verùm ea quoque interficiant. Cibaria gallinarum pinsitum hordeum & vicia, cicercula, milium,panicum,excreta tritici,lolium decoctum,furfures. In caueis crebræ perticæ traiiciantur, gallinis omnibus sustinendis: verùm eo ad quadrum, ne earum teres leuitas super silientem volucrem non recipiat. Vbicunque cohortem porticus vel tectum protegit, puluis aut cinis esto iuxta parietes, vt sit quo se perfundant,atque ita pennas emundent. In parietibus erunt cubilia gallinarum, aut palis in eosdem vehementer impulsis viminei quali superpositi. Præponenda vestibula, per quæ ad cubilia seu patiendi,seu incubandi causa introeant:neque enim ipsis nidis inuolare debent, ne assilientes pedibus oua comminuant. Quo tempore parturient, curæ erit gallinario,vt quàm purissimis paleis habeant constrata cubilia:ea subinde conuertet, aliaque substramina quam recentissima substernet, ne pulices & alia nascantur animalia,quæ auem conquiescere suâ importunitate non patiantur. Quæ causa est, vt oua aut inæquabiliter marurescant,aut consenescant. Oua incubabit non plus XXV. Aptiora quæ recentiora:possunt etiam incubari requieta,dum ne diebus decem vetustiora sint. Gallinaceis pullis opus est diebus viginti:pauoninis, si ea gallinæ subieceris, ter nouenis. Interuallo dierum aliquot circumibit curator, oua versabit manu & inuertet, vt calore æquabiliter concepto animentur. Si qua vnguibus læsa aut fracta repererit, remouebit. Vtrum oua plena atque vtilia sint necne, si vis nosse, in aquam demitte, inane natabit,plenum desidet. Tolle ad lumen,si perlucebit non est plenum. Ne huius rei cognoscendæ causâ concusseris,quia venas vitales confundes.In ouis supponendis numerum imparem sumunt, & vt mares quàm plurimi excludantur, longissima & acutissima quæque, vt fœminæ,rotundissima subiiciunt. An verò semen pulli habeant oua,intelliges,si quatriduo post incubatum contra lumen tenueris, ac purum & vniusmodi videris. Duarum aut trium gallinarum pulli recentes ad vnam transferuntur,quæ sit melior nutrix:id faciendum primo quoque die, dum mater suos alienósque ob similitudinem non dignoscit Ne sint tamen capita plus triginta.Seruantur oua per hyemem si paleis, per æstatem si furfuribus obruas. Alios custodiendi modos omitto,quò sim contractior. Diebus xv.primis polentam mixtam cum nasturcij semine pullis obiiciunt, terrâ antè constrata puluere,ne quid eius durities ipsorum rostellis noceat. Cauendum ne à serpentibus afflentur, quorum pestilenti odore intereunt. Quare incendunt cornu ceruinum, galbanum:nam horum odore fugantur. Ad saginam includentur gallinæ in locum tepidum, angustum,in quo se versare non possint, tenebricosum: nam motus & lux earum pinguitudini aduersantur. Ex vtraque parte sint foramina: vnum quo caput, alterum quo cauda exeratur & clunes. Substernetur palea aut fœnum; durè enim cubantes, difficile pinguescunt. Plumas à capite & sub alis, & clunibus vellunt. Illic ne pedes creentur: hîc ne stercore loca naturalia exulcerentur. Farciunt turundis, seu offis hordaceis, partim admixtis ex farinâ loliaceâ,aut semine lini ex aqua dulci. Bis die cibum dant, & quibusdam signis obseruant, an prior sit concoctus: vitanda est enim maximè cruditas. Hoc faciunt ad dies XXV. tunc denique pingues fiunt. Nonnulli ex triticeo pane,mixto vino bono & odorato eas saginant. Si nimio cibo fastidiunt, remitendum est à datione.

Iam dicamus de *anatibus*. Νησσοτροφεῖον ponendum loco palustri,quandoquidem paludibus lætantur anates.Si copia defuerit,at ibi saltem,vbi naturalis lacus,stagnum,aut manufacta piscina fuerit. Altitudo sit pedum septem, & circum totum parietem intus crepido lata, in qua secundùm parietem sint tecta cubilia, ante ea vestibulum exæquatum tectorio opere testaceo. Ibidem canalis perpetua, in quam & cibus ponitur & aqua:sic enim pascuntur. Pabula sunt triticum, hordeum, vinaceum,vuæ,nonnunquam ex aqua cammari,& quędam eiusmodi aquatilia.

aquatilia. Conſilium eſt, vt anatum circa paludes, vbi plerumque fœtant, oua colligas, ea cohortalibus gallinis ſubiicias: ſic enim excluſi educatique pulli ingenia deponunt ſyluestria, clauſique viuariis haud dubitanter progenerant.

Χηνοβοσκεῖον ſeu χηνοτροφεῖον locus eſt, in quo aluntur *anſeres*, quos legere iubent amplos & albos, quoniam plerumque pullos faciunt ſui ſimiles. Admittuntur in brumâ commodiſſimè. Saliunt ferè in aquâ. Singulæ non plus quater in anno pariunt. Haræ faciendæ ſingulis vbi pariant, & palea ſubſternenda. Earum oua notanda ſigno aliquo: nam aliena non excludunt plerumque nouem aut vndecim, minimùm ſeptem, ſummum quindecim ſub iciunt. Incubat tempeſtatibus dies XXX. tepidioribus XXV. Anſerculos diebus quinque patiuntur eſſe cum matre, poſt quotidie cùm ſerenum eſt, in prata prodigunt, & ad piſcinas ac paludes. Pullorum cellas prouident ne habeant in ſolo humorem, & molle ſuſtramen, & ne muſtela aut alia officiens beſtia eò accedat. Victui obiectant polentam hordeaceam, aut farraginem, herbamue teneram aliquam concilam. Incubantibus hordeum in aquâ intritum apponunt. Seſquimeſtres pullos ad ſaginam ſeparant, iis in ſaginario polentam & pollinem aquâ madefacta præbent, ter per diem. A cibo largè dant bibere. Vagari prohibent vt ſint calido & tenebroſo loco curant: quæ res ad creandos adipes multùm valet. Ad hunc modum curati, circiter duobus menſibus pingues euadunt. Quotieſcunque ſumpſerunt, purgare locum oportebit: amant quippe locum purum, quamuis ipſi nullum relinquunt purum. Sed concludamus verbis columellæ. Anſer nec maximam curam poſcit, & ſolertionem cuſtodiam præbent quàm canis. Nam clangore prodit inſidiantem, vt in Capitolio, cùm aduentu Gallorum vociferatus eſt. Nec tamen ſine aquâ, nec ſine multâ herbâ ſuſtentetur, nec vtilis eſt locis conſitis: quia quiquid tenerum poteſt contingere, carpit. Non eſt magni fructus: præſtat tamen pullos & plumam, quam non vt in ouibus lanam ſemel demetere, ſed bis anno, vere & autumno liceat vellere.

X I. *Cura ferarum quadrupedum potentioribus & ditioribus conuenit.*

Quondam propter villam viuaria habitationibus dominicis ſubiecta, *lepuſculis*, *capreis*, *damis*, *ceruis*, *apris*, & aliis huiuſmodi feris comparabant: prope villam, inquam, quò & clauſa venatio poſſeſſoris oblectaret oculos, & inde ad lautiorem epularum apparatum, tanquam è cellâ, quæ placuiſſent, depromerentur. Non parum tamen tota ratio ad dominorum quæſtum proficiebat. Hic præcipiuntur patrifamiliâs, ne iis alimentis, quæ ſponte ſua tellus fundit, contentus eſſe velit: ſed hordeo, adoreo farre, fabâ, vinaceis, & rebus minimi pretij clauſis ſuccurrat, iis temporibus, quibus pabula ſyluas & nemora deficiunt. Atque vt perſuaſum ſit feris, hanc ſibi alium de alimoniam contingere, vnam alteramue cicurem beſtiam immittere ſuadent, quæ viuarium peruagata, cunctantibus ad veſcendum duces fiant. Nullus fetus ſinendus eſt ſupra quadrimatum ſeneſcere. Cùm namque tamdiu incrementa capere ſoleant, poſtea maceſcunt. Aëre igitur eos mutandi tempus eſt, dum viridior ætas pulchritudinem corporis tuetur. Lepores fœcunditate ſuâ breui leporarium replent. Nam ſypæ cum catulos habent recentes, alios geſtant in vtero. Si quos ſaginare libuerit, è leporario promptos caueis conclude: loco enim clauſo adipes concipiunt. Spatiis annorum plurium ceruus ſuſtineri poteſt. Diuturna eius iuuentus, quia vita longiſſima. Vt non ſit fruſtra vſurpatum illud: ceruo viuacior. Nuperrimè in hiſtorias quaſdam incidi, in quibus etiam hanc legebam. Apud Peucetios Italiæ gentem quondam fuiſſe templum Dianæ haud ignobile, & in eo præter alia monumenta æneum antiqui operis torquem repertum, in quo fugientibus pene literis inſcriptum cernebatur: DIOMEDES DIANÆ. Fertur Diomedes Troiâ incenſâ ad ea loca cùm veniſſet, torquem illum capti cerui collo circumpoſuiſſe, & Dianæ conſecrauiſſe beſtiam. Eam multis pòſt ſæculis Agathocles Syracuſanorum tyrannus in venatu confecit, inuentumque torquem pelle iam ſuperinducta Dianæ ſuſpendit. Clarum profectò longiſſimi æui in ceruis indicium. Occurrunt ſimul verſus Heſiodi (ad eum quippe auctorem referuntur.) in perſona Naidis nymphæ pronuntiati de ætatibus animalium: ex quibus animaduertere licet, quam breui gyro æuum hominis claudatur. Tametſi meræ fabulæ nonnullis videantur, cenſentibus, extra elephantum hominem omnibus animalibus viuaciorem eſſe. Sed verſus audiamus.

Ter tria ſæcla hominis transmittit garrula cornix.
Quatuor at peragit cornicis tempora ceruus.
Ceruianam ætatem coruus ter præterit ater.
Coruinos annos nouies agit Indica phœnix.
Atqui criſpicomæ ſoboles Iouis alma tonantis,
Egredimur decies phœnicia ſæcula nymphæ.

Lepores & huius generis animantes in viuaria vacerris cincta conferri nolunt, quandoquidem ob corporis paruitatem facilè clatris ſubrepunt, & liberos nactæ egreſſus, fugam moliuntur.

X I I. *Piſcium cura breuiter ſic habet.*

Cura piſcium.

Romanis aliæ piſcinæ dulces fuerunt, aliæ ſalſæ: quòd aliæ dulcibus aquis incluſos paſcerent piſces; aliæ ſalſis & marinis, iuxta mare videlicet, eò aqua e mari deriuata: ſed dulces haud multum poſterioribus ſæculis apud eos valuerunt, qui nihil putarent referre vtrum illæ mugilibus, lupis, & huiuſmodi, an ranis eſſent plenæ. Salſis delectabantur, quibus inerant pelagij piſces, quorum illis ſtudium magnum, & ex quarum piſcibus non ſecus quàm ex gentibus ac ciuitatibus deuictis nomen ſuum ſibi adepti ſunt, Oratarum & Murænarum ſcilicet. Differamus igitur de dulcibus, quarum commoda eos latuerunt. In his ponendis ædificandiſque non plus occupabitur loci, quam res poſtulauerit. Regulas aquarias ad aquas perlibrandas, & in aggeribus conſtruentibus proportiones ſeruabimus: quod cùm antiqui neſcierint, ideo tam multa in piſcinis vetuſtioribus peccata ſunt. Ad piſcinam aptior eſt locus pinguior, humidior, rarior, quàm exilior, aridior denſior: potiſſimùm ſi cyprinos (vulgus carpiones nominat) educare deſtinabis. Valet nihilominus fundus glareoſus, calculoſus, ſabuloſus, glebis pinguibus tamen admixtis: ſcaturigines & vligo cœnoſi, eaque perpetua in vitio ſunt. Priſci mortales loca ſaxoſa, vt infrugifera planè, aut eiuſmodi deligebant, vnde vectigal tenue capiebant. Nos ſterilem locum inprimis cauandum ducimus: qui quoniam ſucco omni caret, maximè cyprino generi, cui inde nutrimenta & craſſities, perniciofus reperitur. Situs piſcinæ commodiſſimus æqualiſſima & ſpatioſiſſima, aut nonnihil prona camporum, pratorum, nemorumque planicies, cum vicinitate riui, lacus, fluuij, fontis, vnde recens ſemper aqua influat, cum qua illabuntur alij quoque piſces, qui numerum luciorum, cyprinorumque, quorum gratia potiſſimùm piſcinæ conduntur (atque etiam fructus poſſeſſoris amplificant: vt ſunt barbi, ſeu mulli, labrus, anguilla, halecula fluuiales, merulæ, cammari, caraces, &c. Iam verò haud parùm intereſt cœleſteſne, an montanas an campeſtres aquas inducamus. Primæ ſunt incertæ, quia pluuiæ incertæ. Sunt etiam infœcundæ. Alteræ frigidiores, quàm vt eas cyprini ferre in æſtate queant. Tertiæ quia lentis lapſibus fluitant, & ſolibus tepeſcunt, & piſciferæ ſunt, vehementer vtiles piſcinis iudicantur. Et quoniam ventis ſæuientibus aqua intumeſcit, crebriſque inſultibus aggerem verberat, eodem ferè modo ille quo caſtrenſis agger contra iſtam velut hoſtilem incurſionem communiendus, & circumcirca vallandus erit. Aut ergo pali terræ figantur quàm firmiſſimè impacti, vt quati & commoueri neutiquam poſſint, aggeri proni incumbent modicis interuallis diſtantes, arborumque ſtipitibus ac truncis interiecti: aut ſecus palos ita, vt dixi, locatos, confusè & aceruatim aliæ arbores ſuper alias conſtipabuntur. Hic quercus & abies primas partes tenent: ſiquidem humoris citra vitium patientiſſimæ ſunt. Seminarium in parte quacunque fundi, modò riguâ, vtilitas conſtituetur. Locus ille non ſpatium vaſtum, non apricitatem, non pingue ſolum requirit: quippe qui ad tempus tantummodo ſobolem, paulò poſt ampliori colonia transcribendam, & ad feliciora pabula dimittendam cohibet. Videndum tamen ne cœnoſus ſit: quando oua cyprinorum ex attritu mutuo in terrum labentia, & luto præfocata animas induere nequeunt. Huiuſcemodi viuaria ſimiliter vt piſcinæ maiores ſuum habebunt aggerem, vallum, loriculam, canales, ſepta, & emiſſarium. Cyprini vt piſcium plurimi confrictu mutuo res Veneris agitant, idque Aprili aut Maio. Iis têporibus nimirum mediocriter calentium aquarum illecebra titillatus mas, adeò meatus lactei humoris plenos ac peruios gerit, vt vel ad leniſſimum alui contactum ſemen inde ſtillet. Fœmina quoque per eoſdem menſes ardoris ſui dat indicia: nam præter ſolitum turgeſcit, & marem auidiùs conſectatur. Quòd niſi maſculi ſemen oua contigerit, animas non acquirunt. Quanquam in tantâ copia, quanta in vnoquoque vtero latet, oua ſingula aſpergi non poſſunt: quod ſi fieret, breui ſtagna, flumina, maria replerentur. Perca in oua prognata ſtatim inuadit. Lucius autem in paruulos cyprinos graſſatur, & eſt certiſſimum huius ſtirpis exitium. Proinde, niſi cùm tempus venerit, ne in piſcinam immittatur. Nonnunquam cyprinis fœtibus piſcinæ vſque adeo completæ viſuntur, vt tantæ immenſitati pabulum ſuppeditare deſinat. Tum pro numero & amplitudine piſcinarum inducendi ſunt lucij, quorum ingluuie luxuries illa depaſcatur. Hoc vbi factum erit, cyprini reliqui ſaginæ delecti, liberaliùs aluntur citiùs, grandeſcunt, ipſi etiam lucij ſaginantur, venditique lucrum vberiùs apportant. Nunc amplectar verbis tribus officium piſcinarij. Curabit quæ ad aquam, ad piſces, ad piſcinam vniuerſam pertinent. Cauebit ne humor neceſſarius aliquando piſces relinquat, ne moriantur. Videbit ne repentinis, aut quotidianis imbribus aquæ adauctæ aggerem dilacerent: neue putiſcant, ſi diutiùs ſtagnauerint. Ad piſces quod attinet, curæ habebit vti matres ſtatis temporibus in ſemi-

nariis

nariis pariant, & vt proles maturæ transferantur quò debent, atque vt in transferendo cautio adhibeatur, vt numerum piscium dominus intelligat, vt in piscinis legitimè nutriantur, & naturæ sollertia humanâ diligentia adiuuetur. Commune est omnium piscium ex aquis alimentum præcipuum capere. Sunt interim certa ciborum genera cuique generi idonea Congri murenæ, lupi, carne tantum pascuntur: mulli carne & algâ: scarus algâ tantùm: salpa algâ & stercore: capitones limo: cyprinus limo & arenâ glebæ permixtâ, lumbricis, culicibus, & muscis aquas superuolitantibus. Aliam insuper huius piscis alimoniam prætereo. Piscinas circumibit sæpius, inspiciet & explorabit num quippiam furore ventorum tempestatumque aut ab ipsis aquis læsum violatumque farturâ, emendatione, instauratione indigeat. Studebit quoque ne quid ibi ab auibus, bestiis, hominibus detrimenti accipiatur. Sunt insuper quæ vere, sunt quæ æstate, sunt quæ autumno, sunt quæ hyeme agat piscinarius, quæ vt breuitati consulatur, missa faciemus. Dulce est piscari, quia ex mutatione piscium nummis complere sacculum dulce est. Parata huic venationi instrumenta vt sint faciendum est, ne incæpta postmodum impediantur. Vericula bina, vnum maius, maculis grandioribus, ad minutiores illos aquarum incolas seorsim capiendos. Comparabuntur deinde solia, aliaque vasa in quæ cyprini, alia in quæ lucij, alia in quæ cæteri piscium coniecti maneant, dum vel apud piscinam statim diuidantur, vel ad viuaria & seclusoria plaustris ac doliis auectentur. Tenuiores qualis & nassis committentur. Erunt insuper in promptu incernicula ad pisces è soliis vasisue depromendos, ne manibus identidem contrectentur. Qua verò minor gens non venditur numero sed mensuris, adsint vrceoli, vrnulæ, corbulæ. Super aggere pali defigentur, ad quos secundùm piscationem humida rina suspendantur ne putrescant. Aqua quantum satis est dimissa, horis antemeridianis ad piscatum aggrediendum est, quòd piscatoribus tum alacrior inest animus, & pisces minore negotio capiantur, securiusque die nondum calescente tractantur. Tractus secundus præda ditior est quàm primus: aqua enim magis turbata piscium oculis maiorem facit caliginem: quò fit, vt insidias elabi difficillimè possint. De piscibus hæc hactenus.

Cura apum.

XIII. *Apium cura paucis ita habet.*

Scriptus est postremus Georgicorum liber à Marone de naturâ & moribus apicularum, quibus quemadmodum ab ipsa rerum omnium creatrice plurima est ingenerata solertia: ita poëta ipse ad eam scriptionem non parum studij & artis accommodauit, materiæque humilitatem eloquētiâ sua in altum extulit, omnibusque admirandam effecit. Virtutum quidem non qualiumcunque sed nobilissimarum in tantillis volucribus clara deprehenduntur, & expressa vestigia: quas vt absolutius cognoscerent, magnam vitæ suæ partem in iis cogitationibus quidam peregerunt. Alij ob eandem causam perdiu in syluis ætatem traduxerunt: sic enim lego apud Plinium. Ne quis miretur amore earum captos Aristomachum Solensem duo-de-sexaginta annis nihil aliud egisse: Physicum verò Thasium in desertis apes colentem Agrium cognominatum, qui ambo scripsere de his. Hominum more (propter quos solæ ex insectis genitæ sunt) solitudinem auersantur, frequentiam & societatem amant, otium fugiunt, munera inter se officiaque partiuntur, ædificant, pariter opus faciunt, alimoniam colunt, colonias mittunt, alternis tanquam in exercitu somnum capessunt, communes vtilitates in medium afferunt, nihil curæ diligētiæque in se rebusque suis tuendis prætermittunt: tantâque sunt industria, & tam ingeniosæ, vt à nobis consilio intelligentiaque ornatis animantibus parum distare videantur: certè inter insecta præcipua est illis admiratio, & omnium assensione principatus. E floribus progigni, & omnis concubitus ignaras esse, multorum est opinio, quam sic Virgilius explicauit.

Illum adeò placuisse apibus mirabere morem,
Quòd nec concubitu indulgent, nec corpora segnes
In venerem soluunt, aut fœtus nixibus edunt,
Verùm ipsæ foliis natos, & suauibus herbis
Ore legunt.

Visum est aliis eas vnius coitu nasci, regis nimirum: hunc solum marem, reliquas apes totius examinis esse fœminas, illumque tanquam maritum, non velut ducem ac regem affectari. Aduersus vtramque sententiam ab eodem Plinio affertur difficultas. Illud dubitatione caret, eas gallinarum more incubare. Quod exclusum est, principio speciem gerit candidi vermiculi, transuersim iacentis, & ita ad florem adhærentis, vt eum pascere credas. Fœtus intra quadragesimum quintum diem peragitur, moxque cum matre laborat. Sunt autem quædam apes rusticæ ac syluestres, aspectu horridæ, & quanquam iracundiores, operis tamen studiosæ. Quædam vrbanæ, harumque genus duplex: aliæ breues, variæ, & rotunditate compactiles, quæ magis probantur: aliæ longæ & vespas referentes, quæ non probantur: ex his pilosæ quæ sunt, maximè vituperantur. Quas Virgilius probet audiamus.

Vt bina regum facies, ita corpora gentis.
Namque aliæ turpes horrent, ceu puluere ab alto
Cum venit, & terram sicco spuit ore viator
Aridus: elucent aliæ, & fulgore coruscant
Ardentes auro, & paribus lita corpore guttis.
Hæc potior soboles.

Iam quod peræque vt aliud quidquam in illis singulari admiratione prosequendum est, cùm citra gubernationem & disciplinam legum ac iuris consistere multitudo nulla possit, habeamusque diuersos imperiorum status, cum ipsæ complectuntur, & constantissimè retinent, quem viri sapientissimi cæteris anteposuerunt, monarchiam videlicet: habent enim regem, cui deditæ sunt, cui obtemperant, quique eis cum iustitia & æquitate præest. Hic ex electissimo flore, non vermiculus vt aliæ, sed pennis statim prædibus, & melleo colore prodit. Forma illi semper eximia, & corpus duplo quàm reliquis maius, pennæ breuiores, crura recta, ingressus celsior, in fronte macula quodam diademate candicans. Præterea modicè nitidus, vt in eo quoque multùm à plebe differat. Non liquet, rexne nullum solus teneat aculeum, maiestate tantum armatus: an eum natura dederit quidem, sed vsum eius illi tātum negauerit: illud certum, aculeo imperatorem nunquam vti. Seneca, quo loco nihil tam decere imperantem docet, quàm clementiam: iracundissimæ, inquit, ac pro corporis captu pugnacissimæ sunt apes, & aculeos in vulnere relinquunt: rex ipse sine aculeo est. Noluit illum natura nec sæuum esse, nec vltionem magno constaturam petere: telumque detraxit, & iram eius inermem reliquit. Cùm foras procedit, tota eum communitas, seu plebs vniuersa comitatur, eum circumdat, ac protegit, nec cerni patitur, cupitque vnaquæque illi proximam esse, & in officio conspici gaudet. Fessum subleuant, ac si præ lassitudine volare nequeat, succollant. Vbi ille consederit, castra locant. Reliquo tempore, cùm populus labore occupatur, ipse intus opera lustrat, exhortanti similis, ac solus immunis assiduum habet satellitium, & quosdam velut lictores, per quos auctoritatem suam apud ciues subiectosque conseruat. Comprehenso duce totum examen tenetur: amisso dilabitur & ad alios commigrat: etenim sine rege non possunt viuere. Futuris imperatoribus in vnâ parte aluei regias extruunt amplas, magnificas, & separatas. Seneca medio ac tutissimo loco amplissima illis esse cubilia testatur, quomodo scilicet magnificentiùs, & domiciliis ac palatiis minime angustis, reges nostri habitare consueuerunt. Mira omnino & apum circa regem, & regis ipsius natura est: quas res Maro ita persequitur.

Præterea regem non sic Ægyptus & ingens
Lydia, nec populi Parthorum aut Medus Hydaspes,
Obseruant: rege incolumi mens omnibus vna est:
Amisso rupere fidem: constructaque mella
Diripuere ipsæ, & crates soluere fauorum.
Ille operum custos, illum admirantur & omnes
Circumstant fremitu denso, stipantque frequentes,
Et sæpe attollunt humeris, & corpora bello
Obiectant, pulchramque petunt per vulnera mortem.

Mundiciem dici propemodum non potest, quantopere consectentur & diligant. E medio amoliuntur omnia, nullasque inter opera spurcitias tolerant. Excrementa intus operantium, vnum in locum congesta, turbidis diebus per otium exportant. Nullo in loco inquinato, aut malè olenti assident, nec si qui etiam bonis vnguentis redoleat: & hisce delibutum, si ad aluos accesserit, spiculis abigunt. Mulierum quoque menses oderunt, & mortuis ne floribus quidem, nedum corporibus insident. Non liguriunt vt muscæ in carne, sanguine, adipe: natura enim ipsis vt Helicona Musis, floridos incultosque montes ad pastum attribuit. Interdiu ad portas more castrorum statio est, nocte quiescunt vsque in matutinum: tunc vna velut buccinâ gemino aut triplici bombo reliquas de somno excitat. Si dies videatur mitis futurus, se ex aluearí promunt: ventorum enim pluuiarumque apud eas præsensio, quâ de causa foràs exire nolunt. Cœlo autem temperato cùm ad laborem peruolarunt, aliæ flores aggerunt pedibus, aliæ aquam ore, guttasque lanugine totius corporis. Adolescentiores ferè ad opera prodeunt, & materiam conuehunt, seniores intus omnia disponunt & operantur. Quæ flores comportant, prioribus pedibus femina onerant, propter id naturâ scabra, pedes priores rostellis, totæque onustæ remeant sarcinâ pandatæ. Ac excipiunt eas ternæ aut quaternæ, & quæ exonerant. Aliæ struunt, aliæ poliunt, aliæ suggerunt, aliæ cibum comparant ex eo quod allatum est. Hæc & plura etiam alia Plinius, pene ad verbum. Iucundum est item, quòd feruntur coortâ procellâ vēti lapillum pediculis correptum gestare, eoq; se librare, ne impetu flatus auferantur. Cùm vespera propinquat, minus minusque in alueo strepitant, donec vna circumuolitans bombo emisso quietem imperet: quo facto ab omnibus altum consequitur silentium. Dolendum porrò tam fructuosis apiculis vitam septennio longiorem non concedi, quod & Virgilius affirmat.

Ergo ipsas quamuis angustus terminus æui
Excipiat (neque enim plus septima ducitur æstas)
At genus immortale manet: multosque per annos
Stat fortuna domus & aui numerantur auorum.

Alij tamen

Alij tamen ad decennium extendi posse arbitrantur, quod auium examen nullum possit præterire: sed necesse sit totum emori hoc spatio, quantumuis in demortuarum locum alij atque alij pulli quotannis sufficiantur. Aluearia Græci μελιττῶνας, μελιττοτροφεῖα, nostri quidam mellaria nominant. Ea constituentur ad villam, eo potissimum loco, vbi nullæ imagines respondeant, siue vbi nulla reddatur echo. Istiusmodi enim sonus eas fugat. Aërem conuenit ibidem esse neque æstate seruidum, neque hyeme non apricum: & locari debent aluei versus ortum hybernum maximè, quò matutinos egressus habeant apricos & tepidos. Ad hæc ad pabulationem commoda loca prope sunto, quæ pabula partim erunt naturalia, partim consita. Abesse item longiùs ab aluearibus oportet tumultus hominum pecudumque cœtus, latrinas, sterquilinia, balneas, & si quid demum tetrum odorem efflat.

Neu propius tectis taxum sine, neue rubentes
Vre foco cancros, altæ neu crede paludi:
Aut vbi odor cœni grauis, aut vbi concaua pulsu
Saxa sonant, vocisque offensa resultat imago.

Muro non ita excelso apiarium claudatur, tugurium iuxta excitetur, vbi & custodes habitent, & instrumentum reponatur, nouique aluei ad vsum nouorum examinum comparati, & herbæ salutares, & aliæ quæ bonæ ipsarum valetudini faciunt. Deriuabitur eò ad bibendum aqua pura, cuius altitudo duos aut tres digitos non superet, iniicientur testæ aut lapilli paululum extantes, quos occupent cùm potum aduolarint. Alius ex subere & corticibus laudantur, quòd nec hyeme rigeant, nec æstate candeant. Item ex ferulis, & viminibus. Fictiles, quòd æstatis vaporibus accenduntur, & hyeme gelantur, non sunt habiles. Foramina insuper quibus ingrediuntur & exeunt angustissima erunt, vt quàm minimum frigoris admittant. In transferendis alueis animaduertenda tempora, & locus prouidendus quò transferantur. Transferes verno potius quàm hyberno; nam hyeme plerumque fugiunt: vt etiam, si è bono loco transtuleris eò vbi pabulatio deest. Verno & æstiuo tempore mellarius fermè ter in mense aluearia inspiciet, ea fumigabit leuiter, vermiculos eiiciet, & à spurcitiis purgabit. Non patietur plures regulos, quæ est materia seditionum: non sinat imbecilliores à robustioribus opprimi, quia fructus minuitur. Si pugnâ concurrerint, aquâ mulsâ asperfæ desistent. Aliud remedium Maro suadet:

Hi motus animorum, atque hæc certamina tanta
Pulueris exigui iactu compressa quiescent.

Quid autem faciendum sit regibus, quorum causâ eiusmodi bellis ciuilibus flagrant aluearia, mox additur.

Verùm vbi ductores acie reuocaueris ambos,
Deterior qui visus, eum ne prodigus obsit
Dede neci: melior vacuâ sine regnet in aulâ.
Alter erit maculis auro squalentibus ardens:
(Nam duo sunt genera) hic melior insignis & ore,
Et rutilis clarus squammis: ille horridus alter
Desidia, latamque trahens inglorius aluum.

De pabulo nunc audiamus. Serere iubemur thymum, serpyllum, lentem, pisum, ocymum, cypirum, medicam, rosam, violas, lilium, cytisum, fabam, erucam, cunilam, papauer, conyzam, casiam, melilotum, melissophyllum, cerinthen. Horum omnium floris cupidissimæ sunt, quin & sinapis, quum tamen florem oliuæ non attingant. Amant & origanum, thymbram, rorem marinum, pinus, minores ilices, ederas, amaranthos, amygdalas, persicos, pyros, & plerasque pomiferas arbores. E syluestribus glandiferas, terebinthum, lentiscum, odoratam cedrum. Mille item semina vel crudo cespite virentia, vel subacto sulco flores apibus amicissimos creant: vt sunt irriguo solo frutices amelli, caules acanthini, scapus asphodeli, gladiolus narcissi. Probatissimi saporis mella reddit thymus. Vt aptissimum ad sanitatem apium, sic ad mellificium thymum, ait Varro. Propter hoc & Siculum mel fert palmam, quòd ibi thymum bonum & frequens est. Itaque quidam thymum contundunt in pilâ, & diluunt in aquâ tepidâ, eâ conspergunt omnia seminaria consita apium causâ. Sed quia, vt idem prudenter monet, non omnis tempestas ad pastum prodire longiùs patitur, præparandus his cibus, ne tum melle cogantur salo viuere, aut relinquere exinanitos alueos. Superesset dicere de sanitate & morbis earum cognoscendis ac medicandis, de eximendis fauis, seu, vt Columella, de castrandis alueis, de generibus mellis, de fucis, de aliis demum capitibus. Sed hæc ex aliis petantur.

KALENDARIVM OECOnomicum.

IANVARIVS.

1. Prognosticon anni sumitur ex Calendis Ianuarij, siue diebus septimanæ, in quos illæ incidunt: autore venerabili Bedâ: exempli gratiâ. Si calendæ Ianuarij incidant in diem Solis, hyems erit tranquilla, vel procellosum, æstas sicca, vindemia larga. Si in diem Lunæ, hyems erit mixta, ver bonum, æstas sicca, tempestas turbulenta, vindemia difficilis. Si in diem Martis, hyems erit nubila, ver imbriferum ac procellosum, æstas sicca, vindemia parua. Si in diem Mercurij, hyems dura erit & aspera, ver difficile ac turbulentum, æstas grata, vindemia larga. Si in diem Iouis, hyems erit placida, ver importunum, æstas sicca, vindemia bona. Si in diem Veneris, hyems erit mutabilis, ver bonum, æstas sicca & bona, vindemia copiosa. Si in diem Saturni, hyems erit horrida ob turbinum sæuitiam, ver turbulentum & fruges vitiosæ.

2. Decrescente lunâ cæde ligna.

3. Lupi circa Idus Ianuarij, aut natalem Domini, turmatim cursitant, frequenter vlulantes. Coeunt enim tunc temporis inuicem, & in toto anno non ampliùs quàm dies duodecim: interdum etiam cum canibus. Canum more coeunt & pariunt, atque etiam rabiei sunt obnoxij. Oculi eorum noctu splendent, ideoque grassantur noctu: animalia cornuta inuadunt à tergo: in summa fame vescuntur terrâ. Dentes lupini alligati, prohibent pueris pauores, illorumque dentibus prosunt: equis item alligati cursum ipsis infatigabilem præstant Feruntlupi rostrum inueteratum veneficiis resistere. Ob id villarum portis olim præfigebatur.

4. Scrofam mense Ianuario aut Februario, verri submitte vt in Aprili aut maio pariat, cùm & tellus iam herbescat, & lacti sit firmior maturitas.

5. Vinum collectum ad agros & vineas euehe. Vbi teneatur regula: Aquosus ager maiorem, siccus minorem copiam desiderat.

6. Nix continet calorem terræ. Hinc Poëta:

Bacchus, & alma Ceres patiuntur tristia damna,
Cùm niue non tegitur terra perusta gelu.

7. Exercitia & diæta huius mensis continentur hoc tetrasticho:

Vtere aromatibus, victu calido, & vitulinâ,
Pingue merumque recens fac moderatus ames.
Aëre age in tepido, capiti quid sanguinis aufer:
Lasciuus Veneris de iciuque vaca.

8. Clara dies Vincentij notat vini prouentum.

9. Die Fabiani & Sebastiani succo replentur arbores: A

10. Prognosticon ex die conuersionis Pauli sumitur eiusmodi:

Clara dies Pauli bona tempora denotat anni:
Si fuerint venti, designant prælia genti:
Si fuerint nebulæ, pereunt animalia quæque:
Si nix aut pluuia, tum fient tempora cara.

11. Diffunde vina.

12. Verte frumenta in lacunaribus.

13. Vena ne secetur: sed balneum adhibeatur.

FEBRVARIVS.

1. Dies crescunt.

2. Fauonij incipiunt flare sexto Idus Februarij, Sole vigesimam quartam Aquarij partem obtinente.

3. Canes plerumque initio Februarij coitum appetunt, gerunt vterum fœtum 60 diebus, aut tot hebdomadis, quot catuli diebus cœcutiunt. Optimus canis est, qui nouissimè cernere incipit, & quem catula ad locum, vbi peperit, priùs reponit. Cani iuueni dentes sunt albi; seni, nigri.

4. Feles in libidinem rapiuntur: cum dolore concipiunt, absque dolore pariunt, gerunt vtero fœtum per duos menses lunares. Porrò hoc animal non est absimile leoni, præsertim facie, dentibus, & vnguibus: noctu vigilans, interdiu dormit: viuit annos decem.

5. Circa diem purificationis Mariæ hyems est asperior: & si dies illa sit clara, solet maior nix, quàm fuit antè, cadere, iuxta rhythmum: Sole micante, die purificante, nix erit maior quàm antè.

6. Quamdiu alauda ante festum Purificationis Mariæ cantillat, tamdiu post illud tacere cogitur. Hæc auis mirâ alacritate in aëre paulatim ascendendo, æstatem prima ante aues prænuntiat, & cantu suo diem indicat: pluuias & tempestates abhorret: semel in anno quatuor aut quinque oua in condenso frutice parit: accipitrem adeò metuit, vt in hominum sinus confugiat: æstate capitur post actam messem, & hyeme tempore niuis.

7. Salmones capiuntur à die Purificationis vsque ad festum Iacobi.

8. Si frigus incidat die Cathedræ Petri, solet durare 14. dies.

9. Farina hoc mense parat, diu manet salua.

10. Matthias dicitur frangere glaciem, quam inuenit: & si non inuenit, facere.

11. *Asira si non fuit hyems in mense secundo,*
Crede mihi, in sancto Paschate frigus erit.

12. Lupulum terræ commenda: tempore Paschatis alliga fustibus.

13. Stercora agros, & ligna cæde: sentes recide: palos humi fige: domum reporta fascem.

14. Aquilentæ frutices cum radicibus, hoc vel sequenti mense, vinæ fermè quantitate in terram demitte & planta.

15. Cura sanitatis continetur his versibus:

Frigore, pisce, farináque abstine: aromata, vina,
Elige: dehinc sanguis sanior vt sit, age.
Pharmaca, clysteres, thermas amplectere: venam
Ne tussi aut febri corripiare, seca. Seu:
Pharmaca nunc haui, nunc scinde in pollice venam,
Et calido multùm flumine membra foue.

MARTIVS.

1. *Martius agricolas ad agros, vinetáque ducit,*
Vt vitem, frondes arboreásque putent.

2. Transplanta arbores tempore sereno & sicco; lunâ decrescente: & ita transplanta, vt ad quam priùs collocatæ erant partem, eam ipsam deinceps retineant, iuxta illud Virgilij 2. Georg.

Quin etiam cœli regionem in cortice signant,
Vt quo quæque modo steterit, quâ parte calores
Austrinos tulerit, quà terga obuerterit axi,
Restituant. ——— ———

Si ramis onustæ sint, eos abscinde. Obserua & illos versus Virgilij 1. Georg.

Fluminibus salices, crassaque paludibus alni
Nascuntur, steriles saxosis montibus orni,
Littora myrtetis aptissima: denique apertos
Bacchus amat colles, Aquilonem & frigora taxi.

Montes & valles amant abies, robur, castanea, tilia, ilex: aquosis montibus gaudent fraxinus, acer, fagus: aquas odere cupressi iuglandes, castaneæ: cariem & vetustatem non sentiunt cupressus, cedrus, buxus, iuniperus, oleaster, olea; infelices arbores putantur, quæ baccam nigram ferunt, aut sunt infrugiferæ.

Cùm arbores transponis, lapides in superficie terræ abiici Nam æstate adurunt à sole calefacti, & hyeme refrigerant contrario planè modo iis, qui in fundo existunt, aut in scrobibus collocantur. Hi enim æstate refrigerant, hyeme calefaciunt.

3. Arbori laboranti veteris vini fæces aquæ mistas affunde: vrinamque hominis aliquot mensibus veteratam adde.

4. Salices lunâ crescente plantandæ, decrescente amputandæ.

5. Sere omnia, crescente lunâ in Piscibus, Cancro & Virgine, tepidis diebus, non frigidis: nam tepor producit, frigus enecat.

6. Semen æqualiter sparge. Manus congruat cum gradu semper cum pede dextro.

7. Quæ vitio carere vis, interlunio lege.

8. Omnia quæ ceduntur, carpuntur, conduntur, innocentiùs decrescente lunâ fiunt, quàm crescente.

9. Abietes, pineæ & piceæ è semine proiecto germinant feliciùs & citiùs, quàm quæ transponuntur. Id contrà fit in malis & pyris.

10. Æquinoctium vernum incidit in diem Gregorio vicinum.

11. Pinus firmissima est aduersus cariem & tineas. Vmbra eius necat germina.

12. Ambo æquinoctia & solstitia ægrotantibus sunt ominosa, si in ipsis ægrotare incipiant. Nec medicamenta tunc temporis exhibenda. Autumnale autem verno est periculosius. Circa æquinoctium vtrumque Austri plerumque perflant, circa solstitia Aquilones.

13. Quæ aues nonnisi volatu pascuntur, & sunt indigenæ manéntque per hyemem, & se abdunt in arboribus, aquis, aut altis montibus sigillatim, non gregatim, singulis annis reuiuiscunt: mense Augusto se abscondunt. Martio apparent iterum.

14. Hirundinum aduentu vulgus gaudet, & hospitio illas libenter suscipit, nidósque illarum religiosos putat. Decubitus aut incessus earum infausti semper habiti. Coëunt auersæ, præter naturam cæterarum auium: bis anno pariunt: nascuntur cœcæ: purgant aërem.

15. Fauonij flant aliquot dies; præsertim cùm primò hirundines cernuntur.

16. Ciconia redit circa diem Gregorij: est aduena æstatis, vt grus hyemis: tributa pendit, in quo loco suos nidos habet, singulis annis; primo anno plumam, secundo ouum, tertio pullum. Linguâ caret: redit non sine omine, vt quidem vulgus sibi persuadet. Qui enim primò volantem viderit, huic significari annum felicem volunt. qui sedentem, infortunata ei & tædiosa negotia.

17. Philomela cantare incipit, cùm syluæ incipiunt opacare, ac quindecim diebus ac noctibus, sine intermissione, modulatur. Antequam canere desinit, colorem & vocem mutat.

18. Cuculi incipiunt cuculare, cùm fagi virescunt: rarò cuculant post festum Iohannis.

19. Coque in Martio cereuesiam. Hæc potest diu durare, & est salubrior, quàm quæ reliquis mensibus coquitur.

20. Ceruus cornua deiicit circa Oculi, & pro annotum numero ramos assumit vsque ad sextum ætatis annum. Caro, seuum, adeps, pinguedo, medulla, lingua, labia, sordes oculorum, os de corde, libido & natura, lachryma, cornua, testes, genitale membrum, & cutis cerui plurimùm commodi nobis præstant. Itaque hoc animal homini est vtile. Sola cauda fugienda est: vtpote venenata. Hæc omnia sunt præstantiora, si cerui capti fuerint medio Augusti, vsque ad Idus Septembris, h.e. inter duo Sanctæ Virginis festa. Porro ceruus non sentit febrim, vnde huic morbo putatur mederi. Cornua accensa fugant serpentes, & pellunt morbum comitialem. Caro manè manducata vitam hominis augere dicitur.

21. Sere hordeum & auenam. Sed consuetudo locis & qualitas atque vbertas soli in sationibus ac plantationibus est obseruanda.

22. Semen optimum, anniculum, bimum, deterius; trimum, pessimum; vltrà, sterile. Idque optimum, quod grauissimum.

23. Si nix hoc mense cadit, segetibus est periculosa.

24. Leporem venare: quanquam insidiæ ipsi struuntur per totum annum. Cibo huius animalis fimus somnolenti.

25. Vinum vetus diffunde.

26. Collige ranarum sperma, cùm vt destilletur, tum ei intingatur pannus, sistendo sanguini aptissimus.

27. Sere pisa, cæpas, petroselinum, & reliqua semina & olera.

28. Rosas, frutices, & herbas in hortis transpone.

29. Lupi, funduli, globij, & alij pisces spermatizare incipiunt.

30. Accipitres omnis generis, siue astures, siue sperberios, qui aliis dicuntur nisi, vltimis Martij diebus cape, & vsibus tuis educa, h.e. aucupiis assuefacito.

31. Annuntiatio Mariæ, seu vigesimus quintus Martij multis elogiis insignitur: vt, quòd mundus hoc tempore conditus &c.

32. Vsitatum est colonis, prædicere tot tempestates, pluuias æstate oborituras, quot dierum in Martio nebulosa fuerit constitutio: totque Pascha consecuturas pruinas, & Augusto mense effumaturas nebulas, quot noctibus Martius irrorarit.

33. Ab æquinoctio verno ad solstitium vsque æstiuale statuitur commodum tempus admissuræ æquorum. Ita enim pulli vndenis mensibus lati, duodecimo, vernante tempore gignuntur, & in lucem eduntur.

34. Suum admissura est à Fauonio ad æquinoctium vernum. Implentur vno coitu. Quatuor mensibus fœtæ, quinto pariunt. Partus per bimestre lactant. Pinguescunt sexaginta diebus. Mares post trimatum non generant. Fœminæ senio confectæ, cubantes coeunt. Fœtus comedunt nonnunquam. Viuunt ad annos 15. vel 20.

35. Castrato sues bimestres Veris & autumni tempore: vt videlicet neque æstus, neque frigora periculum adferant.

36. Anseres parturiunt à Martio vsque in æstatem. Incubant ouis modò dies 28. modò 29. modò 30. prout loci ac soli clementia subuenerit Velluntur ter singulis annis. Plumæ præcisæ non facilè crescunt, sed vulsæ renascuntur: ac meliores quæ corpori proximæ. Gaudent anseres herbis riguis & frigidis. Sunt enim stomacho calidissimo. Nocturnas agunt excubias, & cantus assiduitate vigilias suas testantur. Ter quotannis pariunt, si prohibeantur fœtus suos excludere. Pariunt vere, aut si brumâ coëunt, post solstitium. Olim saginabantur à Romanis ob iecur.

37. Phasiani fœtus sui & exclusionis initium faciunt.

38. Gallinæ incipiunt incubare soboli, ac fœturam in hyemem vsque extendunt. Oua feliciùs supponuntur crescente lunâ.

39. Columbæ, si cœlum sit tepidius, in Martio statim pariunt; isthoc totum annum continuato opere; eo excepto tempore, quod Brumâ & æquinoctio verno intercipitur. Quadragenis diebus concipiunt, pariunt, incubant, & educant. Augurium columba designat fœlix. Sanguis eius multis commodè destinatur vsibus. Columbas domi pasce, quamdiu ex agris alimenta petere non possunt.

40. Corui per quadragesimam pullos excludunt: incubant ouis 20. diebus, & plerunque habent quinque pullos. Corui & cornices semper caput eò versum habent, vnde venti flant.

41. Bubo hoc mense pullos alit. Putatur auis inauspicata, vt omnes aues nigræ.

42. Noctua in imbre garrula serenitatem, sereno tempore tempestatem præsagit.

43. Pica nouenos parit pullos: pascit parentes senio confectos. Habet vsum viua dissecta in morbis articulorum, vbi loco affecto imponitur.

44. Diæta huius mensis esto talis:

Fr

Vt corpus foueas, vt balnea ſæpius intres
Sis memor: aſt vinum nunc Veneremque fuge.
Iam puris te paſce cibis, & pharmaca ſume:
Quin etiam venæ ſectio ſæpe nocet.

45. Prognoſticon ex hoc menſe capitur eiuſmodi:
Cùm ſiccus fuerit, bona tempora denotat anni
Martius, & frugum fertilitate beat.

46. Tritum eſt illud apud rei ruſticæ ſcriptores: verna pluuia vnius muti facit modicum luti: autumnalis pluuia vniuſmodi facit vnum mutum luti.

A P R I L I S.

1. Si quæ vis terræ mandare ſemina, plantare herbas fruticeſue, tranſponere arbores, inſerere ſurculos, amputare frondes, & ramos, ac ſi quid præterea ad diligentem hortorum culturam pertinet, illud omne debet fieri menſe Martio, Aprili, & in principio Maij, in Septembri item & Octobri. Quam autem conſerere volumus verno tempore terram, iſtam præparabimus ac fodiemus in autumno, & vice verſâ. Sic enim terra iſta vtrinque bene percocta, cùm æſtiuo ſolis calore, tum hyberno frigore, votis agricolæ optimè reſpondet.
2. Sere hordeum & auenam, ſi prætcrito menſe non licuit.
3. Sparge fimum pinguem & multâ memor occule terrâ.
4. Apes aluearііs tum ſolent exire, Quare mella iis dato.
5. Cucurbitas & id generis alia ſere.
6. Salices reſeca, & terræ commenda. Quarto quoque anno cæditur hæc arbor.
7. Agnos caſtrato ante feſtum Paſchæ.
8. Sere cannabim & linum.
9. Anguillas, cùm alnifolia producunt, in ciſtis cape.
10. Boues caſtrato, vt aratro ſint aptiores, & vtiliter ſaginari poſſint. Hi ſoli animalium retrò ambulantes paſcuntur. Pingueſcunt lauatione aquæ calidæ.

11. *Ante diem Marci ſtrepitum quot rana diebus*
Edit, poſt illum tot quoque muta ſilet.

12. Quemdamodum ceraſa florent, ita iudicium ſumunt de futuro vini flore.
13. Anſeres depluma tribus vicibus: hoc menſe, deinde in æſtate, vltimò in autumno.
14. Attaginem, quem gallum betulæ aut corylorum vocant, manè clamantem perſequere.
15. Apiaria vetera purga. Humido ferè melior fœtus, in ſicco mel copioſius.
16. Hoc menſe circa feſtum Paſchatis ſingulæ aues ferè ſibi comparem quærunt, inuicem coëunt, oua pariunt.
17. Hoc tempore prudens & bonus venator, piſcator, & auceps, debet venatione, piſcatu, & aucupio abſtinere, ne fœtus & oua corrumpantur.
18. Sequentes piſces ſemina ſua nunc iaciunt & deponunt: percæ, alburni, albicæ, rubelli, muſtelæ fluuiatiles.
19. Piſcium viſus maximè fallitur circa ſolis ortum & occaſum. Proin eo tempore cape.
20. Moro vireſcente nullum vehemens & nociuum frigus arboribus & ſegetibus eſt metuendum.
21. Caſtrato verres, hædos, arietes &c. circa tempora Paſchæ, lunâ decreſcente.
22. Sturionem cape vſque ad menſem Iunium. Huic piſci ſola aëris ſerena tranquillitas ad cibum ſufficit. Adeo nihil cibi admittit.
23. Cygni oua pariunt vere, & plerumque tertio ætatis anno. Aues ſunt æſtate exules, hyeme indigenæ, ac eo tempore in lacu aliquo turmatim agunt: quorum ſi multi fuerint, ingentis frigoris eſt ſignum. Hos tunc transfige. Hæc auis imminente morte dulciſſimè cantat; quod Henricus Rantzouius teſtatur his verbis. Ita ſe rem omnino habere, teſtis ego oculatus, qui & meis auribus canentem audiui, & ſtatim morientem vidi, affirmo.
24. Diæta huius menſis.

Sanguine, crede mihi, tum corpora noſtra redundant,
Cùm, qui terram aperit, menſis Aprilis adeſt.
Cura igitur moneo tibi dextera vena ſecetur,
Iuſtus & in potu ſit modus inque cibo.
Excute pigritiam membris; tibi ſume laborem:
Otia non proſunt: proderit ergo labor.

25. Prognoſticon ex hoc menſe.
Tum bonus eſt annus, feliciter omnia creſcunt,
Replentur cellæ & horrea læta ſimul:
Martius exſiccat cùm terram, humectat Aprilis,
Frigidulumque ſequens aëra Maius habet.

M A I V S.

1. *Cùm tuus eſt Iacobe dies, & ſancte Philippe,*
Nil ſegeti duro frigore peius erit.

Ad paſcua iam omne pecus educitur. Quo nomine ruſticis & colonis dies hic ſolet eſſe gratiſſimus.

2. Equus equæ admittitur, & ipſorum pulli naſcuntur. Probatur equus exiguo capite, nigris oculis, naribus apertis, breuibus auriculis, ceruice molli, lato pectore, teſtibus exiguis, caudâ longâ & ſectâ, criſpâque, rotundis clunibus, duris vngulis, & corpore tali, quod ex longo, quantum figura permittit, ſit rotundum. Dentes ſenectute plus ſolito candeſcunt, quâ cæteris animalibus nigreſcunt.
3. Vaccæ ſocius nunc admittendus. Ita enim, cùm decem menſes fœtum gerat, pariet, quando læti ſunt gramine campi & læta pabula. Ætas illarum conijcitur ex circulis, quos habent in cornibus, quâ parte ex capite prominent.
4. Salmo retinet natiuum ſaporem vſque ad Pentecoſten.
5. Circa hoc tempus prima ouium tonſura incipit: in quâ tamen optimum eſt, cœli temperaturam obſeruare, ne aut frigore lædantur tonſæ, aut intonſæ calore. Vnde fit, vt interdum ſemel ad tonſuram veniant circa ſolſtitium, interdum atque alicubi bis, illis cœli ſtatibus ſeruatis. Hoc animal eſt rei familiari commodiſſimum. Nam oues pellibus ſuis nos veſtiunt; carnibus nutriunt, fouent & conſeruant; ſtercorationi agrorum inſeruiunt; inteſtinis demum chordiſque inde factis nos exhilarant. Pellibus ouium recentibus ſanari & obliterari vulnera, ſcabiem, & vibices, compertum eſt.
6. *Alligat ad fuſtes hic Maius in ordine vites.*
7. Circa finem huius menſis ſere raphanos, carduos, altiles, & rapas, quarum ſatio & Auguſto menſe non eſt incommoda.
8. Si pluit hoc menſe exiguus erit vini prouentus.
9. Si eſt clara dies Vrbani, ruſtici optima quæque ſibi de vino pollicentur.
10. Hi piſces ſemina ſua iaciunt: cyprinus ſiue carpio, praſimi, & omnia bramarum marinarum genera.
11. Lacticinia hoc menſe ob vbertatem omnium herbarum ſunt optima. Hoc itaque tempore potiſſimùm incumbi debet butyro atque caſeo.
12. Diæta huius menſis.

Lætus vbi aduenit Maius, pete roſcida rura:
Linque merum: potior ſit tibi lactis amor.
Balnea tunc cole, tunc tibi commoda pharmaca ſume;
Et miſſo ſaliens ſanguine vena fluat.

13. Prognoſticon ex hoc menſe
Menſis vbi fuerit Martus ſub nube ſerenus,
Et contrà pluuiis fœtus Aprilis aquis:
Frigora ſi Maius ſecum trahat, aureus annus
Tunc tibi, & omnigenis fructibus ager eris.

I V N I V S.

1. Ex aëris conſtitutione, quæ incidit in diem Medardi, vel circiter, de totâ meſſis tempeſtate, vt èx eâ, quæ Vrbani die contingit, de vindemiâ, coniecturas faciunt.
2. Dies Viti eſt nobilis ſolſtitio.
3. Arundines piſcinis valde inimicæ ſunt, ideóque ſub ſolſtitio æſtiuo ſub aquis falce ſecandæ ſunt. Alioqui in vſum tectorum ruſticorum hyemis tempore ſupra glaciem demetendæ.
4. Æſtatis initium incidit die Geruaſij.
5. *Baptiſtæ fuerit cùm lux pluuioſa Iohannis,*
Ingrati meſſis plena laboris erit.
6. Anguillarum & cancrorum captura nunc eſt commodiſſima. Cancri cum iure ſuo ſumpti phtiſicis ac tabidis optimi alimenti loco proſunt.
7. *Tellurem curuo hic menſis proſcindit aratro.*
7. Lepores & damas venare.
9. Examina volant circa feſtum corporis Chriſti: quæ hoc menſe obſerua. Horâ octauâ ante meridiem vſque ad tertiam aut quartam poſt meridiem emittunt examina; idque durat quinque ſeptimanas. Conuocantur & in aluearia ducuntur tinnitu.
10. Segetes ad maturitatem proueniunt, ſpiciſque ornantur, & radices emoriuntur circa diem Petri & Pauli.
11. Prognoſticon ex hoc menſe & ſequentibus duobus.
Cùm calor & pluuiæ coëunt æſtate frequenter,
Agricolæ tacitâ gaudia mente fouent.
12. Diæta hoc menſe ſeruanda:
A rebus calidis, motu vehemente, gulaque
Abſtine, frigida ede, venam aperire caue.

I V L I V S.

1. Hircum hoc tempore quibuſdam in locis capris admittunt. Capræ maleficæ ſunt frondibus & arboribus: Implentur terno aut quaterno coitu. Hirci ſex menſes hybernos ſupra ſiniſtrum latus iacent cùm dormiunt: A ſolſtitio hyberno totidem menſes ſupra dextrum.
2. Venatio hoc menſe eſt iucundiſſima.
3. Maximam vbertatem ſequitur plerumque ſterilitas. Exhauſtæ enim ſunt agrorum & arborum vires.

4. Si pluit die viſitationis Mariæ, ſequitur tempeſtas lumoſ.

5. *Vlric Caniculas, aſſumptio terminat illas.*

Id eſt, dies caniculares incipiunt die ſexto Iulij, & decimo ſeptimo Auguſti finiunt. Hoc tempore Eteſiæ venti Septentrionales ex angulo illo ſpirant aliquot ſeptimanas, & æſtum mitigant. Cum ſole naſcuntur ac occumbentem ſolem comitantur, ſpirareque deſinunt donec iterum orientem ſolem velut obſeruauerint.

6. *Sub cane & ante canem medicus malè pharmaca tradit.*

7. Canes rabidi fiunt hoc tempore propter nimium æſtum, vt Ianuario & Februario propter nimium frigus. Læſo à cane rabido conducit vt in aquam pluuialem ipſo inſciente immergatur. Hepar etiam ipſius canis rabidi, vel alterius canis, læſo datur, ad comedendum cum pauxillo argenti,

8. *Implentur varijs frumentis horrea, quando eſt*
Aër Iacobi luc dies ante diem.

9. Ciconia recedit circa diem Iacobi: item hirundines & milui.

10. Diæta huius menſis:

Iulius exardens potumque eſcamque requirit.
Frigentes, menſam piſces oluſque oneret.
Pharmaca, ſecturam venæ, merum, aromata, thermas.
Nunc fuge, nunc zythum mite vetuſque bibe.

AVGVSTVS.

1. Aſſumptio Mariæ clara promittit vina ſuauia.

2. Mella nunc apibus detrahe, circa idem aſſumptionis feſtum.

3. Inter duo diuæ Virginis feſta cerui in quoſuis vſus præſtantiores habentur. Nam & cornua collecta, & os in corde, & ſimilia tum ſunt ſummi vigoris. Etſi autem aliqui velint intelligi feſtum viſitationis & natiuitatis Mariæ: tamen venatores fidem non faciunt à feſto aſſumptionis ſeu decimo quinto Auguſti ad natiuitatem vſque Mariæ, ſeu octauum Septembris hoc tempus eſſe numerandum.

4. Auſtri frequentes ſunt hoc menſe ad ortum vſque Arcturi.

5. Auguſtales pulli equarum feliciter adoleſcunt. Sunt equæ, quæ ante æſtatem, vel Auguſtum non admittunt marem.

6. Galli hoc tempore commodiſſimè caſtrantur. Cæterùm galli cùm ſole eunt cubitum, horâ nona veſpertinâ cantant, horâ noctis duodecimâ vocem iterant, horâ tertia poſt noctis medium denuò cantillant, ſole oriente diem nuntiant.

7. Oua hoc menſe gallinis ne ſupponas. Frigus enim pullos qui ſerò nimis prodeunt, enecat. Optima fœtura eſt ante vernum æquinoctium.

8. Oua hoc menſe, decreſcente lunâ, collecta durant.

9. Collige radices enulæ campanæ, angelicæ, petroſelini, raphani, & lege cucurbitas.

10. Bartholomæus eſt primus ſanctus Autumnalis: cuius dies ſi clara erit, autumnum ſecuturum bonum exiſtimant.

11. Aucupium inſtitue hoc tempore, quo aues gregatim migrant.

12. Halec quotannis bis capitur: videlicet à Maio ad Iulium vſque, & deinde ab Auguſto ad finem Nouembris, quæ captura optima eſt. Semper autem captura eſt nocturna. Nam ſtatim ad auroram ex retibus elabuntur.

13. Diæta huius menſis

Sectio venarum nocet, haud quoque aromata proſunt.
Haudque diurna quies, balnea, vina, Venus.

SEPTEMBER.

1. Si clara fuerit dies Ægidij, quâ cerui libidinis æſtu exagitari incipiunt, venatores integrum illum menſem ſerenum enuntiant, & eouſque donec cerui Venerem dimiſerint.

2. Aliquando cerui tardiùs ad libidinem excitantur; quod hyemis tardioris eſt ſignum.

3. Si dies Ægidij ſit clara, ſit copia vini.

4. Grues migrantes clangore ſuo hyemis initium deſignant.

5. Circa medium Septembris lunâ decreſcente & infra horizontem verſante cæſa lignorum materia durat.

6. Sole exiſtente in libra plerumque ſpirat Africus, in Cancro Fauonius, in Capricorno Eurus.

7. Aucupium hoc tempore eſt feliciſſimum niſi æſtas pluuioſa fuerit. Tum enim pulli auium in nidis ſuffocantur mole imbrium.

8. Si poſt feſtum Michaelis in globulis gallarum reperiuntur vermiculi, vbertatem frugum promittunt: ſi muſcæ, portendunt bella: ſi aranei, minitantur peſtem.

9. Hoc tempore lunâ decreſcente tranſpone quercus, malos, pyros, & ſimiles arbores frugiferas: radicique earum vinum adhibe. Surculos ſuperfluos ab arboribus reſeca, cùm plus habeant nunc humiditatis quàm menſe Martio.

10. Nuces, antequam plenè maturuerint, adiunctis helenij & acori radicibus hoc menſe condito.

11. Octiduum circa Michaelis optimum eſt ſationi hyemali tempus. Teneatur autem hîc regula Plinij, & Ranzouij, ſementem feſtinatam ſæpè, ſerotinam ſemper decipere.

12. Para muſtum, acetum, & agreſtam ex pyris & pomis.

13. Poma & pyra collige ſereno cœlo, & poſt meridiem, nec ante 16. lunæ.

14. Stercoriza hortos, interim lunâ decreſcente ſtercus ne tangito: inter menſtrua potius dimidiaque.

15. Diæta huius menſis.

Indulge genio, medicamina ſume, cruore.
Venis mitte, cutem ſcarificato laua.
Poma, ferina, & aues proſunt, ſic vina Venuſque,
Parcè ſumpta tamen; nam nimium omne nocet.

OCTOBER.

1. Fac vina admiſtis caryophyllis, helenio, abſynthio, ſaluiâ & id genus aliis herbis.

2. Vuas lege tempore ſicco: aliâs vinum fit aquoſum. Sed muſtum lunâ ſub terrâ exiſtente calcato.

3. Arbores tranſplanta, ſere, atque amputa.

4. Gramina marceſcunt. Propterea boues & vaccas macta.

5. Quando oues hyeme veſperi non libenter domum abigi ſe patiuntur, plerumque niuem aut pluuias deſignant.

6. Quando arbores ſerius nudantur foliis, aſperior hyems denotatur.

7. De niue venatores coniectare ſolent ex dierum numero, qui à prima niue ad proximum ſuperſunt nouilunium.

8. Quando in ſyluis eſt bona ſaginatio, & prouentus glandium vberior, multæ niues hyemſque aſpera futura exiſtimatur. Multæ autem niues fœcundam meſſem præſagiunt.

9. Initium hyemis incipit die Simonis & Iudæ.

10. Arietes ouibus & hirci capris admittuntur, vt fœtus fundant tempore verno.

11. Tritura, hordeum &c.

12. Venatio & aucupium hoc menſe eſt felix.

13. Nunc autumnus ad eſt, pleiadis quando occidit aſtrum: Occaſu nimirum matutino; qui ſi pluuialis fuerit, ſeram futuram annonam Aſtrologi iudicant: ſi ſerenus, tempeſtiuam.

14. Diæta huius menſis.

Venam aperi, thermas adhibe, tum pharmaca ſume;
Gallinâ & pomis veſcere, muſta fuge.

NOVEMBER.

1. Die omnium Sanctorum incide fagum; quæ ſi fuerit ſicca, hyems ſequetur mitis: ſin humida, dura.

2. Si dies Martini fuerit nubilus, turbida ſequetur hyems; ſi verò frigida, erit hyems ſicca.

3. Os pectoris anſeris circa diem Martini album ſignificat niues, nigrum pluuias.

4. Niuis multitudo magnopere prodeſt, vt ſenſim colliqueſcens dilabatur. Ita terra fermentari optimè poteſt, calore circum occluſo atque coarctato.

5. In niue perſequere vulpes, lupos, apros, capreas, martes, &c.

6. Porcelli qui eduntur in lucem hoc tempore, vt vituli circa diem Iacobi, rarò ad maturitatem proueniunt, aut educantur, propter inſtans frigus & gramen marceſcens.

7. Porcos ſaginatos macta aut vende. Nam plerumque poſt ſaginationem moriuntur.

8. Circa aduentum Chriſti arbores optimè tranſponuntur, tum enim natura circa inferiora magis operatur, ſicut verno tempore circa ſuperiora. Hinc arbores tranſpoſitæ Martio & Aprili infirmi ſunt roboris.

9. Diæta huius menſis.

Iam ſtomacho mulſum, iam zingiber vtile credunt.

DECEMBER.

1. Hoc menſe farina parata, & panis ex farinâ coctus durat vſque ad feſtum Pentecoſtes: ſiccat quoque & bene ſaturat.

2. Stercora agros. Nam ſic.

Abſorbet liquidâ cum niue terra fimum.

3. Ligna hoc menſe cædenda ſunt, & focis & ædificiis apta: & illa quidem lunâ creſcente, hæc decreſcente. Nimirum quò dies eſt breuior, eò eſt radiorum ſolarium efficacia minor. Quò minùs eſt radiorum tum ſolarium, tum lunarium, eò tempus cœdendis arboribus eſt commodius. Inprimis autem commendatur vltima Decembris,

Cum præeunte die cumque ſequente die.

4. Natalis Chriſti mitis & viridis dat Paſcha niuale.

5. Natalis Domini incidens lunâ creſcente ſignificat annum fertilem: propior nouilunio, adhuc fertiliorem: propior decreſcenti lunæ ſignificat annum malum.

6. Diæta huius menſis.

Defend-

Defende & frigus cerebro, caput & bene muni:
Val le olus & quoque lac ſunt fugienda tibi.
Vina bibe, at ſuc cibos gratos tibi aromate multo.
Spargito, tunc artus ſæpe labore doma.

Plura poſſunt addi huic Kalendario. Vbi memineris non omnia axiomata hic poſita, vel adhuc ponenda, eſſe neceſſaria.

SECTIO QVARTA

In quâ delineatur

ARTOPOETICA.

PRÆCEPTA.



RTOPOETICA eſt ars bene coquendi panem.

Eſtque generalis, vel ſpecialis.

Artopoëtica generalis explicat principia ſeu cauſas panis, hoc ordine.

Finis eſt alius primarius, videlicet eximia nutritio & refectio corporis humani: alius ſecundarius, qui ſpectatur in medicinâ.

Efficiens eſt princeps, vt piſtor: vel inſtrumentalis, vt mactra, tabula piſtoria, ſcopa farinaria, radula, furnus, infurnibulum.

Materia eſt remota, vel proxima.

Materia remota ſunt frumenta, legumina, herbæ, radices: proxima eſt farina & aqua.

Forma eſt externa, vel interna. Vtraque introducitur in materiam conuenienti præparatione & coctione.

Artopoëtica ſpecialis explicat varia panis genera: vti ſunt panis furnarius, teſtuaceus, ſimilagineus, triticeus, ſiligineus, hordeaceus, frumentarius, furfuraceus, ocymeus, miliaceus, bis coctus, paſtillus, collyra, placenta, libum, placenta triticea, placenta lactea, popanum, moretum &c. Summa tamen capita conſtituuntur duo: videlicet panis verus & imitatitius.

Panis verus eſt alimentum communiſſimum & quotidianum, quod ab hominibus, omni tempore, ex farinâ & aquâ ſimul bene præparatâ, ſubactâ, & percoctâ ab igne, pinſitur, ad nutritionem & refectionem corporis.

Eius materia eſt farina, quæ conſideratur ratione qualitatis & quantitatis.

Ratione qualitatis farina ſit bene præparata, ſubacta, & percocta.

Ratione quantitatis materia ſit iuſta, ſufficiens, & commoda proportione ad formam ac finem determinata.

Vnde ad materiam panis rediguntur partes integrales, quarum potiſſimùm tres ſunt.

1 Pars inferior, ſeu baſis, quæ ſubſtat; τράπεζα βρώσιμος, orbis ſolum paniceum, tellerbrot.

2. Pars interior, ſeu medulla; μεσαίτατον, die krume.

3. Pars ſuperior, ſeu cruſtum; ψωμίον, die rinde.

Ad has partes referuntur fruſta, fragmenta, buccellæ, τὰ κλάσματα, *Mar.6. Luc.9.* quæ Græci appellant σύρνα, ψωμούς, ἐνθέσεις, θραύσματα, ἀτταράγυς, ἐγκάφους, βλωμυς, κολλάφυς. de quorum notatione vide Euſtachium in Odyſſ.

Forma huius veri panis colligitur ex propriis, quæ ſunt numero quinque: vt bene nutriat, vt ſolidum exhibeat nutrimentum, vt guſtu ſit iucundus, atque etiam non facilè corrumpatur, inuentu verò facilis.

Panis imitatitius eſt, qui habet aliquam ſimilitudinem panis veri & συνωνύμως dicti: vti ſunt hoſtiæ, quas ita vocant.

REGVLÆ.

I. *Panis Hebræis dicitur* לחם *&* עגה, *Græcis* ἄρτος. *Nomina panis.*

Egregia eſt ſpeculatio hæc de pane: quam eruditè perſequitur *Theophilus de Pega in ſylloge, An hoſtia ſit verus, cibarius, & συνωνύμως dictus panis.* Ex illo itaque tractatu huc transferemus, quæ faciunt ad noſtrum inſtitutum. Et vt ab etymis incipiamus, panem Hebræi vocant לחם à לחם, *incidit dentibus vel gladio, comedit, exedit concidendo.* Itaque לחם, teſte Auenario, eſt omnis cibus quem incidiunt dentes, nominatim panis. Iiſdem Hebræis עוגה & עגה eſt placenta, propriè carbonibus toſta vel cocta: item panis ſubcineritius, torta ſubcineritia, panis vſtulatus ſuper carbonibus: à עג, *placentas coxit.* Græcis ἄρτος eſt ab ἀίρω ſignificante προσφέρω, vt ait Etymologus. q. ὁ καθ' ἑκάστην τῷ σώματι ἡμῶν προσφερόμενος. Cui etymo aſſentitur Euſtathius quoque. Sed additur & alia ratio ab Etymologo, videlicet, διὰ τὸ αἴρειν καὶ κουφίζειν τὴν δύναμιν. Videtur etiam ab ἄρω deduci poſſe, vt ſit ἄρτος cibus corpori congruus: ſicut ab eodem ἄρω deducitur ὁμαλία, cibus. Apud *Latinos* panis dicitur à paſcendo, Varroni & Nonio Marcello: quia paſcat & nutriat homines. *Plutarchus 8. Symp. prob. 6.* panem ὡς παύων ἀνίεντα, quòd ſedet famem, Romanis vult eſſe dictum. *Iſidorus lib. 20.* Panis dictus, quòd cum omni cibo apponatur, vel quòd omne animal eum appetat. *Ioſ. Scaliger* nomen magnæ Græciæ eſſe putat, dum ad hæc verba *Varr. lib. 4.* Panis, quòd primò figuras faciebant, &c. notat: *Athenæus lib. 3.* Πανὸς, ἄρτος. Μεσσάπιοι καὶ τὴν πλησμονὴν πανίαν, καὶ πάνια, καὶ πλήσμια. Deinde καὶ ῥωμαῖοι δὲ πάνα τὸν ἄρτον καλοῦσι. Tamen non caret ratione, quod ait Varro. Panus enim τολύπη, glomus. Vnde quædam placentæ, quòd ad eum modum confictæ eſſent, πολύπαι dicebantur. Meminit *Athenæus lib. 3. Clemens Alexand. Protrept.* οὐ σησαμοῦς ταῦτα, καὶ πυραμίδες, καὶ τολύπαι, καὶ πόπανα πολυόμφαλα. Glomus vocabatur Latinè, quod τολύπη Græcè. Autor Feſtus. Vel eſt, quod *Pollux lib. 6.* ὠνομάζετο δέ τινα καὶ πηνία, ἃ καὶ τοῖς πλακοῦσιν ἐπετίθετο, προσεοικότα πηνίοις. Λευκὰ δὲ ἦν τὴν χροιάν. Quod Varro videtur innuere. Alioqui ſcio, πηνίον, & Doricè πανίον ἀντὶ τῆς ἀτράκτου ἕλιξ ſumi: cùm hîc ἀντὶ τῆς τολύπης. Vnde & tumor inguinum (qui morbus pueros infeſtare ſolet) vocatur panus: & panicula Plinio τὰ πολυποειδῆ. Ad Panicæ in milio aliud eſt: id enim à Græco etiam manauit: Πηνίκη enim εἰς τρίχας καὶ ἡ κόμη.

II. *Sunt varia panum ac placentarum genera.* *Genera panis.*

Quod Martialis innuit:

Mille tibi dulces operum manus iſta figuras
Extruit. ——————

Et Manilius lib. 5. in genitura piſtoris:

Atque vnum genus in multas variare figuras.

Nos præcipua iam genera ex melioris notæ autoribus percenſebimus.

1. Eſt *panis gregarius*, ἀγελαῖος, ῥυπαρός: Pacuuio ſordidus: Feſto aceroſus, ἀχυρώδης: qui ytique vulgaris, ex materiâ craſſiore, ſeruis aliiſque tenuioris fortunæ ſolebat dari. 2. *Fermentarius*, ζυμίτης, qui ſale & fermento inſperſo conficitur. *Rembertus Dodonæus Mechlin. stirp. hiſt. Pem. 4. l. 1. c. 3.* Concoctu inter panes ſunt facillimi, qui plurimum ſunt fermentati & probiſſimè ſubacti, quique in clibano igne moderato cocti ſunt. 3. *Azymus*, qui caret fermento: quem Nicander Colophonius ἄζυμον nominat, teſte Athenæo: quem Tacitus ἐξαμέρτως vocat panem Iudaicum: quamuis eundem refutet *Georgius Bertinus Campanus lib. 9 cap. 3. de alimentis Laurentius Loubertus in tomo ſecundo de Gymnaſiis cap 7.* ita ſcribit De panibus ἀζύμοις hæc prodit *Galenus lib. 1. fac alimen. cap. d. tritico*: Panes qui fermento omnino carent, nemini prorſus ac-

Iii 4 commo

commodi sunt. Qui verò bellissimè assati, nec multum fermenti habent Athletis accōmodi sunt. Eiusmodi panis κωλίφιον propriè dicebatur, ἀπὸ τῶ κώλω κ̀ ἶφι, id est, à robore membrorum. Vel ἀπὸ τῶ χόλικος, vt alij volunt, mutato ο in ω. Est enim χόλιξ, vel κόλιξ, panis subcineritius. Coliphij panis meminit Iuuenalis, inquiens:

Luctantur pauca, comedunt Coliphia pauca.

Et Plautus.

Coliphia mihi ne incocta detis.

4. *Furnaceus*, Græcè κλιβανίτης, à clibano & furno, in quo coquitur, nomen inuenit. Dicitur etiam testaceus. *Plin. l.* 18. *c.* 11. Dicuntur à coquendi ratione, vt furnacei, vel artoptitij, aut in clibanis cocti. 5. *Subcineritius*, hoc est, coctus sub cineribus, עֻגָּה; qui in vsu fuisse legitur Hebræis *Gen.* 18. *v.* 6. *Exod.* 12. *v.* 39. *Iud.* 7. *v.* 13. *I. Reg.* 17. *v.* 13. *Ose.* 7. *v.* 8. *& alibi.* Græcis ille est ἄρτος σποδίτης, item ἐγκρυφίας, cuius *Athenæus* meminit *lib.* 3. Ibidem fit mentio panis, qui dicitur ἀποπυρίας, & coquitur supra carbones. 6. Porrò δίπυρος siue διπυρίτης, quem pro pane delicato accipit Athenæus: Latinè *is coctus & panis nauticus*, est Spartiano buccellatum. Græci interpretantur ξηρὸν ἄρτον, quo videntur vsi Christiani in suis Xerophagiis, vt nominat Tertullianus. Dicitur & παξαμᾶς & παξαμάδιον. Suidas vult essa Romanam vocem & ait: δίπυρος ἄρτος, ὁ παρὰ ῥωμαίοις λεγόμενος παξαμᾶς. 7. *Αὐτόπυρος panis*: quòd ὅλος αὐτὸς ὁ πυρός, vt scribit *Galenus de alimen. facult.* Athenæo dicitur, αὐτοπυρίτης, ξηροπυρίτης, & πύρνον: non ab igne nomen accepit, sed à tritico, quod Græcis est πυρός. Idem συγκομιστὸς audit apud Deipnosophistā, quasi confusaneum dixeris, quòd partes omnes tritici recipiat minimè castratus: ἀλευρίτης aliis, quòd ex farina fiat; additque Athenæus ἔστι πολυτροφώτερος εἰ ἐς δοκεῖ(*l.* 8. *Similagineus* est, qui fit ex similâ. *Plinius lib.* 18. *c.* 10. Similago ex tritico fit laudatissima: Græci dicunt σεμιδαλίτην. Athenæus: φιλισίων δ' ὁ λοκρὸς τῶν χονδριτῶν τοὺς σεμιδαλίτας φησὶν ἰσχὺν ἐμποιεῖν πεφυκέναι: μεθ' οὓς τοὺς χονδρίτας ὑστερίζειν, ἐπὶ τοῖς ἀλευρίταις. 9. *Siligineus*, σιλιγνίτης, non Græco nomine, vt inquit Galenus, Græcis dictus: ex purissimâ farinæ parte paratur, furfuribus & excrementis caret, nomenque arcessit siue à siligine tritici genere; siue à tenuissimâ farinæ parte, *Plin. lib.* 18. *cap.* 8. Siliginem dixerim propriè tritici delicias. *Et lib.* 18. *c.* 11. Summa laus siliginis bonitate & cribri tenuitate constat. Et *Seneca in epist. ad Lucillium*, idcirco optimū hinc panem confici innuit his verbis: Malum panem expecta. Bonus fiet, etiam illum tene tibi, & siliginem fames reddet. 10. *Collyra*, generis panis, mentio fit apud *Plautum in Persâ. Act.* 1. *Scen.* 3. *Turneb. l.* 4. Grammaticorum senatus interpretatur paruulos panes, mundos; sed & genus fictorum farinaceorum, quæ vt lagana interdum in sartagine frigantur, interdū cocta per se edantur, interdum ex iure comedantur. Meminit eius generis & *Athenæus lib.* 3. Grammatici Græci volunt esse εἶδος πλακοῦντος: & κολλυρίζειν explicāt τὰ λάγανα τηγανίζειν, i. e. lagana in sartagine frigere. Meminit eius & 2. *Sam.* 6. 19. ἐκάστῳ, inquit, διεμέρισε κολλυρίδα ἄρτου. Sunt qui tortum panem interpretantur. Vetus versio retinuit collyridam. Tremellius reddidit Tractā panis. Pagninus placentam. 11. *Panem* præterea *ex hordeo confectum*, vsitatum fuisse veteribus etiamsi imbecilliorem & nutrimenti minoris ex 2. *Reg.* 4. *v.* 42. *Ezech.* 4. *v.* 12. nec non ex Christi constat historiâ, qui quinque panibus hordeaceis & paucis piscibus ingentem hominum multitudinem pauit. *Iohan.* 6. *v.* 9. Canibus eum dandum voluit *Varro de re rusticâ lib.* 2. 12. *Panem ex milio confectum*, antequam refrigescat, sine fastidio posse absumi, traditum à *Columellâ c.* 9. *l.* 2. 13. *Speusticum panem* ἀπὸ τοῦ σπεύδειν, i. e. accelerando dixerunt. *Cato*: Speusticum panem, inquit, sic facito: Manus mortariumque bene lauato: farinam in mortarium indito, aqua paulatim addito, subigitoque pulchrè, vbi bene subegeris, definito coquitoque sub testâ. Nominat etiam *Plin. l.* 18. *c.* 11. 14. In caritate annonæ, inuenimus & *panes tentatos ex oryzâ, fabis, & pisis*. Quinimò in Frisiâ atro & secundario pani ex secale addere solent rustici tertiam, aliquando etiam dimidiam, farinæ fabarum partem, quem exhibent in pastum robustioribus illis operariis, polyphagis, propter grauem & assiduum laborem. Hesiodus seruo aranti tribuendū esse monet ἄρτον τετράτρυφον ὀκτάβλωμον. 15. *Ex panico, zeâ, & alicâ olim factos fuisse panes*, tradit apud Athenæum Tryphon Alexandrinus. *Plinius l.* 18. *c.* 7. panis multifariè & è milio fit, è panico rariùs. 16. *Obeliam*, vel quia vendebatur obolo, vel quia assabatur in obeliscis, sic dictum nominauit *Aristophanes in Agricolis*, referente id Athenæo. Huic sine dubio apud nos respondet placenta versatilis, quam Germani vocant Spießkuchen. 17. 18. Alij panes ab obsoniis appellati, vt *Ostrearii*. Alij à deliciis, vt *artolagani*: apud *Plin.* 18. *c.* 11. 19. *Mystile*, μυστίλη, panis excauatus est, quo ius sorbetur, quique canibus proiicitur. Latini, teste Pomponio, canicas quoque huiusmodi panes vocabant: apud *Cælium Rhodiginum. l.* 9. 20. *Selene*, à formâ lunæ cornicularis. Ita in quibusdam Germaniæ locis vocantur cornua Martini. 21. Denique notandum, etiam *papaueris semen ad panificium fuisse veteribus in vsu*. Est enim inter genera papauerū hortense quoddam (θυλακῖτιν nominant) accommodatissimum panificiis, ἀπὸ τοῦ θυλάκου deducto nomine, quo vas pani ferendo destinatum significatur. Atque eâ de causâ appellauit papauer Virgilius vescum, id est, edule, ἐδώδιμον. & cereale *Georgicorum* 1. 22. *Clemens Alexandrinus protrept.* σησαμῆ κ̀ πυραμίδες κ̀ τολύπαι. Dictæ πυραμίδες, vt Castellamenta apud *Arnobium lib.* 2. Eius verba sunt: Vt spirulas & botulos facerent, isicia, Castellamenta Lucanica. Ita enim Critici legunt. Τολύπαι sunt apud Petronium melliti globuli. Referemus eius verba: Mellitos verborum globulos & omnia dicta factaque quasi papauere & sesamo sparsa. Hinc Acro in Horatij artem: Mel cum papauere mixtū in placentâ sæpè offendere. Et Aristoxenus perhibet, Pythagoricos non aliud, quàm panem cum melle prandentes comedisse.

Sed medicos ac physicos audiamus, qui paulò contractiùs & rectiùs panes diuident. *Hieronymus Cardanus de subtilitate libro* 12. Quinque sunt è quibus panis fieri solet: Iuxta Boream è siligine, in temperatis ac calidis regionibus è tritico. Sed duplex triticū. Asianum, quod nostro nigrius, leuius ac dulcius existit: nec in spicis nascitur, sed velut milium in comâ: nec tamen adeo molli, cùm eam plures compleant spicæ. In occidentali verò Indiâ Maizo semine panem conficiūt, ex quo etiam vinū. Herbæ fructus est, seu semen ad vnguem culmo, stipite, foliis Sorgum nostrū, seu Milicam (Lobam Plinius vocat, milij Indici genus rubrum, maiusque) referentis, & culmus ipse foliis ambitur, quod in Sorgo Italico non contingit: verùm hoc accidere ex prouinciæ diuersitate reor: dulcius est & illud, verùm vt Sorgū friabile, nec pingue aut lentum. Eâdem fœcunditate reddit annuam sortem, eòque ampliorem, quò ibi cœlum, & terra magis consentiunt. Audeam tamen iure hîc contemptū Sorgum Maizum vocare recto nomine, aut Maizū Sorgum. Æthiopia suum habet taphum, frumento granum præstantius, quod non corrumpatur. Oryza generalis est omnibus cibus, cùm vbique prouenit; vbique enim aqua. Quintum panis genus ex Hyucâ fit radice. Herba similis canabi, radix tamen ipsa carotis simillima, sed maior: intus tamen candida, exteriùs aspera, & coloris vinosi fermè. Illud in huius specie quàdam mirum admodum, quòd humanam conditionem referat: nam panis ipse salutaris homini & anno seruatur, qui fit ex radice, expresso iam succo, succus autem ipse haustus illico necat, nec vllo fermè auxilio sanari potest. Ita (vt dixi) mors ipsa cum salute coniuncta est, & perpetuò cubat. Ea propter dum panem conficiūt, diligenter omnem exprimunt succum, quem è genere succi cicutæ, sed validiorem esse constat; nam qui ibi voluntariam oppetunt mortem, potu illius semet occidunt: quasi lene exitium afferat. In locis quibus frumento vtimur, siligo vades est: si illud deficiat, præs est: milium pro vtroque. *Georgius Bertinus de alimentis l.* 9. *c.* 3. Panis genera apud antiquos quatuor celebrātur, siligineus, similaceus, medius, & furfuraceus. Siligineus omniū purissimus: mox similaceus: vberrimū alimentum subministrant, sed seriùs per aluum secedunt. Medius nullâ tritici parte adeptâ minùs nutrit, citiùs per aluum excernitur, faciliusque cōcoquitur, sed minùs nutrit quàm siligineus & similaceus. Hoc genere panis delectabatur Augustus Cæsar. Furfuraceus verò leuissimè omniū nutrit, ventrem excremētis implet, & quàm citissimè per aluum descendit. Panes magni, vt placuit *Hippocr. lib* 2. *de rat. vict. in morb. acut.* multum nutriunt, quod ignis humidum non percoxit, calidique magis quàm frigidi siccant, sitimque magis inferunt, & tardiùs descendunt. Porrò placentæ ex tritico & caseo confectæ non fermentatæ crassum succum exhibent, obstructiones inuehunt, stomachum grauant, calculos in renibus gignunt, difficillimeque concoquuntur. Fiebant olim autore Catone ex farinâ siligineâ, alicâ, & caseo ouillo. *Cornel. Celsus l.* 2. *Medicinæ* scriptum reliquit, opus pistorium valentissimum esse, quod ex frumēto, adipe, melle, & caseo cōstat. Fiebant etiam ex lacte, nucibus, melle, itria & liba, quæ ad delitias sic cōficiebātur. Athenæus varia bellariorum genera describit, quæ hoc seculo exoleuerunt. Si autem placentæ sunt fermentatæ cum butyro & caseo subactæ, non subcineritiæ, sed in clibano concoctæ, plurimùm nutriunt, si bellè & aptè concoquantur. *Iof. Quercetanus diætetic. polyhist. sect.* 2. *c.* 5. Differentiæ panum nunc nobis excutiendæ sunt; quarum præcipuas; & quæ in Franciâ nostrâ vsitatæ sunt describemus. Fit panis multis in locis ex siligine: qui paulò acidior est, mediocre alimentū præbens, quique laxam aluum tēperatè reddit. Non infrequēs eius est vsus multis in locis, & in ipsis quidē nobiliū ædibus. Ex hordeo quoque pinsitur panis variis in prouinciis, cuius vis est refrigerās: at non ita hordeaceus gratus est palato ac siligineus. Eo potissimùm vescitur agricolæ, quòd alio sæpè frumento careant, præsertim mensis tēpore, quo citiùs hordea demetuntur, quàm reliqua farra. De hoc pane in hæc verba scribit *Æt.* Panes autem hordeacei omnes minùs nutriūt, quàm triticei, & magis ventrem subducūt, quàm illi. Conficitur etiam ex fabis aliisque leguminibus panis, sed grauis est, ponderosus, ac parum grati saporis. Apud Bearnos, & in altioribus regionis Armigniacæ locis, panis ex milio familiarissimus est: cuius triplex genus præ cæteris conficitur: vnum ex milio in farinam redacto à suo furfure mundatū, ex quâ cum aquâ, aliorum more subigitur panis, pastaque salita ac fermentata, in clibano aut furno coquitur in panem. Hoc vescuntur rustici; cuius gustus subdulcaster est; satis est boni alimenti: sed qui diutiùs assumptus fastidium parit. Al-

Alterum ex milio panis genus in Vaſconiâ (*Miques*) vocatur, qui parui ſunt globi, ex eius farinâ ſubacti, magnitudine globos referentes, quibus palmario luſu colluditur. Hi coquuntur in aquâ, & in ientaculum infantibus offeruntur, ſinguli globuli venduntur denario. Tertium panis genus id eſt, quod braſadium appellatur, cuius vſus in bellariis eſt: ſatis eſt delicata, gratique ſaporis eſca, dicta idcirco bralarium, quòd inter prunas ardentes, Gallis *braſier* dictas, quibus panis in foco, vndique inuoluitur, coqui ſoleat. Is panis quadratæ eſt formæ, pedis longitudinem habens, & dimidij pedis aut circiter altitudinem. Obuoluitur autem ille panis braſſicæ foliis, cùm inter prunas foci ſepeliendus eſt, vt coquatur, ne cineribus conſpurcetur. Atque hæ ſunt tres panis miliaris coctionis ſpecies, de quibus loquitur *Actuar.* atque alij veteres, vt paulò poſt docebimus, in clybano nempe, in aquâ, inter prunas. In Vaſconiâ ex farinâ eiuſdem milij, pulmenta fiunt aquâ diluta, quæ ſale condiuntur, & ad conſiſtentiam coquuntur. Iſtorum pulmentorum nomen eſt Armotes, quæ deliciæ ſunt ruſticis multis in locis. Diluitur etiam farina hæc lacte, ex quâ mixtione meliores redduntur pultes. *Gal. lib. de aliment. facult. cap. de milio & panico*, hanc pultis ſpeciem ex milij farinâ factæ deſcribit: quæ ruſticis antiquitùs in cibum erat familiaris. In regione Limoxenſi, & quibuſdam aliis locis circumuicinis (vbi abundant caſtaneæ) ex caſtaneis fit panis, quo vulgus & ruſtici paſcuntur. In caritate annonæ, & aliorum granorum inopiâ, fit etiam panis ex auenâ: quod equorum magis, quàm hominum proprium eſt alimentum. Germani quodam iuſculi aut pulmenti genere. Habermuß ab illis dicto, vtuntur, ex granis auenæ mundatis, & aquâ conſtante: quod inſtar ordeati eſt: cuiuſque cibum admodum ſalubrem autumant. Inter autem omnia eiuſmodi panum genera, nullum bonitate, ſapore, ſalubritate ac nutritione ad panem noſtrum accedit, qui ex tritico aptè paratur & conficitur. Tritici autem tres aut quatuor ſunt ſpecies, quas diſtinguere expedit, vt melior ſeligatur, vnde optimus panis, ſaluberrimus, & alimentoſus continetur. Quod naſcitur in Turciâ frumentum & Barbariâ, grana craſſa producens rufi coloris, non æquat bonitate illud, quod ſpelta vocatur, cuius color albus eſt, flauus & granorum minorum, ſed firmiorum ac ſolidiorum dente iudice, quòdue maiorem reddit farinæ copiam, quàm alterum furfure abundans. Quod nobis ſedulò obſeruandum eſt, vt ſuadet *Galenus 1. lib. de aliment. facult. cap. de tritico*: vbi videre licebit, omnia panum diſcrimina, ſiue bonæ ſiue malæ nutritionis: ſiue frumentorum varietas ſpectetur, quorum alia aliis vel meliora vel deteriora ſunt: idque vel ex naturâ, vel ex variâ præparatione, vel ex traiectione per cribrum exactiore, aut negligentiore: ſiue ex fermentationis & coctionis artificio. Quæ omnia in pane conficiendo, vt ſit ſalubris & ſapidus, diligenter obſeruanda ſunt. Sequuntur quæ de his ſcribebat *Galenus eodem lib. & cap.* vbi de diuersâ frumentorum naturâ cùm diſſeruiſſet, de differentiis quoque panum, qui vel meliores vel deteriores conficiuntur hæc ſubiicit: Cæterùm medij inter mundiſſimos & ſordiſſimos panes, longè latéque pro minoris, maioriſue ratione inter ſe diſcrepant: alij namque mundi: alij ſordidi nominantur, & reuera ſunt. Præter hoc tamen aliud eſt panis genus, planè in his medium, Græci nunc αὐτόπυρον vocant, eò quòd ex confuſaneâ farinâ, furfuréue, neutiquam cretis conflatur. Illum panem antiqui medici ſyncomiſtum appellarunt, Verùm, & inter iſtos ipſos, qui ad vnguem medij inter furfuraceos & quàm nitidiſſimos panes eſſe videntur, non mediocre eſt pro varia tritici natura diſcrimen. Etenim ex denſo prægrauique ſemine, panis præſtantior, ex ſtolido leuique deterior fit. At panis quidem ſinceriſſimus, cùm à Romanis, tum ab hominibus ferè, qui illorum ſubiacent imperio, ſiligineus vocitatur: huic proximus ſimilaceus: tertio medióque loco is, quem αὐτόπυρον, vel ſyncomiſtum appellari diximus. Quartus ab his eſt ſordidus: poſtremus furfuraceus, qui inter omnes imbecilliſſimus eſt, quique quàm citiſſimè per aluum deſcendit. *Ægin. lib. 1. de re medicâ cap. 73. Actuar. lib. 2. cap. 3.* de iiſdem differentiis ſecundum Galenum loquuntur, pronunciant furfuraceum panem omnium eſſe deterrimum, & minimi alimenti. Cùm enim is ſit omni farinâ ſpoliatus, quæ glutinoſa eſt, non poteſt nec in ſeſe cohærere, vnde minùs alit, ac minùs ſalubris eſt. Ex farina tenuiſſima & ſubtiliſſima gluten fit, vinciendis ac conglutinandis multis rebus perutile, quod furfur tamen præſtare nullâ ratione queat. *Hieronymus Oſorius de rebus Emanuelis geſtis lib. 1.* Frumentum minimè ſerunt, panem à radice vnius herbæ conficiunt, portulacæ magnitudine. Hæc autem tam lethiferum venenum continet, vt qui illam crudam comederit, repente moriatur: illi verò radicem contundunt, contuſam exprimunt, ne quicquam in illâ ſucci illius venenati remaneat, tum ad ſolem exſiccant, molis deinde exterunt, atque farinam, efficiuntq; panes eiuſmodi farinâ facti, non modò ſalubres ſunt, ſed etiam grati admodum ſaporis. Quam ſententiam etiam citat *Sebaldus Mullerus*, ciuis Regiomontanus Boruſſus, in libro quem ſcripſit de panificio, Lipſiæ edito 1616. *Franciſcus Valleſius de ſacrâ Philoſophiâ capite 27.* Panis qui paratur ex aliorum frumentorum, aut leguminum (nam ex his omnibus parari ſolent in caritate annonæ) farinis, aut cum alio ſucco, dicetur panis, cum adiecto, vt panis hordaceus, typhaceus, fabaceus, aut apud Indos ex Mayz (ita illi vocant quoddam genus frumenti, ex quo parabant ſibi panes) aut panis dulciariusſaut lacticinius. *Plinius libro 22. cap. 21.* Eſt & Lotometra, ex cuius ſemine, ſimili milio, fiunt panes in Ægypto à paſtoribus, maximè aquâ, vel lacte ſubacto. Negatur quicquam illo pane ſalubrius eſſe, aut leuius, dum caleat. Refrigeratus difficilius concoquitur, fitque ponderoſior. Conſtat eos, qui illo viuant, nec dyſenteriâ, nec tenaſmo, neque aliis morbis ventris, infeſtari. Itaque inter remedia eorum habetur. *Iohannes Bapti. la porta magiæ naturalis lib. 4. cap. 16. 17. 18.* Dioſcorides tribuli genus aquis familiare tradit, quod in fluminibus natum ſemen quoddam affert, caſtaneæ magnitudine, tricuſpidatum, membranoſum, alba medulla refertum, guſtu caſtanearum, quod vulgus aquaticam caſtaneam vocat, vtuntúrque accolæ in cibis, haud ſecus quàm caſtaneâ. Qui peregrè proficiſcuntur, globulos ex illis precarios conficiunt Thraces, qui ad Strimonem amnem habitant, virenti hoc tribulo equos ſaginant, & ex eodem ſemine panes conficiunt, quo veſcantur. Adhuc in locis, in quibus apud nos naſcuntur, accolæ in annonæ inopiâ panem ex iis parare ſolent, vt à Ferrarienſibus ex caſtaneis, & Brutij fructus ſub cineribus aſſatos pro bellariis edunt. Panem ex loto conficere docet *Theophraſtus.* Naſcitur lotus in planis, vbi rura inundantur. Natura fructus ſimilis fabæ, ſed minor graciliórque qui naſcitur in capite, modo, quo faba, multus ac denſus, promiſcuè exit. Sole occidente ſe comprimit, oriente aperitur, & ſuper aquam aſſurgit, capitis magnitudo quanta papaueris, in Euphrate naſcens. Ægyptij capita ipſa aceruis putrefaciunt, quúmque tegumenta putruerint, in flumine lauando ſeparant fructum, & ſiccantes, pinſentéſque panem faciunt, eóque cibo vtuntur. Erat etiam mos antiquitus panem *ex palmis* conficere. Quod ex Plinio habetur. Palmæ in totum arentes Thebaides, atque Arabicæ, macro corpore exiles, & aſſiduo vapore torrentes, cruſtam verius, quam cutem obducunt. In ipſâ quidem Æthiopiâ friatur hæc (tanta eſt hæc ſiccitas) & farinæ modo ſpiſſatur in panem. Cariæ & Rhodo magnus eſt *ficus Aegyptia*, ſiue Sycomori, prouentus, & conuicinis locis parum tritici feracibus. Populis in annonæ penuriâ pro pane, frumentóque ſatisfaciunt, tam eius pomi reſtibilis vbertas, & copia eſt, panis ventri quidem amicus, ſed minimam præbet alimoniam, quod ex noſtratibus idem conficere poterimus. *Ari* radix eſt, quæ ob mitiorem acrimoniam eſtur, & in cibis expetitur. Dioſcorides enim decoctam vorari dixit, vtpote minùs acrem. Galenus rapi modo mandi, & in quibuſdam regionibus acrior quodammodo naſcitur. Dum rectè parare voles, prioris decoctionis aquâ effusâ, repente in alteram calidam iniicere conuenit. Cyrenus contrà, quàm in noſtrâ regione arum ſe habet: nam illic minimùm medicamentoſi, minimúmque acrimoniæ habet, adeo vt vel rapis ſit vtilius. In annonæ carentiâ etiam veteres huius radice vtiliter in cibis vſi ſunt. *Cæſar de bello ciuili*: Eſt etiam genus radicis inuentum ab iis, qui fuerant cum Valerio: quod appellatur chara, quod admiſtum lacte, militem inopiâ leuabat, & ſimilitudinem panis efficiebat. Eius erat magna copia. Ex hoc effectos panes, cùm in colloquiis Pompeiani famem noſtris obiectarent, vulgò in eos iaciebant, vt ſpem eorum minuerent. *Et paulò poſt*: Exercitus optimâ valetudine tuebatur. Et apud Dioſcoridem in ſpuriis ſimplicium nominibus, aron chara dicebatur antiquitùs. Apud nos adeò acris ingenij eſt, vt vix lingua tolerari poſſit. Sed rationem aperiemus, quomodo ex eo optimus panis confici poſſit, & ſi dicere liceret, tritico pulchrior. Emundantur radices magnæ, ſecantúrque in tenues lamellas, (nam quanto tenuiores fuerint, eò citiùs dulceſcunt) & in cortinis feruenti aqua ebulliunt, vſquequò aquam videbis acrem, & radicem aliquatenus dulceſcentem. Detracta priori aqua, infundatur altera, denuóque ebulliat, vſque, donec aliqua dulcis euadat, & radix commanducata nil prorſus acredinis reſipiat. Tunc ex aqua tollatur, miniſtretúrque in extenſis linteis, penduliſque, dum exiccetur; truſatilibus molis moliatur, & candidiſſima farina proueniet, quæ & per ſe ſola, vel ei tertia farinæ triticeæ parte addita, candidiſſimum, & ſapidiſſimum panem conficiet. Fiet & aliis modis citiùs: cùm eum aſſequeris, profectò effectu lætaberis. Maxima quoque voluptate panis *ex aſphodelo* manditur. Eſt apud nos adeo bulborum feraciſſima, vt neque alia numeroſior, L X X X. ſimul coaceruatis ſæpe bulbis. Præterea montes, & littora eiuſdem etiam feraciſſima, vt verè ad humanum cibum natus videatur. *Plinius.* Aſphodelus manditur ex ſemine toſto, & bulbo. Sed hoc in cinere toſto, & oleo addito, præterea tuſo cum ficis, præcipua voluptate, vt videtur Heſiodo. Bulbi napis modicis ſimiles. Sic etiam Galeno. Sed apud nos adeo ingrati, & acris ſaporis, vt homini in cibum non cedat, ſed vix ſues roſtro effoſſis veſcantur, nedum in annonæ carentiâ auidæ guloſitati veſcendo ſit. Priſcæ frugalitatis olus fuerat. Sed elixationibus eius vix ignauior multò, & feruor mitior redditur, vt de aro diximus: is explendæ famis ſatis erit, vt antiquitus fieri teſtis eſt Plinius. Panem ex his cum farinâ ſubactis ſaluberrimum

præbuimus

præbuimus, præſertim defectis corporibus & phthiſicis. Etiam e *rapis, napis, & ſiceribus* fit panis. Ex iis enim incoctis, elixatiſque, omnibus etiam recrementis repurgatis, poteſt fieri panis commendatiſſimus, vt iam fecimus: ſed cum farina commiſta ad tertium, vel ad dimidium, vt paulò inferiùs dicemus. Et ne longiores ſimus, de omnibus napis, radicibus vel bulbis eodem modo veſcus panis fieri poterit. Fit quoque optimus panis *è cucurbitis*. Nam & cucurbitæ vili pretio haberi poſſunt, panem ſapidum cum farina reddunt, & adeò panis molem auget, cum omnium fructuum maximus ſit, vt minima farinæ quantitate multos homines in fame explere poſſimus, eóque non ſolùm in penuriis vti, ſed in deliciis haberi poterit: nam & ſaccharo conditæ, loricatæque ad gulæ blandimenta, & ad febriles æſtus ſedandos vbique venum aſportantur. Modus conficiendi talis eſt. Sumantur cucurbitæ tumentes, rotundæ, & maturatione concoctæ, & in plures taleolas diſſectæ, duriore atque aridiore cute, & medullâ cultro mundentur: nam diuturnâ coctione herbaceum viorem, & odoris virus, & saporis faſtidium exuit, adipiſcitúrque conciuniorem odorem, gratum ſaporem, & peculiarem quandam vim alendi; nec minùs vt panis duratione perennat. In vnguinis formam iam redactam per flamineum incerniculum manibus comprimendo pertranſeat, vt ſi quæ ſuperſint minùs incoctæ partes, vel lignoſæ ariſtulæ, arctis ſtaminis foraminulis præpediantur: huic moli tertiam addes farinæ partem, & in panem commiſceas, qui quotidiano eſu placebit, & copiâ; & ad ſaturitatem ingeſtum non obeſſe, ſed moderatè ſumptum prodeſſe nouimus. Recens optimus eſt, vetus minùs ſpecioſus, & delicatus. Modum apetuimus in agnatis vtendum, nunc ſolers agere condiſcito. Fit in Campania *ex milio* prædulcis panis. Sarmatum quoque gentes hâc maximè pulte aluntur, & crudâ etiam farina equino lacte, vel ſanguine è cruris venis admiſto. Æthiopes non aliam frugem, quam mili, hordeique nouere. Panico Galliæ quædam, præcipuè Aquitania vtitur. Sed & circumpadana Italia, additâ fabâ, ſine qua nihil conficiunt. Ponticæ gentes nullum *panico* præferunt cibum. Panici farina hodie apud nos vſu neglecta, eſt enim præſicci & leuis alimenti. Ex milio panes & placentæ fiunt, ſed graues, concoctuque difficiles, & mandendo glutinoſæ, niſi mox, quum incoctæ ſunt, edantur vel valentes; aliter compactæ & ponderoſæ molis. Ex Indico *maiz* fit panis grauis, & minimè gratus, præſiccus, & terreus, milio proximus: huic affinis panis ex Sorgo dictus, etiam alimentoſi ſucci expers. Erat & apud Antiquos *ornides* dictus à à ſemine quodam Aethiopico, tam ſimili ſeſamo, vt difficile poſſit internoſci. Fit etiam panis *ex lupinis* optimus, etiam Antiquis notus: nam Didymus docet quomodo dulceſcat fluuiali, aut marina, aqua triduo maceratus; & vbi dulceſcere cœperit, ſiccatur, & deponitur, & eius farina ammiſta hordaceæ, aut frumentaceæ panificio apta exiſtebat. Nos autem hoc modo. Primò lupinis molis teruntur, & vertuntur in farinam: ex qua libræ quinquaginta in cadum ligneum coniiciuntur, quibus ſuperinii ciatur clara aqua, vt quatuor digitis ſuperſit, rudicula lignea ſæpe agitando; quieſcat pòſt, donec clareſcat aqua, & farina ſubſideat; colato aquam diligenter, ne aliquid de farina pereat; ac denuò aqua dulceſcant, quod vno die perficietur, ſi aqua pluries permutetur. Vbi id factum erit, farina in lineum pannum extenſum diſgregetur rudicula, vt aquam per lini foramina excolet, & farina faciliùs in lintei ſuperficie ſicceſcat. Interea duæ oryzæ excoquantur libræ, & incoctæ in hac miſceantur, maſſam in duas partes diuidemus, vna cum fermento, & cum centum libris farinæ triticeæ miſceatur; ex aqua panis conficiatur, altera cum frumento in ſequentem diem remittatur, quæ cum triticea farina remiſta, optimum panem efficiet, qui lupinos non reſipiet. Sed omnis diligentia in factura adhibenda eſt: nam & ſi ex optima farina non feceris, etiam vitioſus panis prodit. In recta igitur præparatione ſitum eſt opus: nam quantò ex ignobilioribus frugibus, vel legumentis fit, eò maiori induſtria præparari debet. Hoc modo ex orobis aphacis fieri poteſt, & aqua ſapor mitigatur, & farinæ admiſtione. Fiunt quoque panes *ex piſis, ſiceribus, dolichis, lentibus, & fabis*, & præcipuè *glandibus*. At non inutilis panis confectio *ex herbis*. Si quis herbam *lappam* minutè inciderit, & mola in tenuiſſimum pulueremque redegerit, & cum tantundem; vel tertium triticeæ farinæ addiderit; panem conficiet, qui in fame vorari poterit. Et aliquibus locis audiuimus à pauperibus edi, nec inſalubriter; & obſeſſos per menſem eiuſmodi panem pauiſſe.

Panis prærogatiua.

III. *Panis inter omnia eſculenta primas tenet.*

Franciſcus Valleſius de ſacra Philoſophiâ cap. 27. Inter omnia inquit, quibus veſcuntur homines, panis & vinum tenent primas, quia alij omnes cibi dati ſunt hominibus ad delicias & ad abundantiam, hi verò ad neceſſitatem & ſufficientiam; & his maximè vtuntur homines. Nullis cum maiori malo carere poteſt, & nullis magis contenta natura eſt; quia ſunt omnium optimè parabiles, mortalibus omnibus maximè communes, optimè omnium nutrientes: non tamen panis & vinum eodem modo, neque eiſdem de cauſis: ſed panis, quia ſubſtantiam habet bene craſſam, boni ſucci, & cum ſubſtantia noſtra bene agglutinatur, habétque tantò plus alimenti, quantò medicamenti minus: cùm ſit moderatum quiddam, neque calidum, neque frigidum, neque humidum, neque ſiccum, neque facultate vlla medicamentoſa, vt expurgandi aut ſiſtendi, aut laxandi: aut aliud eiuſmodi faciendi; ſed ſi quid tantillum inclinat in calidum, quo natura gaudet & fruitur. Itaque eſt panis pro omnibus cibis, quia mediocritatem tenet omnium, & tenuium & craſſorum, & facultatum medicamentoſarum maximè expers, vt ſit merè alimentum. Has ob cauſas ſymbolum eſt omnis eſcæ, ac totius nutritionis: petentéſque huic corpori neceſſaria alimenta, ſolum panem iubemur petere; quem quotidianum vocamus, quia corpora indigent quotidiana refectione.

Panis optimus.

IV. *Panis ille eſt optimus, qui plurimum fermenti plurimúmque ſalis habeat, quique plurimùm ſit ſubactus & elaboratus, ac in clibano moderatè calido ſit aſſatus: vt ſunt verba Oribaſij lib. collect. medic. cap. 8.*

Quoad piſturam panis, audire iuuat medicum ſanè eximium *Primum Andream Matthiolum in Dioſcoridem cap. 78.* Triticum, ex quo omnium optimus fit panis, eligi debet fractu contumax, denſum, graue, colore aureum, lucidum, læue, trium menſium, maturum, mundum, pinguique tertiâ ortum. Nam plerúmque euenit (teſte etiam *Galeno libro primo de alimentorum facultatibus*) vt quod foris flauum, denſúmque apparet triticum, intus rarum, laxum, albúmque conſpiciatur, quod vtique plurimum furfuris habet. Quo fit, vt panes furfuracei inde confecti, infirmum modò præbeant alimentum; verùm etiam ventriculum ipſum excrementis repleant. Farina porrò ea cæteris præſtat, quæ non ad ſummum molita, non noua, non longi temporis, & craſſi furfuris fuerit. Nam quæ ſuperfluè molitur, furfuraceos facit panes: & quæ recentior eſt, adſcititiam molæ caliditatem retinet: quæ verò iam diu molita fuit, puluere, ſitu, carie, aut viroſo aliquo odore labefactatur. Hæc deinde, dum fit panis, optimæ eſt aſſocianda aquæ, eáque ſubigenda, quæ fluxerit è laudatiſſimis fontibus, pellucida ſit, non paluſtris, neque cœnum aut limum redoleat. Quin etiam fermentum admiſcendum fuerit triticeum, non antiquum, mediocris quantitatis, ne inde ipſius abundantia panis acorem contrahat. Iniiciendum eſt & ſalis albi parum, vt panis ſapidior efficiatur. Poſt hæc farina ita ſubacta, optimè manibus pinſitur: mox maſſa illa in panes mediocris magnitudinis digeritur, qui poſtquam abundè creuerint, & fermentati fuerint, in clibanum priùs æqualiter calefactum deinè cineribus, & prunis expurgatum decoquendi immittuntur. Sed furnus iuſtæ capacitatis ſit oportet, ita vt quantitati panis proportione reſpondeat. Quippe quemadmodum modica panum quotiens, in amplum clibanum miſſa exſiccatur, ac comburitur: ita & magna in anguſto ſimul comprimitur, & decoqui nequit. Quamobrem panes (dicebat *Galenus citato loco*) ad concoctionem probatiſſimi ſunt, qui plurimum fermentati, & probè elaborati in clibano igne moderato percoquuntur. Nam profuſior ignis primo ſtatim occurſu adurens, exteriorem ſuperficiem in teſtæ modum indurat, crudis, incoctiſque remanentibus interioribus partibus. Vnde excidit, panem hunc viſu iniucundum fieri, & duplici nomine prauum: quod internè crudus ſit atque illaboratus: externè verò ſiccus, & præaſſatus. Qui autem longiore ſpatio vndique æquabiliter præaſſatur, hic & probè in ventriculo concoquitur, atque ad actiones, quæ coctionem conſequuntur, accommodatiſſimus redditur. *Ioſ. Quercetanus diætet: polyhiſt. capite 5.* ſic diſſerit de hac re: In confectione panis magnum requiritur artificium. Nam etſi tales habent farinæ, quæ deſiderantur: ſolertia tamen non leuis in ea aqua diluendâ, pinſendâ, fermentandâ, ſale condienda, dextréque pane apparando & coquendo requiritur. Vt igitur bonus concinnetur panis, palato gratus, ſalubris, & boni nutrimenti, primò optimum frumentum, quale expreſſimus deligendum eſt: quod cribro ſedulò à ſordibus emundetur: cui vt nihil deſit munditiei omni diligentiâ procuretur. Illud vt nihil deſit munquam aqua pura eluendum eſt, poſtea ad ſolem exſiccandum: ſed lolium inprimis diligenter repurgetur, veluti prorſus noxium, non tantùm quòd inebriet: ſed quòd firmiſſimum etiam quoduis cerebrum vertiginibus feriat, attonitos homines reddat atque proſternat. Farina igitur delecta, ſolerter aquâ diluenda, fermentanda, condienda ſale, pinſenda, & in paſtam panemque colligenda, qui porro inutilis aut noxius futurus ſit, ni rectè coquatur. Ex panis enim congruâ coctione, nec non eiuſdem fermentatione

tione præcipua vtilitas ac ſaporis ſuauitas exoritur. Quod *idem Galen.* exprimit eodem lib. ſupra citato his verbis: Panes autem ad concoctionem appoſitiſſimi ſunt, qui plurimum fermentati & approbè elaborati, in clibano, igne moderato percoquuntur. Nam profuſior ignis, primo ſtatim occurſu adurens exteriorem ſuperficiem, in teſtæ modum indurat: ex quo vtrobique ineptum, prauumque panem fieri contingit: vtpote qui cruda incoctaque interiora habeat: ambuſta, obarida, & cruſtacea exteriora. Ignis verò iuſto minoris vis, in totum panem nequit penetrare: ideoque illum non percoquit, ſed relinquit crudiorem, maximéque intimas partes. Qui autem longiore ſpatio vndique æquabiliter peraſſatur, hic & probiſſimè in ventriculo concoquetur, atque ad ſequentes functiones erit accommodatiſſimus, &c. In clibano igitur ſalubriùs, quàm inter prunas coquendus eſt panis. Quod ad fermentationem attinet, quæ cum fermento fit acido, ea inter cætera artificia, ſummè neceſſaria eſt: Hæc enim paſtam attollit, & leuitatem idcirco pani conciliat atque ſaporem: qui citra eam grauis & inſalubris redderetur, atque idcirco noxius & inutilis. Præterea panis mediocriter ſalſus, melior ac ſalubrior eſt inſulſo; etſi multi aliter ſentiunt.

V. *In pane oportet attendere figuram, ſaporem, & odorem.*

Præter figuram panis, quæ pro cuiuſque nationis inſtituto variat, & plerunque globoſa apparet, & vnde omnes panem facilè agnoſcunt & ſic vocant: etiam peculiarem, gratum, noſtræque naturæ congruum panis de ſe reddit non modò ſaporem, ſed etiam odorem, quorum hic nares, ille verò linguam commodè afficit. Atque ex ſapore & odore, per ſenſum guſtatus & olfactus verè panis eſſe deprehenditur, & ab aliis ciborum generibus diſcernitur. *Laurentius Loubertus de ingenti fame, cap.* 18. ait: Hinc patere arbitror, quænam ſint iſtius ſymptomatis remedia: nempe (vt *Galenus* etiam *l.* 8. *κτ̃ τόπους c.* 4. docet) odorem multum & iucundum ſpirantia: cuiuſmodi ſunt acetum, pulegium, mala, pyra, & ſimiles fructus. His addit quæcunque nidore & bonâ conditurâ delectant. Panem inſuper odorandum præbet & aſſumere cogit. *Arnoldus Villanouanus in medicinam Salernitanam*: Panis odoratu præſtantiſſimus habetur. Valenti enim ac ſuaueolenti vino imbutus & naribus admotus cor ipſum mirum in modum recreat ac corroborat, atque hâc ſane ratione ſyncope correptis vtiliſſimè adhibetur. Imò verò & ſolo eius olfactu vitam prorogari nonnulli memoriæ prodiderunt. Quod proinde à Democrito factum eſſe *Diogenes Laërtius lib.* 9. *in eius vitâ* his teſtatur verbis: Cùm iam ex ſenio deficeret, & propinquus videretur morti, mœrentem ſororem quòd ille in celebritate Cereris moriturus ipſa Deæ vota exoluere nequiret, bono animo eſſe iuſſit, paneſque calidos ſibi quotidie afferre: eos igitur naribus cùm admouiſſet, viuum ſe, dum ea celebritas tranſiret, ſeruauit. Vbi verò dies illi tranſierunt (tres autem erant) quietiſſimo ac minimo dolore concluſit vitam 109. ætatis anno. Extat ſuper hâc re Græcum eiuſdem Laërtij Epigramma, ſic Latinè conuerſum:

Quiſnam tam ſapiens viſus, qui tale patrarit
Vnquam, quale ſciens omnia Democritus?
Qui per tres tenuit præſentia fata dies, &
Illa recens cocti panis odore aluit.

VI. *Vſus panis eſt, famem inprimis depellere & corpus noſtrum nutrire, & roborare.*

Panis à naturâ, aut potiùs à Deo Opt. Max. in eum finem tributus eſt, vt famem depellat: corpus noſtrum ſaturet, alat & nutriat. Hunc vſum Scriptura ſacra toties allegat. *Iob.* 27. *v.* 14. Prognati eius non ſaturantur pane. 1. *Sam.* 2. *v.* 5. Saturi ob panem operam ſuam locant: famelici autem deſinunt. *Marc.* 8. *v.* 4. Vnde iſtos quiſpiam poſſit ſic ſatiare panibus in deſerto? *Georgius Bertinus de alimentis lib.* 9. *cap.* 3. Panis inter alimenta primas partes tenere videtur, cùm quòd plurimùm nutriat, tum quòd eſculentorum & potulentorum firmiſſimum & probatiſſimum ſit vinculum. Vnde Sacræ literæ ſub nomine panis omne genus alimenti comprehendunt. Euripides hâc re impulſus apertè pronuntiabat ad alimentum hominum nihil præter Cereris munera, & aquæ poculum opus eſſe. Quinetiam Galenus vrgentibus negotiis ſolo pane manè veſcebatur. Panis debet eſſe ab optimo tritico, farinâ bene molitâ, cribi tenuitate, farinâ ſubtiliore extractus, à furfuribus mundatus, bene fermentatus, accuratè piſtus, & coctus, leuis, non admodum recens, neque iamdiu aſſeruatus, parum ſallitus Auicennæ, & in clibano coctus. Hactenus ille. Neque verò panis ſolùm nutrit, verùm etiam confirmat & roborat humanum corpus. Hinc idem panis vocatur robur, firmamentum, aut ſcipio. *Leuit.* 26. *v.* 26. *Pſalm.* 105. *v.* 16. *Ieſ.* 3. *v.* 1. Inde etiam ſolet defatigatis ac feſſis præberi. Sic *Iudicum* 7. *v.* 15. legimus: Tradamus viris tuis feſſis panem. Et memorabile omnino eſt, quod Dauid *Pſalm.* 104. *v.* 15. ſcribit: Panis corroborat cor hominis. Hinc etiam *Plutarchus lib.* 6. *prob.* 8. memorat: panem ex omnibus alimentis maximè reficere non homines modò, ſed iumenta quoque, vt vel minimo panis fruſtulo accepto confirmentur atque progrediantur. Inprimis autem ſpiritus panis arte chymicâ extractus, tantam obtinet efficaciam, vt vna & altera guttula hominem ſenſibiliter reficiat, & miris modis confortet. Et quia panis non modò nutrit, ſed etiam corroborat hominem, ideò rectè ab Homero vocatur οὖλος ἄρτος, id eſt, ſalubris, perfectus, ὑγιὴς, ὁλόκληρος, interpretante Heſychio. Verſus extat Odyſſ.

Ἄρτον τ' οὖλον ἑλὼν περικαλλέος ἐκ κανέοιο.

Inſuper panis etiam, autore Chriſto, vocatur ἐπιούσιος, hoc eſt, qui facit ad eſſentiam corporis conſeruandam. Latinè potes vertere *ad ſubſtantialem.* Hinc *Dan.* 10. *v.* 3. vocatur panis deſiderabilis. Quia à naturâ malumus eſſe, quàm non eſſe. Latini *Matth.* 6. *v.* 11. ἐπιούσιον panem interpretantur quotidianum: quia ſit quotidiana & maximè neceſſaria alimonia. Nam & *Lucas cap.* 11. *v.* 3. vocat ἐπιούσιον καθ' ἡμέραν: vt ſic explicatum daret, quid voluerit per ἐπιούσιον intelligi: ſcilicet panem aut nutrimentum, quo in dies ad fluxam corporis noſtri ſubſtantiam ampliùs ſuſtentandam egemus. Syrus interpres vertit דסונקנן *deſunkanan*, id eſt, panem neceſſitatis. Nam ſi vllum vitæ noſtræ adminiculum neceſſarium eſt, certè panis eſt. Sed operæ pretium eſt auſcultare, quid *D. Martinus Chemnitius in harmoniâ Euang.* ſuper hâc voculâ ſcriptum reliquerit. *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodiè.* In hâc petitione, inquit, vt ad verum ſenſum perueniamus, vocabula priùs explicanda ſunt. Et primo לחם panis propriè ſignificat cibarium panem coctum, qui inciditur & manducatur, vt quando diſtinctè nominantur Panis & aqua, *Reg.* 13. *v.* 9. Panis & vinum, *Geneſ.* 14. *v.* 13. *Pſalm.* 104. *v.* 15. Et per ſynecdochen pro omnis generis cibis, vt 4. *Reg.* 6. *v.* 32. Appone eis panem & aquam. Et additur: Appoſita eſt ciborum magna præparatio. Item pro toto apparatu conuiuij in eſu & potu, vt *Luc* 14. *v.* 1. Comedere panem cum aliquo. *Exod.* 18. *v.* 12. Item lac caprarum vocatur panis, *Prouerb.* 27. *v.* 27. Radix iuniperorum vocatur panis. *Pſalm.* 147. *v.* 9. Arborum etiam fructus vocatur panis *Ierem.* 11. *v.* 19. Nomine igitur panis in hâc petitione intelliguntur omnia, quæ ad ſuſtentationem corporis & vitæ eius pertinent, ac neceſſaria ſunt. Chriſtus *Matth.* 6 *v.* 32. Iacob. *Geneſ.* 28. *v.* 20. & Paulus 1. *Tim.* 6. *v.* 18. complectuntur illa in genere appellatione alimentorum & indumentorum. Illa etiam, quibus victus acquiritur, vt agricultura, negotiatio, & ſimilia comprehenduntur appellatione panis, *Prouerb.* 31. *v.* 14. Quia verò Chriſtus in hâc petitione omnia corporalia, quæ ad vitam hanc commodè tranſigendam requiruntur, amplecti voluit: vt cùm Iſaac pro vxore precatur, *Geneſ.* 25. *v.* 21 Centurio pro ſeruo. *Math.* 8. *v.* 6. Paulus iubet pro magiſtratu, vt tranquillam vitam agamus in honeſtate, orare, 1. *Tim.* 2. *v.* 2. Et Salomon orat pro bonâ aëris temperie, fœcunditate terræ, 3. *Reg. v.* 56. Ideo vocabulum panis rectè in hâc petitione latiùs extenditur, pro omnibus iis, quæ in politiâ, œconomiâ, in terræ fœcunditate, in aëris temperie, & cæter. ad neceſſariam, tranquillam, & honeſtam huius vitæ rationem requiruntur. Porro quòd panem vocat ἐπιούσιον, quid propriè ſignificet, non inter omnes conuenit. Ante Hieronymi tempora Latina verſio habuit *quotidianum panem*: ſumptâ, abſque dubio, ratione interpretationis ex Lucâ, qui addit τὸ καθ' ἡμέραν, quod quotidie, ſeu ſingulis diebus opus eſt. Hieronymus reddidit *ſuperſubſtantialem*; quem ſequitur *Ambroſius lib.* 5. *de Sacramentis*, & addit: Non iſte eſt panis, qui vadit in corpus, ſed panis vitæ æternæ, *Iohan.* 6. *v.* 40. qui animæ ſubſtantiam fulcit. Quia enim Hebraicum סגלה ſignificat peculium, ſeu theſaurum peculiarem, quod Symmachus reddidit ἐξαίρετον, *præcipuum, eximium, peculiare*, Septuaginta reddiderunt περιούσιον, exiſtimat idem eſſe ἐπιούσιον & περιούσιον, quod vniuerſas ſubſtantias, ſeu creaturas excellit. Intelligunt igitur Cyprianus, Hieronymus, Ambroſius, Auguſtinus cibum corporis Domini. Addit tamen Ambroſius, nec diſſimulat Hironymus, ἐπιούσιον ſignificare etiam *aduenientem.* Diem enim ſuperuenientem ſeu craſtinam Græci vocant ἐπιούσιον. *Actor.* 7. *v.* 26. Et Xenophon ita loquitus τῷ ἰόντι ἐνιαυτῷ, *vertente ſeu præ'ente anno*, & ἐπιόντι χειμῶνι, 7. *ſequenti hyeme.* ἐπιόντα enim vocantur quæ futura ſunt. Et Demoſth. contra Mediam ἐπιοῦσαν ἐκκλησίαν vocat proximè inſequentem concionem. Inquiſiui etiam in ſeptuaginta verſione hoc vocabulum, & inueni illud vſurpari in hâc ſignificatone: in *Deut.* 32. *v.* 7. Vtinam intelligerent ἐπιόντας χρόνον, tempus ſecuturum. Vnde 1. *Paral.* 20. *v.* 1. Anno ſequente. *Prouerb.* 27. *v.* 1. abſolutè ponitur: Ne glorieris de craſtino: ignoras enim τί τέξεται ἡ ἐπιοῦσα, quid paritura ſit ſuperuentura, ſcilicet Dies: vbi in Hebræo ſimpliciter ponitur dies: Græci reddiderunt

dentur ἐπιούσιον. Hieronymus addit, se in Euangelio secundùm Hebræos reperisse, pro ἐπιούσιον מָחָר quod crastinum seu futurum significet. Hanc significationem Erasmus amplectitur. Et tamen significationem hanc non videtur, cùm Christus prohibet nos vitâ temporali nos in crastinum solicitos esse; & ratio interpretatur, quòd Christus iubeat petere, non panem præsentis vitæ, sed cibum ad futuram seu insecuturam vitam. Et rationem addit: quò l non verisimile sit, Christum in tam spirituali ad patrem cœlestem oratione de pane corporali locum, quem à suis parentibus etiam accipiunt Ethnici. Sed ratio hæc non constat. Vult enim Deus non tantùm curam spiritualium, sed simpliciter omnem curam nos in ipsum conijcere 1. *Pet.* 5. *v.* 7. Et Pater cœlestis nouit, quòd illis etiam temporariis nobis opus. *Matt.* 6 *v.* 32 Vult agnosci, quòd ipse sit qui dat nobis, quæ ad panem quotidianum pertinent: & irascitur, si quis aliunde quàm ab ipso, se ista accipere putet. *Ose.* 2. *v.* 8. *Ioel.* 2. *v.* 22. Mandauit etiam illa à se peti, 3. *Reg.* 8. *v.* 35. Petierunt illa Iacob. *Gen.* 28. *v.* 20. Salomon *Prouerb.* 3. *v.* 7. Cumque oratio Dominica sit forma perfectæ precationis, continens omnia, quæ Deus à se peti vult: necesse est & pani quotidiano locum tribuere, cùm in nullâ aliâ petitione contineatur. Et impium est ea, quæ ad panem quotidianum pertinent, vel creaturis vel industriæ nostræ tribuere, vel à sanctis petere, ac non statuere esse Dei donum. Potest igitur & panis quotidianus rectè significari per ἐπιούσιον. Nō enim deducitur in hâc significatione ἀπὸ τῆς οὐσίας. Sed thema eius est verbum ἔπειμι & τὸ ἐπιὸν, quod significat aduentare. Et sicut Plutarchus in Sertorio loquitur κατ᾽ οἰκίας ἐπιόντες, ostiatim singulas domus obibant, vel circumibant domesticatim. Ita panis ἐπιούσιος erit aduentarius seu aduentitius, quem non sufficit semel accepisse, aut sumpsisse, sed quem in hâc vertentium temporum vicissitudine, subinde & semper, singulis diebus seu quotidie necesse est nobis aduenire. Ita *Luc.* 11. *v.* 3. vocat ἐπιούσιον καθ᾽ ἡμέραν, panem ex manu Dei singulis diebus aduenientem, circumeuntem, aut aduentantem. Et huc conueniunt illæ compositiones, quòd Hesiodus vocat victum ἐπηετανόν, qui ad annum sufficit, & necessarius est. Plutarchus in Periclem vocat ἐφήμερον, quòd ad singulos dies requiritur. Item quia ἐπιὸν significat tempus continuò insequens, sensus erit: continuè subsequentibus subinde temporibus (für vnd für) in hâc vitâ opus nobis esse hoc pane. Vt inuocamus Patrem cœlestem singulis diebus quotidie suppeditando panem, nos pascere. Potest etiam intelligi, quod appelletur non quæsitus panis, sed ἐπιούσιος, hoc est, sicut Varinus interpretatur, ἐπερχόμενος superueniens, ne nostræ industriæ, sed Dei donationi illum tribuamus. Vel panem non esse principale, quod in oratione à Deo petendum est, sed ἐπιούσιον, *aduentitium, accessorium, adiectitium. Matth.* 6. *v.* 33. Quærite primum regnum Dei, & cætera adiicientur vobis. Sed quia adiectiua in ούσιος non solent à participijs fœmininis, vt ab ἐπιοῦσα ἐπιούσιος, formari, ideo simplicissimum est ἀπὸ τῆς οὐσίας vocabulum hoc deducere, vt ἐπιούσιος panis sit qui substentandæ substantiæ corporis & vitæ nostræ necessarius est, quasi qui ἐπὶ οὐσίαν, ad substantiam corporis & vitæ huius substentandam pertinet. Ita *Basilius in quæstionibus compendio explicatis* ἐπιούσιον explicat, hoc est, ἄρτον τὸν πρὸς τὴν ἐφήμερον ζωὴν τῇ οὐσίᾳ ἡμῶν χρήσιμον, *illum panem, qui ad quotidianam vitam substantiæ nostræ vtilis & commodus est.* Et Suidas inquit: Panis ἐπιούσιος, ὁ ἐπὶ τῇ οὐσίᾳ ἡμῶν ἁρμόζων ἢ καθηκόντως. *qui substantiæ nostræ sustentandæ conuenit, congruit, quadrat & idoneus est, vel est panis quotidianus.* Et Theophylactus exponit panem ἐπιούσιον, qui substantiæ & constitutioni nostræ conueniens est: Et addit Chrysostomum exponere ἐπιούσιον quotidianum. Porrò οὐσία significat etiam facultates seu bona fortunæ, *Luc.* 15. *cap. v.* 12. Da mihi portionem substanantiæ seu facultatum ad me pertinentium. Ab illa verò significatione deducuntur duo nomina περιούσιος, quod significat peculiarem delectam, eximium thesaurum sicut ante dictum est: & ἐπιούσιος, quod, quia distinguitur contra περιούσιον, significat vulgarem, necessariam, & sufficientem substantiam. Et Syrus interpres reddidit vocabulo deducto à סְנַק: *Senak*, vt intelligatur panis necessitatis nostræ, quo indigemus, & opus habemus. Sicut Babtista, cùm inquit ad Christum: Mihi opus est, vt abs te baptizer, hoc verbo vtitur *Matthæi.* 3. *v.* 14. Atque hoc modo panis ἐπιούσιος pulchrè congrueret ad illud, quod scriptum est, *Prouerb.* 30. *v.* 7. Paupertatem & diuitias nè dederis mihi: sed nutri me pane constituto, seu ordinato mihi, vel pane demensi. Et Græci locum illum ita reddiderunt: Da mihi τὰ δέοντα καὶ αὐτάρκη, *ea quæ necessaria & sufficientia sunt*, vel quibus sum contentus. Magnus enim quæstus pietas & αὐτάρκεια, animus suâ sorte contentus, 1. *Tim.* 6. *v.* 6. Hæc quæ ab eruditis meritò consideranda sunt hoc loco adnotare volui, vt sensus petitionis huius eò fiat planior.

VII. *Panis etiam vsum habet in medicinâ.*

Medici etiam celebrant panes & crebrò in praxi adhibent: cùm panes ægrotis magnopere salubres fiat, in primis si frigantur & in craticulis modicè torreantur, ac postea nux myristica trita eisdem affricetur. Crusta panis exterior calefacta dissipat ὀδύνας κωλικάς. Panis vino intinctus deliquio animi medetur, viresque prostratis reparat. *Laurentius Loubertus de ling. fame lipoth. cap.* 18. Omnium potentissimè reficiat & ab ex solutione lipothymiaue liberat panis vino diluto maceratus. *Andreas Matthiolus in Dioscor. cap.* 78. Meminit tritici *Galenus lib.* 8. *simplicium medicamentorum*, sic inquiens: Triticum vt medicamentorum foris impositum primi est ordinis ex calfacientium: non tamen nec resiccare, nec refrigerare manifestò potest. Habet verò etiam quiddam viscosum & obstruens. Porro quod ex eo conficitur amylum, eo tum frigidius est tum siccius. Quod vero ex pane fit catapiasma, vim habet magis digerentem, quàm quod ex tritico: nimirum cum & salem & fermentum panis adiuncta habeat: quippe cum fermentum vim habeat attrahendi, digerendique ea, quæ in alto resident. Panis triticeus ex aquâ mulsa decoctus & herbis ad idem conferentibus additus & impositus, inflammationes sedat: vt ibidem ab initio *ex 2. gen. medicam. facul. testatur Matthiolus. Plinius* autem prolixè vsum panis in medicina enumerat *lib.* 22. *cap.* 25. Panis, inquit, hic ipse quo viuitur, innumeras pene continet medicinas. Ex aqua & oleo aut rosaceo mollit collectiones, ex aqua mulsa duritias valde mitigat. Datur & ex vino ad discutienda quæ præstringi opus sit, & si magis etiam nunc ex aceto. Aduersus acutas pituitæ fluxiones, quas Græci rheumatismos vocant: item ad percussa luxata. Ad omnia autem hæc fermentatus, qui vocatur autopyros, vtilior. Illinitur & paronychiis, & callo pedum in aceto. Vetus aut nauticus panis tusus atque iterum coctus, sistit aluum. Vocis studiosis & contra distillationes succum esse primo cibo, vtilissimum est. Sitanius, hoc est, è trimestri, incussa in facie, aut disquamatâ cum melle aptissimè curat. Candidus ægris, aqua calidâ frigidâue madefactus, leuissimum cibum præbet. Oculorum tumori ex vino imponitur. Sic & pustulis capitis, aut adiectâ arida myrto Tremulis panem ex aqua esse ieiunis statim à balneo demonstrant, Quin & grauitatem odorum in cubiculis vstus emendat, & vinis in saccos additus.

VIII. *Panis vsus supernaturalis est fungi vicem sacramenti in Eucharistiâ, ex ordinatione Christi.*

Vsus panis est naturalis vel supernaturalis. Naturalis iterum est ordinarius, in vitâ quotidianâ: vel extraordinarius, in medicinâ. Vsus supernaturalis est, quòd panis diuinam vocationem, & nobile officium suscipit in Eucharistiâ, vbi est sacramentum corporis Christi, quod pro nobis in arâ crucis factum est cibus victimalis. Hoc autem officio non potest aut debet fungi panis ille imitatitius, quem hostiam vocant. Ille siquidem non est panis verus, aut συνωνύμως dictus quod ita planum facimus ex iis, quæ hactenus disserta sunt. I. Hostiæ non appellantur panis, sed *hostiæ, oblatæ, hostiolæ, minutiæ oblatarum, minutiæ numulariæ.* II. Hostiæ non pascunt, non nutriunt. quod in pane requiritur. III. Hostiæ non pellunt famem. IV. Hostiæ cum omni cibo non opponuntur. V. Ipsa exterior hostiarum figura docet, ipsas non esse verum panem. VI. Hostia non est alimentum. VIII. Hostia non est commune alimentum. VIII. Farina, quæ ad hostiam adhibetur, non est sufficiens, vt formam & proprietates panis recipiat, IX. Farina cum aqua non subigitur in hostiâ, vt massa solida inde existat: verùm liquida & fluida materies conficitur. X. Hostia non pinsitur, vti panis pinsi consueuit. XI. Hostia non est durabilis, & in solidam firmamque substantiam corporis nostri non transit. XII. Hostia non est nutrimentum nobilissimum. XIII. Hostiæ præ vino non defertur prædominium, vti pani. XIV. Hostia non firmat vires potentissimè. XV. Hostia carere possumus. XVI. Hostia non tenet primas inter cibos hominibus datos. XVII. Hostia ad necessitatem hominis nihil conducit. XVIII. Hostiâ homines non vtuntur maximè. XIX. Hostia non est optimè parabilis. XX. Hostia omnium optimè non nutrit. XXI. Hostia non est mortalibus omnibus cibus communis. XXII. Græci & Abyssini non vtuntur hostiis in Eucharistiâ. XXIII. Hostia non habet substantiam benè crassam, & boni succi. XXIV. Hostia cum substantiâ nostrâ non benè agglutinatur. XXV. Hostia non est pro omnibus cibis. XXVI. Hostia non est symbolum omnis escæ ac totius nutritionis. XXVIII. Hostia non est alimentum quotidianum. XXVIII. Modus, quo panis noster cibarius, & quo hostia fit, satis ostendit, ambo à se longo interuallo distare. XXIX. Hostiæ nec benè, neque solidè nutriunt: imò planè non-

nè non nutriunt. XXX. Hoſtiæ non ſunt iucundæ guſtu. XXXI. Hoſtiæ facile corrumpuntur, præſertim, ſi pauxillum aquæ adſpergatur. XXXII. Hoſtiæ non ſunt faciles inuentu: quippe quæ non parantur omnibus in locis. XXXIII. Hoſtiæ fere ſunt inſipidæ. XXXIV. Hoſtiæ non ſpirant odorem panis proprium. XXXV. Hoſtiæ ſunt lentæ ac viſcidæ. XXXVI. Hoſtiis ceteræ obſignantur,& folia chartarum glutinantur. Itaque vicem ceræ & glutinis potiùs funguntur, quam veri panis. XXXVII. Hoſtiæ ſunt ſubtiles & tenues. Vnde in pharmacopolis appellantur nebulæ. Etiam a vento diſſipantur. XXXVIII. Hoſtiæ repreſentant formam denarij potiùs quam panis. XXXIX. Panes, non verò hoſtiæ in oppidis atque vicis, tanquam commune & quotidianum alimentum à piſtoribus & panificibus, quos Græci ἀρτοποιοὺς vocant diuiduntur. XL. Panes non autem hoſtiæ, menſis imponuntur, cibiſque ordinatis, puta oleribus, carnibus, butyro &c. apponuntur. XLI. Panes, non autem hoſtiæ, eduntur ſiue manducantur, hoc eſt, dentibus atteruntur, qualique commoluntur: deinde linguâ in cauo oris hinc inde voluntantur: denique deglutiuntur,& in ventriculum demittuntur. XLII. Nullum poteſt dari exemplum, quòd hoſtiis aliquis vnquam fuerit enutritus. XLIII. Hoſtiæ non ſunt ἄρτος ἐπιούσιος. XLIV. Hoſtiæ non præſtant in medicina vſum illum, quem in pane obſeruauimus. XLV. Patroni vbiquitatis corporis Chriſti & conſubſtantiationis nos, qui cibario pane in Cœnâ Domini vtimur, contemtim & quaſi cauillo vocant ἀρτοφάγους, ψωμοφάγους, panivoros, fruſtivoros. Quo ipſo fatentur, hoſtias ſuas non eſſe panem. Nam ſi hoſtiæ ſunt verus panis, cur alios eo nomine cauillantur. Si non ſunt panis: iam ſententia noſtra vicit. Sed obiiciunt tria ingeniis, 1. Quod conſtat ex farina & aqua eſt verus panis. Hoſtiæ conſtant ex farinâ & aquâ. E. hoſtiæ ſunt veri panis. 2. Hoſtiarum hoſtes ipſi fatentur, veram Euchariſtiam ab iis celebrari, qui hoſtias adhibent. 3. Epiphanius meminit hoſtiæ, quando ait panem σφογγυλοειδῆ καὶ κυκλοτερῆ menſæ Domini fuiſſe impoſitum. *Reſp. ad* 1. Maior propoſititio non obtinet. Ad panem enim requiritur farina & aqua in quantitate certa, & quæ bene ſit præparata, ſubacta, percocta: non tenuis, non puſilla, non leuiter parata. Requiritur etiam forma, & proprietas panis. Sic non rectè argumentaris: Quod conſtat ex ceta & funiculo, eſt cereus. Hoc conſtat. E. Neque etiam ita: Quod conſtat ex chalybe & oſſe aut ligno, eſt culter. Hoc conficitur. E. Sic neque illud procedit: Hic eſt hordeum maceratum aqua, lupulus, & aqua. E. eſt ceruiſia. *ad* 2. Infirmitati ſimplicium hoc damus: non verò petulantiam ſophiſtarum hoc modo fouemus. *ad* 3. Epiphanius fuit epiſcopus in inſula Cypro. Atqui, Græci panem nunquam fermentatum nunquam receperunt. Quemadmodum hiſtoriæ teſtantur, Romanas & Græcas Eccleſias de pane non fermentato & fermentato mutuis excommunicationibus pugnaſſe. Deinde, Epiphanius panem Euchariſtiæ vocat σφογγυλοειδῆ, id eſt, teretem, qualis eſt τὸ σπογγύλον, & ἀκατάληπτον, id eſt, ſenſibilem, actiue videlicet, quod ſenſus ſit expers, non verò paſſiue, quaſi ſenſu non percipiatur. Hanc eſſe mentem Epiphanij hinc patet. Quærit Epiphanius, quomodo recte dicatur homo eſſe conditus ad imaginem Dei, cum non ſit Deus, neque ſpiritus, neque habeat in ſua natura, quæ habet Deus. Reſpondet in hanc ſententiam: Etiamſi homo non habeat Dei eſſentiam vel naturam, nec ſit ſpiritus, aut inuiſibilis, quemadmodum Deus: ex gratia tamen aliquas proprietates a creatore accepit quibus ex parte aliqua Deum refert: & propter has proprietates homo appellatur imago Dei. Declarat hanc reſponſionem exemplo cœnæ Dominicæ: *Panem*, inquit, *accepit Saluator ex gratia ſuum corpus: & tamen panis neque deitati, neque humanitati ipſius ſimilis eſt. Panis enim eſt teres & rotundus, nec facultatem habet ſentiendi. Dominum verò noſtrum nouimus totum ſenſum, totum ſpiritum, totum Deum, totum mouentem, totum operantem &c.* Sed concludamus hanc diſputationem hoc enthymemate: Hoſtiæ neque ab Hebræis, neque a Græcis, neque a Latinis vocantur panis ſed diſtinctis appellantur nominibus: à probaris authoribus ad nullum panis genus referuntur, imò nec referri poſſunt: non ſunt communiſſimum & nobiliſſimum nutrimentum: non fiunt ex ſufficienti materia ordinata ad ſuam formam & finem: non habent partes panis integrantes: non ſubiguntur, coquuntur, ſicut veri panis: non ſaporem odoremque panis, homini gratum & ſalubrem, emittunt: non adhibentur ad cibarios vſus: non nutriunt, aut roborant corpus hominis: non ſunt ἄρτος ἐπιούσιος: non vſurpantur in medicina. Ergo hoſtiæ non ſunt verus, cibarius, & ὁμωνύμως ita dictus panis.

SECTIO QVINTA

In quâ delineatur

OENOPOETICA.

PRÆCEPTA.



OENOPOETICA eſt ars bene conficiendi vinum.

Eſtque generalis, vel ſpecialis.

OEnopoëtica generis explicat cauſas, facultates, & generales vini differétias.

Cauſæ ſunt hoc ordine.

Finis eſt alere hominem, & exhilarare cor ipſius.

Efficiens eſt procreans, conſeruans, vel corrūpens.

Procreans eſt naturalis, vt ſol & terra inprimis; vel artificialis, vt homo qui partim plantat & curat vineam, partim vuas maturas exprimit.

Conſeruans eſt dolium purum & plenum, ſulphur &c.

Corrumpens eſt aqua impuritas dolij &c.

Materia remota eſt aqua, proxima eſt ſpiritus vini.

Forma vini ex effectis & facultatibus colligitur.

Facultates vini ſunt, quòd calidæ eſt eſſentiæ, & ſpiritibus vitalibus abundat, ideoque ad generandum ſanguinem eſt aptiſſimum, & nutriendo corpori, recreandiſque & corroborandis cordis viribus, & innumeris ægritudinibus curandis conuenientiſſimum; mentis inſuper eſt medicamentum; & inter omnia præſidia, ſumma eſt ſenectutis medicina; denique omnibus venenis aduerſatur.

Differentiæ vini generales ſumuntur à colore, ſapore, conſiſtentiâ, odore, tempore, loco, & facultatibus ſeu proprietatibus.

A' colore vinum eſt album, inſtar aquæ: vel flauum, coloris paleæ aut ſtipulæ: vel heluellum, referens colorem rubini dilutioris ac viuacioris: vel rubino vegetiori, aut coloratiori ſimile: vel granato clariori: vel denique granato rubicundiori & obſcuriori colore reſpondens.

A' ſapore vinum eſt dulce, vel auſterum & ponticum; grati ſaporis, vel inſuauis guſtus; maturum, vel non ſatis coctum.

A' conſiſtentiâ vinum eſt vel admodum tenue & ſpirituoſum, nullas aut paucas fæces gignens, qualia ſunt vina Græca & Canariana: vel craſſum & admodum materiale, magnam tartari atque fæcum copiam deponens: vel inter vtramque hanc differentiam ambigens & medium tenens.

Ab odore vinum eſt odoris grati aut ingrati, vel odore caret.

A' tempore vinum eſt recentius vel vetuſtius.

A' loco, id eſt, ſolo & terræ varietate vinum creſcit in planitie vel in monte: in terra pingui, vel ſicca &c.

A' facultatibus & proprietatibus vinum calefacit magis vel minus, replet caput vaporibus & fumis vel non, prodeſt magis ſenibus vel iuuenibus &c.

OEnopoëtica ſpecialis explicat vinum propriè & analogice dictum.

Vinum propriè dictum eſt natiuum, vel factitium.

Vinum natiuum eſt Maluaticum, Hiſpanicum, Gallicum, Rhenanum &c.

Vinum factitium est medicatum, vel sublimatum.
Vinum analogicè, vel potiùs æquiuocè dictum, est pomarium, pyrarium &c.

REGVLÆ.

Vini præexcellentia.

I. *Vinum inter præcipua alimenta secundùm panem summo iure connumeratur, estque primum nostrorum spirituum instauratiuum.*

Vinum apprimè nostræ naturæ est amicum & consentaneum. Cùm enim sit calidæ facultatis, & spiritibus vitalibus abundet, exhilarat cor nostrum, & ipse Spiritus sanctus pronuntiat *Psal.* 104. Rectè itaque *Oribasius lib.* ευποριστων *cap.* 11. ait: Vinum recreat, & calorem nostrum suscitat: atque ideo concoctiones meliores fiunt, & sanguis probus gignitur, alimentumque in omnem corporis partem à vino, quia vim habet penetrandi, diducitur. Quocirca eos, qui tenues ex morbis fiunt, habitiores reddit, & simul etiam appetitum alimentorum adfert, pituitam attenuat, bilem vrinis expurgat, iucunditatéque & alacritate perfundit animum, & robur addit. Vinum ergo, *inquit*, moderatè potum, est horum bonorum causa, immodicè verò contrariorum.

Vini delectus est habendus.

II. *Cùm vinorum variæ sint differentiæ, oportet illorum habere delectum.*

Sunt enim v. gr. vina tenuia & spirituosa longè salubriora & præstantiora terrestribus & multas fæces ex se deturbantibus. Sic vina, quæ odore carent, spiritu quoque carent, ideoque & bonitate: quòd vini bonitas in spiritu eius sit posita. Porrò pro varietate & vetustate temporis vina contrahunt variam qualitatem. Alia enim temporis spatio potentiora & calidiora redduntur: alia verò viribus imminuuntur, & breui temporis spatio fugiunt. Denique vina hìc, quàm illìc sunt meliora; nec vbique æqualia bonitate nascuntur: imò in eodem tractu, quid? in eodem vineto, vineas alias aliis vini melioris esse feraciores, alias deterioris, quotidianâ confirmatur experientiâ; siue ex soli qualitate id fiat, siue ex racemi naturâ. Sed audiamus hâc de re *Aëtium tetr.* 1. *serm.* 1. Quandoquidem verò, *inquit*, plurimas in vino differentias reperimus, distinguendum est de ipsis, quàm breuissimè id fieri potest. Rubra itaque & crassa ex omnibus ad generandum sanguinem commodissima sunt, vt quæ paruâ egeant in sanguinem transmutatione. Deinde nigra, simulque dulcia & crassa. Deinde colore quidem rufa aut nigra, compage verò crassa & habentia simul adstringentem qualitatem. Hîc minùs valent alba, simulque crassa & acerba, ad nutritionem. Minimè verò omnium alunt, colore alba, compage tenuia, & quodammodo aquæ similia. Concoquuntur autem in ventriculo, & magis distribuuntur dulcia, quàm austera, vtpote calidiore vi prædita: sed & ventrem magis subducunt. Cæterùm valde crassa & tardiùs concoquuntur, & tardiùs in corpus distribuuntur. Vbi autem ventriculum robustum nacta fuerint, vt probè concoquentur, amplius nutrimentum corpori præbent. Manifestum est autem, quòd & aluum sistunt, & vrinæ ciendæ incommoda existunt: in quibusdam crassum succum generantes. Quædam ex ipsis etiam iecur, & lienem, ac renes obturant: atque inde aliqui in aquam intercutem incidunt: aliqui è calculo laborant ex nimio ipsorum vsu, & præsertim senes. Tandem Aëtius ita concludit: Optimum vinum est, & sanis, & ex morbo se recolligentibus commodissimum, quod colore rufum, compage tenue, & leuiter subastringens existit.

Optima ratio parandi & conseruandi vinum.

III. *Vinum musteum, quod vocant, vbi ebullierit, seu fæces egesserit, dolio purissimo & modico sulphure imbuto, excipiatur idque vt semper plenum sit probè curetur.*

Et hæc quidem est simplicissima & tutissima OEnopoëtices ars. Cui subinde ab OEnopoëtis adduntur istæ obseruationes. 1. Si vinum ne acescat, prohibere velis, lardum è vasis operculo suspende. Pinguedine & salsedine prohibet separationem & attenuationem; à quibus causis acetum generatur. 2. Eâdem arte, sed non causâ, odorem mucidum à vino & vase simul tollunt, suspensis mespilis ex operculo vasis, aut vtris. Hæc in quatuor incisa, & insuta filo demittuntur in vinum per mensem. 3. Si in vase intus & extra picato conclusoque mustum positum fuerit, ac vas ipsum in flumine per mensem mergatur, toto anno dulce futurum est vinum, si ab initio tale fuerit. Nam à caliditate picis vinum seruatur in posterum; aquæ verò frigiditas, ne ferueat, prohibet: quare ne dulces partes exhalent. A calore enim mustum transit in vinum. Manet igitur & mustum, & dulce, & turbidum. Seruatur & admistâ musto albâ sinapi. 4. Si vuæ imponantur vino defæcato, & ibi relinquantur, suauissimum saporem conciliant. 5. Quòd si vinum bonum factum sit languidum, accipe vuas passas maiores, & immitte in dolium, ibique aliquamdiu relinque. Postea vinum excipe alio dolio. Ratio huius experimenti est; quia eadem sunt principia generationis, conseruationis, & reparationis. 6. Si Paterfamiliâs velit dolio vini diutiùs vti, erigat dolium, & in superiori parte operculum mobile includat, quod vino supernatet. Hâc enim ratione operculum, vino emisso, sese demittet, vinumque in vigore conseruabit. 7. Cùm vina perturbantur, antequam ex toto pereant, hoc vtaris auxilio. Oua duo, vel etiam plura, si rubrum sit vinum, cum luteo; si album, è candido solùm: lapidum fluminis contritorum partes tres, salis tenuissimè triti partes duas, misce, per tres dies quinquies, aut etiam frequentiùs diebus singulis agitando: sed priùs in vas purum transtulisse ipsum opus est. Hoc, si quid spei relictum est, curat. Nam luteum cum fæce conuenit, album cum vino. Alij calcem & arenam, salis & lapidum loco, cum albumine iungunt. Melius etiam fit, si mellis quantum salis addatur. Hæc enim tria; mel, oua, & sal, omnes purgant liquores. Cerasa etiam acida immissa, certo experimento, dum feruere cogunt, clarant. In vniuersum autem, vt dicam, clarant vinum quæcunque grauia sunt aut lenta: lenta, vt lac & oui cadidum: ob id liquores omnes illo immisso repurgantur. Grauia autem dum imum petunt; cuiusmodi sunt lapides fluminum cocti donec scindantur, & in puluerem redacti: quoniam enim miscentur & sicci sunt, trahunt quidquid lutosum est: ab hoc enim fit turbulentum. Cùm verò traxerint, descendunt in vino ad fundum, & vinum repurgant. Igitur & hoc idem sal efficere poterit: sed sapore prodit fraudem, & vinum insuauius reddit. Cur verò lac emendat vinum? quia crassi quasi factâ pingue subsidet, lactis secum trahens quod turbulentum est, aqueâ lactis in vino relictâ parte, quæ vini vitia obscuret. Solent itaque corruptum vinum in vas mundum transferre, lactisque partem decimam sensim adiicere: inde post octo dies referato vase minutim vendere. 8. Odoris vitium in vino commutabis garyophylli citrangulo vndequaque infixi, ipso verò suspenso in vase, sic vt vinum non tangat.

IV. *Vina imitatitia fiunt ex cotoneis, punicis, pyris, pomis, prunis, berberis, moris, præsertim agrestibus, mespilis, sorbis, & generaliter ex omni fructu suauem succum, salubrem, & qui seruari possit, habente.*

Nam qui seruari non potest, cùm clarescere nequeat, vinum fieri non potest: vnde neque ex persico, neque ex ceraso. Ob id zinziber, piper, garyophylla, cinnamomum, macerem, nucemque myristicam addere solent. Qui autem succi ad metam coquuntur, seruantur: sed dum spissescunt, neque potus sunt, nedum vinum. Erunt ergo defruta.

V. *Vinum sublimatum, id est, spiritus vini, paratur ex vino, vel ex facibus vini.*

Vinum album vetustate in aquam ardentem transit, si locis frigidis recondatur. At nostri œnopotæ exiguo temporis spatio aquam istam ardentem parant. Et quia similes spiritus tritico, ac omnibus frumentis granisque, ex quibus elicitur farina, insunt: ex illis quoque, solâ fermentatione, aquæ ardentis copia extillari potest, qualis ex vino prolicitur. Ex fructibus quoque, sed minore copiâ, eiusdem fermentationis vi, aqua vitæ similis extrahi potest. Quin & per eandem fermentationem optimum potus genus ex pomis & pyris conficitur, vt paulò ante monuimus: quibus sanè potibus inebriantur, qui immodicè iis vtuntur, perinde ac vino.

VI. *Vinum corruptum facillimè in acetum vertitur, hâc ratione.*

Vinum corruptum in vase excoquitur, ac despumatur assiduè, donec tertiâ parte decrescat. Conditur vasis acetum seruare consuetis, additis his etiam, quæ acetum facere solent, qualia sunt sal, piper, & serpillum: quæ herba est acris, & aceto conficiundo aptissima. Itaque acetum in genere fit sale imposito, & re quâcunque acri (vt est piper) quæ non putrescat: lucroque cedet, si siliquastrum seruetur. Fit & igne, cùm enim feruet, inde exponitur soli: aceto iam admisto, totum facilè acescit. Aliud optimum: Corna cùm rubere incipiunt, & rubi mora & centimora quæ in campis nascuntur, dum acerba sunt, sicca tere, & aceto acri excepta, in orbiculos compone. Hæc cùm siccata fuerint, extemplò vinum in acetum vertunt. Causa horum est, quòd ignis & sol humidum pingue euanescere faciunt: vnde acescit, quoniam substantia tenuis est: at si crassa, vertuntur in salsedinem, inde in amaritudinem. Compositio verò hæc acida est potentiâ, in quâ calor est cõclusus, qui quidquid est pinguis, exhalare facit. Porrò pyra agrestia adeo ad acetum conficiendum valent, vt ex iis & aquâ acetum optimum

paretur,

paretur, hoc modo. Pyra agreſtia triduo ſeruantur in cumulo; inde aqua ſuperfunditur pauca, ſingulisque diebus, vſque ad dies triginta. Licet etiam poſt hæc repetere:nam ſublatâ dulci parte, putredinis auxilio aqua in acetum tranſit. Dactyli enim, & caricæ, & vuæ, expreſſo dulciore ſucco, inde aquâ additâ, primò quidem ac ſecundò vinum, tertiò verò acetum acerrimum ſuppeditant. Atque hoc ſæpiùs expertum eſt. Non igitur ex aquâ propriè, ſed ex acri ſucco, dum aqua perfunditur, fit acetum. Quippe in aceto duæ ſunt partes, acris & acida:quædam igitur acrem, quædam acidum;& quædam vtrumque excitant ſaporem. Vtrumque excitat vas aceto imbutum, quo nihil eſt præſtantius,ipſumque acetum. Acrem ſaporem acria,piper, ſiliquaſtrum,allium: acidum acerba corna,pyra ſylueſtri,ac talia, tum calor quicunque,vt ſolis & ignis: proprium enim cogit exhalare. Vbicunque enim terreum purum ac fæci ſimile aqueo admiſcetur,fit acidus ſapor: fæx enim acida.

VII. *Duo ſunt ſumma genera vinorum medicamentoſorum: Alia enim ſunt ſimplicia,alia compoſita.*

Simplicia fiunt tribus modis: *Primò* cum muſto, vindemiarum tempore: ad quod inſtitutum comparandum eſt doliolum aliquod, duodecim, quindecim, vel plurium menſuratum. In vas illud indere potes abſynthij, vel roſmarini, vel baccarum juniperi &c. libras duas,tres,vel quatuor,pro lubito. Dein doliolum implebis muſto recenti, ebulliréque ſines per aliquot dies, nouum perpetuò muſtum alternis diebus reaffundendo, quò vas ſemper repletum maneat, & vinum à ſuis fæcibus repurgari meliùs queat. Poſt perfectam & abſolutam ebullitionem imple totum doliolum eodemmet muſto, & optimè claude. Sine omnia macerari & digeri, nec ante diem vigeſimum, aut menſem vnum, hoc bibendum exhibe, donec per hoc temporis ſpatium digeſtum & clarefactum ſatis fuerit. Durat per annum vnum vel plures. *Secundò* parantur illa vina omni tempore, hoc modo. Pone e.g.abſynthium minutim inciſum, vt vas vitreum, ita vt impleat tertiam eius partem, vel vltra: affunde vinum album optimum, vſque ad ſummitatem ferè vaſis vas optimè clauſum, ponatur in repoſitorio,aut loco quodam tepido, ad macerandum per decem aut duodecim dies. Interea temporis vinum extrahet abſinthij virtutem atque ſaporem,quod in phialâ illâ relinque; & loco eius quod in quotidianum vſum detrahitur, reaffunde nouum vinum generoſum. Ita enim habebis vinum abſinthites, quod diu quoque ſeruari poteſt. Ad eundem modum præparantur vina ſimplicia ex floribus roſmarini, baccis iuniperi, radicibus acori & angelicæ, floribus ſaluiæ &c. Sumitur autem nomenclatura vini ab ipſis ſimplicibus e. gr. vinum enulatum, vinum bugloſſæ, vinum de tuſſilagine, vinum aniſi,vinum ſantalinum,vinum paſſulatum &c. *Denique* potes ex tempore parare huiuſmodi vina,ſi extractum cuiuſque herbæ, vel ex præſcripto artis ſpagiricæ, vel modo vulgari conficias. Nam eiuſmodi extracta diu ſeruari poſſunt. Sic igitur, quoties libuerit, cum vini optimi menſurâ vnâ, infundes drachmam vnam aut alteram extracti, quantum voles,& habebis vinum aromaticum. Licebit quoque aliquot guttulas infundere vitro,& vinum agitatum confeſtim ebibere. *Vina medicata* compoſita ſunt vulgaria,vel rariora:particularia, vel Catholica. *Inter vulgaria* facilè excellit *vinum Hippocraticum*, omnium vinorum aromaticorum delicatiſſimum, quod recentiores medici *Claretum* vocant. Hippocratici communis deſcriptio eſt eiuſmodi. ℞. vini rubri, vel albi optimi lib.decem: cinnamomi vnc.vnam & dimidiam; garyophillorum ſcrupulos duos;cardamomi,granorum paradiſi ana ſcrupulos quatuor; zingiberis drachmas tres. Omnia craſſo modo contuſa macerentur in dicto vino per tres aut quatuor horas, addendo ſaccari albiſſimi ſeſquilibram. Tranſcolentur per manicam aliquot vicibus,& fiat Hippocraticum. Nonnulli tantam aromatum copiam exoſi, id præparant ex ſolo cinnamomo & ſaccaro.Sed alij vim eius calefaciendi paulò plus acuunt pipere,vel zingibere,vel garyophyllis. Hyemis ferè tempore ſumitur cum pane toſto ad corroborandum ventriculum. Porrigitur etiam in quartanis, & aliis affectionibus ex frigida cauſa profectis. *Hippocratici ex temperanei*,vbi vis locorum faciendi modum ſuppeditat ars ſpagirica:vbi iuxta eundem modum poſſunt etiam omnis generis extracta,& remedia ſpecifica,ad diuerſos affectus præparari. Recipe cinnamomi vncias duas vel tres;garyophillorum vnciam ſemis;zingiberis,piperis longi cardamomi,granorum paradiſi,galangæ ana drachmas duas;nucis muſcatæ ſeſquidrachmam: craſsè contuſa & mixta omnia, macerentur in ſpiritu vini, in vitro optimè clauſo, poſitóque in B. M. per tres aut quatuor dies: vel donec ſpiritus vini colores & virtutes aromatum omnes extraxerit. Frigefactum vas aperi, & ſepara tincturam per inclinationem: quam in phiala peculiari ſerua ad vſum. Fæcibus ſeparatis reliquam aromatum partem fortiter exprime per linteum: quam in aliis phialis ſeorſim ſerua ad vſum. Sed prior tinctura eſt præſtantior hac poſteriori. Vel, ſi placet,poteris ea omnia poſt macerationem filtrare & colare per manicam,idque ob extractionem promptiorem virtutum rerum aromaticarum. Eiuſmodi extracta diu ſeruari poterunt. Sic igitur quoties libuerit, cum vini optimi menſura vna infundes drachmam vnam aut alteram extracti, & ſaccari quantum voles: & habebis vinum aromaticum. Ad hoc inſtitutum cumprimis valet oleum ſaccari, cum albumine ouorum indurato factum. *Alius modus faciendi Clareti.* ℞. vini Maluatici, aut vini albi optimi menſuram vnam & ſemis, quæ faciunt libras quatuor aut quinque. Pone in vitro aut pellicano:addendo garyophyllorum,nucis muſcatæ,macis,ana ſeſquivnciam: zingiberis, cardamomi ana vnc. ſemis:coriandri,aniſi, fœniculi, ana drachmas tres: radicis angelicæ, zedoariæ, ana drach.duas: diptamni,florum roſmarini, bugloſſæ,ana pugillos duos: aut in eorum locum accipe eorundem conſeruarum ana ſeſquiunciam: tabellarum aromatici roſati vnc. vnam: ſaccari albiſſimi lib.vnam: omnibus craſſo modo contuſis, & inuicem mixtis, infundantur cum vino, & ad macerandum ponantur in B.M.tepido,vaſe bene lutato,per duos aut tres dies. Poſtea colentur per manicam aliquot vicibus, vt ſpecierum virtus meliùs extrahatur. Huius vini,quod diutiſſimi ſeruatur in lagenis clauſis, manè exhibe vnum aut duo cochlearia. Hoc Claretum corroborat omnes facultates, & reficit ſpiritus animales, vitales, & naturales. Hinc conducit vniuerſis cerebri affectibus: item cardialgiæ, lypothymiæ, ſyncopi,aliiſque cordis affectibus. Eſtque medicina præſtans contra omnes imbecillitates, cruditates, & flatuoſitates ventriculi: corroborat iecur & lienem: medetur omnibus cachexiis, melancholiis hypochondriacis, & hyſtericis affectionibus: præſeruat corpus è peſte, vermibus,& aliis putrefactionibus. Si eo vti voles in affectu aliquo curando, addenda erunt ea,quæ huic fuerint appropriata & ſpecifica; quorum quantitas cæterorum ingredientium pondus ſuperet:vt in epilepſia adiicienda eſt radix pæoniæ cum ſuo ſemine,ramenta cranij humani,flores tiliæ,lilij conuallium,calendulæ, & ſimilium, ex quibus fiet Claretum antepilepticum. Sic itaque fieri poſſunt vina ſpecifica ad particulares affectus, per additionem remediorum ſpecificorum ad Claretum catholicum.Sed & alia ratione parantur vina particularia,e.g.vinum antinephriticum, vinum chalybeatum, vinum aphthalmicum, vinum purgans &c. quorum apparatum vide in *Diætetico polyhiſtorico Quercetani part.3.c.vlt.* Nos vnum & alterum inde huc transferamus. Ad præparandum *vinum antinephriticum*,muſto impleatur doliolum ſex menſurarum: in quod priùs indideris alkekengi mediocriter exſiccati ſeſquilibram: radicum reſtæ bouis & iringij exſiccatarum, & in taleolos ſectarum, ana vncias ſex: ſeminum perſonatæ, ſaxifragiæ, milij ſolis,ana vncias tres: florum geniſtæ, maluæ, biſmaluæ, ana pugillas quatuor. Omnia macerentur obturato vaſe, per tres hebdomadas vel vnum menſem. Huius vini accipiendæ ſunt vnciæ duæ,per quatuor dies, horis matutinis, idque decreſcente luna:purgatione præmiſſa cum bolo caſſiæ. In purgantibus etiam remediis vinum pro baſe & fundamento poteſt adhiberi. Sic *vinum purgans ex ſena*, omnibus vtile, & quouis tempore factu facillimum,paratur hoc modo. ℞.ſenæ vnciam ſemis:pone in vitrum, addendo cinnamomi contuſi drachmam ſemis, garyophyll. N. quinque aut ſex, vini albi quantum ſufficit: claude vitrum cum charta, addendo,ſi voles,modicum ſaccari. Omnia macerentur in loco frigido per dies tres,quoad vinum ſufficienter tinctum ſit. Huius vini ſumantur cochlearia duo vel tria manè,cum iuſculo,ac tantundem ſerò; idque continuetur ad dies duos vel tres. Blandè & vtiliter corpus purgat. Ad extremum parantur varia vina medicata compoſita ſimplici infuſione: eáque paſſim ſunt vſitata apud magnates & ditiores. Adhibetur autem vinum tanquam vehiculum quoddam catholicum, quod ipſum quoque pollet virtute medicinali, vt paulò antè monuimus.

SECTIO SEXTA,

In quâ delineatur

ZYTHEPTICA.

PRÆCEPTA.

ZYTHEPTICA, siue zythopoëtica, est ars benè conficiendi cereuisiam.

Cereuisia est potus ex aquâ, Cerere seu frugibus, & lupi salictarij floribus, coctione artificiosâ paratus, & defæcatus, ad sitim restinguendam,& naturam hominis exhilarandam.

Ea consideratur in genere,& in specie. Vnde zytheptica est generalis & specialis.

Cereuisia in genere spectatur quantum ad causas, effecta, & adiuncta.

Causæ sunt quatuor; finis & efficiens, materia & forma.

Finis cereuisiæ est, vt sit vicaria vini.

Efficiens ipsius est zythepsa, seu cereuisiarius.

Materia frumentum, lupulus, & aqua.

Forma cereuisiæ resultat ex præparatione,coctione, & asseruatione ipsius.

Præparatio est,quâ frumentum ita paratur,vt fiat inde polenta.

Coctio est, quâ cremor polentaceus decoquitur, additis lupulo, & fæcibus cereuisiariis.

Asseruatio est,quâ cereuisia ritè cocta in dolia infunditur,ibique probè asseruatur.

Effecta, siue facultates & vires cereuisiæ variant pro diuersitate materiæ, coctionis, loci, & similium circumstantiarum.

Adiuncta sunt inprimis duo; videlicet multiplex conditura cereuisiæ, & ipsius vsus in variis cibis & medicinis.

Cereuisia in specie varias habet differentias,quarum aliæ sumuntur à materiâ, aliæ à parandi ratione & cocturâ, aliæ à conficiendi tempore, aliæ à loco vbi paratur, aliæ denique à consistentiâ, sapore, colore, odore, ætate,& viribus seu facultatibus.

REGVLÆ.

Zytheptica quam præstans ars?

I. *Zytheptica est ars admodum excellens; quia docet parare potum vini vicarium.*

Cereuisia enim nihil est aliud, quàm vini vicaria; vt ex viribus & facultatibus vtriusque colligere licet. Sicut enim vinum calefacit, & exhilarat,& inebriat: ita etiam cereuisia. Meritò itaque ars de ratione conficiendi cereuisiam, eiusque naturâ, viribus & facultatibus, accensetur iis,quæ primatum obtinent in artibus mechanicis physicis. Huius itaque artis lineamenta ducamus, secuti *Thaddæum Hagecium ab Hayck, & Iohannem Placotomum*; qui de cereuisiâ eleganter scripserunt. Ille cereuisiarum temperamentum calidum & humidum; hic, calidum & siccum esse pronuntiat, Nos pleraque Hagecij huc transferemus.

Quot sint genera potuum:

II. *Tria sunt in vniuersum potuum genera,quibus omnes homines vbiuis terrarum, tam sani quàm ægri vtuntur: Aqua,Vinum,& Cereuisia,quorum singula in plurimas diducuntur species;& hæ multum à se inuicem formâ,parandi ratione,denique viribus & facultatibus differunt.*

Ac vt de aquâ potabili simplici initio dicam, ea ab initio conditi orbis, vsque ad Noha illum præconem iustitiæ,communis erat potus omnibus animantibus. quo quandiu vtebantur homines illius seculi,simplicique cibo contenti erant,ignari Apicianarum lauticiarum & obsoniorum, ad mille propemodum annos vitam producebant.Aqua enim cùm ad vitæ longitudinem, tum ad valetudinis conseruationem plurimùm confert. Post diluuium autem, ipso Nohâ omnium primo vineam plantante:& per hunc vsu vini innotescente,cùm antè nec vini culturæ, nec vini vlla fuisset mentio,decuplo propemodum dies vitæ abbreuiatos esse animaduertimus: hanc quoque,proculdubio, ob causam, quòd isto genere potus plurimi, absque discrimine sexus & ætatis, & absque modo vterentur; vt non frustra Salomon videatur conquestus, plures crapulâ quàm gladio perire. Quòd si circumstantiæ considerentur patefacti vsus vini,inueniemus potum hunc non omnibus passim fuisse liberum. Nam Deus Nohæ iam seni, & annis grauato,hoc nouum genus potionis & inusitatum ostenderat:vt naturam suam labefactatam & quasi laxatam, tum curis molestiisque grauissimis, quas pertulit in arcâ, audiens clamores,eiulatus,& interitum miserrimum vniuersæ terræ, tum mole & diuturnitate laborum, quam sustinuisse illum oportuit in arcâ, in alendis & curandis tot animantibus toto illo diluuij tempore, irrigatione suauî, bene nutriente, & vires languidas reficiente restaurantéque potu, quodammodo reficeret, recrearet,confirmarétque. Senes enim duabus potissimum rebus, teste Solone, delectari consueuerunt: Bono vino, & suaui colloquio doctorum. Hinc illæ leges manasse videntur, vt adolescentes ad duodeuigesimum annum, fœminæ autem per totam vitam vino abstinerent; quarum illa Athenis, vt est apud *Platonem 2. de legibus*: hæc verò apud veteres Romanos religiosissimè obseruabatur. Inuento ergo vsu vini,aqua communis (vt antè dixi) omnium animantium potus, paulatim sperni cœpit & negligi, tanquam pro belluis,non pro hominibus creata esset:vinum verò,veluti verissimum Nectar, ab omnibus expetebatur. Habebat tamen & illa suum locum. Scribit enim *Iulius Frontinus* Romanos fuisse contentos per annos 440.vsu aquarum: quas aut ex fluuio Tiberi,aut ex puteis, aut ex fontibus hauriebant. Imo & hodie quoque propellus, infirmáque plebs, eandem Romæ,ita vt ab asellis gerulis importebatur, bibit. Sed delicatiores opulentioresque aquam illam Tiberinam in grandibus vasis fictilibus, in cellis vinariis asseruant: quæ incorrupta durat,non in dies solùm multos, verùm in menses & annos:id quod mirum cuique videri haud immerito possit. Sed ars quædam peculiaris habetur conseruandi illas aquas: quæ priscis illis seculis prorsus fuit ignota. Eo enim modo, vt diximus, reposita, celerius opinione liquescit, ac subsidet, potuique & cibis idonea efficitur. Legimus etiam Reges Persarum, qui postea amisso imperio Parthi sunt dicti, solos ex Choaspe amne bibisse:imo & ex Euleo, qui Susarum arcem, vbi vetus Persarum regia, circuit, eosdem *Strabo* bibisse existimat, propter leuitatem. Denique *Agathocles,apud Athenæum*,meminit cuiusdam aquæ,quam auream Persæ vocabant, cuius essent scaturigines 70. quam nulli, præter Regem, eiusque filium natu maximum, bibebant: quia potus eius capitis periculo interdictus fuit. Cùm autem temporis progressu simplicis aquæ potatio vilesceret; & iam etiam pluribus vinum expeteretur; ab omnibus tamen haberi minimè posset; siue ob illius raritatem ac penuriam,siue etiam ob ignorationem culturæ,& agricolationis; siue ob locorum vinis ferendis incommoditatem:quòd nec cœli nec soli haberent satis, & quia non omnis fert omnia tellus: fortasse etiam inuidiâ æmulationéque gliscente; quòd alij tam suaui, iucundo, & vires mirificè restaurante confirmantéque potu, veluti diuino nectare,vterentur; ipsi verò eo carerent,communi cum brutis vtentes potione: in defectu tam salutaris liquoris, animo versare cœperunt, quomodo aliquâ saltem in parte vinum æmularentur. Itaque à simplici aquarum vsu ad compositas, & arte mangonizatas conuersi sunt: quarum infinitæ propemodum sunt species & differentiæ. Eas qui volet cognoscere, *Plinium lib.31.cap.2.* consulat. Hodie apud Turcos,qui, ex lege sui Mahometi, à vino abstinent, Saccharata in vsu est: quâ ipsorum Rex, cum suis proceribus, vtitur, & non secus, ac nos generosissima quæque vina, in deliciis habere dicuntur. Est etiam aqua alia mellita, alia ex lacte & melle confecta, plurimum inebrians; quibus Lithuani, Rutheni, Moscouitæ, & Sarmaticæ gentes, vtuntur. Sunt qui ex auenâ etiam potum, cerebrum nimium percellentem, præparant: alij ex hordeo, milio, aniso, fœniculo,passulis,aliisque id genus vel seminibus.

vel

vel fructibus, vt pyris & malis, vel etiam plantis & aromatis conficiunt: idque aut per coctionem, macerationemque, aut per destillationem: quas ſingillatim explicare, non eſt præſentis instituti. Vinorum etiam genera, ſpecies formas, illorumque differentias ſumptas à colore, odore, ſapore, conditurâ & parandi ratione, viribus item & facultatibus, non perſequar hoc loco. Videatur de his *Plinius lib.* 14. *Galenus lib.* 7. 8. 12. *Methodi: item* 5. *de Sanitate tuendâ*, vbi copioſe de his diſſeritur. Perſiſtam igitur in eo genere potus, quod aquam habet ſubiectam: quam variis qualitatibus imbuere homines conati ſunt: vt hinc quoque mirificum hominum ſtudium intueri liceat: quòd hi in inueniendis, concinnandis, ac palato accommodandis potuum generibus, nihil non tentaſſe videantur: imò nulla in parte operoſior videtur, & olim fuiſſe, & etiamnum eſſe vita humana, quàm in effingendis potuum generibus: tanquam non ſaluberrimum ad potum aquæ liquorem dederit natura, quo cætera omnia animantia vtuntur: id quod *Plinius* quoque *lib.* 14. *cap.* 22. teſtatur, quando ſcribit: homines non ſegniter in eo laboraſſe, ingeniumque veluti oſtentare viſos eſſe, dum ad bibendum. 195. genera potuum, ſi ſpecies verò æſtimentur, pene duplici numero, excogitarunt. Plurima verò potuum genera ex illis vel penitus interiiſſe, vel obliterata eſſe, nullum eſt dubium: ſicut viciſſim noua & antea inaudita ſequentibus ætatibus, & nunc etiam ætate noſtra excogitata, in vſumque hominum prodita eſſe, nemo inficias ibit.

III. *Potus, qui ex granis frumentaceis conficitur, variam habet appellationem.*

Ac primo quidem cereuiſiæ appellatio ſumpta eſſe videtur à Cerere, olim Dea, inuentrice frugum: quæ & ipſa ſæpiſſimè pro ipſo frumento, ſeu etiam, pane ſicut liber pro vino, per metonomiam denominatur: quaſi dicas potum frumentaceum. Quando vero appellatio cereuiſiæ primùm nata, quomodoue ad nos vſque propagata ſit, definire difficile eſt. Nam etſi à Cerere, vt dictum eſt, originem ſuam ſumpſiſſe nullum ſit dubium: tamen vnde reliqua particulæ adiectio irrepſerit; ipſiuſque integri nouique nominis cereuiſia vnde denominatio orta ſit: qui id declarauerit, audiui neminem. Itaque quid *Viſia*, aut cuius linguæ vocabulum ſit, me ignorare confitebor libenter. Conſtat nec Græcum eſſe, nec Latinum, nec Italicum, nec Hiſpanicum, nec Gallicum, nec Germanicum, nec Slauicum vel etiam Henetum: & tamen apud ſolam Germanicam & Henetam gentem Latini nominis appellatio cum ipſâ rei poſſeſſione, ad hæc vſque tempora perſeuerat: niſi fortè dicere velimus, à viribus Cereris ſortitam eſſe illam appellationem, quòd Cereris, ſeu frumenti vis tota in aquam ſit incocta. Vnde vulgo dicimus, *Cereuiſia*, q. Cereris vis in aqua. Sed hæc miſſa faciamus. neque de oratione iſtius Cereuiſiæ appellationis diſputemus ſcrupuloſius: ſiquidem conſtat omnibus, quid eo nomine intelligamus. Vtut ſit igitur, nomen hoc, quocunque tandem authore inuentum ſit, multo recentius eſſe videtur ipſo potu frumentaceo antiquiſſimo. Nam Ægyptios primos huius potus authores fuiſſe, non vſque adeo longo decurſu annorum poſt obitum Nohæ, ſcriptores teſtantur. In hoc tamen iſtorum diſcriminatæ ſunt ſententiæ, quod vnam & eandem rem, ſeu vnum illud potionis frumentaceæ genus, non vno nomine vocauerint. Nam potum ex hordeo confectum appellabant Zythum, vt & *Theophraſtus*, & *Plinius lib.* 22. *cap.* 25. author eſt, vbi in hæc verba ſcribit: *Ex frugibus fiunt potus, Zythum in Ægypto: Celia & Ceria, in Hiſpania: Ceruiſia, & plura genera, in Gallia, aliiſque prouinciis.* Græci vero varias illi indiderũt appellationes. Vocauerunt enim οἶνον κρίθινον, id eſt Vinum hordeaceum, ex hordeo confectum potum. Eundem Ariſtot. (Athenæo teſte) πῖνον vocauit. vnde Bohemis, & genti Slauicæ, appellatio deducta eſſe videtur, qui vernaculâ lingua omnem potum frumentaceum *Pimo*, & οἶνον *Vino* nuncupant. Etenim Bohemicum idiomia cum Græcis magnam habet affinitatem: quam cum ipſis comparaſſe videtur ob vicinitatem & conſuetudinem, dum in Paphlagonia, Galatia, & Aſiâ minori, domicilium habuiſſet, ante bellum videl. Troianum, & longè quàm in has, quas nunc incolit regiones, commigraſſet. Cuius rei vel hoc indicium eſt, quod plurima vocabula, numerus dualis, figuræ locutionum, & alia Bohemis cum Græcis ſint cum eadem, tum communia. Verùm hæc non huius ſunt inſtituti. Sunt alij ex Græcis, qui eundem potum hordeaceum βρῦτον dixerunt, vt *Sophocles in Triptolemo, & Hecatæus in Europæ periodo*, vbi Pæonas βρῦτον ait bibere ex hordeo, παραβίην vero ex mile & conyzâ. *Diodorus Siculus* Zythum non ſolum in Ægypto, ſed in Galatia quoque fieri affirmat his verbis: *Tanta eſt Galatiæ aëris frigiditas, vt neque vinum ea regio, neque oleum producat. Quare coacti homines, potum ſibi ex hordeo componunt, quem appellant Zythum.* Dioſcorides etiam duo genera potus ex hordeo olim facta fuiſſe tradit: quorum alterum, Zythum; Alterum, Curmi nominat. Sed nec is, nec vllus veterum aliquam laudem illi potui tribuunt, nec etiam quænam illius parandi ratio fuerit, deſcribunt. Quo fit, vt neque coniecturâ quidem aſſequi poſſimus, quantum noſtra conficiendæ Ceruiſiæ ratio à priſco illo frumentaceo potu differat. Hoc tamen habent commune, quod ex hordeo & aliis granis parantur. Sed facilè adducor vt credam, in parandi ratione plurimum noſtram ab illa veterum differre. *Auerroes* etiam, qui vixit circa annum Domini 1 ... *in ſuo Colliget lib.* ... *cap. de dimen... tion ... cibi*, meminit Ceruiſiæ: quam confici ſolitam ſuo tempore dicit ex paſſulis cum nucleis & ſine nucleis: ſed hanc quæ ſine nucleis fiebat, meliorem eſſe ſenibus. Item laudat veterem Ceruiſiam & quæ habeat colorem Vini: *Sicut*, inquit, ... *fit, vetus non appellatur, niſi ſpatium ſex menſium tranſierit, & in minori tempore non eſt conueniens ...* Sic Auerrois ætate Ceruiſia tota ſubſtantia diuerſa fuit à veteri illâ & modernâ: vt quæ non ex granis frumenti, ſed paſſulis fiebat. Eſt itaque Cereuiſia potus ex aqua, Cerere ſeu frugibus, & lupi ſalictarij floribus, coctione artificioſâ confectus, ac ritè defæcatus: vt corpora humana, natiuo humore ob continuum effluuium exhauſta, rurſus vtili irrigatione reſtaurentur refocillenturque; denique vt ſatis fiat naturæ ad ſitim reſtinguendam

IV. *Ceruiſia triticea eſt reliquarum menſura.*

Cereuiſiæ triticeæ prærogatiua.

Dicemus inprimis de forma conficiendæ Cereuiſiæ triticeæ ſeu albæ: vtpote cuius vſus per vniuerſum regnum Bohemiæ & Poloniæ, imo etiam in quibuſdam Germaniæ prouinciis & vrbibus aſſiduus eſt. Nam ad formam illius, mutatis paucis, omnes reliquæ Cereuiſiæ parantur, ſiue hæ ſint triticeæ, ſiue hordeaceæ, aut mixtæ.

V. *Frumentum prius maceretur, tum ſiccetur, dehinc in molendino redigatur in polentam.*

Frumenti præparatio

Quando igitur Cereuiſia ex tritico arte paranda eſt primum omnium triticum eligitur optimum, nobiliſſimum, præſtantiſſimumque, & quod pondere & ... cæteris præſtat: quale hybernum eſſe conſueuit; & Columellæ ... appellatur. Nam illud quod mollius, leuius, & laxius eſt, huic vſui non eſt accommodum, nec vnquam ad co... Cereuiſiæ aſſumitur. Acceptis igitur xx coris, ſeu modiis, menſuræ Pragenſis: (tot enim pro vna coctura accipiuntur ad xxiv vaſa implenda: quorum ſingula quatuor vrnas ad ſummum, continent) id per biduum, aut triduum maceratur aqua fluuiatili aut fontana in alueo grandi lateribus conſtrato, donec eluatur, & humectetur, & ſufficienti maceratione intumeſcat. Circa quam macerationem etiam aquæ delectus faciendus eſt: ſiquidem fluuiatili aqua, quæ mollior eſt fontanâ & puteali; citius humectatur madeſcitque. Ideo diligenter cauendum, ne nimium quàm par eſt, permadeſcat. Cauſa autem macerationis hæc potiſſimum eſſe videtur, vt tacita & intimius recondita in grano arefacto vis, moderata maceratione per vniuerſum grani corpus ſeſe expromat, diffundat, dilateturque. Dico autem expreſſe, *moderata maceratione*, ne videlicet vniuerſa vis frumenti tenuiorisque ſubſtantiæ quidpiam in accommodatum humorem transfundat, ſi diutius, quam vſus & res poſtulat, permadeſcat: quod aliâs in medicamentorum infuſionibus expetimus; in quibus eas præcipue vires, quæ in tenuiori ſubſtantiâ conſiſtunt, elicimus. Fit etiam hæc frumenti maceratio frigidâ aquâ, non calida aut tepida, neque in tepido loco, ſicuti in medicamentis: ne, caloris beneficio, vis grani in ipſam aquam promptius exorbeatur. Macerantur item grana frumenti integra, non confracta: ne videlicet integra grani vis facilius diſſipetur: ſed intra carnem ſubſtantiamque illius contineatur. Vbi ad ſufficientiam permaduit intumuitque, transponitur in pauimentum ſeu tabulatum ſiccum, ſæpiuſque ſpathis, paliſque ligneis verſatur, in hunc potiſſimum vſum, vt frequenti illa diſperſione diſſipationeque calorem quendam intra ſeſe concipiat; & humorem, quo initio permaduit, aliquatenus exuat. Tum vero incipit ſuauem ſpirare odorem, protruſis reſolutiſque ab interno tritici calore halitibus. Quare confeſtim in aceruos planos congeritur: ne, ſi ſparſim disiectum iaceret granum, conceptus intro calor facilè expuat: verùm firmius retineatur, intendaturque, hic labor terque repeti conſueuit. Quod dum fit, tum vi & efficacia iam dicti caloris grana frumenti diſſilire, & germina tenuia, inſtar capreolorum ſeu fibrarum, protrudere incipiunt: quibus ſeſe mutuo grana complectuntur. Hic vero iterum diligentem curam Zythepſæ, ſeu Cereuiſiarij, adhibere cupiunt: ne, præterquam præſens vſus poſtulat, granum germinet, adeoque vim ſuam præcipuam, ſua illâ germinatione, emittat. Mandant igitur ſubito illud palis ligneis verti diſſiparique ex aceruis: vt refrigerato aliquantiſper grano, & præpediatur germinatio, & quæ grana fibris ex madore enatis mutuo adhæſerunt concreueruntque, ea rurſus illâ diſſipatione, euentilationeque disiungantur diſtrahanturque. Hic labor ſummè eſt neceſſarius: diligenterque animaduertere iubent, ne quidpiam vel prætermittatur, vel ſegnius in eo opere laboretur, indeque accidat, vt ipſum granum, vel quam par eſt, ipſaque res poſtulat, in germen diffluat:

vel quod facillimè accidere posset. situm contrahat. Dissipato euentilatoque frumento, transponitur id, distribuiturque in ligneos crates, desiccaturque moderato calore, succensâ fornace, in officinâ polentariâ seu Maltariâ, lignis quernis, aut beruleis, vel etiam fagineis: vt plurimùm autem querna huic vsui accommodare consueuerunt: ac sæpiusculè in illis cratibus vertitur, lentoque, vt dictum est, igne torretur. Cuius siccationis, seu tostionis is potissimum vsus esse cognoscitur, vt & faciliùs molâ conteri possit, & aliquid acrimoniæ seu empyreumatis acquirat: vt item flatulentum spiritum, quem intra se concepit ex maceratione præteritâ, totoque eo labore, de quo dictum est, dissipet: ac ex illâ leui torrefactione aliquid siccitatis contrahat, efficaciusque detergat. Cauendum autem hîc iterum est, ne, in desiccatione illâ, vel aduratur, vel saltem nimiùm côcalescat, rufedineque imbuatur. Itaque tempore æstiuo potiùs in aëre exsiccatur, repetitâ subinde ventilatione. Hoc modo præparatum triticum, seu etiam hordeum, nouam incipit sortiri appellationem. Iam enim non triticum aut hordeum, sed polenta non commolita, seu *Bynum*, vt Aëtio placet, vocatur. Nam is hordeum, dicto modo præparatum, ita appellari vult: quam appellationem non iniuriâ ad triticum nostrum transferre possumus. Germani hanc polentam *Maltz*, vnde quidam *Maltum*, sed Bohemi *Slad* à dulcedine nominant. Post iam dictam torrefactionem, accedunt duo Zythepsæ, seu Ceruisiarij, & Bynum palis rutellisque ligneis dispergunt & euentilant, tertius leuiter aquâ conspergit irrigatque, in hunc præcipuè finem, vt & aliquantulùm refrigescat granum, & ab expiratione vtilium halituum prohibeatur: imò vt vis interna grani circumstante frigore contineatur exciteturque. Mox in aceruos colligitur, scopisque conuertitur; in quibus ita collectum relinquitur, vt quiescat, caloremque intra se conceptum retineat ad duas vel tres horas: & hunc laborem, duabus aut tribus illis horis elapsis, iterum repetunt. In illâ irrigatione cautè agendum, ne nimia fiat; non posset enim molâ conteri: sed inquinatur solùm in molendo pulmenti instar. Vsus irrigationis hic est, ne videlicet pars præstantissima grani exhalet euaporetque, ac deinde in commolitione aliquid pollinis euolet. Quæ enim exactè sicca seu tosta pinsuntur commoluntur que, tenuem puluisculum lapidi molari & parietibus adhærentem ex se spargunt, quod ne fieret, néue quicquam è potiori substantiâ in ipsâ commolitione deperderetur, in quâ non subtilis pollen, seu farina requiritur, sed ipsa rudior crassiorque contritio, aquâ irrigari consueuit. Hoc igitur Maltum, Bynum, seu polenta non commolita, saccis frumentaceis imposita, deuehitur in molendinum vt conteratur molâ, in farinam crassiorem qualis olim dicta est, vel κρίμνον, vel *polenta*. Nominabis illam iisdem nominibus, addito, differentiæ causâ, cuius farina illa sit, putâ *Crimnon triticeum aut hordeaceum, vel polenta triticea, hordeacea commolita*: *item maltum seu Bynum triticeum vel hordeaceum commolitum*: aut item simpliciter *farina crassior triticea seu hordeacea*. Hanc farinam aurigæ Ceruisiarij ex molendino aduehentes, maxima lætitiæ signa edunt, proclamantes voce stentoreâ, *Polenta, polenta*: vel quòd propediem sint habituri quo aqualiculos suos ex grâdibus illis & multùm capacibus Zythophoris, non sorbillando aut pitissando, sed largè admodum infundendo expleant distendantque: vel quòd, sicut veredarij aut Pegasei illi cursores inflato cornu seu buccinâ signum dant suæ aduentationis, monentque vt absque morâ alios recentes equos adornent: ita isti aurigæ vociferatione suâ signum dant Zythepsis, monentque vt præstò sint ad tollendam polentam contritam. Atque hæc est necessaria primò tritici præparatio in polentam commolitam: ex quâ demum Cereuisiæ coctio, modo, qui in sequentibus exponetur, instituitur perficiturque.

Cremoris polentacei præparatio.

VI. *Polenta commolita cum aquâ sic est decoquenda, vt cremor polentaceus omnem suam vim in aquam transfundat.*

Principiò in aheno amplo ceruisiario ad Ceruisiæ cocturam tantummodo destinato, fornacique imposito, aqua frontana quàm optimè decoquitur: ac ita feruens in grandes illas, amplissimaque capacitatis Cupas, seu cados transfunditur: statimque ahenum alia frigida aqua repletur, & similiter decoquitur, transfunditurque: quòd fit quaterna repetitione. Mox in illam aquam feruentem conijcitur polentæ commolitæ, quantum satis est, & consuetudo obtinuit ad vnam Ceruisiæ cocturam. Non enim eadem polentæ & aquæ mensura vbique obseruatur: sed in quibusdam vrbibus polentæ plus, in aliis minus accipitur. Inde fit, vt Cereuisiæ non eundem bonitatis gradum teneant: sed aliæ sint meraciores, dilutiores aliæ. In vrbe Pragensi pro vna coctura accipiunt polentæ molâ confractæ mensuras x x, seu medimnos Pragenses: aquæ verò tantum, vt post absolutam Cereuisiæ cocturam x x i v orcæ, seu vasa communia Cereuisiaria impleri possint. In vrbe Iglauiâ Morauiæ, vbi potior Cereuisia paratur, & Viennam etiam deuehitur, ex x i i mensuris polentæ centum vrnas Cereuisiæ conficiunt: & adiiciunt lupuli mensuras sex, aut minimùm quinque: vnde saporem amariusculum contrahit. Nat' souici mei pro vna coctura, siue ohmis sex, accipiunt hordei modios 24; lupuli, 6 vel 7. Iniecta ergo polenta, vt dictum est, in aquam feruentem, spathis & rutabulis ligneis diligentissimè fortissiméque agitatur, permiscetur que: vt feruido suo calore omnem polentæ substantiam & vim exactè in se recipiat, exhauriat, exorbeatque: ac veluti in chylum quendam, seu sorbitionem, seu cremorem viscidum, lentum, & glutinosum vertat. Quod vt faciliùs fieri possit, in hunc vsum polenta in crassiorem farinam confracta est. Huius cremoris pars aliqua, extracto epistomio è fūdo Cupæ, obiecto foramini colatorio ex stramine contexto, (ne quid vnà cum cremore etiam polentæ efflueret) in subiectum alueum demittitur: indéque illius circiter ad duas vrnas iniicitur in Caldarium: adiunctaque iustâ portione polentæ, ex cado desumptæ, validissimo igne percoquitur. Percoctum, rursus ex Caldario transfunditur in priorem cadum: permisceturque cremori, cum polentâ illic relicto. Hinc statim iterum eodem cremore replètur ahenum, coquiturque eâdem ignis vi, vt prius: ac eiicitur in cadum: & tertiò refunditur èlixaturque, vt dictum est. Postremò puro cremore, qui dulcis est, ahenum & alueus seu canalis eluitur. Hæc est cremoris iusta & omnibus numeris absoluta præparatio; quæ consistit maceratione, & ternâ elixatione. Iam non est difficile, etiam causas huius præparationis considerare, præsertim, si, quæ initiò de maceratione integri tritici in aquâ frigidâ, dicta sunt, reuocentur in animum, conferanturque cum hac confractæ polentæ in aquâ feruidâ maceratione: quibus hæc si summodo addenda, dissoluendaque esse videntur: cur post exactam macerationem polentæ, cremorisque extractionem, terna adhuc superaddita sit eiusdem cremoris elixatio? an non maceratio omnem polentæ vim, tenuioremque & potissimam illius substantiam exhauserit, in liquoremque transumpserit; reliqueritque in polentâ solùm partes crassas, terreas, & inutiles? Præterea, an tot elixationibus partes tenuiores in cremore in vapores resoluantur, relinquanturque crudæ & inutiles? Ad quæ dubia sic ego, saluo meliore iudicio, respondendum esse existimo. Etsi maceratio præcesserit, tamen, quia succus, seu cremor polentaceus, inuariatus & inalteratus, qualis in ipso corpore polentæ inuentus fuerat, extractus est: necessarium videbatur, vt is per elixationem maturaretur, inque absolutum maturationis terminum deduceretur, & nostro vsui commodior redderetur. Deinde, quia partes tenues ex substantiâ lentâ & viscida polentæ, adeoque vniuersa illius vis non potuisset sufficienter maceratione illâ elici; & ob hanc causam additam esse elixationem seu decoctionem, non solùm vt vniuersa polentæ substantia, ac latens interna vis & facultas euincatur, quæ in liquoris substantiam tota commigrat: verùm etiam crudus humor & redundans maturetur altereturque. Postremò, dico, in cremore polentaceo tenuiores partes coctione non tam facilè dissipari euanescereque, vt in aliis rebus accidere videmus præsertim in Rhabarbaro & similibus, in quibus vis purgandi, quæ in partibus subtilioribus dissipabilique substantia consistit, coctione quidem pauca euocatur: Multa verò, vel etiam diutina asseruatione tota plerunque dissipatur disperditurque. At in cremore, quoniam partes illæ tenuiores & aqueæ semper alicuius lentoris & viscíditatis sunt participes, propterea neque facilè exhalare possunt, neque, etiamsi illarum quidpiam exhalet, aliquid de viribus & facultatibus decedit diminuiturque. Nam tota vis, & facultas polentacea, in crassiore natura, lenta, glutinosa, & viscida inhæret, & altiùs demersa est, quæ non nisi coctione valida in accommodatum liquorem euocari potest. Sicut etiam idem fieri videmus in *Musto* & *Sapa*; quæ, quò magis decoquuntur, eò magis viscositas in illis augetur. Hanc igitur ob causam hîc quoque terna & valida cremoris cum polenta adhibetur elixatio.

VII. *Cremori polentaceo addere oportet lupulum: vtpote qui dat quasi formam cereuisiæ.*

Hactenus de absoluta cremoris polentacei præparatione dictum esto: restat, vt reliquam partem persequamur, quæ consistit in additione lupuli & cereuisiæ fermentatione. Excocto igitur cremore, eoque omni in cupam illam transfuso, aperto cupæ epistomio, aliqua eius quantitas defluere permittitur in subiectum alueum, indéque rursus immittitur in ahenum: in quod iniiciuntur duo cori florum lupi salictarij, ac lento igne friguntur ad consumptionem ferè infusi cremoris. Hîc verò iterum vigilantem decet esse Zythepsam, vt lupulum ritè frigat, & non adurat; vnde deinceps vel amaresceret Cereuisia, vel fumum empyreumaque redoleret. Deinde in illum lupulum frigatum, in ahenoque relictum, per adhibitum canalem tantum cremoris imponitur, quantum ahenum capere potest: permittiturque, vt aliquandiu efferuescat, donec omnis lupuli vis & faculta[s] in ipsum

in ipſum cremorem fuerit tranſlata. Quod reliquum eſt Cremoris in cado, ſeu cupa, id omne perſæpe nominatum epiſtomium cadi demittitur in ſubiectum alueum, ex eoque rurſus transfunditur in alios cados. Quod dum ſit, interea Zythepſa inſilit in dictum cadum cremore iam vacuum, ac quiſquilias polentaceas in eò relictas ſpatha lignea ſubruit & inuertit: inde mox cremorem lupulaceum ex aheno ſeu caldario ſcaphis auferri, & per calathos ſeu corbes colatorios in reliquos cados ſeu tinas, in quas cremor polentaceus diſtributus fuit, transfundi & percolari mandat. Cauendum autem hic eſt diligentiſſimè, quando cremor ille in plures tinas ſeu dolia diffunditur, ne in eiſdem perfrigeſcat emoriaturque: quod potiſſimum hyberno tempore accidere conſueuit. Quare tempeſtiuè omnis ille cremor in vnum cadum colligi conſueuit: aut, ſi quidem æſtiuum tempus eſt, in varios cados diffunditur, aſſeruaturque aliquantulo ſpatio temporis donec refrixerit.

VIII. *Fæces cereuiſiariæ omnino ſunt addendæ cremori & lupulo.*

Illi ipſi cremori in vnum cadum aut plures collecto, quando adhuc iuſtum teporem retinet, ſtatim affunditur menſura dimidiæ propemodum vrnæ fæcum ſeu craſſamentorum Cereuiſiarum, quæ Cereuiſia iam in ſua vaſa diſtributa eiicere, dum efferueſcit, ſolet. Hâc permixtione fæcum veluti plantatur aut cultiuatur Cereuiſia, fitque ex agreſti domeſtica.

IX. *Cereuiſia percocta infundatur in ſerias & curetur vt omnia vaſa ſint pleniſſima.*

Iam verò illam Cereuiſiam ex illis cadis duo baiuli cereuiſiarij vſitatis ſuis ſcaphis ſeu vrnis, traiecto per duo foramina ſcaphæ vecte, & humeris impoſito, auferunt, ac vaſa cereuiſiaria (quæ ab autoribus antiquis *feriæ*, ſeu *orcæ* vocantur: & ſunt oblonga, capacia ferè vrnarum quatuor) ſuo loco & ordine diſpoſita, implent. Hordeacea tamen Cereuiſia in picata infunditur vaſa. In his vaſis tum primùm Cereuiſia defæcari & ebullire, ac fæces illæ vim ſuam ad actum deducere incipiunt, adeò vt omnem illum locum, in quo efferueſcit, vaporibus veluti denſis nebulis repleat: in quem ſi quis fortè tum incautus ingreditur, ſubitò præfocatus concidit. Vt verò citiùs deferueſcere Cereuiſia poſſit, ſolent, præſertim hyberno tempore, prunas in eo loco collocare. Porrò in illâ ebullitione craſſamenta, quæ forâs per ſuperius vaſis orificium eiiciuntur, ſuppoſitis alueolis excipiuntur: & nominantur lupulariæ fæces, ſeu prima excrementa quoniam multum ſecum lupuli trahunt; ſuntque ipſius beneficio amariſſimæ. Omnes autem hæ fæces effunduntur in vnum dolium: in his ſupernatat ſpuma alba, inſtar lactis, quæ colligitur patinulâ ligneâ foraminibus paruis pertuſâ, & ſeorſim reponitur. Eſt enim veluti gluten quoddam, & ſeruit pileatoriis, ad incruſtandos pileos. Collectis & purgatis à glutine fæcibus lupulariis, illæ eædem rurſus ordine in ſingula vaſa, Cereuiſiâ repleta, funditur, ac Cereuiſia ab illis ſecundò ebullit, eiicitque materiam fæculentam, ſpiſſiorem aliquantò priori. Hæ fæces nominantur ſecundariæ, eſtque earum vſus ad defæcandam Cereuiſiam recens coctam, item ad panificia, omniſque generis placentas fermenti vice. Porrò poſtremus labor Zythepſæ eſt, vt curet omnia vaſa eſſe pleniſſima. Quare relinito vno vaſe, ex eo reliqua omnia replentur, operculoque obſtructorio diligentiſſimè obturantur.

X. *Abſque lupulo ſit, & cereuiſia ne cereuiſia quidem fuerit.*

Lupulus eſt is, qui dat veluti formam cereuiſiæ, & facit non modò vt ſit Cereuiſia, ſed vt benè ſit, duret, ſalubriſque ſit bibentibus. Cùm enim lupulus, cuius floribus tantummodò in hoc negocio vtuntur, temperaturæ ſit calidæ & ſiccæ in ſecundo ordine, (vt amaritudo ipſius, grauiſque ille odor, quem ſpirat, indicat) ac cremor ille polentaceus toties percoctus, lentorem & viſciditatem quandam adeptus ſit: vt & ipſum triticum etiam lentoris quiddam & obſtruentis naturæ in ſe continet, ſitque calidum primi ordinis, in ſicco verò & humido temperatum, & propterea dulce, pingue & viſcoſum: Maltum verò ſeu polenta eiuſdem naturæ cenſeatur: niſi quòd intenſioris paulò ſit qualitatis, magiſque ſicca: certè neceſſariò conſequitur, vt eâdem etiam naturâ, ipſe quoque cremor imbuatur, acquiratque partes aëreas, aqueas, commixtas: vt ipſa viſciditas manifeſtè id indicare videtur: ob quam etiam vim lubricam adeptus eſt. Si quis enim illum cremorem bibat, non ſecus ac muſtum aluum lubricat & conturbat: quoniam illud quoque viſcidum eſt, & omnia quæ lubricant, viſcida ſunt. Quæ autem ita viſcida ſunt, aëream ſubſtantiam cum aqueâ plurimùm eſſe commixtam indicant. Talis autem natura & miſtio, neque durare diutiùs, neque vſui commoda eſſe poſſet. Facillimè enim putredini & corruptioni obnoxia eſt: ac potiſſimùm ſitum & acorem contrahit. Calore enim & partibus aëreis euaporatis, ac relictis ſolis terreſtribus à calore non euictis, ſed à frigore iam ſuperatis, continuò cremorem aceſcere neceſſe eſt. Quare vt illi defectui & naturæ corruptioni obnoxiæ vtiliter occurri poſſit, prudenter profectò & eruditè cogitatum eſt de admixtione lupuli: cuius ope vtraque ea natura (putà aërea & aquea) in ipſo cremore permixta arctiùs interueniente eiuſmodi medio, veluti glutine quodam cuſtodiretur, teneretúrque, neque facilè leui aliquâ intemperie partes ſubſtantiæ in eâ miſtione ſeparentur, vniuerſumque miſtum corrumperetur, aut ſaltem mucorem aut acorem contraheret. Deinde ideo etiam adiicitur lupulus, vt amaritudine ſuâ contemperaret cremorem polentaceum, ipſiuſque vim flatulentam, quæ eſt in ipſa viſciditate, attenuaret: adeòque ſaporis conciliandi gratia, vt & ſucculentior ſalubriorque potus fieret. Poſtremò, vt aliquam acquireret vim abſtergendi, abluendi, & penetrandi. Etſi autem ea vis in pleriſque Cereuiſiis admodum exigua deprehendatur, ob paucam lupuli admixtionem, & aquæ copiam, quæ vires polentæ & lupuli nimium obtundit: tamen nos hîc non de erroribus & vitiis, quæ circa confectionem Cereuiſiæ, ſiue ſtudioſè, ſiue ex negligentia, aut lapſu quodam accidunt, agemus, ſed de vera & genuina huius potus præparatione: quæ vbi adfuerit, talem vim illi ob admixtionem lupuli ineſſe oportet, qualem modò diximus. Quamobrem acceſſoria illa vitia, quomodocunque contracta, à noſtra cereuiſia longè abeſſe volumus, lupulum ab ea nunquam excludentes: vt quem veluti animam, ſalem & endelechiam ipſius ſtatuamus. Fit tamen, vt audio, in Anglia Cereuiſia abſque adiectione lupuli, qua molliores Anglorum vtuntur. *Allam* appellant vulgari ſermone, de qua plura ſcribemus regul. 14.

XI. *Permiſtio fæcum cereuiſiarum eſt quaſi plantatio cereuiſiæ.*

Permiſtio fæcum cereuiſiarum quàm neceſſaria?

Reſtat, vt etiam exponamus cauſas permiſtionis fæcum Cereuiſiariarum. Dictum eſt ſuprà, affuſione fæcum Cereuiſiam veluti plantari: quod vt ritè perſpiciatur, duo potiſſimùm hîc ſpectari ſolent: debita videlicet fæcum ſeu craſſamentorum menſura, & tempus, quod plurimùm in hoc negocio valet; nimirum, vt tum affundantur, quando ipſa Cereuiſia iuſtum adhuc teporem retinet, nec ſit nimiùm calida, nec frigore veluti emortua. Nam cùm fæces (quæ etiam calidæ ſunt; vt amaritudo indicat) fermentationis & feruoris cauſa adiiciantur, fermentatio illa & feruor nequaquam perfici poſſet, ſi hæ vel in refrigeratam Cereuiſiam, vel in feruentem, aut nimiùm calidam infunderentur: vtpote quæ vtroque calore ſuo, actuali videlicet & potentiali, quem habet à lupulo, caliditatem fæcum ſuperaret. Sic autem fit illa ebullitio. Fæces ſunt ſubſtantiæ aëreæ, lentæ, viſcidæ; quia verò amaræ, indicant ineſſe illis partes quaſdam terreas magis aduſtas. Aëream dico, ad differentiam illarum, quæ poſt completum feruorem ſubſidunt in fundo vaſis, & terreæ craſſæque ſunt. Habent enim in ſe partes aëreas & aqueas à calido commixtas contemperataſque vt oſtêdit lentor ille & viſciditas. Cereuiſia verò eſt naturæ aqueæ, minus lentoris in ſe habens. Vtriſque his ſubſtantiis permixtis, quarum illæ aëream, hæc aqueam naturam ſequuntur, fæces, quæ ſunt aëreæ, ſurſum ferri nituntur: Cereuiſia, quæ eſt aquea & grauis, inferna petit; hiſque diuerſis motibus vniuerſum Cereuiſiæ corpus commouetur, agitatur, fermentatur, & efferueſcit; omniſque ſordities, quæ illi ineſt, per ſuperius vaſis orificium forâs eiicitur, quicquid verò eſt craſſiorum fæcum, magiſque terreſtrium, id ad fundum vaſis depellitur; & illud eſt veluti ſubſtratum Cereuiſiæ, cui ipſa incubat; &, ne facilè exhalet, tuetur. Sic natura ipſa adminiculo caloris & halituum, qui vtrique ſubſtantiæ inſunt, ſeparat partes à partibus. Porrò, quoniam in illâ ebullitione & ſpirituum agitatione ampullæ & ſpumæ apparent, eæque non modò Cereuiſiæ ſuperficiem occupant; verùm etiam vniuerſo illius corpori inſunt, illique viſciditate ſuâ tenaciùs adhærent, quamdiu cereuiſia durat; quomodo hæ gignantur, breuiſſimè indicandum videtur. Gignuntur autem illæ, vt Galenus author eſt, ex permiſtione duarum ſubſtantiarum, alterâ aëreâ, alterâ aqueâ. Ac permiſtionis cauſa eſt, vel vtriuſque ſubſtantiæ, vel vnius ſolùm violentus motus, aut vehemens calor. In mari quidem, inquit Galenus, ex violento ventorum afflatu in multas & exiguas partes attrita aqua; in polentis verò præ copia caliditatis, ſicut etiam in aquis, quæ ſubditis ignibus efferueſcunt agitanturque, ſpuma generatur. Sed continens cauſa ſpumæ hæc ſola eſt, nimirum aërea ſubſtantia, quæ dum aquæ adiungitur, violentiſſimo eam agitat motu, vt eam in partes minimas confringat diſrumpatque, ab eaque viciſſim comminuatur. Fæces igitur, quas aëreas eſſe diximus, quando Cereuiſiæ permiſcentur, in eâ permiſtione excitatur motus quidam vehemens, qualis in mari & fluminibus à vento: deinde etiam calor internus vtriuſque ſubſtan-

 tiæ,

ziæ, is efficit, vt & fæces ipsam Cereuisiam in minimas partes atterant comminuantque, & vicissim ab eâ confringantur: ex qua confractione & motu violento ampullas & spumas generari necesse est. Quæ quidem aliquando durant cum ipsâ cereuisiâ, interdum verò citissimè dissipantur & euanescunt. Cuius causa est ipsa fæcum & cereuisiæ substantia. Quò enim crassior & glutinosior substantia Cereuisiæ fuerit, pariter & fæcum, eò etiam spuma durabilior fit: quòd si tenuis fuerit, citò & facilè soluitur: sicut apparet in aqua pura & tenui. Hæc enim etiamsi à calore ignis bullas & spumam susceperit, tamen citissimè dispereunt. Hinc fit, vt bonitatem & durabilitatem Cereuisiæ nostrates homines etiam ex ipsa spumæ perseuerantia metiantur; vtpote, quæ firmissimum signum sit caloris natiui sufficientis, in quo aër ille & spiritus spumæ productiuus continetur: ac tandem etiam ipsa cereuisia manet in suo esse, expers omnis corruptionis. Sed si acciderit, quòd Cereuisiæ calor fuerit diminutus, & spiritus exhausti, vel exhalatione consumpti, tum Cereuisia fit subtilior, & veluti aquea substantia relinquitur; quæ tandem etiam faciliùs corruptioni fit obnoxia.

Cereuisia secundaria vt paretur.

XII. *Præparatio cereuisiæ secundariæ eadem est cum primâ illâ, quam diximus.*

De secundariæ Cereuisiæ præparatione, rusticorum potu, (qui ex quisquiliis polentaceis post primam Cereuisiæ cocturam relictis conficitur) non est necesse, vt inaniter de ea verba profundam. Est enim eadem prorsus forma præparationis, vt primæ: neque differt ab eâ, nisi quòd hæc dilutior sit; nec ita succulenta, vt illa.

Differentiæ cereuisiarum.

XIII. *Cereuisiarum differentiæ sumuntur à materiâ, cocturâ, tempore, consistentiâ, & similibus.*

Differentiæ Cereuisiarum plurimæ colligi possunt; sed non est necessarium, minimas quasque persequi; quando primas & præcipuas indicauerimus, reliquæ nullo negocio intelligi poterunt. *Differunt* igitur *primùm inter se materiâ.* Nam aliæ ex solo tritico, aliæ ex solo hordeo, aliæ ex vtrisque simul certa ratione mixtis & têperatis præparâtur. *Differunt* item plurimùm *parandi ratione & cocturâ.* Nam aliæ hoc vel illo modo, breuius item aut longius tempus coctuiæ exposcût; ac quæ citò percoquuntur, minùs durare solent: quæ verò diutiùs, durabiliores esse consueuerunt; nec tam facilè, vt illæ, acescunt corrumpunturque. Præterea *differunt conficiendi tempore*; cùm aliæ quouis anni tempore; vt triticea & hordeacea, diebus quibusuis per integrum annum parantur: aliæ, certo & delecto tempore; nimirum hyberno: & sub veris initium: quidam, vt Olauienses, semel tantùm in anno, & mense Martio suam ex hordeo conficiunt Cereuisiam, & ab eo *Martiantiam* vocant; quâ incolæ eius Ducatus vice medicamenti vtuntur, vbi se malè affectos sentiunt: & propterea medicinæ non magnus apud eos vsus est. Ea Cereuisia liberaliùs pota verè Martios efficit. Huic persimilis est Iglauiensis in Morauia, & multæ aliæ, quæ in Regno Bohemiæ conficiuntur: inter quas principem locum tenet *Zacensis, masculus* vocata: eò quòd aliis collata verè masculescere videtur. Proximum ab hac locum sibi vendicat *Raconicensis*; inde *Slanensis*; & tertiò *Rokyzanensis*. Postremo loco reponi possunt aliæ, his similes, vbicunque illæ parantur in Bohemia. Primas in Germania tenent cereuisia Vratislauiensis, Seruestana, Goslariensis, Bremensis, Hamburgensis, Brunsuuicensis &c. Sed non est silentio prætereunda illa Cereuisia hordeacea, quæ olim Pragæ à Collegis domus Caroli quarti patris patriæ meritiss. & alicubi in monasteriis & Xenodochiis veteri consuetudine parabatur, & *Conuentum*, (si non erro) à Cœnobiis & Collegijs nomine tracto, vocabatur: neque ita diu est, ex quo vsus illius rarior esse cœpit: imò iam propemodum nomen cum reperiisse videtur ob annonæ, lupuli, lignorum, & rerum penè omnium summam difficultatem; quę, collatione facta huius temporis ad superiora, decupli, ne quid dicam amplius, pretium excedunt. Hinc fit, vt huius quoque Cereuisiæ vsus propemodum interciderit: sicubi verò paratur, plurimùm à pristina illa Cereuisiarum bonitate salubritateque receditur degeneraturque: ac fit, vt potiùs ad panificia, quàm ad Cereuisiæ cocturam frumentum conuertant homines. Postremò, *differunt Cereuisiæ plurimùm inter se consistentiâ, sapore, colore, odore, ætate, viribus seu facultatibus. Consistentiâ quidem*; quia aliæ aliis crassiores sunt, tenuiores aliæ: illæ diutius in corpore hærent, hæ verò facilè permeant. Mediocris substantiæ omnia, etiam mediocria præstant. *Color*, qui à substantia nunquam auellendus est, is omnibus Ceruisiis est spiceus vel subspiceus, ruffus aut subruffus. Sed vulgus diuidit Ceruisias in albas & nigras, licet nullæ verè iis tingantur coloribus. Ac albas vocant triticeas; quæ colore sunt spiceo, aut subspiceo, & tenuiores: nigras, hordeaceas; quæ potiùs ruffescunt crassæque sunt. Istos verò colores contrahunt à frumento, lupulo, atque etiam coctura; quia secundùm quòd miscentur plus vel minus, diutiusque coquuntur: eò etiam colores Ceruisiarum fiunt dilutioris, aut tinctioris coloris. *Sapor Ceruisiarum* est aut dulcis, seu subdulcis, aut amarus, seu subamarus: ac triticeæ omnes dulcescunt; hordeaceæ verò aut sunt amaræ, aut saltem amarescunt, prout plus vel minus recipiunt lupuli. Nam amaror ille à lupulo contrahitur. *Odorem* videntur habere communem, nec ingratum, qualem ferè ipsum maltum, seu polenta spirant, cum lupuli odore permixto. *Ætate* differunt Ceruisiæ; aliæ enim sunt recentes, aliæ vetustæ. Denique *viribus & facultatibus à se inuicem plurimû dissident*: aliæ enim inflant, oppilant, ventriculo graues sunt, colicas, nephritides, disurias, & stranguries concitant: aliæ roborant, nutriunt, abstergunt, facilèque permeant. Sed de viribus & facultatibus Ceruisiarum pleniùs regul. sequenti sermonem instituemus.

XIV. *Vires & facultates cereuisiarum variant in genere & in specie.*

Restat, vt ex his, quæ hactenus dicta sunt, vires & facultates Ceruisiæ æstimemus; & an hæ; quas veteres illi tribuerunt, huic nostræ conueniant, excutiamus. Veteres passim omnes noxium esse potum, & multum insalubrem prodiderunt: fortasse, quòd magis fructu vitis, quàm colamine Cereali delectarentur. Hos secuti recentiores, eadem pronunciarunt: vt appareat, eos antecessorum suorum sententiam maluisse amplecti, quàm propria indagine rem excutere diligentiùs: quoniam neq; veterum, nec recentiorum quispiam plenam & integram huius potus parandi rationem scripto prodidit. Quod cùm ab ipsis prætermissum esse videamus, quacunque tandem id causa, suspecta necesse est vt sint omnia illa, quæ de hoc potu ab ipsis prodita sunt. Sed excutiamus veterum de eo tradita, initio facto à *Dioscoride*; cuius hæc sunt verba: *Ex hordeo potus fit, cui Zytho nomen est: is vrinam cit, renes & neruos tentat, membranis cerebrum vestientibus officit, inflationem parit, vitiosum succum creat, elephantiasin gignit.* Eadem ferè etiam de alio potus genere, quem *Curmi* vocat, scribit: nimirum, quòd dolorem capitis commoueat, malum succum gignat, neruisque noceat. *Galenus verò lib. 6. de simpl. med. facult.* Dioscoridem secutus eadem ferè profert in hæc verba: *Zythus acrior est non parum hordeo, & succi praui, vtpote, qui ex putredine prouenit; est & flatuosus, tum partim acris est & calidus, parte verò plurima frigidus, aqueus, acidus.* Sic etiam *P. Ægineta lib. 7.* hæc habet. *Zythum, quam Ceruisiam vocant, compositam substantiam habet: nam & acris est, velut ex putredine factus, & frigidus ex acida qualitate: quare etiam mali humoris. Theophrastus* his antiquior *lib. 6. de caus. plant. cap. 15.* dicit. Vinum ex hordeo triticoue confectum, aut quod Zythum Ægyptus appellat, ex dimotione à propriâ naturâ, leuique putrefactione fieri. Iam an hæc testimonia nostræ Ceruisiæ rectè tribui possint, alij expendant velim. Ego, siquidem scriptores illi, quos adduxi, ex putredine potum illum fieri testantur, eas vires non negauerim inesse illorum Zytho: at vt nostræ Ceruisiæ attribui possint, nunquam concessero. Non enim ex putrescente fruge, neque ex nudâ maceratione, sed ex frumento in polentam antè præparato, & in crassiorem farinam commolito, ac deinceps opitmè excocto, & lupulo temperato confecta est, vt prolixè satis à nobis expositum, firmisque rationibus communitum est: vt inde omnibus clarum & perspicuum fiat, nostram cereuisiam à Zytho veterum toto propemodum genere diuersam esse; neque vllam habere conuenientiam. Inconsideratè igitur faciunt, qui vires & facultates Zythi veterum nostræ Ceruisiæ attribuunt, ac violenter attrahunt: imò ipsi veritati magnopere fiunt iniurij. Si quis aquæ hordeaceæ vires tribueret Cremori ptisanæ in iure pulli excocto, illum certè rei Medicæ ignarum diceremus. Minùs rectè etiam iudicare dico, quòd nostram Ceruisiam, quemadmodum Zythum, ex putredine fieri existimant: quasi polentæ illa præparatio idem sit, quod putrefactio. Quod haud scio, an concedi possit, si naturam putrefactionis exactè examinare velimus. Dixerim ego alterationem potiùs, aut sopitarum in grano virium excitationem. Manet enim subiectum; non corrumpitur. Sed esto; fuerit leuis quædam frumenti putrefactio, aut modus, seu via ad putredinem, quomodo medici accipere consueuerunt, cùm dicunt febres ex humorum putredine accendi, cùm nondum putredo fit, sed fiat: non tamen necessariò inde sequi videtur: coctam ex eo Ceruisiam praui succi esse. An non ipsum granum frumenti terræ mandatum, & initio putrefactum corruptumque, alia æquè laudabilia, & præstantia producit? Similiter, si quis polentæ veteris confectionem consideraueerit, an non illius etiam quædam putrefactio esse videtur: nullus tamen veterum eam ob rem polentam praui succi esse dicere ausus est. Quid, quòd neque ptisana tantopere celebrata ab autoribus, & multa alia vindicare se poterunt ab eâ aspergine; vtquam ante vsum primo quodam modo alterari vel computrescere necesse est? sed & in concoctione panis fermentatio ipsa quid aliud est, quàm putrefactio

factio quædam? & tamen interuentu eius laudatiſſimus panis conficitur. Fermentantur quoque res calore ſolis,aut ignis, aut fimi equini: vt melior deinceps partium fiat ſeparatio per deſtillationem. Item putreſcunt res deſtillandæ quædam initiò, ac demum deſtillantur; vt id, quod optimum intus latet,forâs euocetur, parteſque inutiles ab vtilibus ſegregentur. Quare etiamſi Cereuiſia ex putrefacto frumento conficeretur; non tamen propterea illam praui ſucci eſſe diceremus. Tribuantur vires & facultates illæ illaudatæ veterum Zytho, non modernæ noſtræ ceruiſiæ; cuius confectio longè alia eſt à confectione Zythi; propterea etiam vires & facultates aliæ & diuerſæ. Sed vt expeditiùs de viribus & facultatibus illius iudicare queamus, initio temperamentum Ceruiſiæ excutiamus,ſemper & vbique ad duo illa principia, à quibus demonſtratio omnis ac fides rerum peti conſueuit, reſpicientes, hoc eſt, ſenſum & experientiam, & euidentem notionem. Etſi enim *Hipp. in volumine popularıter graſſantiū morborum* ſcripſerit: eſcas potuſque experientiâ examinari oportere: tamen *Galenus* in expendendis naturis vbique rationis iuſtam trutinam adhiberi vult. Hinc eſt, quòd in *lib.1.de aliment.facult.* ſcripſerit, eam cognitionem longo tempore, cùm ex certa definitaque experientia, tum ex odorum ſaporumque naturis, quæ examinatis rebus inſunt: adhæc conſiſtentia, quam & glutinoſam & laxam aut denſam, & leuem aut grauem eſſe contingit, vix demum ritè percipi ac conſummari. Iudicaturi igitur de viribus & facultatibus Ceruiſiæ, an nutriat,purget, diſcutiat, abſtergat, prouocet vrinam; quæ omnia à primis qualitatibus proueniunt, puta caliditate, frigiditate, humiditate, & ſiccitate: de illis primò, quænam illarum noſtræ Ceruiſiæ inſint: dicendum eſt. Ad hoc verò pronunciandum ſolum iuſtum tanquam ſummum eâ in re magiſtrum accerſemus, ipſumque ducem ſequemur: vt qui non modò temperamentum, ſed & reliquas vires, quas vocant ſecundas & tertias, nobis patefaciat. Dulcedo igitur illa, (loquimur nunc de triticeis Ceruiſiis, quas albas vocant) qualis in ipſâ Ceruiſiâ ſentitur, non eſt mellea, ſed obſcurior obtuſiorque multò ob multum humidum aqueum admixtum. Deinde lentor & viſciditas indicat moderatum calorem illi ineſſe. Prætera, quoniam Ceruiſia res eſt mixta ex tribus ſubſtantiis, ſequetur ipſa quoque qualitates & naturam earum rerum, quæ in commixtionem veniunt. Eſt autem materia Ceruiſiæ aqua, frumentum, ſeu polenta, & lupi ſalictanij flores. Singulorum differentias non explicabo, quoniam ſuis locis explicata ſunt. Ac, *quod ad aquæ delectum*, alia eſt tenuior,mollior, durior, craſſior: vnde etiam aliàs tenuiorem magiſque penetrantem, aliàs pleniorem, craſſiorem, glutinoſioremque Ceruiſiam gignit. Illud in confeſſo eſt, & ab omnibus comprobatum,aquæ ſimplicis naturam eſſe frigidam & humidam: hîc tamen propter decoctionem attenuata magis, leuiorque fit, adeòque minùs frigida; vt quæ igneam quandam in ſe vim conceperit; imò neque priſtinam ſuauitatem retinet, & ignis vi immutata à ſuâ naturâ degenerauit. *Polenta ſeu maltum triticeum* etiam calefacit ampliùs ſupra naturalem temperiem tritici ob toſtionem; & reſiccat moderatè. Sed hordeaceum maltum triticeo minùs calidum eſt; cùm alioqui ipſum hordeum ſit frigidum & ſiccum, ac ob toſtionem paululum quiddam caloris ſeu empyreumatis acquirat: ac ſiccitas in ipſo auctior erit; & ideò etiam maiori deterſoriâ vi præditum. *Lupuli flores* ſunt calidi & ſicci in ſecundo ordine, & vim habent aperiendi, detergendi, vrinas mouendi; etiam caput tentant. Hæ ſunt qualitates & naturæ trium ſubſtantiarum, quibus Cereuiſia pro variâ illarum permiſtione, & parandi ratione imbuitur. Addo etiam permiſtionem fæcum; quarum naturam aëream ſuprà eſſe diximus. Quare hinc iam facilè eluceſcit, omnes Cereuiſias in genere eſſe calidas, & humidas. Sed ſi ad inuicem comparentur, pleræque ab hoc gradu vel deficere, vel eundem ſuperare poſſunt: ac in paſſiuis qualitatibus etiam magis ſiccare quàm humectare; quemadmodum etiam de naturâ vinorum iudicare ſolemus. Nam in earundem præparatione,neque malti ad aquam, itemque lupuli, vt ſuprà meminimus, eadem vbique ratio ſeruatur; neque idem coctura modus. Vnde fit, vt Ceruiſiæ, quæ plus malti, minus lupuli admiſcent, dulciores fiant aliis: quibus autem plus lupuli adiicitur, amariores fiant, caputque magis tentent. Ex tritico paſſim omnes in vniuerſum dulceſcunt, & albeſcunt: ex hordeo amareſcunt, craſſioreſque fiunt. Poſtremò hinc etiam liquet, Ceruiſiam noſtram eiuſmodi eſſe temperamenti, quale iam diximus: quoniam bibita nec refrigerat, nec ſitim ſedat, ac foris admota mirificè dolores lenit, inflammationes mitigat, & ad laſſitudines etiam mirè conducit, ſi eâ calidâ foueantur partes. Conſtat autem ea omnia, quæ hiſce facultatibus prædita ſunt ἀνώδυνα, παρηγορικὰ, & λυσίπονα vocari, eſſeque primo vel ſecundo ordine calida, tenuiſque ſubſtantiæ, denique ita temperata, vt familiaritate elementorum corpori noſtro conſentiant. Nam quæ dolorem ſedant, cauſam illius æquabilem reddunt, temperiem demulcent, corporis ſubſtantiam fouent: ea omnia moderato calore ſuo vt præſtent, neceſſe eſt: qualia ſunt *malua*, *althea*, *chamomilla*, *melilotus*, *ſemen lini*, *&c.* quibus iure noſtra Ceruiſia alba adnumerari poteſt. Earum, quæ meraciores ſunt, calidiores cenſentur, ſanguinem viſcidiorem,lentiorem, pinguioremque gignunt; ſunt boni ſucci, & multum nutriunt: præſertim quando ex optimis frugibus parantur benèque decoquuntur. Illa verò facultas nutriendi è ſolo tritico proficiſcitur. Ac quòd nutriant, huius euidens ſignum apparet in vtriuſque ſexus hominibus. Plurimi enim ex aſſiduo Ceruiſiæ, præſertim meracioris, vſu, cuiuſmodi eſt è triticis *Reginohradecenſis* in Bohemia, antea emaciati impinguantur. Hanc inter omnes triticeas verè Reginam dixeris. Eſt enim ea bonitate prædita,quam hactenus æmulari ſatagentibus multis nulli eſt datum: cum ſæpe ex eadem vrbe & polentam,& aquam,& ipſos *Zythepſos* euocauerint. In fœminis nutricibus euidentiùs ea facultas nutriendi perſpicitur: quòd copioſiſſimè celerrimeque illis lac ſuppeditent. Conſtat autem,quæ ac proritant,ea calida & humida cenſeri:ſicuti,quæ idem extinguunt, calida & ſicca: & quæ generationem illius prohibent,refrigerantia & deſiccantia ſtatuuntur. Hordeaceæ præſertim meraciores illæ (quales ſunt in Bohemiâ *Raconicenſis*,*Zacenſis*,*Slanenſis*,item *Semidincenſis* è Sileſiâ) in hâc facultate triticeas ſuperare videntur: vt quæ multò celerius id præſtent; & propterea à nutricibus mirificè expetuntur. Hæ enim, vbi illis defuerit lac in mamillis,facto hauſtu illius Ceruiſiæ, pauculo ſomno capto, ſubitò illarum lagenulæ, lactis, conceptacula, lacte turgeſcunt:præter hanc facultatem etiam vrinam & menſes prouocant. Mirari verò meritò quis poſſet, vnde hordeaceis Ceruiſiis tam prompta nutriendi facultas,triticeis non item: cùm tamen triticum nutriendi facultate ſuperet ipſum hordeum,ac illud ſtatuatur calefacere,hoc refrigerare. Vnde etiam triticeas magis debuiſſe pollere calefaciendi vi,hordeaceas verò refrigerare. At huius nos contrarium videmus in omnibus ferè hordeaceis Ceruiſiis,vt quæ multò citiùs inebrient triticeis. Verùm deſinet,exiſtimo, mirari, ſi ad vtriuſque Ceruiſiæ præparationis rationem oculos & mentem conuerterit, conſiderauerit que, etiam in hordeo eſſe aliquem ſuccum alimentarium;qui partium ſolidarum ſubſtantiam implere,alere,& augere poſſit. Quòd verò idipſum minus ſentiatur in triticea Ceruiſiâ, adeò accidit,quòd nimis diluta conficiatur: ſi meracior fieret,recteque excoqueretur, nullum eſſet dubium,quin abundantiùs nutriret:quemadmodum idipſum luculenter videre licet in Reginohradenſi Ceruiſiâ, & quæ huic perſimiles ſunt. Sunt etiam hordeacæ dulces Ceruiſiæ; quales in vrbe Praga fiunt: hæ ob nimiam, & fatuam quandam dulcedinem,eamque craſſam & viſcidam, non poſſunt in eo bonitatis gradu cum aliis iam memoratis conſiſtere. Nam quamuis illæ quoque nutriant: tamen craſſum ſuccum gignunt,obſtructiones viſcerum pariunt, graues ſunt ventriculo, pectori; ſunt ſuffocatiuæ, calculorum generatiuæ, & admodum corporibus infeſtæ, non ſecus ac crudæ Ceruiſiæ, hoc eſt,non benè percoctæ, aut quæ aliquod in præparatione vitium acceperunt; vt quæ obſtructiones pariunt, flatus generant in ventre & præcordiis, ibique hærent, & ægrè tranſeunt, non aperiunt, non abſtergunt, neque vllam euacuationem promouent: ſed neque ſitim ſedant:vnde colicæ,calculi & arenulæ pullulant. Eadem incommoda & vitia concitat etiam recens Ceruiſia, & non benè defæcata, non ſecus ac *Muſtum*. Nam ventrem diſtendit,conturbat,dolores inteſtinorum, calculum,nephritim, dyſuriam ſtranguriamque gignit. Et ſicut muſtum, antequam,deferueſcit, eſt frigidum: (quod oſtendunt craſſities humorum, flatus, obſtructiones;& quòd corpus poſt vſum illius non excalfaciat)ita etiam de Ceruiſiâ recenti & non defecatâ cenſendum eſt. Hîc obiter notandum, quòd etiam, quæ frigida ſunt:dulcia ſunt ſicut etiam ſunt Cucumerum genera; quæ *Melones* vulgo vocantur. Porrò Ceruiſia, quæ iam acorem concepit, corruptaque eſt, admodum noxia eſt neruis,renibus,& ventriculo; denique vitioſum ſuccum gignit. Aceſcunt autem Ceruiſiæ vel vetuſtate, vel inſufficienti cocturâ, vel paucâ lupuli admixtione. Corrumpuntur etiam facillimè & acorem contrahunt æſtiuis diebus, niſi hæ in profundiſſimis & frigidiſſimis cellariis aſſeruentur. Nam ab aëre calido ambiente reſoluto natiuo calore Cereuiſiæ facilè aceſcunt. Illud verò mirabile videtur, & non niſi fortè ad ἀντιπάθειαν quandam referendum, quòd roſarum fragrantem odorem auerſetur triticea Ceruiſia. Hæ enim in Cellarium repoſitæ, aut ſi ſaltem fœmina coronata ſerto roſaceo illud fuerit ingreſſa, ilico peruertuntur & aceſcunt. Tenuiores Ceruiſiæ tantò citiùs digeruntur, minuſque nutrimenti adferunt: & ſi amareſcunt, minùs nutriunt, ſed abſtergendi facultate pollent ob amaritudinem & tenuitatem ſubſtantiæ: abluunt ob aquæ copiam; & lubricant ob viſciditatem; & maximè per vias vrinæ tranſeunt. Quoniam autem Angli quoque Ceruiſia ſuo modo parata vtuntur, quid de eâ cenſuerit *Brudus Luſitanus*, vir doctus, placuit huic loco ſubnectere. Is igitur *in libello de ratione victus in febribus ad Anglos* in hæc verba ſcriptum reliquit: *Potus, quo communiter Angli vtuntur, multiplex eſt; nempe vehemens, medius, & imbecillior*

becillior. Discrimen inter hos penes vehementiam & imbecillitatem, calfactionem & refrigerationem, & penes substantiæ crassitiem & tenuitatem habetur. Apud Anglos triplex semper paratur potus; nempe aquosus, quem simpliciter Ceruisiam dicunt; medius, quem trihapenninam; potens, quem duplam Ceruisiam nuncupant. *Simplex* eosdem effectus præstat, quos vinum aquosum: aperit siquidem, refrigerat, & distributionem adiuuat. Nec decipiatur aliquis credens, ob eius amaritudinem calfacere: partes enim, quæ Ceruisiam amaram reddunt, paucæ admodum sunt, si ad reliquas conferas, quæ in ipsâ refrigerant. Quod colligere est ex ratione lupulorum ad aquæ & hordei portiones. Citò præterea amaritudo à Ceruisiâ euanescit: reliquarum verò partium facultas tamdiu permanet, donec in aliam transmutetur substantiam. *Potens Ceruisia,* quam duplicem dicunt, potenter calefacit; & aliquid habet vehementiæ, vt potens vinum. *Trihapennina*, mediæ naturæ est; manifestè calefacit, in nullo tamen vehemens est. Meminit adhuc Brudus eodem loco alterius Ceruisiæ, quâ molliores Anglorum vti consueuerunt: *allam* vocari dicit vulgari sermone. Mihi relatum est, hanc planè carere lupulo; quare etiam minùs laudata esse potest. Ac ille idem Brudus dicit, eam esse vltra modum inflatiuam; nullam ex eâ febricitantes vtilitatem capere: neque enim refrigerare, neque aperire, neque vllam promouere euacuationem, neque sitim sedare posse. Corruptioni præterea aptissimum esse potum, ac vicinos ad similem affectum disponere chymos. Eius insuper substantiam nimis promptam esse, vt in flatuosos soluatur halitus. Quâ de causâ capiti & neruis incommodum esse. Materiam insuper obstructionum esse: vnde iecinori & lieni inimicum esse. In summâ nemini amicam illam Ceruisiam esse, nisi veneri. Ab his tamen, qui eo potu vsi sunt in bonâ valetudine, dimittendum per ægritudinem non esse, suadet idem Brudus. Porrò omnes Ceruisiæ largiùs potatæ caput crassis halitibus replent: sed non omnibus æquali, ita vt dicam, lance. Nam hîc etiam, vt aliàs semper, ætatis, naturæ, temporis, loci seu regionis, & vitæ rationis consuetudinisque habenda est ratio: atque hîc quoque ad præsentem speculationem summè videtur necessarium hominum & poculentorum temperamenta considerare. Nam vt paucula solùm commemorem, ipsâ etiam experientiâ doctrice: Qui imbecillo sunt ventriculo, his bibitio Ceruisiæ plus nocet aliis. Nam illum aggrauat, phlegmata & saliuismum concitat, flatibus distendit, & si venter deiectioni non est accommodus, hæret in præcordiis, nec ad expulsionem quicquam confert: rursus quibus venter est facilis, & ventriculus validus, hi nihil eorum incommodorum persentiscunt. Ac, vt summatim dicam, naturis validis & robustis (quales sunt incolæ ferè à parallelo XVII. vsque ad ipsum septentrionem) commodior, vtilior, & salubrior est, quàm mollibus illis & nimiùm delicatis, qui etiam ad leuem auræ afflatum subitò immutantur. Ritè itaque paratus hic potus est saluberrimus, optimique alimenti; spiritum nostrum roborat & excitat, animúmque exhilarat & confirmat, non incommodat neruis, non apoplexiam, non paraplexiam, & quæ Græcè κάρος & κῶμα vocamus; non neruorum resolutiones, non comitiales & conuulsiones ac tetanos, non arthritim, quæ omnia potum vini comitantur, concitat. Hinc fit, vt paucos admodum, quibus hic potus est familiaris, his morbis obnoxios esse videas. Videmus omnes eas nationes, quæ hoc potu vtuntur, vt sunt Angli, Sueci, Dani, Saxones, Germaniæ multò maxima pars, Bohemia, Silesia, Polonia, totáque Sarmatia; non minùs esse vitales & animosos, quàm alios, qui vino & melle vtuntur. Sunt etiam pulcherrimi, saluberrimi, robustissimique: &, vt summatim dicam, omnibus ætatibus & sexui potus est vtilissimus; quod vino minimè conuenit. Quid enim *Plato 2. de legibus & Galenus lib. de tuendâ valetudine de* vini vsu & natura scripserint, notissimum est: quando pueris vsum vini prohibet ad vsque duodeuigesimum annum. Si illis ratio parandæ nostræ Ceruisiæ constitisset, nullum est dubium, quod eam pueris & iuuenili ætati concessissent, & omnia alij aquæ coctæ prætulissent. Romani etiam, apud quos feminis capitale erat vinum bibere, lege sanxissent sine dubio, vt illorum feminæ Cereuisiam biberent.

XV. *Cereuisia multis modis condiri solet.*

Quemadmodum vina condiuntur herbis vel aromatis: ita etiam Ceruisiæ. Forma condiendi vt in vinis, duplex est. Nam aut cum ipsa Ceruisiæ coctura incoquuntur simul aliquot herbulæ, vt absynthium, caryophyllata, pulegium, baccæ lauri, pimpinella: aut postquam jam percocta est, in vasaque infusa, iniicitur vasis nodulus ex herbis, radicibus, & aromatis: cuiusmodi est sequens puluis, qui & saporis gratiam conciliat, simúlque ad bonam corporis valetudinem facit. Sumitur zingiberis, cinnamomi, singulorum drachmæ duæ; radicum iridis Illyricæ, calami aromatici, baccarum lauri, singulorum drachma vna: maceris, caryophyllorum, nucis moschatæ, singulorum drachma dimidia; contunduntur in puluerem, ac puluis in raro linteolo colligatus in vas coniicitur. Alij conficiunt trageam grossam ex calamo aromatico, zedoaria, caryophyllis, & baccis lauri. Sed hæc ad cuiúsque palatum facilè accommodari possunt.

XVI. *Ex cereuisiâ parantur varia edulia & medicamenta.*

Parantur *primò* varia eduliorum genera: inprimis verò vsitatissimus est, familiaréque ientaculum tam puerorum quàm adultorum, cibus ex Ceruisia, iusculum cum vitello oui & pauco butyro: ad quam rem triticea accommodatior est, quàm hordeacea. *Conficitur etiam puls* ex Ceruisia, addito pane in crassiorem farinam redacto cum pauculo butyro. *Sunt qui* Ceruisiam calefactam Zingibere aut pipere conditam manè bibunt; præsertim egressuri domo aut iter ingressuri; ventriculum enim mirifice corroborant. *Defessis* ex itinere calida Ceruisia cum butyro pedes ablui iubent: ac id etiam equis adhibent vesperi, vbi in diuersorium venerint, & die crastino sentiunt agiliores & expeditiores fieri. *Fit etiam* acetum ex Ceruisia, sed non ita acre & gratum, vt vini acetum, nec ita potens, nec adeo tenuium partium. *Postremò* omnium ex fæcibus seu crassamentis, in fundo vasis relictis vinum ardens conficitur à certis hominibus, qui solo eo artificio victum quærunt, & rem non contemnendam faciunt. Ita autem illud plebs rusticana cum tosto pane, aut foliis saluiæ vice ientaculi pitissat, vt plurimi bene poti domum redeant. Hîc non est prætereundum, quædam cereuisiæ genera per se esse instar medicinæ. Ita cereuisia Seruestana potores suos à calculo immunes seruare dicitur: vt author est *Ioachimus Vagetius in suâ geographisteriâ.*

SECTIO SEPTIMA,

In quâ delineatur

PHARMACOPOETICA.

PRÆCEPTA.

PHARMACOPOETICA est ars bene parandi medicamenta. *Dicitur etiam* Seplasiaria & Medicamentaria.

Estque generalis, vel specialis.

Pharmacopoëtica generalis præcipit de pharmacopoeo, & pharmacis.

Pharmacopœus debet esse vir bonus & temperans, præditus cognitione linguæ Latinæ, & instructus instrumentis & pharmacis sufficientibus.

In pharmacis consideratur generalis diuisio & præparatio.

Generalis diuisio est, quòd pharmaca sunt lenitiua, purgatiua, diaphoretica, anodyna, soporifera, sternutatoria, sistentia sanguinem, herbacea, metallaria, ex animalibus parata &c.

Præparatio generalis est collectio pharmacorum, illorúmque exsiccatio, asseruatio, trituratio, coctio, lotio, infusio, & destillatio.

Pharmacopoëtica specialis est Galenica, vel Chymica.

Pharmacopoëtica Galenica tractat de Electuariis, Lohoh, Syrupis, Decoctis, Collyriis, Pulueribus, Conditis, Conseruis, Trochiscis, Pilulis,

vnguentis,

Vnguentis Ceratis, Emplaſtris, Oleis &c.

Pharmacopoëtica Chymica tractat de præparationum ſpeciebus, inſtrumentis, & effectis.

REGVLÆ.

I. *Inſtrumenta pharmacopœi ſunt ignis, pondera medica, vaſa, & varia organa motiua. Itaque ſunt naturalia vel artificialia.*

Ignis eſt inſtrumentum planè neceſſarium, & veluti culter anatomicus, atque magiſter huius artis, *Pondera* medica vſitatiora ſunt hæc:

℔.	Libra	12. vnc.
℥.	Vncia	8. drachm.
℥ß.	Semuncia	4. drachm.
ʒ.	Drachma	3. ſcrupul.
℈.	Scrupulus	2. obol.
℈ſ.	Obolus.	10. gran.
	Granum.	

Pharmacopœia, ſeu Diſpenſatorium Auguſtanum, in prolegomenis iſagogicus, cap. 9. ita perſequitur hanc doctrinam. Rectè ſane hucuſque communis Philoſophorum ſchola, omnia pondere, numero, menſurâ contineri, docuit. hæc enim agendorum ſunt quaſi quidam limites ac regulæ, quibus ea, quæ præſtanda ſunt, ad iuſtitiam & æquitatem penſantur: adeo vt his, vel poſthabitis, vel neglectis, in Medicinâ facienda, periculi plenus labor ſit futurus; cum denique medicamenti vis & energia, ad ſubiecti ſeu patientis ægri vires aut tolerantiam comparatione facta, horum adminiculo, eliciendæ debitæ doſis cauſa, trutinetur, ne aut medicamentum proportione ſua per defectum fraudatum, ac in minori quàm par eſt quantitate exhibitum, effectu à ſe expectato fruſtretur, aut in eius proportionis exceſſu porrectum, corpus vel lædat, vel omnino peſſundet. *Et paulò poſt:* Inchoantur autem pondera à minutioribus, tanquam à partibus totum conſtructuris. E granis enim ſcrupuli, ex his drachmæ, hinc vnciæ, ac tandem libræ conſurgunt; habentque ſe ſcrupuli inſtar literarum, drachmæ inſtar ſyllabarum, vnciæ inſtar dictionum, libra inſtar orationis. Vnde cum Fannius poëta notaſſet tot ſcrupulos ineſſe vnciæ, quot alphabetum Græcum literas continet, nempe 24. tali id metro expreſſit:

Vncia fit drachmis bis quatuor: vnde putandum,
Grammata dicta, quòd hæc viginti quatuor in ſe
Vncia habet: tot enim formis vox Græca notatur,
Horis quot mundus peragit noctemque diemque.

Granum autem, σιτάριον dictum minimum pondus eſt; quo vtimur, albi piperis granum adæquans. Eius viginti ſcrupulum, ſexaginta drachmam conſtituunt, *Siliqua*, κεράτιον, pendit grana quatuor. *Obolus*, ὀβολὸς, pendit grana decem, ſeu ſcrup. dimidium. *Scrupulus*, γράμμα, ſeu διώβολον, pendit obolos duos, ſeu grana viginti. *Drachma*, δραχμὴ ἡ ὁλκὴ, *noſtra, Attica, Græca*, pendit grana ſexaginta, ſeu tres ſcrupulos; & eſt octaua pars vnciæ. *Aureus Arabum, & denarius Romanus*, pendet drachmam vnam, & inſuper ſeptimam eius partẽ, $\frac{1}{7}$, circiter grana nouẽ. vnde tres denarij *tetradrachmum*, & ſeptem denarij vel aurei conſtituunt vnciam. *Siclicus* pendit drachmas duas. *Sextula* pẽdit quatuor ſcrupulos. *Duella* pendit octo ſcrupulos. *Vncia*, οὐγγία ἡ δωδέκατον, duocecima pars libræ, conſtat drachmis octo, denariis ſeptem. Idem pendit *oxybaphon* Galeno *Seſcuncia*, ſeu *ſeſcunx*, vncia vna & ſemis, octaua pars libræ. idem pendit faba Alexandrina. *Sextans*, ἕκτον, ſexta pars libræ, duæ vnciæ. *Quadrans*, tres vnciæ, τέταρτον, quarta pars libræ. *Triens*, quatuor vnciæ, τρίτον, tertia pars libræ. *Quincunx*, vnciæ quinque. *Semis*, vel *ſemiſſis*, id eſt, dimidium aſſis, vnciæ ſex, ἡμίλιτρον. *Septunx*, vnciæ ſeptem, *Bes*, vel *beſſis*, quaſi bis triens, vnciæ octo. *Dodrans*, vnciæ nouem; demitur quadrans. *Dextans*, vnciæ decem; demitur ſextans. *Deunx*, vnciæ vndecim, demitur vncia. *As*, vel *aſſis*, vnciæ duodecim, ſeu *libra Romana*, drachmarum 96. *Libra*, λίτρα, pondo, triplex eſt: *Publica*, ſeu *zygoſtatica*, ſiue *ciuilis*, pendit vncias ſedecim, drachmas 128. dicitur & μνᾶ, ſeu *mina Medica*; item *Attica*, & *Ægyptia* ſeu *Alexandrina* teſte Galeno: *Mina Græcorum*, 100 drachmarum: *Medicinalis*, quæ & *Romana*, & as, duodecim vncias, denarios 14. drachmas 96 pendit, & hæc eſt Officinis vſitata. *Marca* continet vncias octo, ſeu ſedecim lotones: & hâc vtuntur aurifabri; bes Romanæ libræ. *Vaſa* ſunt narthecium, pyxis, vas vitreum, fidelia, olla, ahenum, ſartago, peluis, alembicus &c. *Organa motiua* ſunt rudicula, mortarium, piſtillum, cribrum, colum, infundibulum, culter, cochlear fuſorium, ſpathoméla &c.

II. *In colligendis herbis obſeruetur tempus, tempeſtas, & locus.*

Tempus, ſeu hora, colligendis plantarum partibus commodiſſima eſt: vt *folia* debitum augmentum conſecuta, & humore plena, priuſquàm colorem mutare, & defluere incipiunt, legantur: *ſemina* plena, maturitatem & magnitudinem debitam adepta, percoctâ iam omni cruditate: *flores* expandi cùm cœperint, antequam decidant: *radices* verò vegetæ, non ſiccæ; quales eſſe volunt aliqui eo tempore, quo plantæ foliis ſpoliantur; alij verò erui volunt, quo tempore in caulem planta erumpit: *caules & ſcapi* debitum incrementum conſecuti, vegeti, non quando defectu humidi marceſcere & corrugari incipiunt: *gummi*, ſeu lacrymæ, poſtquam concreuerint, ſolidi, graues, antequam decidant. *Tempeſtas* erit huiuſmodi. Colligantur cælo ſereno, ſicco, non turbido, non nebulis aut pluuiis obſcuro. Ad *locum* quod attinet, agreſtes plantæ viribus domeſticas antecellunt, atque inter ſylueſtres præſtant in montibus natæ, loco non vmbroſo, ſed aëri ventiſque expoſito: & palmam ferunt, quas loca ſoli orienti obſerua produxerunt: vt rectè monet *Georgius Melichius pharmacopœus venetus in Diſpenſatorio medico.* Quod attinet ad animalium partes, quæ medico vſui inſeruiunt, colligi debent ex animalibus iuuenibus, pinguibus, ſanis, mox vbi mactata fuerint.

III. *Exſiccari debent herbæ paulatim.* Exſiccatio herbarum.

Galenus lib. 5. *comp. medic.* iubet herbas paulatim exſiccare, non ad ſolem, ita non humidæ, nec ſiccæ nimis reponantur. Sed *Melichius d.l.* ait: Non video, quâ ratione poſſibile ſit, ſic exſiccatas, & repoſitas aptè atque incorruptas perennare poſſe, niſi demum ad ſolis etiam radios accuratè ſiccentur. Eadem exſiccandorum ſeminum eſt ratio, quæ herbarum.

IV. *Herbarum, ſeminum, florum &c. aſſeruatio non eſt vniuſmodi.* Aſſeruatio herbarum, & ſimilium.

Herbæ ſiquidem & *radices* ſacculis incluſæ ſuſpendunt. *Semina* arculis ſeruantur. *Flores* probè ſeruantur in vaſe vitreo, cuius orificium anguſtum ſit, eâ diligenter obturatum, ne vires ipſorum exhalent. *Succi* ex contuſis herbis per ſtamen, vel prelo expreſſi, commodiſſimè ſeruantur, ex Galeni doctrinâ, modicè cocti, aut cum alio ſucco mixti, quemadmodum roſarum ſuccus melle addito. Pharmacopœi tamen ſuccos ad ſolem, aut ignem depuratos, excrementiſque abiectis, in annum ſeruare ſolent, in vaſis vitreis, oleo ſuperfuſo.

V. *Triturationis canones hi ſunt.* Trituratio herbarum.

1. *Quæ in puluerem redigi debent, conuenienter & artificioſe conterantur, ſeu triturentur.* 2. *Antequam trituratio ſuſcipitur, accurata rerum terendarum, & modi trituræ ineunda eſt ratio, & diligens facienda collatio, num ſcilicet tales ſint, quæ leui negotio in puluerem redigi queant, vel non.* Siquidem immodica tritura vires medicamentorum languefacit, aut etiam exſoluit. Clemens itaque ſit, & moderata. 3. *Sæpe quæ teruntur, cribro ſunt cernenda.* Id enim ad expeditam & magis abſolutam trituram facit, cùm iſto pacto partes teniuores ſeparentur, ne immodicè tritis virtus omnis exhalet: craſſiores verò ſæpius iteratâ tritura & cribraturâ debitam & ipſæ tenuitatem tandem adipiſcuntur. Pharmacopœus itaque prudenter ea, qubus parcâ, ab his, quibus multâ, aut mediocri opus eſt trituratione, internoſcere diſcat. 4. *Leuia omnia, tenui ſubſtantiâ prædita, & quibus virtus in ſuperficie conſiſtit, leuem & parcam contritionem requirunt*: qualia ſunt flores omnes, ruta, epithymum, nimphæa, atque adeo odorata omnia, niſi ligna ſint, alioquin duræ ſubſtantiæ. 5. *Mediocriter teri poſtulant* ſena, aſarum, agnus caſtus, aniſum, nigella, maiorana, cardomomum, vtrica, fœniculum, petroſelinum, pœonia, thymus, origanum &c. 6. *Multa tritura conuenit* ſtœchadi, ſpicæ Indicæ, capparibus, radicibus penè omnibus, rebus inodoris, atque adeo corticibus, & lignis vniuerſis. 7. *Quæcunque corpus ſtrenuè expurgant, quò craſſiora ſunt & duriora, eò largiori opus habent triturâ.* quia vim ipſorum purgatricem ſuſcitat, atque vt faciliùs, & minori cum modeſtiâ in corpus agant, & promptius penetrent, tenuitas efficit. *Quæ autem violenter adeo non purgant*, vt turbith, aſarum, & ſimilia, *parcius terenda ſunt.* 8. *Species, quæ ad antidotus, & confectionis aromaticas non ſolutiuas vſurpantur, tenuiſſimum in pollinem redigi debent.* Ita enim fit, vt tenuitatis beneficio partibus internis facilius adhæreſcant, ſicque potentius roborent. *Quæ verò extrinſecus admouentur: iis tritura adeo larga non eſt opus, vt vires, quibus in partes longiùs diſſitas agere debent vnitas & fortiores retineant,* 9. *Eorum, quæ in puluere redigun tur, alia ſola, quædam nonniſi admixtis aliis conteri ſolent.* Etenim metallica aceto acerrimo immerſa, atque inſoluta, validè trituranda ſunt, quò ſicciora & tenuiora euandant, vireſque purgandi & attenuandi robuſtiore conſequantur.

VI. *Coctionis regulæ hæ ſunt.* Coctio herbarum.

1. *Varius eſt vſus coctionis apud pharmacopœos.* Scammonium v.g. in cydonio excoquitur, eaque coctura humiditas excrementitia abſumitur, flatus craſſi diſſipantur, eroſio ventriculi & ſubuerſio

ſubuerſio prohibentur. Hellebori radices raphano infixæ ſub cineribus elixantur, vt raphanus eo pacto facultatem ipſarum recipiat. Coctione etiam & elixatione malitia medicamentorum nonnullorum retunditur, & facultate eorum, in quibus coquuntur, permutatur denique coctionis beneficio, ſimplicium, quæ in ſucco aut alio aliquo liquore elixantur, facultates in eundem promptè tranſeunt. Argumento ſunt ſirupi multiplices, in quibus radicum, lignorum, corticum, fructuum, foliorum, ſeminum, florum vires coctura in aquam, aut alium liquorem transferantur. 2. *Caueat ſeplaſiarius, ne decoctiones impetuosè, & calore immedico paret: ſed calorem coquentem attemperet naturæ & proportioni ſubſtantiæ & facultatis medicamentorum coquendorum, quæ coctione violentâ & immoderatâ reſolui ſolet.* 3. *Flores cæteráque omnia, quæ exiguam trituram poſtulant, eadem etiam leuem & parcam coctionem requirunt.* Idémque eſto iudicium de iis, quæ mediocri vel valida egent trituratione. Quapropter decoctum ex diuerſis ſimplicibus, quæque diſparem coctionem requirunt, paraturus, primò omnium duriora, vt ligna, radices, decoquat; mox ſemina, dein folia; & tandem flores, qui parciſſimam, ſuſtinens coctionis moram; iniiciat. Tale decoctum vulgò graduatum dici ſolet, in quo vires rerum decoctarum reſtant, neque immodico calore in fumum aut vaporem abeunt. 4. *Impoſſibile eſt certam atque inuariabilem conſtituere aquæ, aut ſucci alterius quantitatem, proportioni rerum coquendarum certo congruentem.* Syluius cenſet, libræ vni radicum, quæ multâ egent coctura, libras ſex liquoris tribui oportere: cæteris ſimplicibus, mediocrem elixationem poſcentibus, libras aquæ aut liquoris tres: his verò, quæ parciſſimè coqui poſtulant, vnam cum dimidia ſufficere. Huic Braſſauola aduerſatur. Sed Melchius recte monet, impoſſibile eſſe, certam & vniuerſalem regulam hic conſtituere: proinde plurimum hac in re valere prudentiam pharmacopœi, experientia & iudicio pollentis, qui conſiderata rerum coquendarum quantitate, tantum affundat liquoris, vnde, combibita vna parte à ſimplicibus infuſis, factáque coctione ad tertiæ, aut mediæ partis caſum, relinquatur, quod ſirupo commodè parando ſit ſatis. 5. *Terminum coctioni ſtatuit Galenus tertiæ, & aliquando mediæ partis liquoris abſumptionem.*

Lotio medicamentorum.

VII. *Lotio medicamentorum has habet leges.*

1. *Lotio medicamentorum multas ob cauſas inſtitui ſolet.* Quibuſdam enim acrimoniam & caliditatem, quam in ſuperficie poſſident, aufert. Sic ſemina vrticæ, ex aqua, vel mucilagine tragacanthi loca, partes gutturis, quas tranſeunt, non adurunt, vlcerántue. Aliquibus verò, lotione ablatis partibus malignis, relinquuntur ſalubriores. Ita lapides Cyaneus & Armenus loti, vim deiectoriam clementem adipiſcuntur, cùm non loti moleſtas vomitiones & deiectiones moueant. Aloë lota magis roborat viſcera, minúſque aluum ſubducit. Seplaſiarij tamen hodie ſuccos & lacrymas nutriri, non lauari dicunt. Calx & Cadmia ex aqua fontana lauantur, vt vi cauſtica & caloris acrimonia depoſita, euadant frigida, & ſine morſu ac moleſtia ſiccent. Reſinam terebinthinā abluere ſolent aqua ſalſa, ſcabiam curaturi, quòd ſalſedo extergat, & ſiccet cutim. 2. *Nonnunquam eluuntur medicamenta, cuius beneficio roborent potentius, & calfaciunt.* 3. *Solent etiam nonnulla lauari aceto.* Ita coriandri ſemina aceto loca ſubſtantiæ tenuitatem, & penetrandi facultatem acquirunt. 4. *Nonnullorum liquor, quo lota ſunt, ſeruari ſolet vſui:* quorum nempe facultates in ſuperficie conſiſtunt, quæ autem ex his ſubſidunt, vt inutilia abiiciuntur.

Infuſio apud pharmacopœos.

VIII. *Infuſio, Pharmacopœis vſitata, his gubernatur regulis.*

1. *Infuſio facit, vt liquor vires rerum maceratarum quaſi exſugat, & combibat.* Sic rhabarbarum, vino aut alio liquore maceratum, vim purgatricem in ipſum deponit. 2. *Humor rebus macerandis infuſione, iuſta reſpondere debet proportione, vt ſingulis medicamentorum vnciis ſingulæ humoris libræ affundantur.* 3. *Materia infuſionis varia eſt, pro vario authoris ſcopo.* Pharmacopœus tamen cauebit, ne quid in puluerem tritum, ſed potius cultello minutim inciſum, maceret. 4. *Tempus macerationi certum præſtitui non poteſt.* Quæ enim medicamenta raræ ſunt texturæ breuius id expoſcunt, quàm quæ duriorem ſubſtantiam ſunt nacta. Sic ea quoque, quibus in ſuperficie virtus conſiſtit, adeo diuturnam macerationem non ferunt, atque illa, quibus in profundo ea latet. 5. *Summum infuſionis arcanum eſt, ſi ea peragatur in locis ſubterraneis.* Fiat itaque in cella, vel ſub dio, fouea ad quinque plus minùs pedes, ibique reponatur vas, in quo macerari debent herbæ. Ita enim fiet, vt neſcio quæ virtus accedat ab igne indubiè, qui vniuerſam terram permeat. Relinquuntur autem vaſa in loco iſto ſubterraneo ad tres, quatuor, vel plures ſeptimanas, pro varietate rerum infuſarum.

IX. *Deſtillatio optima eſt, quæ fit per reaffuſionem aquæ ſuper materiam.*

Si enim crebrò iteretur iſta reaffuſio, dici non poteſt, quantas vires acquirat aqua ſtillatitia. quidquid etiam contra diſputent vulgares ſeplaſiarij. Ratio ſanè docet, iſtam reaffuſionem elicere quidquid eſt facultatis reliquum in materiâ.

X. *Apparatus medicamentorum Galenicorum ſic habet.*

1. Medicinæ ſimplices in puluerem, & ſpecies redactæ, ſaccaróque aut melle exceptæ, dici ſolent *Electuaria* ſeu Electaria. Græce ἐκλείγματα, ab ingredientium exquiſito delectu. Appellantur etiam *Confectiones, & confectura, σκευασίαι.* Variam ſortiuntur denominationem ab authoribus, ingredientibus, & facultatibus, iiſque vel ſingulis, vel binis, v.g. Confectio aromatica, Confectio de ambra, Confectio de margaritis calida, Confectio de margaritis frigida, Confectio Salomonis ex ride, Confectio liberantis, Confectio cordialis, Confectio roſata nouella, Electuarium Ducis, Electuarium de gemmis Iuſtini, Electuarium lætitiæ Galeni &c. Sunt & peculiaria nomina Confectionum: vt Philonium maius, Philonium Meſuæ, Requies magna Nicolai, Tryphera magna, Tryphera minor, Michleta, Theriaca Andromachi, Theriaca Mithridatis, Antidotus. Eſræ antidotus, Aromaticum roſatum Gabrielis, Diatrion pipereon, Diacucuma Meſuæ, Dialacca maior Meſuæ, Hiera picra Galeni, Hiera Pacchij, Diaphœnicon Meſuæ, Diaprunum ſimplex, Diacatholicon Nicolai, Diaſebeſten magiſtrale, Benedicta ſimplex Nicolai, Dia ireos Nicolai, Diatrion ſandalon Nicolai, Diacaſſia lenitiua, Diarhob cum rhabarbaro Tuſignani, Diacodion ſimplex Nicolai, Pliri ſarcoticon Nicolai, Athanaſia magna Meſuæ, Amygdalatum ſiue Saponea, Diamargariton Nicolai, 2. Medicamenta, quibus materiæ craſſæ in pectore & pulmonibus contentæ, maturantur, inciduntur, & exſpuitioni aptæ redduntur, tenues verò & ſalſæ incraſſantur, Arabibus *Lohoh*, Græcis *Ecleigmata*, Latinis verò *lambitiua* dicuntur. Præcipuæ ſpecies ſunt Lohoh ex pino Meſuæ, Loh ſanum & expertum eiuſdem, Loh è ſcilla eiuſdem, Loh de pulmone vulpis, Loh ex farfara magiſtrale, Diatragacanthum frigidum Nicolai, Saponea liquida & ſolida, Diacaryon Meſuæ, Mixtura pectoralis. 3. *Sirupus* eſt vox Aegyptia, & potionem denotat. Huc pertinent Iuleb roſatum & violatum Meſuæ, Sirupus de pomis ſimplex Meſuæ, Sirupus acetoſus ſimplex eiuſdem, Sirupus capillorum Veneris, Sirupus de borragine & bugloſſâ ſimplex, Sirupus acetoſitatis citri Meſuæ, Sirupus roſatus ſimplex Meſuæ, Sirupus roſatus ſolutiuus, Sirupus de fumo terræ compoſitus Meſuæ, Sirupus violatus ſolutiuus magiſtralis, Sirupus ex roſis ſiccis magiſtralis, Sirupus iniubinus Meſuæ, Sirupus è papauere ſimplex & compoſitus Meſuæ, Sirupus Byzantinus Meſuæ, Sirupus ex endiuiâ compoſitus Gentilis, Sirupus ex iuâ Nicolai Florentini, Sirupus ex Artemiſiâ magiſtralis, Oxymel ſimplex & compoſitum Meſuæ, Oxymel ſcilliticum Meſuæ, Acetum ſcilliticum eiuſdem; Oxyſacchara Nicolai, Diamoron Meſuæ, 4. *Decocta* ſunt præcipuè iſta. Decoctum epithymi Meſuæ, Decoctum carminatiuum magiſtrale, Decoctum commune pro clyſteribus magiſtrale, Decoctum cordiale magiſtrale, Infuſio ſenæ magiſtralis, Aqua fructuum Meſuæ, Aqua hordei Meſuæ, Ptiſana hordei, Aqua mellis Meſuæ, Aqua mellis ſtillatitia, Aqua panis frumentacei, Aqua ex fragis maturis; Aqua antimonij, Aqua lactis. 5. *Collyria*, ſeu ophthalmica, ferè hæc ſunt: Collyrium album Rhaſis, Sief album ſine opio, Meſuæ, Collyrium magiſtrale Gordonij, Collyrium rubeum leue, Collyrium viride. Sief ex Menithe Rhaſis. 6. *Pulueres* celebriores ſunt: Puluis ſenæ præparatæ, Puluis pro epithemate cordis, Puluis contra vermes magiſtralis, Puluis vrinam ſubitò euocans, Puluis partum accelerans, Puluis ſecundinam euocans, Puluis ad ſuffocationem matricis, Puluis oculorum maculas delens, Puluis cordialis Nicolai Florentini, Puluis ſtomachalis, Puluis Montagnanæ efficaciſſimus his qui lectum permingunt, Puluis conſtrictiuus magiſtralis, Puluis abortum prohibens, Puluis lac prouocans, Puluis ſarcoticus Iohannis de Vigo, Puluis epuloticus eiuſdem, Puluis antimonij, Puluis præcipitati, Puluis laxatiuus magiſtralis, Puluis capitalis Montagnanæ. 7. Fructus, flores, caules, ſemina, & radices tum integra, tum conciſa, liquore ſimili aſſeruata, *Condita & Conſeruæ* appellantur. Cuiuſmodi ſunt: Myrobalani Chebulæ conditæ, Zingiber conditum Meſuæ, Ceraſa condita ipſorúmque gelu ſeu miua, Diamarenatum, Cydonia condita illorúmque gelu, Diacarniolatum, Pira muſcatellina condita, Mala citria condita, Cortices citrij conditi, Limones conditi, Aurantia condita, Amygdalæ virides conditæ, Lactucæ caules conditi, Cucurbitæ conditæ, Cortices aurantiorum conditi, Nuces virides conditæ, Eryngium conditum, Paſtinaceæ conditæ, Satyrij radices conditæ, Florum diuerſorum condita, Oliuæ virides conditæ, Fructus omnis generis conditi, Saccarum roſatum

Meliſſ

Meſuæ, Saccarum ex roſis Moſchettis magiſtrale, Rob ribis Meſuæ, Rob berberis eiuſdem, Saccarum violatum Meſuæ, Saccarum bugloſſatum & borraginatum, Saccarum roriſmarini Meſuæ, Saccarum è floribus betonicæ, Saccarum è fumo terræ magiſtrale ſeu Conſerua florum fumariæ, Saccarum euphraſiæ, Conſerua abſinthij ſiue ſaccarum ex abſinthio magiſtrale, Saccarum è cichorio magiſtrale, Conſerua gratiolæ ſeu ſaccarum gratiolæ magiſtrale, Conſerua ex acido citri, Conſerua florum maluæ: Perſica condita, Manus Chriſti roſata magiſtralis. 8. *Trochiſci*, ſiue paſtilli, variis conſtare ſolent ſimplicibus, quæ liquore aliquo excepta in maſſam coguntur, ex qui diuerſæ poſtea figuræ, rotunda ſcilicet aut quadrata finguntur, & ad vſum reponuntur. Huiuſmodi ſunt: Trochiſci è Galliâ Muſcatâ Meſuæ, Trochiſci è Galliâ Muſcatâ Nicolai Alexandrini, Trochiſci è Galliâ Sebellina Meſuæ, Gallia Alephangina, Trochiſci diarhodon Nicolai, Trochiſci de roſis Meſuæ, Trochiſci Ramich Meſuæ, Trochiſci de camphora Meſuæ, Trochiſci de rhabarbaro eiuſdem, Trochiſci de terra ſigillata eiuſdem, Trochiſci Alhandal eiuſdem, Trochiſci ex Alkakengi eiuſdem, Trochiſci de myrrha Rhaſis, Trochiſci de ſcilla Galeni, Trochiſci è viperis, Trochiſci de carabe Meſuæ, Trochiſci de agno caſto Rhaſis, Trochiſci de abſinthio Meſuæ, Trochiſci Aliptæ muſcatæ Nicolai, Trochiſci diacoralli Nicolai, Diacodion in forma ſolida. 9. *Pilulæ* à rotunditate nomen habent. Græci catapotia appellant. Inſigniores ſunt: Pilulæ Alephanginæ Meſuæ, Pilulæ aggregatiuæ eiuſdem, Pilulæ Arabicæ Nicolai, Pilulæ arthriticæ Nicolai, Pilulæ Aſaiereth Auicennæ, Pilulæ aureæ Nicolai, Pilulæ cochiæ Rhaſis pilulæ de cynogloſſa Meſuæ, Pilulæ communes contra peſtem Rhaſis, Pilulæ ex agarico Meſuæ, Pilulæ è bdellio eiuſdem, Pilulæ è croco Meſuæ, Pilulæ Indæ Hali, Pilulæ ex hermodactylis maiores & minores Meſuæ, Pilulæ ex hierâ ſimplici, Pilulæ ex hierâ cum agarico magiſtrales, Pilulæ è lapide Cyaneo Meſuæ, Pilulæ è quatuor rebus magiſtrales, Pilulæ è fumo terræ Auicennæ, Pilulæ ex rhabarbaro Meſuæ, Pilulæ è Rauedſeni Meſuæ, Pilulæ ex opoponace eiuſdem, Pilulæ ex Serapino eiuſdem, Pilulæ fœtidæ maiores, Pilulæ lucis maiores Meſuæ, Pilulæ ſine quibus eſſe nolo Nocolai, Pilulæ maſtichinæ Petri de Apono, Pilulæ de tribus cum rhabarbaro magiſtrales, Pilulæ ſtomachicæ Meſuæ, Pilulæ muſcatæ magiſtrales, Pilulæ de nitro Alex. Tralliani, Pilulæ ex Styrace Meſuæ, Pilulæ è cynogloſſâ magiſtrales Nicolai, Pilulæ Bechiæ Meſuæ, Pilulæ Sebeliæ eiuſdem, Pilulæ ex elaterio. 10. Medicamentorum quæ externis corporis partibus adhibentur, alia emplaſtra, alia cerata, alia vnguenta dicuntur. Et *emplaſtra* quidem recentioribus fiunt ex herbis, pinguedine, oleis: quæ cataplaſmata Græcis dicebantur. *Cerata* recentioribus ſunt ſolida ac dura medicamenta, quæ Græcis emplaſtra erant. *Vnguenta* ex oleo, cerâ, & aliis conſtrant rebus, mollemque obtinent conſiſtentiam. Videamus aliquot genera. *Emplaſtrum* diachylon ſimplex Meſuæ, Emplaſtrum diaphœnicon eiuſdem, Emplaſtrum diaphœnicon Alexandri, Emplaſtrum ex meliloto Meſuæ, Emplaſtrum è cruſtâ panis Montagnanæ, Emplaſtrum de pelle arietina Arnoldi, Emplaſtrum barbarum maius & minus Galeni, Emplaſtrum è baccis lauri Meſuæ, Emplaſtrum ad pleuritidem magiſtrale, Emplaſtrum de ſinapi Democriti, Emplaſtrum è cymino Iohannis de Vigo, Emplaſtrum magiſtrale, Emplaſtrum ex allio Aëtij. *Ceratum* ſandalinum Meſuæ, Ceratum diachylon maius Meſuæ, Ceratum mollitiuum magiſtrale, Ceratum de palma Meſuæ, Ceratum oxycroceum Nicolai, Ceratum è ceruſſâ magiſtrale, Ceratum triapharmacum Meſuæ, Ceratum è betonica magiſtrale, Ceratum gratia Dei magiſtrale, Ceratum diadictamni Galeni, Ceratum Iſidis ex Galeno, Ceratum conſtrictiuum Onigi, Ceratum ex ladano magiſtrale, Ceratum ſtomachale Galeni ex Meſuæ, Ceratum ex œſipo Philagrij ex Meſuæ, Ceratum è ſolatro magiſtrale, Ceratum Iohannis Vigonis ad oſſa fracta, Ceratum pro renibus magiſtrale. *Vnguentum* è plumbo magiſtrale, Vnguentum ſtomachale magiſtrale, Vnguentum Arogon Nicolai, Vnguentum Agrippæ ex Nicolao, Vnguentum infrigidans Galeni, Vnguentū Marciatum Nicolai, Vnguentum è minio magiſtrale, Vnguentū baſilicon maius Meſuæ, Vnguentum ex reſinis magiſtrale, Vnguentum Comitiſſæ ex Varignana, Vnguentum pro ambuſtis magiſtrale, Vnguentum ex alabaſtro magiſtrale, Vnguentum ex calce magiſtrale, Vnguentum ex tutia Galeni, Vnguentū ex corticibus ranearum Montagnanæ, Vnguentū ex matriſyluama giſtrale, Vnguentum roſatū Meſuæ, Vnguentum benignum, Vnguentū defenſiuū magiſtrale, Vnguentū è gummi Elemi Petri Aponenſis, Vnguentum dialthæa Nicolai, Vnguentū è pomo citrio Nicolai, Vnguentum ex Artanita maius & minus Meſuæ, Vnguentum populeum Nicolai, Vnguentum Aegyptiacum maius Meſuæ, Vnguentum contra vermes magiſtrale, Vnguentum pectorale magiſtrale, Vnguentum Apoſtolicum Auicennæ, Vnguentum contra ſcabiem, Vnguentum ex ceruſſa magiſtrale, Vnguentum ex lithargyro Meſuæ, Vnguentum pediculorum, Vnguentum ad vlcera papillarum, Vnguentum cordiale magiſtrale, Vnguentum ſpleneticum magiſtrale, Vnguentum Damaſcenum magiſtrale, Vnguentum digeſtiuum magiſtrale, Vnguentum pro oculis magiſtrale, Vnguentum contra gonorrhœam Nico. Florentini. 11. *Oleorum*, quibus vtuntur medici, alia expreſſione fiunt, alia coctione, quâ vires ſimplicium, quæ incoquuntur, in Oleum tranſeunt, alia denique calore expreſſis ſimplicium facultatibus, qualia à Chymiſtis conficiuntur. Videamus ſingulorum ſpecies præcipuas, vt in ſuperioribus. Oleum amygdalarum dulcium & amararū Oleum nucum iuglandium Meſuæ, Oleum è nucleis Armoniacorum eiuſdem, Oleum è nucleis Perſicorum eiuſdem, Oleum ex cherua eiuſdem, Oleum è nuce Indica, Oleum de Been, Oleum lini, Oleum ſeſaminum, Oleum papaueris, Oleum è ſemine cucurbitæ Oleum rutæ, Oleum è capparibus, Oleum cydoniorum, Oleum myrthinum, Oleum nardinum, Oleum maſtichinum, Oleum coſtinum, Oleum alchannæ, Oleum ex piperibus, Oleum ex croco, Oleum ex euphorbio, Oleum ex caſtoreo, Oleum hyperici, Oleum lumbricorum terreſtrium, Oleum ſcorpionum Oleum roſatum completum Meſuæ, Oleum roſatum magiſtrale, Oleum violatum Meſuæ, Oleum chamæmelinum eiuſdem. Oleum anethinum eiuſdem, Oleum liliorum alborum, Oleum irinum Meſuæ, Oleum ſambucinum, Oleum cheirinum Meſuæ, Oleum nenupharinum Meſuæ, Oleum maioranæ, eiudem, Oleum menthæ magiſtrale, Oleum abſinthij magiſtrale, Oleum tritici, Oleum vulpinum Meſuæ, Oleum ranarum Meſuæ, Oleum auellanarum eiuſdem, Oleum ceraſorum eiuſdem, Oleum lentiſcinum, Oleum necans & expellens vermes, Oleum formicarum volantium, Oleum balſami, Oleum philoſophorum, Oleum ex abiete, Oleum ſulphuris, Oleum antimonij, Oleum ex cranio humano, Oleum myrrhæ, Oleum thuris, Oleum aloës, Oleum aniſorum, Oleum iuniperi, Oleum cinnamomi, Oleum ficuum, Oleum ceræ, Oleum è ligno corni, Oleum è ſeminibus lactucæ, Oleum è ſeminibus hyoſciami, Oleum è mercuriali, Oleum ex ouorum vitellis, Oleum zanetinum, Oleum tartari, Oleum vitrioli. Hic ergo eſt apparatus pharmacorum Galenicorum, quibus tamen Chymica quædam ſunt inſperſa. De ſingulis vide *Diſpenſatorium medicum Georgij Melichij*, & coronidis loco accipe ſecretum, paucis medicis cognitum, videlicet deſcriptionem pilularum angelicarum Doctoris Hartmanni Baieri, medici Francofurtenſis.

℞ ſucci cardui benedicti bene inſpiſſati ℥ ſ.
armoniaci in guttis ℥ j.
aloës roſatæ ℥ iij.
Cum vino albo generoſo fiat maſſa ad vſum.

Sed & illud obſerua. Pilulæ communes contra peſtem, vulgo peſtilentiales, ventriculum, caput, & epar roborant, & has partes, atque adeo totum corpus excrementis pituitoſis & bilioſis expurgant. In præſeruatione à peſte principatum tenent. Earum deſcriptio hæc eſt.

℞ aloës ʒ iiij.
myrrhæ
croci, ana ʒ ij.

Confice cum vino albo, tenui, odorato. Datur ʒ j. ieiuno, Poſſunt hæ pilulæ alternis ſumi quotidiæ, vel etiam ſingulæ. Fungentur proculdubio vicem panaceæ.

XI. *Præparatio medicamentorum Chymica ſpectatur in ſpeciebus, inſtrumentis, & effectis.* Præparatio medica e-torum Chymica.

Species ita habent. *Præparatio*, ſeu ergaſia, *Chymica* eſt ſolutio, vel coagulatio. *Solutio Chymica* eſt operatio, quâ corpus miſtum in ſua tria principia, videlicet Mercurium, ſulphur & ſal, ex quibus à naturâ conflatum eſt, ſeparatis heterogeneis, recluditur. Eſtque calcinatio, vel extractio. *Calcinatio* eſt corporis miſti in calcem ſolutio, hoc eſt, in puluiſculum tenuiſſimum, ablatione ſuperfluæ humiditatis factum; qui ſi fiat impalpabilis, dicitur *Alcohol*; quo nomine tamen etiam appellatur ſubtiliſſimus vini ſpiritus. Dicitur autem calx, à ſimilitudine lapidis calcarij, qui inter coquendum priuatur omni humiditate. Porrò calcinatione tollitur acrimonia & impuritas, & conciliatur ſubtilitas ac ſpiritualitas aliqua. Hîc autem laudatur maximè ignis reuerberij: quanquam non ſolùm igni actuali & materiali calcinamus, ſed etiam potentiali, hoc eſt, per corroſiua, vt ſunt alia, indeque fact. ſpiritus, puta aquæ fortes. Fit itaque calcinatio ignitione, vel corroſione. *Ignitio* eſt calcinatio per ignem immediatè facta. Eſtque cinefactio, vel reuerberatio. *Cinefactio*, ſeu incineratio, eſt ignitio, quâ corpora vegetabilia & animalia in cineres rediguntur. Nam mineralia in calcem, non verò in cinerem reducuntur. *Reuerberatio* eſt, quâ corpora igne viuo, in furno reuerberij calcinantur Eſtque clauſa, vel aperta. Huc pertinet *deſiccatio humiditatis* (nempe non natiuæ & eſſentialis, ſed aduentitiæ & accidentalis) vt fieri ſolet in ſale, vitriolo, alumine, & ſimilibus. *Corroſio* eſt miſti calcinatio per res corroſiuas, & fit quatuor hiſce modis. 1. *Amalgamatione*; quæ eſt corroſio metalli per argentum viuum. Oportet autem metallum (excepto ferro) in tenues laminas ducere, & cum octo partibus Mercurij plus minus commiſcere. Hydragyro enim euaporato ſuper igne, metalli calx relinquitur. 2. *Præcipitatione*; quæ eſt corroſio per ſpiritus acutos & aquas fortes, ita vt corpora liquori immergantur,

mergantur, & postea liquor ab illis abstrahatur. Hîc adhibetur spiritus aluminis, oleum acidum sulphuris, acetum destillatum, succus limonum, oleum mellis, spiritus tartari, aqua regis &c. 3. *Stratificatione*; quæ fit per pulueres corrosiuos, ita vt in catino vel crucibulo alternatim ponantur laminæ & pulueres. Dicitur etiam *cæmentatio*; cui affinis est *commixtio*, quâ corpus erodendum cum pulueribus corrosiuis commiscetur. 4. *Fumigatione*; quæ est corrosio metalli per fumum vel vaporem acrem. Hîc lamellæ suspenduntur super aquas fortes, acetum, vaporem plumbi, Mercurij, & similium rerum; vt vulgo paratur cerussa. *Extractio* est solutio, quâ corporis mixti partes subtiliores à crassioribus segregantur. Estque generatim, vel speciatim sic dicta. *Extractio generatim dicta* fit vel sine medio, vel cum medio. Illa fit ascensione & descensione: estque sicca, vel humida, calida vel frigida: hæc fit digestione, putrefactione, & circulatione. Extractio sicca est *sublimatio*; quæ est extractio partium subtiliorum siccarum, per ignem in sublime eleuatarum, & vasi adhærentium. Materia sublimanda vel sola sublimatur, vel adhibitis aliis; & rursus, vel sine vel præu â præparatione, putà lotione, calcinatione, & similibus. Extractio humida est *destillatio*; quæ est partium humidarum in halitus à calore extenuatarum atque eleuatarum extractio. Hæc malè à quibusdam appellatur sublimatio. Cæterùm destillationis exempla in naturâ sunt obuia: vt cùm ex vaporibus in altum vi solis euectis, & frigiditate aëris condensatis, gignitur pluuia: & cùm in homine vapores in cerebrum, tanquam aëream microcosmi plagam sublati, frigore illius in excrementum pituitosum condensantur. Sic in ciborum elixatione ollas operculo claudimus, vt quidquid vaporum ascendit, in suam originem postliminio reuertatur. Porrò destillatio est recta, vel obliqua. Illa fit per alembicum, aut vesicam: hæc per retortam, in rebus præsertim contumaciores spiritus fouentibus. Huc pertinent rectificatio & cohobatio. *Rectificatio* est repetita liquorum destillatio, ad eos magis purificandos & exaltandos. Perficitur tamen hæc etiam quandoque digestione. *Cohobatio* est destillationis reiteratio, quâ liquor destillatus fæcibus reaffunditur, & denuò destillatur. Fit autem fæcibus priùs tritis, & humore paulatim, vt macerentur, imbutis. *Extractio calida* appellatur destillatio per descensum; & est liquoris è corporibus dissolutis, inuerso vase, per ignem extractio: qualis adhibetur in picis confectione. *Extractio frigida* est separatio partium subtiliorum à crassis, facta per descensum, absque igne. Estque filtratio, vel deliquium. *Filtratio* est, quâ humores aquosi per tritorium, chartam emporeuticam, manicam Hippocratis, laciniam, pileum, aut simile quiddam, percolantur, relictis in filtro partibus crassioribus. Hæc fit semel, vel sæpiùs. Deliquium est peculiare genus liquationis, quo corpora liquabilia, vt sales, calces &c. cellæ, aëri, puteo, aut alio loco humido & frigido, super marmore, vel tabulâ marmoreâ aut vitreâ, vel in manicâ Hippocratis aut sacculo inclusa, exponuntur aut suspenduntur, vt in liquorem resoluantur. Colliquescunt autem alia totaliter, vt sales: alia ex parte, vt calces. Porro omnia, quæ in frigido resoluuntur, in calido rursus coagulantur. Huius loci est *purgatio salium*: quia frequentia deliquia faciunt, vt sales, abiectâ omni terrestreitate, fiant crystallini. Optimè instituitur deliquium Iunio, Iulio, & Augusto: quo tempore cellæ sunt frigidiores. *Digestio* est, quâ res calore digestiuo, ad modum naturalis digestionis ciborum in ventriculo coquuntur, seu maturantur. Huic affinis est *maceratio*. *Putrefactio* (quod nomen vulgo est abominabile, philosopho amabile) est corporis concreti dissolutio per putredinem naturalem, in calore humido substantiam corrumpente, & eius penetralia reserante. Dicitur putredo naturalis; quia calor internus, seu naturalis, præcipuè operatur, excitatus à calore externo. Putrefactio itaque est merè naturalis, & fit in humore, materiæ intrinsecus adiuncto. *Circulatio* est liquoris puri exaltatio in gradum præstantiorem, facta per varias rotationes in pelicano: vnde & *pelicinatio* dicitur. Huc refertur *fermentatio*, quæ est exaltatio rei in substantiâ, per quam calor agens exuperat, & in naturam suam vertit patiens. Fermentantur autem res partim liquidæ, vt aqua, vinum, mel: partim solidæ, vt triticum, aromata, metalla; è quibus illa & ista comminui debent, iisque aqua affundi, hæc calcinari oportet. *Extractio speciatim sic dicta est*, quâ partes subtiliores, à menstruo apprehensæ, extrahuntur, hoc modo. Menstruum toties per inclinationem separatur à re, cuius tincturam extrahimus, donec non ampliùs tingatur. Tunc depletiones colliguntur, & menstruum in balneo Mariæ abstrahitur, relicto extracto in fundo vasis, in formâ sirupi. *Coagulatio* est altera operatio princeps, quâ res molles & liquidæ è consistentiâ tenui & fluidâ in solidam coguntur, per humiditatis priuationem. Ea fit 1. *Exhalatione*; quâ humor a re coagulandâ exspirat. 2. *Coctione*; quâ res liquidæ ad solidiusculam consistentiam coquuntur, vt in culinis. 3. *Congelatione*; vt cùm crystalli in cellis à frigore producuntur. 4. *Fixatione*; quâ res ignem fugientes & volatiles ita præparantur, vt ib igne perseuerent. *Instrumenta præparationis chymicæ* sunt ignis, fornaces, vasa, lutum, & similia, de quibus vide inter alios *Iohannem Rhenanum in tractatu solis è puteo emergentis*. cuius ductum infrà in Alchymiâ secuti sumus. Denique *effecta præparationis chimicæ* sunt species chymicæ, vt appellantur. Eæ verò sunt liquidæ, molles, vel duræ. *Liquidæ*: vt aquæ ex floribus, herbis, radicibus, corticibus, seminibus, lignis: item aquæ fortes, spiritus, acetum, olea, tincturæ liquidæ. *Molles*: vt balsami, extracta varia, tincturæ molles. *Duræ*: vt sales, flores, magisteria, calces, croci, & tincturæ siccæ. Hîc non ab re fuerit, tradere nonnullorum istorum vocabulorum explicationem. *Spiritus* sunt menstrua ignei halitus naturam habentia. Participant enim de igne & aquâ. Et prout sunt aquosiores, vel oleaginosiores, dicuntur aquæ vel olea. Menstrua vocantur; quia plerumque horum loco vsurpantur. *Olea* inter aëris & ignis naturam ambigunt: & quò acriora sunt, eò magis ignea; quò minùs aëria, eò magis ætherea & aërea censentur. Quòd si redigantur ad essentiam purissimam, sunt incombustibilia. *Sal* constat ex parte terreâ, aqueâ, & igneâ. Consistentia & soliditas eius est à terrâ, liquabilitas ab aquâ, mordicatio ab igne. *Tinctura* est arcanum specificum, cum essentiâ & qualitatibus formalibus etiam colorem rei habens, vt in sui similem naturam tingere possit. Differt itaque ab arcano, vt species à genere. Nam *arcani* nomen quælibet medicina magnetica & virtuosa, cuiusque etiam speciei, meretur. *Balsami chymici* conficiuntur ex tribus, videlicet ex oleo proprio, tincturâ, & sale. *Magisterium* est ens medicum, ex toto corpore, citra vllam separationem, impuritatibus duntaxat segregatis, elaboratum & exaltatum: vt est magisterium tartari, perlarum, corallorum. *Panaceæ* dicuntur medicinæ quasi vniuersales: & dicuntur panaceæ particulares, vt panacea vitrioli, panacea auri. *Quinta essentia* latè significat quamuis speciem chymicam corpulentis fæcibus exutam: strictè, est substantia ætherea siue cœlestis, è tribus principiis cuiusque corporis misti conflata, & à qualitatibus elementaribus corruptilibus liberata. Dicitur alio nomine *cœlum*, quòd sit cœlestis, hoc est, simplicis, essentiæ; & cœlestis, id est, magnæ, virtutis: item *Elixir*, ob vires in medicinâ. Sed hæc pluribus explicata vide in *Tyrocinio chymico Iohannis Beguini, illustrato à Chrystophoro* Glückrad; illudque memento: præparationes chymicas, à nobis commemoratas, communiter quidem attinere ad chymiam medicam & metallicam; sed ad illam principaliter, ad hanc minùs principaliter: proinde nos nihil peccasse, quòd in Pharcomopoeiâ illas explicauerimus. Iam coronidis loco addamus pulcherrimum *opusculum Drebelij de quintâ essentiâ*.

CORNELII DREBBELII

CHEMICI ET MECHANICI PERITISSIMI,

Breuis Tractatus.

DE

Quintâ Essentiâ.

CAPVT I.

Quinta essentia est res æterna, immutabilis, incombustibilis, vt cœlum inuincibile, perfecta in omnibus elementis: exuberansque (ferè supra fidem) calore, siccitate, frigore, humiditate. Quando enim calore opus est, eum tribuit, nec (quod maximè mirum) frigiditatem ipsius animaduertimus; sicuti nec calorem, si refrigerium desiderantibus adhibeatur. Cæterùm vbi humiditas deficit, eam ad satietatem largitur, siccitas tamen eius nulla apparet. Atque ita porrò se res habet in reliquis elementorum qualitatibus. Propterea quoque quarumlibet infirmitatum præsens remedium est.

Omnes verò quintæ essentiæ æquiualent, si benè præparatæ: nec refert ex quâ materiâ. Fortè iam dices, si in omnibus quintis essentiis isodynamia est, ad quid prisci eam, quæ ex auro, cæteris prætulêre? Respondeo, nihil quidem esse in terrarum orbe, in quo tam pura, quàm in auro, sit quinta essentia. Aurum enim perfectum est, caret combustibilitate, & parum, aut nihil secum habet: quamobrem cum tantummodo eius Q.E. à corpore sine permansione corrosiuorum separatur, spirituque vini rectificatur, absolutissima est, maximéque penetrabilis. Aliæ autem Q.E. corporibus liberatæ, adhuc multâ combustibilitate & confartis obrutæ sunt fecibus, internis, externis: quæ non nisi summâ difficultate diffluunt: quandoquidem, si ex imperfectis & combustibilibus perfectissimam Q. Essentiam extrahere conamur, necesse est primùm defecare & oleum combustibile submouere quantum

quantum fieri poteſt; deinde figere: poſtea calcinatione & ſolutione omnem combuſtibilitatem tollere, & vtraſque fæces; quod multum temporis iuxta atque negotij efflagitat, vt notum iis, qui experti: Cumque iam ſic mundauimus, fixauimus, & in colorem adduximus, Materia auro, eiuſque Q.Eſſentiæ ſimilis eſt.

Capvt II.

Iam verò quæras, quî poſſibile Q. Eſſentiam hoc tali vigore præditam, qualem adſcribis? Docebo: ſi eam immittas in ſpiritum vini, cui omne phlegma ademptum, ita vt ſal (facilè alioqui in humore ſolubile) in eo non ſoluatur, ſtatim mixturam faciet; idque ob exundantem in ipſa humiditatem. Licet autem aſpectu ſicca ſit, imo ſale magis, nulla tamen hîc ſiccitas apparet. Quod mirum; eò magis quòd etiam ſpiritum coagulat in cryſtallinum lapidem, feruorémque ei adimit, licet is, nec frigore, nec aliâ quâpiam re concreſcat. Vnde duo reſultant aduerſa, alterum eſt copioſus eius, cùm ſoluitur, humor: alterum frigida, cùm coagulatur, ſiccitas. Scatens verò calor illius eluceſcit, ſi in aqua communi víque ad ſatietatem ſoluatur: eo enim caſu, cùm vel maximè gelat, etiamſi frigidiſſimo loco exponatur, non obrigeſcet: vnde, quin neque corrumpetur, neque malè olebit in perpetuum. Ex quibus maneſtiſſimè quatuor elementorum demonſtratur perfectio. Neque ſolùm hoc fit in vino & aqua, ſed in omnibus imperfectis, quibus hoc tribuit, quod deſiderant. Nam ſi Q.Eſſentiæ quantum ſatis eſt in ſalſugine ſoluatur, recedet huius ſiccitas, ita vt abſque periculo quilibet eam bibat. Atque adeo ſi ipſam cum venenoſiſſimâ aquâ commiſceas, momento euaneſcet virus, in tantum, vt ſecurè cuiquam propinetur. Quid ſi cum aquâ forti? adhuc idem dicendum eſt. Sed tum defixanda eſt, ita vt cum ea diſtilletur. Nam alioqui aqua fortis calore ſtomachi præuolaret in cerebrum, & antequam quinta eſſentia eò ductu naturæ perueniret, penetrando, corrodendóque hominem interficeret. Sed quando volatilis eſt, vna aſcendit, defendens cerebrum, omnibuſque aquis venenoſis id tribuens, quod appetunt: vel quoque aqua fortis cum illâ fixari poteſt; atque hac demum proprietate acquiſita perambulat totum corpus ſine læſione, quippe perfecta in omnibus elementis, quorum defectus venenoſitatis cauſa eſt. Aut enim ignis, aut aqua, aut frigus, aut ſiccitas deficit. Teſtantur id aquæ fortes, quæ mineralium humidi ſunt ſpiritus, deficitque iis anima & corpus, quibus ſatiatæ, vim corroſiuam amittunt. Spiritus aëri & aquæ adſimilantur, tametſi ſine igne non conſtant, neque enim aër eſt ſine igne & aqua: ac ignis abſque aëre mortuus eſt. Qua de cauſa tria elementa exiſtunt in aquis fortibus, at aër & aqua prædominantur. Probatur id ex ſale. Vbicunque enim illud ſoluitur, etiam aqua principatum gerit: & in quibus aër, aut aër & aqua ſimul præſunt, in iis inuenitur acris penetránſque ſapor, vt in aceto. Sed ſi ignis & aër præualeant, ſapor emergit etiam acutior, feruentior, penetrabilior. Quod vbi fit, nullus ſali locus, ſicut in ſpiritu vini probè rectificato: idque ob feruidam, quæ in eo ſiccitatem. Itaque quicunque ſpiritus & molli & flaccido ſapore ſunt, & ſal imbibunt, aquam dominam habent: acres verò, & ſal ſoluentes, aërem & aquam: feculenti autem & penetrabiles, nec ſal admittentes, ignem & aërem. Ex his propriis natura & poteſtas ſpirituum, cauſáque imperfectionis eorum innoteſcit. Verùm cùm Q.E. omnibus elementis ex æquo ſcateat, etiam ſpiritus & corpora ſuis numeris abſoluit, quibuſcunque tandem vitiis laborent, modò cum ipſis vniatur. Quod autem hac proprietate caret, procul à Quintâ eſſentiâ abeſt. Sed coadunitio horribile ſecretum eſt, eóque paucis cognitum. Donum Dei eſt. Itaque non decet me id clariùs ſcribere, ſolummodò contentum illud exemplo Ieſu Chriſti demonſtraſſe, qui inter Deum & nos Mediator, ſuâ in hominem transformatione nos cum Deo vniuit in ſempiternam & immortalem perfectionem. O abſoluta ſapientia: quàm incomprehenſibilia tua miracula, & conſolationis plenæ tuæ figuræ, quas in omnibus in teſtimonium vitæ æternæ, verbique tui venerationem nobis, quaſi digito oſtendis.

Capvt III.

Satis iam ſupérque virtutem & proprietatem Quintæ Eſſentiæ enarrauimus, ſimulque naturam ac defectum ſpirituum, etiam cauſam imperfectionis corporum; tum quomodo hæc vniantur, & acquirant poteſtatem alia porrò perficiendi. Mortuo enim & poſteà defecato corpore, rurſuſque vnito cum ſpiritu & animâ puris, ſpiritus vtrumque ſurſum rapit, ita vt paulatim hæc omnia æquipolleant. Anima & corpus naturam ſpiritus, ille viciſſim corporis & animæ conſequitur. Quo facto ſic copulantur, vt nullâ vnquam viâ ſeparationem admittant. Spiritus facilè figitur, id eſt, in naturam corporis abit: nam corporeum ſpiritualitatem induit, ſpirituale verò corporeitatem. Vnde iure corpus glorificatum appellatur, quia quælibet imperfecta corpora, in quæ infunditur & penetrat, perficit. Etenim hoc vnum eſt ex maximis arcanis quæ miſericors ille Deus nobis hîc patefecit in ſalutis noſtræ confirmationem, & gloriam abſolutiſſimi amoris in nos per Filium ſuum Ieſum Chriſtum collati. Quis non obtupeſcat, cùm mortem & reſurrectionem in omnibus deprehendat? O infinita ſapientia! quis te ſatis dignis laudibus euehat?

Nunc ad praxin tranſimus, quamuis eam ſuprà leui brachio perſtrinximus. Philoſophi non ſemper de eâdem re loquuti fuerunt, quando Quintæ Eſſentiæ mentionem fecere: Non: Multi enim fugacem illum ſpiritum, qui in omnibus reperitur, hoc nomine appellarunt, ſimulac eum ex elementis ſepararant. Plerique etiam philoſophicè alienum indigetant: quod niſi hic ſpiritus abigatur, nihil occidit aut in elementa reducitur; namque eſt, vt Philoſophi adferunt, adſtrigmentum eorum, & creatorum vita: At non talis quinta eſſentia, quæ omnibus morbis medetur, ferè ſimilis eſt virtute illis, ex quibus extracta, excepto, quòd ſemper ſit Mercurialis. Etenim ſpiritus hic è ſtipticis ſiſtit fluxum, ex papauere ſomnum prouocat: atque ita de cæteris iudicandum. Sed à nonnullis quinta eſſentia dicitur, & elementorum vita; Cùm, quia cuncta, hoc ſpiritu (qui quiddam eſt ſupra elementa) priuata, mortua ſunt: Tum etiam, quòd quatuor elementa rediuiua & indiuiduè in eo habitent. Sed ſubinde ignis, aër, & aqua, ſubinde ignis & aër præualent, atque terra in intimo ſinu latet; quæ ſi induſtria cuiuſquam ad actum perueniat, déque humiditate aquæ triumphet, ſic vt ignis & terra forâs ſimul in conſpectum prodeant, in veram quintam eſſentiam tranſit, omnéſque debilitates tollit. Initiò enim aqua dominata eſt in exterioribus. Etſi autem aliqui ſpiritus ſicci videantur prima fronte, in principio tamen aqua fuerunt, elementorumque motu mutati ſunt. Cæterùm arte etiam nobis induenda eſt aqua virtute aëris, humórque transferendus in cryſtallum, ſiccum,* volatile, pellucidum. Deinceps aër melior reddendus efficacia terræ; hæc viciſſim abſoluto calore & poteſtate ignis exornanda. Atque hoc modo materia omnibus elementorum viribus multiplicanda eſt, & ſupra ea eſſe debet, ſi morbos eorum fugatura ſit.

Quinta Eſſentia dicitur ambiguè.

Quid ſit quinta eſſentia noſtro authori?

Capvt IV.

Reuelabitur hîc ſecretum à Philoſophis præ reliquis reconditum. Efficacia enim huius ſpiritus (quod ſciam) antè hac à nemine tradita; & rectè illum ignem vitámque rerum dixeris, aut Mercurium Philoſophorum, ſiue humidum radicale, re ipſa ignis, hoc eſt, elementorum vitæ domicilium. Quæcunque perficere ſuſtinemus, ad hanc formam reducenda. Nec obſtat, quòd hic ſpiritus in omnibus elementis, plus, minus habitet: nam elementa, à Deo ſemel coniuncta, (teſtantibus id vno ore Philoſophis) in totum diſparari nequeunt, ſemper aliquatenus permixta manent. Humidum autem hoc radicale, ita elementis adhæret, atque adeò exſiccatum eſt, vt nihil ſinceri abſque additione humoris ex eo fiat. Eſt enim illorum odor, ſapor, color: Et quò magis excoquuntur; eò magis odorem, ſaporem, & humiditatem amittunt. Hic verò ſpiritus, quò plus philoſophicè coquitur, hoc plus humiditatis, in eo ſuperfluæ, exareſcit, & melior, meliórque euadit, quandoquidem perfectioni appropinquat. Ideoque apud Philoſophos ante alia ſicca elementa tantis laudibus extollitur. Verùm ſi rectè eum nominemus, nihil eſt, niſi aqua elementalis, ignem, aërem & terram occultè continens. Ignis in aëre, aër & terra in aqua reſident. Calor ignis terræ frigiditatem ſuperat, humiditatémque viuam & liquefactam conſeruat, ita vt nullum frigus illam congelet; quod patet in ſpiritu vini. Iam humor aquæ impedit quò minùs ſiccitate ignis & aëris inareſcat: & ſic deinceps. Nam & omnia elementa in naturam & formam huius ſpiritus mutantur. Liquet ergo elementa illi perfectè ineſſe, ſed in aquâ cohabitant, quam philoſophi, vt ſuprà, deuincunt vita elementorum, hoc eſt, igne, atque ita igne philoſophico adiuuant, vt reliqua omnia ſuperet. Tunc autem eſt abſolutè pura Quinta Eſſentia, rubra inſtar rubini, immutabilis atque incombuſtibilis. Itaque perſcrutare naturam, docebit te noſſe Deum, Creatorem noſtrum, bonitatémque eius & potentiam oſtendet, magis quàm quiſquam in terra. Vnde Opt. Max. ſit laus in ſecula ſeculorum, Amen.

Quinta eſſentia eſt ſpiritus ignis, & vita rerum &c.

Elementa in totum ſeparari non poſſunt.

Q. E. eſt aqua cont[illegible] reliqua tria elementa.

Aliqua eſt de[illegible]

[illegible] per[illegible] Q. E.

Capvt V. Q.E. ☉.

Fiat aqua fortis ex vitriolo & ſalenitro, in eam immitte tantum ſalis communis præparati, quantum capit. Deinde auro foliato ſaturetur, donec tres quatuórue dies in tepore retenta, nihil ampliùs combibat, ſed in fundo aliquid non ſolutum, aut in calces redactum, relinquat. Poſtea bene rectificatam vini Q. Eſſentiam vulgarem affunde. Impone fornaci calenti, & auri Q. E. ſiue tinctura, cum ſpiritu vini, flegmate liberato, ſupernatabit, rubra inſtar ſanguinis. Iam defiltra; affuſionem itera, dum rectificata aqua nullam ampliùs tincturam educat. Tum colorem ſicca, & ſoluendo coagulandóque ablue aqua munda, donec aquæ fortis acrimonia euaneſcat. Dehinc iuſta propor

[illegible] ex auro.

proportione hauriatur à ſpiritu, cui ne quidem aqueæ humiditati: putrefiat philoſophice, ita vt ambo aſcendant, atque habebis Q. Eſſentiam auri, beneficio ſpiritus vini, ad miraculum vſque omnes morbos ſanantem, præditámque quibuſcunque antè dictis proprietatibus. Tinctura enim animam, ſpiritus vini, corpus & ſpiritum repræſentat: nec vllis vnquam mediis diuelli poſſunt. Ergo ſic eſt perfecta quinta eſſentia. Atqui ſine ſpiritu non eſſet quinta eſſentia, & vel minima eius doſis hominem necaret: vt in præcedentibus dictum. Sed ſi ſublimando tincturam auri, tranſitum illi ad corpus facias, dein rubifices, & in aquâ communi ſoluas, inuenies veram Q.E. abſque additione. *Aut etiam compendioſius fit*, ſi nimirum corpori auri, euaporatione ab aquâ forti liberato, ſal abluas, mox reuerberes, ſicut & ſpiritum, ſiue tincturam, donec in aquâ communi ſoluantur, tumque ſimul figas. Atque hæc eſt perfectiſſima & ſubtiliſſima via.

Alter modus parandi Q.E. ex auro.

Capvt VI.

De Quintâ Eſſentiâ metall. & mineral.

Primus metallis & mineralibus.

Solue metallum aut minerale tuum ſine iacturâ aliquorum ſpirituum in aceto diſtillato: lentè coaguletur in loco tepido, vel diſtilla, donec cuticulam ſuperinduat, aut tanquam oleum incraſſeſcat. Pòſt deinde in ſubfrigidâ cellâ in cryſtallum redeat euapora humiditatem, rurſúſque cryſtallum fiat, dum tandem omnis humor ſit concretus. Iam exſicca lapillos in hypocauſto, ac denuò ſolue & cryſtalliniza, vt mundiorem habeas naturam, quo peracto digeratur ad nigredinem. Cum ſpiritu rectificato tincturam educ, ſcitéque defæca; iterum digeratur quouſque ſimul aſcendant: Et erit tibi Q.E. metallorum & mineralium, valens aduerſus quodcunq; vitium. *Aut etiam* corpus mundare licet, puroque ſpiritu figere, quemadmodum de auro dictum eſt.

Alter modus.

Capvt VII.

De Quintâ Eſſentiâ vegetabilium.

Ex omnibus, grato odore præditis herbis, ſpiritum diſtillabis, eumque aquoſitate exues. Subtiles autem ſpiritus præcedent, & ſicuti vini ſpiritus, non guttatim, ſed radiolis quampluribus in galeam decident: qui cùm ceſſant, ſtillæ quædam, aut nubeculæ aqueæ ſequuntur, & iudicio ſunt ſpiritum tranſiiſſe. Itaque deme receptaculum, & è fecibus aut materiâ, in fundo cucurbitæ reſiduâ, tincturam extrahe, & ſoluendo, coagulandoque perpuram redde: dehinc ſpiritum ea in tantum reple, vt nihil amplius capiat: aſcendant, deſcendant, donec ſimul tranſuolent. Id vbi factum, habes perfectam Quintam Eſſentiam. Sed ſi moderatæ fuerint herbæ, ſolues eas in aqua diſtillata, aut diſtillando ſiccas facies, ſuámque ipſarum aquam affundes, addendo tantum aquæ communis diſtillatæ, quantum ſatis videbitur. Tum ſoluendo, coagulando, à fecibus liberabis; poſtea in rectificata tua aqua, iuſta proportione ſolue; & vt coniunctim ſurſum tendendo in aquam rubeam, inſtar ſanguinis, abeant, curabis. Et ſi fortè plus ſoluere cupiant, ſaturabis tua tinctura, vt antè. *Poteris etiam* corpus figere.

Capvt VIII.

De Quintâ eſſentiâ animalium.

Sine bulliat caro in cucurbitula, cuius orificio leuigata ſcandula quadret. Tres dies naturales ſubſidat, munda per filtrum, & in balneo coagula; hinc purifica claro oui albumine, & procede, vt in vegetabili. Habes iam, amice Lector, varios abſolutæ Medicinæ, ſiue Quintæ Eſſentiæ efficiendæ modos. Spero, planè & plenè capies, ſi attentè legas. Multa hîc arcana leuiter tango, ſed hoc tantùm, ne mali & peruerſi homines iis, in contemptum Dei, abutantur. Vale, & Naturæ motum inueſtiga.



SECTIO OCTAVA,

In quâ delineatur

CHIRVRGICA.

Præcepta.



CHIRVRGICA eſt ars bene curandi morbos, qui inſtrumenti alicuius applicationem poſtulant.

Eſtque generalis, vel ſpecialis.

Chirurgica generalis præcipit de Chirurgo, inſtrumentis chirurgicis, & medicamentis chirurgicis in genere.

Chirurgica ſpecialis ediſſerit operationes chirurgicas, & morbos à Chirurgo ſanandos.

Operationes chirurgicæ ſunt capitis, trunci, & artuum. Dicuntur vnâ voce chirurgiæ.

Chirurgiæ capitis ſunt ſuturæ coronalis, frontis, ſyncipitis, oculorum, aurium, naſi, dentium, gingiuarum, menti &c.

Chirurgiæ trunci ſunt colli, aſperæ arteriæ, thoracis, mammarum, abdominis, veſicæ, teſticulorum, hermaphroditorum &c.

Chirurgiæ artuum ſunt manuum, digitorum, vnguium, pedum &c.

Morbi à Chirurgo ſanandi diuiduntur in quinque claſſes.

In prima claſſe ſunt tumores: vt cancer, bubo, hernia &c.

In ſecundâ claſſe ſunt vulnera; quæ conſiderantur in genere, & in ſpecie; vbi ſunt vulnera carnis, neruorum, venarum, arteriarum, capitis, cranij, ſuperciliorum, oculorum, auricularum, linguæ, pulmonis, inteſtinorum, hepatis, lienis, &c.

In tertiâ claſſe ſunt vlcera & fiſtulæ; quæ etiam conſiderantur in genere, & in ſpecie, e.g. vlcera profunda, corroſiua &c.

In quartâ ſunt fracturæ, eæque tum in genere, tum in ſpecie, vti ſunt fractura humeri, brachij, tibiæ, cruris &c.

In quintâ ſunt luxationes. Eſt autem luxatio alia vniuerſalis, alia particularis; & hæc eſt maxillæ, humeri, cubiti, radij, metacarpij, digitorum, femoris, genu, tali, articuli pedis & digitorum.

Regvlæ.

I. Chirurgica & Anatomica accenſentur artibus liberalibus & mechanicis.

Ratio prioris eſt; quia Chirurgica theorica eſt pars Medicinæ, ſicut Anatomica theorica eſt pars Phyſicæ, vel, vt alij malunt, Medicinæ. Vtraque igitur eſt diſciplina liberalis partialis. Ratio poſterioris eſt; quia Chirurgica practica, itémque Anatomica practica peragitur manuum & inſtrumentorum miniſterio.

miniſterio. Nos hoc loco delineamus Chirurgicam mechanicam: ad cuius imitationem *Anatomica mechanica* ſic poteſt delineari. Anatomica mechanica eſt artificioſa ſectio corporis animalis. Eſtque generalis, vel ſpecialis. Generalis agit de Anatomico, & inſtrumentis anatomicis. Specialis diuiditur tribus modis. 1. Eſt ſectio corporis hominis, vel beſtiæ. 2. Eſt ſectio corporis viuentis, vel mortui. 3. Eſt principalis, vel minus principalis. Illa occupatur in ſectione corporis: hæc in ſceleti confectione, diciturque *Scelepoëtica*.

II. *Chirurgus debet eſſe præditus magno animo, peritus rei chirurgicæ, inſtructus apparatu inſtrumentorum chirurgicorum, & manu promptus, id eſt, exercitatus in operationibus chirurgicis.*

Hæc eſt idea chirurgi: ad quam ſi vulgares chirurgos exigere velis, mendicabula potiùs chirurgorum, quàm veros chirurgos inuenies. Rectè igitur faciunt viri clariſſimi, quod chirurgiam accuratis libris deſcribunt, quos inter facilè primas tenet celeberrimus ille *Hyeronymus Fabricius ab Aquapendente*; cuius opera chirurgica in duas partes diuiduntur. Pars prior complectitur operationes chirurgicas: poſterior, quinque libros chirurgiæ, qui vno nomine dicuntur *Pentateuchus chirurgica*. Operationis chirurgicæ ſunt capitis, trunci, artuum. Libri quinque ſunt de tumoribus, vulneribus, vlceribus & fiſtulis, fracturis, & luxationibus. Atque hanc methodum nos paulò ante delineauimus. *Petrus Foreſtus* nouem libris tradit obſeruationes chirurgicas, hoc ordine. 1. de tumoribus præter naturam ſanguineis. 2. de tumoribus præter naturam bilioſis. 3. de tumoribus præter naturam pituitoſis. 4. de tumoribus præter naturam melancholicis. 5. de tumoribus præter naturam mixtis. 6. de plagis, ſeu vulneribus cruentis, caſu, offenſione, percuſſione, contuſione, ac concuſſione. 7. de vlceribus. 8. de fracturis. 9. de luxationibus.

III. *Chirugia curtorum eſt ars nuper adeo inuenta eaque planè ſingularis.* Chirurgia curtorum.

Gaſpar Taliacotius, profeſſor Bononienſis, edidit chirurgiæ partem nouam, de narium, aurium, laborumque defectu, per inſitionem cutis ex humero, arte hactenus omnibus ignota, ſarciendo. Atque hæc appellatur *Chirurgia curtorum*, quòd cutanea propago curtis partibus adiungatur, ex huius artis præſcripto.

IV. *Chirurgia ſuperſtitioſa abutitur doctrinâ de contactu magnetico.* Chirurgia ſuperſtitioſa.

Non enim hoplochriſma, ſeu vnguentum S. Anſelmi, quod vocant, ſanat vulnus; ſed emundatio vulneris, quæ omnino eſt neceſſaria in iſta chirurgia. Vbi non poſſum præterire, quod à viro, qui in Lapponia diu commoratus erat, didici. Solent Lappones vulnera, etiam periculoſiſſima, linteo mundo & aqua limpida eluere atque obligare: qua curatione apud illos nihil eſt certius & felicius.

SECTIO NONA,

In quâ delineatur

METALLVRGICA.

PRÆCEPTA.



METALLVRGICA eſt ars inueſtigandi & perficiendi metalla.

Eſtque vulgaris, vel chymica.

Metallurgica vulgaris nititur communibus principiis, & operoſiſſimâ progreditur prax ·

Eius cultor, & illuſtrator princeps eſt Georgius Agricola.

Eſtque generalis, vel ſpecialis.

Metallurgica generalis præcipit de perſonis, inſtrumentis, rebus, & actionibus metallicis.

Perſonæ metallicæ ſunt principes, vel ſubditæ.

Inſtrumenta ſunt minùs, vel magis operoſa; & hæc dicuntur machinæ.

Res ſunt venæ, & metalla.

Actiones ſunt præparatio, & excoctio metallorū.

Metallurgica vulgaris ſpecialis differt de vndecim ſpeciebus metallicis: vti ſunt aurum, argentum, argentum viuum, æs, plumbum candidum, plumbum cinereum, plumbum nigrum, ferrum, ſtibi, ſterile nitidum & pyrites,

Metallurgica chymica nititur principiis ſingularibus, & progreditur praxi minus operoſa. Eſtque & ipſa generalis, vel ſpecialis.

REGVLÆ.

I. *Metallurgica eſt eximia Phyſices colona.*

Veteres philoſophi hoc imprimis egerunt, vt naturam, omneſque ipſius partes, accuratè cognoſcerent. Cum enim optimæ quæque res diligenti contemplatione dignæ ſemper exiſtimatæ ſunt, tum maximè naturales: quòd ipſis cognitis homo & maius quiddam, quàm videretur mortalium generi eſſe datum, percepiſſe putatur, & id perpetuo haberet in promptu, quo animum oblectare, & quaſi paſcere poſſet. Quare cùm ars, quæ dicitur Metallurgica, eam naturæ partem, quæ in ſubterraneorum contemplatione vertitur, eximiè illuſtret, non in poſtremis habenda eſt, tametſi à nobis poſtremo loco ſit explicata.

II. *Metallurgi occupantur circa metalla remotè, vel proximè. Ibi ſunt perſonæ præcipientes; hîc, famulantes.* Metallurgi qui?

In priori ordine ſunt præfectus metallicorum, Magiſter metallicorum, ſcriba fodinarum, ſcriba partium, iudex metallicorum, iuratus, præfectus fodinæ ſeu cuniculi, præſes fodinæ. *In poſteriori* ordine ſunt metallicus, operarius, foſſor, menſor ſiue dimenſor, lotor, ingeſtor, vectiarius, vector, explorator, diſcretor, decimator ſeu decumanus, diſtributor, excoctor ſiue fuſor, argenti purgator, magiſter furni ærarij.

III. *Inſtrumenta metallurgica ſunt minus vel magis operoſa: vtraque tamen valde artificioſa.* Inſtrumenta metallurgicorum.

Prioris generis ſunt virgula diuina ſeu virga Mercurij, ſolarium metallicum, triangulum, ſemicirculus, tripus, orbis, cochlea, libra ſtatiua, canon ſeu gnomon, ligula, funiculus, ſignum, ſtipes terminalis, ferramenta, lamina, bractea, cuneus, malleus, bacillum, contus, ligo metallicus, verriculum, batillum ſiue ſcapa, ferramentum fiſſorium, ferramentum exciſorium, rutrum. *Poſterioris generis* ſunt machinæ tractatoriæ, inſtrumenta vectoria, machinæ aquæductoriæ ſeu ſpirituales, denique inſtrumenta excoctoria.

IV. *Venæ metallicæ conſiderantur quantum ad partes & ſpecies.* Venæ metallicæ.

Partes venarum metallicarum ſunt cuniculus, interuenium os cuniculi, pars cuniculi, nodus venæ, fibra tranſuerſa, incumbens, ſolida, cauernoſa. *Species* ſunt: vena profunda, vena dilatata, vena cumulata, vena profunda lata, vena profunda anguſta, vena principalis, vena tranſuerſa, vena recta, vena obliqua, vena æris abundans, vena argenti, vena auri &c.

V. *In præparatione & excoctione metallorum ſpectantur inſtrumenta & modi.* Præparatio & excoctio metallorum.

Inſtrumenta præparatoria ſunt fornacula experiendæ venæ, area, craticula, pyra, ollæ, capſa, cancelli, cribrum, raſtrum quinquedens, alueus ceu capſa cribratoria, fornacula ferrea, lateritia, aut fictilis; tegula, catillus, mortariolum, piſtillum, ſubſcus,

ſubſcus,mola,canalis, rutrum ligneum, trulla, rutela, lacus ſeu alueus lotarius ſeu. *Modus præparationis* conſiſtit in lotione: de qua vide *Agricolam lib* 8. vbi recenſet viginti ſex rationes lauandi metella. *Inſtrumenta excoctoria* ſunt ſpatha lignea, pilum, lamina curuata, bacillum teres, rutrum, pilum teres, ſpatha ferrea, contus, contus vncinatus, aqua ſecretotia, fornax ſecretoria, fornax concamerata, molybdæna. *Modus excoquendi* occurrit apud *Agricolam in libris* 12. *de re Metallica.*

Vndecim ſpecies metallicæ explicantur.

VI. *Vndecim ſpecies metallicæ breuiter ſic habent ex Obſeruationibus metallicis Georgij Fabricij.*

I. *Aurum* quod ſtatim ſuum eſt, & quod obryzum nominant, aut effoditur è terra, aut lauatur in riuulis. E' terra quod effoditur, aut ſincerem eſt & ſolidum: aut ſcintillis lucentibus tinctum atque imbutum, vt quod adhæret lapidi cœrulo in monte Carpatho: item lapidi fiſſili. Reperitur autem in propria vena, & in ſaxis ſplendore candidis: item in pyrite proprio: aliquoties in pyrite ferri. In Hyrcania glebas maximas auro micantes reperiri ait *Marcellinus lib.* 23. & in Galicia frequenter glebas aureas aratro ſcindi teſtatur *Iuſtinus lib.* 44. quin etiam aurum, terra fulgure proſciſſa, detegi, ſcribit idem. In inſulis Moluccis hodiè in arenis colligitur. Aurum argentoſum nominatur, quod argenti colorem habet, quod reperitur in citeriore Pannonia, modo in pyrite ferri, modo in ſaxo proprio. In riuulis quod lauatur, aut omnino purum eſt, aut è lapillis nigris excoquitur, idque modò ſcintillis, modò bracteolis micat. E' foſſili hodie optimum eſt in Europa, Pannonicum, ex eo quod lauatur, Rhenanum. In Hiſpania tres amnes aurum ferentes locis diuerſis nominat Silius. Memorabile inprimis eſt, quod narrat *Alexander Neapolitanus in libro* 4. *dierum genialium*: certis & fide dignis authoris ſe comperiſſe, in citeriore Germania intra Danubium vites exiſtere, quæ claiculas & plerumque candicantia folia ex puro auro germinent. Cauſam addit, cum ibi aurifodinæ ſint, ſubtus coaleſcere in radicibus aurum, & vna ingenitum & condenſatum occulta vi & origine, dum germina emittunt vites, mirabili naturæ conſtituto, aut decreto ſtellarum, aurum ſimul erumpere. II. *Argentum* vel effoditur, vt plerumque: vel in fluminibus reperitur, ſed rariſſimè. Ex arenis lauari atque excoqui minimè dubium eſt, præſertim eorum fluuiorum, qui terras metallicas præterfluunt. Nullum metallum coloribus magis varium, vt in eo artificium quoddam naturæ mirabile appareat. Color autem eius quidam tranſlucidus eſt, vt argenti rudis rubri, & argenti rudis iecoris colore: illud rubino gemmæ ſimile, hoc lucem corneam habet, & eſt propemodum ſimile ſardæ. Quidam tranſlucidus non eſt, vt albi, nigri, lutei, purpurei, viridis, plumbei, coloris. Rariores autem colores ſunt iecoris. Rude autem quod eſt, etiam non excoctum, malleo tamen interdum tractatur & ſignatur. Naſcitur argentum variis formis, modò filorum more quaſi conglobatum; modò capillorum, quaſi contortum; modo ramorum, idque variè, elatum, flexum, expanſum, furcatum, teſſellatum, turbinatum, acuminatum, angulis tribus quatuor, quinque, pluribus. Interdum ſolidum eſt in venâ; de qua magnæ maſſæ minoreſque decutiuntur: interdum cum ſaxo coniunctum, aut cum fluoribus, aut cum pyrite: interdum adhærens tantum, veluti bractea: interdum omnino ſeparatum; præſertim id quod filorum more conglobatur, aut capillorum denſatur. Argenti ex parte feracia ſunt alia quoque metalla, à quibus ſeparari ſolet; qualia ſunt æs, plumbum, biſemutum: item alia quædam foſſilia, vt pyrites & cobaltum,: vt ſaxa, marmora, lapides lapis fiſſilis: tum ille, ex quo æs excoquitur: tum ille, quo propriè argentum: item ſucci concreti, vt cœruleum Gishubelianum. Hic non poſſum quin ſecretum quoddam communicem, quod iis, qui magnam argenti vim conflare ſolent, magnum adferre poteſt lucrum. Quoniam argentum occultat aliquid auri, non ab re fuerit, ſed maximè ex re, magnam argenti maſſam imponere in aquam fortem, & ita aurum ab argento ſecernere. III. *Argentum viuum* aut natiuum eſt, quod purum ſincerumque, idque, & in venis propriis, & interdum in ſchiſti vena reperitur: aut eſt factitium, quod è minio fit. Minium autem & ſchiſtos parens huius metalli putatur. Minium ipſum interdum in lapide fiſſili cinereo cōſpicitur, bracteatum more: interdum in lapide metallico candidiſſimo. Inuenitur etiam purum colore atque ſpecie, nihil differens ab argento rudi rubro, interdum etiam iecoris colore. IV. *Æs*, ſeu cuprum, raro purum inuenitur: inuenitur tamen cum in venis propriis, tum etiam in argentariis & plumbariis; in his tamen copioſius. Coloribus maximè varium eſt: rubet, viret, purpurat, flaueſcit, candet: aut ſimul omnes hos colores complectitur: idque in vena propriâ, & venæ plumbariæ innatâ. Quod cum pyrite naſcitur, cætero ſolet eſſe colore præſtantius: quod cum lapide fiſſili, aut lapidis colorem nigrum imitatur, aut coloris aurei eſt: quod cum plumbagine, plerumque colores multiplices habet. Tinctura æris duplex eſt: aut enim tingitur cadmia & auri colorem refert, aut magnetide, & coloris fit argentei. Squammæ æris exiliunt, cùm æs ferro tractatur: flos autem æris è candente ære, cum aperti fornacibus in catinum effluit, tactu aëris exilit cum ſtrepitu, qui ferreis inſtrumentis excipi colligique ſolet. V. *Plumbum candidum* è ſolidis montibus exciditur, & ſui coloris non reperitur: tamen reperitur purum, in lapillis videl. nigerrimus; idque ſæpius, aut flauis, aut candidis. Quidam ex his pellucidi ſunt, vt albi & flaui coloris, ſed iidem tamen admodum rari. Inuenitur etiam quod antimonio eſt ſimile, cum pyrite aurei coloris, in quo plurimo ipſum argenti, pyrites aurei eſt ferax. Ex eo autem quod ferri lapidi eſt ſimile, nihil aliud quam plumbum excoquitur. Quod purum non eſt, ſed mixtum, interdum lapidi candidiſſimo adhæret, inſperſis fluoribus coloris argentei, qui lapis aliquando ſilicis duritiem habet, aliquando friabilis eſt. Sed hic multo feracior: aliquando etiam lapidi nigro aut totum innatum eſt, aut ſuperficiei. Quod purum eſt, ferè angulos quatuor habet, quinque, ſex: modo etiam cellas fauis, modo eminentias botro ſimiles. Sunt etiam lapilli nigri adulterini & ſteriles, qui in fluminibus reperiuntur: ſunt idem cinerei & flaui, qui in venis: præterea purpurei, qui etiam vitioſi. Nam in coctione de bonitate natiua detrahunt. Plumbum candidum cùm in laminas funditur, ita tingi poteſt, vt colorem auri, æriſque natiui referat: ita inter ſe miſceri, vt inſpicienti paulò longinquius fucum faciat. Miſcetur hoc plumbo nigro, vt opera ex eo fieri poſſint: per ſe enim minus eſt tractabile. Item plumbo cinereo, cùm ſplendoris, tum lenitatis gratia. Plumbo candido cum additur quarta pars de orichalco, ſimulque incoquitur, vaſa, quæ ex eâ temperatura fiunt, argento eſſe ſimilia videntur. Appellatur autem candidum, non quòd naturâ ita ſit hoc plumbi genus, ſed poſteaquam ignem experitur, & excoquitur, tum demum candorem accipit ſingularem. VI. *Plumbum cinereum*, quod biſemutum appellant metallici, eſt

Candidius nigro, ſed plumbo nigr us albo.

Nitet interdum argenti colore, vnde fortaſſe plumbum argentarium eſt Plinio: interdum purpureo, ſed dilutiore: nam & flos eius quodammodo eſt purpureus. Reperitur pyriti aut cadmiæ adnatum: item lapidi cum argento puro illitum, ita vt ab argento niſi igne non diſcernas. Simile quoque antimonio eſt; quod ad figuram attinet, ſed colore præſtantius. Fiunt ex eo vaſa diuerſi generis, quæ propter colorem argentea eſſe putes: ſed plumbo candido minus ſunt ponderoſa VII. *Plumbum nigrum*, vulgo plumbum κατ' ἐξοχὴν aut ex lapide excoquitur, aut natiuum effoditur. Quod natiuum eſt, aut durum ſolidumque, aut minus durum eſt. Colore modò album, modò obſcurum, modò rubeum, modo ad cœruleum accedens. Excoquitur aut ex propriâ venâ, aut è lapide plumbario ferace, qui interdum lapidi arenario ſimilis, interdum fluoribus albis. Maſſarum variæ ſunt formæ: quædam rotundæ, quædam quadratæ: quatuor, quinque, ſex angulorum. Quod ſui coloris eſt, aut eſt planum, aut micarum inſtar ſplendet, aut eſt ſtimmi ſimile, aliquando etiam æri natiuo. Differunt lapis plumbarius & plumbago. Hæc enim pura eſt, Plumbagini adnaſcitur interdum ochra copioſa, vel minus copioſa. Interdum quoque adnaſcitur viride quoddam, quod eiuſdem metalli ferax eſt, & vt nonnulli autumant, plumbi nigri flos eſt. VIII. *Ferrum* aut effoditur, aut colligitur, aut excoquitur, aut lauatur. Effoditur ex vena: colligitur in agris: excoquitur vtrumque, & foſſum quod eſt, & collectum: lauatur, cuius maſſulæ ramentaque ex aquis eximuntur. Ferrum quod ſtatim ſuum eſt, reperiri negatur: ſui tamen coloris reperitur. Alias colore varium eſt, plerumque nigrum: aliquando iecoris colore, aliquando pyriri ſimile, raro galenæ, rariùs item plumbo cinereo. Foris ſpecies diuerſum: aut aſſurgens virgularum in morem, aut tumens ſpecie cerebri vel botri, aut omnino denſam habens ſuperficiem, eamque modo rudem, modo nitidam, modo aſperam, modo coloratam. Concauum quod eſt, varias in ſe res continet. Vnum genus continet copioſam ochram: alterum, vel cretam ſaponariam, vel morochthum lapidem: tertium, picem, vt metallici appellant. Ferrum quod iuxta magnetis venam, effoditur, ſæpe purum eſt, & ferrum diues à metallicis dicitur. Flos ferri candidiſſimus eſt & leuis. Acies autem, Græcis στόμωμα, eſt ipſius ferri bonitas, quemadmodum tinctura eiuſdem robur. Fluuij autem eiuſmodi tincturæ apti in Norico multi ſunt. IX. *Stibi*, quod Græcis στίμμι, Plinio ſtibium, in officinis antimonium dicitur, lapidem plumbarium refert, ſed magis nitet aut radiat, & magis eſt fiſſile, magis friabile, magis manus tingit Eſſe autem hoc metallum proprium, non plumbum, id apparere ait *Georgius Fabricius in obſeruationibus metallicis*, cùm in catinis eſt excoctum. Nonnulli id eſſe volunt, quo Cintum nominant metallici, id quod fundi poteſt, ſed tractari malleo non poteſt. Inuenitur autem in venis propriis, quod interdum corio plano eſt, interdum teſſellato, plerumque ſchiſti ſpecie Item in venis argentariis: item iuxta venam ſchiſti lapidis. Quod maxime friabile eſt & ponderoſum, nominant fœminam; quod ſcabrum & leue, marem. Natiuum ſimile eſt plumbo natiuo excoctum

excoctum verò plumbo cinereo. X. *Sterile nigrum* est sterile quiddam in metallis, quod admodum nitet, & colore ipsorum metallorum nomina accipit. Id & oculos suo colore decipit, & omnium metallorum imitatur pulchritudinem, mentitur sinceritatem: eis mixtum deprauat, & vitiat bonitatem. XI. *Pyrites* nomen habet ab igne, & sulphur olet, sed non omnis: durus cùm chalybe percutitur, aut silice, aut alio pyrite, ignem emittit, quem nostri metallici pyritem durum, Plinius viuum nominat, Mauri marchasitam. E pyrite, ex quo ignis excuditur, etiam excoquitur sulphur, aut certè materia quouis sulphure vehementior odore & viribus. Pyrites aut effoditur è venis cum aliis metallis, aut distractus à venis reperitur in fluminibus, aut est cretæ, argillææue, aut terræ vliginosæ inclusus. Ferax est auri, argenti, æris, plumbi: quidam exudat succos acres, vt atramentum, nitrum: quidam adhærentem habet ochram, vt ferè plumbarius: quidam terram candidam & pinguem. Omnis pyrites aut suus est: aut admixtum metallum, vel lapidem, vel fluores habet, nonnullis etiam in locis cœruleum natiuum. Omnis etiam aut solidus est atque durus, aut rarus & leuis, aut stimmi figurâ & friabilis. Colores omnium ferè metallorum refert, excepto argenti viui. Qui ferrum refert, etiamsi niger sit, nomen tamen amittit, & ferri lapidis recipit. Reperitur præterea viridis, cœrulei, violacei, purpurei, cinerei coloris, præsertim in metallis plumbariis. Est autem vel vnius & simplicis coloris: vel mixti, vt auri & plumbaginis refert, item æris & ferri. Figurâ quoque pyritæ varij sunt: aut rotundi & teretes, aut tessellati & multorum angulorum, aut botro cerebroque similes, aut oblongi cauique, aut ouales & solidi, aut striati, aut plani, aut turbinati, aut incurui rectique, aut concamerati, aut spongiosi: aliquando vuis, & fauis, item virgulis & conchis similes. Pyrites autem qui metalli aut succi alicuius ferax est, exploratur pondere: qui omnino sterilis, deprehenditur leuitate. Hæc metallis adiecta sunt de pyrite, quia ferè alicuius metalli partem in se continet: qui licet rarò oculis diiudicetur, tamen igne deprehendi aut agnosci ab artifice potest. Interdum etiam si per dies aliquot imponitur aquæ, eius saporem si mutat, aut tingit, cuius metallj aut succi fœcundus sit, coniecturâ discitur. Colophonis loco teneantur istæ tabellæ.

1. *Aurum* obryzum, Fein gold.
   fossile purum, Gediegen gold.
   argentosum, Weiß gold.
2. *Argentum* rude / purum / suum } Gediegen silberertz.
   album, Weiß oder frisch silberertz.
   plumbei coloris, Glaßertz.
   rubrum, Roth güldenertz.
   rubrum transflucidum, Durchsichtig roth güldenertz.
   nigrum, Schwartzertz.
   cinereum, Grawertz.
   purpureum, Braunertz.
   luteum, Geelertz.
   jecoris colore, Leberfarbertz.
   viride, Grünertz.
   cornei coloris transflucidum / more capillorum natum } Häricht silber.
   ramosum, Zehensilber.
   cum massis quadrangulis, Mit viereckichten wacken.
   Lapidi adhærens, Angesprengt silber.
3. *Plumbum cinereum*, Bißmuth.
   plumbum cinereum stibi simile, Spissiger bißmuth.
   plumbum cinereum lapidi adhærens vt argentum, Angeschweiffter bißmuth.
4. *Plumbum nigrum*, Bley.
   plumbago, Glanß oder gediegen bley.
   Viride annatum plumbo, Bleyschweiff.
   lapis plumbarius, Bleyertz.
5. *Ferrum* quod statim suum est, Gediegen eisen.
   diues, Ein magnet.
   flos ferri / acies ferri } Stachl.
   tinctura ferri, Die härte.
6. *Stibi*, Spißglaß vel rectiùs Spisiglaß.
   Stibi tinctura, Schmincke.
7. *Pyrites*, durus, Harter tieß.
   rarus, Leichter tieß.
   in fluminibus repertus, Wasser tieß.
   qui suus est, Reiner tieß.
   mixtus, Vnreiner tieß.
   friabilis, Spissiger tieß.

VII. *Metallurgica chymica in septem septurias, seu ἑπτάδας, à Nicolao Soleà diuisa, breuiter sic habet.* Metallurgica chymica.

Prima septuria. 1. de liquore metallorum æthereo, von dem metallferch. 2. de semine metallorum, 3. de nutrimento metallorum, von der metallenspeiß. 4. de officinâ metallorum, von der metallen werckstat. 5. de egressione & ingressione metallorum, von der metallen auß vnd einzug. 6 de resolutione & reductione eorum, von der metallen fluß vnd härte. 7. de ascensione & descensione metallorum, von der mettall ab vnd auffsteigen.

Secunda septuria. 1. de metallo respirante, von d m lebendigen metall. 2. de metallo exspirante, von dem toden metall. 3. de metallo puro. 4. de metallo impuro. 5. de metallo perfecto. 6 de metallo imperfecto. 7. de metallo vredinum, von dem feitten metall.

Tertia septuria. 1. De inhalatione, von der einwitterung. 2. de exhalatione, von der außwitternng. 3. de coruscatione, von der bewitterung. 4. de folio & spolio, von dem schimmer vnd glimmer. 5. de fuligine & cinere, von dem ruß vnd aschen. 6. de scobe & aquâ metallicâ. von dem schliey vnd laugen. 7. de scoriâ & exuuio spermans, vom sieder vnd schwaden.

Quarta septuria. 1. de virgulâ lucente, von der fewerruten. 2. de virgulâ candente, von der brandruten. 3. de virgulâ saliâ, von der springruten. 4. de furcillâ, von der schlagruten. 5. de virgulâ trepidante, von der beberuten. 6. de virgulâ cadente, von der vnterruten. 7. de virgulâ obuiâ, von der oberruten.

Quinta septuria. 1. de vaporibus quiescentibus, von dem dampffatz. 2. de halitu incluso, von dem wettersatz. 3. de cote metallicâ, von dem steinsatz. 4. de stagnis subterraneis, von der wassernoth. 5. de auro metallico, von dem bergfeth. 6. de fluoribus metallicis, von den flüssen. 7. de carie, von dem steinmehl.

Sexta septuria. 1. de spirone, von dem selbgebläß. 2. de pultâ, von dem brechzeug. 3. de cratere, vom blanckfewer. 4. de glutine, von der bergkött. 5. de trude, vom satzzeuge. 6. de trahâ, vom hebzeuge. 7. de vorone, vom bergfraß.

Septima septuria. 1. de igne flammante, von dem lohefewer. 2. de igne torrente, von dem röstfewer. 3. de igne candente, von dem glüefewer. 4. de igne corrodente, von dem etzfewer. 5 de igne incubante, von dem kampenfewer. 6. de igne frigido, von dem kaltenfewer. 7. de igne calido, vom warmen fewer.

PERORATIO LIBRI XXIX.

Atque hæ sunt artes mechanicæ, colonæ Physiologices, ex plurimis paucæ: quarum delineatio tibi erit χειραγωγία, vt alias lumine methodi illustratum eas. Quod attinet ad explicationem methodo additam, illa plurimùm crescet, si has artes conferas cum variis axiomatis & commentariis in hâc Encyclopædiâ obuiis, & memineris, in artibus mechanicophysicis occurrere nonnulla mathematica, quemadmodum in artibus mechanicomathematicis quædam physica.

FINIS LIBRI VIGESIMI NONI.



ENCYCLOPÆDIÆ LIBER TRIGESIMVS,

Delineans

MECHANOLOGIAM MATHEMATICAM.

SECTIO PRIMA,

In quâ delineatur

THYPOGRAPHICA.

PRÆCEPTA.



TYPOGRAPHICA est ars, quâ conceptus hominum, literis metallicis & atramento, mirâ celeritate imprimuntur chartæ.

Estque generalis, vel specialis.

Typographica generalis persequitur principia siue causas & affectiones rei typographicæ.

Causæ sunt hoc ordine.

Finis est, vt exiguo temporis spatio diuersi conceptus imprimi, & in publicum emitti possint.

Efficiens est princeps, vel organica.

Princeps est librarius, ὁ τυποχράφος.

Organica est persona, vel res typographica.

Persona est opera Typographica, hoc ordine:

1. Corrector, ἐπανορθώτης.
2. Compositor, συνθέτης, τυποθέτης.
3. Impressor, πιεστής.
4. Lector, ἀναγνώστης.
5. Mediastinus, lotar, μεσαύλιος, λαπτής.

Res Typographica est hoc ordine:

1. Officina, ἐργαστήριον τυποχραφικόν.
2. Prelum, πιεστήριον.
3. Ergata, ἐργάτη, spindel.
4. Cochlea, κοχλίας, mütterlein.
5. Vectis, στρόφιγξ, bengel.
6. Fundus, solum, ἔδος, boden.
7. Prehensio, succula, λαβή, wend.
8. Operculum, πῶμα, deckel.
9. Melanteres, μελαντῆρες, ballen.
10. Sepimentum, φραγμός, ram.
11. Clauis, κλεὶς, schließnagel.
12. Forma, χαρακτήριον, format.
13. Columna, στύλη.
14. Intercolumnia, μεσοστύλια, steg.
15. Subula, ὄπιυς, aal.
16. Capsa, κιβωτὸ, fast.
17. Loculamentum, θήκη, fächlein.
18. Nota, litera, χαρακτὴρ.
19. Spatium, διάστημα.
20. Quadratum, τετράγωνον.
21. Norma linearis, γνώμων τῆς γράμμης, winckelhack.
22. Retinaculum, ὀχεύς, heber.
23. Scapha, σκάφη, schiff.

Materia est remota, vt conceptus humani: vel proxima, vt charta, atramentum, & litera metallica.

Forma est configuratio literarum, illarúmque expressio.

Affectiones sunt elegantia & proportio.

Typographica specialis est varia pro varietate literarum, linguarum, formæ (quam vocant *formatum*) & denique subiectæ materiæ, quæ est vel systema conceptuum, adeoque literarum: vel pictura in æs aut lignum incisa, & typis describenda.

REGVLÆ.

I. *Ars Typographica ipsam videtur superare naturam, & ingentem humano generi vtilitatem adfert.* Typ... phi... min...

Rudimenta Typographiæ Sinensibus, ante aliquot secula, fuére cognita. Cœpit autem in Germaniâ hæc ars, inuentore Iohanne Guttenberg Argentinensi, anno Christi 1442. Quidam inuentionem huius nobilissimæ artis tribuunt Iohanni Fausto Moguntino, anno 1452. Verùm ille Guttenbergij fuit adiutor. Petrus Bertius hanc gloriam tribuit Laurentio Iohannis Harlemensi, cui Faustus artem & typos sit suffuratus, & Moguntiam detulerit. Nobis ita videtur. Non ab re Aristoteles ait: *Nihil prohibet, artes easdem à diuersis, vel eodem, vel etiam diuerso tempore, citra vllam communicationem inueniri.* Verisimile itaque est, artem Typographicam eodem tempore in Germaniâ superiori à Guttenbergio, & in inferiori à Iohanne Harlemensi esse inuentam. Prius enim illud asserit Iohannes VVimphelingus, qui circa illud tempus vixit: posterius confirmant multi authores fide digni. Vide in hanc sententiam *Christophori Besoldi Pentada.* Hi ergo sunt natales artis nobilissimæ: cui primum inter mechanicas locum damus, vtpote ingeniosissimæ, & artibus liberalibus vtilissimæ.

II. *Charta, atramentum, & characteres Typographici sunt proxima huius artis materia.* Char... tram... tum, ... ræ ty... phica

Subiectum, in quo repræsentarentur conceptus humani, multiplex fuit diuersis temporibus. Et primò quidem fuit folium arboris, vnde remansit appellatio folij, tum fuit cortex arboris, vnde liber sumsit nomen; tertiò fuit tela linea: quartò, tabula cerata, vnde ista nomina & phrases, primicerius,

micerius, secundocerius, amicus primæ ceræ &c. quintò adhibita fuit lamina subtilissima plumbea: sextò, pannus sericus: septimò, lignum tiliæ, philyræ &c. octauò, æs: nonò, lapides: decimò, materiæ gypseæ, cereæ, lateritiæ, & multæ aliæ: vltimò, papyrus, & corium animalium Et papyrus quidem inuenta putatur Alexandri M. tempore, quam longo interuallo superat nostra *charta*, quæ inde papyrus appellatur. Ea fit ex pannis lineis vetustis, aqua maceratis, & mola confractis, & postea glutine aliisque miscellis in eam formam redactis, vt atramentum recipiant & retineant, qua de re tractat *ars chartaria*. Hoc itaque est vsitatissimum artis typographicæ subiectum, in cuius locum nonnunquam succedit Pergamena, vel holosericum album. *Atramentum typographicum* formatur ex oleo seminis lini, vernice, & fumo resinæ simul mixtis, leuigatis, & percoctis. *Caracteres typographici* ex plumbo, antimonio, stanno, ære, & marchasita conficiuntur, & artificiali fusione in matricibus figurantur.

III. *Ars typographica requirit diligentiam & eruditionem tanquam duos oculos.*

Si enim alterutram sustuleris, ars hæc verà fuerit μονόφθαλμος. Diligentia requiritur maxima in omnibus personis, quæ huic arti præsunt & vacant Eruditionis alia est ratio. Ea enim debet esse maxima in correctore: mediocris in compositore: qualiscunque in impressore; quæ gradatio nisi obseruetur, cadauera potius librorum, quàm libros imprimi videas: vt vt charta, atramentum, & characteres sint præstabiles.

IV. *Varia sunt characterum typographicorum genera pro varietate figuræ & quantitatis.*

Sunt enim literæ quadratæ seu maiusculæ, mediocres, & minores seu cursiuæ: ad quæ tria summa genera reliquæ reuocantur. Peregrinis autem ferè nominibus appellantur: qualia sunt ista Italica *Canoncino*, *Testo Parangone*, *Testo d' Aldo*, *Corsiuo d' Aldo*, *Siluio*, *Corsiuo di Siluio*, *Antico commune*, *Corsiuo commune*, *Filosophia*, *Garamone*, *Testino*, *Homperilia* &c. Sed pleraq; characterum ty-pographicorum genera certo ordine persequamur, ita nempe, vt primò sola nomina, deinde nomina vsitatiora & figuras eadem positura, quam vocant repræsentemus.

Nomina præcipua hæc sunt.

1. Canon de Garamond.
2. Petit Canon de Garamond.
3. Romain Parangon de Garamond.
4. Græc Paragon de Robert GranIon.
5. Cursiff Paragon de GranIon.
6. Romain Gros Text de Garamond.
7. Cursiff Gros Text de GranIon.
8. Romain Text de GranIon minion.
9. Romain S.Augustin de Garamond.
10. Græc. S.Augustin de GranIon.
11. Curs. S.Augustin de GranIon.
12. Romain Cicero de Garamond.
13. Græc. Cicero de GranIon.
14. Curs. Cicero de GranIon. vulgo Scholasticalis.
15. Breuir Antiqua.
16. Romain Garamond de Garamond.
17. Græc. Garamond de GranIon.
18. Curs. Garamond ou Immortel de GranIon.
19. Rom. Galliard. de GranIon.
20. Curs. Petit Text. de G.
21. Romain Galiard Petit.
22. Romain Minion.
23. Rom. Non pareil.

Hæc nomina, illorúmque exempla Hebræa, Græca, Latina, & Germanica, vide *in Specimine characterum seu typorum probatissimorum*, prout illud est editum anno 1622, à Iohanne Bernero Francofurtensi. Vbi memineris, Robertum GranIonem Gallum, insignem artificem, multa typorum genera inuenisse, quæ ab illo suam habent nomenclaturam.

Sequuntur nomina & genera vsitatiora vnà cum suis figuris.

Canon Antiqua.

Paragon Antiqua.

Mittel Antiqua.

Cicero Antiqua.

Garamond Antiqua.

Petit Antiqua.

Paragon Cursiff.

Mittel Cursiff.

Cicero Cursiff.

Garamond Cursiff.

Petit Cursiff.

V. *In typographicâ scriptione tria concurrunt: παράδειγμα scilicet, seu exemplar imitabile; organum, seu typus imitans; & exemplum imitationis, siue εἰκών: & ratione trium istorum, aliæ artes inseruiunt typographiæ, tanquam πιέσδραι, aliæ tanquam χρώμεναι.* In typographica scriptione quos sint obseruanda?

Et priores quidem illæ subministrant organa ad opus typographicum conferentia, duum generum: alterum quidem theoricum, exemplar scilicet & archetypum, quod imitandum proponitur (& hic est *author operis edendi*, & veluti designator) alterum verò mechanicum, quo imitatio peragenda est, siue illud sit primarium, siue secundarium. Primaria non sunt vnius generis; cùm scilicet rationem habeant vel materiæ (vt est *charta aut membrana*, & *atramentum*) vel formæ, *ipsi typi*, seu characteres (typorum autem artifices alij remoti, qui formas edunt typorum, tum mares quos *Ponzones* vocant; tum fœminas, *Matrices* dictas: alij proximi, *fusores typorum è metallo*) vel ipsius efficientis: vt est *Sphæra lignea*, quæ corio obducta, & lanâ suffulta, calami scriptorij loco inseruit typographis: item *ergastulum seu prelum ipsum*. Cuius partes aliæ sunt quiescentes, *basis* tum superior, lacunari supernè affixa, torcularis causa: tum inferior, pauimento infernè innixa, causa curriculi: aliæ verò mobiles, tum inferior, *curriculus* (huius pars alia recipiens, *tabula marmorea vel ænea*, cui Formæ imponuntur; alia incumbens, *tympanum*, cui charta affigitur) tum superior, ipsum *torcular*, suis itidem constans partibus. Porrò secundaria instrumenta alia inseruiunt *Compositoribus*; nimirum organa inseruientia characteribus tum separatim in suas digestis capsulas, *Loculi* scilicet: tum coniunctim, quatenus colliguntur, *Metrum*: quatenus deponuntur, *Nauicula, Scapha*, ipse denique *Modiolus ferreus*, qui ergastulo subiicitur: alia inseruiunt *Impressoribus*, vt chartam locent, *Tabulæ*: vt atramentum diluant, diducant: vt characteres abluant, purgent. Et hæ quidem sunt πιέσδραι. Porrò χρώμεναι, organis prædictis vtuntur, opúsque faciunt typographicum: & propterea respectu superiorum ἀρχιτεκτονικαί dici possunt, magis, minùs. Opus est vnicum, liber typis expressus: sed operæ ad efficiendum variæ, quæ quidem considerari possunt ratione dignitatis simul & ordinis. Si dignitatem spectemus, aliæ operæ sunt principes, aliæ famulantes. Principum quædam theoricæ, *Corrector* vulgo, nec malè θεωρὸς, vel etiam ἐπίσκοπος, quandoquidem exemplum typis expressum cum exemplari confert: quædam mechanicæ, quoniam imitantur vel exemplar, typis, quos colligunt & componunt, τυπικοὶ, *Compositores* vulgò: vel exemplum, chartâ, quam pingunt, γραφεῖς, & ex instrumenti ratione *impressores, ergastularij*. Famulantur alij theoricis, *anagnostes, lector*: alij mechanicis, *mediastinus*, abiectissimis quibusque officiis addictus. Sin verò ordinem perpendas, operæ aliæ requiruntur ante opus, in opere, post opus. Ante opus quidem, vt respectu exemplaris, prælegatur, & dinumeretur per paginas futuro operi inseruituras: at respectu exempli, quod edendum est, vt illius organa rectè adhibeantur & administrentur. Horum alia quidem rationem habent materiæ: sic charta numeranda, explicanda, humectanda: sic atramentum terendum, diluendum. Alia verò rationem habent formæ. Ergo curandum, vt typi per se, imitatione exemplaris colligantur, siue componantur (quas *Formas* vulgo dicunt) per accidens verò emendetur: *Probas* vulgus dicit, quòd sint examina & pericula quædam (emendatio autem quædam formalis, Correctorum & lectorum propria, in ipsis probis, quando vel corriguntur primæ, πρωτότυπα; & secundæ, δευτερότυπα: vel conferuntur cum secundis tertiæ, seu reuidentur: quædam materialis, ipsorum Compositorum, qui Correctoris authoritatem & censuram sequuntur in Formis) alia denique rationem habent efficientis instrumentalis: nimirum prelum, ita præparandum, vt Formas, quas vocant, recipere possit & excudere: Sphæræ item, corio lanâ suffulto muniendæ, quibus atramentum typis illinatur. Rursus in ipso opere duo occurrunt munia præcipua: alterum, vt Forma incumbens marmori aut æri tingatur

gatur sphæris: alterum, vt charta tympano affixa, & formæ iniecta, curriculoque sub ipsum prelum deducta, impressione describatur. Ad extremum, post operis editionem, Formarum primò characteres lauandi, & reponendi suis locellis: deinde charta, iam descripta, singillatim quidem exsiccanda, plicandáque: coniunctim verò colligenda, recensendáque, quod vulgo Collationem vocant. Atque hæc est sciagraphia Typographices ex *Zwingero volum.* 10. *theatri lib.* 3.

SECTIO SECVNDA,

In quâ delineatur

GNOMONICA.

PRÆCEPTA.



GNOMONICA est ars optico-mechanica, de ratione ritè conficiendi sciothericum. *Vnde &* Sciotherica *dicitur.*

Sciothericum est horologium, indicans horas per vmbram. *Aliàs dicitur* Sciathericum.

Eius consideratio est generalis, vel specialis. Vnde Gnomonica eâdem ratione diuiditur.

Gnomonica generalis persequitur partes & affectiones sciothericorum.

Partes sciothericorum sunt index horarius, lineæ, & superficies horaria.

Index horarius, qui etiam stylus & gnomon dicitur, est verutum, horæ index per vmbram de se sparsam.

Lineæ sunt circuli, qui inscribuntur in superficiem horariam, eâ dispositione & normâ, vt circulis cœlestibus congruant.

Suntque horarij, altitudinum, verticales, declinationum, & lineæ horarum ab ortu vel occasu numeratarum.

Circuli horarij sunt circuli magni, qui per vtrumque mundi polum transeuntes, & in iis sese intersecantes, æquinoctialem in viginti quatuor partes æquales (quæ horarum sunt intercapedines) dirimunt. *Dicuntur etiam* lineæ horariæ.

Circuli altitudinum sunt, qui altitudinem solis indicant. *Appellantur vsitatè* almucantarath.

Circuli verticales sunt qui indicant distantiam solis ab aliquâ mundi plagâ. *Dicuntur vsitatè* azimuth, & lineæ azimuthicæ.

Circuli declinationum sunt, qui partim designant distantias initiorum signorum Zodiaci ab æquatore, partim longitudinem dierum indicant.

Lineæ horarum ab ortu vel occasu numeratarum sunt analogæ circulis horariis.

Superficies horaria est plana, vel gibba.

Superficies plana est recta, vel obliqua.

Superficies horaria plana recta est, quæ sphęra rectæ est conformis: obliqua, quæ conformis est sphæræ obliquæ.

Superficies horaria gibba est sphærica, vel varia; & hæc cylindracea, vel conica.

Affectiones sciothericorum sunt situs & ordinatio.

Situs est varius respectu variarum superficierum, quibus circuli inscribuntur: videlicet respectu horizontis, meridiani, vel vtriusque, id est, respectu quatuor cardinum.

Ordinatio est, quâ stylus ordinatur ad superficiem.

Gnomonica specialis est theorica, vel practica; & theoretica explicat genera seu species sciotherici; quod est nocturnum, vel diurnum.

Sciothericum nocturnum est lunare, vel siderale.

Sciothericum diurnum est solare: vulgo solarium.

Illud diuiditur ratione situs, & vsus.

Solarium ratione situs est fixum, vel mobile.

Fixum est in plano, vel gibbo seu rotundo: vnde planum & gibbum dicitur.

Solarium planum est, quod habet superficiem planam.

Estque rectum, vel obliquum.

Solarium planum rectum est, quod sphæræ rectæ est conforme.

Estque æquinoctiale, vel polare.

Solarium æquinoctiale est, quod in plano æquatoris iacet, & axi mundi insistit ad perpendiculum.

Estque superius vel inferius.

Solarium æquinoctiale superius est, quod directè adspicit septentrionem, seu polum arcticum: *siue*, quod reclinat à puncto verticali versus septentrionē.

Solarium æquinoctiale inferius est, quod directè adspicit meridiem, seu polum antarcticum: *siue*, quod acclinat ad horizontem versus meridiem.

Solarium polare est, quod æquinoctialis plano perpendiculariter insistens, iacet in axe mundi.

Estque directum, vel declinatum. Illud rectà spectat ad septentrionem vel meridiem: hoc à septentrione vel meridie declinat versus ortū vel occasū.

Solarium planum obliquum est, quod conforme est sphæræ obliquæ.

Estque iacens, vel erectum.

Solarium obliquum iacens est, quod plano horizontis incumbit: *seu*, quod nullos cum horizonte facit angulos. *Vsitatè dicitur* horizontale.

Solarium obliquum erectum est, quod plano horizontis insistit, constituens cum eodem angulum.

Estque verticale, acclinatum, vel reclinatum. Illud facit angulum rectum, & rectà ad verticem attollitur: istud facit angulum acutum: hoc, obtusum. Et quodlibet adspicit meridianum directè, vel obliquè. Vnde quodlibet subdiuiditur in directum & declinatum.

Directum est, quod septentrionem vel meridiem rectà adspicit.

Declinatum est, quod à meridie vel septentrione versus ortum vel occasum declinat.

Solarium gibbum est, quod in superficie gibbâ indicat horas per vmbram solis.

Estque sphæricum, vel varium: & hoc, cylindraceum, vel conicum.

Solarium sphæricum est in rotundo perfecto, id est, in globo concauo.

Solarium varium est in rotundo imperfecto, id est, in concauo cylindri aut coni inuersi.

Solarium mobile est nobilius, vel ignobilius. Illud est rotundum, idque in annulo vel cylindro: hoc est vel quadrangulare, vel quadrantale.

Ratione vsus solarium est horarum inæqualium, vel æqualium. Illud continet horas duodecim inæquales, & dicitur *Antiquum*: hoc continet horas duodecim

duodecim æquales; estque *Babylonicum, Italicum, vel Astronomicum.* illud indicat horas ab ortu solis: istud, ab occasu solis: hoc, à meridie.

Gnomonica specialis practica docet fabricam sciothericorum; idque partim γραφικῶς, adhibendo compassum; partim ἐπιστημονικῶς, adhibendo instrumenta generalia, vt sunt v.gr. quadrans, globus, astrolabium: vel peculiaria, seu gnomonica. Rursus instrumenta illa vel sola adhibentur, vel vnà cum tabulis sinuum.

REGVLÆ.

I. *Horologiographia docet rationem conficiendi horologia, eaque vel sciotherica, vel automata, vel arenaria &c.*

Horologiographia est generalis, vel specialis. Illa explicat de horologiis in genere: hæc persequitur species horologiorum, vti sunt sciotherica, automata, clepsydræ, & clepsammia seu arenaria. Nimirum antiqui horas diei primum obseruarunt ex vmbra per solis gnomonem æquinoctialem in circumferentia circuli meridiani: quâ de re vide *Plinium lib. 2. cap. 76. & lib 7. cap. 60.* De constructione lege *Vitruuium lib. 9. cap. 8. 9.* Necnon librum *Sebastiani Munsteri*, de hâc re diligenter conscriptum. Græci vocant σκιοθηρικὸν, vulgo ὡρολόγιον, Latini Solarium. 2. *Reg.* 10. & *Esa.* 38. fit mentio Solarij Achazi, quod appellatur מעלות, id est, ascensiones vel gradus Achaz. Vocatur etiam hemicyclium, quale Berosus inuenisse scribitur à Vitruuio d. l. Deinde etiam obseruabant horas ex decursu aquæ per clepsydram: sicut hodiè per arenæ defluxum in vitro; quod genus horologij dici posset Arenarium, vulgo clepsammium & clepsammidium. Hodiè æris tinnitu hora diei & noctis indicatur: cuius inuentor qui fuerit, ignoratur. Nam vetustas reticuit.

II. *Vtile est in promptu habere rationes vmbræ æquinoctialis & meridianæ.*

Nam harum ope ac ministerio etiam declinatio cœli, & altitudo poli inuestigari potest Si enim erigatur vmbilicus, ad superficiem horizontis perpendiculariter, sole existente in punctis æquinoctialibus, tum ex vmbrâ meridiana poli altitudo colligetur. Nam hoc modo triangulum rectangulum efficitur; cuius vnum latus est gnomon, siue vmbilicus vmbræ solis, quasi cathetus anguli: alterum, radius solis incidens in vmbilicum vsque ad superficiem horizontis, vnde reflectitur, loco chordæ ὑποτεινούσης: tertium latus, vmbra porrecta, quasi basis anguli. Sicut autem angulus inferior repræsentabat eleuationem æquinoctialis, superior altitudinem poli.

III. *Horam diei è manu sinistrâ cognoscere.*

Accipe festucam aut calamum, eumque pone inter medium pollicem & digitum indicem, vt præcisè longitudine sua extra palmam promineat, quæ longitudo est indicis digiti. Postea dirige calamum ac tene contra montem sub radice digiti auricularis. Tempore æstiuo manum à sole auerte, vt radix manus solem, digiti verò extenti & inuicem iuncti plagam mundi soli oppositam spectent. Hyeme verò manum & faciem obuerte soli, tantisper dum vmbra, quam proiicit tumulus, siue mons carneus, pollici vicinus, cadat in lineam, qua mons ille cingitur. Vulgus Chiromanticorum lineam vitæ appellat. His ita factis, conus vmbræ quæ à festucâ in superficiem manus incidet, horam ostendet: quintam quidem antemeridianam, & septimam pomeridianam, si inciderit in extremitatem digiti indicis. Si vero conus vmbræ incidit in extremitatem medij digiti, qui etiam infamis vocatur, vtramque horam sextam indicabit. Annularis autem digitus, quem etiam vocant medicum, in sua extremitate commonstrat horam septimam antemeridianam, & quintam pomeridianam At auricularis in sua summitate habet octauam antemeridianam, & quartam pomeridianam. Articulus, qui sequitur summitatem digiti auricularis, indicat nonam antemeridianam, & tertiam pomeridianam: alter verò articulus huius digiti decimam antemeridianam, & secundam pomeridianam exhibet. Postremò radix eiusdem ostendit vndecimam antemeridianam, & primam pomeridianam. Ergo breuiter à radice digiti auricularis, per duos eiusdem articulos, & per quatuor apices digitorum, ad indicem vsque, numera ordine septem horas pomeridianas, à prima pergendo ad septimam. Rursum ab indice ad radicem auricularis regrediendo, numera antemeridianas, & à quintâ tende ad vndecimam. Quòd si vmbra cum festucâ coinciderit, & mediam ferè palmam secuerit denotabit meridiem. Memoriæ causâ rem hisce versibus comprehendit *Nicodemus Frischlinus lib. 4. astron. pag. 292.*

In læua calamus medij sit meta diei,
Indice non breuior, pollice sub medio.
Tum luce hybernâ te soli obuerte sereno,
Radicem æstiuâ porrige luce manus:
Linea dum vitæ, vicino subdita monti,
Vmbram eius mediæ terminet orbe manus.
Primam dat radix minimi, articulusque secundam
Alter, & articulus tertia primus erit.
Summi apices reliquæ dant lucis quatuor horas:
Inde redi à quintâ solis ad vndecimam.

Porrò horam noctis possumus coniectare, obseruatis duabus stellis, quarum vna secundo equo plaustri maioris tanquam eques incidet: altera ex anterioribus rotis plaustri maioris (ita enim solent vulgo appellare vrsam maiorem) stella primæ magnitudinis, & lucidior, quam altera rota anterior. Compendij huius author est *Petrus Apianus lib. de quadrante astronomico.* Adi etiam *Frischlinum* loco paulo antè citatò.

IV. *Sciotherica generalis explicat subiectum & adiuncta subiecti istius.* Sciotherica generalis.

Sciotherica nomen habet à Græco σκιόθηρον τὸ, quod etiam dicitur σκιοθήρας ὁ. Vtrumque significat instrumentum mechanicum, vmbræ indagandæ idoneum, q. σκιὰν θηρῶν, vmbram venans. alias γνώμων dicitur. Itaque *Sciotherica*, seu *Sciatherica*, est ars conficiendi τὸ σκιόθηρον. quæ eâdem ratione *Gnomonica* dicitur, id est, doctrina de gnomone. Est autem gnomonica alia generalis, alia specialis. Gnomonica generalis explicat subiectum planum vel gibbum, cui sciatherica inscribenda sunt, & adiuncta istius subiecti, numero duo, videlicet circulos inscribendos, & stylum infigendum. In plano vel gibbo spectatur situs: in circulis & stylo ordinatio. Atque hæc est methodus Gnomonicæ generalis: quam paulò aliter propositam vide in præceptis.

V. *Prima cura in Gnomonicis est explorare superficiem.* Prima cur in Gnomonicis.

Situm dico superficiei, ratione sphæræ rectæ & obliquæ, qua de re vide paulo antè in præceptis. Exploratur autem superficies gnomonica, instrumento tali. Semicirculus diuisus in duos quadrantes inscribantur ligno vel æri, ita vt perpendiculum demittatur ex centro. Hoc instrumentum applicetur superficiei. Quod si perpendiculum respondeat lineæ è centro eductæ, superficies est verticalis & horizonti perpendicularis seu erecta verticalis: Si verò perpendiculum è lineâ istâ versus superficiem acclinauerit, erit superficies erecta reclinata. Facit enim angulum obtusum cum horizonte. Gradus inter lineam mediam & perpendiculum interiecti indicant quantitatem reclinationis à puncto verticali seu polo horizontis. Si verò perpendiculum a superficie declinauerit, dicetur superficies erecta acclinata, ob angulum, quem facit respectu plani horizontis acutum. Hìc itidem gradus inter perpendiculum & lineam mediam interiecti designant quantitatem acclinationis ab eodem verticali puncto. Et hic quidem est vsus huius instrumenti, si superficies sit erecta. Quòd si superficies data iaceat in plano horizontis, inferius instrumenti latus in superficie ponendum erit. Quòd si perpendiculum responderit lineæ mediæ, superficies horizontalis iacens dicetur. *Ratione meridiani* superficies plana obliqua iacens non examinatur, sed tantum tres reliquæ species, quæ omnes sunt erectæ, puta verticalis, acclinata, & reclinata. Harum enim quælibet aspicit meridianum vel directè, vel obliquè: vnde diuiditur in directam & declinatam. Directa est, quæ directè respicit septentrionem vel meridiem. Declinata, quæ declinat à septentrione vel meridie versus ortum vel occasum. Inuestigatur autem situs istarum trium superficierum ratione meridiani adhibito priori instrumento & compasso: quâ de re vide accuratissimum *Adrianum Metium lib. 5. instit. astron. c. 2. tom. 1.*

VI. *Quinque sunt classes circulorum gnomonicorum.* Circuli gnomonici quam varij?

In prima classe sunt circuli horarij, qui sunt circuli magni per vtrumque mundi polum transeuntes & in iis se intersecantes. Hi æquinoctialem in 24. partes æquales (quæ sunt horarum intercapedines) dirimunt. Cùm verò (vt Optici docent) omnis circulus maximus in planum proiectus videatur linea recta: minores verò, quò maiori sunt propriores, eò magis ad rectas accedunt, quò verò remotiores ab æquatore & polo viciniores, eò magis à lineâ recta recedant & incuruentur: fit vt hi etiam

vt hi etiam circuli horarij, non lineis circularibus seu curuis; sed rectis in plana superficie depingantur: vnde & *lineæ horariæ* dicuntur. Diuersas autem distantias & descriptiones lineæ istæ sortiuntur, pro diuersa superficiei affectione & positu ad horizontem vel meridianum. Prout igitur circulus cœlestis, cui superficies data respondet, ab horariis circulis in cœlo dirimitur: ita etiam superficies illa ab iisdem diuidatur necesse est: cùm sciatherica sint repræsentatio cœli in 24. partes diuisi. Sic v. gr. quemadmodum æquinoctialis in cœlo à circulis horariis in 24. partes æquales dirimitur: ita superficies in terrâ ei respondens in totidem partes æquales per eosdem circulos dirimenda est. Et hæc quidem sola ita dirimitur. Reliquæ verò quò ab æquinoctiali superficie magis recedunt, eò etiam distantias horariorum circulorum à se inuicem magis inæquales nanciscuntur. Sic itaque quemadmodum horizon ab horariis circulis in cœlo distinguitur: eodem etiam modo superficies horizontalis ab iisdem distinguetur. De reliquis idem iudicium. *In secunda classe* sunt circuli altitudinum, qui dicuntur Almucantarath, & altitudinem solis indicant. *In tertiâ classe* sunt circuli verticales, qui dicuntur Azimuth, & indicant distantiam solis ab aliqua mundi plagâ. *In quarta classe* sunt circuli declinationum, qui designant partim distantias initiorum signorum Zodiaci ab æquatore, partim longitudines dierum. *In quinta classe* sunt lineæ horarum ab ortu vel occasu numerararum.

Quænam in Gnomonicis præcellent?


VII. *In Gnomonicis præstant Solaria; & his Sciotherica communia, in quibus stylus est axis, lineæ verò horariæ sunt circulorum horariorum, per vicesimas quartas partes Æquatoris, & vtrumque mundi polum incedentium, sectiones communes cum plano dato.*

Sciotherica sunt solaria, lunaria, vel sideralia. Solaria & lunaria conueniunt, quantum ad causam proximam, id est proiectionem vmbræ. Lunares enim vmbræ idem præstant de nocte, quod solares de die. Dico de nocte: quia, vt *Ri nerus lib. 1. Optic. theor.* 77 monet, illi falluntur, qui lunaris vmbræ beneficio in organo horario, ad noctis vsum comparato, horas non minus de die, quam de nocte se cognoscere posse arbitrantur: quando quidem lunæ supra horizontem interdiu versantis lumen, diei luce debilitatum ac imminutum, tam exiguum est, vt vmbras nullas præcidere possit. Est itaque aliqua certitudo sciothericorum lunarium. At solaria excellunt, & in iis communia illa, quæ in regulâ descripsimus. Nimirum solaria sunt multorum generum. Nam quædam sunt horizontalia, siue verticalia, quæ solo imposita, per stylum erectum, horas diei ostendunt: alia sunt muralia, quæ parieti affixa, per gnomonem inclinatum idem præstant. Rursum ex his alia sunt viatoria & mobilia, vt cylindri, annuli, & quadrantes, itemque astrolabi: alia fixa, vt muralia solaria: quæ quanquam in alium quoque locum, vbi eadem est altitudo poli, transferri possunt, tamen quia in vno loco semper hærent, fixa dicuntur. Differunt autem solaria horizontalia à muralibus, pro diuersâ poli eleuatione. Nam vbi polus totidem gradibus eleuatur supra horizontem, quot æquinoctialis, nempe 45. ibi nihil differt horizontale à murali, aut planum à verticali. Vbi autem maior est eleuatio poli, quam 45. graduum; ibi semidiameter circuli æquinoctialis maior est, quam semidiameter circuli horizontalis.

Quot præcipue circuli inscribantur solariis?

VIII. *Quatuor ferè circuli principes inscribuntur solariis, tam horizontalibus, seu verticalibus, quam lateralibus & muralibus.*

Circuli isti sunt Meridianus, Æquinoctialis, Horizon seu Almucantarath (qui per lineam horizontalem repræsentatur & circulus verticalis, Arabicè Azimuth, quem similiter potest repræsentare linea. Horum circulorum semidiametri hoc modo quæruntur pro diuersis solaribus. Describatur in superficie planâ, vt in papyro, quadrans Meridiani diuisus in 90. gradus more solito; signeturque literis A B C. ita vt A B. sit linea horizontalis, A C. linea verticalis, siue superficies erecta. Postea numeretur eleuatio poli, in quadrantis arcu, à puncto C. versus B. vel contrà à puncto B. versus C. numeretur eleuatio Æquinoctialis, noteturque puncto D. à quo protrahatur linea ad punctum A, vbi est angulus rectus quadrantis: sitque linea A D, per quam repræsentetur Æquinoctialis. Postremo duc lineam transuersam, quæ orthogonaliter intersecet Æquinoctialem, in puncto quocunque volueris: prout magnum aut paruum institues facere horologium: vt v. g. in puncto G. sitque linea FGE, quæ repræsentet axem mundi, & duo triangula subtendat; nempe triangulum F A G, & G A E. Erit ergo linea A E, semidiameter horologij horizontalis; linea A G, semidiameter horologij Æquinoctialis; & A F semidiameter horologij muralis.




IX. *Inuenta semidiametro, sic fabricabis horizontale solarium.*

Accipe superficiem planam, siue sit lamina, siue tabula lignea, cuius longitudo sit triplò maior eiusdem latitudine: & per mediam tabulam duc lineam rectam, vt est in subiecto schemate linea AB, cuius medium punctum sit C. Deinde duc lineam transuersam, quæ hanc priorem intersecat in puncto C, ad angulos rectos. Postea super hanc lineam transuersam D E, describe duos semicirculos, qui sese in puncto C contingant, quorum vnius, nempe Æquinoctialis semidiametrum pete ex quadrante, iam ante descripto, nempe lineam AG, alterius verò, nempe superioris semicirculi semidiametrum capies ex eodem quadrante, puta per lineam horizontalem AE. Priorem quidem semicirculum, videlicet inferiorem, seu Æquinoctialem, describe super centro E; superiorem, siue horizontalem, super centro D. Illum subtendet linea vt M O: & hanc superiorem claudet linea, lineæ M O parallela, vt G F: Descriptis & nominatis in hunc modum duobus semicirculis, diuide pòst minorem semicirculum in XII partes æquales; & è centro eiusdem, per illas partes, duc totidem lineas ad lineam, quæ omnium primò fuit descripta, nempe A B. Rursum ex centro maioris semicirculi duc totidem lineas, ad eandem lineam A B, ita vt singulæ ductæ ex centro superiori D, tangant singulas lineas, quæ è centro inferiori E fuerant protractæ. Ex his lineis, è centro superioris semicirculi currentibus, media D C erit linea meridiei, quâ signabitur duodecima hora. At linea transuersa, siue subtendens semicirculum, erit horizontalis, quæ ortum & occasum solis, & primam atque postremam horam diei æquinoctialis ostendet. Itaque ex vna parte signabitur hora sexta matutina; ex alterâ, sexta vespertina. Reliquæ horæ singulis lineis, è centro exeuntibus, adscribuntur, ita nempe, vt post sextam horam sequatur septima, mox octaua, vsque ad duodecimam: à duodecima verò notentur reliquæ horæ pomeridianæ, nempe prima, secunda, &c. vsque ad sextam vespertinam. Quòd si plures volueris horas inscribere, & ad matutinas adiicere quartam & quintam; ad vespertinas, septimam & octauam (nam vtræque apud nos in æstate haberi possunt) tum eâdem ratione, qua prius, ex duobus centris, vltra vtrumque semicirculum excurrendo, & maius segmentum capiendo, iterum lineas se mutuò contingentes, in linea A B. producito. Postremo his omnibus peractis stylum ferreum in centro infige, vt æquidistet punctis F & G. eumque tanto interuallo erige, super lineam meridiei D C. quantum in quadrante præscripto linea A G. distat, à linea F G. vt hic stylus axem sphæræ repræsentet, & extremitates illius ad vtrumque mundi polum respiciant. Hoc horologio ad lineam meridianam aptè posito, ita vt F. respiciat ortum, G. occasum, C. Zenith capitis, & D. centrum mundi, poteris percommodè vti.

Horolo


Horologium horizontale.



X. Ex huiusmodi solario horizontali, facillimo negotio facies murale seu laterale.

Si enim semidiameter circuli maioris fiat secundùm quantitatem lineæ A F, in quadrante descriptæ; numerus autem horarum inscribatur opposito modo, ita vt in subiecta habes figura. &,si in eius locatione, F respiciat occidentem, G verò orientem D punctum verticale, C centrum terræ; denique si stylus puncto D infixus tantum eleuetur ex vnâ parte à lineâ DC, quantum in quadrante distat linea AG à linea A E, tum paratum erit solarium; quod affigatur parieti præcisè meridiem spectanti. Sed hoc duodecim tantùm horas diei tibi indicabit. Quòd si verò duas æstiuas matutinas, & totidem vespertinas in eodem habere volueris, necesse erit, vt istud horologium in duabus oppositis superficiebus describas, quarum vna meridiem, altera septentrionem respiciat; & punctus verticalis sit C,D verò centrum terræ. Stylus in hoc horologio à muro descendit,& in extremitate,vbi muro infigitur,polum arcticum respicit. Nam in erectione styli semper in hoc elaborandum est, vt extremitates eius polos respectent. Repræsentat enim stylus axem mundi.

Horologium Murale.



XI. Faciliora problemata gnomonica hæc sunt.

1. *Fundamenta Gnomonica compendio cognoscere.*

Adhibe Compassum,& confer cum globo astronomico, vt circulos, illorùmque habitudinem, in Compasso discas. Ita enim fiet, vt intelligas rationem solarij horizontalis & muralis. Imò,si Compassus ad eleuationem poli tui quadret, potes exiguo labore,per ἐφάρμογην, construere horologium tum horizontale,tum murale.

2. *Lineas horarias ducere,si axis sit plano aduersus.*

In hoc casu lineæ horariæ omnes ad radicem axis, siue ad centrum Sciotherici concurrunt. Cùm enim plana circulorum horariorum omnia ad axem concurrant, etiam sectiones illorum planorum, à plano Sciotherici factas,ad axem concurrere necesse est.


3. *Lineas horarias ducere,si axis sit plano rectus,& planum sit ad æquatorem parallelum.*

In hoc casu lineæ horariæ omnes æqualibus inuicem angulis ad radicem axis concurrunt. Descripto igitur in tali plano circulo æquatoris, & eodem in 24. partes diuiso,ac diuisionibus ad centrum Sciotherici ductis,lineæ horariæ ductæ erunt. Schema huius rei est in circulo diuiso in bis duodena spatia æqualia.

4. *Sciothericum æquinoctiale,& polare tum septentrionale tum meridionale conficere.*

Principiò sciathericum æquinoctiale ita conficies. Ex medio plani duc lineam rectam verticalem, quæ lineam meridianam siue horam 12. repræsentet. In medio huius pone centrum, & quâ libuerit amplitudine circulum ex eodem centro describe; quem à linea meridiana incipiendo in 24. partes æquales dispesce, & per singula diuisionum puncta ex centro circuli singulas duc lineas rectas: è quibus quæsitæ sunt in semicirculo versus occasum, horas antemeridianas repræsentant, quas verò semicirculus continet versus ortum, horas pomeridianas. In centro denique stylus

ſtylus ad perpendiculum figitur pro quâuis longitudine datâ. Neceſſe autem eſt, vt conſiant duo huiuſmodi ſolaria æquinoctialia, videl. ſuperius & inferius, quorum illud æſtati, hoc hyemi inſeruiat. Et illud quidem fit, quando ſuperficies tua erecta aſpicit directè ſeptentrionem, & tantum reclinat à puncto verticali verſus meridiem, quanta eſt eleuatio poli: hoc autem, quando ſuperficies tua erecta directè aſpicit meridiem, tantúmque acclinat ad horizontem, rurſum verſus meridiem, quanta eſt eleuatio poli loci tui. Vtriúſque autem conficiendi ratio eſt vna, modo explicata. *Deinde* ſciathericum polare in ſuperficie directè meridiem vel ſeptentrionem ſpectante inſcribes ita, vt lineæ horariæ non concurrant ſiue ſeſe in horologii centro interſecent, vt in aliis ſuperficiebus fit, ſed lineis rectis parallelis hoc modo.



Eſt autem hic typus horologii polaris meridionalis: à quo ſeptentrionale nonniſi in hoc differt, quòd in ipſo non plures horæ quàm arcus ſemidiurnus maximus vltra ſextam admittit ab artificibus pingantur. Ad ſtylum quod attinet; illum perpendiculariter erige ex communi æquatoris & verticalis ſeu meridianæ lineæ interſectione. Horas denique horarias ſic inſcribe. Lineam aliquam longitudini ſtyli æqualem deſcribe in plano, eámque diuide in 100 partes æquales, ex eáque per extenſionem circini pro quâlibet horâ certas partes deſume, hunc in modum: pro horâ 11. & 1. partes 57. pro 10. & 2. partes 58. pro 9. & 3. partes 100. pro 8. & 4. partes 173. pro 7. & 5. partes 373. Vide typum paulò ante propoſitum. De fabrica horologij horizontalis, muralis ſeu verticalis, orientalis, occidentalis & ſimilium videris *Metium loco antè citato, & Robertum Flud tract. 1. part. 8. lib. 2.* vbi ſemper memineris diſtantias linearum horariarum in partibus, qualium ſtylus continet 100. aut etiam plures, commodiſſimè ſumi. e.gr. in horologio polari orientali & occidentali hæc eſt tabella diſtantiæ in ſingulis lineis horariis.

Orient.	4.	5.	6.	7.	8.	9.	10.	11.
Occid.	8.	7.		5.	4.	3.	2.	1.
Partes ſtyli.	58.	27.	0.	27.	58.	100.	173.	373.

In hac tabula indicatur diſtantia horarum à loco ſtyli, qui hîc incidit in horam.

6. *Sciathericum conficere, ad datam quamlibet loci latitudinem, beneficio globi.*

Pragmaticam iſtam *Robertus Haes* deſcribit *tractat. de glob. part. 4. cap. 16.* his verbis. Duo horologiorum genera hoc loco monſtrabimus, quæ maximè vulgaria: alterum vocant horizontale, quod deſcribitur in plano horizonti parallelo: alterum vocant murale, quod deſcribitur in plano erecto ad horizontem, vt aut Boream aut Auſtrum reſpiciat. Sed vtrumque non incommodè dixeris horizontale, non quidem reſpectu eiuſdem loci, ſed diuerſorum. Itaque ſi planum horizontale ſit, ſi erectum, ſi quouis modo inclinatum, vnicum erit horologium in eo deſcribendi artificium.

Videamus igitur, quomodo in plano horizontali alicuius loci horologium delineatur. Præparato igitur plano horizonti parallelo, ducatur in eo linea Meridiana Septentrionem & Auſtrum quàm fieri poteſt accuratè reſpiciens. Hanc tranſuerſum ſecet ad angulos rectos alia linea Ortum & Occaſum indicans. illa horæ 12. erit index; hæc 6. antemeridianæ & pomeridianæ. Centro facto in harum linearum concurſu deſcribatur peripheria in eodem plano ad quamlibet diſtantiam, quam ſecabimus in 360 partes; quæ vulgata eſt diuiſio omnium circulorum. Has etiam, ſi fieri poſſit, in minutiores æquales partes diſtribuere, non eſt inconcinnum. Reſtat vt in hac peripheria exquiramus diſtantias mearum horarum ad datam loci latitudinem. Hoc vt præſtemus vſu globi, conſtituatur globus ad loci latitudinem. Maiorem deinde aliquem circulum in globo delinearum, eorum (inquam) qui per polos mundi tranſeunt, (vtpote Colurum, ſi placeat, æquinoctiorum) Meridiano applica, in quo ſitu horam indicat 12. ſiue medium diem. Volutato deinde globo verſus Occaſum ſi libet, vſque dum 15. Aequatoris gradus pertranſeant meridianum, ſignetur gradus horizontis quem idem Colurus in horizonte interſecat. Is enim in horizonte indicabit diſtantiam horæ primæ & 11 à Meridiano; quarum vtraque vnâ horâ diſtat à Meridie. Volutato rurſus globo, dum alij 15 grad. percurrant Meridianum; idem Colurus indicabit diſtantiam horæ 10. quæ duabus horis Meridiem anteuertit, & ſecundæ, quæ duabus item horis Meridiem ſubſequitur. Eodem modo reliquarum horarum diſtantiæ in horizonte ſignabuntur, 15 Aequatoris gradibus in ſingulis horis Meridianum percurrentibus. Sed cauendum hoc eſt, vt numerentur hæ diſtantiæ ab eâ horizontis parte, qua polus attollitur: vtpote à Boreâ horizontis parte: ſi polus Boreus eleuetur, ab Auſtrinâ, ſi Auſtrinus emineat. Has deinde horarias diſtantias in horizonte globi notatas transferas in planum fabricando horologio deſtinatum, numeratis in eius circumferentiâ gradibus numero æqualibus iis, quos Colurus in horizonte globi ſignauit. Erigendus poſtremò eſt in plano ſtylus ſiue gnomon. Vbi hoc obſeruandum (quod eſt præcipuum ac propria vnicum in hac arte præceptum) vt ea gnomonis acies aut linea, quæ horas ſua vmbra indicat, in omni horologiorum genere ſit parallela axi mundi, ita vt cum ſuo plano æqualē faciat ſuæ inclinationis angulum atq; axis mundi cū horizōte. Oportere gnomonē, Auſtrum & Boream reſpicere, ſiue in Meridiani ſitu iacere, adeo notum eſt, vt fruſtra monuerim. Hæc eſt ratio conſtruendi horologium in plano aliquo horizonti parallelo.

Si erigatur planum horizonti perpendiculum Boream aut Auſtrum reſpiciens (vocant vulgo Murale) hoc vnū conſideretur (cuius ignoratio eos, qui vulgo tradunt artificium deſcribendi horologia, in multos labores & difficultates coniecit) vnum inquam hoc aduertatur, planum illud, quod vno loco erigitur, in alio loco eſſe horizontale, in eo inquam loco cuius vertex 90 gradibus ab eo loco diſtat ad Auſtrum aut Boream. Exempli causâ. Conſtruendum ſit horologium in plano aliquo erecto ad latitudinem 52 grad. Hoc nihil eſt aliud quàm deſcribere horologium in horizonte latitudinis 18. Si planum ſit erectum ad latitudinem 27. erit horizontale ad latitud. 63. Eadem de cæteris omnibus ratio. Hinc manifeſtum eſt, horologium horizontale & verticale idem eſſe ad latitud. 45. gr.

Hoc artificio licebit deſcribere horologium in plano quouis modo ad horizontem inclinato, modò inclinationis quantitas cognita ſit. Vtpote, in plano inclinato ad horizontem in latitud. 52. Bor. cuius inclinatio eſt graduum 10. ab horizonte ad Auſtrum, ſi inſcribendum eſt in eo plano horologium horizontale ad latit. 62. grad. Bor. Si planum in eâdem latitudine attollatur 16. grad. ab horizonte ad Boream, erit illud horizontale ad latitudinem grad. 37. Bor. Hæc de fabricandis horologiis monuiſſe ſat eſto.

SECTIO TERTIA,

In quâ delineatur

SCENOGRAPHICA.

PRÆCEPTA.



Cenographica eſt ars Optico-mechanica bene pingendi. *Dicitur etiam* εἰκαστικὴ ϗ σκιαγραφική.

Eſtque generalis vel ſpecialis; ſeu, communis vel propria.

Scenographica generalis explicat pictoris requiſita, & picturæ fundamenta.

Pictoris requiſita ſunt, vt ſit laudis cupidiſſimus, ab auaritiâ alieniſſimus, bonus hiſtoricus, in inueniendo & imitando ingenioſus, denique Geometriæ & perſpectiuæ peritiſſimus.

Fundamentum picturæ ſunt delineatio, & illuminatio; & vtráque requirit Symmetriam, Perſpectiuam pictoriam, & Geometriam pictoriam.

Deli-

Delineatio est, quâ lineamenta rectè ducuntur.

Illuminatio est, quâ colores aptè sociantur, & res adumbratur.

Symmetria est apta proportio totius & partium, & partium inter sese.

Perspectiua pictoria est Optica, Anoptica, & Catoptica. Illa dicitur in rectum procedens: ista, sursum spectans: hæc deorsum adspiciens. Sub quibus partibus continetur Perspectiua in latus, & à tergo.

Geometria Optica occupatur circa lineas, angulos, & figuras præcipuas, putà circularē, oualem &c.

Scenographica specialis explicat picturæ genera & cognata.

Genera picturæ sunt, quòd alia est vulgaris, alia exquisita.

Pictura vulgaris est, quæ fit pro nutu, formulâ irregulari, id est, sine regula & circino.

Pictura exquisita est, quæ regulæ & circini legibus vtitur.

Sub vtrâque continetur pictura encaustica. Illa enim exprimit imaginem minùs vel magis artificiosè, beneficio ignis: idque in vitro, ferro, & similibus.

Deinde pictura est vel corporis, vel rei spiritualis: & ibi est pictura hominis, bestiæ, plantæ, solis &c.

Cognata picturæ sunt Sculptura, Statuaria, Anaglyptica, & Plastica.

Sculptura in ligno exprimit imaginem prominentem: Statuaria eandem exprimit in lapide vel metallo: Anaglyptica cauam facit imaginem in ligno, lapide, metallo; Plastica ex terrâ argillaceâ, gypso, cera &c. fingit similitudinem.

REGVLÆ.

I. Pictura vtitur ratiocinatione Opticâ & Geometrica, manu, & coloribus.

In Opticâ considerat, quomodo quæ longiùs distant, minora videantur, & quæ supra caput picti, quæ infrà, minora: incurua, quæ supra distantia; eleuata, quæ infra oculum: considerat vmbras, lucem, radios, hallucinationes Opticas. A Geometriâ habet regulam, circinum, lineas, & id genus, itemque proportiones, vt in pingendis quibusque proportionem conseruet. Ad manum quod attinet, illa præsupponit ingenium scenographicum. Denique colorum genera, affinitatem, & rationem sociandi expendit. Colorum genera sic attendit, vt distinguat inter colores minerales & factitios, simplices & compositos. Affinitatem obseruat inter colorem album, niueum, candidum, lacteum, cœruleum &c. inter viridem varium, smaragdinum, prasinum &c. inter rubeum, sanguineum, purpureum &c. quâ de re vide suprà in Opticis. Denique sociandorum colorum ars, quæ dicitur adumbratio, habet regulam istam generalem: Splendidos, colores splendidis, obscuris autem obscuros esse sociandos, id est, adumbrandos. Vide *Petrum Gregorium Tholosanum in Syntaxi artis mirabilis lib.* 31.

II. Pictor debet habere virtutem viri & officij.

Virtus viri est in eo, vt pictor sit vir bonus, ne pingat ea, quæ sunt contra pietatem & bonos mores. *Virtus officij* posita est in iis requisitis, quæ diximus in præceptis. Quare quod de oratore ait Tullius, illum esse virum bonum dicendi peritum: hoc de pictore liceat nobis vsurpare, ipsum esse virum bonum pingendi peritum.

III. Pictoris est primò delineare, tum ornare beneficio vmbræ & coloris. Vnde Cardanus lib. 17. de subtil. *rectè ait*: Picturæ partes tres sunt, delineatio, vmbra, & color.

Aristoteles lib. 2. de generat animal. cap. 3. naturæ opificia & picturam inter sese confert. Omnia, inquit, lineamentis primùm describuntur, deinde colores recipiunt, & mollitiem, & duritiem, quasi pictoris officio natura fungatur, cùm condit. Pictor enim vbi primùm lineas descripserit animantium, mox vario illinit colore & perficit. Pictoris itaque est, leui linearum ductu primùm opus conficere, ac veluti fundamentum ponere. Sed & ante, graphidis beneficio, quasdam rudiores ducit notas, quàm ad lineamenta veniat. A lineamentis accedit ad ornamenta. Nimirum pictor & architectus hoc habent commune, vt sciagraphiam præmittant operi planè consummando.

Obiectum picturæ.

IV. Obiectum picturæ est corporale, vel spirituale.

Est, inquam, primò corpus, idque simplex vel mixtum, naturale vel artificiale; animatum vel inanimatum, cœleste vel subcœleste &c. Horum itaque corporum naturas, figuram, proportionem, & similia, pictor ad vnguem debet cognoscere. Quod attinet ad spiritualia, quæ pictor coloribus repræsentat, illa sunt illicita, vel licita. Ibi est Deus Pater, Filius, & Spiritus sanctus: hîc sunt angeli, virtutes, vitia, anima hominis, & alia id genus, quæ mediante aliquo corpore pulchro ante oculos ponuntur. Itaque pictoris est non solùm designare quantitatem, qualitatem, motum, situm &c. rerum visibilium: sed etiam animi affectiones, vt iram, mœstitiam, amores, & alia, insigniter repræsentare. Deum verò exprimere non debet aliquâ imagine: quia disertè hoc pugnat cum lege toties repetitâ apud Mosen. Interim potest signa maiestatis Dei, quæ hinc inde in libro Naturæ & Scripturæ occurrunt, oculis subiicere. e. gr. caliginem illam, ex quâ locutus est Mosi, & similia. Picturam denique Christi sic conficiet, vt nihil non ibi sit maiestaticum. Atque hoc est duplex picturæ obiectum: vnum, corpus coloribus repræsentabile, seu tingibile, vt vocant: alterum, actionis susceptibile. Illud pingitur immediatè, per seipsum: hoc mediatè, per aliud.

Quot sint consideranda in subiecto picturæ.

V. Pictor in re pingendâ considerabit principia, partes, & passiones.

Vt enim in quolibet cuiuslibet artis subiecto, ita etiam in artis pictoriæ subiecto hæc tria locum habent. Oportet itaque pictorem scire naturam & figuram cuiusque corporis imitabilis, structuram rectam, situm, numerum partium, proportionem inter se, conformationem, & similia. His accedit cognitio colorum & vmbræ, inuentio & positio pingibilium, illorum designatio.

Mensura picturæ.

VI. Homo debet esse mensura rerum pingibilium.

Id est, Corporis humani proportio & symmetria ante omnia est cognoscenda pictori, & ad eam reliquæ proportiones exigendæ sunt atque examinandæ, adeóque illinc deriuandæ & discendæ. Quæ causa est, quòd Germaniæ nostræ Apelles, *Albertus Durerus*, integrum scripsit volumen de symmetriâ corporis humani. Solet autem proportio hominis considerari hunc ferè in modum. Primò corpus humanum diuiditur in nouem proportiones, ita nempe, vt prima sit faciei, secunda pectoris, tertia à summo stomacho ad vmbilicum, quarta ab vmbilico ad summum femur, quinta & sexta à femore ad genu, septima & octaua à genu vsque ad nodum imæ plantæ, nona & vltima imæ plantæ. Rursus singulorum membrorum proportiones obseruandæ sunt pictori: vt faciei humanæ tres sunt dimensiones; quarum prima est à summo frontis vsque ad intercilia, secunda ab interciliis ad imas nares, tertia ab imis naribus ad mentum: è quibus illa sapientiæ, ista pulchritudinis, hæc bonitatis est sedes.

Artes affines picturæ.

VII. Sculptura, Statuaria, Anaglyptica, & Plastica tantam cum Scenographicâ affinitatem, vel potius cognationem habent, vt à quibusdam statuantur partes picturæ.

Quia nempe idem sibi habent propositum, quod pictura. Omnes enim istæ artes conantur repræsentare & exprimere imaginem rei. Et primò quidem *Sculptura* prominentes reddit imagines in ligno: *Statuaria* prominentes reddit imagines in lapide aut metallo: *Anaglyptica*, seu Cælatura, cauam facit imaginem in ligno, lapide, vel metallo, vt in sigillis: *Plastica* denique ex terrâ, argillâ, gypso, cera, & simili materia fingit similitudines. Plasticæ pars est *Fusoria*, quæ format imagines per fusionem metallorum, & aliarum rerum liquabilium. His artibus commune est præceptum: vt rectè ait *Cardanus lib.* 17. *de subtiliate*, formam rei primùm visam, mente concipere, inde typum quendam delineare, pòst præsente eo, quod fingis, singula animaduertendo, ad amussim perficere.

SECTIO QVARTA,

In quâ delineatur

AVTOMATOPOETICA.

PRÆCEPTA.



VTOMATOPOETICA est ars mechanica, de ratione conficiendi automata.

Automata sunt corpora, quæ beneficio artis seipsa mouent.

Suntque in vniuersum triplicia: motus breuioris, longioris, vel longissimi.

Automata motus breuioris sunt, *quæ seipsa mouent certo horarum spatio*: vt horologia sonantia, & res ludicræ, vt aquila volans, musca volans, & similia.

Automata motus longioris sunt, *quæ seipsa mouent per annum & amplius*: vt globi cœlestes, qui repræsentant motum solis per 12. signa Zodiaci.

Automata motus longissimi sunt, quæ imitantur motum perpetuum.

REGVLÆ.

Automatorum excellentia.

I. *Automata merito numerantur inter inuenta admiratione digna.*

Cardanus lib. 17. de subtil. ait, inter cætera rerum inuenta, admiratione digna primum locum obtinere pyxidem nauticam: proximam laudem posse concedi tormentorum bellicorum inuentioni: cui succedat mira illa typis excudendorum librorum ars, nulli post primam nec vtilitate, nec dignitate, nec subtilitate secunda, quæ etiam si primo loco statuatur, rectè factum credamus. His tribus tota antiquitas nihil par habet. Verùm artes quæ maximè illustrantur subtilitate, sunt Pictura, Sculptura, Plastice. Hactenus ille. Nos merito admirandis & subtilibus artibus addimus Automatopoëticam, quâ fit, vt corporibus grauibus, & ad se mouendum ineptis, actum quendam & animum damus.

Horologia automata varia.

II. *Horologia automata fiunt duobus modis: absque fune, vel cum fune.*

De prioribus illis *Cardanus d. l.* ita scribit: Horum, quæ diu latuerunt, quædam inuenta sunt, vt horologia absque fune. Stant pro fune rotæ, in quibusdam molæ superpositæ, limaci figura denticulis 26. quibusdam etiam pluribus: ab his denticulatus axis, qui totam agit machinam, circumagitur. In altero rota est 48. denticulis in imo dispositis, alterique rotæ implexis, vt cùm molæ nixu quæ in imo est circumuertitur, alia totidem dentibus implexa etiam circumuoluta totam machinam secum ducat. Et sanè huiusmodi automata plus admirationis & subtilitatis habent, quam vulgaria ista, quæ fune, adeoque ponderibus, constant.

Defectus horologiorum automatorum.

III. *In horologiis automatis non exigui defectus à præstantibus mathematicis ostenduntur.*

Horologiorum automatûm inuentio tribuitur Boëtio Seuerino, summo philosopho; digna profectò admiratione ob acumen exquisitum, & vtilitatem in publicis & priuatis hominum actionibus inæstimabilem. Cæterum vt in aliis hominum etiam sapientissimè excogitatis operibus, ita in horologiis non exigui defectus à præstantibus Mathematicis ostenduntur, non tantum propter aëris ambientis crebras mutationes, sed etiam propter internum, si ita vocare licet, motus principium. Sunt enim duplicia horologia; quædam se ipsis & suis tantum rotulis; quædam vero ponderibus appensis librata. Quorum illa quia per laminæ cuiusdam conuolutionem violenter intortam mouentur, idcirco primas horas breuiores, posteriores autem horas longiores iusto indicant; idque propterea, quia contorta illa lamina diducitur innatâ quali vi metalli, idcirco primo celeriùs, post tardius horologij rotulas impellit. Alia verò horologia, quæ appensis ponderibus mouentur, primas horas iusto longiores, postremas breuiores indicant: quia nempe pondera cum loco naturali, nempe terræ, sunt propria, celeriùs mouentur, cum omnis motus naturalis in fine sit velocior quàm in principio. Accedit etiam funis istius cui pondera alligata sunt grauitas, quâ pondera sub finem magis deprimuntur, quam ab initio: quam posteriorem causam etiam attingit magnus ille Astronomus Tycho Brahæus parte primâ progymnasmatum Astronomiæ, pag. 148. 149. vbi ita inquit: Quamuis tam illustrissimus princeps Landgrauius Guilhelmus, quam ego in hoc plurimum elaborauerimus, vt horologia correctissima, non saltem horas, sed etiam scrupula prima & secunda constanti lege indicantia confici curaremus, qualia vel tria vel quatuor in promptu habeo, maximâ diligentia fabrefacta: tamen multas ob causas, de quibus etiam cum illustrissimo Principe per literas egi, adeo præcisa atque cœlesti normæ omni tempore perpetuo & æqualis ductu correspondentia hæc esse nequeunt, atque in tam subtili negotio necessarium est. Nam cuiuscunque tandem solertis artificis Mechanici operâ & dexteritate horologia illa constituantur, tamen ob aëris & ventorum varietatem mutationi sunt obnoxia: nec satis huic iniuriæ occurritur; si hyberno tempore in vaporario aliquo, etiam æquali, quoad eius fieri potest, calore, conseruentur: per se quoque subinde, vt ab initio satis diligenter composita, alterationem aliquam variis de causis admittentia. Et facilè fieri potest, vt denticuli aliquot aut rotulæ quodam loco dispares, harmoniam motus continui æqualem & proportionalem aliquantum interturbent, atque in intermediis horis, earundemque subtilissimis scrupulis, aliquid inæquilitatis facilè suggerant, licet vniuersalis & diurna restitutio, siue ad solem siue ad stellas comparata, satis exactè se habeant. Quin & filum ipsum quo pondus annectitur, quando plurimum demissum est aliquanto plus aggrauationis addit, vtut subtile fuerit, quam dum in superiori loco, pondus ipsum, minimum eius deorsum traxerat. Et licet hoc differentiam perexiguam in motu horologij implicet, tamen cum & id quod inquirere intendimus subtilissimum quid sit, & quatuor secundorum in horologio aberrario integri minuti primi iacturam loco stellæ insinuet, impedimento omni non vacat. Sunt & alia horologiis eam, qua opus esset, certitudinis atque scrupulositatis fidem omnino derogantia. Hucusque Tycho Brahæus. Quòd verò propter hos defectus nonnulli Mathematici veterum clepsydras quibus per aquæ diffluxum, tanquam modum naturalem, horæ indicabantur, nostris automatis tam clare palam sonantibus præferant, id non video qua ratione possit approbari.

A... m... p... d... fe...

IV. *Automata motus perpetui reuera dantur.*

Guil. Gilbertus lib. 2. de magnete cap. 35. Cardanus scribit, quòd ex ferro & lapide Herculeo instrumentum fieri potest perpetui motus, non quod ipse vidisset vnquam, sed opinione tantum concepta, & ex relatione Antonij de Fantis Taruisini: qualem describit machinam *lib. 9. de rerum varietate.* Sed parum exercitati sunt in experimentis magneticis, qui ista tradunt. Nulla enim attractio magnetica maior esse potest (vlla arte, aut instrumenti forma) retentione. Retinentur etiam maiore vi & adiuncta & appropinquantia, quam allecta, & motu percita mouentur: estque motus ille coitio vtriusque, non attractio. Talem machinam multis antè seculis finxit, aut ab aliis acceptam delineauit Petrus Peregrinus, multo ad rem aptiorem: quam miseris figuris deformatam, etiam edidit Iohannes Taysner, & rationem omnem verbatim exscripsit. Hæc Gilbertus. Sed audiamus **Cornelium Drebbelium**, cuius epistola de perpetui mobilis inuentione, ad Iacobum Angliæ regem, sic habet.

Percepta ex inquisitione naturæ elementorum voluptas, SERENISSIME REX, sola me impulit vt ad maiestatem tuam scriberem. Multa enim & amœna & incredibilia admiranda vidi, ad cognoscendum Deum ex operibus suis perquam vtilia. Annon hæc omnia omnipotente & diuina sapientia in gloriam suam, & vsum nostrum condidit? Nam quid nos magis moueant ad creatorem nostrum cognoscendum, aman

dum, amandum, colendum, quam vera illa rerum scientia? in quibus quasi digito suam prudentiam, bonitatem & potentiam demonstrat? Gratiam debemus pro sacris literis quam maximam, eæque summo in honore semper habendæ. Sed vix minorem pro eo, quod diuina illa natura tanquam ipse Deus, sine fide ostendit. Discimus enim ex multiplici & diuersa rerum natura, simplicitatem Dei, eamque variis modis laudare. Quare nisi intelligamus quod videmus, audimus, sentimus, quomodo Deum cognoscemus, amabimus aut colemus, quem neque videmus, neque audimus, nisi vera rerum cognitione. Vnde concludimus, Optimi Maximi voluntatem esse atque è re nostrâ, quid sit natura rerum percipere, vt tam Deum nostrum, quam nosmetipsos discamus nosse.

Quocirca, ô Rex, cùm ante aliquot annos proposuissem causas rerum diligenter perscrutari, vt dona in nos diuinitus collata rectè cognosceremus, descendi in humanam naturam, vbi in me idipsum inueni, quod olim in aliis vituperaueram aut probaueram. Inspectis autem & cognitis stulta & inexercitata nostra voluntate, cæco & spontaneo errore, lætâ & mœstâ vita atque tristi morte, animaduetti diffidentis voluntatis, iudicij, commercij hominum, causam esse solam animi ruditatem siue inscitiam. Sed perspiciens virtutem diuinorum donorum, quæ nobis creator noster largitus est; & qui Deus vt pater naturæ, in omnibus suis actis naturali sapientia vtitur, ingenti gaudio mihi animus affectus est. Quapropter institui primi mobilis indagare naturam: illud esse existimans principium operum Deo, eoque introitum ad veram naturæ cognitionem patere. At quamuis diu hic maxima diligentiâ vsus sum, nihil tamen omnino huic scientiæ idoneum reperi. Itaque dulcem huius inuentionis spem amisi. Nempe omnium rerum natura impossibilitatem propositi mei clamabat. Deinde vero cōsiderans quomodo omnia ex elementis fiant, nutriantur & sustententur, quomodoque ex iis nobis ostendatur æternitas & immortalitas Dei, infinita altitudo & profunditas, læta lux & tristes tenebræ, cæteraque huius terrarum orbis miracula, operæ pretium me facturum putaui, si eorum naturam inuestigarem, in quo negotio tempus haud inutiliter triui. Breui enim animaduerti hanc esse ianuam ad veram rerum intelligentiam. Idcirco singulari diligentia aquam primo aggressus sum, eo animo, vt per varia vascula & fistulas, miris modis inflexas, illam docerem suâ sponte sursum tendere. Sed frustra hic quoque fui. Nam ne vnguem quidem latum ascendebat; verum vt natura eius est semper deorsum ferebatur. Nihilominus tamen diuersos & egregios fonticulos feci, qui aliis atque aliis modis, ratione descensus suæ aquæ, quam continebant, radiolos aqueos ad tempus eiaculabantur in altitudinem viginti, aut etiam plurium pedum. At hic motus subito, nisi rursus cadentibus vndis viuificaretur, euanescebat. Quamobrem mellea, quam conceperam, iterum me spes reliquit: eoque inductus sum, vt plenissimè crederem causam primi mobilis homini omnino inperscrutabilem. Postea vero solerti indagine quærens abditam illam causam, quæ aquam semper deorsum vrgeret, tandem eam deprehendi in obseruatione admirandæ ignis naturæ. Quare, serenissime Rex, non parum lætabar, quippe tum demum assequebar quid me eousque in errorem impulisset, quæ causa esset primi mobilis, quomodo cœlum, stellæ, planetæ, aqua, terra, mouerentur: & qua ratione terra in medio aëris portaretur, aqua instar circuli terram ambiret, atque omnia centrum peterent, excepto igne. Ex contra quomodo sol, luna, cunctaque sydera in cœlis penderent, sicut etiam originem pluuiarum, ventorum, tonitruum, fulminis, fluxus, refluxus, denique quo pacto singula alantur & alterentur.

Nisi hæc, O Rex, tam viuis instrumentis, quam argumentis demonstrare possem, nunquam tantum de iis scripsissem. Neque enim ignoro omnibus ingeniis, etiam acutissimis, incredibile videri hæc mysteria industria nostra, comprehendi posse. Ergo vt certum faciam me cognitam habere primi mobilis causam, possum construere globum perpetuo secundum cursum ætheris singulis viginti quatuor horis semel circum rotatilem, aut toties amplius, quoties mihi visum fuerit. Ita vt vel mille annis ne semel fallat, ostendentem nobis annos, menses, dies, horas, cursum solis, lunæ omnium planetarum & stellarum, quarum motus hominibus notus, sicut etiam varij generis instrumenta, quæ certo tempore, aut etiam continuum concentum harmonicum edant, in summâ quicquid fieri potest pondere, circumuoluto chalybe, aqua fluente & igne, præstat hæc cognitio in perpetuum, sed soli sumptus reddunt minus fructuosam, si magna vis requiratur. Cæterum vt magis confirmem me intelligere causam motus rerum sursum & deorsum, & quid terram & aquam in medio aëris portet, ita in vitro clauso terram in medio aquæ, aquam in medio aeris, atque aerem in medio ignis suspendo, vt vnum elementum aliud ambiat velut circulos alius, alium: aut è diuerso statuo aërem in medio aquæ instar globi, & aquam in medio terræ, ita inuicem se amplectentes, vt aer hunc terrarum orbem. Atque hoc modo altum humile, humile altum, leue graue, graue leue facio. Præterea aquam stantem sursum impello in altitudinem decem, viginti, aut plurium pedum. Et quoniam causam venti compertam habeo, construo machinas vehementer flantes. Atque cognitione fluxus & refluxus efficio instrumentum semper fluens & refluens singulis 24. horis bis: ostendens menses eorumque dies, cursum lunæ & horas, fluxus & refluxus in perpetuum. Quemadmodum Maiestas tua ex præsenti hoc instrumento videre, & quando lubet viritatem mei scripti examinare potest. Illud est propago & surculus arboris perpetui mobilis, insitus veræ cognitioni elementorum, scopus rerum indagatoribus seruiturus ad sempiternam memoriam, vt intelligant naturæ mirabilitatem, & quid eius dono possimus. Paratus sum etiam reliquas demonstrationes ostendere, sperans me eo facto gratam dulcedinem, quæ ex abditis rerum causis percipitur, multis præbiturum. Experientia enim me docet, nullam voluntatem veræ naturæ cognitioni æquiparandam, quoniam monstrat nobis perfectam Dei bonitatem, sapientiam, potentiam. Multi ante me admiranda iactitarunt: probationem proponentes inauditis vocabulis, & absurdis processibus. Non inscii credo, si nudaratione rem gererent, omnes notam habituros eorum dementiam, & sic amissum iri magni nominis famam. Quamobrem ego non modò rationibus & exemplis vtar, verùm etiam exempla ad veritatem examinabo. Et primo narrabo causam ignis, deinde naturam eius & operationem: postea proprietatem cæterorum elementorum: & porro quid sit frigus, quæ sit causa primi mobilis, quæ sit causa solis, quomodo moueantur cœlum, stellæ, luna, mare & terra, denique quæ sit causa fluxus & refluxus, tonitruum, fulguris puluiarum, venti, & quo pacto cuncta crescant & multiplicentur, aliis hoc modo viam commonstraturus, quam ego post diuersos errores inueni, vt paruo negotio mirabiliora in lucem proferant. Nam (Deum testor) neque veterum scriptis, neque cuiusquam auxilio hic vsus sum, sed solummodo hæc reperi assidua obseruatione & perscrutatione elementorum. Neque etiam testimonia habemus priscos homines hanc scientiam consequutos fuisse, licet multi eam quæsiuerint. Scribunt Archimedem globum construxisse, qui perpetuo secundum cursum ætheris sese moueret, sed eundem, vna cum auctore, vno die detestabili bello assumptum; vnde & veritatis indicium perditum. Extant nonnulli processus de perpetuo mobili, sed meræ nugæ, quæ multos seducunt, nullos in optatum portum dirigunt. Si processus veri essent, veteres illud composuissent, & nobis memoriam eius quantulamcunque reliquissent. Quapropter omnes huius artis amatores admonebo, & meliorem viam monstrabo: obsecrans Deum vt cunctos reges, principes & Magistratus clementi sapientiâ illuminet, quo omnes homines, serenissime Rex, vt nos tui subditi, aureâ diuinæ pacis dulcedine fruantur: cuius beneficium (maximum à sapientissimo Rege optandum) maiestatate tuâ possidens, nescio quam gratitudinem rependam, præsertim cùm reputo plerosque reges cæca cupidine seduci, quærentes sanguinolento Marte regni incrementa, neque cogitantes quam impossibile hæc sit adipisci sine maiore detrimento, & destructione fidelium subiectorum, qui ob id de bonis, vitâ, sanguine, periclitantur. Quis aliquo ingenio præditus vitam suam perituris bonis comparet? Vnde satis intelligimus fructus abominandi belli, & sapientiam paci addictorum regum: qui bonis legibus maleficia auertere, malum iustè punire student, animo voluentes iustitiæ non esse pœnam crimine grauiorem iniungere, sed potius leni misericordia leuiorem reddere, vt omnes regentium pergratos fructus degustent, & loco furiosi Mauortis sese recreent amœnâ artium voluptate, in quem finem hunc meum laborem ad introductionem incepi. Sed quia neque Latinè, neque Anglicè mentem meam satis exprimere possum, hæc Belgicè scripsi & in Romanam linguam verbotenus transferri curaui, vt & integer sensus Maiestati tuæ seruetur, & naturæ mirabilitas interdum delectet. Spero illam hanc meam affectionem clementissimo animo recepturam, diuque incolumem & pacificè, sub protectione omnipotentis dextræ victuram. *Hactenus Drebbelius*; qui idem conficit organum musicum, quod mobilis vel potius motiui perpetui virtute, soli libero expositum egregiâ edit harmoniam; solâ radiorum solis stricturâ excitante spiritum inclusum.

V. *Globi, qui motu suo repræsentant motum cœli, variis modis fiunt.*

Cardanus de globis motum cœli repræsentantibus.

Hâc de re audiamus *Cardanum lib. 16. de subtilit.* Nuper etiam, *inquit*, quidam machinam illam mundi vniuersalem olim à Gulielmo Zelandino fabricatam atque dissolutam, in tenebrisque per incuriam marcescentem, cùm ego quodam bono fato ad instaurandum bonas artes etiam obiter non minus quàm ex industriâ natus, in lucem reuocassem, in integrum restituit. Cuius exemplo aliam Carolo quinto Cæsari ita construxit, vt in ea & temporum momenta, & partes signorum singulas videas, & octaui orbis tardissimum motum intuearis. Diuisiones quoque orbis signorum varias, quas domos vocant, horasque æquales, & inæquales, & quod maius est vniuersi orbis parti-

bus inseruientes, vt hæc verè machina orbem vniuersum referat, in eâ inspicere licet. Omitto progressus regressusque singulorum errantium syderum, latitudines altitudinesque, aliaque innumera, vt prorsus res non minus famà quàm fide maior sit. Referunt Sabor regem Persarum huiusce modi machinam tam grandem è vitro construi fecisse, vt in eius centro sederet tanquam in terræ sphærulâ, spectantem sub pedibus etiam astra, exorientiaque ac occidentia sydera, vt sic mortalis cùm esset, supra tamen omnem mortalitatis fastum & expectationem esse videretur. Et certe quid maius & diuinius sub hominis sensibus cadere potest, etiam Regi vniuersum orbem terrarum possidenti, quam quod postquam terras & maria possidet, etiam cœlum & astra, Dei domicilium habere videatur? Talia recitantem Honoratus Ianius Valentinus, principis illustrissimi Hispaniarum Philippi præceptor, in literis humanioribus vir perquam doctus & humanissimus, excepit dicens: Machina hæc olim vitro, vt recte dixisti, non vt nunc metallo fieri solita erat: cuius testis Claudianus est, præter etiam Ciceronis autoritatem. Sed libet, inquit, ipsius carmina recitare, dubij eiusdam causa.

Iupiter in paruo cum cerneret æthera vitro,
Risit, & ad superos talia dicta dedit.
Huccine mortalis progressa potentia curæ?
Iam meus in fragili luditur orbe labor.
Iura poli, rerumque fidem legesque deorum,
Ecce Syracusius transtulit arte senex.
Inclusus varius famulatur spiritus astris.
Et viuum certis motibus vrget opus.
Percurrit proprium mentitus signifer annum,
Et simulata nouo Cynthia mense redit.
Iamque suum voluens audax industria mundum,
Gaudet, & humanâ sydera mente regit.
Quid falso insontem tonitru Salmonea miror!
Æmula naturæ parua reperta manus.

Quæro, inquit, quonam modo spiritu incluso eam moles tam variis motibus circumuolui potuit, vt Claudianus refert? Deinde, cur ex vitro olim nunc autem ex metallo. Tum ego: Causa cur ex vitro olim fieret machina cœlestis orbis, erat, quoniam cùm esset æmula verè cœli, includebantur minores maioribus: quamobrem qui intus erant & sidera spectari non potuissent, nisi omnes ex materiâ perspicuâ conflati fuissent. Itaque qui nunc has moles faciunt, vitri fragilitatem verentes, coguntur non naturalem mundi machinam æmulari, orbem orbi circumponendo, quoniam cùm ex metallo sint, videri non possent: sed quot sunt orbes, tot efficiunt tabulas, aut saltem senas, Solis orbem Veneris orbi immiscentes, circuitumque compaginant, vt quod est rotarum, ponderum, molarum, curruum, denticulorum, nolarum, virgarum, funium, atque aliorum instrumentorum, lateat intus: quamquam neque pondera nec funes artifex noster miscuerit, sed omnia ferro, denticulisque miro construxit artificio: ipsi vero errones è tabulis cum quibusdam circulis prominentes absque impedimento spectari possent. Ex quo maifestum est, antiquam structuram longè hác nostrâ nobiliorem esse ac pulchriorem, nostram verò diuturniorem. Quòd si ex materia durâ ac perspicuâ fierent, quemadmodum diximus superiùs de chrystallo cui argentum sit immistum, tunc & naturali rotundæ formæ, & constructioni orbium qua vnus alteri includitur, & perspicuitati ac pulchritudini, cùm diuturnitate consultum esset, Itaque iam in vitro habes rationem: non enim facilè erat, tunc maximè, ex aliâ materiâ hanc machinam perspicuam facere nisi ex vitro, præsertim quod tunc longe maiores fierent, quam quæ ex metallo nunc moles illæ. Atque ex his iam patet, quod machinæ tales, ponderibus non agebantur: nam includi vix poterant, & inclusa motum perrennem non habuissent, & operis pulchritudinem fœdassent: externis vero motis orbibus ex vno latere tantum, vim vitro grauem attulissent. Quamobrem faciliùs fuit hoc Archimedi spiritu agere, tum maximè quod orbibus vnum tantum motum addiderat, omnesque circa idem centrum collocabat, vt Calippus, & Eudoxus, ipsam verò terram exiguam sphærulam multiplici motu agitabat in medio nescio quibus artificiis. Nam sic Archimedes existimauit orbis partes se habere, vt in libello de Arenæ numero manifestè testatur. Quam opinionem secutus est Nicolaus Copernicus ætate nostra. An verò ad vnguem, non satis constant, cum incertum sit, an Archimedes lunæ orbes, vt Copernicus, cum elementis ipsis circumuolui voluerit. Magnifestum est igitur duabus de causis, Archimedi facilius fuisse molem hanc vitream facere, ac spiritu absque nisu alio agitare, quam nostris temporibus, ab his qui placita Ptolomæi sequuntur. Sed quod hæc machina spiritu agi potuerit, magnâ admiratione haud dignum existimo, considerantibus nobis quanta vi globulos expellant machinæ illæ quæ in Germaniâ fiunt, cum tamen aeris impetu solùm id agant. Aliter forsan per spiritum Claudianus intellexit vim abditam molis, de quibus in initio huius operis diximus, Absconditis enim ex arte vinculis, seu (vt nuper diximus) rotarum contendiculis auxilio fretus, machina sponte ac spiritu quodam moueri poterat videri. Nec vero de motu tantum quo astra ab Orienten Occidentem feruntur intelligi debet, nam Cicero hæc habet: Quod si ad barbaros veluti Scythas sphæram aliquis tulerit hanc, quam nuper familiaris noster effecit Possidonius, cuius singulæ conuersiones idem efficiunt in Sole & Lunâ, & in quinque stellis errantibus, quod efficitur in cœlo singulis diebus ac noctibus, quis in ea barbarie dubitet, quin ea spæra sit perfecta ratione? Hi autem dubitant de mundo, ex quo oriuntur omnia ac fiunt, casune ipse sit effectus, an necessitate aliqua, an ratione, an mente diuinâ, Et Archimedem arbitrantur pluis valuisse in imitandis sphæræ conuersionibus, quam naturam in efficiendis, præsertim cum multis partibus sint illa perfecta, quam hæc simulata solertius. Manifestum est ex his verbis, non solum Archimedem ante Ciceronem, sed ipsius Ciceronis ætati Possidonium imitatum esse motus omnes astrorum machinâ illâ globoue orbem referente. Itaque sic Claudianum exponere liceat, vt vim illam quæ vinculis molarum ac nixu continuatur, latentem, ac si non esset, prætermissam, effigiem spontè se agentis machinæ, ac proprio spiritu mouentis semet, vt non pro spiritu aërem, sed animam ipsam interpretemur.

SECTIO QVINTA

In quâ delineatur

ISORRHOPICA.

PRÆCEPTA.


Isorrhopica est ars mechanica de naturâ & vsu æque ponderantium seu æquilibriorum. *Dicimus etiam* τὰ ἰσοῤῥοπικὰ, ἀκ… σμαζ

Estque generis, vel specialis.

Isorrhopica generalis explicat fundamenta, fallacias, & cognata æque ponderantium.

Fundamenta sunt in circulo.

Fallaciæ sunt in fabricâ, vel abusu.

Cognata sunt vectis, & similia.

Isorrhopica specialis persequitur genera æquè ponderantium, quæ duo sunt, libra & statera.

REGVLÆ.

I. *Isorrhopa sunt, quæ æqualibus librantur ponderibus, ita nempe, vt in neutram partem deuergant.*

Ἰσόῤῥοπον vna voce reddi potest *æquilibre*: quod ita se habet, vt neque ad dextram neque ad sinistram deuergat. Magnus est illorum vsus in vita communi. Sicut enim in Ethicis iustitia, sic in mechanicis isorrhopica, nominatim lanx seu libra, est velut generalis regula. Et hinc est, quod virgo, dextrâ manu strictum ensem, legum vindicem, sinistrâ lancem, tanquam æqualitatis insigne præ se ferens, hieroglyphicè significat iustitiam.

II Funda

II, *Fundamentum isorrhophicorum est circulus.*

Libræ naturam egregiè explicat *Aristoteles in quæstionibus mechanicis*, dum ad primum rerum mechanico-mathematicarum fundamentum, circulum nimirum, eam refert. Nam libra applicata ad circulum, trutina, quæ est media pars, fit centrum; partes autem libræ, vtrinque à trutinâ productæ, fiunt lineæ à centro circuli quem describunt. Rectè *Cardanus lib.1. de subtil.* hoc ita explicat: Centra ponderum in circulis & rectangulis sunt in communi sectione dimetientium duarum. In omnibus autem figuris æquilateris, quæ circulo possunt inscribi, centrum grauitatis idem est cum centro circuli circumscribentis.

III. *Libra, statera, & vectis ita se habent.*

Libra est instrumentum, quod pondera leuat & mensurat, duabus præditum lancibus, in quarum vnâ collocatur pondus mensurabile, in alterâ vis mouens & adæquans, trutinâ in medio consistente, & centrum repræsentante. *Statera* est aliquid simile libræ, constans vecte, seu lineâ virguláue metallicâ, quæ in minimas partes secatur, putà drachmam, semuncias, vncias, libram, vt æquetur pondus appendiculo. *Vectis* est instrumentum longum cum linguâ; & tribus modis fabrefit. 1. pondus locatur in extremitate vectis, & fulcimentum, cui innitur vectis, in medio est, & vis mouens in alterâ extremitate firmatur, & sic deorsum vis illa mouens impellit & eleuat pondus. 2. centrum & firmamentum vectis est innixum in vnâ extremitate vectis, pondusque locatur in medio vectis, & mouens in alterâ extremitate; & sic mouens sursum eleuat pondus, & impellit extremitatem, & pondus hoc modo attollit. 3. fulcimentum est supra vectem, & eleuatur vectis sursum; in vnâ extremitate est pondus deprimendum, in alterâ mouens.

IV. *Libræ sunt plerumque stateris exactiores.*

Huius rei tres adferri solent causæ. 1. quia in staterâ difficile est virgulam adeo exactam in magnitudine constituere: & si etiam sit in magnitudine, non erit in pondere: vix enim hoc assequi possumus. 2. difficillimum est per æqualia interualla, omninò ad amussim diuidere lineam. 3. pondus rarò in extremitate appendi solet; quod cùm citra appenditur, confusionem parit. Sunt & additamenta multa, quæ vitiant stateram: horum nullum est in librâ. Ob id pretiosa non in staterâ, sed in libra solent examinari. Libra itaque est generalis regula, ad quam statera, itemque vectis reducitur, iuxta illud axioma mechanicum: *Vectis cùm in vsum venit, refert libram.*

V. *Libræ maiores exactiùs examinant pondera quàm minores.* — Libræ quò longiores, eò exactiùs & velociùs mouent.

Ratio huius est, quia libra reducitur ad circulum, vt diximus. Quare cùm lineæ à centro circuli, seu à trutinâ, productæ, sint partes diametri, quò longiùs recedunt ab immobili, id est, à centro, eò velociùs mouentur. Quandoquidem ergo ex maiori vehementiâ motus, vis mouentis, quæ pondus est, distinctiùs cognosci potest, in motu autem languidiori ob tarditatem sensuum non perspicitur: necessum est, vt ponderum examen longè exactiùs à maiori, quàm à minori librâ instituatur. Huc pertinet illud *Aristotelis in mechanicis*: In magno librili idem pondus magnitudinem reddit aspectabilem. Vide *Alexand. Piccolhomineum & Henricum Monanthonium super Mechanica Aristotelis.*

VI. *Fallacia isorrhopica duobus modis contingit.* — Fallacia isorrhopicæ.

Cùm recta est lingula, & perpendicularis ad horizontem, tunc est æquilibrium. Quare si lingula incuruetur, contingit fallacia: vitio nempe vendentis. Atque huc pertinent omnes fallaciæ, quibus instrumenta isorrhopica vitiantur ab illis, qui iis vtuntur. Altera fallacia est ab ipsis artificibus isorrhopicis. Possunt enim illi facere libram, quæ vacua ponderibus, æqua videbitur, iustisque notis ponderum maius rerum ipsarum pondus repræsentet. Sic enim, vt Aristoteles refert, purpuram vendentes imponebant emptoribus. Sciagraphiam fallacis huiusmodi libræ, quæ v. gr. pro vndecim vnciis duodecim præ se ferat, vide apud *Cardanum lib.1. de subtil.* vbi etiam isorrhopices fundamenta proponuntur, & schematibus, breuiter atque subtiliter, exponuntur. Sed *Isorrhopica Simonis Stenini* præcellunt.

SECTIO SEXTA,

In quâ delineatur

MVSICA ORGANICA.

PRÆCEPTA.



MVSICA organica est ars mechanica, de ratione conficiendi & tractandi organa musica.

Estque generalis vel specialis.

Generalis explicat conuenientiam & differentiam Musicæ instrumentalis & vocalis.

Cόnuenientia est in fine & proportione harmonicâ.

Differentia est in eo, quòd altera perficitur voce, altera instrumentis arte factis.

Specialis explicat organorum musicorum species & partes.

Species ita habent. Organa musica primò sunt ψηλαφητὰ vel πνευματικά. Deinde mouētur vel ab organicinibus, vel à ponderibus vel ab aquâ, vel à spiritu incluso. Sunt enim quatuor classes organorum musicorum.

Primæ classis sunt instrumenta, quæ tractantur ab artifice musicæ instrumentalis perito.

Secundæ classis sunt organa musica automata, quæ certis ponderibus impulsa edunt concentum harmonicum.

Tertiæ classis sunt organa musica hydraulica.

Quartæ classis sunt organa musica, quæ inclusum habent spiritum mundi, qui excitatus à radiis solis impellit chordas, vt concentum edant. Hæc itaque fiunt proculdubio, ad similitudinem statuæ Memnonis, quæ appellatur lapis vocalis, quòd oriente sole illustrata magnum ederet sonitum. Denique organa musica chordis constantia, sunt monochorda, vel polychorda.

Partes organorum musicorum variant pro varietate specierum.

REGVLÆ.

I. *Musica instrumentalis æquè ac vocalis mouet affectum.* — Musicæ instrumentalis efficacia

Ratio est, quia sonus vim habet manifestissimam in mouendis affectibus. Hâc de re audiamus *Cardanum lib. 13. de subtil.* Inter multa, *inquit*, antiquorum exempla, duo inuenio præclara, virtutis soni ad commouendos animi affectus. Alterum Timothei, qui modo mutato Alexandrum coëgit alacritate impulsum exilire è conuiuio. Reliquum, quòd Agamemnon discessurus è patriâ, profecturusque Troiam, de vxoris pudicitiâ dubitans Clytemnestræ (sic enim ea vocabatur) citharœdum reliquit, qui sono illam citharæ adeo ad pudicitiam & continentiam incitabat, vt Ægisthus nonnisi occiso citharœdo, eâ potiri potuerit. Qui verò maximè delectant soni, & ipsi ad incontinentiam trahunt, studiosos dum nimis musicæ reddunt: velut hydraulica organa, quorum Nero suauitate mirâ delinitus, etiam inter vitæ & imperij pericula, exercituum & ducum defectiones, imminensque exitium manifestum, curam non neglexit. Aquam hæc continent, pluribusque fi-

ſtulis aër immiſtus aquæ, modulationem cum ſuſurro miſtum emittit. Tradit Vitruuius horum rationem: ſed poſtquàm Neronis ætate Vitruuij libros vulgatos conſtat, veriſimile mihi non videtur ea fuiſſe tam chara Neroni, quæ adeo vulgatâ ratione conſtructa eſſent. Itaque Vitruuij normam pro modulo potiùs quàm exquiſitâ ratione habendam cenſeo. Sed non ſolùm nepoti Cæſari adeò placuerunt muſica inſtrumenta, ſed & Dauidem regem fortiſſimum virumque ſeuerum Pſalterij dulcedo detinuit, quæ & Saulem furentem lenibat. Neque vulgarem harmoniam huius inſtrumenti eſſe credendum eſt, cuius toties ſacra pagina meminerit, quodque vnum inter reliqua ad laudes diuinas celebrandas aptum fuiſſe iudicarint. Conſtat fidibus ſeptuaginta duobus, formâ triquetrâ ad vnguem, cuius ſymphonia incomparabilis eſt. Vidimus & alia inſtrumenta ſingularis voluptatis atque artificij, vt quæ tubarum, tympanorum, fiſtularum, tibiæ, lyræ, cornuum, teſtudinis, phormingis, ſyringæ, heptachordij, organorum propriè dictorum, ſambucæque vocem exprimerent. Hydraulica auium cantus, vt niſi videas, ementiuntur, ita vt auem dixeris: cornua humanis vocibus ſunt proxima, additis foraminibus: cum olim abſque illis, ad prælium milites excitarentur. Vnde Virgilius:

——— *Crepuerunt cornua cantu.*

Incondita ſanè muſica abſque modulis, tonitruique ſimilior. Sed tonitrus ſonum edit grauem, vehementem & inconditum, adeo vt pullos in ouo & fœtus in vtero quandoque perimat. Itaque hic maximè à muſicâ abhorret. Nec tamen eſt impoſſibile ex pluribus talibus inter ſe diſtantibus concentum fieri, qui exauditus pro miraculo habeatur.

Duo ſumma genera inſtrumentorum muſicorum.

II. *Inſtrumenta muſica commodè reuocantur ad duo ſumma genera.*

Alia nempe ſunt ἔντατα, ψηλαφητὰ, κρουστὰ, quæ ſolo pulſu concentum edunt: alia ψηλαφητὰ, ſeu ἐμπνευστὰ, quæ ſolo vento mouentur, vel vento & digitis ſimul. Sub his duobus generibus reliqua comprehenduntur. Nam Tibia, Fiſtula, Buccina, Baſſona, Tuba, Vtricula, & ſimilia inflantur: Clauichordium ſeu Barbitus, Pſalterium, Pandora, Cithara, & ſimilia pulſantur chordis: Teſtudo, Harpa, Chelys, Lyra, Tympanum, & alia pulſantur fidibus: Tintinnabulum, Cymbalum, Campana, & alia pulſantur ære: Triangulum muſicum ſeu Crepitaculum pulſantur ferro aut chalibe, Lignea craticula (Germanis ein ſtroſiedel/ item ein hültzen gelächter) ligno: magnum denique illud organum pneumaticū ſimul inflatur & pulſatur. Porrò veterum inſtrumenta muſica, quæ chordis tendebantur, pleraque erant ἑπτάχορδα, teſte *Ariſtotele in problematibus*: Ἑπτάχορδοι ἦσαν αἱ ἁρμονίαι τὸ παλαιόν. Lyra ſanè, cithara, & reliqua inſtrmenta ἔγχορδα, ſeptem chordarum erant. Imò & ea, quæ flatu ſonum reddebant, eodem pleraque conſtabant numero & harmoniâ. Quò pertinet illud Virgiliani ſubſequæ:

Eſt mihi diſparibus ſeptem compacta cicutis.
Fiſtula.

Ratio huius rei eſt; quia, vt *Ptolemæus lib. II. de muſicâ* ait, voces naturâ neque plures, neque pauciores eſſe poſſunt, quàm ſeptem. Vide ſuprà in Muſicis. Sic v.gr. in lyrâ chordæ olim hoc ordine, & nominibus fuêre: ὑπάτη, παρυπάτη, ὑπερμέση ſeu λιχανὸς, μέση, παραμέση, παρανήτη, νήτη: Germanis ita dicuntur, der groß brummer/der klein brummer/der dritte brummer/die mittelſeyten/groß geſangſeyten/geſangſeyte/quint.

Quænam præcipuè obſeruanda in organis muſicis?

III. *In organis muſicis præcipuè obſeruentur quatuor aphoriſmi, & doctrina modorum.*

Aphoriſmi ſic habent. I. *Omnium inſtrumentorum Muſicorum Canon, mater & radix eſt monochordum*: quod eſt ſimpliciſſimum & rectiſſimum inſtrumentum, vnâ vel pluribus ſimpliciter vniſonis inductum chordis, & in quotas quantaſue partes, ſecundùm numeros radicales diuidi poteſt biſecando, triſecando, quadriſecando, & ſic deinceps. Et in hoc inſtrumento omnes omnium numerorum Muſicorum proportiones accuratè obſeruare poſſumus. Exemplum monochordi ſimpliciſſimum erit, ſi vnicam chordam ligno apto ſuperinducas, lignûque in tot partes diuidas adiectis certis notis, quot ſoni diſtincti exiſtunt, ſi digitum applices chordæ. Figuram vide apud *Lippium in ſynopſ. Muſic. non procul ab initio, paginâ Tintinnabulum.* 2. *Ad monochordi ſimplicitatem quam proximè accedit lignea craticula.* Hæc enim abſque vllo negotio paratur ſi baculus ligneus bene ſiccus in multas partes proportionaliter diuidatur; quæ ſecundùm proportionum ordinem vinculis ex filo factis colligatæ ſonos edunt harmonicos, ſi baculo pulſentur, & ſtramini colligato imponantur. Figuram vide apud *Rob. Flud. tract. 2. part. 2. l. 6. c. 6.* 3. *Teſtudo ſiue Barbiton eſt omnium Muſicæ inſtrumentorum princeps*: ita vt nulla inuentio antiquorum aut recentiorum, magis gratum edat concentum. 4. *In Clauichordio, & ſimilibus inſtrumentis euidentiſſima eſt ſcalæ Muſicæ ratio.* Conſtant autem iſta inſtrumēta certis tetrachordis, quæ ſunt duplicia, ordinaria & extraordinaria. *Tetrachorda ordinaria* ſunt quatuor. *Primum* dicitur ὑπάτων, id eſt, maiorum ſeu grauiſſimarū chordarum ex B magno ad E magnum. Et hæc eſt Baſis. *Secundum* eſt μέσων, id eſt, mediarum, ex E magno ad e paruum. Et hic eſt tenor. Dicitur autem τῶν μέσων, quia cùm olim eſſent tria tantùm tetrachorda, nondum addito tetrachordo ὑπερβολαίων, illud erat in medio. *Tertium* eſt διεζευγμένων, *disiunctarum*, quod ab a paruo per tonum eſt disiunctum. Et eſt ab a paruo ad e paruum. Atque hic eſt Altus. *Quartum* eſt ὑπερβολαίων, *excellentium*, ſeu acutiſſimarum ab e ad aa. Et hic eſt Diſcantus. *Tetrachordum extraordinarium* eſt συνημμένων, connexarum chordarum: ſic dictum quia cum a paruo connexum eſt. Eſtque ex a paruo ad d paruum. Eſt autem triplex iſtorum tetrachordorum progreſſus, diatonicus, enarmonicus & chromaticus. Diatonicus fit per ditonum, & ſemitonium minus. Enarmonicus per ditonum, ac duas dieſes, videl. dieſin maiorem ac dieſin minorem, i. e. ſemitonij minoris dimidium. Chromaticus fit per ſemiditonum & ſemitonium minus ac maius. Confer cum triplici ſcalâ ſuprà *in Muſicis cap.* 5. Hæc doctrina fiet dilucidior, ſi *doctrina ſonorum, ſeu interuallorum muſicorum, ſiue modorum*, vt vulgò vocant, ritè proponatur. Sunt autem in vniuerſum modi decem, iuxta vulgatam cantilenam: *Ter trini ſunt modi, & vnus. quibus omnis cantilena contexitur*: *ſcil. Vniſonus, Semitonium, Tonus, Semiditonus, Ditonus, Diateſſaron, Diapente, Semitonium cum Diapente, Tonus cum diapente, Diapaſon.* Qui hos modos diligenter expendit, facilè rationem interuallorum muſicorum, atque ita totius harmoniæ cognoſcere poteſt. Artificioſa iſtorum modorum diuiſio hæc eſt. *Modus*, vel potiùs ſonus, eſt interuallum ſiue diſtantia ab alio. Eſtque æquabilis, aut diſpar. *Modus æquabilis* eſt, qui eſt eodem in gradu, & dicitur *Vniſonus*, itemque βάσις. Eſt autem vniſonus duarum vel plurium notarum eodem in loco coniunctio, e.gr. ſi *ſol* in eâdem claue repetatur, vel *la*. Modus diſpar eſt, in quo eſt ἄρσις καὶ θέσις, *elatio & demiſſio*, ſoni. Eſtque continuus, vel interruptus. Continuus eſt tonus, vel ſemitonium. *Tonus* eſt ſaltus vocis à voce per ſecundam perfectam potenter ſonans. Hinc dicitur *Secunda*. In progreſſu ſex vocum muſicalium, proxima quæque diſtat à proximâ tono, e.g. *vt, re*: exceptis *mi, fa*, ſimul connexis, quæ connexio vocatur *ſemitonium*, quod eſt ſaltus de voce in vocem, per ſecundam imperfectam, molliter ſonans: vt eſt ſaltus ex *mi* in *fa*, & viciſſim ex *fa* in *mi*, ſcil. proximum. Græcis dicitur ἡμίτονον, & Muſicis *ſemitonium minus.* Modus interruptus certis interuallis eſt diſcretus. Eſtque I. Διάφωνον, vt ditonus & ſemiditonus. *Ditonus* eſt dura & perfecta tertia, habetque duos tonos; qualis eſt inter *vt mi*; *fa la*. Dicitur aliàs *Tertia*. *Semiditonus* eſt interuallum vocis à voce per tertiam mollem & imperfectam: fitque inter *re fa*, *mi ſol*. 2. Παράφωνον, vt diateſſaron & diapente. *Diateſſaron* eſt ſaltus è voce in vocem per quartam: qualis eſt inter *vt fa*, *re ſol*, *mi la*. Aliàs *Quarta* vocatur. *Diapente* eſt ſaltus vocis à voce per quintam; vulgò *Quadrimodus* & *quinta*. Fitque inter *vt ſol*, *re la*, *mi mi*, *fa fa*. Porrò diapente componitur vel cum tono, vel cum ſemitonio. Hinc *tonus cum diapente* eſt ſexta perfecta qualis eſt inter *vt* ex c, ad *la* in a. *Semitonium cum diapente* eſt ſexta imperfecta: qualis eſt inter *mi* ex e ad *fa* in c: & contrà. 3. Ἀντίφωνον, vt eſt *diapaſon*, vocis à voce diſtantia per octauam; vnde & *Octaua* dicitur. Fit autem ſeptem modis. A' qualibet enim literâ ad ſimilem fit, vt ab *A* ad *a*, ab *a* ad *a.a.* Apud vulgares Muſicos his modis ſeu interuallis opponuntur quatuor interualla prohibita. I. *Tritonus*, qui tres tonos continet, fitque à *fa* ad mi. *Semidiapente*; quod graditur à *mi* ad *fa*, continens duos tonos, & totidem ſemitonia. *Semidiapaſon*, quod eſt octaua, continens tria ſemitonia & quatuor tonos, tendens à *mi* ad *fa*. 4. *Dis dia paſon*, 3. quod eſt interuallum per decimamquintam: intra quod voci præſtituta eſt meta, extra quam vagari nequeat; vel ſi vagetur, fictitia fit. Si autem maiores quàm diapaſon occurrāt intercapedines, cum prioribus in octauâ conſonant.


IV. *Chromaticum Enarmonicum Diateſſarum ſic habet*, apud Cardanum lib. 16. de ſubtil.

Succedunt his, *inquit*, muſica inuenta, triplicis olim ordinis diateſſaron, è quibus ſolùm vnum nunc diatonicum cognitum eſt, reliquos ordines ſeu incuriâ, ſeu difficultate amiſimus. Nunc verò breuiſſimè illorum reſtitutionem per nos factam, atque in primo & ſecundo muſicæ tractatam doceamus. Chromaticum fit per fictam muſicam, vbi non ſolùm in b. fa b mi, ſed & e la mi & a la mi re hemitonium inducitur, vt in cheli propriè, ſed & organa eius rationis muſicæ ſunt capacia.

Enarmon.

Enarmon.	Chromat.	Diaton.	Stabilis	Proslambanomenos.
Tonus.	Tonus.	Tonus.	Stabilis	Hypate Hypaton.
Diesis.	Hemit.	Hemit.	Mobilis	Parhypate Hypaton.
Diesis.	Hemit.	Tonus	Mobilis	Lychanos Hypaton.
Ditonus.	Trishemit.	Tonus	Stabilis	Hypate Meson.
Diesis.	Hemit.	Hemit.	Mobilis	Parhypate Meson.
Diesis.	Hemit.	Tonus.	Mobilis	Lychanos Meson.
Ditonus.	Trishemit.	Tonus.	Stabilis	Mese.
Diesis.	Hemit.	Hemit.	Mobilis	Trite Synemmemenon.
Diesis.	Hemit.	Tonus.	Mobilis	Paranete Synemmenon.
Ditonus.	Trishemit.	Tonus.	Stabilis	Nete Synemmenon.
Tonus.	Tonus.	Tonus.	Stabilis	Para Mese.
Diesis.	Hemit.	Hemit.	Mobilis	Trite Diezeugmenon.
Diesis.	Hemit.	Tonus.	Mobilis	Paranete Diezeugmenon.
Ditonus	Trishemit.	Tonus.	Stabilis	Nete Diezeugmenon.
Diesis.	Hemit.	Hemit.	Mobilis	Trite Hyperboleon.
Diesis.	Hemit.	Tonus.	Mobilis	Paranete Hyberboleon
Ditonus.	Trishemit.	Tonus.	Stabilis	Nete Hyperboleon.

Dulcissimus videtur hic modus diatonici generis comparatione, ob frequentia hemitonia: parua enim interualla & notæ proportiones, vocum suauitatem afferunt. Innititur autem Chromaticum genus hermitonio, tono & trishemitonio, ditonum fugiens. At hæc parua sunt interualla, sed minora sunt Enarmonici diesibus distincta, & ob id dulcior Chromatico harmonia. Vt verò exemplum eius habeas in clymis, vt in quinto musicæ docuimus, tremula vox parum aperto foramine, hemitoniorum, minimè autem tonorum diesim efficit: quæ perpetuò fugiens in singulis vocibus incredibilem affert suauitatem. Aliud in cheli (postquam Organa huius non sunt capacia) sumamus exemplum. Scis interualla in cheli hemitonio singula distingui: sentis tremulas voces, quæ dimidium tantum vocis interualli superant, atque ideo diesim quantam dulcedinem retineant: finge modò singulis currentis manus ictibus tremulas voces interseri, & cogita quàm incredibilem harmoniam sis auditurus. Sed in cheli vnus non poterit se explicare. Commodior lyra est, quia etiam magis retinet voces. Sed antiqui instrumenta ad hoc apta conficiebant, inter quorum chordas interualla diesum erant constituta. Extremæ verò eisdem locis quæ consonantiam efficiunt, necessariò in omni diatessaro reponuntur. Verùm in diatono duos addidimus neruos, alterum sub imo, reliquum suprà supremum, vt hemitoniorum ratio constaret. Nuper Nicolaus Vicentius Monochordium construxit per dieses diuisum, vt tonos singulos in quinque, semitonia minora in duo diuideret. Sunt autem in communi instrumento claui triginta candidi, toni ergo viginti & vnus: semitonia 8. minora in inferiore ordine. In superiore nigri claui viginti, semitonia autem 40. Ergo Chromaticum hoc habet clauos quinquaginta, interualla quadraginta nouem. Semitonia maiora viginti, minora viginti octo, tonos viginti vnum. Existimat ergo in quatuor illis ordinibus, quorum duo sunt superiores, duo inferiores, duo candidorum clauorum, totidem nigrorum diuisis minoribus tonis in duas dieses, vt fiant quinquaginta sex: maioribus in tres, vt fiant sexaginta; vt sint omnes centum ac sexdecim, claui verò centum ac decem & septem, inde pro indiuiso (de quo dixi) tono dieses quinque, totidemque claui constare. Enarmonicum monochordium vocibus centum ac viginti vnâ, clauis autem vno plus. Certè ad commodum non inutilis ratio, sed non omnino exquisita. Lucretia quoque Todescha Bononiensis puella, in cheli addidit sex chordas, vt essent decem ac septem ternæ in superioribus quinque ordinibus, Nete autem quæ singularis esset geminata. Quæ Hypates obtinuit locum, duas superiores habuit vnisonas, tertiam diapason interuallo: quatuor medij ordines vnisonum trium fidium concentum retinuerunt. Duplex habet incommodum hæc constructio spatiorum angustiam, vt nisi digiti sint graciles admodum, longi, choraulesque præstans, qualis illa erat quæ cùm decimum septimum ageret annum, nemini posthaberi posset, difficultatem, & confusionem non leuem sit paritura: tàtusque numerus fidium è neruis vix possit in certà cõtentione diu manere. Cæterùm illi difficultas addidit decorem: & ob artis præstantiam, suauitatem mirabilem. Cùm verò duo sint extrema & medium, quod vocant Tenorem, in diuersis vocibus (nam quæ de diatessaro dicta sunt, ad vnam tantùm referuntur) vox quarta Altus adiecta est, quæ quòd vacua repleat, cæteris suauitate præstat: cùm enim rei iam perfectæ aliquid additur artificiosè, ad ornatum plurimùm conducere solet. Ob id omnibus vocibus hæc mirâ arte conuenit. Obseruat hæc vnicè grauitonam, contrà quam sæpe in supremum se attollit: modò quasi in grauitonam mutata, in profundum se mergit, sublimiorem harmoniæ totius vocem contrario motu obseruans. Plerumque circa mediam spacia complendo ludit. Quo fit vt cùm nobilissima sit, præclarâ etiam exigat cantatoris naturam & ingenium: quibus si destituatur, nulla prorsus euadit. Hactenus Cardanus. Audiamus etiam *Vitruuium lib. 5. c. 4.* Concentus, *inquit*, quos natura modulari potest, Græcéque συμφωνία dicuntur, sunt sex: diatessaron, diapente, diapason, diapason cum diatessaron, diapason cum diapente, disdiapason. Sic ille. Sed ars postea longiùs progressa est in fidibus, ad tres diapason, id est, ad tres octauas, quâ de re *Turnebus lib. 19. c. 20.* sic ait: *Διὰ τεσσά-ρων* est per quatuor chordas, quarum tria interualla continent proportionem sesquitertiam: diapente, per quinque chordas, quæ quatuor habent interualla, proportionemque efficiunt sesquialteram: διὰ πασῶν, per omnes, i. e. per octo chordas: nam octo chordarum erat olim musica; quæ octo discrimina vocum efficiebant, & septem interualla. At δὶς διὰ πασῶν, *bis per omnes*, i. e. bis per octo, hoc est, per sedecim chordas: quæ perfecta complexio est omnium concentuum; eiusque sunt quindecim interualla. *Ibidem*: In lyrâ, *inquit*, septem intensas fuisse chordas, de numero stellarum errantium, multi censent: sed tamen in eâ heptachordum duo tetrachorda efficit: cùm media pro indiuiso sit vtriusque. Sic Turnebus. Sed concludamus hanc dissertationem totam isto diagrammate.



V. Præcipua

Præcipua instrumenta musica.

V. *Præcipua instrumenta musica iuxta seriem alphabeti, hæc sunt.*

Barbitus, Bassona, Bombyx, Buccina, Campana, Chelys, Cinyra, Craticula lignea Crembalum, Crepitaculum, Cymbalum, Decachordum, Fistula, Harpa, Hydraula, Laudis, Lituus, Lyra, Magadis, Miluina, Molossus, Monaulus, Nabilum seu Nabilium, Pandura, Pariambus, Pectis, Phœnix, Pneumaticum organum, Psalterium, Sabulum, Sambuca, Sistrum siue Crotalum, Spadix, Testudo, Tibia, Tintinnabulum, Tuba, Tympanum, Virginale, Utricula. Confer paulò antè *reg. 2.* Quod attinet ad Organum illud pneumaticum, eius fistulæ dicuntur cicutæ orgelpfeiffe/hoc modo. Cicutæ principales, das principal: Cicutæ angustiores, die octaua: Cicutæ ampliores, holpfeiffe: Cicutæ tectæ, seu capitatæ, das gedackte: Cicutæ in *διὰ πασῶν* consonantes, octaua auf vier füß: Cicutæ in *δὶς διὰ πασῶν* consonantes, *superoctaua*: Cicutæ consonantes in *διὰ πέντε*, vel diapason diapente, *quinta*: Cicutæ in diapente vnisonum reddentes, *quintadena*.

SECTIO SEPTIMA,

In quâ delineatur

NAVTICA.

PRÆCEPTA.



NAVTICA est ars benè regendi nauem. *Dicitur etiam* ars nauigatoria: & ars gubernandi: itemque λιμενευρετική, id est, ars portuum inuestigandorum.

Estque generalis vel specialis; *seu*, communis vel propria.

Nautica generalis explicat causas efficientes & finales nauigationis.

Causæ efficientes sunt inuentrix, conseruatrix, & corruptrix; & hîc sunt varia pericula nauigationum, quæ contingunt vel extraordinariè, voluntate nempe Dei immediatè aut mediatè immittente tempestatem aut naufragium: vel ordinariè, ratione loci aut temporis, imperitiâ naucleri, piscis echeneis retardatione &c.

Causæ finales sunt variæ. Videmus enim alios nauibus vti ad necessitatem, vehendorum, inquam, onerum: alios ad voluptatem animi: alios ad piscationem: alios ad diuersa mundi loca perlustranda: alios ad ludum, vt in naumachiis: alios ad prælium. Nimirum solertia humani ingenij, vt in aliis rebus ad vnum aliquid excogitatis, ita quoque in re nauticâ, paulatim vsum multiplicauit.

Nautica specialis agit de nauigatione ignobiliori, quæ fit in fluminibus & lacubus, & nobiliori, quæ fit in mari.

Nauigatio illa nobilior, seu maritima, spectatur in rebus & personis nauticis.

Res nauticæ sunt naturales vel artificiales.

Res naturales sunt mare, venti, & stellæ.

In mari oportet attendere ista quinque.

I. An mare sit altius terrâ?

II. Quanta sit ipsius profunditas?

III. An salsedo faciat aliquid ad nauigationem?

IV. Quænam sit causa æstus marini?

V. Cur naues velociùs ab ortu in occasum, quàm contrà ab occasu in ortum ferantur?

In ventis oportet spectare ista tria:

I. Ex quibus mundi partibus spirent?

II. Quotnam sint numero venti?

III. Quanta sit vis ventorum?

In stellis oportet spectare ista duo:

I. Quænam stellæ inprimis nauigantibus sint obseruandæ?

II. Quomodo præcognitio & sedatio tempestatum pendeat à stellis?

Res artificiales sunt tabulæ seu mappæ geographicæ, adeoque & globus terrestris, in quibus occurrunt circuli, rumbi, & loca; bolis; pyxis nautica, seu versoria, & naues, in quibus occurrunt materia, partes, & species.

Personæ nauticæ sunt principes, & subditæ. Itaque hîc occurrunt magisteria & ministeria nautica.

REGVLÆ.

I. *Inuentæ nauigationis gloria debetur Hebræis: à quibus manauit ad Phœnices & Tyrios; à Phœnicibus ad Ægyptios, ab Ægyptiis ad Græcos, à Græcis ad Italos; ab Italis ad Lusitanos, Anglos & Belgas.*

De inuentione nauis, adeóque artis nauticæ, apud authores controuertitur. *Alii* enim à piscibus petito exemplo priscos homines nauem architectatos esse contendunt. A dorso nempè piscis carinam, à caudâ puppim, à capite proram, à pinnis remos didicisse fabricari aiunt. Huc pertinet, quòd nautilus piscis cum hominibus arte nauigandi & gubernandi quasi certet: quâ de re vide *Plinium lib. 9.c.29.* *Alij* disputant, ad auis similitudinem, nauem ædificari cœptam: quòd temo & puppis caudæ, capiti prora (cuius est & rostrum, ab auis rostro, quo pisces carent) remi postremò alis respondeant. Miluos artem gubernandi nos docuisse, in cœlo monstrante naturâ, quid opus esset in profundo, Plinius ait. Huc pertinere aiunt similitudinem, quæ est inter has duas voces, *nauis*, *auis*. Idipsum probant ex tralationibus mutuis seu reciprocis. Vt enim de nauibus solemus ita loqui, vt dicamus velorum alas, & volare, quæ volucrum propria sunt: sic vicissim de auibus, remigium alarum, & tranare dicimus: quibus verbis in re nauali proprium est domicilium. Videris hâc de re *Leonem Baptistam Albertum lib. 5. rei ædificatoriæ cap. 12. & Lilium Gyraldum cap. 3. de re nauticâ.* *Alij* auspiciis Iasonis primam & antiquissimam nauim ædificatam esse scribunt. Ea dicta fuit Argo: vel ab architecto & fabricatore Argo: vel à Græco ἀργὸς id est, celer: vel ab Argiuis vectoribus. *Nonnulli* repertorem nauium affirmant Danaum, Ægyptum fratrem fugientem, & primam illam Danaim vocatam tradunt. *Plinius* quoque alios longæ nauis (ea enim omnium prima & antiquissima creditur) inuentores statuit. *Nos* gloriam inuentæ nauis & nauigationis tribuimus Noacho, qui ex iussu & præscripto Dei arcam, id est, quasi nauim, extruxit, *Genes. 6. & 7.* Confer *Iosephum 1. antiq. Iud. & Euseb. 10. præparat. Euangel.* Porrò hæc nauis Noachi post diluuium in montibus Armeniæ constitit, indéque vicinæ gentes, inprimis Tyrij & Phœnices, exemplum & ideam struendarum nauium inde hauserunt. Tyrij enim, teste *Strabone lib. 16.* nauigandi arte præ aliis excelluerunt. A Phœnicibus hæc ars propagata est ad Ægyptios, teste *Plinio lib. 3. c. 56.* Ab Ægyptiis peruenit ad Græcos, vt *Plinius d. l.* docet. *Strabo lib. 10* tribuit hoc Minoi: *Diodorus Siculus lib. 6.* Neptuno. Porrò inter Græcos excelluerunt nauigandi peritiâ Cretenses: vnde prouerbium, *Cretensis nescit pelagus*? A Græcis hæc ars longè latéque propagata est, & per varias gentes dispersa, inprimis tamen ad Italos, & inter hos ad Venetos & Genuenses, duo illa sidera Italiæ, est deriuata. Ab Italis manauit ad Lusitanos. Postremò ab Anglis & Belgis, nominatim verò ab Hollandis & Zelandis, in patrocinium & tutelam est recepta.

II. Res

nominatim verò ab Hollandis & Zelandis, in patrociniunium & tutelam est recepta.

II. *Res nautica apud veteres fuit incommodior, quàm est hodie.*

Antequam esset inuenta nauis, rates in vsu fuisse verisimile est. Ita enim ferè comparatum est, vt rudimenta artium apud alios atque alios prius inualescant, quàm ipsarum perfectio in lucem proferatur. Ratis autem perfectio est in naui. Rursus nauis inuentio & vsus certis quibusdam gradibus cœpit & creuit. Nam veteres caruerunt magnetis & pyxidis nauticæ vsu, cursúmque direxerunt ad Vrsam maiorem vel minorem. quæ stellæ cùm obductæ nubium caligine non apparerent, ignorarunt nautæ vbi terrarum & gentium versarentur. Deinde, veteres tantùm vsi fuerunt nauibus actuariis, id est, talibus, quæ remis aguntur: sine remis autem non nauigarunt, vt constat inter alia ex *Ion.* 1. 13. Tertiò, mare mediterraneum pene solum obnauigarunt veteres, Oceanum autem occidentalem vix ausi fuerunt attingere. Denique oras tantùm & litora maris plerumque legerunt veteres nautæ, medio mari non facilè sese committentes, vt ex nauigatione Pauli *Act.* 27. videre est. Nimirum sine acus marinæ vsu nauigatio in alto Oceano institui non potest, vt docet *Petrus Citzius lib.* 1. *hist. Indicæ.* Audiamus de his artis nauticæ rudimentis & perfectione *Edmardum Vvritghtum*, qui in epist. ad *Gulielmum Gilbertum* ita scribit. Huius (*magnetis*) lapidis diuino beneficio factum est, vt quæ tot seculis, tam vastæ orbis continentes, tam infinitus regionum, insularum, populorum, gentiumque numerus incognita latuere; nostra ferè memoria iamdudum detecta sint facilius, & sæpius explorata, totiusq; terreni globi ambitus; à nostris etiam, Drako & Candischio non semel circumnauigatus. Ferri námque magnete tacti indicio, austri, septentrionis, orientis, occidentisque puncta, cæteræque mundi plagæ, caliginoso cœlo, & obscurissimâ nocte nauigantibus innotuerunt: ex quo facillimè, semper intellexerunt, in quam mundi partem nauigij sui cursum dirigere deberent: quod ante inuentam illam tam admirandam magneticæ βορειοδείξεως virtutem impossibile planè fuit. Hinc nautis olim, vt ex historiis constat, anxietas incredibilis, & ingens periculum sæpius imminebat, cùm ingruente tempestate, sublatóque solis & siderum aspectu, quonam tenderent prorsus ignorarent, nec vllâ ratione aut artificio hoc ipsum inuestigare possent. Quanto igitur gaudio perfusos fuisse naucleros omnes putemus, cùm primum illis magneticus iste index certissimum se viæ ducem, & quasi Mercurium præbuit? Sed magneticus hic index non solùm indicauit ipsis viam, quam in vasto mari tenerent: sed etiam loci ipsius, in quem tenditur, distantiam commonstrauit. Nam cùm magneticus index non idem semper in omni loco septentrionis punctum respiciat, sed ab eodem plerumque vel in ortum vel in occasum declinet; eandem tamen in eodem loco, quicunque tandem fuerit, declinationem semper habeat, constanterq; seruet, factum est, vt ex declinatione ista, quam variationem vocant, in quibusuis locis maritimis diligenter animaduersa & obseruatâ, iidem loci postea etiam à nauigantibus, ex eorundem ad eandem variationem appropinquatione & accessu (adiunctâ latitudinis obseruatione) inuenirentur. Hinc Lusitanis in suis ad Indiam orientalem nauigationibus certissima suæ ad promontorium bonæ spei accessionis indicia. Hinc etiam naucleri nostrates periti non pauci è sinu Mexicano ad Azores insulas nauigantes, sese ad easdem quàm proximè accessisse agnouerunt; quanquam ex chartis suis marinis, sexcentis ferè milliaris Britannicis, ab iisdem abesse viderentur. Atque ita magnetici huius indicij beneficio, problemati illi Geographico de longitudine inueniendâ, quæ tot seculis doctissimorum mathematicorum ingenia exercuit, quodammodo satisfactum fore videatur; quia cognitâ cuiusque loci maritimi variatione idem postea, ex eâdem, quoties opus fuerit, facillimè (non ignotâ eiusdem loci latitudine) inueniri posset. Incommodi tamen aliquid & impedimenti, variationis huius obseruationi coniunctum esse videtur; quòd nonnisi lucente sole aut stellis obseruari debet. Vlteriùs ergo naucleros omnes beare perrexit magneticus iste Mercurius, Neptuno ipsi, diisque deabusq; marinis omnibus longè præferendus: neque solùm obscurâ nocte & caliginoso cœlo directionem ostendit, sed & latitudinis etiam certissima indicia præ se ferre videtur. Index námque ferreus super axem suum libræ in æquilibrio, subtilissimo artificio, tanquam librile, suspensus; deinde magnete tactus & excitus, ad certum aliquod & definitum sub horizonte punctum descendit (vt in latitudine nostrâ Londinēsi ad gradum ferè 72.) in quo tandem acquiescit. At sub æquatore ipso, ex admirabili illo consensu & congruentiâ, quæ in omnibus ferè & singulis magneticis experimentis inter tellurem ipsam & terrellam (id est, magnetem globosum) intercedit, valde quidem (vt vel minimum dicam) verisimile, & plus quàm probabile videtur, eundem indicem (etiam magnete illitum) in horizontis æquilibrio permansurum. Vnde illud etiam verisimillimum esse constat, in exiguo admodum ab Austro in Septentrionem, aut contrà, progressu satis vtique sensibilem fore declinationis illius mutationem; ita vt ex declinatione illa in quouis loco diligenter simul cum latitudine obseruata, idem postea locus eadémque latitudo, vel obscurissima nocte per instrumentum declinationis agnosci facillimè possit. Hæc itaque sunt commoda pyxidis magneticæ, priscis incognita. Sed contra obiicitur, Salomon regem Iudæ cognouisse & indicasse vsum pyxidis nauticæ suis naucleris, qui tantam auri vim ab Indis occidentalibus reportarunt. Quod inter alia manifestum est ex nomenclatura loci, qui appellatur *Peru*, procul dubio per metathesin nominis *Ophir.* Deinde, Goropius inuentionem istius pyxidis tribuit Cimbris, siue Teutonibus: quia nempe 32 ventorum nomina, pyxidi inscripta, ab omnibus naucleris, Gallis, Hispanis, Britannis &c. Teutonica lingua pronuntiantur: solis exceptis Italis, qui sua lingua vernacula describunt. *Guil. Gilbertus lib.* 1. *de magnete cap.* 1. author est, scientiam pyxidulæ nauticæ traductam videri in Italiam per Paulum Venetum, qui circa annum Christi 1260 apud Chinas artem pyxidis didicit. Adhæc, non est verisimile, Phœnices, quorum ingenio, labore, & consilio Salomon in expeditionibus nauticis vsus est, ignorasse magnetica auxilia. Denique *Lemnius lib.* 3. *de occultis naturæ miraculis cap.* 4. & alij viri doctissimi, ex Plauto probant, pyxidem nauticam veteribus fuisse cognitam. Sic enim Plautus in Mercatore: *Hic ventus nunc secundus est, cape versoriam.* Et in Trinummo: *Cape versoriam, recipe te ad herum.* His argumentis breuiter satisfaciamus. 1. Salomon ablegauit suas naues in Ophir, id est, in regionem orientalem, sic dictam ab Ophir, filio Ioctanis. Confer *Genes.* 10. *vers.* 19. *&* 1. *Reg.* 9. *versu* 10. Docti viri existimant esse auream Chersonesum, in India orientali. Non itaque opus fuit auxilio magnetico. 2. Goropius, vt in aliis, ita quoque in hac re nimis est liberalis. Neque verò ipsius ratio militat: quia Itali, primi inuentores pyxidis marinæ, non vtuntur istis nominibus Germanicis. 3. *Gilbertus d. lib.* ait; Nolim tamen Melphitanos tanto honore priuari, quod ab iis in mari mediterraneo primùm vulgariter fabricata fuerit. *Et paulò antè* sic scribit: In regno Neapolitano Melphitani omnium primi (vti ferunt) pyxidem instruebant nauticam, vtque Flauius Alondus Melphitanos haud perperam gloriari prodit, edoctos à ciue quodam Iohanne Goja, anno post natum Christum millesimo trecentesimo. 4. Si apud Phœnices in vsu fuisset illa pyxis, proculdubio & Græci, & Itali, Barbarique omnes rem tam necessariam, & communi vsu nobilitatam intellexissent, nec vnquam obliuione perire siuissent, sed per manus tradidissent. Sanè aliquod saltem huius rei monumentum apud veteres extaret. 5. *Turneb. l.* 1. *Aduersariorum cap.* 4. ostendit, versoriam apud Plautum nihil esse aliud quàm funem quo vertitur.

III. *Pericula nauigantium sunt vel extraordinariè ab occulto Dei iudicio: vel ordinariè à causis secundis, iisque vel naturalibus, vt à cœlo, vento, aquâ, belluis marinis &c. vel artificialibus, vt ab imperitiâ nautæ, vitio nauis &c. vel à moralibus, vt piratis & aliis hostibus, à discordiâ nauigantium, &c.*

Pericula nauigationum varia.

Causæ procreantes & conseruantes nauigationis fuerunt *regula* 1. *&* 2. iam sequuntur causæ corrumpentes, & in iis *primò* iudicium Dei occultum, quale describitur *Ion.* 1. & qualia subinde experiuntur nauigantes. *Deinde* repentina pericula sunt ab influxu stellarum & à ventis: quò pertinent prester, ecnephias, turbo, venti validi. *Ratione aquæ* sunt cautes, syrtes, arenæ, vertigines, aquæ non-nauigabiles. Non enim omnes aquæ nauigiis idoneæ sunt: & aliæ quidem propterea quòd rapido nimiùm vento ferantur: aliæ verò vorticibus sunt plenæ: aliæ sunt palustres, herbis implexis, arenulis, limosis aggeribus, palis, tumulis &c. plenæ. Sed nec aquæ, quæ per se sunt nauigabiles, omni tempore tutam præbent nauigationem. Nam quædam flumina & sinus statis quibusdam tempestatibus infestantur. Sic *Vegetius lib.* 4. *de re militar. cap.* 39. ait: Ex die tertio iduum Nouembris vsque ad diem sextum iduum Martij maria clauduntur. Nam lux minima, moxque prolixa, nubium densitas, aëris obscuritas, ventorum, imbrium, vel niuium geminata sæuitia, non solùm classes à pelago, sed etiam commeantes à terrestri itinere deturbant. Gelantur & flumina: imò mare glaciale prohibet compendiariam nauigationem, quam hactenus frustrà quærunt Belgæ. *Porrò* subuertunt interdum nauigia balænæ: & echeneis pisciculus nauem remoratur, vnde ipsi hoc nomen à Græcis inditum; cui respondet latinum *remora.* Vbi ὡς ἐν παρόδῳ causam huius rei ex Keckermanno liceat adferre. Ea sic habet *in problematibus nauticis.* Quemadmodum torpedo piscis stupere facit piscatorum insidiantium manus, vt capi non queat, propter effusos nimirum è corpore suo humores, siue spi-

ue ſpiritus, qui neruos & digitos piſcatorum ſtupore quodam debilitat: ita piſcis remora effundit è corpore ſuo humorem quendam viſcoſiſſimum & frigidiſſimum, qui eam aquam, quæ eſt circa gubernaculum nauis veluti congelat, vt ad motum reddatur inhabilis. *Fracaſtorius* tamen *lib. 8. de antipathiâ* exiſtimat, non ipſum piſcem eſſe cauſam, cur nauis retardetur, ſed eſſe ſinum duntaxat, quòd adſint ſcopuli quidam, à quibus nauis ſiſtitur. Sed *Scaliger exercit.* 218. *ſ.* 37. hanc opinionem, vtpote experientiæ contrariam, rectè refutat. Non tamen rectè cauſam huius rei ad occultas qualitates refert, his verbis: Non magis quæri debet, cur remora nauim ſiſtat, & quietem cauſetur, quam ignis ſit calidus. Sed pergamus in periculis nauigationum. Ea quoque oriuntur *ex imperitiâ nautæ*, ſi ignoret locorum itinera, marium pericula, naturam æſtus, & alia quæ artis ſunt: vt ſi nimium oneret nauem, vel planè non oneret. Oriuntur etiam *ex ſegnitiâ*; vt ſi nauis rimam habeat, quæ tempeſtiuè non obſtruatur. De piratis, & aliis hoſtibus nauigia infeſtantibus hiſtoria & experientia fidem faciunt. Denique vt in republica morbi ciuiles, id eſt peccata, ſic quoque in naui ea ipſa plurimùm damni adferunt.

Nauigationis vſus in vita humana.

IV. *Nauigatio facit ad neceſſitatem & commoditatem vitæ.*

Ad neceſſitatem, non quidem omnibus in locis, ſed in iis tamen, quæ ſterilitate frumenti, aliarumue rerum neceſſariarum laborant, & quo neceſſarius commeatus terra nequit aduehi, quia vltra mare ſita ſunt. *Ad commoditatem*; quia negotiationes & mercatura commodiùs mari quàm terra fieri poſſunt. Maior enim copia mercium naui quàm curru aduehi poteſt. Et maior varietas mercium, ex variis & diuerſis locis, ad quæ curru veniri non poteſt, adfertur. Denique terra & curru non ita celeriter & expeditè, quàm nauibus, merces apportantur, præſertim à locis longè diſſitis; cum quibus ſi commercia exercere velis itinere terreſtri, tanto opus fuerit ſumptu, vt expenſæ lucrum multis modis ſint ſuperaturæ. Itaque marinum iter præferendum eſt terreſtri, quia eo citius peruenitur ad metam, & eſt minùs ſumptuoſum, & plures adfert vtilitates. Neque eſt quod obiicias, nauigationem eſſe rem temerariam, periculoſam, & ab humana naturâ alienam: vt innumera poëtarum, oratorum, & hiſtoricorum teſtimonia abundè doceant. Hæc inquam, obiectio eſt nauci. Eſt enim aliud periculum temeritatis & audaciæ, de quo ſapiens ait: *Qui amat periculum, peribit in illo*: aliud vocationis & officij, quòd non eſt declinandum, ſed forti pectore ſubeundum & cum Deo ſuperandum. Porrò commoditas nauigationis etiam cernitur in bellis marinis, quæ meritò præferuntur terreſtribus, non ſolùm quòd minori apparatu conficiantur, ſed etiam quia ſanctiori diſciplina conſtant, & in iis nullla eſt agrorum, vrbium, pagorum deuaſtatio. Ex his patet, optimam & compendiariam rei familiaris augendæ viam eſſe mercaturam marinam, quam à præcipuo hoc nauigationis compendio ναυτιλίαν denominant: & bella marina terreſtribus longè eſſe præferenda.

Quibus artibus debeat eſſe inſtructus nauta?

V. *Bonus nauta erit imbutus aliquâ cognitione Phiſices, Geometriæ, Geographiæ, Anemographiæ, Aſtronomiæ, Aſtrologiæ, & Topographiæ.*

Itaque hoc loco non ab re fuerit adnotare quoſdam aphoriſmos quos nauta ex illis diſciplinis debet addiſcere. 1. *Mare vulgo putatur eſſe altius terra, & eadem depreſſius; ſed non rectè.* Altius eſſe dicitur reſpectu litorum & orarum, ad quas ita appellit, vt ſenſim in globum ſeu circulum extumeſcat, atque ita tandem in medio ſui velut faſtigiatum adſurgat, altitudinemque obtineat maiorem, quam obtinet in iis partibus, quæ à maris medio vergunt ad litora; quarum quidem partium altitudo ſic decreſcat, vt quo propius ad litora accedunt, eò ſint ipſis litoribus depreſſiores, ita nimirum, vt terra in litoribus ſit mari altior. Hinc *Ariſtoteles lib. 2. de cœlo cap.* 4. ait, aquam ſua natura ſic deſcendere, vt ſenſim collecta adſurgat, inque tumorem ſeſe efferat, ſicut & exiguas aquæ guttulas facere videmus. Putant itaque huius opinionis authores, falli *Conimbricenſes* qui *lib. 2. de cœlo cap.* 14. *q.* 4. *ad tit.* 2. ſimpliciter & ſine vllâ limitatione ſtatuunt mare eſſe depreſſius terra; quod iſtis authoribus & contra naturam aquæ eſt, & contra manifeſtum ſenſum nauigantium, qui ex portu ſoluentes in altum deferuntur, & ex maris ad portum adnauigantes propugnacula & turres maritimas nauium faſtigiis cernunt depreſſiores, vt *Keckermanus* ait *parte 2. problem. nautic. probl.* 1. Quid verò, inquiunt cur nauis, vento ſecundo vſa, eadem velocitate ex portu fertur in altum, quâ fertur ex alto in portum? Reſpondent, id fieri propterea, quia fluctus marini anteriores etiamſi ſint eminentiores, cedant tamen facilè, impulſi impetu ſubſequentium fluctuum, & ſulcationi ipſius nauis, & denique ventis velum contra fluctus anteriores intendentibus: quanquam nautæ nonnulli affirmant, iiſdem ventis velociùs in portum nauigari, quam ex portu in altum. Et ita quidem ſentiunt illi. Sed nos in Geographicis part. 1. cap. 1. reg. 4. demonſtrauimus, terram ſimpliciter eſſe altiorem mari. 2. *Summa, quæ in mari hactenus explorata ſit profunditas, ſeſe extendit ad milliaria duo cum dimidio, quanta nimirum exiſtimatur eſſe celſitudo altiſſima quorundam montium.* Pauciſſima verò loca in mari, ad litora Noruuegiæ, & in Oceano occidentali, quorum profunditas explorari hactenus non potuit, non arguunt mare profundius eſſe ipſa terra, ſed irregularem profunditatem oſtendunt. 3. *Salſedo maris conducit ad nauigationem, idque ob craſſitiem.* Salſa enim aqua eſt craſſior quàm dulcis. Atque hinc eſt, quod naues citius merguntur in aquâ dulci, quàm in ſalſâ. Deinde materia nauium lignea per iſtam ſalſuginem à carie & putredine præſeruatur. 4. *Non maria tantum, ſed & flumina quædam ſeſe in mare exonerantia, patiuntur fluxum & refluxum.* Tameſis enim in Anglia, quinque à mari milliaribus: Albis ad Hamburgum, octodecim à mari milliaribus: Scaldis ad Antuerpiam, totidem à mari milliaribus, æſtum hunc ſentiunt. 5. *Æſtus marinus habet cauſam externam & internam.* Cauſa externa præcipua eſt luna, cuius motus, qui quidem 24. horis peragitur, in quatuor veluti partes diuiſus eſt. Partes iſtæ motus lunaris deſignant quatuor puncta cœli, putà ortum & occaſum, & duplex culmen ſeu medium diei & noctis. Singulis ergo 24. horis mare, ſequendo curſum lunæ, quater mouetur, bis fluendo, & bis refluendo. Fluendo; cùm luna ab ortu ad culmen diei aſcendit: refluendo; cùm luna ab iſto faſtigio ſeu culmine diei deſcendit ad occaſum. Rurſus, cùm luna ab occaſu ad culmen noctis aſcendit, mare intumeſcit ſeu affluit; cùm verò à noctis culmine ad ortum redit, mare detumeſcit ac refluit. Nimirum cùm luna ab ortu ad culmen diei aſcendit, aſcenſu ſuo aquas marinas eleuat, quæ per ſex horas continenter affluunt: cùm verò deſcendit à culmine diei ad occaſum, deſcenſu ſuo facit vt aquæ marinæ decreſcentes refluant; non ſecus atque calor ignis, ſi intendatur, facit vt aqua in olla ſeu aheno intumeſcat; ſi verò remittat, facit vt aqua detumeſcat. Eadem eſt ratio affluxus & refluxus, in hemiſphærio nobis oppoſito. Ad cauſam internam quod attinet, ea inprimis eſt in fundo maris, qui varios halitus producit, & in ipſa naturâ aquæ marinæ, quam creator in prima creatione ipſi implantauit. 6. *Oceanus habet reciprocationes ſæuiores, mare meditarraneum leniores.* Nam Oceanus patentiſſima ſua magnitudine ſiderum vim efficacius recipit: ſed mare mediterraneum, vtpote anguſtius, radios iſtos non ita efficaciter ſentit. 7. *Duo ſunt præcipua maria, quæ nullam reciprocationem ſentiunt; Balthicum & Liguſticum.* Ratio prioris eſt partim anguſtia aluei, per quam fit, vt radiorum cœleſtium copiam ſufficientem excipere non poſſit, atque adeo ita vehementer inturgeſcere, vt inturgeſcunt maria ampliora; partim profunditas huius maris, propter quam fit vt radiis cœleſtibus minus ſit peruium; partim denique ſitus, quo fit vt hoc mare ſit valde ſeptentrionale, atque adeo à radiorum cœleſtium efficaci proiectu longiùs diſſitum. Ratio poſterioris eſt partim anguſtia aluei, partim ſaxoſitas fundi, per quam halitus in fundo reſolui nequeunt. 8. *Naues velocius ab ortu in occaſum, quàm ab occaſu in ortum feruntur.* Id experiuntur & nautæ. Illi enim qui ex Angliâ in Hiſpaniam nauigant, longè velocius eò perueniunt, quàm qui ex Hiſpaniâ in Angliam redeunt. Eſt autem Anglia reſpectu Hiſpaniæ orientalior. Et Luſitani, qui Africæ oram & promontorium bonæ ſpei præternauigant in Indiam orientalem, eò multò tardius accedunt, quam qui inde reuertuntur. Illi etiam, qui ex Hiſpaniâ in Americam nauigarunt, teſtantur 24. dierum ſpatio ſe illud iter confeciſſe: cùm contra Hiſpaniam repetentibus vix tres aut quatuor menſes ſufficiant. Huius rei cauſam nonnulli in eo ponunt, quòd maria omnia ſua natura ferantur ad commune illud omnium marium receptaculum, Oceanum orientalem. Alij cauſam referunt ad motum primi mobilis, quod ab ortu in occaſum rapidiſſimè currit, ſecumque rapit inferiores orbes & elementa, arcano quodam impulſu. Qui ergo ex occaſu in ortum nauigant, etiam ventis ſecundis ſpirantibus, vt curſum habeant nauigationis impeditiorem, quam habituri eſſent, ſi pari ventorum flatu nauigarent ex ortu in occaſum, quo nimirum aqua marina cœli motu impulſa fertur. 9. *Ventus eſt exhalatio præcipuè calida & ſicca.* Nimirum quando fumi, id eſt, exhalationes calidæ & ſiccæ, eleuantur in aërem, ibique attenuantur & reſoluuntur, exoritur ventorum flatus. Atque hæc eſt cauſa, quod color igneus in nubibus apparens annunciat ventos, & luna rubicunda eoſdem præſagit. Cuius rei ratio nulla reddi poteſt, niſi quod fumi ex terra in aërem ſunt eleuati, atque inter lucem cœleſtem & noſtrum aſpectum interiecti. Lux enim immiſta fumo rubeſcit, vt in igne apparet. 10. *Ventorum vehementia & vis non aliunde eſt, quam à copiâ ſpirituum, qui ſunt in*

ſunt in materia ipſorum, id eſt, in fumo. Hi enim ſpiritus efficiunt; vt venti non ſolùm naues impellant, ſed etiam euertant. Sunt autem tres potiſſimùm ſpecies vehementium & impetuoſorum ventorum nautis formidabilium: videlicet ecnephias, typhon, & preſter. 11. *Sæui ventorum impetus in vno mari plus, in altero minùs dominantur.* Hinc minus eſt periculi nauigantibus in vno mari quàm in altero. 14. *In vniuerſum ſunt venti duo & triginta.* Ex iis quatuor ſunt cardinales; reliqui, collaterales. Picturam vide in Quadrato nautico Gemmæ Friſij vel Petri Gregorij Tholoſani. 13. *Venti in quibuſdam regionibus & maribus ſunt valde mutabiles & inſtabiles: contrà verò alibi ſunt magis durabiles atque ſtati.* Sic in mari Indico, quà Calecutum verſus nauigatur, & inſulas Moluccas, à Iunio menſe vſque ad Octobrem ſpirat ventus orientalis; ſex autem ſequentibus menſibus continuè flat ventus occidentalis. Tales ſtati venti fuerunt, quorum indicio Chriſtopodrus Columbus nouum orbem detexit. Etenim cùm homo ſagaciſſimus obſeruaret, in littore Luſitaniæ ſtatos ventos mare perflantes certis anni temporibus, coniecturam ingenioſam fecit, eos ventos non ex mari, ſed ex humectâ terrâ oriri. 14. *Contra ventorum impetum vela ſunt deprimenda.* Id enim niſi fiat, periculum eſt ne nauis euertatur. 15. *Vela, eorumque antennæ, quò altiùs malo aſſiguntur, eò velociùs nauim impellunt.* Ratio huius rei adfertur ab *Ariſtotele 6. quæſt. mechan. c. 11.* vbi docet, nauim conſtrui ex circuli hypotheſibus, ita nimirum vt malus ſit ſemidiameter, quæ exurgat directè ex ipſo nauis centro. Quo ergo aliquid eſt altius in malo poſitum, eò eſt à centro nauis remotius. Iam autem certiſſimum eſt axioma mathematicum: *Virtus mouens, quò eſt remotior à centro, eò eſt velocior & validior.* Eſt autem remotior antenna à centro nauis, quando ad mali faſtigium alligatur: vnde neceſſe eſt, vela à nautis non humili, ſed altiori loco extendi, vt impetu ventorum excepta velociori & validiori nauem propellere poſſint. Et ſanè ſi in imâ mali parte vela extenderentur, aut planè non propellerent nauem, aut debiliter admodum, quia eſſent nimis vicina centro nauis. Illuſtrat hoc Ariſtoteles duobus iucundis exemplis; dum primò quærit, *Cur lapis è fundâ eiiciatur velociùs & validiùs, quàm è manu?* Cauſam eſſe ait, quòd in corpore humano centrum conſtituendum ſit, manus autem ſeu brachia ſint lineæ ex centro ad circumferentiam ductæ. Quò autem linea à centro ad circumferentiam ducta eſt longior, eò velociorem validioremque habet in extremitate motum. Quare cùm funda ſit linea longior à centro corporis humani, quàm manus, ideò velocior & validior erit è fundâ iactus lapidis, quàm ex manu. Alterum exemplum petit à ligno genibus admoto & frangendo. Si velis, *inquit*, pedibus admodum lignum frangere, vtique apprehendis vtraque manu lignum, non ad ipſum genu, ſed in extremitate ligni, remotiùs à genu. Ratio ex eodem fundamento circuli petita eſt: quia nempe genu eſt centrum, lignum admotum eſt linea vtrinque à centro promanans ad circumferentiam. Ergo in extremitate huius ligni, tanquam lineę à centro remotioris, longè validior eſt manuum motus, quàm eſſe poſſit ad ipſum genu tanquam ad centrum. 16. *Si aduerſo flumine nauigia protrahenda ſint, vel equis vel hominibus, funis, quo nauis trahitur, non medio mali, ſed ſummitati eſt alligandus.* Ratio huius aphoriſmi petitur ex præcedenti fundamento: quia nempe malus eſt linea à centro nauis ducta. Expeditior itaque eſt motus in iſta lineâ extremâ quàm in mediâ. 17. *Exiguum gubernaculi lignum tantam nauis molem facilè flectit, duabus de cauſis.* Prima petitur à naturâ vectis; quia gubernaculum ſeu temo eſt veluti vectis: vrgens onus nauis pondere fluctuum, quibus gubernaculum annititur, & iſto annisu naui renititur. Accedit deinde, quòd gubernaculum à centro nauis eſt remotiſſimum. Quò quid autem à centro eſt remotius, eo validiorem habet motum. 18. *Nauta vſum globi terreſtris ad vnguem ſcire debet*: vbi nempe ſit linea æquinoctialis, quomodo ſe habeat ſolis altitudo & declinatio, quid ſit longitudo & latitudo loci &c. quæ accuratè perſequitur *Robertus Hues tractatu de globis, cœleſti & terreſtri, ac eorum vſu.* 19. *Nauta ex ſtellis eas potiſſimùm cognoſcet, quæ poli & horizontis altitudinem, & horam noctis indicant, quæque tempeſtates & tempora ſuo ortu & occaſu ſignificant.* Ibi ſunt ſtellæ circa polum arcticum: hic ſunt hyades, Arcturus, Orion &c. 20. *Nauta non erit ignarus Theoriæ planetarum & Computi aſtronomici.* Oportet enim vt ſciat Lunæ & Solis coniunctionem & oppoſitionem, aureum numerum, & rationem Kalendarij. 20. *Variationem compaſſi, ſeu deflexionem acus magneticæ, à veri Meridiani ſitu accuratè oportet obſeruare.* Hâc de re ſic pronuntiat *Rob. Hues d. l.* Ferrum tactum magnete ab interſectione veri Meridiani & Horizontis variis locis deuiare tam eſt teſtatum & comprobatum, quàm quod maximè. Neque eſt hæc aſſertio ſolum nautarum commentum ad ſuos errores tegendos, vt voluit P. de Medinâ nauclerus regis Hiſpaniarum. Neque accidit hoc, quòd magnetis vis longo vſu & exercitatione debilitata defecerit, vt perſuaſum habuit P. Nonius: aut quòd ab origine non ſit rectè indita, vt alij frigidè coniectant. Suâ ipsâ naturâ ita fertur. Huius deflexionis cauſam, hactenus fruſtra quæſitam, nemo aſſecutus eſt. In hoc, vt & in aliis abditis & abſtruſis naturæ miraculis cæcutimus prorſus. Normam aliquam ſiue canonem huius deflexionis, quaſi regularis eſſet & ordinata, tradere conati ſunt, & hoc fruſtrà. Inordinatam enim teſtatur experientia, non ea ſolùm, quæ ex craſſiore nautarum coniecturâ deſumpta eſt, longiuſculè ſæpè à vero aberrante. Accuratioribus multò obſeruatis compertum eſt. Apud inſulas, quas vocant Acores, à Meridiani ſitu omnino non deflectere tradunt. Apud eas, quæ ſunt occidentaliores, vix aut non multùm deflectere auſim affirmare. Si ad orientem ab iis inſulis nauigeris, cuſpis ea, quæ Boream reſpicit, paulùlum ad ortum vergit. Antuerpiæ in Brabantiâ 9 circiter grad. prope Londinum in Angliâ 11 ampliùs grad. aberrat à vero Meridiano. Si ad occidentem ab iis inſulis proceſſeris, deflectet eadem cuſpis ad occidentem. In orâ Americæ maritimâ lat. 35 circiter aut 36 grad. ampliùs 11 grad. à vero Meridiano deuiat. Vltra Æquatorem diuerſa longè eſt ratio. Prope extimum Braſiliæ promontorium, in ortum excurrens (C. Frio vocant vulgo) 12 ampliùs grad. à Meridiano deflectit. Intra fauces orientaliores freti Magellanici 5 vel 6 grad. Si ab eo, quod diximus promontorio, ad ortum Africam verſus nauigaris, augetur ea deflexio ad 17 aut 18 vſque gradus. quod (vt coniecturâ aſſequi potuimus) contingit in Meridiano non multùm diſtante ab eo, qui tranſit per Acores. Inde minuitur deflexio ad 9 ad 10 gradus. quod accidit prope inſulam S. Helenæ, paulum ad occidentem. Inde ferunt minui, vſque dum Caput bonæ ſpei prætereuectus ſis, vbi volunt in ipſo Meridiani ſitu iacere, prope flumen illud, quod ab eâ causâ vocarunt Luſitani R. de las Agulias. Atque hæc tota deuiatio eſt ad ortum. Hæc ex obſeruatis (quantum patitur inſtrumentorum perfectio, quorum vſus in nauigando conceditur) ſatis accuratis, per ſphæricorum triangulorum doctrinam calculatis, comperta habemus & explorata. Vnde multa, quæ de hâc deflexione vulgo feruntur, partim falſa, partim ſuſpecta habemus. Quòd in eo Meridiano, qui in Acores inſulas pertranſit, ferrum hoc verum Meridianum vbiuis reſpicit exactè: quòd in orâ Braſiliæ maritimâ cuſpis Borealis in occaſum declinat (vt quidam ferunt) falſum deprehendimus. Quòd ad terram Bacalaos (vocant noſtrates *Newfoundland*) integris gradibus 22 ampliùs ad occaſum flectere prodiderunt, ſuſpectum habemus: quod cum eâ obſeruatione, quam in orâ Americæ factam diximus, deflexionis grad. circiter 11 parum videtur congruere, cui tantum fidimus, vt prætereà nulli. Faceſſant igitur, qui vnicum huius aſpectus punctum quærunt vel in terrâ (vt magneticos montes non multùm remotos ab Arctico polo) vel in cœlo (vtpote caudam minoris vrſæ, vt Cardano videtur) vel quod in Meridiano Acorenſium iacet 16 cum dimidio gradibus vltra polum Boreum, vt Mercator voluit. Faceſſant etiam, qui ex hâc deflexione calculum inueſtigandi locorum longitudines inſtitui poſſe arbitrantur: quod vtinam præſtare poſſent; & reuerâ fieret, ſi vnicum punctum ſemper reſpiceret. Hactenus Rob. Hues. At *Ioſephus Scaliger epiſt. ad Dauidem Riualdum* exiſtimat, χαλυβοκλισίαν ναυτιλῶν, id eſt, variantiam acûs magneticæ, poſſe illuſtrari & indagari ex hoc ſuo epicheiremate & hypotheſi, quòd Meridiani ſint mobiles. quæ res paucis ita habet. Hipparchus ex obſeruationibus τ̃ ἀπλανῶν Ariſtarchi Samij, Comonis, & Timocharidis animaduertit, æquinoctia ſuo æuo εἰς τὰ προηγούμενα promota eſſe, quòd quatuor κέντρα remotiora eſſent ab epochâ ſtellæ deſignatæ, quàm fuerunt temporibus eorum aſtronomorum. Quod cùm vidiſſet, non dubitauit pronuntiare æquinoctia immobilia eſſe, ſphæram autem τ̃ ἀπλανῶν εἰς τὰ ἑπόμενα moueri. Non ſolùm hoc ſibi perſuaſit, ſed & Ptolomæo, Ptolomæus poſteritati. Sed hoc omne falſum eſt: quia cauda cynoſuræ eodem interuallo à polo abfuit ante annos 1967. quo nunc abeſt. Nullus itaque omnino eſt motus ſphæræ octauæ εἰς τὰ ἑπόμενα, ſed τῶν ἰσημεριῶν εἰς τὰ προηγούμενα. Præcedit enim hodie æquinoctium ſtellam in cornu Arietis plus quàm grad. 28. quod tempore Eudoxi committebatur ferè in ipsa ſtella. Stella vtique eſt ſtabilis. Itaque ſol & eius puncta æquinoctialia ſunt mobilia; & quidem eorum progreſſus eſt in anteriora manifeſtus 28 graduum à temporibus Eudoxi. Vidit hoc ſummus vir, alter noſtri æui Ptolomæus, Copernicus; *Vos*, inquit, *putatis ſphæram octauam in conſequentia moueri: videte num potiùs æquinoctia in anteriora proceſſum faciant.* Quòd ſi puncta æquinoctialia ſunt mobilia, & circulum ipſorum, id eſt, æquinoctialem, mobilem eſſe oportet: proinde & polum iſtius circuli. Quare non eſt idem polus æquinoctialis cum polo mundi. Nam polus mundi eſt immobilis, ille mobilis: & conſequenter omnes circuli maximi per illos polos tranſeuntes, id eſt meridiani ſunt mobiles: adeo vt ſciaterica poſt aliquot annos decoquant fidem ſuam, quia linea meridiana mota ſit à priſtina epocha: cuius variantiæ egregia argumenta in vetuſtatis monumentis occurrunt. Itaque videndum eſt, an variantia acus magneticæ poſſit illuſtrari ex iis, quæ modò de Meridianorum mobilitate diximus. Nam quia illa declinatio per Meridianos inueſtigatur, Meridiani autem ex hac hypotheſi mobiles ſint, videant Aſtrologicæ & Nauticæ rei periti, an ex hoc epicheiremate argumenta tam manifeſtæ diſcrepantiæ indagari poſſint. Hæc

eſt ſumma ſententiæ Scaligeri. Cæterùm deflexionis huius quantitas obſeruatur beneficio Compaſſi nautici: cuius rei Pragmatiam vide in Magnetographia.

VI. *Bolide exploratur profunditas maris.*

Bolis quid?

Bolis eſt inſtrumentum nauticum, pyramidalem truncum formâ referens, & acutâ parte perforatum, quâ funibus attexitur, ita vt ſebum ex alterâ parte applicantes nautæ in fundum demergant, quoties locum ſtationi aptum nactos ſe eſſe exiſtimant. Quòd ſi ei arena adhæſerit, commodam eſſe ſtationem colligant: ſin minùs, limum aut rupem ſubeſſe agnoſcant, cui anchora defigi non poſſit, atque adeo properandum eſſe aliò.

VII. *Ea materia nauibus fabricandis eligatur, quæ nec fiſſilis, nec fragilis, neque putredini eſt ſubiecta, quæque minùs ſidit.*

Nauium materia.

Aſſyrij è cupreſſo naues fabricarunt: quæ arbor bene fert ætatem. Phœnices & Syri è cedro, eandem ob cauſam. Alij è pinu, abiete, piceâ. E robore lacuſtres & fluuiatiles melius fieri aiunt. Vniuerſè ea materia laudatur, quam in regulâ diximus.

VIII *Quinque ſumma genera nauium conſtitui poſſunt: videlicet longæ, onerariæ, piſcatoriæ, actuariæ, & fluuiatiles.*

Nauium genera.

Primo generi ſubiiciuntur biremes, triremes, quadriremes, & quotquot ab ordinibus remorum cognominantur: item liburnicæ, conſtratæ ſeu tectæ, turritæ, prætoriæ, prædatoriæ ſeu piraticæ, phaſelus, hippagines ſeu hippagogæ, piſtres, pontones &c. *Alteri*, frumentariæ, corbitæ, cybææ, vinariæ, aquariæ, lignariæ, arenariæ, lutariæ, farinariæ, carbonariæ, & gaulus &c. *Tertio*, cymba, lenunculus, ſcapha &c. *Quarto*, lembus, exploratoria ſeu ſpeculatoria, cercurus, celes &c. *Quinto*, lintres, vitiles, monoxyla, ſchediæ &c. Sed preſſiùs hæc genera explicemus, ordine alphabetico. 1. *Acatus*, ſeu *acatium*, eſt nauis ad amnes traiiciendos idonea: quæ & epactis, & carabum dicitur. 2. *Actuaria* ſeu *actuarium*, eſt celere genus nauis, quod citò, remis videlicet, agitur. 3. *Alueus* eſt rude & monxylum nauigiolum. 4. *Barca* eſt nauicula, quâ merces è magnâ naui ad litus portantur, quæ onerariæ ſubſeruit. Græcis ἐφόλκιον, quòd nauis maior eam poſt ſe tanquam miniſtram trahat. 5. *Cataphractæ*, Latinis *conſtratæ & tectæ* ſunt naues, quæ in naualibus pugnis obteguntur & obarmantur, ne facilè ab hoſtibus lædi queant. 6. Illis opponuntur *apertæ*, ἄφρακτοι. 7. *Cataſtlus* eſt ſpecies nauigij mercatorij. 8. *Celox*, *celes*, *celetium*, eſt breue paruumque nauigium, à celeritate, Rhodiorum inuentum. 9. *Cercurus*, ſeu *cercyra*, eſt nauis Aſiana prægrandis. 10. *Cercita* eſt nauis caudata: vnde ipſi nomen. 11. *Cataſcopium* eſt nauis exploratoria ſeu ſpeculatoria. 12. *Caudica* eſt nauis ex tabulis craſſioribus. 13. *Corbita* eſt genus nauigij tardum & ingens, à corbe, quòd in ſummo eius malo veluti corbis pro ligno ponitur. 14. *Cymba* eſt nauigiolum, in medio latius. 15. *Cybæa* eſt nauis maxima: pulcherrima, & ornatiſſima. 16. *Dicrota*, ſeu *dicrotum*, eſt biremis, à duplici remorum ordine ſic appellata. 17. *Geraria* eſt nauis oneraria vel mercatoria. Dicitur & geſtoria, & vectoria. 18. *Gaulus* eſt genus nauis penè rotundum. 19. *Hippago*, ſeu *hippagogi*, eſt nauis ad equos tranſuehendos comparata. 20. *Horia* eſt nauicula piſcatoria. 21. *Lembus* eſt nauicula breuis, velox, & piſcationi apta. 22 *Liburnica* eſt cita veloxque nauis, à Liburnis Illyrici populis, quibus illi piraticam faciebant. 23. *Lintres* ſunt naues fluuiatiles, cauatis tantùm integris arboribus. 24. *Luſoria nauis* eſt, quæ huc & illuc diſcurſare ſolet. 25. *Myoparo*, ſeu *paro*, eſt nauigium piratarum, à Myunte & Paro locis appellatum. 26. *Oneraria*, φορτηγὸς ὁλκάς, eſt nauis ad portandum onus idonea. Hæc denominatur à rebus, quas fert: vt frumentaria, militaris &c. 27. *Oraria* eſt nauis actuaria & parua, quâ ſecundùm oram nauigatur. 28. *Phaſelus*, aut *faſelus* à leguminis ſpecie ad cuius imitationem fit hoc nauigij genus: etſi ſunt, qui à Phaſelide loco nomen accepiſſe coniiciant. 29. *Piratica*, ſeu *prædatoria*, dicitur etiam Liburnica, celox, paro, & myoparo. 30. *Pristis*, ſeu *pristi*, à genere piſcis, aut à ſecandis fluctibus, ἀπὸ τοῦ πρίζειν τὰ κύματα; longioris & anguſti corporis, quò faciliùs vndas ſecet: quod & piſcis ille facit ob eandem cauſam vt vtrumque etymon verum eſſe videatur. 31. *Ponto* eſt genus nauigij, in amnibus traiiciendis vſum pontis præſtans. 32. *Proſumia* eſt genus nauigij leuis, ſpeculatorij. 33. *Ratis* conſtat ex trabibus cõnexis & rectè inuicem compactis, quæ per aquam trahuntur. 34. *Roſtrata* nauis eſt, quæ ferreo roſtro armatur. Virgilio dicitur ærata, quòd roſtra ex ære fierent. 35. *Scapha* eſt maiorum nauigiorum velut ancilla, eas ſequens. 36. *Schedia* eſt nauis genus temerè factum, & inconditum, trabibus tantùm inter ſe connexis, & ſine fabricâ coagmentatis. 37. *Tabellaria* nauis eſt, quæ claſſis aduentum prænuntiat. 38. *Thalamega* eſt nauis ſumptuoſa, proram & puppim auro exornatam habens, quâ reges & principes vehuntur. 39. *Vitilis* eſt nauis corio circumſuta. Atque hæc ſunt notiora nauium genera: quæ nominantur *vel* ab officiis, ſeu miniſterio quod præſtant, vt ſpeculatoriæ, præſidiariæ: *vel* à locis vbi factæ, inuentæ, aut frequentiùs vſurpatæ, vt Liburnicæ, Ægyptiæ, Aſiaticæ, Syriacæ, Rhodiæ, Smyrnææ, Romanæ &c. *vel* ab artificibus, vt Pherecleа, Argo: *vel* à magiſtratibus, & iis qui præſunt, vt prætoriæ: *vel* à remorum ordinibus, vt biremes, triremes: *vel* à curſu & velocitate, vt celetes dromas: *vel* à rebus quas ſubuehunt, vt annotinæ ſeu frumentariæ, oleariæ, vinariæ: *vel* à vaſis, vt corbita; *vel* à formâ & ſpecie, vt thalamega, camera: *vel* à pictura aut inſigni, vt Centaurus: *vel* ab adiuncto, vt roſtrata, turrita. Ad extremum obſerua, nauem longam ab vno remorum ordine creſcere vſque ad quinquaginta ordines, hoc modo. Eſt vniremis, μονήρης, μονόκροτος: biremis, διήρης, δίκροτος: triremis, τριήρης: quadriremis, τετρήρης: quinqueremis, πεντήρης: ſexiremis, ἑξήρης: ſeptem ordinum, ἑπτήρης: octo ordinum, ὀκτήρης: nouem ordinum, ἐννήρης: decem ordinum, δεκήρης: vndecim ordinum, ἑνδεκήρης: tredecim ordinum, τρισκαιδεκήρης: viginti ordinum, ſeu tranſtrorum, εἰκοσήρης, εἰκόσορος: triginta ordinum, τριακοντήρης. quadraginta ordinum, τεσσαρακοντήρης: quinquaginta ordinum, πεντηκόντορος.

IX. *Partes & armamenta nauium præcipua ſunt ita.*

Partes & armamenta nauium.

Partes ſunt 1. *Prora*, anterior pars nauis. 2. *Puppis*, poſterior pars. 3. *Roſtrum*, cunei in modum acuta, & extrema proræ pars, ab auium roſtris, per ſimilitudinem. 4. *Carina*, pars infima nauigij, totiuſque ſtructuræ fundamentum. 5. *Stamina*, *ſtatumina*, *coſtæ*, ſunt ligna illa arrecta interiùs, quæ nauis latera ſuppingunt. 6. *Saburra* eſt craſſior & vilior arena, quâ ad certam menſuram implentur naues, quò ſtabiliore curſu procedant. 7. *Fori* ſunt exteriora ſpatia ſeu tabulata nauium, per quæ nautæ feruntur & incedunt. 8. *Aluus* eſt ſpatium intermedium. 9. *Tranſtra* ſunt ſedilia remigum 10. *Modicus* eſt locus in quem malus immittitur. 11. *Oculus* eſt locus, cui nomen nauis inſcribitur. 12. *Columbaria* ſunt foramina, per quæ remi promicant. 13. *Sentina* eſt pars nauis inferior, quò ſordes defluunt. 14. *Scalmus*, eſt labrum nauis, vbi remi adnexi ſunt. 15. *Interſcalmium* eſt interuallum ſcalmorum, ſpatia inter remiges. 16. *Caſſeria* locus vbi remi adſeruantur. Plures partes nauium vide apud alios. *Inſtrumenta* præcipua. 1. *Clauus*, ſeu *gubernaculum*; cuius ſumma pars dicitur *ansa*. 2. *Malus*, ſiue arbor nauis, ſuſtinet vela cum antennis. 3. *Antenna*, pertica tranſuerſa, cui vela alligantur. Partes eius extremæ dicuntur *cornua*. 4. *Anchora* eſt dens ſeu vncus ferreus, ad ſuſtinendas naues per funem in altum demiſſus. 5 *Tonſilla* eſt palus dolatus, præacutâ cuſpide, nauis alligandæ cauſâ in litore defixus. 6. *Pulu ni* ſunt machinæ, quibus in portum deducuntur, vel ſubducuntur naues. 7. *Phalanges*, *phalangæ*, *palangæ*, ſunt vectes, per quos nauibus ſubditos illæ in aquam vel impelluntur vel ſubtrahuntur. 8. *Hermata* ſunt ligna, ſeu trabes, quæ ſubſternuntur nauibus, ne ſubductæ humi putreſcant. 9. *Pons nauis* ſunt ſcalæ nauales, quibus in nauim aſcenditur & deſcenditur. 10. *Antlia*, inſtrumentum ſeu hauſtrum ad ſentinam exhauriendum. 11. *Bolis*, ſeu *catapirates* (quoniam à prorâ demittitur) eſt plumbum ad explorandam aquarum altitudinem atque fundum. 12. *Apluſtre*, ſeu apluſtrum, eſt ornamentum nauis, quòd in ſummo malo ponitur. 13. *Pyxidicula nautica* eſt, qua poli ſitus cognoſcitur. 14. *Harpagones* ſunt falces, quas in præliis naualibus adhibere mos. 15. *Remi* alias dicuntur tonſæ. 16. *Vela*, ſeu *lintea*, ſunt, quibus tanquam alis volat nauis. Eius ſpecies ſunt *acatium*, velum maximum: *dolon*, minimum, ad proram: *epidromus*, velum ad puppim: *artemon*, velum minus, quod maioris celeritatis cauſa appendi ſolet: *ſupparum* ſeu *ſipparum*, genus veli, quo nauigia adiuuantur in curſu, vento langueſcente. 17. *Rudentes*, funes nautici. 18. *Pes*, funis naualis, quo velum transfertur. 19. *Prope*, funis, quo pes veli alligatur. 20. *Camelus*, funis craſſus, quo nautæ alligant anchoras: 21. *Protoni*, funes, qui ex vtraque parte mali, à prora & puppi extenduntur. 22. *Remulcus*, funis, quo maior nauis minori alligata in litus trahitur. 23. *Primneſium*, funis, quo in litore nauigium palo alligatur. 24. *Chamulcus*, machina tractoria, qua in terram nauis attrahitur.

X. *Magiſteria & miniſteria nautica ferè ſunt iſta.*

Magiſteria & miniſteria nautica.

1. *Nautæ*, qui functionibus naualibus occupantur. 2. *Remiges*, ſocij nauales. 3. *Gubernator*, præcipuus inter naucleros. 4. *Nauarchus*, præfectus nauis, qui nautis imperat. 5. *Trierarchus*, qui præeſt triremi; *pentecontarchus*, qui pentecontero. 6. *Thœcharchus*, qui præeſt lateribus nauis, datque operam, vt remiges pariter remis aquam pellant. 7. *Legatus claſſis*, præfecti vicarius. 8. *Nauſtologi*, *nauſtodicæ*, qui rationibus

nibus & iudiciis in naui præsunt. 9. *Thalassometra*, mensor nauis. 10. *Celeusles*, hortator remigum. 11. *Pausarius*, qui à remigandi labore iubet desistere. *Proreta*, proræ præfectus. 13. *Naupilaces*, custodes nauium. 14. *Helcyarij*, qui ad versis fluminibus, aut vento contrario naues fune trahunt, qui helcyon vocatur. 15. *Epibatæ & classiarij*, naues milites. 16. *Portior*, qui homines per flumen traiicit. 17. *Mesonautæ*, qui partim vt nautæ regendæ naui operam suam impartiunt, partim etiam vt vectores. 18. *Vrinator*, qui sub aquam se demergit, & merces è fundo extrahit. 19. *Prymnetes*, qui curat in puppi. 20. *Naupegus*, fabricator nauis. 21. *Ratiarij*, qui rates moderantur. 22. *Nauale*, seu *armamentarium*, locus, vbi conseruantur naues, & fiunt.

XI. *In pyxide nautica oportet considerare compositionem & diuersitatem.*

In capsulâ ligneâ cauâ rotundâ cuius superior pars tota vitro clauditur, versorium super cuspidem longiorem in medio fixam imponitur. Clausura ventum & aëris motum ab externo impetu prohibet. Per vitrum intus discerni omnia possunt. Versorium circulare est, ex leui materia (vti charta) constans, cui subtus ferramenta magnetica annectuntur. Superne 32. spatia (quæ vulgo puncta dicuntur) pro totidem in horizonte mathematicis interuallis aut ventis distribuuntur, qui notis quibusdam distinguuntur, & lilio indice septentrionali. Pendet capsula ad planum horizontis in æquilibrio in annulo æreo, qui in altero etiam æquilibratur transuersim pendulus in pixide satis ampla, apposito plumbeo pondere; vnde ad planum horizontis se conformat, etiamsi nauis à fluctibus variè iactata fuerit. Ferramenta aut sunt bina (coeuntibus terminis) aut vnum ouali ferè forma, prominentibus terminis, quod certius & celerius suum officium facit: quod orbi chartaceo aptandum est, ita vt centrum orbis sit in medio ferri magnetici. Sed quemadmodum variatio fit in horizonte, à puncto Meridiani intersecantis finitorem ad rectos angulos: sic propter variationem, artifices in diuersis regionibus & vrbibus, variè pyxidem nauticam describunt, & magnetica ferramenta orbi illi chartaceo, in quo 32. spatiorum termini, siue puncta ponuntur, variè connectunt. Vulgò igitur in Europa 4. sunt diuersæ compositiones & formæ. Prima ciuitatum in mari Mediterraneo, in Siciliâ, Genoâ, & Venetiarum republ. In illis omnibus ferramenta ita in versorio chartaceo, rosæ aut lilio subnectuntur, vt (vbi nulla est variatio) in verâ septentrionis & Meridiei puncta conuertantur: Quare variationis punctum exactè semper ostendit Septentrionis nota lilio signata, cùm in orbe mobili apex iste lilij, vna cum subiunctis magneticorum filorum finibus, in variationis puncto acquiescit. Altera verò Dantisci, in toto mari Balthico, & Belgicis prouinciis; in quâ ferramenta orbi suffixa à lilio vergunt in orientem ½ vnius rumbi. Pro nauigatione in Russiam diuersitas est ⅔ Quæ verò pyxides Hispalis, Vlyssipone, Rupellæ, Burdegalæ, Rothomagi & per totam Angliam conficiuntur, habent interuallum ⅓ rumbi. Ab istis differentiis maximi in re nauticâ, & in marinâ disciplina creuerunt errores. Nam cum directionales locorum maritimorum (vt promontoriorum, portuum, insularum) positiones, nauticæ pyxidis adminiculo adinuentæ primum fuerint; marinisque æstus, pleniue maris tempora ex Lunæ positione super hoc vel illo pyxidis puncto (vt vocant) reperta sint: oportet amplius inquirere in quanam regione vel secundum cuius regonis consuetudinem facta sit pyxis illa nautica, qua locorum illorum directiones, æstuumque marinorum tempora obseruata primum inuentaque fuere. Nam qui pyxide Britannica vsus marinarum tabularum marisque mediterranei directiones sequutus fuerit, plurimum illum à recto tramite aberrare necesse est. Ita qui vsus fuerit Italicâ pyxide in mari Britannico, Germanico, aut Balthico, vna cum vsitatis in illis partibus chartis marinis, de rectiore viâ sæpe declinabitur. Istæ differentiæ factæ sunt propter dissimiles variationes, vt grauiores errores euitare possent in illis mundi partibus. At Petrus Nonius pyxide nautica, siue versorio (quod acum Hispani vocant) Meridianum quærit, nulla habita ratione variatonis: multasque vrget Geometricas demonstrationes, fundamentis omnino vitiosis (propter minorem rerum magneticarum vsum & experientiam) innixas. Eodem modo Petrus de Medina cum variationem non admittit, artem nauticam plurimis erroribus deformauit. Atque hæc est compositio & diuersitas pyxidis nauticæ, prout illam describit *Guil Gilbertus lib. 4. de magnete cap.* 8. Antiquitatem eius, siue inuentionem, vide paulò suprà *reg.* 2.

XII. *Nauta ad vnguem tenebit Rhombologiam, id est, doctrinam de rhombis, quos vulgo appellant rumbos.*

Eam accuratè persequitur *Robertus Hues tract. de globis parte* 5. *vltima* Lineas, *inquit*, eas, quas nauis secuta acum magneticam sui itineris ducem in æquoris superficie describit, Petrus Nonius latinè vocat Rumbos, mutuatus hoc nomen à suis Lusitanis. Quoniam autem vsus obtinuit, vt inter eruditiores etiam vsurpetur hæc vox, licebit nobis etiam vti. Rumbi in globis exprimunrur circuli vel maioribus vel minoribus, vel lineis quibusdam tortuosis & incuruatis. In chartis suis marinis nautæ rectis lineis exprimere solent. Sed hoc est à veritate alienum, nec vllo modo ab erroribus defendi poterit, Inuentio hæc & consideratio delineandi Rumbos in globo aliquanto est antiquior. Petrus Nonius Lusitanus multa de his duobus libris, quos de nauigandi ratione conscripsit. Mercator etiam in suis Globis eas expressit. Sed vsus eorum vsque dum non adeo vulgo notus. In horum itaque explicatione par esse duximus, vt prolixius paulo insisteremus, & eorum naturam atque originem altius repetentes, ad eorum vsum in ratione nauigandi deueniremus.

Ordiemur autem ab explicando ortu atque natura indicis nautici, quem Compassum vocant nostrates Nautæ. Ille autem planum rotundum, cuius circumferentia in 32. partes æquales secatur, rectis lineis per centrum transeuntibus, tam est notum quàm quod maximè. Vnicum eius punctum, cui supponitur acus magneti affricta, Boream respicit, cuius oppositum necessariò Austrum respiciet; & reliqua eius punctâ certas & fixas in horizonte sedes (oportet enim, vt Compassus sit horizonti parallelus) respicient. Fixas voco docendi gratia, non oblitus ferrum magneti affrictum, præterquam quòd sua natura variè aberrat variis in locis, à Meridiani situ (quam vocant variationem compassi vulgò:) pro diuersarum gentium more variè etiam in compasso positum esse. Sunt enim qui gradibus 5. m. 37. amplius seponunt ad Orientem eius puncti, quod Borealem mundi plagam indicat, vt nostrates & Hispani. Sunt qui gr. 3. m. 18. ferè. Sunt qui integris gr. 11. cum parte quarta ab eodem puncto separant His tamen non obstantibus supponamus, ferrum perpetuò respicere Boream & Austrum. Sunt autem hæ lineæ in Compasso. Nautico expressæ, communes sectiones horizontis & circulorum verticalium, vel potius his parallelæ. Ea, cui acus subiicitur, communis est sectio Meridiani & horizontis. Hanc quæ rectè secat communis est sectio Horizontis & verticalis circuli ducti per Ortum & Occasum Æquinoctialem. Sic habemus quatuor præcipuos mundi cardines. Et totus horizon in quatuor æquas partes diuiditur, quarum quælibet 90. grad. complectitur. Si quamque ex his partem rursus dispescas in 8. partes, per 7. verticales circulos ab vtraque parte Meridiani ductos per verticem, totus Horizon in 32. æquas partes secabitur, quarum quælibet grad. 11. cum quarta partes complectetur. Tot autem mundi plagas nautæ in suis profectionibus, quàm fieri potest, diligenter solent considerare, minutiores partes & diuisiones non sectantur. Hæc est indicis nautici origo, quem ducem suarum profectionum sequuntur nautæ.

Videamus proximè quales lineas nauis secuta Compassum ducem in suo cursu describat. Ad faciliorem autem huius rei intelligentiam hæc præmittenda ducimus: quæ si rectè perpendantur, facile & perspicuum reddent totum hoc negotium.

1. Omnes omnium locorum Meridiani per vtrumque polum transeunt ideoque secant Æquatorem & omnes eius parallelos ad rectos angulos.

2. Si dirigatur iter nostrum aliò quam versus alterum polorum nouus subinde introducitur Meridianus nouusq; horizon.

3. Ferrum, si magneti affricetur, communem meridiani & horizontis sectionem indicat & alter eius terminus Boream alter Austum perpetuò respicit quoad modo. Non possum hoc loco tacere grauem lapsum Gemmæ Frisij, qui in Corollario ad 15. cap. Cosmogr. P. Appian affirmat, ferrum magneti affrictum spectare polum Boreum citra Æquatoris lineam, Austrinum vltra Æquatorem. Cuius opinioni refragatur experientia tum nostra tum aliorum. Fefellit opinor eum nimia credulitas. Adhibuit fidem vanæ alicui relationi temerè contra veritatem efficitæ. Vt vt res se habet, grauis error & tanto viro indignus. Futilem hanc relationem meritò iam antea damnauit illustriss. Iul. Scaliger ex nauigationum Ludouici Vertomani & Fernandi Magellanes.

4. Idem rumbus secat omnes omnium locorum Meridianos ad æquales angulos, & similes mundi plagas, in omni Horizonti respicit.

5. Circulus maior der verticem (ab æquatore remotum) ductus non potest secare diuersos Meridianos ad æquales angulos. Itaqne non assentior P. Nonio, qui voluit Rumbos confici ex portionibus maximorum circulorum. Cùm enim portio maioris circuli intercepta diuersis Meridianis vel minimè ab inuicem disiunctis, inæquales cum iis faciat angulos, non potest ex iis Rumbus constare per propositionem præcedentem proximè. At inæqualitas hæc angulorum (inquit) non percipitur sensu nisi in Meridianis longiusculè remotis. Esto. At arte & apodixi huius positionis error percipitur. Non decuit summum Mathematicum præceptiones artis sensu metiri.

6. Circulus maior per verticem alicuius loci ductus & ad Meridianum inclinans maiores facit angulos cum aliis omnibus

bus Meridianis, quàm cum eo, à quo primò ducitur. Oportet itaque, vt linea, quæ cum diuerſis Meridianis æquales facit angulos (vt ſunt Rumbi) incuruetur ad Meridianum. Hinc fit, vt naui procedente ſecundùm vnum & eundem Rumbum (præter quatuor primarios & cardinales) linea deſcribatur ad helicum formam incuruata, quales in globo terreſtri delineatos videas.

7 Proportiones eiuſdem Rumbi inter duos quoſuis parallelos quorum differentias latitudinis eſt æqualis, intercepti & ipſæ ſunt æquales. Itaque æquale eiuſdem Rumbi ſegmentum, æqualiter vbiuis locorum latitudinis differentiam immutat. Verum igitur eſt vulgare nautarum præceptum, æquali ſpatio alicuius itineris in eodem Rumbo, alterum polorum æqualiter attolli aut deprimi. Et fallitur Mich. Coignet, qui ex malè aſſumptis fundamentis contrarium ſibi habuit perſuaſum.

Ex quartâ propoſitione hoc oritur conſectarium, Rumbos productos non tranſire per polos. Cùm enim idem Rumbus æqualiter ad omnes Meridianos inclinetur, Meridiani autem omnes per polos tranſeant: ſequeretur, ſi Rumbus polos ingrederetur, vt eadem linea in eodem puncto infinitas alias lineas ad æquales angulos ſecaret quod eſt impoſſibile, quoniam anguli alicuius pars toti non poteſt æquari. Neque facit contra hoc conſectarium, quòd in poſtremâ propoſitione diximus, inter quoſuis parallelos æqualium diſtantiarum æquales eiuſdem Rumbi portiones intercipi, vt inde ſequeretur, ſegmentum alicuius Rumbi inter parallelum latitudinis grad. 80. & polum, æquale eſſe ſegmento eiuſdem Rumbi inter æquatorem & parallelum latitud. grad. 10. intercepto; quoniam polus non eſt parallelus. Verè hoc à Nonio poſitum eſt. Rumbos polum non intrare. At non æquè feliciter probatum. Nititur enim fundamentis contra veritatem aſſumptis, vt priùs diximus. Perperam Gemma Friſius in append. ad 15. c. Coſm. Appiani dixit, Rumbos in polis concurrere; vt & alij quos meritò taxat. Mich. Coignet.

His animaduerſis facilè erit intelligere, quas lineas nauis ſecuta magnetem ſui itineris ducem in mari deſcribat. Si prora nauis dirigatur in Auſtrum aut Boream, quas plagas ferrum magnete tactum reſpicit; ſub eodem ſemper Meridiano fit profectio. quia vt 3. prop. diximus, ferrum hoc Horizontis & Meridiani interſectiones reſpicit, & in eiuſdem Meridiani planè ſitu eſt. Si prora dirigatur in eam partem quam indicat Rumbus Orientis & Occidentis; delineabitur vel æquator, vel circulus ei parallelus. Si enim vertex in principio inſtituti itineris ſub æquatore ſit, nauis delineabit æquatoris ſegmentum. Si vertex ab æquatore remotus ſit vel in Auſtrum vel Boream, deſcribet noſter curſus parallelum tantæ ab æquatore diſtantiæ, quanta eſt latitudo loci vnde ſumus profecti. Vtpote, concipiamus inſtitutum eſſe curſum ab aliquo loco æquatori ſubiecto ſecundùm Rumbum Orientis & Occidentis: progrediemur ſemper in ipſo æquatore, hâc enim conditione iter conficimus, vt cum nouo Meridiano, qui ſubinde in progreſſu exoritur, linea noſtri curſus rectos faciat angulos. Nulla autem linea præter æquatorem hoc præſtare poteſt, vt ex primæ prop. Corollar. manifeſtum eſt. Igitur huiuſmodi curſu æquatoris portio deſcribetur. Si ab aliquo loco extra æquatorem inſtituamus curſum ſecundùm eundem Orientis & Occidentis Rumbum, ſub eodem ſemper parallelo verſabimur. Omnes enim paralleli æquatoris ſecant omnes Meridianos ad angulos rectos per primæ prop. Coroll. Licet autem prora ſemper ſpectet exortum vel occaſum ſolis æquinoctialem, ſiue interſectionem æquatoris & horizontis: æquatori tamen in progrediendo non appropinquamus, ſed æqualiter ſemper ab eo diſiungimur. Neque enim eò peruenimus, quò ſpectat prora, ſed delineamus curſum, qui nouum meridianum, qui ſemper nobis progredientibus ſuboritur, ſecat ad angulos rectos, qui neceſſariò erit parallelus. Si conficiendum ſit iter ſub aliquo Rumbo ad Meridianum inclinato, non fiet curſus in circulo aliquo vel maiore vel minore, ſed in lineâ incuruatâ ad formam helicum. Si enim duxeris maiorem circulum per verticem alicuius loci inclinatum ad Meridianum, idem circulus ſecabit proximum Meridianum ſub maiori angulo quàm priorem ſecauerit, per 6. propoſ. præcedentem, ideo non conſtituet aliquem Rumbum: qui idem Rumbus ſecat omnes Meridianos ſub eodem ſemper angulo per 4. prop. Paralleli autem omnes ſecant Meridianos rectè, per Corol. 1. prop. Non igitur ad Meridianum inclinant.

De lineis quæ in profectionibus fiunt marinis, quæ ducem habent indicem nauticum dirigente acu magneticâ, Gemma Friſius in Append. ad 15. c. par. 1. Coſm. P. Appian. ſic habet. Verùm hoc obiter annotandum duxi, haud parum differre itinera pedeſtria ab iis quæ nauigiis fiunt. Nam illa per circulos Sphæræ magnos fieri intelliguntur; vt rectè Vvernerus demonſtrauit Commentariis in Ptolem editis. Marinæ verò profectiones maxima ex parte curuæ ſunt: quoniam rarò per circulos magnos fiunt; ſed aliquando per æquatoris parallelos, dum nauis in ortum aut occaſum tendit; aliquando verò per maximos in ſphæra circulos; vt quando ab Auſtro in Septentrionem aut è contra nauigatur, item ſub æquatore tantùm in ortum occaſumue nauigantibus. Aliis autem omnibus directis licet ſecundùm magnetis ductum, nauigationibus, curua fiunt itinera, quæ maximis circulis non ſunt ſimiles neque parallelis, ſed neque circuli ſunt, ſed lineæ curuæ tantùm, omnes tandem in polorum alterum concurrentes. Rectè hæc omnia, niſi quod lineas has in polo facit concurrentes, quod alienum eſſe à naturâ Rumborum ſuprà monuimus.

Hactenus de origine & naturâ Rumborum ſiue linearum, quas nauis in Mari deſcribit ſecuta acum magneticam viæ ducem. Videamus quem habeant vſum in terreſtri globo delineati.

De vſu Rumborum in globo terreſtri.

In nauigandi arte, quæ docet, quâ viâ & ratione dirigenda ſit nauis, vt ab vno loco ad alterum proficiſcamur, quatuor præcipuè conſiderantur. Locorum longitudines, & latitudines, vel earundem differentiæ, Rumbus, & interuallum ſiue diſtantia inter duo loca, ſecundùm iter marinum dimenſa. Interuallum enim alio modo Geographi, alio nautæ accipiunt. Illi maioribus circulis locorum diſtantias metiuntur, vt poſt Vvernerum Peucerus demonſtrauit in libello de dimenſione terræ. Nautæ circulis interdum maioribus, interdum minoribus, vt plurimùm lineis incuruatis, cùm itinera conficiant, diſtantias etiam metiantur par eſt.

Quæ & quot ex his danda ſint, vt inueniantur reliqua, oportet vt conſideremus. Loca autem inter quæ iter noſtrum conficiemus, differunt vel ſolâ longitudine, vel ſola latitudine, vel vtriſque.

Si ſolâ differant latitudine, ſub eodem conſtituta ſunt Meridiano: ideo Rumbus, qui ducit ab vno ad alterum, erit Septentrionis aut Auſtri. Reliqua ſunt, differentia latitudinis & interuallum, quorum vno dato alterum facilè inuenietur. Si data ſit differentia latitudinis in gradibus & minutis, quomodo ſolent Nautæ, multiplicatus ille numerus graduum & minutorum per 60 (quot milliaria noſtratia vni gradui vulgò tribuunt ſecundùm Ptolomæi mentem, vt ſuprà demonſtrauimus) prodit numerus milliariorum confecti curſus. Si per 17. cum dimidio eundem graduum numerum multiplicaueris, prodit itineris interuallum in Leucis Hiſpanicis. Contrà ſi detur interuallum in milliaribus aut Leucis, ſi diuidas eorum numerum per 60. vel 17. cum dimidio; quotus indicabit numerum graduum & minutorum, qui congruit differentiæ latitudinis inter duo data. Vtpote, ſi ab extremo Angliæ promontorio Occiduo (quod vocant the Lizard) verſus Auſtrum nauigetur, vſque dum peruentum ſit ad promont. Hiſpa. quod C. Ortegal vocant: quorum differentia latitudinis eſt gr. 6. 10. m. ſi diſtantiam cupis cognoſcere inter hæc loca, multip. 6. gr. 10. m. per 60. prodit 170. numerus milliarium noſtratium inter duo data loca. Multò autem rectiùs per millaria noſtratia inſtituetur calculus, quia 60 ex his reſpondent vni gradui, vt vni minuto vnum etiam milliare congruat, vnde prolixius & operoſus per fractiones labor plurimùm vitabitur.

Sequuntur loca, quæ differunt ſola longitudine, quæ ſi Æquatori ſint ſubiecta; cognito interuallo differentia longitudinis inuenietur: vel conuerſo, per multiplicationem aut diuiſionem, eo modo, quo inuenta eſt ſupra latitudinis differentia. Quòd ſi poſita ſint extra Æquatorem, alia ratio eſt ineunda. Cùm enim paralleli omnes minores ſint æquatore, qui propiores ſunt paulò, qui remotiores ſunt magis, qui propè polum maximè: hinc fit, vt certa aliqua & determinata menſura omnibus parallelis non poſſit attribui. Vulgus nautarum grauiùs aberrant, dum tribuunt vni gradui cuiuſque paralleli æqualem menſuram cum vno gradu Aequatoris, vnde multi errores in nauigando orti ſunt, & multæ terræ partes propriis ſedibus expulſæ in alias introductæ ſunt.

Hâc etiam ex parte, vt conſulerem iis, qui in Mathematicis minùs ſunt exercitati, Tabulam adieci, quæ monſtrat, quam habeat rationem vnus gradus cuiuslibet paralleli ad gradum vnum æquatoris, vnde cuiuſque paralleli propria menſura inueniri poſſit. In hac autem tabula prima ſemper columella proponit parallelos æquatoris ſingulos per vnum latitudinis gradum ab inuicem diſtantes. Secunda oſtendit minuta & ſecunda æquinoctialia, quæ vni gradui cuiuſque paralleli congruunt, quæ ſi conuertas in milliaria, cognitum erit quot milliaria conueniant vni gradui cuiuſque paralleli.

Mediante hac tabula, ſi facta ſit nauigatio ſub aliquo parallelo, & cognoſcatur ſpatium confecti curſus, longitudinis differentia inuenietur per proportionum regulam: vel conuerſo, ſi data ſit differentia longitudinis, interuallum inuenietur. Exempli cauſa. Ab occiduo Africæ promontorio, quod vocant vulgo C. Dalguer, nauigatum ſit verſus Occidentem per 200 Leucas Anglicas, hoc eſt 600. milliaria noſtratia. Quærimus longitudinis differentiam. Promontorium illud eſt latitudinis grad. 30. Bor. Vni autem gradui in eo parallelo congruunt m. 51. ſec. 57. hoc eſt milliaria 51. & quinquaginta ſeptem ſexageſimæ partes vnius mill. Hinc fiet diſpoſitio terminorum proportionalium ad inueniendam differentiam longi-

longitudinis. Milliar. 51. 57 m. (vel integra 52. quia tã exigua est differentia) dant vnum gradum. Ergo 600. dant grad. 11. & viginti octo quinquagesimas duas partes, tantáque erit differentia longitudinis inter locum à quo processeris, eúmque ad quem perueneris. Inuertendi autem sunt termini, si data sit differentia longitudinis, quæratur autem interuallum. Sed illud est minùs accommodum. Neque enim solemus data longitudine interuallum quærere, sed conuerso. Neque enim adhuc modum obseruandi longitudinum differentias habemus cognitum, vtcunque vani quidam homunciones magna ostentatione hoc ipsum pollicentur. Verùm expectata seges vanis deludet auenis.

Sequuntur, quæ longitudine simul & latitudine differunt, quorum magna est varietas & multiplex differentia. Quatuor diximus in nauigandi ratione considerari: Differentias longitudinis, itémque latitudinis. Interuallum, & Rumbum confecti itineris. Duobus ex his datis inueniri possunt reliqua. Datorum autem & quæsitorum transmutationes in his quatuor terminis 6. esse possunt ad hunc modum.

Datâ differ.	Longitud. / Latitud.	inueniuntur	Rombus / Interuallum.
Datâ	Diff. long. / Rumbo	inueniuntur	Rombus / Interuallum.
Datâ	Diff. long. / Interuallo	inueniuntur	Lat. diff. / Rombus.
Datâ	Diff. latit. / Rumbo	inueniuntur	Long. diff. / Interuallum.
Datâ	Diff. latit / Interuallo	inueniuntur	Rombus / Long. diff.
Datâ	Rumbo / Interuallo	inuen. diff.	Longitud. / Latitud.

Singulis binis datis singula bina exquiruntur. Pleraque ex his, (imò omnia, quæ aliquem vsum præstare nobis possunt) per Globorum praxim perficere possunt: hoc autem de vniuersis semel admonuisse sat esto. Præter hæc data, latitudinem loci vnde profecti sumus, & quartam mundi partem, quam in nauigando secuti sumus, necesse est vt habeamus cognita: aliàs enim non poterimus commodè quæsitis satisfacere. Causa est, quia longitudinis, itémque latitudinis differentia, in duas mundi partes numerari solent, hæ quidem in Septentrionem & Austrum; illæ verò in Ortum & Occasum. Præcipuè verò: quia à singulis Meridiani partibus & ab vtroque eius termino dentur Rumbi æqualium angulorum siue inclinationum, ideo nisi quarta mundi pars cognoscatur, versus quam progressi sumus, incerta erit inuentorum notitia. Si quærenda sit latitudinis differentia, ea quidem inuenietur, at non poterimus definire, vtrùm ea numeranda sit versus Austrum vel Boream. Si longitudinis differentiam quæramus eam licebit dari, at ignorabimus, vtrùm oporteat numerare versus Ortum aut Occasum. Cùm Rumbus quæritur, inclinationem eius ad Meridianum licebit dicere: sed non poterimus suam ei denominationem tribuere, nisi quarta mundi pars sit cognita, versus quam alter locorum ab altero vergat, nam à singulis Meridiani partibus Rumbi habent æquales inclinationes. His præmonitis singula disquiramus.

I.

Cognitâ differentiâ longitudinis & latitudinis duorum locorum inuenitur Rumbus & interuallum.

Vertas Globum, donec Rumbus aliquis intersecet Meridianum in latitudine loci, à quo processeris. Deinde voluas versus Ortum aut Occasum, vt res postulat, donec gradus æquatoris numero æquales differentiæ longitudinis duorum locorum Meridianum pertranseant. Postea vide vtrùm assumptus Rumbus intersecet Meridianum in latitudine loci, ad quem perueneris, quod si fecerit, is est confecti itineris Rumbus: sin secus, alius assumendus est, vsque dum occurrat qui hoc præstiterit.

Sierre Liona Africæ promontorium est longitudinis gr. 15. 20. m. latitud. Bor. grad. 7. 30. m. Inde nauigandum est ad insulam Sanctæ Helenæ longitud. grad. 14. 30. min. latitud. Austral. 15. grad. 30. min. Quæritur Rumbus, in quo conficiendus sit cursus, quem ad hunc modum inueniemus. Adiungamus Meridiano gradum 356. 40. min. longitudinis. Et obseruemus Rombum quem Meridianus intersecat in latitud. Boreali 7. grad. 30. m. (quæ est loci latitudo, à quo progredimur.) Is est Thracius & Leuconotus, siue vt nostri vocant Nortnortwest and Sout southeast. Voluatur deinde globus versus Occidentem (quia S. Helena Orientalior est Sierra Liona) donec grad. æquat. 9. 10. min. (quot sunt differentiæ longitudinis) pertranseant Meridianum. Et inueniemus in hoc Globi situ eundem Rumbum secari à Meridiano in latitud. Austra. grad. 15. 30. min. quanta est latitudo S. Helenæ. Hic ergo est Rumbus, qui ducit à Serrâ Lionâ ad S. Helenam. Hoc modo licebit inuenire Rumbum inter duo quæuis loca, vel expressa in globo, vel concepta cum hâc conditione, vt differentia latitudinis & longitudinis cognoscatur.

Si loca expressa sint in globo, inter quæ Rumbum quæris extentis circini cruribus datorum locorum distantiam intercipe, eamque cuique Rumbo applica (sed in iis locis vbi transeunt parallelos latitudinis datorum locorum) vsque dum inuenias Rumbum, cuius portio intercepta datorum locorum parallelis, conueniat distantiæ inter circini crura interceptæ. Exempli causâ, si velimus cognoscere, quis Rumbus ducat nos ab occiduo Africæ promontorio (quod C. Cantin vocant) latitud. 32. 20. ad Insulam quæ vocatur latitud. 28. interceptam locorum distantiam applicamus cuique Rumbo, sed non alio in loco quàm inter grad. latitud. 28. & 32. grad. 20. minut. quæ sunt latitudines datorum locorum, atque inueniemus distantiam hanc applicatam Rumbo, qui dicitur Africo ad Fauonium Sout soutwest / ita vt alter circini pes insistat latit. 32. 20. alterum incidere in latitud. 28. eiusdem Rumbi. Vnde concludere licebit, à C. Cantin. ad Canariam nauigationem instituendam esse Africo ad Fauonium. Sunt qui docent, distantiam hanc locorum interceptam applicare cuilibet Rumbo apud æquatorem communi eorum concursu. Sed ij falsa nobis tradiderunt, suósque errores conscripserunt. Vtcunque enim (quod fatemur) portiones eiusdem Rumbi interceptæ binis parallelis æqualiter ab inuicem distantibus in quâlibet Globi parte sunt æquales, huiusmodi tamen extensione non sunt metiendæ; Rumbi enim propè æquatorem proximè accedunt ad maiores circulos, remotiùs plurimùm incuruantur.

Inuento Rumbo interuallum quærimus. Nonius docet, accepto inter circini pedes spatio 10 Leucarum vel semisse vnius gradus, interualla locorum in dato aliquo Rumbo dimetiri. Alij intercipiunt 20 Leucas vel integrum gradum. Neutrum probo, nec alterutrum reiicio. Hoc solum moneo, pro locorum propinquitate vel remotione ab Æquatore, maiorem mensuram vel minorem accipi posse. Propè æquatorem, vbi Rumbi, vt dictum est, ad maiores circulos propiùs accedunt, maiorem mensuram intercipere licebit. Cùm longiùs ab æquatore discesseris, quàm possis minutissimam distantiam oportet intercipias, quia Rumbi plurimùm incuruantur. Accuratiùs tamen multò ex sequenti hâc tabulâ, cognito Rumbo & latitudinis locorum differentiâ interualla locorum mensurabis. Sic autem habet.

Rumb.	gr.	m.	sec.
1	1	1	10
2	2	4	56
3	1	12	9
4	1	24	51
5	1	47	59
6	2	36	47
7	5	7	33

Hîc autem monstratur, quot gradus, minuta etiam & secunda, Æquinoctialis vel Meridiani conueniant vni gradui in quouis Rumbo. Gradui autem, vt sæpe diximus, respondent 60 milliaria; singulis minutis singula milliaria, secundis autem sexagesimæ vnius millia 15 partes siue passus 17 proximè. Hinc licebit per regulam proportionum interualla locorum in data Rumbo commodissimè dimetiri cognitâ latitudinis differentiâ; vel conuerso, cognito interuallo latitudinis differentia innotescet. Exempli causâ. A Promontorio Africæ, quod vocant C. Verde. latitudinis Bor. gr. 14. 30. nauigatum est Africo ad Austrum Sout west and vn Sout / ad vsque promontorium Brasiliæ C. S. Augustin. latitud. Aust. 8. cum dimidio Quærimus horum locorum interuallum, ad cuius inuentionem sic disponimus proportionis terminos 1. gr. latit. in hoc Rumbo, qui tertius est à Meridiano, habet 1. gr. m. 9. sec. hoc est milliaria 72 cum nouem sexagesimis partibus, ergo 23. gr. latit. (quot sunt inter C. Verde & C. S. August.) postulant milliaria 1659. & dimidium ferè, siue Leucas nostrates 553. paulò ampliùs, vt tantum sit interuallum C. Viridis & promontorij Sancti Augustini in tertio Rumbo à Meridiano dimensum.

II.

Cognito Rumbo confecti itineris & longitudinis differentiâ, quæritur differentia latitudinis & interuallum.

Globum voluas, vsque dum occurrat locus ille, vbi datus Rumbus Meridianum secat ad latitudinem loci, à quo processeris. Inde vertas versus Ortum aut Occasum, vt par est, vsque dum gradus Æquatoris pares differentiæ longitudinis Meridianum

dianum pertranseunt: Signaque latitudinis gradum, quem idem Rumbus in Meridiano intersecat. Is enim monstrabit latitudinem loci, ad quem perueneris.

Insula S. Helenæ longit.24.gr.20.m.latit.Aust.15.gr.30.m. est. Inde nauigatum esto ad Corum West Nortwest ad locum aliquem Occidentaliorem grad.24. Quærimus eius loci latitudinem. Primò statuatur globus, vt Rumbus ille intersecet Meridianum ad latit.Aust.15.grad.30.min.quanta est latitudo S. Helenæ, quod fiet, si gr.long.37. Meridiano adiungas: Vertatur deinde globus versus orientem, donec 24.grad. Æquatoris Meridianum pertransierint. Signatoque gradum Meridiani, quem idem Rumbus intersecat, qui est grad.Aust. latitud.5.grad.30.min. proximè. Tanta enim est latitudo loci, ad quem eo cursu peruentum est. Cognito autem Rumbo & latitudinis differentiâ, interuallum ex præmissis facilè colligetur.

III.

Datâ longitudinis differentia & interuallo, quæritur Rumbus & latitudinis differentia.

Non est quicquam in totâ hâc arte, quod difficilius sit inuentu, quàm Rumbus ex dato interuallo & differentiâ longitudinis, neque aliàs quàm operosâ & sæpiùs iteratâ praxi & multis dimensionibus exquiri potest per Globorum vsum. Cumque sit hæc praxis tam prolixa & tanti laboris, minùs est necessaria aut prorsus inutilis: quoniam longitudinis differentia difficulter inuestigatur, vt suprà monuimus. Cuius rei inuentionem vtinam præstarent magni nostri ostentatores, vt liceret tandem aliquid ab his expectare præter nuda verba, vanas pollicitationes & inanem spem. Sunt etiam (fateor) & aliæ praxes ex his, quas hoc loco tradidimus, minùs item necessariæ ex eâdem differentiæ latitudinis suppositione. At quia eorum praxis est facilior, liceat exercitationis causa proposuisse:

IV.

Cognita differentia latitudinis & Rumbo, inuenitur differentia longitudinis & interuallum.

Statuas globum ita vt datus Rumbus secet Meridianum in latitudine loci, à quo processeris. Deinde circumagas versus Ortum aut Occasum, vt res postulat, donec idem Rumbus secet Meridianum in latitudine loci ad quem perueneris. Vtroque loco signato, numera gradus Æquatoris interceptos Meridianis vtriusque. Tanta enim est longitudinis differentia.

C. D'alguer Africæ promontorium est latit.Bor. 30. grad. proximè. Hinc nauigatum esto Circio ad Fauonium Nortwest vn west/ad latitudinem 38 Bor. item. Quæritur longitudinis differentia. Vertamus Globum, donec Meridianus secet datum Rumbum in latitud.Bor. gr.30.quod fiet, si 7.grad. longit. Meridiano applices. Conuertatur inde Globus versus Orientem, vsque dum Meridianus secet eundem Rumbum in latit.grad.38 Bor.quod fiet, cùm gradus longit.352. Meridiano accesserit. Est itaque locus ille, ad quem perueneris, occidentalior C.D'alguer grad.proximè 15 atque transit eius loci Meridianus per Orientalem partem Insu.S.Michaelis Asorensium. Interuallum quomodo inueniatur cognito Rumbo & latitudinis differentia, dictum est in prima propositione.

V.

Cognita differentia latitudinis & interuallo, inuenitur Rumbus & differentia longitudinis.

Rumbus ex ea tabula, quam suprà posuimus, commodissimè inuenietur. Exemplo res erit manifesta. A promontorio Africæ maximè occiduo, quod vocant C.Blanco; quod est latitudinis Bor.10.grad.30.m. nauigatum esto inter Septentrionem & Occidentem per interuallum milliariorum 1080. ad latitud. grad.10.30.m.Bor.item. Quæritur Rumbus. Sic autem exquiritur. Differentia latitudinis est grad. 10. interuallum 1080. milliariorum. Hinc orietur hæc terminorum dispositio Gr.10.milliar.1080. congruunt. Ergo grad.1.milliarium 108. Quæ si diuidas per 60. in quoto 1. grad. 48 m. inueniemus. Quem numerum si in tabula quæras, inuenies Rumbo 5 adiunctum. Neque enim ille numerus minor est hoc loco ampliùs vno scrupulo secundo. Vnde pronuntiare licebit, nauigationem esse factam quinto Rumbo à Meridiano inter Septentrionem & Occidentem. Inuento autem Rumbo & cognita differentia latitudinis, longitudinis differentiam per secundam propositionem exquiras.

VI.

Dato Rumbo & interuallo, inuenitur differentia longitudinis & latitudinis.

Hoc etiam per superiorem Tabulam facilè inuestigatur. Exemplum solum ad hoc etiam monstrandum sufficiet. Ab extremo Africæ promontorio Austrino, quod C.Bonæ Spei vocatur, latitud. Austr.grad.35.proximè nauigatum est ad Thracium Nort nortwest: (qui 2 est Rumbus à Meridiano) milliaribus 642. ampliùs, vel si placeat integris 650. Quærimus differentiam latitudinis, quod hoc modo fiet manifestum. Gradus & minuta, quæ conueniunt vni gradui latitudinis in secundo Rumbo, conuertamus in milliaria. Ea sunt 64.56.m. pro quibus licebit accipere integra milliaria 65. Sic deinde sunt disponendi termini proportionis. Milliaria 65 congruunt vni gradui latitudinis. Ergò 650 decem gr.latitud. conuenient. Quos si demas à 35 latitud.loci, à quo profectum est, quia nauigatum est versus Æquatorem, reliqui sunt grad.25 latitudinis Australis loci, ad quem peruenimus. Cognito autem Rumbo & inuenta differentia latitudinis, ex secunda propositione inuenietur differentia longitudinis.

SECTIO OCTAVA,

In quâ delineatur

POLEMICA MECHANICA.

PRÆCEPTA.

Polemica mechanica est ars de mediis belli gerendi manuariis. *Dici potest* Poliorcetica. Estque generalis, vel specialis.

Generalis, explicat instrumenta & signa militaria, & ordinem polemico-mechanicum.

Specialis est gemina: videlicet ratione belli, & nationum.

Bellum est terrestre, vel nauale.

Bellum terrestre hîc spectatur in ratione castrorum metandorum, instruendæ aciei, & obsidionis adornandæ.

Bellum nauale spectatur in classe, & instrumentis propriis.

Quantum ad nationes, Polemica est veterum vel recentiorum. Ibi inprimis sunt Romani & Germani: hîc, Hispani, Itali, Galli, Germani, Turcæ &c.

REGVLÆ.

I. *Polemica politica & mechanico-mathematica differunt.*

Keckermannus lib.1.syst.polit.cap.31. ait: Subordinatur huic parti doctrinæ politicæ peculiaris disciplina, quæ vocatur *Polemica*, in qua particularia belli gerendi media tractantur, nempe ratio castrorum metandorum, item instruendæ aciei, obsidendi & expugnandi arces & vrbes. In Politicis sufficit generalia belli gerendi præcepta tradidisse. Vidit nempe vir magnus, præcepta politica de bello, & polemica de manuariis belli mediis esse distincta. Nos maioris lucis causa Polemicam facimus duplicem, Politicam & Mechanicam. Illa est disciplina partialis quippe pars Politicæ: hæc est disciplina peculiaris, eaque mechanico-mathematica; eamque hoc loco molimur.

II. *Instrumenta militaria sunt arma, vel machinæ bellicæ.*

Arma iterum sunt defensiua, vel offensiua; è quibus illa ad tegendum muniendumque corpus valent, hæc ad inuadendum

dendum ſeu laceſſendum. Quædam etiam ſunt mixta, id eſt, faciunt ad defendendum & offendendum. Præcipua genera hæc ſunt. 1. *Scutum* propriè & ſtrictè dictum, (nam latè eſt nomen generis) quod eſt oblongâ forma quadrata, ad ianuæ ſimilitudinem, vnde Græcis *θυρεὸν* appellatur, curua tamen ſuperficie. Latitudinem dicit Polybius fuiſſe pedum duorum & ſemis; longitudinem, quatuor. 2. *Clypeus* primò cauus fuit & rotundus. Verum poſterioribus temporibus ad ouatam ſpeciem redacti ſunt clypei. Eſt itaque ſcutum quadratum, clypeus rotundus 3. *Parma* fuit rotunda figura, diametrum habens tripedalem. Equeſtris tamen Parma à velitari differebat magnitudine. 4. *Pelta* erat ſcuti genus breuiſſimum, in modum lunæ mediæ, ſeu ſemiplenæ. 5. *Ancile*, ſcutum fuit, ab omni parte anciſum, & rotundum, vt ſummum infimumque eius latus medio pateret. Atque hæc ſunt ſcutorum genera. 6. *Galea* imponebatur capiti, & fiebat, vel certè tegebatur pellibus felium, caprarum, canum, luporum, arietum, elephantorum, &c. ad terrorem hominibus incutiendum; & vt eſſent inſignia, per quæ quiſque aut ſtrenuè, aut ignauiter ſe in prælio gerens à præfecto ſuo agnoſceretur. Alij rebus aliis in galea vel ad horrorem faciendum, vel ad ornamentum vſi ſunt, vt hiantium animalium formis. Ornatus galeæ hodiè quoque familiarum ſigna diſtinguit. 7. *Lorica* erat ferrea, ænea, vel linea, 8. *Squama* eſt lorica ferrea, ex lamellis ferreis, aut æreis concatenata, in modum ſquamarum piſcis, & ex ipſo ſplendore ſquamarum ac ſimilitudine nuncupata. 9. *Thorax* erat tegumentum ferreum, trunci à collo ad ſtomachum. 10. *Ocreæ* ſunt ferrea crurum munimenta. 11. *Gladius* eſt ab vna parte acutus vel anceps, ſeu bis acutus, Græcè *δίστομος* & *ἀμφίστομος ξίφος*. Genera gladij complura ſunt: vt ſpatha, ſemiſpatha, framæa, romphæa, ſica, Larpe, acinaces, pugio. 12. *Haſta* eſt præpilata, ferream cuſpidem habens; amentata, quæ amento excuſſa vibratur; velitaris, quæ vice iaculi emittitur; contus, haſta cuſpide tantùm acuta; trudes, quæ trudit & detrudit; venabulum, quod venationi eſt habile; verutum, genus haſtæ breue & anguſtum, ferro inſtar veru anguſto præpilatum; lancea, haſta amentata; ſpiculum, lancea breuis. 13. *Telum* eſt omne armorum genus, quod in longum mittitur. *Aclides* eſt genus teli, quod amento longè iacitur, peractoque vulnere reuocatur. 14 *Arcus* habet cornua, quorum crenis vtrinque neruus immittitur. 15. *Sagitta* pennis fertur tanquam auis. *Scorpio* eſt ſagitta venenata, arcu aut tormento excuſſa, quæ cùm ad hominem venerit, virus quod gerit more ſcorpionis infundit in vulnus. 16. *Pharetra* eſt theca ſagittarum. 17. *Coryti* ſunt arcuum thecæ, ſeu repoſitoria. 18. *Funda* eſt ex qua funduntur lapides. Atque hæc ſunt præcipua armorum genera. Sequuntur *machinæ bellicæ*, quarum aliæ ſunt oppugnatoriæ, quibus hoſtes impetimus: aliæ repugnatoriæ, quæ etiam à defenſione propugnatoriæ dici poſſunt. Græcis dicuntur *πολιορκητικά*. Ipſorum ſyllabus eſto: Teſtudines, Arietes, Fundibalæ, Aſſeres, Aggeres, Balliſtæ, Arcuballiſtæ, Carroballiſtæ, Harpagones, Epoſtræ, Falces, Muſculi, Trifaces quæ ex balliſtis emittuntur, Fuſtibali, Cataphractæ, Plumbatæ ſeu Martiobarbuli, Onagri, Helepoles, Plutei, Sambucæ, Præla, Scorpiones ſeu Manuballiſtæ, Turres ambulatoriæ, Tribuli, Bariſſæ, Poliocres, Vineæ, Tollenones Phalæ, ex quibus intorquentur Phalaricæ, Bipennes, Crates metallicæ, Malleoli, Currus falcati, Mortaria, Colubrinæ, Falcones, Moſcheti, Bombardæ, Sclopi noſtrorum temporum machinæ tormentaque ſunt. Ex his præcipua explicemus. 1. *Aries* Carthaginenſium inuentum eſt. De eius inuentione & conſtructione ita ſcribit *Vitruuius lib. 10. c. 19.* Carthaginenſes ad Gades oppugnandas caſtra poſuerunt. Cum autem caſtellum ante cepiſſent, id demoliri ſunt conati. Poſteaquam non habuerunt ad demolitionem ferramenta, ſumpſerunt lignum, idquè manibus ſuſtinentes, capiteque eius ſummum murum continenter pulſantes, ſummos lapidum ordines deiiciebant, & ita gradatim ex ordine totam communitionem diſſiparunt. Poſtea quidam faber Tyrius, nomine Pephaſmenos, hac ratione & inuentione inductus, malo ſtatuto, ex eo alterum tranſuerſum, vti trutinam ſuſpendit, & reducendo & impellendo vehementius plagis deiecit Gaditanorum murum. Cetras autem Chalcedonius de materia primum baſim, ſubiectis rotis fecit, ſupraque compegit arrectariis, & iugis variis, & in his ſuſpendit arietem, coriiſque bubulis texit, vti tutiores eſſent, qui in ea machinatione ad pulſandum murum eſſent collocati. Id autem, quòd tardos conatus haberet, teſtudinem arietariam appellare cœpit. Audiamus etiam *Ioſephum de bello, Iud. lib. 3. c. 9.* Immenſa eſt, *inquit*, materia, malo nauis adſimilis, cuius ſummum graui ferro ſolidatum eſt, arietis effigie fabricatum, vnde nomen accepit. Dependet autem funis medius ex alia, velut ex trutina, palis vndique fulta. Retrorſum autem magna virorum multitudine repulſus, in fronte prominente ferro, mœnia percutit. *Iſidorus lib. 18.* Contra impulſum, *inquit*, arietis remedium eſt, ſaccus paleis plenus, & in eum locum demiſſus, quo aries percutit. Laxo enim ſaccorum ſinu ictus arietis illiſus mollitur. Duriora enim mollioribus facilius cedunt. Quo artificio Iudæi aduerſus Veſpaſianum ſe tutabantur. Verùm Romani animaduertentes ſaccorum mollitie machinæ vim eludi, per contos falcatis lora vnde ſacci dependebant tandem inciderunt. Diſſoluebantur autem arietes, & ita in expeditionibus circumferebantur. 2. *Helepolis* ab vrbibus euertendis nomen accepit; cuius operâ Demetrius Antigoni, Rhodo, & aliis vrbibus expugnatis, Poliorces cognomentum inuenit. Condita eſt pro ariete, qui ob crebritatem vileſcebat. Deſcriptio eius gemina occurrit: vna apud *Ammianum lib. 23.* altera ex *Plutarchi Demetrio.* Prior ita habet. Teſtudo compaginatur immanis, axibus roborata longiſſimis, ferreiſque clauis aptata, & contegitur coriis bubulis, virgarumque recenti texturâ, atque limo adſperguntur eius ſuprema, vt flammeos detractet, & miſſiles caſus. Conſeruntur autem eius frontalibus triſulcæ cuſpides, præacutæ, ponderibus ferreis graues, qualia nobis pictores oſtendunt fulmina, vel fictores, vt quidquid petierit, aculeis exertis abrumpat. Hanc ita validam molem palis & funibus regens numeroſis intrinſecus miles, languidiori murorum parti viribus admouet concitis, & niſi deſuper propugnantium valuerint vires, colliſis parietibus aditus patefacit ingentes. Meminit huius machinæ *Vitruuius l. 10. c. 22.* Sed pergamus. 3. *Teſtudo* à ſimilitudine, quam gerit, veræ teſtudinis, vocabulum ſumpſit: quoniam ſicut illa modò reducit, modò profert caput: ſic machinamenti iſtud genus trabem nunc reuocat, nunc exerit, vt validius feriat. In ipſis enim teſtudinibus quoque arietes ædificabantur. Varias teſtudines *Vitruuius* deſcribit *l. 10. c. 20. & 21.* eaſque vſui fuiſſe docet, vel ad congeſtionem foſſarum tantùm, vel etiam ad muros vt accederent, & inhærente ariete impetum facerent. Fuit prætèrea teſtudo ſcutorum connexio, curuata in morem teſtudinis, *συνασπισμός*. Eam exercitus faciebat, ſe tegumentis ſcutorum vndique operiens, quemadmodum teſtudo ſuo putamine obducta eſt, eaque ſpecies tectum ædificiorum referebat. Ita cooperti, ſagittas & miſſilia supernè incidentia, nulla ſentiebant. 4. *Tollenon* Vegetio dicitur, quoties vna trabs in terram præaltè defigitur, cui in ſummo vertice alia tranſuerſa trabes longior dimenſa mediatete connectitur, ac libramento, vt ſi vnum caput depreſſeris, aliud erigatur. In vno ergo capite cratibus ſiue tabulatis, contexitur machina, in quâ pauci collocantur armati. Tunc per funes vno attracto, depreſſoque, alio capite eleuati imponuntur in murum. 5. *Falx* erat incurua, eaque lapides de muro extrahebant. Haſce falces murales laqueis iniectis deflectebant obſeſſi. Falcis naualis meminit *Vitruuius l. 2. c. vlt.* eamque *lib. 4. c. 46.* ſic explicat: Falx dicitur acutiſſimum ferrum, curuatum ad ſimilitudinem falcis, quod contis longioribus inditum, colatorios funes, quibus antenna ſuſpenditur, repente præcidit, collapſiſque velis liburnam pigriorem & inutilem reddit. 6. *Aſſer* eodem *Vitruuio authore d. l.* dicitur, cùm trabes ſubtilis & longa ad ſimilitudinem antennæ pendet in malo, vtroque capite ferrato. Hunc ſiue à dextra, ſiue à ſiniſtra parte aduerſariorum ſe iunxerint naues, pro vice aretis vi impellunt, qui bellatores hoſtium, ſiue nautas, ſine dubio proſterit & perimit, ipſamque nauem ſæpius perforat. 7. *Bipennis* eſt ſecuris, habens ex vtraque parte latiſſimum & acutiſſimum ferrum. Per hanc in medio ardore pugnandi peritiſſimi nautæ, vel milites, ſecretò ancidunt funes, quibus aduerſariorum lignata ſunt gubernacula: quo facto ſtatim capitur, tanquam inermis ac debilis nauis. 8. *Plutei* è vimine contexebantur; erantque ſimiles iis appendicibus, quas ædificiis adiungimus: tectum in vnam partem deuexum habebant, haud ſecus quàm plutei, ſuper quibus ſcribimus. 9. *Agger* ex terra ligniſque extollitur contra mœnia, vnde tela proiiciuntur. 10. *Vineis* ad ſubruenda murorum fundamenta penetrabant. Quò poſtquam penetraſſent, dolabras ad muros ſubruendos adhibebant. 11. *Muſculus* ſola paruitate à teſtudine differt. 12. *Turres* ex trabibus, & tabulatis compactæ extractiones, formam ædificiorum referunt, atque aduerſus incendia crudis coriis centonibuſue perteguntur. Ambulatoriæ ideo dicuntur, quod rotis ſubiectis promouentur reducunturque. Perſæpe ad ingentem hoſtibus terrorem ac metum incutiendum valuerunt. Præter armatorum numerum, quos ex turribus pugnaſſe conſtat, machinæ item bellicæ in iiſdem per tabulata diſponebantur, vt catapultæ, balliſtæ &c. Frontes ferratas accipiebant interdum, vt à flammâ ne læderentur. Habebant in inferioribus arietem, cuius impetu murum lacerabant; circa medium, pontem, factum de duabus trabibus, ſeptumque de vimine, quem ſubitò prolatum inter turrim murumque conſtituunt, & per eum egredientes de machina bellatores in ciuitatem tranſeunt, & occupant muros. In ſuperiore autem parte contati & ſagittarii; collocantur, qui defenſores vrbis contis, miſſilibus, ſaxiſque proſternant. Pons, qui de turri in murum repentè proiicitur, exoſtra vocatur. Quomodo autem per tollenonem, & exoſtram, ſic per ſcalas & ſambucam in muros euadunt obſeſſores. 13. *Balliſta* funibus neruinis tenditur, quæ quanto prolixiora brachiola habuerit, hoc eſt, quantò maior fuerit, tantò ſpicula longius emittit: quæ ſi iuxta artem mechanicam temperetur, & ab exercitatis hominibus qui menſuram eius antè collegerint, dirigatur, penetrat quodcunque percuſſerit. Fuerunt diuerſæ balliſtæ, tametſi ad vnum finem effectumque comparatæ. Aliæ enim vectibus & ſuculis, nonnullæ polyſpaſtis; aliæ ergatis, quædam etiam tympano-

rum ratio-

rum rationibus torquebantur. 14. *Scorpionem* cum *Onagro* confundit Ammianus *l.19.c.1*; 5.24. Vegetius distinguit. 15. *Phalarica*, describente Liuio, erat Saguntinis missile telum, hastili oblongo, & cætera tereti, præterquam ad extremum, vnde ferrum extabat: id sicut in pilo quadratum, stupâ circumligabant, linebántque pice. Ferrum autem tres in longum pedes habebat, vt cum armis transfigere corpus posset. Sed id maximè etiamsi hæsisset in scuto, & non penetrasset, pauorem faciebat: quod cùm medium accensum mitteretur, conceptumque ab ipso motu multò maiorem ignem ferret, arma omitti cogebat, nudúmque militem ad insequentes ictus præbebat. 16. *Malleoli* erant manipuli spartei, pice contecti, qui incensi, aut in muros, aut in testudines iaciebantur. 17. *Currus falcati* à Parthis frequentabantur, contra quos Romani tribulos spargebant. 18. *Tribulus* erat ex quatuor palis confixum propugnaculum, quod quomodocunque abiiciebant, tribus radiis stabat, & erecto quarto infestum erat. 19. *Coruum* plerique cum manu ferreâ confundunt. 20. *Harpagones* quibusdam vocantur lupi. 21. *Tormenta nostra ænea* sunt nouæ subtilitatis, & operis admirandi ballistæ, oblongum in tubum, & æqualiter teretem ex ære fusili figuratæ: quæ non funibus aut neruis intentæ singula mittunt spicula; sed incogitatâ priscis ratione, ad applicitos tenui ab tergo foramine igniculos cum incremento multiplici rapiendos, certo prrmùm nitrati ac sulphurei pulueris modulo temperatæ, insertos dein ore patente ferreos ex arte globos, catenásque, & alia obturamenta fulminis instar flaminis eluctantibus cum horrendo fragore contorquentur. De tormentis nostris hæc ferè habet *Libertus Fromondus lib. 2 meteorolog. pag. 68. & seqq.* Bombardas & fulminalia nostra tormenta, Bertholdus Schvvartz, Germanus monachus, reperit: vel fortè ars ex oriente allata: nam in Iaponiâ & regno Chinensi, bombardæ iam in vsu veteri erant, cùm eò appulerunt Lusitani. Quidam etiam nolunt rem hanc esse nouitiæ inuentionis, sed veteribus cognitam, ex illis versibus poëtæ 6. Aeneid.

Vidi & crudeles dantem Salmonea pœnas,
Dum flammas Iouis, & sonitus imitatur Olympi.

Quomodo enim, inquiunt, fulmen Iouis & tonitru imitatus ille, nisi bombardâ & puluere pyrio? Sed non existimo. sequitur enim paulò pòst:


Dem ns qui nimbos, & non imitabile fulmen
Ære, & cornipedum cursu simulabat equorum.

Videtur enim Salmoneus ille quadrigis vectus, strepitu rotarum, & æratis equorum calcibus, tonitru imitatus, fortasse etiam æream machinam & tonantem, vt Caligula, in curru habuit ardentes etiam faces, instar fulminum, in obuios quosque è curru per medios volante iaculabatur. Veneti tormenta aliquot è Germaniâ nacti, anno 1380. primi ad fossas Clodias, contra Genuenses vsi sunt, vt Guicciardus & Platina narrant. Sed vsum, aut famam paulò vetustiorem ex Petrarcha colligo, qui in dialogo quodam bombardarum meminit. Petrarcha verò anno 1374 viuere desiit. Pleræque machinæ maiores, teste Cardano, per quinque millia passuum, 60 ferri libras excutiunt. Imò Rothomannus narrat, principem suum, Vvilhelmum Landgrauium Hassiæ, fecisse periculum in ictu horizontali duplicis cartoæ, vt vocant; inuenitque globum vix intra duo horæ minuta, in terram delapsum esse. Vnoquoque verò minuto, tria circiter millia passuum talis tormenti globus conficit: igitur in sexto tantùm milliari Italico, id est, post iter duorum milliarium Belgicorum, defecit. Quod tamen, an credere debeam, paululum subdubito. Ictus enim horizótalis, vt omnes fatentur, maximè omnium imbecillis est; vti fortissimus, cùm tormentum mediam eleuationem habet, facitque cum plano horizontis angulum semirectum. qualem situm affabrè satis canis nobis repræsentat, cùm clunibus, insidens, priores pedes, quantum potest, stare facit; & iis, vti solet, semirectè in terram defixis sustentat arduū caput, & primâ corporis longitudinem. Pro quo notandum, duodecim plerūq; statui tormenti eleuationes: sic vt vltima & summa sit, qua os tubi directè respicit in cœlum. Verùm seruiunt explosioni. Septem enim sunt species explosionis. Prima est horizontalis: in qua scilicet tormentum non eleuatur, sed iacet parallelum horizonti. Secunda fit in prima eleuatione; & ita deinde vsque ad sextam eleuationem. Breuissimè exploditur globus ictu horizontali; longissimè in sexta eleuatione: adeò vt Alex. Capobianco sextam eleuationem statuat in viribus duodecuplam ad situm horizontalem. vt si pila 10 stadia ictu horizontali pererret, antequam in terram cadat, in sexta eleuatione, 120 conficiet, si eodem tormento & puluere vtaris. Ludouicus tamen Collado (cui Adrianus Romanus in sua Polemica magis fidit) experimento in falconetta pilæ trium librarum à se facto hanc differentiam constituit.

Eleuatio.	Ratio virium.	Differentia.
0.	368.	0.
1.	594.	226.
2.	794	200.
3.	954.	160.
4.	1010.	56.
5.	1040.	30.
6	1053.	13.

Nicolaus Tartalea eleuationes singulas in duas dissecat, & vniuersim 24 ponit, vnde duodecimam, quæ aliorum sexta est, validissimam constituit: expertum verò se affirmat, pilam, quæ è duodecimo eleuationis puncto, ad pedes 19 2 excussa fuerat, demisso ad decimum punctum tormento, 100 pedes longitudinis perdidisse. Tota hæc nter istos exploratores differentia, à magnitudine vel longitudine tormenti, ant qualitate vel quantitate pulueris venit. Infinitis enim exemplis constare (contra quorundam, inquit, mendacium) asserit Biringuecius, tormentum breuius eodem puluere & globo onustum, per amplius pilam eiaculari, quàm aliud longius; modò totus puluis inflammetur, & vniuersas vires colligat in tubo. Puluis autem fit ex tribus, halinitro, vel potiùs salpetra (nam hanc à halinitro veterum distare, probat Scaliger exercit. 104.) ex sulphure & carbone. Non idem autem sumitur pro maioribus & minoribus tormentis. Si enim sclopetum puluere illo crassiore machinarum oneraueris, vix ad decem orgyas glandem excuties, ait Biringuccius: si minuto sclopetorum puluisculo machinas, franges: immensa etenim flamma, momento ferè temporis, ex eo accenditur; cùm vnumquódque pulueris granum, flammam (Snellij experimento) 125000 se maiorem spargat. Pro maioribus tormentis accipiuntur tres partes halinitri, vt docet Biringuccius, duæ partes carbonis, & vna sulphuris. Pro mediocribus, quinque partes halinitri, vna sulphuris, vna cum dimidia carbonis. Pro bombardis minoribus, decem partes halinitri, vna sulphuris & vna carbonis ex virgis nucis auellanæ. Quidam vt celeriorem puluerem faciant, & intendant ictum singulæ cuique libræ sulphuris, vnciam vnam argenti viui admiscent; alij libræ halinitri, quartam vnciæ partem salis ammoniac. quidam etiam, ex Colladi præcepto, puluerem in tubo, hastâ transfigunt, ad accelerandam inflammationem. Porro vis præcipua pulueris est in halinitro, quod à sulphure promptè accensum, puncto ferè temporis vniuersum deflagrat sine vllo cinere. Cæterùm Cardanus pondus pulueris postulat ponderi sphæræ excutiendæ æquale: Biringuccius duas tertias partes dicit sufficere. Et hanc proportionem à fusoribus hodie seruari audio, cùm de nouitio aliquo tormento experimentum sumunt: si enim sphæra 30. librarum fuerit, tubo 20 libras pulueris infundunt. Adhæc, acetum pulueri tormentario infusum, vires magnas addit & impetum. Atque hæc est specialis polemica tormentorum, quæ multum lucis accipit à meteorologia fulminis. Potest enim institui elegans comparatio inter tormenta & fulmina: quòd sit communis materia, sulphurea & nitrosa, pulueri pyrio & fulminis; omnis enim fulguritis odor sulphuris inest. spiritus verò nitrosus ad celeritatem inflammationis facit, éstque principalis causa, cur exhalatio angustiarum impatiens tam impotente impetu effringat nubem. Præter similitudinem in materia, est alia in modo explosionis: quia vtraque fit per subitam rarefactionem materiæ, vnius intra tormentum, alterius intra nubis cauum. Sed in hoc grande discrimen: quòd flamma fulminis ferè sine telo, seu lapide fulminari fit; flamma verò pulueris pilam excutiat. Deinde fulmen in terram vsque, id est, per 500 ampliùs passus, quibus nubes quandoque abest, deiicitur: sed flamma pulueris densa & conferta, vix longiùs vno pede prosilit ex ore moscheti. Mirum sanè est, qua ratione flamma cœlestis hucusque veniat. Colophonis loco ista iuuat adnotare. 1. Ex purissimi auri ramentis paratur puluis, qui radiis maximè solaribus, aut modico igne accensus, non sursum, vt puluis tormentarius, sed rectà deorsum, cum maiori etiam boatu, & viribus, decuplo potentioribus, fulminat: itaque si in mensa accendatur, eam pertundet. 2. Vapor leuis in pila ærea rarefactus, vehementi flatu per angustum foramen deorsum exspirat. 3. Dum æs Cyprium in purum excoquitur, antequam perfectum sit, si inieceris aliquid aquæ, prorumpit ex catino motu violentissimo, prosternitque & verberat quidqu d attingit. His addamus nonnulla *de cuniculis militaribus*, ex eodem Fromondo. Cuniculorum militarium inuentio tribuitur Francisco Georgio Senensi, vt author est *Cardanus lib. subtil.* Sed *Guicciardinus lib. 6.* inuentionem tribuit Petro Nauarro Cantabro. *Biringuccius* Franciscum Georgium repertorem, sed Nauarrum in arce Oui sumpsisse primum experimentum affirmat. Pragmatia est eiusmodi. Receptaculum pulueris, quod in capite seu fine cuniculi est, quatuor orgyarum, siue quatuor & viginti pedum altitudinis, duodecim verò pedum latitudinis, fieri suadet Biringuccius. Cuniculi vena, sine via, qua ad pulueris cauum peruenitur, tortuosa & aliquot anfractibus sinuata esse debet, ne lapides & cæmentum, quibus obstruitur, flamma pulueribus excutiat; ita se per cuniculum, non per verticem & molem superstantem, exoneret. Illàc enim sine dubio se eiicit, quà facillimè potest. Itaque viæ omnes aliæ cum curâ sepiendæ & firmandæ sunt, vt per incumbentem molem erumpere cogas. Funis autem igniarius sulphure illitus, à loco pulueris ad orificium cuniculi inter cæmentum deducitur, per quem ignis serpat vsque ad puluerem; puluis verò sumitur tenuissimus, vt totus ferè simul flammam rapiat. Sic enim violentior est, & maiorem stragem dabit. Schema hoc esto.

A est



A est concauitas, capax pulueris, cui moles excutienda superstat. vbi ignis ad finem funiculi in G peruenerit, puluis in flammam momento pene rarefactus, claustra sua ad exitum molitur & tentat igitur lapides & cæmentum obstructi cuniculi, à G in B angulo recto repelluntur, sed terra inter B & E interiecta impetum retundit. Itaque pars eius in C declinat. vbi iterum hebetatus, & tertiò in D, tandem in E planè frangitur & exspirat: vnde flamma anguiharum & moræ impatiens, per H, quando aliorsum non potest, viam effringit.

III. *Signa in exercitu sunt triplicia: vocalia semiuocalia, muta.*

Vocalia sunt verba vel nomina, quibus vtuntur qui circueunt excubias noctu, vt internoscantur: vel in prælio milites. *Semiuocalia* sunt classicum, receptus. *Muta* sunt vexilla, tesseræ, ignis accensus, picturæ, & similia.

IV. *Ordo militaris est castrorum vel aciei, & huius vel instructæ, vel iter agentis.*

Ordo castrorum ita se habebit, vt dispositiò sit analoga vrbi. Itaque in castris erunt vallum, lorica, fossa, vestibulum, porta, tabernacula seu tentoria, forum venale, & similia. Olim apud Romanos exercitus distribuebatur in legiones & optiones. Hodiè distribuitur in tria regimina; nempe in regimen equitum, rei armamentariæ, & peditum, quâ de re vide suprà in Politicis. *Ordo aciei instructæ* cernitur in figurâ, & distributione. Figura, seu forma, aciei pro ratione circumstantiarum loci, & hostis varia est; interdum quadrata, interdum corniculata, siue semicircularis, interdum alia. Semper tamen vtile est in acie instruenda gentium nationumque certum ordinem seruare. Distributio fieri debet in tria cornua, nempe dextrum, sinistrum & medium. Distinctas etiã oportet esse acies antesignanorum & postsignanorum. Porrò post milites grauis armaturæ statim velites ordinantur, & post hos iterum milites grauis armaturæ. Variantur tamen interdum, si necessitas vrgeat. Quòd si acies per tria cornua distinguatur, fortissimus omnium miles erit in dextro cornu: illi virtute secundus, in sinistro: tertius, in medio aciei. Si verò alio modo cornua disponantur, aliud cornu dicitur extremum, aliud abruptum, aliud circumdans. Porrò acies potest institui formâ cunei, forficis, rostri equini, serræ, testudinis. Potest item esse quadrata, orbicularis, directa, explicata, extensa, extenuata, obuersa, auersa, stataria, detracta, exæquata, duplicata, densata, constipata, oblonga, triangularis, lineatis comprehensa, arrecta, deducta, duplicis frontis, duplicata, amphistomos, peristomos, inflexa, implexa, incurua. Et pro varietate harum figurarum variant iuga & series aciei. Fiunt autem etiam hæ formæ inter præliandum, pro occasione instantis, fugientis, vel decedentis hostis. Quamobrem fiunt in eâ declinationes, mutationes ordinum grauis & leuis armaturæ &c. Mutatur etiam sæpe frons in tergum, & contrà. Quòd si condensata sit acies, & viritim fieri mutatio non possit, fit conuersio, & tota acies simul se vertit. Fiunt etiam variæ euolutiones, vt Laconica, Macedonica, Persica. Interdum mutant locum: interdum tantùm facie versa in tergum, eundem tenent locum. Denique quemadmodum sunt variæ facies, seu figuræ aciei, sic variæ sunt nomenclaturæ signorum, vt alia prima, secunda, postrema; alia fixa, vel non fixa, alia expedita, vel turbata &c. dicantur. *In acie iter agente* præmittantur antesignani, & tria regimina, de quibus paulò antè, distinguantur. Hîc operæ pretium est ita instituere ordinem, vt nunc pauciores, nunc plures videantur milites quâm reuera sint. Prius fiet, si constipati incedant, si ex equitibus pauci hastas tollant. Posterius; si vt palantes eant, si se diffundant, si hastas tollant omnes. Et noctu plures videbuntur sclopetarij, si restes in pergulas incensas ordine inserant. Vnus enim quilibet instar multorum apparebit.

V. *In bello nauali Polemica mechanica spectat instrumenta communia & propria.* Bellum nauale.

Instrumenta communia sunt, quæ in bello terrestri & nauali æquè adhibentur. *Propria* sunt lupus naualis, falx naualis, bipennis naualis, harpagones, & similia. Vtuntur autem nauales concertationes potissimùm ignibus artificialibus, de quibus vide infrà in Pyronomiâ.

SECTIO NONA,

In quâ delineatur

BIASTICA.

PRÆCEPTA.

Biastica est ars conficiendi instrumenta motus & quietis violentæ.

Estque generalis, vel specialis.

Biastica generalis explicat fundamenta motus violenti & quietis violentæ.

Biastica specialis est impulsoria seu κινητικὴ, clasmatica, & statica.

Biastica impulsoria est, quâ res propelluntur eiaculando, agitando, rotando, & similibus modis: idque secundùm quatuor elementa.

Clasmatica est, quâ res duræ facili negotio franguntur.

Statica est, quâ res fluidæ sistuntur, vel duræ infiguntur.

REGULÆ.

I. *Biastices fundamenta duo sunt, fuga vacui, & causa motus violenti.*

Fuga vacui est adeò indita naturæ, vt corpora à naturali motu cessare, atque eo, qui contra naturam est, agitari faciat, ne vacuum detur. Hinc ad impediendum vacuum grauia sursum, leuia deorsum mouentur: quod experimentis probare non est difficile. Sic enim, dum puteus foditur, aër profundum subit, vt spatium impleat; & aqua ascendit, dum per canalem fugimus. Eadem ratione cucurbitæ, quibus medici vtuntur, cutem & sanguinem sursum trahunt. Sed & à motu naturali cessant corpora, ne vacuum detur. Ita si vas plenum aqua, aut alio quouis liquore, desuper obstruas, etiam inferiùs patefacto meatu non fluet liquor, nisi desuper aëri aditus itidem præbeatur. Sic folles occlusi, si nimium distendantur ac violenter, franguntur. nam locus capacior factus, cùm nec aëre impleri possit, tantam tenuitatem non admittente, nec vacuum dari queat, superest tertium vt folles ipsi disrumpantur, vt sunt verba *Cardani lib. 1. de subtil.* Idem demonstrant omnis generis machinæ, quas ars & industria, vsa naturæ, vacuum tanto conatu fugientis, ministerio, singulari solertia ad innumeras hominum commoditates protulit. Itaque non solùm Biastices, sed & quarundam aliarum artium mechanicarum fundamenta hinc arcessuntur. Hâc enim ratione v. gr. excogitata est lucerna mirabilis, turris forma vndequaque conclusa, vnicoque foramine contenta, per quod oleum ipsum infunditur, donec tota impleatur: vt videre habes in Pyronomicis. *Causa motus proiectorum* variè explicatur à Physicis. *Cardanus lib. 2. de subtil.* commemorat quatuor sententias, è quibus prima est vera, & summatim ita habet. Nihil mouetur absque motore, quod est principium motus vel internum & per se, vel externum & per accidens. Principium motus internum est sola forma interna, quæ motum naturalem in leuibus & grauibus proximè producit. Principium motus externum est partim causa efficiens, partim forma externa. Nam à proiiciente, impellente, gyrante &c. impetus quidam imprimitur proiecto, impulso, gyrato &c. qui impetus in mouendo vim proiicientis, impellentis, gyrantis &c. sustinet, adeoque mouet tanquam principium illius separatum. Proiiciens igitur erit causa

causa proiectionis: proiectio, causa proiectilis: ille, separata hæc, coniuncta. Itaque motio proiicientis moto impressa, est forma moti, proiicientis autem effectum seu actio, speciatim proiectio dicta, quæ ita est comparata, vt lapidi insideat, vel absente proiiciente. Non enim necesse est, vt efficiens simul existat cum suo effectu. Hoc omne inde patet, quòd motus ille paulatim tardior efficitur, prout impetus ipse paulatim minuitur propter resistentiam tum ipsius proiecti, tum medij. Quare cùm motus ille tandem vnà cum impetu omnino euanescat, sola erit causa ipsius proxima. Rectè itaque *Cardanus d.l.* ait, quòd motum, vtpote lapis, moueatur vi acquisitâ à proiiciente, per quam fertur donec quiescat. Hanc sententiam vocat simplicissimam, & ait: Illud quod mouet, est impetus acquisitus. Ibidem adducit quatuor causas motus violenti, diuturni & celeris. Prima est, quòd causa mouens celeriter ab initio moueat. Secunda, quòd per magnum spatium: ideo machinæ bellicæ quò longiores, eò procul magis eiaculantur. Et ita arcus quò magis tenditur ob ambas causas, eò longiùs emittit sagittam. Tertia causa est raritas medij, per quod mouetur: nam in aëre velociter, in aquâ lentè, in terrâ vix est impellere quidquam. Atque ob id, qui naues hostium machinis petunt, maximè cauent, ne ictus fiat in parte nauis quæ sub aquâ iacet, quamuis perniciosior esset: sed quia sphæræ ictus occursu aquæ debilitatur, malunt nauim supra aquam ferire, sed tamen humiliore quàm possunt parte. Quarta causa celeris & diuturni ictus est acuitas teli, quæ minorem quantitatem aëris obuiam habens minùs impeditur. *Ibidem* sic philosophatur: Motus projectorum ex naturali quodammodo & violento constat: naturalis in fine augetur, violentus in principio: quamobrem mistus ex his, qui est proiectorum, in medio est validissimus. Ita videmus machinas, scorpiones, tela etiam manu emissa, in quadam distantia vehementiores ictus, quàm nimis propè, &, vt ita dicam, sub ipsis telis, scorpionibus, aut machinis inferre.

Biastica late patet. II. *Biastica in omnibus elementis habet sua experimenta.* Nam possumus *ignem* eiaculari ex variis machinis: possumus *aëre* implere sphæras, vesicas, folles, & mediante isto spiritu mira efficere: possumus *aquam* tubis certis excipere, & eiaculari quàm longissimè, vel rotis sursum impellere, vel sugendo attrahere &c. possumus denique *terram*, id est, omnis generis grauia proiicere, impellere, sistere, eiaculati, frangere. Itaque magna est Biasticæ amplitudo: quam quò minùs fusè persequamur, efficit figurarum, quibus machinæ biasticæ repræsentandæ erant, defectus. Vnum & alterum documentum apponemus. *Modus machinas igneas faciendi* tutissimus & optimus est, vt vndique sint æquales. Machinæ ad sphærulam ponderis ratio centupla: vt si sphæra, quam emittere debet, sit pondo 10. erit machina pondo 1000. Crassitudo in imo, vbi pulueris locus est, dodrans dimetientis sphærulæ. Licet autem & pondus & mensuram cum eo machinæ augere: sed minuere citra periculum fracturæ non licet. In summo crassitudo labri machinæ non minor triente dimetientis sphærulæ. Canalis dimetiens æqualis dimetienti sphærulę & pulueris pyrij pondus ponderi ipsius sphærulę. In minoribus tamen tormentis machinæ pondus ac crassitudo maiorem ad sphærulam proportionem habere debet obscuritatem, atque eadem ratione pulueris pondus minùs esse quàm sphærulæ. Patet ex hoc ratio, quantum spatij imum capere debeat, nempe quantum satis est ad continendum puluerem, qui pondus sphærulæ æquet. *Lapis palmi crassitudine*, quem malleo frustrà quandoque tentare licet, *solo pugno ita franges.* Lapis extenditur super planum ligneum, meliùs super lapideum; eleuatur ab altero capite sic vt solùm sustineatur, nulla vi adhibita, inde pugno eleuata pars percutitur, quo ictu alliditur simul plano; & in multa frusta frangitur. Quòd si celeriùs feriat pugnus, aut seriùs, quàm extremam lapidis tabulam tetigerit, irrita euadit percussio, nec frangitur. Ita etiam leui ictu lateres frangimus. Cùm enim extremum simul cum vi ictus tabulæ illisum fuerit, pondus iungitur cum impetu, & fit non secus ac si malleo ictu vehementi percuteretur.

SECTIO DECIMA,

In quâ delineatur

PÆDEVTICA.

PRÆCEPTA.

PÆDEVTICA est ars bene ludendi.

Estque generalis vel specialis.

Pædeutica generalis explicat principia lusus, putà finem & efficientem, materiam & formam.

Pædeutica specialis explicat varia genera seu differentias ludorum.

REGVLÆ.

Principia lusus quadruplicia. I. *Principia siue causæ lusus sunt physica, ethica, politica, & mathematica.*

In iis rebus, quæ homini Christiano tanquam adiaphoræ concessæ sunt, distingui oportet quàm accuratissimè. Quædam enim sunt huiusmodi, vt perpetuò tamen in iis versari non debeamus, qualis est ludus, qui ad tempus tantùm, idque breiusculum, homini Christiano concedi potest. Diuturna verò eâ in re occupatio, assiduúsque vsus certè damnandus est, miniméque tolerabilis. Itaque quod aiebat ille de philosophia, *philosophandum esse, sed paucis*: id nos ad ludum transferre possumus, *Ludendum quidem, sed pauco tempore.* Sicut ergo homini permittendum est, vt defessus dormiat, sitibundus bibat, esuriens edat: sic eidem concedendum est, vt longis iam laboribus tantùm non fractus animum ludo recreet. Animi enim honesta relaxatio non minus sæpe vtilis & necessaria est ad exhaustas vires recolligendas, quàm quies, somnus, & cibus. Humanum ingenium est tanquam arcus, de quo poëta:

Arcus & arma tuæ tibi sunt imitanda Dianæ:
Si nunquam cesses tendere, mollis erit.

Est igitur quemadmodum arcus: ita ingenij nostri acies; vt summa illa contentio remittenda sit, ne frangatur & tandem hebescat. Quòd si ergo hoc fine ludamus, vt vires exhaustas instauremus, hoc vtique facit, vt melius Deo & proximo seruire possimus, vt frustra sint, qui aiunt, ludos non facere ad gloriam Dei. Aut enim ludimus, vt ingenium acuamus, vel exhilaremus: aut, vt corporis robur firmemus: quæ omnia sanè cedunt ad nominis Dei gloriam. Atque hic est *finis* ludorum. *Efficiens* debet esse homo, quem decet huiusmodi actio indifferens. *Materia* ludi non debet esse impia, scurrilis, grauis; sed ludicra & honesta. *Forma* in genere est, vt indifferentia determinetur actione artificialiter & moraliter bonâ. Cùm enim ludus sit inter res medias, seu indifferentes, homini, cui ludere conuenit, danda est opera, ne abutatur re adiaphorâ, sed ἀδιαφορίαν istam actione bona determinet.

II. *Ludi distinguuntur potissimùm ex quatuor causarum generibus.*

Ex fine sunt vtiles vel inutiles; & vtrique tales ratione animi vel corporis. Huc itaque pertinent ludi exercentes ingenium, firmantes robur corporis, lucratorij &c. *Ex efficiente* ludi sunt iuueniles vel equestres: *ex materiâ*, pij vel impij, honesti vel inhonesti, liberales, vel illiberales: *ex formâ* artificiales vel fortuiti &c. Sed videamus præcipua ludorum genera.

1. Myinda, μυΐνδα, χαλκῆ μυῖα.
2. Chytrinda, χυτρίνδα.
3. Helcystinda, scaperda, ἑλκυστίνδα, σκαπέρδα.
4. Drapetinda, δραπετίνδα.
5. Basilinda, βασιλίνδα.
6. Schœnophilinda, σχοινοφιλίνδα.
7. Ostracinda, ὀστρακίνδα.
8. Omilla, tropa, ὤμιλλα, τρόπα.
9. Ludus nucum, παιδιὰ καρύων.
10. Plistobolinda, πλειστοβολίνδα.
11. Ludicrum certamen immobilitatis, ἀκινητίνδα.
12. Ludus puparum. μήρινθος νευροσπαστῶν.
13. Turbo, στρόβιλος, στρόμβος.
14. Ludus pilæ, σφαίρισις.
15. Oscilla, αἰώρα.
16. Saltatio per vnctos vtres, ἀσκωλία.
17. Ossiculorum certamen, ἀστραγάλιον.

18. Larua,

18. Larua, persona, μορμολύκειον.

19. Ludus quo nummus excussus recto excipitur digito, χαλκισμός.

20. Ludus calculorum, siue scruporum, πεττεία.

21. Par aut impar, ἄρτιον ἢ περιττόν.

22. Alea, κυβεία, ταβλισμός.

23. Ludus talorum, παιδιὰ τῶν ἀστραγάλων.

24. Ludus latrunculorum, siue scachiæ, παιδιὰ τῶν λῃστῶν.

25. Ludus chartarum, παιδιὰ τῶν χαρτῶν.

26. Triumphus Hispanicus, θρίαμβος ἰσπανικός.

27. Saltatio funambulorum, gladiatorum &c.

28. Saltatio armata, seu pyrrhicha, πυῤῥίχη.

29. Comœdia & Tragœdia.

30. Certamen, ἆθλος.

31. Lucta, παλαίστρα, πάλη.

32. Gladiatoria, μονομαχία, pugillatoria.

33. Athletica, ἀθλητική.

34. Ludi Circenses, certamen curule, Equitoria, Torneatoria, ἱπποδρομία &c.

III. *Ludus scacchiæ inprimis acuit ingenium; & proinde liberalibus conuenit ingeniis.*

Eius itaque rationem ex *Hieronymo Vidâ* cognoscere non alienum fuerit à recti & excitati ingenij culturâ.

SCACCHIÆ LVDVS.

M. Hieronymi Vidæ Cremonensis.

LVdimus effigiem belli, simulataque veris
Prælia, buxo acies fictas, & ludicra regna.
Vt gemini inter se reges, albúsque nigérque
Pro laude oppositi certent bicoloribus armis,
Dicite Seriades Nymphæ certamina tanta,
Carminibus prorsus vatum illibata priorum.
Nulla via est: tamen ire iuuat, quò me rapit ardor,
Inuiaque audaci propero tentare iuuentâ.
Vos per inaccessas rupes, & inhospita euntem
Saxa Deæ regite, ac secretum ostendite callem.
Vos huius ludi inprimis meminisse necesse est.
Vos primæ studia hæc Italis monstratis in oris
Scacchidis egregiæ monimentum insigne sororis.
Iuppiter Æthiopum sedes, & Memnonis arua
Iuerat, Oceani mensas dignatus amici,
Qui sibi rura optatis iunxit Tellurem Hymnæis.
Affuit vnà omnis superum chorus: omnia festo
Æquoris immensi resonabant littora plausu.
Vt dapibus compressa fames, mensæque remotæ,
Qui superùm mentes ludo mulceret inani,
Oceanus tabulam afferri iubet interpictam.
Sexaginta insunt, & quatuor ordine sedes.
Octono parte ex omni via limite quadrat.
Ordinibus paribus, nec non forma omnibus vna
Sedibus, æquale & spatium, sed non color vnus.
Alternant semper variæ, subeuntque vicissim
Albentes nigris, testudo picta supernè;
Qualia deuexo gestat discrimina tergo.
Tum superis tacitè secum mirantibus inquit:
Marti aptam sedem, ludicraque castra videtis:
Hoc campo aduersas acies spectare licebit
Oppositis signis, belli simulachra ciere,
Quæ quondam sub aquis gaudent spectacula tueri
Nereides, vastique omnis gens accola ponti,
Si quando placidum mare, & humida regna quierunt;
En verò simulata adsunt, qui prælia ludant.
Sic ait, & versâ in tabulam depromsit ab vrnâ
Arte laboratam buxum simulataque nostris
Corpora, turno acies vectas albasque nigrasque,
Agmina bina pari numeroque & viribus æquis,
Bis niueâ cum veste octo, totidemque nigranti.
Vt variæ facies, pariter sunt & sua cuique
Nomina, diuersum munus, non æqua potestas.
Illic & reges paribus capita alta coronis.
Et regnum pariter nuptas in bella paratas
Cernere erat: sunt qui pedibus certamina inire
Sueti, sunt & equis qui malint, quique sagittis.
Nec deest quæ ferat armatas in prælia turres
Bellua; vtrinque Indos credas spectare Elephantes.
Iamque aciem in versum statuunt, structæque cohortes
Procedunt campo, castrisque locantur vtrisque.
Linea principiò sublimes vltima Reges
Parte vtraque capit, quartis in sedibus ambos,
Tractu eodem aduersos inter se, sex tamen æquis
In medio sedes spatiis hinc inde relicta.
Sede albus sese nigrâ tenet, alter in albâ.
Proxima reginas capit orbita, regibus ambæ
Hærent, quæque suo, dextrum latus altera, læuum
Altera lege datis tangunt stationibus, atrumque
Atra tenet campum; spatio stat candida in albo,
Et proprium seruant primâ statione colorem.
Inde sagittiferi iuuenes de gente nigranti
Stant gemini, totidem pariter candore niuali,
Nomen Areiphilos Graij fecere vocantes,
Quòd Marti ante oculos cari fera bella lacessant.
Continuò hos inter Rex, nec non Regia coniunx
Clauduntur medij, duo dehinc vtrinque corusci
Auratis equites, sagulis, cristisque decori
Cornipedes in aperta parant certamina Martis,
Tum geminæ velut extremis in cornibus arces
Hinc atque hinc altis stant propugnacula muris,
Quas dorso immanes gestant in bella Elephanti.
Postremò subeunt octo hinc, atque inde secundis
Ordinibus pedites, castrisque armantur vtrisque
Armigeri partim regis, partimque ministræ
Virginis armisonæ, quæ prima pericula belli,
Congressusque ineant primos, pugnamque lacessant.
Non aliter campis legio se buxea vtrinque
Composuit, duplici digestis ordine turmis;
Aduersisque ambæ fulsere coloribus alæ;
Quàm Gallorum acies Alpino frigore lactea
Corpora si tendant albis in prælia signis
Auroræ populos contra, & Phaethonte perustos
Insano Æthiopas & nigri Memnonis alas.
Tum pater Oceanus rursus sic ore locutus:
Cœlicolæ iam quænam acies, quæ castra videtis.
Discite nunc (neque enim sunt hæc sine legibus arma)
Certandi leges, nequeant quas tendere contra.
Principiò alterni reges in prælia mittunt,
Quem pugnæ numero ex omni elegere suorum.
Si niger arma ferens, primus processit in æquor,
Continuò aduersum semper se candidus offert:
Nec plures licet ire simul facto agmine in hostem:
Propositum cunctis vnum, studium omnibus vnum
Obsessos reges inimicæ claudere gentis,
Ne quò impunè queant fugere, atque instantia fata
Euitare, etenim cupiunt ita prælia finem.
Haud tamen interea cuneis obstantibus vltrò
Parcunt, sed citiùs quò regem sternere letho
Desertum eualeant, cadunt ferro obuia passim
Agmina, rarescunt hîc illic funere semper
Vtraque castra nouo, magis ac magis area belli
Picturata patet sternuntque caduntque vicissim.
Sed cadentem opus est sublati protinus hostis
Successisse loco, & conatus vindicis alæ
Sustinuisse semel; mox, si vitauerit ictum,
Inde referre licet se in tutum præpete plantâ.
At pedites prohibent leges certaminis vnos,
Cùm semel exierint (facilis iactura) reuerti.
Nec verò incessus cunctis bellantibus idem,
Pugnandiue modus: pedites in prælia euntes
Eualeant vnam tantùm transmittere sedem;
Inque hostem tendunt aduersi, & limite recto.
Congressu tamen in primo fas longiùs ire,
Et duplicare gradus concessum: at cominus hostem
Cùm feriunt, ictum obliquant & vulnera furtim
Intentant semper lateri, cauaque ilia cadunt:
Sed gemini claudunt aciem qui hinc inde Elephanti,
Cùm turres in bella gerunt, ac prælia miscent,
Rectâ fronte valent dextrâ, læuáque retróque
Ferre aditum contrà, campumque impune per omnem
Proruere, ac totis passim dare funera castris.
Ne tamen obliquis occultent nixibus ictum,
Qui tantùm mos concessus pugnantibus arcu,
Dilectis Marti ante alios, nam semper vterque
Fertur in obliquum, spatiis nigrantibus alter,
Alter candenti semper se limite versat,
Directisque ineunt ambo fera bella sagittis,
Nec variare licet; quamuis fas ire per omnem
Hinc atque hinc campum, atque omnes procurrere sedes.
Insultat sonipes ferus, atque repugnat habenis,
Nunquam continuo stipata per agmina ductu
Percurrit: tantùm sursum sese arduus effert
Semper, & in gyrum gressus magno impete lunat
Curuatos, duplicemque datur transmitterre sedem.
Si nigrante priùs campo expectauerit, album
Mox petere & sedis semper mutare colorem
Lex iubet, ac certo semper se sistere saltu.
At regina furens animis, pars optima belli,
In frontem, in terga, ad dextram læuamque mouetur,
Itque iter obliquum, sed semper tramite recto
Procedit, neque enim curuato insurgere saltu
Cornipedum de more licet, non terminus olli
Nec rursus meta vlla datur. Quocunque libido

Impulerit

Impulerit, licet ire, modò ne ex agmine quisquam
Hostiliue suoue aditus occludat eunti.
Nulli etenim super educto fas agmina saltu
Transiluisse: equiti tantùm hæc concessa potestas.
Cautius arma mouent gentis regnator vterque,
In quibus est omnis spes ac fiducia belli.
Omnibus incolumi Rege stat cernere ferro:
Sublato, pugnâ excedunt & castra relinquunt.
Ille adeo in bello captus secum omnia vertit.
Ergo hærens cunctatur: eum venerantur & omnes
Agmine circumstant denso; mediumque tuentur.
Vtque armis sæpè eripiant, sua corpora bello
Obijciunt, mortemque optant pro rege pacisci.
Non illi studium feriendi aut arma ciendi:
Se tegere est satis, atque instantia fata cauere.
Haud tamen obtulerit se quisquam impunè propinquum
Obuius; ex omni nam summum parte nocendi
Ius habet ille quidem, haud procurrere longiùs ausit:
Sed postquam auspiciis primis progressus ab aulâ,
Mutauit sedes proprias; non amplius vno
Vlteriùs fas ire gradu, seu vulneret hostem;
Seu vim tela ferant nullam, atque innoxius erret,
Hic mos certandi, hæc belli antiquissima iura.
Nunc aciem inter se certantes cernite vtramque.
Sic ait, at quoniam, quoties fera bella fatigant
Mortales, superi, studiis diuersa fouentes,
Ipsi etiam inter sese odiis bellantur iniquis,
Maximaque interdum toto ardent prælia cælo,
Iuppiter omnipotens solio rex fatus ab alto,
Omnes abstinuisse iubet mortalibus armis,
Atque minis, ne quem foueant, perterret acerbis.
Tum Phœbum vocat intonsum, Atlantisque nepotem
Egregium, furto peperit quem candida Maia;
Insignes ambos facie, & florentibus annis:
Nondum Mercurius leuibus talaria plantis
Addiderat, nondum Titania lumina agebat
Per liquidum curru gemmato Phœbus olympum,
Tantùm humeros pharetrâ insignis, & crinibus aureis.
Hos pater aduersis solos decernere iussit
Inter se studiis & ludicra bella fouere,
Ac partes tutari ambas, quas vellet vterque.
Necnon proposuit victori præmia digna.
Dij magni sedere. Deûm stat turba minorum
Circumfusa, cauent sed lege & fœdere pacto:
Ne quisquam voce, aut nutu ludentibus ausit
Præuisos monstrare ictus; quem denique primum
Sors inferre aciem vocet, atque inuadere Martem,
Quæsitum, primumque locum certaminis albo
Ductori tulit; vt quem vellet primus in hostem
Mitteret, id sanè magni referre putabant.
Tum tacitus secum versat, quem ducere contrà
Conueniat, peditemque iubet procedere campum
In medium, qui reginam dirimebat ab hoste.
Ille gradus duplices superat, cui tum arbiter acer
Ipse etiam aduersum recto de gente nigranti
Tramite agit peditem, atque iubet subsistere contra
Aduenientem hostem, paribusque occurrere in armis.
Stant ergo aduersis inter se frontibus ambo
In mediis campi spatiis, ac mutua tentant
Vulnera nequicquam, neque enim vis vlla nocendi est
Armigeris, tractu dum miscent prælia eodem,
Subsidio socij dextrâ, læuâque frequentes
Hinc atque hinc subeunt, latè & loca milite complent,
Alternantque vices; necdum tamen horrida miscent
Prælia, sed placidus mediis Mars ludit in armis,
Excursúsque breues tentant, tutique tenent se.
Iamque pedes nigri rectoris, qui prior hostem
Contraiit, obliquum læuâ clam strinxerat ensem,
Atque album è mediis peditem citus abstulit armis,
Illiusque locum arripuit præstantibus ausis,
Ah miser instantem lateri non viderat hostem.
Ipse etiam cadit & pugnas in morte relinquit.
Tum cautus fuscâ regnator gentis in aulâ,
Subduxit sese in media, penitusque repostis
Castrorum latebris extremâ in fauce recondit,
Et peditum cuneis stipantibus abditus hæsit.
Nec mora; surgit eques bellator leuis vtrinque,
Et mediis hinc inde insultant cœtibus ambo,
Alternique ruunt, & spargunt fata per hostes.
Sternuntur pedites passim miseranda iuuentus,
Quòd nequeant reuocare gradum, sonat vngula campo
In medio, & totis miscentur funera castris.
Tum vero peditum intentus Latonius heros
Cædibus instat atrox, equitemque per agmina versat
Vastatorem alæ piceæ, longè Arcada maior
Ardor agit tacitis iam dudum inuadere furtis
Magnum aliquid, peditumque vltra sæpe obuia transit
Agmina, cornipedem ducens in prælia læuum,
Qui regi insidias tendens huc vertitur atque huc,
Per mediosque hostes impunè infrenis oberrat.
Constitit, optatâque diu statione potitus,
Lethum intentabat pariter regique Elephantique,
Alæ qui dextro cornu turritus in auras
Atollens caput ingenti se mole tenebat.
Delius ingemuit, clauso succurrere regi
Admonitus: namque indefensum in morte Elephantem
Linquere se videt, atque ambos non posse periclo
Eripere & fatis vrgeri cernit iniquis.
Cura prior sed enim est trepidum defendere regem,
Quem rapit in dextrum latus; at niger emicat ense
Stricto eques, & magnis elephantem intercipit ausis,
Damnum ingens, neque enim est sæuæ post virginis arma
Bellantum numero ex omni magis vtilis alter.
Non tamen impunè euades, ait acer Apollo,
Et peditum cuneis, densáque indagine cingit.
Ille igitur trepidare metu, certique pericli
Frustra velle fugam, nam hic fata minatur Amazon:
Inde obstat conserta phalanx: tandem altiùs acto
Virginis ense cadit pulchræ solatia mortis.
Æstuat alba cohors latere heu minùs vtilis vno,
Et magis atque magis furit acri accensa dolore.
Sicut vbi dextrum taurus certamine cornu
Amisit, dum se aduerso fert pectore in hostem,
Sæuior in pugnam ruit armos, sanguine, & altè
Colla animosa leuans, gemitu omnis sylua remugit;
Talis erat facies, cæsi post fata Elephantis,
Candentis turmæ. Hinc furiis maioribus ardet
Phœbus, & vltrices hortatur in arma cohortes,
In ferrum & cædes pronus, cupidusque nocendi,
Incautúsque ambas perdit sine lege phalangas,
Dumque hostes pariter cernat procumbere victos,
Ipse suos morti indefensos obiicit vltrò
Mercurius melior furto cunctatur, & hærens
Vsque altum ex alto spectando præuidet ictum:
Sæpe ille ex longo meditatus fata superbæ
Reginæ peditem perdendum cominus offert;
Dissimulatque dolos, mox pœnitet & trahit alto
Improbus, errorem fingens, suspiria corde.
Iamque sagittiferi de dextris spicula cornu
Virginis in latus albentis tendebat: id hostis
Haud primùm sensit, peditémque trahebat in atram
Læua aciem rerum ignarus, verùm improba cladem
Et tantas Erycina Venus miserata ruinas,
Incauto iuueni, furtim tacito innuit ore,
Atque oculis (Phœbo nam fortè aduersa sedebat.).
Nulla mora; ad nutus diuæ tremefactus Apollo
Constitit, atque oculis latè agmina circumspexit:
Et subitò insidias sensit, peditémque retraxit,
Quem contra impulerat dextrâ impiger, atque periclo
Reginam eripuit, tum Maiâ Atlantide cretus
Littoreum caueæ concessum vocibus implet,
Reginam captam ingeminans, fremit vndique turba
Cœlicolûm studiis variis, seséque tuetur
Phœbus, & his alto fatur de littore verbis;
Quæ porro inuidia est dextram ludicra petenti
Præmia corrigere incautam, in meliúsque referre,
Cùm nec pacta vetent? quòd si Maiâ sate posthac
Id sedet omnino prohiberi, lege caueto:
Quique prior fuerit digitis impulsus in hostem,
Siue albus, piceúsue fuat, discrimine nullo
Ille eat, & dubij subeat discrimina Martis;
Dixit; & hæc toto placuit sententia circo
Cœlicolis. Venerem obtutu clam versus acerbo
Iuppiter increpuit, nec sensit filius Arcas.
Sed puer ingemuit labefactus corda dolore
Ingenti, vix se tenuit quin ludicra castra,
Iniectisque acies manibus confunderet ambas.
Tum secum statuit furtis certare, dolisque
Omnibus; ac totis fraudes innectere castris.
Iam tum igitur iuuenem pharetratum in prælia ducens
Cornipedis simulare gradus iubet; ocyùs ille
Emicat, atque albæ reginæ fata minatur.
Non Phœbum latuere doli; subrisit, & ore
Versus ad astantes: quamuis accommoda furtis
Mercurio sit dextra, inquit, fraudique dolisque
Callide Atlantiada inuigiles, haud me tamen vltra
Fallere erit, iamque improbe iniquam corrige dextram.
Spectantum cunei ingenti risere theatro,
Atque Arcas, veluti deceptus imagine falsâ,
Summisit buxum concesso in prælia gressu
Arcum intendentem, vigilat iam cautus Apollo
Fraudésque insidiásque timens, occultáque furta.
Ille etenim persæpe, manu dum ducit in hostes
Alternam buxum, ius contra, & fœdera pacta
Implicitans celeres digitos, duo corpora bello
Obiiciat simul, obseruet nisi prouidus hostis.

Iamque equitem contra nigrantem candidus arcum
Intendens sese opposuit pharetratus; & arcet
Reginæ ingulo imminentem, dum dexter oberrat
Huc atque huc Tobhas, niueisque exultat in armis.
Hæserat in medio, dominæ, regique minatus
Albus eques ratus impune, & iam sorte superbus
Nequicquam spoliorum animum pascebat amore.
Non tulit hanc speciem iuuenis pharetratus, & arcu
Contendit calamum, seséque immittit in hostem,
Fata licet pedes intentet, moriturus in armis
Insigni pro laude, aluo mediæ hæsit arundo
Stridula; iam chalybs descendit in alta adactus,
Voluitur ille excussus humique, & calcibus auras
Verberat, in ventos vita indignata recessit.
Inde sagittiferum sternit pedes; hunc pedes alter
Hostili de plebe necat: pugna aspera surgit.
Turribus occurrunt ingenti mole Elephanti.
Sæua pharetrigeri contendunt spicula neruis;
Quadrupedumque gemit bicolor sub verbere campus.
Incaluere animi parte ex vtráque, & in armis
Concurrunt densi simul omnis copia gentis
Albæque piceæque duces, ambæque phalanges,
Confusæque acies magno certamine totis
Densantur campis: virtus, fortunáque in vnum
Conueniunt: hi nunc victores agmina versa
Æquore agunt toto, versis referuntur habenis
Nunc ijdem, variantque vices, & fluctuat omnis
Area bellorum: vasti velut æquoris vndæ,
Si quando inter se recluso carcere sæua
Bella cient animosi Euri, vertuntque profundum
Ionio in magno, aut vndisono Atlanteo,
Alternos voluunt procurua ad littora fluctus.
At medias acies inter crudescit Amazon,
Candida plena animis, multisque in millibus ardet.
Namque sagittiferum incursans, rediénsque Elephantem
Nigrantes sternit dextrâ, læuáque per alas
Fulminat, atque manu spargens hastilia sæuit.
Bellanti dant tela locum, retróque residunt
Hinc atque hinc inimicæ acies; per tela, per hostes
Illa ruit pulcram in mortem: simul vltima tentat
Castra fugæ fidens, animósque in bella viriles
Sæua gerit, penetrat cuneos, aperitque viam vi.
Tandem fusca cohors, nigrantisque arbiter alæ
Ipse etiam arma suæ trepidus, virésque animósque
Virginis implorat, nulla est mora, feruida Amazon
Emicat, atque ardens paribus se sistit in armis.
Quem primùm hastâ, aut quem postremò bellica virgo
Demetis, aut quot humi candentia corpora linquis?
Semianimes voluuntur equi niueique, nigrique,
Et peditum cunei, dilectaque pectora Marti
Aligerâ iuuenes, ineuntes bella, sagittâ.
Quis cladem fando illius, quis funera pugnæ
Prostratósque duces speret se æquare canendo?
Sternitur omne solum buxo, atque miserrima cædes
Exoritur, confusa inter sese agmina cadunt,
Implicitæque ruunt albæ nigræque phalanges,
Sternuntur pedites, & corpora quadrupedantum.
Nam versæ inter se iactantes mutua tela
Fœmineis ambæ nituntur Amazones armis
Vsque adeo certæ non cedere, donec in auras
Aut hæc, aut illa effundat cum sanguine multo
Sæuam animam, solâ linquentes prælia morte.
Interea amborum populorum rector vtérque
Captiuos hostes, & victa cadauera bello
Carcere seruabant castris vicina, cauentes
Ne capti semel aut obitâ iam morte iacentes
In vitam reuocati iterum certamina inirent.
At lateri innixus Phœbeo Threicius Mars,
Iunctus amicitiâ puero Arcadi, si quid amico
Fata sinant prodesse, animum per cuncta volutat;
Obseruátque omnes casus: tum corpora bina
Capta, pharetratum iuuenem, peditémque nigrantes
Cœtibus è functis iam vitâ, atque æthere cassis
Surripit, & castris rursum clam immittit apertis;
Ergo iterum gemini captiui prælia inibant,
Miscebántque manus animosi, atque arma ferebant.
Haud secus (vt perhibent) cùm Colchis nacta cadauer
Aut virgo Massyla recens, cantúque triformem
Sæpe ciens Hecaten, ac magni numina Ditis,
Falsam animam insinuat membris, aurásque loquaces.
Continuò erigitur corpus, loquitúrque videtque,
Et viuos inter fruitur cœlestibus auris.
Non tulit indignum facinus Iunonia proles
Mulciber (ille dolum solus deprehendit) & ore
Inclamat, Phœbúmque monet. Thrax palluit heros
Deprensus: Phœbo exarsit dolor ossibus ingens,
Tum Marti pater omnipotens iratus iniqua
Præsidia abduci, atque indebita corpora bello
Protinus è castris iubet, atque retexere falsos
Hinc atque inde ictus, & cuncta in pristina reddit.
Iamque duces furiis ambo maioribus instant,
Reginásque ambas conuersa per agmina mittunt:
Cæde madent illæ, toto æquore fata ferentes:
Considunt tandem obuersæ, regesque tuentur
Quæque suum. Ecce autem bellatrix agminis albi
A tergo ferro inuasit strauitque nigrantem
Ignaram: verùm ipsa etiam cadit icta sagittâ
Ah misera, & spoliis haud longùm exultat opimis.
Conuertere oculos ambæ hinc, atque inde cohortes.
Atque acies lachrymis, & fœmineo vlulatu
Ambas incubuisse putes, dum funera ducunt.
Tum reges mœstos ipsa ad prætoria densi
Agglomerant sese circum: timor omnibus idem
Incumbit, par tempestas: par hausit vtrósque
Diluuium populos; & sunt sua funera cuique.
Haud prorsus tamen ambobus defecerat omne
Robur, opes restant, & adhuc intacta iuuentus;
Tres pedites tibi Phœbe, sagittifer alter, & ingens
Bellua turrito dorso, totidémque tibi Arcas
Excepto Elephante, aliâ qui nuper in aulâ
Pace fruens cecidit positis inglorius armis,
Eminus aligerâ percussus arundine pectus.
Sed dexter tibi restat eques imperditus: hausit
Cætera bellantum Mars impius agmina, bellique
Alea, florentes & desolauerat aulas.
At Cylleneo iuueni spes occidit omnis.
Æstuat amissæ gentis memor, & suspirat
Heroas magnos, tot fato corpora functa.
Non tamen excedit pugnâ, fracta agmina bello,
Relliquias tenues, immitis Apollinis astu
Cautior, in pugnam mittit post funera tanta:
Si qua fata sinant gentis sarcire ruinas.
It nigrum campis agmen, stat vbique morari,
Fortunámque omnem tentare, aditúsque nocendi.
Exultat contra non æquo prælia motu
Cynthius inuadens, facies indigna cohortum.
Heu facies miseranda ducum, raro agmine aperta
Castra patent latè, viduatæ & ciuibus aulæ.
Mœrebant vacuis thalamis regnator vterque,
Iamdudum exosi sine coniuge tædia lecti,
Primus amor maneat quamuis immotus vtrisque
Sors tamen ad noua coniugia, atque nouos hymenæos
Flectitur inuita: igitur primùm rex agminis albi
Reginæ comites olim, fictásque ministras
Regali inuitat thalamo, quæ funera mœsta
Post fera bellatricis hæræ tela irrita bello
Iactabant acies inter, cuncósque nigrantes
Oppetere amissæ Dominæ pro cæde paratæ.
Sed priùs explorare ausus sedet atque viriles
Cunctarum spectare animos, vt digna cubile
Intret in hostiles sedes atque vltima castra:
Hortatúrque iubétque supremam apprehendere metam.
Nulli fas etenim Regis sperare cubile
(Pacta vetant) nisi quæ per tela inuecta, per hostes
Transactus spatiis cunctis impune suprema
Attigerit priùs aduersi penetralia regis.
Arrexere animos famulæ, paritérque per hostes
Limitibus properant rectis: tamen ocyor anteit
Tertia, quam dextro ducebat semita cornu.
Exultátque agitátque animo connubia regis.
Nam comites spe sublapsâ cessere volentes.
Illa volat cœptis immanibus, addidit alas
Gloria præpetibus plantis, & plurima merces.
Nulla obstat mora: nec facinus prohibere Tyranno
Cura nigro est, nouáque ipse etiam connubia tentat,
Et vacuis thalamis varias inducere nuptas,
Ergo iter alternæ accelerant; famulámque sinistram
Quarto limite agit, saltu sed tardior vno
Parrasius iuuenis, iámque imperterrita virgo
Candida facta potens voti penetrauerat omnes
Sedes atque alacris metâ consederat altâ.
Tum rector iubet afferri sellámque tiarámque
Extinctæ ornatus, nec non fulgentia sceptra.
Dignatúrque toro meritam, optatísque hymenæis.
Gaudet cana cohors, insultátque eminus atræ.
Haud lachrymas cohibet Maiâ satus, æthera voce
Incessens, pictósque à pectore rupit amictus.
Nigranti famulæ tantùm gradus vnus ad ipsam
Restabat metam ah miseræ, sed limite recto
Turritus fera fata Elephas impune minatur,
Insurgens, si supremam contingere sedem
Audeat, & toto castra obsidet vltima tractu,
Et pauidam obseruans extremis sedibus arcet
Interea noua regali dignata virago
Connubio exultans, toto dat funera campo.
Illam tollit honos nouus, & fortuna tumentem,
Fulminis in morem ruit, atque nigrantia sæuit
Castra per, & sedes ac sydera territat armis.

Horrescunt faciem inuisam nigra agmina crudæ
Virginis, atque imæ exoptant telluris hiatus.
Diffugiunt trepidi vasto irrumpente fragore
Hoste, metúque omnes acti glomerantur in vnum
Aulai in medio iuxta latera ardua regis.
Haud secus alta boues sparsæ per pascua quondam,
Vt sensere lupum venientem, protinus omnes
Conueniunt trepidæ, & fortem facto agmine taurum
Ductorem armenti implorant ipsique propinquant,
Certatim inter se trudentes cornua rauco
Murmure, mugitu longè nemora alta resultant.
At regina furens trepidos toto agmine victrix
Impingens in terga, ipsique ante omnia regi
Fata parans, pugnas alta ad prætoria miscet.
Nunc ruit huc, nunc huc, nunc &, nisi læua fuisset
Mens illi, poterat candentem inuadere sedem
Limite in obliquum quarto, & concludere fauces.
Vltimus ille labor regi gentique fuisset
Nigranti, & fatis Arcas lugeret iniquis.
Nempe erat hinc lethi facilis via in ilia regis,
Nec poterat quisquam se tantæ opponere cladi.
Sensit Atlantiades tacitus, dubióque tremebant
Corda metu, accelerare hostem iubet improbus, ictum
Ne videat, verbisque rapit per inania mentem,
Castigátque moras : adeon' iuuat vsque morari,
Nec pudor est ? quæ tanta animis ignauia ? Sic nos
Increpitas semper cunctantes impiger ipse ?
Scilicet expectas dum nox certamina tollat ?
His actus peditem imprudens dum captat Apollo
Præterit fortunam ; alacer vocem extulit astris
Lætitiâ exiliens Cyllenius, inde periclo
Regem ipsum eripiens opponit Amazonis armis
Haud inultum equitem, qui sæuos arceat ictus.
Tum secum meditans candenti lethum Elephanti
Qui metâ arcebat famulam, ne regis iniret
Concessos talamos curuato perculit arcu.
Concidit, atque ictu tellurem bellua vasto
Pulsauit moriens ; dum regi intentat Apollo
Nequicquam exitium, tum metam impune ministra
Nigra tenet (nec Phœbus obest) iam regia coniux,
Iamque alacres paribus certamina viribus ambo
Rursum ineunt, nuptásque ferunt in bella secundas,
Tum, quanquam ambiguæ spes sint, incertaque belli
Alea adhuc, tamen ac si palmæ certus, & omne
Discrimen positus sit supra, gaudia ficto
Ore puer Maiæ simulat, verbisque superbit
Improbus, insultans, astus genus, & sua creber
Vocibus extollens albæ premit arma cohortis.
Quem sic deprensâ iuuenis Latonius arte
Increpitat, nondum extremam dubio vltima bello
Imposuit fortuna manum, & iam voce superbis.
Proinde mihi insulta, & tumidis reple omnia verbis ;
Certa tuum annuerit tibi cùm victoria Martem,
Sed iam nulla mora est, tua nunc, nunc irrita faxo
Dicta manu, hæc fatus reginam hortatur in hostes.
Continuò exoritur magnum certamen, & ingens
Hinc atque hinc rabies, dum fixum vincere vtrísque
Audentes in tela ruunt : stat mutus vbique
Terror, vbique pauor, mortísque simillima imago.
Nituntur cuncti aduersi, seséque viro vir
Obtulit ; inuigilant castris auertere pestem
Quísque suis, hostemque fugant, hostiliáque ipsi
Castra petunt, variantque vices, fortunáque ludit
Spe cupidos, & corda moræ impatientia torquet.
Funera spargebat fuscæ regina cohortis
Per medias animosa acies ; non æmula contra
Opposuit se se virgo, sed calle per hostes
Secreto interea regis tendebat ad alta
Limina : dein' subitò captis custodibus arcis
Irruit, atque aditus irrumpens obsidet aulam,
Intentátque necem regi, tum nigra virago.
Postquam altis vidit canam in penetralibus hostem
Cæde madens strages citò linquit & imperfecta
Funera, & acta pedem retrò exanimata repressit.
Nec timuit mediam se certæ opponere morti
Et patriæ, & trepido properans succurrere regi.
Hic aliud maius, Phœbo grauiúsque dolendum
Obiicitur, nam cornipedem Cyllenius atrum
Huc illuc agitans campo insultabat aperto.
Ardet equus, saltúque furit, nec destitit ausis;
Donec reginæ pariter, regique minatus
Optatam tenuit sedem, exitióque futurus
Aut huic, aut illi nigrantibus obstitit armis.
Vt vidit, tristi turbatus pectus Apollo
Ingemuit, largúsque genis non defuit humor.
Et iamiam labi, atque retro sublapsa referri
Spes omneis, fluxæ vires, auersa Deûm mens.
Arcas successu exultans, ac munere diuûm
Lætus ouánsque animum vocémque ad sydera tollit.
Et tandem rediit vigor in præcordia victo.
Protinus inclusam feriens sub tartara mittit
Reginam, & spoliis potitur non segnis opimis.
Tantùm olli bellator equus cadit ilia fessus
Vitoris ferro regis ; nondum tamen expes
Phœbus abit : sed pugnat adhuc, atque agminis albi
Relliquiæ pedites duo, & arcu insignis eburno
Martis amor iuuenis nequicquam bella lacessunt.
Audentes facit amissæ spes lapsa salutis,
Succurruntque duci labenti in funera ; sed non
Talibus auxiliis, nec defensoribus istis
Tempus eget, toto Maiâ satus æquore sæuit,
Instat vi multâ nigra virgo, septáque regis
Circuit, excidium intentans, hàc perfurit atque hàc.
Nec requieuit enim donec certamine iniquo
Relliquias gentis candentis, & vltima bello
Auxilia absumpsit, in medio rex æquore inermis
Constitit amissis, sociis, velut æthere in alto,
Expulit ardentes flammas vbi lutea bigis
Luciferis aurora, tuus pulcherrimus ignis
Lucet adhuc Venus, & cœlo mox vltimus exit.
Nulla salus illi superat : spes nulla salutis:
Non tamen excedit victus ; sed claudere sese
Hostiles inter cuneos impunè per enses
Actus auet, donec nusquam spatia vlla supersint:
Effugit. Nam si nemo illi fata minetur,
Nec superet sedes, quam impunè capessere possit,
Nil tantorum operam impensis foret omnibus actum,
Sed labor effusus frustra, virésque fuissent,
Nec titulos quisquam, aut victoris nomen haberet.
Ergo per vacuas sedes, desertáque castra
Nunc huc, rursum illuc incertos implicat orbes
Diffugiens, niger insequitur rex æquore toto,
Atque fugæ semper spatiúmque abitúmque relinquis.
Post vbi supremo tendentem limite gressum
Vidit, reginam sedes seruare secundas
Iussit, ab angustis ne se illic abducere posset
Ordinibus, tantúmque fugæ misero vltima restat
Linea, tum sese contrà niger æmulus infert
Dux gentis propiore gradu ; sedes tamen vna
Alterum ab alterius contactu summouet vsque.
Vt verò contra exultantem victus, & expes
Constitit inuitus, fortunam nacta virago
Extremam insiliit sedem, totóque minatur
Limite ; nec misero restat locus ampliùs vsquam.
Tandem illum fugens virgo crudelis in ensem
Immolat, & finem imposuit sors aspera pugnæ.
Ingenti superûm plausu & clamore secundo
Victor Atlantiades exultat littore toto
Improbus, & victor insultat, ridétque dolentem :
Quem Pater omnipotens ad se vocat, & dat habere
Felicem virgam, quâ puras euocet vmbras
Pallentes Styge, vt infectum scelus eluit ignis,
Quæque Erebo damnet fontes, & carcere cœco,
Detque adimatque oculis somnos, & funere in ipso
Lumina Lethæo claudat perfusa sopore.
Mox verò gratum ludum mortalibus ipse
Ostendit Deus, & morem certaminis huius
Italiæ primùm docuit celebrare colonos.
Namque olim, vt perhibent, dilectam Scacchida, quâ non
Inter Seriadas præstantior altera nymphas,
Compressit ripâ errantem, & nil tale putantem,
Dum pascit niueos herbosa ad flumina olores,
Tum bicolorem illi buxum dedit, atque pudoris
Amissi pretium, vario ordine picturatam
Argentique aurique grauem tabulam addidit, vsumque
Edocuit, Nymphæque etiam nunc seruat honorem,
Et nomen luctus, celebrat quem maxima Roma,
Extremæque hominum diuersa ad littora gentes.
Omnia quæ puero quondam mihi ferre solebant
Seriades, patrij canerem dum ad flumina Serij.

Atque hic est ludus scacchiæ, de quo circumfertur versus:

Turris, Eques, Pastor, Regem, Regina sequatur.

Quæ nomina sic ferè exprimuntur : Rex, βασιλεὺς : Regina, βασίλισσα : Turris, seu Elephas, ἐλέφας : Sagittarius, τοξότης: Eques, ἱππεὺς: Pedes, seu Rusticus, πεζός.

IV. Mola cruciata, quam vocant Globum Hutteri, facit, vt pueri ludendo discant literas cuiuslibet alphabeti.

Nimirum oportet literas inscribere lignis quadratis, & ita bipartiri vt media pars rubro, altera nigro alióue colore distinguatur. Postea præceptores est cum vno ex discipulis (reliquis adstantibus) colludere, expressis literarum nominibus.

V. Chartiludium Logicum, vt appellatur, breui tempore facit, vt vniuersam Logicam discamus.

Ludus chartarum varia habet commoda & incommoda. Inter commoda excellunt facile ista duo. 1. quòd multa mathematica ludicra beneficio chartarum possunt repræsentari. 2. quòd

quòd omnia Logices præcepta hoc modo poſſunt addiſci. Nam ſi præcipui termini Logici certâ ratione adſcribantur ſingulis chartis, & ludo præſit præceptor, vix credas, quàm facilè hoc negotium ſuccedat. Neque ſolùm Logica, ſed etiam quælibet ars hac ratione poteſt doceri atque diſci, ſi adſit ingenioſus & iucundus præceptor.

V I. *Inter ludos liberales, qui decent recta ingenia, non poſtremum locum habet ille, qui dicitur Lorzius.*

Tametſi enim hic ludus eſt quædam ſpecies aleæ: non tamen hoc nomine improbari debet, quia in eo non ſpectatur aleatorum impietas, ſuperſtitio, vt modus acquirendi prohibitus; ſed ingenij delectatio. Apponamus itaque ipſius καταγραφὴν ex *Carolo Leuſchnero.*

LVDVS LORZIVS

Caroli Leuſchneri Miſnenſis.

Scribere fert animus pulchri certamina ludi,
Vt bini inter ſe freti bicoloribus armis,
Atque expectantes iactum ſortiſque fauorem,
Alter in alterius regionem caſtra reponat,
Diuiſam certis numeris, hoſtemque prehenſum
Antiquam iubeat feriendo repoſcere ſedem:
Quæ ſi militibus ſenis completur, & vnus
Reſtat adhuc, bellum ſueuit finire cachinnus.
Lorzius à vulgo communi voce vocatur,
Et iam Teutonicis paſſim vſurpatur in oris,
Cùm genio indulget ſtudiis ſemota iuuentus,
Vincereque aduerſum ludicrâ gaudet in arte.
Atlantis facunde nepos mihi ſuggere vires,
Et per inacceſſas mea duc veſtigia rupes.
Inuia quæque tibi duri ſunt cognita montis;
Et lites pulchrè calles tractare iocoſas;
Siue in gramineis tua iactas membra palæſtris;
Siue iuuat dulces teſtudine fundere cantus,
Aut mercatores pictâ exercere tabellâ.
Iam rurſum claro fulgebat Cynthius orbe,
Aſcanioque ſues fixi ſtratique leones
Sanguineo terram fœdantes ore iacebant,
Eque antro Dido Dux & Troianus eodem
Exierant: aulam repetit defeſſa iuuentus,
Hic vt venandi poſſint mulcere labores,
Atque obliuiſci commiſtâ grandine nimbi,
Tranquillos ſtatuunt ludos, non corporis artus
Qui reddant feſſos, ſed ſaltem mente regantur,
Vſque ad magnificæ venientia tempora cœnæ.
Vtitur ingenio ſibi notâ quilibet arte:
Quatuor hic numerant chartas nummoſque, ſedentes
In menſâ oppoſiti, generoſæ Scacchidis iſtic
Ducitur inuentum, miſcentur prælia buxo.
At regina iubet duplicatam ferre tabellam,
Dalmatico criſpantem auro, gemmiſque micantem,
Quam variæ exſculpto decorant in margine formæ:
Vt per rimatum iucundo murmure murum
Pyramus & Thysbe flagrantia pectora produnt;
Sæpiùs & culpant illum, quòd amantibus obſtet,
Et non corporibus, ceu voci, tranſitus adſit.
Deinde velut Thysbe cuſtodes munere fallit,
Exit & è foribus patriis & mœnibus vrbis,
Atque ad buſta Nini venturum expectat amantem:
Dumque illum expectat recubans ſub tegmine mori
Vt venit ad fontem rictu ſitiente leæna
Depoſitura ſitim, fugit & conterrita Thysbe
Atram in ſpeluncam, & velamina lapſa relinquit,
Quæ fera dilaniat, ſpumantique ore cruentat.
Denique ceu veſtem pollutam ſanguine cernit
Pyramus, & Thysben crudeli morte peremptam
Credit; & id metuens demittit in ilia ferrum,
In tunicamque cadit charæ moribundus amicæ.
Has pulchrè oſtendit tabulæ pars prima figuras;
Altera lamenta & lethum depingit amatæ:
Scilicet vt Thysbe iuuenem videt eſſe necatum,
Lacteoloſque ferit claro plangore lacertos,
Dilaceratque comam & fœdatum vulnere corpus
Suſtollens, gelidis iterata dat oſcula labris.
Vt quoque tranſmiſſo pectus mucrone ſub ipſum
Incumbit, rubeus iuuenis qui cæde recente eſt.
Vtque arbor pullos fœtus & luctibus aptos
Semper habens, geminæ mortis monumenta reſeruat.
Hâc Anchiſiades picturâ vbi pauit ocellos.
Dido aperit tabulam, cui quatuor ordine ſedes
Vigintique inſunt, factæ lucente Pyropo,
Atque intertexto viridi mirâ arte Smaragdo,
Pyramidum ſimiles: triginta orbeſque coloris
Diuerſi, ex auro grauidi, gemmiſque crepantes.
Orbibus auratis ſtat Regis imago Sichæi
Parte vnâ; aſt aliâ Didonis forma ſuperbit:
In gemmis calidum pectus conflagrat amore,
Pulchraque formoſam deuincit dextera dextram.
Colligit hos, atque vnius Regina coloris
Collocat ad finem tabulæ è regione repoſtum
Tranſuerſa reliquos, vt parte ab vtraque ſiniſtram
Spectent: tum dictis ſua talibus ora reſoluit.
Dum placet Æneæ peregrinum diſcere ludum,
Quas habeat leges, paucis aduerte, docebo:
Teſſerulis res tota agitur, poſituque rotarum,
Alternis vicibus: vicibus ceu Scacchia gaudet,
Suntque hæ teſſerulæ, niueo quas ebore cernis
Candere & certis numeris latus omne notari.
Oſſibus his miſſis, quicquid numeri inde reſultat,
Interdum bini, nonnunquam calculus vnus
Compenſare poteſt, etiamſi exordia ſumas
Principio aut medio: ſimilem niſi ſplendida vultum
Ebora conſeruent, tunc quatuor ire neceſſe eſt
Orbiculos, tabulæ cuneo quocunque repulſos.
Ponendoſque vno vel pluribus. Accipit autem
Quotquot largitur vel ſors, tua ſiue voluntas
Pyramis vna. Sed hanc cautelam mente repone:
Primis in bis ſex licitum eſt tibi ſedibus orbes
(Extremâ exceptâ) nunquam coniungere binos,
Verùm vbi iam noſtrum tranſcendit teſſera regnum,
Id facias quocunque loco, te nemo vetabit:
Sed ne contiguæ ſint vltra quinque ligatæ
Sedes, poſtremam ad metam, quas arte mouebis
Si qui deprenſi pelluntur limite diſci,
Illi à principio rurſum numerantur: at ille
Qui locus ante fuit primus, cùm demis aceruum,
Expulſis rotulis, tunc incipit eſſe ſecundus.
Et repetes tam longo iteratum tempore iactum,
Donec contingat vacuos inuadere campos.
Accidit hoc etiam cuneos inimica quòd omnes
Turba tuos habeat, ne pulſum imponere poſſis:
Expecta vt ſpatium tibi concedatur inane.
Nam niſi ſublatum repetitum miſeris arma,
Non licet in bellum reliquæ prodire cohorti.
Inprimis verò caue, ne ſine compare multos
Orbes extrudas; quia res eſt plena pericli.
Non etiam grandis rotularum creſcat aceruus,
Nam ſic non tardabis iter, nec claudere gentem
Aduerſam poteris: ſed ſint iuncta ordine caſtra,
Tranſitus vt nullus pateat, cogatur & hoſtis
Rumpere compoſitas acies & vertere terga.
Hîc tibi ſint ſemper vigiles in fronte relicti,
Qui ſolos feriant, & eos ad prima remittant;
Ne ſeſe denſæ poſſint miſcere cateruæ.
Quòd ſi deficiunt; aliquos hoſti obiice nudos:
Vulnera vel plagas te ſuſtinuiſſe iuuabit.
Nam dum te rurſum pellet, ſi forſitan agmen
Ad reliquum properant, poteris prohibere fugantes.
Qui tamen id facient, ſint tres vel quatuor: iſti
Sufficient, poteruntque omnem componere pugnam;
Si plures, hoſtiſque ſuas habet ordine turmas,
Difficili euades, obſeſſo tramite, ſaltu:
Sed metuenda tuis veniet confuſio caſtris,
Et tua pendebit dubio victoria caſu.
Hi verò toties vaſtum mittantur in æquor;
Donec deprenſis ſeptem, non vlla ſuperſit
His ſtatio: nam ſic vincens cum laude triumphat:
Quòd tibi ſi tali ſors non ratione fauebit,
Quæ ludi propria eſt; at rarò contigit: alter
Reſtat adhuc finis, ſed paruæ laudis & artis.
Nam labor omnis erit, ſex poſterioribus omnes
Inferre orbiculos ſpaciis, & demere miſſi
Eboris ad iactum: cui primùm excedere campo
Contingit, victor palmam cum munere portat.
Has ludicra tenent belli certamina leges,
Quis ratio accedat, pugnandi & crebrior vſus,
Atque has dum ſpero memori quod mente tenebis,
Si placet experiamur, aut pulcherrima Dido,
Cui bona præbebit iactus fortuna ſecundos.
Ponit & in medium fului cratera metalli,
Cui contra Æneas grandis ſegmenta Smaragdis
Chryſolithi circum quem flauo lumine fulgent:
Illa lapilliferis Eoi legerat vndis,
Et quondam dono dederat Cytherea Creuſæ.
Tum Dido gemmis, Anchiſæ filius auro
Vtitur: atque illi paruus conſentit Iulus,
Huic fauet & ſperat victorem fidus Achates
Exemplum fidei Muſis memorabile vatum.
Nam quem tunc fuerat terraque marique ſecutus.
Cum magna inſtarent capiti vitæque pericla:
Hunc iam deſeruiſſe pudet, cùm paruula inempti

Sit tantùm metuenda Duci iactura Smaragdi.
Sors mandat primùm Reginam inuadere Martem;
Hæc niueam quatiens dextram, demittit in æquor
Ebora, proſiliunt ſex & tria danda duobus
Orbiculis. Anchiſiadæ bis quinque reſiliunt,
Quatuor enumeranda rotis; ſed mittere binas
Cogitur, atque vnam peregrino imponere campo,
Et gemmam remouere loco. Remouetur at ipſe
Rurſus ab octonis numeris, qui tramite recto
Dantur ad extremas ſedes in parte priore,
Æneas iterare volens cum milite pulſo
Certamen, iacit oſſa; duos videt eſſe duobus
Teſſerulis oculos: tabulis inferre fugatum
Iam nequit; at Dido iactu loca proxima captat.
Deinde nouem cuneos percuſſus tranſilit: illi
Bis tria reſpondent: miſſu hæc repetuntur eodem,
Quæ facies binas duodeno in limite ſiſtunt;
Tertia ſubſequitur: recidunt iam quinque deinde
Septem; & quiſque ſuum recto ordine promouet orbem,
Hinc Dido numerans vnumque decemque, potitur
Optatâ ſtatione, ſui dum conſtitit hoſtis
In campo. Sortem mittit Troianus, & octo
Imparibus perſtant ſignis, ciuemque propellit
Ex aulâ auratum: totidem quoque cernit Eliſa:
Atque modo ſimili procedit; Iamque benignæ
Propitia Æneas fortunæ munera ſperat,
Et fore in oppoſita vt deducat rura cohortes.
Spem fouet exultans; iacit ebora candida, binas
Cernit adeſſe notas, lapideſque opponere aceruo
Cogitur & propriis prohibetur cedere caſtris.
Tunc rurſum Dido dextrâ quatit oſſa ſecunda,
Sex & inæquales partes diuiſa reponit,
Et tres extrudit rutilas ad prælia gemmas,
Haſque locat nudas, quas dum Dux ſternere gaudet,
Oſtendunt rurſum faciem quadrata priorem;
Vt nullum verſare queat de ſede molarem.
Concipit Heros calidas in pectore flammas,
Iniectiſque aciem manibus turbare minatur;
Sed ſeſe retinet ſortemque incuſat iniquam,
Illi ſubridens inquit Sidonia Dido:
Non miror facilem quòd conuertaris in iram;
Cùm iam tot fueris fatis agitatus iniquis,
Et tuleris varios caſus terraque marique,
Dignus & hinc eſſes vultu quem læta ſereno
Fortuna aſpiceret, quam prorſus cernis acerbam,
His minimis etiam in rebus, quibus ante Sichæum
Et regno & populis latè florentibus auctum,
Atque aliâs mirè manſuetum pectus habentem,
Crebro commoui, ludo hoc feliciter vſa.
Vertitur in pronum patientia læſa furorem:
Et faciles motus generoſæ ſemina mentis
Concipiunt, acriſque venit bellantibus ardor:
Nec deſperandum citò, quamuis nubila totum
Obfuſcent cœlum, telluſque madeſcat ab imbre.
Sol pellit nubes, pluuiæque Aquilone mouentur,
Pulchrior atque redit facies cœloque ſoloque,
Solamenque mali caſu dependet ab vno.
Sed pergo: iungant oculi mihi quinque ſupremam
Ad calcem orbiculos binos. Phrygio cadit idem
Hic numerus, diſcus ſed tantùm emittitur vnus.
Quatuor à punctis latus hinc æquatur vtrumque,
Et rurſum Dido felici milite complet
Hoſtilem cuneum, atque inimicum cadit inermem,
Qui cupiens iterum vacuis ſuccedere ſeptis,
Ter cane damnoſâ inferix probibetur. Eliſa
Septeno intereà iactu dotata phalangem
Conſociare ſtudet, numerus ternarius vni
Iunctus, ſublatura impediunt; dehinc teſſera binas
Vna notas monſtrat, ſex altera: ſubuenit illa
Bellanti ſolùm, hæc Tironem pellit in arua.
Pyramis expulſo reſtat quinaria; hic iſtam
Occupat, exuperatque alias tres. Gemma repente
Vt vacuam inuadat celeri veſtigia paſſu
Inſequitur, fidens animis, ſecuraque plagæ,
Et ſe præſidio defendit in arce parato.
Iam ſecum ſtatuit fraudes innectere caſtris,
Decipere atque dolis ſortem Troianus iniquam.
Ebora deuoluit, numerus Chius inde reſultat,
Et minor hoc vno: ſimulat dux iacta fuiſſe
Bis tria, & aduerſum binis inuadere campum
Cum ſociis pergit. Fraudes intelligit, atque
Tales ore ſonos Sidonia reddit Eliſa,
Eſt conceſſa quidem tali fallacia ludo,
Et multùm tenet illa loci, ſi fallit inertem
Oppoſiti mentem: ſoleoque ita ludere ſæpe,
Si mihi non fortuna fauet, verum ante recepti
Non ignara doli vigilantibus vtor ocellis,
Tu poſt hæc igitur non æquam corrige dextram;
Et noſtrum inſidiis dediſce accedere ſexum:
Qui nos decipiat, nondum eſt has natus in auras:
Credo equidem, Æneas inquit nec iurgia tecum
Conſeruiſſe libet; quod quadrata oſſa tulerunt,
Hoc cape: & effigiem muliebribus obiicit armis,
Admouet atque vnam ſociis, miſera illa feritur,
Et quærit curſu properans veloce ſalutem,
Atque domos veteres: obſeſſis vndique clauſtris
Pellitur, & patriis exul prohibetur ab oris.
Hic Heros alto ducit ſuſpiria corde,
Et pigris lacrymis tumidos humectat ocellos,
Perſentit gemitus Dido, cernitque rigatos
Fletu oculos, verbiſque ducem miſerantibus orat,
Vt velit occulti cauſas aperire doloris
Ille refert: dum iam noſter depulſus oberrat
Calculus, atque iterum captos intrare penates
Iſte nequit, mentem duri ſubiere labores,
Vt noſtras & opes & lamentabile regnum
Eruerint Danai ſint noſtraque vrbe potiti;
Et nos expulerint patria, pulſoſque fugarint,
Vnde tot erramus terrâ pelagoque per annos,
Nec datur optatam defeſſis figere ſedem.
Illum ſolatur Dido: quæ fata tulerunt
Mente feras æquâ; nec commoueare periclis,
Aut frangare malis: lætum dabit his quoque finem
Et meliora Deus: moxque vt remouere phalangem
Me cernes, aditumque tuo præbere latroni:
Sic quoque tempus erit (ſi parua quid omnia ſpondent)
Quò tibi lætarum venient moderamina rerum,
In pulchras vrbes & ditia regna recepto.
Sed valeant curæ, quia iam non orbita rurſus
Imponi poſſit, ſunt iactus me penes vnam;
Donec erit ſpatium. & ni fallor cerno notatos
Stigmatibus bis quinque cubos, quibus ordine gemmas
Extrudo binas: iam ſex vnumque locoque
Orbiculum in cuneum, quo duplex deſinit ordo:
Quatuor hinc & quinque lego, ſuccurrere ſoli,
Extorrique placet, veteres recludere ſedes,
Nunc iterum tibi picta patet belli area belli:
Fortunæ tenta caſus, pugnamque laceſſe.
Inuocat hîc matrem Ductor Troianus, & ipſam
Sollicitat, ſacrum velit vt ſibi mittere iactum:
Aſpira & noſtram, mater Dea, dirige dextram.
Quæ conflagrantis magno è diſcrimine Troiæ,
Cùm premerer cani iucunda mole parentis,
Me, ſocioſque meos duxiſti, & nunc quoque ducis
Incolumes per tot pelagi terræque labores;
Sæpiùs & nebulæ tutos nos reddis amictu;
Ignotos ne quis remorari aut lædere poſſit:
Nunc etiam nato facilem te oſtende, periclum
Sit licet exiguum, tamen explorare fauorem
Et iuuat: atque illum multùm ſenſiſſe iuuabit,
Sic ait: & rata vota cadunt, miſſuque potitur
Optato, & vacuos intrat rota pulſa fritillos,
Altera ad inſtantes ſe ponere cogitur ictus;
Quos tamen euitat: faciem namque ebora vtraque
Reginæ bis quinque ferunt, hæc ritè cohortes
Promouet adiunctas. Æneæ proſilit vno
Hinc maior numerus, demenſque in vulnera mittit
Ipſe duos pedites: peditem ſeruaſſe iuuabat,
Et lateri hoſtili plagas ſtruxiſſe propinquas.
Sed factos prohibent leges certaminis huius
Retrò ferre gradus: noceat, vel proſit id ipſum:
Quod ponis poſitum eſt: amat hic Epimethea ludus,
Immiſcet regina ſales blandéque iocatur:
Tu qui bellandi Dux es verſatus in arte,
Victuræque aciem noſti componere pugnæ,
Et ruptas ægrè palmam deferre Phalanges,
Ipſe aciem turbas mediumque extrudis in hoſtem;
Imminet vnde tuis clades certiſſima caſtris;
Aſpiciat modò me vultu ſors alma benigno;
Nec multis fœcunda cadat mihi teſſera punctis.
Eboris vna ſuperficie nota perſtat vtraque,
Quo iactu nullus fuit hactenus aptior: iſte
Sternit continuo tria corpora fortiter ictu.
Si vis (nam licet hoc) cuneos impleto vacantes,
Bellaque militibus committe nouanda duobus,
Tertius expectet, mea donec ceſſerit aruis
Turba tuis, & ſe tutâ ſtatione locarit.
Supremâ trepidat miles fugitiuus in aulâ,
Auratam geſtans chlamydem, quam plurima circum
Purpura mæandro duplici Sidonia ſerpit,
Induit hic hamis confertam auroque trilicem
Loricam, & læuam clypeo, dextramque bipenni
Munit: Amazoniæ gentis nam præuidet ictus;
Quos nequit euitare fugâ, pedibuſque ſalutem
Quærere: ſed toti ſolùm ſe opponere turbæ
Cogitur, & corpus lethali credere Marti.

Deſerit

Deſerit obſeſſo: Reginæ exercitus agros,
Et proprius ſua caſtra mouet, quò cominus hoſtem
Cædat: & vt nequeat ſtructum conſcendere vallum:
Exploratores ſtatuit, qui præuio curſu
Elapſos reuocent, & honeſta in bella reponant.
Deuenit ad pugnam: enſes vibrantur & haſtæ,
Et quiſque hoſte cupit laudem deferre perempto.
Nititur hic contra promptus furibundus in armis,
Victorem eſſe placet, iuuenilem aut linquere vitam,
Tantus amor patriæ, tanta eſt in pectore virtus.
Sic olim Cocles vires contriuit Hetruſcas
Solus, & oppoſuit multis ſe millibus vnum,
Sublicij auderet cùm vellere robora pontis,
Præciſiſque viis Porſennam auertere Roma.
Sed cadit, & vanas miſer hic expirat in auras.
Semianimem interea peditem clam iungit aceruo
Æneas, veluti nondum certamen iniſſet;
Vulnus vt acceptum medicis demulceat herbis,
Fortior & tractet collectis viribus arma,
At ſenſit Regina dolum, iubet atque reuerti
Subductum, & rurſum vacuis ſuccedere caſtris.
Iam cæſis completur humus, patet area tantùm
Vna viris, & præ reliquis emittitur vnus
Pertentare fugam per equos, per tela, per enſes,
Quem mox inſequitur directaque impetit haſtâ
Gemmatus miles: latum præcordia ferrum
Rumpit & occiſum Stygias demittit ad vndas.
Et ſic imponit finem ſors aſpera pugnæ.
Surgit ouans Dido, totaque exultat in aulâ,
Et victo illudit comis ridetque dolentem
Fœmineis ſalibus: mulier te vincat inermis,
Atque tuis ſpoliis ornata ſuperbiat? annon
Pentheſilea tibi, tua vel putor eſſe Creuſa,
Hæc cuius niueum decuere monilia collum?
Si bis adhuc tali deberes ſtrage domari,
Crede mihi tibi fuſo infamia tanta veniret;
Quanta venit virgis cæſo per terga per vrbem.
Hinc capit auratam pateram, plenamque Falerno
Ardente, & victo ludi pro more propinat.
Ille animo verſans turpis diſpendia cladis,
Et palmam amiſſam, magnos in pectore motus
Concipit, Heroas ſimul exardeſcit in iras,
Et bellum renouans rurſum locat ordine turmas,
Lunatas manibus peltas & tela tenentes;
Nam placet vlciſci turbamque ferire ſuperbam.
Vt videt hoc; etiam pugnæ ſe accingit Amazon,
Inſtruit atque acies euentu læta ſecundo,
Et quem proponat Victori quærit honorem.
Ille ait: vt victus fuerit quæcunque rogatus.
Non neget hæc renuens, ſed promptè præſtet ouanti.
Perſtat conditio, & miſtis concurritur armis,
Non aliter quam ſi portis poſt terga relictis,
Eruit in planos campos obſeſſa iuuentus,
Auferat vt prædam, aut pugnatum prouocet hoſtem.
Hic cernens iuuenum nimbos ex vrbe ruentes
Ire parat contra atque inimicam fundere turbam,
Pars ſublimis equis, pedibus pars ſulcat arenas,
Fit fragor armorum; tremit excita terra tumultu;
Liuenteſque atro crudeſcunt ſanguine pugnæ.
Mox dantur cita terga fugæ: fugit alter ad vrbem,
Alter deportans ſpolium ſua caſtra reuiſit.
Aurea ſic coëunt gemmatis agmina turmis.
Atque oritur dubium pictis certamen in aruis.
Incola nunc Tyrius ſuperat, mox Troius hoſpes:
Pellitur alueolis nunc hic, nunc pellitur ille:
Nunc præcludit iter Dido, via clauditur ipſi.
Rurſum, & compoſitas latè turbare cohortes
Cogitur: ambobus ſic alea luditur anceps.
Incerti trepidant Iuluſque & fidus Achates.
Et fixis oculis aciem ſcrutantur vtramque,
Cui potius felix faueat victoria parti.
Tandem poſt multas plagas poſt vulnera multa
Hæc venit Æneæ: ſed non ſubit oſtia velo
Tam pleno, ſubiit viduæ velut ante Sichæi.
Nam vix quinque poteſt remorari & prendere captos:
Dum reliqui interea magnâ vi vincula rumpunt,
Et ſuper excelſum ſua mittunt corpora vallum.
Educit primus victrices rure cateruas,
Præmia quæque velit Didoni narrat in aurem,
Candida purpureo ſuffunditur ora pudore,
Et renuiſſe cupit: ſed pactâ lege vetatur;
Et quia ſaxoſo non antè negauerat antro.
Sed luſiſſe ſatis, venerunt tempora cœnæ;
Et prono obſcurus accurrit veſper Olympo.

VII. *Inter ludos liberales, qui faciunt ad eloquentiæ ſtudium, & conciliant gratiam, & accendunt animum, comœdia & tragœdia facilè excellunt.* Comœdiæ & tragœdiæ ratio

Conſideranda hic ſunt iſta quinque. 1. differentia comœdiæ & tragœdiæ. 2. partes 3. accidentia interna. 4. accidentia externa. 5. genus carminis. *Differentia comœdiæ & tragœdiæ* ſextuplex eſt. Differunt enim 1. *materia.* Tragœdia enim res triſtes, luctuoſas, miſerabiles, & horribiles proponit: contrà comœdia lætas, iucundas, ridiculas, iocoſas. 2. *perſonis.* Tragicæ enim ſunt nobiles & illuſtres, reges, principes, heroës, dij: Comicæ, ciuiles, plæbeiæ, ignobiles, infames, ruſtici. Introducuntur enim patresfamilias, adoleſcentes, lenones, paraſiti, ſcurræ, meretrices &c. Quod attinet ad tragico-comœdiam, illa recipit perſonas tragicas, vt in Amphitruone Plauti videre eſt. 3. *ſtylo*, τῇ λέξει, *ſermonis genere.* Tragicus enim eſt δεινός, grauis, ſublimis ſeuerus, verba magnifica, electa, ſonora, à communi conſuetudine abhorrentia: at Comica oratio eſt humilis, hilaris; familiaris; verba vulgata, pura tamen & elegantia, éque medio vſu petita. 4. *affectibus.* In tragœdiâ regnant τὰ πάθη, id eſt, vehementiores animi motus: at in comœdiâ τὰ ἤθη, id eſt, affectus ſedatiores. Itaque in tragœdiâ accidit, quod Alcibiadi in Sympoſio Platonis dicenti, ſibi ὠρδίαν πηδᾶν καὶ δάκρυα ἐκχεῖσθαι ὑπὸ τῶν αὐτοῦ λόγων. 5. *exitu*, τῷ τέλει, ſeu ἐκβάσει. Tragœdiæ exitus eſt lugubris & triſtis; contrà comœdiæ lætus & hilaris. Quod tamen reſpectiue intelligendum eſt. Sæpe enim quod alicui triſte accidit, alteri eſt lætum, & contra. Deinde à potiori fit denominatio. 6. *characteriſmo.* Tragœdiæ enim proprium eſt ſyrma, & cothurnus: comœdiæ, ſoccus. *Partes dramatis*, id eſt, comœdiæ & tragœdiæ, ſunt primariæ vel acceſſoriæ. Partes primariæ ſunt Protaſis, Epitaſis, & Cataſtrophe quæ vno nomine dicuntur Actus. *Protaſis* eſt prima pars, in qua proponuntur & ſuſcipiuntur conſilia rei gerendæ. *Epitaſis* eſt ſecunda pars, in qua conſiliorum fit progreſſus, & negotia turbis plerumque inuoluuntur, *Cataſtaſis* eſt tertia pars, in quâ totius dramatis ſtatus, & dubius rei euentus hæret. *Cataſtrophe* eſt poſtrema pars, inopinato conſiliorum & rerum geſtarum euentu drama concludens. Hæ autem partes diſtinguuntur quinque ferè actibus: ita nimirum, vt protaſis plerumque primo actu comprehendatur, rarò ſecundo: epitaſis & cataſtaſis ſecundo, tertio, vel quarto etiam actu concludantur; neque enim certus vtrique locus aſſignari poteſt. Cataſtaſis rarò ad quintum progreditur. Cataſtrophe incidit ſæpe in quartum actum; ſemper autem quintum occupat. v. g. protaſis Andriæ Terentianæ eſt actu primo; epitaſis, ſecundo, cataſtaſis, tertio, quarto, & initio quinti; cataſtrophe, actu quinto ſcen. quarta. Actus enim diſtinguuntur in ſcenas. Itaque *Scena* eſt actus pars, quam conſtituit perſonarum ingreſſus & ſermocinatio. In ſcenam verò non introducuntur plures perſonæ loquentes, quàm quinque; niſi fortè conſultatio inſtituenda ſit. Mutas autem perſonas adeſſe plures nihil prohibet. *Partes acceſſoriæ*, ſeu ſecundariæ, quæ extra actum delectationis cauſa, adhibentur, ſunt ſex: argumentum & prologus, ante actum ab initio; chorus, mimus, & ſatura, in medio, inter actum & actum; epilogus, à fine. Ex quibus prologus; argumentum, & mimus, comœdiæ ferè ſunt propria; ſatura, tragœdiæ; chorus & epilogus vtrique communes. *Argumentum*, περιοχὴ, eſt ſumma comœdiæ, paucis verſibus comprehenſa, quæ prologo præmittitur. *Prologus* eſt comœdiæ præfatio, præparans ſpectatores, vel excuſatione poetæ, vel commendatione fabulæ, vel expoſitione totius ſummæ, vel miſtione iſtorum modorum. Primum genus dicitur ἀναφορικὸν, vt in Andria: ſecundum, συστατικὸν, vt in Hecyrâ; tertium, ὑποθετικὸν, vt in Aulularià; quartum, μικτὸν, vt in Caſinâ. Eſt autem prologus μονοπρόσωπος, apud Plautum tamen in Trinummo reperitur διπρόσωπος. *Chorus* eſt pars ſecundaria poſt actum introducta, cum plurium perſonarum concentu aut etiam ſaltatione. Hic differt ab actu, tum numero perſonarum, tum modò actionis. In actu enim non vltra quatuor colloquuntur: at chorus 24. recipit. Deinde in actu ſingulæ per ſe colloquuntur: in choro omnes coniunctim loqui, modulari & tripudiare ſolent. Veteris comœdiæ chorus ſex habebat partes ſpeciales: videl. *Commation*, quo chorus aliquam è perſonis alloquebatur; *Parabaſin*, quâ chorus ad populum conuertebatur; *Oden*, quæ continebat preces ad Deum; *Epirrhema*, quo chorus ſpectatores monebat de rebus ad vitam pertinentibus, *Antoden*, quæ reſpondebat odæ; *Antepirrema*, quo exagitabant ſceleratos. *Mimus* ridicula erat actio, ſeu geſticulatio, perſtringens aliorum mores, quæ loco chori, abſoluto comœdiæ actu, abſque ſocco inducebatur extra argumentum, ad reficiendos animos ſpectatorum. Sed & mimus extra comœdiam eſt peculiare carminis genus, vt ſupra in Poëticâ vidimus. *Satura* eſt pars tragœdiæ aduentitia, quæ actu abſoluto, ad leniendam atrocitatem, introducebatur, cum ſcomma-

tibus & iocorum petulantiâ. Nihil itaque differt à mimo: nisi quod ille est comicus, satura tragica. Et quemadmodum mimus extra comœdiam est carmen, ita imitans, vt ridiculum faciat: sic satura est poëma multiforme, mordax, & salsum, ad corrigendos corruptos hominum mores accommodatum. Et hæc appellatur *Satura noua Latina*. In Latinis enim tragœdiis Satura non fuit, sed in nouum planè poëmatis genus migrauit; quod Græci ignorarunt. *Epilogus* est pars aduentitia dramatis, à fine adiecta, vt eius vsum indicet, vel aliud quippiam nomine Poëtæ moneat. Olim duobus ad summum verbis absoluebatur, *Valete*, & *Plaudite*. Hodie iustum sæpe carmen explet. *Accidentia interna*, seu affectiones, dramatis sunt, quòd est motorium, statarium, vel mixtum. *Motorium* est drama turbulentum, quod plus in agendo consistit, quàm in loquendo: vt Plauti Amphitruo; Terentij Adelphi, Heautontimorumenos, & Phormio; Senecæ Hercules furens & Thyestes. *Statarium* est drama sedatum, quod plus in loquendo versatur, quàm in agendo, vt Plauti Cistellaria & Pseudolus, Terentij Hecyra, Senecæ Hercules OEteus. *Mixtum* est, quod medio modo se habet, atque ab vtroque genere partem trahit: vt Eunuchus & Andria Terentij, Plauti Aulularia, Aristophanis Nubes & Ranæ. *Accidentia externa* sunt generalia, vel specialia. *Generalia* sunt Titulus, Modi, Cantus, Saltatio, Apparatus, Theatrum, Amphitheatrum, Scena, & Proscenium. *Titulus* est nomen fabulæ. *Modi* sunt mẽsuræ certæ cantus, quas Thymelici seu Musici, Choris præscribebant. *Cantus & saltatio* fiebant iuxta scenam, in Orchestrâ & Thymele. *Apparatus* sunt omnis generis ornamẽta: vt syrma, cothurnus (proprius tragœdiæ) soccus (proprius comœdiæ) introitus, aulæa, tapetia, machinæ versatiles, scenæ pictæ, habitus vestium &c. *Theatrum* est locus, in quo fabula agitur & spectatur. *Amphitheatrum* est locus circumstantium spectatorum. *Scena* vmbraculum erat, quò se histriones conferebant. *Proscenium*, seu pulpitum, est locus ante scenam, quò euocabantur mimi seu histriones, ad agendas fabulas. *Accidentia specialia* apud Romanos erant *comœdia prætextata*, regum, Principum, Imperatorũ; *trabeata*, à trabeâ, vestimẽti genere; *togata*, à vestitu Romano; *palliata*, à vestitu Græco, *tabernaria* ab humilitate styli; *Atellana*, ab Atellâ, vrbe Oscorũ; *Lampes*, seu planipedia, ab humilitate personarum agentium; *rhyntonica*, à Rhyntone, poëtâ Tarentino. Restat *carminis genus*; quod in actibus spectatur & choris. Actus in comœdiâ & tragœdiâ constant carmine Iambico & Trochaico. Tragœdia ferè Iambicis senariis, comœdia octonariis, septenariis, senariis, & dimetris constat. Chorus fit carmine lyrico. Genera sunt varia, & nullis legibus deuincta. Videas etiam hexametros, vt in Ranis: Saphicos & Choriambicos, apud Senecam &c.

Aleæ ludus auersandus.

VIII. Inter ludos auersandos meritò numeratur alea.

Aleæ ludus à Palamede Nauplij filio apud Troiam in castris ad militum otium oblectandum excogitatus putatur. Quidam hunc Palamedẽ latrunculorum auctorẽ prodiderunt. *Plato* scribit Theut priscum quendam Deum talos & aleas inuenisse. *Herodotus* autem *lib.* 1. Lydiis hoc inuentum tribuit. Interdictum olim huncce ludum Romæ fuisse indicat Horatius:

ludere doctior
Seu Græco iubeas trocho,
Seu malis vetitâ legibus aleâ.

Vlpianus quidem lib. Pandect. X. titulo aleatoribus, eiusmodi Prætoris edictum producit. Prætor ait: *Si quis eum, apud quem aleâ lusum esse dicetur, verberauerit, damnúmue ei dederit, siue quod eo tempore domo eius subtractum est, iudicium non dabo. In eum qui aleæ ludendæ causâ vim intulerit, vti quæque res erit, animaduertam.* Illud *vim inferre*, Paulus iureconsultus sic interpretatur: Cogere ad lusum vel ab initio, vel victi dum retinent. Sapientibus & literatis viris semper odio fuit hic ludus. Plato adolescentem alea ludentem videns cùm increparet, & ille: ob rem tam paruam me obiurgas? At consuetudo non est res parua, subiecit Plato. Nolebat vir singularis in consuetudinem veniri eâ in re, quam iudicabat vitiosissimam. Quò pertinet illud: *Optimus aleator est nequissimus*. Et illud: *Quantò melius, tantò peius*.

IX. Ludi honesti & liberales alii sunt communes viris & pueris, alia propria alterutrorum. Sic v.g. ludus pilæ & latrunculorum est communis, par impar est ludus puerorum &c.

De calculis, siue latronum, latrunculorúmue ludo *Martialis in apophoretis ita canit*:

Insidiosorum si ludis bella latronum,
Gemmeus iste tibi miles & hostis erit.

Vocitatur hoc nomine, quòd antiquitus latrones dicti sunt conducti j milites, ἀπὸ τοῦ λατρεύειν, quod est inseruire; quia nimirum in bellis seruiebant mercede. Varro tamen dictos eos à latere vult, quasi laterones, vt qui circum latera erant regi, atque ad latera ferrũ habebant. Ab eoque, inquit, veteres poëtæ nonnunquam milites appellant latrones, aut, vt postea subdit, quòd latent ad insidias faciendas. Est in ludis etiam *equitatio, piscatio, aucupium, deambulatiuncula, pictura*. Hoc postremo genere qui vtetur, meminerit pingere quæ aspicientem prouocant, & alliciunt ad honestatem, non ad dedecus atque flagitium: sicut illi pseudeunucho apud Terentium contigit. Suauissimus item est *usus musicus*, cùm duo, tres, quatuor aut plures in eundem locum coëuntes, vel vocibus, vel fistulis, vel fidibus, vel his omnibus permistis simul concinunt. Quæ autem canentur verba & sententiæ, honesta sint, non amatoria, aut scurrilia (vt ex iis quæ Madrigali vocantur quàm plurima) nec omnis doctrinæ expertia. Ludere etiam consueuimus *orbiculis ligneis*, aut æneis, siue trudiculis, super longâ & angustâ mensâ: item *globis aneis* in crates quasdam super mensam impellendis. *Sphæras* quoque ligneas per annulũ ferreum impellimus. Puerorum ludi sunt, *Globulorum, nucum, turbinis, trochi, par, impar, item epostracismus*. *Turbinis lusum* venustissimis versibus Latinorum poëtarum signifer *in 7. Æneidos* describit, cùm furorem Amatæ Reginæ depingit.

Tum verò infelix ingentibus excita monstris
Immensum sine more furit lymphata per vrbem,
Ceu quondam torto volitans sub verbere turbo,
Quem pueri magno in gyro vacua atria circum
Intenti ludo exercent: ille actus habenâ
Curuatis fertur spatiis, stupet inscia turba
Impubésque manus mirata volubile buxum,
Dant animos plagæ &c.

Tibullus quoque *lib.* 1. *eleg.* 5. hâc vsus est similitudine:

Namque agor vt per plana citus sola verbere turbo,
Quem celer assuetâ versat ab arte puer.

Denique *epostracismus* est, quo testulam aut lapillum tenuem, & latum super fluminis æquor humo tenus inclinati distringimus, & saltus quos edit priusquam desidat, numeramus. Ille victor euadit, cuius lapillus plures saltus saltauerit. *De pilæ ludo* etiã aliquid dicamus. Delectati sunt eo Alexander Macedo, Iulius Cæsar, Augustus, M. Antonius, Alexãder Seuerus, Domitianus, omnes potentissimi Imperatores, multique Philosophi, & illustres viri, in quibus etiam Scæuola, Iurisconsultus ille antiquus, nominatur. Commendatus à quamplurimis doctissimisque scriptoribus, & olim à Senatu Romano approbatus est. Galenus librum de eodem composuit, in quo vt animo & corpori vehementer idoneum commendat *lib.* 2. περὶ ὑγιεινῆς inter celeres exercitationes reponit. In hoc non modicâ voluptate mens afficitur, ingenium & animaduersio excitatur, corpus æqualiter exercetur, oculi, caput, manus, pedes, cum celeritate dexteritatéque commouentur: vt in eo lusu etiam palæstræ artificium appareat; quod affirmat in *primo de Orat.* M. *Tullius*. Vox ipsa dilatatis arteriis clarior efficitur & melior. Sunt autem huius genera complura.

SECTIO VNDECIMA,

In quâ delineatur

THEREVTICA.

PRÆCEPTA.



THEREVTICA est ars bene capiendi feras quadrupedes. *Dicitur etiam* Venatoria, & Cynegetica.

Estque generalis, vel specialis: *seu*, communis vel propria.

Thereutica generalis explicat causas, effecta, subiecta, & adiuncta venationis.

Causæ sunt hoc ordine.

Finis est venari & capere feras quadrupedes.

Efficiens est principalis vel instrumentalis. Ibi venator: hîc sunt equi, canes, & arma venatoria, Materia est fera quadrupes.

Forma est in vestigatione, insectatione, & prehensione

henſione; eáque vel violentâ, vel occultâ.

Effecta ſunt in vtilitate & iucunditate.

Subiecta ſunt loca, vbi degunt feræ. Suntque naturalia, vt ſyluæ, ſaltus, vepreta: vel artificialia, vt viuaria.

Adiuncta ſunt tempus, veſtes, & cura canum venaticorum.

Thereutica ſpecialis eſt ratione ferarum, & nationum. Ibi eſt venatio elephantorum, leonum, vrſorum, ceruorum &c. hîc eſt venatio vſitata in Germaniâ, Italiâ, Hiſpaniâ, Moſcouiâ, Bohemiâ &c.

REGVLÆ.

I. *Vt venatio, ſic venatoria accipitur latè vel ſtrictè.*

Venatio apud Varronem à vento nomen habet, quòd ſequatur feras ad ventum & in vento. Aliis à venis dicta putatur: vt ſit nimirum venari, ſcrutari venas, id eſt, veſtigia & latibula animalium. Græci venationem ab ipſis feris apertiùs ἀγρεύειν, & θηράζειν appellarunt: vt ſit ferarum veſtigatio, conſectatio, captio ſiue captatio. Hinc θηρευτικὴ ſcilicet τέχνη, ars venatoria. Conſtituuntur autem tres ſpecies venationis, atque adeò artis, venatoriæ: nempe venatio, ſtrictè dicta, aucupium, & piſcatio. Sed nos hoc loco diſtinguimus venationem contra reliquas duas ſpecies, adeóque ſtrictam ſignificationem attendimus.

II. *Venatio magnam parit vtilitatem & iucunditatem.*

Vtilitas potiſſimùm eſt triplex: vt feras quadrupedes capiamus illaſque vel in cibum, vel in veſtitum noſtrum vertamus, vt exerceamus corpus, adeoque valetudini conſulamus; denique vt exerceamur in venando ad ſimilitudinem diſcipilinæ bellicæ. Hâc de re ſummatim ita diſſerit *Xenophon, vbi docet, quâ ratione inſtituerentur apud Perſas, qui ex ephebis exceſſiſſent, & in commentario de venatione.* Venatio eſt vtiliſſima diſciplinæ bellicæ meditatio: ſiquidem aſſueſacit diluculo ſurgere, frigus caloremque iuxta pati. Itineribus item atque curſu exercet. Frequenter venantibus acuitur animus, cùm immanior aliqua bellua ſeſe obtulerit; quam propiùs accedendo ferire, contraque irruentem declinare oportet: quæ quidem ſimiliter ſolent in bello euenire. Valetudini venatores conſulunt, aſpiciendi audiendique ſenſibus proficiunt, tardius ſeneſcunt, ad prælia vitamque caſtrenſem præparantur. De *voluptate*, quam parit venatio, ita canit princeps poëta Latinus:

At puer Aſcanius mediis in vallibus acri
Gaudet equo: iamque hos curſu, iam præterit illos:
Spumantemque dari pecora inter inertia votis
Optat aprum, aut fuluum deſcendere monte leonem.

III. *Venatoris requiſita & officium ita habent.*

Ante omnia ſe ad feliciter venandum, & ad labores venatorios quibuſdam exercitationibus comparabit: vti ſunt iacula torquere eminus, arcu ſagittas ad ſcopum mittere, iactare diſcum, pugnare ceſtibus, luctâ contendere, equos in gyrum flectere, natare, currere. Sit iuuenis potiùs, cui corpus agile & quadratum, membra valida & toroſa, laboribus minimè cedentia, animus hilaris, nec faſtidioſus. Siue autem pedibus, ſiue equo inſidens ad venatum incumbat, cultus eius commodus & expeditus eſto. Omnino ſtrictæ, quàm fluentes & laxæ veſtes aptiùs quadrant venatoribus. Ad colorem quod attinet, fuerunt in eâ opinione veteres, ad ceruos comprehendendos referre, ſi eſſet viridis; ad apros, ſi fuſcus: etſi leucophæum, ſeu cineritium, & nigrum non interdicerent. A puniceo abſtinendum ducebant, quoniam hunc tanquam conſpectiorem & celeriùs perciperent feræ, & velociùs fugerent. Pileum veſti concolorem volebant, & villoſum præterea. Calceos altos habebit, quò tutiùs per loca vliginoſa ſe penetret. De collo pendebit buccina ſeu cornu, quo pro indiciorum varietate ſigna mittat, ſiue bellua ſe mouerit, ſiue inuenta, ſiue elapſa, ſiue intercepta fuerit; ſiue exhortetur, ſiue requirat, ſiue receptum canat. Prædiſcenda illi loca, in quibus quænam belluæ ſtabulentur. Nam non quàuis regione quamuis inuenias. Non ſunt apud nos elephanti, in Africâ nulli cerui, Armenia abundat tigribus. Præterea natura & mores earum noſcendi ſunt prius: ob quæ non eſt eadem earum capiendarum ratio. Aliter capiuntur lepores, aliter cerui, aliter lupi, aliter apri. Longo vſu veſtigia ferarum ei nota ſint; vnde & quâ regione vagentur, & ætatem earum coniiciat. Veſtigia iſta ſunt recta, directa, confuſa, abſcondita, velocia, acuta. Noſcendum eſt præterea, quibus exclamationibus vtatur. Erit ad hæc præditus cultro venatorio, cùm aliis de cauſis, tum vt ramos extruendis ſcenis decutiat. Alterâ manu venabulum, ſeu ſclopum portabit alterâ ducet canes, circumuoluetque brachio, aut ad baltheum, ſuſpendet funiculos, quos copulas vocant, quibus canes, quoties vſus venit, vel colligat ac retineat, vel ſoluat ac dimittat. Præterea canum voces atque mores neceſſe eſt eum intelligere, nunc hos nunc illos propriis nominibus compellare, ſonumque nominis cuiuſque quàm licebit multipliciter variare, nunc ex graui in acutum, nunc viciſſim ex acuto in grauem, nunc in ſubmiſſum, nunc in elatum. Quocirca ſcriptores θηρευτικοὶ nomina canum aut monoſyllaba, aut diſſyllaba, certè breuia, & pronunciatu vocatuque facillima eſſe iubent. Talia ſunt apud Xenophontem Ψυχή, Θυμός, Πόρπαξ, Στύραξ, Λογχή, Λόχος, Φρουρά, Φύλαξ, Τάξις, Ξίφων, Φόναξ, Φλέγων, Ἀλκή, Τεύχων, Ὑλεύς, Μήδας & alia. Ouidius tamen in fabulâ Actæonis, eiuſdem canibus nomina, ex naturâ quidem & proprietatibus eorum ducta, ſed triſyllaba, etiam & tetraſyllaba indidit: Ichnobates, Melampus, Pamphagus, Nebrophonus &c.

IV. *In canibus venaticis ſpectatur varietas, qualitas, & exercitium.*

Canum venaticorum varietas, qualitas, & exercitium.

Varietas eſt in eo, quòd alij ſunt indagatores, ſeu veſtigatores magis: alij pernicitatis, alij roboris cauſâ educantur. Albos ad indagandum minùs valere tradunt. Qui ſunt tergo nigro, ventre & pedibus ſpadicis, laudantur præ aliis. *Commendantur* indagatores auribus pendulis, caudis longiuſculis, capitibus magnis, pectoribus latis, ceruicibus longis, oculis fulgentibus, roſtris nigris, iiſque breuibus ac validis, cruribus robuſtis, ac prioribus aliquantò breuioribus, clunibus latiuſculis, ventre inani, naturâ agiles & alacres. Tales enim inprimis ſagaces putantur. Emiſſarij autem erunt longi, agiles, expediti, cruribus prioribus longioribus, capite etiam longiuſculo, nec eo carnoſo, ſed leui, oculis micantibus, pectore toroſi, caudâ longâ, nec hirſutâ. Canes Xenophon vult eſſe magnaminos, ſagaces, duripedes, & nitidos. *Agitandi* æſtate ad meridiem, hyeme per ſolidum diem, autumno quâuis diei parte præter meridiem, verè etiam toto die præter veſperem.

V. *Operæ pretium eſt varietatem veſtigiorum cognoſcere, quam illa accipiunt ex accidentibus externis.*

Veſtigia quomodo varient ob externa accidentia.

Frigus officit veſtigiorum odoribus, itemque ros & pruina. Boreâ ſpirante, ſi ningat; diutiùs in niue remanent veſtigia, Auſtro flante citiùs pereunt. Matutina veſtigia certiora ſunt ſi à medio noctis ningere deſinat. Noctes hybernæ, quia longiores, veſtigia longinqua præbent. Vere, ob anni temperamentum, certior eſt per veſtigia veſtigatus: niſi quòd terra vbi ſubmittit flores, odores confundit. Præterea feruor æſtatis conſumit halitus terræ, vt inde canum nares minus ad percipiendum inueniant. Hyeme & æſtate veſtigia plerumque recta ſunt: vere confuſa, leporum præſertim, qui tum præcipuè laſciuiunt, hâc illâc vagantur, & implicant veſtigia in glabretis: proinde, vt in locis puluerulentis ac ſqualidis odor ſit exilis & fugax. In herbidis & vepretis odoratiora ſunt, ideo, quòd non pedum duntaxat, ſed crurum quoque, & corporis affrictu veſtigiaria ſemita odorem retinet. In opacis locis odor minùs vaneſcit. Olfaciendis cubilibus ferarum, quàm veſtigiis diutiùs immorantur canes.

VI. *Capiuntur feræ non vno modo.*

Feræ vt capiendæ.

Capiuntur, inquam, tendiculis, laqueis validis, machinis, foſſis leui calamo coopertis, canibus validis, caſſibus, retibus, iaculis, venabulis, lanceis, veneno, eſcis variis &c. cumque grandiorum ferarum ſuſcipitur venatio, de frondoſis arborum ramis, tum in ſyluis, tum in campis, quâ tranſituræ ſint feræ, ante oppanſa retia ſcenæ ſeu vmbracula componuntur, quibus ductores emiſſariorum ſe occultant, expectantes dum adueniant illæ, vt confeſtim eos cum clamoribus emittant, & in retia compellant. Quod minimè faciendum, antequam præter ſcenas cucurrerint. Magno ibidem opus eſt ſilentio: ſunt enim auritæ feræ, facileque inſidias ſuſpicantur, & aliò curſum ferunt. Cùm autem variæ ſint artes capiendarum ferarum, in illis etiam hæc. E quercu ſuſpendunt inteſtina animalis alicuius, & intus abſcondunt vncum ferreum, quem aſſiliens fera cùm deuorauerit, pendens in aëre latentem venatorem delectat.

VII. *Tempus venationi accommodum ſic habet.*

Tempus venationi aptum.

Æſtate optima eſt venatio à mane ad meridiem: tum quippe ſolis radij veſtigiorum halitum diſſipant, quem etiam luna plena extenuat. Veſpera verni temporis idonea habetur irretiendis leporibus, & figendis ceruis libidinantibus. Tempeſtas, pluuiæ, imbres odorem veſtigiorum præpediunt, & autem canum per fruteta ſtirpeſque currentium aquâ opplentur. Flante Auſtro, quia humidus eſt, quemadmodum pluuiis, olere veſtigia de

gia desinunt. Aquilonibus, sereno cœlo, odor manet. Optima censetur venatio leporis à medio Septembri vsque ad medium Aprilem: cerui, mense Septembri: apri, primâ & adultâ hyeme &c.

Venabulum quale.

VIII. *Venabulum, quo maiores feræ conficiuntur, erit eiusmodi.*

Hastile ipsius sit ligni durissimi, quò difficiliùs frangatur. Ferrum præfixum sit anceps, & acutum probè, & acuminatum satis, quò celerrimè & maximè in corpus descendat. Quà hastili committitur, aures vtrinque extantes habeat: aut certè transuersim ad commissuram pessulus corneus alligetur, ne percussa bestia se in venabulum præ irâ eò vsque induat, vt quasi veru affixa ad venatorem ipsum perueniat.

Venatoria specialis.

IX. *Thereutica specialis duo requirit; cognitionem naturæ ferarum, & peculiarem artem capiendi, siue illa sit aperta, siue operta, id est, insidiis constet.*

Prima illa pars requirit Physicæ cognitionem: altera matheseos. Etsi verò Thereutica (idem est iudicium de Ixeuticâ & Halieuticâ) vtatur principiis Physicis benè multis: tamen accensetur artibus mechanicis mathematicis ob principalem respectum, qui est mathematicus. Captura siquidem, & illius instrumenta, requirunt mathesin. Cæterùm separatim de huius aut illius feræ capiendæ modo differere, non est nostri instituti. Sufficit hoc adnotasse, Thereuticam perfici, vel vi, vel dolo, verbi gr. lepores capiuntur canibus, retibus, laqueis: lupi similiter. Itaque quod in Politicis, idem in Thereuticis obtinet, vt insidiis fallamus hostem.

Venatoria generalis authore Natale Comite.

Atque hæc est sciagraphia Venatoriæ, quam *Natalis Comes* eleganti carmine complexus est, hâc methodo. Rem & artem venatoriam describit quatuor libris. Venatoria generalis est *lib.* 1. specialis est *tribus seqq.* v. gr. venatio elephanti, lupi, thoæ, hyænæ, &c. est *lib.* 2. vrsi &c. *lib.* 3. pardi &c. *lib.* 4. Nos librum primum, certis sectionibus distinctum hîc exhibemus.

I. Tempvs.

Veris vbi aduentum mollis cantauit hirundo,
Et Zephyrus Boream gelidum legauit ad axem,
Nauita cùm primis scindit freta lata carinis,
Prætendens leuibus volitantia carbasa ventis,
Tempora tota die sunt venatoribus apta.
Nam neque tunc horrent torpentia frigora brumæ.
Nec nimio vtuntur florentia prata calore.
Tum facile est reperire feras, quas vndique mollis
Cogit amor: cunctæ stimulis agitantur amorum,
Et studio cunctæ sobolis generisque parandi.
Nil adeo est immane, ferum nil saltibus errat,
Vt blando victum non & mitescat amore.
Sic natura dedit, nam quò breuioribus vlla
Clauduntur vitæ spatiis numerosior illa
Hoc reparat proles: est vnica machina mundi
Perpetua. Et multos viuendo præterit annos
Phœnix, quæ solâ reparatur denique prole.
Hinc querulis volucrum complentur vocibus arua:
Hinc syluæ resonant, hinc purgatissimus æther.

II. Arma.

Nec priùs hinc saltus, ignotáue rura petamus,
Quàm fuerit notum quæ venatoribus arma
Conueniant, queîs dextra viris armetur, & ipsæ
Queîs sine non potuere feræ cædique capique.
Inprimis laquei, pedicæ, longumque panagrum
Adsint, & falx, & lato venabula ferro.
His addas amenta, leuis cum robore pennæ,
Pugnaces arcus, vallos, furcasque bicornes,
Atque lagobolion, tum dextrâ flexile vimen,
Et quodcunque genus retis venantibus aptum.
Viginti valli, trigintáue retia firment,
Sit retis duplex illis mensura: feraci
Cassibus adueniat lectum Carthagine linum,
Phasidis aut campis rapidi mittatur aquosis,
Anulus hinc casses suspensos plurimus ipsos
Contineat, prædâ vt concurrant retia captâ.
At si vallorum fuerit minor vllus, in altus
Hunc poterit dorsis elatæ figere terræ.
Hinc atque inde canes teneant qui retia seruant
Vltima, dextra quibus iaculis armetur acutis.
Omnia nec nostro comprehendi carmine possunt.
Retia non eadem cunctis animalibus apta.
Sunt diuersa viris pariter piscantibus illa,
Et variis confecta modis, nec casse in eodem
Cum cephalo saltat thynnus, cancrique marini.
Non illo trahitur vitulus quo sepia reti.
Nec cum passeribus veniunt ad littora congri.
Adde quòd & plumbum suspendit retibus imis
Piscator, quòd vallus abest qui mergat in vndâ,
In summis retinetur aquis à subere retis
Altera pars: hominum valuit solertia tantum,
Vt velut in terrá, tensos in fluctibus altis
Firmarint casses spumantis in agmina ponti.
Contrà venanti non vlla penuria terræ est:
Retia nec plumbum, nec suber molle requirunt,
Sed firmè fixis vallis, furcisque tenentur,
Commoda nec duræ desunt anteridis ipsis
Aucupibus pariter non desunt vimina longa,
Nec furcæ virides, natiuo aut cortice valli.

III. Canes.

Hæc vbi parta, canes quæruntur cursibus acres,
Quique probi generis sint, in certamina fortes.
Nunc age quæ paruo catulo sit cura legendo,
Quis color & species, quæ forma in corpore toto
Conueniat, referam. Color est deterrimus albo.
Nec placeat niueis maculis signatus & atris:
Aut longis nimiùm villis, fuscoque colore.
Sit toruâ facie, cilio sint lumina nigro:
Os habeat latum: quos & dixere caninos,
Quatuor huic valido spectentur robore dentes.
Lumina magna placent, & pectora lata, caputque
Grande satis, collum longum, villosaque cauda
Ipsa decet, latique humeri, sint fortia crura:
Crassa magis sint ipsa tamen postrema, micanti
Sint aures tenues, patulis & naribus efflet.
His animaduersis nimiùm nec crassa legantur
Membra, nec in tenui quærantur corpore vires.
Hæc catuli species, hæc laudatissima forma,
Quæ præ se fert sæuitiam; hoc est aptior vrsis
Quò magis accedet, fueritque simillima toruis,
Cecropius catulus est quem dixere parippum,
Indicus, Argolicus, Thrax, & Cretensis, Alanus,
Celticus, Arcadicus, Spartanus, Thessalus, atque
Corsus, & Ausonius, Bretreus, Amorgus, Iberus,
Incola arundiferi Nili, quem Caria nutrit,
Castorides, venatori gratissima turba,
Magnetes, gregibus custodia fida Molossus.
Sunt quos diaponos dicunt, venantibus apti.

Tu quos ad studium venandi legeris, & quos
Dixeris hinc comites cursus, cædisque ferarum,
Quære mares: maribus maior vis est animusque,
Et meliùs tolerare valent certamina longâ.
Præcipuum hinc inde à teneris impende laborem,
Vt suescant pugnare feris hi cernere adultos,
Et videant cornu, & voci parere vocantum.
Cùm Phœbe decies nitidum compleuerit orbem,
Paulatim suescant cursus tolerare laborem.

Fit facile, à teneris quod primum dicitur annis.
Et nihil est quod plus longâ assuetudine possit,
Nec nulla hinc merces sequitur te digna laborum,
In loca dura canes si duxeris, aspera montis
Per iuga syluestri populo vix peruia sæpe.
Scilicet hinc vngues solidæ, corpusque labori
Aptius est paruo; magnum quod pertulit antè.
Magna laboranti frustrà sunt præmia parta.
Inde vbi creuerunt, maturaque venerit ætas,
Quos legis armento, clauis armentur acutis:
At quos venandi studio delegeris, apri
Fulmineum vt vitent dentem, morsusque ferarum:
His face diploides, quas molli vellere comple.
Sed neque dura nimis collum collaria cingant,
Latáue, stelmoniæ catulis, & lora parentur.

Ast vbi iam Boreas inuadit frigidus arua,
Et glacialis hyems currentia flumina sistit,
Arcendæ à plantis concretæ frigore crustæ,
Atque armandus erit pes, ne mala frigora lædant,
Et tellus concreta gelu spinæque rigentes.
His actis, quoniam labuntur tempora vitæ, &
Optima quæque dies, subit improuisa senectus,
Et morbus rapit, & sæua inclementia mortis,
Est proles reparanda tibi: pecus omne nouandum
Dum licet: hoc studium viuentia cuncta requirunt.
Nam Pater omnipotens qui nutu regna gubernat
Cælorum, & terras, & strati marmoris vndam,
Haud facilem cursum miseris mortalibus aui
Esse dedit, variis torpentia pectora curis

Mouit, & ingenium fecere incommoda cautum.
Vere nouo poscunt genitalia semina terræ,
Vere magis teneri curatur vulnus amoris,
Conueniunt Veneris captæ dulcedine gentes.
Squammigeræ, totus pontus tum feruet amore,
Impia cum posito mitescunt ora veneno.
Vere sonant syluæ volucrum concentibus altæ:
Et totus feruet Veneris ducedine mundus.
Candida tum quærit cornutum bucula taurum:
Atque inter flores iungunt sua rostra columbæ.
Vere feræ, & catulis Veneris sunt gaudia curæ.
Tum cuicunque canum studium, cui Delia curæ.
Castra sequi, canibus subiit iam cura parandis.
Veloces celeri iungantur, fortibus acres:
Fortibus eximij nascuntur. Alanus Iberæ,
Cares Treiciæ nymphæ iungatur, & Arcas
Eleis, gens vna tamen felicior vnâ
Nascetur ex specie. Ponantur nomina cuique
Certa cani, teneatque ad summum syllaba bina:
Protinus vt noscat voces, & verba vocantum.
Præterea mul[illegible] referet, cùm venerit hora
Lucinæ, & partus tenues in luminis auras
Ediderit connixa parens, plena vbera matris
Siccent: nec primum lactentes ora bouino,
Aut ouium imbuti tibi sint, vel lacte capellæ,
Natura & mos nutricis cum lacte bibuntur.
Ceruarum siccent, damarúmue vbera, matris
Copia si desit, vel toruæ dura leænæ.
In melius vertenda tibi est natura; videmus
Sponte suâ in peius ruere; arbuta Bacchi
Si desit cultus, si laxis palmes habenis
Huc illuc eat, & nulli sit cura colono,
Nil feret, aut paruis fiet labrusca racemis.
Hoc quoque venantes primùm monuisse sagaces
Profuerit, catulos sectari montibus altis
Ne vulpem patiantur, eos à cursibus illis
Continuò reuocent, ne spinæ corpora lædant.

IV. EQVI.

Sed iam cura canum cadere, & succedere equorum,
Incipit, hos etiam vocat in sua Delia castra.
Capreolos, lepores, ceruos, damasque volantes
Sæpe necesse sequi spatiosa per æquora campi.
At natura viris pariter velocibus esse
Non dedit: ingenio quibus est prudentia maior.
Idcirco quæruntur equi, qui cursibus acres,
Qui gyris apti sint, in certamina fortes.
Nunc age quæ species referam, quæ forma legendis
Præpetibus quæratur equis; quæ prima iubemus
Grande satis corpus sit: membra rotunda, caputque
Exiguum, densis velentur corpora setis:
Os mediocre, breues aures, naresque patentes:
Nec placet hirsutum cilium nimis, alba nimisue
Lumina, ne latebris veluti latitantia; frons sit
Læta, solum firmo pulset grauis vngula cornu.
Sed neque dura nimis placeat; nam scinditur æstu:
Quæ tenera est, facili pariter consumitur vsu.
Sit longum corpus & densum, pectora lata.
Per lumbos duplex & agatur spina, natesque
Sint pingues, sit densa iuba, & decumbat in armo
Dextro; compositum crus omnes flectere nodos
Possit, velocique fugâ prauertere ventos.
Cauda decet crassa & setis densissima longis.
Est albo color haud aptus, candore niuali
Aptus equus, pariter maculis signatus amœnis.
Omnibus est aptus color hic qui purus, & ipsâ
In specie sincerus adest, maculæque nitentes.
Optimus Armenius pullus, Tyrrhenus, Achiuus,
Arcadicus, Maurus, Siculus, Thrax, Magnes, Iberus,
Sarmaticus, Lybicus, Cretensis, Erembus, Epeius,
Celticus, Ioniusque, Epirique incola campi.
Denique quàm varium genus est mortale, & equorum
Progenies, tamen in quauis virtute videbis
Præstantes specie, nulla est ita prouida tellus,
Vt non triste ferat quid: non ita perfidus vllus,
Vt non quid pariat mortalibus vtile, campus.
Cernis vt vrtica, & spinis paliurus acutis,
Purpureæque rosæ surgant, violisque propinqui.
Quod superest, semper quando velocior est mas,
Quære mares: arcenda procul tibi fœmina solis
Saltibus, eius odor patulis si naribus hæsit,
Discurrunt Veneris capti dulcedine campos:
Intempestiuis hinnitibus intonat æther,
Concussæque tremunt syluæ, nemus omne remugit.
Nil calcar, nil frana iuuant, nil sæua morantur
Verbera, nil alti montes, nil fluminis vndæ.
Quò Deus acer agit, stimuloque potentior omni,
Huc fugiunt, huc fert animus, huc cœca voluptas,
Excutiunt equites, syluasque ferasque relinquunt,
Velocique fugâ superant plana æquora campi,
Quòd si fortè tenent equites sua fræna, reguntque,
Diffugit tamen hinnitu perterrita dama,
Et quæcunque feræ syluas, montesque pererrant.
Cappadoces dicuntur equi præstare superbis
Cursibus, atque animis: veniunt venantibus vsu,
Militibusque feris, splendentibus ære cateruis.
Præterea iuuenes quos in sua Delia castra
Eligit, haud nimiùm pingues, tenuésue legemus.

V. ÆTAS VENATORIS.

Nec venatori spargantur tempora canis.
Sæpe feras per densa sequi virgulta necesse est,
Sublimem vel scandere equum, ac decernere ferro.
Tardior in pugnas pinguis, cursusque laborem.
Fert ægrè senior cursumque & prælia longa.
Non audit voces horum Dictinna precantum,
Sunt tres bellantum species, tria castra parantur.
Hæc regit immanis Mauors, quique impius ære
Stultos armauitque homines, & strauit in aruis.
Militiam iuuenis petit & tua castra Cupido:
Hunc armas precibus, lachrymis, donisque, querelis.
Tertia venantum curæ tibi Delia castra:
Retibus hos armas, & ferro, Diua, nitenti.

Canus non gratus primis, non ille secundis
Accipitur castris, reiectus & ille supremis.
Quòd si consilium senibus, si plurima rerum
Visarum memori desit prudentia menti,
Iam nihilum quod restet erit: sunt fabula vana:
Quidue aliud quàm pondus iners & inutile terræ?

VI. VESTES.

Dicendum & quæ sint vestes venantibus aptæ:
Nec decorat tantùm vestis gestamen honestæ,
Quâ pro quisque suo vestitur munere, quantum
Muneribus sumptis prodest, rebusque gerendis.
Conueniunt longæ vestes qui publica tractant
Mnia, consulto iuris populumque regenti.
Conueniunt succincta viris venantibus ipsa
Pallia, ne rapiant spinæ, aut virgulta morentur
Currentes: rapido resonent neu flamine venti:
Profuit & nudis pedibus vestigia quæri
Cæca feræ, ne fracta sonent arentia ligna
Sub soleâ, moueantque feras sua linquere lustra:
Scilicet aduentasse viros, mortemque parari.
Semina tùm credis scopulis arentibus æstu.

Læua canes ducat longis firmisque ligatos
Loris, ne intempestiui certamina tentent:
Sed tamen hos facilè & possis immittere viso
Continuò lepori, nec vincula stricta retardent.
Venantis lato teneat venabula ferro
Dextera. Venantes taceant homineśque canesque.
Hæc suescant catuli præstare silentia parui.

VII. CVRA CANIS.

Quod superest, celeris catuli cui credita cura,
Nutriat illecebris hunc, & sibi iungat amore.
Sic facilè & noto Domino parere iubenti
Disceret, acceptisque sequi vestigia signis.
Nam neque difficile est, naturâ cùm sit amicus,
Conciliare tibi catulum, custodia fida:
Inconcussus amor canis est per tempora multa.
Pyrrhus inauditum catuli testatur amorem:
Cuius (vti fama est) dominus cùm fortè iaceret
Insidiis cæsus, stabat lacrymabile corpus
Obseruans, non ille cibi, non fontis amore
Abduci poterat, cupiens mirabilis vsque,
Vsque querebatur dominum, lacrymasse putares,
Leniter interdum vultum lambebat & ora:
Tum rursus lacrymans dominum, residensque vocabat.
Quæ res vt Pyrrhi regis peruenit ad aures,
Indoluit: miratus enim quo vinculo amoris
Sint homini deuincta canum fidissima corda.
Nec visum est audisse satis, sed cernere coràm
Rem voluit, cupiens vlciscier impia facta.
Nullus at in totis reperitur denique castris
Qui fuerit cædis, qui tanti criminis autor.
Inde canis domini tumulato funere regem

Multa

Multa gemens sequitur, lætatur tempore nullo,
Non ille illecebris, non blandâ voce mouetur:
Sollicitant curæ domini languentia corda,
Pectora non capiunt noctu, non luce quietem.
Pluribus exactis Pyrrhus per castra diebus
Ibat, vt instructus acies, vt viseret agmen,
(Admiranda cano, sed priscis cognita seclis)
Fortè canis nouit dominum qui nocte cecidit,
Autorémque necis latratu concitus alto
Hunc accusabat cædis, solúmque petebat.
In pœnas poscebat eum, Pyrrhumque vocabat
Queis poterat signis hunc aspiciebat, & inde
In domini autorem cædis latrabat, apertè.
Vt scirent omnes domini quis funeris autor.
Tum rapitur miles manibus post terga reuinctis,
Ducitur irati mox ad tentoria regis,
Hic gaudere canis posito mœrore, bonumque
Blanditiis multis regem mulcere, proteruus
Vt daret emeritas miles pro crimine pœnas.
Intulit huic mortem, quod non sperauerat vnum,
Cognita res tandem, nec possunt impia facta
Delituisse diu: testatur Capparus olim
Actæi templi custos, rigidisque satelles:
Nam fuerat Phœbo Nymphaque Coronide nato
Sacratum templum, sacratâ in Palladis vrbe,
Argenti diues, donatæ vestis, & auri:
Multaque vestibat muros votiua tabella.
Huc ægri soliti qui conualuere medelis
Munera ferre Deo, conspersa cruore iuuenci
Vsque tepebat humus, semperque calentia thure
Structa Deo centum stabant altaria circum,
Cuncta sacerdotum seruabat munera cura.
Hos latuit, vigilis quanta est solertia furis,
Munera multa virum rapiens fur visa relictis
Quæ pretiosa magis, argenti pondus & auri
Arte laborati: custodes non tamen omnes
Et latuit, vigil vnus erat custodia semper
Fida canis, cui Capparo erat nomen. Deus ille
Diuino afflatu seu mouit prouida corda:
Seu res quæque suas animalia cuncta tuentur,
Huic nostro studio, nostræque obnoxia curæ,
Nostra putamus enim tutelæ credita nostræ,
Nescio quo templi seu res seruabat amore.
Ac veluti illius cuperet dispendia, furem
Ponè secutus eum est, nullo non inde timore,
Blanditiisue minisue potest diuellier vnquam,
Quòd latuisse viros seruantes nouerat: illum
Sæpe canem saxis petiit fur, sæpe latendo
Fallere crediderat: sed nullâ denique fraude
Decepisse valet, semper comitatur euntem.

Hunc accusabat latratibus, vsque petebat
Quæ cœpit dominos latitans de diuite templo:
Blanditiis alios mulcebat, non secus ac si
Auxilium peteret: quæ res vt venit ad aures
Actæi populi, multis narrata sequentis
Forma canis, multi magnis mittuntur Athenis,
Munera raptori rapiunt, furemque reducunt,
Tum gaudere canis partis quæ amiserat antè.
Et rursus petiit templi sibi limina nota:
Fur dedit emeritas tanto pro crimine pœnas.

Tantus amor canibus, tanta est custodia rerum.
Decreuere canem partes tempora cuncta
Nutriri lautè, merces hæc vna laborum
Digna canis, tanto sed non & commoda facto,
Possem multa canum variorum exempla referre,
Ne pigeat studium paruarum noscere rerum.
Nec paruæ canibus curæ est custodibus ipsis
Et res & dominus: testatur vertagus acer.

Nam solis agris, & solis saltibus errat,
Atque capit quodcunque potest prædamque reportat
Hinc domino: nullo tardatur munere, nullis
Blanditiis capitur, sua pignora chara putares
Nutrire, est tantæ domini custodia curæ,
Multa exempla canum sunt priscis cognita seclis,
His tamen haud nostris multo peiora diebus.

Sed res in peius tendunt, sunt deteriores
Quàm fuerint, hodiè nummorum sola libido
Nunc omnes complet libros: nil inclyta facta
Curantur, nil egregium committere chartis
Mos est: obscuris voluuntur cuncta tenebris.
Quid nisi mollitiem nostram, lucrumque minores,
Quâ ratione, legent, mercator iunxit aceruo?
Quot nam Bergnus ait, lætoque Bocatius ore,
Quæ foret æternâ celaria nocte decorum?
Sed reuocant Dryades, Syluarum numina cœca
Errantes ad lustra petunt, atque antra relicta
Sacrati nemoris, viridans vbi populus illa
Alta tegens ramis prædulci murmurat aurâ.

VIII. Delectus temporis.

Nunc quo conueniat venari tempore vel quâ
Parte anni, lucisque mihi narrate Camenæ.
Nauita veliuolæ cùm pandit carbasa puppis,
Et secat hyberno posito freta læta tumultu,
Tempora tota die sunt venatoribus apta:

Lumine cùm primo Phœbus lustrauerit orbem,
Iamque parentur equi, casses, homines que canesque.
Lætaque rura petant quærentes lustra ferarum,
Mox vbi sol medium cœli conscenderit altus,
Et paribus spaciis Eoæ littora terræ,
Occiduasque domos distantes viderit, & cùm
Significans gregibus pastor florentia rura
Liquerit, & natis referent plena vbera matres;
Tempus gramineis est prandia sumere mensis,
Sunt vbi labentes fluuij, fontesque perennes,
Vmbrosi nemoris natiui pumicis antra,
Vel quercus sacrata Ioui, vel grata Coronæ
Populus Herculeæ, & ridentia marmora musco.

Venantes homines sequitur iucunda voluptas
Plurima, nec sudore minor: de rupe ruentem
Nunc aprum cernunt, nunc altâ rupe morantem
Prospectant ceruum, venator cominus illum
Mirantem cædit, catulos vel ponè timentem
Retibus implicuit ferroque obtruncat acuto.

Ipsa fames iucunda venit venantibus: vllas
Delicias non expectant, quas improba ventris
Ingluuies reperit: contenti simpliciori
Sunt mensâ, nec fœmineus syluestria luxus
Ingreditur: carpunt alto quæ plurima monte.
Nascuntur, quæ sylua tulit, si lumina quando
Arrepit somnus fessis medicina laborum,
Inuitant volucrum cantus, dulcesque susurri.
Et Zephyro quæ sylua tremit iactata sereno.

Nec desunt herbæ molles gratissima strata,
Inuidiosa toris auratis, murice tinctis.
Pòst vbi gramineâ fessus requieueris vmbra,
Et sol de medio cœli descenderit altus,
Læta per arua canes rursus vestigia quærant,
Donec in Oceanum flammatos lurida solis
Præcipitarit equos nox, primaque duxerit astra.

Mox vbi iam primùm cuculus cantauerit æstum,
Et querulis latè resonabunt arua cicadis,
Sub lucem tremulis etiam splendentibus astris,
Iam petere arua canes celeres, saltusque iubemus
Immodici interdum delent vestigia rores,
Plurimus & grauidis diffusus nubibus imber,
Aut grauis arboribus incumbens flamine ventus.

Hoc libuit monuisse prius ne forte Dianam
Incuses deleta petens vestigia frustrà.
Æstate inuenies vestigia recta ferarum,
Quæ fuerant olim vernis obliqua diebus,
Cùm syluis agitabat amor, Venerisque cupido.
Sol vbi flammiuomus consperget lumine campos,
Excutient matutinas & gramina guttas,
Cùm grauis incumbit campis arentibus æstus,
Linquendi saltus & lumina nota petenda.

Inuisa est adeò canibus velocibus æstas,
Impediunt herbæ currentes, & premit æstus,
Vt vere homini, canibusque sagacibus aptum:
Nam neque tunc nimius calor, aut noua gramina tardant.
Interdum rapiunt vestigia floris odores.

Cùm repetunt armenta nemus, cùm pascua læta,
Area nec Cereris grauiter gemit vsta calore,
Rusticus ad ventos paleas sed iactat inanes,
Mitior est terris solis calor: arua iubentur
Rursus adire viri venantes, atque canum vis,
Ac vbi Libra diem paribus diuiserit horis,
Et noctem, vel dira Nepa cùm surgit ab vndis
Stella, coronatus pomis Autumnus apricis
Collibus insidens pluuium spectabit ad Austrum,
Quantuscunque dies est venatoribus aptus.

Nam neque tunc æstus lædunt homines que canesque
Currentes, nimium nec gramina longa retardant,
Non hyemis glacies concreta fluminis vndâ.

Est eadem ratio venandi, cùm legit vuas
Rusticus, eque fauis liquentia mella premuntur,
Cùm trudunt nudos spumantia labra racemos,
Fructilegique virent solertis tecta coloni,

Quæ fuit

Quæ fuit antè grauis, cùm primum inuisa colubro
Candida venit auis, tellusque nouatur aratro.
Hoc etiam meminisse iuuat: cùm candida Phœbe
E regione videt fratrem, cùm distat vtrinque
Penè æquo spatio pulsantibus æthera flammis.
Non adeo redolent vestigia cæca ferarum.
Cùm vitream glaciem turgentia flumina trudunt,
Et pontem concreta gelu dant antè carinis
Sulcata, aggeribus niueis latet abdita tellus.
Pars media est lucis duris venantibus apta.
Phœbus vbi primum liquidis extollitur vndis,
Cœliuagis vel demit equis iuga flammea, frigus
Ferre graue est, coit vnda, priùs resoluta tepenti
Si qua calore fuit solis, cùm sidera surgunt:
Et noua lux actæ sapiet mala frigora noctis.
Interdum rapiunt imbres vestigia densi.
Nunc glacies concreta, niues, gelidæque pruinæ.
Sunt hyemis longi tractus quos noctibus errant
Per nemora alta feræ. Sed iam demittere vela
Tempus adest primùm demensis nauibus æquor.

SECTIO DVODECIMA,

In quâ delineatur

IXEVTICA.

PRÆCEPTA.

IXEVTICA est ars directrix aucupij: *seu*, est ars bene capiendi aues. *Dicitur etiam* Ornithiaca, & Ornithothereutica. Estque generalis, vel specialis.

Ixeutica generalis edisserit causas, effecta, subiecta, & adiuncta aucupij.

Causæ sunt hoc ordine.

Finis est capere aues.

Efficiens principalis est auceps: instrumentalis sunt equi, canes, & arma ixeutica.

Materia est auis.

Forma est in obseruatione, insectatione, & prehensione auium; eaque violenta, vel occultâ.

Effecta sunt in vtilitate & voluptate.

Subiecta sunt loca, vbi aues degunt. Suntque naturalia, vt syluæ, aquæ: vel artificialia, vt caueæ, & alia viuaria.

Adiuncta sunt tempus, vestes, & cura canum ixeuticorum.

Ixeutica specialis est ratione auium, & nationum. Ibi est aucupium aquilæ, accipitris &c. hîc est aucupium vsitatum in Germaniâ, Galliâ &c. Itaque huc pertinet Falconaria, & Accipitraria.

REGVLÆ.

I. *Ixeutica, siue aucupium, est ingenuum, honestum, iucundum, corpori salubre studium, moderatam habens exercitationem mediocri aut paruo labore, citra periculum.*

Itaque iure præfertur venationi: in qua oportet per inuia properare, per arbusta, spineta, per saxosa & aspera locorum, per syluas modò huc, modò illuc, modò sursum, modò deorsum per montes currere; id quod magnas conciliat lassitudines. Incidere autem vel in horribilem vrsum, vel in spumantem aprum, vel in furibundum ceruum, quàm dirum? Tolerabilior quoque sumptus, & minor apparatus capiendis auibus. Cùm contra in venatione canum centuriæ, magnarum impensarum & formarum complurium retia, venatorum famulatorumque turba sit necessaria. Solo propemodum reti, visco (vnde Ixeutica nomen trahit) accipere, auceps suum munus, sine comitibus, sine canibus facilè exequatur.

II. *Aues capiuntur variis modis.*

Capiuntur, inquam, retibus, reticulis, tendiculis, laqueis, plagis, decipulis, pergulis, visco, bubone, volatu auium prædatoriarum, cantu auium eiusdem speciei, canibus, iacubs, quolibet telo, inescatione, cantu fistulæ.

III. *Cùm diuersa sit natura auium, & locorum quibus nidificant, & pabulorum quibus victitant, & non quæuis ratio aucupandi in quoduis genus conuenit. His adde diuersitatem temporis.*

Sunt aues campestres, & vescuntur seminibus, maturisque frugibus, & fructibus, & vuis, & ficubus, & oliuis. Sunt lacustres, & palustres, & marinæ, amantes flumina, quæ herbarum fibras, & vermiculos, & oua gurgulionum locustarumque pro nutrimentis habent. Aliis retia aptiora, aliis pedicæ, aliis viscum quo implicentur. *Aucupium accipitrum* viris principibus hodiè solenne, antiquis pene ignotum. Sunt autem plura genera accipitrum: & alij prædam inuolant, alij deprimunt. Videre est nonnullos humi delitentem prædam, in orbem supra locum volitando, eamque velut circumscribendo prodere. Cùm autem lattatu canum, & vociferatione venatorum, latibulo expulsa fuerit, sursum & deorsum celerrimo volatu ferri, ipsamque aut vellicare, aut terræ allisam enecare. Sunt qui prædam nisi volantem non inuadunt. Quidam cum præda capta ad terram deuolant. Nonnulli delectati apricatione interdum longius per ætherem tranât. Quocirca tintinnabula cũ cælatis dominorum insignibus appenduntur, per quæ cuius sint cognoscantur, suisque dominis restituantur. Debet accipitrarius accipitrem dextræ chirothecą munitæ insidentem circumferre crebrius, eumque è manu pascere, quo magistrum, eiusque vocem tantò perfectius agnoscat. *Fulicæ* spuma, quam auidè appetunt, inspersa capiuntur. *Struthiocameli* celeriter currunt, non volant. Itaque defecti viribus, per cursum ab equitibus comprehenduntur. Valet in eosdem etiam arcus. *Perdices, & coturnices* nec valde sublimè, nec admodum longè volant. Quò ab aucupibus tutæ sint, in segetibus & vepretis oua deponunt, & excubant. Pullos ad exemplum gallinarum, fouent atque ductitant. Perdix, cum ad nidum accesserit auceps, ante eius pedes tanquam alis vulsis se volutat, spem sui capiendi faciens, & hoc actu eum remorans, dum pulli auolant. Fit perdicum venatio aut accipitre, aut nassa. Docenda autem est vna, quæ cæteras illiciat. Item canis excitat, accipiter capit. Verum ad perdicis, & coturnicis aucupium canis instituendus est, qui ante aucupem currat, & huc illuc discurrat, inuentaque prædâ consistat immotus, sæpiùs respectans, & caudam agitans. Tum retia pandenda, & cani auibusq; iniicienda erunt. Coturnix fistulâ vocem muliebrem imitante inuitatur In via media plaga extenditur, in quam se occurrendo induit. Quidam tradunt alliũ ita coctum, vt germinare nequeat, obiectum & deuoratum, stuporẽ auibus vertiginẽque tantam inducere, vt manu comprehendatur. Eodem valent escis immista semina lappæ, hyosciami. Nonnulli idipsum consequuntur vino, aut fæce vinariâ fontes inficiendo: qua ratione inebriantur. Funiculis visco illitis, eorumque capitibus ad ripam religatis, reliquo in aquâ immisso volucres per gurgitem summum nantes impediuntur & retinentur. De *monedulis, sturnis*, & omnibus pennigeris gregatim volantibus, quomodo capiantur, ita canit poëta nostri seculi, cuius extat liber ἰξευτικῶν.

Iam verò ruri vacuam si fortè per vmbram
Vsurpare oculis spectacula dulcia tentes,
Cùm volat, inque globum teretem se plurima versat
Nigra pedes, nigris velata monedula pennis:
Aëra seu sturni densâ impleuere caterua:
Ilicet è manibus reptim volet vnus & alter,
Asperso filum viscum qui ponè trahentes
Aëream repetant turbam, & se pluribus addiant.
Namque illos medio redeuntes agmine læti,
Dum fortè excipiunt alij circumque supraque,
Et nunc subter eum, filo retinentur, & alas
Impliciti cœlum magnis stridoribus implent.
Nec mora: ceu summo demissus ab æthere turbo,
Infima præcipiti labuntur in arua ruinâ.

Dispositis item per ramos arborum virgis visco perlitis, adhibitaque noctuâ fœmina, aut bubone, non difficilè aues capiuntur. Sunt enim hæ duæ volucres cæteris natura inuisæ, ad quas persequendas & vellicandas congregantur. Itaque vbi illæ sunt, magnam cernes reliquarum copiam. *De gruibus, anaticulis, turdis, oloribus, cornicibus*, & aliis auibus capiendis varia occurrunt in libris Ixeuticis. Nos vnum hoc loco trademus, ex eodem poëtâ, de sylua ad aucupium commoda.

Sed tibi præsipuè rectis stet consita sylua
Tramitibus mollem longè quæ iactet odorem,

Quæque

Quæque adeo duram baccâ turgente volucres
Inuitet sedare famem. Sit plurima laurus
Scilicet, & dulces hederâ viridante corymbi:
Sit quæ fœcundo fundat labrusca racemos:
Nec non & Cereri, pariterque accepta Dianæ
Myrtus: & haud vnquam cariem passura senectæ
Iuniperus: minioque breui quæ flore iuuenta est
Sambucus consueta frui: sit grata voraci
Ante omnes turdo plantæ syluestris oliua:
Et salice, semperque graues, semperque virentes
Lentisci, triplici solitæ grandescere fœtu:
Tum quæ purpureo fiunt matura colore
Arbuta tum fuscis cornæ immiscenda ligustris,
Quique suum frutices dixere à sanguine nomen:
Quæque ferunt planas viburna nigrantia fruges:
Et circum suaues pergant inolescere ficus.
Hæc nullam proui, a tibi sine diuite prædâ
Autumnique hyemisque sinent discedere partem:
Seu tu viscatis fraudes componere ramis,
Seu densos inter frutices, syluamque virentem
Curraces laqueos, pedicasque interdere malis.

Hæc sufficiant de aucupio; cuius duæ vulgo partes constituuntur, videlicet auium venatio, & per aues aliorum animalium, vt leporum; quò pertinet Falconaria & Accipitraria.

SECTIO DECIMATERTIA,

In quâ delineatur

HALIEVTICA.

PRÆCEPTA.

HALIEVTICA est ars bene piscandi.

Estque generalis, vel specialis.

Halieutica generalis persequitur causas, effecta, subiecta, & adiuncta piscationis.

Causæ sunt hoc ordine.

Finis est capere pisces.

Efficiens princeps est piscator: instrumentalis sunt canes qui ad aquaticam venaturam adhibentur, & omnis generis instrumenta, vt retia, & harum plures formæ, tridentes, fuscinæ, nauicula.

Materia est piscis.

Forma est in obseruatione & deceptione piscium; eaque violentâ, vel occultâ.

Effecta sunt in vtilitate & voluptate.

Subiecta sunt loca, in quibus pisces degunt. Suntque naturalia, vt aquæ: vel artificialia, vt piscinæ, & alia viuaria.

Adiuncta sunt tempus, vestes, & cura canum halieuticorum.

Halieutica specialis est ratione piscium, & nationum. Ibi est captio balænæ, salmonis, lucij &c. hîc est piscatio vsitata in Germaniâ, Angliâ, Indiâ, Norvvegiâ &c.

REGVLÆ.

Halieuticæ encomium.

I. *Piscatio est plena vtilitatis & iucunditatis.*

Vtilitas cernitur in eo, quòd pisculenta piscatoribus quidem lucrum adferunt, emptoribus autem in cibum cedunt. *Iucunditas* est partim in piscando, partim in eo, quòd præbentur non minus variæ atque illecebrosæ è piscibus, quàm ex auibus, aut quadrupedibus deliciæ. Cæterum piscatio paucorum est illustrata literis. Oppiani vnius poëma fertur ἁλιευτικῶν. Veruntamen in eo de marinis tantum piscibus capiendis agitur. *Plato in Sophistâ* halieuticam in duo membra diducit. Aut enim retinaculis, inquit, aut percutiendo piscamur. Retinacula sunt retia, nassa, laquei, verriculum, & lumen noctu adhibitum. Ad percussionem pertinent hami, quibus ore capiuntur pisces, trahente virga; & calamo subsidente subere.

Piscator qualis, & eius instrumenta.

II. *Piscatorem oportet esse hominem laboris patientem; vigilantem & sagacem, denique instrumentis instructum.*

Patientia requiritur in vniuersa venationis arte, cuius pars quædam est halieutica. *Vigilantia* piscatoris facit, vt pisciũ naturam, & peregrinationem, vt ita dicam, obseruet. *Sagacitas* facit, vt piscium fraudibus possit occurrere. Eius instrumenta sunt retia, nassa, scirpiculum, tridentes, fuscinæ, nauicula. Retium variæ sunt formæ, putà verriculum siue sagena, funda &c. Verriculi extrema alligantur funibus, quibus hinc globi plumbei, hinc suberis frustilla annectuntur: vt ex vnâ videl. parte descendat propter grauitatem plumbi deorsum trahentis, ex altera in superficie aquarum maneat propter leuitatem ligni.

Tempus piscationis accommodum.

III. *Capiuntur pisces omni tempore anni: quidam tamen magis æstate, quidam hyeme.*

Et quidem hyeme alij in vadis morantur, alij limo aut arenæ se credunt, alij sub scopulis habitare gaudent: & alioqui non iisdem locis omne genus delectatur; cùm sit quosdam inuenire inter saxa, quosdam in locis arenosis, quosdam in herbidis, & in multa vlua. Censent authores, sub orientem, & post occasum solem (quia tum visus eorum maximè fallitur) vtiliter piscatum institui. Addunt alij, sub noctem eos dormire, ideoque tum facillimè capi. Venti quoquo ratio ducenda est ad piscandum. Tranquillitas & ἀνεμία plurimum prodest. Alias flante Austro retia aduersus Boream: hoc spirante, aduersus Austrum trahenda sunt. Eodem modo, Euro & Zephyro spirantibus, faciẽdum.

IV. *Pisces capiuntur variis modis: qui reuocantur ad duo summa genera, vim & insidias.*

Piscantur alij nassa, alij hamo, quidam conto. Sed retium piscatio ditior est. Item corbibus & fiscellis nonnulli vtuntur. Hybernis mensibus, cum flumina glacie constiterunt, solent eam in orbem frangere; eò cùm pisces lucis cupidate adnatent, sine negotio capiuntur. Si verriculo piscatio fiat, interest iterare gurgitem: plures enim secundo tractu venient in potestatem. Nec verò non odorantur etiam pisces: inde fit, vt ad quosdam odores sibi gratos confluant, & ita facillimè in nassas cogantur. Anguillæ turbata priùs aqua capiuntur: nam purissima aqua delectantur, turbida suffocantur. Habent nempe branchias tenues, quæ facilè aqua turbida obturantur, vt aqua turbata ex fundo emergant. Cancri manu ex foueis educuntur, itemque lumine, & concussione aquæ, in modum tonitrui, sub cuius tempus ex abditis cuniculis & cubiculis exeunt. Lucius & trutta capiuntur laqueo, inprimis lucius. Fluuij minores vel aliò deriuantur, vel ad tempus sistuntur, vel quibusdam ex locis exhauriuntur: vnde piscatio facilis & diues ferè succedit. Inescantur etiam pisces, & quidem ita, vt esca idonea vel assetur, inque nassam indatur, vel hamo aptetur, vel vino sublimato aliisque rebus temperetur, quo fit, vt pisces velut inebrientur & manibus capiantur. Prodest etiam obseruare tempus, quo pisces coeunt, & hinc inde, mutatis sedibus commeant. Sic truttæ sub autumnum coeunt, & feliciter capiuntur. Sunt etiam pisces, qui non vno modo capiuntur. Quidam enim reti & nassa capiuntur, quidam reti capiuntur & fuscinis figuntur &c. De balænâ, canibus, lamnis, phocis, testudinibus, scaris, purpuris cephalis, salmonibus, mugilibus, apuis, thynnis, halecibus, spongiis, sepiis, hippuris, gobiis, alburnis, &c. vide alibi. Nobis satis est post vniuersam piscandi rationem, separatim de vno & altero piscis genere capiendo aliquid obseruasse. Colophonis loco illud ex *Æliano lib. 1. de animalibus cap. 23.* addimus: Sargus piscis mirum in modum capras amat. Earum in litore pascentium si vmbram conspiciat, gestit lætitia, & quam maximè potest, adnatat, & salire frustrà cupit. Earum odorem in fluctibus etiam percipit. Piscator itaque caprinam indutus pellem cum cornibus, struit insidias, sole à tergo relicto: atque farinam iure caprino madefactam in eam maris partem deiicit, in qua sargi sunt: quo illico odore capti occurrunt, farinam degustant, & maximè pelli caprinæ aspectu detinentur.

PERORATIO LIBRI XXX.


ITa ergo delineauimus artes mechanicas numero tres & decem, quæ sunt propagines artium mathematicarum. Vbi memineris, quemadmodum artes mathematicæ, aliæ sunt puræ, aliæ mediæ, id est, vel mathematicæ tantum, vel mathematico-physicæ, vt ita dicam: sic artes mechanicas, quæ sunt traduces matheseos, esse vel purè mathematicas, vel mathematico-physicas, semper autem à potiori, hoc est, à modo considerandi, qui est formale subiecti in qualibet disciplina, fieri denominationem.

FINIS MECHANOLOGIÆ.

IOAN. HENRICI
ALSTEDII
SCIENTIARVM OMNIVM ENCYCLOPÆDIÆ
TOMVS QVARTVS

Complectens huius Operis Partem Septimam.

CVIVS CONTENTA SEQVENS folium indicabit.



LVGDVNI,
Sumptibus IOANNIS ANTONII HVGVETAN Filij,
& MARCI ANTONII RAVAVD,
viâ Mercatoriâ ad insigne Sphæræ.

M. DC. XLIX.

CVM PRIVILEGIO REGIS.



INDEX LOCORVM COMMVNIVM Tomi quarti ENCYCLOPÆDIÆ.

LIBER XXXI.
LOCI MNEMONICI.

LIBER XXXII.
LOCI HISTORICI.

LIBER XXXIII.
LOCI CHRONOLOGICI.

LIBER XXXIV.
LOCI ARCHITECTONICI.

LIBER XXXV.
LOCI DISCIPLINARVM COMPOSITARVM.



INDEX QVÆSTIONVM Tomi quarti ENCYCLOPÆDIÆ.

LIBER XXXI.

QVÆSTIONES MNEMONICÆ.

LIBER XXXII.

QVÆSTIONES HISTORICÆ.

76 Quæ

LIBER XXXIII.

QVÆSTIONES CHRONOLOGICÆ.

LIBER XXXIV.

QVÆSTIONES ARCHITECTONICÆ.

LIBER XXXV.

QVÆSTIONES DISCIPLINARVM COMPOSITARVM.

SECTIO I.

SECTIO II.

SECTIO III.

SECTIO IV.

SECTIO V.

SECTIO VI.

Quæstionum.

Quæ

PARS

PARS SEPTIMA
ENCYCLOPÆDIÆ
IN QVA
PRÆCIPVÆ FARRAGINES
DISCIPLINARVM
Methodicè digestæ proponuntur

Quinque istis libris,

I. MNEMONICA.
II. HISTORICA.
III. CHRONOLOGIA.
IV. ARCHITECTONICA.
V. APODEMICA, CRITICA &c.



PRÆLOQVIVM
IN
FARRAGINES DISCIPLINARVM.



OC nimirum deerat nostræ Encyclopædiæ, vt eas disciplinarum farragines lumine methodi illustraret, quæ tanquam ἀπόλιδες *incertis sedibus errant , neque hactenus admissæ sunt in regnum literarum. Eiusmodi sunt Apodemica, Critica, Parœmiographia, Ænigmatographia, Mythologia, Stratagematographia, & aliæ. Has itaque breuiter delineatas in hunc vltimum tomum retuli, & Mnemonicæ, Historicæ, Chronologiæ, & Architectonicæ aggregaui. Nam & hæ sunt disciplinæ compositæ, seu mixtæ, vt patebit legenti & intelligenti. Valde autem prodest has farragines ciuitate, vt sic dicam, donare: quia incredibilem adferunt cognoscendi voluptatem, acuúntque ingenium ad rerum pulcherrimarum inuestigationem. Quæ cùm ita sint, confido viros bonos, qui rem quamuis suo pretio æstimare sunt docti, vehementer probaturos hunc nostrum conatum, & philoponiam. Neque enim ludendo hæc talia sic adornauimus: vti hauddubiè videbitur calumniatoribus, quibus & hunc bolum obiicere volui, vt genuinum infigant suum, verè suum, eúmque tandem aliquando frangant, & labores aliorum suis quoque laboribus aut emendent, aut illustriores faciant. Id enim decet eos, qui suum nomen profitentur in viris publicæ vtilitatis studiosis. Sanè magna gloriæ seges hîc relicta est rectis ingeniis: quam vt nobis præripiant, vnicum est nostrum votum, tantùm abest, vt inuideamus. Verùm enim verò quod Poeta canit de iustitiâ, illam assumptis alis terras reliquisse, & in cœlo posuisse suam sedem: id de candore nostrorum literatorum vsurpari potest. Vix enim est, vt inter mille sint decem, qui hâc virtute, tam necessariâ, sint prædití. Sed quid faciamus? Contemnere discamus illum contemptum, & solemur nos illo veteri:* Pauci quippe boni. *Sed missis tragicis & satyricis accingamur ad farragines nostras. Deúmque precemur, vt mentes nostras illuminet radiis & fulgore Spiritus sancti, vt in libro Naturæ & Scripturæ ea discamus, quæ decent filios Dei iure creationis & redemptionis.*

ENCY



ENCYCLOPÆDIÆ LIBER TRIGESIMVS PRIMVS,

Exhibens

MNEMONICAM.

CAPVT I.

De Fine Mnemonices.

PRÆCEPTA.



NEMONICA est ars composita bene excolendi memoriam: *eodemque sensu* Mnemoneutica, *vulgo* Ars memoriæ, *dicta* est.

Estque generalis, vel specialis.

Mnemonica generalis explicat finem, subiectum & media sua.

Finis Mnemonicæ est internus, vel externus. Ille est proximus, hic remotus.

Finis internus est tradere modum excolendi ac perficiendi memoriam.

Finis externus est ipsa memoriæ perfectio.

REGVLÆ.

I. *Mnemonica est peculiaris ars, distincta à Rhetorica & Logica.*

Memoria duobus modis considerari potest: videlicet tanquam potentia seu facultas naturalis, & tanquam habitus acquisitus crebrâ exercitatione certo modo & arte institutâ. Priori modo spectata non cadit sub artem, sed præsupponitur tanquam donum Dei, non aliter atque Logica præsupponit rationem lumenque naturæ. Sed posteriori modo est subiectum alicuius artis: quod ita patet. Philosophia debet sanare morbos animi, quantum ad naturalia attinet. Iam verò non solùm intellectus, voluntas & facultas loquendi sunt in homine corrupta, sed etiam memoria. Necesse igitur est vtæquè sanentur defectus memoriæ, atque reliquarum facultatum naturalium, quæ requiruntur ad liberalem eruditionem. Atque hanc ob causam semper extiterunt philosophi inde ab Aristotelis & Ciceronis temporibus qui artem memoriæ professi sunt. Inter illos autem alij existimarunt, hoc quidquid est artificij pertinere ad Rhetoricam, vel ad Logicam: alij peculiares præceptiones hac de re tradiderunt. E quibus posteriores illos rem acu tetigisse persuasum habemus. Nam memoria non tantùm artificij Rhetorici est custos, sed etiam omnium facultatum est thesaurus: ideóque præceptiones de ipsius cultura & perfectione vt communes sunt omnibus facultatibus, ita etiam communiter sunt tradendæ. Deinde etsi instrumenta Logica iuuant memoriam: ideò tamen in Logicâ non est docendum de cultura memoriæ: quia etiam aliarum artium organa conducunt ad perficiendum memoriam. Et verò peculiaria sunt memoriæ adminicula, quæ Logicus nullo modo delibare potest. Quæ cùm ita sint, nos methodum systematis Mnemoneutici hîc exhibebimus, & ex limpidissimo canali pectoris proferemus ea, quæ ad memoriæ perfectionem pertinere videntur. Qua quidem in re ita versabimur, vt & Memoristarum, quos vocant, vanitates omittamus, & audaciæ illorum occurramus, qui de hâc arte ita iudicant vt cuculi de musicâ philomelæ. Iniquis hisce iudicibus opponimus Keckermannum, qui *lib. 3. system. rhet.* Mnemonicam ita disponit.



Finis Mnemonicæ.

II. Finem internum Mnemonica semper obtinet, externum non item.

Ita enim comparatum est inter homines, vt alij sunt apti ad liberalem eruditionem capessendam, alij non item. Hinc multos videre est bardos, & veluti fungos, quos qui sibi sumunt instituendos, Æthiopem lauare instituunt. Et rursus alios videre est, qui citò percipiunt ea quæ proponuntur. Denique occurrunt multi, qui tametsi tardioris sunt ingenij, non tamen inidonei sunt ad discendum, præsertim si vrgeant suum propositum. Atque tres istæ differentiæ discipulorum in omni scientiarum genere se offerunt: adeóque etiam in Mnemonicâ. Sicut enim non omnes sunt idonei Logicæ auditores: ita nec Mnemonicæ finem vltimum omnes assequuntur, qui sequuntur. Et hinc nata est distinctio finis in externum & internum. Illum ars non semper assequitur, sed eo sæpe excidit ob varia impedimenta: hunc habet in suâ manu, ideóque ipso excidere non potest.

CAPVT II.

De subiecto Mnemonices.

PRÆCEPTA.

Subiectum Mnemonicæ triplex est; videlicet informationis, tractationis & operationis.

Subiectum informationis est memoria, eaque tum sensitiua, tum intellectiua.

Subiectum tractationis est modus excolendi memoriam.

Subiectum operationis est πᾶν μνημονευτὸν, id est, omne quod memoriâ comprehendi potest, seu omne recolligibile, vt loquuntur Scholastici.

REGVLÆ.

Memoria quotuplex?

I. Memoria est sensitiua, vel intellectiua.

Memoria sensitiua competit homini, quatenus est animal: intellectiua cadit in ipsum, quatenus est animal rationale. Vtraque sequitur temperamentum cerebri, de quo præcipiunt Physici & Medici. Mnemonicus itaque non debet alienam possessionem inuadere, sicut plerique hîc faciunt: sed satis habebit subiectum suum præcognouisse.

Quàm latè pateat τὸ μνημονευτόν?

II. Id quod memoria comprehendi potest, aut est sensibile, aut intelligibile.

Quemadmodum enim memoria est sensitiua, vel intellectiua: sic & illud, quod memoriæ obiicitur, aut est sensibile, aut intelligibile. Memineris autem hîc sub τοῦ αἰσθητοῦ comprehendi obiecta affectuum, & sub τοῦ νοητοῦ obiectum voluntatis, siue τὸ βουλητόν. Vnde colligere habes, quàm latè pateat Mnemonices vsus.

CAPVT III.

De Mediis mnemonicis ratione affectuum.

PRÆCEPTA.

Media seu adminicula mnemonica respiciunt impressionem, vel recordationem: & illam quidem facilem ac fidelem, hanc verò promptam.

Media, quæ respiciunt impressionem, sunt generalia, vel singularia.

Media generalia sunt, quæ omnibus in vniuersum prosunt.

Suntque ratione affectuum, sensuum & intellectus.

Ratione affectuum requiritur quies animi, & vehemens imaginatio.

REGVLÆ.

I. Memoriæ vis est duplex; firmiter imprimere, ac celeriter reminisci.

Vulgò dicunt, memoriæ perfectionem in hisce tribus consistere: videlicet in facili apprehensione, firmâ retentione, & rerum repetendarum expedita redditione. Sed hæc tria commodè reuocari possunt ad hæc duo, quæ diximus in regulâ: ita nimirum, vt sub facili & firma impressione comprehendatur apprehensio & conseruatio: sub recordatione reminiscentia, quæ dicitur esse memoria quasi rediuiua, seu memoriæ collapsæ instauratio.

II. Quies animi, seu immunitas ab affectibus inprimis vehementioribus, est inter prima memoriæ subsidia.

Qui de memoria scribunt, inprimis ad eius promptitudinem requirunt ἀπάθειαν, id est, immunitatem ab affectibus, ac inprimis vehementioribus illis, vt sunt ira, tristitia, & metus. Hi enim affectus sanguinem & spiritus vehementer alterant, idque vel incendendo, vel frigefaciendo. Quòd si sanguis & spiritus incendantur, imagines in memoriam reponendæ extinguuntur, non secus ac imago in ceram impressa statim euanescit, si cera admoueatur igni. Et rursus quemadmodum cera frigore indurata non recipit imaginem, aut certè ægrè recipit: ita quoque cerebrum spiritibus frigore sanguinis obtusis, vel non recipit imagines rerum, vel ægrè recipit. De varietate ac grauitate occupationum, itémque de ignauo otio idem est iudicium. Nam varia & grauia negotia sanguinem ac spiritus incendunt, ac proinde imagines miscent ac confundunt: è contrario autem, ignauum otium reddit spiritus torpidos.

III. Vehemens imaginatio vnit obiectum cognitum & cognoscentem, ac proinde plurimùm conducit ad memoriæ integritatem. Inprimis hic excellunt amor & admiratio rei discendæ.

Ita enim fit, vt affectus tingantur speciebus rerum cognitarum. Affectus autem hoc modo tincti non possunt non tingere spiritus, qui sunt vehiculum memoriæ. Quocirca si quid velis memoriæ imprimere, solicitè stude mouere aliquem in te affectum. Id autem fit meditatione præstantiæ vel turpitudinis, vtilitatis vel inutilitatis rei, quam præ manibus habemus: item crebra repetitione, ac diligenti figurarum rhetoricarum applicatione.

CAPVT IV.

De Mediis mnemonicis ratione temperamenti.

PRÆCEPTA.

Media mnemonica ratione sensuum, sunt vel ratione subiecti, quod sentit, vel ratione obiecti sensibilis.

Ratione subiecti, quod sentit, sunt diæta & medicina conueniens cuiusque temperamento.

REGVLÆ.

I. Diæta & medicamenta hic eò spectabunt, vt nimia frigiditas temperamenti, tum in toto corpore, tum in cerebro tollatur, & spiritibus claritas concilietur.

Prouerbio dicitur: *Frigiditatis filia est obliuio.* Ita enim comparatum est cum homine, vt sanguis & spiritus frigore nimio impediti & velut constricti organa sensuum corrumpant. Prima igitur cura hîc esto, vt nimia frigiditas, cuius comes est nimia humiditas, tollatur: & illa ad temperatum calorem, hæc ad moderatam siccitatem reducatur. Hac enim ratione spiritus clari gignentur, à quibus immediatè pendet memoriæ felicitas.

II. Diæta ratio sita est in his quinque.

Principiò oportet spirituosam corporis substantiam reficere: quam ad rem facit aër ambiens, in quo spectatur electio & correctio: vt nempe præferamus illum aërem, qui respectu substantiæ est purus, tenuis, nitidus, nullis inquinamentis, nullísque vaporibus permixtus: & respectu qualitatum temperatus, leuibúsque ventorum & pluuiarum commotionibus interdum alteratus. Quòd si aërem sentiamus infectum prauis qualita

qualitatibus, facilis erit correctio, ſi remouenda remoueantur: vbi excellunt grati odores, qui magnam cum ſpiritibus corporis habent cognationem. *Deinde* ſolidam & humidam partium naturam oportet reſtituere conuenientibus eſculentis & potulentis. *Tertiò* ſuperflua ſunt ſecernenda, & caloris natiui ſuffocatio eſt prohibenda: idque partim euacuatione ac retentione conuenienti, partim variis & moderatis corporis exercitiis *Quartò* laborandum eſt in eo, vt per ſomnum atque vigiliam ſeruiamus caloris natiui collectioni, viriúmque reſtitutioni, *Denique* id opera danda, vt humores atque ſpiritus corporis moderata commotione alterentur per affectus, putà per lætitiã ſpem, deſiderium & ſimiles. Atque hæ ſunt ſex res non-naturales, vti vocant; de quibus prolixè & eruditè tractatur in *Medicinâ Salernitanâ, & in duobus libris Gregorij Horſtij de tuendâ ſanitate ſtudioſorum & literatorum*, vbi lib. 2. c. 1. de curâ cerebri ſummatim hæc traduntur. Qui præditus eſt mediocri memoriâ, hoc modo illam optimè conſeruabit. Primò eligatur *aër* purus, qui in agentibus qualitatibus maximè temperatus ſit. Habitatio ſit ſublimior, verſus ortum potiùs, quàm aliam cœli plagam. Interdum arte aëris diſpoſitio corrigatur, ſtratis hinc & inde rebus odoriferis, nimirum floribus ſaluiæ, lauendulæ, roriſmarini, maioranæ, rutæ, origani, ſerpilli, thymi, &c. vel etiam incenſis baccis iuniperi eiuſdémque radice fumus excitetur in muſeo, cui vſui inſeruiunt etiam thus, ſtyrax calamita, benzoi, ladanum, ambra, moſchus, ſuccinum, & ſi viuis carbonibus aliquid iſtorum inſpergatur. Cauendum autem, ne fumus craſſior excitetur. Deinde *cibi* eligantur facilis concoctionis, qui parum excrementitiorum humorum generent: carnium videl. hœdorum, agnorum, pullorum; auium montanarum, piſcium ſaxatilium, ouorum ſorbilium, iuſculorum vini cum aquâ roſaceâ & pauxillo macis atque croci conditorum, iuſculorum ceruiſiæ cum baccis lauri, cumino & vitellis ouorum præparatorum, iuſculorum carnium cum ouis diſſolutis medullâ panis triticei vel etiam amygdalis confectorum. Panis ſale, cumino, vel carui ſemine condiatur. Inter condimenta cibi præcipuè adhibeantur ſaluia, maioritana, roſmarinus, ſemen fœniculi, cinnamomum, crocus, nux moſchata. Quibus adde vſum carui & macis. *Potulenta* ſint temperata, minúsque euaporantia. Quamob cauſam à generoſiſſimis & calidiſſimis, vt etiam à crudis vinis abſtinendum. Eligatur autem potus diureticus, vinum videl. mediocris virtutis, & ceræuiſia bene cocta iuſtéque depurata, nec admodum euaporans: qui potus eô commodior redditur pro ingenio corroborando, ſi infundantur radices helenij, caryophyllatæ, herba ſaluiæ, roriſmarini, betonicæ, ſemina fœniculi, aniſi, &c. Nominatim vino conditur gratiâ infundantur radices helenij, ſaluia flores lauandulæ, ſummitates roriſmarini, nux moſchata & ſimilia. Sic cereuiſia maximè redditur accommodata pro quotidiano potu literatorum, ſi cum baccis lauri, galangâ, caryophyllis, mace, nuce moſchatâ, ſeminibus pœoniæ, granis paradiſi, & ſimilibus condiatur, eâ quantitate, vel omnibus vel ſingulis receptis, vt ſapor inde iucundus proueniat. Imprimis ambra griſea in vinum quotidiani potus modicè infuſa, ſpiritus animales optimè corroborat, tam diu, quam diu ſapor eius qualitates indicat. Porrò *in ſuperfluis excernendis* diligens ſit homo literatus reſpectu cerebri: cùm hoc vitæ, genus præ cæteris obnoxium ſit capitis fluxionibus. Adhibeatur itaque vniuerſalis euacuatio, ſi opus ſit, vel etiam particularis: promouendo videl. excretionem ſuperfluorum quotidianum per nares, palatum, aures, oculos, &c. Quò etiam pertinet capitis frictio. Balneum nonniſi moderatè vſurpetur: cùm facilè repleat caput, & fluxionibus bonam memoriam debilitet. *Corpus exerceatur*, moderatè iuſtóque tempore: ita vt exercitia corporis pro calore excitando cibum præcedant crebriora, ad incipientem vſque leuem corporis ſudorem. Exercitia poſt cibum ſumptum ſuſcipiantur peractis concoctionibus infimi ventris. *Somnus* tribus horis à cœnâ fiat, & non vltra ſeptem horas protrahatur. Animi affectus ſint concitatiores, qui obiecto grato ſuſcitantur. Inprimis huc facit ſcientiæ deſiderium; quam ob cauſam impreſſio firma per amorem rei diſcendæ proueniens, inter alia plurima memoriam adiuuat, adeò vt in hoc deſiderio primum efficiens omnis eruditionis conſiſtat, cui ſi accedat methodica diſciplina, latentes facultates ad intelligendum incredibili impetu rapiuntur. Hæc ſunt præcipua, quæ ſanam corporis conſtitutionem conſeruant, & ex conſequenti memoriam atque iudicium corroborant. Vbi non prætereundum eſt illud: vires ingenij plurimum enervari per ea, quæ ſpiritus diſſoluunt, calorem natiuum debilitant, vel etiam crudis humoribus coaceruandis, adeóque ſpirituum infectioni, promptam occaſionem præbent. Vitanda igitur excedens vigilia ſtudiorum inordinata ratio, & crapula ſiue ebrietas. Nam *vigiliæ excedentes* atque lucubrationes ſpirituum diſſoluunt, corpus perdunt, vireſque cerebri ſenſim deſtruunt, immoderatam ſiccitatem gignendo, aut copioſos humores excitando. Sicciorem cerebri conſtitutionem quod attinet, illam iuuabunt lotiones capitis ex aquâ dulci cum roſis, foliis ſalicis & vitium, atque capitibus papaueris: in lotiones pedum ex decoctione foliorũ ſalicis, capitum papaueris, vitium, lactucæ, florum nymphææ, ſummitatum anethi, & ſimilium: quæ ſunt adhibenda ante ingreſſum lecti. Hic etiam commendatur lactuca circa finem cœnæ vna cum hauſtu vini. Humidiori capitis conſtitutioni (quam ex capitis grauedine, ſomno profundo, ſtupore & torpore, aurium tinnitu, excrementis cerebri pluribus & copioſioribus, & ſimilibus facile eſt deprehendere) huic, inquam, conſtitutioni ſuccurrendum eſt per euacuationes conuenientes, inprimis verno & autumnali tempore ſuſceptas, & ea medicamenta, quæ cerebro peculiariter in tali caſu conueniunt. Talia ſunt, *nux moſchata*, quæ memoriam non tantùm manifeſtis, ſed etiam occultis qualitatibus corroborat, ſi ſæpe ieiuno ſtomacho itémque veſperi maſticetur, & ore detineatur: item *puluis olibani ſelecti*, & ſimilia, de quibus mox *regul. ſeq.* Porrò *ſtudiorum inordinata ratio* memoriæ plurimum nocet. Vitentur itaque ſtudia incenſiora poſt cibum: quippe quæ caput cruditatibus replent, ſimulque functiones naturales in cibis elaborandis deteriores reddunt, dum calorem & ſpiritum ab organis concoctionis ad caput reuocant. Potius igitur tempus matutinum, atque à prandio poſt horam vnam atque alteram ſtudioſus eligat, & lectionem temperatam, quam non laſſitudo, ſed conſilium finiat, ardenti cognitionis amore inſtituat; non curſim ac properanter materiam ſibi ſubiectam tranſeat, aut diuerſarum rerum ſtudia confundat. Denique *crapula* ſtudiis admodum eſt noxia. Hæc enim crudis humiditatibus cerebrum replet, calorem natiuum debilitat, & ſpiritus impuros reddit. Hinc ebrij balbutiunt, cerebro multâ humiditate perfuſo, linguáque multitudine humoris ob caloris ſuppreſſionem grauatâ, & vertiginoſâ atque imbecilliori viſione afficiuntur, quòd ſpiritus animales exhalationibus potulentorum non ſolùm perturbentur, ſed ſimul etiam inficiantur, & imbecillitatem contrahant, innato calido labefactato, & cruditatibus fluxionum collectis.

III. Medicinæ mnemonicæ admodum parcè & cautè ſunt adhibendæ.

Medicamenti mnemonica quomodo adhibenda?

Cùm enim pleraque medicamenta mnemonica, quæ intra corpus adhibentur, oporteat eſſe calida & ſicca, ſi debeant penetrare ad organon memoriæ, & verò corpora iuuenum per ſe ſint valde calida, facile accidere poteſt vt cerebrum lædatur. Magnopere itaque improbamus cacoëthes illorum, qui temerè ac quotidie adhibent medicamenta, quorum vires non habent exploratas. Tutiſſima ſunt illa, quæ paulò antè recitauimus: quorum adminiſtrationem vide apud *Horſtium lib. 2. de tuendâ ſanit. ſtudioſ. pag.* 134. *& ſeq.* Quod attinet ad medicamenta externa, quæ dicuntur topica & localia, illa minùs nocent. Sed ne hic ſimus ἀσύμβολοι, tradamus inſigniora memoriæ ſubſidia, quæ à præſtantiſſimis medicis commendantur.

Hercules Saxonia obſeruationum practicarum parte 1. *cap.* 9. *§. vlt.* ſummatim hæc præſcribit. In defectu caloris cum intemperie frigida & ſicca conducunt lacticinia, butyrum, cerebella animalium oua ſorbilia, vinum moderatum, ſomnus, longus, balnea, lotio capitis, inunctio ex oleo amygdalarum, conſerua borraginis. Quòd ſi intemperies ſit humida, proſunt Theriaca, Mithridatum, & inprimis Anacardina confectio, cuius doſis eſt ʒ j. quatuor horis ante cibum. Vbi magna non ſit frigiditas, vtor his rotulis.

℞ nucis moſchatæ num. ij.
caryophyll. num. v j.
ligni aloës. ʒj
ſaccari optimi in aq. maioranæ diſſoluti.

Fiat confectio in rotulis, & ſingulis diebus ʒ j ß earum aſſumantur ante prandium.

Hiera Pacchij data ad ʒij habet vim corrigendi humidam totius corporis & cerebri intemperiem, Vnde Aëtius ſingulis diebus portiunculam exhibet magnitudine fabæ. Si cui hæc minùs placeat, detur confectio anacardina. Elleborum album mihi quidem probatur; ſed vbi potiſſimùm læditur memoria ex melancholiâ.

Petrus Foreſtus lib. 10. *obſeruat* 32. ſcribit hanc in ſententiam. Quod ad medicamenta (*memoriæ*) attinet, materia pituitoſa prius concoquatur, præparetur, demum euacuetur. Parabis cum decocto betonicæ, ſampſuchi, ſaluiæ, roriſmarini, foliorum lauri, hyſſopi, thymi, ſerpilli, in aqua vel mulsâ decoctis adiecto melle roſ. oxymel. ſyr. de betonicâ, è ſtœchade. Deinde purgabis cum pilulis cochiis, vel aggregatiuis cum agarico, vel adiectis trochiſcis de agarico. Mox etiam ad cerebri purgationes particulares vtetis apophlegmatiſmis ex maſtiche, vuâ paſsâ detractis vinaceis, zinzibere, pyrethro, adiectis aut nigellâ aut cubebis: ex quibus manſiles paſtillos conficies. Etiam errhinis liquidis ex ſucco betæ, ſampſuchi, & ſucci braſſicæ, vel, ſi validius quæras, ex ſucco cyclaminis

nis vtetis: vel sternutatoriis ex elleboro albo, pipere, castoreo, diuisim vel coniunctim. Post crebriores purgationes præcedentes, si opus est, deuenies ad confectionem anacardinam, aut auream Alexandrinam, mithridatum, diambram, theriacam, cum aquâ mulsâ aut pauco vino albo ad ʒ j. Interea ad irrigationes externas, quas Græci vocant ἐμβροχὰς, deuenies, ex decocto herbarum prædictarum, adiectis floribus chamomillæ, è stœchade, addendo castorei exiguum, & acetum. Valebunt & vnctiones capitis posteriores, in occipitio videlicet, ac iuxta primam & secundam vertebram, ex oleo nardino, costino, nucis muscatæ, de castoreo, vel de piperibus, pariter & sacelli approximandi ex herbis capitalibus iam dictis & exsiccatis, adiectis castoreo nuce muscatâ macere, mastiche, ligno aloes, & similibus. *Iohannes Husanus in Secretis ad artem memoriæ*: mirabilem, *inquit*, effectum præstat illud oleum polychreston, quod Heurnius in methodo ad praxin medicam describit.

℞. olei communis
terebinthinæ
olei laurini ana libr. j.
Misce in cucurbitâ, lento igne destilla.
Quæ prima emanat aqua, est inutilis.
Restibili materiæ adde
cinnamomi
caryophyl. ana sesquiunc.
euphorbii
galbani
opoponacis
thuris albi
masticis
baccarum lauri detractis corticibus ana drachm. iij.
castorei
ligni aloes
laudani
olei spicæ ana drachm. ii.
Misceantur & digerantur.
Dehinc lapidem laterinum in fabaceas partes comfringe, & in prunis vre, donec excanduerint, ac oleo restingue, & paulatim aucto igne destilla.
Memoriam roborat illitu temporum, immissione in nares, & potu guttulis vini mixtis.

Idem Husanus d. l. monet, non vtendum esse huiusmodi remediis, nisi præmissâ priùs purgatione totius cerebri. Illam, *inquit*, efficient vel pilulæ de hierâ, vel agarico ʒ j: vel pilulæ (Heurnius vocat pilulas studiosorum) de aloe lotâ ʒ j. pondere. Conferunt enim hepati & cerebro, ac mesenterium ab illuuie per sedentariam vitam & intemperantiam victus collecta vindicant. Qui tardiùs purgationibus mouentur, possunt adiicere, quod pilulis pro stimulo est, j gr. diagridij, hâc formâ. ℞ massæ pil. de aloe lotâ ʒ j. diagrid. j gr. cum syrupo de stœchade, vel simili. F. pilulæ 19. vel 23. A cœnâ tenui post descensum cibi sumantur. Ab his in vsu pro purgando cerebro sint errhina. ℞. gummi ammon. ʒ j pyrethri ʒ iij cum succo radicum ireos incorporentur in formam vnguenti, quod per virgulam naribus immissum mirabiles effectus edit. Alij turundam ex cyclamine seu pane porcino naribus indunt, quod vehementissimè pituitam è cerebro ducit, adeò quidem vt calore nimio nares violet, quod corriges oleo rosaceo, aut aquâ rosaceâ. Altero mane in vsum trahas oleum ex Heurnio, vel aliud. Quidam vtuntur oleo sambuci, quod præter odoris suauitatem, quâ neruos & cerebrum confortat, crassam pituitam & flatus in iis quoque digerit & euocat. Alij guttulas quinque olei caryophyll. sumunt cum lino, quod insignem habet vsum in roborando cerebro & iuuando ventriculo, mentem erigit, memoriam firmat, inquit Fernelius. Fortissimum est oleum ex succino, cuius vna gutta ex vino sumatur. Qui debilioris sunt ventriculi, pulueris stomachalis singulo quatriduo ʒ j assumant, tribus vel quatuor horis ante cibum. Plurimum roboris ventriculo adfert vsus acori conditi, & zinziberis conditi ʒ j singulo manè. Prohibent enim generari crassos vapores, quos pro excrementis gignendis cerebro submittit ventriculus. Probatur nobis maximè puluis hic.

℞ thuris albissimi ʒ ij.
caryophyll.
piperis.
galangæ an ʒ j.
succini
myrrhæ an ʒ ß.
saccari ʒ ij ß.
Tritis & mistis omnibus F. puluis.

Eius vsus est manè summo vel vesperi à ʒ ß ad ʒ j per alternos dies. Ventriculo & cerebro mirabiliter prodest, in catarrhis sistendis nobile remedium. Hæc tamen humidis potissimùm scribimus & frigidis cerebro. Nam frequentissimè per has qualitates deficit memoria, teste *Scaligero exer.* 307. *s.* 28. cùm in humido sese spiritus interfecent tanquam circuli. At animam siccam comitatur prudentia.

Gregorius Horstius lib. 2. de sanitate studiosorum tuendâ ita scribit Patruus noster D. Iacobus Horstius p. m. magni faciebat hos morsulos.

℞. olei nuci mosch. per express. ʒ j.
marg. præpar. ℈ j
eboris vsti
cornu ceru. vsti præp. ana ℈ ß.
sacchari q. s. in aquâ lauendulæ & borraginis dissoluti.
F. confectio in morsulis.

Huc pertinet etiam tanquam singulare experimentum *puluis olibani selecti* ℈ ß quantitate, cum aqua vel vino lauendulæ frequenter in aurora sumptus: *Zingiber* item *conditum, calamus aromaticus conditus, radix pyrethri condita, vel saccharo obducta, conserua Borraginis* (quæ specificum ingenij corroborandi remedium statuitur) & inprimis *confectio anacardina*, quæ iuxta Platerum lib. 1. de sens. læs. c. 1. hoc modo corrigi potest.

℞ confect. anacard. ʒ j.
conseruæ maioranæ
rosmarini, ana. ℥ ß.
Misce. f. elect. de quo semel aut bis in septimanâ sumatur ʒ j ieiuno stomacho pro dosi.

Semen sinapis vel cum melle pro bellariis appositum, vel saccharo obductum, experimentum præsens ac tutum in hoc affectu (*humiditatis cerebri*) statuitur. Notari quoque possunt hoc loco *Rotulæ cephalicæ Dornoreilij*, quas proponit in Dispensatorio pag. 82. quæ recreant & restaurant spiritus animales, corrigunt vertiginem, præseruant ab apoplexiâ, epilepsia, & paralysi. Omnibus literatis, & quicunque assidua meditatione & curis facultates animales debilitant, peculiare sunt remedium. Sumuntur quouis tempore tres quatuórue pro vna vice, ita tamen vt in lingua per se dissoluantur. Descriptio talis est.

℞ cubebarum ℈ ij.
sem. pæon. maris decrescente luna collect. & excortic. ℈ j.
marg. præpar. ℈ ij.
smaragdi præp. ℈ j.
F. puluis subtilis: & adde
ol. nucis mosch. per destill. ʒ j
macis stillat. ℈ j.
rorismarini gutt. vj.
lauendulæ gutt. iij.
Sacchari fini lib. j. dissolue in s. q. aq. liliorum conuall.
cui adde aq. epilept. aureæ ℥ ß.
F. conf. in rotulis.

Ita commendatur etiam eiusdem *Aqua sophorum*, quæ illorum, qui in liberalibus studiis versantur, ingenium ob nimiam humiditatem & frigiditatem stupidum acuit, & memoriam ob eandem excedentem qualitatem labilem confortat, omnes sensus viuificat, & studiosos ad quasuis disciplinas capessendas habiliores reddit. Nec hepati infensa est suâ caliditate & siccitate, cùm plurima habeat ingredientia frigida. Sumitur ℥ j alternis, vel ternis, vel quaternis diebus, pro maiori vel minori necessitate vtentis. Descriptio talis est.

℞ rad. casti amari candid. arom. ʒ j.
cyperi rotundi ʒ ij.
sum. maioranæ
fl. anthos
betonicæ
cordialium ana m. iij.
stœchados Arab. ʒ vj.
sem. 4. frigid. maior. excortic. ana ʒ vi.
4. frigid. minor.
erucæ ana ʒ iij.
santal. alb.
citrin.
rubror. an ʒ v.
myrobal. belliricor.
chebulor.
Indor.
piperis longi
nigri
castorei ana ʒ j.

Pulueri

Puluerisandi pulueriſentur ſubtiliſſimè, flores minutim incidantur & infundantur in aq. lilior. conuall. ſimpl.

fl. tiliæ
rorismarini
antiepilepticæ aureæ ana ℥ ix.
vini maluatici optimi lib. ix.

Stent in infuſione in loco calido per octiduum: deinde deſtillentur igne lentiſſimo in balneo maris. Quidam in hoc caſu penitus ad decoctum ligni Guaiaci perueniunt: de quo vide Herculem Saxoniam. Externa talia ſunt, quæ calorem excitant, & humiditates abſumunt. Huc igitur pertinent *frictiones capitis* poſt ſomnum: *lotio capitis* frequenter tali lixiuio facta.

℞ lixiuij ex fermentorum vitis vel quercini ligni cinere confecti q. ſ. adde
ſaluiæ
betonicæ
maioranæ
lauri
rorismarini
lauendulæ
ſpecie ana m. j.
bacc. lauri
iuniperi ana ℥ ß.
Coquantur pro lotione capitis.

Mercurialis & Dom. Leon. loco lixiuij ſumunt ſpiritum vini: quòd non temerè ſine conſilio prudentis medici faciendum eſt. Hâc peractâ, diligens ſubſequatur exſiccatio linteis calidis thure ſuffumigatis. Imò & ſæpe artificialis pro ſuperfluâ humiditate corrigendâ talis confici poteſt.

℞ ſaponis Veneti 4. part. lib.
pulu. rad. ireos
aſari ana ʒ v.
nucis moſch,
caryophyll. an. ʒ iß.
ſantali citrini ʒ ij.
moſchi ℈ ß.
Miſce fiat ſapo cum oleo rutaceo q. ſ. qui vſurpetur in lotione capitis.

Inunctio quoque fiat ex oleo nucis moſch. per expreſſ. ex balſam. maioranæ, rorismarini, ad nares & tempora quantitate piſi, manè veſperique. Totum verò caput poſt euacuationem & lotionem ſemel in menſe inungatur eiuſmodi linimento.

℞ caſtorei
piperis longi
pyrethri
ſinapi ana ʒ j.
olei rutacei
de piperibus ana ℥ ij.
aquæ maioranæ ℥ iij.
Miſc & coq. ad conſumptionem: ac poſtea fiat linimentum.

Quòd ſi præmatura quædam ſiccitas in cauſâ eſt, vt memoria atque ingenium debilitetur, victûs ratio contraria eligatur, & inter experimenta confugiendum ad ea, quæ vim humectandi poſſident. Huc ergo pertinent *Electuarium corroboran.*

℞ conſeru.
roſarum
cichorij
borrag.
violar. ana ℥ ß.
ſpecierum diatrag. frigid. ʒ jß.
ſyr. viol. & beton. q. ſ.
F. electuarium.

Hactenus Horſtius. Plura pete ſuprà ex ſyſtemate Medicinæ.

CAPVT V.

De Mediis mnemonicis ratione obiecti ſenſibilis.

PRÆCEPTA.

Media mnemonica ratione obiecti ſenſibilis ſunt partim ratione libri, partim ratione ſignorum.

In libro, è quo aliquid ediſcimus, eſt partim identitas, partim elegantia.

Identitas eſt, quâ eundem librum retinemus.

Elegantia eſt, quâ librum eleganter impreſſum, ſcriptum aut compactum deligimus.

Signa ſunt notæ, quę libro apponuntur.

REGVLÆ.

I. Oportet vt nobis memoriam localem comparemus in iis libris, qui continent principia alicuius artis, adeóque ſunt velut panis quotidianus. Memoria localis in libro.

Tales libri in theologicis ſunt Biblia, & fundamenta religionis Chriſtianæ: in iure ſunt Inſtitutiones, Pandectæ, &c. in philoſophicis ſunt ſyſtemata methodica. Hîc igitur requiritur, vt certa & correcta exemplario nobis comparemus, quæ per totam vitam retineamus. Dici non poteſt, quàm egregium ſit hoc memoriæ labilis adminiculum.

II. Elegantia typographica & orthographica, itemque venuſtas ligaturæ, vt vocant, valde afficit memoriam. Elegantia libri iuuat memoriam.

Comparemus itaque nobis libros, quos commendat typorum elegantia, ſcribentis accuratio in picturâ, & compactoris diligentia. Oportet autem vt quàm ſæpiſſimè ſcribamus ea quæ volumus imprimere memoriæ.

III. Signa mnemonica ſunt perpetua & neceſſaria, vel temporaria & arbitraria. Signa mnemonica.

Perpetua neceſſaria ſunt numeri maiuſculi & minuſculi, quibus partes alicuius rei exprimuntur. Temporaria & arbitraria ſunt ſigna planetarum, aſteriſci, obeliſci, literæ Hebraicæ, Græcæ, Latinæ, ac ſimiles notæ, quibus exprimuntur proprietates & affectiones ſententiarum ac periodorum memorabilium. Quæ omnia ſi cui videntur minuta, illum iubebo cogitare illud poëtæ:

Sed quæ non proſunt ſingula, multa iuuant.

CAPVT VI.

De Mediis mnemonicis ratione intellectus.

PRÆCEPTA.

Media mnemonica ratione intellectus ſunt octo: videl. ſimilitudo, oppoſitio, ordo, analyſis, ſcriptio locorum communium, repetitio, electio loci, & denique amœni verborum luſus.

Similitudo ſeu cognatio eſt, qua ſimilia è ſimilibus addiſcuntur.

Oppoſitio eſt, qua vnum oppoſitum per alterum imprimimus memorię.

Ordo eſt temporis & rerum diſtinctio.

Analyſis eſt obſeruatio artificij adhibiti.

Scriptio locorum communium eſt, qua reuocamus inſigniora alicuius diſciplinę ſcita ad certa capita.

Repetitio eſt, qua crebrò repetimus illa, quæ volumus in memoria hærere.

Electio loci eſt, qua locum ſolitarium quærimus.

Amœni verborum luſus cernuntur in rhythmis, verſibus memorialibus, abbreuiationibus, acroſtichis, & ſimilibus.

REGVLÆ.

I. De ſimilitudine, oppoſitione, ordine, & analyſi ſunt hæ regulæ. Similitudo, oppoſitio, ordo & analyſis quomodo iuuent memoriam?

1. *Incognita ex cognitis ſunt diſcenda.* Hæc via ad linguas & diſciplinas percipiendas eſt planiſſima. Poſſumus enim v.g. linguam Hebraicam diſcere ex Germanicâ vel Latinâ, & Logicam ex Germanicâ: vt ex voce Germanicâ menſch/poſſumus diſce-

cere Latinam *mens*, Græcam μένος, Hebraicâ *Enoſch*. Vide *ſupra in lexicis*. Hac etiam pertinent nomina propria cognita: vt Ariſtoteles, Philippus, Daniel. Ex iis enim addiſcere poſſumus nomina appellatiua incognita. Ita ex Grammaticis addiſcere poſſumus Logicam: ſi nempe ad nots locorum inuentionis, axiomatum, & ſyllogiſmorum ſupra in Logicis propoſitas attendamus: vt, vocula *per* notat formam, *propter* finem, nomen ſubſtantiuum & adiectiuum notat ſubiectum & adiunctum, &c. 2. *Oppoſitorum, vt eſt eadem doctrina, ſic & eadem memoria.* 3. *Ordo cernitur in tempore & rebus ediſcendis.* De tempore præcipitur, matutinum & veſpertinum inprimis eſſe obſeruandum. Et matutinum, quidem ideò, quòd ſpiritus tum ſint vegetiores: veſpertinum verò eam ob cauſam, quia quæ ſub ſomnum ediſcuntur, valde afficiunt phantaſiam, quæ ſub noctem quoque operationes exercet ſuas. De rebus ediſcendis monent, illas eſſe præmittendas, quæ ſequentibus lucem adferant, & memoriam non eſſe obtuendam multitudine, ſed omnia per partes eſſe ediſſenda, ita quidem vt in quâlibet parte, quam nobis proponimus ediſcendam, quatuor illa diſtinctè obſeruemus. Primò perlegere oportet rem aliquam, vt eam intelligamus: deinde relegere vt eam imprimamus: tertiò repetere tacitè, vt periculum faciamus, an ſatis firmiter conceperimus: quartò repetere clarè, vt per viſum & auditum tanquam duas feneſtras viam patefaciamus ad animum. 4. *Multum prodeſt ordinem & analyſin rei ediſcendæ tabulâ artificioſè adumbrare.* 5. *Analyſis inſtituatur notionalis & realis.* Illa eſt Grammatica, Rhetorica, & Logica: hæc eſt propria cuiuſque diſciplinæ.

Scriptio locorum communium iuuat memoriam.

II. Adornatio locorum communium methodica, plurimum iuuat memoriam: adeò vt loci communes non ſine causâ vocentur memoria ſubſidiaria.

Regitur autem iſta adornatio his regulis. 1. *Pueri, & illi qui peregrinantur, debeat conficere diaria, vel aduerſaria ordine alphabetico digeſta.* 2. *Qui peruenerunt ad annos diſcretionis, & certo in loco commorantur, conficiant locos communes eo ordine, qui obſeruatur in methodico aliquo ſyſtemate.* 3. *In iis diſciplinis, quarum initia tantùm delibare cupimus, adhibeatur modus contractior adornandi locos communes: at in iis, quas ex profeſſo tractare cogitamus, adhibeatur modus plenior.* Modus contractior eſt, quando ad ſyſtema alicuius authoris adnotamus præcipua, idque vel in margine, vel in chartis puris interſertis. Modus plenior eſt, quando peculiaria volumina chartacea adornamus pro iis diſciplinis, in quibus excellere cupimus. Et hîc ad quemlibet locum oportet conſtituere tria capita obſeruationis, videl. præcepta, regulas, & controuerſias ſeu quæſtiones.

Repetitio iuuat memoriam.

III. Repetitio eſt certiſſimum memoriæ adminiculum.

Ita enim eſt, vt veteres dixerunt:

Sæpe recordari medicamine fortius omni.

Quicunque ergò conſulere vult memoriæ, is non multa legat, ſed multùm relegat pauca illa quæ legit, hoc modo. Repetitio fit diurna & hebdomadaria. Vtraque fit curſoria & fixa; tacita item & clara. Diurna eſt, cùm repetimus ea, quæ toto die didicimus. Hæc vſitatè dicitur ephemeris Pythagorica. Repetitio hebdomadaria eſt, quâ repetimus ea, quæ tota hebdomade didicimus. Curſoria fit tacitè ac raptim: fixa fit clarè ac minutatim.

Locus ſolitarius iuuat memoriam.

IV. Ad memoriam eligendus eſt locus ſolitarius.

Huius rei duas cauſas adfert Treutlerus in methodo eloquentiæ. Vna eſt ne varia obiecta memoriam diſtrahant. Altera eſt, quia in loco ſolitario recitatio inſtitui poteſt clarâ voce: quòd ideò faciendum, vt per reuerberationem ſoni faciliùs ea, quæ volumus, memoriæ imprimantur. Idem monet Iunius in Arte dicendi.

Verſus, rhythmus, & acroſticha iuuant memoriam.

V. Verſu rhythmo, & acroſtichide plurimarum rerum cognitio comprehendi poteſt.

Verſu quidem hanc ob cauſam; quia oratio ligata propter harmoniam habet cognationem cum mente noſtra. Hîc autem excellunt verſus memoriales, de quibus diximus in Poëticâ. *Rhythmo* autem ideò; quia proximè accedit ad verſum, & iucundam efficit ſyllabarum conſonantiam, quæ memoriæ non poteſt non eſſe grata. *Acroſtichide* denique hanc ob cauſam; quia literæ initiales menti obiiciunt integram ſententiam. Atque his tribus modis ſæpe integras orationes memoriæ commendamus. Verſuum exempla ſunt hæc. 1. de officio Spiritus S.

1 2 3 4
Arrha docet, renouat, iuuat, obſignátque ſalutem.

2. de ſeptem artibus liberalibus, vt vulgò commemorantur:

1 2 3 4 5 6 7
Lingua, tropus, ratio, numerus, tenor, angulus, aſtra.

Item: *Gram* loquitur: *Dia* vera docet: *Rhe* verba colorat:
Muſ canit: *Ar* numerat: *Geo* ponderat: *Aſt* docet aſtra.

3. de modis docendi & implendi:

1 2 3 4 5
Præcipit atque vetat, promittit, conſulit, implet.

Rhythmorum exempla ſunt. 1. Quatuor ſunt ſtatus hominis confectionis, defectionis, refectionis, & perfectionis. 2. Deus in regeneratione hominis agit docendo, lucendo, & ducendo.

3. Ad precandum tria nos impellent; neceſſitas rei, mandatum Dei, & plenitudo ſpei. Acroſtichidis & abbreuiationis exempla ſunt. 1. de ordine ſeptem planetarum:

Poſt SIMSVM *ſequitur, proxima Luna ſubeſt.*

2. de quinque habitibus intellectualibus:

Intellectiuas virtutes dat tibi SISPA, id eſt: Sapientia, Intelligentia, Scientia, Prudentia, Ars:

3. de nouem ordinibus angelorum:

Angelicos DVCTASPSPA *choros deſignat ad vnguem*: id eſt Dominationes, Vitutes, Cherubim, Throni, Archangeli, Principatus, Seraphim, Poteſtates, Angeli. 4. Vox ἰχθὺς, complectitur initiales literas acroſtichidis Sibyllinæ, hoc modo: ἰησοῦς χριστὸς θεοῦ υἱὸς σωτήρ.

Hac pertinent & illa:

S apienter	A gens
C ogitandum.	R em
H oneſtè	S ubtiliter.
O perandum.	
L iberaliter	M ordens
A gendum	O mnia
	R oſtro.
I mpertiens	S uo.
V nicuique	
S uum.	V enit
S olus	E cce
O mnibus	R oſa.
L ucens.	

Ad luſus poëticos qui memoriam iuuant, refer etiam cereſticha, anagrammatiſmos, parœmia, &c. & imprimis parœmia. v, g. V.V.V.V.V. i. e. *Virtutum Vegeto Vincenda Vigore Voluptas.* vel,

Vulneribus Variis Virtus Vexata Vireſcit.

Sic quinque M. faciunt bonum Chriſtianum, ſi videl. *Meatum* aurium habeat apertum ad prædicationem verbi Dei, *Mente* id capiat attentâ, *Memoriâ* cuſtodiat fideli, *Motu* cordis amet & *Manuum* opere impleat.

CAPVT VII.

De Locis & imaginibus.

PRÆCEPTA.

Vidimus media mnemonica generalia: iam videbimus ſingularia, quæ non omnibus ingeniis, ſed quibuſdam tantùm conueniunt; qualia ſunt loca & imagines.

Loca ſunt receptacula imaginum certâ ſerie diſpoſita.

In iis occurrit varietas, ordo, & repetitio.

Imagines ſunt ſigna verborum & rerum ediſcendarum. *Dicuntur aliâs* conceptus.

REGVLÆ.

I. Ars locorum & imaginum multis prodeſt, non verò omnibus: & adhibenda eſt in quibuſdam rebus ediſcendis, non verò in omnibus.

Multis prodeſt: iis nimirum, qui præſtant phantaſiâ: ſiue facultate imaginatiua. *Adhibenda eſt in quibuſdam ediſcendis:* puta in actionibus extemporaneis, in vocabulorum & ſententiarum connexione, in hiſtoriis, & denique in diſciplinarum ſyſtematis. Et in ſyſtematis oportet loca & imagines ſiue ſigna eſſe perpetua: in reliquis, quæ diximus, debent eſſe temporaria. Vnde vtiliter monent, in his talibus requiri artem obliuionis, qua deleantur imagines & loca earum rerum, quas recitauimus in publico. Porrò diligens huius artis exercitatio plurimùm facit ad memoriam naturalem corroborandam.

II. L

II. Loca mnemonica fabricentur in conclauibus probè cognitis, & disponantur ordine quinario vt loquuntur, & denique subinde repetantur.

Loca mnemonica sunt naturalia, vel artificialia. Naturalia sunt cœlum, agri, prata, manus, animalia bruta, & corpus hominis. Artificialia sunt ciuitates, monasteria, palatia, templa, collegia, domus priuatæ, & conclauia. Nos ex iis maximè probamus conclauia, ita vt in singulis parietibus statuantur quina loca, hoc ordine:

2		3
	5	
1		4

Vsus horum locorum est multiplex. Nam ordo rerum & vocum ediscendarum pendet ab ordine locorum Et ipsa loca sunt tanquam cellæ memoriæ, in quibus probè cognitis omnia μνημονικῶς inscribi possunt, non aliter atque in chartâ scribuntur literæ. Oportet autem loca semel constituta, subinde repetere. Nam repetitio est anima huius artis.

III. Imagines mnemonicæ sint partim insitæ & perpetuæ, partim assumptæ seu accersitæ: vtræque actuosæ.

Imagines hîc sunt tanquam literæ, quæ chartis inscribuntur. Sunt autem duplices. Primò sunt imagines insitæ ac fixæ seu immobiles; quas oportet singulis locis singulas inscribere. Profuerit hîc deligere personas probè ac familiariter cognitas, & illas imaginatione concipere in his & illis locis. Deinde sunt imagines assumptæ siue mobiles, quæ sumuntur à rebus ediscendis. e.g. si velis meminisse ista vocabula, *Cœlum, Equus, Iustitia, Logica, Odium*: signa istarum rerum attribues imaginibus insitis, ita vt vtræque sint actuosæ & affectuosæ, putà mirabiles, miserabiles, ridiculæ, &c. Sumuntur autem ista imagines mobiles & variantes ex prædicamentis vel locis inuentionis Logicæ quantum quidem ad res ipsas attinet. Sic *vna substantia ponitur pro alterâ*, vt terra pro carne, lapides pro ossibus: *quantitas pro qualitate*, vt procerus pro pygmæo; *qualitas pro subiecto*, vt crudelis pro Nerone, casta pro Penelope: *substantia pro qualitate*, vt leo pro generoso, Aristoteles pro philosopho: *actio pro agente*, vt vir procerus portam sustinens humeris pro Samsone, &c. Sic *causa ponitur pro effecto*, vt Liuius pro scriptis suis: *effectum pro causâ*, vt mors pallida: *subiectum pro adiuncto*, vt dolium pro vino, locus pro locato, signatum pro signo: *adiunctum pro subiecto*, vt signum pro signato, putà fasces pro magistratu: *genus pro specie, species pro indiuiduo, totum pro parte, pars pro toto, simile pro simili, contrarium pro contrario*. In summâ, tot sunt modi effingendi imagines mnemonicas, quot sunt modi troporum, de quibus in Rhetorica. His adde varia hieroglyphica, de quibus passim in philosophiâ practicâ. Et hæ quidem sunt imagines rerum. Quod attinet ad imagines vocabulorum, illæ sumuntur vel à vocum similitudine ac cognatione, cùm scil. vocabula ignota ex notis deducuntur harmonicè: vel à figuris literarum, vt *Aleph*. apud Hebr. designatur per caput bouis, *Caph* per volam manus. Sed de his vide suprà in systematibus Grammaticis. Atque hæc breuiter dicta sunto de fundamentis locorum & imaginum: quibus si accedat fidelis demonstratio & continuata exercitatio, non tantum bonitati memoriæ magna fiet accessio per crebram locorum & imaginum repetitionem, sed etiam ingenij ὀξύτης, *acrimonia*, exercebitur in imaginum extemporaneâ & erudita inuentione. Plenam institutionem petes *ex nostro Systemate mnemonico, & ex Fundamentis artificiosæ memoriæ Iohannis Paep; item ex Iohannis Husani Secretis ad artem memoriæ.*

APPENDIX

De Memoria locali.

Memoria localis continetur locis & imaginibus.

Loca (latè accepta) sunt liber, tabella, manus, conclaue, cœlum, terra pratum, vrbs &c. Ex his alia sunt artificialia, alia naturalia.

Memoria localis in libro est omnium primò nobis paranda, & quidem iuxta hos canones. 1. Vnicum exemplar, idque correctissimum & mundissimum comparetur atque retineatur. 2. Liber iste perfunctoriè percurratur, vt discamus præcipuas sectiones & capita. 3. Signa mnemonica ponantur in margine: cuiusmodi sunt literæ Hebraicæ, Græcæ & Latinæ; signa planetarum, characteres duodecim signorum cœlestium, notæ arithmeticæ maiusculæ, & minusculæ sigla varia, quæ vocant. 4. Varij colores subducantur locis insignioribus. 5. Diuersitas typorum obseruetur. 6. Lemmata marginalia attendantur. 7. Si liber distincta habeat præcepta, regulas, & commentaria, tribus impressionibus ediscatur.

Memoria localis in tabulis ita paratur. 1. Opus tabulâ repræsentandum, aliquoties à capite ad calcem percurratur. 2. Tabula adumbrat methodum perfectam vel crypticam. 3. In tabulis ferè adhibeatur dichotomia. 4. Omnium rerum, in quibus cupimus excellere, tabulæ mandentur memoriæ. 5. Si quid ex tempore sit præstandum, id fiat ope tabulæ & variationis philologicæ.

Memoria localis in manu paratur iuxta has regulas. 1. In manu oportet imaginari varia signa. 2. Præcipuæ partes alicuius operis in manu possunt repræsentari. 3. Sæpe schedula siue tabella mnemonica manui sinistræ agglutinatur.

Memoria localis in conclaui sic paratur. 1. Eligatur conclaue probè cognitum, non nimis amplum, amœnum, elegans. 2. In constituendis locis oportet incipere à sinistra. 3. In quolibet pariete constituantur quinta loca, ita nempe vt quintus quisque sit in medio. 4. Loca alia sunt fixa, alia temporaria. Illa seruiunt methodicis systematis: hæc orationibus, carminibus, & concionibus. 5. *Imagines* similiter sunt fixæ vel temporariæ. 6. Imagines debent esse signa affectuosa, inprimis ridicula vel miserabilia. Oportet enim vt affectus excitet intellectum & memoriam. 7. Imagines sunt verborum vel rerum. 8. *Imagines verborum* sunt verborum notorum vel ignotorum. 9. *Imagines verborum notorum* colliguntur ex significatione. Eligantur autem primo die quinque vocabula nota, secundo die decem, & ita pergatur vsque ad millenarium. Quæ exercitatio in historiis magnum habet vsum, quantum ad nomina propria. 10. *Imagines verborum ignotorum* pendent ab harmonia linguarum, nominibus propriis cognitis, terminis artium, & qualicunque similitudine. Nam ignota ex notis docenda sunt & discenda. Itaque v.g. ex nomine Latino *pater* disci potest Græcum πατὴρ: ex nomine Adam, Aristoteles, &c. disci potest Hebraicum אדם *rubuit*, & Græca ista duo ἄριστοι τέλος. Porrò ex terminis illis nemini non obuiis, syllaba, syntaxis, metaphora, syllogismus &c. absque discuntur varia Græca vocabula. Hebraicum אבד negotio discatur ex Germanico **ahm bad** quia, vt modò dixi, qualiscunque similitudo fundat memoriam. 11. *Imagines rerum* sunt sententiarum, epistolarum, carminum, orationum, concionum, librorum.

Memoria sententiarum his regulis continetur. 1. Sententiæ breuissimæ, acutissimæ, & ornatæ paronomasiis omnium primò mandentur memoriæ. 2. Præcipua memoriæ ars in ediscendis sententiis est, vt attendatur affectio subiecti & prædicati. Ista siquidem affectio, seu habitudo, suppeditat conuenientem imaginem. Discitur autem hæc talis affectio ex locis inuentionis logicæ. Nam inter subiectum & prædicatum est relatio consentanea, vel dissentanea secundùm omnia loca inuentionis. Nimirum *relatorum est vna memoria*: idque non solùm in logicâ inuentione, sed etiam in dispositione. Nam v.g. memoria causæ est memoria effecti, & contrà; memoria subiecti est memoria adiuncti, & vicissim: memoria priuationis est memoria habitus, & contrà: memoria subiecti est memoria prædicati, & contrà: memoria præmissarum est memoria conclusionis, & vicissim &c. Quæ vnica regula est basis vniuersæ artis Mnemonicæ. 3. Sententia facillimè & felicissimè mandatur memoriæ, si habeat notabilem circumstantiam personæ, loci, temporis. 4. Rhythmi & versus memoriales facillimè mandantur memoriæ.

Memoria epistolarum, carminum, orationum, concionum, & librorum, has regulas habet communes. 1. Cogitetur persona, quæ scripsit epistolam, carmen, &c. 2. Analysis, inprimis, logica adhibeatur. 3. Analysis repræsentetur tabellâ. 4. Præcipua lumina rhetorica obseruentur. 5. Contextus ediscatur per interualla. 6. Memoria antecedentis est memoria consequentis. Antecedentia autem dicuntur hoc loco quæ sunt simpliciora, seu natura priora. Speciales regulæ ita sunt. 1. *In epistolis* memoria personarum secum trahit memoriam rerum. 2. *In carminibus* figmenta poëtica suppeditant egregias imagines. 3. *In carminibus, orationibus, & concionibus* cogitetur character thematis, & genus causæ. 4. *In orationibus* attendantur inprimis figuræ rhetoricæ: quia illæ valde excitant affectus, & affectus memoriam. De concionibus idem iudicium. 5. *In concionibus* nomina patriarcharum, prophetarum, apostolorum, &c. suppeditant præclaras imagines. 6. *In libris* methodicè dispositis absque labore memoria facit officium: in reliquis oportet externum aliquem ordinem constituere.

Ad summam: Quatuor sunt adminicula memoriæ. Repetitio crebra, Affectus, Ordo, & Variatio sententiæ; de quibus vide suo loco.

CAPVT VIII.

Capvt VIII.

De Recordatione prompta.

Præcepta.

Satis de impreſſione facili ac fideli : iam de prompta recordatione , qua rem memoriæ impreſſam reminiſcimur.

Recordatio eſt vel reuocatio rei,quæ excidit;vel excitatio imaginis,quæ adhuc hæret in mente.

Vtraque iiſdem perficitur mediis.

Regvlæ.

Recordatio duplex

I. Recordatio fit in loco ſolitario,vel publico.

Recordatio quæ fit in loco ſolitario,faciliùs procedit quàm illa quæ fieri debet in publico.Hîc enim ſæpenumero accidit, vt præ nimia verecundia perturbemur:ſi nempe metuamus, vt auditorum iudicio & expectationi ſatisfaciamus. Atque hæc cauſa eſt, quòd multi in mediâ quoque oratione ſubſiſtunt & obmuteſcunt : quemadmodum Demoſtheni in legatione ad Philippum accidiſſe legimus.Tollitur autem metus ille ac pudor nimius partim ſpe & fiduciâ de humanitate & candore auditorum conceptâ, partim conſcientia donorum quæ Deus nobis tribuit,partim denique fiduciâ gratiæ diuinæ & eius imploratione. Vbi & illud tenere oportet , mirificè confirmari memoriam, ſi cogitemus non cum vniuerſis, ſed cum ſingulis nobis eſſe agendum. Metum denique pellit crebra coram aliis exercitatio,& copia verborum,quæ pendet à variatione Grammaticâ , Rhetoricâ , & Logicâ. Nam hoc modo fit , vt non ſimus ſoliciti de verbis, ſed aciem mentis in res ipſas habeamus defixam.

Recordationis adminicula.

II. Tria ſunt recordationis adminicula.

Primum eſt cogitatio circumſtantiarum , per quas aliquid antè cognoueramus, putà temporis, loci, perſonarum, libri,& ſimilium. *Secundum* eſt cognatio ſiue ſimilitudo rerum & vocabulorum.Vnum namque ſimile nos deducit in cognitionem alterius. *Tertium* eſt oppoſitio contrariorum. Vnum enim contrariorum ſternit viam expeditam ad recordationem alterius. Audiamus hoc loco *Eraſmum Roterodamum epiſt. ad Leucophæum.* Neque verò negligenda memoria , lectionis theſaurus.Ea tametſi locis & imaginibus adiuuatur:tamen tribus potiſſimùm rebus conſtat optima memoria,intellectu,ordine,curâ.Siquidem magna memoriæ pars eſt penitùs intellexiſſe:tum ordo facit,vt etiam quæ ſemel exciderint, quaſi poſtliminio in animum reuocemus : cura in omnibus rebus, non hîc tantùm plurimùm valet. Itaque quæ meminiſſe velis,ea ſunt attentiùs & crebriùs relegenda, deinde ſæpiùs à nobis ipſis exigenda,vt ſi quid ſuffugerit, reducatur. Adiuuabit & illud , ſi inſigniter dicta in frontibus atque calcibus librorum inſcribamus,ſi quædam annulis inſculpamus,pleraque in foribus ac parietibus depingamus, aut vitreis etiam feneſtris, vt vndecunque ſint obuia. Hæc enim tametſi ſingula puſilla videantur , tamen in vnum collata aceruum,doctrinæ theſaurum non contemnendo lucro augent. *Et paulò poſt :* Illud omnium maximè conducere ad eruditionem ipſâ re comperi, ſi quis cum eruditis aſſiduam ac domeſticam agat conſuetudinem: præterea ſi à lectione ſubinde ſurgat , ac ſecum inambulans quæ legerit repetat. Nam ſi perpetuâ lectione,alia ſuper alia congeſſeris, velut immodico cibo ſtomachus, ita turbâ rerum obruitur memoria. Prodeſt & illud , ſi petiturus cubile quippiam legas memorabile, idque experrectus à teipſo exigas.

Capvt IX.

De Mnemonicâ ſpeciali.

Præcepta.

Mnemonica ſpecialis ſiue vtens præſcribit modum vtendi adminiculis mnemonicis.

Hîc oportet ſpectare modum procedendi & obiectum *μνημονευτόν*.

Regvlæ.

I. De modo procedendi in exercitiis mnemonicis ſunt hæ regulæ.

1. *Quotidie aliquid ediſcatur.* Memoria enim continuis perficitur exercitiis. 2. *Memoria verborum ſimplicium præcedat memoriam rerum.* Oportet enim primò diſcere artes philologicas, ſiue illas,quæ tractant de vocibus,tum philoſophicas,ſiue illas, quæ tractant de rebus : quia linguæ ſunt fores & claues ſcientiarum. 3. *Memoria verborum ſimplicium eſt prior , quàm memoria verborum compoſitorum.* Compoſita enim pendent à ſimplicibus in eſſendo & intelligendo. 4. *Memoria rerum præcedat memoriam verborum in ediſcendis ſyſtematis orationum & librorum.* Hîc enim memoria verborum tanquam ſignorum pendet à memoria rerum tanquam ſignatorum. Et intelligentia rei iuuat memoriam vocis. 5. *Prudenter diſtinguantur ea, quæ ad verbum ſunt ediſcenda,ab iis, quorum ſenſum tenere ſatis eſt.* Sic in terminis artium,item in præceptis,diſtinctionibus, & regulis oportet tenere formalia : in reliquis ſufficit , ſi teneamus ſenſum.

II. Ratione obiecti μνημονευτῦ Mnemonica ſpecialis eſt vel linguarum, vel facultatum.

Mnemonica linguarum nititur harmoniâ, cuius rationem ſuprà in Lexicis expreſſimus. *Mnemonica facultatum* his continetur regulis. 1. *In theologicis memoria plurimùm iuuatur memoriali Biblico & methodico theologiæ ſyſtemate.* Memoriale Biblicum complectetur tabulas ſingulorum librorum Biblicorum & verſus memoriales. De tabulis vide in Præcognitis noſtris theologicis : de verſibus memorialibus vide *Memoriale Biblicum Martinij , & Sacram artem memoriæ authore Leandro de S. Martino, & paulò poſt Memoriale Biblicum à nobis adornatum.* Quibus omnibus palmam præripit *Compendium Biblicum Metro-memoriale Caſparis Simonidis Debrecini.* Methodicum ſyſtema theologiæ complectetur præcognita theologiam naturalem , capita catechetica , locos communes controuerſias, theologicam caſuum , & politiam eccleſiaſticam. 2. *In Iuridicis & Medicis memoria plurimùm iuuatur tabulis librorum authenticorum, & methodica præceptorum diſpoſitione.* 3. *In philoſophicis memoria plurimùm iuuatur ordine duplici.* Primus eſt vt illæ diſciplinæ præmittantur,quæ ſequentibus lucem adferunt, Alter eſt, vt in ſingulis diſciplinis ordo certus & accuratus in præceptis ediſcendis ſeruetur : indéque veniatur ad praxin cuiuſque diſciplinæ,ad geneſin putà & analyſin. Geneſis cernetur in ſcriptione,declamatione,& collatione:analyſis in reſolutione authorum inſigniorum , qui artem aliquam tradiderunt. Atque hanc viam tenere oportet in omnibus omninò diſciplinis : putà in metaphyſicis,phyſicis,ethicis.Ita enim fiet,vt præcepta dirigant exercitia, & exercitia viciſſim confirment præcepta.

Peroratio Mnemonices.

Atque hæc eſt Mnemonica methodicè ac plenè propoſita. *Methodicè* dico:quia obſeruauimus leges methodi analyticæ , quæ dirigunt diſpoſitionem diſciplinarum practicarum & poëticarum. *Plenè* dico , quia nihil prætermiſimus eorum, quæ præcipi poſſunt de memoriæ perfectione , quantum ad ſumma capita attinet.Neque enim hoc nobis propoſitum habuimus, vt plenum huius artis commentarium ſcriberemus: quia in toto huius Encyclopædiæ opere ſtuduimus hermas memoriales erigere , ita vt nihil opus fuerit hoc loco illas repetere. Ne tamen prorſus hîc ſimus ἀσύμβολοι, adiiciemus *Memoriale noſtrum Biblicum.*

MEMORIALE



MEMORIALE BIBLICVM, IN QVO

SVMMARIA MNEMONEVTICA singulorum capitum prosâ & carmine παραλλήλως *Repræsentantur.*

PRÆFATIVNCVLA De vsu & modo huius Tabellæ.



SVS huius tabulæ mnemonicæ est, prodesse, inprimis theologorum memoriæ. Si enim summaria, emphaticè & breuiter hîc posita, accurata impressione crebráque repetitione nobis reddamus familiaria, totum contextum biblicum absque magno labore comprehendemus animo. Id verò vt faciliùs consequare, paucis accipe modum *hîc obseruatum.*

I. E regione posuimus prosam & ligatam orationem: vbi plurimum vna alteram explicat.

II. Numeri ad summaria poëtica appositi indicant versum capitis, quod præfixum est summariis in prosâ.

III. In summariis poëticis vt plurimùm retinuimus voces, quas Pagninus in versione suâ vsurpat. Alicubi autem distinctio versuum reuocata est ad exemplar Hebraïcum.

IV. Singula disticha complectuntur 10. *capita, adeóque singuli versus* 5. *capita: nisi quando breuitatis studio sub finem libri alicuius sex capita vni versui sunt inclusa: vel etiam pauciora, quòd plura non superessent ad explendum quinarium.*

V. Summaria nostra prosaïca confer cum Summariis Latinis Iohannis Piscatoris, *& Germanicis* Danielis Crameri. *Hæc enim iudicamus esse omnium exactissima. Summaria carminea confer cum Memoriali biblico* Matthiæ Martinij.

VI. In Summariis nostris neque Latinitatem, neque artificium poëticum, sed breuitatem emphaticam quærere oportet.

VII. Vbi in versibus memorialibus hoc signum † est positum, ibi desinit distichon: vbi punctum, ibi desinit versus hexameter.

GENESIS.

CAP.

1. Prima creatio: Græcis πρωτοκτισία, κοσμοποιΐα, ἑξαήμερον.
2. Primum sabbatum: prima topographia: prima lex: prima comitia: prima ecstasis: primum coniugium: prima nomenclatura.
3. Primum peccatum: prima pœna: primus processus iudicialis: primum euangelium, Græcis πρωτευαγγέλιον.
4. Primum puerperium: primum fratricidium: prima digamia: prima genealogia.
5. Vitæ patrum ante diluuium: prima ascensio in cœlum.
6. Multiplicatio hominum: illorum peccata multa & magna: primi tyranni: arca Noë, seu nauis prima: Noë, præco iustitiæ.
7. Protasis & epitasis diluuij.
8. Catastrophe diluuij.
9. Fœdus gratiæ temporalis; eiúsque signum, iris: de quo poëta, *Ne timeant imbres, datus est in nubibus obses.*
10. Ethnarchæ totius mundi.
11. Turris Babylonica.
12. Prima vocatio Abrahami, primáque promissio ipsi facta.
13. Secunda vocatio & promissio Abrahamo facta.
14. Melchisedec ἀπάτωρ καὶ ἀμήτωρ.
15. Tertia quarta promissio Abrahamo facta: qui fit pater credentium.
16. Hagar euecta, deiecta, & erecta.
17. Mutatis nominibus *Abram* & *Sarai* instituitur circumcisio.
18. Abraham hospitalis erga tres angelos, & Deo supplex.
19. Sodoma adeóque Pentapoleos excidium.
20. Abimelech & Abraham, par amicorum.
21. Natalitia Isaaci.

22. Isaac

15.*Fœdera,*
1. *Noachidæ.* †
4.*Turris,*
1.*It Abramus,*
7. *Pastores,*
9. *Pugna,*
6. *Fidelis.*
3. *Hagar,*
12.*Mas,*
27. *Puluis,*
24.*Versa Gomorrha,*
2.*Soror.* †
2. *Sara parit,*

CAP.

2. Mactat, 22. Iſaac immolandus.
2. MoriturSara, 23. Mors Saræ,& illius exequiæ.
24. Nuptiarum Iſaaci felix protaſis, epitaſis, & cataſtrophe.
67. Nubit,
26. Eſauus. 25. Eſaü & Iacob, fratrum par impar.
7. Falſa ſoror, 26. Iſaac peregrinus, concionator,& politicus.
21. Palpat, 27. Iacob præripit Eſauo benedictionem, vſus hanc ad rem ſtratagemate matris.
12. Scala, 28. Scala cœli.
18. Rahel, 29. Iacob peregrinus, ſeruus,& bigamus.
37. Baculi. † 30. Iacob πολύτεκνος, phyſicus,& œconomus bonus.
25. Labanus, 31. Iacob redux: prima idolomachia: caſtra Dei.
30. Phanuel, 32. Iacobi lucta cum angelo, eiúſque cognomen *Iſraël.*
17. Succoth, 33. Eſau & Iacob, hoſtes iurati, reconciliantur.
1. Dina, 34. Raptus Dinæ tragicus.
18. Beniaminus, 35. Iacob reformat: Debora, Rahel,& Iſaac moriuntur: primus inceſtus.
1. Eſauida, 36. Genealogia Edomæorum.
28. Vendunt, 37. Ioſeph patri charus, fratribus inuiſus, Midianitis venditus.
3. Er, 38. Onan Sodomita,& Iuda inceſtuoſus.
8. Pudor, 39. Caſtitas Ioſephi mulctata.
12. Eloquitur. † 40. Ioſeph interpretatur ſomnia in carcere.
41. Ioſeph interpretatur ſomnia Pharaonis,& fit prorex Ægypti.
25. Somnia,
24. Vas Simeon, 42. Ioſeph fratres ſuos, à parente in Ægyptum miſſos, examinando examinat.
23. Prandent 43. Fratres Ioſephi redeunt ad ipſum, adducentes Beniaminum & munera.
12. Inuentio, 44. Ioſephi tragœdia cum fratribus.
3. Notus. 45. Ioſephi comœdia cum fratribus.
5. It, 46. Iacob venit ad Ioſephum.
3. Pecudes, 47. Pharao comiter excipit Iacobum.
1. Æger, 48. Iacob ægrotus benedicit filiis Ioſephi.
1. Vaticinatur, 49. Cantio cygnea & mors Iacobi.
50. Iacobi exequiæ,& mors Ioſephi.
26. Obit. †

EXODVS.

18. Infantes, 1. Pharao imperat infanticidium ob multitudinem Iſraëlitarum.
10. Moſes, 2. Moſis educatio regia, zelus heroïcus, fuga,& coniugium.
2. Ardens, 3. Rubus ardens non conſumptus: vocatio, inueſtitura, & inſtructio Moſis.
25. Zippora, 4. Moſes tandem aliquando vocationem diuinam ſuſcipit, & fit cancellarius Dei. Ipſe & Aaron ſunt imago concordiæ inter magiſtratum & paſtores eccleſiæ.
9. Premantur. 5. Pharao, admonitus à Moſe & Aharone, multiplicat preſſuram.
3. Ihoua, 6. Nomen *Iehoua* manifeſtatur ipſo facto: Moſis calua excuſatio: & metamorphoſis baculi Moſis.
20. Cruor, 7. Prima plaga Ægypti.
6. Rana, 8. Secunda, tertia,& quarta plaga Ægypti.
6. Peſtilitas, 9. Quinta, ſexta,& ſeptima plaga Ægypti.
22. Tenebræ. † 10. Octaua & nona plaga Ægypti.
5. Primi, 11. Decima plaga denuntiatur Pharaoni.
27. Paſcha, 12. Paſcha inſtituitur: decima plaga immittitur: 600000. viri exeunt ex Ægypto.
14. Doce ſobolem, 13 Obligatio populi per varias leges, eiúſque directio & protectio per columnam nubis & ignis.
28. Submergitur, 14. Pharao, perſequens Iſraëlitas per mare rubrum tranſeuntes, ſubmergitur.
1. Ode. 15. Epinicium Moſis, Iſraëlis, & Mariæ: primáque populi murmuratio.
15. Manna, 16 Secunda populi murmuratio, eiúſque cibatio per coturnices & manna.
8. Amalek, 17 Tertia populi murmuratio: petra fundens aquas: preces Moſis victrices.
1. Iethro, 18. Iethro inuiſit Moſem, & dat ipſi conſilium ſalutare.
18. Sina, 19. DEVS apparet in monte Sinai.
Statuta decem. † 20. Promulgatio decalogi facta ſolemniter & maieſtaticè.
24. Talio, 21. Leges forenſes, ſiue iudiciales, incipiunt.
1. Furta, 22. Leges forenſes continuantur.
14. Dies feſti, 23. Leges forenſes abſoluuntur: addito auctario legum ceremonialium & moralium.
18. Eſt in monte, 24. Moſis concio, deuotio, & vocatio in montem; & quadrageſima eiuſdem.
18. Cherubim 25. Spontanea oblatio ad ſtructuram tabernaculi diuinitùs imperata: itemque ſciagraphia arcæ, propitiatorij &c.
7. Velum, 26. Sciagraphia tabernaculi & veli.

CAP.

27. Sciagraphia altaris & ſupellectilium eius.
28. Habitus Aharonicus, ſeu Pontificalia ipſius præſcripta.
29. Sanctificatio ſeu conſecratio ſacerdotum.
30. Capitatio Iſraëlitarum.
31. Bezaleel princeps architectus,& eius collegæ.
32. Vituli aurei tragœdia.
33. Reſipiſcentia Iſraëlitarum, Deíque indulgentia.
34. Duæ tabulæ nouæ: confeſſio & precatio Moſis: leges variæ: quadrageſima & velamen Moſis.
35. Recapitulatio legum ceremonialium, & ſpontanea populi oblatio.
36. Architectura tabernaculi inchoatur:
37. Continuatur:
38. Conſummatur.
39. Habitus Pontificialis perficitur.
40. Tabernaculum erigitur,& maieſtate Dei repletur.

LEVITICVS.

1. Lex holocauſti.
2. Lex muneris voluntarij.
3. Lex ſacrificij euchariſtici.
4. Lex ſacrificij pro peccato per ignorantiam commiſſo.
5. Caſus varij peccatorum,& modus illa expiandi.
6. Leges & ritus ſacrificiorum repetuntur.
7. Tria genera ſacrificij euchariſtici: gratulatorium, votiuum,& voluntarium.
8. Conſecratio rerum & perſonarum eccleſiaſticarum.
9. Miniſterium eccleſiaſticum inchoatur, & diuinitùs approbatur.
10. Ignis peregrinus in ſanctuarium illatus accerſit pœnam ignis.
11. Delectus animalium mundorum & immundorum.
12. Agenda puerperalia.
13. Lex & cognitio lepræ.
14. Expiatio lepræ.
15. Immundities ſeminis,& ſanguinis menſtrui.
16. Anniuerſaria expiatio.
17. Sanguis non comedendus.
18. Gradus coniugij prohibiti.
19. Explicatio decalogi diuiniſſima.
20. Sanctio decalogi per varias pœnas.
21. Idea boni ſacerdotis.
22. Qualitates rerum Deo offerendarum.
23. Leges feſtales.
24. Leges miſcellæ,& hiſtoria blaſphematoris.
25. Sabbatiſmus annorum.
26. Obſignatio, ſiue ſanctio legis Dei, adeóque prognoſticum ſacrum de felicitate & infelicitate hominis.
27. Vota & decimæ.

NVMERI.

1. Recenſio populi: videl. virorum, qui ex Ægypto exierunt, numero 603550, exceptis Leuitis.
2. Ordo caſtrorum.
3 Recenſio Leuitarum, numero 22000. & primogenitorum, numero 22273.
4 Miniſterium Leuiticum.
5. Mundities caſtrorum,& lex zelotypiæ.
6. Nazaræatus.
7. Oblationes principum Iſraëlis.
8. Conſecratio Leuitarum.
9. Paſchæ celebratio.
10. Duæ formulæ precum.
11. Sanhedrin, ſeu ſeptuaginta viri.
12. Mariæ lepra ſanatur.
13. Exploratores mittuntur in terram promiſſam.
14. Populo murmurante Ioſua & Caleb perſtant in pietate, ferúntque illius præmium ampliſſimum.
15. Leges ſacrificiorum repetuntur.
16. Seditio Core, Dathan, & Abiram punitur miraculosè.
17. Virga florens Aharonis.
18. Officia,& beneficia, ſeu ſtipendia, Leuitarum.
19. Rufa iuuenca.
20. Petra fundit aquas.
21. Serpens æneus.
22. Aſina loquitur.
23. Bileam bis benedicit Iſraëli.

CAP.

24. Bileam tertiùm benedicit Iſraëli, & vaticinatur de Chriſto.
25. Scortatio carnalis & ſpiritualis Iſraëlitarum,& zelus Pinhati ob illud facinus.
26. Secunda recenſio populi, numer 601730; exceptis Leuitis,num.22000.
27. Prærogatiua filiarum Zelophad: Ioſua deſignatus ſucceſſor Moſis.
28. Leges ſacrificiorum repetuntur.
29. Leges ſacrificiorum continuantur.
30. Lex voti & iuriſiurandi, ſeu, Ars vouendi & iurandi.
31. Spolia ex Midianitis.
32. Immiſſio quarundam tribuum in terram promiſſionis.
33. Recenſentur manſiones Iſraëlitarum in deſerto, numero XLII.
34. Geodæſia terræ Canaan.
35. Quadraginta octo ciuitates Leuitarum.
36. Lex connubialis politiæ Moſaïcæ.

DEVTERONOMIVM.

1. 2. 3. Recapitulatio rerum in deſerto geſtarum.
4. Commendatio legis Dei.
5. Repetitio decalogi.
6. Explicatio & ſanctio decalogi.
7. Vlterior explicatio decalogi.
8. Bonitas Dei & terræ Canaan.
9. Beneficia Dei erga populum: populi maleficia, & officia: formula precum Moſis.
10. Nouæ tabulæ.
11. Commentarius ad primum præceptum.
12. Commentarius ad ſecundum præceptum.
13. Author apoſtaſiæ quomodo plectendus?
14. Delectus animalium mundorum & immundorum: itemque decimarum modus & vſus.
15. Sabbatiſmus annorum.
16. Tria cardinalia feſta.
17. Ius regis.
18. Magnus propheta promittitur.
19. Lex aſyli.
20. Leges militares.
21. Homicidium occultum.
22. Signa virginitatis.
23. Diſciplina militaris & ciuilis.
24. Libellus repudij.
25. Semen fratri ſuſcitandum.
26. Primitiarum & decimarum lex.
27. Decalogus inſcribitur lapidibus.
28. Prognoſticum factum de felicitate & infelicitate hominis.
29. Prærogatiua populi Dei, fœdúſque Dei renouatum.
30. Legis obſeruatio vtilis & facilis.
31. Valedictio Moſis.
32. Canticum Moſis.
33. Teſtamentum Moſis.
34. Moſes mortuus ſepellitur à Deo.

IOSVA.

1. Inauguratio, inueſtitura & inſtructio Ioſuæ.
2. Rahab bene meretur de exploratoribus.
3. Tranſitus per Iordanem, miraculosè diuiſum.
4. Monumentum beneficij Dei erigitur.
5. Circumciſionis inſtauratio.
6. Princeps militiæ apparet Ioſuæ,& Iericho expugnatur miraculosè.
7. Abuſus anathematis punitur in Achane.
8. Stratagema Ioſuæ diuinitus præſcripum, & decalogus lapidibus inſculptus.
9. Dolus Gibeonitarum.
10. Statio ſolis & lunæ.
11. Bellis imponitur finis,& populus in terram promiſſam immittitur.
12. Reges 33. victi; à Moſe duo, à Ioſuâ reliqui.
13. Sors Ruben,Gad,& dimidiæ tribus Manaſſe.
14. Sors Caleb.
15. Sors tribus Iudæ.
16. Sors filiorum Ioſeph,& nominatim Ephraim.
17. Sors dimidiæ tribus Manaſſe, & filiarum Zelophad.

CAP.

18. Comitia in Siloh: tabula geographica terræ Canaan: ſors Beniamin,in quâ Hieruſalem. *11.Ben,*
19. Sors reliq[illegible] videl. Simeon, Zabulon, Iſſachar, Aſer, Naphthali,& Dan: item hæreditas Ioſuæ. *1.Simeon,*
20. Sex ciuitates refugij. *7.Tria bis.†*
21. Quadraginta octo ciuitates Leuitarum. *4. Quadraginta octo,*
22. Dimiſſio honorifica trium tribuum, videl. Ruben, Gad, & dimidiæ tribus Manaſſe. Poſtea altare, ſymbolum communionis,fit pomum Eridos. *12.Contentio,*
23. Comitia Ioſuæ. *2.Concio,*
24. Altera comitia Ioſuæ,& ipſius cantio cygnea. *29.Obitque.*

IVDICVM.

1. Tribus Iudæ & Simeonis prærogatiua & victoria. *2.3. Iuda Simon,*
2. Frequens Iſraëlitarum perfidia. *4.Lugent,*
3. Triplex populi defectio,oppreſſio, & liberatio. *9.15.31.Tres præſunt,*
4. Noua populi defectio,oppreſſio,& liberatio,
5. Epicinium Deboræ & Baraci. *4 Debora,*
6. Noua populi defectio,oppreſſio,& liberatio. *1.Carmen.*
7. Gideon luſtrat milites,& vtitur ſtratagemate, *34.Dux Gideon,*
8. Monimentum victoriæ fit munimentum idololatriæ. *6. Lambunt,*
9. Apologus,arborum creantium regem. *5.Ah date,*
10. Idololatria populi punitur. *14.Spina,*
11. Votum & victoria Iephthe. *3.Iair.†*
12. *Siboleth* vox cruenta. *1.Iephthe,*
13. *Simſon promittitur,& mittitur.* *6.En Siboleth,*
14. *Simſon leonem diſcerpit.* *12.Manoa,*
15. *Vulpeculæ Simſonis.* *5.Leonis,*
16. Simſon viuens & moriens nocet Philiſtæis. *15.Aſelli,*
17. Status reip.& eccleſiæ turbatus. *30. Simſon*
18. Tribus Dan idololatria. *obit,*
19. Scortatio Beniaminitarum horrenda. *2.Michach,*
20. Beniaminitæ bis victores tandem vincuntur. *1.Dan,*
21. Tribus Beniamin inſtauratur. *25.Giba praua,*

RVTH.

44.vadit.†
14.Virgine de rapta Beniamita vireſcit.

1. Neceſſitudo Ruthæ cum ſocru.
2. Spicilegium Ruthæ.
3. Coniugium Ruthæ cum Boaſo procuratur. *3.Naomi,*
4. Coniugium Ruthæ conſummatur. *2.Spicas,*

2.7. Boaſus,

I. SAMVELIS.

17.Naſcitur Obed.†

1. Sterilitas Annæ commutatur cum fœcunditate, & Samuel naſcitur. *5.Anna,*
2. Canticum Annæ. *1.Preces,*
3. Samuel quater vocatur à Domino. *19.Samuel,*
4. Arca amittitur in prælio,& Eli moritur. *18.Eli,*
5. Dagon concutitur, & Philiſtæi percutiuntur mariſcis. *3. Iacit arca Dagonem.*
6. Philiſtæi arcam remittunt. *11.Arca redit,*
7. Samuel concionatur,& reformat cum fructu.
8. Ius regis verum & vſurpatum. *15.Samuel,*
9. Saulis genealogia, phyſiognomia, & deſignatio in regem. *5. Rex, 3.Aſinas,*
10. Saulis inauguratio. *1.Oleo.†*
11. Exercitus Saulis 300000,& victoria. *1. Nahas,*
12. Comitia Samuelis,eiúſque proteſtatio. *18. En tonitru,*
13. Philiſtæorum copiæ,& Saulis πολυπραγμοσύνη.
14. Victoriæ,& genealogia Saulis. *9.Mala victima,*
15. Inobedientia,reprobatio, & mors Saulis.
16. Dauid rex deſignatur. *1.Ionathan,*
17. Goliath vincitur. *32.Agag.*
18. Ionathan & Dauid nobile par amicorum. *13.Dauid,*
19. Saulis odium erga Dauidem,& huius exilium. *50.Goliathus,*
20. Amicitia Ionathanis & Dauidis adhuc firma. *27.Michal,*
21. Dauid comedit panes propoſitionis, idémque exul ſimulat amentiam. *18. Abitque, 16.Fides.†*
22. Saulis crudelitas erga 86.ſacerdotes. *6.Panes,*
23. Dauid liberatur diuinitùs. *17.Crudelis,*
24. Dauid in ſpeluncâ. *19.Siphai,*
25. Samuelis mors & exequiæ: Nabal & Abigail par coniugij impar. *12. Abſciſſa, 3. Nabalque.*
26. Dauid expoſtulat cum Saule. *12.Haſtam,*
27. Dauid ludificatur regem Achis. *6.Ziclaga,*
28. Saul conſulit Pythoniſſam. *13.Spectra,*
29. Philiſtæi abdicant Dauidem. *11.Redux,*
30. Dauid victor. *20. Iô,*
31. Saul victus αὐτόχειρ. *4.Obit.†*

Cap.

II. SAMVELIS.

11. Lugens, 1. Epicedium Sauli & Ionathæ dictum à Dauide.
4. Eligitur, 2. Dauid rex eligitur, & contra eum Isboseth.
27. Ioab, 3. Inimicitia inter domum Saulis & Dauidis.
4. Mephiboseth, 4. Dauid plectit interfectores Isbosethi.
1. It omnis. 5. Dauid indies augescit.
6. Vsa, 6. Pompa & error in deportatione arcæ.
13. Struet, 7. Pietas & precatio Dauidis.
1. Vincit, 8. Dauid victoriosus.
9. Siba, 9. Dauidis pietas erga Mephiboseth.
4. Malignus Anon, † 10. Annon violat ius gentium circa legatos Dauidis.
17. Vrias, 11. Dauid se polluit adulterio & homicidio.
1. Nathan, 12. Concio Nathanis parabolico-legalis.
1. Amnon, 13. Amnon incestuosus.
25. Pulcherrimus, 14. Absolom reuocatus per Ioabum.
14. Exul. 15. Absolom restitutus est author seditionis.
5. Simei, 16. Dauidis patientia erga Simei.
23. Achithophel, 17. Consilium & ἀυτοφονία Achithophelis.
9. Quercus, 18. Absolomis fatum, seu obitus tragicus.
8. Adestque, 19. Dauidis ignoscentia.
22. Seba. † 20. Israël deficit à Dauide.
1. Magna fames, 21. Fames triennalis, eiúsque causa & remedium.
1. Cantat, 22. Psalmus Dauidis 18. constans epinicio, Eucharistia, & prophetia.
1. Verba vltima, 23. Verba nouissima Dauidis.
15. Diráque pestis. 24. Pestis triduana, eiúsque causa & remedium.

I. REGVM.

39. Rex Salomon, 1. Inauguratio Salomonis.
10. Moritur, 2. Vltima voluntas Dauidis.
1. Pharao, 3. Salomonis coniugium & precatio.
2. Politia, 4. Politia Salomonis instituta.
7. Et Hiram⁹. 5. Fœdus Salomonis cum Hiramo.
1. Templum, 6. Templum Salomonis ædificatur.
1. Arx, 7. Regia Salomonis, & ornamenta templi.
1. Atq; dicat, 8. Dedicatio templi.
2. Tum videt, 9. DEVS secundò apparet Salomoni.
1. Ecce Saba. † 10. Regina Sabæ inuisit Salomonem.
1. Fœmina, 11. Polygamia & idololatria Salomonis.
16. Scindŭtur, 12. Schisma in regno Salomonis, seu regni diuisio.
24. Leo, 13. Ieroboami manus exarescit.
2. Vates Ahia, 14. Roboam affligitur à rege Ægypti.
8. Et Asa. 15. Asa religiosus.
24. Samaria, 16. Schisma in regno Israël.
6. A coruis, 17. Elias excitat mortuum.
40. Mactat, 18. Elias iugulat Baalitas 450.
5. Adesto, 19. Elias fugit à furore Iesabelis.
2. Et Ahab. † 20. Ahab & Benhadad primò discordes fiunt concordes.
1. Nabothus, 21. Ahabi erga Nabothum impietas.
35. Cecidit per prælia victus Ahabus. † 22. Ahabo impio succedit pius filius Iosaphath: & huic impius filius Ioram.

II. REGVM.

2. Ekron, 1. Elias adhuc claret.
11. In cœlum, 2. Eliæ currus triumphalis.
20. Dat aquas, 6. 10. 34. 41. 44. Miracla, 3. Elisæus incipit florere.
4. Quinque insignia miracula Elisæi.
1. Naaman. 5. Elisæus sanat lepram Naami.
6. Enatat, 6. Tria Elisæi miracula.
12. Haud credit, 7. Syri fugantur diuinitùs.
10. Iora, 8. Duo vaticinia Elisæi.
2. Iehu, 9. Iehu malleus & flagellum impietatis Ahab.
19. Baalim. † 10. Iehu pergit in suo zelo.
4. Ioiada, 11. Ioiada instaurat cultum Dei.
2. Degenerat, 12. Ioas degenerat à suâ pietate.
21. Fit vlcus, 13. Elisæus moritur, & Ioas ter vincit Syros.
1. Amazia, 14. Ieroboam secundus amplificat regnum Israël.
1. Azarja. 15. Azarias πολυπράγμων fit leprosus.
1. Achaz, 16. Achaz impius parens pij filij Hiskiæ.
1. Hoseas, 17. Regnum Israël deficit in Hoseâ.
1. Hiskia, 18. Hiskias reformator ecclesiæ.
35. Strage, 19. Esaias consolatur Hiskiam, & angelus cædit vna nocte 185000. Assyriorum.
11. Decem. † 20. Hiskias sanatus à peste peccat, & resipiscit.
1. Manasses, 21. Manasse pij Hiskiæ impius filius.
1. Iosias, 22. Iosias incipit reformare cultum Dei.
4. Renouat, 23. Iosias pergit reformare.
1. Babylon, 24. Præludium captiuitatis Babylonicæ.
7 Iugulatur. † 25. Captiuitas Babylonica LXX. annorum.

Cap.

I. CHRONICORVM.

1. Genealogia ab Adam vsque ad Iacob inclusiuè.
2. Genealogia Iudæ vsque ad Isai patrem Dauidis.
3. Genealogia Dauidis & posterorum eius.
4. Genealogia Iudæ noua; & genealogia Simeonis.
5. Genealogia Rubenis, Gad, & dimidiæ tribus Manasse.
6. Genealogia & politia tribus Leui.
7. Genealogia Isascharis, Beniaminis, Naphthali, Manasse, & Ephraim.
8. Genealogia Beniaminis continuatur.
9. Officia sacerdotum & Leuitarum.
10. Mors Saulis cruenta.
11. Inauguratio & heroes Dauidis.
12. Copiæ Dauidis instructissimæ.
13. Deportatio arcæ partim infelix, partim felix.
14. Amicitia Dauidis & Hirami.
15. Felix deportatio arcæ.
16. Pars psalmi 105. & psalmus 69.
17. Beneficentia Dei erga Dauidem.
18. Dauid clarus sago & togâ.
19. Dauid vlciscitur iniuriam sibi illatam à rege Ammonitarum.
20. Dauid cædit Philistæos, & gigantes ipsorum.
21. Dauid authore diabolo numerans populum, punitur diuinitùs peste triduana.
22. Dauidis δῶρον βασιλικὸν, seu instructio filij Salomonis; & sermo ad proceres.
23. Recensio Leuitarum.
24. Classes Sacerdotum, numero XXIV.
25. Cantores sacri.
26. Ianitores sacri.

(23.–26.: Hierarchia ecclesiastica Dauidis.)

27. Politia regia Dauidis.
28. Comitia Dauidis.
29. Verba nouissima Dauidis.

II. CHRONICORVM.

1. Salomon donatur diuinitùs sapientia, diuitiis, & honore.
2. Præparatoria ad structuram templi Salomonis.
3. Structura templi.
4. Ornamenta templi.
5. Deus sanctificat templum.
6. Dedicatio templi facta.
7. Dedicatio templi diuinitùs approbata.
8. Politia & œconomia Salomonis.
9. Regina Sabæ inuisit Salomonem.
10. Roboam tyrannus, Ieroboam schismaticus.
11. Politia Roboami.
12. Roboam & ipsius subditi peccant, & puniti resipiscunt.
13. Abia Deo confisus feliciter pugnat.
14. Asa reformator.
15. Concio prophetæ Asariæ.
16. Asa peccator.
17. Iosaphath reformat ecclesiam & politiam: seu visitatio ecclesiarum & scholarum, auspiciis Iosaphathi.
18. Iosaphath improbè & infeliciter se coniungit Ahabo.
19. Iosaphath resipiscit.
10. Triumphus Iosaphathi, & vallis benedictionis.
21. Ioram sanguinarius occumbit morbo fœdissimo.
22. Athalia sanguinaria.
23. Ioiada idea boni sacerdotis.
24. Ioas viuente Ioiada bonus.
25. Amazia ex bono fit pessimus.
26. Vsias πολυπράγμων, cæterà bonus.
27. Iotham pius, felix.
28. Achaz speculum mali principis.
29. 30. 31. Hiskias incipit / continuat / absoluit reformationem.
32. Hiskias ægrotat, sanatur, peccat, resipiscit.
33. Manasse speculum peccatoris magni, & seriò resipiscentis.
34. Iosias idea boni principis.
35. Iosias exorbitat, & ideò punitur diuinitùs.
36. Quadriga impiorum regum, & excidium vrbis.

ESDRA.

Cap.

ESDRA.

1. Autonomia Iudæorum authore Cyro, qui est typus Christi, & nutritius ecclesiæ.
2. Recensio populi reducis ex Babylone.
3. Religio populi reducis in cultu Dei instaurando.
4. Structura templi impeditur.
5. Haggæus & Zacharias duæ tubæ in populo.
6. Templum absoluitur auspiciis Darij Nothi.
7. Esdra venit Hierosolymam.
8. Comites Esdræ.
9. Esdræ pietas.
10. Populi pietas pietati Esdræ ἀντίστροφος.

NEHEMIAS.

1. Preces & ieiunium Nehemiæ.
2. Nehemias venit Hierosolymam.
3. Mœnia & portæ vrbis instaurantur.
4. Fortitudo & vigilantia Nehemiæ.
5. Στρατηγήματα Nehemiæ.
6. Impedimenta obiecta ab hostibus, pseudoprophetis, & falsis fratribus.
7. Politia instauratur.
8. Agenda ecclesiastica Nehemiæ.
9. Iudæi speculum pœnitentiæ.
10. Obsignatio fœderis & obligatio populi ad cultum Dei.
11. Geodæsia & habitatio terræ sanctæ.
12. Encænia vrbis.
13. Reformatio in politiâ, ecclesiâ, & œconomiâ per Nehemiam.

ESTHER.

1. Vasthi speculum superbæ vxoris.
2. Esther speculum humilitatis gloriosæ.
3. Haman speculum aulici superbi & sanguinarij.
4. Ieiunium Iudæorum in extremitate nouaculæ versantium.
5. Estheræ intercessio pro Iudæis apud Ahasverum.
6. Haman consternatus.
7. Hamanis tragica catastrophe.
8. Euangelium Iudæis allatum.
9. Festum *Purim.*
10. Eximia dignitas Mardochæi.

IOB.

1. Iobi patientia victrix.
2. Iobi patientia constans.
3. Iobi patientia victa.
4. Homo, reus coram Deo.
5. Omnipotentia Dei.
6. Sagittæ omnipotentis.
7. Vita hominis, militia.
8. Deus iustus.
9. Speculum omnipotentiæ Dei.
10. Speculum miseriæ hominis.
11. Via ad salutem, resipiscentia.
12. Schola naturæ aperta.
13. Experientia Iobi.
14. Vita hominis vana.
15. Felicitas impiorum infelix.
16. Schola crucis.
17. Meditatio mortis.
18. Lux impiorum extinguitur.
19. Articulus de resurrectione carnis.
20. Lætitia impiorum momentanea.
21. Vita impiorum venenum melle litum.
22. Eliphas eadem corda oberrans: Deus iustus & potens.
23. Iustitia causæ.
24. Prouidentia Dei facit vt status impiorum sit instar comico-tragœdiæ.
25. Dei maiestas, & hominis vilitas.
26. Regnum potentiæ Dei.
27. Antithesis pij & hypocritæ.
28. Physica specialis rei metallicæ.
29. Iobi status florens.
30. Iobi status flaccescens.
31. Iustitia causæ, seu bonæ conscientiæ.
32. Prosopolepsia & insulsa rhetoricatio dedecet pios.
33. Deus iustus, homo iniustus.
34. Speculum prouidentiæ Dei.

Cap.

35. Schola humilitatis. *1. Et addit,*
36. Deus iustus. *3. Iustus,*
37. Physica sacra. *5. Voce tonat,*
38. Deus arbiter inter Iobum & amicos eius. *4. Condidit,*
39. Deus omnipotens & sapiens. *25. Ha,*
40. *Behemoth* speculum prouidentiæ & maiestatis Dei inter bestias terrestres. *14. Behemoth.* †
41. Leuiathan speculum prouidentiæ & maiestatis Dei inter aquatilia. *1. Leuiathan vastus,*
42. Iobi confessio & læta catastrophe: adeóque peccatoris resipiscentis gloria. *1. Resipiscit Iobus ouátque.* †

PSALMI.

Psalm.

1. Summum hominis bonum: partitio hominum in duas classes: piorum & impiorum notæ & status. *3. Arbor,*
2. Christi persona, officium, hostes, & subditi. *6. Rex,*
3. Dormi securè. *4. Clypeus,*
4. Quem processum Deus seruet cum suis: & sacrificia iustitiæ. *7. Faciei luce,*
5. Oratio contra hostes ecclesiæ, falsos doctores, & hypocritas. *5. Malignus.*
6. *Primus psalmus pœnitentialis:* cuius, vt & reliquorum sex, hæc est summa: duos legatos mittendos esse ad Deum, putà precationem & resipiscentiam. *2. Ah Deus,*
7. Nobile officium iudicis Dei. *16. In foueam,*
8. Dei opera in regno potentiæ & gratiæ; Christíque status duplex, exinanitionis & exaltationis. *2. Nomen,*
9. Ecclesia apostolica, sponsa Christi: Deus, asylum pauperum. *3. Ouabo,*
10. Oratio contra hostes ecclesiæ, quos inter familiam ducit Antichristus. *1. Procul.* †
11. Gemitus columbæ: Deus stat à partibus piorum contra impios. *1. Sicut auis,*
12. Pauci boni: mundus spelunca latronum. *2. Pauci,*
13. Tentatio desertionis victa. *6. Spero,*
14. Speculum Epicureismi. *1. Dementia,*
15. Ethica sacra: ciuis cœli: notæque membrorum ecclesiæ catholicæ. *1. Quisnam.*
16. Christus triumphans. *10. Nonlinques,*
17. Dauid imago hominis pij in negotio religionis contendentis cum hostibus. *1. Audi,*
18. Deus, petra: instructio militaris: vocatio gentium. *3. Petra,*
19. Schola naturæ & gratiæ: vocatio gentium. *3. Reuelat,*
20. Formula precum pro magistratu bono. *8. Equis.* †
21. Corona gratiæ & gloriæ. *10. Vt clibanus,*
22. Passionale propheticum. *2. Cur me,*
23. Deus pastor, educens oues in pascua, ibíque eas custodiens, & inde domum reducens. *1. Pastor mihi,*
24. Regnum potentiæ & gratiæ Dei. *1. Terra,*
25. Si vis fugere, fuge ad Deum. *7. Iuuenta.*
26. Gloria bonæ conscientiæ. *1. Renes,*
27. Vnum necessarium. *4. Vt maneam,*
28. Retributio impiorum. *3. Ne trahe,*
29. Tonitru, vox Dei. *3. Vox,*
30. Tristitia versa in gaudium. *6. Lacryma,* †
31. Spes non confundit. *4. Arx mea,*
32. *Psalmus pœnitentialis secundus:* vbi de iustificatione euangelica. *1. Ter felix,*
33. Catalogus operũ SS. Trinitatis; & lætitia spiritualis. *16. Non vis,*
34. Dauid, concionator: timentes Deum sunt in tuto: discrimen inter τιμωρίαν καὶ παιδείαν Dei. *11. Penuria,*
35. Deus pugnat pro suis: Dauid gerens imaginem Christi. *1. Pugna,*
36. Regnum potentiæ & gratiæ Dei: Ecclesia vera, & malignantium. *2. Impius,*
37. Ventilatio quæstionis: Cur Deus velit vt piis in hâc vitâ malè, & impiis bene sit. *4. Oblecta,*
38. *Psalmus tertius pœnitentialis:* cuius hoc est argumentum, Nulla calamitas sola. *11. Plaga,*
39. Ars bene viuendi & moriendi. *10. Silens,*
40. Vaticinium de Christo: fiducia in solo Deo collocanda. *9. Faciam.* †
41. Beneficus in pauperes experitur Deum beneficum. *2. Commiserãs,*
42. Ceruus glocitans. *2. Ceruus,*
43. Deus vindex. *1. Vindex,*
44. Praxis historiæ sacræ quæ: Vt nempe sit speculum prouidentiæ Dei. *25. Obliuio,*
45. Epithalamium cœlestis Salomonis, id est, Christi. *10. Sponsa.*
46. Deus turris fortissima, & bellator opt. max. *4. Si fremerent,*
47. Christus dux & lux gentium. *3. Rex est,*
48. Hierosolyma typus ecclesiæ catholicæ; quæ est ciuitas Dei gloriosa. *15. Dux,*
49. Vanitas huius mundi. *7. Bona fluxa,*

	Cap.	
13. Preces. †	50.	Vera & falsa religio.
4. Ablue,	51.	*Psalmus quartus pœnitentialis* : cuius hæc est summa, *Per miserere mei, tollitur ira Dei.*
2. Doëgus,	52.	Speculum vitæ aulicæ.
2. Stultus,	53.	Speculum Epicureismi.
6 Deus adiuuat,	54.	Pius afflictus experitur opem Dei.
7. Alas.	55.	Pij affliguntur ab amicis simul & inimicis suis.
4. Fido,	56.	Deus in Kalendario scribit lacrymas piorum.
5. Sunt hastæ,	57.	Pius inter leones.
7. Frange,	58.	Manipulus impiorum.
15. Canes,	59.	Ingenium tyrannorum : Deo vindicta.
13. Nihili est. †	60.	Regnum Dei inter Iudæos & Gentes : ira eius momentanea.
4. Turris,	61.	Deus, turris robusta.
11. Ne fidas,	62.	Sacrum silentium, seu, In Deo quies.
11. Vulpi,	63.	Sitis animæ piæ.
6. Laqueum,	64.	Vita & fama Deo commendanda.
11 Benedicis.	65.	Catalogus beneficiorum Dei : corona anni.
5. Facta Dei,	66.	Bona opera tum Dei, tum piorum : fornax probationis.
2. Vultum,	67.	Benedictio Dei ditat & exhilarat: vocatio gentium.
19. Dona,	68.	Christus regnat, Christus vincit, Christus imperat.
22. Sitis,	69.	Vita Christi & Christiani mera passio.
6. Prospera. †	70.	Confusio impiorum.
18. In senio,	71.	Iustus sub cruce vt palma.
1. Salomon,	72.	Salomon, typus Christi.
26. Mea pars,	73.	Consolatio Israëlis, hoc est, ecclesiæ.
9. Insignia,	74.	Ecclesia querulans.
9. Faces.	75.	Deus, iustus iudex.
2. In Iuda,	76.	Deus, patronus ecclesiæ.
2. Clamo,	77.	Psalmus melancholicus, cuius summa hæc est: Amarum-dulce.
4. Mira,	78.	Liber antiquitatum.
9. Iuuato,	79.	Insolentia hostium veritatis; & miseria, quam experta est Hierosolyma, in statu politico, ecclesiastico, & œconomico.
15. Vide. †	80.	Vinea deuastata, est Deo curæ.
9. Audito,	81.	Populus Israël, ingratus.
6. Vos dij,	82.	Magistratus officium.
19. Summus,	83.	Liga impiorum.
11. Tua limina,	84.	Ecclesia militans, in rebus secundis constituta.
11 Ius pax.	85.	Ecclesia militans, in rebus aduersis constituta.
5. Loganimis,	86.	Deprecatio confusionis.
2. Sion,	87.	Hierusalem typus ecclesiæ : generatio noua.
17. Ira,	88.	Passionale Christi : tentatio desertionis.
2. Canámque,	89.	Gratia & veritas Dei sub cruce.
12. Doce. †	90.	Disce mori.
9. Spes mea,	91.	Præseruatiua contra pestem ; videl. adiutorium omnipotentis, præsidium angelorum, & preces.
8. Ceu gramen,	92.	Iustus vt palma.
1. Regnat,	93.	Regnum Christi firmum.
10. Videt omnia,	94.	Inuitatio ad Christum : Dominus vltor.
7. Vocem	95.	Cantio Leuitarum : explicatio primi præcepti.
5. Dij vani,	96.	Altissimus exaltandus piis.
11. Iusto,	97.	Dominus benignus & terribilis.
1. Psallite,	98.	Christus victor.
1. Regnat,	99.	Regnum Christi, & subditorum eius indoles.
3. Oues. †	100.	Cultus Dei decet pios.
1. Ius,	101.	Tabula aulica, seu Princeps bonus.
5. Aresco,	102.	*Psalmus quintus pœnitentialis* : cuius argumentum, Anima angustata.
1. Deo benedic,	103.	Anima exultans in regno gratiæ.
2 Regit omnia,	104.	Schola naturæ, & speculum prouidentiæ Dei.
8 Pactum,	105.	Chronicon Exodi.
6 Cũ patribus,	106.	Chronicon Exodi.
1. Bonitas,	107.	Formula gratiarum actionis in variis casibus.
6. Gloria,	108.	Psalmus sexagesimo geminus: cor paratum.
2. Lingua,	109.	Perfidia Iudæorum & Iudæ erga Christum, illorúmque pœna.
1. Sede †	110.	Persona & officium Christi.
7. Facta Dei,	111.	Carmen paschale.
1. Bene erit,	112.	Beatitudo fidelium.
7. De puluere,	113.	Nomen Domini laudabile : exaltatio inopis.
5. Quid mare,	114.	Exitus ex Ægypto lætus.
6. Nares, (no,	115.	Explicatio primi & secundi præcepti eximia.
12. Quid Domi-	116.	Calix salutis.
1. Gentes,	117.	Vocatio gentium.
8. Fidere,	118.	Misericordia Dei in seculum.
18. Lege,	119.	Alphabetum aureum.
5. Kedar. †	120.	Lingua dolosa.
4. Non dormit,	121.	Sursum oculos : Custos Israëlis.
1. Lætor,	122.	Felicitas Hierusalem.
1. Leuo lumina,	123.	Sursum oculos.
1.2. Ni Deus,	124.	Impotentia ecclesiæ gementis, & potentia Dei protegentis.

Cap.

125. Sion, figura ecclesiæ ; quæ est mons æternus.
126. Tristitia in gaudium vertenda.
127. OEconomia & politia quomodo felix?
128. Coniugium felix?
129. Crux victrix.
130. *Psalmus sextus pœnitentialis* : cuius summa, Clamans de profundis.
131. Altiora te ne quæsieris.
132. Locus Dei electus.
133. Concordia fraterna Deo grata, hominibus vtilis.
134. Officium pastorum ecclesiæ.
135. Officium pastorum & auditorum ecclesiæ: collatio Dei & idolorum.
136. Litaniæ sacræ formula : Dei magnalia.
137. Captiuitas Babylonica.
138. Gratulatio populi redempti.
139. Natura & prouidentia Dei.
140. Hypocritarum practica multiplex.
141. Sacrificium Deo gratum.
142. Eiulatus afflicti.
143. *Psalmus septimus pœnitentialis* : in quo desiderium liberationis à peccato & pœnâ.
144. Epinicium Dauidis : Dominus bellator.
145. Dominus gloriosus.
146. Praxis primi præcepti.
147. Prouidentia Dei generalis & specialis.
148. Tres chori laudantes Deum : videl. chorus creaturum cœlestium, elementarium, & hominum in statu œconomico, politico, & ecclesiastico.
149. Canticum nouum.
150. Praxis vera musicæ vocalis & instrumentalis.

PROVERBIA.

1. Timor Dei α & ω sapientiæ.
2. Sapientiæ κλῆσις καὶ χρῆσις.
3. Obseruantia legis Dei.
4. Custodia membrorum religiosa.
5. Castitati studendum.
6. Speculum pigritiæ.
7. Amor castus sapientiæ, & impurus meretricis.
8. Sapientiæ æternæ pictura.
9. Ecclesia Christi & Antichristi.
10. Decem antitheses.
11. Encomium iustitiæ.
12. Diligens disciplinam, diligit sapientiam.
13. Filius sapiens.
14. Mulier sapiens.
15. Lingua sapientis.
16. Sors in manu Dei.
17. Deus probat corda.
18. Nomen Domini turris fortissima.
19. Testis falsus.
20. Ebrietas mala physicè & ethicè.
21. Thesaurus desiderabilis.
22. Nomen bonum.
23. Termini antiqui.
24. Iustus septies in die cadens, & resurgens.
25. Prunæ congregandæ super caput inimici.
26. Pictura pigri.
27. Tria insatiabilia.
28. Bona & mala conscientia.
29. Qualis rex, talis grex.
30. Duo quotidie à Deo petenda.
31. Speculum boni regis, & bonæ vxoris.

ECCLESIASTES.

1. Vanitas vanitatum.
2. Vanitatis exemplum Salomon.
3. Omnia habent tempus suum.
4. Concordia prodest.
5. Vanitas & pietas opponuntur.
6. Auari diuitis calamitas.
7. Domus leti & lætitiæ opponuntur.
8. Encomium viri sapientis.
9. Opera Dei sunt abyssus: & Sapientia παντάμορφος.
10. Magistratus puer & ebriosus, publicum malum.
11. Eleemosyna ditat.
12. Allegorica descriptio debilis senij : & summa summarum.

CANTICVM CANTICORVM.

1. Pulchra es amica mea.

2. Lilium

CAP.
2. Lilium inter spinas.
3. Quæsiui dilectum meum,& non inueni.
4. Ecclesia sine rugâ.
5. Oculi dormiunt,cor vigilat.
6. Sexaginta reginæ.
7. Ecclesia est Sulamith: In eâ sunt noua vetera.
8. Signaculum super cor.

E S A I A S.

1. Concio pœnitentialis,complexa summam legis & euangelij.
2. Gloria ecclesiæ N.T.
3. Pœna superbiæ & luxus.
4. Germen Domini in magnificentiâ.
5. Carmen Esaïæ de vinea spirituali.
6. Τρισάγιον Seraphicum.
7. Virgo pariet.
8. Hic est Immanuel.
9. Puer natus est nobis.
10. Iniquitas magnatum.
11. Virga de radice Iesse: & septem dona Spiritus sancti.
12. Hymnus Ecclesiæ.
13. Onus Babylonis.
14. Misericordia Dei propè est.
15. 16. } Onus Moabi.
17. Onus Damasci.
18. 19. } Onus Ægypti.
20. Onus Ægypti & Æthiopiæ.
21. Onus Babylonis,Idumææ,& Arabiæ.
22. Onus vallis visionis, h.e. Hierosolymæ.
23. Onus Tyri.
24. Regnum Christi orietur in mediis ruinis Hierosolymæ.
25. Hymnus Esaïæ.
26. Canticum Sionis.
27. Leuiathan iudicandus.
28. Deus,corona sui populi: & Christus, lapis angularis in Sion.
29. Væ Arieli, seu Excidium Hierosolymæ.
30. In silentio & spe.
31. Væ illis,qui fidunt equis & equitibus.
32. Regnum Christi,regnum pacis.
33. Væ prædoni Assyrio.
34. Ira Dei super hostes ecclesiæ.
35. Felicitas ecclesiæ N.T.
36. Sennacherib obsidet Hierosolymam.
37. Sennacherib cæditur ab angelo.
38. Ezechias sanitati restitutus laudat Deum.
39. Ezechias offendit Deum,& castigatus resipiscit.
40. Aduentus Messiæ: & eius prodromus, Iohannes Baptista.
41. Pusillus grex Israëlis.
42. Aduentus Christi maiestaticus.
43. Vocatio gentium prædicitur.
44. Dona spiritualia.
45. Captiuitas Babylonica soluenda per Cyrum.
46. Vanitas idolorum.
47. Excidium Babylonis prædicitur.
48. Liberatio ex Babylone certò futura.
49. Num mater potest obliuisci filij sui?
50. Liber repudij datus synagogæ, id est, ecclesiæ Iudæorum.
51. Dominus consolator Sionis in perpetuum.
52. Christi humilitas & gloria.
53. Passionale euangelicum.
54. Ecclesia,sponsa Christi.
55. Inuitatio ad magnam cœnam.
56. Beati,qui Deum colunt.
57. Iustus perit.
58. Idea boni concionatoris,& veri ieiunij.
59. Dei manus non est abbreuiata.
60. Lumen Hierosolymæ,Christus.
61. Spiritus Domini super Christo.
62. Splendor Sionis.
63. Dialogus ecclesiæ & Christi propheticus.
64. Psalmus eucharisticus ob magnalia Dei.
65. Iudæorum reiectio est gentium euectio.
66. Tabula veræ & falsæ religionis.

I E R E M I A S.

1. Vocatio Ieremiæ diuina: & duæ visiones.

CAP.
2. Ingratitudo Iudæorum. *13. Cisternas,*
3. 4. } Concio pœnitentialis ad Iudæos. *1. Scortans, 3.4. Noua cordáque,*
5. Omnes ex æquo mali: οὐδὲν ὑγιές.
6. Calamitates populi aduersus Deum ingrati. *25. Crimen,*
7. Templum Domini, templum Domini, templum Domini. *17. Non,non, 4. Ter templum,*
8. Prophetæ mendaces & auari. *7. Grus,*
9. Vera & falsa gloriatio. *23. Sapiens,*
10. Idololatria fugienda. *7. Timeas.* †
11. Fœdus Dei cum populo suo. *20. Renes,*
12. Disceptatio carnis & sanguinis cum Deo super prospero statu impiorum, & aspero statu piorum. *1. Tu iustus,*
13. Concio pœnitentialis ad plebem & regem. *1. Cingas,*
14. Penuria annonæ in Iudæâ. *21. Ne reijce,*
15. Deus non miseretur eorum qui obstinatè peccant. *2.3. Plaga.*
16. Apostoli,piscatores Iudæorum & Gentium. *11. Maiores,*
17. Maledictus, qui confidit in homine: benedictus, qui in Deo. *5.7. Fidens,*
18. Homo in manu Dei est, vt lutum in manu figuli. *4. Vas,*
19. Excidium vrbis prædicitur. *5. Perit igne,*
20. Ieremias percussus incarceratur. *14. Dies.* †
21. Vrbs obsidetur sub Zedekia. *8. En via,*
22. Concio pœnitentialis ad aulicos. *3. Iustitiam,*
23. Mali pastores: Christus germen Dauidis, & ἀρχιποίμην. *1. Pastores,*
24. Ficus bonæ,pios; malæ,impios figurant. *1. Ficubus,*
25. Captiuitas Babylonica denuò prædicitur. *15. Ira,*
26. Ieremias παρρησιάζων capitur. *12. Me misit,*
27. Captiuitas Babylonica iterum prædicitur. *2. Lorum,*
28. Hananias pseudopropheta frustra se opponit prophetæ Ieremiæ. *13. Ferrea,*
29. Epistola Ieremiæ ad captiuos. *1. Scripta,*
30. Liberatio populi ex Babylone prædicitur. *3. Redux.* †
31. 32. } Fœderis gratiæ magnificentia in N.T. *31. Pãgo nouũ, 17. Domine ah,*
33. Regnum Christi promittitur. *15. Germen,*
34. Violatio fœderis Dei punita. *3. Tradére,*
35. Rechabitæ speculum pœnitentiæ. *2. Rechabus,*
36. Ioiakim comburit librum Ieremiæ. *23. Exussit,*
37. Zedekias inuestitur à Nabucadnezare. *15. Carcer,*
38. Ieremias liberatur ex carcere. *20. Fac,*
39. Ierusalem capta deuastatur *2.5. Capitur,*
40. Ieremias Babylonem abducendus liberatur. *5.6. Remanēt.* †
41. Ismaëlis conatus impeditur. *3. Percutit,*
42. Ieremias orat pro reliquiis populi. *2. Ah ora,*
43. Iohanan abducit reliquias populi in Ægyptum. *2. Mentiris,*
44. Concio Ieremiæ ad Iudæos in Ægypto. *16. Non ita,*
45. Concio Ieremiæ consolatoria ad Baruchum. *1. Baruch.*
46. Onus Ægypti. *2. Ægyptus,*
47. Onus Philisthæorum. *4. Tyrij,*
48. Onus Moabi. *1. Moab,*
49. Onus Ammonitarum,Idumæorum &c. *7. Edom,*
50. Onus Chaldæorum. *1. Babylon.* †
51. Eiusdem argumenti cum præced. *8. Et ceciditBabylon,*
52. Repetitio excidij vrbis sub Zedekia, & catalogus abductorum in Babylonem. *13.14. Templum comburitur atque vrbs.*

T H R E N I I E R E M I Æ.

1. Quantum mutatus ab illo? *1. Est vidua,*
2. Filia Sion proiecta de cœlo in terram. *7. Ah repulit,*
3. Calamitas publica vrbis; & priuata, Ieremiæ: atque remedium vtriusque. *25. Bonus est,*
4. Iniquitas filiæ Sion completa *21. Lætare,*
5. Supplex Ieremiæ precatio ad Deum. *1. Memento.*

E Z E C H I E L.

1. Tres visiones: quadrigæ Ezechielis, typus prouidentiæ Dei. *5. Bis duo,*
2. Vocatio & commissio diuina Ezechielis. *6. Ne timeas,*
3. Officium boni prophetæ. *17. Speculator,*
4. Sciagraphia pœnæ imminentis vrbi, facta in latere. *12. Stercoris,*
5. Typus vastationis vrbis alius. *2. Igne.*
6. Idololatriæ pœna prædicitur. *8. Reliquia,*
7. Comminatio extremæ calamitatis. *15 Gladius,*
8. Quatuor visiones: populus Iudaïcus est inuersus & euersus decalogus. *10. Reptile,*
9. Conseruatio piorum in media clade. *4. Signa,*
10. Visio gemina visioni capite primo *9. Rota.* †
11. Cor lapideum commutandum cum carneo. *19. Cor vnum,*
12. Præludium calamitatis Iudæorum. *2. Cœci,*

CAP.

3 Væ vatibus, 13. Pſeudoprophetæ confutati.
14. En tri..s, 14. Deus immittit ſpiritum pſeudoprophetiæ
17. Igne. 15. Populus Dei vitis infrugifera.
15. Scortata es, 16. Ingratitudo populi aduerſus Deum.
12. Babel, 17. Parabola proponitur & exponitur.
4. Morte, 18. Prouidentia & clementia Dei.
2. Leæna, 19. Clades principum impiorum.
12. Dedi. † 20. Concio legalis & euangelica.
25. In initio, 21. Ieruſalem, ſylua incendenda.
3. Vah vrbs, 22. Catalogus peccatorum populi Iudaici.
3. Scortantur, 23. Eccleſia Dei fit meretrix.
5. Bulliat, 24. Parabolica prædictio calamitatum populi Iudaïci, eáque vltim
2. Ammon, 25. Clades prædicitur Ammonitis, Moabitis, Idumæis, & Philiſtæis.
2. Euge, 26. Excidium Tyri prædicitur.
3. Tyrus, 27. Excidium Tyri deploratur.
21. Sidon, 28. Princeps Tyri perſtringitur, & excidium Sidonis prædicitur.
2. Pharao, 29.
3. Opaca dies. † 30. } Excidium Ægypti prædicitur.
3. Aſſyrius, 31.
2. Pharao, 32. Rex Ægypti perſtringitur.
11. Viuat, 33. Officium paſtoris euangelici.
12. Paſtor bonus, 34. Indoles paſtorum malorum: & Chriſtus verus paſtor.
2. Edom. 35. Idumæi, hoſtes Iudæorum, peribunt.
26. Cor dabo, 36. Liberatio ab hoſtibus, cor nouum, & vocatio gentium promittuntur.
2. Sicca oſſa, 37. Typus reſurrectionis mortuorum, eiúſque præludium.
3. Hei Gog, 38.
6. Magog, 39. } Gog & Magog premens tandem premitur.
2. Ecce domus. † 40. Iſagoge myſtica dimenſionis templi Ezechielis.
1. Metitur, 41. Dimenſio myſtica templi continuatur.
1. Cameras, 42. Dimenſio myſtica templi abſoluitur.
13. Altare, 43. Maieſtas templi huius.
10. Leuita, 44. Hierarchia Leuitarum.
1. Canahan, 45. Generalis geodæſia terræ ſanctæ, & nomotheſia ſacra: vtráque myſtica.
2. Sacrificant, 46. Politia ſacra in templo Ezechielis.
1. Flumen, 47. Amplitudo gratiæ Dei ſub N.T. figuratur.
1. Nomina tum tribuum. † 48. Particularis geodæſia terræ ſanctæ, eáque myſtica.

DANIEL.

6. Quattuor, 1. Educatio regia Danielis in Babylone.
31. En ſtatua, 2. Quatuor monarchiæ per quintam abolitæ.
21. In fornacem, 3. Fornax Babylonica.
7. Arbor, 4. Magiſtratus bonus, arbor patula.
1. Beliſazar. 5. Belſazar voluptarius dat pœnam.
7. In foueam, 6. Daniel inter leones.
9. Antiquus, 7. Quatuor monarchiæ figurantur per totidem beſtias.
3. 20. Cornua, 8. Viciſſitudo regnorum.
25. Chriſtus, 9. Septuaginta ſeptimanæ propheticæ.
14. Erit. † 10. Daniel videt maieſtatem Dei.
11. Rex Auſtri, 11. Antiochus Epiphanes typus Antichriſti.
3. Va'de ſplendebunt turba piorum. † 12. Reſurrectio mortuorum.

HOSEAS.

2. Scortum, 1. Coniugium prophetæ cum meretrice, typus idololatriæ.
22. Ieſreel, 2. Coniugium Chriſti cum eccleſia: & connexio cauſarum ſecundarum cum prima.
4. Sine rege, 3. Iſraëlis defectio, reiectio, & collectio.
16. Iuuenca, 4. Comminatio multiplex aduerſus multiplicia peccata Iſraëlis.
3. Maligni. 5. Iſraël, inuerſus decalogus.
6. Non holocauſta, 6. Concio legalis & euangelica ad regnum Iuda & Iſrael.
16. Cadent, 7. Populus inſanabilis.
7. En ſerit, 8. Concio legalis ad domum Iuda & Iſraël.
7. Inſtat, 9. Pœna peccati certiſſima.
8. Auen. † 10. Ingratitudo populi Dei punitur.
1. Dilexi, 11. Deus nutritius populi ſui, etiam ingrati.
3. Iacob, 12. Comparatio Iſraëlis & Iudæ, huiúſque prærogatiua.
14. Tu amors ero, 13. Abominationes Iſraëlis.
1. Victima la[...] † 14. Conuerſi ad Deum, nunquam euerſi.

CAP.

IOEL.

1. Concio pœnitentialis.
2. Regnum gratiæ, in Vet. & N.T.
3. Regnum gratiæ & gloriæ ſimul.

AMOS.

1. Plaga Dei incumbens quibuſdam gentibus prædicitur.
2. Plaga Dei incumbens Moabitis, Iudæis, & Iſraëlitis prædicitur.
3. Proceſſus Dei, quem ſeruat in ſuis iudiciis, eſt, non incipere ab executione. Neque enim punit, quin præmoneat.
4. Inuectiua in ſcelera principum & populi.
5. Ruina Iſraëlis prædicta quomodo euitari poſſit.
6. Corrupti mores totius reip. adeóque reſpublica Cyclopica.
7. Tres viſiones plagoſæ.
8. Fames & ſitis verbi Dei prædicitur.
9. De Meſſiâ & eius regno futuro.

ABDIAS.

1. Concio legalis, de peccato & pœna Edomitarum: & euangelica, de regno Chriſti.

IONAS.

1. Ionas fugitiuus, iuſto Dei iudicio in mare proiicitur.
2. Ionæ precatio in ventre ceti.
3. Nineuitæ reſipiſcunt.
4. Ionas ſalutem Nineues ægrè ferens, corripitur & corrigitur à Domino.

MICHÆAS.

1. Furor Domini terribilis.
2. Concio legalis & euangelica.
3. Tyrannis reiectio, pſeudoprophetis confuſio, vrbi deſolatio prædicitur.
4. De Chriſto & eccleſiâ.
5. Prophetia de perſona & officio Chriſti.
6. Sacrificia Deo placentia.
7. Pauci boni.

NAHVM.

1. Viua deſcriptio maieſtatis Dei.
2.
3. } Viua deſcriptio peccati & pœnæ Nineuitarum.

HABACVC.

1. Malitia populi per Babylonios coërcenda.
2. Inſolentia regis Chaldæorum coërcenda.
3. Carmen propheticum Habacuci.

SOPHONIAS.

1. Clades imminens Iudææ prædicitur.
2. Clades imminens gentibus prædicitur.
3. Corruptela morum Hieroſolymæ deſcribitur, & vocatio Gentium promittitur.

HAGGÆVS.

1. Iudæi ſegnes in templi inſtauratione.
2. Magnificentia templi ſecundi.

ZACHARIAS.

1. Zelus Chriſti ſuper Ieruſalem.
2. Vocatio Gentium prædicitur.
3. Chriſtus *Zemach.*
4. Zorobabel typus Chriſti.
5. Imago falſæ doctrinæ.
6. Angeli boni, defenſores eccleſiæ.
7. Ieiunium Deo acceptum.
8. Ira Dei placabilis.
9. Chriſtus rex equitans in aſino.
10. Progreſſus euangelij.

Cap.

11. Destructio templi secundi: & disparitas pastorum ecclesiæ, inprimis Christi & Antichristi.
12. Spiritus gratiæ & precum: & Ecclesia sub pressuris inuicta.
13. Passio Christi futura.
14. Excidium Hierosolymæ, & vocatio gentium prædicitur.

MALACHIAS.

1. Gratia Dei malam init gratiam apud populum confœderatum.
2. Peccata sacerdotum & populi.
3. Aduentus Christi; & eius præcursor, Iohannes Baptista.
4. Christus, sol iustitiæ: & Elias secundus prædicitur.

TOBIAS.

1. Tobias senior constans confessor.
2. Tobias fit cœcus.
3. Tobias gemens & orans.
4. Testamentum Tobiæ.
5. Angelus comes & custos Tobiæ senioris.
6. Tobias iunior fit medicus, docente angelo.
7. Tobias iunior ducit vxorem.
8. Castitas Tobiæ filij.
9. Conuiuium nuptiale Tobiæ iunioris.
10. Tobias ieiunior tandem dimittitur vnà cum vxore.
11. Tobias cum vxore redit ad suos.
12. Tobias tandem agnoscit angelum custodem.
13. Canticum Tobiæ senioris.
14. Verba nouissima Tobiæ.

IVDITH.

1. Incrementum regni Nebucadnezaris.
2. Insatiabilis dominandi libido Nebucadnezaris.
3. Holofernes tyrannus, administer Nebucadnezaris tyranni.
4. Preces & ieiunium Israëlitarum ob insolentiam Holofernis.
5. Holofernes spirans fulmina, & ignes aduersus Iudæos.
6. Iudæi duce Achiore pendent à Deo contra minas Holofernis.
7. Holofernes obsidet Bethuliam.
8. Iudith heroina consulit in rem Iudæorum.
9. Iudith Deo supplex.
10. Iudith prodiens in castra Holofernis.
11. Iudith comiter excepta ab Holoferne.
12. Iudith admissa ad convivium Holofernis, qui inebriatur.
13. Holofernes trucidatus à Iudithâ.
14. Caput Holofernis de muro suspenditur.
15. Panicus terror & fuga Assyriorum.
16. Epinicium Iudithæ.

BARVCH.

1. Baruch prælegit librum suum Iudæis, cum fructu.
2. Iudæi captiui speculum pœnitentiæ.
3. Supplex precatio populi.
4. 5. } Concio consolatoria Baruchi ad captiuos.
6. Epistola Ieremiæ, 74. notis arguens vanitatem idolorum.

III. ESDRÆ.

1. Catastrophe, seu status turbatus regni Iuda, inde à morte Iosiæ vsque ad vrbis excidium.
2. Cyrus laxat captiuitatem Babylonicam.
3. Disputatio de re fortissima.
4. Veritatis palma.
5. Iudæi reduces instauraturi cultum Dei impediuntur.
6. Templum extruitur auspiciis Darij Nothi.
7. Encænia, seu dedicatio templi.
8. Esdra redit Hierosolymam.
9. Esdra reformat.

Cap.

I. MACCABEORVM.

1. Potentia magna Alexandri Magni fracta: & Antiochus Epiphanes reuera est Epimanes. *11. Antiochus,*
2. Matthathiæ zelus heroicus, eiúsque filij numero quinque. *2. Quinque en,*
3. Iudas Maccabæus succedit patri, tanquam Iosua Mosi. *1. Macabæus,*
4. Encænia templi per Iudam. *1. Gorgia,*
5. Iudas feliciter pugnat in Gentes. *1. Gentes,*
6. Antiocho seniori succedit iunior, κακοῦ κόρακος κακὸν ᾠόν. *16. Mors,*
7. Iudæi vincunt Nicanorem. *26. En Nicanor,*
8. Iudas init fœdus cum Romanis. *17. Fœdera,*
9. Iudæ cæso succedit Ionathas, frater. *18. Obit,*
10. Iudæi stant à partibus Alexandri. *7. Ionathas.* †
11. Ptolemæus in generum crudelis. *26. In pretio est,*
12. Ionathas renouat fœdus cum Romanis & Spartiatis. *1. Renouat,*
13. Simeon succedit fratri Ionathæ. *1. Simeon,*
14. Halcyonia Iudæorum sub Simeone. *4. Pax,*
15. Romani nuntiant regibus societatem Iudæorum. *16. Roma,*
16. Simeon occumbit dolo. *16. Dolosè.* †

II. MACCABÆORVM.

1. Ignis in puteo seruatus. *19. Ignis,*
2. Annales Iudæorum. *24. Quinq; libri,*
3. Sanctitas templi diuinitùs conseruata. *1. Onias,*
4. Calumniæ & cædes in ordine sacerdotali. *7. Iason,*
5. Antiochus spoliat templum. *8. Cadit exul.*
6. Antiochus sæuit in Iudæos. *18. Eleazar,*
7. Constantia septem fratrum, & matris eorum. *1. Fratres,*
8. Gesta Iudæ Maccabæ. *1. Iuda,*
9. Antiochi fastus deprimitur. *28. Cadit,*
10. Iudas recuperat vrbem sanctam. *3. Renouant.* †
11. Variæ epistolæ in causa Iudæorum scriptæ. *11. Vincit,*
12. Iudas plectit perfidiam fœderatorum. *2. Vexantur,*
13. Iudas confligit cum Antiocho Eupatore & Lysiâ. *3. Menelaus,*
14. Iudas ducit vxorem, rebus cum Nicanore compositis. *27. Non probe,*
15. Victoria Iudæorum memorabilis. *36. Festum.* †

III. MACCABÆORVM.

1. Impius conatus Ptolemæi Philopatoris. *1. Philopator,*
2. Preces Simeonis. *1. Simeon,*
3. Immanis tyrannis Philopatoris. *1. Ira,*
4. Threnodia Iudæorum, & iubila hostium. *2. Luctúsque,*
5. Tyrannis Philopatoris pertinax. *1. Elephantes,*
6. Preces Eleazaris. *1. Eleazar orat,*
7. Philopatoris propensa voluntas erga Iudæos. *9. Philopatorque sapit.* †

ORATIO MANASSIS.

Manasse speculum peccatoris magni seriò resipiscentis. *Manasse peccat, punitur, tum resipiscit.* †

ADIECTIONES AD DANIELEM.

3. { Asarias celebrat iudicium Dei, & petit beneficium. *25. Asarias,*
Tres socij Danielis canunt hymnum plenum affectu. *51. Socij,*
13. Susanna, prædita castitate heroïca, diuinitùs liberatur. *2. Susanna,*
14. Daniel triumphat de Belo & dracone Babylonio. *2. Belúsque, 22. dracóque.*

ADIECTIONES AD LIBRVM ESTHER.

10. Interpretatio somnij Mardochæi. *8. Somniat,*
11. Aliud somnium Mardochæi. *2. Ac iterum,*
12. Mardochæus detectis insidiis ornatur honoribus. *5. Ornatur,*
13. Artaxerxes iniquus Iudæis: & Mardochæus Deo supplex. *9. Domine ô,*
14. Estheræ lamentatio & oratio ad Deum. *3. Domine almè.*
15. Esther accedit ad regem, & pro Iudæis intercedit. *12. Alloquitur regem,*
16. Artaxerxes æquior Iudæis redditus, beat illos autonomiâ. *19. Iudæis autonomia.*

SAPIENTIA SALOMONIS.

1. Institutio regis. *1. Ius,*
2. Articuli fidei Epicureorum. *1. Epicurei,*

Cap.

1.Mors iusti, 3. Felicitas piorum.

10. Perplacet, 4. Consolatio piorum aduersus mortem : adeóque εὐθανασία καὶ ἀθανασία.

1. Impar. 5. Beatitudo iustorum in altera vita, & sera pœnitentia impiorum.

13. Pulchra, 6. Studium iustitiæ & sapientiæ.

6. Pares, 7. Sapiens præstat aliis hominibus.

1. Sophie, 8. Sapientia, virgo amabilis, commendat hominem Deo & hominibus.

1.Vota,preces, 9. Oratio pro sapientia impetranda.

1.Sophie. † 10. Commoda sapientiæ variis exemplis firmata.

1.Gesta, 11. Sapientia piis dux.

2.Dei punit, 12. Deus longanimis.

1.Vani, 13. Vanitas est, magni facere creaturas præterito creatore.

12. Simulacra, 14. Idololatræ futiles.

1.Benignus. 15. Fidelium & infidelium fatum dispar.

1.Pœna manet, 16. Deus qualis erga pios & impios.

1. Iudex, 17. Iudicium Dei expectat impios.

1. Lux quoque magna, 18.

1.Mali. † 19. } Chronicum Exodi.

ECCLESIASICVS.

1. A Domino, 1. Sapientia datur à solo Deo.

2. Tolera, 2. Quæ doceant eum,qui volet Deo placere.

14.Fili,. 3. Explicatio quinti præcepti.

1.Pauper, 4. Non auertendus oculus à paupere.

1.Caue fidas. 5. Explicatio primi & noni præcepti.

2.Ne tumeas, 6. Amicitia sincera & fucata.

12.Famulum, 7. OEconomiæ & finis tui habenda ratio.

16.Sponsor, 8. Lites, sponsio & conuersatio temeraria vitantor.

14.Amicus, 9. Mulier mala fugienda.

12.Obit. † 10. Idea iudicis & magistratus boni.

30.Ante obitū, 11. Omnia bona à Deo.

1.Benefac, 12. In quos beneficia collocanda.

30. Bona opes qua, 13. Diuitum & potentum conuersatio fugienda.

14. Institutio auari.

23.Corde, 15. Timor Dei vtilis.

14 Creauit. 16. Causæ felicis politiæ,

25.Recte, 17. Prærogatiua hominis protoplasti,& Israelis à Deo electi.

1.De terra, 18. Opera Dei imperscrutabilia.

8.Gutta, 19. Concupiscentia & luxuria fugienda.

7.Taceto, 20. Ars loquendi & tacendi.

8.Loquax. † 21. Resipiscere est odisse & fugere malum.

2.Ah fuge, 22. Candidè agendum cum proximo.

10. Defleto, 23. Regulæ quodlibeticæ.

13.Scortans, 24. Encomium sapientiæ.

1.Sapiens, 25. Arithmologia ethica : vbi tria, quæ placent : tria, quodisplicent : decem,quæ magni fiunt.

1.Tria pulchra. 26. A' quatuor rebus cauendum.

1. Fœmina, 27. Sapientiæ tria displicent.

1.Venditio, 28. Ignoscentia,virtus regia.

8.9.Sis memor, 29. Opera misericordiæ.

28 Vnda, 30. Liberorum,& sanitatis ratio habenda.

1.Pater, †. 31. Regulæ conuiuales.

35. Vinum, 32. Regulæ ethico-musicæ.

7.Hymnus, 33. Opera Dei quomodo consideranda?

2.Sapiens, 34. Spes impiorum fallit; piorum, alit,

1.Quid somnia, 35. Victimæ Deo gratæ.

1.Victima vera, 36. Peccationis ardentis formula,

1.Ah miserere, 37. Amicitia vera & ficta.

9.Caue, 38. Excellentia medicinæ.

4.Vis medica, 39. Ars laudandi Deum,

21.Omne, 40. Miseria hominis post lapsum.

16. Timor. † 41. Mors herba amara.

1.O mors, 42.

1.Ne pudeat, 43. } Schola naturæ angustissimæ.

1.Maiestas,

17. Noëque, 44. Quinque patriarchæ: Enos, Noë, Abraham, Isaac, & Iacob.

1.Moses, 45. Triga virorum heroïca pietate insignium : Mosis, Aharonis, & Pinhasi.

1. Iosua, 46. Iosua, Iudices,& in iis Samuel.

15.Dauides, 47. Duo viri illustres virtute, Dauid & Salomon:& totidem illustres malitiâ,Roboam & Ieroboam.

1.Elia, 48. Triga virorum piorum : Elias, Ezechias, & Esaias.

19.Sem, 49. Viginti duo viri illustres.

1.Simeon. † 50. Encomium Simeonis : & vituperatio Samaritanorum,Philisthæorum,& Sichemitarum.

} Viri illustres, illorúmque commendatio & imitatio, vituperatio & detestatio: seu, vitæ Siracidis.

Cap.

51. Eucharisticum Sirachi.

IV ESDRÆ.

1. Ingratitudo populi Iudaïci erga Deum.
2. Christus Sionem coronat palmis.
3. Tentatio Esdræ.
4. Iudicia Dei abyssus multa.
5. Nouissima mundi tempora.
6. Opera Dei stupenda.
7. Per angusta ad augusta.
8. Felicitas piorum.
9. Pœnas Dei antecedunt aliqua signa.
10. Mulier flens & refulgens figura Ecclesiæ.
11. Aquila triceps mystica.
12. Leo rugiens ex siluâ.
13. Vir ex mari ascendens vincit populos.
14. Deus apparet in rubo, & libri biblici vindicantur ab interitu.

15.
16. } Nouissima mundi tempora.

MATTHÆVS.

1. Genealogia & natiuitas Christi.
2. Magi,primitiæ gentium : Herodes Ascalonita,Pharao N.T.& patriarcha persecutorum N.T.
3. Doctrina & vita Iohannis : Christíque baptismus longè illustrissimus.
4. Christus ieiunans tentatur à diabolo,quo victo inchoat suum ministerium. Est itaque hic monomachia cœlestis Dauidis, & infernalis Goliathi.
5. Concio Christi in monte, complexa octo beatitudines, & geminam explicationem decalogi.
6. De eleemosyna,oratione Dominica,ieiunio, mammona,& regno Dei.
7. Iudicia priuata,margaritæ cœlestes,norma conuersationis,porta angusta,& arbor bona.
8. Tres sanati,& tempestas sedata à Christo.
9. Remissio peccatorum, vocatio Matthæi, quinque miracula, messis multa.
10. Collegium δωδεκαπόστολον,seu vocatio apostolorum, illorúmque persecutio & consolatio.
11. Legatio Iohannis ad Christum, Christíque concio legalis & euangelica.
12. Ionas typus Christi.
13. Concio Christi complexa parabolas VIII.
14. Iohannes decollatus,protomartyr N.T.
15. Traditiones hominum vanæ.
16. Fermentum Pharisæorum, confessio Petri Christus petra ecclesiæ.
17. Transfiguratio Christi.
18. Paruuli,magistri nobis proponuntur : & formula disciplinæ ecclesiasticæ.
19. Ius diuortij,& priuilegia tum paruulorum, tum discipulorum Christi.
20. Ecclesia vinea.
21. Pompa regalis Christi asina vecti,& læto *Hosianna* excepti.
22. Nuptiæ gratiæ & gloriæ, resurrectio mortuorum compendium legis, & persona Christi.
23. Doctrina & vita Pharisæorum graphicè à Christo depicta.
24. Excidium Hierosolymorum typus vltimi iudicij.
25. Decem virgines, talenta, & processus vltimi iudicij.
26. προπάθεια Christi,& institutio S. Cœnæ.
27. Historia passionis,mortis,& sepulturæ Christi.
28. Christi resurrectio, apparatio, & baptismi catholici institutio,ab ipso facta.

MARCVS.

1. Iohannis ministerium, Christíque inuestitura per baptismum.
2. Christus καρδιογνώστης, & medicus tum animæ, tum corporis.
3. Christi apologia,& vocatio apostolorum.
4. Concio Christi parabolica, & nauigatio periculosa.
5. Tria Christi miracula.
6. Instructio discipulis Christi data.

7. Præpo

CAP.

7. Præpoſtera Phariſæorum religio.
8. Duo Chriſti miracula, & totidem oracula ſiue conciones.
9. Chriſti transfiguratio.
10. Ius repudij, paruulorum prærogatiua, & diuitum ſtultitia.
11. Chriſti pompa regalis, & diſputatio ſolemnis.
12. Reſurrectio mortuorum aſſerta, & ſumma legis oſtenſa.
13. Conſummatio huius ſeculi figuratur per excidium Hieroſolymæ.
14. Chriſti propaſſio.
15. Chriſti magna paſſio.
16. Chriſti reſurrectio, apparitio, baptiſmi inſtitutio, & aſcenſio in cœlum.

L V C A S.

1. Aue Maria: Magnificat: Natiuitas Iohannis: Canticum Zachariæ.
2. Natiuitas Chriſti quomodo facta & patefacta, eiúſque Circumciſio: Purificatio Mariæ: Canticum Simeonis: Concio Hannæ: & Chriſti pueri συζήτησις, ſiue collatio maſcula.
3. Perſona & officium Iohannis, itémque Chriſti: necnon baptiſmus & genealogia Chriſti.
4. Ieiunium Chriſti quadrageſimale, monomachia felix cum diabolo, concio, & miracula.
5. Chriſtus docet è nauicula tanquam ſuggeſto.
6. Apoſtoli, duodecimviri illi & doctores œcumenici N.T. vocantur à Chriſto.
7. Chriſtus excipit legatos Iohannis, edit miracula, & peccata remittit.
8. Parabola Chriſti de ſemine, & quatuor miracula.
9. Commiſſio & miſſio XII. Apoſtolorum & Chriſti transfiguratio.
10. Septuaginta diſcipuli adiunguntur duodecim apoſtolis: nomina in cœlis ſcripta: Martha ſolicita.
11. Ars bene precandi.
12. Concio Chriſti coram aliquot millibus habita.
13. Concio legalis & parabolica, itémque tragica Chriſti vox & luctus ſuper Ieruſalem.
14. Sermones conuiuales Chriſti.
15. Tres parabolæ, de oue & drachma perditis, filióque prodigo.
16. Diſpenſator iniquus: diuortium: diues epulo & Lazarus.
17. Scandalum vitandum: ignoſcentia commendata: decem leproſi ſanati.
18. Semper orandum: infantulorum priuilegium: diues hypocrita.
19. Ingreſſus Chriſti regius in vrbem, eiúſque lacrymæ & reformatio.
20. Συζήτησις Chriſti varia.
21. Excidium Hieroſolymæ, & finis ſeculi.
22. Iudas proditor: Chriſtus captus: Petrus grauiter lapſus.
23. Chriſtus damnatus crucifigitur, crucifixus deridetur & moritur, mortuus ſepelitur.
24. Angeli, euangeliſtæ: colloquium Emmaunticum: Chriſti aſſumptio in cœlum.

I O H A N N E S.

1. Verbum caro factum: teſtimonium Iohannis de Chriſto: vocatio quatuor diſcipulorum: ſcala cœli.
2. Nuptiæ in Canâ Galilææ: reformatio templi: corpus Chriſti, templum myſticum.
3. Dialogus inter Nicodemum & Chriſtum: compendium euangelij propoſitum, expoſitum, & obſignatum.
4. Colloquium Chriſti cum Samaritana, eiúſque fructus.
5. Hoſpitale Hieroſolymitanum: officium Chriſti: Reſurrectio mortuorum: Scrutinium ſcripturarum.
6. Duo Chriſti miracula, & concio de pane & aquâ vitæ.
7. Iudicia vulgi de Chriſto varia.
8. Chriſtus docet, diſputat, & vaticinatur.
9. Cœcus à Chriſto ſanatus.
10. Chriſtus paſtor bonus.
11. Lazarus mortuus reſuſcitatur: Chriſtus concionatur: Caiphas inſcius vaticinatur.

CAP.

12. Chriſtus à Maria vngitur, Hieroſolymam ingreditur, & triſtatur. 12. *Intrat,*
13. Chriſtus lauat pedes apoſtolorum, notat proditorem, prædicit lapſum Petri. 2. *Ibi Iſcario*
14. Chriſtus via, vita, veritas promittit ſpiritum ſanctum, eiúſque officium deſcribit. 6. *Via,*
15. Chriſtus vitis vera. 1. *Vitis ego ſum.*
16. Chriſtus verbis docet artem precandi. 5. *Vado,*
17. Chriſtus exemplo ſuo docet artem precandi: Eius precatio, canon ſacrificij ipſius. 9. *Rogo,*
18. Chriſtus in horto capitur, à Petro abnegatur, & Pilato traditur. 12. *Capitur,*
19. Hiſtoria paſſionis, mortis, & ſepulturæ Chriſti. 34. *Lancea,*
20. Reſurrectio Chriſti quomodo facta & patefacta. 14. *Surgit,*
21. Apparitio Chriſti, & ſermo ad Petrum. 17. *Oues.* †

A C T A A P O S T O L O R V M.

1. Aſcenſio Chriſti in cœlum: deuotio apoſtolorum: electio Matthiæ Apoſtoli. 9. *Aſcendit.*
2. Prima pentecoſte N.T. cuius ſolemnitas cernitur in effuſione Spiritus ſancti; concione apoſtolorum, nominatim Petri; conuerſione auditorum; & communione ſanctorum. 3. *Lingua,*
3. Petri miraculum, & concio pœnitentialis, in quâ explicatur ſecunda pars ſymboli. 12. *Sermo Petri,*
4. Incunabula primitiuæ eccleſiæ, quæ eſt lilium inter ſpinas. 11. *Lapis,*
5. Apoſtoli denuò ſiſtuntur concilio, & cæſi propter Chriſtum gaudent. 14. *Augmen,*
6. Septem diaconi eliguntur, ex quibus Stephanus capitur & accuſatur. 3. *Septem,*
7. Concio Stephani apologetica, explicans nucleum Pentateuchi: eiúſque lapidatio. 2. *Mox Stephanus,*
8. Saulus eccleſiam perſequitur: Samaria verbum Dei recipit: Philippus Simonem Magum & Æthiopem Eunuchum baptizat. 20. *Phy, mage,*
9. Ex Saulo fit Paulus. 4. *Saule,*
10. Cornelius Idea pij militis: Petrus ecſtaticus. 34. *Petrus.* †
11. Apologia Petri: nomenclatura Chriſtianorum: Agabi prophetia. 18. *Gentibus,*
12. Herodes Agrippa perſecutor perit phtiriaſi. 1. *Herodes,*
13. Paulus & Barnabas ſegregati Chriſtum prædicant Iudæis & gentibus. Nominatim verò Paulus habet concionem hoſpitalem magno cum affectu & profectu. 8. *Elymas,*
14. Paulus lapidatus ſe recolligit, & multas eccleſias colligit. 27. *Ianua,*
15. Synodus Hieroſolymitana, idea boni concilij. 1.7.39. *Lites.*
16. Profectio & perſecutio Pauli multiplex. 14. *Lydia,*
17. Paulus prædicat Theſſalonicæ & Athenis. 11, *Scriptura,*
18. Paulus viſitat multas eccleſias. 6. *Viſio,*
19. Libris magicis Epheſi combuſtis, & idololatriâ reprehenſâ dantur turbæ; ſed & feliciter ſedantur. 19. *Flamma,*
20. Paulus excitat Eutychum, preſbyteros Epheſinos vocat Myletum, ibique habet concionem valedictoriam. 28. *Deus.* †
21. Agabus prophetat, & Paulus Hieroſolymis capitur. 11. *Agabus,*
22. Apologia Pauli, eiúſque fructus. 25. *Ciuis,*
23. Paulus tandem mittitur Cæſaream ad Felicem. 24. *Felix,*
24. Paulus agit cauſam ſuam, & concionatur coram Felice. 25. *Pia concio,*
25. Paulus agit cauſam ſuam coram Feſto. 1. *Feſtus.*
26. Paulus diſſerit patheticè coram Agrippâ, & innocens iudicatur. 1. *Narrat,*
27. Pauli nauigatio, naufragium, & incolumitas. 41. *Naufragiū,*
28. Paulus multis in itinere miraculis editis, tandem venit Romam, & per biennium ibid. docet euangelium. 5. *Vipera nil nocuit,* †

E P I S T. A D R O M A N O S.

1. Legitimatio perſonæ Pauli: lumen gratiæ & naturæ: catalogus ſcelerum contra legem. 21. *Vani,*
2. Iudæi & Gentes ex æquo peccatores. 14. *Lex ſibi ſit,*
3. Prærogatiua Iudæorum: vera iuſtitia vnde? 10. *Non iuſtus,*
4. Iuſtificationis euangelicæ doctrina confirmatur exemplis & dictis Scripturæ. 3. *Credidit,*
5. Fructus iuſtificationis: & collatio Adami primi & ſecundi. 14. *Adam.*
6. Mortificatio veteris hominis, & viuificatio noui. 12. *Ne regnet.*
7. Lucta peccatoris reſipiſcentis. 24. *Miſer ab,*
8. Sapientia ſpiritus & carnis: aurea ſalutis catena: triumphus electorum. 15. *Abbáque,*

9. Prædeſti

CAP.

22.23.Vasa. 9. Prædestinationis doctrina compendio tradita.
17.Fides. † 10. Christus, finis legis: precationis vis: fidei ortus.
1.Abiecit, 11. Reiectio & conuersio Iudæorum.
1. Cultúsque placens, 12. Cultus Deo gratus.
1.Pareto, 13. Magistratus authoritas & reuerentia.
3.Ede, 14. Libertas Christiana.
1.Firmi. 15. In ecclesia sunt firmi & infirmi.
1.Commendat Phœben, 3. denique dicit Aue. † 16. Pseudo euangelistæ vitandi.

I. CORINTH.

30.Est factus, 1. Christus crucifixus, Iudæis scandalum, Gentibus stultitia, credentibus sapientia, iustitia, sanctificatio, & redemptio.
1.Christumscio, 2. Sapientia diuina. Gaudium & gloria vitæ æternæ: Homo animalis.
6.Plantans, 3. Paulus plantat, Apollo rigat, Deus dat incrementum: Christus fundamentum ecclesiæ: sapientia mundi.
13.Σκύβαλα, 4. Pastores sunt dispensatores mysteriorum Dei, & spectaculum mundi.
1.Scortans. 5. Commercia impiorum vitanda.
1.Lites, 6. Pruritus litigandi in foro vitandus: Corpus nostrum templum Dei.
1.Coniugium, 7. Coniugij conditio & cultus: Schema huius mundi.
1.Scire, 8. Abusus libertatis Christianæ.
25.Ego curro, 9. Pastorale verum.
6.Typi. † 10. Historiæ praxis: & cultus Dei tum internus, tum externus.
20.Cœna, 11. Agenda ecclesiastica, nominatim S. cœnæ.
1.En dona Dei, 12. Dona Dei varia, & ipsorum vsus.
1.Dilectio, 13. Speculum & prærogatiua charitatis.
2.6.Lingua, 14. Politia ecclesiæ.
35.Resurgant. 15. Articulus de resurrectione carnis.
1.Collectas fieri vult, 22.Maranathasanans. † 16. Liberalitas eleemosynaria.

II. CORINTH.

20.Christus Amen, 1. Concio eucharistica, consolatoria, & apologetica.
16.Mortis, 2. Apologia Pauli: ignoscentia Christiana: euangelium, odor vitæ & mortis.
13.Velamen, 3. Litera & spiritus: & velamen Mosis.
6.Splenduit, 4. Euangelium apertum & opertum: eius confessores subiecti cruci: consolatio illorum in cruce.
1.Ædes. 5. Corpus nostrum est tabernaculum dissoluendum: legati Christi: nouitas vitæ in Christo.
15.Beljal, 6. Religio vera & falsa: & arma iustitiæ dextra & sinistra.
9.Ritè dolens, 7. Consolatio Christiana: & tristitia secundùm Deum & mundum.
9.Pauper, 2.Achaja, 8. 9. Liberalitas eleemosynaria.
4.Valent. † 10. Arma & armatura Christianorum.
14.Träsformat, 11. Ecclesia virgo: gloriatio apostolica: crux piorum.
9.Tibi sufficiat, 12. Raptus Pauli: stimulus carnis: gloriatio in infirmitatibus.
5.Vos ritè probate. † 13. Concio legalis.

EPIST. AD GALATAS.

7.Turbant, 1. Galatæ mutabiles: euangelij authoritas: Chronicum Pauli.
19.Per legem, 2. Chronicum Pauli continuatur, & iustificatio euangelica asseritur; Paulus, apostolus Gentium.
13.Maledictio, 3. Doctrina de iustificatione gratuitâ continuatur: & vsus legis ostenditur.
5.Adoptio, 4. Status hominis sub lege & Euangelio, siue sub peccato & gratia.
22.Fructus. 5. Libertas Christiana: lucta carnis & spiritus, & vtriusque fructus.
7.Nonirridetur maximus ille Deus. † 6. Dilectio mutua, character filiorum Dei.

EPIST. AD EPHESIOS.

Elegit, 1. Fasciculus beneficiorum DEI: videl. electio æterna, sanctificatio, adoptio, redemptio per Christum, illuminatio, & renouatio.
Gentes, 2. Status hominis extra Christum, & in Christo.
Consortes, 3. Vocatio Gentium: & Paulus captiuus non-captiuus.
Omnia, 4. Speculum virtutum: vnio, communio, & hierarchia ecclesiæ: contristatio Spiritus sancti.
Asotus. 5. Imitatio Dei: tabula virtutum œconomicarum: coniugium Christi cum ecclesia: seu, compendium ethicæ & œconomicæ.

CAP.

6. Compendium œconomicum continuatur: & panoplia sacra graphicè describitur. *Ar... qu... Ma...*

EPIST. AD PHILIPP.

1. Vita mihi Christus, mors lucrum, cætera ludus. *21.*
2. Status exinanitionis & exaltationis Christi. *8.S...*
3. Nostrum πολίτευμα in cœlis. *19.*
4. Gaudium & vita hominis Christiani. *4.I...*

EPIST. AD COLOSSENS.

1. Persona & officium Christi, eiúsque beneficia. *16.*
2. Philosophia deceptrix, & theologia pomposa fugienda. *14. phi...*
3. Theologia cœlestis; & œconomica Christiana. *2.C...*
4. Orandum & vigilandum. *2.V...*

I. THESSALONIC.

1. Thessalonicenses idea bonorum Christianorum. *3.S...*
2. Speculum boni pastoris & auditoris. *4.E...*
3. Perfer perpetienda, parit patientia palmam. *12.*
4. Concio hortatoria & consolatoria? vbi tractatur articulus de resurrectione carnis. *17.*
5. Modus legitimæ præparationis ad nouissimum diem. *8.T...*

II. THESSALONIC.

1. DEVS compensabit afflictiones piorum. *8.I...*
2. Vaticinium de Antichristi natali, progressu, reuelatione, & abolitione. *4.I...*
3. Vita inordinata & otiosa vitanda. *13. nesc... tres.*

I. TIMOTH.

1. Summa legis & euangelij. *18.I...*
2. Ars bene precandi: & regulæ quædam œconomicæ. *6.P...*
3. Idea boni pastoris ecclesiæ. *9.M...*
4. Nouissimi temporis descriptio, & encomium pietatis. *8.A...*
5. Regulæ variæ præscriptæ Timotheo. *23.I...*
6. Officium serui boni: pietas suâ sorte contenta: auaritia radix malorum. *6.Es... magi... frui... sua.*

II. TIMOTH.

1. Donum exsuscitandum: hypotyposis sanorum verborum: strenuitas in officio. *9.Sa...*
2. Strenuè militandum: verbum DEI rectè secandum: solidum DEI fundamentum, & sigillum electionis æternæ. *19.D... nou...*
3. Prophetia de nouissimo tempore: & encomium Scripturæ, modúsque eam rectè legendi. *1.Mo... ra.*
4. Officium pastoris ecclesiæ: bonum certamen: felix cursus: corona iustitiæ. *7.Cu...*

EPIST. AD TITVM.

1. Verum pastorale. *12.C... mend...*
2. Regulæ œconomicæ: ethica Christiana: aduentus Christi. *12.Iuf...*
3. Mansuetudo seruanda: stultæ quæstiones vitandæ: hæreticus quomodo tractandus. *5.Lau...*

EPIST. AD PHILEMONEM.

1. Ignoscentia Christiana. *5.Si fi... des, nec... tus am...*

EPIST. AD HEBRÆOS.

1. Collatio Vet. & Noui Testam. & deitas Christi asserta. *3.Et sp...*
2. Collatio legis & euangelij: maiestas, officium, & humana Christi natura. *17.Sim...*
3. Collatio Mosis & Christi: & speculum pœnitentiæ Christianæ, itémque iræ DEI. *15.Si...*
4. Collatio sabbati ceremonialis & spiritualis: & vis verbi Dei penetrantissima. *12.Serr...*
5. Collatio sacerdotij Christi cum Leuitico & Melchisedeciano. *6. Sac...*
6. Rudimenta Christianæ religionis: peccatum in Spiritum sanctum: promissiones Dei iuratæ. *13.Iura...*

7. Melchise-

Cap.

7. Melchiſedeci hiſtoria & allegoria typica.
8. Recapitulatio doctrinæ de ſacerdotio Chriſti.
9. Collatio duplicis tabernaculi ; veteris & noui.
10. Tres concluſiones præcedentis doctrinæ, 1. Chriſtus eſt ἀνπλίχια ceremoniarum Leuiticarum, 2. Proinde cum fiducia debemus accedere ad hunc Pontificem. 3. Et in omni tribulatione nos conſolari meditatione tabernaculi, in quod Chriſtus ſemel eſt ingreſſus.
11. Fides quid, & eius energia variis exemplis firmata.
12. Schola pietatis : itémque ſchola crucis.
13. Schola pietatis continuatur.

EPISTOLA IACOBI.

1. Patientia Chriſtiana : perſeuerantia in precibus: & ſchola tentationum.
2. Proſopolepſia damnatur : lex regia commendatur : fides hiſtorica reiicitur, & operoſa commendatur.
3. Commoda & incommoda linguæ, illiúſque vſus & abuſus : item ſapientia humana & diuina.
4. Opera carnis : humilitas : vitæ breuitas
5. Abuſus diuitiarum : remedium vtriuſque fortunæ : & precationis vis.

I. PETRI.

1. Chriſtianiſmus verus.
2. Regulæ ethicæ, œconomicæ, & politicæ.
3. Regulæ œconomicæ : vita Chriſtiana : deſcenſus Chriſti ad inferos : Collatio diluuij & baptiſmi.
4. Paſſio Chriſti exemplar vitæ Chriſtianæ.
5. Officia paſtorum & auditorum in eccleſiâ.

II. PETRI.

1. Vocatio firmanda per bona opera : fundamentum doctrinæ apoſtolicæ quodnam ?
2. Vaticinium de falſorum doctorum multitudine, indole, artibus, & pœnâ,
3. Aduentus Chriſti ad iudicium : mundi παλιγγενεσίας : iudicium Epicureorum hâc de re : præparatio ad illum diem.

I. IOHANNIS.

1. Excellentia perſonæ & officij Chriſti : communio cum Chriſto: ſanguis Chriſti λύτρον καὶ λῦτρον : confeſſio peccatoris.
2. Chriſti meritum catholicum : vita Chriſtiana : vnctio Spiritus : doctrina Antichriſti.
3. Gratia adoptionis : charitas, alpha & omega legis: Chriſti dilectio erga nos : gaudium ſpiritus.
4. Spiritus ſunt probandi : notæ veræ & falſæ doctrinæ : characteres piorum & impiorum.
5. Characteres regenitorum : tres teſtes in cœlo, & totidem in terris ; peccatum irremiſſibile & remiſſibile.

II. IOANNIS.

1. Charitati in vitâ, & ſinceritati in doctrinâ ſtudendum.

Cap.

III. IOHANNIS.

1. Gaius ſpeculum hoſpitalis ; Diotrephes, imago falſorum doctorum. *6. Commendata tua eſto, Gai, dilectio multis.* †

EPIST. IVDÆ.


1. Praxis hiſtoriæ : viua deſcriptio hoſtium veritatis, quòd contaminent doctrinam & vitam : officium Chriſtianorum : inſignis δοξολογία. *14. Ecce venit dominus cum ſanctis millibus vltor.* †

APOCALYPSIS IOANNIS.

1. Prologus huius libri : in quo intimatio Iohannis, & prima viſio. *8. 11. Alpha,*
2. Protaſis huius libri incipit : & quatuor epiſtolæ exarantur ad totidem Epiſcopos. *17. Nouum nomen,*
3. Tres epiſtolæ exarantur ad totidem Epiſcopos. *20. Pulſo,*
4. Rex, caput & ἀρχιποίμενα eccleſiæ deſcribunt à palatio, throno, aſſeſſoribus &c. *8. Ter ſanctus,*
5. Liber regiminis & prouidentiæ Chriſti clauſus. *9. Apertus.*
6. Liber clauſus aperitur ab Agno. Sex ſigillis ordine apertis, iudicia Dei executioni mandantur. *11. Alba,*
7. Quatuor angeli, qui præſunt totidem cardinibus mundi : angelus, cuſtos magni ſigilli Dei, quo obſignantur 144000 electi homines: multitudo & hymnus ſanctorum in cœlis. *16. Non ſitient,*
8. Epitaſis huius libri hic incipit. Nam aperto ſeptimo ſigillo, ſeptem angeli cum tubis procedunt ; & primis quatuor clangentibus magna oritur confuſio. *13. Va,*
9. Quinto & ſexto angelis clangentibus Antichriſtus peruenit ad ſuam ætatem iuuenilem. *3. Simulacra,*
10. Angelus amictus nube reſiſtit & contradicit Antichriſto per ſeptem tonitrua, id eſt, per S. Scripturam. *3. Tonat.* †
11. Duo teſtes opponunt ſeſe Antichriſto per Scripturam ſacram. *3. Teſtes,*
12. Septimo angelo clangente apparet ſignum mulieris parturientis, cuius filius ſuperat infernalem draconem. *1. En mulier,*
13. Antichriſtus peruenit ad ſuam ἀκμήν. *18. Numerus,*
14. Hîc incipit læta cataſtrophe huius libri. Nam Agnus tandem prodit in aciem, canticum nouum auditur, & quinque angeli ſuo officio non deſunt. *12. Tolerantia,*
15. Calix iræ Dei excipitur ſeptem phialis à totidem angelis : antequam verò illi prodeant & ſuas phialas effundunt, euangelici confeſſores celebrant feſtum. *6. Plaga.*
16. Septem phialæ nutu Dei effunduntur. *1. Effundunt,*
17. Iudicium magnæ meretricis ; cuius ornatus, calix, & anatome deſcribitur. *1. Meretrix.*
18. Ruina Babylonis figuratur. *2. Babyla,*
19. Cœlites exultant ob iudicium Babylonicæ merces, & canunt cœleſte *Alleluia*. *9. Cœna,*
20. Felicitas eccleſiæ in his terris per mille annos. *8. Magog.* †
21. Cœlum nouum, & terra noua. *12. Mœnia cœleſtis Solymæ,*
22. Paradiſi cœleſtis deſcriptio, & huius libri epilogus. *18. 19. Perfectio libri.* †

DELI

DELINEATIO MNEMONICES.



FINIS MNEMONICÆ.



ENCYCLOPÆDIÆ LIBER TRIGESIMVS SECVNDVS, *EXHIBENS* HISTORICAM.

CAPVT PRIMVM.

De Fine historiæ.

PRÆCEPTA.



HISTORICA est disciplina composita de bono practico obtinendo ex historiâ; quæ est rerum gestarum narratio.

Historica est generalis, vel specialis. Illa etiam communis, hæc propria dicitur.

Historica generalis explicat naturam & vsum historiæ; tradendo ipsius finem, subiectum, & media.

Finis historiæ est generalis, vel specialis.

Finis generalis est, qui pertinet ad omnes omnium ordinum homines: estque triplex, dignitatis, suauitatis, & vtilitatis communis.

Finis specialis est respectu ecclesiæ & politiæ.

REGVLÆ.

I. Historiarum lectio adfert dignitatem seu ornamentum, suauitatem seu voluptatem, & vtilitatem, omnibus omnium ordinum hominibus.

HIstoria in genere est lustratio locorum, percunctatio item & commentatio. Sed peculiariter & καθ' ἐξοχὴν est narratio rerum inter homines gestarum. Plato sic dictam putat, ἀπὸ τοῦ ἱστάναι τὸν ῥοῦν, quòd labentium rerum fluxum quasi sistat. Alij deducunt ἀπὸ τοῦ ἱστορεῖν, quod est inspicere, inquirere & explorare: quòd historia sit narratio ab eo perscripta, qui rebus gerendis interfuit, vel quòd res gestas nobis conspiciendas & speculandas obiiciat. Triplex autem est eius finis, pertinens ad omnes homines. Ac principio quidem historia singulare adfert homini ornamentum. Hominis enim proprium est rerum præteritarum memoria, & antiquitatis consideratio: quippe quæ in bestias non cadit. Adde, quòd commemoratio antiquitatis & exemplorum prolatio summâ cum delectatione & authoritatem adfert homini & fidem. Deinde ex historiarum cognitione percipitur voluptas seu iucunditas inæstimabilis, tum ob magnam facilitatem, quæ tanta est, vt historiæ & citò intelligantur, & diu in memoriâ hæreant: tum ob insignem varietatem, quâ fit vt expectatio euentuum rapiat animum lectoris, & tantâ deliniat dulcedine, vt à lectione vix possit desistere. Hinc historia vocatur salutare medicamentum: quippe quæ pellit melancholiam, balneum istud diaboli. Sic Alexander Magnus legendo Homerum (quem de manibus non posuit, & de nocte supposuit puluinari vnà cum pugione) tristitiam excussit. Alphonsus Hisp. rex valetudinem amissam à Livio, patre illo historiæ, Ferdinandus Siciliæ rex à Curtio recuperauit. Laurentius quoque Medices, qui literarum parens vocabatur, sine vllis medicamentis à morbo conualuit ex lectione eius historiæ, quæ fertur de Cunrado III. Imperatore & Guelpho Bavariæ duce. Cùm hic ab Imperatore fractus esset diuturnâ obsessione, fœminæ nobiles summis ab Imperatore precibus contenderunt, vt liceret ipsis inuiolatis abire, eâ lege, vt nihil ex vrbe, nisi quod humeris possent, exportarent. Quod cùm illæ impetrassent, ducem ipsum, maritos & liberos, parentes denique, ab humeris sus pensos gestare cœperunt: ex quo Imperator tantam cepit voluptatem, vt effusis præ gaudio lachrymis, non modò feritatem & iracundiam omnem ex animo deposuerit, sed etiam vrbi pepercerit, & amicitiam cum hoste omnium acerrimo contraxerit. Plura hanc in sententiam vide *in methodo hist. Bodini, in præfat.* Quis hîc mecum non exclamet: ô vitæ condimentum & animi medicamentum historia! Non thymus apibus, aut ros cicadis est dulcior, quàm bonis mentibus historiarum notitia. Videamus porrò, quanta sit historiæ vtilitas, & ea quidem communiter pertinens ad omnes homines, inque omnes studiorum fines se diffundens. Hîc autem videre est triplicem vtilitatem, pietatis, eloquentiæ, ac prudentiæ. Nam primò historia imbuit animos nostros pietate, quando suppeditat exempla, quæ ad primæ & secundæ tabulæ decalogi præcepta tanquam ad prædicamenta historica sunt accommodanda. Deinde oratores ex historiis decerpunt omnis generis flosculos, imprimis exempla, columnas illas orationum. Denique historiarum diligens lectio parit prudentiam non vno modo. Etenim historia est speculum virtutum & vitiorum, felicitatis & miseriæ: quod dum non oscitanter inspicimus, cauti euadimus consideratione alienorum periculorum, & ita fruimur alienâ insaniâ, vt dici solet. Hinc *Polybius* author est, res præteritas optima esse rerum gerendarum documenta. Et apud *Xenophontem Cyrus* iam moriturus filios suos ita alloquitur: ἐκ τῶν προγεγενημένων μανθάνετε· αὕτη γὰρ ἀρίστη διδασκαλία, id est, *Discite ex iis, quæ antè facta sunt: hæc enim est optima discendi ratio.* Nimirum lectio rerum præteritarum nobis ob oculos ponit, quid nobis gratiam, quid inuidiam parere possit; quid sit vtile, quid non; quid facto sit opus, vel secus. Quamobrem meritò approbanda est historia, quæ factorum inæqualitatem & mutationem multiplicem commemorando corrigit & fortunatorum superbiam, & infelicium infortunium: vel, vt ἐμφατικώτερον dicam, moderatur fortunatorum infortunium, & infortunatorum felicitatem. Porrò factorum priùs gestorum memoria est exemplum prudentis deliberationis de rebus futuris instituendæ. Si enim aliquid veniat in disceptationem, statim formandus est syllogismus, quem vocant, historicus, hoc est, argumentum ab exemplo pari vel impari, simili vel dissimili est ducendum, iuxta regulam: *Ex præteritis iudicium ferendum de præsentibus & futuris.* Cùm enim duo hominibus modi propositi sint, quibus corrigi & emendari queant, vnus ob suam quisque calamitatem, alter ob alienæ calamitatis exemplum

exemplum, vtique is est eligendus: qui omnis damni est expers, qualis est secundus ille, de quo Poëta:

Felix, quem faciunt aliena pericula cautum.

Hic autem discendi modus lectioni historiarum vnicè acceptus est ferendus, vt rectè docet *Diodorus Siculus* Etiamsi enim personæ subinde mutentur in hoc mundi theatro: eadem tamen semper agitur fabula, nunc quidem comœdia aut tragœdia, nunc autem tragico-comœdia. Ea propter in omni consultatione fiat enthymema historicum, quod sit norma rerum feliciter gerendarum. e. gr. Bella ciuilia florentissimam illam Romanorum remp. euerterunt. Ergo & hodie Romanum Imperium intestinis dissidiis confectum corruet, nisi maturè huic malo eatur obuiam. Item: Contemptus verbi Dei pessum dedit Ecclesias Orientis florentissimas. Nos igitur eadem manebit pœna, si Deum contemnere perrexerimus. Atque hæc est senilis illa prudentia, quam iuuenibus adfert historia, de quâ Dionysius Halicarnasseus ait, ἱστορία ἀρχὴ φρονήσεως καὶ σοφίας. Nam ita est, vt Proclus ait, αἱ τῶν προγεγονότων ἀναμνήσεις τελειωτικαὶ τῶν ψυχῶν εἰσιν, i. e. memoria eorum, qui ante nos vixerunt, perfectrix est animorum. Et hinc est, quòd historia vocetur πολυμάθεια. Hoc est vaticinium historicum, quod ex rebus præteritis nunc στοχαστικῶς, nunc ἐπιστημονικῶς sumitur de rebus futuris incipiendis, omittendis, fundandis, conseruandis, amplificandis, destruendis, contrahendis, vel curandis. Huius tam multiplicis vtilitatis consideratio fecit, vt *Basilius Imp.* Leoni filio historiam commendauerit, his verbis *in libello qui inscribitur*, κεφάλαια παραινετικά: *Per veteres historias ire ne recusa. Ibi enim reperies sine labore, quæ alij cum labore collegerūt: atque illinc haurires, & bonorum virtutes, & improborum vitia: varias humanæ vitæ mutationes, & rerum in eâ conuersiones: mundi huius instabilitatem, & imperiorum præcipites casus: & vt vno verbo complectar, malorum facinorum pœnas, & bonorum præmia: quorum illa fugies, ne in diuinæ iustitiæ manus incidas, hæc amplecteris, vt præmiis, quæ ea comitantur, potiaris.* Huc facit illud *Polybij lib.* 5. Quo fit vt mihi quidem videatur ex omnibus animalibus nullum stolidius, aut magis expers rationis esse, quàm homo, qui à plerisque callidissimus omnium iudicari solet. Quot enim castra? quot munimenta? quot arces? quot & quales ciuitates per hunc modum in manus hostium deuenere? Quæ cùm quotidie accidant, cernanturque ab omnibus, semper tamen nescio quo modo noui ac rudes in huiusmodi rebus videmur esse. Quod ideò fit, quoniam ea, quæ superioribus seculis acciderunt maioribus nostris, non consideramus: sed ad apparatum frumenti, & pecuniarum, & murorum, & sagittarum intenti, cum labore & sumptu hæc duntaxat conquirimus. Quod verò facillimum est, maximosque in periculosissimis temporibus vsus adfert, id omnes contemnimus, & pro nihilo ducimus: cùm nobis alioqui liceat cum quiete & tranquillitate in historijs & commentarijs rerum gestarum ea discere, & quasi experiri. Memorabilis etiam est sententia *Diodori Siculi in proœmio Bibliothecæ*: Magnas, *inquit*, meritò gratias rerum scriptoribus homines debent, qui suo labore plurimùm vitæ mortalium profuere. Ostendunt enim legentibus, præteritorum exemplis, quid nobis sit appetendum, quidve fugiendum. Nam qui multa experimenta rerum varijs cum laboribus periculisque, ipsi procul ab omni discrimine positi gesta legimus, nos admonent maximè quid conferat ad degendam vitam. Cognitio igitur ex aliorum tum secundis, tum aduersis rebus percepta doctrinam habet ad omnia valde necessariam. Pulchrum enim est ex aliorum erratis in melius instituere vitam nostram: & non tam quid alij egerint, quærere: quàm quid optimè ab ijs actū sit, nobis proponere ad imitandum. Seniorum consilia, quos longa ætas prudentiores effecit, laudantur. At hos tantò antecellit historia, quantò plura rerum exempla complectitur diuturnitas temporis, quàm hominis ætas. Itaque ad vitæ institutionem, resque præclarè gerendas vtilissima censenda est historia. Sic *Diodorus*. Breuissimè omnium *Quintilianus lib.* 12. *inst. c.* 4. ait: Historiæ sunt iudicata & testimonia *Strabo* ait, historiam esse χρήσιμον εἰς τὴν ἠθικὴν καὶ πολιτικὴν φιλοσοφίαν: quia, vt ait Lucianus, docet λέγειν τε τὰ ἄριστα, καὶ πράττειν τὰ δυνατὰ, ζήλῳ τῶν ἀρίστων, καὶ φυγῇ τῶν χειρόνων, hoc est, dicere optima & facere possibilia, æmulatione optimorum, & fugâ deteriorum. Et hinc à Nazianzeno historia appellatur συμφερετὴ σοφία, καὶ πάντων νόος.

Historiæ vtilitas in ecclesiâ quæ?

II. *Historia quinque adfert vtilitates in ecclesiâ.*

Primò est speculum prouidentiæ Dei clarissimum: quia recitat miros euentus, qui Deum esse, & esse virtutis remuneratorem vitijque osorem & vltorem testantur. Hinc historia rectè vocatur phrontisterium sapientiæ, potentiæ, bonitatis & iustitiæ Dei: item schola cognitionis Dei: itemque circulus beneficiorum & iudiciorum Dei. Deinde historia est schola cultus Dei: quia dum nobis exhibet tabulas & monumenta sapientiæ, potentiæ, clementiæ & iustitiæ Dei, simul nos impellit ad colendam sublimem illam maiestatem. Tertiò historia est speculum Ecclesiæ, in quo videmus, vbi & qualis semper fuerit Ecclesia, quomodo collecta, defensa, & inter horribiles imperiorum ruinas semper conseruata sit, quos doctores & testes veritatis, quas deliberationes habuerit Quartò historia est fons variarum consolationum. Leuat enim dolorem communis quasi legis & humanæ conditionis recordatio. Quando itaque legimus aliorum miserias, cogitare debemus, non recusandam esse communem sortem, cum in eâdem omnes versemur naui. Si item aliorum calamitates intueamur, & cum nostris in bilance ponamus, videbimus sæpe alienas nostris præponderare, & hâc ratione dolorem leniemus. Si varietate sectarum in religionis negotio offendamur, historiæ dicent, iam olim tempore apostolorum Diabolum huiusmodi portentosos fœtus edidisse. Si distractiones orthodoxorum theologorum nos offendant, consolabitur nos ex historiâ recordatio dissidiorum inter Petrum & Paulum, *Gal.* 2. Augustinum & Hieronymum. Si dolemus innumera, & ea quidem exquisita piorum supplicia, historiæ dicent, crucem esse vexillum Christi & auream piorum catenam, in quâ calamitas calamitatem excipit, non aliter atque annulus annulum capit. Quintò historia in grauissimarum controuersiarum theologicarum diiudicatione prudentiam conciliat, sapientiam alit, iudicium format. Docet enim, Diabolum, veteratorem illum antiquum, eo esse ingenio, vt hæreses interpolatas & incrustatas ab Orco soleat reuocare. Historia igitur docet semina istarum antiquarum controuersiarum cognoscere: cum quibus si quis recentiores contulerit, eodem labore refutauerit. e. g si quis Pharisaismi & Lutheranismi collationem dextrè instituat, efficacissimo argumento vtetur contra Babylonicæ meretricis fucata sophismata. Quæ cùm ita sint, theologus sibi commendatam habebit historiam, perpetuum illum exemplorum thesaurum, seu perpetuam possessionem, vt Thucydides appellat.

III. *Historiæ vtilitas in politicis est tempore pacis & belli multimoda.*

Nam suppeditat exempla bonorum & salutarium consiliorum in gubernatione reipubl. quatenus docet comparationem nostræ reipubl. instituere cum alijs, & ex similitudine vel dissimilitudine status præteriti & præsentis consilium promptum & acutum petere. Quâ de re Liuius ita pronunciat: *In historiâ illud præcipuè salubre est ac frugiferum: omnis te exempli documenta in illustri posita monumento intueri: inde tibi tuæq; reip quod imitere, capias: inde fœdum inceptu, fœdum exitu quod vites.* Tempore belli prodest quoque historia, quatenus non solum heroica ingenia incendit propositis exemplis præclarissimorum ducum, sed etiam belligerandi modum præscribit, strategemata monstrat, & consilia bellica suppeditat. Sic Alexander Magnus, legendo Homerum, & Achillem sibi tanquam exemplar virtutis militaris proponendo, maximus dux euasit. Cæsarem impulit imitatio Alexandri Magni. Scipio Africanus ex Cyripædiâ Xenophontis tantus euasit bellator. Solimannnus Turcarum Imp. gesta Cæsaris in linguam vernaculam transferri curauit, & eius imitatione magnam Asiæ minoris & Africæ partem cum imperio majorum coniunxit. Præterea si philosophiam vniuersam consideres, historia, historia, inquam, est theatrum vniuersitatis rerum, speculum temporis, thesaurus demonstrationis, oculus sapientiæ, speculum vanitatis, imbecillitatis & stultitiæ, principium prudentiæ, custos & præco virtutum, testis malitiæ ac improbitatis, vates veritatis, sapientiæ metropolis, & thesaurus ad omnem posteritatem, seu κτῆμα ἐς ἀεὶ συγκείμενον, vt ait Thuccidides lib. 1. Denique methodus Theologiæ est historica: Ius ciuile maximâ sui parte ex historiâ veterum reip. Romanæ legum constat: & ars medica ex historiâ & memoriâ experimentorum collecta est, vt Plinius scribit. Sed concludamus hoc caput insigni Ciceronis sententiâ 2. *de orat. Historia est testis temporum, nuntia vetustatis, lux veritatis, vita memoriæ, magistra vitæ.* Cuius dicti explicationem vide *in mellificio historico Pezelij.*

CAPVT II.

De Subiecto historiæ.

PRÆCEPTA.

Subiectum historiæ est triplex, informationis, tractationis, & operationis.

Subiectum informationis adæquatum & directum est voluntas hominis, quatenus per historiam à vitiis ad virtutem traduci debet.

Subiectum tractationis seu doctrinæ est vniuersa philosophia, theologia, iurisprudentia, & medicina, quatenus in iis occurrunt res gestæ.

Subiectum

Subiectum operationis seu vsus est vita hominis in statu œconomico, scholastico, ecclesiastico, & politico.

REGVLÆ.

I. *Historia informat τὸ λογικὸν, θυμικὸν καὶ ἐπιθυμητικὸν, id est, potentiam rationalem, irascibilem & concupiscibilem.*

Proponit enim exempla virtutum ad imitandum, & vitiorum imagines ad deterrendum à flagitijs: rerumque humanarum inconstantiam ponit ante oculos, vt in aduersis discamus patientes esse ac firmi, in prosperis lenes, in opulentiâ liberales, in inopiâ contenti nostrâ sorte: vt denique nihil quod accidit homini, nouum existimemus, nihil repentinum miremur, nihil non aliquando putemus aut posse accidere, aut non quandoque accidisse. Quæ omnia ita sunt comparata, vt non solùm τὸ λογικὸν seu ἡγεμονικὸν, sed etiam inferiores & famulantes facultates, τὸ θυμοειδὲς καὶ ἐπιθυμητικὸν, dirigant ad felicitatem practicam. Quando autem nominamus τὸ λογικὸν, primariò intelligimus voluntatem: quia historia dirigitur principaliter ad perfectionem beatitudinis practicæ, & nonnisi indirectè ad perfectionem intellectus.

II. *In subiecto tractationis, quod historiæ est propositum, materiale à formali diligenter est discernendum.*

Omnes disciplinæ & facultates habent suas historias. Subiectum itaque siue materia historiæ circa quam, vt vocant, est vniuersa philosophia cum reliquis tribus superioribus facultatibus: seu, quod idem est, Ecclesia, Politia, & Natura. Vnde historia vsitatè diuidi solet in diuinam seu ecclesiasticam (quanquam ecclesiastica interdum distinguitur à diuinâ) ciuilem, & naturalem: sub quibus membris continentur historiæ iuridicæ, medicæ, mathematicæ, & similes. Atque hoc est materiale, seu res considerata in hoc subiecto. Formale, seu modus considerandi est narratio rerum philosophicarum, theologicarum, iuridicarum, & medicarum, quatenus singulares sunt, siue vestitæ singularibus circumstantijs. Est autem ista narratio triplex. Primò diexodica, id est plena & copiosa: deinde chronologica, in modum annalium: tertiò paradigmatica, cùm flores exemplorum ex historijs colliguntur. Rursus narratio ista respicit vel totius seculi decursum, vel aliquam ipsius partem: vnde historia diuiditur in vniuersalem & particularem. Cæterùm *Bodinus in methodo historiæ* de triplici historiæ genere hunc ferè in modum philosophatur. Tria ista historiarum genera, humanum seu ciuile, naturale, & diuinum efficiunt quandam quasi scalam cognitionis Dei, nostri, & totius vniuersitatis. Nam hoc modo à cognitione nostri per naturæ inspectionem ad immortalis Dei veram historiam seu contemplationem prouehimur. Primum enim historiæ genus ad hominem pertinet, alterum ad naturam, tertium ad naturæ parentem. Primum actiones hominis, quatenus est animal politicum, explicat: alterum causas in naturâ positas ostendit: postremum Dei potestatem & benignitatem intuetur. Ex quibus assensio triplex, probabilis, necessaria, religiosa; totidémque virtutes, scilicet, prudentia, scientia, religio seu fides: quarum prima turpe ab honesto, altera verum à falso, tertia pietatem ab impietate diuidit. Prima ex imperio rationis & vsu rerum agendarum, est vitæ moderatrix: altera ex abditarum causarum inquisitione, est rerum occultarum inuentrix: postrema ex vnius Dei erga nos amore, vitiorum est expultrix. Ex his tribus virtutibus ita inter se iunctis, conflatur vera sapientia, summúmque hominis bonum, quod est scalæ illius, quam tribus gradibus constare diximus, summus apex, extremumque fastigium.

III. *Subiectum operationis, cui applicari debet historia, est quæuis consultatio œconomica, scholastica, theologica, politica.*

Si enim incidat dubium aliquod in hoc vel illo vitæ humanæ statu, oportet recurrere ad historiam similem vel dissimilem: quia de similibus simile, de dissimilibus dissimile est iudicium.

CAPVT III.

De Proprietatibus historiæ.

PRÆCEPTA.

Media, per quæ finis historiæ obtinetur, sunt numero quatuor: Cognitio proprietatum historiæ, illiúsque Scriptio, Lectio & Obseruatio.

Proprietates, seu qualitates historiæ, respiciunt res, verba, & modum.

Ratione rerum est varietas, & veritas.

Ratione verborum siue styli est simplicitas.

Ratione modi est candor.

REGVLÆ.

I. *Varietas historiæ est astricta, non infinita.* — Varietas historiæ qualis?

Varietas est infinita, vel astricta. Illa est vaga, nec vllis astringi potest preceptis vel commentarijs: hæc secùs se habet. Tametsi enim res singulares sunt infinitæ: illæ tamen omnes non veniunt in considerationem, sed tantùm nobiliores & exemplares, hoc est istæ, quæ ita sunt comparatæ, vt alijs possint esse in exemplum. Et ideò delectus rerum habendus est in historijs, ne calonum & lixarum dicta & facta literis consignemus.

II. *Quatuor sunt gradus certitudinis historicæ.* — Veritas historiæ quomodo æstimanda?

Veritas rectè dicitur cor, anima, & sol historiæ. Illa autem æstimatur ab historicis, siue authoribus, iuxta sententiam Adriani Imperatoris, qui dicere solebat, ***Non testimoniis, sed testibus se crediturum.*** Historici ergo quales fuerint, etiam atque etiam videndum fuerit. Sunt autem vel Dei amanuenses, vt prophetæ & apostoli: vel homines communi hominum legi subiecti, iique rursus viri boni vel mali: & vtrique vel autoptæ, seu oculati, vel auriti. Vnde quatuor emergunt gradus certitudinis, iuxta has regulas. 1. *Historia diuina seu Canonica, est diuina, id est indubitatæ, fidei.* Cùm enim à Deo sit profecta, & per ipsius actuarios & notarios consignata, nemo debet ipsi fidem derogare. Vnde verò cognoscitur diuinitas huius historiæ? Partim ex Spiritus sancti in corde loquentis testimonio, partim ex diuino charactere, qui cernitur in præceptorum sanctitate, promissionumque amplitudine, partim ex diuinis effectis & adiunctis, de quibus theologi. Hic quæritur, Quâ fide credamus libros sacros esse à Deo dictatos? Respond. Hypocritæ hoc credunt fide historicâ, electi saluificâ. 2. ***Historia humana, quæ scripta est à viro probo & integro, meretur fidem, sed humanam:*** id est talem, quæ homini credit, non vt Deo, aut angelo fundenti oracula, sed vt homini: non quòd ille dixerit, sed quòd verum dixisse præsumatur. Etsi verò in ethnicis historicis pietas illa vera absolutaque virtutis officia non spectantur: licet tamen in ijs cernere probitatem quandam, bonitatemque naturæ in plerisque rebus, quas referunt Cæterùm probitas & integritas historici elucet, vel ex conuersatione, vel ex famâ grauique ac frequente bonorum virorum testimonio, vel denique ex ipsismet scriptis: vbi character historiæ ab hominibus scriptæ perpendendus. Ille autem cognoscitur ex re seu materiâ, quam historicus describit, quæ est triplex: videl. religio, natura, & politia. In historiâ religiosâ dispiciendum, num quid contra principia religionis (quæ Scaligero dicuntur cardines religionis) quorum summa est in paruis Biblijs, seu capitibus Catecheticis, sit exaratum. In historiâ naturali videndum, num aliquid pugnans cum principijs physicis apud omnes concessis ac confessis sit positum. In historiâ denique politicâ seu ciuili duo illi historiæ oculi, geographia & chronologia, sunt adhibendi, & videndum, num omnia cum istarum facultatum principijs conueniant. Adhæc plures historici sunt inter se conferendi. 3. ***Historici, qui ea quæ narrant, vel ipsi viderunt, vel habent ab alijs qui viderũt, merentur fidem, si probi sint: sin improbi, magno cum iudicio legendi:*** ne scil. admittantur illa, quæ pugnant cum principijs fidei vel rectæ rationis, aut cum circumstantijs rei gestæ. Et quidem hîc faciendum cum Ecclesia, quæ hanc tulit legem: *Si cui historico authoritatẽ Ecclesia tribuit, hic dubio procul dignus est, cui nos eam authoritatem adiungamus. Contrà verò cui Ecclesia derogauit fidem, ei quoq; nos fidem iure ac merito derogabimus.* Quam regulam ponit *Antonius Possevinus Iesuita lib. 16. bibliothecæ c 5.* Sanè non debemus temerè reijcere historicum publicâ authoritate receptum. Sed tamen potior habenda est ratio veritatis, quàm authoritatis: ac proinde si historicus publicâ authoritate receptus mentiatur, minimè ipsi habenda est fides 4. ***Eos historicos cæteris anteferamus, qui ingenij suauitati quandam seueritatem, & seueritati quamdam iunxêre prudentiam, & ad eligendum, & ad iudicandum.*** Quæ lex in ijs rebus locum habet, quas historiographi neque sunt intuiti, neque à viris fide dignis, qui viderint, audierunt. Homines enim graues & seueri non solent inanem vulgi sermonem aucupari. 5. ***Testimonium historici pro parte aduersariâ, si absq; ironiâ sit prolatum, permagni est roboris.*** Quâ de re lege Logicos.

III. *Stylus historicus quò simplicior, eò melior.*

Stylus historicus qualis esse debeat?

Historia enim cùm sit virgo castissima, requirit vultum minimè fucatum, & cultum non mam enatum. Leges huc seruentur istæ 1. *Atticismus conuenit historiæ*: i. e. stylus medius inter Asiaticum & Laconicum. Attica enim oratio conuenientem simplicitatem, & gratam breuitatem consectatur: quæ vtraque insigne est historiæ ornamentum. Historia enim magis Logicum, quam Rhetoricum est opus ac proinde

Ornari res ipsa negat, contenta doceri

2. *Lumina rhetorica parcè adhibeatur in historiâ.* Amplificationes, inquam, exaggerationes, digressiones, hyperbolæ, allegoriæ, & omnino figuræ rhetoricæ multū detrahunt historiarum dignitati, vt erudite disputat *Keckermannus in commentario de naturâ & proprietate historiæ*. 3. *Character medius vt plurimùm adhibeatur in historiâ.* Medius, inquam, inter sublimem & humilem. Hic enim congruit majestati historicæ: nisi fortè res diuinæ & heroicæ, vel viles veniant describendæ. Ibi enim grandis, hîc humilis adhibendus character.

IV. *Historiæ laus non postrema est, si historicus affectus describat sine affectu.*

Vacuitas affectuum quam necessaria historico?

Si enim historicus indulgeat affectibus (quales sunt duo potissimùm, gratia & odium) fieri non potest, quin mentiatur augendo & minuendo. Historiarum itaque scriptor affectus, effectus & defectus populorum ac hominum describat sine affectu, si velit gignere affectum in lectore: semperque sibi ob oculos statuat elegantem illam historiæ picturam, quam *Iohannes Antonius Viperanus in libro de scribendâ historiâ* testatur se inspexisse, his verbis: In historiam oportet inspicere tanquam in virginem quandam liberam & incorruptam, nulli appetitioni seruientem, veritatis cultricem, moribus grauem, sani succi, coloris suauis, omni membrorum magnitudine & compositione perfectam, non leuibus & inanibus rebus deditam, sed studentem grauibus & magnis, gradientémque ornatu modico & decente, non ad voluptatem, sed ad honestatem exquisito, qualis matronæ conuenit, non vt meretricis ille fucus, qui est Poëtarum maximè proprius. Hic tamen memineris, nihil referre, metróne an solutâ oratione historia scribatur, modò historia sit. Quod notandum est contra eos, qui Homero, Virgilio & aliis Poëtis omnem propè fidem derogant, hoc tantùm nomine, quòd Poëtæ sint; Poëtarum autem sit fingere. Quasi verò Poëtæ fabulis tantùm accommodent suum stylum. Interim stylus oratorius magis conuenit historiæ, quàm Poëticus.

Capvt IV.

De Scriptione historiæ.

Præcepta.

Scriptio historiæ rectè perficitur, si historicus consideret suam personam, rem siue materiam, & stylum.

In personâ historici requiritur virtus viri & officij.

In re siue obiecto spectari debet grauitas, suauitas, & vtilitas.

In stylo majestas historica spectanda.

Regvlæ.

I. *Historiographus diligenter attendat discrimen quod est inter historiam & historicam.*

Historia & historica quid differant?

Franciscus Robortellus profitetur, se in re historicâ ordinem illum secuturum, quem Aristoteles in Rhetoricis tenuit: & verò conatus est ad artem illam præclaram quàm breuissimè redigere totum hoc scribendi genus, vt noua veluti quædam peculiari nomine à cæteris distincta extaret facultas siue ars Historica: *nam qui* (inquit) *de eâdem re, aut tam accuratè scripserit, aut eo ordine, quo nos, planè noui neminem.* Vidit nimirum vir accuratissimus historiam ab historicâ distinctam esse, ita vt illa sit obiectum huius. Hoc discrimen diligenter obseruet historicus, & antequam accedat ad scribendam historiam, cognoscat historicam de ratione scribendi, legendi, & ad vsum transferendi historiam. Confer *methodum historicam Bodini, & Dauidem Chytræum de lectione historiæ instituendâ.*

II. *Historicus sit vir bonus, ad omnia totus, ætatis maturæ, viris bonis charus, & deniq; prudens.*

Historici requisita quæ?

Sit *vir bonus*; quia necessum est, vt scapham scapham, ligonem ligonem vocet, non verò permutet quadrata rotundis, & faciat

Candida de nigris, aut de candentibus atra.

Requiritur itaque homo alicuius conscientiæ, quæ ipsum non patiatur abripi extra veri & fidei cancellos, in gratiam huius vel illius. Rectè igitur Lutherus: *Historicus*, inquit, *habeat cor leonis.* Et eleganter Lucianus, proprium dicit esse historiæ, *Μόνῃ τῇ ἀληθείᾳ θύειν, soli veritati sacrificare.* Et ita vult historicum *ἐκ πάντων τῶν πραγμάτων, ἀλλὰ μάλιστα τὴν, καὶ ἄφοβον, καὶ παρρησίας φίλον εἶναι, τὰ σῦκα σῦκα, τὴν σκάφην σκάφην ὀνομάζοντα.* Sit *ad omnia totus*: ita vt cogitet vix arduiorem esse hâc ipsâ prouinciam. Sit *ætatis maturæ*; quia si sit nimis iuuenis, æstuabit igne affectuum, nec iudicio erit satis firmato, nec denique magnæ experientiæ: si verò sit nimis senex, erit tetricus atque morosus, ac proinde censoriâ virgulâ corrumpet simplicitatem historiæ. Sit *viris bonis charus*: vt scilicet ab ijs possit varijs de rebus erudiri. Insinuet ergo se magnorum virorum, qui præsunt archiuis & cancellarijs, item exterorum historicorum, amicitiæ. vt ab illis possit habere probam publicamque mercem. Sit *prudens*: ita vt priuata parcè attingat: vt in iis, quæ vidit, suorum oculorum, quæ auditione percepit, virorum bonorum testimonium alleget: ne facilè sit criticus; quia difficile admodum est sincerum ferre iudicium de rebus singularibus, vbi sæpenumero vnâ circumstantiâ ignoratâ ignoratur totius facti natura & qualitas.

III. *Materia historiæ sit grauis, suauis, & vtilis.*

Sit *grauis*, adeoqué selecta; quia minutiæ & ieiunitas sunt pestes historiæ, quæ rebus memorabilibus debet esse astricta, huncque sibi propositum habet finem, vt ex infinitis singularibus ea tantùm recitet, quæ animum accendunt & faciunt. Iam verò minuta illa & frigida animum minuunt & auocant. Quare Cicero rectè reprehendit in historiâ ieiunitatem, propterea quòd historia rebus magnis memoriâque dignis ab interitu vindicandis sit consecrata. Et rectè *Ammianus lib. 26.* ait, historiam assuetam discurrere per negotiorum celsitudines, non humilium minutias indagare causarum. Sit *iucunda & suauis*; quia historici est & prodesse & delectare. Hoc autem fiet, si historicus res longinquas magnâ cum cautione & animi moderatione recitet: si res populi patriæque suæ eodem affectu, quo exterarum nationum, describat. Aliàs, si populum suum supra cœlum tollat, alias verò nationes ad inferos vsque deijciat, narrationi peribit omnis gratia. Sit denique *vtilis*, publicè ac priuatim: quâ de re satis multa diximus ad cap. 1.

IV. *Styli historici maiestas pendet à simplicitate, tractu, & pondere.*

Simplicitas præter Atticismum hoc requirit, vt stylus oratorius potiùs adhibeatur quàm poëticus: tum quia facilior, tum quia non ita fuco & suspicioni sinistræ, quasi ficta narrentur, est obnoxius. Deinde stylus historicus sit tractus, id est talis, qui cum lenitate quâdam æquabili profluat, sine iudiciali asperitate, & sine sententiarum forensium aculeis. Denique sit ponderosus, id est eiusmodi, vt contineat verba emphatica, & retineat formalia, quæ vocant, in recitandis concionibus, diplomatis, documentis, instrumentis, contractibus & recessibus. In summâ: Historicus sit electissimorum verborum pensitator, non superstitiosus orator. Ratio prioris est; quia historia debet naturam cuiusque rei exprimere. Ratio posterioris est; quia superflua & superstitiosa verborum cura in scribendo parit incuriam rerum; & præterquam quòd pugnat cum simplicitate historiæ, fidemque illius imminuit, lectorem etiam à meditatione historiæ vel absterret, vel auocat.

Capvt V.

De Lectione historiæ.

Præceta.

Lectio historiæ rectè perficitur Crisi & Praxi historicâ.

Crisis historica continetur delectu & ordine historicorum.

Delectus historicorum pendet à requisitis boni historici.

Ordo lectionis ille probatur, quo quis incipit à scriptoribus historiæ vniuersalis, & ita pergit ad historiæ particularis lectionem, vt primò cognoscat historiam sacram & naturalem; dehinc politicam, eámque secūdùm quatuor monarchias, Chaldaicam, Persicam, Græcam, & Romanam: denique historias variarum gentium, hominum, familiarum, & ciuitatum, in Europâ, Asiâ, Africâ, nouo orbe, varijsque insulis,

Praxis

Praxis hiſtorica, ſiue vſus, pendet à meditatione finis triplicis, & analyſi hiſtoricâ, itemque ab animaduerſionibus hiſtoricis.

Regvlæ.

I. *Delectus hiſtoricorum habendus eſt iuxta has regulas.*

1. *Hiſtorici authentici præferantur non authenticis* Authentici autem ſunt tum diuini, tum iurati, qui publicâ magiſtratus authoritate ſcribunt: ſuntque vel autoptæ, vel ſua habent ex archiuis, protocollis, actis & inſtrumentis publicis. 2. *Hiſtorici Latini Græcis fermè ſunt veraciores, ac proinde maioris authoritatis.* Græcia enim, vt eſt in prouerbio, mendax. Caue tamen, ne moroſè interpreteris hanc regulam: præſertim cùm Græci poſt inſtitutas Olympiades intra cancellos veritatis magis ſe continuerunt, vt ait Euſebius. 3. *Non probandi ſunt hiſtorici, qui ſe ſuamq; gentem ſemper in Capitolio locant, exteros verò & hoſtes ſuos ſemper vituperant.* Nam hi tales ſeruiunt affectibus, quorum nubes eripit hiſtoriæ ſolem, id eſt veritatem. 4. *Hiſtorici contrariæ religionis, vt vocant, cautè legantur.* Videre namque eſt bene multos, in quibus diuerſitas religionis tollit legem humanitatis. 5. *Hiſtorici mercenarij & ollares, qui vocantur, meritò ſunt ſuſpecti.* His enim bos eſt in linguâ & calamo, quod Demoſtheni obiectum fuit. Neque tantùm ſpe præmiorum, ſed etiam metu pœnæ vera diſſimulantur, praua laudantur, noua excogitantur. 6 *Hiſtorici legantur cum moderatione animi & veniâ*: hoc eſt, cogitetur, fieri non poſſe, vt in omnibus circumſtantijs ſint lyncei. 7. *Hiſtorici legantur in linguâ originali*: aut ſi aliquis ſit ignarus iſtius linguæ, verſio eruditorum calculis probata legatur. 8. *Antiquorum hiſtoricorum ſcripta non examinentur ex iis, quæ nunc dierum geruntur.* Mutatæ ſiquidem ſunt plurimæ circumſtantiæ iuxta verſum:

Tempora mutantur, & nos mutamur in illis.

Quicunque ergo cum fructu cupit legere veteres hiſtorias, ſit induſtrius antiquitatis indagator. 9. *Hiſtoria perfecta, omnibuſque numeris abſoluta cenſeatur, quæ tres iſtas habet notas: Veritatem, Explanationem, & Iudicium* Veritas eſt, vt omnia narrentur purè & ex fide. Explanatio eſt, vt circumſtantiæ fideliter ac plenè recitentur, ex præſcripto iſtius verſus:

Quis, quid, vbi, quibus auxiliis, cur quomodo, quando.

Nam ſi quis ex hiſtoriâ tollat, Quid, Quomodo, Cuius gratiâ ſit actum, Quis finis fuerit: quod ſupererit, velut contentio quædam, non doctrina erit: & in præſentiâ quidem iucunditatis fortaſſis aliquid, in poſterum verò nullam prorſus ad vitam humanam, vtilitatem adferet: vt ſunt verba *Polybij lib.* 3. Iudicium eſt, vt virtutes & vitia non ſileantur, vtque prauis dictis & factis ex poſteritate & infamiâ ſit metus, vt ait Tacitus. Breuiter tamen iudicium interponendum, ſine prolixâ in vtramque partem diſputatione. Quæcunque hiſtoria tres illas notas habet, in illâ probum purumque ſcito eſſe aurum 10. *Si diſcrepent hiſtorici, recurrendum eſt ad linguam originalem, nec verſioni mordicus adhærendum.* Tentanda item eſt conciliatio, & ita ſtatuendum, fieri non poſſe, vt hiſtorici in omnibus circumſtantijs conueniant. 11. *Illæ hiſtoriæ non probandæ, quæ perpetuas laudes & virtutes eiuſdem, nulla vitia commemorant: vel contrà, quæ perpetua eiuſdem vitia, nullas virtutes recenſent.* Hoc nomine Polybius reprehendit Fabium Romanum, qui de Romanis & Pœnis omnia præclara ſcripſit: & Philinum Carthaginenſem, qui Pœnos omnia laudabiliter & fortiter, Romanos autem turpiter & ignauiter geſſiſſe ait. 12. *Oportet diſpicere, an hiſtoricus ex deſtinato peccauerit, an verò ex impoſitâ neceſſitate errandi circa res ſingulares, errauerit* 13. *Neque credulum in hiſtoriarum lectione oportet eſſe, neque* ἄπιστον Non illud: quia qui facilè credit, facilè decipitur. Non hoc; quia ſi nemo alteri crederet, vinculum humanitatis diſſolueretur.

II. *In hiſtoriarum lectione hic ordo ſeruandus, vt quatuor principales claſſes ſtatuantur: videlicet Scriptres hiſtoriæ Vniuerſalis, Sacræ, Naturalis, & Politicæ.*

Principiò hiſtoriæ lectio ordienda eſt à breuiſſimis Chronicis, ita vt hiſtoria vniuerſalis imprimatur memoriæ, vt habeamus exemplar aliquod & ideam, ad cuius locos communes titulos & ſubtitulos queat aptari quidquid deinceps occurrit. Atque hic eſt index, hic theſaurus hiſtoricus, hoc perpetuæ lectionis domicilium. Abſque hoc ſit, & temporum ratio minimè nobis conſtabit. Apud quos autem ratio temporum non cohæret, apud hos nec veritatis hiſtoricæ ratio vlla poteſt conſtare Proderit itaque, primò omnium legere Compendium hiſtoriæ vniuerſalis; qualia ſunt *Iohannis Sleidani de quatuor ſummis Imperiis, Chronicon Carionis, Mellificium hiſtoricum inchoatum à Pezelio, abſolutum à Lampadio, Theatrum*

Chriſtophori Heluici, & Synopſis hiſtorica Philippi Glaſeri. Porrò hic requiritur accurata rei Geographicæ cognitio: abſque qua fieri non poteſt, vt hiſtoriæ vniuerſalis ideam rectè animo complectamur. Deinde ab hiſtoriâ vniuerſali veniendum eſt ad hiſtoriam particularem, & primò quidem ſacram, quæ petenda eſt ex libris ſacris, Iudæis, & ſcriptoribus eccleſiaſticis, hoc modo. Hiſtoria ſacra eſt diuina ſeu canonica, vel eccleſiaſtica, quæ ſic dicitur κατ' ἐξοχήν. Diuina eſt V. vel N. T. *Hiſtoria V. T.* petenda eſt ex libris Moſis, qui merito ſuo dicitur Oceanus hiſtoriæ, & primus hiſtoricus: item ex libris prophetarum priorum & poſteriorum, quos ita vocant theologi. Ex his libris (ſi addantur apocryphi illi Maccabæorum) peti poteſt hiſtoria annorum ferè 3949. quo anno mundi Chriſtus eſt natus. Conſulendus etiam eſt Ioſephus Iudæus, qui hiſtoriam Iudaicam texuit ab initio mundi vſque ad excidium Hieroſolymitanum. Hunc Hieronymus non ſine causâ vocat Liuium Græcum. Addatur Philo Iudæus & Egeſippus: quorum ille ab orbe condito vſque ad Tiberium, hic hiſtoriam Iudæorum à Maccabæis vſque ad annum Chriſti 72. contexuit. Ille claruit an. Chr. 99. hic 120 *Hiſtoria diuina N.T.* cognoſcenda eſt ex quatuor Euangeliſtis & Actis Apoſtolorum: vbi eſt hiſtoria annorum plus minùs 60 Conſuli etiam poteſt Ioſephus & Egeſippus. *Hiſtoria eccleſiaſtica* diſtinctè cognoſcenda eſt ſecundùm tria Eccleſiæ N. T. interualla ſiue periodos. Nam Eccleſia conſideratur vt conſtituta, proſtituta, & reſtituta. Conſtitutæ eccleſiæ N.T. interuallum eſt vel à prædicatione apoſtolorum, vel ab excidio Hieroſolymitano vſque ad annum Chriſti 600: quo tempore Phocas Imperator promulgauit priuilegium de primatu Eccleſiæ Romanæ. Hæc dicitur prima periodus Eccleſiæ N.T. à prædicatione apoſtolorum vſque ad natalem Antichriſti. Hiſtoria huius periodi cognoſcenda eſt ex Egeſippo, Euſebio, Socrate, Theodoreto, Sozomeno, Hiſtoriâ tripartitâ, & Nicephoro. Eccleſiæ proſtitutæ & deſtitutæ à Pontificibus Romanis hiſtoria ab anno Chr. 600. vſque ad an. Chr. 1500. petatur ex Euagrio & Zonarâ, itemque ex hiſtorijs Impp. & Pontificum, & Catalogo teſtium veritatis. Eccleſiæ denique per gratiam Dei reſtitutæ, inde ab anno 1500. (quem numerum accipimus propter rotundationem temporis) vſque ad noſtram ætatem, annum ſcilicet currentem 1619. huius, inquam, periodi hiſtoria ex Sleidano & Martyrologijs inprimis eſt cognoſcenda. Sed paulò pleniùs hæc proponamus. *Egeſippus*, ſeu, vt alij ſcribunt, Hegeſippus, natione Iudæus, & ex Iudæo Chriſtianus, omnes actus eccleſiaſticos à tempore mortis Chriſti, vſque ad Adriani Imp. ætatem, id eſt, vſque ad annum Chr. 120. deſcripſit. Hunc ſecutus eſt *Euſebius Pamphilus* Cæſareæ Palæſtinæ epiſcopus Arianus, qui hiſtoriam eccleſiaſticam inde à nato Chriſto vſque ad Synodum Nicenam, ſeu, annum Chr. 325. decem libris deſcripſit. Vixit ſub Conſtantino M. Euſebio ſubiicitur *Rufinus*, qui duobus libris hiſtoriam eccleſiaſticam contexuit, à tempore Concilij Niceni vſque ad Theodoſij Imp. mortem, & annum Chr. 400. *Caſſiodorus* ſenator & conſiliarius Theodorici regis Gothorum in Italiâ hiſtoriam à fine Euſebij vſque ad Theodoſium iuniorem, & vltrà, videl. annum Chr. 444. ex tribus clariſſimis ſcriptorib. Socrate, Theodoreto, & Sozomeno, qui claruerunt tempore Concilij Epheſini, libris 12. coagmentauit: vnde Tripartita hiſtoria appellata eſt. Hanc poſtea inde à Concilio Epheſino vſque ad Mauritium Imp. & vltrà, videlicet annum Chr. 595. continuauit *Euagrius* monachus Euthychianus, tempore Mauritij Imp. Hunc non multò poſt ſecutus eſt *Nicephorus Calliſtus*, qui libris 18. vniuerſam hiſtoriam eccleſiaſticam à nato Chriſto vſque ad Heraclij Imp. tempora & Chriſti annum 615. complexus eſt, ſed fide vbique non admodum certâ. *Zonaras* porrò hiſtoriam eccleſiæ vſque ad annum Chriſti 1117. congeſſit. Huic octauo loco *Nicetas* ſubiecit hiſtoriam annorum 86. vſque ad an. Chriſti circiter 1203 Quem Nicetæ finem *Nicephorus Gregoras* excepit, & hiſtoriam eccleſiæ orientalis vſque ad annum Chriſti 1341. deduxit. *Suidas* quoque de hiſtoriâ eccleſiaſticâ pleraque attingit Denique *Laonicus Chalcondyla* facto initio ab anno 1294. hiſtoriam eccleſiæ Imperiique orientalis vſque ad captam à Turcis Conſtantinopolim, id eſt, annum Chriſti 1453. continuauit Occidentalis verò eccleſiæ hiſtoriam Sigebertus ab anno Chriſti 381. hoc eſt, ferè à fine Tripartitæ hiſtoriæ, vſque ad annum 1113. deſcripſit. Deinde Chronicon Hirſchauenſe Trithemij vſque ad annum Chriſti 1370 peruenit. Chronico denique Abbatis Vrſpergenſis addita Paralipomena hiſtoriam ad noſtra ferè tempora perduxerunt His omnibus ſuperiori ſeculo, anno Chriſti 1564. ſucceſſerunt Centuriæ Magdeburgenſes, quæ dici poſſunt Cornucopiæ hiſtoriæ eccleſiaſticæ: quibus ex parte Pontificiorum Cæſar Baronius oppoſuit Annales ſuos eccleſiaſticos: quos ſoleo appellare turrim Babylonicam, ſicut Tomos Bellarmini gladium Goliathi. *Hiſtoria naturalis* cognoſcenda eſt ex ethnicis & Chriſtianis ſcriptoribus, hoc modo. Vniuerſæ naturæ hiſtoriam magnâ ex parte Plato, accuratiùs Ariſtoteles: totius orbis Plinius: cœli Hyginus, Aratus, & Manilius: terræ & maris Ptolemæus, Strabo, Solinus, Mela, & alij Geographi: hominis Hippocrates, Galenus, Veſalius: mineralium ſeu foſſilium, herbarum,

Hiſtoriæ ſacræ ſcriptores qui?

Hiſtoriæ naturalis ſcriptores qui?

herbarum, arborum, animalium terrestrium, aquatilium, & volatilium historias persecuti sunt Aristoteles, Oppianus, Theophrastus, Dioscorides, Ælianus, Varro, Columella, Palladius, & Germaniæ nostræ Plinius Conradus Gesnerus. Huc pertinent historiæ Physicæ, Astronomicæ, Mathematicæ, Botanicæ, Anthropologicæ, Medicæ, OEconomicæ de re rusticâ, & similes. Sequitur *historia politica*, ad quam pertinent historiæ certorum hominum, certarum familiarum, ciuitatum, & politiarum: adeóque omnes juridicæ, œconomicæ de familiis illustribus, genealogicæ, prosopographicæ, & similes. *Certorum hominum* historia petenda est ex illis authoribus, qui vitas regum, principum, Pontificum, clarorum virorum & clararum mulierum scripserunt: quales sunt Plutarchus, Diogenes Laërtius, Platina, & alij. *Certarum familiarum* historiæ occurrunt in variis Chronicis & Genealogiis, quas vocant Arbores familiarum. Hîc excellit Hieronymus Henningus, qui omnes à condito mundo celebres familias secundùm quatuor monarchias, & particularia regna persecutus est. *Certarum ciuitatum* historiæ à plurimis sunt editæ: vbi Theatrum ciuitatum Georgij Bruin Agrippinensis potest esse instar omnium. Etsi verò historiæ certorum hominum, familiarum, & ciuitatum vltimo loco inter politicas sunt cognoscendæ: hîc tamen præmittantur, quia de historiis politiarum principaliter, ac proinde prolixiùs nobis est agendum. Duplex autem ordo seruari solet in lectione scriptorum, qui historias variorum regnorum sunt persecuti. Primò leguntur historici secundum seriem quatuor monarchiarum, hoc modo. *De monarchiâ Assyrio-Chaldaicâ* legere oportet Ieremiam; Danielem; secundum librum Regum; Berosum; Herodotum, qui orditur suam historiam, vbi Ieremias desinit, videl. in rege Aprye, qui Ieremiam interfecit, & postea describit quatuor reges Persicos, videl. Cyrum, Cambysen, Darium & Xerxen. Postea Thucydides est legendus, qui post Herodotum texuit historiam à fugâ Xerxis è Græciâ vsque ad exitum ferè belli Peloponnesiaci. Xenophon à fine historiæ Thucydidis incipit. Deinde legantur Didorus Siculus, Iustinus, Plutarchus. *De monarchiâ Persarum* legantur Nehemias, Esdra, liber Estheræ, Herodotus, Xenophon, Diodorus Siculus, Iustinus, Orosius, Plutarchus. *De monarchiâ Græcorum* consulantur libri Maccabæorum, Diodorus, Polybius, Appianus, Plutarchus, Curtius. *De monarchiâ Romanâ* legantur è Græcis Dion Cassius, Herodianus, Nicephorus, Zonaras, Nicetas, Chalcondyla, Nicephorus Gregoras: è Latinis Suetonius, Tacitus, Velleius, Paterculus, Lampridius, Capitolinus, Ælius, Spartanus, Pomponius Lætus, Eutropius, Ammianus Marcellinus. His addantur Procopius, Agathias, Iornandes, Paulus Diaconus, & alij qui scripserunt ante diuulsionem imperij orientalis & occidentalis. Post diuulsionem istam scripserunt Hermannus Contractus, Vincentius in Speculo, Ottho Frisingensis, Abbas Vrspergensis, Cuspinianus in Cęsaribus, Cranzius, Iouius, & alij. Quod attinet ad regna & resp. illę referri possunt ad quatuor monarchias: vt tempore primę monarchię floruerunt ista regna, Ægyptiorum, Sicyoniorum, Argiuorum &c. Sed de his partim in Politicis tractauimus, partim iamiam plura tractabimus. Atque hic est primus modus, quem nonnulli obseruare solent in legendis historicis regnorum & Imperiorum. Alter modus ita habet. Historici, qui politias prosecuti sunt, distribui possunt in quatuor classes seu ordines. In primâ sunt scriptores historiæ Græcæ: in secundâ historici Romani: in tertiâ authores, qui politias Europæ, Asiæ, Africæ, & noui orbis descripserunt: in quartâ scriptores, qui historias insularum tradiderunt. De his quatuor classibus hæc summatim habenda. Ac primo quidem *historiæ Græcæ scriptores* legantur hoc ordine. *I. Herodotus Halicarnassæus* libris nouem agit sparsim de Græcis, vsque ad fugam Xerxis, complexus historiam annorum 240. Conscripsit historiam propè illa tempora, quibus Esdra & Nehemias templum Salomonis & vrbem Hierosolymam instaurarunt. Hunc acerbè perstringunt Plutarchus (qui librum scripsit de malignitate Herodoti) Iuuenalis, Strabo, & alij, quòd fabulosa scripserit, & potiùs μυθολογίαν, quàm ἱστορίαν, vt Strabo de ipso iudicat. Sed Cicero & alij innumeri eum tanquam patrem historiæ & solem historicorum venerantur. Et sanè non immeritò: vt Posseuinus & Henricus Stephanus prolixè docent. Quanquam enim multa vix credibilia apud hunc authorem occurrunt: ob ea tamen (è quib. multa possunt esse certa) non debemus totum historiæ corpus & systema reiicere. Stylus huius authoris quasi amnis sedatus fluit. *II. Thucydides* post Herodotum historiam octo libris texuit à fuga Xerxis è Gręciâ vsque ad annum circiter 21. belli Peloponnesiaci, annorum 80. plus minus. Hunc præ cęteris veracem existimauit antiquitas, & ipsi tria prudentię genera tribuit, ciuilis, bellicę, & historicæ. Inprimis quædam pietatis species eum commendat. Demosthenes sanè Thucydidem tanti fecit, vt eum descripserit octies. Cicero 2. de orat. illum commendat his verbis: Post illum (Herodotum) Thucydides omnes dicendi artificio, meâ sententiâ, facilè vincit, qui ita creber est rerum frequentiâ, vt verborum propè numerum sententiarum numero consequatur. Ita Cicero. Hinc antiquitas Thucydidem appellauit γνωμολογικὸν, pulcherrimum. Æmulatus est Homeri œconomiam, siue dispositionem, & Pindari

Historiæ politicæ scriptores qui?

Historiæ Græcæ scriptores qui?

graue ac sublime genus. Et Dionysius Halicarnassæus instituit collationem Thucydidis cum Herodoto. *III. Xenophon* in Socratis scholâ enutritus, rei militaris gloriâ præstans, quippe qui expeditioni Cyri aduersus Artaxerxem interfuit, septem libris ἑλληνικῶν παραλειπομένων, à fine Thucydidis historiæ incipit, & bella inter Græciæ ciuitates gesta, circiter 44. annorum spatio, vsque ad Epaminondæ prælium ad Mantineam descripsit. In historiâ obseruauit fidem & suauitatem, adeò, vt Ἀττικὴ μέλισσα, *Attica apis*, sit appellatus. Ad Cyri descriptionem quod attinet, rectè *Cicero lib. 1. epist. ad Q. fratrem* ait: Cyrus ille à Xenophonte non ad historiæ fidem scriptus, sed ad effigiem iusti imperij: cuius summa grauitas ab illo philosopho cum singulari comitate coniungitur: quos quidem libros non sine causâ noster ille Africanus de manibus ponere non solebat. Sic Cicero. Cum quo consentit Fabius, qui ait, Xenophontem magis inter philosophos, quàm historicos recensendum esse. *IV. Gemistus*, appellatus Plethon Byzantius, incipit à prælio apud Mantineam commisso, & absoluit monarchiam Persarum vsque ad tertiam, mortem videlicet Philippi patris Alexandri M. *V. Diodorus Siculus* totos triginta annos in suam bibliothecam insumpsit, quam libris 40. complexus est exorsus à diluuio Ogygis, h. e. ab anno mundi 2186, vsque ad Iulium Cæsarem Dictatorem. Hunc Plinius inter Græcos ait desiisse nugari, Iustinus Martyr celeberrimum Græcorum historicorum, Eusebius Pamphili illustrem virum appellat. Viues non rectè ipsum perstringit his verbis: Nihil ipso est nugacius. Hic primus vniuersalem historiam scribere, & res infinitas quasi in vnâ eâdemque tabulâ sub vnum aspectum ponere est agressus. Id huic scriptori proprium est, vt sapienter multa interserat, quibus prouidentiam & iustitiam DEI demonstret, hominesque à fortunæ cogitatione auocet. Cæterùm liber Diodori nostri decimus sextus narrationem Gemisti continuam persequitur de Philippi & Alexandri M. rebus gestis. Ex Latinis *Q. Curtius*, probus, legitimus, astrictus, profluens, subtilis, clarus, & sine curâ vllâ accuratus historicus, vt rectè testatur Lipsius, Alexandri bella descripsit. Bella dico. Quid enim aliud Alexander, nisi bella? *VI. & VII. Polybij* liber secundus, quartus, quintus, cum epitome sequentium: & *Liuij* quarta Decas cum fragmentis quintæ decadis, complectuntur res Græcorum, quæ cum Alexandri M. successoribus gestæ sunt. *VIII Plutarchi* Aratus, Philopæmen, ac Demetrius plurimum conferunt ad posteriores Græcorum historias intelligendas. Hic author vixit 70 post annos, quàm Christus est passus, tempore Traiani, cuius moderator fuit. Inter Græcos medium eum locant, quod ad historiam pertinet. Scripsit vitas Græcorum & Latinorum quinquaginta: orsus in Græcis à Theseo, Athenarum rege, ac finiens in Philopæmene Achæorum duce: in Latinis à Romulo vsque ad Galbam & Othonem. Si quid fabulosum interserit, addit verbum illum φασὶ hoc est, aiunt. *IX. Pausanias* Cæsariensis scripsit Attica, Corinthiaca, Laconica, Messeniaca, Elea, Achaica, Arcadica, Bœotica, Phocensia. Floruit tempore Adriani. *X. Iohannes Zonaras*, monachus Constantinopolitanus, historiam vniuersam Græcè scripsit à mundi primordio vsque ad obitum Alexij Commeni Imp. Constantinopolitani. *XI. Nicetas*, res Imperij Græci persequitur à Iohanne Commeno Alexij filio ad vrbem captam, & imperium orientis scissum in Adrianopolitanum & Constantinopolitanum. Hunc Nicetam viri docti dignum notitiâ, purumque ingenium esse agnoscunt. *XII. Nicephorus Gregoras* historiam Nicetæ, & filum narrationis eius excipit, at non laudem. Scripsit ab vrbe captâ res ad Andronici Palæologi posterioris mortem. *XIII. Laonicus Chalcondyla* historiam Græcorum perduxit vsque ad tempus Byzantij a Turcis capti. Secundo loco accedamus ad *scriptores historiæ Romanæ*. Hîc Antonius Posseuinus libro 16. bibliothecæ ordinem legendi Romanam historiam secundùm temporum seriem diuidit in tredecim sectiones: Carolus Sigonius in vndecim. Nos ordinem lectionis à Sigonio, crisin à Posseuino mutuabimur. Ordo itaque hic est. *I. Legantur omnium primò historici, qui scripserunt res gestas in Italiâ ante reges, & sub regibus:* vti sunt Dionysius Halicarnassæus Græcus libris quatuor: Liuius libro 1. Florus libr. 1. Paterculus lib. 1. Eutropius lib. 1. Plutarchus in Romulo, Numâ, & Poplicolâ: Plinius de viris illustribus: Orosius l. 2. Sextus Ruffus: Zonaras tomo 1. *II. Legantur res gestæ ab exactis regibus ad leges 12. tab.* De quibus Dionysius libris sex seqq. Liuius libris duobus: Florus lib. 1. Eutropius lib. 1. Plutarchus in Poplicolâ & Coriolano: Plinius de viris illustribus: Sextus Ruffus: Zonaras tom. 1. Diodorus Siculus lib. 11. 12. *III. A duodecim tabulis ad bellum Tarentinum & reges Pyrrhi* Dionysius l. 10. 11. Liuius à lib. 3 ad. 10. Epitome Flori lib 11. 12. & historiæ l. 1. Eutropius lib. 1. & 2. Plutarchus in Camillo: Plinius de viris illustribus: Paulus Orosius lib. 2. 3. Sextus Ruffus: Zonaras tom. 1. Diod. Siculus libr. 13. 14. *IV. A Pyrrho ad secundum bellum Punicum.* Polybius lib. 12. Epitome Flori à lib. 13. ad 20. & hist. lib. 1. 2. Eutropius lib. 2. Plutarchus in Pyrrho, Marcello, & Fabio Maximo: Plinius de viris illustribus: Orosius lib. 12. Ruffus: Zonaras tomo 1. *V. A bello Punico secundo ad tertium:* Liuius à lib.

lib 20. ad 45. Epitome Flori à 45. ad 49. Polybius lib. 3.4.5. & fragmentis reliquorum: Flori hiſt. 2. Eutropius lib.2.3.4. Silius Italicus lib. 8. Plutarchus in Hannibale, Fabio Maximo, Scipione, Marcello, Catone Maiore, Paulo Æmilio, & Flaminio : Plinius de viris illuſtribus : Æmilius Probus in Hannibale & Catone : Appianus in Syrio : Paterculus lib.1. Oroſius lib.4. Sextus Ruffus: Zonaras tom.1. *VI. A bello Punico tertio ad Cæſarem Dictatorem :* Epitome Flori à lib. 49. ad 109. Appianus in Libyco, Iberico, Mithridatico, primo & ſecundo ciuilibus bellis : Eutropius lib. 4.5 6. Plutarchus in Gracchis, Mario, Syllâ, Sertorio, Pompeio, Lucullo, Craſſo, Cæſare, Cicerone, Catone, Antonio, & Bruto : Salluſtius in Iugurthino, Catilinario, & Concionibus: Dion. lib. 37. 38. 39. 40. Suetonius in Cæſare : Lucanus lib.10. Commentaria Cæſaris : Velleius Paterculus l.1.2. Plinius de viris illuſtribus : Oroſius lib. 4.5.6. Ruffus : Zonaras tom. 1. *VII A Cæſare Dictatore ad obitum Auguſti.* Dion à libr.12. ad 56. Suetonius in Cæſare & Auguſto : Appianus lib.2. 3.4.5. bellorum ciuilium, & in Parchico : Cæſaris commentaria de bello ciuili : Epitome Flori à libro 109. ad 140. Plutarchus in Cæſare, Cicerone, Antonio, Bruto, Catone : Eutropius libro 6.7. Tacitus lib.1. Oroſius lib.6. Ruffus : Aurelius Victor: Zonaras tom. 2. Zoſimus libro.1. *VIII. Ab obitu Auguſti ad necem Domitiani:* Dion lib. 57.58. Xiphilinus : Tacitus lib.21. Suetonius in reliquis decem Impp. Eutropius lib. 7. Sextus Aurelius Victor: Ruffus : Zoſimus lib.1. Oroſius lib. 7. Zonaras tom. 2. Ioſephus lib. 17. & 20. Antiquit. & lib. 7. de bello Iud. IX. *A Nerua principatu ad Conſtantini Imperium* : Eutropius lib.8.9. Aurel. Victor. Sex. Ruffus: Xiphilinus in epitome Dionis: Paul. Oroſius lib. 7. Ælius Spartianus : Iulius Capitolinus: Ælius Lampridius: Herodianus: Fl. Vopiſcus : Pomponius Lætus : Zoſimus lib. 1. Euſebius in Chronicis & hiſtoriâ eccleſiaſticâ: Zonaras tom. 2. *X. A Conſtantino ad obitum Iuſtiniani:* Pomponius Lætus : Eutropius lib. 10. Euſebius : Socrates Scholaſticus in hiſtoriâ eccleſiaſticâ lib. 10. Ruffus : Aurel. Victor: Hermius Sozomenus Salaminius hiſt. eccleſiaſt. lib. 9. Theodoretus hiſt. eccleſ. lib.6. Hiſtoria Tripartita: Proſper in Chronicis : Nicephorus Calliſtus Xantopulus in hiſt. eccleſ. X*I. A Iuſtiniano Imp. deinceps :* Euagrius Scholaſticus ; Beda : Paulus Diaconus : Zonaras tom. 3. Ottho Friſingenſis : Abbas Vrſpergenſis : Cuſpiniani Cæſares : Nauclerus : Volaterranus : Cranzius : Enneades Sabellici : Paulus Iouius. Atque hic ordo ſeruetur in lectione hiſtoriæ Romanæ. Criſis de præcipuis hiſtoricis rerum Romanarum ſequitur. *Polybius.* homo Græcus, eſt omnium, qui nobis ſuperſunt, hiſtoriæ Romanæ ſcriptorum vetuſtiſſimus ; quippe qui tempore Ptolemæi Euergetis ſcripſit. Fuit Scipionis iunioris, qui Karthaginem deleuit, conſiliarius & comes perpetuus. Texuit hiſtoriam Rom. acri iudicio ab anno M.3680. vſque ad an.3766. idque libris 40. quorum magna pars, aut periit tota, aut mutilata ad nos peruenit. Hic eſt Thucydides Romanorum, quem Caſaubonus magno cuidam noſtro amico commendauit tanquam Phœnicem hiſtoricorum. *Dionyſius Halicarnaſſæus,* Pompeio Magno magnâ fuit beneuolentia coniunctus. Homo Græcus maiori fide ſcripſit de rebus Romanis, quàm Liuius: quippe qui non de ſuâ, ſed de alienâ rep. tractauit. Omnium commentarios, & arcana ciuitatis ex Actis publicis collegit, & Atticâ puritate antiquitates Romanorum, ab ipſius origine vrbis, tantâ diligentiâ conſcripſit, vt Græcos omnes & Latinos ſuperaſſe videatur. *Appianus Alexandrinus,* vixit tempore Marci Aurelij Imp. qui etſi in Romanorum antiquitate ſæpe ſit lapſus, vnus tamen ex omnibus hiſtoricis eſt, qui Romanorum opes, prouincias, exercitus, totiusque Imperij deſcriptionem proponit. Magna verò hiſtoriæ ipſius pars periit. *Dion Caſſius* ex Nicæâ vrbe oriundus, ſub Alex. Seuero iterum conſul, iuſſu ipſius contexuit hiſtoriam annorum 981. ab vrbe conditâ, ad annum Chriſti 231. Ex octoginta libris viginti quinque tantùm ſuperſunt, continentes ſeriem annorum 121 Extat tamen epitome Xiphilini monachi Conſtantinopolitani, ex 44. poſteriorib. Dionis libris confecta. Cæterùm Dion vbique tutatur partes Cæſaris contra Pompeium, & Antonij contra Ciceronem. Aliâs inſignis eſt author : vtpote qui in gerendâ repub. totam vitam conſumpſit, perque omnes honorum gradus bis ad Conſulatum euectus, deinde Proconſul factus prouincias ſummâ cum laude adminiſtrauit, bonarumque artium ſcientiam ad vſum adiunxit, comitiorum denique ac magiſtratuum Romanorum, & publici, iuris diſciplinam diligenter collegit, principumque ἀποθεώσεις id eſt relationes in deos, & ea, quæ Tacitus Imperij arcana vocat, penè ſolus euulgavit *Herodianus Alexandrinus Grammaticus* libros 8. Romanorum principum Græcè ſcripſit, ab obitu Marci Aurelij ad Gordiani minoris initium. Acumine, breuitate, & ſententiarum grauitate comparatur Salluſtio. *Zoſimus,* hiſtoricus Græcus tempore Arcadij & Honorij ſcripſit hiſtoriam quorundam temporum, quæ poſt mortem Cari conſecuta ſunt, vſque ad Arcadium & Honorium. Multa inſpergit pro Iuliano apoſtatâ contra Conſtantinum M. *Iornandes* Gothus epiſcopus tempore Iuſtiniani ſcripſit hiſtoriam ab orbe condito ad Iuſtiniani Imp. tempora. Stylus barbarus eſt, verùm hiſtoria vtilis, quòd multa ab aliis omiſſa perſequatur. *Procopius,* Belliſario duci Iuſtiniani fuit à ſecretis, & omnibus eius expeditionibus interfuit. Hiſtorias Bellorum, Gothici, Italici, Perſici, & Vandalici optimâ fide Græcè deſcripſit, ſtylo Aſiatico. *Agathias* Scholaſticus Smyrnæus, tempore Iuſtini iunioris deſcripſit res Iuſtiniani eiusque ducum, Belliſarij & Narſetis. Continuat hiſtoriam Procopij. Licet ſtylus ipſius ſit tenuis & crebris interpoſitionibus confuſus: vtilis tamen eſt hiſtoria, vtpote quæ multa perſequitur prætermiſſa ab alijs. *Suidas* multa habet, quæ illuſtrant hiſtoriam Romanam, vt & eccleſiaſticam. *Philo* Iudæus, inter primores Alexandrinos facilè primus, princeps legationis Iudaicæ ad Caligulam, habet nonnulla pertinentia ad hiſtoriam Romanam. Eius commentaria de impietate Caligulæ coram toto Senatu Romano tempore Claudij ſunt lecta; & teſtimonio publico ornata, adeò vt in bibliothecam collocarentur. De hoc Suidas ait prouerbium vſurpatum : *Aut Plato philonizat, aut Philo platonizat. Caius Salluſtius Criſpus,* qui cum Ciceronè grauiſſimas exercuit inimicitias, totus nobis perijt quod ad libros hiſtoriarum attinet. Iugurtha, Catilina, & conciones eius ſunt ſpecimen ingenij. Mirandus magis (ait Lipſius) quàm iudicandus. Martiali dicitur, *Romanâ primus in hiſtoriâ.* A Quintiliano confertur cum Thucydide, quia ſententijs gaudet. *Cæſar* non præbuit, ſed præripuit alijs materiam ſcribendi : ſtylus eius eſt caſtus, & veritatis plenus, Rebus enim, quibus interfuit, ipſe quoque præfuit. *Titus Liuius* vixit Auguſti temporibus, in quibus hiſtoriæ eſt finis : quam libris 140. contexuit, è quibus 35. tantùm extant. Priore decade 660. annos ab V. C. alterâ 74. tertiâ 18. complectitur. Hiſtoriam belli Punici totam ad verbum de Polybio tranſtuliſſe videtur. Magnitudine ac majeſtate cæteros anteit. Fabius eum comparat Herodoto, maximè in concionibus, & ediſcendum pueris ſuadet, vt Ciceronis imitatorem. Patauinitas ipſi obijcitur, id eſt, ſermonis quædam peregrinitas. *Velleius Paterculus,* qui tempore Tiberij deſtinatus fuit prætor, ſtilo preſſo & dilucido ſcripſit hiſtoriam. *Marcus Valerius Maximus,* tempore Tiberij ſcripſit nouem libros exemplorum. Mira in eo adulandi ratio, inquit Sigonius. *C. Suetonius Tranquillus,* Adriani epiſtolarum magiſter, eſt hiſtoricus prudens, verax, & antiquitatis Romanorum & Græcorum peritiſſimus *Cornelius Tacitus* acer eſt ſcriptor, prudens, ſententioſus, & veritatis ſtudioſus. Cùm enim centum poſt annos ſcripſerit, quàm Tiberius, Claudius, & Nero ex vitâ deceſsêre, procul habuit cauſas (quod ipſe initio ſuæ hiſtoriæ inquit) cur vera de ijs non diceret. Tertullianus ipſum vocat mendacem loquaciſſimum : quia de Chriſtianis multa mentitus eſt. Impietatis etiam arguitur : vnde quidam margini vocem ἀσεβείας adſcripſit. *Plinius Iunior,* ſiue ſecundus, Taciti amiciſſimus, floruit ſub Traiano, & edidit hiſtoriam ducum Romanorum, quæ non tam ob elegantiam ſtyli, quàm materiæ magnitudinem valde eſt vtilis. *Ammianus Marcellinus,* Græcus miles, Latinè hiſtoriam Romanam ſcripſit ab obitu Domitiani ad Valentis Imp. ſub quo vixit, interitum. *Sextus Aurelius Victor,* vir conſularis, breuiter ab Auguſto ad Theodoſij ſenioris mortem, ſub quo vixit, Imperatorum vitas memoriæ mandauit *Sextus Ruffus* ſub Valentiniano maiore victorias prouinciarum populi Romani breuiter attigit. *Paulus Oroſius Hiſpanus* nonnulla ex Eutropio & Floro excerpta collegit. Floruit ſub Honorio, fuitque diſcipulus Auguſtini. *Marcellinus* Comes, vir conſularis, annales ſcripſit ab obitu Valentis vſque ad annum 20. Imperij Iuſtiniani. *Beda Anglus,* cognomento venerabilis, ſcripſit annales, ſeu Chronica, à mundi initio ad Imp. Leonem Iconomachum, cuius tempore vixit *L. Florus,* ſub Adriano ſcripſit duplicem epitom[illegible], vnam Liuij, alteram rerum Romanarum *Iulius Capitolin[illegible], Ælius Lampridius, Flauius Vopiſcus, Ælius Spartianus, & [illegible]ulcatius Gallicanus,* vno ferè tempore, Diocletiano & Conſtantino M. Impp. deſcripſerunt vitas Romanorum Impp. Sed libri ipſorum valdè ſunt corrupti librariorum negligentiâ. Capitolinus Spartianus & Lampridius vixêre circa Diocletiani tempora. *Fl. Eutropius* ſub Valentino Imp. vixit, & Parthicæ expeditioni cum Iuliano interfuit. Is omnem hiſtoriam Romanam ab vrbe conditâ vſque ad Iuliani apoſtatæ mortem libris 10. perſequitur, multis ex Liuio & Salluſtio decerptis. *Paulus Diaconus* octo hiſtoriarum libros Eutropio addidit, ab obitu Iuliani vſque ad Leonem Iconomachum. *Iuſtinus,* epitomator Trogi, non indiſertè res nationum externarum commemorat. In Romanorum tamen rebus mira eſt ieiunitas, & odium aduerſus eos haud leue. Mendaciter etiam lib. 36. gentis Iudaicæ primordia & incrementa deſcribit, & tot penè in ſuâ narratione errores admiſit, quot verba poſuit, vt Poſſeuinus ex Pererio annotat. Floruit Pio Imperatore *Paulus Iouius,* omnium penè populorum ſui temporis hiſtoriam ab anno Chriſti 1494. vſque ad annum 1540 contexuit, graui bonoque ſtylo. Legendus eſt ob variam rerum ſeriem, quas redegit compoſitè & dilucidè in vnum hiſtoriæ corpus. *Tertiam claſſem hiſtoricorum* videamus : ac primò illos, qui de Europâ & varijs eius prouincijs ſcripſerunt, & inprimis ſunt legendi. *De Europâ* generatim vide Geographos; & nominatim

Hiſtorias de rebus Europæ, Aſiæ &c. qui ſcripſerint in primis?

Æneam Syluium in suâ Europâ. *De Italiâ* generatim vide Carolum Sigonium, scriptorem accuratissimum. Prouincias Italiæ particulariter descripserunt varij: putà regnum Neapolitanum, Chronica Neapolitana & Cominæus: res Venetorum Contarenus & Bembus Cardinales: Hetruriam siue Thusciam (quæ alias dicitur respublica Tyrrhenorum) Alexander ab Alexandro & Ælianus in variâ historiâ: res Florentinorum Iouius & Marsilius Ficinus: res Senensium Pius Secundus: res Genuensium & Ligurum idem Pius II. & Iohannes Bohemus: Lombardiam (quæ dicitur Gallia Cisalpina; cui opponitur Subalpina) Paulus Diaconus, cancellarius regis Desiderij, Carolus Sigonius in regno Italiæ, & Paulus Iouius. *Franciscus Guicciardinus* (quem summum historicum dicit Lipsius) res in Italiâ gestas acri iudicio descripsit ab anno Christi 494. vsque ad annum 1536. *Scriptores rerum Hispanicarum* distinctè videndi sunt, secundùm quatuor ætates huius regni. Infantia igitur Hispaniæ obiter attingitur à Pomponio Mela, qui fuit Hispanus. Nimirum Iberi Aquilonares, orti a Thubale filio Iapheti, iuxta Mæotidem consederunt, & inde coloniâ deductâ Hispaniam occuparunt, eamque Iberiam appellarunt. Adolescentia Hispaniæ fuit sub Romanis & Gothis, quam ex Tacito, Dione, Vopisco, Suetonio, Procopio, Eusebio denique & alijs licet cognoscere. Iuuentus & virilitas Hispaniæ fuit illo tempore, quo iugum Mauritanum cœperunt excutere: quo in bello septingenti, & ampliùs anni effluxerunt. Matura ætas cœpit Ferdinando Catholico imperante, qui Mauros ex vniuersâ Hispaniâ expulit. De hac, & præcedente ætate, scripserunt Isidorus Minor, Rodericus Ximenius archiepiscopus Toletanus, Iohannes Ægidius Zamorensis, & Florianus Ocampus, qui mandato Caroli V. Chronicon generale Hispaniæ collegit. *Historici Gallicarum rerum* præcipui sunt C. Iulius Cæsar: Hunibaldus, qui libris 18. complectitur res Galliæ, quas à bello Trojano ad mortem Antenoris, & inde ad Vvaramundum seu Pharamundum vsque deducit; deinceps in Clodouei temporibus desinit, Paulus Æmylius, qui historiam deducit à Vvaramundo vsque ad Carolum VIII. Iohannes Ferronius, qui continuat historiam Æmilij vsque ad Franciscum: Cominæus, qui historiam deducit ab anno Christi 1462. vsque ad inanitionem Ludouici XII. Ex his Paulus Æmilius penè vnus inter nouos veram & veterem historiæ viam vidit, eamque pede firmo calcauit, teste Lipsio, qui Philippum Cominæum ipsi dat comitem, & cum antiquis melioribus comparat. *Res Belgicas* descripserunt Meierus, Gerhardus Nouiomagus, Ludouicus Guicciardinus, Florentinus van der Hær, & Emmanuel Meteranus, Liuius ille Belgarum. *Daniæ, Norvvegiæ, Gothiæ seu Sueciæ, Vandaliæ & Finlandiæ* historias vide apud Albertum Crantzium, in historiâ Daniæ, Noruuegiæ, Sueciæ, ab origine eorum vsque ad annum 1504: Saxonis Grammatici libros 16 de historiâ Danorum: Olaum Magnum Gothum archiepiscopum Vpsalensem de rebus Gothorum lib 22. Sciendum est autem non esse Gothos hosce septentrionales, aut Vandalos, de quibus Procopius, Agathias, Iornandes & Aurelius Cassiodorus scripserunt. *De Germanis* lege Cornelij Taciti & Æneæ Syluij Germaniam: Iohannem Trithemium, Abbatem Vrspergensem, Lambertum Schafnaburgensem & Marcum Velserum. *Rerum Austriacarum* historici sunt Vvolfgangus Lazius, & Ricardus Bartolinus: quorum ille historiam Austriacam quatuor libris comprehendit, hic 12. libros Austriados edidit. *Res Bauaricas* vide in Chronico ducum Bauariæ & Sueciæ & apud Aventinum. *De rebus Saxonicis* Albertus Crantzius & Vvitikindus Saxo scripserunt. *De rebus Helueticis* lege Stumphium & Simlerum. *Res Bohemicas* vide apud Pium II. siue Æneam Syluium, Iohannem Bohemum & Iohannem Dubrauium: *Polonicas ac Prutenicas*, apud Martinum Cromerum episcopum Varmiensem & Herburthum. *Historiam Lithuanorum & Liuonum* habet Pius II. in Europâ, & Iohannes Bohemus: qui ipsi descripserunt *res Ruthenorum & Moscouitarum*, vt & Paulus Iouius, & Antonius Posseuinus. *Historici Hungaricarum, siue Pannonicarum, & Transyluanicarum rerum* sunt Ant. Bonfinius decadibus tribus, Iohan. Turotius, Iohan. Bohemus, Pius II siue Æneas Syluius. *Historici rerum Illyricarum*, siue Sclauicarum, sunt Pius II. & Antonius Bonfinius. *De rebus Macedonicis* vide Diodorum Siculum & Pium II. *Historici rerum Asiaticarum* generatim sunt Geographi, Annales Baronij Centuriæ Magdeburgenses & Æneas Syluius. *De rebus gestis in Asiâ minori, Bithyniâ, & Ponto.* vide Appianum Alexandrinum, Pium II. & scriptores rerum Turcicarum. *De Colchide* scripserunt Ælianus in variâ historiâ & Pius II. in Asiâ: *de Amazonibus Scythicis, de Caspiis Albanis, & Georgianis* Geographi: *de Cappadociâ & Galatiâ* Pius II. *de rebus Troianis ac Dardanis ac Phrygiis* Dictys Cretensis, Pius II. Tzetzes & Leonicenus: *de rebus Mysorum, Ionum, Æolum, Milesiorum Magnetum seu Magnesiorum, Cariæ, Lydorum, Lycaoniæ seu Lyciæ, Ciliciæ & Pamphiliæ* Ælianus, Pius II. Tzetzes & Leonicenus: *de Syriâ & Phœniciâ* Ælianus & Leonicenus: *de Palæstinâ*, quæ Iudæam & Samariam continet, Iosephus, Egesippus, Iohan. Bohemus, Vadianus, Tilemannus Stella Sigenensis. *Historici Arabum* sunt Tzetzes, Ludouicus Patritius, & Iohan. Bohemus. *Rerum Turcicarum historici* sunt Zonaras, Nicetas, Gregoras, Chalcondyla, Andreas Cambdinus, Guil. Postellus, Iouius Crusius & Leunclauius. *De rebus Persicis* legantur Zonaras, Nicetas, Gregoras, Chalcondyla, & Iosephus Scaliger. *De rebus Scythicis*, seu Tartaricis vide Pium II. Iohan. Bohemum, nauigationes Americi Vesputij, Lusitanorum & Belgarum, ex quibus etiam *res Indiæ orientalis & occidentalis, Chinæ, Iaponiæ, Magellanicæ, & omnino noui orbis* plenè cognosci possunt. Quibus addantur Iesuitæ, vt Iohan. Petrus Maffeus, Iohannes Acosta & alij: quos tamen cautè oportet legere, cùm nimij sint in suis miraculis & martyribus extollendis. *Historici Chaldæorum* sunt Berosus, Annius, Herodotus, Tzetzes. Berosus tamen & Annius plurima habent fabulosa. *De rebus Assyriorum* scripserunt illi ipsi: quibus adde Ælianum in varijs Græcis, & Iohannem Bohemum de Assyriâ & moribus Assyriorum. *De Medis & Parthis* vide Pium II. Iohanem Bohemum, & Bedam de sex ætatibus. *Iam videamus Africam. Historici rerum Africanarum veteres* sunt Sallustius, Liuius, Silius Italicus, Orosius & alij: *recentiores*, Iouius & Franciscus Aluarez. Vnus Leo Afer, qui claruit anno Christi 1510. potest esse instar omnium. *Res Æthiopicas* vide apud Iohannem Bohemum & Damianum à Goes. *De rebus Ægyptiis* præter sacram Scripturam vide Iohannem Bohemum è recentioribus, Herodotum, Diodorum Siculum, Manethonem, Strabonem, & alios veteres. *In vltimâ classe* sunt historici variarum insularum, siue illæ sint in mari mediterraneo, siue in mari Oceano. *Insulas Britannicas* (quæ complectuntur Angliam, Scotiam, Hiberniam, Hebrides 43. & Hesperides seu Orcades 31.) descriptas vide apud Tzetzem, Bedam, Polydorum Virgilium, Iohan. Bohemum, Hectorem Boëtium & Georgium Buchananum. Meteranus etiam habet multa hanc ad rem facientia: & Guilielmus Camdenus potest esse instar omnium. *Insulas maris Balthici* describit Olaus Magnus: *insulas Sarmatiæ Asiaticæ* Plinius lib. 4. 12: *insulas noui orbis* Vesputius & nauigationes Lusitanorum, Anglorum, & Belgarum. *Insulæ præcipuæ maris mediterranei* sunt Ægina, Balearides, Cous, Corcyra, Creta, Cyprus, Delus, Chalcis, Gnidus, Icaria, Ithaca, Lesbos, Mitylene, Rhodus, Samus, Sicilia, Sardinia, Tenedus, & similes: de quibus vide Bertium in tabulis contractis, & Atlantem maiorem aut minorem Mercatoris. Colophonis loco quærere liceat, quid tribuendum sit Machiauelli scriptis historicis; De politicis enim liquet illa esse plena veneno: cùm in ijs doceat, principem spreto alieno consilio debere suæ inniti prudentiæ: eundem debere præ se ferre pietatem & religionem, quam etiam non habeat: si quid in religione falsum sit comprobandum esse ac firmandum principi, dum id prosit fouendæ qualicunque religioni: religionem ethnicam Christianæ præferendam esse: doctores Christianæ religionis nihili faciendos esse principi: fortunæ & casui felicitatem, non virtuti & veræ religioni tribuendam esse: non credendum esse, Mosis authoritatem & leges Deo ac fide, sed vi & armis nixas esse: belli iustitiam in eâ, quam quisque sibi putat, necessitate positam esse: principi, vt omnem penitùs pacis spem ac desiderium præcidat, insignibus iniurijs violandos esse aduersarios: in prouincijs subactis colonias sic esse collocandas, vt veteres ablegentur incolæ; quibus autem mutatio grauis est, omnes esse subuertendas, & familias funditùs tollendas: prauis moribus implendam esse societatem, aut prouinciam, quam princeps velit sine bello vlcisci: principi tyrannum aliquem insignem imitandum esse, temnendamque crudelitatis famam, dum in officio subditos contineat: expedire, vt metuatur plus, quàm ametur: amicitiæ haud fidendum: leonis & vulpis induendum ingenium: immanitatem vno impetu, sensim autem exercendam beneficentiam: factiones esse alendas inter subditos: tollendos de medio boni publici amantes: stultum esse, si quis putet, veterum iniuriarum obliuionem induci nouis benefactis: si princeps plectere aliquem velit, speciosum aliquid esse prætexendum: pessima denique omnia arte dolóue esse perpetranda. Quæ omnia solidè refutata vide in Antimachiauello. Cùm verò, inquiat aliquis, Machiauellus talia dogmata in libris suis historicis non propinet, omnino videntur illi vtiliter legi posse: præsertim cum huic scriptori non defuerit acumen. Huic breuiter respondeo, Machiauelli historiam habere multum reconditæ prudentiæ, si legatur ab ijs, qui (vt est in prouerbio) aurum Virgilianum ex Enniano stercore possunt elicere. Sic e. gr. liber primus historiæ Florentinæ ab ipso editæ, succinctè ac eleganter ostendit ruinam Imperij Romani per mille annos ex Rufino, Socrate, Euagrio, Cassiodoro, Procopio, Marcellino, Iornande, Platinâ, Sabellico, Blondo, Volaterrano, ac alijs probatis authoribus. In reliquis eiusdem historiæ libris multa quoque occurrunt insignia. Nec refert, quòd interdum inspergat axiomata, quibus mali quorundam magnatum mores taxantur: quale est illud libr. 8. *Vnde liquet, non chartas, scripturas, aut obligationes, sed vim atque necessitatem, principes ad fidem seruandam adigere.* Sed quia Machiauelli nomen omnibus

omnibus ferè ſordet, ſatius fuerit, hiſtoricos minimè ſuſpectos legere, & tenere illud *Poſſeuini lib. 16. bibliothecæ cap 5.* Non defuit Machiauello acumen, ſed defuit pietas, & vſus rerum, quibus tanquam duabus alis qui caret, ſi volatum attentet, præceps ruat neceſſe eſt.

III. *Vſus lectionis hiſtoricæ his continetur legibus.*

1. *In lectione cuiuſque hiſtoriæ cogita triplicem finem.* Finem iſtum ſuprà *cap.* 1. indicauimus. Hoc igitur age omni conatu, vt à lectione hiſtoriæ recedas ornatus, delectatus, & monitus. 2. *Inſtitue analyſin hiſtoricam.* Pendet autem iſta analyſis à diligenti meditatione circumſtantiarum, quâ fit vt accuratè ponderetur, in quo quid bene ac prudenter, quid malè imprudenterque geſtum ſit: tum, ſi aliter factum fuiſſet, quodnam ſucceſſiſſet euentum. 3. *Ab analyſi hiſtoricâ tranſito ad animaduerſiones hiſtoricas:* id eſt, conficito certa axiomata & aphoriſmos ex illâ hiſtoriâ, cuius interpretationem analyticam inſtituiſti. Hoc tale conſilium nobis ſuppeditat *Iohannes Bernhardus Bonifacius Marchio Oriæ in epiſtolâ ad Cl. ICtum Philippum Camerarium:* vbi ſcribit, huiuſmodi lucubrationem nuncupari poſſe Animaduerſiones, Meditationes, Contemplationes, vel Commentationes: & addit Nicolaum Machiauellum tale quid præſtitiſſe in primam Liuij Decadem. Adfert etiam exempla huius rei, quæ breuiter attingam. Ex hiſtoriâ Liuij decad. 3. lib. 9. de Bacchanalibus elicit has conſiderationes 1. *Facilè credimus, etiam ignotis, præſertim in rebus ad religionem ſpectantibus* 2. *Magna vis eſt vitij: citò creſcit, citò hinc inde vagatur.* Sic labes illa ex Hetruriâ Romam peruenit. 3. *Velum religionis adhibetur ad multa vitia excuſanda.* 4. *Peccandi licentia & voluptas alliciunt homines ad immania quæque audendum.* 5. *Superſtitio magnam vim habet in animis imbecillium: adeò vt accuratè celent ſua myſteria.* Similes conſiderationes idem Marchio collegit ex hiſtoriâ Pompeij & Cæſaris: quarum ſumma hæc eſt: 1. *ille locus fugienti deligendus, qui non facilè poteſt expugnari.* Hoc non obſeruauit Pompeius, qui Româ fugit in Græciam, in quâ militaris diſciplina penè omnis extincta erat; cùm debuiſſet fugere in Hiſpaniam, vbi viri bellicoſi erant, & diſciplina militaris vigebat, adeò quidem, vt cùm Cæſar ibi infeliciter vltimo prælio pugnaſſet, deſperatis iam rebus de conſciſcendâ morte cogitaret. Idem quoque ſubactâ poſt mortem Pompeij Aſiâ irriſit victoriam ipſius de Mithridate: En, inquiens, præclara gens, quam adeò Pompeius gloriari eſt ſolitus viciſſe. Hinc in triumpho Pontico inter pompæ fercula trium verborum prætulit titulum V. V. V. quibus quàm ignaua gens eſſet, manifeſtè declarauit. 2. *Ducis prudentis eſt ritè perſequi victoriam.* Hoc non obſeruauit Pompejus. Cùm enim prope Dyrrachium iam fregiſſet Cæſarem, perſequi neglexit victoriam. Quod cùm Cæſar vidiſſet, negauit eum ſcire vincere. Hinc Lucanus Pompeium comparat quercui, Cæſarem fulmini. Tandem Marchio noſter concludit ſuam epiſtolam his verbis: *Hæc pauca poſuiſſe ſufficiat, exempli gratiâ: ſi fortè tuum excellens ingenium ad tam inſigne opus poſſent excitare. Dignum certè, meo quidem iudicio, opus, in quo & tu, & tui ſimiles doctiſſimi viri elaborent, oſtendantque quaſi ſpeculum, in quo omnes inſpiciant vitas omnium, atque ex aliis ſumant exemplum ſibi. Hoc facito, Hoc fugito: Hoc laudi eſt, Hoc vitio datur.* Sed penitiùs introſpiciamus hoc Marchionis conſilium. Conſiderationes ſeu aphoriſmi iſti hiſtorici conficientur hunc in modum. Si hiſtoria ſit theologica, vel ad philoſophiam practicam pertineat, quinque erunt capita animaduerſionis hiſtoricæ: videlicet doctrina veri, refutatio falſi, inſtitutio in bono, correctio mali, & conſolatio infirmi. e. gr. in hiſtoriâ turris Babylonicæ hæc erunt animaduerſionis capita. 1. Doctrina: *In ſe magna ruunt:* vel,

Heu nunquam ſtabilem ſortita ſuperbia ſedem!

2. Refutatio: *Nullum conſilium valet aduerſus Dominum.* Item: *Numerus neminem defendit.* 3. Inſtitutio: *Puncto temporis rerum maximarum monumenta vertuntur.* Item: *Homo proponit, Deus diſponit.* 4. Correctio:

Luxuriant animi rebus plerumque ſecundis.

5. Conſolatio: *Deus ſibi ſemper eſt ſimilis: ac proinde gigantes huius temporis non dimittet impunitos.* Similiter in hiſtoriâ Neronis totidem erunt conſiderationis capita, hoc modo. 1. Doctrina: *Crudelitati etſi ſera, non tamen leues veniunt pœnæ.* Item: *Magnorum ſcelerum magnæ ſunt pœnæ.* Item: *Tyranni non facilè moriuntur ſiccâ morte.* Solet nempe Deus pœnas commenſurare delictis. 2. Refutatio Epicureorum: *Deus vindicem habet oculum.* 3. Inſtitutio: *Imperia ſimulatione virtutis parta, nunquam ſunt diuturna.* 4. Correctio: *Lento quidem gradu ad vindictam ſui procedit Deus, ſed tarditatem grauitate ſupplicij compenſat.* Hinc ethnicus: Dii, inquit, laneos habent pedes 5. Conſolatio: *Tyrannus eſt veluti nubecula, quæ tranſit oriente ſole iuſtitiæ.* Atque hæc erunt animaduerſionis capita in hiſtoriis theologicis & philoſophicis practicis. Si verò hiſtoria ſit theoretica, putà phyſica, mathematica, vel ſimilis, duo erunt capita hiſtoricæ animaduerſionis. 1. Prouidentia Dei ex iſtiuſmodi hiſtorijs elucet: v. gr. ſi hiſtoriam cometæ legamus, inde colligemus, mundum hunc regi à Deo. Nimirum hiſtoriæ naturales ſunt ſpecula beneficiorum & iudiciorum Dei. 2. Conſideratio hiſtoriæ theoreticæ gignet in nobis affectum pietatis, aut ſimilis virtutis. Ita ſi legamus hiſtorias aſtronomicas, illarum meditatio nos excitabit ad Deum laudandum. Huc etiam pertinent *Paratitla hiſtorica*; quæ Philippus Glaſerus in ſynopſi ſuâ margini adiecit. Nos ſpecimen huius rei exhibuimus in Compendio philoſophico: vnde hæc tranſtulimus exempli loco.

I. Impietas & idololatria fuerunt cauſa calamitatum regni Iſraëlis.	*Nihil eſt, quod tam miſeros facit, quam impietas.* Cic.
II. Æneas ſenſit fructum pietatis ſuæ erga parẽtem exercitæ.	*Honora patrem & matrem.* Exod 20.
III. Pauci fuerunt pij reges in regno Iudâ, longè pauciores in regno Iſraël	*Omnes pij reges poſſunt ſcribi in vno annulo.* Prou.
IV. Impia Ieſabel à canibus fuit lacerata.	*Iuſtorum ſanguis ad Deum clamans, in eâdem ſeſe terrâ vbi fuſus eſt, vindicari rogat* Oroſ.
V. Hoſeas, rex Iſraëlis, perfidiæ pœnas dedit.	*Periurium & diuinam vltionem, & infamiam humanam incurrit.* Ariſt.
VI. Elias precatione ſuâ cœlum clauſit & aperuit.	*O rationis puræ magna eſt virtus; &, veluti fidelis nuntius, mandatum peragit, & penetrat, quò caro non peruenit.* Auguſt.
VII. Ioſaphat fuit rex pius ſapiens, felix, & ſalutaris.	*Pietate & iuſtitiâ principes dij fiunt* Senec.
VIII. Reges Iuda & Iſraël impij à Deo grauiter fuerunt puniti.	*A Deo relinquitur iuſtè, quem ipſe reliquerit iniuſtè,* Fulgent.
IX. Ioſias fuit rex pius & felix.	*In rebus ſecundis habendus honor Deo, vt in aduerſis cum fiduciâ poſſit inuocari.* Plutar.
X. Iechonias vinctus catenis Babylonem abducitur.	——— *Peccati ſæua ſatelles Pœna* ——— Prudent
XI. Zedekias, effoſſis priùs oculis, Babylonem eſt abreptus.	*Iuſtè ſubſecuta eſt ſeueritas iudicis, vbi præceſſit iniquitas peccatoris.* Fulgent.
XII. Deus in captiuitate Babylonicâ miſertus fuit reliquiarum ſui populi.	*Deus ſemper gladium vindictæ oleo miſericordiæ exacuit* Niceph.
XIII. Daniel in aulâ Darij opprimitur calumnijs.	*Calumnia aulas principum, tanquam propriam quandam ſedem ſibi videtur elegiſſe.* Polyb.
XIV. Impius Haman conſulit in ſuam perniciem.	*Sæpe in magiſtrum ſcelera redierunt ſua.* Sen.
XV. Crœſus non potuit doceri cognitionem ſui, quàm diu vſus eſt proſpero ſucceſſu.	Ἑαυτὸν γινώσκων, εὐδαίμων Κροῖσε περάσεις, *Crœſe, beatus eris, ſi te cognoueris ipſe.* Oracul. apud Xenoph.
XVI. Septem ſapientes Græciæ, & philoſophi, peregrinando, ſanctitati ſtudendo eamque præcipiendo, facti fuerunt felices & celebres.	Ὅταν σπεύδῃ τις αὐτός, χὠ θεὸς συνάπτεται. *Tu modò ſi properes, adiuuat ipſe Deus.* Æſchil. Πρᾶξις καλὴ, κήρυξ λαμπρότατος *Honeſtum facinus illuſtris eſt præco* Imperat. Man. ad fil.
XVII. Sparta, ſeu Lacedæmon, nullis cincta muris, virtute fuit inuicta.	*Non ſic excubiæ, non circumſtantia tela, Quàm tutatur amor* ——— Claudian.
XVIII. Romulus non potuit ferre fratrem Remum præ libidine dominandi	——— *Omniſque poteſtas Impatiens cõſortis erit* ——— Claud.
XIX. Romulus delegit Senatores, Patres appellatos, eoſque publicis conſiliis præfecit.	*Quid fieri debeat, tractato cum multis: quid verò facturus ſis cum pauciſſimis ac fideliſſimis; vel potiùs ipſe tecum.* Veget.
XX. Tullus Hoſtilius, ne populus otio langueſceret, inſtituit militarem diſciplinam.	——— *Variam ſemper dant otia mentem.* Lucan,
XXI. Seruius Tullus cenſum primus inſtituit apud Romanos, vt bello & paci neceſſaria redimerentur.	*Neque quies gentium ſine armis, nec arma ſine ſtipendiis, nec ſtipendia ſine tributis haberi queunt.* Tacit.
XXII. Tarquinius, ſtuprator Lucretiæ, regno fuit pulſus.	Ἄγει τὸ θεῖον τοὺς κακοὺς πρὸς τὴν δίκην. *Adducit ad ſupplicia Numen improbos.* Menand.

XXIII. Græ

XXIII. Græcorum res adeò prouehebantur, vt mutuâ potentiâ seipsos debilitarent.

XXIV. Pisistratus, vir fortis, successu rei bene gestæ elatus, tyrannidem affectat.

XXV. Astyages frustra conatur nepotem ex filiâ, Cyrum occidere.

XXVI. Cyrus longè lateque victor totâ Asiâ extitit.

XXVII. Cyrus moribundus conuocatis filiis & proceribus, commendauit ipsis remp.

XXVIII. Cambyses temulentus, libidinosus & iniustus, gladio fortè ex vaginâ elapso, infelicem exhalauit animam.

XXIX. Eiectis Româ regibus, constituitur Senatus dignitas. Ne verò quis diuturnitate imperij Consul insolesceret, annuus is magistratus esse iubetur: & quidem duplex, vt alius ab alio in officio contineretur.

XXX. Darius Hystaspis callido Zopyri facto Babylonem, paulò ante à Persis deficientem recepit.

XXXI. Miltiades benemeritus de Atheniensibus, in vinculis detinetur ab iisdem, vsque ad mortem.

XXXII. Romani discordiis & inimicitiis mutuis exardescentes, à Menenio Agrippâ reuocantur ad concordiam explicatione fabulæ de dissidio inter membra corporis exorto.

XXXIII. Leonides Spartanus cum 600 bene instructis militibus trucidat quinquies centena millia in exercitu Xerxis.

XXXIV. Themistocles, inflammatus trophæis Miltiadis, fregit Xerxis potentiam.

XXXV. Græcia auro prædâque Persicâ locupletata, luxui se dedere cœpit.

XXXVI. Leges XII. tabularum fuerunt munimentum reip Romanæ.

XXXVII. Assuerus, siue Xerxes, fuit nutritius Iudæorum.

XXXVIII. Cùm ad summum fastigium peruenissent duæ respublicæ, Lacedæmoniorum & Atheniensium, ortâ inter ipsos æmulatione, bellum ingẽs conflatum est, quod appellatum fuit Peloponnesiacum à loco, in quo cœpit. Durauit an 27.

XXXIX. Thrasybulus sanciendo ἀμνηστίαν iniuriarum, patriæ libertatem reddidit.

XL. Athenienses, Spartani, & Thebani, postquam se inuicem viribus suis confecerant, ad otium & voluptates con-

——*Ruit in vetitum damni secura libido.*Claud.

Rarò læditur homo ab extraneis, si sui eum non lædant. Isid.

Felicitas in malo ingenio auaritiam superbiam, cæteraq; occulta mala patefacit. Tacit.

Non potes successorem tuum occidere. Seneca apud Dion.

Rationibus fixis peraguntur res Dei; & quod semel decretum est fieri, nullâ potest nouitate mutari. Arnob.

Optimum quemque niti decet, vt post se quoque reip. prasit. Plin.

Οἷα δ' ἀνὴρ ῥέζει, τοῖον τέλος αὐτὸν ἱκάνει.

Qualia quisque patrat, talis
manet exitus illum.
Oraculum.

Qui vult regnare, languidâ regnet manu:
Inuisa nunquam imperia retinentur diu. Sen.

Imperandi parendiq; vicissitudo ac potestas reprimit ingenia fastuosa, nec inebriari nimiâ licentiâ sinit. Dionys. Halicarnass.

Laudanda eiusmodi decipula, per quæ hostes maximè decipiuntur, & amici plurimùm iuuantur. Thucyd.

Eò productus est furor, vt periculosissima res sit, beneficia in aliquem magna conferre. Sen.

Tyrrhenus lapis, quantumuis grandis, innatat; comminutus sidit: ita concordia sustinemur, discordiâ pessum imus. Plin.

Manibus opus est bello, non multis nominibus. Synes.

Instructus redditur animus in futuris, quando præteritorum commouetur exemplis. Cassiod.

Quippe nec ira deûm tantum,
nec tela, nec hostes,
Quantum sola noces animis
illapsa voluptas. Sil. Ital.

Leges sunt anima & spiritus ciuitatis, vnde reipub. vis consurgit; & quâ sublatâ, vt corpus sine mente, respub. procumbit. Cic.

Nihil est tam peculiare imperialis maiestatis, quàm clementia & humanitas; per quam solam Dei seruatur imitatio. L. vlt. C. de donat. int. vir. & vxor.

Parua scintilla sæpe magnã siluam comburit. Pind.

Plerique in id nati, vt neq; ipsi quiescant, neque alios quiescere sinant. Thucyd.

Sæpenumero in bello pars vtraque & perimit & perit, damnum dat & accipit. Plin.

Iniuriarum remedium est obliuio. Publ. Syr.

Corporibus effœminatis animi multò languidiores efficiũtur & infirmiores. Xenoph.

uersi, à Philippo Macedone victi sunt.

XLI. Dionysius tyrannus tandem à suis è medio tollitur.

XLII. Philippus Macedo domesticâ Epaminondæ institutione rectissimè fuit informatus.

XLIII. Philippus Macedo Athenienses & Thebanos victos moderatè habuit.

XLIV. Alexander Magnus Aristotelis præceptis quã optimè fuit instructus.

XLV. Alexander M. paruâ militum bene institutorum manu vicit Darium.

XLVI. Alexander M. luxui & helluationi se dedens, in flore ætatis, anno 32. extinctus est.

XLVII. Alexander Epirota, non minorem gloriam in Occidentis expugnatione, quàm Alexander M. in Orientis, animo suo concipiens, occumbit in his cogitationibus.

XLVIII. Seculum Alexandri Magni fuit feracissimũ magnorum philosophorum, pictorum, oratorum, poëtarum, &c.

XLIX. Nihil magis perturbatum aut violentum extitit successoribus Alexãdri Magni.

L. Pyrrus Epirotarum rex gloriabatur, se plures vrbes eloquentiâ Cyneæ, oratoris sui, quàm armis expugnasse.

LI. In primo bello Punico Romani & Carthaginenses 23. annis se vtrinque fatigarunt.

LII. Q. Fabius Maximus Hannibalem iuueniliter exultantem cunctando sustinuit & fregit.

LIII. Paulus Æmilius, victo Perseo, omnique Macedonum gazâ potitus, tantum pecuniæ in ærarium Romanum inuexit, vt tributorum omniũ finem, populo Romano, vno die attulerit; in suam domum nihil aliud, quàm nominis memoriam reportans.

LIV. Scipio Carthaginem incendio 17. dierum funditus delet.

LV. Iudæi à vicinis suis, regibus Syriæ, grauissimis iniuriis afficiuntur.

LVI. Mattathias vnà cum suis arma induit aduersus Antiochum Epiphanem & alios hostes.

Multis terribilis, caueto multos Auson.

Educatio & disciplina mores facit: & id sapit vnusquisque, quod didicit. Sen.

Quodcunq; libuerit facere victori, licet.
Minimum decet libere, cui multum licet. Sen.

Nullus est, quem oporteat, vel plura, vel meliora scire quàm principem, cuius doctrina debet omnibus prodesse subiectis. Veget.

In omni conflictu non tam prodest multitudo, quàm virtus. Veget.

Valde turpe est, vt quem non vincit homo, vincat libido; & obruatur vino, qui non vincitur ferro. August.

O inanes contentiones nostras, quæ in medio spatio sæpe franguntur & corruunt: & antè in ipso portu obruuntur, quàm portum respicere potuerunt. Cic.

Vt anni alij aliis sunt fertiliores, ita secula dissimiliter sunt feracia bonorum ingeniorum. Prouerb.

Interim.

Nullum est adeò virtutum sterile seculum, vt non bona exempla produxerit. Tacit.

Nulla fides regni sociis. Luca.

Concordia victoriam, discordia exitium præbuit. Tyres. apud Plut.

Πᾶν ἐξαιρεῖ λόγος, ὃ καὶ σίδηρος πολεμίων δράσειεν ἄν.

Cuncta sermo conficit, quæcunque ferrum efficere possit hostium. Eurip.

Maiora cupimus, quò maiora venerint, intentioq; concitatior est. Sen.

Multa bella, impetu valida per tædia ac moras euanuere. Tacit.

Nullâ re conciliare facilius beneuolentiam possunt ij, qui reip. præsunt, quàm abstinentiâ & continentiâ. Cic.

Ἀποθνήσκουσιν αἱ πόλεις ὥσπερ οἱ ἄνθρωποι.

Moriuntur ciuitates, perinde atq; homines. Lucian.

Πῆμα κακὸς γείτων, ὅσσον τ' ἀγαθὸς μέγ' ὄνειαρ.

Tantum damni est ex malo vicino, quantum ex bono commodi Hesiod.

Vehemens res est necessitas & extremum periculum satis est ad induendam audaciam si cui non innata est. Dionys. Halicar.

LVII. Mattathias fuit feliciſſimus pater filiorum inſigni pietate & fortitudine præditorum.

Εὐσεβίαι παισὶν τὰ λῷστα δοτε θεῶν εἰ ἦν.
Piorum liberis meliora contingunt, impiorum verò non. Oracul.

LVIII. Maccabæi exiguâ manu, fieri auxilio Dei, fregerunt hoſtes ſuos.

Θεοῦ διδόντος, κἂν ἐπὶ ῥιπὸς πλέοις.
Deo fauente, vimen eſt ratis loco. Menand.

LIX. Ionathan Maccabæus ictum cum Romanis fœdus renouauit, & Spartanos in mutuam amicitiam recepit.

Πόλεως ἐγὼ πλοῦτον ἡγοῦμαι, συμμάχους, πίστιν, εὔνοιαν.
Vrbis opes eſſe exiſtimo, ſocios, fidem, beneuolentiam. Demoſth.

LX. Corinthus à Romanis deleta eſt, poſtquam ſtetiſſet an. 952. Deo flagitia ipſius puniente.

——ἔχει θεὸς ἔκδικον ὄμμα.
Cernit Deus omnia vindex. Hom.

LXI. Viriatus ex paſtore venator, inde latro, mox iuſti exercitus dux, Romanos per annos 14. vehementer afflixit.

Nemo non rex ex ſeruis oriundus, nemo non ſeruus ex regibus. Plato.

LXII. Iudæi variè exercentur à regibus Syriæ, à Romanis item & Parthis, ob varia peccata.

Ideo mala omnia rebus humanis quotidiè ingrauefcunt, quia Deus mundi huius effector & gubernator derelictus eſt. Anon.

LXIII. Numantini obſidionem 14. annorum tolerarunt, ita vt partim fame, partim ferro, partim veneno ſeipſos confecerint, vt ne vnus quidem ſupereſſet, qui à Victore Æmiliano, Romam in triumphum duci potuerit.

Vna ſalus victis, nullam ſperare ſalutem. Virg.

LXIV. Tiberius Gracchus ſuâ eloquentiâ grauem ſeditionem Romæ concitauit.

Eloquentia in homine prauo, eſt venenum in poculo aureo. Auguſt.

LXV. Romani continuis ferè bellis fuerunt occupati.

Ὀλίγη δ' ἀνάπνευσις πολέμοιο.
Exigua verò eſt à bello reſpiratio. Hom.

LXVI. Romani ſucceſſu felici elati, ſpretâ virtute, cœperunt factionibus dare operam, & bellis ciuilibus Marij & Syllæ, itemque Cæſaris & Pompeij vehementer attriti fuerunt.

Felicitatis & moderationis contuberniũ eſt admodum diuiduum. Valer. Max.
Nulla magna ciuitas diu quieſcere poteſt. Si foris hoſtem non habet, domi inuenit: vt prævalida corpora ab externis cauſis tuta videntur, ſed ſuis ipſa viribus onerantur. Liu.

LXVII. Cæſar non poterat ferre ſuperiorem, Pompeius parem.

Πάντων κακῶν αἰτία ἡ ἀρχὴ διὰ πλεονεξίαν καὶ φιλονεικίαν.
Omnium malorum cauſa, cupiditas imperij, & ambitio. Thucyd.

LXVIII. Cæſar in pugnâ Pharſalicâ exclamauit altâ voce: Miles parce ciuibus.

Maior ex ciuibus amiſſis dolor, quàm lætitia fuſis hoſtibus. Liu.

LXIX. Pompeius in Ægyptum fugiens, miſerè ibi transfoſſus eſt, cadauere ſepulto penè in conſpectu Hieroſolymæ, quam ante paucos annos profanauerat, ingreſſus ſanctum ſanctorum, diſſuadente ſummo ſacerdote.

Οὐδεὶς ἀνθρώπων ἀδικῶν τίσιν οὐκ ἀποτίσει.
Nullus homo pœnam ſceleris reus effugit vnquam. Herod.

LXX. Octauius Auguſtus modeſtiâ ſuâ expugnauit animos ciuium.

Μείζων ὅσῳ ἔσῃ, τόσῳ μετριώτερος ἴσθι.
Quantò maior eris, tantò moderatior eſto.

LXXI. Sub Auguſto orbis terrarum vniuerſus quaſi communi quodam conſenſu conquieuit à bellis.

Θεοῦ γὰρ οὐδεὶς δίχα εὐτυχεῖ βροτῶν ἀνήρ.
Nullus beatus abſque numine eſt Dei. Menand.

LXXII. Auguſtus nonniſi irritatus & coactus, iuſtis de cauſis bellum ſuſcepit.

Prælium aut bellum ſuſcipiendum omnino negamus, niſi cùm maior emolumenti ſpes, quàm damni metus oſtendatur. Sueton.

LXXIII. Auguſtus miti & paterno imperio ſibi deuinxit animos omnium.

Violenta nemo imperia continuit diu. Sen.
Firmiſſimum eſt illud imperium, quo obedientes gaudent. Liu.

Tu ciuem, patremq; geras, tu conſule cunctis,
Non tibi: nec tua te moueant, ſed publica vota. Claud.

LXXIV. Tiberius ingenium ſuum crudele aliquamdiu diſſimulauit. Vnde ſub initium charus, progreſſu temporis omnibus inuiſus fuit.

Φύσιν πονηρὰν μεταβαλεῖν οὐ ῥᾴδιον.
Naturam expellas furcâ, tamen vſque recurrit. Hor.
Multos timere debet, quem multi timent. Pub. Syr.

LXXV. Caligula immenſas opes à Tiberio relictas, vix dum anno vertente, totas conſumpſit.

Diuitiæ grandes homini ſunt, viuere parcè,
Æquo animo: neque enim eſt vnquam penuria parui. Lucret.

LXXVI. Caligula irrito conatu diuinos ſibi honores popoſcit. Idem fecit Herodes Agrippa, ſubitò à vermibus eroſus.

Nemo vnquam, mortalium ſuffragiis, deus effectus eſt. Dio.
Ἀλαζονείας οὔτις ἐκφεύγει δίκην.
Pœnam arrogantiæ nemo effugit ſuæ. Menand.

CAPVT VI.

De Obſeruatione hiſtoriæ.

PRÆCEPTVM.

Obſeruatio hiſtoriæ ſupereſt in Hiſtoricâ generali; quâ ſcilicet hiſtoriam cuſtodimus vel in locis communibus, vel in memoriâ.

REGVLÆ.

I. *In locis communibus cuſtoditur hiſtoria bifariam* — Loci communes hiſtorici quomodo parandi?

Primò ſyſtema hiſtoricum typis exſcriptum nobis reddimus familiare, & ibi notamus quæ apud alios occurrunt inſigniora. Notamus, inquam, vel in margine, vel in chartis puris interſertis. Deinde certos locos, & titulos hiſtoricos conſtituimus, & ad illos referimus quidquid lectarum hiſtoriarum occurrit.

II. *Hiſtoriæ commendantur memoriæ per indicem Chronologicum, & lemmata hiſtorica.* — Hiſtoriæ quomodo mandentur memoriæ?

Index Chronologicus continebit res præcipuas, quas vocant κεφάλαια, iuxta ſeriem temporis. Κεφάλαια iſta erunt tituli generales, ad quos reuocare licebit quidquid eſt hiſtoriarum particularium. Lemmata hiſtorica ſunt particulæ monſtrantes methodum alicuius hiſtoriæ, hoc modo. 1. Si occurrat perſona, obſeruabis vitam & mortem ipſius. Vita conſideratur quantum ad natiuitatem, & accidentia tum bona, tum mala, eaque animi, corporis, & fortunæ, vt vocant: & ruſus ſecundùm ſtatum œconomicum, eccleſiaſticum, & politicum. Mors conſideratur quantum ad antecedentia, connexa, & conſequentia. 2. In omni facto conſiderabis antecedentia ſeu præparatoria, rem ipſam, & conſequentia. Et in omnibus iſtis attendes quàm diligentiſſimè ad circumſtantias. 3. Bellum, & alias res geſtas conſiderabis ſecundùm protaſin, epitaſin, & cataſtrophen: ſeu ſecundùm initium, incrementum, & finem: ſeu quatenus inchoantur, continuantur, & conſummantur. 4. In peccato conſiderabis occaſionem, perſonam, delictum, & pœnam. 5. In orationibus & concionibus, quas hiſtorici ſæpe commemorant, perpendes πρόλογον, λόγον, καὶ ἐπίλογον: item dicta, facta, & euenta. 6. In rebus naturalibus & artificialibus, putà fonte, vel Hieroſolymis, perpendes cauſam, effectum, & adiunctum. Cauſam dico procreantem, conſeruantem, & corrumpentem. Effectum dico bonum & malum, & ſimiliter adiunctum.

CAPVT VII.

De Hiſtoriâ theologicâ.

PRÆCEPTA.

Adhuc fuit hiſtorica generalis: iam erit ſpecialis, quæ perſequitur methodum hiſtoriæ diſtinctè, quatenus eſt homogenea vel heterogenea, ſeu ſimplex, vel mixta. Illa etiam ſimilaris, hæc diſſimilaris dicitur.

Hiſtoria

Historia homogenea est, quæ vnius est facultatis: ideoque est theologica, iuridica, medica, vel philosophica.

Historia theologica persequitur statum ecclesiæ militantis in V.& N.T.

Regvlæ.

Historia theologiæ veræ cum historia falsæ theologiæ cur conferenda?

I. *Historia theologiæ veræ conferenda est cum historiâ theologiæ falsæ.*

Nam huiusmodi antithesis miram Dei prouidentiam, quâ ecclesiam suam defendit, & aliis efficaciam erroris immittit (vt Scriptura loquitur) clarè ponit ob oculos, atque ita nos excitat ad humilem gratitudinem erga Dei clementiam & iustitiam. *Vera autem theologia* est doctrina de Deo & eius operibus in libris V & N.T. comprehensa. Prima igitur huius loci historia est de libris Biblicis: quorum consideratur partitio, versio,& interpretatio. *Partitio* hæc est. Libri Biblici sunt V. vel N. T. Libri V. T. primò diuiduntur in quinarios quatuor, vt est apud *Epiphanium de ponderibus & mensuris*. Primus quinarius complectitur quinque libros Mosis: secundus hagiographa, vt sunt liber Iosuæ; liber Iudicum cum Ruth; quatuor libri regum, qui censentur pro vno, liber Estheræ cum libro Ezræ & Nehemiæ: primus Paralipomenon cum secundo. Tertius quinarius habet libros poëticos, numero quinque. Quartus quinarius est propheticus, quatuor prophetarum maiorum, & duodecim prophetarum minorum, qui censentur in vno libro, qui appellatur μονόβιβλος δωδεκαπρόφητος. Deinde libri V. T. sunt Canonici, vel Apocryphi. Canonici sunt historici, poëtici, & prophetici. Historici sunt pentateuchus Mosis; triteuchus, vt vocat Athanasius, complectens librum Iosuæ, Iudicum, & Ruth; & hexateuchus, quò pertinent libri Samuelis, Regum, Chronicorum, Ezræ, Nehemiæ,& Estheræ. Poëtici sunt, liber Iob, Psalmi, Prouerbia, Ecclesiastes,& Canticum. Prophetici sunt sedecim. Hebræi diuidunt hos libros in quatuor classes, videlicet in Legem, prophetas priores, prophetas posteriores, & hagiographa. Apocryphi libri sunt reliqui, quos commemoratis V. T. libris videmus addi. Libri N.T. sunt historici, dogmatici, & vnus propheticus. Historici sunt quatuor euangelia, vt vocant, & acta Apostolorum. Dogmatici sunt epistolæ, Pauli quatuordecim, Iacobi vna, Iudæ vna, Petri duæ, Iohannis tres. Propheticus liber est apocalypsis Iohannis. Hic de deuisione librorum Biblicorum in capita & versus obserua quod Casaubonus in notis super N. T. monet, distinctionem veterum fuisse longè commodiorem. Diuidebant illi singulos libros in τίτλους, & τίτλους singulos in sua κεφάλαια; contra quàm hodie facimus, vbi partes maiores nobis sunt κεφάλαια, minores τίτλοι. Nos hodie Matthæi euangelium diuidimus in κεφάλαια 28. illi in κεφάλαια 355. τίτλους autem 68. Et hodie multa diuiduntur, quæ coniunctim sunt legenda. *Versio librorum Biblicorum* consideratur separatim, vel coniunctim.

Historia versionis Bibliorum quæ?

Versio separatim considerata est multiplex. 1. *Versio V.T Chaldaica*, quæ Chaldæis dicitur *Targum*, nobis *Paraphrasis Chaldaica*. Est autem Targum triplex, videlicet Babylonicum, Onkelos, & Hierosolymitanum. Illud authorem habet Ionatham Vzielis filium, Simeonis Iusti, qui infantulum Christum vlnis excepit, condiscipulum, qui hunc laborem suscepit ante Christum annis circiter triginta. Istud profectum est ab Onkelos proselyto, quem sororis Titi Imp filium fuisse asserunt Hebræi, quanquam alij tradunt, eum fuisse filium sororis Adriani. Hoc denique Syriaco sermone, id est, Hebraico corrupto, qualis tempore Christi in vsu erat, est conscriptum. Primum & secundum Targum apud Iudæos tantam habet authoritatem, vt vtrique non minus fidei, quàm textui originali tribuant. Tertium nonnihil discrepat tum ab vtraque paraphrasi, tum ab ipso textu. Paraphrasis Onkelos quam proximè ad literam Hebræam accedit. 2. *Versio V. T. Græca* alia ante, alia post Christum facta est. Ante Christum fuerunt quatuor versiones Græcæ. Prima extitit ante Alexandrum M. è quâ Plato, cæterique philosophi non pauca hauserunt. Secunda facta est tempore Ptolemæi Lagi, cùm Iudæi, qui Alexandro M. in occupandâ Ægypto fuerant adiutores, facti sunt ciues Alexandrini iure Macedonico: vt scribit *Iosephus lib. 12. antiq.* Atque hæ duæ translationes fuerunt authoritatis priuatæ. Tertia est versio LXX. Interpretum, tempore Ptolemæi Philadelphi, opus publici consilij. Quarta est illa, quæ dicta fuit κοινὴ, *communis*, quam ad postulatum Ptolemæi vltimi fratris Cleopatræ Herodes curauit fieri atque confirmauit. Eam circa an. Christi 312. Lucianus martyr restituit emendatam: ex quo λουκιανὸς est dicta, teste Hieronymo. Atque hæ quatuor versiones promiscuè appellantur LXX. Interpretum. Post Christum numerantur octo versiones Græcæ. Prima fuit Aquilæ (quem Iudæi affinem Adriani fuisse asserunt) imperante Adriano facta: secunda Theodotionis, imperante Commodo: tertia Symmachi, imperante Seuero: quarta & quinta fuerunt anonymæ, quas Origenes è terræ recessibus protulit: sexta est Origenis: septima fuit Luciani, martyris Antiocheni, circa tempora Diocletiani: octaua fuit Hesychij. Hîc memineris, versionem Græcam, quæ nobis dicitur quarta, veteribus esse quintam: & quæ nobis est quinta, illis esse sextam. Octo istis versionibus quidam addunt nonam, Sophronij cuiusdam. Perierunt autem omnes istæ versiones, si excipias quædam fragmenta Theodotionis, qui fuit primò proselytus, quemadmodum Aquila & Symmachus, sed postea defecit ad Marcionitas, tandemque nomine Christiano abiurato ad Iudæos se recepit. 3 *Versio N.T Syriaca*; quam nonnulli à Marco Petri discipulo factam esse scribunt, alij Christianis Antiochenis adscribunt. Hæc quàm proximè accedit ad literam sensumque Græcum, & magnæ est authoritatis. 4. *Versio N. T. Arabica*: cuius author ignoratur. Multum ipsi tribuitur à viris doctis. Optandum esset, linguam illam hodie in scholis excoli. Nam, vt Postellus ait, lingua Arabica omnibus religionis Mahometicæ cultoribus est Grammatica, & latiùs patet hodiè, quàm vlla vnquam lingua, vt vix tertia pars habitati orbis eam non agnoscat. 5. *Versio Latina vtriusque Testamenti.* Fuerunt autem translationes Latinæ tempore Augustini tam multæ, vt numerari nullo modo potuerint: de quâ varietate conqueritur *Hieronymus in proœm. lib. Ios.* Præcipuæ fuerunt istæ. Prima fuit Itala, quam Augustinus omnibus anteponit, vtpote verbis astrictorem, & sententijs magis perspicuam. Secunda fuit communis & vulgata, quæ sic fuit appellata, quòd ex plurimis receptior esset. Tertia fuit versio Hieronymi, eaq; duplex, & vtraq; tantùm veteris Testamenti. Nam Hieronymus N. T. non vertit in Latinum, vt ipse hinc inde, fatetur, sed versionem veterem Latinam emendauit. Duplex autem illa Hieronymiana V. T. versio fuit eiusmodi. Prior ex Græcâ editione LXX. Interpretum: posterior ex Hebraicâ veritate in Latinum est facta. Hæc Hieronymi versio cùm primùm prodiit, cœpit in Ecclesiâ prælegi. Sed hodie quæ dicitur Hieronymi versio, non est ipsius: quippe quæ non est accurata, qualem Hieronymi versionem veteres fuisse testantur. Idem iudicium esto de LXX interpretum versione, quæ hodie extat. 6. *Versiones variæ vtriusq; testamenti*, quæ nunc extant in linguâ Latinâ, Germanicâ, Gallicâ, Italicâ, Hispanicâ, Bohemicâ, Polonicâ, Vngaricâ, Dalmaticâ &c. *Versio Bibliorum coniunctim considerata* est vetus & noua. *Vetus* est triplex, authore Origene. Nam Origenes primò versiones quatuor, nempe Aquilæ, Symmachi, LXX. interpretum & Theodotionis in vnum compegit volumen, & quatuor columnis distinxit. Et hæc erant Origenis τετραπλᾶ. Deinde ad has quatuor columnas adiecit seriem textus Hebraici, vnam Hebraicis, alteram Græcis characteribus exaratam. Et hæc erant Origenis ἑξαπλᾶ. Postremò ad has sex columnas adjecit duas illas anonymas Græcas, de quibus paulò antè diximus. Et hæc erant Origenis ὀκταπλᾶ, opus laboriosum & insigne, magno ecclesiæ malo amissum. *Noua* est duplex, vna Complutensis, altera Hispanica. *Complutense* opus authorem & promotorem habet Franciscum Ximenium archiepiscopum Toletanum & Cardinalem, fundatorem Academiæ Complutensis. Hic enim ducatorum sexcenties millenis millibus impensis sex tomos anno 1515 emisit, ita vt in V. T. textum Hebraicum & paraphrasin Chaldaicam, cum duabus versionibus Latinis, in Nouo textum Græcum, cum versione Latinâ collocaret. Hoc opus Leo X. magnificis priuilegijs muniuit, & omnibus magnopere commendauit. Meritò autem numeratur hoc opus inter instrumenta & media, quibus Deus superiori seculo doctrinæ cœlestis puritatem in lucem reuocare voluit. Opus *Hispanicum* à Benedicto Ariâ Montano, viro decem linguarum perito, sumtu Philippi Hispaniæ regis Antuerpiæ est editum, ita vt cum textu V. T. Hebraico Chaldaica paraphrasis, versio LXX. Interpretum,& Latina: cum textu Græco N.T. Syriaca & Latina versio sit coniuncta. Atq; hæ sunt versiones librorum Biblicorum: vbi Castalio & Longolius meritò reprehenduntur, quòd euangelium Ciceronianum (vt ait *Sohnius lib. 2. de verbo Dei*) conati sunt obtrudere in vertendis libris sacris. Illi enim pro fide persuasionem, pro Cœna Domini libum, pro Baptismo lotionem, pro Euangelio nuntium ineptè dixerunt. *Interpretatio librorum Biblicorum* facta est ab interpretibus ante & post natum Christum. Ante natum Christum fuerunt Leuitæ, Sacerdotes, Scribæ, Pharisæi & quidam Rabbini. Post natum Christum fuerunt Iudæi & Christiani: & hi veteres, iique Græci & Latini, Patres ecclesiastici & Doctores scholastici: vel recentiores, iique innumeri. De his vide paulò pòst historiam Vet. & N. T. *Theologiæ falsæ* historia breuiter ita habet. Theologia falsa est vel gentilium, vel Iudæorum, vel Mahometanorum, vel denique hæreticorum. *Gentilium theologia* erat bipartita: alia de diis, alia de dæmonibus vt docet *Epiphanius de præparat. euangelicâ.* Theologia ethnicorum de diis erat vulgaris, promiscui vulgi; vel philosophica, eaque 1. Fabulosa, quâ poëtæ vtebantur, ad theatricam voluptatem: vnde & hæc theologia dicitur theatrica, alis μυθικὴ. 2. Naturalis, mystica & allegorica, quæ κατ' ἐξοχὴν dicitur philosophica: quia philosophi illam hauriebant partim

partim ex naturalium rerum perueſtigatione, vnde colligebant Deum eſſe,partim ex Iudæorum monumentis:qualia ſunt multa Zoroaſtri oracula & Hermetis pronunciata, de diuinâ vnitate,dualitate, ac trinitate, de Deo Patre & mente diuinâ, apud *Otthonem Heurnium in primordiis philoſophiæ*: & plurima Platonis dogmata de Deo, apud *Phil. Mornæum de verit.relig.3.* Ciuilis, ſeu politica,quam potentiores adhibebant, vt rerump. leges quâdam religionis authoritate ſtabilirent: aliâs theologia vrbana. Huius antiſtites erant ſacerdotes & gubernatores rerump.Tanta erat ipſius authoritas,vt aduerſus eam nec poëta,nec philoſophus vllus auderet hiſcere,niſi vellet tanquam impius iure patrio puniri:quod Socrati Athenis accidit. Theologia ethnicorum tractans de diis, erat magia & Theurgia. Magia,quæ etiam γοητεία, tractabat de malis dæmonibus placandis vel auerruncandis. Theurgia,quæ etiam τελετή, fuit appellata,animis purgationem promittebat adiuratione bonorum dæmonum,quos credebant inuocatione allici, & ſacrificiis retineri. Cæterùm Magia illa vetita (datur enim etiam Magia naturalis & licita) ſparſa fuit per tres orbis habitati partes; vnde diuiditur in Aſiaticam,Africanam, & Europæam. Aſiatica authorem habuit Zoroaſtrum, & viguit in Chaldæâ & Perſiâ: quanquam in hâc etiam fuerunt magi caſti. Africana domicilium & veluti regiam ſuam habuit in Ægypto. Europæa in quatuor ramos eſt diuiſa: in Theſſalicam, valde celebrem,Hetruſcam,Romanam,& Gallicam atque Germanicam; quæ duæ poſteriores ſpecies propter affinitatem habentur pro vnâ. De his copiosè diſſerit *Heurnius in primordiis philoſophiæ*. Sequitur *theologia blaſphemorum Iudæorum*,qui in Kabbalâ & Thalmud, aliiſque libris proponunt vel magica, vel blaſphema, vel ridicula. Dico blaſphemorum Iudæorum: quia multi doctores Hebræi fuerunt pij, vt Simeon Hazzaddik, Ieſchua Ben Sirach, Rabban Schimeon,& alij.*Theologia Mahometanorum* in Alcorano extat, plurimis ineptiis & blaſphemiis referta. *Theologia hæreticorum* eſt infinita, vt Arrianorum, Marcionitarum, & ſimilium: de quibus paulò pòſt.

II. *Hiſtoria eccleſiæ V. T. conſideratur iuxta tres ætates, creſcentem,conſiſtentem,& decreſcentem: ſeu iuxta initium, vigorem, & decrementum.*

Initium fuit ſub ſtatu patriarcharum, tum ante diluuium, tum poſt illud: vbi elapſis iam à conditu mundi bis millenis annis & ampliùs, inſtitutum eſt ſacramentum circumciſionis. *Viguit* ſub Moſe, per quem lex ſcripta tradita eſt, & ſacramentum agni Paſchalis inſtitutum,variæque leges latæ:& ſub Ioſuâ, iudicibus, ac regibus vigor conſtitit, quanquam non ſine variis paroxyſmis. *Inueterauit* ſub ſtatu principali, aduentante ſtatu N. T. De his vide ſuprà ſyſtem.polit.de politiâ Iudaicâ,& infrà paratitla hiſtorica, ab Adamo vſque ad monarchiam quartam. Hìc tamen aliquid pleniùs eſt dicendum de Hebræorum Doctoribus ante Chriſti aduentum. Iſti iuxta computum Rabbinorum poſt Eſdram fuerunt Simeon Iuſtus, annis 302. ante Chriſtum: Ieſchua Ben Sirach,annis 237. ante Chriſtum: Ioſe Ben Ioëſer, annis 187. ante Chriſtum: L X X. Interpretes, annis 248. ante Chriſtum: Iehoſchua Ben Perachaja, annis 157. ante Chriſtum: Iehuda Ben Iabbeai,annis 139.ante Chriſtum: Iudas Maccabæus, annis 138. ante Chriſtum. Schimeon Ben Schatach, eodem ferè tempore:Schemaja & Abtalion,Gere Zedek,annis 67 ante Chriſtum: Hillel & Schameaï,annis 32.ante Chriſtum:Ionathan Ben Vziel paraphraſtes,annis 30.ante Chriſtum. Hic fuit condiſcipulus Rabban Schimeon I. Hillelis F. qui Chriſtum in templo geſtauit. Ex his Doctoribus Schameai & Hillel duas familias pepererunt, quæ Chriſtum non receperunt, cæteriſque cauſa ruinæ fuerunt. Schameai diſſipatorem ſignificat:Hillel inſanum. Inter eos qui legis interpretationi dabant operam, Scribæ dicebantur:cæteri communi nomine Phariſæi. Præter hos erant Sadducæi,Heſſeni (aliâs Hoſij & Haſidæi) ſucceſſores Recabæorum, Nazaræi, Herodiani, Hemerobaptiſtæ,& Samaritæ ſciſſi in tres ſectas, videl. Sebuæorum,qui cum Heſſenis in omnibus concordabant; Gorrenorum, qui à Sebuæis in temporum digeſtione diſcrepabant; & Doſithæorum,qui à reliquis ſectis prorſus diſſidebant, & Sabbatum adeò ſuperſtitiosè colebant, vt quo in loco, habitu, ſitu, quemlibet ipſorum Sabbatum deprehendiſſet, eodem in loco, & ſtatu,immobilis permaneret, donec eius diei maieſtas tranſiſſet. De his ſectis vide *Ioſephum*, *& inprimis Epiphanium in Panar.* Hìc ſingulare aliquid annotat *Oſiander in cap.15. harmon. euang.* quòd ſeptem fuerint genera Phariſæorum. 1. *Sichemitæ*; qui ſectam hanc ob carnale commodum ſuſceperant, ſicut olim Sichemitæ circumciſionem. 2.*Impingentes*; qui pedibus ſubinde in lapides impingebant. 3.*Sanguinem fundentes*; qui capita crebrò parietibus illidebant, donec manarent multo ſanguine. 4.*Mortarij*;qui calyptrâ capita operiebant,ex quâ velut è mortario proſpiciebant. 5.*Quid debeo facere*, *& faciam illud*; qui ſupra modum erant arrogantes, & ab iſtâ formulâ ipſis vſitatâ denominabantur. 6. *Ex amore*; quo nomine appellabantur, qui amore præmij hanc ſectam profitebantur. 7.*Et timore*; quod nomen imponebatur iis, qui metu iræ Dei huic ſectæ nomen dederant.

III. *Periodi Eccleſiæ N. T. ſunt quatuor. Prima eſt à Chriſto Domino, vſque ad annum* 600. *tempore Phocæ.Secunda eſt inde à Phocâ,vſque ad annum* 1056. *tempore Henrici IV. Tertia eſt inde ab Henrico IV. vſque ad annum* 1519. *tempore Caroli V. Quarta eſt à Carolo V. ad noſtram ætatem.* Periodi Eccleſiæ N.T.quot?

Ex his periodis prima ſuperat anno. 500. ſecunda & tertia quàm proximè accedunt. Nimirum vt regnis mundi fatalis iſta periodus eſt conſtituta à Deo: ſic etiàm politiæ Eccleſiæ in his terris militantis. Ea enim inde ab aſcenſione Chriſti, quingentorum annorum periodo, vel circumactâ, vel imminente, mutationem fatalem ſuſtinuit, & nouam quaſi faciem induit, hoc modo. *Prima periodus* ſubdiuiditur in tres ætates. Prima eſt heroica & augeſcens, à Chriſto vſque ad Conſtantinum M. annorum 300.quo tempore Eccleſia creuit,exercita variis preſſuris. Secunda eſt ſtata ſub Conſtantino M. vſque ad tempora Gregorij Magni anno Chriſti 560. qui poſtea Pontificalem dignitatem eſt adeptus. Tertia eſt inde à Gregorio Magno vſque ad Phocam, ſiue anno Chriſti 600.* Gregorius Magnus Eccleſiam ornauit ceremoniis,& his à carnalibus blandimentis mentes hominum auocauit. Poſt mortem autem Gregorij Bonifacius III. à Phocâ impetrauit, vt epiſcopus Romanus ſalutaretur œcumenicus ſeu vniuerſalis. *Secunda periodus* eſt à Phocâ, vſque ad Henricum IV. Imp. Hæc rurſus diuiditur in tres ætates. Prima eſt à Phocâ, vſque ad Carolum Magnum id eſt anno Chriſti 800. * Hìc memorabile eſt,quòd eodẽ tempore duæ illæ nocentiſſimæ peſtes,Phocas & Mahomet extiterint. Secunda eſt à Carolo M. vſque ad Otthonem M. ſiue primum,id eſt, anno Chriſti 936. quâ temporis intercapedine Romani Pontifices à Pipino Caroli M.patre, ipſo Carolo, eiúſque filio Ludouico Italiam dono acceperunt, atque ita regimen politicum tenuerunt. Tertia ætas eſt ab Otthone M. vſque ad Henricum IV. ſiue anno Chriſti 1056.*Tertia periodus* eſt ab Henrico IV. vſque ad Carolum V. Hoc tempore potentia Pontificia conuerſa eſt in omnipotentiam. Nam Hildebrandus, ſiue Gregorius VII.Papa,primus Imperatorẽ excommunicauit.* Sequitur *quarta periodus Eccleſiæ N. T.* an.1519. Cæterùm in hiſtoriâ Eccleſiæ N.T.oportet tenere ſequentia capita: quid ſcil. de Perſecutionibus Eccleſiæ, Doctoribus Eccleſiæ, de Conciliis, de Hæreticis,de Schiſmatibus, de Iudæis,de Monachis,denique de Teſtibus veritatis ſit ſentiendum. *Perſecutiones Eccleſiæ V. T.* fuerunt variæ. Nominatiſſimæ ſunt Seruitus Ægyptiaca, Preſſuræ variæ ſub Philiſtæis, Bellum Sennacherib, Exilium Babylonicum, Perſecutio Antiochi Epiphanis,& denique Vexationes Romanorum. *Perſecutiones Eccleſiæ N. T.* in vniuerſum ſunt XXI,quæ,ad quatuor capita reuocantur. Inſtitutæ enim ſunt à Iudæis, Gentilibus (ſub quibus Romani Impp. & Saraceni) & Arianis. Ex his Oroſius, qui vixit tempore Auguſtini, commemorat X. quæ ſub. Impp. Romanis contigerunt. Nos ab ipſo capite accerſemus. *Prima* perſecutio cœpit ſtatim à nato Chriſto,ſub Imp Auguſto,authore Herode Magno, qui vt Chriſtum è medio tolleret,imperauit infanticidium *Matth.2.* *Secunda* authorem habet Herodem Antipam, qui ſuſtulit Iohannem Baptiſtam, quòd ab ipſo reprehenſus eſſet ob inceſtam conſuetudinem cum Herodiade. *Tertia* eſt Phariſaica, quâ Chriſtus multis modis exagitatus & tandem crucifixus eſt. *Quarta* eſt Stephani Protomartyris: in quâ apoſtoli capti & flagellati ſunt, Stephanus lapidatus, & Eccleſia Hieroſolymitana in exilium fuit pulſa, paulò poſt aſcenſionem Chriſti. *Quinta* inſtituta eſt ab Herode Agrippâ, circa annum Chriſti 43 quâ ſublatus fuit Iacobus Apoſtolus, & Petrus in carcerem coniectus. *Sexta* eſt Pauli, & aliorum Apoſtolorum qui à Iudæis plurima ſunt perpeſſi, vt in Actis apoſtolorum legere habemus. Hìc obſerua ſupplicia plerorùmque apoſtolorum. Petrus & frater eius Andreas ſunt crucifixi: Philippus in cruce pendens lapidatus: Bartholomæus excoriatus & capite truncatus,poſtea exuſtus:Thomas confoſſus: Matthæus ſimiliter: Iacobus minor,epiſcopus Hieroſolymitanus,ex alto præcipitatus & poſtea lapidatus: Simon & Iudas Thaddæus ab ethnicis cæſi: Matthias crucifixus & lapidatus. Vbi obſerua,XII. Chriſti apoſtolos, omnes ſanguine ſuo obſignaſſe veritatem cæleſtem. *Septima* (quæ eſt prima ſub Impp.) fuit ſub Nerone, qui Petrum & Paulum inter alios ſuſtulit. *Octaua* ſub Domitiano, qui Iohannem euangeliſtam relegauit in Pathmum, poſtquam ipſum oleo feruenti immerſum non potuiſſet è medio tollere. *Nona* ſub Vlpio Trajano, anno 110. ſub quo Simeon epiſcopus Hieroſol. annos natus 120. crucifixus, & Ignatius beſtiis obiectus fuit. *Decima* ſub Adriano. *Vndecima* ſub Antonino Vero & fratre eius Lucio,anno 170. Hæc ſuſtulit Polycarpum, Smirnenſis eccleſiæ epiſcopum, Iuſtinum philoſophum, & Irenæum. *Duodecima* ſub Seuero,anno 203. *Decimatertia* ſub Maximino, anno 239. *Decimaquarta* ſub Decio, anno 251. quæ

Hiſtoria perſecutionum Eccleſiæ.

quæ sustulit Laurentium & Babilam episcopum Antiochenum. *Decimaquinta* sub Valeriano, anno 260 in quâ periit Cyprianus. *Decimasexta* (quæ est decima & vltima sub Impp. Romanis gentilibus) instituta fuit à Diocletiano & Maximiano: quæ omnes Romanorum prouincias tanquam diluuium inundauit; videlicet Syriam, Tyrum, Ægyptum, &c. *Decimaseptima* persecutio est Iuliani Imperatoris apostatæ, qui Ecclesias Christianorum liberalitate Constantini M. ipsis concessas polluit imaginibus deorum, & Christianos exagitauit conuitiis & tormentis. *Decimaoctaua* instituta fuit à Valente Imp. qui ab Arianis fuit seductus, & Christianos crudelissimè est persecutus. Atque hæc dicitur persecutio Arianorum ad quam refer persecutionem Gothicam. Nam Athanaricus (alijs Athalaricus) Gothorum rex persecutus est Christianos circa an. 373. Anno 443. cœpit Vandalica persecutio (eaque *decimanona*) duce Genserico Ariano, Vandalorum rege & domino Africæ, cui successit filius Honoricus anno 476, & ipse Arianus persecutor Christianorum: similiter Gundamundus successor anno 484: item Trasimundus anno 503, à quo ducenti episcopi in exilium missi fuerunt, quos reuocauit Hildericus Trasimundi filius, Christianus princeps, anno 530: quem per insidias cepit Gilmer, qui victus est à Bellisario circa annum Christi 535: & ita regno Vandalorum finis impositus. Hinc videre est, Arianâ hæresi infectos fuisse ipsos quoque Gothos, Longobardos, & Vandalos. *Vigesima* persecutio, eaque maximè diuturna & grauissima, est Mahumetana, quam Saraceni & Turcæ aduersus ecclesiam Christi exercuerunt, inde ab anno 622. vsque ad nostram ætatem. Saraceni isti non contenti Oriente irruperunt in Italiam, Hispaniam, & Galliam. Sed inde tandem sunt repressi. In Oriente autem incredibili successu propagarunt regnum suum, partim expulsis, partim interfectis, partim seductis Christianis. Etsi enim Christiani inde ab anno Christi 1096. mouerunt bellum sacrum siue Saracenicum, duodecim expeditionibus eò institutis vsque ad annum 1270. instigante Petro Ambiano eremitâ, qui ex Oriente reuersus commemorabat calamitates Christianorum, & decernente Concilio Claromontano in Galliâ sub Vrbano 2: etsi, inquam, hoc bellum à Christianis gestum est aduersum Saracenos, & quamuis in expeditione tertiâ Godfridus & Balduinus duces Boullionæi regnum Hierosolymitanum Saracenis eripuerunt: nihil tamen vtilitatis inde rediit ad Ecclesiam Christi & Romanum imperium, sed innumeræ potiùs calamitates. Nam regnum Hierosolymitanum inter innumeras aduersitates annis tantùm 88. durauit, & octo tantùm habuit reges: & vires Romani Imperij supra modum fuerunt attritæ. Bellum hoc sacrum durauit annis 196, quantum vix aliud in historijs legitur durasse. * Nam pseudopropheta ille Mahumed adiutus * operâ Sergij monachi Nestoriani, imposturas suas consarcinauit, & eodem, quo Papa, tempore, videlicet paulò post annum Christi 600, Ecclesiam oppugnauit, & quidem apertè. Hic obiter obserua, Mahumedicæ legis doctrinam appellari Alfiuran, item Alfurcan: qui libet primò in ordinem est redactus à genero quodam Mahumedi, collectis schedis, quas ipse tumultuariè in arcam congesserat: postea à sex sacerdotibus Mahumedicis in Synodo quâdam Damascenâ certis rhytmis comprehensus. Scinditur autem Mahumedica religio in quatuor sectas, quarum singulæ peculiarem adferunt explicationem Alkurani, qui nihil est aliud quàm ferruminatio religionis Iudaicæ & ex parte Christianæ. *Vigesimaprima* & vltima Ecclesiæ persecuto est instituta à Pontificibus Romanis, de quibus breuiter ita habendum. Veteres Romanæ Ecclesiæ episcopi, ab anno Christi 70. vsque ad annũ 314. id est à Lino vsque ad Syluestrũ, seu Constantini M. tẽpora numero XXXII. fuerũt fideles in suo officio, quod absq; omni pompâ variis persecutionibus exerciti fecerũt. Et nomen Papæ omnibus episcopis fuit commune. Nam Aurelius, Cyprianus, Ambrosius, & alij episcopi Papæ sũt nominati. Ac Hieronymus Augustinum Hipponensem Episcopum Papam in suis literis nominat. Significat autem Papæ nomen Syracusâ linguâ patrem, vt author est Suidas: quo egregiè episcopi docentur suum officium, quod in eo est vt sint patres populi, 1. *Cor.* 4. Deinde à Constantino M. & Syluestro Papâ, vsque ad Gregorium Primum, qui numero XXXVI. fuerunt, ne vnus quidem intra annos 280 extitit, qui omnipotentiam Pontificiam sibi arrogauerit. Quid? Tempore Gregorij I. Papæ, intra annos 600 à Christo nato, Ecclesia Romana nodum habuit iurisdictionem in alias Ecclesias. Nam Gregorius acerrimè se opponebat Iohanni Constantinopolitno episcopo, qui vniuersalis episcopus nominari volebat: quem conatum Gregorius dicebat esse diabolicam superbiam, & Antichristi malitiam, vt est lib. 4. & 6. epistolarum Sed paulò post mortem Bonifacius III. hunc titulum sibi sumpsit auspiciis Phocę Imp. Sede Romanâ hunc in modum exaltatâ, Pontifices deinceps magis magisque ciuilibus negotiis se implicarunt. Imò contra ipsos Impp. insurrexerunt, vt Gregorius II. & III. se opposuerunt Leoni III: & Constantino V. Impp. Alij contra exarchos Græcorum Impp. in Italiâ seditiones excitarunt. Quæ omnia facta sunt ab anno 724. ad 754 Anno 750. Zacharias I. deposuit Hildericum Francorum regem, ex veteri stirpe Merouingorum, & in eius locum substituit Pipinum ex Carolinâ familiâ. Pipinus iste & Carolus M. ipsius filius Longobardos in Italiâ fuderunt, & bonam Italiæ partem dono dederunt Papæ Romano. Postea Papæ subduxerunt se imperio Cæsarum, eoque rem perduxerunt, vt Cæsares ipsis iurarent: id quod fecit Otto Primus, circa annum 962. Anno millesimo planè erupit Paparum tyrannis aduersus Cæsares. Nam Gregorius VII. aliâs Hildebrandus, Henricum IV. excommunicauit & contumeliosè tractauit: Vrbanus II. successor Gregorij, in Concilio Claromontano author fuit cruentissimi belli sacri, Porrò annis 181. initio facto a Gregorio VII. vsque ad annum Christi 1256. crudelissima & perpetua bella inter Cæsares & Papas fuerunt gesta. Tandem post tempora Rudolphi Habspurgensis, circa annum Christi 1300. Bonifacius VIII. primum Iubilæum instituit, & iustificationis articulum eneruauit. Hic Papa intrauit vt vulpes, regnauit vt leo, mortuus est vt canis. Non longè post Iohannes XXII. Ludouicum Bauarum Imp. excommunicauit, & grauissima bella aduersus ipsum excitauit, in quibus passim multum sanguinis est fusum. Sed fermè hoc prætereram. Annis 284. ab Innocentio IV. ad Clementem vsque VII. ineffabilis copia sanguinis humani instinctu Paparum effusa est in bellis pro regno Siculo & Neapolitano: Pontificibus modò Germanos, modò Gallos euocantibus, & rursus contra Gallos Hispanorum potentiam, denuò contra hos Germanorum, & rursus Gallorum & Hungarorum vires acuentibus, & hos populos inter se committentibus. Clades quoque Varnensis in Hungariâ Pontifici Romano est accepta ferenda. Ille enim impulit regem Vladislaum & Matthiam Hunniadem, vt violarent fidem rumpendo fœdus cum Turcâ. Denique Pontifices sæuierunt in Vviclefum, Hussum, Sauanarolam, & superiori seculo in martyres innumeros. Atque hæ sunt persecutiones Pontificis. * Hîc non est prætereundum sicco pede, omnes in vniuersum Ecclesiæ persecutores grauissimè à Deo fuisse punitos. Nam *Pharao* submersus fuit: *Achab* in bello contra Syros sagittâ percussus: *Nebucadnezar* grauiter punitus; *Antiochus Epiphanes* è curru decidit, vermibus è ventre ipsius scaturientibus: *Herodes Magnus* morbo Antiochéo percussus fuit: *Herodes Antipas* à socero victus, & tandem cum suâ Herodiade Lugdunum in Galliam relegatus in exilio periit: *Iudæi*, qui persecuti sunt Christum & apostolos, quomodo sint à Deo puniti, describit Iosephus septem libris de bello Iudaico: *Herodes Agrippa* sicut auus suus morbo Antiocheo periit: *Nero* sibi mortem consciuit, & post eius mortem Roma variis bellis inter Imperatores ortis exercita fuit: *Domitianus* occisus, & ipsius statuæ sublatæ sunt: tempore *Traiani* Romam inundauit Tiberis, Pantheon fulmine conflagrauit, vrbes in Asiâ concussæ sunt vehementi terræmotu, & vniuersum imperium valde afflictum fuit fame ac siti: tempore *Antonini Veri & Lucij* pestis inaudita fuit grassata: sub *Seuero* plurima ciuilia bella in Romano Imperio sunt orta: *Maximinus* à propriis militibus est interfectus: *Decius* in bello Scythico miserè periit, suffocatus in loco palustri: *Valerianus* à Sapore rege Persarum victus fuit, & ipsi equum conscensuro fuit instar scabelli: *Diocletianus* iam senex in summâ desperatione venenum bibit, & eius in affligendis Christianis socius *Maximinus* à Constantino suspensus fuit. *Iulianus apostata* in exercitu aduersus Persas sanguinem è vulnere accipiens & in cœlum spargens dixit: Νενίκηκας Γαλιλαῖε, *Vicisti Galilæe*: *Valens* à persequentibus Gothis in casâ, quò fugerat, combustus fuit: *Vandalorum gens* à Bellisario fuit deleta: *Mahumed* epilepticus inhonestâ morte obiit. Nam moribundus prædixit suis, cadauer suum non opus habere sepulturâ, quod tertio die sit resurrecturus & in cœlum ascensurus. Sed cùm præteriisset dies septima, tantus fuit fœtor, vt necesse habuerint illud sepelire Porrò *Saracenorum* imperium nunquam fuit tranquillum, & tandem anno 1517. Selimus I. Turcarum Imperator finem illi imposuit, sublato Sultano. *Turcarum* Imperium similiter continuis exercetur bellis. * Hos deniq; persecutores omnes manet pœna in stagno infernali, de quo Apocalypsis. *Doctores Ecclesiæ* sunt authentici, vel non-authentici. *Authentici* sunt Apostoli & Euangelistæ, ab ascensione Christi, vsque ad Ignatium, anno Christi 100. Euangelistæ fuerunt quatuor, qui conferuntur cum quadrigis, quibus Euangelium per totum terrarum orbem sit veluti vectum. Duodecim Apostoli putantur totidem Symboli articulos contulisse, hoc ordine: Petrus, Andreas, Iohannes, Iacobus maior, Thomas, Iacobus minor, Bartholomæus, Matthæus, Simon, Iudas, Matthias. Duodecim articuli continentur his versibus:

1 2 3 4 5 6
Omnipotens, Iesus, conceptio, passa, re: cœlos,
7 8 9 10 11 12
Iudicium, Flamen, grex, missa, resurgite, vita.

In his versibus τὸ *re* notat resurrectionem Christi. *Non-authentici* sunt Doctores Ecclesiastici, Doctores Scholastici, & Doctores recentiores. *Doctores Ecclesiastici* (qui κατ᾽ ἐξοχὴν Patres dicuntur) claruerunt inde à temporibus Apostolorum vsquem ad annum Christi circiter millesimum. Tres illorum classes

classes siue ordine constitui possunt, ita vt quilibet ferè ordo trecentos propemodum complectatur annos. *In primo ordine* sunt Patres, qui inde à tempore Apostolorum vsque ad Concilium Nicenum floruere: suntque numero septendecim. 1. *Dionysius Areopagita*; à Paulo Athenis conuersus in Areopago. Floruit anno 60. 2. *Clemens Romanus*, Papa & Martyr, circa annum Christi 70. 3. *Ignatius*, episcopus Antiochenus, tertius post Petrum, anno 71. eius duodecim extant epistolæ. 4. *Polycarpus*; Iohannis Euangelistæ auditor, cuius vnica duntaxat reliqua est epistola 5. *Hermes*; quem Paulus *Roman.* 16. salutat. *Dionysio, Clementi & Hermæ* quæ tribuuntur scripta, sunt supra modum vtilia: vti sunt libri Dionysij de hierarchiâ cœlesti & ecclesiasticâ, de diuinis nominibus, de mysticâ theologiâ: Clementis libri X. Recognitionum, octo libri Constitutionum, quinque epistolarum & Canones Apostolici: tres denique libri Hermæ de religione Christiana. 6. *Iustinus* ex philosopho Christianus, cognomento Martyr, Romæ decollatus. Scripsit apologiam pro Christianis. Floruit anno 150. 7. *Tatianus*, Iustini συζῆχος homo doctissimus: postea in hæresim prolapsus. 8. *Irenæus*; discipulus Polycarpi, episcopus Lugdunensis in Galliâ, anno 180. 9. *Theophilus Antiochenus*. 10. *Athenagoras*, Atheniensis philosophus; qui scripsit apologiam pro Christianis. 11. *Clemens Alexandrinus*; à Cassiodoro Contextor appellatus. Fuit Pantæni martyris discipulus, & præceptor Origenis, anno 204. 12. *Q. Septimius Florens Tertullianus*, Afer, presbyter Carthaginensis anno 203. tertius scriptor Latinus, scilicet post Victorem & Apollonium doctissimum philosophum, qui in senatu rationem reddidit de religione Christianâ, & ob id est decollatus. 13. *Origenes adamantius*, vir multimodæ eruditionis, anno 226. 14. *Cæcilius Cyprianus*, episcopus Carthaginensis, anno Christi 240. Diligentissimè legit Tertullianum. 15. *Arnobius*; qui scripsit contra Porphyrium. 16. *Lactantius*; qui floruit anno 290. & scripsit Institutiones suas extremâ senectâ. Hic est Cicero Christianorum, quemadmodum Cyprianus eorundem Cæsar. Sunt enim hi duo, teste Hieronymo, qui Christianæ doctrinæ inter Latinos ornatum addidêre. 17. *Gregorius Neocæsariensis* episcopus, qui & Ponticus dicitur, Origenis auditor, anno 233. Præter hos Patres floruerunt isto tempore, *Martialis*, episcopus Lemouicensis, vnus è numero LXX. discipulorum, anno Christi 70. quem nonnulli Patribus adnumerant: *Quadratus*, qui multos vidit à Christo sanatos, & sub Adriano apologiam pro Christianis exhibuit: *Papias*, discipulus Iohannis, sed postea author sectæ Chiliastarum: *Aristides* philosophus, qui scripsit apologiam pro Christianis ad Adrianum. *Marcus*, primus episcopus gentilis, Hierosolymæ creatus: *Hegesippus*, è Iudæo Christianus: *Apollinaris*, episcopus Hierapolitanus: *Pantænus*, philosophus Christianus, præceptor Clementis Alexandrini: *Symmachus*, interpres Bibliorum: *Minutius Felix*, qui scripsit dialogum Christiani & Iudæi: *Iulius Africanus*, chronologus eximius: *Hippolytus*, author Cycli Paschalis: *Ammonius*, philosophus Christianus: *Babylas*, episcopus Antiochenus, Martyr: *Paulus* primus Eremita, qui ob persecutionem in eremo mansit vsq; ad tempora Constantini Magni: *Dionysius*, episcopus Alexandrinus: *Victorinus*, episcopus Pictauiensis: *Anatolius*, Laodiceæ episcopus: *Archelaus*, episcopus Mesopotamiæ: *Pierius*, Presbyter Alexandrinus, cognomento Origenes iunior: *Nilus*, quem huc collocat Frisius in bibliothecâ, sed Nicephorus eum reiicit in tempora Theodosij II. *Antonius Eremita*: *Hosius*, episcopus Cordubensis: *Pamphilus*, martyr: *Cæcilianus Lucianus*, restaurator versionis Græcæ Bibliorum. *Secundus Patrum ordo* incipit ab anno Christi 325. à Concilio Niceno, & definit anno 681. quo celebrata fuit sexta & vltima Synodus OEcumenica, videlicet Constantinopolitana III. Hic ordo complectitur Patres post Concilium Nicenum ante regnum Papatus, vsque ad tempora Phocæ. Patres huius classis sunt: 1. *Athanasius*, Alexandrinæ vrbis episcopus; quem prauitas neotericorum Samosatenicorum vocat Sathanasium. Hic Doctor relegatus fuit in Gallias, sed inde reuocatus, absolutus, & restitutus. Scripsit symbolon, quod obtulit concilio Niceno. Hoc demum post 300. fere annos est publicatum, in Concilio Toletano. Mortuus est hic Doctor anno 379. 2. *Hilarius*: Pictauiensis in Galliâ episcopus, anno 355. 3. *Macarius* 4. *Optatus Mileuitanus*, in Africâ. 5. *Basilius M.* episcopus Cæsariensis in Cappadociâ: anno Chr. 369. 6. *Grgorius Nyssenus*; frater Basilij, eod. temp. 7. *Gregorius Nazianzenus*, eod. temp. 8. *Epiphanius*, in Cypro Salaminæ vrbis episcopus eod. temp. 9. *Ambrosius*, episcopus Mediolanensis in Italiâ, an. 380. 10. *Iohannes Chrysostomus*, episcopus Constantinopolitanus, Demosthenes ille Christianorum, mortuus anno 405. 11. *Hieronymus*, Stridonensis episcopus, mortuus anno 422. 12. *Aurelius Augustinus*, Hipponensis episcopus, fortissimus in Africâ Christi athleta contra Manichæos, Donatistas, Anthropomorphitas, Heluidianos & Pelagium. Mortuus est anno 430. 13. *Prudentius*: poëta sacer. 14 *Theodoretus*: episcopus Cyri, qui Nestorianam hæresin, cui erat addictus, anathematizauit. 15. *Prosper Aquitanicus*, episcopus Rhegiensis. 16. *Orosius*. 17. *Leo I. Papa, cognomento Magnus*, cuius epistola ad Flauianum dicitur fundamentum fidei. 18. *Cyrillus*, archiepiscopus Hierosolymitanus, anno 434. 19. *Flauianus*. 20. *Cassianus*, 21. *Fulgentius*, episcopus Ruspensis in Africâ. 22. *Vigilius*, martyr & episcopus Tridentinus qui contra Eutychen scripsit, circa an. 450. vt volunt Centuriæ Magdeburgenses. 23. *Isidorus Hispalensis*: an. 610. Præter hos vixerunt istis seculis plurimi doctissimi & religiosissimi viri: putà *Lucifer*, episcopus Caralitanus in Sardiniâ: *Marius Victorinus Afer*, aliâs M. Fabius Victorinus, Hieronymi præceptor: *Paphnutius*, confessor, tempore Concilij Niceni: *Iuuencus*, presbyter, qui historiam Euangelicam vertit carmine: *Sedulius*, presbyter: *Gregorius Bæticus* Illiberis in Hispaniâ episcopus: *Philastrius*: *Didymus Alexandrinus*, cæcus, tempore Iuliani apostatæ, episcopus Turonensis: *Dorotheus*, episcopus: *S. Martinus*, discipulus Hilarij: *Apollinaris*, episcopus in Syriâ, qui scripsit contra Iulianum Porphyrium: *Gaudentius*, Brixiensis episcopus: *Ephrem Syrus*: *Idacius Clarus*: *Rufinus*: *Iohan. Cassianus*, Scytha, monachus, anno 424. *Hesychius*, monachus, discipulus Nazianzeni: *Sophronius*: *Synesius*, episcopus: *Theophilus*, episcopus Alexandrinus: *Isidorus*, Pelusiota: *Saluianus*: *Cerealis*, episcopus Africanus: *Proclus*, episcopus Constantinopolitanus: *Nilus*, episcopus ibidem: *Nonnus*, Panopolitanus: *Sulpitius Seuerus*, Chronologus: *Eutropius*, presbyter & historicus: *Simplicianus*: *Socrates historicus*: *Sozomenus*: *Eucherius*, episcopus Lugdunensis in Galliâ: *Hilarius Arelatensis*: *Sidonius*, poëta: *Gennadius*, patriarcha Constantinopolitanus: *Cassiodorus*, Senator & Consiliarius Theodorici regis I. Gothorum in Italiâ: *Paschasius*, Romanus Diaconus: *Iohan. Maxentius*: *Primasius*, in Africâ: *Symmachus & Anitius Boëtius. Manlius Seuerinus*, Consules Romani, paulo ante tempora Iustiniani Imp. Boëtius fuit theologus & philosophus, gener Symmachi: *Dionysius Exiguus*, *Rusticus*, diaconus: *Arator*, poëta sacer; qui obtulit sua poëmata Vigilio: *Benedictus*, abbas; qui collocutus est cum Totilâ Gothorum rege, & decem annos eum adhunc regnaturum prædixit. Circa hæc tempora, anno Christi 590. floret *Gregorius Magnus*, author multarum ceremoniarum sacrarum. Tum quoque floruerunt *Gregorius*, episcopus Turonensis in Galliâ: *Rupertus*, Bauarorum apostolus: *Augustinus* & *Mellitus* Anglorum apostoli: *Aretas*, episcopus Cæsareæ: *Sophronius*, episcopus Hierosolymitanus vltimus, anno 630: *Kilianus* episcopus Herbipolensis floret anno Christi 680. Sic ergo sterile admodum fuit istud seculum à Gregorio M. ad Kilianum: quia & pauci, & non vsquequaque clari sunt viri modò recitati. *Tertius ordo* complectitur Patres sub Papatu ab an. Chr. 681. vsque ad Scholasticæ theologiæ originem, i. e. an. Christi 1020. Hoc tempore floruerunt isti Patres. 1. *Beda*, cognomento Venerabilis, presbyter in Anglia, anno 700. 2. *Iohannes Damascenus*, Syrus, monachus & presbyter, anno 735. 3. *Bonifacius*, episcopus Moguntinus, Germanorum & Gallorum euangelista. 4. *Alcuinus*, seu Albinus, Eboracensis Anglus, Bedæ auditor, & Caroli Magni in Logicis & Theologicis præceptor. 5. *Paulus Diaconus*, historicus Longobardus, charus Desiderio regi, & Carolo Magno, cuius iussu lectiones sacras euangelicas de sanctis digessisse dicitur. 6. *Rabanus Maurus*, abbas Fuldensis, & postea archiepiscopus Moguntinus discipulus Alcuini: clarissimum in Ecclesiâ lumen extitit anno 830. Tantæ fuit eruditionis vir, vt nec similem Italia, nec parem habuerit Germania. Tantam is scholæ Fuldensi conciliauit authoritatem, vt ea omnis sapientiæ & eruditionis penu fuerit iudicata. Dicitur vulgò Commentator Bibliorum. 7. *Haymo* episcopus Halberstadensis, Bedæ consanguineus claruit anno 840. 8. *Bertramus*, anno 850. Hic ob singularem eruditionem & pietatem Carolo Caluo admodum charus fuit: idemque orthodoxè docuit de Cœnâ Domini, vt & Rabanus atque alij superiores. Iussu Caroli Calui librum edidit de duabus istis quæstionibus, de præsentiâ & manducatione corporis Christi in S. Cœnâ. 9. *Theophylactus*, Bulgarorum episcopus anno Christi 880. Ab aliis collocatur in annum 930. Hîc memineris, historicos variare in constituendo numero & chronologiâ patrum. Præter hos floruerunt isto temporis interuallo: *Bonifacius*, archiepiscopus Germanicus, anno 710. *Othmarus*, monachus; à quo Lagena Othmari in prouerbium abiit: *Cosmas*, Damasceni socius: *Rupertus*, episcopus Vormatiensis: *Cl. Clemens*, episcopus Altisiodorensis, discipulus Bedæ: *Iohannes*, Hierosolymitanus patriarcha, tempore Acuini: *Nicetas*: *Strabus*, discipulus Rabani, qui anno 840 collegit Glossam ordinariam in Biblia: *Hincmarus*, archiepiscopus Rhemensis, qui scripsit contra πρωτεδρίαν Papæ: *Anastasius*, historicus, bibliothecarius Pontificum: *Hulderícus*, episcopus Augustanus, qui contra cœlibatum acerrimè pugnauit, circa annum 880. *Paschasius*, qui scripsit de Sacramentis sub Carolo Caluo: *Luitprandus*, historicus, anno 940. qui taxauit episcoporum ambitionem: *Smaragdus*, abbas in Angliâ an. 990. *Berno*, abbas in Augiâ maiore prope Constantiam, scripsit multa, anno 1008. *Bruno* episcopus Herbipolensis circa hæc tempora similiter multa scripsit. *Doctores Scholastici* diuiduntur similiter in tres ætates, vt rectè annotat Danæus super

Historia Doctorū scholasticorum qualis?

ſuper Lombard. *Prima ætas*, & veluti protaſis theologiæ ſcholaſticæ eſt ab an. Chriſti 1020 vſq; ad annum 1220, hoc ordine. 1. *Lanfrancus*, Papienſis: epiſcopus Cantuarienſis in Angliâ. 2 *Guitmundus*. 3. *Anshelmus*, collector gloſſæ interlinearis, anno 1100. 4. *Hugo de S.Victore*: Carthuſianus Pariſienſis, an 1120. 5 *Gratianus*: compilator decretorum, anno 1150. 6. *Petrus Lombardus*, cognomento Magiſter ſententiarum: quia collegit theologiam ex ſententiis Patrum, anno 1160. 7. *Petrus Comeſtor*, frater nothus Lombardi. 8. *Petrus Clericus* 9. *Rupertus*. 10. *Leo Tuſcus*. 11. *Guilielmus Antiſiodorenſis*. 12. *Cyrillus*, Carmelita, qui ſcripſit nouum Euangelium. 13. *Petrus Cluniacenſis* 14. *Bernhadus Compoſtellanus*. 15. *Hugo Barcinonenſis*. 16. *Vincentius Gallus*. 17. *Alexander ab Ales*, ſeu Alenſis: qui primus commentatus eſt in quatuor libros ſententiarum Lombardi, quos non ineptè dixeris Biblia Scholaſticorum. 18. *Gualterus Pictauienſis*. Hâc temporis periodo floruerunt *Hermannus Contractus*, monachus & hiſtoricus, anno 1050. *Haimo*, monachus: *Lambertus*, *Schafnaburgenſis*, monachus & hiſtoricus: *OEcumenius*, anno 1070. qui Patribus accenſetur: *Marianus Scotus*: *Petrus Damianus*: *Anshelmus*, archiepiſcopus Cantuarienſis, anno 1086. *Sigebertus*, hiſtoricus in Belgio, qui ſcripſit contra Hildebrandum pro Henrico IV. an. Chr. 1090. *Rupertus*, abbas Tuicienſis: *Bernhadus* Burgundus, monachus & poſtea abbas Clareuallenſis, anno 1110. qui refertur in catalogum Patrum: *Helmoldus*, hiſtoricus: *Guil. Porretanus*: *Ottho Friſingenſis*, epiſcopus & hiſtoricus, patruus Friderici Barbaroſſæ anno 1140. De ſcholaſticis primæ ætatis memineris, illos inuectas in eccleſiam opiniones, non diuinarum Scripturarum teſtimoniis, ſed Patrum ſententiis malè detortis, & verbo Dei æquatis, defendere conatos eſſe. Et primus ex iis Lanfrancus, primò ſcholæ Papienſis in Italiâ profeſſor, nuper excogitatam tranſſubſtantiationis doctrinam acerrimè propugnauit; cui ſe oppoſuit Berengarius, cuius ſententia vera quatuor Conciliis oppoſitis fuit damnata; & ipſe Berengarius truculentiſſimis Papæ Nicolai minis coactus eſt ad palinodiam, quam ipſi præſcripſit Concilium Florentinum.* Sed hic liber fuit ſuppreſſus, & ſententia Lanfranci præualuit. Bernhardus tamen paulò pòſt diſertè ſcripſit in *ſermone de Cœnâ*, ſacramentum dici ſacrum ſignum, ſiue ſacrum ſecretum; & adfert ſimile annuli, qui datur ad inueſtiendum aliquem de hæreditate, quem qui accipit, poteſt dicere, ſe accipere hæreditatem. Ad eundem modum Deus de gratiâ ſuâ inueſtiri curauit ſuos. *Vualdenſes* etiam circa annum Chriſti 1163. veram iſtam de S.Euchariſtiâ ſententiam tenuerunt. Illi ſunt ita dicti, non quòd in ſyluis degerent ob perſecutionem, ſed à Vualdone Lugdunenſi, qui ob ſingularem pietatem exoſus fuit epiſcopo Lugdunenſi, adeò vt tandem exilio mulctaretur. Hunc ſecuti ſunt multi, & per totam Europam diſperſi. Tandem in Bohemiâ conſederunt. Ad illos Lutherus anno 1523. epiſtolam ſcripſit, in quâ illos humaniſſimè fratrum nomine compellat. *Canoniſtæ* hoc temporis tractu ſunt orti, ſic dicti, quòd Canones Gratiani ſequerentur. *Media ſcholaſtica*, ſeu epitaſis, eſt ab anno 1220. vſque ad Durandum, anno Domini 1330. Hâc ætate philoſophia ſecularis ſacram theologiam ſuâ curioſitate inutili fœdare cœpit, vt ſcribit Trithemius. Hinc factum, vt qui illo ſeculo celebriores theologi haberi vellent, plus operæ ac ſtudij ponerent in Ariſtotele, tanquam in domeſtico profeſſionis ſuæ ſubiecto, quàm in ſancto Dei verbo. Plurima enim monaſteria his temporibus extructa, in quibus infinita locuſtarum examina ſe continuerunt. Scholaſtici huius ætatis fuerunt iſti: 1. *Albertus magnus*, epiſcopus Ratisbonenſis, Thomæ præceptor. 2. *Thomas Aquinas*, anno Domini 1255. qui plurima ſcripſit. Ab hoc dicti ſunt Thomiſtæ, ſicut ab Alberto Albertiſtæ. Pontificij Thomam vocant Doctorem Angelicum; & Ieſuitæ ipſius placita defendunt in philoſophicis iuxtà & theologicis. 3. *Bonauentura*; qui anno 1274. fit Cardinalis. 4. *Petrus Hiſpanus*; qui pòſt Papa eſt factus, nomine Ioannes XXI. 5. *Iacobus de Voragine*: ſic dictus, quòd eſſet quaſi vorago Bibliorum, propter crebras allegationes. 6. *Henricus Gandauenſis* 7. *Ioannes Duns*, aliàs *Scotus*: cognomento magiſter ſubtilis. Hic fuit primus & perpetuus Thomæ impugnator. Ab illo dicti ſunt Scotiſtæ. 8 *Alanus*: cognomento Doctor vniuerſalis. 9. *Nicolaus de Lyrâ*. anno Domini 1320. de quo Lutherus: Niſi (inquit) Lyra lyraſſet, parum intelligeremus de Scripturâ: & vulgus ait, Niſi Lyra lyraſſet, totus mundus deliraſſet. 10. *Gulielmus Occam*, Anglus: qui Scaligero dicitur lima ſubtilitatis. Ab hoc dicuntur Occamiſtæ. Atque tum ortæ ſunt ſectæ Nominalium & Realium, de quibus ſupra in Archelogiâ. 11. *Alanus de Inſulis*. 12. *Alexander de Alexandriâ*. 13. *Auguſtinus de Anconâ*. 14. *Durandus*, cognomento Doctor irrefragabilis. Huic diſplicuit ſophiſtica Thomæ. Sic itaque in Cerberum tricipitem deſiit media Scholaſtica; ſectam videlicet Thomiſtarum, Scotiſtarum, & Occamiſtarum: cuius capita reſecare aggreſſus eſt Durandus. Hoc temporis tractu vixerunt *Vvilhelmus de S. amore*, qui ſcripſit contra mendicantes, & à Papâ hæreſeos eſt damnatus: *Nicephorus Calliſtus*: *Marſilius Patauinus*, coætaneus Occamo, cũ quo ſcribit contra Papam Iohannem XXII. pro Ludouico Bauaro Imperatore, vt ex libro eius, qui inſcribitur *Defenſor pacis*, videre eſt. *Tertia ſcholaſtica theologiæ* ætas, quæ dicitur noua ſcholaſtica, eaque peſſima & deleteria, poſt Durandum cœpit ab Hereno de Boio, Britone, & Carmelitâ, vſque dum à Luthero, circa annum 1516. euerti cœpit. Hâc ætate modeſtia, quæ fuerat in mediâ ſcholaſticâ, ne temerè de quibuſdam quæſtionibus aliquid affirmaretur, fuit ſublata. Habuit hæc ætas Iohannem de Regno, Henricum de Vrimariâ, Iohannem Capreolum, Petrum de Aliaco Cardinalem Cameracenſem, Iohannem Gerſonem Cancellarium Pariſienſem, Gabrielē Biel, Holcot, Bricot, Tricot, & alios. Pios nihilominus viros hæc ætas tulit, videlicet *Iohannem Taulerum*, concionatorem Argentinenſem, qui dixit, Eccleſiâ indigere graui reformatione, an. Domini 1340. *Iohannē Vviclef* Angelū, qui circa an. Domini 1360. ſe oppoſuit Pontificijs: *Iohannem Huſſ. & Hieronymum Pragenſem*, anno 1400. Hâc etiam ætate Sorbona Pariſiis fuit inſtituta, anno 1422. Atque hi ſunt Doctores Eccleſiæ veteres: ſequuntur *recentiores*, qui inde à tempore repurgatæ doctrinæ claruerunt. Ii ſunt Papiſtici, vel Euangelici, *Papiſtici* ſunt, qui vnà cum verbo Dei traditiones humanas pro normâ fidei agnoſcunt: quorum alij ſunt monachi, alij Ieſuitæ, quorum ſocietas eſt recentior, vtpote circa annum Chr. 1540 ab Ignatio Lojolâ inſtitutus & confirmatus à Paulo III. Totum corpus iſtius ſocietatis habet Generalem, ceu caput ordinis, & ſex hominum genera, videlicet 1. Quatuor votorum profeſſos; qui præter tria communia vota, paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ, vouent peculiariter obedientiam quandam cæcam. Vouent autem Romano Pontifici. 2. Trium votorum profeſſos, 3. Coadiutores ſpirituales: vt ſunt ſacerdotes, & profeſſores theologiæ ac philoſophiæ. 4. Coadiutores temporales. 5. Scholaſticos 6. Nouitios. Hic ordo hodie totum terrarum orbem non aliter ac diluuium quoddam inundauit. De monachorum ordinibus paulò pòſt agemus. *Doctores Euangelici* ſunt, qui ſolum Euangelium, ſeu ſcriptum Dei verbum, pro vnico veræ theologiæ principio, & vnicâ fidei vitæque Chriſtianæ normâ agnoſcunt. Hi abierunt in duas partes, diſtracti bello, vt vocant, ſacramentario, cuius ortum & progreſſum paucis accipe. Anno Chriſti 1522. Andreas Carloſtadius Bodenſtein archidiaconus Vvittebergenſis imagines à templo eijcit, Lutherus reuerſus ex Pathmo ſeu eremo ſuâ indignè ferens hanc reformationem improbat factum Carloſtadii, qui aliquot libellos edit Baſileæ. Anno 1525. Lutherus reſpondet ad iſtos libellos, edito libro, quem inſcripſit contra cœleſtes prophetas, ſiue fanaticos. Paulò pòſt Zuuinglius & OEcolampadius ſuam quoque ſententiam de Cœnâ Domini, editis in lucem commentarijs, declarant. Hos adoritur Lutherus anno 26. Zuuinglius anno 27. edit amicam exegeſin ad Lutherum. Anno 28. Lutherus emttit ſuam Confeſſionem Magnam de Cœnâ, vbi non parcit Zuuinglio & OEcolampadio. Cùm hoc modo infelix iſtud certamen multis ſcriptionum velitationibus in annum ferè quartum protractum eſſet, Philippus Haſſiæ Landgrauius fortiſſimus an. 29. Lutherũ & Zuuinglium ad colloquium inuitat. Comparuerunt ibi Lutherus, Melanchthon & Iuſtus Ionas ex Saxoniâ, Andreas Oſiander Norimbergâ, Brentius Halâ Sueuorũ, Stephanus Agricola Auguſtâ Vindelicorum, Zuuinglius & OEcolampadius ex Heluetiâ, Bucerus & Hedio Argentinâ. Sed conuentus ille abſque fructu ſolutus eſt. Anno 35. idem Landgrauius Melanchthonem & Bucerum Caſſellas euocauit. Duorum iſtorum virorum ſtudio concordia eſt inita inter Lutherum & Heluetios, vt ipſe Lutherus literis ad Heluetios exaratis faſſus eſt. Verùm hæc concordia vix durauit biennium. Nam Lutherus Zuuingliũ Neſtorianiſmi accuſauit. Poſt Lutheri mortem, anno Domini 1546, hoc certamen aliquandiu ſopitum fuit: quòd victoriâ Caroli V. ſtatus eccleſiarum in Germaniâ afflictiſſimus eſſet, primariique Proteſtā-tium principes in carceribus detinerentur. Sed poſt an. 1552. trãquillitas iſta turbata fuit à Ioachimo Vveſtphalo, Heshuſio, Matthiâ Flaccio Illyrico, Iohanne Brētio, & Iacobo Schmidlino; inprimis poſt mortē Melāchtonis. Tũ enim Schimidlinus, alius Iacobus Andreæ, per Saxoniam ſuffragia Paſtorum & profeſſorum colligere inſtituit: quòd Vvittebergenſes à Vvirtembergicis & aliis accuſarentur Zuuinglianiſmi. Hâc re permotus Auguſtus Elector Saxoniæ indixit conuentum Torgæ an. 1574. quindecim theologorum. Iſti concordiæ quandam formulam ſcripsêre: quam cum Vvittebergenſes theologi, Caſpar Cruciger, Henricus Mollerus, Chriſtophorus Pezelius, & Fridericus Vvidebramus, tertium ſolicitati ſuâ ſubſcriptione approbare nollent, Torgâ Lipſiam ſunt abducti. Cùm verò Quindecimuiri Torgenſes non omnibus ſatisfeciſſent, idem Elector anno 76. in arcem Lichtenbergenſem alios theologos conuocat, qui decernunt conuentum eſſe habendum ſolennem. Elector itaque anno prædicto conuocat theologos ad conuentum Torgenſem alterum, non tantùm ſuæ ditionis homines, ſed etiam Brandeburgenſes, Brunſuuicenſes, Megapolitanos, & Vvirtembergenſes. Huius conuentus præcipui gubernatores fuerunt Schmidlinus, Chemnitius, Selneccerus, Chytræus, Muſculus, & Cornerus. Ibi concordia inter Vbiquiſtas & Flaccianos ſancita fuit, ſcripta Philippi damnata, & nouum doctrinæ corpus cuſum. Formula iſta Torgenſis ab Auguſto Electore

miſſa

miſſa eſt ad varios principes & reſp. è quibus alij eam probarunt, alij reiecerunt, alij quædam limanda tranſmiſſis cenſuris monuerunt Anno 77. ſex prædicti præſides iuſſu Electoris conuenerunt in Bergenſi monaſterio, & communicatas cenſuras examinarunt, ac iuxta illas nonnihil limarunt formulam Torgenſem, quæ hodiè appellatur Liber & formula Concordiæ: cuius publicationem, factam anno 1580. varia iudicia exceperunt. Cæterùm præcipui Doctores Papiſtarum ab anno 1500. ad noſtram ætatem ſunt *Tezelius*, *Eccius*, *Caietanus*, *Eraſmus Roterodamus* (quanquam is fuit λοξὸς) *Cochleus*, *Dietenbergius*, *Ablicitouæus*, *P. Caniſius*, *Alb. Pighius*, *Aug. Steuchus*, *Contarenus*. *Iulius Pflug*, *Petrus à Soto*, *Polus*. *Surius*, *Staphilus apoſtata*, *B. Arias Montanus*, *Lindanus*, *Hoſius*, *Gregorius de Valentiâ*, *Iohan Piſtorius apoſtata*, *Baronius*, *Bellarminus*, *Becanus*, *Coſterus*. Qui Lutherum ſequuntur, præcipuè ſunt *Brentius*, *Sarcerius*, *Andr Oſiander*, *Snepfius*. *Iuſtus Ionas*, *Matthæus Iudex*, *M. Flaccius Illyricus*, *Marbachius*. *Eberus Morlinus*, *Ioach Vveſtphalus*, *Simon Pauli*. *Iacobus Andreæ*, *Iacobus Heerbrandt*, *Chemnitius*, *Vvigandus*. *Selneccerus*, *Mirus*, *Dauid Chytræus*, *Luc. Oſiander*, *Ægid. Hunnius*, *Rungius*, *Salomon Geſnerus*, *Balthaſar Menzerus*. Melanchthon, Bucerus, & Caſpar Cruciger perperam accenſentur iis qui dicuntur λοξοί. Doctores noſtri præcipuè ſunt *Zuinglius*, *OEcolampadius*, *Leo Iudæ*, *Conrad. Pellicanus*, *Iohan Caluinus*, *Iohan à Laſco*. *Th Biblianader*, *Petrus Viretus*, *Marloratus*, *Petr. Martyr*, *Vvolf. Muſculus*, *Vrſinus*, *Gualtherus*, *Hier. Zanchius*, *Boquinus*, *Tzegedinus*, *Aretius*, *Bullingerus*, *Simlerus*, *Lauaterus*, *Sadeel*, *Beza*, *Olenianus*, *Sturmius*, *Danæus*, *Daniel Toſſanus*, *Fr. Iunius*, *Dauid Pareus*, *Iohan. Piſcator*, *Abraham Scultetus*, *Matthias Martinius*. Satis de Doctoribus Eccleſiæ: nunc videamus *Concilia Eccleſiæ N. T.* Horum tres claſſes conſtituimus *In primâ claſſe* ſunt concilia ſiue Synodi ante Concilium Nicenum: videlicet Synodus Apoſtolorum, *Act.* 15. *Gal.* 2. anno Chriſti 50. Synodus Romana, Cæſarienſis, Gallica, Pontica, Achaica, Oſtroënica, omnes pro Victore, Aſiatica contra ipſum anno Chriſti 194. Synodus Arabica, anno 240. Concilia quædam in Africâ anno 250. Romanum 252. Antiochiæ in causâ Nouati; Carthagini; in Aſiâ & Africâ de baptiſmo hæreticorum, circa annum 260 Antiochenum I. & II contra Samoſatenum, anno 269. Seſuenum, anno 300. Concilium in Africâ de Traditoribus, an. 304. circiter: & circa idem tempus Concilium Elibertinum in Hiſpaniâ de lapſis recipiendis: Concilium Romanum, Arelatenſe, Ancyranum, Neocæſarienſe, Gangrenſe, Laodicenum, Alexandrinum, Arelatenſe I I. ab anno 310. ad 325. *In ſecundâ claſſe* ſunt ſex Concilia OEcumenica, γνήσια & orthodoxa fermè ab omnibus recepta hoc ordine. I. *Concilium Nicenum*, anno Chriſti 325. vel, vt alij volunt anno 326. Indictum fuit ab Imperatore Conſtantino M. Niceæ vrbe Bithiniæ, fuitque epiſcoporum 318. præter infinitam presbyterorum, diaconorum, & aliorum hominum eccleſiaſticorum, multitudinem. Deciſa eſt in hoc concilio controuerſia de tempore Paſchatis, & de Filij Dei cum Patre ὁμοουσίᾳ contra Arrium presbyterum Alexandrinum; qui cùm videret Alexandrum epiſcopum Alexandriæ ſibi præferri, mouit ipſi litem iſtam luctuoſam, quam diximus. Sententia Synodi comprehenſa extat in Symbolo, quod Nicęnum vocat. Athanaſius, diaconus Alexandrinus, in iſto Concilio maſculè defendit ὀρθοδοξίαν ſui epiſcopi Alexandrini, cui poſtea in epiſcopatu ſucceſſit. Sed eâ re aduerſariorum tantum in ſe concitauit odiū, vt quater fuerit pulſus in exiliū, & indigna paſſus quàm plurima. Nimirū Conſtantius Conſtantini M. filius, Imperator Orientis, erat Arianus & perſecutor. I I. *Concilium Conſtantinopolitanum primum*, an Chriſti 381. ab Imperatore Theodoſio majore contra Macedonium epiſcopum Conſtantinopolitanum Pneumatomachum, conuocatum Conſtantinopoli vrbe Thraciæ, epiſcoporum 150. Macedonius ille negabat Spiritum ſactum eſſe Patri ὁμοούσιον, & Filium Patri ὁμοιούσιον aſſerebat, vniuſque literæ interpoſitione decretum Synodi Nicenæ ſupplantare ſtudebat, vt ſunt verba *Gregorij Schönfeldij*. Quam Macedonij ſententiam Concilium damnauit, & Nicenæ Synodi ſymbolum repetiuit, additâ tantùm hâc periodo de Spiritu ſancto: *Qui ex patre filioq; procedit, & cum Patre Filioq; ſimul adoratur & conglorificatur*. Inter Patres iſtius Concilij excelluit Gregorius Nazianzenus. I I I. *Concilium Epheſinum*, anno 431. ab Imperatore Theodoſio Iuniore contra Neſtorium epiſcopum Conſtantinopolitanum conuocatum Epheſi, vrbe nobili Ioniæ. Occaſio Concilij hæc fuit. Anaſtaſius presbiter Conſtantinopolitanus Mariam pro concione vocabat θεοτόκον. Id rectè dictum eſſe negabat Neſtorius, & hoc paradoxum adijciebat: *Noli gloriari, Iudæe, non Deum, ſed hominem crucifixiſti*. Duas itaque perſonas in Chriſto ſtatuebat. Quam Neſtorij hæreſin Synodus damnauit, & Mariam θεοτόκον rectè appellari ſtatuit propter vnionem duarum naturarum. Auguſtinus ad hoc Concilium accerſitus fuit, ſed morte præuentus non accelſit. IV *Concilium Chalcedonenſe*, indictum ab Imperatore Martio, Chalcedone, vrbe Aſiæ, anno Chriſti 451. conuocatis epiſcopis 630. contra hæreſim Eutychis archimandritæ & presbyteri Conſtantinopolitani, quę fuit planè contraria Neſtorianę, teſte Vigilio, qui lib. 2. contra Eutychen ſic ait: *Neſtorius duas intuens naturas duas putauit eſſe perſonas: Eutyches reſpiciens vnam perſonam, vnam cenſuit eſſe naturam. Et quia in Chriſto eſt & naturarum proprietas, & perſonæ vnitas: Neſtorius proprietatem attendens naturarum, à perſona excidit vnitate: & Eutyches vnam intuens perſonam, à naturarum proprietate deſciuit, & ipſam diuinitatem aſſeruit paſſam*. Concedebat quidem Eutyches ſante vnionem duas diſtinctas naturas, poſt vnionem verò vnam duntaxat ſtatuebat. Cæterùm cùm Eutyches a Flauiano epiſcopo in ſynodo prouinciali ante Synodum Chalcedonenſem admoneretur de errore, ipſe adiutus Chryſaphij cuiuſdam aulici operâ ab Imperatore impetrauit aliam Synodum, nempe Epheſinam, quæ dicta fuit λῃστρική. Vnde prouerbium hodieque extat: *Synodus Leſtrica*. In iſta Synodo Leſtricâ Dioſcorus epiſcopus Alexandrinus Eutychianus Flauianum ex conſeſſu epiſcoporum calcibus expulit, priùs ita verberatum, vt triduò pòſt obierit Cadauer ipſius calcatum eſt ab Alexandro. Adeò nimirum hæreſis eſt tyrannica. His quatuor Conciliis vniuerſalib. adnumerantur & duo alia: quæ ab aliis non putantur in hoc numero, quòd in his Conciliis putent decreta ſuperiorum Conciliorum repetita tantùm fuiſſe, non autem noua prolata. Sed nos facimus cum iis, qui ſex numerant Concilia OEcumenica. Etenim in Cōcilio I I. & I I I. Conſtantinopolitano decreta contra nouos errores emanarunt & illa decreta tanquam orthodoxa ab Eccleſiâ admittuntur. V. *Concilium Conſtantinopolitanum II*. an. 550. vel, vt alij tradunt an. 553. indictum à Iuſtiniano. Durauit biennium. Hîc præter Arij, Neſtorij, & Euthychis hæreſes, plurima Origenis deliramenta damnata ſunt, putà, quòd omnes animæ humanæ initio mundi ſimul ſunt conditæ: quòd diaboli tandem ſint ſeruandi. Dies quoque natalis Chriſti, & purificationis Mariæ in hâc Synodo inſtituti ſunt, vt ſolenniter quotannis celebrarentur. Extat & in Liturgiâ Græcâ precationis forma, quæ putatur in iſtâ Synodo eſſe compoſita: in quâ eſt illuſtris confeſſio contra multos errores. Verba hæc ſunt: *Vnigenite Fili & Verbum Dei, qui cùm immortalis ſis, aſſumpſiſti humanam naturam propter noſtram ſalutem ex ſanctâ Dei genitrice, & ſine mutatione naturarū homo factus & crucifixus es, Chriſte Deus, morte mortem proculcans, & ſimul glorificaris cum patre & Spiritu ſancto, ſalua nos*. *VI. Concilium Conſtantinopolitanum III*. quod aliàs dicitur Trullanum, hanc ob caſam. Conſtantinus Pogonatus ſiue Barbatus anno 681. Indict. 9. conuocauit epiſcopos 171. qui Conſtantinopoli hoc decretum Synodicum fecerunt, duas in Chriſto voluntates, & duas operationes prædicandas & credendas eſſe: eos autem, qui vnicam voluntatem & actionem aſſerebant, anathemate notârunt, id eſt, Monotheletarum errorem damnarunt. Sed quia epiſcopi illi non condiderant Canones Synodicos, poſt annos pauculos ſub Iuſtiniano I I. poſtliminio in Imperium reducto 227. Patres Conſtantinopolim rediêre, in locum ſacri Palatij, qui dicitur Trullus, vnde Synodus Trullana dicitur, item πενθέκτη, *quiniſena*. Ibi fecerunt 102. canones, inter quos memorabilis eſt canon de coniugio. Eadem Synodus obſignauit acta Synodi Nicenæ, Ancyranæ, Neocæſarienſis, Gangrenſis, & aliarum. Quidam ex Reformatis theologis adiiciunt concilium OEcumenicum V I I. videl. Nicenum ſecundum: quo tamen titulo alij ornant Conſtantinopolitanum IV. quod celebratum fuit ante Nicenum II. ita vt hoc ſit octauum. *Tertiæ claſſis Concilia* ſunt innumera, inde à Synodo Nicenâ vſque ad noſtram ætatem: quorum alia ſunt hæretica, vt Concilium Tyri Arrianum & Concilium Antiochienſe Arrianum, paulò pòſt Concilium Nicenum: alia particularia, vt Romanum pro Athanaſio: alia vniuerſalia, ſed vel incertæ fidei, vel ſuſpecta heterodoxiæ, vel non reuerâ vniuerſalia: Huius loci ſunt Synodus Antiochena, an. 363. quâ ὁμοούσιον condemnatur. Concilium Sardicenſe generale 370. epiſcoporum, quo confirmantur decreta Synodi Nicenæ, an. Chriſti 347. Ariminenſe epiſcoporum 400. Mileuitanum I. Hipponenſe, Arauſicanum, & alia infinita, de quibus Centuriæ Magdeburgenſes, Baronius, Heluicus, & inprimis Tomi Conciliorum. Conciliis ſubiiciuntur Colloquia: qualia è recentibus ſunt, Marpurgenſe Lutheri cum Zuinglio; Vvormatienſe Melanchtonis cum Pontificiis; Diſputatio Ienenſis Flaccij & Strigelij; Colloquium Maulbrunnenſe Vvirtembergenſium & Palatinorum; Aldeburgenſe inter Vvittebergenſes & Ienenſes, Argentinenſe Iacobi Andreæ cum Flaccio; Francкentalienſe Palatinorum cum Anabaptiſtis; Mompelgardenſe Iacobi Andreæ & Bezæ, Ratisbonenſe Hunnij & Ieſuitarum. Huc etiam pertinent Confeſſiones & Catecheſes Eccleſiarum à Papatu digreſſarum, hoc ordine. 1 *Auguſtana*. an. 1530. Carolo V. exhibita à Principibus & Ordinibus Proteſtantibus. 2. *Sueuica*; ſic dicta à quatuor vrbibus Sueuiæ vicinis, Argentorato, Conſtantiâ, Memmingâ, & Lindauiâ. Exhibita fuit Carolo V. in Comitiis Auguſtanis. 3. *Baſilienſis*; ſcripta à Baſilienſibus Germanicè, anno 1532. & ab Argentinenſibus approbata communi paſtorum ſubſcriptione. Hæc à Baſilienſibus anno 1561. eſt recognita: & à Mylhuſinis tanquam eius Eccleſiæ propria edita. 4 *Heluetica prior*; omnium Eccleſiarum Helueticarum nomine conſcripta, an. 1536. & per Bucetum & Capitonem ad Vvittebergenſem theologorum conuentum miſ-

ſa: annoque ſequenti 1537. Conuentui Smalcaldico vnà cum ipſius declaratione a Bucero propoſita, & à toto illo conuentu, theologis nimirum omnibus & Ordinibus Proteſtantium approbata. 5. *Saxonica*; an. 1551. Eccleſiarum Saxonicarum nomine a Philippo Melanchthone Latinè conſcripta, vt Synodo Tridentinæ exhiberetur. Huic non tantùm Eccleſiæ Saxonicæ & Miſnicæ, ſed & pleræque aliæ, tanquam repetitæ Auguſtanæ ſubſcripſerunt. 6 *Vvirtebergenſis*, ab Illuſtriſſ. principe Chriſtophoro, duce Vvirtebergico per legatos, 24. Ianuarij, anno 1552 congregationi Concilii Tridentini propoſita. 7 *Gallica*; anno 155 . Amboſiaci primùm Franciſco II. Galliarum regi omnium piorum eius regni nomine, deinde anno 1561 Poſſiaci Carolo IX rurſus exhibita: & tandem à paſtoribus eccleſiarum Gallicarum cum præfatione ad reliquos omnes euangelicos paſtores Latinè emiſſa 8 *Anglica*; inſerta apologiæ generali, [anno 1562. Anglicarum Eccleſiarum nomine conſcriptæ. 9. *Heluetica poſterior*, a Tigurinis paſtoribus anno 1566. conſcripta, & poſtea à confœderatis Bernenſibus, Scaphuſianis, S. Gallenſibus, Rhæticis, Mylhuſanis, Bielenſibus & Geneuenſibus, à Sabaudicis item, Polonicis, Hungaricis, & Scoticis Eccleſiis approbata & ſubſcripta. 10. *Belgica*; quæ Gallicè omnium eccleſiarum Gallo-Belgicarum nomine anno 1566. edita fuit: ac demum anno 1579. in publicâ Belgij ſynodo repetita, confirmata, & publicè verſa. Huius verſio Latina anno 1619. in auguſtâ Synodo Dordrechtanâ ab eccleſiis Britannicis, Palatinis, Haſſiacis, Helueticis, Vvedderauicis, Geneuenſibus, Bremenſibus, Embdenſibus & Belgicis fuit approbata. 11 *Bohemica poſtrema*; ex quatuor prioribus longè antiquioribus, eodem capitum & rerum ordine repetita, pauloque dilucidiùs expreſſ: annoque 1573. variis in locis edita. *Catecheſes præcipuæ* ſunt 1. *Lutheri*. ſcripta anno 1529. 2. *Embdana*. anno 1554. 3. *Bohemica* nomine Vnitatis fratrum ſcripta 4 *Polonica*. 5. *Palatina*, ſeu Heidelbergenſis, authoritate Friderici III. edita recepta in Palatinatu & Belgio 6 *Geneuenſis* 7. *Argentinenſis* Nunc accedamus ad *hiſtoriam Pontificum*; Nam Mahomete qui tanquam lupus vaſtat Eccleſiam, agetur infrà. Conſideramus autem Papæ Romani ætates quinque, hoc ordine Prima eſt *infantia* quam numeramus à fine decē Catholicarum perſecutionum (ante hoc enim tempus embryonis inſtar ſenſim conceptus fuit, inprimis tempore Victoris epiſcopi Romani circa annum Chriſti 192. de quo infrà) cùm pax Eccleſiæ eſt reddita, tempore Conſtantini M qui omnibus eccleſiis decimas de omnibus rebus ſoluere imperauit. Tunc temporis in aëre audita fuit hæc vox: *Hodie venenum infuſum eſt Eccleſiæ*, vt eſt apud *Naucleru lib. 2 generatione 11* quæ vox referenda eſt ad ſuperbiam paſtorum, quam diuitiæ parere ſolent Hæc infantia vires acquiſiuit, & firmior eſt reddita à Gregorio Magno, circa annum Chriſti 597 cùm ille titulum OEcumenici in Patriarchâ Conſtantinopolitano execraretur, & ſeruum ſeruorum Dei ſe hypocriticè vocitaret *lib. 1 epiſt.* 192. Hoc anno quatuor orientales Angeli, Patriarchæ nimirum Conſtantinopolitanus, Anthiochenus, Alexandrinus & Hieroſolymitanus ab Euphrate Babylonico ſunt auulſi: quâ diſſolutione procreatus eſt Mahumediſmus. Sed paulò altiùs repetamus huius articuli hiſtoriam. Tametſi Pontifices Romani magnâ animi impotentiâ ſuum *Plus Vltra* quærerent: tamen vſque ad Concilium Nicenum nihil efficere potuerunt, ita vt Pius II. ſeu Æneas Syluius epiſt. 301. dicat: *Ante Nicenam ſynodum paruus reſpectus ad Romanam Eccleſiam habebatur* In eâ Synodo conſtitutum eſt, vt in ſingulis prouinciis vna aliqua Eccleſia, & vnus aliquis epiſcopus primus & ſupremus haberetur, qui Metropolitanus vocaretur, quò commodiùs omnia adminiſtrari poſſent. Hâc occaſione Romanus epiſcopus factus eſt Primâs circumiacentium ſiue ſuburbanarum eccleſiarum, Carthaginenſis Africanarum, Alexandrinus Ægyptiarum, Antiochenus Syriacarum, Conſtantinopolitanus Græcarum, &c. Non præfert autem ea Synodus epiſcopum Romanum, ne vnico quidem ἰῶτα, Alexandrino, vel aliis. Hic tamen primus fuit gradus epiſcopo Romano ad altiora aſcendendi. Poſt hoc Concilium celebratur Carthaginenſe ſextum, anno 420. epiſcoporum 217. inter quos Auguſtinus, Proſper, Oroſius & Alij. Aurelius porrò Carthaginenſis epiſcopus, præcipuus totius Africæ metropolitanus præſedit. In eo tres Papæ ordine, ſummo ſtudio id egerunt cum ſanctis illis Patribus, vt ſibi iuriſdictionem in Africanas & alias Eccleſias concederent, hâc occaſione. Apiarius, ſacerdos Africanus, propter ſcelera excommunicatur à ſuo epiſcopo & ipſâ etiam ſynodo, confugit ad Papam, qui eum abſoluit, & Africanis, eum in communionem reciperent, præcepit. Papa is erat Zoſimus: qui vt ſtabiliret primatum & potiùs monarchiam ſuam, miſit ſuos legatos ad Synodum Africanam, qui cum illâ agant de bono Apiario recipiendo, & de appellatione epiſcoporum & ſacerdotum à ſuorum epiſcoporum, aut etiam ſynodi, ſententiâ, ad epiſcopum Romanum. Quò autem id facilius impetrarent, tanquam iam olim debitum Romano Pontifici ius & priuilegium, dedit eis Nicenam ſynodum falſatam, in quâ tale Priuilegium ſibimet Papa ſuo arbitrio adſcripſera Quid fit? Legati dicunt, Papam Rom. petere, vt canon ille (ſuppoſititius) Synodi Nicenæ ſeruetur. Patres Synodi Africanæ etſi abſurditate petitionis terrentur: tamen promittunt pacis cupidi, ſe iuxta Papæ petitionem facturos, ſi authentica Nicenorum canonum exemplaria nanciſcantur. Interea moritur hic falſator, qui non prætendit ius diuinum, neque etiam conſuetudinem annorum 400. ſed decretum Concilij Niceni. Actus ſecundus huius tragœdiæ incipit in Bonifacio I. ſucceſſore Zoſimi: qui per legatos ſuos magnâ contentione à Synodo petit, vt decreta Synodi Nicenæ ſeruentur. Patres negant, tale quippiam in ſuis Nicenæ Synodi exemplaribus inueniri. Tandem poſt varias altercationes concluſum eſt, vt petantur authentica Synodi Nicenæ exemplaria Conſtantinopoli & Alexandriâ: & vt interea, quoad afferantur, Papa nihilominus commentitiam iuriſdictionem exercere poſſit. Mittuntur legati ad patriarcham Conſtantinopolitanum & Alexandrinum, qui inde authentica exemplaria Synodi Nicenæ adferant. Interea temporis obit Bonifacius. Huic ſuccedit Cœleſtinus I. ſub quo incipit tertius actus tragœdiæ. Hic per eoſdem legatos vrget poſtulata ſuorum prædeceſſorum. Sed accipit hoc reſponſum, Apiarium non poſſe recipi, niſi de obiectis criminibus ſe purget, aut veniam petat, quod ille tandem fecit: addunt, exemplaria authentica, Conſtantinopoli & Alexandriâ per legatos allata, nihil habere de iuriſdictione Papæ: tandem concludunt, primam cauſarum eccleſiaſticarum cognitionem eſſe penes epiſcopos & metropolitanum, ſecundam penes Concilium prouinciale, vltimam penes vniuerſale, Papam verò nullam habere iuriſdictionem ſuper eccleſias Africanas. Atque hic fuit tertius actus iſtius Concilij, ſancto Auguſtino & aliis epiſcopis non indignus. Cœleſtino ſucceſſit Sixtus, & huic Leo I. cuius tempore celebrata eſt Synodus Chalcedonenſis, in quâ Anatolius archiepiſcopus Conſtantinopolitanus hoc obtinuit, vt eſſet vniuerſalis & ſupremus epiſcopus eccleſiarum orientalium, prolato ad hoc obtinendum decreto Synodi Conſtantinopolitanæ. Ægrè id tulit Leo I. vrgens ius metropolitanorum epiſcoporum conſtitutum in Concilio Niceno: diſſimilis hâc in re ſuis anteceſſoribus. Poſtea Romani Pontifices variis artibus effecerunt, vt ſibi ſubiicerent epiſcopos Africanos, Quod facilè obtinuerunt poſt mortem Auguſtini & aliorum qui Synodo VI. Carthaginenſi interfuerant.. Deinde *adoleſcentia* eſt à confirmato primatu, tempore Phocæ, anno Chriſti 600, vſque ad 800. tempore Caroli Magni. Hoc tempore Pontifices cum epiſcopis orientalibus de primatu contenderunt, variaſque nænias excogitarunt. *Iuuentus* roburque* eſt à Carolo Magno vſque ad annum Chriſti 1400. tempore Sigiſmundi Imperatoris, & Iohannis Huſſi. Hoc enim temporis tractu Papa Italiam à Pipino, Carolo Magno, & Ludouico Pio accepit, & iuriſdictionem temporalem cum ſpirituali * copulauit, in reges denique tantam poteſtatem ſibi arrogauit, vt illos pro libitu conſtituere, deſtituere, ac reſtituere poſſet. Iuuentutem excipit *ætas ingraueſcens*, ab anno Chriſti 1400. vſque ad annũ 1519 * Deniq; *ſenectus* eſt ab anno 1519. cùm Lutherus paulò antè, nimirum anno 1517. contra Indulgentias, cor regni Pontificij, ſcribere ac diſputare eſt aggreſſus. *Hæreticorum* catalogum ac velut arborem hæreſeon iam traditurus commodè in mentem venit quod Danæus ſcribit, Satanam eſſe radicem huius arboris: in trunco ipſius eſſe ſex patriarchas hæreticorum, videl. Simonem Magum, Valentinum, Cerdonem, Artemonem, Nouatum Operiſtam & Arrium: ramos denique principes eſſe duos, Mahometiſmum in Oriente & Meridie, Papiſmum in Occidente & Septentrione. Nam omnes hæreſes à Satanâ ſunt ita diſſeminatæ, vt per ſex illos patriarchas virus ſuum directè vel indirectè inſtillarit, Mahometiſmo denique & Papiſmo complexus ſit plurimarum hæreſium colluuiem. Conſule *Lambertum Danæum ſuper tractat. Auguſtini de hæreſibus*. Hic obſerua Philaſtrium Brixienſem epiſcopum ante Auguſtinum collegiſſe catalogum hæreticorum, in quo XXVII hæreſes commemorat, quæ fuerint in populo Iudaico ante Chriſti aduentum: & poſt eius aduentum CXXVIII. Nos colligemus hæreticorum ſyllabum iuxta ordinem ſeculorum à Chriſto nato. I Seculo fuerunt hi: Simon Magus, Nicolaitæ, Hymenæus, Philetus, Alexander, Hermogenes, circa annum Chriſti 51. Ebion ſtatim poſt excidium Hieroſolymitanum: Menander magus, Simonis diſcipulus: Diotrephes: Cerinthus II. Baſilides: Carpocrates, Gnoſticorum coryphæus, Saturninus: Aquila Ponticus & Theodotion interpretes Bibliorum: Valentinus: Marcion: Cerdon: Marcus, à quo Marcitæ, Borboriani: Stratiotini: Phemionitæ: Sethiani, ſeu Ophitæ: Caiani: Montanus, author Cataphrygum & Montaniſtarum: Tatianus, author Encratitarum: Seueriani III Praxeas, à quo Monarchici, & Patropaſſiani: Quartadecimani, falsò pro hæreticis proclamati: Helceſaitæ: Valeſii: Nouatus, à quo Cathari: Sabellius: Paulus Samoſatenus, epiſcopus Antiochiæ, anno 269. cuius aſſeclæ dicti ſunt ἀντιθεσιαϛαί; quò etiam pertinent Monarchiani ſeu Monarchici, Noëtiani & Patriſpaſſiani ſeu Patropaſſiani: Manes, à quo Manichæi, qui etiam Pauliciani & Attingani ſunt dicti. IV. Donatus, à quo Donatiſtæ: Arius, presbyter Alexandrinus vulgò Arrius, (quo nomine fuit & alius ipſi æqualis tempore ac malitiâ) Macedonius: Photinus: Acacius: Aëtius: Eunomius

Hæreti- Pontifi ũ qualis?

Eunomius: Ἀνόμοιοι: Πνευματομάχοι, orti à Macedonio: Luciferiani: Vrsicini: Anthropomorphitæ: Messaliani: seu Euchetæ: Apollinaris: Heluidius: Iouinianus: Priscillianus. V. Pelagius, à quo Pelagiani & Massilienses siue Semipelagiani: Nestorius: Eutyches: Acephali. VI Agnoëtæ, seu Iacobitæ: Theodosiani: Tritheitæ: Monophysitæ: Thepaschitæ. VII. Sepheritæ, iique Contobaptitæ, Theodosiani, Angelitæ, Petitæ, Cononitæ: Monotheletæ, in quibus Philoponus, philosophus & monotheleta: Ἀφθαρτοδοκῖται. Monotheletæ inprimis regnarunt hoc seculo. Nam & Heraclius Imp. & Constantinus inciderunt in hanc hæresin, & alii magnates eandem defenderunt. Sub initium huius seculi Papismus & Mahumetismus sunt orti. VIII Priscillianistæ reuiuiscunt hoc seculo. IX. Gnosimachi: Pauliciani & Attingani. X. XI. XII. Tribus his seculis nouæ hæreses non fuerunt exortæ, quæ quidem sint alicuius nominis. Plurimi verò Ordines Monachorum sunt enati. Seculo tamen duodecimo fuerunt Marontæ & Georgiani hæretici, item Paterni & Gazari. XIII. Almaricani: Albiani: Præpositimus: Armeni hæretici. XIV. Adamitæ. XV. Non fuerunt noui hæresiarchæ. XVI. Anabaptistæ, vt Thomas Münzer, Iohannes Leidensis, & alij: Caspar Schuuenkfeldt: Interimistæ: Seruetus: Georgius Blandrata: Franciscus Dauidis: Synergistæ: Valentinus Gentilis: Faustus Socinus. XVII. Anabaptistarum sectæ quatuordecim, vidil. Münzeriani, Apostolici, Separati, Cathari, Silentes, Enthusiastæ, Liberi, Adamitæ, Hutitæ, Augustinenses, Beuckeldiani, Melchioritæ, Georgiani, & Mennonistæ: Fanatici nuperi in Saxoniâ, putà Ezechiel Met cum consortibus. *Schismatum* historia nobis iam est attingenda. Vocamus autem hoc loco schisma separationem congregationis, quæ est inter homines eiusdem confessionis: quo nomine schisma differt ab hæresi, quæ articulum fidei conuellit. Sæpe tamen cum schismate coniuncta est hæresis. Schisma autem hoc in loco specialiter notat contentionem inter Pontifices RR. de sede Papali. Huiusmodi schismata inde ab anno Christi 252 numerantur octo & viginti. *Schisma I.* anno 252. quo contra Cornelium episcopum Romanum creatus est quidam Nouatianus: qui tamen ob hæresin istam Ecclesiâ est pulsus. *Schisma II.* anno 355. quo Felix Episcopus Romanus 36. Liberio pulso à Constantino Imp. Ariano est suffectus. Liberius tamen anno 57. exilij tædio & Imperatoris beneficio illectus Arianis contra conscientiam subscribit. Ei Felix sponte cedit. Hoc schisma ab Vrsicino continuatur. *Schisma III.* anno Christi 420 quo contra Bonifacium I. episcopum Romanum 40. creatus est Eulalius: qui coactus abdicauit, mense tertio, factus episcopus in Campaniâ. *Schisma IV.* anno 498, quo Symmachus magnâ cleri discordiâ episcopus Romanus electus ob competitorem Laurentium, qui cùm sedisset annum vnum cedere coactus, fit episcopus Nucerinus. *Schisma V.* an 530. quo Bonifacius II. non sine contentione episcopus Romanus electus, Dioscoro nonnullorum suffragijs in Felicis locum surrogato: quo tamen post 28. dies extincto restituitur. *Schisma. VI.* anno 537, quo Vigilius fit espicopus Romanus Syluerio deturbato. *Schisma VII.* anno 686. quo Conon Papa per contentionem est electus, clero Petrum archiepiscopum, exercitu Theoderetum Presbyterum nominante. *Schisma VIII.* an. 687, quo Sergius I. magnâ seditione electus, pulsis Theodoro & Paschali. *Schisma IX.* an. 757. quo contra Paulum Papam electus est Theophylactus, qui sedit aliquot duntaxat dies. *Schisma X.* an. 767. quo Philipus fit Papa contra Constantinum qui Pontificatum armis & muneribus adeptus, anno seq. à successore Stephano excæcatur. *Schisma XI* anno 824. quo Eugenius Papa non sine discordiâ electus, Antipapa fuit Zinzinus. *Schisma XII.* an. 856, quo Anastasius III. fit Antipapa, contra Benedictum III. qui flens sellam Pontificiam ascendit: ⋆ *Schisma XIII.* anno 891, quo Formosus non sine grauissimo dissidio Pontificatum consecutus est: cùm quidam Sergium Diaconum elegissent: quem, cùm iam consecrandi gratiâ ad altare admoueretur, contumeliosè detractum Formosiana sectio expulit. Vnde totus Formosi Pontificatus assiduis Sergianorum factionibus fuit molestatus *Schisma XIV.* an. 905. quo Leo V. Papa fuit electus, & contra eum Christophorus, qui Leonem de gradu deturbauit. *Schisma XV.* an. 956. quo Iohannes XII. ab Otthone I. Imperatore propter scelera fuit exauthoratus, à cognatis & clientibus suis restitutus, tandem ab adulterę, cum qua deprehensus erat, marito confossus. *Schisma XVI.* an. 963. quo Benedictus V. contra Leonem VIII. fuit electus. *Schisma XVII.* anno. 995. quo Gregorius V. Saxo Pontifex electus, à Crescentio deturbatus, sed ab Otthone III. restitutus fuit. *Schisma XVIII* anno. 1045, quod Syluester III. largitionibus Pontificatum adipiscitur, sed post 49. dies à Tusculanis impetu facto deturbatur. *Schisma XIX.* an. 1058. quo Benedictus à Tusculanis Comitibus Pontifex creatus, renitentibus Cardinalibus, sed à successore & Hildebrando deturbatus fuit. *Schisma XX.* anno 1061. quo Alexander II. Papa est creatus. Contra hunc Antipapa electus Honorius II qui frustra vrbem obsedit magno cum exercitu. *Schisma XXI.* an. 1080. quo Clemens III. ab Henrico IV. Cæsare, Papa fuit creatus contra Gregorium VII. facem illam bellorum ciuilium. Hoc schisma durauit annis 21. Nam an. 1086. Victor aduersus Clementem III. in locum Gregorij VII. seu Hildebrandi surrogatur: & anno 1099. Paschalis II. itidem contra Clementem III. eligitur. Contra Paschalem II. in locum Clementis III. surrogatur anno 1100. Albertus Atellanus, qui coactus se abdicauit hoc munere: vt & eius successor Theodoricus. Post hunc electus Syluester III. quo post paucos dies extincto, schisma hoc finitur. *Schisma XXII.* an. 1118. quo Gelasius II. absque consensu Imperatoris Papa fuit electus: Gregorius VIII. Antipapa contra Gelasium ab Henrico V. creatus: sed à Calixto II. captus, qui contra hunc Gregorium Papa est electus anno sequente. *Schisma XXIII* anno 1124, quo Honorius II. magnâ contentione Papa est electus, Celestinus Antipapa creatus. *Schisma XXIV* anno 1130, quo Innocentius II. Papa electus, sed Anacletus II. contra eum Antipapa renuntiatus, & anno 1138. Victor. IV. Antipapa Anacleto suffectus. *Schisma XXV.* anno 1159. quo Alexander III. Papa electus, Victor IV Antipapa creatus: & anno 1164. Paschalis III. Victori suffectus contra Alexandrum. *Schisma XXVI* anno 1328. quo Nicolaus V. contra Iohannem XXII. Antipapa creatus, quo tempore sedes fuit translata Auenionem in Gallias, vbi permansit an. 72. *Schisma XXVII.* an. 1378. omnium grauissimum, annorum 50. quo tempore sedes Apostolica fuit biceps, vna Romæ, altera Auenione. Vrbanus VI. ab Italis Papa electus, sedit Romæ; Clemens VI. à Gallis Papa electus, sedit Auenione. Vrbano suffectus fuit Bonifacius IX. qui instituit Annatas, hoc est, pensiones primi anni Pontifici ex Ecclesiasticis beneficiis pendendas, quæ res Papas vrbis & orbis effecit dominos. *Schisma XXVIII.* anno 1439. quo Eugenius Papa à Concilio Basiliensi ter citatus, cùm non compareret, Pontificatu est motus, & suffectus Felix IV. qui Nicolao V. eam dignitatem resignat. Iam dicamus aliquid *de Iudæorum Doctoribus*. Principiò hîc memineris obseruationis istius Thalmudicæ: *Rabbi maior est quàm Rab, & his maior Rabbénu, Syriacè Rabban, est, magister noster.* Et Rabban illi tantùm vocati leguntur, qui fuerunt נשיאים *principes*. *Ribbi* dicuntur informatores puerorum. *Mar* est appellatio Babylonica, vt etiam *Rab.* Qui nomine suo apud Iudæos nominatur, major est quàm Rabban. v.g. Simeon Iustus, Hillel senior. Denique summus dignitatis titulus inter Iudæos est *Morenu*, id est, magister noster. Porrò Doctores Iudæorum inde à Mose vsque ad Talmud confectum appellantur Kabbalistæ, quos hoc ordine doctrinam propagasse dicunt inde à Mose, seu à monte Sinai. 1. Moses. 2. Iosua. 3. Phinees. 4. Eli. 5. Samuel. 6. Dauid. 7. Abihu Silonites. 8. Elias. 9 Elisæus. 10. Ioiadas. 11. Zacharias. 12. Hosea. 13. Amos. 14. Elias. 15. Micha. 16. Ioël. 17. Nahum 18. Habbacuck. 19. Zephania 20. Ieremias. 21. Baruch. 22. Esdra cum viris Synagogæ magnæ, qui fuerunt CXX. ex quorum reliquis fuit Simeon hazzadik, id est, Iustus, annis 312. ante Christum. Ante hunc (annis 38. ante Christum) contigit *Chasimat chason*, id est, obsignatio visionis seu prophetiæ. 23. Antignas isch Socho, annis 300. ante Christum. Ante hunc collocatur Ieschua ben Sirach, annis 310 ante Christum. 24. Iose ben Ioëser, an. 260. ante Christum. Post hunc collocantur LXXII. interpretes, qui numero rotundato dicuntur LXX. annis 257 ante Christum. 25. Iehoschua ben Petachaia, & Nitthai Arbelites, annis 200. ante Christum. 26. Iehuda ben Tabbeai, & Schimeon ben Schatah, annis 139. ante Christum. 27. Schemaia & Abtalion, Gere Zedek, annis 38. ante Christum. Ante hos floruit Iudas Maccabæus, ante Christum 138. 28. Hillel & Schammeai, annis 32. ante Christum. Qui iam sequuntur, vixerunt post Christum. 29. Rabban Iochanan ben Sakkai & R. Schimeon ben Hillel. 30. Rabban Gamliel primus. 31. Rabban Schimeon secundus. 32. Rabban Gāliel secundus 33. Rabban Schimeon tertius. 34 Rabbenu Haccadosch, qui sic vocatur ob doctrinam & sanctitatem (scilic. Pharisaicam) eximiam: aliâs *Nasi*, id est, princeps, quia fuit præses Sanhedrin, id est, Senatus Magni in terrâ Israël, prognatus ex posteritate Hillelis Senioris, qui genus suum retulit ad Dauidem. Iste Rabbenu Haccadosch omnes maiorum suorum *παραδόσεις, traditiones*, siue Kabbalam, redegit in vnum volumen, sex partibus distinctum, quod postea Talmud, id est, doctrinale, fuit vocatum. Sed videamus Chronologiam præcipuorum Rabbinorum N.T.

Historia Doctorũ Iudæorũ qualis?

Anno Christi.

1 Rabban Schimeon I.
10 Rabban Gamaliel, præceptor S. Pauli.
58 Rabban Schimeon II.
69 Ioseph Ben Gorion: Iosippus.
73 Rabban Gamaliel II.
80 Rabbi Akifa proselytus.
90 Onkelos paraphrastes Chaldæus.
121 Rabban Schimeon III.
150 Rabbenu Hakkadosch, author Mischnæh.
230 R. Iochanam, author Talmud Hierosolymitani.
358 Hillel Hannasi, author Kalendarij Hebraici.
367 Rab Asse, author Talmud Babylonici; qui est Papa Hebræorum.

500 Obſignatio Talmud Babylonici.

1070 Rabbenu Gerſchon claruit.

1105 Rabbi Schelomoh Iarchi Gallus, qui commentatus eſt in vniuerſa Biblia Hebr. & Talmud.

1106 Rabbi Nathan qui Baal Aruch dicitur, quòd ſcripſerit Aruch, id eſt, Lexicon Talmudicum. Paulò poſt hæc tempora concinnata eſt Chronologia Iudaica, quæ dicitur *Seder Olam.*

1167 Rabbi Moſche Bar Maimon: quem collectis literis initialibus vocant Rambam רמבם.

1174. Abben Eſra, qui ſcripſit in tota Biblia Hebræa.

1190 R. Dauid & Moſche Kimchi fratres, Grammatici Hebræorum doctiſſimi.

1427 Maharil primus Morenu.

1460 Rabbi Lipman blasphemus. Et paulò pòſt R. Abraham aſtrologus vaniſſimus, qui prædixit aduentum Meſſiæ anno Chriſti 1464.

1533 R. Ioſeph Molchu, apoſtata: exuſtus Mantuæ, quòd Carolo V. aliiſque magnatibus religionem Iudaicam perſuadere voluerit.

1547 Elias Leuita: qui ante mortem Chriſto nomen dedit, adductis ſecum aliis triginta Iudæis ad ſuſcipiendum baptiſmum.

Plures Rabbinos vide *in theatro Heluici, & in Harmoniâ Euangeliſtarum Doctoris Iohannis Moltheri.* De Maſſoritis Iudæorum hîc non eſt ſilentio prætereundum, illos anno ſalutis noſtræ 476. apud Tiberiadem Palæſtinæ incredibili diligentiâ contuliſſe inter ſeſe exemplaria Bibliorum Hebraicorum, & obſeruaſſe, quoties ſingulæ literæ occurrant in his vel illis libris Biblicis, quot ſint verſus huius vel illius libri, & denique lectiones marginales, quarum ſunt 848. in V. T. examinaſſe: ita vt rectè dicant Hebræi, Maſſorah eſt ſeptum legis. Hâc de re inſigne eſt Canticum apud *Hugonem Broughtonum Anglum in commentario ad Danielem.* Penultimo loco videbimus Monachos, qui vel fidi fuerunt bibliothecarii, vel homines deuoti & abſtracti, vt vocantur, vel ignaui fuci, vel domicilia hypocriſeos & ſuperſtitionis. Intelligimus autem hîc vocabulo monachi tum viros, tum fœminas illas, quæ voce Ægyptiâ appellantur Nonnæ: neque tantùm cœnobitas, vt vocant, ſed etiam eremitas & anachoretas. Monachi autem iſti fuerunt vel in oriente, vel in occidente. In oriente primi & præcipui fuerunt hi. Paulus Thebæus Eremita primus, qui ob perſecutionem in eremo manſit vſque ad tempora Conſtantini M. Thebæum ſecutus eſt Antonius paulò ante Conſtantini M. tempora. Eum ſecuti ſunt Hilarion in Palæſtinâ & Syriâ, Paulus Simplex, Amon Ægyptius, Macarij duo, Pambo, Paphnutius, Apollonius, & alij, de quibus ἱστορικώτατος Hoſpinianus libris 6. de origine & progreſſu monachatus. Horum monachorum reliquiæ ſunt monachi Turcarum. Sergius enim, cuius operâ Mahomet in conſcribendo ſuo Alcorano eſt vſus, fuit monachus Neſtorianus, qui multos ſui ſimiles plantauit. Sunt autem tres monachorum ſectæ apud Turcas. 1. Quidam latitant in angulis templorum, lucemque fugiunt. 2. Quidam iactitant viſiones. 3. Quidam ſunt meditatiui. Solent autem plerumque petere eleemoſynas: & quidam ob ſeruandam caſtitatem pudenda includunt annulo æreo trium librarum, vt *Georgieviz de moribus Turcarum* tradit. Monachi occidentis varias in familias & ordines inſtar lolij luxuriantis abierunt. Pater autem omnium monachorum occidentalium eſt Benedictus, circa an. Chriſti 500. Hic peperit Ordinem Benedictinorum, qui mox à principio, & inde per an. 600. valde cœpit multiplicari, referente Trithemio, qui teſtatur, ſuo tempore, i. e. circa an. 1500. hunc Ordinem habuiſſe monaſteria quindecies mille & ampliùs, quæ habuerint Abbatias. Volaterranus ſuo tempore numerauit 24 Pontifices ex hoc Ordine, Cardinales 200, Archiepiſcopos 1600, Epiſcopos 4000, Abbates ſcriptis celebres 15700, Sanctos Canonizatos 15600. An. 745. in Britanniâ introductus eſt Ordo Apoſtolicorum, ad exemplum monachiſmi Ægyptij à Pelagio introducti. Ex Ordine Benedictinorum prodierunt Ordines Gregorianorum & Gerundinenſium, & alij circiter 21, qui omnes militant ſub regulâ Benedicti, quam ille 73. capitibus comprehendit. Fuit autem iſtius Benedicti Ordo inde à Iuſtiniani Imperio vſque ad Conradi I. Imp. tempora ſub vnâ iſtâ regulâ, per annos ferè quadringentos. Ab illo verò tempore, hoc eſt poſt annum Chriſti 900. vſque ad 1197. in plures regulas eſt diuiſus: è quibus Ordinibus primus, qui ſeceſſionem à Regulâ Benedicti fecit, eſt Cluniacenſis. Reliquos vide apud Polydorum Virgilium. Iam videamus Ordines monachorum, qui poſt annum Chriſti milleſimum ſunt inſtituti.

Historia monachorum qualis?

Anno Chriſti

1012 Ordo Camaldulenſis in Italiâ.

1040 Ordo Vallis vmbroſæ.

1043 Ordo Syluestrinorum.

1076 Ordo Grandimontenſis.

1080 Ordo Carthuſianorum.

1090 Ordo Hoſpitaliorum.

1095 S. Antonii de Viennâ.

1098 Ordo Ciſtercienſium: cui affinis eſt Ordo Bernardinorum.

1110 Ordo Templariorum.

1117 Ordo Humiliatorum: & Templariorum.

1119 Ordo Præmonſtrantium.

1148 Ordo Gilbertinorum.

1137 Ordo Robertinorum.

1160 Ordo Carmelitarum.

1190 Ordo Teutonicus: in quo fuerunt primò equites Iohannitæ ſeu Hieroſolymitani: qui poſtea conceſſerunt Rhodum, vnde Rhodij ſunt dicti: tandem Rhodo amiſſâ Melitam ſe receperunt, vnde equites Melitenſes dicuntur.

1208 Ordo Franciſcanorum, ſeu Minoritarum.

1217 Ordo Dominicanorum, ſeu Prædicatorum.

1260 Ordo Flagellantium.

1280 Ordo Seruorum Mariæ.

1365 Ordo Ieſuatorum.

Præter hos ordines ſunt innumeri alij; videl. Ordo Ieiunantium, Auguſtinenſium, Cruciferorum, Lazaritarum, Calatrauenſium, Compoſtellanorum, Mendicantium, Vvilhelmitarum, Sepulchritarum, Gladiatorum, Militiæ S. Mariæ, S. Claræ, Vallis Scholarium, S Brigittæ, Eremitarum S. Pauli, Bethlehemitarum, Cœleſtinorum, Fratricellorum, Militum IESV CHRISTI, Equitum ſtellæ, S Catharinæ, S. Hieronymi ſeu Eremitarum Hieronymianorum, Albatorum, Saluatoris, Turlupinorum ſeu Paupertatis, Montoliuetenſium ſeu Montis Oliueti, Canonicorum Regularium S Marci, Canonicorum S. Georgij, Mendicantium S. Hieronymi, Sancti Spiritus, Canonicorum Lateranenſium, S. Iuſtinæ, S. Ambroſii ad Nemus, Minimorum Ieſu-Mariæ, Pœnitentium mulierum ſeu meretricum, Annuntiationis B. Mariæ, Mauritianorum Equitum, Equitum Lunæ, Equitum S. Michaëlis, Indianorum, Peregrinorum, Theatinorum, Paulinorum, Ieſuitarum denique & Cappucinorum, qui duo poſtremi Ordines ſunt veluti Sol & Luna inter monachos, & reliqui tanquam ſtellæ minores: quanquam Ieſuitæ nolunt eſſe monachi. Præter hos monachorum ordines ſunt & alij, centum & ampliùs. Ad extremum in hiſtoriâ N. T. oportet diſpicere, quinam fuerint *teſtes veritatis*, inde à Chriſto ad noſtram vſque ætatem: id eſt, qui puram religionem amplexi fuerint. Illos prolixè & accuratè deſcripſit *Matthias Flaccius Illyricus in Catalogo Teſtium veritatis*, quem Simon Goulartius recenſuit & auxit. Nos quoque ſuprà in recenſendis Patribus & Scholaſticis multos nominauimus, & infrà plures nominabimus. Atque hoc eſt tempus Eccleſiæ Noui Teſtamenti, de quo pij & docti quidam viri ſic docent. CHRISTVS vixit in his terris $34\frac{1}{2}$. annis, quibus reſpondent totidem Iubilæi, quibus Eccleſia videtur militatura in hâc miſeriarum valle. Efficiunt autem iſti Iubilæi annos 1688, ſi cum Scaligero & Büntingo tribuas Iubilæo annos 49. quod omninò fieri oportere, infrà in Chronologiâ euicimus. Quemadmodum itaque CHRISTVS primo anno fuit natus, duodecimo amiſſus à ſuis parentibus, & inde priuatam vixit vitam, ac veluti latuit vſque ad annum 30. quo baptizatus eſt, & munus ſuum obiuit docendo, & miracula faciendo: ita CHRISTI Eccleſia primo Iubilæo nata & propagata eſt ſono Apoſtolorum per vniuerſum terrarum orbem: quem deinde Iubilæo duodecimo completo Eccleſiæ CHRISTI maximam partem perdiderūt Mahometo exoriente. Pauci ergo anni ſuperſunt ad panegyrim illam extremi iudicij. Quam piam meditationem non velim ſic accipi, quaſi momentum vltimi iudicij hoc modo definiatur, ſed ita, vt nos excitet ad meditationem illuſtris illius aduentus; quem ex variis ſignis colligimus inſtare, atque, vt ita dicam, eſſe præ foribus. Atque hæc ſunt ſumma capita methodi hiſtoricæ in theologicis: ad quæ quidquid eſt hiſtoriarum theologicarum, commodè referri poſt,

Auctarij loco adijciemus XIII Hymnos hiſtoricos G. Fabricij.

I.

HEROVM VITA.

ADAM *Dei factus manu,*
Primus pater mortalium:
Dolo colubri perditam
Fide recepit gratiam.
Tu martyr, ABEL *maxime,*
Manu infideli concidis:
Sed te manent cœleſtia
Vita beata præmia.
Mœſto patri, mœſtoque avo
Optata præſtans munera,
Inſtaurat ENOS *inclita*

Tristem ruinam Ecclesiæ.
Deo placens per arduum
Sublatus HENOCH *ætherem,*
Expers necis, vitæ docet
Restare longæ gaudia.
Quotquot fuêre, quotq; erunt.
Annosior MATHVSALA,
Cui ne perire cerneret
Orbem, ipsa mors victoria.
At præco iustus enatas
Vndis NOAē *furentibus:*
Ab orbe seruauit gregem
Deus piorum condito.
Serua, Pater, tumultibus
Et nunc in his cœtus pios,
Contra furores omnium
In te Deus pugnantium.
Tum nos beatorum sacra
Hinc transfer ad consortia,
Vt nostra quæ spes præcipit
Fide assequamur gaudia.

II.

PATRIARCHARVM FIDES.

SEM *partus optimus Noe,*
Cultor patris, cultor Dei,
Fert pro pudore, & patrio
Longæua amore præmia.
At EBER *indens posteris*
Nomen suo de nomine
Regit senili turbidam
Auctoritate Ecclesiam.
Exempla PELEG *aspicit*
Confusionis horrida:
Et THARA *gaudens in suo*
Factus celebris filio
Abram Patri, ABRAHAM *Deo*
Dictus, probatus, cognitus:
Senex fidelis, omnium
Magnus pater credentium.
Patris sarissam sustinet
Obedienter ISACVS,
Non insciens fide, Deum
Posse excitare mortuos.
Nihil malorum non tulit
IACOBVS *exul seruiens,*
Deiq; plenus Spiritu
Futura posteris canit.
IOSEPHVS *in lacu, Deo,*
Calumniaq; & vinculis,
Fidens, gerit mox aureum
Monile, byssum regiam.
Nobis eandem, mî Deus,
Benignus imperti fidem,
Iussis tuis alacribus
Vt pareamus mentibus.

III.

PATRVM GLORIA.

IVDAS *amore cognitus*
Dei, Leonis feruidi
Virtute, genti de suo
Nomen relinquit nomine.
Qui gratulantur nuptiis
PERIS *precantur gloriam*
Domus, & huius pronepos
Fit magni Aaronis socer.
Non abiicit gentes Deus,
Iungit Syram qui SALMONI.
Arabam BOOZO *coniugem:*
Ignobiles potentibus.
ISAIVS *armis educat*
Fortes ad arma filios:
Sed DAVIDEM, *gratum Deo,*
Gregi pusillum præficit.
Selua decus gentis tuæ,
Seu sunt gerenda prælia,
Pulsanda seu templis chelys,
Vatesq; Rexq; maxime.
De cuius ortu prodit,
Conceptus à flatu sacro,
Natus puella virgine
CHRISTVS *salus fidelium*
Da nos ad hunc attollere
Et corda, & ora & lumina,
Qui das Patrem nos noscere,
Natumq;, sancte Spiritus.

IV.

DVCVM POPVLI MAGNANIMITAS.

MOSES *papyreto iacens*
Dux excitatur, & mare
Virgâ secans, Ægyptios
Vidit perire principes.
Vidit cohortes inuidas
Et turbulentas, viscere
Telluris haustas, & nigris
Viuas receptas sedibus.
Cum fratre frater sicuti
Miscet loquelam, cum Deo
Sic verba sæpius facit
Sina atq; Orebo montibus.
In monte viuens Thaboris
Apostolos in vertice
Confirmat, & Christo suæ
Diuinitatis testis est.
Virtus CALEBI *viuida*
Durat senili in corpore:
Non saxa plebis horrüit,
Aut vim gigantum palluit.
Inuictus ore, pectore,
Fatur, facit q; fortiter,
Fideque monstrat posteris,
Quam sit bonum, sequi Deum,
Te IOSVA *omnium ducum*
Virtute felicissimum
Sol audiit, iussu & tuo
Decliuis orbe constitit.
Amnis moratus paruit,
Deditque militi viam.
Triginta & vnus sunt tue
Mucrone reges mortui.
Terris dedisti limites.
Et erudisti principes:
Vtrumque doctor optimus
Bellator inque territus.
SALMON, *salutis prodigus,*
Perlustrat hostilem plagam,
Et fune missus mœnibus
Dignam hospite fert gratiam.
RAHAB, *ministra Ecclesiæ,*
Illustris in torum viri
Locatur, inter nobiles
Posthac celebris fœminas.
Da Christe cunctis seculis
Heroas acres, seu manu
Tuendâ, seu verbo tuæ
Regnum decusque Ecclesiæ.

V.

IVDICVM VIRTVS.

OMNIS *subacta gens, Deo*
Aduersa, sensit cœlitus
Victoriam dari, & nihil
Magnis inesse viribus.
Fratris Calebi filius,
Gener Calebi factus est
OTONIEL, *qui Chusanem*
Euphratis ad ripam fugat.
EHVDVS *ense traiicit*

Pinchuem

Pinguem Moabum, & occupans
Iordanis armatus vada,
Hostes minaces contulit.
Ducem Chananæum quid iuuant
Currus & arma? vincitur
DEBORA ductu qui tuo,
Dextraque cadit fœminæ.
In Madianitas feros
Iussu Angeli exit GEDEON,
Et, antè inauditam, refert
Ollis tubisq; gloriam.
Audi Ammon, æqua flagitat
Te IEPHTHA: sed spernens Deum
Succumbis, ereptis tibi
Lugens bis vrbibus decem.
SAMSON Philistæos agros
Qui vulpe vastat milite,
Tandem potentes satrapas
Euertit vnaq; occidit
Heu lenitas HELI tua,
Qui filius stultè impiis
Perdis fauendo Ecclesiam,
Tuamq; subruis domum.
Nil à Deo HELCANA satus
Frustra petiuit: militem
Strauit Tyri qui fulmine.
Regemq; seruatum manu.
Hostes Dei atq; Ecclesiæ
Iustis vt armis concidant.
Mundi hoc supremo tempore.
Regnator ô Christe effice.

VI.

REGVM FELICITAS.

GENS libera, & manu Dei
Defensa mirè cœlitus,
Deum abijcit, gentilium
Ritúq; regem postulat.
SAVL, antè clitellarius,
Rex à Prophetâ inungitur,
Submissus & quod accipit
Regno superbus excidit.
Greges modò qui pauerat
DAVID; coronam regiam
Gestat, secundum cor Dei
Vir, maior omni carmine.
A PACE dictus filius
Non copia aut scientia
Tulit parem: sed coniugi
Idola struxit impiæ.
Heu, monte eodem cernitur
Templum Dei illustrissimi,
Et turpis Astartæ, omnium
Demoliendum dexteris.
Reges superbos deijcit,
Libidinosos conijcit
In contumeliam, impios
Euertit & punit Deus.
O rector alte cœlitum,
Regumq; rex potentium,
Tu regna serua quæ tuo
Vicissim honori seruiunt.

VII.

PROPHETÆ GVBERNATORES.

ECCLESIAM expertem, suæ
Non esse mentis vult Deus,
Caliginosâ nec premit
Ventura nocte tempora.
Vates sacrato nomine
De puluere & luto excitat.
Effert eosdem honoribus
Ornatq; bysso & annulo.
IOSEPHVS ereptus lacu,
Toro & proteruæ fœminæ,
Regit Canopum, & barbaros
Docet Bubastis principes.
MOSES per vndas & loca
Deserta ducit subditam
Gentem Deo, deq; omnibus
Certus triumphat hostibus.
Sanguis parentis optimæ
SAMVEL, repulsa interritus,
Saulum vngit, atq; deijcit.
Dat sceptra digna Dauidi.
Cum regibus thronum simul
DANIEL tenebat Persicis,
Dans debitum regi, & Deo
Laudem atq; cultum altissimo.
O nominis semper Dei
Amici, & incolæ domus,
Pusilla quamuis nomina,
Et imperent & floreant.

VIII.

PROPHETÆ DOCTORES.

OMNIS Propheta doctor est,
Et mentis interpres Dei:
Eiusq; munus, abditæ
Est cura conscientiæ.
MOSES, Prophetarum decus
Legis minister factus est,
Scriptis sed æternum Dei
Idem celebrat filium.
Non cura regni, bellaq;
Bellata magno DAVIDI,
Suauem morata barbiton,
Et aureæ plectrum lyræ.
SAMVEL, ELIAS, & patris
Linquens aratrum, publicis
Ludis magistri, de Deo
Mentes docebant simplices.
GADVS reprendit Dauidem,
Eiusq; NATHAN filium
Vngit, modò quem litteris
Formarat atq; moribus.
Christum ISAIAS concinit
Natum, sepultum, mortuum,
Eumq; gaudet denuò
Cœlo receptum viuere.
OBEDVS infantum gregem
A cæde seruat impia:
IEREMIASQVE patriæ
Vidit ruinam, & questus est.
Audite gentes, credite,
Vobis adest regnum Dei:
Quod THECVITES (plaudite)
ZEPHANIASQVE nunciant
Audite, Bethlâ dux gregis
Verbo MICHEÆ prodiet,
ZACHARIAS quem prospicit
Asino sedere pauperem.
De pace dicet, inferos
Mortemq; victor vinciet,
HAGGEVS hoc solatium
Ingens OSEASQVE edidit.
Fundet sacratum Spiritum.
Vero IOHELIS carmine,
Lethoq; functa, HEZECHIEL.
Est testis, ossa colliget.
Mittet IOHANNEM nuncium,
Vitæ parantem semitam:
Stat Christus in templo, pius
Non decipit MALACHIAS.
O Christe, decedas sacris
Nunquam ædibus: nec seculis,
Qui buccinent nomen tuum
Desint Prophetæ in vltimis.

IX.

PROPHETÆ MARTYRES.

CARCER, cathenæ, compedes,
Saxum, sarissa, serraq;,
Sanctis & immerentibus
Dantur Prophetis præmia.
Manu MICHEAS cæditur,
AMOS flagellis: verba quòd

Malis loquentes libera
Non parcerent hypocritis.
Vt viuat, vt regnet Ioas,
Fidus ſacerdos efficit:
Sed rex merentis optimè
Pium necauit filium.
Non ISAIAM *regia*
Iuuit bonum propinquitas,
Quem ſerra perditiſſimi
Secat Manaſſe lignea.
Plagas, ſpeluncam, vincula
IEREMIAS *domi tulit,*
Captamq́; ſolatus foris
Plebem, lapidatus perit.
Vatis quòd VRIA *pij*
Cauſſam tueris fortiter,
Ægyptio tractus ſolo
Graui feriris vulnere.
Maior IOANNES *omnibus*
Qui ſunt, fuère, & poſtea
Sequentur, immaniſſimi
Herodis enſe tollitur.
Eſt nempe vita dulcior,
Magis beata, certaq́;,
In quâ Deus dabit ſuis
Maiora ſeruis præmia.

X.

PII GENTIVM REGES.

SVBMISIT *aures ſceptráque*
Rex DELICATVS *hoſpiti*
Ionæ: monentémque audiens
Deum, trementi parcitur.
Seruatur vrbs, dum pœnitet:
Sed priſca vitæ crimina
Redintegrans, hoſtilibus
Paulò interit pòſt ignibus.
Rex MAGNVS *(heu) ſuperbiens*
Bruteſcit, atque pabulum
Siluæ metens, non vnius
Imaginem fert belluæ:
Sed redditus ſibi, Deo
Grates canit, Deum coli,
Cœlo ſolóque maximum,
Gentes per omnes præcipit.
Hinc MERODACHVS *patrium*
Ritum ſequens, à ſatrapis
Eccleſiam quòd liberat,
Stulti notatur nomine.
O munde, ſemen Satanæ,
Infeſte ſupremo Deo,
Piis inique regibus
Viris atrox ſanctiſſimis.
DARIVS *è lacu extrahit*
Sanctum prophetam proq́; eo
Flet excubans: à beſtiis
Praui vorantur æmuli.
Nutritus à CANE *(vt ferunt)*
Reddit Deo & templo decus,
Gentemque donat libram
Serubabeli principi.
Felix EBRÆA *coniuge*
Rex, punit hoſtes nominis
Dei, & per Eſdram reddidit
Legem, hoſtias, connubia.
Vrbis iubet LONGIMANVS
Purgare ſacræ rudera,
Et adiuuat Nehemiam
Portas ſtruentem ſumptibus.
Confiſa principi ſuo
Cœlum tenenti, Eccleſia
Laborat, & non concidit:
Iactatur, & non mergitur.
Hæc inter hoſtes ſeculo
Vt perſtet extremo quoq́;
Da Chriſte & eius ſubiice
Regno tyrannos exteros.

XI.

PROPHETÆ GENTIVM

DOCTORES.

NON *gratia anguſtis Dei*
Clauſa eſt, fuitq́; finibus,
Promiſſa cunctis gentibus,
Non tantùm Ebræis debita.
IONAS *fugax compellitur*
Ninon docere regiam,
Intra dies cœleſtibus
Paucos vorandam ab ignibus.
Rex audit, & pro byſſinâ
Sumit lacernam lugubrem,
Regem ſequuntur agmina
Proſtrata luctu ciuium.
Nec natus HELCIÆ *minus,*
Eiuſq́; ſcriba, crediti
Sunt inter ipſa vincula,
Monſtraſſe verum Ægyptiis.
Vnum potentem Spiritu,
Mente & prophetica virum,
Intenta & ore & auribus
Chaldæa tota ſuſpicit.
Ille Imperatores docet,
Mutata cernens tempora:
Idem futurorum ſciens
Faſtos ſequentes ordinat.
Tu PAVLE, *doctor Gentium,*
Volans per orbis circulum
Greges agis, quot ante te
Nemo omnium mortalium.
A Solis ortu ad veſperam
Quâ cingit ambitus maris
Terras & aduersâ viri
Quâ calce nobis ambulant,
Eſt audiendus omnibus
Deus locis, ſeruandaq́; eſt
Gens ſparſa per mundum piis
Cœlum replendum ciuibus.
Te noſtra, Chriſte, vox canit,
Qui nos malignum & deuium
Vulgus receptiſti quoq́;
Regni in tui conſortium.

XII.

APOSTOLI MARTYRES.

CHRISTVM *ſecutos omnium*
Teſtes cano diſcriminum,
Veros & eiuſdem nece
Reſuſcitati nuncios.
Audit docentem Cappadox,
Et ora Ponti, te PETRE,
Verſæ trabi qui figeris
Tandem, Nerone iudice.
Hunc fortis ANDREAS *ſequens*
Iſthmum replet, Patrenſeq́;
In vrbe non fratri imparem
Vidit necatus exitum.
IACOBE *magne, qui tuos*
Doces Ebræos, inuidis
Linguis calumniantium,
Herodis enſe raptus es.
Solus IOHANNES *effugit*
Lictoris efferi manum,
Chriſtum canens Ionibus,
Pathmiq́; duris incolis.
IVSTI *vocatus nomine*
In patriâ, pinnaculo
Turbatur, & ſaxis ruit,
Conto & petitus oppetit.
IVDAS *Magos quòd Perſico*
Errare regi dixerat,
A cæde triſti regiâ
Non ſoluitur ſententiâ.
Tibi SIMON *plaudit Pharos,*
Siticuloſaq́; Africa,
Serraq́; diuiſo dehinc
Araſq́; templaq́; erigit.

Cum

Cum Parthicis prouinciis
Subiecta THOMÆ *Media:*
Sed dum negat Mithram deum,
Cæsus peribat lanceâ.
MATTHÆVS *Hirtaci manu*
Regis cadit, quòd Æthiops
Niger beatur, grande fert
Huic munus acceptum viro.
PHILIPPVS *in Scytham mouens*
Vincit feroces: duplici
Letho datus, nam fixus est
Cruci, inde saxis obrutus.
Indos lauacri flumine
Rigat sacrato, regium
Cui stemma fertur, qui cute
Membris adempta cæditur.
Qui proditoris in locum
Lectus, securim pertulit,
A propriaque perditus
Fuisse gente traditur.
Non te relinquam, Gentium
Doctor: tibi haud nocent Leo,
Saxum, flagella: sed manu
Neroniana concidis.
Iter per arduam crucem
Iustis ad astra panditur.
Vitam quis amittit Dei
Ob nomen? in cœlo inuenit.
Olim redibunt splendidi,
Secli maligni iudices:
Quos mundus, vt lutum, malus
Calcauit, odit, sustulit.

XIII.

EVANGELISTÆ.

ORTVM, *actiones, & necem*
Christi sonant, & posteris
Eius triumphum & gloriam
Euangelista nunciant.
MATTHÆVS, *humanum gerens*
Vultum, magistrum laudibus
Celebrat, & scriptor pius
E publicano factus est.
MARCVS, *leonis pectore*
Iubas mouentis horridas,
Christum docet, per quem salus
Et vita mundo contigit.
LVCAS, *iuuencus sicuti*
Cornu petit, Christo decus
Dans vnico, eius & pios
Scriptis ministros prædicat.
Tractus IOHANNES *nubium*
Transcendit, instar alitis,
Christumq; ab æterno Patre
Natumq; laudat virgine.
Tot olim Adamo conditi
Horti, fuêre flumina:
Origo quorum erat Dei
Et fons perennis filius.
Per hæc rigatur quidquid est
Ab ortu Eoo ad vesperum:
Ex his bibentes, aridâ
Siti haud laborant ampliùs.
Nascendo Christus fit homo,
Mactatur & ritu bouis:
Resurgit vt leo, alitis
Tendit volatu ad ardua.
Te Christe nosse, credere,
Sperare, vita, pax, salus,
Siccaq; fauce de tuis
Gustare riuis gaudium.
His ergo fontibus sacris,
Puris amœnis, limpidis,
Bibamus immortalibus
Vt seculis, Sancte effice.

CAPVT VIII.

De Historiâ Iuridicâ.

PRÆCEPTA.

HIstorica iuridica persequitur originem & progressum Iuris.

Origo Iuris referenda est ad leges diuinas Hebræis datas.

Progressus Iuris consideratur secundùm tres ætates. Prima est ante Iustinianum: secunda sub Iustiniano: tertia post Iustiniani tempora.

REGVLÆ.

I. *Leges ciuiles omnium nationum primigeniam suam debent legibus Hebræorum, à Deo datis.*

Non hic agitur de origine Iuris primâ, quâ illud incunabula sua debet Deo & lumini naturæ: sed de illâ primigeniâ, vt vocant, quâ populi alii ab aliis acceperunt suas leges. Hic autem non oportet sequi iudicium cæcæ antiquitatis, id est, Græcorum & Romanorum Illi enim, quò cariùs leges suas venditarent, multiplicem originem illarum vel ex infirmitate, vel ex malitiâ excogitarunt. Ita Minos ab antro Iouis, Saleucus à Mineruâ, Lycurgus ab oraculo Pythio, Numa ab Egeriâ, alij ab aliis, iactabant eas se accepisse. Nos suprà in Politicis & Scholasticis breuiter hanc rem attigimus: quam hic pleniùs proponere necesse habemus. Principiò itaque, ex amore illo diuino, quo Deus omnia sua opera complectitur, imò seipsum intimè amat, & ex amore naturali, qui tanquam aurea catena omnes res trahit, & inter se deuincit, in totâ hâc rerum vniuersitate; ex hoc, inquam, amore, diuina illa & regia amoris lex manauit, *Dilige Deum supra omnia, & proximum sicut teipsum:* cuius legis ordo attentè pendendus est, ad originem Iuris intimè concipiendam Hæc igitur lex est matrix & fons omnium legum, quæcunque existere possunt, vt ex Tertulliano disputant grauissimè. Legem istam constanter retinuerunt patriarchæ ante & post diluuium, eamque variis conclusionibus exornatam liberis suis & domesticis inculcarunt. Ab Hebræis istis ante Mosis tempora Ægyptij didicerunt rudimenta legum suarum. Fieri enim non potuit, vt nihil discerent ab iis, quorum crebrâ vtebantur conuersatione: vt suprà diximus cap. vlt. Scholast. de Abrahami, Iacobi, & Iosephi commoratione in Ægypto. Deinde postquam Deus, supremus ille legislator, per Mosen constituit politiam Iudaicam, illamque variis informauit legibus, mox toto Oriente percrebuit fama atque cognitio legis Mosâicæ, imprimis in Ægypto vicinâ. Eò se receperunt Solon & Lycurgus, indeque leges Græciæ primi intulerunt. Ante horum enim tempora constitutiones paucula duntaxat erant in Græciâ, quæ reliquiæ erant Phœnicum, qui primi Græcam politiam condiderunt. A Phœnicibus Romulum quasdam leges accepisse verisimile est, itémque Numam Pompilium: quæ leges dicuntur Papyrianæ, quòd à Sexto Papyrio in vnum librum vnà cum sequentium RR. logibus sint relatæ: vt est apud Pomponium. Vide *lib.* 1. *Digest. tit.* 2. Porrò Pythagoras (quem nonnulli ex Iudæis natum esse tradunt) & Plato ab Ægyptiis & Iudæis non tantùm philosophiam, sed etiam nomothesiam didicerunt. Sibyllæ denique magnam partem oraculorum suorum à Iudæis acceperunt, & in libros, qui postea Sibyllini dicti sunt, retulerunt. Tametsi autem gentiles isti homines variis commentis inquinarunt limpidissimos Iudæorum fontes: aliquid tamen puritatis apud illos mansit reliquum, vt ex Platone & legibus Atheniensium videre est, item ex legibus XII. tabularum apud Romanos, qui quidem à Græcis illas acceperunt. Etenim paulò ante annum mundi 3500. viros iudicio & prudentiâ singulari præditos, Sp. Posthumium, Album, T. Manlium, & P. Sulpitium, ablegarunt Athenas, vt inde X. tabulas Romam deferrent: qui triennium integrum in istâ legatione consumpserunt. Dionysius etiam author est, missos quoque legatos in eas Græcorum ciuitates, quæ in Italiâ erant, in eâ nempe Italiæ parte, quæ quondam magna Græcia appellabatur: in quâ, Seruo Tullio Romæ regnante, Pythagoras philosophatur. Nam & ea insigne habebat & respublicas & leges. Locri seruabant Saleuci su[ı] leges: Thurij iura sui Charondæ, qui non multis ante Decem uiros vixit annis. Sic ergo Romanorum politia Græcorum legibus fuit informata, quarum summa XII. tabulis fuit comprehensa. Ante leges XII. tabularum lata fuit lex Agraria tum Publia, lex item de Auentino, & Tarpejo. Postea leges XII. tabularum sunt sancitæ. Eas tanti fecerunt Romani, v[t] *Cicero* 1. *de orat.* illas commendet his verbis: *Fremant omnes li*

cc

eet, dicam quod sentio: Bibliothecas meher. le omnium philosophorum vnus mihi videtur XII. tabularum libellus, si quis legum fontes & capita viderit & authoritatis pondere & vtilitatis vbertate superare. Nimium hunc summæ sunt aliæ leges: vt Canuleia, Petilia, Manlia, Cassia, Fabia, Falcidia, &c. Atque hæc est primigenia Iuris.

II. *Progressus Iuris secundùm tres ætates, infantiam ante Iustinianum; adolescentiam, & iuuentutem sub Iustiniano; & ætatem ingrauescentem post Iustinianum; est varius.*

Infantia Iuris est ante Iustiniani tempora, & post veteres illos Romanorum ICtos, Mutium Scæuolam, Crassum Mutianum, Tutilium Rufum, M. Brutum, Lucil. Balbum, Sextum Papyrium, Labeonem, Seruium Sulpitium, Caium, Titium, Paccuuium, Longinum, Cassium Sectatorem Capitonis, à quo Cassiani, Proculum, à quo Proculiani, Celsum, Iabolenum, & alios post hos, inquam, tribus potissimùm acceptam fert sui conseruationem, Codici videlicet Gregoriano, Hermogeniano, & Theodosiano. Codex Gregorianus, sic dictus à nomine Iuris studiosi, qui huic collectioni dabat operam, continebat Constitutiones Imperatorum ab Adriano ad Valerianum vsque & Gallienum. Subsecutus est Codex Hermogenianus, sic dictus ab authore Hermogeniano. Isto continebantur Claudij, Aureliani, Probi, Cari, Carini, & innumeræ Diocletiani & Maximiani Constitutiones. Perperam enim Codici Gregoriano adscribuntur quædam Diocletiani & Maximiani. Hermogenianus, collector huius Codicis, cognomento Africanus, vixit circa Diocletiani tempora, anno Christi 280. Ante eum floruerunt hi ICti Tertullianus, vnde SC. Tertullianum, sub Commodo: Æmil. Papinianus sub Seuero, occisus à Caracallâ, quòd fratricidium eius excusare nollet: Caius, sub Caracallâ: Domitius Vlpiani, auditor Papiani: Iulius Paulus, æqualis Vlpiani: Pomponius, æqualis horum duorum: Herennius Modestinus, Papiani auditor: Alphenus & alij, in quibus Hermogenianus. Exiit postea tertius Codex, iam non à Iurisconsulto, sed ab ipso Imperatore Theodosio, cuius authoritate conditus est, denominatus Codex Theodosianus, qui Constitutiones Imperatorum omnium à Constantino M. vsque ad ipsum Theodosium complectitur. Vt autem ex Gregoriano nihil sumsit Hermogenianus, ita nec ex hoc vel illo Theodosianus quidquam: sed omissas in Gregoriano sequentiũ Imperatorum Constitutiones Hermogenianus habet vsque ad Constantinum, omissas in Hermogeniano, Theodosianus. Libros Codicis Theodosiani XVI. Gregoriani V. Hermogeniani I. separatim qui volet legere, comparet sibi editionem Iohannis Sichardi, quæ prodiit Basileæ. *Adolescentia Iuris* est sub Iustiniano, qui in religione traditur ὀρθοδοξότατος fuisse, vtpote veræ doctrinæ contra Arrianos, Nestorianos, Eutychianos, & Manichæos propugnator constantissimus, adeò vt Synodum OEcumenicam quintam Constantinopoli celebrauerit circa annum Christi 553. Hic Imperator, quanquam erat ἀναλφάβητος & rudis bonarum literarum: leges tamen Romanas prolixè diffusas, & passim dissonas, operâ Triboniani (quem Suidas & Procopius tradunt fuisse hominem paganum & auarum) & collegarum, qui passim à Iustiniano nominantur, Theophili putà, Dorothei & aliorum sic correxit, vt omnes Principum Constitutiones, quæ in multis voluminibus habebantur, intra XII. libros coarctauerit. Id volumen Codicem Iustiniani appellari iussit. Rursus etiam magistratuum & ICtorum veterum leges quæ ad duo millia librorum extendebantur, intra quinquaginta Digestorum seu Pandectarum libros arctauit. Præterea & Institutionum libros quatuor componi curauit, quibus summa vniuersarum legum breuiter comprehenditur: de quibus Melanchthon ita canit,

Continet hic tenuis legum præcepta libellus,
Primaque Romani semina Iuris habet.

Denique & nouas leges, quas ipse statuerat, & quas Imperatores, qui proximè ipsum antecesserant, in vnum volumen redactas Nouellas nuncupari sanxit: quibus post aliquot secula accesserunt Constitutiones Friderici & aliorum Imperatorum. Quod diximus de ἀπαιδευσίᾳ Iustiniani, plerique historici confirmant. Procopius tamen, Iornandes, Sabellicus, & alij tribuunt ipsi eruditionem non vulgarem: quos vide in dispp. Iurid Cl. *Hœnonij disp. 1. lib 1.* Quidquid huius sit, Iustiniano debemus collectionem modò recitatorum scriptorum, quorum chronologia hæc est. Tribonianus author erat Iustiniano, vt reformationem Iuris aggrederetur. Huius itaque suasu & operâ præcipuè omnia sunt peracta, & spatio quidem triennij ista præstita. Anno Iustiniani Imperij II. Basilio, vel, vt alij volunt, Decio Cos. indict 7. anno Domini 529. operâ Triboniani Constitutiones Imperatoriæ ex tribus libris Gregoriano, Hermogeniano, & Theodosiano, adhibito delectu vnum in librum redactæ sunt, qui Codex constitutionum Latinè inscriptus fuit. Vix abiit annus, cùm idem Tribonianus, Græcis hominibus, qui tum videbantur Iuris prudentiæ laude cæteros anteire, ad societatem laboris Iustiniani iussu adscitis, veterum ICtorum scripta vniuersa in Principis palatium deportari, atque inde Pandectas confici curauit, anno Christi 530 Lampadio & Oreste Consulibus Exeunte triennio, cùm res tota penè peruenisset ad calcem, Iustinianus nouo mandato, Institutiones Iuris colligi & scribi voluit ex Iuris elementis, quæ antiqui ICti tradiderant Codex promulgatus est an. Christi 531. vt author est Marcellinus: quanquam Procopius anticipat vno anno Deinde non ita multò post, anno Christi 533. Iustiniano tertiùm Consule Pandectæ sunt promulgatæ. Anno vertente, videl. Christi 534. Iustiniano quartùm Consule, cùm iam extarent eiusdem Imperatoris complures de variis rebus Constitutiones, & in his eæ, quæ vulgò Quinquaginta Decisiones nominantur, post superiorem illam Codicis editionem promulgatæ, idem Tribonianus, sociis quatuor labori adhibitis, nouissimo Imperatoris iussu, priorem illum, quem diximus, Codicem reconcinnandum suscepit, cùm vt posteriores Constitutiones eundem in librum referrentur, tum vt quæ ex superioribus mutatæ atque abrogatæ fuissent, eodem ex libro tollerentur. Cæterùm Tribonianus ea, quæ à ICtis Græcè inuenerat scripta, eâdem linguâ describi curauit: & in Pandectis Florentinis Græca hodieque extant responsa: Authentica quoque ipsa Græcè fuerunt scripta. Et hinc est, quòd plurima Græca vocabula in Iure occurrunt, videl. *hypotheca*, *chirographum*, *emphyteusis*, *sitonia*, *epistalma*, *orphanotrophus*, *archigeronte*, *dioiceti*, & similia. Vicissim Constitutiones Theophili, Constantini, aliorumque Græcorum libri Iuridici, pleni sunt Latinis vocibus, *Dominium*, *legatarius*, *mandatarius*, *donatarius*, *suus hæres*; quin etiam illis, κουράτωρ, κουρατορεύειν, ἐξκουσσεύω, πάτρων, λήγατος, & huiusmodi sexcentis, quæ ideò molesta erant Herennio Modestino, dum Græcè Latina, vt ille inquit, iura docebat Nomenclaturam denique & œconomiam librorum Iuris videamus. Pandectas Iustinianus maluit dicere, quàm Codicem: quòd plerique authores Iuris suos libros ita nuncupassent, tanquam omnia continentes, ita vt frustra sit *Plinius in præfatione sui operis*, quando Pandectarum inscriptionem inter illecebrosas & magna promittentes recenset, propter quas, inquit, vadimonium deseri possit. Frustra, inquam, est Plinius: quia in Pandectarum libros quinquaginta redacta sunt duo millia librorum, & versuum tricies centena millia ad centum quinquaginta millia eleganter sunt reducta. Hinc Pandectas quidam non inscitè *Synagogam Iuris* nuncupauit, vt author est *Ant Possevinus lib. 13 Bibliothecæ de Iurisprudentiâ.* Digestorum autem nomen primò Saluius Iulianus reperit, qui ius ciuile in artem quandam digessisse putatur. Eius nota est D. vel Dig. vel ϑ, & θ, quæ est prima litera in voce ϑιγέστον. Porrò veteres, cùm Pandectarum leges librosque significabant, priorem eius dictionis literam cum signo accentus circumflexi sic scribebant πᾶς id quod qui subsecuti sunt Græcarum ignoratione literarum, putantes esse digamma ff, hoc signo notarunt ff. Diuiduntur autem Pandectæ in septem partes, ex Iustiniani partitione: è quibus prima vocatur τὰ πρῶτα, *prima*, quarta ὀμφαλός, *vmbilicus*, quasi locus in iure tractando medius; & singulæ subdiuiduntur in libros certos. Recentiores diuiserunt Digesta in tres tomos, Digestum Vetus Infortiatum, & Nouum: quam partitionem reiiciunt Andreas Alciatus & alij, quòd æquè ridiculum sit, si quinquaginta libros Digestorum in certos tomos distinguas, atque si Virgilianam Æneidem in quosdam tomos dispescere velis. Et Alciatus quidem ait, vocem illam *Infortiatum* esse barbaram, & nullius sensus, quæ ab indocto aliquo literatore primùm sit ficta, quem deinde alij æquè indociles secuti sint. Proinde non est, quòd aliquis cum Accursianis se cruciet, quid ita secunda Pandectarum pars Infortiatum appelletur. Codicis vocem quod attinet, rectè Budæus & Cuiacius tradunt, maiestatem & diuturnitatem maiorem esse scripto, si quid in codicibus, quàm si in chartis aut membranis simplicibus notetur, sicut membranis quoque maior quàm chartis tribuitur authoritas. Et veteres solebant leges populi, Constitutiones Imperatorum & Rescripta, pugillaribus chartaceis, ligneis, æneis, vel eburneis inscribere, atque ita seruare singulas, vel vniuersas in vnum corpus collectas in scriniis asseruare, quæ dicebantur scrinia memoriæ & dispositionum. Hinc Imperatores scribunt, ius in suis scriniis esse constitutum, & Plinius, edicta Imperatorum vera, & emendata esse in scriniis Traiani: & Theodosius suum Codicem haberi in sacris scriniis, denique Zonaras de XII tabulis: ὅσα φυλακῆς ἐκρίθησαν ἄξια, ἐν σανιδίοις ἐθησαύριζον *Quæcunque digna obseruatu iudicata fuerãt, ea paruulis tabulis inserta custodiebant.* Cæterùm Iustinianus Codicem suum edidit bis, vt paulò antè dictum est. Prior editio abolita est, quæ exierat antè Digesta & Institutiones, de quâ sunt Constitutiones huic prælatæ. Posterior, de quâ est Constitutio illis subdita, diuisa est in XII. libros, quasi 12. tabulas, vt Harmenopulus ait. Et hæc post editionem Digestorum & Institutionum est confecta & confirmata. Dicitur ab ipso Iustiniano *Codex repetitæ prælectionis*: quia secundæ editiones à veteribus appellatæ fuerunt repetitæ prælectiones Tradunt hoc loco discrimen inter Decisiones & Constitutiones Codicis: quòd Constitutionibus plerisque ius vetus, quod certum

certum erat, sit emendatum: decisionibus certum sit redditum, quod erat controuersum. Dissentit tamen Andreas Alciatus vnà cum alijs. Institutiones cur sic dictæ sint, nemini potest esse obscurum, qui hoc nomine fundamenta alicuius artis comprehendi nouit. Illarum partitio facta est in libros quatuor. De Nouellis quæritur, cur sic appellatæ sint? Alij enim sic putant dictas, quòd ijs leges omnes veteres renouatæ sint: alij, quòd noua eis, atque à veteribus dissidentia iura constituantur: alij denique, quòd nouissimè promulgatæ sint post Codicem Iustiniani repetitæ prælectionis; quæ postrema sententia est Cuiacij, eaque verissima. Nam à Græcis interpretibus appellantur νεαραὶ μετὰ τὸν κώδικα, id est, *Nouellæ, quæ Codicem sequuntur*. Aliàs dicuntur *Authentica*, non quòd sint maioris authoritatis, sed quia Iulianus Patritius Excos. Constitutiones νεαρὰς, Asiaticâ quâdam luxuriâ diffusas, nimisque prolixas transtulerit Latinè stylo Attico & compendiosiori, & hoc opus appellaverit Authenticum, quoniam ex ipso Græco originali ad literam traductum erat. Atque hoc est Ius, vt vocant Iustinianeum; quod Iohanni Sichardo ratione œconomiæ, quam Imperator obseruauit, non adeò probatur. Dicit enim, Codicem Gregorianum. Hermogenianum, & Theodosianum, & Romanum candorem, & maiestatem magis sapere, quàm quos Iustiniani mandato libros in Codicem collectos cernimus: & extollit Theodosium, qui omnium scriptis collectis & in medio relictis, Constitutiones adiecit, quæ essent instar oraculi responsa edentis: tandem concludit, his verbis: *Cuius* (nempe Theodosij) *bene merendi de nobis studium, vt iure extollimus, ita culpa eximere Iustinianum non possumus si vel obnixè studeamus*. Contrarium planè testatur Imperator Iustinianus *in epist. de ratione iuris docendi*. §. 11. his verbis: Incipite igitur legum doctrinam eis Dei gubernatione tradere, & viam aperire, quam nos inuenimus, quatenus fiant optimi iustitiæ & reip. ministri, & vos maximum decus in omne seculum sequatur: quia vestris temporibus talis legum inuenta est permutatio, qualem & apud Homerum patrem omnis virtutis Glaucus & Diomedes inter se faciunt, dissimilia permutantes,

Χρύσεα χαλκείων, ἑκατόμβοια ἐννεαβοίων, hoc est,
Aurea æreis, centena nouenariis.

Sed satis de adolescentiâ vegetoque iuris robore sub Iustiniano: videamus iam *ætatem iuris ingrauescentem*. Duo autem sunt eius interualla, vnum hemiplexiæ, alterum hygieiæ. Hemiplexia est morbus, qui ius ciuile exercuit paulò post Iustiniani tempora, inde à Phocâ vsque ad Carolum M. id est, ab anno Christi 600. vsque ad 800. Nam interea temporis iacuerunt studia, partim ob motus Saracenicos, quos in Oriente excitauit Mahomet, partim ob varias turbas, quas in Italiâ dederunt Exarchi, Longobardi, & Pontifices. Hygieia est sanitas, quam ius ciuile recuperauit sub Carolo M. qui varias scholas instituit, & literas bonas illarumque cultores vnicè promotum iuit. Hoc tempus rursus subdiuiditur in προακμὴν & ἀκμήν. Προακμὴ seu præparatio est ab anno Christi 800. vsque ad 1150. Hoc enim tempore tametsi Iuris disciplina non iacuerit: celebres tamen ipsius Doctores non extiterunt. Ἀκμὴ est ab anno Christi 1150. vsque ad nostram ætatem. Hoc enim anno & Gratianus compilauit Decreta, de quibus, vt & toto systemate Iuris Pontificij, vide suprà in Politicis: & *Irnerius Vernerus* Germanus, primus in Italiâ ius publicè docuit Bononiæ post Iustiniani tempora. Hic author fuit Lothario Imp. vt libros iuris ciuilis publicè exponi curaret, Auditor Irnerij fuit *Placentinus*. Hunc secuti sunt *Bagaroddus, Godfredus, Iohannes Basianus, & Antonius Lyas*, an. Christi 1190. item *Martinus*, quem Iason ait, nil vnquam sani dixisse: tum *Azo*, circa annum 1200. qui docuit Bononiæ & Montepessulano, vbi anno 1196. Academia recens erat instituta: *Accursius*, sub Friderico II. *Petrus Vinea*, assertor Imperialis dignitatis: *Bernhardus & Odofredus* anno 1240. *Hostiensis*, ann. 1255. qui Innocentij IV. duras opiniones reprobauit, dictus Henricus de Segusiâ. *Speculator*, seu Guilelmus Durandi, anno 1261. qui scripsit Speculum Iuris: Hunc sequûtur *Bartholomæus Brixiensis, Albertus Galeotti, Iohannes de Deo, Iacobus de bello visu, Ipho*, & *Dynus Magellanus*, qui à Bonifacio VIII. euocatus, sextum Decretalium librum conscripsit, mortuus Bononiæ anno 1303. Atque hoc seculum decimumquartum, ab anno Christi 1300, vnà cum sequentibus, fuit verè Iuridicum. Nam inde ab anno Christi 1300. vsque ad 1400. vixerunt celebres ICti 41. in quib⁹ excelluerunt *Bartolus*, mortuus anno 1355, & *Baldus*, Bartoli auditor, duo illi Iurisprudentię ocelli. Baldus obijt an. 1420. circiter. Ab anno 1400. vsq; ad 1500. innumeri quoque floruerunt ICti; è quibus celebriores sunt, *Franciscus de Zabarellis, Ioh. de Immolâ*, qui Baldum senem audiuit; *Panormitanus*, seu Nicolaus Siculus; *Paulus de Castro; Guido Papa*, qui floruit anno 1442. *Ioh. Baptista Caccialupus*, quem quidam falsò generũ Bartoli putant; *Bartholomæus Cæpolla; Marianus Socinus*, pater Bartholomæi; *Iacobus de Puteo; Iohannes Maria; Andreas Siculus Barbatia*, senex delirus dictus; *Lancellotus Decius*. Ab anno 1500. vsque ad nostram ætatem celebriores ICti sunt *Ioh. Schneideuuein, Philippus Decius, Euerhardus de Mittelburgo, Franc. de Ripâ. Vlr Zasius, Oldendorpius, Budæus, Alciatus, Fr. Duarenus, Eguinarius Baro, Tiraquellus, Corasius, Giphanius, Cuiacius, Vvesembecius, Hotomannus, Donellus, Vulteius, Goeddæus*. Atque hæc sunt summa capita historiarum Iuridicarum. Sed audiamus *Georgium Schultzen*, de vniuersi iuris quo hodie in Imperio Romano Germanico vtimur, origine, progressu, & authoritate, *prolegomeno in synopsin Instit iuris*.

De origine iuris Cæsarei, & primò quidem de eo, quod fuit ante Iustinianum.

Vt autem rem paulò altiùs ab ipsâ vrbe Romanâ conditâ repetam: Initio ciuitatis, populus sine lege certâ, sine iure, certo, primùm agere instituit, omniaque ad arbitrium Romuli Regis, à quo vrbs ortum suum habuit, gubernabantur, *l. necessarium 2. §. 1. ff. de Orig. Iur.* Postea ciuitate auctâ, LL. nonnullæ tam ab ipso Romulo, quàm ipsum insequentibus Regibus, præcipuè Seruio, latæ sunt, quæ quòd triginta illarum curiarum, in quas diuisus erat à Romulo populus, sententijs & approbatione perferebantur, Curiatæ vocatæ sunt, *Vvesenbec in parat. ff. de Orig. Iur. num. 2.* Quas omnes Sextus Papirius *d. l. 2. §. postea 2. vers. quas omnes* vel, vt eum vocat *Halicarnasseus, Caius Papirius* in vnum corpus redegit, quod ab eius nomine vocatum est, *Ius Papirianum, d. §. postea 2. in fin.* Verùm exactis regibus propter violatam Lucretiam, omnes hæ leges, exceptis paucis, à Seruio Rege, latis, L. Tribunitiâ exoleuerunt, iterumque cœpit populus Romanus per viginti propè annos, incerto magis iure & consuetudine, quàm latâ lege, vti, *d. l. 2. § ex actis 3.* Et quidem non sine motibus & tumultu, attestante Dionysio Halicarnasseo. Quod ne diutiùs fieret, placuit, publicâ authoritate decem constitui viros, per quos à Græcis ciuitatibus maximè Athenis, atque Lacedæmone *§. & non ineleganter. 10. Instit. de I N. G. & C.* iura atque leges, quæ statui rei Romanæ viderentur conuenientissimæ, peterentur *d l. 2. postea 4.* Hæc iura atque has leges inde allatas, Decemviri decem tabulis æneis comprehensas, anno ab V. C. 301. pro rostris posuerunt. Cumque istis aliquid deesse animaduerterent anno seq. alias duas ad easdem tabulas adiecerunt, sicque ex accedentiâ appellatæ sunt LL. 12 tabb. *d. l. 2. §. postea 4, vers qui ipsi* Quas *Cic lib. 1. de Orat.* Fontes omnium disputationum, quæ in iure ciuili & LL. continentur, Liu. lib. 3. Fontem omnis publici priuatique iuris vocat. Et harum legum autorem primarium, ait *Pomponius* fuisse Hermodorum Ephesium *d. § postea sub finem*. His LL. latis cœpit, vt naturaliter euenire solet, vt interpretatio desideraret Prudentum auctoritate necessariam disputationem fori; Quod ius sine scripto veniens, communi nomine Ius Ciuile appellatum fuit, *d. l. 2. §. his ll.* Deinde ex his ll. eodem tempore ferè actiones compositæ sunt, quibus inter se homines disceptarent, quas actiones ne populus, prout vellet, institueret, certas solemnesque esse voluerunt, & appellata fuit hæc pars, L. actiones, id est, legitimæ actiones, *d. l. necessarium 2. §. deinde 6.* Augescente autem ciuitate euenit, vt plebs in discordiam cum Patribus perueniret, & in montem Auentinum secederet, sibiq; iura constitueret, quæ Plebiscita vocabantur. De quibus, cùm multæ discordiæ, plebe reuocatâ, nascerentur: placuit LL. Hortensiâ, vel, vt alijs placet, Horatiâ latâ, ea pro LL. seruari, & omnes Quirites tenere. *d. l. 2. §. deinde 8.* Sed quia difficilè in tantâ turbâ hominum, plebs conuenire cœpit, populus certè multò difficiliùs, necessitas ipsa curam Reipub. ad Senatum deduxit, vt is se interponeret, idque ius quod constituebat, Senatusconsultum appellabatur, *d. l. 2. §. deinde quia 9.* Eodem tempore & magistratus, penes quos erat iurisdictio, vt Prætores & Ædiles, iura reddebant, & vt scirent ciues, quod ius de quâque re quisque dicturus esset, seque præmuniret, Edicta proponebant, quæ ius honorarium, ab honore Prætorum sic dictum, constituerunt, *d. l 2. §. eodem tempore 10.* Quæ edicta Prætorum, prout ipsi annui, ita & ea annua erant, donec L Corneliâ facta sint perpetua. Tandem nouissimè, cùm rebus ita dictantibus necessum esset Reipubl. per vnum consuli, constituto Principe data est ei potestas, vt quod constituisset, ratum esset, *d. l. 2. §. nouissimè 11.* Vnde Principis constitutio, siue Principum placita Qui postea Iurisconsultis licentiam respondendi concesserunt solemniorem; vnde responsa prudentum: quæ omnia iuris ciuilis appellatione generaliori continentur.

Tanta autem insuper legum accessio facta est: vt *Liuius* immensum aliarum super alias aceruatarum LL. cumulum vocet. Quare *C. Iulius Cæsar* ius ciuile ad certum modum redigere, atque ex immensâ diffusâque legum copiâ, optima quæque & necessaria in paucissimos libros conferre destinarat; sed vt Suetonius ait; talia agentem atque meditantem mors præuenit.

Tandem Adrianus Imperator, qui imperare cœpit anno Christi 119. operâ Saluij ICti Prætorum Edicta in vnum volumen, non ita per magnum digessit & composuit, vt videre licet *in l tanta 2. §. sed quia 18. C. de vet. iur. enuc. l pen. Cod de condict. indeb.* Quod postea interpretati sunt, & commentarijs suis illustrarunt Papinianus, Vlpianus, Paulus, Caius, Scæuola, aliique qui post ea tempora vixerunt, ICti collegerunt postea imperante

imperante Diocletiano, ICti Gregorius & Hermogenes, Constitutiones Principum præsertim Ethnicorum in duos Codices, sed priuata potius, quam publicâ authoritate: Vnde Gregoriani & Hermogeniani quoque codicum priuata nomina retinuerunt.

Hos subsecutus est doctissimus Princeps Theodosius Minor, qui Constitutiones Principum, præcipuè Christianorum, qui Diocletianum & Maximianum ad suam vsque ætatem subsecuti sunt, Constantini scilicet Magni & posteriorum, vno volumine est complexus: quod ab eius nomine Codex Theodosianus est appellatum.

Etsi autem hæc præclara fuerunt opera, quibus & Edicta Prætorum, & Constitutiones Principum comprehensæ atque descriptæ erant; maxima tamen pars iuris in prudentum responsis & scriptis posita, & per innumerabiles libros, vulgò vix notos, sparsa, ad integrum Iuris corpus perficiendum deerat. Multa quoque in tribus istis Codicibus sæpè iterata, multa inter se pugnantia, multa denique vsu vel legibus posterioribus abrogata continebantur. Deerant quoque nouellæ constitutiones Theodosij Minoris, nec non aliorum subsequentium Principum Constitutiones. Vnde Iust. Imp. omni laude cumulatissimus occasionem accepit perficiendi istud quod *C. Iulius Cæsar*, aliique sibi de iure in artem redigendo, proposuisse scribuntur, & ius vniuersum, quod tum temporis in duo millia librorum & tricies centena millia versuum (id est, paragraphorum, secundùm *Duarenum*, vel linearum, secundùm *Contium*) suo tempore excreuerat, in corpus quoddam certum, certis voluminibus distinctum, redegit. Quorum voluminum compositio & promulgatio suis temporibus diligenter distinguenda est; vt nempe editionis Codicis Pandectarum, Institutionum, & Nouellarum historiam teneamus, & quæ in his priores vel posteriores sint, cognoscamus. De quibus omnibus breuiter sic habendum.

De Iure Iustinianeo.

Iustinianus in consortium imperij ab auunculo suo Iustino seniore Cal. April. An. à nato Christo 527. adoptatus, & Iustino mox quarto mense ex quo Imperium cum eo administrauerat, exactô, nimirum Cal. Aug. defuncto, solus suprema rerum gubernacula tenens, statim anno sequenti, qui fuit annus Christi 528. Idib. Febr. omnes priorum Constitutiones, quæ tribus istis antiquis Codicibus, Gregoriano scil. Hermogeniano, & Theodosiano continebantur, vnà cum iis, quæ à Theodosio post editionem sui Codicis, alijsque ipsum sequentibus Imperatoribus, imò à se ipso ad id vsque tempus latæ essent, in vnum codicem componi mandauit, resecatis tamen obsoletis, superfluis, similibus & contrarijs, mutatis etiam verbis ac sententijs priorum sanctionum sicubi opus esset, In quo Codice componendo annus tantùm consumptus fuit, cum postero anno, qui erat annus Christi 529. Idib. Aprilis, iam compositum Iust. edendum curauit; eumque suo nomine Iustinianeum seu Iustinianum Codicem appellauit. De quo Codice accipiendæ sunt duæ illæ constitutiones, quæ in Codice quo hodie vtimur, extant, quarum vna est *de nouo Codice faciendo*, altera *de Iustinianeo Codice confirmando.*

Huius autem Codicis vsus non admodum fuit longæuus, nimirum ex 16. die Calend. Maij an. 529. vsque ad 4. diem Calend. Ian. anni 534. quo die posterior Codex authoritatem accepit, de quo mox dicam, vbi de Digestis & Institutionibus pauca prius attigero.

Confecto iam Codice maius longè opus restabat de Prudentum responsis componendis, & Codici Constitutionum ita accommodandis: vt nulla in illis iura obsoleta aut pugnantia relinquerentur. Erant enim tum temporis illorum volumina propemodum infinita, ita vt impossibile esset hominis ætatem istorum voluminum lectioni sufficere. Multa in illis erat obscuritas, partim ob scribendi rationem, partim ob verborum & rerum antiquitatem ac difficultatem, multa in ijs inter se pugnantia, & inter ipsos prudentes controuersa, multa denique non modò à diuersis ICtis, sed etiam ab eodem sæpè iterata. His tamen alijsque id genus grauissimis difficultatibus Iust. non deterritus, anno quarto Imperij sui, qui erat annus Christi 530, 18, vel secundum alios 17. Cal. Ianuarij, inuocato Numine diuino, atque XVI viris dignitate, vsu, & iuris potissimùm scientiâ præstantibus, Constantinopolin in palatium suum conuocatis, opus isthoc aggressus est: & vniuerso operi Quæstorem suum Tribonianum, virum acerrimi ingenij, præfecit. Tanto autem studio hi sedecim viri in id vnicè incubuerunt: vt intra triennij spatium id ipsum perfecerint, atque ex bis mille Prudentum libris quinquaginta tantummodò Pandectarum siue Digestorum tanquam Eclogas enuclearint.

Eodem tempore & Institutiones iussu Iustiniani, à Triboniano cæterisque illustribus viris, compositæ sunt, ex omnibus antiquorum Institutionibus, præcipuè verò ex Caij commentariis, vt in procemio Institutionum §. *quas ex omnibus* 6. videre licet. Quamuis autem mandatum quidem de componendis Digestis, eo, quod fuit de Institutionibus conscribendis, prius fuit; ipsæque Institutiones post Digesta seu Pandectas demum compositæ sunt, vt innuit ipse Imperator *in proœm. Instit. §. cumq; hæc.* 3. illæ tamen prius, quam hæ in publicum editæ fuêre: Institutiones quippe 11. Cal. Dec. anno à nato Christo 533. Digesta verò siue Pandectæ 17. Calend. Ian. anni eiusdem publicæ factæ fuerunt. Nec tamen illæ priùs in foro valere, suumque robur obtinere iussæ sunt, nisi ex quo die & hæ valerent 3. nimirum die Cal. Ian. anni prædicti. *Constit. tanta. § penult. & vlt. de confirmat. D.* quæ hodie est *l. 2. C. de vet. iur. enuc.*

Cùm autem Pandectis vnà cum Institutionibus sic editis Iust. Imp. animaduerteret, multa in priori Codice contineri, Constitutiones superuaneas multas è contra à se promulgatas, extra Codicis corpus vagari, quas Codici sub competentibus titulis inseri, necessarium foret ac vtile: Idcirco Triboniano alijsque eruditis viris huius rei curam imposuit, ac in mandatis dedit, vt priorem Codicem paulò antè à se editum recognoscerent, purgarent & emendarent, superuacuas in eo extantes constitutiones tollerent, nouas verò à se non ita pridem promulgatas, eidem insererent, atque ita Codicem meliorem, magisque absolutum, & cum Pandectis iam editis congruentem redderent.

Quo facto eundem Iustinianus octauo Imperij sui anno, qui erat annus Christi 534. 16. Cal. Decemb. publicauit, qui ex die 4. Cal. Ianuar eiusdem anni autoritatem accepit, & priori illo Codice Iustinianeo sublato solus in foro regnauit. Atque is est Codex, quem nunc habemus, continens quinquaginta nouas decisiones ad iuris veteris, legumque Pandectarum emendationem comparatas, quæ vel ex subscriptione, quæ habet *Coss. Lampadio & Oreste*, vel post consulatum Lampadij & Orestis (qui anno 530 adeoque annis duobus post Codicem priorem compositum, anno verò vno post editum eundem & confirmatum, Consules fuerunt) vel ex inscriptione, quæ habet ad *Iohannem Præfectum prætorio*, vel ad *Iulianum Præfectum prætorio* (qui post consulatum *Lampadij & Orestis Præfecti prætorio* fuerunt) cognoscuntur: quod ad antinomiarum quarundam conciliationem cùmprimis diligenter obseruandum est.

Cæterùm ne nouis subinde constitutionibus, quas vsus postularet, sæpiùs Codex deinceps retractaretur: atque ita vim & autoritatem suam crebrâ mutatione amitteret, constituit Iust. vt quæ deinceps Principis nomine edicta exirent, ea non in Codicem, sed singulare Nouellarum volumen redigerentur. *l. vn. §. his igitur* 4. *in fin. de emendat C. Dom. Iust.* vnde liber Nouellarum, qui diem non habet, sed varias Iustiniani constitutiones nouè latas, de quarum tempore ex subscriptione iudicari potest, continet. Et anno quidem Imperij sui nono, qui erat annus Christi 535. sextendecim priores: annis verò subsequentibus posteriores, eo ordine quo nunc sunt positæ, promulgatæ deprehenduntur. Vide Vult. *in prolegom. Iuris Romani.*

Et has quatuor iuris Iustinianei partes. 1. Institutiones scilicet. 2. Pandectas siue Digesta. 3. Codicem. 4. & Nouellas, corpus Iuris ciuilis vocare solemus; quod tum temporis scholæ in Græciâ à Iustiniano constitutæ colere, magnâq; voce profiteri cœperunt, vnde elegantissima Græcorum interpretum scripta prodierunt, de quibus hodie ferè nihil, nisi quod posteriores, quasi ex naufragio conseruarunt, extare reperitur.

De iure post Iustinianum, Corpore Leonis, & eiusdem Nouellis.

Verùm enimuerò Iustiniano anno Christi 563. Imperij sui 39. defuncto, mox cum dignitate Imperij Romani etiam legum studium atque disciplina labi cœpit, ita vt annis vix quadraginta, à Iustiniani morte elapsis, in Occidente quidem nulla, in Oriente verò, non admodum magna, earum ampliùs haberetur ratio. Hinc cùm tempore Leonis Imperatoris, cognomento Philosophi, denuò legum totiusque Reipublicæ confusio esse cœpisset, nouam ille vniuersi iuris compositionem, exemplo Iustiniani, aggressus est: cuius rei causam exponit in *procem. Nou.* suis adiecto. Nouum igitur corpus Iuris sub annum ferè Christi 890. modò dictus Leo condidit sex voluminibus & libris sexaginta distinctum, vnde & ἑξηκοντάβιβλον appellauit, postea verò Basilicῶν nomine appellari cœptum est, quasi Imperialium Constitut. Hoc mox insecutæ sunt eiusdem Leonis Nouellæ, quæ non ita pridem ex insigni Fuggerinâ Bibliothecâ prolatæ CXIII typis sunt descriptæ, Et hoc corpus iuris à Leone confectum, & ab eius filio Constantino Porphyrogenetâ paululum emendatum, in Oriente diutissimè obtinuit, Pandectis Iustiniani penitus contemptis ac suppressis: quamuis Nouellæ Leonis, vt in obseruat demonstrat Cujacius, nunquam vsu fuerint receptæ.

De restauratione iuris Iustinianei.

Tandam Lotharij Saxonis temporibus, anno Christi 1137. Irnerius Iurisconsultus (qui vt putatur, & authenticas Codici Iustinianeo ex Nouel. inspersit) singulari DEI prouidentiâ atque

atque beneficio libros LL. Romanarum, euersâ Melfitanâ ciuitate Apuliæ, in bibliothecâ a Pisanis repertos euulgauit, atque ita authoritate Lotharij Saxonis iura Iustinianea Occidenti quasi postliminio restituit, quibus ad hoc vsque tempus in S. Imperior Romano Germanico vtimur. Quin non solum in Imperio Romano, sed etiam extra illud, imò apud Turcas Codicem Iustiniani receptum esse, ac pro iure obseruari historici fide dignissimi attestantur.

De Iure feudali.

Ius Iustinianeum, prædictis IV. voluminibus comprehensum, secutum est ius feudale de feudis disponens: de cuius origine variæ sunt variorum opiniones. Verior tamen & probabilior videtur communis FF. opinio existimantium: feudorum originem à moribus Longobardorum, qui circa annum Christi 568. imperante Iustino II. Imperatore Italiam inuaserunt, & in eâ parte Italiæ, quæ adhuc hodie Lombardia appellatur, sedes sibi constituerunt, eoque iure feudorum, vt in patriâ suâ, vsi fuerunt, repetendam esse. Quos Longobardorum mores & consuetudines, tum Mediolanensium, tum aliorum populorum moribus, nec non Conradi, Lotharij, Friderici & aliorum Impp. Constitutionibus, locupletatas, postea priuati quidam, de quibus satis non constat, in scripturam redegerunt. Licet autem illi iuris feudalis seu vsuum, siue consuetudinum feudalium compilatores, potestate legis condendæ caruerint: attamen hodie in Imperio Romano-Germanico istæ feudales constitutiones (sic enim ius feudale hodieque à parte suâ principali inscribitur) nihilominus maximam autoritatem habent, & omnes eidem subiectos, & in eo feuda tenentes, ad earundem obseruantiam, obligant, post quam ab Imperatore Friderico I I. (quem strenuum feudorum patronum fuisse, eiusque iussu consuetudines feudales, in corpus iuris Iustinianei relatas esse, Feudistæ communiter attestantur) eumque insequentibus Imperatoribus Romano-Germanicis, si non expresse, tacitè tamen, fuerint approbatæ, dum in scholis & Academiis, ipsas publicè iuuentuti prælegi, explicari, atque secundùm eas in iudiciis & curiis suis iudicari passi sunt. Id tamen quod de auctoritate iuris feudalis dicitur, ad paralipomena seu capitula apocrypha & extraordinaria, quæ incipiunt à tit. 73. lib. 2. F. vel iuxta alios lib. 4. à Cuiacio ex Ardizone & Aluaroto nouiter restituta, extendendum non est, quæ pari cum cæteris authoritate minimè gaudent, licet ad explicandum in iure feudali dubium & decidendas quæstiones, de quibus aliàs iure feudali nihil decisum reperitur, allegari possint.

De recessibus imperij.

Ius feudale ab Imp. Romano, vt modò dictum, confirmatum, subsecutum est ius nouissimum, quod auctoritate Imperatoris & suffragio Electorum ac Statuum Imperij in comitiis est constitutum. Cuiusmodi sunt Aurea Bulla Caroli IV. Ordinationes Cameræ & Politicæ, Constitutiones criminales Caroli V. nec non SS. Romani Imperij Constitutiones Recessibus Imperij vulgò Reichs Abschieden contentæ, quæ non minorem vim & vigorem, aliæ iuris partes, tenent, atque ita non tam inferiores, quàm superiores immediatè Imperio subiectos, deuinciunt. Et hæc de iure Iustinianeo, seu à Iustiniano composito, Consuetudinibus feudalibus & Recessibus Imperij, quæ omnia hodie iuris Cæsarei nomine comprehenduntur.

De origine iuris Pontificij seu Canonici.

Quod ad originem iuris Pontificij seu Canonici attinet, ex historiâ ecclesiasticâ satis abundeque constat: iam inde ab initio nascentis Ecclesiæ Apostolos Christi, ac Sacerdotes, de ritibus in Ecclesiis necessariis, quædam constituisse, cùm absque ordine verum Dei cultum retineri non posse animaduerterent. Vnde & D. Apostolus ad Corinthios scribens, omnia decenter & secundùm ordinem fieri iubet. Hos postea secuti seccessores per multas ætates, variis in conuentibus seu conciliis, quasdam veluti leges præscripserunt, quas Canones ac regulas appellarunt. *c. Canon.* 1 *dist.* 3. Verùm progressu temporis factum est, vt decreta Pontificum non ampliùs pro regulis, sed pro legibus haberentur, ita vt Imperatores quoque ipsi leges suas de rebus ad Ecclesiam pertinentibus ita scribere cogerentur: vt sacros, hoc est, Pontificios canones imitarentur. Atque hæc decreta & Constitutiones postea, multis post ius Iustinianeum seculis, à Pontificibus Romanensibus, eorúmve maucipiis, ad illius credo æmulationem, in corpus quoddam collectæ sunt; quod ex eo, quòd à Pontificibus robur suum habuit, ius Pontificium, quemadmodum illud Cæsareum, Canonicum autem synedochicè à parte nimirum illius corporis alterà, in quam canones sunt relati, dictum est. Sunt enim huius iuris duo potissimùm volumina, vnum Decreti: alterum Decretalium: quorum illud à Gratiano Monacho Bononiensi circa annum Christi 1150. tempore Eugenij III. Pontificis, qui illud sibi postea oblatum confirmauit, & in Academiis pro iure proponi & doceri iussit, hoc a diuersis autoribus & temporibus diuersis, comportatum & editum est. Videatur Vult. *in prolegom. I.R.*

Hoc ius plurima vtilia exhibet, maximè circa matrimoniorũ, iura mentorum, vsurarum, præscriptionum, processus iudiciarij, &c. sanctiones, vt nõ immeritò in Imperio Romano Germanico, etiam in Academiis & Dicasteriis Protestantium, quatenus scilicet æquitati conueniat, & iuris naturalis vestigia sequatur, aut his certè non contrarietur, recipiatur, & omnes Imperio Romano subiectos obliget, nullo subiectionis aut recognitionis signo vel periculo.

Et tantùm quoque de origine & authoritate iuris Pontificij seu Canonici.

Atque hæc sunt iura, in quibus hodie Doctores creantur, & exinde Iuris vtriusque, putà Cæsarei & Pontificij, Doctores appellantur. Sunt sanè & Consuetudines singularum prouinciarum, nec non statuta & iura municipalia, quorum omnium cognitio, cuiuis Iurisconsulto necessaria non est; sed quemlibet eius loci consuetudines & iura municipalia, in quo ipse versatur & ius exercet, nosse sufficit. Inter hæc autem iura consuetudinaria & statuaria, primas tenet ius nostrum Saxonicum, de cuius origine, progressu, & authoritate nunc pauca subiicere libet.

De origine Iuris Saxonici.

Est igitur ius Saxonicum, perinde ac ius feudorum, moribus primò introductum, postea per nobilissimum, longo rerum vsu præstantissimum virum, Eccardum à Repka, nullâ tunc autoritate legis condendæ munitum (fortassis memoriæ facilioris gratiâ, & pro meliori sui ipsius confirmatione) in tres libros Latino sermone priuato studio collectum; mox ad mandatum Illustris Comiti Hoieris à Falckenstein tunc temporis Tetrarchæ Saxoniæ in maternum idioma, putà linguam Germanicam, translatum, sicut videre licet in præfatione Speculi Saxonici, vti allegari solet: Et tandem deuictis Saxonibus à Carolo M. (cùm inueteratas illas consuetudines citra rebellionem tam subitò vix aboleri posse animaduerteret) anno Christi 810. in arce Sachsenburg in Thuringiâ pro conseruatione pacis publicæ & qualiscunque inter Saxones disciplinæ, confirmatum, prout refert *Glossator Speculi Saxonici* Landr. *lib. 3. art. 82. sup gl.* daß sie höreten *vers.* dises der Sachsen*priuilegium,*

Quem subsecutus est deinceps Otto I. cui Magni nomen attribuerunt, qui tanquam Saxonicæ familiæ ac gentis Regulus non inuitus id denuò confirmauit, ac insuper compendium illud Weichbild ex medullis legum Saxonicarum extractum, authoritate donauit, circa annum Christi 940. vti constat ex priuilegio Otthonis ad finem Speculi Saxonici apposito. Col. in orat. de orig. iuris Saxon. præfixa tractatui de processu. execut. §. sed quia, cum seq. Cùm autem tam ius Weichbild/ quàm Landrecht/ in aliquibus & non paucis articulis à iure communi discederet, prædictus Ottho M. paulò ante obiium suum anno Christi 974. nobili eius ætatis viro Burchardo de Mangelfeld/ V. I. Doctori, & S. Palatij Quæstori illud negotij dedit: vt Speculum Saxonicum commentando, diuersitatem eius à iure ciuili & canonico per deductiones legum & canonum, ostenderet. Quod & in conclaui conclusus per quadriennium feliciter præstitit, ac non sine laude anno Christi 978. absoluit, *M. Coler. d. orat. de orig. iur. Saxon. §. cùm autem Petr. Heig. p.* 1. *q.* 8. *n.* 34. Quem postea secuti sunt *Christoph. Zobelius, & nouissimè Franciscus Romanus, qui vtrumque vnà cum* Lehenrecht/ *quod illis duobus voluminibus accessit, commentationibus illustrarunt.* Quæ omnia apud Saxones, iuris communis vigorem obtinent & intregrum robur, etiam aduersus ius Cæsareum nouissimum retinent, cùm, quatenus hoc à iure Saxonico discrepet, in Saxoniâ & ditionibus, in quibus ius Saxonicum viget, non obseruetur. Vnde & Elector Saxoniæ, tanquam summus defensor Saxonici iuris, in Comitiis, quando nouæ leges promulgantur, protestari & cauere solet, vt eæ iuri Saxonico minimè officiant. Neque Saxones tantùm hoc iure vtuntur, sed & Silesij, Lusatij, imò in decisionibus causarum plebeiarum etiam Poloni & Lithuani, non coactè, sed liberè, quatenus id approbarunt, & suis Rebuspublicis accommodarunt.

Diligenter tamen notandum est, vniuersum ius Saxocum, tametsi multis iam seculis literis mandatum extet, & ab Imperatoribus, vt modò dictum, confirmatum sit, attamen eatenus duntaxat locum obtinere atque vigere, quatenus vsu comprobatum forensique consuetudine receptum; non autem quemadmodum voluminibus descriptum sit. *Hartman. Pistoris lib.* 1. *q* 16. *num.* 11. *Vbi in fine longè eos falli ait, qui cognitionem huius iuris magis ex verbis, quàm ex vsu sibi parare student. Multa namq; apud maiores nostros, subiicit, vsu sunt introducta, quæ cum verbis iuris Saxonici minimè conueniunt & contra complura etiam iure Saxonico constituta reperiuntur, quæ vsu non sunt admissa.*

Denique multa quæ iure Saxonico olim controuersa fuêre, interpretatione quadam hodie sunt decisa per Nouellas Constitutiones Illustrissimi Electoris Augusti, in quatuor partes distributas

diſtributas: cumque, vt modò dictum, Illuſtriſſimus Saxoniæ Elector, ſummus protector ac defenſor ſit Saxonici iuris, cui cura & conſeruatio iſtius potiſſimùm commiſſa eſt, in pragmaticâ ſanctione Imperatoris Caroli I V. quam Auream Bullam vocant, *ſub tit.* Vom Rechten des Pfaltzgrafen vnd Hertzogen zu Sachſen ꝛc. non immeritò in omnibus iudiciis, vbicunque iura Saxonica vigent, plurimùm huic declarationi, vel interpretationi Electorali tribuitur. Vnde ſecundùm eas conſtitutiones Electorales, quæ ſunt iuris Saxonici declaratoriæ, etiam exteris iure Saxonico vtentibus, reſponderi & pronuntiari, *Dam. Moller. in com. ad eaſd* paſſim atteſtatur: excepto tamen puncto adulterij, furti, & id genus aliis, in quibus extra Electoratum ſecundùm iuris communis diſpoſitionem pronuntiatur. Et tantùm etiam de origine, progreſſu, & authoritate iuris Saxonici.

CAPVT IX.

De Hiſtoriâ Medicâ.

PRÆCEPTA.

Hiſtoria medica perſequitur originem & progreſſum medicinæ.

Origo medicinæ accepta fertur Ægyptiis, qui eam acceperunt ab Hebræis.

Progreſſus Medicinæ conſideratur ſecundùm tres ætates; quarum prima eſt ſub Græcis & Latinis, ſecunda ſub Arabibus & Iudæis, tertia ſub Chriſtianis.

REGVLÆ.

I. *Æſculapius ex Ægypto in Græciam tranſtulit medicinam, quam Ægyptij ab Hebræis acceperant.*

Apud Ægyptios medicinam inprimis excultam eſſe, conſtanter aſſerunt hiſtorici. Et ratio accinit. Nam præcipua axiomata medica ab iis manarunt, vt *Iohannes Heurnius probat libr. Inſtit. medic.* Et *Herodotus in Euterpe* refert, in hâc gente ſingulos morbos habuiſſe ſuos medicos, putà caput, oculos, dentes: & teſtatur, illos ſingulis menſibus ſe aſſueuiſſe per triduum purgare, quòd putarent ex cibis omnem calamitatem morbiferam naſci. Nam aër his extra querelam erat: vt qui, Herodoto teſte, nunquam ibi mutationem ſubiret. Nec ex fractâ corporis œconomiâ morbi illis naſcebantur. Nam, vt idem refert, Ægyptij omnium hominum ſaluberrima habuerunt corpora. Sic itaque Herodotus comprobat coætanei ſui Hippocratis axioma, quòd medicina ſumſerit primordia ſua à Diæteticâ. Sed, vnde Ægyptij habuerunt medicinam? Ipſi quidem Apollinem (nomen id eſt hominis, qui per vſitatam gentilibus ἀποθέωσιν, deorum in album eſt receptus ob inſignia merita) hoc honore afficiunt: ſed falsò. Nimirum pro more tum temporis vigente illi, qui præclaro additamento artem aliquam auxiſſent, vel aliâ ratione illuſtraſſent, primi eam reperiſſe dicebantur: ac proinde Apollo, quòd multa præclara adieciſſet medicinæ, eam inueniſſe ab Ægyptiis dictus fuit. Sed alia ſunt præſtantiſſimæ huius artis natalitia. Nam Ægyptij omnem ſuam ſapientiam, quanta quanta fuit, ab Hermete Triſmegiſto, auditore Noachi, ac Chuſi pædagogo, eiuſque liberorum Iſidis ac Oſiridis præfecto, & ab Aſclepio Hermetis diſcipulo acceperunt. Hanc apud eoſdem fouit Abraham, cùm ex Phœniciâ in Ægyptum ſe contuliſſet. Similiter Iacob & Ioſeph, prorex ille Ægypti, conſeruarunt, & plurimùm auxerunt iſtam Ægyptiorum ſapientiam. Inter Ægyptios longè ante bellum Troianum excelluit Apollo, cuius modò fecimus mentionem. Ipſius filius Æſculapius ex Ægypto in Græciam tranſtulit medicinam, de quo *Iohannes Heurnius orat. de Medicin. origine* ſic ait: *Dubium non eſt, eum apud Ægyptios, aut eorum apud magiſtros, Iudæos dico, artem didiciſſe, & inde Græciæ intuliſſe.* Tanto autem ſucceſſu Æſculapius in Græciâ medicinam fecit, vt Hippolytum, Theſei filium, qui in deliquium animi inciderat, in vitam reuocaſſe perſuaſione vulgi ſit creditus, diuiniſq; honoribus ideo cultus, ibique regnum condiderit. Non ab re fuerit hoc loco inſerere picturam Æſculapij, atque adeo veri medici officium. Æſculapius pingebatur cum noctuâ quæ docebat, medicum debere eſſe vigilem ac diligentem in ſtudiis. Galerus & nodoſus baculus ipſi additus monebat, vim remediorum & vires ægri ponendas eſſe in bilance, ne vires ægri ſuperentur vi medicamentorum. Serpens monet, vt callidè ſummaque cautelâ admoueantur remedia. Draco & canis vnà in manu, vt ſagaci ingenio morborum euentum perſpiciat, perſpectumque malum ſummâ curâ & minimo nocumento auferat, ſanitatem præſentem cuſtodiat, morbum imminentem fuget. Alterâ manu pini pomum geſtabat; quo innuebatur, duriſſimum artis medicæ corticem eſſe frangendum. Dextro lateri, ſanitatis aligera effigies iungebatur, vt medicus non ſordidi lucri, ſed valetudinis generis humani habere rationem addiſcat. Pullus, vt diætam ſummâ cautelâ inſtituat, victumque conuenientem præſcribat. Barba denique ſylueſcens & demiſſa ſignificabat, nullum niſi adultum ſcientiâ & ætate debere morborum curationem aggredi.

II. *Medicina apud Græcos, Latinos, & Chriſtianos conſideratur vel integra, vel in ſectas ſciſſa: cùm apud Arabes & Iudæos vno ſe modo ſemper habuerit.* Hiſtoria de progreſſu medicinæ qualis?

Ante empiricam ſectam Græci eos, qui arte hâc excellebant, deorum filios vocabant, vt & omnes illos, qui artibus elegantioribus vacabant: idque non tantùm propter artium diuinitatem & vtilitatem, ſed etiam propter familiæ ſplendorem. Nam ſeculo illo antiquo artibus humanioribus illuſtres tantùm familiæ vacabant, quæ iam ad tuguria fermè relegantur. Huiuſmodi illuſtres homines fuerunt Chiron Centaurus, & ab eo eruditi heroës, Peleus, Iaſon, Achilles, & Æſculapius, è quibus hic poſtremus cùm ex Ægypto in Græciam veniſſet, cum Chirone Theſſalo amicitiam coluit. Omnes autem iſti herbariam potiùs quandam experientiam habuiſſe videntur, quàm artem aliquam operoſam. Hinc de Melampode ſcribunt, quòd Proëtidas, Thraciæ mulieres helleboro ab inſaniâ vindicauerit, vnde helleborus melampodium dictus eſt. Poſt primos illos heroës, ſimplicis, ac proinde præſtantiſſimæ, medicinæ doctores, in Græciâ enatæ ſunt tres medicorum ſectæ, empirica, dogmatica, & methodica, hoc modo. *Empirica ſecta* initium dedit Acron Agrigentinus, Empedoclis Phyſici, qui circa Hippocratis tempora floruit, authoritate commendatus, vt refert *Plinius l. 29. c. 1.* Hic Acron celebritatem inde nactus eſt, teſte Plutarcho, Aëtio, & Æginetâ, quòd atroci peſte in Siciliâ ſæuiente ignes paſſim accendi iuſſit, vnde peſtis euanuit. Hinc mutuatum eſſe remedium Hippocratem, veriſimile eſt, cùm in magnâ illâ Athenienſium peſte (quæ primùm à Thucydide, deinde à Lucretio Latinis deſcripta eſt verſibus) odorata ligna & corollas vbique accendi iuſſit, quod refert *Galenus libro de antidotis* Poſt Acronem Empiricâ ſecta illuſtribus fulſit viris, quales fuêre Crito, Philiſtion, Philinus, Menodotus, atque Serapion, qui εὐπόριστα ſcripſit. Hanc ſectam Tereticen & Mnemoneuticen, id eſt, obſeruatricem ac memorem, vocare ſolebant. Empiricâ ſectâ inualeſcente homines cœperunt rerum experientias cauſis firmare: atque ita ſenſim *Dogmatica* medicina quæ & Rationalis, ſubnaſci cœpit, quæ fuit ante Hippocratem penes Cnidios, Rhodios, & Coos, & hâc ratione extitit. Ex Æſculapio (de quo paulò antè) nati ſunt Podalirius & Machaon, qui in Peloponneſo parti Meſſeniacæ imperarunt, indeque & ſuas duxêre colonias ad oppugnandam Troiam. Machaone ad Troiam ab Eurypylo Thelephi filio occiſo, poſteri eius tenuêre auita regna in Meſſenaicâ, vſque ad reditum Heraclidarum in Peloponneſum. Nam illi recuperatâ Peloponneſo expulerunt inde Pelopidas, Nelidas, & Aſclepiadéos vniuerſos: ex quibus aliis aliò fugientibus, Machaonis nepotes ad Podalirij poſteros fugiſſe non dubitandum eſt Podalirius autem capta Troiâ, tempeſtate delatus ad Scyron Cariæ vrbem, ibi, quòd in Græciâ omnia eſſent turbata, depoſitâ Imperij curâ, ſcholam aperuit, paternamque artem docuit & fecit. Ex hâc ſcholâ tres coloniæ ſcholarum deductæ ſunt maximo Græciæ cultu; cùm toti Græciæ, Aſiæ, & ad Perſidem vſque medicos pareret Scholæ iſtæ fuerunt Rhodia, Cnidia, & Coa: quæ inter ſe certarunt æmulo artis amplificandæ ſtudio. His autem de artis Aſclepiadeæ poſſeſſione contendentibus, reliquas tandem obſcurauit Coa, celebrium artificum numero & ſcriptorum ſplendore: quamuis & ſua Cnidiæ dignitas fuerit. Nam etiam diu medicinam docuit & fecit. Quæ autem in Coo extitit ſchola, ea genuit & aluit Hippocratem, cognomento Magnum, qui origine paternâ ab Æſculapio, materna ab Hercule deſcendit, fuitque decimus ſeptimus ab Æſculapio, hac ſerie: *Æſculapius, Podalirius, Hippolochus, Soſtratus, Dardanus, Cleamitides, Criſamis, Theodorus, Soſtratus I I. Criſamis I I. Theodorus I I. Soſtratus I I I. Nebrus, Gnoſidicus, Hippocrates, Heraclides, Hippocrates Magnus ſiue Cous.* Natus eſt matre Phanaretâ Heraclidéâ; propter quam ſe viceſimum ab Hercule numerat. Claruit maximè temporibus belli Peloponneſiaci, regnante apud Perſas Dario Longimano, quem Iohannes Heurnius putat fuiſſe Eſtheræ filium: quo tempore illuſtres erant Democritus Abderita philoſophus, Hippocratis præceptor, Protagoras Sophiſta, & Phidias Athenienſis, ſtatuariorum coryphæus. Inter plurimos Hippocratis diſcipulos clariſſimi fuêre duo ipſius filij, Theſſalus Hippocrates, & Draco Hippocrates, item gener ipſius Polybus, qui poſt ſocerum ſcholæ curam ſuſcepit. Poſteri Hippocratis retinuêre auitæ artis poſſeſſionem per annos penè ducentos. Theſſalus reliquit Hippocratem

cratem tertium: hic iterum Hippocratem quartum, qui Draconem secundum, ex quo natus Hippocrates quintus. Suidas commemorat alios Hippocrates, ex eâdem Hippocratis stirpe ortos. Polybum in Hippocraticæ scholæ administratione secutus est Diocles Caristius, qui primus Anatomica ex professo docuit & scripsit, medicus regis Antigoni. Huic successit Praxagoras Cous, ex Asclepiadeis vltimus. Apud hunc condiscipuli fuere Philotimus, Eudemus, & Herophilus. Herophilus iste ab Hippocratica scholâ deflexit, moxque eum secuti sunt Chrysippus & Erasistratus. Innouata hæc Medicina diu floruit, teste Strabone, qui vixit tempore Augusti. Omnium postrema enata fuit secta *Methodica*, cuius author fuit Themison Laodicéus; quem secuti sunt Soranus Ephesius, Masæus, Antipater, Thessalus Trallianus, Agathinus Magnus, & Archigenes, qui vixit tempore Adriani Imperatoris. Sic ergo post Hippocratem Medicina in tres factiones distracta fuit, aliis se profitentibus Rationales, aliis Methodicos, aliis Empericos nouos: & medicina Hippocratica factionum contentionibus quasi exossata iacuit, ad Galeni vsque tempora, qui excussis Empiricorum & Methodicorum placitis artem Hippocratis pristinæ sanitati circa annum Christi 140. sub Antonino restituit. Hunc secuti sunt varij Græci, putà *Arataus, Aetius, Paulus, Trallianus, Oribasius, Cassius, Dioscorides, Damascenus, Theophilus Philaretus, Dionysius Cassius*, & alij partim archiatri, partim hippiatri, partim geoponici. Latinos inter medicos primus est *Cornelius Celsus*, Cicero ille medicorum; quem secuti sunt *Scribonius Largus*, *Q. Serenus*, *Cælius Aurelianus*, *Marcellus*, *Theodorus Priscianus*, *Constantinus Apher, Iohannes Fernelius, Fuchsius, Forestus, Heurnius*, & alij innumeri practici, qui dicuntur Galenici. His opponuntur *Chymici*, qui dicuntur Paracelsistæ à Philippo Theophrasto Paracelso, qui claruit superiori seculo, & acerrimè se opposuit Hippocratis & Galeni sectatoribus. Omnem suam doctrinam hausit ex operibus Chymicis Raimundi Lullij, Arnoldi de villâ nouâ, qui claruit anno Christi 1300. Iohanne de Rupescissâ, Isaaco Hollando, Trithemio, & aliis superiorum seculorum Chymicis, quales plurimi fuêre inter monachos. Chymici isti suæ artis originem repetunt ab Hermete Trismegisto, patriarchâ illo Ægyptiorum, apud quos ars conficiendi aurum fertur fuisse in vsu ad tempora vsque Diocletiani Imp. qui combussisse dicitur ipsorum libros de hâc arte; cuius præsidio illi fieri toties à Romanis defecisse dicuntur. Hæc quoque ars apud Arabes fuit in vsu, vt ex Gebro & aliis scriptoribus manifestum est. Scripta istorum Chymicorum tum Medicorum, qui dicuntur Chymiatri, tum Chrysopoëticorum, vide in Theatro Chymico. Inter recentiores Chymicos excelluerunt isti: *Treuisanus*, *Korndorfer*, *Montanus*, *Iohannes Dee*, *Pontanus*, *Quercetanus*, *Petrus Seuerinus*, *Penotus*, *Dornæus*, *Rulandus*, *Alexander à Süchten*, *& Osmaldus Crollius*. Iam videamus medicos Arabes. Fractis studiis medicis apud Græcos & Latinos, hanc gloriam literariam *Arabes* ad se rapuerunt, postquam reges eorum Mahomet & Almansor in Marocho bibliothecas & gymnasia extruere cœpissent, propositisque præmiis ad bonas artes suos inflammarent. Hinc felici multorum annorum successu præclarissimi ibi viri effulsêre. Inter hos *Isaac* & *Serapion* omnium ferè primi fuerunt. Eos, secuti sunt *Auerroës*, *Auicenna* (qui vixit anno centesimo supra millesimum & paulò antè *Auerroës*, paulò pòst *Mesue.*) *Rhazes, Auenzoar, Mesue, & Alsaharauius*. Ex iis Auicenna habet fusam & polydædalam remediorum varietatem, ita vt *Iohannes Heurnius in modo studiorum medicin.* scribat, cuncta huius æui remedia ex eo manare. Auerroës commentatus est in vniuersum Aristotelem: vnde vulgò dicitur Commentator, ab aliis per contemptum Commentitor. Supersunt *medici Iudæorum*, qui medicinam hinc inde in variis suis tractatibus frustillatim tradiderunt, vt videre est *in Lexico Hebr. Danid de Pomis*, quod Venetiis est excusum. Atque hæc sunt summa capita methodi historicæ rerum medicarum. Quidquid enim historiarum in re medicâ occurrit, hoc omne potest ad hactenus recitatos titulos referri.

Caput X.

De Historiâ Philosophicâ.

Præcepta.

Historia philosophica est vel generalis, præcognitorum philosophicorum; vel specialis, ipsarum disciplinarum philosophicarum, earumque vel theoreticarum, vel practicarum, vel poëticarum.

In his omnibus oportet spectare ortum & progressum.

Regulæ.

I. *Ortus & progressus philosophiæ considerandus est distinctè, ante diluuium & post diluuium.*

Ortus & progressus philosophiæ ante diluuium ita se habet. *Adam*, protoplastus ille, post lapsum tristissimum dubio procul filios & nepotes suos plurima docuit, quæ, partim excolendo zopyra humanæ mentis, vt vocat Scaliger, partim plurima experiendo, inuenit. *Cain* in vrbe, quam à filio suo Henoch denominauit Henochiam, imperium politicum instituit, quod mox ipsius posteri ad amplissimum potentiæ gradum euexêre. Nam *Tubal-Cain* arma omnis generis ad imperij amplitudinem & robur fabricatus est: & frater ipsius *Iubal* Musicen excogitauit: horumque soror *Noëma* vestium delicias ex lanâ linoque conficere docuit, cùm antea exuuiæ brutorum essent hominum induciæ, vt sunt verba *Otthonis Heurnij in ipsius Chaldaico*. *Abel* pastoritiam, adeoque œconomicam, inprimis excoluit. *Seth* ingens incrementum disciplinis attulit, septem planetis nomina imposuit primus, columnas in Syriâ duas extruxit, vnam lapideam, alteram lateritiam, iisque disciplinas ab Adamo inuentas, à se autem excultas, insculpsit, vt si lateritia diluuio absumeretur (ab Adamo enim vniuersalem rerum interitum ob hominum peccata euenturum audiuerat) lapidea superstes esset, quæ hominibus discendi faceret copiam. Vide *Iosephum 1. antiquitatum Iudaic cap.2.* Filius Sethi *Enos* theologiæ inprimis fuit deditus. *Enoch* maxima dedit incrementa Astronomiæ, omnibusque scientiis, & fuit insignis propheta, teste *Eupolemone in libro de Iudæis*, qui ait, Enochum esse Græcorum Atlantem. *Noe* cùm alia multa, tum architectonicam à Deo est doctus. Et omnia, quæ Ægyptij tribuunt Osiridi, Nilo, Ammoni, Dionysio, Serapidi, Plutoni, Ioui, Pani, Apollini, Oro, & similibus, ab Heurnio tribuuntur Noacho. Quò pertinere dicit illud Apollinis, quod protulit interrogatus de ambiguitate horum nominum:

Sol & Osiris idem, Dionysius, Orus, Apollo.

Ortus & progressus philosophiæ post diluuium distinctè considederatur secundùm varia interualla, quæ à præcipuis gentibus desumuntur, hoc ordine. Primò philosophiæ incunabula & propagatio videnda apud Hebræos: deinde apud varios gentiles, videlicet Chaldæos, Ægyptios, Phœnices, Germanos, Gallos, Persas, Indos, Græcos, & Romanos: denique apud homines Christianos. *Hebræorum philosophia* manauit à Noacho, & ipsius filio *Sem*, à quo nonus fuit *Abraham*, qui plurima Astronomiæ præcepta Ægyptios & Phœnices docuit, vt ex Philone discimus, item ex Alexandro & Eupolemone: qui scribunt, Abrahamum docuisse astrologiam Chaldæos primùm, deinde Phœnices, demum Ægyptios, solitumque dicere, eam se habuisse à successoribus Enoch, qui eius inuentor extiterit, & Atlas fuerit nominatus. Abrahami philosophiam propagarunt *Isaac, Iacob, & Ioseph*, è quibus ille œconomiam inprimis coluit, iste pastoritiam, hic politiam & rem astronomicam in Ægypto propagauit, quæ tanquam mercatura bonarum literarum *Mosen* omnis generis artibus instruxit: quibus magna facta fuit accessio, quando Deus ipsum constituit ducem & legislatorem populi sui. Ab hoc vsque ad Salomonem philosophia ciuilis à iudicibus populi Dei fuit inprimis exculta, reliquæ autem partes philosophiæ in scholis prophetarum sine dubio fuerunt traditæ. *Salomon* tantâ fuit præditus sapientiâ, vt illa fuerit maior, quàm sapientia omnium orientalium, & quàm omnis sapientia Ægyptiorum, vt est 1. Reg. 4. v. 30. 31. 32. 33. 34. ex quo loco colligere licet, illum præter ethica, œconomica, & politica axiomata tradidisse innumera physica & astronomica principia. Suidas etiam scribit, editum ab eo egregium volumen de cuiuslibet morbi remediis, cuius excellentiora axiomata vestibulo templi Hierosolymitani incisa fuerint: quæ ab Ezechiâ inde reuulsa & vnâ cum libro combusta fuerint. Populus enim neglectâ inuocatione Dei ex illis petebat valetudinis instaurationem. *Iosephus* quoque *lib. 8. antiquit. cap. 2.* author est, Salomonem reliquisse Iudæis artem, quæ dæmones auerruncat. A Salomone vsque ad captiuitatem Babylonicam sincerior philosophia in scholis prophetarum sonuit; sed à fatidicis & auguribus, quales multi fuerunt tempore Manassis, fuit corrupta. Et cùm decem tribus circa annum mundi 3217. in captiuitatem perpetuam abducerentur ab Assyriis, μίγμα quoddam philosophiæ Hebræorum & Assyriorum extitit in Samariâ. Tempore captiuitatis Babylonicæ *Daniel* insignis fuit cognitione rerum philosophicarum, quam didicit partim à Chaldæis, partim à popularibus suis Hebræis. Post captiuitatem possessio philosophiæ fuit penes Esdram, Nehemiam, Pontifices, viros Sanhedrin & alios viros illustres, de quibus paulò antè cap. 7.

Post

Poſt excidium Hieroſolymitanum Iudæi diſperſi fuerunt in varias orbis partes, ibique philoſophiam naturalem, aſtronomiam, medicinam, logicam, grammaticam, & alias artes partim inuolucris fabularum Talmudicarum, partim Cabbaliſticis traditionibus, partim denique præceptis methodicis comprehenderunt. *Chaldæorum philoſophia* cœpit à filio Noachi *Cham*, qui non contentus Africâ, quæ ipſi ſorte obuenerat, Syriam eique conterminas regiones, quæ ſorte Semi fuerant factæ, vi inuaſit, regnumque potens ibi condidit. Ille ignem in Vr Chaldæorum vrbe, Abrahami patriâ, poſuit adorandum, graui pœnâ in pertinaces promulgatâ. Huic ſucceſſit nepos *Nimrod*, minimus natu filiorum Chus, filij Cham. Hic primus nomen regis poſt diluuium vſurpauit, terraſque & eius cultores ſub iugum miſit. Cùm enim omnes ciuitates & pagi à regibus adminiſtrarentur (vt hodie in Americâ à regulis, quos appellant *Cacicos*) bello ſingulis illato, vniuerſos ſuperauit, regnique ſui caput conſtituit Babel, anno mundi 1718: quam poſtea Aſſyriorum regum incuriâ collapſam inſtaurauit Semiramis. Vide *Auguſtinum lib.* 16. *de ciuit. Dei cap.* 4. *& Euſebium de præparat. euang.libr.* 2. *cap* 1. Anno mundi 1773 Bel, Semiramidis pater fuit primus, teſte Plinio lib. 6. cap. 16. apud Babylonios inuentor ſyderalis ſcientiæ, quam poſtea conſpurcauit impurâ magiâ, vt & Semiramis ipſius filia, quæ Zoroaſtro Bactrianorum regi bellum intulit, non tam vt regni æmulum tolleret, quàm vt ſcientiâ ſuperiorem deprimeret. De *Zoroaſtro* iſto hæc ſummatim habenda. Zoroaſtrum, ſiue Soroaſtrum excoluiſſe magiam, ſatis inter authores conuenire ſcribit Plinius. Extiterunt autem duo hoc nomine; vnus Perſa, qui puram magiam infinitis conſpurcauit ſordibus, de quo *Diogenes Laërtius in prooemio*: alter Bactrianorum princeps ac imperator. Hic dicitur Zoroaſter primus & prior: ille ſecundus & poſterior. Cæterùm Bactriani iſti ſunt populi Scythiæ vltra Aſſyriam, quorum regio dicitur Bactra, mille vrbibus olim inclyta. Huius regionis princeps Zoroaſter (qui riſit eodem die, quo genitus eſt, vt *Plinius lib.* 7. *cap.* 16. teſtatur) cùm ex ephebis exceſſiſſet, nullum vitæ genus beatâ agricolarum ſolitariâ viuendi ratione commodius reperit: ideoque in ſyluas ſecedens ibi caſeo vixit annis viginti, teſte *Plinio lib.* 11. *c.*42. Interea temporis naturalem & ſyderalem philoſophiam excoluit, primusque magiam puram, id eſt Dei venerationem, & ſyderum naturæque virium cognitionem condidit. Sed cùm iam maximos in verâ philoſophiâ progreſſus feciſſet, ad tantam ſciendi intemperantiam deuenit, vt ea, quæ à ſenſibus ita remota ſunt, vt niſibus & viſibus humanis planè ſint negata, impurorum dæmonum ope conſequi ſit conatus. Vnde in bello, quod cum Ninyâ, ſiue Semiramide (hæc enim ſe Ninyam Nini filiam mentiebatur) geſſit, non tantùm armis, ſed & impurâ magiâ, id eſt, dæmonum adiumento, cum illâ de imperij artisque dignitate certauit. Zoroaſter ille fertur edidiſſe libros 6. de pretioſis lapidibus: librum vnum de aſtrorum effectis ex eorum inſpectione prædicendis: libros 6. de agriculturâ: vicies centum millia verſuum futurorum prænuntiorum, ſeu oraculorum & innumera alia, quæ Hermippus in indices digeſſit. Horum librorum aliquot Iohan. Picus, Phœnix ille Italiæ, habuit: & Ludouicus Tiletanus ſuperiori ſeculo quædam Zoroaſtri oracula, vel potiùs fragmenta, Pariſiis edidit: Franciſcus denique Patritius (princeps philoſophorum ſuperioris ſeculi) anno 1593 oraculis Zoroaſtri augmentum maximum ex Proclo, Hermiâ, Simplicio, Damaſcio, Syneſio, Olympiodoro, Nicephoro & Arnobio artulit: quorum elegantiſſima capita numero vndecim vide apud elegantiſſimum *Otthonem Heurnium in ipſius Indico.* Didymus ſcribit, hunc Zoroaſtrum fuiſſe filium Cham, qui Chanaan fuit appellatus. Atq; hic eſt primus Zoroaſter, ſeu Zoroaſtres, quem Semiramis vicit; quæ ipſa in meditullio Babylonis patri ſuo Bel magnificentiſſimum templum extruxit, in cuius vmbilico turris altitudine ſtadii conſpiciebatur, cui altera turris erat impoſita, eique alia rurſum ad octauam vſque continuatâ ſerie. Ex hâc turri Chaldæi ſydera accuratè obſeruantes, cùm ſupra nubes nebulasque poſiti eſſent, plurima inuenere ad aſtronomiæ incrementum facientia. Vide *Diod. Sic. l* 2 *rer. antiq & Hieron. lib.* 1 *in Hoſeam.* Atque hoc eſt templum Beli Babylonici, quod manubijs triumphi Iudaici & Syriaci à Nebucadnezare fuit exornatum. 2. *Chron.* 36 *v* 7. *Dan. v.* 1 2. Cæterùm *Bel* linguâ Chaldaicâ ſolem ſignificat, quem Babylonij, tanquam aſtrorum (circa quæ totum eorum ſtudium occupabatur) principem, venerabantur. Poſtea autem imperatores & ſatrapæ Babylonici nomen Bel, tanquam reliquis magnificentius & ipſorum opinione præditum diuinitate quâdam, in nomen aut cognomen ſibi aſſumſerunt: moxq; reliquorum populorum principes, ad imitationem Babyloniorum, qui monarchiâ potiebantur, idem nomen ſibi aſciuere: vt apud Virgil. lib. 1. Æneid. conſanguineus Didonis apud Phœnices appellatur Bellus, his verbis.

Hic regina grauem gemmis auroq; popoſcit,
Impleuitq; mero pateram: quam Belus, & omnes
A Belo ſoliti ———

Atque hinc quoque ſunt illa nomina ducum Pœnorum *Hannibal* & *Haſdrubal*; ita vt *Bal* ſit contractum ex *Baal* Porrò apud principes Babylonicos hic mos vigebat, vt aut dei alicuius nomen ſibi aſſumerent, aut plurium diuorum heroumque nomina aliquot combinarent. Egregia autem inter ſimplicia Chaldæorum nomina, teſte Heurnio, hæc erant. 1. *Nebo, Lebo.* 2. *Nego.* 3. *Mero* 4. *Scheſchach.* 5. *Schadrach.* 6. *Meſchach.* 7. *Letzar, Retzar, Netzar* 8 *Schetzar.* 9. *Meltzar.* 10. *Nergal.* 11 *Belti.* 12. *Adam.* 13. *Hewil* 14. *Ochri.* 15 *Chen* 16 *Bel* 17. *Scheſch.* 18. *Phil.* 19. *Nit.* 20. *Dach.* 21. *Zar.* 22. *Pal* 23. *Pad.* 24. *Chad.* Ex hiſce nominibus Babylonici principes, qui reliquis præfulgebant, aut vnum dei nomen aſſumebant, putà *Bel, Belti, Nebo, Mero, Scheſchach*: aut duo, tria, quatuórue componebant, vt *Nabo-naſſar* ex 1 & 7. *Belti-ſchatzar* ex 8. & 11. *Nabonit* ex 1. & 19. *Nabo-Pul-Letzar* ex 1. 18. 7. *Nebu-cad-netzar.* ex 1. 24. 7. *Nabo-zar-adam* ex 1. 21 12. *Mero-dach-en-pad* ex 3. 20. 15. 23. Vbi notandum, nominibus Imperatorum Babylonicorum vtplurimùm *Nebo* præpoſitum. Pœnorum *Bal* fuiſſe poſtpoſitum: quemadmodum apud Perſas nomina magnificentiam denotantia terminabantur in literam San ſiue Sigma: vt Ardes, Smerdes, Xerxes. Conſequebantur autem Chaldæi hæc nomina, cùm ad imperij gubernacula admouerentur, vt hoc æuo Pontifices Romani. Sic *Bel-adan* admotus imperio *Nabonaſſar* fuit appellatus. Aſſyrii imitabantur hâc in parte Babylonios, & ſua nomina ex illis ferè ſimplicibus componebant 1. *Schadran*, 2. *Schalman.* 3. *Teglath* 4 *Herib.* 5. *Haddon.* 6. *Neſchroch* 7. *Adar.* 8 *Etzer, vel Atzer* 9. *Aſar* 10. *Ballat* 11. *Oſen, vel Oſn.* 12. *Chuſchan* 13. *Sen.* 14. *Phul* 15. *Phar.* 16. *Schar.* Hinc conflata ſunt iſta nomina *Salmam-Aſſer* ex 2. & 9. *Aſarhaddon* ex 9. 5. *Teglath-phul-etzer* ex 3. 14. 8. Sed redeamus ad Belum. Ille collegia inſtituit in Vr Chaldæorum, ſeu Orchoe, vnde Orchoitæ philoſophi & aſtrologi; & fuit magiæ peritus, vt ex ſepulchro ipſius colligere licet, cuius deſcriptio extat apud *Ælianum lib.* 13 *variar hiſtor cap.* 3. vbi fit mentio vrnæ vitreæ, in quâ fuerit cadauer oleo innatans. Ad paterni monumenti ſimilitudinem Semiramis fecit ſibi ſepulchrum, cuius meminit *Herodotus lib.* 1. quod auſu temerario aperuit Darius, quemadmodum Xerxes reſerauit ſepulchrum Beli, & Rodericus arcam quandam Toleti repertam de quâ *Heurnius in ſuo Indico.* Porrò Aſſyrij & Chaldæi aſtronomiæ peritiſſimi ſolem principem ſtellarum venerabantur: quâ idololatriâ etiam Abrahamum infectum fuiſſe veriſimile eſt. Et temporibus Ioſiæ hoc idolomaniæ genus Hieroſolymis inualuerat. 2 *Reg.* 32. *v.* 11. Ignem quoque Chaldæi habebant pro deo, vt Ægyptii aquam. Et illi quidem hoc argumento pugnabant, quòd ignis omnes deorum ſtatuas diſſolueret, vt eſt apud *Rufinum lib.* 2. *hiſt eccleſ.* Hi verò quòd ſtatuâ Nili productâ, & aquâ repletâ, meatibus cerâ obductis, ignem à Chaldæis ſuccenſum extinxiſſent. Cæterùm in Chaldæâ, Meſopotamiâ, Arabiæque partibus Iudææ & Chaldææ finitimis, plurimi ex piorum patrum poſteris, à maioribus diuinam humanamque philoſophiam per manus ſibi traditam, ardenti ſtudio excoluere: inter quos eminuit *Iob*, qui putatur vixiſſe tempore ſeruitutis filiorum Iſraël in Ægypto: item *Eliphaz, Bildad, Zophar & Elihu*, omnes oriundi ex lineâ Abrahami, de quibus in hiſtoriâ Iobi. *Bileam* quoque in antiquioris philoſophiæ cultoribus numeratur: de quo *Num.* 23. *&* 24 Sed pergamus in recenſenda propagatione philoſophiæ per Chaldæam. Cùm Ninus Imperii ſedem transtuliſſet Nineuen, Babylone migrarunt ſtudia philoſophiæ, & ſe receperunt in Aſſyriam. Cùm verò ad ſummum virtutum vitiorumque faſtigium Nineue perueniſſet, diuinâ vindictâ à Babylonijs triumphata eſt: & ita rurſum variatâ vice ad Babel, vrbium poſt Nineue ampliſſimam, rediit ἀξίωμα imperii vnâ cum bonarum literarum profeſſione ac veluti poſſeſſione, adeò vt philoſophi Chaldæorum dicti fuerint κατ' ἐξοχὴν Chaldæi, quòd illi fermè ſoli ſe traderent liberalibus diſciplinis, quas poſteriori æuo *Daniel* cum ſociis meliori aſciâ expoliuit. Poſt Danielis tempora Babyloniorum philoſophia multis fuit fœdata modis, licet aliquid puritatis remanſerit, vt colligere licet ex fragmentis *Bardeſanis Chaldæi*, de quibus *Euſebius lib.* 4. *hiſt. eccleſ. c* 30. Bardeſanes ille vixit anno Chr. 175. Porrò *Beroſus*, primus Græciæ intulit philoſophiam Babyloniorum, nominatim aſtronomiam, vt author eſt Vitruuius. Is claruit circa annum mundi 3690. poſt Alexandri M. tempora. Etſi enim Ariſtoteles ante ipſum plurima Babyloniorum ſcriptis ſuis inſeruit: nomen tamen ipſorum ſuppreſſit. At Beroſus in Coo conſedit, ibique Chaldæorum nomine non diſſimulato, ipſorum prædictiones tantâ felicitate tradidit, & facilitate, vt Athenienſes ſtatuam linguâ inauratâ ipſi dedicarent. Beroſus iſte hiſtoriam quoque excoluit: quod priſcos Chaldæos etiam feciſſe colligere licet ex *Ioſeph. lib.* 1. *contra Appion.* qui teſtatur, philoſophorum munus inter alia fuiſſe res geſtas ſuorum Imperatorum literis conſignare. Quò pertinet quod *Curtius lib.* 5. ait, magos regum laudes canere ſolitos. Poſt Beroſum philoſophia Chaldaica magis magisque corrupta eſt, adeò vt *Fatum Chaldaicum*, *Aſtrologia Chaldaica, & Chaldæi* abierint in prouerbium infame. Nunc

diſpiciamus *ortum & progreſſum philoſophiæ apud Ægyptios.* Ægyptij priſcos reges ſuos hoc ordine commemorant. Principem ſuum regem ſoli cognominem fuiſſe affirmant, licet alij Vulcanum ignis repertorem fuiſſe aſſererent: eique ſucceſſiſſe Saturnum, qui ſorore Cybele in vxorem ductâ Oſirim Iſimque genuerit, aut, vt alij volunt, Iouem & Iunonem. Hos vniuerſum orbem ſubiugaſſe, ac quinque deos, id eſt reges, procreaſſe aiunt: è quibus Dionyſius & Ceres ſeu Iſis matrimonio copulati parentibus in regno ſucceſſerint, ac in tractu Thebaico vrbem centum portis conſpicuam, Heliopolin nuncupatam, condiderint Hanc obſcuram commemorationem ita illuſtramus ex præſtantiſſimis hiſtoricis. Ægyptij ſeptendecim dynaſtias commemorant ante dynaſtiam X V I I I, quæ eſt prima regum, qui cum hiſtoriâ ſacrâ connecti poſſunt, circa annum mundi 2250 In decimâ ſextâ ipſorum dynaſtiâ, quæ eſt ſecunda paſtorum vixit Saturnus ſenior, qui & Chamephes ſenior. Is eſt Noachus. Eius filius Cham Ægyptiis dictus eſt Saturnus iunior, & Chamephes iunior: quo vtroque nomine etiam dictus fuit Chus, filius Chami. Noachum audiuit Hermes Triſmegiſtus, qui Ægyptijs dictus fuit *Theut*, ſiue Thot; quam vocem Goropius Becanus contendit eſſe Cimbricam *Hoot* vel *Heet*, quæ caput denotet. Atque hic eſt Hermes Triſmegiſtus primus: quem ſic vocamus differentiæ cauſâ: quia hoc nomine etiam fuit alius circa annum mundi 2453, qui floruit in Ægypto paulò poſt Moſen: quanquam Artabanus & alij tradunt, Moſen eſſe Mercurium Triſmegiſtum, itemque Muſæum. Primus ille Hermes vixit tempore Oſiridis & Iſidis. Iſis enim, teſte Diodoro Siculo, huiuſmodi inſcriptionem columnæ impoſuit: *Ego ſum Iſis, totius regionis regina, ab Hermete inſtituta.* De hoc teſtatur Sanchoniato, ipſum fuiſſe ſcribam Saturni ſeu Camephis iunioris, qui fuit Pater Iſidis & Oſiridis, filius Chami, proprio quidem nomine dictus Chus, at communi cum Patre Saturnus ſeu Camephes iunior. Vnde in Iſidis epitaphio ſcriptum: *Ego ſum iunioris Saturni Dei filia, natu maxima.* Patrem autem Chuſi, id eſt Chamum, eodem nomine dictum, hæc libri vetuſti verba teſtantur: *Mentem adhibe, ô Hore fili: occultam enim audies contemplationem, quam auus tuus Chamephes audiit ab Hermete, qui omnium rerum commentaria ſcripſit, ex ſermonibus omnium progenitoris Chamephis*, id eſt Noachi. Horus enim fuit Iſidis & Oſiridis filius: Iſis autem & Oſiris Chuſi: is autem Chami. Chus igitur eſt auus Hori, & Chamephis huius iunioris progenitor eſt Cham ſeu alter Chamephes iunior: cuius progenitor eſt Chamephes ſenior, id eſt Noachus. Fuit itaque Hermes auditor Noachi, Chuſi præceptor & ſcriba, eiuſque liberorum, Oſiridis & Iſidis, præfectus. In tantâ apud Ægyptios fuit veneratione, vt ἀποθεώσει vſitatâ in deorum numerum ſit relatus, templa ipſius numini conſtructa, ac primus anni menſis nomine ipſius fuerit ſignatus. Triſmegiſtum vocarũt, quod maximus eſſet philoſophus, ſacerdos, & rex. Apud Ægyptios enim hic mos frequentabatur, vt ex philoſophorum numero ſacerdotes, ex ſacerdotum cœtu regem eligerent. Hic eſt ille Hermes, quem Seleucus dicit vniuerſalia principia duabus voluminum myriadibus deſcripſiſſe: & Menetus, voluminum ſex triginta millia, quingenta & viginti quinque. Lactantius ipſum inter prophetas & Sibyllas collocat. Ex omnibus ipſius libris duo vel tres dialogi ævi dentem effugerunt, in quibus excellit Pœmander, id eſt, mens diuina. Marſilius Ficinus dialogos magno commentariorum robore muniuit, ipſeque fuit Hermeticus, vti omnes ferè Platonici. Nam Plato fuit quaſi terminus philoſophiæ Hermeticæ, hoc ordine Hermetis veſtigia ſecut⁹ eſt Orpheus: huius Aglaophemus: cui ſucceſſit Pythagoras: huic Philolaus Platonis præceptor: qui ſex philoſophi ſectam Hermeticam inſtar figuræ hexaedræ conſtituunt. Porrò Oſiris rex Ægypti, qui & Serapis & Apis appellatur, vnà cum vxore Iſide venit ad Marſum Germ. regem, & Germanos docuit rationem conficiendi cereuiſiam, item agriculturam, medicinam, artem fabrilem & molendinariam. Hermeti σύγχρονος fuit Abraham, qui ex Phœniciâ deſcendit in Ægyptum ad regem Pharetatem, ibique ſincerioris philoſophiæ incrementum promouit: quod ipſum etiam fecerunt Iacob & Ioſeph; quorum ſapientiam didicit Moſes in Ægypto. Inprimis tempore Seſoſtris vna cum finibus Ægypti aucta eſt philoſophiæ profeſſio. Nam Seſoſtres, ſiue, vt alij legunt, Seſoſtris (quem Ægyptii ſecundum ab Oſiri magnifaciunt) contabeſcente ſenſim Aſſyriorum imperio, magnas in Aſſyriam expeditiones fecit, ingentemque Occidentis & Orientis partem ſubiugauit, plurimis in locis à ſe deuictis columnam ſtatuens hieroglyphicis literis (quas Apuleius ignorabiles, alij inobſeruabiles vocant) hæc verba exprimentem: *hanc prouinciam armis ſubegit regum regentium, rex Seſoſtres* cui alteram iunxit, in quâ pudenda virorum inſculpſit ob gentes ſtrenuas, mulierum ob ignauas. Hic eſt ille Seſoſtres, qui debellato terrarum orbe in Ægyptum reverſus, curru triumphali, quatuor regibus à ſe victis trahentibus, fuit victus: cumque vnus regum ſubinde reſpiciens rotam circulantem mirabundus intueretur & quid ita reſpectaret à Seſoſtre rogaretur, reſponſo ſuo, quòd rotæ circuitus ſibi ſuum ſtatum in memoriam redigeret, modeſtâ [illegible]tione modeſtiorem effecit Seſoſtrem, ita vt à regibus currum iſtum deinceps duci nollet. Plura de ſcholis Ægyptiorum, & quomodo in collegijs ſacerdotum fuerint propoſitæ Geometria, Ethica, Politica, Aſtronomia, Hiſtoria, & Medicina, vide ſuprà cap. vlt. Scholaſticæ Hic duntaxat nota quoſdam myſticæ Ægyptiorum philoſophiæ apices. Illi Oſirim (quæ vox multoculum ſignificat) & Iſim, Solem ac Lunam deſignare aiebant: Iouem per omnia meantem ſpiritum: Vulcanum, ignem: Cererem terram: Oceanum, humiditatem, vt & Nilum, cui etiam deorum generationem attribuebant: Mineruam, aërem, quem Iouis filium nuncupabant, eumque virginem exiſtimabant propter incorruptibilem ipſius naturam. Eundem vocabant Tritonam, quòd vere, æſtate, ac hyeme commutetur. Iam *de Phœnicibus* eſt dicendum, quomodo apud illos nata & conſeruata ſit philoſophia. Abraham Phœnices (id eſt Populos regionem à Tzidone in Ægyptum vſque extenſam inhabitantes) docuit rationem ſolaris lunariſque motus, aliaque ad Aſtronomiam pertinentia plurima, teſte *Procopio lib. 2. de bello Vandalico & Eupolemone lib. de Iudæis.* Artem illam ipſi quotidianâ experientiâ auxerunt, & Arithmeticam, perpetuis mercaturæ computationibus exercitati, excogitarunt, itemque artem nauigandi iuxta ductum vrſæ minoris, vt *Ouidius 4. triſt. eleg. 3. & Sabellicus de rerum inuentoribus docent.* Inter philoſophos Phœnicum fuit *Hog* qui primus artibus Abrahami ſe exornaſſe creditur, ſic dictus ab *Hogah*, quod Phœnicibus eſt meditari. Hunc Heurnius in ſuo Chaldaico putat fuiſſe regem Baſan, cuius Biblia meminerunt. Portò Phœnices primò habuerunt literas hieroglyphicas, qualibus hodiè vtuntur Chinenſes; & eas indubiè ab Abrahamo acceperunt Quomodo iidem Phœnices ex Phœniciâ, propter metum belli à Ioſuâ geſti, partim in Ægyptum, partim duce Cadmo in Græciam, partim denique in Africam duce Eliſsâ, ſeu Didone, fugerint, & eò bonas literas detulerint, ſuprà cap. vltimo Scholaſticæ fuit indicatum. Quomodo *Germanorum philoſophia* ſit orta & propagata, vide ſuprà in Politicis, ad monarchiam primam Inprimis autem carminibus per Bardos (ita vocabant ſuos poëtas) compoſitis virorum illuſtrium facta decantabant; idque ferè tum temporis, quando ad prælium ibant, vt carminum iſtorum relatu, quem Barditum vocabant, animos accenderent, vt eſt apud *Tacitum lib. de moribus Germanorum.* Hâc de re Vvillichius in Germaniâ Taciti ſic ait: Annales habebant (Germani) veluti quandam Chronologiam, non ſcriptis relictam; ſed cantilenis plerumque rhythmicis res geſtas, & tempora celebrabant. Ibidem dicit, hodieque iſtam conſuetudinem obſeruari in cantilenis, quas vocant die Meiſtergeſänge. Sinceræ etiam ac deformis magiæ igniculi in Germanicæ barbariei niue emicabant. Nam apud eos erant vates, qui ab Ammiano *l. 15. c. 8.* vocantur Eubages, qui ſcrutantes ſumma & ſublimia naturæ, ea pandere conabantur. Duûm itaque generum philoſophos habuerunt priſci Germani, Bardos videlicet & Eubages. *Gallorum philoſophia* breuiter ita ſe habet. Præter Bardos, id eſt poëtas, & Eubages, id eſt vates, quos Galli cum Germanis habebant communes; Galli peculiariter habuerunt ſacerdotes & magos Druidas: quorum collegium tempore Hermionis, Germanorum regis, anno mundi 2125, circiter cœpit. Druidę iſti, ſeu Druides, nomen habebant à δρῦς, δρυὸς, *quercus*: quia quercu & viſco querno nihil habebant ſacratius, nec vlla ſacra ſine fronde quernâ peragebant; & quidquid huic arbori adnaſcebatur, è cælo miſſum putabant, ſignumque eſſe electæ à Deo arboris. Geſnerus tamen & alij Druidas putant dictos à Germ. Drou/ quod fidem ſignificat. Illi de omnibus controuerſijs iudicabant, iura conſtituebant, iuuentutem informabant in rebus phyſicis, aſtronomicis, & medicis; ingentem verſuum ſummam diſcipulis proponebant ediſcendam, in quibus nonnulli ad annum vſque vigeſimum hærebãt, quâ ratione non tam memoriam diſcipulorum exercebant, quàm myſteria ſua clam habebant: literis Græcorum vtebantur: humano ſanguine populum expiabant; quem ritum Trophimus ſuſtulit, docens ſanguine Chriſti nos eſſe lotos. Plura de Druidarum myſticâ philoſophiâ vide in *Indico Heurnij*. Ad *Perſarum philoſophiam* quod attinet, illa à Babylonijs, Hebræis, & Ægyptijs manauit, hoc modo. Marceſcente ac pedetentim contabeſcente imperij Babylonici maieſtate ſenſim quoque philoſophiæ ſplendor eſt amiſſus: donec tandem à Magis Perſarum eſt reſtitutus. Iſti autem Magi longè ante extiterunt, & ſapientiam ſuam acceperunt ab Hebræis, Babylonijs & Ægyptijs. Nam Trithon Suſis (quæ vox Perſis ſignificat lilium) arcem extruxit: qui quòd cum aurora ſurgeret, & in ſapientiæ medullas aciem ingenii intenderet, dictus fuit maritus auroræ Erat hic Laomedontis filius, Priami frater. Vxorem duxerat ex Oriente oriundam, quam poëtæ dixerunt Auroram. Cum vxore iſtâ Orientis quoque ſapientiam ſibi deſpondit, & ex illâ duos ſuſceptos filos, Memnona regem Æthiopum & Ægyptiorum, & regem Emathionem, in ſapientiâ orientis, id eſt, in magiâ inſtituit. Inprimis autem Memnon fuit magiæ peritiſſimus, adeò vt ex nigro lapide ſtatuam ſibi ſimillimam extruxerit, quæ cùm primum ſolis orientis radij illabebantur, in hilaritatem ac riſum ſe ſol-

u ebar

uebat,& oracula fundebat:vbi autem Sol occideret,in tristitiam & lacrymas,vt pueri decedente matre,se proiiciebat. Atque hic dicitur *lapis vocalis Memnonis*:ad cuius similitudinem sacerdotes Ægyptij in Heliopoli simile simulachrum extruxerunt,quod vocarunt *Cippum* : cuius rudera Strabo se conspexisse scribit, quæ radiis solis copiose illustrata vocem inarticulatam ob organorum vitium edebant. Porrò Magi Persarum diuinas humanasque omnes excolebant disciplinas , cœli naturæque variantes scrutabantur vices , regum principumque res gestas literarum perennitati committebant , principum denique filios instituebant. Horum dogmata Darius Hystaspes, prudentissimus Darij pater, innumeris additamentis auxit, quæ ab Indorum Brachmannis accepit. Hæc pura Magia in Persiâ incolumis perennauit vsque ad infaustum Zoroastris(secundi illius)exortum,qui aliàs appellatur Zarades Persa,& id nominis est consecutus ab egregiâ astronomiæ peritiâ;quâ adeo excelluit,vt omnium Persiæ ac Mediæ magorum famam lucidissimo acuminis lumine offuscaret, indeque nomen *Persomedis*, quasi vtriusque gentis coryphæi,consequeretur. Verùm puræ isti magiæ impuram illam adiunxit,de quâ *Heurnius in suo Chaldaico pag.90. & in Indico cap.28.tract.*4.Huic discipuli apud Persas successerunt Hostanes , Astrappsychus , Gobrias , Pazata:apud Medos Apuscorus & Zoratus:apud Babylonios Marmaridus:apud Arabes Hippocus:apud Assyrios Zarmocenidas : apud alios alij, ita quidem vt impura ista magia fuerit diuisa in Asiaticam , Africanam,& Europæam,& hæc rursus in Thessalicam,Hetruscam Romanam, Gallicam, & Germanicam, vt prolixè docet *Heurnius in Indico, à cap 28. vsque ad finem libri.* Semper tamen aliqui inter magos Orientis fuerunt, qui puritatem suæ sapientiæ retinuerunt:quales fuerunt , qui tempore natiuitatis Christi ductum stellæ secuti ex Sabâ metropoli Arabiæ Bethlehemum contenderunt , ibique regem illum æternum Iesum Christum venerabundi adorarunt. Deinceps quoque fuit Magorum authoritas aliquo semper loco apud Persas:& tandem sub Artaxare summum cepit incrementum. Artaxares iste circa annum Christi 230. clandestinâ coniuratione collectam perditissimorum hominum manum aduersus Artabanum , vltimum Parthorum regem ex stirpe Arsacæ , armauit, ipsumque obtruncauit,& sublato iugo Arsacidarum Parthico cidarim Persicam Persis restituit, ipse Persa. Hic autem Magiæ cognitione imbutus cùm esset, Magis summam tribuit potentiam : & tantam quidem, vt præsides iudicesque omnium rerum ab ipso constituerentur, omniaque belli togæque negotia ipsorum auspiciis geri imperaret. Quæ potentia vsque adeò excreuit,vt in oriente regum regibus tandem imperarent; adeoque recuperarent potentiam veterum magorum , de quibus *Plinius lib.* 30 *cap.* 1. hæc verba vsurpat. *Indorum philosophia* hoc modo est nata & propagata. *Strabo l.* 15. ex Onesicrati sententiâ philosophos Indorum priscorum diuidit in duo genera,alios Brachmannos,alios Germannos appellans.Ex his Brachmanni putantur quibusdam dicti à nomine Abraham:vtpote qui prognati sint ex filiis concubinarum ipsius,quos variis donis ab ipso ornatos,inque orientem ablegatos esse liber sacrarum originum docet.In donis illis non solùm aurum & argentum;sed etiam indubiè astrologia, & physica subtilior, fuêre:quâ vtrâque Indi non tantùm olim fulsêre,sed etiam nunc dierum,testibus Lusitanis, adeò pollent, vt ea quæ nobis videntur inuia cognitioni humanæ, per lusum & iocum inuestigent. *Brachmanni* isti hæreditate acceptam sapientiam excolebant,erantque in magno honore.Illi *Germanos*, alienos , nec ex sapientum prosapiâ oriundos, ad philosophiæ cultum admittebant. Illorum honoratissimi erant Hylobij, sic dicti, quòd in syluis solitudinibusque agerent, frugibus frondibusque vitam sustentantes, & ab omni prorsus carne abstinentes. Nudi incedebant : vnde nomen Gymnosophistarum ipsis inditum. Cortice tamen arborum aut lineo è filis mollibus indumento tegebant partes,quas natura iussit tegere.Quas vestes non aquis expurgabant, sed inquinatas, flammis sine noxâ abstergendas iniiciebant. Vini ac Veneris expertes erant ante annum ætatis septimum & trigesimum. Cum regibus de republ. de syderum cursu , de naturæ arcanis conferebant. Solem ab ortu ad occasum vsque eodem in statu rigidis oculis intuebantur:Caucasi frigus sine vllo dolore deuorabant:ignis violentiam sine gemitu perferebant : & similibus exercitiis corpori robur, animo fortitudinem afflabant. Brachmannis & Germanis istis aduersarij erant Premmæ , hominum genus contentione prognatum & reprehensionibus altum,in Montanos, Gymnetas,Ciuiles, Domesticosque diuisum. Porro Indorum philosophi hoc æuo in duo scinduntur genera,in Baneanes ac Bramanes.*Baneanes* licet sectis inter se discrepent, in eo tamen omnes conueniunt, ne rem animantem necent,eâque vescantur. Longis ieiuniis se macerant, de nocte duntaxat pauxillum saccari & lactis sumentes. Qui inter ipsos sunt superstitiosiores , viginti diebus genium suum alimentis defraudant Aquam saccari dulcedine infectam, auibus & formicis bibendam proponunt:& in Cambaite aues morbidas in peculiari nosocomio pristinæ sanitati restituunt ac liberas dimittunt. Et hæ sunt ipsorum eleemosynæ.*Bramanes* in maiori sunt veneratione,quàm Baneanes. Sunt enim regiâ stirpe oriundi:vnde quæstores, legati & aduocati ex illis deliguntur. Habent suos prophetas & libros sacros: adorant vaccas:DEUM existimant esse nigrum,& hunc colorem, quòd ipsis sit natiuus , existimant pulcherrimum : habent linguam quandam peregrinam, vti nos Latinam : Magiam & incantationes in scholis docent : diebus festis sacerdos hanc sententiam subinde repetit , *Adoro te , ô Deus , cum tuâ gratiâ & auxilio , in æternum. Ad philosophiam Græcorum, & denique Christianorum* quod attinet, ortus & progressus ipsius describitur suprà lib. 1. huius Eucyclopædiæ. Summatim hoc loco teneantur ista. *Diodorus Siculus lib.1.bibliothecæ cap. 3.& 6.*scribit de Græcis:*Qui plurimùm doctrinâ excelluerunt,in Ægyptũ transierunt,vt leges eorum,&studia cognitione digna, perciperent.* Inter hos recenset Orpheum , Homerum , Pythagoram, Solonem, Lycurgum , Platonem, Eudoxum, & Democritum. *Idem cap.*6. addit:*In Ægypto certè perceperunt omnia, quæ illos apud Græcos admirabiles fecêre.* Falsus igitur Lucianus , qui in dialogo de astrologiâ inquit:*Græci nihil ex Æthiopibus,vel ex Ægyptiis de astrologiâ audiuerunt , sed illis Orpheus , Calliopes & OEagri filius , ea primus explicauit.* Quasi verò Orpheus non habuerit ex Lino , & hic ex Orientalibus philosophis, omnem suam hauserit sapientiam. Orphicorum scriptorum catalogum texit *Heurnius in Indico cap.* 26. quod totum de Orpheo Thrace tractat. Quomodo porrò ab Orpheo ad sequentes Græcos peruenerit philosophia , & à Græcis ad Latinos , & denique ab vtrisque ad Christianos , prolixè lib. 1. executi sumus. Confer *lib.* 12. *Antonij Possevini* , & illos qui scripserunt vitas philosophorum : putà Plutarchum, Diogenem Laërtium , Eunapium Sardianum & denique Hesychium : qui non tantùm chronographiam illustrium philosophorum , sed etiam nobiliora ipsorum placita tradiderunt. Cuius vtriusque rei cognitio plurimùm conducit,partim ad collationem philosophorum , partim ad iudicij integritatem , quæ non potest non augescere,quando κ. ειας δόξας præstantissimorum philosophorum diligenti examine & velut ad libram Critolai expendit.

II. *Metaphysices ætates sunt numero tres.* Historiæ metaphysicæ quales?

Prima est ante Aristotelem : & dici potest infantia. Hoc enim tempore sparsim potiùs , quàm systematicè , proposita fuerunt varia dogmata metaphysica , quæ quidem reuerà fuerint metaphysica , id est talia , vt vel ad transcendentium , vel ad prædicamentorum classem possint referri. *Secunda* est tempore Aristotelis ; qui tractationem rerum verè metaphysicarum confudit cum tractatione Pneumaticâ.*Tertia* est post Aristotelem : cuius libros metaphysicos plurimi sunt interpretati , Græci, Latini, & Arabes:è quibus recentiores sunt eò tutiores , quòd simul insignes philosophi ac theologi fuerint , & prudenter cum Pererio iudicarint, Metaphysicam, ac Scientiam de DEO ac intelligentijs esse scientias essentialiter inter se distinctas, quæ commoditatis gratiâ fuerint compactæ vnum in systema. Præcipui scriptores sunt Albertus Magnus , Alexander Aphrodisæus , Alexander Halensis , Antonius Andreæ, Antonius Scainus , Antonius Trombera , Auerroës , Auicenna , Matthias Aquarius , Chrysostomus Iauellus, Franciscus Soarez, Franciscus Vicomercatus , Caspar Contarenus , Iandunus, Iohannes Ludouicus Viues, Paulus Soncinas. Petrus Fonseca, Thomas Aquinas, Rodolphus Goclenius, Chynæus, Clemens Timplerus , Iacobus Martini, Daniel Cramerus , Caspar Bartholinus , Iohannes Combachius , Iohannes Vvillius, Rütgersius.

III. *Historiæ Pneumaticæ diuiduntur iuxta præcipuas sententias & opiniones eorum , qui de Deo, angelis, & animâ scripserunt.* Historiæ Pneumaticæ quales?

Principiò occurrunt libri sacri seu Biblici, qui puram putam veritatem promunt. *Deinde* sunt Rabbini, qui partim vera, partim falsa & ridicula de spiritibus prodiderunt. *Tertiò* sunt Platonici , qui hanc Philosophiæ partem quibusdam egregijs obseruationibus illustriorem effecerunt, quibusdam etiam delirijs fœdarunt. *Quartò* sunt Peripatetici gentiles , qui Pneumaticam inseruerunt Metaphysicæ , multasque portentosas opiniones in medium attulerunt. *Sextò* sunt Peripatetici Christiani, iique tum Pontificij , qui hierarchiam cœlestem Dionysij mordicùs defendunt , tum Reformati , iique vel Textuales , qui doctrinam de Deo & intelligentijs ab Aristotele in Metaphysicis propositam explicarunt, vel Methodici, qui hanc scientiam præceptis methodicis comprehenderunt, vt Casmannus & Keckermannus.

IV. *Historiæ physicæ sunt duplices , scriptorum videlicet Physicorum,& rerum naturalium.* Historiæ physicæ quales?

Scriptores physicos diuidere possumus in quatuor classes. In primâ classe sunt Hermetici , qui doctrinam Hermetis sequuntur : quibus simillimi sunt Platonici , Chymici & Mythologi. In secundâ classe sunt Peripatetici , & ipsorum parastatæ

ſtatæ Galeniſtæ. In tertiâ claſſe ſunt Arabes: in quartâ Rabbini & Cabbaliſtæ. Aliam partitionem vide ſupra lib. 4. c 11. *Rerum naturalium hiſtoria* eſt multiplex, puta de naturâ rerum cœleſtium, meteorologicarum, mineralium, vegetabilium, & animalium. Iſtiuſmodi hiſtorias accuratè tractatas vide in C. Plinij Secundi hiſtoriâ mundi libris 36. in hiſtoriâ animalium Ariſtotelis: libris 17. Æliani de animalibus: Iulio Cæſare Scaligero contra Cardanum: Cardano de ſubtilitate & varietate rerum: Theatro Bodini: Rondeletio: denique, Geſnero, & Aldrouando, qui tres conſtituunt trigam hiſtoricorum phyſicorum abſolutiſſimam. Cæterùm varias opiniones philoſophorum phyſicorum pete ex metaphyſicis & phyſicis Ariſtotelis, itemque ex iis, qui ſcripſerunt vitas illuſtrium philoſophorum.

Hiſtoriæ mathematicæ quales?

V. *Hiſtoriæ mathematicæ ſunt vel de matheſi in genere, vel de ſingulis diſciplinis mathematicis in ſpecie.*

In genere hiſtoriæ mathematicæ tractant de matheſi Euclideâ, Ptolemaicâ, & Archimedeâ. Vide ſupra lib. 4. c 12. *In ſpecie* hiſtoriæ mathematicæ ita habent. *Hiſtoriæ arithmeticæ* tractant partim de ortu huius ſcientiæ, quem ediſſeruimus ſupra lib. 4. c. 13. partim de progreſſu ipſius, adeoque de variis autoribus, quales ſunt Barlaamus in Logiſticâ; Barocius de numeris Platonicis; Boëtius in Arithmeticâ; Bombellus, qui edidit Algebram; Diophantes, de numeris polygoniis, qui primus condidit Algebram; Gemma Friſius; Chriſtophorus Clauius; Iordanus; Leonhardus Piſanus; Ludolphus à Collen; Michaël Stiphelius; Petrus Gregorius in ſyntaxi artis mirabilis; Petrus Ramus; Vrſtiſius; Pſelli quadriuium; Theologumena Arithmetices; Robertus à Flud. *Hiſtoriæ geometricæ* tractant ſimiliter de ipſius ortu, quem expreſſimus ſupra lib 4. c 13. & progreſſu, vbi ſunt varij authores, puta Euclides, princeps Geometrarum; Archimedes, princeps mechanicorum; Albertus Durerus, princeps pictorum; Iohannes Iucundus, architectus ſummus; Proclus; Regiomontanus; Daſypodius; Orontius; Chriſtophorus Clauius; Bartholomæus Pitiſcus; Gemma Friſius; Petrus Ramus; Petrus Ryf; Adrianus Romanus; Ludolphus à Collen; Adrianus Metius; Iohannes Krabbius. *Hiſtoriæ Coſmographicæ* rationem vide ſupra lib. 4. c. 13. *Hiſtoriæ aſtronomicæ & aſtrologicæ* ortum & progreſſum huius ſcientiæ explicant. De ortu ſatis multa tum ſupra lib. 4. d. c. tum in antecedentibus capitibus huius libri. Progreſſum diſcere eſt ex his authoribus. Atlantes Aſtronomiæ fuerunt Chaldæi, inprimis tempore Nabonaſſari, Hipparchus tempore Maccabæorum, Ptolemæus tempore Antonini Imp. Nicol Copernicus anno Chriſti 1540. & Tycho Brahe, qui obiit hoc noſtro ſeculo. Sphærica ſcripſerunt Theodoſius, Iohannes de Sacro Boſco vnà cum Clauij commentariis, Heniſchius in Sphæram Procli, Campanus, Alexander Picolhomineus, Scribonius, Peucerus, Selneccerus, Orontius Fineus, Scultetus, Keckermannus, Friſchlinus, Metius. Theorias planetarum copioſè perſecuti ſunt Copernicus, Reinholdus, Purbachius & Origanus. Computi ſcriptores ſunt Ioſephus Scaliger, Heniſchius, Beroaldus in Chronico, Keckermannus. Aſtrologiam ſcriptis illuſtrarunt Ptolemæus, Cardanus, Rantzouius, Origanus. Ætates Aſtronomiæ *Keplerus præfatione in tabulas Rudolphinas* ita ferè commemorat. Vt nihil dicam de Chaldæorum inſtitutis, longinquitate temporis obſoletis, vt eorum vix tenuis ad nos vſque fama perduret: in Parapegmatibus certè Græcorum, pueritiæ quandam videas imaginem: videas & in anno fixo cœleſti *Dionyſii*; qui cùm deprehendiſſet, tempeſtates annuas neque cum Enneakædecateridis vagæ mæandris, neque etiam cum exortibus & occultationibus ſiderum affixorum, conſtanter ad ſuos dies reuerti; cœpit quinque Errones ſuſpectare, aurem hîc Chaldæis præbere, ad quos ſub regibus Seleucidis, cœperunt commeare Aſtronomi Græci; cœpit apparitiones Erronum, & occultationes, ortus occaſuſque eorum acronychos, cum fixarum & lunæ apparitionibus coniungere, & in Parapegmatibus annorum tranſactorum, memoriæ causâ conſignare, mutationes aëris conſecutas comparare. Nec extat his Græcis vetuſtiorum conſignationum memoria. Has verò planetarum obſeruationes Græcas, poſterior *Hipparchus* tranſſumtas & digeſſit, & cum ſui temporis experientiâ comparauit, rudimentumque quoddam Tabularum edidit, ex quo planetæ cuiuſque periodi temporariæ conſpici, ſtationumque & retrogradationum tempora, laxiori calculo præfiniri poſſent. Itaque hæc veluti adoleſcentia Tabularum haberi poteſt. Primus *Ptolemæus* fuit, qui coactis in vnum cùm adiumentis veterum, inprimiſque Hipparchi, tum ſui temporis motibus, Tabularum opus ederet integrum, earumque quaſi iuuentutem adultæ proceritatis conſtitueret. Sed incidit philoſophia, ſub Ptolemæi ſucceſſorumque ætatem, in difficilia tempora, cùm Græcia ſeruiret Romanis, cùm vnà cum libertate, priſtinus etiam ille ingeniorum vigor concidiſſet. Quin etiam Chriſtiani artem aſtrologicam, variis inquinatam ſuperſtitionibus, iis accenſebant artibus, quas docere ac diſcere fas non eſſet. Ex aliâ parte oriebantur gentes barbaræ, Hunni & Gothi, qui liberales artes Europâ exulare faciebant. Hâc igitur occaſione ſideralis philoſophia deuoluta eſt in Africam, ad Arabes, & ſeruitutem ſeruiuit turpiſſimam ſub ipſis, vtpote Sortilegis, Genethliacis, Magis, Quæſtionariis. Itaque ſiderum inſpectio, Tabularumque certitudo curæ haudquaquam fuit per aliquot ſecula. Donec tandem nono & decimo poſt Chriſtum ſeculo, & Gothi Francique barbariem, & Saraceni ſuperſtitionem paulatim exuere cœperunt. Tunc & Europæi doctrinam diuinitatis plenam paulatim repetere, & Arabes, pariterque Iudæi docti, eiuſdem imperfectionem mederi, curamque emendationis ſuſcipere. Sic procedentibus ſeculis factum tandem eſt, ſub imperio Friderici II. Sueui Imp. & Alphonſi regis Hiſpani, cum Saracenis in Palæſtinâ, Siciliâ, Italiâ, Hiſpania, commercio vt artis exercitium & cura ad Chriſtianos occidentis tranſiret, tranſlatis ex Arabicâ in Latinam linguam libris cùm aſtrologicis plurimis, tum ipſo etiam opere magno Ptolemæi, quod Arabes Almageſtum, quaſi τὸ μέγιστον, appellare conſueuerant. Tum etiam curâ *Alphonſi* planè regiâ adornatæ fuerunt Tabulæ, quas ex eo Alphonſinas dicimus. Tabulas ſub Alphonſo emendatas felix literis ætas excepit, in quâ ex paucis antiquis plurimæ nouæ per Europam Academiæ ſunt excitatæ: quæ iam virilem quandam Aſtronomiæ conſtituunt ætatem. Igitur certatim in culturam artis incumbentes Germani, præcipuè Schindelius, Peurbachius, & *Regiomontanus*, breui deprehenderunt Alphonſinarum Tabularum bonitatem & certitudinem famâ minorem. Itaque tum ipſi, tum eorum diſcipuli, Vvaltherus Norribergæ, Dominicus Maria Bononiæ, obſeruationibus ſiderum diligentiùs incumbere, eaſque conſcribere. Et quamuis Regiomontanum ingenio parem operi futurum deſtituiſſet ætas immaturo fato terminata: ſucceſſit tamen in curam emendationis *Nicolaus Copernicus*, Canonicus Varmienſis Boruſſus, Dominici Mariæ diſcipulus, maximo vir ingenio, & quod in hoc exercitio magni monumenti eſt, animo liber. Is opus reuolutionum planetarum, quod emendationem Tabularum complectebatur, publici iuris fecit. Succeſſit proximis annis *Eraſmus Reinholdus*, vir ad mathematicas artes naturâ factus; qui opus Tabularum Copernici iam faro functi, transformandum ſuſcepit, Prutenicaſque, vel à Copernico Pruteno, vel à Mœcenate ſuo, Pruſſiæ duce, cognominauit. Etſi autem Reinholdus incredibilem in hoc opere laborem hauſit: non tamen ad perfectionem hoc opus perduxit. Nam quod ille de Alphonſinis affirmat, ſcire artifices, quòd eæ cum phænomenis non ampliùs congruant: idem etiam de Prutenicis, & queſti ſunt multi, in obſeruationibus exercitatiſſimi; & annus 1625. documento fuit euidentiſſimo: vt in quo toto, ſtella Martis longè promotior deprehenſa eſt in cœlo, quàm calculus Prutenicus prædixerat; ereuitque defectus iſte menſibus Auguſto, Septembri, Octobri, vſque ad quatuor, & quàm proximè ad quinque graduum magnitudinem. Huiuſmodi igitur aberrationes Prutenicarum, cùm inde ex quo illæ fuerunt editæ, viri docti & in ſiderum obſeruationibus exercitati deprehendiſſent, quos inter ſummo ſuo merito commemorandus eſt, vt coryphæus, Illuſtriſſimus Cattorum Princeps *Gulielmus*: coortus eſt denique *Tycho Brahe*, ex regni Daniæ nobilitate præcipuâ, qui Aſtronomiæ reſtaurationem ingenti animo complexus, hoc vnicum opus ſibi delegit, in quo ætatem ſuam tranſigeret, opeſque auitas ſplendidas impenderet. Hic igitur eſt ille primus *Tabularum Rudolphinarum* nuncupator, hic mille Fixarum ordinator, ſolis & lunæ motuum explorator, planetarum omnium per 38. annos, & ex his per 20. poſteriores continuos, obſeruator, diligentiâ, circumſpectione, patientiâ, conſtantiâ, omnem fidem humanam exuperans. Has Tabulas à Tychone affectas feliciter perfecit *Iohannes Keplerus*, & anno 1627. publici iuris fecit. Porrò ad hiſtoriam Vranometriæ pertinere memento *κριτικὰς δόξας* præcipuorum authorum, hiſtorias eclipſium & nouarum ſtellarum, hoc modo. *De ſtellarum materiâ* præcipuæ opiniones fuerunt iſtæ. *Epicurus* aſtra fecit terream denſitatem ac molem è pumiceâ materiâ. *Diogenes*, *Antipho & Hecatæus* aſtra dixerunt terrea & pumicea, ac quaſi mundi ſpiracula. *Heraclides ac plerique Pythagorici* vnumquodque aſtrum mundum dixere, quo aër iuxta & terra continerentur. *Xenophanes* ſtellas ex nubibus ignitis compoſitas eſſe ſomniauit, vt interdiu extinctæ cenſeantur, noctu inſtar carbonum accendantur. *Anaximander* putauit ſydera ex aëre formata, atque in gyrum vt rotas agi, igneque impleta flammas euomere: & ſolem eſſe cauum fornicem igne plenum. *Anaxagoras* ſtatuit aſtra eſſe lapides igneos, ſolem candens ſaxum. Vnde diſcipulus eius Euripides ſolem appellat glebam auream. *Democritus & Metrodorus* eodem modo ſolem fecere ſaxum ferrúmve ignitum: *Philolaus Pythagoréus* vitreum. *Empedocles* duos ſtatuit ſoles, alterum archetypum, alterum, quem cernimus, archetypi imaginem. *Philo* multæ flammæ compagem ſolem indigetauit. *Diogenes* flammam in ſuis pumicibus. *Plato in Timæo* cœleſtia corpora ex igne conſtare contendit. *Stoici* non ſolùm ignea ſydera, ſed etiam vaporibus et

ex aquâ terraque aſcendentibus & attractis ali affirmarunt. *Heraclitus* ſolem acceſſionem eſſe dixit ex mari.quæ in oriente accendatur,in occidente extinguatur. *Patritius lib.* 15. *Pancoſmias & Franciſcus Valleſius lib. de ſacrâ philoſophiâ* aſſerunt cœlum & aſtra eſſe ignea : ſecuti, vt videtur, *Baſilium hom.* 3. *in Gen. Ambroſ.lib.*2.*hexaëm. Theodoretum, Iuſtinum Martyrem, & alios.* Duobus autem præcipuè nituntur argumentis patroni huius ſententiæ : 1. quòd omne lucidum ſit igneum. 2. quòd ſtellæ calefaciant. Sed nec omne lucidum eſt igneum, vt declarant oculi felium & leonum, & complures gemmæ lignaque putrida:nec omne quod calefacit,calidum eſt παθητικῶς *ſubiectiuè* Sufficit,ſi calidum ſit ἐνεργητικῶς,*virtualiter.* Ita motus, vinum, ſemen papaueris,& aliæ res plurimæ efficiunt talia, qualia non ſunt ipſa. Rectè autem lux illa primigenia *Gen.* 1. ſtatuitur materia ſtellarum:ita vt illa in certos veluti globos à Deo fuerit compacta Vide *Damaſc.* 2. *de fid. orthod.Greg.Nazianz.in orat.de nouo die Dominico.Theoderetum & Burgenſem ſuper Geneſ. De formâ ſtellarum* innumeræ quoque fuerunt opiniones. *Pythagoras & eius diſcipuli* ſecuti Zoroaſtrum, Hermetem, Orpheum, Thaletem, Heraclitum & Democritum, animam propriè dictam corporibus cœleſtibus tribuerunt. Quam ſententiam amplexi ſunt Stoici, Cicero, & alij. *Ariſtoteles*, & cum eo Peripatus,intelligentiam dicunt eſſe formam ſtellarum aſſiſtentem. *Origenes* virtutis & vitij capaces ſtellas ſomniat. *Hieronymus, Thomas, Scotus & Caietanus* ſtellas putarunt omninò intelligentes. *Bodinus lib.*5.*theat.nat.* ſtellas definit animalia cœleſtia intellectus & luce prædita. *Multi* exiſtimant cœlum carere formâ internâ, & habere tantùm formam externam, de quibus *Keckermannus in Syſt. Phyſic. Recentiores* rectè pronuntiant formam cœli eſſe naturam quandam ἐνεργητικὴν quæ à poſteriori tantùm colligatur *De ſtellis fixis* hæc fuerunt philoſophorum ἀρέσκοντα. *Plinius lib.*2. *nat. hiſt.cap.*41.aſſerit,vetuſtiores aliquos adnotaſſe ſtellas 1600. inſignes effectu, viſuque digeſtas in 72. ſigna. *Hipparchus*, vt Plinius tradit, primus auſus eſt rem etiam Deo improbam, numerare ſtellas, ac ſydera ad normam expangere, organis excogitatis Atque hic obſeruauit ſtellas 1022.aſteriſmis contentas. *Tycho Brahe* ſtellas fixas 800. è quibus 74. circiter à veteribus propter exilitatem neglectæ, adiecit numero veterum. *Imagines ſtellarum fixarum* ante Heſiodi & Homeri tempora fuerunt cognitæ : ſaltem aliquæ. Illi enim faciunt mentionem Hyadum, Orionis, Pleiadum, & ſimilium. *Americus Veſpucius* & alij nouæ Indiæ perluſtratores numerum ſtellarum locupletarunt. Deprehenderunt enim, plagam auſtralem cum ſeptentrione certare ſtellarum multitudine. Hinc Veſpucius inter alia ſic ſcribit: *Percenſui ferè* 20. *tantæ claritatis, vt Venus & Iupiter:& inprimis tres Canopos conſpicatus ſum. De magnitudine ſtellarum* varia ſunt à variis prodita. *Heraclitus* & *Epicurus* Solis magnitudinem eam eſſe, quæ oculis cernitur, aſſeuerarunt. *Anaximander* & *Empedocles* æqualem terræ pronuntiarunt. *Stoici* lunam terrâ maiorem, & quidem decies ac nouies Anaximander:ſoli æqualem Parmenides voluit. De quibus videatur *Diog. Laërt & Plutarchus lib.*2.*de placitis philoſoph.cap.* 21. *Alphraganus* & omninò veteres exiſtimarunt, ſtellam in cœlo vix viſu notabilem ſuperare terram decies & octies : & ſtellas primi honoris ſeu primæ magnitudinis terrâ maiores dixerunt centies ſepties : ſecundæ 90. tertiæ 72. quartæ 54. quintæ 36. ſextæ 18. Sed Atlas ille Tycho Brahe ſtellas primæ magnitudinis non omnes pari quantatis honore gaudere, ſed quaſdam maximas, vt Sirium & Lyram,maiori luminis prærogatiuâ præditas,& cæteras ſui ordinis antecelleſſe deprehendit, & in diametro viſibili 2.min. ſec. ſubtendere, adeoque corpulentiâ ſuâ terram 96. vel 100 vicibus excedere:queſdam minores in diam.viſib.2 min. comprehendere,terram autem ſuperare vicibus 68. aliquas adhuc minutiores in diamet. viſib. 1. min.45.ſec. habere,ideoque terram vincere 46. magnitudine.Inter ſecundi ordinis 45 inſigniorum diam. viſib. 1. min. 30. ſec. exceſſus ſupra terram 28½. Tertiæ magnitudinis ſtellæ 205.in diam.viſib. continent 1 min.15.ſec & terræ globoſitatem includunt ferè vndecies.Quartæ 477.in diam. viſib. ſubtendunt 45. ſec. globo terreſtri maiores vicibus 3½. Quintæ 214.diam. viſ. 30. ſec. exceſſus ſupra terram $1\frac{1}{18}$ Sextæ demum magnit.ſtellæ 49.in diam.viſib.20. ſec.ita vt globus terræ his ſit maior. Magna igitur eſt differentia inter Tychonis & veterum dimenſionem hoc modo:

Stellæ magnitudinis	Iuxta veteres Maiores terrâ	Iuxta Tychonem Maiores terrâ.
Primæ	107	96. vel 100 68.& 46.
Secundæ.	86.vel 90.	28½.
Tertiæ	72.	11.
Quartæ.	54½.	3½.
Quintæ.	31.vel 36.	$1\frac{1}{18}$.
Sextæ.	18.	Minores terrâ.

Iuxta Hersbachium Saturnus maior eſt terrâ 91. Iupiter 95. Mars 1½. Sol 166 reliqui planetæ ſunt minores terrâ. *De lumine aſtrorum* alij dixerunt, illud eſſe corpus materiæ expers, vt Academici : Democritus, Leucippus, & Epicurus materiatam: alij ſubſtantiam ſpiritualem, inter corpoream & incorpoream medio ſe habentem modo : alij formam ſubſtantialem, quæ ſubſtantificet, quidquid ſubſtantificatur in his regionibus:alij manifeſtationem colorati : quidam effluxum ex corpore luminoſo : Proclus ignem,alij accidens reale, alij intentionale, alij denique accidens reale ac intentionale ſimul. Vide *Patritium lib.* 3. *Panpſychiæ & Bartholinum in Aſtrologiâ pag.*47. *& ſeqq.* Porrò lumen ſtellarum alij proprium, alij mutuatitium, alij denique partim proprium, partim mutuatitium eſſe ſtatuerunt. Sic Lucretius ait, lunam iactare notham è cerpore lucem. Ex his tertia ſententia eſt proba. Natiuum quippe lumen ſortitæ ſunt ſingulæ ſtellæ in creatione, quo aliæ pallent, aliæ liuent, aliæ rubent. aliæ fulgent Hinc 1. *Corinth.* 15. dicitur eſſe alia claritas ſolis,alia lunæ,alia ſtellarum. Mutuatitium lumen habent à ſol. Nam planetæ quò à ſole remotiores, eò magis clarè lucent, quò proximiores, eò magis minuuntur lumine. Hinc ſol ab Heraclito nuncupatur fons cœleſtis luminis,ab Orpheo viuificus cœli oculus,anima mundi à Platonicis,ab aliis pater luminis, dator vitæ, cor cœli & planetarum.Vide *Patritium lib* 6.*Panaugiæ.De motu ſtellarum* hæ inprimis fuerunt opiniones. *Pythagoras & Plato* exiſtimarunt motum corporum cœleſtium efficere ſuauem harmoniam. *Peripatetici* certos orbes & veluti cameras ſtatuerunt, quæ diuerſimodè moueantur. Multi recentiores, in quibus *Copernicus* & *Tycho* familiam ducunt, cœlum immobile dixerunt, *Copernicus* etiam & *Origanus* terram moueri contendunt. *Diſtantia ſtellarum à terrâ* maximè quoque variat apud veteres & neotericos. Secundùm Tychonem Luna terræ proxima diſtat ab eâ ſemidiametris terræ 53. Mercurius 65. Venus 167. Sol 1122. & ſecundùm quoſdam 1124.Mars 1216. Iupiter 8854. Saturnus 14378. Luna verò remotiſſima & altiſſima ſemidiametris terræ 64. Merc. 167. Venus 1070. Sol 1210.Mars 8022 Iupiter 14369.Saturnus 18500.ſtellarum fixarum ſphæram ſemidiametris terræ 14000. ita tamen vt aliæ ſtellæ ſint altiores, aliæ humiliores. Sphæra ſtellarum fixarum ſecundùm Alphraganum eſt ſemidiameter terræ 20081½. ſecundùm Ptolemæum & Alhategniam 19000. Caſparus Herſbachius hæc ita computat. Semidiameter terræ iuxta Regiomontanum eſt milliar. Germ. 913. Luna diſtat à centro terræ 33.ſemidiametris,ſeu milliar Germ.30129.ita vt ſingulæ regiones aëris habeant 11. ſemidiam.ſeu milliaria 10043. ſi computetur diſtantia à centro terræ.Mercurius 64. ſemidiam. 58584. milliar.Germ.Venus 167.ſem.152471.M.Sol.1120.S.1022560. M Mars 1220.S.1113860.S Iupiter 6678. S.8103788.M. Saturnus 20110 ſemid. 18360430. Milliar.ſphæra octaua 40220.S. 36720860. Milliaria. Sed hæc omnia ἐν πλάτει ſunt accipienda. Fieri enim non poteſt, vt diſtantias ſtellarum à terrâ poſſimus reuocare ad ἀκρίβειαν calculi. Memineris hic Solem noſtro æuo viciniorem eſſe terris quàm olim. *De ſcintillatione ſtellarum fixarum*, vnde ſcilicet iſta proueniat, plurimæ etiam ſunt ſententiæ. Cantuarienſis & alij Optici hanc putant eſſe cauſam, quòd ſtellæ ſpeculorum inſtar radios ſolis reflectant, & propter continuum motum varient angulum incidentiæ ac reflexionis. Alij cauſam quærunt in perpetuo aëris motu : alij in halituum copiâ, roridis vaporibus, denſiſque nubibus. Cardanus & alij ex rapidiſſimo firmamenti motu trepidationem iſtam eliciunt : alij ex motu trepidationis : alij ex nimiâ diſtantiâ : alij denique coniungunt remotionem à viſu, aërem tremulum, ventos & halituum copiam, luminis diffuſionem cum motu factam & ſtellæ ſplendorem oculos noſtros perſtringentem. *De Galaxiâ*, ſeu viâ *lacteâ* quanta eſt opinionum varietas? *Ariſtoteles* voluit eſſe meteoron:*Anaxagoras* terræ vmbram : *Parmenides* ſpiſſi rarique mixturam:*Poetæ* viam animarum ab inferis in cœlum, illuſtrium virorum domum, Phaëtontis caſum & combuſtionem, lac Opis vel Iunonis; *Poſſidonius* aſperginem ſyderei caloris, per quam ſolis calor ad extremas mundi oras diffundatur : *Diodorus* ignem denſatæ concretæque naturæ : *Theophraſtus* compagem duorum hæmiſphæriorum:*Democritus*,Scaliger,& plerique recentiores, congeriem ſtellarum minutiſſimarum : *Tycho Brahe* lucem diffuſam & certis locis expanſam. *De planetis* hæc fuerunt præcipua dogmata. *Hieronymus* in 38.cap.Iob tantùm quinque planetas agnoſcit. *Galilæus* noſtrâ ætate ſydera quædam circa Saturnum ſe obſeruaſſe ſcribit,quæ vocat *ſydera Medicea.In planetarum ordine* ſtatuendo magna fuit diſcrepantia. *Ptolemæus* author eſt, antiquiſſimis philoſophis eum ordinem probari, quo ſol in medio locatur, & ſupra eum Saturnus, Iupiter & Mars, infra Venus, Mercurius & Luna. *Cicero* 2. de nat. deorum & de vniuerſ tribus ſuperioribus Mercurium ſubiungit, deinde Venerem, & tandem Solem ac Lunam. *Eudoxus & Calippus, Hermes* item & *Plato* ſolem penultimo collocabant ordine. *Alpetragius* ſolem antepenultimo ponebat loco, & Venerem poſt Martem. Democritus ſole ſuperiorem putabat Venerem. *Ariſtarchus Samius* 400. ante Ptolemæum annis ſolem faciebat mundi centrum, eique ſubiungit Mercurium, huic Veneris ſphæram : quam ſententiam ſequitur Copernicus. *Crates* & *Metrodorus* collocarunt Solem & Lunam ſupra ſtellas fixas. Vide *Plutarchum de placitis philoſ.lib.*2.*c.*15.Ad *quantitatem planetarum* quod attinet, non minor inter Tychonem

chonem & veteres eſt diſcrepantia, quàm fuit in quantitatibus ſtellarum fixarum conſtituendis. Nam Tychoni Saturnus maior eſt terra 22. Iupiter 14. Mars minor 13. Sol maior 139⅓. Venus minor 6⅔. Mercurius 19. Luna 42. Iuxta veteres Saturnus eſt maior terrâ 91½. Iupiter 95½. Mars 1⅓. Sol iuxta Ptolemæum 166. iuxta Copernicum 162. Venus minor 37. Mercurius 22. Luna 19⅔. *De ſubſtantiâ Lunæ* quot altercationes? *Orpheus, Thales, Heraclitus* & alij Lunam credidere terram ca ligine obductam: *Pythagoreorum* multi animalibus eam habitari maioribus, quam noſtra ſint quindecies, plantaſque habere noſtratibus longe pulchriores. *Democritus* campos in eâ eſſe, montes, & vallium anfractus: *Anaxagoras* inæquali eam eſſe conſtitutione, terream & frigidam: *Diogenes* pumiceam: *Ion* partim tranſpicuam partim obſcuram dixit. *Pythagoras, Anaximenes, Parmenides, Cleanthes, & Zeno* igneam ſtatuère, Zeno etiam mente præditam. *Beroſus* ſphæram ſemiigneam, *Xenophanes* nubem compactam & ignitam. *Chryſippus* accenſionem ex dulcium aquarum vaporibus collectam, *Empedocles & Stoici multi* ex aëre & igne miſtam dixerunt. *Poſſidonius* Lunam dixit cœleſtem terram, & terreſtre cœlum. *Danæus* & alij Lunam aliquid fæcis terrenæ attrahere ſtatuunt: quam ſententiam facit ſuam *Goclenius lib. 2. diſput. 1. theſ.* 186. *Alij* dixère, in Lunæ globum tanquam in ſpeculum ſpecies montium receptas repræſentari. *Averroës* inæqualitatem Lunæ exiſtimat oriri ex aliquot corporibus inter Solem & Lunam interiectis. *Vitello* corpus Lunæ partim denſum, partim rarum eſſe ſtatuit. Cui ſuffragantur recentiores, qui maculas Lunæ ſeu inæqualitatem ex creatione ipſi ineſſe ſtatuunt. *De actione ſeu influentia ſtellarum* tres potiſſimùm occurrunt ſententiæ: quarum duæ ſunt extremæ, vna media. In exceſſu peccarunt Arabes, Chaldæi, Stoici, plurimique Iudæi. ethnici & Chriſtiani, qui cœlum habent pro libro, in quo ſingulorum fata ſint ſcripta, & canones Aſtrologorum habent pro edictis prætorijs. In hoc numero fuit Cardanus, qui eò dementiæ fuit progreſſus, vt horoſcopum Chriſti ex aſtrorum poſitu meditatus ſit, & ex ſiniſtris quibuſdam aſpectibus nato Chriſto natis fatale illi prædixerit crucis ſuſpendium. In defectu peccant illi, qui omnia aſtrologorum prognoſtica pro fabulis & nænijs æſtimant. In medio ſunt, qui neceſſariò quidem eclipſes, probabiliter verò & tempeſtatum mutationes, & has vel illa animi humani affectiones, quæ à temperamento dependent, prædici poſſe ſtatuunt. Diſerte dico, quæ pendent à temperamento, atque adeò à principijs naturalibus, vt hunc eſſe fortem, illum ingenioſum, hunc tenacem: non verò illa, quæ pendent à liberâ hominis voluntate, vel à ſingulari Dei gratiâ. Diſtinguamus igitur prognoſtica neceſſaria, veriſimilia, & falſa. Illa à τεκμηρίοις, iſta ab εἰκόσι, hæc à κενῆ φαντασίᾳ pendent. Reiicimus igitur nugalia iſta: Chriſtum tot claruiſſe virtutibus, quòd Saturnus fuerit in Geminis aſcendentibus, quia aſcendente Geminorum ſydere vnà cùm Saturno & Mercurio naſcatur propheta: Chriſti mortem à Marte, diluuium vniuerſale à coniunctione planetarum in Aquario, legiſlationem Moſaicam neſcio à quibus configurationibus pendere. Huius farinæ eſt, quod Abraham Iudæus prænuntiauit, expectatum à Iudæis Meſſiam venturum anno poſt Chriſti natiuitatem 1464, quòd tum futura eſſet eadem aſtrorum conſtellatio, quæ fuerat, cum Moſes Hebræos ex Ægypto educeret: Et Albumaſar Chriſtianam legem duraturam non plus annis 1460. quas fabulas euentus confutauit. Albumaſar & Petrus Apponenſis ſcribunt, eum qui Lunâ coniunctâ Ioui in Leone ſupplicauerit, quidquid à Deo petierit, certiſſimè impetraturum. Et quis omnia deliria commemoret? Properemus ad nobiliſſimam de

Hiſtoria eclipſium.

eclipſibus & ſtellis nouis hiſtoriam. Ad eclipſes quod attinet, illæ ſunt præſtantiſſimus hiſtoriæ theſaurus, vt ſuprà *lib* 11. *part.* 3. *Vranoſcop. cap.* 12. oſtendimus. Ideò Chronologi, Aſtrologi, & Hiſtorici quàm diligentiſſimè illas annotarunt: vt videre eſt apud **Büntingum, Origanum, Heluicum.** & alios. Præcipuas ante Chriſtum eclipſes conſignauimus d. l. In hiſtoriâ N. T. duæ inprimis veniunt obſeruandæ. Prima eſt eclipſis Solis, quæ accidit moriente Seruatore noſtro. Iſta autem fuit planè ſupernaturalis. Etenim omne deliquium, quod patitur Sol fit tempore coniunctionis ſiue nouilunij, cùm Luna directè inter oculum noſtrum & corpus ſolare interponitur. At Chriſtus decimâquartâ lunâ primi menſis tempore Paſchalis ſolennitatis immolatus eſt. Et Dionyſius Areopagita tum apud Heliopolim in Ægypto philoſophus, eandem obſcurationem vnà cum Apollophane ſummo philoſopho in oppoſitione Solis & Lunæ ſeu tempore plenilunij conſpexit, vti ſcribit *in epiſt. ad Polycarp.* Et Phlegontem obſeruaſſe, author eſt Euſebius. Deinde eclipſis ſolaris non poteſt eſſe totalis cum morâ: ſed ſi quandoque totalis eſt, protinus propter corporis ſolaris ad lunam exceſſum emergit. Iam verò Euangelica hiſtoria teſtatur miraculoſam iſtam eclipſin duraſſe tres horas continuas, vtpote à ſextâ in nonam: adeò quidem, vt tenebræ ſint factæ ſuper vniuerſam terram. Vnde tertium emergit argumentum. Non enim naturaliter poſſunt accidere vniuerſales eclipſes, ſed iſti duntaxat terræ tractui, qui cono vmbræ vicinus. Falſus verò *Origenes*, qui *tractat* 35. *in Matth.* ait, in regione Iudææ duntaxat obſcuratum fuiſſe ſolem: cùm Dionyſius in Ægypto viderit, qui hæc præterea mira in illo Solis defectu obſeruauit. 1. Vidit Lunam relicto motu proprio digreſſam ab oriente meridiem verſus, donec ſub Sole ſtaret, & lumen mortalibus intercipere. 2. Initium eclipſis feciſſe à parte Solis orientali. 3. Partem Solis primò obtectam vltimò abſentiâ lumini reſtituiſſe, & è contrario. Ecce miraculorum potiùs concurſum, quam vnum miraculum! Hinc Dionyſius attonitus exclamauit:

Naturæ patitur Deus, aut natura periclum.

Omninò itaque ſupernaturale hoc cenſeri debet, non aliter atque cum pugnante Ioſuâ Sol ſtitit curſum *Ioſ* 10. & retroceſſit, cùm vmbra in regis Ezechiæ gratiam fuit retracta, *Eſa* 38. Altera eclipſis Solis, quæ in N. T. eſt inſignis, accidit ſub appropinquantem mortem Caroli Magni, qui 5. Kal. Febr. anno 814 obijt: de quâ Eginardus in vitâ Caroli Magni, vt citatur in faſciculo temp. ſic ait: *Signa multa præceſſerunt mortem glorioſi & ſancti Imp. Caroli. Nam eclipſis Solis & Lunæ vltra ſolitum fuit. Apparuit per ſeptem dies macula nigri coloris in Sole.* Hanc maculam alij prodigioſum & portentoſum meteorum fuiſſe ſtatuunt: alij Mercurium ſub Sole poſitum hanc maculam cauſatum fuiſſe contendunt, id quod fieri nequit ob celerem Mercurij motum, qui talem coniunctionem Solis & Mercurij non admittit. Vnde hæc Mercurij ſub Sole ſtatio exploſa eſt ab Aſtrologis, non aliter atque triduana illa ſtatio Solis tempore Caroli M. quam profert *Iohan. Turpil. in vitâ Caroli M. & Rolandi ex ſorore nepotis*: item iſta de continuo trinoctio, quod deus iſte adulter, Iupiter, apud Plautum, ſibi prorogaſſe dicitur, cùm conſuetudine Alcmenæ coniugis Amphytrionis Thebani principis potiretur, vt ex eâ Herculem gigneret. Quam fabulam ab hoſte antiquo Diabolo ad extenuandas triduanas tenebras Ægyptiacas in S. literis expreſſas excogitatam eſſe doctiſſimi quique exiſtimant. Vide *Bocatium lib.* 13 *geneal. deor gent. c.* 1. & *Hyginum fab* 9. Tradunt hoc loco nonnulli, noſtro tempore frequentiores conſpici eclipſes, quàm olim. Sed tradunt hoc contra experientiam, & rationes tum Opticas, tum Aſtrologicas: de quibus ſuprà in Vranometriâ & Opticâ. *De nouis ſtellis* ſupereſt vt dicamus. Hìc obſeruare te velim, in digreſſione à Sole in ſignis longarum aſcenſionum Mercurium ſæpenumerò eâ claritate coruſcare, quâ Ioui vix cedat, quamque lux diei manè ante ortum Solis vix poſſit vincere: quod ipſum veſpertino tempore in ſignis longarum deſcenſionum euenit nonnunquam: adeò vt imperiti exiſtiment nouam conſpici ſtellam. Sic quoque Venus à ſole remotior facta, non tantùm ab imperitioribus, ſed etiam ſæpe à peritis pro aſtro nouo & prodigioſo, vel cometâ eſt habita. Sic anno 1590. menſe Ianuar. Febr. & Mart cùm Henricus IV. Nauarræus Henrico III. Valeſio interfecto ſuccederet, Venus pro nouo aſtro fuit habita, & ſtella regia appellata. Et anno 1578 menſe Nou. Dec & ſeq. anni Ianuario in tali diſtantiâ veſpertinâ à Sole propter inſolitam magnitudinem & formam pro cometâ eſt habita, vt author eſt Simon Grynæus. Et Proclus olim de Veneris admirandis apparitionibus integros libros editos teſtatur. Sæpenumero etiam Venus interdiu apparens habetur pro noua ſtellâ. Atque hæ poſſunt appellari ſtellæ nouæ κατὰ δόξαν. Sed nos hic agimus de ijs, quæ nouæ ſunt κατ' ἀλήθειαν. Talis eſt noua ſtella, quam Hipparchus ſuo tempore obſeruauit: quâ de re *Plinius lib.* 2 *nat hiſt. cap.* 26 ſic ait: Hipparchus nouam ſtellam, & aliam in æuo ſuo genitam deprehendit. Tempore nati Chriſti apparuit ſtella, quæ magos ſiue aſtrologos, vt tradit *Tertullianus lib. de idololatriâ*, ex oriente deduxit Hieroſolymam, & inde Bethlehemum vſque. Iſta verò ſtella neque fuit cometa elementaris materiæ, neque ſtella æthereà: vtpote cui non competunt affectiones cometarum & ſtellarum. Non fuit cometa; quia fulſit in infimâ aëris regione. Neque etiam fuit ſtella cœleſtis. Motus enim ipſius fuit inæqualis; modò apparuit, modò delituit, ſplendore ſuo non ſolùm ſydera ſuperauit, ſed & Soli fulgore ſuo præcelluit, vti tradunt *Leo Magnus ſermon.* 1. *Niceph. hiſtor. eccleſ. lib.* 1. *cap* 13. *Chryſoſt homil.* 6 *in Matt. Ignat epiſt.* 14 *ad Epheſ.* vbi ſcribit hoc modo: *Stella fulſit ſplendore ſuo ſuperans omnes, quotquot antè fuerant.* Et paulo pòſt: *Omnia autem reliqua aſtra, vnà cum ſole & lunâ, chorus fuère ſtellæ illius. ipſa verò claritate ſuperabat omnes.* Vnde Prudentius: *Stella, quæ ſolis rotam vincit decore & lumine.* Ad hæc ſuprà domum in aëre fulſit, etiam de die: fuit minor terrâ & temporaria. Miraculosè igitur hæc ſtella in aëre à DEO eſt producta, vel ex nihilo, vel ex materiâ ſublunari. Gregorius Nyſſenus in dialogo de animâ ait, fuiſſe angelum cœleſti corpore indutum. Porrò cometas non indigetamus hoc loco nomine ſtellarum nouarum, ſed globos, iſtos lucidos, qui in æthereâ regione ſuprà lunam conſpecti fuerunt. Tales noſtra ætas vidit quatuor. Prima ſtella noua fuit anni 1572. in ſydere Caſſiopeiæ in 7. gran Capricorni: tantæ magnitudinis ac ſplendoris, vt Sirium æmulata ſit. De hac ita *Peucerus in Chronico*: Fulget ſub aſteriſmo Caſſiopeiæ nouum ſydus cuius ſimile nulla vidit ætas, cùm ſpecie ac lumine ſimillimum

fit

ſit ſtellis & puritate nitoris, & magnitudine, quantum ad viſum omnes tam errantes quam fixas ſuperet. Hæret immobile in eo cœli loco, in quò primùm effulſit, & à nobis conſpectum eſt. Nos aliter quam Cometam nominare non poſſumus, et ſi nondum ſatis habemus explicatam eius naturam & conditionem. Sic Peucerus. Secunda fuit conſpecta anno 1576. de quâ integrum volumen ſcripſit Tycho Brahe. Tertia in pectore cygni cernitur, inde ab anno 1600. Quarto anno 1604 circa principium Octobris in 18. grad Sagittarij fuit conſpecta. Accenſentur autem iſta corpora, non cometis, ſed ſtellis, ob molis quantitatem, magnitudinis æqualitatem, durationis diuturnitatem, motus regularitatem, loci altitudinem, luminis puritatem & criſpationem: quemadmodum accuratè hàc de re diſputat inſigne Daniæ ſuæ lumen *Caſpar Bartholinus pag.* 144. *& ſequentib. Aſtrologiæ ſuæ* Meritò itaque exploditur eorum ſententia, qui in elementari regione ex materiâ elementari eas produci affirmant. Tycho exiſtimat ſtellas iſtas eſſe opera naturæ, ita vt pendeant à peculiari congreſſu planetarum. Alij à Deo immediatè creari exiſtimant, vt ſint nuntiæ futurorum. Multi denique cenſent ſtellas iſtas in principio creationis à Deo productas eſſe, ſed non apparere niſi illo tempore, quo DEVS vult mortales præmonere de ſuis iudicijs. Noſtram ſententiam diximus ſuprà *lib.* 11. *Vranometr. cap.* 13. Galilæus aſtrologus Italus noſtrâ ætate circa Saturnum ſe dicit obſeruaſſe quaſdam ſtellas; quas ipſe quidem appellat ſydera Medicéa, alij autem contendunt eſſe hallucinationem Opticam. Ad *hiſtorias Geographicas* deſcendamus. Hîc oportet ortum & progreſſum Geographiæ conſiderare hoc modo. Principiò oportet cognoſcere deſcriptionem aquæ, terræ & paradiſi, vt apud Moſen occurrit. Deinde ex varijs Geographis petenda eſt harum & illarum terræ partium deſcriptio: quam ſupra lib. 12. propoſuimus. Præcipui ſcriptores ſunt Ptolemæus, Strabo, Mela, Plinius, Mercator, Ortelius, Münſterus, Bertius. *Hiſtoriæ Opticæ* ortum & progreſſum huius diſciplinæ docent hoc modo. Incunabula huius artis debentur picturæ & plaſticæ, quæ vtraque eſt valde antiqua. Præcipui ſcriptores, apud quos hiſtoriæ apoteleſmatum Opticorum occurrunt, ſunt, Euclides, Vitello anno Chriſti 910. Alhazenus, & Riſnerus. *Muſicæ hiſtoriæ* occurrunt apud Euclidem, Boëtium Poſſeuinum & alios infinitos: *Architectonicæ.* apud Heronem, Vitruuium, Poſſeuinum, Pontanum, & Leonem Baptiſtam Albertum.

V. *Philoſophia practica habet hiſtorias duplices: videlicet de authoribus, & rebus practicis.*

Authores practici oſtendunt ortum & progreſſum diſciplinatum practicarum: quâ de re diximus ſupra lib. 4. cap. 14 Res practicæ, quantum attinet ad hiſtoricam cognitionem, in ſingulis ſyſtematis explicantur, hoc modo. Hiſtoriæ ethicæ, œconomicæ, politicæ, & ſcholaſticæ petuntur partim ex florilegio ſententiarum & exemplorum, partim ex ethicâ, œconomicâ, politicâ & ſcholaſticâ ſpeciali. Ad Hiſtoricos huius philoſophiæ quod attinet, illi ſuprà ſunt propoſiti cap. 5.

VI. *Hiſtoria philologica, quæ ſunt Lexica, Grammaticæ, Rhetoricæ, Poëticæ, & Oratoriæ, tractant de ortu, incremẽto, decremento, & renouatione linguarũ principalium, quæ iſtis in artibus explicantur. Hic igitur agẽdũ fuerit de linguâ Hebraicâ, Græcâ, & Latinâ.*

Principiò ætates linguæ Hebraicæ ſtatuimus quinque *Prima* eſt ante diluuium: quo tempore hæc ſola lingua fuit natiua, vt colligere eſt ex nominibus propriis Adam, Abel, Cain, & ſimilibus. *Secunda* ætas eſt à diluuio vſque ad confuſionem Babylonicam: quo tempore hæc lingua manſit pura & immixta. *Tertia* ætas eſt à confuſione Babylonicâ vſque ad deportationem Aſſyriacam & Babylonicam. In confuſione iſtâ Babylonicâ hæc lingua cladem aliquam eſt paſſa: quia plures linguæ tum cœperunt. Manſit interim primæua iſta lingua pura & integra apud poſteros Sem, qui ab Heber dicti fuerunt Hebræi; quam vocem nonnulli flectunt ab Abraham, ita vt Hebræi dicantur quaſi Abrahæi. Puritas iſta fuit conſeruata à patriarchis, Moſe, regibus ac prophetis: & manſit vſque ad deportationem Aſſyriacam & Babylonicam: vbi incipit *quarta* huius linguæ ætas, quæ geminam attulit mutationem. Primò enim decem tribus per Salmanaſſarem regem Aſſyriorum abductæ ſunt in Aſſyriam viciuaſque regiones, & in locum ipſorum deductæ fuerunt coloniæ diuerſorum populorum. Quam mutationem, & linguæ & religionis mira ſecuta eſt confuſio, ita vt hâc occaſione nata ſit lingua Syriaca: quæ neque à deſerto Sure, neque à Syro Apollinis filio, neque à Schirion, quod eſt nomen montis Hermon apud Phœnices, ſed ab Aſſyriis ita dicitur, vt rectè obſeruauit *Ioſephus Scaliger animaduerſ. in Euſeb.* Abductis ita decem tribubus, lingua Hebraica intra anguſtias regni Iudaici fuit coacta: vbi etiam non potuit fixam retinere ſedem. Nam & inde poſt annos circiter centum eiecta fuit in exilium Babylonicum, in eoque ita eſt corrupta, vt deinceps nunquam priſtino nitori & loco fuerit reſtituta. Ab interitu nihilominus eſt vindicata per prophetas quoſdam & viros Sanhedrin ſiue Synagogæ magnæ. In prophetis illis fuerunt Daniel, Haggæus & Zacharias. In viris Synagogæ magnæ præcipuè ſunt Eſdras, Nehemias, Zorobabel & Ioſua ben. Iozadak anno ante Chriſtum 347. Etſi autem puritas huius linguæ poſt captiuitatem Babylonicam fuerit retenta in libris ſacris: in vulgo tamen ea, quam in captiuitate didicerant, obtinere cœpit, inflexa nonnihil ad vicinum Syrorum ſermonem: vti colligere eſt ex vocabulis, quibus Chriſtus & apoſtoli, vtpote vernaculis, ſuo tempore fuerunt vſi. *Quinta* ætas huius linguæ eſt à Chriſti natiuitate vſque ad excidium Hieroſolymitanum, & inde ad noſtram vſque ætatem. Hoc temporis tractu lingua Hebraica varios paroxyſmos eſt perpeſſa. Poſtquam enim Iudæi fuerunt hinc inde diſperſi, fieri non potuit, vt lingua ipſorum pura maneret. Suppetias tamen varias varij tulerunt, & primò quidem compilatores Talmud hoc modo. Anno Chriſti 150. Rabbi Iudas Simonis filius, quem Iudæi vocant Rabbenu Hakkadoſch, totius Iudaicæ ſynodi decreto, legis prophetarúmque explanationes ac ſcripta omnia, quæ cæteri doctores tum ante, tum poſt Chriſtum ad ipſius vſque ætatem ſcripſerant, in vnum redegit volumen, quod מִשְׁנָה, id eſt, iteratam lectionem nuncupauit. Anno Chriſti 230. R. Iochanan, aſſumptis ſibi quibuſdam collegis, Miſchneh & alia ſcripta, quæ habere potuit, in vnum colligens, Talmud Hieroſolymitanum confecit. Anno denique Chriſti 367. R. Aſſe cum Raſinâ ſeu Rab Aſinâ omnes ſuperiorum commentarios in vnum redigens, Talmud Babylonicum, quo nunc tota Iudæorum regitur ſynagoga, contexuit Sed morte præuentus non abſoluit. Mar autem eius filius vnâ cum Mare Mar operi colophonem impoſuit. Diuiditur in ſex סְדָרִים, id eſt, ordines, quorum primus eſt ſeminum. 2. feſtorum. 3. mulierum. 4. damnorum. 5. ſanctificationum. 6. purificationum. Videris hâc de re *Petrum Galatinum lib.* 5. *de arcanis Catholicæ veritatis cap.* 5. Ex his patet, duplex eſſe Talmud, Hieroſolymitanum & Babylonicum: è quibus illud impuriore, hoc puriore ſtylo eſt compoſitum: ſicut ex ſimili cauſâ Targum dici ſolet Babylonicum & Hieroſolymitanum. Talmud Hieroſolymitanum pro Iudæis in terrâ Iſraëlis, Babylonicum pro Iudæis in Babyloniâ & alibi exterarum terrarum viuentibus fuit conſutum. Hieroſolimitani ergò minor vſus fuit, poſtquam Iudæi ferè extra terram ſanctam degerunt. Cæterùm Talmud Babylonicum diuiditur in *Miſna* (vt quidam legunt (id eſt, δευτέρωσιν tanquam textum authenticum, & in *Gemara*, ceu commentarium. Anno Chriſti 500. Talmud iſtud Babylonicum fuit obſignatum. Poſt compilatores Talmud præcipuam in vindicandâ linguæ Hebraicæ puritate laudem merẽtur critici Hebræorum, Iudæi Tiberitæ, qui exemplaria Bibliorum V. T. quàm diligentiſſimè inter ſe contulerunt, literas & apices numerarunt, & priuatis exemplaribus puncta addiderunt, cùm antea ſolùm publica exemplaria punctis eſſent inſignita. Labor iſtorum Iudæorum vocatur vſitatè מָסוֹרֶת הַמָּסֹרֶת & ipſi appellantur בַּעֲלֵי מְסוֹרֶת הַמָּסוֹרֶת, & κατ' ἐξοχὴν viri ſynagogæ magnæ. Hoc autem contigit circa annum Chriſti 476. Hos ſecuti ſunt varij Rabbini, qui Biblia commentariis illuſtrarunt & Grammaticas ſcripſerunt. Notiores ſcriptores ſunt R. Schelomoh Iarchi Gallus, qui commentatus eſt in tota Biblia & Talmud: Aben Ezra: R Dauid & Moſes Kimchi fratres, è quibus ille opus ſuum Grammaticum inſcripſit מכלול: R. Iſaac Iſraëlita: R. Leui ben Gerſchom: & R Mardochai Nathan, qui ſcripſit librum hoc titulo *Illuminans ſemitam*, id eſt, Concordantias Hebraicas, in quibus iuxta ſeriem alphabeti ſingulorum vocabulorum radices, & ſignificationes poſuit, & his exempla omnia, quæ in Bibliis reperiuntur, ſubiecit Ex Chriſtianis per annos plus mille à Chriſto nemo fermè hanc linguam excoluit, ſi excipias vnum atque alterum. Nimirum Iudæi tanto erant in odio, vt ipſorum quoque lingua vilipenderetur. Excipe Origenem Alexandrinum, qui à Iudæo Huillo, non ſine moleſtiâ & publicâ Celſi exprobratione, hanc linguam didicit. Hieronymus quoque Stridonenſis, monachus & presbyter, Bethlehemi hanc linguam addidicit, idque nocturno maximè tempore, à Iudæo populares ſuos metuente, cui Barnabæ nomen: vnde Rufinus, ex amico eius inimicus factus, calumniæ publicæ occaſionem ſumpſit, eique obiecit, quòd Chriſto dimiſſo Barnabam ſequeretur. Ille verò ſuſque deque habens iſtam calumniam ſtrenuè perrexit, multaſque religioſas virgines hanc linguam docuit, vt pſalmos Hebraicè canerent. Poſt Hieronymum, qui claruit anno Chriſti 385. Iohannes Damaſcenus, qui vixit anno Chriſti 730. è Iudaiſmo fuit conuerſus: & Nicolaus Lyra Anglus, anno Chriſti 1320. Hebraicè fuit doctus. Poſtea Paulus de S. Maria, epiſcopus primò Carthaginenſis, poſtea Burgenſis, vnà cum filio ſuo Alphonſo I. V. D. Decano Compoſtellano, ex Iudaiſmo fuit conuerſus. Atque hæc fuit ſanctæ iſtius linguæ ſors vſque ad annum Chriſti 1440, quo tempore typogra-

typographia fuit inuenta, & optimarum linguarum & literarum studia cœperunt efflorescere. Hic inter Christianos linguæ sanctæ instauratores facilè agmen ducit Iohannes Capnion, vulgò Reuchlin, Phorcensis, I. V.D. Comes Palatinus, Eberhardi Probi Ducis Vvirtembergensis & Maximiliani I. Consiliarius, ac Sueuiæ Triumuir. Ille linguam Græcam ab exulibus Græcis (inter quos fuit Chalcondylas) Hebraicam à Iudæis didicit, & vtramque illustrauit. Quod cùm sophistæ Colonienses ferre non possent, bonus Reuchlin necesse habuit se purgare scripto edito contra Calumnienses. Facto per hunc virum initio, & primâ glacie velut fractâ, primùm Pisauris, mox Venetijs Biblia Hebraica sunt excusa: & in Italiâ Felix Pratensis. Danielis Bombergi in linguâ sanctâ præceptor, & celeberrimæ ipsius in Hebraicis typographiæ author & moderator, plurimùm excoluit hanc linguam, emissis Biblijs Hebraicis, quæ dicuntur Veneta & Bombergiana. Et Augustinus Iustinianus Nebriensis episcopus emisit psalterium octaplum. In Hispaniâ floruit Petrus Galatinus: item Franciscus Ximenius archiepiscopus Toletanus & Cardinalis, qui editionem Operis Complutensis procurauit: itemque Benedictus Arias Montanus Hispalensis, qui vnà cum collegis adiutus munificentiâ Philippi II. Regis Hisp. promouit Opus Regium seu Biblia, quæ Hispanica & Plantiniana vocantur. In Galliâ hanc linguam professi sunt Sanctes Pagninus Lucensis, author Thesauri linguæ Hebraicæ: Franciscus Vatablus, qui Roberto Stephano author fuit & promotor, vt munificentiâ Francisci I. regis Galliarum, elegantissimis typis describeret Biblia Hebraica: Iohannes Mercerus I.V.D. qui vnà cum Bonauenturâ Cornelio Bertramo & Antonio Ceuallerio locupletauit Thesaurum Pagnini. His adde Guil. Postellum & Nicolaum Clenardum, qui difficillimas peregrinationes susceperunt, amore linguæ sanctæ & aliarum orientalium. In Germaniâ post Capnionem huic linguæ operam egregiam nauarunt Cunradus Pellicanus, Sebast. Münsterus, Ioh. OEcolampadius, Lutherus, Aurogallus, Forsterus, Zigletus, Schreckenfuchsius, Iohan. Albertus Vvidmanstadius IC. Andreas Masius IC. Paulus Fagius, Iohan. Auenarius, Iohan Drusius, Vvaserus, Iohan. Buxtorfius, Georgius Cruciger, & alij. Atque hi non tantùm linguam Hebraicam, sed etiam Aramæam excoluerunt. Per Aramæam linguam intellige Chaldaicam & Syriacam. Sic dicitur ab Aram, qui fuit vltimus filius Sem *Gen.* 10. vel ab Aram Nachoris filio *Gen.* 22. Terra autem Aram est sextuplex. 1. Mesopotamia, quæ dicitur *Paddán* Aram, hoc est, iugum Syriæ quia sub duorum fluuiorum, Tigris & Euphratis, iugatione continetur: vnde etiam Syria interamnis dicitur: sæpe Aram κατ' ἐξοχὴν. 2. *Aram Tsobah*, seu inferior. 3. *Aram Beth* Rechob. 4. *Aram Dam méschec*, Syria Damascena, tum Cœlesyria, quasi caua, inter Libanum & Antilibanum. 5. *Aram Mangachah.* 6. *Syria Comagena*, seu Antiochena. Atque hæ sunt sex regiones terræ Aram: quot etiam huius linguæ sunt dialecti. 1. *Babylonica*, omnium purissima, quæ à proceribus Babylonijs fuit exculta. In hâc Daniel & Esdras nonnulla scripserunt. 2. *Chaldaica*, seu Syriaca; in quâ priores Bibliorum paraphrastæ, Ionathan, Onkelos & R. Ioseph sunt vsi. Hæc est purior reliquis: sed non ita pura, vt prima. 3. *Hierosolymitana*; quâ scriptæ sunt posteriores paraphrases in legem & librum Esther. Dicitur hæc dialectus Hierosolymitana; quia vulgus Iudæorum ex captiuitate Babylonicâ reducum multa vocabula Ammonitica, Moabitica, Persica, quin etiam Græca, linguæ Chaldaicæ permiscebat. 4. *Targumica*, seu *Media inter Chaldaicam secundam & Hierosolymitanam*: quâ scriptæ sunt paraphrases, seu Thargumim in Psalmos, Prouerbia, Iobum, Ecclesiasten, & Canticum, quæ vocant quinq; volumina 5. *Talmudica*; quæ mixta est ex superioribus dialectis, linguaque Hebraicâ, vt & multis vocabulis Arabicis, Græcis, Latinis, & barbaris alijs paulò audaciùs assumptis. *Syra Antiochena*, seu Comagena, quæ etiam Maronitica dicitur. Hanc postremo loco ponunt viri docti, non quòd post alias orta sit, sed quòd omnium postrema constanter vsum suum retinuerit, atque alias quasi antiquarit. Huius linguæ vsus olim fuit in Ecclesiâ Antiochenâ totòque illius Ecclesiæ Patriachatu: & hodie vsitata est in Palmirena, à cuius vrbe Maroniâ dicitur Maronitica. Hâc eâdem linguâ vtuntur Mesopotamici in suis sacris. Hâc denique dialecto exarata est versio N.T. Syriaca, quam acceptam nonnulli ferunt Ecclesiæ Antiochenæ primùm nascenti, alij tribuunt Marco. Vide Bonauenturam, *Cornelium Bertramum præfat. in Comparat. Grammaticæ Hebraicæ & Aramicæ.* Ad *linguam Græcam* nunc accedamus. Quatuor ipsius ætates constituimus. *Prima* est à Iauan & confusione linguarum vsque ad tempora Lini, Orphei, & Musæi. *Iauam* iste fuit filius Iapheti, à quo Græcum ἰαν: & primò Asiam occupauit (vnde omnes in totum terrarum orbem ductæ sunt coloniæ) & eius filius *Elisa* Æolibus, *Tharsis* Tarso & Cilicibus, *Citthim* Macedonibus & Italis, *Dodonim* Rhodijs originem dedit. Paulò post linguarum confusionem Palladion Athenas condidit; & regnum Sicyoniorum cœpit circa annum mundi 1861 tempore Abrahami. Cœpit, inquam, in Græciâ, eo loci, qui Ægialia ab Ægialeo, primo rege, & Apia, ab Api, quarto rege, item Sicyonia & Peloponnesus à diversis regibus, fuit nuncupatus. Argiui quoque centum pòst annis cœperunt celebrari, quorum primus rex fuit Inachus, anno M.2093. Inachi istius stemma sic habet:

Ætates linguæ Græcæ quot?

Inachus.
Phoroneus.
Niobe.

Argus	Pelasgus.
Iasus.	Thassalus.
Iô.	Hœmon.
Ephaphus.	
Libya.	
Agenor.	

Phœnix. Cadmus.

Ex his Phoroneus, filius Inachî, Acusilao, antiquo historico, dicitur primus homo, teste *Clem. Alexandrino lib. 1. Strom.* Nonno ἀρχέγονος. Cadmus circa eam tempestatem, quâ Israëlitæ transito Iordane terram Canaan occupabant, è Phœniciâ, fugiens Iosuam, in maritimam Asiæ minoris oram transfretauit, & cum literis (quæ hinc Κάδμου τύποι dicuntur) doctrinas in Græciam attulit. Hinc est, quòd Ionicæ, seu Græcæ literæ non solùm figuras Phœniciarum manifestè referunt, sed & inprimis nomina seruant, vt *Alpha, Beta, Gamma*, pro Gamla, *Delta* &c. quâ de re vide doctissimam de literis Phœnicum & Ionum diatribam Iosephi Scaligeri *animaduers. in Euseb. Secunda ætas* linguæ Græcæ est ab ætate Lini, Orphei & Musæi, qui claruerunt anno M.2700. tempore Gideonis & Abimelechi iudicum Israëlis, vsque ad tempora Apostolorum. Toto hoc tempore gloria linguæ Græcæ effloruit, tantumque sumpsit incrementum, vt in Chaldæam non paucas voces effuderit: vt colligere licet ex *Dan.* 3. vbi hæ duæ voces συμφωνία & ψαλτήριον nonnihil Chaldaicè inflexæ leguntur. Neque conclusa mansit intra terminos eius regionis, quæ propriè Græcia à Græco seu Graio, filio Thessali dicta, & pelago Ægéo & Ionio, atq; isthmo terminata fuit: sed præter insulas & peninsulas minores, amplissima regna, Peloponnesum, Cyprum, Rhodum, Cretam, Asiam minorem partem Syriæ, Macedoniam, Epirum, Mysiam, Illyrium, Thraciam, Dalmatiam, & Ægyptum sermonis commercio est complexa, ita vt per Asiam, Africam, & Europam sit diffusa. Hinc *Cicero pro Archiâ*: *Græca*, inquit, *leguntur in omnibus fere gentibus, Latina suis finibus, exiguis sanè continentur.* Nominatim Ionica & Æolica lingua erat vulgaris seu popularis in Asiâ minore totâ secundum mare mediterraneum ferè adusque Euphratem: pontum versus, multis erat in vsu, & in Ægypto maritimâ, postquam Ionum aliorumque coloniæ eò migrarunt, maximè autem post Alexandri M. ortam monarchiam. Etiam in Italiæ parte illâ, quæ dicta est magna Græcia, sermo Græcus floruit, isque Doricus. Atque hinc est, quòd variarum nationum homines Græcè scripserint: vt ante Christum Anacharsis Scytha, & post Christum Phauorinus è Galliâ Arelatensis; Musonius Latinus Stoicus; Philo Iudæus; Plotinus Ægyptius, qui dicitur alter Plato, Porphyrius Phœnix; Iamblichus Syrus; Ammonius, Philoponus, Herodianus, Ptolemæus & Nonnus; Ægyptij; Simplicius Phryx. Indi quoque ipsi Græcæ linguæ non fuerunt ignari. Iudæi denique calluerunt hanc linguam, vti liquet ex versione LXX. interpretum, quam procurauit Ptolemæus Philadelphus Ægyptiorum rex, circa annum 280 ante natum Christum. *Tertia ætas* est à temporibus Apostolorum vsque ad excidium Constantinopolitanum Hoc temporis interuallo Nouum Testamentum ab Apostolis Græco sermone nobis est traditum, quòd is tunc temporis per orbem terrarum esset longè vulgatissimus. Occurrunt autem quinque idiotismi in N. T. videl. Hebraismus, Talmudismus, Atticismus, Hellenismus LXX Interpretum & Latinismus, de quibus infrà in Lexicis & Grammaticis. Ex Iudæis Iosephus & Egesippus; ex Patribus Iustinus Martyr, Dionysius Areopagita, Clemens Alexandrinus, Basilius Magnus, Gregorius Nazianzenus, Gregorius Nyssenus, Gregorius Neocæsariensis, Chrysostomus, Eusebius, Cyrillus, Theodoretus, Theophylactus & OEcumenius: ex historicis Eusebius, Theodoretus, Socrates Scholasticus, Sozomenus, Euagrius & Epiphanius: ex medicis Galenus, Theophrastus, Oribasius, Ægineta, Aëtius: ex philosophis Phauorinus & alij paulò ante nominati, hanc linguam excoluerunt scriptis eruditissimis. Extant quoque Iuris Pandectæ Græcæ, Iustiniani Nouellæ, Theophili Institutiones, Harmenopuli epitome iuris ciuilis. Porrò hæc lingua fuit vulgaris in Oriente inde à Constantino M. vsque ad excidium Constantinopolitanum. Sed in occidente, inde à temporibus Phocæ, adeoque natalibus Antichristi Romani, fuit neglecta, vsque adeò, vt tempore Accursij inualuerit dictum: *Græca sunt: ergo legi non possunt.* Quod dictum (vt hoc obiter annotem ex Dinneio IC.) perperam tribuitur Accursio, cum glossa Accursiana ad legem 6. in verb. edicto. ff. de bonor. possess. sic habeat: *Græcæ literæ possunt intelligi & legi. Quarta* & vltima linguæ Græcæ ætas est inde ab anno Christi 1453; quo Constantinopolis à

Mahomete

Mahomete fuit occupata, & imperium Orientis prorsus ad Græcos transijt. Hâc occasione illustres genere & doctrinâ viri è Græciâ in Italiam & alias occiduas Europæ regiones emigrare compulsi, literarum studia in eas intulerunt. Inter eos eminuerunt, & veluti stellæ emicuerunt, Theodorus Gaza Thessalonicensis, Manuël Chrisoloras, Ioannes Argyropolus, Chalcondylas seu Chalcondyla, Constantinus; Lascaris. Post illa tempora sermo Græcus extitit corruptus in Græciâ, vocabulis Turcicis, Sclauonicis, Italicis, & Latinis immistis, & flexionibus valde immutatis: prout ferè Latinus sermo degenerauit in Italicum. Sed in orbe Christiano egregiè hanc linguam excoluerunt præstantissimi viri, vt præcipuè ex theologis Melanchthon, OEcolampadius, & Beza: ex philosophis & philologis Mirandula, Hermolaus Barbarus, Rodolphus Agricola, Scaligeri ambo, Turnebus, Camerarij, Muretus, Golius, Possellius, Henricus Stephanus, Isaac. Casaubonus; & Ioan. Scapula epitomator Stephani: ex ICtis Reuchlinus, Budæus, Alciatus, Cuiacius, Hottomannus, Pacuius, Gothofredus, Dinnerus: ex medicis Conradus Gesnerus, Adrinus Iunius, & ij, qui commentarijs illustrarunt textum Hippocratis & Galeni. *Latinæ linguæ ætates* constituo quinque, hunc in modum. *Prima* ætas est infantia & pueritia Latini sermonis, ante Terentium. Hæc ætas fuit sub dynastiâ Aboriginum, Latinorum seu Æneadum, septem regum & Coss. vsque ad annum mundi 3790. & dici potest ἀρχαϊκή. Scriptores huius æui- sunt Liuius Andronicus & Cato Censorius historici; Lucilius, Ennius, & Accius Plautus poëtæ; Galba, Crassus, & Antonius, oratores. *Secunda* ætas est ἀκμή, vigens, florens, constans, matura, pura, incorrupta, & veluti seculum aureum linguæ Latinæ: inde à Terentio, qui floruit anno M. 3790. vrbis conditæ 593. circiter, vsque ad tempora Quintiliani. Hæc ætas habuit Terentium. Pacuuium poëtam, Lucretium & Archium poëtas, Varronem (qui Augustino dicitur Latinorum doctissimus) Ciceronem, Iulium Cæsarem, Virgilium, Horatium, Propertium, Tibullum, Catullum, Ouidium, Sallustium, Columellam, Liuium, Q. Curtium, Persium, Senecam, Silium Italicum, & Martialem. Hic obserua, sub Augusto Cæs. castigatissimum fuisse sermonem Latinum. *Tertia* ætas est à Quintiliano, qui floruit sub Domitiano, vsq; ad initium theologiæ scholasticę, id est, ab anno Christi 90. vsque ad 1050. Hoc temporis tractu lingua Latina tres inprimis paroxysmos est passa. Primus fuit tempore Quintiliani, qui Romæ docuit & conatus est homines iam amantes corrupti sermonis ad veterem splendorem reuocare. Hunc secuti sunt Asconius, Valerius Maximus, Plinius secundus, Suetonius Tranquillus, Corn. Tacitus, Corn. Celsus medicus, Plinius Iunior, Trogus. Florus, Iustinus, Solinus, Aul. Gellius, Cornel. Fronto, Vlpianus IC. Tertullianus, Cyprianus, Lactantius Firmianus, Hieronymus, Augustinus, Iulius Capitolinus, Ælius Spartianus, Ælius Lampridius, Ammianus Marcellinus, Sedulius, Prudentius, Ausonius. Secundus paroxysmus linguæ Latinæ accidit circa tempora barbarorum & Ostgottorum in Italia, circa annum Christi 480 quo tempore lingua Latina miserrimè fuit afflicta. Tertius paroxysmus est circa an. Christi 800 quo Carol. M. fundatis varijs Academijs cœpit sanare vulnera linguæ Latinæ: quanquam nonnisi superficietenus, radice morbi intactâ: vnde lingua Latina recidiuam est passa. *Quarta* ætas est ab initio theologiæ Scholasticæ, id est an. Christi 1050 vsq; ad annum 1330. Hoc tempore theologi Scholastici partim retinuerunt corruptam à barbaris in Italia linguâ Latinam, partim nouum quoddam sermonis genus genuerunt, vt ex Alberto M. Thoma, & alijs Scholasticis, quorum catalogum suprà texuimus, videre est. In hâc quoq; classe reponuntur quidam ICti, vt Accursius, Ipho, Bartolus &c. *Quinta* & vltima linguæ Latinæ ætas est veluti ἀνάστασις hominus sepulti: quæ cœpit anno Christi 1330. quo Dontes Aligerius Florentinus Latinum sermonem velut ab inferis reuocauit. Hunc secuti sunt Francisc. Petrarcha, Aligerij discipulus; Fransc. Philelphus; Laurentius Valla, nobilis Romanus; Æneas Syluius, primò orator Friderici III. Imp. postea Pontifex Romanus, dictus Pius II; Greg. Typhernas, præceptor Mantuani, discipulus Chrysoloræ; Nicol. Leonicenus, cuius operâ Medicina loqui cœpit apud Italos, vt ait Erasmus; Ioh. Picus Mirandulanus, HermolausBarbarus. Marsil. Ficinus, Baptista Mantuanus Phil. Beroaldus orator Bononiensis, Conradus Celtes, primus Germaniæ poëta, Thomas Linacer, Erasmus Roterodamus, Iacobus Sadoletus, Christophorus Longolius, Petrus Bembus, Angelus Politianus, Phil. Melanchthon, Muretus Sigonius, Sturmius, Nizolius, Manutij, & infiniti alij. Hoc loco non alienum fuerit à nostro proposito breuiter inserere quinque ætates poëseos Latinæ, quas magnus Scaliger lib. 6. Poëtices proponit. Prima est ante Virgiliũ: vbi Scaliger recenset Cæcilium, Ennium, Pacuuium, Plautum, Terentium, Lucretium. In secundâ collocat Virgilium, Ouidium, Propertium, Quintilium Varum, Horatium, Tibullum, Catullum. Atque hæc est felicissima sub Augusto. In tertiâ classe sunt Sulpitius, Persius; Iuuenalis, Martialis, Seneca, Valerius Flaccus, Silius, Statius, Lucanus. In quartâ ætate sunt Marcus, Serenus, Sidonius, Calphurnius, Boëtius, Ausonius, Paulinus, Claudianus, & Nemesianus. In quintâ ætate sunt recentiores: videl. Marullus, Petrarcha, Philelphus, Vægius, Bigus, Augurellus, Angerianus, Baptista Mantuanus Carmelita, Accius, Rogerius, Cordus, Verinus, Egnatius, Strozzij, Politianus, Vida, Palingenius, Pierius, Erasmus, Melanchthon, Eobanus Hessus. Mycillus, Alciatus, Ioan. Secundus, Stigelius, Ioan. Maior, Lotichius, Paganus, Sabinus, Buchananus, Chytræus, Videbramus, Melissus, Heinsius, Acidalius, & alij plurimi.

VII. *Quatuor scholæ veterum Logicorum constitui possunt: vt eruditè disputat* Ramus libr. 1. schol. Dialect. — Historiæ Logicæ quales?

Prima est Hebræorum; id est, à Prometheo, quem *Ramus d. l.* dicit fuisse Noëum. Et Schegkius per λογεῖον Mosis siue pectorale summi Pontificis, quod Hebraicè dicitur, Vrim & Thummim, intelligit Logicam. *Paulus quoque Scalichius lib 1. miscell.* existimat, veterem Hebræorum Cabbalam fuisse Logicam exactiorem. Confer. *suprà lib. 1. cap.* 10. Atque hæc est prima diuinaq; schola Logica. *Secunda* est Mathematica, & inprimis Pythagoreorum. Huius sectæ philosophi fuerunt Parmeniscus, Orestades, Xenophanes, Heraclitus, Empedocles, qui Rhetoricam inuenit, & Gorgiam rhetorem formauit; Epicharmus; Parmenides; Archyras, author prædicamentorum. Fuit autẽ Pythagoreorum Logica mathematicis artibus, quas tractabant, inprimis accurata. *Tertia* est Ionica, & ea quidem Physica, à Zenone vsque ad Socratem. In hâc excelluerunt Zeno Eleates, Parmenidis auditor, Democritus, Protagoras & Hippocrates, de quibus copiosè *Ramus d lib. cap.* 3. *Quarta* schola Logica est Socratis, eaque politica. Socrates enim in Logicis à Zenone institutus, Dialecticæ vsum in ethicis & politicis monstrauit: vnde Philosophiam ex cœlo in terras deduxisse dicitur. Ex hâc Socratis scholâ quinque potissimùm sectæ sunt ortæ à totidem Socratis discipulis, videlicet Anaxarcho, Aristippo, Euclide, Antisthene, & Platone. Prima igitur est Logica Pyrrhonia, quam Anaxarchus Pyrrho Eliensi tradidit. Pyrrho iste hanc sectam acatalepsiæ & retentionis amplificauit: eiusque sectatores, aporetici, sceptici, ephectici, zetetici, dicti sunt; quòd dubitarent, considerarent, inhiberent, inquirerent. Secunda est Aristippi; qui cum omnibus suis sectatoribus, Cyreniacis & Epicureis, Logicâ naturali, fuit contentus, & ipsius titulos peculiaribus libris est complexus Ex his Epicurus, non Logicam, sed Canonicam appellauit hanc artem. Tertia fuit Euclidis; cuius secta inprimis arripuit Logicam Parmenidéam & Zenoniam, nonnihil sophisticam. Successio Logicæ Euclidêæ hæc est: Eubulides, discipulus fuit Euclidis, & præceptor Demosthenis; cui successit discipulus Alexinus; tum Diodorus Cronus, Clinomachus Thurius, & Menedemus Stilpo etiam Megarensis, auditor Euclidis, fuit huius familiæ philosophus. Quarta est Antistheniorum, eaque primò Cynica. Hæc authorem habuit Antisthenem, cui successit Diogenes. Ex Ciuicis orti sunt Stoici, qui Logicas artes accuratius excoluerunt. Primus huius sectæ inuentor fuit Zeno Citicus. Huius discipulus fuit Cleanthes, qui scripsit libros 12 Logicos: & huius auditor Sphæreus, qui ipse quoque scripsit multa Logica. Sed omnium non modò Stoicorum, verùm etiam Logicorum omninò magistrorum πολυγραφώτατος fuit Chrysippus, Cleanthis successor. Libros enim 371. Logicos conscripsit: tantumque ob hanc artem in Græciâ nomen habuit, vt plerique dicerent: Deos, si Dialecticâ vti vellent: non aliâ, quam Chrysippeâ vsuros esse. Quinta schola logica, quæ ex Socraticâ originem habet suam, est Platonica: è quâ duæ sectæ sunt ortæ, Academicorum & Peripatericorum. In Academiâ, Speusippus Platonis nepos, annos octo docuit. Condiscipulo Speusippo successit Xenocrates, annosque viginti quinque præfuit Academiæ. Is nongentos libros Logicos scripsit. Xenocrati successit Polemo: huic Crates. Tum Arcesilas, qui mediam peperit Academiam. Hunc secutus est Bion Borysthenites. Arcesilæ successit Lacydes, qui peperit Academiam nouam. Hic scholam tradidit Telecli & Euandro: quibus successit Hegesinus: à quo institutus fuit Carneades, qui Stoicis, & nominatim Chrysippo, contradixit. Vnde solitus est dicere *Nisi Chrysippus esset, ego non essem.* Nihil vnquam oppugnauit, ait Cicero, quod non expugnarit. Clitomachus fuit discipulus Carneadis, Clitomachi discipulus fuit Philo, Magister Ciceronis. Schola Logica Peripatetica authorem habet Aristotelem, Platonis discipulum, qui beneficio Alexandri Magni, libros innumerabiles vndique congregauit, ita vt Aristotelis philosophia sit bibliotheca quædam omnium philosophorum. Aristoteli successit discipulus Theophrastus: huic discipulus Strato: Stratoni Lycon, qui propter suauitatem dictus est Γλύκων: tum Phalereus Theophrasti auditor. De his Peripateticis teneatur illud Rami: *Logica Peripatetica in Aristotele aurea, in Theophasto diuina, in Stratone eloquentissima, in Lycone & Phalereo dulcissima fuit.* Cæterum Aristotelis philosophia ab obitu Aristotelis, id est anno tertio Olympiadis 114. siue anno vrbis Romæ 431. vsque

vſque ad victorem Græciæ Syllam, id eſt, annum vrbis 670. latuit annos 240. Quid interea temporis fecerint Peripatetici, vt tum Cratippus fuit, incertum eſt. Adraſtus, Aſpaſius, Alexander, primi de Peripateticis Logicam Ariſtotelis in ſcholas publicas induxerunt, & iuuentuti propoſuerunt. Horum interpretum Galenus meminit: qui ducentis circiter annis poſt publicatam Ariſtotelis philoſophiam floruit. Alexandri Aphrodiſæi non meminit: cuius tamen σύγχρονος fuiſſe videtur. Alexandri magiſter fuit Soſigenes. Galenus, cùm videret non modò ſectarum cum ſectis aliis in Logicâ theoriâ diſcordiam, ſed ſingularum inter ſe ſectarum diſſenſionem eſſe; in Peripateticis Logicis nonnullam, in Academicis maiorem, in Stoicis maximam, nulli ſe præcipuè ſectæ addixit, ſed electiuus tantùm fuit, vt è ſingulis eligeret, quæ placerent. Scripſit de Logicâ arte libros 182. præter incenſos, & donatos, & ſurreptos. Poſt Galenum inde à temporibus Antoniorum Impp. quatuor conſtituo ætates artis Logicæ. Prima eſt τῆς φιλαριστοτελείας ἀναλυτικῆς, id eſt, nimij affectus, quo interpretes complexi fuerunt Ariſtotelem, adeò vt ipſum habuerint pro numine, & Logicam ipſius pro oraculo, ita quidem, vt variis analyſibus opera ipſius explicârint. Hâc in claſſe cenſentur Themiſtius, Porphyrius, Plotinus, Iamblichus, Ammonius, Simplicius, Philoponus Grammaticus, Herminus, Maximus, Boëthius, Sidonius, Dexippus, Ægeus, Cornutus, Athenodorus, Syrianus, Euſtratius, Ariſton, Achaicus & Eudoxus. Secunda ætas eſt eclipſeos, vt ita dicam, Logicæ: inde ab anno Chriſti 600 ſeu barbarie Mahometicâ, vſque ad tempora Scholaſticorum, paulò poſt annum Chriſti 1000. Hoc enim tempore præter Damaſcenum anno Chriſti 700. & Rabanum Maurum anno 800. perpaucos inuenire eſt Logicæ cultores. Tertia ætas eſt φιλαριστοτελείας ἐριστικῆς, quæ complectitur tres ætates Scholaſticorum, de quibus ſuprà: inde ab anno Chriſti 1020. vſque ad ſeculi decimiquinti decurſum: quo temporis tractatu fermè Sophiſtica & Eriſtica Logica loco practicæ ſubſtituta viguit Maximè hîc commendatur Summula Petri Hiſpani, qui poſtea factus eſt Papa, nomine Iohannes XXI anno 1270. In eius ſummulam infiniti commentarij ſunt ſcripti, ita vt Hiſpanus in Logicis fuerit apud Scholaſticos, quod Lombardus in theologicis. Quarta ætas eſt inde ad noſtram vſque ætatem: quod ſeculum non ſine causâ Logicum appellari poteſt. Lege hanc in ſententiam Præcognita Logica Keckermanni, vbi non tantùm hiſtoria, ſed etiam criſis de præſtantiſſimis Logicis occurrit. Breuiter res ita habet. Anno Chriſti 1480. Rodolphus Agricola peculiarem Dialectices methodum ſcripſit: quem ſecuti ſunt ſeculo XVI. innumeri alij: putà Polichius anno 1511. Melanchthon anno 1525. Cæſarius 29. Viues 31. Titelmannus 33. Ramus 43. Perionius, eius aduerſarius 44. Hunnæus 52. Hoſpinianus 57. Eraſtus 64. Schegkius eodem tempore. Hyperius 65 Monlorius 69. Cornelius Valerius 70. Carpentarius 73. Hotomannus & Simonius eodem anno, Freigius 74. Toletus 75. Fonſeca 77. Hemmingius 78. Zabarella eod. anno, Crellius 81. Piccolhomineus 83. Alberius 84. Pacius eod. anno, Zach. Vrſinus 86. item Caſp. Oleuianus, Rod. Goclenius, Ioh. Piſcator, Beurhuſius, Tempellus, Libauius, Scribonius, Sinellius, G. Rhodingus, Vvaſſerleiderus, Buſcherus, & alij ſexcenti. Ex his Logicis Ludouicus Viues an. 1531. & Petrus Ramus, anno 1543. acerrimè ſe oppoſuerunt Ariſtoteli. A Ramo dicti ſunt Raméi, qui defendunt ipſius dogmata, & aliâs dicuntur Antiperipatetici: quibus opponuntur Ariſtotelici ſeu Peripatetici. Inter hos medij ſunt Philippiſtæ, qui ſequuntur Philippum Melanchthonem, & Ariſtotelico-Ramei; quorum ſcholas ſemper magnifeci. Ad illos quod attinet, qui dicuntur Lulliſtæ, illorum Logica mihi poſt diligentem & diuturnam hâc ſuper re meditationem ad Oratoriam pertinere videtur: quâ de re infrà in methodo Oratoriæ. Ad Mnemonicam quod attinet, illa diſtinctè eſt conſideranda. Primò enim quod attinet ad medicamenta, quibus memoria iuuatur, illa tradita ſunt à medicis, idque vel ſparſim in variis tractatibus, vel collectim peculiaribus tractatibus de iuuandâ memoriâ editis. Deinde præcepta Logica de ordine, de antitheſi, & ſimilia, occurrunt in libris Logicis. Tertiò ars locorum & imaginum à Simonide Melico primùm fuit inuenta, vt eſt apud *Polydorum Virgilium lib. 2. de inuentoribus rerum. c. 9.* poſtea *Cicero 3. ad Herennium*, *Quintilianus*, *Petrus Rauennas* (qui appellatus fuit Magiſter de memoriâ) *Maraſiotus*, *Spangenbergius*, *Conradus Celles*, *Roſellus*, *Magirus*, *Brunus*, *Schenckelius*, *Treutlerus*, & alij hoc artificium excoluère.

Colophonis loco addamus Catalogum hiſtoriarum particulariũ ex *Franciſci Verulamij Inſtauratione magnâ*: vt vel hinc pateat, hiſtoriam per omne diſciplinarum genus diffundi.

Hiſtoriæ diſpoſitio ex Verulamio.

1 Hiſtoria Cœleſtium; ſiue Aſtronomica.

2 Hiſtoria Configurationis Cœli & partium eius, verſus terram & partes eius; ſiue Coſmographica.

3 Hiſtoria Cometarum.

4 Hiſtoria Meteororum ignitorum.

5 Hiſtoria Fulgurum, Fulminum, Tonitruum, & Coruſcationum.

6 Hiſtoria Ventorum, & Flatuum repentinorum, & Vndulationum Aëris.

7 Hiſtoria Iridum.

8 Hiſtoria Nubium, prout ſupernè conſpiciuntur.

9 Hiſtoria Expanſionis cœruleæ, Crepuſculi, plurium Solium, plurium Lunarum, Halonum, Colorum variorum Solis & Lunæ; atque omnis varietatis Cœleſtium ad aſpectum, quæ fit ratione medij.

10 Hiſtoria Pluuiarum ordinariarum, procelloſarum, & prodigioſarum; etiam Cataractarum (quas vocant) Cœli & ſimilium.

11 Hiſtoria Grandinis, Niuis, Gelû, Pruinæ, Nebulæ, Roris, & ſimilium.

12 Hiſtoria omnium aliorum Cadentium ſiue Deſcendentium ex alto, & ſupernè generatorum.

13 Hiſtoria Sonituum in alto (ſi modò ſint aliqui) præter Tonitrua.

14 Hiſtoria Aëris, in Toto, ſiue in Configuratione mundi.

15 Hiſtoria Tempeſtatum, ſiue Temperamentorum Anni, tum ſecundùm variationes Regionum, quàm ſecuudùm accidentia Temporum, & periodos Annorum, Diluuiorum, Feruorum, Siccitatum, & ſimilium.

16 Hiſtoria Terræ & Maris; Figuræ & Ambitus ipſorum, & Configurationis ipſorum inter ſe, atque Exporrectionis ipſorum in latum aut anguſtum; Inſularum terræ in mari, Sinuum maris, & Lacuum ſalſorum in terrâ, Iſthmorum, Promontoriorum.

17 Hiſtoria Motuum (ſi qui ſunt) globi Terræ & Maris; & ex quibus Experimentis illi colligi poſſint.

18 Hiſtoria Motuum maiorum & Perturbationum in terrâ & mari; nempè Terræmotuum & Tremorum & Hiatuum, Inſularum de nouo enaſcentium, Inſularum fluctuantium, Abruptionum terrarum per ingreſſum maris, Inuaſionum & Illuuionum, & contrà deſertionum maris; Eruptionum ignium è terrâ, Eruptionum ſubitanearum aquarum è terrâ & ſimilium.

19 Hiſtoria Geographica naturalis, Montium, Vallium, Syluarum, Planitierum, Arenarum, Paludum, Lacuum, Fluuiorum, Torrentium, Fontium, & omnis diuerſitatis Scaturiginis ipſorum, & ſimilium: miſſis Gentibus, Prouinciis, Vrbibus, & huiuſmodi ciuilibus.

20 Hiſtoria Fluxuum & Refluxuum maris, Euriporum, Vndulationum & Motuum maris aliorum.

21 Hiſtoria cæterorum Accidentium maris; Salſuginis eius, Calorum diuerſorum, Profunditatis: & Rupium, Montium, & Vallium ſubmarinorum, & ſimilium.

Sequuntur hiſtoriæ maſſarum maiorum.

22 Hiſtoria Flammæ, & Ignitorum.

23 Hiſtoria Aëris, in ſubſtantiâ, non in configuratione.

24 Hiſtoria Aquæ in ſubſtantiâ, non in configuratione.

25 Hiſtoria Terræ & diuerſitatis eius, in ſubſtantiâ, non in configuratione.

Sequuntur hiſtoriæ ſpecierum.

26 Hiſtoria Metallorum perfectorum, Auri Argenti; & Minerarum, Venarum, Marcaſitarum eorundem: Operaria quoque in mineris ipſorum.

27 Hiſtoria Argenti viui.

28 Hiſtoria Foſſilium; veluti Vitrioli, & Sulphuris &c.

29 Hiſtoria Gemmarum; veluti Adamantis, Rubini &c.

30 Hiſtoria Lapidum; vt Marmoris, Lapidis Lydij, Silicis &c.

31 Hiſtoria Magnetis

32 Hiſtoria corporum miſcellaneorum, quæ nec ſunt Foſſilia prorſus, nec vegetabilia; vt Salium, Succini, Ambræ griſeæ, &c.

33 Hiſtoria Chymica circa metalla & mineralia

34 Hiſtoria Plantarum, Arborum, Fruticum, Herbarum: & Partium eorum, Radicum, Caulium, Ligni, Foliorum, Florum, Fructuum, Seminum, Lachrymarum &c.

35 Hiſtoria Chymica circa vegetabilia.

36 Hiſtoria Piſcium, & partium ac generationis ipſorum.

37 Hiſtoria volatilium, & partium, ac generationis ipſorum.

38 Hiſtoria Quadrupedum, & partium ac generationis ipſorum.

39 Hiſtoria Serpentum, Vermium, Muſcarum, & cæterorum Inſectorum, & partium ac generationis ipſorum.

40 Hiſtoria Chymica circa ea quæ ſumuntur ab Animalibus.

Sequuntur hiſtoriæ hominis.

41 Hiſtoria Figuræ, & Membrorum externorum hominis, Staturæ Compagis, Vultus, & Lineamentorum; eorumque varietatis ſecundùm Gentes & Climata, aut alias minores differentias.

42 Hiſtoria Phyſiognomica ſuper ipſa.

43 Hiſtoria Anatomica, ſiue Membrorum internorum hominis; & varietatis ipſorum, quatenus inuenitur in ipsâ naturali

nali compage & structurâ, & non tantùm quoad Morbos & accidentia præternaturalia.

44 Historia Partium similiarium hominis; vt Carnis, Ossium, Membranarum, &c.

45 Historia Humorum in homine, Sanguinis, Bilis, Spermatis, &c.

46 Historia Excrementorum; Sputi, Vrinarum, Sudorum, Sidementorum, Capillorum, Pilorum, Rediuiarum, Vnguium, & similium.

47 Historia Facultatum, Attractionis, Digestionis, Retentionis, Expulsionis, Sanguificationis, Assimilationis alimentorum in membra, Versionis Sanguinis & Floris eius in Spiritum, &c.

48 Historia Motuum naturalium & inuoluntariorum; vt motus Cordis, motus Pulsuum, Sternutationis, motus Pulmonum, motus Erectionis virgæ, &c.

49 Historia Motuum mixtorum ex naturalibus & voluntariis; veluti Respirationis, Tussis, Vrinationis, Sedis, &c.

50 Historia Motuum voluntariorum; vt instrumentorum ad voces articulatas; vt motuum Oculorum, Linguæ, Faucium, Manuum, Digitorum, Deglutitionis, &c.

51 Historia Somni & Insomniorum.

52 Historia diuersorum Habituum corporis; Pinguis, Macilenti; Complexionum, (quas vocant) &c.

53 Historia Generationis hominum.

54 Historia Conceptionis, Viuificationis, Gestationis in vtero, Partus, &c.

55 Historia Alimentationis hominis, atque omnis Edulij & Potabilis, atque omnis diætæ; & Varietatis ipsorum secundùm gentes aut minores differentias.

56 Historia Augmentationis & incrementi Corporis in Toto & Partibus ipsius

57 Historia Decursus Ætatis; Infantiæ, Pueritiæ, Iuuentutis, Senectutis, Longæuitatis, Breuitatis vitæ, & similium, secundùm gentes & minores differentias.

58 Historia Vitæ & Mortis.

59 Historia medicinalis Morborum, & Symptomatum & Signorum eorundem.

60 Historia medicinalis, Curæ, & Remediorum, & Liberationum à morbis.

61 Historia medicinalis eorum, quæ conseruant Corpus & Sanitatem.

62 Historia medicinalis eorum, quæ pertinent ad Formam & decus Corporis, &c.

63 Historia medicinalis eorum, quæ corpus alterant, & pertinent ad Regimen Alteratiuum.

64 Historia Pharmacopolaris.

65 Historia Chirurgica.

66 Historia Chymica circa medicinas.

67 Historia Visus & Visibilium, siue Optica.

68 Historia Picturæ, Sculptoria, Plastica, &c.

69 Historia Auditus & Sonorum.

70 Historia Musica.

71 Historia Olfactus & Odorum.

72 Historia Gustus & Saporum.

73 Historia Tactus, & eius Obiectorum.

74 Historia Veneris, vt speciei Tactus.

75 Historia Dolorum corporeorum, vt speciei Tactus.

76 Historia Voluptatis & Doloris in genere.

77 Historia Affectuum; vt Iræ, amoris, Verecundiæ, &c.

78 Historia Facultatum intellectualium; Cogitatiuæ, Phantasiæ, Discursus, Memoriæ, &c.

79 Historia Diuinationum naturalium.

80 Historia Dignotionum, siue Diacrisium occultarum naturalium.

81 Historia Coquinaria; & Artium subseruientium, veluti Macellaria, Auaria, &c.

82 Historia Pistoria, & Panificiorum; & Artium subseruientium, vt Molendinaria, &c.

83 Historia Vinaria.

84 Historia Cellaria & diuersorum generum potus.

85 Historia Bellariorum & Confecturarum.

86 Historia Mellis.

87 Historia Sacchari.

88 Historia Lacticiniorum.

89 Historia Balneatoria & Vnguentaria.

90 Historia miscellanea circa curam corporis; Tonsorum, Odorariorum, &c.

91 Historia Aurifabrilis & Artium Subseruientium.

92 Historia Lanificiorum, & Artium Subseruientium.

93 Historia Opificiorum è Serico & Bombyce, & Artium Subseruientium.

94 Historia Opificiorum ex Lino, Cannabio, Gossipio, Setis, & aliis Filaceis; & Artium Subseruientium.

95 Historia Plumificiorum.

96 Historia Textoria, & Artium Subseruientium.

97 Historia Tinctoria.

98 Historia Coriaria, Alutaria, & Artium Subseruientium.

99 Historia Culcitraria & Plumaria.

100 Historia Ferri-Fabrilis.

101 Historia Latomiæ siue Lapicidarum.

102 Historia Lateraria & Tegularia.

103 Historia Figularis.

104 Historia Cæmentaria & Crustaria.

105 Historia Ligni-fabrilis.

106 Historia Plumbaria.

107 Historia Vitri & omnium Vitreorum, & Vitriaria.

108 Historia Architecturæ in genere.

109 Historia Plaustraria, Rhedaria, Lecticaria, &c.

110 Historia Typographica, Libraria, Scriptoria, Sigillatoria; Atramenti, Calami, Papyri, membranæ, &c.

111 Historia Ceræ.

112 Historia Viminaria.

113 Historia Storearia, & Opificiorum ex Stramine, Scirpis & similibus.

114 Historia Lotricaria, Scoparia, &c.

115 Historia Agriculturæ, Pascuariæ, Cultus Syluarum, &c.

116 Historia Hortulana.

117 Historia Piscatoria.

118 Historia Venationis & Aucupij.

119 Historia Rei Bellicæ, & Artium Subseruientium; vt Armamentaria, Arcuaria, Sagittaria, Sclopetaria, Tormentaria, Balistaria, Machinaria, &c.

120 Historia Rei Nauticæ, & Practicarum, & Artium Subseruientium.

121 Historia Athletica, & omnis generis Exercitationum Hominis.

122 Historia Rei equestris.

123 Historia Ludorum omnis generis.

124 Historia Præstigiatorum & Circulatorum.

125 Historia miscellanea diuersarum materiarum Artificialium; Esmultæ, Porcellanæ, complurimum cæmentorum, &c.

126 Historia Salium.

127 Historia miscellanea diuersarũ Machinarũ, & motuũ.

128 Historia miscellanea Experimentorum vulgarium, quæ non coaluerunt in Artem.

Etiam mathematicarum purarum historiæ conscribendæ sunt, licet sint potiùs obseruationes quàm experimenta.

129 Historia Naturarum & Potestatum numerorum.

130 Historia Naturarum & Potestatum figurarum.

CAPVT XI.

De Statu mundi ante lapsum.

PRÆCEPTA.

HVc vsque fuit historia homogenea: deinceps erit historia heterogenea, quæ res variarum facultatum, putà theologicas, iuridicas, medicas, & philosophicas simul recenset.

Estque Epitomica seu Synoptica, & Diexodica.

Epitomica est, quæ summatim recenset res gestas: & vsitatè dicitur Chronologia & Historia καθ' ὁμάδα.

Diexodica est, quæ plenam omnium ferè præcipuarum rerum gestarum synchronismum, seu collationem, tradit: & vsitatè dicitur Chronologia κατὰ πλάτος.

Nos trademus priorem, quam absoluemus sex interuallis, hoc modo. Primum interuallum est à creatione mundi ad diluuium, anno mundi 1656. Secundum à diluuio ad primam monarchiam,, anno 1717. Tertium est primæ monarchiæ, ad annum mundi 3419. Quartum est secundæ monarchiæ, ad annum mundi 3619. Quintum est tertiæ monarchiæ, ad annum mundi 3900. Sextum est quartæ monarchiæ, inde à Iulio Cæsare dictatore ad nostram vsque ætatem.

Primum interuallum tres habet articulos, videlicet statum mundi ante lapsum, historiam à lapsu vsq; ad publicam nominis Dei profanationem, & publicam illam profanationem vsque ad diluuium.

Status mundi ante lapsum habet sex titulos, qui sunt πρωτοτισία, seu prima creatio, Paradisus, Impositio nominum, Institutio coniugij, Vtraque politia, & Synchronismus.

REGVLÆ.

Quid de interuallis temporum historicis obseruandum?

I. *Sex sunt interualla vniuersi temporis, quod effluxit inde à creatione mundi ad nostram vsque ætatem.*

Duplex est modus tradendi historiam. Vnus dicitur καθ' ὁμάδα, qui est breuis rerum gestarum commemoratio, institutâ temporis collatione. Alter est κατὰ πλάτος, qui est extensio, quâ res gestæ prolixè inter sese conferuntur. Prior ille modus appellari potest χρονικὸν ἱστορικὸν, indiculus, pericope & perioche gestorum: posterior ἐκθέσις ἱστορικὴ series laxior & spatiosior, enodatio historiæ, & veluti, σωμάτιον, historiarum ex multiplici omnium rerum memoriâ contextus. Ibi breuis notatio temporis sufficit, & præcipuarum rerum, quæ dicuntur τὰ ἀξιόλογα: hic per omnis generis historias peregrinandum, omnium nationum censuales euoluendi, & concatenationes temporum, vt Tertullianus loquitur, aperiendæ: vnde hæc pars ab Eusebio appellatur παντοδαπὴ ἱστορία. Nobis propositum est cum Deo synopsin scribere historiæ, eâ methodo, quam arbitrabimur esse naturæ ipsi conuenientissimam. Omnino autem necessarium esse iudicamus, vt huic synopticæ rerum gestarum expositioni, quæ sequitur ordinem temporis, præmittantur historiæ homogeneæ in superioribus capitibus delineatæ. Ita enim fiet, vt perspectâ connexione rerum homogenearum, multifariam illam historiam faciliùs & feliciùs mente complectamur. Principiò autem oportet constituere certa temporis historici interualla: vtpote quæ sunt veluti hermæ & serperastra historiarum. Interualla dico, id est, temporum intercapedines inter duas epochas. Hinc interuallum definitur tempus magnum inter duas epochas interiectum, quod in articulos tanquam partes minores diuiditur, & aliàs dicitur curriculum. E. g. tempus à mundi conditu vsque ad diluuium est interuallum seu curriculum, cuius articuli possunt esse generationes seu ætates patriarcharum. Interuallum itaque in historicis est, quod pars metropolitica in Geographicis: vt v. gr. Africa diuiditur in sex partes metropoliticas, id est, maiores. Epocha autem est illustris terminus, vnde retrò citroque computamus, siue principium temporis, à quo reliqua tempora numerantur. Latini epochas vocant indices & titulos, itemque æras. Diximus epocham esse illustrem terminum: quia necesse est, vt epochæ sumantur vel ab insigni euentu, vt à diluuio: vel à loco nobili, vt à templo Salomonis: vel ab initiis illustrium regum & principum, vt à Iulio Cæsare: vel ab institutione religionis & ceremoniarum, vt à Paschate vel à ludo Olympico: vel denique ab aliis circumstantiis præsignibus, iisque vel ecclesiasticis, vel politicis. Hinc epocha dicitur esse ecclesiastica, vel politica. Illa in historiis sacris & ecclesiasticis adhibetur: cuiusmodi epochæ nobiliores sunt vndecim; videlicet orbis conditi, diluuij, turris Babylonicæ, vocationis Abrahæ, exitus ex Ægypto, annorum Sabbaticorum, annorum Iubilæorum, templi Salomonis, captiuitatis Babylonicæ, hebdomadum Danielis, natiuitatis Christi. Hæc in historiis profanis, commerciis, & ciuilibus negotiis obseruatur; cuiusmodi epochæ insigniores sunt sex; videlicet Olympiadum, Nabonassari, Vrbis conditæ, Calculi astronomici seu eclipsium, Indictionis, & Hegiræ seu æræ Turcicæ. De his, & similibus epochis vide infra in Chronologiâ. Ex his epochis quatuor sunt præcipuæ, videlicet æra mundi conditi, æra Olympiadum, æra Nabonassari, & æra Christiana: quia si hæ probè inter sese connexæ fuerint, reliquæ epochæ non difficulter, in suum quæque ordinem, reduci poterunt. Cæterùm in constituendis interuallis historicis seu Chronologicis variant authores, hoc modo. I. Traditionem domus Eliæ multi sequuntur, & temporum mundi seriem in tres principes diuidunt ætates iuxta dictum Rabbi Eliæ Talmudicum, quod extat tractatu Sanhedrin. cap. 11. titulo. *Tanah debeth Eliahu*, id est, Traditio domus Eliæ. *Sex millia annorum durabit mundus, & deinde conflagratio: Duo millia inane: Duo millia lex: Duo millia dies Messiæ. Et propter peccata nostra, quæ multa & magna sunt deerunt anni, qui deerunt.* Quo dicto si vrgeantur Iudæi, dicunt Messiam impediri peccatis ipsorum, quò minùs veniat. Inane, quod hic dicitur, est ab exordio mundi vsque ad Abrahamum, siue institutam circumcisionis legem. Hæc ætas dicitur Inane: quòd loca orbis terrarum non fuerint ita culta, coloniis & sedibus nondum distributis. Vide Chronicon Carionis, & plurimos authores, qui hanc τριχοτομίαν probant. Hic obserua, Ecclesiam Æthiopum tempus à creatione mundi ad παντελείαν κόσμου, definiuisse 7000. annorum: ita vt septem ista millia annorum diuidant per septem centurias, quas vocant Sabbata siue hebdomadas Henochi, quas diuidunt in Iubilæa. *Scalig. lib. 7. emend. temp.* II. *Plato in Timæo, & lib 9. de rep.* qui similiter tres mundi ætates constituit secundùm tres gradus facultatum animæ hominis, parui illius mundi. Prima est ἡγεμονική, inuentrix artium & sapientiæ: secunda θυμοειδής, heroica & bellatrix: tertia ἐπιθυμητική, voluptatis & libidinis in primis studiosa. Illa est ab Adamo vsque ad Abrahamum: ista inde ad Augustum Cæs. hæc inde vsque ad nostram memoriam. III. *Varro*, Ciceroni σύγχρονος, tria constituit temporis interualla. Primum est ἄδηλον, *incertum*, ethnicis videl. estque ab initio mundi vsque ad diluuium. Secundùm μυθικὸν, *fabulosum*, quod & ἡρωϊκὸν, ad initium vsque Olympiadum. Tertium ἱστορικὸν, inde à primâ Olympiade. IV. Ethnici quatuor ætates ab initio mundi vsque ad finem eius numerant. Prima est *aurea*, ab exordio mundi vsque ad Iouem. Secunda *argentea*, à Iouis regno ad heroum, id est, virorum præstantissimorum exortum, celebritatem & frequentiam, in quibus iustitiæ vis regnabat. Tertia *ænea*, ab heroibus illis vsque ad constitutionem monarchiarum & regnorum, sub quibus iura polluta sunt. Quarta *ferrea*, inde vsque ad finem mundi. Vide *Hesiodum 1. ἔργ. καὶ ἡμερ. Virg. 1. Georg. Ouid 1 metamorph. & Diod. Sic. in biblioth.* Hæc diuisio nonnullis videtur sumpta ex *Danielis 2.* Sed textus prophetæ pertinet ad quatuor monarchias, è quibus prima fuit aurea, id est splendidior, reliquæ minùs opulentæ. Deinde solum tempus ante lapsum fuit aureum, reliquum, quantum quantum est, ferreum. V. *Augustinus lib. 83. quæst. cap 58. & libr. 12. contra Faustum Manichæum cap. 8.* sex constituit huius mundi velut vnius hominis ætates, quibus seculum hoc sit duraturum, quemadmodum sex diebus est conditum. Prima est ab Adamo vsque ad Noë. Secunda à Noë ad Abraham. Tertia ab Abraham vsque ad Dauidem. Quarta à Dauide vsque ad transmigrationem Babylonicam. Quinta à transmigratione Babylonicâ ad Christi aduentum. Sexta est inde à Christi aduentu in carnem vsque ad ipsius aduentum ad iudicium: ita vt septima mundi ætas sit futura requies & sabbatum sanctorum. VI. Multi numerant quatuor potestates seu regimina, in dupli Adamo primo vsque Adamum secundum. Prima potestas est patria, ab Adamo vsque ad Mosen. Secunda iudiciaria & ducalis, inde ad Saulem. Tertia regia, inde ad Esdram & Nehemiam. Quarta principalis & sacerdotalis, inde vsque ad Christum. Videre potes hâc de re suprà systema politices cap. 14. de politiâ Iudaicâ. VII. Multi occasione capitis 1. Matthæi. 1. distinguunt mundi tempora per certas generationes, vt Epiphanius, & Theodoretus, qui ab Adam vsque ad Christum numerant generationes duas & sexaginta, è quib. sunt duæ decades, & tres tesseradecades, hoc modo. Prima decas est decem generationum ab Adam vsque ad Noë *Gen. 5.* Secunda decas similiter est decem generationum, à Noë ad Abraham, *Gen. 11.* Ab Abraham vsque ad Christum sunt generationes 42. *Matth. 1.* ita vt prima tesseradecas sit ab Abrahamo ad Dauidem: secunda à Dauide vsque ad deportationem Babylonicam; tertia inde ad Christum. Similiter in N.T. constitui possunt certæ generationes, ita quidem, vt si vni generationi tribuantur anni 60 habeamus inde à Christo ad nostram ætatem generationes 26. VIII *Epiphanius 1. hæres. ex Coloss 3. v. 11* totam ætatem mundi à creatione ad Christum diuidit in quatuor epochas. Primam vocat barbarismum à mundo condito ad diluuium: secundam Scythismum à diluuio ad Abrahamum: tertiam Hellenismum, seu Græcismum, i. e. idololatriam ab Abrahamo ad legem latam: quartam Iudaismum, à lege ad Christum. IX. Quia prophetæ, scriptores ecclesiastici, & omnino historiographi, in constituendis interuallis historicis non sunt secuti ἀρχὴν ἀρχαίαν, ideóque alias atque alias ætates constituerunt, & alij quidem tres, quatuor, quinque, quidam etiam plures, prout cuique libuit hanc vel illam epocham obseruare: nobis quoque licebit certa quædam interualla constituere præsertim, cùm illorum diuisio nitatur certissimo fundamento: interualla illa in præceptis recitauimus: hîc memoriæ causâ dicimus illa metiri vniuersam temporis rationem. Tituli isti sunt Creatio, Cataclysmus, Chaldæi, Cyrus, Cittim, Cæsares: in quibus commemorandis sequemur ductum Scripturæ S. adeoque annos propheticos, id est eos, quos ex prophetis colligere possumus, habebimus pro filo. Hæc diuisio nititur isto fundamento. Apud præstantissimos Chronologos hoc axioma est confessum: *Quatuor monarchias esse historiæ columnas* De his agit *Daniel cap. 2. & 7.* Vide supra systema polit. Prima monarchia est Babylonica, quæ etiam Assyriaca & Chaldaica dicitur. Hæc confertur cum capite aureo, leone & aquilâ, tum quia prima, tum quia opulentissima & longè potentissima. Secunda est Persarum, in quâ Cyrus est primus monarcha. Hæc confertur cum pectore argenteo, quia Babylonis imperio fuit inferior: tùm vero, quia vt hæc bestia est ignaua & immitis, ita plures ipsius principes, fuerunt ignaui & crudeles. Hinc luxus Persicus in prouerbium abiit. Tertia monarchia est Macedonum, qui Hebræis dicuntur *Kittim.* Hæc confertur cum ventre æreo: quia voluptarij fuerunt ipsius reges, & ipsa superioribus fuit inferior, quemadmodum mundus seipso fieri solet

let deterior. Confertur cum pardo etiam, propter crudelitatem (hoc enim animal sanguinis humani est auidissimũ) & summam velocitatem. Quatuor capita huic belluæ tributa, notant quatuor reges, quibus hæc monarchia post obitum Alexandri M. obtigit. Quarta monarchia est Romanorum, quæ confertur cum ferro, metallo ignobili quidem, sed duritie nobili: quia Romani auaritiâ inexplebiles, truculentiâ crudeles, libidinibus fœdissimi fuerunt. Hinc Mithridates dixit, Romanos non temerè iactare conditores suos lupæ vberibus alitos. Deinde sicut ferrum omnia comminuit: ita Romanum Imperium oppressit reliqua mundi regna. Præterea pedes lutoferrei in statuâ Danielis notant huius Imperij lacerationem in orientale & occidentale. Confertur cum bestiâ terribili, vt significetur ipsius ferocia. Dentes huic bestiæ tribuuntur, qui notant Impp. crudeles, qui pedibus suis tum politias alias, tum in primis ecclesiam Dei conculcarunt. Cornua decem notant decem regna monarchiæ Roman. subdita. In principio quartæ huius monarchiæ lapis ille angularis IESVS CHRISTVS è cœlo descendit, & totam terram impleuit regno gratiæ: & in fine eiusdem rursus descendet, vt nos introducat in regnum gloriæ, & sit omnia in omnibus. Sic itaque habemus quatuor interualla historica. Reliqua duo ita colliguntur. Ante initium quatuor monarchiarum, i. e. Imperiorum prædominantium, duæ epochæ in Scripturâ sunt celebriores, videl. creationis mundi & cataclysmi seu diluuij vniuersalis. Hinc duo interualla existunt: primum à creatione mundi vsque ad diluuium: alterum à diluuio vsque ad primam monarchiam. Atque hæc sunt sex illa interualla, quorum numeri exprimuntur his vocabulis memorialib. Hebraicis: Diluuium אבגנו 1656. I. Monarch. אזאן 1717. II. Monarch. נחיט 3419. III. Monarch. גבהלט 3619. IV. Monarch. נץ 3900. Eodem modo exprimes hos numeros literis Græcis. Denique in vocibus Latinis idem procedit; vt in vocibus *Diluuium, Monarchia Chaldæa, Monarchia Persarum, Monarchia Alexandri Magni, & similibus* sumi possunt literæ numerales, vt vocant, e.gr. DILVVIVM VI FLVXIt noXIo rIVo. item ChaL Dæo-rVM fLorebVnt Iò VI res. Porrò in his interuallis considerare oportet certos articulos, in articulis titulos, in titulis paratitla articuli sunt partes articulorũ, adeoq; minutissimæ partes interuallorum: paratitla sunt breues & subtiles titulorũ interpretationes, & quasi monitoria, siue claues eorum, quæ singulis titulis continentur, & vno verbo summulæ cuique titulo appositæ. In his autem paratitlis ita versabimur, vt complectamur ὡς ἐν συνόψει, illa quæ inprimis sunt ἀξιόλογα in quatuor historiæ generibus, quæ Eustathius Dionysij interpres proponit: vti sunt τοπικὸν, χρονικὸν ἢ χρονολογικὸν, γενεαλογικὸν καὶ πραγματικὸν, id est recensio locorum, temporum, personarum, & familiarum, & denique rerum gestarum & exemplorum: è quibus topographia & chronologia sunt duo oculi historiæ non aliter atque Arithmetica & Geometria sunt duæ alæ Astrologiæ: prosopographia & genealogia sunt duo rami arboris historicæ: τὸ πραγματικὸν denique seu παραδειγματικὸν, est historiæ medulla & quasi anima, vtpote quæ flores exemplorum decerpit, & ceu imagines quasdam virorum fortissimorum, non solùm ad intuendum, verùm etiam ad imitandum proponit, & omnia ad regulas vitæ ac consiliorum normas accommodat. Pezelius vocat quatuor columnas historiæ. Hæc itaque omnia tractabimus, si non Pindaricâ, saltem mediocri diligentiâ.

II. *Historia primi & secundi interualli ex vno duntaxat Mose peti possunt.*

Rectè dicit poëta, Σοφὸς ἄλλος ἀπ' ἄλλου. Etsi enim semina quædam diuinitatis, & igniculi quidam luminis naturæ in homine sunt reliqui post lapsum & apostasiam illam protoplastorum vniuersalem: fieri tamen non potest, vt aliquis sit αὐτοδίδακτος in omnibus, præsertim re historicâ. Hic itaque traditio multum potest. Vetustissima autem omnium traditio historica vni Mosi accepta est referenda. Hic enim est totius primæuæ antiquitatis historicus primus & solus: vnde appellatur Oceanus historiæ; & rectiùs quàm Herodotus vocari potest parens & sol historiæ. Si enim vetustissimas gentilium antiquitates perpendamus, deprehendemus plurimas ibi nutare, viuumque colorem ipsis deesse, ita vt illi non aliter atque cæci spissitudinem corporum duntaxat contrectarint, decus autem succi pleni & viuidi coloris non perspexerint. Et quanquam multos ethnicos Mosaizasse legimus, semperque aliquas primæ veritatis scintillas retinuisse, quemadmodum in Corinthi vrbis Græciæ quondam opulentissimæ, postquam à Romanis euersa fuit, etiam tenuissimis ruderibus ac ramentis, multæ auri reliquiæ repertæ semper fuerunt: attamen si cum diuino Mose conferantur, non Chœriléa cum Homericis aut χαλκεῖα cum χρυσείοις, sed ἄψυχα cum ἐμψύχοις nos comparare deprehendemus; idque inprimis in duobus prioribus interuallis, quæ ethnicis nonnisi per transennam, febrim, & somnium fuerunt cognita. Hinc de Solone apud Platonem dicitur: *O Solon, Solon, Græci semper pueri estis: senex Græcorum est nullus.*

III. *Historia primæ creationis continetur ἑξαημέρῳ καὶ σαββάτῳ, id est, sex diebus creationis, & septimo die quietis.*

Historia προοίμιον. (margin: Historia ϖροδ...ας)

Natalem mundi figimus in principio Arietis, adeoque in æquinoctio verno, quod olim canonikῶς, seu regulariter, fuit 25. Martij. Hanc sententiam paucis ita confirmamus. Principiò Deus initium anni sacri constituit in æquinoctio verno *Exod.* 12. vbi summus ille legislator populo suo restituit initium anni, quod ante illos obseruauerant patriarchæ, quodque illi diuturnâ Ægyptiorum conuersatione intermiserant. Hinc eximij historici & theologi dicunt, Deum reddidisse Israëlitis priscam anni rationem, verumque illius initium, partim vt esset memoriale exitus ex Ægypto, partim vt recordarentur mundi conditi, partim vt esset vaticinium de Christo, qui hoc tempore passurus erat: ita vt coincidant in vnum tempus, constitutio mundi, celebratio Paschatis, & restitutio mundi per Christi mortem. Quòd autem patriarchę habuerunt hoc anni principium, ita patet. Patriarchæ habuerunt naturalissimam anni rationem. Talis autem est illa, quæ initium anni figit in æquinoctio verno. Nam cùm perfectionis modus sit duplex; vnus, cùm res fit, alter, cùm facta est: perfectio consummata nullo modo pertinet ad natalem rei, sed inchoata & vernans, vt sic dicam. Cui rationi illustrandæ adduci potest, quòd tempus vernum est totius anni pulcherrimum, amœnissimum, & generationi rerum accommodatissimum. Hoc innuit Moses *cap.* 1. *Gen.* quando ait, terram germinasse herbam virentem. Neque est quòd obiicias, Adamum decerpsisse fructum ex arbore vetitâ. Nouimus enim, in quibusdam Orientis plagis, imò & aliis, fructus bis prouenire quotannis. v. g. poma aurea in Hispaniâ proueniunt tempore veris & autumni. Adhæc magnum illud cœli volumen confirmat hanc nostram sententiam: quia signum Arietis est initium anni naturalis, quo prima Tekuphah, id est, conuersio seu mutatio rerum sublunarium efficitur. Denique Chaldæi sapientiam suam acceperunt ab Hebræis. Quare cùm illi principium anni statuerint in æquinoctio verno (quod etiam fecerunt Persæ) verisimile est, illos hanc anni rationem ab Hebræis esse mutuatos. Huc pertinet sententia piæ antiquitatis de 25. die Martij, quam his versibus comprehendi:

Hæc est illa dies quinta & vigesima Marti,
Quâ verbo Domini mundi textura peracta est.
Mortuus hâc Adam: mortem hâc deuicit IESVS.
Hâc est cæsus Abel: fuit hâc mactandus Isaacus.
Hâc Pascha indictum: hâc Dauid rex dicitur vnctus.

Hinc diem istum vocarunt ἡμέραν πρωτόκτιστον. Atque hæc sententia, quæ statuit κτίσιν mundi in primo vere, probatur *Theodoreto quæst.* 72. *in exod. Ambros. libr.* 1. *hexaëm. Leoni serm.* 9. *de passione. Bedæ de ratione temporum, Francisco Iunio comment. in Exod.* 12. *Perkinsi. in proleg. Digest. theol. Scaligero patri exercit.* 257. Iam videamus sex dies primæ creationis. Ex ijs tres priores fuerunt extraordinarij, quippe qui non dependerunt à Sole, sed à luce primigeniâ: quod notandum est contra eos, qui Mosen refutare sunt aggressi, & inter alia hoc, adferunt, effectum, putà diem, à Mose statui priùs causâ suâ putà Sole. Porrò *primus hexaëmeri dies*, qui nobis dicitur dies Solis, item feria prima, est dies creationis partim immediatæ, quâ Deus creauit ex nihilo angelos, lucem primigeniam, terram & aquam informem; partim mediatæ, quâ cælum produxisse videtur ex luce. *Secundus*, qui nobis dicitur Lunæ & feria secunda, est dies distinctionis, quâ expansum fuit interpositum inter aquas inferiores & superiores seu aërias. *Tertius* dies vnà cum quarto & quinto, id est dies Martis, Mercurij, & Iouis, dicuntur dies ornatus. Et *tertius* quidem est dies ornatus terræ; quia aquæ in vnum sunt collectæ, & terra emersit, herbasque & arbores protulit. *Quartus* est dies ornatus cœli stelliferi; quia lux primo die creata fuit collecta in stellis. *Quintus* est dies ornatus aquarum superiorum & inferiorum; quia aues & pisces tunc sunt producti, & quidem ex aquis. *Dies sextus*, qui dicitur Veneris, & feria sexta, fuit dies perfectionis & consummationis huius mundi; quia bestiæ terrestres, quæ maiorem quàm reliquæ habent cum homine cognationem, sunt productæ, & homo tanquam paterfamiliâs & dominus introductus fuit in amplissimam, splendidissimam, & instructissimam domum. *Dies septimus* fuit sabbati, seu quietis: quæ non fuit lassitudinis, sed perfectionis mundi, seu consummati operis, & acquiescentiæ Dei indicium. Et hoc dicitur שבת בראשית id est, sabbatum creationis, aliàs legis: cui opponitur שבת המשיח id est, sabbatum redemtionis, aliâs, euangelij. Vtrumque est symbolum Sabbati, cælestis, seu quietis æternæ, quod ab ecclesiâ Æthiopicâ dicitur סנבת חנוך id est sabbatum Enochi, qui fuit septimus ab Adam, & natus fuit septimo seculo mundi, putà anno 622. vixitque annos 365 quot sunt dies anni. Cæterùm de creatione hominis summatim ista tenenda. Adam fuit formatus ex ru-

bra terrâ, quæ dicitur limus, limbus & terra Adamah. Eua fuit condita ex costâ, adeoque latere Adami, non ex capite aut pede ipsius, vt socia & amica eius, non domina aut serua intelligeretur. Primò dicta fuit *Ischa* q. d. vita: postea *Eua*, id est mater viuentium. Videtur autem costa illa peculiariter à Deo condita, non autem numerus costarum Adami diminutus, vti vulgus persuasum habet, quod falsò opinatur, mulieres habere costas 12, viros 11; quam opinionem minuit praxis Anatomicorum. Deniq; vtriusq; hominis status fuit perfectus. Ambo enim fuerunt conditi ad imaginem DEI, quæ erat spiritualitas in animæ essentiâ, mentis perspicacitas siue sanitas, voluntatis puritas siue sanctitas, corporis dignitas, totius denique hominis immortalitas, & in omnes creaturas sublunares potestas. Etsi autem ambo protoplasti à Deo protoplastâ fuerunt conditi ad ipsius imaginem: ista tamen imago fuit potior in Adamo quam in Euâ, quemadmodum in eodem corpore dextra manus est fortior sinistrâ:

Topographia paradisi.

IV. *in historiâ paradisi occurrunt tria: locus, fluuij & arbores.*

Locum paradisi hunc in modum circumscribimus. Paradisus sic dicitur voce Persicâ, non autem Græcâ, quasi sit ex παρὰ & δέω; scribique debet παράδεισος, quia est a פרדס: licet vulgus corruptè scribat, etiam in N.T. Hebraicè dicitur *hortus Eden*: quæ vox est appellatiua, significans amœnitatem, vnde Græcum ἡδονή. Sed in scripturâ accipitur tanquam nomen proprium: & ita fuit duplex Edem, vnum in Telassar, id est, superiore Chaldææ parte, 2. *Reg.* 19 *v.* 12 *Esa.* 37. *v.* 12. alterum in Cœlesiriâ ad Damascum, *Amos* 1. *v* 5. Paradisus fuit in Eden Telassar, id est, summâ Chaldææ parte, quæ dicitur Auranitis ad Euphratem, contermina Mesopotamiæ: cui opponitur Chaldæa mediana ad Arabiam desertam, & infima, quæ dicitur Armodacia, ad sinum Persicum. Fuisse autem Edenem eò loci quem diximus, præter nomenclaturam Auranitidis, quæ putatur dicta quasi Audanitis & Edenitis, hæc ratio euincit. Paradisus terrestris fuit situs loco fertilissimo & amœnissimo. Talis autem est Auranitis: quia teste *Plinio l* 18. *c.* 17. *& Solino c.* 50. segetes quotannis ibi bis secantur, tertiò depascuntur; terra cum quinquagesimo fœnore reddit messes, & diligentioribus cum centesimo quinquagesimo; gleba denique istius soli adeò est pinguis & fermentata, vt Euphratis & Tigris exundatione sit opus ad densam illam vbertatem diluendam atque euehendam. Porrò descriptio huius horti apud Mosen hoc euincit. Nam vnus fluuius fontis instar in quatuor veluti brachia fuit diuisus: quæ res nonnisi Babyloniæ summæ competere potest, quod euincitur hoc modo. Fluuius vnus (vt constat ex Gen. 2.) qui est Euphrates, processit ex Edene: & inde, ex quo processit ex Edene, diuisit se in quatuor capita, id est ostia vel principia alueorum, in quos alueos Euphrates quadripartitus est in regione Auranitidis. Rectè igitur *Lambertus Danæus in Antiquitatib.* ait, quatuor illa flumina fuisse vnius & eiusdem aquæ, siue fluuij ex Edene regione nascentis diuortia seu brachia. Et addit, fontem istum & fluuium ex eo emanantem in Edene regione, antequam se in diuortia illa quatuor diduceret, hortum illum terrestrem irrigasse, & quidem totum adhuc & non diuisum: postquam autem totum hortum irrigauerat, tunc se infra hortum in quatuor ista flumina diuisisse. Porrò primum caput seu fluentum Euphratis est *Pischon*, qui dicitur Euphrates inferior: qui ad Apameam miscetur Tigri, & inde ad sinum vsque Persicum ab incolis dicitur Pasitigris, q.d. Pisotigris. Finis ipsius est regio Chavilæ, id est, Susianes. Secundum fluentum est *Gichon*, vulgo Gihon, Geographis Naharsares Finis ipsius est regio Arabiæ desertæ, quæ dicitur terra Cusch, à filio Chami Cusch, cuiuis posteritas illum tractū occupauit. Hæc regio est inferior Chavilâ seu Heuilâ, quę est Parapotamia Plinij, vicina Susianę prouinciæ pertingens ad sinum Persicum, in quo, vt & vicinis regionibus, nascitur aurum optimū & copiosissimum, vnà cum gemmis plurimis & bdellio iisq; longè præstantioribus, quàm quæ in Sabâ regione nascuntur. Tertium caput Euphratis est *Childdekel*, id est Tigris: qui Chaldæis dicitur Nahat-malcha, Græcis βασίλειος ποταμὸς, *regium flumen*, & olim corruptè *Diglito*, pro Hidelito; hodie ab accolis vocatur *Diglath*. Hic fluuius Mesopotamiam ab Assyriâ, & Susianes principium à superiore Chaldææ parte separat. Quartus fluuius *Euphrates* nomen Euphratis retinet κατ' ἐξοχὴν: quia reliquis præcellit, mediamque regionem secat, & Babylonem permeat. Vide accuratam *Fr unij dissertationem de paradiso in annotat. super Gen.* 2. Atque hic est hortus Edenis, in quo Eua fuit condita. Adam vbi conditus sit, ignoratur. Quidam in agro Damasceno putant conditum, qui Edeni est vicinus, & ipsis videtur dictus ab Adam: quidam in monte Moriâ, vbi templum postea fuit extructum: alij alibi conditum esse opinantur Ad arbores paradisi quod attinet, duæ ibi excelluerunt. 1. *Arbor vitæ*, quę erat partim symbolum & sacramentum felicitatis, & simul remedium aduersus omnis generis infirmitates & debile senium prohibendum, ita vt vel peculiaris vis medicata ipsi esset indita, vel eius esus & aspectus ex fide fugaturus esset omnem dyscrasiam, sicut aspectus serpentis ænei ex fide tollebat aliorum serpentum venena *Num* 21. 2. *Arbor scientiæ boni & mali*, quæ suam nomenclaturam habuit ab euentu transgressionem secuto. Erat enim symbolum mali in Adamo & posteris eius futuri, vt ait *Danæus in antiquit.* Atque hoc exercitium fuit homini à Deo propositum, in quo suam obedientiam declararet.

V. *Prima creaturarum nomenclatura fuit Hebraica, profecta ab Adamo.*

Ethnici philosophi mirantur sapientiam primi ὀνοματοθέτου. Is autem fuit Adam, vt docemur *Gen.* 2. Hic enim tanquam dominus rerum in hoc mundo visibili imposuit nomina iis rebus, quibus vti frui debuit. Neque enim Deo & Angelis nomina imposuit, tanquam se superioribus. Imposuit autem ista nomina cuiq; rei pro naturæ ipsius proprietate, quæ fluit à formâ, quam norat lumine naturali. Absq; hâc cognitione si fuisset, perfecta sapientia ipsi defuisset. Porrò imposuit rebus nomina in linguâ sanctâ, quæ postea dicta fuit Hebræa, & Cananæa. Hoc liquet ex nominib. propriis, Eua, Cain, Abel, Seth, & similibus, quæ omnia sunt originis Hebraicæ. Falsus igitur est *Goropius Becanus*, homo alioquin exacti ingenij, qui contendit, origines nominum in scripturâ occurrentium esse Cimbricas, hoc ferè modo *Adam* dicitur quasi hat dam/ id est odium & agger: quia monebatur vt fortiter inuidiæ serpentis resisteret, non aliter quàm agger Oceani fluctib. perpetuò verberandus. Ita hoc nomen fuit vaticinium de lapsu. Nisi velis dicere Adam q. auf dam/ id est ex terrâ *Eua*, q Ev/ id est ewig/ & vat/ id est vas totius seculi: vel ex E/ id est iuramento, & vat: quia fuit vas iuramenti, id est promissionis de semine. *Cain* significat malum finem, quem ipse sortitus fuit. Cal enim malum, & Eint finem notat, *Abel* q. hat belgen. Hat est odium, quod habuit commune cum patre. Belgen est irasci, pugnare: vnde Lat. bellum. Significat igitur eum, cui bellum erat futurum cum inuidiâ & odio. *Lamech* q. Lam/ id est mutilum, & echt/ id est coniugium. Nam matrimonij legem suâ bigamiâ mutilauit, & castissimi amoris inter duos constituti omnem vim primus eneruauit. *Seth*, vel à situ, setzen/ quia repositus fuit in locum Abelis: vel à sess/ id est senario: vel q. sedich/ id est tranquillus. *Enos*, quasi E / id est sacramentum, seu iuramentum: & noch/ id est adhuc q. d. adhuc durat sacramentum & iuramentum illud de semine: vel etiam q. Ee/ id est coniugij: noss/ id est nocumentum: quia tum omnia contaminabantur libidinibus. *Mathusalem* q. math ūe salich/ id est, fac te saluum, quasi hoc nomine homines monerentur, tantisper tempus fore, quo liceret ad meliorem frugem se recipere, atque eâ se seruare, dum Mathusalem moreretur. *Noach* quasi not/ id est necessitatem, ach/ id est cura, q.d. Prometheus, seu curam habens *Sem* q Semelict/ id est decorè: vel q. tem/ semt/ id est decet. Est enim in posteris Sem seruatum decorum. *Cham* q. cha/ id est malus, & amt/ id est magistratus: quia Chami posteritas pessimos dedit imperatores. *Nimrod* quasi nem/ rapio, brod/ id est panem. Eripuit enim panem corporalem & spiritualem. *Iaphet* q. Jap/ id est liberis dare operam, & teh siue hoet/ id est caput. Fuit enim primarius in liberis procreandis: vnde Hebræi latitudinem ipsi in suâ linguâ adscribunt. *Gomer* q. Go/ id est bonus, & mer/ id est fama vel augens: vt sit dictus vel à bonâ famâ, vel à bonorum augmento. *Ascenaz* q as ten hast/ id est cibum noscens celeriter. Nam Germani celerrimè norunt sibi artem comparare, quâ victus paretur. *Babel* q. babelen/ id est tam confusè loqui, vt non intelligatur. Hæc & similia colligi possunt ex libris Goropij: quæ dum recitantur, refutantur: quemadmodum & illa *Tyrannus* q. dūr hand/ id est penetrans manu: *Turca* à trūcken. *Almanus* tamen q. Al-mann/ à fortitudine, seu allerley mann/ à collectitiâ Germanorum, & *Germanus* q. Gar mann/ rectè dicuntur, quia sunt vocabula Germanica. At *Baal* & *Bel* à Bule: *Saga* à Sagen: & similia, non rectè deducuntur; quia non sunt nomina propria Germanica vt illa, Pharamundus, Marmund/ Ariouistus, Ernvest/ Castigus & Κάστειχ, quasi Gastreich: Ἠρίτειχ q. Erentreich: Φρίδερειχ q. Fridreich: non autem Federicus quasi à fœdere. Sic Bodomancus apud Plinium quasi Bodenmangel.

VI. *Matrimonium institutum fuit propter mutuum auxilium & propagationem generis humani.*

Prior ille finis exprimitur *Gen* 2. posterior colligitur ex aliis Scripturæ locis, & ipsâ rei naturâ. Post lapsum alij fines accesserunt: è quibus hic non est postremus, quòd coniugium sit remedium vagæ libidinis, & figura coniugij spiritualis inter Christum & Ecclesiam. Coniugium itaque est res sacra: quod Pythagorei significare voluerunt, quando septenarium, numerum illum mysticum, fecerunt symbolum coniugij, vtpote qui ex ipsorum mente continet quaternarium veluti marem, & ternarium veluti fœminam. Porrò, quo die coniugium fuerit

fuerit institutum, non liquet. Sunt qui existimant octauo vel nono die institutum fuisse, ita vt *Gen*, 1. *v*. 27. 28. sit prolepsis seu anticipatio historica, vt ex Augustino disputat *Danæus in antiq.* vbi etiam ventilat istam quæstionem, An Adam vxorem suam ante lapsum cognouerit? & respondet affirmatè, sic tamen, vt neget Euam ex illo concubitu concepisse.

VII. *Status politicus ante lapsum erat simplicissimus ordinatissimus: ecclesiasticus similiter.*

Et politicus quidem ita se habebat. Homo erat magistratus totius mundi: summus quidem mas, inferior fœmina. Imperium erat blandum. Leges erant præcepta DEI, & dictamen rationis. Ciuitates nullæ fuissent extructæ; quia terror & metus, prima condendarum vrbium causa, abfuisset. Status ecclesiasticus erat huiusmodi. Verbum Dei non erat scriptum, sed reuelatum, continebatque historiam creationis, & futuram generis humani conditionem, si protoplasti perstarent in suâ integritate. Minister verbi erat Adam. Sacramenta erant duæ arbores. Locus sacer & veluti templum erat paradisus, locus, inquam, collocutionis inter Deum & hominem. Locus autem communicationis de eodem verbo fuisset idem, qui erat domesticæ conuersationis. Sacrificia ibi locum habuissent nonnisi εὐχαριστικά.

VIII. *Synchronismus historiæ creationis cum mythistoriis & scriptis ethnicorum demonstrat antiquitatem sacræ historiæ, nostrámque præ gentilibus felicitatem.*

Hostes Christiani nominis inter ea, quibus argumenta sua ad oppugnandam religionem instruebant, non mediocre telum esse putabant vetustatem deorum suorum, Christianismum autem χθὲς καὶ πρῴην prodiisse, eóque argumento insolentiùs vectabantur, vt sunt verba *Scaligeri pag.* 3. *animaduers. in Euseb*. Exorti ergo sunt scriptores pietate & doctrinâ præstantissimi, qui non solùm vetustatem legis Mosaicæ ex ipsorum Græcorum commentariis asseruerunt, sed etiam antiquissimos gentium deos, vel infra ætatem Mosis fuisse offenderunt, vel ex historiâ Mosis corruptâ desumptos esse euicerũt: eóque rem deduxerunt, vt hostes Christianismi adigerent ad alterutrum fatendum, aut vetustiorem quibusvis diis gentilium Mosem fuisse, aut falsa esse Græcorum instrumenta. Quâ in re luculentam operam nauarunt Iustinus martyr Christi, Tatianus, Clemens Alexandrinus, Athenagoras, Theophilus, & alij, quorum quidem scripta ad nos peruenerunt. Ii omnes Inacho parem ætate Mosem ostendunt ex Apione Grammatico, & aliis, vt ipsos deos gentilium, ipsa templa & oracula, vt ait Tertullianus, & sacra eorum vnius scrinium Mosis vincat seculis, in quo thesaurus collocatus est totius Iudaici sacramenti, & inde etiam Christiani. Quia igitur primam instrumentis authoritatem summa antiquitas vindicat, instrumenta autem ipsa non à Christianis, sed à gentilibus ipsis petita sunt, neque quid ad hæc opponerent, pagani haberent, nihil præterea superesse videbatur, nisi aut vt ingenua confessio ab ipsis exprimeretur, aut silentium pertinaciæ finem faceret. Quod certè feliciter cessit, vt & hâc in parte Porphyrius, impius ille apostata, manus daret. Cæterùm quæ ethnici vel mythistoriis inuoluerunt, vel miserrimè corruperunt, ea omnia ex Mose lucem accipiunt hoc modo. Trismegistus in Pœmandro meminit tenebrarum super faciem abyssi, & Verbi, quod fecit mundum. Linus, Orpheus, & Hesiodus fatentur mundum esse factum. Similiter Plato, Plutarchus, Ouidius, Seneca, & versus Sibyllini. Abydenus, Alexander, & Diodorus Siculus dixerunt, primum hominem vocatum fuisse Adam: plurimi poëtæ finxerunt, hominem à Prometheo ex luto formatum. Chaos quoque à poëtis passim celebratur, inprimis ab Ouidio 1. *metamorph.* Gentiles etiam meminerunt Edenis, Adonis, & Edonis, item paradisi. Athenæus ex Cratere scribit futurum fuisse tempus, cùm res omnes suis nominibus ab homine citatæ præstò fuissent, illique pro nutu paruissent. De imagine Dei in homine, ipsius immortalitate & omnimodâ felicitate vide Trismegistum, Platonem, & Ouidium. De creatione fœminæ plurima occurrunt apud Trismegistum & Ouidium. Saturnus ethnicorum antiquissimus est Adam: quem *Bullingerus de origine erroris* putat dictum à שדי. Dico antiquissimus Saturnus: quia plures fuerunt gentilium Saturni, vt ex illo *Xenophontis lib. de æquiuocis personarum*, c 1. discimus: *Saturni dicuntur familiarum nobilium regum, qui vrbes condiderunt, senissimi: primogeniti eorũ Ioues, & Iunones: Hercules verò nepotes eorum fortissimi: Patres Saturnorum Cœli: Vxores, Rheæ, & Cœlorum: Vestæ. Quot ergo Saturni, tot Cœli, Vestæ, Rheæ Ioues, Hercules.* Adã itaque est Saturnus ethnicorũ primus & antiquissimus: vtpote qui ipsis primum tenuit imperium, & latuit fugiens Deum *)* vnde quidam ipsum à סתר dictum volunt) fuitq; primus agricola, vnde alijs à satione putatur dictus, & pingitur cum falce. Idem Saturnus dicitur cœli filius & κρόνος, id est, æternus, vnde putatur quibusdam dictus q. satur annis: hic ipse denique dicitur deuorare filios suos: quæ omnia Adamo competunt, Ex nomine *Ischa* est nomen Isis: quam Ægyptij magnam & antiquissimam deam esse dixerunt. Eua quoque ipsis dicta fuit Pandora, item Rhea, seu Cybele, vxor Saturni, quæ omne malum in mundum inuexit.

CAPVT XII.

De Historiâ à lapsu, vsque ad publicam nominis Dei profanationem.

PRÆCEPTA.

Historia à lapsu (scil. inclusiuè) vsque ad publicam nominis Dei profanationem habet titulos tredecim, qui sunt, Peccatum primum protoplastorum, Pœna prima, Promissio prima, Vestitus hominum primus, Propagatio prima generis humani, Artes primæ, Sacrificium primum memorabile, Excommunicatio prima, Vrbs prima, Propagatio familiæ Cain, Bigamia prima, Vtraque politia huius temporis, & Synchronismus.

Est autem hæc historia annorum 325.

REGVLÆ.

I. *In peccato primo notare oportet tempus & modum seductionis atque defectionis.* Peccatum primum quale?

Ad tempus quod attinet, sunt qui putant protoplastos perstitisse in rectitudine suâ annis 34½, quamdiu Christus fuit in suo ministerio. Rabbi Moses Ben Maimon, Irenæus, Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Cedrenus, Augustinus, Bernhardus, & alij, quos citat Bibliander in Chronico, existimant Adamum sub vesperam diei, quo conditus fuit, lapsum esse. Vnde profectum est illud vulgatum de Adamo: ἧ ἡμέρα ἐπλάσθη, καὶ ἐξεπλάσθη, *Quo die fuit constitutus, eodem & destitutus.* Sed cùm Deus requieuerit die septimo, adeóque acquieuerit in omnibus suis operibus, necesse est Adamum tum temporis adhuc fuisse integrum. Post Sabbatum itaque lapsus fuerit Adam. Ego dixerim, illum septimo die à creatione sui lapsum fuisse, vt ita lapsus Adami & mors CHRISTI in vnum incidant diem. Et ita dictum Patrum modò allegatum non de ipso die creationis Adæ, sed de illo, qui ipsi respondet, id est, de proximo die Veneris, fuerit accipiendum. Sed parum laboramus de isto tempore. Modum peccati primi sic circumscribimus. Lucifer putatur princeps Diabolorum, qui reliquis suaserit & persuaserit apostasiam. Hic idem seduxit protoplastos: vsus hanc ad rem serpente, qui omnium animalium callidissimus fuit, *Genes.* 3. & homini familiarissimus, vt Iosephus tradit, qui etiam author est, pedes, quos antea habuerit serpens, ademptos fuisse ipsi in pœnam. Porrò protoplastus impulsore Diabolo liberè peccauit, decerpendo pomum ex arbore vetitâ. Pomum illud putatur fuisse Persicum, quod nunc temporis lethale est in Oriente, vbi Adam hoc crimine se obstrinxit. Alij malum Cotoneum, alij pomum aureum, alij cerasum, alij ficum, alij pyrum vulgare fuisse opinantur. Quidquid huius sit, certum est, primum hominem esu pomi præuaricatum fuisse aduersus præceptum DEI, ideóque punitum esse propter inobedientiam, vti Apostolus vocat *Rom.* 5. quæ synecdochicè complectitur omnia peccata, ita vt Andreas Osiander rectè scribat, protoplastos violasse omnia Decalogi præcepta. Radix tamen istorum peccatorum fuit infidelitas, quâ verbum promissionis & comminationis non habuerunt pro vero. Post infidelitatem inprimis hîc sunt conspicua ista peccata: ingratitudo, quâ protoplasti spreuerunt beneficia sibi præ alijs creaturis collata: superbia, quâ non contenti fuerunt loco tam honorifico: perfidia, quâ regnum Domini sui occupare aggressi fuerunt: gula, quâ frænum laxarunt intemperantiæ: sacrilegium, quo se subiecerunt Diabolo: apostasia & crimen læsæ maiestatis, quo fuerunt obliti homagij præstiti. Et quis omnia peccata commemoret? Porrò si temporis ratio habeatur Eua grauiùs peccauit, quia & prima defecit à Deo, & Adamo incitamentum fuit ad peccandum. Sin autem conditionis & personæ ratio spectetur, Adam grauiùs peccauit quàm Eua; vtpote qui & primus imaginem Dei habuit, & plus illius accepit, & mandatum immediatè accepit ab ipso DEO.

II. *Pœna primi peccati fuit generalis, & specialis.* Pœna primi peccati quæ?

Pœna

Pœna generalis est respectu totius mundi, in quem tanquam in hominis hæreditatem maledictio est effusa. Etsi enim creaturæ rationis expertes non peccauerint: tamen quia sunt res hominum peccatorum, & veluti familia ipsorum, pœnam quoque rebellionis senserunt, quemadmodum in crimine læsæ maiestatis author, vxor liberi, & familia vniuersa simul puniuntur. Pœna specialis est 1. Diaboli; cuius caput est contritum. 2. Serpentis, cuius incessus est abiectissimus & victus difficillimus. Huc etiam pertinent inimicitiæ, quæ ipsi cum homine sunt perpetuæ. 3. Communiter vtriusque protoplasti: puta eiectio ex paradiso, nuditas & mors tum animi, tum corporis: vnde morbi secuti, & peccata orta, videlicet tenebræ in mente, & rebellio in corde. 4. Singulariter viri: vt est labor perpetuus & anxius, ac in labore maledictio. 5. Singulariter ipsius fœminæ: vt est subiectio sub viro, damnum ratiocinationis, & dolor in partu maximus. 6. Omnium posterorum naturalium: in quos transiit reatus & culpa: & ex reatu corruptio: ex corruptione pœna. Nam protoplasti fuerunt radix & fons vniuersi generis humani, vnde in ramos & riuulos transit sapor insitus. Nimirum omnes homines in Adami lumbis defecerunt, & facti sunt apostatæ. Hanc defectionem sequitur corruptio, tanquam pœna iusta.

Promissio prima quæ?

III. *Prima promissio de semine mulieris* Gen. 3. *triplex habet effectum.*

Angelis malis non fuit promissus seruator, quia illi malitiâ suâ ceciderunt, & hominem prostrauerunt. Deinde non tota naturâ angelica periit, humana verò natura tota est lapsa, ideoque ne penitùs perderetur, datus est ipsi à Deo redemptor, & statim post lapsum promissus his verbis: *Inimicitiam pono inter te & mulierem hanc: similiterque inter semen tuum, & semen huius: hoc conteret tibi caput.* Cuius promissionis (quæ vsitatè dicitur proteuangelium) triplex est effectum. 1. Generale; quod est omnium hominum, quatenus illi sunt semen mulieris: videlicet generale odium inter homines & Diabolum. 2. Speciale; quod est electorum: videlicet conterere caput serpentis in Christo. 3. Proprium Christi: videlicet plena victoria de serpente: quæ iam facta est à Christo in sese, & in nobis quotidie fit atque impletur. Hinc ista promissio de conterendo capite serpentis ad solùm Christum pertinet principaliter, communicatiuè ad electos Licet enim omnes homines Christo communicent, quatenus est homo: soli tamen fideles ei communicant, quatenus est Christus, id est, vnctus propheta, sacerdos, & rex. Atque hanc promissionem de semine mulieris Adam videtur respexisse, quando *Gen. 3.* vxoris suæ nomen *Ischa* mutauit, & substituit *Chaua*: quòd esset futura mater viuentium, cùm post lapsum ante acceptam promissionem esset *Mota* seu *Maueta*, vt loquitur *Danæus in Antiq.* id est causa mortis. Ita nimirum Adam voluit solari vxorem, & mutando nomen ipsius indicare mutatam conditionem. Ineptus itaque est Philo Iudæus, quando tradit, Euam notare VAE: cui rectè opponitur auctoritas Iosephi.

Vestitus primus hominum vnde, & quis?

IV. *Primus hominum vestitus est speculum miseria hominis.*

Ante lapsum homines protoplasti nudi erant, neque illos pudebat nuditatis: quia nullum turpem motum in membris sentiebant, nihilque deformitatis in iis cernebatur. Sed post lapsum Deus vestiuit vtrumque hominem; quia vtrumque pudebat nuditatis, imprimis genitalium. Deinde hâc ratione homo iniuriam cœli à se prohibere potuit. Deus itaque vestiendo homines, primò declarauit suam φιλανθρωπίαν, quatenus ipsos muniit aduersus inclementiam cœli. Deinde iram suam significauit, quando per vestes ipsis voluit in memoriam reuocare, illos in conspectu suo veluti fœtere, ac proin non dignos esse, qui ab ipso cernantur. Denique Deus hoc modo peccati monumentum erexit Et ideo ex pellibus potiùs animalium occisorum, quàm ex foliis vel lino fecit istas vestes, vt moneret hominem, ipsum in pellibus istis recentibus velut in sepulchro & monumento mortis versari. Hîc obiter obserua Deum occidendo animalia monstrauisse vsum animalium in amictu: vnde non obscurè colligitur ipsorum vsus in victu Atque hoc facit contra Pythagoreos & Manichæos, qui existimant nefas esse carnibus bestiarum vesci.

Quomodo genus humanum primò sit propagatum?

V. *Adam & Eua post lapsum genuerunt liberos ad imaginem suam.*

Ad imaginem suam, id est, miseros: siue peccatum, siue peccati pœnam spectemus. Etsi enim imago Dei non erat planè obliterata post lapsum: tamen quia imago Adami præualebat, Scriptura vtitur hâc phrasi. Primi autem primorum parentum liberi fuerunt Cain, Abel, & Seth: quos quidem Scripturæ exprimunt. Præter eos Philo Iudæus recitat 12 filios, & nouem filias, in quibus est Noaba. Quid verò? Annon incestæ nuptiæ fuerunt inter liberos Adami & Euæ? Minimè verò. Tum enim necessitas ineuitabilis, quæ dicitur πειθανάγκη, exceptionem & dispensationem legis naturæ peperit, approbante Deo: qui tanquam summus legislator dispensare potest absque peccato.

VI. *Artes omnium primò inuentæ, exercitæ ac institutæ, fuerunt duæ, Agricultura & Pastoritia.*

Et agriculturam quidem Adam & Cain, pastoritiam verò Abel primus exercuit. Hinc illud vulgatum: *Primus agricola Adam, primus pastor Abel.* Atque hæ duæ primæ artes inprimis sunt naturales. Reliquæ verò postea sunt inuentæ magis ad splendorem, quæstum, & cupiditates explendas, quàm ad naturæ vitæque huius necessitatem. Ex his autem duabus artibus agricultura solùm quatuor habet partes, pastoritia verò seu pecuaria ad minimum octoginta & vnam, vt author est Varro. Hinc veteres pecuariam vocabant artem primam & incentiuam, agriculturam posteriorem & succentiuam. Porrò artem pastoritiam ex Caini posteris quàm diligentissimè excoluit Iabal, filius Lamechi, qui primus vixit in mapalibus & tentoriis sub dio, vt peruigilem posset adhibere curam. Quâ ratione, vitæque instituto factum est, vt desertæ terræ habitarentur, & ita genus humanum per orbem terrarum sese diffunderet. Frater Iabalis Iubal inuenit Musicam organicam, id est eam artem, quæ delectationem animique voluptatem adferre potest. Non igitur ex cœli motu & concentu, aut ex ferrariarum officinarum tinnitu, vti habent ἄλλοι λέγειν, Musica primùm est inuenta: sed intellectus agentis ope ac viuacitate est parta. Eodem penè tempore artem ferrariam & ærariam inuenit Tubalcain: qui hoc nomine videtur fuisse appellatus, vt in ipso, tanquam viro egregio, memoria Caini conseruaretur. Aliâs simpliciter Tubal, vti fratres ipsius Iabal & Iubal, potuisset appellari.

VII. *In sacrificio primo, quod Scriptura memorat proponuntur fundamenta ciuitatis Dei & Diaboli.*

Augustinus in libris de ciuitate Dei docet, fundamenta duarum ciuitatum nobis proponi in sacrificio Caini & Abelis: quarum vna sit terrena, altera cœlestis: illa affligens istam: ista superans illam. Hoc autem est primum sacrificium memorabile: quod nempe habuit manifesta & conspicua diuini fauoris & acceptationis signa, quibus anteriora, quæ ab Adamo proculdubio sunt oblata, caruerunt.

VIII. *Prima excommunicatio post eiectionem primorum parentum ex paradiso fuit Caini.*

Adam & Eua eiecti sunt ex paradiso tanquam homines scelerati, qui metu conscientiáque perpetrati sceleris ex vno loco in alium fugiunt. Eiectio ista est prima excommunicatio, quâ protoplasti separati sunt à communione siue societate Dei & sanctorum Angelorum. Excommunicatio Caini est prima separatio à consortio Dei & hominum. Cain inquam fuit exclusus à consortio aliorum, ita vt hîc cernatur duplex excommunicatio. Prima est animi, quâ Cain à facie Dei & Ecclesiæ fuit excommunicatus: altera corporis, quâ fuit exclusus à politiâ, & odium aliorum hominum incurrit. Meritus autem est hanc tantam pœnam primo maleficio publico perpetrato, putà fratricidio, quo secundam generis humani partem delesse dicitur. Hîc Rabbini anxiè disputant, quale fuerit signum, quo Cain dicitur fuisse notatus? Alij putant fuisse eiulatum mirum, alij furorem, alij vagam fugam, alij perpetuum corporis tremorem, alij reptatum instar infantis, alij notam peculiarem ipsi inustam & veluti cauterium, quo ab aliis hominibus dignosceretur. Non tamen semper videtur fuisse vagus, sed dilucida habuisse interualla, vt Orestes occisâ matre, OEdipus occiso patre, & Bellerophon, qui vagabatur furibundus in campis Ciliciæ,

Ipse suum cor edens, hominum vestigia vitans, vt canit Homerus.

IX. *Vrbs prima fuit condita à Caino.*

Philo recitat sex liberos Caini, & septem ciuitates, quas condiderit. Scriptura meminit vnius ciuitatis, quam Cain extruxerit, & à nomine filij sui Enochi seu Chanochij appellauerit Enochiam seu Chanochiam. Quamuis enim Deus signum in ipso posuerat, ne eum quisquam occideret: ille tamen conscientiæ furiis & terrore veluti Panico perpetuò agitabatur tanquam Orestes quidam, ideóque vrbem ædificabat vbi se contineret, tantisper dum licuit per intermittentem ipsius furorem. Hoc Caini ædificium postea alij sunt imitati, vt se tutos præstarent, & ab aliorum hominum insidiis, & à bestiarum,

beſtiarum iniuriis. Auguſtinus etiam meminit ciuitatis Cainō, quæ ſic dicta fuerit ab ipſo Cain. Huc pertinet illud vulgatum; *Primus mundi amator fuit Adam, idemque primus agricola: Primus homicida Cain: primus interemptus Abel: primus bigamus Lamech: prima vrbs Enochia: primus Muſicus Iubal: primus nauta Noë: primus tyrannus Nimrod: primus ſacerdos Melchiſedec: primus rex Amraphel: primus Imperator Iulius Cæſ.*

X. *Familia Cain & numero & inuentione artium fuit illuſtris.*

Etſi dignus erat Cain, qui æterno animi & corporis exitio periret: Deus tamen naturâ benigniſſimus ex illo magnam ſobolem naſci voluit. Natæ enim ſunt ex illo familiæ octo, exceptâ Naamach ſorore Tubalcaini, *Geneſ.* 4. Et hæ familiæ potiùs quàm poſteri Seth inuenerunt varias artes; quia filij huius ſeculi ſunt prudentiores, quàm filij lucis, in ſuo genere. Et Deus voluit hoc modo planum facere, ornamenta ingenij non pro meritis habenda, ſed ipſius gratiæ ac libertati accepta eſſe ferenda. Hîc quoque illud pro ſingulari habendum eſt miraculo, quòd in mundo plures ſint impij quàm pij, & tamen hi ab illis non poſſint exterminari, quantumuis ſpirent fulmina & ignes.

X I. *Prima violatio & corruptela coniugij in mundo facta eſt à Lamecho.*

Hic enim introduxit bigamiam: quæ nihil eſt aliud, quàm aquoſa amicitia, & coniugij corruptela. Etſi enim patriarchæ quidam fuerint bigami: non tamen ex malitiâ, vt factum Lamechi, ſed ex infirmitate hic ipſorum næuus eſt profectus.

X I I. *Politia ciuilis & eccleſiaſtica hoc tempore fuit mediocris.*

Et politia quidem ciuilis erat iſta, Magiſtratus erant maiores in familiâ. Imperium erat paternum: tametſi in familiâ Lamechi omnia fuerint plena minis & tyrannide. Nullæ erant leges ſcriptæ, ſed communes notitiæ erant inſtar cynoſuræ, quas Cainitæ paulatim delere ſunt conati. Mores ita erant comparati, vt qui vnâ in familiâ eſſent, ſequerentur patrem familiâs. Ideo pœnæ non fuerunt inflictæ. Nam nec Adam Cainum propter homicidium, nec Cainus Lamechum propter ſcortationem puniuit. Politiæ eccleſiaſticæ hæc fuit ratio. Verbum Dei non erat ſcriptum, ſed per manus traditum. Continebat autem hiſtoriam creationis & lapſus, promiſſionem de Meſſiâ, & varias minas. Externus Dei cultus poſitus erat in ſacrificiis, quæ eadem erant etiam ſacramenta ſalutis æternæ & remiſſionis peccatorum pignora. Miniſter verbi in ſingulis familiis erat quiſque natu maximus. Locus ſacer erat is, in quo altare extructum erat. Et hic fuit dictus facies Iehouæ, *Gen.* 4. *v.* 16. Confer *Ioſ.* 24. *v.* 1. *Ion.* 2. *v.* 5. fuerunt autem ſine dubio tot altaria, quot erant familiæ: & ea extructa vel in ædibus & tentoriis, vel in locis habitationi vicinis. Tempus ſacrum fuit dies ſeptimus.

XIII. *Collatio hiſtoriæ ſacræ cum ſcriptis itemque mythiſtoriâ gentilium hæc eſt.*

Hermes & Plato ſcribunt, hominem excidiſſe felicitate ſuâ primæuâ. Sibyllæ meminerunt ſerpentis. Apud ethnicos occurrunt dicta quædam de maſculo maledicto in excolendâ terrâ, de muliere in partu, de ſerpente in victu. De ſemine mulieris contrituro caput ſerpentis, plurima extant dicta Sibyllina & Hermetica. Cain habitauit in terrâ Nod, regione Indiæ orientalis: vnde populi Nodundæ, quos Plinius ita vocat, q. d. Nodumbæ. Stephanus docet, in regione Cambalâ, in extremâ Indiâ, ſitam eſſe vrbem Heniochiam. Et Plinius meminit populorum, quos vocat Henochios. Varro ſcribit, agriculturæ eadem fuiſſe initia, quæ mundi ipſius. Ethnici meminerunt ὀλβίων beatorum, quales fuerunt Abraham, Iſaac & Iacob, qui pecuariam exercuerunt. Pecuarij autem ſunt vagi, ſicut agricolæ ſtatarij. Ethnici pro diis habuerunt homines præclaros propter dona, vt Varro & Cicero in Tuſculanis teſtantur. Pluribus igitur indiderunt iſta nomina, Saturnus, Iupiter, Venus, Mercurius, ita tamen, vt vni, antiquiſſimo videl. peculiariter iſta tribueruit. Iidem mutatis nominibus, aſtu Diaboli, gigantibus tribuerunt facta Adami, Caini, & aliorum. De Adamo & Euâ diximus cap. anteced. Iam dicamus de Caino, Abele, & Cainitis. Cain eſt Iupiter, qui fingebatur vrbium & conſociationis præſes. Et Iupiter dicebatur Sabatſius, id eſt, tremens. Et ζὰν, id eſt, ζεὺς, ex nomine Cain eſt ortum. Idem Iupiter fingebatur primogenitus Saturni illius antiquiſſimi, ac dicebatur Saturnum patrem caſtraſſe, & Titanas expuliſſe, vt ſolus ſuccederet patri. Quæ omnia Caino fratricidæ & immorigero competunt. Porrò ille ipſe Iupiter dicebatur ſecundus poſt Saturnum imperaſſe, primus ſacrificium feciſſe & ritum ſacrificandi inſtituiſſe, ſororem ſuam habuiſſe vxorem, multóſque filios rerum præclariſſimarum inuentores habuiſſe. Mercurius filius Iouis eſt Iabal: Apollo eſt Iubal. Nam Mercurius prima fingitur rei pecuariæ præcepta dediſſe, & Apollo eſt primus Muſicæ repertor. Vulcanus eſt Tubalcain, vti nomen & inuentio artis ferrariæ docent. Venus eſt Nahamah ſoror Tubalcaini. Venus enim fingitur Iouis filia & ſoror, eademque vxor Vulcani. Prometheus antiquiſſimus eſt Abel. Nam Iupiter & Prometheus ſimul floruerunt diutiſſimè, fueruntque conſanguinei, qui primò ſacrificarunt: ſed Iupiter in monte Caucaſo afflixit Prometheum, quòd potiores ipſius eſſent in ſacrificio partes. Denique Saturnia vita apud ethnicos eſt vita frugalis & continens à libidinibus, qualis fuit illorum, qui hoc tempore vixerunt. Atque hæc ipſa etiam dicitur vita deorum.

CAPVT XIII.

De Profanatione nominis Dei ante diluuium.

PRÆCEPTVM.

Hiſtoria publicæ ac popularis profanationis nominis Dei ante diluuium, eſt annorum 1331. ab anno mundi 325. vſque ad diluuium: & complectitur titulos nouem, qui ſunt: Profanatio nominis Dei, Propagatio Eccleſiæ, ſeu familiæ Seth, Tranſlatio viſibilis & miraculoſa Enochi, Corruptio morum, Gigantum procreatio, Natiuitas Noë & filiorum eius, Præparatio Noë ad diluuium, Vtraque politia huius temporis, & Veſtigia hiſtoriæ ſacræ apud ethnicos.

REGVLÆ.

I. *A tempore Enos vſque ad diluuium merus fuit Barbariſmus & Scythimus.* Profanatio nominis Dei ante diluuium quanta?

Propagato Caini genere impietas longè latéque propagata fuit. Et primò quidem Cainitæ cœperunt eſſe in Deum iniurij, ita vt ipſum contempſerint. Qui contemptus eſt ortus ex ambitione, quæ illos inuaſit ob dona induſtriæ, acuminis, & roboris. Et hic quidem contemptus non ſubitò erupit, ſed primò cœpit clàm, poſtea publicè, ita vt nominis Dei, id eſt potentiæ, ſapientiæ, & iuſtitiæ ipſius irriſio fuerit ſubſecuta. Hinc extitit atheiſmus: quod poſt lapſum Adæ, homicidium Caini, & ſcortationem Lamechi fuit quartum teterrimum publicum peccatum. Primum enim, videlicet lapſus protoplaſtorum, eſt ſcaturigo omnis miſeriæ; ſecundum, videlicet fratricidium Caini, eſt primum factum ἄστοργον tertium, videlicet ſtuprum Lamechi, eſt prima ἀταξία ordinis à Deo ſanciti. Atheiſmus denique eſt metropolis vitiorum. Hic enim atheiſmus peperit omnis generis peccata, non aliter atque terra aliqua Memphitis. Tandem impietatem ſecuta eſt improbitas & iniuria aduerſus homines. Hanc profanationem & mundi ſtatum teterrimum & deterrimum Epiphanius non præter rem vocat Barbariſmum, & alij Scythiſmum; quanquam Epiphanius hæc duo vocabula diſtinguit. Vide ſupra cap. 11. Mores enim τελεσβάρβαροι, σκυθικοὶ, καὶ κυκλωπικοὶ iſto tempore inualuerunt.

I I. *In Sethi familiâ veluti virgo caſta adoleſcebat Eccleſia ante diluuium.* Eccleſia quomodo propagata ante diluuium?

Genus Sethi multiplicatum eſt, vt Eccleſia Dei per familiarum piarum continuationes conſeruaretur. Hinc poſteri Seth, ſi Adamum ſimul numeres, vſque ad Noachum excluſiuè recitantur ad nonum vſque gradum, iuxta hos verſus memoriales.

Adam, Seth, Enos, Cainan, Malaleelque,
Iared, Enoch, necnon vegetus Mathuſala, Lamech.

Horum patriarcharum ætates eleganter componuntur inter ſeſe in emblematis cribratis, de quibus Angelocrator & Heluicus. Hîc obſerua, duo illa nomina Enoch & Lamech communia fuiſſe Cainitis & Sethitis, & Mathuſaël Cainitæ, Mathuſala Sethitæ fuiſſe nomen. De his poſteris Sethi teneantur ſequentia. 1. Sethitæ, teſte Ioſepho & Zonarâ, fuerunt dediti theologiæ & aſtrologiæ, &, vt ex Scripturâ colligi poteſt, habuerunt donum prophetiæ: cùm Cainitæ demerſi eſſent in rerum terrenarum curam. 2. Ante legem Eccleſia manſit primò in familiâ Seth; tum in familiâ Abrahæ: poſt legem in familiâ Iſraël ſeu Iacob. Poſt Chriſtum ex omnis generis familia eſt collecta. 3. Scriptura recenſet familiam Sethi

thi vſque ad diluuium : familiam Caini non item; quia propagatio Eccleſiæ erat deſcribenda. 4 Anni patrum ante diluuianorum non fuerunt menſtrui, vti Diodorus Siculus teſtatur de annis Ægyptiorum,illos 30. diebus conſtitiſſe Neque etiam fuerunt decima tantùm pars vnius anni ſolaris:ita vt 900. anni iſtius ſeculi vix fuerint 90 anni noſtri:ſed fuerunt ſolares, vt ex hiſtoriâ diluuij & ſerie chronologiæ euidentiſſimè probatur. 5. Nullus patriarcharum aſſecutus eſt annum ætatis milleſimũ: quia millenarius eſt typus æternitatis : vnde dicitur numerus Dei. 6 Editio LXX. Interpretum Gen. 5 eſt corrupta. Plures enim anni aſſignantur ætatibus patriarcharum, quam patitur Hebraica veritas Sunt qui exiſtiment, LXX. Interpretes hoc feciſſe ſtudio,vt Ægyptiorum ſannis recurrerent, apud quos parum fuiſſet 600.vel 900. annos vixiſſe:cùm illi neſcio quot annorum centurias heroibus ſuis affingebant 7. Cauſæ longæuitatis patriarcharum hæ fuerunt 1. Benedictio Dei, cuius duplex finis:vt poſſet propagari partim genus humanum, partim doctrina cœleſtis. Patriarchæ ſiquidem erant epiſcopi illius ætatis, qui cùm longæui eſſent,facilè poterant poſteris ſuis tradere doctrinam incorruptam veluti per manus. 2 Temperamenti præſtantia. 3. Loci commoditas & aëris ſalubritas. 4. Victus ſimplicitas, hominúmque temperantia. Hîc obſerua titulos nouem patrum antediluuianorum:Adam primus homo, primus agricola, primus apoſtata, & radix generis humani: Abel protomartyr Eccleſiæ:Seth caput naſcentis Eccleſiæ : Enos promiſſionis defenſor Cainan. Malaleel,& Iared tres primi patres non ita clari : Enoch candidatus æternitatis : Mathuſalem Neſtor Moſaïcus tertriſeclis ſenex : Lamech terminus mundi antediluuiani. Cain autem fuit primus homicida, & primogenitus Diaboli filius : Lamech Cainita, primus coniugij violator.

Transla-
tio Eno-
chi.

III. *Translatio Enochi in cœlum conſideranda eſt quoad modum & finem ſuum.*

Enoch (qui Tertulliano dicitur candidatus æternitatis) viſibiliter ac miraculosè fuit tranſlatus in cœlum, non verò in paradiſum terreſtrem. Fuit mutatus in momento, ita vt mutatio illa fuerit inſtar mortis. Ideo autem eſt tranſlatus, vt pij ætatis iſtius confirmarentur in ſpe beatæ reſurrectionis. Cæterùm Enoch edidit librum propheticum, in quo varia fuerunt vaticinia, inprimis de diluuio, vt viri docti probabiliter colligunt. Liber Enochi, liber Sethi, & liber Abrahami, qui tempore Tertulliani & Auguſtini circumferebantur, erant apocryphi : quippe charactere diuino deſtituti, & fabulis referti. Hîc non poſſum quin piorum quorundam meditationem inſeram. Septenarius numerus eſt plenarius & myſticus, qui in ſcripturâ peculiarem quandam ſignificationem habet,& conſtat ex ternario, qui eſt numerus DEI creatoris in vnitate trini, & quaternario, qui eſt numerus creaturæ, ſeu quatuor elementorum, quæ ſunt rerum ſublunarium cauſæ ac ſemina. Hinc quæque mirabili harmoniâ ſeptenarij cohærent, & veluti requieſcunt.Ita ſeptimus ab Adamo Enoch viſibiliter & mirabiliter fuit tranſlatus in cœlum. Et veriſimile eſt, eodem modo, mundum duraturum 6000. annos, & poſtea ſeptenarium ad caput rediturum, id eſt, annum 7000 fore initium æternæ beatitudinis.Tale quid etiam in hiſtoriâ Eliæ obſeruare licet.Nam ſicut Elias ſeptimus ab Adam, ratione generationum, viuus fuit in cœlum tranſlatus : ita poſt ſex millenariorum decurſum pij curru Eliæ vehentur in cœlos. Diſertè dico, Elias ſeptimus ab Adam ratione generationum, non graduum,vt Enoch.Nam ætas Adami ſe extendit ad Mathuſalemum:Mathuſalemi vſque ad Sem:Semi vſque ad Iacobum:Iacobi vſque ad Amram:Amrami ad Ahiam:Ahiæ ad Eliam.

Corru-
ptio mo-
rum ante
diluuiũ.

IV. *Sex gradibus impietas hominum antediluuianorum quaſi in altum fuit ſubuecta,per annos 1656.*

Primus gradus fuit fratricidium Caini : ſecundus, ſcortatio Lamechi:tertius,publica nominis Dei profanatio : quartus, deprauatio piorum per connubia cum impiis : quintus, gigantum audacia : ſextus, imitatio vitæ gigantum. Quæ omnia ex primo Adami peccato, tanquam ex fonte, ſunt enata ; ita vt hæc mala per annos 325. in mente hominis, tanquam in aluo matris, fuerint concepta, nempe à peccato Adami ad profanationem nominis Dei : deinde per annos 821. vſque ad natiuitatem Noë edita in lucem & confirmata : denique robuſta effecta per annos 600. vſque ad diluuium. Fuerunt autem in iſto ſexto gradu homines tales, quales deſcribit Apoſtolus *Rom.* 1. *v.* 29. 30. Violentia igitur, ſcortatio publica, Sodomia, magia, & ſimilia peccata procul dubio tum eruperunt in neruum.

Gigan-
tum pro-
creatio.

V. *Ex connubiis filiorum Dei cum filiabus hominum nati ſunt gigantes.*

Filij Dei, hoc eſt pij, non autem angeli, vt quidam interpretantur, duxerunt filias hominum, id eſt impias, ducti formâ illarum, inſuper habitâ verâ religione *Gen.* 6. Hinc liberi prognati parentibus ſimiles, & ij quidem formidabiles ob ſtaturæ magnitudinem, robur & potentiam ; qui dicuntur *Nephilim* & gigantes. Vox *Nephilim* à cadendo eſt deducta, & ſignificat vel apoſtatas & defectores, qui a cultu Dei defecerint, vel homines terribiles, ad quorum aſpectum alij cadant præ timore. Illi enim homines propter ſtaturæ proceritatem manifeſtiores & immaniores fiebant Dei contemptores, itemque ſæuiores aduerſus alios. Quid verò ? An gigantes iſti nati ſunt ex parentibus æquè magnis ? Rabbini certè fingunt, Adamum fuiſſe ſtaturæ adeò proceræ, vt caput potuerit condere inter nubila. Sed vero eſt ſimilius, Deum peculiariter benedixiſſe ſemini parentum iſtis temporibus, vt immittendo diluuium manifeſtum faceret,nullum robur,nullam potentiam ipſi poſſe reſiſtere.

VI. *Noë natus eſt anno mundi 1056. & natus annos 500. genuit Sem, Cham, & Iapheth,* Gen. 5.

Mundo vergente in deploratam malitiam, Deus huic malo medicinam facturus, naſci fecit Noachum, virum iuſtum fide vitaque, per quem inuitauit ad reſipiſcentiam dato tempore annorum 120. *Geneſ.* 6. *v.* 3. vbi dicitur : Erunt dies hominis anni 120. ſcil. non ad viuendum, ſed ad reſipiſcendum.Genuit tres filios, Sem, Cham, & Iapheth:quem Scaliger putat eſſe ordinem generationis. Nobis tamen videtur eſſe ordo dignitatis, ita vt Iapheth fuerit natu maximus, ſeu primogenitus. Etenim Sem anno ſecundo à diluuio natus annos 100. genuit Arphaxad. Anno igitur 602. Noachi, Sem fuit annorum 100. ac proinde natus anno 502. Noachi. Alius igitur fuerit, qui anno 500.Noachi primò eſt natus,ſcil.Iapheth:niſi velis dicere alium quendam filium Noachi,qui obierit,natum eſſe anno 500. Noachi.

VII. *Præparatio Noë ad diluuium fuit duplex.*

Prima fuit animi per meditationem & denuntiationem diluuij, quæ durauit annos 120. Secunda fuit corporis per fabricationem arcæ. Cùm enim homines contemnerent Noachi conciones, Deus decreuit homines cataclyſmo vniuerſali perdere, paucis exceptis, per quos genus humanum inſtauraretur, & Eccleſia propagaretur. Dedit itaque Noacho mandatum de fabricandâ arcâ, cuius architectura & hiſtoria hæc eſt. 1. Appellatur arca, non autem nauis,vel domus : quia Deus voluit Noachum ſeruare modo extraordinario. Deinde hæc arca non habuit vela, remos, rudentes, & remiges. Denique hæc arca fuit veluti capſa : ideoque ſic dicta fuit ab vſu. 2. Arca fuit extructa non annis 120 ante diluuium, vel annis 78. vt Beroſus tradit, ſed paucis ante diluuium vel menſibus, vel annis, vt ex contextu ſacro videtur colligi poſſe. 3. Extructa fuit ex lignis Gopher, id eſt, cedrinis, vt interpretatur Philo : quæ in aquis putreſcere non ſolent,ſed robur ſuum integrum in iis ſeruant.4. Habuit in longitudine cubitos 300.quam proportionem Deus ſciuit eſſe conuenientem. Auguſtinus tamen, & alij putant, proportionem corporis humani obſeruatam fuiſſe. Quidam etiam putant cubitos, quorum Scriptura hîc meminit,fuiſſe cubitos gigantis : quòd Noë fuerit gigas. Sed hoc non eſt probabile. Intelligimus igitur cubitos communes, quales habuerunt iſtius temporis homines. 5. In arcâ præter tectum fuerunt tres contignationes, *Geneſ.* 6. *v.* 16. Prima videtur fuiſſe pro hominibus & iumentis:ſecunda pro reptilibus:tertia pro volatilibus. Alcuinus putat fuiſſe quinque contignationes;infimam, ſtercorariam ; ſecundam, apothecariam pro cibis ; tertiam feris animantibus deſtinatam ; quartam manſuetis ; quintam hominibus. 6. Singulæ contignationes habuerunt ſuos nidos & cellulas, quarum aliæ fuerunt maiores, aliæ minores, pro magnitudine animalium recipiendorum. Nec eſt, quòd putes hoc ſpatium fuiſſe nimis paruum. Nam ſingulæ cellulæ,ſi longitudinem diuidas in 15. cellulas, habuerunt pedes 30. in longitudine, & 5. in latitudine, ſi longitudinem arcæ dicas ad minimum fuiſſe pedum 450. latitudinem 75. 7. Animalia fera ſuam ferociam depoſuerunt.8. Deus immundi mundi animalia voluit reſeruare, non autem noua creare, vt præcepti diuini, *Creſcite & multiplicamini Gen.*1. vis eſſet perpetua. Omnia animalia tum erant immunda reſpectu hominis : ſed peculiariter quædam dicuntur immunda reſpectu ſacrificiorum & vſus hominum. 10. Arca Noë fuit figura Eccleſiæ viſibilis,in quâ ſunt pij & impij : quæque ſeruatur in diluuio periculorum infinitorum

VIII. *Politia ciuilis & eccleſiaſtica corruptiſſimo hoc ſeculo viguit inter paucos.*

Politiæ ciuilis ratio hæc fuiſſe videtur. Natu maximi in familiis bonorum erant ſummi magiſtratus. At nullus erat,qui facinora

facinora publicè puniret Leges nullæ erant communi conſenſu conſtitutæ. Quoſdam conſcientia, quoſdam ſatiata tardabat libido. Mutuæ cædes & libidines contaminabant rempublic. Artes iam repertæ exercebantur, videlicet agricultura, paſtoritia, muſica, æraria, & ferraria. Politia eccleſiaſtica videtur ita ſe habuiſſe. Verbum Dei partim per manus tradebatur, partim ſcribebatur, vt prophetia Enochi. Fundamentum concionum euangelicarum fuit prima illa promiſſio *Gen.* 3. Externus cultus erat poſitus in ſacrificiis, diſcrimine mundorum & immundorum animalium, precibus & concionibus publicis. Tempus ſacrum fuit dies ſeptimus. Locus ſacer erat, vbi familia habebat altare. Miniſter verbi erat princepsfamiliâs. Hæc & ſimilia colliguntur ex Ioſepho, & aliis vetuſtis ſcriptoribus.

IX. *Collatio huius hiſtoriæ cum ſcriptis ethnicorum valdè illuſtrat profanas hiſtorias.*

1. Profanatio nominis Dei & corruptela morum huius temporis ab Heſiodo & Platone videtur paſſim deſcripta: item ab Herodoto lib. 2. Et ferreum ſeculum huc quadrat inprimis. 2. Nomen Sethi remanſit in nomine *Setho* apud Herodotum lib. 2. quod eſt nomen regis & ſacerdotis Ægyptij. Hinc nomen *Seuthes*: quod habuere multi & præclari reges Thracum, ſicut Xenophon in expedit. Cyri teſtatur. Item *Sethus*, nomen dei Ægyptiorum vetuſtiſſimi. Hinc apud eoſdem Νόμος Σεθέιτης, *PræfecturaSetheitica*. Hinc denique vrbes *Setha* & *Sethia*. 3. Ethnici tradunt, quoſdam vixiſſe annos 300. 500. 800. 900 4. Ἀποθέωσις ethnicorum, quâ pios & heroicos homines in deorum numerum aſcitos crediderunt, nata videtur ex hiſtoriâ tranſlationis Enochi in cœlum. Item, quòd Aſtræa, ſiue iuſtitia in cœlum migraſſe fuit credita. Hæ ſunt veluti reliquiæ & tabulæ vetuſtiſſimi cuiuſdam naufragij. 5 Gigantum meminerunt gentiles poëtæ & hiſtorici. Dixerunt illos γηγενεῖς, id eſt, è terrâ genitos. vnde vox gigas. Nimirum quidquid erat antiquiſſimum, illud è terrâ genitum dixerunt. Impietatem ipſorum notarunt non vno in loco, & vocarunt gigantomachiam & theomachiam. In Cretâ inuentum corpus gigantis 47 cubitorum, teſte Plinio. Sub Henrico II. Imp. Pallantis corpus effoſum, quod vrbis Romæ muros æquabat altitudine. In Galliâ ſub Carolo VII effoſſum corpus hominis, longum pedes 300. in Siciliâ corpus effoſſum 200. cubitorum. Vide *Danæum pag.* 360. *antiquit.* 6. Noachi nomen ab ethnicis retentum. Extat enim *Noa* ciuitas ad mare rubrum; item in Siciliâ. In Thraciâ eſt fluuius *Noas*, item *Noarus*. Ex Noâ ciuitate ad mare rubrum oriunda fuit Sibylla antiquiſſima, quæ dicitur Chaldæa, Hebræa & Perſica, proprio nomine Sambethe, quaſi ex Sem & Iapheth, vt Peucero videtur. Multi quoque apud ethnicos dicti fuerunt *Noari*, item *Semi* & *Soëmi*. Et *Bacchus*, primus vitis ſator; videtur dictus quaſi Boachus ex Noachus: non autem à voce bacchantium. *Ianus* quoque à *Iain*, id eſt, vinum, appellatus eſt Noachus. Hic enim reuerà fuit bifrons, vtpote qui vidit mundum primum & ſecundum. Alij tamen Ianum dictum putant à ianuâ, quòd aperiat & claudat tempus: alij quaſi Eanum, quòd eat & redeat. Quod vtrumque in Noachum optimè competit vt & ratis, quæ Iano tribuitur. Noach item appellatus eſt Ogyges: quæ vox Aſſyriis notat principem, vt Ægyptiis Oſiris, annotante Danæo in antiquit. Alij putant Ogygem ſic dici, quòd ſaluatus ſit ab interitu: alij ex σίγω & γένος, quòd aperiat quaſi genus. Heurnius tamen in ſuo Chaldaico ait, Noachum appellatum fuiſſe Ogygem, quòd generis humani ianuam aperuerit, & Oſirim Ægyptiis notare multoculum & circumſpectum, tradit. Idem Heurnius ait, Latinos Cimbricâ voce Noachum appellaſſe Saturnum, à voce Saat/ tanquam magnum & potens ſemen: quòd ab ipſius ſemine poſt inundationem genus humanum manauerit. Dictus & eâdem ratione eſt Hercules. Eâ enim voce Scythæ teſticulum communem ſignificarunt. Sic Heurnius: ex quo ſummatim & iſta habe. Cùm gigantes & impij illuſores cernerent Noachum arcam moliri, omniúmque animalium interitum prædicere, audirent, poëtæ fabulati ſunt, illos ironicè ipſum nominâſſe Prometheum: atque etiam cauillatos eſſe, vulturem in viſceribus cor depaſcentem alere, atque hunc ipſi datum à Ioue tortorem, eò quòd diceret, totum mundum vndis obruendum eſſe, quaſi omnem elementi ignis vim Ioui ſurrepturus eſſet: huiuſque furti, non patrati quidem, ſed cogitati: pœnas pendere. Caucaſo verò alligatum dicebant, quòd ad Caucaſi radices arcam fabricaretur, operi iugiter incumbens; eique adamantinis veluti curarum clauis affixus, adhæreſcens. Quos ſarcaſmos cum poſt diluuium poſteri Noach diuulgaſſent, Prometheæ fabulæ occaſionem dedêre. Quæ poſtea à poëtis, veræ hiſtoriæ ignaris, mæandris errorum & fabularum multiplicium implicita eſt. Prometheum enim Iapheti filium finxere: cùm hic illius fuerit. Item Prometheum à primo Deucalione ſepârárunt: cùm Prometheus & primus Deucalion idem fuerit, poſterius nomen ſortitus à nimiâ humoris copiâ: Pyrrhámque ei coniugem iunxêre, quòd dicerent, tum homines demum cœptos generari, cùm terra vi ignis deſiccata eſſet: vnde etiam Prometheum ex luto & igne de cœlo furtim ſurrepto homines finxiſſe dixerunt. Finxerunt inſuper Herculem liberaſſe Prometheum, hoc modo. Dum Noach diluuium præuideret, hominéſque anxiè moneret, Prometheus erat, vulturémque in præcordiis alebat. Simulátque autem aquæ diffugiſſent, Hercules eſſe cœpit: quòd aduerſis magno animo ſuperatis, ab ipſius ſemine tota generis humani conſeruatio penderet. Hoc modo Hercules Prometheum liberauit, detractâ prouidentiæ curioſâ curâ. Finxerunt & Græci; Saturnum Xyſuthro diluuium prædixiſſe, arcámque vt ſibi conſtrueret præcepiſſe, quæ omne animalium genus recipere poſſet, eiuſque monumenta in Heliopoli Ægypti in ſepulturis quibuſdam conſeruata fuiſſe: per Saturnum intelligendo Deum. Græci enim cùm ſeptimum diem à Iudæis ſanctificari viderent, putarunt Saturnum ab ipſis coli, & illum proinde Saturno conſecrarunt. Et Xyſuthrus linguâ Aſſyriaca Noachum denotat: qui in diuerſis regionibus diuerſa ſortitus eſt nomina. Hîc etiam repete, quod ſuprà diximus, plures ethnicorũ eſſe Saturnos, Prometheos, Ioues, & eodẽ modo Hercules, Ogyges & Deucaliones. 7. Beroſus vxorem Noë vocat Tyteam magnam, quam alij putant fuiſſe prophetiſſam & Sibyllam. 8. Ethnici tres filios Noë norunt. Nam Iapetum dicunt Cœli & Terræ filium, id eſt, valde vetuſtum. Ex nomine Sem orta ſunt iſta vocabula, *Soëmus, Sames inſula Samothracia*. Chami plures meminerunt. Vocant eùm *Gameſen*, quem Zoroaſtrem fuiſſe volunt, quem Beroſus tradit magiæ & veneficæ fuiſſe ſtudioſum, & odio habuiſſe Noachum. Hic eſt *Iupiter Hammon*, ſeu Ammonius. Hinc iſta nomina *Cambaia, Cambala, magnus Cham Tartariæ, Camæ & Camacæ populi Scythiæ, Cammi inſula, Cameſes fluuius Indiæ orientalis: Cambyſes rex.*

CAPVT XIV.

De Rebus geſtis a diluuio vſque ad primam monarchiam.

PRÆCEPTA.

Atque hoc eſt primum interuallum à creatione mundi vſque ad diluuium excluſiuè: ſequitur ſecundum à diluuio mundi vſque ad primam monarchiam, annorum 61. id eſt ab anno mundi 1656. vſque ad annum mundi 1717.

Articuli huius interualli ſunt tres, Diluuium Noëticum, Propagatio generis humani poſt diluuium vſque ad primam monarchiam, & Synchroniſmus.

REGVLÆ.

I. *Hiſtoria diluuij complectitur immiſſionem aquarum, ipſarum incrementum & decrementum, & politiam vtramque, quæ fuit toto diluuij anno.* Hiſtoria diluuij.

Omnibus ritè præparatis à Noacho ex mandato Dei, diluuium vniuerſale anno mundi 1656. immittitur, anno Noachi 600. quo ipſo tempore Noachus vnà cum ſuis ingreditur arcam menſe 2. die 17. Intellige menſem ſecundum à Niſan, non à Tiſri: quia, vt ſuprà euicimus, patriarchæ annum ſunt exorſi à Niſan. Imber fuit 40. dies. Præualuerunt aquæ 150. diebus. Quæ omnia colliguntur ex *Gen.* 7. Exactis centum quinquaginta diebus requieuit arca, menſe ſeptimo, die 17. Aquæ defecerunt vſque ad primum diem menſis decimi. Poſt dies 40. aperta fuit feneſtra, & coruus emiſſus, qui non rediit: poſtea columba emiſſa, quæ rediit. Septem pòſt diebus emiſſa eſt columba, quæ attulit folium oliuæ. Rurſus fuit emiſſa columba poſt ſeptem dies, quæ non rediit. Anno Noachi 601. menſe 1. die 1 terra fuit ſiccata. Die 27. menſis 2. anno mundi 1657. Noah exiuit ex arcâ, iuſſus à Deo Quæ omnia habentur *Gen.* 8. Atque hæc eſt chronologia diluuij, quæ complectitur dies 375. id eſt annum ſolarem, & decendium. Toto hoc tempore Noachus vnà cum hominibus & animalibus aſſumptis manſit in arcâ, tanquam in ſepulchro, reliqui autem homines, & exceptis piſcibus omnia animalia bruta fuerunt perdita. Tametſi enim ipſa non peccaſſent: tamen quia fuerunt res hominis peccatoris, iuſtè ſunt deleta: ſicut in crimine læſæ maieſtatis non tantùm author, ſed etiam res & bona eius puniuntur Ideo *Geneſ.* 6. terra dicitur polluta tanquam domicilium, quod impuros habet incolas, vt eſt lupanar. Politia ciuilis toto diluuij anno fuit eiuſmodi. Magiſtratus ſummus erat Noë, cuius poteſtas fuit patria, imperium regio proximum. Conſcientia erat loco legis. Forma regiminis fuit domeſtica. Generatio tum videtur quieuiſſe. Artes eas exercuerunt, quas potuerunt: videl pecuariam & muſicam. Politia eccleſiaſtica videtur fuiſſe talis. Verbum Dei in arcâ erat partim generale, id-

que tum legale, tum euangelicum de ſemine mulieris:partim ſpeciale, videl. promiſſio de liberatione ex aquis diluuij. Miniſter verbi fuit Noë; qui ſuſtentauit ſuos in mediis vndis, & planxit vnà cum ſuis generale illud excidium, Deo denique gratias egit pro ſui ſuorumque liberatione. Cultus externus fuit poſitus in concionibus, collationibus, & precibus. Tempus ſacrum fuit dies ſeptimus. Locus ſacer videtur fuiſſe in arcâ peculiaris, ſegregatus ab aliis cellulis.

Propagatio generis humani poſt diluuium.

II. *Propagatio generis humani poſt diluuium vſque ad primam monarchiam diſtinctè videnda eſt quantum ad actiones Dei, Noachi & Noachidarum.*

Actiones Dei & Noachi hæ ſunt. Noachus vnà cum ſuis egreſſus ex arcâ obtulit Deo ſoteria, hoc eſt ſacrificium ex omnibus mundis pecudibus, *Geneſ.* 8. ita vt hoc ſacrificium fuerit tam ſolenne ac varium, vt neque ante, neque poſt illud tempus tale commemoretur in Scripturâ: ne illud quidem Salomonis in dedicatione templi, 1. *Reg.* 8. vel in ſolennitate Paſchatis Ezechiæ, 2. *Chron.* 30. Fuit autem hoc ſacrificium eucharíſticum potiùs ſeu ſotericum; quàm hilaſticum & expiatorium: quia Noë principaliter gratias egit Deo pro ſui liberatione: ita tamen, vt etiam ſimul pro placandâ Dei irâ in poſterum & pro pace mundi in futurum à Deo exquirendâ ſacrificauerit, vt ſunt verba *L. Danæi in antiq.* Soteria iſta Deus habuit rata, ideóque benedixit Noacho & filiis ipſius: ordinem naturæ inſtaurauit: fœdus cum iis renouauit, & peculiare inſtituit, in quo promiſit ſe mundum aquis non ampliùs ſubmerſurum, cuius rei ſignum dedit in nubibus iridem: interdixit eſu ſanguinis, eâque prædagogiâ omnem crudelitatem prohibuit, *Gen.* 9. Noachus plantauit vites, in agro, vt videtur, Damaſceno: vnde poſtea fuit inebriatus, & propter ebrietatem à Chamo filio irriſus. Cham verò ideo maledictus fuit à patre, ſicut è contrario Sem & Iapheth benedictionem conſecuti. Maledictio iſta Chami non paruam plagam toti poſteritati attulit. Nam ipſius poſteri inde à priſcis illis ſeculis ad noſtram vſque memoriam ſeruituti apud alias gentes maximè fuerunt obnoxij, facti ſunt idololatræ, fuerunt denique nigri & deformes. Porrò Noachus tanquam dominus & hæres totius vniuerſitatis terram vniuerſam diuiſit filiis ſuis, Semo, Chamo, & Iaphetho: quibus Rabbini addunt quartum, videl. Ionithum, quem Noë poſt diluuium genuerit. Auentinus etiam Tuiſconem facit filium Noachi, qui anno 131. poſt diluuium à patre miſſus venerit in Europam, cum 20. ducibus. Sed hæc ſunt ἄγραφα. Beroſus & alij tradunt, Noachum ſingulis filiis ſingulas terræ partes aſſignaſſe, videlicet Semo Aſiam, Iapheto Europam, & Chamo Africam. Sed hæc ſententia non ita rigidè eſt accipienda: quia *Gen.* 10, docemur, poſteros Iapheti etiam Aſiæ prouincias non paucas occupaſſe. Sic igitur hâc de re ſtatuendum. Tres filij Noachi ſunt genearchæ ſeu ethnarchæ omnium nationum: ita vt magna orbis pars ceſſerit Iapheto, videl. Europa, pars Aſiæ, & inſulæ ſeptentrionales: Semo Aſia: Chamo Africa. Americam poſtea occupaſſe videntur populi Aſiatici, ita vt per fretum Anian eò traiecerint. Inde natum eſt ius gentium poſt diluuium, ne quis alterius fines inuadat. Iaphetitæ recenſentur quatuordecim. Præcipui ſunt Gomer, vnde Cimbri; Aſcenaz, vnde Germani, Iauan, vnde Iones; primi Græcorum; Cittim, vnde Macedones, & Itali; Eliſa, vnde Æoles; Magog, vnde Scythæ & Turcæ; Thiras, vnde Thraces; Meſchec, vnde Moſchi. A Iapheto igitur deſcendunt gentes ſeptentrionales & occidentales, eæque bellicoſæ, Medi, Scythæ, Sauromatæ, Græci, Thraces, Germani, & Itali, itemque Hiſpani. Semitæ commemorantur viginti ſex. Præcipui ſunt Aram, ex quo Syri; Aſſur, ex quo Aſſyrij; Arphaxad, ex quo Chaldæi; Elam, ex quo Perſæ; Heber, vnde Hebræi. Ex Sem igitur orti ſunt populi orientales, ſapientiæ laude celebres, inter quos Eccleſia Dei magno tempore ſuum habuit hoſpitium. Chamitæ recenſentur vnus & triginta. Præcipui ſunt Canaan, vnde Cananæi; Mizraim, vnde Ægyptij; Chus, vnde Æthiopes; Sabæ, vnde Arabes. A Cham igitur ortum ſuum trahunt homines meridionales. Sunt itaque in vniuerſum Noachidæ & κεφαλαιῶται, vt Epiphanius appellat, numero LXXI. exceptis principalibus ethnarchis Sem, Cham, & Iapheth. Ex his putantur ortæ linguæ LXXII. quot Geſnerus in Mithridate numerat. Etſi enim in vtrâque Indiâ, orientali & occidentali, numerantur linguæ plures quàm 72. principes tamen & celebres linguæ non ſunt plures quàm 72. & in iis quatuor ſunt cardinales, Hebraica, Græca, Latina, & Germanica, quibus nonnulli addunt Sclauonicam: reliquæ dependentes. Dixi linguas principales: quia linguæ in vniuerſum ſi ſpectentur, multò ſunt plures, quàm vt certo numero comprehendi queant. Ita enim eſt, vt *Plinius lib.* 6 *cap.* 5. *& Strabo lib.* 10 *Geograph.* ſcribunt: Dioſcurias Colchorum vrbs quondam adeò clara fuit, vt Timoſthenes in eam trecentas nationes, quæ diſſimilibus vterentur linguis, deſcendiſſe prodiderit; & poſtea à Romanis centum triginta interpretibus negotia ibi geſta eſſe. Ad extremum hîc obſerua, quoſdam (in quibus eſt Torniellus) exiſtimare Semum eſſe Melchiſedechum, qui *Heb.* 7. dicitur eſſe ἀπάτωρ καὶ ἀμήτωρ, i.e. cuius nec pater, nec mater, nec ortus, nec exitus vitæ in Scripturâ traditur. Quæ omnia competunt Semo iuxta ipſorum ſententiam. Ille enim non habuit patrem, nec matrem ciuiliter, id eſt ratione officij ſacerdotalis & regij, licet habuerit ratione perſonæ, quatenus fuit homo priuatus.

III. *Collatio huius hiſtoriæ cum ſcriptis ethnicorum facilior eſt, quàm in ſuperiori interuallo.*

1. Ethnici tradunt, inundationes terrarum fuiſſe plures. *Prima* illis eſt nouimeſtris ſub priſco Ogyge; quæ ſola eſt vniuerſalis, & eſt ipſiſſimum diluuium Moſis. *Secunda* eſt Niliaca, menſtrua ſub Hercule & Prometheo Ægyptiis. *Tertia* eſt bimeſtris in Achaiâ, ſub Ogyge Attico & recentiore. *Quarta* eſt trimeſtris in Theſſaliâ ſub Deucalione. Inter Ogygianum illud vetus & hoc Deucalionéum interceſſerunt anni 781. *Quinta* fuit in Pharo, ſeu Ægypto, & ipſa trimeſtris: quæ Pharaonica dicta, vel à rege Pharaone, vel à Pharo inſulâ, à quâ Ægyptus tota fuit olim appellata Pharos & Pharia. Hæc accidit ſub Proteo Ægyptio in raptu Helenæ. Huiuſmodi diluuia particularia multis in locis extitêre, vt anno Chriſti 586. ſub Mauritio Imperatore, anno 1531. ſub Carolo V. in Hollandiâ & Selandiâ. Diluuij Ogygis priſci, id eſt Noachi meminerunt Sibyllæ, & Cato in fragmentis originum. Et Archilochus recitat verba Mnaſeæ Phœnicis hâc de re. Eadem recitat Ioſephus. Meminerunt etiam Beroſus, Alexander, Polyhiſtor, Abydenus, Plato, Ouidius, & Plinius. Quanquam enim Ouidius videtur deſcribere diluuium Deucalioneum, omnia tamen competunt in diluuium Noacum, vt ſunt verba *Danæi in antiq.* Heurnius in ſuo Chaldaico ait: Quemadmodum vnum Noach in plures, ita vnum diluuium in plura diſpeſcuêre, nimirum vetuſtum, Ogygium & Deucalionium. Et paulò pòſt ait, Theophilum Alexandrinum epiſcopum ſcribere, Noach à quibuſdam vocatum Deucalionem, à quo Plinius ſcribat columbam fuiſſe emiſſam, ex quâ didicerit terras exſiccatas. 2. Abydenus, Beroſus, & alij teſtantur, nullas terras fuiſſe immunes ab aquis diluuij: excepto monte in maiore Armeniâ, qui Barin dicitur à Mnaſeâ, ab aliis Chardæus, quæ voces ſunt ab Heb. Ararat; in quo monte ſe cum arcâ vir quidam pius ſeruauerit. Sic Ouidius in monte Parnaſſo Deucalionem cum Pyrrhâ vxore ſeruatum prodidit. Ioſephus author eſt, montem iſtum Barin ab Armeniis vocatum fuiſſe καταβατήριον, in memoriam liberationis Noachi 3. Ethnici columbam & coruum fecerunt voluntatis Dei interpretes & internuncios reſpectu volatus. Columbam Veneri dixerunt ſacram. Coruum dixerunt Apollini ſacrum, eiúſque pediſſequum: & putarunt ipſum vaticinandi facultate eſſe præditum, vt eſt apud Plinium, Ælianum, & Plutarchum. Pluuiæ certè præſagus eſt coruus ob temperamentum ſicciſſimum. Iidem tradunt, coruum ab Apolline ſacrificium facturo dimiſſum ad aquas petendas, quibus Apollo vteretur, non rediiſſe. Vnde dicunt coruo hanc pœnam impoſitam, vt quàm diu ficus matureſcunt, de nulla bibat aquâ, quòd tunc habeat guttur ſiti & ariditate perforatum. 3. Syri columbam propter iſtius beneficij, quod Ogygi præſtitit, memoriam, pro deâ coluerunt: Babylonij in vexillis depinxerunt, vt Romani aquilam, Byzantij Lunam, Athenienſes noctuam Plutarchus etiam author eſt, columbam à Deucalione fuiſſe emiſſam, & hanc in Moloſſis, Epiri populo, manſiſſe poſtea, & ex quercubus in ſyluâ Dodonæâ reſponſa dediſſe: imò cùm in quercubus illa ſederet, eas arbores vocales fuiſſe, & futura prædixiſſe. 4. Oleam pacis ſignum dixerunt ethnici: quod ex hiſtoriâ diluuij ſumptum. Nam columba à Noacho emiſſa attulit ramum oliuæ, aquarum ſedatarum, ac proinde Dei erga homines placati teſtimonium & veluti ſymbolum. 5. Ianuarius à quibuſdam putatur Iano conſecratus, quòd Ianus, id eſt Noachus, iſto menſe ſit egreſſus ex arcâ. 6. Græci nauigium, in quo homines diluuij ſeruati ſint, in monte Parnaſſo ſubſtitiſſe tradunt. 7. Deucalionem fuiſſe virum pium, moderatiſſimum & ſanctiſſimum, cæteróſque mortales vitam honeſtam docuiſſe, & denique poſt diluuium ſacrificaſſe, tradunt Ouidius & Plutarchus 8. Europa vocatur Iapetia, Africa Chameſia, Aſia Semia. 9. Veſtigia nominum poſterorum Noë, & populorum ex illis ortorum, occurrunt apud ethnicos hoc modo.

1 *Iapheth* Ἰαπετὸς Heſiodo. Et Iapetionidæ occurrunt paſſim apud ethnicos.

2. *Gomer*, ſiue Gamer: Καμμέριοι, Κιμμέριοι, apud Dionyſ. item Cimbri.

3 *Magog*: Iagog apud Arabes geographos: Maſſagetæ & Getæ Ptol. & Straboni

4 *Madai*: Μῆδος. Medus.

5 *Iauan*: Ἰάων Æſch. Iones & Ionia.

6 *Thubal*: Τυβαρηνοί: Θαλβις: Χάλυβες: Iberi, mutato L in R.

7 *Meſchec*: Μόσχος: Μάζακα. Moſchi.

8 *Thiras*: Θρᾷξ: Τρῆρες: Τρῶς.

9 *Ascenas*:"Αξυνος πόντος:"Ασκάνιος ποταμὸς:reges Ascanij circa pontum.

10 *Riphath*:Ριφαθαῖος,Ioseph:Ριφαῖοι montes:Riphates,seu Riphæi populi.

11 *Togarma* : Τιγράνης : 'Ιύρκαι Herod. Τρωκμοὶ Ptolem. Turcæ.

12 *Elischa*:Αἰολεῖς:'Ελλὰς.

13 *Tarschisch* : Τάρσος : Tartesus. Hinc quidam putant dictos Turcas. Hinc Græcum θάλασσα.

14 *Citthim* , seu *Cittim*:Κήτειοι:Μακετία:Macedonia:Italia, ea scilicet quæ olim Magna Græcia dicta,in quâ vrbs Caieta,ab Hebraico Cittim:vnde & Cretenses.

15 *Dodanim*:Δώδων:Δᾶρες:Ρόδιοι:Dardanus:Danai.Prò Hebraico Dodanim legitur etiam Rodanim:quia ד & ר permutantur propter figuræ affinitatem.

16 *Elam*:'Ελαμῖται Act.2.'Ελυμαῖοι.

17 *Assur*:'Ασσὺρ:Assyrij.

18 *Arphaxad*:Καδουσιος:Susiana regio.

19 *Lud*:Λυδὸς:Lydi.

20 *Aram* : 'Αραμαῖος : "Αραμος : "Αριμος : 'Ραμβαῖοι: Armenia.

21 *Vz*,siue Aus:Αὐσῖτις:Αὐσῖται.

22 *Chul*:Χόλλη:Ptol. Æoles.

23 *Gether*:'Απεργατῶ:'Αθάρα:Δερκετώ.

24 *Mesch*:Μάσιον:Μυσὸς:Mysia,Iuuenali Mesos.

25 *Almodad*:'Ελδημαῖος:'Ημαδὶς.

26 *Scheleph*:Σαλεφοι:Σαλήβιοι.

27 *Chazarmaueth*:Σαρμάτης:Sarmatæ:Sauromatæ.

28 *Ierach*:'Αραχώσιος:Archosia Melæ:item Aria, apud eundem:Zarathæ Ptol.

29 *Adoram*:Εὐρῖται:'Ρόμμιος:Hircania.

30 *Vxal*:Αὐζακία:'Ωξὸς:'Ωζὸς:Oxia & Oxij apud Ptol.

31 *Dikla*:Δικελλεῖον Herod.Θᾶκις Ptol.

32 *Obal*:Καβολῖται Ptol.Bolitæ seu Obolitæ.

33 *Abimaël*:'Αβος:'Ιμαιοι:Imaënses populi:Imaus mons.

34 *Scheba*:Συηβοί:Σάβαι:Sacæ Ptol.

35 *Ophir*:"Ωφαρος πόλ. 'Ωφορῖται:Ophir seu Opire:& Peru per matathesin.

36 *Chauila*:Heuila in Indiâ orientali.

37 *Iohab*:'Ιοβοι:'Ιωμάν:'Ιωβάρης.Ab Heber Hebræi dicti sunt. Schelachi,Pelegi,& Ioktanis posteri peculiares qui fuerint,non liquet.

38 *Cham*:Χέμμις:"Αμμων.

39 *Cusch*:Κῦσα πόλ.Cussij h.e. Æthiopes.

40 *Mizraim*:Μέσρα & Masra i.e. Ægyptus.

41 *Put*:Πύτεα:Φαέθων.

42 *Cenahan*:Χαναναία : Χνᾶν : Χνᾶς:*Cananea*.

43 *Saba*:Σαβώ.

44 *Chauila*:"Αυιλα.

45 *Sabbatha*:Σαββαθα.

46 *Rahemah*:'Ρέγμα:Charmania Ptol.

47 *Sabteca*:Σαβθακὸς.

48 *Scheba*:Σαβαῖοι:'Αραβία.

49 *Dedan*:Δέδαβαι:Aldabanus mons.

50 *Ludim*:Λάθων καὶ λαιὼθ πόλ.

51 *Anamim*:Νομίδαι.

52 *Lehabim*:Λίβυες:Libya.

53 *Pathrusim*:Φαρούσιοι.

54 *Casluchim*:Ξυλικεῖς.

55 *Caphtorim*:Καφὰ:Σεβοὶς:Cappadoces.

56 *Philistim*:Παλαιστῖνοι:Palæstini.

Reliqua nomina Chamitarum sunt clara, vt Tzidon, Iebusæus, &c. Atque hæc sunt capita familiarum Noë, quæ sunt firmamenta historiarum per vniuersum Scripturæ corpus : de quorum collatione cum exoticis historiis vide *Benedictum Ariam Montanum in tractatu, qui inscribitur Phaleg, id est, de gentium sedibus primis* : *Fr. Iun. annot.in Gen.* 10. *& Hug. Brugthonum in Concentu S.Scripturæ.*

CAPVT XV.

De Articulo primo primæ monarchiæ.

PRÆCEPTA.

TErtium interuallum historicum est primæ monarchiæ, annorum 1702. ab anno mundi 1717. vsque ad 3419.

Articuli huius monarchiæ sunt tres, pro triplici connexione huius monarchiæ cum historiâ triplicis potestatis in populo Dei : ita vt initium & pueritia huius monarchiæ connectatur cum potestate patriâ post diluuium : ipsius medium cum potestate iudiciariâ : ætas grauis & decrementum cum potestate regiâ.

Initium & pueritia monarchiæ Babylonicæ est à Nimrodo vsque ad natiuitatem Mosis:& connectitur cum his patriarchis,Salâ,Hebero,Peleg, Regu, Serug, Nahor,Tharâ,Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph & Amram:è quibus septem antecedunt Abramum, quatuor illum sequuntur.

REGVLÆ.

I. *Epocha primæ monarchiæ deprehenditur à posteriori.*

Æra monarchiæ primæ quomodo deprehēdatur?

De Assyriaci regni initio rectè annotat *Heluicus felicissimus Scaligeri sectator in Syst. Chronol.* illud à posteriori (velut & cæterorum in ethnicâ historiâ) deprehendendum esse : nempe à casu Sardanapali, & initio Arbacis Sardanapali debellatoris. Eius autem epocha deprehenditur ex initio Cyaxaris, quod incidit in Olymp.37. an. 2. vt Scaliger in Canon.ex Diodoro & Eusebio probat. Cyaxaris igitur initium hoc modo dirigit omnium regum tum Medorum sequentium & antecedentium, tum Assyriorum chronologiam vsque ad primam originem. Itaque res plana esset, si in duratione regni Assyriaci, & regum Assyriorum numero historicis conueniret. Inprimis autem duæ supputationes hîc sunt spectandæ. Vna est Africani, altera Iustini. Et Africanus quidem omnes reges Assyriacos ex veteribus authoribus recenset, ita vt series illa longè supra diluuium excurrat. Eum Scaliger quoque secutus est. Iustinus autem etsi non omnes reges recenset : talem tamen annorum numerum definit, qui cum Scripturâ & ærâ Babylonis apprimè conuenit. Africani & Scaligeri series breuiter hæc est. Dynastiæ Babyloniorum considerantur vel principaliter, vel quantum ad suas appendices. Priori modo quatuor sunt ipsorum dynastiæ. Prima est Chaldæorum in Babyloniâ, regum septem ante diluuium. Eius initium incidit in ann.M 1325. periodi Iulianæ 1989.Durauit annos 224.Secunda dynastia est Arabum in Babyloniâ, regum sex, itidem ante diluuium. Eius initium incidit in ann. M.1549. period. Iul. 2213. Durauit annis 216. Tertia dynastia est ipsa monarchia Babylonica, in quâ Scaliger numerat reges 41.à Belo,vsque ad Sardanapalum ; ita quidem vt Belus anno 27. imperij sui debellato sexto Babyloniorum rege, Assyriorum imperium cum Babylonico coniunxerit. Quarta est Medorum, incipiens ab Arbaco Sardanapali debellatore, & desinens in Astyage, quem Cyrus imperio Medorum euertit. Appendices monarchiæ Babylonicæ duæ. 1. Dynastia Assyriorum, postquam ab Assyriis monarchis defecerunt, in quâ hæc est successio : Phul, Teglat phalasser, Iareb, Sargon, Salmanasser, Senacherib, Asar-haddon. 2. Babyloniorum, postquam anno 20. Artycæ à Medis defecerunt. Ea est regum 20. è quibus est Nabonassar, vltimus Nabonidus, qui è Medis fuit oriundus, vnde cognominatus est Darius Medus, à quo imperium deuolutum est ad Cyrum. Cæterùm Scaligero initium Beli incidit in periodi Iulianæ annum 2357.adeoque annum Mundi 1593:nobis, qui Iustinum sequimur in annum periodi Iul. 2481 vel 2481.adeóque in an.M.1717.vel 1718.Quem calculum ita firmamus. *Trogus Pompeius* & ex eo *Iustinus* author est, regnum Assyriorum à Nino ad casum Sardanapali stetisse annos 1300. Adde his annos 55 Beli patris ante Ninum, habebis annos 1355. & proximè peruenies ad initium æræ Babylonicę, quæ initium sumit anno M. 1717. Ad hoc Trogi testimonium confirmandum plurimùm facit, quòd *Diodori* quoque *Siculi* numerus è *Ctesiâ* egregiè congruit : qui dicit, regnum Assyriacum annos 1360 durasse vsque ad casum Sardanapali. Hos annos numera retrò, & peruenies ad caput æræ Babylonicæ, id est, initium Beli. Atque hanc chronologiam confirmat Callisthenes, qui Aristoteli ex archiuis Babylonicis rescripsit, captam Babylonem ab Alexandro, anno 1903.æræ Chaldæorum, vt est apud Simplicium. Quæ annotatio cum Diodori numero examussim conuenit. Alij hanc supputationem quinque ferè annis anteuertunt : illi scilicet, qui non à Cyaxaris initio, sed à fine Astyagis, vltimi Medorum regis (cui tribuunt annos 35.ex Herodoto, & cum eius fine initium Cyri coniungunt) Assyriaci imperij initium inuestigant. Atque hoc est initium regni Assyriaci. Monarchiæ verò initium historici ferè ad Ninum referunt. Scaliger in Canonibus æram Chaldæorum vetustissimam coniicit in annum Semiramidis XVIII. Nos à Belo ordimur, quia ante Belum duæ fuerunt dynastiæ, ad quas ille non potest referri Referendus itaque fuerit ad tertiam dynastiam Babyloniorum, quæ est monarchia prima. Et hoc facit Africanus, quem Scaliger vocat luculentum scriptorem.

Qui dynastæ Assyriorum connectendi sint cum maribus Abrahami?

II. *Belus, Ninus, Semiramis, Ninyas Zames, Arius, Aralius, Xerxes & Armanithres, octo dynastæ priores in monarchiâ Babylonicâ, connectendi sunt cum Salâ, Hebero, Peleg, Regu, Serug, Nahor & Tharâ.*

Non primus Belus in partibus orientis regnauit, vt maximæ historicorum parti placuit. Nam ante Belum Arabes in Babyloniâ, ante illos Chaldæi ibidem regnum obtinuerunt. Et vt Chaldæos Arabes, sic illos Assyrij de regni possessione deturbarunt: Assyrios Medi, Medos Persæ, Persas Macedones, Macedonas Parthi, Parthos iterum Persæ temporibus Alexandri Mamææ, Persas Saraceni, Saracenos Turcæ, Turcas Tatari, Tataros Sophiani, quorum hodie imperium est in Perside. Primus tamen Belus orsus est tertiam Assyriorum dynastiam. Et hic est Nimrod, quem Scriptura primùm regnasse Babylone refert. Alius autem est hic Belus Assyriorum à Belo Tyriorum. Bel Assyriorum est בל: Bel Tyriorum בעל & Syriacè בעל Græci tamen Belum Assyrium non distinguunt à Belo Phœnicio, de quo Virgilius:

——*quam Belas, & omnes A Belo soliti.*

Beli Assyrij initium connectimus cum Salâ & Heber, quorum ille natus est anno mundi 1693. hic anno mundi 1723. ita vt Belus cœperit regnare anno mundi 1717. Regnauit annos 55. fuitque dux illorum, qui condiderunt turrim Babylonicam: quam Deus in summo laborantium feruore turbauit, immissâ linguarum confusione tempore Peleg, qui natus est anno mundi 1757. Idem Nimrod ædificauit Nineuen, *Gen.* 10. quæ ob magnitudinem in historiâ Ionæ appellatur vrbs Dei. In ambitu enim habuit stadia 408. altitudo murorum fuit pedum 100. latitudo tanta, vt tres currus simul perambularent. Turres habuit 1500. quarum singulæ fuerunt altæ pedes ducentos. Cæterùm Belo primùm diuinos honores fuisse exhibitos, author est Cyrillus. Et hanc primam scortationem nominat Epiphanius. Belo successit Ninus; huic vxor Semiramis, cuius anno 18. incipere æram Chaldæorum Scaliger in Canonibus docet. Semiramis illa mortuo marito Nino, nec immaturo filio Ninyæ ausa tradere imperium, nec ipsa imperium palam tractare, tot ac tantis gentibus (Assyrij enim imperabant toti orienti, exceptis Indis) vix patienter vni viro, nedum fœminæ, parituris, simulat se pro vxore Nini filium, pro fœminâ puerum. Magnas deinde res gessit & Babylonem ita amplificauit, vt dicta fuerit ipsam condidisse. Semiramidi successit filius Ninyas Zames, siue Zameis, qui rarò à viris visus, in fœminarum turbâ consenuit, non aliter ac si sexum cum matre mutasset. Atque hi & sequentes quatuor Assyriorum dynastæ connectendi sunt cum Regu, qui natus est an. M.1787. Serugo, qui natus est an. M.1819. Nahore, qui natus an. M. 1849. & Tharâ, qui natus est an M. 1878. Ab hoc Thraces fuisse appellatos scribit Epiphanius, & ab illo deducit initium Hellenismi seu idololatriæ. Anno M. 1787. cœpit regnum Germanorum, & primus rex est Tuisco, filius Noë, vt est apud Auentinum. Tuisco ille creditus fuit deus ex ipsâ terrâ Germanicus natus. Alij rectiùs iudicant, ipsum esse Ascenaz. Anno 1861. cœpit regnum Sicyoniorum, & primus rex fuit Ægialeus, cui successerunt Europs, Telchin, Apis, & alij. Sicyonij isti regnarunt in Peloponneso, quæ etiam dicta est Ægialêa seu Ægialia à primo, & Apia à quarto rege. Anno M.1947. condita est Treueris à Trebeta filio Nini à Semiramide pulso, annis 1250. ante Romam, pro quibus vulgò accipiuntur 1300. vt in vulgato versu.

Ante Romam Treueris stetit annis mille trecentis.


Roma tamen à quibusdam ideò vocatur antiquissima; quia Eusebius author est, Nimrodum, regno ipsius peste vastato, cum octo filiis, viris egregiis, venisse in Italiã, & vrbẽ Camesam condidisse, quæ postea Valẽtia, & tandẽ à Romulo dicta sit Roma. Post Treuerim annis 30. conditũ est Tigurum à principe Thurico: vnde Treuirorum vrbs Tigurum vocauit & agnouit sororẽ.

Qui dynastæ Assyriorum connectendi sint cum Abrahamo & seqq patriarchis?

III. *Cum Abrahamo nonus Assyriorum rex* Beluchus, *item decimus* Balæus, *vndecimus* Sethus, *& duodecimus* Mamythus: *cum Isaaco XIII.* Aschalios *& XIV.* Sphærus: *cum Iacobo XV.* Mamylus, *XVI. Spartheus & XVII.* Ascatades: *cum Iosepho XVIII.* Amyntes, *XIX.* Belochus *& XX. Balatores: cum Amram XXI* Lamprides *& XXII.* Sosares *est connectendus.*

Historia & synchronismus Abrahami.

Abraham nascitur anno M.1948. anno trigesimo Beluchi noni Assyriorum regis, vt ostendit Scaliger animaduers. Euseb. Abrahami γενεαλογία & cognatio hæc est:



Natus autem est Abraham anno Tharachi 70. non 130. vt quidam volunt, secuti Beroaldum: cùm Scriptura *Gen.* 11. *v.* 25. exprimat ordinem generationis, quod ita patet. Scriptura solet exprimere natales patrum, ex quibus Christus debuit nasci. Ergo & natalem Abraham expressit. Iam verò si natalis Abraham non exprimitur hoc loco, nusquam traditur, & sic chronologia Mosis est manca. Nec est, quòd obiicias *Gen.* 5. *v.vlt.* non obseruatum fuisse ordinem generationis. Nam Scriptura *Gen.* 11. exprimit natalem Semi. At natalem Abrahæ nusquam commemorat, præterquam dicto loco. Atque hæc est sententia *Iosephi, Augustini, Bedæ, Scaligeri, Bucholceri, & Perkinsi.* Dissentiunt *Beroaldus, Iunius & alij.* Porrò Abraham anno mundi 2023. natus anno 75. accipit diuinam promissionem, & migrat ex Haram siue Carris, qui locus est nobilis clade Crassi. Hîc obserua duplicem fuisse profectionem, vocationem & missionem Abrahæ. Prima profectio fuit ante mortem patris, eaque potiùs ad peregrinationem in terrã Canaan, quàm ad habitationem: altera fuit post mortem patris, eaque ad collocationem & fixam sedem seu habitationem in terrâ Canaan imperata & suscepta. Deinde prima vocatio est, quâ Abraham Vr Chaldæorum euocatus est in Cananæam: altera, quâ euocatus est ex Haran. Nam Abraham vocante Deo primò reliquit patriam, Vr Chaldæorum: deinde etiam Carras. Denique prima promissio est, cuius vi Abraham venit Carras: altera (quæ dicitur repromissio & repetita promissio) est, cuius vi reliquit Carras, *Genes.* 12. *v.* 1. Et ab hac promissione numerandi sunt anni 430. peregrinationis, & seruitutis, *Gal.* 3. *v.* 17. *Exod.* 12. *v.* 40. Neque valet obiectio: *Exod.* 12. *v.* 40. fit mentio incolatus Israëlitarum, non verò Abrahami. Nam Israëlitæ ibi dicuntur & sunt tota gens Israëlis, ne excluso quidem capite. Calculus igitur horum annorum sic habet. Dimidium peregrinationis partim in Canaan, partim in Ægypto, est 215. annorum: dimidium seruitutis in Ægypto est annorum totidem. Sed redeamus ad historiam Abrahami, & illius synchronismos. Abraham ex idololatrâ factus est pater credentium, & homo Deo quasi intimus. Domus ipsius fuit hospitium angelorum. Fuit primus bellator inter patriarchas, & vicit quatuor reges, *Genes.* 14. inter quos fuit Amraphel, quem Hebræi putant fuisse Nimrodum, alij Ninyam. Illi enim natalem Abrahæ collocant in Semiramidis tempora. Fidus Abrahami Achates fuit Loth, ex quo Ammonitæ & Moabitæ nominis Hebræi sempiterni hostes. Abrahamo nascitur Ismaël ex Hagar ancillâ: vnde Hagareni originem suam trahunt: ex Sarâ (vnde Saraceni dicti) nascitur Isaac: ex Keturâ, quam post obitum Saræ duxit vxorem, varij suscepti liberi, *Gen.* 25. è quibus putantur orti Brachmanes, qui colunt deum Perabrammam, quem dicunt antiquissimum. Pentapolis tempore Lothi & Abrahami igne cœlitùs demisso fermè tota conflagrauit, *Genes.* 19. inque locum eius subiit locus Asphaltites, siuè mare mortuum, quod nunc appellatur *mare solitudinis.* Exitialem enim ipsius vaporem ventus impellit, vt ad quinque leucas omnia sint sterilia. vide *Torniellum in annalibus.* Dicitur autem Pentapolis tractus quinque illarum ciuitatum, è quibus quatuor nominantur *Deut.* 29. *vers.* 23. quæ perierunt; quinta, quæ dicitur Bala, & Zohar, *Genes.* 14. fuit seruata. Denique tempore Abrahami præter quatuor illos Assyriorum reges paulò ante recitatos, eósque obscuros, vixerunt duo reges Germanorum, Mannus & Ingæuon fratres, de quibus *suprà in politicis*: item Pharao rex Ægypti, & is quidem tempore dynastiæ XVII. vel XVI. non verò XVIII. Nam Abraham natus est anno 366. dinastiæ Ægyptiorum XVI. Sunt autem, qui putant, Pharaonem, ad quem Abraham venit, fuisse Osiridem, qui alio nomine dicitur Apis & Serapis, & floruit ante dynastiam XVIII. Ægyptiorum, quæ fuit Diospolitarum, sicuti tres antecedentes, videlicet XV. XVI. & XVII. fuerunt Pastorum, qui Βουκόλοι dicuntur, & locus, vbi à reliquis Ægyptiis semoti agebant, Βουκόλια. Ποιμένες autem & Βουκόλοι apud Ægyptios erant non solùm fæx plebis, sed etiam execrabiles omnibus Ægyptiis tanquam καθάρματα, vt constat ex *Genes.* 26. *vers.* 34. Propterea illis assignatæ erant paludes, tum vt haberent, vbi greges & armenta sua alerent, tum vt ipsi à reliquis Ægyptiis secreti viuerent, vt sunt verba *Scaligeri in animaduers. Euseb.* At illi pastores freti naturâ locorum inaccessorum sæpè in reges ipsos rebellabant, & tanquam ex arcâ quâdam belli ex illis palustribus profecti campestria Ægypti infestabant: eóque prouecti sunt, vt etiam reges crearent, quorum ductu bellum legitimis Diospolitanis & Memphiticis regibus inferrent. Neque solùm isti Bucolici priscis illis temporibus hanc latrocinandi artem factitabant, sed etiam sub Romanis Cæsaribus multum molestiæ præfectis Ægypti facessebant. Quare illis à Romanis firmissimum præsidium militum impositum est, qui ab eo Βουκόλοι dicebantur, quòd ἐν τοῖς Βουκόλοις prætendebant. Nomen porrò Pharaonis non fuit personæ, vel familiæ, sed officij. Pharao enim significat vltorem & vindicem: vnde putatur orta vox *Baro*, teste *Beurero in synopsi hist.* Hæreditarium itaque fuit nomen Pharao, non aliter atque nomen Achmenidarum apud reges Persarum, Neronum apud Sabinos, Ptolemæorum apud Græcos,

eos, Arsacidarum apud Parthos, Candaces apud Æthiopes, Cœsarum & Augustorum apud Romanos. *Isaaci* historiam videamus. Natus est ille anno mundi 2048, anno Abrahami 100. cùm anno ætatis eius 99. circumcisio esset instituta. Hic anno ætatis 13, vt volunt Rabbi Abenezra, & R. Salomo, vel, vt author est *Iosephus lib 1. antiq. cap. 22.* anno 25. diuino iussu immolandus, viuus seruatur: quo facto Deus Abrahamum statuit omnibus fidelibus exemplum puri amoris Dei, typumque immolationis & resurrectionis Christi. Hoc tempore cœpit regnum Argiuorum, anno mundi 2093. Primus rex fuit Inachus, cui successit filius Phoroneus: quibus duobus nihil antiquius est in Græcorum historiis Inachi filia fuit *Io*, quam Ægyptii mutato nomine vocarunt Isidem & veluti deam coluerunt. Ab Inacho est nomen fluuij *Inachus* apud Argos. A temporibus autem Inachi anni sunt ferè 700. ad Troiana tempora, vti Scaliger hunc numerum restituit apud Eusebium. Tatianus nominat hoc interuallum generationes 20. amplius: quod conuenit, supputatis 100 annis in tres generationes. Isaaco etiam σύγχρονοι fuerunt Istœvon rex Germ. cum vxore Freiâ, & Hermion Istæuonis filius. Cæterùm Isaac natus annos 40. ducit Rebeccam, *Genes 25.* & ex illâ suscipit gemellos Esau & Iacob: quorum ille typus fuit gentium, hic Iudæorum. Esau fuit trinomius. Dictus enim etiam fuit Seir & Edom. Ipsius posteri facti sunt genearchæ, & occuparunt Idumæam. Abraham moritur anno mundi 2123. Sem anno mundi 2158. Iacob natus anno mundi 2108. ætatis Isaaci 60. per angelum cognominatus est Israël, quòd Deo præualuisset in luctâ. Proficiscitur ad Laban, & in somnis videt scalam cœli, *Genes. 28.* quæ fuit typus Christi. Doctrinam accepit ab Isaaco & Semo: Sem à Noacho & Mathusalem: Mathusalem ab Adamo: Adam à Deo; ita vt ab Adamo vsque ad Iacobum sint quatuor interualla, per quæ continuata fuit doctrinæ cœlestis successio. Ex Iacobo nati sunt duodecim patriarchæ, qui δωδεκάφυλος ἕνεκα dicuntur patriarchæ posteriores, authores XII tribuum, quibus postea sub Iosuâ distributa est terra Canaan, ita vt tribus Leui sit per reliquas tribus dispersa, & loco eius substitutus Manasse, locóque Iosephi Ephraim, sic disponente Iacobo. Tempore hoc vixisse putatur Iob, speculum patientiæ. Multi existimant illum esse ex lineâ Esau regem Iobab, cuius mentio fit *Genes. 36. v. 34* collato cum *Iob. 19. vers. 7. 8. 9. 25.* quâ de re fusè disputat *Torniellus in annalibus.* Bellarminus & alij putant, Iobum fuisse de prosapiâ Nachor fratris Abrahami. Heurnius in Indico docet, Iobum vixisse ante legem latam; quòd post legem non licuerit sacrificare alibi, quam coram arcâ vel tabernaculo, sine singulari Dei mandato: Iob autem sacrificia Deo obtulerit in regione suâ, *Iob. 1. v. 5.* Idem Iobo tribuit singularem diuinæ ac humanæ philosophiæ cognitionem, illosque Horatij versus *lib. 1. carm. od. 24.* de ipso pronuntiat:


cui pudor, & iustitiæ soror
Incorrupta fides, nudaq; veritas.
Quando vllum inuenient parem?

Liber Iobi est tragico-comœdia sacra, quæ scripta putatur à Mose. Historiæ exoticæ sic habent. Phoroneus anno mundi 2143. primus leges iudiciaque Argiuis constituit, & à ferinâ agrestique vitâ ad cultiorem reuocauit. Quamuis Porphyrius περὶ ἀποχῆς Apidi hoc tribuat. Phoroneus iste dictus est primus homo ab ethnicis: & ἀρχέγονος, à Nonno, tanquam author generis humani Anno mundi 2154. Ogyges rex Atticæ (tum Actæ adhuc appellatę) vel, vt alij volunt, Thebarum rex, floret. Ante Ogygem Thebis Calydnus primus regnasse fertur, post Calydnum Ogyges. Vnde Ogygiæ Thebæ: item καλυδναῖος & ὠγύγιος pro antiquo & vetusto. Hic Ogyges postquam regnasset annos 32. periit diluuio. quod dicitur inde Ogygium, ita vt huius diluuij epocha sit annus M. 2186, adeoque prius sit diluuio Deucalionis 251. Ogygis filius Eleusines condidit sacra Eleusina: etsi hoc ab aliis tribuitur ipsi Ogygi. Anno M. 2188. Marsus rex Germ. succedit patri Hermioni. Ad hunc venisse dicitur rex Osiris cum vxore Iside, & Germanos docuisse artes quasdam mechanicas. Osiris ille (aliàs Serapis & Apis) fuit nepos Phoronei, & imperium suum ex Argiuorum regione transtulit in Ægyptum: vbi, quòd rudes homines docuisset agriculturam artesque alias, ab iis pro deo cultus est in formâ bouis, qui Ægyptijs dicitur Apis. Scaliger tamen in animaduers. Euseb. aliter hâc de re statuit, his verbis: Apim hunc Phoronei filium non est verisimile esse eum, qui ab Ægyptiis pro Deo colebatur: quanquā multi veterum hoc prodiderint. Et paulò pòst. Neque igitur eius frater fuit Ægialeus, sed patruus, neque in Ægyptum profectus est. Sed omnia audet mendax Græcia. Scias autem, quæ Sicyonio Api attribuenda sunt, ea Argiuo huic assignari, & contrà: ne mireris inconstantiam stultorum μυθολόγων. Ita Scaliger. Porrò Apis Argiuorum rex dicitur Memphin in Ægypto condidisse, quæ nunc dicitur Alcair. Hunc Aristeas cognominatum esse Serapin dicit, quòd taurus, teste Nymphodoro, nomine Apis, demortuus & sale conditus, in feretrum sit depositus in templo Dei, qui ibi colebatur, & inde *Soroapis* à σορῷ, *feretro*, appellatus; postea verò consuetudine incolarum *Serapis.* Osiris iste

Ægyptius ex Germaniâ profectus est in Italiam, & postquam à tyranno Italiæ Typhone occisus fuit, reliquit vxorem Isidem; quæ cum Hercule Libyo filio suo, qui vicissim Typhonem interfecit, in Germaniam rediit, & Germanos lini & cannabis texturam, vini item & olei, metallaque tractandi rationem docuit. Ideò pro deâ culta fuit. *Ioseph* nascitur anno mundi 2199. (qui fuit illustris typus Christi ratione proditionis seu venditionis, carceris item & exaltationis) tempore Pharaonis cognomento Amos seu Amosis, qui fuit primus in dynastiâ Ægyptiorum XVIII. anno mundi 2252. & dictus fuit Pius, quia vt author est Porphyrius περὶ ἀποχῆς, & Eusebius in Chronic. primus abrogauit νόμον ἀνθρωποκτονίας Heliopoli in Ægypto. Atque hæc est celebris illa Ægyptiorum dynastia, à quâ scriptores nostri initium faciunt, propter synchronismum rerum Israëliticarum cum regno Ægyptiaco in historiâ sacrâ. Iosephus ab isto pio Pharaone fuit constitutus prorex Ægypti: quem multi existimant fuisse Hermetem Trismegistum, cuius tabula smaragdina Chymicis est instar Bibliorum philosophicorum. Viues tamen & alij ex Eusebio annotant, Mosen fuisse Ægyptiorum Mercurium. Anno M. 2238. Argus filius Apidis succedit patri in regno Argiuorum. Eius temporibus Græcia cœpit exercer agriculturam, ita scilicet edocta ab Apide seu Osiride, non e Ægyptio illo prisco, quem claruisse an. M. 1103. dicunt, sed a b Argiuo seu Ægyptio illo recentiore, quem diximus Phoronei nepotem. Ab hoc, Argos regio Peloponnesi dicta, vt & populi Argiui. Inde expulsi sunt Telchines, quando bellum Phoronéo regi intulerunt, indeque traduxerunt colonias in Rhodum, quæ inde Telchinia dicta, pòst Ophiusa ob serpentum infestationem, à quibus eam Phorbas Argiuorum rex liberauit, paulò ante Mosen. Argi filius Epidaurus condidit Epidaurum in Argolide: præter quam dantur duæ aliæ Epidauri. Vna est in Parthinis, seu in Illyrio siue Dalmatiâ, & dicitur Pausaniæ ac Straboni Paramira, hodie *Ragusi*: altera in Peloponneso & Laconiâ, Græcis hodiernis μονεμβασία. Italis *Maluasia* dicta: vnde vinum Maluaticum generosissimum, quo nomine etiam appellatur vinum Cretense ob parem virtutem. Sparta hoc tempore condita, quo Gambriuius rex Germanorum fuit, anno 2234. Dicta fuit à Sparto, quem alij filium, alij fratrem Phoronei fuisse volunt. *Amram* superest in hoc articulo, qui natus est paulò ante obitum Iosephi anno mundi 2303. annis 65 à descensu Iacobi in Ægyptum, annis 280. à promissione elapsis. Natus, inquam, est ex Kahath filio Leui, cuius hæc est genealogia & posteritas.

Historia & synchronismus Iosephi.

Historia & synchronismus Amrami.



Hîc obserua, latè Leuitas dici omnes posteros Leui: sed strictè hoc nomine appellari, qui Pontificibus seu Sacerdotibus oriundis ex lineâ Eleazari & Ithamari opponuntur. Tempore Amrami vixerunt tres reges Ægypti, Amersis, Misphis, & Misphragmuthosis (cuius anno 25. Moses nascitur) item Tantalus, & Teuto filius; reges Germanorum: & primus in Thessaliâ regnauit Hœmon filius Thessali è stirpe Inachi: Æthiopes denique ab indo flumine consurgentes in Ægyptum venerunt, atque regioni, quæ vltra Ægyptum iacet, & in quâ consederunt, nomen dederunt. Toto hoc tempore, & deinceps, Israëlitæ grauissimas persecutiones ab Ægyptiis sunt perpessi. Vbi memineris, Africanum aliter recitare reges dynastiæ XVIII. Ægyptiorum, aliter Iosephum. Nam iuxta seriem Iosephi Moses natus fuerit anno 7. Ori, iuxta Africanum & Scaligerum anno 25. Misphragmutohosis. Porrò inter tempus Phorbantis, id est, annum M. 2362. & Argi, hoc est, annum M. 2238. collocandum est seculum Promethei & Atlantis astrologi, fratrum, 60. vel 90. annis ante Cecropem: quanquam alij referunt ad tempora Cecropis. Prometheus ille fuit homo sapiens, qui feritatem & imperitiam hominum ad humanitatem & scientiam traduxit, ideoque à poëtis dictus fuit finxisse homines, ignemque de cœlo in vsum hominem abstulisse, id est, rationis vsum demonstrasse. Atque hic est primus primæ monarchiæ articulus; qui quantum ad historiam sacram attinet, petendus est ex libro Geneseos, continente historiam an 2309: quia Ioseph (cuius historiam continet) mortuus est anno M. 2309. Liber iste dicitur Hebr. ספר יצירה id est, liber creationis: Latinis liber sacrarum originum: Græcis γένεσις, & βίβλος δικαίων, id est, rectorum, quo nomine peculiariter insigniuntur Abraham, Isaac, & Iacob. Describit enim 1. Originem mundi, generis humani, peccati, & pœnæ. 2. Gubernationē mūdi ante diluuiū, & post diluuiū præcipuè secundū tempora Abrahami, Isaaci, & Iacobi. Colophonis loco accipe versus memoriales patriarcharū omniū post diluuium:

Noachus, Semus, pòst Arphaxad, Sala, & Heber,
Peleg, pòst Regu, Serug, Nachorque, Therachque,
Abraham, & Isaacus, Iacob, Leui, Caath & Amram.

Hîc obserua *Luc.* 3. inter Arphaxad & Sala interiici Cainan: quia Lucas secutus est versionem Græcam, quæ tum in Ecclesiâ erat recepta.

CAPVT XVI.

De Articulo secundo primæ monarchiæ.

PRÆCEPTA.

MEdium, seu vigor, primæ monarchiæ est à vigesimo secundo Assyriorum rege Sosare, cuius anno 17. natus est Moses, vsque ad tempora Saulis: id est ab anno mundi 2373. vsque ad 2879. ideóque est annorum 506.

Tituli ipsius sunt XVI. pro numero ducum & iudicum populi Dei, qui comprehenduntur his versibus:

Moses, Iosua, & Othoniel, Ehudque, Debora,
Gedeon, Abimelech. Thola, Iair, Iephthe & Ibizan,
Elon, pòst Abdon, Sanson, Eli, Samuelque.

REGVLÆ.

Historia & synchronismus Mosis.

I. *Mosis vita in tres quadragenas diuiditur.*

Moses nascitur anno M. 2373. anno 70. patris Amrami; & viuit annos 120. ita vt tota ipsius vita rectè diuidi possit in tres quadragenas. Cum ipsius historiâ connectuntur quatuor dynastiæ Assyriorum, videlicet, 22. Sosares, 23. Lamparès, 24 Panyas, & 25. Sosarmos, cuius anno secundo, anno mundi 2453. contigit exodus Hebræorum: item septem reges Ægyptiorum dynastiæ decimæoctauæ, quæ est Diospolitarum; videlicet Misphragmuthosis, sub quo natus est Moses; Thuthmosis; Amenophthis, qui putatur esse Memnon & lapis vocalis, qui Thebis Ægyptiacis sonum citharæ singulis diebus oriente sole edidit; Oros; Acherres, cuius anno secundo Moses eduxit populum de finibus Ægypti; Rathos; & Chebres, cuius anno secundo Moses moritur. Cæterùm Moses in primâ quadragenâ eripitur ex infanticidio Pharaonico, quod eleganter cum Herodiano conferri potest: fit filius adoptiuus filiæ Pharaonis, & educatur in omni sapientiâ Ægyptiorum. In secundâ quadragenâ occidit Ægyptium quadragenarius: & ex Ægypto fugit in terram Madian ad Iethronem, sacerdotem sapientissimum, cuius filiam Zipporam ducit vxorem, ibique agit vitam pastoralem; & verè philosophicam. Iam octogenarius in tertiâ quadragenâ videt rubum ardentem, typum liberationis Israëlitarum: vocatur à Deo & mittitur in Ægyptum, vnde post varia edita miracula coram Pharaone Acherre, educit populum anno mundi 2453. 15 Aprilis. Post 40 dies lex promulgatur in monte Sinai. Moses fit dux populi per 40. annos in deserto, vbi varia miracula diuina & multiplex rebellio populi aduersus Deum conspecta. Idem erexit politiam Iudaicam: vnde Moses vsitatè appellatur Cancellarius Dei. Quæ omnia continentur quatuor illis libris Mosis; Exodo, qui habet historiam annorum 142. à morte Iosephi vsque ad erectum tabernaculum: Leuitico, in quo sunt res gestæ vnius mensis, ab initio anni secundi post exitum: Numeris, vbi historia annorum ampliùs 38. & denique Deuteronomio, in quo historia mensis 1½. Memorabiles hîc sunt decem plagæ Ægypti, de quibus hi versus:

Sanguis, rana, culex, tum reptile, pestis & vlcus,
Grando cum brucho, tum tenebræ, moritur.

Admodum etiam memorabile est, quòd, cùm LXX. animæ descenderint in Ægyptum, exierint sexcenta millia peditum, exceptis paruulis, mulieribus, & vulgo promiscuo, ita vt summa putetur ter decies centenûm millium. Deducti autem sunt filij Israël per mare rubrum, & in deserto circumducti annis 40. ita vt fuerint mansiones 41. vsque ad Iordanem, cùm ferè spatio tridui Deus illos in terram Canaan introducere potuisset. Nimirum explorauit ipsorum fidem. Hîc viri pij ista annotant: Ægyptus notat captiuitatem spiritualem; Mare rubrum significat baptismum; Moses, Christum; populus transiens, fideles; mors Ægyptiorum, liberationem ab hostibus; desertum, afflictiones huius mundi, quæ durant 40. annos, id est, longum tempus; Canaan, cœlestem patriam. In tabernaculo sanctum sanctorum erat typus cœli; arca fœderis & virga Aharonis Christum significabat; Moses & Aharon indiuidui comites mutuum auxilium in politiâ & ecclesiâ depingunt; λογεῖον, id est, rationale seu pectorale, Hebraicè Vrim & Thummim, doctrinæ puritatem, vitæque sanctitatem notat; ignis perpetuus, omni Persico & Vestali potior, victoriam fidei; manna (scilicet extraordinarium & supernaturale) Christum; columna Israëlitas dirigens, serpens æneus & petra suppeditans aquas eundem præfigurabant. Cæterùm Moses aureum vitulum redegit in puluerem, arte fortassis inde ex Ægypto sibi cognitâ. Concilium LXX. seniorum fuit institutum, quod postea fuit appellatum Sanhedrin. Israëlitæ multiplici murmure ac diffidentiâ iram Dei adeò prouocarunt, vt ex iis nonnisi duo, Iosua & Caleb, ingressi fuerint terram promissam. Tandem Moses moritur, & à Domino sepelitur; ne videl. esset materia superstitionis. Et tum putatur contigisse illa Michaëlis concertatio cum Diabolo super corpore Mosis de quâ *in epistolâ Iudæ v.* 9. Aharoni defuncto Eleazarus filius succedit in summo pontificatu: & huic Pinehas filius. *Iosephus lib.* 10. *antiq & seqq.* enumerat in vniuersum LXXXIV. summos Pontifices inde ab Aharone vsque ad excidium Hierosolymitanum. Præcipui huius temporis synchronismi sunt isti. 1. Germanorum reges hoc tempore floruerunt duo: Allmannus, Hercules ille Germanorum an. M. 2394 & Boius anno M. 2358. sub quo duo exercitus, vnus virorum (Cimbrorum) alter mulierum (Amazonum) in Asiam emissi sunt. Amazones Ephesi templum Dianæ construxerunt, teste Solino, Melâ & Iustino, vt & ipsam vrbem: vsumque bipennium & tympanorum inuenerunt. 2. Atheniensium prima dinastia cœpit, anno mundi 2394. regum 17. è quibus primus fuit Cecrops, qui dictus est διφυής, vel quòd staturam duorum virorum haberet, vel duas linguas, Græcam & Ægyptiacam calleret, vel quòd introductâ promiscuâ commixtione, sublatoque coniugij legitimo vsu homines διφυεῖς effecerit. Dicitur etiam αὐτόχθων quasi, à nullo ortus. Condidit vrbem Cecropiam, quæ postea dicta est Athenæ. Quanquam Athenæ potiùs à Cecrope restauratæ videntur, annis 867. ante Archonton annuorum magistratum, seu democratiam. Vide Sigonium ex Eusebio. Ad nomen vrbis huius quod attinet, Iustinus Athenas sub Amphictyone sic primò appellatas esse tradit. Alteræ Athenæ in Eubœâ conditæ sunt à Diante, vnde Diades appellatæ: quas Scaliger sic dictas putat ἀπὸ τῆς ἀκτῆς, promontorio Eubœæ. Sunt & tertiæ Orchomenos dictæ in Bœotiâ, vt tradit Stephanus. Primus Cecrops Iouem deum appellari & coli sanxit. Cecropis filij fuerunt Tithonus & Phaëthon, cuius incendium est notissimum, quod tantum fuit, vt Sol terras non calore affecisse se igne corrupisse fuerit visus. Cecropi successit Granaus αὐτόχθων cuius filia *Atthis* nomen dedit terræ Atticæ. In huius regis tempora incidit diluuium Deucalionis, licet alij collocent in tempora Cecropis, annum videl. mundi 2437. Deucalion iste fuit rex Thessaliæ. Eius filius Amphictyon Cranaum eiecit, & factus est tertius Atheniensium rex, anno M 2453. Amphictyon iste cùm animaduerteret gentem Græcam infirmam esse, ideoque à finitimis barbaris exhauriri facile posse; coëgit eos in concilium, quod Amphictyonicum est cognominatum, legesque tulit, quæ præter illas, quas quælibet ciuitas habebat proprias, communes essent omnibus; atque illæ appellatæ sunt Amphictionicæ: vnde prouerbium, *Anphictyonum concilium.* Sub Amphictyone in Atticam venit Dionysius, seu Liber pater, qui & Bacchus dicitur. 3. Apud Argiuos hoc tempore adhuc caruit Phorbas, qui Rhodum à multitudine serpentum liberauit; & post eum tempore Iosuæ Danaus, aliâs Armais, qui à fratre Sethosi seu Ægypto è regno expulsus, Argis regnauit: vel vt alij tradunt, eò venit, cùm fugeret Iosuam. Danaus ille & Ægyptus fuerunt filij Beli. Beli huius frater Agenor progenuit Cadmum, Phœnicem, vnde dicta est Phœnicia, Euronem & Cilicem, vnde Cilicia. 4. Regnum Troianum circa hæc tempora cœpit. Primus rex fuit Teucer anno M. 2450. circiter: cui anno M. 2471. succedit Dardanus, Iouis & Electræ filius, Teucri gener; à quo Dardania temporibus Danai condita.

II. *In historiâ Iosuæ Othonielis præter historica & synchronismos obseruanda est duplex Iudicum populi Dei supputatio.*

De diuersâ iudicum supputatione teneantur ista. 1. Annis iudicum anni tyrannorum, qui oppresserunt populum Dei, sunt annumerandi, non autem seorsum numerandi, & in chronologiâ sacrâ peculiaribus titulis constitutis recensendi. Absonum enim fuerit chronologiam sacram tam fœdo calculo contaminare. Rectiùs igitur faciunt, qui successionem iudicum sine interregno, quàm cum interregno numerant. Etsi enim res eodem recidat: prior tamen calculus ob causam modò dictam est longè conuenientior. Hinc regula Chronologorum: *Anni tyrannorum in calculo sacro sunt heterogenei.* 2. Sex seruitutes seruierunt filij Israël sub variis hostibus, anno 111. per interualla: videl. sub Chusan, *Iud* 3. sub Eglon *ibid.* sub Iabin *Iud.* 4. sub Midianitis *Iud.* 6. sub Philistæis, *Iud.* 10. rursus sub Philistæis, *Iud.* 13. 3. Iosua solus præfuit annos 18. qui supersunt de 480. annis 1. *Reg* 6. *v.* 1. si iudicum anni in Scripturâ designati absque vllo interregno numerentur: & Iosuæ vnà

cum

eum Othoniele, seu Athniele, anni 40. tribuantur. Cæterùm historia sacra Iosuæ & Othonielis hæc est. Iosua an. M.2493. populum deducit in terram Canaan, & sex primis annis debellat Cananæos. Deinceps anno septimo diuiditur terra, ita vt κληρονομία, quam vocant, incidat in annum M.2499. Iosua fuit typus Christi ratione nominis, ingressus in terram Canaan, deiectionis murorum Iericho & plurimarum victoriarum. In hæc tempora incidit initium Iubilæorum, videl. in annum M.2500. ita vt primus Iubilæus fuerit celebratus an. M.2548. Sunt autem duûm generum Iubilæi. Principiò est Iubilæus proleptícus, qui dici potest creationis & mundi, quem inde ab initio mundi vsque ad annum 2500. oportet animo præconcipere. Deinde est Iubilæus ceremonialis Mosaicus seu legalis, qui hoc tempore incipit. Ille incipit in mense Nisan, & nos deducit ad passionem Christi: hic incipit in Autumno & ducit ad Christi natiuitatem. Hinc Iubilæi in sunt Chronologiâ sacrâ, quod Olympiades in historia apud Græcos. Voluit nempe Deus hâc ratione confirmare publicam chronologiam gentis Iudaicæ, ita vt in contractibus Iubilæorum annorúmque sabbaticorum exacta haberetur ratio, illísque quasi munirentur scriptiones. Non potuit autem error accidere; quia hi anni velut scripti & exarati erant in ipsis agrorum sulcis. Hæc quoque annorum sabbaticorum & Iubilæorum ratio seruiebat consolationi. Pulcherrima enim est illorum annorum catena à possessione terræ Canaan ad possessionem cœli per Christum acquisitam. Hinc Brutgthono videtur annus *Iobel* à *Iabal*, i. e. vectione seu fluxu. non verò à cornu arietino dictus: quòd scil. nos quasi secũ vehat ad Christum; non autem quòd cornibus arietinis sit proclamatus. Cæterùm à creatione mundi vsque ad annum M.2500. effluxerunt Iubilæi 51. vt patebit si 2500. diuidantur per 49. Ex his efficitur, Iubilæorum & sabbatismorum obseruationem esse κειμήλιον ecclesiæ, & indubitatum characterem, ex quo præcipua temporum interualla diiudicari queant quàm exactissimè. Sunt, qui putant synagogas hoc tempore fuisse institutas: quas alij cœpisse putant tempore exilij Babylonici. Porrò Othoniel, Calebi gener, populum vindicat in libertatem ex primâ seruitute octennali, quam seruierunt sub rege Mesopotamiæ, *Iud.* 3. *v.* 8.9. Anni seruitutis istius connumerantur annis iudicum, & finiunt anno M.2519 Synchronismus præcipuarum rerum hic est. 1. Duo reges monarchiæ Assyriacæ cum Iosuâ & Othoniel sunt connectendi: Mithræos 26. & Teutamos, qui & Teutanes, rex 27.2. Dynastia Ægyptiorum XVIII. ad finem decurrit. 3. Ingram XIII. Germanorum rex floret. 4. In Sicyoniorum primâ dynastiâ floret Epopeus, qui templum dedicat Mineruæ, in quo eius monumentum, & in propinquo dij ἀποτρόπαιοι. *Cœl. Rhodig. lib.* 12. *cap.* 12.5. Danai posteri, Danaidæ dicti, obtinent Argiuos vsque ad Pelopidas. seu Atridas. Illorum parens Danaus Argiuo regno potitus regionem aridam (ob id δίψιον ἄργος appellatam) erutis fontibus, abundare fecit aquis, ministerio filiarum quinquaginta: vnde prouerbium,

Ἄργος ἄνυδρον ἐὸν Δαναὸς θῆκεν Ἄργος ἔνυδρον.

Per quinquaginta istas filias totidem filios Ægypti seu Sethosis fratris interfecit, euadente solo Lynceo, qui postea regnauit Argis. Ægyptus ex Euryope Nili filiâ sola tot filios suscepisse scribitur. Atque hic est ille Ægyptus, siue Sethosis, à quo regio nomen obtinuit: quique fratrem suum Danaum, aliâs Armaim, & patriâ & regno expulit, cùm animaduerteret illum moliri rebellionem. Inde Armais Argos profectus ibidem regnum adeptus est. Obserua, quosdam tradere Danaum fuisse fratrem regis Rhamesis, seu Rammesis, qui fuit XV. rex in XVIII dynastiâ Ægyptiorum, anno M.2519. cùm Sethes siue Sethosis fuerit primus in dynastiâ XIX. anno M.2539. Ego putarim, has sententias ita posse conciliari, si dicamus, Danaum vtriusque fuisse fratrem; cùm inter Rhammesem penultimum regem dynastiæ XVIII. & Sethosin primum in dynastiâ XIX. non multi anni sint interiecti.

III. *Cum Ehud duo Assyriorum dynastæ sunt connectendi, Teutæus* 28. *& Arabelus* 29.

Ehud, vel Ajoth, succedit Othonieli an. M.2550. & iudicat populum annis 80. eúmque liberat à secundâ seruitute, quam seruierat 18. annis sub Eglon rege Moabitarum, *Iud.* 3. *v.* 14. quo libro describitur status reip. Israëlitarum inde à temporibus Iosuæ vsque ad Eli, ita vt sit historia annorum 299. Liber autem Iosuæ continet res gestas à morte Mosis vsque ad mortem Iosuæ, éstque historia annorum fermè 18. Tempore Ehud floruit Adelget rex Germ XIV. & Latein seu Laertes, XV. Cœpit etiam dynastia Ægyptiorum XIX. quæ fuit Diospolitarum. Primus rex fuit Sethos, siue Sethosis, de quo paulò antè; secundus Rhapsaces, cuius anno 45. Pelops ludicrum Olympicum instituit. Colliguntur autem istæ dinastiæ ex tomis Manetho sacerdotis Ægyptij. Sethos ille aliâs dictus est Ægyptus, vnde regio dicta fuit: quæ antea Aëria, Potamia, Æthiopia (ab Æthiopibus eò commigrantibus ex Indiâ) Aëtia (ab Aëto quodam Indo) Ogygia, Melambolus, & Hephæstia q. d Vulcania dicta fuit. Hoc etiam tempore apud Trojanos regnant Erichthonius Dardani F. & Tros Erichthonij filius, qui Trojam condidit, quam ita à suo nomine dixit, & Ilium è nomine Ili filij, quem habuit successorem. Apud Argiuos regnant Abas Lyncei F. & Prœtus filius Abantis. Sub Abante floret prima vates Phemonoë, & primus versus hexameter ab illo factus celebratur eiusmodi:

Συμφέρετε πτερά τ' οἰωνοὶ, κηρόν τε μέλισσαι.

Amazones iterum se exerunt, mulieres Germanicæ; quibus regina vna Martpeis in militiâ, altera Lantpontin domi præfuit, vt est apud Auentinum. Straboni historia Amazonum videtur esse τερατώδης καὶ ἄπιστος πόρρω, *prodigiosa & vix credibilis.* Veruntamen earum complures historici meminerunt:

Φήμη δ' οὔτι πάμπαν ἀπόλλυται, ἥν τινα πολλοὶ
Λαοὶ φημίζουσι——*inquit Hesiodus.*

Prœti filiæ, dictæ *Prœtides*, formâ præstantissimæ, in furorem actæ sanantur helleboro à Melampode: vnde helleborum Melampodium dictum. *Plin lib.* 25. *cap.* 5. Tempore Prœti geritur bellum Atheniensium & Eleusinorum. Phryxus Athamantis regis Thebani filius hoc ipso tempore cum Hellâ sorore fugiens nouercales Inûs insidias vectus est in Asiam ariete (id est, naui, cuius insigne erat aries) cui vellus aureum adhærebat. Helle verò puellari timore exterrita decidit, & mari *Hellesponto* nomen fecit. Phryxus incolumis in Colchidem peruenit, ad regem Aëten, ibíque, immolato ariete, vellus aureum in templo suspendit: quod postea Iason ope Medeæ abstulit Aries ille postea inter sydera relatus & Phryxéus est appellatus. Vide *mythologiam Natalis Comitis.* A Phryxo isto Phrygiam appellatam volunt. Genealogia ipsius hæc est: Prometheus, Deucalion, Hellen (à quo Ἕλληνες) Æolus, Athamas, Phryxus. Ganymedis quoque raptus in hæc tempora confertur, 65. annis ab incendio Idæ, quo Idæi Dactyli, ferro vi ignis liquefacto, ferratiam didicerunt, annis 73. à diluuio Deucalionis. Ganymedes ille fuit filius Trois, quem rapuit Tantalus, pater Pelopis, avus Atrei, vnde Agamemnon & Menelaus progeniti. Ideò Tros bellum gessit cum Tantalo: quanquam alij scribunt illud gestum ab Ilo Ganymedis fratre. Poëtæ fingunt à Ioue raptum, operâ aquilæ, quam Epiphanius nauim exponit, aquilâ insignitam, ob celeritatem, quâ Trojam fuerit prætereuectus. Bellerophon Phrygius, genere Corinthius, tempore Prœti nauigium comparat, cuius insigne equus alatus, *Pegasus* dictus; quo longè latéque locis maritimis prædatur Tzezes simpliciter nauim exponit, cuius remi instar alarum. Idem Bellerophon Chimæram interficit, & debellat Solymos vnà cum Amazonibus. In Atheniensium dynastiâ I. Erechtheus Pandionis f. & Cecrops II. qui etiam minor dicitur ad differentiam Cecropis I. seu maioris, regnant. Aboriginum Latinorum regnum anno mundi 2621 auspicatur Ianus filius Apollinis & Creusæ Erechthei Atheniensium regis filiæ. Hic Ianus non contentus patrio regno, cùm magnâ classe in Italiam venit, ibíque occupato monte vrbem constituit, quam à suo nomine Ianiculum appellauit. Ad eum venit Saturnus regno suo pulsus, & benignè hospitio exceptus homines agriculturam docuit. Eius anni comprehenduntur sub annis Iani. Hæc est prima dynastia Romanorum, qui primò dicti sunt Aborigines, quia orti sunt ab Atheniensibus, qui se vocabant Aborigines: deinde Latini à Latino rege, tandem Romani à Romulo.

IV. *Cum Deborâ connectendus est Chalaos* 30. *Assyriorum dynasta.*

Historia & syncronismus Deboræ.

Debora prophetissa anno mundi 2630. regimen capessit, & cum Barac tenet clauum annis 40. Liberat populum à tertiâ seruitute, quam seruierat annis 20. sub Iabin rege Cananæo, cuius dux bellicus erat Sisera. Sub Deborâ incipit quarta seruitus sub Midianitis. Ad annum M.2660. & seqq. pertinet historia libri Ruth, eáque decem annorum: è quibus primum & vltimum author istius libri enarrat, intermedios prærterit. Mycenarum regnum ex regno Argiuorum consurgit ab vltimo anno Acrisij vltimi regis Argiuorum, cui succedit Stheneleus cum Perseo, anno mundi 2637 Huic succedit Eurystheus, filius Sthenelei, nepos Persei, de quo etiam Homerus ἰλιάδ. τ. Perseus fuit nepos Acrisij, qui Gorgonas deuicit: vnde caput Medusæ apud poëtas. Amphion Thebis regnat, qui fertur saxa mouisse citharæ cantu, id est, dura & agrestia corda eloquentiâ permulsisse. Est alius ab eo, qui fuit in expeditione Argonauticâ. Pelops Tantali regis Phrygiæ filius, fugit patris insidias, qui ipsum diis epulandum, id est, fortibus heroibus dilaniandum proposuerat. Adolescens iste se confert in Elidem, ad regem OEnomaum, quo curuli certamine victo, ex conuentione filiam Hippodamiam, & simul regnum adipiscitur, totámque Gersonesum de suo nomine Peloponnesum appellat. Et hic est ille Pelops, qui primùm Olympica certamina instituit in Elide anno mundi 2633. Circa hæc tempora ex mente Heluici Cadmus Agenoris F. è patriâ Phœniciâ literas in Græciam importat, dum quærit sororem Europam, raptam à Cretensibus, Ioue rege, in naui Tauro. Eæ literæ prorsus conuenerunt cum Ionicis vetustis, teste Herodoto, item cum pri-

ſcis Hebraicarum literarum figuris, vt docet *Scaliger animad-uerſ.in Euſeb.* Cadmus deſperatâ ſororis inuentione in Bœotiâ cum comitibus ſedem figit, in qua vrbem Thebanam condit. Vnde Thebæ Cadméæ dicuntur Propertio. Nomen eſt Hebræum, ſignificans orientalem aut priſcum. Phœnix quoque, Cadmi frater, a quo Phœnicia dicta, mittitur ab Agenore ad quærendam ſororem: qui trajecit in Aſiam, & Bithyniam vrbibus inſtruxit. Eius etiam nomen eſt Hebræum. Phinechas. Alij tamen hanc Cadmi & Phœnicis hiſtoriam referunt ad tempora Danai, & collocant in annum M. 2507. vt ſupra non ſemel annotauimus Et his fauet genealogia ſuprà cap. 10. poſita. Græci etiam, vt ſuam doctrinam vetuſtiorem faciant, longè ſupra hunc numerum aſſurgunt.

Hiſtoria & ſyncroniſmus Gideonis.

V. *Cum Gideone connectendus eſt Anabos X X X I. Aſſyriorum dynaſta.*

Gideon ſeu Gedeon, ſuccedit Deboræ anno mundi 2670. & iudicat Iſraëlem 20 annis. Liberat populum à quartâ ſeruitute ſub Midianiits. Prælium inchoat clangore tubarum, ſtrepitu fictilium, lampadum fulgore & militum clamore. Apud Trojanos Laomedon filius Ili: apud Argiuos Euriſteus, & poſt hunc Pelopidæ, Atreus, & Thyeſtes fratres perpetuò diſcordes, Pelopis filij, nepotes Tantali regis Phrygiæ, regnant, & regno Mycenarum dant nomen Pelopidarum. Thyeſtes vxorem fratris polluit adulterio. Vnde Atreus indignatus, filios fratris necatos & coctos ipſi apponit vorandos Hinc cœna Thyeſtéa, & nuptiæ Thyeſtéæ prouerbio dictæ. Hercules floret, Iouis & Alcmenæ filius. Cicero ſex hoc nomine fuiſſe appellatos ait: ſed Varro X L I I I. recitat, qui robore præſtiterint, & hoc nomine ſint appellati. Euryſtheus nepos Perſei, rex Mycenarum apud Argiuos, iniunxit Herculi, vt varia monſtra conficeret, ſperans illum ab iis interemtum iri. Sed Hercules victor ſemper incolumis rediit. Vnde X I I. Herculis labores in epigram. Virgil. Hos autem labores Iunonis inſtinctu impoſitos eſſe Herculi, Homerus Iliad. 19. teſtatur: vbi cauſam odij Iunonij exponit, quia Hercules natus erat ex adulterio Iouis & Alcmenæ. In hæc tempora collocatur fabula Proſerpinæ, quam rapuit Ardoneus, ſiue Orcus, rex Moloſſorum: cuius canis ingenti magnitudine Cerberus Pirithoum deuorauit, qui ad raptum vxoris eius vnà cum Theſeo venerat. Theſea è mortis periculo liberat Hercules, & ob id quaſi ex inferis reuocaſſe dicitur. Circa hæc tempora contigit hiſtoria Sphingis & OEdipi; qui fuit filius Laij, regis Thebanorum. Siſyphus etiam floret, progenies Æoli, pater Anticleæ, auus Vlyſſis, qui Corinthum condidit, quæ aliàs vocabatur Ephyra. Siculus, Itali regis filius, Trinacriam occupat, & à ſuo nomine Siciliam vocat, ſed ab Vmbris & Aboriginibus eiicitur. Tyrus condita 240. ante templum Salomonis. Aſterius, rex Cretæ, ducit Europam Agenoris filiam, Cadmi & Phœnicis ſororem. Auguſtinus vocat hunc regem Xanthum. Ex Europâ ſuſcepti liberi Minos & Rhadamanthus. Hinc quidam colligunt, hiſtoriam Kadmi ad hæc pertinere tempora: cùm minos ſit Theſeos σύγχρονος. Vlſing, X V I. Germanorum rex, floret anno mundi 2670. qui Tacito dicitur Vlyſſes. Apud Romanos florent Picus & Faunus reges Aboriginum.

Ætas ingraueſcẽs poteſtatis iudiciariæ.

VI. *Abimelech, Tholah, Iair, Iephthe, Ibizan, Elon, Abdon, & Samſon conſtituunt ætatem poteſtatis iudiciariæ ingraueſcentem.*

Abimelech anno mundi 2710. ſe intrudit in gubernationem, occiſis 70. fratribus. Fuit filius Gideonis degener. Præeſt annis tribus. Linus Herculis præceptor floret: item Hercules Amphitryonis filius. De Lino, itémque Orpheo & eius diſcipulo Muſæo, antiquiſſimis Græcorum poëtis vide *in Chronolog.* Bellum Lapitharum & Theſſalorum geritur. Theſſali dicti Centauri, quia ex equis pugnabant: quod gemina corpora quaſi coalita viderentur. Minos rex Cretenſis his temporibus eſt clarus. In 1. dynaſtiâ Athenienſium floret Ægéus, à quo putatur dictum mare Ægéum: quòd ſe in illud præcipitauerit. Ægéo ſuccedit Theſeus filius, Herculis conſobrinus. Hic populum in agris diſperſum, in vrbem collegit, & ciuilis ſocietatis vinculo coniunxit. Liberauit etiam eundem à ſeruitute Minois regis in Cretâ, interfecto Minotauro, ope Ariadnes. Nummum ſtatuit inciſo in eum ſigno bouis. Helenam rapuit quinquagenarius. Euander in Italiam venit annis 60. ante aduentum Æneæ ex Arcadiâ profugus. Carmenta mater Euandri Themis fuit dicta, quia literarum vſum Aborigines docuit. Ipſa nomen habuit à carmine: quia fuit fatidica. Hinc prouerbium: *Cum matre Euandri loqui.* ***Thola*** ſuccedit Abimelecho, anno mundi 2713. præeſt annis 23. Cum Tholâ connectitur Babios XXXII. Aſſyriorum dynaſta. Hercules in Italiâ bellum gerit, annis 50. ante aduentum Æneæ: & Cacum interficit. Latinus vltimus Aboriginum regnat in Italia; anno mundi 2735. Hic eſt ſocer Æneæ; qui habitus fuit filius Fauni, cùm reuerâ eſſet Herculis ex Lauiniâ, quæ ab eo prius, quam Fauno in vxorem daretur, erat imprægnata. In hæc tempora conferuntur Caſtor & Pollux filij Tyndarei, qui ſuccedunt patri in primâ Lacedæmoniorum dynaſtiâ. Ante hunc Tyndareum reges Lacedæmonum ad Chronologicum calculum inferri non poſſunt. Succeſſio nihilominus eſt cognita, hoc modo. Primus rex fuit Eurotas quem Lelegem dicunt, à quo Eurotas fluuius. Secundus Lacedæmon, Eurotæ frater vterinus, Iouis f. à quo Laconia dicta. Tertius Amyclas, Lacedæmonis f. Amyclarum conditor. Quartus Argalus, Amyclæ f. Quintus Cynortas, Argali f. Sextus OEbalus, Cynortæ f. pater Tyndarei. Septimus Hippocoon, OEbali f. qui victo fratri Tyndareo controuerſiam mouit de regni poſſeſſione. Octauus fuit Tyndareus, qui expulit armis fratrem Hippocoontem. Nonò Caſtor & Pollux ſuccedunt patri Tyndareo. Hi fuerunt in expeditione Argonautarum, ideóque hinc certa arceſſitur Chronologia. Decimus rex fuit Menelaus, Atrei filius, ductâ vxore Helenâ, Tyndarei filiâ. Vndecimus Oreſtes Agamemnonis f. ductâ vxore Hermione Tyndarei nepte. Duodecimus & vltimus in primâ Lacedæmonum dynaſtiâ fuit Tiſamenos Oreſtæ ex Hermione f. ſub quo contigit Heraclidarum reditus: ſub quibus ſecunda dynaſtia Lacedæmonum in duas familias abiit. Sed redeamus ad ſeriem hiſtoriæ. In tempora Tholæ incidit expeditio Argonautarum in Colchos, ad auferendum aureum vellus, ſic dicta ab Argo naui. Duces præcipui fuêre præſtantiſſimi illi heroës: Hercules, Iaſon, Caſtor & Pollux, Telamon, Orpheus, Peleus, Atlantes, Tiphys, Lynceus, Admetus, Iphitus, Iphyclus, Periclymenus, Actorides, Aglaus, Eurytion, Amphion, & alij. Incidit hæc expeditio in Laomedontis finem, & initium Priami, regum Trojanorum, id eſt, in annum M. 2715. Laomedontem enim filium Ili, importunè & inimicè ſe gerentem Hercules, cùm ipſius terram vnà cum ſociis prætervéheretur, interfecit, Priamúmque filium in regno ſubſtituit. Atque hæc prima fuit occaſio belli Trojani. Nam Priamus, ſtabilito vndique regno per Antenorem, cùm Græcis expoſtulat de bello antehac illato ab Hercule. Itaque Paris filius mittitur, qui vel vi, vel fraude Græcis noceat. Hinc ortum bellum Trojanum. Brenner rex Germ. X V I I. floret anno mundi 2723. Paulò ante huius regis initium Germani expeditionem ſuſcepêre in Aſiam, duce Geltero. Oppoſuit ſe iis Laomedon, rex Trojæ. Sed cùm parum proficeret, fœdus cum iis iniit. Similiter cum Amazonibus. Vide Auentinum. Hinc in bello Trojano Amazones Trojanis contra Græcos auxiliatæ ſunt: quarum regina Pentheſiléa ab Achille interfecta fuit. Eædem irrumpentes in Atticam à Theſeo repreſſæ fuerunt. Anno mundi 2729. ludi Olympici ab Atreo in honorem Pelopis patris inſtaurantur: & rurſus ab Hercule anno mundi 2747. Expeditio τῶν ἐπὶ Θήβαις circa hæc tempora contigit: propter ſepulturam OEdipodarum, à Creonte rege Thebano Iocaſtes patre prohibitam. Dædalus, inſignis ſtatuarius, circa tempora Tholæ labyrinthum conſtruit in Cretâ Inde cùm aufugiſſet cum filio Icaro, naui veloce, finxerunt eum pennis auolaſſe. Lynceus filius Apharei, mortalium perſpicaciſſimus; Caſtorem interemit, cùm Caſtor & Pollux ſponſas Lyncei & Idæ fratrum rapere vellent. Alij tamen Lyncea à Caſtore interfectum ſcribunt. Annis decem poſt expeditionem Thebanam oritur altera, in quâ *Epigoni* dicti, parentum ſuorum cædem vlturi, nouum Thebanis bellum mouent. Secunda Lydorum dynaſtia incipit anno mundi 2733. Prima, quæ dicitur Atyadarum, eſt obſcura. Atyadæ dicti ſunt à principe Aty, patre Lydi, à quo Lydia, quæ prius Mæonia dicta. Secunda illa Lydorum dynaſtia eſt Heraclydarum, regum 22. quorum princeps Agron, filius Alcæi filij Herculis. Summam huius dynaſtiæ Herodotus expreſſit, annos 505. vſque ad Gygem. ***Iair*** ſuccedit Tholæ anno mundi 2736. & iudicat populum anno 22. Habuit 30. filios, principes ciuitatum 30. quæ dictæ fuerunt ciuitates Iair. Sub eo contingit quinta ſeruitus ſub Philiſthæis & Ammonitis, adeóque inter regnum Philiſthæorum & Ammonitarum, ſeruitutis iſtius tempore. Iairi temporibus Karthago putatur condita: licet alij contendant circa Salomonis tempora fuiſſe conditam à Carcedone: alij à Didone, 135. annis ante Romam: alij etiam longiùs prorogent ipſius ædificationem. Hæc vrbs vſitatè appellatur cos fortitudinis Romanæ, gramia Romæ, & æmula Romæ. Hippolytus filius Theſei ex Antiopâ adamatus à nouercâ ſuâ Phædrâ Minois filiâ, innocens defertur apud patrem, quòd ipſius libidini nollet obſequi. Dynaſtia X X. Ægyptiorum incidit in tempus Iairi. Fuit illa Dioſpolitarum regum 12. quorum nomina deſiderantur. Summa tantùm annorum exprimitur apud Africanum. Menelaus maritus Helenæ, gener Tyndarei, Caſtore & Polluce mortuo, regnum Spartanum adipiſcitur. Ei Paris Alexander, Priami Trojani regis filius, Helenam rapit, & Trojani belli, cùm reſtituere nollet, cauſam præbet Nicoſtratus & Megapenthes filij Menelai, repudiantur à Spartanis, & in regnum recipitur Oreſtes, Agamemnonis filius, ductâ in vxorem Hermione, Menelai filiâ, Tyndarei nepte. In regno Mycenarum, ſeu Atridarum Atreo patri ſuccedit filius Pliſthenes, pater Agamemnonis & Menelai. Agamemnon in ducem Græcorum eligitur aduerſus Trojanos. Eius regni anno 15. & vltimo Troja capta. Proteus, ſeu Vertumnus regnat in Ægypto. Ad eum

diuertit

diuertit Paris raptâ Helenâ. *Iephthe*, ſeu Iephta, ſpurius, anno M.2758. Ammonitas vincit, & Iſraëlem à ſeruitute liberat & judicat annos ſex. In huius iudicis tempora pertinet hiſtoria Schibboleth Huic,anno M.2764. ſuccedit *Ibizan*, ſeu Abeſan, aliâs Ebzan: quem Hebræi autumant eſſe Boas, ideóque huc referunt hiſtoriam Ruth. Hic iudicat Iſraëlem annis 7. Ei anno M.2771. ſuccedit *Elon*,qui iudicat Iſraëlem annos 10.Anno M.2781. ſuccedit *Abdon*, iudex octo annos. Seruitus ſexta ſub Philiſthæis hoc tempore inchoatur,quæ durauit annos 40. Iam videamus horum iudicum ſynchroniſmos. Thinæos Aſſyriorum rex XXXIII eodem anno capeſſit ſceptrum, quo Iephthe. Huius regis anno nono capitur Ilium. Anno M.2757. biennio anno Iephtham, cœpit bellum Trojanum decennale cum Trojanis, quod qui fabulis accenſent, næ illi fabulantur. *Duces Græcorum* fuêre hi:Achilles,filius Pelei;Agamemnon,dux totius exercitus; eius frater Menelaus; Ajax vterque Telamonis & Oilei f.Diomedes, Tydei f. Vlyſſes, Laërtis f. Neſtor, triſecliſenex; Patroclus, & alij. *Duces* Trojanorum: Hector, Priami f. Æneas; Antenor; Paris;Deiphobus;Troilus;Helenus &c.Tempore obſidionis putatur ludus ſcacchiæ inuentus ad fallendum temporis tædium. Troja capitur anno M. 2767. menſe Iunio. Atque hîc incipit antiquiſſima & celeberrima gentilium Græcorum epocha, excidium Trojæ, ſeu caſus Ilij, Græcis Ἰλίου ἅλωσις. Poſt excidium Agamemnon redux obtruncatur ab Ægiſtho, Clytemneſtræ adultero, filio Thyeſtæ, ex inceſtu nato: qui regnum Mycenarum Atridarum obtinet ſeptennium. Tum Oreſtes, filius Agamemnonis, vlciſcitur cædem patris in Ægiſtho, & matre. Poſtea ad Inſaniam redactus fuit: ſed ad arâ Dianæ Tauricæ ſanitati eſt reſtitutus, duce Pylade ſocio intimo,& ope ſororis Iphigeniæ. Æneas in Italiam venit ſecundo anno à Trojæ excidio, & bellum gerit cum Turno Rutulorum & Mezentio Hetruſcorum rege: & condit Lauinium, adeóque orditur ſecundam dynaſtiam Latinorum, quæ dicitur Æneadarum, anno M.2771. Ei ſuccedit Aſcanius f.aliâs Iulus: qui condidit Albam Longam, vnde hæc dynaſtia dicitur regum Albanorum. Demophoon ex eodem bello redux, cùm à Mneſtheo excluderetur, eo deuicto & eiecto, regnum Athenienſium recuperat, & tenet annos 33. Mneſtheus pulſus, cum colonis in Hiſpaniam migrat.Diomedis ſocij fiunt piratæ, & ideò finguntur in aues conuerſi. Ipſe à patriâ repulſus in Italiam venit. Vlyſſes multipliciter oberrat: vnde Vlyſſis errores prouerbio dedêre locum. Anno 20.à belli initio redit domum. Antenoris ſocietas Henetos in Illyricum traducit, vbi ſedem figunt, & Patauium condunt. Hector, X V I I I. Germ.rex, floret anno M.2759. Areopagus Athenis conſtituitur (qui antea πάγος, id eſt, rupes,dicebatur) tempore Demophoontis Dictus autem eſt Ἀρειοπάγος, ὅτι πρῶτος Ἄρης ἐν ταῦθα ἐκρίθη,quia primus Mars ibi cauſam dixit, vt ait Pauſanias in Atticis. Vnde in tempora Cecropis hoc geſtum ab Euſebio refertur. Scalyger ex Æſchylo & veteri ſcholiaſte docet, Oreſten primum in eo cauſam dixiſſe, & Saxum Martium inde dictum, quòd Amazones pro arce belli locum illum munierint, Martíque hoſtias immolârint. Sunt qui ſcribunt Ἀρειόπαγος, & vertunt vicum Martis. *Samſon*, iudex XII. ſuccedit anno M.2789. & iudicat populum annos 20. Affligit Philiſtæos variis modis: vnde Auguſt. dicitur Hercules. Fuit typus Chriſti,&, vt poëta Chriſtianus vult, Eccleſiæ N. T. hoc modo. Tria Samſonis tempora pingunt tres ætates Eccleſiæ.

I. Eccleſia primitiua N.T.& ſeptem Eccleſiæ Aſiaticæ.

Eſt ſchema Samſon elegans Eccleſiæ,
Apoſtolorum ætate quondam floridæ.
Quæ quamdiu cincinnulos in vertice
Intacta virgo nutriit ſeptemplices,
Sacris inhærens literis tenacius,
Virtute plus quàm perſtitit Samſonicâ.

II. Eccleſia ſub Antichriſto.

At pòſt, vbi ſuceiſa ſenſim decidit
Coma aurea, ipſa proh Philiſtæam manum
Incurrit! atq; oppreſſa longo tempore
Tulit iugum! Priuata vtroq; lumine,
Vtroq; vincta crure durâ compede.

III. Eccleſia reformata, atque victrix:

Tandem, renatam ſub comam, ecce priſtinum
Robur recolligens,domum Antichriſtiram
Subuertit,& Chriſti inuocato numine,
Confiſa verbi teſtimonij ſacri,
Vincit,litatum propter Agni ſanguinem,
Samſonico de more vitæ prodiga.

Tempore Samſonis floret X X X I V. Aſſyriorum monarcha Percylus: apud Sicyonios Zeuxippus ſuccedit Pelaſgo: apud Mycenas regnat Oreſtes,eiúſque filius Penthilus,vltimus Pelopidarum: apud Lacedæmonios in primâ dynaſtia Tiſamenus, Oreſtis f. ex Hermione Menelai filiâ.

VII. *Senectus & mors poteſtatis iudiciariæ eſt ſub Eli & Samuele.*

Eli ſacerdos fit iudex XIII. anno M.2809. & iudicat populum annis 40. Paulò pòſt Samuel naſcitur, qui annorum 12. accipit diuinam vocationem. Fitque ſimul propheta & iudex: & quidem iudiciariam poteſtatem nanciſcitur anno M.2849. iudicátque populum annos 40. computatis annis regis Saul, *Act.* 13. *v.*21. Res geſtas ab Eli, Samuele, & Saul, & quaſdam Dauidis, vide lib.1. Samuelis, qui continet hiſtoriam annorum 80. Atque hi ſunt quatuordecim iudices, & duo duces. Moſes enim & Ioſua duces potiùs fuerunt quàm iudices. Si velis iudicum iſtorum chronologiam alteram, quæ interregnum vel potiùs ἀναρχίαν hoſtium, ſeu annos ſeruitutis populi Dei, coniungit cum annis iudicum,hanc habe:

Ioſua cum Othoniele annos 40. ab anno M.2493.
Ehud anno M.2532.
Debora anno M.2612.
Gideon an. M.2652.
Abimelech an.M.2692.
Thola an. M.2695.
Iair an. M.2718.
Iephthe an. M.2758.
Ibizan an. M.2764.
Elon an. M.2771.
Abdon an. M.2781.
Samſon an. M.2789.
Eli an. M.2809.
Samuel an. M.2849.

Sed videamus ſyncroniſmum Eli & Samuelis. Apud Aſſyrios Eupacmes X X X V. & Laoſthenes X X X V I. monarchæ florent. Apud Germanos floret Vvolfhem Sickinger, rex Germ. cui tempore Saulis ſuccedunt tres filij Kels, Gal,& Hyllir, ſeu, vt Appianus vocat, Celtes, Galates, & Illyricus, quos ille dicit Polyphemo, Cyclope, & Galateâ natos. Ab his dicti ſunt Celtæ, Galli, & Illyrij. Hucuſque reges Germanorum ex Auentino. Cæterorum non habetur continua ſeries. Sicyoniorum dynaſtia II.ſacerdotum 7.Karnei Apollinis, anno M.2813. oritur.Succeſſio ipſorum hæc eſt: Archelaus, Automedon, Methodeutos,Euneus, Theonomos, Amphictyon, & Charidemes: qui non ſuſtinens ſumptus, aufugit anno M.2844. Alij tamen aſſignant hanc cauſam, quòd regnum Sicyoniorum defecerit propter reditum Heraclidarum in Peloponneſum. In primâ dynaſtiâ Athenienſium, quæ eſt regum, Codrus eſt rex 17. & vltimus:quo interempto Archontes διὰ βίου, id eſt, perpetui,inſtituti. Paulò ante Saulem dynaſtia Ægyptia X X I.cœpit,eáque Tanitarum. Circa Samuelis tempora contigit hiſtoria Minyarum apud Herodotum.Oreſtis familia pellitur ab Heraclidis,in Peloponneſum redeuntibus, Penthilo Oreſtis filio vltimo Pelopidarum an. M.2823. adeóque Mycenarum regno ſublato. In Latinorum dynaſtiâ 2.florent Syluius Poſthumus, Æneæ filius, & Æneas Syluius: vbi obſerua, nomen *Syluius* ab eo tempore factum eſſe velut hæreditarium. Sequentes enim reges habuêre hoc cognomen. e. gr. Æneas Syluius, Latinus Syluius, Alba Syluius, Capetus Syluius. Lacedæmoniorum ſecunda dynaſtia oritur an.M.2848. eáque duarum familiarum,hoc modo. Heraclidæ aliquoties tentauerant redire in Peloponneſum;ſed fruſtrà. Tandem annis 80. poſt Trojæ excidium eiectis Oreſtæ poſteris, ſiue Pelopidis, recuperant Peloponneſum, & geminâ familiâ Spartæ per multa ſecula regnant vſque ad tempora Ptolemæi Euergetis: itémque tertiâ familiâ apud Corinthum. Prima familia iſtius ſecundæ dynaſtiæ dicitur Euryſthenidarum, ab Euryſthene Ariſtodemi filio: ſiue Agidarum ab Agide, qui patri Euryſtheni in regno ſucceſſit In hâc familiâ numerantur reges X X X. Secunda familia eiuſdem dynaſtiæ Lacedæmoniorum dicitur Proclidarum, à Procle primo rege, altero filio Ariſtodemi, fratre Euryſthenis: item Eurypontidarum, à tertio rege, qui dictus fuit Eurypon. In hâc familiâ numerantur reges X X I V. Tertia familia eorundem, eſt Heraclidarum qui ſecundam dynaſtiam Corinthiorum anno M.2849. auſpicati ſunt & fuêre numero quatuor.Ante illos prima Corinthiorum dynaſtia fuit Siſiphidarum, qui ſic dicti fuerunt à Siſipho Æoli filio, primo dynaſtâ; cui ſucceſſerunt alij quinque. Sed iſtorum ſex dynaſtarum chronologia non datur. Tertia Corinthiorum dynaſtia fuit Bacchiadarum, regum VII. qui ſic appellati fuerunt à Bacchide, primo dynaſtâ, an. M.2993. Huic ſucceſſit quarta dynaſtia Corinthiorum Bacchiadarum Prytaneon annuorum: è quibus primus Prytanis fuit Automenes, anno M.3171. paulò ante dynaſtiam regum Romanorum. Hæc durauit annos 124. Quinta & vltima Corinthiorum dynaſtia fuit Cypſelidarum; regum duorum an. M.3295.

CAPVT XVII.

De Articulo tertio primæ monarchiæ.

PRÆCEPTVM.

ÆTAS grauis & decrementum primæ monarchiæ eſt ab anno M.2879. ad annum 3419. id eſt,

est, ab initio regis Saul ad solutionem vsque captiuitatis Babylonicæ: ac proinde hic articulus est annorum 540.

Oportet autem hunc articulum connectere cum regibus Hebræorum tanquam κεφαλαίοις ἱστορικοῖς, de quibus sunt hi versus memoriales:

Saul, Dauid, Salomon, post hæc est scissio facta: nempe regnum Hebræorum diuisum est in regnum Iuda, seu Hierosolymorum, & in regnum Israël seu X. tribuum in Samariâ.

Reges Iuda sunt XX. hoc ordine:

Roboam, & Abiam, tunc Assa, Iosaphat, Ioram,
Achasias, Athalia, Ioas, Amazia, Azaria,
Iotham, Achas, Ezechia, Manasse, ac filius
Ammon,
Iosias, Ioachas, Iojakim, Ioachin, Sedekia.

Reges Israël sunt XIX. hoc ordine:

Ieroboam, Nadab, Baësa, hinc Elláque Zamri,
Omri, Achabus, Achasias, Ioramus, Iehu,
Ioachae, Ioas, tum Ieroboam, Zacharias.
Sellum, Menahem, Pekaja, Pekáus, Hoseas.

REGULÆ.

Historia & syncronismus Saulis.

I. *Anni Saulis diuersimodè computantur.*

Principiò enim Scriptura *Actor* 13. simul computat annos Samuelis & Saulis, ita vt ab anno mundi 2850. oporteat accessere initium Saulis, & ipsi tribuere annos 40. Deinde initium regni eius incidit in annum M.2879. quo fuit vnctus in regem, 10. annis ante Dauidem. Saul ita vnctus, heroico spiritu instruitur. Duobus annis exactis reiicitur, & Dauid primò inungitur, 1. *Sam.* 13. & 16. qui prosternit Goliathum in monomachiâ, 1. *Sam.* 17. Saul Dauidem multis persequitur modis: vnde prouerbium, *Odio Saulitico prosequi.* Odij causa fuit oculus inuidus quòd ipsi inuideret heroica facinora. Idem Saul interficit Ahimelechum & 85. sacerdotes Domini, quòd suspicaretur illos fauere Dauidi. Ionathan, filius Saulis, Israëlitarum optimus, singulari amore prosequitur Dauidem, adeò vt amicitia Dauidis & Ionathanis nomen dederit prouerbio. Saul desperabundus consulit Pythonissam & sibi tandem ipse consciscit mortem: vnde prouerbium, *Crux Saulitica.* Apud Assyrios hoc tempore adhuc regnat Laosthenes, monarcha ipsorum XXXVI. Dynastia secunda Atheniensium, quæ fuit Archonton perpetuorum, incidit in an. M.2881. Hoc tempore incipit bellum I. Atheniensium cum Spartanis, in quo Codrus vltimus Atheniensium rex patriæ se deuouit, & interitu suo hostibus fugam, suis salutem peperit. A quibusdam hoc bellum vocatur Peloponnesiacum I. quia Peloponnesij Lacedæmones, seu Dorienses, illud gesserunt cum Codro rege Atheniensium. Codri filius Medon est primus ἀρχόντων διὰ βίου.

Historia & syncronismi Dauidis.

II. *Cum Dauide connectendus est Pyritiades XXXVII. Assyriorum monarcha, cuius anno 21. templum Salomonis construitur.*

Dauid anno mundi 2889. succedit socero Saul in regno: & inungitur secundò in Hebron, natus annos 30. 2. *Sam.* 5 *v.* 4. & tertiò 2. *Sam.* 2. In Hebron regnat annos 7. m.6. Hierosolymis annos 33. Regnauit itaque annos 40 & vixit annos 70. Isboseth, Saulis filius, regnat in Israël an.8. quo confecto Dauid fit rex vniuersi Israëlis, & tertiò inungitur. Simulátque ab omnibus tribubus rex fuit creatus, Hierosolymam vrbem antiquissimam, eripit Iebusæis: vt ibi religionis officinam, & regni, vel potiùs iustitiæ sedem constitueret. Hæc vrbs antea nuncupabatur Iebus, & antiquitùs Salem: vnde putatur ortum nomen Ierusalem. Vrbs ista ornata & amplificata à Dauide est typus Ecclesiæ militantis & triumphantis: Dauid est typus Christi, ratione variarum persecutionum, factorum heroicorum, officij prophetici & regij, quod cœpit anno ætatis ipsius 30. vt & Christi officium. Scripsit plurimos psalmos. Plurimos dico: quia non omnes, qui habentur in psalterio, sunt ipsius. Hebræi putant, decem esse authores psalmorum, videl. Adamum, Melchisedecum, Abrahamum (quem falsò volunt esse Ethanem) Mosen, Asaphum, Hemanem, Ieduthunem, & tres filios Korachi: collectorem Dauidem. Sed hæc sententia multis nominibus est falsa. Nam duo priora psalmorum volumina authorem habent Dauidem: reliqua tria volumina variorum authorum ante & post Dauidem psalmos continent. Videntur autem psalmi isti CL. esse collecti vel ab Esdrâ, vel à viris magnæ synagogæ seu Sanhedrin, vel à piis quibusdam viris tempore Maccabæorum, ne scil. perirent, si dispersi manerent. Sed redeamus ad Dauidem. Ipsius tempore claruerunt duo prophetæ, Nathan & Gad: tres duces, Ioab, Amasa, Abner: varij heroes, qui dicti sunt Dauidis, 2. *Sam.* 23. tres psalmistæ, Heman, Asaph, Ethan. Reliqua vide libro 2. Samuelis, qui continet historiam 40. annorum, & nominatim res gestas à morte Saulis vsque ad finem regni Dauidici. Tempore Dauidis florent tres Germanorum reges Kels, Gal, Hyllir: deinceps non habetur continua huius regni series. Bellum Iloticum circa hæc tempora geritur, quo Elei ab Agide Laced. rege in perpetuam seruitutem redacti. Apud Ægyptios in dynastiâ Tanitarum, eâque XXI. floret Psusennes, quem nonnulli volunt esse Cheopem Herodoti, & Chemmin Diodori. Heluicus mavult sequi illorum sententiam, qui putant hunc esse Chepremem Herodoti, & Chabream Diodori: quod ipsum nomen de alio quoque Ægypti rege *Ierem.* 44. reperitur: & melius conuenit nomini Vaphris, ad quem Salomon dicitur literas dedisse, cùm templi ædificium moliretur. Ephesus hoc tempore condita ab Androclo Codri filio. Ionica migratio contigit, & Ionia occupata, annis 140. à Trojâ captâ, 60. post Heraclidarum reditum, 159. ante Lycurgi tutelam. Homerus nascitur hâc migratione Zidonis seu Tyri reges hîc incipiunt, quos Iosephus commemorat ex annalibus Phœnicum, qui pulcherrimè cum sacrâ historiâ conueniunt. Primus ipsorum rex fuit Abibalus, cui successit Hiromus Abibali F. anno M.2921. qui Salomoni ligna ad ædificium templi suppeditauit, 1. *Reg.* 5. Anno duodecimo huius regis templum Salomonis extructum est. Inde ad conditam Carthaginem putantur anni 143. mens. 8. iuxta *Iosephum lib.* 1. *contra Appion.*

III. *Cum Salomone coniungendi sunt tres Assyriorum monarchæ: Pyritiades XXXVII. Ophratæus XXXVIII. & Ephaceres XXXIX.*

Salomon succedit Dauidi patri anno M.2929. anno regni sui 4. seu ineunte 480. ab Exodo, fundat templum, cuius encænia celebrantur anno regni II. Maiestas & sapientia eius longè latéque percrebescit. Componit cantica 1005. aliáque de rebus innumerabilibus sapientissimè differit. Scripsit Prouerbia, Ecclesiasten, & Canticum: illa maximè pro pueris, istum pro viris, hoc pro senibus. Naues mittit in Ophir, quam nonnulli putant esse Peru, alij verò Indiam orientalem: indéque putant dictum aurum obryzum, quasi Ophirizum. Hic rex in victum quotidiè insumpsit 30. coros tritici, 60. coros siligni, 10. boues saginarios, & 20. pascuarios, 100. oues, exceptis carnibus ferinis: aluit insuper 40000. equorum currulium, & 12000. equestrium. Fuit typus Christi ratione nominis, sapientiæ, & templi à se extructi. Defecit à vero Dei cultu. Sed verisimile est, ipsum resipuisse: quia fuit insignis typus Christi, & Ecclesiasten scripsit, postquam vanitates seculi experiundo didicit In XXI. Ægyptiorum dynastiâ hoc tempore florent Nephercheres, Amenophis, & Osochor (quem putant nonnulli esse Asychin Herodoti, alij Sesacum) item Spinaches & Susennes Ægyptiorum reges Cuma à Smyrnæis hoc tempore condita. Altera verò Cuma à Phricotis in Ionicâ migratione condita.

IV. *Diuisio regni Hebræorum incidit in annum M. 2969.*

Roboam dicto iam anno mundi succedit patri Salomoni. Sed temerariâ superbiâ abalienat à se X. integras tribus, quæ Ieroboamum ex Ægypto euocatum regem constituunt, 1. *Reg.* 12. circa anni primi, quo cœpit regnare, exitum. Ieroboamus iste fuit apostata & impius idololatra, qui cultu suo idololatrico in Bethel instituto, non tantùm X tribubus, sed etiam regno Iuda posuit offendiculum, & ad peccandum induxit pleiósque vtriusque regni dynastas nefario suo exemplo Abias, Semaja, & Iddo prophetæ florent Propheta ἀνώνυμος contra altare Bethel clamat, & exprimit nomen venturi euersoris Iosiæ, annis 350. antequam fieret, 1. *Reg.* 13. Ab initio Ieroboamii inchoandi sunt dies 390. Ezechielis, qui sunt anni totidem vsque ad obsidionem & destructionem Hierosolymorum, ipso Deo interprete, *Ezec.* 4. *v.* 5.6. Historia horum regum & seqq. petenda est ex libris regum & Chronicorum, hoc modo. Liber primus regum continet res gestas Salomonis, & quatuor sequentium regum Iuda, & octo regum Israëlis: éstque historia annorum 118. è quibus 40. sunt Salomonis, 78. reliquorum. Liber secundus regum continet res gestas sedecim regum Iuda, & duodecim regum Israël: éstque historia annorum 310. Liber primus Chronicorum, siue Paralipomenon, continet Chronicon Genesis & reliquorum librorum Mosis, Iosuæ, Iudicum, & vtriusque Samuelis: secundus describit statum regni Iudaici inde à Salomone, vsque ad annum reditus ex captiuitate Babylonicâ, éstque historia annorum 472. Hîc obserua, reges Israël numerari ab aliis XIX. ab aliis XX. Nam quidam inter Omri & Achab collocant Tibni. Cùm enim Omri ab exercitu electus esset in regem, vna

vna pars populi adhæſit Omri,altera Tibni,donec Omri ab vniuerſo populo pro rege fuit agnitus. Cæterùm tempore Roboami ſeu Rchabeam, & Ieroboami cœpit dynaſtia XXII. Bubaſtitarum in Ægypto : cuius primus rex fuit Seſonchis, quem Scriptura videtur appellare Seſac, 1.*Reg*.11.*v* 40. LXX. σουσακεὶμ & σουσακιμ, Ioſephus σουσὰκ. Alij tamen Aſychin. Herodoti putant eſſe Seſacum,vt paulò antè monuimus. Rurſus alij putant ante dynaſtiam 22. Seſacum in aliâ quâdam parte Ægypti regnaſſe. Scaliger ita conciliat, Seſonchin excurſionem illam,de quâ in ſacris, itémque ſpoliationem templi, perfeciſſe viuente patre. Apud Aſſyrios adhuc regnat XXXIX. Ephacheres.

V. *Abiam duos annos regnat : Aſſa* 41.

Abiam ſuccedit in regno Iuda anno mundi 2986. rex impius:cui anno mundi 2988. ſuccedit filius Aſſa, ſiue Aſa,pietate & iuſtitiâ celebris : vtpote qui confringit idola, & renouat cultum religionis. Apud X. tribus regnat Nadab,filius Ieroboam, anno 2989. quo à ſe cæſo regnat Baëſa, anno 2990. Iaha, Hanani, & Aſaria prophetæ, hoc tempore florent. Apud Aſſyrios anno mundi 3017. regnat XL. Acracarnes:in 2.Latinorum dynaſtiâ regnant Capetus Syluius, & Capis Syluius,qui ædificauit Capuam : apud Phrygas obit Midas rex, cui Homerus epitaphium condit. Hic poëtarum epicorum princeps floret anno mundi 3039. iuxta calculum Solini, ſeu, vt vult Vellejus, anno 3029. Alij,ponunt longè inferius,videlicet Olymp.23.id eſt,circa annum M.3262.Cæterùm tempore Aſſæ anno M.3013. Ella fit quartus rex Iſraël : cui ſuccedit Zamri, ſeu Simri, qui regnat dies 7.Anno 3014. illi ſuccedit Amri,aliàs Omri, qui transfert ſedem regni in Samariam, 1.*Reg*.16. Patri ſuo Amri ſuccedit Achab anno mundi 3025.qui omnes ſuperauit impietate. Hoc loco magna eſt difficultas in comparatione regum Iuda & Iſraël, quæ doctiſſimorum virorum ingenia fatigauit. Regulæ compoſitionis ſeu comparationis notentur ſex. 1. Plerumque fit,vt anni regum Iuda & Iſraëlis ſint incompleti. Ita fit,vt poſtremus annus prædeceſſoris ſit primus ſucceſſoris. 2. Filius prorex regnat cum patre externis bellis occupato. v. gr. Ioſaphat filium Ioram facit proregem anno regni ſui 17. Idem quoque eſt rex cum patre annis 4. ab anno 22.Ioſaphat Idem denique ſolus eſt rex mortuo patre. 3. Quandoque impij regiminis anni non adnumerantur, perinde ac ſi non fuiſſent, 1.*Sam*.13. *v*.1.4. Anni, quibus regnat filius ſuccedens viuo patri vel ſenio, vel morbis confecto, annumerantur regno patris. 5. Anni interregni ſunt calculo inſerendi. 6 Quando filius cum patre regnat, illius regni anni cùm filio tribuuntur, patri ſunt demendi : cùm patri aſſignantur, filio ſunt demendi. Etſi ergo anni regum Iuda in Scripturis diligētiſſimè ſunt expreſſi:tamen quoniam ſingulorum regum initia ſunt incerta, factum eſt vt diuerſa regum ſupputatio extiterit.Hinc à fundato templo vſque eius excidium Ioſephus computat annos 470. Euſebius 442. alij 428.alij 427. è quibus poſtrema ſententia vera eſt. Nam ex *Ierem*.34.*&* *Ezech*.29.*v*.17. colligitur,epocham excidij Hieroſolymitani eſſe annum XI. Zedekiæ,id eſt, annum M.3360. ita vt templum Salomonis ſteterit annos 427. ſolidos, & euerſum ſit anno 428. anno ſabbatico, vtpote anno 28.Iubilæi XVII. Moſaici videlicet.Hunc calculum etiam ſic probaueris:Salomon ab initio templi regnauit adhuc annos 36. Regnum Iſraël durauit iuxta regnum Iuda annos 258. In Iudâ regnatum adhuc eſt vſque ad caſum Zedekiæ annis 133. Quibus annis collectis proueniunt anni 427.quibus ſtetit domus prima, ſeu templum Salomonis.

VI. *Ioſaphat ſuccedit Aſſæ patri anno M*.3029.

Fuit rex piiſſimus & optimus. Mittit per oppida ſua prophetas & Leuitâs, qui doceant religionem. Cum Achabo ſocero gerit bellum aduerſus Syros. Achabi ſocer fuit rex Zidon ſiue Tyri Ethbaal, qui in Tyriorum annalibus vocatur Ithobal. *Ioſeph*.1. *contra Appian*. Eius filia fuit impia Iſebel. Hinc Achab & Iſebel prouerbij loco dicuntur de pari coniugum æquè impiorum. Hoc tempore floret Elias Zelotes ille, typus Chriſti ratione ieiunij quadrageſimalis, miraculorum, & tranſlationis in cœlum. Huius prophetæ diſcipulus fuit Eliſæus, & imitator felix Iohan. Baptiſta, qui eâ de causâ vocatur ſecundus Elias. Elias autem & Eliſæus fuerunt duo clariſſima Eccleſiæ lumina, miraculis & doctrinâ inſignia. Iudæi putant Eliam adhuc viuum ſupereſſe; vnde dicunt in Seder Olam : Septem homines metiuntur vniuerſum ſeculum, Adam, Mathuſalem, Sem,Iacob,Amram, Achiu, Silonites, & Elias qui adhuc viuus ſupereſt. Micha propheta in vincula conijcitur. Hic eſt alius ab eo, cuius prophetia extat. Is enim vixit 100. annis pòſt, *Mich*.1. *verſ*.1. Lycurgus celebris Spartanorum legiſlator, floret annis 128. ante Olympiades. Eius tutela incipit 108. annis ante Olympiadum initium. Reſpublica Spartanorum nitebatur quinque ipſius legibus, quas Rhetras vocabat, & ſcribi nolebat. Cæterùm anno M. 3045. Achaſia, filius Achab, fit 8.rex Iſraël:cui anno mundi 3046. ſuccedit frater Ioram, rex Iſraëlis IX.

VII. *Ioram fit rex Iudæ V. anno M*.3054. *Achaſias anno* 3062. *Athalia,vidua Iorami,anno* 3063.

Hiſtoria Iorami, Achaſiæ & Athaliæ.

Ioram rex Iuda eſt impius : occidit fratres ſuos, & quoſdam optimates. Huic ob ſcelera adueniunt literæ obiurgatoriæ ab Eliâ ſcriptæ, cùm Elias iam in cœlum eſſet tranſlatus viuente patre Ioſaphat. Scriptæ igitur procul dubio ante tranſlationem fatidico ſpiritu. Alij aliter ſentiunt, 2. *Paral*.21. Athalia vidua Iorami poſt Achaſiam filium arripit regnum, & regiam ſtirpem Dauidis extinguere nititur. Apud Iſraëlitas anno M 3057. rex fit Iehu, vir induſtrius & ſtrenuus : qui diuinitùs vocatur ad vindictam exercendam in familiâ Achabi, & ſacerdotes Baaliticos extirpandos. Anno M.3059. tempore vtriuſque Iorami, regis Iuda & Iſraël, Tonoſconcoleros, XLI. Aſſyriorum monarcha, qui à Græcis vocatur Sardanapalus, capeſſit ſceptrum. In 2. Latinorum dynaſtiâ floret Agrippa Syluius, qui Ouidio dicitur Remulus Apud Tyrios ſeu Zidonios XII. rex eſt Pygmalion,anno M.3052. cuius anno 7. Dido in Lybiam profugit, teſte Ioſepho : qui etiam author eſt, Carthaginem conditam annis 143. poſt templum : ad cuius calculum & Tyrios annales propè accedit Solinus,qui ait, Carthaginem ſtetiſſe annis 737. Hinc patet figmentum Virgilij de Didone & Æneâ : cùm Æneas vixerit anno M.2771. Dido autem anno M.3058. vel, vt alij volunt, 3077. quo tempore, cùm à fratre Pygmalione peteretur, clam aufugit in Africam, ibíque condidit vrbem, quam Kathardam appellauit, id eſt, dimidiam ciuitatem, ob mediam Phœnicum ſeu Tyriorum partem eò tranſlatam; in eáque arcem condidit nomine Byrſam, ſic dictam à corio bubulo. Tantum enim ſoli emit, quantum tauri corio circumdare poſſet, quod in tenuiſſimas partes diſſecuit, & hoc ſtratagemate fines vrbis circumpſcripſit. Cum hoc tempore congruit initium primi belli Meſſeniaci, de quo paulò pòſt.

VIII. *Ioas vngitur in regem Iuda à ſacerdote Iojada, anno mundi* 3069.

Hiſtoria Ioas.

Hic Ioas ſeruatus fuit è ſtirpe regiâ, quam Athalia extinguere conata erat.Putatur vulgò primus è ſtirpe Nathanis,quòd ſtirpem Salomonis Athalia extinxerit.At 2. *Paral*.22. *v*.11.12. *&* 1.*Paral*.3. *verſ*.11. expreſsè Ioas appellatur filius Athaſiæ & nepos Iorami,vt *&* 2.*Reg*.11.*verſ*.2.*c*.13.*v*.1.*c*.14.*verſ*.13.Hic rex fuit pius & religioſus, quamdiu vixit Iojada, qui optimè fuit meritus de regno Iudâ. Poſt mortem Iojadæ deſciuit à vero cultu,2.*Paral*.24. Hinc quinquennium Neronis rectè confertur cum initio Ioas regis Iudæ:quia vterque per initia fuit reip. ſtudioſus,pòſt flagitioſus. Apud Iſraëlitas an. M 3091.Ioachas ſuccedit patri Iehu; rex infeliciſſimus,& à Syris miſerrimè afflictus : cui ſuccedit filius Ioas, anno M.3114. rex Iſraëlis XII. qui feliciter pugnat contra Syros, eóſque ter fundit, vt Eliſæus ei prædixerat, cùm prophetam ægrotantem viſitaret. Ita recuperat vrbes ab Haſaële rege Syriæ patri ſuo ereptas. Anno M.3079.Sardanapalus dynaſta Aſſyriorum XLI (quem alij faciunt XXXVIII. quos refutat Scaliger)debellatur ab Arbace Medo,& Belocho Babylonico. Hoc igitur tempore monarchia prima, quæ hactenus erat Aſſyriorum, diuiditur in Aſſyrios & Medos. Sed ex Aſſyriorum parte non extat certa & continua ſeries. Ipſorum dynaſtiam Scaliger in canonibus pag.124. vocat appendicem primæ monarchiæ, item dynaſtiam Aſſyriorum poſtquam ab Aſſyriis defecerunt; & commemorat hos reges, Phul, Teglath-phalaſar, Iareb, Sargom, Salman-aſar, Senacherib, & Aſar haddon. Dynaſtia autem, ſeu regnum Medorum, eſt regum IX. ab Arbace, Sardanapali debellatore, vſque ad Apandam, qui & Aſtyages. Hic Apandas à Cyro euertitur imperio Medorum, an. M.3398. Sardanapali proſopographia breuiter hæc eſt. Nomen ipſius, Sardan-naphal, fuit arrogantiæ plenum, vita ſtercoraria, exitus tragicus. A nemine ſiquidem conſpectus fuit, fuit à concubinis, & ſemiuiro eunuchorum comitatu. Monumento ipſius hæc verba fuerunt inciſa : *Sardanapalus Ambialon & Tarſum vno die condidit. Tu verò,hoſpes,Ede,Bibe,Lude. Nam cætera quidem humana,ne tanti quidem ſunt* : id eſt,nec digitorum crepitu digna. Simulachrum enim monumento impoſitum ita factum fuit, vt manibus ſupra caput eleuatis creparet digitis. Quid verò aliud,inquit,Ariſtoteles,in bouis, non in regis ſepulchro inſcriberes ? Rectè igitur poëta de hoc portento & propudio hominis :

Non homo, ſed porcus, Sardanapalus erat.

Huic vitæ tam ſplendidæ mors egregiè reſpondit. Nam duo ipſius præfecti, Belochus & Arbaces, eum in tantas redegerunt anguſtias,vt ſe vnà cum concubinis,eunuchis, omníque ornatu regio in pyram conijceret.Sed redeamus ad ſyncroniſmos Ioaſi. Ægyptiorum dynaſtia XXIII eáque Tanitarum, incidit in annum M.3093. In dynaſtiâ 2.Latinorum Alladius & Auentinus Syluius florent : è quibus hic monti Auentino, in quo ſepultus eſt,

eſt, nomen dedit, ille cùm tonitrua imitari conaretur, cum toto palatio hiatu terræ abſorptus eſt. Veſtigia ædium adhuc extitiſſe in lacu pellucente, Dionyſius Halicarnaſséus de ſuo tempore ſcribit lib. 1. Vixit autem Dionyſius tempore Auguſti Cæſ. Rex iſte Alladius Liuio dicitur Romulus Syluius, Ouidio Acrota, Euſebio Aremulus Syluius. Anno M.3096. in dynaſtiâ Lacedæmoniorum Euryſthenidarum floret octauus dynaſta Telechus, cui ſuccedit filius Alcamenes anno M.3136. & huic filius Polydorus anno M.3173. ſub quo primum bellum Meſſeniacum eſt geſtum: quod non ab iis, qui priores arma ceperunt, nomen duxit, vt Peloponneſiacum, ſed a Meſſeniorum clade, quam acceperunt à Spartanis, ſeu Lacedæmoniis, ſicut & Trojanum à clade Trojanorum, non verò à victoriâ Græcorum, nomen accepit. De hoc Meſſeniorum bello vide *Mellificium hiſt. Pezelij pag.* 160. *tom.* 1. vt & de ſecundo, quod Meſſenij geſſerunt cum Spartanis, cùm poſt triſtem annorum 30. ſeruitutem ab iis deficerent, hortantibus maximè iuuenibus, & inter hos Ariſtomene: qui ipſis præeſt annos 18. tandem verò cum totâ gente ſedibus pulſus Rhodum appellit, cæteri in Siciliam delati nouam vrbem Meſſanam condunt, circa annum M.3282. Verùm enim verò ethnici admodum ieiuni ſunt circa hæc tempora.

Hiſtoria Amaziæ & Azariæ.

IX. *Amazia IX. rex Iudæ ſuccedit parenti Ioas, anno M.*3109. *Amaziæ ſuccedit Azarias ſeu Vſias, anno M.*3138.

Amazia fuit aliquo modo pius, & fortè in iis, quos Hebræi vocant בינונים. Anno 14. regni ſui occidit 10000. Idumæorum: quâ victoriâ elatus prouocat Ioas regem Iſraël, à quo vincitur; & hâc occaſione Hieroſolyma diripitur. Sub eo igitur ſecunda templi ſpoliatio accidit, quâ omnes theſauri, tum ipſius templi, tum regiæ expilati, 2 *Reg.* 14. Prima, vt ſupra dictum, facta eſt à Seſaco. Anno M 3130. Ieroboam II. fit rex Iſraël XIII. qui recuperat terminos Iſraëlis à Syris ſub auo Ioachas occupatos. Sub hoc claret Ionas propheta, 2. *Reg* 14. cuius prophetia complectitur hiſtoriam 8. annorum. Scaliger ſub Ioas & tempore Sardanapali eum collocat. Ieroboamo ſuccedit Zacharias filius, anno M.3177. In hoc atnepote Iehu deſinit regni ſucceſſio iuxta prædictionem Dei, 2. *Reg.* 15. *verſ.* 12. Cæterùm inter Ieroboamum & Zachariam conſtituendum eſt interregnum XI. annorum: vel cum aliis hoc ipſum interregnum ponendum eſt in regno Iudâ inter Amaziam & Vſiam ſeu Azariam, ita vt iſtorum vndecim annorum ſpatio ſumma rei fuerit penes proceres aut Sanhedrin. Vſias ille fuit vir pius & ſtrenuus, qui victoriâ reportatâ de aliquot hoſtibus, magnam ſibi authoritatem apud vicinas gentes comparauit. Idem extruxit multas munitiones. Fuit pius & felix, quamdiu propheta Zacharias vixit, 2. *Paral.* 26. Sed hic non eſt ille, cuius prophetia extat. Ille ſiquidem vixit, tempore monarchiæ Perſicæ; *Zach.* 1. *verſ.* 1. Hoſea, propheta, claret ſub Ieroboam II. Vſiâ, Iotham, Achas & Ezechiâ, docétque ad annos 70. *Hoſ.* 1. *verſ.* 1. Sub Ieroboamo & Vſiâ docet, *Amos* 1. *verſ.* 1. Eius prophetia habet hiſtoriam 10. annorum. Hunc præceſſiſſe videtur Ioël. Prædicit enim ſiccitatem *cap.* 1. *verſ* 15. quam ſine fructu pœnitentiæ eueniſſe queritur *Amos cap.* 4. *verſ* 6. *& ſeqq.* Porrò Heſiodus floret ſub Azariâ, & Procâ Syluio, rege 2. dynaſtiæ Latinorum: obítque circa initium Olympiadum. Anno vno ante Vſiam, videl. anno M.3137. Macedoniæ regnum auſpicatur Caranus Heraclida, qui cum magnâ multitudine Græcorum, ſedes in Macedoniâ reſponſo oraculi iuſſus quærere, cùm in Emathiam veniſſet, gregem caprarum imbrem fugientium ſecutus, vrbem Edeſſam, non ſentientibus oppidanis, occupauit, & regni ſedem conſtituit, vrbémque in rei memoriam vocauit Ægeam. Ad hunc Caranum venit Cnopis Colchicus, qui litem ridiculam diremit inter Caranum & coniugem eius. Cum enim ipſis natus eſſet filius, Carano placuit ipſum à patre ſuo vocare Cirarona: ſed mater reſtitit, à ſuo potiùs patre puerum nominandum contendens. Requiſitus eâ de re Cnopis, neutrius inquit, nomine appellari debet, ſed Κοῖνος, *Cœnus.* Κοινὸς enim communem ſignificat. Verùm quia nomen proprium factum, ſcribitur Κοῖνος. Atque hic Cœnus parenti ſucceſſit. Anno M.3174. incipit æra Iphiti Olympiadica, apud Græcos celeberrima. Anno M.3176 in regno Iſraëlis ſuccedit Sellum, rex menſis 1. cùm anteceſſor ipſius Zacharias, quem ipſe percuſſit, adminiſtraſſet regnum Iſraëlis 6. menſ. Anno M. eodem Menahem, progreſſus è Tirzâ, antiquâ regni ſede, occidit Sellum ſiue Sallumum, & regnum Samariæ occupat. Huic ſuccedit filius Pekaja, ſeu Phaceja, anno M.3188. Eſaias propheta ex ſtirpe regiâ docet ſub Vſiâ, Iotham, Achas & Ezechiâ, annos circiter 80. aut 90. *Eſa.* 1. *verſ.* 1. *& cap.* 38 Iudæi ſcribunt, eum à Manaſſe ſectum diſſectum. A theologis vocatur Euangeliſta inter prophetas. De Olympiadibus breuiter hæc accipe. A primâ Olympiade ad mortem Chriſti ſunt Olympiades 202. ita vt anno quarto Olympiadis 202. Chriſtus fit paſſus Olympiades iſtæ 202. efficiunt annos 808 quos adiice ad 3173. annum mundi, qui præcedit initium Olympiadum, & prodibit annus M.3981. quo Chriſtus eſt paſſus. Sumebant autem Olympiades initium à plenilunio poſt ſolſtitium æſtiuum. Tunc enim ex vniuerſâ Græciâ confluebant ad agonem gymnicum & ludos Olympicos, olim quidem à Pelopide inſtitutos, pòſt ab Hercule repetitos, & tandem poſt aliquot annorum intermiſſionem, ab Iphito Elienſi reſtitutos. Hoc initium Olympiadum probè obſerua, vt Olympiades rectè poſſis connectere cum annis Chriſti. v. gr. annus Chriſti 34. ad finem decurrens conuenit cum Olympiadis 202. anno 4. incipiente, & cum eodem anno currente conuenit annus Chriſti 35. Cæterùm quidam æram Olympiadum collocant in annum mundi 3186. alij in annum M.3177 Sed nos cum Scaligero facimus ob cauſam modò dictam. Obſerua obiter, æram Iphiti & Olympiadum reipsâ eſſe vnam, & nonniſi modo computandi diſtingui. Nam æra Iphiti continuè numeratur: at Olympiades per interualla quaternariorum diſcernuntur. e. gr. Chriſtus eſt paſſus anno 808, æræ Iphiti: ſeu anno 4. Olympiadis 202. Anni ergo Iphitei ſunt anni Olympiadum continuè numerati.

X. *Iotham XI. rex Iudæ ſuccedit Vſiæ anno mundi* 3190.

Hiſ[toria] Iot[ham]

Hic rex eſt pius, felix: & Ammonitas tributarios facit. Eodem, quo Iotham, anno, apud Iſraëlitas fit XVIII. rex Pekah, filius Remaliæ, tribunus Pekajæ, contra quem conſpirauit, eóque occiſo regnum occupauit. Micha propheta ſub Iotham, Achas, & Ezechiâ docet, *Mich.* 1. *verſ.* 1. cuius auditores adhuc ſunt in viuis tempore Iojakim, *Ier.* 26. *verſ.* 18. vnde colligitur, ipſum diutiſſimè docuiſſe. Anno mundi 3173. incipit tertia dynaſtia Athenienſium, quæ fuit archonton decennalium. Anno M.3198. incipit quarta Romanorum dynaſtia: quam inchoat Romulus in vrbe recens conditâ, quam à ſuo nomine vocauit Romam. Fuit nepos Numitoris, & ſedem regni ex Albâ tranſtulit in coloniam nouam Romam. Cum Romulo regnauit Tatius Sabinus. Romulus diuiſit populum in tres partes, quas appellauit tribus: ſingulis præfecit tribunum: rurſus ſingulas diuiſit in decem curias, & ſingulis præfecit decuriones. Hic igitur incipit celeberrima Romanorum æra Vrbis Conditæ, quæ duabus hiſce literis majuſculis ſignificatur V. C. Hanc æram Chronologi vocant Palilia vrbis Varroniana, & L. Tarrutij Firmiani apoteleſma: ad quod inde à creatione mundi effluxerunt anni 3197. Palilia iſta erant feriæ Palis deæ, quæ celebrabantur vndecimo Kal. Maij: quo die Romulus vrbem condidit Anno M.3182. incipit vigeſimaquarta Ægyptiorum dynaſtia. quæ fuit Bocchoridos Saitæ, hominis crudeliſſimi & iniuſtiſſimi: qui tamen iuſtitiæ & religionis exiſtimationem eſt adeptus. Sub hoc ferunt, agnum eſſe locutum. Hic eſt So ſiue Sua ille, cuius mentio fit 2. *Reg.* 17. *verſ.* 4. quaſi Soites vel Saites, à patriâ So ſiue Sa, prouinciâ Ægypti. Ioſepho dicitur Soa, Græcis Σηγώρ. Cum hoc colluſit Hoſea rex Iſraëlis contra Salmanaſſarem. Anno M.3203. periodi Iulianæ 3967. incipit dynaſtia Nabonaſſari, ſeu Babyloniorum, poſtquam anno XIX. Artycæ à Medis defecerunt; éſtque regum XX. & rectè dicitur appendix primæ monarchiæ. Artycas ille fuit tertius Medorum dynaſta poſt Arbacen Sardanapali debellatorem. Eius anno XIX. Nabonaſſar Babylonius deficiens à Medis hanc nouam dynaſtiam in Babyloniâ inſtituit. Nabonaſſaro iſti virtutis ergò, ac propter libertatem aſſertam Chaldæi nouam epocham inſtituerunt, à quâ omnia Aſtronomiæ ratiocinia putari cœpta. Dicitur aliâs Thoth Nabonaſſari. Cæterùm in hâc dynaſtiâ ſequentium regum accurata ratio eſt habenda. Quintus poſt Nabonaſſarum rex Mardokempadus regnat anno M.3229. qui Merodac, parte priore nominis ſui, dicitur *Eſaiæ* 39. *verſ.* 1. Hic anno ſeptimo Imperij ſui legatos miſit regi Ezechiæ. Eodem anno, Mardokempadi ſeptimo, Sennacherib à ſuis filiis interficitur. Decimusſextus huius dynaſtiæ rex Nabopollaſſarus (quem alij vocant Nebucadnezarem primum) capeſſit regnum anno M.3325. Hic Nabopalaſſar eſt pater Nabuchodonoſoris, quem anno XVII Imperij ſui, Tyriorum & Palæſtinorum rebellione inuitatus, in Syriam cum præpotenti exercitu miſit. Eius Imperij anno XXX. eóque vltimo, viſio quatuor animalium Ezechieli prophetæ oblata. Huic ſuccedit decimusſeptimus ordine Nabuchodonoſor filius anno M.3354. In eius locum ſuccedit filius Euilmerodach, (qui in canone mathematico vocatur Illoroadamus) anno M.3384. Decimusnonus huius dynaſtiæ rex eſt Neregaſolarus anno M.3390. Hic fuit gener Nabuchodonoſoris, & aliâs dicitur Nerigloſſoor & Nerigliſſoar. Huic ſuccedit filius Laboroſoardach; qui ante cum patre vel potiùs ſub parentis tutelâ regnauerat, iam ſolus adminiſtrat imperium menſes 9. anno 3392. Hunc Scriptura vocat Balthaſarem; quo occiſo regnat Nabonadius, vt vocatur in canone mathematico: ſeu Nabonidus, vt Beroſus, Megaſthenes, & Herodotus eum vocant. qui cognominatus fuit Medus; quòd è Medis oriundus eſſet. In Scripturâ vocatur Darius Medus, à quo transfertur ſumma rerum ad Cyrum.

XI. Achaz

a & z.

XI. *Achaz, ſeu Ahas, XII. rex Iuda ſuccedit patri Iotham, anno M 3206 homo impius: cui ſuccedit anno mundi 3222. filius Ezechias, piiſſimus & optimus.*

Sub Achazo, anno ipſius 7. Eſaias promulgat vaticinium de virginis filio, *cap.7. v.14.* quod Iudæi ſtultè de Ezechiâ exponunt. Is enim 25. annorum erat, cùm ad regnum perueniret. Hoc igitur tempore fuit annorum 15. 2. *Reg.*18. *verſ.*2. Hîc obſerua, hoc euangelium populo fuiſſe annuntiatum annis 736. ante Chriſtum. Achaz euocat Tiglat-pileſer regem Aſſyriorum aduerſus Rezin regem Syriæ, & Pekam regem Iſraëlis, 2. *Regum* 16. Anno M 3210. Hoſea fit XIX. & vltimus rex Iſraëlis: qui anno M.3219. fit tributarius regi Aſſyriorum Salmanaſſar, 2. *Reg.*17. Hic ipſe rex Samariam poſt obſidionem triennem expugnat, & decem tribus in captiuitatem perpetuam abducit, anno M.3227. ſexto anno Ezechiæ, regis Iudæ, qui aliâs dicitur Hiskias. Hic æqualem non habuit pietate, nec ante ſe, nec poſt ſe, 2.*Reg.*18. Æneum ſerpentem Moſis, cùm idololatricus cultus acceſſiſſet, confregit, & Nechuſtam appellauit per contemptum: *Ibid.v.*5. Iſraëlitæ abducti in Samariam, neſcio quam religionis Iudaicæ & ethnicæ mixturam introduxerunt: vnde in odio erant maximo apud Iudæos. Sennacherib rex Aſſyrius, patris Salmanaſſaris exemplum imitari conatus, reliquam partem populi Dei, videl. tribum Iuda delere aggreditur: ideóque cingit Hieroſolymam, vbi ad preces Ezechiæ à Deo mittitur angelus, qui vnà nocte cædit 185000. militum in exercitu Sennacheribi. Rex itaque relinquit obſidionem & fugit, *Eſa.*38. 2.*Reg.*19. & paulò pòſt à filiis ſuis in vrbe Nineue interficitur: qui cæde factâ aufugiunt. Succedit ipſi in regno filius Aſarhaddon. Plures in hâc dynaſtiâ Aſſyriorum reges non occurrunt apud hiſtoricos. Nec dubium eſt, quin progreſſu temporis hæc dynaſtia ab alterâ Babyloniorum abſorpta ſit. Vnde quidam huc referunt locum *Ezech.*31.*v.*11. Sennacheribo hæc ſtatua poſita: Εἰς ἐμὲ ὁρῶν εὐσεβὴς ἔσω: *Intuens in me pius eſto.* In tempora Sennacheribi conferunt hiſtoriam Tobiæ. Anno M.3236. Numa poſt vnius anni interregnum ſuccedit Romulo, vrbémque vi & armis conditam, iure ac legibus moribúſque de integro condere parat. Annum, qui hactenus X. menſium fuerat, duodecim menſibus deſcribit, ad motum tamen Lunæ, interponendo menſes intercalares, vt ad motum Solis congrueret. Ceremonias denique varias ordinat. Ab hoc vocati ſunt nummi: quos ille primus apud Latinos imaginibus notauit, & titulo nominis ſui proſcripſit. Anno M.3226. incipit XXV. dynaſtia Ægypti, eáque Æthiopum: in quâ primus rex fuit Sabacon Æthiops, qui Bochoridem captum viuum cremauit. Hic videtur eſſe crudelis tyrannus, quem Eſaias Ægypto prædixit, *cap.*19.*v.*4. Tertius in hâc dynaſtiâ fuit Tarachon, qui *Eſa.*37.*verſ.*9. vocatur Tiraka, LXX. Interpp. Θαρακά. Anno M.3266. incipit Ægyptiorum dynaſtia XXVI. eáque Saitarum. Hoc quoque tẽpore cœpit quarta dynaſtia Archonton annuorum apud Athenienſes. Anno M.3221. in ſecundâ Lydorum dynaſtia floruit Candaules, qui finem impoſuit huic ſecundæ dynaſtiæ Lydiæ, quæ dicitur Heraclidarum: quia primus dynaſta fuit Agron Herculis nepos. Tertia Lydorum dynaſtia dicitur Mermnadarum, in quâ primus eſt Gyges, anno M.3238. vltimus Crœſus, anno M.3393. Obed propheta floret tempore Achaz, 2.*Paral.*28. Habacuc videtur circa hæc tempora vixiſſe. Seder Olam, id eſt Chronologia Hebræorum, collocat in hæc tempora tres prophetas, Habacuc, Ioël, & Nahum. Nahum certè hoc tempore floruit. Conſolatur enim Iudæos, ne ſibi iterum ab Aſſyriis metuant, *cap.*3. *v.*7.10, Alij in tempora Sardanapali Aſſyriorum regis coniiciunt: quia contra Aſſyrios vaticinatur. Homerum in tempora Numæ ponit Theopompus. Anno 15. Ezechiæ Merodach Babylonius mittit legatos ad Ezechiam, ſcitatum de prodigio retrogradi Solis, 2.*Chron.*22. quod procul dubio Chaldæi Aſtronomi, qui æram Nabonaſſari conſtituerant, obſeruauerant. Legati iſti adferunt Ezechiæ munera, quibus ille inſolentior factus oſtendit theſauros, & propterea obiurgatur ab Eſaiâ, *cap.*39. Ariſtodemus rex Meſſeniorum floret tempore primi belli Meſſeniaci, quo Meſſenij à Spartanis ſunt victi, tempore Achazi. Nam mortuo Ariſtodemo Lacedæmonij in Meſſenios ſunt dominati annos 39. Poſtea Ariſtomenes rex Meſſeniorum callidiſſimus mouit ſecundum bellum Meſſeniacum, in quo Meſſenij à Lacedæmoniis patriâ pulſi venerunt in Siciliam, anno M.3282. Vide paulò antè regul.8. Tempore belli Meſſeniaci II. floret Tyræus poëta, & ante ipſum Archilochus & Simonides. Syracuſæ conditæ ſunt tempore Achazi.

XII. *Manaſſes, ſeu Manaſſe, ſucceſſit Ezechiæ patri, anno M.*3251.

Fuit rex impius & idololatra, augurum & fatidicorum patronus, prophetarum parricida. Tandem à ducibus regis Aſſyrij captus & Babylonem abductus, pœnitentiam egit, fuítque regno reſtitutus, 2.*Paral.*33. Oratio eius pœnitentialis extat inter Apocrypha Biblica. Diutiſſimè omnium regum tum Iuda, tum Iſraël, regnauit. Poſtquam regno reſtitutus fuit, inſtaurauit cultum veræ religionis. Anno M.3257. floret Dejoces rex Medorum, qui condit Ecbatanam in Mediâ: quod nomen eſt Chaldaicum, ſignificans arcem, à voce *Baithan*, arx. Vnde & hæc vrbs Baithan dicitur. Monomachia trium Horatiorum, & totidem Curiatiorum incidit in tempora Manaſſis. Victoriam obtinent Horatij, teſte Liuio. Alba quoque diruitur circa hæc tempora. Arion Muſicus, & Zaleucus Locrenſium legiſlator in Italiâ floret. Scaliger tamen docet, eum pertinere ad tempora Pythagoræ, cuius ſectator fuerit. Miltiades primus (vt ita dicam διαδεχέσεως ἕνεκα) floret in 4 Athenienſium dynaſtiâ, quæ fuit Archonton annuorum. Anno M.3279. Pſammetychus, ſeu, vt alij ſcribunt, Pſammitichus floret in 36. dynaſtiâ Ægyptiorum: & ad hunc vſque regem Manetho deſcribit dynaſtias Ægyptiorum. Deinceps Herodotus continuat ſeriem. In Romanorum regum dynaſtiâ Tullus Hoſtilius floret, rex III. Numæ diſſimilis, & Romulo ferocior. Nam ſeneſcere otio ciuitatem ratus, vndique materiam belli quæſiuit. Tandem fulmine cum totâ domo conflagrauit. Hîc obſerua, ſeptem reges Romanorum conferri cum ſeptem planetis, hoc modo: Romulus bellator confertur ♄. Numa ſacerdos ♃. Tullus Hoſtilius homo inquietus & Albæ euerſor, ♂. Ancus ☉. In ipſo enim fuit ingenium medium, Romuli & Numæ memor: ad pacem & ſacrorum tractationem, & ad bellum æquè promptum. Tarquinius Priſcus ♀. Hic enim vbi à bello vacauit, vrbi ornandæ & politiæ incubuit. Seruius Tullus ☿. Fuit enim eruditus omnis generis artibus. Tarquinius Superbus ☽, quia fuit ingenio mutabili. & ſub ipſo mutata politia. Quomodo Numa omnem ſacrorum rationem in octo claſſes diſtribuerit, & totidem decurias ſacerdotum conſtituerit, vide apud Peucerum de diuinat. extiſpicum.

XIII. *Ammon rex Iuda XV. ſuccedit patri Manaſſi anno M.*3306. *& huic filius Ioſias an.* 3308.

Hiſtoria Ammonis & Ioſiæ.

Ammon eſt rex impius. Ioſias eſt piiſſimus & religioſiſſimus: celebrat Paſcha magnificentiſſimè: Pharaoni Necho temerè bellum infert. Sub ipſo floruerunt ſcholæ & ſacra ſtudia, itémque prophetæ eximij, Daniel, anno M.3342. Ieremias è genere ſacerdotali, qui incepit docere anno 13. Ioſiæ: *Ier.*1. & Sophonias *cap.*1. Septem ſapientes clarent, videl. Thales Mileſius, Solon Salaminius legiſlator Athenienſium æquiſſimus, Periander Corinthius, Cleobulus Carth. Chilo Lacedæmonius, Bias Prienæus, Pittacus Mitylinæus, de quibus Laërtius. Pherecydes Syrus eſt Thaletis coætanæus: item Sibylla Cumæa. Anacharſis Scytha eſt Solonis σύγχρονος: item Epimenides, qui vixit annos 157. & continuè annos 57. dormiuit. Ab hoc ſeptem ſapientum ſeculo incipit heroica gentilium ætas, quæ apud Græcos plurimos habuit ſapientiæ ac prudentiæ laude cumulatiſſimos philoſophos & legum conditores. Poteſt autem initium huius ætatis figi in primo anno Nabopallaſſaris; anno M.3325. ante regnum Nabuchodonoſoris. Draco legiſlator Athenienſium floret anno M.3329. ante Solonem, homo adeò ſeuerus, vt parem capitis pœnam ignauis, homicidis & olerum furunculis ſtatuerit: vnde vox Demadis, Sanguine non atramento ſcriptas leges Draconis. Leges ipſius fuerunt appellatæ θεσμοί, quæ poſtea maximam partem ſunt abrogatæ tempore Solonis. Tempore Ioſiæ & Nabopalaſſaris floret Pharao Nechao vel Necho, in 26. Ægyptiorum dynaſtiâ: qui conatut Nilum in mare rubrum deducere, ſed fruſtrà; & tandem à Nabuchodonoſore vincitur. Sappho poëtria, Stechiſorus, & Alcæus poëtæ florent. Anno 30. Nabopalaſſari Exechiel incipit vaticinari, *Ezech.*1.*verſ.*1. Apud Romanos florent Ancus Martius & Tarquinius Priſcus, reges, è quibus hic antea Lucumo dictus, Tarquinio oppido natus, Capitolij fundamenta iecit: quæ pòſt à Seruio Tullo & Tarquinio Superbo exædificata.

XIV. *Ioachas rex Iudæ XVII. ſuccedit anno mundi* 3338. *Iojakim anno* 3339.

Hiſtoria Ioachas & Iojakim.

Ioachas regnat menſes 3. qui includuntur annis Ioſiæ: prædeceſſoris, vel Iojakim ſucceſſoris. Abductus eſt in Ægyptum. Iojakim rex impius & perfidus rebellat regi Babylonio, & ideò abducitur Babylonem. Nabopollaſſarus, qui etiam dicitur Nebucadnezar, Priſcus, & Primus an.M.3342. mittit filium ſuum Nebucadnezarem cognomento Magnum, in Syriã ad ſubiugandos rebelles Tyrios & Palæſtinos. Inde Scriptura annos eius numerat, 2.*Reg.*24. *Ier.* 52. Solus imperat à morte patris anno M. 3354. Eius hiſtoriam breuiter à Beroſo conſcriptam vide apud Ioſephum in Antiq. & lib.1. contra Appionem, vbi leguntur verba Megaſthenis Perſæ, quæ cum hiſtoriâ ſacrâ valde congruunt. In tempora Nebucadnezaris cõferunt hiſtoriam Iudith.

XV. *Iechonias, ſeu Ioachin, XIX. rex Iuda, ſuccedit anno M.*3356. *Sedechias XX. & vltimus, anno eodem.*

Hiſtoria Iechoniæ & Sedechiæ.

Hic poſtquam tres menſes regnauerat, capitur à Nebucadnezare, & vinctus Babylonem abducitur. In itinere moritur

tur insepultus. Atque hæc dicitur sepultura asini in S. literis, & Latinis insepulta sepultura. Iechonias iste dicitur genuisse Selathielem, *Matth.*1. scil. legaliter,quia hic successit ipsi in principatu: quo sensu Iulius Cæsar dicitur pater Octauij,non naturalis, sed legalis. Captiuitas Babylonica annorum LXX. incipit à deportatione Iechoniæ. *Ezech.*1.*v.*2. *Ier.* 29 *versu* 10. id est,ab anno mundi 3350. quo anno Sedechias, seu Zidkias, succedit in regno Iuda & regnat annos XI. Hic deficit ad Aprien regem Ægypti,sextum in dynastiâ XXVI. qui aliâs dicitur Vuaphres & Hophrea, & cum eo fœdus facit. Huic Apriæ Ieremias prædicit interitum,*cap.*44. Quæ de superbiâ Apriæ scribit Herodotus,pulchrè conueniunt cum *Ezech.* 1. Sub rege Sedechiâ Hierosolyma obsidetur a Nabuchodonosore, & anno M.3360. anno 19. Imperij Nabuchodonosoris (numerato scilicet ab anno M.3342. quo cœpit regnare vna cum patre , non autem ab anno M.3354. quo cœpit solus regnare) hoc, inquam, 19 anno, Hierosolyma capitur, Sedechiâ anno regni sui XI excæcato & Babylonem abducto: vnde nonnulli ordiuntur æram captiuitatis Babylonicæ. Quâ de re breuiter sic habe. Cùm in S. literis mentio fiat quatuor captiuitatum Babylonicarum, Chronologi disputant, vnde arcessendi sint LXX. anni, quorum Scriptura meminit. Ad primam captiuitatem quod attinet, illa hîc non venit in calculum: quia in ipsâ abductus fuit Manasse, 2.*Paral.*33. non populus Iudaicus. In secundâ abductus fuit Iojakim, 2.*Paral.*36. *Dan.*2. Et in hâc Daniel quoque fuit deportatus, qui Nebucadnezari interpretatus est somnium illud heroicum & allegoricum, *Dan.*2. In tertiâ abductus fuit Ioachin seu Iechonias, 2.*Reg.*24.*vers.*12. 2 *Paral* 36 *vers.*19. In hâc etiam transportatus fuit Ezechiel. In quartâ fuit abductus Sedekias;& in hâc Hierosolyma vnà cum templo diruta. Nunc quæritur, à quonam ex tribus istis regibus sint deducendi LXX. anni captiuitatis? Nos cum Scaligero & Fr. Iunio ordimur à Iechoniâ captomo cum Scriptura, *Ier.*29.*v* 10 *Ezech.*1.*v.*2.*c.*40. *v.*1.*& Matt.*1. vbi Iechonias ponitur post captiuit. item Babylonicam,illam scil. quæ peculiarem æram seu epocham constituit. Contra disputant nonnulli ex *Ier* 25. *v.*11 *cap.*52.*v.*5.27. 2.*Chron.*36.*v.*10. 21.& aiunt,captiuitatem illam famosam non solùm esse desolationem populi, sed etiam terræ,quæ ipsa quoque debuerit agere sua sabbata. Sed hæc ratio non infringit nostram sententiam: quia,vt bene annotant Scaliger p.287.Can & Iunius in 2 *Chron.*36. *vers.*21. terra quieuit à deportatione Iechoniæ vsque ad monarchiam Cyri, annos LXX. videl. ab anno M.3350.ad 3419. incl siuè Quòd si à capto Sedekiâ hebdomadas istas velis deducere,rationes tuæ exitum huius interualli deducent ad decimum annum post obitum Cyri. Vide etiam *Ierem.*24.*v.*5.6 *& Ezech.*11 *v.*16. Hîc obiter obserua Hierosolymam in vniuersum duodecies oppugnatam fuisse. 1. A Sesak, rege Ægypti. sub Roboam, 2.*Paral.*12.2. A Ioas, rege Israël, 2.*Reg.*14 sub Amaziâ 3. Per Assyrios,sub Manasse,2.*Paralip* 33. 4 Per Nebucadnezarem,sub Iojakim, .*Paralip.*36.5. Per eundem sub Zedekiâ,*ibid.*6. A Magoso,duce Persico. *Ioseph* 11.*antiq.c.*7.7. A Ptolemæo Lago, *Ioseph lib.d.cap.*1.8. Ab Antiocho Epiphane,sub Maccabæis.9 Ab Apollonio,duce Antiochi.10. A Pompeio.11. Ab Herode.12 A Romanis duce Tito Vespasiani filio. Nonnulli addunt obsidionem ab Aretâ rege Arabum. Sed is iussu Scauri coactus est discedere ab obsidione, vt Iosephus & Egesippus narrant. Cæterùm tempore captiuitatis Babylonicæ Nabuchodonosori anno M.3384. succedit Euilmerodach, princeps pacificus & felix: & huic Nerigl ossoor gener Nabuchodonosoris, qui regnat nomine filij sui Laborosoardachi seu Belsazer,cuius nomen septem modis enuntiatur in prophetiâ Danielis. Belsazer solus regnat 9.menses. Hoc Belsazer,seu Balthasare occiso Darius, seu Nabonidus, Megasthenl Nabonidochus,aliis Nabonnedus,& corruptè Labonydus, seu Labynitus pro Nebonidochus,vt ait Iunius super Dan.6 hic,inquam,Darius cognomento Medus, regnum Persarum suscipit anno M.3390. quod vnà cum genero suo Cyro administrat. Hîc igitur incipit æra regni Persici. Nam à morte Darij Medi summa rerum ad Cyrum Persam deuoluitur. Cyrus in vniuersum quinque bella gessit; si excipias Babylonis expugnationem. Primum contra Astyagem auum maternum,regem Medorum: secundum anno M.3402. contra Crœsum Lydorum regem: tertium anno M.3406. contra Iones. Et hæc tria quidem bella gessit tempore regni Persici: duo autem sequentia gessit anno M.3419. quo adeptus fuit monarchiam, & quartum quidem contra Assyrios *Dan* 5. *Herod. l.*1. quintum verò cum Massagetis,Scythiæ populis. Synchronismi captiuitatis Babylonicæ hi sunt. In Ægyptiorum dynastiâ XXVI. florent Pharao Nechao; Apries & Amasis, qui contra Apriem conspirat, eúmque deiicit. *Ierem* 44. Apud Romanos clarent Tarquinius Priscus, & Seruius Tullus,Tarquinij gener: cui puero dormienti caput arsisse ferunt. Quo prodigio mota Tanaquil vxor Tarquinij, curauit eum erudiri omnigenis artibus, quibus ingenia ad magna quæque audendum excitantur. Occisus tandem fuit à Tarquinio Prisci filio, genero suo,per filiam Tulliam. Solon adhuc floret. Pythagoras venit in Italiam regnante Tullo Seruio,cum antea in Ægypto peregrinatus esset regnante Tarquinio Prisco, tempore regifugij, vt author est *Cicero* 1.*Tuscul.* Anaximander, nobilis Physicus, Pythagoræ est coæuus: vt & Anaximenes Physicus,auditor Thaletis & Anaximandri. Simonides nascitur. Æsopus claret sub Solone & Crœso. Daniel propheta floret vsque ad tertium annum monarchiæ Cyri. *Dan.*10. Phocylides,Xenophanes,Zeno Eleates,Anacreon lyricus, & Simonides florent, paulò ante initium secundæ monarchiæ.

CAPVT XVIII.

De Secundâ monarchiâ.

PRÆCEPTA.

SEcunda monarchia Persarum est ab anno M. 3419. vsque ad annum M.3619. adeóque est annorum 200.

Articuli eius sunt X. pro numero X. regum, de quibus sunt hi versus:

Cyr. Camb Histaspis,tum Xerxes,Longimanúsq;
Hinc Nothus, & Mnemon, Ochus, Arses & Codomannus.

REGVLÆ.

I. *Historia Cyri diuiditur in duo interualla.*

Primum interuallum est à regno eius Persico quod durauit annos 28.de quo in fine cap.anteced.alterum est ipsius monarchiæ,quæ durauit in annum tertium, qui cùm non fuerit completus,tribuuntur Cyro tantùm anni 30.videl.28. regni,& biennium monarchiæ. Cœpit enim ipsius regnum anno M.3391.& monarchia anno M.3419. (quo ipse factus fuit vnidominus per totam Asiam) & desiit anno M.3421. quo Cambyses filius ipsi successit. Ad hunc vsque tertium annum monarchiæ Cyri floruit Daniel Propheta,vt paulò antè diximus. Anno primo huius monarchiæ accidit solutio captiuitatis Babylonicæ, & reditus populi duce Zorobabele 2.*Paral* 36.*v.*22.*Esdr.*1.*v.*1 vbi oportet intelligere annum primum monarchiæ Cyri. Cyrus iste fuit typus Christi:quatenus laxauit captiuitatem Babylonicam. Zorobabel, pronepos Iechoniæ, est primus populi Dei dux post captiuitatem, & Iosua, seu Iesus,primus Pontifex. Hi duo iaciunt fundamenta templi & vrbem instaurant. Sed viuente adhuc Cyro ædificium illud impeditur à præfectis Persicis & gente Samaritanâ. *Esdr.*4. *v.*5. atque ita læta initia turbantur. De morte Cyri variant historiæ. Certum tamen videtur plerisque, ipsum in acie contra Massagetas, Scythiæ populos interfectum esse: vbi ferunt mortuo refectum caput,& à Tomyri reginâ immersum sanguini humano his verbis sarcasticè prolatis: *Sanguinem sitisti, sanguinem bibe.* Xenophon quidem Cyrum placidè mortuum esse affirmat,recitatâ cantione cygneâ,quam moriens ad filios habuerit,adhortando ipsos ad studium iustitiæ & concordiæ:sed Xenophontis ista narratio non ad fidem historiæ,sed ad ideam boni principis est directa. Quidam etiam de *Cyro Medo* accipiunt historiam illam victoriæ Tomyris. Vide suprà in politicis. Sub initium huius monarchiæ Tarquinius Superbus, gener Seruij Tulli,filius Tarquinij Prisci,regnat apud Romanos. Hic vincula,compedes,taureas, fustes,catenas, exilia, & metalla excogitauit. Idem anno M.3440. tempore Darij Hystaspis Lucretiâ Collatini vxore per vim stupratâ,& insolenti dominatione introductâ, cum totâ familiâ & vrbe,& regno pellitur. Ad initium huius monarchiæ duo ventilari solent; An perfecta Chronologia inde à Cyro vsque ad Christum peti possit ex S. Scripturâ:&,Quot fuerint reges Persiæ? *Resp. ad* 1. Interuallum secundæ monarchiæ ex S.Scripturâ petitur hoc modo. Danielis 9.cap.exprimitur numerus annorum 490. qui effluxerunt ab vrbis instauratione vsque ad illius excidium. Liber Esdræ continet historiam Iudæorum reducum inde ab edicto Cyri vsque ad decimumnonum annum Artaxerxis Mnemonis: éstque historia annorum centum quadraginta quinque,hoc modo. Cyri monarchia cum Cambyse est ann.9. Magi regnant ann.1. incompletum. Darius Hystaspis 36. Xerxes 21. Artaxerxes Longimanus 40. Darius Nothus 19. Artaxerxes Mnemon 19. Iunius habet annos 146. quia Xerxi tribuit ann.22. Liber Nehemiæ est historia,quasi quinquaginta quinque annorum,à vigesimo ann. Artaxerxis Mnemonis vsque ad regnum Darij vltimi, qui Codomannus dicitur. Liber Estheræ continet ea,quæ Iudæis memorabilia euenerunt tempore Assueri, mariti Estheræ, id est Xerxis: quem caue confundas cum Assuero patre Darij Medi, qui dicitur Assuerus Priscus, maritus Estheræ Assuerus Pius. Denique continua successio maiorum Christi tempore huius monarchiæ describitur *Matth* 1. Ad tertiam monarchiam quod attinet, continua successio maiorum Christi illo tempore occurrit d. l. & in libris Maccabæorum plurima occurrunt huius historiæ:

historiæ: vt in libro primo est historia annorum fermè 40. quippe qui describit statum Ecclesiæ sub Antiocho Epiphane, & Eupatore, Demetrio, Sotere Alexandro Epiphane, Demetrio Nicanore, & Antiocho Sedete regibus Macedoniæ: in libro secundo est historia ann. fermè 14 vtpote qui continet statum Ecclesiæ à fine Seleuci Philopatoris ad tempora vsque Antiochi Eupatoris. *Resp. ad* 2. Numerus regum Persicorum, illorúmque διαδοχή, nobis probatur, vti expressimus paulò antè in præceptis. Hic enim conuenit cum sacrâ æquè ac profanâ historiâ. Scaliger quidem in canonibus isagogicis & passim constituit XIV. dynastas huius monarchiæ: sed nos, secuti alios Chronologos, septem menses Magorum fratrum includimus annis Darij Hystaspis: menses septem Artabani referimus ad annos 21 Xerxis: menses duos Xerxis II. includimus annis præcedentis Artaxerxis Longimani: menses denique septem Sogdiani referimus ad annum primum Darij Nothi successoris.

II. *Cambyses patri Cyro succedit anno M.*3421.

Hic fuit filius Cyri degener. Priuilegia patris Iudæis concessa rescidit: vnde à Iudæis appellatur Nebucadnezar Secundus. Fuit homo sceleribus nobilitatus. Sisamnem iniustum iudicem iustè puniuit. Equum conscensurus pugione delapso vitam sibi eripuit. Apud Ægyptios hoc tempore incipit dynastia XXVII. quæ fuit Persarum. Nam Cambyses anno quinto imperij sui Ægyptum obtinet: quam postea Darius Nothus anno 12. Imperij sui amisit. Apud Romanos tempore Tarquinij Superbi floret Papyrius, primus Romanorum ICtus: apud Samios Polycrates tyrannus, qui perpetuâ felicitate vsus tandem suspenditur.

III. *Darius Hystaspis seu Hystaspides succedit Cambysi anno M.*3429.

Anno præcedente videlicet 3428. Magi fratres regnant menses VII. quibus occisis Darius Hystaspis, hinnitu equi ad regnum euehitur, ita vt ipsi sint tribuendi anni 36. & 5. menses. Sed menses isti fermè negliguntur à Chronologis. Sub huius regis imperio ædificium templi impeditur, vt Iunius & Scaliger probant ex *Esdr.4. vers.5.* Hic Darius ad Marathonem ingenti clade vincitur ab Atheniensibus, duce Miltiade. Hinc nobilis est pugna Marathonia. Babylon rebellis ab hoc Dario capitur astu Zopyri. Apud Romanos regifugium Tarquinij incidit in annum M.3441. & forma regni, quod durauerat ab V. C. annis 244. mutatur in formam Aristocraticam sub Consulibus & tribunis militum Consulari potestate, qui præfuerunt annis 458. vsque ad Iulium Cæs. Dictatorem: deinceps manserunt quidem, vsque ad annum Christi 541. quo Basilius fuit vltimus Consul: sed non retinuerunt iura maiestatis, vnde ab illo tempore dicuntur Coss. honorarij: & circa finem aliquoties non bini, vt antè, sed vnus duntaxat fuit. Pindarus nascitur tempore Darij Hystaspidis. Heraclitus ab ipso vocatur per literas. Hîc inseram methodum breuem de magistratibus Romanorum tempore quartæ dynastiæ quæ fuit Coss. item de bellis Romanorum variis. Anno itaque M.3442. tempore Darij Hystaspis creantur primi Coss. L. Iunius Brutus, rigidus in filios, & L. Tarquinius Collatinus Lucretiæ maritus, qui propter regij nominis, quod gerebat, inuidiam se vltrò abdicauit consulatu; & in eius locum suffectus est P. Valerius Poplicola, seu Publicola. Tarquinius conatus est dignitatem regiam recuperare Cum eo se coniunxit Porsena rex Hetruriæ: qui tribus annis vrbem modò terruit, modò obsedit. Hetrusco isti hosti acriter se opposuerunt Romani, & inprimis ipsi nocuerunt Horatius Cocles, Mutius Scæuola, & Clœlia fœmina: vsque adeò vt Porsena, deserto Tarquinio, quâuis conditione cum Romanis pacem pacisceretur. Tarquinius itaque priuatam viuere vitam instituit. Sed gener ipsius Manilius Octauius ingens bellum contra Romanos instaurat, concitatis aduersum illos quadraginta populis. Tunc Romani primum dictatorem crearunt Largium, cuius authoritas & potentia præiret Consulem, anno M.2445. quo duce Manilius iste victus est. Dictatori perpetuò adiunctus fuit Magister Equitum, qui fuit primus Sp. Cassius. Vix resp. Romana eluctata fuerat ex periculo regiæ tyrannidis, cùm anno M.3456. tempore Darij Hystaspis, quo mortuus est Tarquinius, exarsit intestina plebis & patrum discordia ob immodicas vsuras, adeò vt plebs armata in montem sacrum ascenderet, & oppressionem Patrum moliretur. Tumultum istum repressit Menenius Agrippa eleganti apologo membrorum aduersus ventriculum conspirantium. Creati tunc primùm fuerunt Tribuni plebis, & decretum est: vt is magistratus esset sacrosanctus, cuius auxilium plebs reposceret contra Coss. & ne cui Patrum eam dignitatem capessere liceret. Opposuit se paulò pòst Tribunis C. Martius, qui Coriolanus cognominatus fuit, quòd in expugnandis Coriolis, Volscorum oppido, egregia ipsius virtus emicuisset. Is ad Volscos se contulit, illisque suasit defectionem à Romanis Volscis etiam fuit author & dux belli, eripuítque Romanis aliquot oppida, vrbem denique ipsam obsedit. Sed liberauit vrbem obsidione mater Coriolani Veturia. Anno M.3472. tempore Xerxis, cùm vrbs variorum populorum incursationibus vexaretur, in quibus nominatim erant Vejentes in Hetruriâ, trecenti Fabij (quorum familia patritia numero & viribus erat potens) impetrarunt, vt sibi solis decerneretur bellum Vejentanum. Sed omnes funestâ strage sunt interfecti, vno superstite, qui posteà Cunctator dictus. Cum iam creuisset vrbs hominum numero, & propter negotiorum varietatem præsenti statui veteres leges minimè sufficerent, postulauit populus, vt certa quædam & æqualis iuris scripta forma constitueretur. Huic rogationi Patres acerrimè se opposuerunt. Post multas tamen contentiones communi tandem consensu decretum factum, de mittendis legatis in Græciam, & nominatim Athenas, quæ vrbs iam CXL. annis ad leges Solonis mores conformauerat. Legati ergò in Græciam missi sunt Tresviri seu Trium viri prudentiâ & iudicio præstantes, Sex. Posthumus Albus, A. Manlius, & Ser. Sulpitius Camerinus. Hi cùm integrum triennium in suâ per totam Græciam peregrinatione consumpsissent, redierunt Romam: vbi inter Patres & plebem conuenit, vt decem ex senatoribus eligerentur, qui & ex patriis consuetudinibus, & ex Græcorum legibus, certum iuris systema componerent. Anno itaque M.3500. delecti sunt Decem viri, inter quos fuerunt etiam legati ex Græciâ reuersi: qui totum annum componendis legibus operam dederunt. Conscriptæ leges, antequam ratæ haberentur, publicè sunt propositæ in X. tabellis, & facultas data fuit omnibus & singulis ciuibus admonendi, si quid correctione dignum iudicarent. Tandem cum maximâ authoritate, ac totius ciuitatis consensu stabilitæ, ac æneis tabulis in foro pro Rostris affixæ sunt. Paulò pòst additæ sunt duæ tabulæ: vnde leges XII. tabularum sunt dictæ: quarum fragmenta suprà in Iurispr. proposuimus. Latis & stabilitas his legibus, mutatâ Consulari potestate, gubernatio reipub. commissa fuit Decemviris, qui leges conscripserant. Sed imperium Decemvirale non fuit diuturnum. Cùm enim illi tyrannicè agerent, ac nominatim Appius Claudius libidinosè, iis abrogatis res ad Coss. rediit: ita vt Decemvirorum imperium non durauerit diutiùs biennio, ex quo fuit institutum post leges XII. tab. Anno M.3506. Æqui & Volsci à Romanis vincuntur, & deinceps varia bella cum iisdem, cum Hetruscis, cum Vejentibus, cum Faliscis, & aliis geruntur: vbi memorabilis est obsessio Vejorum, quæ vrbs non fuit minor Athenis & decennium fuit obsessa vt Troja, expugnata à Camillo. Anno M.3560. circiter bello Senonico Roma à Gallis capta, postea à Camillo liberata fuit. Ab anno M.3514. vsque ad ann. M.3583. Tribuni militum fuerunt Consulari potestate, seu loco Coss. anno tamen 3576. cœpit anarchia quinquennalis. Anno 3583. primus prætor creatus Sp. Furius & Consules sunt restituti, ita vt deinceps vsque ad Iulium Cæs. bini consules quotannis administrarint rempub. Ann. M.3656. geritur bellum Samniticum. Anno 3668. cœpit bellum decennale, quod Romani gesserunt cum Tarentinis & Pyrrho Epirotarum rege, cuius auxilium Tarentini aduersus Romanos implorauerant. Bellum Punicum I. cœpit anno M.3685. & durauit annos 24. In quo Romani aggressi sunt Carthaginenses qui multa loca Siciliæ, Sardiniæ, & Hispaniæ in suam potestatem redegerant, & commoditate vrbis maritimæ Carthaginis freti fœdera cum Romanis percussa aliquoties violauerant. Descriptionem huius belli vide apud Polybium. Primo bello Punico vix dum confecto, nouis bellis Romani implicati fuêre contra Italiæ quosdam populos, videlicet Gallos, Ligures, Bojos, Sardos, Insubres, Illyrios: cum quibus variâ fortè bellatum est. Anno 3713. incepit bellum Ligusticum, quod durauit annis 80 Anno 24. post primum bellum Punicum exarsit secundum, quod omnium fuit maximum & periculosissimum. Hoc cœpit anno M.3731. ducibus Carthaginensium Amilcare patre, & duobus filiis Hannibale & Asdrubale: & finitum est anno decimo nono, quo Hannibal victus est à Scipione Africano, qui primus Imperator est salutatus. Hoc tempore templum Iani secundò clauditur: quod tempore Numæ primò fuit clausum, & tertiò tempore Augusti post victoriam Actiacam. Nimirum tempore belli patebat, tempore pacis claudebatur templum Iani, qui inde Patultius & Clausinus vocabatur. Anno M.3750. incipit bellum Macedonicum I. quod dicitur Philippicum, quia gestum est cum Philippo, qui fuit decimusquintus ab Alexandro Macedoniæ rex. Postea gestum est bellum Asiaticum, quod etiam dicitur Antiochium, & Syriacum: quia gestum est à Scipione Asiatico & cum Antiocho III. seu Magno, Syriæ rege. Bellum Macedonicum II. gestum est aduersus Perseum, Philippi filium. Hoc excepit bellum Hispanicum, deinde Achaicum, tum Punicum III. quod durauit annos 4. in quo Carthago deleta est anno M.3804. quo ipso anno cœpit bellum Viriatinum, contra Viriatum prædatorem Postea ortum est bellum seruile in Sicilia: mox Numantinum an. 14. post euersam à Scipione Æmiliano Carthaginem, qui ipse etiam hoc bellum gessit & Numantiam deleuit. Seditio Gracchana tum temporis est

eſt orta propter leges Agrarias, quæ regebant fines agrorum. Poſtea ortum eſt bellum Dalmaticum & Cimbricum, tum Iugurthinum anno M.3939. quod durauit annos ſeptem. In hoc bello Marius fuit imperator, & exercitus Mariani quæſtor L. Sylla qui cœpit Iugurtham Numidiæ Regem. Hæc gloria, quam L. Sylla ex capto Iugurthâ reportauit, primas occaſiones præbuit ſimultatum, quas poſtea Marius contra ipſum aluit, & quæ in bello Syllano primum eruperunt. Marius in triumpho huius belli primus vſurpauit inſigne aquilæ. Anno M.3860. exortum eſt bellum ſociale, [illegible], in quo plerique Italiæ populi contra Romanos conſpirarunt. Hoc aliâs dicitur Marſicum, a populis Marſis. Poſtea cœpit bellum Mithridaticum, & bellum ciuile Syllanum, in quo Roma maiori in diſcrimine fuit verſata, quàm cùm Hannibal ex clade Cannenſi ad eam acceſſit. Hinc tempora Mariana & Syllana ponuntur pro funeſtiſſimis, quemadmodum Mariana imperia pro rigidiſſimis. Et Sylla quidem maiorem quam Marius immanitatem exercuit. Nam non contentus trucidaſſe ſupra nouem millia Romanorum, proſcriptionis tabulam propoſuit, & proſcriptorum bona vendidit. Vtiles nihilominus leges quaſdam tulit, quæ dicuntur Corneliæ. Profligatis paſſim ex Italiâ Marianis exercitibus, ductu Pompeij, Q. Sertorius ſibi metuens, in Hiſpaniam profectus, ibi pulſis Romanorum prætoribus totam ferè prouinciam ſibi deuinxit, ita vt ab Hiſpanis alter Hannibal diceretur. Contra hunc miſſus eſt à Syllâ Metellus Pius, cui poſt mortem Syllæ Senatus collegam adiunxit Cn. Pompeium: quo aduerſus Sertorium in Hiſpaniâ militante ortum eſt Romæ bellum Gladiatorum, quod Spartaco gladiatore duce geſtum eſt, concurrentibus ad ipſum vndique ſeruis. Hoc bellum ſopiuit Craſſus, vt Hiſpanienſe Pompejus: inter quos duos erant ſimultates, quas poſtea auxit honoris diſparitas. Pompejo enim triumphus de Sertorio fuit conceſſus: Craſſus, vt cuius victoria propter hoſtem humilem ignobilior eſſet, in ſolâ oratione coactus fuit acquieſcere. Poſtea tamen hi duo reip. principes, Coſſ. delecti fuerunt, & poſt Conſulatum in gratiam redierunt. Defuncto Craſſo Pompejus confecit bellum piraticum: quo feliciter geſto reliquiæ belli Mithridatici II. ipſi ſunt commiſſæ. Cùm itaque Pompejus veniſſet in Gallatiam, Lucullus, qui præerat bello Mithridatico, conabatur ipſi perſuadere, vt retrocederet, quòd bellum iam eſſet confectum. Sed Pompejus, cuius ſymbolum erat [illegible], edictum propoſuit, ne quis in poſterum Lucullo obtemperaret, copias omnes ad ſe attraxit, & celeritate maximâ Mithridatem in Armeniâ adortus, nocturno prælio vicit: qui tunc fugit ad Tigranem Armeniæ regem, qui paulò pòſt ſupplex factus eſt Pompejo. Poſtea Pompejus in Syriam & Phœniciam ingreſſus, Hircani II. & Ariſtobuli II. fratrum, filiorum Alexandri Iannei, diſſidiis de iure regni & ſacerdotij Hieroſolymam attractus fuit, & Antipatri (pater is fuit Herodis) prudentiâ & officiis æquior factus Hircano, ipſum captâ vrbe ſacerdotio (ſine tamen regno) reſtituit, & Ariſtobulum Romam abduxit. Rebus ita fortiter in Aſiâ geſtis Pompejus reuerâ defendit Magni cognomen, quod in Africâ à Syllanis erat adeptus. Hoc tempore ortum eſt bellum Catilinarium, quod vſitatè dicitur coniuratio Catilinaria: in quâ L. Sergius Catilina, nobilitate generis inſignis perditis ſuis opibus, partim luxu, partim largitionibus, quibus Ædilitatem & Præturam erat conſecutus, & vulgi fauorem meritus, obnixè operam dabat, vt illo anno, quo Cicero ad Conſulatum euectus fuit, ipſe præficeretur reip. Quâ ſpe cùm excidiſſet, manum militum collegit, & Romæ dedit turbas: quas feliciter Cicero ſedauit, & inde pater patriæ fuit ſalutatus. Sed tanti honoris impatiens, & dono eloquentiæ confidens, ambitione fuit elatus. Quo vitio ita abalienauit à ſe ciuium plurimorum animos, & nominatim C. Iulij Cæſaris, viri in repub. principis, vt iuſſus ſit ire in exilium: ex quo tamen poſtea eſt reuocatus. Tandem exortum eſt bellum ciuile ducibus Cn. Pompejo & C. Iulio Cæſ. & quidem ex merâ φιλαρχί[illegible]. Cùm enim Cæſar (ſocer Pompeij) per integrum decennium in Galliâ commoratus eſſet, eámque totam vnà cum vicinis regionibus ſubiugaſſet, nec impetrare poſſet, vt Conſul renuntiaretur, ortum eſt hoc grauiſſimum bellum: tribunis pleriſque ex vrbe ad Cæſarem, vt qui populo magis faueret, profugientibus, & nequicquam proficientibus ſenatoribus ſuo Senatuſconſulto, vt darent operam Coſſ. ne quid reſpubl. detrimenti caperet. In hoc bello Cæſar vicit Pompejum in pugnâ Pharſalicâ, & eum in Ægyptum fugientem perſecutus eſt, vbi geſſit bellum Alexandrinum: quo confecto geſſit bellum Africanum aduerſus Pompejanos, qui Catonem Minorem ducem in Africam ſecuti erant. Victis Pompejanis Cato Minor Vticæ in Africâ ſibi mortem conſciuit, ne viuus in manus Cæſaris veniret. Poſt Africanum bellum confectum, Cæſar in Hiſpaniam profectus eſt; quò ipſum attraxit Cn. Pompejus, Magni filius, ad quem vndique ex toto terrarum orbe auxilia propter paterni nominis magnitudinem confluebant. Tantum ibi prælium eſt commiſſum, vt inclinatâ iam ferè âcie Cæſar increpans fortunam de equo deſcenderet, militibúſque denuntiaret, veſtigio ſe non receſſurum: proinde viderent ipſi, quem & quo loco Imperatorem deſerturi eſſent. Atque hoc modo etiam ſuperior fuit in bello Hiſpanienſi: quo confecto in vrbem triumphans reuerſus, Imperator Perpetuus ſalutatus eſt, & Semideus nuncupatus, ſtatua denique ipſius inter reges collocata,

IV. *Xerxes, Darij filius, capeſſit regnum anno M.3465.*

Hic in ſacris dicitur Achaſvverus, item Oxyares, maritus Eſtheræ: quam à bello reuerſus reginam creauit anno ſeptimo regni, *Herodotus libr.9.* natale ipſius conuiuium appellat τέλειον: & vxorem eius Ameſtrin, quaſi Ham-Eſther. Fuit princeps infelix. Prohibuit inſtaurationem ciuitatis & pólitiæ Hieroſolymitanæ. *Eſdr.4. verſ.6.* Adeò fuit inſolens, vt voluerit mare catenis vincire. Dictus fuit terror Græciæ: quia tranſitus eius in Græciam omnes Græcos terruit: qui hâc occaſione inter ſe faciunt ſyncretiſmum, depoſitâ omni hoſtilitate. Hinc Xerxes ab iis vincitur ad Thermopylas & fugâ ſibi conſulit. Æſchylus tragicus, Themiſtocles, & Ariſtides cognomine iuſtus, florent. Leges Agraria & Publilia apud Romanos feruntur.

V. *Artaxerxes, Longimanus, Xerxis filius, ſuccedit patri, anno M.3486.*

Artabanus à Scaligero collocatur inter Xerxen & hunc Artaxerxem, qui dictus fuit μακρόχειρ. Sed commodiùs ſeptem ipſius menſes includuntur vltimo anno Xerxis; & duo menſes Xerxis II. referuntur ad vltimum annum Artaxerxis Longimani, qui in ſacris dicitur Artachiſaſta. Hic ipſe quoque prohibuit inſtaurationem Hieroſolymorum, *Eſdr.4. v.7.* A ſeptimo ipſius anno ad paſſionem Chriſti præcisè ſunt anni 490. Quare Funccius, Bucholcerus, & alij Chronologi hinc ordiuntur LXX. ſeptimanas Danielis. Circa hæc tempora floruerunt Empedocles, Democritus, Hippocrates æqualis Democriti, Euripides, Sophocles, Herodotus, Meliſſus philoſophus, Phidias ſtatuarius, Pericles orator, Thucydides, Meton Aſtronomus, Cebes, Lyſias, Protagoras, Alcibiades (qui fuit verè chamæleon & inquietus dux) & Socrates, Græcorum ſapientiſſimus. Sicambrorum dynaſtia I. incidit in annum M 3498. in quâ primus rex fuit Marcomirus Antenoris Trojani filius, Trojanis è Scythiâ deductis ad oſtia Rheni, vt vult Trithemius. Dicti autem ſunt Sicambri à Cambrâ vxore Athenoris II. anno M.3625. ſub cuius filio Priamo Sicambri linguam Saxonicam didicerunt. Apud Romanos fertur lex de Auentino, item lex Tarpeja: & poſt leges XII. tabularum, lex Clodia, leges Canuleij, lex de ambitu & mulctis. Decemuiri creantur, & biennio pòſt abrogantur. Cenſores primùm creati anno M.3509. Megarenſes deficiunt ab Athenienſibus ad Lacedæmonios: iique Atticam vaſtant. Bellum Peloponneſiacum ſeu Archidamium Lacedemoniorum cum Athenienſibus incipit anno M.3519. & durat annos XXVII. Vera huius belli cauſa fuit, quòd Athenienſes nimiùm creuiſſe viderentur Lacedæmoniis, & aliis iam terrori eſſe inciperent.

VI. *Darius Nothus ſuccedit Artaxerxi Longimano, anno M.3526.*

Septem menſes Sogdiani commodè includuntur primo anno huius Darij, qui dicitur Nothus, item Ochus ſeu Achus, à Perſico Achaſch, i. e. princeps; & denique Syrus. Eius anno 12. Ægyptus deficit à Perſis vſque ad Artax. Ochum. Haggæus & Zacharias vaticinantur hoc tempore, *Hag.1. v.1. Zach.1. v.1.* Haggæus hortatur, vt in ædificium templi incumbant, & promittit felicem ſucceſſum Ab anno ſecundo Darij Nothi, hoc eſt anno M 3527. oportet ordiri LXX. ſeptimanas Danielis 9 cap. vt rectè diſputat Scaliger. Etenim ſeptimanæ iſtæ terminantur excidio Hieroſolymitano, quod ita patet. Si verba huius prophetiæ conferamus cum *Matth 24. v 15. Marc.13. verſ 14. & Luc.21 v.20.* deprehendemus, prædici durationem politiæ Iudaicæ poſt captiuitatem Babylonicam reſtauratæ. Et ideò dicitur in textu, ſeptimanas: illas eſſe deciſas, id eſt, definitas, ſuper populum & ciuitatem. Deinde ſeptimanæ incipiũt ab exitu verbi; non de populo reducendo, ſed de reſtituendis & ædificandis Hieroſolymis. Intellige huiuſmodi verbum ſiue edictum, cui nullæ iniectæ fuerunt remoræ; quia textus ab exitu verbi ad ædificatam plateam facit mentionem ſeptimanarum ſeptem id eſt annorum 49. & ſeptimanarum LXII. poſt ædificatam plateam, id eſt vrbem reſtitutam: ita vt ad muros perfectos ab exitu verbi oporteat numerare ſeptimanas ſeptem. Tale autem fuit verbum ſiue edictum Darij Nothi *Eſdr. 6.* Nam ſexto ipſius anno templum fuit abſolutum, *d.c.v.15* Edictum hoc quod attinet, illud promulgauit anno regni ſecundo, quo planè rerum eſt potitus: cùm anno primo tantùm quinque menſes regnauerit; quia, vt paulò antè monuimus, ſeptem menſes regnauit Sogdianus. Ab hoc anno ſecundo Darij vſque ad 32. annum Artaxerxis Mnemonis, ſunt anni 49. quibus

bus muri Hierosolymæ sunt perfecti. Et hæ sunt septimanæ septem, prima pars septimarum LXX. Inde iam sunt septimanæ LXII. id est anni 434. quæ est secunda pars septimarum LXX. vsque ad ann. M.4010. Adde tertiam partem, videl. septimanam vnam, id est annos 7. & peruenies ad ann. M.4017. quo elapso accidit excidium templi. Nam 14. Aprilis, anno M.4018. vrbs fuit obsessa. Alij principium harum septimanarum collocant in primo anno Cyri, alij in secundo eiusdem, alij in anno quo templum fuit ædificatum, alij in anno quo vrbs instaurata, alij à Dario Hystaspis, alij ab Artaxerxe Longimano arcessunt: & proinde vel in natiuitate Christi, vel in eius baptismo, vel alibi finem figunt.

VII. *Artaxerxes Mnemon succedit patri Dario anno M.* 3545.

Hic rex à Iudæis vocatur Artachsasta Magnus; quia ipsius permissu Nehemias venit Hierosolymam, & muros ciuitatis per annos XII. restaurauit: quibus perfectis rediit in Persiam anno Artaxerxis 32. *Neh.* 5. *v.* 14. Cyrus minor parat bellum aduersus fratrem Mnemonem. Hinc Cyri ἀνάβασις, in qua periit. Circa huius regis tempus Roma capta à Gallis liberatur à Camillo: postea Romæ est ἀναρχία quinquennalis: ibidem lex Canuleja obtinet, & primus prætor est Sp. Furius: Ægyptiorum dynastia XXVIII. Mendesiorum, & ea quidem vnius regis: & rursus XXIX. itidem Mendesiorum, & denique XXX. Sebennitarum inchoatur: Alcibiade duce Atheniensium ex inuidiâ ex vrbe pulso, nutauit respublica, & Lacedæmonij duce Lysandro superiores euaserunt. Atque hæc est catastrophe belli Peloponnesiaci, in quo Athenæ à Lysandro capiuntur: ibique à Lacedæmoniis XXX. tyranni constituuntur, quibus paulò post à Thrasybulo sublatis Athenæ recuperantur, & ab eodem perpetua ἀμνηστία sancitur. Pax Antalcidæ Spartani ope inter omnes ciuitates Græciæ ab Artaxerxe impetratur & confirmatur. In pugnâ Leuctricâ Thebani cum Arcadibus, Argiuis, Achæis, & Tegeatibus, duce Epaminondâ & Pelopidâ, vincunt Lacedæmonios, prælio acerrimo, quo vires Lacedæmoniorum prorsus sunt obtritæ. Malachias, vltimus prophetarum V. T. (vnde dicitur terminus V. T.) floret tempore Artaxerxis Mnemonis: item Aristophanes, Isocrates, Plato, & ei coæuus Xenophon; item Ctesias, Archytas Tarentinus & Aristippus.

VIII. *Artaxerxes Ochus, qui & Darius Ochus dicitur, succedit anno M.* 3588.

Hic rex fuit tyrannus: & ab historicis vocatur cruenta bestia, quia interemptis duobus fratribus regnum occupauit. Thebanis auxiliatur contra Phocenses; recuperat Ægyptum, & apud eos inchoat dynastiam XXXI. Persarum, regum trium, videl. Ochi, Arsis, & Codomanni. Tandem à Bagoâ cubiculario interficitur. Hoc tempore florent Diogenes, Demosthenes, Æschines aduersarius Demosthenis, Aristoteles, Speusippus Platonis successor, Xenocrates Speusippi successor, Euclides & Crates Thebanus. Apud Romanos M. Curtius in foueam insilit: monomachia à Manlio Torquato cum Gallo quodam suscipitur: leges variæ feruntur, videl. Genutia, Æmilia, Pætilia, Manlia, & lex de vnciario fœnore. Apud Athenienses bellum sociale gliscit: item bellum sacrum, quod finitur Phocensibus à Philippo victis: qui ipse Olynthum expugnauit, Illyrios vicit, Thraces subiugauit, Byzantium & Perinthum obsedit, Athenienses item & Thebanos domuit. Hic est Philippus Macedo, pater Alexandri M. rex XXIII. in dynastiâ I. Macedonum, in quâ hæc est successio: Caranus Heraclida ann. M.3137. Cœnus: Thurimas: Perdiccas: Argéus: Philippus: Æropas: Alcetas: Amyntas: Alexander: Perdiccas: Archelaus: Orestes: Archelaus: Amyntas: Pausanias: Amyntas: Argeus; Amyntas iterum: Alexander: Ptolemæus: Perdiccas: Philippus: Alexander Magnus.

IX. *Darius Arses, seu Arsames, succedit anno M.*3611. *Darius Codomannus an. M.*3614.

Darius Arses à Bagoâ fuit euectus & interfectus. Darius Codomannus, aliâs Arbelas & Melas, ipsi succedit: qui postea victus est ab Alexand. M. occisus à Besso. Hoc tempore ann. M.3613. moritur Philippus Macedo, qui lampadem tradit filio Alexandro, quem postea dixerunt Magnum. Nam fuit animo excelso, & non contentus regno Macedoniæ (vnde prouerbium, Græcia neque duos Alcibiades, neque duos Alexandros ferre potest) cum aliis Græciæ vrbibus & prouinciis ita agere cœpit, vt omnium tandem Græcorum dux atque imperator aduersus Persas declaratus fuerit. Primò itaque Syriam, Phœniciam, & Iudæam inuasit; ac in Iudæâ quidem verum Deum adorauit, hostiásque ipsi obtulit, & auditâ ex ore Iaddi (quem indutum habitu Pontificali habuit obuium) prophetiâ Danielis, *cap.*8. in suâ spe de victoriâ Persicâ confirmatus, Iudæis (quos delere cogitarat) multa benignè concessit. Postea Ægypto potitus Alexandriam condidit, & XXXII. Ægyptiorum dynastiam, & eam quidem vltimam, est exorsus, quæ durauit vsque ad Cleopatram, quæ finem imposuit dynastiæ Macedonum in Ægypto. Alexander ex Ægypto in Syriam se contulit: vbi noluit acceptare conditiones pacis à Dario Codomanno oblatas, sed ad Arbelam seu Arbela oppidum cum eo congressus ipsum superauit, & ita finem imposuit monarchiæ Persicæ. Hoc tempore descriptione Romæ facta centum sexaginta millia ciuium inuenta sunt. Iaddus Pontifex Max. Iudæorum habuit fratrem Manasse, qui duxit filiam Sanballat præfecti Persici, & in monte Garizim in Samariâ extruxit templum: vnde postea contentio inter Iudæos & Samaritanos de prærogatiuâ templi orta est. Anno M.3618. incipit regnum Scotiæ, annis 330. ante Christum. Primus dux fuit Fergusius.

Tom. I V.

CAPVT XIX.

De Tertiâ monarchiâ.

PRÆCEPTA.

Tertia monarchia Græcorum, seu Macedonum, est ab anno M.3619. vsque ad an. M.3900. ideóque est annorum 281. vel, si malis, annorum 280. quia anno M.3619. Alexander vicit Darium, & sequenti 3620. plenè orsus est monarchiam.

Tituli huius monarchiæ sunt XIII. hoc modo:

Magnus, & hinc Lagus, Philadelph. Euerg.
Philopator,
Epiphanes, Philomet. Physcon, Lathurus, Alex.
Lathurúsq; redux, Auletes, & Cleopatra.

REGVLÆ.

I. *Tertia monarchia simulac constituta fuit, diuisa est in plura regna.* — Monarchiæ tertiæ constitutio & diuisio.

Tertia monarchia dicitur Græcorum & Macedonum; non quòd semper ipsius caput fuerit in Græciâ, sed quia initium habuit ab Alexandro, qui erat natione Græcus, & quidem Macedo: & quia ipso mortuo diuisa est inter amicos eius, qui pariter erant Græci, & linguam Græcam in suis regnis conseruarunt, vt solent monarchæ. Cœpit autem hæc monarchia anno M.3619. hoc modo. Alexander M. patri succedit anno M.3614. eodem planè anno, quo Darius Codomannus successit Dario Arsi. Sexto anno Darij, ideóque etiam regni sui, vincit Persas, & Asiæ fit dominus, atque ita monarcha Monarchiam sex annis & 7. mens. administrat: & isto tempore Indiam orientalem, Hyrcaniam, & Babylonem subigit, Scythas, Bessum, & Porum in Indiâ vincit, aliáque innumera μηδὲν ἀναβαλλόμενος præstat. Susis filiam Darij natu maximam sibi matrimonio iungit. Babylone audit legationes omnium gentium. Postremò mutat mores, & indulget luxui Anno ætatis 32. labente regni 12. iam elapso, monarchiæ sexto itidem lapso, corripitur morbo lethali, & in ipso ætatis & victoriarum flore extinguitur. Sublato Alexandro M. duces ipsius, Ptolemæus Lagus, Seleucus Nicanor, Perdiccas, Antipater, Cassander eius f. Lysimachus, Meleager, Eumenes, Laomedon, Leonatus, Pytho, & Craterus, in mutua bella cœperunt ruere, ac illa quatuordecim annis gesserunt, atque catulorum instar opimam prædam à magno leone prostratam auidè discerpsêre, séque inuicem in rixam irritatos prædæ æmulatione confecerunt. Postremò tamen sublatis ducibus obscurioribus, putà Lysimacho, (qui postquam regnum Thraciæ obtinuit annis 40. sublatus fuit à Seleuco) item ducibus Ponti, Cappadociæ, Armeniæ, & aliarum prouinciarum: his, inquam, ducibus, & veluti regulis, sublatis, monarchia diuisa est in quatuor principes, vti prædictum erat *Dan.* 11. Et Ptolemæus quidem Lagi filius Ægyptum & Africam: Antigonus Asiam minorem: Aridæus Alexandri frater Macedoniam, & post eum Cassander: Seleucus Nicanor Syriam, siue Assyriam, & postea Babyloniam, occupauit: certo quodam fœdere inter sese inito, quod tamen non fuit diuturnum. Initiò quidem principes isti Philippum Aridæum Alexandri fratrem fecerant regem, sed regem nomine. Perdiccas enim summum, tanquam tutor, cum Aridæo imperium habuit, integro biennio. Is bellum mouit Ptolemæo, in quo occisus fuit ab Antipatro: qui ipsi successit in tutelâ Aridæi per quinquennium. Atque ita septem anni regni Aridæi sub geminâ tutelâ & inspectione fuerunt. Ex his videre est, cur Alexander M. in diuersis dynastiis collocetur tanquam stipes, e. gr. in dynastiâ XXXII. & vltimâ Ægyptiorum est huiusmodi successio: Alexander M. Ptolemæus Lagides, Ptolemæus Philadelphus, Ptol. Euergetes vsque ad Cleopatram. Et hi reges commune prænomen Ptolemæi habuerunt veluti hæreditarium à primo Maced. rege post Alex. M. Reginæ dictæ sunt Cleopatræ vtplurimùm. In Oriente, putà Syriâ dynastia Macedonum post Alexandrum M. hæc est:

H 3 Alexander

Alexander M. Antigonus: Seleucus Nicanor, seu Nicator: Antigonis ὁ πατὴρ: Antigonus ὁ θεός: Seleucus ὁ καλλίνικος &c. In Macedonia successio regum post Philippum Macedonem hæc est. Dynastia secunda Macedonum cœpit in Alexandro M. qui successit parenti, vltimo regi in dynastia primâ. Alexandro successit Aridæus frater: huic Cassander: tum Antigonus & Alexander Cassandri filij: Demetrius Poliorcetes: Pyrrhus: Lysimachus: Ptolemæus ὁ Κεραυνός: Meleagros: Antipater: Sosthenes: è quibus plerique regnarunt dies aliquot, infra & supra centum, ita vt hæc dynastia sit paucorum annorum. Nam anno M. 3670. cœpit tertia dynastia Macedonum, quæ dicitur Antigonidarum ab Antigono II. qui dictus fuit Gonatas. Huic succeßsêre Demetrius, Antigonus, Philippus, & Perses siue Perseus, qui anno M. 3781 victus est ab Æmilio Consule. Atque hic est finis regni Macedonici ad Romanos translati: ad quos etiam reliqua huius monarchiæ regna peruenerunt, dum successores Alexandri continuis & atrocibus bellis se defatigârunt, & populo Romano seipsos prædam obiecerunt. Cæterùm Scriptura Sacra meminit solùm regni Syriæ & Ægypti: quoniam à regibus istis populus Dei & sæpissimè & grauissimè fuit pressus, vtpote qui inter ipsos erat medius: cùm reliqui reges longius distarent à Iudæâ, & citiùs extincti essent quàm Seleucidæ & Lagidæ. Denique quia initium regni Ægyptiaci non tantùm immediatè cohæret cum obitu Alexandri M. sed etiam continuâ serie habuit reges vsque ad initium monarchiæ quartæ (cùm regnum Syriæ defecerit in Tigrane, rege Armeniæ, quem Lucullus vicit, & Pompejus fregit circa annum M. 3880.) seriem regum Ægyptiorum in dynastiâ XXXII. tanquam filum huius historiæ retinebimus.

Historia Ptolemæi Lagi.

II. *Ptolemæus Lagi F. succedit Alexandro M. in Ægypto, anno M. 3626.*

Eius anni XL. numerandi sunt statim ab Alexandri morte. Posteri ipsius dicti sunt Lagidæ, qui Ægyptum obtinuerunt vsque ad Augusti Cæs. tempora. Cassander Antipatri F. rex Macedoniæ Olympiadem matrem Alexandri Magni redeuntem in Macedoniam, necat, vt & duos filios Alexandri superstites vnà cum matre Roxane: itémque sororem Alexandri Cleopatram. Antigonus Philippi nothus, cui Asia obtigerat, Eumenem vincit, & Seleucum Syriæ regem persequitur. Seleucus ad Ptolemæum fugit, & cum cæteris ducibus Antigonum oppugnat, eúmque vincit & occidit. Hic est Seleucus Nicanor, à quo æra Græcorum in libris Maccabæorum & Iosepho incipit. Dicitur aliâs æra Seleuci: quæ triplex est, videlicet Iudaica, itémque Chaldaica, vtraque incipiens à vere: & Græca, eáque tum Antiochena, incipiens ab autumno, tum Alexandrea, incipiens verè. De hoc Seleuco vide *Dan. 11. vers. 5.* Trucidato Antigono Seleucus fit gener Demetrij, filij Antigoni. Is est Demetrius, Poliorcetes dictus: qui totam ferè Græciam in suam potestatem redegit. Postea victus est à Pyrrho, itémque à Seleuco genero, qui vnà cum Ptolemæo Lysimacho ipsum oppugnauit, & deuictum detinuit in custodiâ, vbi post triennium est mortuus. Capto Demetrio Seleucus, rex Asiæ & Babyloniæ, fit quoque rex Asiæ minoris & Syriæ, vnà cum posteris: & condit Antiochiam, Seleuciam, Laodicéam, Apamiam, Berrhœam; & Pellum, vrbes. Idem quoque vincit Lysimachum ducem Alexandri, qui dynastiam Thraciæ XL. annorum inchoauit & clausit. Post septem ab hâc victoriâ menses ipse quoque Seleucus occiditur. Ptolemæus Lagus fraude ingreditur Hierosolymam, ac crudeliter ciues miseros nihil hostile metuentes affligit, plurimos quoque Iudæorum captiuos in Ægyptum abduxit. Anno 13. Ptolemæi, Romani tonsoribus vti cœperunt. Hoc tempore florent Megasthenes, historicus Persicus; Theophrastus, Aristotelis successor; Appius Claudus cæcus; Demetrius Phalereus; Pyrrho, vnde Pyrrhonij dicti & Sceptici; P. Sempronius IC. Menander; Cratinus, poëta, qui cum Eupoli & Aristophane constituit trigam illam, de quâ poëta:

Eupolis, atq; Cratinus, Aristophanesq; poëtæ.

Ptolemæo in Ægypto, & Seleuco in Syriâ regnantibus summum apud Iudæos Pontificatum tenuit Simon filius Oniæ, qui Iaddo immediatè successit. Simon iste cognominatus fuit Iustus: qui templum instaurauit, & quantum ad partes exteriores auxit.

Historia Ptolemæi Philadelphi.

III. *Ptolemæus Philadelphus succedit patri, anno M. 3666.*

Ptolemæus annum regnauit viuente patre: ideóque æra Dionysij Ægyptiaca incipit non ab anno 3666. sed ab anno M. 3665. quo Ptolemæus vnà cum patre regnauit. Fuit princeps in literas munificentissimus. Nam pace factâ cum Antiocho, qui dicebatur Theos, otiúmque nactus, cùm sciret in Ægypto floruisse varias artes, vetera studia & restituit postliminio, & impendio auxit, atque bibliothecam instructissimam Alexandriæ construxit: cúmque audiret, Iudæos prædicare gentis suæ antiquitatem & doctrinam, accersiuit inde LXX. Interpretes, qui libros Mosis & aliorum prophetarum in Græcam linguam verterent. Horum aduentus dies fuit idem victoriæ, quam Philadelphus de Antigono reportauit, nauali prælio. Magnis beneficiis hic rex Iudæos affecit. Nam & populo vniuerso immunitatem concessit, & iis, qui in Ægypto seruiebant, redemptis, libertatem donauit, Eleazaro denique Pontifici Max. amplissima dona misit, quæ in templo reseruaret. Tempore huius Philadelphi Antigonus II. dictus Gonatas, Demetrij Poliorcetæ filius, Gallis eiectis recuperat regnum Macedoniæ, quod ab illo dicitur tertia dynastia Macedonum Antigonidarum: cùm ipsius pater Demetrius, Antigoni I. filius, Asiæ dominio per Seleucum excidisset. Ita ergò Seleucidæ obtinent Asiam. Vicissim Antigoni posteritas ex Asiâ pulsa obtinet Macedoniam, vsque ad dominium Romanorum. Lagidæ verò continuâ successione retinent Ægyptum vsque ad Augustum Imperatorem. Anno M. 3687. Antigonus Gonatas Athenas capit, fusis pulsísque Gallis, & præsidio munit, vt & pater Demetrius fecerat. Sequenti tamen anno præsidium inde reuocat, & ciuitati libertatem restituit. Dynastia sex regum Pergami incidit in Philadelphi initium. Primus enim rex Philetærus ὁ θλιβίας incipit anno M. 3668. qui fuit thesaurarius Lysimachi Thracum regis, à quo defecit. Ei successerunt Eumenes, Attalus, Eumenes II. Eumenes III. & denique Attalus ὁ φιλομήτωρ, qui moriens populum Romanum testamento reliquit hæredem, anno M. 3817. In Syriâ regnat Antiochus Soter Seleuci F. anno M. 3668. cui anno 3689. successit Antiochus Theos F. qui bellum diuturnum gessit cum Philadelpho: quod ita tandem compositum, vt Antiochus Berenicen Philadelphi filiam in vxorem duceret, repudiatâ Laodice vxore priore, quæ & ipsa Ptolemæi filia fuit. Confer cum *Dan. 11. vers. 6.* quæ prophetia & lucem huic toti historiæ adfert, & ab eadem accipit. Idem de libris Maccabæorum iudicium. Anno XII. huius Antigoni, adeóque M. 3700. Parthi à Syriæ regibus deficiunt (qui dicuntur Arsacidæ, ab authore defectionis Arsace Partho) & regnant per ann. 479. vsque ad Persarum dynastiam secundam, quam orsus est Artaxares anno Christi 230. qui occiso Artabano Partho, Arsacidarum vltimo, Persis restituit ἀξίωμα. In hâc dynastiâ Persarum (vt hoc obiter inseram) rex IX. Sabores in vtero matris creatus est rex, & tot annos imperauit, quot vixit. Sed redeamus ad nostrum Philadelphum. Ille consenuit in regno Ægyptio, in tranquillitate & consuetudine doctorum virorum, putà Theocriti, Euclidis, Arati, & Eratosthenis: quâ leniit maximos articulorum dolores. Per hæc quoque tempora floruisse putatur Iesus filius Sirachi, quem nonnulli scribunt fuisse vnum ex LXX. Interpretibus. Floruerunt etiam hoc tempore Apollonius, Lycophron, Epicurus, Zeno, author Stoicæ sectæ; Berosus, historiæ Chaldaicæ scriptor; Cleanthes, à quo prouerbium *Lucerna Cleanthis*. Facta etiam est per hæc tempora prima Romanorum transfretatio ex Italiâ, & quidem in Siciliam: à quâ profectione Polybius historiam suam orditur. Anno M. 3668. incipit bellum decennale Tarentinum cum Pyrrho: & anno M. 3685. bellum Punicum I. quod per annos 24. Romani gesserunt cum Carthaginensibus, qui tum iam Siciliam, Sardiniam, & alias maritimas oras occupauerant. Dux Carthaginensium primò fuit *Adherbal*, postea Amilcar Pater Hannibalis. Præcipui Romanorum duces fuerunt App. Claudius Caudex, L. Posthumus, Q. Æmilius, qui Agrigentum expugnauit, L. Otacilius & L. Valerius, qui primi Romanum militem nauigiis assuefecerunt, A. Attilius Regulus & M. Attilius Regulus.

IV. *Ptolemæus Euergetes succedit patri Philadelpho anno M. 3703.*

Hic ipse, sicut & pater, fouit studia literarum: sed non item fauit populo Dei. Anno ipsius secundo in Syria regnat Seleucus Callinicus Thei filius: qui initio regni nouercam Berenicem necat cum filiolo, idque ex instinctu matris Laodices antehac à patre repudiatæ. Hinc Ptol. Euergetes, frater Berenices, ipsi mouet ingens bellum, eóque victo magnâ ipsum prædâ spoliat. Antiochus Hierax fratrem Seleucum iuuat. Sed pòst composito bello, eundem intestino bello oppugnat. Quod dilucidè prædixit *Daniel. cap* 11. *vers.* 6. 7. 8. 9. & *Iosephus lib* 12. *cap.* 93. posteà descripsit. Hoc tempore inclarescit Hannibal, qui nouennis à patre Amilcare adiuratur, quòd velit hostis Romanorum mori. Frater Hannibalis fuit Asdrubal. Populus Romanus variis implicatur bellis aduersus Ligures, Sardinienses, Illyrios, Gallos, Boios. Tandem post bellum Punicum II. pace omnibus locis factâ templum siue porta Iani secundùm fuit clausa. Callimachus poëta, Chrysippus, Polybius & Eratosthenes florent; Cato Censorinus, & Ennius, qui primus fabulam Romanis dedit, nascuntur.

V. *Ptolemæus Philopator succedit Euergetæ patri, anno M. 3729.*

Dictus fuit Philopator κατ' ἀντίφρασιν: quia fuit parricida, item incestus, sceleratus & voluptarius, noctes in stupris, dies in

in conuiuiis consumens. Ante ipsum anno M. 3724. in Syriâ regnat Seleucus Ceraunus Calinici f. cui frater Antiochus Magnus post biennium succedit. Hic Antiochus Ptolemæo bellum mouet de Cœlesyriâ, sed vincitur : *Dan.*11.*vers.*10.11. Iudæis benefacit, teste Iosepho. A Romanis vincitur. Anno M. 3731. incipit bellum Punicum II. quod illatum est per Hannibalem anno ætatis XX. Contra hunc aliquoties à Romanis missus est Q. Fabius Maximus, qui cunctando restituit rem, vnde ipsi nomen Cunctatoris inditum. Hannibal ad Cannas fudit sexaginta Romanorum millia. Vnde tantus in vrbe terror, vt pueri clamauerint, *Hannibal ante portas.* Sed quia Hannibal nesciuit persequi victoriam, cœpit adagium: *Hannibal scit vincere, victoriâ nescit vti.* Anno belli decimonono Italia liberata est ab Hannibale; qui victus à Scipione gemens & frendens traiicit in Africam, vbi Scipio cum eo colloquitur. Hoc bello finito Romani magis magisque cœperunt caput inter nubila condere. Archimedes, Syracusis à Marcello captis, occiditur, totus defixus in suis circulis, adeò vt hosti irruenti diceret: *Noli turbare meos circulos.* Vtraque regum Lacedæmoniorum familia, Eurypontidarum & Agidarum, siue Eurysthenidarum circa annum M. 3730. orditur secundam dynastiam Lacedæmoniorum.

VI. *Ptolemæus Epiphanes quinquennis succedit patri Philopatori, anno M.* 3746.

Sub hoc cœpit bellum Macedonicum seu Philippicum quod etiam dicitur Asiaticum, Syriacum, & Antiochenum. Occasio istius belli hæc fuit. Alexandrini legatos miserant ad Romanos, eósque orauerant, vt susciperent tutelam Epiphanis pupilli, tuerenturque regnum Ægypti aduersus Philippum Macedoniæ, & Antiochum Magnum Syriæ regem. Grata hæc fuit legatio Romanis, qui è vestigio Philippo bellum fecerunt, cui erant infensi, quòd ipsis tempore belli Punici insidiatus esset. Sed ipso petente, pax & libertas in totâ Græciâ est data. Antiochus (cui Hannibal se coniunxerat) grauissimè afflixit Romanos. Tandem & ipse cæsus pacem petiit. Confer *Dan.*11. Sub Ptol. Epiphane Onias, Pontifex Hierosolymitanus, cum plurimis Iudæis, qui fauebant Ptolemæo, in Ægyptum se recepit, & templum Hierosolymitano simile extruxit Heliopoli, dixitque se implere vaticinium Esaiæ: *Erit altare Domini in Ægypto.* Sed reuerâ extruxit altare contra altare. Cæterùm Antiochus Magnus Ptolemæo Epiphani occupat ciuitates in Syriâ. *Dan.* 11. Postea pacem cum eo init, datâ filiâ Cleopatrâ in vxorem. *Dan.* 11. *v.*17. Anno M. 3764. Seleucus Philopator succedit patri Antiocho in regno Syriæ. Hoc tempore floruerunt M. Cato Porcius, cognomento Censorinus, Masinissa rex Numidiæ in Africâ, Panætius Stoicus Scipioni Africano familiaris, Ennius item, & Plautus, qui appellatur Musarum decima, & linguæ Lat. decus. Scipio Africanus iunior hoc tempore nascitur.

VII. *Ptol. Philometor succedit patri Epiphani, anno M.* 3770.

Hic rex fuit admodum segnis, & quotidianâ luxuriâ ita marcidus, vt non solùm regiæ maiestatis officia intermitteret, sed etiam sensu hominis nimiâ segnitie careret. Paulò ante huius regis tempora Censores Romani sustulerunt Bacchanalia: quod etiam fecisse legitur Theodosius Imp. Anno M. 3775 In Syriâ regnat Antiochus Epiphanes, Antiochi Magni filius, frater Seleuci Philopatoris. De hoc plurima occurrunt *Dan.* 10. & 11. Hic fuit typus magni Antichristi: vnde vtiliter παραλληλισμὸς inter hos duos institui potest. Hunc regem Athenæus vocat perfectè furiosum. In libris Maccabæorum dicitur ῥίζα ἁμαρτωλὸς, *radix peccatrix.* Polybius narrat, ipsum pro Epiphane dictum Epimanem. Ecclesiam Dei delere conatus est, & templum, collocato ibi Iouis Olympij idolo, profanauit, atque spoliauit. Illi se opposuit Mattathias sacerdos vnà cum quinque filiis, viris præclarissimis, qui vnà cum posteris dicti fuerunt Assamoniæ, seu Hasamonæi, quia fuere ex familiâ Hasmunæi sacerdotis: quanquam alij dictos volunt Assamonæos, quasi Simonæos, quòd orti fuerunt ex familiâ Simonis: & rursus alij contendant, sic dictos quasi Chasmannim id est magnificos, optimates. Iidem etiam dicti sunt Maccabæi à literis מכבי in vexillo ipsorum pictis, quæ sunt literæ initiales ex illâ sententiâ *Exod.*15. מִי־כָמֹכָה בָּאֵלִים יְהוָה, *Qui sicut tu inter deos Iehouah?* Inter hos quinque fratres eminuerunt *Iudas*, qui Pontifex fuit declaratus à populo, & res Iudææ administrauit anno M. 3783. & anno 3785. instituit Encænia templi: *Ionathas*, qui successit fratri, anno 3789. Pontifex declaratus à rege Syriæ: & *Simon*, qui successit Ionathæ anno M 3807. Simoni successit frater *Iohannes* priùs Gaddes dictus, postea Hyrcanus: cui successit filius Aristobulus, primus rex Iudææ post captiuitatem Babylonicam anno M. 3845. In huius locum successit anno sequenti Alexander Iannæus, rex & Pontif. Max. Hyrcani filius, frater Aristobuli: postea Alexandra, Iannæi vxor, quæ & Salome: tum eius filius Hyrcanus; pòst Aristobulus Hyrcani frater: tum Hyrcanus iterum, & denique Antigonus Aristobuli filius, qui est vltimus in dynastiâ Hasamonæorum: quam excepit dynastia Herodiadarum. Sed redeamus ad Ptol. Philometora & Antiochum Epiphanem. Occiso Antiocho Epiph. succedit Antiochus Eupator anno M. 3786. & huic anno 3788 Demetrius Soter: huic anno M 3789. Alexander Bala, seu Vales: huic anno 3804. Demetrius Nicanor: de quibus vide lib. 1. Maccab. Anno M. 3801. incipit bellum Punicum III. quod intra quadriennium exitio Carthaginis terminatum est, duce Pœnorum Asdrubale, & Romanorum Scipione Africano secundo seu iuniore, qui etiam dicitur Scipio Æmilianus, à patre Æmilio. Eius iussu Carthago est incensa, quam Orosius XVII. dies arsisse scribit: quod spectaculum Scipio intuitus fleuit, ac dixit, se dolere miseriam hominum, & subuereri, ne Romæ simile fatum sit futurum, quod etiam accidit sub Totilâ Gothorum rege. Per hæc tempora floruerunt Aristarchus, Carneades, Scipio Nasica, Terentius Carthaginensis, Pacuuius poëta, & Cato maior apud gentiles: in populo Dei Iudas Maccabæus & Ionathas seu Ionathan frater, de quibus paulò antè.

VIII. *Ptolem. Euergetes Secundus, cognomento Physcon succedit fratri Philometori, anno M.* 3805.

Historia Ptolem. Physconis.

Hic rex fuit cognominatus Physcon, à saginâ ventris turpiter inflati. Regno pellitur ob tyrannidem, & fugit in Cyprum: vbi repudiatæ coniugis filium occidit, & membra truncata matri mittit. Apud Iudæos Simon & Iohannes Hircanus, seu Hyrcanus, vt alij scribunt, Pontificiam & regiam potestatem exercent, & dicuntur Ethnarchæ Iudeorum, vt & ipsorum antecessor Ionathan. Circa hoc tempus oriuntur tres principes sectæ Iudæorum: videl. Pharisæorum, Sadducæorum, & Hessenorum. Regnum Pergami deficit. In Siciliâ oritur bellum seruile, suasore Cyro quodam, qui fanatico prorsus furore seruos ad libertatem & arma concitauit, in ore abditâ nuce, quam sulphure & igne stipauerat, vnde leniter inspirans flammam inter verba fundebat. Hipparchus astronomus floret: item Micipsa Massinissæ regis Numidiæ filius, & Iugurtha eius adoptiuus, & Adherbal Micipsæ filius: item Mithridates rex Ponti; qui magna cum Romanis bella gessit. Anno M. 3809 Antiochus Entheus cum Tryphone Prorege in Syriâ, seu Assyriâ, capessit regnum: postea Tryphon solus regnat. Anno M. 3811 Tryphonem eiicit Antiochus Sidetes, aliâs Pius & Soter, frater Demetrij. Vterque est filius Demetrij Soteris, de quo ad regul. præced. Anno 3821. Demetrius liberatus ex captiuitate Parthicâ iterum regnat apud Assyrios. Illi succedit Antiochus Grypus filius, à naso, ita dictus: aliâs Philometor. Huic anno nono regni frater ipsius Antiochus Cyzicenus incipit mouere bellum. In eo tumultu moritur Ptol. Physcon. Eusebius Cyziceno tribuit annos 18. Grypo 12:

IX. *Ptolem. Lathurus succedit Physconi anno M.* 3834.

Historia Ptolem. Lathuri.

Lathurus ita fuit cognominatus, quòd clam fuerit reuersus. Nam primò regnat cum matre Cleopatrâ annos XVI. Pòst ab eâdem eiicitur, & fugit in Cyprum. Matre Cleopatrâ post decennium interfectâ iterum regnat annos VIII. Regnauit autem in Ægypto & Cypro. Eusebio dicitur Physcon. Epiphanio Soter, Plutarcho Lamyrus q. dicax. In Syriâ hoc tempore est perturbata reip. facies; illam scil. vrgentibus fatis. Nam anno M. 3855. Antiocho Cyziceno succedit Seleucus Grypi filius; paulò pòst Antonius Eusebes: tum Philippus & Demetrius; dehinc Demetrio capto Philippus solus anno M. 3861. quo breui temporis spatio propudia ista regum varia intestina inter se gesserunt bella. Rex Lathurus interfecit multa Iudæorum millia, & coëgit captiuos vesci interfectorum carnibus. Aristobulus Hyrcani filius est primus ex familiâ Hasmonæorum rex, ann. M. 3845. cui succedit anno sequenti Alexander Iannæus, aliâs Iamneus, Aristobuli frater, rex & Pontifex Max. qui fuit rex fortunatus Apud Romanos florent Lucretius, Q. Mutius Scæuola IC. & augur, P. Tutilius Rufus IC. Archias poëta, Q. Catulus poëta, S Pompeius IC. Bellum Iugurthinum durat VII. annis: quod Romani gesserunt cum Iugurthâ Numidiæ rege, de quo duo triumphi sunt acti, & in secundo Iugurtha cum duobus filiis ductus est catenatus, & mox iussu Cos. Marij in carcere strangulatus. Aquila, insigne Romanorum, à Mario primùm vsurpata fuit hoc tempore.

X. *Ptol. Alexander, frater Lathuri, accedit ad regnum anno M.* 3850.

Historia Ptolem. Alexandri.

Hic regnat vnà cum matre Cleopatrâ; quæ Lathurum eiecerat. Abdicauit se sponte ob crudelitatem matris: quam & pòst interfecit, cùm vitæ suæ illam insidiari sensisset. Apud Romanos hoc tempore feruntur variæ leges: videlicet Agraria postli-

liminio restituitur, & fertur lex Cæcilia Didia, item lex de legibus, lex sumptuaria, & Licinia Mutia.

Historia Lathuri reducis.

XI. *Lathurus redux anno M. 3860. regnat annos VIII.*

Lathurus redit ad regnum matre interfectâ. In Syria anno M. 3861. Tigranes rex Armeniæ ob intestina Seleucidarum bella (de quib. paulò antè regul. 8.) à Syris euocatus, regnum per ann. XVIII. in summâ tranquillitate obtinet. Postea vincitur à Lucullo: qui Cyzicenum (hic enim interea in Ciliciâ delituerat) denuò declarat regem. Tigranes se recolligit. Postea fit supplex Pompeio, qui Cyziceno denegat titulum regis; & Syriam in prouinciam redigit, paulò ante captam Hierosolymam. Tempore Lathuri reducis apud Romanos lex iudiciaria & Plautia triplex fertur, & lex repetundarum, seu de repetundis, confirmatur. Bellum Marsicum & Mithridaticum à Romanis geritur.

Historia Ptol. Auletæ.

XII. *Ptol. Auletes succedit Lathuro an. M. 3868.*

Cognomen traxit ab eo, quòd publicè in conuiuiis regio habitu tibiis certaret cum artificibus. Diodorus vocat Dionysium. A subditis eiicitur, sed iussu Pompeij restituitur. Apud Romanos hoc tempore clarent Sylla; Marius Syllæ æmulus; Sallustius; Cicero, natus Arpini, vnde Arpinas dicitur; Cn. Pompejus, C. Cæsar; Lucullus; M. Brutus orator & IC. M. Crassus diues; Diodorus Siculus: & Cratippus philosophus Athenis. Leges variæ feruntur à Romanis, putà frumentaria, Pompeia, Cornelia multiplex, Calpurnia, Clodia multiplex, leges Cæsaris, lex Tullia, leges de legibus ferendis, lex de ambitu. Primum bellum ciuile inter Marium & Syllam geritur. Cicero Syllam vocat magistrum luxuriæ, auaritiæ, & crudelitatis: Marium conseruatorem patriæ, parentem libertatis & reipub. Lucanus contrà ipsum scelerum magistrum appellat. Bellum Gladiatorum à Crasso, Piraticum & Mithridaticum II. à Pompeio conficitur. Coniuratio Catilinaria à Cicerone Coss. sopitur. Actio Verrina ad finem decurrit. Iulius Cæsar conficit bellum Gallicum septem annis, quos totidem libri complectitur. In hoc bello cæsa sunt trecenta & triginta millia Heluetiorum: & totidem millia Germanorum, quorum dux erat Ariouistus. Idem Cæsar Britannos domuit. Postea oritur bellum ciuile inter ipsum & Pompeium, in quo trecenta millia hominum cæsa. Res Iudææ totis illis XXXI. annis, quibus Ptol. Auletes regnauit, ita se habuerunt. Alexander Iannæus, seu, vt alij legunt, Ioannæus, moritur anno M. 3872. Huic anno seq. succedit Alexandra vxor, quæ etiam Salome & Solina dicitur, quæ regnat annos IX. Habuit duos filios Hircanum maiorem, & Aristobulum minorem natu: illum quietum & ignauum, hunc industrium. Hyrcanus succedit matri, & postquam regnasset tres menses, pellitur à fratre Aristobulo, qui dicitur Secundus. Hinc orta inter istos fratres contentio de regno: quæ delata fuit ad Cn. Pompeium, qui captis Hierosolymis Hyrcano restituit sacerdotium, sed absque regno, cui præfuit annos XXIII. ab anno M. 3887. vsque ad an. M 3910. quo Antigonus successit.

Historia Cleopatræ.

XIII. *Cleopatra succedit patri Auletæ anno M. 3899.*

Cum annis Cleopatræ coniungendi sunt anni Ptol. Dionysij iunioris fratris ipsius, qui Pompeium ex pugnâ Pharsalicâ fugientem in Ægyptum, interfici iussit. Cæterùm vnus ille annus Cleopatræ, quem diximus, pertinet ad hoc interuallum historicum: reliqui XXI. referuntur ad monarchiam Romanam. Cleopatra siquidem nacta fuit regnum à Iulio Cæs. persequente Pompeium in Ægyptum vsque. Illa postea nupsit Antonio Triumviro: quo deuicto & Ægypto per Augustum subactâ, ipsa sibi mortem consciuit, admotis ad vbera aspidibus. Postea Ægyptus in prouinciam redacta est ab Augusto.

CAPVT XX.

De Articulo primo quartæ monarchiæ.

PRÆCEPTA.

QVarta monarchia, quæ est Romanorum, est ab anno M. 3900. ad nostram ætatem, annum scil. Christi 1630. cui respondet annus M. 5579. Ea dividitur in quinque articulos, quos singulos memoriæ causâ dicimus incipere à C. hoc modo: Cæsar, Christus, Constantinus M. Carolus. M. Carolus V.

Primus itaque articulus est à Cajo Iulio Cæsare vsque ad Christum natum, id est ab anno M. 3900. vsque ad annum 3949. siue periodi Iulianæ 4713. vbi memineris ann. M. addenda esse 763. vel 764. si velis habere periodum Iulianam, & periodo Iulianæ demenda esse 763. vel 764. si velis habere ann. M. Oportet autem 763. sumere, quando inclusiuè, 764. cum exclusiuè numeramus. Confer infrà cum Chronologiâ.

Tituli eius sunt duo, Cæsar & Augustus iuxta versum:

Cæsar & Augustus tibi dant primordia quartæ: scil. monarchiæ.

REGVLÆ.

Hi[storia] Iul[ii] Cæsar[is]

I. *Caius Iulius Cæsar primus consecutus est Romæ imperium ἀνυπεύθυνον*

Anno M. 3900. Vrbi conditæ 703. Cr. Sallustius Senatu mouetur, & anno sequenti bellum ciuile Cæsaris & Pompeij oritur. Pompeius cum Coss. fugit in Græciam. Cæsar fit Dictator sine Magistro equitum, & occupat Hispaniam & Massiliam Ann. M. 3901: vrbis 705. C. Iulius Cæsar fit secundùm Consul, & confectâ pugnâ Pharsalicâ, Monarcha. Post pugnam, Pharsalicam proficiscitur in Ægyptum hoc consilio, vt Pompeium, qui eò fugerat, opprimat. Cùm venisset Alexandriam, Pompeius iam erat sublatus. Componit itaque ibi dissidium inter Ptolemæum & Cleopatram sororem, ita vt verbis quidem vtrique regni societatem concedat, reipsâ verò solam Cleopatram, cuius amori se dederat, reginam constituat. Hoc ægerrimè ferunt Alexandrini, qui Cleopatram penitùs regno cupiebant exclusam. Oritur itaque bellum Alexandrinum, in quo Alexandria à Cæsare oppugnatur & Ptolemæi Philadelphi bibliotheca inflammatur. Postea Cæsar regnum Ægypti totum Cleopatræ tradit, cui tamen fratrem minorem adiungit, maiori aquis submerso in prælio Alexandrino. Cæsari absenti honores maximi decernunt: & inter cætera sancitur, vt secundùm Dictator isto integro anno, qui erat vrbis 706. maneat, ac deinceps perpetuus sit Dictator & Pontifex Max. vt post annum Vrbis modò dictum, videl. 706 quinque annis continuis consulatum gerat, tribunitiam potestatem per omnem vitam retineat, de Pompeianis pro arbitrio statuat, belli & pacis dominus sit in omnes homines. Dum hæc in vrbe geruntur, ingens multitudo Pompeianorum præter opinionem Cæsaris in Africâ, quò Catonem ducem secuta fuerat, bellum instaurat. Cæsar opinione citiùs tanquam alter Alexander M. in Africam nauigat, & compositis rebus Africanis cum quatuor triumphis Romam ingreditur, & anno M. 3904. vrbis 707. fit tertium Consul & dictator. Post Africanum bellum confectum, grauiùs multò Cæsarem inde excepit: nimirum Hispaniense, quod Cn. Pompeius Magni filius, adolescens ad bella impetus maximi, ingens ac terribile conflauerat. Hoc ipso bello ex animi sententiâ confecto Cæsar, in vrbem triumphans reuersus Imperator perpetuus populi Romani salutatus est, anno vrbis 708. non quidem antiquâ istâ consuetudine, sed eo modo, quo hodiè, qui summum orbis imperium αὐτοκράτορον obtinent, Imperatores Romani nominantur. Decretum etiam, vt omnes magistratus in ipsius acta iurarent, & ipse esset sacrosanctus. Ex hoc itaque anno deinceps honorarij Coss. creari cœpti, & XII. Prætores facti, ipsi denique Imperatores sæpe secundùm, tertiùm, quartùm, 5, 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13 Coss. creati. Hoc ipso porrò anno vrbis, videl. 708. adeóque Mundi 3905. Cæsar aggressus est correctionem Calendarij. Hinc igitur sumitur initium anni Iuliani, ita vt primus annus Christi sit Iulianus 46. calculo Dionysiano seu vulgari, at 44. calculo Scaligerano. Cæterùm dignitas illa principalis seu Monarchia C. Iulij Cæsaris non diuturna. Nam anno vrbis 709, mundi 3906, Idibus Martiis, Senatu in curiâ Pompeij collecto, XXIII vulneribus confossus obiit, Cassio & Bruto (qui eo anno prætores erant) antesignanis coniurationis aduersus ipsum initæ, hoc facinus procurantibus. Sic ergò periit vir bellicosissimus, cuius ductu vndecies centum nonaginta duo millia hostium cæsa sunt, exceptis illis, qui in bello ciuili ceciderunt. Signis collatis quinquagies dimicavit, M. Marcellum solus supergressus, qui tricies, nouies cum hostibus fuerat præliatus. Tempore huius herois Romæ floruerunt Sextus Papyrius & Seruius Sulpitius IC & latæ sunt leges variæ, videlicet Cassia, Fabia, Lætoria & Lectoria. Apud Iudæos Antigonus rex Aristobuli filius, qui Hyrcano à Pompeio restituto successerat, securi percutitur iussu M. Antonij, & Antipater rex Idumæus anno M. 3901. procurator seu præses Iudææ à Cæsare cōstituitur: quòd ipsi plurimū profuisset fide ac cōsiliis suis in bello Alexādr. Antipater iste aliàs dicitur Antipas Ascalonita.

II. *Augustus*

II. *Auguſtus ſuccedit Cæſari, anno vrbis* 710. *Mundi* 3907.

Sublato Cæſare viſum eſt Patribus, exemplo Athenienſium ſancire ἀμνηστίαν. Poſtea Cæſaris teſtamentum apertum eſt; quo C. Octauium, nepotem ſororis ſuæ Iuliæ adoptauerat. Cui vt eſt nuntiatum de cæde auunculi, è veſtigio Romam ſe contulit: vbi magna ipſi occurrit amicorum frequentia. Antonius Coſſ. (in quem Cicero orationes Philippicas hoc ipſo anno vrbis 710. dixit) Octauium ſuperbè excepit; cuius (vt & collegæ Dolabellæ Coſſ.) nefaria dominandi libido protinus erupit. Torpebat iam ciuitas oppreſſa iſto dominatu: indignatio & dolor omnibus, vis ad reſiſtendum nulli aderat. Solus C. Cæſar Octauius XIX. ætatis annum ingreſſus, veteranos patris ſui Iulij Cæſaris conuocat, iuſtique exercitus formam colligit. Antonius occurrit iſti exercitui. Sed eius legiones, Marcia & Quarta cognitâ ſenatus voluntate, & tanti iuuenis indole, ſublatis ſignis ad Octauium ſe conferunt Geritur itaque bellum ad Mutinam; quod inde dicitur Mutinenſe. Antonius victus, turpi fugâ deſerit Italiam. Interea temporis Caſſius, Brutus & reliqui Pompeiani ſummam rerum de voluntate Senatus ad ſe rapiunt, ſeque τυραννοκτόνους eſſe gloriantur. Octauij nulla habetur ratio: quam iniuriam ipſe diſſimulat. Interim Antonius ad M. Lepidum ſe confert, qui Pontifex Max. in C. Cæſaris locum ſuffecto creatus, decretâ ſibi Hiſpaniâ, adhuc in Gallia morabatur. Is Antonium Cæſari Octauio reconciliat; quod facilè impetrat, quia Antonius partes Iulij Cæſaris ſemper ſecutus erat. Octauius ergo Cæſar; Antonius, & Lepidus coniungunt ſe Triumuiratu, qui fuit admodum cruentus. Nam Octauius occidit L. Cæſarem auunculum ſuum, Antonius Ciceronem ſeptuagenario maiorem, Lepidus Paulum fratrem Multæ quoque aliæ cædes actæ, domúſque proſcriptorum direptæ ſunt. Interea Caſſius & Brutus bellum mouent in Macedoniâ; quò Cæſar Octauius & Antonius cum exercitu proficiſcuntur, relicto Lepido ad defendendam Italiam. Apud Philippos igitur confligunt: & primo quidem prælio Cæſar & Antonius vincuntur, trucidato nihilominus Caſſio. Secundo prælio vincunt Cæſar & Antonius, Brutúſque mortem ſibi conſciſcit. Poſt eam victoriam Cæſar & Antonius imperium inter ſe diuidunt, ita quidem vt Cæſar Hiſpaniam, Gallias, & Italiam; Antonius Aſiam, Pontum, & Orientem; Lepidus Africam regat. Sed non eſt diuturna iſta Triumuirorum concordia. Cæſar enim Lepidum inſolentiorem in ordinem redigit, perpetuóque mulctat exilio. Antonius quoque repudiatâ vxore ſuâ Octauiâ, ſorore Cæſaris Octauij, Cleopatram Ægypti reginam ducit. Vincit autem Auguſtus nauali prælio Antonium & Cleopatram, & vtrumque ad mortem ſpontaneam compellit, Antonio pectus gladio tranſuerberante, Cleopatrâ aſpides vberibus admouente. Victoria iſta Auguſti dicitur Actiaca: quia contigit apud Actium Epiri promontorium. Atque hoc modo Ægyptus in prouinciæ formam fuit redacta. Cæſar reuerſus in Italiam & vrbem, omnium hominum gratulationibus exceptus, variíſque triumphis & muneribus affectus eſt. Hinc *Oroſius l. 6. c. 20.* ait: Cæſar victor ab Oriente rediens 8. Idus Ianuarij vrbem triplici triumpho eſt ingreſſus, ac tum primùm ipſe Iani portas, ſopitis finitíſque omnibus bellis ciuilibus, clauſit: ſcil tertiùm, reſpectu ſuperiorum temporum, vbi bis fuit clauſum Iani templum. Hoc die primùm σεβαστὸς, vt Dion habet, id eſt, Auguſtus, ſalutatus eſt. Quod nomen non ab augurio, ſed ab augendo ſumptum eſt. Atque ex eodem die ſumma rerum, quam Græci monarchiam dicunt, penes vnum manſit. Facta ſunt hæc anno V.C.722.M. 3919.an.imperij Auguſti XII. vbi obſerua quadruplicem æram tribui Auguſto. Prima eſt annorum Auguſti à cæde Cæſaris ab an.M.3907.vſque ad an.M.3963. ſiue finem Auguſti Secunda eſt annorum à conſulatu Auguſti; quæ incidit in an M 3908.& durat vſque ad finem Auguſti iam dictum, ſeu, quod idem eſt, ad initium Tiberij. Tertia eſt æra victoriæ Actiacæ; quæ eſt duplex, vna à pugnâ Actiacâ an.M.3910 altera à captâ Alexandriâ an.M.3921.quam Ægyptij ab Auguſto domiti inſtituerunt, & vocarunt æram deorum Auguſtorum. Quarta æra eſt Auguſtorum ab appellatione Senatus Octauio Cæſari tributâ: & hæc incipit an. M. 3923. Rationem appellationis vide ſuprà in Computo. Regnauit autem Auguſtus in vniuerſum annis LVII. clarus togæ ac ſagi artibus. Nam Iani templum ter clauſit. De primo actu, quo pacem iſto ritu teſtatus eſt, paulò antè diximus. Bello Cantabrico per quinquennium confecto, & Hiſpaniâ pacatâ, rediit Romam, & ſecundùm Iani portas clauſit Poſt hæc geſſit bellum Germanicum, quo nullum fuit maius poſt Punicum, vt aſſeuerat Suetonius. In eo Claudius Druſus & Tiberius, ambo Cæſari priuigni, Germanos vrſerunt continuis præliis, per triennium, quindecim inſtructi legionibus. Infeliciter tamen Auguſtus pugnauit in Germanos duce Quintilio Varo: quia illum vicit Harminius Cheruſcus, princeps Germanorum exercitatiſſimus. Tandem omnibus ab oriente in occidentem, à ſeptentrione in meridiem, & per totum Oceani circulum, gentibus vnâ pace compoſitis, Iani portas tertiùm clauſit, ac legiones XL. aluit ad prouinciarum tutelam. Plurimas etiam leges ſanxit, quæ Auguſtæ fuerunt appellatæ: putà de teſtamentis, iudiciis, ſumptibus, ambitu, peculatu, repetundis pecuniis, vi publicâ maieſtatis, de infamibus; item legem caducariam, regiam, & iudiciariam. Vrbem quoque auxit & ornauit, adeò quidem, vt diceret: *Vrbem lateritiam reperi, relinquo marmoream.* Eo autem anno, quo Cæſar vniuerſalem firmiſſimámque pacem, ſingulari Dei prouidentiâ, compoſuit, natus eſt Chriſtus, pacis æternæ author. Cæterùm tempore Auguſti res Iudææ fuerunt eiuſmodi. Herodes, cognomento Magnus, Antipatri Aſcalonitæ filius, à Senatu Rom. declaratur rex Iudææ, & an. M. 3911 orditur dynaſtiam Herodiadarum, hoc modo. Antigonus, vltimus in dynaſtiâ Haſamonæorum, ſecuri percutitur iuſſu Antonij Triumuiri: quia Hieroſolymam Romanis ereptam titulos regis gubernauerat. Hircanus ex Parthiâ reuerſus (vbi captiuus fuerat 5. annis) honorificè habetur ab Herode: poſt Actiacam verò victoriam occiditur ab eodem. Anni Herodis numerantur, vel ab initio regni, quod iam diximus incidere in an. M. 3911. vel à captâ Hieroſolymâ & cæſo Antigono, an.M.3913. ſiue 3914. vti Ioſephus numerat more Iudaico, ſecundùm Paſchata. Herodes iſte dicitur Aſcalonita, iuxta verſum:

Aſcalonita necat pueros, Antipa Iohannem.
Iacobum Agrippa, & claudens in carcere Petrum.

Aſcalonita iſte habuit decem vxores, è quibus plurimos ſuſcepit liberos, & nominatim tres filios, qui ab Auguſto conſtituti ſunt tetrarchæ; & Philippus quidem Ituræ, Herodes Antipas Galilææ, Archelaus Iudææ, qui tandem relegatus eſt in Gallias, Viennam Allobrogum. Herodes Magnus in honorem Auguſti extruxit Cæſaream Stratonis ad mare mediterraneum, eius filius Philippus Cæſarem ad radices Libani in honorem Tiberij. Herodes Agrippa Herodis M. ex Antipâ, vel (vt vult Scaliger) ex Ariſtobulo filio nepos, à Caio Caligulâ conſtitutus eſt rex totius tetrarchiæ Philippi patrui, item tetrarchiæ Lyſaniæ. Huic ſucceſſit Agrippa Iunior ſiue ſecundus, ipſius filius, quem Claudius Imp. conſtituit regem totius regni, quod proauus eius Herodes Magnus obtinuerat, præter Hieroſolyma, & quædam munimenta tetrarchiæ Archelai. Hic fuit ſuperſtes templo Hieroſolymitano, quod proauus eius Herodes M. an. regni ſui XV. i.e. ann.M.3928. incredibili magnificentiâ ſpatio annorum VIII. erexerat, ſublatis veteribus fundamentis, nouiſque repoſitis. Genealogia Herodiadarum hæc eſt:

Herodes Aſcalonita filius
Antipatri.

Antipas. Philippus. Archelaus.

Agrippa rex Iudææ. Agrippa rex Chalcidicæ.

Agrippa iunior, rex Chalcidicæ, vltimus ex lineâ Herodis.

CAPVT XXI.

De ſecundo articulo quartæ monarchiæ.

PRÆCEPTA.

SEcundus quartæ monarchiæ articulus eſt à natiuitate Chriſti, id eſt anno M. 3949. ſeu primo anno Chriſti vſque ad annum Chriſti 306. ſeu Conſtantinum Magnum.

Tituli eius ſunt XXXV. iuxta numerum Imp. ſiue Cæſarum Latinorum ab Auguſto vſque ad Conſtantinum M. primum Græcorum Cæſarum,

Verſus memoriales teneantur iſti:

1 2 3 4 5
Auguſtus, Tiber: Caliga, Clauduſque Neroque,
6 7 8 9 10
Galba, Otto, necnon Vitellus, Veſpaque, Titus,
11 12 13 14 15 16
Dom. Neru. Traianus, tuno Adria, & Antonini,
17 18 19 20
Commodus, Æliades, Seuerus, cum Caracallâ,
21 22 23 24 25
Macrin, Elagabalus, Alexand. Maxime, Gordian,
26 27 28 29 30
Phil. Decius, Valer. & Galienus, Claudius atque
31 32 33 34 35
Aurel. tum Tacitus, Proba, Cara, Dioclia proles,
Induperatores poſt ſeptem commemorantur.

Atque hi Imperatores tria priora N. T. ſecula regnarunt:

gnarunt: & septem illi, quorum fit mentio in vltimo versu, referuntur ad Diocletianum.

REGVLÆ


Historia primi seculi à Christo. Historia Augusti Cæsaris & Christi Seruatoris.

I. *Primum à Christo seculum habet tredecim titulos, quot videl. Imperatores hoc tempore vixerunt.*

I. *Octauius Cæsar Augustus*, princeps prudens, iustus, temperans, & felix, infelix pater, ex amicis præcipuè dilexit Mecænatem equitem Romanum ob taciturnitatem, Agrippam ob patientiam. Precatus est Scipionis fortitudinem, beneuolentiam Pompeij, fortunam Cæsaris. Sub ipso floruerunt Catullus, Virgilius, Horatius, Dionysius Halicarnassæus, Propertius, Tibullus, Macer iunior poëta, Seruius Sulpitius IC. cuius auditores fuerunt Caius, Titius, Varus. Aufidij duo. Flauius Priscus, Paccuuius & alij. T. Liuius etiam floret, qui obit paulò pòst sub Tiberio. Anno Augusti XLII. nascitur Christus Seruator, cuius chronologia hæc est secundùm tria interualla.

A. M.	Period. Iul.	V. C.	Olympiad.	Nabonass.	Augusti. à cæde Cæs.	Augusti. à consulatu.	Herodis.	An. Iul.	Æra Christi Dionysiana.	Æra C. vera.	Interualla vitæ Christi.
3947	4711	750	2.194	745	41	40	37	43		Christus nascitur.	I. Natiuitas Christi.
3948	4712	751	3	746	42	41	38, & is vltimus.	44		1	
3949	4713	752	4	747	43	42		45	Christ' nasc.	2	
3950	4714	753	1.195	748	44	43		46	1		
3951	4715	754	2	749	45	45		47	2		
3961	4725	764	4.197	759	55	54		57	12	14	II. An. Christi XII.
					Ti	berij					
3977	4741	780	4	780	15			73		30	III. Officium Christi.
3978	4742	781	2.202	781	16			74		31	
3979	4743	782	2	782	17			75	30	32	
3980	4744	783	3	783	18			76	31	33	
3981	4745	784	4	784	19			77	32	34	
3982	4746	785	1.203	785	20			78	33	35	
3983	4747	786	2	786	21			79	34		
3984	4748	787	3	787	22			80	35		

Explicatio huius tabellæ hæc est. Ad annos mundi datos adiice 764. & prodibit periodus Iuliana: quam Scaliger præconcipit annis 763. ante mundum conditum: ita vt primus annus M. sit 764. periodi Iulianæ. Rursus abiice à periodo Iulianâ annos 764 & prodibit annus M. Reliqui tituli frontales in laterculo sunt clari. Videamus ergo historicam tabulæ explicationem. Christus natus est iuxta Scaligerum anno M. 3947 exeunte, scilicet autumno: ita vt incipiat æra natiuitatis Christi Scaligerana anno mundi 3948. Sed iuxta æram Dionysianam Christus natus est anno M 3949. exeunte, scilicet Decembri; ita vt incipiat æra ista anno M. 3950. Christus anno ætatis suæ XXX, Luc. 3. anno imperij Tiberi XV, iuxta æram Scaligeranam, est baptizatus. Post baptismum celebrauit quinque Paschata. Primum Pascha describitur *Iohan.* 2. *v.* 13. quod Christus celebrauit sexto mense post baptismum suum, adeoque anno æt. XXXI. Secundum describitur *Iohan.* 5. *v.* 1. Tertium *Matth.* 12. *Marc.* 2. *Luc* 6. Quartum *Ioh* 6. *v* 4. *Matt.* 15. *Marc.* 6. *Luc.* 9. Quintum *Iohan.* 11. *v.* 55. quo tempore Christus est passus anno ætatis XXXV. currente, ita vt vixerit in his terris 34½. De μεταχρονισμῷ Dionysij disputatum vide suprà in Computo, vbi multa diximus hanc in sententiam: quibus adde hoc vnum. Eclipsis illa, quæ contigit tempore passionis Christi, est character infallibilis dirigens chronologiam natiuitatis & vitæ Christi, ita vt inde possimus facilè colligere connexionem annorum istorum, natiuitatis Christi, mundi, Augusti Cæs. Olympiadum, vrbis conditæ, æræ Nabonassari, & similium epocharum. Quo mense Christus sit natus, in Computo etiam indicauimus: videlicet circa æquinoctium autumnale, quod tempore Iulij Cæsaris κανονικῶς incidebat in XXIV. Septembris. Nimirum Christus natus est sexto mense à natiuitate Iohannis Baptistæ, qui natus est mense Martio: quæ duo colligere licet ex *Luc.* 1. Deinde Christus natus est eo tempore, quo censuum præstatio Romanis est facta, *Luc* 2. Illa verò facta est mense Septembri, quo fructus colliguntur, & itinera sunt peruia. De die, quo Christus est natus, multi existimant, ipsum natum esse die suo, qui dicitur Dominicus. De genealogiâ Christi tenendum est, illam occurrere in historiâ Euangelicâ duplcem. Vna est naturalis *Matth.* 1. in quâ recensentur maiores Christi, ex quibus ille natus est secundùm carnem, solo Iosepho excepto, vt qui non fuerit naturalis pater Christi, sed putatiuus, *Luc* 3 *v.* 23 Altera est legalis, *Luc.* 3. in qua Eli dicitur pater Iosephi, scilicet legalis, iure leuitationis seu affinitatis, de quo vide *Deut.* 25. *vers.* 5. 6. Naturalis autem pater Iosephi fuit Iacob. Hâc de re inspice istam tabulam, quæ cognationem Christi exhibet:



De ærâ Christi porrò quæritur, cur tantopere varient Chronologi in annis mundi vsque ad Christum natum numerandis. Nam Thalmudici numerant annos 3784. Rabbini recentiores 3760. Iosephus 4102. Origenes 4759. Metheodorus 5000 & reliqui Græci supra 5000. numerant, vt Epiphanius 5029. Eusebius 5199. Theophilus 5531. Nicephorus 5500. ex Latinis Augustinus 5351. & alibi 5195. Beda 3952. Hieronymus 3941. ex recentioribus Alphonsus rex 5984. Scaliger, & eius sectatores 3947. Genebrardus 4089. Picus Mirandula, & cum eo Bucholzerus, Dresserus, Reusnerus ac alij 3970. Bibliander 3979. Büntingus 3967. Gerh. Mercator 3966. Melanchthon & Funccius 3962. Eras. Reinholdus, Dauid Chytræus & alij 3992. Iohan Lucidus & Lutherus 3960. Sleidanus 3954. Paréus 3928. Crusius & Angelocrator 3963. Mathematici Viennenses

Viennenſes ann. M. 3963. faciunt primum Chriſti. Huius *διαφωνίας, diſcrepantiæ.* cauſas arbitramur eſſe iſtas. Rabbinorum ſupputatio eſt iuſto minor, partim ex odio religionis Chriſtianæ, quo fit vt finem L X X ſeptimanarum Danielis longè anticipent, atque ita Chriſto honorem Meſſiæ abrogent: partim propter ignorationem hiſtoriæ Perſicæ & Græcæ. Illi enim à regno Nebucadnezaris ad Cyrum numerant duntaxat annos X V I I I. cùm ſint X L V. & à Cyro, ſeu Perſicâ monarchiâ ad Alexandrum Magnum, computant annos L I I. cùm ſint 200. Quod attinet ad Græcos, illi ſequuntur verſionem L X X Interpretum quæ *Geneſ.* 5. habet annos 2348. cùm Hebraica veritas habeat duntaxat 1656. Latinorum calculus variat ob quatuor potiſſimùm cauſas. Primò in annis regum Iuda & Iſraël, atque etiam templi Hieroſolymitani maxima eſt diſſimilitudo. Diende initium & finem captiuitatis Babylonicæ alij aliter annotant. Tertiò Chronologi hebdomades Danielis non vno modo inchoant. Denique de Perſicæ monarchiæ initio variant ſententiæ. Sunt qui annis Chronologorum Græcorum ab initio mundi vſque ad Chriſtum ſubtrahant annos 1236. hoc modo. Veteribus (inquiunt) vſitatum fuit; vt epochæ mundi adſcriberent 1.2.3.6. quibus numeris vnitatem eſſentiæ diuinæ & perſonarum trinitatem ſignificabant; hoc modo. Sicut 1.2.3. continentur æqualiter in 6. ita 1.2.3 perſonæ Trinitatis æqualiter ſunt vna eſſentia diuina. Numeri iſti per inſcitiam librariorum deinde coaluerunt in vnam ſummam, cùm diſtinctè ſcribendi eſſent. Sic v.g. Euſebius computat ann. 5199. à creatione mundi ad natiuitatem Chriſti: à quibus ſi demas 1236. relinquentur 3963. quæ numeratio proximè accedit ad veram. Sed redeamus ad natiuitatem Chriſti: cuius antecedentia quædam, connexa item & conſequentia recitabimus. Paulò ante natiuitatem Chriſti communis vox & fama erat inter ethnicos, magnum Deum naſciturum, vt apud Tacitum videre eſt. Romæ quoque imago virginis puerum in vlnis geſtantis circa ſolem, tres item ſoles conſpecti. Auguſtus etiam publico edicto cauit, ne quis ipſum proporrò Dominum appellaret. Idem triginta millia ſeruorum fugitiuorum dominis ſuis gratuitâ liberalitate reſtituit. Connexa ſunt, quòd cometa ſtupendæ magnitudinis ſit conſpectus, de quo Sibylla ad Auguſtum, *Hic puer*, inquit. *maior eſt te: hunc adora.* (Confer *ſupra in Phyſic.p.* 706.) quòd Romæ ſcaturigo olei eruperit, & toto die defluxerit: quòd templum pacis nocte natalitiâ Romæ corruptum, & inter rudera hoc diſtichon inuentum:

Virginitas, partus, diſcordes tempore longo,
Virginis in gremio fœdera pacis habent.

Conſequentia ſunt, quòd nato Chriſto oracula paulatim conticuerint. Hinc Auguſtus prouectiore iam ætate oraculum Apollinis Pythij de ſucceſſore conſulturus, nullum primò accepit reſponſum. Poſtea cùm alteram hecatombam adiiceret, dæmon reſpondit:

Παῖς Ἑβραῖος κέλεταί με θεοῖς μακάρεσσιν ἀνάσσων
Τόνδε δόμον προλιπεῖν, καὶ ἀΐδην αὖθις ἱκέσθαι.
Λοιπὸν ἄπιθι σιγῶν ἐκ βωμῶν ἡμετέρων.

Id eſt:

Me puer Hebræus, diuo Deus ipſe gubernans,
Cedere ſede iubet, triſtemq; redire ſub Orcum:
Ergò dehinc aris tacitus diſcedito noſtris.

Quo reſponſo accepto Imperator in Capitolio ſacrauit aram maximam cum hâc inſcriptione: *Ara primogeniti Dei.* Poſtea ſub Traiano planè deficiunt oracula, vt Iuuenalis & Plutarchus teſtantur. Huc pertinet oraculum Sibyllæ de abolitione oraculorum:

Ῥώμη ῥύμη ἔσεται, καὶ Δῆλος ἄδηλος.
Roma vrbs vicus erit, nec Delum noueris ipſam:

Conſule *Peucerum de diuinat. generibus titulo de oraculis.* Quò etiam facit reſponſum dæmonis: *Magnus Pan mortuus eſt.* Cæterùm vita Chriſti diuiditur in tempus ante baptiſmum, tempus baptiſmi, & conſequens baptiſmum. De primo tempore parcius narrarunt Euangeliſtæ; quòd Spiritus ſanctus vellet ipſos ſcribere de publico eius officio. Nominatim autem hæc nouem annotantur ab Euangeliſtis. 1. Chriſtus naſcitur Bethlehemi, cùm Auguſtus Cæſar decimumtertiùm eſſet Conſul, anno Iuliano 44. 2. Circumciditur octauo die. 3. Offertur in templo Hieroſolymis, die quadrageſimo. 4. Dona ipſi offeruntur à magis, qui contra fidem hiſtoriæ dicuntur fuiſſe reges. Obtulerunt autem

Aurum, thus, myrrham, regiq; Deoq; hominiq;.

Ipſorum nomina vulgò putantur fuiſſe, Balthaſar, Gaſpar, & Melchior. De ſtellâ, quam philoſophi iſti (magus enim Perſis idem eſt quod *σοφὸς*) habuerunt ducem, diſputauimus *ſuprà c.* 10. *reg.* 4. 5. Chriſtus cogitur fugere in Ægyptum, minor certè duobus annis, imò ipſo anno primo natiuitatis ſuæ. Herodes enim infanticida mortuus eſt anno regni X X X V I I I. quo Chriſtus eſt natus. 6. Redit poſt mortem Herodis, & educatur Nazarethæ. 7. Annos natus X I I. inuenitur in templo. 8. Redit & obtemperat parentibus. 9. Non ſolùm ſtaturâ, ſed etiam ſapientiâ & gratiâ profecit apud Deũ & homines. Quæ in proteuangelio Iacobi, & libris de Infantiâ Ieſu leguntur, fabuloſa ſunt. Videtur tamen Chriſtus aliquando ſubindicaſſe maieſtatem ſuam, fortè in ſubleuandâ parentum & propinquorum egeſtate, vt ex verbis Mariæ *Ioh.* 2. nonnulli colligunt

Hiſtoria Tiberij & Chriſti.

I I. *Tiberius Cæſar* ſuccedit Auguſto, anno à cæde Cæſaris, ſiue 56. à conſulatu, Chriſti 14. ita vt 57 Auguſti ſit primus Tiberij. Sequemur autem deinceps æram Chriſti vulgarem; quæ minor eſt biennio, quod facilè poteſt addi, vt prodeat epocha vera. Tiberius fuit oriundus è familiâ Neronum; quæ vox linguâ Sabinâ ſignificat fortem & ſtrenuum. Fuit homo multis virtutibus & ſimul vitiis nobilitatus. In virtutibus numeratur liberalitas, humanitas, & modeſtia: in vitiis, quòd fuerit naturâ ironicâ & hypocriticâ, vnde dictus fuit lutum ſanguine maceratum. Cùm vrgeretur ad remp. capeſſendam, recuſauit principatum tanquam ſeruitutem oneroſam, cùm tamen maximè appeteret, vnde paulatim principem exeruit. Fuit etiam ſupra quàm dici poteſt ignauus: quippe qui pedem portâ non extulit toto biennio, vnde Callipedes eſt dictus; quo nomine notatur equus generoſus, qui gradiendo non progreditur. Propter nimiam vini auiditatem pro Tiberio Claudio Nerone appellatus fuit *Biberius Caldius Mero*. Officium nouum inſtituit, quod à voluptatibus dictum fuit. Præmia compotatoribus ſtatuit. Amicos omnium horarum magni fecit. Caprinæus & hircus vetulus appellatus eſt à libidinibus. Procedente tempore luxuriæ adiecit auaritiam & Phalaricam crudelitatem, quæ tanta fuit, vt nullus à pœnâ dies ceſſaret, ne ſacer quidem. In omni vitâ vetus illud dictum ſæpe vſurpauit:

Me miſceatur igne terra mortuo.

Omne crimen pro capitali receptum, etiam pauculorum verborum. Interdictum, ne propinqui lugerent capita damnatorum. Huic imperatori ſimiles, & velut gemini fuerunt plerique ſucceſſores Cæſares Latini, ita vt hîc vſurpari poſſit illud Melanchthonis: *Eſt mira, quòd ſæpè in ſummo faſtigio ſunt teterrima monſtra; quia pauci principes ſunt ſalutares.* Cæterùm Tiberius noſter præter modum expaueſcebat tonitrua, & cœlo turbatiore nunquã non lauream geſtabat coronam. Sub ipſo Liuius, Strabo, Harminius, & Ouidius exul, obeunt: Germanicus triumphat: Scribonius Largus, Valerius Maximus, & Velleius Paterculus florent: lex Iunia Norbana de ſtatu libertinorum fertur. Totalis ablatio iudicij criminalis à Sanhedrin incidit in hæc tempora, annis X L. ante excidium. Porrò ſub imperio Tiberij Chriſtus baptizatur, & poſt baptiſmum facit officium annis $4\frac{1}{2}$. Baptizatur, inquam, anno ætatis ſuæ 30. ferè completo, *Luc.* 3. adeóque menſe Tiſri. Hic autem annus Chriſti X X X. connectendus eſt cum 15 Tiberij iuxta æram Chriſti veram. Atque hic eſt primarius Chriſti flos, quo Chriſtus inauguratus eſt ſecundùm typos Ioſephi & Dauidis, qui eâ ætate reip. adminiſtrationem aggreſſi ſunt. Poſt baptiſmum adminiſtrauit officium ſuum $4\frac{1}{2}$. annis, qui dicuntur anni *τῆς πολιτείας*, ſeu functionis Chriſti. Hiſtoria namque euangelica deſcribit quinque paſchata, quæ Chriſtus poſt baptiſmum celebrauit, ita vt hæc Paſchata ſint infallibilis horum annorum character, hoc modo. Quæ ab vno Paſchate ad alterum geſta ſunt à Chriſto, complectuntur annum ætatis Chriſti medium antecedentem & conſequentem. Sic Paſcha primum v.gr. reſpicit annum Chriſti 31. medium & 31. ſimiliter medium. *Acciderunt autem à primo Paſchate vſque ad ſecundum ſummatim iſta.* Chriſtus purgat templum, *Io an.* 2. inſtruit Nicodemum, *Ioh.* 3. docet Iohanne nondum capto, ipſiúſque diſcipuli baptizant in Iudæâ, & Iohannes in Enon, *Ioh.* 3 *&* 4. Iohannes poſtquam vltimum Chriſto dederat teſtimonium, ab Herode Antipâ coniicitur in carcerem, *Matth.* 14. *Luc* 3. *Marc.* 6. in quo detinetur per biennium. Chriſtus rediturus in Galilæam tranſit per Samariam, & inſtituit mulierem Samaritanam, *Ioh.* 4. docet Nazarethæ, *Luc.* 4. *Matth.* 4. ſanat filium reguli in Canâ Galilææ, *Iohan.* 4. Poſtquam audiuit Iohannem Baptiſtam eſſe captum, migrauit & habitauit in Capernaum: vnde hæc dicitur ipſius ciuitas, *Matth.* 4. *Marc.* 1. Vocat quatuor diſcipulos, Petrum & Andream, Iohannem & Iacobum, *Matth* 4. *Luc.* 5. *Marc.* 1. docet in ſynagogâ Capernaticâ. *Marc.* 1. totam peragrat Galilæam, docens euangelium, & ſanans morbos. *Matth.* 4. curat leproſum & paralyticum, *Matth.* 8. ſocrum Petri liberat à febri, *Marc.* 1. ad lacum Genezareth denuò vocat Petrum, Iacobum & Iohannem, *Luc.* 5. in finibus Gergeſenorum expellit legionem immundorum ſpirituum, *Matth.* 8 redit trans lacum in vrbem Capernaum, *Matth.* 9. vocat Matthæum publicanum *ibid.* & reliqua miracula edit, quæ ibidem deſcribuntur. *Interuallum à ſecundo paſchate vſque ad tertium.* deſcribit ſolus Iohannes *cap.* 5. *Interuallum à Paſchate tertio ad quartum* incipit *Matth.* 12. *Marc.* 2. *Luc.* 6. Hoc tempore iſta ſunt. Chriſtus diſcipulos vellentes ſpicas in ſabbato defendit, *Matth.* 12. *Marc.* 2 *Luc.* 6. ſabbato curat manum arefactam, *Marc.* 3. *Luc.* 6. mittit duodecim apoſtolos, & eos de officio inſtruit, *Matth.* 10 *Marc.* 3. *Luc.* 6. docet de vero Dei cultu, veráque beatitudine, *Luc.* 6 curat ſeruum Centurionis, *Luc* 7. reuocat in vitam filium viduæ, *ibid.* Iohannes legat diſcipulos ſuos ad Chriſtum ex carcere, *Matth.* 11. *Luc.* 7. Chriſtus omnes laborantes ad ſe vocat, *Matth.* 11. vngitur à Mariâ Magdalenâ, *Luc.* 7. peragrat vicos & caſtella, *Luc.* 8. ſanat dæmoniacum, cæcum, & mutum, *Matth.* 12. *Marc.* 3. docet, qui ſint fratres ſui, *Matth.* 12. *Marc.* 3. *Luc.* 8. excitat à mortuis

mortuis filiam Iairi, *Marc* 5. docet Nazarethæ, & contemnitur, *Matth.* 13. *Marc.* 6. emittit diſcipulos, *Marc.* 6. paſcit 5000. hominum quinque panibus & duobus piſcibus, *Matth.* 14. *Luc* 9 ambulat ad mare, *Matth.* 14. poſtridie habet egregiam illam concionem, *Iohan.* 6. *Interuallum à quarto Paſchate ad quintum iſta complectitur.* Chriſtus poſt varias conciones & miracula, quæ deſcribuntur *Matth* 15. 16. 18. *Marc.* 7. 8. 9 *Luc.* 9. proficiſcitur in Iudæam ad feſtum ſcenopegiæ ſeu tabernaculorum, quod celebrabatur autumno, & in templo docet, *Matth.* 19 *Marc.* 10 *Luc.* 7. *Iohan.* 7 8 9. Hieroſolymis manet ad proximum feſtum encæniorum, ſeu dedicationis, *Iohan.* 10 quod celebrabatur tempore hyemali. A feſto encæniorum vſque ad Martij diem decimum facta putantur omnia illa, quæ deſcribuntur *Luc. c.* 10. *& ſeqq. fermè vſque ad decimumnonum.* A decimo Martij vſque ad decimumnonum hæc geruntur: Chriſtus differit de ſuâ morte, *Matth.* 20 excitat Lazarum, *Iohan.* 11. & redit in deſertum, *ibid.* Decimonono Martij (qui eſt ſextus ante Paſcha, & vulgò dicitur dies Saturni) Chriſtus redit Bethaniam, *Iohan.* 12. Die Solis, ſeu vigeſimo Martij, aſinâ vectus ingreditur vrbem, *Matth.* 21 *Io.* 12. & ex vrbe redit Bethaniã. Die Lunæ, ſeu 21. Martij, redit in vrbẽ, maledicit ficui, & eiicit nũmularios è tẽplo, *Matth.* 21. *Marc.* 11. & ſub veſperam ex vrbe egreditur. Die Martis, ſeu 22. Martij, præterit ficum areſactam, *Marc.* 11. redit in templum, ibique interrogatur de ſuo officio, *Matth.* 21. *Marc.* 11. varias item habet conciones, quæ recitantur *Matt* 21. 22. 23. 24. 25. *Marc.* 12. 14. *Luc.* 21. dicit ad diſcipulos, poſt biduũ eſſe paſcha, *Matth.* 26. & veſperi cœnat apud Simonem leproſum Bethaniæ, *Matth.* 26. *Marc.* 14. Die Mercurij, ſeu 23. Martij Iudas paciſcitur de Chriſto comprehendendo, *Luc.* 22. Die Iouis, ſeu vigeſimo quarto Martij Chriſtus celebrat paſcha Moſaicum, & poſtea inſtituit cœnam, *Matth.* 26. *Marc.* 14. *Luc.* 22. lauat pedes diſcipulorum, *Ioan.* 13. concionatur de ſuo officio, & habet λόγον iſtum πολὺν, *Iohan.* 14. 15. 16. 17. tandem egreditur veſperi ad montem oliueti, & ſudat ibi ſanguinem: proditus à Iudâ comprehenditur, ad Caipham ducitur, illuditur, percutitur, & à Concilio examinatur: quæ omnia ſunt geſta vnâ nocte. Vigeſimoquinto die Martij, qui tunc erat dies Veneris, Chriſtus, almus Seruator, ducitur ad Pilatum, illuditur ab Herode, condemnatur ad crucem, educitur ad locum ſupplicij, & immolatur Paſcha pro nobis *Matth.* 27. *Marc.* 15 *Luc.* 20. *Ioh* 18. *&* 19. Vigeſimoſexto die Martij quieſcit in ſepulchro: vigeſimoſeptimo reſurgit, qui inde vocatur dies Domini, *Matth.* 26 *Marc.* 17. *Luc.* 24. *Iohan.* 20. Quadrageſimo die poſt reſurrectionem, aſcendit in cœlum, *Act.* 1. & decimo die poſt mittit Spiritum ſanctum ipſo feſto Pentecoſtes. Atque hæc eſt parua harmonia Euangeliſtarum; vbi tria inprimis quæruntur ab hiſtoricis: 1. An Chriſtus Paſcha anticipauerit? 2. An & quomodo vnâ nocte & parte diei vnius tot potuerint geri, quorum meminit hiſtoria paſſionis? 3. Quomodo *Luc.* 3. dicatur, Annam & Caipham ſimul fuiſſe Pontifices? Reſp ad 1. Plerique theologi ſic iudicant hâc de re. Chriſtus celebrauit Paſcha die decimoquarto, Niſan ſeu Abib, *Marc.* 14 *v* 12. qui menſis noſtro Martio plurimùm reſpondet. Sed Iudæi propter canonem paſchalem Rabbinorum לא בדו, i. e. non celebrabis paſcha 2. 4. & 6. iſto anno comperendinarunt Paſcha ſeu protergarunt, vt loquitur Lucidus, & in ipſum ſabbatum tranſtulerunt, quod ideò appellabatur magnum: ſcilicet propter concurſum duplicis ſolennitatis. Chriſtus itaque celebrauit paſcha Moſaicum, Iudæi Iudaicum, vt ἀλακελόγιως ἐνίκα loquuntur Computiſtæ: quâ de re vide *ſuprà computum pag.* 1050. Moſaicum Paſcha dicitur, quod Iudæi celebrarunt ex præſcripto Dei, quo primum paſcha comederunt Iſraëlitæ veſpere diei Iouis, ſiue feriæ quintæ ciuilis, quâ feriâ etiam Chriſtus comedit vltimum Paſcha. Hîc meminerıs, vtrumque rectè dici, Chriſtum celebraſſe Paſcha 24. & 25. Martij. Nam Iudæi diem inchoabant à veſperâ, ſeu primâ vigiliâ noctis, Romani à mediâ nocte. Veſpera igitur decimiquarti Niſan pertinet ad 24. Martij; horæ poſt mediam noctem, & dies ſequens vſque ad veſperam, ad 25. Martij. *Theobaldus Meuſchius in ſuo ſyſt. chronologico* ait, neque Chriſtum neque Iudæos anticipaſſe Paſcha: ſed Chriſtum celebraſſe typicum Paſcha feriâ ſextâ & Lunâ decimâ quartâ ineunte: Iudæos feriâ ſextâ & Lunâ decimâ quartâ deſinente, quâ Chriſtus, verum Paſcha, ſit immolatus. *Reſp. ad* 2. Multi exiſtimant Chriſtum in carcere fuiſſe detentum ad octiduum: quòd non potuerint omnia, quæ in hiſtoriâ paſſionis commemorantur, fieri tam breui temporis ſpatio. Sed illos refellit filum hiſtoriæ euangelicæ. Et non attendunt, quòd ex calore, vel potiùs furore omnia ſint geſta in hâc hiſtoriâ. *Reſpond. ad* 3. Duo ſummi Pontifices eodem tempore eſſe non potuerunt. Lucas autem ideo componit Annam cum genero Caiapha: quia Annas fuit מִשְׁנֵה כֹּהֵן הַגָּדוֹל, ὁ δεύτερος τοῦ ἀρχιερέως, id eſt vicarius ſummi ſacerdotis, quem Eccleſia Conſtantinopolitana vocat πρωτοσύγκελλον τοῦ ἀρχιερέως. Is eâ de causa ſummo Pontifici ſocius dabatur, vt ſi per morbum, aut propter aliam cauſam ſonticam, ille non poſſet obire ea munia, quæ neminem, præter ſolum ſummum ſacerdotem, obire fas erat, vicarius eam neceſſitatem expleret. Ideò tanta erat illius vicarij authoritas, vt minimo ſecundùs, alter Pontifex eſſet, quæ ſunt verba magni *Ioſephi Scaligeri præfat. Chron. Euſeb.* A Chronologis porrò hîc duo quæruntur: 1. An Chriſtus ſit baptizatus anno ætatis XXX. completo, & num ille annus cum XV Tiberij currente vel exeunte ſit connectendus? 2. Vnde colligi poſſit interuallum inter baptiſmum & mortem Chriſti? *Reſp. ad* 1. Chriſtus anno XV. Tiberij incipiebat eſſe quaſi triginta annorum, *Luc.* 3. *v.* 23 hoc eſt, fermè attigerat terminum illius anni. Porrò vltimus annus Auguſti Cæſ. eſt primus Tiberij, qui incipit extremo menſe Auguſto, & proinde connectitur cum XIV. Chriſti iuxta æram Dionyſij, ſed iuxta æram veram cum XVI. Deinde Chriſtus natus eſt extremo menſe Septembri. Anni ergo Tiberij & Chriſti eodem propè terminantur menſe: quia Tiberius ſucceſſit Octauio Cæſ. menſe Auguſto. *Reſp. ad* 2. Quatuor tantùm Paſchatum veſtigia extant in Euangelio ſecundùm Iohannem (à quo tempora certiùs deſignantur, quàm in tribus Euangeliſtis antecedentibus) à baptiſmo Chriſti vſque ad eius reſurrectionem. Vnde igitur emamus illud quod deeſt numero? Reſp. Chriſtus miniſterium publicum cœpit anno ætatis XXXI. currente, circa primum Paſcha, *Ioh.* 2. *v* 13. *c.* 3. *v.* 2. Deinde XXXII. annus ætatis cœpit menſe Tiſri ſequente, quem medium expleuit circa ſecundum Paſcha *Ioh.* 5. Tertium Paſcha deſcribitur *Matth.* 12. *Marc.* 2. *Luc.* 6. vbi nouus annus prædicationis deſignatur: qui non debet confundi cum illo paſchate apud *Ioh. c.* 5. vt nonnulli faciunt. Quartum Paſcha deſcribitur *Ioh* 6. Quintum & vltimum Paſcha Chriſtus celebrauit iamiam immolandus, *Matth.* 26. Atque hæc eſt ſummaria deſcriptio natiuitatis, vitæ, & paſſionis Chriſti: quam excepit ſepultura, reſurrectio, & aſcenſio in cœlum, & ſeſſio ad dextram Dei patris. Obſignemus hanc hiſtoriam œconomiâ hiſtoriæ Euangelicæ. Euangelium agit de Ioh. Baptiſtâ, præcurſore illo Chriſti, & ipſo Chriſto, cuius proponitur pueritia & virilis ætas. Pueritia, quantum ad natiuitatem & curſum; virilis ætas, quantum ad inaugurationem in baptiſmo, tentatione, & renuntiatione tum Dei, tum Iohannis Baptiſtæ: & functionẽ, ratione muneris prophetici, ſacerdotalis, & regij. Muneris prophetici quatuor ſunt partes, videl. doctrina, exemplum, miracula & collectio Eccleſiæ: & totidem periodi ſecundùm quinque paſchata. Sacerdotium deſcribitur quantum ad præparationem & ipſam actionem: Regnum quantum ad reſurrectionem, aſcenſionem, & ſeſſionem ad dextram Dei.

Sed redeamus ad hiſtoriam Cæſarum; in quâ diligenter tenere oportet cauſas, cur hiſtorici varient in numero Imperatorum. Sunt a. potiſſimùm quinque cauſæ. Primò ſæpe pater & filius ſimul adminiſtrarunt Imperium; vbi alij duos Cæſares, alij vnum duntaxat numerant. De tutoribus Imperatorum minorennium idem iudicium. Deinde fuerunt ſæpe duo vel plures collegæ: vbi rurſus alij plures Imperatores, alij vnum, tanquam principalem, numerant. Tertiò fuit ſæpe Imperium perturbatum, vbi vel Anticæſares fuerunt electi, vel parricidæ Cæſarum, aut etiam tyranni inuaſerunt remp. Et hic nonnulli prætereunt Anticæſares & tyrannos, alij connumerant. Quartò ſæpe fuit interregnum, in quo adminiſtratores potiùs quàm Imperatores fuerunt. Denique multi recitant ſimul Imperatores orientis & occidentis. Huc accedit, quòd hiſtorici non rarò diſſident in ſerie Impp. conſtituendâ.

De annis quoque Imperatorum obſerua ibi varietatem eſſe, propter æram Chriſti veram & vulgarem. Nos expreſſimus vulgarem, cui ſi perpetuò adieceris 2. prodibit vera e. gr. Tiberius fit Imperator anno Ch. 14. vulgaris æræ, 16. veræ: Caligula 37. vulg. 39. veræ.

III. *Caius Cæſar Caligula* ſuccedit anno C. 37. ſub initium bonus princeps, progreſſu temporis monſtrum ex ſæuitiâ, adulteriis, inceſtu, & impietate conflatum. Nam fratrem cohæredem è medio ſuſtulit, ſororibus vitium obtulit, à nullâ illuſtri fœminâ abſtinuit, diuinam ſibi maieſtatem aſſeruit, machinam habuit, quâ tonitruis obſtreperet. Tiberius perſpecto ipſius ingenio fero, ſubinde dicebat, ſe natricem reip. & orbi terrarum Phaëthontem educare. Frequenter vſurpauit illa dicta: *Oderint dum metuant: Omnia mihi & in omnes licent.* Cùm optimos quoſque interficeret, dicebat, ſe Romam purgare. Optauit, populum Romanum habere vnam ceruicem. Sed cùm interficeretur, euentus docuit, ipſum habere vnam ceruicem, populum manus multas. Sub ipſo Pilatus ſibi mortem conſciſcit. Chriſtianorum quoque nomenclatura incipit, *Act.* 11.

IV. *Claudius Cæſar* ſuccedit an C. 41. quem mater dictitabat portentum hominis, nec abſolutum è naturâ, ſed tantùm inchoatum; ſæpéque vſurpabat prouerbium: *Stultior Claudio.* Fuit a. nocentiſſimus, non tam faciendo, quàm patiendo indigna. Adeò enim euiluit, vt palàm contemtui eſſet. A ſecundâ coniuge ſublatus eſt boleto ſeu fungo venenato: & cùm in deorum numerum relatus eſſet, Nero dixit, fungos deorum cibum eſſe: quoniam Claudius eſu boleti factus eſſet deus. Maxima fuit eo regnante fames, *Act.* 11. Iacobus Apoſtolus ab Agrippâ occiditur. Q. Curtius floret. Felix eſt procurator ſeu præſes Iudææ, apud quem Paulus accuſatus, in defenſionem ſuit peroratTanquam ciuis Romanus, *Act.* 22. Concilium Apoſtolorum habetur *Act.* 15. *Gal* 2. Lucas hoc tempore Euangelium

lium scribit. Simon Magus habetur pro deo, & illi ponitur aracum hac inscriptione: *Simoni Deo sancto* Multi scribunt, Petrum Apost. hoc tempore venisse Romam, & ibi 25 annis Episcopum egisse; quod cum fide historicâ, & fine muneris Apostolici è diametro pugnat. Nam ab assumptione Domini vsque dum Petrus ab Agrippâ in vincula fuit coiectus, ipse semper in Palæstinâ fuit. Deinde Paulus Romæ quæritur, ab omnibus se desertum, 2. *Tim* 4. Ergóne & à Petro? Denique Apostolorum vocatio non erat, vno aliquo loco tam diu commorari: vt nihil iam dicam de eo, quod de Petro & Paulo dicitur, illum quidem Iudæorum, hunc verò gentium Apostolum fuisse *Gal.* 2.

V. Sextus Domitius Nero succeslit anno C. 54. Ab initio gubernationis ad annos quinque rectè se gessit, vnde prouerbium: *Quinquennium Neronis*: postea paulatim degenerauit, se totum dedendo aurigationibus, discursitationibus nocturnis, comessationibus & libidinibus turpissimis, cædibus item immanissimis, tum matris Agrippinæ (quæ Coloniam Vbiorum condidit) tum præceptoris Senecæ philosophi (qui sic dicitur ad differentiam alterius qui fuit tragicus) profusioni denique & auaritiæ: vnde nullam vestem bis induit: & cùm alicui officium delegaret, dixit: *Scis quid mihi opus sit*: &, *Hoc agamus, ne quis quidquam habeat.* Incendium quoque vrbis procurauit, quod sex diebus durauit. Hoc ille spectauit ex turri lætus vt aiebat, pulchritudine Trojæ incensæ. Postea rumorem sparsit, Christianos esse illos incendiarios, & hoc nomine in illos sæuiit supra modum, atque ita fuit dedicator persecutionis Christianorum, id est, author primæ persecutionis. Tandem miserè periit his præmissis dictis: *Qualis artifex, pereo? Turpiter vixi, turpius moriar: Ego nec amicum habeo nec inimicum, qui me interficiat.* Mors eius tantum gaudium publicè præbuit, vt plebs pileata totâ vrbe discurreret. Interea dum hæc monstra mundum flagitiis incestant, & Satanæ lernam tantùm non profundunt, Christus regnum suum propagat inter gentes, triumphantibus Apostolis de toto fermè mundo, Matthæo videlicet de Æthiopibus, Bartholomæo de Indis, Thomâ de Scythis, Paulo de Græcis & Romanis, Petro de Iudæis. Qui omnes propter monarchiam CHRISTI & mortem, & quævis vitæ pericula certatim subire non recusarunt. Armauit autem & satanas acies suas, & nihil non mouit, vt persecutionibus multifariis regnum Christi disturbaret: quæ persecutiones durabunt vsque ad finem mundi. Illarum septem periodi per 7. tubas & totidem phialas *Apoc.* 8. 15. 16, adumbrantur. Paulus sub Nerone Romam ducitur, Iacobus lapidatur, Marcus occiditur. Persius, Columella, & Lucanus florent: item Aminius Rebius, & Proculus ICti: è quibus ille interfectus fuit à Nerone, hic fuit sectator Labeonis, à quo dicti sunt Proculiani, sicut à Cassio sectante Capitonem Cassiani.

VI. VII. VIII. Anno C. 68. tres Imperatores successerunt sibi inuicem, sibique Neronianum reip. regendæ exemplar proposuerunt. Primus fuit *Sergius Sulpitius Galbâ*, sub initium bonus, postea paulatim degenerans. Cùm militibus ob donaria non persoluta stomachantibus diceret, solitum se militem legere, non emere, immane ipsorum odium contra se concitauit; adeò vt Sacramento adigi, nisi in nomen senatus, recusarent. Cùm à militibus occideretur, iugulum protendens dixit: *Hoc agite, siquidem ita ex re est populi Romani.* Galbæ successit *M. Saluius Otto*, primus eorum, qui extra Romanas familias ad Imperium euecti sunt. Hunc primi & præstantissimi ciuium non hominem rati sunt, sed pœnam quandam sonticam & impurum genium reip. incidisse. Tandem propriâ manu occubuit, & hoc solum nobile fecit, quòd periit. Ignatius ordinatur Episcopus Antiochiæ. Ottonem excepit *Aulus Vitellius*; qui cùm incederet per cadauera cæsorum in acie, & diceret, optimè olere hostem occisum, & meliùs ciuem; hâc detestabili voce animos bonorum exulcerauit. Tandem minutissimis ictibus excarnificatus, & in Tiberim proiectus est.

IX. Flauius Vespasianus. ab exercitibus factus est Imperator anno Ch. 69. Percrebuerat tum temporis toto Oriente constans opinio, in fatis esse, vt eo tempore Iudæâ profecti rerum potirentur. Id Iudæi ad se trahentes rebellarunt, & Romanos captâ aquilâ fugarunt. Ad hunc motum comprimendum missus est Vespasianus dux non instrenuus: sed reuocatus ex Iudæâ, filio suo Tito administrationem belli Iudaici commisit, qui vrbem 14. Aprilis obsessam 7. Septemb. cepit. Anno Ch. 72. æra Scaligerâ, vulgari seu Dionysianâ 70. vbi obserua, decimumquartum Aprilis incidere in annum Christi 71. Scaligeranum, 69. Dionysianum, & excidium 7. Septemb. in annum Chr. sequentem: quia anni Christi ab autumno ineunt. Atque in hoc excidio desinunt 70. Septimanæ *Danielis c* 9. vt patet ex collatione *Matth.* 24. *v.* 15. *&* *Luc.* 21. *v* 20. Sic itaq; politia Mosaica funditùs est deleta, vt regnum Christi inter gentes posset feliciùs condi. Et hinc incipiunt septem fatales periodi N. T. quas indicat Iohannes in Apocalypsi per tubas. Habent autem singulæ periodi seu tubæ quinque Iubilæos, qui conficiunt annos 245. Ex his periodis prima est ab excidio templi vsque ad Constantinum, & complectitur decem illas famosas persecutiones: secunda ad Mahometem, quæ Imperij occidentalis destructionem denotat: tertia ad Carolum M. quæ Mahometanorum incredibiles successus denotat: quarta ad Hildebrandum seu Gregorium VII. quæ portendit ἀκμὴν regni Pastici: quinta ad ad regnum Ottomannicum, notans direptionem Orientis: sexta ad Lutherum seu reformationem Ecclesiæ: septima ad finem mundi. Cæterùm sub Vespasiano templum pacis fuit dedicatum, & in eo reposita ornamenta templi Hierosolymitani. Silius Italicus & Solinus florent. Plinius in Vesuuio perit.

Historia Titi Cæs.

X *Titus Vespasianus* successit patri anno Chr. 79. nominatus amor & delitiæ generis humani, quia neminem à se tristem discedere passus est. Cùm expugnatâ Hierosolymâ certatim ipsi mitterentur coronæ, & victor salutaretur, coronas repudiauit, & dixit, non se illa fecisse, sed Deo iram suam declaranti manus suas commodasse. Iosephus annotat, Hierosolyma decies esse capta, quater à Sanherib, quater à Nebucadnezar, semel à Vespasiano, & semel ab Adriano. Ebion hæresiarcha statim floret post excidium Hierosolymorum.

Historia Domitiani.

XI. Flauius Domitianus succedit fratri anno Chr. 81: patri & fratri dissimilis, similis Caligulæ & Neroni. A muscis captandis dictus fuit Muscicapittaneus. Publicis edictis hæc verba præscripsit: *Dominus & Deus noster fieri sic iussit.* Vnde Martialis sic ipsi blanditur:

Edictum Domini Deiq; nostri.

Hoc ipsius dictû laudatur: *Princeps qui delatores non castigat, irritat.* Secunda persecutio ab ipso est instituta, in quâ Iohannes Euangelista ex Epheso in insulam Pathmum est relegatus, vbi Apocalypsim scripsit. Hoc tempore floruerunt Martialis, Quintilianus, Iosephus, Onkelos, & Aquila.

Historia Neruæ.

XII. Cocceius Nerua succedit anno Chr. 96. nomine princeps, menteparens, qui nunquam risit neque lusit. Sub hoc Iohannes ex Pathmo Ephesum est reuocatus, & scripsit Euangelium. Iuuenalis etiam floret; item Plinius iunior. R. Ismaël ostendit XIII. modos interpretandæ legis.

Historia Trajani.

XIII. Vlpius Traianus, primus ex peregrinis Imperator factus est Coloniæ anno Chr. 98. qui hoc egit semper, vt apud populum mitis, apud senatum venerandus, omnibus amabilis, grauis nulli esset nisi hostibus. Vnde à senatu appellatus fuit princeps optimus, & in sequentium Imperatorum inaugurationibus acclamari est solitum: *Augusto felicior, Traiano probior.* Præceptorem habuit Plutarchum. Cerinthus hæresiarcha post Ebionem hoc tempore floret. Oracula ethnica deficiunt.

II. *Secundum seculum N T. habet septem titulos.*

Historia secundi seculi N.T.

I. Trajanus sub initium huius seculi, seu anno Chr. 100. inchoauit tertiam persecutionem Christianorum, pro quibus intercessit Plinius secundus seu iunior procoss Bithyniæ. Ignatius bestiis obiicitur, cuius hoc fuit symbolum: *Amor meus crucifixus est.* Scaliger hîc proponit quæstionem. Quare Ignatius ex Syriâ Romam perductus sit, vt bestiis obiiceretur: cùm de Christianis & gentilibus cognitio esset eius, qui prouinciam regebat. Si quis dicat, Ignatium prouocasse ad Cæsarem, tanquam ciuem Romanum, huic obstabit, quòd ciuem Romanum bestiis obiicere non sinebant leges Romanæ. Scaliger hîc dicit, se ingenuè fateri inscitiam suam. Plutarchus, Tacitus, Gellius, & Lucianus ille impurus florent. Pantheon fulmine deiicitur. Iudæi excitant seditionem, in quâ trucidantur supra 40000 hominum. Iudæorum autem 200000. in Ægypto, Cypro, & Mesopotamiâ trucidantur.

Historia Hadriani.

II. Helius Hadrianus seu Adrianus, consobrinus Traiani, succedit anno 117. & Iudæos in Palæstinâ, duce Pseudomessiâ Barchochab rebellantes, ad internecionem fundit. In ruinis Hierosolymæ, mutato tamen pristino loco ædificat vrbem, quam à suo nomine Æliam vocat. Venationis studio vsque ad insaniam & periculum tenebatur. Primus Cæsarum barbam nutriuit propter vulnera faciei. Persecutionem quartam à se inchoatam prohibet. Iustinus fit Christianus. Suetonius Adriano ab epistolis & Plinio familiaris, & Ælianus clarent: item Virgilius Romanus, poëta Plinio coæuus. *Quadratus* episcopus Atheniensis & Apostolorum discipulus, multos vidit à Christo sanatos: & Traiano apologiam pro Christianis exhibuit: quod etiam fecit Aristides philosophus. Hîc incidit quæstio de excidio vrbis Hierosolymorum. Cùm enim successio plurimorum episcoporum Hierosolymitanorum ab historicis recitetur, & multi historici scribantur, sub Hadriano contigisse secundum vrbis istius excidium, quo planè fuerit deleta: multi existimant, vaticinium Seruatoris super vrbe Ierusalem, de non relinquendo lapide super lapidem, hoc, inquam, vaticinium loqui de excidio sub Hadriano, non de illo sub Tito. Sed rectè respondet magnus *Scaliger animaduers. Euseb p.* 194. 195. episcopos Hierosolymitanos post excidium illic fuisse, vbi fuit Ecclesia Hierosolymitana, quemadmodum sedes patriarchalis Antiochena hodie non est Antiochiæ, sed in finibus Mesopotamiæ, & Alexandrinus patriarcha non est Alexandriæ, sed Kairi. Deinde ex Iosepho & aliis demonstrat, Iudæos quidem malè mulctatos fuisse sub Hadriano, nullum verò accidisse excidium Hierosolymorum, vtpote quæ funditùs sub Tito erant excisa. Porrò Ecclesia Hierosolymitana videtur

detur Pellæ fuiſſe: in quam vrbem Apoſtoli & Eccleſia Hieroſolymitana imminente vrbis excidio monitu angeli ſe contuliſſe ſcribuntur ab Epiphanio: indéque iterum poſt excidium rediſſe Hieroſolymam,id eſt Æliam, quam Hadrianus eò loci ædificauit, vbi antea fuerat vrbs ſancta. Æliæ iſtius portis Hadrianus confecto bello Iudaico ſuam ſculptilem affixit. Sed vna adhuc reſtat difficultas. Aratrum vrbi Hieroſolymæ impreſſum eſt à Muſonio Tyrrheno, præfecto munitionum, vt non ſolùm vrbs eſſe deſierit, ſed & in poſterum nemini licuerit illi ſolo aliquid immoliri, ædificare, ſuperſtruere. Nam *ICtus l.2 d. quib. mod. vſ.* ait, ciuitatem eſſe deſiuiſſe eam, cui aratrum inductum ſit:& capitale eſſe in illo ſolo vel caſam, vel humile ædificium ſtruere. Et Seruius author eſt, vrbes inducto aratro exauthoratas. Cur igitur Hadrianus id fecit? Reſp. Publicâ authoritate lex rogata, eadem authoritate potuit abrogari.

Hiſtoria Antonini Pij.

III. M. Antoninus Pius ſuccedit anno 138. ſic dictus à perpetuâ clementiâ, cui & fanum condidit. Otioſis ſalaria detraxit, dicens: *Nihil eſt crudelius, quàm remp. arrodi ab iis, qui nihil in eam ſuo labore conferunt.* ICtos & philoſophos magnifecit. Chriſtianos aliquantiſper perſecutus, decreta contra eos facta retractauit, lectis apologiis Iuſtini Martyris & aliorum. Galenus, Pauſanias, Diogenes, Laërtius, Phlegon, Athenæus, & Hermogenes florent: item Ptolemæus, qui annos Nabonaſſari (qui aliàs vocantur anni Ægyptiaci) ad ſua ſub Antonino Imperatore deducit tempora.

Hiſtoria Antonini Philoſophi.

IV. Marcus Aurelius Antoninus philoſophus ſuccedit anno 161. & *Lucium Verum* ſibi collegam aſciſcit, cùm ante eum ſingulos ſemper haberet imperium. Hinc iſti duo nominantur diui fratres in iure ciuili & hiſtoriis. Et Antoninus quidem fuit optimus, & ſui ſimilis in omnibus. Verus autem voluptarius, ſibique ipſi diſſimilis. Antoninus geſſit bellum Marcomannicum: in quo fuit legio Chriſtianorum, qui cùm exercitus ſiti affiictaretur, genuflexi, & pluuiam pro exercitu Romano, & fulmen contra hoſtem precibus impetrarunt: quod cum videret Imperator, legionem illam appellauit κεραυνοφόλον, id eſt fulminatricem, & rem totam ad ſenatum perſcripſit: perſecutionem denique quintam antea à ſe inchoatam inhibuit, & reſcripſit, non eſſe tales moleſtandos, tanquam tales. Hic notandum velut in tranſcurſu, Romanos fuiſſe togatos vel ſagatos, Græcos & Chriſtianos palliatos: vnde Chriſtiani dicebantur Græci, & qui religionem Chriſtianam vel gentilem permutabant, dicebantur veſtem mutare. Tempore Antonini lues epidemia ſeu peſtis à Perſarum finibus vſque ad Rhenum & Gallias omnia polluit contagiis & mortibus.

Hiſtoria Commodi.

V. Aurelius Commodus declaratur Cæſar anno 180. Antonini laudatiſſimi principis flagitioſiſſimus filius, qui inter 300. concubinas bacchantis in morem vixit, & in ſenatu perſæpe bibit, muliebrem indutus veſtem. Nomen ſuum repudiauit, & Herculem ſe & Iouis filium dixit, & menſes ſuis nominibus appellari voluit, abiectóque Romanorum habitu leoninâ ſe pelle induit & clauam geſſit, atque ita cum beſtiis & hominibus publicè duello congreſſus eſt. Cùm ex nutu omnes occideret, tandem ſtrangulatus eſt. Templum Pacis hoc tempore conflagrauit, quod pro malo omine habitum. Florent Irenæus, Clemens Alexandrinus, qui dicitur Contextor: & Tertullianus, tertius ſcriptor Latinus inter Patres.

Hiſtoria Pertinacis.

VI. P. Ælius ſeu Heluius Pertinax rapitur ad Imperium anno 192. Nominatus eſt pila fortunæ, quòd variis caſibus per omnes laborum numeros exercitus eſſet. Cenſus retractari iuſſit: agricolis immunitatem certorum munerum conceſſit. Auaritiæ tamen labe fuit fœdatus; cætera ſummus. Adminiſtrauit Imperium 87. diebus. Tum enim ab eo fuit interfectus, à quo fuit ad Imperium euectus. In laudem eius hæ voces ingeminatæ: *Pertinace imperante ſecuri viximus, neminem timuimus, patri pio, patri ſenatus, patri omnium bonorum.* Cum hoc Imperatore connectendus eſt propter breuitatem temporis *Didius Iulianus*, qui 66. diebus præfuit ſummæ rerum. Hic empto Imperio ſuſceptóque, crapulæ & luxuriæ ſe ſtatim mancipauit, reip. curationem ſegniter & obiter attingens. Ideo à milite gregario confoſſus.

Hiſtoria Seueri.

VII. Peſcennius Niger in Syriâ, *Albinus* in Britanniâ, *Seuerus* in Pannoniâ Imperatores ab exercitibus ſalutantur. Seuerus tandem ſolus obtinuit, victo & in crucem acto Nigro, & occiſo Albino. *L. Septimius* itaque *Seuerus* ſucceſſit anno 193. natione Afer: bellicoſiſſimus omnium, qui ante eum fuerunt, & feliciſſimus, adeò, vt nullo congreſſu niſi victor deceſſerit. Circa hoc tempus Victor epiſcopus Romanus quæſtionem de Paſchatis celebratione violenter tractat: & ab Irenæo reprehenditur. Synodus Romana, Cæſarienſis, Gallica, Pontica, Achaica, & Oſtrœnica pro Victore pronuntiant, Aſiatica contra Victorem.

Hiſtoria tertij ſeculi N. T.

III. *Tertium ſeculum N. T. habet titulos numero vnum & viginti.*

Hiſtoria Seueri.

I. Seuerus anno 200. ſextam perſecutionem inſtituit. Moriturus in hæc erupit verba tanquam teſtis vanitatis mortalium: *Cuncta fui, & nihil mihi conducit.* Origenes, architectus ille allegoriarum, floret.

II. M. Aurelius Antoninus Caracalla, filius Seueri ſucceſſit anno 211. homo crudelis, fratricida, inceſtuoſus, & ſuperbâ fatuitate præditus; quæ effecit, vt ſe fingeret ſimilem Achilli & Alexandro M. Interfecit P. Septimium Getam, fratrem ſuum. Cùm Papinianus excuſare nollet ipſius fratricidium, dicens: Non tam facilè eſſe excuſare parricidium, quàm facere: ab ipſo interfectus eſt.

III. M. Opelius Seuerus Macrinus ſucceſſit an. 217. homo nouus & ineptus, qui ſemeſtre in Imperio tranſigens reſcripta principum ſuſtulit, vt iure, & non reſcriptis ageretur.

IV. M. Aurelius Antoninus Elagabalus, ſeu Heliogabalus, capeſſit Imperium anno 218. cuius tanta fuit ſpurcities morum, vt ſuperaret turpitudine omnes qui vnquam infames fuerunt propter libidinem. Inſtituit ſenatum mulierum. Sed poſt mortem eius ſenatuſconſulto cautum eſt, ne vnquam mulier ſenatum ingrederetur.

V. Aurelius Seuerus Alexander ſuccedit anno 222. Cùm crebris acclamationibus in curiâ Magnus, appellaretur, reſpuit, dicens: Oneroſum eſſe tam inſigne nomen. Fures vehementi odio proſequebatur. Dicebat, ſeminarium ſenatus eſſe equeſtrem ordinem. Non ferebat eos qui emebant magiſtratus, dicens: *Ementes vendunt.* Sententiam illam: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, à Chriſtianis ſumpſit, & in palatiis publiciſque operibus perſcribi iuſſit, quin & per præconem recitari curauit. Iniuſtum iudicem fumo necari præcepit, dicens: *Fumo punitur, qui fumos vendit.* Literatorum ſermonibus dicebat ſe paſci. Chriſto templum dicaturus prohibetur à ſuis. Vlpianum habuit familiarem. Diſciplinam militarem ſeueriſſimè rexit, dicens: *Milites rempub. magis ſeruare, quàm ſeipſum, quòd ſalus publica in his eſſet.* Hinc hæ ipſius leges: *Si vis tribunus eſſe, imò ſi viuere vis, manus militum contine: Nemo ſegetes atterat: Nemo ſalem, oleum, & ligna auferat: Nemo ouem alterius rapiat: Annonâ ſuâ miles contentus ſit; ex prædâ hoſtium, non ex lachrymis prouincialium viuat.* Hinc ex bello Parthico redux hanc acclamationem audiuit: *Ille vincit, qui milites regit: diues ſenatus, diues miles, diues populus Romanus.*

VI. Maximinus author ſextæ perſecutionis, ſucceſſit anno 235. & ſolos epiſcopos ſupplicio affecit tanquam doctrinæ Chriſtianæ propagatores. Ita vorax fuit, vt in diem vnum comederet 40. & ſæpe 60. libras carnium, ſæpe etiam Capitolinam amphoram vini vno die biberet. Adeò quoque fuit robuſtus, vt rhedam onuſtam ſolus mouere, & currum manibus trahere poſſet: vnde dictus eſt Milo Crotoniates, Hercules, Aiax, & Antæus. Sed & propter crudelitatem appellatus eſt Cyclops, Buſiris, Phalaris, Typhon, & Gyges.

VII. Contra Maximinum, belluam iſtam, quatuor facti ſunt Auguſti anno 237. Videl. *M. Ant. Gordianus* pater & filius: item *M. Papienus Maximus, & D. Cælius Balbinus*; è quibus Gordiani patris tanta fuit iuſtitia & modeſtia, vt prouinciales dicerent, ſibi Scipionem & Lælium redditos.

VIII. Gordianus III. Balbino & Papieno occiſis, ſuccedit anno 238. annos natus 13. ſenili præditus prudentiâ. Ipſi tribuitur hoc dictum: *Miſer eſt Imperator, apud quem vera reticentur; qui cùm ipſe publicè ambulare non poſſit, neceſſe eſt vt audiat vel audita, vel à pluribus roborata confirmet.* Auus ipſius Gordianus Auguſtum, parens Pompeium, ipſe Scipionem facie retulit. Impiè interfectus eſt à Philippis patre & filio. Hinc ipſi hoc monumentum poſitum: *Diuo Gordiano, victori Perſarum, victori Gothorum, victori Sarmatarum, depulſori Romanarum ſeditionum, victori Germanorum: ſed non victori Philipporum.*

IX. M. Iulius Philippus I. ſeu Arabs vnà cum filio cognomine (qui dicitur *M. Iulius Philippus II.* & nunquam riſit) Imperium ſuſcepit anno 244. Hic celebrauit natalem vrbis annô 1000. ab vrbe conditâ, exhibitis ludis ſecularibus, vbi & montes & ſyluæ cucurrerunt. Pomponius ait, ipſum Punicâ fide fuiſſe deteriorem. Hiſtoria Eccleſiaſtica tradit, ipſum primum ex Imperatoribus Romanis fidem dediſſe CHRISTO, & vnà cum filio & coniuge tinctum eſſe baptiſmo, & cùm communicare vellet, priùs inter pœnitentes ſtetiſſe, ritu eius ſeculi vſitato. Scaliger tamen diſſentit in animaduerſ. Cyprianus floret, qui quàm diligentiſſimè legit Tertullianum.

X. Meſſius Quinctus Trajanus Decius, pater, & *Q. Herenius Etruſcus Decius*, filius, accedunt ad Imperium anno 251. & pater quidem iudicio ſenatus principis optimi nomen meruit; & Traiano adæquatus eſt. Octauæ perſecutionis fuit author, in quâ Paulus primus Eremita ob perſecutionem in eremo manſit vſque ad tempora Conſtantini M.

XI. Vibius Trebonianus Gallus, appellatus eſt Imperator poſt cladem Deciorum anno 253. & cum Scythis fœdus percuſſit, non ſine nominis Romani ignominiâ. Tunc enim Imperium Scythis factum eſt tributarium. Peſtilitas 10. annis grauata fuit, quâ occaſione Cyprianus ſcripſit librum de mortalitate. Hic Imperator ſanctos viros, qui pro pace regni eius Deo ſupplicabant, perſecutus eſt & cum iis pacem pariter &

omnem

omnem proſperitatem ſuam profligauit *C. Vibius Voluſianus* ipſius filius in his omnibus ipſi fuit adiutor. *C. Iulius Æmilianus* anno 254.& euectus & interfectus eſt.

XII. P. Licinius Valerianus anno 255. per omnes dignitatum gradus infulam Imperij eſt conſecutus. Cùm cenſor eſſet, omnes vna voce dixerunt: *Valeriani vita cenſura eſt: Valerianus à primâ vitâ cenſor fuit: Valerianus in totâ ſuâ vitâ cenſor fuit.* Hic Imperator perſecutionem nonam mouit, cuius tempeſtate Laurentius & Cyprianus abſorpti ſunt. Tandem victus à Sapore Perſarum rege, ipſi fuit loco ſcabelli, cùm equum conſcenderet; & hic rex ipſi in extremâ ſenectute cutem à ceruice ad pedes detraxit.

XIII. *P. Licinius Gallienus* ſuccedit patri Valeriano anno 260. cùm antea patris fuiſſet collega. Hic in omnem laſciuiam diſſolutus, nihilque de Imperio ſolicitus, ſubinde in hæc erupit verba: *Ecquid habemus in prandio? Quæ voluptates paratæ ſunt? Qualis cras erit cœna? Quales ludi? Circenſes: Gladiatorij? Scenici?* Hinc ab omnibus fuit contemptus, adeò quidem, vt in diuerſis prouinciis diuerſi Imperatores contra ipſum fuerint facti, qui ab hiſtoricis appellantur triginta tyranni, è quibus fuère *Soloninus Valerianus & C. Iunius Caſſius Poſthumus*, qui à quibuſdam in catalogo Imperatorum putantur.

XIV. M. Aurelius Claudius accepit inſignia Imperialia anno 267. qui ſi diutiùs vixiſſet in Imperio, Scipiones & Camillos, omneſque illos veteres ſuis virtutibus reddidiſſet. Etenim Trajani virtus, Antonini pietas, & Auguſti moderatio in eo ſic fuerunt, vt non ab aliis exemplum caperet, ſed aliis relinqueret. Gothos potiùs quàm tyrannos è medio tollendos eſſe cenſuit: quòd illi reip hoſtes, hi principis eſſent.

XV. L. Domitianus Aurelianus capit faſces anno 269 princeps magis neceſſarius quam bonus, quòd ei clementia, Imperatorum dos præcipua, defuerit. Hinc dixit populus, Aurelianum eſſe pædagogum ſenatorum; item optimum medicum, ſed malâ ratione curantem. Ipſius tempore cœpit prouerbium. *Principes boni ſcribi poſſunt in vno annulo.* Hîc quærunt hiſtorici, quænam res malum principem faciat: & reſpondent, quòd nimia licentia, rerum copia, amici improbi, ſatellites deteſtandi, officiarij auari, aulici vel ſtulti vel deteſtabiles, & denique rerumpubl. ignorantia. Hic Imperator in triumphum abduxit Zenobiam reginam. Morbo detentus non adhibuit medicos, ſed inediâ ſe curauit. In eius tempora incidit Porphyrius ille blaſphemus.

XVI. M. Claudius Tacitus. primæ ſententiæ conſularis, tempore interregni ſuccedit anno 277. Fuit literis ſuprà quàm dici poteſt deditus, ita vt illud elogium metuerit: *Quis melius quàm literatus imperat?* Cùm ſenectutem ſuam excuſaret, regeſſerunt ipſi, caput imperare, non pedes. Vitæ fuit parciſſimæ, & lactucâ frequenter eſt vſus, quâ ſumptâ ſe ſomnum mercari dicebat. Tacitum hiſtoricum dixit parentem ſuum.

XVII. M. Aurelius Probus eligitur an. 278. quem dixerunt verè probum: itemque exemplum militiæ, & exemplum Imperij. Feliciſſimè namque oppreſſit hoſtes Romanorum. Non leues interim motus tyrannicos à tribus æmulis expertus eſt.

XVIII. M. Aurelius Carus ſuccedit anno 283. qui meruit nomen Perſici. In eius locum ſuccedit filius *M. Aurelius Numerianus*, & poſt hunc alter filius *M. Aurelius Carinus*, homo omnium contaminatiſſimus.

XIX. C. Valerius Diocletianus ab exercitu fit Imperator an. 284 & conſortem Imperij eligit *Aurelium Valerium* Maximianum, qui duo tyrannos tanquam gigantes Centimanos deleuerunt, & decimam perſecutionem omnium maximam aduerſum Chriſtianos mouerunt. Hinc Diocletianus paſſim ſibi hoc monumentum fieri fecit: *Diocletianus amplificato Imperio, & deleto nomine Chriſtiano.* Voluit etiam adorari, & edicto ſanxit, vt omnes ſine diſcrimine, proſtrati pedes ipſius oſcularentur; cùm antea nobiles oſcularentur manus Imperatorum, vulgus genua. Fuit alioqui princeps victorioſiſſimus. Tandem ſe abdicauit Imperio; cúmque à collegâ moneretur vt rediret ad Imperium, reſpondit, ſe peſte liberatum, nolle amplius venena imbibere. nec turpe eſſe homini, qui felicitatem in animo poſuit, honeſtam profiteri paupertatem. Ab anno XVIII. Diocletiani, in quo ille auxit perſecutionem contra Chriſtianos, Ægyptij Coptitæ Chriſtiani, ordiuntur Terich Elkut, id eſt, æram martyrum Copticam; & Æthiopes annum iſtum Diocletiani vocant עִנַּת מְחָרַת. *annum gratiæ.*

XX. & XXI. Conſtantium Chlorum & Galerium. Diocletianus & Maximianus priuſquam ſe Imperio abdicarent, Auguſtos appellant: & hi adeunt Imperium anno 293. *Fl. Aurelius Conſtantius Chlorus* naturâ erat mitiſſimus, & fictilibus in menſâ vtebatur. Spiram condidit, nomine à cohorte imperatoriâ facto. Chriſtianorum apoſtatas tanquam Dei proditores, & contra Deum perfidos Imperatoris ſeruitio indignos cenſuit: illos autem qui conſtantiam probauerant, ſtipatores ſuos & regni cuſtodes conſtituit, dicens: Id genus hominum pluris quàm æraria ingenti theſauro referta meritò æſtimandos. *Conſtantius & C. Galerius Valerius Maximus Fl.* Valerium Seuerum & Caium Galerium Valerium Maximinum collegas aſſumunt. Maxentius etiam & Licinius hoc tempore ſe ingerunt, è quibus *M. Aurelius Maxentius.* fuit libidinoſiſſimus, adeò vt miniſtros libidinum haberet à conſiliis: item crudeliſſimus; vnde Chriſtiani dixerunt, ipſum ſimilem eſſe pœnæ Pharaonis. *C. Valerius Licinius* fuit hoſtis literarum acerrimus, & ſubinde frequentauit illud *Venenum & peſtis ſunt philoſophi & oratores.* Ipſe etiam literarum adeò expers fuit, vt nomen decretis vix ſubſcribere poſſet. Vterque hic tyrannus victus eſt à Conſtantino, primo Imperatore, qui Eccleſiam à perſecutionibus reſpirare fecit. Cæterùm valde hîc perturbata eſt Cæſarum ſeries ob concurſum multorum Impp. numero ſeptem, quorum hæc eſt ſeries modò expreſſa. 1. Aurelius Valerius Maximianus. 2. Fl. Aurelius Conſtantius Chlorus 3. C. Galerius Valerius Maximianus. 4. C. Galerius Valerius Maximinus 5. Valerius Sucrus. 6. M Aurelius Maxentius. 7. C. Valerius Licinianus Licinius. Qui fermè prætereuntur ab hiſtoricis, ita vt ab hiſtoriâ Diocletiani fiat tranſitus ad hiſtoriam Conſtantini M.

CAPVT XXII.

De Tertio articulo quartæ monarchiæ.

PRÆCEPTA.

Tertius quartæ monarchiæ articulus eſt à Conſtantino M. vſque ad Carolum M. ſeu ſub anno Chriſti 306. vſque ad 801.

Tituli ſunt XXXV. iuxta numerum Imperatorum Græcorum, qui continentur his verſibus memorialibus:

1 2
Conſtantinus, & hinc prima eſt diuiſio facta:
3 4 5 6 7
Iulianus, Iouiane, Valent duo, Gratia Flaua,
8
Theudoſius Magnus: poſt altera ſciſſio facta:
Occaſum turbant, orientem hæc ſceptra gubernant:
9 10 11 12 13
Arcad: Theudoſius, Martianus, & ambo Leones,
14 15 16 17 18 19
Zeno & Anaſtaſius, Iuſti tres, atque Tiberius,
20 21 22
Mauritius, Phocas, Heraclius & maleſanè
23.24.25 26 27 28
Tres, Pogonatus, tum Iuſtiniane, Philippic:
29 30 31 32
Arthemius, Donumque Dei, Leo, Copronymuſque,
33 34 35
Hinc Leo, Conſt. Iren: pòſt tertia ſciſſio facta.

Horum Impp. prænomen fuit Flauius: & ipſorum Imperium durauit quinque ſecula, videl. 4.5.6.7.8.

REGVLÆ.

I. *Seculum quartum N.T. complectitur titulos octo.*

I. Fl. Valerius Conſtantinus Magnus natus in Britanniis, ſuccedit patri Conſtantio anno 306. Vincit *Maxentium*, Pharaonem illum N.T. & in conflictu videt fulgidam crucem, ſimilem X literæ primæ in nomine Χριστὸς, & hæc verba inſcripta: IN HOC VINCE, Ἐν τούτῳ νίκα. Vincit etiam Licinium; in quâ pugnâ videt duos equites, qui cædunt legiones hoſtium. A rebus preclarè geſtis accepit nomen Magni: & dictus fuit reſtaurator generis humani, liberator vrbis, propagator Imperij & fundator ſecuritatis æternæ. Byzantium ornauit & firmauit, tranſlatis eò axiomate Imperij & ornamentis ex Aſiâ, Europâ, & Africâ. Hinc dicunt, Conſtantinum nudaſſe vrbes, vt Conſtantinopolin ornaret, quam etiam vocauit νέαν Ῥώμην, nouam Romam: Quâ tranſlatione Imperij, & Italiæ & totius Occidentis ſtatus eſt languefactus. Hic eſt Imperator, qui propagauit religionem Chriſtianam longè lateq; Tametſi vero ampliſſimis priuilegiis, indultis & immunitatibus ornauit Eccleſias: fictitia tamen eſt donatio Conſtantini M. quâ Papiſtæ dicunt, Italiam dono ceſſiſſe Papæ, tanquam patrimonium Petri: cùm nullus locuples author hoc teſtetur, & conſtet Conſtantinum M. paulò ante obitum diuiſiſſe Imperium totum inter tres filios, vt natu maximo Occidentem, ſecundo Orientem, tertio interiectam regionem aſſignaret.

Hiſtoria quarti ſeculi N.T. Hiſtoria Conſtantini M.

Huc accedit, quòd circa tempora Caroli M. huiusmodi donatio sit facta. Pontificij quoque authores dissident hâc de re. Et verò vt maximè Constantinus suum ius diminuerit hâc donatione: successoribus tamen suis æquali potestate præditis non potuit præiudicare. Hic Imperator indixit Synodum primam OEcumenicam, quæ dicitur Nicena, & in illâ præsedit inter episcopos 318. Synodus illa durauit vltra triennium, & damnauit Arium presbyterum Alexandrinum; qui tamen reuocatus est à Constantino M. precibus sororis Constantiæ turbato. Tandem tamen impurus hic canis vt Iudas extinctus est. Ario se opposuit Athanasius, qui propterea relegatus fuit in Gallias: postea tamen reuocatus, absolutus & restitutus fuit. Mater Constantini M. Helena fertur Hierosolymis inuenisse crucem Christi. Constantinus M. in Concilio inter alia memorabilia protulit hæc duo: *Dissensiones in Ecclesiâ de dogmatibus, multò esse horribiliores quouis bello ciuili.* Item, *se sacerdotem, vel in adulterio deprehensum, purpurâ suâ contecturum esse, ne vulgo scandalum innotesceret.*

Historia filiorum Constantini M.

II. Tres filij Constantini M. succedunt anno 337 & *Fl. Iulius Constantius* quidem in oriente, qui fuit Arrianus & persecutor: *Fl. Iulius Constans* in occidēte, cuius milites trucidant *Fl. Claudium Constantinum Secundum seu Iuniorem* suâ ditione non contentum. *Magnentius* Constantem trucidat, seque vnà cum fratre *Decentio* constituit Augustum. Tandem tamen vnà cum aliis tyrannis superatus est à Constantio, qui Gallum patruelem asciuit collegam.

Historia Iuliani apostatæ.

III. Post primam hanc Imperij diuisionem *Fl. Claudius Iulianus*, cognomento *Apostata*, fit Cæsar anno 361. Mater ipsius grauida Achillem se parituram somniauit. Sub initium Imperij similis existimatus est Tito, Traiano, & Antonino quoad felicitatem & doctrinam. Sed tandem hostis Christianorum est factus, non tamen Leo, sed Vulpes. Verùm hæc nubecula citò transiit. In bello enim Persico interfectus est Iulianus, vbi cauâ manu sanguinem ex vulnere hausit, eóque in cœlum coniecto vociferatus est: *Vicisti Galilæe, vicisti.*

Historia Iouiani.

IV. *Fl. Iouianus* succedit anno 364. facitque pacem cum Persis necessariam magis quàm honestam. Dictus est *Paris Disparis*: & de ipso hoc dicterium vsurpatum, Quanta est longitudo & profunditas, tanta est stultitia. Fuit tamen piâ liberalitate aduersus Ecclesiam.

Historia Valentiniani Primi.

V. *Fl. Valentinianus Primus* fit Imperator anno 364. vir infectus vitiis: consortem Imperij facit Fl. Valentem fratrem. Horum Imperatorum extat edictum de non ferendis monachis ignauis. Hîc Saxonum prima fit mentio. Academia *Cantabrigiensis* à rege Hispaniæ Cantabro fuit instituta. Florent Basilius Magnus, duo Gregorij (Nazianzenus & Nyssenus) & Epiphanius. Valens fuit Arrianus, & sic grassatus est persecutionibus, vt nec in gentilium persecutionibus simile quippiam legatur. Tandem à Gothis in casulâ combustus est. De hoc Imperatore meritò vsurpaueris illud Hieronymi aduersus Luciferianos: *Ingemuit totus orbis, & se Arrianum esse miratus est.*

Historia Gratiani & Valentiniani.

VI. & VII. *Fl. Gratianus & Fl. Valentinianus Secundus seu iunior*, fratres, imperant à morte patris Valentiniani anno 375. & Gratianus quidem præceptore vsus Ausonio, parcus fuit cibi somnique, & vini ac libidinis victor: professus est symbolum Nicenū, & Ambrosio episcopo Mediolanēsi familiariter vsus est. Valentinianus autem factus fuit Arrianus. Vterq; miserè periit.

Historia Theodosij.

VIII. *Fl. Theodosius I.* cognomento Magnus, Maior & Senior, fit Imperator anno 379. Fuit victoriosissimus & Christianissimus. Eugenium & Arbogastum Aggressurus in vexillis pinxit nomen CHRISTI, & cœlo pro se militante hostes ad internecionem vsque deleuit. Conuocauit Synodum Constantinopolitanam, quæ nominatur OEcumenica secunda, in quâ Niceno symbolo adiecta est confessio de Spiritu S. Hic Imperator ab Ambrosio fuit excommunicatus: quanquam non rectè. Chrysostomus, Hieronymus, & Augustinus, tres illi Atlantes inter Patres ecclesiasticos, florent.

II. *Seculum quintum N.T. habet sex titulos.*

Historia seculi quinti N. T.
Historia Arcadij & Honorij.

I. Mortuo Theodosio successerunt filij *Fl. Arcadius* in oriēte, & *Fl. Honorius* in occidente paulò ante annum 400. Atque hæc est secunda Romani Imperij diuisio. Arcadius constanter adhæsit symbolo Niceno: Honorius fuit socordis ingenij, vnde sub ipso Roma est capta ab Alarico duce Gothorum.

Historia Theodosij II.

II. *Fl. Theodosius II. siue Iunior*, succedit patri Arcadio in oriente anno 408. *Fl. Placidius Valentinianus III.* Honorio in occidente anno 425. Pietas Theodosij tanta fuit, vt regia ipsius monasterium putaretur, optimis munitum ac constitutum legibus, non aula vitiorum sentina. Fuit eruditissimus, idémque piissimus: sed mollior ad res gerendas, & facilior in subscribendis literis non lectis. Concilium Ephesinum, quod est tertium OEcumenicum, authoritate Theodosij conuocatum est; in quo Nestorius duas in Christo fingens personas, damnatus est præside Cyrillo. Indicta est sedecim annis pòst altera synodus Ephesi, sed infelix: quæ dicitur Lestrica; in quâ Eutycles vnam naturam in Christo fingens, obtinuit vt episcopi coacti subscriberent suo dogmati. Moses Cretensis hoc tempore vixit. Valentinianus, magiâ & adulteriis contaminatus, fuit inter vltimos Imperatores occidentis: sub quo quicquid Imperij in occidente erat reliquum, id per barbararum gentium & piratarum infusionem dilaceratum fuit. Nam Gensericus Vandalorum rex Arrianus magnam crudelitatem in Christianos exercet, & regem Hunnorum Attilam, qui orbis Imperio inhiabat, fœdere sibi iungit. Et hi duo quinquies centenis millibus collectis plerasque Romanorum prouincias depopulantur: vnde episcopus quidam Galliæ ita salutauit Attilam: *Saluum te aduenisse gaudeo: quem iudico flagellum esse Domini & Dei mei, missum ad castigandos populos.* Interea temporis Aëtius Theodoricum Gothorum regem fœdere cum Romanis coniunxit, & cum Attilâ prælium commisit. Nunquam duos maiores exercitus inter se oppositos fuisse, est in historiis. Pugnatum est vtrinque acerrimè ab horâ nonâ diei, totâque nocte vsque ad sequentem diem, & ceciderunt centum & octoginta millia fortissimorum militum. Attila tum profligatus vires, reparat, & Galliâ itemque Italiâ captis Romam contendit hostili animo; quem Leo Papa & senatus supplices flectunt, quòd vidisset in somniis episcopo Leoni senem astare specie supra humanam terribili, minitantem ipsi mortem, nisi supplicibus parceret. Aëtius, qui Attilæ terror fuerat, à Valentiniano interficitur: de quo quidam interrogatus ab Imperatore, an existimaret iustè interfectum esse Aëtium? respondit: Nescio sanè an iustè eum interfeceris: hoc scio, te dextram tuam sinistrâ præcidisse. Et sanè cum Aëtio pariter Imperij occidentis salus occubuit. Nam Gensericus Româ occupatâ 14. dies direptioni tribuit. Ita 44. annorum spatio bis capta est Roma; primùm à rege Gothico Alarico; postea à rege Vandalico Genserico. Augustulus fuit vltimus Imperator Italicus. Postea Exarchi Rauennæ (perperam Hexarchi) partem Italiæ rexerunt, quorum primus fuit Longinus. Illorum numerantur 15, quibus tributa fuit appellatio V. C. id est, virorum clarissimorum. Longobardicum etiam regnum in Italiâ incipit, quod Carolus M. tandem deleuit. Vrbs Venetiarum tempore Attilæ condita in sinu Adriatico, quòd homines putarent, se in aquis tutos fore à bellis Attilæ. Hæc vrbs ita creuit, vt multis ab hinc seculis vnica vrbium regina in toto orbe clueat, victrix multarum insularum & vrbium variis bellis vexata, nunquam superata, vnde prouerbium: *Venetia adhuc virgo.*

III. *Fl. Martianus* succedit Theodosio anno 450. ad orientem solem, Imperator pacis studiosissimus. Hic contra Eutychianos conuocauit quartum Concilium OEcumenicum, videl. Chalcedonense, cui interfuerunt episcopi 630. triplo plures quàm synodo Nicenę. Non tamen potuit extingui virus Eutychianum; quod postea hæsit multis seculis in Ecclesiâ, donec Asiaticæ Ecclesiæ funditùs deletæ sunt furore Mahometis.

IV. *Fl. Leo Magnus, seu I. qui & Thrax*, succedit Martiano anno 457. De hoc æmuli dixerunt: *Deuoremus nos Leonem potiùs, quàm ipse de nobis prandium instruat.* Primus hic à patriachâ Constantinopolitano coronatus est; quod exemplum secuti: sunt postea aliqui ex sequentibus. Imperatoribus Neque tamen coronatio ista Imperium dedit, sed tantùm fuit testimonium Christianismi, quem candidatus Imperij ample ctebatur: quam ob causam & professio doctrinæ petebatur ante coronationem. Hic princeps fuit iustus & vtilis Ecclesiæ. Habuit tamen suum Malchum, qui omnia ipsius est calumniatus. Sæpe habuit illud in ore: *Sicut sol cunctis, quæ illustrat, nonnihil caloris impertit. sic princeps debet misericordiâ dignari eos, quos contuetur.* Hilarius hoc tempore claret.

V. & VI. *Fl. Leo II.* qui & iunior & infans dicitur, consors Imperij factus est ab auo Leone primo, anno 474. Sed cùm valetudinarius esset, eod. anno, nouo pietatis exemplo. *Fl. Zenonem*, patrem suum manu suâ coronauit, & ita rebus humanis excessit. Zeno ille dicitur *Isauricus* à patria, homo deformis animo & corpore. In eius aulâ erant omnia venalia. Contra ipsum factus est Imperator *Basiliscus*, qui tamen fuit moribus nihilo melioribus, Zenone in exilium ire iusso. Vnde edicto tyrannico abrogans Concilium Chalcedonense; & Eutychianismum propagans effecit, vt Zeno extorris reuocaretur. Sub Basilisco (qui vnà cum suis periit fame ac frigore) incendium maximum Constantinopoli exortum absumpsit Bibliothecam, in quâ centum & viginti millia librorum reposita fuerunt, itemque intestinum Draconis, cui Ilias & Odissêa Homeri erant inscriptæ. Tandem Zeno cùm ob vitam corruptissimam omnibus exosus esset, etiam coniugi, ab illâ inebriatus pro mortuo in monumentum imperatorium coniectus est. Coniux ipsius Anastasium sibi matrimonio iungens, eum simul Imperio beauit anno 491.

III. *Seculum sextum N.T. sex habet titulos.*

I. *Fl. Anastasius Dicorus* Eutychianus, impius & persecutor, fit Imperator anno 491. & circa annum 500. excommunicatur à Papâ Symmacho. Vitalianus Constantinopolim obsidet: sed Proclus speculis causis ferreis comburit naues hostium.

stium. Episcopus quidam disertissimus vocatus ab Anastasio, & ad defectionem sollicitatus, chlamyde Imperatoris apprehensâ dixit: *Vestis nequaquam te sequetur post mortem ô Imperator, sed sola comitabitur pietas ac virtutum habitus.* Demetrius, Arrianorum episcopus, mutatâ formulâ baptismi baptizauit quendam his verbis. *Baptizo te in nomine Patris per Filium in Spiritu sancto*: sed aqua statim euanuit ad recitatam hanc formulam. Boetius hoc tempore floret. Anastasius fulmine ictus periit.

II. Fl. Anicius Iustinus, infimæ sortis homo, subulcus in iuuentâ, pòst faber lignarius, inde miles, fit Imperator anno 518. Hic primus coronatus est ab episcopo Romano. Hoc tempore vixit mulier formâ gigãtea: & Antiochia vrbs, cùm totum ferè annum tremuisset, terræ motu absorpta est. Priscianus & Festus, duo Grammaticorum lumina, florent. Theodoricus Veronensis Italiæ rex, Arrianismo inficitur.

III. Fl. Anicius Iustinianus, Iustini è sororore nepos, declaratus ab eodem Imperatore, succedit anno 527. Hic Imperii Romani veterem gloriam postliminio restituere & amplificare conatus est. Fuit illiteratus, sed orthodoxus: vnde quintam synodum OEcumenicam, quæ est Constantinopolitana secunda; contra Arrianos, Nestorianos, & Eutychianos indixit: in quâ etiam festum natiuitatis Christi est institutum. Templum Sophiæ magnificentissimum condidit in honorem Christi, qui est sapientia Patris. Fuit tamen auaritiæ labe contaminatus, vt & ipsius vxor Theodora. Ipse bellis non interfuit, sed plurima per duces gessit, in quibus eminet Bellisarius; cui cùm triumphum Iustinianus decreuisset, spargi in vulgus numisma iussit, cui inscripta erant hæc verba: *Bellisarius decus Romanorum.* Hic premente inuidiâ deiectus de gradu dignitatis, & exoculatus ab Imperatore, in Sophiæ templo panem quotidie mendicare coactus est, frequenter ingeminans hæc verba: *Date panem Bellisario, quem virtus extulit, inuidia depressit.* Ei successit Narses in Italiâ, qui Gothicam gentem inde prorsus expulit. Basilius creatur vltimus consul Romanus. Præcipuum opus Iustiniani est legum ciuilium collectio. Nam leges Romanas prolixè diffusas in quatuor classes redegit, hoc modo. Veterum magistratuum & ICtorum leges, quæ vsque ad 2000. librorum extensæ erant, in 50. libros digessit, qui Digestorum seu Pandectarum vocabulo appellantur: deinde omnes principum constitutiones, quæ in multis voluminibus habebantur, intra 12. libros coarctauit, quos appellauit Codicem Iustiniani, contractis Gregoriano, Hermogeniano & Theodosiano in vnum. Tum libros institutionum quatuor, epitomen iuris, componi curauit. Et denique nouas leges, partim suas, partim proximorum prædecessorum in vnum volumen redactas Nouellas nuncupari sanxit; quibus hodie aliorum Imperatorum constitutiones accedunt, quæ & ipsæ vocantur Nouellæ & Authenticæ. Vsus autem est operâ præstantissimorum ICtorum, inprimis Triboniani, quem auarum & paganum fuisse, est in historiis.

IV. Fl. Iustinus iunior siue minor & secundus, Iustiniani nepos, succedit anno 565. Exarchi circa hoc tempus in Italiâ eâ erant authoritate, vt Pontificem Romanum creatum confirmarent. Sed paulatim se extulit potentia Pontificum; qui gustatâ dulcedine Imperii politici omnipotentiam quandam pepererũt; quâ voce vtuntur assentatores curiæ Romanæ.

V. Fl Tiberius Secundus, cognomine Constantinus, succedit anno 578. cooptatus à Iustino: princeps gloriosissimus & victoriosissimus, & vno verbo Princeps. Eleemosynam vocauit thesaurum inexhaustum, & Mauritium ducem generum sibi asciuit, fecitque Imperatorem, prolatis inter alia his verbis: *Tu Mauri fac mihi pulcherrimum epitaphium, & sepulchrum meum exorna virtutibus.*

VI. Fl. Tiberius Mauritius, succedit anno 586. auarissimus, sed cætera pius & victoriosus. Vnde dixerunt, pietatem & imperij maiestatem adfuisse apparatui nuptiarum eius, & satellitio decentissimo ipsum stipantes, dona ei honorificentissimè obtulisse. Sed auaritiâ suâ omnium fermè odia, & coniurationem militum aduersus se concitauit, adeò quidem, vt milites Phocam coronauerint Imperatorem, qui in conspectu Mauritij liberos & vxorem ipsius occidit, & vltimò ipsum Mauritium, qui hanc vnam vocem sonuit: *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.*

IV. *Seculum septimum N. T. complectitur titulos quinque.*

I. Fl Phocas anno 602. ab exercitu imperator proclamatur: homo deformis, crudelis, libidinosus, & vinosus. Vnde populi illa vox: *Vinum bibisti, rursus mentem amisisti.* Insultauit Imperio, illúdque in extremitate nouaculæ constituit. Laudat tamen Phocam Gregorius Magnus episcopus Romanus. Sed laudat odio Mauritij, qui Constantinopolitanum patriarcham Iohannem passus fuerat, se nominare episcopum OEcumenicum: quod nomen à Phocâ concessum est Bonifacio III. successori Gregorij. Sub hoc enim Concilium Romæ fuit habitum, in quo promulgatum est priuilegium Phocæ de primatu Ecclesiæ Romanæ. Tandem hic tyrannus & parens Antichristi occidentalis ab Heraclio miserè est trucidatus, quippe in boue crematus.

II. Fl. Heraclius anno 610. succedit, sub quo Persæ & Saraceni crudeliter grassantur in oriente. Heraclius tamen Persas feliciter fudit, fugato ipsorum rege Cosroë, qui scripserat ad Imperatorem, se nunquam quieturum, nisi Christiani Iesu Nazareni crucifixi religione abnegatâ secum Solem adorarent. Ille Cosroës fecit simulacrum, quod eius effigiem tanquam in cœlo sedentis referebat. Circum erant Sol, Luna & reliqua astra, quibus ille, tanquam diis, seruiebat, circumstantibus sibi angelis sceptrigeris, & machinis paratis, quæ ex eo loco guttas instar pluuiæ demitterent. Cæterum Heraclius Monotheletarum errore, & incestu se polluit. Saraceni seu Arabes ob stipendia non persoluta ab Heraclio deficerunt à Romanis, & duce Mahomete peculiare regnum condiderunt. Atque hic Mahomet est alter Antichristus, videl. orientalis, qui paulò post primum natus est anno 622. vnde Turci numerant annos Hegiræ. Primordia Mahometi fuerunt humillima, successus felicissimi, adeò quidem, vt nullum Imperium legatur in historiis, quod tam citò fuerit dilatatum. Etsi enim Alexander M. instar fulguris celerrimo volatu percurrit Asiam & Ægyptum: tamen potentia eius non fuit stabilis. Tres autem sunt nerui regni Mahometici, Doctrina legis naturæ conflata ex Iudaismo & Christianismo, Ceremoniæ plausibiles, & Militia seuerissima. Historia Heraclij.

III. Heraclio succedit anno 642 filius *Constantinus Fl. Heraclius, seu Constantinus III.* qui coronam imperatoriam cum patre sepultam effodit, quæ æstimata fuit 70. libris auri. Sed mense quarto à nouercâ fuit veneno sublatus. Eodem anno *Fl. Heraclionas*, decennis vnà cum matre Martinâ solium sibi vendicauit: sed mense sexto illi quidem nates præcisæ, huic lingua resecta, & ambo in Cappadociam relegati sunt. Hoc tempore totus fermè oriens furuo velut pallio obductus est à Saracenis, ita vt finem mundi instare existimauerint. Eodem anno succedit *Fl. Constans II.* Constantini filius Monotheleta seu Vniuoluntarius: & quia Monotheleta, crudelis. Nam fratrem Theodosium & multos sanctos partim interemit, partim exagitauit, eò quòd non approbarent Typum, qui erat formula concordiæ à Monotheletis excogitata. Cùm Saraceni pacti essent inducias cum Romanis, perrexit in Italiam, iactitans se Imperium iterum eò translaturum, quod plus honoris matribus, quàm filiabus debeatur. Verùm enimverò intra paucissimos dies plus ornamentorum vrbi detraxit, quàm Barbari infusi per tot annos. Postea interfectus est in Siciliâ, quam Saraceni post mortem eius ingressi, vastam ibi stragem ediderunt, & prædam omnem ex vrbe Româ ablatam secum asportarunt. Tempore Heraclij floruit Papa dictus à Deodatus, item Deusdedit. Historia Constantini III. Heracliona, & Constantis.

IV. Fl. Constantinus Quartus, cognomine Pogonatus seu Barbatus, succedit patri Constanti anno 669. Hic domuit Saracenos sibi permolestos, partim classe ipsorum Græco igne tum inuento exustâ, partim triginta millibus ipsorum cæsis: vnde illi pacem petierunt, quæ scriptis tabulis in 30. annos firmata est, hâc lege, vt Arabes Imperio Romano quotannis 3000. aureorum, seruos 50. & totidem equos eximios tributi nomine penderent. Hæc pax dicitur altera porta calamitatum orientis. Pace istâ cognitâ cæteri hostes ad occidentem pacem ab Imperatore petierunt & impetrarunt. Ita oriente & occidente pacatis Constantinus, cùm orthodoxus esset, conuocauit Concilium Constantinopolitanum tertium, quod est OEcumenicum sextum, vbi Monotheletæ anathemate sunt notati, inter quos etiam fuit Honorius Papa. Concilium istud aliâs dicitur Trullanum. Hunc Imperatorem Leo Secundus Papa vocat regem magnum, à Deo coronatum, seque famulum ipsius dicit, & petram Ecclesiæ Christum fatetur. Bulgari è Moscouiâ primum progressi, coëgerunt Imperatorem, vt pacem cum iis faceret, iusto tributo annuo cum dedecore Romani Imperij persoluto, & concessâ iis ad habitandum Mysiâ. Ante hæc tempora circa annum 666. episcopus Romanus planè fit sui iuris; vnde Lutherus & alij statuunt, hoc tempore impletum esse numerum mysticum bestiæ, *Apoc.* 13. Historia Constantini IV.

V. Fl. Iustinianus Secundus, adolescens succedit patri Constantino anno 685: homo crudelis, impudens & impius. Rupit enim fœdus cum Bulgaris & Saracenis à patre factum. Propriis consiliis omnia administrauit. Consiliarios nullos habuit, nisi Gorgones, id est tales, qui terrerent accedentes ad Imperatorem. Primus etiam Papæ Constantino pedes osculatus est. Tandem *Fl. Leo IV. qui & Leontius*, ipsius dux, illum naso truncatum relegat, & fit Augustus: quem postea *Fl. Tiberius Absimarus* naribus truncatis monasterio includit & rerum potitur. Tunc Saraceni tertiam orbis partem Africam occupant. Iustinianus Imperio restitutus Leontium, & Absimarum supplicio afficit, & redit ad ingenium, suâque crudelitate efficit, vt exauthoratus occidatur à Philippico. Beda venerabilis hoc tempore floret. Historia Iustiniani II.

Hiſtoria ſeculi VIII. N.T.

V. *Seculum octauum N.T. habet titulos ſeptem.*

Hiſtoria Philippici.

I. Fl. Philippicus Bardanes, interfector Iuſtiniani, fit Imperator anno 711 homo ſiniſtro planè ingenio & Monotheleta, qui Concilij OEcumenici VI decreta reſcidit. Non tamen rectè à Conſtantino Papâ fuit excommunicatus; tum quia rectè remouit ſtatuas ſanctorum ex templis; tum quia ob hæreſin vel tyrannidem non ſtatim loco mouere licet magiſtratum, vt exemplo Saulis & Imperatorum Romanorum conſtat; cùm Chriſtus & Apoſtoli his & tributa penderint, & obediendum eſſe docuerint.

Hiſtoria Arthemij.

II Fl. Anaſtaſius Secundus, qui & Arthemius, ſuccedit anno 713. doctiſſimus, ſed verſutiſſimus, ideóque breui exauthoratus Conſtantinus Papa conuocatâ ſynodo imagines non modò habendas in templis, ſed etiam ſummâ veneratione colendas primus decreuit: eâque occaſione deinceps inter Græcos & Latinos cœptum eſt acriter diſputari de vſu & cultu imaginum in templis.

Hiſtoria Theodoſij III.

III. Fl. Theodoſius III. publicorum vectigalium exactor, inuitus fit Imperator ab exercitu anno 714. ingenio facili & perbenigno præditus, & ob comitatem omnibus charus. Reſtituit imagines templorum, tandémque ceſſit Leoni in monachum raſus.

Hiſtoria Leonis V.

IV. Fl. Leo Quintus, cognomento Iſaurus, anno 716 ex obſcuriſſimo genere fit Imperator, & conuocat ſynodum contra iconolatriam: vnde ab inuidis dictus eſt Iconomachus & Theomachus. Patroni imaginum propugnant bello ſuum dogma, ſed fruſtrà. Gregorius Papa antiſynodum pro iconolatriâ conuocat, mille epiſcoporum, & totum ferme occidentem à Leonis obedientiâ abalienat. Saraceni biennium obſident Conſtantinopolin, ſed obſident tantùm.

Hiſtoria Conſtantini Copronymi.

V. Fl. Conſtantinus Quintus, Copronymus dictus, quòd baptiſmum ſtercore fœdaſſet: ſuccedit patri Leoni anno 741. Fuit alter Iehu. Habitum monachorum rectè vocauit indumentum tenebrarum: interceſſiones mortuorum ficulneum folium: & contra iconolatriam conuocauit ſynodum Conſtantinopolitanam quartam, quæ nonnullis dicitur ſeptima OEcumenica; tametſi Nicena II. hoc titulo ab aliis inſignitur. Sed Papa Stephanus conuocauit antiſynodum. Hic imperator ab hiſtoricis iconolatris vocatur Antichriſtus, aſpis de ſerpentino ſemine, inſtrumentum Diaboli eximium, Saracenicus magus, & omnis impietatis mancipium.

Hiſtoria Leonis VI.

VI Fl. Leo ſextus, aliis *quartus* ſuccedit patri Conſtantino in regione & religione anno 775. Vxorem habuit Irenen, quæ ceu Athalia & Ieſebel altera remp. perturbauit.

Hiſtoria Conſtantini VI.

VII. Fl. Conſtantinus ſextus ſuccedit patri Leoni anno 780. Mater *Irene Auguſta*, quòd filius eſſet minorennis, adminiſtrauit Imperium, vel potiùs turbauit. Indixit ſynodum Nicenam ſecundam pro imaginibus, quæ nonnulli dicitur ſeptima OEcumenica. Nicephoro Conſtantini patruo, qui fuit homo viſcoſis manibus, & pecuniæ mancipium, ſumma rerum commiſſa eſt per ſeditionem militarem. Hic fuit à Conſtantino eluſcatus. Ipſe quoque Conſtantinus fuit exoculatus, ita vt verè cæco impetu omnia tum fierent.

Capvt XXIII.

De quarto articulo quartæ monarchiæ.

Præcepta.

Qvartus articulus quartæ monarchiæ eſt à Carolo M. vſque ad Carolum V. ſeu ab anno Chriſti 801. vſque ad 1519.

Tituli ſunt XXXXIX. iuxta numerum Imperatorum Germanicorum à Carolo M. vſque ad Carolum V.

1 2 3 4 5
Carolus, & Ludvvic, Lothar, Ludvvic, bene Caluus,
6 7 8 9 10
Balbus, Craſſus, & Arnolphus, Ludvvic, Thraſibulus,
11 12 13 14 15
Auceps, Ottones tres, Henricúſque ſecundus,
16 17 18 19 20
Cunrad, & Henrici tres, & Lotharius alter,
21 22 23 24 25
Cunrad, Barbaroſſa, Henrice, Otto, Friderice,
26 27 28 29 30
Cunrad, Richardus, Rudolphus, Adolphus & Albert,
31 32 33 34 35
Henric, Ludvvicus, Carlus, Vvenzlaë, Ruperte,
36 37 38 39
Sigmund, Albertus, Fridericus, Maxmilianus.

Hoc interuallum complectitur ſeptem ſecula N.T. videl. 9.10.11.12.13.14.15.

Regvlæ.

I. *Seculum N. T. nonum habet titulos octo.*

I. Carolus Magnus anno 801. 25. Decembr. ſalutatur Imperator in occidente. Et hoc tempore facta eſt tertia diuiſio Imperij, vbi facilè præpollent Imperatores occidentis, adeò quidem vt hiſtorici dicant, Fortunam deſertis Græcis Imperatoribus opes ſuas in occidentem effudiſſe. Dicitur autem Imperium hoc Romano-Germanicum; quia Carolus Magnus fuit Germanus, non autem Gallus, vt Bodinus diſputat. Nam Francones Germani ex Franconiâ progreſſi occuparunt eam Galliæ partem, quæ hodie dicitur Francia. In Franconicis autem illis excellebant Franci Salici, qui ad Salam fluuium habitarunt. Ex horum ſanguine deſcendit Pipinus rex Francorum, parens Caroli M. Pipinum iſtum Stephanus ſecundus Papa rogat, vt ſancto Petro pereunti opem ferat contra Longobardos, quod ille facit binis vicibus, & exarchatum accipit à Longobardis; quem vnà cum Pentapoli ſancto Petro poſſidendum concedit, & ſcribam iſtas donationes referre in tabulas iubet. Sed Pipinus eſt liberalis de alieno. Pipino vitâ functo ſucceſſit Carolus filius primò rex Francorum, deinde Imperator Romanorum; qui Gallos in ordinem redegit, Saracenos in Hiſpaniâ & Hunnos vicit, Bohemiam pacauit, Danos domuit, cum Saxonibus totos 33. annos belligerauit, Longobardos rogatu Adriani primi Papæ ex Italiâ eiecit, & vno verbo Imperium occidentale variè dilaceratum per incuriam Imperatorum Conſtantinopolitanorum redintegrauit; neque ſolùm nouum ipſi corpus formauit, ſed & animam inſpirauit, religionis propagatione & legum ſanctione, prouinciis pacatis & ampliatis. Coronatus autem eſt à Leone III. Papâ: ægrè id ſub initium ferente Nicephoro Imperatore Conſtatinopolitano, ſed tandem approbante; quod ipſum etiam fecit Michaël gener ipſius, ita vt tranſactio cœpta à Nicephoro confirmata ſit à Michaële, adeoq; Imperatores Conſtantinopolitani vltrò ceſſerint Imperio occidentali. Carolus M. inſtituit Academiam Pariſienſem conſilio Alcuini præceptoris ſui: vbi paulò antè Parlamentum quoque fuit inſtitutum. Origo poſtillarum, Grãmatica Germanica, nomina menſium & ventorum, inſtitutio plurimorum Epiſcopatuum, accepta feruntur huic Imperatori. Obiit Aquiſgrani. Hoc tempore cœpit regnum Anglorum, ſeu dynaſtia ipſorum quarta; item dynaſtia Poloniæ; quam adminiſtrarunt duces. Hîc obſerua ex Vvillichio ſuper Germaniam Taciti, Germanos ante & poſt Carolum M. Græcis literis Germanica ſcripſiſſe, ſed admodum rudibus. Itaque omnes rationes & acta Græcè vſque ad tempus Rudolphi Habſpurgenſis conſcripta ſunt. Tunc enim Germanica Latinis literarum elementis ſcribi cœperunt: vt ex vetuſtiſſimis rationibus adhuc reliquis colligi poteſt. Et Cæſar lib. 6. de bello Gallico author eſt, Gallos Græcis literis omnia ſua conſignaſſe, donec à Romanis ſubiugati literas ipſorum vſurparint.

II. Ludouicus I. cognomento Pius & Benignus, factus fuit conſors Imperij à parente Carolo, cui ſucceſſit anno 813. Hic fuit in Epiſcopos Romanos profuſior: & quemadmodum pater teſtamento Romam Metropolitanis ciuitatibus annumerauerat, ſic ipſam Romam à ſuâ iuriſdictione exemiſſe iûs Canonicum tradit: quanquam emunctæ naris hiſtorici ſuſpectum habent capitulum illud iuris Canonici. Et ſanè conſtat, Papam Paſchalem ſolicitè ſe excuſaſſe apud Ludouicum, quòd abſque eius conſenſu Pontificatum ſuſcepiſſet. Hic Imperator Scripturam ſacram in linguam Saxonicam conuerti curauit. Ex quatuor filiis ipſius duo à patre abalienati ſunt, videlicet Pipinus & Lotharius, quòd putarent, patrem non obſeruaſſe legem herciſcundæ hæreditatis. Hinc conſpirarunt aduerſus parentem, eum ceperunt & in vinculis detinuerunt; qui tamen ſexto pòſt menſe magno populi applauſu reſtitutus eſt.

III. Lotharius I. Ludouici filius ſuccedit anno 841. Bello cum fratribus ſedato, & tranſactione factâ Imperium & Italiam obtinet. Frater ipſius Ludouicus eſt primus Germaniæ rex, Carolus Galliam obtinet. Lothario imperante ſedem Papalem obtinet. Sergius III. dictus Os porci.

IV. Ludouicus II. Imperium accepit à patre Lothario in monachum raſo anno 856. Italiam vnam excoluit, & ſingulari curâ adminiſtrauit aduerſus varias impreſſiones. Hic vicit Slauos, & ad Chriſtianiſmum conuertit. Circa hæc tempora floruit Iuarus rus primus Daniæ rex. Tametſi enim Daniæ regnum ante Chriſti tempora natum perhibetur: temporum tamen ſeries non habetur vſque ad hunc Iuarum.

V. Carolus II. Caluus, Ludouici patruus, Lotharij frater, & rex Franciæ, contendit cum fratre natu maiore Ludouico Germaniæ

maniæ rege de Imperio, & ipsi præualet anno 886. Cum à Papâ vngeretur, Clerus ipsi acclamauit hunc in modum: *Nos vnanimiter, vos protectorem, dominum & defensorem omnium nostrùm eligimus, cui & libenter toto cordis affectu subdi gaudemus.*

VI. Ludouicus III. Balbus, succedit patri Carolo an. 878. veneno interfectus est Compendij.

VII. Carolus III. Crassus, Ludouici filius, anno 880. dissipatum Imperij corpus penè sine sanguine recollegit: sed regere ægrè potuit. Hæc & sequentia tempora comparantur cum statu Hierosolymæ, qui defletur in threnis Ieremiæ: vnde quidam tum temporis scripserunt threnos Germaniæ & Franciæ.

VIII. Arnolphus succedit anno 888. princeps egregius animi, sed spurius. Morbo Herodis (phtiriasi) tandem fuit extinctus. Otto qui in Galliâ regnabat tutorio nomine, liliorum insignia primus vsurpauit, cùm antea haberent irim florem siue auriflammam.

II. *Seculum decimum N.T. habet titulos sex.*

I. Ludouicus IV. Arnolphi filius, fit Imperator anno 900. In hoc desinit stirps Carolina. Academia Oxoniensis instituitur. Contra hunc Imperatorem in Italiâ à Pontifice salutatur Imperator Ludouicus Bosonius filius, qui postea exoculatus est à Berengario rege Longobardorum in Italiâ, qui etiam Imperatoris nomen vsurpauit, vnde dicitur Anticæsar. Vbi aliquis non sine causâ miretur, quid in mentem venerit Romanis episcopis, quòd Longobardorum gentem, quam antea fœtidam, à Diabolo procreatam, leprosam; vitáque nedum Imperio indignam, pronuntiarant, nunc ad summum fastigium euehere conati sunt, exclusis Francis, quos Christianissimos non sine suo commodo vocarunt.

II. Cunradus primus, dux Franconiæ, anno 911. nominatur Imperator ab Ottone duce Saxoniæ sene admodum, cui oblatum fuerat Imperium. Hîc iam planè desinit Francorum linea in catalogo Imperatorum.

III. Henricus I. Auceps siue Aucuparius, accepit Imperium anno 920. Sub hoc contigit translatio Imperij à Francis ad Saxones; quæ non facta est authoritate vel potestate Papæ, sed liberâ electione, quâ Cunradus I. moribundus huic Henrico Imperium resignauit. Et verò deriuatum est Imperium ad Saxones contra ingenium & voluntatem Pontificum, qui desultoriâ leuitate Longobardos quosdam inaugurauerant. Quid? Henricus Auceps oblatam à Papâ consecrationis & vnctionis ceremoniam respuit. Cæterùm hic Imperator omnium primus prouincias Germaniæ in Marchias descripsit, cùm ante eum Germania inde à Cæsaris tempore in pagos diuisa esset. Hæc autem vox Marchia non videtur esse Germanicæ originis, sed Græcæ. Tametsi enim Germanis limitaneam descriptionem notat: Græci tamen omnium primo habuerunt Nomarchias.

IV. Otto I. siue Magnus, Henrici filius, coronatur Aquisgrani anno 936. par parenti pietate, prudentiâ, & fortitudine, vnde versus:

Hunc habuit summum Saxonis ora virum.

Hic Bohemos rebelles ad officium redegit, Hungaros fugauit, Danos vicit, & ad Christianismum perduxit. Italiam ingressus Berengarium regno pellit: rogatu Papæ Iohannis 12. fundat varios Episcopatus in Germaniâ, inprimis Magdeburgicum. Italiam denuò ingressus Berengarium capit, & Iohanne 12. Papâ sceleratissimo in legitimo conuentu deposito, Leonem VIII. constituit, & Benedictum relegat. Confertur cum Trojano, Vespasiano, & Tito, vel potius iis præfertur. Hatto Episcopus Moguntinus hoc tempore à muribus corroditur.

V. Otto II. septennis succedit parenti anno 973. Appellatur pallida mors Saracenorum, quos in Apuliâ vicit. Henricum rixosum Bauariæ ducem, qui contra ipsum Cæsar erat electus, subegit. Ecclesiæ Paderbornensi auream donauit crucem, cui inscriptus est hic versiculus:

Auri sexcentas crux hæc habet aurea libras.

Confertur cum Adriano Imperatorum Italicorum lumine.

VI. Otto III. cognomento das Kind/ & postea dictus *Mirabilia mundi*, puer 10. annorum fit Imperator an. Chr. 984. Huc pertinet versus.

Otto, post Otto, regnauit tertius Otto.

Hic multa præclarè gessit in Italiâ & Germaniâ. Gregorium V. Papam constituit, & Iohannem Antipapam oculis priuauit. Hic Imperator creditur instituisse 7. Electores: etsi alij autument à Carolo M. istud collegium electorale fuisse institutum, & ab hoc Ottone in vsum reuocatum: alij verò contrà disputent tempore Friderici II. Imperatoris, & Innocentij IV. Papæ nondum fuisse institutum illum ordinem. Res breuiter comprehendi potest his aphorismis. 1. Carolus M. iecit fundamentum huius instituti, quando totam Germaniam in 4. partes diuisit, videl. Bojos, Sueuos Francones, & Saxones; ad quas gentes tanquam capita reliquæ referuntur. 2. Idem Carolus Francones subesse voluit ecclesiastico principi. Ex Bojis postea Palatinus Elector est ortus: è Saxonibus Saxo, ex Sueuis Brandeburgicus. 3. Sub Ottone III qui factus est Imperator anno 984. fundamenta propiora huius sanctionis sunt posita; sed neque numerus Electorum, nec distinctæ ipsorum familiæ, & similia sunt definita. Nam vsque ad Rudolphum I. alij etiam principes habuerunt ius suffragij in electione Imperatoris, & ante istum Rudolphum Bohemia ad Imperium non pertinuit. Sub Sueuorum quoque Imperio plures quàm 7. Electores fuerunt. 4. Post Fridericum II. numerus electorum magis ac magis est diminutus, donec Carolus IV. circa annum 1350. per auream bullam ad certas classes & familias senatum istum alligauit, legibúsque constrinxit. 5. Etsi Gregorij V. Papæ, qui vixit tempore Ottonis consensus ad illam rem accesserit: præcipui tamen authores totius negotij fuerunt Imperator & Princeps Imperij. Malè igitur Romanus Pontifex habetur pro supremo Imperij dispensatore, ita vt sit eius feudum, quod possit à Germanis ad Hispanos transferre.

III. *Seculum vndecimum N. T. quatuor habet titulos.*

Historia vndecimi seculi N. T.

Historia Henrici II.

I. Henricus Secundus Bauarus, cognomine Claudus, Pius, Humilis, & Sanctus, anno 1002. ab Electoribus fit Imperator, princeps victoriosissimus & religiosissimus. In annum Christi 1000. collocatur initium regni Polonici. Tunc enim Boleslaus M. ab Ottone M. fertur rex creatus. Stephanus quoque rex Hungariæ est factus hoc ipso anno, cuius pater Gaiza fuit primus Christiani nominis dux in Hungariâ. Landgrauij quoque Thuringiæ & Hassiæ circa hoc tempus incipiunt.

II. Cunradus II. dux Franconiæ, fit Imperator anno 1024. dictus est Salicus à gente Francicâ, quæ Salica appellatur. Fuit ortus ex Gibellinis, qui fuerunt Franci, & capitali odio prosecuti sunt Guelphos, qui fuerunt Sueui; quæ duæ antiquissimæ familiæ in Italiâ postea latissimè sparserunt discordiarum semina. A Guelphis continuâ serie descendunt duces Brunsvicenses & Luneburgenses. Cæterùm à Cunrado Secundo continuus ordo Electorum deduci potest. Historia Cunradi II.

III. Henricus tertius, Niger, à parente Cunrado declaratus Imperator succedit anno 1039. Romæ abdicauit schismaticos & adulterinos Pontifices, & alios substituit per interualla. Vnde liquet, vetus illud interdictum de non creando Pontifice absque Cæsaris voluntate, tum temporis adhuc fuisse sartum tectum. Victorem etiam Papam ad se in Saxoniam euocauit. Cum hoc Henrico concidit potentia Romani Imperij per Carolum M. instaurata. Epitasis quoque Ecclesiæ ad catastrophen tragicam inclinauit, donec per Euangelium postliminio reuocata suisque natalibus restituta est: vnde multa id temporis ostenta, prodigia, & spectra sunt visa. Historia Henrici III.

IV Henricus Quartus, coronatur quadrimus à Patre Henrico III. capessit habenas anno 1056. Papam constituit Nicolaum secundum, qui sanxit Pontificem eligendum à Cardinalibus, debito tamen Imperatoris honore saluo. Gregorius VII. qui antea dicebatur Hildebrandus inconsulto Cæsare fuit electus: sed cùm se subiiceret arbitrio Cæsaris & Principum, ab eodem fuit confirmatus. Ab hoc ipso Pontifice maiestas imperatoria pedibus est conculcata. Nam primus inter pontifices Imperatorem excommunicauit, & potestatem Imperatoris constituendi sibi arrogauit. Primus etiam decretum de cœlibatu Clericorum promulgauit: quo diuulgato, pro Antichristo propalam est habitus. Interea temporis Henricus pace cum Saxonibus ruptâ, à se abalienat animos principum, & apud Pontificem defertur, quòd per Simoniam præfecturas Ecclesiasticas diuendat. Hoc igitur nomine excommunicatur à Papâ: quo fulmine conterritus pergit Romam, vbi sine calceis sæuiente hyeme ieiunus vsque ad vesperam responsum Pontificis expectat: quo non reddito, idem secundo & tertio die facit. Quarto demum Gregorius in conspectum admittit, atque Henricum ad pedes projectum ac misericordiam pontificiam implorantem, anathemate liberat. Hoc Pontificis & Cæsaris factum ægrè ferentes Germani, Henricum deponunt, & contra ipsum eligunt Rudolphum Sueuum, quem confirmat Papa misso diademate cum hâc inscriptione: Historia Henrici IV.

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho

Cum isto Rudolpho Henricus grauissimum prælium init, ipsum interficit, Italiam rursus ingreditur, & de voluntate Episcoporum Gregorium in summas angustias redigit, vrbem expugnat, Capitolium occupat, sed tamen Gregorium, qui se in arcem receperat, non potest capere. Constituit interim Antipapam Clementem. Reuerso Henrico in Germaniam Anticæsar fit Hermannus Lützelburgius. Moritur Gregorius, cui Victor tertius succedit, & huic Vrbanus secundus, qui Cunradum filium Henrici declarat regem Italiæ aduersus patrem: Suadet item, an imperat, & imperat primum bellum sacrum, quod dicitur *Expeditio Cruciata*, in quâ Christiani expugnatâ Hierosolymâ primum inibi re-

gem creant Godeſridum Bulionéum, ducem Lotharingiæ. Tandem Henrico diadema eripitur à Germanis, & imponitur filio ipſius Henrico V. qui infandâ impietate tanquam alter Abſalon parentem ab Imperio remotum tractat. Nam comprehenſum in prælio exulare cogit, ita quidem vt ille ab Epiſcopo Spirenſi victum ſibi dari petierit, & rogauerit clericatum in æde ad Spiram a ſe conſtructâ, quod cùm non impetraret, ad aſtantes dixit: *Miſeremini mei vos ſaltem amici mei, quia manus Domini tetigit me.* Hunc Imperatorem alij accuſant, alij excuſant: nos mediam viam ingredi iubet anima hiſtoriæ, quæ eſt veritas.

Hiſtoria duodecimi ſeculi N. T.

IV. *Seculum duodecimum Nou. Teſt. habet titulos quinque.*

Hiſtoria Henrici V.

I. Henricus V. ſuccedit patri anno 1106. Italiam ingreditur, & Romam veniens à Papâ Paſchali primo ſollicitatur, vt iuri ſuo renunciet in Epiſcopatibus & Abbatiis conferendis: Sed Imperator recuſat & Papam refractarium ad officium cogit prælio in vrbe commiſſo. Egreſſum ex Italiâ Pontifex excommunicat, & magnas dat in Germaniâ turbas. Tandem in conuentu Vvormatienſi conſulturus paci Imperij, Eccleſiarum collationi renunciat in perpetuum, maximâ humilitate ac tabulis ſcriptis ſacramentum concipit, ita cedens furiis Romanis, & priuilegium de inueſtituris ſacris ratum habens. Ab eo tempore inter Eccleſiaſtica ſeu ſpiritualia & regalia diſtinctum eſt, & definitum ex tripode Apollinis Romani, Imperatorem Papæ ſubeſſe, non præeſſe debere. Hinc Theodorus Abbas meritò exclamat hæc in verba: *Romæ regnat Simon Magus loco Simonis Petri, & Simonia loco Euangelij.* Bernhardus, qui dicitur doctor mellifluus, hoc corruptiſſimo ſeculo floret.

Hiſtoria Lotharij II.

II. Lotharius II. Saxo variis competitoribus præfertur anno 1125. Confertur cum Carolo Magno ob militiam armatam & togatam. In Italiam cum exercitu progreſſus, Papam Innocentium eiectum reſtituit, à quo coronatur. Poſtliminio reſtituit ius Romanum, & lege ſanxit, vt ius Romanum in ſcholis doceretur, & ex vno illo poſthac iudicia fierent, cùm ante hoc tempus alij Longobardicâ, alij Salicâ, alij Romana lege vterentur. Lotharij iuſtitiam in Galliâ æmulatus eſt diuus Ludouicus rex, rigidiſſimus Iuſtitiæ ſatelles, cuius hieroglyphicum erat illud pſalmi 106. *Beati qui faciunt iuſtitiam.* Frequenter dicere quoque ſolebat: *De noxiis ſupplicium non ſumere ſæuitiæ magis, quàm miſericordiæ nomen meretur.* Dux Sueuiæ Cunradus contra Lotharium ſe aſſerit regem; qui vnà cum fratre Friderico Imperium, hæreditario prope iure ad ſe traxerat, tum quia hi duo fratres ex ſorore Henrici nati erant, tum quia inſignia Imperatoria penes ſe obtinebant. Sed vtrumque feliciter repreſſit Lotharius. *David al David* pſeudomeſſias hoc tempore decollatur à rege Perſarum, & ſeder olam, id eſt, Chronologia Iudaica concinnatur.

Hiſtoria Cunradi III.

III. Cunradus III. Sueuiæ dux, eligitur Imperator anno 1138. Huius electioni contradicit Henricus Bauarus gener Lotharij: ſed proſcriptus ab Imperatore, mœrore animi extinguitur. Hic Cunradus bellum ſacrum mouet ſecundum, Eugenio crucem indicente, exemplo Vrbani, & Bernhardo ſummâ orationis contentione idem vrgente. Habebat Cunradus ducenta millia pedeſtris & equeſtris militiæ, inter quæ erant Amazones Germaniæ. Sed infelix fuit hoc prælium Gog & Magog, quòd Aſiatici, ſiue iuſſu Imperatoris Græci, ſiue odio nationis, ſiue inuidiâ laudis adducti, exercitum partim pane gypſato, partim inediâ, partim locorum aſperitate frangerent. Ludouicus rex Franciæ eodem, quo Cunradus itinere, mouit præliis aliquot ſecundis factis. Naualis etiam Germanorum exercitus Saracenorum bonam partem ex Hiſpaniâ profligauit. Tandem Cunradus maximam & firmiſſimam exercitus ſui partem variis incommodis abſumptam cauſatus domum rediit, & ita Ludouicus ſolus relictus, ne ipſe quidem quicquam operæpretium fecit.

Hiſtoria Friderici Barbaroſſæ.

IV. Fridericus I. Ænobardus, ſeu Barbaroſſa, Cunradi è fratre nepos, eligitur Imperator anno 1152. Fuit heroicâ virtute, & intellectuali & morali præditus. Ius feudale diſperſum & vagum primus ſcripto ordinario conſtituit. Eius eſt conſtitutio de pace tenendâ, & eius violatoribus, ſiue de Treugâ, in quâ etiam ſuſpendium furum confirmatur. Eiuſdem eſt nobiliſſima conſtitutio de pace conſtantiæ; quæ appellatur vinculum, neruus, & murus aheneus Romani Imperij. Sed in virtute togatâ huius Imperatoris cogitandum eſt illud Saluſtij: *De Carthagine præſtat ſilere quàm pauca dicere.* Virtus ſagata recitari poteſt ſecundùm tres actus. Nam primò ſex expeditiones in Italiam ſuſcepit: vbi in ſecundâ induxit aratrum Mediolano, ſexta verò peſſimè cecidit. Cùm enim antehac Adrianus IV. (qui muſcâ eſt ſuffocatus aquâ hauſtâ) bonum Imperatorem exagitaſſet, multifariam prætendendo ius protimiſeos ſuæ, & faſtu ſuo confirmaſſet, Eccleſiam Romanam eſſe nouercam, tandem ſucceſſit Alexander tertius, qui principes & ciuitates ab Imperatore abalienauit, & illum ita fractum Venetiis abiecit ad pedes ſuos, vbi pedem collo Imperatoris impoſuit, & acclamari iuſſit: *Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis.* Cùm verò Imperator diceret: *Non tibi, ſed Petro*; reſpondit Pontifex: *Et mihi & Petro.* Secundus actus hic: Imperator optimus totam Germaniam pacauit, Bohemorum ducem creauit regem, Marchionem Auſtriæ (quam ſolitus fuit appellare cor & clypeum Romani imperij) fecit ducem. Tertius actus hic eſt. In terrâ ſanctâ vltimum vitæ ſuæ actum exegit. Cùm enim Saraceni regnum Hieroſolymitanum occupaſſent, Imperator ſe illis oppoſuit. Sed malè fuit tractatus ab Imperatore Conſtantinopolitano, qui ſe Imperatorem ſanctiſſimum, Fridericum aduocatum Romæ appellabat. Tandem tamen pace inter ipſos factâ, quadraginta millibus Turcarum oppoſuit ſexcentos milites & illos fugauit. Cùm natando ſe refrigerare vellet, vorticoſo amne abſorptus eſt. Ad initium huius Imperatoris referuntur Gratianus & Lombardus: è quibus ille compilauit decreta, primam partem iuris Canonici, cui poſtea acceſſit pars ſecunda, videl. decretales, eæque Gregorianæ, Bonifacianæ, Clementinæ, & Extrauagantes: hic verò compilauit quatuor libros ſententiarum; qui ſunt authentici apud ſcholaſticos, quorum tres ſunt ætates. Prima anno 1020. cœpit in Lanfranco, qui dicitur pater omnium ſcholaſticorum. Secunda ſeu media, anno 1220. quæ cœpit in Alberto Magno & Thomâ, qui dicitur taurus ſcholaſticorum. Tertia anno 1330. quæ cœpit in Durando, qui ſcripſit concordantias. Ex his ætatibus prima fuit purior quàm ſecunda, & ſecunda quàm tertia, quæ fuit re verâ deleteria.

V. Henricus Sextus, Friderici filius, dictus *Aſper*, ob ſeueritatem ſuccedit anno 1190. homo eloquens & amabilis, ſed libidini & venationibus plus ſatis deditus. Exercitum in Palæſtinam mittit, qui ſine fructu dilabitur. Ordo Teutonicus aduerſum Saracenos inſtituitur. Hæc tempora terris hominum flagitiis, diris populorum inimicitiis & infandis hæreſibus fuere infamia. Franciſcus & Dominicus florent. Curia Papalis fit mare, quò omnia flumina decurrunt, & tamen non redundant, MISSA quoque ſtabilitur. Hanc Carolus V. ſolitus fuit appellare ſuum cor.

V. *Seculum decimumtertium N. Teſtam. titulos habet ſex.*

I. Philippus III. frater Henrici VI. adminiſtrat Imperium anno 1200. Contra ipſum eligitur Otto IV. Henrici filius, quem confirmauit Papa, & Philippum excommunicauit, quòd ad nutum eius ſe componere nollet. Philippus tamen nouem annis imperat. Tum ipſi ſuccedit Otto; qui ipſe tamen excommunicatur à Papâ, quòd Pontificiæ ditionis quædam oppida cepiſſet. Coniux ipſius fuit Beatrix, cuius hoc credebatur epitaphium: *Filia formoſa, iam cinis, antè roſa.* Hoc tempore Liuonia & Pruſſia ad fidem Chriſti conuerſæ ſunt.

II. Fridericus II. dux Sueuiæ, nepos Friderici primi, contra Ottonem fit Imperator anno 1212 quo tempore Imperium Orientis ſcinditur in Conſtantinopolitanum & Adrianopolitanum. Fridericus fuit magnus virtute bellicâ & togatâ: ſed vtramque obſcurauit calliditas perfidia, & immenſa libido. Aliquoties obnoxius factus eſt diris Pontificiis. Papam appellauit Herodem, & Eccleſiaſticos dixit manducare eleemoſynas pauperum pinguefactos, dum mendicant veri Chriſtiani. In Palæſtinâ impeditur à Pontifice. Inquiſitio hæreticæ prauitatis hoc tempore fuit inſtituta: item Cardinalitius galerus, pallij redemptio, annatæ, decimæquintæ, & omnino taxa cancellariæ Apoſtolicæ fuit roborata.

III. & IV. Cunradus IV. deſignatus Imperator à patre Friderico, ſuccedit anno 1251. quamquam hoc tempore non tam fuit regnum quàm interregnum duo-de-viginti annorum. Nam aliquot competitores & riuales Imperij extiterunt; videlicet Henricus Thuringiæ Landgrauius Ludouici frater, cui ſancta Eliſabetha fuit nupta, tum ipſe Cunradus vexator populorum: & ipſius filius Cunradinus, quem vicit Carolus frater regis Galliæ, qui à Pontifice Clemente IV. vnctus eſt Imperator: qui duo iunctis operis Cunradinum generoſiſſimum & innocentem adoleſcentem è medio ſuſtulerunt, & in eo vetuſtiſſimam ſtirpem ducum Sueuiæ ſuſtulerunt. Nominatim Pontifex vſurpauit illud dictum: *Vita Cunradini mors Caroli; mors Cunradini vita Caroli.* Galli in Siciliâ circa hoc tempus pœnas dederunt immanis ſæuitiæ & præcocis libidinis ipſo die Paſchæ, cùm ad primum ſignum campanæ, quo recitari ſolent veſpertinæ preces, quæ dicuntur veſperæ, omnes propè Galli fuerunt trucidati à Siculis, vnde prouerbium: *Siculæ veſperæ.* Vvilhelmus Hollandiæ Comes fuit tertius Imperij competitor. Alphonſus rex Caſtellæ fuit quartus è competitorum numero, qui fertur decies quater perlegiſſe Biblia cum Commentariis. Tandem Richardus Anglus fuit Imperij riualis; qui pecuniâ Septemuiros corrupit, quâ deficiente & ipſe imperio excidit. Cæterùm ex his quinque corriualibus duo ſolùm putantur in ſerie Imperatorum, Cunradus & Richardus. Ptolemæus

hoc

hoc tempore capta est à Saracenis anno 1282. caput, ornamentum & decus totius Orientis, atque ita bellum sacium sortitum est tragicam catastrophen, & terra sancta pro derelictâ est habita. Vrbs illa conseruari potuisset, si absque odiis intestinis Gibellinarum & Guelphicarum partium fuisset: quarum illas mercatores Genuenses, has Pisani sequebantur in ipsâ vrbe.

V. Rudolphus I. Habsburgensis Comes, declaratur Imperator anno 1273. qui tanquam nouum sydus exoritur, quod generi humano pacem ceu lucem nouam reduxit: vnde cum Constantino Magno solet conferri. Hic Burgundicam & Austriacam familiam propagauit: Cathedralem Ecclesiam Argentinensem moliri cœpit. Noluit adire Italiam, narrans apologum de vulpe, quæ recusabat adire leonem in speluncâ ægrotantem.

VI. Adolphus Nassouicus, successit anno 1291. qui cùm putaretur bella gerere priuati tantùm commodi causâ, Imperij verò nullam habere curam, imperio exutus est à principibus anno 1298. & in locum eius Albertus Rudolphi filius surrogatus, qui manu suâ interfecit Adolphum in prælio.

VI. *Seculum decimumquartum N. T. habet titulos quinque.*

I. Albertus I. Austriacus factus Imperator anno 1298. sub initium seculi XIV. exarchatum Austriæ per coniugium acquirit. Bonifacius VIII. primum Iubilæum Romæ instituit. Hic Papa intrauit vt vulpes, regnauit vt leo, mortuus est vt canis. Huic Papæ Cancellarius Alberti adulaturus dixit: *Papa est causa mouens, Imperator exequens.* Epitaphium istius Papæ est:

Hic iacet ecce Nero, laicis mors, vipera clero.

Scaligeri hoc tempore occupant Veronam: Equites diui Iohannis Rhodum. Clemens V. sedem Romanam transfert in Gallias Auenionem, vbi hæsit annos 74. In annum Christi 1300. incidit Epocha Monarchiæ Ottomanicæ, Turcarum, authore Ottomanno, à quo Turcæ dicuntur Ottomannidæ, & ab hoc tempore oriens fuit moriens.

II. Henricus VII. cognomento Lützelburgicus, succedit anno 1308. Dictus est pater patriæ & Italiæ seruator. Adeò fuit deuotus, vt totas noctes ante crucifixum, quem secum ferebat, oraret & fleret, atque Eucharistiam quotidie sumeret: quâ occasione periit per Minoritam quendam Florentinum, qui hostiam venenatam ipsi præbuit. Vxor ipsius Margareta dicta est Eleemosynaria. Templarij in Synodo Viennensi damnati per totam Galliam vno die trucidati sunt; quòd ipsorum thesauri excrescerent in immensum, qui postea equitibus Rhodiis sunt assignati.

III. Ludouicus V. aliis IV. Bauarus, eligitur à quibusdam Cæsar anno 1314. Ab aliis fit Anticæsar *Fridericus Pulcher* Alberti Austriaci filius: ex quo dissidio bellum ciuile extitit, quod ann. 8. variâ fortunâ & euentu ancipiti fuit gestum, & vix præliis quinque tandem sopitum. Capto Friderico Ludouicus in Comitiis Francofurtensibus grauissimè disseruit de Imperij authoritate contra Pontificum insolentiam: & status Imperij concluserunt, Papæ nihil iuris esse in electione Imperatoris. Imperator etiam defenditur à Marsilio Patauino & Occamo, quorum hic excommunicatus à Papâ ad Imperatorem se recepit & dixit: *O mi Imperator, tu me gladio defende, ego te verbis & scriptis defendam.* Rex Galliæ & Angliæ Acheronte moto bellum funestum excitant. Canis Scaliger, cognomento Grandis, inter Gibellinos floret exulum hospes, & Musarum mœcenas: Nicolaus Lyra claret. Comitissa Hollandiæ parit tot liberos, quot sunt dies in anno. Academia Heidelbergensis à Ruperto II. fuit instituta.

IV. Carolus IV. Iohannis regis Bohemiæ filius, legitur Imperator anno 1346. Contra ipsum tres alij successiuè sunt electi. Ipse tandem tamen solus imperium obtinuit. Fuit homo multarum literarum & linguarum: fundauit academiam Pragensem constituit Auream bullam, quæ dicitur lex Carolina, vbi comprehendit leges ritúsque in electione Imperatoris seruandos. Sed valde fuit auarus: vnde dissipator & vitricus Imperij appellatur. Et historici primæ classis annotant, Carolum cum filio Vvenceslao totum imperium venditurus fuisse, modò emptorem inuenissent. In Italiâ florent Cæsarini, qui se Cæsari aduersus Vrsinos iunxêre. Archiepiscopus Coloniæ hoc tempore viuit in coniugio. Fœdus Hansaticarum ciuitatum pangitur. Cracouiensis academia fundatur. Bartholus & ipsius auditor Baldus, duo illi ocelli iurisprudentiæ, florent: quorum ille ad pondus comedit, vt haberet intellectum bene dispositum, iste præceptorem Bartholum vocauit Doctorellum.

V. Vvenceslaus I. Caroli filius, Rex Bohemiæ, succedit anno 1378. qui appellatur porcus spurcus, monstrum hominis, Sardanapalus, Thersithes, Margites, asinus denique ad lyram. Iocum & ludum putabat iugulare hominem ad mensam. Noribergensibus immunitates quasdam quatuor plaustris vini Rhenani vendidit. Bertholdum Suartz bombardarum inuentorem neci dedit. Hic Imperator bis fuit captus, sed fugâ elapsus recuperauit Imperium, quod ei tandem communi Electorum calculo fuit abrogatum. Crucigeri turbant Borussiam, Pomeraniam, & Liuoniam. Iagello Lithuanus vxorem ducit Hedvvigin reginam Poloniæ, & Lithuaniam Poloniæ adiungit. Hâc occasione Iagello baptizatus est vnà cum Lithuanis. Sed cùm immensi laboris esset singulos sacro fonte tingere, nobilioribus tantùm hic honos habitus, reliquum verò vulgus turmatim distributum & aquâ lustrali conspersum est, vnúmque nomen cuique turmætam mulierum quàm virorum est inditum. Ab hoc Iagellone incipit dynastia Polonorum, quæ dicitur Iagellonidarum.

VII. *Seculum decimumquintum N. T. habet titulos quinque.*

Historia decimi-quinti seculi N. T.

Historia Ruperti Palatini.

I. Rupertus Palatinus coronatur Imperator anno 1400. Hic propagauit quatuor Comitum Palatinorum familias, Heidelbergensem, Neuburgensem, Simmeranam, & Bipontinam. Bis in Italiam mouit, sed infeliciter. Tametsi enim ab Italis ægris euocaretur: non tamen ab illis adiutus fuit. Hinc Itali conferuntur ægro, qui medicum accersit, pòst venienti insultat, qui helleboro curandus est. Hic Imperator non nisi coactus bella gessit, memor illius Augusti Cæsaris: *Bellare est aureo hamo piscari, cuius semel amissi iactura nullâ vel lucrosissimâ piscium capturâ compensari queat.* Pœnas latrocinij & assassinij sumpsit de Episcopo Moguntino. Academia Lipsensis è ruinâ Pragensis ob dissidium Germanorum cum Bohemis est excitata. Italia hisce temporibus passim cœpit excutere iugum Imperij Germanici. Tamerlanes Tartarorum princeps quasi impetu fulminis subitâ vi occidentem versus florentissima regna inuasit, oppressit, corripuit: Vnde dictus fuit ferrum fortunatum. Et hic vicit Turcarum Imperatorem Bajazetem, qui ob celeritatem dictus est Lælaps.

Historia Sigismundi II.

II. Sigismundus II. Vvenceslai frater, fit Imperator anno 1411. Hungariâ potitus duos ac triginta regulos securi percutit: vnde illi tanta mox gentis inuidia conflata, vt necesse habuerit in Bohemiam fugere, quam non sine labore vix tandem obtinuit. Infelix admodum fuit in bellis (vnde Adrianopolis hoc tempore capta) sed excelluit pacis artibus. Adfuit enim illi liberalitas, ac munificentia, quanta in nullo antea principum, religionis ac pietatis augendæ studium incredibile, linguarum scientia, amor literarum & literatorum. Accusauit principes Germanos, quòd literas Latinas odissent: & triennium integrum peragrauit magnam Europæ partem, & principes atque Pontifices adhortatus est, vt schisma Christiano nomini calamitosissimum tollerent. Tres enim ad hoc tempus erant Pontifices, atque adeò Ecclesia Romanensis triceps. Concilium Constantiense fuit celebratum, vbi communio sub vtraque specie, & Vviclefi dogmata damnata. Iohannes Hus, item & Hieronymus Pragensis viuicomburio sunt sublati contra datam fidem & saluum conductum concessum ab Imperatore. Tunc temporis quoque sancitum est pessimum illud axioma: *Hæreticis fides non est seruanda*: quod pugnat cum naturâ, scripturâ, & iure gentium. Hanc synodum visitarunt Archiepiscopi & Episcopi 346. doctores 564. duces & nobiles sexcenti suprà mille, Academiæ 37. Deturbatis tribus Pontificibus eligitur Martinus in Concilio, per Cardinales: & Iohannes XXII. postulatur Simoniæ, schismatum, & scandalosæ vitæ. Ex hoc Concilio infinitæ turbæ sunt ortæ, & inprimis bellum Hussiticum; quod gessit Iohannes Zysca nobilis in aulâ Sigismundi enutritus, qui collectis Hussitarum copiis vndecim præliis victor nunquam consilio errauit, vnde cum Camillo confertur. Papa & Imperator totum Imperium armarunt in Bohemos, instructis tribus exercitibus, qui Panico terrore fugati sunt; quod quinquies factum est. Ita scilicet Sigismundus violati iurisiurandi pœnas luit, infelix in bellis Gog & Magog. Nam nouies Turcis arma intulit acceptis magnis intertrimentis: Et ab Hussitis ita tractatus est, vt rectè dicatur: *Clades ab Hussitis illatas esse pudendas Imperio, Papæ probrosas, piis verò admirandas.* Tandem cogitur Concilium Basiliense, vbi Eugenius Papa damnatus tanquam contumax, & præceptis Ecclesiæ vniuersalis inobediens, turbator pacis notorius, præsignis Simoniacus & schismaticus incorrigibilis, & decretum promulgatum, Concilium generale supra Papam habere potestatem.

Historia Alberti. II.

III. Albertus II. Sigismundi gener, succedit anno 1438. princeps verè Germanus, omníque liberali literaturâ imbutus, quâ tanquam magnete amoris cunctos sibi deuinxit. Sed tantùm fuit ostensus mundo, quippe qui biennio tantùm gessit augustus acroama. Dictus fuit Monarchus propter religionis studium. Hoc tempore Zigeuni ex Ægypto profugi Germaniæ primùm innotuerunt.

Historia, Friderici III.

IV. Fridericus III. Archidux Austriæ, Alberti propinquus anno 1440. succedit in Imperio, Romæ coronatus vnà cum vxore. Postea Romam versus suscepit profectionem votiuam humili veste ac comitatu, supplex factus Paulo secundo. Otio fuit natus magis, quam negotio. Contraxit matrimonium cum Leonorâ

Leonorâ Alphonsi Portugalliæ regis filia: vnde in vnam domum coaluerunt Austriaci & Hispani. Clades Varnensis in Hungariâ incidit in annum 1444. Hoc tempore anno 1440. ars typographica fuit primum publicata Moguntiæ, deinde Argentinam & Romam traducta. In Chinâ tamen aiunt diu antea cognitam fuisse, quemadmodum & bombardas. Anno 1453. 29. Maij Constantinopolis capta est a Mahomete, cùm durasset annos 1121. Nimirum Imperatores Græci, & in iis Constantinus, tantâ erant ignauiâ, vt nec Imperio, nec sibi essent vsui. Cœpit autem illa vrbs à Constantino M. & Gregorio patriarchâ, & desiit in Constantino Imperatore & Gregorio patriarchâ. Ciuitas triduum vexata fuit, stupra cædibus & cædes stupris additæ. Musæ tum ex Oriente in Occidentem, putà in Italiam concesserunt, indéque postea alpes transuolarunt in Germaniam. Mahomet ille appellatus est primus Turcarum Imperator, quòd vtrumque Imperium Constantinopolitanum & Trapezuntinum euertisset, & 12. regna suæ potestati subiecisset, & vrbes nominis Christiani occupasset ducentas. Tantâ fuit crudelitate, vt mors ipsius ipsis Turcis magnam lætitiam attulerit. Veneti classem suam seriùs emittentes à multis accusantur, quòd vrbem tantam non eripuerint è faucibus istius tyranni. Idem Mahomet Rhodum obsedit, sed irrito conatu. In Hungariam quoque & Apuliam expediuit arma. Carolus VIII. rex Galliæ inuitatus à Ludouico Sfortiâ in Italiam, incredibili celeritate regnum Neapolitanum occupat, tum quòd regni istius vt & Siciliæ hæreditatem ad se pertinere diceret, tum quòd Neapolitani pressi longâ & durâ tyrannide Ferdinandi & Alphonsi regum Hispaniæ, ipsum libentes volentes admitterent. Sed breui excidit illo regno, quòd omnes dignitates Gallis attribueret, qui nobilitatem indignè tractabant. Ita peruenit regnum Neapolitanum cum Siciliâ ad Ferdinandum Catholicum auum Caroli V. sic cognominatum, quòd Mauros supra septingentos annos Hispaniâ potitus exegisset. Hieronymus Sauanorola comburitur propter veritatis confessionem. Maximilianus filius Friderici eligitur rex Romanorum anno 1486. Hic ab infantiâ fuit balbus, postea euasit disertissimus & doctissimus, adeò quidem vt scripserit opus poëticum, de inuidiâ & curiositate, & portam honoris literis consignauerit, genealogias denique heroum primus inter germaniæ principes indagarit: De præceptore suo plagoso & spinoso dixit: *Si iam viueret præceptor meus, daret pœnas suæ futilitatis.* Duxit Mariam Caroli Burgundi filiam, & hâc occasione Burgundiam & Belgij partem accepit. Ex illâ coniuge suscepit Philippum, & Margaretham, quæ Carolo VIII. Gallorum regi fuit desponsata, à quo postea fuit fastidita. Cùm ipse Maximilianus agere vellet tutorem filij, omnes ferè prouinciæ, quas in dotem acceperat, ab eo alienatæ sunt, regis Galliæ subsidio fretæ. Hanc iniuriam cùm ille vlcisci vellet, Brugæ à subditis suis captus fuit. Tandem à patre Friderico fuit liberatus ope principum Imperij. Anno 1492. Ferdinandus Catholicus regnum Granatæ eripuit Mauris, qui Hispaniam infestabant.

Historia Maximiliani I. V. Maximilianus I. fit Cæsar anno 1493. Heluetiis bellum infert, sed pax tandem facta, Picus Mirandula floret, dictus Phœnix Italiæ.

CAPVT XXIV.

De Quinto articulo quartæ monarchiæ.

PRÆCEPTA.

QVintus articulus quartæ monarchiæ est à Carolo V. ad nostram vsque ætatem, id est, ab anno Christi 1519. vsque ad 1630.

Tituli eius sunt VI. iuxta numerum Impp. qui sunt:

Carlus (1), *Ferdnandus* (2), *pòst Maximus* (3), *Æmilianus*,
Rudolph (4); *Matthias* (5), *Ferdnandus deniq; Cæsar* (6).

Hoc interuallum complectitur duo secula: videlicet decimumsextum & decimumseptimum.

REGVLÆ.

Historia seculi decimisexti N.T. I. *Seculum XVI. N.T. habet titulos quinque.*

I. Sub initium huius seculi adhuc floret Maximilianus I. Sed epocha ipsius figitur in Carolo Quinto, sub quo cœpit reformatio. Nisi malis dicere, seculum hoc à natiuitate Caroli V. esse inchoandum, adeóque ab anno Christi 1500. Cæterùm ab isto anno 1500. vsque ad 1519. ista summatim geruntur. Maximilianus Venetos in summas redigit angustias. *Carolus V.* initio huius seculi natus est, cui Abbates ad baptisterium dono obtulerunt Vetus & N. Testamentum, cum hâc inscriptione: *Scrutamini scripturas.* In exordio huius seculi fundata est academia Vvittebergensis, itémque Francofurtensis. Lutherus, postquam anno ætatis 22. cœnobium ingressus esset anno Christi 105. annò ætatis 25. Vvitebergam ad Aristotelicam professionem accersitus, licentiam Theologicam sub Carolostadio adeptus est. Anno 1517. repurgationem Euangelij præcessit vallis Ioachimicæ vberrima fertilitas, cuius eteostichon est hoc: *EC Ce fLorent VaLLes CVM eVangeLIo.* Lutherus scribit contra indulgentias. Anno 1518. plurimi se opponunt Luthero, inprimis Eccius & Caietanus legatus Leonis decimi in diætis Augustanis sub Maximiliano. Leo citat Lutherum vt Romæ præstò sit: sed Lutherus resistit. Anno 1519. Maximilianus rebus humanis excessit, qui pheretrum secum per quinquennium & amplius in eum vsum circumduxit vt mortis meminisset. De hoc imperatore scribit Scaliger, si eum dixero omnibus numeris præstitisse reliquis principibus, minùs forsan dixero quam verum est.

II. *Carolus V.* Maximiliani ex Philippo filio nepos fit Augustus anno 1519. quo ipso anno Solimannus quoque factus est imperator Turcicus: & Zvvinglius cœpit docere. Ab hoc anno incipit septima & vltima periodus Apocalyptica, quæ ad finem mundi se extendit *Apocal.* 10. *&* 11. Et huc potest aptari illud Lutheri Epitaphium:

Pestis eram viuus, moriens tua mors ero Papa.

Cæterùm tota Caroli vita nihil ferè aliud fuit, quàm perpetua belligeratio. Ideò historias huius temporis distinguemus secundùm 15. bella quæ gessit hic imperator, & ita compendio trademus, quæ Paulus Iouius, Iohan. Sleidanus, & Iacobus Augustus Thuanus de hoc Imperatore memoriæ prodiderunt. Primum itaque bellum gessit Carolus V. anno ætatis, atque adeò huius seculi 18. aduersus Maranos rebelles & Hispanos seditiosos. Anno 20. renascentibus bonis literis theologi quidam scholastici, inprimis Colonienses, litem mouerunt Reuchlino, qui contendebat libros Hebræorum esse retinendos. Quidam vt monachis illuderent, eorum barbariem imitati sunt in epistolis obscurorum virorum. Anno 21. Carolus publico edicto Vvormatiæ cauit instaurationem religionis. Anno 23. ad diætam Imperialem Norinbergensem Papa Adrianus Sextus legatum misit, & significauit conuentui, à Sacerdotibus scaturire originem iniquitatis populi, & iam à multis annis multa vitia Romæ pergrassari, & ab ipso capite Pontificio malum diffluere in membra inferiora: sed se in posterum operam daturum, vt causa mali Roma prima omnium seuerè corrigatur: promittit etiam concilium œcumenicum in Germaniâ indicendum. Sed Papa morte præuentus id præstare non potuit. Principes Imperij egerunt gratias huic legato, & rogarunt vt liberum Concilium primo quoque tempore, intra annum videlicet, indiceretur. Interea temporis se curaturos esse vt Euangelium purè sine verborum aculeis secundùm receptas & approbatas Ecclesiæ interpretationes doceretur. Secundum bellum Carolus gessit aduersus Franciscum Galliæ regem anno 25. quem cepit apud Ticinum in Lombardiâ, & abduxit in Hispanias; sed dimisit ipsum hâc conditione, vt cederet iure regni Neapolitani & Siculi, & ducatu Burgundiæ, & sororem suam Leonoram duceret. Eodem hoc anno authore Thomâ Muntzero, patre furoris Anabaptistici, cœpit bellum rusticorum in Sueuiâ, Franconiâ, Thuringiâ, Alsatiâ, & ad Rhenum, Hinc versus:

CaptVs erat GaLLVs, CoëVnt CVM rVre Cohortes.

Sed miseri illi bellatores sine numero fuerunt debellati. Schola Marpurgensis anno 26. instituta, longè pòst demum adepta est priuilegia. Tertium bellum Carolus gessit anno 27. aduersus Ligam sanctissimam, vt vocabatur, id est, confœderatos Italos, Pontificem, Venetos, & Florentinos, quibus felices Caroli successus formidinem iniecerant. In hoc bello Pontifex Clemens VII. captus & vrbs Roma à Cæsarianis direpta miserriméque vexata fuit. Carolus interea temporis in Hispaniâ degens, anxiè se excusat Pontifici, iniussu suo omnia esse gesta. Quartum Caroli bellum est contra Franciscum regem Galliarum, qui contra fidem datam repetebat Neapolin. Hunc coëgit numerare duas auri tonnas, & tandem ducere sororem suam. Quintum bellum gessit contra Carolum Geldriæ ducem, Galli partes secutum. Sextum incidit in annum Christi 29. quo Solimannus Viennam obsedit, centenis & quadraginta millibus: sed coactus est soluere obsidionem. Hoc anno diæta est habita Spiræ, in quâ interfuit Ferdinandus Caroli frater: vbi inter alia decretum, vt missa omnibus locis restitueretur. Sed huic decreto intercesserunt Reformati, & protestati sunt, illud pugnare cum verbo Dei: vnde nomenclatura Protestantium. Iisdem tum temporis &c. errores & abusus Ec-

clesiæ Romanæ notarunt. Annus 30. est celeberrimus exhibitione Augustanæ confessionis, quam Melanchthon composuit Augustæ adhibito subinde in consilium Luthero. Exhibita est Imperatori, sed statim confutata à Pontificiis Theologis, & damnata ab Imperatore, cui damnationi subscripserunt Electores quinque, Ecclesiastici principes 30. seculares 23. Abbates 22. Comites & barones 33. ciuitates liberæ 39. Hæc confessio postea est limata ab ipso authore, & apologia addita. Anno 31. Zvvinglius in acie cadit Anno 32. Cæsar meliùs edoctus Norimbergæ reuocat tristem superiorum annorum condemnationem. Anno 34. Anabaptistæ, in Bataiuiâ breui tempore aucti, Monasterium se contulerunt, quam nouam Ierusalem appellarunt. Sed fusi sunt à principibus anno 35. Franciscus Valesius sæuit in Hugonotos, & inter alia dixit, suum vel brachium se abscissurum, si eâ labe infectum esset. Paulus III. Pontifex Breuiarium Romanum emendat. Henricus VIII. Angliæ rex iugum Papæ abiicit. Septimo bello Carolus Florentiam subigit, & restituit Medicéos. Octauum bellum Caroli incidit in annum 35. quo ex Hispaniâ in Africam traiecit septingentis nauibus. Sed hoc bellum anno 41. pessimè cecidit, naufragio absorptis 130. nauibus. Nonum Caroli bellum cœpit anno 36. aduersus Gallum, quod aliquot sequentibus annis durauit. Thomas Morus Cancellarius Angliæ capite plectitur anno 36. Et Erasmus Phœnix Germaniæ obiit Basileæ Anno 40. Cæsar comitia indicit Vvormatiæ; vbi disputatum est à Melanchthone & Eccio: sed decisio reiecta fuit in an. 41. quo Cæsar venit Ratisbonam. Anno 43. bello Gallico implicatum fuit bellum Iuliacense, cùm Iuliaci à piscibus deuoratum Carolum crederent. Dux Cliuensis Vvilhelmus à Cæsare victus renunciauit iuri suo in ducatu Geldriæ. Decimum Caroli bellum est Smalkaldicum, seu Germanicum illud quod cœpit anno 46. & sequenti anno tristem habuit exitum, Iohanne Friderico Saxone & Philippo Hasso captis. Anno 48. natum est Interim, edictum Cæsarium, quo promulgabatur certa religionis formula seruanda interim, donec vniuersali Concilio coacto religionis controuersiæ tollerentur. Concilij Tridentini prima sessio fuit habita anno 45. sub Paulo III. Sed Tridentо concilium est translatum Bononiam, vbi anno 47. celebrata fuit nona sessio. Vndecima sessio fuit habita sub Iulio III. anno 51. Sessio decimaseptima sub Pio IV. anno 62. Vigesimaquinta & vltima anno 63. anno 49. Henrico VIII. successit Eduardus sextus Angliæ rex, qui reformationem religionis in Angliâ suscepit. Sed hic optimus rex anno 53. non sine suspicione veneni, fatis concessit. Huic successit soror Maria, quæ nupsit Philippo secundo regi Hispaniæ. Sed hæc decessit anno 58. & statim lætis omnium acclamationibus successit Elisabetha. Vndecimum Caroli bellum an. 50. fuit aduersus Magdeburgenses totum annum obsessos, qui se æquissimis conditionibus tandem Mauritio dediderunt, religionis libertate retentâ. Duodecimum bellum fuit illud, in quo Carolus fuit infestatus anno 51. à Mauritio Saxone, Alberto Brandeburgico, & Vvilhelmo Hasso, & captos principes dimisit, & postea pacem Passauicam concessit, quæ solet dici transactio Passauiensis & pax religionis, quæ anno 52. primùm inita, & postea anno 55. in comitiis Augustanis sancita & promulgata à Ferdinando. Hæc pax finem attulit libro Interim, & anno 59. est renouata Augustæ. In bello XIII. Carolus Metin obsidione cinxit, sed frustrà. Decimumquartum bellum gessit aduersus regem Galliæ. Decimoquinto bello apud Antipodes in nouo orbe per Cortesium & Pizzatum viginti octo præliis 28. reges & regna deuicit. Anno 55. Carolus se abdicat regnis; anno 58. abdicat se prorsus Imperio.

III. Ferdinandus Caroli frater, succedit anno 1558. cùm anno 30. electus esset Rex Romanorum, & Aquis coronatus. Fuit princeps eruditione maior quàm Carolus. Turcis multa bella feliciter intulit. Cætera pacificam & fermè Pythagoricam egit vitam, & quotidie ad mortem se præparauit. Anno 58. Maria regina Scotiæ nupsit Francisco regi Gallorum. Alterum maritum, Henricum Stuartum interfici curat, vnde in insulam deportatur. Elapsa in Angliam anno 68. per annos 18. captiua detinetur, & tandem decollatur iussu Elisabethæ reginæ Angliæ, cui struxerat insidias. Anno 60. obit Melanchthon. Post huius obitum Flacciana factio cristas cœpit erigere.

IV. Maximilianus secundus succedit patri Ferdinando anno 1564. Coniurationem Grumbachianam, quæ omnes principatus Imperij, receptáque antiquitùs iura peruertere festinabat, feliciter extinxit, vsus armis Augusti Saxoniæ Electoris, qui arcem Gothanam banno subiectam euertit. Hic imperator æquum se præbuit Euangelicis, quos vocant, & sæpe dixit nullum peccatum esse grauius, quam conscientiis velle dominari. Vsurpauit etiam illud, quod Maximiliano quoque primo nonnulli tribuunt: *Qui in conscientias imperium sibi sumunt, conantur cœli arcem inuadere.* Ideò pacificationem Passauiensem non minori studio quàm pater Ferdinandus custodiuit, & Austriacæ nobilitati anno 68. doctrinam Augustanæ confessionis permisit. Nempe hic imperator memor fuit illius: *Religio est inuicta & simplex, & occidi non occidere assueta.* Cuidam gratulanti, quod climactericum annum excessisset, respondit, omnes vitæ suæ annos sibi climactericos esse. Sedecim liberos suscepit ex Mariâ, quæ fuit imperatorum mater, filia, nupta, nurus. Ex his Rudolphus factus est Imperator, Maximilianus ordinis Teutonici magister, Ernestus prorex Belgij, Matthias primò gubernator Belgij, postea Imperator, & Albertus Belgij prorex. Anno 67. dux Albanus in Belgium venit, missus à Philippo secundo rege Hispaniæ, vt decretum sanctæ inquisitionis in Belgio exequeretur. Et hic auspicatus est bellum illud mysticum, quod in Belgio supra annos 40. gestum est. Tum temporis gubernatrix Belgij erat Margareta Parmensis, quæ summam rerum resignabat Albano, qui tyrannus instituit collegium duodecim virale, quòd postea dictum est sanguinarium. Leges insuper fundamentales de libertate Belgicâ irritas fecit. Interea rex Philippus filium Carolum e medio tollit: Albanus autem primates Belgij decollat, inprimis comitem Egmondanum & Hornanum. Exactiones item plus quam decumanas instituit. Huic tyranno se opponit Vvilhelmus Auraicus. Anno 72. Albanus redit in Hispaniam, postquam in Belgio probasset se Pharaonem, Busiridem, Phalaridem, & Dionysium. Hoc ipso anno celebrantur nuptiæ Parisinæ plusquam Thyesteæ, in quibus Lutetiæ occisi octies mille, alibi innumerabiles, clauum tenente Carolo nono & reginâ matre Catharinâ Mediceâ. Sed Carolus ille moritur anno 74. Hinc læta Galliæ secula illuxerunt, Henrico III. Poloniæ ex rege, sceptrum capessente. Hoc tempore dux Auraicus Selandiam & maximam Hollandiæ partem capit. Albano duci succedit Ludouicus Requesenius, tertius gubernator Leonis Belgici, cum quo Auraicus varia miscuit prælia.

V. Rudolphus secundus succedit patri in imperio anno 1576. quo tempore bellum Belgicum Ordinibus iam constiterat tonnis quadringentis viginti. Ordines tum confugiunt tanquam ad sacram anchoram ad Matthiam fratrem Rudolphi, qui præfuit Belgio ab anno 78. ad annum 80. cui vicarius fuit datus Auraicus. Malecontenti in Belgio dicti, qui Romanam religionem defendebant: contra quos Ioh. Casimirus Palatinus cum copiis est missus. Iohannes Austriacus stat à partibus Hispani, quartus prorex in Belgio anno 78. Huic succedit Alexander Farnesius dux Parmensis in omnibus contrarius Albano; quippe qui suâ clementiâ plurimas vrbes vicit & Hispano restituit. Anno 84 Vvilhelmus Auraicus à sicario cæsus obit. Tùm Ordines Belgici se dedunt Elisabethæ reginæ Angliæ, quæ respondet, regibus & principibus nihil quidem esse laudabilius, quàm populum oppressum in clientelam suscipere, & à tyrannorum iniuriis vindicare: se tamen Belgarum non dominium, sed protectionem salutis eorum, priuilegiis suscepturam; statímque anno 86. Robertum Dudleum constituit Gubernatorem Confœderatorum Ordinum: quem cùm Belgæ ferre non possent, reuocauit regina, & anno 87. Mauritius Nassouius capessit regimen, cuius symbolum erat: *Tandem fit surculus arbor.* Hoc eodem anno defuncto Stephano Bathoreo Sigismundus rex Sueciæ fit rex Poloniæ contra Maximilianum fratrem Rudolphi Imperatoris. Calendarium nouum; quod à Gregorio decimotertio an. 80. erat promulgatum, hoc tempore recipitur à Papistis, à Protestantibus repudiatur. Ann. 88. (quo putabatur imminere finis seculi) Sixtus V. Papa reginam Angliæ Elisabetham vnà cum omnibus Anglis, exceptis Recusantibus, excommunicat. Hispanus maximam classem, cui similis non fuit hominum memoriâ, aduersus Anglos mittit: sed naues partim submersæ, partim incensæ & captæ sunt ab Anglis, moram nectente exercitu ducis Parmensis, ita vt ex 150. nauibus vix 53. redierint in Hispaniam. Guisius vitricus ille Galliæ ab Henrico III. qui vulpem induerat, interficitur, vt & frater Guisij Cardinalis Lotharingus: atque ita turbatur sancta Liga. Sed rex non longo interuallo post a monacho confoditur: qui Henricum Nauarræum seu Borbonium creat regem, cùm ipse iam ageret animam. Anno 90. bellum Belgicum Hispano iam constiterat 800. tonnis auri. Mauritius in Belgio fortiter & feliciter rem gerit, & exemplo Alexandri Magni & Iulij Cæsaris, qui moras castigandas vel abrumpendas docuerunt, breui temporis spatio videl. biennio capit supra 30. loca munita. Parmensis in Nauarræum arma mouet, sed ab illo profligatur, obítque anno 92. Nauarræus fit Papista, vt regnum Galliæ liberet bello ciuili & externo. Rudolphus Imperator mittit legationem ad Belgas & tentat aliquoties reconciliationis aleam, sed frustrà. Parmensi succedit Petrus Ernestus, Comes Mansfeldicus anno 93. Anno 94. Ernestus Archidux Austriæ fit prorex in Belgio, & tractat de pace, princeps liberalis, pecuniarum contemptor, pacis & religionis amantissimus, & penè agelastus: sed obit an. 95. Ernesto succedit Albertus Austriacus, tum Cardinalis; qui venit in Belgium, & in suo comitatu adducit Philippum principem Auraicum fratrem Mauritij, qui initio Belgicorum motuum ab Albano in Hispaniam fuerat missus. Hispanus init rationem debitorum suorum, & comperit se tam iniquo fœnore grauatum vt non sit soluendo. Anno 97. Mauritius nouem oppida, arces quinque, comitatus 3. & totidem dynastias Ordinum imperio adiicit. Philippus II. rex Hispaniarum in fata concedit, cui succedit Philippus III.

Historia Rudolphi II.

II. Seculum

Historia decimiseptimi seculi N.T.

II. *Seculum decimumseptimum N. T. tres habet titulos.*

I. *Rudolphus secundus* adhuc imperat anno 1600. quo vltimum, vt existimatur, seculum illucescit. Pontifex Iubilæum aperit. Prælium admirandum committitur inter Albertum & Mauritium ad Neoportum in Flandriâ. Anno 601. Ostendam obsidet Albertus, Geneuam Sabaudus. Anno 603. Elisabetha regina Angliæ obit, cui succedit Iacobus VI. Scotorum rex, vt qui à Margaretâ Henrici VII. Angliæ Galliæque regis filia genus trahit. Hic rex eiicit Puritanos, qui ceremoniarum simplicitatem præferebant pompæ. Conspiratio aduersus hunc regem detegitur. Commercia, quæ iure gentium inter nationes diuersæ religionis libera sunt, inter Anglos & Hispanos postliminio reuocantur. Anno 604. Slusa à Mauritio capitur, & Ostenda, noua illa Troja & artis militaris academia, post quadriennij fermè obsidionem se dedit Alberto. Anno 605. Clemens VIII. Papa πολιτικώτατος obit, qui succedit Leo XI. Papa dierum 26. cui succedit Paulus V. Reformatio Marpurgi suscipitur. Botzkai in Hungariâ liberum religionis exercitium vrget, & Morauiam atque Stiriam infestat, Rosvvurm supplicio afficitur Pragæ. Anno 606. Commissarij Hungarici impetrant liberum religionis exercitium. Dux Brunsvicensis vrbem sibi cognominem frustra obsidet. Conspiratio horrenda aduersus regem magnæ Britanniæ detegitur. Paulo V. Pontifici non bene conuenit cum Venetis. Anno 607. induciæ factæ inter Turcas & Christianos ad annos 20. Academia Giessena fundatur. Anno 608. tractantur induciæ Belgicæ, quibus totus annus impensus 25. sessionibus celebratis. Anno 609. Matthias occupat Hungariam & Austriam. Dux Iuliacensis obit, cuius mors reuera fuit pomum ἔριδος. Iosephus Scaliger literarum humaniorum princeps obit. Anno 610. Ordines Belgici cum rege Fessano & Turcico imperatore commerciorum causâ fœdus pangunt. Rex Angliæ in Virginiam colonias deducit. Anno 610. Vnio principum Euangelicorum confirmatur. Rex Galliæ Henricus IV. à sicario trucidatur. Iuliacum expugnatur. Rex Daniæ cum Sueco confligit. Rex Angliæ vniuersos concionatores Pontificios ex Angliâ proscriptos extorres agit. Anno 611. Mulhemium ciuitatis priuilegia ambit. Anno 612. Rudolphus moritur relictis in thesauris septendecim millionibus.

Historia Matthiæ.

II. Matthias I. anno 1612. coronatur Imperator Francofurti. Anno 613. Fridericus V. Elector Palatinus nuptiis Britannicis dat operam. Comitia celebrantur Ratisbonæ. Anno 614. turbas dant Francofurtenses. Academia Groningensis fundatur. Vesalia occupatur ab Hispano. In Moscouiâ anno 1615. creatur magnus dux Michaël Friedrovvzius. Iudæi Vvormatiâ eiiciuntur. Pax Sabaudica cum Hispano tractatur, & Turcica anno 1606. inita confirmatur ab Imperatore. Anno 616. & 17. schisma in Belgio gliscit. Bellum inter Sabaudum & Hispanum recrudescit. Rex Poloniæ Moscouiam adoritur. Veneti bellum mouent Ferdinando Austrio. Anno 1618. incipiunt motus in Bohemiâ, & confœderatis regionibus. Maximilianus frater Imperatoris obit. Mense Nouembri incipit Synodus Nationalis in Belgio, & conspicitur Cometa, cuius altitudo fuit 30129. milliarium, longitudo 8032. Anno 1619. Matthias Imperator obit. Synodus nationalis Belgica mense Majo finitur celebratis CXLVIII. sessionibus. Bohemi & ipsorum confœderati resistunt militi Austrio. Iohannes ab Oldenbarneuelt decollatur in Belgio: Hugo Grotius carcere perpetuo mulctatur.

Historia Ferdinandi II.

III. Ferdinandus II. eligitur Imperator. Bethlehem Gabor in Hungariâ conscribit militem. Elector Palatinus Fridericus V. per maiora suffragia eligitur rex Bohemiæ, & postea coronatur.

Iesus Christus, rex æternus, oculis misericordiæ aspiciat parum suum gregem, & illum dextrâ potentiæ protegat aduersus eos, qui regnum eius oppugnant.

PERORATIO HISTORICÆ.

HÆc est breuis comprehensio historiæ vniuersæ: quâ vt rectè vtaris, cum Thucydide statues historiam esse κτῆμα εἰς ἀεὶ συγκείμενον, καὶ καλὸν τοῦ ἀνθρωπίνου βίου κάτοπτρον, id est, *depositum perpetuum, & pulchrum humanæ vitæ speculum*: & cum Polybio dices, historiam esse ἑτοιμοτάτην διόρθωσιν, καὶ ἀληθινωτάτην παιδείαν, *expeditissimam correctionem, & verissimam institutionem*: cum Dionysio Halicarnasseo cogitabis hanc ipsam esse ἀρχὴν φρονήσεως καὶ σοφίας, καὶ γυμνασίαν πρὸς τὰς πολιτικὰς πράξεις, initium prudentiæ & sapientiæ, & exercitationem ad ciuiles actiones: cum Plutarcho denique vocabis παράδειγμα τῆς εὐβουλίας, *exemplum bene consulendi*. Huiusmodi autem fructus consequeris ex historiâ, si particularium historiarum lectioni præmittas Synopsin historiæ vniuersalis, vti est hæc nostra, quam absoluimus.

Anno Christi Dionysiano MDCXIX. Nonis Octobris. Cyclo Solis Romano 4. Lunæ 5.

Anno Christi vero MDCXXI.
Anno periodi Iulianæ 6332.
Anno periodi Constantinopolitanæ 7127.
Anno Mundi 5568.
Anno Computi Iudaici Hillelis seu periodi Iudaicæ 5379.
Anno II. Indictionis Constantinianæ LXXXIX.
Anno Iuliano 1664.
Anno III. Olympiadis Iphitéæ 599.
Anno Nabonassari 2368.
Anno Hegiræ 1028.

Gratias Domino nostro Iesu Christo.


CAVTIO.

IN hoc scripto historico & similibus, in quibus chronologica attinguntur, memineris, numeros sæpe variare tribus de causis. 1. Interdum numerus rotundus ponitur pro exquisito: e. gr. LXX. pro LXXII. 2. Interdum numerus exprimitur ὡς ἔγγιστα, adhibitâ voculâ circiter: vt quæ facta sunt paulò ante, vel paulò post tempora Caroli Magni, dicuntur facta circa annum Christi 800. 3. Chronologi sæpe variant in charactere temporis. Fieri ergo potest, vt in eodem scripto diuersus numerus exprimatur. e. gr. Philoponum alij referunt ad tempora Phocæ, alij ad tempora Iustiniani. Deinde obserua, sæpenumero plures heroës, poëtas, & philosophos idem habuisse nomen. Multi enim fuerunt Saturni, Ioues, Promethei, Hercules: duo Orphei: tres Musei: plurimi Pharaones & Ptolemæi: plures Ogyges: duo Senecæ: duo Virgilij: plures Osirides: plures Herodes: plures Constantini & Theodosij. Denique memineris, nomina propria Hebræorum. Chaldæorum, Persarum, & aliorum non vno modo enuntiari & scribi: vt Cainan & Cenan, Iosua & Iehoschuah, Nebucadnezar & Nabuchodonosor, Hircanus & Hyrcanus.

Historiam facile est legere, ac pernoscere lectam:
Scribere at historiam, non itidem facile.
Qui mihi non credit, faciat licet ipse periclum:
Mox fuerit studiis æquior ille meis.

SCIAGRA

SCIAGRAPHIA HISTORICÆ.



FINIS HISTORICÆ.



ENCYCLOPÆDIÆ LIBER TRIGEGIMUS TERTIVS,

EXHIBENS

CHRONOLOGIAM.

CAPVT PRIMVM.

De Fine Chronologiæ.

PRÆCEPTA.



HRONOLOGIA est disciplina composita, de temporis emendatione.

Estque generalis, vel specialis. Illa ætiologica, hæc historica dicitur.

Chronologia generalis explicat finem suum, subiectum, & media: *seu,* tradit principia chronologiæ.

Finis Chronologiæ est internus, vel externus.

Finis internus est, tradere modum emendandi tempus: externus, prodesse historiæ, hàc temporis emendatione.

REGVLÆ.

Chronologia disciplina composita.

I. *Chronologia est disciplina composita; quia æquè vt historia spargitur per omnes artes & facultates.*

Sicut enim physica, politica, theologia, iuris prudentia &c. suas habent historias: ita quoque se res habet cum chronologiâ: quia nempe oculus historiæ est chronologia. Vbi ergo historia locum habet, ibi & chronologia Deinde chronologia etiam hoc modo est composita, quòd ex computo inprimis & præceptis propriis constat, vt patebit ex sequentibus.

Vtilitas chronologiæ.

II. *Chronologia & Topographia sunt duo historiæ oculi.*

Et primò quidem historia sine temporis notatione nullam habet gratiam; quòd res gestæ suâ indole nos ducant ad hanc circumstantiam. Meritò itaque chronologia vocatur alter oculus historiæ. Topographiam quod attinet, par est hîc ratio; quia res gestæ notationem loci desiderāt. Sed pluribus persequamur chronologiæ vtilitatem. Atque, vt hinc ordiar, in religionis negotio vnicè necessarium est, vt status Ecclesiæ ab orbe vsque condito ad nostra secula cognosci, diuinæ promissiones & promissionum complementa inter se conferri, inprimis verò Messiæ exhibitio atque Euangelij per vniuersum mundum prædicatio piè considerari possit, & insuper perpendi, quomodo cœlestis doctrina conseruata, & à Satana & falsis doctoribus contaminata, denique Christianorum principum operâ propagata vel tyrannorum sæuitiâ oppressa fuerit. Hæc, & similia, qui nescit, in religionis negotio planè cæcutit. Quid dicam de politiâ? Imperiorum & rerump. constitutiones, administrationes, & mutationes sine temporis notatione chronologicâ neque rectè tradi, neque vtiliter obseruari possunt: vt historia sine distinctione temporum, sit labyrinthus & indigesta moles. E' contrario si lux temporum accedat, & ordo rerum antecedentium, coætanearum, & consequentium omnia digerat, tum demum historia verè suum nomen tueri potest, idque per omnia facultatum & disciplinarum genera. Si enim accuratè inspiciamus, theologia est sacra quædam historia de creatione, de lapsu, de redemptione, de propagatione Ecclesiæ: quæ omnia requirunt temporis notationem. Similiter iurisprudentia est historia de iuris origine, de legibus, de Romanis antiquitatibus: quibus è chronologicâ annorum digestione magnum omnino lumen accendi, nemo est qui ignoret. Cæteris quoque disciplinis longè maximum oblectamentum adfert chronologia: vt patebit eunti per singula ipsarum monumenta. Huc iam accedit iucunditas incredibilis, & dignitas huius studij nihilo inferior. Etenim quid iucundius esse queat, hominéque liberali magis dignum, quàm si quis vniuersam & vastam illam omnium seculorum à primâ mundi & hominis origine historiam in animo comprehendat, vt continuam temporum seriem perspicuè distinguere, & euentus maximè memorabiles, item regnorum initia & fines, celebrium virorum ætates, vsitatas epochas, singularum facultatum origines & incrementa, scholarum initia & durationem, & omnino gesta quæcunque, ad suum quódque tempus referre & inter sese comparare possit? Scilicet hæc demum est historiæ anima, quâ viuit vigétque; hæc lux, quâ illa resplendens omnia illustrat; hæc solida voluptas, cuius vel solo gustu ad historiarum cognitionem plerique allecti sunt. Ac nobis hoc ipsa natura dictat, vt quando in historiam quispiam inciderit, statim animus tacito quodam discursu inuestiget, ad quæ tempora illam referre debeat; quibus cognitis, tum demum acquiescit & plenam eius notitiam se existimat assecutum. Sed, inquiat aliquis, Chronicorum scriptores ferè ita ieiuni sunt atque exiles, vt non sedent famem, sed augeant. Sed, inquam ego, Chronologia duobus traditur modis. Aut enim separatim persequitur seriem temporis; aut miscet ipsam historiam. Prius illud est proprium Chronologiæ. Suo itaque munere perfuncta est, quando hoc præstitit. Quare nihil ampliùs ab illâ requirere, sed cum historiâ ipsam coniungere debemus. Ita enim fiet, vt nobis constet fructus ille, quem copiosè persecuti sumus.

III. *Chronologia habet sibi propositam temporis emendationem.*

Ista verò emendatio nihil est aliud, quàm errorum, qui apud varios authores in temporis notatione occurrunt, correctio, & veri calculi substitutio. Reuocantur autem omnes errores Chronologici ad προχρονισμον καὶ μεταχρονισμον: quâ de re vide paulo pòst.

CAPVT II.

De Subiecto Chronologiæ.

PRÆCEPTA.

SVbiectum Chronologiæ est triplex: informationis, tractationis, & operationis.

Subiectum informationis est partim intellectus partim

partim memoria: vt nempe intelligamus feriem temporis,& ita confulamus memoriæ.

Subiectum tractationis funt anni, inde à creatione mundi vfque ad ipfius finem.

Subiectum operationis eft hiftoria: vtpote cui Chronologia debet accommodari.

R E G V L Æ.

I. *Chronologia occupatur circa annum abfolutè & relatè.*

Abfolutè; quatenus feriem annorum,qui pertinent ad vnam & eandem rem,expendit. e. gr. annos primæ vel fecundæ monarchiæ. *Relatè*; quatenus annos plurium titulorum inter fe confert. Et hic appellatur fynchronifmus.Ita v. gr. poffunt inter fefe comparari anni mundi & incarnationis Chrifti, anni LXX. feptimanarum Danielis & anni mundi,Olympiades & anni V.C. atque ita deinceps.

II. *Notatio temporis chronologica facit,vt hiftorias eò facilius imprimamus memoriæ.*

Ratio eft in promptu; quia duæ illæ circumftantiæ,locus & tempus, cognationem aliquam habent cum hominis memoriâ. Et hæc eft caufa,quòd Memoriftæ non tantùm matutini & vefpertini temporis accuratam habent rationem,fed etiam in hiftoriis interualla & articulos certos vel inprimis obferuare iubent.

III. *Chronologia & hiftoria fibi mutuas tradunt operas.*

Nam chronologia illuftrat hiftoriā & ipfius eft velut anima. Viciffim hiftoria eft quafi corpus venuftum, in quo anima ifta commodè habitat.Itaq; non debemus facere diuortiū chronologiæ & hiftoriæ, etfi interim diftinctè vtramq; debemus tradere.

C A P V T III.

De Fundamentis chronologiæ.

P R Æ C E P T A.

Sequuntur media, per quæ finis chronologiæ propofitus,id eft, emendatio temporis obtinetur.

Media ifta funt in caufis feu fundamentis, epochis, accidentibus,& interuallis chronologicis.

Fundamenta chronologiæ funt tria: Sacra fcriptura,characteres temporis, & confenfus claffsicorum authorum.

Sacra Scriptura fuppeditat nobis perfectam chronologiam,inde à conditu mundi vfq; ad ipfius finem.

Characteres temporis alij funt naturales,alij ciuiles.

Confenfus claffsicorum authorum eft partim cum Scripturâ, partim inter fefe.

R E G V L Æ.

I.*Scriptura facra eft primum & primarium chronologiæ fundamentum: idque duobus modis.*

Principiò S. literæ tradunt epochas hiftoricas, magna interualla hiftorica,& interuallorum articulos. *Deinde* occurrunt ibi epochæ propheticæ apud Danielem,& Iohannem in Apocalypfi; quæ ipfæ quoque dirigunt interuallum illud magnum noui teftamenti. Vide paulò poft fundamentum primum.

II. *Examen temporum pendet à characteribus naturalibus & ciuilibus.*

Illuftres temporum epochas ab euentu aliquo infigni fumi diximus:fiue illæ fint propriæ quarundam ciuitatum vt epocha Antiochena; fiue multarum nationum communes, vt epocha Olympiadum, & epocha annorum Chrifti quæ intra 800 annos proximos in vfum ciuilem demum admiffa fuit. Si quis in Chronologiâ cum fructu verfari velit, epocharum inter fe connexio illi priùs addifcenda eft: cuius vinculi beneficio omnes epochæ ad vnam aliquam epocham reduci queant. Quod omnium primus inter Romanos aggreffus eft Portius Cato, & poft Catonem Terentius Varro Ciceroni σύγχρονος, & ipfius iudicio doctiffimus Romanorum. Is hiftoriam contexturus vniuerfalem, tria temporum difcrimina ponebat. *Primum* vocabat ἄδηλον, à principio hominum ad Cataclyfmum priorem. Sic autem vocabat, quia gentilibus erat incognitum hoc interuallum. *Secundum* à cataclyfmo priore ad Olympiadem primam vocabat μυθικόν, quod multa fabulofa in eo recitentur. *Tertium* appellabat ἱστορικόν, à primâ Olympiade ad fequentia porrò fecula: quia res in eo interuallo geftæ veris hiftoriis continentur. Idem Varro rationem nobis demonftrauit examinandi tempora, epocháfque varias connectendi, adhibitis temporum characteribus certis & indubitatis, putà eclipfium interuallis.Varronis exemplum fecutus eft Iofephus Scaliger,humaniorum literarum facilè princeps: & adductis plurimis temporis characteribus Varroni ignotis, opus illud admirandum de temporum emendatione contexuit. Characterum iftorum alij funt naturales,qui è cœlo petuntur,vt eclipfes, planetarum motus & fitus in cœlo: alij ciuiles, qui pendent ex hominum inftituto, vt funt indictiones, Cyclus Solis & Lunæ, feriæ hebdomadis, dies fefti,vt Pafcha, Pentecofte, & reliqua fefta mobilia & fixa, bifextum Iulianum,Lunæ ætas è fitu aurei numeri putata, certamina ludíque ftato tempore recurrentes, annus fabbaticus & Iubilæus. Hi funt præcipui characteres quibus omnis de tempore controuerfia decidenda eft & determinanda. Atque, vt hoc obiter inferamus, magna coniunctio trium fuperiorum planetarum eft character temporis inter maiores non poftremus. Huiufmodi coniunctiones nonnifi intra annum octingentefimum (ὁλοσχερῶς) contingere poffunt: vt *fuprà theor. plan.c.5.* difputatum eft. Fidiffimæ igitur funt cuftodes temporis hoc modo:

Reuolutio planetarum.	Annus mūdi.	Res coincidentes.
I.	0000.	Creatio.
II.	795.	Artes, Vrbes, Latrocinia.
III.	1590.	Diluuium, Prima monarchia.
IV.	2385.	Abraham,Exitus ex Ægypto.
V.	3178.	Deftructio regni Ifraël & Iuda.
VI.	3974.	Chriftus & Ecclefia N. T. nafcens.
VII.	4768.	Ecclefiæ Chrifti preffura.
VIII.	5563.	Ecclefiæ Chrifti libertas.

Cæterum epochæ temporis funt maiorum vel minorum gentium,vt ita dicam. Ibi funt tres inprimis,videl.æra Chriftiana,æra Olympiadum,& æra Nabonaffari:quæ tres epochæ fi probè inter fe connexæ fuerint,reliquæ minorum gentium epochæ haud difficulter in fuum ordinem redigentur.Etfi autem magna fit controuerfia de trium iftarum epocharum cognitione: nobis tamen ifta videtur probanda,propter characterū temporis harmoniam. Ea fic habet vno verbo.*Primus æræ Chriftianæ annus*(cuius æræ author eft Dionyfius Exiguus Iuftiniano coæuus) *cadit in annum quartum Olympiadis* 194.ita vt anno Chrifti primo fluente celebrata fit Olympias centefima nonagefimaquinta *Et eodem primo æræ Chriftianæ anno labente,die* 23. *Augufti,exordiū fuit anni Nabonaffarei* 749.*omnium Mathematicorum fuffragiis*: fi vnum Mercatorem exceperis,qui ifto loco ponit annum Nabonaffari 748.qui congruit cum anno mundi 3914.Sic itaque epocha Olympiadum hiftoriam Græcam connectit cum noftris annis:& per Nabonaffari æram, Regum Chaldæorum anni,Perfarum item,Alexādri Magni,& eius in Ægypto fucceſſorum,cum annis Romanis valido vinculo connectuntur. Quo quidem nihil eft vtilius in hiftoriâ facrâ & profanâ. Demonftratur autem ifta connexio hunc in modum.Quæ vni tertio funt æqualia,inquiunt Mathematici,inter fe funt æqualia. Quare fi æram Nabonaffari vel Olympiadum cum anno alicuius Imperatoris coniungere poffimus, & cum eodem anno annum æræ Chriftianæ conferre, tum manifefta fiet vtriufque æræ connexio. Nitimur autem hîc charactere duarum eclipfium Primam Dioni,alteram Plinio debemus. Ac primò *Dio lib.*60.author eft in vitâ Claudij Imperatoris, eclipfin folarem confpectam fuiffe M. Vinicio fecundùm & Statilio Coruino Confulibus, Kalendis Augufti, qui erat natalis Claudij. Ex quâ Eclipfi certò colligi poteft annus,quo illi duo fuêre confules: quoniam nonnifi longo annorum interuallo eclipfis folaris ad Kalendas Augufti redire poteft. Præterea ex Dione, & aliis authoribus (qui paria Coff.diligenter notarunt) manifeftum fit,horum confulatum congruere cum anno quinto Claudij. Eclipfis hæc quærenda eft inter annum Chrifti 40. & 50. Teftantur autem tabulæ Aftronomicæ anno Chrifti vulgari 45. ipfis Kalendis Augufti fuiffe eclipfin folarem: anno Nabonaffari 792. Deinde *Plinius lib.*2. *cap.*70. docet,Vipfano & Fonteio Coff.apparuiffe eclipfin Solis.Tabulæ autem Aftronomicæ docent, hanc eclipfin referendam effe ad annum Nabonaffari 806. qui confentit cum anno Chrifti Dionyfiano 59. Aprilis 30. Ex his duabus eclipfibus confirmatur connexio ærarum paulò antè propofita. Nam cùm luce meridianâ clariùs fit,M.Vinicij & Statilij Coruini confulatum quadrare anno æræ noftræ 45. item Vipfani & Fontei confulatum

anno eiusdem æræ 59. licebit ex his duobus annis priorum Imperatorum tempora cum æra nostrâ connectere. Prior annus congruit cum anno quinto Claudij, alter cum anno quinto Neronis. Vnde conficitur, Claudium imperare cœpisse anno Christi vulgari 41. Obiit igitur Tiberius anno Christi 37. die 16. Martij, anno Imperij 23. quia Caligula occisus fuit anno Christi 41. postquam tribus annis, decem mensibus, & octo diebus imperasset. Porrò ex Suetonio & aliis constat, Augustum obiisse 19. die mensis sui. Fluebat autem annus 23. ab obitu Augusti, cùm moreretur Tiberius mense Martio. Quare Augusti obitus pertinet ad annum Domini 14. Dionysianum, qui est periodi Iulianæ annus 4727. Aliunde non potest Augusti finis euidentiùs demonstrari, nec certiùs. Imperij initium ex annis imperij colligendum. Imperio Augusti tribuuntur 56. anni solidi. Eodem enim die obiit, quo imperium susceperat. Quare imperare cœpit anno periodi Iulianæ 4671. E quibus euidens fit, natalem Domini ex putatione Dionysianâ cadere, in annum Imperij Augusti 43 qui est annus periodi Iulianæ 4713. exiens. Ita verus Christi natalis congruet anno tertio Olympiadis 194. quæ est Eusebij sententia, Ecclesiæ consensu approbata. Sed hîc jam nascitur alia quæstio: An Dionysius Abbas epocham annorum Christi rectè constituerit? Hâc de re ante annos quingentos ab eruditis dubitatum fuit, & nostro seculo Mercator & Scaliger docent, epocham istam saltem vno anno à Dionysio mutilatam esse. Quare natalis Christi conferetur in annum mundi iuxta Dionysium 3949. & periodi Iulianæ 4713. exeuntem: ita vt annus periodi Iul. 4714. sit connectendus cum primo anno æræ Christianæ. Caput igitur periodi præcepit æra Christi annis 4713. absolutis. Quòd si defectus æræ Dionysianæ definiatur iuxta Scaligerum biennio, vel, vt alij volunt, quadriennio, vlteriùs promouenda fuerit vera æra: ita vt primus Christi annus Dionysianus sit reuerâ tertius vel quintus à natiuitate Christi. Sed quia hanc æram à temporibus vsque Caroli M. Ecclesia retinuit, propterea retinenda est, adiectâ authoris Dionysij appellatione.

Eclipsium vtilitas in Chronologicis quanta?

III. *Eclipses sunt præstantissimus Astronomiæ & Chronologiæ thesaurus; quippe bases & munimenta temporis, & characteres prorsus infallibiles. Idem de obseruatione certi motus quarundam stellarū iudiciū.*

Etenim cùm res aliqua rectè notata est, charactere huiusmodi cœlesti, omnis de tempore eius rei, & dubitatio est sublata, & tergiuersatio exclusa. Nisi fortè aut cœlum errare, aut authores illos, qui φαινόμενα eius generis literis consignarunt, consultò mentiri posterisque imponere voluisse, cùm cur id vellent, caussam omnino nullam haberent, dicere libeat: quod sanè vtrumque insaniæ, quàm inscitiæ fuerit propiùs. Ad *eclipses* quod attinet, Ptolemæus primò recenset tres antiquas Babylone obseruatas, deinde ipse totidem à se obseruatas subiungit. Hipparchus quoque aliquot memorat, vt & alij authores ante & post Christum. Et ob hanc notationem eclipsium in annis Nabonassaréis rectè dicitur, quòd æra Nabonassaris sit basis Chronologiæ fallere nescia. Ad reliqua *phænomena* cœlestia quantum attinet, *Meto* solstitium æstiuum obseruauit anno Nabonassari 316. periodi Iulianæ 4282 Iunij 27. manè. *Timocharis* obseruauit coniunctionem Lunæ cum Pleiadibus anno Nabonassari 465. periodi Iul. 4431 Ianuarij 29. feriâ tertiâ. *Idem* Venerem obseruauit in grad. 4. min 10. virg. anno Nabonass. 476. periodi Iul. 4442. Octobr 12. *Hipparcus* æquinoctium autumnale obseruauit anno Nabonassari 601. periodi Iul. 4567. Septembr. 27 ineunte. *Ptolemæus* quoque æquinoctium autumnale obseruauit an. 3. Antonini Imperatoris, anno Nabonassari 887 periodi Iulianæ 4851. Septembr. 26. manè. Hîc autem probè tenendum est, Eclipses tum demum esse certos & indubitatos characteres, quādo non tantùm annus, quo visæ sunt, annotatus fuerit, sed etiam anni istius dies expressus. Alioqui vbi dies omissus fuerit, eclipsis non semper nos certos faciet temporis, de quo quæstio est: quoniam accidere potest, vt duo pluresve anni contigui eclipsibus nobilitentur. Illa igitur sola eclipsis ἀναμφίσβητος esse potest, quæ minoribus temporum circumstantiis ab authore probatæ fidei circūscripta est. Eclipses LXXX. adnotatas vide in Thesauro nostro chronologico: itemque obseruationes astronomicas XXVII. Vtrasque suo loco inseruimus Chronologiæ, quæ mox sequitur.

Sed iā colligamus fundamēta vniuersæ chronologiæ ex triplici hoc volumine, Scripturæ sacræ, cœli, & classicorum historicorū.

I. Sacram scripturam tradere perfectam Chronologiam, inde à conditu mundi ad ipsius finem. Tradit enim non solùm magna interualla numero sex, sed etiam interuallorum articulos. Interualla sic habent.

Primum est ab initio mundi vsque ad diluuium vniuersale, annorum absolutorum 1656. *Gen.* 5.

Secundum, à diluuio ad Exodum Israëlis ex Ægypto, annorum 797. *Gen.* 12. 4. *Exod.* 12. 41. Itaque à conditu mundi ad Exodum sunt anni 2453.

Tertium, ab Exodo ad templum Salomonis (quod & primum dicitur) an. 480. 1. *Reg.* 4. Summa. 2933.

Quartum, à templo Salomonis ad templum Zorobabelis, quod & secundum dicitur, an. 595. Summa 3528.

Quintum, à templo secundo instaurato ad eius desolationem, an. 490. *Dan.* 9. Summa annorum mundi 4018.

Sextum, & vltimum interuallum, est à desolatione templi ad finem ferè mundi (cuius illa desolatio fuit typus) annorum 2625. *Dan.* 12. *vers.* 11. 12. *Apoc.* 10. *vers.* 6. 7. 8. Summa annorum 6643. à principio mundi vsque ad ipsius ferè finem: pro quo dictum domus Eliæ habet numerum rotundum, videl. 6000. Sed obiicitur, quartum interuallum in Scripturis non definiri: vnde nec testimonium sacrum à nobis sit additum. Resp. Etsi distantia seu interuallum ipsum non exprimitur: tamen vterque terminus, & insigniores euentus ibi occurrunt. Terminus à quo est primus annus monarchiæ Cyri, 2. *Paral.* 36. *vers.* 22. 23. *Esdr.* 1. *vers.* 1. 2. Terminus ad quem est secundus annus Darij Nothi, *Esdr.* 6. *vers.* 1. Insigniores euentus sunt numero sex: putà, quòd iussu Cyri cœptum fuerit templum ædificari, *Esdr.* 1. *v.* 3. *cap.* 3. *vers.* 8. *cap.* 4. *v.* 3. *c.* 5. *v.* 13. quòd mox, viuente adhuc Cyro, ædificatio sit impedita, *Esdr.* 4. *v.* 5. quò Iudæi anno primo Darij Histaspis denuò aggressi sint ædificare templum, *Esdr.* 4. *vers.* 5. quòd Ahasuerus, siue Xerxes, primò impdiuerit instaurationem templi, sed postea eam permiserit. *Esdr.* 4. *v.* 6. quòd Artaxerxes Longimanus inhibuerit instaurationem, *Esdr.* 4. *vers.* 7. 23. quòd impeditio illa durauerit vsque ad annum secundum Darij Nothi, *Esdr.* 4. *vers.* 24. Porrò *Iohan.* 2. *vers.* 19. dicitur, templum secundum annis 46. fuisse ædificatum: qui epilogismus comprehendit omnes annos à principio superstructionis super fundamenta vsque ad finem, connumeratis annis ædificationis interruptæ atque impeditæ. Simile exemplum extat *Esdr.* 5. *vers.* 19. Ex his itaque patet, Chronologiam sacram non hiare: quia licet Scriptura non indicet annos, qui effluxerunt à primo anno Cyri ad secundum annum Darij Nothi, tamen suppeditat nobis adminicula, quibus illum numerum possimus eruere: quâ de re paulò pòst.

II. Natalem mundi incidere æquinoctio verno. Deus *Exod.* 12. constituit ראש השנה, hoc est, initium anni, & quidem ecclesiastici, siue sacri. Hæc itaque ratio anni fuit perfectissima: quia vt mensuræ sacræ, sic tempora sacra fuerunt præstantiora ciuilibus siue politicis. Incipit autem annus ciuilis æquinoctio autumnali. Quare si creatio mundi eodem tempore accidit, annus ciuilis congruit cum primâ creatione; ac proinde magis est naturæ consentaneus, quàm annus sacer, si ille non congruit cum prima creatione. Sed hoc absurdum. Ergo & illud. Deinde, Chaldæi & Persæ, qui suam apientiā ab Hebræis mutuati sunt, principium anni æquinoctio sverno statuerunt. Itaque hoc proculdubio didicerūt ab Hebræis. Porrò, historia creationis non obscurè innuit, ver fuisse; quia Deus iussit terram germinare, & arbores fructificare. quæ duo in isto tractu Orientis, vbi Adam fuit conditus, solent accidere ipso vere. Ad hæc, historia diluuij ostendit, hanc anni rationē diuinitùs ordinatam fuisse. Nam cùm emissa à Noë columba mense Februario, frondem oleæ attulerit; vere potiùs, quàm hyeme imminente oleam germinasse statuendum est. Denique ipsa ratio naturalis docet, ingressum Solis in Arietem cōuenire perfectioni vernanti, qualis describitur *Gen.* 1. & proinde hanc anni epocham esse primæuæ institutioni consentaneam. Vnde *Scaliger exercit.* 257. eleganter ait: Mundum vere ortum primo, & autumant Sapientes, & credere par est. Et *Caluinus in Gen.* 7. *v.* 8. Prior, *inquit*, annorum ratio (*quæ incipit à Martio*) diuinitùs ordinata fuit, & naturæ etiam magis consentanea est.

III. Diluuium incidere mense Maio. Historia diluuij est narratio rei sacræ, & ad cultum Dei spectantis; putà diuini miraculi, quo Ecclesia fuit conseruata. Itaque epocha temporis sacri adhibetur: quomodo videmus *Ios.* 4. & 5. transitum Israëlitarum per Iordanem referri ad annum sacrum; quia nempe diuinum miraculum ibi narratur. Deinde, non est verisimile, Deum Noacho imperasse exitum ex arcâ, tempore hyberno, sed verno, vt ex squalore carceris liberatus exhilararetur amœnitate veris, & animalia pastum inuenirent. Deniq; penultima ratio, quam, ad præcedens theorema diximus, hanc sententiā confirmat. Cæterū diluuium cœpit die 17. mensis 2. seu Iiar, id est 18. Maij Iuliani.

IV. Diluuium incidere anno M. 1657. *ineunte.* Id confirmatur ex *Gen.* 5, vbi hoc interuallum definitur punctis 10. per generationes patriarcharum antediluuianorum vsque ad annum 600. Noë, hoc modo.

Adam	130	anno ætatis genuit	Seth.
Seth	105		Enos.
Enos	90		Cainan
Cainan	70		Malaleel.
Malaleel	65		Iared.
Iared	162		Enoch.
Enoch	65		Mathusalah.
Mathusalah	187		Lamech.
Lamech	182		Noë.
Noë	500		Sem.
	100	pòst ingreditur arcam, anno ætatis 600. ineunte, *Gen.* 6.	

Summa

Summa colligit annos 1656. à creatione ad diluuium, & quidem completos, vt patet ex præced. theor. Quia si diluuium incidit mense Majo, annus M. 1656. præcedente Nisan, siue 25. Aprili, fuit absolutus.

V. Annos in historiâ sacrâ primitùs fuisse solares. Id patet ex historiâ diluuij. Cùm enim Noa integro anno in arcâ commoratus sit, conferenti tempora introitus & exitus, apparet, anni spatium esse duodecim menses lunares synodicos, & præterea vndecim dies, quos vocant epactas. Ingressus est enim Noa in arcam anno vitæ suæ 600. die 17. mensis secundi. Deinde mentio fit mensis septimi, & decimi. Tandem anno vitæ suæ 601. Noa iussus est egredi ex arcâ, die 27. mensis secundi. Efficiunt autem duodecim menses lunares synodici 354. dies. His si addas 11. dies à 17. die mensis secundi vsque ad 27. inclusiuè, constituetur iusta anni solaris quantitas, videl. dies 365.

VI. Semum esse natum anno Noë 500. ineunte. Dicit Moses *Genes. 5. vers. vlt* Noachum fuisse quingentûm annorum, quando genuit Sem, Cham, & Iapheth. Quibus verbis natalis annus definitur, vel istorum trium, vel duorum, vel vnius tantùm. Sed non definitur natalis vel trium, vel duorum simul: vt conceditur. Ergo vnius tantùm ex his tribus. Sed neque Iaphethi, neque Chami annus natalis indicatur: quia Moses in hoc catalogo intendit natales annos electorum patrum, ex quibus descendit Christus, tradere. Sem verò est ex illis electis patribus, non reliqui duo. Eius itaque natalem indicauit. Et verò si in hoc catalogo Patrum non traditur natalis Semi, nusquam à Mose traditur; & sic Chronologia Mosis erit manca. Huc accedit, quòd Moses *Genes. 11. v. 10.* ait, Semum biennio post diluuium fuisse centum annorum, quando genuit Arphaxadum. Itaque Sem, ingruente diluuio, incepit suum annum centenarium; & genuit Arphaxadum, secundo anno post diluuij initium, cùm ipse iam complesset annum ætatis centesimum, & ageret centesimum primum, qui fuit annus secundus post diluuij initium. Considera hunc typum.

An. M.
1056. Noë nascitur.
1556. Noë gignit Semum, anno ætat. 500.
1657. Incidit diluuium, & Noachi annus 600.
Semi verò 100. init.
1658. Sem complet annum 100. & gignit Arphaxadum.

Porrò *Genes. 10. vers. 21.* de Semo prædicantur duo ista: quòd fuerit אבי כל־בני־עבר hoc est, pater omnium filiorum Heber; deinde, quòd fuerit אחי יפת הגדול, id est, frater Iaphethi maior. Quod prædicatum æquè competit Semo, atque prius illud. Neque enim epitheton הגדול additur propter Iaphethum: quia illius mentio fit incidenter, Semi verò historia ibi texitur.

VII. Abrahami natalem incidere anno Tharæ 70. Hîc eodem modo argumentamur, vt commate præcedenti. *Gen. 11. vers. 26.* Tharach dicitur fuisse septuaginta annorum, quando genuit Abram, Nachor, & Haran. Quibus verbis definitur natalis annus vel trium istorum, vel duorum, vel vnius tantùm. Sed non illud, neque istud: vt conceditur. Ergo hoc. Sed non Nachoris, vel Haranis annus natalis indicatur; quia Moses in hoc quoque catalogo intendit natales annos electorum patrum, ex quibus Christus descendit, commemorare. Talis autem est Abraham, non reliqui duo. Nihil profectò interest scire annum natalem Nachoris & Haranis, sicut nihil intererat scire natalem Iaphethi & Chami. Interest autem scire annum natalem Abrahami, electi patris, à quo descendit Christus: quemadmodum paulò ante de Semo diximus. Accedit, quòd si in hoc catalogo patrum non traditur natalis Abrahæ, nusquam à Mose traditur; & sic Mosis Chronologia iterum erit manca. Stet itaque sententia, in catalogo Mosis, qui describit hoc loco genealogiam electorum patrum, definiri natalem Abrahæ patris omnium credentium. Itaque non anno 130 sed anno 70. Tharæ natus est Abraham.

VIII. Semum, & Abrahamum fuisse primogenitos. Sunt, qui dicunt Semum esse natum anno Noachi 500. & Abrahamum anno Tharæ 70. sed existimant, Iaphethum ante an. Noachi 500. & Haranem atque Nachorum ante 70. annum Tharæ natos esse. Verùm illa sententia non est probabilis: quòd patres generationum *Genes. 5. & 11.* omnes sint primogeniti, ne Setho quidem excepto. Nam in illum translatum fuit ius primogenituræ. Sed idem non potest dici de Semo & Abrahamo. Quare illi sunt primogeniti iure generationis, non verò translationis, vti Seth, itémque Iacob.

IX. Duas fuisse vocationes Abrahami. Vna facta est in Vr, quâ ille iussu Dei ex Vr profectus est in Charan: altera facta est in Charan, siue Charris, vt vocant, quâ idem iussu Dei ex Charan profectus est in Canaan. Et hæc posterior dicitur Patribus repromissio, q. d. repetita promissio. Cæterùm hæ duæ vocationes à Mose coniunctim narrantur tanquam vna *Genes. 11.* Sed ex *cap. seq.* & *Act. 7.* patet, distinctas fuisse.

X. A diluuio ad promissionem Abrahamo factam in Charris, esse annos 367. Hic epilogismus fundatur in genealogiâ Patrum *Gen. 11. & 12.* hoc modo.

Sem ——— 2 — anno post diluuium genuit Arphaxad.

Arphaxad — 35		anno ætatis genuit	Salah.
Salah — 30			Eber.
Eber — 34			Peleg.
Peleg — 30			Regu.
Regu — 32			Serug.
Serug — 30			Nahor.
Nahor — 29			Tharah.
Tharah — 70			Abraham.

Abraham — 75 — anno ætatis accipit mandatum & promissionem, & proficiscitur ex Haran.

Summa colligit annos 367. à diluuio ad secundam istam vocationem siue migrationem Abrahami. Itaque ista migratio incidit an. M. 2023.

XI. Annos 430. seruitutis Ægyptiæ Israëlitarum currere ab anno ætatis 75. Abrahæ vsque ad exitum Israëlis ex Ægypto. Apostolus *Gal. 3. 17.* à promissione Abrahamo factâ de semine benedicto, seu à fœdere Dei cum Abrahamo inito, vsque ad legis promulgationem quæ facta est 50. die post exodum, numerat annos 430. Hæc autem promissio, seu fœdus illud, describitur *Genes. 12. 1.* vbi Abraham natus annos 75. migrat ex Haran. Hinc itaque incipere oportet annos seruitutis Abrahamidarum, *Exod. 12. 41.* ita nempe, vt seruitus Ægyptia includat peregrinationem & commorationem in terrâ Canaan, & Ægypto, hoc modo. Abraham Charris profectus in Canaan, anno pôst 25. gignit Isaacum. Isaac anno ætatis 60. gignit Iacobum. Iacobus anno ætatis 130. ex Canaan proficiscitur in Ægyptum. Quæ summa colligit annos 215. peregrinationis & commorationis in terrâ Canaan. *Genes. 21. 5. cap. 25. 27. cap. 47. 9.* Commoratio & seruitus in Ægypto, inde à descensu Iacobi, vsque ad exitum Israëlitarum, est annorum 215. Itaque à 75. anno Abrahæ vsque ad exitum sunt præcisè anni 430. Quare idem est initium seruitutis Abrahamidarum, & profectionis Charrensis, seu repromissionis. Falluntur ergo, qui epocham hanc decennio post egressum Abrahami ex Chaldæâ in anno eius 86. figunt; aut etiam longiùs promouent, videl. in descensum Iacobi in Ægyptum. Etsi enim Moses *Exod. 12. vers. 41.* tempus inhabitationis exprimat solùm: tamen tempus peregrinationis Abrahami, & seminis eius in terrâ Canaan simul comprehendi, patet ex *Galat. 2.* Et ideò LXX. Interpretes *Exod. 12. v. 40* ita verterunt: ἡ δὲ κατοίκησις τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ, ἣν κατῴκησαν αὐτοὶ καὶ οἱ πατέρες αὐτῶν ἐν γῇ αἰγύπτῳ καὶ ἐν γῇ χαναὰν, αὐτοὶ καὶ πατέρες αὐτῶν, τετρακόσια τριάκοντα ἔτη. Et *Augustinus quæst. 47. in Exod.* sic reddit: Incolatus autem filiorum Israël, quem incoluerunt in terrâ Ægypti, & in terrâ Canaan, ipsi & patres eorum, anni 430. Ita quoque sentit Iosephus Iudæus, & cum illo omnes veteres. Neque est quòd obiiciant, tam breui temporis spatio, videl an. 215. familiam Iacobi non potuisse excrescere in tam numerosam multitudinem: quòd exierint ex Ægypto sexies centena hominum millia ad bellum apta. Quam obiectionem nihil esse, ita ostendo. Vnus ex istis patriarchis v. gr. Ephraim, si anno ætatis 20. vxorem duxit, singulis annis potuit gignere singulos liberos. Itaque anno 30. æt. habuit denos liberos. Anno 60. potuit habere nepotes 100. anno centesimo, 1000. pronepotes: anno centesimo vigesimo, 10000. abnepotes: anno centesimo quinquagesimo, 100000. atnepotes: anno centesimo octogesimo, 1000000. trinepotes: anno ducentesimo decimo, 10000000. posteros. Fac iam, liberos, nepotes, pronepotes, & abnepotes in Ægypto mortuos; & posteros, nondum esse armis aptos. Relinquuntur atnepotes 100000. & trinepotes 1000000. qui summatim sunt 1100000. Fac iterum hoc esse partim viros, partim fœminas. Reliquuntur viri 550000. ex vno Ephraimo, apti ad bellum. Hanc summam multiplica per 12. (tot enim sunt Patriarchæ) & exurgent 6600000.

Typus hic esto.

Anni seruitutis.

10.
20. ——— Ephraim anno æt. 20. ducit vxorem.
30. ——— Habet 10. liberos.
40.
50.
60. ——— 10. nepotes.
70.
80.
90.
100. ——— 1000. pronepotes.
110.
120. ——— 10000. abnepotes.
130. Hi omnes in Ægypto sunt mortui.
140.
150. ——— 100000. atnepotes. } Hi partim viri, partim mulieres.
160.
180. ——— 1000000. trinepotes.
190.
200.
210. ——— 10000000. posteri, armis nondum apti.

Porrò superest adhuc vnus scrupulus: quo sensu *Gen.* 15.13. dicatur, posteros Abrahami seruituros anni 400. Vbi aliis videtur numerus minor, vidcl. 30. omissus, vt solet fieri: aliis epilogismus arcessitur à nato Isaaco, id est, ab anno Abrahami 100. mundi 2049. vnde vsque ad exitum sunt anni 405. Itaque 400. numero rotundo, ponuntur pro 405. Sed alij rectiùs arcessunt ab anno M. 2053. quo Isaac est ablactatus, & eiecto Ismaële declaratus filius promissionis.

XII. Exodum incidere anno M. 2453. Id colligere est ex *theor.* 10 & 11. Nam à diluuio ad promissionem Abrahæ sunt anni 367. inde ad exitum 430 Summa colligit annos 797. à diluuio ad exodum. Additis annis diluuij 1656. sunt 2453. quo tempore accidit exodus.

XIII. Ab exodo ad templum Salomonis esse annos 480. Hoc interuallum habemus summatim 1. *Reg.* 6. v. 1. Partes eius ita colligimus. Ab exodo ad obitum Mosis sunt anni 40. Iosua præfuit annis 17. Sub Iudicum gubernatione transierunt anni 299. sub Eli pontifice, 40. sub Samuele & Saule 40. sub Dauide 40. sub Salomone ad templum fundatum 4. Ita colliguntur ab exodo anni 480. Ergo templi primi fundamenta iacta sunt ann. M. 2933. currente ab autumno; & quidem 12. Maii, feriâ sextâ: qui fuit annus 7. hebdomadis 62 & Iubilæi 9. Mosaici 42. qui est etiam septimus hebdomadis.

XIV. Iubilæum complecti annos 49. Complectitur enim quilibet Iubilæus septies septem sabbatismos, siue septies septem hebdomades annorum. *Leuit.* 25. hoc est, annos 49. solidos.

XV. Quemuis Iubilæum desinere cum anno septenario, siue cum septimo anno septimæ hebdomadis. Nam Iubilæi Mosaici supputandi sunt à sabbatis terræ: ita vt septem sabbata terræ sint tempus vnius Iubilæi; quanto tempore elapso oportebat celebrare Iubilæum, decimâ die mensis primi, anni quinquagesimi, qui annus quinquagesimus simul erat initium sequentis Iubilæi.

XVI. Quemlibet annum quinquagesimum esse vltimum præcedentis, & primum sequentis Iubilæi sabbatismi. Nisi enim hoc fiat, perturbabitur omnis ratio sabbatismorum, ita vt nullus annus septenarius sit sabbaticus. e. gr. annus 47. ab exodo, qui est annus M. 2500. est vltimus annus quinquagesimi Iubilæi mundani, idémque primus quinquagesimi primi Iubilæi mundani, & primi Iubilæi Mosaici At secundum alios est tantùm vltimus annus quinquagesimi Iubilæi, & annus 2501. est primus 51. Iubilæi mundani, & primus Iubilæi Mosaici. Ex hâc sententiâ sequetur omnes sabbatismos Mosaicos incipere & desinere non in septenariis, sed in octonariis annis. e. gr. primus sabbatismus incipiet ann. M. 2507. qui non est sabbaticus: nam per 7. diuisus relinquit vnitatem, siue primum annum hebdomadis. Secundus sabbatismus incipiet ab anno M. 2514. tertius ann. 2521. quartus ann. 2528. & sic deinceps omnes sabbatismi Mosaici claudentur anno primo hebdomadis annalis, non septimo, vt lex & natura sabbatismi requirit. Itaque ab initio Iubilæorum quilibet annus 50. clausit præcedens, & inchoauit sequens Iobel; & quiuis annus 8. clausit præcedentem, & inchoauit sequentem hebdomadem annalem: quomodo quilibet dies 8. ab initio mundi clausit antecedentem, & incepit sequentem septimanam diariam.

XVII. Iubilæos alios esse mundanos, alios Mosaicos Etsi Iubilæos instituit Deus per Mosen: tamen prophetice illos Chronologi sacri figunt in Epochâ mundi. Quanquam verò nos Epocham mundi figimus in vere: tamen Iubilæos & Sabbatismos, qui incipiunt ab autumno, non reiicimus. Nam annus dimidius à vere ad autumnum in hoc computo non curatur. Et verò solenne est, varias Epochas ad vnum anni principium alligare. Itaque quàm diligentissimè hoc notetur, primum annum M. ab autumno censeri primum hebdomadis annalis, sicut primus dies mundi censetur primus hebdomadis diariæ. Ab initio igitur mundi quilibet annus quinquagenarius clausit præcedens, & inchoauit sequens Iobel; & quiuis annus octonarius clausit præcedentem, & inchoauit sequentem Semitah, seu hebdomadem annalem. Ita annus M. 2500. clausit 51. Iubilæum mundi, & inchoauit simul 52. qui fuit primus Iubilæus Mosaicus, ab æquinoctio autumnali. Idem annus M clausit sabbatismum, 357. & simul inchoauit sabbatismum 358. mundi, qui fuit primus sabbatismus Mosis iniens.

XVIII. Iubilæos & Sabbatismos esse infallibiles characteres, secundùm quos præcipua interualla temporum in S. Literis consignata, definiri possunt. Hâc de re audiamus *Bucholcerum in Chronolog. fol.* 349. Non solùm, *inquit*, propter stirpem aut locum nascituri Messiæ ostendendum, sed etiam propter publicam Iudaicæ gentis Chronologiam conseruandam plurimùm profuit anni Iubilæi obseruatio. Nam venditiones secundùm Iubilæorum rationem instituebantur, & secundùm annos sabbatarios tempora exactissimè supputata in contractuum inscriptionibus consignabantur. Nec in his error aut confusio facilè incidere poterat, eò quòd in ipsis agrorum sulcis, ceu Iudæorum fastis, annorum numeri inscripti viderentur. Præclarum omnino Chronologiæ encomium est, quòd Deus ipse præcepit Israëlitis annorum certam supputationem: idque faciliùs & compendiosiùs fieri posse docuit per aristas (vt loquitur Melibœus Vergilianus) ac messes annuas, & monstrauit annorum supputandorum rationes per annos 50. *Et rursus fol.* 348 ait: Est autem operæpretium obseruare, quomodo Iubilæi Mosis successerint Iubilæis mundi, & quomodo illorum principium ab horum fine dependeat. Vbi igitur mundani Iubilæi finiunt, ibi Moses Iubilæos suos in Christum respicientes numerare incipit. Seruiunt ita institutioni & memoriæ lectoris. Hæc Bucholcerus. Sed non solùm institutioni & memoriæ inseruiunt Iobelæa & Sabbatismi, in Chronologiâ sacrâ: sed etiam sunt indubius character, ex quo præcipua interualla temporum certò diiudicari possunt; ita vt Iubilæorum & Sabbatismorum obseruatio verè sit κειμήλιον Ecclesiæ, quo illam ornauit Deus, vt sic veram temporum rationem conseruaret: vt doctè obseruat *Theobaldus Meuschius lib.* 1. *Chronolog. sacræ. pag.* 32.33.

XIX. Magnum illud interuallum ab initio M. ad vltimum excidium Hierosolymitanum, esse Iubilæum & Sabbaticum, hoc est, præcisè aliquot Iubilæos & Sabbatismos complecti, ita vt incipiat à primo, & desinat in vltimo Iubilæo & Sabbatismo. Etsi in tertium nostrum interuallum Scripturæ incidit initium Iubilæi & Sabbatismi Mosaici, putà in annum 47. ab exodo, qui est annus M. 2500. ab autumno iniens: tamen oportet κατὰ πρόληψιν Iubilæos & Sabbatismos in primo mundi autumno figere, vt *ex commate* 17. patet. Quare totum interuallum à creatione M. ad vltimum templi excidium complectitur tres epochas Iobilæas & Sabbaticas, quæ singulæ ineunt & desinunt annis Iobilæis & Sabbaticis. *Prima* est à primo mundi autumno, annorum 2499. Nam ab initio M. ad diluuium sunt anni 1656. inde ad natalem Abrahæ ann. 292. hinc ad vocationem Charrensem, siue repromissionem, anni 75. inde ad exodum Israëlis; 430. inde ad initium Iobelæorum Mosaicorum 46. Qui anni collecti faciunt 2499 Itaque annus M. 2500. quinquagenarius, & octonarius est, & primus primi Iubilæi & Sabbatismi Mosaici. Si enim diuidamus annos 2500. per 49. & per 7. videbimus eò vsque defluxisse 51. Iubilæa, & 357. sabbatismos: ita vt annus 2500. sit primus Iubilæi & Sabbatismi Mosaici iniens ab autumno. *Secunda* est à primo Iubilæo Sabbatismo legis, ad instaurationem templi secundi; & est annorum 1029. id est, Iubilæorum 21. & sabbatismorum 147. *Tertia* est à secundi templi instauratione, ad eius desolationem; & est annorum 490. id est, Iubilæorum 10. Sabbatismorum 70. Itaque à creatione mundi vsque ad excidium vrbis Hierosolymæ per Titum, sunt Iubilæi 82. Sabbatismi 574.

XX. Captiuitatis Babylonicæ annos LXX. deducendos esse à captiuitate Iechoniæ. Quatuor fuerunt captiuitates Babylonicæ, in quibus abducti sunt reges Iuda à regibus Babylonis. In primâ Manasses abductus est 2. *Paral.* 33. 11. In secundâ, rex Iojakim primò est mulctatus, & multi proceres abducti, inter quos fuit Daniel, *Dan.* 1.1. & post octo annos ipse rex deportatus est, quanquam in viâ obiit, *Ier.* 22. v. 18.19. In tertiâ abductus est Iechonias, eius successor, cùm regnasset menses 3. dies 10. vnà cum Ezechiele, & decem millibus hominum, 2. *Reg.* 24.14. Quarta, & postrema captiuitas contigit anno 11. Zedekiæ, vltimi regis Iudæorum, 18. anno Nebucadnezaris currente; quando vrbs & templum incendio perierunt. Nunc quæritur; vnde deducendi sint LXX. anni captiuitatis, de quibus aliquoties Ieremias prædixit? Respondetur vno verbo, à capto Iechoniâ. Inde enim orditur cum Ieremias *cap.* 29. 10. spondens Iudæis, qui cum Iechoniâ abducti fuerant, reditum in patriam post LXX annos. Et ideo Ezechiel à captiuitate sui & Iechoniæ annos suæ prophetiæ numerat. Et sanè eodem anno duo reges captiui abducti sunt, Iojakim & Iechonias. Meritò itaque ab illo arcessuntur anni LXX. captiuitatis Babylonicæ. Neque est, quòd aliquis dicat ex 2 *Paral.* 36. 21. annos captiuitatis incipere à desolatione vrbis, quòd ibi dicatur, toto destructionis tempore fuisse sabbatum terræ, donec complerentur LXX anni. Propheta enim non dicit, donec complerentur LXX. anni ab vrbis destructione; sed simpliciter, donec complerentur LXX. anni, à Ieremiâ scil. prædicti. Is autem prædixit annos captiuitatis.

XXI. A templo fundato ad captiuitatem Babylonicam, esse annos 417. Salomon regnauit an. 40. 1 *Reg.* 11.42. Subtrahe annos 4 priores vsque ad fundationem templi. Relinquuntur anni 36. vsque ad diuisionem regni, quæ statim contigit post mortem Salomonis. Inde, vsque ad Iechoniam sunt anni 381. Additis 36. sunt 417. Tot itaque anni lapsi sunt vsque ad captiuitatem, inde à fundatione templi primi. Ergo captiuitas accidit an. M. 3350

XXII. A fundatione templi primi ad eius excidium per Nebucadnezarem, esse annos 427. Sume annos 36. commate præcedenti; & adde annos 390. regum Iuda ad 11. an. Zedekiæ, *Ezech.* 4. v. 5. 6. itémque vltimum annum Zedekiæ. Exurgent anni 427. hoc modo.

Roboam

Reges	anni	
Roboam	17	an. præeſt ſummæ rerum.
Abia	2	
Aſa	41	
Ioſaphat	25	
Ioram	8	
Ochozias	1	
Athalia	6	
Ioas	40	
Amaſia	29	
Azaria	52	
Iotham	16	
Achaz	16	
Ezechias	29	
Manaſſes	55	
Amon	2	
Ioſias	31	
Ioachas	3. menſ.	præeſt.
Eliakim	11. an.	
Iechonias	3. menſ.	
Zedekias	10. an.	

Hæc ſumma colligit annos 396. Nam annus 1. Ochoziæ includitur partim octauo patris Iorami, præcedentis; partim primo Athaliæ matris, ſequentis. Et menſes 3 Iechoniæ pertinent ad primum annum Zedekiæ, cuius anno 11. Hieroſolyma eſt exciſa, *Ier.* 39. 2. Stetit igitur templum Salomonis annos 427. ſolidos.

XXIII. *Annos CCCX C. apud Ezechielem c.* 4. *v.* 5, 6. *incipere à diuiſione regni, & deſinere in excidio templi.* Demonſtratio eſt in commate præced.

XXIV. *A captiuitate Babylonicâ ad exaltationem regis Iechoniæ eſſe annos ſolidos* 36. Hoc temporis ſpatium exprimitur *Ierem.* 52. *v.* 31. 2. *Reg.* 25. *v.* 30. Vnde etiam intelligimus, annum 37. à captiuitate, eſſe primum Euilmerodachi Nebucadnezaris. †.

XXV. *Ab exaltatione Iechoniæ ad ſolutionem captiuitatis, eſſe annos* 34. Tot enim anni ſunt à principio Euilmerodachi ad initium monarchiæ Cyri, anno M. 3421. quo facta eſt ſolutio captiuitatis. Confer *theor ſeq.* 27.

XXVI. *Solutionem captiuitatis, & initium monarchiæ Cyri concurrere.* Hiſtorici tria initia tribuunt Cyro: primum à regno Perſico, quod omnes ad vnum referunt ad primum annum Olympiadis 55. Secundum refert Canon mathematicus regum Babyloniæ in annum expugnati Nabonidi (qui eſt Darius Medus *Dan* 6.) à Cyro, anno Nabonaſſari 207. qui eſt annus 21. regni Cyri in Perſia. Tertium initium Cyri ſumitur à primo anno monarchiæ Babylonicæ, qui fuit annus 32. regni eius in Perſiâ. Et Hic eſt annus, quo laxata eſt captiuitas Babylonica. Atque hæc eſt cauſa, quòd Daniel tantùm primi & tertij anni regni Cyri, nempe monarchici, meminit. Nam 31. annus regni eius Perſici, fuit primus imperij monarchici; & 33. regni Perſici, fuit ſecundus & vltimus imperiorum; & vitæ ipſius.

XXVII. *Solutionem captiuitatis Babylonicæ incidere an. M.* 3421. Annus captiuitatis Babylonicæ fuit vltimo Iojakimi, & primo Iechoniæ, mundi 3350. qui eſt quartus hebdomadis. nam 3350. diuiſa per 7. relinquuntur 4. Adiectis annis LXX. captiuitatis Babylonicæ integris, fiunt anni M. ſolidi 3420. Itaque anno 3421. facta eſt ſolutio. Is autem eſt quintus hebdomadis. Sic itaque annus primus Cyri & libertas Iudæorum eodem charactere ſacro ſunt inſignes.

XXVIII. *A primo anno Cyri, ad ſecundum annum Darij Nothi, ſeu à ſolutione captiuitatis Babylonicæ ad inſtaurationem templi Zorobabelis, eſſe annos* 107. Quantitas huius interualli non exprimitur in Scripturis. Ibi enim ſolùm indicantur termini, à quo & ad quem, quòd nempe inſtauratio templi ſecundi dilata ſit à primo anno Cyri vſque ad ſecundum Darij Nothi. Quantum autem fuerit hoc ſpatium, id ex Græcâ regum Perſicorum hiſtoriâ nobis indagandum eſt. Neque eſt, quòd obiiciat aliquis, Græcos ſcriptores ſcindi in varias opiniones de tempore monarchiæ Perſicæ: quòd alij plures, alij pauciores annos illi tribuant. Nam ex notatione eclipſium apud Ptolemæum per annos Nabonaſſaris indubitatò erui poteſt veritas. Accedit epilogiſmus huiuſmodi.

Cyri annus 33. ſeu vltimus.	1.	
Cambyſis anni 7. menſ. 5.	an. 8.	
Magorum menſes 7.		
Darij Hiſtaſpis anni	36.	
Ahaſueri, ſeu Xerxis, anni	21.	
Artabani menſ. 7. includuntur 21. Xerxis.		
Artaxerxis Longimani an. 40.		
Xerxis II. menſ. 2.	includuntur an. 40.	
Sogdiani menſ. 7.	Longimani.	
Darij Nothi annus	1.	

Hi anni collecti, & additi ad an. M. 3421. qui eſt libertatis Iudæorum per Cyrum, datæ, dant annum M. 3528. qui eſt ſecundus Darij Nothi. Obſerua tamen, inclusiuè etiam numerari annos 108. à ſolutione captiuitatis ad 2. Darij Nothi.

XXIX. *Septimanas, LXX. Danielis, hoc eſt, annos* 490. *currere ab anno ſecundo Darij Nothi ad excidium templi ſecundi.* Hoc theorema probatur ex *Dan.* 9. *Hagg.* 1. *Zach.* 1. *Eſdr.* 4. 24. *c.* 5. *v.* 1. 2. *Matth.* 24. 15. *Marc.* 13. 14. *Luc.* 21. 20. His enim locis exprimitur terminus à quo, videlicet edictum regis efficax de inſtauratione templi & politiæ Iudaicæ: & terminus ad quem, putà excidium vrbis & gentis. Itaque excidium illud contigit anno M. 4018. Nam 490 adiectis ad 3528. qui eſt annus 2. Darij, exit iſta ſumma.

XXX. *Tres æras exoticas, Olympiadum, Vrbis conditæ, & Nabonaſſari, ritè connexas cum ærâ Chriſti, eſſe columnas Chronologiæ ſacræ & exoticæ, ſiue omnium ſynchroniſmorum, hoc eſt collationis Chronologiæ ſacræ & profanæ.* Nam iſtæ æræ dirigunt hiſtoriam Græcam, Romanam, & Mathematicam. Figimus autem principium æræ Olympiadicæ in anno mundi 3174. quia Chriſtus conſenſu omnium paſſus eſt anno Olympiadum ſeu Iphiti 808. ad finem currente, hoc eſt, anno 4. Olympiadis 202. ita vt annus M. 3982. quo Chriſtus paſſus eſt, curiat cum anno Olympiadico 808. ad finem currente. Itaque natiuitas Chriſti incidit anno Olympiadico 774. ſeu anno tertio Olympiadis 194. Deinde, epocha Vrbis conditæ incipit anno 24. poſt Olympiades, ſine anno M. 3198. ita vt Chriſtus ſit natus anno. V. C. 750. paſſus anno V. C. 785. Denique epocha Nabonaſſari incipit anno mundi 3204. anno 30. poſt Olympiades, 6. poſt V. C. ita vt Chriſtus ſit natus anno Nabonaſſareo 744. paſſus an. Nabonaſſ. 779. Atque hæc eſt connexio quatuor iſtarum epocharum. Vnde patet nos cum primo anno æræ Chriſti Dionyſianæ, hoc eſt, cum anno M. 3950. copulare annum Nabonaſſareum 747. V. C. 753. Iphiteum 777. Olympiadis 195. annum 3 Cur verò inquiat aliquis, non retines connexionem anni Nabonaſſarei 749. Is enim currit cum primo æræ Chriſtianæ labente anno, omnium mathematicorum ſuffragiis, ſi vnum Gerh. Mercatorem exceperis, qui ponit iſto loco annum 748. Reſp. Epilogiſmus captiuitatis ſolutæ, & LXX. ſeptimanarum Danielis eſt in causâ. Nam ſolutio captiuitatis incidit anno M. 3421. & ſeptimanæ Danielis incipiunt an M. 3528. & deſinunt anno M. 4018. Itaque oportet æram Nabonaſſari affigere anno M. 3204. vt ipſius connexio cum primo anno Merodachi, & ſeptimo anno Cambyſis, qui neceſſariò iuxta calculum iſtum ſacrum incidit an. M. 3429. poſſit obtineri. Deinde non ſolus Mercator annum Nabonaſſari 748. copulat cum anno 1. Chriſti Dionyſiano, ſed etiam Heluicus. Denique, ingenuè fateor, me mihi necdum ſatisfacere in hâc meâ connexione.

XXXI. *Chriſtum natum eſſe anno M.* 3947. *currente à vere, circa initium Octobris, anno Herodis* 37. Dauid poſteritatem Aharonis in XXIV. familias ita diuiſit, vt ſingulæ hebdomadam integram in templo operarentur. 2. *Paral.* 24. Hæc conſuetudo fuit interrupta per Antiochum. At Iudas Maccabæus in Encæniis ſuis ordinem iſtum inſtaurauit. Prima igitur claſſis, nimirum Ioiarib. biduo ante Encænia, 22. Nouembris, anno M. 3786. incepit functionem ſuam. Claſſis autem Abiæ, quæ ordine octaua erat, poſt dies 49. aggreſſa eſt miniſterium ſuum ſabbato, quod congruebat 10. diei Ianuarij. Inde ad ſabbatum 21. Iulij anno mundi 3946. quo iniuit ephemeria Abiæ, fluxerunt anni 159. dies 192. Itaque die 28. Iulij impleti fuerunt dies miniſterij Zachariæ, quo die reuerſus eſt in montana patriæ ſuæ, *Luc.* 1. 23. Ergo Euangeliſmus Zachariæ, & conceptio Iohannis incidit in hebdomadam, quæ ſecuta eſt proximè poſt 28. die Iulij. Itaque natalis Iohannis contigerit circiter finem Aprilis, anno M. 3947. Sunt autem quinque menſes ſolidi à conceptione Iohannis ad conceptionem Domini, *Luc.* 1. 26. Itaque Chriſtus conceptus eſt circa initium Ianuarij anno M. 3946 natus anno M. 3947 currente à vere, circa initium Octobris, ante feſtum tabernaculorum. Huc accedit, quod Chriſtus baptizatus eſt anno æt. 30. completo, & 31. ineunte; *Luc.* 3. 23. Incidit autem is annus in 16. Tiberij, *Luc.* 3. 1. hoc eſt in an. vrbis Romæ 781. qui eſt an. M. 3978. Deductis triginta annis & vno, relinquitur annus mundi 3947. vindicandus natali Chriſti. Porrò, Chriſtus paſſus eſt feria ſexta. 3. Aprilis, anno ætatis ſuæ 35. anno 20. Tiberij, ſeu V. C. 784 qui eſt an. mundi 3982. cyclo ☽ 15. ☉ 14. plenilunio Eclipticò, literâ Dominicali D. Subductis 35. à 3982. relinquuntur anni mundi 3947 pro natali Chriſti. Cæterum quod diximus Chriſtum natum eſſe circa initium Octobris, egregiè conſonat cum circumſtantiâ temporis *Luc.* 2. de excubiis nocturnis & campeſtribus paſtorum ſub Chriſti natiuitatem, & de infante Chriſto in præſepi repoſito. Neque enim hæc conueniunt brumæ. Conſentiunt etiam Euſebius, Clemens Alexandrinus, Caſſiodorus, Maximus monachus, Cedrenus (qui etiam diem definit, videl. feriam 4 ſeu diem Mercurij) Proſper, Sigebertus, Marianus Scotus, Cuſpinianus, Scaliger, Alſtedius, & alij. Porrò Chriſtus natus eſt anno Herodis 37. ſiue penultimo. Nam Herodes cœpit regnare anno M. 3910. & regnauit anno. 38.

XXXII. *In Scripturâ S. duas eſſe tantùm epochas, quæ habent characterem cœleſtem, & poſſunt mathematicè demonſtrari.* Prima eſt Exodi Iſraëlitarum: ſecunda, eſt feria ſexta

 paſſionis

paſſionis Chriſti. Et primò quidem epochæ Exodi, præter ſabbatiſmum, quoque accidit character demonſtratiuus, feria videlicet 5. à quâ inimit plenilunium. Niſan,ſeu paſchale.Nam 21.dies menſis 2.ſiue Iiar, fuit ſabbatum. Quoniam *Exod.* 15. populus Iſraël, 15. die menſis Iiar, venit in deſertum Sin. Sexto die poſt decimum quintum fuit paraſceue, hoc eſt, feria ſexta, *verſ.* 5 22.23.Ergo dies ſeptimus, nempe 22.Iiar.fuit ſabbatum Ideo & neomenia eiuſdem fuerat ſabbatum;ac proinde, plenilunium primi menſis, decimâ quartâ lunâ,quâ Ægyptum reliquerunt, fuit feria 5. Ergo die Iouis ſub noctem reliquerunt Ægyptum, comeſo paſchate. Primum igitur paſcha comederunt veſpere diei Iouis, ſiue feriæ quintæ ciuilis, cùm iam poſt occaſum ſolis iniiſſet feria ſexta, & luna decima quarta ſecundùm calculum aſtronomicum Iudæorum: ſicut etiam Chriſtus in fine feriæ quintæ ciuilis comedit cum diſcipulis ſuis vltimum paſcha die Iouis veſpere, & ſequenti feriâ 6. ciuili ſeſe pro nobis in arâ crucis, tanquam verus agnus, DEO obtulit: ita vt momenta ferè primi & vltimi paſchæ coincidant. Porrò annum paſſionis Chriſti incidere anno M. 3982. ſic probatur. Chriſtus paſſus eſt feriâ ſextâ in decimaquartâ Niſan Iudaici. Oportet itaque quærere cyclos, qui proferant feriam iſtius diei & menſis. Huiuſmodi autem ſunt iſti cycli, ☉ 14. ☽ 15. lit. Domin. D. Qui cycli dant annum M. 3982.

XXXIII. *Connexionem annorum Chriſti cum annis Auguſti Cæſaris & Tiberij pendere ab anno baptiſmi Chriſti:* Lucas euangeliſta nuſquam ſcribit, Chriſtum baptizatum eſſe 15.anno Tiberij, ſed tantùm eo anno teſtatur Iohannem vocatum eſſe ad ſuum munus.Hoc itaque Iohannes inchoauit anno Tiberij 15.ad finem vergente, quo tempore Chriſtus impleuit annum ætatis ſuæ 30. Itaque annus Chriſti 31. currit cum 16. anno Tiberij,à die 19.Auguſti iam inito. E. annus Chriſti 15. currit cum 56. Auguſti,anno M.3962. quo accidit defectio lunæ,paucis hebdomadibus poſt mortem Auguſti.Connexionem diſce ex hoc typo.

Anni M.	Anni Cæſ.	Anni Chriſti.
3902.	1. Iul.Cæſ.	
3.	2.	
4.	3.	
5.	4.	
6.	5.	
7.	1. Auguſtus Cæſ.	
8.	2.	
9.	3.	
10.	4. Hic eſt primus annus Herodis.	
3947.	41.	Chriſtus naſcitur.
8.	42. Hic eſt annus Herodis 38.& vltim.	1.
9.	43.	2.
3960.	54.	13.
1.	55.	14.
2.	56.	15.
3.	1. Tiberius.	16.
4.	2.	17.
3975.	13.	28.
6.	14.	29.
7.	15.	30.
8.	16.	31. Chriſtus baptizatur.
9.	17.	32.
3980.	18.	33.
1.	19.	34.
2.	20.	35. Chriſt⁹ patitur.

Malè igitur baptiſmus Chriſti vulgo refertur ad annum Tiberij decimumquintum. Cæterùm Chriſtus natus eſt anno M. Iuliano 3947. currente,putà menſe Octobri. Æra itaque figitur in proximo Ianuario anni Iuliani 3948.

XXXIV. *A baptiſmate Chriſti vſque ad eius paſſionem, annos fluxiſſe quatuor cum dimidio.* Interceſſerunt enim quinque paſchata. Primum, poſt ſuſceptum baptiſmum, poſtquam aquam vino mutauit, *Ioh.*2.13.Secundum,*Luc.*6.1.*Iohan.*4.45. Tertium,*Ioh.*6.4. *Marc.*6.56. Quartum, *Luc.*9.51.*Ioh.*7.2.Ibi enim exprimuntur Scenopegia ante Paſcha quartum; hîc, poſt illud Quintum, *Iohan.*11. 55. quo tempore Chriſtus paſſus & mortuus eſt, feriâ 6.*Marc* 16.9.Deinde hoc idem ita probatur. Tres annui fuerunt Pontifices inter Annam, quo Pontifice baptizatus eſt Chriſtus,*Luc.*3.& Caipham,ſub quo occiſus eſt. Tres illi Pontifices fuerunt Iſmaël, Eleazar, & Simeo. Itaque Chriſtus vixit annos 34½.

XXXV. *Æras exoticas à poſteriori non malè applicari certo anno M.* Nam quia hunc theſaurum ſoli Scripturæ ſacræ debemus, quòd annos M. inde à creatione M. ad vltimum excidium vrbis Hieroſolymæ poſſumus definire,vt *num.*1.probauimus: oportet vt in applicatione ærarum exoticarum ad annos M.ſequamur cynoſuram S. literarum. Sic e.gr.quæritur in quo an.M. figenda ſit æra Nabonaſſari. Scaliger orditur eam ab an. M.3202.alij ab an.M.3205. alij ab an. 3200 alij aliter. Nos ordimur ab anno M. 3204. hoc argumento demonſtratiuo à poſteriori. Solutio captiuitatis Babylonicæ incidit anno M. 3421. qui etiam eſt primus annus monarchiæ Cyri. Itaque annus ſeptimus Cambyſis incidit anno M.3429.quo accidit Eclipſis, quæ diſtat ab Eclipſi, quæ facta eſt anno primo Merodachi,annis 198.diebus 119. Itaque peruenio ad annum M. 3230. Primus verò annus Merodachi eſt 27.Nabonaſſaris.Itaque æra Nabonaſſaris incipit anno M. 3204. Et hæc quidem ratio eſt ineluctabilis. Sic enim à primo anno Merodachi ad ſeptimum annum Cambyſis ſunt anni 198. dies 119. & annus ſeptimus Cambyſis incidit neceſſariò in an.M.3429.neceſſe eſt vt primus annus Merodachi incidat in an.M.3230. Rurſus,ſi primus annus Merodachi eſt 27.poſt Nabonaſſarem,neceſſe eſt vt primus Nabonaſſaris ſit 3204.annus mundi.Sed hîc vrget me ſcrupulus ἀδιάλυτος. Nam ex Ptolemæo conſtat, vt videre eſt paulò pòſt in Chronologiâ Eclipſium, hanc eſſe connexionem annorum Nabonaſſaris,& aliquot Imperatorum Romanorum.

Anni		
Nabonaſſ.	Imperator. Rom.	Chriſti vulg.
a. 840.	12. Domitiani.	92.
b. 845.	1. Traiani.	98.
c. 880.	17. Adriani.	133.
d. 886.	2. Antonini.	138.
e. 887.	3. Antonini.	139.

Quæ connexio nos ducit ad annos M. a.4043. b 4048. c.4083. d. 4089. e. 4090. Sed hâc ratione à natiuitate Chriſti ſeu anno M.3947 ad annum 12.Domitiani,ſeuM.4043.ſunt anni 96.cùm ſecundùm æram Chriſti veram debeant eſſe tantùm 94.ſecundùm vulgarem 92. Neque eſt, quòd aliquis contendat, æram Nabonaſſari eſſe promouendam in an.M.3202.Ità enim calculum ſibi conſtare. Conſtat quidem ita ſibi calculus mathematicus. Sed non ita conſentit cum calculo ſacro;qui,vt dixi,annum 1 Cyri figit anno M. 3421. & annum primum LXX ſeptimanarum Danielis an. M.3528.Ego itaque deſpero huius nodi ſolutionem.

XXXVI. *Chriſtum natum eſſe anno* 43.*Auguſti,ſecundùm æram Dionyſ.* Eclipſis ſolaris, authore *Dione lib.* 60 conſpecta fuit anno Chr. 45. M. Vinicio ſecundùm & Statilio Coruino Coſſ.Kalendis Auguſti,qui erat natalis Claudij.Conſtat autem ex Dione, & alijs authoribus, qui Coſſ.paria diligenter adnotarunt,horum conſulatum congruere cum 5.annoClaudij.Eclipſis hæc quærenda eſt inter annum Chr.40.& 50.Teſtantur autem tabulæ aſtronomicæ anno Chr.vulgari 45.ipſis Kalendis Auguſti fuiſſe Eclipſin ſolarem.Deinde *Plinius l.*2.*c.*70 docet,Vipſano &Fontejo Coſſ.apparuiſſe Eclipſin ſolis;quā tabulę aſtronomicæ referunt ad. an. Nabonaſſari 806. qui conſentit cum anno Chr. Dionyſiano 59.Aprilis 30.cū an Neronis 6.Vnde cōficitur,Claudium imperare cœpiſſe anno Chr. vulgari 41. Obiit igitur Tiberius an. Chr.vulg.37.d.16.Martij, anno imperij 23. quia Caligula occiſus fuit anno Chr 41.poſtquam tribus annis, decem menſibus, & octo diebus imperaſſet Porrò, ex Suetonio & aliis conſtat, Auguſtum obiiſſe 19. die menſis ſui. Fluebat autem annus 23. ab obitu Auguſti,cùm Tiberius moreretur menſe Martio. Quare Auguſti obitus pertinet ad an. Chr. Dionyſianum 14. qui eſt periodi Iulianæ annus 4727. Imperio Auguſti tribuuntur anni ſolidi 56. Eodem enim die obiit,quo imperium ſuſcepit. Quare imperare cœpit anno periodi Iulianæ 4671 qui eſt an. M. 3907. E quibus euidens fit, natalem Domini ex putatione Dionyſiana cadere in annum imperij Auguſti 43. ὅπερ ἔδει δεῖξαι. Iſte vero annus Auguſti eſt annus mundi 3949. periodi Iul. 4713. exiens. Verùm epocha iſta vno ſaltem anno, à Dionyſio mutilata eſt, vt doctiſſimi quique concedunt vel,vt Scaliger demonſtrat biennio;vel,vt alij volunt,quadriennio. Itaque iuxta Dionyſium caput periodi Iul. præcedit æram Chriſti annis 4713. ita vt annus 4714. periodi Iul. connectendus ſit cum primo anno Chriſti Dionyſiano.

CAPVT IV.

De Epochis chronologicis.

PRÆCEPTA.

EPocha chronologica eſt illuſtre temporis initium, vnde annos, menſes, & dies in antecedentia & conſequentia numeramus.

Ea conſideratur in genere,& in ſpecie.

In genere epocha chronologica diuiditur quinque modis.

I. eſt

I. Eſt epocha vniuerſalis, vel particularis. Illa eſt, quâ vtuntur integræ gentes, vt eſt epocha natiuitatis Chriſti: Hæc eſt, quâ vtuntur Imperatores, Reges, Papæ, Vrbes. Nam illi numerant annos ab initio imperij & fundationis.

II. Eſt epocha ſacra, vel profana. Illa reſpicit res diuinas, vt eſt epocha creationis mundi, vel natiuitatis Chriſti: Hæc in vſu politico habet locum, vt eſt epocha Olympiadum. Sacris Chronologis dicitur epocha exotica.

III. Epocha eſt primaria, vel ſecundaria. Illa eſt vna apud quamlibet gentem: vt eſt æra natiuitatis Chriſti apud Chriſtianos, & æra creationis mundi apud Iudæos: Hæc eſt varia, vt apud Iudæos eſt æra ab exilio Franciæ, Portugalliæ &c. apud Chriſtianos æra paſſionis Chriſti.

IV. Epocha eſt Aſtronomica, Hiſtorica, vel Prophetica. Illa eſt vſitata Aſtronomis: vt æra Nabonaſſari, & variæ epochæ eclipſium: Iſta in hiſtoriarum monumentis cernitur, vt ſunt anni vrbis conditæ: Hæc à prophetis eſt vſurpata, vt eſt epocha annorum 490. Danielis cap. 9. & epocha annorum 666. in Apocalypſi cap. 13.

V. Epocha eſt hiſtorica, vel proleptica. Illa in tempore hiſtorico, hæc in proleptico.

Epochę in ſpecie conſiderantur abſolutè, & relatè.

Abſolutè attenditur ipſarum ordo & initium, hoc modo. Primò ſunt epochæ ante Chriſtum.

I. Epocha mundi conditi: quæ nobis incipit ab æquinoctio verno, Scaligero ab autumno.

II. Epocha Iudaica: quæ incipit ab autumno, & eſt merè Aſtronomica & τεχνική. Talis etiam eſt epocha periodi Iulianæ, &c.

III. Æra ab exitu ex Ægypto: cuius initium ducitur ab Aprili.

IV. Æra ſeu epocha ab ædificato templo: cuius initium ſumitur à Maio.

V. Epocha annorum Sabbaticorum & Iubilæorum, iniens ab autumno, & durans à poſſeſſione terræ Canaan ad excidium Hieroſolymitanum.

VI. Epocha Troiani excidij, incipiens à 16. Iunij, & durans vſque ad tempora tertiæ monarchiæ. Eò enim vſque deducitur à Diodoro.

VII. Æra Nabonaſſari; cuius initium ſeu caput vagatur per totum annum, donec ſpatio annorum 1461. ad primum terminum redeat.

VIII. Æra Olympiadum; quæ initium capit à nouilunio circa ſolſtitium æſtiuum menſe Iulio.

IX. Æra Iphiti; qui inſtaurauit agonem Olympicum.

X. Epocha Romæ, ſeu Vrbis conditæ; quæ incipit à 21. Aprilis, & ita notatur V.C.

XI. Epocha LXX ſeptimanarum Danielis; quæ iuxta Scaligerum incipit ab autumno, iuxta Funccium à vere.

XII. Epocha periodi Calippi; incipiens à 28. Iunij, in nouilunio ſolſtitij æſtiui.

XIII. Epocha annorum Philippeorum; quæ incipit à 12. Nouembris. Dicitur etiam epocha mortis Alexandri.

XIV. Epocha periodi Iulianæ Scaligeri; quæ eſt proleptica. Talis etiam eſt æra mundi Græcorum.

XV. Æra Chaldæorum ſeu Babylonis; incipiens ab anno Semiramidis 18.

XVI. Æra Seleucidarum; quæ eſt triplex. 1. Iudaica, incipiens à 13. Martij. A Iudæis vocatur æra contractuum: quia Iudæi in contractibus ſuis illâ vtebantur. *Hebraicè vocant* Minian Staros, *id eſt, epocham contractuum.* 2. Alexandrea, ſeu Antiochena, incipiens ab autumno. Dicitur etiam æra Syro Græcorum, item Dhil-Karnaim, quaſi dicas bicornem. Arabes eam inchoant ab Octobri. 3. Chaldaica; quæ initium capit à Vere ſubſequente. Vocatur etiam Macedonica.

XVII. Æra Dionyſii Ægyptiaca; quæ incipit à 25. Martij.

XVIII. Æra Maccabæorum; quæ incipit à 24. Nouembris.

XIX. Æra Tyriorum; quæ allegatur ab Euſebio.

XX. Æra Antiochena; incipit annis 48. ante æram Chriſtianam.

XXI. Epocha anni Iuliani; quæ initium ſumit à Kalendis Ianuarij.

XXII. Æra Hiſpanica; quæ incipit itidem à Kalendis Ianuariis.

XXIII. Epocha annorum à cæde Cæſaris; quæ init Idibus Martiis. Hæc æra non longè ſe extendit.

XXIV. Æra annorum à Conſulatu primo Auguſti; quæ init 22. Septembr.

XXV. Æra victoriæ Actiacæ; quæ duplex eſt. Vna à pugnâ ad Actium promontorium 2. Septemb. Altera à captâ Alexandriâ & morte Cleopatræ; id quod 29. Auguſti, anni ſequentis, accidit, integro ferè anno poſt pugnam Actiacam.

XXVI. Epocha Auguſtorum; quæ inchoatur à 14. Februarij.

XXVII. Æra Laodicenſium, item Edeſſenorum, & Aſcalonitarum; quæ allegatur ab Euſebio. Huc etiam refer æram Philadelphenſium, Damaſcenorum, Gazenſium, &c.

Atque hæ ſunt epochæ ante Chriſtum. Poſt Chriſtum hæ occurrunt.

I. Æra Chriſtiana; quæ à Kalendis Ianuarij ſumit initium ex ſupputatione Dionyſij Exigui monachi, qui vixit tempore Iuſtiniani Imperatoris.

II. Agones Capitolini; qui incipiunt à Kalendis Ianuarij.

III. Æra Diocletiani; quæ incipit anno Chriſti 284. à die 29. Auguſti. Dicitur etiam epocha Æthiopum, Abyſſinorum, & Coptitarum, id eſt, Martyrum: item æra Gratiæ.

IV. Æra ab encæniis vrbis Conſtantinopolitanæ; quæ incipit ab 11. Martij.

V. Æra Indictionum; incipiens à 24. Septembris.

VI. Hegira, ſeu æra Arabum & Turcarum; quæ incipit anno Chriſti 622. die 15. Iulij, vel à 16. Iulij iuxta Scaligerum.

VII. Epoca Perſarum, ſeu æra Iezdagird; quæ incipit anno Chriſti 632. 16. Iunij.

VIII. Epocha Gregoriana; quæ incipit anno 1582. 15. Octobris.

IX. Æra Alphonſi, regis Caſtiliæ & Legionis; quæ incipit anno Domini 1252. Kal. Iunij, qui putatur eſſe dies ἐνθρονισμοῦ.

Epochæ relatè conſiderantur in ſyſtematis annorum chronologicis; vti ſunt luſtra, periodi, polyeteres, menſes magni, ſeptimanæ magnæ, & dies magni, vt ſint ſex claſſes iſtorum ſyſtematum.

In primâ igitur claſſe ſunt luſtra, hoc ordine.

I. Luſtrum Iulianum; quod eſt ſyſtema annorum quatuor Iulianorum, quorum vltimus eſt dierum 366. abſolutorum, ſine horarum reliquatione.

II. Luſtrum Romanum, quòd eſt quinquennium abſolutum

III. Luſtrum minuſculum caniculare Ægyptium, quod eſt ſyſtema quatuor annorum Ægyptiacorum dierum 1460. Græcis ἔτος κυνικὸν μικρὸν.

IV. Luſtrum caniculare Iulianum; quod eſt ſyſtema annorum Iulianorum 4. dierum 1461.

V. Luſtrum maximum caniculare Iulianum; quod

eſt

est systema lustrorum minusculorum Iulianorum 365. annorum Iulianorum 1460. Ægyptiacorum 1461. quo interuallo Thoth redit ad eundem diem Iulianum. Dicitur ἔτος κυνικὸν μέγα.

VI. Lustrum maximum caniculare Ægyptiacum; quod est systema annorum Ægyptiacorum 1461. quo interuallo Thoth ciuilis redit ad Thoth hierophanticum Iulianum, vnde profectus est. Græcis ἐνιαυτὸς Θεοῦ.

VII. Maximum lustrum Persicum; quod est systema duodecim magnorum mensium, hoc est annorum Ægyptiacorum 1440. quo interuallo mensis, qui ab initio princeps erat, in primum locum restituitur. Dicitur Salchodai, hoc est, annus Dei.

In secundâ classe sunt periodi, hâc serie.

I. Periodus Iuliana; quæ est systema annorum septem millium nongentorum octoginta, ducto cyclo magno in indictionem, hoc est 532. in 15. Est autem hæc periodus duplex: videlicet proleptica, quæ dicitur prior periodus Iuliana temporis proleptici, itemque periodus Iuliana postulatitia: & historica, in cuius annum 764. iuxta Scaligerum incidit creatio mundi.

II. Periodus Dionysiana; quæ est systema annorum 532. Aliâs dicitur Cyclus magnus, de quo paulò antè: item Cyclus solaris maior.

III. Periodus Calippica popularis; quæ est systema annorum Græcorum popularium 76. qui totidem Iulianis æquantur, interuentu nouem embolismorum, id est Posideone nouies intercalato.

IV. Periodus Calippica principalis; quæ est dierum 27759. annorum Iulianorum absolutorum 76. mensium πρυτανείας 940. qui simul 76. annis Græcorum popularibus æquantur. Dicitur aliâs ἑβδομηκοντα-εξαετηρὶς πρυτανείας Calippica.

V. Periodus Iudaica; quæ hoc anno Christi 1629. complectitur annos 5389.

VI. Periodus hebdomadica; quæ est systema septem τριακονταετηρίδων, quo interuallo neomeniarum Mucharram characteres in orbem redeunt.

VII. Periodus Iuliana Ecclesiæ Constantinopolitanæ; quæ ab Adamo ad Christum numerat annos 5500.

VIII. Periodus magna Hagarena, quæ est systema annorum Iulianorum 228. constans ex tribus periodis Calippicis absolutis. Aliâs dicitur periodus Damascena.

In tertiâ classe sunt polyeterides, hoc modo.

I. Tetraëteris; quæ est interuallum siue systema quatuor annorum. Aliâs Olympias, quæ continet quadriennium. Dicitur etiam Tetraëteris popularis, quæ est systema quatuor annorum Græcorum inter duo plenilunia aut nouilunia interiectum, communis quidem dierum 1447. embolimæa dierum 1477.

II. Octaëteris popularis, quæ est systema annorum Græcorum octo, dierum 2924. inter duo nouilunia aut plenilunia interiectum, constans duabus Tetraëteridibus, vnâ communi, alterâ embolimæâ.

III. Octaëteris Harpalea; quæ est periodus octo annorum πρυτανείας, dierum absolutorum 2924. mensium πρυτανείας 99.

IV. Dodecaëteris Chaldaica Genethliacorum est systema 12. annorum in orbem recurrens.

V. Enneadecaëteris Metonica πρυτανείας; quæ est periodus 19. annorum, dierum absolutorum 6940. mensium πρυτανείας 235.

VI. Triacontaëteris Arabica; quæ est systema annorum Arabicorum 30. nouemdecim quidem communium, vndecim autem ὑπερημέρων. Dicitur aliâs cyclus lunaris Arabicus.

VII. Eicosipentaëteris σεληνιακή; quæ est systema annorum Ægyptiacorum 25. in quo interuallo epactæ lunares in orbem redeunt.

In quartâ classe sunt menses magni.

I. Mensis magnus Neuruz; qui est systema annorum Ægyptiacorum 120. quo vertente Persæ mensem dierum 30. intercalabant.

II. Mensis propheticus; qui est systema annorum 30. *Apoc.* 11.*v.*2.*vbi* 42. *menses efficiunt annos* 1260.

In quinta classe sunt septimanæ magnæ.

I. Hebdomadas annalis remissionis; quæ est systema annorum 7. in orbem recurrens. Huius annus septimus dicitur annus Semittah, licet & ipsa hebdomas dicatur Scemittah. *Huiusmodi septimanas intellige Dan.* 9.

II. Iobel siue Iubilæus; qui est systema annorum lunarium 49. siue systema septem hebdomadum annalium.

III. Septimana prophetica; quæ est systema septem annorum.

In sextâ classe sunt dies magni, vt est dies propheticus & euangelistarum.

Dies propheticus est annus solaris, vel lunaris, vel, vt alij volunt, est annorum 365. *Prioris significationis exemplum est Apoc.* 11.*v.*3 *Dan.*12.

Dies Euangelistarum est quadriennium Iulianum annorum Gratiæ æræ Diocletianeæ; cuius quadriennij anni singuli vni ex quatuor Euangelistis sunt cognomines; primus Matthæo, secundus Marco &c.

III. Dies deorum, ἡμέραι θεῶν; qui sunt quadriennium in annis Actiacis Ægyptiorum, cuius lustri anni singuli Deo alicui Ægyptiaco sunt cognomines.

R E G V L Æ.

I. *Epocharum munus est, vt ad eas, tanquam ad præfixum terminum tempora priora & posteriora conferantur: aliâs* titulus temporis historici *dicitur.*

Epocha idem est quod inhibitio siue retentio: quia per illam quod in continuo est motu & fluxu, retinetur & figitur, vt reliqua inde mensurentur. Estque duplex; Astronomica, & Chronologica *Epocha Astronomica* est locus cœli certus, lineâ monstratus, à quo motus numeratur: aliâs dicitur *Radix motuum cœlestium*, & definitur locus, quem sidus determinato tempore occupat. Quanquam etiā epocha Astronomica alio sensu dicitur principium temporis, quod Astronomi obseruant: quâ de re paulò pòst. *Chronologica* est in tempore principium certum & illustre, vnde annos, menses & dies, in antecedentia & consequentia numeramus. Et hæc consideratur hoc in loco. Nam & in historiis & in Ephemeridibus atque Kalendariis, quæ temporum normæ sunt epochæ insigniores annotandæ sunt, vt annorum series & connexio teneri queat. Aliâs dicitur *Radix temporis*; quia ab illâ tanquam fundamento & termino reliqua tempora supputantur. Aliâs etiam dicitur AERA: quæ vox est corrupta. Hispani enim, cùm ipsis admodum salutare esset imperium Augusti Cæsaris, curarunt, vt rerum actarum annos ab Augusto repeterent. E. gr. Acta sunt hæc Toleti, Kalendis Martij. A. ER. A. CCL: id est, Annus erat Augusti 150. Tabelliones autem vnam vocem fecerunt *Aera*. Sunt qui & *Heram* vocant, id est, monarchiam. Quæ vox est corrupta Hispanica. Sic *Hera Cæsaris*, est ipsius monarchia. Cæterùm variæ apud varios sunt epochæ siue æræ: vt apud Christianos vulgatissima est *epocha natiuitatis Christi*: cui vicina est *æra passionis Christi*. Secunda *epocha* est *mundi conditi*, quæ particularibus epochis absoluitur, vt est epocha diluuij, promissionis Abrahamo factæ, exitus Israëlitarum, templi Salomonis, captiuitatis Babylonicæ, excidij Hierosolymitani, septuaginta hebdomadum Danielis. Et hæ quidem dici solent *epochæ ecclesiasticæ*. Cum his conferri solent *epochæ ciuiles*, seu politicæ, quæ occurrunt apud historicos & Astronomos: quales sunt Olympiades, epocha vrbis Romæ conditæ, epocha Syrorum siue Syrogræcorum, epocha anni Iuliani, epocha correctionis nouæ, quæ dicitur Gregoriana & Pontificia, item Liliana & Clauiana: quia à Gregorio XIII. est publicata per Lilium & Clauium. Item epocha Hispanorum ab Augusto Cæsare, quæ dicitur *æra æris*: item epocha Æthiopum seu Abyssinorum, quæ etiam dicitur Martyrum Coptitarum, & Diocletiana: item epocha Arabum & Turcarum, quæ dicitur

dicitur Hegira epocha Perſarum, eaque duplex, Ieſdagirdica, & Gelalæa. Huc quoque pertinent epochæ illæ Romanorum, epocha Actiacæ victoriæ, epocha Auguſtorum, itemque Auguſti. *Aſtronomicæ* quoque epochæ hic ſunt conſiderandæ, vt epocha Nabonaſſari, epocha mortis Alexandri, epocha Ieſdagird Aſtronomica. Porrò omnis, quæ de temporum ratione inſtituitur diſputatio, munimentum habet certum & definitum: quod eſt ipſa epocha quæ Græcis dicitur παράπηγμα, Cenſorino titulus. Id autem duplex eſt, ἀφ' οὗ, & ἐφ' ὃ, *vnde & quod*: hoc eſt, vnde rationes temporum deducuntur, & quo referuntur. Ii ſunt termini interuallorum, a quo ad quem. Vno enim tantùm poſito nullum eſt interuallum, non magis quàm punctum eſt linea. Sed quod inter duo puncta interiacet, id linea eſt: & quod inter duos terminos, interuallum. Hæc commutantur. Τὸ ἀφ' οὗ enim fieri poteſt τὸ ἐφ' ὃ: & contrà τὸ ἐφ' ὃ poteſt eſſe τὸ ἀφ' οὗ. Illud fit, quando vetuſtior epocha antecedit; hoc, ſi poſterior epocha alia ab eo deducatur. E.gr. a primâ Olympiade vſque ad hunc labentem annum Dionyſianum 1629. fluxerunt anni 2404. Huius interualli prior terminus, ſiue παραπηγμα ἀφ' τῷ eſt prima Olympias, τὸ ἐφ' ὃ eſt annus Chriſti propoſitus. *Scaliger in prolegom. Chron. Euſeb.*

II. *Triplex eſt ratio initij epocharum.*

Primò enim quarundam initium conſtat, & in diem annumque certum incidit. *Deinde* quarundam initium vagatur per totum annum, vt Nabonaſſaréa, Philippéa, Hegira, Iezdegirdica &c. *Denique* quarundam initium eſt ignotum, vel certè controuerſum: vt initium epochæ mundi & natalis Chriſti.

III. *Duæ ſunt principes epochæ, mundi videlicet conſtituti per creationem, & reſtituti per Chriſtum.*

Duas igitur has epochas inprimis oportet reſpicere Chriſtianos, & quidem cum deuotâ gratiarum actione. Quid enim præclarius, quid perenni memoriâ dignius dari aut cogitari poteſt, quàm mundi primique hominis primâ conditione, eiuſque per Chriſtum redemtione?

IV. *Epocha mundi conditi figenda eſt in æquinoctio verno.*

Eſt quidem perinde, quocunque menſe mundum ortum fuiſſe, quiſpiam ſentiat: ſed inaccurato tamen Chronologiæ calculo neceſſe eſt, certum aliquem terminum figi, vt anni rectè inter ſe comparari queant, Iudæi itaque *Roſch haſſchanah.* id eſt, caput anni celebrãnt menſe Tiſri, & mundum in autumno eſſe conditum aſſeuerant. Cui ſententiæ adſtipulantur plurimi Chriſtiani, & nominatim Ioſephus Scaliger, itemque Dauid Origanus, qui ſex rationibus hanc ſententiam aſtruit *iſagog. part* 1. *de temp.* Sed nobis probatur ſententia, quæ tenet, mundum eſſe ortum primo vere. Nam Deus *Exod.* 12 mandauit, vt menſem. Abib, qui ſucceſſu temporis appellatus eſt Niſan, pro anni exordio obſeruarent: quod poſtea quoque in Eccleſiaſticis negotiis fecerunt Iudæi, & adhuc faciunt. Quæ anni ratio & ordinatio dubio procul eſt omnium optima. Non eſſet autem omnium optima, ſi non exactè congrueret cum natali mundi. Neque moramur quod obiiciunt, illam anni rationem ſic conſtitutam fuiſſe in memoriam miraculoſæ liberationis ex Ægypto. Nam hoc non impedit, quò minùs illa anni ratio congruat exactè cum πήξει ſiue natali mundi. Et certum eſt, Deum populo ſuo illam anni epocham præſcripſiſſe, vt illam anni rationem, quam ab Ægyptiis acceperant, omitterent. Cæterùm ſiue in vere, ſiue in autumno figatur πῆξις κόσμου, in chronologiâ ſemper oportet annum Iulianum cogitare, & proinde auſpicari à Kalendis Ianuariis.

V. *Anni Iubilæi & Sabbatici decurrunt ſeptenario.*

Septimus enim quiſque eſt Sabbaticus iniens ab autumno, & ſepties ſeptimus eſt Iubilæus. Hi anni etſi durant à poſſeſſione terræ Canaan ad excidium Hieroſolymitanum, Iudæi tamen etiamnum iis vtuntur.

VI. *Epocha ab excidio Troiano ſæpe occurrit apud profanos authores.*

Nominatim illâ vtitur Diodorus, eamque deducit vſque ad tempora tertiæ monarchiæ.

VII. *Æra Nabonaſſari eſt celeberrima Aſtronomorum æra.*

Quis fuerit Nabonaſſarus, anxiè quæritur. Rectè autem ſtatuit Scaliger, ipſum fuiſſe primum regem Babyloniorum, poſtquam anno 20. Atticæ à Medis defecerunt. Non igitur eſt Nabopallaſſarus, qui fuit parens Nebucadnezaris, & decimuſſextus à Nabonaſſaro: neque etiam eſt Salmanaſſar, aut Baladan pater Merodachi: ſed fuit primus ille rex, qui claruit anno mundi 3208. Huic virtutis ergò, ac propter libertatem aſſertam Chaldæi nouam epocham inſtituerunt, a quâ omnia Aſtronomiæ ratiocinia putari cœpta. Cenſorinus porrò ad ſua tempora, annum Chriſti 238. Aliter vocatur æra annorum Ægyptiorum, & æra Nabonagarau. Hæc æra Nabonaſſaréa valde familiaris eſt Ptolemæo, qui ipſam deducit ad ſua vſque ſub Antonino Imperatore tempora Alphonſo dicitur æra Nabuchodonoſor. Sed, vt diximus, vſitatè Nabonaſſari.

VIII. *Decem æræ commemorantur ab Alphonſo: quas operæ pretium eſt memoriâ tenere.*

Decem ſunt æræ apud Alphonſum.

Ab Alphonſo celebrantur octo æræ, præter æras Adami & diluuij: quas; ſunt enim Chronologiæ cuſtodes fidiſſimæ, ex illo proponemus hoc loco, & ex mente ipſius illarum interualla exhibebimus: quorum ductu æras ſingulas annis periodi Iulianæ, & annis Chriſti aptabimus, itidem ex mente Alphonſi.

Æra diluuij præcedit æram Chriſti annis Romanis 3101. diebus 319. ab anno 1612. periodi Iulianæ, Februarij 17. feriâ quintâ.

Æra Nabuchodonoſor (qui Ptolemæo Nabonaſſar dicitur) præcedit æram incarnationis annis Rom. 746. dieb. 310. ab anno 3967. periodi Iulianæ, Februarij 26. feriâ quartâ. Hîc obſerua, primum annum Nabonaſſari incipere a 26. Februarij: ſed inde regreſſum fieri vno die per ſingula quadriennia, ob intermiſſam intercalationem

Æra Philippi patris Alexandri poſterior eſt æra Nabonaſſari annis Rom. 423. dieb. 260 ab anno 4390. periodi Iulianæ Nouemb. 12. feriâ primâ.

Æra Alexandri, Arabibus DhilKarnaim dicti, ab æra Nabonaſſareâ diſtat annis Rom. 435. dieb. 118. ab anno 4401. periodi Iul. Kalend. Octobr. feriâ ſecundâ. Eadem præcedit æram Chriſti annis Rom. 311. dieb. 93.

Æra Cæſaris præcedit æram incarnationis annis Rom. 38. die vno Atque hæc eſt æra Cæſaris Hiſpanica, ab anno 4676. periodi Iulianæ, Kalend. Ian. feriâ primâ.

Æra Diocletiani poſterior eſt æra incarnationis annis Rom. 283. dieb. 141. Incidit in annum periodi Iul. 4997. Auguſt. 29. feriam ſextam.

Æra Arabum, Alhegiræ dicta, ſequitur æram Chriſti annis Rom. 621. diebus 195. atque ita incidit in annum periodi Iulianæ 5335. Iulij 15. feriam quintam.

Æra Iezdagird regis Perſarum diſtat ab æra incarnationis annis 631. dieb. 167. & incidit in annum 5345. periodi Iul. Iunij 16. feriam tertiam.

Æra Alphonſi regis Caſtiliæ & Legionis diſtat ab æra Chriſti annis Rom. 1251. dieb. 152. Incidit in annum periodi Iulianæ 5965. Kal. Iun. feriam primam.

Æra Adam præcedit æram diluuij annis Rom. 3882. diebus 277. ann. periodi poſtulatitiæ 5709 Maij 15. feria ſextâ. Vnde ab Adamo ad Chriſtum Alphonſus numerat annos 6984. dies 231.

Æra iſta Alphonſina *Adami & diluuij* è motibus cœleſtibus videntur conquiſitæ. In hac enim planetæ iunguntur in Aquario: & primo æræ die Sol Aquarium recens ingreſſus erat. Ab æra creationis inchoata eſt prima periodus anomaliæ Augium, quæ annis Romanis 7000. abſoluitur. Secundæ periodi initium fuit anno Chriſti 16. Illo creationis anno cyclus Solis fuerit 25. literæ Dominicales E D. Quare 10. Maij. feriâ primâ, eſt primus creationis dies. Sol creatus 13. Maij, feriâ quartâ, & ſequenti die (vt docent tabulæ Alphonſinæ) factum eſt æquinoctium vernum, feriâ quintâ. Adam à Deo creatus 15. Maij, feriâ 6. & Maij 16. primum Sabbatum. Iſtuc proculdubio reſpexêre Alphõſinini duabus his æris conſtituendis. Periodus poſtulatitia eſt altera periodus Iuliana hanc noſtram præcedẽs, cuius anno 5709. cõgruit æra Adami, ab Alphõſinis poſita. Hîc obiter placet indicare, qualis fuerit Alphonſus. Fuit autem Caſtellæ & Legionis rex. Et poſtquam patri, anno Chriſti 1252. Kal Iunij, in regnis ſucceſſiſſet, Aſtronomiæ ſtudio accenſus, conuocatis ad ſe Mauris, Iudæis, aliiſque artis peritiâ claris viris, nouas motuum cœleſtium condidit tabulas, quibus de genere humano optimè eſt meritus. Has Scaliger vocat optimas, ſicut Prutenicas moroſiſſimas. Medio inter Ptolemæum & Alphonſum æuo vixit Albateni Arabs, inſignis Aſtronomus: cuius in motu Lunæ obſeruationes ſecuti videntur Alphonſini.

IX. *Ptolemæus commemorat æras ſeu epochas aſtronomicas numero tredecim.*

Epochæ Aſtronomicæ quot apud Ptolemæum.

Illarum antiquiſſima eſt epocha Nabonaſſari, ad quam reliquæ

liquæ reducuntur. Omnes autem incipiunt à neomeniâ primi mensis Thoth, ita exigente calculo Astronomico: ne quis fortè putet, reges omnes, qui hîc ponuntur, habenas imperij suscepisse in principio anni Ægyptiaci.

		Die
Æra Nabonassari cœpit, Periodi Iulianæ.	3967.	Febr. 26.
MardoKempadi,	3993.	Febr. 20.
Nabopallassari	4089.	Ian. 27.
Cambysis	4185.	Ian. 3.
Darij primi	4193.	Ian. 1.
Alexandri Magni obitus	4390.	Nou. 12.
Philadelphi	4429.	Nou. 2.
Philometoris	4519.	Sept. 12.
Augusti Cæsaris	4684.	August. 13.
Domitiani Imperatoris	4784.	Aug. 3.
Trajani	4810	Iulij 30.
Adriani	4819.	Iulij 25.
Antonini	4850.	Iulij 20.

Celeberrima Græcorum æra quæ?

X. *Olympiades sunt celeberrima Græcorum epocha.*

Olympiades initium capiunt à nouilunio circa solstitium æstiuum mense Iulio. Quod nouilunium semper in principium primi anni Olympiadici incurrebat. Sequente plenilunio olympicus agon celebrabatur, qui pro locorum diuersitate in Elide Olympias, apud Phocenses Pythias, in Isthmo Isthmias, in Achaiâ Nemeas vocabatur. Decimosexto die iudicium ferebatur de victoriâ. Olympias autem dicitur tetraëteris, quia quarto quoque anno exacto celebrabatur: item pentaëteris, quòd quinto anno in orbem redibat. Quemadmodum autem annus Iulianus post quadriennium absolutum recipit diem intercalarem: ita quondam Græcorum anno dies solidus inserebatur, simulque certamina in honorem Iouis Olympici edebantur in Elide, Peloponnesi regione: ad quorum spectationem tota penè Græcia confluere solebat. Agon iste Olympicus ab Hercule & Pelope olim institutus, per multa secula intermissus erat Instaurator istorum certaminum est Iphitus, à quo anni Iphitæi, seu æra Iphiti, quæ nihil est aliud quàm Olympiadum anni collecti: vt Olympiades decem continent annos 40. Igitur Olympiadis vndecimæ primus annus est 41. Iphiti annus. Vtraque hæc epocha est basis historiæ Græcæ, apud Græcos & Romanos scriptores frequentissima: & perdurat ad tempora vsque Censorini. Vtitur quidem & Socrates scriptor Ecclesiasticus ærâ Olimpiadum, sed paulò aliter ac veteres. Porrò prima Olympias celebrata fuit anno periodi Iulianæ 3938. secunda anno 3942. tertia an. 3946. & ita deinceps, quato quoque anno exacta. Prima autem Olympias est quadriennium istud, à primis ludis ad secundos; secunda Olympias est alterum quadriennium à secundis certaminibus ad tertia. Et vnaquæque Olympias distinguitur in annum primum, secundum, tertium, & quartum. Sunt autem perpetuò hi anni Olympiadici post singulos centenarios 2.6.10.14.18.22.26. 30.34.38.42.46.50.54 58.62.66.70.74.78.82.86 90.94 98. nec in alios annos periodi Iulianæ incurrere possunt certamina Olympica. Prima siquidem Olympias incidit in annum 3938. periodi Iulianæ.

Epocha V.C. quàm antiqua?

XI. *Epocha vrbis Romæ posterior est epochâ Olympiadum.*

Epocha vrbis Romæ à multis ante ætatem Romuli constituitur. Sed malè. Est enim posterior epochâ Olympiadum annis ferè 43. quod ita patet: Romuli natiuitas incidit in annum periodi Iulianæ 3943. Martij diem 24. conceptio in annum periodi 3942. Iunij 24. quo die Sol defecit. Roma ab ipso condi cœpta anno periodi Iulianæ 3961. quo anno æquinoctium fuit die 28. Martij Iuliani, meridie, quo luna fuit coniuncta Soli. Iam prima Olympias acta est anno periodi Iulianæ 3938. secunda anno periodi 3942. Vnde iam patet Epilogismus annorum 43. quibus Olympiadum æra prior est ærâ vrbis conditæ.

Epocha septimanarum Danielis vnde colligatur?

XII. *Epocha septimanarum Danielis ex termino potest colligi certissimè.*

Terminus autem statuitur in excidio vrbis. Vide *Dan. c. 9 v. 26. & Matth. 24. v. 15.*

Periodi Calippi.

XIII. *Calippi periodi citantur sæpe à Ptolemæo.*

Periodi Calippi constant ex 4. cyclis Metonicis decennouenalibus seu lunaribus: & inchoantur 28. Iunij, in nouilunio solstitij æstiui, quod proximè secutum est cladem Darij & Actiacam victoriam Alexandri ad Arbelam vel Gaugamelam. Sæpe citantur à Ptolemæo. Exactis tribus Calippicis Hipparchus nouam construxit ex quatuor Calippicis.

XIV. *Anni Philippéi à morte Alexandri numerati sunt prorsus eiusdem formæ cum Nabonassaréis.*

Nam annus 425. à Nabonassaro est primus annus Philippéus à morte Alexandri, incipiens cum eodem Nabonassaréo 12. Nouembr. Vtitur Philippéis Ptolemæus: item Clemens, Eusebius, Censorinus, Alphonsus, Albatenius, & alij. Hîc teneatur regula: Æra Philippi planè congruit cum ærâ ab obitu Alexandri Ptolemaicâ.

XV. *Seleucidarum æra non est vnius generis.*

Triplex enim eius initium obseruatum est apud authores. *Primò* sunt anni Seleucidarum Iudaici; quæ Iudæis dicitur æra contractuum, incipiens verno tempore. Hâc epochâ vtitur author lib. 1. Maccabæorum & Iosephus. *Deinde* sunt anni Alexandrini siue Antiocheni, ab autumno. His vtuntur Astronomi & Arabes. Albatenius vocat *Terich Dil Karnaim,* id est, æram δικέρωτος, scil. Alexandri Nam *DhilKarnaim,* teste Scaligero est *δικερως, bicornis.* Notum est enim, quomodo Alexander credi voluit filius Iouis Ammonis. Postquam ille pedem extulit ex oraculo Ammonis, ex eo tempore Cyrenæi, qui Iouem cornutum in numismatis suis sculpebant, cœperunt pro Ioue Alexandrum cornutum in illis cudere. Sunt tamen qui existimant, sic dictam à duobus cornibus seu imperiis, quæ ex Alexandrino sunt nata præcipua. Dicitur aliâs æra regni Grecorum, & Syro-Græcorum, item Alexandréa Seleucidarum. *Tertiò* sunt anni Chaldaici, qui sumunt initium à vere, quod sequitur autumnum Alexandrinæ æræ. Vocantur etiam anni Macedonici. His vtitur Ptolemæus, & author libri secundi Maccabæorum.

XVI. *Æra Dionysii Ægyptiaca concurrit cum initio Philadelphi.*

Quando videlicet viuente adhuc patre rex declaratus fuit. Ptolemæus aliquoties vtitur: & iuxta nonnullos Sirach in præfatione.

XVII. *Æra Maccabæorum durat vsque ad expugnationem vrbis, estque annorum 127.*

Hæc æra incipit à Iudæ Maccabæi sacerdotio, & templi repurgatione. Init. 25. die Casleu, seu 24. Nouembris. Est & alia *Hasmonæorum æra* à primo anno Simonis 1. Maccab. 13. Verùm cùm præter initium nulla illius in historiis extent exempla, non ita frequentatur à Chronologis.

XVIII. *Tyriorum æra ab Eusebio allegatur, & à Concilio Chalcedonensi.*

In actis autem Concilij Chalcedonensis putatur annus 574. à Tyriorum coloniâ deductâ. non quòd verè à coloniâ illâ numeretur (æra enim ab aliâ causâ instituta iam à priscis temporibus retenta fuit) sed quia ita à vulgo putabatur, & Acta publica illis annis signabantur. Nam in annis & temporibus citandis plerumque vulgi consuetudinem, non rationem sequimur: vt in annis Antiochensium Alexandreis, qui ab Alexandro putantur, cùm tamen à Seleuco potiùs deducendi essent. Idem de annis Diocletiani & Iezdegird pronuntiat Scaliger.

XIX. *Æra Antiochena incipit à libertate vrbis recuperatâ.*

Ita scil. plurimæ vrbium epochæ deducuntur à tempore αὐτονομίας αὐτῶν. Hæc æra Antiochena occurrit apud Eusebium, Euagrium, Cedrenum, & Nicephorum.

XX. *Epocha anni Iuliani incipit à correcto, scil. Iulij Cæsaris opera, Kalendario.*

Romulus enim instituerat annos 10. mensium contra luminarium duorum duodecim congressus in anno quolibet. Irrepserant & alia incommoda; quæ Iulius Cæsar sustulit. Hæc Cæsaris æra anno 1582. reformata est à Gregorio XIII. Pontifice Romano: quæ dicitur æra seu epocha Gregoriana: item Liliana & Clauiana.

XXI. *Æra Hispanica est prorsus Iuliana.*

Æra Hispanica dicitur *æra æris,* fisco scil. Romano soluendi. Hæc est antiquior natiuitate Christi annis 38. integris. Est autem prorsus Iuliana, nisi quòd sex annis seriùs in Hispaniam sit introducta. Frequens est in tomis Conciliorum, & antiquis Hispaniæ monumentis, ac vocatur simpliciter *Æra.* Desiit

fuit in Arragoniâ anno Christi 1358. in Castiliâ, anno 1383. in Portugalliâ anno 1415. vbi extincta prorsus est.

XXII. *Annus Actiacus, Augustorum, & Augustanus, tria sunt.*

Annus Actiacus vnitate antecedit annum Augustorum: annus Augustorum biennio prior est anno Augustano, hunc in modum. Epocha Actiaca est duplex. Vna à pugnâ ad Actium promontorium 2. Septembris: altera à captâ Alexandriâ & morte Cleopatræ, id quod accidit 29. Augusti, anni sequentis, integro ferè anno post Actiacam victoriam. Epocha igitur Actiaca sic dicta κατ' ἐξοχήν, anno antecedit annum Augustorum, qui dicitur epocha Actiaca ab anno mortis Antonij & Cleopatræ, & dicitur χρηματισμὸς θεῶν σεβαστῶν, hoc est, *Æra deorum Augustorum.* Censorino dicitur annus primus Augustorum. Sed subintelligendum deorum. Etenim quamdiu Ægyptij anno vago vsi sunt, habebant, quemadmodum & veteres Persæ, omnes dies anni, alicuius dei cognomines, aut herois, aut, vt ipsi vocabant, ἡμιθέων. Incidat Thoth in ortum Caniculæ. Annus primus cum tribus sequentibus, erat cognominis illius dei, cuius & cognominis erat prima dies Thoth. Eodem modo secundum quadriennium erat cognomine dei aut herois secundæ Thoth, tertium tertiæ, & sic deinceps, donec omnia lustra numero 365. in totum anni vagi contextum erogata essent: qui fiebant anni 1460. quæ dicitur periodus Canicularis magna, aut ἔτος κυνικὸν μέγα. Præterquam quòd lustrum solidum erat cognomine alicuius diei anni, etiam singuli anni lustri singulis diis cognomines erant: quorum quasi tutela erant. Primus sine ne dubio erat Σῶθις, *Canicula*, quia ad ortum Caniculæ dirigebatur. Secundus Ἶσις: quia Σῶθις ab Ægyptiis dicebatur Canis Isidis. Tertius Osiris: quia erant σύνθρονοι θεοὶ, & alter sine altero non erat. Quartus Ὧρος, qui erat deus anni. Et annos ipsos, annorumque quadrantes vocabant Ὧρας, Propterea quadriennia illa vocabantur ἔτη θεῶν. Postquam autem Ægyptij edicto Augusti singulis quadrienniis absolutis, vnũ diẽ ταῖς ἐπαγομέναις addidere, tunc anni vnius quadriennij vocari cœpti ἔτη θεῶν Σεβαστῶν, ἔτη θεῶν Αὐγούστων, cùm antea dicerentur ἔτη θεῶν, item ἔτη θεῶν συνθρόνων. Sic ἡμέραι θεῶν, quæ ita simpliciter vocabantur antiquitùs in vsu anni soluti, item ἡμέραι θεῶν σύνθρονον, accepto anno Iuliano, & intercallatione diei ex quadrantibus consurgentis, vocari cœperunt ἡμέραι θεῶν Σεβαστῶν, *Dies deorum Augustorum*: quia edicto Augusti ad eam anni formam recipiendam redacti sunt. Alexandrina autem Ecclesia, ne vllum priscæ Ægyptiorum superstitionis vestigium relinqueret, pro illis quatuor diis Ægyptiacis, quibus quatuor Tetraëteridos Iulianæ anni cognomines erant, quatuor Euangelistarum nomina substituit. Porrò æra Actiacâ vtuntur Ptolemæus, Iosephus, Eusebius, & Censorinus. Tempore Diocletiani ab eiusdem ærâ prorsus extincta est. Ad annos denique Augustanos quod attinet, illi inchoantur 14. Febr. cùm Octauius in Senatu Augustus appellatus est: cùm pacatis rebus Ægypt. imperium offerret Senatui. Hi sunt apud Censorinum. Nec alibi inuenias.

XXIII. *Agones Capitolini ad imitationem Olympiadum à Domitiano sunt instituti.*

Huius epochæ meminerunt Suetonius, Clemens Alexandrinus, Censorinus, & Occurrit etiam in antiquis Domitiani nomismatis.

XXIV. *Diocletiani æra apud Africanos & Æthiopas Christianos etiamnum hodie in vsu est.*

Cùm Diocletianus multa præclarè gessisset, & tanquam deus adorari vellet, præcepit vt initium regni sui obseruarent, & annos inde nominarent. Cœpit anno Christi 284. Dicitur *æra Martyrum*, & Coptitarum, à regione & ciuitate prope Nilum, vbi multitudo Christianorum fuit affecta exquisitissimis suppliciis. Hîc obserua, annum persecutionis istius non esse decimumnonum Imperij Diocletiani, vt multi volunt, sed æræ ipsius, vt rectè monet Scaliger: ita vt eadem sit æra Diocletiani & Martyrum. Vocatur etiam æra Gratiæ. Hâc vtuntur Ambrosius, Epiphanius, Euagrius, Beda, Hermannus Contractus. Desita vulgò vsurpari, anno Christi 532. cùm æra Dionysiana inolesceret. Dionysius quippe ὁ μικρὸς damnatâ tyranni memoriâ numerauit annos à natiuitate Christi. Sed apud Africanos & Æthiopas Christianos etiamnum hodie in vsu est. Vnde appellatur epocha Æthiopum, & Abyssinorum.

XXV. *Æra Indictionum est vel Cæsarea, vel Pontificia.*

Indictionum æra frequens est apud historicos tum Græcos, tum Latinos, post Constantinum Magnũ. Est autẽ nunc duplex. *Vna* dicitur Cæsarea, quæ incipit à 24. Septembris, & eius caput est in anno Christi 312. Instituta à Constantino Magno: ante quem tamen etiam fuit quædam Indictio, vt suprà euicimus. *Altera* dicitur Pontificia, quæ inchoatur à 25. Decembris.

XXVI. *Æra Arabum incipit anno Christi 622. Iulij 15. feriâ quintâ.* Æra Arabum.

Æra Arabum dicitur etiam Turcarum, item Muhammedana, item æra Hegiræ vel Alhegiræ, & simpliciter Hegira, à fugâ scil. Muhammedis ex Mecchâ in ciuitatem Iethrib. Hanc Scaliger inchoat à 16. Iulij, feriâ sextâ. Constat annis lunaribus. Illâ vtuntur annales Turcici & Saracenici, Alcoranus, & epistolæ Turcicæ. Quia verò Muhammedes simia Christianorum est in multis, principium æræ suæ eâdem appellatione notauit, quâ Christiani suam à Diocletiano. Vt enim æra Diocletiani est æra martyrij; ita etiam æra Muhammedis dicta est Hegira: quod nihil est aliud, quàm martyrium, aut διωγμὸς ὑπὲρ τῆς θρησκείας

XXVII. *Æra Iezdagird cœpit anno Christi 632. die 16. Iunij, feriâ tertiâ.* Æra Iezdagird.

Dicitur hæc æra Persica, item Iezdagirdica, ab vltimo Persarum rege Iezdagirdi, quem vicit Othman Saracenus. Constat annis lunaribus. Eâ vtuntur Alfraganus & Arabes. Altera Persarum æra dicitur *Geladæa*; quæ incipit à rege Persarum Sultan Gelal, & aliter dicitur *Senachi Gelal*, id est annus maiestatis, ob singularem promulgatoris, vel etiam ipsius anni dignitatem. Incidit in annum Christi 1079.

XXVIII. *Periodus Iuliana à Scaligero excogitata, est epocha temporis Astronomici & Chronologici certissima.* Periodi Iulianæ præstantia, origo & vtilitas.

Huius periodi originem & vtilitatem paucis tradere, maximum fuerit operæpretium. Audiamus autem primò ipsum huius periodi authorem. Sic autem ille *can. isag. p. 274.* Quemadmodum ex duobus cyclis vtrusque sideris in se ductis magnus cyclus nascitur annorum 532. ita ex Indictione in magnum cyclum ductâ, hoc est 15. in 532. producitur magna periodus annorum 7980. Quia igitur Chronologus opus habet apparatu aliquo annorum, ad quem, tamquam ad epocham & titulum, omnia temporum interualla referre possit, & illi necessaria est nota annorum, vt sunt Cycli & Indictiones, quibus anni ab annis distinguantur, idcircò periodus, quæ cyclos & Indictiones complectitur, illi assumenda erit, & præterea anni meri Iuliani vsus retinendus propter Cyclum Solis, qui anni Iuliani proprius est. Conditus enim rerum, & alia temporum interualla vetustissima tam historica, quàm mythica, perfectè notari non possunt, nisi nos continuam seriem temporum fingamus, ad quam, tanquam ad normam, omnes temporum titulos dirigamus. Qui enim scribunt hanc aut illam rem mille, aut duobus millibus annorum ante Christum contigisse, aliquid adferunt quidem: sed non vident, se illis subsidiis vti quæ probare non possunt, cuiusmodi sunt Cycli, Indictiones, & id genus alia. Quemadmodum enim Chronologus & Mathematicus κατὰ πρόληψιν omnia argumenta antiquitatis ad annum Iulianum refert, quo tempore nullus erat annus Iulianus: ita & illum annum cum causâ suâ hoc est cum Cyclis & Indictionibus, vsurpare debet: & vt fundamentum ipsum fingit ante innumera secula fuisse, ita & quæ illi superstruit, Cyclos & Indictiones, vnà cum illo fuisse fingendum illi est. Quia igitur hæc periodus annorum anno Iuliano, tanquam fundamento innititur, Iuliana vocari debet, & ab illis Kalendis Ianuarij incipere, à quibus Indictio Romana, & vterque cyclus ordienda sunt. Quanquam propriè numerus aureus à Martio meliùs incipitur, propter epactas, quæ ab illo mense, non à Ianuario, initium capiunt. Vt igitur Cycli & Indictiones in orbem recurrant, non aliter fieri potest, quàm ducto Cyclo magno Dionysiano annorum 532. in Indictionem, hoc est, in 15. Vt autem in vsum deducantur, primus natalis Chr. secundum Dionysium statuendus est in 25. illius Decembris, qui congruit an. 4713. huius periodi, quo Indictio Romana erat 3. numerus aureus 1. cyclus Solis 9. Indictionem enim Romanam Cæsareæ prætulimus, quòd incipiat à Kalendis Ianuarij, cùm tamen Cæsarea iam quarta curreret à 25. Septembris eiusdem anni 4713. Vtilissima est & elegantissima hæc periodus, quæ non solùm vtrumque Cyclum & Indictiones, sed & annum Sabbaticum, & Dodecaëterida Chaldaicam continet. Cuius tanta commoditas est, vt ad temporum interualla memoriter, καὶ ἀπὸ χειρὸς conseruanda, nihil expeditius excogitari possit. Si enim quatuor aut quinque interualla nobiliora, vt Exodus, Olympiades, annus passionis Dominicæ, memoriter teneantur, reliqua ad illam, tanquam ad Lydium lapidem, exigi possunt, adhibito examine Indictionum, vtriusque cycli, & aliorum characterum, si aliquod dubium interuenerit. Hæc Scaliger de suâ periodo; cuius originem & commoditatem breuiter ita tibi proponimus. Anno Iuliano annexi sunt cycli tres, nempe Solaris, Lunaris, & Indictionum,

dictionum, quorum periodus est annorum 28. 19. 15. Tanto enim interuallo in orbem reuertuntur feriæ, nouilunia, & quondam tributorum rationes. Ex horum cyclorum ductu, hoc est, continuâ multiplicatione, nata est magna illa periodus annorum 7980. siue, quod idem est, magna illa periodus Iuliana nascitur ex multiplicatione magni cycli, qui est annorum 532. in 15. De his autem cyclis nulla vnquam nasci potest controuersia. Nam similis cyclorum syndrome nonnisi certo annorum spatio recurrere potest. e. gr. anno 1618. cyclus Solis est 3. Lunæ 4. Indict. 1. Hæc connexio cycli Solis 3. cum cyclo Lunæ 4. semel tantùm euenire potest periodo annorum 532. qui est numerus factus ex 28. ductis in 19. Quod primus docuisse putatur Dionysius Exiguus, abbas, Iustiniano coæuus, à quo periodus Dionysiana dicitur. ita orbis cycli Solaris & Indictionum absoluitur annis 420. orbis cycli Lunaris & Indictionum annis 285. hoc est, idem cycli Solaris & indictionum par (quale est anno 1618. 3. & 1.) post annos 420. absolutos reuersurum est: & cycli lunaris & indictionum similis syzygia (qualis anno dicto est 4. & 1.) redibit post annos 285. non citiùs, nec etiam tardiùs. Habemus igitur binorum cyclorum periodos: Solis & Lunæ annorum 532. Solis & indictionum annorum 420. denique Lunæ & indictionum annorum 285. Vnde datis binis cyclis, facili negotio inuenietur annus, qui talem cyclorum copulam recipit. Vt si quis se natum dixerit cyclo Solis quinto, lunæ septimo, Chronologus facilè intelliget istius natalem cadere in annum Domini 1564. cum nonnisi annis 532. ante dictum annum contingere potuerit eiusmodi cyclorum syndrome. Vnde constat, non exiguum esse vsum periodi Dionysianæ. Sed quò vberior esset, & communis perpetuæque epochæ loco, Scaliger trium cyclorum periodum effecit, quæ est annorum 7980. complectens periodos Dionysianas quindecim. Quo annorum spatio similis trium cyclorum connexio (qualis an. dicto est 3. 4. 1.) restituitur: nunquam tardiùs vel citiùs. Et quemadmodum Periodi Dionysianæ primus annus ille est, qui vtriusque cycli solaris & lunaris principium recipit (quod accidit annis Christi 76. 608. 1140. 1672.) ita periodi Iulianæ initium est ille annus, quo trium cyclorum capita concurrerunt: qui annus hoc pacto quærendus Anno 1618. cycli sunt 3. 4. 1. Quæratur numerus in periodo Iulianâ qui à diuisione factâ per 28. relinquat 3. & à diuisione per 19. relinquat 4. idemque diuisus in 15. residuum det 1. In totâ periodo non est alius numerus, qui hoc præstet præter 6331. Quare annus æræ Christianæ 1618. prorsus congruet cum anno periodi Iulianæ 6331. Hæc igitur est epocha temporis Chronologici & Astronomici perpetua & certissima: quâ duce per temporum ambages vagati errore deprehenso in viam mox reducimur. Huius etiam beneficio motus Astronomicos per cuncta secula tam præterita, quàm futura certo pede currere & fluere posse quis non videt. Primus periodi anni habuit cyclum Solis primum, Lunæ primum, & Indictionem primam: cuius anni principium præcessit epocham Christi annis 4713. absolutis ita vt primus annus Christi sit periodi Iulianæ annus 4714. quod certò demonstrant cycli istius anni, Solis 10 Lunæ. 2. & Indict. 4. qui cyclorum concursus non alio periodi anno quàm 4714. contingere potuit. Quare si annis Christi per regulam perpetuam addantur anni 4713. summa annum periodi Iulianæ docebit: vt annus Christi 1618. est annus periodi 6331 quia hæc summa prouenit, si dictis annis Christ 1618. addantur 4713. Contrà subductis annis 4713. è numero annorum periodi Iulianæ, relinquetur annus Christi fluens E. g. quæritur de anno 6331 periodi Iulianæ cum quo anno Christi sit connectendus, ablatis 4713. & 6331. restant 1618. annus quæsitus. Atque hæc est illa epocha technica seu artificialis, extra omnem controuersiam certa, firma, constans & perpetua, vsuque commodissima, ad quam referri debent & examinari omnes sententiæ de mundi origine, itemque omnium populorum ac gentium epochæ. Quod si certò nobis constaret de primo anno mundi conditi, tutò possemus numerare annos ab origine mundi, & cæteras omnes temporum epochas ad vnam illam referre. Verùm quoniam admodum discrepant eruditorum sententiæ de origine mundi, iccirco magno commodo excogitata est epocha proleptica. Quemadmodum enim si quis terrarum dimensiones & locorum interualla accuratè putare velit, necesse est, ipsum omnes locorum distantias ad vnam aliquam reuocare mensuram: ita in ratione temporariâ opus est communi aliquâ epochâ, & communi anno, ceu temporum mensurâ, ad quam reliquæ omnes epochæ & mensuræ reduci possint. Talis autem est magna illa magni Scaligeri periodus. Porò *periodus* Iuliana Scaligeri est prior, vel posterior. *Prior* dicitur proleptica & postulatitia: *posterior*, historica. Est autem tempus prolepticum, quod ante ratiocinia Mosaica præcipitur, & Hebræis dicitur *Tempus Tohu*. Quidquid enim ante conditum rerum fuisse fingitur, scilicet κατὰ πρόληψιν μαθηματικὴν, id Hebræis dicitur *Tohu*. Historicum tempus est, quod ab Hebraicis ratiociniis deducitur. Periodus proleptica Scaligeri anteit periodum prolepticam Constantinopolitanam. Nam quia dynastiæ Ægyptiorum incipiunt à temporibus, quæ non solùm epocham Mosaicarum rationum annis 1336. anteuertunt, sed etiam modum & caput periodi Iulianæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ excedunt, & verò dynastiæ istæ sub medium tempus cum historiâ sacrâ eleganter concurrunt, illarum memoria conseruanda est, & ita digerenda, ac si reuerâ fuissent, hoc modo:

A capite periodi Iulianæ postulatitiæ Scaligeri I. Ad primam Ægyptiorum dynastiam sunt anni 7009. II. Ad periodum Iulianam Ecclesiæ Constantinopolitanæ sunt anni 7184. dies 243. III. Ad Adam secundùm L X X. seniores, sunt anni 7192. IV. Ad secundam dynastiam Ægyptiorum, anni 7272. V. Ad tertiam ipsorum dynastiam sunt anni 7574. VI. Ad quartam 7788.

A capite periodi postulatitiæ Constantinopolitanæ. VII. Ad quintam dynastiam Ægyptiorum sunt anni 140. VIII. Ad sextam dynastiam anni 355. IX. Ad septimam dies 70. X. Ad octauam, anni 508. XI. Ad nonam dynastiam Ægyptiorum, anni 654.

Deinceps sequitur tempus historicum seu periodus Iuliana historica: ita vt à capite periodi Iulianæ posterioris ad conditum rerum sint anni 763. Cæterùm periodus Iuliana Ecclesiæ Constantinopolitanæ est ψηφοφορία temporum à conditu rerum, quæ ab Ecclesiis Orientis in vsu posita est, & secundùm L X X. Seniorum siue Interpretum editionem ab Adam ad Christum, annos numerat præcisè 5500. Eam Maronitæ, Græci ipsi, & pleraque omnis Ecclesia Orientis, atque adeò Æthiopes retinent hactenus. Cum autem Græci eâ non solùm ad memoriam temporis, sed etiam ad Computi Ecclesiastici methodum vti vellent, & illam ψηφοφορίαν 5500. annorum ad Indictionis inuestigationem, ineptam esse viderent, quantum vis apta esset ad vtrumque cyclum inuestigandum: pro annis 5500. Computatores Ecclesiæ Constantinopolitanæ numerarunt 5508. atque ita ex ærâ mundi historicâ (vti quidem ab ipsis censetur) accessione octo annorum fecerunt τεχνικὴν: quæ per 19. 28. & 15. diuisa dat vtrumque cyclum & indictionem. Eaque æra est, quâ hactenus Ecclesia Constantinopolitana, quæ latissimè patet, vtitur: eiusque, vt diximus, interuallum, à capite ad Christum, definitur annorum 5508. quæ quamuis ex Computo annorum mundi in Computum τεχνικὸν reformata sit, tamen ab omni Ecclesiâ Orientis vocatur Computus mundi, aut anni ab Adam. Computatoribus Ecclesiæ Constantinopolitanæ, & in Tabulis Astronomicis dicitur ἡ ἀρχὴ τῆς τοῦ κόσμου παραγωγῆς. Reuerâ autem neque illa 5500. neque hæc 5508. æra potest dici historica: vt patebit ex cap. seq. cùm sit falsa, Maluimus tamen vocare prolepticam, quàm prorsus falsam.

XXIX. *Periodus Iudaica non est ἱστορικὴ, sed τεχνικὴ.*

Rabbi Hillel, cognomento Hannasi, id est, princeps, filius Rabbi Iudæ princeps, Computum elegantissimum, qui hodie Iudæis in vsu est, excogitauit. Hillel iste claruit anno Christi 344. quo tempore istum Computum vel excogitauit, vel instaurauit. Ineptè autem Iudæi recentiores hunc Computum deducunt à conditu mundi: cùm minor sit annis 189. Rectè igitur Scaliger ait: Cùm igitur hic Computus sit τεχνικὸς, non ἱστορικὸς: tamen Iudæi illum à conditu rerum deducunt: cùm tamen non sit magis à conditu rerum, quàm aut periodus nostra Iuliana, aut Constantinopolitana.

XXX. *Dodecaëteris Chaldaica sic dicta est, quòd Chaldæi, id est, Genethliaci, eâ vterentur.*

Eâ signant sua tempora Persæ, Chatai, Tartari, Turcæ, sed Indi præcipuè: qui magnâ celebritate ludicrorum & panegyrium eius initia colunt. Diagramma ipsius hoc est:

Anni Dodecaëteridos	Periodus Iuliana	Anni Christi	Cognomina annorum
I	6331	1618	Mus.
II	6332	1619	Taurus.
III	6333	1610	Pardus.
IV	6334	1611	Lepus.
V	6335	1622	Draco.
VI	6336	1623	Serpens.
VII	6337	1624	Equus.
VIII	6338	1625	Ouis.
IX.	6339	1626	Simia.
X	6340	1627	Gallina.
XI.	6341	1628	Canis.
XII	6342	1629	Porcus.

Hic dicitur annus Chaldaicus, quem Orientales vocant *Schaichun*: cuius singulos annos animalium nominibus appellant, quæ affectum eius anni indicent; putà annum pestilentem

lentem vocant annum serpentis: annum sterilitatis, leporem: annum bellicorum tumultuum, equum: annum felicis agricolationis, taurum; annum famis, murem, &c.

XXXI. *Hebdomas prima annalis initit primo anno γεωργίας, anno 3263. periodi Iulianæ, mundi 2500.*

Hebdomas annalis Hebræis dicitur *Semittah*, hoc est, ad verbum, *σεισάχθεια, leuatio oneris*, siue excussio debitorum: quia debita remittebantur in fine hebdomadis. Propterea & hebdomas remissionis vocatur. Ac licet vltimus annus propriè remissio vocatur: tamen Iudæis & Samaritæ dicunt annum primum, secundum, tertium Semittah, totam hebdomadem Semittah vocantes. Sic cùm septimus dies *Sabbath* vocetur: tamen & hoc nomine tota hebdomada vocatur ab Hebræis. Porrò hebdomas prima annalis, cuius primo anno terra requiescebat, initit primo anno γεωργίας, non anno ingressus filiorum Israël in terram promissam: qui erat annus excessus Mosis, quadragesimus Exodi, vti quidam ineptè hariolantur: sed quadragesimo septimo Exodi initit, anno periodi Iulianæ 3263. mundi 2500. quod planè demonstratur ex *Ezech.* 29 *v.* 17. vbi annus 10. Sedekiæ est 27. Iobel, nimirum à quadragesimo septimo Exodi, non à quinquagesimo. Et verò septem annos in terrâ acquirendâ impendisse Hebræos, & ratio exigit, & Iudæi omnes testantur.

XXXII. *Plerarumq; Epocharum initia, secundùm seriem annorum Mundi, ita habent.*

Epocha mundi conditi incidit æquinoctio verno, XXV Martij.

Primo anno mundi concipere oportet annum 765. *periodi Iulianæ* Scaligeri, quæ est systema annorum 7980 & nascitur ex continuâ multiplicatione trium cyclorum, videlicet solis, lunæ, & indictionum, siue 28 19. 15 Tanto enim interuallo in orbem redeunt feriæ, nouilunia, & quorundam tributorum rationes.

Primo anno mundi concipere oportet annum 1551. *periodi Constantinopolitanæ siue Græcæ*, quæ ab Adamo ad Christum numerat annos 5500. vel 5508. Dicitur *æra mundi Græcorum*: quia Maronitæ, Græci, & pleraque omnis Ecclesia Orientis eâ vtuntur. Sunt enim secundum LXX. Interpretum editionem ab Adam ad Christum anni 5500. Pro quibus Computatores Ecclesiæ Constantinopolitanæ numerarunt 5508. Nam quia prior numerus ineptus erat ad Indictionis inuestigationem, quantumuis aptus esset ad cyclum ☉ & ☽ inueniendum, pro 5500. numerarunt 5508. qui numerus diuisus per 28. 19. & 15. dant tres istos cyclos. Atque hæc est æra, quam Ecclesia Orientis vocat *Computum mundi, & annos ab Adam.*

Primo anno mundi concipere oportet annum 3036. *æræ Adami*, quæ ab Adamo ad Christum numerat an. 6984. dies 231.

Periodus Iudaica incipit hoc anno, 7. Octobr. Perperam itaque hanc periodum Iudæi deducunt à conditus mundi, cùm sit minor annis 189. Dicitur *æra mundi Iudaica*. Solent autem ferè Iudæi in supputatione omittere numerum maiorē, id est, millenarium, hâc adhibitâ formulâ, לפרט קטון exempli gratiâ שנת תריג לפק annus 613. supputationis minoris.

Epocha diluuij incidit in hunc annum currentem.

Æra Chaldæorum seu Babylonis incipit. Alij arcessunt ab anno Semiramidis 18. qui est mundi 1844.

Epocha promissionis Abrahamo factæ incipit.

Epocha diluuij Ogygiani incipit.

Epocha diluuij Deucalionis incipit.

Epocha anni Ecclesiastici Iudæorum incipit 2. Aprilis. ***Epocha exitus Israelitarum*** incipit 15 Aprilis. ***Epocha promulgationis legis*** incipit 4. Iunij, quia promulgatio legis subsecuta est exitum 50. diebus.

Epocha annorum sabbaticorum & iubilæorum incipit.

Epocha excidij Troiani incipit 21. Iunij.

Epocha templi Salomonis incipit, anno 4. Salomonis, mense Maio.

Periodus Attica incipit 8 Iulij.

Epocha Olympiadum incipit mense Iulio circa solstitium æstiuum ***Epocha Iphiti*** eodem tempore incipit. Vtraque hæc æra est basis historiæ Græcæ, apud Græcos & Latinos scriptores frequentissima. Incipit annis 24. ante initium æræ V.C. & durat vsque ad Censorini tempora.

Epocha vrbis Romæ conditæ incipit 21. Aprilis. Quid ammultis seculis ante ætatem Romuli constituunt hanc æram: sed minùs rectè. Tametsi enim certum sit Romam à Româ Itali filiâ & nomen & fundamenta prima accepisse: tamen à Romulo & Remo redacta est in formam vrbis, cùm antea nonnisi pagus esset.

Epocha Nabonassari incipit 26. Februarij. Alfonso appellatur *æra Nabuchodonosoris* Censorino, & Varroni dicitur *æra Ægyptiaca*, & *Nabonnagaru*. Aliis *meridies Nabonassari*; quoniam incipit à meridie.

Epocha regis Ezechiæ incipit.

Epocha deportationis X. tribuum incipit. Appellatur etiam *æra casus Hoseæ*.

Epocha prædicationis Ieremiæ incipit, anno 13. Iosiæ. Est annorum 40. Ab ea totus liber Ieremiæ pendet. 3320.

Epocha Danielis incipit: estque annorum 79. 3341.

Epocha captiuitatis Babylonicæ incipit. 3350.

Epocha Ezechielis incipit: estque annorum 24. 3354.

Epocha excidij Hierosolymitani incipit. Appellatur etiam *epocha casus Sedekiæ*. 3360.

Epocha laxatæ captiuitatis Babylonicæ incipit. Hæc ipsa quoque est *epocha secundæ monarchiæ*. 3421.

Æra Metonica incipit 14. Iulij. 3518.

Epocha LXX. septimanarum Danielis incipit, anno 2. Darij Nothi, ita vt hæc æra terminetur anno M 4018. completo, ab autumno. 3528.

Epocha instaurationis templi incipit. 3533.

Epocha monarchiæ tertiæ incipit, quæ ipsa est *æra periodi Calippi*, & incidit 28. Iunij. 3622

Epocha annorum Philippeorum & epocha mortis Alexandri M. incipit 12. Nouembris. Congruit enim æra Philippi cum ærâ ab obitu Alexandri. Eius author est Calippus, vt & sequentis Epochæ Dilkarnaim 3628.

Æra Seleuci, siue ***Seleucidarum***, est triplex. Prima est *Iudaica*. quæ incipit an. M. 3638. 13. Martij. Iudæi vocant eā *Minjan Staros*, hoc est, æram contractuum. Eusebio dicitur *Æra Edessenorum*. Aliis *æra authoris lib. 1. Maccab.* Secunda est *Antiochena*, seu ***Alexandrea*** siue ***Dilkarnaim***, h. e. æra Alexandri, quæ incipit anno M. 3638. die 6. Sept. fer 5. Fuit hæc æra in totâ Græcia, atque Asiâ, inprimis apud Antiochenos, Edessenos, & in primitiuâ Ecclesiâ vsque ad tempora Augusti Cæs. vsitata. Vtuntur hâc etiam Astronomi, & Arabes, qui tamen eam ab Octobri inchoant. Cæterùm anni Antiocheni initium sumunt præcisè medium inter Iudaicos & Chaldaicos. Tertia est ***Chaldaica*** seu *Macedonica*, quæ incipit an M. 3639 à vere subsequente. Dicitur etiam *æra authoris libri. 2. Maccab.* Cæterùm triplex hæc æra dicitur *Seleuci*; quia numeratur à regno Seleuci Nicanoris, qui fuit potentissimus inter successores Alexandri M. Appellatur etiam æra *Græcorum, contractuum, authoris librorum Maccabæorum, item Syrorum, & Syro-Græcorum.* 000.

Æra Dionysii Ægyptiaca incipit, anno 1. Philadelphi, 25. Martij. Hâc vtitur Ptolemæus aliquoties, & iuxta quosdam Siracides in præfatione. 3667.

Æra Maccabæorum incipit, non ab initio, sed à sacerdotio Iudæ & repurgatione templi. Dicitur etiam *epocha encæniorum Iudæ & Maccabæi*, & init 22. Nouembr. 3786.

Æra Hipparchi incipit. 3807.

Æra Hasmonæorum incipit, à primo anno Simonis. 3807.

Æra Tyriorum incipit. Hâc vtitur Concilium Chalcedonense. 3823.

Æra Ascalonitarum incipit. 3847.

Epocha Laodicensium incipit. 3900.

Epocha Antiochena incipit à libertate Vrbis recuperatâ. Hæc æra est vsitata in quorundam Conciliorum inscriptionibus. 3901.

Epocha anni Iuliani incipit à correctione Kalendarij operâ Iulij Cæsaris. Init Kalendis Ianuarij. 3905.

Epocha à cæde Cæsaris incipit Idibus Martij. 3907.

Epocha annorum à primo consulatu Augusti init 22. Septēb. 3907.

Æra Cæsaris Hispanica incipit sub Augusto, 1. Ianuarij Hæc crebrò occurrit in tomis Conciliorum, & antiquioribus Hispaniæ monumentis. Vocatur ab Alphonsinis ***Æra Cæsaris***; ab alijs καὶ ἐξοχὴν ***Æra Æræ***. h.e. numerus numeri. An. M. 3912.

Æra victoriæ Actiacæ incipit 2. Septembris. Intellige victoriam à pugnâ nauali ad Actium promontorium commissâ. Nam sequens æra etiam appellatur æra Actiacæ victoriæ, nimirum à captâ Alexandriâ, & morte Antonij. 3921.

Epocha Augusti incipit, à captâ Alexandria. Hæc sic appellatur, quòd Ægyptij eam necesse habuerint recipere edicto Augusti. Incidit 29. Augusti. Appellatur etiam ***æra Actiacæ victoriæ***. 3922.

Epocha Augustana, seu Augustorum, incipit 14. Februarij, quo Octauius in Senatu primum Augustus appellatus est: vnde nomen Augustorum ad seqq. Cæsares transiit. 3923.

Epocha natiuitatis Christi incipit 1. Ianuarij huius anni: quia Christus natus putatur 25. Decembr. an. M 3949. Hæc est epocha vulgaris & Dionysiana Vera incidit in annum M. 3948. quia Christus natus est an. M. 3947. Cæterùm prior æra dicitur Dionysiana, quia Dionysius Exiguus, abbas Romanus, illam anno 532. tempore Iustiniani, introduxit. Etsi enim Eusebius, Hieronymus, & Prosper Aquitanicus etiam annos à Christo nato descripserunt in suis Chronicis: hæc tamen numerandi ratio non fuit publicè vsitata. 3950. An. Chr.

Æra passionis Christi incipit 3. Aprilis: æra ***assumtionis Domini*** siue ascensionis incipit 12. Maij. 35.

Epocha excidij Hierosolymorū per Titū incipit: anno æræ Dionys. 69. Nam LXX septimanæ Daniëlis desinunt anno M. 4018. 71.

Epocha agonum Capitolinorum incipit sub Domitiano, 1. Ianuarij Meminerunt Suetonius, Clemens Alexandrinus, Censorinus; & antiqua Domitiani numismata. 86.

Æra Diocletiani incipit 29. Augusti Nam Diocletianus sublatâ 284.

ſatâ priore obſeruatione, quâ in orbe Romano de Conſulum & Impp. nominibus tempora ſignabantur, edicto cauit, vt anni in poſterum à primo principatus ſui anno numerarentur. Quæ quidem æra ſcriptoribus etiam eccleſiaſticis, Epiphanio, Ambroſio, & aliis vſitata, durauit annos 248. vſque ad ann. Chr. 532 quo Dionyſius Exiguus noluit annos numerare ab imperio perſecutoris, introductâ epochâ ab incarnatione Chriſti. Cæterùm æra Diocletiani appellatur etiam *æra Gratiæ*, *æra Martyrum, & æra Coptitarum*, qui apud Africanos & Æthiopas Chriſtianos etiamnum hodiè in vſu eſt, vnde etiam appellatur æra *Æthiopum & Abyſſinorum*; qui illam inchoant a natiuitate Chriſti.

312. *Æra Indictionum* incipit ſub Conſtantino M. à 24. Septembris. In hiſtoriis Græcis & Latinis eſt vſitatiſſima.

330. *Æra ab encæniis vrbis Conſtantinopolitanæ* incipit. Alij conferunt in an. 331. vel 332.

552. *Æra Armeniorum* incipit 9. Iulij.

622. *Hegira, ſeu æra Arabum, ſiue Turcica*, incipit.

632. *Æra Iezdagird, ſiue Perſic*, incipit 16. Iulij.

909. *Æra Calecutenſium* incipit 19. Septemb.

1079. *Æra Gelalæa*, incipit quâ reformata eſt æra Iezdagirdica. Vide paulò pòſt in Synopſi.

1252. *Æra Alphonſi*, regis Caſtiliæ & Legionis, ncipit.

1582. *Æra Gregoriana*, incipit, Dicitur etiam *æra Liliana, Clauiana, Calendarij reformati, & correctionis nouæ.*

Atque hæ ſunt præcipuæ epochæ, præter quas etiam aliæ occurrunt, ſed raro: puta *æra Edeſſenorum, Philadelphenſium, Damaſcenorum, Gazenſium, &c.*

Hoc loco placet inſerere capita quædam Chronologica ex *Tabulâ Chronologicâ Mathematicorum Viennenſium anno 1571. editâ.*

An. M.		*An. M.*	
1.	Adam & Eua.	3213.	Roma.
1056.	Noah.	3239.	Samaria.
1556.	Sem.	3283.	Habacuc.
1557.	Cham.	3293.	Albanum regnum.
1558.	Iapheth.	3503.	Iudices Iſraëlitarũ,
1657.	Diluuium.	3305.	Ieremias.
1701.	Aureũ ſeculũ Italiæ.	3308.	Zephanias.
1788.	Babel turris.	3349.	Ezechiel.
1948.	Abraham.	3354.	Nabuchodonoſor.
2001.	Argenteum ſeculum.	3361.	Captiuitas Babylonica.
2023.	Promiſſio Abrahæ.		
2048.	Iſaac.	3389.	Pythagoras.
2051.	Sodoma & Gomorrha.	3412.	Solon.
2108.	Iacob.	3430.	Cyrus: Liberatio Iudæorum: Zorobabel: Templum II.
2198.	Ioſeph.		
2208.	Ægyptus.		
2373.	Moſes.	3443.	Haggæus.
2401.	Æneum ſeculum.	3445.	Zacharias.
2443.	Exodus.	3505.	Perſarum monarchia.
2493.	Ioſua.	3529.	Socrates.
2773.	Samſon.	3548.	Lacedæmonij.
2783.	Troia deuaſtata.	3553.	Athenienſes.
2826.	Samuel.	3612.	Alexander M.
2840.	Saul.	3628.	Monarchia Græcorum.
2863.	Hercules Græcus.		
2887.	Dauid	3701.	Ferreum ſeculum.
2901.	Stanneum ſeculum.	3781.	Ionathas Maccabæus.
2910.	Thebæ.	3815.	Romani capiunt Ieruſalem.
2930.	Salomon.		
2933.	Templum I.	3887.	Pompeius capit Ieruſalem & Syriam.
3036.	Homerus.		
3140.	Heſiodus.	3909.	Herodes.
3151.	Ionas, Eſaias, Hoſeas, Amos.	3913.	C. Iulius Cæſar.
		3921.	Octauianus Auguſtus.
3176.	Olympiades.	3931.	Herodes occupat Ieruſalem.
3194.	Micheas.		
3197.	Nahum.	3963.	Ieſu Chriſti natiuitas.

Hoc loco Viennenſes iſta ſubnectunt: *Varia eſt ſupputatio annorum vſque ad Meſſiam. Secundùm*

Chronolog.	3960.
Abbatem Vrſperg. Picum Mirandulã & Viennenſes	3962.
Theophil.	3474.
R. Nahaſſon.	3707.
Pantal. Baſil. & Hebr.	3970.
P. Lombard.	3971.
I. Fuccium.	3996.
R. Moſen.	4058.
I. Brentium.	4121.
Ioſephum.	4163.
Origenem.	4758.
Epiphan.	5019.
P. Oroſium.	5049.
Hieronym	5102.
Philon. & Auguſtin.	5195.
Iſidorum.	5196.
Euſebium.	5199.
Nauclerum.	5201.
Bedam.	5200.
Thalmudiſt. L. Gauric & Petr. Aliac.	5343.
Suidam & Cuſpinianum.	5500.
I. Regiomontanum & Alphonſ.	6984.

XXXIII. *Plerarumque Ærarum initia, ſecundùm Iulianorum menſium ordinem diſpoſita, ſic habent ex mente Scaligeri, Caluiſij, Heluici, & noſtrâ.*

A CALENDIS IANVARII initium ſumunt,

I.

PERIODVS IVLIANA; cuius annus 765. concurrit cum primo anno mundi. Eſt itaque hæc epocha προληπτική non verò ἱστορική.

II.

ANNVS IVLIANVS; à correcto, Iulij Cæſaris operâ, Kalendario, incipit an. M. 3905. Vrbis conditæ 708 Nabonaſſaris 702. annis 42. ante natum Chriſtum; annis 44. ante æram Chriſti Dionyſianam.

III.

ÆRA HISPANICA; incipit an. M. 3912. V. C. 714. Nabonaſſaris 708. ante Chriſtum natum annis 35. annis 38. ante æram Chriſti Dionyſianam.

IV.

ÆRA NATI CHRISTI DIONYSIANA; ſtatuit Chriſtum natum anno M. 3949. 25. Decembris. Itaque incipit anno M. 3950. à Kalendis Ianuarij, & terminat primum annum vltimo Decembris, anno M. 3950. anno 1. Olympiadis 195. anno Iphiti Olympiadico 777. V. C. 753. Nabonaſſaris 749 Iuliano 46. æræ mundi Iudaicæ 3761. Hæc æra ſupponit Chriſtum natum 25. Decembr. & octauum à natiuitate diem, circumciſioni deſtinatum, id eſt, Kalendas Ian. ſtatuit æræ Chriſtianæ caput. Etſi verò deficiat biennio: tamen recepta eſt à toto ferè orbe Chriſtiano.

V.

AGONES CAPITOLINI; ad imitationem Olympiadum à Domitiano inſtituti, incipiunt an. M. 4035. anno æræ Dionyſ. 86. V. C. 838.

VI.

INDICTIO ROMANA; incipit anno M. 4262. Chriſti, 313.

A FEBRVARIO incipiunt,

I.

ANNI AVGVSTANI, ſiue Auguſtorum; inchoantur die 14. Febr an. M 3923. V. C. 726. Nabonaſſ. 720. annis 27. ante æram Chriſti Dionyſ. Vtitur hâc ærâ Cenſorinus, & meminit Dionyſius Halicarnaſſ.

II.

ANNVS PRIMVS NABONASSARIS à 26 Febr. incipit. Fit autem hoc tum temporis tantùm, quando ſpatio annorum 1461. euoluto ad primum terminum redierit. Sunt enim anni æquabiles, dierum 365. abſque intercalatione reſiduarum horarum. Itaque anni Nabonaſſarei 1461. faciunt Iulianos 1460. Etenim per ſingula quadriennia, ob omiſſam intercalationem, vno die fit regreſſus. Vſus huius æræ plurimùm confert ad ſtudium hiſtoricum & chronologicum. Occurrit apud Cenſorinum, & in tabulis Ptolemaicis, Alphonſinis, & Prutenicis. Incipit an. M. 3204. V. C. 7. annis 746. ante initium æræ Dionyſ.

A MARTIO ineunt,

I.

ANNI MVNDI; incipiunt iuxta noſtram ſententiam 25. Martij, cyclo Solis 8. Lunæ 4. literâ Dominicali E, feriâ primâ.

II.

SEPTIMANÆ LXX. DANIELIS, iuxta Funccij ſententiam, ex *Eſdr.* 7. ineunt anno M. 3492 anno 7. Artaxerxis Longimani, finiuntur tempore paſſionis Chriſti, an. M. 3981. Tiberij 19.

III

ANNI à CÆDE IVLII CÆSARIS; ineunt 8. Martij, an. M. 3907. V. C. 710. anno 3. Iuliano ante æram Dionyſ. 43.

IV.

ÆRA SELEVCIDARVM IVDAICA; ſic denominata à Seleuco Nicanore, rege Syriæ, incipit 13. Mart. an. M. 3618. V. C 441. Nabonaſſ. 436. anno 1. Seleuci Nicanoris. Vtitur hâc ærâ liber primus Maccabæorum, & Ioſephus.

V.

ÆRA SELEVCIDARVM CHALDAICA, ſeu Macedonica; etiam à verno tempore incipit, & quidem anno M. 3639 V. C. 442. ita vt vno anno ſit poſterior ærâ Seleucidarum Iudaicâ.

VI.

ÆRA GELALÆA; incipit 14. Martij. hor. 2. poſt meridiem, an. M. 5028. Chriſti 1079. Vocatur etiam *Sultanæa*, & *Regia.* Excogitata eſt iuſſu Sultani Meſopotamiæ, ab octo

Aſtronomis

Aſtronomis præſtantiſſimus, vt æquinoctia inueniri, quantitas certa anni tropici conſtitui, & intercalatio iuſta definiri poſſet. Quantitas anni eſt dierum 365.hor.5.min.49.ſec.53.quæ anni forma hodiè in Perſiâ eſt vſitata.

VIII.

ÆRA DIONYSII (Mathematici) ÆGIPTIACA; initium ſumit 25. Mart.an. M. 3667. Olymp.124.2.V.C.470. Nabonaſſ. 464.annis 281 ante æram Chriſti vulgarem.

AB APRILI ineunt,

I.

ÆRA PASSIONIS CHRISTI; die 3.Aprilis,feriâ ſextâ,incipit;vel,iuxta vulgarem computationem,25.Martij:anno M.3981..æræ Chriſti Dionyſianæ 33.veræ Scaligeri 35.anno primo Olympiadis 203.V.C.785.Nabonaſſ.778.Iuliano 77.cyclo ☉ 14.☽ 15.lit.Domin.D.

II.

ÆRA ANNI ECCLESIASTICI IVDÆORVM, ſeu primus annus Iudæorum Eccleſiaſticus;init primo die menſis Niſan,h.e.2.Aprilis,an M.2453.ante nat.Chriſt.1497.

III.

ÆRA EXITVS ISRAELIS EX ÆGYPTO; incipit die 14.Niſan,ſeu 15.Aprilis,plenilunio,an.M.2453. poſt annos 430. à migratione Abrahæ ex Haran, & promiſſione diuinâ. *Exod* 12.40.*Gen.*15.16.*Gal.*3.17.

IV.

ANNI VRBIS (ſiue Romæ) CONDITÆ;incipiunt 21. Aprilis,an.M.3198.primo Olympiadis 7. anno 266. templi Salom. 431. à Troiæ excidio. 750. ante nat. Chriſt.cyclos ☉ 14. ☽ 10.lit.Dom.D.

A MAIO incipiunt,

I.

ANNI DILVVII; ineunt nobis 18.Maij,an.M.1657.feriâ 7.cyclo Solis 12.Lunæ 7.lit.Domin.G.

II.

ANNI TEMPLI HIEROSOLYMITANI,à Salomone conditi; initium ſumunt die ſecundo menſis ſecundi, 2. *Paral.*3 2.qui nobis incidit in 6.diem Maij, feriam ſecundam, anno M.2932.anno 480.ab exitu Iſraëlitarum, 1. *Reg* 6.1.ante natum Chr.1015.

III.

ANNI ENCÆNIORVM CONSTANTINOPOLEOS;incipiunt 11 Maij,feriâ 2 indictione 3.ann.Chr.330.Eſt æra non admodum frequens.

IV.

ÆRA HASMONÆORVM, ſiue Simonis Pontificis, ab excuſſo iugo ſeruitutis Syriacæ; incipit 23. die menſis ſecundi, qui nobis dies 16. Martij erat, feriâ 6. anno M. 3807. Durauit vſque ad expugnationem Hieroſolymorum per Herodem factam,an.M 3913.die Iulij 16 feriâ 3.

A IVNIO incipiunt,

I.

ANNI à LATA LEGE, ſiue decalogo;4.Iunij,feriâ 6. an. M. 2453.ante natum Chriſtum 1494.Quemadmodum autem lex feriâ 6.fuit lata:ſic poſtea à Chriſto in agone mortis fuit completa,feriâ 6.die 3.Aprilis:Durauit ergo hæc æra annorum legis annis 1529.

II.

ÆRA IEZDEGIRDICA; quæ ante æram Gelalæam apud Perſas in vſu erat;incepit 16.Iunij,an.Chr.632.Durauit in Perſiâ annis 447.Vnde res Perſarum,hoc annorum ſpatio geſtæ, ad iſtam æram perſcriptæ ſunt. Huius æræ meminerunt Alfraganus,Alcoranus,Arabes,& alij. Nomen habet à Iezdegird, ſiue Ieſdagert,vltimo Perſarum rege,qui victus ab Othomanno Saraceno,& vitam,& regnum amiſit. Quare cùm regnũ Perſicum Saracenis ceſſerit noua æra à deuicto Iezdegirde denominata & inchoata eſt.

III.

EPOCHA TROIANI EXCIDII, apud ethnicos antiquiſſima & celeberrima;incipit 21.Iunij,an. M.2767. cyclo ☉ 3.☽ 16.lit.Dom.D.

IV.

PERIODVS CALIPPICA; fuit ſeries annorum Iulianorum 76.continentium quatuor cyclos Metonnicos decemnouénales,ſeu menſes lunares 940.quibus peractis,noua periodus incipiebat. Calippus hanc periodum inſtituit in honorem Alexandri M.poſtquam Darium Codomannum ad Gaugamela deuicerat, & nouus Aſiæ monarcha ab exercitu proclamatus fuerat. vnde Alexandream appellauit hanc ſuam periodum Calippus. Sed vſus obtinuit,vt ab authore diceretur Calippica.Primum eius initium incidit in an.M.3622.d.28.Iunij Sæpenumero citatur à Ptolemæo.

A IVLIO incipiunt,

I.

PERIODVS ATTICA,ſeu *Annus Athenienſium Politicus*, qui partim ſolaris, partim lunaris fuit : vnde etiam *annus Græcorum mixtus* vocatur Hæc periodus eſt antiquior Olympicâ,annis 38 Incipit 8.Iulij,an.M.3136.Ad hanc omnia publicè à Græcis peragebantur Familiaris eſt Græcis ſcriptoribus.

II.

ÆRA ARMENIORVM;incipit anno Chriſti Dionyſiano 553 d 9.Iulij,fer.3.quando Armenij fidem Chriſtianam receperunt. Eâ hodie adhuc vtuntur.

III.

HEGIRA, ſeu *æra Arabum*,quæ & *Turcica* dicitur;conſtat annis lunaribus, quorum quilibet conſtat diebus 354. horis 8.minutis 48.adeoque minor eſt anno noſtro Iuliano, diebus 10. minutis 53. Hanc annorum ſuorum Epocham Turcæ numerant à nocte,quæ ſecuta eſt diem 15.Iulij, feriâ 6.ineunte,anno æræ Dionyſ.622.Vocant autem Epocham iſtam annos *Hegiræ*, id eſt, fugæ ſeu exilij, id eſt,martyrij : propterea quòd Muhammedes pſeudopropheta, hoſtibus propter legem Alcorani latam inualeſcentibus, eâ nocte fugere cogeretur Mechâ. Quanquam alij vocem Hegira deriuant ab Hagar ; quòd ſit epocha Hagarenorum, qui ſic dicti ſunt ab Hagar matre ſuâ. Sed prior ſententiâ probatur : quia Hegira eſt διωγμὸς ἤγουν τῆς θρησκείας, ſeu martyrium. Voluit nempe Muhammedes æram ſuam eâdem appellatione notare, quâ Chriſtiani ſuam, à Diocletiano. Nam æra Diocletiani eſt æra martyrij. Vtuntur hâc ærâ Annales Turcici & Saracenici, Alcoranus,& Epiſtolæ Turcicæ.

IV.

OLYMPIADES; initium ſumunt 23.Iulij, feriâ 3.cyclo Lunæ 5 Solis 18.an.M.3174.Hoc enim anno primum ludicrum Olympicum ab Iphito Praxonidæ filio celebratum eſt. Exhibebatur autem ludus Olympicus, quaternis annis exactis. vnde quælibet Olympias quadriennium continet, indeque dicitur *Tetraëteris* Apud Græcos & Romanos ſcriptores hæc æra eſt frequentiſſima.

V.

ÆRA IPHITI; incipit etiam an.M.3174 d 23. Iulij. Eſt autem nihil aliud, quàm Olympiadum collectio. Vt Olympiades decem continent annos 40. Igitur Olympiadis vndecimæ annus primus, eſt Iphiti annus 41. Dicitur ita ab Iphito, inſtauratore agonis Olympici, qui olim à Pelope & Hercule inſtitutus, per multa ſecula intermiſſus fuerat.

VI.

ÆRA METONICA; à Metone Pauſaniæ filio inuenta, conſtat ſemper Enneadecateride, ſiue 19. annis, quibus exactis Luna ad idem punctum reuertitur, & altera Enneadecateris incipit,quæ annus Metonicus ſemper appellatur. Initium huius æræ eſt 14. Iulij an.M.3518.V.C.321.

AB AVGVSTO incipiunt.

I.

ANNI ACTIACÆ VICTORIÆ, *à captâ Alexandriâ,& morte Antonij*; die 29. Auguſti, fer 1. cyclo Lunæ 12. Solis 10. anno Iuliano 18 an. M. 3922. Dicta etiam eſt *æra Auguſtorum deorum*, Ægyptiacâ conſuetudine. Vſi ſunt eâ Ægyptij, Ptolemæus, Ioſephus, Euſebius, Cenſorinus, & alij. Durauit vſque ad æram Diocletiani.

II.

ÆRA DIOCLETIANI,ſiue Martyrum,ſucceſſit annis Actiacæ victoriæ, an. Chr. 284. die 29. Auguſti, feriâ 6. cyclo Lunæ. 19. Solis 13.

A SEPTEMBRI ineunt,

I.

LXX. HEBDOMADES DANIELIS; anno M. 3528. incipiunt menſe Septembri, cyclo ☉ 9. ☽ 18. lit. Domin. D. C. finiuntur hoc ipſo menſe, in vltimo excidio Hieroſolymitano, an. M.4018 Chriſti 71.Obſerua iterum hoc loco LXX. iſtas ſeptimanas conſtituere annos Iubilæos decem, ſiue annos 490. Vnus enim Iubilæus eſt hebdomas hebdomadum,vt Scriptura loquitur, & complectitur annos ſolidos 49.

II.

ÆRA MVNDI GRÆCORVM, ſeu Conſtantinopolitana; eſt proleptica. Vſus eius aliquis eſſe poteſt in hiſtoriis Græcorum recentiorum, poſt Chriſti tempora. Si enim ſubtrahas 5508 de dato eius anno, habebis annum æræ Chriſtianę, currentem à Septembri ad Septembrem ſequentem. Vtuntur hâc ærâ Cedrenus, Nicephorus, Zonaras, Chronicon Moſcouiticum, Eccleſiæ Orientales, & Æthiopicæ

III.

ANNI ACTIACÆ VICTORIÆ. *nimirum à pugnâ nauali ad Actium promontorium commiſſâ*. ineunt die 2. Septembr. fer 3 cyclo Lunæ 11. Solis 9.anno Iuliano 17.an. M. 3921. V.C.724.

IV.

ÆRA SELEVCIDARM ALEXANDREA, ſeu *Antiochena*; incipit 6. Septembr.fer.5.anno M.3638. Albategnius vocat *Terich Dilkarnaim* hoc eſt, æram δικέρωτος, bicornis,ſcilicet Alexandri, qui Arabibus דואלקרנין, & in Alcorano דיאלקרנין, hoc eſt, bicornis, dicitur : ex *Dan.*8.*v.*3. 6. Quanquam Scaliger exiſtimat, Alexandrum hoc nomine dictum fuiſſe, quòd Cyrenæi ipſum cornutum in numiſmatis ſuis ſculperent, quòd ſe gereret pro filio Iouis, quem illi priùs cornutum in numiſmatis ſuis ſculpebant.

V.

Æra Annorvm à Consvlatv Avgvsti; init 22. Septemb. an. M. 3907. Non longè se extendit: vsurpatúrque à Suetonio.

VI.

Æra Indictionvm Cæsareæ, in scriptoribus Græcis vsitatissima, incipit 24. Septemb anno M. 4261. Christi 312. Nabonass. 1059. V. C. 1065. instituta fuit à Constantino M. hoc anno & die, quòd eo ipse Maxentium, aduersarium suum, mirabiliter deuicerat, & statim, post victoriam, libertatem Christianæ religioni & Ecclesiæ indixerat, vt liberum posthac esset cuiuis, Christianam religionem sequi, eamq; in conuentibus exercere, & templa habere. Cyclus autem Indictionum institutus est in Concilio Nicæno, qui post quindecim annos in orbem redeat, vt esset quasi æra liberatæ à persecutionibus Ecclesiæ. Romani hanc æram Indictionum inceperunt à Kalendis Ian. sequentibus, quos & nos hodiè sequimur.

VII.

Æra Calecvtensivm; à Mauris inchoatur anno Hegiræ 297. die 19 Septemb. anno M. 4858. Christi 909. Olympiade 421. anno Olympiadico 1685.

VIII.

Periodvs Hipparchi Astronomi successit tribus Calippicis, vt quæ exactiùs ad Lunæ cursum conformata quatuor Calippicis constat. Initium eius est d. 26. Septemb. an. M. 3807. exeunte.

AB OCTOBRI sumunt initium,

I.

Anni Mvndi, iuxta Scaligerum & Caluisium, incipiunt die 25. Octobris, ineunte vesperâ, quæ Iudæis incipit vigesimum sextum Octobris, feriam primam, cyclo Solis 8. Lunæ 4 literâ Dominiciali E.

II.

Anni Ivbilæi, & Sabbatici, ineunt ab æquinoctio autumnali, an. M. 2500. cyclo ☉ 16. ☽ 15. lit. Domin. B. & durant à possessione terræ Canaan, ad excidium Hierosolymitanum vltimum. Septimus autem quisque annus est sabbaticus, & septies septimus Iubilæus. Magnus eorum vsus est in sacris, itemque in libris Iudæorum, & aliorum historicorum.

III.

Periodvs Ivdaica, seu *Æra mundi Iudæorum*; incipit d. 7. Octob. anno M. vero 189. Artificiosissima est periodus à R. Hillel. Hannasi constructa circa an. Christi 344. quâ hodiè Iudæi vtuntur pro Epochâ mundi conditi: sed perperam. Non enim est epocha historica, sed merè technica & Astronomica, ad methodum Lunæ, Neomenias, & festa Iudaica directa, ac multis annis exordio mundi posterior.

IV.

Anni Dilvvii, iuxta Scaligerum & Caluisium, incipiunt die 13. Octobris, feria septimâ, horâ 14 cyclo Solis 12. Lunæ 7. lit. Domin. G. an. M. 1656. exacto, & iam 1657. ineunte.

V.

Æra Babylonica; incipit anno M. 1719. quo regnum Babylonicum cœpit Durauit annis 1360. vsque ad exitiū Sardanapali. Hinc annos 313. vsque ad captum Astyagem à Cyro In vniuersum durauit annos 1903. vsq; ad Babylonem ab Alexandro M. captam. Vocatur quoque *æra Assyriaca & Chaldaica.*

VI.

Æra Selevcidarvm Alexandreæ; ab Arabibus, Syris, & Astronomis, imò aliquando à Iudæis inchoatur à Kalendis Octobris, cum anno M. 3638.

VII.

Epocha Annorvm à nato Christo vera; incipit circa initium Octobris anno M 3947. cyclo ☉ 7. ☽ 18. lit. Domin. F. biennio ante Æram Christi Dionysianam. siue vulgatam, ita vt primus æræ Christi vulgatæ annus sit reuera tertius à natiuitate Christi annus; & annus Christi 1628. sit reuera annus à Christo nato 1630 & sic consequenter. Quanquam Suslyga Polonus defectum æræ Dionysianæ definit solido quadriennio. Imò est, qui ad quinquennium progressus fuerit. Cæterùm epocha ista figitur in anno M. 3948. incipiente à Ianuario, propter vsitatam anni Iuliani rationem,

VIII.

Æra Laodicenorvm, concurrit cum anno M. 3900 Eius meminit Eusebius.

IX

Æra Antiochena, à libertate vrbis recuperatâ, incipit Kalendis Octobribus, an. M. 3901 Frequenter hęc æra vsurpatur in Conciliis: item apud Eusebium, Euagrium, Cedrenum, Nicephorum.

X.

Æra Ascalonitarvm, quando αὐτονομίαν adepti sunt, incipit ab Octobri, anno M. 3847, Vtitur eâ Eusebius.

A NOVEMBRI incipiunt,

I.

Anni Philippei, *à morte Alexandri Magni*, ineunt d. 12. Nouemb. anno M. 3628. Vtitur his Ptolemæus, Clemens Alexandrinus, Eusebius, Censorinus, Albategnius, & Alphonsus in Tabb.

II.

Æra Maccabæorvm, à templi repurgatione per Iudam Maccabæum factâ, incepit an. M. 3786. die 25. mensis Casleu, die 22. Nouemb. fer. 7.

A DECEMBRI ineunt

Indictiones Pontificiæ; nimirum à die 25. Decembr.

XXXIV. *Præcipuæ operationes Arithmetico-chronologicæ sunt numero XXV. hoc ordine.*

I. Dato anno mundi inuenire annum periodi Iulianæ. Quia periodus illa artificialis incipit à triplici illo cyclo, solis, lunæ, & Indictionum, annis 764. ante conditum mundi, ita vt annus periodi istius 765. currat cum 1. an mundi, adiice ad annos M. 764. & exurget periodus Iuliana: vt 1656. annis ad diluuium adde 764. & exurgit annus periodi Iulianæ 2420.

II. Dato anno periodi Iulianæ inuenire annum mundi. Abiice ab annis periodi Iulianæ annos 764. & remanent anni mundi: vt abiectis 764. ab annis 2420. periodi, remanent anni M. 1656.

III. Dato anno periodi Iulianæ inuenire annum periodi Iudaicæ. Ab anno periodi Iulianæ abiice 953. relinquetur annus periodi Iudaicæ: vt abiectis 953. ab anno 2420. periodi Iulianæ, relinquitur annus 1467. periodi Iudaicæ.

IV Dato anno mundi ante Christum scire quotus sit ille annus ante Christum. Annos mundi subtrahe ab. anno 3948. & relinquetur annus ante Christum natum: vt subductis 1657. à 3948. relinquitur annus 2291. ante Christum, quo acidit diluuium.

V. Dato anno periodi Iulianæ scire cyclum solis. Diuide annos periodi per 28. residuum est annus cycli solaris currens. Quòd si nihil relinquatur, 28. est cyclus.

VI. Dato anno periodi Iulianæ scire cyclum lunæ. Diuide annos periodi per 19. residuum est annus currens cycli lunaris siue aurei numeri. Quòd si nihil relinquatur, 19. est cyclus.

VII. Dato anno periodi Iulianæ scire cyclum Indictionis. Datum annum periodi Iulianæ diuide per 15. Residuum est cyclus Indictionis. Quòd si nihil relinquatur, 15. est cyclus.

VIII. Dato anno mundi scire annum Olympiadis, & vicissim. Ab anno mundi subduc 3173. residuum est annus Iphiteus, Hunc diuide per 4. Quotus dabit Olympiadem elapsam: residuum erit annus istius Olympiadis. Si nihil relinquatur, est quartus annus Olympiadis. Deinde annum Iphitéum adde ad an. M. 3147. totus dabit annum M. respondentem

IX. Datâ Olympiade inuenire annum Iphitéum, & ex anno Iphitéo colligere annum mundi. Datam Olympiadem multiplica per 4. prodibit annus Iphitéus, respondens anno quarto datæ Olympiadis: à quo tolle 1. 2. vel 3. prout est primus, secundus, vel tertius annus Olympiadis. Anno Iphitéo adde 3174. & prodibit annus M. qui connexus est cum anno Iphitéo. V. g. Christus natus est anno 1. Olympiadis 194. quæ multiplicata per 4. exhibent 776. à quibus subduc 2. & prodibunt 774. annus Iphitéus Huic anno adde 3174. prodit annus M. 3947. quo Christus est natus. In annis Iubilæis eadem est ratio. Si memineris illorum initium figi in anno M. 2500. periodi Iul. 3264. Deduc itaque 2499. ab anno M. currente, & Quotus indicabit Iubilæum anno proposito respondentem: vt ab anno M. 3528. deduc 2499. relinquentur 21. vnde colliges huic anno respondere Iubilæum XXI, & eum quidem completum. Quòd si aliquid restet post diuisionem, indicatur annus Iubilæi currentis. e. gr. ab anno M. 3550. deduc. 2499. Quotus 21. indicabit elapsum Iubilæum XXI. & residuum 22. ostendet annum vigesimum secundum Iubilæi XXII. respondere anno proposito. Diuisis porrò 22. per 7. videbis quotum indicare se tertium annum sabbaticum esse elapsum, & vnitatem residuam indicare primum annum quarti sabbatismi, respondentem dicto anno mundi. Vicissim dato anno Iubilæo, colliges inde annum mundi, si 2499. deducas ab anno M. proposito, & residuum diuidas per 49. Tum enim Quotus indicat Iubilæum: vt ab anno M. 2940 deductis 2499. relinquuntur 441 quibus diuisis per 49. Quotus 9. ostendit huic anno M. respondere Iubilæum 9. eumque completum: quia post diuisionem nihil remanet. Si quid sit residuum, ostendit annum Iubilæi labentis anno dato respondentem: v. g. si ab anno M. 1950. subducas 2499. & residuum diuidas per 49. prodibunt 9. Iubilæi & 10. annus Iubilæi X.

X. Dato anno mundi scire annum Nabonassari, & contrà, Deduc 3203. anno M. currente residuum erit annus Nabonassareus. Rursus datum annum Nabonassaris adde anno M. 3203; totus erit annus M. respondens Nabonassareo.

XI. Dato anno M. scire annum vrbis conditæ, & vicissim.

Deduc

Deduc 3197. ab anno M currente : reſiduum erit annus vrbis conditæ. Deinde datum annum vrbis adde ad 3197. totus erit annus mundi reſpondens anno vrbis.

X I I. Dato anno Chriſti Dionyſiano annum periodi Iulianæ inuenire. Quia periodi huius initium præcedit æram Chriſti Dionyſianam annis 4713. abſolutis, annis Chriſti adde 4713. totus exhibet annum periodi Iulianæ.

X I I I. Dato anno periodi Iulianæ ſcire annum Chriſti Dionyſianum. Subductis annis 4713. à numero periodi Iulianæ relinquitur annus Chriſti currens.

XIV. Dato anno Chriſti ſcire annum Iudaicum. Annis Chriſti adde 3760.

X V. Dato anno Chriſti ſcire annum mundi. Annis Chriſti adde 3949.

XVI. Dato anno M. ſcire annum Chriſti. Subduc annos 3949. ab anno M.

X V I I. Dato anno Chriſti, ſcire annum Iulianum. Annis Chriſti adde 45.

X V I I I. Dato anno Chriſti, inuenire cyclum ſolis, lunæ & indictionis. Anno Chriſti adde 9. pro cyclo ſolis, 1. pro cyclo lunæ, 3. pro cyclo indictionis : poſtea diuide. Reſiduum indicat cyclum. Si nihil remanſerit, integri cycli ſunt ſumendi.

X I X. Dato anno mundi cyclum ☉ & ☽ inuenire. Büntingus ita procedit. Quia primo anno M. quinarius competit pro cyclo ☽ ſiue aureo numero, & 18. pro cyclo ☉, adde annis mundi 5. vel 18. Facta diſtributione per 19. vel 28. ſi nihil eſt reſiduum, ſumus in vltimo anno cycli lunaris vel ſolaris. Si autem aliquid remanſerit poſt diuiſionem, illud monſtrabit in quoto anno cycli ſimus. Ita Büntingus. Sed nos pro 5. cyclo ☽, & 18. cyclo ☉ ſubſtituimus 8. Itaque hos numeros oportet adhibere.

X X. Cyclo ſolis inuento literam Dominicalem ſcire. Adi ſequentem tabellam, & ibi quære numerum datum cycli ſolis: inuenies literam Dominicalem ſuprà ſcriptam. e. g. cyclus ſolis propoſitus ſit 17. cui in tabellâ reſpondet litera duplex A G, quæ indicat annum eſſe biſextum.

Tabella cycli Solis Romani.

G F. 1	E. 2	D. 3	C. 4
B A. 5	G. 6	F. 7	E. 8
D C. 9	B. 10	A. 11	G. 12
F E. 13	D. 14	C. 15	B. 16
A G. 17	F. 18	E. 19	D. 20
C B. 21	A. 22	G. 23	F. 24
E D. 25	C. 26	B. 27	A. 28

Ordo literarum Dominicalium eſt in hoc verſu :

Gaudet Flaccus Equo, Dorus Cane, Boſporus Agno.

Aut in iſto :

Filius Eſto Dei, Cœlum Bonus Accipe Gratis.

XXI. Dato anno Chriſti, annum V.C. inuenire. Annis Chriſti adde 752. quia hic eſt annus V. C. anno 1. Chriſti Dionyſiano.

X X I I. Dato anno Chriſti, annum Nabonaſſaris inuenire. Annis Chriſti adde 749. quia hic eſt annus Nabonaſſ. anno 1. Chr. Dionyſiano.

X X I I I. Dato anno Chriſti, annum Olympiadicum, & inde Olympiadem inuenire. Annis Chriſti adde 776. qui eſt Olympiadicus currens cum 1. Anno Chriſti Dionyſiano. Factus erit annus Olympiadicus. Illum diuide per 4. Quotus erit Olympias currens; & reſiduum, erit annus Olympiadis. Ita ſi anno Chriſti 1628. addideris 752. annus V. C. erit 2380. ſi addideris 749. annus Nabonaſſ. erit 2377. ſi addideris 776. annus Olympiadicus erit 2438. qui diuiſus per 4. dat quarum annum Olympiadis 601. Memineris hoc loco, eandem pragmatiam eſſe in periodo Iulianâ, ſi nempe annum periodi Iulianæ habeamus, cum quo currit primus annus Olympiadum, V.C. & Nabonaſſari : qualis eſt 3938. 3962. 3968.

XXIV. Periodum Iulianam ritè applicare diuerſis Chronologorum Epochis à mundi conditu. Quia nobis non licet eſſe tam beatis, vt vnam omnes de mundi origine ſententiam tueamur, magnum eſt opære pretium, diuerſas Chronologorum ſententias de mundi primordiis inter ſe conferre, periodi Iulianæ beneficio : ídque huius pinacidij adminiculo.

Mundi origo ex calculo	*Annus periodi.*	*Cycli Solis & Lunæ.*	*Lit. Domin.*
Melanchthonis	752.	24. 11.	F.
Mirandulæ & Bucholceri	744.	16. 3.	B.
Gerhardi Mercatoris	747.	19. 6.	E.
Büntingij	746.	18. 5.	F.
Beroaldi	786.	2. 7.	E.
Dionyſij Exigui & Ioſephi Scaligeri	764.	8. 4.	F.

Plures apponi poſſunt beneficio additionis & ſubtractionis. Et hoc modo ex periodo Iulianâ cuiuſlibet Chronologi poſſunt inueſtigari cycli.

XXV. Ex datis cyclis Solis, & Lunæ, & Indictionis, eruere annum. Ex datâ ſyzygiâ cyclorum ☉ & ☽ cognoſcitur annus periodi Dionyſianæ; & ex datis tribus cyclis, annus periodi Iulianæ innoteſcit: hoc modo. Ingredere ſequentem tabellam cum cyclo ſolis, & excerpe annos è columna ſolis. Eâdem ratione è columnâ lunæ accipe numerum annorum cyclo reſpondentem. Horum numerorum ſumma eſt annus periodi Dionyſianæ quæſitus. e. g. *Iuſtiniani imperium* iniuit cyclo ☉ 4. ☽ 15. quæritur annus Chriſti, conſtat autem præceſſiſſe annum Chriſto 600. Cyclus 4. habet annos ſolis 228. cyclus 15. annos lunæ 224. ſumma 452. quæ indicat annum periodi Dionyſianæ, quo Iuſtinianus imperium adiuit. In pynacidio annorum Chriſti numerus annorum proximè elapſus eſt 75. qui dictæ ſummæ adiectus, exhibet annum Chriſti 527. quo Iuſtinianus Imperij habenas ſuſcepit. Item *prima Olympias* celebrata fuit cyclo ☉ 18. ☽. 5. Indictione 8. Ex hiſce tribus cyclis ſic eruemus annum periodi Iulianæ. E regione cycli 18. ſunt anni ſolis 494. & cyclo 5. congruunt anni Lunæ 252. quorum ſumma eſt 746. ſeruanda. Eâdem ſummâ diuisâ in 15. remanet Indictio 11. quâ ſubductâ ex Indictione datâ, nempe 8. (adhibito integro cyclo 15.) relinquitur Indictio 12. cui in ſubiectâ tabellâ reſpondet numerus annorum 3192. qui numerus auctus ſeruatâ ſummâ 746. certò demonſtrat annum periodi Iulianæ 3938. in quem cadit prima Olympias. Exodus ex Ægypto contigit cyclo ☉ 25. ☽ 6. Indictione 7. Prior annorum ſumma eſt, 557. quæ diuiſa in 15. relinquit 2. ex Indictione 7. ſubducendum; reſidua Indictio 5. dat annos 2660. addendos priori ſummæ 557. ſumma vltimò collecta, nempe 3217. arguit annum periodi Iulianæ. *Quoto anno periodi* fuit cyclus ☉ 9. ☽ 5. Indictio 15 Anni ſolis 513. anni lunæ 252. quorum ſumma 765. in 15. diuiſa nihil relinquit; quare aſſumitur cyclus Indictionum integer 15. quo ſubducto ex Indictione datâ nihil remanet. Eſt igitur annus periodi Iulianæ 765.

Tabella trium cyclorum, cuius beneficio à datis cyclis cognoſcitur annus.

Cycli.	Anni Solis.	Anni Lunæ.	Anni Indictionis
1	57	476	6916
2	114	420	5852
3	171	364	4788
4	228	308	3724
5	285	252	2660
6	342	196	1596
7	399	140	532
8	456	84	7448
9	513	28	6384
10	38	504	5320
11	95	448	4256
12	152	392	3192
13	209	336	2128
14	266	280	1064
15	323	224	7980
16	380	168	
17	437	112	
18	494	56	
19	19	53	
20	76	Pinacidion	
21	133	annorum	
22	190	Chriſti.	
23	247	75	
		607	His annis Chriſti
24	304	1139	terminatur perio-
25	361	1671	dus Dionyſiana,
26	418	2103	quæ eſt annorum
27	475	2735	532.
28	532	3267	

Synopsis & typus Kepleri.

XXXV. *Vtile est in conspectu habere synopsin & typum Kepleri in Tabulis Rudolphinis.*

SYNOPSIS ÆRARVM VSVALIVM, QVOTQVOT AD NOSTRAM notitiam peruenerunt.

Ante nostram incarnationis æram, currente.

Sunt autem comparatæ singulæ cum suis annis, ante vel post incarnationem Verbis assignata etiam vsualia annorum initia in Mensibus & Diebus anni Iuliani.

5509 Kalendis Septembris, incipiunt Anni mundi secundùm Græcos, in Patriarchatu Constantinopolitano. Idem statuunt illi Cyclis Indictionum quindecennalium caput.

3761 Nonis Octobris incipiunt Anni ab Adamo, secundùm Iudæos Christo posteriores.

776 Iulio celebratus est primus Agon Olympicus. Sed annus ipse primus Olympiadis incipit variè, secundùm diuersa anni capita, apud nationes diuersas. Macedonibus enim annus primus Olympiadis (hoc est, in quo celebrata est Olympias) iniuit Octobri anni 777. ante Chr. Græcis nationibus quàm plurimis à brumâ eius anni 777. desinentis; Achaiæ & Iosepho, ab Aprili anni 776. Atheniensibus ab ipso mense Iudicri scil. à Iunio vel Iulio.

753 Anni Romæ conditæ, ineunt M. Maio, Palilibus, anni Varroni & Scriptoribus plerisque post Augustum, Imperatoribúsque ipsis, in ludorum sæcularium celebratione: Catoni, Tarruntio, Festis Capitolinis, Eusebio, Solino, Chronologo apud Clementem, &c.

747. 26. Februarij. Primus dies Thoth primi mensis Ægyptiaci, Annorum Nabonassari Solarium vagorum: iis vtitur Ptolemæus & Astronomi cæteri.

433. 16. Iunij. Initium Cyclorum Metonis Decemnouennalium, quorum quilibet erat totidem annorum Lunarium mobilium: in quibus mensium primus erat Hecatombæon; & Posideon in septem annis geminabatur.

330. 28. Iunij. Initium Periodorum Calippi Lunarium, quarum singulæ sunt 76. annorum.

324. 12. Nouembris. Primus Thoth Annorum ab obitu Alexandri Magni, Ægyptiacorum vagorum. Intersunt enim inter hunc & Nabonassari initia, anni 424. Ægyptij exactè. Vtuntur eâ Ptolemæus, Theon, Albategnius, &c.

312. Verno tempore, Mense Nisan initium æræ Græcorum seu Chittim; quibus vtitur Scriptor historiæ Macchabæorum, in rebus Iudaicis.

312. Autumno, seu Idibus Octobris, init ÆRA CONTRACTVVM, Anni Antiocheni, vsurpati in Conciliis; puta ab ortu eius vrbis; item Anni Edessenorum, Eusebio; qui eos Annos SELEVCIDARVM appellat, sed caue. His etiam vtitur Scriptor historiæ Macchabæorum, in rebus Gentilium. Arabes Astronomi, Christo posteriores, deducunt eos à Cal. Octobris fixi Iuliani, retrò extensi & appellant Annos Alexandri, Annos Dhikarnaiin. Et hoc initium anni, hâncque æram secutum esse Humen Ægyptium Astronomum, in Tabulis suis Astronomicis, apparet ex verbis Iohannis Parisiensis translatoris, quæ vide apud Caluisium in Isagoge Chronol. fol. 83.

311. Idibus Octobris. Initium Annorum secundùm Chaldæos apud Ptolemæum. His vtuntur Reges Seleucidæ in Epistolis suis, quæ sunt insertæ historiæ Macchabæorum. Itaque his annis proprium esse nomen Seleucidarum existimo, contra Eusebium.

285. V. Cal. Iulij, ineunt Anni secundùm Dionysium Mathematicum, apud Ptolemæum.

48. IV. Idus Maias, Artemisij die 23 Anni Antiocheni putà à libertate acceptâ, quos incipit Ignatius, loci Patriarcha, à primo Artemisij, simul indidem etiam INDICTIONES Cæsaris decurrunt. Quidam tamen è Christianis Orientis, à Cal. Septembribus anni antecedentis, initio Anni Constantinopolitano, eas deducunt.

45. Cal. Ianuarij, Feriâ VI. incipiunt Anni Iuliani fixi, seu primus Calendarij hodierni, secundùm Augusti restitutionem retrò extensi.

Indidem etiam Indorum æra incipit, quæ est annorum Arabicorum repedantium; apud Nicolaum Contium Historicum.

38. Cal. Ianuarij. Init æra Cæsaris (Octauij) Hispanica; vsitata in Conciliis

1. Cal. Ianuarij, incipit Cyclus magnus annorum 532. cuius annos, pro annis Natiuitatis Christi, vsurpant Sigebertus, Marianus Scotus in antiquioribus. alij; & coincidit etiam Eusebij, & Hieronymi, antiquiorum numeratio, à Natiuitate.

Anno æræ incarnationis currente

Hâc ærâ inde à temporibus Merouingorum Francorum; vel saltem Caroli Magni vtitur totus Occidens.

Etsi verò Æra denominatur ab incarnatione, eóque propriè non ante festum Annunciatæ incarnationis incipere debuit: alij tamen ei nomen potius à Natiuitate faciunt. Itaque caput Anni est multiplex. Nam

VIII. Cal. Ianuarias, festo Natiuitatis Christi (à quo etiam Natiuitatis dicti sunt) eos incipi Romæ in negociis Cameræ Apostolicæ, author est Thuanus. Hi Christum anno vno maiorem natu faciunt, quàm Dionysius, æræ author.

1. Ipsas Cal. Ianuarias, quas Iulius Cæsar, Calendarij author, ante annos ab hinc 45. Anni caput esse voluit, vsurpatores huius æræ obseruant hactenus; Omnes scil. succedentes Imperatores, Imperium Romanum, Germania, Prouinciæque, & Regna pleraque circumjacentia. Hoc & in Galliæ regno decreto publico institutum est, anno 1564. obtinuítque paulatim, teste Thuano.

VI. Cal. Martias tamen est Anni caput in Cyclo Solis harum Tabularum, & Computatione Feriæ; quando dies more Romano denominamus, Bissextum Calend. Martias numerantes.

Ipsas Calendas Martias obseruant aliqui Ecclesiastici Latinorum; quia in eorum computis hic est crebrò mensis Paschalis, recipiens hodie potiorem partem mensis Nisan Iudaici. Eos in hoc sequuntur vrbes nonnullæ per Italiam. Idem est anni caput in Cyclo Solis, harum Tabularum, quando Mensis dies populariter numeramus, progredientes in Februario bissextili vsque ad 29.

Æquinoctij Verni tempestatem pro capite anni huius æræ habent Veneti, Florentini, Pisani, aliæque nonnullæ Resp. Italiæ, teste Lucâ Gaurico; Germani sub Carolo Magno, Historici eius æui plerique, Treueri, hodiéque: Ioh. de Barros Historicus Lusitanus ante 100. annos.

VIII. Cal. Apriles, Festum Annuntiationis, hoc est, Incarnationis caput anni statuerunt, Ecclesiastici Veteres, & more ab iis transsumpto etiam Reges & Resp. Christianæ. Itaque secundum Cyclum Dionysij Exigui, vnde hæc æra est nata, hoc demum die currentis anni primi Christus conceptus esset in vtero B. V.

Cal. Apriles, pro anni principio habentur à Clementinis, Anastasio Antiocheno, Gregorio Turonensi, &c. His enim Martius seu Δύστρος habetur mensium duodecimus, Aprilis primus: quia Nisan Iudæis primus crebrò cum eo concurrebat olim.

Paschatis Festum mobile, est caput anni Galliis ante annum 1564. Angliæ, Florentiæ, Romæ in Consistorio Cardinalium & ecclesiasticis, teste Thuano. Hinc anni isti nonnullis veterum, à passione Domini, denominantur, titulo ambiguo.

Octobri, incipit Cyclus Paschalis Victoris Capuani & Victorini Aquitani. Ab huius Cycli initio defluentes Anni, vsurpantur à nonnullis pro Ærâ, titulo Gratiæ, scil. à Ioanne præ dicatæ; vel etiam titulo, à Passione, quamuis ea verè fuerit posterior.

Cal. Ian. ineunt Hekkædecaëterides Hippolyti.

IV. Cal Sept. initio anni Ægyptiaci fixi, ineunt Cycli Paschales Dionysij Alexandrini; ineunt & Anni Diocletianei; dicti Æra Martyrum, Æra Abyssinorum, Habassenorum, Æra Elkupti, etiámque anni Gratiæ. Hâc ærâ vsus est omnis Orbis Romanus, loco Signationis per Consules, vsque ad Iustiniani tempora. Scal. Sed ipsarum Cal. Septembrium vicinitate illectæ Ecclesiæ posterorum temporum, Constantinopolitana & Antiochena, cùm hanc triduanam anticipationem Mensium Iulianorum priscam malè concoquerent; Caput annorum suorum. vt in primâ ærâ dictum, in ipsis Calendis Septembribus Romanis statuere ceperunt; intercalántque Februario, vt Romani, relinquentes Ægypto suum & principium mensium, & intercalationem. Hunc etiam morem secutus esse Iohannes Parisiensis, in Translatione Tabularum Astronomicarum HVMEN Ægyptij, de quibus supra; dum scribit. Factas fuisse tabulas ad meridiem ciuitatis Antiochiæ, quatuor mensibus ante annum Christi 1143. id est Calend. Septemb. anni 1142.

Cal. Apriles, mensis Paschalis, Alexandrinæ Ecclesiæ pro capite æræ Diocletianæ seu martyrum placuit.

VII. Cal. Octob. initium habetur INDICTIONVM Constantini, vsque hodie in Curiis Imperatorum. Sed Græci Imperatores, & Ecclesiastici Constantinopolitani, eas à Cal. Sept. anni sui capite inchoant; cum iis Cedrenus, Euangelium Arabicum, quod pro indictione scribit Tarik, Romana contra Ecclesia, & Pontifices à Cal. Ian. sequentis 313. Indictiones incipiunt. Ignatius Patriarcha Antiochenus, à Cal. Maij, seu Artemisij, anni 313.

III. Idus Augusti init Æra Armenorum: menses sunt Persici, sed fixi, intercalatio merè Romana.

16. Iulij, Feria IV. Annorum Hegiræ Lunarium repedantium initium, quâ vtuntur Mahumedani, Arabes, Turcæ.

16. Iunij, anni Iesdagirdis Persæ, modulo Ægyptiaco, vagi & repedantes, ineunt.

Hæ sunt igitur æræ vsuales, hoc est, & publicæ diuturnæ. Sunt aliæ æræ vel non diuturnæ, vel non publicæ, sed priuatæ saltem historicorum singulorum, aut vrbium non imperantium, & sic non vsuales vulgò: quas enumerare infinitum esset.

Primùm de annis mundi, apud historicos singulos ferè singulæ

gulæ opiniones sunt, quas lector requirat apud ipsos. Latini tamen ferè numerant ad Christum 5190. Recentiores 1200 & amplius minùs numerant, variè tamen. Quos ego propiùs secutus, ante æram hodiernam anno 3993. 24. Augusti, media tunc æstate, situm Planetarum inuenio, initiali conuenientem.

Deinde Alphonsinæ æram diluuij deducunt ab Anno ante Chr. 3102. Ego ab anno 2337. Babylon vrbs ab ortu suo, quem habuit 104. annis post diluuium, anno ante æram Inc. 2233. ad deditionem Alexandro factam, numerauit 1903. ante Chr. 330. incipiente. Annos promissionis numerant Moses & D. Paulus & Eusebius ab 1941. ante incarn. mihi 1965. Ab exitu ex Ægypto mihi ante Chr. 1535. numeratum fuit in deserto. Inde Libri regum ad templum fundatum habent 480. vt summam hanc auget D. Paulus. Ab occupatâ Peræâ numerat Iephthas ad se 300. Ego 302 vel 301. A diuisione Terræ mihi ante Chr. 1489. consurgunt Iubilæi & Sabbatici, quos retinent Samaritani.

A fundato templo, mihi ante Chr 999. an fuerit numeratum publicè, incompertum est. At ab expugnatione arcis Sion, & sede Regni Hierosolymis constitutâ, Ezechielem suos 390. numerare, demonstro, vsque ad prædicationem Ieremiæ, reliquósque 40. ad regnum vrbémque destructa, mihi ante Chr. 606. quem primum captiuitatis habuerunt: à quo septuagesimus annus fuit Reditus, an. Ch. 537.

Annos excidij Troiæ, reditus Heraclidarum, reliquorúmque insignium casuum, de quibus Eratosthenis Canones, vide apud Chronologos.

Præterea annos ær. suæ primus hominum numerauit necessariò: quem imitati sunt cæteri. Itaque anno 600. vitæ Noæ refert Moses Diluuium. Hoc imitati sunt pleræque gentes, in numerandis an suorum Antistitum, Iudicum, Regum, Impp. vbi notandum, non posse doceri, anni Iudæorum, vndecunque denominati, aliud fuisse initium post exitum, quàm mensem nouarum frugum. Itaque crebrò occurrit annus idem vltimus decessoris, & primus successoris.

At hodie Imperia censentur ab initialibus diebus propriis, aut & euentus cæteri Sic æram Alphonsi ordiuntur à 1. Iunij an. Inc. 1252. Sic anno 1582. 15. Octobr. ineunt anni Correctionis Gregoriani.

Denique anno 1619 28. 18. Augusti, incipiunt anni Imperij FERDINANDI II. R. I. AVG. C. V. S. V.

Synopseos huius vtilitas est magna in historicis, chronologicis, & astronomicis. Prima enim calculatoribus istis cura esse debet de anno cuiuscunque numerationis, quem vel antiquæ historiæ, vel diuersæ prouinciæ orbis terrarum suppeditant; in quem annum æræ, quam quisque in suo studio adhibet, is competat Ptolemæus quidem annos deduxit à Nabonassaro, quia obseruationes antiquiores nō extant: alij aliud spectarunt, plerique conuersiones regnorum, aut honorem regum, sub quibus scripserunt. Sic Vectius Valens, Astronomus Antiochenus, ab Augusti triumpho Actiaco: sic Mathematici Persidis à cæde Iesdagirdis numerarunt, ex quo reciderunt sub potestatem Saracenorum Arabum: sic Ægyptij ab obitu Alexandri, & ortu regni Lagidarum Ptolemæorum: sic Saraceni ab *Hegirâ*, secessione seu fugâ Mahometis, qui libertatis ipsis author fuit: sic ipsi etiam Alphonsini, quamuis vsualem iuxta obseruarunt, nouam tamen æram Alphonso fixerant. Porrò æra Christi vtiliter adhibetur ab artificibus, primùm ordine retrogrado, à Christo versus initia rerum, & vltrà, & quousque cuique libuerit; deinde ordine directo à Christo ad nos vsque, & porrò. Súntque bissextiles, post Christum quidem, omnes pariter pares; ante Chr. verò impares, primus, & ab eo quartus quisque sursum. Cùm autem in æram quidem Incarnationis verbi consenserint plerique Christianorum, in principio tamen obseruando magna extiterit varietas; tutissimum est à Kalendis Ianuarij illam arcessere. Vbi & illud obseruacùm anni Iuliani nominantur, cognomen hoc non esse accipiendum de ærâ Iulij Cæsaris, déque annorum numero ab illâ deducto, sed de formâ solùm anni & dispositione seu distributione dierum in menses. Interim, anni etiam Iuliani dicti sunt anni Christi, post Christum quidem 45. annis diminutiores, ante Christum, totidem auctiores, quam si a tempore, quo forma hæc anni a Iulio Cæsare sunt instituta, deducti essent.

Via vtendi hàc synopsi est eiusmodi. Si offeratur annus numerationis incipientis ante æram Inc. (annorum quidem non continuè repedantium) vt scias, quotus is sit annus Inc. siquidem annus propositus non superauerit interuallum numerationis proprium, in synopsi vsitatum: aufert completos ab interuallo, vt est positum; residuus erit annus Iulianus, in quo currente incepit propositus currens æræ cuiusque: dies autem & mensis Iulianus, à quibus ille cœpit, additus inuenitur interuallo in synopsi. At si superauerit propositus annorum numerus interuallum suum (eorum quæ Christum antecedunt) aufer vicissim interuallum vt est positum, ab ipso dato numero anni currentis, residuus erit annus Inc. Iulianus post Christum currens, à cuius die & mense, quem synopsis annotàt, incepit propositus currens.

Exempla R. *Abraham Chaia dicit æram contractuum incidisse in principium anni Iudaici* 3450. *Vt scias, quotus Is sit Inc: respice ad Æram Iudaicam eiúsque interuallum* 3761. *Quia proponitur numerus minor aufer eius completos* 3449 *restat* 312. *currens ante incarn. Eius igitur anni Nonis Oct. quæ sunt annotatæ ad* 3761. *perhibetur incepisse æra contractuum.*

Vicissim scribit Arzachel, Arabum æram incepisse anno Alexandri 933. *Quotus is erit Christi? Respice ad æram Alexandri, eius interuallum inuenitur* 312. *Cùm igitur numerus propositus sit maior, aufer* 312. *à currente* 933. *restat* 621. *currens post Christum, huius igitur anni Octobri quem vides appositum esse ad* 312. *cepit annus Alexandri* 933. *& proinde desiit sequenti* 621. *Christi.*

Sic SIGISMVNDVS BARO HERBERSTENIVS *Commentariis rerum Moscouiticarum, refert ex Annalibus, Demetrium, Iohannis Basily nepotem, Ducem Moscouiæ creatum, anno Mundi* 7006. *Mense Februario. Æra est Græcorum, & numerus superat interuallum: aufer igitur hoc, restat annus Christi* 1497. *currens vt ipse etiam Baro monet.*

De notatione temporis per Olympiadas, cautio est peculiaris, vt completarum numerum quadruplices, addásque currentis annum expressum, quam summam Scaliger appellat annos Iphiti.

Vt, Phlegon Trallianus, referente Eusebio, quarto anno Olympiadis CCII. annotauit Eclipsin solis maximam horâ diei VI. Eusebius de eâ Eclipsi intelligit, quæ contigit Seruatore in cruce pendente, festo Paschatis. Quæritur quoto id fuerit anno Inc. Ergo completas Ol. 201. *quadruplica, & adde quartum expressum, fit* 808. *Iphiti currens. Aufer* 776. *interuallum in synopsi, restat* 32. *Inc. Annus ergo quem dicit Phlegon, vel à solstitio huius* 32. *cepit, vel quod verisimilius, à brumâ antecedente, complexus Pascha anni Inc.* 32. *At quia Passio Christi certò incidit in anteced.* 31. *Inc. intelligimus vitium obuenisse Phlegontis textui, & numeralem γ in δ mutatam*

Si verò numeratio oblata inceperit post Christum, Annique non continuè retrocedant (de iis enim seorsim itidem agendum) adde ad eos currentes, interuallū ex synopsi non currens sed completum: ita prodibit annus Inc. in quo incipit annus oblatus, à mense quidem & die ad interuallum adscriptâ in Synopsi.

Vt; Theon commentariis in Ptolemæum refert Eclipsin, quæ contigit anno Diocletianeo 81. *Quæritur, quoto id fuerit anno Tabb. istarum. Synopsis exhibet interuallum Diocletianeorum* 284 *Ergo completos* 283. *adde ad currentem* 81. *prodit* 364. *Inc. currens; huius igitur anni die* 29. *Augusti (qui additur in Synopsi) cœpit octogesimusprimus Diocletiani.*

Sic Leopoli Russiæ scriptæ sunt literæ de Calend. Armenor. ad Barth. Sculterum Gorliciensem consulem Anno Armenorum 1044. *Vt scias quotus Incar. respice ad æram Armenorum, hæc habet interuallum* 552. *Ergo adde Completum* 551. *ex synopsi, procreatur Incarnationis* 1595. *cuius mense Augusto cepit ille* 1044. *Armenorum.*

TABVLA

TABVLA REDVCTIONIS DIERVM ANNI IVLIANI VETERIS ad Dies anni GREGORIANI NOVI, hodie vſitati in pleriſque partibus Orbis.

A 5 Octob.	An Incarnationis 1582	Adde Dies 10	An.Incarnationis	Adde Dies	An.Incarnationis	Adde Dies	An.Incarnationis	Adde Dies	An.Incarnationis	Adde Dies	An.Incarnationis	Adde Dies
A 25 Febr.	1700	11	2100	14	2500	17	2900	20	3300	23	3700	26
	1800	12	2200	15	2600	18	3000	21	3400	24	3800	27
	1900	13	2300	16	2700	19	3100	22	3500	25	3900	28 &c.

Tabula CONVERSIONIS TEMPORVM in dierum ſummas.

ROMANORVM IVLIANORVM					Appellationes Menſium horum variæ				
Anni	Dies	Menſes communes	Dies	Biſſex Dies	Macedonicæ Antiochenæ	Syriacæ & Iudaicæ	Athenienſes ſed inconſtantiores	Aſtronomicæ, congruentes primos Iulianos, & hodie Gregoria. de potiori	
1	365	Ianuarius	31	31	Αυδυναῖος	Canun II. Thebet	Γαμηλιών	Αιγών	♑
2	730	Februarius	59	60	Περίτιος	Schebat	Ανθεστηριών	Υδρών	♒
3	1095	Martius	90	91	Δύστρος	Adar	Ελαφηβολιών	Ιχθυών	♓
4 0 0	1461 0 0	Aprilis	120	121	Ξανθικός	Niſan	Μουνυχιών	Κριών	♈
8 0 0	2922 0 0	Maius	151	152	Αρτεμίσιος	Ijar	Θαργηλιών	Ταυρών	♉
12 0 0	4383 0 0	Iunius	185	182	Δαίσιος	Haziran, Siuan	Σκιῤῥοφοριών	Διδυμών	♊
16 0 0	5844 0 0	Iulius	212	213	Πάνεμος	Tamuz	Εκατομβαιών	Καρκινών	♋
20 0 0	7305 0 0	Auguſtus	243	244	Λῷος	Ab	Μεταγειτνιών	Λεοντών	♌
24 0 0	8766 0 0	September	273	274	Γορπιαῖος	Ilul	Βοηδρομιών	Παρθενών	♍
28 0 0	10227 0 0	October	304	305	Υπερβερεταῖος	Tiſrin I.	Μαιμακτηριών	Ζυγών	♎
32 0 0	11688 0 0	Nouember	334	335	Δῖος	Tiſrin II. Marcheſuan	Πυανεψιών	Σκορπιών	♏
36 0 0	13149 0 0	December	365	366	Απελλαῖος	Canun I. caſleu	Ποσειδεών	Τοξών	♐
40 0 0	14610 0 0								

Quidam hos incipiunt à ſeptimis dieb. Iulianorum.

ÆGYPTIORVM ET PERSICORVM.

Anni	Dies	Menſes Æg.	Dies	Perſici	Dies
1 0 0 0	365 0 0 0	Thoth	30	Pharuardin	30
2 0 0 0	730 0 0 0	Paophi	60	Artipeheſt	60
3 0 0 0	1095 0 0 0	Athyr	90	Chortat	90
4 0 0 0	1460 0 0 0	Choeac	120	Tyrma	120
5 0 0 0	1825 0 0 0	Tybi	150	Mertat	150
6 0 0 0	2190 0 0 0	Mechir	180	Sachriur	180
7 0 0 0	2555 0 0 0	Phamenoth	210	Mecherma	210
8 0 0 0	2920 0 0	Pharmuthi	240	Apanma habens	
9 0 0 0	3285 0 0 0	Pachon	270	Vvahak	245
10 0 0 0	3650 0 0 0	Payni	300	Aderma	275
		Epephi	330	Dema	305
		Meſori	360	Pechman	335
		Epagomenæ	365	Aſphandar	365

Primus Thoth anni Nabonaſſarei	Peruenit ad	Ante æram Inc.	
1	26 Febr.	747	
4	25 Febr.	744	
100	1 Febr.	648	
224	1 Ianuar.	524	
228	31 Dec.	521	B
348	1 Dec.	401	B
468	1 Nou.	281	B
592	1 Octob.	157	B
712	1 Sept.	37	B
748	23 Auguſti	1	B
	Poſt Chriſtum		
749	23 Auguſti	1	
752	22 Auguſti	4	B
836	1 Auguſti	88	B

Primus Thoth anni Nabonaſſ.	Peruenit ad	Anno Incarnat.
960	1 Iul.	212
1080	1 Iun.	332
1204	1 Mai.	456
1324	1 April.	576
1448	1 Mar.	700
1452	29 Feb.	704
1452	28 Feb.	705
1456	27 Feb.	708
1460	26 Feb.	712
1462	26 Feb.	714

Sic annus Magnus habet Ægyptios 1461 — Cynicus Iulianos 1460

Anno Chriſti 632. Primus Pharuardim ſeu Phiurdin incurrit in 16. Iunij, coincidens cum Choeac Ægyptiaco, vt & cæteri Perſici cum cæteris Ægyptiacis ordine, dempto vnico Aderma, qui à 6. Meſori Ægyptiaci incepit, habens Vvahak ſeu Epagomenas ante ſe, cùm eæ ſequerentur Ægyptiacum Meſori. Igitur Arabes ABEN ponunt dierum 35.

ARABICORVM HEGYRÆ

Anni	Dies	Anni	Dies	Anni	Dies
1	354	16	5670	30 0	10631 0
2	709	17	6024	60 0	21262 0
3	1063	18	6378	90 0	31893 0
4	1417	19	6733	120 0	42524 0
5	1772	20	7087	150 0	53155 0
6	2126	21	7442	180 0	63786 0
7	2480	22	7796	210 0	74417 0
8	2835	23	8150	240 0	85048 0
9	3189	24	8505	270 0	95679 0
10	3543	25	8859	300 0	106310 0
11	3898	26	9213		
12	4252	27	9568		
13	4607	28	9922		
14	4961	29	10276		
15	5315	30	10631		

*Dſilhitſche Turcis

Menſes	Dies	Inibant anno I. Hegyræ	Syriacorum appellat. analogæ
Muharram	30	16 Ianuarij	Ab
Sephar	59	15 Auguſti	Ilul
Rabie I.	89	13 Septemb.	Tiſrin I.
Rabie II.	118	13 Octob.	Tiſrin II.
Giumadi I.	148	11 Nouemb.	Canun I.
Giumadi II.	177	11 Decemb.	Canun II.
Regeb	207	9 Ianuarij	Schebat
Sahaben	236	8 Februar.	Adar
Ramadhan	266	9 Martij	Niſan
Scheual	295	8 Aprilis	Ijar
Dulkadati	325	7 Maij	Haziran
*Dulhaiati	354	5 Iunij	Tamuz
In an. abundanti	355		

An. Chr. 632. 633.

TYPV

TYPVS ANNI CONFVSIOnis qui finem imposuit anno Romano veteri; nec non Iulianorum primorum 49. vitiosorum.

Menses Popiliani.	Quantitas	Inibant in anno Iuliano ex Augusti correctione per fictionem retrò extenso.	
Ianuarius	29	Anno 47.	14. Octob.
Februarius	28	ante Christum currente	12. Nouemb.
Mercedonius tertio quoq; anno	23 al.		
intercalarius	22		10. Dec.
Martius	31	Anno 46.	2. Ianua.
Aprilis	29		2. Februarij
Maius	31		3. Martij
Iunius	29		3. Aprilis
Quintilis	31		2. Maij
Sextilis	29		2. Iunij
September	29		1. Iulij
October	31		30. Iulij
Nouember	29		30. Aug.
December	29		28. Sept.
nterca. pri.	33		27. Octob.
nterca. post	34		29 Nou.
anuarius anni Iuliani primi ex mente Iulij Cæsaris.			45. 2. Ianuar.

Deinceps Calendæ Mensium (post Bissexti sedem) vsualium, sic responderunt diebus mensis Iuliani ex obseruatione hodiernâ.

	Anno Iulian. vsuali	Ante æram Christi, vt hodie	Diei
	1	45 Biss.	1
	4 Biss.	42	2
	5	41 B.	3
	7	39	2
	9	37 B.	1
nni intercalationis itiosæ.	10	36	2
	13 B.	33 B.	2
	16 B.	30	3
	17	29 B	2
	19 B.	27	3
	21	25 B.	2
	22 B.	24	3
	25 B.	21 B.	3
	28 B.	18	4
	29	17 B.	3
	31 B.	15	4
	33	13 B.	3
	34 B.	12	4
	37 B.	9 B.	4
	38	8	4
	Hoc anno decreta correctio.		
	41	5 B.	3
ni correctionis.	45	1 B.	2
	46	Æræ Christi. à.1	2
	49	4 B	1
nus cor	50 rectus.	5	1

Tabula ostendens, quomodo Menses exotici Solares fixi hodie cohæreant cum Mensibus anni Iuliani.

Menses Τριακονθήμεροι.

Ægyptiaci Ecclesiæ Alexandrinæ; ex charactere Arabico & Æthiopico	Æthiopici seu Christianorum Elkupti, vel Abyssinorum.	Initia in Anno Iuliano: Communi	Initia in Anno Iuliano: Bissextili & antecedenti	Armenorum	Initia in anno Iuliano, ab anno Christi 551. 552.
Thuth	Mascaram	29	30 Augusti	Nauazard	11 Augusti
Pape	Tikmith	28	29 Septemb.	Hori	10 Septembris
Hathur	Hagar	28	29 Octobris.	Sahmi	10 Octobris
Chiach	Tachsam	27	28 Nouemb.	Dre, Theri	9 Nouembris
Tube	Tir	27	18 Decemb.	Kaghots	9 Decembris
Amschir	Iechathith	26	27 Ianuarij	Aracz	8 Ianuarij
Parmahath	Magabith	25	26 Februarij	Mahegi	7 Februarij
Parmude	Miazia	27 Martij		Arcki	9 Martij
Paschunes	Ginboth	26 Aprilis		Ahgi, Aheli	8 Aprilis
Paune	Sene	26 Maij		Mariri	8 Maij
Epip	Hamle	25 Iunij		Marcacz	7 Iunij
Musri	Nahase	25 Iulij		Herodicz	7 Iulij
El Nisi	Pagomen	24 Augusti		Aicliacz	6 Augusti

Dies intercalarius in antecedente 29. Augusti | 18 Mahegi, qui tunc habet 31 Samaritani Ægyptienses, etsi cum contribulibus suis in Syriâ, mensibus vtuntur quantitate Iulianis: cum Ægyptiis tamen intercalant diem mensis nomine Vaadar dictum, in 29. Augusti, antecedente sedem Bissexti Romanam.

TABVLA HEBDOMADICA, ad Feriam diei indagandam Primùm in anno IVLIANO, beneficio CYCLI SOLIS.

I. Κυριακὴ. ☉	II. Δευτέρα ☽	III. Τρίτη ♂	IV. Τετράς ☿	V. Πέμπτη ♃	VI. Προσάββατον ♀	VII. Σάββατον ♄
Iunius	Sept.	April.		1	2	3
4	Dec.	5	6	7	8	Martius
9	10	11	12	Maius	13	14
15	16	Iulius	17	18	19	20
Febr. seq. 21		22	23	24	Augu.	25
26	27	28	Octob.	Ianu. seq.		Nou.

Laterculus cyclorum ☉.

28	0	0
56	0	0
84	0	0
112	0	0
140	0	0
168	0	0
196	0	0
224	0	0
252	0	0
280	0	0

Rursum per TRIACONTETERIDA in anno ARABICO vago Hegiræ.

Tria-	180	conte-	150	teri-	120	des
90	com-	60	ple-	30	tæ	0
	2			1		Muhar
5	Sephar	Rabie I.	4	Rabi		ram 3
		7		e II.	6	
	10			9	Giuma	8
13			12		di I. 11.	
Giuma	Regeb	15			14	
di II.	18		Sahabem	17		16
21			20	Ramad	19	scheual
Dulka-		23		han	22	
dati	26			25		24
29		Dulha-	28		27	
		jati		30. curr		

Laterculus summæ annorum in periodis Arabicis integris

210	0
420	0
630	0
840	0
1050	0
1260	0
1470	0
1680	0
1890	0
2100	0

Explicatio

Explicatio horum typorum.

Habes hoc loco 1. Tabulam reductionis & conuersionis temporum Gregorianorum, Iulianorum, Ægyptiacorum, Persicorum, Arabicorum. 2. Typum anni confusionis, & intercalationis vitiosæ peractæ, itémque cohæsionis annorum solarium fixorum exoticorum, qui quadantenus formæ Iulianæ respondent, eóque minori operâ ad eam reducuntur. 3. Tabellam ferialem.

De typo primorvm annorvm Ivlianorvm vitiosorvm.

Quod intercalationem diei attinet, quatuor nactus est formas annus Iulianus, quarum duæ primæ visuntur in synopsi. Primi enim 37. qui decurrerunt inde ab institutione Calendarij, vitiosam complexi sunt intercalationem; ab anno ante Ch. 9. Sequentes 12. anni caruerunt intercalario die, ab anno 8. ante Ch. vsque ad annum 4 post Christum.

De his igitur 48. annis regula est ista. Si offertur annus ex historiâ Romanâ, certus inter dictos terminos, vt scias, dies mensis vsualis, in quem diem obseruationis posterioris, quære etiam in his tabulis valet, retrorsum extensæ, quadrauerit; quære annum in inferiori parte Typi, aut si eum non reperis, sume proximè superiorem, & vide in quem diem mensis inciderint Calendæ vsuales. Nam si in primos dies inciderunt Calendæ, omnes igitur dies rectè sunt acti, post sedem quidem bissexti, vsque ad notatum annum sequentem: sin autem in secundos, vnitas est addenda numero diei expresso, si in tertios, adde duos, si in quartos, adde tres. *Exemplum illustre, de materiâ nostrâ, sit hoc. Quo anno Cæsar Octauius occupauit Ægyptum, anni Ægyptiaci principium obseruatum est incidisse in III. Cal. Sept. hoc est in 29. Sextilis anni Romani, vti tunc ille agebatur. Quæritur quotus dies futurus fuerit anni secundùm formam consecutam correctam? Annus est notus ex historiâ; transierant anni 15. formæ Iulianæ, currebat sedecimus ante æram Incar. tricesimus. Inuenitur igitur in Typo annus hic ipse 30. ante æram Inc. & dies adiacet tertius, in quem incidebant Calendæ cuiúsque mensis post Februarium Bissexti sedem. Cùm ergo Calendæ Septembres in tertium Septembris correctum inciderint; IV. Cal. in vltimum Augusti competierunt: vt sic vbique differentia bidui fuerint.*

De diebus verò anni signati in Typo, qui sedem bissexti antecedunt, cautio est ista, vt ij accenseantur anno antecedenti: vt si dies exprimatur anno Iuliano vsuali 16 mense Ianuario; non est sumendus annus 16. sed 15. & quia is non reperitur; annus igitur proximè superior 13. cuius Calendæ omnes à Martiis (vsque ad Martias anni 16.) in secundos dies cadunt, vt sit differentia vnius tantùm diei.

Tertia forma anni Iuliani cœpit cum anno 50. æræ Iulianæ, qui quintus erat nostræ numerationis ab incarnatione, durauítque vsque ad 4. Octobris anni 1582. duratque adhuc passim, & in his tabulis: nec eget præcepto.

Quartam in modo intercalandi formam introduxit P. M. Gregorius XIII. cui seruit Tabella reductionis prima.

Hæc Gregoriana Calendarij veteris Iuliani emendatio recepta est in toto ferè Occidente, in Imperio Romano, in regis Hispaniarum latissimis per Orientem & Occidentem porrectis prouinciis: adeóque transiit in vsum, vt ne ij quidem, qui veterem formam retinent, huius notitiâ carere possint.

Oblato enim die mensis Iuliani veteris, ad quem sunt computati motus cœlestes, si quæritur, quotus is dies sit futurus anni Gregoriani; siquidem dies fuerit secuta sedem bissexti, quære in tabulâ annum Incarnationis propositum, aut proximè antecedentem; & inuenies appositum numerum dierum, quos addes proposito numero Iuliano; ita emerget numerus diei Gregorianus, mensis vel eiusdem, vel si quantitas mense maior euaserit, eâ reiectâ, mensis sequentis. Si verò dies anni oblata præcesserit sedem bissexti; habeto Ianuarium, & partem Februarij pro appendice anni præcedentis. Exemplis non est opus.

Vicissim, si sint computandi motus ad tempora Gregoriana, tantundem illis detrahe, quantum Tabella priori casu iussit addere; adscito, si fuerit opus numero dierum mensis antecedentis: ita tempus erit aptatum ad hunc calculum.

Sed scriptoribus Ephemeridum, nihil est opus subiicere consilium hoc, vt quot omnino dies erunt eximendi de Iulianâ formâ, totidem dierum motus subtrahant ab Epochis, vt eas habeant ad Gregorianam formam in sæculo sibi proposito accommodatas. Ego etsi Ephemeridas scripsi stylo Gregoriano & epochas illas in chartis habeo: non censui tamen, varietate Epocharum vel ansam præbendam confusioni Calculatorum, vel librum etiam onerandum.

Valet autem præceptum à Februario cuiusque anni expressi, vsque in Februarium anni proximè sequentis in tabellâ. Verbi causâ à 5. Octobris anni 1582. iuberis addere 10 (putà in prouinciis, in quibus emendatio statim recepta fuit) Id igitur fieri debet in omnibus diebus & mensibus, omnibúsque annis sequentibus, etiam anno 1600. etiam principio anni 1700. vsque ad sedem Bissexti Iuliani. Nam etiam ad 24. Februarij eius anni, seu sextum calendas Martias priores intercalarias adduntur dies 10. vt fiant 34. vnde ablatus modus mensis Februarij dierum 28. relinquit 6. erit igitur 6. Martij Gregoriani. At cùm iam à 24. Februarij anni 1700. inclusiuè iubearis addere dies non decem sed 11. adde eos ad 24. Februarij ordinarium, seu VI. Calend. Martias posteriores, fient 35 ablatis 28. modo Februarij communi, restant 7. erit igitur 7. Martij Gregoriani.

Notabis igitur, in hâc Tabellâ reductoriâ, more Romano imputari Februario bissextili dies tantùm 28. sicut etiam in cyclo hebdomadico, quem addidere Christiani, bis ponitur litera F. At si Tabellam accommodassem ad more populare, qui in Februario bissextili numerat vsque ad dies 29. verba hæc à 24. Februarij locū non haberent, sed pro iis ponenda essent ista (à 1. Martij.)

De typo anni confvsionis; et vna, anni Romanorum veteris Popiliani.

Priusquam abeam à formâ temporum nostrate, nonnihil etiam de eâ dicendum est formâ, quæ illam proximè antecessit: quæ quidem à formâ anni Græcanicâ antiquissimâ est deducta. Sed cùm non extent in historiis Romanis documenta sufficientia, ex quibus omnis huius anni ratio elici, & cum hodierno Iuliano comparari connectíque possit; tanto etiam breuior ero. Cùm enim Romani periodum habuerint 24. annorum, in quâ pro eo, quod Græci vetustissimi duodecies intercalare sunt soliti, ipsi intercalarunt tantùm vndecies, semel omisso mense intercalario: hæc igitur omissio rationes omnes perturbat. Nullum enim extat vestigium consulum certorum, quibus Coss. fuerit omissus intercalarius. Itaque primùm atque supra confusionis annum per duos annos altiùs in historiâ Romanâ enitimur, in incerto nos versari necesse est de 23. diebus: etiamsi concedat aliquis regulas periodi 24. annorum strictè fuisse obseruatas, nullámque libertatem, diei vnius atque alterius extra ordinem, sibi vsurpasse Pontifices.

Quidquid igitur de annis, qui confusionis annum antecedebant, præcipi hoc loco potest, totum anceps & lubricum est: &, si multa largiamur; tamen annis quinque & viginti qui confusionis annum proximè antecedunt, ad duas redigimur conditiones: vt aut nusquam dicamus omissam intercalationem, aut alicubi omissam.

Hæc cùm sic habeant, verbis solemnibus præceptum concipere superuacuum erit. Exemplo vnico eóque nobili contenti erimus, quod sit loco præcepti.

Cicerone & Lentulo Coss. quod fuit anno ante Inc. æram currente 63. IX. Cal. Octobris natus perhibetur C. Octauius, postea Augustus dictus. September, vt vides in Typo anni confusionis, habuit dies 29. Ergo nonus à Cal. Octob. attingit 22. Septemb. Quæritur quo die anni hodierni Iuliani retro extensi, id acciderit: scilicet vt puero aureo, quem Iupiter, Cicerone Cos. somniante, catenâ aureâ de cœlo demisit, genesin pangere possit astronomus. Adi Typum anni confusionis, qui erat ante Ær. Incarn. quadragesimus sextus, cùm in eo September Popilianus incipiat à primo Iulij Tabularum istarum, additis 21. fiet vt 22. Septemb. Popilianus incidat in 22. Iulij nostrum. Annum verò 46. inter & sexagesimum-tertium intersunt anni 17. Si intercessissent planè 24 quanta erat periodus Romana; probabile fuisset, menses Popilianos eo situ fuisse in Mensibus Iulianis intra propinquitatem vnius diei, quo fuerunt, anno confusionis. At quia nescimus, an aliquo anno intermedio, qui debuerunt esse 48. 50. 52. 54. 56. 58. 60. 62. fuerit omissus mensis intercalarius: duæ igitur nobis offeruntur conditiones. prima, vt fuerit omissus, posterior, vt non fuerit. Si non omissus, igitur à 22. Sept. anni 46 ad 22. Sept. anni 62. decurrerunt anni 16. Romani veteres, qui fuerunt Iuliani 16. & dies totidem excedentes. Qui ergo anno 46 habitus fuit pro 22. Sept. Popiliano, fuerit 6. Iulij Iuliani. Hinc ascendamus retrò in annum 63. per modulum anni Popiliani. Et quia ascensus fit per Februarium, qui anno 62. geminabatur ex analogiâ anni 46. & conditione positâ, inserto scil. in Februarium Merkedonio dierum vel 22. vel 23. fuit igitur quantitas anni Popiliani dierū 377. vel 378. à 6. Iulij verò extensi dies 377. in anno simplici Iuliano retrorsum, pertingunt ad 24. vel 22. Iunij: Vna igitur conditionum offert nobis 23. vel 24. Iunij. Si verò alicubi per hos annos 17. omissa fuit intercalatio 23. dierum, quæ altera fuit expositarum conditionum; à posito termino deuoluimur ad 16. vel 17. Iulij: si modò nihil intereà turbauerint extra ordinem Pontifices, festorum arbitri. Certius aliquid affirmare Typus noster haud poterit. At nec quicquam certius hoc typo quisquam, quod sciam, ex monumētis vetustis collegit hactenus.

Si quis tamen iudicium hîc meum requirit, id obiter addam: non est enim id alienum à Tabb. à Rudolpho dictis, cum illud eidem Rudolpho Imp. olim roganti exposuerim.

Fertur natus Augustus paulò ante Solis ortum; Octauius enim pater Augusti, tardiùs in Senatum veniens, qui summo manè coactus erat, ob periculū coniurationis Catilinariæ, moram puerperio vxoris excusauit. Atq; ei Nigidius ex tēpore partus, fortunam nati amplissimam prædixit. Præter hāc traditionē confirmata est etiā Augusti ipsius opinio, se sub Capricorni sidere natum. Atqui mense Iulio, Sole orituro, Capricornus occasum obtinet. Quomodo ergo qui sub Capricorno natus, idē antè Solis ortum nasci potuit? Conciliatorem audi Manilium: Veteres sub eo quemq; sidere natum putabāt, quod eo nascēte Luna obtinebat. Inter ergo 23. Iunij &

& 18. Iulij per dies 20. quære an Luna potuerit obtinere Capricorni per priores dicendum, erres 1 & 2 Iulij. Non sunt igitur omissi in his annis 17 mensis intercalaribus, at nec quantitas anni, dierum planè 355 aut intercalario, seruata esse potest. Desunt nam dies 6. 7. vel 8. seu Pontificum arbitrium ordinationi derogauerint, seu male retulerint de anni quantitate authores, ætate posteriores.

DE CONVERSIONE TEMPORVM Ægyptiacorum in Iuliana.

Datus dies dati mensis & anni Ægyptiaci vagi à Nabonassaro ad quem diem cuius anni ante vel post Incarn. quadret, sic addisces. In Tabulâ conuersionis Temporum, series inuenitur Ægyptiacorum a Nabonassaro, cum die anni Iuliani respondentis adiunctis. Quære ergo numerum Ægypt. annorum, proposito (si non æqualis) proximè maiorē, & aufer ab eo propositū currentē, residuos ad respondentē in eâdem lineâ Incarnationis, ante Christū adde, vel ab eo post Christum subtrahe; sic habetur annus ab Incarnatione retrò vel porrò, in quo propositus Ægyptius incipit. Eosdem verò residuos annos diuide per 4. quotientem (auctum vnitate, si quid superfuerit) adde numero diei Iuliani, inuento in eâdem lineâ, it prodibit sedes primi Thoth.

Tertiò collige ex columellâ competenti, numerum dierum à principio illius Iuliani anni, vsque ad inuentā sedem I. Thoth; attendens, communis ille sit annus an bissextilis: idem fac in anno proposito Ægyptiaco, vsus columellâ itidem propriâ, summam sc. dierum, collige vsque ad propositum. Summam vtramque coge in vnam, quam vicissim ope columellæ Iulianorum, conuerte in menses Iulianos. Ita residuus erit completus dies mensis Iuliani sequentis. Quod si summa dierum superauerit modum anni, aufer prius ab eâ dies 365. vel in bissextili 366. & pro iis numerum annorum Iulianorum vnitate diminue ante Chr. auge post Chr. cum residuis diebus age vt prius.

EXEMPLVM ANTE CHRISTVM

Quæritur anno Nabonassari 425. dies primus Thoth ad quem diem cuius anni Iuliani quadret? Numero hoc proximè maior, in tab. Conuersionis Ægypt. & Pers. ad dextram sub titulo Nabonassarcorum, inuenitur 468 vnde ablatis 425. residui fiunt 43. qui additi ad 281. ante Inc in eâdem lineâ inuentos, conficiunt 324 ante Christum.

Idem residuum per 4 diuisum dat. 10 cum fractione; ergo pro eâ plenos 11. adde ad inuentum in eâdem lineâ diem 1. Nou. fit 12. Nouembris. Hic quia de omnium primo die anni fuit quæsitum, habetur ergo sic sedes eius in Iuliano respondens.

Si verò quæsitum fuisset de 27. Mesori currente: operatio sic fuisset cōtinuanda. Iulianus 324 ante Inc. est simplex. Ergo completus October exhibet dies 304. adde & dies 11. completos de Nouebri, fient 315. Sic Cōpletus Ægyptius Epiphi exhibet d. 330. adde completos 26. de Mesori currente, summa 356. iungatur priori, cōflatur 671. At hâc aufer primò 365. quippe quia annus 324 ante Inc. sit simplex) restant dies 306. hoc numero proximè minor 273 adscriptus est Septēbri anni simplicis (simplex enim annus est, etiam 323 sequens; quibus ablatis restant dies 7 completi de mense Octobri, anni 324. vnitate diminutioris, quippe ante Inc. Ita dies 27. Mesori currēs, competet in currentē diem 8. Octobris.

EXEMPLVM POST CHRISTVM.

Quæritur anno 1370 dies 27. Chœac, ad quē diem, cuius anni Inc. pertineat? Aufer 1370 à proximè maiori (sub titulo Nabonassari) 1448. residui sunt 78. Hi, quia tempus est post Christum, subtracti ab annis Inc. 700. inuentis in lineâ relinquuntur 622. diuisi verò iidem per 4. dant 19. cum fractione. Ergo solidos dies 20 adde ad 1. Martij inuentum in lineâ: prodit sedes diei 1. Thoth. 21. Martij. Annus est simplex. Ergo Febr. & dies 20. completi de Martio dant 79. Sed & Athyr completus cum completis 26. Chœac currentis dant 116 Summa ex vtrâque fit 195. Hac proximè minor 181. dat Iunium completū, residui 14. sunt dies cōpleti mensis Iulij, & propositus currens 27. Chœac in currētem 15 Iulij anni 622. Inc. incidit. De hoc die infrà in ærâ Arabum.

DE CONVERSIONE TEMPORVM PERSICORVM, in Iuliana harum tabularum & vicissim.

Annus Ægyptius vagus desiit; Persicus successit. in menses suos, menses illius ferè omnes recipiens ex toto, vt in calce Tabellæ admoneo. Hunc Persicum hodiéque in vsu esse existimo. Pro Ægyptio igitur sufficit præceptum temporarium. Tabulâ subnixum ad quantitatem vnius anni Cynici extensâ: pro Persico præceptum trado generalius.

Datos annos Iesdagirdis completos mensésque completos, cum diebus de currente mense completis, in summam redige dierum (excerpens primò per annorum Millenarios si tot sunt, deinde per centenarios, tertiò per denarios, quartò per singulos, quintò per menses) de quâ summâ semper detrahe 199. summam sic multatam vicissim redige in annos & menses Iulianos, attento bissextili; annis Iulianis factis adde semper 632. solidos annos: conficietur summa elapsorum annorum & mensium æræ Incarnationis, cum diebus residuis mensis currentis.

Vicissim annis Iulianis ab Inc. oblatis demantur 632. residui completi, dissoluantur in dies, excerptione factâ, primò per centurias quaternariorum, quæ continentur in numero Iulianorum proposito, secundò per eorūdem denarios, tertiò per quaternarios ipsos, denique per singulos infra quatuor, completos; dierum excerptos numeros, cum numero dierum mensis completi, & cum numero dierum mensis currentis in vnam redige summam: & adde summæ dies 199. Ea sic aucta redigatur in Tempora Persica, exceptione annorum in margine factâ, per summas dierum proximè minores collectâ, vel eius residuis, excepto etiam mense completo, vt appareant dies de currente sequenti mense residui.

EXEMPLA.

Anno Isdagerdis 814. dies 17. mensis Fermà quis cuius mensis Iuliani & anni Incarn. dies est? Completus mensis Chartad collegit dies 90 adde dies 17. currentes. mensis currentis, fiunt 107. Iam anni 800. Ægyptiaci vel Persici dant dies 292000. Anni 10 dant 3650. anni 3. residui completi dant dies 1095. Omnibus diebus in vnam summam collectis, & ab eâ dempto modulo 199 perpetuo, fit summa dierum castigata 296653. Hac verò proximè minor 292200 efficit Iulianos 800. residui sunt dies 4453. summa hâc proximè minor dies 4383. efficit 12. Iulianos, restant dies 70. qui cùm pertineant ad sequentem 13. Iulianum simplicem, demptis ergo 59. inuentis cum Februario simplici, restat 11. currens, mensis Martij currentis. Ad collectos verò annos 812. vlt mo currente, adde perpetuum numerum 632. consurgit Incarn. 1445. currens.

Vicissim anno Incarn. 1079. dies 23. Februarij quis dies cuius anni mensisq; Isdagerdis? Demptis 632 de Iulianis 1079. restant 447. currente vltimo. Sed 400 Iuliani dant dies 146100. & 40. 14610. & 4. cōpleti dant 1461. & duo insuper completi dant 730. Ianuarius verò completus dat 31. & de Februario currunt 23. Adde & 199. modulum perpetuum. Summa ex omnibus diebus conflata. fit 163144 de quâ 146000 faciunt Persicos annos 400 residui sunt dies 17144 Rursum de his 14600. faciunt Persicos annos 40 residui sunt dies 2544. Sed & de his 2190 faciunt Persicos annos 6. restāt dies 364. Deniq; summa proximè minor istâ, 335. adscripta est ad Pechman seu Behemen mensem, restat 29. mensis sequentis Asphandar currens, vltimus sc. dies anni 447.

Notabis, mensium Persicorum nomina valde varis reddi literis, ex aliâ & aliâ linguâ transcriptis. Nam primum de linguâ Persicâ in Arabicam, postea de Arabicâ in Latinam transcripta sic sonant apud Alphonsinos in editione Santritteriana, Fordimech, Aldaimech, Cardimech, Zirmech, Mardary, Sarembemech, Mahramech, Ebenmech, Ydramech, Dimech, Behmemech, Azfidamic. Vt omittam manuscriptos meos. Ego vero propius me mansurum speraui apud idioma Persicum, si ex Græcis authoribus, Chrysococce & Isacio Monacho ea in Latinam linguam transcriberem.

DE CONVERSIONE TEMPORVM ARABICORVM & Turcicorum Hegiræ in Iuliana, & vicissim.

Modus non absimilis priori. Annos Arabicos Hegiræ conuerte in dies, excerpens primò per decuplum annorum collectorum, si tanta fuerit oblata annorum summa, deinde per residuos Triaconteteridum integrarum, tertiò per annos completos infra 30. quartò per menses Arabicos completos. Omnes quatuor excerptos dierum Numeros, vnà cum numero diei currentis in mense currente, collige in vnam summam, quam auge denique perpetuo numero dierum 561 Sic auctam conuerte in annos & menses Iulianos Incarnat. Ita remanebit in fine Numerus dierum mensis Iuliani currentis, quorum vltimus cum die Arabico proposito congruit. Annis verò Iulianis cum summis dierum excerptis, adde completos 620. annos perpetuò: prodibit annus Incarnationis.

Vicissim diem mensis Iuliani in certo Inc. anno (qui Epocham Arabicam sequatur) in Calendario Arabico sic assignabis. Ab annis Christi propositis aufer annos 620. perpetuò, residuos in dies conuerte; sic etiam menses Iulianos completos, anni vel simplicis vel bissextilis. Omnibus diebus excerptis subiunge & numerum diei mensis decurrentis; & fac omnium summam, de quâ vicissim aufer semper dies 561. summam sic multatam conuerte in tempora Arabica, excerpens per dierum numeros proximè minores vel summâ confectâ vel eius residuis; vsque dum restiterit numerus minor quantitate mensis Arabici, qui erit numerus diei de currente mense Arabico, respondens diei mensis Iuliani proposito.

Vt, reliquit Leunclauius in Pandectis suo historiæ Turcicæ, notatum in fine diplomatis Sultani Amurathæ, Annum Transmigrationis (Hegiræ Mahometis) 991. die 27. Silchidze, id est, Dulhajati. Quæritur in quem diem cuius anni Iuliani is competat

Anni 900 Arabici dant dies	318930.
90 Arabici dant dies	31893.
Completus Dulkadati dat dies	325.
Dies Dulhajati currens	27.
Additio perpetua	561.
Fit summa	351736.
Anni 800 Iuliani habent	292200.
Restant	59536.
Anni 160 Iuliani habent	58440.
Restant	1096.
Anni 3 Iuliani habent	1095.
Add. perp. 620 Restant	1.

Fiunt anni 1583. completi, mensis completus nullus. Ergo erat dies 1. Ianuarij anni Inc. 1584. ineuntis: quod & Leunclauius interpres indicauit. Id verò Scaliger negat se posse concoquere. Expurget igitur & corrigat ventriculum Tabb. & præceptionum suarum, si hoc illæ non patiuntur.

Vicissim, Anno Incarn. 1576. die 23. Decemb. seu X. Cal. Ianuarias, in quem diem cuius anni Arabici ab Hegirâ, competit?

Sunt anni Iuliani 1575. completi, currebat 1576. bissextilis

Aufer perpetuos	620	
Restant	955	
Anni Iuliani	120	*dant dies* 292000.
Restant	155	
Anni Iuliani	120	*dant dies* 43830
Restant	35	
Anni Iuliani	32	*dant dies* 11688.
Restant	3 *qui dant dies*	1095.
Completus Nouember Bissextilis dat dies		335.
Numerus dierum Decembris		23.
Fit summa dierum		349171.
Aufer perpetuos dies		561.
Summa correcta fit		348610.
Anni Arabici 900 *auferunt*		318930.
Restant		29680.
Anni Arabici 60 *auferunt*		21262.
Restant		8418
Anni Arabici 23 *auferunt*		8150.
Restant		268.
Mensis Ramadham aufert		266.
Restat dies mensis Scheual seq.		2.

Anni colliguntur 983. completi.

Ergo propositus 23. Decemb. anni Inc. 1576. est dies 2. mensis Scheual anni 984. Turcici prophetæ. Tunc induciæ sunt factæ 8. annorum inter Rudolphum II. Rom Imp. & Amurathem Regem Turcorum. Itaque in libro Martini Crusij quem Scaliger allegat, oportet omissum esse characterem X. Non enim Calendis anni ineuntis 1576. vix dum electo Rudolpho, patre Maximiliano adhuc superstite, sed exeunte anno illo, scil. X. Calend. Ian. induciæ fieri potuerunt Hinc corrige Scalig.

De applicatione dierum in annis, Ægyptiaco, & Armeniaco, fixis ad dies Iulianos.

Huic rei seruit Tabula propria, quæ ipsa præcepti loco est, tantummodò vt memineris, in Armeniaco quidem anno diuersitatis esse planè nihil à Iuliano (tantùm enim dies mensis Armeniaci completi adduntur ad diem mensis Iuliani adscriptum, & à summâ si excreuerit, ablatâ mensis illius quantitate, residuus fit dies currens mensis Iuliani sequentis) in Æthiopico verò per illud semestre, quod antecedit intercalationem Romanam disparitatem esse diei vnius, sic vt festa illius semestris Æthiopica fixa, anno illo quo imminet intercalatio Romana, cadant in Iuliano calendario die vno posterius, quàm tribus antecedentibus annis.

De characterismis et feriis annorum & dierum.

Materia magis est chronologica & ad computos reiicienda, astronomo oportet proponi tempus certum, vt ad id computet motus. Quia tamen aliqui characteres à motibus lunæ deducuntur, aliqui etiam ab Astronomis, præsertim Hebræis, adhibentur, ad hos faciliùs consectandos; paucis & de characteribus agam.

Cycli tres solent inseri Calendariis, Indictionum, Solis, & Lunæ seu Aurei numeri. Indictionum circulus cum tribus æris incipit, vt vides in synopsi, cum ærâ Græcorum ab initio mundi, cum Annis Antiochenis, & cum anno Christi 312. vel 313. pro diuerso anni Indictionalis initio.

Annos igitur Mundi Græcorum & Antiochenos simpliciter diuidimùs per 15. residuùs est annus Indictionis, aut si nihil residuum, Indictio numeratur 15.

Vt si quæratur Anno Græcorum 5509. quota Indictio, diuisione per 15. factâ, restant 4 Ergo Septembri anni 5509. finit Indictio 4

De annis verò Incarnationis cautio est, vt ad Indictionem eliciendam, iis addatur ternarius, & tunc fiat diuisio per 15. Sic caput æræ nostræ cadit Indictione IV. additis 3. ad 1. Christi.

De cyclo solis.

Ad hunc inueniendum, ad annos Incarn. post Christum adde 9. à summâ aufer numeros annorum in Cyclis integris, ex laterculo petitos, qui est ad dextram Tabulæ Hebdomadicæ; remanebit ita cyclus Solis, aut si nihil remanet, cyclus erit 28.

Quòd si fuerint anni tui currentes ante Æram Incarn. tunc non his sed numero annorum in laterculo cyclorũ inuento proximè maiori, adde non 9. sed 10. à summa detrahe ante Christ. currentes, & tunc à residuo vt priùs, abiice cyclos integros.

Exempla.

Anno Inc. 1507. pro cyclo Solis adde 9. à summâ 1516 aufer primo 1400. cyclorum scil 50. inuentos in laterculo, restant 116. ab his porro & 112. aufer, quos ibidem inuenis, annos scil. cyclorum 4. restat 4. cyclus Solis eius anni.

Vicissim Anno ante Inc. 3993. vt habeas cyclum Solis, quære in laterculo proximè maiorem, inuenies autem (accensitis 2. cyphris 5600 cyclorum sc. 200. Adde 10. quia summa proposita est ante Incarn. à summâ 5610. aufer primo propositos 3993. restant 1607. iam ab hoc residuo, vt priori exemplo, aufer inuentum in laterculo proximè minorem 1400. (cyclorum 50 accensitâ scil. vnâ cyphrâ) restant 217. ab hoc aufer 196. cyclorum septem) restat cyclus Solis 21.

Per cyclum solis prodere feriam diei Iuliani propositi.

Huic vsui seruit Tabella Hedomadica, in cuius parte superiore, in areas inserti sunt anni singuli cycli Solis, & interspersi menses Iuliani. Sed nota diligenter, quod & in synopsi ærarum es monitus, & menses ipsi monent in areis; cyclum Solis, respectu huius vsus, nobis in his tabulis, non à Calend. Ianuarij, vt in aliis computis, sed vel à VI. Cal. vel à Cal. Martiis incipere: sic vt Ianuarius & Februarius habeantur pro appendice anni, antecedentis datum; antecedens autem, in numeratione retrogradâ ante Incarn. est vnitate auctior.

Hoc attento, Cyclum solis anni propositi (vel si dies est ex primis duobus mensibus, Cyclum anni antecedentis) quære in areis Hebdomadicæ, & ex fronte Tabulæ effer Characterem ferialem: idem fac cum mense currente: characterem vtrumque adde diebus mensis currentibus, à summâ abiice omnes septenarios, residuus erit Numerus feriæ; quæ quomodo Græcè denominetur, aut quo à Planetâ apud Chaldæos & Arabas, frons indicat.

Vt si quæratur de 13. Ian. an. Inc. 1507. Cycl. solis priùs inuentus est 4. At quia hoc in exemplo de vno ex primis anni mensibus quæritur, Cyclus igitur anni prioris 3. valet. Hic quæsitus in areis, ostendit in fronte VII. Et Ianuarius (sequens annum 1506.) ostendit V. Adde 7. & 5 ad 13. colliguntur 25. abiectisque omnibus 7. restat Feria IV.

Sic anno ante Inc. 3993. d. 24. Iulij quota feria? supra fuit Cyclus ☉ 21. qui ex fronte Hebdomadalis Tabulæ ostendit II. Iulius verò III. quibus ad 24. additis colliguntur 29. & septenariis abiectis, Feria I. sic vt ab eius vesperâ sequente incipiat Iudæis Fer. II Erat verò apud Antipodas orientales, nox Feriæ II iam incepta: apud proximos, sed occidentales, nox feriæ I. inceptæ.

Sic, Anno ante Inc. 38. 1. Ianuarij quota feria? Est perinde ac si quærerem de antecedente anno 39. ad quem hic Ianuarius sequitur. Cyclus igitur Solis 27. dat ex fronte II. Ianuarius sequens (an. 39.) dat V. Adde 2. & 5. ad. 1. Ian. & aufer 7. formatur Fer. I.

Feriam prodere diei in aliis annorum formis & in Arabicâ.

Si quæritur de Feriâ diei in an. Gregoriano, cæterisue: priùs ille reducatur ad diem anni Iuliani respondentem: tunc huius quæsita feria, erit & illius. At singulare est artificium anni Arabici, quod omittendum non erat. Ei seruit pars inferior Tabulæ Hebdomadicæ, cum eiusdem fronte communi, cúmque laterculo periodorum. Quod enim nobis in Iul. præstat Cyclus solis breuis an. 28. hoc Arabibus expedit longior 210. annorum, quæ ab ipsâ Ærâ Arabicâ incipit, constâtque Cyclis Triacontetericis septem. Sunt igitur in areas inserti primùm Triaconteteridum singularum anni completi, deinde vnius Cycli anni singuli currentes, denique menses 12. Arabici.

Pro eo igitur, quòd ad numerum Arabicorum annorum nihil additur ad indagandum Cyclum Triaconteteridis; vicissim tres fieri debent ingressus in areas Hebdomadicæ, primus per Triaconteteridas completas (abiectis Periodis integris, residuas.) 2. per currentem Cycli Triacont. & 3. per mensem currentem; & ex fronte communi (quæ superstat mensibus Iul.) excerpti totidem characteres, adiiciendi sunt numero diei mensis Arabici proposito, abiectísque à summâ septenariis remanet Feria.

Exemplum.

Anno Hegiræ 926 die 7. mensis Schevval, mortuus est Selimus, Turcarum Sultanus, Quotâ id fuit Feriâ? A 926. abiice proximè minorem laterculi, 840. Periodorum scilicet quatuor, restant 86. In hoc residuo sunt. duo Cycli Triacont sc. anni 60. qui dant ex fronte III. residui 26 dant II. mensis vero Scheual dat VII. Ergo ad d. 7. mensis, adde 3. 2. & 7. & abiice vicissim Septenarios, residui sunt 5. fuit ergo Feria V. quod etiam prodit historia.

Si redegeris 7. Scheual ad diem Iulianum, is erit 20 Septemb. anno Inc. 1520. si diuius Feriam quæsiueris, ea erit etiam Feria V.

Sic An. primo Hegiræ, primus Muharram primi mensis quota feria?

feria? Ab anno 1. detrahi poteſt ex latereulo nihil. Triacont. eſt etiam nulla. Ergo cum Triacont. 0. excipte VII. cum anno I excerpe V. cum menſe Muharram excerpe VII. ad diem igitur I. adde 7.5.7. & abiice ſeptenarios, formabitur feria VI. éſtque primus dies æræ Arabicæ Hegiræ 16 Iulij, Feria VI. Alia tamen ſecta Arabum, quam ſequuntur Alphonſini, tradit diem 15. Iul. 17 Choeac Fer. V.

De cyclo Lvnæ sev avreo nvmero.

Vt cyclus lunæ habeatur, indicans Nouilunia per totum an. ſine Tabulis Aſtronomicis (ecce aduerſam huic operi ſignationem temporis) ad annos Inc. additur vnitas, (vt etiam ſuprà, in Cyclo Dionyſij magno; qui continet Cyclos Lunæ viginti octo) tunc abiectis per diuiſionem omnibus Cyclis, 19. annorum, reſtat annus Cycli.

Vt verò per Cyclum Lunæ habeatur Paſcha Chriſtianorum, & feſta mobilia cætera, Dominicæque, quæ à Trinitate numeratæ more antiquo per Germaniam & Regna circumiecta, creberrimæ fuerunt adhibitæ à maioribus, ad tempora ſignanda, à Pentecoſte verò more Romano, qui nunc incipit exprimi in Calendaris Germanicis: ad hanc rem opus eſſet tranſcriptione totius Calendarij cum aureo numero.

Capvt V.

De Accidentibus temporis chronologici.

Præcepta.

Accidentia temporis chronologici ſunt primæ vel ſecundæ claſſis.

In primâ claſſe ſunt hæc accidentia. 1. Διάφορον, ſiue differentia Hipparchéa; quæ eſt exceſſus, quo annus Hipparchéus ſuperatur à Iuliano. 2. Προήγησις Hipparchéa; quæ eſt anticipatio vnius diei in diebus Iulianis poſt annos 304. ferè. 3. Ὑπόλειψις Hipparchéa, quæ eſt mora vnius diei in contextu anni tropici poſt annos 233. ferè.

In ſecundâ claſſe ſunt hæc accidentia. 1. Στοιχείωσις; accommodatio rei geſtæ ad ſuum tempus. 2. Στοιχείωσις ἀποδεικτική; notatio temporis per motus cœleſtes, vt characterem hebdomadicum & ſi qua ſunt huiuſmodi. 3. Ἀναχρονισμὸς ſiue παραστροφὴ ἐποχῆς; deprauatio tituli temporis, ſiue luxatio epochæ, κατὰ προχρονισμὸν, aut κατὰ μεταχρονισμόν. Προχρονισμὸς eſt, quando minus dicitur & definitur παραστροφὴ ἐποχῆς κατὰ ἀφαίρεσιν. Μεταχρονισμὸς eſt παραστροφὴ ἐποχῆς κατὰ πρόσθεσιν, cùm plus dicitur. 4. Ordo triplex; naturæ, dignitatis & prudentiæ. 5. Duplicatio temporis. 6. Rotundatio temporis. 7. Variatio temporis. 8. Prolepſis hiſtorica. 9. Anacephalæoſis hiſtorica.

Regvlæ.

I. *Ordo in Chronologiâ obſeruari poteſt triplex.*

Principiò eſt ordo naturæ, qui etiam dicitur generationis: vt Adam, Seth, Enos. *Deinde* eſt ordo dignitatis: vt cùm Iacob Eſauo præponitur. Dicitur etiam ordo perſonalis. *Tertiò* eſt ordo prudentiæ ſeu hiſtoricus, cum id poſtremo loco ponitur, cuius hiſtoria eſt tradenda, licet ſit prius naturâ vel dignitate. Sic 1. *Chronic.* 1. *verſu* 28. Iſaac præponitur Iſmaëli primogenito, quia Iſmaëlis genealogia immediatè ſequitur.

II. *Duplicatio temporis eſt, quando pars extrema temporis præteriti miſcetur cum primâ futuri, ac ſi integrum tempus eſſet, quod non eſt integrum.*

Ita Chriſtus dicitur triduum fuiſſe in ſepulchro cùm fuerit tantùm horis 36. circiter. Hîc ſi duplices partem temporis, conſtabit ſibi aſſertio Euangeliſtarum. Et hæc regula in annis regum Iudæ & Iſraëlis magnum habet vſum. Hi enim non poſſunt commodè computari, niſi per quandam duplicationem.

III. *Rotundatio numeri eſt, quâ numero aliquid detrahitur, vt fiat numeratio commodior.*

Sic *Num.* 14. *v.* 34. Feretis pœnam iniquitatum veſtrarum 40. annos. Hæc verba Iſraëlitis dicta ſunt anno ſecundo poſt exitum: & proinde reliqui fuerunt anni 38. Sed Spiritus S. vtitur numero rotundato. Eſt autem numerus rotundatus, qui deſinit in ciphram.

IV. *Variatio temporis eſt, quando tempus ſumitur vel incluſiuè vel excluſiuè.* Variatio temporis quid?

Vide *Matth.* 17 *v.* 1. & *Luc* 9. *v.* 28.

V. *Prolepſis hiſtorica eſt narratio poſterioris priore loco.* Prolepſis hiſtorica quid?

Prolepſis ſiue anticipatio hiſtorica eſt vel nominum, vt *Gen.* 14. *v.* 27. vel rerum geſtarum, qualis eſt *Gen.* 1. & 2. de creatione Euæ: item *Iohan.* 11. Erat Maria, quæ vnxit Dominum. At ſequenti demum capite recenſetur iſta vnctio.

VI. *Recapitulatio ſiue anacephalæoſis hiſtorica eſt, cùm hiſtorici loquuntur de rebus priſcis ſecundùm ſua tempora.* Recapitulatio hiſtorica quid?

Sic Petrus dicit, Euangelium prædicatum eſſe mortuis, id eſt iis, qui iam erant mortui ipſius tempore.

Capvt VI.

De Interuallis chronologicis.

Præcepta.

In mediis Chronologicis vltimum locum obtinent Interualla, quæ ſunt diſtantiæ inter duas epochas. *Ex Diodoro eleganter appellantur* παραπήγματα.

Interualla primò ſunt hiſtorica vel technica. Illa ſunt inter epochas hiſtoricas, ſiue reales: hæc inter epochas technicas, ſeu artificiales.

Deinde ſunt ἱστορικά vel μυθικά. Illa ſunt vera; hæc, fabuloſa.

Tertiò ſunt maiora, vel minora. Illa κατ᾽ ἐξοχὴν interualla; hæc, articuli dicuntur.

Quartò ſunt hiſtorica, vel mathematica: prout nempe ſe habent epochæ.

Quintò ſunt demonſtratiua, vel demonſtrata. Illa ſeruiunt aliis interuallis probandis: iſta probantur.

Sextò ſunt ſacra, vel profana.

Regvlæ.

I. *Interualla gubernant methodum chronologicam, & memoriam valdè iuuant.* Interuallorum vtilitas.

Principiò interualla chronologica ſunt veluti partes diſtributionis Logicæ, ac proinde dirigunt vniuerſam chronologiæ methodum. *Deinde* vt diſtributio in Logicis, ita partitio Chronologica in interualla, prodeſt memoriæ: vt meritò veteres dixerint.

Scire voles hanc rem, fac ſit diuiſa minutim.

II. *Prodeſt in conſpectu habere præcipua interualla chronologica, hoc modo.* Interuallorum varietas.

I.

Intervalla sacra demonstrativa.

Interuallum.	*Anni.*
I. A migratione Abrahæ ex Haran vſque ad exitum ex Ægypto, *Exod.* 12. *Gal.* 3.	430.
II. Ab exitu ex Ægypto ad templum Salomonis, 1. *Reg.* 6. 1.	480.
III. A Ieroboamo, ſeu diuiſione regni Iudaici, vſque ad obſidionem Hieroſolymorum, *Ezech.* 4. 5.	390.
IV. A decimotertio Ioſiæ ad excidium Hieroſolymorum, *Ezech.* 4. 5. *Ier.* 25.	40.
V. Tamdiu durauit captiuitas Babylonica, *Ier.* 29. *Dan.* 9. 2. *Paral* 36.	70.
V. Ab exitu verbi de inſtauratione templi, vſque ad eius excidium, *Dan.* 9.	490.
VI. Ab exidio templi ad an Chriſti vulgarem 1359. verum 1361. *Dan.* 12.	1290.

1335. VIII Ab anno Christi 1359. vsque ad bellum Gogico-Magogicum, siue annum Christi vulgarem 2694. verum 2696. ante finem mundi, *Dan.* 12.

II.

INTERVALLA ECLIPSIUM DEmonstratiua maiora.

I {
3174. Ab initio mundi, ad primam Olympiadem.
30. A primâ Olympiade, ad primam meridiem Nabonassari.
424. A primâ meridie Nabonassari, ad initium annorum ab obitu Alexandri M.
319. Ab obitu Alexandri Magni ad verum initium annorum Christi.
}

Ergo à principio mundi ad veram epocham Christi sunt anni 3947.

II. {
3204. Ab initio mundi ad primam meridiem Nabonassari.
743. A Nabonassaro ad verum initium annorum Christi.
}

Ergo à principio mundi ad veram epocham Christi sunt anni 3947.

III {
3174. A principio mundi ad initium Olympiadum.
773. A primâ Olympiade ad veram epocham natiuitatis Christi.
35. Ab istâ epochâ ad passionem Christi.
}

Ergo ab initio M. ad mortem Christi sunt anni 3982. Crucifixus est igitur Filius Dei, cùm ab initio mundi essent completi anni 3982 dies 13. decimoquarto die mensis Abib, anno quarto 202. Olympiadis currente, tertio die Aprilis, feriâ hebdomadis sextâ, in plenilunio paschali.

Anni & dies intermedij. *Interuallum.*

{an.198. d.119} I. A plenilunio ecliptico, quod factum est primo anno Merodachi, ad eclipsin Lunæ quæ inc[illegible]it in 7. an. Cambysis.

{an.192. d.64.} II. Ab Eclipsi Lunæ, quæ contigit 7. anno Cambysis, ad plenilunium Eclipticum, quod duodecimâ nocte ante vltimam pugnam Darij & Alexandri M ad Arbelam factum est.

{an.161. d.273.} III. A plenilunio Ecliptico quod victoriam Alexandri M. ad Arbelam proximè antecessit, ad Eclipsin totalem, quæ conspecta est nocte illâ quæ antecessit postremam pugnam consulis L. Æmilij Pauli, & Persei vltimi regis Macedonum.

Ergo à primo anno Merodachi ad destructionem regni Macedonici, sunt anni Iuliani completi 553. dies 93. & horæ aliquot.

{an.1521 d.98.} IV. Ab Eclipsi Solis, quæ facta est anno mortis Romuli, ad defectum Lunæ totalem, qui factus est 2. d. Septembris, sexto anno imperij Caroli M. anno Chr. 806 Regnauit autem Romulus annos 37. Sunt ergo à principio Romuli, anno M. 3180. ad imperium Caroli M anno Chr. 800. anni Iuliani 1557. Condita enim est Roma annis 750. ante initium annorum Chr.

Ita Eclipsium interualla monstrant & demonstrant interualla monarchiarum.

{an. 658. d 346.} V. A deliquio Lunæ, quod factum est anno 5. Nabopallassari, ad plenilunium Eclipticum paschale, quo Christus passus est sub Pontio Pilato. Sed à principio mundi ad plenilunium Eclipticum quinti anni Nabopallassaris, sunt completi anni Iuliani 3330. Passus igitur est Christus, cùm ab initio mundi completi essent anni 3982.

{an.19. d.188.} VI. Ab Eclipsi Lunæ, quæ post mortem Augusti, 27. Septembris visa est, decimoquinto anno ætatis Christi, ad plenilunium passionis dominicæ.

Ergo Christus crucifixus est ætatis suæ anno 35 qui fuit annus imperij Tiberij 20. Atque ita Eclipsium interualla monstrant verum tempus ætatis Christi.

{an.328. d.28.} VII. A defectu Solis, qui factus est anno mortis Romuli, ad plenilunium illud, quod circa tempus solstitij æstiui contigit, tribunis militum tribus Fabiis, anno V. C. 365. cùm circa annum 1. Olympiadis 98. vrbs Roma à Gallis caperetur.

{an.419. d.284.} VIII. A plenilunio illo solstitiali, iterum ad plenilunium Eclipticum paschale mortis Christi, quo tempore & Sol præternaturaliter defecit, iuxta sententiam Phlegonis, quarto anno Olympiadis 202.

Ita & Olympiadum series Eclipsium interuallis confirmatur, & rursum annus passionis Christi demonstratur.

{an.1530 d.119.} IX. A plenilunio Ecliptico, quod decimoquinto anno ætatis Christi, paulò post obitum Cæsaris Augusti factum est, 27. d. Septembris, ad horribilem illam Eclipsim Solis, quæ conspecta est 24. d. Ian. anno Chr. 1544.

Si adieceris annos ætatis Christi in priori Eclipsi ferè completos 15. à verâ Christi natiuitate ad posteriorem Eclipsin habebis annum Iulianum 1545. dies 119. atque ita posterior hæc Eclipsis incidit in annum 1546. post veram Christi natiuitatem. Ergo initium annorum Christi vsuale biennio à verâ ipsius natiuitate aberrat omnésque anni post Christum natum, à Ianuario incipientes, qui tot seculis in vsu fuerunt, intelligendi sunt completi, & non currentes; quod idem & fasti consulares probant.

{an 248. d.47.} X. A Solis Eclipsi, quæ teste Liuio visa est anno V. C. 562. L. Scipione Asiatico, & C. Lælio Coss. ad defectum Solis, quem Plinius Vipsanio & Fonteio Consulibus factum esse scribit, anno V. C. 811.

Et hoc cum fastis Consularibus conuenit.

EPOCHÆ TEMPORUM ILLUSTRES in periodo Iulianâ.

An. M.		*An. Periodi.*
1.	Mundi conditus.	765. Martij 25.
1656.	Diluuium cœpit.	3421. Maij 18.
2453.	Exodus ex Ægypto.	3217. Aprilis 15.
2767.	Ilium captum.	3531. Iunij 22.
3174.	Prima Olympias.	3938. Iulio æst. mediâ.
3628.	Alexandri M. obitus.	4392. Nouembris 12.
3949.	Christi natalis secundùm Dionys.	4713. Decemb. 25.

III.

INTERVALLA OBSERVATIONUM mathematicarum demonstratiua.

Interuallum.

I. Ab obseruatione Iouis, quæ facta est anno M. 3709. ad obseruationem Iouis, quam Ptolemæus fecit anno 2. Antonini Imp.

Interuallum.

II. Ab obseruatione coniunctionis Lunæ cum Plejadibus, quam fecit Timocharis anno M. 3668. ad obseruationem similis coniunctionis, quam fecit Agrippa anno 12. Domitiani.

III. Ab obseruatione Mercurij, quæ facta est anno M. 3689. ad obseruationem eiusdem ☿ factam à Ptolemæo anno 2. Antonini.

IV. Ab obseruatione æquinoctij verni, quam fecit Hipparchus anno M. 3804. ad obseruationem eiusdem æquinoctij, quam fecit Ptolemæus anno 3. Antonini.

Nicolaus Copernicus lib 3. cap. 11. reuolutionum computat à primâ meridie Nabonassari ad primum annum Iulianum annos Ægyptios 762. dies 118. cum semisse. Inde ad mortem Antonij, & Cæsaris Octauiani Monarchiam annos Ægyptios 15. dies 246. cum semisse, vt sint à primâ meridie Nabonassari anni 718. Deinceps ad primum annum Christi vulgarem annos Ægyptios 29. dies 130. cum semisse, vt sint à primâ meridie Nabonassari ad initium annorum Christi, anni Ægyptij 747. dies 137. horæ 12. Inde ad secundum annum Antonini Pij ponit annos Ægyptios 138 dies 89. quod tempus longè intra secundum annum Antonini excurrit, scilicet vsque ad confinia veris; quo tempore Ptolemæus stellarum positus obseruauit.

IV.

VARIÆ DISPOSITIONES INTERuallorum historicorum.

Varro constituit tria temporis interualla. Primum est ἄδηλον, *incertum*, ethnicis videlicet: inde à creatione M. ad diluuium, annorum 1656. Secundum est μυθικὸν, *fabulosum*, ethnicis nempe, quod etiam dicitur ἡρωικὸν, à diluuio vsque ad initium Olympiadum, hoc est, annum M. 3174. Tertium est ἱστορικὸν, inde à primâ Olympiade, siue anno M. 3174.

Poëtæ constituunt quatuor ætates: è quibus prima est *aurea*, ab exordio mundi vsque ad Iouem anno M. 1701. secunda *argentea*, à Iouis regno ad heroum, id est, virorum præstantissimorum exortum, anno M. 2401. tertia *ænea*, ab heroibus vsque ad constitutionem monarchiarum anno M. 3701. quarta *ferrea*, vsque ad finem mundi.

Augustinus constituit sex huius mundi velut vnius hominis ætates, quibus hoc seculum sit duraturum, quemadmodum sex diebus est conditum. *Prima* est ab Adamo vsque ad Noë, tempore diluuij, anno M. 1656. *Secunda* est à diluuio vsque ad Abrahamum, anno M. 1948. *Tertia* est ab Abrahamo ad Dauidem, anno M. 2889. *Quarta* est à Dauide vsque ad captiuitatem Babylonicam, anno M. 3350. *Quinta* est à captiuitate Babylonicâ vsque ad Christum natum anno M. 3947. *Sexta* est à natiuitate Christi vsque ad hunc annum 1630.

Multi historici constituunt tria interualla iuxta traditionem domus Eliæ, quæ sic habet: *Sex millia annorum durabit mundus: duo millia inane, duo millia lex, duo millia Christus.* Hinc itaque sex millenarij ab historicis quibusdam constituuntur. & quidem hoc modo.

Dies.	*Millenarius.*	*Annus mundi.*	*Heroës siue Gubernatores Millenariorum.*
1. Lunæ.	I.	1000.	Adam: moritur an. 930.
2. Martis.	II.	2000.	Noë: moritur an. 2005.
3. Mercurij.	III.	3000.	Dauid: moritur an. 2919.
4. Iouis.	IV.	4000.	Christus: nascitur an. 3949.
5. Veneris.	V.	5000.	Papa.
6. Saturni	VI.	6000.	Martyres.
7. Solis.	Æternitas.		

Nos

Nos *primò* constituimus sex interualla à creatione mundi vsq; ad eius finem. De quibus vide suprà *titul* 1. *num.* 1.

Deinde, constituo septem interualla à creatione mundi vsq; ad hunc annum labentem hoc modo.

I. A creatione mundi vsque ad diluuium sunt anni 1656.

II. A diluuio ad primam monarchiam anno M. 1719. sunt anni 63.

III. A monarchiâ primâ ad secundam anno M. 3421. sunt anni 1702.

IV. A monarchiâ secundâ ad tertiam anno M. 3622. sunt anni 201.

V. A monarchiâ tertiâ ad quartam anno M. 3902 sunt anni 280.

VI. A monarchiâ quartâ vsque ad natiuitatem Christi sunt anni 45.

VII. A natiuitate Christi ad hunc annum currentem sunt anni 1630.

Itaque hic annus Christi est annus M. 5579.

Tertiò, à creatione mundi vsque ad illius recreationem per Christum constituo octo interualla siue catenas chronologicas, hoc modo

I. Epocha *diluuij* incidit in an. M. 1657. *Gen.* 7.

II. Epocha *promissionis Abrahamo factæ* incidit in ann. M. 2023. ita vt à diluuio ad promissionem sint anni 367. *Genes.* 12.

III. Epocha *exitus Israëlitarum ex Ægypto* incidit in ann. M. 2453. ita vt à promissione ad exitum sint anni 430. *Exod.* 12.

IV Epocha *fundationis templi Salomonis* incidit in an. M. 2933. ita vt ab exitu ad fundamenta templi sint anni 480. 1. *Reg.* 6.

V. Epocha *excidij templi* incidit an. M. 3360. ita vt à fundatione templi ad illius excidium sint anni 427.

VI. Epocha *captiuitatis solutæ* incidit an. M. 3421. ita vt ab excidio templi ad laxationem captiuitatis anni sint 60.

VII. Epocha *instaurationis templi* incidit ann M. 3532 ita vt inter solutionem captiuitatis & instaurationem templi sint anni 111.

VIII. Epocha *natiuitatis Christi* incipit anno M. 3947. Kal. Ianuarii: ita vt inter instaurationem templi & natiuitatem Christi sint anni 415.

Quartò, à creatione mundi ad vltimum excidium Hierosolymæ constituo octo interualla.

I. A creatione rerum ad exitum ex Ægypto an. 2453.

II. Inde ad ædificationem templi Salomonis an. 480.

III. Ab ædificatione templi ad diuisionem regni an. 36.

IV. Inde numerantur anni iniquitatis Israël vsque ad destructionem primam Hierosolymæ an. 390.

V. In destructione vrbis, & migratione populi præteriit vnus annus, qui est vndecimus Zedekiæ. an. 1.

VI. Post excidium templi sunt anni 60. captiuitatis Babylonicæ.

VII. Inde ad initium LXX. septimanarum Danielis sunt anni 108.

VIII. Septimanæ LXX. faciunt annos 490.

Ergo ab initio M. ad vltimum vrbis excidiũ sunt anni 4018.

Quintò à creatione mundi ad natiuitatem Christi constituo quatuor interualla.

I. Ab initio mundi ad primam meridiem Nabonassari sunt anni 3204.

II. Inde ad obitum Alexandri M. Ptolemæus numerat annos 424.

III. Inde ad interfectum Iulium Cæs. sunt anni 277.

IV. Inde ad natum Christum sunt anni 42. *Ergo à principio mundi ad Christi natiuitatem sunt anni* 3947.

Sextò, tria interualla constituo à creatione M. ad Christum natum.

I. Prima Olympias incipit à conuersione Solis æstiuâ, anno M. 3174.

II. Inde ad primum annum Iulianum sunt anni 731. vt Mathematici docent

III. Inde ad Christi natiuitatem sunt anni 42. *Ergo Christus natus est anno. M.* 3947.

Postremò, ab initio M. vsque ad passionem Christi constituo duo interualla.

I. A creatione mundi vsque ad primam Hierosolymæ destructionem sunt anni 3360.

II. à quinto anno Nabopollassaris, qui est mundi 3330. & insignitus est Eclipsi, vsque ad an. 20. Tiberij, qui etiam est notatus certâ Eclipsi, sunt anni 652. Summa igitur colligit annos 4013. Subtrahe annos 30. Restant 3982. *Ergo ab initio mundi ad mortem Christi numerantur anni completi* 3982.

V.

INTERVALLA MONARCHIARVM.

Interualla.

I. Ab initio M. ad Nemrodum, siue Belum, primum monarcham Babyloniorum.

II. Inde ad Cyrum Persarum monarcham, captâ Babylone. 1702.

III Inde ad Alexandri monarchiam, victo Dario. 200.

IV. Inde ad Iulij Cæsaris victoriam Pharsalicam. 280.

V. Inde ad natum Christum. 46.

Ergo ab initio M. ad natum Christum sunt anni 3947.

VI.

INTERVALLA VARIA.

Interualla. — *Anni intermedij.*

I. Ab initio epochæ Assyriacæ ad exitum Sardanapali, *Diod. Sic l.* 3. *c.* 6. quanquam *Iustinus lib.* 1. author est, Assyrios tenuisse imperium per annos 1300. Et *Augustinus l.* 4. *de ciuit. Dei* à regno Beli ad exitum Sardanapali numerat annos 1305. *Eusebius in Chron* 306. Nobis sunt anni 1340. 1360.

II. Ab initio Cyri ad mortem Alexandri M. *Euseb. lib.* 8. *demonstrat. c.* 2. 235.

III. A Regifugio ad Coss. iterum restitutos, *Cic. de finib.* 60.

IV. A captis Athenis ad pugnam Leuctricam. 34.

V. A pugnâ Leuctricâ ad Alexandrum, *Eratosth.* 35.

VI. A diluuio Ogygis ad initium Olympiadum, *Iul. Africanus apud Euseb. l.* 10. *præpar. c.* 3. 1020.

VII. Ab initio Cyri ad finem Darij vltimi, *Dionys. lib.* 1. Alij habent 230. vt *Hieronymus in Dan.* 9. alij 280. vt *Agathias*; alij 206 vt Büntingus 200.

VIII. A morte Alexandri M. ad monarchiam Augusti post Actiacam victoriam, & mortem Cleopatræ, *Ptolem. l.* 3. *c.* 8. 294.

IX. Durauit bellum Peloponnesiacum, *Thucyd.* 27.

X. A fine belli Punici I. ad initium II. *Liu. lib.* 21. 23.

XI Ab initio belli Punici I. ad finem secundi, *Liuius lib.* 30. 63.

XII. A templi repurgatione, & sacerdotio Iudæ Maccabæi ad Herodem, *Ioseph l.* 14. *c.* 26. Non tamen exactè quadrat. Ideóque Iosephus ait, post annos 126. principatum Assamonæorum desiisse. 126.

XIII. A captâ Hierosolymâ sub Herode, ad eiusdem πανωλεθρίαν sub Tito, *Ioseph. lib.* 20. *antiq. c.* 8. 107.

XIV. Durauit monarchia Macedonum, *Hier. in Dan.* 9. *Euseb.* 8. *demonstr. c.* 2. *ex Africano.* Nimirum sunt anni 294. a morte Alexandri ad Actiacam victoriam. Adde 6. regni Alexandri à Dario victo. 300.

XV. A Troiæ excidio ad Olympiadem primam. 407.

XVI. A meridie Nabonassari ad mortem Alexandri M. 425.

CAPVT VII.

Canon Chronologicus.

PRÆCEPTA.

Adhuc fuit Chronologia generalis: superest specialis, eáque ætiologica & historica.

Chronologia specialis ætiologica est chronographion, siue canon chronologicus.

Chronographion siue Canon Chronologicus est tabula exhibens seriem temporis secundùm interualla præcipua.

Canon Chronologicus est duplex: vnus καθ' ὁμάδα, alter κατὰ πλάτος.

Canon Chronologicus καθ' ὁμάδα est, vbi singulæ epochæ per se recitantur: vbi sequemur Scaligerum canon. pag. 118. atque vsurpabimus periodi Iulianæ annos, & quidem completos.

Epochæ καθ' ὁμάδα.

	Anni.	Dies.
I. Ad conditum rerum.	763.	
II. Ad diluuium vniuersale.	2419.	
III. Ad natalem Abrahami.	2711.	
IV. Ad annum vocationis Abrahami & promissionis diuinæ.	2786.	
V. Ad Exodum Hebræorum.	3216.	104.
VI. Ad primum annum κληρουχίας.	3262.	273.
VII. Ad ludicrum Olympicum, cui præfuit Pelops.	3397.	203.
VIII. Ad ludicrum Olympicum ab Hercule instauratum.	3511.	203.
IX. Ad excidium Ilij.	3530.	172.
X. Ad conditum templi Salomonici.	3695.	
XI. Ad diuisionem regni Hebræorum, & apostasiam Ieroboami.	3732.	
XII. Ad primam Olympiadem Iphiti, & titulum temporis historici Græcum.	3937.	203.

	Anni.	Dies.
XIII. Ad primum Thoth Nabonaſſari regis Babyloniæ.	3966.	56.
XIV. Ad initium Ezechiæ pij regis Iudæ.	3987.	
XV. Ad caſum Hoſeæ vltimi regis Samariæ, & deportationem X. tribuum.	3990.	
XVI. Ad initium Mardokempadi regis Babyloniæ.	3992.	
XVII. Ad prædicationem Ieremiæ.	4083.	
XVIII. Ad initium Nechao regis Ægypti.	4086.	
XIX. Ad initium Nabopalaſſari patris Nabuchodonoſori.	4088.	
XX. Ad initium Nabuchodonoſori.	4105.	
XXI. Ad deportationem Iechoniæ regis Hieroſolymorum, & initium LXX.annorum captiuitatis Iudæorum.	4113.	
XXII. Ad excidium templi, & caſum Sedekiæ.	4123.	
XXIII. Ad exceſſum Nabuchodonoſori & initium Euilmerodach.	4149.	
XXIV. Ad initium Cyri, imperij Perſici conditoris.	4153.	
XXV. Ad cædem Balthaſari ſiue Laboroſardachi, nepotis Nabuchodonoſori ex filiâ, Babyloniæ regis & initium Darij Medi.	4156.	
XXVI. Ad laxationem captiuitatis Iudaicæ, & primum annum imperij Cyri in vniuersâ Aſiâ.	4182.	
XXVII. Ad regifugium & primos Coſſ.	4206.	
XXVIII. Ad tranſitum Xerxis, & Athenas ab eo incenſas.	4233.	
XXIX. Ad ſecundum annum Darij Nothi, & edictum inſtaurandorum Hieroſolymorum.	4290.	
XXX. Ad captam Babylonem, & initium imperij Macedonum Aſiatici.	4382.	
XXXI. Ad exceſſum Alexandri M.	4389.	318.
XXXII. Ad encænia Iudæ Maccabæi	4548.	
XXXIII. Ad primam Antiochenſium Indictionem Iulianam.	4665.	
XXXIV. Ad primas Kalendas Ianuarij Iuliani.	4668.	
XXXV. Ad victoriam Actiacam.	4683.	
XXXVI. Ad Ephemeriam Abiæ, & hebdomadam euangeliſmi Zachariæ	4709.	
XXXVII. Ad verum natalem Regis æterni MESSIÆ FILII DEI.	4711.	
XXXVIII. Ad æram Chriſti Dionyſianam.	4712.	358.
XXXIX. Ad XV. annum Tiberij Cæſaris & prædicationem Ioh. Baptiſtæ.	4741.	
XL. Ad Dominicam ſalutiferæ reſurrectionis.	4745.	94.
XLI. Ad excidium templi, & cladem gentis Iudaicæ.	4782.	250.
XLII. Ad æram Ægyptiorũ Diocletianeam.	4996.	240.
XLIII. Ad primam Indictionem Conſtantinianam.	5024.	264.
XLIV. Ad Concilium Nicenum 318. Patrum.	5037.	164.
XLV. Ad Hegiram Muhammedicam.	5344.	166.

Canon Chronologicus *κατὰ πλάτος* eſt, qui confert inter ſe præcipuas epochas, hoc modo.

I. Creatio prima *incidit in annum periodi Iulianæ 764. Periodus Iudaica incipit anno mundi 190. periodi Iulianæ 954. Septem autem ſunt homines, vt habetur in Seder Olam, qui metiuntur vniuerſam mundi durationem: Adam protoplaſtus, Mathuſalem, Sem, Iacob, Amram, Achiu Silonites, & Elias, qui adhuc viuus ſupereſt, iuxta Iudæos.*

II. Diluuium *incidit in annum mundi 1656. periodi Iulianæ 2420. Iudaicæ 1467.*

III. Æra Babylonica *initium ſumit anno mundi 1717. periodi Iulianæ 2481. Iud. 1531. in hæc quoque tempora incidit natiuitas Peleg & diuiſio terræ. Anno mundi 1787. Tuiſco eſt primus rex Germanorum.*

IV. Abraham naſcitur *anno mundi 1987. periodi Iulianæ 2712. Iudaicæ 1759.*

V. Abraham accipit diuinam promiſſionem *anno mundi 2023. periodi Iulianæ 2787. Iudaicæ 1834. Cyclo Solis 15. Lunæ 13.*

VI. Exitus Iſraëlitarum *incidit in annum mundi 2453. periodi Iul. 3217. Iudaicæ 2264. Cyclo Solis 25. Lunæ 6.*

VII. Diuiſio terræ *ſiue κληρουχία incidit in annum mundi 2499. periodi Iulianæ 3263. Iudaicæ 2310. Cyclo Solis 15. Lunæ 14.*

VIII. Primus Iubilæus*(ſeu primum Iobelæum) incidit in annum mundi 2548. periodi Iulianæ 3312. Iudaicæ 2359. Cyclo Solis 8. Lunæ 6.*

IX. Excidium Trojæ, *antiquiſſima & celeberrima Gentilium epocha, incidit in an. mundi 2767. periodi Iul. 3531. Iudaicæ 2578. Cyclo Solis 3. Lunæ 16.*

X. Saul *vngitur in regem, anno mundi 2879. periodi Iul. 3643. Iudaicæ 2690. Cyclo Solis 3. Lunæ 14.*

XI. Templum Salomonis *fundatur anno mundi 2932. periodi Iulianæ 3696. Iud. 2743. Cyclo Solis 28. Lunæ 10.*

XII. Regnum Hebræorum *diuiditur in regnum Iuda & Iſraël anno mundi 2969. periodi Iulianæ 3733. Iudaicæ 2780. Cyclo Solis 9. & Lunæ 9.*

XIII. Prima Olympias Iphiti *incidit in annum mundi 3174. periodi Iul. 3938. Iudaicæ 2985. Cyclo Solis 18. Lunæ 5.*

XIV. Romæ natalis *incidit in annum mundi 3197. periodi Iul. 3961. Iudaicæ 3008. Cyclo Solis 13. Lunæ 9. Olympiadis ſextæ anno quarto.*

XV. Dynaſtia & epocha Nabonaſſari *incidit in annum mundi 3203. periodi Iulianæ 3967. Iud. 3014. Cyclo Solis 19. Lunæ 15. Olympiadis 8. anno ſecundo. Vrbis conditæ anno 7.*

XVI. Deportatio X. tribuum Iſraël, *& caſus Hoſeæ vltimi regis Samariæ, incidit in annum mundi 3227. periodi Iul. 3991. Iudaicæ 3038. Cyclo Solis 16. Lunæ 2. Olymp. 14. anno tertio. Nabonaſſari 26.*

XVII. Deportatio regis Hieroſolymorum Iechoniæ, *& initium 70. annorum captiuitatis incidit in an. mundi 3350. periodi Iul. 4114. Iud. 3161. Cyclo Solis 26. Lunæ 10.*

XVIII. Excidium templi *& caſus Sedekiæ incidit in an. mundi 3360. periodi Iulianæ 4124. Iud. 3171. Cyclo Solis 8. Lunæ 1.*

XIX. Laxatio captiuitatis Iudaicæ, *& Cyri annus*

primus

primus per totam Asiam, adeoque secunda Monarchia incidit in annum mundi 3419. *periodi Iulianæ* 4183. *Iudaicæ* 3130. *Cyclo Solis* 11. *Lunæ* 3. *Olympiadis* 62. *an.* 2. *Nabonassari* 217.

X X. Edictum Darij Nothi *de instaurandis Hierosolymis, quod promulgauit an.* 2. *imperij sui, incidit in an. müdi* 3527. *periodi Iul.* 4291. *Iud.* 3338. *Cyclo Solis* 7. *Lunæ* 16. *Olymp.* 89. *annum secundum. Ab hoc termino auspicamur LXX septimanas Danielis.*

X X I. Instauratio templi, *incidit in an. mundi* 3532. *annum videlicet sextum Darij, quo templum fuit absolutum. Huic anno mundi respondet annus period. Iul.* 4296 *Iud.* 3343. *Cyclo Solis* 12. *Lunæ* 2.

X X I I. Epocha monarchiæ tertiæ *incidit in annum mundi* 3619. *periodi Iul.* 4383.

X X I I I. Encænia Iudæ Maccabæi *incidunt in an. mund.* 3785. *period. Iulianæ* 4549 *Iud.* 3596. *Cyclo Solis* 13. *Lunæ* 8.

X X I V. Victoria Actiaca *incidit in an. mund.* 3919. *period. Iul.* 4683. *qui fuit an. imperij Augusti* 12.

X X V. Christus natus *est anno mundi* 3949. *desinente, æra Dionysianâ. period Iul. an.* 4713. *desinente. Olympiadis* 194. *an. quart. Nabonass.* 748. *Cyclo Solis* 9. *Lunæ* 1. *Sole occupante* 3. *grad. Capricorni* 25. *Decembr. iuxta Dionysium, ita vt primus annus æræ Christianæ sit mundi* 3950. *period. Iul.* 4714. *Olymp.* 195. *annus primus Nabonass.* 749. *annus* 43. *Augusti.*

X X V I. Passio Christi *incidit in annum mundi* 3984. *annum Christi* 34. *period. Iul.* 4748. *Olympiad.* 203. *an. tertio.*

X X V I I. Excidium vrbis *incidit in an. mundi* 4019. *Christi* 70. *period. Iul.* 4783. *Cyclo Solis* 23. *Lunæ* 14.

X X V I I I. Annus Christi 1618. *Dionysianus, vel Scaligeranus* 1620. *incidit in annum mundi* 5567. *period. Iul.* 6331. *periodi Iudaicæ* 5378. *Cyclo Solis* 3. *Lunæ* 4.

R E G V L Æ.

I. *Chronologia* καθ' ὁμάδα & κατὰ πλάτος *duobus modis dicitur.*

Primò Chronologia historica καθ' ὁμάδα dicitur, quando singulæ historiæ ἀνακεφαλαιωδῶς proponuntur: κατὰ πλάτος, quando anni expansi inter se conferuntur, & res variæ proponuntur κατὰ συγχρονισμόν. *Deinde* chronologia canonica siue ætiologica καθ' ὁμάδα dicitur, quando præcipuæ epochæ simpliciter commemorantur: κατὰ πλάτος, quando epochæ cum epochis, vt anni mundi & periodi Iulianæ. item Olympiades & anni Nabonassarei conferuntur inter sese. Posteriorem Chronologiam nos hic tradimus, priorem in historicâ tradidimus.

II. *Conditus rerum statuendus est in annum perioni Iulianæ* 764.

Hoc ita patet. Temporis historici caput est creatio mundi, à quâ sunt anni 1656. vsque ad diluuium, vt maior pars censet: aliis vno anno minus 1655. Ab Exodo autem ad casum Sedekiæ sunt anni absoluti 907. Hęc duo interualla expressa extant in sacris libris. A diluuio autem ad Exodum non potest perueniri nisi per interpretationem, vt vocant. Quia enim tempus, quod in Ægypto Hebræi fecerunt, definitur annorum 430. id autem non potest colligi toto illo interuallo, quod inter descensum Iacob, & tempus Exodi interiectum est, quod longè minus sit, quàm vt 430 annos cōplectatur; propterea omnes Iudæi, & melior illorum pars, qui hanc doctrinæ partem illustrarunt, & quod caput est, Paulus Apostolus, initium repetunt horum annorum ab eo tempore, quo Abrahamo facta est à Deo promissio. Itaq; interuallum à promissione ad Exodum nititur authoritate: ita quidem vt dimidium seruitutis filiorum Israël (quo nomine vtitur Moses *Exod.* 12. *v.* 40. ad totam posteritatem Abrahæ designandam, ipso Abrahamo incluso) sit 215. annorum in Canaanæâ: & dimidium seruitutis in Ægypto, itidem annorum 215. Reliqua ab Adam ad diluuium, & hinc ad Abrahamum ἱστορικῶς colligi possunt ex Scripturâ. A diluuio igitur ad natum Abraham sunt anni 292. hinc ad promissionem 75 Hinc ad Exodum, historia & ἡ χρόνωσις ἱστορικὴ, seu χρονολογικὴ locum non habet. Itaque subsidium ab authoritate petendum, & interpretatione, quæ illos 430 annos à die promissionis putat. Ab Exodo, ad templum Solomonis ἱστορικῶς. Hinc ad casum Sedekiæ ἱστορικῶς καὶ ἀποδεικτικῶς. Ab Exodo igitur ad templi primam θεμελίωσιν, anni 480. Hinc ad casum Sedekiæ 427. Colliguntur ab Exodo ad casum Sedekiæ anni 907. à conditu rerum 3360. Hæc ratio omnibus scriptoribus accuratissimis constat. Atque hoc modo interualla ista ex Scripturâ colliguntur sine adminiculo exoticarum epocharum: cum quibus rectè connectentur hunc in modum. Nabuchodonosor passim celebratur ab exoticis scriptoribus. Huius ergò regis tempus aut gestum aliquod si certò demonstrare possimus, sine vllo negotio perueniemus ad certam connexionem. Is itaque Nabuchodonosor fuit filius Nabopalassari, cuius indubitatum tempus apud Ptolemæum occurrit. Sed in Scripturâ filij tempus demonstrare non possumus nisi per interpretationem. Nam trigesimus ille annus, qui erat quintus captiuitatis Iechoniæ, & sextus ante casum Sedekiæ, cuius statim mentio occurrit initio libri Ezechielis, est proculdubio trigesimus illius regis, qui tunc rerum potiebatur, vbi scribebat hæc propheta. Ecquis enim in Babyloniâ potuit esse rex, viuente Nabuchodonosoro, & pro patre in Syriâ bellum administrante, præter patrem ipsum Nabuchodonosori Nabopalassarum? Hunc Nabopalassarum Berosus in Originibus Babylonicis scribit annos 29. absolutos imperasse. Obiit ergò trigesimo imperij anno, Nabonassari 152. ex Ptolemæo, periodi Iulianæ 4119. qui annus cùm sit, vt nos docet Ezechiel, quintus absolutus ante casum Sedekiæ, ergò annus 4124. periodi Iulianæ est is, quo & casus Sedekiæ & templi excidium contigit Deductis 3360. de 4124. remanet annus periodi Iul. 764. in quo conditus rerum & natalis mundi statuendus est. Hîc accipe gustum Chronologiæ Iudaicæ ex Sederolam. Putant Iudæi suam epocham omninò congruere cum veritate historicâ: cùm sit hypothetica. I. A creatione mundi, seu ab Adamo vsque ad diluuium numerant annos 1656. I I. A diluuio vsque ad natiuitatem Isaac annos 392. mundi 2048. I I I. A natiuitate Isaac vsque ad egressum ex Ægypto, annos 400. mundi 2448. I V. ab exitu ex Ægypto, vsque ad initium templi Salomonis, annos 480. mundi 2928. V. Ab initio domus primæ vsque ad desolationem eius per Babylonios, annos 410. mundi 3338. V I. A destructione domus primæ vsque ad instaurationem eius, anno 70. mundi 3408. V I I. Ab instauratione templi, post reditum ex Babylone, vsque ad excidium vrbis & templi per Romanos, annos 420. mundi 3828.

I I I. *Septuaginta seniores siue interpretes ampliarunt annos à Mose definitos à conditu mundi vsque ad diluuium.* Chronologia LXX Interpretũ.

Diluuium vniuersale, καθολικὸς κατακλυσμὸς, sub Noë contigit. A creatione mundi ad hoc diluuium Moses numerat annos 1656. Septuaginta seniores 2242. vt habet Eusebius, vel secundùm alia exemplaria 2362. Sunt autem qui existimant, L X X. Interpretes ideò ampliasse numerum istum, ne si pauciores annos à mundi conditu numerassent, quàm Ægyptij & alij populi suæ origini tribuerent, sacras literas veritatis suspectas redderent apud illos populos προσεληνιαίους.

I V. *Æra Babyloniorum incidit in annum periodi Iulianæ* 2481. Æra Babyloniorum.

Hoc ita demonstratur. *Diodorus Siculus* numerat 35. reges Assyriorum à Nino ad Arbacem, qui illud imperium euertit. Σαρδανάπαλος δὲ, inquit, τριακοστὸς μὲν καὶ πέμπτος ἀπὸ Νίνου τοῦ συστησαμένου τὴν ἡγεμονίαν. Hos 35. reges Ctesias, & post eum Diodorus, aiunt mille trecentos sexaginta annos regnasse: quibus si 242. imperij Medorum adieceris, consurgent ab initio Nini ad initium Cyaxaris, anni præcisè 1602. quibus deductis de anno periodi Iulianæ 4083. quo cœpit regnare Cyaxares, remanebit annus periodi Iulianæ 2481. quo Ninus regnare cœpit. Accipe quoque hanc demonstrationem. Callisthenes Aristoteli rescribens de Chaldæorum vltimâ antiquitate anno periodi Iulianæ 4383. quo capta Babylon ab Alexandro, perhibebat eum annum fuisse vetustissimæ Chaldæorum epochæ millesimum nongentesimum tertium. Deductis 1902. annis absolutis de 4383. remanet idem annus periodi Iulianæ 2481.

V. *Exodi æra sic demonstratur.* Æra Exodi.

Casus Sedekiæ demonstratiuè statuitur anno periodi Iulianæ 4124. Ab Exodo ad casum Sedekiæ sunt anni absoluti 907. qui deducti de 4124. relinquunt verum annum Exodi 3217. Rursus interuallum 907. de epochâ demonstratiuâ deductum relinquit epocham demonstratiuam Exodi

Primum Iobeleum quando cœperit?

V I. *Primus Iubilæus cadit in annum mundi* 2548. *period. Iul.* 3312.

Sunt qui putant primum annum γεωργίας, id est, quo populus Hebræus cœpit terram colere missus in eius possessionem, esse quadragesimum Exodi, & primum ducatus Iosuæ. Sed his opponi potest caput 14. Iosuæ, vbi anno 45. Exodi absoluto,& 46. currente,nondum terra tota diuisa erat.Quomodo igitur colebant, quam nondum possidebant? Sanè κληρουχία debet antecedere γεωργίαν. Ideò sapientissimè veteres Iudæi 7. annos τῇ κληρουχίᾳ assignandorum agrorum, & subigendis hostibus dedicarunt, sex sequentes τῇ γεωργίᾳ, quartumdecimum primo Sabbato terræ. Primus itaque annus κληρουχίας est is, quo primum in terræ Canaan possessionem Israëlitæ posuerunt pedem duce Iosuâ, & terram colere cœperunt. Anni ergò 46.ad epocham Exodi adiecti constituunt interuallũ ab Adam, aut à capite periodi Iulianæ, ad primum annum γεωργίας: nimirum 1499. in annis mundi,vel 3263. in periodo Iulianâ.Iam si addantur anni 49. (quot annos complectitur Iubilæus, non verò 50) prodibit annus mundi 2548. pro primo Iubilæo. Hic obserua tabulam omnium Iubilæorum à primo ad vltimum, quod desiit in anno ante excidium templi posterioris.

Iubil.	Anni mund.	Epochæ Iubilæorum in annis Regum.
1	2548	
2	2597	
3	2646	
4	2696	
5	2744	
6	2793	
7	2842	
8	2891	3 anno Dauid.
9	2940	11 anno Solom.
10	2989	2 anno Asa.
11	3038	12 anno Iosaphat.
12	3087	19 anno Ioas.
13	3136	28 anno Amasiæ.
14	3185	48 ânno Azariæ.
15	3234	13 anno Ezechiæ.
16	3283	33 anno Manasse.
17	3332	25. anno Iosiæ.
18	3381	21 anno excidij templi.
19	3430	2 anno Darij Hystaspis.
20	3479	15 anno Xerxis.
21	3528	3 anno Darij Nothi.
22	3577	33 anno Artaxerxis Mnemonis.
23	3626	anno obitus Alexandri.
24	3675	10 anno Philadelphi.
25	3724	22 anno Ptol. Euergetæ.
26	3773	4 anno Ptol. Philometoris.
27	3822	18 anno Ptolem. Euergetæ secundi.
28	3871	4 Ptol. Dionysij.
29	3920	13 anno Augusti.
30	3969	20 anno Christi.
31	4018	69 anno Christi.

Atque hi sunt Iubilæi Mosaici,vt appellantur,ab anno mundi 2548. Qui Iubilæi ante illos ponuntur, sunt Iubilæi mundi; qui tanquam certi characteres temporis adhibentur. Quòd autem nonnulli opinantur, Iobelea neglecta esse à Iudæis sub templo secundo,id friuolum est: cùm gens illa Legis studiosissima semper fuerit.

Tria ludicra Olympica.

V I I. *Tria diuersa occurrunt ludicra Olympica in historiâ Græcâ.*

Primum ludicrum Olympicum Ioui dicatum fuit à Pelope,anno periodi Iulianæ 3398. secundum ipsi Pelopi ab Hercule, anno periodi Iulianæ 3511. tertium Herculi ab Iphito Heraclidâ, anno periodi Iulianæ 3938. Vbi memineris, Græcos hæc tantùm interualla certa habere ante Olympiadem: tria ludicra Olympica, Pelopis, Atrei, & Herculis, & Ilij excidium, quod vocant Ἰλίου ἅλωσιν: quia sunt demonstratiua, & characterem cœlestem habent. Nam & Pelopis, & Atrei, & Herculis & Iphiti Olympias celebrata est 23.Iulij: quòd nouilunium mensis Iulij incideret in 9. diem statim post τροπικὸν θερινόν,quod semper statuebatur 8. Iulij. Ilij autem excidium nititur charactere 23. Thargelionos, seu 22.Iunij, anno periodi Iulianæ 3531. annis 407 ante primam Iphiti Olympiadem. De Olympiadibus probabilis videtur coniectura Scaligeri, toties ludos illos institutos fuisse, quoties nouilunium in 9. diem Iulij conueniret. Sanè illud ludicrum aliquoties instauratum fuisse,ex Pausaniâ Eusebio, & aliis constat. Et Velleius Paterculus tradit instauratum ab Atreo Pelopis filio, cùm Pelopi patri funebres ludos faceret. Cúmque illud ludicrum toties repetitum fuerit, propter summam vetustatem, & incerta temporum interualla, accidit, vt diuersorum heroum editiones ad vnum à scriptoribus Græcis referantur, cum de tempore constaret, non de heroibus: aut contrà.

V I I I. *Æra Nabonassari incipit à meridie.*

Hinc *meridies regis Nabonassari* dicitur titulus & epocha priscorum canonum Astronomiæ, eclipsium & motuum cœlestium à priscis Chaldæis obseruatorum. Et ideò optimo iure omnium veterum epocharum tam cœlestium, quam historicarum nobilissima habetur inter exoticas. Porrò ab hoc Nabonassaro decimusquartus est Nabopallassarus, decimusquintus Nabuchodonosor filius Nabopallassari: Cyrus decimusnonus: Darius Ochus 26. Alexander Magnus vigesimusnonus. Videris hâc de re Canonem Mathematicum regum Babyloniæ apud Scaligerum *can. pag.* 285. Cæterum æra Nabonassari dicitur etiam *Toht Nabonassari*: non quòd neomeniâ Thoth imperare cœperit, sed quòd Astronomis (qui soli hâc æra vsi sunt) ita visum fuerit: quemadmodum nos fingimus omnes annos mundi incipere ab initio Ianuarij Iuliani.

I X. *Epocha regis Ezechiæ est demonstratiua.*

Sextus enim & decimustertius annus eius sunt Sabbatici. Ab initio Ezekiæ ad casum Sedekiæ sunt anni absoluti 138. Ergò anno 139. Ezekiæ contigit casus Sedekiæ: qui, vt scribit Ieremias, erat Sabbaticus. At numerus 139. vno minus est septenarius, id est, vnitas illi deest ad complementum septenarij. Ergò annus primus Ezechiæ cœpit à secundo hebdomadis. Itaque sextus & decimustertius sunt sabbatici.

X. *Casus Hoseæ:adeòque exitium regni Israël colligitur ex anno sexto Ezechiæ.*

Nam anno quarto illius obsessa est Samaria per triennium, 2 *Reg.*18.*v.*10. Ergò anno sexto Ezekiæ currente capta: quem sabbaticum fuisse constat ex præcedenti regulâ. Itaque idem contigit vtrique regno, Samariæ & Iudæ, vt anno sabbatico vtriusque exitium contigerit. Hierosolyma quoque à Sosio & Herode anno sabbatico capta.

X I. *Initium regis Babyloniæ Mardokempadi incidit in annum periodi Iul.* 3993.

Chaldæis hic rex dicitur Merodach-kempad, Scripturæ Merodach, filius Bel-Adan, non autem Nabonassari, à quo est quintus in regni possessione. Iste an. septimo regni sui legatos ad Ezekiam regem misit; quo tempore duo notabilia contigerunt, exercitus vniuersi Assyriorum diuinitùs percussi internecio, & Solis obscurissima defectio, Romulo de viuis sublato.

X I I. *Epocha prædicationis Ieremiæ est nobilissima.*

Ab eâ enim totum volumen Ieremiæ, eiúsque prædicatio pendet: ideóque statim initio libri fit mentio eius, & iteratur cap.25.v.3.Propterea enim Deus misericors peruicacissimo populo commeatum 40.annorum condonat, vt intra illud tempus resipiscere possit: quemadmodum per totum librum & inprimis cap.18.v.18 & deinceps,disertè exponitur.Igitur 40. annos continuos frustrà populum insanum ad resipiscentiam reuocare studuit.Tot enim anni sunt à 13.anno Iosiæ regis ad excidium templi.

X I I I. *Epocha regis Nechao incidit in annum periodi Iulianæ* 4087.

Vnicum regem Nechao statuimus, secuti Herodotum, patrem illum historiæ, & lumen totius orbis literati Ios. Scaligerum. Hic est ille Nechao, qui anno 17 regni sui regem Iosiam interfecit in campestribus Mageddo. Tanta clades ibi fuit, vt non aliter in prouerbium cesserit,quàm Cannensis strages apud Romanos. Vide *Zach.*12.*v.*2 *&* *Apoc.*16. vbi vocatur Ἀρμαγεδδών.

X I V. *Septuaginta anni captiuitatis Babylonicæ non à capto Sedekiâ,sed à deportato Iechoniâ sunt deducendi.*

Nam Ieremias hinc orditur illos annos cap 29.v. 10. vbi & disertè septuaginta annorum fit mentio, & spem facit deportatis reditus in patriam: quod & perspicuè expressit *Ezechiel cap.*11.*v.*16.*ad finem vsque.*

X V.

X V. *Interuallum à conditu templi ad excidium eius est præcisè annorum* 417,

Nam ex contextu exactæ feriei annorum regni Iuda hic numerus colligitur. Quibus si adieceris interuallum ab Exodo,ad conditum templi, colligentur anni absoluti 907. Itaque anno 908. labente omninò contigit excidium templi, & casus Sedekiæ. Excessus Mosis,id est,quadragesimus annus abExodo est primus hebdomadis annalis;& consequenter annus 47. est primus hebdomadis,vtpote primus γι-ε; κας: Deductis 47. de 908. remanent anni absoluti 861. à primo anno primæ hebdomadis, ad casum Sedekiæ : quæ sunt hebdomades 123 Atqui vltimus Sedekiæ erat Sabbaticus, teste *Ieremiâ* 34.v.9.10. Itaque annus vltimus Sedekiæ, hoc est ab exodo ad eius casum, non potest esse neque maior, neque minor. Nam sabbaticum omninò esse necesse est. Anno igitur sabbatico deleta sunt Hierosolyma, quæ sua Sabbata celebrarunt,hoc est, cessauerunt, vsque ad reditum Iudæorum.

X V I. *Annus septuagesimus captiuitatis Babylonicæ desinit in periodo Iul.* 4183. in anno 29. *Cyri ad finem decurrente.*

Cyrus autem obiit anno imperij sui 31. currente. Regnauit enim solidos 30. Itaque Daniel trigesimum primum annum Cyri vocat tertium,quod tertius sit à vigesimonono,qui Iudæis libertatem reddidit.

X V I I. *Initium L X X. hebdomadum Danielis oportet ordiri à secundo anno Darij Nothi.*

Hoc enim est edictum secundum & efficax instaurationis: à quo ex hebdomades putatæ desinunt in primo anno belli Iudaici. Annus secundus Darij Nothi period Iul. 4290. annus excidij templi posterioris 4783. Interuallum,anni 490.& anni præterea tres,hoc est,hebdomades septuaginta cum dimidiâ,si quidem accedat dimidium anni. Ipse quoque Daniel præter 70. hebdomadas addit semissem hebdomadis ; qui non est semissis de 70. septimanis sed semissis accedens tanquam appendix ad 70. Africanus has septimanas terminat excidio Hierosolymorum: Scaliger initio belli Iudaici. Discrimen est dimidiæ tantùm septimanæ.

X V I I I. *Epocha captæ Babylonis pendet à charactere cœlesti, & consensu omnium Chronologorum.*

Nam character demonstratiuus,qui ex cœlo accedit,est deliquium Lunæ, Septembris 20.an.2.Olymp.12. Et in hunc annum omnes vno ore illam conferunt.

X I X. *Alexander M. obiit anno primo Olympiadis* 114. *Nabonassari* 425.

Hæc quoque æra posita est extra controuersiam. Hinc consurgit initium epochæ Philippi apud astronomos, siue à Philippo Aridæo, qui nominetenus rex Macedonum fuit, siue à Philippo patre Alexandri, sub quo reformati sunt menses Macedonum. Nam quamuis longo post obitum Philippi tempore ea epocha in vsus ciuiles recepta fuerit: tamen potuit à Philippo patre Alexandri dicta fuisse,quemadmodum Alexandréa Seleucidarum dicta fuit ab eo rege, qui duodecim annis antea in viuis esse desierat.

X X. *Euangelismus Zachariæ* Luc.1. *competit in periodi Iulianæ annum* 4710.

Duorum filiorum Aharon, Eleazari & Ithamari, posteritatem in 24. familias rex Dauid diuisit, quas Iosephus vocat πατριάς. Istæ 24. familiæ hebdomadam integram, id est, septem dies, singulæ operabantur sacris in templo, & orbem suum complebant. Hæ stationes hebdomadicæ *Luc.* 1. & à Iosepho dicuntur ἐφημερίαι : quæ ab encæniis Maccabæi ad excidium vsque templi incolumes & impermixtâ successione manserunt, authore Iosepho . qui, vtpote sacerdos, ista ignorare non potuit. Istæ igitur 24. sacerdotum classes in templo operabantur, singulæ hebdomadem suam. Vnde fiebat, vt dies 168. singulæ cessarent. Tantum enim interuallum erat inter functiones vnius classis : quod quidem interuallum dici potest κύκλος ἱερατικός Porrò Iudas Maccabæus, primæ classis Ioiarib sacerdos, templum à Græcis pollutum expiaturus, 24. familiis sacerdotum conuocatis, quæ per triennium & ampliùs cessauerant pristinum earum ordinem instaurauit,vt in encæniis templi primæ familiæ ex prisco ordine primus locus daretur. Functio autem eius accidit 22. Nouembris, biduo ante encænia. Annus erat 4549. periodi Iulianæ. Classis autem Abiæ, quæ ordine octaua erat, sequenti anno Iuliano, post dies 49. ministerium suum aggressa est, Sabbato, quod congruebat decimæ diei Ianuarij : à quo ad Sabbatum 21 Iulij anni periodi Iulianæ 4710. fluxerunt anni 160. dies 161. qui fiunt cycli hieratici Abiæ præcisè 349. Itaque die 28 Iulij ἐπλήσθησαν αἱ ἡμέραι τῆς λειτουργίας Zachariæ, quo die reuersus est in montana patriæ suæ. Conceptio igitur Iohannis incidit in hebdomadem, quæ secuta est proximè post 28. diem Iulij. inter 21 autem 28. diem Iulij contigit ὁ εὐαγγελισμὸς Zachariæ. Itaque natalis Iohannis Baptistæ contigerit circa initium Aprilis anni periodi Iulianæ 4711.

X X I. *Verus natalis Iesu Christi incidit in annum periodi Iulianæ* 4711. Vera Epocha annorum quid?

Anno decimoquinto Tiberij Christus baptizatur, teste Lucâ Hoc anno Coss. fuere duo Gemini. Incidit autem ille consulatus in annum 64. à Kalendis Ianuarij Iuliani. quando Dominus ad baptismum accedebat,erat ἐτῶν ὡσεὶ τριάκοντα ἀρχόμενος Quidam non completum annum trigesimum accipiunt,sed vigesimum nonum duntaxat absolutum intelligunt. Ex quorum sententiâ detractis de 64. annis 29. completis remanebit annus Iulianus,in quo Christus natus fuerit, 45. Nam cùm maior pars veterum, Christum die Epiphaniorum natum & eâdem baptizatum esse putauerit(quia scilicet Lucas dicit, quo tempore Christus baptizatus fuit, eodem iniuisse trigesimum suum annum) ex eorum sententia,in die Epiphaniorum, VIII. Eid. Ianuarij anni XLV Iuliani, Christus natus fuerit. Ecclesia Alexandrina diu hunc ritum tenuit,vt eâdem die natalis & baptismi Christi memoriam celebraret Sed vsus loquendi docere nos potest, Christum accessisse ad baptismum anno trigesimo completo, & trigesimo vno ineunte. Ἦν ἀρχόμενος ὢν ἐτῶν τριάκοντα, *Incipiebat esse annorum triginta*, non potest dici de eo,qui init trigesimum an sed de eo,qui nuper triginta annos æt. compleuit. Quâ de re videris *Scal.can.isag.pag.* 299. Euangelista igitur dicit, Chr annor. XXX. tum esse cœpisse, cùm Ioh. sese baptizandum sisteret, an.periodi Iulianæ 4742. Deductis triginta annis solidis, relinquitur 4712. totus vindicandus natali Christi, præter id, quod supererit de anno 4711. Iccircò Iohannes Baptista natus fuerit anno 4711. circiter initium Aprilis : cuius conceptio competit in hebdomadam, quæ inter 28. Iulij & 4. Augusti interiecta est. A conceptione Iohannis ad conceptionem Domini menses sunt quinque absoluti, post 28. Iulij, quæ erat prima dies hebdomadis post reditum Zachariæ, intra quam Elisabeth concepit. Nam,vt est *Luc.* 1. quinque menses solidos à conceptu occultauit sese Itaque sexto ineunte contigit ὁ εὐαγγελισμὸς μαριάμ, Sic enim legimus : Ἐν δὲ μηνὶ τῷ ἕκτῳ ἀπεστάλη ἄγγελος. Sine vllis ambagibus ostendit,sextum illum mensem iniuisse à conceptu Iohannis. Et additur, καὶ οὗτος ὁ μὴν ἕκτος ἐστιν αὐτῇ τῇ καλουμένῃ στείρᾳ. Sextus mensis à tertio Augusti anni 4710. iniuerit à quarto Ianuarij anni 4711. & circiter illud tempus inciderit ὁ εὐαγγελισμὸς μαριάμ,& delegatio angeli. Proinde natalis Domini inciderit circiter Octobrem ineuntem, plus minùs. Atque hæc est sententia vera & accurata de ærâ Christi. Quod attinet ad æram Christi, quam Dionysius ὁ μικρὸς constituit, illa consurgit ex XXV. Decembris anni 4713. periodi Iulianæ, nouem mensibus post mortem Herodis: quod est absurdissimum. Tamen quia hanc æram à temporibus vsque Caroli Magni Ecclesia retinuit,& plurimorum gestorum ac temporum memoriam complectitur (quod suprà etiam meminimus) propterea retinenda est,adiectâ authoris Dionysij appellatione,vt æra Christi Dionysiana vocetur. Collatio inter veram illam Scaligeri & vulgarem Dionysij æram colligi potest ex hâc tabellâ.

Annus mundi.	Periodus Iuliana.	Æra Christi Dionysiana.	Æra Christi vera.
3947	4711		
3948	4712		1
3949	4713		2
3950	4714	1	3
3951	4715	2	4

Vera igitur Christi æra, iuxta Scaligeri sententiam, biennio debet antecedere æram Dionysianam, à Kalendis Ianuarij Iuliani,cuiusmodi annos Scaliger intelligit, vsque ad Octobrē: quo tempore Christus natus fuit, anno mundi natus 3947. exeunte,aut 3948. ineunte. Nam anni mundi Scaligero ineunt ab autumno. Et sic quoque intelligere potes, quomodo annus natiuitatis Christi Dionysianus conferri possit in annum mundi 3949. scil. exeuntem, & 3950. scil ineuntem Iudæi sic statuunt de natiuitate Christi. Anno epochæ Iudaicæ 3971. mense Tebet natus est Christus.

X X I I I *Triginta vnum Iobel numerantur à primo anno* κληρουχίας *ad illum, in quo desolatio contigit.* Epocha Iobilæorum.

Hierosolyma vnà cum templo diruta & solo æquata sunt anno Christi Dionysiano LXX. Iudaico 3830. periodi Iulianæ

lianæ 4783. mundi 4019. Ante hunc annum desolationis desiit Iobel trigesimum primum; à quo anno sabbatico vltimi Iubilæi omnes Iudæi putant annos desolationis, quos vocant *æram desolationis*. Hîc est res obseruatione dignissima, quòd XXXI Iobel absolutus numeretur à primo anno χλῃρχ...ίας, ad illum, in quo desolatio contigit. Anno Sabbatico regnum Samariæ, item regno Sabbatico regnum Iuda fuit euersum: denique vltimo Iobel absoluto iniuit annus, in quo posterius templum deletum. Quòd Nabuchodonosor anno Sabbatico Hierosolyma vnà cum templo deleuerit, propterea dictum est, vrbem compleuisse sua sabbata, quam diu desolata fuit Quantò iustius hoc dici potest, cum finis 31 Iobel illum annum attigerat, in quo in perpetuum fuit desolatum templum, & cultus Mosaicus sine spe restitutionis sublatus? Tunc impletum est illud Christi: Lapis super lapidem non relinquetur. Notum enim est, morem Romanorum fuisse, complanato vrbium hostilium solo aratrum inducere. Verè profectò mors Hierosolymorum fuit, inducto illi aratro: quod Iudæi à Turano Rufo factum esse aiunt: cuius animam acerbissimos cruciatus apud inferos pati fabulantur.

Dynastiæ applicatæ periodo Iulianæ.

XXIII. *Prodest in conspectu habere dynastias periodo Iulianæ applicatas.*

Hæc applicatio apud *Scaligerum in Euseb. lib. 2. canonum isagog.* est eiusmodi.

DYNASTIÆ ÆGYPTI.

Anni periodi Iulianæ postulatitiæ.

Iuxta Africanum ex tomis Manetho Ægyptij Sebennitæ Heliopolitani Flaminis sacrorum Ægypti aditorum.

Prima Dynastia Thinitarum.

Hæc prima dicitur exorta esse post mortuos, qui Semidei vocati sunt. Fuit regum VIII. è quibus præcipui isti.

7010 *I. Menes Thenites* fuit primus. Hic ab Hippopotamo raptus interiit.

7071 *II. Athothis*: qui Regiam in vrbe Memphi construxit, & fuit medicus. Libri eius anatomici in Ægypto extiterunt.

7160 *IV. Enephes*: qui Pyramida in Cochone extruxit. Sub ipso. fuit magna fames in Ægypto.

7183 *V. Saphædus*: cuius anno quinto incipit Periodus Iuliana æræ Constantinopolitanæ.

Secunda Dynastia Thinitarum.

Hæc fuit regum IX. è quibus præcipui.

7273 *I. Boëthus*: sub quo discessit terra ad Bubastin; vnde multi perierunt.

7311 *II. Catechos*: sub quo institutum, vt boues, Apis quidem in vrbe Memphi, Mneuis autem in vrbe Solis pro diis colerentur.

7350 *III. Binothris.* sub quo sancitum, vt mulieres ad successionem regni admitterentur.

7472 *VII. Nephercheres*. sub quo ferunt Nilum melle commixtum fluxisse.

7497 *VIII. Sesochris*: cuius proceritas fuit cubitûm V. amplitudo III.

Tertia Dynastia Memphitarum.

Hæc fuit regum IX. è quibus præcipui.

7575 *I. Echerophes*: sub quo Libyes defecerunt ab Ægyptiis. Sed cùm Luna visa esset augescere supra ordinarium modum, obiectâ religione sese dediderunt.

II. Tosoritheos: qui apud Ægyptios propter medicinæ peritiam Æsculapius esse creditur. Idem quoque inuentor esse dicitur structuræ lapidum quadratorum. Picturæ etiam fuit studiosus.

Quarta Dynastia Memphitarum.

Hæc quoque fuit regum IX. è quibus præcipui.

7818 *II. Suphis*. qui maximam pyramidem excitauit, quàm Herodotus à Cheope factam fuisse scribit. Deorum contemptor fuit, & librum, qui Sacer dicitur, conscripsit.

Period. Iul. ordinaria.

30 *III. Mencheres*: Cuius anno 33. incipit periodus Iuliana ordinaria.

93 *IX. Sesochris*: qui dicitur longus fuisse cubitûm V. palmorum III.

Quinta Dynastia Elephantinorum.

Et hæc fuit nouem regum; ab anno periodi Iul. 141. ad 356. Sub his regibus nihil memorabile gestum.

Sexta Dynastia Memphitarum.

497 Hæc fuit sex regum: è quibus VI. *Nitocris* fuit omnium æui sui fœminarum formisissima: quæ tertiam pyramidem erexit.

Septima Dynastia Memphitarum.

509 Hæc fuit regum LXX. qui singulis diebus imperarunt.

Octaua Dynastia Memphitarum.

509 Hæc fuit regum XXVII. qui regnarunt annos CXLVI.

Nona Dynastia Heracleopolitanorum.

455 Hæc fuit regum XIX. è quibus primus *Achthoës*, sæuissimus omnium qui ante ipsum fuerunt, multis malis Ægyptios affecit. Tandem furore correptus, à crocodilo interemtus est.

Anno CX. huius dynastiæ incipit tempus historicum: & anno 299 æra Iudaica.

Decima Dynastia Heracleopolitanorum.

Reges hîc regnarunt XIX. 106

Peri Iul

Vndecima Dynastia Diospolitarum.

Hæc fuit regum XVI.

Hactenus primum tomum deduxit Manethos: ex secundo tomo colliguntur ista, quæ sequuntur. 12

Duodecima Dynastia Diospolitarum.

Hæc fuit regum VII: è quibus tertius fuit *Sesostris*, qui Asiam omnem subegit intra annos nouem, vnà cum parte Europæ, ad fines vsque Thraciæ: excitatis vbique monumentis gentium à se deuictarum, in columnis pudenda virorum insculpens ob gentes strenuas, mulierum autem ob ignauas. Ideò Ægyptij secundum ab Osiri eum magnificabant. Sed hic Sesostris longè post diluuium vixit: quâ de re suprà non semel 13

Tertiadecima Dynastia Diospolitarum.

Hæc fuit regum LX. A fine huius Dynastiæ non multum abest initium Vitey primi regis Sinarum. 14

Quartadecima Dynastia Xoitarum.

Hæc fuit regum LXXVII. 19

Quintadecima Dynastia Pastorum.

Hæc fuit regum VI. qui fuerunt Phœnices aduenæ, qui Memphi occupatâ, vrbem in Sithroite Nomo, id est præfecturâ, condiderunt, quâ arce belli vtentes Ægyptios in suam potestatem redegerunt. 21

Sextadecima Dynastia Pastorum.

Hæc fuit regum XXXII. Huius dynastiæ tempore Abraham nascitur. imperium Beli init, & æra Chaldæorum vetustissima.

Decimaseptima Dynastia Pastorum & Thebanorum Diospolitarum.

Pastores hîc regnarunt 33. Thebani Diospolitæ 43. 28

Decimaoctaua Dynastia Diospolitarum.

Hæc fuit regum XVI. è quibus celebriores hi.

III. Amenophtis. 30

V. Misphragmutosis: cuius anno XV. natus est Moses. 31

VIII. Amenophtis: qui putatur esse Memnon & lapis vocalis. 31

X. Acherres: cuius anno secundo Moses eduxit populum de finibus Ægypti. 32

XII. Chebres: cuius anno tertio Moses mortuus. 31

Decimanona Dynastia Diospolitarum.

Hæc fuit regum septem: è quibus secundus est celebris, videlicet *Rhapsaces*, cuius anno XLV. Pelops ludicrum Olympicum instituit. 3

Sequentia sunt ex tertio tomo Manetho sacerdotis Ægyptij.

Vigesima Dynastia Diospolitarum regum XII. 3

Vigesimaprima Dynastia Tanitarum.

Hæc fuit regum VII. è quibus præcipui:

II. Psusennes: cuius anno XL. templi Salomonici fundamenta sunt iacta. 3

VII. Susennes. quem LXX. Seniores Susakim, textus Hebraicus Sesac vocat. 3

Vigesimasecunda Dynastia Bubastitarum.

Fuit regum IX. Tempore huius Dynastiæ *Zara* Æthiopum rex, numeroso exercitu Palæstinam inundans, ab Asiâ rege Iudâ profligatus est. 3

Vigesimatertia Dynastia Tanitarum.

Fuit regum IV. è quibus secundus *Osorchos* Ægyptiis cognominatus est Hercules: sub quarto *Ze*, prima Olympias ab Iphito est instaurata. 3 3

Vigesimaquarta Dynastia Bocchoridos Saitæ.

Sub hoc rege ferunt agnum locutum fuisse Anno eius primo & vigesimo iniuit Thoth Nabonassari. Hic rex vocatur *Sua, 2. Reg. 17. v. 4.* 3

Vigesimaquinta Dynastia Æthiopum.

Fuit regum III. è quibus.

I. Sabbacon, captum in bello Bocchorim viuum cremauit Huius anno secundo contigit X. tribuum deportatio, & finis regni Samariæ 3

II. Seuechus: cum quo fœdus icit rex Ezechias. 3

Vigesimasexta Dynastia Saitarum.

Fuit regum VII. è quibus duo priores inueniuntur in tomis Manetho: reliqui apud Herodotum occurrunt, è quibus præcipui.

III. Psammitichus. 43

IV. Nechao: cuius anno secundo Iosias rex Iuda interfectus. 47

V. Psammis: cuius anno tertio expeditio Nabuchodonosoris Syriaca contigit. 44

VI. Vuaphres: cum quo rex Sedekias fœdus fecit. Et eius anno quinto casus Sedekiæ contigit cum excidio templi.

Vigesimaseptima Dynastia est Persarum. P od.

Nimirum anno Cambysis quinto, reges Persici Ægyptum obtinuerunt: quam Darius Nothus anno XXII. imperij sui amisit. Successionem regum istorum vide infrà in Dynastiâ Persarum. I 49

Vigesi

Vigesimaoctaua Dynastia Mendesiorum.

In hâc celebris est *Amyrtæus Saites.*

Vigesimanona Dynastia Mendesiorum.

408 Hæc fuit regum I V.

Trigesima Dynastia Sebennitarum.

427 Hæc fuit regum I I I.

Trigesimaprima Dynastia Persarum.

Hæc fuit regum I I I. hoc modo:

465 *I. Artaxerxes Ochos* decimoseptimo anno imperij sui Ægyptum recipit.

II. Arses Ochi F. succedit.

III. Darius Codomannus: quem Alexander Magnus prælio victum imperio euertit.

Trigesimasecunda Dynastia Macedonum.

Hæc fuit regum X I I I. hoc modo:

I. Alexander Magnus.
II. Ptolemæus Lagides.
III. Ptol. Philadelphus.
IV. Ptol. Euergetes.
V. Ptol. Philopator.
VI. Ptol. Epiphanes.
VII. Ptol. Philometor.
VIII. Ptol. Euergetes alter.
IX. Ptol. Physcon.
X. Ptol. Alexander.
XI. Ptol. Cleopatræ F.
XII. Ptol. Dionysius.
XIII. Ptol. Cleopatra.

Colliguntur X X X I I. *Dynastiarum Ægypti anni* 5656.

TEMPORA HEBRÆORVM.

Natiuitas Patriarcharum.

Adam.
Seth.
Enos.
Cainan.
Malaleel.
Iared.
Enoch.
Mathusalem.
Lamech.
Noë *decimus ab Adam.* ()
Sem.
Arphaxad.
Sala
Heber.
Peleg.
Regu.
Serug. ()
Nahor.
Thara.
Abraham.
Isaac.
Iacob.
Leui filius Iacob.
Kaath.
Amram. ()
Mose: *septimus ab Abraham.*

Duces & Iudices Hebræorum.

Moses educit populum.
Iosua cum Othoniele.
Ajoth.
Debora. *Huius anno* X X I I I. *Pelops in Elide Olympicum ludicrum instituit.*
Gedeon.
Abimelech.
Thola.
Iair.
Interregnum seu ἀναρχία Ammonitarum : *cuius anno* I X. *Hercules iterum post Pelopem ludicrum Olympicum instaurauit.*
Iephthe.
Abesan : *cuius anno* I I I. *contigit* ἰλίȣ ἅλωσις.
Ahialon.
Abdon.
Samson.
Eli.
Samuel.

Regum Hebræorum successio.

Saul.
Dauid.
Salomon: *post cuius obitum regnum in duas partes diuisum propter schismaticum Ieroboam, in regnum Iuda & Israël. In ditione Roboam mansit tota tribus Iuda, & dimidia Beniamin, regia item vrbs & metropolis Hierosolyma.* Διαδοχὴ *regum Iuda hæc est.*

I. Roboam.
II. Abia.
III. Asa.
IV. Iosaphat. 3793
V. Ioram. 3818
VI. Ochozia. 3826
VII. Athalia fœmina. 3827
VIII. Ioas. 3833
IX. Amasia. 3873
X. Azaria: qui & Ozia: *cuius anno* XXXVIII. *instaurata ab Iphito prima Olympias.* 3902
XI. Ioathan: *cuius anno nono contigerunt primæ vrbis Palilia. Eius anno XIV. consurgit primus Thoth Nabonassari.* 3954
XII. Achaz. 3970
XIII. Ezechia: *cuius anno* V I I I. *cœpit Babylone regnare Merodach.* 3986
XIV. Manasses. 4015
XV. Amon. 4070
XVI. Iosias. *Huius anno* X V I I I. *initium Nabopalassari patris Nabuchodonosori incidit: & anno* XXIX. *initium Ithobali Tyriorum dynastæ.* 4072
XVI. Ioachas: *menses* I I I. 4102
XVIII Eliakim: qui & Iojakim. *Huius anno* I V. *expeditio Nabuchodonosori in Syriam contigit.* 4103
XIX Iojachin, seu Iechonias: *mens.* I I I. 4114
XX. Sedekia, qui & Mathania. *Huius anno* V I I. *initium Vvaphris regis Ægypti incidit. Atque hæc successio regum Iuda seu Hierosolymorum numero* X X. *Reges Israël, seu X. tribuum in Samariâ fuerunt* X I X. *hoc ordine*: Ieroboam, *apostata*: Nadab: Baasa: Ela: Zamri: Omri: Achab: Ochozia: Ioram: Iehu: Ioachas: Ioas: Ieroboam: I I: Zacharias: Sellum: Menahem : Phaceja : Phacea : Osea. *Regni Israël sedes regia priùs fuit in vrbe Thersa, postea in vrbe nouâ Samariâ: à quâ regnum Samariæ, & populus Samaritæ dicti.* 4114

Dynastia familiæ Hasmonæorum.

I. Iudas, *cognomento Maccabæus, filius Mattathiæ Sacerdotis. Et hic celebrauit Encænia.* 4547
II. Ionatham, *cognomento Apphus, frater Iudæ.* 3553
III. Simon, *cognomento Matthes frater Ionatham.* 4571
IV. Iohannes, *Simonis frater, priùs Gaddes, postea Hyrcanus cognominatus.* 4579
V. Aristobulus, *primus rex ex hâc familiâ.* 4609
VI. Alexander, *cognomento Iannæus.* 4610
VII. Alexandra, *quæ & Salome.* 4637
VIII. Hyrcanus, *menses* I I I. 4646
IX. Aristobulus, *Hyrcani frater.* 4646
X. Hyrcanus, *iterum.* 4651
XI Antigonus, *securi percussus iussu Antonij Triumuiri.* 4674

Dynastia Herodiadarum.

I. Herodes; *Antipatri Ascalonitæ filius, à Senatu Rom. declaratus rex.* 4675
II. Archelaus; *Herodis filius, Hierosolymorum seu Iudææ tetrarcha constitutus ab Augusto: postea relegatus Viennam Allobrogum.* 4713
III. Agrippa; *Herodis ex Aristobulo filio nepos, constitutus à Caligulâ rex totius tetrarchiæ Philippi patrui, item tetrarchiæ Lysaniæ.* 4752
IV. Agrippa; *Agrippæ superioris filius, constitutus à Claudio rex totius regni, quod proauus eius Herodes Magnus obtinuerat, præter Hierosolyma, & quædam munimenta tetrarchiæ Archelai. Superstes fuit templo annos* XXX. 4762

DYNASTIÆ ASSYRIORVM ET CHALDÆORVM.

Prima Dynastia Chaldæorum in Babyloniâ.

Hæc fuit regum V I I. quorum vltimo *Zinziros* ab Arabibus extincto, iniuit secunda Dynastia Arabum in Babyloniâ. 1989

Secunda Dynastia Arabum in Babylonia.

Hæc fuit regum V I. è quibus vltimus fuit debellatus à Belo, qui anno XXVII. imperij sui, Assyriorum imperium cum Babylonico coniunxit. 2113

Tertia Dynastia Assyriorum.

Hæc fuit regum XLI. è quibus sunt notiores isti:

I. Belus. 2357
II. Ninus. 2412
III. Semiramis: cuius anno X V I I I. *incipit antiquissima Chaldæorum æra iuxta Scaligerum.* 2464
IV. Ninias Zames. 2506
VII. Xerxes. 2614
IX. Balæus : *cuius anno* X X X I. *Abraham patriarcha est natus.*
X. Balæus. 2717
XXII. Sosares: *cuius anno* X V I I. *natus est Moses.* 3121
XXV. Sosarmos : *cuius annno secundo contigit Exodus Hebræorum.* 3216
XXXIII. Thinæos : *cuius anno nono captum est Ilion à Græcis.* 3523
XXXVII. Pyritiades : *cuius anno vigesimo primo templum Salomonis est constructum.* 3676
XLI. Tonosconcoleros : *qui à Græcis Sardanapalus dictus est.* 3812

TRES

Period. Iul.

TRES DYNASTIÆ APPENDICES PRIMÆ MONARCHIÆ.

Prima Dynastia Medorum.

Hæc fuit regum IX. hoc ordine.

3841 I. Arbaces, *Sardanapali debellator.*
3869 II. Mandauces, *Arbacis F.*
3919 III. Sosarmus, *cuius anno XX ludicrum Olympicum ab Iphito instauratum.*
3949 IV. Artycas: *cuius anno XIX. Nabonassar Babylonius deficiens à Medis nouam Dynastiam in Babylonia instituit. Et anno eius XLIII. Salmanassar rex Assyriorum decem Tribus Israëlis deportauit.*
3999 V. Arbianes. *cuius anno primo Sennacherib, rex Assyriorum, à filiis occiditur.*
4021 VI. Artæos, *qui & Deioces.*
4061 VII. Artynes, *qui & Phraortes.*
4083 VIII. Astibaras, *qui & Cyaxares.*
4123 IX. Apandas, *qui & Astyages. Hunc Cyrus imperio Medorum euertit. Eius anno secundo Hierosolyma vnà cum sanctuario incensa sunt.*

Secunda Dynastia Assyriorum postquam ab Assyriis defecerunt.

3940 Phul, sub Menahem rege Israël.
3950 Teglath-phalasar.
3950 Iareb.
3976 Sargon.
3983 Salmanasar.
3990 Sennacherib.
3999 Asar haddon.
4005 Ante Phul quidam collocant Belesum, & ex Beroso plures Assyriorum dynastas commemorant, quam hic positi sunt. Sed eruditi repudiant istius Berosi Anniani figmenta. Ad numeros periodi Iulianæ huc adscriptos, quod attinet, illi sunt accipiendi ἐν πλάτει.

Tertia Dynastia Babyloniorum, post quam anno XX. Artycæ, desciuerunt à Medis.

3967 Hæc est regum XX. e quibus isti celebriores.
I. Nabonassarus: *cui virtutis ergo, & propter libertatem assertam Chaldæi nouam epocham instituerunt, à qua omnia Astronomiæ ratiocinia putari cœpta.*
3988 IV. Diluloros, *cuius vltimo anno Salmanassar rex Assyriorum decem Tribus Israëlis in Mediam deportauit.*
3993 V. Mardokempadus, *qui* Merodach *dicitur Esaiæ prophetæ, priore nominis sui parte. Hic anno VII. imperij sui legatos Ezekiæ regi misit. Eodem anno Sennacherib à suis interficitur, & ingens Solis defectio accidit in morte Romuli.*
4089 XVI. Nabopolassarus: *qui filium suum Nabuchodonosorum* anno XVII imperij sui, Tyriorum & Palæstinorum rebellione, in Syriam cum præpotenti exercitu misit. Huius an. XXX. Eodémque vltimo imperij & vitæ eius, visio quatuor animalium Ezechieli oblata.
4118 XVII. Nabuchodonosoris fil.
4148 XVIII. Evilmerodach fil.
4154 XIX. Neregasolarus.
4154 XX. Nabonidus: *qui quòd esset Medis oriundus, cognominatus est Darius Medus.*
4183 XXI Cyrus, *rex Persarum.*

DYNASTIÆ PERSARVM.

Prima Dynastia Persarum, quæ est Monarchia.

4154 Hæc est regum XIV. hoc modo.
4184 I. Cyrus
4192 II. Cambyses.
4192 III. Magi fratres, *mens. VII.*
4228 IV. Darius Hystaspis.
4248 V. Xerxes Magnus Darij F.
4249 VI. Artabanus, *mens. VII.*
4289 VII. Artaxerxes μακρόχειρ.
4289 VIII. Xerxes minor *mens. II.*
4290 IX. Sogdianus, *mens. VII.*
4309 X. Darius νόθος.
4349 XI. Artaxerxes μνήμων.
4375 XII. Artaxerxes ὦχος.
4378 XIII Arses.
XIV. Darius Codomanus.

Dynastia secunda Persarum post cædem Artabani vltimi Arsacidarum.

4943 Hæc fuit regum XXVIII. e quibus celebriores sunt isti:
4955 I. Artaxares.
4986 II. Sapores
5022 III. Ormisdas.
IX. Sabores: *qui in vtero matris creatus est rex, &*
5093 *tot annos imperauit, quot vixit.*
5244 X Artaxerxes.
5343 XXI Cosroes Magnus.
XXVIII. Ormisda Iezdegird. *Interfecto Iezdegird, orta*
5535 *est Dynastia Arabum Scenitarum siue Saracenorum, regum*
5545 *XXVI. e quibus primus est* Muhammed pseudopropheta; *vltimus* Muhammed quartus.

DYNASTIÆ MACEDONVM.

Prima Dynastia Macedonum ante Alexandrum Magnum.

Hæc fuit regum XXIII. è quibus primus Caranus Heraclida, anno period. Iul. 3951. vltimus Philippus pater Alexandri M. anno periodi 4351.

Secunda Dynastia Macedonum, in Ægypto.

Hæc fuit regum XIII. quos vide paulò ante in XXXII. Dynastiâ Ægyptiorum.

Tertia Dynastia Macedonum, in Syria seu Assyria.

Hæc est regum XIX hoc modo.
I. Alexander Magnus.
II. Antigonus.
III. Seleucus Nicator.
IV. Antigonus ὁ Σωτήρ.
V. Antiochus ὁ Θεός, *cuius anno XII. Arsaces Parthus defecit à Syriæ regibus.*
VI. Seleucus ὁ Καλλίνικος.
VII. Seleucus ὁ Κεραυνός.
VIII. Antiochus ὁ Μέγας.
IX. Seleucus ὁ Φιλοπάτωρ.
X. Antiochus ὁ Ἐπιφανής.
XI. Antiochus ὁ Εὐπάτωρ.
XII. Demetrius ὁ Σωτήρ.
XIII. Alexander Bala.
XIV. Demetrius ὁ Νικάτωρ.
XV Antiochus ὁ Σιδήτης.
XVI. Demetrius ὁ Νικάτωρ. iterum.
XVII. Antiochus ὁ Γρυπός.
XVIII. Antiochus Cyzicenus.
XIX. Philippus.

Quarta Dynastia Macedonum in Macedonia.

Hæc est regum XVI. è quibus primus est Alexander Magnus anno period. 4378. secundus Aridæus anno 4390. decimusquartus Antigonus, anno 4478. & XV. Philippus anno 4493. vltimus Perses, anno 4545.

OCTO DYNASTIÆ LATINORVM.

Prima Dynastia Aboriginum.

Hæc fuit regum V. hoc ordine.
I. Ianus.
II. Saturnus.
III. Picus.
IV. Faunus.
V. Latinus.

Secunda Dynastia Æneadarum.

Hæc fuit regum XVI. hoc ordine.
I. Æneas.
II. Iulus Ascanius.
III. Syluius Posthumus Æneæ fil.
IV. Æneas Syluius.
V. Latinus Syluius.
VI. Alba Syluius.
VII. Capetus Syluius.
VIII. Capys Syluius.
IX. Calpetus Syluius.
X. Tiberinus Syluius.
XI. Agrippa Syluius.
XII. Alladius Syluius.
XIII. Auentinus Syluius.
XIV. Proca Syluius.
XV. Amulius Syluius.
XVI. Numitor Syluius.

Tertia Dynastia Latinorum, Regum VII.

I. Romulus.
Interregnum.
II. Numa Pompilius.
III. Tullus Hostilius.
IV. Ancus Martius.
V. Tarquinius Priscus.
VI. Seruius Tullius.
VII. Tarquinius Superbus

Quarta Dynastia Consulum sub Republicâ

Colliguntur à Regifugio, & primis Consulibus, ad Tribunos militum Consulari potestate, anni CXIX. & à Palilibus vrbis ad eosdem anni CCCLXIII.

Quinta Dynastia Tribunorum militum Consulari potestate.

Colliguntur à Tribunis militum Consulari potestate, ad restitutos Coss. quorum alter de plebe creatus est, anni XXIV.

Sexta Dynastia Consulum in integrum restitutorum.

Colliguntur à Consulum restitutione ad primum annum imperij C. Iulij Cæsaris anni CCCCXVII.

Septima Dynastia Imperij Augustorum vsque ad encænia Constantinopoleos.

Iulius

Iulius Cæſar incipit imperare anno periodi 4664.
Colliguntur à natali veteris Romæ ad natalem nouæ Romæ, anni M L X X X.

Octaua Dynaſtia diuiſionis Imperij in Græcum & Latinum.

Colliguntur ab Encæniis nouæ Romæ, ad inaugurationem Caroli Magni, anni C C C C L X X I.

DYNASTIA SINARVM.

Dinaſtia florentiſſimi, ampliſſimi ac vetuſtiſſimi Synarum Imperij, eſt regum C C L X I V. è quibus primus eſt Vitey, cuius initium non multùm abeſt à fine X I I I. Dynaſtiæ Ægyptiorum; ducenteſimus ſex ageſimus quartus, admodum iuuenis regnare cœpit anno Chriſti M D L X X X.

DYNASTIA DARDANI ET ILII.

Hæc fuit regum V I I. hoc ordine.
I. Teucrus; *cuius temporibus Moſes eduxit Iſraël ex Ægypto.*
II. Dardanus.
III. Erichthonius.
IV. Tros.
V. Ilus.
VI. Laomedon.
VII. Priamus.

DYNASTIA SEX REGVM PEGAMI.

I. Philetætus ὁ Θιλβίας.
II. Eumenes.
III. Attalus.
IV. Eumenes.
V. Eumenes.
VI. Attalus, ὁ φιλομήτωρ.

DYNASTIA TYRI.

Hæc eſt primò X I V. regum: è quibus præcipui hi:
I. Abibalus.
II. Hiromus Abibali F.
XII. Pygmalion; *cuius anno V I I. Dido in Libyam profugit.*
XIII. Ithobalus I I.
XIV. Baal.
Deinde eſt V I I. Iudicum, qui dicuntur Suffetes, ab anno periodi Iul. 4128. vſque ad annum 4140.

DYNASTIÆ REGVM LYDIÆ.

Prima Dynaſtia eſt Atyadarum.

Horum princeps fuit Atys, pater Lydi, à quo Lydia, quæ priùs Mæonia.

Secunda Dynaſtia eſt Heraclidarum.

Hæc fuit regum X X I I. è quibus præcipui iſti
I. Ægron, *filius Alcæi, filij Herculis.*
XIX. Ardyſus; *cuius anno X V I. Olympias prima ab Iphito celebrata.*
XX. Alyartes; *cuius anno I X. conſurgit initium Nabonaſſari.*
XXII. Candaules; *Cuius anno V I I decem tribus à Salmanaſſare deportatæ.*

Tertia Dynaſtia Mermnadarum.

Hæc fuit regum V. è quibus duo celebriores.
I. Gyges.
II. Crœſus.

DYNASTIÆ SICYONIORVM

Prima Dynaſtia eſt regum XXVI.

Ex his celebriores ſunt iſti:
I. Ægialeus.
II. Europs; *cuius anno XXXVI. natus eſt Abraham.*
III. Telchin.
IV. Apis.
V. Thelxion.
XV. Echyreus; *cuius anno XIII. Moſes eduxit populum ex Ægypto.*
XIX. Sicyon; *à quo vrbs. Eius anno 34. Pelops Olympicum certamen inſtituit.*
XXII. Phæſtus; *cuius anno ſecundo Atreus Olympicum certamen in honorem patris Pelopis inſtaurauit.*
XXIV. Polyphides; *cuius anno I X. Ludicrum Olympicum Herculis inſtaurauit annis X I X. poſt Atreum. Et anno eius 28. Ilion deletum.*
XXV. Pelaſgus.
XXVI. Zeuxippus.

Dynaſtia ſecunda Sicyoniorum.

Hæc eſt ſeptem ſacerdotum Karnei Apollinis, hoc modo:
I. Archelaus.
II. Automedon.
III. Methodeutos.
IV. Euneus.
V. Theonomos.
VI. Amphictyon.
VII. Charidemus.

DYNASTIA ARGIVORVM.

Hæc fuit regum X I V. hoc ordine:
I. Inachus.
II. Phoroneus. 2907
III. Apis. 2967
IV. Argus. 3002
V. Criaſus. 3012
VI. Phorbas; *cuius anno 12. natus eſt Moſes.* 3126
VII. Triopas. 3161
VIII. Crotopus: *cuius anno X I. Moſes eduxit populum ex Ægypto.* 3207
IX. Ethenelas. 3228
X. Danaus. 3239
XI. Lynceus. 3289
XII. Abas. 333[illegible]
XIII. Proëtus. 3353
XIV. Acriſius: cuius anno 29. Pelops dynaſta Apiæ, quæ poſtea ab eo Peloponneſus appellata eſt, certamen Olympicum primum inſtituit. 337[illegible]

DYNASTIA MYCENARVM.

Regnum hoc conſurgit ab vltimo anno Acriſij, à Perſeo nepote per imprudentiam occiſi: eſtque regum V I I.
I. Stheneleus. 3401
II. Euryſtheus. 3409

PELOPIDÆ.

III. Atreus & Thyeſtes; *qui quadrageſimoprimo anno regni ſui ludicrum Olympicum à patre ſuo Pelope inſtitutum inſtaurant.* 3452
IV. Agamemnon; *cuius anno vltimo Ilion à Græcis euertitur.* 3517
V. Ægyſthus. 3532
VI. Oreſtes. 3539
VII. Penthilus. 3567

DYNASTIÆ ATHENIENSIVM.

Dynaſtia prima fuit regum X V I I.

Ex his notiores ſunt iſti
I. Cecrops Diphyes; *cuius anno prima Moſes erat annorum X X I.* 3158
II. Cranaus αὐτόχθων. 3208
III. Amphictyon, Deucalionis filius, *cuius anno primo Moſes eduxit populum.* 3217
IV. Erichthonius. 3227
X. Theſeus. 3480
XI. Meneſtheus; *cuius anno penultimo deletũ eſt Ilion.* 3510
XII. Demophoon. 3533
XVI. Melanthus. 3587
XVII. Codrus. 3624

Dynaſtia ſecunda fuit Archonton ad totum vitæ tempus numero X I I I.

Ex his celebriores ſunt iſti:
I. Medon Codri filius 3645
II. Acaſtus; *cuius anno X X X conſtrui cœptum templum Solomonis.* 3665
XII. Æſchylus; *cuius anno tertiò prima Olympias ab Iphito inſtaurata.* 3936

Dynaſtia tertia eſt Archonton decennalium ſeptem.

Ex his duo ſunt celebriores:
I. Charops; *cuius anno V I I I conſurgit Thoth, & epocha Nabonaſſari.* 3960
IV. Hippomenes; *cuius anno ſecundo portatæ ſunt X tribus Samariæ.* 3390

Dynaſtia quarta eſt Archonton annuorum.

Hæc cœpit anno period. 4031.

DYNASTIÆ LACEDÆMONIORVM.

Prima dynaſtia eſt regum V I I.

Ex his notiores ſunt I Eurotas; à quo fluuius. I I Lacedæmon; à quo Laconia dicta. I I I. Amyclas. V I I I. Tyndareus. I X. Caſtor & Pollux, Tyndarei filij. X Menelaus, Atrei filius, ductâ vxore Helenâ Tyndarei filiâ. X I. Oreſtes, Agamemnonis filius. X I I. Tiſamenos, Oreſtæ filius, ſub quo Heraclidarum reditus.

Secunda dynaſtia eſt regum Heraclidarum, duarum familiarum.

Prior familia eſt Euryſthenidarum ſeu Agidarum regum X X X. è quibus hi præcipui:
I. Euryſthenes, Ariſtodemi filius. 3612
II. Agis. 3654
VIII. Teleclus. 3860
IX. Alcamenes. 3900
X. Polydorus. 3937
XI. Eurycrates Polydori filius.
XII. Anaxandrus Eurycratis filius. *ſub quo Meſſena à Lacedæmoniis defecit.* 3260
XVII. Leonides *ſub quo pugna Thermopylarum.* 3460
XX. Pauſanias. 4303
Altera familia Heraclidarum apud Lacedæmonios eſt Proclidarum, ſiue Eurypontidarum, regum X X I V. è quibus celebriores: I. Procles, frater Euryſthenis. I I I. Eurypon. V I. Prytanis.

Period. Iul.

DYNASTIÆ QVINQVE CORINTHIORVM.

Dynaſtia prima eſt Siſiphidarum, regum VI.

Ex his primus fuit Siſiphus.

Secunda eſt Heraclidarum, regum IV.

3648 Ex his fuit Ixion: anno periodi.

Tertia eſt Bacchiadarum: regum VII.

Ex his celebriores ſunt tres.

3557 I. Bacchis.

3822 III. Eudemus.

3923 IV. Ariſtodemus.

Dynaſtia quarta fuit Bacchiadarum Prytaneon annuorum 124.

3935 Ex his primus Prytanis Bacchiadarum fuit Automenes.

Dynaſtia quinta Cypſelidarum.

Hæc fuit regum II.

4059 I. Cypſelus.

4089 II. Periandrus.

DYNASTIÆ QVARVNDAM NATIONVM SEPTENTRIONALIUM, quæ Imperio Romano lacerato ſuccreuerunt.

Dynaſtia Oſtrogothorum ſub Imperio Hunnorum.

Hic claruerunt Vvinitharius, Hunimundus, Thoriſmundus, Vvalamir, Theodemir, Vvidemir.

Dynaſtia Oſtrogothorum, excuſſo iugo Hunnorum.

Anni Chriſti. Hæc dynaſtia fuit in Italiâ, regum VII.

I. Theodericus, *Theodemiri F. ingreditur Italiam, & occidit Odoacrum regem Herulorum.*

451

526 II. Athalaricus.

534 III. Theodahathes.

536 IV. Vvitiges.

540 V. Ildouualdus.

541 VI. Totila.

542 VII. Theia.

Dynaſtia Vviſigothorum in Galliâ & Hiſpaniâ.

Hæc fuit regum XXXIV. è quibus hi præcipui.

369 I. Athanaricus: *ſub quo Gothi inter ſe diuiſi sũt; quorũ alterius factionis rex fuit Athanaricus, alterius Fridigernus, qui dicti ſunt minores Gothi, qui Chriſtianiſmum & literas edocti ſunt à Vulfilâ Arriano epiſcopo, quorum reliquiæ adhuc in Mæotide ſunt.*

381 II. Alaricus: *qui Italiam ingreditur.*

411 III. Athaulfus: *qui tranſit in Gallias,* & ſtabilit regnum Vviſigothorum Tholoſæ.

452 VII. Thoriſmundus.

483 X. Alaricus: *quo cæſo in campis agri Pictauienſis, regnum Tholoſæ finem accepit, & ab hoc tempore regnum Vviſigothorum intra Hiſpanias conſtitit.*

568 XIX. Leouigildus, inclitus rex, victor, ſed Arrianus.

612 XXIV. Siſebutus: *ſub quo Iſidorus Hiſpalenſis ſcripſit libros ſuos Originum*

621 XXV. Suuinthila: *à cuius anno II. incipit æra Hegiræ Hagarenorum.*

631 XXVI. Siſenandus: *à cuius anno II. incipit æra Iezdegird Perſica.*

711 XXXIV. Rodericus: *qui à Mauris regno ſpoliatur, perfidiâ Iuliani Comitis.*

Dynaſtia Svevorum in Callæciâ.

Hæc fuit regum X. è quibus præcipui

408 I. Ermenricus.

VI. Remiſmundus: *cum aliquot regibus Arrianis, quorum nomina & epochæ ignorantur.*

558 VII. Theudomirus orthodoxus à Martino Dumienſi epiſcopo.

584 X. Andecan tyrannus: *qui profligatur à Leovigildo.*

Dynaſtia Vandalorum Silingorum in Africâ.

Hæc fuit regum VI. hoc ordine.

428 I. Genſericus: *qui traijcit in Africam; & capit Carthaginem.*

479 II. Vgnericus.

486 III Gunthamundus.

497 IV. Thraſamundus.

523 V. Hildericx.

VI. Gilimer.

Dynaſtia Longobardorum in Italiâ.

Hæc fuit regum XXIII. è quibus celebriores.

I. Alboinus.

XVIII Aſprandus.

XIX. Luitprandus.

XXIII. Deſiderius.

DYNASTIA EXARCHORVM RAVENNÆ.

Stetit Exarchatus annos 174. Succeſſio Exarchorum hæc eſt.

I. Fl. Longinus V. C. Patricius.

II. F. Zmaragdus V. C. Patricius.

III. Fl. Romanus V. C. Patricius.

IV. Fl. Callinicus V. C. Patricius.

V. Fl. Zmaragdus iterum.

VI. Eleutherius V. C. Patricius.

VII. Iſaacius V. C. Patricius.

VIII. Theodorus Calliopas V. C.

IX. Olympius cubicularius V. C.

X. Theodorus Calliopas iterum.

XI. Fl. Iohannes Platon. V. C.

XII. Theophylactus V. C. Patricius.

XIII. Iohannes Tizocopus V. C.

XIV. Scholaſticus V. C. Patricius.

XV. Paulus Eutychius V. C. Patricius; *cuius anno 17. ſeu anno Chriſti 743. vt habet Anaſtaſius. vel vt Onuphrius 744. Rauenna à Luitprando Longobardo capta, & exarchatui finis eſt impoſitus.*

De Francorum, Anglo-Saxonum, Scoto-Brigantum, Burgundionum & Hunnorum Dynaſtiis: de regnis Danorum, Sueonum, Noruuegiæ, Poloniæ, Bohemiæ: de regnis diuerſis Hiſpaniarum: de regno Croatiæ, Neapolis, Siciliæ, Sardiniæ: de Ducatibus, Marchionatibus, Electoratibus: de epiſcopis vrbis, Romæ, Antiochiæ, Alexandriæ, Hieroſolymorum & Conſtantinopoleos, vide Eliam Reuſnerum, Henningum, Scaligerum, Heluicum, & paſſim in hac Encyclopædiâ; nominatim in Politicâ, Hiſtoricâ, & Chronologiâ ſpeciali hiſtoricâ.

CAPVT VIII.

De Chronologiâ hiſtoricâ.

PRÆCEPTA.

CHronologia ſpecialis hiſtorica perſequitur hiſtorias notatione temporis inſignitas.

Eſtque diexodica, vel ſynoptica. Illa fusè omnia, hæc breuiter præcipua indicat.

REGVLÆ.

I. *Ea eſt hiſtoriæ & chronologiæ neceſſitudo, vt licet diſtinctæ ſint, ſeparari tamen non poſſint.*

Nam ſi tempus annotas, ſimul perſonam, rem, vel, actionem exprimis; & viciſſim ſi vnum ex his tribus hiſtoricè perſequeris, id ſine temporis mentione nequaquam feceris.

II. *Chronologia hiſtorica primò tradatur ſynopticè, & quidem ita vt ſingulæ columnæ capiant ſingulas centurias vel ſemicenturias, breuiſſimis titulis adiectis: poſtea commentarius hiſtorico-chronologicus adornetur.*

Synoptica centuriarum diſpoſitio eſt in theatro Heluici, opere elegantiſſimo. Semicenturias hoc loco tibi repræſentant ſequêtes tabulæ: vbi ab initio ſingulæ columnæ plures capiant centurias, quia non occurrunt multæ hiſtoriæ.

CREATIO

An. Mundi		An. Mundi		An. Mundi	
0	Creatio Mundi. *Epocha mundi Creati* medio æquinoctio verno, 25. Martij. Hic est annus 394[illegible]. ante Christum natum: periodi Iulianæ 765. Constantinopolitanæ seu Græcæ 1551: *Æra Adami* 3[illegible]0. Cyclus Solis, Lunæ, & Indictionis est 1. *Adam* vixit annos 930. est que antiquissimus Saturnus Ethnicorum, qui filios suos deuorauit id est, in morte præcipitauit. *Eua* Pandora, Rhea, Cybele, & Isis antiquissima. Coniunctio planetarum magna 1.	60		120	
1		1		1	
2		2		2	
3		3		3	
4		4		4	
5		5		5	
6		6		6	
7		7		7	
8		8		8	
9		9		9	
10		70		130	*Seth* N. vixit an. 912. Hic duabus columnis inscripsit artes à se inuentas.
1		1		1	
2		2		2	
3		3		3	
4		4		4	
5	*Cain* nascitur, iuxta Hebræos.	5		5	
6		6		6	
7		7		7	
8		8		8	
9		9		9	
20		80		140	
1		1		1	
2		2		2	
3		3		3	
4		4		4	
5		5		5	
6		6		6	
7		7		7	
8		8		8	
9		9		9	
30	*Abel* nascitur, quo tempore scholæ primùm natæ.	90		150	Cain extruit Chanochiam. *Gen* 4.
1		1		1	
2		2		2	
3		3		3	
4		4		4	
5		5		5	
6		6		6	
7		7		7	
8		8		8	
9		9		9	
40		100	*Abel* à Caino interficitur.	160	
1		1		1	
2		2		2	
3		3		3	
4		4		4	
5		5		5	
6		6		6	
7		7		7	
8		8		8	
9		9		9	
50		110		170	
1		1		1	
2		2		2	
3		3		3	
4		4		4	
5		5		5	
6		6		6	
7		7		7	
8		8		8	
9		9		9	

An. Mundi		An. Mundi		An. Mundi	
180		240		300	Astrologia cœpit coli.
1		1		1	
2		2		2	
3		3		3	
4		4		4	
5		5		5	
6		6		6	
7		7		7	
8		8		8	
9	*Periodus Iudaica* incipit.	9		9	
190		250		310	
1		1		1	
2		2		2	
3		3		3	
4		4		4	
5		5		5	
6		6		6	
7		7		7	
8		8		8	
9		9		9	
200		260		320	
1		1		1	
2		2		2	
3		3		3	
4		4		4	
5		5		5	*Cainan* N. vixit an. 910.
6		6		6	
7		7		7	
8		8		8	
9		9		9	
210		270		330	
1		1		1	
2		2		2	
3		3		3	
4		4		4	
5		5		5	
6		6		6	
7		7		7	
8		8		8	
9		9		9	
220		280		340	
1		1		1	
2		2		2	
3		3		3	
4		4		4	
5		5		5	
6		6		6	
7		7		7	
8		8		8	
9		9		9	
230	*Enos* N. vixit annos 905. Ab eo vsque ad diluuium merus fuit Barbarismus.	290		350	
1		1		1	
2		2		2	
3		3		3	
4		4		4	
5	Incipit persecutio Cainitarũ contra Sethitas.	5		5	
6		6		6	
7		7		7	
8		8		8	
9		9		9	

An. Mundi		*An. Mundi*		*An. Mundi*	
360		420		480	
1		1		1	
2		2		2	
3		3		3	
4		4		4	
5		5		5	
6		6		6	
7		7		7	
8		8		8	
9		9		9	
370		430		490	
1		1		1	
2		2		2	
3		3		3	
4		4		4	
5		5		5	
6		6		6	
7		7		7	
8		8		8	
9		9		9	
380		440		500	
1		1		1	
2		2		2	
3		3		3	
4		4		4	
5		5		5	
6		6		6	
7		7		7	
8		8		8	
9		9		9	
390		450		510	
1		1		1	
2		2		2	
3		3		3	
4		4		4	
5	*Malaleel* N. vixit an. 895.	5		5	
6		6		6	
7		7		7	
8		8		8	
9		9		9	
400		460	*Iared* N. vixit an. 962.	520	
1		1		1	
2		2		2	
3		3		3	
4		4		4	
5		5		5	
6		6		6	
7		7		7	
8		8		8	
9		9		9	
410		470		530	
1		1		1	
2		2		2	
3		3		3	
4		4		4	
5		5		5	
6		6		6	
7		7		7	
8		8		8	
9		9		9	

An. Mundi		An. Mundi		An Mundi	
540		600	*Lamech* fuit autor bigamiæ.	660	
1		1		1	
2		2		2	
3		3		3	
4		4		4	
5		5		5	
6		6		6	
7		7		7	
8		8		8	
9		9		9	
550		610		670	
1		1		1	
2		2		2	
3		3		3	
4		4		4	
5		5		5	
6		6		6	
7		7		7	
8		8		8	
9		9		9	
560		620		680	
1		1		1	
2		2	Enoch N. vixit an: 365. poſtea vi-	2	
3		3	uus tranſlatus in cœlum.	3	
4		4		4	
5		5		5	
6		6		6	*MATHVSALAH N.vixit.
7		7		* 7	nium mortalium diutiſſi
8		8		8	Neque tamen attigit mill
9		9		9	rium vtpote figuram immo
570		630		690	litatis & æternitatis.
1		1		1	
2		2		2	
3		3		3	
4		4		4	
5		5		5	
6		6		6	
7		7		7	
8		8		8	
9		9		9	
580		640		700	
1		1		1	
2		2		2	
3		3		3	
4		4		4	
5		5		5	
6		6		6	
7		7		7	
8		8		8	
9		9		9	
590		650		710	
1		1		1	
2		2		2	
3		3		3	
4		4		4	
5		5		5	
6		6		6	
7		7		7	
8		8		8	
9		9		9	

An. Mundi		An. Mundi		An. Mundi	
720		780		840	
1		1		1	
2		2		2	
3		3		3	
4		4		4	
5		5		5	
6		6		6	
7		7		7	
8		8		8	
9		9		9	
730		790		850	
1		1		1	
2		2		2	
3		3		3	
4		4		4	
5		5	Coniunctio planetarum magna II.	5	
6		6		6	
7		7		7	
8		8		8	
9		9		9	
740		800		860	
1		1		1	
2		2		2	
3		3		3	
4		4		4	
5		5		5	
6		6		6	
7		7		7	
8		8		8	
9		9		9	
750		810		870	
1		1		1	
2		2		2	
3		3		3	
4		4		4	*Lamech* N. vixit an.777.
5		5		5	
6		6		6	
7		7		7	
8		8		8	
9		9		9	
760		820		880	
1		1		1	
2		2		2	
3		3		3	
4		4		4	
5		5		5	
6		6		6	
7		7		7	
8		8		8	
9		9		9	
770		830		890	
1		1		1	
2		2		2	
3		3		3	
4		4		4	
5		5		5	
6		6		6	
7		7		7	
8		8		8	
9		9		9	

An. Mundi		An. Mundi		An. Mundi	
900		960		1020	
1		1		1	
2		2		2	
3		3		3	
4		4		4	
5		5		5	
6		6		6	
7		7		7	
8		8		8	
9		9		9	
910		970		1030	
1		1		1	
2		2		2	
3		3		3	
4		4		4	
5		5		5	
6		6		6	
7		7		7	
8		8		8	
9		9		9	
920		980		1040	
1		1		1	
2		2		2	Seth moritur.
3		3		3	
4		4		4	
5		5		5	
6		6		6	
7		7	*Enoch* viuus assumitur in cœlum.	7	
8		8	Hinc fluxit ἀποθέωσις Ethnicorum.	8	
9		9		9	
930	Adam moritur.	990		1050	
1		1		1	
2		2		2	
3		3		3	
4		4		4	
5		5		5	
6		6		6	*Noah* N. vixit an 950.
7		7		7	cimus ab Adamo. Hic nus & Bacchus Ethni
8		8		8	item Ogyges primus f
9		9		9	scus.
940		1000		1060	
1		1		1	
2		2		2	
3		3		3	
4		4		4	
5		5		5	
6		6		6	
7		7		7	
8		8		8	
9		9		9	
950		1010		1070	
1		1		1	
2		2		2	
3		3		3	
4		4		4	
5		5		5	
6		6		6	
7		7		7	
8		8		8	
9		9		9	

An. Mundi		An. Mundi		An. Mundi	
1080		1140	Enos moritur.	1200	
1		1		1	
2		2		2	
3		3		3	
4		4		4	
5		5		5	
6		6		6	
7		7		7	
8		8		8	
9		9		9	
1090		1150		1210	
1		1		1	
2		2		2	
3		3		3	
4		4		4	
5		5		5	
6		6		6	
7		7		7	
8		8		8	
9		9		9	
1100		1160		1220	
1		1		1	
2		2		2	
3		3		3	
4		4		4	
5		5		5	
6		6		6	
7		7		7	
8		8		8	
9		9		9	
1110		1170		1230	
1		1		1	
2		2		2	
3		3		3	
4		4		4	
5		5		5	Kenan moritur.
6		6		6	
7		7		7	
8		8		8	
9		9		9	
1120		1180		1240	
1		1		1	
2		2		2	
3		3		3	
4		4		4	
5		5		5	
6		6		6	
7		7		7	
8		8		8	
9		9		9	
1130		1190		1250	
1		1		1	
2		2		2	
3		3		3	
4		4		4	
5		5		5	
6		6		6	
7		7		7	
8		8		8	
9		9		9	

An. Mundi		An. Mundi		An. Mundi	
1260		1320		1380	
1		1		1	
2		2		2	
3		3		3	
4		4		4	
5		5		5	
6		6		6	
7		7		7	
8		8		8	
9		9		9	
1270		1330		1390	
1		1		1	
2		2		2	
3		3		3	
4		4		4	
5		5		5	
6		6		6	
7		7		7	
8		8		8	
9		9		9	
1280		1340		1400	
1		1		1	
2		2		2	
3		3		3	
4		4		4	
5		5		5	
6		6		6	
7		7		7	
8		8		8	
9		9		9	
1290	Malaleel moritur.	1350		1410	
1		1		1	
2		2		2	
3		3		3	
4		4		4	
5		5		5	
6		6		6	
7		7		7	
8		8		8	
9		9		9	
1300		1360		1420	
1		1		1	
2		2		2	Iared moritur.
3		3		3	
4		4		4	
5		5		5	
6		6		6	
7		7		7	
8		8		8	
9		9		9	
1310		1370		1430	
1		1		1	
2		2		2	
3		3		3	
4		4		4	
5		5		5	
6		6		6	
7		7		7	
8		8		8	
9		9		9	

Mundi		An. Mundi		An. Mundi	
1440		1500		1560	
1		1		1	
2		2		2	
3		3		3	
4		4		4	
5		5		5	
6		6		6	
7		7		7	
8		8		8	
9		9		9	
1450		1510		1570	
1		1		1	
2		2		2	
3		3		3	
4		4		4	
5		5		5	
6		6		6	
7		7		7	
8		8		8	
9		9		9	
1460		1520		1580	
1		1		1	
2		2		2	
3		3		3	
4		4		4	
5		5		5	
6		6		6	
7		7		7	
8		8		8	
9		9		9	
1470		1530		1590	Coniunctio planetarum magna III. appropinquante diluuio.
1		1		1	
2		2		2	
3		3		3	
4		4		4	
5		5		5	
6		6	Noach prædicat pœnitentiam, & prophetat de diluuio. Prima prophetia post lapsum.	6	
7		7		7	
8		8		8	
9		9		9	
1480		1540		1600	
1		1		1	
2		2		2	
3		3		3	
4		4		4	
5		5		5	
6		6	*Sem.* Noë primogenitus, N. vixit an. 600. Fuit ipse Melchisedech. Noa est autor Architecturæ ante diluuium, & post diluuium vini.	6	
7		7		7	
8		8		8	
9		9		9	
1490		1550		1610	
1		1		1	
2		2		2	
3		3		3	
4		4		4	
5		5		5	
6		6		6	
7		7		7	
8		8		8	
9		9		9	

1620

An. Mundi		An. Mundi		An. Mundi	
1620		1680		1740	
1		1		1	
2		2		2	
3		3		3	
4		4		4	
5		5		5	*Regnū Sueciæ* incipit à M
6		6		6	nepote Noachi ex Iapeto.
7		7		7	dem tempore incipit *reg*
8		8		8	*Scythiæ* à Magog.
9		9		9	
1630		1690		1750	Babylonica turris incipit ficari.
1		1		1	
2		2		2	
3		3	*Salah* N. vixit an.433.	3	
4		4		4	
5		5		5	
6		6		*6	* Prima dispersio hominu
7		7		7	initium linguarum. Pele
8		8		8	vixit an.239. *Tuisco* pater
9		9		9	manorum inuenit literas.
1640		1700		1760	
1		1		1	
2		2		2	
3		3		3	
4		4		4	
5		5		5	
6		6		6	
7		7		7	
8		8		8	
9		9		9	
1650		1710		1770	
1	Lamech moritur.	1		1	
2		2		2	
3		3		3	
4		4	(tempora	4	*Ninus* regnat an. 52. I
5	* Mathusalem moritur.	5	* Hebron ædificata est circa hæc	5	aliis Iupiter Assyrius, H
*6	† *Epocha diluuij* incidit in hunc annum currentem.	*6	† *Dynastia Ægyptiorum* XVI. con-	6	Babylonicus.
†7	* *Arphaxad* N. vixit an.438. *Sem*	†7	nectitur cum Monarchiâ Assyrio- rum. Durauit annos 2203.	7	
*8	instituit *scholam priuatam*, quæ	8	* *Æra Chaldæorum* seu Babylonis	8	
9	postea *Hebræorum* dicta est.	*9	incipit sub Belo; qui est Nimrod.	9	
1660		1720	*Nimrod* condidit *Babylonem* & Ni-	1780	
1		1	neuen: instituitque scholam *Chal- dæorum*. Sub eo nobilitas incepit.	1	
2		2		2	
3		*3	*Misraim* condit vrbem *Misraim*,	3	
4		4	quæ *Memphis* dicitur.	4	
5		5	* *Heber* N. vixit an.464. Hoc tem-	5	**Sueuus* R. Sueciæ *Regu.*
6		6	pore Zoan in Ægypto condita.	*6	an.239 *Regnum German*
7		7		7	cipit sub Tuiscone misso. Noacho cum 20. ducibu
8		8		8	etiam regnum Sarma
9		9		9	condidit: durauit annos ;
1670		1730		1790	
1		1		1	
2		2		2	
3		3		3	
4		4		4	
5		5		5	
6		6		6	
7		7		7	* *Dynastia* prima *Roma*
8		8		*8	incipit; videl. Coriti-Ian rum, h. e. posterorum C
9		9		9	Iani

	An.M.		An.M.		An.M.	
Vr, Haran, Sodoma, Gomorrha, Damascus & aliæ vrbes hoc tempore videntur esse conditæ.	1850		1900		1950	
	1		1		1	
	2		2		2	
	3		3	*Vbbo* dynasta Suecorum.	3	
	4		4		4	
	5		5		5	
	6		6	*Arius* rex Assyriorum regnat 30. annos.	6	
	7		7		7	
	8		8		8	
	9		9		9	
	1860		1910		1960	*Telchinia* ædificatur à Telchine rege Sicyoniorum.
	1	*Regnum Syciniorum* incipit. Durauit penè 1000 annos.	1		1	
	2		2		2	
	3		3		3	*Mannus*, filius Tuisconis, apud Sarmatas Rheni regnat an. 66.
	4		4		4	
	5		5		5	
	6		6		6	
	7		7		7	
	8	*Ninyas* f. Semiramidis regnat 38. annos.	8		8	
Serug N. vixit an. 230.	9		9		9	
	1870		1920		1970	*Treueris* condita.
	1		1		1	*Saturnus* R. Latinorum.
	2		2		2	
	3		3		3	
	4		4		4	
	5		5		5	
Semiramis vxor Nini, mortuo marito regnat annis 42.	6		6	*Ianus* senior regnat.	6	
	7		7		7	
	8	*Tharah* N. vixit an. 205.	8		8	
	9		9		9	
	1880		1930		1980	Tempore Apidis regis Sicyoniorum Cres ędificauit *Cretam*.
	1		1		1	
	2		2		2	
	3		3		3	
	4		4		4	
	5		5		5	
	6		6	*Aralius* R. Assyriorum per annos 40.	6	
	7		7		7	
	8		8		8	
	9		9		9	
Hierosolyma, primò dicta *Salem*, conditur à Melchisedech.	1890		1940		1990	Huc ponitur antiquissima Sibylla, quæ dicitur Agrippa. Numerantur autem per totum 10. vel 11. vel 12 Sibyllæ. Sunt qui putent vaticinium Noæ de trib. filiis & eorum posteritate, & de futurâ in eis religione esse hanc Sibyllam.
	1		1		1	
	2		2		2	
Gethar δυνάστης Suecorum.	3		3		3	
	4		4		4	
	5		5	* *Xerxes* Balanæus R. Assyriorum & alij vsque Sardanapalum.	5	
	6		*6		6	*Peleg* moritur.
	7		†7		7	*Nahor* moritur.
	8		*8	† *Zoroaster* inuenit *magiã* & *Medicinã* apud Bactrianos.	8	
Nahor N. vixit an. 148.	9		9	* *Abraham* N. obiit an. 175.	9	

2000 *Tigurum* conditum & *Solodurum*, triginta annis post Treuerim, quæ tres vrbes dicuntur sorores. *Hermes Trismegistus* Chym
1 docuit Ægyptios & literas ipsis dedit, & horas ordinauit, & primos libros edidit. Horum numerus fuit 25000. Idem *Hermes* et
2 medicinam excoluit. *Coritus* vel Granus R. Latinorum.
3
4 *Siggo* dux Suecorum.
5 *Noach* moritur.
6
7
8
9

2010
1
2
3
4 *Ericus* dux Suecorum.
5
6
7
8
9 *Abraham* ex Vr Chaldæorum proficiscitur. Docuit philosophiam & prædicauit de nomine Dei in Chaldeâ, Phœniciâ & Ægypto

2020 *Abraham* docet Mathematicam & Astronomiam,& fœderis est inuentor.
1
2
3 *Epocha promissionis Abrahamo facta* incipit. Pharao I. Genes. 12. accenditur amore Saræ.
4
5
6 *Regu* moritur.
7
8
9 *Loth & Abraham* separantur.

2030 *Ingæuon*, frater,vel vt alij,filius Manni,regnat apud Germanos an 45. *Abraham* vincit reges Orientis operâ 318. vernarum. *Melc.*
regnat.
1
2
3
4 *Ismaël* nascitur.
5
6
7
8
9

2040
1
2
3
4
5
6
7 *Sodoma & Gomorrha* igne cœlitus demisso delentur. Genes. 18. 19. Vxor Lothi mutatur in statuam salis: ibid. Circumcisio
tuitur.
8 *Isaac* N. vixit an. 180. Moab & Ammon nati.
9

050 *Schola Phœnicum* cœperunt tempore Abrahami, à quo didicerunt Aſtronomiam aliáſque artes. Item *Brachmanum* in Indiâ.
1
2
3
4
5
6
7
8
9 Incipiunt 400 anni vſque ad exitum populi Iſraël.

060
1
2 *Iſaac* eſt immolandus.
3 *Aurunus Coritus* R. Latinorum.
4
5
6
7
8
9

070
1
2
3
4
5 *Iſtauon*, German. Anſſtäb / Ingævonis F. regnat in Germaniâ an. 50.
6
7
8
9

080
1
2
3 *Tharah* moritur.
4
5 *Sara* moritur.
6
7
8 *Iſaac* ducit Rebeccam.
9

090
1
2
3 *Regnum Argiuorum* incipit ſub Inacho. Durauit annos 547.
4
5
6
7
8
9

2100 *Asclepius* Hermetis Trismegisti auditor medicinam propagauit in Ægypto.
1
2
3
4 *Malottages Coritus* R. Latinorum.
5
6
7
8 *Iacob* N. vixit an. 147.
9

2110
1
2
3
4
5
6
7
8
9

2120
1
2
3 *Abraham* moritur.
4
5 *Hermion*, **Hermann** / Istæuonis F. regit Germanos an. 63.
6 *Salah* moritur.
7
8
9 *Fames* sub Isaaco.

2130
1
2
3
4
5
6
7
8
9

2140 Druides ædificant *Genabum* in Galliâ, vbi hodie est *Aurelia* : Hoc tempore incipit schola *Bardorum*, siue ***Druidum.***
1
2
3 *Sicanus* R. Latinorum.
4
5
6
7
8 *Esau* ducit vxores Cenanæas.
9

2150 Phoroneus Argiuorum rex primus *leges & iudicia* conſtituit.
1
2
3
4
5
6
7
8 *Sem* moritur.
9

2160 *Athenæ* conditæ ab *Ogyge* rege Atticæ.
1
2
3
4
5
6
7
8
9

2170 *Eleuſine* condita eſt ab Eleuſine Ogygis Attici F.
1
2 *Iſmaël* moritur.
3
4
5
6
7
8
9

2180
1
2
3
4
5 *Iacob* in Meſopotamiam proficiſcitur.
6
7 *Eber* moritur.
8 *Marſus*, Hermionis F. regnat in Germaniâ an.46. Hic eſt Mars Germanorum.
9 *Epocha diluuij Ogygiani* incipit.

2190
1
2 *Iacob* ducit Leam vxorem.
3 *Ruben* N.
4 *Simeon* N.
5 *Leui* N. vixit an 137.
6 *Iuda & Dan* N.
7 *Naphthali* N.
8
9 *Gad* N. *Ioſeph* N. vixit an. 110.

2200 *Issaschar* N. *Osiris*, qui & Apis seu Serapis Germanos docuit plures artes Mechanicas, item Medicinam.
1 *Zebulon* N. item *Aser* N.
2
3
4 *Pharao II* est ipsissimus *Apis*, qui etiam Osiris appellatur, maritus Isidis. Hic extulit Iosephum ad summam dignitatem.
5 *Iacob* redit in terram Canaan.
6
7
8
9

2210 Apis rex Argiuorum amplificat vrbem *Misraim* vocátque eam *Memphin*: quæ hodie *Alcuinus* dicitur. *Osiris* ex Italiâ gigantes exp
1
2
3
4
5 *Beniamin* N.
6
7 *Ioseph* venditur.
8
9

2220 *Lestrigo* gigas R. Latinorum *Rhodus* cœpit coli. *Sparta* condita est à Spartone: Amplificata est à Lacedæmone circa an. M.2600. fuit appellata *Lacedæmon*.
1
2
3
4
5
6 *Iosephi* castitas.
7
8 *Isaac* moritur natus 180 annos.
9 *Ioseph* à fratribus venditus fit prorex Ægypti: prædicit 7 annos fertilitatis & 7 annos famis.

2230 Fertilitas Ægyptiaca. *Hana* inuenit mulos.
1
2
3
4 *Gambriuius* siue Cimbrus, Marsi F. regnat an. 44. Germanicè Kämpfer Nascitur *Menasse & Ephraim*.
5
6
7 *Fames* Ægypti per 7. annos.
8
9

2240
1
2
3
4
5
6
7
8
9

2250
1
2 Pharao in Ægypto dicitur *Amenophis*. Sub hoc *Iacob* venit in Ægyptum.
3 Lybius, cognomento *Hercules* R. Latinorum.
4
5 *Iacobus* moritur, annorum 147. Estque vigesimus ab Adam. Et hactenus patriarchæ ab Adamo cum 20. literis alphabeti Hebræi comparantur.
6
7
8
9

2260 *Epidaurus* in Argolide conditur ab *Epidauro* Argi F.
1
2
3
4
5
6
7
8
9

2270
1
2
3
4
5
6
7
8
9

2280 Isis soror & vxor Osiris Germano docet *lanificium, olei & vini vsum.*
1
2
3 *Thuscus* filius Herculis R. Italiæ.
4
5
6
7 *Sueuus*, Gambriuij F. regnat an. 48. in Germaniâ.
8
9 *Diluuium Ogygium* accidit, quod fuit maius diluuio Deucalionis.

2290
1
2
3
4
5
6
7
8
9

2300 *Hispalis* (hodie Seuilia) conditur ab *Hispalis*, filio Herculis Libyci *Iob.* vixit.
1
2
3 *Amram* natus.
4
5
6
7
8
9 *Iosepho* moritur annorum 110.

2310 *Prometheus* in Græciâ docet Logicam. *Atlas* eius frater Astronomiam, coæui Orionis.
1
2
3
4
5 *Alteus* regnat in Italiâ.
6
7
8
9

2320
1
2
3
4
5
6 *Vandalus* regnat an. 41 Hinc dicti sunt Vandali die Wenden.
7
8
9

2330 Tempore seruitutis Ægyptiacæ conditæ sunt quædam pyramides & multæ vrbes Ægypti, seruili operâ Israëlitarum.
1
2 *Leui* moritur.
3
4
5 *Armenophis* R. Ægypti beneficio Alchymiæ fecit vocales lapidem & effigiem Memnonis.
6 *Hispanus* rex in Hispaniâ.
7
8 *Italus*, Atlas seu Cittim regnat in Italiâ.
9

2340
1
2
3
4
5
6
7
8
9 *Pharao IV.* Iosepho Busiris dicitur. Hic est infanticida ille *Exod.* 1.

2350
1
2
3
4
5
6
7
8
9

2360
1
2 *Kabath* moritur.
3
4
5
6
7 *Regnum Galliæ* incipit. Durauit annos 1131. vbi per Sicambros continuatum fuit. *Teuto.* Teutſch/ Vandali F. regnat an. 27. Hic fuit Germanorum Mercurius ſecundus.
8
9

2370 *Aaron* eſt natus.
1
2
3 *Moſes* N. vixit an. 120. Mirabiliter Moſes in viuis fuit conſeruatus. Fuit autem Moſes eruditus à pueritiâ in omni Ægyptiorum ſapientiâ, adeoque etiam Alchymiâ.
4
5
6
7
8
9

2380 *Regnum Lacedæmoniorum* incipit ſub Eurotâ. Durauit annos 1320.
1
2
3
4 *Secunda dynaſtia Romanorum* incipit, nimirum Aboriginum, *ſub Saturno ſiue Romaneſſo priſco.*
5 *Coniunctio planetarum* magna IV. præcedens liberationem Iſraëlitarum à preſſurâ Ægyptiacâ.
6
7
8
9

2390
1
2
3
4 *Regnum Athenienſium* incipit ſub Cecrope. Durauit annos 1476. Primus rex eſt Cecrops, qui coniugij legitimum vſum docuit. *Alemannus*, Altmann Germanorum Hercules regnat an. 64.
5
6
7
8
9

2400

2400 *Pyramides* in Ægypto inuentæ.
1
2
3
4
5
6
7
8 *Iosua* N.
9

2410 *Quadrigæ* à Trochilo inventæ.
1
2
3 *Moses* fugit ex Ægypto.
4
5
6
7
8
9

2420
1
2
3
4
5
6
7
8
9

2430
1
2
3
4
5
6
7 *Epocha Diluuij Deucalionis* incipit: quo Græcia, Italia & Atlanta insula fuerunt vastatæ.
8
9

2440 *Obelisci* inuenti in Ægypto. *Amram* moritur. *Lugdunum* in Galliis conditum est à Lugdo Francorum rege. *Lacedemon* R. I
moniorum.
1
2
3
4
5
6
7
8
9

2450 *Regnum Troianum*, incipit ſub Teucro. Durauit annos 317. Primus R. Teucri fuit.
1
2 *Ægyptus vniuerſa* decem plagis exercetur. Exod. 7. vſque ad c. 12. *Acherres* fuit Pharao.
3 *Amphion rex Athenarum.* Prima Muſica Moſis & Mariæ ſororis. *Epocha anni Eccleſiaſtici Iudæorum* incipit 1. Aprilis *Exitus Iſraëlitarum* 15. April. *Epocha promulgationis legis* incipit 4. Iunij. quia promulgatio legis ſubſecuta eſt exitum 50. diebus.
4 Tabernaculum erigitur à Moſe qui eſt antiquiſſimus hiſtoriographus. Pſalmus 90. à Moſe ſcriptus putatur. *Aaron* primus ſummus ſacerdos in populo Iſraël. *Nadab & Abihu* cœlitùs conflagrant. Ordo Naſiræorum.
5
6 *Picus Priſcus* R. Aborigenum in Italiâ.
7
8 *Bojus* der Beyer/ Alemanni F. regnat an. 60. Sub hoc rege, Amazones miſſi ſunt in Aſiam.
9

2460 *Bojus* Germanorum Rex condidit *Bojobinum* ſiue *Bubienum* quæ nunc *Praga* appellatur. Eodem tempore Amazones, Cimbrorum vxores in Aſiâ condunt *Epheſum* multaſque alias vrbes. *Scholæ Leuitarum* inſtituuntur à Moſe & Aarone. *Datan, Abiram, & Corah* pereunt hiatu terræ. Amazones inuenerunt *bipennes & tympana*. *Amphictyoniæ leges* apud Athenienſes ab autore ita dictæ.
1
2
3
4
5
6
7
8
9

2470 *Virga Aaronis* floret.
1 *Dardanus* Rex Troianorum 1.
2
3
4
5
6
7
8
9

2480
1
2
3
4
5
6
7
8
9

2490 *Bileam* propheta cuius aſina loquitur. *Eleaſer* ſecundus ſummus ſacerdos.
1
2 Propter libidines pereunt 24000. Iſraëlitæ. *Aaron* moritur.
3 *Reſpublica Iudæorum* incipit in terrâ Canaan ſub Ioſuâ. Durauit 1525. Moſes mortuus à Deo ſepelitur. *Berichus* R. Suecorum.
4 Notentur miraculosè facta ſub Ioſuâ, vt diuiſio Iordanis, ſol & luna ſiſtunt motum ſuum in cœlo.
5
6
7
8
9 *Hieroſolymæ* prima occupatio duce Ioſuâ, poſtea vicies bis occupata vſque ad Titum.

2500

2500 *Epocha annorum Sabbaticorum & Iubilæorum* incipit. *Scholæ in Africâ* conduntur à Phœnicibus.
1
2
3
4
5
6 *Erichthonius* Rex tertius Troianorum.
7 *Scholæ Græcorum*, & in iis *Atheniensium* cœperunt authoribus Phœnicibus duce *Cadmo*.
8
9

2510 Liber *Iosuæ* scriptus. Idæi dactyli inuenerunt *artem ferrariam*. *Othoniel* succedit Iosuæ; & præest an. 40 *Phœnices* exules condunt in Africâ *regnum Mauritaniæ & vrbem Tingitanam*. *Mons Ida* incendio deflagrat. Huc pertinet secunda dispersio populorum.
1
2
3
4
5
6
7 Huc pertinet illa penè πανολεθρία tribus Benjamin. *Iosua & Eleazar* moriuntur.
8 *Ingram*, Boji F. regnat an. 52.
9 *Faunus Priscus* R. Aboriginum in Italiâ. Hierosolymam secundâ vice occupant Israëlitæ.

2520 *Cadmus* inuenit XV. literas Græcorum. Prima Israëlitarum seruitus & ἀποστασία ad idololatriam. Secutæ sunt quinque seruitute iudicibus. *Pinehas* tertius summus Pontifex in Israël diu vixit.
1
2
3
4
5
6
7
8
9

2530
1
2
3 *Humulfus* dux Suecorum
4
5
6
7
8
9

2540
1
2
3
4
5
6
7
8
9 *Secundus Iubilæus* incipit. *Amnus* R. Aborigenum in Italiâ.

2550 *Ehud* ſuccedit Othonieli: præeſt *an.* 80. *Iud.* 3.

1

2 Secunda ſeruitus populi Iſraël ſub iudicibus.

3

4

5

6

7

8

9

2560

1

2

3

4

5

6

7

8

9

570 *Adalger*, Ingrami F. regnat an. 39. *Phryxus* Græcorum primus coluit Alchymiam.

1

2

3

4

5

6

7

8

9

580 Hoc tempore primum Græcum *carmen* ſcriptum à Phemonôe, quod ita habet, *συμφέρετε πτέρα τ' οἰωνόν, κηρόντε μέλισσαι.*

1

2 *Tros* Rex Troianorum.

3 *Troia* condita eſt à Troe.

4

5

6

7

8

9

590 *Prætides* in furorem verſæ à Melampode ſanantur helleboro.

1

2

3

4

5

6

7

8 *Tertius Iubilæus* incipit.

9

2600 *Vulcanus* R. Aborigenum in Italiâ. *Bellerophon* inuenit piraticam maritimam.
1
2
3
4
5
6
7
8
9

2610
1 *Samgar* liberat populum Iſraël, cædens 600. Philiſtæos ſtimulo bouis.
2 *Debora* prophetico agitur Spiritu.
3
4
5
6
7
8
9 *Larein* (Tacito Laërtes) regnat an. 51.

2620 *Deboræ* canit Epinicion carmen. Sibylla Libyſſa floruit.
1 *Ianus* Iunior, qui condidit Ianiculum in Italiâ.
2
3
4
5
6
7 *Quartus Iubilaus* incipit.
8
9

2630 Inuenta eſt Muſica apud Thebanos ab Amphione. Intellige per Muſicam etiam eloquentiam.
1 *Ilus* Rex Troianorum. Tertia ſeruitus Iſraëlitarum tempore Iudicum.
2
3
4
5
6 *Regnum Argiuorum* deſinit ſub Acriſio.
7 *Regnum Mycenarum* incipit ſub Stheneleo. Durauit annos 186.
8 *Thebis* ſchola Amphionis eſt celebris.
9

2640
1 *Saturnus* ſeu Romaneſſus R. Aborigenum in Italiâ.
2
3
4
5
6
7
8
9

2650

1 *Debora & Barak* iudices.
2
3
4 *Picus* R. Aborigenum in Italiâ.
5 *Pelops* in Elide instituit certamen olympicum.
6
7
8
9 *Gideon* 12000 Midianitas cædit operâ 300. militum.

2660
1
2
3
4
5
6
7
8
9

670 *Gibeon* præest an. 40. *Iud.* 8. *Vlsing* (Tacito Vlysses) regnat an. 53. Condidit Vlsiburgum seu Aschiburgum vulgò. Francio R. Gallorum.
1 *Corinthus* à *Sisypho*, auo Vlyssis est condita. *Laomedon* R. Troianorum penultimus.
2
3 *Humble*, qui filium suum Danum Danis dedit. *Quarta seruitus* Israëlitarum tempore iudicum.
4
5
6
7
8
9

680 *Sibylla* Delphica prophetat. *Regnum Corinthiorum* incipit sub Sisypho. Durauit annos 716. *Asciburgium* conditum est ad Mœnum *OEdipus* soluit ænigmata Sphingis, adeoque insignis philosophus fuit.
1
2
3
4
5
6
7
8 *Atreus* Pelopis filius per suum arietem, id est, Alchymiam magnas collegit diuitias.
9

90 *Chiron* Centaurus Medicus floret. *Tyrus* est condita. Hebræis appellatur *Zor* & *Zur*. *Scholæ Medicorum* cœperunt authore Chirone & Æsculapio.
1 *Faunus* R. Aborigenum in Italiâ.
2 *Abimelech* occidit 69. fratres.
3
4
5
6 *Quintus iubilæus* incipit.
7
8
9

2700 *Minos* rex Cretensium leges fert, quas ab antro Iouis petitas esse dixit maioris autoritatis gratiâ. Hanc circiter hecatontadem *Lydorum* regnum incepit, durans per 700. annos. *Scholæ poëtarum* cœperunt autore Lino, qui fuit præceptor Herculis & Orphei.
1
2
3
4
5
6
7
8
9 *Scholæ Italicæ* primitùs cœperunt autore Euandro, cuius mater Carmenta à carminibus dicta est.

2710 *Abimelech*, Gideonis spurius & degener præest an.3.*Iud.9.* *Hercules Libycus* primus statuas inuenit. *Sibylla Cumæa* floret.
1
2
3 *Thola* præest an.23.*Iud.*10.
4 *Argonautæ* suscipiunt expeditionem suam in Colchos. Putant susceptam fuisse ad auferendam membranam, in quâ Alchymia sit descripta.
5 *Priamus* Trojanorum R. vltimus.
6
7
8
9

2720
1
2
3 *Brennus*, Vlsingi F. der Brenner/ regnat an. 35. tempore belli Troiani.
4
5
6
7
8
9

2730 *Sibylla Erythræa*, cuius ἀκρόστιχις est, Ἰησοῦς Χρειστὸς θεοῦ υἱὸς, σωτὴρ σταυρός *Labyrinthus* à Dædalô inuentus & pictura à Pyrrho. *M*[...] Orphei discipulus claret, quò & alij poëtæ priores Homero pertinent.
1 *Latinus* R. Aborigenum in Italiâ.
2
3 *Attyadarum* regnum apud Lydos.
4
5
6 *Iair* præest an.22.*Iud.*10.
7
8
9

2740
1
2
3
4 *Qinta seruitus* Israëlitarum sub Philistæis & Ammonitis.
5
6 *Sextus Iubilæus* init.
7
8
9

2750 *Machaon & Podalirius* Medici, filij Æsculapij, florent.

1

2

3 *Regnum Lydorum* longè ante hunc annum incipit.

4

5

6

7

8 *Iephte* præest an. 6 *Iud.* 10. *Sigtaugus* dux Suecorum.

9 *Hector*, aliâs Hocgar, regnat an. 31.

2760 In bello Troiano duces præcipui Troianorum florent *Hector, Æneas, Antenor, & Paris*: Græcorum, *Achilles, Agamemnon* dux totius exercitus, *Menelaus, Aiax, Diomedes, Nestor, Vlysses, Patroclus.*

1

2

3

4 *Ebzan*, præest an. 7. *Iud.* 12.

5

6

7 *Epocha excidij Troiani* incipit 21. Iunij. Ab hoc tempore duces Græcorum & reliquiæ Troianorum varias condunt vrbes. Æneas secundo anno in Italiâ condit *Lauinium*. Huc pertinet tertia dispersio populorum.

8

9 *Lauinium* in Italiâ ab Æneâ conditum.

2770 Vlysses *Lubonam*, quæ & *Vlyssipone* vocatur, condit. Sexta seruitus Israëlitarum sub Philistæis.

1 *Elon* præest an. 10. Hunc non habent 70. Interpp. *Dynastia tertia Romanorum*, quæ est Æneadarum, incipit. *Æneas* rex Latinorum

2

3

4 *Ascanius* R. Latinorum.

5 *Orestes* apud Lacedæmonios claret.

6

7

8

9 *Antenor & Priami socij Patauium* condunt. Venetiarum aliqua initia fiunt.

2780 *Alba longa* condita est ab Ascanio. *Orestes* R. Mycenarum primus causam dixit in Areopago.

1 *Abdon* præest an. 8. *Iud.* 12.

2

3

4

5

6

7

8

9 *Samson* præest an. 20. *Iud.* 16. Eius victoriæ sunt miraculosæ.

2790 *Francus*, der Franck/ Hectoris F. regnat an. 41.

1 *Scarinus* dux Suecorum.

2

3

4 *Septimus Iubilæus* incipit.

5

6

7

8

9

2800
1
2
3
4
5
6
7
8
9 *Eli*, præeſt an.40.1.Sam.4.

2810 *Scholæ prophetarum* tempore Eli & Samuelis extra ordinem inſtitutæ diu durârunt in populo Dei. 1. Sam. 1.2. Reg. 1. 4. 6. *Sy*
Poſthumus R. Latinorum, vnde ſequentes Syluij dicti.
1
2 Apud *Sicyonios* eſt dynaſtia.7.ſacerdotum Karnei Apollinis.
3
4
5 *Samuel* naſcitur.
6
7
8
9

2820 *Filij Eli* degeneres ſunt. *Dictys Cretenſis* & Dares Phrygius de bello Trojano ſcribunt.
1
2
3 *Regnum Mycenarum* deſinit ſub Penthilo.
4
5
6
7
8
9

2830
1 *Vvolfheim Sickinger* regnat an. 58. *Sibdagerus* dux Sueciæ.
2
3
4
5
6
7
8
9

2840 Liber Iudicum ſcriptus. *Æneas Syluius* R. Latinorum. *Seruitus* Iſraëlitarum ſeptima ſub Philiſtæis.
1
2
3 *Octauus Iubilæus* incipit.
4 *Regnum Sicyoniorum* deficit an.2844.
5
6
7
8 *Arca fœderis* capitur ab Iſraëlitis: ad cuius rei famam Eli perterritus frangit ceruicem. 1. Sem. 4.
9 Samuel è tribu Leui, præeſt an. 40. computatis annis 10. regni Saulis. Act. 13.quibus demtis præeſt annos 30. & aliquot menſes. *hi*
ſummus Pontifex in Iſraël. *Euryſthenes* apud Lacedæmonios regnat.

28

1850
1
2
3
4
5
6
7
8
9

1860 *Dauid* N. in Bethlehem Iuda.
1
2
3
4
5
6
7
8 *Samuel* vincit Philiſtæos, & recuperat ciuitates priore bello ereptas.
9

1870
1 *Latinus Syluius.*
2
3
4
5
6
7
8
9 *Saul* ex tribu Beniamin, diuinitùs electus, regnat annos 10. Act. 13.

1880 *Dauid vngitur* à Samuele an. æt. 20. Liber Ruthæ editus. *Abimelech* ſummus ſacerdos.
1
2 Apud *Athenienſes* incipit δυναστεία archontum, & primò ad totum vitæ tempus.
3
4
5 *Dauid* proſternit Goliathum.
6
7 *Dauidis* perſecutiones incipiunt.
8 *Samuel* ſeptuagenarius moritur.
9 *Dauid inauguratur* an. æt. 30. in Hebron. *Kels. Gall & Hillir* tres filij Vvolfheimij ſuccedunt in regno Germanico.

1890 *Muſici* ſunt Dauid, Aſſaph & alij.
1 *Haſmundus* dux Suecorum.
2 *Nonus Iubilæus* incipit.
3 *Pharao Cephrenes* regnat, cuius filiam duxit Salomon.
4
5
6
7 *Dauid* occupat Hieroſolymam.
8
9

2900 *Dauid* arcam reducit. *Gad & Nathan* prophetæ. *Abjathar* summus sacerdos. *Ephesus* ab Androclo reparatur.
1
2 *Nathan* promittit Dauidi Christum.
3
4 *Dauid* circa hoc tempus varias reportat victorias de Philistæis, Moabitis, Sobæis, Damascenis, Edomæis, Ammonitis & Syris.
5
6 Dauidis facinus contra Vriam.
7
8
9

2910 *Salomon* N. Hierosolymis.
1
2
3
4 *Asaph* author 12. psalmorum.
5
6
7
8
9 *Absolomis* seditio contra patrem, occupat Hierosolymam quartâ vice.

2920
1 *Regnum Tyriorum* siue *Sidoniorum*, incipit sub Abibalo. Durauit annos 475.
2 *Alba Syluius.*
3
4
5 *Pestis sub Dauide* absorbet 70000. die non toto. 1.Chron.21. v.14.
6
7
8
9 *Salomon* capessit regnum: Regnans an.40. Libri Samuelis absoluti. Dauid moritur.

2930 *Iudicium Salomonis* notabile causâ duarum meretricum. Fuitque Salomon princeps philosophorum. Idem est author mult canticorum.
1
2
3 *Epocha templi Salomonis* incipit, anno 4. Salomonis.mense Majo. *Hiramus* R. Tyriorum.
4
5
6
7 *Salomon* est exemplum heroicæ sapientiæ & magnificentiæ, sed & insignis infirmitatis.
8
9 *Encænia* templi Salomonis. *Vsso* dux Sueciæ.

2940 *Salomon* ædificat regiam.
1 *Decimus Iubilæus* incipit.
2
3
4
5
6
7
8
9

1950 *Achimaaz* summus sacerdos.
1
2 *Regina Sabæ* inuisit Salomonem.
3
4
5
6
7
8
9

1960
1 *Capetus Syluius.*
2
3 *Pharao Sesak* regnat.
4
5
6
7
8 *Salomon* moritur.
9 *Roboam* succedit parenti: præest an.17. vixit an.58. *Ieroboam* eligitur rex in Israële: regnat an.22. Hîc incipiunt anni 390. de quibus Ezechiel.

1970 *Ahias Silonites*, Addo, Semeja prophetæ; & ἀνώνυμος propheta contra Altare clamat.
1
2
3
4 *Sesak* R. Ægyptius primus fuit, qui templum Hierosolymitanum expilauit.
5
6
7
8
9

1980
1
2
3 *Hundingus* dux Suecorum.
4
5
6 *Abia*, filius Roboami, succedit patri: præest an.2. pugnat cum 400000. virorum delectorum contra Ieroboamum ducentem 800000 è quibus occubuerunt in prælio 500000. 2.Chron.13.
7 *Capys Syluius*, qui condidit Capuam.
8 *Asa* succedit parenti. Regnat an.41.
9 *Nadab*, filius Ieroboami, regnat an.2. qui includuntur vltimis duobus parentis.

1990 *Vndecimus Iubilæus* incipit. *Azarias* summus sacerdos. *Baësa*, cæso Nadab, regnum inuadit, illúdque administrat an.24. *Baësa* regnum numeratur vel à regno Asæ, vel à diuisione regni Iudæ & Israëlis incipiendo. *Azarias, Iehu, Hanani* prophetæ florent.
1
2
3 *Bacchiadarum regnum* ab autore dictum incipit apud Corinthios.
4
5
6
7
8
9

3000

3000 *Ioram, Iſus, Axioram* ſummi ſacerdotes putantur, alij *Iojadam* habent. *Sibylla Samia* ſeu Pytho.
1
2 Aſſa prælio vincit regem Æthiopum Zaram, qui eduxerat in aciem decies centies mille viros, & currus 300.
3
4
5
6
7
8
9

3010
1
2
3 *Elah*, filius Baſæ, regnat an. 2.
4 *Zamri* confoſſo Elah regnat dies 7. *Homri*, dux, eligitur à militibus, & regnat annos incompletos 12.
5 *Calpetus Syluius*, R. Latinorum.
6
7
8
9

3020
1
2
3
4
5 *Achab*, filius Homri, regnat an. 22.
6
7 Tiberinus Syluius R. Latinorum.
8
9 *Ioſaphat* ſuccedit patri Aſæ. Regnat an. 25. vixit an. 60.

3030 *Elias* claret tempore Achabi 1. Reg. 17. cuius contemporaneus Eliſæus attingit tempore Amaziæ.
1 *Regnerus* dux Suecorum.
2
3
4
5 *Elias* propheta claudit cœlum annis 3. & menſibus 6. 1. Reg. 17. *Agrippa Syluius* R. Latinorum.
6
7
8 *Elias* mactat 850. ſacerdotes Baalis.
9 *Duodecimus Iubilæus* incipit. Homeri natiuitas huc ponitur. Credibile eſt eum floruiſſe poſt Eliæ tempora, quia Elyſios (canit.

3040 *Micha* alius ab eo propheta, qui eſt ſextus inter minores prophetas ita dictos.
1 *Iaziel* prophetat pro Ioſaphato. Achab percutit 100000. Syros; & murus Apheki corruit ſuper 27000.
2
3
4
5 *Ochozias* filius Achabi, regnat an. 2. qui includuntur patris. *Elias* aſſumitur in cœlum & *Eliſæus* ſubſtituitur. *Lycurgus* Sparta legiſlator leges à Pythio oraculo accipit.
6 *Ioram*, ſuccedit fratri, regnat an. 12. incompletis.
7
8
9

3050 *Eliesfer* propheta claret.
1
2
3
4 *Ioram* succedit Iosaphatho patri: regnat an.8.
5
6
7 *Iehu* regnat an.20.
8
9 *Tonosconcoleros*, Græcis Sardanapalus, regnat an.20.

3060 *Hothbroth* dux Suecorum.
1
2 *Ochozia* regnat an.1.
3 *Athalia*, vidua Iorami, administrat regnum tyrannicè an.6.
4
5
6
7
8
9 *Ioas*, filius Ahasiæ cœpit regnare an. æt.7. regnat an.40.

3070 Ordo Rechabitarum.
1
2
3 *Carthago* est condita à Didone.
4
5
6 *Monarchia Assyriorum* diuiditur sub Sardanapalo in Assyrios & Medos, & paulò post à Medis deficiunt Babylonij, vnde tres dynastiæ oriuntur. *Sardanapalus* seipsum abiicit in rogum, quo etiam palatium conflagrauit. *Alladius Syluius* Rex Latinorum.
7
8
9 *Regnum Assyriorum* incipit sub Phul-Belocho; durans annos 180. *Arbaces* I Rex Medorum per annos 28. & alij vsque ad Dejocem.

3080
1
2
3
4
5 *Interregnum Israëlis* an.6.
6
7
8 *Decimustertius Iubilæus* incipit.
9

3090 *Alladius* hiatu terræ absorbetur, imitari tonitrua conans, Rex Latinorum.
2 *Ioachaz* succedit patri Iehu.
3
4
5 *Albanus Syluius* R. Latinorum.
6
7
8
9

3100

3100 *Ioël* summus sacerdos.
1
2
3
4
5
6
7
8
9 *Amasia*, filius Ioas, anno æt.25. fit rex Regnauit an.29.

3110
1
2
3
4 *Ioas*, filius Ioachaz, regnat an. 16.
5
6
7
8
9

3120 *Hesiodus* floret. obiit enim ante initium olympiadum.
1
2 *Amazia* rex Iudæ percutit Edomæos 10000. & totidem captiuos è fastigio petræ præcipitat.
3
4 *Ionas* claret sub Ieroboamo II. & Vsiâ.
5 *Attila* I. dux Suecorum.
6
7
8
9

3130 *Ieroboam*, filius Ioas regnat an.41. *Hoseas* prophetat sub Ieroboam II. Vsiâ, Iotham, Achas & Ezechiâ ad an.70. Hos.1. v.1. seu Ionathan summus sacerdos, qui restitit Vsiæ adolere volenti.
1
2 *Proca* Syluius R. Latinorum.
3
4
5
6 *Periodus Attica* incipit 8.Iulij.
7 *Decimusquartus Iubilæus* incipit. *Regnum Macedonum* incipit sub Carano per annos 648.
8 *Azaria*, filius Amasiæ, succedit parenti, anno æt.16.Regnat an.52.
9

3140 *Ioël* Propheta.
1
2
3
4
5
6
7
8
9

3150 *Amos*, æqualis Hoseæ & Ioëli, prophetat sub Ieroboamo II. & Vsiâ. Hunc præcessisse videtur *Ioël.*
1
2
3
4
5 *Amulius Syluius* R. Latinorum.
6
7
8
9

3160
1
2
3
4
5
6
7
8
9

3170 *Zacharias* propheta sub Vsiâ rege.
1 *Interregnum Israëlis* 6. an.
2
3 Incipit δυναστεία ἀρχόντων decennalium apud *Athenienses.*
4 *Hotterus* dux Suecorum. Hesiodus moritur. *Epocha olympiadum* incipit mense Iulio circa solstitium æstiuum. *Epocha Iphiti* eodem tempore incipit. Vtraque hæc æra est basis historiæ Græcæ, & durat vsque ad Censorini tempora.
5
6
7 *Zacharias*, Ieroboami filius, regnat mens. 6. *Sallum*, parricida Zachariæ regnat mens. 1. Menahem, cæso Sallum, regnat an. 10 *Phul*, infestat regnum Israël.
8
9

3180 Assyrij vexare Dei populum incipiunt. Coniunctio planetarum magna V. instante captiuitate perpetuâ X. tribuum Israëlis. Solis versantis in 7. gr. ♉. die solis, 5. d Maij, circa meridiem, in ipso fermè capite Draconis. *Prima Eclipsis* ab historicis adnotata. Hoc tempore Romulus & Remus sunt concepti, nono post mense nati. *Esaias* concionari cœpit: Docuit annos 96. à 28. Vsiæ ad 12. an. Manassis.
1
2 *Pharao Bocthoris* Saites regnat.
3
4
5
6 *Decimusquintus Iubilæus* incipit. *Tiglath Pileser*, Assyrius, infestat regnum Israël & Iuda.
7 Fuit *interregnum Israëlis* an. 1.
8 *Pecaja*, filius Menahem, regnat an. 2. *Micha* prophetat sub Vziâ, Iotham, Achas & Ezechia: Estque contemporaneus Esaiæ.
9 *Numitor Syluius* R. Latinorum.

90
1 *Iotham*, filius Asariæ, regnat an. 16.
2
3 *Pekach* percutit ex Iudæis 120000. die vno, & captiuos ducit 200000.
4
5
6
7
8 *Epocha vrbis Romæ conditæ* incipit 21. Aprilis. Etsi enim Roma à Româ Itali filia nomen & prima fundamenta acceperit: tamen à Romulo & Remo redacta est in formam vrbis, cùm antea nonnisi pagus esset: Hic itaque incipit *quarta dynastia* Romanorum videlicet Regum. Romulus accepit leges suas à Phœnicibus.
9

3200

1

2

3

4 *Vrias* ſummus ſacerdos. *Æra Nabonaſſari* ſiue regnum Babyloniorum incipit 26. Februarij. Durat per annos 189. Alfonſo dicitur *Ær* *Nabuchodonoſoris*. Cenſorino & Varroni *Æra Ægyptiaca* & Nabonnagaru: Aliis *meridies Nabonaſſari*: quia incipit à meridie. H rex magnifecit Aſtronomiam.

5 *Syracuſæ* ſunt conditæ.

6 *Achaz*, filius Ioatham, regnat an. 16.

7

8

9 *Obed* prophetat in regno Iſraël.

3210 *Hoſeas* cæſo Pekaiâ, adminiſtrat regnum Iſraëlis an. 18.

1

2 *Ezechias*, piiſſimus & optimus, regnat an 29.

3

4

5

6

7

8

9 *Salmanaſſar* regnat per annos 11.

3220 *Habacuc* videtur hoc tempore vixiſſe. *Candaules* R. Lydorum.

1

2 *Epocha regis Ezechiæ* incipit.

3 *Nerias* ſummus ſacerdos.

4

5

6

7 *Epocha deportationis X. tribuum* incipit. Appellatur *æra caſus Hoſeæ*.

8 *Nahum* prophetat. *Tobias* vixit.

9

3230 *Berodach* R. Babyloniorum. *Nicomedia* condita, tum dicta Aſtacus. XIX. Martij, feriâ ſecundâ, Luna patitur *Eclipſin tota* *Sennacherib* fruſtrà obſidet Hieroſolymam.

1 *Lunæ Eclipſis*, 8. Martij feriâ ſextâ: Iterum 1. d. Sept. feriâ primâ.

2

3

4 *Odeas* ſummus ſacerdos.

5 *Aſſarhaddon* R. Aſſyriorum regnat. XXVI. d. Maij Sol patitur horribile deliquium. *Decimusſextus Iubilæus* incipit. Hoc tem quoque accidit prodigium *Solis retrogradi*, de quo legati *Merodach filij Baladan* venerunt ſciſcitatum ad regem Ezechiam. 2.C nic. 22. v. 31.

6 *Numa Pompilius* R. Romanorum II.

7

8 *Nahum* propheta circa hæc tempora floret ſub Ezechiâ. *Gyges* Rex Lydorum, fuit Mermnades. *Croto* conditur in Italiâ.

9 *Hiſtoria* Iudith.

3240 *Numa* leges proponit, quas ab Egeriâ ſe accepiſſe dixit. Archilochus floret poëta & Simonides Melicus.

1

2 *Ecbatana* condita à Dejoce R. Medorum.

3

4

5

6

7 *Tarentum* conditum.

8 *Schola Romana* exorta eſt. Pharao, Tarracon regnat.

9

3250 *Sellum* summus sacerdos. *Nummus* à Numâ inuentus.
1 *Manasse*, filius Ezechiæ degener, regnat an. 55.
2 *Roricus* dux Suecorum.
3
4
5
6
7
8
9 *Regnum Assyriorum* desinit in filio Sennacheribi Asarhaddon. *Dejoces* rex Medorum per annos 40.

3260 *Manassæ* captiuitas.
1
2
3
4
5
6
7 Incipit apud Athenienses *δυναστεία ἀρχόντων annuorum.*
8
9

3270
1
2
3
4
5
6
7
8
9 *Tullus Hostilius* III. Rex Romanorum.

3280 *Rhegium* in Italia est conditum.
1
2
3
4 *Decimusseptimus Iubilæus* incipit.
5
6
7
8
9

3290 *Zaleucus* leges suas ad Mineruam refert. Fuit autem Locrensium legislator.
1
2
3
4
5 *Regnum Cypselidarum* apud Corinthios incipit, quorum primus fuit Cypselus.
6
7
8
9 *Phraortes* R. Medorum per annos 22.

3300 *Amphipolis* Macedoniæ condita. *Tyrtæus* poëta floret.

1

2

3

4

5

6 *Ammon*, filius Manasse; regnat an. 2.

7

8 *Iosias*, filius Ammon, piissimus regnat an. 31.

9 *Bizantium* conditur circa hæc tempora.

3310 *Helcias* summus sacerdos. *Telesilla* poëtria, *Alcman*, *Arion* &c florent. *Thales* est natus, anno scilicet 1. Olympiadis 35.

1 *Cyaxares seu Artabanus* R. Medorum per annos 40. *Ancus Martius* R. Romanorum IV.

2

3

4

5

6 *Zephania* sub Iosiâ prophetat.

7

8 Poëtæ sacri, *Ieremias*, qui threnos scribit, Ethnici, *Stesichorus*, *Alcæus*, *Glycon*, *Hipponax* florent.

9 *Hulda* prophetissa floret.

3320 *Epocha prædicationis* Ieremiæ incipit: Durauit annos 40. *Ieremias* prophetat an. 40. *Sapientes Græciæ* 7. florent. ex quibus etiam sunt Solon, Pittacus Mitylenæus. *Pherecydes* Syrus primus omnium de naturâ Deorum scripsit, præceptor Pythagoræ. *Epim. Cretensis* natus, vixit 157. annos, dormiuit 57. *Schola Ionica* authorem habet Thaletem vnum è septem sapientibus. Hæc vsq tempora Procli fuit continuata.

1

2

3

4

5

6 *Nabopolassar*, pater Nebucadnezaris, regnat an. 30. completis.

7

8

9 *Draco* Atheniensium legislator varias leges condit. Puniebat autem omnia delicta capitali supplicio.

3330 XXI. Aprilis accidit plenilunium Eclipticum.

1

2

3 *Decimusoctauus Iubilæus* incipit. *Pharao XI* cognomento *Necho* regnat, victus fuit à Nebucadnezare. Ier. 40.

4

5 *Nebucadnezar* cognomento M. solus regnat an. 32. *Tarquinius Priscus* V. R. Romanorum.

6 *Attila II.* dux Suecorum.

7

8 *Ioachas*, primogenitus Iosiæ, regnat mens. 3. qui includuntur 31. an. Iosiæ. *Sappho* poëtria, vnde carmen sapphicum, nata est.

9 *Iojakim*, secundus filius Iosiæ, regnat an. 11 *Sibylla Cumana* carmen facit de materiâ lapidis philosophici seu Alchymiâ.

3340 Varij Germanorum reguli, quibus ducibus in Italiam irrumpitur. Threni Ieremiæ & epistola ad deportandos. Vrias propheta occ à Iojachim. *Serajas* summus sacerdos à Nebucadnezare occiditur.

1

2 *Epocha Danielis* incipit. Estque annorum 79.

3 Accidit *Eclipsis Solis* à Thalete Milesio prædicta.

4

5

6

7

8

9

3350 In captiuitatem abducuntur 10000. *Epimenides* poëta epicus. *Epocha captiuitatis* Babylonicæ incipit. *Ioachim* ſeu Iechonias filius
Iojakim, menſ. 3. *Zedekias*, regnat an. 11. Anno 3360. excæcatus abducitur Babylonem. Hîc ergo incipiunt 70. anni Ezechielis de
1 captiuitate Babylonicâ.
2
3
4 *Epocha Ezechielis* incipit. Eſtque annorum 24. Nam hoc anno cœpit prophetare Ezechiel in Chaldæâ.
5 *Nebucadnezar* R. Babyloniorum per annos 32.
6 *Daniel* prophetat. Somnium Nebucadnezaris reuelat Daniel. *Pharao Apryes* regnat.
7
8 *Obadias* putatur vixiſſe tempeſtate Ieremiæ & Ezechielis. *Theognis* floret.
9 *Solon* Athenienſium legiſlator leges ex Ægypto attulit. *Magi* in Perſiâ florent.

3360 *Epocha excidij Hieroſolymitani* incipit. Appellatur quoque *Epocha caſus Zedekiæ*. *Brennus*, dux Sueuorum, bella gerit cum Romanis
Ioſedec ſummus ſacerdos.
1 *Aſtyages* vltimus R. Medorum per annos 40.
2
3
4 *Suffetum* δυωςεία apud Tyrios, qui ita dicti ſunt à Schophet, id eſt, iudex.
5 In principio Geminorum, d. 28. Maij ferè totalis *Solis Eclipſis* etiam à Thalete prædicta.
6 *Bottvvildus* dux Suecorum.
7 Horribile *deliquium Solis* accidit, Sole conſtituto in 3. gr. ♎.
8
9

3370 *Schola Pythagoræ* cœpit, admodum clara. Fuit Pythagoras poëta, vt teſtantur aurea eius carmina, cuius coætaneus fuit Anaximander.
Baruchi liber ſcriptus.
1
2
3 *Seruius Tullius*. VI. R. Romanorum.
4
5
6
7
8
9 *Oleum* in Italiâ inuentum.

3380 *Simonides* Ceus inuenit *artem memoriæ*. *Ben Sirah* Rabbinus ſcripſit prouerbia, quæ extant. *Sibylla Helleſpontiaca*.
1
2 *Decimusnonus Iubilæus* incipit.
3
4
5
6
7 *Euilmerodach* filius Nebucadnezaris regnat an. 2.
8
9 *Viſio Danielis* de quatuor beſtiis.

3390 *Æſopus* putatur floruiſſe. *Ibycus* poëta floret, vnde Ibyci grues. *Regnum Perſarum* incipit ſub Cyro. Durauit annos 1188.
1 *Viſio Danielis* de ariete & hirco.
2
3 *Monarchia Aſſyriorum* deſinit ſub Belſazare an. M. 3393. vt & *regnum Babyloniorum*. *Balthaſar* nepos Nebucadnezaris M. interficitur.
Prophetia Danielis de 70. Septimanis.
4 *Daniel* ad ſummam dignitatem euehitur à Dario Medo.
5 *Schola Perſarum* fuit Colonia ſcholæ Chal Babyloniæ. Sacarum i. e. Saxonum fit mentio, qui Cyro militant.
6 *Regnum Tyriorum* deſinit.
7
8 *Regnum Medorum* deſinit ſub Aſtyage.
9

3400 *Anaximenes* nobilis physicus discipulus Thaletis. *Massilia* in Galliis est condita à Phocensibus fugientibus ex Asiâ metu Cyri. summus sacerdos, primus post captiuitatem Babylonicam.

1
2
3
4 Iudæi huc collocant obsignationem prophetiæ, & substituunt filiam vocis, alij tamen rectiùs in annum 3540. reiiciunt.

5
6 *Regnum Lydorum* desinit *Crœsus* est vltimus rex.
7
8 *Carolus* II dux Suecorum.
9

3410 Philosophi florent. *Zeno Eleates* inuentor Dialecticæ, & *Parmenides Eleates*, & *Xenophanes Colophonius*. Poëtæ florent *Phocylid*

1
2
3
4
5
6
7 *Tarquinius Superbus* VII. R. Romanorum. *Anacreon* lyricus poëta floret.
8
9

3420 *Papyrius* inuenit Iurisprudentiam apud Romanos. *Epicharmus* philosophus. *Daniel* viuit vsque ad tertium annum monarchiæ Cy

1 *Zorobabel* agit ducem Iudæorum an. 32. *Epocha laxatæ captiuitatis* incipit. Hæc ipsa quoque est *Epocha secundæ Monarchiæ*, vid Persarum sub Cyro : qui regnat an. 2. & aliquot menses. *Dan.* 10. *v.* 1. *Monarchia Persarum* durauit 198. annos.

2 *Ædificatio* reducum Iudæorum impeditur per interualla.

3 *Cambyses* filius Cyri, regnat an. 7. mens. 5.
4
5
6
7 *Psammeticus* R. Ægypti, qui fuit victus à Cambyse.
8
9 Accidit plenilunium Eclipticum 16. Iulij. *Miltiades* dux Atheniensis vincit Persas duce Dario, ad Marathonem. *Leonides* dux Lac moniorum, vincit Persas duce Xerxe, ad Salaminem. *Pausanias*, dux Spartanorum vincit eosdem ad Plateas.

3430 *Magi fratres* regnant menses 7. qui includuntur 5. mensibus Cambysis. *Laudinus* R. Germanorum vincit Darium. *Leucippus* at rum autor.

1 *Vigesimus Iubilæus* incipit. *Darius Histaspis*, occisis Magis, regnat an. 36. incompletos.

2
3
4
5
6
7
8
9

3440 *Heraclitus* philosophus semper fleuit, à Dario per literas fuit vocatus.

1
2 *Quinta dynastia Romanorum* incipit, nempe Consulum : Primi autem fuerunt L. Iunius Brutus, & Publius Valerius Poplicola.

3
4
5
6
7
8
9

3450 *Eclipsis Lunaris*, 19. Nouembr. *Ioachim* summus sacerdos. Poëtæ *Pindarus & Simonides* florent.

1

2

3 *Resa Mesollam* gubernat Iudæos an. 46.

4

5

6 *Gramus* dux Suecorum.

7

8

9 *Miltiades*, in campis Marathoniis decem millibus Atheniensium sexcenta Persarum millia profligauit.

3460 *Æschylus* tragædias apud Græcos inuenit.

1 *Luna* deficit.

2

3

4 *Regnum Corinthiorum* desinit.

5 *Eclipsis* ☉ à Thalete prædicta d. 28. Maij.

6 *Xerxes* siue Artaxerxes M. regnat an. 21. incompletos. Hic est maritus Estheræ *Assuerus*: vt patet ex *Herodoto lib.* 9.

7

8 *Xerxes* seu Assuerus conuiuatur.

9

3470 *Sol* patitur Eclipsin 19. April. cùm Xerxes vinceretur à Græcis ad Thermopylas & Salaminem. *Themistocles*, *Aristides & Cimon* sunt Atheniensium fortissimi.

1 *Eclipsis Solis* conspicitur ante pugnam ad Platæas: vbi Mardonius, Xerxis dux, iterum victus. Xerxes in exercitu habuit 2317610. milites.

2 Estheram ducit Assuerus.

3

4

5

6

7 *Haman* suspenditur; & Mardochæus incipit exaltari.

8

9

3480 *Vigesimus primus Iubilæus.* incipit. *Anaxagoras* primus apud Græcos libros edidit; dictus νῦς ϗ ἀγίλαστος, cuius discipulus Archelaus fuit primus Physicus Atheniensis. *Euripides & Sophocles* poëtæ.

1

2

3 *Cometa* apparuit, primus eorum quos nouimus, & lapis è Sole ad Ægos flumen decidit, quod Anaxagoras futurum prædixerat.

4

5

6

7 *Artaxerxes Longimanus*, Xerxis filius, regnat an. 40. incompletis.

8

9

3490 *Bachylides* poëta. *Eliasib* summus sacerdos *Hippocrates* M. floret in Medicinâ, multa à Democrito discit. *Democritus* autem fuit insignis Alchymicis, Princeps Græcus. Huic σύγχρονος fuit *Acron Agrigentinus* autor sectæ empiricæ.

1

2

3

4 *Empedocles* Rhetoricam inuenit.

5

6

7

8 *Sicambrorum* δυναστεία incipit.

9 *Iohannes F. Resa* est dux Iudæorum an. 40.

3500 *Herodotus Halicarnaſſæus* antiquus hiſtoricus. *Sibylla Phrygia. Leges XII. tabularum* ab Athenienſibus & aliis Græcis acceptæ R
mam deportantur.
1
2
3
4
5
6 *Meliſſus Samius* philoſophus.
7
8
9

3510 *Thucydides* hiſtoricus floret *Pericles* orator claret.
1
2
3
4 Sexta dynaſtia Romanorum incipit, ſub *Tribunis militum* conſulari poteſtate inſtructis.
5
6
7
8 *Æra Metonica* incipit 14. Iulij. Hoc tempore florent philoſophi *Meton Aſtronomus, Protagoras Abderites, Socrates, Alcibiades. Plan*
ta apparuit 60. dies,
9 *Bellum Peloponneſiacum Pugna Leuctrica, Bellum ſociale* & ſequentia bella ita exhauſerunt Græciam, vt Plutarchus tradat, eam vni
ſam illo æuo non fuiſſe conficiendis tribus millibus militum.

3520 Accidit *Eclipſis Solis* terribilis 3. d Auguſti, ita vt ſtellæ interdiu viderentur. *Socrates* erexit ſcholam Athenis : quæ peperit ex ſequin
Cyrenaicam, Eliacam, Megaricam, Cynicam, ex quâ ortum traxit *Stoica*, & *Platonicam*, ex quâ natæ ſunt duæ : *Academia* & *Perip*
ſeu Lycéum Ariſtotelis.
1
2
3
4
5
6 *Antenor* II. R. Sicambrorum.
7 Eclipſis Solis 2. Martij *Darius Nothus* regnat an. 19.
8 *Epocha LXX. ſeptimanarum Danielis* incipit, anno 2. Darij Nothi, ita vt hæc æra terminetur anno M. 4018. completo, ab autur
Haggæus docere cœpit: altero poſt menſe *Zacharias*. Hoc anno templum inſtaurari cœpit.
9 *Vigeſimus ſecundus Iubilæus* accidit.

3530 *Ioiada* ſummus ſacerdos. *Cebes Thebanus* floret & *Euripides* Philoſophus Scenicus.
1
2
3 *Epocha inſtaurationis templi* incipit.
4
5
6
7 *Malachias* templo reſtructo & cultu reſtituto profanationes eius nefarias redarguit.
8
9 *Iudas*, cognomento Hyrcanus, an. 14. præeſt Iudæis.

3540 *Ariſtophanes* Comœdias inuenit apud Græcos. *Eupolis* eius eſt coætaneus. *Lyſias* orator claret, & paulò pòſt *Iſocrates. Schola Syracu*
habuit Platonem, poſtea Archimedem, Nicetam, Plautum & alios. Liber Chronicorum abſoluitur.
1
2
3
4 *Regnum Siciliæ* incipit ſub Dionyſio, & adhuc durat ſub Hiſpano.
5 *Lyſander*, dux Spartanorum, capit Athenas. *Schola Lugdunenſis* videtur hoc tempore inſtituta ab exulibus Athenienſibus.
6 *Artaxerxes Mnemon* regnat an. 43.
7 Fit Eclipſis in Sole 3. Sept.
8
9

3550 *Thraſybulus* dux Athenienſium floret.
1
2 *Eſdras* Hieroſolymam proficiſcitur.
3 *Ioſeph* regit Iudæos an. 7.
4
5 *Conon* dux Athenienſium floret.
6 *Priamus* R. Sicambrorum.
7
8
9

3560 *Xenophon* hiſtoricus ſequitur Thucydidem, *Cteſias* medicus, philoſophus, & hiſtoricus Perſicus. *Semei* præeſt Iudæis an. 11. Hoc tempore videntur primùm Biblia Hebraica in linguam Græcam verſa. Nam Plato & alij philoſophi ea legerunt in linguâ Græcâ.
1
2
3 Liber Eſdræ ſcriptus.
4
5 Nehemias venit Hieroſolymam. *Ionathas* ſummus ſacerdos.
6
7
8 Liber Pſalmorum collectus.
9

3570 Liber Nehemiæ editus. *Brennus* Sueuorum R. occupat Romam. *Plato* Grammaticam excogitauit, vniuerſam philoſophiam docuit, princeps ingenij. Plenilunium Eclipticum accidit 23. d. Decembr. feriâ 3. Iterum Luna deficit 18. Iunij, feriâ quintâ. *Epaminondas* eſt dux Thebanorum. *Roma capitur* à Gallis duce Brenno.
1 Lunæ Eclipſis 12. Decembr. feriâ 7. *Matathias*, cognomento Eli, regit Iudæos an. 12.
2
3
4
5
6
7 *Nehemias* redit in Perſiam.
8 *Vigeſimus tertius Iubilæus* incipit. *Nehemias* redit Hieroſolymam.
9

3580 *Archytas Tarentinus* Mathematicus excellens, *Ariſtippus Cyrenæus*, *Demoſthenes & Æſchines*, *Eudoxus* primus faſtorum ſcriptor.
1
2 *Helenus* R. Sicambrorum.
3 *Maath ſiue Aſarmath* gubernat Iudæos, an. 9.
4
5 *Conſules* Romani in integrum reſtituuntur, adeoque incipit *ſeptima Romanorum dynaſtia*. *Philippus* R. Macedonum, Alexandri M. pater.
6
7
8
9 *Artaxerxes Ochus* regnat an. 23.

590 Apocryphi Danielis, Eſtheræ, Eſdræ compilati.
1
2 *Naggo ſiue Nangas* eſt dux Iudæorum, an. 10.
3
4
5 *Planeta* apparuit effigie iubæ in haſtam mutatæ poſtea.
6
7
8
9

3600 *Matthias* R. Germanorum à Philippo Macedone vincitur. *Schola Messana* cœpit. *Diogenes Cynicus, Aristoteles, Antisthenes* florent.

1 *Eli* præest Iudæis an. 8.

2 *Plato* moritur natus 80. annos.

3

4

5

6

7

8

9

3610 *Nahum* præest Iudæis an. 7. *Euclides* Megarensis.

1 *Iaddus* summus sacerdos Alexandrum excepit & αὐτονομίαν suis impetrauit.

2

3

4

5 *Darius Codomannus* victus ab Alexandro qui regnat an. 6. In exercitu suo habuit 32000. peditum, 4500. equitum, 182. naues, q tam exiguo apparatu totum orientem sibi subiecit.

6

7 *Amos*, cognomento Sirach, præest Iudæis an. 14.

8 *Regnum Scotiæ* incipit tempore Alexandri M. *Ptolemæus* L. filius primus rex Ægypti. *Aristoteles & Demosthenes* moriuntur. I. R. Scc *Fergusius*. Prima δυναστεία durauit per annos 1700.

9

3620 *Chartæ* sunt inuentæ in Ægypto domitâ ab Alexandro M. qui Alexandriam primitus dictam instaurauit. *Norici & Boÿ* Alexandro bellum indicunt. *Crates Thebanus & Heraclides Ponticus* florent.

1 Eclipsis Lunæ totalis conspicitur ante pugnam Darij & Alex. M. ad Arbelam.

2 *-pocha Monarchiæ tertiæ* incipit: quæ ipsa est *æra periodi Calippi*, & incidit 28. Iunij. Alexander ergo vt monarcha regnat annos 6.

3

4 *Speusippus* succedit Platoni in scholâ, cui *Xenocrates*.

5

6 *Antenor* III. R. Sicambrorum.

7 *Vigesimus quartus Iubilæus* incipit.

8 *Philippus Aridæus* R. Macedoniæ aliquot menses, cui succedit Perdiccas per annos 7. Aristotelis successor est *Theophrastus*. *Epocha a rum Philippeorum, & epocha mortis Alexandri M.* incipit 12. Nouembris. Regnauit enim an. 66. & aliquot menses. *Stada* antiqui vrbium Saxoniæ circa hæc tempora perhibetur condita.

9

3630 Iudæi Biblia Hebraica transferunt in Græcam linguam tempore Ptolemæi Lagi.

1 *Matathias* cognomento Siloah, præest Iudæis an. 10.

2

3 Horribilis Eclipsis ☉.

4

5 *Cassander* R. Macedoniæ per annos. 19.

6

7 *Onias* summus sacerdos.

8 *Æra Seleuci* seu *Seleucidarum* prima incipit quæ & *Iudaica* vocatur: durauit annos 243. Iudæi eam vocant *Minian Staros*, hoc est, a contractuum: Eusebius *Æram Edessenorum*: alij *Æram authoris lib. 1. Maccab.* Æra autem *Alexandrea* seu *Diacarnaim* incipit anni die 6. Sept fer. 5.

9 Tertia Seleucidarum æra quæ *Chaldaica* seu *Macedonica* vocatur incipit: Dicitur quoque *æra autoris 1. lib. Maccab.*

3640 *Ioseph iunior* præest Iudæis an. 60.

1

2

3

4

5 *Simeon Hazzadik* ex reliquiis Synagogæ magnæ superest.

6

7

8

9 *Seleucus Nicanor* instaurauit & amplificauit *Antiochiam* metropolim Syriæ, & condidit *Seleuciam, Apameam & Laodiceam*.

650 *Megasthenes* historicus Persa floret. A Pyrrhone Pyrrhonici inualescunt. Iureconsultus Romanus vixit *P. Sempronius*. *Diocles Caristius* Medicus R. Antigoni primus anatomica scribit.

1

2

3

4 *Antipater* R. Macedoniæ contra Alexandrum.

5

6 *Priamus* R. Sicambrorum.

7

8 *Demetrius Polyorcetes* R. Macedoniæ.

9

---

60 Philosophi *Stilpo, Strato & Crates Athenienses*. *Menander & Cratinus* poëtæ.

1

2

3

4 *Pyrrhus* R. Macedoniæ per 4. menses, cui succedit *Lysimachus*.

5 *Regnum Pergami* incipit sub Philetæto : & desinit sub Attalo an. M. 3817.

6

7 *Æra Dionysii Ægyptiaca* incipit anno 1. Philadephi, 25. Martij. *Ptolemæus Philadelphus* R. Ægypti.

8

9 *Ptolemæus Ceraunus* R. Macedoniæ, cui succedit *Meleagros*, cui *Antipater*.

---

70 *Sosthenes* R. Macedoniæ. *Euclides* Mathematicus floret. *Theocritus & Aratus* poëtæ florent. *Schola Alexandrina* in Ægypto instaurata est à Ptolemæo Philadelpho : qui bibliothecam quadringentis librorum millibus ibi instruxit.

1

2 *Antigonus Gonatas* R. Macedoniæ,

3

4

5

6 *Vigesimus quintus Iubilæus* accidit.

7

8

9

---

680 *Attalia* vrbs minoris Asiæ à Ptolem. Philadelpho condita. *Epicurus* floret & *Zeno Citticus*, autor Stoicorum. *Lycophron* poëta.

1

2 *Helenus II.* R. Sicambrorum.

3

4

5 *Bellum Punicum I.* cœpit & durauit annis 24.

6

7

8

9

---

690 *Berosus* historicus, cuius fragmenta extant vsque ad Sardanapalum. *Cleanthes & Archesilaus* clarent. *Dornadilla* præcepta venandi suis Scotis tradit.

1

2

3

4

5

6

7

8

9 LXX. Interpp. tempore Ptolemæi Philadelphi adornant versionem Bibliorum authoritate publicâ : & *Iesus* filius *Sirachi* floret.

3700 *Regnum Lacedæmoniorum* desinit. Scholæ *Pharisæorum*, *Sadducæorum* & *Hessenorum* post hæc tempora incipiunt. In belló Gal
Marcellus Viridomarum obtruncat & 3000 c. hostes fundit. *Simon* summus sacerdos. *Callimachus* poëta.

1 *Iohannes Hircanus* præest Iudæis an. 17. Hic est tritauus Christi, postremus Iudæorum dux è posteris Dauidis.

2 *Schola Massiliensis* à multis celebrata circa hæc tempora videtur instituta.

3

4 *Seleucus Callinicus* R. Syriæ.

5

6

7

8 *Demetrius* R. Macedoniæ. Romæ *Liuius Andronicus* primus Comædus & Tragædus est. Eius coætaneus est *Plautus*.

9

3710 *Berzelona* Hispaniæ condita ab Amilcare patre Hannibalis. *Chrysippus* floret, qui scripsit libros Logicos 371. item *Eratosthenes*
maticus.

1

2

3

4

5

6

7

8 Incidit *interregnum Iudaicum* an. 62. *Antigonus* III. R. Macedoniæ, dictus *δώσων*. *Nicanor* R. Sicambrorum.

9

3720 *Antigonus Sochæus* magnæ autoritatis doctor apud Iudæos succedit Simoni Iusto, cuius discipuli Zadok & Bæthos. Ab illo sunt S
Liber Sirachi scriptus. *Onias* III. summus sacerdos. *Hannibal* filius Amilcaris floret apud Carthaginenses; apud Romanos Q
& *Scipio Africanus*. *Ennius* poëta apud Latinos.

1

2

3

4 *Seleucus Ceraunus* R. Syriæ.

5 *Vigesimus sextus Iubilæus* incipit.

6 *Antiochus M.* Callinici filius. regnat an. 37. in Syriâ.

7

8 *Viridomarus* R. Bojorum à Marcello Coss. Romano vincitur.

9

3730 *Carneades* & *Archimedes* florent. *Bellum Punicum* II. quod Romani cum Hannibale gesserunt, non totis septendecim annis, co
1500000. virorum millia. *Ptolemæus Philopator* R. Ægypti.

1

2 *Ptolemæus Philopator* premit Iudæos. *Philippus Iustus* R. Macedoniæ.

3 *Horribilis Eclipsis* fit in Sole, anno V.C. 536. 11. Febr.

4

5

6

7

8

9

3740

1

2 *Marcomirus* R. Sicambrorum doctus, prudens, philosophiæ studiis addictus. *Chrysippus* moritur.

3

4

5

6

7 *Ptolemæus Epiphanes* R. Ægypti.

8 Sol patitur *Eclipsin*, aureo numero 9. Cyclo ☉ 4. lit. Domin. C. 6. Martij.

9 Sol patitur *Eclipsin* 19. Octobr.

3750 *Eclipſis* Lunæ 22. Septemb. aureo numero 11. cyclo ☉ 6. lit. Domin G.

1 Fit *Eclipſis* Lunæ 19. Martij: Iterum Luna Eclipſatur 11. Septemb.

2

3

4

5

6

7

8

9

3760 Kabbalam propagat *Ioſe Ben Ioëſer* & *Ioſeph Ben Iochanam* cum ſucceſſoribus. *Polybius* hiſtoriæ Romanæ ſcriptor antiquiſſimus, conſiliarius Scipionis. Sol grauiſſimum patitur deliquium 14. Martij. *Scipio Africanus* Iunior apud Romanos floret. *Cato Cenſorius* gloriatur ſe plura oppida in Hiſpaniâ cepiſſe quàm dies in eâ egerit.

1 Fit Solis Eclipſis d. 17. Iulij *Panætius Stoicus* floret Scipionis familiaris, cuius diſcipulus fuit Apollodorus.

2

3

4

5

6

7

8

9

3770 *Clodomirus* R. Sicambrorum.

1 *Ptolemæus Philometor* R. Ægypti.

2

3 *Antiochus Philopator* R. Syriæ.

4 *Vigeſimus ſeptimus Iubilæus* incipit. *Heliodori* hiſtoria accidit. *Perſeus* vltimus R. Macedoniæ. *Templum II. Iaſon* frater Oniæ Pontif. primus *expoliat.*

5 Magna Eclipſis Solis contigit. Etiam Luna interdiu cœlo ſereno fuit obſcurata ludis Apollinaribus. *Antiochus Epiphanes* filius Antiochi M. regnat an. 12. incompletos, triduo 80000. homines gladio ſuſtulit, 40000. compedibus vinxit, totidem vendidit. *Iaſon* ſeu Ieſus ſummus ſacerdos.

6

7

8 Plenilunium Eclipticum incidit d. 30. April.

9

3780 *Matthias Maccabæus* ſeu *Aſſamonæus* præeſt Iudæis an. 3. *Onias* IV. ſummus Pontifex in Iſraël.

1 *Onias* ſacerdos interficitur. *Antenor* IV. Rex Sicambrorum. *Paulus Æmilius* occidit 20000. Macedones victo rege Perſeo. *Cometa*, hircus dictus, apparuit.

2 Tota Luna obſcuratur nocte inter 3. & 4. *Antiochus Epiphanes* Hieroſolymam capit & templum ſpoliat. *Eleazari* conſtantia. *Lyſimachus* ſummus ſacerdos, pòſt *Alcimus.* Heliopoli in Ægypto templum condit Onias Oniæ III. Pontificis filius.

3 *Iudas Maccabæus* præeſt Iudæis an. 6. & aliquot menſes. Idem eſt ſummus ſacerdos.

4

5 *Regnum Macedonum* deſinit in Perſeo.

6 *Æra Maccabæorum* incipit, non ab initio, ſed à ſacerdotio Iudæ & repurgatione templi. Dicitur etiam *Epocha Encæniorum Iudæ Maccabæi* & init 22. Nouembr. *Antiochus Eupator* R. Syriæ.

7 *Ennius* moritur natus annos 70.

8 *Demetrius Soter* R. Syriæ moleſtat Iudæos contra fidem datam. *Iudas Maccabæus* moritur confectis 13 bellis.

9 *Ionathan*, frater Iudæ, præeſt Iudæis an. 18. *Ionathas* ſummus ſacerdos.

90 *Ariſtarchus* philoſophus. *Terentius* Comedus.

1

2

3

4

5

6

7 *Clodomirus* II. R. Sicambrorum.

8 *Pacuuius* poëta. *Cometa* apparuit magnitudine Solis, & noctis tenebras diſpellens.

9 *Alexander Bala* R. Syriæ.

3800 *Schola Mediolanensis* videtur huc referenda.
1 *Bello Punico* III. Carthago capta fuit,& inflammata 17.dies arsit Migrârunt 50000.hominum,reliquis flamma & ferro consumtis.H tempore pestis in Numidiâ 800000.in maritimâ Africâ 20000.apud Vticam 30000.milites delet.
2
3
4 *Demetrius Nicanor* R. Syriæ.
5
6
7 *Æra Hipparchi* incipit. Item *æra Hasmonæorum* à primo anno Simonis. *Simon*,frater Ionathæ,præest Iudæis an.8.*Ionathan* summus ceidos est Simon. *Ptolemæus Euergetes* II. R.Ægypti. *Antiochus Entheus* R.Syriæ.
8 *Tryphon* R.Syriæ.
9 Fit plenilunium Eclipticum.

3810 *Libri Maccabæorum* inceperunt scribi. *Hipparchus* Astronomus.
1 *Antiochus Sedetes* R.Syriæ.
2
3
4
5 *Iohannes Hircanus*,frater Simonis,præest Iudæis an.31.Idem est summus sacerdos.*Bella seruilia* infinita seruorum millia absumunt
6 *Alexander Iannæus* Rex & Pontifex Iudæorum.
7 *Attalus* vltimus Rex Pergami moritur. *Merodacus* R.Sicambrorum,multa gerens bella.
8
9

3820 *Lucilius* poëta.
1 *Demetrius* iterum R.Syriæ.
2
3 *Æra Tyriorum* incipit.Hâc vtitur Concilium Chalcedonense. *Vigesimus octauus Iubilæus* incipit.
4 *Alexander Zebenna* R.Syriæ.
5
6 *Antiochus Gryphus* R.Syriæ.
7
8
9

3830 *Mithridates* Rex Ponti vnâ epistolâ interemit 80000. ciuium Romanorum per Asiam dispersa negotiandi causâ. Medicinæ pecul hic Rex curiosus fuit.
1
2
3
4
5
6 *Ptolemæus Lathyrus* Rex Ægypti.
7
8 *Celeus*,*Teutobochus* & *Bolus* Reges Germanorum cædunt Romanos.
9

3840 *Dorulacus* R.Bojorum vincitur à Romanis. *Lucretius* eximius poëta & philosophus.
1 *Bellum Cimbricum* gerunt Germani contra Romanos.
2
3
4
5 *Aristobulus* primus Rex post Zedekiam præest an.1.viuente patre.Est etiam summus sacerdos.
6 *Alexander Iannæus* præest Iudæis an.27.etiam summus Pontifex.*Cimbri* & *Teutones* in bello Cimbrico cædunt supra 120000.R norum.
7 *Æra Ascalonitarum* incipit.
8
9

3850 *Archias* poëta, de quo est orat. Ciceronis, & *Quintus Catulus*. *Argentina*, *Vvormatia*, *Spira*, *Berga Norvvegiæ*, *Cliuia*, *Ratisbona* & aliæ quædam vrbes longè ante Iulij Cæsaris tempora floruerunt.

1

2 *Ptolemæus Alexander* R. Ægypti.

3

4

5 *Seleucus* Gryphi f. R. Syriæ cum alijs.

6

7

8

9

3860 Hoc anno & sequentibus variè pugnatum est Romæ, & à Romanis alibi. *Alexander Iamnæus* contra Ptolemæum Lathurum educit Iudæorum 80000. ex quibus cæduntur 50000.

1 *Philippus* R. Syriæ solus.

2 *Ptolemæus Lathurus* redux R. Ægypti.

3 *Tigranes* R. Syriæ.

4

5 *Antharius* R. Sicambrorum Galliam populatur.

6

7

8

9

3870 *Regnum Atheniensium* desinit. *Cn. Pompeius* & *Iulius Cæsar* florent. *Ptolemæus Auletes* R. Ægypti. *Schola Neapolitana* incepit autore Pythagorâ. *Cratippus* docet Athenis. *Cicero* orator & philosophus, *M. Brutus* orator.

1

2 *Vigesimus nonus Iubilæus* incipit.

3 *Alexandra* regina, quæ & Salome & Solina dicitur, præest Iud. an. 9.

4

5

6

7 *Diuico* R. Germanorum cædit Lucium Cassium Coss. & post 10. annos M. Iunium Syllanum Coss.

8

9

3880 *Arioui§tus* frangit vires Gallorum. *Schola Panormitana* restituitur à L. Metello prætore. *Diodorus Siculus* historicus floret; Plinius ait, hunc nugari desiisse inter Græcos. *P. Terentius Varro* Romanorum doctissimus, scripsit 413. libros.

1 Regnum Syriæ desinit sub *Tigrane*.

2 *Hircanus* præest Iudæis menses 3. etiam est summus Pontifex. *Aristobulus* II. Hircani frater, annos 5. idem fit summus Pontifex.

3

4

5

6

7 *Hircanus* iterum præest Iudæis an. 13. incompletis. Est etiam summus Pontifex. Iudæa à Romanis cœpit premi.

8 Præsides Romani incipiunt in Syriâ, quorum primus fuit *Hircanus*, & numerantur 23. vsque ad Christum.

9

3890 *Didymus* Scholiastes Homeri. *Bœrobistas* R. Germanorum est terror Romanis. *Dioscorides* Medicus familiaris Antonio & Cleopatræ vixit, secutus Themisonem Laodicæum autorem sectæ Methodicæ.

1

2

3

4

5

6

7

8

9

3900 *Æra Laodicensium* incipit *Hillel & Schammeai* celebres doctores apud Iudæos. In posteritate Hillel per 10. generationes mansit pri patus Sanhedrim. *Catullus* poëta.

1 *Epocha Antiochena* incipit a libertate vrbis recuperatâ. Hæc æra est vsitata in quorundam Conciliorum inscriptionibus. *Ptolameus* nysius R. Ægypti & *Cleopatra* soror.

2 *Monarchia Romana* incipit sub Iulio Cæsare, & adhuc durat sub Ferdinando II. IVLIVS CÆSAR regnat an. 5. quæ const octauam Romanorum dynastiam. Cæsar gloriatur in bellis externis à se occisa 1192000 hominum. *Pompeius* occiditur.

3

4

5 *Epocha anni Iuliani* incipit à correctione Kalendarij operâ Iulij Cæsaris. Init Kalendis Ianuarij. Fit plenilunium Eclipticum 7. Nouer

6

7 *Epocha à cæde Cæsaris* init idibus Martij. Item *Epocha annorum à primo consulatu Augusti* incipit 22. Septembr. AVGVSTVS CÆSAR regnat an. 56.

8

9 *Antigonus* regnat in Iudæâ an. 1.

3910 *Drusus* sub Augusto per ripam Rheni quinquaginta Castella direxit. In iis memoratur *Bonna & Boddrige* vulgò Boppert. Idem ext Castellum *Cattorum* Cassel. *Dionysius Halicarnassæus* de rebus Romanis historiam texit summâ fide, familiaris Pompeio *Antig* summus Pontifex *Cotisoni* R, Germanorum Augustus filiam Iuliam despondet. *Vitruuius* Princeps Architectorum. *Sibylla Ti tia* Augustum Imp. de puero ex virgine nasciturο monet.

1 *Virgilius* poëta: fuit etiam Alchymista cuius æqualis est *Horatius*.

2 *Æra Cæsaris Hispanica* incipit sub Augusto, 1. Ianuarij. Vocatur ab Alphonsinis *Æra Cæsaris*: item κατ' ἐξοχὴν *Æra Æra*, idem, num numeri. Hoc tempore videtur quarta Bibliorum versio, quæ & κοινὴ vocatur, ad postulatum Ptolemæi Dionysij, Cleopatræ fratris curata esse.

3

4

5

6 *Analus* summus Pontifex. Ab hoc post reges Pontifices numerantur 32. Pontifices in centum annis. Poëtæ *Manilius & C. Gallus*.

7

8

9

3920 *Herodes Ascalonita* cognomento *Magnus* regnat in Iudæâ an 39. Hic sceptrum à Iudæis aufert & tollit Sanhedrin. *Monarchia Græc* in Ægypto desinit sub Cleopatrâ. *Ionathan Ben Vziel* doctissimus inter 80. celeberrimos Hillelis senis discipulos. *Liuius* Pata texit historiam Romanam. *Propertius* poëta.

1 *Æra victoriæ Actiaca* incipit 2. Septembr. Intellige victoriam à pugnâ nauali. *Trigesimus Iubilæus* incipit.

2 *Epocha Augusti* incipit à captâ Alexandriâ. Appellatur etiam *æra Actiaca victoriæ*.

3 *Epocha Augustana* seu *Augustorum*, incipit 14. Febr. quo Octauius in Senatu primùm Augustus appellatus est: Vnde nomen Aug rum ad Cæsares transiit.

4

5

6 *Aristobulus Alexander* Pontifex Iudæorum.

7

8

9 *Erichus* III. dux Suecorum. *Ionathan Ben Vziel*, condiscipulus Simeonis I. composuit *Targum Babylonicum*, id est, parap Chaldaicam. *Cæsarea* Stratonis ab Herode condita.

3930 *Harminius* floret. *Analus* iterum summus Pontifex. *Tibullus* poëta.

1

2 *Maria* mater Christi nascitur.

3

4

5

6 *Iesus* alienigena summus Pontifex ab Herode datur & remouetur.

7

8

9 *Simon Boëthus* summus Pontifex ab Herode datur & remouetur.

3940 *Strabo* scribit historiam Geographicam. *Ouidius* poëta. *Posonium* vulgò Preßburg conditum est à L. Pisone.

1 *Drusus* in Germaniâ moritur.

2

3 *Matthias* Theophili filius summus Pontifex.

4 *Iosephus* Elimi filius summus Pontifex.

5

6

7 *Cometa* apparuit, de quo Sibylla ad Augustum Imp. Hic puer te maior est, hunc adora. Natus est *Iohannes Baptista*. *Ioazarus* sur Pontifex. Iudeorum Iudæorum. *Sulpitius Quirinius* præses Syriæ. *Coponius* primus Iudææ procurator.

8 *Archelaus*, filius Herodis M. regnat an. 9. *Hanna* prophetissa floret. *Luc.* 2. *v.* 37.

9

0 *Epocha Natiuitatis Christi* incipit 1. Ianuarij an.M.3950. quia Christus natus putatur 25. Decembris an.M.3949.Hæc est Epocha vulgaris & Dionysiana. Vera incidit in annum M. 3948. quia Christus natus est an. M. 3947. *Magi* primi ex Ethnicis conversi veniunt in Iudæam. *Infanticidium* Herodis. Concilium primum in N.T. cogitur. *Rabban Simeon* Ben Hillel floret. Macer poëta floret.

1

2 Christus infans ex Ægypto redit. *Eleazarus* summus Pontifex.

3

4 *Codrichus* dux Suecorum.

5 *Iulius Hyginus* Astronomus & Mythologus.

6 *Iesus* Siæ f. summus Pontifex.

7 *Herodes Antipas* regnat an. M.3957. an. 25. *Ioazarus* summus Pontifex.

8

9

---

10 *Harminius dux Cheruscorum*, interficit tres legiones Romanorum, totidemque alas, & sex cohortes.

1 Hoc anno *Cæsarea* Philippi condita à Philippo tetrarchâ, antea dicta Laisch.

2 Christus anno ætatis 12. proficiscitur ad pascha Hierosolymam.

3 *Cometa* apparuit.

4 TIBERIVS incipit hoc anno Christi vulgari. Regnat an.22.m.7.d.7.

5 Horribilis facta est *Lunæ Eclipsis*, 27. Septemb.aureo numero 14.cyclo ☉ 22.literâ Domin.A.*Rabbam Gamaliel* floret, præceptor Apostoli Pauli.

6 *Ouidius* in exilio moritur. *Sanguinolentus cometa* apparuit.

7

8 *Liuius* moritur.

9 *Iosephus Caiphas* summus Pontifex. *Arminius* R Germanorum à cognatis occiditur mercede à Tiberio conductis.

20

1 *Valerius Maximus* historiam variam scribit.

2 *Velleius Paterculus* præfectus equitum in bello Germanico, scribit historiam.

3 *Trigesimus primus Iubilæus* incipit.

4

5

6 *Coniunctio planetarum* magna VI. instante excidio Hierosolymitano.

7 *Hannas* & *Caiphas* pontificatum administrant: ille, socer & Pontifex honorarius: hic, gener & Pontifex ordinarius. Theatrum Fidenense opprimit 50000 hominum.

8

9 *Hannas* summus Pontifex.

---

30 *Iohannes* incipit prædicare.

1 *Christus* baptizatur *Ismael* summus Pontifex. *Schola Apostolorum* incipit. *Decollatio Iohannis* Baptistæ sub Herode Antipâ.

2 *Schola Augustodunensis*, teste Tacito, sub primis Impp. magni fuit nominis. *Eleazar* summus Pontifex.

3 *Herodes Agrippa* regnat.an.7.*Simon* summus Pontifex.

4 *Caiphas* summus Pontifex. *Haldan* dux Suecorum.

5 *Æra passionis Christi* incipit 3. Aprilis: *Æra assumtionis* siue *Ascensionis* incipit 12. Maij. Nam Christus patitur Imperante Tiberio, & Iosepho Caiphâ genero Annæ, Pontificatum gerente, XXV. Martij: ascendit in cœlum IV. Martij. Ab hâc ascensione numerandi sunt dies, id est, an. 1260 *Apoc.* 12.*v.*9. Tertio die April. circa meridiem Sol in 11.gr. ♈ contra naturam obscuratur: Luna circa vesperam vltra dimidium naturaliter defecit, adeoque non recensetur ab Euangelistis. Proselyti *multi conuersi* & sequenti anno Samaritani, & eunuchus Reginæ Camdaces *Hannas* summus Pontifex. Primum Concilium Apostolicum eligit Matthiam.

6 *Saulus* conuertitur *Act.*9. *Scholæ* variarum nationum celebres. Theudas Iudæus & Iudas Galilæus pseudoprophetæ. *Stephani* lapidatio. *Nazaræorum* secta pro ceremoniis legis Mosaicæ.

7 CAIVS CALIGVLA R.an.3.m.10.d.10.

8

9 *Agabus* prædicit famem *Act.*11.*v.*28. *Cornelius* conuertitur. Christianorum nomen inualescit Antiochiæ.

---

40 *Agrippa iunior* siue secundus, Agrippæ filius, vltimus ex lineâ Herodis. *Sapientia Salomonis* à Philone scripta.

1 CLAVDIVS R an. 13.m 8. *Matthæus* scribit Euangelium. *Pomponius Mela* scribit historiam Geographicam.

2 *Petrus* liberatus ex carcere hinc inde propagat Euangelium. *Act.*12. *Iacobi Apostoli decollatio.* Prima *Pauli* itineratio in Asiam minorem vsque. *Ionathas* summus Pontifex.

3 *Simon* summus Pontifex. *Pilatus* fit αὐτόχειρ propè Turonium in Galliâ, vbi etiamnum hodie monstratur eius domus. Fuit enim à Vitellio relegatus.

4 *Matthias* summus Pontifex *Q.Curtius* historiam Alexandri M. scribit.

5 *Elionæus* summus Pontifex. *Italus* Rex Germanorum Româ petitur.

6 *Paulus* a Iudæis persecutiones patitur varias.

7 Augusti d. 1. Sol eclipsatur: Antecessit & sequitur fames ab Agabo prædicta *Act.*11.

8

9 *Symbolum Apostolicum* hoc tempore quibusdam videtur compositum ab Apostolis in Concilio Hierosolymitano, de quo *Act.*15. Id enim hoc tempore fuit celebratum. Estque Concilium Apostolicum tertium, Hoc tempore diuisio Apostolorum accidit.

50 *Variæ scholæ* Platonicæ & Aristotelicæ. *Varij hæretici* exorti, quorum princeps est Simon magus. *Petrus* Romam venit contra Simon Magum, & inde in Asiam redit. *Onkelos*, composuit *Targum Chaldaicum*. *Colonia Agrippina* conditur. *Persius* poëta.

1 *Matthæus* Hebræis primò concionatus est: Iohannes in Asiâ docuit Euangelium, reliqui apostoli alibi per terrarum orbem, & varias si sunt persecutiones.

2 *Paulus* incipit epistolas scribere, nempe hoc anno 1. ad Corinthios & 2. ad Thessalonicenses.

3 *Tertia Pauli itineratio.*

4 N E R O R. an. 13. m. 8. Persecutio prima ab hoc instituitur. *Marcus* martyrium Alexandriæ patitur. *Lucas* scribit Euangelium.

5 *Pauli captiuitas* in vrbe Hierusalem.

6 *Petrus* epistolas cœpit scribere. *Iosephus* summus Pontifex. *Hermogenes & Phygellis* schismatici. *Cometa* apparuit & sanguine pluit.

7 *Paulus* Romam à Festo mittitur. *Ananias* summus Pontifex. *Cometa* & tres Soles visi.

8

9 Fit Eclipsis Solis vlt. April. *Ismaël* summus Pontifex.

60 *Dionysius Areopagita* discipulus Apostoli Pauli. *Columella* scriptor rei rusticæ, & *Seneca*, *Lucanus* poëta. *Acta apostolorum* scripsit cas & *Iacobus* suam epistolam. *Iosephus* summus Pontifex. Hìc incipit successio Apostolica in Ecclesiis orbis terrarum ab Apo plantatis.

1

2 *Hannas* summus Pontifex. *Antenor* V. R. Sicambrorum. *Cometa* 6. menses apparet.

3 *Seruius Galba* ciuitatum. 3. conuocato populo quasi de commodis ipsorum acturus. 7000. repentè trucidat.

4 Iudæi arma arripiunt, sed tristi euentu. Nam innumeris cæsis tandem Hierosolyma capta, cùm fame immani mortui aut cæsi essent, v decies centena millia & venditi centum millia. *Iesus* summus Pontifex Mnaseæ filius.

5 *Iesus Gamalielis* filius summus Pontifex. Prima persecutio Christianorum sub Nerone.

6 *Matthias* Theophili filius summus Pontifex. Cometa 6. menses apparet. Terræ motus in Asiâ minore 3. vrbes concutit.

7 G A L B A R. m. 7. d. 25. *Marcus* scripsit Euangelium. *Paulus* Romæ decollatus. *Petrus* crucifixus. *Phannias* summus Pontifex vsq desolationem Hierosolymorum.

8 O T T O R. m. 3. V I T E L L I V S R. m. 8. *Ioseph* Ben Glorion seu Iosippus, celebris ille historicus floret. *Menander* successor Simonis gi. *Cometa* Xiphias in Iudæâ cernitur.

9 F L A V I V S V E S P A S I A N V S R. an. 9. m. 11. Hic obsidet Hierosolymam primo imperij sui anno, h. e. anno Christi 69. eámqu pugnat per Titum F. *Ratherius* R. Sicambrorum condit Roterodamum.

70 *Linus creditur* hoc tempore fuisse Episcopus Romanus. *Martialis* episcopus Lemouicensis claret. *Plinius* scribit historiam natur. Hic in Vesuuio periit.

1 *Epocha excidij Hierosolymorum per Titum* incipit anno æræ Dionys. 69. Nam LXX. septimanæ Danielis desinunt anno M. 4018. *Italicus* poëta. *Ignatius* Episcopus Antiochenus. *Ebionis & Cerinthi* hæresis. *Rabban Iochanan*, Ben Zakkai primus nasi post dium vrbis Hierusalem.

2 Germanorum reguli bellum mouent Romanis, quidam etiam Vespasiano in bellis operam nauant.

3 *Cometa* acontias apparet.

4 *Filmerus* dux Suecorum. Felix hoc anno 300. martyres suâ manu sepeliuit, Rom. Episcopus.

5

6

7 *Cometa* apperet, carminicè ab Imp. descriptus.

8 *Marcus* Alexandriæ incarceratur. *Cometa* apparet. *Terræmotu* Cyprus concutitur.

9 T I T V S, Vespasiani filius, R. an. 2. mens. 2.

80 Post excidium vrbis sanctæ Iudæi in Iudæâ condiderunt varias scholas, è quibus præcipuæ fuerunt *Iafne, Zephoria*, *Cæsarea* & *Ti* in Babyloniâ celeberrimæ earum Academiæ fuerunt in vrbibus *Nehardeâ*, *Sorâ* & *Pumbedithâ*. *Quintilianus* claret. *Diotreph* matum affectat in Ecclesiâ Caij. *Martialis* poëta. *Quadratus* claret, & vidit multos à Christo sanatos. *Solinus* Plinij æmulus g phiam scribit.

1 D O M I T I A N V S, frater Titi, an. 15. Persecutio secunda ab hoc instituitur.

2 *Mons Vesuuius* in Campaniâ conflagrat. *Cletus* Pontifex Rom. *Iacobus minor* lapidatur.

3

4 *Nordianus* dux Suecorum.

5

6 *Epocha annorum Capitolinorum* incipit sub Domitiano 1. Ianuarij.

7 *Iohannes* apostolus scribit epistolas.

8

9

90 *Aquila* proselytus adornat primam versionem Græcam post Christum natum. *Apollonius Thyanæus* magus. *Plinius iunior* pro Bithyniæ *Richimer* R. Sicambrorum. *Iuuenalis* poëta.

1 *Germani* mouent bellum Dacicum.

2 Symbolum Clementis Papæ.

3 *Clemens* Pontifex Romanus, cuius extant scripta.

4 *Iohannes* Euangelista & Apostolus scribit apocalypsin.

5

6 C O C E I V S N E R V A an. 1. m. 4. Hic appellatur *Nero paruus*

7

8 T R A I A N V S R. an. 19. m. 6. persecutio tertia ab hoc instituitur. Sub hoc Imperatore deficiunt *oracula ethnica* anno Christ *Iohannes* scribit Euangelium.

9

100 *Basilides & Saturninus* hæretici, discipuli Menandri. *Carpocratis* hæresis multa habet absurda. *Simardus* dux Suecorum. *Variæ Scholæ* Christianorum instituuntur ab Ignatio, Polycarpo & aliis. *Plutarchus* multa habet historica, Trajani moderator. *Fauorinus* philosophus.

1

2 *Christiani Antiocheni* procurant versionem Syriacam N. T. quam vulgò tribuunt Marco.

3 *Agapetus* Pontifex Romanus.

4 *Iohannes* Euangelista mortuus.

5 *Trojanus* expeditionem parat in *Dacos*, quorum rex erat Decebalus. Ab hoc tempore per 130 annos multi fuerunt Germanorum motus contra Romanos.

6

7 *Simon* in crucem actus obit.

8 *Chiliastarum hæresis* à Cerintho & Papiâ Iohannis Euangelistæ discipulo ortorum.

9

110 *Gellius* claret. *Lucianus* blasphemus. *Aristides* philosophus apologiam pro Christianis scribit. *Cornelius Tacitus*, & eius amicissimus *Plinius II.* & huius familiaris *Suetonius*, qui fuit Adriano ab epistolis, florent.

1

2 *Euaristus* Romanus Pont.

3

4 *Iudæi* incipiunt rebellare duce Barcochab, vnde passim ad internecionem deleti sunt. In Ægypto 200000 trucidantur, Adrianus deleuit 5000000. *Odomarus* R. Sicambrorum.

5

6

7 ADRIANVS R. an. 20. m. 11.

8

9

120 *Appianus* historicus. *Aquisgranum* conditum est Serenio Grano.

1 *Alexander* Rom. Pontifex. In Armeniâ 10000. Christiani crucifixi.

2

3

4

5 Luna eclipsatur 5. d. April. fer. quartâ.

6 Quarta persecutio Christianorum.

7

8 *Marcomirus* R. Sicambrorum. *Ælianus* historicus.

9

130 *Ptolemæus* Mathematicus floret & Secundus Pythagoricus. *Hierosolyma* fuit ab Ælio Imp. Rom. instaurata & dicta Ælia; Valentinus hæreticus exortus est. Huc pertinent Gnostici & Ophei hæretici. *Aquila* hæreticus. *Marcus* primus episcopus gentilis Hierosolymitanus claret.

1 *Carolus III.* dux Suecorum.

2 *Sixtus* Pontifex Romanus, Alexandro antecessore cum duobus diaconis & Hermete vrbis Romæ Quæstore cum 1250. familiaribus in succensam fornacem coniecto. *Pausanias* Cæsariensis historicus.

3 Plenilunium Eclipticum 6. Maii, feriâ 3.

4 Fit Lunæ Eclipsis 20. Octobris, feriâ 3. *Phlegon* Chronologiam scribit Adriani Imp. libertus.

5 Ptolemæus obseruat Eclipsin, 6. Mart. feriâ 2.

6

7

8 ANTONINVS PIVS R. an. 22. m. 8.

9

140 *Schola Electiua* incipit autore Potamone Alexandrino. *Galenus* Medicinam Hippocraticam restituit per 50. annos.

1 *Iustinus* Epitomator Trogi, historicus.

2 *Thelesphorus* Romanus Pontifex, autor Quadragesimarum.

3

4 *Bardesanistæ* hæretici sunt Valantiniani & fatum Stoicum defendunt. Item Aquei hæretici.

5 *Arrianus* historicus.

6

7

8 *Clodomirus* R. Sicambrorum.

9

150 *Melito* Epiſcopus Sardienſis claret. *Iuſtinus* Martyr & philoſophus ſcribit pro Chriſtianis. *Diogenes Laërtius* colligit vitas philoſophorum.

1

2 *Variæ ſcholæ* Rabbinorum inter quos excelluit Rabi Iehuda dictus Sanctus, iecitque prima fundamenta in Thalmud. *Secundiniani* hæretici a Cerdone, Cerdonis, cuius diſcipulus fuit Marcion, hæreſis incipit pullulare.
Athenæus & *Hermogenes* Rhetor

3 *Hyginus* Romanus Pontifex. *Apuleius* floret.

4 *Athenagoras* inſignem apologiam pro Chriſtianis & de reſurrectione ſcribit.

5

6

7

8 *Pius* Romanus Pontifex Paſcha ordinat.

9

160 *Francofurtum* ad Oderam conditur. Hæretici ſunt *Sethiani, Abeliani, Cajani, Antitactæ, Peratæ, Adamiani, Ophæi.*

1 AVRELIVS ANTONINVS PHILOSOPHVS & L. ANTONINVS VERVS collegæ R. an. 19.

2

3

4

5 *Farabertus* Rex Sicambrorum Romanos pellit ex Germaniâ.

6

7 *Anicetus* Romanus Pontifex vetat Clericis comas.

8 Quinta perſecutio Chriſtianorum; cuius ſpecies inſignis fuit Gallicana. *Praxeas* hæreticus vnam perſonam in Deo ſtatuit.

9 *Ericus* I V. rex Suecorum.

170 *Cantabrigienſi* ſcholæ in Angliâ primùm Lucius rex hoc tempore priuilegia dedit. Et *Bannachorenſis* ſchola in Angliâ fundatur. Sy bol[...] Heræogenes, Tatianus, Montanus hæretici cum ſucceſſoribus. Polycrates Epiſcopus Epheſiorum claret. Ma lus poet.

1 *Theophilus* epiſcopus Antiochenus ſextus à Petro.

2

3

4

5 *Soter* Romanus Pontifex.

6

7 *Egeſippus* ex Iudæo Chriſtianus factus claret; & ſcribit hiſtoriam Eccleſiaſticam.

8

9 *Eleutherius* Romanus Pontifex, Britannos conuertit.

180 *Theodotion*, diſcipulus Tatiani, ſub Commodo adornat ſecundam verſionem Græcam bibliorum. Commodus (valdè incommo R. an. 12. m. 9. Florent Theologi, *Apollinaris* epiſcopus Hieropolitanus, *Dionyſius* epiſcopus Corinthiacus, *Bardeſanes*, S *Apollonius* philoſophus & martyr, *Attalus* martyr. *Iulius Pollux*, & *Maximus Tyrius* florent.

1 *Haldan* dux Suecorum. *Cometa* Pogonias apparet, templum pacis Romæ deflagrat.

2

3 Indorum nuncij à Demetrio Epiſcopo Alexandrino Euangelij doctorem petunt, & impetrant Pantænum Catecheten ſcholæ xandrinæ.

4

5

6 *Hunno* R. Sicambrorum Romanos & Gallos vincit.

7

8

9

190 *Mammea* mater Imp. Seueri inſtituta eſt in Chriſtianiſmo Antiochiæ ab Origene. *Lucius* prædicat Euangelium Auguſtæ Vinde rum. *Pantænus* philoſophus Chriſtianus & Theologus præceptor Clementis Alexandrini. *Irenæus* floret. *Apollonius Alexand.* floret. *Cometa* apparet, Capitolium ardet.

1

2

3 PERTINAX R. m. 3. DIDIVS IVLIANVS R. m. 2. SEVERVS author ſextæ perſecutionis R. an 17. m. 8. *Rabban* Gam vltimus Rabban floret.

4 *Victor* fit Epiſcopus Romanus & quæſtionem de paſchatis celebratione violenter tractat, & ab Irenæo reprehenditur. Hîc ergo qua eſt infantia Antichriſti *Vaguinus* dux Suecorum.

5 *Tertullianus* IC. vnde Senatuſconſ. Tertullianum, & *Æmilius Papinianus* à Caracallâ occiſus, cuius fratricidium volebat exc *Cometa* apparet, dirum omen habitus.

6

7

8 Sub Victore *varia concilia* habentur de die paſchali Chriſtianorum.

9

200 *Symmachus* ſub Seuero adornat tertiam verſionem Græcam. *Apoſtolici* hæretici. *Taſcodrongite*, *Quartadecimani*, *Artotyritæ*. *Agrippinus* Epiſcopus floret. Lucius Florus ſcribit epitomen. *Philoſtratus* vixit Philoſophus.

1

2

3 *Ragmaldus* dux Suecorum. *Zepherinus* Romanus Pontifex. Sexta perſecutio Chriſtianorum. *Tertullianus* presbyter Carthaginenſis floret, poſtea in hæreſin Montani prolapſus.

4 *Clemens Alexandrinus*, præceptor Origenis.

5 *Alexander Aphrodiſæus* Peripateticus claret.

6

7

8

9

---

210 ANTONINVS CARACALLA R. an.6. m.6. *Origeniani* hæretici. *Oppianus* poëta.

1

2

3

4 *Hildericus*, R. Sicambrorum, prudens, pacificus, bellicoſus.

5

6

7 MACRINVS R. menſ.6. *Synodus Africana* hæreticos pœnitentes rebaptizat, autore Tertulliano, quem poſtea Cyprianus ſequitur.

8 M. AVRELIVS ANTONINVS HELIOGABALVS R. an.3. m.9.

9

---

220 *Amundus* dux Suecorum. *Vlpianus*, *Pomponius*, *Modeſtinus* ICti florent.

1 *Calixtus* Romanus Pontifex.

2 ALEXANDER SEVERVS R. an.13. vbique ſcribi iubebat dictum illud Chriſti: *Quod tibi non vis fieri alteri ne feceris.* *Iulius Africanus* Chronologus & Theologus.

3

4 *Herodianus* hiſtoricus Græcè ſcribit de principibus Romanis.

5 *Haron* dux Suecorum.

6 *Origenes* quartam & quintam verſionem Græcam ex ſitu eruit & ipſe ſextam adornauit. Idem edidit τετραπλᾶ, ἑξαπλᾶ ϗ ὀκταπλᾶ: ſcripſit 6000. libros. *Ammonius Alexandrinus* harmoniam Euangelicam ſcribit.

7 *Vrbanus* Romanus pontifex.

8

9

---

230 *Rabbi Iochannan* abſoluit Thalmud Hieroſolymitanum: *Dion Caſſius* Nicenus iuſſu Alexandri Seueri Imp. ſcribit hiſtoriam. Tertia δυναστεία Perſarum, occiſo Artabano. *Artaxerxes* R. Perſarum I. in hac δυναστείᾳ. *Ammonius* philoſophus Chriſtianus Alexandriæ, cuius auditor Plotinus. *Cenſorinus* etiam claret. *Q. Serenus* poëta.

1

2

3 *Pontianus* Romanus Pontifex. *Gregorius Neocæſarienſis* ob miracula dictus θαυματουργός.

4 *Simarous* dux Suecorum. *Hierarchitæ* hæretici negant reſurrectionem.

5 MAXIMINVS, autor ſeptimæ perſecutionis, R. an.3.

6 *Arguntbes* R. Dacorum Romanum Imperium incepit vexare. Dicitur autem bellum Gothicum vel Scythicum.

7 Fuit horribilis Eclipſis Solis, 2. April. *Maximinus* Imp. per 400. milliaria Germanici ſoli vicos incendit.

8 *Anterus* Romanus Pontifex. MAXIMVS PVPIENVS & BALBINVS an.1.

9 GORDIANVS R. An.5. *Fabianus* Romanus Pontifex.

---

240 *Ingo* rex Suecorum. *Synodus Arabiana* II. (ante 3. annos enim præceſſit I.) damnat Origenis errorem de animarum reſurrectione. *Beryllus* hæreticus animam interire ſtatuit. *Helceſaitæ*, *Valeſij*, *Rebaptizantes*, *Alogiani*, *Samſæi*, *Aquarij*, *Noëtiani*, *Seleuciani* hæretici.

1 *Babylas* epiſcopus Antiochenus floret, fit martyr ſub Decio. *Cyprianus* ex mago fit epiſcopus Carthaginenſis.

2

3 *Samuel Iarchinas* inſignis Aſtrologus, Iudæus.

4 PHILIPPVS ARABS regnat an.6. Hic primus ex Impp. fuit Chriſtianus.

5 [illegible]*rrianus* hiſtoricus alius à ſuperiore.

6 *Nearch* rex Suecorum.

7

8

9

250

250 *Synodus Africana* I. & anno 252 II. contra Nouatum de lapſis in perſecutione recipiendis, ſi agant pœnitentiam. Idem tractat *Synodu* *Romana* anno 25 *Nouatiani* hæretici exorti. *Paulus Thebæus* primus eremita.
1 DECIVS, autor octauæ perſecutionis, R. an. 1. m. 3.
2 GALLVS & VOLVSIANVS R. an 3. *Peſtis* durat 15. annos, & omnes Romanas prouincias populatur ab Æthiopiâ exorſa.
3 *Bartherus* R. Sicambrorum.
4 *Cornelius* fit Epiſcopus Romanus. Hoc tempore ortum eſt *primum ſchiſma* Nouatiani Antipapæ contra Cornelium.
5 VALERIANVS, autor nonæ perſecutionis, R. an. 3. Habuit collegam filium Gallienum. *Froda Pacificus* dux Suecorum. *Luciu* Romanus Pontifex.
6
7 *Vrbanus* dux Suecorum. *Stephanus* Romanus Pontifex. *Synodus Africana*. IV. Baſilidem & Martialem in perſecutione idolis ſacrii cantes damnat.
8
9 *Synodus Antiochena* etiam patronos Nouati damnat.

260 GALLIENVS ſolus R. an. 7. *Sixtus II.* Romanus Pontifex. Hic ſcripſit librum prouerbiorum. *Gregorius Neocæſarienſis* edit Symb lum contra Paulum Samoſatenum *Concilium Carthaginenſe* hæreticos rebaptizat præſide Cypriano. *Sabelliani* hæretici. *Dionyſi* epiſcopus Alexandrinus floret.
1 *Dionyſius* Romanus Pontifex.
2 *Oſteuus* dux Suecorum.
3 *Fiolmus* dux Suecorum. *Synodus Africana* V. baptiſmum infantum probat. *Nepotiani* hæretici ſunt cum Chiliaſtis.
4
5
6
7 CLAVDIVS R. an. 1. m. d. 4.
8
9 AVRELIANVS R. an. 8. *Symbolum concilij Antiocheni* contra Samoſatenum, cuius hæreſis incipit.

270 *Fl. Claudius* cecidit 320000. Gotthorum & aliorum Septentrionalium populorum. *Victorinus* epiſcopus Pictauienſis & Martyr flo ſcribens in apocalypſin. *Porphyrius* blaſphemus præceptor Iamblichi, quem audiuit Nazianzenus.
1 *Clodomirus II.* R. Sicambrorum.
2
3 *Svvercherus* dux Suecorum. *Felix* Romanus Pontifex.
4
5 *Eutychianus* Romanus Pontifex. *Manes* Perſa hæreticus peperit Manichæos.
6
7 CLAVDIVS TACITVS R. m. 6. PROBVS, verè probus. R. an. 5.
8 *Vvaland* dux Suecorum.
9 *Probus* Imp. cædit 400000. Alemannorum, rege Chroco & Galliam liberat.

280 *Anatolius* Epiſcopus Laodiceæ, & Meſopotamiæ. *Archelaus* floret. Poëtæ *Ruf. Auienus & Calphurnus Siculus.*
1
2 *Vviſburus* dux Suecorum.
3 CARVS cum filio Carino & Numeriano R. an. 2. Hic quamuis Ethnicus Eccleſiam Theſſalonicenſem à tributis immunem faci c. de Sacroſanctis Eccleſiis.
4 *Æra Diocletiani* incipit 29. Auguſti. Durauit annos 248. vſque ad ann. Chr. 532. Appellatur etiam *æra Gratiæ*, *æra Martyrum, Cop rum, Æthiopum, & Abyſſinorum*. DIOCLETIANVS, autor decimæ perſecutionis R. an. 20. *Cajus* Rom. Pont.
5 *Methodius* Græcus floret; & *Dorotheus* Tyrenſis, & *Pierius* qui dicitur Origines iunior. *Arnobius* ex pagano Chriſtianus factus.
6
7 Franci, populi Germaniæ, Batauiam occupant. Inde vſque ad an. Chriſti 418. à Romanis partim ſæpè vincuntur, partim paca *Gotthi* fruſtra conantur Iſtrum tranſire.
8 *Domalderus* dux Suecorum.
9

290 *Lactantius Firmianus* Cicero Chriſtianorum. Hiſtorici huius ſeculi I. *Capitolinus*. Æl. *Lampridius*. Fl. *Vopiſcus*, Æl. *Spartianu* *Vulcatius Gallicanus*. *Iohannes Stobæus* floret.
1
2 *Conſtantinus Chlorus* pater Conſtantini M. tutatur Chriſtianos, & Chriſtianiſmus ad oceanum occidentalem etiam propagatur.
3
4 *Diocletianus* Imp. in Ægypto comburi iubet Alchymicos libros.
5
6
7 *Marcellinus* Roman. Pontifex.
8 *Gualtherus* R. Sicambrorum. *Cliuienſis ſchola*, cui præeſt Eumenius Rhetor.
9

300 *Antonius Eremita* incipit florere. *Hillel Hannasi* insignis Rabbinus floret, autor noui computi, quo Iudæi vtuntur.
1
2
3 Decima persecutio Christianorum per annos 20.
4 CONSTANTIVS CHLORVS & GALERIVS. assumunt collegas Seuerum & Maximinum. Regnant an. 2. *Maxentius* Romæ imperium arripit: *Licinius* a Galerio appellatur Augustus. *Constantia* conditur à Constantio, patre Constantini M. *Marcellus* Roman. Pontifex,
5
6 CONSTANTINVS. M. R. an. 30. m. 10. Scripsit & habuit varias orationes Latinas, quarum 1. hodiè superest. Hic est primus Imperator, qui Ecclesiam a persecutionibus respirare fecit. *Dagobertus* R. Sicambrorum. *Asarius & Garso* R. Francorum a Constantino vincuntur. *Meletiani* hæretici in Ægypto cœperunt.
7 *Domar* dux Suecorum.
8 *Concilium Elibertinum* damnat picturas in Ecclesiâ.
9 *Eusebius*. Rom. Pontifex.

310 * *Constantinus M.* liberalis est in Ecclesiam. *Hosius* Cordubensis episcopus & *Pamphylus* martyr florent.
1 *Miltiades* Rom. Pontifex.
2 *Æra Indictionum* incipit sub CONST. M. à 24. Sept. *Lucianus* Martyr, est autor septimæ, & Hesychius octauæ versionis. *Constantinus M.* debellat persecutores Christianorum, quorum religio etiam ad Indos interiores & Iberos propagatur.
3
4 *Attila III.* dux Suecorum *Syluester* Rom. Pontifex.
5 *Donatistæ* hæretici in Africâ.
6
7 Nouilunium Eclipticum accidit. *Clogio* Rex Sicambrorum.
8
9 *Clodomirus* R. Sicambrorum. *Licinius* Episcopis interdicit conuentus.

320 *Licinius* persequitur Christianos in oriente. *Eusebius* Cæsariensis persecutionis causas sub Diocletiano in rixas sacerdotum confert. Est scriptor Theologus & Chronologus. *Iamblychus* Alchymista.
1 *Licinius* euertit templa, & Christianos Episcopos trucidat. Exercitum 130000. militum amisit omnem, tribus exceptis.
2
3 Ordo *eremitarum* incipit. *Cometa* varij visi.
4
5 *Symbolum Nicenum* editum est contra Arium.
6 *
7 Romanum Imperium in oriente & occidente hostes diuersos habet.
8
9 *Genobaldus* I. primus Franconiæ dux. *Sapor* R. Persarum trucidat 18000. Christianos.

330 *Æra ab encaniis vrbis Constantinopolitanæ* incipit. *Treuirensis schola* est antiquissima omnium Germaniæ Academiarum. *Antonius Abbas* scribit 7. epistolas linguâ Ægyptiacâ. *Iuuencus* poëta in historiis Euangelicis
1
2
3 *Symbolum Athanasii* scriptum est Romæ contra Arium: publicatum verò est 300. ferè annos post in Concilio Toletano. *Athanasius* multa est passus ab Arrianis.
4
5
6 *Dignerus* dux Suecorum. *Marcus* Rom. Pont. Persecutio Christianorum ab Arrianis. *Synodus Tyriana* Athanasium exilio multat. *Richimer* R. Sicambrorum. *Cometa* apparuit.
7 CONSTANTIVS, Constantini M. F. imperator orientis, Arianus & persecutor, regnat an. 24. m. 5 *Constans & Constantinus* fratres Constantini succedunt in occidente. *Iulius* Rom. Pont.
8
9 *Synodus Romana* confirmat symbolum Nicenum.

340 *Burdegalensis* schola valdè fuit celebris tempore Hieronymi. Multæ vrbes in oriente pereunt terræmotu. *Archontici* hæretici vltima fæx Valentinianorum cum suis coæuis. *Macarius* floret. *Pachomius* ex gentili milite fit Christianus & Monachus, æqualis & discipulus Antonij Eremitæ. *Serapion* scribit contra Manichæos. *Iulius Maternus* Firmicus floret.
1 *Dagerus* dux Suecorum. *Messaliani* hæretici.
2
3
4
5
6 *Synodus Coloniensis* pro Deitate Christi contra Euphratam Episcopum,
7 Fit Eclipsis Solis.
8
9

350

350 *Theodomirus* R. Sicambrorum. *Spiridion* Episcopus Cypri * *Marius Victorinus* Afer in senectute conuertitur, præceptor Hierony[mi]. *Photinus* hæreticus negat Deitatem Christi. *Gregorius Bœticus* Episcopus in Hispaniâ. *Themistius* philosophus & *Iulius M. Firm.* *C. Marius Victorinus* *Hilarius Septimius* ... floret.

1

2 *Liberius* Romanus Pontifex Arrianus fuit.

3

4

5 *Hilarius* Pictauorum episcopus in senectute factus est Christianus.

6

7 Germanorum vniuersitas coacta ... reges sibi designat & cum Iuliano concurrit.

8 *Felix II.* Romanus Pontifex quò pertinet secundum ... *Nicomedia* perit terræ motu.

9 *Sapor* R. Persarum in Mesopotamiam mouet cum 1...000. *Synodus Ariminensis* se ... Arrianis opponit contra vocem ὁμοο... certantibus.

360 *Vigilantius* oppugnat ... multas superstitiones. *Macedoniani* hæretici IVLIANVS APOSTATA R. an. 1. m. 8. *Eclipsis* ... a hora ... *Synodus Constantinopolitana* contra vocem ὁμοούσιον.

1 *Alricus* dux Suecorum. *Persecutio* Christianorum ... *Synodi* celebrantur. *Aetius* hæreticus docet filium prorsus patri dissimilem esse. *Didymus Alexandrinus* ... a primâ ætate, nobilissima opera dictauit.

2 *Iulianus* a Persis ... Iudæorum aliquot millia pereunt, templum Hierosolymis permissu Iuliani ædificare instituentium. mortem Iuliani ... clamat totus orbis.

3 IOVIANVS R. mens. 7 d. ... *Synodus Antiochena* Arrianorum conuersorum, & Alexandrina Athanasij.

4 *Synodus Laodicena* libros apocryphos reiicit. VALENS I. in oriente regnat an. 14. m. 4. VALENTINIANVS in occidente an ... mens. 9. *Saraceni* ad Christianismum conuertuntur. *Persecutio* Christianorum ab Arrianis

5 GRATIANVS & VALENTINIANVS ... secundus filij Valentiniani, a morte patris imperant in occidente : & Grati[anus] quidem an. 8. Valentinianus an. 17. *Synodus Lampsacena* pro Trinitate. *Cyrillus* Hierosolymitanus scribit Catecheses.

6

7 *Ingemarus* dux Suecorum. *Rabb. Asse* incipit Thalmud Hierosolymitanum. *Cometa* apparet. *Damasus* fit Episcopus Roma[næ]. *Terræmotus* ingens ferè totum terrarum orbem concutit. Diluuium Niceam & insulas multas perdit.

8 *S. Martinus* audit Hilarium, & fit episcopus Turonensis. *Grando* Constantinopoli multos homines è medio tollit. *S. Ephrem Edess[enus]* scribit.

9 *Regnum Vvestgothorum* incipit & durauit annos 341 Rex primus fuit Athanaricus, itémque *regnum Hispaniæ* sub Vvestgothis, & ad[huc] durat. *Apollinaris* scripsit innumerabilia, vertit etiam carmine psalmos.

370 *Ammianus Marcellinus* Græcus miles Latinè scribit historiam ab obitu Domitiani ad sua tempora. Fit Eclipsis Solis maxima, ab au[rora] vsque ad meridiem. *Apollinaristæ* hæretici & *Antropomorphitæ*. *Basilius M.* Cæsariensis archiepiscopus in Cappadociâ, & eius æ[qua]lis *Gregorius Nazianzenus*, & *Epiphanius* Episcopus in Cypro. *Libanius* Sophista & *Theon* Mathematicus. Poëtæ sunt *Dam.* Pont. & *Ambrosius*.

1

2

3 *Quadi* cum Sarmatis Aquileiam spoliant, & ibi duas legiones Romanorum fundunt. *Hunni* ad 1080000. hominum traiiciunt in [pro]uincias vicinas, dum in Pannoniam perueniunt, eámque vi occupant.

4 *Vigilius* Episcopus Tridentinus floret, & *Ambrosius* Mediolanensis.

5

6 *Hunni* in Europam erumpunt.

7 *Vvisigothi & Gothi* se in Thraciam & vicinas regiones effundunt, & Valentem Imp. viuum cremant, clade Cannensi simili. *Comet[a ap]*paret, & terræmotus vniuersalis accidit cum diluuio.

8 *Ingelderus* dux Suecorum. *Marcomirus* Sicambrorum.

9 THEODOSIVS M. R. an. 16. Thessalonicæ ... millia innoxiorum capitum in theatrum quasi ad ludos conuocatos, im[misso] milite necauit. Heliodorus Alchymiam dedicat Theodosio Imp.

380 *Synodus Romana* contra Apollinarem, & *Oecumenica II. Constantinopolitana* contra Macedonium Pneumatomachum, pro Tri[nitate]. *Heluidius* hæreticus negat perpetuam virginitatem M. *Theodosius* euertit fana & idola Ethnicorum, quæ toto Valentis tem[pore] fuerant in pretio & leges scripsit hâc de re per totum orbem, quâ occasione multi ad fidem Christi perducti sunt. *Gregorius Nyss[enus]* Episcopus vxoratus.

1 *Regnum Hungariæ* incipit & adhuc durat sub Imperatore & Turcâ. *Alaricus* R. Gotthorum.

2 *Germundus* dux Suecorum. *Synodus Romana* etiam pro decimis & primitiis Ecclesiæ. *Priscillianus* & *Iouinianus* hæretici.

3 *Cometa* Xiphias apparet, similis Veneri. ARCADIVS asciscitur a patre Theodosio, anno 5. imperij & regnat an. 15. m. 5. videl[icet] anno cum parente, & annos 13. m. 3. solus in Oriente. Frater ipsius HONORIVS imperauit in Occidente an. 28. m. 5. ab anno Christi Ordo *Basilianorum*.

4

5 *Syricius* Romanus Pontifex. *Hieronymus* vetus Testamentum vertit primò secundùm Hebraicam veritatem : deinde ex Græcâ edi[tione] LXX. interpp. Fuit episcopus Stridonensis.

6 Poëtæ sunt *Claudianus*, *Ausonius Gallus*, *Prudentius*, *Fortunatus*.

7 *Hakon* dux Suecorum. *Patriciani*, *Paterniani*, *Tertullij*, *Pattalorinchitæ* hæretici.

8

9 Visus est *Cometa* Veneri similis.

390 *Rufinus* presbyter Aquilejensis historiam Ecclesiasticam scribit, cuius æqualis fuit *Palladius*. *Concilium Carthaginense II.* contra [con]iugium sacerdotum. Theologi florent hoc tempore, *Theophilus Alexandrinus Episcopus*, *Rufinus*, *Prudentius*, etiam poëta & al[ij].

1

2

3 *Chalcidius* Platonicus & *Pappus* Mathematicus florent. Eclipsis Solis conspicitur. *Regnum Longobardorum* in Rugiâ & Pannoni[a in]cipit. *Dagobertus* Rex Sicambrorum.

4 *Venti pro Theodosio pugnant*, cuius hostes Saraceni & Persæ panico terrore perculsi ad 100000. hominum se in Euphrate suffocant.

5

6

7 *Concilium Carthaginense III.* cui Augustinus interest.

8 *Genebaldus* Rex Sicambrorum. *Anastasius* Romanus Pontifex. Ordo *Clericorum Regularium* ab Augustino instituitur. *Ioha[nnes]* *Chrysostomus* presbyter Antiochenus, postea episcopus Constantinopolitanus.

9 *Egilus* dux Suecorum. *Scripta Origenis* in aliquot synodis damnantur.

400 *Symbolum Ambrosij & Augustini* seu hymnus, Te Deum laudamus. *Synodus Carthaginensis* V. etiam contra coniugium Sacerdotum. *Persecutio* Christianorum Persica. *Proclus* Mathematicus, cuius Sphæra extat, & *Marinus* discipulus eius florent. *Augustinus* est episcopus Hipponensis in Africâ, contra hæreticos fortiter pugnauit.

1

2 *Innocentius* Romanus Pontifex. Ecclesiæ *persecutionem* patiuntur à Gothis & Vandalis occidentem vastantibus, nominatim ab Athanarico Arriano.

3 Hinc 7. Synodi Carthaginenses 7. annis sequentibus contra Donatistas numerantur.

4 Sol patitur *Eclipsin*. *Donatistæ* in Africà in Christianos sæuiunt.

5 *Gotharus* dux Suecorum. *Cometa* visus.

6 *Vandali* in Italiam erumpunt duce Rhadagiso.

7

8 THEODOSIVS II. siue *iunior*, octennis succedit patri Arcadio in oriente. R. an. 42. *Vandali* occupant Gallæciam ibique regnum constituunt. In Persiâ Christianismus amplificatur.

9 Sub *Honorio Imp.* Romæ tanta caritas & raritas omnis annonæ fuit, vt homines hominibus iam imminerent, & in circo palàm audita sit vox illa, *Pone pretium humanæ carni.*

---

410 *Cometa* visus. *In exercitu* Honorii, nullo vulnere accepto, nullo milite desiderato, Gothorum millia millia ducenta ceciderunt. *Alaricus* Romam capit. *Nudipedales* & seu hæretici. Florent *Isidorus Monachus*, *Paulus Orosius*, *Proclus* Episcopus Constantinop. *Hesychius* monachus, *Nonnus Panipolitanus* poëta.

1

2 *Vandali* post Suecos Gallæciam occupant: *Alani* Lusitaniam.

3

4

5 *Pelagianorum* hæresis inualescit & *Collyridianorum.*

6

7 *Zosimus* Romanus Pontifex.

8 *Concilium Carthaginense* VI. durat sex annos, & vetat appellari ad Pont. Rom. Hic enim iam tum primatum quendam quærebat. *Cometa* visus Tota Italia & Hispania seditiones mouent.

9 *Dynastia Merouingorum* in Galliâ incipit, quorum primus est *Pharamundus*. *Bonifacius* Rom. Pont. sub quo tertium schisma.

---

420 Variæ gentes ad Christi fidem conuertuntur.

1 *Erfordia* sub Arcadio & Honorio cœpit. *Fasto* dux Suecorum. *Hunni* cum numerosissimo exercitu in Slauiam irrumpunt.

2 *Alani & Vandali* Granatam & Portugalliam populantur.

3

4 *Cælestinus* Romanus Pontifex.

5 VALENTINIANVS III. R. an. 30. *Academia Constantinopolitana* instituitur ab Imperatore Theodosio II. *Gotthi* Thraciam occupant. *Paul. Orosius* scribit historiam, & *Seuerus Sulpitius.*

6

7 *Gumundus* dux Suecorum. Vandalorum 80000 Mauritaniam in Africâ occupant.

8 *Regnum Vandalorum* in Africâ incipit sub rege Genserico per 102. annos. *Attila* terror mundi grassatur. Huc pertinet *Persecutio* Christianorum Vandalica.

9 *Vandali* Hipponem expugnant paulò post mortem Augustini.

---

430 *Clogio* Rex Gallorum. *Nestorius* fingit duas in Christo personas *Moses* Cretensis Iudæus. *Theodoretus* episcopus Cypri floret. *Sedulius* presbyter scribit prosâ & carmine *Proba Falconia* poëtria, & *Eudoxia* vxor Imp.

1 *Symbolum Concilij Ephesini magni* editum est contra Nestorium. Huic Concilio præfuit Cyrillus Alexandrinus Episcopus. *Vandali* in Africâ crescunt cæsis Romanorum legionibus.

2 *Sixtus III* Romanus Pontifex.

3 *Adelus* dux Suecorum. Incendio conflagrat maxima pars Constantinopolis spatio tridui.

4

5

6

7 *Ostenus* dux Suecorum.

8

9 *Gensericus* occupat Carthaginem, & totam Africam.

---

440 *Leo Magnus* Rom. Pont Scriptores huius temporis, *Apollinaris* Episcopus Aruernensis, *Iohannes Cassianus*, *Socrates & Sozomenus* Ecclesiasticæ historiæ, *Leo Magnus* Papa, & alij.

1

2 Poëtæ. *Sidonius Apollinaris*, *Prosper Aquitanicus*, *Hilarius Arelatensis.*

3 Apparet *Cometa & Sanguis* apud Tolosam pluit.

4

5 *Saluianus* Massiliæ episcopus 8. libros scribit de prouidentiâ & iustitiâ diuinâ. *Luciferiani* hæretici. Florent Theologi *Simon Stylita*, *Hilarius Arelatensis*, *Arnobius Iunior* &c.

6 Muri Constantinopoli vnà cùm LXXVII. turribus corruunt.

7 *Eutychianorum* hæresis inualescit *Academia Bononiensis* instituitur auspiciis Theodosij II. *Attila* hoc tempore per Europam grassatur sed tandem furor eius fractus est, cæsis 190000. & 90000.

8 *Merouæus* R. Gallorum, qui vicit Attilam in campis Catalaunicis ad Tholosam. *Concilium Constantinopolitanum* contra Eutychem, pro verâ carne Christi. *Cometa* apparet, & terræmotus est. *Venetiæ* conditæ.

9 *Regnum Angliæ* incipit sub Anglo-Saxonibus: & adhuc durat. *Synodus Ephesina* λῃστρικὴ seu prædonum pro Eutyche.

---

450 MARTIANVS an. 6. m. 5. regnat. *Attila* cum 500000. in Germaniam progreditur. *Vrso* librum scribit de diuinatione ex so nniis.
1 *Theodoricus Veronensis* R. Ostgotthorum. *Symbolum Concilij Chalcedonensis*, quod est OEcumenicum IV. episcoporum 630. con Eutychen.
2
3 *Ingemarus* dux Suecorum. Hoc & sequenti anno *Cometæ* apparent.
4 *Norici* per suum apostolum Seuerinum ad Christianismum veniunt.
5 MAXIMVS R. mens. 3. AVITVS mens. 10. *Holstenus* dux Suecorum.
6 LEO THRAX in oriente R. an. 17. m. 6.
7 MAIORANVS R. annos 4.
8 *Suito* R. Germanorum Suitones seu Heluetios traducit in loca Burgundiæ & Rheno proxima. *Childericus* R. Gallorum.
9 *Cometa* apparet & alia prodigia, quæ pestis inguinaria sequitur.

460 *Biornus* II. dux Suecorum. Scribunt *Theodorus* presbyter, & *Saluianus* Massiliensis episcopus.
1 SEVERVS R. an. 5. *Gensericus* cum trecentis millibus Italiam populatur & Romam spoliat 14. diebus. *Hilarius* Romanus P tifex.
2
3
4 *Ragwaldus* II. dux Suecorum.
5 Ab hoc anno per 52. annos Romæ habentur nouem Synodi pro primatu Romanæ Ecclesiæ, & bonis Ecclesiæ.
6 ANTHEMIVS R. an. 6.
7
8 *Simplicius* Romanus Pontifex.
9

470 *Legionensis* Schola in Britanniâ, celebris 200. philosophorum sepulcris. *Remigius* episcopus Rhemensis floret.
1 *Vesuuius* mons minutissimo puluere multo eiecto totam Italiam obtenebrat.
2 OLIBRIVS R. mens. 7. GLYCERIVS R. an. 1.
3 IVLIVS NEPOS R. menses paucos. *Roma* tertium capitur à Ricimere.
4 AVGVSTVLVS R. mens. 10. Hic ab Odoacro rege Herulorum coactus est se abdicare: & sic imperium occidentis desiit. L INFANS seu *Iunior* ab auo Leone I. imperij consors factus coronat patrem Zenonem: qui R. an. 17. m. 5. *Vandali* ad Chri nam religionem conuertuntur.
5 *Pacificantum* hæresis.
6 *Regnum Italiæ* incipit, & desinit an. Christi 773. *Odoacer* occupatâ Româ se Regem Italiæ appellat.
7 *Galliæ* se Francis dedunt.
8
9

480 *Arturus*, rex Angliæ, clarus est victoriis aduersus barbaros. In acie suâ manu interfecit 460. hostes. *Terræmotus* durat tres s manas: pluit sanguine aliquot dies: lanceæ ardentes in cœlo visuntur. *Merlinus* Britannus de lapide philosophico seu Alch scribit.
1 *Swartmannus* dux Suecorum.
2
3 *Felix III.* Romanus Pontifex.
4 *Clodoueus* M. rex Gallorum.
5
6
7
8 Insoliti *Cometæ* apparent.
9

490 Scriptores Theologi *Æneas Gazæus*, *Cerealis*, *Victor Vticensis*, *Gennadius* Massiliensis Episcopus &c. *Victor* scribit de persecut Vandalicâ. *Sosimus Gazæus & Hesychius* Lexicographus.
1 ANASTASIVS cognomento Decorus, R. an 27. m. 3. Fuit Eutychianus, & impius persecutor. Hoc tempore reges Italiæ, H niæ & Africæ erant Ariani: reges Francorum, Anglorum & Germanorum pagani: Imperator Eutychianus: & tamen Ec Christi destrui non potest. *Gelasius* Romanus Pontifex. Huius extant scripta.
2
3
4 *Anastasius* mouet persecutionem contra Orthodoxos.
5 Clarent inter doctos *Cassiodorus, Vigilius, Paschasius*, & alij.
6 *Franci* religionem Christianam suscipiunt, cùm ipsorum Rex *Clodoueus* priùs esset conuersus.
7 *Anastasius II.* fit Episcopus Romanus. Fuit patronus *Eutychianorum & Nestorianorum.* Effudit in morte intestina, vt olim A s. Contra eum *παῤῥησίᾳ* magnâ vsi episcopi Germaniæ & Galliæ, scribunt maiorem esse autoritatem conciliorum quàm l a Anastasij.
8
9 *Symmachus* Romanus Pontifex.

500 *Fulgentius* multa Epiſcopis Romanis contraria ſcribit. *Maurus Terentianus*, *Boëthius Seuerinus & Fauſtus Gallus* poëtæ. *Boëthius* Philoſophus & Theologus claret, *Ennodius*, *Petrus* diaconus & alij. Boëtij ſoceɾ fuit Symmachus, vterque Coſſ. *Dionyſius exiguus*
1 conditor æræ Chriſtianæ. *Talmud Babylonicum* abſoluit Rabbena ſeu Rab-Auina.

2

3 *Synodus Romana* abſoluerat Symmachum Pont. legitimè accuſatum. Hoc ſcriptis ſuis taxant presbyteri & clerici Romani.

4

5

6

7

8

9 *Tordo* dux Suecorum.

510 *Rodulfus* dux Suecorum. *Cohades* R. Perſarum, & ſucceſſores Chriſtianos perſequuntur.

1

2 *Alamundarus* dux Saracenorum Chriſtianus factus refutat Eutychianos figmento de morte Michaëlis Archangeli.

3

4 *Childebertus* rex Gallorum. *Hormiſda* Romanus Pontifex

5

6 *Theodoricus Arrianus* multum honoris Eccleſiæ Romanæ tribuit. *Boëtius* decoratur à Theodorico Veronenſi R. Italiæ.

7

8 IVSTINVS, ſubulcus in iuuentâ, poſt faber lignarius, inde miles, tandem fit Imperator. R. an.9. m.2.

9 *Cometa* apparet barbatus, quem ſequitur terræmotus.

520 *Theodor* Bohemorum rex Noricum occupat. Theodoricus Veronenſis condidit *Francobergam*. Multi Perſarum hoc tempore fuerunt conuerſi: nominatim *Perſæ Immireni* & *Zathus* Perſarum dux.

1

2

3

4 *Iohannes I.* Romanus Pontifex. Ordo *Benedicti* monachorum, latè propagatus progreſſu temporis.

5 *Dionyſius Exiguus* ſcribit cyclum paſchalem & collectionem ſacrorum canonum; Idem numerare incipit ab incarnatione Chriſti omiſsâ profanâ numeratione annorum ab imperio Diocletiani.

6 *Athalaricus* R. Oſtgotthorum per annos 8. *Felix IV.* Romanus Pontifex.

7 Sol deficit. IVSTINIANVS, Iuſtini è ſorore nepos, R. an.38. *Hatinus* rex Suecorum.

8 Multi ex *Herulis* & *Hunnis* conuertuntur ad Chriſtum.

9 *Vitiges Dalmata* Mediolani iugulat 300000. ciues *Iuſtinianus* Imp. Codicem edi curat, & Pandectas ſequenti anno.

530 *Gilimer* vltimus R. Vandalorum, in Africâ, ſub quo eſt perſecutio Chriſtianorum Arriana. *Priſcianus & Feſtus* Grammatici. *Belliſarius & Narſes*, duces Iuſtiniani, florent. *Bonifacius II.* fit Epiſcopus Romanus; regnat an. . d.2 *Victor Africanus* ſcribit de ratione fidei Catholicæ, & de hiſtoriâ Coſmographicâ. *Aurelius Caſſiodorus* ſcribit hiſtoriam tripartitam. Procopius etiam ſcribit de bello Perſico.

1

2 *Iohannes II.* Romanus Pontifex.

3 *Cometa* apparet, quem multa mala excipiunt, terræmotus, peſtes, ſeditiones.

4 *Theodatus* R. Oſtgotthorum in Italiâ per annos 2.

5 *Agapetus* Romanus Pontifex

6 *Vitiges* R. Oſtgotthorum per annos 4.

7 *Syluerius* Romanus Pontifex ſub quo ſchiſma ſextum.

8

9

540 *Simplicius* Ariſtotelicus, *Damaſius* Stoicus, & *Themiſtius* clarent. *Theobaldus* R. Oſtgotthorum. *Berytienſis* ſchola. *Vigilius* Rom. Pont. *Gothi* in Italiâ Chriſtianos perſequuntur. *Iornandes* epiſcopus Gotthorum ſcribit de bellis Gotthorum contra Romanos.

1 *Totila* R. Oſtgotthorum.

2

3

4

5 Scriptores hoc tempore *Primaſius* Auguſtini diſcipulus, & *Iunilius* epiſcopus Africanus &c. *Arator* poëta.

6

7 *Totilas* Romam adoritur & ſpoliatam incendit: & an.550. iterum illam capit.

8 *Attila IV.* dux Suecorum.

9

550 *Lechus* princeps Poloniæ. *Carleolensis* schola in Angliâ antiquitus celebratur. *Dracontius* poëta. *Cometa* formâ lanceæ apparet.
1
2 *Æra Armeniorum* incipit 9. Iulij. *Thejas* R. Ostgothorum vltimus.
3 *Narses* Totilam & successorem eius Thejim opprimit. *Concilium Constantinopolitanum* II. quod est œcumenicum V. probat qu priora œcumenica.
4
5 *Pelagius* Romanus Pontifex.
6
7
8
9 Hoc circiter tempore Byzantij *pestis* quotidie absumit 5000. vel 10000. Horribilis *fames* in Italiâ, quâ in solo Piceno pereunt hominum.

560 *Lotharius* seu Glotharius rex Gallorum. Iohannes III. Rom. Pon. Hoc tempore scribunt *Procopius Gazæus*, *Dorotheus Archi drita*, *Medardus* episcopus Nouiomensis, *Venantius Fortunatus* episcopus Pictauiensis. *Dacius* Episcopus Mediolanensis nicon componit.
1
2
3
4 *Tordus* dux Suecorum.
5 IVSTINVS iunior, Iustiniani è sorore nepos, R. an. 16. m. 9. *Cherebertus* R. Gallorum.
6 *Agathias* Scholasticus scribit res Iustini.
7
8 *Longobardi*, Sueuica gens, Pannonias egressi duce Alboino veniunt in Italiam, ibique regnum condunt, & Christianos cru persequuntur per annos 188.
9 Exarchatus in Italiâ oppositus regno Longobardorum per annos 174.

570
1
2 *Synodus Braccarensis* II. damnat Simoniam & nundinationes Clericorum liberè.
3 *Benedictus* Roman. Pontifex.
4 *Armenij* Christianismum amplectuntur. *Chelpericus* R. Gallorum.
5
6 *Odoacer* rex in Italiâ.
7
8 TIBERIVS II. R. an. 8. Quatuor cum Iustino, reliquos solus. *Pelagius* II. Romanus Pontifex.
9

580 *Augustinus & Mellitus* Anglorum apostoli florent. *Marcellinus* Comes vir Coss. annales scribit ab obitu Valentis.
1 *S. Rupertus* Vangionum episcopus floret.
2 *Algotus* II. rex Suecorum.
3
4
5
6 MAVRITIVS patriâ Cappadox, R. an. 16. m. 3.
7
8 *Clotharius* R. Gallorum.
9 Inundationem Tiberis & aliorum fluminum sequitur pestis. *Cometa* apparuit.

590 *Gregorius Magnus* est Episcopus Romanus an. 13. m. 6. d. 9. Anglos conuertit hic Pontifex, se vocans seruum seruorum.
1
2 Sol eclipsatur 19. Mart.
3
4 Horribilis *Cometa* apparuit.
5
6 *Euagrius* Scholasticus qui historiam Ecclesiasticam continuauit, & *Gregorius* Turonensis episcopus, qui Francorum historian psit, florent. *Isidorus* iunior scribit philologica, historica & chronologica.
7
8
9

600
1 *Hesychius* Episcopus Hierosolymitanus scribit.
2 PHOCAS occidit Mauritium & regnat an. 8. In Britanniâ Christianismus instauratur curante Gregorio M. Maximus *Cometa* apparet.
3 *Philoponus*, dictus Grammaticus, optimus Platonicus & Aristotelicus, sed Monothelita.
4
5 *Sabinianus* Romanus Pontifex.
6 *Bonifacius III.* est Episcopus Romanus mens. 8. d. 23. Hic in concilio Romano promulgat priuilegium Phocæ pro primatu Ecclesiæ Romanæ. *Godstagus* dux Suecorum.
7 *Bonifacius IV.* regnat an. 8. m. 6 d. 13. Sub hoc fuit Romæ celebratum concilium, in quo fuit promulgatum priuilegium Phocæ de primatu Ecclesiæ Romanæ. Timotheus hæreticus Eutychianus.
8
9

610 HERACLITVS trucidat Phocam, regnátque an. 32. Pontifex Romanus festum omnium Sanctorum instituit, cùm impetrasset ab Imp. Pantheon.
1
2 *Gandaui & Atrebatenses* fiunt Christiani. *Stephanus Alexandrinus* de arte Chymicâ scribit ad Imp. Hoc autem & sequente seculo alij hoc argumentum tractarunt.
3
4 *Slaui* Illyricum & Dalmatiam occupant, inde Slauonia dicitur.
5 *Cosroës* R. Persarum Hierosolymam primus eripuit Christianis, trucidatis 90000. *Deusdedit* Romanus Pontifex.
6
7
8 *Bonifacius V.* Romanus Pontifex.
9 *Mahumed* annos 13. impendit compositioni Alcorani. *Hispalensis Synodus* sub Isidoro contra Acephalos.

620 *Cometa* apparuit.
1
2 *Hegira seu æra Arabum siue Turcica* incipit cum imperio sub Muhammede & adhuc durat. Hic incipiunt persecutiones Christianorum Mahumedanæ. *Chaliphatus* in Bagded & Damasco incipit. Mahumetismi ergo initia huc referantur.
3
4
5
6 *Honorius* est Papa an. 12. m. 5. Accusatur à Græcis quòd fauerit Monotheletis.
7
8 *Regnum Persarum* definit in Iezdegird.
9 *Regnum Nauarræ* incipit, cuius primus R. fuit Ennicus Arista, Durauit annos 961.

630 *Sangallum* cœpit. Herbipolin *Gisbertus* Francorum dux amplificat. *Artus* Sux Suecorum. *Sophronius* episcopus vltimus Hierosolymitanus scribit. *Ionas Anglus* floret, nouus quasi apostolus.
1
2 *Æra Iezdagird siue Persica*, incipit 16. Iulij. *Dagobertus* R. Gallorum, Iudæos expulit.
3 *Cometa* instar acinacis apparet.
4
5 *Saraceni* occupant Ægyptum.
6
7
8 *Concilia* aliquot *Toletana* deinceps celebrata liberè clericorum vitia taxant.
9 *Seuerinus* Romanus Pontifex.

640 *Iohannes IV.* Romanus Pontifex. Florent episcopi *Eligius* Nouiomensis, *Adrianus* Northumbrus, *Arbogastus* Argentinensis.
1 *Theodorus* Romanus Pontifex.
2 CONSTANTINVS R. m. 4. HERACLEONAS m. 6. CONSTANS, Constantini filius, an. 27. R.
3
4
5
6 *Clodouæus* R. Gallorum.
7
8 Eligius Gallus *conuertit Flandros.*
9 *Zechus* natione Slauus inuadit Bohemiam. Duodecim *Palatini* in Poloniâ. *Hakon III.* dux Suecorum. *Martinus* Rom. Pont.

650 *Synodus Lateranensis* contra Constantinopolitanos, nec vnam, nec duas in Christo voluntates agnoscentes. ***Academia Erfordiensi*** data est a Dagoberto Francorum rege.

1
2
3
4 *Eugenius* Rom. Pontif.

5 *Vitalianus* Rom. Pontif. Huic accommodare volunt numerum 666.
6
7
8
9

660 *Albulcasis* Arabs. Sapientes in Damear & Fessâ Alchymistæ.

1
2
3 *Clotharius* II. Rex Galliæ. Ab hoc incipiendo Maiores domus regnum administrarunt per annos 150.

4 Fit Eclipsis Solis. d. 1. Maij.

5
6
7
8 *Childericus* II. Rex Galliæ.

9 CONSTANTINVS Pogonatus R. an. 17. incompletos. ***A Deo datus*** Rom. Pont.

670 *Carolus* IV. dux Suecorum. *Veneti* incipiunt eligere duces de licentiâ Pont. Rom. Adeodati.

1
2
3
4 Magnus *cometa* apparet.

5 Tribus mensibus *cometa* apparet.

6 *Carolus* V. dux Suecorum. *Donus* Rom. Pont.

7
8 *Agatho* Rom. Pont. Nulla fuit *pluuia* in multis locis per quadriennium.
9

680 *Theodoricus* R. Galliæ. *Synodus* VI. generalis, Constantinopolitana scilicet III. dicta Trullana & πενθέκτη, pro coniugio sacerd *Symbolum Ecclesiæ* veteris *Alemannicæ* hoc tempore videtur concinnatum. *Kilianus* Episcopus Herbipolensis.

1
2 *Adolphus* hoc tempore est *Comes Nassouiæ* & Tutor Hassiæ.

3 Plenilunium Eclipticum incidit d. 18. Apr. *Leo* II. Rom. Pont. sede priore anno vacante.

4 *Benedictus* II. Rom. Pont. *Cometa* apparet.
5 *Borgerus* dux Suecorum. *Iohannes* V. Rom. Pont. sub quo schisma VII.

6 IVSTINIANVS II. seu iunior R. an. 9. m. 10.
7 *Conon* Rom. Pont. sub quo schisma VIII.
8 *Germania* passim à Scotis *conuertitur*. *Sergius* Rom. Pont. 40000. Persarum ad Christum conuersi.
9

690 *Vvestphali conuertuntur* ab Eualdis duobus, Albus & Niger cognominatis.

1
2
3
4 *Clodouæus* Rex Galliæ. LEONTIVS PATRITIVS Rex an. 3. incompl. Iustinianum naso truncat & relegat.

5
6 ABSIMARVS TIBERIVS Leontium naso truncat & R. an. 7. *Frisij*, operâ Vvillebrodi Angli, Episcopi Eboracensis *conuertun*

7
8 *Childebertus* R. Gallorum. *Thuringi* circa Erfordiam *conuertuntur*.
9

700 *Ægidius* monachus Græcus poëta. *Cracus* R Poloniæ. *Erica* V. dux Succorum. *Bedas venerabilis* presbyter in Angeliâ floret, ſcripſit Chronicon ab initio mundi ad ſua tempora.

1 *Rodericus* vltimus R. Vveſtgottorum in Hiſpaniâ per annos 10.
2 *Iohannes* VI. Rom. Pontifex.
3 IVSTINIANVS iterum recuperato Imperio: Leontium & Abſimarum ſupplicio afficit. R.an.8.

4 *Aripentus* R. Italiæ Alpes Coctias dat Eccleſiæ.
5 *Iohannes* VII. Rom. Pontif.
6 *Ducatus Venetus* incipit ſub primo duce Paulo Anazeto.
7
8 *Zoſimus* Rom.Pont.& Conſtantinus. *Suibertus* Saxonibus fidem Chriſti prædicat.

9 *Crocus* dynaſta Poloniæ, cuius filia Libiſſa.

---

710 *Bonifacius* archiepiſcopus Moguntinus & martyr claret.

1 PHILIPPICVS R.an.1.m.6 *Rodericus* Rex Vveſtgottorum vltimus obiit.
2 *Primiſlaus* dux Bohemiæ, qui Pragam condidit.
3 ANASTASIVS II. an.2. Hic proſtratus pedes Rom.Pontif. eſt oſculatus Nicomediâ Conſtantinopolin proficiſcentis.

4 *Saraceni* Hiſpanias ingreſſi ſunt. ibi à primo portu occupato Mauri dicti.
5 THEODOSIVS III. an.2 *Gregorius* II. Rom.Pontif. *Synodus Syriaca* pro imaginibus. *Anshelmus* claret.
6 LEO ISAVRVS, iconomachus regnat an.24.m.2. *Pelagius* Rex Gottorum Aſturum in Hiſpaniâ inſtaurat regnum. *Dagobertus* II. R. Galliæ.
7 *Tordo* dux Succorum.
8 *Bonifacius* (dictus Germanorum Apoſtolus) natione Anglus *multos populos* in Germaniâ *conuertit*.

9 *Solimannus* fruſtrà *obſidet Conſtantinopolim* claſſe nauium 3000. armatorum 300000.

---

720 *Clotarius* IV. R. Gallorum. *Beda* venerabilis floret, & multa in Grammaticis, Arithmeticis, Aſtronomicis ſcribit. *Iconomachorum* nomen cœpit.
1
2 *Chilpericus* II. R. Gallorum.
3
4
5 *Paulus* Patritius. Eutychius *vltimus exarchus* in Italiâ per annos 18.

6 *Carollus Martellus* inclytus eſt admirandis victoriis. Nam *Abidiræ regis Saracenorum* innumeras copias vno prælio funditus delet. In exercitu Saracenorum fuerunt 375000. qui horribiliter ſæuierunt in Chriſtianos.
7
8
9 *Peſtis* Conſtantinopoli tollit 300000. hominum. Duo *cometæ* viſi.

---

730 *Metangiſmonitæ* hæretici. *Lechus* II. R. Poloniæ.

1 *Gregorius* III. Rom.Pontif. Mahumedani in 4. ſectas diuiduntur. *Saraceni* ab hoc tempore *debilitari incipiunt*. *Iohannes Damaſcenus* orientem illuſtrat.
2
3 Eclipſis Solis conſpicitur.
4
5
6
7 *Theodoricus* II. R. Gallorum.

8
9

---

740 *Ina* R. Angliæ ſuum regnum facit vectigale Rom. Pontif.

1 CONSTANTINVS COPRONYMVS an.34.m.2.

2 *Childericus* III. R. Gallorum. *Zacharias* Rom. Pontif. ſub quo ſchiſma nonum. Ab hoc anno incipiunt anni ab incarnatione Chriſti notari.
3
4 *Hunni* ex Aſiâ, ſede ſuâ trans Tanaim & Mæotim erumpentes, in Europam traiiciunt: ac poſtea ſub Attilâ *irrumpunt in Galliam & Italiam*.
5 In Syriâ *cometa* apparet.
6 *Pipinus* autoritate Pontif. Rom. fit Rex Francorum, cui etiam multas ditiones dedit pro ſede Apoſtolicâ.
7
8
9

750 *Vanda* Regina Poloniæ.

1 *Secunda dynaſtia* Galliæ incipit, quæ vocatur *Carolinorum*, à Pipino, patre Caroli M.

2 *Stephanus* II. Rom. Pont.

3

4

5 *Synodus Conſtantinopolitana* IV. contra imagines.

6 *Deſiderius* R. Longobardorum vltimus. XII. Palatini in Poloniâ.

7 Inſtitutum *Parlamentum in Galliâ*. *Paulus* Pontif. Sub quo ſchiſma X.

8

9

---

760 Sol patitur deliquium, 15. Aug. *Præmiſlus* R. Poloniæ.

1 Duo *Cometæ*, vnus in oriente, alter in occidente apparet.

2

3 Viſus eſt *Cometa*, quem excepit magnum frigus, & poſtea vredo.

4 Sol eclipſatur 4 Iunij. *Biornus* III. dux Suecorum.

5

6

7

8 *Carolus M.* R. Gallorum. *Conſtantinus* Rom. Pont. & Stephanus IV.

9 *Synodus Romana* pro imaginibus, contra Imp. Conſtantinopolitanum, & eius fautorem Pont. Conſtantinum.

---

770 *Rulandus*, Caroli M. è ſorore nepos multa fortiter gerit. *Paulus* diaconus charus R. Deſiderio & Carolo M. claret.

1

2 *Carolus* M. regulos Germanorum (in quibus nominatim eſt *Vvitekindus*) ad Chriſtianiſmum adducit. *Hadrianus* I. Rom. Pontif.

3 *Synodus Romana* pro Carolo M. in quem ius & poteſtatem magnam populus Rom. confert, vt Longobardi opprimantur.

4 *Carolus R. Francorum* ſeu M. ſingulos gradus ſcalarum Baſilicæ S. Petri deoſculans ad Pont. ſuperiùs expectantem aſcendit. *Pau Aquilejenſis* diaconus ſcribit Longobardica; idemque poëta eſt.

5 *Regnum Daniæ* incipit. LEO IV. R. an. 5. & aliquot menſes. *Gotricus* Rex Daniæ.

6

7

8

9

---

780 *Alaricus* II dux Suecorum. *Alcuinus* præceptor Caroli M. & familiaris, diſcipulus Bedæ claret. *Rabanus Maurus* Alcuini diſcipi CONSTANTINVS VII. cum Irene matre R. an. 10. Solus an. 7. Irene ſola an. 5.

1

2

3

4

5

6 *Synodus Nicena* II. pro imaginibus & ſanctorum honore.

7 Deliquium Solis acidit 16. Sept.

8 Ciuitates Saxoniæ magnum incrementum acceperunt à Carolo M. nominatim *Brema*, *Hamburgum*, *Hildeshemium*, *Magdeburg Oſnaburgum*, &c. *Vviteberga* à Vvitekindo eſt extructa. *Tremonia* à Carolo M.

9

790

1 *Academia Pariſienſis* conſilio Alcuini fundatur à Carolo M. *Academia Patauina* inſtituitur à Carolo M. *Tiberis* Romæ *exundat* ſ muros vrbis.

2

3

4 *Academia Papienſis* ſiue *Ticinenſis* inſtituitur à Carolo M.

5

6 *Leo* III. Rom. Pont.

7 Sol per dies ſeptendecim obſcuratus manſit, mirabili prodigio.

8

9

800 *Carolus M.* confirmat donationem patris Pipini & auget. *Egbertus* R. Anglorum. Ab hoc anno multi errores & schismata in Ecclesiam irruperunt *Regnum Normegiæ* incipit. CAROLVS M. fit Imperator occidentis, 25.d. Decemb.R. an. 14. adeoque imperium diuiditur in Græcum & Romanum. *Academia Tholosana* fundatur à Carolo M.

1

2 *Nicephorus* Imperator Constantinopolitanus.

3 Luna ter obscuratur & Sol semel.

4 *Lescus* II. R. Poloniæ.

5 *Academia Osnaburgensis* in Vvestphaliâ à Carolo M instituta vt autores Græci & Latini ibi explicarentur.

6 Plenilunium Eclipticum incidit. Circa hoc tempus incipit *regnum Poloniæ.*

7 Solis fit Eclipsis 11. Martij. *Vvitekindus magnus* R. Nortumbrorum obiit.

8 *Saxones* planè *debellantur* à Carolo M. Durauit bellum 33. annos.

9 Plenilunium Eclipticum incidit.

810 *Lescus* III. R. Poloniæ. Luna bis deficit & Sol semel. *Regni Sueciæ* noua dynastia incipit. *Collegia canonicorum & clericorum* adiuncta episcopatibus institutis à Carolo M. fuerunt totidem scholæ.

1 *Locusta* ex Africâ volant in Italiam, eamque vastant. *Michaël Curoplata* Imp.Constantinopolitanus. *Nicephorus* scribit.

2 Sol patitur Eclipsin. *Vsuardus* monachus scribit martyrologium. *Eginardus* Cancellarius Caroli M.floret.

3 *Eclipsis* Solis prodigiosa præcedit mortem Caroli M. *Leo* V. Imp. Constantinopol *Biornus* III. dux Suecorum.

4 LVDOVICVS PIVS C. M. filius R. an. 26. m. 5. Hic donationem patris Caroli M.confirmat & auget.Poëtæ *Philes*,Græcus,*Eginardus* Cancellarius Caroli M.*Rabanus Maurus*;*Theodulphus*,Episcopus Aurelianensis. Singularis & terribilis *cometa* apparet,de quo est notabile colloquium Caroli M.& Eginardi.

5 *Popielus* Senior R. Poloniæ.

6 *Lucerna* cœpit. *Stephanus* V. Pont. Rom.

7 *Paschalis* Rom. Pont.

8 *Cometa* apparet.

9

820

1 *Michaël Balbus* Imp. Constant.

2

3

4 *Brademunderus* dux Suecorum. *Eugenius* Rom.Pontif.*Popielus* R.Poloniæ à muribus deuoratur.

5

6 *Dani & Sueci* incipiunt conuerti ad Christianismum, item *Hunni*, *Auares* & *Moraui*. *Coniunctio planetarum* VII. diuiso Imperio orientis & occidentis, Antichristi regno incipiente.

7 *Sivvardus* dux Suecorum.*Valentinus* Rom.Pontif.

8 *Gregorius* IV. Rom.Pont.

9 *Theophilus* Imp.Constantinopol.

830 *Popielus* Iunior R. Poloniæ. *Schola Fuldensis* cœpit. *Cometa* apparet.

1 Luna bis deficit & Sol semel.

2 *Ingens grando* necat homines & pecudes in Galliâ:*terræmotus* in Italiâ absorbet montes & oppida.

3

4

5

6

7

8

9

840 *Strabus* Fuldensis monachus Rabani discipulus scribit glossam ordinariam. *Tres cometæ* tribus annis apparent continuè. Maxima fuit Solis *Eclipsis*,ita vt stellæ cernerentur vt in verissimâ nocte feriâ 4 ante ascensionem Domini.

1 LOTHARIVS. Pij f. an.15.*Carolus* II. Caluus dictus Rex Franciæ.

2 *Piassus* Rex Poloniæ ex rustico factus *Heroth* dux Suecorum.

3 *

4 *Sergius* II. Rom. Pont. os porci dictus.

5

6 *Bohemi fidem Christi recipiunt*, 14.ducibus eorum baptizatis.

7 *Leo* IV. Rom. Pont.

8 *Synodus Moguntina* contra Godeschalkum presbyterum, de libero arbitrio, prædestinatione & sanguine Christi.

9

850

850 *Bertramus* presbyter in Galliâ floret, & *Haymo* Episcopus Halberstadensis.
1 Sæua *fames* grassatur in Germaniâ, & cogit parentes deuorare proprios liberos, & liberos vicissim parentes.
2
3
4 *Iohannes* VIII. *seu potius Iohanna Papissa* regnat an.2.m.5.d.4.
5
6 LVDOVICVS II. siue Iunior, Lotharij F. R. an.19. m.10. *Carolus* VI. dux Suecorum.
7 *Benedictus* III. Rom. Pont. sub quo schisma XII.
8 *Nicolaus* Rom.Pont. *Anastasius* bibliothecarius Romanus scribit vitas Rom.Pont.
9

860 *Schisma* Ecclesiarum Græcarum & Latinarum cœpit.
1 *Ducatus Moscouiæ* incipit. *Brunsuicum* conditum est à Brunone duce Saxoniæ. *Ziomeuicus* dux Poloniæ. *Varij* fratres regnant apud Russos. *Methodius. Illyricus* & *Cyrillus* in Slauoniâ, Poloniâ, Morauiâ docent, & linguâ vernaculâ sacra peragunt.
2 *Ludouicus* R.Germaniæ Slauos domat & ad Christianismum cogit, episcopis Cyrillo & Methodio.
3 *Theodoricus* I. à Carolo Caluo Imp. dono accipit *Hollandiam* titulo comitatus.
4 Brixiæ *pluit sanguinem. Tiberis* Romæ exundat. *Locustæ* in Galliâ tegunt terram instar niuis.
5 *Bulgari* à Ludouico II. *accipiunt doctores* fidei Christianæ.
6 *Synodus Constantinopolitana* pro imaginibus, cuius tamen antisynodus habetur Romæ propter primatum huius Ecclesiæ.
7 *Basilius* Imp. Constant.
8 *Biornus* IV. dux Suecorum. *Hadrianus* Rom.Pont. *Cometa* apparet. *Terræmotus.*
9 *Chaliphatus* diuiditur in Syriæ & Ægypti Chaliphatum. *In Synodo Constantinopolitanâ* liber de tyrannide Ecclesiæ Romanæ subscribitur.

870 *Huldericus* Episcopus Augustanus scribit, item *Iohannes diaconus* & alij.
1
2 *Oxoniensis Academia* instituta est ab Alphredo Angliæ rege.
3 *Iohannes* IX. Rom Pont.
4
5
6 CAROLVS CALVVS Ludouici patruus, an.2. *Cometa* apparet, *pestis & fames.*
7
8 Magna fit Solis *Eclipsis*: 16. Octobr. LVDOVICVS III. cognomento Balbus, an.2, *Ludouicus* II. Rex Franciæ.
9 *Ado* Viennensis scribit Chronicon de 6 ætatibus mundi.

880 CAROLVS III. cognomento Crassus, an.8.m.6. *Theophylactus* archiepiscopus Bulgarorum videtur hoc tempore vixisse, & *OEcumenius* Græcus scriptor. *Albategnius* floret.
1 *Regnum Germanorum* desinit an.881.
2 *Cometa* apparet. *Incendium Treueris vrbis.*
3 *Ingoldus* dux Suecorum. *Marinus* Rom.Pontif.
4 *Hadrianus* III. Pont.Rom. Hic negat in creando Pont. autoritatem Imp. esse expectandam.
5 *Carolus Crassus* R. Franciæ. *Stephanus* VI. Rom Pont
6 *Leo* VI. Imp. Constant. cognomento Sapiens, scribit orationes & epistolam ad R. Saracenorum de Christianæ fidei veritate.
7
8 ARNOLPHVS, eligitur deserto Carolo Crasso. Regnat an.12. *Synodus Moguntina* pro cœlibatu sacerdotum.
9

890 *Odo* R. Franciæ. *Synodus Metensis*, de cœlibatu, vestibusque sacerdotum, de vno susceptore apud baptismum.
1 Sol eclipsatur. *Olaus* dux Suecorum. *Formosus* Rom.Pont. Sub quo schisma XIII. *Arnolphus* Imp. cædit Normannorum 100000.
2 *Lescus* IV. dux Poloniæ.
3
4
5 *Bonifacius* VI. Rom.Pont.& *Stephanus* VII. & *Theodorus.*
6
7
8
9 Maxima fuit Eclipsis *Solis*, ita vt stellæ cernerentur vt in ipsissimâ nocte. *Albumasar & Muhamed Aratensis* floret.

900 LVDOVICVS IV. Arnolphi F.an. 12. contra Ludouicum legitimè electum Pont. ſalutat Imp. Ludouicum Boſonis f. *Cometa* apparet. *Borſiuogius* dux Bohemiæ Chriſtianam fidem recipit. *Ingo* I I. dux Suecorum. *Carolus* I I. Rex Galliæ. *Dreſda* eſt opus *Slauorum*, qui ante *Henricum Aucupem* ad Albim incoluère.

1 Fit *Eclipſis* Lunæ. *Iohannes*.

2

3

4

5 *Benedictus* I V. Rom. Pont. *Cometa* viſus.

6

7 *Ericus* V I. dux Suecorum. *Leo* V. Rom. Pont.

8 *Christophorus* Rom.Pontif. & Sergius I I I. *Regino* abbas ſcribit Chronicon à tempore nati Chriſti incipiendo.

9 *Æra Calecutenſium* incipit 19. Sept.

910 *Anaſtaſius* Rom.Pontif. *Ordo Cluniacenſis* primus ſeceſſionem facit à Regulâ Benedicti. *Vitello* opticus floruit.

1 *Alexander Conſtantinus* Imp. Conſtant. *Hungari Germaniam vaſtant*. Aliquot *cometæ* viſi.

2 CONRADVS, dux Franconiæ an. 8. *Lando* Rom. Pont. & Iohannes X I.

3 *Ziemomiſlus* dux Poloniæ.

4

5

6

7

8

9

920 HENRICVS AVCEPS, an. 17.

1

2

3

4

5

6 *Academia Louanienſis* hoc tempore cœpit. *Ericus* V I. dux Suecorum.

7 *Rudolfus* R. Franciæ.

8 *Leopoldus*, cognomento Illuſtris, ab Henrico I. Imperatore fit primus *Marchio Auſtriæ*. Hic Imperator inſtituit *Torneamenta* ſiue *Ludos equeſtres* Magdeburgi. *Leo* V I. Rom. Pont.

9 *Ludouicus* I V. dictus Tranſmarinus R. Franciæ. *Stephanus* V I I I. Rom.Pontif.

930

1 *Iohannes* X I I. Rom.Pont.

2

3

4

5

6 *Leo* V I I. Rom. Pont.

7 OTTO MAGNVS, Henrici F.an. 37. Annis 26. regnat titulo regis, deinceps titulo Imperatoris.

8

9

940 *Luitprandus* Cremonenſis epiſcopus ſcribit hiſtoriam ſui temporis. *Otto magnus* varias & inſignes reportat victorias *Ericus* V I I I. dux Suecorum. *Stephanus* I X. Rom. Pont.

1

2 *Cometæ* apparent.

3 *Marinus* I I. Rom.Pont.

4

5 In Italiâ miræ magnitudinis *Cometa* eſt viſus.

6 *Agapetus* I I. Rom. Pontif. *Vvitichindus* monachus Corbeienſis de rebus Saxonicis, & Otthonum Imp. ſcribit.

7

8

9

950

950 *Ramirus* R. Legionis Saracenos ad internecionem delet.

1

2

3

4

5

6 *Lotharius* R. Franciæ. *Iohannes* XIII. Rom. Pont. Sub quo schisma XV.

7

8

9

960 *Arabes celebres* sunt in Medicinâ. *Frodoardus* Abbas scribit Chronicon Remense. *Almonsor* in Hispaniâ Alchymista, *Haly*, *Mor* *Romanus* itidem & alij.

1 *Romanus Imp. Constant.*

2 *Miecislaus* Poloniæ dux *primus Christianismum recipit. Synodi Romanæ* pro & contra Pontifices.

3 *Nicephorus Phocas* Imp Constant.

4 *Leo Octauus* est Papa an.1. Hic fuit creatus ab Imperatore, *Iohanne* XIII. adhuc viuente. *Cometa* & alia prodigia visa.

5 *Benedictus* V. Pont. Rom. Sub quo schisma XVI.

6 *Iohannes* XIV. Rom.Pont.

7

8

9 *Iohannes Zimisca* Imp. Constant. *Otto Bonosus* Episcopus Moguntinus à muribus deuoratur, & post 28. annos *Vvilderolphus* Ep pus Argentinensis.

970 *In Vngariâ religio Christiana instauratur*, Episcopis Pilgrino & Vvolfgango, duce Geysâ.

1

2 *Donus* Rom.Pont.

3 OTTO II. an.11. *Benedictus* VI. Rom.Pont.

4 *Benedictus* VII. Rom.Pont.

5 *Basilius & Constantinus* fratres Imp.Constant.

6

7

8

9

980 *Ericus* VIII. dux Suecorum.

1

2

3

4 OTTO III. Puer 10 an. fit Imperator. Hinc appellatus fuit Otto das Kind: Postea *mirabilia mundi*. R.an.17.m.2. *Iohann* Rom. Pont. *Cometa* portendit famem, pestem, terræmotum.

5 *Iohannes* XVI. Rom. Pont.

6

7 *Ludouicus* V. R. Franciæ.

8 *Dynastia Electorum* Romani Imperij incipiunt. Tertia Dynastia Galliæ incipit quæ est *Capetorum*, ab *Hugone Capeto*.

9 *Electoralis Archiepiscopatus Treuirensis* cœpit. Primus Elector Ludolphus. *Æstas siccissima* sequitur hybernas exundationes. Ethnicismum penitus extirpant.

990 *Vvilligis* Elector I. Moguntinus insigne rotæ inuenit. *Heribertus* Elector I. Coloniensis *Hispalensis* schola floret. *Electoralis A* *piscopatus Moguntinus & Coloniensis* cœpit. *Hugo*, marchio Brandeburgicus fit supremus Imp.præfectus in Thusciâ & Hetruriâ, mus *Elector Brandeburgicus*.

1

2

3

4

5 *Iohannes* XVII. Rom. Pont.

6 *Gregorius* V. est an.2 m.8. Sub quo schisma XVII. Hic etiam approbat Electores Rom.Imp.

7 *Stephanus* dux Vngariæ, cuius antecessor Geisa primus Christianam religionem est amplexus, fit Rex anno 1000. *Robertus* filiu gonis *R.Franciæ*.

8 *Moscouia recipit Christianam fidem.*

9 *Boleslaus* R. Poloniæ. *Syluester* II. Rom. Pont. Necromanticus.

1000 *Cometes* apparuit. *Ordines varij monachorum* inualeſcunt *Rabbi Iehudah Chiug* Feſſanus primus Hebræorum Grammaticus floret. *Iohannes* XVIII. & *Iohannes* XIX. Rom. Pont. *Pruieni conuertuntur* ad fidem, quæ etiam apud Henetos inſtauratur.

1 Interregnum in imperio Romano menſ. 4.

2 HENRICVS CLAVDVS: item SANCTVS & II. an. 23.

3

4 *Benno* dux Saxoniæ ab Henrico II. Imp. fit primus *Elector Saxoniæ*.

5

6 *Henricus dux Bauariæ* ab Henrico II. conſtituitur primus *Elector Palatinus*. *Cometam excipit peſtis* triennalis horribilis.

7

8

9 *Sergius* IV. Rom. Pont.

1010 *Sigebertus* hiſtoricus monachus, *Iohannes Zonaras* monachus, & alij ſcribunt. *Vueremundus* vltimus Gotthorum R. in Hiſpaniâ ex Gotthorum ſanguine. Omnium maxima *fames & peſtis* graſſatur toto orbe terrarum

1 *Mare exundans* multas vrbes ſuffocat.

2 *Benedictus* VIII. Rom. Pont. *Ordo Camaldulenſium* autore Romualdo incipit.

3

4 Aliquot millia hominum in Flandriâ ſuffocantur aquis exundantibus.

5

6

7 *Canutus* Rex Angliæ. *Cometa* viſus. Rex primus fuit *Ranimirus*.

8 *Regnum Arragoniæ* incipit per annos 461. *Romanus* Imp. Conſt. *Amundus* dux Suecorum.

9

1020 *Regnum Legionis* incipit in Hiſpaniâ.

1

2

3

4 CONRADVS II. cognomento Saliquus ſiue Salicus. R. an. 14. m. 10 *Iohannes* XX. Rom. Pont.

5 *Mieciſlaus* R. Poloniæ.

6

7

8

9

1030

1 *Henricus* I. R. Franciæ. *Cometa* viſus, ſequitur *fames, peſtis, eluuio*.

2

3

4 *Michaël* IV. Imp. Conſt. *Benedictus* IX. Rom. Pont. *Guido Aretinus* ſcribit Muſicam.

5

6

7

8 *Cometam* ſequitur ſeditio in Italiâ.

9 HENRICVS III. cognomento Niger, Conradi F. an. 17. m. 4. *Amundus* II. dux Suecorum.

1040

1 *Michaël* V. Imp. Conſt. *Caſimirus* I. Rex Poloniæ. *Hakon* ruffus dux Suecorum.

2 *Conſtantinus Monachus* Imp. Conſt. *Fames ſeptennis* graſſatur.

3 *Cometam* viſum ſequitur bellum in Hungariâ.

4 *Gregorius* VI. eſt Papa an. 3. Schiſma decimum octauum oritur inter Syluestrum & Iohannem Antipapas: quibus ſublatis & Benedicto IX. renuntiante, creatus eſt Gregorius VI. qui depoſitus fuit tanquam Simoniacus à Concilio Sutrino.

5

6

7 *Clemens* II. Rom. Pont. *Trangolipix* R. Turcorum regnum condit durans 150. annos, Saracenis noxium.

8 *Damaſus* II. Rom. Pont.

9 *Leo* IX. Rom. Pont.

1050 *Scholastici doctores* hoc tempore incipiunt, quorum fuit *Lanfrancus* Archiepiscopus Cantuariensis. Hic Romæ contra Berengarium disputauit. *Synodus Vercellensis* & aliæ contra Berengarium pro transsubstantiatione. Scribunt *Glaber Rudolphus* monachus, *Hermannus Contractus* ex familiâ comitum Zeringensium, & *Leo* IX. Pontifex. Contractus scribit de 6. ætatibus mundi. *Merbodæus* scribit metricum librum de lapidibus & gemmis.

1

2

3 Poëtæ *Petrus Comestor*, & *Petrus Damiani*, & *Merboldus*.

4 *Stenchil* dux Suecorum. *Hermannus Contractus* obit.

5 *Theodora Porphyrogenita* Imperatrix Conſt. *Victor* II. Rom. Pont. sub quo schisma XIX. *Synodus Florentina* contra Simoniam & fornicationem sacerdotum.

6 HENRICUS IV. F an.49.m.10. *Michaël* VI. Imp.Conſt. Guntheri cancellarij Imp. visio.

7 *Isaacius Comnenus* Imp. Conſt. *Stephanus* X. Rom. Pont.

8 *Nicolaus* II. Rom. Pont. In Synodo Romanâ *Berengarius* παλινῳδίαν canit *Cometam* visum fames in Poloniâ & R. mors seq

9 *Boleslaus* II. R.Poloniæ. dictus audax. *Ingo* III. dux Suecorum.

1060 *Michaël Psellus* Alchymica inscribit Imp. Conſt. *Petrus Damiani* Episcopus Ostiensis librum edit de correctione Episcopi & I Humbertus Cardinalis & Petrus Damiani scribunt & Haymo archidiaconus Cantuariensis.

1 *Constantinus Ducas* Imp. Conſt. *Philippus* I. R.Franciæ. *Alexander* II. Rom. Pontif. *Turcæ* incipiunt multas regiones in Asiâ c pare.

2 Horrenda *fames & pestis*.

3

4 *Halstan* dux Suecorum. *Synodus Mantuana* ordinat missam non esse audiendam à sacerdote concubinario.

5 *Henricus* Imp.62. prælijs interest, quæ incipiunt hoc anno.

6 *Cometa* per totum orbem diu apparet,

7 *Michaël* VII. Imp.Conſt. *Guilhelmus* R.Angliæ. Cometam visum sequitur *pestis, fames, siccitas*.

8 *Michaëlis Ducæ* Imperio tam sæua fuit pestis, vt viui prorsus pares non essent mortuis sepeliendis. *Romanus Diogenes* Imp. Conſt *meta* ignitissimus visus.

9

1070 *Ordo vallis vmbrosæ*. *Guitmundus* Episcopus Auersanus ad Scholasticorum ætatem ineuntem pertinet. Quibusdam in locis M ob defectum vini non potuerunt celebrare Missam. *Georgius Cedrenus* Græcè scribit compendium historicum.

1 *Michaël Ducas* iterum Imp. Conſt. *Cometa* visus præcipuè seditiones causatur.

2

3 *Hildebrandus*, dictus *Gregorius* VII. an 12. m. 1. d. 3. Hic primus Imperatorem excommunicauit, & potestatem constituendi I ratorem sibi arrogauit. Sub eo est schisma XXI.

4

5

6 *Sueno* R. Daniæ & *Haraldus* mortui hoc anno Pontif. Rom. cœlibatum vrget, & excommunicat Imp.

7 *Anshelmus Lucensis episcopus* & *Anshelmus Cantuariensis* scribunt, &c. *Lambertus Schafnaburgensis* scribit historiam Germa ab orbe condito.

8 *Nicephorus Botoniates* Imp. Conſt.

9 *Æra Gelalæa* incipit: quâ reformata est æra Iezdagirdica.

1080 *Philippus* dux Suecorum. *Ordo Carthusianorum*, institutore Brunone. *Iohannes Curopalates* historicus. *Regnum Lusitaniæ* inci Henrico duce Lotharingiæ, qui à socero Alphonso VI. Castellæ & Legionis rege accipit eam partem Galleciæ, quæ Portugallia v *Alexius Comnenus* Imp. Conſt.

1

2 *Vladislaus* I. R. Poloniæ.

3 *Marianus Scotus* monachus Fuldensis, historicus.

4

5

6 *Victor* III. Rom. Pontif. *Marianus Scotus* moritur Moguntiæ. *Regnum Bohemiæ* incipit, cùm Vladislaus creatur Rex ab I co IV.

7 *Vrbanus* II. Rom. Pont.

8 *Canutus* R. Daniæ mortuus hoc anno.

9

1090

1

2

3 Eclipsis Solis incidit.

4

5 *Diluuium* accidit in Syriâ, quo innumeri homines fuerunt oppressi. Ab hoc anno spatio 17. annorum visi sunt 9. Cometæ. Mal la sunt in historiis.

6 *Bellum sacrum* aduersus Saracenos suscipitur. Rom. Pont. vrgente. Hoc bellum 12. expeditionibus in Syriam concinnatur pe 196. *Olaus* R.Daniæ.

7 *Lanfrancus* moritur.

8 *Centum millia Saracenorum* cæduntur. *Variæ Synodi*, Rotingamensis contra Anshelmum & primatum Pontificis, Barensis pro sione S. Sancti, Parisiensis pro recuperatione terræ sanctæ.

9 *Paschalis* II Rom.Pont. sub quo schisma XXII. Hic primus in epistolis numerat annos Pontificatus. Regnum Hierosolymita Christianum iterum.

1100 Rom.Pont.desinit in suis epistolis numerare ab annis Imp.& substituit annos Pontificatus. *Regnum Hierosolymitanum* incipit, & non longè pòst deficit an.115.. *Pestis* Hierosolymis quotidie 300 tollit.
1 *Sigebertus* monachus Gemblacensis scribit Chronicon.
2 *Synodus Londinensis* prima cœlibatum sacerdotibus in Angliâ indicit.
3 *Boleslaus* III. R. Poloniæ.
4
5 *Synodus Florentina*, cuius Episcopus asserit Antichristum iam esse natum, qnod Papa negat.
6 *Christianismus in Pomeraniâ* incipit sub Ottone Episcopo Bambergense. *Ordo Cisterciensis* incipit autore Roberto.
7 *Aliquot Synodi* sunt celebratæ hoc anno & sequentibus propter inuestituras contra Cæsarem.
8 *Ordo Canonicorum* regularium incipit.
9 *Anshelmus* obit.

1110 *Inge* IV. dux Suecorum. *Ludouicus* VI. dictus Crassus R. Franciæ.
1
2 *Tamesis, Trenta* & alij fluuij sistunt cursum per integrum diem. *Moguntia* dimidia *conflagrat*, 2000. hominibus incendio perditis.
3 *Ordo Equitum* S. Iohannis Hierosolymitani incipit.
4 *Adolphus* primus Comes Holsatiæ à Cæsare creatur. *Terræmotus* in totâ Syriâ.
5
6 HENRICVS V. Henrici IV. F. an. 18.m.9. Hic Cæsar impulsu Papæ persequitur parentem. Postea vlciscitur impietatem Papæ, & Romam redigit in suum obsequium.
7 *Ericus* bonus R Daniæ obiit.
8 *Calo Iohannes* Imp.Const. *Gelasius* II. Rom. Pont. *Iohannes Zonaras* monachus Græcus historiam scribit.
9 *Calixtus* II. Rom. Pont. *Ordo Templariorum* incipit.

1120 *Bernhardus*, Abbas Clarauallensis in Catalogo patrum est, etsi tempore Scholasticorum vixerit.
1
2
3 *Synodus Lateranensis* instituit ieiunium 4. temporum, est contra coniugium sacerdotum, hostes omnipotentiæ Papalis & dissentientes à Rom. Ecclesiâ.
4 *Vratislaus* I. ex *Ducum Pomeranorum* familiâ fidem Christianam amplectitur.
5 LOTHARIVS II. cognomento Saxo, an.13.R. *Honorius* II. Rom. Pont. Hominum triens peste perit. Poëtæ *Hieldebertus* Episcopus Turonensis & *Bernhardus* Cluniacensis. *Apostolus* Vandalorum est Vicelinus.
6 *Hyems sæuissima* etiam aues necat, paritque famem & pestem. *Terræmotus* in Italiâ per 40.dies, multos pagos euertit.
7
8 *Vltraiectum* magnâ ex parte conflagrat die paschali.
9 *Ragualdus* dux Suecorum.

1130 *Tertia δυναςεία* Siciliæ rege Rogerio. *Innocentius* II. Rom. Pont. *Petrus Cluniacensis* Abbas. *Hugo de S. Victore, Saxo Carthusianus* Parisiensis, *Richardus de S. Victore* & alij scribunt.
1
2 *Cometa* visus. Multæ vrbes deflagrant: putà *Augusta*, *Moguntia*, aliquot monasteria Spiræ & Argentinæ, Goslaria, Hala Saxonum.
3 *Emanuel Commenus* Imp. Const.
4
5
6 *Nicolaus* R. Daniæ obiit.
7
8 CONRADVS III. R. an. I. *Ludouicus* VII. dictus Iunior R. Franciæ. *Iohannes* de Temporibus anno ætatis 361. in Galliâ moritur armiger Caroli M. *Synodus Vvestmonasteriensis* seuerè statuit contra coniugia sacerdotum in Angliâ.
9 *Ericus* R. obiit. *Concilium Lateranense* excommunicat percutientes clericos rasos vel sacrificos vnctos. *Ordo præmonstratensium* incipit.

1140 *Gratianus* compilat decreta & Lombardus sententias. *Vladislaus* Ethenarcha Poloniæ fit *Princeps Silesiæ*. *Guelphi & Gibellini* in Italiâ miscent turbas.
1
2
3 *Cœlestinus* II. Rom. Pont.
4 *Lucius* II. Rom. Pont.
5 *Remensis schola* fundamenta. *Cometa* fulsit. *Eugenius* III. Rom. Pont. *Diluuium* in Flandriâ & vicinis locis *Otto Frisingensis* scribit. Fuit autem Henrici IV. Imp. nepos, Henrici V. sororius, Friderici I. patruus, monachus, abbas, episcopus. *Auicenna* est natus.
6 *Boleslaus* IV. R. Poloniæ.
7 *Ericus*. V. R. Daniæ obiit.
8
9

1150 *Irnerius* Vvernerius Germanus primus publicè in Italiâ profitetur Iurisprudentiam. *Ericus* IX. Sanctus dux Suecorum, cuius succes fuit Carolus VIII. *P. Comestor* frater nothus Lombardi est magister historiæ Scholasticæ.
1
2 FRIDERICVS BARBAROSSA, vel Ænobarbus R. an. 38.
3 *Anastasius* IV. Rom. Pont.
4 *Hadrianus* IV. Rom. Pont.
5 *Hermannus Marchio Veronensis* à Friderico II. creatur primus Marchio *Badensis & Hochburgensis*. *Canutus* V. R. Daniæ obiit. Pt Rom. *Henrico* II. R. Angliæ *concedit Hiberniam* sub conditione denarij à singulis domibus quotannis soluendi.
6
7
8 *Sueno* V. R. Daniæ obiit.
9

1160 *Vvaldenses* instituunt reformationem Lugduni. *Averroës Avicenna* & *Mesua* Medici. *Versio Arabica* videtur hoc tempore adorn *Alexander* III. Rom. Pont. sub quo schisma XXV.
1
2 *Diluuium* in Frisiâ aliquot millia hominum & pecudum perdit. *Concilium Lateranense* contra Vvaldenses & pro reformatione cleri
3
4 *Borussi* veniunt ad fidem Christianam. *P. Lombardus* moritur.
5
6 *Synodus Oxoniensis* 30. Germanos doctores recti vsus sacramentorum & coniugij cauterijs notatos ex Angliâ exegit.
7
8 *Vvaldemarus* R. Daniæ hoc anno Rugianos conuerti facit. *Canutus* dux Suecorum. *Rugiani* ad fidem *conuertuntur*.
9

1170 *Terræmotus* in Siciliâ tollit 15000. homines.
1
2 *Colloquium Constantinopolitanum* inter Germanos & Græcos de processione S. Sancti, præsente Henrico Leone duce Saxoniæ.
3
4 *Mieczislaus*, dictus Senex R. Poloniæ.
5
6 *Diluuium* in Hollandiâ.
7 *Pont. Rom. calcat collum Frid Barbarossa. Imp.*
8 *Casimirus* R. Poloniæ.
9

1180 *Synodus Romana*, quæ dicitur Magna, contra Albenses. *Rambam* Rabbinus in Ægypto floret, qui dicitur Aquila magna. *Otto Vvitbachius* à Friderico I. accipit *Ducatum Bauariæ*. *Alexius* II. *Commenus* Imp. Const. Guilhelmus Pyrius archiepiscopus de bello sacro scribit.
1 *Philippus* II. dictus Augustus R. Franciæ. *Lucius* III. Rom. Pont.
2 *Andronicus* Imp Const
3 *Terræmotus* in Syriâ. In Siciliâ Catinæ pereunt 20000.
4
5 *Isaacius* Angelus Commenus Imp. Const.
6 *Vrbanus* III. Rom. Pontif. Liuoni ad fidem conuertuntur. Poëtæ *Guntherus Ligurinus & Gothefridus Viterbiensis*.
7 *Gregorius* VIII. Rom. Pont.
8 *Synodus* in Poloniâ statuit cœlibatum sacerdotum. *Danorum plebs excommunicatur*, suis sacerdotibus coniugium decernens, *Roge* Baco Anglus Alchymista.
9

1190 HENRICVS VI. cognomento Asper R. an. 9. *Ordo Carmelitarum* confirmatur, & militum Teutonicorum. *Gothefridus Viterbiensis*, *Ioachimus Abbas* & alij scribunt. *Irnerius* moritur.
1 Eclipsis Solis facta 23. Iun. *Cœlestinus* III. Rom. Pont. Placentinus ICtus obit, primus Iuris Professor in Galliâ.
2
3
4
5 *Alexius* II. Angelus Imp. Const. *Lescus* dictus Albus R. Poloniæ.
6 *Academia Montispessulana* instituta est olim Iurisprudentiæ, nunc Medicinæ studiis frequentissima. *Gothefridus* Viterbiensis s[illegible] Pantheon, seu Chronicon vniuersale.
7 *Ordo Cruciferorum* confirmatur.
8 *Innocentius* III. Rom. Pont. Hic contra Fridericum II. Henrici Imp. filium excitat Ottonem.
9 OTTO HENRICI VI. F. R. an. 19. Philippus eodem anno fit Anti-cæsar: & R. an. 9. *Philippus* R. Franciæ excommunicatur, t[illegible] quo dicebatur, Regnante Christo, non regnante Philippo.

1200 *Azo* ICtus moritur Bononiæ. *Tartari Turcas* opprimunt & Europam vastant. *Almaricus* hæreticus Parisiensis. *Ordo Minorum* confirmatur, & ordo redemtionis captiuorum. *Reges Angliæ* sunt ex Gallis Andegauensibus. *Lescus* albus R. Poloniæ. *Mutinensis* schola floret sub Azone.

1

2 *Mieczislaus* senex R. Poloniæ moritur.

3 *Vladislaus* Laconogus R. Poloniæ

4 *Theodorus* Lascaris Imp. Const. regnat Adrianopoli. Sacra militia contra Albigenses promittit remissionem peccatorum pugnantibus. *Sedes Constantinopolitana* subijcitur Romanæ per 33 annos.

5 *Canon Missæ* a Rom. Pont. confirmatur. *Nicetas Choniates* historicus.

6 *Lescus* albus R. Poloniæ.

7 *S. Dominicus Hispanus* prædicator monachus.

8 *Ericus* X dux Suecorum *S Franciscus* & post 8. annos *S. Dominicus* Romanam Ecclesiam senescentem firmant. *Ordo Franciscanorum* incipit. Rom. Pont. comitem Tholosæ propter Albigenses excommunicat, & hos debellari facit

9

1210 *Canutus* R. Daniæ obiit. *Almaricus* hæreseos damnatur, & ex sepulcro effoditur. *Otto Imp.* à Pontifice excommunicatur.

1 *Iohannes* R. Angliæ a Rom. Pont. excommunicatur. *Grandis cometa* cernitur.

2 FRIDERICVS II. anno Ottonis 14 eligitur & R. an 38. Hoc tempore Guelphi & Gibellini maximas dant turbas: illis Pontificis, his Cæsaris partes sequentibus Reges Hispaniæ cædunt 200000. Saracenorum.

3

4

5 *Conradus* Vrspergensis Abbas scribit Chronicum à primo R. Assyriorum Belo incipiens. *Concilium Lateranense* IV. statuit à terrâ S. recuperandâ, canone missæ, transsubstantiatione, confessione auriculari, calice laicorum, Almarico, &c.

6 *Schola Ferrariensis* hoc tempore incipit. *Honorius* III. Rom. Pont.

7 *Christianismus instauratur* in Borussiâ à fratribus ordinis Teutonici. *Ordo Dominicanorum* incipit.

8 *P. Altissiodorus* Gallus Imp Constant. coronam à Pont. Romæ accipit.

9

1220 *Antonius de Paduâ* claret. *Honorius* Augustudunensis scribit Chronicum magnum. *Albertus M.* Alchymista est, & Iohannes de S. Busco, & Thomas Aquinas &c. *Fridericus Imp.* Romæ coronatur & Ecclesiæ Rom. donat Comitatum & vrbem Fundorum.

1 In castris prope Damiatam relinquit 30000. de 70000. *Robertus Imp. Constantinopolitanus* Romæ coronatur.

2 *Iohannes Ducas* Imp. Const. Peppo Comes Hennebergicus claret.

3

4 *Ludouicus* VIII. R. Franciæ. *Stigmata Francisci* prædicantur.

5

6 *Boleslaus Pudicus* R. Poloniæ.

7 *Gregorius* IX. Rom. Pont. *Ordo Sanctimonialium S. Claræ. Schola Biturigensis* instituta est à Ludouico Sancto. *Ludouicus* IX. dictus sanctus R. Franciæ.

8

9

1230 *Gregorius* IX. decretales edi curat, etiam Gregorianas dictas. *Otto* paruus creatur primus *dux Brunsuicensis & Luneburgensis* à Friderico II. Imp. In Frisiâ pereunt 100000. hominum diluuio.

1

2 *Mechtildis* Comitissa Hennebergensis, parit vnâ vice 350 liberos.

3 *Alphonsus* rex Hispaniæ cædit 200000. Saracenos. *Vvormatia conflagrat*, iterum post 9. annos. *Fames* in Hungariâ aliquot mille homines tollit. *Emblema Rom. Pont.* Duo sunt luminaria magna, Sol, id est, Papa, & Luna, id est, Imperator.

4

5

6 *Mieciflaus Cassisconus* deuoratur à muribus. *Viennensis Academiæ* fundamenta. *Iohannes de sacro Bosco* moritur.

7

8

9 *Pestis & fames* tanta, vt matres deuorarint liberos.

1240 *Iacobus Prænestinus* vigesimas redituum Ecclesiasticorum obtinet pro sede Romanâ. *Guilhemi Antisiodorensis & Parisiensis* scholastici scriptores. *Cometa* apparet. *Henricus* I. Bernhardi electoris Saxoniæ F. à Friderico II. Imp. constituitur Harciniæ princeps *in Anholt. Cœlestinus* IV. Rom. Pontif. *Synodus Ratisbonensis*, vbi Episcopus Saltzburgensis probat Pont. Rom. esse Antichristum.

1 *Accursius* ICtus floret. *Mons in Burgundiâ deserit suam stationem* & alij cuidam monti se aggregat. In hoc suo itinere tollit 5000. homines *Vvaldemarus* II. R. Daniæ obiit

2

3 *Innocentius* IV Rom. Pont. *Ordo Eremitarum* S. Augustini.

4

5 *Alexander Alensis* Anglus præceptor Bonauenturæ & Thomæ summam Theologiæ scribit. *Synodus Lugdunensis* rubeum galerum Cardinalibus decernit, varios sanctorum dies ordinat. Pont abdicat Imperio Fridericum frustra intercedente R. Galliæ. Ad curiam Romanam principes incipiunt prouocare *Hugo de S. Caro* in tota Biblia, & concordantias eorum scribit.

6 CONRADVS Friderici F. à patre designatur Imperator R. an. 9. Anticæsares fiunt Henricus Landgrauius. Vvihelmus Comes Hollandiæ & Conradus IV.

7 *Concilium Schœningense* deinceps prohibet coniugia sacerdotum Suevicorum & Gothicorum.

8 *Ordo Siluestrianorum*

9 *Henricus* Marchio Misniæ primus suæ familiæ fit *Landgrauius Thuringiæ. Tartari* ad fidem *conuertuntur*. Pontif. Rom primò $\frac{1}{20}$. mox $\frac{1}{10}$. omnium prouentuum additis comminationibus grauissimis exigit.

1250 *Pont. Rom. potentia crescit. Albertus M.* autor Albertistarum Scholasticorum & Vincentius Belloracensis. Historici sunt *Matthæus Pa* *Martinus Paulus, Vincentius Belloracensis.*
1 *Pontifex Rom.* per legatum impetrat in Poloniâ ½ redituum Ecclesiasticorum. *Synodus Vratislauiensis.*
2 *Æra Alphonsi*, regis Castiliæ & Legionis incipit. *Ericus VI.* obiit. R. Daniæ.
3 *Abel* R. Daniæ fratricida obit.
4 *Alexander IV.* Romanus Pontifex. *Cometa* portendit ventum.
5 Interregnum 2 an. in imperio. *Iohannes Theodorus* Imp. Const. Pont. Rom. *Thomas Aquinas* doctor Scholasticus, Italus.
6
7 RICHARDVS frater regis Angliæ, ferè omne tempus in Angliâ consumit, an 15. *Alonsus* Rex Hispaniæ fit Anti-cæsar.
8
9 *Christophorus I.* R. Daniæ obiit.

1260 *Albigensium* ad centum millia vincuntur ab octo millibus Papistarum: Michaël Palæologus Imp. Const. *Conradus* Episcopus 14. sta edit contra concubinas sacerdotum. *Ordo Flagellantium. Bonauentura* Cardinalis, Italus varia scribit.
1 *Vrbanus IV.* Rom. Pont. *Guilhelmus Durandi* scribit Speculum Iuris, dictus Speculator.
2
3 *Henricus Brabantinus* primus suæ familiæ Hassiæ Landgrauius.
4 *Bernhadus primus comes Mansfeldensis.* Apparuit *Cometes* magnâ caudâ.
5 *Clemens IV.* Rom. Pont. *Robertus Sorbona* autor Sorbonæ, & *Thomas Cantipratensis* scribunt. *Odefredus Beneuentanus* ICtus mori
6
7
8
9

1270 Comitissa quædam propè Cracouiam vnâ vice *parit 36. liberos. P. Hispanus*, qui postea factus est Papa Iohannes, scribit Logicam.
1 *Philippus III.* dictus Audax R. Franciæ. *Gregorius* X. Rom. Pont. creat electores pro libitu.
2 Interregnum an. 1.
3 RODOLPHVS I. Habspurgensis R. an. 17. m. 9. *Fridericus* primus suæ familiæ inuestitur Burggrauius Noribergensis.
4 Plenilunium Eclipticum incidit *Consilium Lugdunense*, cui Bonauentura interfuit. Actum cum Græcis de processione Sp. Sancti: Item genuflexione ad nomen Iesu, de minuendo ordinum mendicantium numero, ætate parochorum. *Michael Imp* promittit obedien Ecclesiarum Græcarum. *Thomas Aquinas* moritur.
5
6 Comitissa quædam Hollandiæ parit *vnâ vice 365. liberos. Iohannes XXI.* Rom. Pont. *Innocentius V.* Rom. Pont. & Hadrianus
7 *Magnus II.* dux Suecorum. *Nicolaus III.* Rom. Pont.
8
9 *Academia Conimbricensis* in Lusitaniâ instituitur. Romanus Pontifex. ab Imp. Rodolpho Romaniam cum exarchatu Rauennæ i trat. *Accursius* moritur.

1280 *Regnum Bohemiæ* sub Rudolpho I. Imp fit *Electoratus. Brema & Hamburgum* conflagrant. *Iacobus* de *Voragine* historicus Lomb cus. *Lescus Niger* R. Poloniæ. *Albertus .M* moritur.
1 *Martinus II.* Rom. Pont.
2 *Vespera Siculæ* 30. Martij sunt fatales Gallis: quippe qui spatio bihorij omnes ad vnum in Siciliâ sunt trucidati.
3 *Andronicus Palæologus* Imp. Const. Pont. Rom. legatum in Germaniam mittit, qui pecunias colligat.
4
5 *Honorius IV.* Rom. Pont.
6 *Nauarræ* scholam erexit Iohanna regina. *Ericus VII.* R. Daniæ obiit. *Philippus IV.* dictus pulcer R. Franciæ, Herbipoli Pont. per legatum poscit. ¼ omnium prouentuum in Germaniâ, cui se opponit Probus Tullensis Episcopus; ideo suâ dignitate spoliatu
7 In Hollandiâ *suffocantur 15000. homines.* Pont. Rom. ¼ redituum sacerdotalium in Germaniâ poscit. Pont. Rom. Vicarium imperi ficit Italiæ
8 *Nicolaus IV.* Rom. Pontifex.
9 *Terræmotus* vniuersalis.

1290 Fuit Eclipsis Solis. Suldan Ægypti *delet reliquias Christianorum* in terrâ sanctâ. Academia Perusina floret. *Iohannes I.* dux Suec *Raimundus Lullius* in Philosophiâ & Theologiâ scribit.
1 ADOLPHVS Nassouius R. an. 6. m. 6.
2 *Menardius Tyrollius* ab Antichristo ad æquum pastorem prouocat Saltzburgi, ideo sacris ei interdicitur.
3 Ad inaugurationem Cœlestini V. 200000. hominum confluunt.
4 *Bonifacius VIII.* an. 8. m. 9. d. 18 Papa est. Hic Pont. omnes potestates sibi subiectas esse iactat. Primus Iubilæum instituit anno & intrauit vt vulpes, regnauit vt Leo: mortuus est vt canis. Arguitur à Philippo Pulchro R. Franciæ. *Fratricelli* hæretici habentur *cœlestinorum.*
5 In Alpibus X V. arces pereunt *terræmotu. Præmislus* rex Poloniæ.
6 *Vlatislaus* Lecticus R. Poloniæ.
7 *Regnum Ottomannicum* seu Turcicum incipit.
8 ALBERTVS AVSTRIACVS Rudolphi F. R. an. 9. m. 6. Ab hoc anno vsque ad annum 1315. *decem Cometæ* apparuerunt.
9 *Beghardi & Beghinæ* preces contemnunt, & perfectionem fingunt. *Ordo seruorum B. Mariæ.*

1300 *Arnoldus de villâ nouâ* Alchymista,&c. *Iohannes de Rauani* Lotharingus Dialecticum docendi modum instituit. *Vvenceslaus* R. Poloniæ. *Iohannes Duns Scotus*,magister & doctor subtilis dictus,perpetuus & primus Thomæ impugnator,autor Scotistarum. Hoc tempore innotescere cœpit *vis magnetis* quâ dirigitur ad polos: vnde res nautica maximum accepit incrementum. *Ottomannus* Imperium Turcicum a Tartaris hactenus oppressum longè latéque propugnare cœpit. Ab eo dicitur imperium Ottomannorum.

1

2 *Quarta dynastia regum Hungariæ* incipit,regnum Germanorum & Francorum.

3 *Benedictus IX.* Romanus Pontifex.

4

5 *Vladislaus Locticus* R. Poloniæ. *Clemens V.* sedem in Galliam transtulit, nempe Auenionem. Eius inauguratio præsentiâ aliquot regum & multorum principum est nobilis *Nicolaus Callistus* & Idiota scribunt. *Pestis* œcumenica.

6 *Iacobus Rauanus* Dialecticus Practicus moritur.

7

8 HENRICVS VII. Lucelburgius, R. an. 5. *Iohannes Duns* moritur.

9 *Bartholdus de Saxo ferrato* ICtus nascitur.

1310

1 *Concilium Viennense* in Galliâ decernit, animam rationalem esse formam hominis. *Templarij* vno die tolluntur. *Pestis* vniuersalis trientem hominum sustulit. *Constitutiones Clementinæ* exeunt.

2 *Aurelianensis academia* conditur à Philippo Pulchro Galliæ rege.

3 Interregnum an. 1. m. 2.

4 LVDOVICVS II. cognomento Bauarus, R. an. 33. Fridericus Alberti Austriaci filius fit Anticæsar. *Ludouicus X.* dictus Hutinus R. Franciæ. Bellum ciuile oritur in Imp. Romano.

5 *Libertas Heluetiorum* incipit in Schvvitz, Vry & Vndervvalden. *Pestis & fames* adeò sæuiunt, vt plures iudicati fuerint mortui esse quàm superesse.

6 *Philippus V.* dictus Longus R. Franciæ. Iohannes XXII. Rom. Pont. Sub quo est schisma XXVI.

7

8

9 *Bartholomæus* de Pratis moritur.

1320 *Guilhelmus Occam, Durandus* & alij Scholastici florent. Huc etiam refer Marsilium Patauinum, qui pro Ludouico Imp scribit. *Comitia Francofurtensia* aduersus Papam *Lyranus* ex Iudæo Christianus factus scribit, ordinis Minorum. *Academia Cadurcensis* fundatur à Iohanne XXII. Pontifice. Turcæ traiiciunt in Europam.

1 Leprosi in Galliâ fontes *inficiunt veneno*. *Ericus VIII.* R. Daniæ obiit. *Carolus IV.* dictus Pulcer R. Franciæ. *Dantes Aligerius* poëta Veronæ moritur exul.

2

3

4 *Bononia* Pont. subiicitur.

5

6 *Magnus II.* dux Suecorum. *Orchan* Imperator Turcicus II.

7

8 *Andronicus Iunior* Imp. Const. *Philippus VI.* dictus Valesius R. Franciæ *Ordo equitum Christi* in Lusitaniâ.

9 *Comitia Spirensia* contra insolentiam Pontificis Romani.

1330 *Guido Carmelita* de omnibus hæresibus scribit. *Petrus Bertrandus* & alij. *Schola Herdensis* & Maioricana videntur hoc tempore cœpisse. In Maioricanâ docetur philosophia Raimundi Lullij.

1

2 *Canto Lucernæ* Heluetiorum.

3 *Christophorus II.* R. Daniæ obiit. *Casimirus II.* dictus Magnus R. Poloniæ. *Pont. obit* relicto thesauro 20. decies centenum millium Philippicorum.

4 *Benedictus* X. Romanus Pontifex.

5

6

7 Duo *Cometæ* conspecti.

8 *Ericus* est dux Saxoniæ, Angliæ & Vvestphaliæ.

9 *Academia Pisana* in Thusciâ instituitur.

1340 *Guntherus* comes Schvvartzburgensis claret. *Cometa* apparet. *Romæ* omnia sunt venalia. Pont. Rom. in ciuitates imperio obnoxias ius sibi sumit.

1 *Iohannes Palæologus* Imp. Const.

2 *Clemens VI* Romanus Pontifex. Hic reuocauit Iubilæum ad annum quinquagesimum.

3 R. Pont. iubet Imperatorem deponere imperium. Post hunc omnes Imperatores Romani à Pontificum arbitrio dependent.

4 Pont. Rom. insulis Canariis dat regem Ludouicum. *Nicephorus Gregoras* historicus Græcus.

5

6 CAROLVS IV. Iohannis regis Bohemiæ F. R. an. 32. *Academia Heidelbergensis* instituitur à *Ruperto I.* Bauariæ duce. Angli *cædunt* XXX *millia Gallorum*, & in iis XI. Principes, LXXX. Barones, MCC. Nobiles. *Cometa* fulsit anno 1347.

7

8 *Albertus I.* à Carolo IV. inuestitur *dux Megapolitanus*. Hoc tempore pestis epidemia triennalis per totum orbem grassata est: Lubecæ abripuit 90000. monachos nudipedes 1244434. Florentiæ 1000000. *Pluit sanguine, terræmotus* absorbet 2. montes. *Iohannes Andreæ* dictus tuba Iuris Canonici moritur.

9

1350 *Iohannes I.* R. Franciæ. *Iohannes Taulerus* clerum Romanum liberè perstringit. Iubilæus annus ad annum quinquagesimum reuocatur.

1 *Canto* Tiguri Heluetiorum & sequenti anno *Zug & Glaris Cometa* fulget,& sequitur pestis, fames, venti.à Rom. Pont. vno die 5000 homines accedunt & recedunt.

2 *Innocentius I V.* Rom. Pont. *Carolus IV.* Rom. Pont. gratiam captans omnem ei in Germaniâ autoritatem concedit. Comitatus Auenionis Rom. Pont. à Iohanna Neapolitanâ donatur,ementito venditionis titulo *Ordo Iesuatorum.*

3 Canto Bernæ. Cometam sequitur siccitas, fulmina, incendium.

4

5 *Carolus IV.* Romæ coronatus duorum Papæ legatorum manu , promittens se non amplius diem vnum post inaugurationem Roma mansurum esse. *Bartholdus* ICtus moritur.

6

7 *Amurathes* Imp. Turcicus III.

8

9 Tam valida incubuit *pestis*, in Italiam referente Petrarchâ, vt ex millenis hominibus vix decem superessent.

1360 *Academia Pragensis* fundatur à Carolo IV. Senensis Academia priuilegia accipit à Pio II. Pontifice.

1

2 *Vrbanus V.* Romanus Pontifex.

3 Turcæ *Iohannem Palæologum* Imperatorem Constantinopolitanum sibi faciunt tributarium. *Vvenceslaus* Rex Bohemiæ. *Albertus* du Mechelburgicus,dux Suecorum. *Cometa* fulget.

4 *Academia Cracouiensis* fundatur a Casimiro II. rege. *Carolus V.* dictus sapiens R. Franciæ.

5 *Franciscus Petrarcha, Iohannes Taulerus, & Iohannes Vviclefus* scribunt. Fr. Petrarcha etiam poësin instaurauit.

6

7

8

9

1370 *Robertus Stuartus* R. Scotiæ. *Ludouicus* Vngariæ Rex , R. Poloniæ. *Simon* comes Lippiæ. *Iohannes Vviclefus* Papatum oppugnat.

1 *Gregorius XI.* an.7 m 6.d 5.Hic Papa reducit sedem ad vrbem,quia Itali incipiebant deficere à sede Apostolicâ.

2

3 Duo Pont. sedent, Vrbanus VI. Romæ, Clemens Auenione. Ordo montis Olіueti.

4 *Franc. Petrarcha* moritur.

5 *Vvaldemarus III.* obiit R. Daniæ. *Ioh. Bocatius* moritur. *Cometa* fulsit.

6

7

8 VVENCESLAVS CAROLI IV. F. R. an 22. *Vrbanus VI.* an.11.m 6.d.5.*Schisma vigesimum septimum* omnium grauissimum longissimum, quippe 50.annorum, excitatur a Clemente Antipapâ Auenione, contra Vrbanum Romæ sedentem. Ioh. Taulerus Coloniensis moritur Argentinæ.

9

1380 *Bertholdus Niger* vulgò Schwartz / monachus Franciscanus & Alchymista vsum bombardæ vulgauit, prout nunc est. Carolus R. Franciæ. Baldus ICtus obit. Cometa fulget.

1

2 Cometam sequitur pestis.

3

4 *Andronicus IV.* Imp. Const. Iudæi incipiunt malè tractari passim & mactari.

5

6 *Iagello* R. Poloniæ, dictus in baptismo Vladislaus IV.

7 Nonis Decembris tanta fuit defectio Solis, vt vix fuerit maior. *Margaretha* regina Sueciæ. *Ioh. Vviclef* moritur. *Manuel* Imp. C *Sigismundus* Caroli IV. filius Rex Vngariæ. *Lithuani* conuertuntur ad fidem , episcopatu Vilnæ instituto.

8 *Academia Coloniensis* instituitur a Senatu. *Bajazeth* Imp. Turcicus.

9 *Bonifacius IX.* Romanus Pontifex.

1390 *Auenionensis* academia confirmatur à Pontificibus ibi sedentibus. Robertus III. Rex Scotiæ. Fristardus historicus Gallus. Com sequuntur inusitati morbi.

1

2

3

4 *Cometa* apparet, veru dictus, significat Italorum defectum ab Imp. Rom.

5

6 Academia *Andegauensis* erigitur à Ludouico II. duce Andium- Annatæ institutæ à Rom. Pont.

7 Aduersus Baiazetem excitatur fulmen illud belli *Tamerlanes* seu *Temir Cham* Tartarus , qui quater centenis equitum millibus ditum millibus sexies centenis Bajazetem vicit (cæsis 200. millibus Turcarum) & catenis aureis vinctum in caueâ cancellat Asiam circumduxit. ipsóque, equum conscensurus vsus est loco scabelli.

8

9 Pont. Rom. omne ius vrbis Romanæ sumit.

1400 RVPERTVS Palatinus R. an. 10. *Vlricus* fit primus Comes Hanouicus : & circa idem tempus Otto fit Comes Solmensis. *Iohannes Huß & Hieronymus Pragensis* oppugnant Papatum. Hoc anno vsque ad annum 1404. tres cometæ apparent.

1

2

3 *Solymannus* Imp. Turcicus V. *Academia Herbipolensis* instauratur.

4 *Academia Salmanticensis* confirmatur. *Innocentius VII.* Rom. Pont.

5

6 *Robertus IV.* R. Scotiæ. *Gregorius XII.* Romanus Pontifex.

7

8 Turca Ianitscharos instituit.

9 *Academia Lipsensis* oritur ex ruinâ Academiæ Pragensis. *Alexander V.* Rom. Pont. *Concilium Pisanum* contra antipapas. Stigmata S. Francisci & festo honorantur.

1410 IODOCVS, Marchio Morauiæ, an. 1. *Iohannes XXIII.* aliâs 22. (vt etiam Gregorius XII. & Benedictus) fuit depositus in concilio Constantiensi, ita vt tres Papæ ab vno concilio fuerint deiecti. Ordo S. Hieronymi & aliorum. *Mose Golibi* Imp. Turcicus. Petrus de Alliaco Scholasticus.

1 SIGISMVNDVS CAROLI IV. F. an 26. m. 8. *Academia Sanct-Andreana* fundatur in Scotiâ.

2 *Margaretha* Regina Daniæ obiit. *Erycus* XIII. Pomeranus dux Suecorum. Pont. damnat translationem Sacræ scripturæ in linguâ vernaculâ in Angliâ. *Bartholomæus Salicetus* ICtus moritur Bononiæ.

3 *Soltan Mahomeith* Imp. Turcicus VII.

4 *Adolphus* Comes Cliuiæ & Marchiæ inuestitur à Sigismundo primus dux Cliuiæ. *Concilium Constantiense* contra tres Antipapas; damnat Iohannem Hussum, eligit Martinum V. præponit concilium Papæ.

5 Septimâ Iunii, feriâ 6. manè tam horrenda fuit Eclipsis Solis, vt aues in terram deciderent. *Academia Rostochiensis* conditur. *Emanuel Chrysoloras* moritur Constantiæ. *Iohannes Huss* combustus Constantiæ.

6 *Hieronymus Pragensis* comburitur Constantiæ.

7 *Iohannes VII.* Imp. Const. *Martinus III.* Rom. Pont. Sub quo schisma XXVIII. *Sigismundus* Imp. Pontificis genua deosculatur. *Franciscus Zabarella* ICtus moritur Constantiæ.

8 *Academia Cadomensis* condita in Normandiâ.

9 *Iacobus I.* R. Scotiæ.

1420 *Theodoricus Comes Aldenburgensis & Delmenhorstanus* acquirit Ducatum Holsatiæ per coniugium Hedvvigæ. *Georgius Castriotus Scanderbejus* Amurathi Turcæ est formidabilis, & *Iohannes Zisca* Sigismundo Imperatori : colligit enim 40000. militum, & passim diruit monasteria. *Iohannes VIII.* Imp. Const. *Sigismundus* R. Bohemiæ. *Iohannes Gerson* cancellarius Parisiensis inter Scholasticos floret. *Baldus* ICtus moritur decrepitus.

1 In Hollandiâ pereunt 100000. hominum diluuio & 72. pagi Pont. Rom. quatuor bella contra Hussitas excitat, in quarto fuerunt 40000. equites. *Amurathes* Imp. Turcicus.

2

3 *Carolus VII.* dictus Victor R. Franciæ.

4 *Iacobus II.* Rex Scotiæ.

5 *P. de Alliaco* moritur.

6 *Academia Dolana* in Burgundiâ. Rabbini incipiunt vocari Moreni.

7 Electores & Principes Germaniæ magnum colligunt exercitum contra Bohemos, sed *panico terrore correpti* aufugiunt. Idem fatum experiuntur an. 1431.

8 *Leodium* vastatur & 600. in Mosam proiiciuntur. *Vviclefus* effossus crematur publicè iussu Pont.

9 *Ioh. Gerson* moritur.

1430 *Academia Pictauiensis* in Galliis constituitur à Carolo VII. rege Francorum. Tria millia Heluetiorum trucidant viginti millia in Gallico exercitu ad Basileam. *Eugenius V.* Rom. Pont. in concilio Basiliensi deponitur. *Theodoricus* primus Comes Oldenburgius & Delmenhorstæ. *Paulus Burgensis* ex Iudæo Episcopus scribit.

1 *Concilium Basiliense*, in quo pragmatica sanctio edita contra Papam. Damnat concubinarios & annata, Bohemis permittit vtramque speciem, ordinat festum conceptionis & natiuitatis Mariæ. Durauit 11. annos.

2

3 *Cometa maximus* apparet, quem sequitur fames sexennis.

4 *Vladislaus* R. Poloniæ. *Cometa fulsit, Eclipsis* ☉, sequitur bellum octuplex.

5 *Iohannes de Immola* ICtus moritur.

6

7 *Iohannes Annius Viterbiensis* commentator Berosi nascitur. *Ioh. de rupe scissâ* Cardinalis moritur.

8 ALBERTVS AVSTRIACVS, cognomento Iunior, an. 2. *Ericus X.* Rex Daniæ moritur. *Albertus* R. Vngariæ Austriacus I. etiam est R. Bohemiæ. *Academia Florentina* conditur seu florentissima redditur à Cosmo Medices. *Bernhardus Senensis* scribit homilias.

9 *Christophorus Bauarus* R. Daniæ dux Slesvvici & Holsatiæ. *Christophorus Palatinus* dux Suecorum. Cometa visus. *Concilium Florentinum.*

1440 FRIDERICVS III. Archidux Austriæ, R. an. 53. Paulò ante ex duce Archidux factus est. Hoc tempore *Iohannes Guttenberg* Argentinensis inuenit *artem Typographicam*. *Iohannes de Capistrano*, *Antoninus Flacutinus & alij* scribunt. Floret etiam *Theodorus Gaza*, *Georgius Trapezuntius*, *Emmanuel Chrysoloras & alij*. *Ladislaus* R. Vngariæ, cuius tutor Iohannes Hunniades, idem R. Bohemiæ.

1

2 Asperrima hyems, 36. niuibus se inuicem excipientibus.

3

4 *Constantinus XI.* Imp. Const. per annos 10. *Vvladislaus* ab Amurathe cæditur ad Varnam. *Baptista Spagnolus Mantuanus* Carmelita & poëta nascitur, qui mutationem religionis in annum 1517. prædixit. *Cometa* ardet.

5

6

7 *Casimirus III.* R. Poloniæ. *Nicolaus V.* Romanus Pontifex.

8 *Christianus I.* Rex Daniæ dux Holsatiæ. *Carolus VIII.* dux Suecorum. *Nicolaus Cusanus* Cardinalis, theologus, philosophus nascitur.

9

1450

1450 *Ingens terræmotus* Neapolim concutit, deletque in eo regno 300 0. homines. Eccleſiæ non capiunt concurſum populi omnem ad Iubilæum & multi de ponte S. Angeli in Tiberim præcipitantur. *Æneas Sylvius* ſcribit hiſtorica varia. *Laurentius* Valla.

1

2 Atheuas ſibi ſubiugat Turca.

3 *Vlricus* primus Comes Friſiæ orientalis. *Bernhardus* comes Treuiſanus Alchymiſta,& ante eum *Iſaacus Hollandus*, & poſt *Hieronym* *Sauanerola* &c.

4 Imperium Conſtantinopolitanum ceſſat vrbe captâ à Mahomete. *Academia Glaſquenſis* in Scotiâ fundatur. *Matthiolus* medicus flor

5 *Calixtus III* Rom. Pont. Iohannes Reuchlinus, Græcè Capnion, naſcitur.

6 *Henricus primus* comes Stolburgenſis. *Academia Gryphſwaldenſis* in Pomeraniâ. *Cometa* apparet.

7 Fit Eclipſis Lunæ, 3 Sept. *Sultan Mahumeth* Imp. Turcicus IX. Cometa niger dictus apparuit.

8 *Matthias Huniades* Coruinus. Budæ Bibliothecam conſtituit R. Vngariæ. *Georgius Pudicracius* R. Bohemiæ. *Pius II.* Rom. Pont. an *Æneas Sylvius* Hic Papatum antea oppugnauerat, Papa factus contrà.

9 *Academia Baſilienſis* erigitur à Pio II. Pontifice; qui fuit ſcriba Concilij Baſilienſis.

1460 *Schola Veneta* perpetuò floruit, ex quo literæ Græciâ exactæ fuerunt. *Academia Friburgenſis* in Briſgoiâ fundatur ab *Alberto VI.* Archiduce Auſtriæ. *Iacobus III* Rex Scotiæ. *Ludouicus XI.* vulgò dictus, Bonus Rex & malus homo, R. Franciæ. *Cometa* viſus. *Iohannes Regiomontanus* floret. *Thomas de Kempis*, Beſſarion Cardinalis, Laurentius Iuſtinianus primus patriarcha Venetus ſcrib *Iohannes Auentinus* Bojorum hiſtoricus.

1

2 *Christiernus I.* R. Suecorum. *Laonicus* Chalcondyla hiſtoriam Turcarum tractat. *Iohannes Tritkemius* naſcitur qui anno 1508. mutationem religionis in annum 15. ſequentem prædixit. *Purbachius* moritur Viennæ.

3 *Blondus Flauius* hiſtoricus multorum Pont. Secretarius moritur.

4 *Paulus II.* Rom. Pont. Hic omnia iura diuina & humana in pectoris ſui ſcrinio habet, vt iactat.

5 *Laurentius Valla* obiit, qui refutauit donationem Conſtantini Magni & liberum arbitrium, idem diligens inſtaurator linguæ Latinæ.

6

7

8

9 Poëtæ circa hæc tempora *Q. Æmilius*, *Philelphus*, *Conradus Celtes* primus poëta Germaniæ, *Angelus Politianus*, *Baptiſta Mantuan* *Ambroſius Camaldulenſis*, *M. Antonius Sabellicus*, *Iacobus Vvimpelingius*, *Marſilius Ficinus*.

1470 *Ludouicus*. Friderici victorioſi, electoris Palatini F. fit comes *Leonſteinius*. *Valentina* ſchola claret. *Ladiſlaus* Caſimiri R. Poloniæ R. Bohemiæ. Pontifex Rom. dux eſt in quatuor bellis. *Cometa* viſus. Pſalterium Virginis Mariæ & Roſarium componitur. minimorum. *Georgius Purbachius & Alexander ab Alexandro* florent.

1 *Sixtus IV.* Rom. Pont. *Cometæ* 2. viſi.

2 *Academia Ingolſtadienſis* in Bauariâ floret. *Baptiſta Platina*, etſi adulator Pontificum, tamen veritate coactus ſæpè eorum ſcelera t Scribit enim de Vitis Pontificum. Beſſarion Cardinalis moritur.

3 Hoc tempore lingua Græca & Hebraica in Germaniâ cœpit doceri. *Gregorius Trifernas* quarto anno Pariſiis docet Græcam lingu *Parrhaſius Calaber* poëta floret. & *Lilius Gregorius Gyraldus* Philoſophus.

4 Æſtu aliquot ſyluæ conflagrant.

5 *Reuchlinus* diſcit Romæ linguam ſanctam à R. Abdia, ſingulis horis ſingulos aureos in δίδακτρον pendens. *Cometa* viſus.

6 *Carolus Burgundus* ad Nanſeum ab Heluetiis ſuperatur & trucidatur.

7 *Academia Tübingenſis* oritur curante Eberhardo duce Vvirtembergico. Mortui *Bartholomæus Capella & Alexander de Immolâ* *Iohannes Regiomontanus* Viennæ. Ardet Cometa quem ſequitur feruentiſſima æſtas.

8 *Iohannes* R. Daniæ, idem R. Suecorum. *Theodorus Gaza* moritur.

9 *Ferdinandus V.* dictus Magnus & Catholicus R. Caſtellæ, Arragoniæ & Siciliæ.

1480 *Academia Aberdonenſis* in Scotiâ inſtituitur: & Mantuana ſchola floret. Reliquiæ ſanctorum in magno ſunt pretio. *Iohannes* *Marſilius Ficinus* & alij ſcribunt. Huc etiam referatur *Angelus Politianus Hermolaus Barbarus, Pomponius Lætus, Rudolphus* g

1 Canto Soloduri & Fribergæ. Franc *Philelphus* orator & poëta obit Bononiæ nonagenarius pauperrimè, item *Baptiſta Platina*.

2 *Academia Moguntina* aperitur a Diethérico Iſenburgico.

3 *Henricus VII.* Rex Angliæ. *Sultan Bajazeth* Imp. *Lutherus* Iſlebij eſt natus ipſo Martini die.

4 Tantus fuit vini prouentus, vt non potuerit excipi ob defectum doliorum. *Carolus VIII.* dictus paruus R. Franciæ. *Innocentius* Rom. Pont. Indulgentiæ pro viuis & mortuis venduntur. I. *Caſar Scaliger* naſcitur.

5 *Rudolph. Agricola* Heidelbergæ moritur.

6 *Henricus Cornelius Agrippa* naſcitur. *Georgius Trapezuntius* moritur Romæ, in ſenectute omnium literarum oblitus.

7

8 *Conſaluus Magnus*, vir bellicoſiſſimus floret. Iacobus IV. R. Scotiæ. Helius Eobanus Heſſus naſcitur.

9 *Schola Londinenſis* in Angliâ funditur ſub Henrico VII.

1490 *Schola Salernitana* in regno Neapolitano floret, & Taurina in Italia Ciſalpinâ, vbi Eraſmus D. Theologiæ eſt creatus. *Gabriel Biel* Tübingæ. *Iohannes Iouianus Pontanus*, *Trithemius* &c.

1 *Vladiſlaus* R. Vngariæ. *Martinus Bucerus* ordinem Dominicanorum deſerit. *Indi orientales & occidentales* incipiunt conuerti ad Iudæi expelluntur Hiſpaniâ. *Cometa* ardet.

2 *Alexander VI.* Papa: an 11. m 6. *Ferdinandus* virtute Conſalui M. regno Granatæ potitus eſt, excluſis totâ Hiſpaniâ, vel ſub redactis, & ad Chriſtianæ fidei profeſſionem adactis regulis Maurorum & ſubditis: vnde cognomentum *Catholici* poſtea tulit I anno *Chriſtopherus Columbus* detexit nouum orbem. *Iohannes Albertus* R. Poloniæ.

3 MAXIMILIANVS I. Friderici III. F. R. an 25. m. 4. d. 26. victorias 18. ab hoſtibus reportauit. Pontifex Rom. donat nouas ter uentoribus earum.

4 *Ambroſius. Calepinus.*

5 *Eberhardus Barbatus* in comitiis Vvormatienſibus ab Imp. Maximiliano I. creatur primus *Dux Vvirtembergicus*. Morbus Gallic mum in Germaniâ auditus. Pont. Caroli VIII. R. Franciæ titularium Conſtantinopoleos Imp. facit. *Hermolaus Barbarus* n Veneriis, & *Ioh. Picus Mirandula & Ang. Politianus*.

6 *Conradus Herſbachius* ICtus naſcitur.

7 *Albericus Veſpucius* detexit Americam meridionalem. *Philippus Melanchthon* Brettæ naſcitur in Palatinatu.

8 *Ludouicus XII.* dictus pater populi R. Franciæ. *Hieronymus Sauanorola* exuritur Florentiæ, propter παῤῥησίαν, quâ contra Rom primatum fuerat vſus.

9 *Iohan. Brentius* naſcitur.

1500 *Cometa* ardet. *Trithemius* & *Agrippa*, Alchymistæ, & pòst *Theophrastus Paracelsus*. *Sabellicus* scribit enneades historicas. *Nauclerus*, historicus, *Philip. Bergomensis*, *Volaterranus*, *Alb. Krantzius*, *Franc. Mirandula*, *Beroaldus*, *Gaguinus*, *Sanazarius*, *Flaminius*, *Eobanus Hessus* florent. *Ioachimus Camerarius* nascitur.

1 *Canto* Basileæ & Scaphusij. *Cardanus* nascitur.

2 *Academia Vuittenbergensis* conditur à Friderico Electore. *Alexander* Rex Poloniæ.

3 IVLIVS II. Papa an. 9. m. 3. Fuit bellator strenuus, qui Venetis eripuit Rauennam, Foroliuium & alia loca ab ipsis occupata. *Iohannes Iouianus* obit.

4 *Eclipsin* totalem patitur Luna 1. d. Martij.

5 *Schola Vratislauiensis* à senatu instituitur. Leuinus Lemnius nascitur.

6 *Academia Francofurtensis* ad Oderam incipit. *Fernelius* & *Buchananus* nascuntur. *Christoph. Columbus* moritur.

7 *Sigismundus* Rex Poloniæ. *M. Antonius Sabellicus* moritur.

8 *Cunradus Celtes* moritur.

9 *Iohan. Caluinus* natus. *Philip. Comineus* moritur.

1510 Historici sunt, *Olaus M. Beatus Rhenanus*, *Guicciardinus*, *Carion*, *P. Iouius*, *Munsterus*, *Funccius*, *Peucerus*, *Scaliger*. *Cal. Rhodiginus*, *Ald. Manutius*, *Christ. Longolius*, *Reuchlinus*, *Polyd. Vergilius*, *P. Galatinus*, *Philip. Melanchthon*, *Iohan. Schonerus*, *Lud. Viues*, *Nicol. Copernicus*, & alij florent. *Beroaldus.* moritur.

1 *Concilium Pisanum* contra Iulium II. Pont. qui obit munia ducis in obsidione Mirandulæ obiens.

2 *Leo* X. Papa an. 8. m. 8. d. 20. Sub hoc incipit docere Lutherus. *Iacobus V.* Rex Scotiæ

3 *Christiernus II.* R. Suecorum. *Canto* Appenzellæ. Pontifex Rom. in colloquio Bembi *Euangelium* est fabula de Christo.

4 *Christiernus II.* Rex Daniæ. *Sultan Solymus* Imp. Turcicus.

5 *Franciscus Ximenius* archiepiscopus Toletanus & Cardinalis, fundator Academiæ Complutensis, impensis ducatorum sexcenties millenis millibus, coniunctim edidit V. T. Hebraicè & Chaldaicè cum duabus versionibus Latinis, & N. T. Græcè cum versione Latinâ. *Solimannus* occupat regnum Ægypti. *Ludouicus* R. Vngariæ. *Nic. Hemmingius* nascitur.

6 *Baptista Mantuanus* obit, *Cometa* apparuit.

7 *Ludouicus* R. Poloniæ. *Zwinglius* corruptionem ecclesiæ taxat.

8 *Acamedia Toletana* erigitur à Francisco Aluaro. Schola Granatensis in Bætico instituitur.

9 CAROLVS V. R. an. 38. m. 7. Rustici tumultuantes ad 9000. à Maximiliano coguntur in ordinem. *Lateranense concilium*. *Lutherus disputat* contra indulgentias. *Henricus VIII.* R. Angliæ.

1520 Ab hoc anno & deinceps adornatæ *versiones Biblicæ*. *Gustauus* R. Suecorum. *Anabaptistæ* exorti. *Schola Tigurina* inclarescit. *Ferdinandus Magellanes* circumnauigat totum terrarum orbem. *Eccius*, *Caietanus*, *Thomas Morus*, *Iohannes Faber*, *Cochlæus*, *Albertus Pighius*, & alij scribunt. *Herbrandus* nascitur.

1 *Conuentus Vvormatiensis*, vbi Lutherus proscribitur, ad tempus Vvarburgi latet. Contra eum Henricus R. Angliæ stylum mouet. *Comitia Norimbergensia*. *Volaterranus* obit, & *Magellanes* in Indiâ cæsus.

2 *Reuchlinus* moritur. *Lutherus* redit Vvittebergam. *Pontifex* & *Ferdinandus* vrgent decretum contra Lutherum.

3 *Clemens VII.* Papa an. 10. m. 10. sub hoc Roma diripitur à militibus Caroli V. *Duo monachi* Bruxellis *comburuntur* ob confessionem Euangelij. *Franc. à Sickingen* obit.

4 *Lutherus* & *Carolstadius* bellum Sacramentarium inchoant. *Erasmus* & *Lutherus* certant de libero arbitrio. *Carolus V.* capit Franciscum Regem Galliæ. *Canisius* nascitur. *Linacer* & *Staupitius* obeunt.

5 *Bellum rusticorum* in vniuersâ Germaniâ supra 600000. homines sustulit. *Rhodus* à Turcis *capitur*. *Erasmus Alberus*, *And. Osiander*, *Erhardus Snepfius*, *Caspar Cruciger*, Theologi Lutherani. *Thomas Münster* anabaptista.

6 *Academia Marpurgensis* fundatur à Philippo Hassiæ Langrauio, confirmatur à Carolo V. Spiræ agitur de componendo negotio religionis. *OEcolampadius* disputat cum Eccio. R. Galliæ, Veneti, & Pontifex contra Imp. fœdus ineunt. *Vida*, *Palingenius*, *Glareanus*, *Euric. Cordus*, *Buchananus*, *Alciatus*, *Scaliger*, *Lotichius*, *Stilegius*, *Olympia Fuluia Morata* florent. Mortui, *Iacobus Durerus* pictor, *Frobenius*, typographus, & *Hippolytus de Marsiliis* ICtus.

7 *Ferdinandus Austrius*, R. Poloniæ. *Ludouicus* R. Vngariæ perit Turcâ 100000. hominum cædente & captiuos abducente Carolus V. *capit Pont. Roman. Leonardus Cæsar* in Bauariâ *crematur*. *Cometa* apparet.

8 *Iac. Andreæ* nascitur.

9 *Solimannus*, Selimi filius, *Viennam frustra obsidet* centenis & quadraginta millibus, amissis 80000. iterato 1531. sed eodem successu: denique 1533. tertiò tentat Viennam. *Protestantium origo* contra decretum Spirense. Marpurgi *Lutherus* & *Zwinglius colloquuntur*. *Beza* nascitur, *Æmilius* & *Cuspinianus* obeunt. Cometæ 4. apparent.

1530 *Coronensis schola* in Transyluaniâ inclaruit per Iohannem Hunterum. *Schola Lausanensis* inclarescit. *Diluuium* in Flandriâ & zelandiâ. *Confessio Augustana* exhibetur. *Canisius*, *Steuchus*, Papistæ. Lutherani *Matthesius*, *Matt. Iudex*, *Illyric. Marbachius Vvestphalus*, *Sim. Pauli.*

1 *Cardanus*, *Fracastorius*, *Iul. Cæs. Scaliger* florent. *Confessio Basiliensis*. *OEcolampadius* & *Zwinglius* obeunt. *Vlma* reformatur.

2 *Concilium* Christianum & liberum *expetitur*. *Cometa* horribilis aparet.

3 *Ordo clericorum S. Pauli*. *Confessio Bohemorum*. *Maior* & *Possellus* nati.

4 *Paulus III* Rom. Pont *Landgrauius Vvirtembergicum*, fusis Ferdinandicis, *restituit*. *Henricus VIII.* R. Angliæ Papismum abolet. *Iohan. Velcurio*, *Cornelius Agrippa*, *Ioh. Auentinus*, *Thomas Caietanus* moriuntur.

5 *Schola Geneuensis* in Sabaudiâ incipit. *Conuentui Smalcaldico* legati Gallici & Britannici fœderis ergo intersunt. *Seditio Anabaptistarum* Monasteriensis sedatur, captâ vrbe. *Caluinus*, *Bibliander*, *Marloratus*, *Viretus*, *Musculus*, florent.

6 *Formula Concordiæ* scribitur. R. Angliæ *Annam Boloniam* capite plectit. *Hermannus* Coloniens. archiepiscopus meditatur reformationem.

7 *Christianus III* Rex Daniæ. *Ferdinandus Austriacus* R. Vngariæ. *Articuli Smalcaldici* scribuntur *Conc. Mantuanũ* à Protestant. recusatur.

8 *Schola Argentinensis* instituitur à Senatu. *Antinomi hæretici*, contra quos disputat Lutherus. *Carion* moritur. *Cometa* apparet. *R. Daniæ* & Elector Brandeburgicus reformant.

9 *Academia Hafniensis* in Daniâ conditur à Friderico Rege. *Pezelius* nascitur. *Lipsia* reformatur.

1540 *Schola Vpsaliensis*. Ab hoc anno per 40. annos 900000. martyres in Europâ extiterunt. *Grynæus* & *Ios. Scaliger* nascuntur.

1 *Maria* Iacob. V. vidua, regina Scotiæ. *Paracelsus*, *Vrb. Regius*, &c. moriuntur. *Liber interim* eduitur.

2 *Schola Elbingensis* in Borussiâ fundatur *R. Galliæ* grauia edit edicta contra Lutheranos. *Leo Iudæ*, *Nouiomagus* &c. moriuntur.

3 *Schola Misnensis* instituitur: itemq; Stetinensis *Mauritius Saxo* reformationem legibus firmat & Imp. voluntariè militat contra Gallum.

4 Quatuor fuerunt *Eclipses*. *Academia Regiomontana*. *Pontifex* cum. Imp. expostulat ob decretum comitiorum Spirensium.

5 *Colloquia* doctorum Vvormatiensia. *Franc. Iunius* nascitur. *Cometa* visus. *Valdenses* in Galliâ vexantur & euertuntur.

6 *Concilij Tridentini* fit initium. *Coloniensis excommunicatur* & cedit Episcopatu. *Bellum Protestantium* est infelix *Palatinus* reformat.

7 *Eduardus VI.* R. Angliæ. *Henricus II.* Rex Franciæ. *Carolus V.* cepit Ioh. Fridericum Saxonem & Landgrauium, illum bello, hunc supplicem: eripit protestantibus 500. tormenta bellica: exigit 1600000. aureorum ab Imp. ordinibus, *Magdeburgum* proscribitur.

8 *Academia Ienensis* fundatur. *Sigismundus Augustus* R. Poloniæ *Gallica persecutio* recrudescit. *Pareus* nascitur.

9 *Academia Dillingana* in Bauariâ superiore, itemque Ossunensis in regno Granatæ. Hoc tempore numerata sunt per orbem Christianum 225044. *monasteria*. *Lutherani* viui comburuntur Lutetiæ spectante Rege.

1550

1550 *Iul.* III Rom. Pont. *Bellum Osiandri* de iustificatione. *Edicta Galli* in Lutheranos, & Cæsaris in Belgio. *Polus, Hosius, Ramus, Martyr, Za.* *chius, Bullingerus, Vignus, Bequinus, Osianianus, Peucerus* & Theologi florent. *Schola Bergomensis* floret. *Comitia Augustana* de futuro concilio Tridentino, & de modo Interim, & restituendis bonis ecclesiasticis.

1 *Confessio Saxonica* a Melanchtone scribitur. *Obsidio Magdeburgensis* soluitur, pace factâ. *Schenius* nascitur, *Bucerus* moritur. *Concilium Tridentinum* restauratur: ad quod Euangelici suos legatos & confessiones mittunt.

2 Carolus frustra *Metim* obsidet. *Formula Passauiensis* de libertate. *Confessio Vuirtembergensis* concilio Tridentino proponitur. *Albertus Brandeburgicus* multa loca in Germania occupat & vastat. *Fauus & Pacius* nascuntur. *Ionas*, *Osiander, Münsterus* moriuntur.

3 *Maria* Regina Angliæ succedit Eduardo. Lugduni *9. martyres* occiduntur, multi Lutetiæ. *Conflictus* Alberti Brandeburgici & Mauritij Saxonici, in quo hic perit. *Michael Seruetus* Geneuæ comburitur.

4 *Iohanna*, Suffolcij ducis filia, Regina Angliæ, capite plectitur, Elisabetha incarceratur. Ex Angliâ multi migrant, propter Mariæ sæuitiam; quam hoc anno Philippus, Cæsaris filius, vxorem duxit.

5 *Marcellus* II. Rom. Pont. & *Paulus* IV. Multi *martyres* in Angliâ, *Decretum Augustanum* de libertate religionis. *Vultejus & Gœddæus* nati, *Agricola & Gemma Frisius* mortui.

6 *Carolus Marchio Badensis*, reformat ecclesias. *Forsterus Sleidanus Tiraquellus* moriuntur; *Hosperus* comburitur.

7 *Elias Leuita* floret. *Varsauiæ* deliberatur de Augustanæ confessione recipiendâ. *Colloquium* Vuormatiense. *Riuius* moritur.

8 FERDINANDVS, frater Caroli V. an. 6. *Elisabetha*, Regina Angliæ, quæ regnum reformat. Moritur *Polus, Fernelius, Ferrarius.*

9 *Fridericus* II. R. Daniæ. *Franciscus* II R. Franciæ. *Confessio Gallica* cœpit exhiberi. *Flaccius*, eiúsque complices Ecclesiam turbant. *Frid.* III. succedit Ottoni Henrico, Electori, & reformat Palatinatum. *Rob. Stephanus* & *Duarenus* mortui. *Burgius* combustus.

1560 *Pius* IV. Papa an. 5 m. 2 d. 15. sub hoc concluditur Concilium Tridentinum. *Carolus* IX. Rex Franciæ. *Ericus* XIV. R. Suecorum. *Schola Gratianopolitana*, in qua docuit Cujacius. *Bauhinus* natus. *Melanchton, Lasco*, & *Sabinus* mortui.

1 *Maria*, Regina Scotiæ. Dirdæ *Flacciani* accusant Vvittebergenses & Lipsenses. *Conuentus* Naumburgicus. *Polanus* natus. *Lycosthenes* & *Viretus* mortui.

2 *Bellum Gallicum* supra 300000. Christianos abstulit, inde ab anno 1562. vsque ad an. 1623. *Schola Duacensis* fundatur. *Colloquium Pisiacenum* in Galliâ. *Confessio* Anglica. Moritur *Stigelius, Fallopius* Med. & *Pet. Martyr.*

3 *Maximilian.* Imp. Rex Vngariæ, priore anno R. Bohemiæ factus. Moriuntur *Castellio, Glareanus*, & *Frolenius*

4 MAXIMILIANVS II. Ferdinandi F. an. 12. *Maulbrunnense* colloquium. *Bibliander, Caluinus Hypertius*, & *Vesalius* moriuntur.

5 *Sultam Selymus* Imp. Turcicus. *Schola Gorlicensis* in Lusatiâ superiore. Et *Neuhusiana* prope Vvormatiam. Moritur *Turnebus, Farel.*

6 *Pius* V Rom. Pont. *Bellum Belgicum* incipit, causante Inquisitione Hispanicâ, & crudelitate Ducis Albani, qui moribundus gloriatur 18000. per manum carnificis trucidasse. *Confessio* Heluetica posterior & Belgicâ. *Fuchsius* moritur. *Funccius* decollatur.

7 *Iacobus* VI. R. Scotiæ. *Dux Albanus* in Belgiū venit, & creat senatū sanguinis. Moritur *Musculus & Oldendorpius. Iustus Ionas* decollatur.

8 *Colloquiū Altenburgense. Dux Albanus* & Princeps Auraicus confligūt aliquoties Marte ... *Oporinus & Schneidevvinus* moriuntur.

9 *Bellum Facciarum*, an peccatum sit substantia? *Maximilian.* frustra pro Belgis intercedit. Mortui *Cœlius* II. *Curio* & *Stigelius.*

1570 Schola *Compostellana* & *Vilontina* erigitur. *Diluuium* in Belgio. *Toletus, Zabarella, Fonseca, Piccolhomineus* florent.

1 *Benedictus Arias Montanus* sumptibus & auspiciis Philippi II. Hispaniarum Regis edit opus Regium. *Camvacnus* author est, monachum in Herfordiâ biduum ambulasse. *Noua stella* in Cassiope.

2 *Gregorius* XIII. Papa an. 12. m. 10 d. 27. Hic promulgauit Calendarium an. 1581. *Lanien a Parisiensis* crudelitate Pharaonicâ nobilitata. *Rudolphus*, R. Vngariæ. Mortui *Arias Montanus, Ramus*, & alij. *Marloratus* strangulatur.

3 *Hispani* Harlemum & Leidam frustra obsident. *Balduinus* moritur.

4 *Henricus* Andium Dux, R. Poloniæ. *Formula Concordiæ* in conuentu Torgensi. *Camerarius, Manutius*, & *Aretius* moriuntur.

5 *Academia Lugdunensis* in Batauiâ instituitur. *Rudolph.* Imp. R. Bohemiæ. *Amurathes* Imp. Turcicus. Moriuntur *Bullingerus, Flaccius*

6 RVDOLPHVS II. Maximil. F. an. 36. *Academia Helmstadiensis* fundatur. *Elisabetha*, Hermanni Comitis Hennebergici vxor parit liberos 365. vt Lud. Viues, Nathan Chytræus, & Philip. Camerarius testantur. *Anna* Sigismundi Augusti soror R. Poloniæ. *Liber Concordiæ* editur. *Fridericus* III. Palatinus obit, cui succedit Ludouicus F. *Requescentius* moritur, cui succedit Iohannes de Austriâ.

7 *Cometa* apparet.

8 *Regnum Siciliæ* ad Hispanos transit. *Philipp.* II. R. Hispan. phthiriasi perit. *Schola Neostadiana* instituitur. Iohanni de Austriâ mortuo succedit *Dux Parmensis.*

9 *Alexander Farnesius* felix est & hoc & sequenti anno. *Hosius* Cardinalis moritur.

1580 Schola *Pontemossana* in Lotharing. *Monasteriensis* Vvestphal. *Posnensis* in Poloniâ. *Franciscus Dracke* circumnauigat orbem terrarum. *Vbiquitarij* tumultuantur. *Gregorius de Valentiâ* floret Item, *Pacius, Melissus, Douza, Erythræus.* Moriuntur *Tremellius* & *Masius*

1 *Academia Franekerana* instituitur ab ordinibus Frisiæ.

2 *Æra Gregoriana* incipit, dicitur etiam *æra Liliana, Clauiana, Calendarij reformati.* *Buchananus* moritur.

3 *Colloquium* de Vbiquitate Quedlinburgi editum. *Zach. Vrsinus* & *Thom. Erastus* moriuntur.

4 *Princeps Auraicus* a sicario interficitur, cui succedit Mauritius F. *Sanbucus, Bucholcerus Car. Sigonius* moriuntur.

5 *Schola Herbornensis instituitur.* à Iohanne Comite Nassouiæ. Item *Schola Seruestana* incipit. *Regina Angliæ* mittit Lycestriæ Comitem in Belgium, vt rerum summæ præsit. *Lobwasser & Lauaterus* moriuntur.

6 Constantinopoli pluit *locustis. Christianus* succedit Augusto electori Saxoniæ. Mortui *Chemnicius, Gualterus, Vvesembecius.*

7 *Sigismund.* III. R. Sueciæ fit R. Poloniæ. Mortui *Bodinus. And. Gail Muretus, Oleuianus.*

8 Formidabilis illa *classis Hispanica* profligatur ab Anglis, duce Francisco Drake. Schola *Steinfurtensis. Thomas Candisch* circumnauigato toto terrarum orbe redit in Angliam, *Colloquium Mompelgardense. Zwingerus & Mynsinger* mortui.

9 Vt anno præcedente Hispani, sic hoc *Princeps Auraicus* cum suis multa præstat fortiter. *Platinus, Zabarella, & Sturmius moriunt.*

1590 *Mauritius Nassouius* in Belgio floret. Schola *Harderwicensis* inclarescit. Henricus IV. Rex Galliæ obsidet *Lutetiam*: vbi XIII. millia fame pereunt. *Vrban* VII. Rom. *Pont* & *Gregorius* XIV. *Breda* stratagemate capitur memorabili. *Bellarminus & Baronius* florent. Item *Tycho Brahe, Goclenius* &c. Moritur *Iac. Andreæ, Zanchius, Cujacius, Frischlinus, Hotomannus.*

1 *Sadeel & Donelius* moriuntur. *Mauritius* plures vrbes occupat.

2 Schola *Sedanensis* in Galliâ inclarescit: item *Bremensis* in Saxoniâ inferiore. *Clemens* VIII. Papa an. 12. m. 1. d. 3. Hic fuit Papa ... Mortui *Selneccerus* Parmensi succedit Pet. Ernestus *Comes Mansfeldiæ*

3 Ioh Leunclauius, Orlandus de Lasso, Martin. Mirus moriuntur.

4 *Sigismundus* R. Suecorum. *Gerh Mercator* moritur. *Ernestus* Archidux Austriæ venit in Belgium. Mauritius Groningam capit.

5 *Mahomet*, Imp. Turcicus XV.

6 *Christianus* III. R. Daniæ. *Albertus*, Archidux Austriæ præficitur summæ. capit Caletum. *Danæus & Sylburgius* moriuntur.

7 *Mauritius* cædit hostium 1000 & plura oppida occupat spatio 3 mensium. *Cruciger*, Douza, & Ald. Manutius moriuntur.

8 *Tiberis exundat* Romæ, & perdit 1500. homines, damnúmque inæstimabile vrbi & vicinis locis adfert. *Philippus* II. Hispaniarum rex cum variis morbis conflictatus obit cui succedit Philippus III. *Ortelius & Henricus Stephanus* moriuntur.

9 *Ferdinandus* Austriacus Lutheranos expellit. *Albertus* cum Margarethâ Austriacâ in Hispaniam appellit. Hanc sibi R. Hispaniæ illam sibi Isabellam despondet, Interea Mauritius Admiralium & Andream Cardinalem profligat.

1600 *Henricus IV.* Galliæ rex totam ferè Sabaudiam occupat. *Schola Dantiscana* claret. *Mauritius* in Belgio multa fortiter præstat, Albertum vincit, cæsis 7000. & capto Admiralio. *Keckermannus & Timplerus* clarent. Moriuntur *Beza* & *Tycho Brahe*.

1 *Magnus est terræmotus* 8. Sept. *Oliuarius* Hollandus totum terrarum orbem circumnauigat. *Ostenda* incipit obsideri ab Albano 5. Iul. durauitque obsidio 3 annos, 3 menses, cùm capta est à Spinolâ. *Mauritius* capit Rhembergam & Morsam. *Crellius* decollatur.

2 *Cometa*, alius noua stella apparet. *Ratisbonense colloquium* inter Lutheranos & Iesuitas. *Mauritius* occupat Grauiam, repellit Admiralium.

3 *Iacobus VI.* Rex Scotiæ. I eius nominis in Angliâ. *Coniunctio planetarum* magna VIII. *Hunnius & Ranzouius* moriuntur.

4 *Achimath* Imp. Turcicus. Melch. *Iunius* & *Pet. Vvesenbecius* mortui. *Basilius Inanouicius* R. Poloniæ. *Mauritius* felix in Flandriâ.

5 *Leo XI.* Rom. Pont d. 26. *Paulus V.* Papa an. 15. m. 10. d 13. *Botzkai* pugnat pro libertate religionis. *Veneti* excommunicantur. *Marpurgensis* reformatio. *Spinola* capit Oldensilium. *Bucquoyus* Vvachtenduncam & Grauiam.

6 *Hispani* quædam frustra obsident, quædam occupant.

7 *Academia Giessena* donatur priuilegiis à Rudolpho II. Imp. *Baronius* moritur. *Hemskerckius* prælio nauali confligit cum Hispanis.

8 *Carolus IX.* Rex Suecorum. *Forsterus IC & Philip. Nicolai* moriuntur.

9 *Iosephus Scaliger* moritur. *Induciæ Hispano-Belgicæ* confirmantur & publicantur ad annos 12.

1610 *Vnio* quorundam Euangelicorum incipit Halæ Suecorum, & *Liga* Papistarum Herbipoli. *Mauritius* capit Iuliacum. *Matthias II.* Rex Vngariæ.

1 *Gustauus*, Rex Suecorum.

2 MATTHIAS Imp. an. 7 m. 2. *Terræmotus* durat 4. septimanas Lemgouiæ & Bileueldæ. *Arminiani* in Belgio faciunt schisma.

In Galliâ pereunt 12. pagi & 400. homines exundatione Marne. *Osnabrugi* 1400. ædes conflagrant, 500 Magdeburgi. *Cada Bohemorum*

3 clamor puerorum mox disparentium portentosus.

4 *Spinola & Mauritius* occupant aliquot ciuitates in ditionibus Iuliacensibus.

5

6

7 *Academia Grôningana* fundatur ab ordinibus Grôningæ. *Ferdinandus* R. Bohemiæ.

8 *Bellum Bohemicum* & *Germanicum* oritur, quod hodiéque affligit patriam nostram Germaniam & sustulit supra 600000 hominum Oppidum *Plours* in Italiâ cum 1500. hominibus monte obruitur. Horribilis *cometa* conspicitur. Bucquoijus, Tampirus sunt duces Imp. contra Bohemos Bohemorum Comes Mansfeldiæ, comes à Thurn, Schlickius, & alij. *Fridericus* Elect. Palatinus & dux Bauariæ de rebus Bohemis conferunt. *Synodus* Dordrechtæ habetur.

9 FERDINANDVS II. Imp. *Fridericus* acceptat regnum Bohemiæ, ibíque vario pugnatur Marte.

1620 *Academia Schaumburgica* priuilegiis ornatur à Ferd. II. Imp. *Philippus III.* R. Hispaniarum. *Mahometh* Imp. Turcicus. *Pfaffenmütz* ordines Belgici imponunt Rheno.

1 *Gregorius XV. Papa.* an. 2. m. 7.

2 *Mustapha* Imp. Turcicus XVIII. *Dauid Pareus & Dionys. Gothofredus* moriuntur. *Comes Berga* occupat Iuliacum & Pfaffenmütz. *Spinola* frustra obsidet Bergobsomium.

3 *Vrbanus VIII.* Papa. *Comes Rithergius* capit Lippiam pro Hispano.

4 *Spinola* obsidet Bredam, & capit.

5 *Carolus I.* R. Angliæ.

6

7 *Horribilis terræmotus* vniuersam ferè Apuliam concutit, 30. Iulij, stylo nouo, multis vrbibus, oppidis, arcibus, pagis, syluis, & hominibus supra 17000. absorptis.

8 *Rudolphus Goclenius* moritur.

9 *Vesaliam* stratagemate, *syluam Ducis* deditione capiunt ordines.

1630

1

2

3

4

5


6

7

8

9

METHODVS CHRONOLOGIÆ.



PERORATIO CHRONOLOGIÆ.

Habes itaque, mi Lector, chronologiæ methodum; habes chronologicam tabulam. Vtrâque ſic vtere, vt æternitatem DEI & viciſſitudinem rerum humanarum inde diſcas, memoriam firmes, eloquentiam augeas, prudentiam compares. Hæc enim omnia ex hoc laudatiſſimo ſtudio ad te redibunt commoda, ſi mediocrem adhibeas diligentiam.

FINIS CHRONOLOGIÆ.

ENCYCLO



ENCYCLOPÆDIÆ LIBER TRIGESIMVS QVARTVS, *IN QVO* ARCHITECTONICA.

CAPVT I.

De Subiecto Architectonicæ.

PRÆCEPTA.



RCHITECTONICA est bene ædificandi scientia.

Eius partes duæ sunt; vna generalis, altera specialis. Illa etiam communis, hæc propria dicitur.

Pars generalis agit de subiecto architectonicæ, & de subiecti principiis atque affectionibus.

Subiectum architectonicæ est ædificium.

REGVLÆ.

I. *Architectonica est colophon totius Matheseos.*

Nam praxis luculentissima, eadémque vtilissima, disciplinarum mathematicarum, cernitur in architecturâ, cuius rationem explicat Architectonica.

II. *Subiectum architectonicæ adæquatum est ædificium, quocunque veniat nomine.*

Hoc ideo monere oportuit: quia vulgò vocabulum ædificij restringitur ad ædes, quas homo inhabitat. Hæ siquidem κατ' ἐξοχὴν veniunt hoc nomine. Sed in hâc disciplinâ generalissimè accipitur ista vox, pro quocunque loco, qui firmitatis, vtilitatis & venustatis gratiâ, vel ad inhabitationem, vel ad defensionem, vel ad delectationem extruitur.

CAPVT II.

De Causis ædificij externis.

PRÆCEPTA.

PRincipia subiecti, putà ædificij, sunt externa, vel interna.

Principia externa sunt efficiens, & finis.

Efficiens est princeps, vel organica.

Efficiens princeps est architectus, & is quidem triplex: videl. Sumptuarius, Ingeniarius, & Manuarius, vt ita docendi causâ loquamur.

Architectus sumptuarius est, qui curat ædificium extrui.

Architectus sumptuarius est, qui curat ædificium principaliter.

Architectus manuarius, siue subsidiarius est, qui ædificium extruit ministerialiter.

Efficiens organica est vel ratione architecti ingeniarij, vt Circinus, Norma, & splendida ædificia: vel ratione manuarij, vt sunt varia instrumenta fabrilia.

Finis ædificij est firmitas, vtilitas & venustas.

REGVLÆ.

I. *Architectus ingeniarius sit vir bonus, ædificium constituendi rationem doctus.* Architecti requisita.

Architectus est principalis, vel subsidiarius. Principalis est alius, qui sumptus facit, éstque finis cui: alius, qui ædificium extruit principaliter. Subsidiarius est officinator seu minister, vt faber lignarius, ferrarius, serrarius, item pictor, lapicida, laterarius, cæmentarius, fictor, materiarius. De architecto ingeniario hîc agere oportet. Is igitur primò sit *vir bonus:* quemadmodum Cicero idem requirit in oratore. Profectò nisi architectus sit vir bonus, non solùm priuatorum opes exhauriet, sed etiam magnatum regiones & prouincias absorbebit. Nam extruet ædificia, vel nimis sumptuosa, vel inutilia, vel instabilia, vel deformia. Talem igitur requiro architectum, qui hoc secum reputet, ita sibi extruendas esse alterius ædes, ac si ad ipsum spectent. Deinde requiritur, vt architectus percalleat rationem bene ædificandi. Necesse igitur est, vt sequentia obseruentur in architecto. 1. *Præditus sit ingenio viuido, & perquàm acri.* Atque hanc ob causam architectus vulgò dicitur Ingeniarius, & minister eius officinator. Vide *Vitruuium lib.1. circa finem.* 2. *Teneat principia Geometrica.* Nam architectus à Geometrâ mutuari debet vsum circini & euthygrammi (den senckel vnd winckelhacken) normarum item, librationum & linearum directiones. 3. *Optices non sit ignarus.* Debet enim architectus lumina à certis cœli spatiis per Opticen in ædificiis veluti capere: id quod singulare est artificium. 4. *Arithmeticæ gnarus.* Sine illâ siquidem nulla institui potest symmetriarum probatio. 5. *Antiquitatum scrutator.* Historiæ námque vt aliis artificibus, ita architectis maximam adferunt vtilitatem quatenus iudicium firmant. 6. *Physicæ peritus* Obiiciuntur enim sat multæ quæstiones naturales de aquarum ductibus, de aëris temperie, de soli varietate. 7. *Musicæ gnarus* Nam è soni proportione sæpenumero capi potest firmissimum argumentum de proportione & amplitudine loci. 8. *Medicinæ cultor.* Scire námque debet architectus, quæ loca sint salubria, quæ insalubria, & alia multa, quæ concernunt sanitatem. 9. *Responsa ICtorum doctus.* Debet enim scire architectus, quinam parietes sint communes, quæ stillicidia, quæ cloacæ, quæ lumina, quæ fenestræ, quæ demolitiones, quæ denique aquarum ductiones. 10. *Astronomiam doctus.* Architectus enim orientis, occasus, septentrionis, meridiei, astrorum, æquinoctiorum & solstitiorum rationem pernosse debet. Has omnes scientias in architecto inesse postulat Vitruuius, quem, velut Cicero perfectum oratorem, describit. Hanc itaque architecti ideam sibi proponat, qui tam plausibili architecti titulo gaudere aliquando cogitat. Neque tamen architectus erit Aristoxenus in Musicis, in picturâ Apelles, in Medicinâ Hippocrates, in Astronomiâ Ptolemæus. Quid ergo?

Non erit ἄμουσος, non ἀγεωμέτρητος, non ἀναστρολόγητος: sed ea sciet è singulis artibus quæ faciunt architecturæ rationem, vt scitè ait *Iacobus Pontanus dialog. volum 3. part 2. tit 1. de architecton.* Hinc patet, architectum optimo iure collocari inter liberalium disciplinarum professores, non autem inter opifices. Etsi enim quidam existiment, quòd fabricatio architectum in opificibus esse cogat, ratiocinatio eum iisdem eximat: hoc tamen non satis ingeniosè dicitur: quia, vt Plato ait, nullus architectus vtitur manuum operâ, sed vtentibus præest. Hoc interim damus, vulgò architectum dici, qui manum operi admouet. Sed hinc non sequitur, alium architectum non dari, qui adnumerandus sit liberalibus hominibus. Consideremus illos, qui se dicunt de Societate Iesu. Quid verò illi? quid? Annon sunt architecti præstantissimi & ingeniosissimi? At iidem sunt professores humanitatis. Et sanè optandum esset, in singulis Scholis ali huiusmodi architectos; qui principia laudatissimæ huius scientiæ instillarent iuuentuti. Hoc enim si fieret, minus tenebrosarum, fumosarum, ruinosarum ædicularum cernere daretur: minúsque sumptuum in ædificia profunderetur.

Quot instrumenta sufficiant architecto?

II. *Norma & Circinus sufficiunt perito architecto.*

Discat igitur rationem circuli probè probéque: quia circulus est fons omnis proportionis, quæ quidem architecto est necessaria. Inspiciat deinde varias variorum ædificiorum historicas & graphicas descriptiones: putà vrbem sanctam, templum Salomonis, & similia. Vide infra hâc de re. Cæterum per normam hîc vel inprimis intellige illam, quæ dicitur **der maßstab.**

Finis ædificij triplex.

III. *Finis ædificij semper obuersetur architecto ante oculos.*

Finis quippe mediis conciliat ordinem & mensuram. Finis autem, ad quem architectus collineare debet, sit firmitas, vtilitas, venustas: eáque vel ratione defensionis ab iniuriis cœli aut hostium, vel ratione oblectationis. Hunc enim ad finem omnia sunt præparanda: nimirum vt ædificia sint firma, vtilia & venusta, vt ait *Possevinus lib. 13. biblioth. c. 18.* Si quid enim eorum desit, infirma, inuenusta & inutilia erunt, ideóque ædificia verè non erunt. Proinde grauiter hallucinantur, qui vel solius firmitatis, vel solius vtilitatis, vel denique solius venustatis habent rationem. Nam oportet tres istos fines coniungere, non autem facere diuortium, si quis velit habere ædificium omnibus numeris absolutum. Primò autem habenda ratio firmitatis, tum vtilitatis, tandem venustatis. Et firmitatis quidem ratio habetur, si probè solidéque iaciantur fundamenta, omnísque selecta materia sedulò paretur: vtilitatis autem, si locorum membrorúmque apta consideretur dispositio: venustatis denique, si membra suas habuerint symmetrias, proportionisve responsus.

CAPVT III.

De Materialibus ædificij.

PRÆCEPTA.

PRincipia ædificij interna sunt materia & forma. Materia ædificij est præexistens, vel coëxistens. Illam appellant materialia ædificij, hanc integralia.

Materia præexistens est, ex quâ ædificium fit: vt sunt ligna, lapides, lateres, calx & arena. Nam etsi requiruntur quoque ferrum, æs, plumbum, & similia, tamen architecto huiusmodi res non est tactio. Hæc & similia solent appellare copias ædium.

REGVLÆ.

Quid de materiâ seu lignis tenendum in architectonica?

I. *Ligna dicuntur materia κατ' ἐξοχὴν: de cuius indole sunt triplicia theoremata; quorum alia loquuntur de tempore, quo cædenda est materia, alia de modo, alia de qualitatibus.*

Quando materia sit cædenda, patet ex his theorematis. 1. *Materia cædenda est à nouo autumno, donec flare incipiant Fauonij, nempe circiter sextum Idus Februarias.* Ratio est in promptu: quia verè prægnantes redduntur arbores, succúmque transmittunt ad ramos: per autumnum verò, dum maturitate fructuum frondes moriuntur, succus è terrâ in radices venit, inde robori suo arbores restituuntur, & ad pristinam soliditatem redeunt. Deinde cœlum hybernum eas constringit & comprimit. Atque hæc regula loquitur de tempore in genere: in specie de eodem teneantur sequentes regulæ. 2. *Materia cædatur decrescente Lunâ.* 3. *In cedenda materiâ dies serent præferantur nubilis.* Causas vide supra in *Vranometriâ part. 4. cap 9.* Quomodo materia sit cædenda, docent hæc axiomata. 1. *Crassitudo arboris ad mediam vsque medullam incidatur, & aliquamdiu sub dio relinquatur quo per vulnus illud humor & succus tanquam sanies depleatur, & destillet, arbórque siccescat.* Intus enim relicti humores cùm concreuerint, putorem concipiunt, & materiam vitiosam efficiunt. Si materia sic euacuetur, quandam operi futuro perennitatem præstat. Videmus enim stantes adhuc in syluâ, & viuas arbores, si humorem superuacaneum ferro, eo modo, quo diximus, vulneratæ exsudauerint, nullam siccescendo admittere senectutem. 2. *Arbores, antequam securibus sternantur, tondeantur, ramis scil. circumquaque amputatis.* Hoc enim ad maiorem facit siccitatem. 3. *Materia cæsa reponatur loco vmbroso*: qui scil. radiis solaribus & ventis non sit expositus. 4. *Quæuis materia adhuc virens, humido defossa, æternat.* Cato eam amurcâ illiniri suadet, vt ne teredinosa existat. 5. *Materia nonnisi post trimestre adhibenda ad vsum.* Densari enim eam priùs, & maturam adipisci firmitudinem oportet, quam ad opus accommodetur. Ad asseres valuásque conficiundas ante triennium satis siccam fore materiam non putauit Theophrastus. 6. *Materia educta non debet trahi per rorem, sed post meridiem.* Quænam arbores ædificiis potissimùm sint idoneæ, docent hæc theoremata. 1. *Materies à ventis deiecta ne adhibeatur ad ædificationem.* Nam partim ægræ arbores deiiciuntur, partim vehementi deiectione corrumpuntur. 2. *Arbores infœcundæ sunt firmiores fœcundis, syluestres hortensibus & satiuis.* 3. *Arbores fertiles præcoces sunt infirmiores serotinis.* 4. *Arbores dulces sunt infirmiores acutis, quæ habent fructus acerbiores.* Exemplo sunt fagus & quercus. 5. *Arbores, quæ ventos & tempestates sustinuerunt, sunt quidem firmiores & crassiores: breuiores tamen & nodosiores, quàm quæ in vallibus locísque vento inaccessis venerunt.* 6. *Materia quæque quò breuior, hoc fragilior: quò crispior, eò astrictior.* 7. *Quæ arbores viuæ diutiùs vigent, eædem stratæ seriùs corrumpuntur.* 8. *Quò minus medullæ inest in quouis ligno, eò illi natura robustior: & quæ partes sunt medullæ propiores, cæteris duriores ac densiores inueniuntur; quæ cortici viciniores neruo sunt tenaciore.* Etenim in arboribus locum cutis obtinet extremus cortex; carnis, quod subest cortici; ossium, quod medullam proximè circumdat. 9. *Arbores ædificiis potissimùm idoneæ ac vtiles censentur istæ: quercus, robur, æsculus, populus, tilia, salix, alnus, fraxinus, vlmus, pinus, cupressus, oleaster, iuglans, olea, castanea, larix, buxus, cedrus, ebenum, vitis, cerrus.* Ex his patientissima humoris est *alnus*; fluuialibus ac palustribus fundamentorum palationibus omnes vincit: sed in aperto aëre & sole non durat. *Æsculus* humoris est impatiens. *Vlmus* in propatulo densatur, alibi pandatur, nec persistit. *Picea & pinus* si terrâ operiantur, ad æternitatem proficiunt. *Robur* spissa, neruosa, compacta humorem respuit. Ideò ad terrenas habitationes est apposita, seruítque perferendis oneribus, & in columnas aptari potest. *Olea, ilex, oleaster* sunt robori similes. *Quercus* non senescit. *Fagus & iuglans* ab aquis non læduntur, ideoque defodiuntur. *Fraxinus* in opere omnium est durissima. *Vlmus, Fraxinus, iuglans*, asseribus parum sunt idoneæ: quia facillimè franguntur. *Cupressus* valet ædibus contignandis: quia cariem vetustatémque non sentit, rimámque suâ sponte non agit. Hinc prouerbium: Digna cupresso. *Larix* structurarum moles firmissimè ac diutissimè sustentat, cariei repugnat. 10. *Columnis vtiles sunt suber, pinus syluestris, morus, acer, & vlmus.* 11. *Trabeationibus & tignis longè optima abies.* Sustinet enim grauissima onera, nec parietibus est molesta. Lectis, valuis sellis, & mensis seruit. 12. *Nux ad asseritia opera admodum est tractabilis.* 13. *Scalarum gradus ex orno & acere fabricantur optimè.* 14. *Tubi ducendis aquis ex pinu, piceâ, & vlmo fiunt.* 15. *Simulachra, signa, tabulæ, fiunt è larice fœminâ, buxo, cedro, cupresso, populo albâ & nigrâ, salice, sambuco, ficu.* Plura de materiâ vide apud *Vitruuium lib 2. cap. 9. Palladium lib. 1 c. 2. Leon Alb. lib. 2. cap. 4. 5. 6.*

Qu... de l... con... ten... arci... cto

II. *In lapidibus oportet spectare locum, species, & proprietates.*

Locus dicitur latomia, lapicidina & saxifodina, quæ est vel mollis, vel temperata, vel dura & silicea. Ex mollibus saxifodinis exempti lapides faciliùs in opere tractantur, & in locis tectis laborem sustinent, in apertis & patentibus, gelicidiis & pruinis affecti friantur & dissoluuntur, itémque in locis maritimis salsugine exesi diffluunt. *Species lapidum* sunt variæ. Sunt enim lapides quadrati vel cæmentitij. Alij sunt rediuiui, fortes & succosi, vt silex, marmora & omnes qui sunt graues & sonori: alij exhausti, leues, surdi, vt tophi & omnes sabulosi. Alij sunt certæ figuræ, puta planis superficiebus, lineis & angulis: aut variâ multiplicique figurâ, quos dicunt lapides incertos. Alij sunt prægrandes, quos sine trahâ, rutulo & gerulis nemo tractat: alij minuti, quos vel vnâ manu tollas: alij

alij insti, qui sunt intermedij. Alij denique sunt fusci, alij albi: alij translucidi, alij opaci. *De lapidum proprietatibus* sunt hæc theoremata. 1. *Lapides albi fuscis sunt faciliores; translucidi opacis ductiliores: saxa immitantes intractabiliores. Arenâ infecti, sunt asperi, quibus scintillæ aureæ intermicant, contumaces: micantibus scatentes punctis indomiti, guttis angularibus aspersi firmiores, quam qui rotundis; & quò minores guttæ, eò lapis tolerantior: & quò cuique color purgatior ac limpidior, eò magis æternus: quò minùs venarum habet, eò integrior. 2. Venæ lapidum coloratæ, æquabiles; tenues, morosos, anfractuosæ, austeros; internodosæ, acerbos quodammodo indicant. Si multæ fuerint venæ, lapidem dissimilem sibi & inconstantem arguunt. 3. Lapis contractus, quò minùs erit cute asperâ, eò habilior erit scabro: candidiores minùs sũt obsequentes. 4. Crustiores aqua aspersi, tardius arescunt: graues leuibus solidiores, minusque friabiles: qui dum feriuntur resonant, surdis densiores, & qui ad scalprum contumaciores, aduersus tempestates sunt valentiores. 5. Æstate, non hyeme lapis ad ædificium effodiendus, & sub dio habendus nec ante biennium in opere locandus.* Nam ventis, gelicidus, imbribus ac cæteris tempestatibus assuefaciendi sunt, vt sint postmodũ constantes, & inuicti aduersus omnes iniurias. Qui læsi fuerint, in subterraneas structuras vtiliter conijcientur: cæteri qui probati velut à naturâ, cœlo committentur. 6. *Lapis humectatus ferro est tractabilior, quàm cùm exaruerit.*

III. Laterum duo sunt genera. Nam alij ad Solem siccantur, alij ad ignem coquuntur. Isti crudi, hi testacei dicuntur. De vtrisque sunt hæc theoremata.

1. *Lateres sibi ad vsum commodi, ad gratiam apti, ad perennitatem firmi. 2. Lateres ducantur, non de luto arenoso, calculoso, ne grauitatem & pondus iniustum habeant: ne cum ab imbribus maduerint, paulatim dilabantur in pariete: ne præterea quæ ipsis admiscendæ sunt paleæ, propter asperitatem nequeant cohærere. Fiant igitur de terrâ albicante, cretosâ, siue de rubrica aut etiam masculo sabulone 3, Lateres vere & autumno ducantur. Probe ad Solem vel ignem siccentur Nec simul vt ducti fuerint, in fornacem immittantur, nisi admodum sicci sint. Nec vero ante biennium arescent satis, & in vmbrâ commodius, quàm in Sole siccabuntur. Nunquam parentur per solstitium. Nam Sol efficiet, vt aridi videantur, cum intus sicci nondum sint, & sic postmodum siccescendo contrahuntur.* Oportet autem lateres planè siccos esse: ne si in structuram recentes & humidiores veniant, obducto & obsolidato tectorio sidentes, ipsi parem cum eo altitudinem non teneant, contractioneque refugientes, ab eius coniunctione diuellantur. 4, *Si necessitas coëgerit, per hybernum tempus fingere lateres, illicò siccissimâ arena operiuntur, si per mediam æstatem, humidis paleis.* Sic enim non findentur, neque contorquebuntur. 5. *Tria sunt genera laterum, qui sæpe miscentur ornatus gratia.* Quidam sunt longi sesquipede, lati pedem: quidam palmos quinque quoquouersus: quidam palmos non plus quatuor. Illi minores, isti maiores, hi mediocres.

IV. *De calce sunt hæc theoremata.*

1. *Calci efficiendæ inutiles sunt lapides aridi, putrescentes, exhausti.* Siquidem tertià parte minus habere ponderis calcem oportet, quàm suus lapis habuerit. 2. *Terrosus lapis impuram reddit calcem 3. Optima coctio de saxo albo, præduro, & admodum spisso: aut silice, quæ in testudinibus vtilitatem magnam præstabit. Quæ cocta est de fistulosis lapidibus, destinabitur tectoriis.* Est enim ductilior, & opera splendida reddit. 4. *Ex collectitiis torrentium lapidibus, globosis, fuscis & præduris, paratur calx non contemnenda. Vtilior tamen effossus lapis, quàm collectitius, & ex fodinâ vmbrosâ ac humenti, quàm ex arenti. 5. Lapis feruore flammarum in calcem redigitur non minùs horis sexaginta.* Postquam coctus fuerit, intra se latentem ignem cohibet; aqua superfusâ exardescit, oleo extinguitur. 6. *Calx extincta cum materiâ ad aptam temperaturam ita confunditur, vt vna pars cum tribus arenæ fossitiæ, & rursus vnà cum duabus fluuiaticis aut litoralibus permisceatur. 7. Calx est nauci, quæ ex fornacibus apportatur glebis non integris, sed resolutis, valdeque puluerulentis. Proba est quæ candicat, quæ leuis & sonora, quæque si aspergas aquam, multum vaporis emittit. 8. Calx tenaciùs adhæret lapidibus ex eâdem fodinâ, quàm externis. 9. Gypsum est calcis genus, & comparatur è cocto lapide, qui tener est & friabilis, horis non plus viginti.* De fornace calcaria est apud *Catonem cap* 38.

V. *Arenæ tria sunt genera fossitia, fluuialis, & litoralis.*

Arena fossitia maximè laudatur: estque nigra, cana, rubra, carbunculus, glareosa. In iis facilè primas tenet *carbunculus:* qui fit è materiâ molliore, quàm sit tophus, & solidiore, quam sit terra ignibus naturâ perusta in Hetruriâ. *Cana* locum tenet postremum. *Glareosa* fundamentis faciendis adhibetur. Ea est optima, quæ è fluento post primam cutem abreptam eximitur. *Fluuialis* seu fluuiatica est optima, quæ ex torrentibus petitur. *Litoralis* seu marina, est vltima bonitate, tectoriis optima, si eius salsugo abluatur dulci humore. Porrò theoremata de arenâ sunt hæc. 1. *Fluuiatilis arena humidior est, quàm fossitia, atque idcircò ductibilior, & tectoriis habilior. 2. Arena fossitia ob pinguedinem tenacior. 3. Optima in suo genere arena est, quæ manu confricata stridorem edit, citra asperitatem terrosa projectáque in candidum vestimentum & inde excussa non fœdatum relinquens, nec terram dimittens ibidem. 4. Non bona est arena, quæ per se lenis, colore odoréque terram luteam imitatur: item, quæ intra aquam exagitata eam valde turbulentam reddit & limosam. 5. Arena fossitia breui in structurâ arescit; perdurant cum eâ tectoria; concamerationes perpetitur, si modò recens sit.* De his materialibus ædificiorum prolixè & doctè scripserunt *Vitruuius lib. 2. Palladius lib. 1. Albertus Leo lib. 1. & Barbarus lib. 1. architect.*

CAPVT IV.

De Loco ædificij.

PRÆCEPTA.

Materia ædificij coëxistens est, ex quá ædificium constat.

Ea spectatur ratione loci & partium integralium.

Locus est communis, vel proprius.

Locus communis est regio; in qua quinque veniunt spectanda: videlicet cœlum, aër, aqua, terra, & ornamenta.

Locus proprius est area, quæ consideratur totaliter & partialiter.

REGVLÆ.

I. *Cœlum consideretur ab architecto quãtum ad zonas & climata: quæ referantur ad duodecim signa cælestia.* Quomodo architectus debeat considerare cœlum?

Hæc autem petantur partim ex Sphæricis, partim ex Astrologicis, partim denique ex Geographicis.

II. *Aëris salubritas his probis, vt vocant, seu indiciis deprehenditur.* Quæ sint probæ aëris?

Aër iudicetur salubris 1. Si eius simplicitati nullus spiritus fæculentus, perspicuitati nihil fumidum, leuitati nulla grauitas se permiscuerit. 2. Si ventis agitetur subinde. 3. Si nunc frigore purgetur, nunc calore. Ratio primæ probæ est; quia vapores & nebulæ fermè sunt catarrhosi & pestilentiales. Ratio secundæ probæ est; quia si agitationis sit expers, crassescit, inquinatur, & vaporibus nociuis oppletur. Venti autem probantur ij, qui oppositu syluarum aut montium antè refracti & accisi sunt, aut tanquam de longinquo itinere fessi spirant, neque cooriuntur de locis palustribus, lacustribus, fœtidis, contagiosis. Genitorem, custodem, restitutorem bonæ valetudinis Aquilonem; languoris, pituitæ, morborumque patrem & conciliatorem Austrum vocant. Illius natura quasi mascula est & durior, huius fœminea & mollior, quo regnante ne pecudes quidem tutò in pratis errare arbitrantur poëtæ. Et gentes septentrionales australibus incorruptiori vtuntur valetudine. Ratio terræ probæ est; quia frigus densat noxios vapores, quos calor consumit & dissipat.

III. *Aquam considerant architecti iuxta has regulas.* Quæ sint probæ aquarum?

1. *Aquæ genera sunt quinque.* Est enim pluuialis, fontana, fluuiatilis, puteorũ, & stagnans. Primo ac laudatissimo loco sunt pluuiales: secundo fontanæ: tertio fluuiatiles, si leues, claræ, molles, bonæ: quarto puteorum, quæ sunt insalubres: quinto ac vltimo stagnorum, quæ sunt pessimæ. Vide *Laurentium Iobertum in quæst. medic. 2. Aquæ sunt examinandæ partim gustatu, partim igne, partim pondere, partim denique diutina asseruatione,* Laudatissimi saporis, odoris, coloris illam aquam decernunt, quæ omni sapore, odore, colore caret: quod est elegans paradoxum Physico-architectonicum. Item quæ aqua pellucida & tenuis; quæ candido superfusa linteo nullas labes aut maculas relinquit; quæ nihil sui post aliquam quietem perdit, aut in fundo relinquit; quæ postquam calefacta deferbuit (vocant defractam) & quieuit, nihil limi, fæcis aut arenarũ in imo vasis relinquit; quæ cum farinâ subacta bonum

panem efficit; in quâ celeriter decoquuntur legumina; quæ cito concaleſcit, quæ parum ponderoſa; quæ alueum quo labitur, & ſaxa, quæ alluit, muſco non prætexit. 3. *Vtile eſt ad aquam probandam conſiderare temporum figuras & lineamenta hominum illam bibentium.* Si enim illi fuerint validi, colore nitido, rectis cruribus, acri oculorum obtutu, ventre neq; obeſo, neque abdomine caſtigato, puram eos ac ſalubrem aquam bibere credendum eſt. In hiſtoriis eſt, quòd Romani fundaturi oppida, & caſtra ſtatiua metaturi, pecudum exta ſolicitè rimati fuerint. Quòd ſi iecinora liuida aut vitiata inuenirent, quoniam id malum aquarum vitio eueniſſe ſibi perſuadebant, citra cunctationem alibi caſtra faciebant. Vſque adeò ingentia in aquis ſunt momenta ad bonam corporis temperationem. Si quid enim in iis viſcoſum, craſſum, impurum & crudũ admixtum lateat, homines qui illas bibunt, aut ſtrumis deformantur, aut calculis excarnificantur, aut aliis inualetudinibus diuexantur. 4. *Aquæ fontanæ proba hæc eſt optima.* Si fons nouus fuerit effoſſus atque inde in vas Corinthium ſiue alterius generis, vel etiam æneum aqua fuerit illata, quæ ſparſa maculam non inuſſerit, ea erit optima. 5. *Nulla eſt aqua ſalubrior, quàm quæ ex imbribus colligitur:* quippe quæ, aiunt, gignatur ex fontibus leuiſſimis, ſubtilibuſque tenuitatibus; deinde per aëris excitationem perfuſa tempeſtatibus, liqueſcendo defluat in terram. 6. *Aqua reſes, id eſt, vbiq; immota eſt inſalubris: reſtagnans autem peſſima eſt illa, quæ hirundines alit, vbi vero anguillæ innatant, non adeò eſt noxia.* 7. *Aquæ ad orientem Solem ſitæ, ſunt ſalubriores his, quæ ad ſeptentrionem, & his quoque, quæ ad calidos ventos ſitæ ſunt, etiamſi ſtadium dumtaxat interſit.* In prioribus enim illis eſt moderatior caliditas & frigiditas. 8. *Aquæ paluſtres ſecundùm mare ſpectantes ad ſeptentrionem, aut inter hunc & orientem, ita vt paludes excelſiores ſint litore marino, non nocent.* Idem iudicium de muris & munitionibus ſitis in paludibus. Ratio theorematis hæc eſt. Ex maris tempeſtatum redundantiâ, vel cùm in mare patet exitus, fit vt paluſtrium venenatorum genera in foſſis non naſcantur, vel vbi fuerint nata, inſuetâ fluctuum ſalſedine necentur. Sin autem ſecundùm mare ad meridiem vergant aut occidentem, eæ vtique haud fuerint ſalubres, quoniam æſtate cœlum meridianum caleſcit Sole exorto, meridie ardet: quódque ſpectat ad occidentem, id Sole exorto tepeſcit, meridie calet, veſpere feruet. Plura de aquis vide apud *Vitruvium libr 8. cap 5 & Leon. Albert l. 1. c. 4. 5.* vbi ait, Regionem deligendam, vbi arbores naſcantur multæ, rectæ, non autem ex latere vno cadentes (quod indicium fit ventorum continenter eas agitantium) copioſæ, magnæ, vberes fructibus, pulchræ, guſtui gratæ, vbi naſcantur homines pulchri, multi, graciles, bonæ indolis & humani.

Solum quale eligendum architecto?

IV. *Terra, ſiue ſolum, exploratur hoc modo.*

1. *Non extruantur ædificia in montibus inacceſſis, niſi exigat neceſſitas.* Munitiones tamen & propugnacula ibi collocare licet. 2. *Vitentur ſolitudines.* Ibi enim conſeruationi non datur locus. 3. *Aditus ſint complures:* vt importari & exportari queant neceſſaria. 4. *Solum ſit ſolidum:* ſiccâ ſcilicet humiditate; & humidâ ſiccitate. Debent enim ſubſtructiones fieri locis quàm ſolidiſſimis. Si natura non præſtet illam firmitatem, confugiendum erit ad artem, vt quàm creberrimis palis ac fiſtucationibus adactis muniatur. Excauationibus crebris ſolum eſt pertentandum. id quod non magis ad aquam eximendam, quàm ad firmitatem experiendam valet. *Pallad. lib. 1. c. 7. Barbarus l. 1 c. 1. Albertus l 3. c 4. 5. Indicia ſoli hæc ſunt:* Si ibi herbæ fuerint, quæ humidis in locis enaſcuntur, lutoſum id erit. Sin arbores, quæ in ſiccis regionibus proueniunt, ibi adoleuerint; ſiccum erit, adeoque aptum exædificationi. Si ſaxa, ſoliditatis erit ſignum. Contrà ſcaturientes aquæ, ſonituſque terræ ex grauium rerum caſu ſiue motu, fabricam non admittunt. Si item vaſa aquarum plena, vel membranæ tympanorum humi ſtratæ, graui aliquâ re decidente non trepidauerint, aut ſonitum ediderint, neque verò aqua diffundatur, firmitatis erit ſignum. Hæc vbi extrinſecus innotuerint, iam crebris excauationibus natura ſoli interiùs penetranda erit. Ac quidem natura multis quaſi cutibus, aut coriis ſolum contexit, vel craſſiore ſabulo, vel minutâ quâdam arenâ, quandoquè cretâ vel argillâ, nonnunquam topho vel cœno, atque item permixtione quâdam rerum diuiditur, ita vt non eadem ſoli qualitas ſit in ſuperficie, ſed alia ſub cute, alia in imâ cernatur parte. Ab omni igitur arenoſo, glareoſo, molli, paluſtri atque congeſtitio ſolo cauendum eſt. Solidius porrò fuerit ſolum, quod ferro magis obſiſtet, cumque madefactum fuerit non diſſoluetur. 6. *In ſolo ſpectandi ſunt fructus & homines. Fructus* hoc modo: Si ſerius putreſcant, ſalutiferæ terræ eſt expiratio; ſi ſecus fiat, eiuſdem ſoli afflatus erunt noxij; ſi nempe fruges fructuſque, quæ in granariis & apothecis reponuntur, cito conſumpuntur. *Homines* hoc pacto. Si multi ibi ſint ſenes, valentuli, viuaces, ſuccipleni pueri; ſi facies formoſæ, membra robuſta & vegeta, optimum eſt ſolum. Si item animalia firmiſſimis reperiantur membris, viſceribuſque ſanis, ſanum eſt ſolum. 7. *Ædificia ſcabra & carioſa malignitatem ſoli probant.* Et arbores, ſi in vnam partem velut conſeſſu proclinatæ aut refractæ viſantur. Etenim hoc immoderatorum ventorum eſt indicium. 8. *A conuallibus abſtinendum.* Ratio eſt; quia niuibus talia ædificia obruuntur, eluuionibus intercipiuntur, humorem imbibunt nimium, quo & valetudo hominis, & integritas fructuum læditur. Sole nimium calente propemodum exuruntur qui eò loci habitant, ob radios vndiquaque repercuſſos. Si à ſole deſerantur, peſſima exiſtit aëris conſtitutio. Venti in hujuſmodi locis conſtricti vehementiſſimè ſæviunt & diſturbant omnia. Si paulùm ſileant, aër contractâ ſpiſſitudine ægreſcit quaſi, nec eſt ibi aliud quàm ſtagnum aëreum, ſeu lacuna aëris. Seligantur itaque loca editiora, vbi aſſiduitate motionis aër excitetur & velut exerceatur. Id inprimis diſpiciendum, num complanatio ſoli, ſi ſit montuoſius, vt loquuntur, vel expletio, ſi ſint in eo valles aut præcipitia, ſit ſumtuoſior.

V. *Ornamenta regionis faciunt ad ædificij pulchritudinem.*

Or- ta ni- m æd cu

Superiora requiſita faciunt partim ad ſanitatem hominis, partim ad ædificij firmitatem. Ornamenta pertinent ad pulchritudinem & venuſtatem, tum regionis, tum ædificij, & ad hominis voluptatem. Huiuſmodi ornamenta ſunt animalia rara, plantæ ſingulares, loca amœna, vt horti, & ſimilia: de quibus præcipere nihil attinet, quòd fermè ita pendeant à naturâ, vt ars non multum momenti poſſit hìc adſerre.

VI. *Areæ videnda eſt conditio & partitio.*

Q ar co re ar

Area eſt pars regionis, certum nempe ſpatium ædificationi deſtinatum. In hanc conueniunt fermè omnia ea, quæ de regione diximus. Speciatim verò in eâ oportet conſiderare conditionem & partitionem. *Conditio areæ* his continetur theorematis. 1. *Alia loca requirunt altam aream.* Videndum itaque quodnam opus ſuſcipiatur; Publicum an priuatum, ſacrum an profanum, curiáne an ſtabulum, ara vel hara, aula vel caula, templum an theatrum. Alius enim areæ modus & ſitus alibi deſideratur. 2. *Area eſt angularis, vel circularis.* Angularis definitur lineis rectis, vel partim rectis, partim flexis. Commodiſſimi cenſentur anguli recti: acutis, niſi neceſſariò, non vtimur: obtuſos non indecoros iudicant. Rotunda area eſt capaciſſima, ad quam, ſeu aggere, ſeu muro circumdandã minor requiritur impenſa. Secunda huic, quæ plurimos habet angulos proiectos. 3. *Anguli cuiuſq; areæ compares omninò, atq; inter ſe reſpondentes atq; æquabiles eſſe oportet.* Inter lineas etiam proportio exigitur. In angulis & lineis ſit quædam varietas, & paria paribus reſpondeant. Hic notandi ſunt quidam architectis familiares termini. Lineæ ſunt *extrema præſcriptio*, vel, vt alij legunt, perſcriptio, quâ integrę arę ſpatium circumcluditur. Linearum alia recta, alia flexa. *Recta*, quæ æqualiter inter ſua puncta extenditur. *Flexa* eſt pars circuli, quæ dicitur arcus. Huc pertinent iſti termini: *diameter, radius, ſagitta, chorda*: de quibus ſuprà in Geometriâ. 4. *Area eſt naturalis, vel artificioſa.* Vtraque debet eſſe firmiſſima. Eapropter foſſione vnâ vel alterâ, interuallo intercedente, denſitas, raritas & mollitudo ſoli indaganda eſt: vt quàm idoneum ſit ſtructurarum onerib. perferendis, intelligatur. 5. *Area artificialis aut plano ponetur loco, aut accliui.* In plano exaggeranda erit, & quaſi podium ſubſternendum. Conciliat enim hæc res dignitatem: &, ſi omittatur, ab alluuionibus fluminum & imbrium limus & rudera conuehuntur in plana, ex quo tumores ſeu tumuli paulatim exiſtunt: & circum ea loca cardui, lappæ, & alię inutiles herbæ naſcuntur. 6. *Quæ tecto operiuntur areæ, ad libellam æquabuntur: ſub dio relictæ tantum deprimentur, quantum ſatis eſt, vt cœleſtium aquarum illapſus immittant.* 7. *Areæ ornamẽta, ſunt vel naturalia vel artificioſa.* Naturalia, vt promontoria, colles, antra, fontes, veterũ rerum veſtigia. Artificialia, vt ſi columnæ, obeliſci, arbores ſtatuantur. & alia, quorum aſpectus poſteris admirationem iniiciat. 8. *Ad authoritatem loci confert, ſi ſplendidum ei nomen imponatur.* Sequitur *partitio areæ*, quæ totam aream, quam vocant primam, in minores areas ſecernit, ſtatuendis ædificiis minoribus, vel ædificij partibus. In hâc totam ingenij ſui vim architectus conſumet, ſiue ſit ciuitas, ſiue domus extruenda. Ciuitas enim eſt maxima domus, & domus minima ciuitas. De hâc partitione ſunt iſta theoremata. 1. *Apta ſit omniũ membrorum ſymmetria.* Quemadmodum enim in animali membra membris: ita in ædificio partes partib. reſpondebunt. Hinc maiorum ædificiorũ maiores conuenit eſſe quaſi artus. 2. *Accõmodatus cuiq; parti ſitus* (artifices vocãt poſiturã) *decernatur*: ſcil. non amplior, quam poſtulat vſus, nec arctior quàm poſtulat dignitas: nec loco alieno, ſed ſuo, atque ita proprio, vt alibi partem quamque commodiùs conſtitui potuiſſe neges. Non ſit honeſtiſſima & publica ædium futura pars loco abditiore, & in receſſu, nec, quæ priuata magis, in propatulo. 3. *Temporis ratio habenda, vt alia hybernis, alia æſtiuis deſcribantur locis*: quorũ illis ſoles, his vmbræ & venti debentur: & cùm illa compreſſiora fiant, hæc magnitudine luxuriant. 4. *Partitio optima*

optima eſt, quæ non eſt interrupta, non confuſa, non diſſoluta, non ex malè conuenientibus compactа membris, non nimiùm multis non nimiùm paruis: in quà denique omnia pro vtilitate rerum agendarum.

Capvt V.

De Integralibus ædificij.

Præcepta.

Partes ædificij integrales ſunt principales vel minùs principales.

Principales ſunt tres: Fundamentum, Parietes cum Apertionibus, & Tectum.

Minùs principales ſunt reliquæ.

Regvlæ.

dif- uor is nda *I. In ædificio principaliter duo ſpectare oportet; videlicet fundationem & ſuperſtructionem.*

Fundatio reſpicit regionem & aream. *Superſtructio* eſt parietum, apertionum, & tecti.

ie- iot ida *II. In parietibus oportet ſpectare partes, ornamenta, & genera ipſorum.*

Quæ diximus cap. proximo de regione ac areâ, illuſtrant doctrinam de fundamento ædificij, & proinde huc facilè poſſunt accommodari. De parietibus igitur & reliquis partibus hic agendum. Ad parietes quod attinet, illi ſunt ſtructuræ, quæ ab humo altius attolluntur tecto ſuſtentando; quæque intra ædificium inſtar ſepti & valli per vacua ducuntur. In iis oportet expendere partes, ornamenta, & genera. *De partibus* hæc m ſunt theoremata. 1. *parietum primariæ ſunt tres Ima*, quæ illicò ſupra fundamenti infarcturam ſurgit; quam appellant podium ſeu ſuggeſtum. *Media* quæ parietem circumambit atque amplectitur; quæ dicitur procinctura. *Suprema*, quæ vltimum parietis illaqueamentum habet, quam coronam nuncupant. 2. *Parietum partes etiam ſunt columnæ ſeu pilæ inſertæ*; quæ ſi ſint marmoreæ, ſic præſeruantur à vitiis. Marmor contactu calcis non modo candorem amittit, ſed etiam obſcœnis maculis fœdatur. Fumos dedignatur, oleo delibutum palleſcit. Nuda igitur marmora, ſine calcis illinimento obducto præſtant. 2. *Parietes ſunt vel lutei, vel lapidei*: & hi dicuntur *muri*, in quibus ſunt prominentiæ, & teſtudines. *Prominentiæ* ſunt coronæ, ſiue protecta (alii vocant projecta tanquam ſupercilia illorum, & ſuggrundulæ arcendis ſtillicidiis. *Teſtudinum* genera ſunt tria: Tectum ſphæricum, quod imponitur parietibus, à circulari areâ ſurgentibus: Camera, quæ quadratis debetur areis; Fornix, quo teſtudinis genere operiuntur areæ angulorum quatuor. *Ornamenta parietum* ſunt columnatio & n cruſtatio. *Columnatio* eſt, quâ parietes columnis exornantur n- *Columna* eſt firma & perpetua parietis pars, excitata ad perpendiculum à ſolo imo vſque ad ſummum, tecti ferendi gratiâ. Columna igitur eſt pariete dignior. Nihil enim eſt in vniuersâ re ædificatoriâ, quod tantum operæ impenſarúmque deſideret, nihil, quod intuentes magis afficiat. Quid? Ab ipſis intercolumniis, ſeu intercolumniorum ſpatiis & diſtantiâ domus nomen ſortitur, vti tradit Vitruuius. Dicitur enim *Pycnoſtylos*, vbi crebræ columnæ: *Syſtylos*, vbi paulò remiſſiores: *Diaſtylos*, patentibus. *Aræoſtylos* rarius quàm oportet inter ſe diductis. *Euſtylos* interuallorum iuſtâ diſtributione conſtat. Theoremata de columnis notentur iſta. 1. *Quibusque columnis fundamenta debent ſubſtitui.* 2. *Fundamentis ad areæ ſuperficiem planam coæquatis murulus ſuperſtruitur; qui vocatur arula & puluinar: & ſupra eam baſis: inde columna.* 3. *Columnæ ſunt æneæ, vel ligneæ, vel lapideæ: & omnes vel rotūdæ, vel quadrangulæ.* Lignearum & lapidearum capita ferreis annulis vinciuntur, ne mole ponderum fatiſcant. 4. *Columnæ portam, parietem, genus omne apertionis, plateas denique & ſimilia coboneſtant.* 5. *Columnæ monumenta ſunt poſteris.* Ideò priſci tam ſplendidas erexerunt. 6. *Columnæ ſunt medianæ, vel angulares.* 7 *Loca columnis vndique clauſa, vocantur periſtylia.* 8. *Paries ad columnarum rationes tolletur, vt eius altitudo colūnæ capitulum æquet: craſſitudinem obtineat, quantam in imo columna.* Peccatur itaque. ſi paries, vel tenuior, vel craſſior, vel denſior, vel ſublimior ſit, quam ratio modúſque poſtulat. Magis autem tolerabilis eſt error, ſi peccetur in exceſſu, quàm in defectu altitudinis. Non tam materiæ præſtantia, quàm proportio hic ſpectanda eſt, vt paria paribus, dextra ſiniſtris, ſumma infimis conſentiant. Nonnunquam materia ignobilis arte tractata amplius, quàm nobilis temerè coaceruata placet. Cruſtatio eſt, quâ paries tanquam veſte ornatur. Eſtque alia inducta, alia adacta. Inducitur gypſum aut calx: adigitur lapis, vitrum, & huiusmodi prioris generis ſunt albaria, pura, inſignita, pictoria. Poſterioris obtabulata, ſectilis, teſſellulata, vitra, & quæ ex his miſcetur. Theoremata de cruſtationibus hæc ſunt. 1. *Cruſtationibus non minùs tres tunicæ arenationum, ſiue cutes adigendæ. Primarum* officium eſt, parietis ſuperficiem prehenſare arctiſſimè reliquaſque continere. *Extremarum*, expromere venuſtates expolitionum, colorum, & lineamentorum *Mediarum*, vitia vtrarumque emendare, & prohibere. Primæ ſint acres & mordaces: vltimæ ſint molliores. Si enim vltimæ & ſupremæ fuerint acres & mordaces, quales primas eſſe decet, propter acrimoniam dum ſiccesſunt crebis rimulis interſcindentur. Si primæ fuerint molliores, quales debent eſſe vltimæ, non comprehenſabunt tenaci morſu parietem, ſed deſiſcent. 2. *Murus, quò erit recentior & aſperior, eò arenationes denſiùs continebit.* Quare ſi ſub initium, dum extruitur opus, primam quamuis tenuem arenationem induxeris, captus ſuperinducendis tenaces præſtabit. 3 *Poſt Auſtros commodiſſimè omne cruſtationis genus inducitur.* Per Boream, frigus & æſtum inducta ſcabreſcent, preſertim cutis vltima. *Parietum genera* ſic recenſent architecti *Eſt paries* 1. *Cratitius*; qui ad ſimilitudinem cratis ex arrectis transverſisque cannis, arundinibus, perticis, lignísve componitur. Huiuſmodi parietes vituperat *Vitruuius l. 2. c. 8.* quòd ſint parati ad incendia. 2. *Concratitius*; qui inter duos confines conſtruitur: aliâs *intergerinus, intergeſtus & intergerrins.* 3. *Marmoreus.* 4. *Cæmentitius.* 5. *Teſtaceus*; qui ex latere igni percocto conficitur. 6. *Lateritius*; qui ſtruitur è crudis lateribus, ſole tantùm coctis & duratis. Eſt.n. apud Vitr. later alius crudus, alius coctus, idemque teſtaceus, rigens & ſonans veluti teſta. Crudi lateres duriſſimæ ſunt ſoliditatis & ad diuturnitatem ædificiorum egregios præſtant vſus. Cæterùm lateritij parietes ſunt, vel *diplinthij*, vel *triplinthij*, i. e. duorum aut trium ordinum laterum in corij latitudinem ſtratorum. πλίνθος quippe later. 7. *Formaceus*; qui duabus tabulis circumdatis tanquam in formam infarcitur Iſidoro *formatus*, ſeu *formatius* 8. *Maceria*; quæ è ſolis cæmentis, ſine arenato, temerè congeſtis, fundis villis, hortis, vineis tutandis aptus paries. 9. *Stylobata*, ſeu *ſtereobata*; paries ſuſtentans columnam. 10. *Sidens*, ſeu *euanidus*; cùm arena & calx humorem parietis exſiccant. 11. *Cæcus* qui feneſtratus non eſt. Hinc *Varro 2. de ling. Lat.* vocat. *cubiculum cæcum*, quod feneſtram non habet. 12. *Communis*; quem communiter vicini ædificant. 13. *Directus*; cuius extremum attingit alterum parietem. 14. *Rudis*; cui nondum inductum eſt tectorium. 15. *Ventrem faciens*; qui in medio euadit prominens, aut turgens, extra perpendiculum. Parietum genera quàm Varia.

III. Apertiones ſunt, quâ rebus & hominibus initus & exitus patet. Suntque vel maiores, vt oſtia, intercolumnia & ſcalæ: vel minores, quarum aliæ luminibus ventiſque admittendis, vt feneſtræ; aliæ rebus domeſticis ſeruiunt, vt ſcaphæ & ſcalæ fumariæ ac ſimiles. Apertiones quam variæ.

De oſtiis ſunt hæc theoremata. 1. *Oſtia pro vſu loci, maiora, minora, plura, pauciora erunt.* Sic in publicis & ſplendidis ædificiis maior earum erit numerus, quàm in priuatis. 2. *Oſtia erunt magis alta quàm lata.* 3. *Oſtia ibi conſtituentur, vnde in omnem ædificij partem commodiſſimus ſit aditus.* 4. *Cauendum. ne muri oſtiis, & reliquis apertionibus debilitentur.* Itaque ab angulis & columnis longiùs recedendum. *De intercolūniis* hæc ſunt theoremata. 1. *Intercolumnia ſic ponenda, vt columnarum, quæ tectis ſuſtinendis relinquuntur, diligentiſſima habeatur ratio*: ne ſcilicet iſtæ columnæ ſint graciliores aut rariores. quàm vt tectum ſuſtineant, neque craſſiores aut frequentiores, quàm vt areæ ſpatia & aditus ad rerum temporúmque vſus expedita relinquantur. 2. *Cùm crebræ fuerint columnæ, trabs cùm raræ, arcus ſuperponendus eſt.* *De ſcalis* hæc ſunt theoremata. 1. *Scalæ toto ædificio quò erunt pauciores, & quo minus areæ occupabunt, eò commodiores cenſebuntur.* 2. *Præcipuū ſcalarum decus, primáque gratia eſt, ſi ſint luminoſæ: tum amplæ, areolis interceptæ*: in quibus ſcilicet feſſi à conſcendenti labore reſpirent; quoque minùs accliues fiant. 3. *Aditus ſcalarum*, qui ſolet vocari os ipſarū. *ſit ſpecioſus* 4. *In ſcalis requiritur feneſtra, per quàm lumen immittatur.* Solet dici ſcalarum feneſtra. *De feneſtris* hæc ſunt theoremata. 1. *Qualibet domus pars ſit prædita feneſtris*: quò ſcil. renouetur aer, qui incluſus corrumpitur & nocet. 2. *Feneſtræ ſint accommodatæ ad loci vſum, & parietis amplitudinem*: tot nempe & tantum lucis excipiant, quot & quantum opus fore videbitur. 3 *Feneſtræ, quæ ventos ſalubres ſpectant, quàm apertiſſimæ fiant* Illarum etiam ſponde humiles erunt, vt cùm aperiuntur, corpora incolarum afflentur. Quæ verò ventis non valde ſalubribus obiiciuntur, ita in ſublimi ponentur, vt paries intercedens ventum à corporibus prohibeat. *Æſtiuis conclauibus, ſi ad ſeptentrionem ſpectent, feneſtræ ampliores: meridianis arctiores propter Solem conueniunt.* 5. *Feneſtræ, & omnes apertiones, quæ luminum causâ fiunt, ſublimes potiùs quàm humiles ſint*: quia vultu ſpectamus, lumina, non pedibus: & alioquin vnius aut alterius hominis interuentu loca obſcurantur. 6. *Feneſtræ non ſunt collocandæ in* Architectura feneſtrarū qualis?

angulis parietum: quia eorum junctura diſſoluitur : & nullo loco æque validam atque inimatam ſtructurã eſſe conuenit, vt in angulis murorum ſi vel vnus vitium fecerit, totis ædibus damnum creatur. Itaque prudenter antiqui angulis majorem quam parieti reliquo dedere craſſitudinem. 7. *Feneſtræ maiores ſint quadrangulæ, minores arcuatæ.* Sic oſtia majora quadrangula, minora arcuata in ædibus probant architecti. Antiqui feneſtras quadrangulas plerumque interſepto, & arrectario illud ipſum interſecante in crucis ſpeciem diſtinguebant: nõnunquam duobus arrectariis, quam vocant crucem duplicem. Loco arrectariorum ſolent ponere hodie columellas. Stoici probabant feneſtras arctis, Epicurei latis luminibus. *De reliquis apertionibus* hæc ſunt theoremata. 1. *Scapæ ſiat in pariete* : quæ ſignis & tabulis locandis ſeruiunt. 2. *Scalæ vnde aqua & fumus egrediuntur, vt ſunt putei, cloacæ, gula camini & culinæ præfurnii & æſtuaria, ſic ſiant vt & ... ædium non turbent, & valetudini hominis ædiumque integritati non obſint.* Hinc architecti. Fumo, inquiunt, & aquis parandus eſt talis exitus, ne conſiſtant, ne exuberent, ne inquinent, ne offendant, ne periculum adferant ædificio. Itaque gula foci longiùs aberit à materiâ, ne vel ſcintillis diſſilientibus, vel concalefactione trabes, aut ligna proxima flammam arripiant. 3. *Putei maximè in publicâ & patenti ædium parte ſtatuendi.* Sub dio qui ſunt, puriorem aquam præbent. 4. *Quacunque in parte ædium aut putei, aut cloacæ fuerint, aut aqua diffluet, illic plurimum aeris ſe per apertiones ob id laxiores, ingerat neceſſe eſt.* Hâc enim ratione, cùm ventorum afflatu, tum aëris impulſu aſſiduo, humidæ pauimentorum & craſſæ exhalationes depellentur.

Quid de tecto præcipiunt architecti?

IV. Tectum eſt ſuprema ædificij pars : vbi occurrunt materia, ſpecies, ornamenta, & cognata.

De *materiâ* tecti hæc ſunt theoremata. 1. *Materia tecti ſit ita comparata, vt reſiſtat tempeſtatibus.* Tectum eſt ſublimis & extrema ædium pars quâ imbres, niues, grandines excipiuntur. Itaque tecta ſunt arma noſtra contra impetus, hybernarum inprimis tempeſtatum, totiúſque domus ſalus. Multum igitur diligentiæ adhibendum, vt tecta ſint firma. Quã ad rem duo conferunt, bonitas ſcil. materiæ, ipſiúſque idonea compages. 2. *Materia tectorum peſſima eſt ſtramen, optima lapis fiſſilis & tegulæ.* Materia olim erat ſcandula, ſiue vt alii legunt apud Vitruvium, ſcindula : quo nomine vocantur aſſerculi ſectiles ſeu tegulæ quædam ligneæ. Scandulæ è robore aptiſſimæ, mox è fago : facillimæ ex omnibus, quæ reſinam ferunt, ſed minimè durãt, præterquam è pinu. Hodie vtimur tegulis, iiſque vel planis, vel cauis & hamatis : quæ ita collocantur ab officinatoribus, vt duos ſingulæ imbrices conjungant. Imbrices autem ſunt tegulæ canalis in formam ductæ, & velut ſemitubuli. Vtimur lapide ſciſſili, qui etiam ater dicitur. Hic ſerrâ dentatâ, vti lignum, in laminas ſecatur & aſſulatim frangitur. Ex eo tecta, templorum præſertim turriumque pugillares & abacos, fieri mos eſt. Tecta hujuſmodi vocant pauonina; quòd lapidum ſectilium cruſtæ ſeu bracteæ, aliæ ſuper alias poſitæ, caudam pauonis referant. Germani primum genus vocant ſchindel/ ſecundum ziegelſtein/ tertium ſchiffer/ ſtein. Ad ſtraminea tecta quod attinet, illa vno verbo ſunt ſtraminea. *Species tectorum* ſunt quòd alia ſint ſub dio, alia non. Illa ſunt, quæ ad nullos ambulationis vſus, ſed ad cœli prohibendas injurias ponuntur : iſta vocantur pauimenta, quibus fit vt ædificio quaſi aliud ædificium ſuperimponatur. Hæc olim magni fiebant, & erant ſuperba in palatiis diuitum & principum. Hodie fiunt pauimenta lignea, lateritia, aut è glareâ. Principiò poſtea λιθόστρωτα, *lapillis ſtrata*, fuerunt ſectilibus etiam teſſeris, id eſt, paruis cruſtis colorum variorum opere muſiuo, & quadratis grandioribus. Fiebant & pauimenta ſpicata teſtacea laterculis coctilibus junctis, & in latus proclinatis, ad ſpicarum ſimilitudinem. Fiebant & ſcutulata, fruſtis rotundis ſcuti figurâ. Sunt porrò *tecta* vel *faſtigiata*, vt apud nos; vel *plana*, vti erant tecta Syrorum, aliorumque Paleſtinorum, vbi non.

Sæpe ruit denſum tacitarum vellus aquarum.

Hinc intelligere eſt, & quare Deus in lege mandarit, vt hujuſmodi tecta circumcirca lignis altioribus quaſi includerentur : ne ſcil. homines ibi obambulantes, vel cibum capientes, deciderent. *Ornamenta tectorum* his continentur theorematis. 1. *In culminibus, pinnis, metis & ſummis ædium templorumque faſtigiis ponantur ſigna ærea* : vti ſunt pyramides, quæ ornatus causâ ponuntur : itemque tritones, vti ſunt bracteæ ſiue petala, quæ aduerſa ventorum ſignificant flamina expedito circumactu, ſiue ſint vexilla, ſiue galli, ſiue ſemilunæ, ſiue Soles. *Vitruuius lib. 1. c. 2.* 2. *Febulæ contignationum, teſtudinationum & cruſtationum poſſunt eſſe variæ.* 3. *Vitri, auri, æris, plumbi, ... & marmoris intertextura valde ornat tectum.* *Tectorum cognata*, ſunt contignationes, concamerationes, & quidquid latum & longum eſt ſupra habitantium caput.

CAPVT VI.

De Formâ ædificij.

PRÆCEPTVM.

Satis de materiâ ædificij : jam de formâ ipſius, quæ eſt ipſa diſpoſitio congrua.

Ea cõſideratur vel vt introducẽda vel vt introducta.

Forma introducenda eſt exemplar in mente architecti, quod exprimitur graphide ſeu typo.

Graphis eſt delineatio futuri ædificij ; eaque eſt vel generalis, vel ſpecialis.

Graphidis generalis tres ſunt partes : videlicet Ichnographia, Orthographia & Sciagraphia ſeu Scenographia.

Graphis ſpecialis eſt delineatio facta juxta quinque columnas ſiue ordines ; qui ſunt Hetruſcus, Doricus, Ionicus, Corinthius, Latinus ſeu mixtus.

Forma introducta, eſt conueniens ædificij ordo: cujus cauſa exemplaris eſt conueniens ille ordo vniuerſitatis rerum, conſtans cœlo tanquam tecto, terrâ tanquam baſi, reliquis elementis intermediis tanquam parietibus, quem ordinem primus ille architectus DEVS expreſſit quàm ſapientiſſimè ac potentiſſimè.

REGVLÆ.

I. Forma ædificij eſt ipſius veluti anima.

Architecti tradunt ſex media, per quæ poſſit obtineri finis architecto propoſitus. Media iſta ſunt. Ordinatio, Diſpoſitio, Eurythmia, Symmetria, Decor & Diſtributio ſeu OEconomia. Alij tria faciunt media videlicet Materiam. Fabricam & Ratiocinationem. Nos μεθοδικώτερον progreſſi, diſtinctè propoſuimus principia & affectiones ædificij. Inter principia illa facilè primas tenet forma ædificij : quæ id eſt in domo, quod anima in corpore. Sicut enim anima corpus regit & continet, atque gratiam ipſi concilat : ſic etiam forma ædificij, quæ poſita eſt in legitima diſpoſitione, ædificio conciliat dignitatem & amabilitatem.

II. Nulla domus ædificetur ſine graphide.

Graphis dicitur ἀπὸ τοῦ γράφειν aliâs *typus*. Hæc nihil eſt aliud, quam apta rerum collocatio, repræſentata ab architecto vel in chartâ, vel in ligno, exhibens futuri operis ſpecimen. Hujus tanta eſt neceſſitas, vt ſine eâ nullum laudabile poſſit extrui ædificium. Hujus igitur modum præſtantia ingenia debent probè perdiſcere, vt ne jactura fiat pecuniæ, temporis & exiſtimationis. *Graphidis iſtius partes ſunt numero tres.* 1. *Ichnographia* ; quæ eſt areæ iacentis deſcriptio futuri operis ſpecimen exhibens. Vulgò *planam formam* appellant, quæ circini & regulæ fit adminiculo. Itali vocant *plantam*, q. d. veſtigium fabricæ : Germani, den grundriß. Hinc phraſis, in grund legen. 2. *Orthographia* ; quæ eſt frontis ipſiuſmet erectio, cum iam non planum opus, & ima operis veſtigia imaginamur, ſed frontem ipſam, id eſt ædificium ſubrectum, & frontem attollens. Hinc orthographia vocatur erecti aduerſique operis deſcriptio. Hæc igitur erecta frontis imago, modiceque picta futuri operis figura magis ponit ob oculos externam ædificij diſpoſitionem, quã internã. Italis dicitur *fronte*: Germanis, der aufriß. Exẽplum vtriuſque, ichnographiæ & orthographiæ, vide paulò pòſt in templo Salomonis. 3. *Sciagraphia* ſeu *ſcenographia*. quæ non tantùm veſtigiaria, nec frontalis aut aduerſaria futuri operis eſt efformatio, ſed etiam lateralis, id eſt, frontis & laterum abſcedentium adumbratio, ad circinique centrum omnium linearum reſponſus. Hæc igitur eſt vti verſi tecti, quod Græci ſcenam dicunt deformatio, id eſt, internæ partis ſectio : non frontis tantùm, vt orthographia, nec areæ tantum, vt ichnographia. Hæc imaginaria ſcenæ excitatio Italis dicitur *profilo*, Latinis profilum, artificibus *modellus*, & magis Latine modulus. Iſte modellus variis fit modis. Nam quidam operis ſuſcepti ſimulachrum & formam fabrefaciunt è ligno, eo fine, vt futura errata deprehendant, paruoque negotio iis anteuertant. Alii è cerâ fingunt, & tum vocatur *propotypum* : alij è cerâ formant, & tum vocatur *proplaſma*. ipſa verò ars typorum iſtorum vocatur *plaſtice* & *proplaſtice*. Magnopere ſane laudandus eſt mos

Fo… æ… eſt ani…

(… dis… ta… pa… qu…

mos iſte, vt ſcil. non lineis tantùm & pictura, ſed ſigno quoque aliâve materiâ ædificij inſtituendi exemplar táquam proplaſma effingatur: in quo vniuerſum opus, ſingulæque partes & earum dimenſiones, numeri, ordo, omniumque rerum ad ædificium ſiue conſtituendum, ſiue exornandum ſpectantium, parietum, tectorum, conclauium, columnarum, capitulorum, baſium, coronarum, faſtigiorum, cruſtationum, ſtatuarum, &c. facies perpenditur & examinatur. Nam in iſto modulo, nulla cum iacturâ adiungere, detrahere, immutare, peruertere eſt integrum. Impenſarum explicatior inîri poteſt ratio, dum in huiuſcemodi ſimulachro propoſitæ ædificationis latitudo, altitudo, craſſitudo, amplitudo, forma, ſpecies, qualitas antè conſideratur. Debet autem modulus carere exquiſitiore artificio. Non erit politus, coloribus fucatus, picturis decoratus, ſed nudus & ſimplex: vt nempe eò meliùs iudicari poſſit de toto opere. Porrò graphis ſpecialis reſpicit quinque illas decantatas architectorum collũnas, Hetruſcam, Doricam, Ionicam, Corinthiam & Latinam ſiue miſtam. Vitruuius conſtituit tria ipſarum genera, Doricum Corinthium & Ionicum. Sed recentiores addidêre Hetruſcum ſiue Tuſcanicum, & Latinum ſiue Italicum. Quæ columnæ reuerà ſunt columnæ architecturæ: ſuntque id architectis, quod modi ſunt Muſicis & carminum genera poëtis. Si quid enim ipſis affabrè ſit extruendum, oportet vt ad vnam ex his columnis reſpiciant.

CAPVT VII.

De Affectionibus ædificij.

PRÆCEPTA.

HÆc de principiis ædificij: ſequuntur affectiones, numero tres; videlicet Eurythmia, Symmetria & Decor.

Eurythmia eſt venuſta ſpecies ædificij, commoduſque in compoſitionibus membrorum aſpectus.

Symmetria eſt operis ipſius membris conueniens conſenſus, ex partibuſque ſeparatis ad vniuerſæ figuræ ſpeciem ratæ partis reſponſus.

Decor eſt emendatus corporis aſpectus, probatis rebus compoſitis cum authoritate. *Vitruuio dicitur* egregia ædificij authoritas.

REGVLÆ.

I. *Affectiones ædificij pendent ab ordinatione & graphide.*

Ordinatio apud architectos eſt, quando membra futuri operis ſeparati comparantur inter ſeſe. Principiò enim requiritur, vt architectus ſingula ædificij membra conſideret ſingillatim, antequam ea diſponat. Et hinc dicta eſt ordinatio quòd ordine ſingula ſint inſpicienda. Hâc ratione fit, vt nihil effugiat architectum. Quid ſit graphis, dictum eſt cap. anteced. Quòd ſi hæc duo diligenter & prudenter ab architecto fiant, affectiones ſiue proprietates ædificij vltrò ſequentur.

II. *Eurythmia fit, cum membra operis ſunt conuenientia.*

Cùm nempe altitudinis ad latitudinem, latitudinis ad longitudinem ea eſt ratio, vt omnia reſpondeant ſymmetriæ.

III. *Symmetria fit, quando eſt proportio legitima partium cum toto, & partium inter ſe.*

Nimirum in ſymmetriâ duplex attenditur relatio: vna totius & partium, altera partium inter ſeſe.

IV. *A principiis & affectionibus ædificij pendet examen architectonicum.*

Exmen architectonicum (aliâs analyſis architectonica) eſt quo breuiter expenduntur principia & affectiones ædificij vel conſtructi, vel conſtruendi: videl. *efficiens*, vt eſt architectus; *finis*, qui eſt defenſio ab iniuriis cœli & ſimilibus, eáque firma, vtilis, & decora; *materia*, quæ eſt partim in lapidibus, lignis, & ſimilibus; partim in fundamento, parietibus, apertionibus & tecto; *forma*, quæ conſiſtit in ideâ & perfectione ideam ſequente; & denique *affectiones*, quæ poſſunt venire nomine proportionis. Breuiùs hoc examen ſic expeditur. In domo ſpectetur œconomia & proportio. OEconomia eſt commoda diſpenſatio: eáque vel neceſſaria, vel honoraria. Neceſſaria eſt partim fundatio, vbi ſpectanda regio & area, partim ſuperſtructio, eáque parietum, apertionum, & tecti. Honoraria eſt variorum ornamentorum acceſſio. Proportio eſt εὐρυθμία & συμμετρία. Hæc eſt venuſta partium omnium inter ſe congruentia: illa, venuſta ſpecies, commoduſque ſingularum partium aſpectus. Atque hoc eſt examen architectonicum generale: cui deinceps ſpeciale ſubiungi debet, quod inſtituitur iuxta præcepta & regulas ſequentium capitum. v. gr. ſi examen ſpeciale vrbis vel templi ſit inſtituendum, illud expedietur iuxta regulas de vrbe, deque templo propoſitas.

CAPVT VIII.

De Vrbe.

PRÆCEPTA.

HActenus de parte architectonices generali: iam de ſpeciali, quæ ſpecies ædificiorum exequitur.

Ædificium eſt togatum vel bellicum. Vnde architectura eſt togata, vel militaris.

Ædificium togatum eſt publicum, vel priuatum.

Ædificium publicum eſt vniuerſale, vel particulare.

Ædificium vniuerſale eſt vrbs, quam inhabitat vniuerſa ciuium multitudo.

REGVLÆ.

I. *Architectus inprimis contemplabitur vrbes magnificè extructas, eáſque ſibi proponet tanquam ideam.* Quas vrbes inprimis contemplari debeat architectus?

Contemplabitur, inquam, vrbes illas præſignes, quatenus & ab hiſtoricis deſcribuntur, & à chalcographis depinguntur, & adhuc viſuntur in ſuis locis. Sic v. g. proponet ſibi vrbem ſanctam Hieroſolymam, cuius typum tibi hic exhibemus: item Romam veterem: item Monachium in Bauariâ, Venetias in Italiâ, & ſic deinceps. Nominatim diligenter inſpiciet vrbem ſanctam: quippe quæ ab ingenioſiſſimis, architectis eſt partim fundata, partim exornata, partim amplificata: quæque non potuit non eſſe vrbs perfectiſſima, quòd typus eſſet Eccleſiæ militantis & triumphantis. Vide tabulam ſub ſigno ⊙. titulo. *Vrbs Hieroſolyma.* ⊙

II. *De vrbe teneantur iſta theoremata.*

Architectura vrbium qualis?

1. *Vrbes ad Solem orientem, vnde Euri veniunt, conuerſæ, egregiè ſunt ſalubres*; quia ſcilicet in parte iſtâ cœlum calore ac frigore temperatius, nec tot inde aut tam periculoſi morbi. Quæ ad ſeptentrionem reſpiciunt, feliciùs cenſentur poſitæ, quam quæ meridiem intuentur: à quo mundi latere ſpirat Auſter, ſiue Notus, Græcè νότος, quaſi νόσος, id eſt: morbus, quia varios inuehit morbos; vel à nomine νοτίς, id eſt, humor; quia humectus & nebuloſus eſt, adeóque morborum quaſi parens. Porrò vrbes quæ occaſum verſus ædificantur, obiciunturque ventorum inde ruentium flatibus, plurimas corporibus ægritudines adferunt. Hic obiter obſerua, vrbes antiquitùs in orbem fuiſſe factas, vnde vrbs ab orbe dicta putatur: niſi malis deriuare ab vruo, parte aratri, quo muri deſignabantur. Quâ de re illuſtris eſt apud Catonem locus: Qui, *inquit*, vrbem nouam condit, tauro & vaccâ aret: vbi arauerit, murum faciat: vbi portam vult eſſe, aratrum ſuſtollat, & portet, & portam vocet. Quod attinet ad diſcrimen inter vrbem & ciuitatem, Seruius, Nonius, & Iſidorus tradunt, vrbem eſſe muros ſeu mœnia, ciuitatem habitatores ſeu incolas. Videmus tamen vrbem pro ciuitate, & contrà, cap. 2. *Loci editiores & ſublimiores ſtatuuntur ſalutares:* quia toti patent ventis, qui cùm aërem continenter exagitent, iſto modo purum & tenuem præſtant. 3. *Locus eſt deligendus, qui ſuppeditat neceſſaria, quique finibus eſt ita munitus, vt ſit hoſti non facilis aditus:* Alij malunt vrbes excitare in locis deſertis, ad quæ hoſtis non queat, vel velit venire. Sed hoc eſt præter rationem, quæ iubet perpendere id quod eſt ſecundùm naturam. 4. *In loco, qui vrbem capiet, ſit aquarum, fontium, riuorumque copia, ſi non naturalis, arte eò deducta per alueos, ciſternas, & tubos.* 5. *Vrbs, quæ abeſt à mari decem plus minùs milliaribus, eſt optima.* Si enim ſit maritima, piratis eſt expoſita, & aſſiduis negotiationibus & aduenarum multitudine minimè quieta. 6. *Fugiendum, ne mons contiguus immineat, vnde hoſtis vehementer vrgeat.* Inprimis cauendum, ne circumiacentia loca ita ſe habeant, vt hoſti prodeſſe queant. 7. *Ambitus vrbis mediocris eſt optimus.* Attamen amplior auguſtiore melior. 8. *Murorum & turrium hæc erit ratio.* Terræ multiplices ſunt quaſi cutes. Aliæ

quidem

quidem fabulosæ, aliæ calculosæ, aliæ arenosæ. Reperienda est solida & densa cutis, & eò vsque murorum & turrium fundamenta fodienda. Anguli murorum non placent: quia hostibus lacessentibus commodant, & nō sunt pares machinarum iniuriis tolerandis. Si ad loca præcipitia ducantur muri, aditus non erit expeditus hosti. Portarum itinera non directa, sed obliqua & sinistra sunto. Muri ita lati sunto, vt defensores armati obuiam facti commodè se prætereant: tam alti, vt scalis admotis transcendi nequeant: calce structuráque ita firmati, vt tormentorum ictibus non cedant. Turres in exteriorem partem proiiciendæ sunt, vt cùm hostis impetu voluerit ferri ad muros, è turribus appetatur telis. Tantò fermè spatio distabunt turres, quanto telum adiici potest, vt si qua oppugnabitur, vtrinque sagittis ei ad hostem depellendum succurratur. Tutiores sunt rotundæ ac polygoniæ quadratis. Nam hæ minori negotio impactis in angulos arietibus dissipantur. Figura rotunda ita est comparata, vt vix pati queat. Nullum quippe angulum habet expositum: & aries semper in centrum adactus, velùti cuneos multos compactos non lædit. Turres, quo latere vrbem spectant, muro nudatæ ponantur, & apertæ, ne hostem immissum protegant. 9. *Ex angiportis & plateis excludantur venti, qui frigidi lædunt, calidi vitiant, humidi nocent.* A regionibus quoque ventorum directiones vicorum conuertendæ sunt, vt aduenientes ad angulos frangantur, repulsique dissipentur. 10. *Si propè mare sit vrbs posita; area foro deligetur secundùm portum; si mediterranea, in medio oppido.* 11. *Ærarium, carcer, curia, foro coniungentur*: ita scil. vt magnitudo symmetriæ illorum, foro respondeat. Curia pro dignitate ciuitatis extruenda. 12. *Sacris ædibus excelsissimus attribuendus est locus.* Hoc enim facit ad dignitatem. 13. *Sub septentrione ædificia testudinata & maximè conclusa, & non patentia, sed conuersa ad calidas partes extruenda.* Contrà meridianis regionibus patentiora, conuersáque ad septentrionem & Aquilonem sunt facienda. 14. *Secundùm vias publicas priuatæ ædes longo ordine ad pares, quoad eius fieri potest, dimensiones collocandæ: nec exporrigatur, aut emineat quippiam, quod publicis viis impedimento sit.*

Capvt. IX.

De Templo & Scholâ.

Præcepta.

ÆDificium publicum particulare est necessarium, vel amœnum.

Necessarium est, quo carere nequimus.

Estque sacrum vel ciuile.


Sacrum est templum, vel schola.

Regvlæ.

I. *De templo sunt hæc theoremata.*

1. *Templum Salomonis esto idea cuiusque templi, & omninò ædificij splendidi.* Tametsi enim templum istud sacrificiis fuit dicatum, ideoque varia habuit loca iis destinata: negari tamē non potest, quòd in eo fuerit adhibitum summum artificium: quia & à sapientissimo architecto fuit extructum, & ad eminentissimum finem fuit ordinatum, vt nempe typus esset regni Christi. Figuram istius templi hîc tibi hanc ob causam exhibemus.

ICHNOGRAPHIA TEMPLI SALOMONIS.



☽ Explicationem harum literarum vide in tabulâ sub signo ☽; titulo, Orthographia *Templi Salomonis.*

2. *Templum sit loco editiori & silente, & medio, si fieri possit.* *Loco editiori.* quia hoc facit ad dignitatem. *Silente*: ne turbis & clamoribus impediantur pastor & auditor. *Medio*: vt oppidani citra molestiam possint illud frequentare. 3. *Templum testudinatum tutius ab incendio, contignatum terramotu.* Illud ad vetustatem durabilius, hoc ad gratiam venustius. 4. *Templum habebit proportionem ad amplitudinem vrbis.* 5. *Ornatus templorum sit ἱεροπρεπής.* Ornatum requirimus: quia si palatia principum, si ædes priuatorum ornamenta sua habent, quidni & templa?

Architectura Scholæ. II. *De structurâ Scholæ sunt hæc theoremata.*

1. *Scholæ struantur in amplissimis & ornatissimis vrbibus.* Scholæ scilicet publicæ, inprimis priuilegiatæ. 2. *Schola statuatur in loco quàm opportunissimo*: id est silente, puro & lucido. 3. *In scholâ authoritas superet venustatem.* 4. *Schola partienda erit in varia loca, & curandum, ne quid discipuli aut doctores inuicem perturbare possint atque obstrepere.* 5. *Scholæ ornentur solariis, campo patenti & pergulâ.* In summâ sic extruantur, vt decet officinas, emporia & mercatus liberalium disciplinarum sapientiæque diuersoria. Est enim dulce, vt poëta canit, Musis fœdus cum Gratiis.

Capvt. X.

De Ædificiis ciuilibus in vrbe.

Præcepta.

ÆDificium ciuile est in vrbe, vel extra vrbem.

In vrbe est ædificium principis, vel subditorum.

torum. Illud est aula: Hoc est vel omnium subditorum, vel quorundam.

Ædificium omnium subditorum est Curia, Ærarium, Forum, Granarium.

Ædificium quorundam est vel malorum, vt Carcer; vel ægrorum, vt Nosocomium.

R E G V L Æ.

I. *Aula principis sit talis, quæ principe digna iudicetur à ciuibus & exteris.*

Sit itaque loco solitario, tum amœnitatis gratiâ, tum ne crebritas salutatorum molestiam exhibeat, tum denique ne creber aspectus contemtum pariat. Sit præterea ampla, vt hospites multos excipere possit. Sit munita, & probè ornata. Stabulum & similia sint extra aulam.

II. *In ædificandâ curiâ spectentur ista.*

1. *Consideretur nobilitas & amplitudo vrbis.* Ad eam enim informanda curiæ descriptio, non secus, quàm aliorum operum publicorum. 2. *Si curia quadrata fuerit, quantum spatium tenuerit latitudo, tantum & semis altitudo complectatur. Sin oblonga, longitudo & latitudo componantur, summâque compositâ eius dimidia pars sub lacunaribus altitudini detur.* 3. *Parietes medij præcingendi sunt coronis, ex intestino opere, aut albario, ad dimidium altitudinis, vt ab illis præcinctionibus, seu transuersis cingulis, interceptæ & veluti repulsæ voces contentæ, & antequam altiùs elatæ dissipentur coactæ percipiantur.* Ita suggestus concionatorum in templis opere intestino obtegimus: eodem hemicyclas sedes, quas choros vocant; per odéa, ne scil. vox elabatur. 4. *Aditus sit munitus:* ne infima plebs, bellua ista multorum capitum, publicum consilium violet. Ob eam causam porticus debent adiici, vbi ministri publici præstolentur. 5. *Curiam magis testudinatam, quàm contignatam esse conuenit.* Neque curiæ modò, sed locis omnibus, quibus aut recitantium, aut cantantium, aut disputantium voces audiendæ sunt, magis contignata, quàm testudinata conueniunt: quibus cùm vox non retundatur, eam haud perfectè intrare in aures necessum est.

III. *Ærarij architectura hæc esto.*

1. *Ærarium in mediâ & celeberrimâ vrbis parte ponatur, foroque coniungatur.* Id quàm diligentissimè a Romanis seruatum. 2. *Ærario sint contiguæ ædes præfectorum & coactorum.* Præfecti ærarij dicuntur quæstores, & vulgò Generales finantiarum. Coactores vocantur receptores particulares. 3. *Ærarium sit firmissimum, & munitionis instar.*

IV. *Fori architectura hæc esto.*

1. *Forum constituatur duplex, liberum & occupatum. Liberum* est, quod ab omnibus rebus venalibus sincerum est, vbi ciuilium negotiorum, aut delectationis causâ aguntur conventus. *Occupatum*, vbi res ad communes populi vsus paratæ venduntur. Hoc *Aristoteles 7. polit.* vocat ὠνίων ἀγορὰν, *rerum venalium forum*; quod est boarium, piscarium, cupedinarium, suarium, olitorium, suburranum. 2. *Forum sit amplum & amœnum.* De ipsius constructione passim Vitruuius.

V. *Granarium sic extruitor.*

1. *Granarium sit loco solitario:* vt nempe tutum sit atque immune ab incendio. 2. *Fenestræ granarij spectent versus Orientem & Septentrionem.* 3. *Pauimenta & parietes nullum alant humorem.* 4. *Distinctas habeat thecas:* tum pro variis frugibus, tum ne eiusdem generis fruges nimium coaceruentur.

VI. *Carceris architectura hæc esto.*

1. *Carcer esto triplex:* videl. *honestior*, cui includuntur literati, qui delinquunt: *ciuilis*, in quem ciues includuntur, vel præuaricantes, vel obærati: *tenebrosus*, in quem flagitiis nobiles detruduntur, eíque velut mancipantur. Hic esto subterraneus, ater, & sepulchro similis; in certas tamen contignationes, supremam, mediam & infimam distinctus, pro genere sontium: 2. *Quilibet carcer sit adamantinus:* id est, talis qui non possit effringi. *Carcer honestior & ciuilis locum habeant, vbi venter deiiciatur.* 4. *Carcer sit potiùs in medio vrbis loco, quàm in extremo.* Si enim sit in muro, quidam captiuo succurrere instituent, amici nempe ipsius, vel manipulus aliquis furum. Huc accedit, quòd maior pudor incutiatur, si quis includatur carceri in oculis mediæ ciuitatis.

VII. *Nosocomij structura hæc esto.*

1. *Nosocomium in vrbe statuatur, si fieri possit.* Ea enim res habet humanitatem. Excipe leprosorum nosoçomia, aliorúmque, qui morbis contagiosis sunt infecti. Hi enim non vrbe modò, sed etiam viâ publicâ remouebuntur. 2. *Nosocomia ædificentur loco saluberrimo* vt eò delati ægrotantes, locorum beneficio fiant meliusculi. Huc facient loca sicca, saxosa, ventis assiduis exposita, non obnoxia Soli, tepida tamen; humida minimè quia humor putredinis pater est & fomes. 3. *Nosocomium habeat loca distincta:* vt ne viri cum fœminis, ministri cum ægrotis, phrenetici cum reliquis habitent.

C A P V T XI.

De Ædificiis ciuilibus extra vrbem.

P R Æ C E P T A.

Ædificium ciuile extra vrbem est sepulchretum, via, pons, nauale, & portus.

Quibus omnibus hoc est commune, vt habeantur loco rerum inuiolabilium.

R E G V L Æ.

I. *Sepulchreti architectatio hæc esto.* Nosocomij architectura.

1. *Sepulchretum, seu cœmeterium, habeatur pro loco sacro, è formulâ legis antiquæ:* Vbi corpus demortui hominis condas, locus sacer esto. 2. *Sepulchreta extra mœniâ haberi vtile est, eo in loco, qui ventis expositus est:* ne scilicet fœtor vi ventorum in vrbem repellatur. Quod autem nonnulli religionis & humanitatis ergò volunt cœmeteria in vrbe statui, id non religionis sed superstitionis, non humanitatis sed crudelitatis in superstites putandum est. 3. *Monumenta & epitaphia ne sint sumptuosa.*

II. *De viâ teneantur ista theoremata.* Architectura viæ.

1. *Via distinguatur in militarem, & non militarem. Via militaris* est, quâ in prouinciam cum exercitu absque impedimentis proficiscebantur Romani: quæ dicitur regia, consularis, prætoria, publica. *Non-militaris* via est, quâ ex vrbe in agrum egredimur: quæ & priuata, & agraria, & vicualis, quia in vicos ducit. Etsi autem viæ sunt intermediæ, partim in vrbe, partim extra eam: rectè tamen accensentur ædificiis extra vrbem, si potissima ipsarum pars consideretur. 2. *Via militaris esto latior, & quidem multò, viâ non-militari.* Veteres ita eas faciebant, vt cubitos in latum paterent non minùs octo. Leges XII. tabularum pedes octo præscribebant. 3. *Via militaris sit patula & aperta.* vt hâc ratione aspectus circumquaque capi queat: *nullis aquis aut riuis impedita: nullis sunio recessuus, nullæ latebræ*; vbi grassatores lateant. 4. *In vrbe erunt viæ ampla.* Facit enim res partim ad commoditatem, partim ad sanitatem. Probarunt antiqui vias labyrintheas in vrbibus, vt si fortè hostis se intulisset, anceps hæsitaret opprimereturque faciliùs. 5. *Prodest in vrbe esse vias complures minutiores, non in longum productas, sed in primam viam transuersam teminatas.* Inde enim domibus lumina paratiora, & hostiles direptiones impeditiores. Et hæ viæ minùs principes erunt loco labyrinthi quem veteres in vrbe requirebant.

III. *Pontis architectura esto talis.* Pontes qui struendi?

1. *Pons non struatur in angulo, alióue secluso loco: sed in apertas & medias regiones ad vsum pateat commodum & communem.* 2. *Locetur, vbi & facilè positum, & impensâ non maximâ perfectum, & æternum futurum sperare liceat.* Captanda igitur vada, non profundiora, non abrupta, non incerta, non mobilia, sed coæquata & mansura. Vitandi cum primis vortices, gurgites & voragines: item anfractus riparum, quia illic ripæ ruinis sunt obnoxiæ

IV. *Naualia, vbi scilicet naues extruuntur & reparantur, sic debent extrui.* Naualia qui extruenda?

1. *Naualia potissimùm septentrionem spectabunt.* Nam feruores meridionales progignunt bruchos, tineas, teredines, quæ materiam exedunt. 2. *Naues ædificentur ab ædibus ciuium separatim:* propter metum scilicet incendiorum. 3. *Naualia fiant ad maximum nauium modum.* 4. *Inter naualia & domos ciuium interstruentur parietes:* quos Germani vocant brandmauren.

maurent. Isti enim muri flammas intercipiunt, si fortè incendium exortum fuerit.

Architectura portûs.

V. *Portus, nauigij veluti stabulum, sic extruitor.*

1. *Portus, siue sit naturalis siue artificialis, habeat latera valida & alta.* 2. *Ille portus præferendus, qui ventis est subiectus mitioribus, quiq; fundo est purgato, non herboso.* 3. *Cr bristantur fornices, quibus importata condantur.* 4. *Excitentur turres; vt ex iis nauium aduentus præuideantur, & nocturnis ignibus certi nautis ingressus monstrentur.* 5. *Addantur propugnacula:* tum ad nauigia sociorum tuenda, tum ad hostium impedienda & arcenda. 6. *Addantur transuersæ catenæ:* quibus hostis excludatur.

CAPVT XII.

De Ædificio amœno.

PRÆCEPTA.

Explicatum est ædificium publicum necessarium: sequitur amœnum siue iucundum, idque vel in vrbe, vel extra vrbem.

In vrbe sunt theatrum & balneæ.

Extra vrbem sunt varia: vt quæ palæstræ aliisque exercitiis militaribus, itémque corporis deputata.

REGVLÆ.

Theatra qui extruenda?

I. *Theatrorum architectura hæc esto.*

1. *Theatra erigantur loco salubri:* qui non sit oppositus Soli meridiano. Is enim vbi theatri rotunditatem impleuerit, aërem conclusum calefaciet, & humores corporum excoquet. 2. *Locus theatri ne sit surdus:* vbi vox vagari nequeat cum sonore. 3. *Theatra fiant ferè formâ hemicycli, & diametri parte quartâ.* Si enim abscindas ex integro circuli ambitu quartam partem, quòd maius est reliquum, theatrum est. 4. *Partes theatri sunto quatuor:* videlicet *scena*, frons theatri: *proscenium*, locus ante scenam ad agendum, omnium spectatorũ oculis obiectus: *Postscenium*, locus post scenam, subductus aspectui spectatorum: *orchestra*, locus senatorum & honoratissimorum. 5. *Amphitheatrum fit ex duobus theatris iunctis.* 6. *Scenarum tria erant genera apud priscos: Tragicum, Comicum, Satyricum.*

Balneæ quomodo struendæ?

II. *Balneæ struantur hunc in modum.*

1. *Balneæ constituantur in loco calidissimo, à Septentrione & Aquilone auerso.* 2. *Caldaria, tepidaria, cellæ & ædificia lumen capiant ab occidente hyberno.* Quòd si natura loci obstiterit, à meridie. Nam tempus à meridie ad vesperam lauationi maximè est destinatum. 3. *Quanta longitudo fuerit, tanta, tertiâ parte demtâ latitudo erit, præter scholam labri seu aluei* 4. *Balnearum antiquarum hæc fuit ratio.* Primo loco erat *frigida lauatio.* in quâ piscina ad leuandum æstum. Deinde *frigidarium.* alia cella, iis comparata, qui statim post exitum è tepidario, aut caldario aërem frigidum quærebant. Frigidarium excipiebat *tepidarium*, seu cella tepidaria. Eam intrabant, vt per tepidum tanquam medium ad alterum extremum, calidum scilicet vel frigidum, accederent. *Caldarium*, quo vtebantur ad sudationes, aliâs dicebatur Laconicum, quòd Lacedæmones hoc genere plurimùm vterentur. Caldario vicina erat *Calida lauatio*, in quâ erant labra cum aquis calentibus. His quinque balneum constituebatur. Extra hæc fuerunt alia loca tria: *hypocaustum*, in quo fornacula ad aquam calefaciendam: *aquarium*, cella calidæ lauationi adiuncta: & *vasarium*, vbi vasa seruabãtur, vsibus lauantium comparata.

Amœnitates extra vrbem qui debeant esse comparatæ?

III. *Loca publica amœna extra vrbem collocentur loco vmbroso, patenti & aquis vicino. & ne sint sumptuosa.*

Ratio prioris est, quia hæc omnia faciunt ad amœnitatem vel maximè. Ratio posterioris est; quia istiusmodi loca hostium & peregrinorum iniuriis sunt exposita.

CAPVT XIII.

De Ædificiis priuatis.

PRÆCEPTVM.

Satis de ædificiis publicis: sequuntur priuata, in quibus occurrunt situs, & partes; & hæ quidem vel infra terram, vt fundamentum, cella & cloaca, vel supra terram, vt parietes & tectum.

REGVLÆ.

I. *Situs ædificiorum priuatorum his continetur theorematis.*

1. *Triclinia hyberna & balnearia in ædibus versus occidentem hybernum collocentur.* Ratio est; quia opus est vti lumine vespertino: & Sol occidens aduersum habens splendorem, caloremque remittens, aduentante vesperâ regionem tepidiorem efficit. 2. *Cubicula & bibliothecæ in domo spectent ad orientem.* Ratio est; quia vsus poscit lumen matutinum, & libri non putrescunt. Si verò bibliothecæ ad meridiem & occidentem spectent, in iis erunt spiritus humidiores, vnde tineæ, librorum vastatrices. 3. *Triclinia verna & autumnalia respicient orientem, æstiua septentrionem.*

II. *Partes ædium priuatarum has habent regulas architectonicas.*

1. *Domus in tres partes primarias diuidi solet, nimirum in* ὑπόγεα, *ἀνώγεα & ὑπέρῳα.* Ὑπόγεια sunt loca infima, siue subterranea, vt cella. Ἀνώγεα sunt partes mediæ: quæ dicuntur cœnacula, quòd in his veteres cœnitare solerent: item cœnacula meritoria, quòd conducerentur certâ mercede à peregrinis: item triclinia, à formâ ritu discumbentium. Sunt tamen & biclinia & hexaclinia & octoclinia apud authores in vsu. Vnde illud poëtæ:

Octo capit: veniat quisquis amicus adest.

Tertia pars ædium continet ὑπερῷα, & dici potest ὑπέρῳον. Vide *Benedictum Artium lect.* 1. *de cœn. Dom. pag.* 15. Solebant autem veteres ἀνώγεα insternere aulæis purpurâ & culcitris, quas infarciebant herbis, foliis. Hinc ἐστρωμένον ἀνώγεον, cœnaculum culcitris paratum: quæ vox occurrit *Marc.* 14. *v.* 15. Atque hæc est trichotomia ædificiorum; quam reuocabis ad dichotomiam, hoc modo Partes ædificiorum priuatorum aliæ sunt infra terram, vt fundamentũ, cella, cloaca: aliæ supra terram, vt parietes & tectum. 2. *Fundamentum domus debet esse solidum.* 3. *Cella est vel vinaria, vel penuaria, seu promtuaria.* Illius fenestræ in Aquilonem obuerti debent, abesse ab eâ sterquilinia, & quidquid est odoris tetri. 4. *Cloaca subter per medias vias ducenda est* Triplex autem est cloaca: primò *diffusoria*, quæ immissas aquas in fluentum, in lacum, aut mare deuehit: & hanc substratã esse oportet straturâ decliui, pronâ, solidâ, quâ liberrimè sordes defluant: itemq; sublatam à fluuio, ne alluuionibus compleatur: aut limo obstruatur: deinde *subdiuâ*, quâ conceptæ aquarum sordes non alio euomuntur, sed quasi terræ alueo inhaustæ sidendo conficiuntur: denique *vrinaria*, quæ excipit vrinam. Et hanc procul à parietibus abesse oportet. Ardoribus quippe Solis acres inde & salsos spiritus euocantis maximè inficiuntur & vitiantur. 5. *Parietes sunt ex remi vel mediani.* Illi domum ambiunt, ideóque debent esse firmiores: hi domum intersecant & distinguunt, ideóque debent esse ornatiores. Vtrisque his parietibus includuntur partes interiores & exteriores. *Exteriores* sunt podia pensilia, & exedræ. Podium pensile est locus ad spectaculum extra parietem instar suggesti, vel pulpiti proiectus, & mutulis suspensus: aliâs mœnianum & pergula. Solent autem istiusmodi podia fenestellis cingi, vt incedentes à casu defendant. Exedra est locus partim extra parietem proiectus, partim intra ædificium consistens, forma hemicycli, cincteter *Partium interiorum aliæ comparatæ sunt ad lumen immittendum* vt fenestræ, quibus obduuntur cancelli, seu clathri, admuniendum, è ferro vel ligno: item transennæ, ad tegendos prospicientes: *aliæ ad actiones domesticas*, quæ seruiunt vel actionibus sordidioribus, vt sellæ familiaricæ seu latrinæ, vel honestis, quæ vel eundi gratiâ fiunt, vt ostia; vel habitandi, vbi est habitatio inferior, vel superior *Inferioris habitationis partes* sunt in ingressu vestibulum, in medio atrium. *Vestibulum* est locus ante ianuam. Ianuæ partes sunt postes, limina & fores. Postes sunt latera ostiorum, seu arrectaria, vnde pendent. Aliâs dicuntur antæ, & antepagmẽta, Græcis παραστάδες. Limen est superum vel inferum. Illud hyperthyrum, hoc hypothyrum dicitur. Vacuum in ianuâ dicitur inanitas & lumen. Fores sunt ligna ipsa, sic dicta, quòd foris aperiuntur. Istæ voluuntur cardinibus, clauduntur serâ, pessulo, obicibus & repagulis, claue referantur. Ostium posticum dicitur pseudothyrum, Latinis falsum ostium. *Atrium* est primus aditus intra ædes, vbi culinam antiqui solebant struere. Partes ipsius sunt porticus & cauædium. *Porticus* est locus in atrij aditu, vbi seruorum & concurrentium turba diuertit. *Cauædium* est locus sub dio vacuus, cinctus vndique porticibus ad communem omnium vsum; q.d. cauum ædium Aliâs impluuium. *Circa cauædium* loca varia ædificabuntur, pro rebus tum animatis, tum inanimatis. Animatæ sunt homines

mines aut bestiæ. *Homines* aut sunt sani, aut ægroti. Horum est valetudinariumi: illis parandi loca, vbi habitent, vbi coquant, vbi se exerceant, vbi lauent. Et ideò opus est cubiculis, cœnaculis, gynæcéis, culinâ, sub quâ comprehenduntur focus, caminus, infumibulum seu fumariũ & fumus. Opus etiam est gymnasio, quò pertinet sphæristerium & xystus: item thermis seu balneis. *Loca bestiarum* sunt stabula & viuaria. In illis greges & armenta clauduntur, vnde ouile, caprile, hara, equile. Tutissimum est aduersus ignem, stabula per testudinem concamerari, propter paleas & fœnum, quæ in illis continentur parte superiori, quæ dicitur fœnile. His feræ concluduntur: quò pertinent leporaria, cortes, & piscinæ. *Loca inanimorum* sunt armamentaria, vbi arma & tela: vel tablina, vbi tabulæ & monumenta reponuntur. Græci πινακοθήκας vocant. *Partes habitationis superioris* veniunt nomine contignationis; ad quam ascenditur scalis, quarum gradus sunt lignei vel lapidei. Scalæ, quibus per gyrum ascendimus, à similitudine vocantur cochlides. Contignationis partes sunt pauimentum, coassatio, lacunar. Pauimentum est pars inferior. Coassatio est axiũ, seu tabularum lignearum sectilium combinatio: aliàs coaxatio. Dicimus enim & axes & asses. Aliàs vocatur laterum, seu parietum contabulatio. Lacunar, seu laquearium, est pars superior. Solet autẽ vt plurimùm triplex fieri contignatio, infima, media, suprema. 6. *Tectum vltimo loco restat*: quod est vel pectinatum seu displuuiatum, vel testudinatum. *Pectinatum* fit trabium iunctis capitibus mutuo innixu, paribusq; contra se ponderibus imis partibus diuaricatis. *Testudinatũ* in quatuor partes est deuexũ. Aliàs partes *tecti* sunt tum fastigium, pars editissima domus, quæ in speciem trianguli attollitur, vt hinc atque hinc pluuia decidat: tum culmen, quod est pars tecti ex lignis & tegulis constans. *Ligna* denique *tecti* sunt 1. *Transtra*; ligna transuersa à pariete in parietem proiecta. 2 *Capreoli*; ligna à transuersis trabibus ad culmen vsque erecta, quæ totum culmẽ sustinendo colligunt: aliâs *canterij*. Hæc ligna si longiùs prouehuntur, suggrundiũ faciunt. 3 *Tegulæ*; asseres transuersi capreolis infixi, ad tegulas sustinendas. Hæ sunt planæ, vel incuruatę, q; dicuntur imbrices: vnde tectum imbricatũ. 4. *Scandulæ*, tabellæ ligneæ, quæ tegulis subiiciuntur. Ad imum tegularum est stillicidiũ, quod vel in impluuium decidit, vel in tubulos teretes, canalésve semirotũdos colligitur, vt extra impluium decidat, ne stillæ cadentes lateritium marmoreúmue cauædij pauimentum corrumpant.

CAPVT. XIV.

De architecturâ militari.

PRÆCEPTA.


Dicta est ratio ædificij togati: superest dicenda ratio ædificij sagati seu militaris.

Id verò est triplex. 1. arx. 2. armamentariũ. 3. castra.

REGVLÆ.

I. *De arce teneantur istæ definitiones.*


Arx (generaliter) est quiuis locus munitus. Germanis ein Festunge. Vulgò *Fortalitium*. *Arx regularis* est, quę æqualibus & lateribus & angulis constat. v. gr. quatuor, quinq; sex, septem, octo &c. *irregularis contrà*. *Latus arcis* est linea circũferentiæ. Vulgò *polygõ*: vt est A B in figurâ seq. Dicitur hæc linea polygona, quia est plurium angulorũ: videlicet tetragona, pentagona, hexagona &c. *Angulus circũferentiæ* est angulus in extremitate, vt H E I: *angulus centri* est angulus in medio, vt E N K, siue A N B *Cortina* est linea siue longitudo valli inter duo propugnacula interiecta. Vulgò *cortin*: vt est C F. *Propugnaculum* est prominentia defendens arcẽ: vt est D E I L. Ein Bollwerck. *Facies propugnaculi* est extrema propugnaculi linea; eaq; duplex, vt D E, E L. Vulgò *faciẽ*. *Ala propugnaculi* est linea connectens faciẽ & cortinã; eaq; duplex. Vulgò *spalla*: vt C D, L R. *Collũ propugnaculi* est linea extrema lateris, adhærens cortinæ; eaq; duplex. Vulgò dicitur *gola*: vt C B, F A. Huc pertinent istæ voces: goslengeselll/spalsengesell/facienſgesell. *Angulus propugnaculi* est angulus cuspidis seu extremitatis: vt D E L. Vulgò dicitur *angulus defensus*, seu *defendendus* Eius arcus est H I. *Angulus defendens* est angulus in concursu linearum defensionis duorũ propugnaculorum: vt G O P. *Linea princeps propugnaculi* est media linea propugnaculi, ducta ex ipsius centro. Vulgò die hauptlini/ vt B E. *Linea distantiæ* est linea inter puncta duorum propugnaculorum: vt E K *Linea defensionis* est linea defendens angulum propugnaculi: vt P D & G M. Vulgò die ffanctirung auß der cortin. *Punctum decussationis* est in concursu duarũ linearum defensionis. *Extrema propugnacula* sunt extremitates siue cuspides propugnaculorũ: vt puncta E & K. *Centrũ propugnaculi* est punctũ è quo ducitur linea princeps seu media propugnaculi: vt sunt puncta A & B. *Centrum arcis* est punctũ in concursu diametrorum: vt N. *Diameter arcis* est linea ducta per centrum arcis: vt N E & N K. *Perpendicularis* hoc loco est recta à cẽtro arcis in lineã distantiæ: vt N Q. *Distantia punctorum* est recta interiacẽs inter puncta: vt distantia punctorũ E & K ab inuicem est recta E K: distantia verò eorundem illorũ punctorũ à suis centris, hoc est à centro arcis N, est recta N E vel N K.




Sequentes definitiones pertinent ad figuram A B C D, quæ continet sectionem valli.

Vallum est munimentum ex terrâ aggestâ factum: vt A B C D. *Lorica* est pars valli superior, protegens stantes in eo; vt F I K D. Germanis ein brustwehr. *Scamnum* est pars loricæ, in quâ statur: vt E F N H. *Sectio valli* est ipsius in partes distributio: vt in sequẽti schemate sunt A S. S V. V X. X C. *Accliuitas valli exterior* est versus fossam, vt P B. *interior*, versus arcem, vt A G. *Accliuitas loricæ* itidem est duplex. *Corpus valli* est tota ipsius moles. Idẽ de *corpore loricæ* iudiciũ. *Curuatura valli* est, per quam illud est aliquâ sui parte rotundum.

Schema sectionis valli.



Altitudo huius valli est G C 20. pedum: latitudo maxima A B 90. minima C D 60. accliuitas interior A G, altitudini æqualis, nempe 20. pedum: accliuitas exterior P B ad altitudinem subdupla, nempe 10. pedum. Loricæ latitudo maxima F D 24. minima I K 22. pedum: accliuitas M D 2. pedum, altitudo F I vel M K 4. pedum, I L 2. F L 6 pedum. Scamni latitudo E F 3 ped. altitudo E N vnius pedis. *Fossa* est receptaculum aquæ circa vallum: vt A E B F.



Fossæ huius latitudo suprema A B sit 200. pedum, infima C D 160. pedum; altitudo siue profunditas, A E 20. decliuitas E C itidem 20. pedum. *Opus cornutum* est præmunitio vltra fossam existens. Germanis, ein hornwerck. *Castrum* est munitiuncula campestris. Germanis ein schantze. Vide paulò antè schema propugnaculi quadrangulare.

II. *Arx trium laterum & angulorum nullius est pretij.*


Arx triũ laterum qualis?

Neque quatuor laterum arx multum valet. Igitur ad minimum quinque laterum & angulorum esse debet Quò plurium autem est angulorum, eò est ad defensionem commodior. Huc pertinet illud Germanorum architectorum. Je mehr winckel vnd seiten das bollwerck hat/ ie stärcker wird der angulus vom bollwerck. Item: Kein triangulum æquilaterum ist zur fortification dienlich.

III. *In arce regulari, datâ multitudine laterum, quantitas angulorum circumferentiæ inuenitur hoc modo.*

In arce regulari quantitas angulorũ circumferẽtię quomodo inueniatur.

Circulum totum arci circumscriptum, qui circulus semper ponitur 360. graduum, diuide per multitudinem laterum, & quotum à semicirculo, hoc est, à duobus rectis subtrahe: quod restat, erit angulus circumferentiæ arcis, exempli gratia. Sit arx E B C.



septem angulorum Totus circulus diuidatur per septem: quotus erit arcus B C. mensura anguli B A C: quo detracto de duobus rectis, in triangulo plano quouis, atque adeò etiam in triangulo A B C existentibus: relinquetur summa angulorum A B C & A C B: quorum angulorum vnusquique est dimidiũ anguli circumferentiæ per structuram. Ergo simul sumti exhibent ipsum angulum circumferentiæ. Ita ergo erit.

B A C 51 grad. 25. min.
A B D 64 grad. 17. min. Similiter A C B totidem.
B A D 25 grad. 42 min.

Quantitas laterũ arcis indefinita.

IV. *Quantitas siue proportio laterum singulorum vniuscuiusque arcis regularis est indefinita.*

Etsi enim *Specklius* vult esse 1000 pedum, & Itali 800. pedum: tamen Belgæ variant.

Iuxta Specklium talis erit proportio singulorũ laterũ. v. gr. in arce septem laterũ, & posito vno vno latere 1000. pedũ, erit

Semidiameter——— 1152 ped.
Cortina——— 500 ped.
Facies——— 400 ped.
Ala——— 150 ped.

Iuxta *Italos* est eiusmodi proportio.

Polygona——— 800 ped.
Cortin——— $\frac{3}{5}$ polygonæ 480 ped.
Facien.——— $\frac{1}{2}$ cortinæ—240 ped.
Gola——— $\frac{1}{5}$ polygonæ 160 ped.
Spalla——— $\frac{1}{4}$ polygonæ 128 ped.
Casamatta——— $\frac{1}{4}$ spallæ — 32 ped.
Orechion——— $\frac{1}{3}$ spallæ — $42\frac{2}{3}$ ped.
Apertura casamattæ—$\frac{6}{4}$ casamattæ 48. ped.

Alij à facie propugnaculi incipientes, eam volunt esse in arce maximâ 400. in mediocri 350. in minimâ 300. pedum. Deinde facie pro lubitu assumptâ, cortinam volunt cõtinere quinque quartas, & alam duas quintas faciei. Quæ proportio cum Speckelianâ prope conuenit. Nam si faciem 400. pedum diuidas in quatuor partes, h. e. in quater cẽtum pedes, cortina, si fit 500. pedum, exactè continebit quinque talium partium. Sin eandem faciem 400. diuidas in quinque partes, duæ quintæ efficient 160. pedes. Quæ parum absunt à 150. pedibus.

Alij diuiso latere arcis in quinque partes, cortinæ tribuunt huiusmodi partes tres, faciei duas, alæ $\frac{1}{4}$, h. e. $\frac{1}{4}$ cortinæ. Quâ ratione collo propugnaculi vtrinque relinquitur pars vna.

Alij hanc proportionem obseruant.

Facies & cortina sunt æquales, nempe $\frac{2}{5}$ polygonæ.

Gola est $\frac{1}{5}$ polygonæ.

Spalla in arce quadrangulâ est $\frac{1}{3}$ cortinæ: in quinquangulâ vel sexangulâ $\frac{1}{4}$ cortinæ: quanquam in sexangulis etiam potest esse $\frac{1}{5}$: in septangulâ, octangulâ & arce spalla est $\frac{1}{5}$ cortinæ.

Alij hanc sequuntur proportionem.

Gola——— $\frac{1}{5}$ }
Cortina——— $\frac{3}{5}$ } polygonæ
Linea princeps——— $\frac{1}{5}$ }

Facies & ala variam sortiuntur proportionem pro magnitudine anguli propugnaculi.

Angulus propugnaculi varius.

V. *Angulus propugnaculi potest esse varius.*

Itali plerịq; eum faciunt obtusum, quòd is aliis sit firmior. *Speckelius* vult eum semper esse rectum. *Erhardus de Bar le due* itidem. Atqui in arce quadrangulâ vel quinquangulâ id locum habere nullo modo potest: vt ipsimet fatentur: imò in arce etiam sexangulâ vel septangulâ difficulter. Ideo præceptum illud de arce octo vel plurium angulorũ inprimis est intelligendum. *In belgio* sunt artifices nobilissimi, qui angulum propugnaculi pro ratione anguli circumferentiæ arcis variandum esse censent: sic nimirum, vt quantò magis aperitur angulus circumferentiæ, tantò magis etiam aperiatur angulus propugnaculi. Absurdum enim esse putant, vt angulo circumferentiæ crescente, angulus propugnaculi non simul crescat. In arce igitur quadrangulâ, quippe omnium minimâ; quia angulus circumferentiæ est minimus, nempe tantùm 90. graduum, etiam angulum propugnaculi minimum esse volunt. Minor autem nunquam esse debet, quam 60 vel $59\frac{1}{2}$ graduum. Hinc Germani architecti dicunt der angulus vom bollwerck fället vnder 60. grad nicht. Dieweilder angulus von 40. oder 50. alzuspitz kompt daß er die kugeln des geschützes nit vertragen kan. Angulus ergo propugnaculi, siue angulus defensus, arcis regularis quadrilateræ erit 60 graduum. Quo posito, angulus defendens necessariò erit 150. graduum. In cæteris arcibus, quæ angulum circumferẽtiæ recto maiorem habent, angulum defensum & defendentem sic inquirimus. Subtrahatur angulus circumferentiæ minimus, h. e. 90. grad. ab angulo circumferẽtiæ propositæ arcis: relicti dimidium addatur ad minimum angulum defensum, h. e. ad 60. gradus: idemque dimidiũ auferatur à maximo angulo defendente, nempe à 150. grad. & prodibit istâ quidem operatione angulus defẽsus, hâc verò angulus defendens propositæ arcis. e. g. in arce quinquangulâ angulus circumferentiæ sit 108 gr Defensus angulus erit 69. defendens 141 In arce sexangulâ angulus circumferentiæ sit 120. gr. Angulus defensus erit 75. defendens 135 In arce septangulâ angulus circũferentiæ sit 34 gr. defensus erit 79. gr. defendens 130. Hâc ratione angulus defensus non priùs fit rectus, quàm ventum sit ad arcem 12. angulorum. Sed sit tamen recto proximus: quod satis est: & angulus defendens non sit nimis obtusus, quod planè vitiosum esset. Nam vt angulus defensus, quò rectior, eò melior, ita angulus defendens, quò acutior, eò melior. Sic igitur anguli defensi perfectio curanda est, vt anguli etiam defendentis perfectioni, quantum fieri potest, studeatur. Cæterùm angulus circumferentiæ Italis dicitur *angulus golæ*. Quò pertinet vsitata regula; quæ in operibus regularibus iuxta & irregularibus est obseruanda: vt nempe angulus propugnaculi duabus tertiis sit minor angulo golæ, id est, circumferentiæ. v. gr.

Angulus		Quadrang.	Quinq.	Sexãg.	Septãg.	Octãg.
Circumferentiæ		90.	108.	120.	129.	135.
Propugnaculi	Vna tertia	30.	36.	40.	43.	45.
	Duę tertiæ	60.	72.	80.	86.	90.

Potest etiam talis esse proportio angulorum propugnaculi.

	Grad.	Min.		Grad.
Quadrang.	59.	46.	vel	64.
Quinquang.	67.	6.		75.
Sexang.	74.	46.		80.
Septang.	75.	40.		84.
Octang.	76.	34.		88.

Huius loci est illa regula: Jmehr seiten vnd angulos das bollwerck hat/je stärcker wird der angulus vom bollwerck/ daß er zu 100. grad. vnd mehr offen stehen kan. Non tamen vltra 90. gradum solent ascendere. Vnde Germani eleganter dicunt: Keines bollwercks angulus wird zum höhesten über 90. gradus geöffnet/dieweil der winckelhacken am stärckſten ist/vnd auch mächtig genug der artelerey zu widerstehen/ auch die anguli so über 90 grad fallen/ grossen nachtheil in einer forteza bringen. His adde & ista. Dise drey regeln fallen in einem bollwerck zum ersten vor. 1. Daß in voneinanderlegũg der bollwerck das maß der mußqueten kugel nicht übergriffen werde/ das ist/daß man die bollwerck über 800 oder 900 schuh zum höchsten nit võ einander lege. Verstehe diß von Ingenieurs schuhen. 2. Daß man dem angulo des bollwercks seine geburliche stärcke gebe. Welches geschicht wann der angulus des bollwercks $\frac{2}{3}$ hat des anguli vor der golen. Hiermit fallen die bollwerck spũck ten nicht zu spitzig vnd enge/ sondern bekommen jhren geburlichen raum zum geschütz vnd volck. Man mag sie auch in solchen ger aumen wercken zu etlichmalen abschneiden/ welches in engen fast schwerlich zu thun ist. 3. Sol die flanckirung so starck als immer moglich in der cortinen gesucht werden / jedoch daß dem angulo vom bollwerck an seiner stärcke vnd dicke nichts benommen werde: vnd ist besser man peccire an disem letzten/als an den andern zwhen/wgnn alle drey stück nicht können beysamen seyn.

VI. *Dicta porportio linearum & angulorum simul consistere potest, quamdiu principium lineæ defensionis incertum relinquitur, nec ad concursum cortinæ & alæ alligatur. At si lineam defensionis ex ipso cõcursu alæ & cortinæ perpetuò ductam velis, certa linearũ simul & angulorũ porportio obseruari non potest.*

Igitur in tali casu, quando nimirum linea defensionis ex concursu alæ & cortinæ ducenda est, vel lineæ angulis, vel anguli lineis cedát oportet. Quòd si ergo angulos retinere cupis inconcussos, alæ quantitatem pro singulis multangulis variare oportet, hoc modo.

Angulus à cortinâ & lineâ defensionis comprehensus est

In	quadrangulo	15	grad
	quinquangulo	19	grad. 30. min.
	sexangulo	22	grad. 30. min.
	septangulo	24	grad 39. min.

Itaque

Itaque			Cortina erit ad Alam
In	quadrangulo	3	$\frac{4}{5}$
	quinquangulo	3	1 $\frac{6}{100}$.
	ſexangulo	3	1 $\frac{1}{5}$
	ſeptangulo	3	1 $\frac{5}{7}$.

Alâ ſic inuentâ, ſi faciem vis immutabiliter eſſe duarum partium, qualium cortina eſt trium, variabit collum.


VII. *Longitudo lineæ defenſionis ſit circiter 800. pedum: nempe pro ictu bombardæ furcâ ſuſtentatæ.*

VIII. *Diſtantia lineæ defenſionis ab alâ variat.*

Sunt enim artifices, qui volũt eã eſſe tantũ duo decim pedum aut circiter. Nonnulli etiam planè nullam eſſe volunt. At inuenias exmpla viua arcium exactiſſimè munitarũ, in quibus diſtantia illa ſit plus quã 200. pedũ, & perperam à medio cortinæ diſtet. Vide ſuprà in ſchemate propugnaculi linea G C & F P.

IX. *In proportionibus laterum alicuius arcis vna eſt eligibilior alterâ.*

E. g. Quandò facies & cortina ſunt æquales, vt ſuprà in ſchemate propugnaculi, cortina maximè facit ad defenſionem faciei. Verũ enim verò hâc ratione aliquid decedit robori punctorũ propugnaculi Hàc de re Germani architecti ſic diſſerunt. Wann die cortin zu weit zu rück ligt/kan ſie der facien wenig beyſtand thun / vnd man kan nicht ſo wol die flanckirung dar auß haben. Derowegen iſt angeſehen die facien gleich der cortinen zu machen / damit man diſen mangel erſetzen/vnd die defenſion, ſo zu weit an der cortinen dahinden lag/ vnd auß den geſichtern war / ins geſicht bekeme. Welches groſſe defenſion an einer forteza gibt. Allein hat es diſen mangel: In dem man groſſe ſtärcke ſucht / bricht man den bollwerck ſpuncten an jhrer macht ab / daß ſie vor der artelerey nicht wol dauren konnen. In folgender proportion geſchicht es nicht alſo ſehr. Dann die bollwerck vil ſtärcker werden.



Hîc A B eſt cortina : C D & E F facies.

X. *In operibus regularibus angulus centri ſẽper eſt notus.*

Nam circulo diuiſo per numerum laterum, quotus manifeſtat angulum centri. Vide ſuprà regulam 2. Sic v.g. in arce regulari quinquangulâ diuide 360. per 5. quotus oſtendit angulum centri, videl. 72. gradus. Si ſit arx ſexangula, diuide 360. per 6. quotus oſtendit angulũ centri, putà 60. gradus. Sumamus ſchema propugnaculi ſuprà propoſiti. Arx eſt quadrilatera. Diuiſis itaque 360. per 4. prodeũt 90. gradus pro angulo ANB. Subtractâ hâc ſummâ à 180. reſtant 90. quibus diuiſis per 2. prodeũt 45. pro angulo N A B & A B N. quorum angulorum vnuſquiſque eſt dimidium anguli circumferentiæ C B R & F A S. Itaque angulus circumferentiæ eſt 90. grad.

XI. *Foſſa non tantùm pro ſcopo arcis, ſed etiam pro ratione terræ, quæ ad vallum congerendum requiritur, & pro ratione ſubiecti ſoli vel arenoſi, vel ſcaturiginoſi, vel petricoſi, & ſecundùm latitudinem atque profunditatem, variat.*

XII. *A vallo vſque ad foſſam ſpatium horizontale vacuum, triginta aut circiter pedes latum relinqui, & peculiari loricâ muniri ſolet.*

Itaque ambitus foſſæ interior non eſt vallo contiguus, nec in eandem cum illo lineam incidit.

XIII. *Inuentio & dimenſio laterum eſt mechanica vel mathematica, & hæc rurſus eſt operationis arithmeticæ communis, vel ſingularis per tabulas ſinuum.*

Mechanicè adhibetur ſcala graduũ, der verjüngte maßſtab/ eiuſque beneficio quantitas omniũ linearum inuenitur: vel vna aliqua linea, v.gr. polygona, aſſumitur, & in aliquot partes diuiditur: poſtea ope circini reliquæ lineæ ad illam exiguntur. *Operatio arithmetica communis* aſſumit certã aliquam proportionẽ ex regulâ 3. indeque totum negotium conficit: vt iuxta Italorũ proportionem polygona eſt 800. pedum. Cortina eſt 480. pedũ: quia continent tres quintas polygonæ. Gola eſt 160. pedum: quia continet vnam quintam polygonæ. *Operatio arithmetica ſingularis per tabulas ſinuum* eo fit modo, vt in geometricis oſtẽdimus. e. gr. in primo ſchemate propugnaculi ſupra propoſiti angulus ANB eſt 90 graduũ, NAB 45. grad. ABN totidem. Iam ex centro N cadat perpendiculum NO in lineam AB Itaque dimidius angulus ANB eſt 45 graduum. Vt inuenias polygonã, dic,

Vt ſinus totus ſiue radius	Ad tangentem 45. grad.
O N	O B
10000000	10000000
Ita	A D
O N	O B
500 pedum.	500 pedum.

Dupla ſummam 500 pedum, & exibit polygona ſiue latus A B 1000. pedum.

Si velis ſcire quantitatem lineæ N B, dic,

Vt	Ad	Ita	Ad
ON	N B ſecantem	N O	N B
10000000	14142135	500	706.

Si velis collũ CD, quia in hoc exemplo eſt $\frac{1}{4}$ polygonæ, diuide polygonam per 4 prouenient 250. pro collo ſiue golâ.

Si velis cortinam C F, ſubtrahe vtrumque collum à polygonâ; prodibunt 500. pro cortinâ.

Si velis lineam principem B E, quoniam illa eſt $\frac{1}{3}$ polygonæ, diuide illam per tria; proueniunt pro lineâ B E 333$\frac{1}{3}$.

Si velis faciem D E, illa in hoc exemplo eſt $\frac{1}{2}$ polygonæ, hoc eſt, 500. pedum.

Si velis alam C D vel F M, illa eſt $\frac{1}{5}$ faciei, in hoc quidem exemplo, hoc eſt 100. pedum.

Potes etiam ſingulas lineas inuenire per tabulas ſinuum, ſi parua triangula ſoluas vt moris & artis eſt. Ita enim in quolibet triangulo habebis angulos & latera proportionalia.

Sumamus pro exemplo arcem ſeptangulam regulæ 2. videlicet ſchma E B D.

Ex hypotheſi Speckelij latus B C ſit 1000. pedum: eiuſq; dimidium B D 500. pedum. Hoc dato, latera AB & AD in triangulo ABC ſic inuenientur. Anguli omnes ſunt dati per regulam 2. Poſito igitur latere dato BD pro radio, latus AB erit ſecans, A D tangens anguli D B A. Qui angulus in propoſito exemplo arcis ſeptem angulorum eſt 64. grad. Secans eiuſdem anguli eſt 23047632. tangens 20765195. Dico igitur.

Pro inuentione lateris A B


Vt B D radius —— 10000000.
ad A B ſecantem —— 23047632.
ita B D pedum —— 500.
ad A B pedum —— 1152.

Pro inuentione lateris A D.

Vt B D radius. —— 10000000.
ad A D tangentem —— 20765195.
ita B D pedum —— 500.
ad A D pedum —— 1038.
Quod multiplicatum per B D —— 500.
exhibet aream trianguli A B C —— 519129.
Quæ area multiplicata per —— 7.
exhibet aream totius arcis —— 3633909.
Vide etiam regul. ſeq.

XIV. *Caſtrum plerumque ad quadrangularem arcis formam accommodari ſolet.* Structura caſtri.

Sit ergo extruendum caſtrum quadrangulare, quod in ambitu habeat ducentas duodecempedas, hoc eſt, pedes 2400. & ſit ſeruanda proportio inter cortinam, facies, & alas; vt qualium partium cortina erit 15. talium facies ſit 10. ala 4. angulus verò propugnaculi per reg. 2. ſit 60. grad. & linea defenſionis ex concurſu alæ & cortinæ procedat, hoc modo.



Ambitus totius caſtri debet eſſe 200. duodecempedarum. Hunc ambitũ diuide per 4. Quotus, hoc eſt quata pars ambitus, erit 50.

Iam collige in vnam ſummam numeros quartæ partis totius ambitus per datam proportionem datos, nempe

10	facies vna	K I
4	ala vna	I B
15	cortina	B C
4	ala altera	C G
10	facies altera	G H.

Summa 43.

Deinde dic

43 dant pro	cortinâ	15
	facie	10
	alâ	4
Ergo 50. dant pro	cortinâ	17 $\frac{19}{43}$.
	facie	11 $\frac{19}{43}$.
	alâ	4 $\frac{28}{43}$.

Collectio in vnam summam.

	Integra.	Partes quadragesimæ.
Facies vna	11	27
Ala vna	4	28
Cortina	17	19
Ala altera	4	28
Facies altera	11	27
Summa	50	3.

Quòd si lineam C D præterea nosse cupis, primùm inuestiga lineas G O & O H in triangulo G O H: item lineam D P in triangulo D H P: deinde lineam D P subtrahe à lineâ C P vel O H; & restabit linea C D, hoc modo In triangulo G O H angulus G H O est 15. grad. æqualis nempe angulo GBC per structuram: atque adeo angulus O G H est 75 grad.

Porrò anguli 15 grad. sinus est 2588190.
anguli 75. grad. sinus est 9659258.

Dico igitur

I.	Vt G H radius	10000000.
	ad G O sinum	2588190.
	Ita G H partium	10,
	ad G O partium	2.
	Cui si addatur G C	4.
	Efficitur O C vel H P	6.
II.	Vt G H radius	10000000.
	ad O H sinum	9659258.
	Ita G H partium	10.
	ad O H vel C P part.	9.

Denique in triangulo D H P, quia anguli D H P, & HDP sunt æquales, quippe vterque dimidius recti per structuram: ideo etiam latera ipsis opposita sunt æqualia. Ergo

De rectâ C P 9 part subtraho rectam D P 6. part.

Et restat recta C D $3\frac{1}{4}$ part.

Porrò quia in proposito schemate principiũ lineæ defensionis incidit in cõcursũ alæ & cortinæ, videamus quomodo alæ quãtitas in singulis multangulis in hoc casu sit inuestiganda Itaque Angulus à cortinâ & lineâ defensionis cõprehensus GBC est

In		Tangentes illorum angulorum sunt
quadrangulo	15. gr.	2679492.
quinquangulo	19. gr. 30. min.	3541186.
sexangulo	22. gr. 30. min.	4142136.
septangulo	24 gr. 39. min.	4588917.

Dico igitur.

Pro quandrangulo	
Vt radius	10000000
ad tangentem	2679492.
Ita cortina	3
ad alam	$\frac{4}{5}$
Pro quinquangulo	
Vt radius	10000000
ad tangentem.	4 42136.
Ita cortina	3
ad alam	$1\frac{6}{100}$

De reliquis idem iudicium.

Alâ sic inuentâ si faciem vis immutabiliter esse duarũ partiũ, qualiũ cortina est triũ, variabit collũ: & quãtitas eius reperietur iuxta processũ solutionis trianguli G O H paulò antè institutũ.

XV. *Armamentarium extruatur hoc modo.*

Armamẽtarij architectura.

1. *Sit in parte vrbis mediâ.* maioris vsus gratiâ. 2. *Sit separatũ:* maioris securitatis causa 3. *Fenestræ illius spectet vẽtos sicciores.* 4. *Præfectus armamẽtarij habitet in viciniâ* 5. *Ipsũ armamentariũ sit veluti propugnaculum, lapideũ totum quoad eius fieri potest* 6. *Habeat cryptas subterraneas, quibus reponatur puluis tormẽtarius.*

XVI. *Arcis structura his continetur theorematis.*

Arcis architectura.

1. *Arx construitur ad vrbes & in vrbibus: estq; tũ collina, tũ cãpestris. Arx collina* se: mõtosa est, quæ altior est. Ea difficiliores habet accessus, & defendit tũ se, tũ vrbẽ cõmodiùs. *Arx cãpestris* ponitur in planitie. Vtraq; exitus aditusque per cõmodos habeat, per quos perturbatis rebus & aliena auxilia introducãtur, & propria educantur. 2. *Muri vrbani arcem capestrem vt O litera cõprehendant bina cornua literæ C, nec includant, ad hunc modũ* OↃ: vt neque intra vrbẽ sit neque extra, sed veluti Postica eius pars, munitissima, operũ vertex, nodus vrbis, minax & inuicta [illegible] catio. 3. *Arx podium requirit maximè solidũ è lapidibus grandioribus* 4. *Muri linea obliqua ducatur:* quò scalæ applicatæ, dũ curuantur, debilitentur & hostis, qũ ad murũ hæret, suprà incidentia saxa ægriùs euitet, emissaque tormentis tela propter obliquitatẽ dissiliant. 5. *Area latissimus & crassis lapidibus, duplici aut triplici solo dimissis consterni debet:* ne actis cuniculis qui obsidẽt, irrepant. 6. *Murus fiat altissimus & ad loricas, seu supremas coronas bene crassus:* qui machinarũ ictus & verbera contemnat scalisq; aut aggere æquari non possit. 7. *Fossa lata & profũda ducatur: & furtiuæ per ipsũ podiũ fenestellæ fiant*, per quas nempe hostis dũ se supernè scuto protegit, a latere tergoq; vulneretur. 8. *Si maritima fuerit arx, palis adactis in vada & saxis vastioribus aduolutis, nauiũ appulsus arcebitur.* 9. *Arcẽ in plano locatam aquaria fossa muniet: montanã præcipitia tuebuntur.* 10. *Muri habebũt angulos acutos veluti proras:* vbi missilibus tormentorũ, globis petitiones cõmodæ fieri possint. 11. *Ad arcẽ vna primaria turris cõstruenda:* plurimâ sui parte solida, toto opere robusta, vndiq; munita, reliquis celsior, accessu ardua, & per pontẽ mobilẽ, quẽ vocamus Zugbrück/ omnino vt parua quædã arx, cui nihil: orũ desit, quæ in arcibus desiderantur. 12. *Tecta, ne missilium ponderibus obruantur, ad acutũ angulũ finientur, aut opere valido trabibusq; admodũ spissis obfirmabuntur.* 13. *Arx non aliter, quàm pusilla quædã vrbs ædificanda, munienda, locisq; ad vsũ aptis distinguenda.* 14. *Arx tribus modis potest esse munita:* videlicet *naturaliter tantũ*, vt quando super scopulũ est posita, ita vt sit quasi inaccessa; vel aquis profundissimis circumsepta naturaliter; vel & scopulo & aquis munita: *tũ artificialiter tantũ*, ita vt terra sit bene præparata, lapides magni & duri, ligna grandia, muri alti & crassi, fossa sicca vel aquis repleta, figura denique vel tetragona, vel pentagona, vel hexagona &c. *tum denique naturaliter & artificialiter simul.* Plura eaque insignia hanc in sententiam tibi exhibet *Robertus Flud tract 2. part. 6. lib. 1.*

XVII. *Castrorum architectura hæc esto.*

Cas[illegible] qui[illegible] nen[illegible]

1. *Castrorũ tria sũt genera, temporaneũ, statariũ, & sustentoriũ*, Prima pro occasione natã mutantur. Secundis premitur hostis munito aliquo loco se continẽs. Tertiis vrgẽs & lacessens sustinetur. 2. *Positio castrorũ interdũ quadrata, interdũ trigona interdũ rotũda vel semirotũda pro naturâ loci aut cõditione tẽporũ esse potest.* 3. *Porta prætoria spectabit orientẽ, aut hostẽ, aut quò profecturus est exercitus* 4. *Locus optimus eligendus.* Est autẽ optimus, qui altissimus; vbi non deest cõmeatus, vbi non sit mons vicinior aut altior, vbi copia aquæ, vnde omnẽ hostiũ regionẽ circũspectes. 5. *Castra staria erunt munitiora tẽporaneis: & in planitie, maiore opere artificioq; indigent quàm in collibus.* 6. *Non erũt laxiora quã vt distributis excubiarũ tesseris custodiri & intermistis propugnãdi vicissitudinibus defendi per milites citra lassitudinem possint. Nec ita tamen contracta & arcta, vt ad negotiũ spatia militi non suppeditent* De castris & munimentis in genere has accipe regulas. 1. *Qui nescit munimẽta hostiliter destruere, ipse nescit munire.* 2. *Locus benè recognitus, est ferè expugnatus.* 3. *Inter duo eiusdẽ loci propugnacula interuallũ neq; sit nimis longũ, nec nimis breue.* Nã si propugnacula sint nimis propinqua, humeri erunt debiles: si nimis longa, se inuicem defendere non possunt. 4. *Munimẽnta erecta super figuras trigonales & tetragonales nõ multũ vsurpantur:* quia eorũ bastionũ frõtes habent angulos nimis acutos. 5. *Quò plures habet munimentum bastiones eò maius est in suis partibus:* si nempe ordo proportionalis obseruetur. Laudantur itaque munimentã polygonia.

APPENDIX AD ARCHITECTORVM.

Appendamus hoc loco quæstiones de architecturâ togatâ & militari.

1. *Quænam sit architecturæ origo?* Vt cæterarum artium, ita & architecturæ origo ex primi nostri parentis mente, diuinitùs imbutâ, ab eo ad posteros defluxit.

2. *An ædificãdi ratio ex vno Vitruuio peti debeat?* Architecti, qui verã architecturã callent, non omninò è Vitruuio, sed ex ratione & attentâ obseruatione, optimoq; veterũ modo pendent. Nam etsi Vitruuius architecturam in vnũ corpus redegit, atque huius leges, ac præcepta egregiè tradidit, quæ quidẽ omnia fatetur ab antiquis se accepisse: multa tamẽ putauit se docuisse, quæ cùm ad rem veniturs & vsum, nequaquam succedunt. Nihil hìc dico de incõmodis & futilibus mensuris Capituli Corinthij, & basiũ omniũ atque coronarũ, quas ille attulit. Hinc Leo Baptista Vitruuium reprehendit multis in locis: & Christiani architecti, eum in inueniendo minùs perspicacem fuisse asserunt.

3. *An ædificandi ratio ex literis sacris peti possit & debeat.* In scripturis occurrit fabrica arcæ Noë, tabernaculi Mosis, vrbis Hierosolymæ, templi Salomonis, & tẽpli Ezechielis. In quibus quidẽ ædificiis elucẽt ea omnia ad miraculũ, quæ optimæ architecturæ legibus præcepta sunt: videlicet ordinatio, dispositio, eurythmia, decor, distributio, symmetria: vt, quemadmodũ humanum corpus è cubito, pede, palmo, digito, cæterisq; partibus symmetriũ est: sic & illa opera è columnarũ, cæterarumq; partiũ conuenienti consensu & responsu tũ inter sese, tum ad vniuersæ figuræ speciẽ ratæ partis symmetriã habent eximiã. Neque tamẽ ex his structuris solis ratio architecturæ addiscẽdæ petenda est, neque omnia imitando exprimenda sunt: cùm neque omnium ædificiorũ proportiones, neque etiã omnes proportiones vrbis aut tẽpli cuiusq; ibi sint expressæ, neque omnia, quæ ibi expressa sunt nostratibus structuris cõmodare queãt. Magno itaq; iudicio vti oportet eum, qui velit hæc exemplaria sibi proponere.

4. *Quotuplex sit architectura?* Duplex. Altera, quæ ponitur in præceptis, operumque ratione: altera, quæ ad ipsorum ædificiorum actionem & fabricam spectat. Quarum vtraque præditus esse debet architectus. Ambæ enim ad eundem finem spectant: nimirum vt firma, vtilia, & venusta sint ædificia. Si quid enim eorum desit, infima, inutilia, inuenusta erunt.

5. *Quotnam sint partes architecturæ?* Tres: videlicet materia, ratiocinatio, & fabrica. Sub ratiocinatione continentur ordinatio, dispositio, eurythmia, symmetria, decor, & distributio.

6. *An tota architectura sita sit in quinq; ordinibus, videlicet Hetrusco,*

trusco, Dorico, Ionico, Corinthio, & Latino siue misto? Minimè verò. Nam quatuor illi ordines sunt tantum membra architecturæ, cuius principia & præcepta longè plura sunt.

7 *Quanā sit optima ratio struēdi & fundādi ædificia?* Ante omnia typo, seu fabricæ graphidis dāda opera est. Ea verò vel ad ichnographiā, id est, vestigiū fabricæ pertinet: vel ad orthographiā, id est, frōtis & laterū erectionē: vel ad sciagraphiā, id est, internæ partis sectione & formā. Itali vocāt *pianta fronte, & profilo*, id est, plantā, frontē & profiliū. Tū area, secundū ichnographiā, suis lineis & dimēsionibus delineata, effodiēda est vsque ad solidū, vel in solido cōplananda. Tandē ad ipsam structuram est veniendū.

8. *An graphis adeò sit necessaria in architectura?* Peritissimi quiq; architecturæ asserunt, graphidis defectu factū esse, quòd Vitruuius in plurimis est hallucinatus. Atque hæc quoque causa est, quòd pecuniæ, tēporis & existimationis fit iactura, vtilitatis deniq; publicæ & priuatæ nulla habetur ratio in ædificiis extruēdis: quia nēpe graphidis necessitas paucis est perspecta. Ac profecto ita se res habet: Cui graphidis peritia defuerit, vt quæ particularia mēbra sunt, ea ita nō aptet, vt nō tam adglutinata, quam nata videāntur, is integer haud habebitur architectus. Inde igitur accidit, vt ingentia ruant ædificia, vel maneant mutila, manca, luxata, prodigatur census, vbi necesse non sit, retineatur, cùm esset insumendus. Quæ cùm ita sint, graphidi sedula opera detur: quippe quæ omnium ad architecturæ rationem pertinētium est fons atque directrix, ex quâ picturâ glyphice, cæteræq; artes mechanicæ siue banausicæ profluxerunt. Inprimis autem ea graphidis pars, quæ dicitur profilum & modellus, è ligno formetur. Ita enim fiet, vt errata paruo negotio deprehendantur.

9. *Quid post graphidem inprimis curandum sit architecto?* Principio loci, tū materiæ rationē habebit. Locus eligendus est saluberrimus, ratione aëris, aquæ; & firmissimus ratione soli; & cōmodissimus, ratione areæ. Materia rectè est cōdēda & adhibēda.

10. *Quomodo circa solū versari debeat architectus?* Antequā solū deligatur extruendo ædificio, id inprimis dispiciēndū est, nū cōplanatio eius, quòd sit montuosius, vel expletio eius, in quo aut valles, aut præcipitia cernerētur, sit sumtuosior. Deinde hoc obseruandū, vt quā solidissimis in locis substructiones fiant: quib⁹ si natura præstabit, omniū optimū censebitur. Sin minùs, ad artē confugiendū est, vt quā creberrimus palis, ac fistucationib⁹ adactis muniatur. Porrò quomodo excauandū solū, quomodo structura solidāda, quę sint soliditatis signa, quâ ratione substructiones iactādæ, quænā amplificādæ substructiones, super ruinas nō esse superstruendū, fundamentorū, alia in modū pyramidis, alia gradationis iacienda: hæc, inquam, & similia, quomodo efficienda sint, Vitruuius, Palladius, & Barbarus sat commonstrarunt.

11. *Quomodo architectus proportiones exprimere debeat?* Non solū lineis in graphide, sed etiam numeris in chartâ vel pugillaribus. e.gr. sit arx sexangula extruenda. Angulus propugnaculi habeat 86. gradus. Proportio linearum sic exprimatur more vulgari.


	ped.
Polygon	720
Gola	144.
Cōrtin	432.
Hauptlini	140.
Spalla	120.
Facien	280.
Flanckirung	100.

Distantia propugnaculorum 945.

12. *An varietas authorū in assignādis proportionibus ædificiorū aliquid dāni adferat?* Nō est tāta dissimilitudo, quin possint sentētiæ conciliari, aut media proportio assumi. Sunt, qui proportionem arcæ Noë & proportionem templi Salomonis certâ quâdam ratione sibi proponunt imitandam. Longitudo arcæ Noë fuit cubitorum 300. latitudo 50 altitudo 30. Figura templi fuit oblonga, cuius longitudo triplo fuit maior quàm latitudo.

13. *Qualis debeat esse proportio in opere cornuto?* Id patet ex sequenti diagrammate.

Opus cornutū est L M N V. Lineæ PM & G N æquales sūt lineæ defensionis I H, siue O K. Ala P Q est 50. pedū. Distātia cuspidū M & N sēper æqualis esse debet cortinæ arcis E F: quæ sit 500. pedū. Itaque GP erit aliquātò maior, quā triens 500. pedū; Atqui triēs 500. pedū est $166\frac{2}{3}$. Ergo GP erit maior quā $166\frac{2}{3}$. ped. Sit igitur ped. 170. Porrò NR est 165. ped. cui æquatur MT.




14. *Quænam forma arcis sit præstantissima?* Plerique censent quinquangulam.


15. *Vtrum opus cornutum, an verò vice-propugnaculum sit præferendum?* Vtrumque est præmunitio vltra fossam existens. Sed hoc interest, quòd præsidium maius requiritur ad defensionem operis cornuti, quàm vice-propugnaculi.

16. *Quænam præcipuè sint obseruanda in ædiū exstructione?* Crassâ, quod aiunt, Mineruâ colligemus nonnullos canones hanc ad rē spectantes. 1. Solū accuratè exploretur. Germani vocant, das fundament suchen. 2. Contignationes, colūnæ, & omninò ligna, quæ principaliter sustinēt ædificiū, ita sibi subordinētur, vt inferiora examussim respondeāt superioribus. 3. Præeminētiæ superiorū contignationū, die absätze / non vsq; adeò probantur: quia nō faciūt ad firmitatē domus. 4. Trabes pauimentorū & laqueariū ne nimis à se inuicē distēt. Probatur hîc distantia sesquipedalis. 5. Scalæ quò pauciores, eò meliores. Itaq; si cōmodè fieri possit, extruatur testudo. 6. Scalæ ita extruantur, vt seruetur proportio inter basin, cathetum, & hypotenusam triāguli orthogonij. e.g. si basis sit 30. pedū & cathetus 40. hypotenusa, siue scala, erit 50 pedum. Quòd si murus vel paries sit altus 32. pedes, cui applicanda sit scala ad distantiā horizontalem 24. pedum, scala erit longa 40. pedes. Si altitudo sit 28. pedum, distantia 21. pedum, scala erit 35. pedum. Man kan aber der hypotenusæ nach gelegenheit zugeben. 7. Scalæ, si futuræ sint nimis altæ, frangātur in medio. Germanis dicūtur gebrochene trappen. 8. Fornices cruciati, creutzgewölbe / sunt firmiores simplicibus. 9. Scala, per quā fumus egreditur, ita fabrefiat, vt suprema pars sit latior quàm inferior. Ita enim ventus faciliùs attrahit fumū. 10. Fenestræ eam habeant altitudinē à solo, vt homo mediocris staturæ possit absq; difficultate incūbere brachiis. 11. Trabes exquisitissimè sub angulo recto coniungantur vel per normā, vel per inuentū Pythagoreū. Si enim verbi gratiâ, vna trabs sit 3. pedū, altera 4. adhibetur pertica, das richtscheid / & ita applicatur duabus trabibus, vt sit interuallū 5. pedū. Ita enim construitur triangulum rectangulū, partiū 3. 4. 5. earûmve æquè multipliciū. 12. Tectū super supremū ædificij pauimentū sic fermè extruatur, vt si pauimentum sit 50. pedes latū, tectū fastigietur tignis seu trabibus oppositis 30. vel 40. pedes longis. Quòd si oporteat tigna esse inæqualia, ex vnâ parte potest esse longitudo 30. pedū, ex alterâ 40. pedū. 13. Operæpretiū est tecto ad radicē imponere paruū tectū, vt huiusmodi decliuitas existat, quæ aquā pluuiam longiùs à domo abducat. Germanicè potest vocari die abdachung. 14. Tectamuralia, quæ Germanis appellantur die wetterdächer / magnum habent vsum in ædium defensione ab impetuosis tempestatibus.

17. *Qualis baculus mensorius, vt vulgo loquuntur, in architecturâ, præsertim militari, sit optimus?* Qui præter longitudinem habet tantam latitudinem, vt linearum proportionalium magnitudines ad quodlibet interuallum possint inde sumi, hoc modo.




18. *Qualis debeat esse proportio inter vice-propugnaculum, quod appellant Reualin, fossam & propugnaculum?* Id videre est ex sequenti schemate hypothetico.



E A I est extremitas fossæ : O V Y, vallum : DEF, vicepropugnaculum : BC, propugnaculum : DF, seu EF facies vicepropugnaculi: DR, EL ala vicepropugnaculi : LI, siue IK collum vicepropugnaculi. Proportio sit ista.

Propugnaculum.		Vicepropugnaculum, siue Reualin.	
X Z Polygon	720 ped.	D F Facien	192 ped.
S Z Gola	144 ped.	D K Spalla	78 ped.
T S Cortin	432 ped.	I K Gola	144 ped.
N C Hauptlini	240 ped.	Vallum.	
Q R Spalla	120 ped.	C a Distantia valli ab extremitate propugnaculi	100 ped.
R C Facien	180 ped.	Germ. Anlegung des walls.	
Q M Flanquirung	100 ped.		
B C Distantz des bollwercks	945 ped.		

In sequenti schemate loco vicepropugnaculi, des Reualins, est lorica ABC, ein brustwehr : D E F G, die contra scherpf.



Porrò si sit vt in præsenti schemate, ratione valli talis erit proportio.

Anlegung des walles —— 96 ped.
Hierauf ein brustwehr —— 24 ped.
Anlegung des walles vom Revalin —— 72 ped.
Breite des grabens vom { bollwerck —— 144 ped. / Revalin —— 96 ped. }
Abdachung der Contra scherpf —— 100 ped.


Denique in præcedenti schemate ducatur linea B C ab extremitate propugnaculorum, & ex medio istius lineæ excitetur perpendicularis I Y quotlibet partium, videl. 100. 200. vel 300. prout volumus fossam esse latam. Denique ex cuspide B & C ducantur duæ lineæ. Vbi tum fuerit intersectio, ibi est formatio fossæ.


19. *An arces regulares vel irregulares sint præferendæ?* Irregulares, & quidem quinquangulæ.

20. *An in operibus irregularibus veterũ, vbi polygona est 1500. 1700. &c. pedũ, sit recta proportio?* Minimè. Εὔδηλον ex superioribus.

21. *Quid architecti vocent* Cavalir? Germanis dicitur ein katz. Hæc autẽ munitio debet erigi propè cortinã, vel in cẽtro arcis aut castri. Si propè cortinã, so muß sie 12 oder 14 schuh ligen von der brustwehr / vnd breit seyn 100 schuh lang 110 / vierkantig oder wie ein halber mon. Si in centro, potest esse rotũda, vel quadrata.

22. *Quomodo cuniculi subterranei sub locum præstitutum sint agendi, & quidem sine ope magnetis, per abacum geodæticum?* Esto meta proposita F perpendiculariter sub montis vel fortalitij signo conspicuo, ad quam deuenire velimus, facto fodiendi initio in A. Exploremus igitur ante omnia distantiam horizontalem A F de quo vide suprà Geomet. Deinde in A faciamus fodiendi initium rectà versus F. Ne autem sub initium à rectitudine aberremus prouidentiâ & industriâ opus est : Et quidem si nulla fodientibus occurrant obstacula, vt saxa ob quæ facienda sint diuerticula, sciremus quousque fodere oporteat tramite recto, vt ad locum F deueniamus, nec quicquam superesset difficultatis. Sed enim postquam ad B progressi fuerimus, occurrente obstaculo diuertere necesse sit, facto cuniculo B. C. Ne igitur tandem à scopo F, quippe in oculos non occurrente, aberremus, ita agimus. Per mediam Abaci ducimus rectam, inque eâ ab *a* vsque ad *f* numeramus tot particulas, quot pedum est distantia A F; quot autem pedum est cuniculus A B, tot particulas constituimus ab *a* vsque ad *b*. Et quia in B ad C per lineam rectam declinamus, collimando comprehendimus angulum *a b c.* angulo A B C æqualem. In C cùm cesset obstaculum, ad metam F. nos iterum conuertimus: Ideóque quot pedum est B C, tot particulas numeramus à *b* vsque ad *c*, & ex puncto *c* ad *f* ducimus rectam *c f*, ex quâ cognoscimus quantum adhuc à metâ *f* absimus, & sub angulo B C F angulo *b c f* æquali pergimus fodere in lineâ C F. Sed ad D peruenientibus iterum occurrat obstaculum, vt deflectendum sit acto cuniculo D E. Quot igitur pedum fuerit C D, tot particulas numeramus à *c* vsque ad D, angulóque C D E facimus collimando æqualem angulum *c d e.* Et præterea quot pedum est D E, tot particulas numeramus à *d* vsque ad *e*. Ductâ autem rectâ *e f*, cognoscimus quanta adhuc supersit distantia E F, & quòd iam sub angulo D E F, angulo *d. e f* æquali, fodere oporteat : quod dum facimus ad ipsam metam præstitutam F deuenimus.






PERORATIO ARCHITECTONICES.

ET hæc etiam est Architectonicæ delineatio : cuius consideratio nos euehere debet ad cœlestem illam ἀχειροποίητον domum, cuius architectus est Deus, fundamentum Christus, parietes gratia, tectum gloria, inhabitatores beati angeli & homines. Hanc domum cogitemus, quoties splendida & ampla palatia in his terris intuemur, miniméque adhærescamus luteis hisce & caducis casis, sed mente nostrâ sine intermissione ad cœlestia aspiremus, vt breui cum summo illo huius mundi architecto Deo in beatâ æternitate coniungamur. Ita Deus faciat.

METHODVS ARCHITECTONICÆ.



FINIS ARCHITECTONICÆ.

ENCYCLO



ENCYCLOPÆDIÆ LIBER TRIGESIMVS QVINTVS,

EXHIBENS.

Septem & triginta disciplinas compositas, Totidem sectionibus.

SECTIO I.

In quâ delineatur

APODEMICA.

PRÆCEPTA.



APODEMICA est disciplina composita de ratione rectè peregrinandi.

Estque generalis & communis, vel specialis & propria.

Apodemica generalis tradit præcepta in omni peregrinatione obseruanda; idque quantum ad causas & accidentia.

Causæ sunt hoc ordine.

Finis peregrinationis est vtilitas & voluptas.

Vtilitas est prudentiæ, scientiæ, & morum, quantum ad animum; sanitatis, roboris,&c. quantum ad corpus; diuitiarum, amicitiæ,&c. quantum ad bona fortunæ.

Voluptas est animi & corporis, quæ oritur ex inspectione locorum, conuersatione virorum clarorum, acquisitione omnis generis bonorum,& recordatione præteritorum bonorum vel malorum,quæ non potest non iucunda accidere.

Efficiens peregrinationis est princeps, vel instrumentalis. Ibi est homo qui peregrinatur: hîc sunt ea omnia,quæ peregrinanti sunt necessaria vel vtilia.

Materia peregrinationis est locus vel locatum.

Forma seu modus peregrinationis consistit in itione, commoratione, & reditu.

Accidentia peregrinationis sunt tempus & euentus.

Apodemica specialis tradit præcepta in certâ peregrinatione obseruanda, & proinde persequitur differentias seu species peregrinationis; quæ sumuntur à causis & accidentibus.

A causis hoc ordine:

I. A fine peregrinatio est simplex, vel multiplex. Illa suscipitur propter vnum aliquem finem: hæc propter varios fines instituitur. Ibi est peregrinatio philologica, philosophica seu theorica, herbaria, militaris, mechanica, politica,&c. hîc est peregrinatio philologico-politica, theorico-practica, philosophico-mechanica &c.

II. Ab efficiente peregrinatio est doctorum vel discipulorum, sani vel ægri, principis vel subditi, multorum simul vel vnius, spontanea vel coacta, liberalis vel mechanica, & hæc est militaris, tabellaria, nuntiorum, veredariorum, mercatorum, & quorumcunque aliorum artificum.

III. A materiâ peregrinatio est commoda vel incommoda.

IV. A formâ peregrinatio est animi, eáque stulta: vel corporis, vt vectio per aquam, seu nauigatio; vel per terram, quæ peregrinatio terrestris dicitur, & pedibus, curru, equo, aut alio aliquo iumento perficitur.

Ab accidentibus peregrinatio est secura vel periculosa, opportuna vel secus, longinqua vel breuis, diurna vel nocturna; verna, æstiua, autumnalis, hyemalis; felix vel infelix.

REGVLÆ.

I. *Peregrinatio plena est vtilitatis & voluptatis, siquidem rectâ ratione instituatur: quam præscribit Apodemica.* Peregrinationis encomiū.

Non ab re est, quod poëta canit
———*Non omnis fert omnia tell⁊.*
Nam Deus, summus ille ac sapientissimus rerum omnium architectus admirandâ suâ prouidentiâ, pulcherrimo sanè ordine, ita omnia disposuit, vt quemadmodum terræ aliæ aliis fossilium, stirpium, animantium sunt feraciores, neque in vno eodemque solo omnia peræquè. eâdemque copiâ abundantia proueniunt: ita linguæ, artes, & scientiæ, quarum adminiculo animus excoli queat, humanitateque, seu potiùs diuinitate quadam imbui, non in eodem loco, putâ ciuitate aut schola, inclusæ continentur: verùm hinc inde per varias regiones longè lateque sunt dispersæ, summaque rerum illarum præstantia & felicitas alibi maior, alibi minor, reperitur. Inde fit, vt hic quidem locus viros linguarum scientia, aut etiam eloquentiæ laude præstantes habeat; alius insignes philosophos foueat; hic mathematicos solertes alat; ille medicos excellentes educat; iste ICtorum clarissimorum prouentu celebris sit; alio denique in loco, quod palmarium est, religionis sinceræ exercitium vigeat. Quibus tantis doctrinæ & virtutis ornamentis si exornari aliquis cupiat, itinera illi instituenda, peregrinationesque ad loca illa inclyta suscipiendæ sunt. Ita enim fiet, vt omnigenam prudentiam, eruditionem siue scien-

tiam, & morum elegantiam sibi comparent. Et prudentiam quidem formant & firmant instituta varia gentium, ritus & mores hominum, formæ ciuitatum. Scientia verò est ab auribus, id est, doctoribus & oculis, id est, libris, & inspectione variarum rerum. Denique mores elegantes reddit conuersatio. De bonis corporis & fortunæ vide mox Ad vtilitatem accepit voluptas, quam indigitauimus paulò antè in præceptis. Porrò hæc bona ex peregrinatione tum demum ad nos redundant, si rectâ ratione instituatur, quam ad rem opus est præceptis & regulis, certâ methodo comprehensis. Atque hinc est Apodemica, quam eleganter descriptam vide *in Theatro Zvvingeri & Compendio Salomonis Neugebauweri Pruteni*, amici nostri obseruandi quos duos nobis imitandos proponemus.

Causa efficiens peregrinationis.

II *Causa efficiens princeps peregrinationis consideratur secundum quantitatem & qualitatem: organica conducit ad peregrinationem instituendam, vel obeundam.*

Secundùm quantitatem peregrinantur vel tota gens, sedibus suis emigrans commodioris soli occupandi gratiâ, vel coacta, nempe patriis sedibus eiecta, quò etiam referuntur coloniæ: vel ij, qui tum publicâ causâ peregrinantur, vt legati & stipendiarij, tum suâ, vt studiosus emissus à parentibus, mercator. *Secundùm qualitatem* si consideretur efficiens causa peregrinationum princeps, ea est homo sanus vel æger, robustus vel debilis; puer, adolescens, vir, vel senex; diues vel pauper; nobilis vel ignobilis; Princeps, legatus, ciuis, &c. assuetus vel non assuetus. notus vel ignotus: & suscipit peregrinationem sponte vel cogente vi, certo consilio vel cœco impetu. *Causa instrumentalis* quæ facit ad instituendam peregrinationem, est vel propensio & inclinatio naturæ, vel homo aliquis prudentiâ & vsu rerum præditus. Ad obeundam peregrinationem requiruntur ætas peregrinatoris, corporis vires ad labores itineris perferendos, animi industria & sagacitas in rebus obseruandis, pecunia, hospites, duces aut comites itineris, aurigæ, vectores, ephori, famuli, iumenta, libri itinerarij & geographici, diaria, vestes, arma, & similia, quæ in iter assumi solent.

Finis peregrinationis.

III. *Finis peregrinationis consideratur communiter & singulariter.*

Communiter spectatur in proprietatibus & diuisionibus generalibus. *Proprietates* sunt, quòd hic finis debet esse accommodatus cuiusque temperamento & statui, fixus & stabilis, denique excellens. *Diuisiones generales* sunt, quòd est remotus vel proximus, principalis vel subordinatus, generalis vel specialis, per se vel per accidens, bonus verè vel apparenter. quæ quidem diuisiones accommodandæ sunt sequentibus specialibus. *Singulariter* finis peregrinationis est tum boni absentis acquisitio, & præsentis amplificatio aut communicatio: tum mali præsentis fuga aut profligatio, & absentis communicatio aut acquisitio, hoc ordine. *Acquisitio boni absentis*, quantum ad animum, est theorica, videlicet cognitio vniuersalium præceptorum: vel practica, vt est exemplorum obseruatio, & imitatio: quantum ad corpus, ... sanitatis amissæ recuperatio, præsentisque confirmatio, & roboris corporis conseruatio: quantum ad bona fortunæ, est acquisitio diuitiarum, adeptio honoris, & conciliatio amicitiæ. *Amplificatio & communicatio boni præsentis*, quantum ad animum, est ratione præceptorum vel exemplorum: quantum ad corpus est ratione roboris vel formæ: quantum ad bona fortunæ est ratione diuitiarum, potentiæ, vel amicitiæ, hoc ordine. Et primò quidem præceptorum causâ suscipiuntur peregrinationes theologicæ, philosophicæ, mechanicæ, &c. vt nempe homines ad fidem Christianam conuertantur, vel discant artes, vel habeant exempla artium & virtutum quæ imitentur. Deinde peregrinamur interdum, vt robur corporis in aliis confirmemus, vel formam corporis spectandam præbeamus. Denique peregrinatio fit vel diuitiarum ostentandarum, vel potentiæ declarandæ, vel amicitiæ exercendæ, comprobandæ, vel contestandæ causâ. Quod attinet ad amicitiam, homines peregrinantur congratulandi, condolendi, reprehendendi, auxilium offerendi, consilio, armis, pecuniâ, commeatu adiuuandi; consulendi, assistendi & in iudicio defendendi, liberandi, vel inuisendi causâ. Porrò peregrinantur homines *vt fugiant præsens malum* animi, puta idololatriam; vel corporis, vt mortem, morbos; vel fortunæ, vt paupertatem, ignominiam, inimicitiam, seruitutem, tyrannidem &c. *aut absens malum* cum aliis communicent, putà hæresin, morbum, inimicitias &c. vel sibi illud acquirant, nempe coacti, vt qui relegantur & deportantur.

Mate... pereg... natio...

III. *Materia peregrinationis subiecta, & animum & corpus respicit: continetque loca & locata.*

Ratio prioris est; quia peregrinatio est actio animi & corporis simul, si quidem rectâ ratione sit instituta. Ratio posterioris est; quia peregrinamur, vt locorum, vel eorum quæ locis illis continentur, notitiam nobis comparemus *Loca* sunt vniuersalia, vt regiones, prouinciæ: vel particularia, vt vrbes, scholæ, ædificia. *Locata* sunt fossilia, plantæ, bruta, homines in re artéue quâcunque clari coram videndi vel audiendi, libri, statuæ, monumenta, & similia.

For... pere... natio...

IV. *Forma peregrinationis est motus animi & corporis.*

Debet enim peregrinatio perfici animi imperio, & corporis ministerio. *Quantum ad animum* attinet, ille debet peregrinari exteriùs, hoc est, ea obseruare quæ peregrè sunt atque fiunt, suisque vsibus præsentibus & futuris accommodare: non verò interiùs, ne iustæ Socratis reprehensioni fiat obnoxius, qui cuidam nihil sese ex longinquâ peregrinatione emolumenti consecutum esse quiritanti; Tecum enim peregrinabaris, scitè respondit. *Quantum ad corpus* forma peregrinationis est in itione, commoratione, & reditu.

V. *Peregrinationis accidens duplex est, tempus & euentus.*

Acc... pere... nati...

Tempus est annuum, menstruum, diurnum, nocturnum, matutinum, meridianum, vespertinum, festum, profestum, & ratione ætatis tempus pueritiæ, adolescentiæ &c. *Euentus* complectitur ea, quæ à peregrinationis naturâ & instituto diuersa, peregrinanti accidunt: vti sunt cognitio, actio, sanitatis amissio vel recuperatio, diuitiæ, dignitates, amicitiæ, paupertas, inimicitiæ, de quibus ille, qui peregrinatur, ne per somnium quidem cogitauit. Porro ad tempus etiam pertinet *meta*, eáque certa, iusta, & conuenientibus interuallis distincta: quam in peregrinando obseruare oportet.

Spe... per... nat...

VI. *De speciebus, siue formis peregrinationis, sunt hi canones.*

1. *Finis peregrinationis ratione conatus est simplex & vnicus, vel multiplex: proinde & ipsa peregrinatio est talis.* Peregrinatio simplex est, quæ suscipitur propter vnum aliquem finem, qui est vel veri cognitio, vel boni alicuius consecutio. *Ibi* est peregrinatio philosophica, quam vocant; cuius tot sunt species, quot philosophiæ theoreticæ, vt peregrinatio philosophica sit metaphysica, physica, mathematica: *hic* est peregrinatio pragmatica, vt mechanica, bellica seu militaris, togata &c. Huc itaque pertinet peregrinatio herbaria, architectonica, statuaria, religiosa, academica, politica, &c. Peregrinatio multiplex, siue composita, est, quæ propter varios instituitur fines.
2. *Finis peregrinationis ratione successus aut obtinetur, aut non.* Hinc itaque peregrinatio est felix vel infelix, de quâ ille apud Homerum eleganter canit:

Αἰσχρὸν γὰρ δηρόν τε μένειν, κενεόν τε νέεσθαι.

Turpe quidem mansisse diu, vacuumque redire.

3. *Ratione efficientis peregrinatio est varia, si spectetur qualitas, quantitas, & voluntas.* Ex qualitate peregrinantis est peregrinatio regum, principum, legatorum, subditorum, doctorum, & studiosorum cuiuscunque facultatis, mechanicorum, tabellariorum, sanorum, ægrorum, &c. Ex quantitate est peregrinatio singulorum, paucorum, vel plurimorum. Ex voluntate est spontanea, vel coacta. 4. *Materia* reddit peregrinationem commodam vel incommodam: *forma*, prudentem vel stultam, terrestrem vel nauticam, pedestrem vel currulem: *tempus*, longam vel breuem, opportunam vel inopportunam, nocturnam vel diurnam; vernam, æstiuam &c. *euentus*, felicem vel infelicem, fortunatam vel infortunatam.

Pr... pe... nc... co... ni...

VII. *Præcepta peregrinationis communia, quæ vel omnibus, vel plerisque speciebus sunt vtilia, alia quidem concernunt ipsam itionem, alia commorationem, alia reditionem.*

Itionis præcepta sunt. Quisquis peregrinari constituit, 1. de fine diu multumque deliberato, & prudentibus amicis in consilium adhibitis dispicito, an, quomodo, quando, cum quibus, quò peregrinandum fiet. 2. corpore ita peregrinator, vt animo sibi semper præsens sit in rebus, quarum causâ iter suscipit, notandis. 3. prudens esto, in rebus diligenter ac curiosè obseruandis, bonisque à malis discernendis. 4. res ad peregrinandum necessarias, sibi comparato: qualia sunt itineraria, tabulæ geographicæ, gnomon heliacus, horologium

gium portatile. 5. homines vsu rerum pollentes consulito. 6. libros diligenter euoluito. 7. linguarum peritus esto, vt & intelligere alios, & ab aliis intelligi possit. 8. diarium in forma enchiridij sibi parato, in quod ἀξιοθέατα καὶ ἀξιομνημόνευτα referat. 9. picturæ vtcunque peritus esto, vt possit delineare plantas, arces, animalia, regiones. 10 virtutum theologicarum & ethicarum comitatu instructus esto. Ibi sunt fides, spes, & charitas: hîc inprimis veracitas, taciturnitas, iucunditas, modestia, fortitudo, tolerantia, temperantia. 11. sanitatem corporis accuratè conseruato, inprimis diætâ, medicamentis ad spiritus corroborandos idoneis, vestibus idoneis, delectu aëris, somno & vigilia moderatis, affectibus animi lætis, motu corporis moderato. 12. robusto corpore præditus esto. 13. ætate, ad peregrinandum maturâ, præditus esto. 14. sumtus, qui sunt αἷμα καὶ ψυχὴ βροτοῖς, sufficientes habeto: aut ea ministeria subito, quæ suæ peregrinationis fini non sint contraria. 15. comites itineris iucundos, elegantes, peritos deligito. 16. in hospitia honesta diuertito. 17. eas duntaxat res ad peregrinandum assumito, quibus carere nequeat, superfluis omnibus reiectis. 18. vestes delicatas, molles, & luxum redolentes ne adhibeto. 19. armis apodemicis instructus esto. 20. in regionibus temperatis ver & autumnum peregrinationi maximè opportuna tempora deligito: in calidis, hyemem: in frigidis, æstatem. 21. in maritimis locis plenilunij & nouilunij rationem habeto, propter æstum marinum. 22. maturè itineri sese accingito, ac diuersorium vicissim petito. 23. tempus antemeridianum æstate, pomeridianum hyeme commodius ac salubrius ducito. 24. noctu ne facilè iter facito. 25. diei & noctis quantitatem obseruato. 26. die festo ne facilè iter suscipito: vel, si omnino necessitas id imperet, de rebus diuinis in itinere meditationes agitato, colloquia instituito, cantiones concinito. 27. euentum peregrinationis Deo committito. *Commorationis* eadem ferè sunt præcepta, quæ itionis: quibus addantur ista. 1. si diutiùs in aliquo loco sit commorandum, habeto rationem parentum, propinquorum, patronorum, amicorum; illosq; de statu suo certiores facito 2. solicitè obseruato, in cultu, vestitu, & actionibus quid deceat hoc vel illo loco, apud hanc vel illam gentem. *Reditus* leges hæ sunt. Reuersus domum, 1. omnem peregrinitatem exuito. 2. amicitias priores repetito, visitando, salutando. 3. mores patrios retineto. 4. linguam vernaculam, quantum licet, imitator. 5. vestitu se non magis φιλόξενον quàm φιλοπατρίδα esse ostendat. 6. errores, atque obseruationes suas nec vbicunque, nec quibuscunque narrato.

VIII. *Peregrinatio philologica, quæ linguarum eruditarum aut peregrinarum causâ suscipitur, has habet leges.*

1. Ante omnia cogitetur, quænam linguæ nobis sint discendæ: nimirum illæ, quæ accommodatæ sunt nostræ professioni; aut instituto vitæ practico. 2 Oportet discere, non à vulgo, sed à peritis; & quidem iis in locis, vbi linguæ vsus est purus & frequens. 3 Præcepta sunto pauca & facilia. 4. Institutio sit potiùs παιδαγωγικὴ quàm νομικὴ 5. Ingenium sit propensum ad linguam feliciter discendam. 6 Exercitatio sit assidua, non verecunda, sine pudore. 7. Non solùm doctores consulendi, sed etiam optimi scriptores in quâque linguâ legendi. 8. Oportet dispicere, nũ petatur linguæ cognitio perfecta, vel im perfecta, theoriæ vel praxios causâ: id est, an hoc sit nobis propositum, vt intelligamus alios loquentes & scribentes, & intelligamur ab aliis in loquendo & scribendo: vel vt tantùm intelligamus, aut intelligamur. Discimus etiam interdum linguã, vt sciamus tantũ, non verò vt illâ vtamur. 9. Domi discãtur linguæ Latina, Græca, & Hebræa: illa perfectè, ista & hæc saltẽ quantũ ad fũdamẽta. Peregrè discãtur linguæ istæ: Græca & Hebræa, pleniùs quã factũ est domi: Hispanica, Gallica, Italica, Turcica, Arabica &c. ferè ita, vt expeditè possimus loqui.

IX. *Peregrinatio topica, seu localis, quæ locorum causâ instituitur, hos habet canones.*

1. Nomen loci, vetus & nouum, indagetur. 2. Aëris, aquæ, terræ natura cognoscatur. 3. Circuitus secũdùm triplicem dimensionem, & dispositio singularum partium cognoscatur. 4. Causa efficiens procreans, conseruans, & corrumpens investigetur 5 Finis, propter quem locus est factus, perpendatur. 6. Ratione quantitatis obseruetur magnitudo, amplitudo, & numerus, an locus sit vnus vel plures. 7. Ratione qualitatis attẽdatur an locus sit sterilis vel fœcũdus, calidus vel frigidus, salubris vel insalubris 8. Ratione situs expendantur eleuatio poli seu latitudo loci, longitudo, zona, clima, parallelus &c. Item loca vicina, respectu commoditatis & ordinis. 9. Ratione passionis obseruetur quomodo, quo iure, & quo tempore locus ab aliis possideatur; à quibus colatur, & destruatur 10. Ratione actionis obseruetur an locus sit clarus vel obscurus, felix vel infelix, ob bona vel mala animi, corporis, & fortunæ. 11. Historias eius gentis, ad quam nos conferimus, oportet euoluere. 12. Loca visenda sunt sacra vel profana, naturalia vel artificialia, vniuersalia vel particularia. Huc itaque pertinent templa, basilicæ, cœnobia, epitaphia, academiæ, porticus, theatra, propugnacula, vrbes, arces, metropolis, syluæ, montes, deserta, maria, flumina, lacus, stagna, thermæ, fornices, columnæ, pyramides, arcus triumphales, curia, armamentaria, nosodochia, ædes priuatæ in vrbe vel extra vrbem. 13. Non erubescamus consulere tabellarios cursores, caupones, qui locorum naturã nouerunt. 14. Inprimis consulendi sunt antistites reip. ecclesiæ & scholæ. 15. In vrbium ambitu lustrando petantur turres altæ. 16. Locorum peregrinatio suscipitur ob finem theoricum, vt sciamus locorum distantias, situs, & figuras: vel practicum, vt hâc locorũ cognitione instructi, opus aliquod vtile vel iucundũ efficere queamus; putà vt condamus historiã, scribamus tabulas geographicas, vel τὰ εὐμίμητα, quæ in locis exteris occurrerũt, in patriâ nostrâ imitemur. 17. In locis obseruẽtur locata, eaq; tũ physica, vt fossilia, plantæ, animalia; tũ politica, vt homines clari, tum œconomica, vt supellex vestiaria, bellica &c.

X. *Peregrinationis ethicæ, seu moralis, quæ morum causâ suscipitur, hi sunt canones.* Peregrinatio ethica.

1. Prima cura est dispicere, quas virtutes hoc vel isto in loco, & à quibus discere possimus & debeamus. Sic ab Hispanis frugalitatem victu, ab Italis vrbanitatem, à Germanis modestiam debemus discere. 2. Mores discuntur inprimis exemplis & cõuersatione, nominatim virtutes ὁμιλητικαί. 3. Θεωρός, id est, qui morum causâ peregrinatur (sic enim Plato appellat) id operam dabit, vt bonos mores, quos habet, non amittat; quos non habet, acquirat: malos, quos habet, peregrinando exuat; quos non habet, ne addiscat. 4. Θεωρὸς quò adultior, eò à cupiditatum illecebris est liberior, eoque tutiùs ac fructuosiùs peregrinabitur. 5. Semper ante oculos sit ille canon: Meta peregrinationis est cognitio; cognitionis, actio, actionis, gloria eius qui vniuersam hanc vitam voluit esse peregrinationem ad immortalem vitam, & patriæ, quæ emittit liberos suos, vt receptis vtatur melioribus, emolumentum.

XI. *Peregrinatio religiosa instituatur iuxta hos canones.* Peregrinatio religiosa

1. Religionis ergo suscipi debet peregrinatio, non verò superstitionis causâ. 2. Tum demum fuerit religiosa peregrinatio, si conemur fidem Christianã propagare & discere, aut in eã magis ac magis proficere 3. Monumenta religionis ergò instituta possumus citra superstitionem inuisere: vt superstitiosorum miseriam cognoscamus & deploremus

XII. *Peregrinationis theologicæ præcepta sunt.* Peregrinatio theologica.

1. Ea loca oportet adire, vbi clari concionatores vel professores theologi degunt. 2. Theologus dispiciat, quid singulare habeat liber naturæ, id est, mundus magnus & paruus, his & illis in locis. 3 Humilitatem, sobrietatem, & frugalitatem imprimis colat. 4. Vestitus sit moderatus. 5. Arma gestare, præter gladiolum, non est decorum. 6. Semper instructus sit nouo testamento.

XIII. *Peregrinatio iuridica sic instituatur.* Peregrinatio iuridica.

1. Loca adeunda, sunt academiæ, fora, curiæ, tribunalia 2. Consulantur iuris interpretes, iudices, causidici, historici. 3. Studiosus iuris qui peregrinatur, omnia referat ad Iurisprudentiam specialem, id est eam, quam aliquando exercere cupit. 4. Semper sit instructus præceptis Iurisprudentiæ generalis eaque locupletet variis exemplis, quæ hinc inde in peregrinatione sese offerunt.

XIV. *Peregrinatio medica sic instituatur.* Peregrinatio medica.

1. Loca perlustranda, sunt academiæ, nosocomia, officinæ medicæ, horti, mõtes, syluæ, metallifodinæ, thermæ, triremes, castra, amphitheatra anatomica. 2. Morbi & remedia varia obseruentur. 3. Consulantur medici clari vel chirurgi: imò & veterinarij seu hippiatri. 4. Discat precio vel precibus, siue vtilium præceptorum communicatione, siue exemplorum commonstratione, à dogmaticis iuxta & empiricis.

XV. *Peregrinationem philosophicam gubernant hi canones.* Peregrinatio philosophica.

1. Accuratè oportet dispicere, quam philosophiæ partem velimus peregrinando addiscere. 2. In singulis philosophiæ partibus adeundi & audiendi sunt doctores, qui in iis excellunt, & eas ex professo tractant. 3 Doctores vniuersales, quos vocant, id est, qui vniuersum philosophiæ cursum profitentur, in magno pretio sunt habendi: quòd iis connexio disciplinarum & methodus inprimis curæ sit atque cordi.

XVI. *Pere*

Peregrinatio Mechanica & militaris.

XVI. *Peregrinationis mechanicæ & militaris hæc erit ratio.*

1. *Mechanicus* diligenter expendat, quæ ars discenda, quæque exempla spectanda, quo loco. Non enim mechanicæ artes in singulis vrbibus sunt eædem. Sic v.g. architecti, statuarij, pictores, textores, quæ obseruent, habebant in Italia: figuli & fabri omne genus in Germaniâ. 2. *In militari peregrinati ne* id opera detur, vt inimicis quocunque modo incommodetur, & amicorum agri & opes, non minùs, quam nostra conseruentur: perpendatur, num loca, per quæ ducendus est exercitus, sint amica vel inimica, commoda vel incommoda, salubria vel insalubria, expedita vel impedita, exculta vel deserta, plana vel montosa: adhibeantur stratagemata, vigilantia, fortitudo: hostiū manus præueniātur dolo, â simulatione, vtputa quiete, distractione exercitus per partes transmissi, metu iniecto proditionis, irruptionis, periculi cuiuscunque & auxilij, victoriæ rumore, pacis, fœderis, pactionis, societatis mentione, effugij ac libertatis prætextu: curetur, vt euadamus hostium manus, ne vim nobis inferant, dum viarum & temporis errore decipiuntur; aut aliquâ re interiectâ, vt vallo, muro, flumine, item pontibus abiectis, quò minùs exercitum adoriri possint, decipiuntur; aut impressionem a copiis nostris sustinere coguntur, idque copiis vel coniunctis, solerti aciei dispositione, quæ maximè ad superandos hostes videatur esse apta, vel parte earum hostibus oppositâ, quarum conspectu minùs de insidiis à tergo imminentibus sint soliciti; reliquos verò longiori viarum ambitu circumducendo, vt sic ab antè & ponè instantibus vtrinque inclusi leuiori negotio pellantur. Quòd si nulla affulgeat spes victoriæ ab hostibus reportandæ, propter nostrarum copiarum infirmitatem tum expeditissimum est, impedimentis omnibus post se relictis in fugam se coniicere. Denique curetur, vt equi, pecunia, commeatus, arma, vestimenta, machinæ, naues, & similia, nos non destituant.

Peregrinatio sanitatis, opum, & amicitiæ causâ instituta.

XVII. *Peregrinatio sanitatis, opum, & amicitiæ causâ quæ instituitur, hæc habet præcepta.*

1. *In peregrinatione valetudinariâ* consulantur medici, quonam in loco sanitas amissa possit recuperari: & diligens habeatur ratio rerum non-naturalium, quæ dicuntur à medicis: vti sunt aër, alimēta, somnus, vigilia, inanitio, repletio, motus, quies, & animi affectus: denique specialia præcepta obseruentur in peregrinatione, quæ suscipitur ad fugiendam pestem, abigendam tabem, curandam scabiem &c. 2. *In peregrinatione quæ opum causâ suscipitur*, cogitandum est de modis acquirendi, qui constabunt propriâ industriâ & humanitate alienâ. Nimirum opes acquiruntur commutatione, operæ locatione, donatione &c. Sic mercatores dant opes, vt vicissim accipiant: legati acquirunt muneribus, milites stipendiis, mechanici mercede, doctores διδάκτροις, medici σώστροις &c. 3. *In peregrinatione amicitiæ ergo susceptâ* habenda est ratio personarum & locorum. Contrahitur enim amicitia cum æqualibus vel inæqualibus, immediatè & coram vel mediatè per literas & alios amicos, oblatione officiorum vel commendatione aliorum. Conseruatur literis, alloquio, conuersatione, muneribus, deductione, comitatu, obseruantiâ omnis generis.

Peregrinatio multiplex.

XVIII. *Peregrinationis multiplicis hæc sunt præcepta.*

1. Peregrinationis multiplicis multiplicia sunt præcepta, ex simplicium inter sese coniunctione deducenda, hâc tamen lege, vt præcipui finis potiora quoque sint præcepta, & id solicitè caueatur, ne peregrinatio vni fini inseruiens, alteri officiat: vt si quis linguæ causâ peregrè proficiscens, mores interim pessimos imbibat. Fines igitur diligenter examinentur, vtrùm sibi inuicem contrarij sint vel consentanei, digniorque indigniori præponatur. 2. Quidam fines æquè sunt principes: vt si quis & studiorum & linguæ causâ Italiam petat. 3 Finium secundariorum ratio obiter tantùm est habenda. Sic medicinæ causâ Italiam petens, vnâ eâdemque opera potest & linguam addiscere Italicam, & loca varia obseruare, & naturæ artisque miracula cognoscere.

Peregrinatio principum.

XIX. *Peregrinatio principum, id est, regum, comitum &c. sic instituatur.*

In principe requiritur animi confidentia: tum prudentia, in personâ vel cum grauitate seruandâ, vel interdum dissimulandâ: item robur & agilitas corporis, natandi peritia. 2. Sumtus requiruntur ingentes. 3. Amicitiæ eorum, per quorum loca principes transeunt, inprimis concilientur. 4. Commeatus & vestitus erit principe dignus. 5. Ductores periti & fidi adhibeantur; itémque custodes probatissimæ fidei. 6. Principes peregrinantur vt sibi parent cognitionem locorum & linguarum, vel cum aliis ineant amicitiam, vel vt mores addiscant, vel vt ordinent ac constituant res & negotia regni sui, vel vt vim inferant aut repellant.

Peregrinatio legatorum.

XX. *Peregrinatio legatorum is regulis constat.*

1. Legatus sit præditus virtutibus personæ suæ conuenientibus: vti sunt linguarum peritia, eloquentia, prudentia, fortitudo, libertas, siue παῤῥησία, popularitas, vrbanitas, & fides. 2. Item habeat ætatem idoneam ei, de quo agendum est, negotio. 3. Sit præditus pulchritudine, non quæ in venustate, sed quæ in dignitate est posita; non illa muliercularum, quam permulti cum maximâ virilitatis iacturâ mentiuntur, & mangonicâ arte sibi conciliant, vtpote cerussâ aut calamistro, sed eâ quæ in legitimâ omnium partium conformatione est, vt in magnitudine, numero, figurâ, situ. Itaque non erit monoculus, surdus, claudus, aliόve corporis vitio insigni notatus. 4. Legatus sit nobilis, vel genere, vel doctrinâ, vel virtute, vel his omnibus simul. 5. Pecuniâ in iter sufficiente sit instructus: vestimentis vtatur decoris, non ridiculis, aut ingratis visu eis quos aditurus est. 6. Comitatum sibi adiunctum habeat honestis constantem hominibus, qui non sint petulantes, nec sordidi, nec temerè aliquid tentent, nisi impetratâ à loci magistratu veniâ. 7. Legatio suscipitur ad amicos, vel inimicos. Ad amicos: putà magistratus vel socios. Ad inimicos: vel ad res repetendas, vel ad deditionem faciendam, vel ad auxilia inhibenda. 8. Legatus probè habeat cognita loca, quæ adit, & per quæ it reditque: mores item gentis, ad quam mittitur.

Peregrinatio professorum.

XXI. *Peregrinatio professorum sit eiusmodi.*

1. Ea loca & eos homines adeant, quibus professionem suam acceptam fore nôrunt. 2. Secum ferant, quæ ad artis suæ professionem necessaria sunt. 3. Finem hunc habeant propositum, vt artem suam exerceant aut confirment, vt honestè se suosque sustentent, non verò ob turpem quæstum, aut nescio quam famam nominis vel potiùs fumum. 4. In professione se accommodent auditoribus, qui variant in his & illis nationibus.

Peregrinatio studiosorum.

XXII. *Peregrinatio studiosorum cuiuscunque facultatis sic instituitor.*

1. Considerent, quid, vel quod studiorum genus sequi cogitent: deinde, vbi & à quibus discere velint. 2. Adminicula ad peregrinandum necessaria ne negligant. 3. Adsciscant sibi comites itineris, qui non tantùm linguæ morumque periti sint, verùm etiam, quibus in locis quid obseruandum sit, nôrint, ne festinando fructum peregrinationis negligant. Eapropter mercatores plerūque opportuni quidem, sed propter diuersum peregrinationis scopum parum idonei studiosorum comites existunt. 4. In pecuniâ asseruandâ & erogandâ eò cautiores esse debēt, quòd, cùm iuuenes sint, rerumq; vsu destituti, propter imperitiam ac simplicitatem insidiis malè feriatorum expositi sint. 5. In pugillaribus adnotent, quæ postea in ephemerides referant. 6 Inter iter faciendum legant vnum aliquem authorem studiis suis accommodum. 7. Comparent sibi probatissimos authores, quos post iter confectum legant.

Peregrinatio ephororum.

XXIII. *Peregrinatio ephororum, id est, inspectorum, seu præceptorum, hos habet canones.*

1. Quæ ad patrem, qui filium peregrinaturum comitatur, præcepta spectant, eadem ad inspectorem pertinent. Peregrinatur enim eius causâ, cui præficitur. 2. Ephorus sit peritus locorum, quæ adeunda sunt, & res obseruatione dignas in promtu habeat, easque captui discipuli accommodet. 3. Qui hoc munus suscipiunt ita meminerint illud sibi administrandum, vt non tantùm sint ῥητῆρες ἐπέων, sed etiam πρηκτῆρες ἔργων. Itaque non solùm præceptis veritatem ac virtutē doceant, sed etiam exemplis bonis præluceant discipulis. Id autem præstabunt, si sint diligentes & assidui in officio, vigilantes & temperantes, fidi in docendo, circumspecti in moderando & dirigendo discipulorum ingenio, liberi & aperti, seueritatem facilitate temperent in corripiendo & indulgendo, humani iuxta & graues sint in conuersando.

Peregrinatio puerorum.

XXIV. *Peregrinatio puerorum & adolescentum sit eiusmodi.*

1. Pueri & adolescentes non peregrinentur nisi ex volūtate suorum. 2. Ipsorum imperitia boni præceptoris prudentiâ dirigatur, in linguâ excolendâ, ratione firmandâ, memoriâ exercendâ. 3. Imbecillitas puerorum & adolescentum, itineris labore non est augenda; sanitásque rectâ victûs ratione est conseruanda. 4. Peregrinationis comites optimi deligantur, ne vel tantilla conuersatio improborum corrumpat animos tenellos.

nellos. 5. Parentibus, vel tutoribus, & propinquis puerorum & adolescentum duplex incumbit cura: vna, sint prudentes & circumspecti in præceptore deligendo, qui & naturâ bonus sit, & arte doctus, vt docere possit præceptis & exemplis, ac vsu rerum experientiâque sit prædictus: altera, sint liberales in eo, quem filio aut pupillo præfecerint, quemque in eodem erudiendo & moderando fidum sint experti, dignis præmiis munificè afficiant.

XXV. *Peregrinatio mercatorum sic instituatur.*

1. Mercator sit prudens in mercibus deligendis. 2. Ne cum mercibus peregrinis mores peregrinos introducat. 3. Sit diligens, laboriosus, integer, verax, constans, fidus. 4. A monetâ, à moribus & mercibus vetitis abstineat. 5. Sit instructus hipperis, loculis, armis. 6. Si terrâ iter longum sit facturus, vere & autumno potiùs profectionem suscipiat, propter illorû anni temporum temperatam aëris constitutionem, quàm æstate & hyeme. 7. Mari faciet iter post Plejadum occasum.

XXVI. *Peregrinatio tabellariorum, nuntiorum, viatorum, sic instituatur.*

1. In tabellario & viatore quocunque requiritur prudentia in itineribus commodis & compendiosis, in discernendis contrariis, in periculis & insidiis declinandis: fortitudo in superandis itinerum difficultatibus: sobrietas in victu: fides in mandatis exequendis, & literis prudenter occultandis: robur in perferendis molestiis itineris: agilitas & velocitas: denique vigilantia. 2. Ne sint auari, adeoque insatiabiles in exigendo & accipiendo mercedem aut honorarium.

XXVII. *Peregrinatio pauperum erit huiusmodi.*


1. In locis ad quæ itur, videndum est, an ibi paupertati locus sit, qui principi fini peregrinationis non sit contrarius. 2. Deligant istiusmodi loca, vbi degunt homines opulentiores & clariores, qui peregrinantium necessitatibus & possunt, & volunt, & solent succurrere, quíque se gratos demonstrant ob officium ac operam illis præstitam. 3. Nulla discendi occasio ipsis est negligenda. 4. Ea præsidia, quæ pauperibus vel à naturâ insunt, vel arte sunt comparata, sufficienda sunt in locum bonorum externorum, quibus ipsi carent. 5. Studeant pietati erga Deum, probitati erga homines. 6. Prudentia in ipsis requiritur, quâ necessitati præsenti succurrere queant: fortitudo, in malis constanter ac fortiter perferendis: temperantia in cibo, potu, vestitu: veritas in dictis & factis tum suis, tum alienis: officiositas in opere: affabilitas in sermone: modestia & constantia in petendo, quo egent, ne si remissè petant, inopiam simulare videantur: vrbanitas, quâ irrisiones, quæ perpetui sunt paupertatis comites, sedatè ac cordatè ferant. 7. Diuertant in xenodochia, vel cauponas, in quibus viliùs viuitur. 8. Arma ne gestanto. 9. Vestimenta splendida ipsos dedecent. 10. Hyems ipsis est incommodissima: autumnus ferè commodissimus, quòd largâ copiâ fructus fundat, ac liberalitati locum det facilitatíque victus comparandi commodet.

XXVIII. *Multorum simul peregrinantium hæc sunt præcepta.*

1. Considerent an loca sint secura, vel infesta & periculosa propter hostes, latrones, prædones, belluas. 2. Cogitent de cômoditate & incommoditate alimentorum, hospitiorum, viæ puluerulentæ, lutosæ, amplæ, angustæ. 3. Ordinem accuratè seruent. 4. Mutuâ se complectantur beneuolentiâ. 5. Qui iure pares sunt, paria quoque commoda & incommoda perferant, si non simul, at alternis vicibus. 6. Si sint dissimiles vitæ seu professionis genere, societas ipsorum eò actioribus ac strictioribus deuincienda est legibus: quia dissimilitudo studiorum ac morum litibus atque dissidiis sæpiùs ansam dare solet.

XXIX. *Peregrinatio pedestris, equestris, currulis, nautica, & glacialis his canonibus gubernatur.*

Peregrinatio pedestris. 1. Hic peregrinandi modus paucioribus eget adminiculis; estque liberior atq; expeditior, quamuis maiori cum molestiâ sit coniunctus. 2. Tria inprimis creare solent ita peregrinanti molestiam, sitis, sudor, defatigatio. *Sitim* vt sine periculo extinguat aquâ frigidâ, secum ferat allium, vel micam panis cum saccaro. Sed & illud obseruet, vt sensim bibat, non verò se ingurgitet potu. *Sudorem* absterget sudariis; & subinde mutet indusia. *Defatigationi* atque intertrigini medetur pedum ablutio aquâ salsâ, & sero hircino, ceruino, vel communi facta inunctio. 3. Lecti mundi prima sit cura; potiusque iudicet bene cubare, quàm bene epulari. 4. Vestes sint frugales, & leues, ne viatorem onerent. 5. Calceos & tibialia habeat integra. 6. Alimenta secum portet, si diuersoria sint remotiora. 7. Primis diebus non festinetur, sensimq; diurno itineri aliud addatur. *Peregrinatio equestris.* 1. Eques fasciâ ventrem constringat, contra violentas succussiones, præsertim in cursu angario, qui fit per equos dispositos: parciùs prandium sumat; à cibo pedetentim iter ingrediatur: somnum obrepentem cantando ac côfabulando leni cursu fallat: ardorem stomachi micâ salis deglutitâ sedet: in præcipitiis plus suis quàm equi cruribus fidat: pontium fidem suspectam habeat: cursu ne vnquam lacessat: pedes potiùs quàm eques superet: furfuribus calidis ocrearum soleas insternat, laxitates impleat: soleis cerâ oblitis contra frigus vtatur. 2. Equum probè quantum ad pabulum, dorsum, sellam, tibias, soleas, priùs quàm seipsum curet: per decliuia & prærupta equo parcat: nitorem phalerarum quærat citra sordes, quibus solent se denigrare nonnulli. 3. Quantum ad comites, videat, vt luti & aquæ aspergines longiori interuallo vitet: virgultorum verò eiaculationes & præcedens & sequens caueat. 4. Semitam ne facilè ingrediatur; præsertim vbi sunt pali erecti. quod præceptum à me neglectum prope Antuerpiam, ferè cruris dextri fracturam attulisset. *Peregrinatio currulis.* 1. Nauseam manè oportet arcere cibis aut remediis stomachum roborantibus. 2. Cibo se nimio ne repleat, qui curru iter facit. 3. Interdum deambulando currus agitationem mitiget. 4. Aurigam ne offendat. *Peregrinatio nautica.* 1. Cogitetur, an per mare, lacus, vel flumina sit proficiscendum: tum, an detur ad terram appellere nec ne. 2. Non oportet esse meticulosum. 3. Qui naui peregrinatur, sit peritus natandi. 4. Contra nauseam opportuna adhibeat remedia: cuiusmodi sunt absinthiû & pulegium trita cum vino & aceto, naribusque admota: apij semen torrefactum & bibitum: aqua marina pota. 5 Si à vomitu abstinere non possit, vomere non est malum: tamen effrænem vomitum & superfluum sedare oportet cotoneis, vel apij semine. Id enim torrefactum & bibitum, non solùm prohibet nauseam, ne fiat, vt modò dicebamus, sed etiam factam sedat. 6. Qui mare intraturus est, per aliquot dies antè cibum minuat, ac minùs solito edat, vtaturque cibis stomachum roborantibus. Secum ferat poma cotonea, absinthium, & alia côtra vomitum facientia. Primâ die, quà intrauerit, ne aquam adspiciat, neque caput eleuatum teneat, neque comedat aut bibat, nisi parum quid. 7. Benignè ac humaniter habeat tractetque nautas. *Peregrinatio glacialis.* 1. Ea fit trahis vel rhedis per equos, onagros, ceruos, & rangiferos: aut cothurnis glacialibus. 2. Qui vti volet cothurnis glacialibus, sit agilis & priùs exercitatus. 3. Glaciei ne nimium fidat.



SECTIO II.

In quâ delineatur

CRITICA.

PRÆCEPTA.

CRITICA est disciplina composita, tradens modum bene iudicandi de scriptis classicis.

Estque generalis, vel specialis.

Critica generalis explicat modum bene iudicandi de germanitate scripti, & illius variis lectionibus; itemque rationem signorum Criticorum. quæ tria faciunt vtramque paginam in vniuersâ Criticâ.

Critica specialis est philologica, philosophica, theologica, iuridica, medica, historica.

Critica philologica occupatur circa scripta oratorum & poëtarum classicorum.

Critica philosophica versatur circa scripta philosophorum classicorum.

Critica theologica est inprimis Biblica, vel Ecclesiastica.

Critica Biblica dicitur Masorah.

Masoræ occurrit definitio & partitio.

Definitio est nominis & rei.

Definitio nominis est in notatione, synonymis, & euolutione homonymiæ.

Definitio rei pendet à distinctione vocabuli ambigui.

Partitio est, quòd Masorah est generalis, vel specialis.

Masorah

Maſorah generalis ſpectatur in protaſi, epitaſi, & cataſtrophe.

Protaſis eſt ſub Eſdrâ,anno M.3551.

Epitaſis eſt ſub Simeone Iuſto,an. M.3620.

Cataſtrophe cernitur in propagatione Maſoræ apud Iudæos,& imitatione apud Chriſtianos.

Propagatio apud Iudæos habet tria curricula Maſoræ, hoc ordine.

Primum eſt ab anno Chriſti 69.ad an.1037.

Secundum eſt ab an.Chriſti 1037.ad an.1525.

Tertium eſt anno Chriſti 1525. vbi eſt Maſoræ forma,vſus,& defectus.

Forma cernitur in ſerie librorum ſacrorum V.T. partitione Maſoræ in magnam & paruam : & cenſurâ Maſorethicâ.

Vſus eſt,vt Maſorah ſit ſepes legis.

Defectus eſt in variis erratis, quæ in Maſorâ hodiernâ cernuntur.

Imitatio Maſoræ apud Chriſtianos eſt in diſcretione librorum canonicorum & apocryphorum, diſtinctione capitum & verſuum,&delectu variarum lectionum.

Maſorah ſpecialis percurrit ſingulos libros canonicos.

Critica Eccleſiaſtica occupatur in conſtituendo numero Patrum,quos vocant, & in genuinis tum ipſorum tum aliorum quorundam veterum Eccleſiæ Dd. ſcriptis diſcernendis à ſuppoſititiis.

Critica Iuridica imprimis occupatur circa Corpus iuris, quod vocant.

Critica Medica inprimis fert iudicium de ſcriptis Hippocratis & Galeni.

REGVLÆ.

Critica quid? I. *Critica eſt facultas iudicandi πᾶν τὸ ἐπιςητὸν,quantum cuique datum : & proinde eſt eximia & nobiliſſima ars.*

Criticus, κριτικὸς, eſt iudicandi peritus:& nominatim iudex, cenſor, exactor, emendator alienorum ſcriptorum. Euſtathius:Criticos vocabant τοὺς κατὰ τὴν γραμματικὴν παραδόσιν εἰδότας κρίνειν τὰ ποιήματα : ſed non ſola poëmata, verùm πᾶν τὸ ἐπιςητὸν, quantum cuique datum eſt. *Bonnæus de ratione diſcendi c 2.* ait:Emendatio librorum apud veteres ad Criticos ſpectabat:de ratione autem emendandi quâ vſi ſunt Critici,conſulantur Robortellus,Schoppius,Viues lib.1. de cauſ. corrupt. artium. *Idem cap. 5.* Sed meminerint ſtudioſi, hanc conditionem ad lectores paulò eruditiores potiſſimùm pertinere:nec enim tyronis eſt,de lectis iudicare,niſi hoc ferendum fortè quis putet, vt damnet, quæ non intelligat; laudet quæ non capiat.quod imperiti eſt iudicis.

Scripta germana. II. *Primum Critici officium eſt pronuntiare de ſcripto, an illud ſit γνήσιον vel ὑποβολιμαῖον ſeu νοθευόμενον,id eſt, genuinum vel ſuppoſititium.*

Fruſtra enim lectio & emendatio impenditur ſcriptis ſuppoſititiis.Duo autem potiſſimùm canones hîc ſunt obſeruandi.1. *Iudicium antiquitatis, & conſenſus propè vniuerſalis, eſt optima norma pronuntiandi de germanitate ſcripti.* Et hæc quidem norma eſt prima,ſed non primaria. Prima,inquam,ordine:quia requiritur hîc fides hiſtorica,quæ confirmatur poſtea variis argumentis.Primaria autem norma eſt ea quæ ſequitur. 2.*Character ſermonis, ſeu idea dicendi, quâ vtitur author, eſt primaria Critices norma.* Sicut enim ex vngue leonem : ita ex charactere authorem cognoſcimus. Ita ſi quis dicat orationẽ hanc eſſe Ciceronis,ſtylus autem nõ ſit Cicerone dignus,meritò illa reiicitur. Similiter ſcripta prophetica & apoſtolica cognoſcũtur ex ſtylo & charactere prophetis & apoſtolis vſitato Itaque σύγκρισις parit certiſſimam & ſolidiſſimam κρίσιν.

Signa Criticorum. III. *Critici in cenſendis ſcriptis authorum notis quibuſdam vtuntur, aut verbis quæ è regione ſcribunt.*

De hâc notandi ratione audiamus *Ioſephum Scaligerum in Varronem de re ruſticâ.* Illa nota L.quæ toties hîc inſerta eſt, ac de quâ Victorius ampliùs deliberandum pronunciauit, nihil aliud eſt quàm ſtudioſi lectoris admonitio, qui in vſum ſuum ſententias, quas vellet, ex hoc authore annotabat. Vt enim Græci,ſi quid probabant in authoribus,χρηςὸν aut χρήσιμον, aut X literam, quæ idem valet, apponebant, vt quoties opus eſſet haberent quod in vſu chriarum & ſententiarum depromere poſſent:ſic quod inſigne duxit & notatu dignum lector horum librorum, ad id vel notam compendiariam L, Laudabilis,hoc eſt,Locus laudabilis, appoſuit. aut L,quo id Laudabile ſignificari vellet,vel Laudabiliter.Sanè hoc ita eſſe vt iam admonuimus,patet ex commentariolo notarum Probi.In eo enim legitur.L.L.*locus laudabilis*.quòd nimirum eſſet ea παρασημειώσεις annotata in veterum libris.*Et mox:*Hoc igitur ſigno notabantur ſententiæ illæ, quæ ſimul cum authore ſuo citabantur.vt hic ſententia iſta Varronis de oleâ,ita citâda fuit, *Varro dixit,oleam ſtrictiuam meliorem eſſe quæ digitis nudis,quàm quæ cum digitalibus ſtringitur.* Quæ Græcè dicũtur χρεῖαι. vt chria eſt illa:Ariſtoteles dixit hominem eſſe ζῶον τῶν ὄντων μὲν θεωρητικὸν, πρακτικὸν δὲ ὄντων. Latini veteres vocarũt ſcita & oracula.vt oracula Catonis,quæ ſemper ad authorem ſuum referuntur.quod Latini vocant *Laudare*. Laudare authorem.Inde dicta ſunt Laudabilia,&Loci laudabiles. *Et paucis interiectis* Græci vocant χρήσεις, & χρήσιμα,& χρηςά. Sic Euſtathius aliquando veterum teſtimonia producit,vt vocet ea χρῆσις : vt. καὶ φέρεται παρ' Αἰλίῳ Διονυσίῳ χρῆσις Κρατίνου τοιαύτη.deinde adfert verſum Cratini.Scholaſticorum ſine dubio ſunt annotata,prout inter declamandum ab illis excepta fuêre:quæ & *Quotidiana* dicebantur. ſunt enim quæ pueruli dictantibus magiſtris excipiunt.Itaque in veteribus Colloquiis puerilibus ait puer:*Poſt hæc dimiſſus conſedi meo loco. librum accepi ſcripſi Quotidiana.* Quare Gaius iuriſcoſ. ſcripſit libros Aureorum, & Quotidianorum. hoc eſt ſelectorum & laudabilium. Nam talia dicebantur aurea. Lucret.

Omnia nos itidem decerpimus aurea dicta.

Vt igitur ea ſelecta dicta, quæ vocabant Laudabilia, vel notâ L, vel X Græco notabant:ita etiam contrà, ea quæ improbabant,literâ θ deſignabant. Sidonius:

Iſti qui volet exarationi
Diſtrictum bonus applicare theta. Perſius:
Et potis es vitio nigrum præfigere theta.

Ad id enim referenda mens Perſij.nam & eâdem literâ dãnatos, item & mortuos milites ſignificabant:vt eſt in inſcriptionibus.Ea ſcripta quibus theta inuſtum erat,dicebantur à Grammaticis deculpata,vt apud Gellium lib.19.cap. 10. *verbum deculpatum.* Nam culpæ dicebantur annotamenta vitiorum in alienis ſcriptis,καὶ ἀθετήσεις, vt loquuntur veteres Critici.Hoc nos docet idem Gellius lib.17.cap.2.*Cum,*inquit,*librum veteris ſcriptoris legebamus, conabamur poſtea memoriæ vegetãdæ gratiâ indipiſci animo, ac recenſere quæ in libro ſcripta eſſent, laudis aut culpæ annotamentis digna.* Vides nomine laudis laudabilia intelligere : nomine culpæ contraria, Auſonius de ſuis ſcriptis:

Palmas,non culpas eſſe putabo meas.

Idem ad Theodoſium Imp.

Inque tuis culpis tu tibi da veniam.

Apud Horatium ad Piſones:

———————*allinet atrum*
Tranſuerſo calamo ſignum.

Ibi Acro:*Notam culpæ ſignificat.Nam notare verſum malè formatum dicimus* Hæc ille Critici in recenſendis operibus Platonis culp. 3 hoc eſt,τὰς ἀθετήσεις, ὀβελῷ notarunt,laudabilia, hoc eſt, τὰς ἐκλογὰς τῆς καλλιγραφίας τῷ περιεστιγμένῳ. quod nihil aliud ſignificat quàm χρήσιμον.vt hic L noſtrum,laudabile.Hæc Scaliger d.l. Confer eundem *Animaduerſ.in Euſeb.* Sed paulò pleniùs perſequamur hanc Critices partem.*Iſidorus lib.1.cap.20.*cõmemorat ſeptem & viginti notas ſententiarũ, quibus Critici vtebãtur.Eas videamus,& alicubi explicemus.

1. *Aſteriſcus,*ἀςερίσκος,eſt ſtellula *,per quam illuceſcunt, quæ deeſſe videntur.

2. *Obelus,obeliſcus,*ὀβελὸς,ὀβελίσκος,id eſt veru, eſt virgula iacens, quâ aliquid iugulatur vt ſuperuacuum aut falſum, vt —.Nimirum obelus eſt virgula vt veru cuſpidem habens, idoneam ad transfigendum; quâ appoſitâ ſignificabant, aliquid confodiendum,& è medio tollendum eſſe;nempe σημεῖον ἀθετήσεως vt Baſilius loquitur. Euſtathij verba ſunt : ὀβελὸς τὸ γραφικὸν σημεῖον τοῖς ἀπιτουμένοις ὁμηρικοῖς ἔπεσι παρατίθεται, ὡς ἀςερίσκος τοῖς ἄρισα περιφρασμένοις· ὀβελὸς δὲ ὁμοῦ καὶ ἀςερίσκος τοῖς ἄρισα μὲν πεφρασμένοις, μὴ κατὰ χώραν δὲ κειμένοις.

3. *Obelus ſuperne appunctatus* ponitur in iis,de quibus dubitatur,vtrum tolli debeant nec ne,vt ÷.

4. *Limniſcus,*ſeu lemniſcus,(faſcia)virgula inter geminos punctos apponitur in iis locis, quæ eodem ſenſu, ſed diuerſis ſermonibus interpretes tranſtulerunt, vt ÷.

5. *Antigraphus* (q. contrà ſcriptus) cum puncto, vbi in tranſlationibus diuerſus ſenſus habetur,vt γ.

6. *Aſteriſcus cum obelo* * — iis apponebatur verſibus, qui non ſuo loco poſiti erant.

7. Paragraphus

7. *Paragraphus* (q. adscriptus) ad separandas res à rebus, quæ in contextu occurrunt, vt Γ.

8. *Positura*, figura paragrapho contraria quia sicut ille principia notat, ita illa fines à principiis separat, ⅂. Ergo positura est quasi opposıtura.

9. *Cryphia*, id est, occulta, circuli pars inferior cum puncto ◡. ibi vbi quæstio obscura solui non potuit.

10. *Antisigma*, id est, inuersum sigma, nempe), ponitur ad eos versus, quorum ordo permutandus est.

11. *Antisigma cum puncto*.), vbi in eodem sensu duplices versus sunt, & dubitatur, qui potius eligendus sit.

12. *Diple*, διπλῆ, id est, duplex, > ad separanda testimonia sanctarum scripturarum.

13. *Diple* πολυκλίχη vel περιεστιχὴ à Leogatâ apposita Homericis versibus, ad separationem Olympi à cœlo. Sed quomodo conueniant illæ voces, ego sanè non video. Figura est ista 7. πολυκλικὸν esset plicatorium: περιεστικὸν, quasi circumsessorium, à περιζίω circumsidere. vbi *Matthias Martinius in Etymologico* sic annotat: An audebimus legere περιεκλίχη vel περιορα-στικὴ; vt intelligatur cœlum continens & circumscribens omnia, atque ita etiam Olympicum montem propriè dictum.

14. *Diple* περιεστιγμένη, vel potiùs περιεστιγμένη (dupla circumpuncta, seu cum gemino puncto) ⸖, apponebatur iis, quæ Zenodotus Ephesius non rectè adiecerat aut permutauerat. translata deinde ad similia.

15. *Diple* ὀβελισμένη, id est, dupla veru apposito >—, ad separandas in comœdiis vel tragœdiis periodos.

16. *Versa obelismene*, quoties strophe & antistrophe (quæ & antistrophus) infertur, vt —⊂.

17. *Aduersa cum obelo*, ad ea ponitur, quæ ad aliquid respiciunt, vt ⊂—.

18. *Diple supernè obelata* ponitur ad conditiones locorum, ac temporum, personarúmque mutatas, vt ⩾.

19. *Recta & aduersa supernè obelata* ponitur finitâ suo loco monade, significante similem sequentem quoque esse, ⩾ ʒ.

20. *Ceraunium* (fulmen) est V cum inscripto I, quod fulmen per angulum penetrans notat. Ponitur quoties multi versus improbantur, nec per singulos obelantur.

21. Κέραυνον ex voluntate cuiúsque ad aliquid ponitur. Est χ, inscripto ei ρ per medium. Ergo scribi debet χέραυνον: vt patet ex iis, quæ paulo antè dicebamus ex Scaligero. Κέραυνον alioqui est iudicatorium, quod confert ad iudicandum.

22. *Phietro* (inquit Isidorus) id est, fortis, vel frontes. Hæc vbi aliquid obscuritatis est, ob solicitudinem ponitur. Vulcanius emendat *Phi* & *Rho*, quod nota ex Φ & P composita videatur, nempe P per mediam lineam Φ scripta, vt significetur esse φροντιστέον, i. e cogitandum, de obscuro loco. Sed hoc non est probabile, vt ait Martinius d. l. siquidem Isidorus addit expositionem, *fortis vel frontes*. Itaque ille putat legendum *Phitros*, torris vel truncus. *t* & *f*, *c* & *t* facilè fuit confundi. φιτρὸς est truncus. qui quia durus, potest eâ voce indicari durus nodus, aut tanquam sudes in animo, aut torris, qui vrat animum. Est autem in φιτρὸς etiam φ & ρ. Aut an Isidorus insinuat nomen duplex vnius figuræ; vt sit legendum, *Phitros, id est, torris, vel frontis*, φροντὶς, i. e. solicitudo.

23. *Ancora superior* ponitur, vbi aliqua res omnino magna est.

24. *Ancora inferior* ponitur, vbi aliquid vilissimè aut inconuenientiùs denuntiatum est.

25. *Coronis* nota tantùm in fine libri ponitur L.

26. *Alogon* notat locum planè deprauatum.

27. *In liminari signum ad textum recurrens eiusdem sermonis vel versiculi vnde lector sciat esse expositionem, cuius similem super iacentem notam inuenerit.* Hæc nota sine nomine ponitur, ferè vt ⅂.

Addamus etiam nonnulla ex *Sixto Senensi lib. 3. bibliotheca sancta cap. 1.* Omnis, *inquit*, quæ per notas fit expositio, duplici constat literarum varietate. Ex iis aliæ quidem literatæ, aliæ illiteratæ dicuntur. Nimirum *Notoria*, seu notariaca, *expositio* est methodus, quæ per quasdam notas siue characterum, siue linearum, siue punctorum, diuinis scripturis vel appositas vel insertas, verborum ac sententiarum ac latentium sensuum rationem demonstrat. Eas ex Epiphanio, Hieronymo, Stratonico, Suidâ, & Isidoro, sic ferè repræsentat Sixtus d.l.

Notæ literatæ sunt sedecim.

1. Α. *Apile* (ἀπειλὴ) comminatio, significat, vaticinia prophetarum, quibus hæc nota præfigitur, esse mutabilis euentus: vt *Esa.* 38.1. *Ion.* 3.4.

2. Γ. *Gehennon*, locos notat, qui obscurè in V.T. de perpetuis suppliciis gehennæ loquuntur: vt *Esa.* 30.31.

3. Δ. *Diabolos*, notat locos de diabolo intelligendos: vt *Genes.* 3.4. *Iob.* 40 *v.* 11 12. 14.

4. Ε. *Ecclesis*, id est, euocatio, notat agi de vocatione gentium: vt *Esa.* 60. *v.* 1. 3.

5. Ζ. *Zetema*, notat esse quæstionem abstrusam: vt *Rom* 9. *v.* 11. 12. 13. 14

6. Μ. *Mellon*, notat intelligendum esse de μέλλοντι, etsi de præsenti loqui videatur: vt *Esa* 65. 17.

7. Χ. *Xenion*. ξένιον, i.e. donum, notat agi de promissionibus temporalibus populo Iudaico potissimùm factis: vt *Esa* 1. 19.

8. Ου. *Vranion*, οὐράνιον, notat describi vitæ æternæ felicitatem: vt *Psal.* 84. *v.* 1. 2. 3.

9. Π. *Pneuma*, notat pericopen accipiendam esse spiritualiter, non carnaliter: vt *Can.* 2. *v.* 13. 14.

10. Τ. *Tropos*, notat verba esse intelligenda, non secundùm primam & nudam vocis significationem, sed secundùm idiotismum linguæ: vt 3. *Reg.* 21. 13. Benedixit Naboth Deum & regem, id est, maledixit ei.

11. Υ. *Ypsilon*, notat sententiam esse intelligendam de reiectione populi Iudaici: vt *Esa* 5 *v.* 5. 6.

12. ΥΥ. *Ypsilon hypogegrammenon*, notat locum intelligendum de reiectione veteris legis secundùm carnem: vt *Esa.* 1. *v* 13. 14.

13. Χ. *Character*, indicat genus dicendi cuilibet authori peculiare. Ita solebant phrases & locutiones selectiores Platonis annotare.

14. ΧΧ. *Character duplicatus*, assumebatur ad designanda dogmata Platoni propria.

15. ם. *Sagur*, clausura, sacris Hebræorum literis inserta, significat sequentem narrationem cohærere priori.

16. פ. *Petach*, id est, porta, apertura, in iisdem ostendit, sequentem narrationem habere diuersum argumentum à priore.

Notæ illiteratæ sunt itidem sedecim.

1. *Stauron*, vel potiùs *Stauros*, id est, crux, ✢, notat vaticinium de Christo: vt *Psal.* 22. *v.* 17. 18.

2. *Ancyra*, ἄγκυρα, id est, ancora, indicat mentionem fieri de nouo testamento & euangelio: vt *Ier.* 31. *v.* 31. 32. 33.

3. *Ancyranos*, vel potiùs *ancyra ano*, ἄγκυρα ἡ ἄνω, id est, ancora superior. vbi res maximè obseruanda. cuius loco nobis est manus protento digito ☞

4. *Asteriscus*, i. e. stellula. aut ἀστερισμὸς, q. stellatio. Vide paulò antè.

5. *Obelus*, veru, virgula transuersa pyramidalis. Eo signo Hieronymus iugulat narrationem de Susannâ & Bele *Dan.* 13.

6. *Metobelus*, punctus μετ' ὀβελον, id est, post veru —·, vt *Psal* 22. ad illa verba, *Respice me*, quæ superflua.

7. *Ceraunon*, κεραυνὸς, fulmen. Eo signo Iulius Afer Susannæ & Belis historias reiecit. *Dan.* 13.

8. *Obelos agnostigmenon*, vel potiùs *ano estigmenos*, ἄνω ἐστιγμένος, supernè puncto affectus —̇ : vt *Luc.* 3. 36. de Cainan.

9. *Limniscus*, virgula inter duo puncta, vnum supernè, alterum infernè ÷: vt *Psal.* 72. 14. ad illud, *coram illo*, quod aliter *in oculis eius*

10. *Sublimniscus*, virgula subiectum habens vnum punctum —.

11. *Antigraphus*, semicirculus sinistram spectans, & punctum in se tenens.) significat sensum inter translatores diuersum, vel dissentaneum ab Hebraicâ veritate: vt *Gen* 37. 2. *Et Ioseph accusauit fratres suos* vbi Aquila, *Accusauerant Ioseph fratres sui*. Isidoro hoc est Antisigma cum puncto. Antigraphus ei est ÿ.

12. *Antisima*, vel potiùs *Antisigma*, est index permutandarum linearum vel versuum: vt *Matth.* 5. *v.* 4. 5. apud Chrysostomum hoc signo notatur beatitudo lugentium, quæ præponitur beatitudini mitium. Hieronymus loco huius signi in translatione Estheris adhibuit octo priores literas alphabeti Græci, minio descriptas, vt ordinem à LXX. Interpretibus perturbatum restitueret.

13. *Cryphia*, scil. ῥήματα, occulta verba. Notam hanc addiderunt quidam verbis illis Pauli *Rom.* 11. 33. *O altitudo diuitiarum!*

14. *Diple*, id est, dupla: vbi scil. concurrunt verba Scripturæ & commentariorum, quæ hoc signo distinguuntur. Hîc nobis est) vel]

15. *Diple peristigme*, rectiùs diple περιεστιγμένη, vt apud Isidorum.

16. *Siclus nechudoth*, ·:·. Tria hæc puncta, super quamuis literam posita, apud Kabbalistas Iudæorum expositores in vsu sunt, quoties per singulas alicuius dictionis literas, singulas dictiones volunt intelligi: vt per illud רבים *Psal.* 83 Romanos, Babylonios, Iauanæos, & Medos. Porrò *siclus seu siglus nechudoth*, est corruptum ex *segel nekuddoth*. Iudæi appellant *Notarjekon*. Nunc etiam videamus signa quædam Masorethica. In paruâ Masorâ creberrimè occurrunt ק & כ. illud est קרי *legitur*; hoc כתיב scribitur. פ & ס in libro legis notant textum incipientem ab initio vel in medio: ita nempe vt פ sit פתוחה, textus vel sectio ab initio lineæ incipiens: ס sit סתומה, sectio in mediâ lineâ incipiens. Sed claudamus *Criticam Notariam* seu Notariacam, vt ita dicamus, obseruatione de literâ χ. Multiplex eius vsus erat apud Criticos. Et primò quidem illud περιγὴ σιζόμενον, id est, quatuor punctis affectum, est pro asterisco: vt monet Eustathius. Frequentissima est ea litera in Scholiis Pindari & Aristophanis, vbi aliquid à poëta nouè vsurpatur. Significabat etiam χρηστόν,

ςὸν, quando appositum margini notabilem locum aut senten-
tiam ostendebat, vt eclogarius haberet paratum, cùm vsus
postularet. vnde & sententiæ selectæ vocantur χρηστομάθεια.
Latini *Laudabilia* dixerunt, & in margine apponebatur du-
plex L L. quod Probus interpretatur *Locus Laudabilis*, vt suprà
dicebamus ex Scaligero. Erat etiam χ nota culpæ apud Criti-
cos: quà notâ præpositâ vocis καταχρήσει, seu insolentiam signi-
ficabant. Athenienses etiam adulterinos nummos literâ χ
notabant. Id eis erat χιάζειν q. Chium facere. Chios enim ode-
rant, ideóque & eorum nummos reiiciebant. χιασμὸς est εἰς
τὸ χ ἀνάκαμψις. Et χιάζειν Latinis est spurium declarare vnde
χιαζόμενος στίχος. Sed & illud obserua. Si quis locus insignior
inter legendum se obtulisset, Græci eum in margine notabant
literâ ω. supposito ρ, hoc modo ω. id est,

ὡραῖον, *speciosum*, sicut χ erat χρηστὸν, χρήσιμον, L laudabile.

IV. Critica spargitur per omne genus authorum.

Amplitudo Critices.

Nimirum quàm latè patet Encyclopædia, tam latè quoque patet hæc facultas. Nos ex vasto hoc pelago deligemus Criticam Biblicam & Ecclesiasticam. Ne tamen desimus commodo iuuentutis, verbo monebimus, quomodo possint illi semina Critices ex hâc Encyclopædiâ petere. Critica miscellanea occurit in Didacticâ speciali. Criticæ Oratoriæ pars explicatur in ideâ Ciceronis & Demosthenis, quam fusè explicauimus in Oratoriâ. Criticam Poëticam fusè persequitur Scaliger de re poëticâ, & nos aliquid diximus in Poëticâ Græcâ. Criticam historicam satis copiosè traditam vide in Historicâ. Nunc explicemus Masoram: vbi priùs illud obseruauerimus, Criticam Hebræorum latiùs patere quàm Masoram. quia Masora est Critica Hebræorum Biblica: præter quam datur etiam Critica Targumica, Rabbinica, & Kabbalistica, quæ iudicium fert de Targumim, scriptísque Talmudicis, & Kabbalisticis. Hoc loco non alienum fuerit à nostro instituto, nonnulla excerpere ex *Danielis Heinsij Aristarcho sacro*, vbi *in Prolegomenis* est eruditissima *dissertatio de vera Critica apud veteres, ortu, progressu, vsúque, cùm in cæteris disciplinis, tum in theologiâ præsertim.* Summatim itaque hæc ibi occurrunt. 1. Magnum olim antiquorum in docendis atque discendis disciplinis studium, iudicium, & industria eluxit. quas inter vna fuit, cui nullum certum argumentum, nullam disciplinam, propriam aut vnam, sed in vniuersum omnes, subiecerunt quæ *Iudiciaria*, aut *Critica*, ab illis dicta est. 2. Ad hanc sensim & per gradus, vt plerumque nihil inchoatur simul ac perficitur, deuentum est. 3. Aristoteles primus meruit nomen Critici. Nam in Physicis omnium antecessorum suorum placita, ex artis huius legibus castigauit: in Politicis, omnes veterum respublicas, hâc eâdem cynosurâ vsus, examinauit: in Poëticis iudicium de poëtis & ipsorum operibus diuulgauit. 4. Post Aristotelem varij extiterunt, qui hoc munus sibi vsurparunt. Nam Aristarchus, aliique eiusdem ferè temporis illustres viri, Ethicam, Politicam, Physicam, Astrologiam, Geometriam, Geographiam, Medicinam, & præcipuè Theologiam, in Musæi, Orphei, Lini, Epicharmi, Empedoclis, antiquissimorum philosophiæ authorum enarratione, aut singulas seorsim, aut vniuersas obseruarunt. Iidem, & alij eorum similes, ἐξηγήσεις, λύσεις, ζητήσεις, ἀποφάσεις, in authores ediderunt, quibus omnes in scriptorum antiquorum enarrationibus scientias complexi sunt. inprimis autem hanc operam posuerunt in poëtis, quos, quòd omnes disciplinas olim coniunxissent, inque omnibus excellerent, πεντάθλους Plato appellauit. 5. Inter hos Criticos excelluit Crates, qui suas meditationes criticas, ὑποθέσεις, ἐπισημαντικὰς dicebat, & omnem eruditionem ac scientiam in Critico requiri aiebat. 6 Critici quoque scripta veterum, Homeri primò, mox Platonis quoque & Aristotelis, disposuerunt ordine, ac digesserunt. 7. Iidem, quæ non rectè dicerentur, castigabant: si quæ loco mota essent, transponebant: quæ vtilia ad vitam aut ad disciplinas essent, excerpebant: variantes lectiones & ambiguas notabant: suo denique authori cuique, quod cuiusque esset, adscribebant: aliena, aut non propria, abiudicabant. quæ ab illis διατάξεις, ἀθετήσεις, χρηστομαθίαι, χρήσεις, γραφῶν μεταθέσεις, γραφῶν διαφοραὶ, ἐγκρίσεις, & εἰκαῖαι ἀθετήσεις dicebantur. 7. Critica non minimâ ex parte ortum suum debet poëtis theatricis & dramaticis, Illi siquidem veterum scriptorum iudices erant. Sed & ipsi suos habuerunt iudices, qui de vocibus, de rebus, dispositione, partibusque singulis iudicium pronuntiabant, ac peculiarem in hâc gente magistratum constituebant. Quos, quòd in tutelâ Bacchica theatra essent, Διονυσιακοὺς κριτὰς, *Bacchicos iudices*, dicebant. Cùm neque prouocatio ab iis esset, neque de quibus illi iudicarent, magistratus cæteri sententiam pronuntiarent. A quibus qui damnati essent, ἐκπίπτειν dicebantur A quo magistratu, nobilissima hæc iudicandi ratio, ac tota hæc ars profluxit. 8. Hi iudices dicebantur iudices Critici, & simpliciter Iudices, vel Critici. 9. Critica Socratica est alia ab illâ Iudicum Criticâ. Complectitur enim τὰ πειραστικὰ, ἀνατρεπτικὰ, καὶ ἐλεγκτικά. 10. Critica antiquorum istorum Iudicum, qui de comicis atque tragicis ferebant sententiam, fuit ἀγωνιστική. 11. Sub istis iudicibus non raro plures authores inter se committebantur. ideóque hæc certamina, ἀγῶνας, ἀγωνίσματα, & συγκρίσεις Græci: *commissiones* Latini dicebant. Neque solùm authores inter sese committebant, sed etiam dispositionem, quam κατασκευὴν dicebant, itémque dictionem & sententias, tum quæ ἔννοιαι à Criticis Rhetoricis dicuntur, tum alteras, quas γνώμας dicunt. Cuius rei elegans exemplum est in libello, qui inscribitur μετάφρασις καὶ φιλοσοφία & σύγκρισις. Hic non est prætereunda Plutarchi σύγκρισις, qui Menandrum inter se ac Aristophanem composuit, cùm inter veterem comœdiam & nouam immanis sit differentia. Nam pleræque veteris comœdiæ virtutes, vitia alterius fuerunt. ideóque & tempora, & mores hominum, & finis vtriusque distinguenda erant. In quorum distinctione vel inprimis, verus solidúsque Criticus, soliditatem eruditionis ac iudicij periclitari solet. 12. Aristoteles cum Criticâ istâ Iudicum coniunxit Criticam dogmaticam. 13. Aristotelis Criticam secutus est vterque Scaliger, parens & filius. Hâc eâdem vsus est Galenus. 14. Sed præ cæteris, theologorum antiquissimi, Grammaticam, Rhetoricam, ac Theologicam exercuerunt crisin. Inter eos excelluit Origenes, qui in Criticen Biblicam sic incubuit, sic tòtam est complexus, vt etiam prandij tempore conferendis inter sese Bibliorum exemplaribus intentus esset. 15. Hieronymus cum Crisi Biblicâ coniunxit Ecclesiasticam. vtpote qui in Commentariis disputat de varietate lectionum ac interpretationum, & in veterum Ecclesiæ scriptorum Catalogo, de Clemente, Aristide, Egesippo &c. ita candidè sententiam exponit atque mentem, vt in eorum scriptis, non minùs vitia orationis quam doctrinæ næuos prodat, legitimáque à spuriis discernat. 16. Eos secuti sunt Isidorus, Gennadius, & alij: quibus omnibus palmam Photius patriarcha præripuit, in quo vno homine ad vniuersum sese literarum orbem circulúmque Critice diffudit. Sic in omnibus versatus pariter atque absolutus, vt nec disciplinam vllam, neque partem vllam Critices, intactam sibi vir magnus reliquit. Adeò nempe candidè ac exquisitè iudicat de omnibus, inprimis autem summis maximísque, Christianis simul profanísque authoribus, philosophis, historicis, poëticis, oratoribus, seu maximè theologis. 17. Etsi Critice circa omnes disciplinas versatur, ac quasi princeps omnium pro tribunali sedet: tamen ex iis maximè vtitur Grammaticâ, Rhetoricâ, & Dialecticâ; quas, quòd tanquam instrumenta essent, organicas dicebant. His autem vtuntur Critici, quòd suppeditent κριτήρια verborum, rerum, & dispositionis. 18. Grammaticam diuiserunt in tres partes: quarum primam τεχνικὴν. secundam ἱστορικὴν (interdum autem & μετρικήν.) tertiam verò κριτικὴν dixerunt. Qui primam profitebantur, literiones, Grammatistæ, pædagogi literarij, & magistri literarij dicebantur: quòd literas, earúmque lectionem, scriptionem, ac pronuntiationem docerent. Cùm, qui duas cæteras profiterentur, circa omnes disciplinas, cum authoribus, quos enarrabant, necessariò versari cogerentur. Quos non alio quàm eruditionis nomine ac iudicij, Grammaticos ac Criticos dicebant. Vnde Terza ἐγκύκλιον παιδείαν, id est, omnium scientiarum orbem ac complexum, Grammaticam vocauit. Quod & nomen præstantissimus Aristotelis interpres, qui theologiam quoque professus est, assumsit, quemadmodum Saxo, illustris Danorum historicus, vir plurimarum rerum gnarus, Saxonem Grammaticum se dici voluit. Quippe & grammatica Philosophi, & philosophica atque theologica Grammatici tractabant. Quod eò minùs mirum, quia & grammatica tractari possunt philosophicè, quemadmodum ætate nostrâ, de Latinæ linguæ causis, Cæsar Scaliger, ex intimâ philosophiâ disputauit. 19 Hebræi quoque successu summo maximóque artem, de quâ agimus, coluerunt. Masorethæ siquidem admirando studio industriâque omnes Bibliorum literas ac voces numerarunt, vt, quemadmodum in bene constitutâ domo, in quâ ratio possessionis constat, ac cum summâ curâ omnia seruantur, nihil eripi, peruerti, aut mutari possit. Vnde meritò עם שמירת התורה, hoc est, cum conseruatione legis ac præsidio, coniunctum esse hoc studium Magistri Hebræorum dicunt, quod in fœderis posterioris libris nemo inter Christianos æmulatus est. Iidem in literis, maioribus, minoribus, inuersis, ac punctatis: iidem circa voces, in quibus lectionum varietates, quæ קרי וכתיב, *lectio & scriptio*, ab illis dicitur, iudicium exercuerunt. Iidem denique, vt Latini Critici ac Græci, scripta authorum (vt cùm in Tetralogias, Dialogos Platonis distinxerunt) libros sacri Codicis disposuerunt. Interim, vt nihil non malignitati, nihil non liuori, quamuis in illustri positum, calumniandi ansam præbet, inter eos quoque inuenti sunt, qui Masorethas דברי חובה. *in rebus nihili*, posuisse operam, contenderent. 20. Plurimis Græcis Latinísque Criticis fuit maximum illud omnium scientiarum subsidium; linguarum dico instrumentum quod labore tanto, tantâ diligentiâ, Origenes, & senex admodum,

S. Hieronymus,

S. Hieronymus, sibi compararunt. Quorum multi vel authoritate eius vel exemplo etiam nostro tempore secuti sunt, quos inter principem locum tenet magnus Erasmus: qui in conferendis, castigandis, explicandis sacræ paginæ codicibus, in emendandis, distinguendis, vindicandis spuriis legitimisque Patrum scriptis, omnis eruditionis utriusque admirabili stipatus comitatu, more olim usitato, totam Criticen absoluit. 21. Logica adeò pertinet ad Criticam, vt Plato ipsam Criticen vocarit; quia nempe de vero propriè ac falso iudicat. quam artem idem lepidè μαιευτικὴν, siue *obstetriciam*, quod veritatem pariat, appellauit. 22. In Criticâ Biblicâ oportet accuratè discernere linguam Græcam & Hellenisticam. Illa est purè Græca: hæc linguæ Græcæ admiscet idiotismum Hellenistarum, id est, Iudæorum, qui versionem L X X. Seniorum secuti sunt. Vsurparunt autem linguam Hellenisticam & Græcam Euangelistæ & Apostoli, vt Iudæos iungerent cum Græcis. quod singulari Dei dispensatione factum esse nemo non intelligit.

V. *Notæ Masoreticæ indicant irregularem scriptionem vel punctationem vocum Hebraicarum, aut aliud aliquid, non vero arguunt corruptionem textus Hebraici.*

In textu V. T. Hebraico in probatissimis etiam & accuratissimis codicibus, multæ occurrunt dictiones (Bugthonus numerat 848.) quæ irregulariter tum scribuntur (suis literis) tum punctantur, quarum censura & correctio (quæ Masoretas agnoscit authores) in margine vtplurimùm adscripta videtur. Et primò quidem *in irregulari scriptione* occurrit literarum defectus, redundantia, permutatio, transpositio, vel singularis ratio. *Defectus* est literæ vnius, vel plurium. Et quidem literæ vnius vel in principio, vt 1.*Reg*.15.18. מלך scribitur pro המלך: vel in medio, vt 2. *Sam*. 21. 12. תלום pro תלאום suspenderunt eos: vel in fine, vt *Iof*.24.3. וארב pro וארבה & multiplicaui. Literarum autem plurium, adeóque totius dictionis, cuius puncta adsunt, deficientibus literis: vt *Iud*.20.13. ponuntur in textu puncta ׃ : pro בני filij. Vide etiam 2.*Sam*.16.23.*cap*.18.20. 2.*Reg*.19.31. *&* 37.*cap*.10.13. *Psalm*.9.3. *&* 58.29. Vbi punctorum in textu positorum literæ in margine ponuntur, cum notâ istâ Masorethicâ: קרי ולא כתיב h. e. *legitur* (hæc vel illa dictio) *& non scribitur* (in textu) *Redundantia* iterum est literæ vnius, vel plurium. Literæ vnius, vel in principio, vt *Ierem*.50.8. יצאו pro צאו egredimini: vel in medio, vt *Psalm*.16.10. חסידיך pro חסידך sanctum tuum: vel in fine, vt *Ierem*.3.4. קראתי pro קראת vocasti. Literarum plurium, adeóque integræ dictionis, cuius literæ scribuntur punctis vocalibus omissis, quæque propterea iuxta notam Masorethicam in margine adiectam est כתיב ולא קרי, h. e *scribitur quidem, sed tamen non legitur*: vt 2.*Reg*.5.18. נא quæso. *Ierem*.38.16. את illum. *Permutatio* similiter est singularum literarum, vel integrarum dictionum. Singularum literarum: nempe vel eiusdem literæ ratione diuersi situs, vt *Esa* 9.7. לםרבה. *Nehem* 2.13. הם *Iob*.38.1. מנ. vel literarum diuersarum, vt *Psalm*.77.12. אזכיר pro אזכור recordabor. Integrarum dictionum; quæ aliis literis in textu scribuntur, aliis verò à Masorethis legendæ offeruntur. Sic pro voce שגל (quam pro obscœnâ habent) notant legendum esse שכב accubuit, iacuit, *Deut*.28. 30. Porrò est *transpositio*: vt הולך pro הלוך eundo, *Iof*. 6.12. Superest *singularis ratio*. Litera enim in textu 1. quandoque quantitate reliquas excedit: vt *Deut*. 6.4. in שמע est ע maiusculum, & similiter in אחד est ד maiusculum. 2. quandoque à reliquis exceditur, & iis minor est: vt *Gen*. 2. 4. est ה minusculum in voce בהבראם. 3. quandoque inuertitur: vt *Num*. 10. 35. est נ inuersum in 4. quandoque suspenditur: vt *Iud*. 18. 30. in voce מנשה. 5. quandoque à dictione posteriori ad priorem, vel contrà surripitur, vt 2. *Samuel*. 5. 2. היותה מוציא pro היית המוציא. Similia sunt *Iob* 38. 2. *Ezech*. 42. 9. Contrà 2. *Sam*. 21. 12. legitur שמה פלשתים pro שם הפלשתים. Hactenus irregularis literarum scriptio. Sequitur *irregularis punctatio*, quæ consistit partim in punctis vocalibus, partim in accentibus. *In punctis vocalibus*: vt *Leuit*. 5. 22. scribitur בתשומת pro התשומת. *Eccles*. 3. 18. שהם pro שהם. *In accentibus* occurrit anomalia *Gen*. 35. 22. *Exod*.20.2 *& seqq*. Sed de his vberiùs differentes consule *Eliam in Masoreth hammasoreth tab* 2. *orat* 1. *Buxtorf. in Tiberiade lib.* 1 *cap* 17. *& Salomonem Glassium in philol gi. sacrâ lib*. 1. *tract*. 1. qui eleganter de his & similibus anomaliis atque notis Masorethicis pronuntiat, illas notare anomaliam Grammaticam in voce textus aliquâ obuiam, vt quando pro קראתי notant legendum esse קראת *Ier*. 3. 4. vel aliquod mysterium insinuare, vt quando *Esa* 9. 7. occurrit לםרבה pro למרבה: vel tradere correctionem vocum in textu mendosè scriptarum, vt quando 1. *Sam*. 4. 13. in textu scribitur יך Masorethæ in margine reponunt יד: vel diuersam vocis lectionem exhibere, ita vt כתיב & קרי sine vllâ iacturâ veri sensus recipi possit, vt quando *Genes*.10.19. in textu scribitur וצבים, in margine וצבוים: vel denique ex religione aliquâ profectas esse, vt quando pro שיניהם (vrinas suas) *Esa* 36. 12. 2. *Reg*. 18. 29. honestatis causâ Masoretæ substituerunt (vti & Chaldæus transtulit) מימי רגליהם.

VI. *Octodecim loca Scripturæ, in quibus Tikkun Sopherim statuitur, non arguunt corruptionem textus sacri, sed vel ineptitudinem istorum Sopherim, vel Masorethicam diligentiam.* Tikkum Sopherim.

In Masorâ magnâ textuali ad *Ezech*.8 17. recensentur octodecim loca, in quibus Tikkum Sopherim, id est, correctio Scribarum, allegatur. Ista verò correctio aut est inepta, aut est pars Masoræ. Ratio prioris est; quia nasutiores quidam Hebræi putarunt authorem debuisse aliter loqui vel scribere, sed pro eo maluisse sic loqui & scribere; vt hodie in textu est. Ratio posterioris est; quia quædam loca istius Tikkun restituunt genuinam lectionem, qua de re vide *Glassium d.l. & Buxtorfii epistolam ad eundem sub finem Philol gi. sacræ Glassianæ.*

VII. *Variæ lectiones N. T. in tres classes distingui possunt, quantum ad subjectam materiam, attinet. Sed ratione formæ distinguuntur in quatuor classes.* Variæ lectiones N. T.

Et primò quidem nonnullæ ita sunt comparatæ, vt vtraque sine vllâ veri sensus iacturâ retineri possit. Quædam ita se habent, vt vna alteri præferenda sit, licet neutra cum fidei analogiâ pugnet. Quædam denique ita sunt comparatæ, vt vna retinenda, altera, quæ vanitatis arguitur, simpliciter repudianda sit. Ex nullâ verò classe potest probari corruptio textus sacri: sed tantùm varietas vel etiam particularis corruptio quorundam exemplarium. Sed nunc reuocemus varias illas lectiones ad quatuor classes ratione suæ formæ. Principiò occurrit *additio*, eaque vel singularum vocum: vt *Matth*.4. 10. ὕπαγε Σατανᾶ: quidam Codices addunt, ὀπίσω μου: vel integrarum sententiarum: vt 1.*Iohan*. 2. 23. πᾶς ὁ ἀρνούμενος τὸν υἱὸν, οὐδὲ τὸν πατέρα ἔχει: in quibusdam Codicibus additur, ὁ ὁμολογῶν τὸν υἱὸν, καὶ τὸν πατέρα ἔχει. Deinde est *omissio*, eaque vel singularum dictionum: vt *Matth*.3.11. αὐτὸς ὑμᾶς βαπτίσει ἐν πνεύματι ἁγίῳ καὶ πυρί: quidam Codices non habent καὶ πυρί: vel integrarum sententiarum: vt 1 *Iohan*.5.7. ὅτι τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες & totus hic versus in quibusdam Græcis codicibus, vt & in Syriacâ paraphrasi, omittitur. Tertio est *mutatio*, eaque vel in ipso textu, vel in textus distinctione. In textu occurrit mutatio vel dictionum: vt *Matth*. 1. 14. pro Ἀχεὶμ alij Codices habent Ἀκείμ, alij Ἀχείν: vel sententiarum: vt *Matth*.19.17. τί με λέγεις ἀγαθόν; οὐδεὶς ἀγαθὸς, εἰ μὴ ὁ θεός. in quibusdam Codicibus ita legitur: τί με ἐρωτᾷς περὶ τοῦ ἀγαθοῦ; ὁ, δ', εἷς ἐστιν ὁ ἀγαθός, εἰ μὴ εἷς ὁ θεός. In textus distinctione est mutatio: vt *Iohan*. 1. 3. καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἓν ὃ γέγονεν. *vers*.4. ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν. Quidam Codices ita distinguuntur: καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἓν, ὃ γέγονεν, ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν. Denique est *transpositio*, eaque vel singularum vocum: vt *Matth*.15.14. ὁδηγοί εἰσι τυφλοὶ τυφλῶν: quidam Codices ita transponunt, τυφλοί εἰσιν ὁδηγοὶ τυφλῶν: vel totius sententiæ; vt *Matth*.23 8. πάντες δὲ ὑμεῖς ἀδελφοί ἐστε: hæc verba in quibusdam codicibus transferuntur in *vers*.9. Sed jam videamus Canonem Bibliorum, & delineationem Masoræ.

α. CANON β. BIBLIORVM,

Seu

γ. PROLOGVS SCRIPTVRÆ GALEATVS.

δ. Canon vetus, qui & Hebræus dicitur.

ε. I. LIBRI HISTORICI.

	ε ς.	ζ.	η.	Cap.	Vers.
θ. 1. Pentateuchus. Octateuchus. Heptateuchus.	1. Genesis, seu primus liber Mosis.	1. א.	1.	50.	1533.
	2. Exodus, seu secundus liber Mosis.	2. ב.	2.	40.	1213.
	3. Leuiticus, seu tertius liber Mosis.	3. ג.	3.	27.	859.
	4. Numeri, seu quartus liber Mosis.	4. ד.	4.	36.	1288.
	5. Deuteronomium, seu quintus liber Mosis.	5. ה.	5.	34.	959.
θ ι. 2. Triteuchus.	6. Iosua.	6. ו.	6.	24.	658.
	7. Iudicum.	7. ז.	7.	21.	618.
	8. Ruth.		8.	4.	85.
κ. 3. Hexateuchus.	9. Samuelis libri duo: vulgò Regum primus.	8. ח.	9.	31.	811.
	secundus.		10.	24.	695.
	10. Regum libri duo: vulgò Regum quartus	9. ט.	11.	22.	817.
	tertius.		12.	25.	719.
	11. Chronicorum, seu Paralipomenon libri duo primus.	10. י.	13.	29.	942.
	secundus.		14.	36.	822.
	12. Ezra: qui & Esræ primus.	11. כ.	15.	10.	280.
	13. Nehemias: qui & Esræ secundus.		16.	13.	406.
	14. Esther.	12. ל.	17.	10.	167.

λ. II. LIBRI DIDASCALICI, ET II. QVIDEM POETICI.

				Cap.	Vers.
	15. Iob.	13. מ.	18.	42.	1079.
	16. Psalmi.	14. נ.	19.	150.	2527.
	17. Prouerbia Salomonis.	15. ס.	20.	31.	915.
	18. Ecclesiastes.	16. ע.	21.	12.	222.
	19. Canticum canticorum.	17. פ.	22.	8.	117.
	III. Libri Prophetici.				
Prophetæ μ. Maiores.	20. Esaias.	18. צ.	23.	66.	1291.
	21. Ieremias: cuius duo libri prophetia.	19. ק.	24.	52.	1364.
	lamentationes.		25.	5.	154.
	22. Ezechiel.	20. ר.	26.	48.	1273.
	23. Daniel.	21. ש.	27.	12.	357.
ν. Minores. 24.	1. Hoseas.	22. ת.	28.	14.	197.
	2. Ioel.		29.	3.	73.
	3. Amos.		30.	9.	146.
	4. Abdias.		31.	1.	21.
	5. Ionas.		32.	4.	48.
	6. Michæas.		33.	7.	105.
	7. Nahum.		34.	3.	47.
	8. Habacuc		35.	3.	56.
	9. Sophonias.		36.	3.	53.
	10. Haggæus.		37.	2.	38.
	11. Zacharias.		38.	14.	211.
	12. Malachias.		39.	4.	55.

VETVS itaque TESTAMENTVM colligit capita 929. versus 23212. libris XXXIX.

ξ. Canon

ξ. Canon nouus, qui & Græcus dicitur.

I. LIBRI HISTORICI.

		ξ ξ.	Cap.	Vers.
Historia Pentateuchus N. T.	Christi	1. Euangelium secundùm Matthæum.	28.	1071.
		2. Euangelium secundùm Marcum.	16.	678.
		3. Euangelium secundùm Lucam.	24.	1151.
		4. Euangelium secundùm Iohannem.	21.	880.
	Christianorum	5. Acta apostolorum.	28.	1006.

II. Libri Dogmatici sev Didascalici.

			Cap.	Vers.
Epistolæ	Pauli: numero XIV. ϛ ξ.	6. ad Romanos.	16.	433.
		7. ad Corinthios prima.	16.	437.
		8. ad Corinthios secunda.	13.	256.
		9. ad Galatas.	6.	149.
		10. ad Ephesios.	6.	155.
		11. ad Philippenses.	4.	104.
		12. ad Colossenses.	4.	95.
		13. ad Thessalonicenses prima.	5.	89.
		14. ad Thessalonicenses secunda.	3.	47.
		15. ad Timotheum prima.	6.	113.
		16. ad Timotheum secunda.	4.	83.
		17. ad Titum.	3.	46.
		18. ad Philemonem.	1.	25.
		19. ad Hebræos.	13.	303.
	ο. Aliorum apostol. seu Canonicæ: numero VII. — Heptateuchus N. T.	20. Iacobi.	5.	108.
		21. Petri prima.	5.	105.
		22. Petri secunda.	3.	61.
		23. Iohannis prima.	5.	105.
		24. Ioannis secunda.	1.	13.
		25. Iohannis tertia.	1.	15.
		26. Iudæ.	1.	25.

III. Liber Propheticvs.

		Cap.	Vers.
ϖ.	27. Apocalypsis Iohannis.	22.	405.

NOVVM itaque TESTAMENTVM colligit capita 260. versus 7958. libris XXVII.

ϱ. ORDO LIBRORVM APOCRYPHORVM.

I. LIBRI HISTORICI.

		Cap.	Vers.
Libri integri	1. Tobias.	14.	252.
	2. Iudith.	16.	324.
	3. Baruch.	5.	99.
	4. Ezræ liber tertius.	9.	469.
	5. Maccabæorum primus.	16.	928.
	6. Maccabæorum secundus.	15.	558.
	7. Maccabæorum tertius.	7.	181.
Fragmenta seu appendices librorum canonicorum	8. Oratio Manassis.	1.	14.
	9. Epistola Ieremiæ. σ. τ	1.	62.
	10. Adiectiones ad Danielem: Oratio Asariæ & hymnus trium puerorum. υ.	1.	60.
	Historia Susannæ.	1.	64.
	Historia Belis & draconis. φ.	1.	49.
	11. Adiectiones ad librum Estheræ.	7.	105.

II. Libri Didascalici.

	Cap.	Vers.
χ. 12. Liber Sapientiæ: vulgò Sapientia Salomonis.	19.	441.
13. Ecclesiasticus: vulgò liber Iesu Sirachi.	51.	1566.

III. Liber Propheticvs.

	Cap.	Vers.
14. Ezræ liber quartus.	16.	876.

APOCRYPHA itaque BIBLICA colligunt capita 180. verſus 6048. libris XIV.

Itaque

γ. Sunt in vniuerſum libri Biblici LXXX. capita 1369. qui numerus continetur iſto verſu mnemonico:

eXCVte, Cor, ô Cor, bIbLIa DIa DeI.

Alij tamen numerant ſolùm capita 1360. & hunc numerum ita efferunt,

bIbLIa DIa Legens VaLet hIC pIetate ſaCerDos.

EXPLICATIO TRIVM PRÆCEDENTIVM SYNGRAMMATVM.

α. SCriptura ſacra vſitatè, & eleganter ſanè appellatur *Canon*, κατ' ἀντονομασίαν, metaphorâ architectonicâ. Quemadmodum enim architecti, quæ extruunt ædificia, ad canonem, ſiue regulam, exigunt, vt ſingulæ partes iuſta ſymmetriâ & proportione inter ſeſe cohæreant: ita qui ædificauit eccleſiam, domum illam DEI, ad Scripturam ſacram omnia debent exigere, vt certus & conſtans doctrinæ ſanæ tenor conſeruetur. Rurſus quemadmodum in omnibus actionibus certa propoſita eſt regula iis, qui cum recta ratione aliquid inſtituunt: ita verbum DEI, ſacrâ hâc Scripturâ comprehenſum, eſt norma, & regula, & menſura fidei, vitæ, & vocationis noſtræ. Docet hoc apoſtolus *Galat. 6. 16. & Philip. 3. v. 15. 16.* Priori loco ait: *Quicunque ſecundùm hunc canonem incedent, pax erit ſuper eos & miſericordia, & ſuper Iſraëlem Dei.* Dicit ἐμφατικῶς καὶ δεικτικῶς, *ſecundùm* HVNC *canonem*: ſecundùm HVNC, inquam, qui in hâc epiſtolâ, vt & in aliis Scripturis diuinis (vtpote quæ ſunt totum homogeneum) aſſignatur. Poſterioris loci verba ſic ſonant: *Quotquot itaque adulti ſumus, hoc ſentiamus: quòd ſi quid aliter ſentitis, hoc quoque vobis Deus reteget. Attamen in eo, ad quod peruenimus,* τῷ αὐτῷ στοιχεῖν κανόνι, *eodem incedamus canone.* Rurſus hîc intelligitur canon Scripturæ, vt in hâc epiſtolâ, ita quoque in reliquis libris θεοπνεύστοις traditur. Honorifica iſta Scripturæ appellatio nunquam non in eccleſia obtinuit. Nam *Tertullianus aduerſus Hermogenem cap. 1.* Scripturam appellat regulam veritatis. *Chryſoſtomus homil. 13. ſuper Geneſ.* orat & obſecrat, vt ad amuſſim ſequamur canonem Scripturæ ſacræ. *Idem homil. 13. in 2. Corinth.* Scripturam vocat ἁπάντων ἀκριβῆ ζυγὸν, καὶ γνώμονα, καὶ κανόνα, id eſt, omnium exquiſitam trutinam, normam, & regulam; omnium, inquam, eorum, quæ ſunt πιστὰ, ἐλπιστὰ, καὶ πρακτά. *Baſilius*, eodem ſenſu, *lib. 1. contra Eunomium* Scripturam nominat κανόνα εὐθὲς, καὶ γνώμονα ἀληθείας, id eſt, regulam recti, & normam veritatis. Quò pertinet quod *Auguſtinus tomo 7. lib. 2. contra Creſconium Grammaticum* ait: Neque enim ſine cauſâ tam ſaluber vigilantiæ canon eccleſiaſticus conſtitutus eſt, ad quem certi prophetarum & apoſtolorum libri pertineant. His non poſſum quin addam illud *Andradij in principio libri tertij defenſ. concilij Tridentini*: Minimè illorum mihi diſplicet ſententia, qui canonicas ideo appellari dicunt Scripturas, quia pietatis, fidei, & religionis canonem, hoc eſt, regulam atque normam è cœlis, ſummo DEI beneficio, ad nos delatam, continent ampliſſimam. Ita profectò eſt, Andradi: Canon ille ſacer diuinitus eſt conſtitutus; idque partim immediatè, partim mediatè. *Immediatè*: vt libri Moſis diuino mandato in ſacrarium ſunt illati. Atque hic canon tum temporis fuit ſatis ad ſalutem. *Mediatè*: vt per Ezram, apoſtolos, & alios DEI ſeruos ſyntagma ſacrarum literarum diuerſis temporibus eſt ſancitum & roboratum. Nam Ezra canonem V. T. aſſeruit & comprobauit, diuino inſtinctu. Apoſtoli eundem canonem commendarunt eccleſiæ N. T. & illi adiecerunt canonem nouum. Denique vtrumque canonem, veterem & nouum, ſeu Hebræum & Græcum, viri ſancti, qui tempore apoſtolorum, & paulò pòſt, donum prophetiæ habuerunt, ſuo teſtimonio comprobarunt. Ab iis porrò ad hanc vſque ætatem eccleſia, tanquam fida depoſitaria, incomparabile hoc peculium inter varia pericula conſeruauit, DEI præpotentis munere. Quam in ſententiam *Auguſtinus lib. 11. contra Fauſtum Manichæum cap. 5.* eleganter ait: Diſtincta eſt à poſteriorum libris excellentia canonicæ authoritatis veteris & noui teſtamenti: quæ apoſtolorum confirmata temporibus, per ſucceſſiones epiſcoporum, & propagationes eccleſiarum, tanquam in ſede quâdam ſublimiter conſtituta eſt. Ex his efficitur, canonem, de quo agimus, eſſe opus diuinum, partim ἀμέσως, partim ἐμμέσως. Cæterum hoc loco Canon nobis eſt catalogus librorum canonicorum, quos Leontius appellat βιβλία κανονιζόμενα; Auguſtinus, *libros dominicos*, Conſtantinus M. *libros euangelicos & apoſtolicos, antiquorúmque prophetarum ſanctiones*; alij eccleſiæ doctores, libros γνησίους, ἀναμφιλέκτους ἐνδιαθήκους, ὁμολογουμένους, καὶ πρωτοκανονικοὺς, id eſt, *germanos, ſine contradictione teſtamentarios, confeſſos, & primariò canonicos.* Horum, inquam, librorum catalogum appellamus canonem: idque duabus de cauſis; tum quòd canonem ſacrum, id eſt, libros canonicos ob oculos ponat; tum quòd illos à non-canonicis diſcernat. Duo ſiquidem ſunt huius canonis, ſiue catalogi officia: vnum, recenſere libros, qui pertinent ad canonem; alterum, libros canonicos ab apocryphis diſcernere. Vnde porrò colligitur, plurimùm referre, vt hic talis Canon in eccleſiâ ſartus tectus maneat, ſacróque Codici præmittatur. Quod vtrumque iam olim in eccleſiâ obtinuit: vt videre eſt *in Concilio Laodiceno can. 59. prologo galeato Hieronymi, expoſitione ſymboli apud Ruffinum ſect. 35. 36. & carminibus Gregorij Nazianzeni, titulo,* περὶ τῶν γνησίων βιβλίων τῆς θεοπνεύστου γραφῆς; *libro 4. Damaſceni de orthod. fide cap. 18.* vt alios prætercam. Ex his adſcribam carmina Nazianzeni, ob elegantiam & antiquitatem.

Θείοις ἐν λογίοισιν ἀεὶ γλώσσῃ τε νόῳ τε
Στρωφᾶσθ'· ἢ γὰρ ἔδωκε θεὸς καμάτων τόδ' ἄεθλον,
Καί τι κρυπτὸν ἰδεῖν ὀλίγον φάος. ἢ τὸ ἄριστον,
Νύττεσθ' ἁγνείῃ θεοῦ μεγάλῃσιν ἐφετμαῖς.
Ἢ τρίτατον, χθονίων ἀπάγει φρένα ταῖσδε μερίμναις.
Ὄφρα δὲ μὴ ξείνῃσι νόον κλέπτοιο βίβλοισι.
(Πολλαὶ γὰρ τελέθουσι παρέγγραπτοι κακότητες.)
Δέχνυσο τοῦτον ἐμεῖο τὸν ἔγκριτον, ὦ φίλ', ἀριθμόν.
Ἱστορικαὶ μὲν ἔασι βίβλοι δυοκαίδεκα πᾶσαι.
Τῆς ἀρχαιοτέρης ἑβραϊκῆς σοφίης.
Πρωτίστη Γένεσις. εἶτ' Ἔξοδος. Λευιτικόν τε.
Ἔπειτ' Ἀριθμοί. εἶτα δεύτερος νόμος.
Ἔπειτ' Ἰησοῦς, καὶ Κριταί, Ῥοὺθ, ὀγδόη.
Ἡ δ' ἐννάτη δεκάτη τε βίβλοι, Πράξεις βασιλείων
Καὶ Παραλειπόμεναι· ἔσχατον Ἔσδραν ἔχεις.
Αἱ δὲ στιχηραὶ πέντε· ὧν πρῶτός γ' Ἰώβ.
Ἔπειτα Δαυίδ. εἶτα τρεῖς Σολομώντειαι,
Ἐκκλησιαστὴς, ᾆσμα, καὶ παροιμίαι.
Καὶ πένθ' ὁμοίως πνεύματος προφητικοῦ.
Μίαν μέν εἰσιν εἰς γραφὴν οἱ δώδεκα.
Ὡσηὲ, Κ'Ἀμὼς, καὶ Μιχαίας ὁ τρίτος.
Ἔπειτ' Ἰωὴλ· εἶτ' Ἰωνᾶς, Ἀβδίας,
Ναοὺμ τε, Ἀββακοὺμ τε, καὶ Σοφονίας,
Ἀγγαῖος, εἶτα Ζαχαρίας, Μαλαχίας.
Μία μὲν οἵδε. Δευτέρα δ' Ἡσαΐας.
Ἔπειθ' ὁ κληθεὶς Ἱερεμίας, ἐκ βρέφους.
Εἶτ' Ἰεζεκιὴλ, καὶ Δανιήλου χάρις.
Ἀρχαίας μὲν ἔθηκα δύο καὶ εἴκοσι βίβλους,
Τοῖς τῶν Ἑβραίων γράμμασιν ἀντιθέτους.
Ἤδη δ' ἀρίθμει καὶ νέου μυστηρίου.
Ματθαῖος μὲν ἔγραψεν ἑβραίοις θαύματα χριστοῦ.
Μάρκος δ' Ἰταλίῃ· Λουκᾶς Ἀχαιάδι.
Πᾶσι δ' Ἰωάννης κήρυξ μέγας, οὐρανοφοίτης.
Ἔπειτα πράξεις τῶν σοφῶν ἀποστόλων.
Δέκα δὲ Παύλου, τέσσαρές τ' ἐπιστολαί.
Ἑπτὰ δὲ καθολικαί· ὧν Ἰακώβου μία,
Δύω δὲ Πέτρου, τρεῖς δ' Ἰωάννου πάλιν.
Ἰούδα δ' ἐστὶν ἑβδόμη. πάσας ἔχεις.
Εἴ τι δὲ τούτων ἐκτὸς, οὐκ ἐν γνησίαις.

Id eſt,

Diuinis in oraculis ſemper, linguáque mentéque
Voluitamini. Vel enim dedit DEVS laborum hoc certamen,
Et aliquod videre celatum lumen: vel hoc optimum
Pungi puri DEI magnis præceptis:
Aut tertium, terreſtrium abducit mentem his curis.
Vt autem non peregrinis mentem ſurripiare libris
(Multæ enim exiſtunt interſcriptæ malitiæ.)
Suſcipe hunc meum adiudicatum, ô amice, numerum.
Hiſtorici quidem ſunt libri duodecim omnes,
Antiquioris Hebraicæ ſapientiæ,
Primus Geneſis, deinde Exodus, Leuiticúmque,

Deinde

Deinde Numeri, deinde Secunda lex.
Deinde Iesus & Iudices, Ruth octauus;
At nonus decimusque liber Gesta Regum,
Et Prætermissa, vltimum Esdram habes.
At *carmine* quinque : quorum primus quidem Iob,
Deinde Dauid, deinde tres Salomonis,
Ecclesiastes, Cantus, & Prouerbia.
Et quinque similiter spiritus *prophetici.*
Vnam quidem in scripturam sunt duodecim:
Osee, & Amos, & Michæas tertius,
Deinde Ioel, deinde Ionas, Abdias,
Naumque, Abacucque, & Sophonias,
Aggæus, deinde Zacharias, Malachias.
Vnus quidem hi (*liber*) secundus autem, Esaias,
Deinde vocatus Ieremias ab infante,
Deinde Ezechiel, & Danielis gratia.
Antiquos quidem posui duos & viginti libros,
Hebræorum literis oppositos.
Iam verò enumero & *noui mysterij.*
Matthæus quidem scripsit Hebræis miracula Christi,
Marcus autem Italiæ, Lucas Achaidi,
Omnibus autem Iohannes, præco magnus cœliuagus.
Deinde Acta sapientum apostolorum.
Decem autem Pauli, & quatuor epistolæ.
Septem autem catholicæ, quarum Iacobi vna,
Duæ autem Petri, tres autem Iohannis rursus,
Iudæ autem est septima. Omnes habes
Si quid autem has (βίβλους) extra sit, non inter legitimas.

Cur verò Nazianzenus in hoc syngrammate omittit librum Esther, & Apocalypsin Iohannis? Ratio prioris est; quia liber Esther comprehenditur sub Esdrâ, à quo putatur scriptus. Ratio posterioris est; quia Nazianzenus pollicetur ab initio, se illos libros γνησίους enumeraturum, qui ab omnibus legi debent. Quo certè in numero non est Apocalypsis.

β. Libri sacri appellantur *Biblia*, nomine scil. Græco plurali, βιβλία, id est, libelli, quod nomen tamen aliæ nationes per numerum singularem efferre solent. Sic autem appellantur isti libri κατ' ἐξοχὴν καὶ ἐξοχῶς : quod præcellant omnibus aliis libris. Aliàs nominantur *verbum Dei*, *sacræ literæ*, *sanctæ Scripturæ*, *Scriptura sacra*; & sine epitheto *Scripturæ*, ac numero singulari, *Scriptura*. Etsi verò hæc nomina solis libris θεοπνεύστοις competunt : vulgò tamen libri apocryphi συγχωρητικῶς etiam in horum titulorum societatem veniunt.

γ. Hieronymus præfationem illam, quam sacris Bibiliis præposuit, appellat *prologum galeatum*; quòd in eo discernens libros canonicos ab apocryphis, velut commune & galeatum præsidium id vellet esse, ad tuendam omnium diuinorum voluminum authoritatem. Quare cùm idem nobis sit propositum in hoc tractatu, siue catalogo, non ab re illi idem nomen dedimus.

δ. Sacra Scriptura distinguitur in veterem & nouam, siue, quod est vsitatius, in libros veteris & noui testamenti. Vbi per *testamentum* intelligitur fœdus gratiæ, quatenus aliter administratum est veteri populo, ante CHRISTVM in carne exhibitum, & aliter administratur nouo populo, postquam CHRISTVS est incarnatus. Legas etia apud Ruffinum, & alios distingui in libros veteris & noui instrumenti. Vbi per *instrumentum*, significatu politico, intelligitur formula solennis; quâ nempe nobis exponitur voluntas Dei, per prophetas & apostolos. Vnde etiam Scriptura distinguitur in propheticam, & apostolicam: nempe à causis administris. Porrò quia libri canonici alij sunt V. T. alij N. rectè Canon diuiditur in veterem & nouum, seu veteris & noui testamenti. Ille etiam appellatur canon Hebræus & Iudaicus: hic, Græcus. Nam canon vetus Hebraicè est exaratus, & ecclesiæ Iudaicæ concreditus: nouus, Græcè scriptus est. Totus autem iste canon appellatur canon ecclesiæ Christianæ: quia ecclesia N T. hoc præclarum depositum & κειμήλιον accepit à Spiritu sancto, postquam plenâ accessione librorum apostolorum colophon huic syntagmati est impositus. Vnde patet canonem synagogæ Iudaicæ, & ecclesiæ Christianæ perperam inter sese committi; quasi libri apud Iudæos apocryphi, Christianis possint esse canonici. v. g. liber Tobiæ, Sapientiæ. Non ita. Nam distinctio illa canonis huc tantùm spectat, vt videamus amplitudinem & excellentiam canonis Christiani præ Iudaico. Cæterùm de canone veteri, seu de catalogo librorum V.T seorsim vide *Iudæos*, bibliothecarios & capsarios Scripturæ fidissimos, nominatim *Masorethas*. itemque è Christianis *Melitonem Sardensem* (qui scripsit ad imp. M. Aurelium Antoninum, cognomento philosophum) *epistolâ ad Onesimum*, quam recitat *Eusebius lib.* 4. *hist eccles. cap.* 26. *Origenem, apud eundem lib.* 6. *cap* 25. *& Epiphanium de ponderibus & mensuris.*

ε. Tres constituimus classes, siue ordines, librorum canonicorum, tum V. tum N. T. vt & apocryphorum. Prima complectitur libros historicos; secunda, dogmaticos, seu didascalicos; tertia, propheticos. Vnde existit συστοιχία pulcherrima, memoriæque, & ipsi quoque materiæ, accommodatissima. Vbi tamen denominatio fieri intelligenda est ἐν πλάτει. Quod attinet ad tres nostras classes librorum V. T. illæ non discrepant ab illâ diuisione Christi *Luc.* 24. 44. vbi totidem classes videtur constituere. Diuidit enim Scripturam V.T in legem, psalmos, & prophetas. Iudæi quoque totidem classes siue ordines agnoscunt. Nam in *primâ classe* collocant duos quiniones : videl. quinque libros legis, & חֲמֵשׁ מְגִלּוֹת, *quinque volumina*, putà Canticum, Ruth, Threnos, Ecclesiasten, & Esther. Et hic quidem ordo in Bibliis Antuerpianis Hebraicis in quarto est obseruatus. Alij autem quinque volumina accensent hagiographis. Quâ de re vide nostram Masoram. *Secundus ordo* illis est prophetarum, נְבִיאִים; quos distinguunt in רִאשׁוֹנִים, *priores*, & אַחֲרוֹנִים, *posteriores*, Quæ distributio sumpta est à tempore, quo prophetæ illi floruerunt : quanquam aliis prophetæ minores ita dicti videntur, quòd in istis libris agatur de primis prophetis. *Tertius* denique *orao* est כְּתוּבִים, τῶν γραφείων seu ἁγιογράφων. Quæ appellationes sunt synecdochicæ, voce generaliore speciatim acceptâ. Iudæi tamen aliam huius nomenclaturæ rationem adferunt: quòd scil. hi libri scripti sint, non per prophetiam propriè sic dictam, aut spiritu prophetico, sed per immediatum Spiritus sancti instinctum, seu per excitationem diuini Spiritus, animo, linguæ, & calamo suggerentis verba confessionis & laudis. Celeberrima est hæc diuisio apud Masorethas: vnde abbreuiatio אנך, id est, אוֹרַיְתָא. נְבִיאִים. כְּתוּבִים. Hîc ὡς ἐν παρόδῳ memineris, libros apocryphos interdum appellari hagiographos.

Hebræi numerant veteris illibati canonis libros XXIV. ita nempe, vt historia Samuelis, item Regum, Chronica, prophetia & threni Ieremiæ, & duodecim prophetæ minores singulis libris comprehendi intelligantur. Atque hæc causa est, quòd Iudæi Biblia V. T. vsitatissimè etiamnum ex vetustissima majorum consuetudine non aliter quàm עֶשְׂרִים וְאַרְבַּעָה, *Viginti & quatuor*, appellant. Meminit huius partitionis *Hieronymus in prologo galeato* : vbi ait, priscæ legis libros iuxta quorundam calculum esse viginti quatuor; quos sub numero viginti quatuor seniorum Apocalypsis inducat. *Idem præfat. in Danielem* docet, Hebræos agnoscere quinque libros legis, octo prophetarum, & vndecim hagiographorum. Et hæc est diuisio, quam in primo syngrammate sub literis ε ε proposuimus. Confer cum lit. seq. & vide quoque infrà Masoram nostram. ϛ.

Hîc proponitur alia quædam partitio librorum V. T. quæ apud veteres passim occurrit. Sic enim *Athanasius synopsi script.* Sunt itaque canonici veteris instrumenti libri viginti duo, literis Hebraicis numero pares. Totidem enim apud Hebræos sunt literarum elementa. Vide quoque *Hieronymum prologo galeato*, *& Damascenum lib.* 4. *orthod fidei cap.* 10. vide etiam paulò antè ad lib. α. in Carminibus Nazianzeni : & paulò post Masoram nostram. Vbi & illud obseruant; vt quinque literæ duplices sunt apud Hebræos, *Caph. Mem. Nun, Pe, Tsade*, itaque quinque libros canonicos esse duplices nempe Samuelis, Regum, Chronicorum, Esræ, & Ieremiæ. Cur autem Hebræi nunc XXII. nunc XXIV. libros Biblicos enumerent, causa est, quia primitus numerati fuerunt nouem hagiographa, & postea vndecim. Vide infrà in Masorâ. ζ.

Hîc subducitur numerus librorum. V. T. sigillatim : qui est XXXIX; vt patet consideranti. η.

Hieronymus aduersus Heluidium vocat Mosen authorem pentateuchi, hoc est, quinque voluminum. Hebræi appellant חֲמִשָּׁה חֻמְּשֵׁי תוֹרָה, id est, πέντε πεντάδας νόμου, *quinque quintas* (scil partes) *legis*. Accipitur autem vox ista πεντάτευχος hoc modo synecdochicè, videl κατ' ἀντονομασίαν. Nam *Damascenus lib.* 4. *orth. fid. cap.* 18. libros V. T. partitur in quatuor pentateuchos, vnum binarium. Ita enim ait. Quinque legales : Genesis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium : *prima pentateuchus*; quæ & νομοθεσία. Deinde alia pentateuchus, quæ & γραφεῖα ἁγιόγραφα, dicitur; quæ sunt hoc modo : Iesu Naue, Iudices cum Ruth, Regnorum primus & secundus, liber vnus; & tertius & quartus, liber vnus; & duo Paralipomenon, liber vnus; hæc *secunda pentateuchus*. *Tertia pentateuchus*, versu facti libri : Iob, Psalterium, Prouerbia Salomonis, Ecclesiastes eius, & Cantica canticorum. *Quarta pentateuchus* prophetica : duodecim prophetarum liber vnus Esaias, Ieremias, Ezechiel, & Daniel. Deinde Ezræ duo in vnum connectuntur librum, & Esther. Possis etiam quatuor euangelia & Acta Apostolorum appellare pentateuchum noui testamenti. θ.

Athanasius epistolâ ad Marcellinum tres istos libros comprehendit appellatione triteuchi. ι.

Hanc vocem docendi causâ finximus : vsi libertate didacticès. Si malis, appella octateuchum : ita nempe, vt numeres singulos libros, excepto Ezrâ & Nehemiâ. Sunt etiam, qui libros historicos V. T. partiuntur in pentateuchum Mosis, & istiusmodi octateuchum; Iosuâ, Iudicum, Ruth, Samuelis, Regum, Chronicorum, Ezræ, & Estheræ. Quæ sanè partitio est concinna. Rursus sunt, qui octateuchum vocant octo primos sanctæ Scripturæ libros, ab initio videl. Geneseos vsque κ.

ad Paralipomenon. Tum verò Iudicum & Ruthæ liber pro vno habentur, itemque quatuor Regum pro vno.

λ. Libri hi dicuntur *poëtici* : non quòd conſtent oratione numeroſâ, qualis eſt apud Græcos & Latinos, conſtans longarum & breuium ſyllabarum varietate : aut etiam quòd rhythmice ſint conſcripti : nihil enim horum in iis obſeruare eſt : ſed partim quia ſcripti ſunt ſtilo poëtico, id eſt, pathetico ; partim quia conſtant oratione iucundè temperatâ, certíſque membris velut inciſâ, quanquam citra pedum menſuram. Itaque quod *Hieronymus prologo* 1. *in Iob,& Iſidorus etymol.lib.6.c.2.* ſcribunt, initium & finem Iobi ſolutâ oratione conſtare, reliqua carmine hexametro currere, neſcio an probari poſſit: cùm neque ſyllabarum numero, neque temporum ratione inter ſeſe conſentiant, aut cum noſtris hexametris. Vehementer hîc mihi placet illud Bedæ, qui de arte metricâ extremo ait, tria eſſe genera poëmatum : dramaticum, vbi introductæ perſonæ ſolùm loquuntur, quale eſt Canticum canticorum : item comœdiæ & tragœdiæ. Exegeticum, in quo ſolus author operis loquitur. Sic ſunt Pſalmi Dauidis, Prouerbia Salomonis, & Eccleſiaſtes, tum Virgilij Georgica. Mixtum, quando partim loquitur author, partim aliæ perſonæ, quæ loqui introducuntur : qualis eſt liber Iob, Homeri Ilias & Odyſſea, Æneis Virgilii. Diſſentit ab hâc opinione *Iohannes Mercerus*, qui ſuper *Iob.* 3.*verſu* 3.hanc in ſententiam ſcribit. Conatus ſum iuxta ea quæ monet Hieronymus, multos verſus ad dimenſionem pedum reuocare. Sanè plerôſque dimenſus, hexametros eſſe comperi : verùm vbi pro dactylo & ſpondeo paſſim alij pedes iuxta linguæ idioma, vt dicebat Hieronymus, occurrant, multi ſunt verſus ſpondaici, vt primus ſtatim qui deſinit הורה גבר, *procreatus eſt vir.* Sed hoc ſæpe hîc turbat, quòd metra plerumque à fine verſuum, vt ab Hebræis diſtincti ſunt, incipiunt: quod argumento eſt, eos carminum rationem non intellexiſſe, niſi ſenſum magis quàm dimenſionem ſunt ſecuti. Accepi D.Vatablum laudandæ memoriæ, rationem intellexiſſe verſuum omnium Iobi & Pſalterij,& quoſdam canones ad faciliùs eorum rationem intelligendam præſcripſiſſe:vt, Quòd nulla Hebræis ſit poſitio, quòd Sceua ne geminum quidem pro aliquo computetur, & alia eiuſmodi, quæ ſperamus aliquando proditura : nec deſpero ſi quis diligenter attenderit, quin poſſit metrorum ratio inueniri. Id ego, ſi quando per otium licuerit, perueſtigare conabor. Mira hîc elegantia & ſermonis copia. Sic Mercerus.

μ. Prophetæ hîc dicuntur κατ᾽ ἐξοχὴν. Intelliguntur enim prophetæ poſteriores. De quâ appellatione vide paulò antè lit.ε,& infrà Nomenclaturam librorum ſacrorum.Rurſus hoc nomine intelliguntur ij, qui vaticinantur ferè de rebus futuris. Diuiduntur autem hi prophetæ in maiores & minores, à voluminum, quæ ediderunt, mole:non à capitum numero. Nam apud Hoſeam & Zachariam plura ſunt capita, quàm in Daniele.Cæterùm prophetæ priores rectè appellantur hoc nomine:quia Samuel *Act.*13.20 dicitur propheta.

ν. Prophetæ minores non ſolùm Hebræis,ſed etiam aliis comprehenduntur vno libro, qui *Act.* 7 42 dicitur liber prophetarum, Iudæis תְּרֵי עֲשַׂר, Græcis βίβλος δωδεκαπροφήτος. Cauſam vide infrà in Maſorâ.

Canon nouus cur dicatur, diximus ad lit. δ. Idem appellatur Græcus : quia omnes libri huius canonis citra controuerſiam Græcè ſunt ſcripti, præterquam euangelium Matthæi & Marci, & epiſtola ad Hebræos. De his enim eſt controuerſia. Vulgò ſanè putatur,euangelium Matthæi & epiſtola ad Hebræos Hebraicè, euangelium Marci Latinè exaratum eſſe. *Euſeb.lib* 3.*hiſt.eccleſ.cap.*21.*Vvidmanſtadius præfat.in verſionem Syr. N.T.* Verùm enim verò probabile eſt, apoſtolos & euangeliſtas omnes Græco ſermone, vtpote tum temporis vſitato inter Gentes, imò & Iudæos quoque, ſcripſiſſe. Et admodum improbabile eſt, Canonem N.T. duabus linguis planè diuerſis conſtare. Dico planè diuerſis:quia etſi in V.T. quædam occurrunt Chaldaicè, tamen illa ab Hebraicâ linguâ non differunt toto genere, ſed tantùm dialecto. Cæterùm quod attinet ad libros N.T. alij ſunt, de quorum authoribus & authoritate nunquam eſt dubitatum;alij ſecus.Poſterioris generis ſunt epiſtola ad Hebræos, epiſtola Iacobi & Iudæ, poſterior Petri, ſecunda & tertia Iohannis, denique Apocalypſis : alterius generis ſunt reliqui libri omnes. Hinc eſt, quòd ſeptem iſti libri modò cōmemorati accenſentur ſcriptis,quæ appellantur ἀντιλεγόμενα, id eſt,quibus contradictum fuit. Non tamen ideo rectè adnumerantur libris apochryphis N. T. vt quidam hodie faciunt contra priſcæ eccleſiæ ſuffragium:de quo ad lit. α.

ξξ. *Euangelium* eſt lætum nuntium, ſeu bona iucundaque annuntiatio. Hîc autem intelligitur lætum illud nuntium, quo annuntiatur ſalus parta per Chriſtum. Itaque euangelium κατ᾽ ἐξοχὴν eſt bona iucundaque annuntiatio de hominum ſalute per Chriſtum. Quæ ſalus vt eſt vnica & æterna : ſic quoque annuntiatur vno & æterno euangelio. Cùm autem dicuntur quatuor euangelia, intelliguntur (per metonymiam ſubiecti) quatuor libri, qui narrant vnicum illud euangelium, ſeu doctrinam de ſalute æternâ hominibus partâ per Chriſtum, cuius vita & mors in hiſtoriâ euangelicâ narratur. Porrò euangelium κατὰ Ματθαῖον *ſecundùm Matthæum*, κατὰ Μάρκον, &c. ita dicitur, quod à Matthæo, Marco &c. eſt editum. Quo ſenſu dicimus aliquid ita eſſe vel non eſſe ſecundùm Ciceronem,Auguſtinum, &c. Nimirum particula κατὰ, *ſecundùm*,hîc eſt nota cauſæ efficientis, vel teſtimonij.

Quatuordecim epiſtolæ Pauli à veteribus in Canone numerantur:vt ex carmine Nazianzeni ad lit. α. patet. In iſtum calculum etiam venit epiſtola ad Hebræos.Elias Hutterus,Iohannes Mariana, & alij poſt epiſtolam ad Coloſſenſes collocant epiſtolam ad Laodicenſes, quæ ſic habet. ξ.

Ἡ τοῦ ἁγίου Παύλου πρὸς Λαοδικέους ἐπιστολή.

1. Παῦλος ἀπόστολος, οὐκ ἀπ᾽ ἀνθρώπων, οὐδὲ δι᾽ ἀνθρώπου, ἀλλὰ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῖς ἐν Λαοδικείᾳ ἀδελφοῖς.

2. Χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη ἀπὸ θεοῦ πατρὸς, καὶ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ.

3. Εὐχαριστῶ τῷ θεῷ μου τῷ Χριστῷ πάντοτε ἐν ταῖς προσευχαῖς μου, ὅτι ἐμμένοντες καὶ προσκαρτεροῦντες ὑμεῖς ἐστὲ ἐν ἔργων καλῶν, προσδεχόμενοι τὴν ἐπαγγελίαν ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως.

4. Καὶ μὴ ταράξωσιν ὑμᾶς ματαιολογίας τινῶν τῶν ὑποκρινομένων τὴν ἀλήθειαν, τοῦ διαστρέψαι ὑμᾶς ἀπὸ τῆς ἀληθείας τοῦ εὐαγγελίου τοῦ εὐαγγελισθέντος ἀπ᾽ ἐμοῦ.

5. Νῦν δὲ ποιήσει ὁ θεὸς, ἵνα πάντες οἱ ἐξ ἐμοῦ εἰσιν ἐπὶ τὴν τελειότητα τῆς ἀληθείας τοῦ εὐαγγελίου φέρωνται, τοῦ πεῖσαι τὴν χρηστότητα τῶν ἔργων, ὃ πρέπει τῇ σωτηρίᾳ τῆς ζωῆς αἰωνίου.

6. Καὶ νῦν φανεροὶ ἐγένοντο οἱ δεσμοί μου, ἐν οἷς δέσμιός εἰμι ἐν Χριστῷ, καὶ ἐν τούτῳ χαίρω, ἀλλὰ καὶ χαρήσομαι.

7. Οἶδα γὰρ ὅτι τοῦτό μοι ἀποβήσεται εἰς σωτηρίαν αἰώνιον ὃ ἐγένετο διὰ τῆς ὑμῶν δεήσεως, καὶ ἐπιχορηγίας τοῦ πνεύματος ἁγίου.

8. Εἴτε διὰ ζωῆς, εἴτε διὰ θανάτου. ἐμοὶ γὰρ τὸ ζῆν Χριστὸς, καὶ τὸ ἀποθανεῖν χαρά.

9. Αὐτὸς δὲ ὁ κύριος ἡμῶν, ἐν ὑμῖν ποιήσει τὸ ἔλεος αὐτοῦ μεθ᾽ ὑμῶν, ἵνα τὴν αὐτὴν ἀγάπην ἔχοντες, σύμψυχοι τὸ αὐτὸ φρονῆτε.

10. Διὰ τοῦτο, ἀγαπητοὶ, καθὼς ἠκούσατε τὴν παρουσίαν τοῦ κυρίου, οὕτως φρονεῖτε, καὶ ποιεῖτε ἐν φόβῳ τοῦ θεοῦ, καὶ ἔσται ὑμῖν ζωὴ αἰώνιος.

11. Ὁ θεὸς γάρ ἐστιν ὁ ἐνεργῶν ἐν ὑμῖν.

12. Πάντα ποιεῖτε χωρὶς γογγυσμῶν, καὶ διαλογισμῶν.

13. Καὶ τὸ λοιπὸν, ἀγαπητοὶ, χαίρετε ἐν τῷ κυρίῳ Ἰησοῦ Χριστῷ, καὶ ὁρᾶτε, καὶ φυλάσσεσθε ἀπὸ πάσης αἰσχροῦ κέρδους πλεονεξίας.

14. Πάντα τὰ αἰτήματα ὑμῶν παρρησίᾳ γνωριζέσθω πρὸς τὸν θεὸν, καὶ βέβαιοι γίνεσθε ἐν νοΐ τοῦ Χριστοῦ.

15. Καὶ τὸ λοιπὸν, ἀδελφοὶ, ὅσα ἐστὶν ἀληθῆ, ὅσα σεμνὰ, ὅσα ἁγνὰ, ὅσα δίκαια, ὅσα προσφιλῆ. ταῦτα πράσσετε.

16. Καὶ ἃ ἠκούσατε, καὶ παρελάβετε ἐν καρδίαις ὑμῶν κατέχετε, καὶ ἔσται ὑμῖν εἰρήνη.

17. Ἀσπάσασθε τοὺς ἀδελφοὺς πάντας ἐν φιλήματι ἁγίῳ.

18. Ἀσπάζονται ὑμᾶς οἱ ἅγιοι πάντες.

19. Ἡ χάρις τοῦ κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ μετὰ πνεύματος ὑμῶν. Ἀμήν.

20. Ποιήσατε, ἵνα ἡ ἐπιστολὴ καὶ ἐν τῇ Κολοσσαέων ἐκκλησίᾳ ἀναγνωσθῇ. καὶ τὴν ἐκ Κολοσσῶν, ἵνα καὶ ὑμεῖς ἀναγνῶτε.

Πρὸς Λαοδικέους ἐγράφη ἀπὸ Ῥώμης διὰ Τυχικοῦ καὶ Ὀνησίμου.

Verſio eſt ita.

1. Paulus apoſtolus, non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Chriſtum Ieſum, fratribus qui ſunt Laodiceæ. 2. Gratia vobis & pax à Deo Patre, & Domino Ieſu Chriſto. 3. Gratias ago Chriſto per omnem orationem meam, quòd permanentes eſtis in eo, & perſeuerantes, promiſſa expectantes in die iudicij. 4. Neque diſturbat vos quorundam vaniloquentia inſimulantium, vt vos auertant à veritate euangelij, quod à me prædicatur 5 Et nunc faciet Deus, vt qui ſunt ex me, perueniant ad profectum veritatis euangelij, deſeruientes, & benignitatem operum facientes, quæ ſunt ſalutis æternæ. 6. Et nunc palam ſunt vincula mea,quæ patior in Chriſto;in quibus lætor & gaudeo. 7. Scio enim, quòd hoc mihi eſt ad ſalutem perpetuam. Quod ipſum factum eſt orationibus veſtris, adminiſtrante Spiritu ſancto, ſiue per vitam, ſiue per mortem. 8. Etenim mihi viuere vita in Chriſto, & mori gaudium. 9. Ipſe autem Dominus noſter in vobis faciat miſericordiâ ſuâ, vt eandem dilectionem habeatis, & ſitis vnanimes. 10. Ergo dilectiſſimi, vt audiuiſtis præſentiâ mei, ita ſentite & facite cum timore Dei : & erit vobis vita in æternum. (11. Eſt enim Deus qui operatur in vobis) 12. Et facite ſine murmure quodcunque facitis. 13. Et quod optimum eſt, dilectiſſimi, gaudete in Domino Ieſu Chriſto : & cauete ſordidos in lucro homines. 14. Omnes petitiones veſtræ ſint palam apud Deum : & eſtote firmi in ſenſu Chriſti. 15. Et quæ integra ſunt, & vera, & pudica & iuſta, & amabilia ſunt, facite. 16. Et quæ audiſtis,& accepiſtis, in corde retinete : & erit vobis pax. 17. Salutate omnes fratres in oſculo ſancto. 18. Salutant vos omnes ſancti. 19. Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti cum Spiritu veſtro. 20. Facite hanc epiſtolam legi Coloſſenſibus,& eam quæ eſt Coloſſenſium vobis. Ad Laodicenſes ſcripta fuit è Româ, per Tychicum & Oneſimum.

Hæc, inquam, vulgò putatur epiſtola Pauli ad Laodicenſes. De qua quidem exiſtimo rectè pronuntiare Hierony-

mum in Catalogo: *Legunt quidem & ad Laodicenses epistolam, sed ab omnibus exploditur.* Causa non est obscura: Nempe nihil apostolicæ habet grauitatis. *Hieronymus tamen tom. 9. edit. Basil. & 6. edit. Rom. & Paris.* commentatus est in hanc epistolam. Latinè & Germanicè illam edidit *Stephanus Prætorius*, adiectis fragmentis testamenti Patriarcharum & Apostolorum.

ο. Septem istæ epistolæ vsitatè appellantur *catholicæ*; quia nulli certæ personæ aut populo inscriptæ sunt, vt epistolæ Pauli, sed ad omnes directæ, & velut ecclesiæ catholicæ immediatè dedicatæ. Etsi vero secunda & tertia Iohannis inscriptæ sunt certis personis: tamen a potiori fit denominatio. Appellantur etiam *canonicæ*: quòd suo vno canone, id est, formulâ, ad plures missæ sint. *Cassiodorus lib. 11. epist.* 13. Prior appellatio extat *canone 59. Concilij Laodicent, apud Nazianzenum in carmine paulò antè recitato, & Damascenum 4. orth. fid. cap.* 18.

π. Atque hi sunt libri canonici: quos memoriæ causâ his versibus comprehendi, secutus *Hugonem de S. Charo, Cardinalem, in prologo postillæ super librum Iosue.*

Libri veteris testamenti, suis classibus distincti.

I. *Post Geneses, Exod. Leui. Num. Deut. Iosua. Iudex.*
Ruth. Samuel Reges. Chronica. Esdra. Nehemia. & Esther.
II. *Iobus. Psalmographus. Prouerbia. Concio. Carmen.*
III. *Esa. Ier. Ez. Dan el. Hos. Ioel. Amosus. Obadia. Ionas. Micha. Nahum. Hab. Soph. Hag Zach. Malachias.*

Libri N. T. suis classibus distincti.

I. *Matthæi. Marci. Lucæ. Iohannis. & Acta.*
II. *Roma. Corinth. Galat. Eph. Phil. Col. Thess. Timo. Titusque*
Philem. ac Hebræi. Iac. Pet. Ioh. Iuda. III. *Reuelans.*

ρ. Libri apocryphi non dicuntur hoc loco, qui sunt planè inepti & suppositicij, vt est liber apocryphus Enochi, de quo vide *Scaligerum in Notis ad Eusebium*: neque qui sunt occultæ originis, seu de quorum authoribus non certò constat (ita enim multi libri canonici V. T. forent apocryphi) sed quòd non fuerint repositi in *Aron*, sanctâ illâ cryptâ ecclesiæ, in quâ fuerunt asseruati libri canonici. Itaque ἀπόκρυφον est, ὅτι ἄπεστιν ἀπὸ τῆς κρύπτης ἁγίας, *quidquid abest à sanctâ illâ cryptâ*, id est, armario, reconditorio, thesauro, & bibliothecâ librorũ diuinitùs traditorum ecclesiæ: quæ ab *Epiphanio lib. de ponderibus & mensuris* vocatur *Aron*, id est, arca seu capsa ecclesiastica, in quâ libri à prophetis iussu Dei conscripti, & sacerdotibus traditi, tanquã in archiuo sacro recondebantur & asseruabantur. Itaq; ἀπόκρυφοι est πᾶν τὸ μὴ ἐνδιάθηκον, seu πᾶν ἀκανόνιστον, quidquid non est in canone diuini fœderis penes ecclesiam depositũ iussu & authoritate Dei. Vnde libri apocryphi sunt ἄξιοι ἀποκρυφῆς, *digni qui abscondantur*, vt *Athanasius* docet *in Synops. Script.* Itaque duæ hæ notationes sibi pulcherrimè subordinantur. Nam quia libri hi non sunt θεόπνευστοι, meritò arcẽtur à cryptâ ecclesiæ, vtpote loco solis libris à Deo inspiratis consecrato; & meritò quoque manent in occulto, ne in lucem proferantur ad probandum dogmata fidei. Quo duplici honore libri Canonici afficiebantur in primitiuâ ecclesiâ. Non tamen ideo nullum habent vsum libri isti apocryphi. Nam etsi non sunt canon siue regula fidei: sunt tamen canon vitæ, siue morum, etiam alicubi historiæ. Quæ causa est, quòd à quibusdam deuterocanonici, imò & canonici (latè accepto vocabulo) appellantur. Sed adscribamus veterum sententiam de his libris. *Athanasius in Synopsi Scripturæ* ait: Præter istos autem (*canonicos*) sunt adhuc alij veteris instrumenti libri non-canonici, qui catechumenis tantùm legũtur. *Hieronymus in prologo galeato*: Vt scire valeamus, quidquid extra hos (*libros canonicos*) est, inter apocrypha esse ponendum. *Ruffinus exposit. symb. sect.* 35. 36. Sciendum tamen est, quòd & alij libri sunt, qui non canonici, sed ecclesiastici, à maioribus sunt appellati: vt est Sapientia Salomonis, & alia Sapientia filij Sirach. *Et mox*: quæ omnia legi quidem in ecclesiis voluerunt, non tamen proferri ad authoritatem ex his fidei confirmandam. *Et paulò pòst*: Cæteras verò Scripturas apocryphas nominamus, quas in ecclesiâ legi noluerunt. Audiamus etiam *Epiphanium lib. de ponderibus & mensuris.* καὶ αὗται χρήσιμοι μέν εἰσι καὶ ὠφέλιμοι, ἀλλ᾽ εἰς ἀριθμὸν ῥητῶν οὐκ ἀναφέρονται. διὸ οὔτε ἐν τῷ Ἀρὼν ἀνετέθησαν, οὔτε ἐν τῇ τῆς διαθήκης κιβωτῷ, hoc est Vtiles hi libri quidem sunt & commodi, sed in numerum dictorum (*librorum canonicorum*) non referuntur. Quapropter neque in Aron repositi sunt, neque in fœderis seu testimonij arcâ. Vbi obserua discrimen inter Aron & arcam fœderis. *Aron* fuit capsa, siue arca ecclesiastica, in quâ repositi fuerunt omnes libri canonici. At arca fœderis (ἡ κιβωτὸς τῆς διαθήκης) nil nisi præter tabulas legis continebat. 1. *Reg.* 8. 9. Sed concludamus hoc de libris apocryphis singulari obseruatione ex Ruffino: qui *exposit. symb.* author est, quosdam Sapientiam Salomonis, Sapientiã Iesu Sirachi, libellum Tobiæ & Iudith, & Maccabæorum libros discreuisse ab apocryphis, & ecclesiasticos vocasse, sed non canonicos. Ecclesiasticos autem vocarunt, quòd in ecclesiâ præferrentur aliis scriptis humanis, & catechumenis solùm prælegerentur, propter morum præcepta, & exempla quædam illustria. Hoc itaque significatu tres fuerint ordines scriptorum siue librorum sacrorum. 1. Libri θεόπνευστοι, ἐνδιάθηκοι, πρωτοκανονικοί, seu κανονικοί, κυρίως ita dicti. 2. ἐκκλησιαστικοί, ἀκανόνιστοι, δευτεροκανονικοί, seu κανονικοὶ ἀκύρως ita dicti. 3. ἀπόκρυφοι, seu reiectitij: vt euangelium Nicodemi. Atque hæc quoque causa est, quòd canon sacer à quibusdam diuiditur in diuinum, & ecclesiasticum. In illo sunt libri V. & N. T. θεόπνευστοι: in hoc libri ecclesiastici, vt Tobias, Iudith &c.

σ. τ. Alij tribuunt libro Baruch sex capita: quia epistolam Ieremiæ faciunt ipsius partem.

υ. Quidam hæc inserunt capiti tertio Danielis.

φ. Alij hoc caput resoluunt in duo,

χ. Sapientia Salomonis ita dicitur differentiæ causâ. Nam liber Sirachi appellatur Sapientia Sirachi.

Atque hic est ordo librorum Apocryphorum conuenientissimus: suis quippe classibus ritè distinctus. Alij proponunt aliter. Nam in Græcâ editione Bibliorum Wechelianâ sic disponuntur. Τωβιτ. Ἰουδήθ. Βαρούχ. Ἐπιστολὴ Ἱερεμίου. Ὠδὴ τριῶν παίδων. Ἔσδρας. Σοφία Σολομῶντος. Σοφία Σειράχ. Σωσάννης ἱστορία. Περὶ τοῦ Βὴλ καὶ δράκοντος. Μακκαβαίων πρῶτος, δεύτερος, τρίτος. Ἰώσηππος. Vbi Iosephus non rectè ponitur in isto catalogo. In eâdem editione *Psalmus centesimus quinquagesimus primus* recitatur, & reliquis libris apocryphis præmittitur, hoc modo.

Οὗτος ὁ ψαλμὸς ἰδιόγραφος τοῦ Δαβὶδ ἐστί, καὶ ἔξωθεν τοῦ ἀριθμοῦ τῶν ἑκατὸν πεντήκοντα ψαλμῶν, ὅτε ἐμονομάχησε πρὸς τὸν Γολιάδ.

1. Μικρὸς ἤμην ἐν τοῖς ἀδελφοῖς μου, καὶ νεώτερος ἐν τῷ οἴκῳ τοῦ πατρός μου. ἐποίμαινον τὰ πρόβατα τοῦ πατρός μου.

2. Αἱ χεῖρές μου ἐποίησαν ὄργανον, καὶ οἱ δάκτυλοί μου ἥρμοσαν ψαλτήριον· καὶ τίς ἀναγγελεῖ τῷ κυρίῳ μου. αὐτὸς κύριος αὐτὸς εἰσακούει.

3. Αὐτὸς ἐξαπέστειλε τὸν ἄγγελον αὐτοῦ, καὶ ἦρέ με ἐκ τῶν προβάτων τοῦ πατρός μου· καὶ ἔχρισέ με ἐν τῷ ἐλαίῳ τῆς χρίσεως αὐτοῦ.

4. Οἱ ἀδελφοί μου καλοὶ καὶ μεγάλοι· καὶ οὐκ εὐδόκησεν ἐν αὐτοῖς ὁ κύριος.

5. Ἐξῆλθον εἰς συνάντησιν τῷ ἀλλοφύλῳ· καὶ ἐπικατηράσατό με ἐν τοῖς εἰδώλοις αὐτοῦ.

6. Ἐγὼ δὲ σπασάμενος τὴν παρ᾽ αὐτοῦ μάχαιραν, ἀπεκεφάλισα αὐτὸν· καὶ ἦρα ὄνειδος ἐξ υἱῶν Ἰσραήλ.

Versio huius psalmi apocryphi.

1. Paruus eram in fratribus meis, & iunior in domo patris mei: pascebam oues patris mei.

2. Manus meæ faciebant organum, & digiti mei aptabant psalterium: & quis annuntiabit domino meo? ipse dominus, ipse exaudit.

3. Ipse emisit angelum suum, & tulit me de ouibus patris mei: & vnxit me oleo vnctionis suæ.

4. Fratres mei boni & magni: sed non acquieuit in eis dominus.

5. Exiui in occursum illi Philistæo, & execratus est me in idolis suis.

6. Ego verò trahens, qui iuxta ipsum erat, gladium, decollaui ipsum: & sustuli opprobrium de filijs Israël.

Superest vt dicamus de illo ordine, quo libri Apocriphi Canonicis interponi solent. Nimirum post librum Nehemiæ vulgò collocantur tertius & quartus Esdræ, Tobias & Iudith; postea Esther & Adjectiones ad istũ librum: tum liber Psalmorum, Prouerbia, Ecclesiastes, Canticum. liber Sapientiæ Ecclesiasticus Esaias, Ieremiæ prophetia & threni Baruch, Ezechiel, Daniel & Adjectiones ad hunc librum, Prophetæ minores, & denique libri Maccabæorum. Hic, inquam, ordo nõ solum obtinet apud eos, qui libros apocryphos habent pro canonicis, sed etiã apud nostros. Verũ enim verò hæc est mera confusio. Itaque satius est, separatim libros illos Apocryphos collocare, vel post libros canonicos V. T. vel post libros N. T. tanquã appendicẽ & mantissã Canonis sacri. Sed includamus metro libros apocryphos, classibus suis ritè distinctos.

I. *Tobias. Iudith. Baruch. Esdras Machabæi.*
Man. Ieremi. Daniel. Esther. II. *Sapientia. Sirach.*
III. *Esdras fastidito describit carmine mira.*

MASORAH

Compendiosè & Methodicè tradita.

MAsorah, si nomen spectes, traditio est: & ab eâdem radice (מָסַר) dicitur *Masoreth*, seu *Massoreth*. Est autem traditio vel rei de manu in manum, vel doctrinæ ex animo in animum, mediante voce, quâ ceu manu doctrina alteri traditur. Et hæc quidem est *significatio generalis huius vocis*.

In specie Masorah est doctrina critica, à priscis Hebræorum sapien-

ſapientibus tradita, circa textum ſacrum Hebræum, germanæ ipſius lectioni inſeruiens, & ab omni corruptione ipſum conſeruans.

Atque ita quidem *vſitatè & strictè accipitur* vox hæc Maſorah. Verum nos hoc loco illam ampliamus, ſeu *latè accipimus*, & *Maſoram definimus* criticam ſacram, quæ occupatur circa Canonis veteris & noui ἀδιαφθορίαν, quantum ad illius conſtitutionem & diſtinctionem germanam. Latæ huius ſignificationis exemplum eſt apud authorem, qui ſcripſit Maſoreth in Targum.

Maſorah iſta eſt generalis, vel ſpecialis.

Maſorah generalis, ſeu communis, explicat naturam & vſum ſuum, ſpectatumque in protaſi, epitaſi, & cataſtrophe ſua. vbi ſequemur *Buxtorfium in Tiberiade & Claui Maſoræ*.

Protaſis, ſeu primordium, *Maſoræ* cœpit ſub Ezrâ. Ille ſiquidem anno ſeptimo Artaxerxis Mnemonis, qui eſt mundi 3551. Hieroſolymam profectus, ibi aggreſſus eſt reformationem vtriúſque politiæ, ciuilis & eccleſiaſticæ. Inter alias verò reformationis partes præcipua fuit, libros ſacros conquirere, digerere, à corruptelis variis aſſerere, & vno verbo Canonem conſtituere: idque partim ductu Spiritus ſancti, partim ope virorum magnæ ſynagogæ.

Ductum Spiritus ſancti quod attinet, ille non obſcurè colligitur ex *Ezr.* 7. v. 6. 10. Vbi Ezra dicitur Scriba, ſeu legis peritus, promtus in lege Moſis. Et verò cùm ille reformauerit eccleſiam & remp. Iudæorum ex Babylone reducum, neceſſe habuit ante omnia ipſis proſpicere de Canone fidei, ſeu religionis: qui periculoſam eclipſin paſſus erat toto exilij illius tempore. Confer *verſ.* 10. & 14. 25 *d c.*

Viri magnæ ſynagogæ fuerunt primores, ſapientiores, & ſeniores, quos Ezra ſibi adſciuit collegas & paraſtatas in vniuerſo reformationis negotio. De quibus probabiliter iſta diſſerimus.

I. Quia Ezra huiuſmodi commiſſionem, vt vocant, accepit ab Artaxerxe Mnemone, vt conſtitueret iudices & cauſarum cognitores, ex omnibus peritis legis Dei, *Ezr.* 7. 25. veriſimile eſt, ipſum poſtliminio reſtituiſſe magnum illud concilium, quod Moſes primitus inſtituerat, authore Deo. *Num.* 11 *v.* 17. 25.

II. Sicut ergo Concilium Moſaicum conſtabat viris ſeptuaginta, quorum caput & præſes erat Moſes: ita nobis videtur Ezra ſelegiſſe totidem viros, quibus ipſe, tanquam alter Moſes, præeſſet. Atque hoc eſt illud *Sanhedrin*, quod tempore Chriſti & deinceps etiamnum floruit.

III. Quia verò politia populi fuit numeroſior, quàm vt LXX. illi & Esra eſſent reformando, ſine dubio adſciuerunt in hoc collegium alios quoſdam, ita nempe vt integrum concilium, ſeu vniuerſus ille ſenatus eccleſiaſticus, numerum compleret CXX. virorum. Hic enim numerus paſſim apud antiquiſſimos Iudæorum ſcriptores traditur.

IV. Itaque viri magnæ ſynagogæ fuerunt partim aſſeſſores Synedrij, partim illorum paraſtatæ.

V. Præcipua membra iſtius concilij, ſiue magnæ ſynagogæ, fuerunt Ezra, Nehemias, Zorobabel, Haggæus, Zacharias, & Malachias. Illi ſiquidem coniunctis operis vrſerunt inſtaurationem politiæ Iudaicæ poſt captiuitatem.

VI. Ezra & viri magnæ ſynagogæ fuerunt primi Maſoræ authores, inde ab anno M. 3551. vſque ad an. 3577. quo Nehemias abſoluit reformationem ſuam.

VII. *Maſorah illa heroica fuit occupata in hiſce tribus:* in Canonis ſacri vindicatione à corruptelis quæ irrepſerant, ſanctione illius, & præſeruatione à corruptelis quæ irrepere in poſterum poterant.

VIII. *Vindicatio ſacri Canonis à corruptelis, quæ irrepſerant,* in eo vertebatur vt libri Moſis, & reliqui iam ante à Deo ſanctificati, priſtino ſuo nitori reſtituerentur, vtpote quem amiſerant toto illo exilij Babylonici tempore.

IX. *Sanctio ſacri Canonis* ita facta eſt à viris magnæ ſynagogæ, authore Ezrâ, vt Canonem Moſis, qui mandato Dei in ſacrarium fuit illatus, ab ipſo Moſe, & iuxta arcam poſitus *Deut* 31. 2. ante omnia commendarunt populo: & illi, ſecundo loco adiunxerunt prophetas, tertio pſalmos, & reliqua hagiographa. Conſtat enim ex *Matth.* c. 17. c. 2. 40. *Luc.* 16. 29. & 24. 44. *Act.* ... 23. antiquiſſimam Canonis veteris partitionem eſſe, nunc in legem & Prophetas; nunc in legem, Prophetas, & Pſalmos ſub quibus reliqua hagiographa continentur. Hæc itaque partitio ſine dubio facta eſt ab Ezrâ.

X. Poſtquam vetus ille canon hoc modo in certum ſyntagma fuit redactus, exiſtimarunt viri magnæ ſynagogæ ſibi ad vigilandum, ne deinceps preciosum hoc κειμήλιον corrumperetur.

XI. *Præſeruatio ergo Canonis ita ſanciti*, ſeu præmunitio eius aduerſum corruptelas, quæ iterum irrepere poterant, ita fuit inſtituta à viris ſynagogæ magnæ, vt ne vel minimus apex in poſterum poſſet excidere.

XII. Id autem vt conſequerentur, textum ſacrum in certas ſectiones diſtinxerunt, & accuratis notis inſtruxerunt.

XIII. *Diſtinctio textus ſacri in ſectiones*, tum maiores, tum minores, fuit planè neceſſaria. Nam ex hac ratione obuiam itum fuit corruptioni, & lectoribus conſultum. Oratio ſiquidem accuratè diſtincta, non facilè poteſt corrumpi, & non interpuncta, eſt prorſus inſipida.

XIV. *Notæ, quæ appoſitæ fuerunt textui ſacro à primis illis Maſorethis*, fuerunt ita comparatæ, vt inſtar ſepis & loricæ munierint publica exemplaria. Pertinent huc iſta tria. 1. Numerus verſuum in libris ſingulis. 2. Numerus literarum in iiſdem libris. 3 Affectiones certæ literarum quarundam.

XV. *Huius Maſoræ*, antiquiſſimæ vtique & maſculæ, *reliquias* ſolum hodie habemus: de quibus paulò poſt.

Epitaſis, ſiue progreſſus, *Maſoræ* eſt inde à Simeone iuſto (qui fuit vltimus ex viris ſynagogæ magnæ, & claruit adhuc tempore Alexandri M. hoc eſt, anno M. 3620) vſque ad excidium vrbis per Titum, hoc eſt, anno M. 4018. ſeu Chr. 69. Toto hoc tempore priſca illa Maſora diligentiſſimè fuit conſeruata à Scribis illis, ſiue Legis peritis, quorum fit mentio in hiſtoriâ euangelicâ: nominatur verò *Matth.* 7. 29 *Luc* 7. 30 & 11. 46. Diligentiæ huius monumentum πᾶν ἀνάλογον ἄγιον eſt *Matth.* 5. v. 18. vbi Seruator ait: *Amen dico vobis, vſque dum præterierit cœlum & terra, iota vnum, aut vnus apex nequaquam præterierit ex lege, vſque dum omnia facta fuerint.* Vide accuratam huius loci explicationem apud *Hugonem Brughtonum ſuper Dan* 9.

Cataſtrophe Maſoræ eſt inde ab anno Chriſti 69. vſque ad hanc noſtram ætatem.

Hic occurrit Maſoræ propagatio apud Iudæos, & illius imitatio apud Chriſtianos.

Propagatio Maſoræ apud Iudæos ſiue Hebræos, tribus curriculis diſtinguitur.

Primum curriculum eſt inde ab excidio vrbis per Titum; ſiue ab anno Chriſti 69. vſque ad an. 637. Fuerunt autem poſt excidium vrbis reliquiæ Iudæorum vel in Iudæâ, ſeu Palæſtina, relictæ, vel in varias terras eiectæ.

Iudæi qui manſerunt in Palæſtinâ, ſcholas & ſynagogas in locis commodioribus paulatim inſtaurarunt: nominatim in Iabne, (quæ iuxta vulgatem pronuntiationem dicitur Iafne) Tzephoriâ, Cæſareâ & Tiberiade. Nam ſcholæ iſtorum locorum celebriores ſunt redditæ ſapientum aliquot nominibus. Nimirum *ſcholæ Iabnenſis*, ſiue Iafnenſis, primus rector fuit Rabban Iochanan, filius Zachæi, qui ex ruinis Hieroſolymorum euaſerat, & Iafnen peruenerat. Huic ſucceſſit Rabban Gamaliel ſecundus, Rabban Gamalielis ſenis, Pauli apoſtoli præceptoris, filius, & deinceps dictus fuit Rabban Gamaliel Iafnenſis. *Tzephoriæ* ſepultus eſt R. Iehuda Hakkadoſch. *Cæſareæ* habitauit Rabbi Abhu, vulgo Afhu. *Tiberias* his omnibus fuit celebrior. Eò enim tranſlatum fuit Sanhedrin, tranſlatione decimâ. Pars magna iſtius Synedrij eo in loco fuit *R. Iehuda Hakkadoſch*, qui apud Talmudicos dicitur Rabbi per excellentiam. Hic Rabbi Iehuda floruit anno Chriſti 190. ſub Antonino Pio Imp. qui eum largiſſimâ clementiâ proſecutus eſt. Huius Imperatoris indultu iſte R. Hakkadoch (aliàs R. Iehuda Hannaſi) anno Chr. 190. collegit omnium ſuperiorum Rabbinorum placita & conſtitutiones in certos aphoriſmos, & certis libris & partibus diſtinxit, quibus in Iudæâ communis iuris authoritas attributa fuit. Hic liber fuit appellatus *Miſchnah*, quaſi lex iterata, vel ſecunda, qui etiamnum hodiè iuris Iudaici textum conſtituit. Hic idem liber deinceps ſequentibus annis in ſcholis Iudææ publicè prælectus, & variis Doctorum diſputationibus illuſtratus & auctus fuit: ex quibus coniunctis an Chr. 230. prodiit Talmud Hieroſolymitanum: ſic dictum, non quòd in vrbe iſtâ eſſet factum, ſed in Iudæâ, cuius caput fuerat Hieroſolyma. Publicato iſto Talmud Hieroſolymitano, R. Iehuda, eodem an. aut ſequenti, obiit: poſt cuius obitum ſcholæ & ſapientes Palæſtinæ magis magiſque decreuerunt, & ſcholæ in Babyloniam tranſlatæ fuerunt. Manſerunt tamen in Palæſtinâ, ſiue terrâ Iſraëlis, aliquæ ſcholæ & illarum rectores: puta R. Ammi & R. Aſſe, anno Chriſti 340 & Hillel Hannaſi author Computi Iudaici; ſub quo dignitas promotionum magiſtralium in terrâ Iſraëlis deſiit. Ipſe enim fuit vltimus eorum, qui ibi promoti ſunt. Magnam igitur eclipſin paſſæ ſunt ſcholæ Iſraëlis ſub Hillele. Vnde Chronica Hebræorum nihil ampliùs de ſcholis aut ſapientibus Palæſtinæ referunt. Vnicus Hieronymus, qui obiit an Chr. 420 meminit in prologo in Paralipomena, ſe aſſumſiſſe quendam legis doctorem de Tiberiade, qui apud Hebræos admirationi habebatur, & cum eo contuliſſe. Et hæc quidem apud veteres leguntur de ſcholis & ſapientibus Hebræorum in terrâ Iſraëlis. R. Aben Eſra, Hiſpanus, qui claruit an. Chr. 1150. & Elias Leuita, Germanus, qui floruit an. Ch. 1517. authores ſunt, ſapientes Tiberienſes, ſiue vrbis Tiberiadis, an. Ch. 500 fuiſſe diſertiſſimos, ſapientiſſimos, & exercitatiſſimos reliquorum Iudæorum, eóſque inueniſſe puncta vocalia & accentus, & confeciſſe Maſoram totam, quanta quanta eſt.

Inter Iudæos, qui eiecti fuerunt in varias terras, facilè primas tenuerunt Babylonij. Nam illicò poſt mortem R. Iehuda Hakkadoſch duo primarij eius diſcipuli, Raf & Samuel, in Babyloniam migrarunt, vbi ſtudia cœperant eſſe longè cultiora; eóque maximam partem docentium & diſcentium ſecum ex Iudæa

dæâ pertraxerunt. Tres autem in Babyloniâ erant scholæ celeberrimæ, in vrbibus Nehardæâ, Sorâ, & Pumbedithâ. Ex his schola Nehardeêsis inde à primâ captiuitate in Babyloniâ perdurasse putatur. Porrò sapientes Babylonij eò vsq; authoritatis peruenerũt, vt ex illorũ prælectionib. & disputationibus super Mischnah confectum sit Talmud Babylonicũ, quod oppressit, obscurauit, & penè in nihilum redegit Talmud Hierosolymitanum, vt eo vniuersa natio Iudaica, quæ sub cœlo est, inde ab an. Ch. 500. (quo obsignatum est Talmud illud Babylonicum) regatur tanquam regulâ aliquâ Polycleti. Cæterùm quomodo tres istæ scholæ in Babyloniâ floruerint, prolixè docent Chronica Hebræorum, inde ab an. Chr. 230, vsq; ad an. 1037. quo scholæ Babylonis prorsus fuerunt abolitæ, sapientib. in Hispaniam aliasq; Europæ partes profugis. His ita constitutis dispiciamus, quomodo Masora nostra toto hoc tempore se habuerit. Asserimus autem Iudæos in terrâ Israëlis & Babylonis, Masoram à maioribus acceptam studiosè cõseruasse, non verò illam confecisse. Quam sententiam ita confirmamus.

I. Si Iudæi confecissent Masoram: proculdubio id literis prodidissent: prout confectionem vtriusque Talmud studiosè consignarunt.

II. Iudæi Tiberiadis circa ann. Chr. 500. fuerunt aut nulli, aut admodum obscuri.

III. Si maximè circa illud tempus fuissent Iudæi Tiberiade, tamen sine consensu, operâ, & approbatione Iudæorum Babylonicorum tam arduum opus aggredi in animum non induxissent. Nam penes Babylonios erat culmen omnis doctrinæ Iudaicæ.

IV. Masora fuit conscripta ante Talmud vtrumque: quippe quod meminit Masoræ, & rerum præcipuarum in Masorâ contentarum. Vide acerrimum & accuratissimum huius sententiæ defensorē *Iohan. Buxtorfium c. 8. cōmentarij Masorethici.*

V. Lingua sancta inde à suis incunabulis fuit perfecta: & proinde suas habuit consonantes & vocales. His enim, tanquam corpore & animâ, continetur quælibet lingua. Facessãt itaque, qui Iudæos Tiberienses faciunt authores punctorum.

VI. In libro Zohar, qui omnium Iudæorum consensu, ante Talmud est conscriptus, fit mentio punctorum & accentuum. Itaque illorum inuentio perperam tribuitur Iudæis Tiberiensibus.

VII. Duo illi, Aben Ezra & Elias Leuita, sine teste, sine ratione, contra communem omnium Iudæorum sententiam artem punctationis & Masorã adscribunt Iudæis Tiberiadis.

VIII. Si Iudæi Tiberienses puncta addiderunt textui, & Masoram confecerunt, Canon vetus toto isto tempore destitutus fuit ornamentis longè maximis, & firmamentis omnem humanam sagacitatem superantibus,

Ex his efficitur, Iudæos inde ab anno Christi 69. vsque ad an. 1037. Masoram non confecisse, sed religiosè custodiuisse.

Secundum curriculum Masoræ est inde ab an. Ch. 1037. vsque ad an. 1525. Quo toto tempore Masora primò in manuscriptis peculiaribus, à voluminibus Bibliorum separatis, fuit conseruata, & in scholis Iudæorum publicè explicata. Cùm verò exemplaria ista in vlgus emanarent, factum est vt scribæ librorum Biblicorum, scientiâ Masorethicâ tumidi, cœperint Masoram particulatim singulis paginis librorum Biblicorũ, adscribere, non tam boni publici causâ, quàm vt scientiam suam inanibus bullis in publicum proflarent, & externam scripturæ suæ speciem variis figuris, imagunculis, & flosculis exornatam, populo ostentarent, & liberaliori argento emungerent.

Tertium curriculum Masoræ cœpit an. Ch. 1525. Nam ab illo tēpore Elias Leuita Germanus, & R. Iacob filius Chajim, Iudæus Afer Tunetanus, Venetiis exul, Masoram insigniter illustrarunt. Et Elias quidem omnibus Rabbinis in Masorę totius explicatione, & eius curiosâ tractatione laudē præripuit, edito libro *Masoreth hammasoreth.* At R. Iacob ben Chajim, auspiciis & sumtibus Danielis Bombergi, ex variis Masoræ manuscriptis libris magno pretio conquisitis, ingenti labore, studio immani, & vigilantiâ horribili Masor, magnam per partes à scribis ad textum valde confusè & defectè adscriptã, in eum ordinem, quem hodiè in impressis libris videmus, digessit & ad textum singularum paginarum disposuit.

Huius Masoræ videbimus formam, vsum, & defectum.

Masoræ forma & ordo, qualis in impressis Bibliis Venetis hodie cernitur, posita est in serie librorum Biblicorum, Masoræ partitione, & censurâ Masorethicâ. Principiò itaque occurrit *series librorum sacrorum*: quorum generalis partitio in legem, Prophetas, & Hagiographa est primũ initium Masoræ. Nam, vt suprà diximus, Esra cum viris magnæ synagogæ, cui vltimi prophetæ interfuerunt, sacræ scripturæ canonem certis libris definiuerunt, & in partes tres generales distribuerunt, quæ deinceps semper in ecclesiâ Iudaicâ obseruatæ fuerunt; & etiamnum obseruantur.

Hæ tres partes postea fuerunt subdiuisæ in alias, *libris etiam alio atque alio ordine collocatis.*

Antiquissimus ordo librorum Biblicorum hic est. *Lex* pro diuersitate materiæ & historiæ in quinque libros fuit subdiuisa. *Prophetæ* in priores & posteriores fuerunt distributi. Priores quatuor numerati, videl. Iosuæ, Iudicum, Samuelis, & Regum: posteriores totidem, Esaias, Ieremias, Ezechiel, & duodecim prophetæ. Hi enim in vnum librum, & veluti systema, fuerunt coniuncti, ne paruitate suâ distraherentur, aut perirent. Liber *Ruth* ad librum Iudicum propter paruitatem & historiæ continuationem: *Threni* ad Ieremiam propter paruitatem & eundem authorem fuerunt relati. *Hagiographa* primitùs fuerunt nouem: Psalmi, Prouerbia, Iob, Canticum, Ecclesiastes, Esther, Daniel, Ezra, & Chronica. Vbi Ezra Nehemiam comprehendit. Hâc distinctione libri Biblici in vniuersum computati fuerunt XXII. iuxta numerum literarum Hebraicarum. Id patet ex *Iosepho l. 1. contra Appionem, Origene apud Eusebium hist. eccles. l. 6. c. 18. Cypriano in explicatione symboli, Hilario præfat. in psalmos, Hieronymo in prologo galeato.* Vide quæ in hanc sententiam recitauimus paulò ante *ad Canonem Bibliorum.* Atque hæc est antiquissima partitio librorum V.T. ex traditione Iudæorum.

Recentior eorundem librorum ordo est apud doctores Hebræorum Talmudicos. Illi autem de *lege* consentiunt: in reliquis variant. Etsi enim *octo prophetas* numerant, alio tamen ordine illos collocãt: de quo tradunt in l. Baua Bathra cap. 1. fol. 14. Docuerunt Rabbini nostri: Ordo prophetarum est, Iosua, Iudices, Samuel & Reges, Ieremias, Ezechiel, Esaias, & Duodecim prophetæ minores. Eodem ordine in Masorâ msc. bibliothecæ Palatinæ recensentur isti libri. In *Hagiographis* numerant libros vndecim hoc ordine: Ruth, Psalmi, Iob, Prouerbia, Ecclesiastes, Canticum, Threni, Esther, Esra, Chronica. Hinc liquet Talmudicos in vniuersum libros XXIV. sacræ scripturæ constituisse, vnde & deinceps Biblia appellata fuerunt in hunc vsq; diem עֶשְׂרִים וְאַרְבָּעָה *Viginti & quatuor.* Hinc in Targum Cantici canticorum c. 5. v. 10. legitur: וְעָסִיק בְּעֶשְׂרִין וְאַרְבְּעָה סִפְרִין דְאוֹרַיְתָא וּפִתְגָמֵי נְבִיאֵי וּכְתִיבֵי *Et occupatus est in viginti quatuor libris, qui sunt lex, & verba prophetiæ, & hagiographa.* Leguntur hæc in editionibus Venetis: in Regiis & Basileensibus omittuntur, vtpote blasphema. Hoc Targum autem incerti est authoris, & Talmude posterius, quippe quòd sex partiũ Talmudicarum hoc eodem loco mentionem faciat. Cæterùm Hieronymi tēpore hæc enumeratio inter quosdã vsitata fuit, vt ex Prologo galeato videre est. Sed concludamus hoc de partitione librorum sacrorum verbis Iohannis Merceri, qui præfat. in librum Iob ita scribit: *Hebræorum doctores in Baua Bathra*, Perek primo, inter Hagiographa tertio loco l. Iob collocãt, vt Ruth sit primo loco, quæ fuit Iudicum temporibus: proximè sequantur Psalmi à Dauide editi, qui ex Ruth originem traxit: tertio loco Iob, iuxta eorum sententiam qui ipsum putant æqualē fuisse reginæ Saba. Deinceps tres Salomonis libros subiungunt, Prouerbia, Ecclesiasten (qui sunt libri Sapientiæ & Cãticum canticorũ, quod iam senex scripsisse videtur: hinc Threnos Ieremiæ, qui Salomonem subsecutus est: Danielem, qui post Ieremiã fuit tempore Nabuchodonosor in exilio: Esther, post illum sub Assuero: Ezram qui claruit sub Dario secundo qui fuit post Assuerum: ad extremum librum, Paralipomenon, velut totius historię Biblicę breuiarium. At iuxta eos, qui Iobum Mosis tempore fuisse putant, Iob primus inter libros Hagiographos statuendus videbitur. *Masoritæ* longè alium tenuerũt ordinē vt Elias docet in præfatione tertiâ libri Masoreth hammasoreth, quanquam itidem Psalterio librum Iob subiecerunt. Sed primum omnium librum paralip. collocant, deinceps Psalterium, Iob, Prouerbia: tum חמש מגלות i. quinque libellos, hoc ordine, Ruth, Canticum canticorum, Ecclesiasten, Threnos, Esther: & postremo loco Danielem & Ezram. Quem ordinem in Reginæ Bibliis, quæ penes me habeo, inueni; quem & in Hispanicis exemplaribus obseruari tradit Elias. Cæterùm in Germanicis hâc serie disposita dicit Hagiographa: Psalterium, Prouerbia, Iob, quinque volumina sic ordinata vt ea legunt in suis synagogis, Cantic. Ruth, Thren, Eccles. Esth. Dan. Ezr. & Paralip. Qui quidem ordo *in Bibliis Venetianis*, & omnibus deinceps excusis obseruari solet. Iuxta hunc ordinē Iob sequitur Prouerbia. qui in duabus prioribus ordinationibus præcedebat mox post Psalterium. Nostri Iobũ Psalterio præposuerunt, vt sanè antiquior videtur. Psalterio commodè subiunxerunt tres Salomonis libros. Nam Ruthæ historiam in alium locũ reiecerunt, post librum Iudicũ, sub quibus ea accidit. Libris Regum annexuerunt libros Paralip. eiusdem argumenti: post quos vt temporum ratio ferebat, Esdram & Nehemiam: inde Tobiam & Iudith Apocryphos: tum Esther proximè ante Iob: prophetas extremo loco, inter quos & Danielē. Alij omnes libros apoc. simul compegerũt post Canonicos id quod potiùs est. Hęc apud Mercerũ.

Sequitur *partitio Masoræ* in magnam & paruam.

Masorah magna est, quæ totam Criticem sacram comprehendit, adeoque sectiones, voces, & literas S. Scripturæ numerat, earumque varias affectiones adnotat.

Masorah sectionum est maiorum & minorum.

Sectiones maiores aliæ sunt in lege, aliæ in prophetis. Illæ dicuntur Paraschot: hæ, Haphtaroth. quâ de re paucis ita habendum.

habendum. *Paraſchah* eſt ſectio maior in lege Moſis, quæ vnoquoque ſabbato in ſynagogis legitur: aliâs *Seder & Sidra.* Diſtinctio harum ſectionum arceſſitur inde ab Ezrâ: etſi vulgo ad Moſen ipſum refertur. Ex *Act.*15.21.conſtat,tempore Chriſti & apoſtolorum hunc legendi morem fuiſſe receptum. *Haphtharah* eſt lectio prophetica, quæ lectioni Moſaicæ in ſynagoga ſubiicitur. Diſtinctio harum ſectionum putatur eſſe facta tempore Antiochi Epiphanis. Facta eſt autem hâc ratione, vt ſectiones propheticæ ſectionibus Moſaicis vtcunque reſponderent, vel ſenſu, vel memoriali quodam ſymbolo Ita ſectioni בראשית ſubiungitur lectio prophetica *Eſa.*42.*v.*5 *ad verſ.*11. *c.*43. quæ ita incipit: Sic ait Deus fortis Iehouah creator cœlorum. Quæ autem ſectio prophetica ſectioni Moſaicæ reſpondeat, ſpeciali Tabulâ ſolet indicari vel in fine Pentateuchi, vel in calce Bibliorum. In Bibliis Venetis Maſorethicis etiam proponitur Tabula, quæ continet rationem Sidrarum à Maſorethis inſtitutarum, eámque non tantùm quinque librorum Moſis, ſed vniuerſorum Bibliorum. Porrò in vniuerſum ſunt ſectiones 54. Itaque bis coniungunt duas ſectiones breuiores, vt integra lex toto anno abſoluatur. Ad extremum Paraſchah alia eſt פתוחה, *aperta*: alia סתומה *clauſa.* Illa incipit ab initio lineæ, & indicatur per tria maiuſcula פ: hæc incipit in mediâ lineâ, & ſignificatur per tria maiuſcula ס.

Sectiones minores ſunt capita & verſus, qui etiam commata dicuntur.

Maſorah capitum eſt in legitimâ ipſorum diſtinctione: de quâ vide paulò pòſt.

Maſorah verſuum ſpectatur in hiſce tribus. *Principiò* numerus verſuum in fine ſingulorum librorum ſtatim ſubiungitur: & in Lege etiam ſingularum Sectionum maiorum numerus exprimitur. *Deinde* medius cuiuſque libri verſus ſeorſim notatur, tum iuxta ipſum textum, tum in fine cuiuſque libri *Denique* variæ verſuum affectiones circa voces & literas ipſarum paſſim per totam Maſoram obſeruantur. De his vide paulò pòſt in Maſorâ ſpeciali.

Maſorah vocum reſpectu loci, quem in libris impreſſis occupat, eſt duplex, finalis & textualis.

Maſorah magna finalis eſt, quæ in fine magnorum Bibliorum collocata, ordine alphabetico procedit, propoſitis vocibus prout à duabus primis in radice ſuâ literis incipiunt. *Prius* tamen in vnaquâque alphabeti literâ generalia & communia quædam proponuntur, quæ ad iſtam literam eiuſque communes affectiones pertinent. *Deinde* progreſſus fit ad voces ipſas, quæ à quâque alphabeti literâ incipiunt, ſecundùm formam radicis. *Tertio loco* poſt ordinem alphabeticum huius Maſoræ finalis aſperſa ſunt quædam miſcellanea; quæ collectori huius Maſoræ Iacobo Chajim inter laborandum, ſine dubio exciderunt: quæ tamen in poſterum ipſi corpori Maſoræ ſuis locis commodè inſeri poterunt. *Quartò* ſequitur catalogus vocum, in quarum lectione diſſentiebant duo magni Critici & Academiarum Iudaicarum rectores, Ben Aſcher, & Ben Naphthali, qui dictus fuit Iacob. Ille magiſtratum geſſit in terrâ Iſraëlis, hic in regno Babyloniæ. Illum ſequuntur Iudæi occidentales, hoc eſt, qui habitabant in terrâ Iſraëlis: hunc, orientales ſeu Babylonij. *Quintò* ſequuntur voces, in quarum lectione differebant *Maddinchaim* & *Maarbaim,* hoc eſt, orientales, ſeu Babylonij, & occidentales, ſeu Iudæi in terrâ Iſraëlis, quæ Babyloniæ erat occidua. *Poſtremò* adiecta eſt porta accentuum, id eſt, Introductio illuſtris in vniuerſam doctrinam accentuum. Atque hoc eſt corpus Maſoræ magnæ finalis, *ſex partibus* diſtinctum.

Maſorah magna textualis eſt, quæ ad textum cuiuſque folij adſcripta eſt, cuius voces quaſdam præcipuas recenſet Occupat autem locum proximè ſupra & infra textum, quandóque etiam ad latus, vbi commentaria Rabbinica deficiunt. Hîc *primò* ponitur vox textus: *deinde* numerus, quoties reperiatur: *tertiò* ſubiiciuntur loca biblica *In veſtibulo* autem cuiuſque libri, circa primam vocem maiuſculam occurrit Maſora prolixior, in quadrangularem figuram diducta, quæ non ſemper ad textum iſtum pertinet, ſed communia quædam plerumque continet, ornatus causâ ibi poſita.

Maſorah parua eſt, quæ literis numeralibus, vocibus decurtatis & ſymbolicis, ad latus textus interius, aut ad latus exterius, ſi paulò prolixior ſit, breuiter deſcribitur.

Cenſura Maſorethica ſequitur, quæ eſt circa capita, verſus, voces, & literas.

Cenſuram circa capita & verſus vide mox in Maſorâ ſpeciali.

Cenſura Maſorethica circa voces poſita eſt in iſtis ſex. Et *primò* quidem Maſorethæ notarunt genuinam ipſarum lectionem & ſcriptionem, vbi diuerſitas aliqua occurrebat. Diuerſitas illa notatur per ק & כ. id eſt, קרי & כתיב, Obſeruauit autem Elias Leuita voces diuerſæ lectionis & ſcriptionis, numero 848. ex quibus 65. ſunt in Lege, 454 in prophetis, 329. in hagiographis. Sed Buxtorfius author eſt, ſe obſeruaſſe multò plures. Cæterùm de hiſce קרי 848. meritò Barbinel & Elias arguunt Kimchium, qui notas corruptionis eſſe volebat: cùm ſint infinitæ diligentiæ teſtimonia, vt ait *Brughtonus ſuper Dan.*

9. Atque hæc eſt prima pars cenſuræ Maſorethicæ circa voces. *Secundo loco* notantur voces plenè vel defectiuè ſcriptæ, videl. cum literis quieſcentibus, vel ſine illis *Tertiò* locus vocum in verſibus eſt notatus, putà principium, medium, vel finis verſus. Vbi etiam ſimul additur forma, quam vel per ſe, vel propter accentum aliquem habuerunt. *Quartò* Syntaxis vocum notatur, quando verbum cum peculiari nomine, aut cum præpoſitione aliquâ certâ iungitur; cum quâ communiter iungi non ſolet. *Quintò* ſignificatio in ambiguis adnotatur. Sunt autem ambigua duum generum, reuerà & opinione. *Ad extremum* vocales & accentus a Maſorethis obſeruati ſunt: ita nempe, vt voces vocalibus & accentibus differentes, vbi peculiaris quædam obſeruatio aut differentia id poſtulare videbatur, adnotauerint. Omnibus autem his & numerum, quoties; & locum, vbi ſingulæ extent, adiecerunt. Quod attinet ad תס id eſt, תקון סופרים *aptationem ſiue correctionem ſcribarum.* Aben Ezra illam plerumque reiicit; & rectè quidem, vt ſuprà dicebamus.

Maſorah literarum eſt in ſingulari figurâ poſitu, & numero ipſarum.

Figura literarum ſingularis eſt maiuſcula, minuſcula, inuerſa, vel extraordinariè punctata. Cuius diuerſitatis cauſa hodie ignoratur. In genere tamen aut attentionis, aut arcanæ ſignificationis causâ hoc omne primitùs factum eſſe rectè obſeruatur. Sed videamus ſingula.

Litera	*Maiuſcula*	*Minuſcula*
א	1. Chron.1.1.	Leuit.1.1.
ב	Gen 1.1.	Prou.30.15.
ג	Leuit.13.33.	Iob.7.5.
ד	Deut.6.4.	Prou.18.17.
ה	Deut.32.6.	Gen.2 4.
ו	Leuit.11.42. & Eſth.9 9.	Num.25.12. & Pſ.24.4.
ז	Mal 3.22.	Eſth 9.9.
ח	Eſth.1.6.	Iob.33.9.
ט	Iob.9.34.& Eccleſ.7.1.	Thren.2.9 & Nû.31.24.
י	Num.14.17.	Deut.32 18.
כ	Pſal.80.16.	Gen.23.2.
ל.	Deut.29.28.& Leuit.11.30.	Thren.1 12.
מ	Prou.1.1.	Deut.31.27.& Leu.6.4. & Neh.13.30.
נ	Exod.34.7.& Ruth.3.3.	Thren.4.14.& Eſ 44.14. Ier.39.13.Prou.16.28.
ס	Eccleſ.12.13.	Nah.1.3.& Pſal.27.5.
ע	Deut.6.4.	Thren.3.36.
פ	Dan.6.20. & Gen.30.42.	Dan.6.20.
צ	Eſ.56.10.	Ier.14.2.& Iob.16.14.
ק	Pſal.84.4.	Exo.32.25.& Gen.27.47
ר	Exod.34.14.	Exod.23.19.& 34.26.2. Sam.21.19. Eſth.9.9.
ש	Cant.1.1.	Eſt.9.7.
ת	Deut.18.13.& Eſth.9.29.	Eſth.9 9.

Atque hæc ſunt duo alphabeta literarum maiuſcularum & minuſcularum: vbi interdum quædam literæ duplicantur vel triplicantur. Solet autem duplex cauſa harum literarum adferri. 1. Litera maiuſcula in genere notat rei, de quâ agitur, commendationem, vel exaggerationem: minuſcula, diminutionem, vel contemptum. 2. Litera maiuſcula & minuſcula eſt terminus certi numeri literarum, vel à præcedenti maiuſculâ, vel à principio libri, vel alio loco olim ex peculiari indice noto exempli gratiâ ה minuſculum *Geneſ.*2. eſt terminus numeri à principio libri, quòd ſcil. ſint hucuſque literæ 1112. Litera ו in *Leu.*11.42. eſt media litera totius Pentateuchi: & ab hâc literâ vſque ad ג maiuſculum *Leu.*13.33. ſunt literæ 1600. Litera ע *Pſal.*80.14. ſuſpenſa, eſt media litera libri Pſalmorum.

Litera inuerſa eſt vnica, videl. Nun. Inuerſa autem eſt nouem in locis: videlicet *Num.*10.*verſ.*35.*c.*11.1 *Pſal.*107.*v.*23. 24.25.26.27.28.40. Occurrit etiam Nun in obliquum contortum *Exod.*3.19. Significatur autem his in locis vel peruerſitas & contortum cor, vel retroactio.

Literæ ſurſum in voce ſuſpenſæ ſunt quatuor: videlicet Nun, *Iud.*18.30.& Ajin, *Pſal.*18.14.*Iob* 38.*v.*13.& 15. Significatur autem vel impietas, vel exitus triſtis.

Literæ punctatæ extraordinariè ſunt quindecim: decem in Lege, quatuor in prophetis vna in hagiographis. *Gen* 16.5.*c.*18. 9.*c.*19.33.*c.*33 4.*c.*37.12.*Num.*3.39 *c.*9.10 *c* 21 30.*cap.*29.15. *Deut.*29.29.2 *Sam.*19.19 *Eſ.*44.9 *Ezech* 46 22 *& rurſus c.*46. *v.*22.*Pſ.*27.13. In quindecim hiſce vocibus litera vna vel altera extraordinariè punctis quibuſdam ſupernè notata fuit, non quidem vocalibus, ſed ſymbolicis, quæ ſenſus alicuius arcani ſymbola fuerunt: quorum ſymbolorum explicatio olim cognita, apud poſteros in obliuionem venit. *Singularis poſitus literarum eſt* duobus in locis. Primus eſt *Eſa* 9. 6. vbi Mem finale eſt in media voce. Alter eſt *Neh.*2.13. vbi Mem apertum eſt in fine vocis.

Numerus literarum à Maſorethis accurato calculo ſubductus occurrit in artificioſiſſimo cantico R. Saadiæ Gaon, qui fuit rector Academiæ Sorianæ in Babyloniâ, anno Chriſti 927.

sti 927. Numerus ille sic habet, adnotatis locis Scripturæ, quæ numerum illum exprimunt, si in vnam summam bina quæque loca singulis literis apposita, addantur.

א	42377.	Neh.7.6. Num.7 17.
ב	38218.	Num.1.37 Neh.7 11.
ג	29537.	Num.3.39 Esr 2.65.
ד	32530.	1.Chron 12.35 Neh.7.38.
ה	47754.	Num.1.21.Neh 7.34.
ו	76922.	Num.1.27.Neh.7.17.
ז	22867.	1 Paral. 12.30.Neh.7.19.
ח	11052.	2.Par.25.12.Neh.7.40.
ט	66420.	Esr.2.69 Neh.7 35.
כ	37272.	Num.31.38.Cant.8.12.
ך	10981.	2 Par.25.12.Esr.2.66.
ל	41517.	Num.1.33.Neh.7 42.
מ	52805.	Num.1.25.Esr.2.67.
ם	24973.	Num.25.9 Esr.2.36.
נ	32977.	Num.1.35.Gen.5.31.
ן	8719.	Num 4.48.Esr 2.42.
ס	13580.	Psal.60.2.Neh 7.10.
ע	20175.	Ezech.48.18 Gen 25 7.
פ	20750.	Ezech.48.35 Num.4.36.
ף	1975.	Exod.38.28.1.Par 12.32.
צ	16950.	Num 31.40.Gen.9.29.
ץ	4872.	Ezech.48.30.Esr.2.4.
ק	22972.	1.Par.12.30.Esr.2.3.
ר	22147.	Psal.68.18.Gen 47.28.
ש	32148.	Num.31.35.Neh 7.44. (42.16.
ת	59343.	Genes. 5. 5. Num. 3.43. & 31.44 Iob.

Porrò numerus literarum etiam in singulis libris fuit subductus. Hinc Elias Leuita Præfat 3. libri Masoreth summam literarum in quinque libris Mosis ita enuntiat: Literæ totius legis sexaginta myriades, & quadraginta quinque, id est, sexagies millenæ mille quadraginta quinque.

Atque hæc est Masoræ hodiernæ forma: quæ veteris illius reliquias & fragmenta solùm continet.

Vsus Masoræ ex ipsius fine colligitur. Is autem, vno verbo, fuit, vt certa constans, & inuariata textus sacri lectio in æternum conseruari posset, nec vlli vnquam occasio foret vocem aut literam minimam in textu alterandi, commutandi, addendi, vel subtrahendi. Hanc ob causam Masora veteribus Hebræis eleganter dicta fuit סיג לתורה *sepes legis*. Frustra itaque sunt, qui authores, fautores, doctores & studiosos Masoræ dictitant similes esse iis, qui numerant paginas librorum medicinalium; quâ re non sanatur vllus morbus. Cæterùm si quis cum fructu velit euoluere Masoram, necesse est, vt peritus sit linguæ Chaldaicæ: quæ Masorethis est familiaris.

Defectus Masoræ hodiernæ est multiplex: vt Mercerus & Buxtorfius rectè obseruant. Nam quia veteris Masoræ reliquiæ & fragmenta primò in separatis libris consignata, postmodum verò per partes à scribis ad textum adscripta fuerunt, partim confusè, partim defectè; vltimò autem à Iacobo Chajim, rei difficultate & molestiâ fracto, in Systema non adeò accuratum redacta sunt; fieri aliter non potuit, vt non permanerent in hoc labore varij errores: quorum magnam partem Buxtorfius correxit. Possunt autem pleraque corrigi ex concordantiis Hebraicis.

Hactenus est *Masoræ propagatio apud Iudæos, eiusdem imitatio apud Christianos* paucis hæc est.

Masorah Christianorum alia est V alia N.T.

Masorah V.T. cernitur in discretione librorum canonicorum & apocryphorum; & in tractatione librorum canonicorum, quæ eadem est cum Masorâ Hebræorum.

Masorah N T. occupatur in discretione librorum canonicorum & apocryphorum, distinctione capitum & versuum, & delectu variarum lectionum.

Huc vsque est Masorah generalis: sequitur *Masorah specialis* ad singulos libros Biblicos: vbi nos eam duntaxat Masoræ partem trademus, quæ persequitur distinctionem textus sacri in capita & commata siue versus.

GENESIS.

Cap.		Vers.
a. 1	In principio creauit Deus cœlum & terram.	31
2	Et perfecti sunt cœli & terra.	25
3	Et serpens erat callidior omni bestiâ.	24
4	Et Adam cognouit Euam vxorem suam, & concepit, & peperit Cain.	26
b. 5	Iste liber generationum Adam.	32
6	Et fuit, cùm cœpissent homines multiplicari.	22
7	Et dixit Iehouah ad Noë, Ingredere tu & omnis domus tua.	24
8	Et recordatus est Deus Noë, & omnis bestiæ.	22
9	Et benedixit Deus Noë, & filiis eius.	29
10	Et istæ generationes filiorum Noë.	32
c. 11	Et erat omnis terra labij vnius.	32
12	Et dixit Iehouah ad Abraham, Ito tibi ex terrâ tuâ.	20
13	Et ascendit Abram ex Ægypto.	18
14	Et fuit in diebus Amraphel.	24
15	Post verba hæc fuit verbum Iehouæ ad Abram.	21
16	Et Sarai vxor Abrami non pepererat ipsi.	16
17	Et fuit Abraham filius nonaginta nouem annorum.	2[illegible]
18	Et visus est ei Iehouah in conualle Mamre.	33
19	Et venerunt duo illi angeli Sodomam.	38
20	Et profectus est inde Abraham.	18
21	Et Iehoua visitauit Saram.	34
22	Et fuit post verba ista, & Deus tentauit Abraham.	24
23	Et fuit vita Saræ centum viginti septem annorum.	20
24	Et Abraham senex venerat in dies.	67
25	Et addidit Abraham, & accepit vxorem.	34
d. 26	Et fuit fames in terrâ præter famem illam priorem.	35
27	Et fuit, cùm senuisset Isaac.	46
28	Et vocauit Isaac Iacobum, & benedixit ei.	22
29	Et leuauit Iacob pedes suos, & iuit.	35
30	Et vidit Rahel, quòd non peperit Iacobo.	43
31	Et audiuit verba filiorum Laban.	55
e. 32	Et Iacob abit per viam suam.	32
33	Et leuauit Iacob oculos suos, & vidit, & ecce Esau.	20
34	Et egressa est Dina filia Leæ.	31
35	Et dixit Deus ad Iacob, surge, ascende Bethelem.	29
f. 36	Et istæ generationes Esau.	43
37	Et habitauit Iacob in terrâ peregrinationum patris sui.	36
38	Et fuit in tempore isto, & descendit Iuda.	30
39	Et Ioseph deductus est in Ægyptum.	23
40	Et fuit post verba hæc, peccauerunt pincerna regis Ægypti, & pistor.	23
41	Et fuit à fine duorum annorum.	57
42	Et vidit Iacob quòd esset annona in Ægypto.	39
g 43	Et fuit cùm absoluissent edere.	33
44	Et præcepit ei, qui erat su, er domum suam.	34
45	Et non potuit Ioseph se continere.	28
46	Et profectus est Israël, & omnia sua.	34
47	Et venit Ioseph, & nuntiauit Pharaoni; & dixit.	31
48	Et fuit post verba hæc, & dixit Iosepho.	22
49	Et vocauit Iacob filios suos.	33
h. 50	Et cecidit Ioseph super faciem patris sui.	26

i. Summa versuum. 1533

Notæ in Genesim.

a) Etsi non est accurata sacrorum librorum diuisio in capita & versus, hodiè recepta: est tamen retinenda; tum quia est recepta, tum quia melior non est in promtu. Itaque non ab re fuerit, in conspectu habere initia singulorum capitum, adnotato versuum numero. Nam hoc modo & ἀδιαφθορία sacri Canonis sarta tecta conseruatur, & memoriæ consulitur. Oportet autem initia capitum ita exprimere, vt vel originalis lingua retineatur, vel verbum verbo reddatur. Nos hoc posterius in typo nostro Masorethico obseruauimus: secuti in V.T. fontem Hebraicum, versionem L X X. & paraphrasim Chaldaicam; in nouo, fontem Græcum, & paraphrasim Syriacam. Quia verò aliqua varietas occurrit in distinctione capitum; contulimus inter sese Biblia Veneta, Antuerpiana Regia, Antuerpiana in quarto Hebraica (quæ ferè omnium accuratissimè distinxerunt canonem veterem) versionem Lutheri, & Tremellio-Iunianam. In Apocryphis secuti sumus editionem Græcam Wechelianam in folio.

b) L X X. Interpretes aliquot annorum centurias hoc loco contra veritatem Hebraicam infarserunt.

c) Varietas hic occurrit in distinctione versuum.

Cap.		Vers.
11	*Et erat omnis terra vnius labij.*	35
12	Et profectus est Abram Charone.	17

d) Hîc quoque occurrit alia distinctio.

Cap.		Vers.
26	*Et fuit fames* in terrâ.	33
27	Cùm autem esset Esau natus quadraginta annos.	48

e) Versus decimusquartus huius capitis constat meris vocibus in ם exeuntibus. Ita & *Num.* 29. 33. Qui duo versus hoc nomine sunt insignes in Masorâ. Porrò quidam huic capiti tribuunt versus 30. & illud sic inchoant, *Et misit Iacob nuntios ante se.* Itaque præcedenti capiti 31. tribuunt versus 57.

f) Alij sic distinguunt.

Cap. Verſ.

36 *Et iſtæ generationes* Eſau. 45
37 Ioſeph filius ſeptendecim annorum. 34
g) Aliorum diſtinctio eſt eiuſmodi.
42 *Et vidit Iacob*, &c. 38
43 Interea fames illa ingrauefcebat. 34

h) Alij hoc caput definiunt numero verſuum 25. & præcedens verſibus 34.

i) Maſorah mendosè numerat verſus 1534. Superat itaque noſtram ſummam vnitate.

EXODVS.

Cap. Verſ.

1 Et hæc nomina filiorum, Iſraël. 22
2 Et iuit de domo Leui. 25
3 Et Moſes erat paſcens oues Iethro. 22
4 Et reſpondit Moſe, & dixit, ecce non credent mihi. 31
k.5 Et poſtea venerunt Moſe & Aharon. 23
6 Et dixit Iehouah ad Moſen. Nunc videbis. 30
l.7 Et dixit Iehoua ad Moſen, Vide, dedi te. 29
8 Et dixit Iehoua ad Moſen, dic ad Aharonem, Extende manum tuam. 28
9 Et dixit Iehouah ad Moſen, I ad Pharaonem, & loquere ad eum 35
10 Et dixit Iehouah ad Moſen, I ad Pharaonem, quia ego aggrauaui cor ipſius. 29
11 Et dixit Iehouah ad Moſen, Adhuc plagam vnam. 10
12 Et dixit Iehouah ad Moſen, & Aharonem in terrâ Ægypti. 51
13 Et locutus eſt Iehouah ad Moſen, dicendo, Sanctifica mihi. 22
lm.14 Et locutus eſt Iehouah ad Moſen, dicendo, loquere ad filios Iſraël. 31
m.15 Tunc cecinit Moſes & filij Iſraël. 27
16 Et profecti ſunt ex Elim. 36
17 Et profecti ſunt omnis congregatio. 16
18 Et audiuit Iethro ſacerdos Midian. 27
19 In menſe tertio egreſſionis filiorum Iſraël. 25
n.20 Et locutus eſt Deus omnia verba hæc. 26
21 Et hæc iudicia, quæ propones coram eis. 36
22 Si furatus fuerit quiſpiam bouem. 31
23 Non ſuſcipies rumorem mendacis. 33
24 Et ad Moſen dixit, Aſcende. 18
25 Et locutus eſt Iehouah ad Moſen, dicendo, loquere ad filios Iſraël. 40
26 Et tabernaculum facies. 37
27 Et facies altare de lignis ſetim. 21
p.28 Et tu appropinquare fac ad te Aharon. 43
29 Et hoc eſt verbum, quod facies eis. 46
30 Et facies altare ſuffimenti. 38
31 Et locutus eſt Iehouah ad Moſen, dicendo: Ecce vocaui in nomine Betzaleel. 18
32 Et vidit populus, quòd moram faceret. 35
33 Et locutus eſt Iehouah ad Moſen, dicendo: Vade, aſcende. 23
34 Et dixit Iehouah ad Moſen: Dola tibi duas tabulas. 35
p.35 Et congregauit Moſes omnem cœtum. 35
36 Et fecit Betzaleel & Aholiab. 38
37 Et fecit Betzaleel arcam. 29
38 Et fecit altare holocauſti. 31
39 Et ex hyacintho, & purpurâ. 43
40 Et locutus eſt Iehouah ad Moſen, dicendo, In die menſis primi. 38

---

q. *Summa verſuum* 1213

Notæ in Exodum.

k) Alij ſic diſtinguunt.

Cap. Verſ.

5 *Et poſtea* venerunt Moſes & Aharon. 24
6 Alloquens autem Deus Moſen, dixit ei, Ego ſum Iehouah. 26

lm) Vide paulò pòſt lit. o.

l) Alij ſic diſtinguunt.

7 *Fuit ergo*, qua die allocutus eſt Iehouah Moſen. 28
8 Et dixit Iehouah ad Moſen, I ad Pharaonem. 32

m) Aliorum diſtinctio eſt talis.

Cap.

15 *Tunc cecinit Moſes.* 26
16 Et venerunt in Elim. 37

n) In decalogo eſt mira accentuum ratio. quia montes ſententiarum pendent a ſingulis vocibus. Deinde literæ decalogi ſunt 620. è quibus 613. notant totidem præcepta vniuerſæ legis, quorum ſymbolum eſt in voce כְּתוֹרָה: reliquæ ſeptem abundant in memoriam pœnarum, præuaricatoribus Legis per ſeptem denuntiatarum *Leuit.* 26. Porro in decalogo *Exod.* 20. omittitur litera, ט, adeoque totum alphabetum ibi non occurrit. At *Deut.* 5. in quinto præcepto ponitur iſta litera.

o) Verſus 13. huius capitis conſtat ex tribus duntaxat vocibus. Cuiuſmodi verſus quatuordecim occurrunt: quos adnotat Maſora hoc loco. Maſoræ adſpergamus kabbalam. *Exod* 14 v. 19.20.21. ſinguli hi verſus conſtant literis 72. ex quibus kabbaliſtæ conflant 72. nomina Dei myſtica.

p) Alij ſic diſtinguunt.

Cap. Verſ.

35 *Et congregauit* Moſes omnem cœtum. 36
36 Vocauit ergo Moſes Betſaleelem. 37

q) Maſorah mendosè colligit verſus 1209. Noſter itaque calculus ſuperat quaternario.

LEVITICVS.

Cap. Verſ.

1 Et vocauit Moſen, & locutus eſt Iehouah ad eum. 17
2 Et anima cum obtulerit oblationem muneris. 16
3 Et ſi ſacrificium pacificorum. 17
4 Et locutus eſt Iehouah ad Moſen, dicendo, Loquere ad filios Iſraël. 35
r.5 Et anima cùm peccauerit. 26
6 Et locutus eſt Iehouah ad Moſen, dicendo: Præcipe Aharoni. 23
ſ.7 Et iſta lex oblationis pro delicto. 28
8 Et locutus eſt Iehouah ad Moſen, dicendo: Accipe Aharonem. 36
9 Et fuit in die octauo, vocauit Moſes Aharonem. 24
10 Et acceperunt filij Aharon. 20
t.11 Et locus eſt Iehouah ad Moſen & ad Aharonem, dicendo ad illos. 47
12 Et locutus eſt Iehouah ad Moſen, dicendo: Loquere ad filios Iſraël. 8
13 Et locutus eſt Iehoua ad Moſen & Aharonem, dicendo: Homo cùm fuerit in cute carnis eius. 59
14 Et locutus eſt Iehouah ad Moſen, dicendo: Iſta erit lex leproſi. 57
15 Et locutus eſt Iehouah ad Moſen & Aharonem dicendo: Loquimini ad filios Iſraël. 33
16 Et locutus eſt Iehouah ad Moſen poſt mortem duorum filiorum Aharon. 34
17 Et locutus eſt Iehouah ad Moſen, dicendo: Loquere ad Aharonem. 16

Et locutus eſt Iehouah ad Moſen, dicendo:
18 Loquere ad filios Iſraël. 30
19 Loquere ad omnem cœtum. 37
20 Et ad filios Iſraël. 27
21 Dic ad ſacerdotes. 24
22 Loquere ad Aharonem. 33
23 Loquere ad filios Iſraël. 44
24 Præcipe filiis Iſraël. 23

25 Et locutus eſt Iehouah ad Moſen in monte Sinai. 55
u.26 Non facietis vobis idola. 46
27 Et locutus eſt Iehouah ad Moſen, dicendo, Loquere ad filios Iſraël. 34

Summa verſuum 859

Notæ in Leuiticum.

r) Alij ſic diſtinguunt.

Cap. Verſ.

5 *Et anima* cùm peccauerit. 19
6 Et locutus eſt Iehouah ad Moſen, dicendo: Anima ſi peccauerit. 30
7 Et hæc eſto lex ipſius reatus. 38

ſ.) Verſus 19. huius capitis incipit à ב, & deſinit in ב. Hoc loco Maſora recitat decem verſus, quorum prima & vltima vox eadem eſt.

t.) Verſu 42. litera ו in voce גָּחוֹן eſt media totius Pentateuchi.

u.) Alij ſic diſtinguunt.

26 Si in decretis meis ambulaueritis. 44

Itaque caput præcedens vendicat ſibi duos ex hoc capite, ac proinde abſoluitur verſibus 57.

NVMERI.

NVMERI.

Cap. — Vers.

1 Et locutus est Iehouah ad Mosen in deserto Sinai, in tabernaculo. 54
2 Et locutus est Iehouah ad Mosen & Aharonem, dicendo: Vnusquisque iuxta vexillum suum. 34
3 Et istæ generationes Aharonis & Mosis. 51
4 Et locutus est Iehouah ad Mosen & Aharonem, dicendo: Recensete capita filiorum Israël. 40
5 Et locutus est Iehouah ad Mosen, dicendo: Præcipe filiis Israël. 31
6 Et locutus est Iehouah ad Mosen, dicendo: Loquere ad filios Israël. 27
7 Et fuit in die, quo compleuit Moses erigere tabernaculum. 89
8 Et locutus est Iehouah ad Mosen, dicendo: Loquere ad Aharonem. 26
9 Et locutus est Iehouah ad Mosen in deserto Sinai, in anno secundo egressionis eorum. 23
10 Et locutus est Iehouah ad Mosen, dicendo: Fac tibi duas tabulas. 36
11 Et fuit populus tanquam murmurantes. 35
x.12 Et locuta est Mirjam & Aharon contra Mosen. 16
13 Et locutus est Iehouah ad Mosen, dicendo: Mitte tibi viros. 33
14 Et eleuauit omnis cœtus, & ediderunt vocem suam. 45
15 Et locutus est Iehouah ad Mosen, dicendo: Loquere ad filios Israël. 41
16 Et accepit Corah filius Itshar. 35
y.17 Et locutus est Iehouah ad Mosen, dicendo: Dic ad Eleazarum. 28
18 Et dixit Iehouah ad Aharonem: Tu & filij tui. 32
19 Et locutus est Iehouah ad Mosen & ad Aharonem, dicendo: Hoc decretum legis. 22
20 Et venerunt filj Israël, omnis congregatio, in desertum Sin. 29
21 Et audiuit Cananæus rex Arad. 35
z.22 Et profecti sunt filij Israël, & castra metati sunt in campestribus Moab. 37
23 Et dixit Bileam ad Balakum, Ecce veni ad te nunc. 34
24 Et vidit Bileam, quòd bonum esset in oculis Iehouæ. 25
25 Et consedit Israël in Sittim. 18
26 Et fuit post illam plagam. 65
27 Et accesserunt filiæ Tselophad. 23
28 Et locutus est Iehouah ad Mosen, dicendo: Præcipe filiis Israël, & dic ad eos: Oblationem meam. 31
a.29 Et mense septimo, in primo die mensis. 39
30 Et dixit Moses ad filios Israël secundùm omnia quæ præcepit Dominus Mosi 17
31 Et locutus est Iehouah ad Mosen, dicendo. Vlciscere vltionem filiorum Israël. 54
32 Et pecudes multæ erant filiis Ruben. 42
33 Istæ profectiones filiorum Israël. 56
34 Et locutus est Iehouah ad Mosen, dicendo: Præcipe filiis Israël, & dic ad eos: Cùm vos ingressi fueritis terram. 29
35 Et locutus est Iehouah ad Mosen in campestribus Moab. 34
36 Et accesserunt capita patrum familiarum. 13

Summa versuum 1288.

Notæ in Numeros.

Alij sic distinguunt quædam capita huius libri.

x 12 *Et locuta* est Miriam. 15
13 Et profecti sunt populus. 34

Hic vnus versus è cap. 12. traiectus est ad 13.

y) Aliis caput 17 constat versibus 13.

z) 22 *Et profecti sunt* filij Israël. 41
23 Et dixit Bileam Balako, Extrue mihi. 30

Hic itaque quatuor versus è cap. 23 sunt traiecti ad cap. 22. Rursus alij caput 22 circumscribunt versibus 39. quia primum tribuunt capiti 20. & vltimum vigesimo tertio: adeoque vtrumque augent vnitate.

a) 29 Et mense septimo, in primo die mensis. 40
30 Et allocutus est Moses primarios. 16

Hic vnus versus è cap. 30. translatus est ad cap. 29.

DEVTERONOMIVM.

Cap. — Vers.

1 Ista verba, quæ locutus est Moses ad omnem Israël. 46
2 Et conuertimus nos, & profecti sumus in desertum. 37
3 Et conuertimus nos, & ascendimus viâ Basan. 29
b.4 Et nunc Israël, Audi statuta & iudicia. 49
5 Et vocauit Moses omnem Israël, & dixit ad eos, Audi Israël. 33
c.6 Et hoc est præceptum, statuta, & iudicia. 25
7 Cùm introduxerit te Iehouah Deus tuus in terram. 26
8 Omne præceptum, quod ego præcipio tibi hodie. 20
9 Audi Israël, tu transis hodie Iordanem. 29
10 In tempore illo dixit Iehouah ad me, Dola tibi duas tabulas. 22
11 Et diliges Iehouam Deum tuum, & custodies custodiam eius. 32
12 Ista statuta & iudicia, quæ obseruabitis. 32
13 Cùm surrexerit in medio tui propheta, aut somnians somnium. 18
14 Filij vos Iehouæ Dei vestri. 29
15 A fine septem annorum facies remissionem. 23
16 Obserua mensem Abib, & fac pascha. 22
d.17 Non sacrificabis Iehouæ Deo tuo bouem & agnum in quo est macula. 20
18 Non erit sacerdotibus, Leuitis, & omni tribui Leui pars & hæreditas cum Israële. 22
19 Cùm exciderit Iehouah Deus tuus gentes. 21
20 Cùm egredieris ad bellum. 20
21 Si repertus fuerit occisus in terrâ. 29
22 Non videbis bouem fratris tui aut agnum eius errantes. 30
23 Non ingredietur vulneratus teste, & exsectus virilitate, in congregationem Iehouæ. 25
24 Si acceperit vir vxorem, & fuerit maritus eius. 22
25 Si fuerit lis inter viros. 19
26 Et erit cùm ingressus fueris in terram. 39
27 Et præcepit Moses & seniores Israël populo. 26
28 Et erit, si obediendo obedieris. 68
29 Ista verba fœderis, quod præcepit Iehouah Mosi. 29
30 Et erit, cùm venerint super te omnia verba hæc. 20
e.31 Et iuit Moses, & locutus est verba hæc ad omnem Israël. 30
32 Audite cœli, & loquar. 52
33 Et hæc benedictio, quâ benedixit Moses, vir Dei. 29
34 Et ascendit Moses de campestribus Moab. 12

f. Summa versuum 959

g. Pentateuchus colligit capita 187. versus 5852.

Notæ in Deuteronomium.

b) Alij sic distinguunt.
4 *Et nunc Israël,* Audi. 43
5 Hæc autem lex illa. 39

Itaque sex versus è cap. 4. traiiciunt ad quintum.

c) In versu 4 huius capitis est maiusculum ד & ע. Causam vide in Tiberiade Buxtorfij.

d) Alij sic distinguunt, vt capiti 16 tribuant versus 17. & decimoseptimo 25. quod sic inchoant, *Iudices & præfectos pones tibi.*

e) Versus tertius huius capitis incipit à nomine יהוה, & in illud desinit. Cuiusmodi versus tres commemorat Masora istius loci. Appellant autem nomen illud Dei אזכרה quòd sit memoriale æternæ Dei essentiæ.

f) Masora mendosè numerat versus 955.

g) Masorah Hebraica colligit versus Legis 5845. qui numerus minor est nostro putà 5852. Differentia est 7.

IOSVA.

Cap. — Vers.

1 Et fuit post mortem Mosis serui Iehouæ. 18
2 Et misit Iosua filius Nun à Sitthim duos viros exploratores. 24
3 Et surrexit Iosua manè, & profecti sunt Sitthim. 17

Cap.		Vers.
h.4	Et fuit, quando absoluerunt omnis populus transire Iordanem.	24
5	Et fuit, cùm audissent omnes reges Amorrhæorum.	16
6	Et dixit Iehouah ad Iosua, Vide, dedi in manus tuas Iericho.	25
7	Et fuit Iehouah cum Iosuâ.	27
8	Et dixit Iehouah ad Iosuam, Ne timeas.	35
9	Et fuit, cùm audissent omnes reges qui trans Iordanem.	27
10	Et fuit, cùm audisset Adonitsedek.	43
11	Et fuit, cùm audisset Iabin.	23
12	Et isti reges terræ, quos percusserunt filij Israël.	24
13	Et Iosua senex venit in dies.	33
14	Et ista sunt, quæ hæreditate acceperunt filij Israël.	15
15	Et fuit sors tribui filiorum Iuda.	63
16	Et egressa est sors filiis Ioseph.	10
17	Et fuit sors tribui Manasse.	18
18	Et congregati sunt omnis congregatio filiorum Israël.	28
19	Et egressa est sors secunda Simeoni.	51
20	Et locutus est Iehouah ad Iosuam, dicendo: Loquere ad filios Israël.	9
i.21	Et accesserunt capita patrum Leuitarum.	45
22	Tunc vocauit Iosua Rubenitas.	34
23	Et fuit à diebus multis, postquam Deus pacem dedit Israëli ab omnibus hostibus illorum.	16
24	Et congregauit Iosua omnes tribus Israël.	33
	k. *Summa versuum*	658.

Distinctio varians in libro Iosua.

h)4	*Et fuit*, quando absoluerunt.	25
5	Tempore illo edixit Iehouah.	11
6	*Fuit autem* cùm esset Iosua.	30
7	Sed præuaricati sunt Israëlitæ.	26
	Sunt etiam qui quinto capiti tribuunt versus 15. & sexto.	27
i) 21	*Et accesserunt* capita patrum.	42
22	Cùm autem dedisset Iehouah.	37
k)	Masorah mendosè colligit versus 656.	

IVDICVM.

1	Et fuit post mortem Iosuæ.	36
2	Et ascendit nuntius Domini ex Gilgal.	23
3	Et istæ gentes, quas reliquit Dominus ad tentandum in eis Israël.	31
4	Et addiderunt filij Israël ad faciendum malum in oculis Iehouæ.	24
k.5	Et cecinit Deborath & Barak.	31
6	Et fecerunt filij Israël malum in oculis Iehouæ.	40
7	Et surrexit manè Ierubaal, ipse est Gideon.	25
8	Et dixerunt ad eum vir Ephraim.	35
9	Et iuit Abimelech filius Ierubaal,	57
l.10	Et surrexit post Abimelech ad liberandum Israël.	18
11	Et Iephthe Gileadites fuit potens,	40
12	Et conuenerunt vir Ephraim.	15
m.13	Et addiderunt filij Israël ad faciendum malum in oculis Iehouæ, & tradidit eos Iehouah in manum Philistæorum.	25
14	Et descendit Simson in Thimnathah.	20
15	Et fuit à diebus aliquot, in diebus messis.	20
16	Et iuit Simson in Gaza.	31
17	Et fuit vir de monte Ephraim, & nomen eius Michah.	13
18	In diebus illis non erat rex in Israël: & in diebus illis tribus Dan quærebat sibi possessionem.	31
n.19	Et fuit in diebus illis, & rex non erat in Israël.	30
20	Et egressi sunt omnes filij Israël, & congregata est congregatio.	41
21	Et vir Israel iurauit in Mitspah.	25
	Summa versuum	618.

Distinctio varians in libro Iudicum.

k) Alij hoc caput ita inchoant: *Benedicite Iehoua.* Itaque præcedenti quarto tribuunt versus 25. & quinto 30.

l)10	*Et surrexit* post Abimelech.	16
11	Conuocati igitur Ammonitæ.	42
m) 13	*Et addiderunt* filij Israel &c.	24
14	Cœpit autem Spiritus Iehouæ.	21

n) Alij hoc caput ita inchoant: *Et fuit vir Leuita*: quia verba ista, *Et fuit in diebus illis, & rex non erat in Israel*, faciunt finem capitis 18.

RVTH.

Cap.		Vers.
1	Et fuit in diebus illis, quando iudicabant iudices.	22
2	Et istius Nahomi affinis.	23
o.3	Et dixit ei Nahomi socrus eius.	18
4	Et Bohaz ascendit ad portam.	22
	Summa versuum.	85.

Distinctio varians.

o) LXX. sic inchoant hoc caput: *Et sedit cum socru suâ.* Sed hæc est clausula capitis 2.

I. SAMVELIS.

1	Et fuit vir vnus de Ramathaim.	28
2	Et orauit Anna, & dixit:	36
3	Et puer Samuel ministrans ante Iehouam.	21
p.4	Et fuit verbum Samuelis ad omnem Israël.	22
5	Et Philistæi ceperunt arcam Dei.	12
q.6	Et fuit arca Iehouæ in agro Philistæorum.	21
7	Et venerunt viri Kiriath Ieharim.	17
8	Et fuit quando senuit Samuel, & posuit filios suos iudices.	22
9	Et fuit vir de Benjamin, & nomen eius Kis.	27
10	Et accepit Samuel lenticulam olei.	27
r.11	Et ascendit Nahas Ammonita.	15
12	Et dixit Samuel ad omnem Israël: Ecce audiui.	25
f.13	Filius anni erat Saul in regno suo.	23
14	Et fuit dies, & dixit Ionathan filius Saul ad puerum.	52
t.15	Et dixit Samuel ad Saul, Me misit Iehouah.	35
16	Et dixit Iehouah ad Samuel, Vsquequò tu lamentaris super Saul	23
u.17	Et congregarunt Philistæi exercitus suos ad bellum.	58
18	Et fuit, quando finiuit ille loqui ad Saul: Et anima Ionathan agglutinata est animæ Dauidis.	30
19	Et locutus est Saul ad Ionathan filium suum, & ad omnes seruos suos.	24
x.20	Et fugit Dauid ex Najoth.	43
21	Et venit Dauid in Nob ad Ahimelech sacerdotem.	15
22	Et abiit Dauid inde, & fugit in speluncam Odollam.	23
y.23	Et nuntiauerunt Dauidi, dicendo: Ecce Philistæi pugnant	28
24	Et ascendit Dauid inde, & sedit in propugnaculis Engeddi.	23
25	Et mortuus est Samuel, & congregati sunt omnis Israël.	44
26	Et venerunt Ziphæi ad Saul in Gibeâ.	25
27	Et dixit Dauid ad cor suum, Nunc consumar vno die in manu Saul.	12
28	Et fuit in diebus illis, & congregauerunt Philistæi castra sua.	25
29	Et congregauerunt Philistæi omnia castra sua in Aphec.	11
30	Et fuit, cùm venisset Dauid & viri eius in Tsiclag.	31
31	Et Philistæi pugnabant in Israël.	13
	Summa versuum	811.

Distinctio varians in primo Samuelis.

p) Alij sic inchoant hoc caput: *Et egressus est Israël*: quia paragraphum istum, *Et fuit verbum Samuelis ad omnem Israël*, faciunt finem cap. 3.

q 6	*Et fuit arca* Iehouæ.	22
7	Fuit autem ex quo tempore resedit arca.	16
r.11	*Et ascendit* Nahas.	13
12	Tum dixit Samuel populo.	27
f.13	*Filius anni* erat Saul.	22
14	Progressâ autem statione.	53
t.15	*Et dixit Samuel* ad Saul.	34
16	Postea non perrexit Samuel.	24
u.17	*Et congregarunt* Philistæi.	59
18	Itaque assumsit eum Saul.	29
x.20	*Et fugit* Dauid.	42
21	Itaque surgens abiit.	16
y.23	*Et nuntiauerunt* Dauidi.	29
24	Fuit autem, cùm reuersus esset Saul.	22

II. SAMVELIS.

1	Et fuit post mortem Saulis, & Dauid rediit à percutiendo Amalek.	27

2 Et

Cap.		Vers.
2	Et fuit posthæc, & Dauid interrogauit Iehouam.	32
3	Et fuit bellum diuturnum inter domum Saul & domum Dauid.	39
4	Et audiuit filius Saul, quòd mortuus esset Abner,	12
5	Et venerunt omnes tribus Israel ad Dauid in Hebron.	25
ζ.6	Et congregauit iterum Dauid omnem electum in Israël.	23
7	Et fuit, cùm sedisset rex in domo suâ.	29
a 8	Et fuit postea, & percussit Dauid Philisthæos.	18
9	Et dixit Dauid, Num est adhuc qui relictus sit in domo Saul.	13
10	Et fuit posthæc, & mortuus est rex filiorum Ammon.	19
11	Et fuit in reuersione anni, in tempore egressus regum.	27
b.12	Et misit Dominus Nathanem ad Dauid.	31
c.13	Et fuit posthæc, & Absolom filio Dauid erat soror pulchra, & nomen eius Thamar.	39
14	Et cognouit Ioab, filius Tseruiah, quòd cor regis erga Absalom.	33
15	Et fuit posthæc, & fecit sibi Absalom currus & equos.	37
16	Et Dauid transiit paululum à capite montis, & ecce Ziba.	23
17	Et dixit Achitophel ad Absolom, Eligam nunc duodecies mille viros.	29
d.18	Et visitauit Dauid populum, qui erat secum.	33
19	Et commotus est rex, & ascendit.	43
20	Et ibi casu erat vir impius.	26
21	Et fuit fames in diebus Dauid tribus annis.	22
22	Et locutus est Dauid Iehouæ verba cantici huius.	51
23	Et hæc verba Dauid nouissima.	39
24	Et addidit furor Domini irasci in Israël.	

Summa versuum. 695.

Summa versuum *vtriúsque libri Samuelis.* 1506.

Distinctio varians in secundo Samuelis.

ζ.6	*Et congregauit* iterum Dauid.	22
7	Itaque Michali filiæ Saulis.	30
a.8	*Et fuit* postea, & percussit.	14
9	Regnabat itaque Dauid.	17

b) LXX sic inchoant hoc caput: *Et visa est mala res, quam fecit Dauid coram Domino* Sed hæc est clausula præcedentis capitis.

c.13	*Et fuit post hæc,* & Absolomo.	38
14	Cùm autem consumeret Dauidem.	34
d.18	*Et visitauit* Dauid populum.	32
19	Tum commotus rex.	44

I. REGVM.

1	Et rex Dauid senex venit in dies.	53
2	Et appropinquarunt dies Dauidis vt moreretur.	46
e.3	Et affinitate iunctus est Salomo cum Pharaone.	28
4	Et fuit rex Salomo rex super omnem Israël.	34
5	Et misit Hiram ex Tyri seruos suos ad Salomonem.	18
6	Et fuit anno octogesimo quadringentesimo exitus filiorum Israël ex terrâ Ægypti.	38
7	Et domum suam ædificauit Salomo tredecim annis.	51
8	Tunc congregauit Salomo senes Israël.	66
9	Et fuit cùm finisset Salomo ædificare domum Iehouæ.	28
10	Et regina Saba audiens famam Salomonis.	29
11	Et rex Salomo amauit mulieres alienigenas multas.	43
f.12	Et abiit Rehabeam in Sichem.	33
13	Et ecce vir Dei venit de Iudâ in sermone Dei in Bethel.	33
14	In tempore illo ægrotauit Abiah filius Ierobeam.	31
g.15	Et anno decimo octauo regis Ierobeam filij Nabath regnauit Abijam.	34
16	Et fuit verbum Iehouæ ad Iehu filium Anani.	34
17	Et dixit Elias Thisbites de habitatoribus Gilead.	24
18	Et fuerunt dies multi, & verbum Iehouæ factum est ad Eliam.	46
19	Et nuntiauit Achab Iesabeli omnia quæ fecerat Elias.	21
20	Et Benhadat rex Syriæ congregauit omnem exercitum suum.	43
21	Et fuit post verba hæc, vinea erat Nabotho.	29
22	Et sederunt tribus annis: non fuit bellum inter Syriam & Israël.	54

Summa versuum 817.

Distinctio varians in primo regum.

e) Alij sic incipiunt hoc caput: *Et regnum confirmatum est in manu Salomonis.* Sed hic paragraphus est clausula capitis præcedentis.

f.12	*Et abiit* Rehabeam.	32
13	Cùm autem offerret in altari.	35
g.15	*Et anno decimooctauo* regis Ieroboam.	32
16	Anno tertio Asæ regis.	56

Alij etiam capiti decimoquinto tribuunt versus 41. & decimosexto 27. quippe quod ibi inchoant: *Anno vigesimosexto Asæ.*

II. REGVM.

h.1	Et defecit Moab ab Israële.	8
2	Et fuit, cùm ascendere faceret Iehouah Eliam in turbine.	25
3	Et Ioram filius Achab regnauit super Israël.	27
4	Et mulier vna de vxoribus filiorum prophetarum.	44
5	Et Nahaman princeps militiæ regis Aram.	27
i.6	Et dixerunt filij prophetarum ad Elisa: Ecce quæso, locus in quo nos sedemus.	33
7	Et dixit Elisa, Audite verbum Iehouæ.	20
8	Et Elisa, locutus est ad mulierem, cuius filium viuificauerat.	29
9	Et Elisa propheta vocauit vnum ex filiis prophetarum.	37
10	Et Achabo erant septuaginta filij in Samariâ.	36
k. 11	Et Athaliah mater Ochoziæ, & vidit quòd mortuus esset filius suus.	20
12	Filius septem annorum erat Ioas in regno suo.	22
13	In anno vigesimo, & tertio anno Ioas filij Ochoziæ.	25
14	In anno secundo Ioas filij Ioachaz.	29
15	In anno vigesimo, & septimo anno Ierobeam.	38
16	In anno decimoseptimo Phaceæ.	20
17	In anno duodecimo Achaz regis Iuda.	41
18	Et fuit in anno tertio Hoseæ.	37
19	Et fuit, cùm audisset rex Hiskias, scidit vestimenta sua.	37
20	In diebus illis ægrotauit Hiskias vsque ad mortem.	21
21	Filius duodecim annorum erat Manasse in regno suo.	26
22	Filius octo annorum erat Iosias in regno suo.	20
l.23	Et misit rex, & congregauerunt ad eum omnes senes Iuda.	37
24	In diebus eius ascendit Nebucadnezar.	20
25	Et fuit anno nono regni eius, mense decimo.	30

Summa versuum 719

m Summa versuum *vtriusq; libri Regum* 1536

Distinctio varians in secundo Regum.

h) Alij sic inchoant librum secundum Regum: *Achazia filius Achabi regnare cœpit.* Itaque vltimo capiti 1. Reg. tribuunt versus duntaxat 51. & primo 2. Reg. versus 21. Vnde variat numerus versuum vtriusque libri.

i.6	*Et dixerunt* filij prophetarum.	35
7	Erant autem quatuor homines leprosi.	18
k.11	*Et Athaliah* mater Ochoziæ.	20
12	Natus annos septem Ioas.	22
l.23	*Et misit rex,* & congregauerunt.	35
24	Natus viginti quinque annos.	19
25	Natus vnum & viginti annos.	33

Quidam sic inchoant caput 23. *Et retulerunt regi verbum:* quæ est clausula capitis præced.

m) Masorah mendosè numerat versus 1534.

I. CHRONICORVM.

1	Adam, Seth, Enos.	54
2	Isti filij Israël: Ruben, Simeon &c.	55
3	Et isti fuerunt filij Dauid, qui nati sunt ipsi.	24
m.4	Filij Iuda: Phares, Esrom &c.	43
5	Et filij Ruben primogeniti Israël.	26
6	Filij Leui: Gerson, Caath &c.	81
7	Et filij Issachar: Tholah &c.	40
8	Et Benjamin genuit Bale.	40
9	Et omnis Israël dinumerati sunt.	44
10	Et Philistæi pugnauerunt in Israël.	14

Cap. Verſ.
11 Et congregati ſunt omnis Iſraël ad Dauid in Hebron. 47
12 Et hi venerunt ad Dauid in Ziclag. 40
13 Et iniit Dauid conſilium cum principibus ſuper mille. 14
14 Et miſit Hiram rex Tyri nuntios ad Dauid. 17
15 Et fecit ſibi domos in ciuitate Dauid. 29
16 Et attulerunt arcam Dei, & conſtituerunt eam in medio tabernaculi. 43
17 Et fuit, cùm deſideret Dauid in domo ſuâ, dixit ad Nathan prophetam. 27
18 Et fuit poſthæc, & percuſſit Dauid Philiſtæos. 17
19 Et fuit poſthæc, & mortuus eſt Naas, rex filiorum Ammon 19
20 Et fuit tempore reuerſionis anni. 8
n.21 Et ſtetit Satan contra Iſraël, & incitauit Dauidem ad numerandum Iſraël. 30
22 Et dixit Dauid, Hæc eſt domus Domini. 19
o.23 Et Dauid ſenex, & ſatur dierum. 32
24 Et filiorum Aharon partitiones. 31
25 Et diſtinxit Dauid, & principes exercitus ad miniſterium filios Aſaph. 31
26 Diſtributiones janitorum. 32
27 Et filij Iſraël ſecundùm numerum ſuum. 34
28 Et congregauit Dauid omnes principes Iſraël. 21
29 Et dixit Dauid rex omni congregationi. 30

Summa verſuum 942

Diſtinctio varians in primo Chronicorum.

m) Quidam caput quartum ſubdiuidunt in duo, ita nempe vt caput quartum conſtet verſibus 23. & quintum ibi incipiat, *Filij Simeon, Nemuel* &c. conſtétque verſibus 20. Hinc eſt quòd caput 6. illis eſt, quod nobis eſt quintum, & ſic deinceps vſque ad finem huius libri. Proinde XXX. capitibus hic liber ipſis abſoluitur.

n.21. *Et ſtetit* Satân contra Iſraël. 27
22 Tempore illo videns Dauid. 23
o.23 Cùm autem congregaſſet Dauid. 32

II. CHRONICORVM.

1 Et confirmauit ſe Salomo filius Dauid in regno ſuo. 17
2 Et dixit Salomo ad ædificandum domum nomini Iehouæ. 18
3 Et cœpit Salomo ædificare domum Iehouæ. 17
4 Et fecit altare æneum. 22
p.5 Et perfectum eſt omne opus, quod fecit Salomo in domo Iehouæ. 14
6 Tunc dixit Salomo, Iehouah dixit ſe habitare in caligine. 42
q.7. Cumque compleſſet Salomo orare, & ignis deſcendit de cœlis. 22
8 Et fuit à fine viginti annorum, poſtquam ædificauit Salomo domum Iehouæ. 18
9 Et regina Saba audiuit famam Salomonis. 31
10 Et abiit Rehabeam in Sichem. 19
11 Et venit Rehabeam in Ieruſalem. 23
12 Et fuit, cùm ſtabiliiſſet regnum Rehabeam. 16
13 In anno octauo decimo regis Ieroboam. 22
14 Et dormiuit Abiah cum patribus ſuis. 15
15 Et Azarias filius Obed, fuit ſuper ipſum ſpiritus Dei. 19
16 In anno trigeſimo ſexto regni Aſæ. 14
17 Et regnauit Ioſaphath filius eius pro eo. 19
18 Et fuerunt Ioſaphatho diuitiæ & gloria multa. 34
19 Et reuerſus eſt Ioſaphath, rex Iuda, in domum ſuam. 11
20 Et fuit poſt hæc, venerunt filij Moab. 37
21 Et dormiuit Ioſaphath cum patribus ſuis. 20
22 Et conſtituerunt regem habitantes in Ieruſalem. 12
23 In anno ſeptimo confirmauit ſe Iojada. 23
24 Filius ſeptem annorum erat Ioas. 27
25 Filius viginti & quinque annorum regnauit Amazias. 28
26 Et acceperunt omnis populus Iuda Oziam. 23
27 Filius viginti & quinque annorum Iotham cùm regnare inciperet. 9
28 Filius viginti annorum Achaz cùm regnare inciperet. 27
29 Hiskias regnare cœpit filius viginti & quinque annorum. 36
30 Et miſit Hiskias ad omnem Iſraël. 27

Cap. Verſ.
31 Et cùm abſoluiſſet totum hoc, egreſſi ſunt omnis Iſraël. 21
32 Poſt verba hæc, & veritatem horum venit Sanherib. 33
33 Filius duodecim annorum Manaſſe cùm regnare inciperet. 25
34 Filius octo annorum Ioſias cùm regnare inciperet. 33
35 Et fecit Ioſias in Ieruſalem paſcha. 27
36 Et acceperunt populus terræ Ioachaz filium Ioſiæ. 23

Summa verſuum 822.

r. Summa verſuum *vtriuſque libri Chronicorum.* 1764.

Diſtinctio varians in ſecundo Chronicorum.

p) Aliis hoc caput ita incipit: *Et intulit Salomo* &c. quia paragraphum iſtum, *Et perfectum eſt omne opus quod fecit Salomo*, faciunt clauſulam capitis præced.
7 *Cúmque compleſſet* Salomo orare. 10
8 Poſtquam autem abſoluiſſet Salomo domum. 30
r) Maſorah mendosè habet verſus 1763.

EZRA.

1 Et in anno primo Cyri regis Perſarum. 11
2 Et iſti filij prouinciæ, qui aſcenderunt de captiuitate. 70
3 Et appropinquauit menſis ſeptimus, & filij Iſraël erant in ciuitatibus ſuis. 13
4 Et audiuerunt hoſtes Iudæ & Benjamin. 24
5 Et prophetauit Haggæus propheta & Zacharias. 17
6 Tunc Darius rex conſtituit legem. 22
7 Et poſt verba hæc, in regno Artaxerxis. 28
8 Et iſti ſunt capita patrum eorum. 36
9 Et poſtquam completa ſunt hæc, acceſſerunt ad me principes. 15
10 Et cùm oraret Ezra. 44

Summa verſuum 280.

NEHEMIAS.

1 Verba Nehemiæ filij Helchiæ 11
r.2 Et fuit in menſe Niſan, anno vigeſimo Artaxerxis 20
3 Et ſurrexit Eliaſib ſacerdos magnus. 32
4 Et fuit, cùm audiſſet Sanbalat. 23
5 Et erat clamor populi. 19
6 Et fuit, cùm eſſet auditum Sanbalato. 19
ſ.7 Et fuit, cùm ædificatus eſſet murus. 73
8 Et congregati ſunt omnis populus. 18
t.9 Et in die vigeſimoquarto menſis huius congregati ſunt filij Iſraël. 38
10 Et in iſtis obſignationibus fuerunt Nehemias &c. 39
11 Et conſederunt principes populi Hieroſolymis. 36
12 Et iſti ſacerdotes & Leuitæ, qui aſcenderunt cum Zorobabel. 47
13 In die illâ lectum eſt in libro Moſis. 31

Summa verſuum 406.

u Summa verſuum *libri Ezræ & Nehemiæ.* 686

Notæ in librum Nehemiæ.

r) Verſ. 13. huius capitis reperitur *Mem* in fine apertum. De quo ad imitationẽ illius Talmudici מם סתום רמז סתום, *Mem clauſum res clauſa*: dici poſſit מם פתוח רמז פתוח, *Mem apertum res aperta.* Confer *Eſ.* 9.6.
ſ) 7 *Et fuit* cùm ædificatus eſſet murus. 72
8 Nam habitauerunt ſacerdores. 19
Quibuſdam etiam caput 8 ſic incipit: *Et aduenerat menſis ſeptimus &c.*
t) 9 *Et in die* vigeſimo quarto. 37
10 Pro hoc autem toto pepigimus. 40
u) Maſorah mendosè habet 688.

ESTER.

1 Et fuit in diebus Ahaſueri. 22
2 Poſt verba hæc, cùm quieuiſſet ira regis Ahaſueri. 23
3 Poſt verba hæc magnificauit rex Ahaſuerus Hamanem. 15
4 Et Mardocheus cognouit omne quod factum erat. 17
5 Et fuit in die tertio, & induta eſt Eſther. 14
6 In nocte illâ receſſit ſomnus regis. 14

7 Et

Cap *Verſ.*
7 Et venit rex & Haman ad bibendum cum Eſther reginâ. 10
8 In die illâ dedit rex Ahaſuerus Eſther reginæ domum Hamanis. 17
u 9 In duodecimo menſe, ipſe eſt menſis Adar. 32
x. 10 Et poſuit rex Ahaſuerus tributum ſuper terram. 3

y. Summa verſuum 167.

Notæ in librum Eſther.

u) verſu 7. huius capitis eſt ש minuſculum in voce פרשנדתא: & verſu 9. in voce פרמשתא eſt ר minuſculum, & ת minuſculum: & ibidem in voce ויזתא eſt ז minuſculum In tribus hiſce Hamani liberis mutatio literarum facta putatur contemptus & ignominiæ cauſâ.
x) 10 Vulgo hoc caput habet verſus 13 quia decem verſus apocryphi ex Fragmentis Eſther ipſi adiici ſolent.
y) Maſorah mendoſè numerat verſus 166.

Summa capitum octateuchi, ſiue librorum hiſtoricorum poſt pentateuchum Moſis, eſt 249. ſumma verſuum. 7020.

I O B.

1 Vir erat in terrâ Hus, Iob nomen eius. 22
2 Et fuit dies, & venerunt filij Dei. 13
3 Poſt hæc aperuit Iob os ſuum, & maledixit diei ſuo. 26
4 Et reſpondit Eliphaz Themanites, & dixit. 21
5 Voca nunc, ſi eſt qui reſpondeat. 27
6 Et reſpondit Iob, & dixit: vtinam appendendo appenderetur ira mea. 30
7 Nónne militia filio hominis ſuper terram. 21
8 Et reſpondit Bildad Suites, & dixit: vſquequò loqueris talia? 22
9 Et reſpondit Iob, & dixit: Verè noui quòd ita eſt. 35
10 Pertæſa eſt anima vitæ meæ. 22
11 Et reſpondit Zophar Naamathites, & dixit: an verbis multis non reſponderetur? 20
12 Et reſpondit Iob, & dixit: Ergo vos eſtis populus. 25
13 Ecce omnia hæc vidit oculus meus. 32
14 Quandoquidem præciſi ſunt dies eius. 18
15 Et reſpondit Eliphaz Themanites, & dixit: Nunquid ſapiens reſpondebit? 35
a. 16 Et reſpondit Iob, & dixit: Audiui hæc multa. 22
17 Spiritus meus corruptus eſt. 16
18 Et reſpondit Bildad Suites, & dixit: Quouſque imponentis fines ſermonibus? 21
19 Et reſpondit Iob, & dixit: Quouſque affligetis animam meam? 29
20 Et reſpondit Zophaz Nahamathites, & dixit: Iccirco cogitationes meæ reducunt me. 29
21 Et reſpondit Iob, & dixit: Audite audiendo verbum meum. 34
22 Et reſpondit Eliphaz Themanites, & dixit: Numquid Deo poteſt prodeſſe? 30
23 Et reſpondit Iob, & dixit: Etiam hodiè amara eſt meditatio mea. 17
24 Cur ab omnipotente non eſſent abſcondita tempora? 25
25 Et reſpondit Bildad Suites, & dixit: Dominatus & pauor eſt apud illum. 6
26 Et reſpondit Iob, & dixit: Quàm adiuuiſti deſtitutum virtute? 14
27 Et addidit Iob aſſumere parabolam ſuam, & dixit: viuit Deus. 23
28 Quoniam eſt argento exitus. 28
29 Et addidit Iob aſſumere parabolam ſuam, & dixit: Quis dabit mihi? 25
30 Et nunc rident me minores me. 31
31 Fœdus pepigi cum oculis meis. 40
32 Et ceſſauerunt tres viri illi reſpondere. 22
33 Verùm enim verò, audi quæſo Iob. 33
34 Et reſpondit Elihu, & dixit: Audite ſapientes verba mea. 37
35 Et reſpondit Elihu, & dixit: Numquid hoc cogitaſti? 16
b. 36 Et addidit Elihu, & dixit: Expecta me pauliſper. 33
37 Etiam ſuper hoc expaueſcit cor meum. 24
c. 38 Et reſpondit Iehoua ad Iob de turbine, & dixit: Quis eſt iſte qui obtenebrat conſilium? 41
39 Numquid noſti tempus, quo pariunt rupicapræ? 35
d. 40 Et reſpondit Iehouah ad Iob de turbine, & dixit: Accinge nunc vt vir lumbos tuos. 28
41 Non eſt ferox, qui ſuſcitet eum. 25

Cap. *Verſ.*
42 Et reſpondit Iob ad Iehouam, & dixit: Noui quòd omnia potes. 17

Summa verſuum. 1070.

Diſtinctio varians in libro Iob.

y) 2 *Et fuit* dies, & venerunt filij Dei. 14
3 Nam proloquens Iob, dixit. 25
z) 13 *Ecce omnia hæc* vidit oculus meus. 27
14 Nam iſte velut putredo. 23
Alij etiam capiti 13. tribuunt verſus 28. & ſequenti 14. illúdque ibi inchoant: *Homo natus de muliere.*
a) 16 *Et reſpondit Iob*, & dixit. 23
17 Quandoquidem nòn ſunt ludificationes. 15
b) 36 *Et addidit Elihu*, & dixit. 34
37 Audite diligenter.
c) 38 *Et reſpondit* Iehouah 38
39 An venari potes immanibus leonibus? 38
d) 40 *Et reſpondit* Iehouah. 19
41 An extrahas balænam. 34

P S A L M I.

Pſalm. *Verſ.*
1 Beatitudines viri. 6
2 Quare tumultuantur gentes? 12
3 Pſalmus Dauidis cùm fugeret à facie Abſolomi filij ſui. Iehoua, quàm multi ſunt. 9
4 Præfecto muſicorum in fidibus: Pſalmus Dauidis. Cùm inuoco, exaudi me. 9
5 Præfecto muſicorum, ad Pneumatica inſtrumenta, Pſalmus Dauidis. Dicta mea auribus percipe. 13
6 Præfecto muſicorum, in fidibus, ſuper octauam, Pſalmus Dauidis Iehouah, ne in irâ tuâ corripias me. 11
7 Ode artificioſa Dauidis, quam cecinit Iehouæ, propter verba Cuſchi Benjaminitæ. Iehoua Deus mi in te confido. 18
8 Præfecto muſicorum ad Gitthith, Pſalmus Dauidis. Iehouah domine noſter. 10
9 Præfecto Muſicorum, almuth labben: Pſalmus Dauidis. Celebrabo Iehouam. 21
10 Quare Iehouah ſtas in longinquo? 18
11 Præfecto muſicorum ode Dauidis. In Iehouâ confido. 7
e. 12 Præfecto muſicorum ſuper octauam, Pſalmus Dauidis. Serua Iehouah. 9
13 Præfecto muſicorum, Pſalmus Dauidis: Quouſque Iehoua obliuiſcêris mei? 6
14 Præfecto muſicorum, ode Dauidis. Dixit ſtultus in corde ſuo. 7
15 Pſalmus Dauidis. Iehouah, quis commorabitur? 5
16 Aureolum carmen Dauidis Cuſtodi me, Deus. 11
17 Precatio Dauidis. Exaudi Iehouah, iuſtitiam. 15
18 Præfecto muſicorum. Canticum ſerui Iehouæ, Dauidis. 51
19 Præfecto muſicorum, pſalmus Dauidis. Cœli enarrant gloriam Dei. 15
20 Præfecto muſicorum, pſalmus Dauidis. Exaudiat te Iehouah. 10
21 Præfecto muſicorum, pſalmus Dauidis. O Iehouah, de robore tuo lætatur rex. 14
22 Præfecto muſicorum, ad robur auroræ, pſalmus Dauidis Deus mi, Deus mi. 32
23 Pſalmus Dauidis. Iehouah paſtor meus. 6
24 Pſalmus Dauidis Iehouæ eſt terra. 10
Dauidis { 25 Ad te, Iehouah, animam meam attollo. 22
26 Vindica me, Iehouah. 12
27 Iehouah lux mea. 14
28 Ad te, Iehouah, clamo. } 9
29 Pſalmus Dauidis. Afferte Iehouæ, filij potentum. 11
30 Pſalmus Dauidis, canticum dedicationis domus illius. Extollant te, Iehouah. 13
31 Præfecto muſicorum, pſalmus Dauidis. In te, Iehouah, confido. 25
32 Dauidis erudiens. Beatus. 11
33 Cantate iuſti in Iehouah. 22
34 Dauidis, cum mutaſſet geſtus ſuos coram Abimelecho. 23
35 Dauidis. Contende, Iehouah. 28
36 Præfecto muſicorum, ſerui Iehouæ, Dauidis. Dicit tranſgreſſio impij. 13
37 Dauidis. Ne accendaris irâ propter malitioſos. 40

Psalm.		Vers.
38	Pſalmus Dauidis, ad recordandum. Iehoua, ne in furore tuo.	23
39	Præfecto muſicorum pro Ieduthuno, pſalmus Dauidis.	14
40	Præfecto muſicorum. Dauidis pſalmus. Conſtanter expectaui Iehouam	18
41	Præfecto muſicorum, pſalmus Dauidis. Beatus qui prudenter ſe gerit erga attenuatum.	14
42	Præfecto muſicorum, pro filiis Korachi, erudiens. Sicut ceruus glocitat.	12
43	Iudica me, Deus.	5
44	Præfecto muſicorum, pro filiis Korachi, pſalmus Dauidis. Deus, auribus noſtris audiuimus.	27
45	Pæfecto muſicorum, pro filiis Korachi, ad hexachorda: erudiens canticum dilectarum. Ebullit cor meum.	18
46	Præfecto muſicorum, pro filiis Korachi, ad acutam ſymphoniam, canticum. Deus nobis eſt receptus.	12
47	Præfecto muſicorum, pro filiis Korachi, pſalmus. Omnes populi, plaudite.	10
48	Canticum & pſalmus pro filiis Korachi. Magnus Iehouah.	15
49	Præfecto muſicorum, pro filiis Korachi, pſalmus. Audite hæc omnes populi.	21
50	Pſalmus, Aſapho. Deus deorum, Iehouah, loquitur.	23
51	Præfecto muſicorum, pſalmus Dauidis. Cùm veniſſet ad eum Nathan.	21
52	Præfecto muſicorum, erudiens Dauidis. Cùm veniens Doeg Edomæus, nuntiaſſet Sauli.	11
53	Præfecto muſicorum, ad pneumaticum inſtrumentum erudiens Dauidis. Dixit ſtultus.	7
54	Præfecto muſicorum, in fidibus: erudiens Dauidis. cùm venientes Ziphæi, dixiſſent Sauli.	9
55	Præfecto muſicorum in fidibus, erudiens Dauidis. Auribus percipe, Deus.	24
56	Præfecto muſicorum, de vim patiente.	14
57	Præfecto muſicorum, Ne perdas: Dauidis aureolum carmen, cùm fugeret metu Saulis in ſpeluncam.	12
58	Præfecto muſicorum, Ne perdas: Dauidis aureolum carmen. An reuera, ô congregatio, iuſtitiam loquimini?	12
59	Præfecto muſicorum, Ne perdas: Dauidis aureolum carmen, cùm miſiſſet Saul.	18
60	Præfecto muſicorum, in hexachordis teſtimonij, aureolum camen Dauidis, ad docendum.	14
61	Præfecto muſicorum, in fidibus, Dauidis. Audi, Deus, clamorem meum.	9
62	Præfecto muſicorum ſuper Ieduthum, pſalmus Dauidis. Attamen Deum expectat anima mea.	13
63	Pſalmus Dauidis, cùm eſſet in deſerto Iudæ. O Deus, deus meus es.	12
64	Præfecto muſicorum, pſalmus Dauidis. Audi, ô Deus, vocem meam.	11
65	Præfecto muſicorum, pſalmus. Dauidis canticum. Tibi ſilentium & laus, ô Deus.	14
66	Præfecto muſicorum, canticum & pſalmus. Iubilate Deo.	20
67	Præfecto muſicorum, in fidibus: pſalmus & canticum. Deus gratioſus ſit nobis.	8
68	Præfecto muſicorum, Dauidis pſalmus & canticum. Exurgat Deus, & diſſipentur inimici eius.	36
69	Præfecto muſicorum, ad hexachorda, Dauidis. Serua me, Deus.	37
70	Præfecto muſicorum, Dauidis, ad recordandum. Deus, ad eripiendum me.	6
71	In te, Iehouah, confido.	24
72	Pro Salomone. Deus iudicia tua da regi.	20
73	Pſalmus, Aſapho. Attamen bonus eſt Iſraëli Deus.	28
74	Erudiens, Aſapho Quare, Deus, repuliſti nos?	23
75	Præfecto muſicorum, Ne perdas: pſalmus, Aſapho, & canticum. Celebramus te, Deus.	11
76	Præfecto muſicorum in fidibus: pſalmus, Aſapho, & canticum Notus in Iudâ Deus.	13
77	Præfecto muſicorum ſuper Ieduthun. Aſapho, pſalmus. Voce meâ ad Deum.	21
78	Erudiens, Aſapho. Auribus percipe, populemi.	[illegible]2
79	Pſalmus, Aſapho. O Deus, venerunt gentes.	13
f. 80	Præfecto muſicorum, ad hexachorda: teſtimonium, Aſapho, pſalmus. O paſtor Iſraëlis.	20
81	Præfecto muſicorum ad Gitthith, Aſapho. Cantate Deo.	
82	Pſalmus, Aſapho. Deus ſtat in cœtu Dei.	8
83	Canticum & pſalmus, Aſapho. O Deus, ne ſilentium tibi.	19

Pſalm.		Verſ.
84	Præfecto muſicorum ad Gitthith: pro filiis Korachi, pſalmus. Quàm amabilia tabernacula tua?	13
85	Præfecto muſicorum, pro filiis Korachi, pſalmus. Beneuolus fueras, Iehouah, terræ tuæ.	14
86	Oratio, Dauidis. Inclina, Iehouah, aurem tuam.	17
87	Pro filiis Korachi, pſalmus & canticum. Fundatio eius eſt in montibus.	7
88	Canticum & pſalmus, pro filiis Korachi: de infirmitate affligente: erudiens Hemanis.	19
89	Erudiens Hemanis Eſrahitæ. Beneficia Iehouæ in ſeculum canam.	53
90	Precatio Moſis, viri Dei. Domine, tu habitaculum fuiſti nobis.	17
91	Qui ſedet in latibulo excelſi.	16
92	Pſalmus & canticum, pro die ſabbati. Bonum eſt celebrare Iehouam.	16
93	Iehouah regnat, celſitate induit ſe.	5
94	Deus vltionum, Iehouah.	23
95	Venite, cantemus Iehouæ.	11
96	Canite Iehouæ canticum nouum.	13
97	Iehouah regnat, exultet terra.	12
98	Pſalmus. Canite Iehouæ canticum nouum.	9
99	Iehoua regnat: expaueſcunt populi.	9
100	Pſalmus pro gratiarum actione. Iubilate Iehouæ.	5
101	Dauidis Pſalmus. Benignitatem & iudicium canam.	8
102	Precatio oppreſſi, cùm obruitur, & ante Iehouam effundit ſermonem ſuum.	29
103	Dauidis. Benedic, anima mea, Iehouæ: & omnia inteſtina mea nomini ſancto eius	22
104	Benedic, anima mea, Iehouæ. Iehouah, Deus mi, Magnus es valde.	35
105	Celebrate Iehouam, proclamate nomen eius.	45
106	Halelujah. Gratias agite Iehouæ, quia bonus eſt.	48
107	Gratias agite Iehouæ, quia bonus eſt.	4[illegible]
108	Canticum eſt pſalmus Dauidis. Paratum eſt cor meum.	14
109	Præfecto muſicorum, Dauidis pſalmus. Deus laudis meæ, ne ſileas.	31
110	Dauidis pſalmus. Dixit Iehouah domino meo.	7
111	Halelujah. Celebrabo Iehouam.	10
112	Halelujah. Beatus qui timet Iehouam.	10
113	Halelujah. Laudate, ſerui Iehouæ.	9
g. 114	Cùm exiret Iſraël ex Ægypto.	8
115	Non nobis, Iehouah, non nobis.	18
h. 116	Acquieſco, quòd Iehouah exaudit vocem meam.	19
117	Laudate Iehouam omnes gentes.	2
118	Gratias agite Iehouæ, quia bonus eſt.	29
119	Beati perfecti viâ.	176
120	Canticum graduum. Ad Iehouam in magnâ anguſtiâ meâ.	7
121	Canticum graduum. Attollámne oculos meos ad iſtos montes?	8
122	Canticum graduum, Dauidis. Lætor inter eos qui dicunt mihi, In domum Iehouæ eamus.	9
123	Canticum graduum. Ad te attollo oculos meos.	4
124	Canticum graduum, Dauidis. Niſi Iehouah adfuiſſet nobis.	8
125	Canticum graduum. Qui confidunt in Iehouâ, ſimiles ſunt monti Tſijonis.	5
126	Canticum graduum. Cùm reduceret Iehouah eos.	6
127	Canticum graduum, pro Salomone. Niſi Iehouah ædificet domum.	5
128	Canticum graduum. Beatus qui timet Iehouam.	6
129	Canticum graduum. Admodum affecerunt me anguſtiis inde à pueritiâ meâ.	8
130	Canticum graduum. De profundis inuoco te, Iehouah.	8
131	Canticum graduum, Dauidis. Iehoua, non ſuperbit cor meum.	3
132	Canticum graduum. Recordare, Iehouah, Dauidis.	18
133	Canticum graduum, Dauidis. Ecce quàm bonum.	3
134	Canticum graduum. Ecce benedicite Iehouæ.	3
135	Halelujah Laudate nomen Iehouæ.	21
136	Celebrate Iehouam, quia bonus eſt.	26
137	Ad flumina Babyloniæ.	9
138	Dauidis. Celebrabo te ex toto corde meo.	8
139	Præfecto muſicorum, Dauidis pſalmus, Iehouah, perueſtigas me.	24
140	Præfecto muſicorum, pſalmus Dauidis. Libera me, Iehouah, ab hominibus malis.	14
141	Pſalmus Dauidis. Iehouah, inclamo te.	10
142	Erudiens, Dauidis: cùm eſſet in ſpeluncâ, oratio.	8

Psalm.		*Vers.*
143	Psalmus Dauidis. Iehouah, audi orationem meam.	12
144	Dauidis. Benedictus sit Iehouah rupes mea.	15
145	Laudatio, Dauidis. Exaltabo te, Deus mi.	21
146	Halelujah. Lauda, anima mea, Iehouam.	10
i. 147	Laudate Iah: quia bonum est psallere Deo nostro.	20
148	Halelujah. Laudate Iehouam è cœlo.	14
149	Halelujah. Canite Iehouæ canticum nouum.	9
*k.*150	Halelujah. Laudate Deum in sanctuario eius.	6
	Summa versuum	2527.

Notæ in Psalmos.

e) Hebræi & Latini non eodem modo numerant Psalmos. Nam Latina vulgata versio coniungit 9. & 10. Psalmos ac proinde sequentes vsque ad 114. vnitate pauciores facit. Deinde 114. & 115. iuxta Hebræos, iterum coniungit, & 116. in duos diuidit, quemadmodum & 147. ita vt octo tantummodo primi, & tres postremi numeris inter se conueniant. Quare si legas authorem, qui citat psalmos, obserua vtrum calculum sequatur. Nos sequimur Hebræorum distinctionem. Cui si subrahas vnitatem, exurget distinctio Latinorum. Exempli gratiâ psalmus 15. Hebræorum, est 14. Latinorum. Itaque si in Latinâ distinctione numerum augeas vnitate, exurget distinctio Hebræorum.

f) Versu 14. huius psalmi litera ע suspensa, est media in libro psalmorum.

g) Psalmum 114. & 115 Latini in vnum coniungunt.

h) Psalmum 116. Latini in duos diuidunt.

i) Psalmum 147. Latini in duos diuidunt.

k) Psalmus 151. qui in quibusdam Græcis exemplaribus legitur, est apocryphus. Hunc psalmum vide suprà in Canone.

PROVERBIA.

Cap.		*Vers.*
1	Prouerbia Salomonis, filij Dauid, regis Israël.	33
2	Fili mi, si acceperis verba mea.	22
3	Fili mi, legis meæ ne obliuiscere.	35
4	Audite, filij, disciplinam patris.	27
5	Fili mi, sapientiæ meæ attende.	23
6	Fili mi, si spopondisti.	35
7	Fili mi, custodi verba mea.	27
8	Nónne sapientia clamat.	36
9	Sapientia sapientiarum ædificauit domum suam.	18
10	Prouerbia Salomonis: Filius sapiens exhilarat patrem suum.	32
l. 11	Statera dolosa, abominatio Domini.	31
12	Qui diligit disciplinam, diligit scientiam.	28
13	Filius sapiens accipit disciplinam patris.	25
14	Sapientum mulierum quæque ædificat domum suam	35
15	Responsio mollis auertit iram.	33
16	Hominis sunt præparationes cordis.	33
17	Melior est bucella sicca cum tranquillitate.	28
18	Pro desiderio quærit cerebrosus.	24
19	Melior est pauper ambulans in integritate.	29
20	Derisor est vinum.	30
21	Vt riui aquarum, ita cor regis in manu Iehouæ.	31
22	Eligibilius est nomen diuitiis amplis.	29
23	Cùm sederis ad comedendum cum principe.	35
*m.*24	Ne æmuleris viros malignos.	34
25	Etiam hæc prouerbia Salomonis: quæ contulerunt homines Hiskiæ.	28
26	Sicut nix in æstate.	28
27	Ne glorieris de die crastino.	27
28	Fugiunt impius quisque, & non est persequens.	28
29	Vir qui sæpius correptus obdurat ceruicem, repentè confringetur.	27
n 30	Verborum Agur, filij Iakeh, comportatio.	33
31	Verborum Lemuel regis comportatio.	31
	Summa versuum	915.

Distinctio varians in Prouerbiis.

l) 11	*Statera dolosa*, abominatio Iehouæ.	32
12	Bonum prouehit beneuolentia.	26
*m)*24	*Ne æmuleris* viros malignos.	35
25	Gloria Dei est, abscondere rem.	26
n) 29	Verborum Agur comportatio.	36

30 Ne regibus, Lemuel. In Bibliis Antuerpianis Hebraicis, in quarto, cap 25. ista verba, *Etiam hæc prouerbia Salomonis* &c. claudunt caput vigesimum quartum. Sic cap 31. ista verba, *Verborum Lemuel* &c. constituuntur finis capitis trigesimi. Quod miror: cùm aliâs sit satis accurata distinctio in illâ editione.

ECCLESIASTES.

Cap.		*Vers.*
1	Verba ecclesiastis filij Dauid.	18
2	Dixi ego in corde meo.	26
3	Omnibus sua tempestas.	22
4	Et conuersus sum ego, & vidi omnes oppressos.	17
5	Ne festines ore tuo	19
6	Est malum, quod vidi sub sole.	12
7	Bonum nomen præ oleo bono.	29
8	Quis tanquam sapiens.	17
9	Etenim omne hoc posui ad cor meum.	18
10	Muscæ mortuæ fœtere faciunt vnguentum.	20
11	Mitte panem tuum super faciem aquarum.	10
12	Et memento creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ.	14
	Summa versuum	222.

Distinctio varians in Ecclesiaste per totum.

1	Verba ecclesiastis.	17
2	Deinde quia multitudini sapientiæ.	27
3	Cuique sua est tempestas.	26
4	Stolidus complicat manus suas.	12
5	Obserua pedem vtrumque tuum,	20
6	Est malum quod vidi sub sole.	12
7	Melior est homini fama.	30
8	Præstitutum meum præstitutum regis.	14
9	Cùm autem adhiberem animum.	21
10	Cùm spiritus eius qui dominatur.	17
11	Proiice panem tuum.	8
12	Lætare iuuenis.	16

Alij etiam aliter distinguunt.

Cap 12. *v.*13. occurrit ס maiusculum, ad excitandam maiorem deuotionem: quia illic breui dicto summa totius theologiæ continetur.

In fine huius libri legitur signum Masorethicum יתקק, id est, יְשַׁעְיָהוּ, תְּרֵי עָשָׂר, קִינוֹת, קֹהֶלֶת, Iesaias, XII. prophetæ, Threni, Ecclesiastes. Docetur autem hoc signo, in quatuor istorum librorum lectione finali repetendum esse versum penultimum melioris ominis causâ. Nam vltimus versus in tristes minas exit. Hanc ob causam versus penultimus in his quatuor libris semper repetitus, textui sine punctis vocalibus subiectus est. e. gr. Ecclesiastes ita exit: *Nam omne opus Deus adducet in iudicium cum omni re occultâ siue bonum, siue malum.* Hoc tremendum. Ideo repetitur versus penultimus: *Summa omnium auditorum est: Deum ipsum reuerere, & præcepta eius obserua, quia hoc est totum hominis.* De reliquis tribus libris idem iudicium.

CANTICVM.

Cap.		*Vers.*
1	Canticum canticorum, quod est Salomonis.	17
2	Ergo rosa Saron.	17
3	In cubili meo per noctes quæsiui eum quem diligit anima mea.	11
4	Ecce pulchra amica mea.	16
5	Ego ingressus sum hortum meum.	17
6	Dilectus meus descendit in hortum suum.	11
7	Reuertere, reuertere Sulamith.	14
8	Quis dabit te tanquam fratrem meum?	14
	Summa versuum	117.

Distinctio varians in Cantico.

4	Ecce pulchra es amica mea.	17
5	Ego dormiui, licet animo vigilante.	18
6	Pulchra es, amica mea	19
7	Ego dilecti mei sum.	11
8	Soror nobis est.	7

Summa capitum *pentateuchi poëtici*, seu quinque librorum poëticorum 243. summa versuum 4851.

ESAIAS.

1 Viso Esaiæ filij Amots. 31
a. 2 Verbum, quod vidit Esaias. 22
3 Nam ecce dominator Iehouah Tsebaoth. 26
b. 4 Et apprehendent septem mulieres virum. 6
5 Cantabo nunc dilecto meo. 30
6 Anno, quò mortuus est rex Vzias. 13
c. 7 Et fuit in diebus Achaz. 25
8 Et dixit Iehouah ad me : Accipe tibi volumen magnum. 22
d. 9 Nam non obscurabitur. 21
10 Væ statuentibus statuta iniquitatis. 34
11 Et egredietur virgula è trunco succiso Isai. 16
12 Et dices in die illâ, Celebrabo Iehouam. 6
13 Onus Babylonis, quod vidit Esaias. 22
e. 14 Nam miserebitur Iehouah Iacobi. 32
15 Onus Moabi : Cùm deuastata fuerit. 9
f. 16 Mittite agnum dominatoris terræ. 14
17 Onus Damasci : Ecce Damascus amouebitur. 14
18 Væ terræ vmbræ alarum. 7
19 Onus Ægypti : Ecce Iehouah. 25
20. In anno, quo venit Tartan. 6
21 Onus deserti maris. 17
22 Onus vallis visionis. 25
23 Onus Tyri : Ejulate naues. 18
24 Ecce Iehouah euacuabit terram. 23
25 Iehouah, Deus meus tu. 12
g. 26 In die illâ cantabitur canticum istud. 21
27 In die illâ visitabit Iehouah. 13
28 Væ coronæ superbiæ. 29
29 Væ Arieli, Arieli vrbi. 24
30 Væ filiis contumacibus. 33
31 Væ descendentibus in Ægyptum. 9
32 Ecce iustè regnabit rex. 20
33 Væ prædanti. 29
34 Accedite gentes ad audiendum. 17
35 Lætabuntur de his desertum & solitudo. 10
36 Et fuit in quarto decimo anno regis Hiskiæ. 22
37 Et fuit, cùm audiret rex Hiskias. 38
38 In diebus illis ægrotauit Hiskias. 22
39 In tempore illo misit Merodach. 8
40 Consolamini, consolamini populum meum. 31
41 Tacete ad me insulæ. 29
h. 42 Ecce seruus meus, sustentabo illum. 25
43 Et nunc sic dixit Iehouah creator meus. 28
44 Et nunc audi Iacob serue mi. 28
i. 45 Sic dixit Iehouah vncto suo Cyro. 25
36 Procubuit Bel. 13
47 Descende, & sede in puluere. 15
48 Audite hoc domus Iacob. 22
50 Sic ait Iehouah, Vbi iste liber repudij ? 11
51 Audite ad me sectatores iustitiæ. 23
52 Euigila, euigila, indue robur tuum Tsijon. 15
53 Quis credidit auditui nostro ? 12
54 Canta sterilis, quæ non parit. 17
55 Heus omnis sitiens venite 13
k. 56 Sic ait Iehouah, Custodite iudicium. 12
57 Iustus perit, & non est vir ibi cui ad cor. 21
58 Clama in gutture, ne cohibeto. 14
59 Ecce non abbreuiata est manus Iehouæ. 21
60 Surge, illuminare. 22
l. 61 Spiritus Domini Iehouæ super me. 11
62 Propter Tsijon non tacebo. 12
m. 63 Quis est iste, qui venit ex Edom ? 19
64 Quemadmodum igne conflagrante. 11
65 Expositus sum iis qui non interrogabant. 25
66 Sic ait Dominus, Cœli solium meum. 24

n. Summa versuum 1291.

Distinctio varians in Esaiâ.

a. 2 *Verbum*, quod vidit Esaias. 21
3 Abstinete vos ab ipso homine. 28
4 Tempore illo erit germen Iehouæ. 5
c. 7 *Et fuit* in diebus Achaz. 33
8 Confringite populi. 15
9 Populus sedens in tenebris. 20

d) *Cap. 9 vers.* . in voce לְםַרְבֵּה est Mem finale in medio. Cuius rei variæ adferuntur rationes. 1. dilatatio regni Christi inter varias pressuras videtur quibusdam significari. 2. virginitatem Mariæ alij putant indigitari. 3. tempus aduentus Messiæ quibusdam videtur innui : quod ם notet 600 quot annos illi computant a quarto anno regni Achaz vsque ad passionem Christi: 4. quidam putant significari seruitutem, quá populus Iudaicus ad Christi vsque aduentum premendus erat. 5. alij existimant, gentem illam perfidiæ suæ causâ excludi hoc signo ab istius regni societate.

e. 14 *Nam miserebitur* Iehoua Iacobi. 27
15 Quo anno motuus est rex Achaz.
f. 16 *Onerosa* prophetia Moabi. 23
17 Prophetia onerosa Damasci. 11
18 Væ multitudini populorum. 10
g. 26 *In die illâ* cantabitur canticum. 19
27 Age popule mi. 15
h. 42 *Ecce* seruus meus. 38
43 Sic ait Iehouah vindex vester. 20
44 Sic ait Iehouah rex Israëlis. 23
i. 45 *Sic dicit* Iehouah vncto suo. 27
46 Audite me domus Iacob. 9
47 Audite me duri corde. 17
k. 56 *Sic ait* Iehouah, Custodite. 8
57 Omnes bestiæ agri. 25
l. 61 *Spiritus* Domini Iehouæ super me. 9
62 Omnino gaudeo in Iehouah. 14
m. 63 *Quis* est iste, qui venit ex Edom. 14
64 Intuere è cœlis, & vide. 16

Alij caput 53. definiunt numero versuum 18. & sexagesimum quartum 25. quod ibi incipiunt: *Miserationes Iehouæ memoriæ repetam*

n) Masorah mendosè habet versus 1295.

IEREMIAS.

1 Verba Ieremiæ filij Chilkiæ. 19
o. 2 Et fuit verbum Iehouæ ad me, dicendo : Abi vt proclames. 37
3 Dicunt, En dimiserit vir vxorem suam. 25
4 Si reuersus fueris Israël. 31
5 Scrutamini in plateis Ierusalem. 31
6 Congregate vos filij Benjamin. 30
p. 7 Verbum, quod fuit ad Ieremiam, à Iehouah, dicendo : Sta in portâ domus Iehouæ. 34
8 In tempore illo, dictum Iehouæ. 22
9 Quis dabit vt caput meum sit aqua ? 26
10 Audite verbum hoc, quod locutus est Iehouah. 25
11 Verbum, quod fuit ad Ieremiam à Iehouah, dicendo : Audite verba fœderis huius. 23
12 Iustus tu, Iehouah. 17
13 Sic ait Iehouah, Abi, compara tibi cingulum. 27
14 Quod fuit verbum Iehouæ ad Ieremiam super verbis cohibitionum. 22
15 Et dixit Iehouah ad me, Si steterint Moses & Samuel coram me. 21
16 Et fuit verbum Iehouæ ad me, dicendo : Non accipies tibi vxorem. 21
17 Peccatum Iuda scriptum est stilo ferri. 27
18 Verbum, quod fuit ad Ieremiam à Iehouah, dicendo : Surge, descende in domum figuli 23
19 Sic ait Iehouah, Abi, compara tibi lagenam figuli. 15
20 Et audiuit Paschur, filius Immer. 18
21 Verbum, quod fuit ad Ieremiam à Iehouah, cùm misisset ad ipsum rex Tsedekias. 14
22 Sic ait Iehouah, Descende in domum regis Iuda. 30
23 Væ pastoribus perdentibus & dispergentibus gregem. 40
24 Videre fecit me Iehouah, & ecce duo calathi ficuum. 10
25 Verbum, quod fuit ad Ieremiam contra omnem populum Iuda. 38
26 In principio regni Iehojakim, filij Iosiæ, regis Iuda fuit verbum hoc à Iehouah, dicendo : Sic ait Iehouah, sta in atrio domus Iehouæ. 24
27 In principio regni Iehojakim, filij Iosiæ, regis Iuda, fuit verbum hoc ad Ieremiam à Iehouah, dicendo : Sic dixit Iehouah mihi, Compara tibi vincula. 22
28 Et fuit in anno illo, in principio regni Tsedekiæ. 17
29 Et ista verba epistolæ, quam misit Ieremias propheta Hierosolymis. 32
30 Verbum, quod fuit ad Ieremiam à Iehouah, dicendo : Sic dicit Iehouah Deus Israël. 24
31 In tempore illo, dictum Iehouæ, Ero in Deum omnibus familiis Israël. 40
32 Verbum, quod fuit ad Ieremiam à Iehouah in anno decimo Tsedekiæ. 44
33 Et fuit verbum Iehouæ ad Ieremiam secundò. 26
34 Verbum, quod fuit ad Ieremiam à Iehouah : Et Nebucadnetsar. 22
35 Verbum, quod fuit ad Ieremiam, à Iehouah in diebus Iehojakim. 19

Cap. *Vers.*

36 Et fuit in anno quarto Iehojakim. 32
37 Et regnauit rex Tſedekias. 21
38 Et audiuit Sephatiah filius Mattan. 28
39 In anno nono Tſedekiæ. 18
40 Verbum, quod fuit ad Ieremiam à Iehouah, poſtquam dimiſit eum Nebucadnetſar 16
41 Et fuit in menſe ſeptimo, venit Iſmaël. 18
42 Et acceſſerunt omnes principes copiarum. 22
43 Et fuit, cùm compleſſet Ieremias loqui. 13
44 Verbum, quod fuit ad Ieremiam contra omnes Iudæos. 30
45 Verbum, quod locutus eſt Ieremias propheta ad Baruch. 5
46 Quod fuit verbum Iehouæ ad Ieremiam prophetam contra gentes. 28
47 Quod fuit verbum Iehouæ ad Ieremiam prophetam contra Philiſtæos. 7
48 Contra Moab ſic ait Iehouah. 47
49 Contra filios Ammon ſic ait Iehouah. 39
50 Verbum, quod locutus eſt Iehouah contra Babel 46
51 Sic ait Iehouah, Ecce ego excito contra Babel. 64
52 Filius viginti & vnius anni Tſedekias in regno ſuo. 34

q. *Summa verſuum* 1364.

Diſtinctio varians in Ieremiâ.

o. 2 Et fuit verbum Iehouæ ad me. 42
3 Dixit autem Iehouah mihi temporibus Ioſiæ regis. 20
7 Verbum, quod fuit ad Ieremiam. 37
8 Dic itaque ad eos, Sic dicit Iehouah. 19
q.) Maſorah mendoſe numerat verſus 1365.

THRENI.

1 Quomodo ſedet ſolitaria ciuitas? 22
2 Quomodo tenebreſcere fecit in irâ ſuâ? 22
3 Ego vir ille, qui videt afflictionem. 66
4 Quomodo obſcuratur aurum? 22
5 Recordare Iehouah. 22
Cap. 1. 12. in Maſorâ occurrit *Lamed* minuſculum. cap. 2. 9. *Thet* minuſculum. c. 3. 36. *Ajin* minuſculum. c. 4 14. *Nun* minuſculum.

Summa verſuum 154.
Hunc numerum Maſorą non habet adſcriptum.

EZECHIEL.

q. 1 Et fuit in trigeſimo anno, in quarto menſe, in quinto die. 28
qr. 2 Et dixit ad me, Fili hominis, ſta ſuper pedes tuos. 10
3 Et dixit ad me, Fili hominis, quod inueneris, comede. 27
4 Et tu fili hominis, Accipe tibi laterem. 17
5 Et tu fili hominis, Accipe tibi gladium. 17
6 Et fuit verbum Iehouæ ad me, dicendo: Fili hominis pone faciem tuam ad montes Iſraël. 14
7 Et fuit verbum Iehouæ ad me, dicendo: Et tu fili hominis. 27
8 Et fuit in anno ſexto, in menſe ſexto. 18
9 Et clamauit in auribus meis voce magnâ. 11
10 Et vidi, & ecce in illo expanſo. 22
11 Et eleuauit me ſpiritus. 25
12 Et fuit verbum Iehouæ ad me, dicendo: Fili hominis, in medio domus rebellis tu ſedes. 28
13 Et fuit verbum Iehouæ ad me, dicendo: Fili hominis, propheta contra prophetas Iſraël. 23
14 Et fuit verbum Iehouæ ad me, dicendo: Viri illi venerunt. 23
15 Et fuit verbum Iehouæ ad me, dicendo: Fili hominis, quid eſt lignum vitis? 8
16 Et fuit verbum Iehouæ ad me, dicendo: Fili hominis, notas fac Hieroſolymæ abominationes ipſius. 63
17 Et fuit verbum Iehouæ ad me, dicendo: Fili hominis, propone ænigma. 24
18 Et fuit verbum Iehouæ ad me, dicendo: Quid vobis eſt, vos qui vtimini parabolâ iſtâ? 32
19 Et tu profer lamentationem ad principes Iſraël. 14
r. 20 Et fuit in anno ſeptimo, in quinto menſe. 44

Cap. *Vers.*

21 Et fuit verbum Iehouæ ad me, dicendo: Fili hominis pone faciem tuam verſus dexteram. 37
22 Et fuit verbum Iehouæ ad me, dicendo: Et tu fili hominis, an cauſam ageres? 31
23 Et fuit verbum Iehouæ ad me, dicendo: Fili hominis, duæ fœminæ, filiæ matris vnius. 49
24 Et fuit verbum Iehouæ ad me in anno nono. 27
25 Et fuit verbum Iehouæ ad me, dicendo: Fili hominis, pone faciem tuam ad filios Ammon. 17
26 Et fuit in anno vndecimo, in primo die 21
27 Et fuit verbum Iehouæ ad me, dicendo: Fili hominis, profer ad Tyrum lamentationem. 36
28 Et fuit verbum Iehouæ ad me, dicendo: Fili hominis, dic principi Tyri. 26
ſ. 29 In anno decimo, in decimo menſe. 21
30 Et fuit verbum Iehouæ ad me, dicendo: Fili hominis prophetato & dic. 26
31 Et fuit in vndecimo anno, in tertio menſe. 18
32 Et fuit in duodecimo anno, in duodecimo menſe. 32
33 Et fuit verbum Iehouæ ad me, dicendo: Fili hominis, loquere ad filios populi tui. 33
34 Et fuit verbum Iehouæ ad me, dicendo: Fili hominis, prophetato ad paſtores Iſraël. 31
35 Et fuit verbum Iehouæ ad me, dicendo: Fili hominis, pone faciem tuam ad montem Seir. 15
36 Et tu fili hominis, prophetato ad montes Iſraël. 38
37 Fuit ſuper me manus Iehouæ. 28
t. 38 Et fuit verbum Iehouæ ad me, dicendo: Fili hominis pone faciem tuam ad Gog, terram Magog. 23
39 Et tu fili hominis, prophetato contra Gog. 29
u. 40 In vigeſimo & quinto anno à deportatione noſtrâ. 49
41 Et adduxit me ad templum. 26
42 Et eduxit me ad atrium. 20
43 Et reduxit me ad portam. 27
44 Et redire fecit me viâ portæ. 31
45 Et quando diuidetis terram. 25
46 Sic ait Dominus Iehouah: Porta atrij interioris. 24
47 Et reduxit me ad oſtium domus: & ecce aquæ. 23
48 Et iſta nomina tribuum. 35

Summa verſuum 1273.

Diſtinctio varians in Ezechiele.

q) 1 *Et fuit* in trigeſimo anno. Nimirum verſus vltimus à quibuſdam diſcerpitur in duos. 29
qr. 2 *Et dixit* ad me, Fili hominis 25
3 Fuit autem exactis ſeptem diebus. 12
Aliis caput 2. eſt verſuum 19. & tertium verſ. 18 vtpote quod ibi inchoant: *Et dixit ad me, Fili hominis, omnia mea verba.*
r) 20 *Et fuit* in anno ſeptimo. 49
21 Et fuit verbum Iehouæ ad me, dicendo: *Fili hominis, Pone faciem tuam verſus Ieruſalem.* 32
s) 29 *In anno* decimo. 16
30 Cùm eſſet vigeſimus ſeptimus annus. 24
31 Fuerat verò vndecimo anno primo menſe. 25
t) Verſu 13. huius capitis omnes literæ alphabeti Hebraici continentur. Huiuſmodi verſus in Maſorâ huius loci commemorantur viginti ſex.
u) 40 *In vigeſimo* & quinto anno. 47
41 Deinde adducens me ad veſtibulum. 28

DANIEL.

1 In anno tertio regni Iehojakim, regis Iuda, venit Nebucadnetſar. 21
2 Et in anno ſecundo regni Nebucadnetſar. 49
x. 3 Nebucadnetſar rex fecit ſtatuam. 33
4 Ego Nebucadnetſar quietus eram. 34
y. 5 Belſatſar rex fecit conuiuium. 30
6 Et Darius Medus accepit regnum. 29
7 In anno primo Belſatſar regis Babel. 28
8 In anno tertio regni Belſatſar. 27
9 In anno primo Darij. 27
ʒ. 10 In anno tertio Cyri. 21
11 Et ego in anno primo Darij. 45
12 Et in tempore illo ſtabit Michaël. 13

Summa verſuum 357.

aa.) Summa capitum *in maioribus prophetis* 183. ſumma verſuum, 4439.

Diſtinctio

Distinctio varians in Daniele.

x. 3	*Nebucadnetsar* rex fecit.	30
4	Nebucadnetsar rex omnibus populis.	37
y. 5	*Belsatsar* rex fecit conuiuium.	31
6	Et Darius Medus.	28
z 10	*In anno* tertio Cyri.	23
11	Ecce adhuc tres reges.	33
12	Et rex faciet pro lubitu.	23

Versu 10 cap. 6. in voce שְׁפַרְפְּרָא occurrit פ maiusculum, videlicet posterius; & פ minusculum, putà prius. Vbi studiosi Masoræ sic adnotant. Geminatio literarum in voce, significationem eius augere solet: ad quam hìc accedit literæ maiusculæ & minusculæ notatio. Indicatur ergo hic ingens & acceleratum studium regis, de Danielis salute soliciti, ad quem visitandum primâ aurorâ, & vixdum luçente, perturbato animi affectu properauit. Quod ipsum vocis quasi perturbatâ formâ significatur.

aa) Masora mendosè numerat versus 4444.

HOSEAS.

a. 1	Verbum, quod fuit ad Hoseam, filium Beeri.	11
2	Dicite fratribus vestris.	23
3	Et dixit Iehouah ad me, Iterum abi.	5
4	Audite verbum Iehouæ, filij Israël.	19
b. 5	Audite hoc sacerdotes.	15
6	Venite, & reuertamur ad Iehouam.	11
7	Dum sano Israëlem.	16
8	Ad palatum tuum adhibe buccinam.	14
9	Ne læteris Israël.	17
10	Vitis vacua Israël.	15
11	Quia puer Israëlis est.	11
12	Circumdederunt me mendacio.	15
c. 13	Cùm loqueretur Ephraim tremorem.	15
14	Desolabitur Samaria.	10
	Summa versuum	197.

IOEL.

1	Verbum Iehouæ, quod fuit ad Ioel.	20
d. 2	Clangite buccinâ in Tsijon.	27
3	Et erit posthæc, Effundam Spiritum meum.	26
	Summa versuum	73.

AMOS.

1	Verba Amos.	15
2	Sic ait Iehouah: Propter tres defectiones Moab.	16
3	Audite verbum hoc, quod locutus est Iehouah.	15
4	Audite verbum hoc vaccæ Basan.	13
5	Audite verbum hoc, quod ego profero contra vos.	27
6	Væ tranquillis in Tsijon.	14
7	Sic ostendit mihi Dominus Iehouah: Et ecce formans locustas.	17
8	Sic ostendit mihi Dominus Iehouah: Et ecce canistrum	14
9	Vidi Dominum stantem super altari.	15
	Summa versuum	146.

ABDIAS.

1	Visio Abdiæ: Sic dicit Dominus Iehouah.	21

IONAS.

f. 1	Et fuit verbum Iehouæ ad Ionam, filium Amittai.	17
2	Orauit autem Ionas ad Iehouam Deum suum.	10
3	Et fuit verbum Iehouæ ad Ionam secundò.	10
4	Et malè habebat Ionam, malè valde.	11
	Summa versuum	48.

MICHÆAS.

1	Verbum Iehouæ, quod fuit ad Michah.	16
2	Væ cogitantibus iniquitatem.	13
3	Et dixit, Audite quæso capita Iacob.	12
g. 4	Et erit in nouissimo dierum.	14
5	Et tu Bethlehem Ephrathah.	14
6	Audite nunc quod Iehouah dicit.	16
7	Hei mei quòd sum tanquam interceptiones æstiui fructus.	20
	Summa versuum.	105.

NAHVM.

h. 1	Onus Niniues, liber visionis Nahum.	14
2	Ecce super his montibus pedes euangelizantis.	14
3	Væ ciuitati sanguinum.	19
	Summa versuum.	47.

HABACVC.

i. 1	Onus, quod vidit Habacuc.	17
2	Super custodiam meam stabo.	20
3	Oratio Habacuc prophetæ.	19
	Summa versuum.	56.

SOPHONIAS.

1	Verbum Iehouæ, quod fuit ad Sophoniam.	18
2	Scrutamini vos ipsos.	15
k 3	Væ ingluuiei.	20
	Summa versuum	53.

HAGGÆVS.

l. 1	In anno secundo Darij regis	15
2	In septimo mense, in vigesimo primo die.	23
	Summa versuum.	38.

ZACHARIAS.

m. 1	In mense octauo, in anno secundo Darij.	17
2	Et leuaui oculos meos, & vidi, & ecce vir.	17
3	Et ostendit mihi Iehosuam sacerdotem.	10
4	Et reuersus est angelus ille.	14
5	Et conuersus leuaui oculos meos, & vidi, & ecce volumen.	11
6	Et conuersus leuaui oculos meos, & vidi, & ecce quatuor quadrigæ.	15
7	Et fuit in anno quarto Darij.	14
8	Et fuit verbum Iehouæ exercituum ad me, dicendo.	23
9	Onus verbi Iehouæ in terram circumstantem te.	17
10	Petite à Iehouah pluuiam.	12
11	Aperi Libane portas tuas.	17
12	Onus verbi Iehouæ super Israël.	14
13	In die illo erit fons apertus.	9
14	Ecce dies veniet Iehouæ.	21
	Summa versuum.	211.

MALACHIAS.

1	Onus verbi Iehouæ ad Israël.	14
2	Et nunc ad vos mandatum hoc.	17
n. 3	Ecce ego mittam angelum meum.	18
4	Nam ecce dies ille aduenier, ardens tanquam fornax.	6
	Summa versuum.	55.

Summa capitum *in minoribus prophetis* 67. summa versuum 1050.

Distinctio varians in minoribus Prophetis.

In Hoseâ.

a. 1	*Verbum,* quod fuit ad Hoseam.	9
2	Numerus autem filiorum Israël.	25
b 5	*Audite* sacerdotes.	9
6	Principes Iuda sunt similes.	17

c. 13 *Cùm*

13 *Cùm loqueretur* Ephraim. 16
14 Conuertere Israel. 9

In Ioële.

*d.*2 *Clangite buccinâ.* 32
3 Nam ecce in diebus illis,& in tempore isto. 21

In Amoso.

e 1 *Verba* Amosi. 18
2 Sic ait Iehouah:Propter tres defectiones Iuda. 13

In Ionâ.

*f.*1 *Et fuit* verbum Iehouæ ad Ionam. 17
2 Parauerat autem Iehouah. 11
3 Cùm autem edicente Iehouah. 11

In Michæâ.

*g.*4 *Et erit* in nouissimo dierum. 13
5 Nunc turmatim coito. 15

In Nahumo.

*h.*1 *Onus* Nineues. 15
2 Ascendit dissipator. 13

In Habacuco.

*i.*1 *Onus*, quod vidit Habacuc. 21
2 Vinum densor. 16

In Sophoniâ.

k) Viginti sex versus numerantur in Masorâ,in quibus singulis omnes alphabeti Hebraici literæ extant. Ex iis est versus octauus huius capitis : qui præter simplices alphabeti literas etiam quinque finalibus ditatus est.

In Haggæo.

l 1 *In anno* secundo Darij regis. 14
2 Die vigesimo quarto mensis. 24

In Zachariâ.

*m.*1 *In mense* octauo. 21
2 Iterum sublatis oculis meis. 13

In Malachiâ.

*n.*3 Tertium hoc caput in Bibliis Antuerpianis Hebr.in quarto constat versibus 14. Sed in Regiis , & aliis diuiditur in duo capita,ita vt tertium absoluatur versibus 18.& quartum 6.Quæ est communis distinctio.

Summa omnium capitum in libris propheticis 250.*versuum* 5489.

VETUS TESTAMENTUM libris XXXIX. colligit capita 929 versus 23212 Sed iuxta Masoram sunt versus 23206. Differentia est 6. R. Dauid Kimchi in Directorio viarum linguæ sanctæ ait:In libros Legis sunt versus 5845.prophetarum, 9294.hagiographorum,8064.Quæ in vnam summam collecta exhibent versus veteris Canonis 23203. Qui calculus à nostro differt 9.à calculo Masoræ,3.

Iam colligamus ex Masorâ versus medios in singulis libris.
*Gen.*27 40. Et gladio tuo viues.
*Exod.*22.28. Magistratui ne maledicito.
*Leuit.*15.7. Qui tetigerit carnem fluidi.
*Num.*17.20. Eritque, vt eius quem elegero,virga floreat.
*Deut.*17.10. Et facies iuxta verbum.
*In totâ lege.*Leuit.8.8. Et imposuit ei pectorale sacrum.
*Ios.*13.26. Et a Chesbon vsque ad Ramath.
*Iudic.*10.8. Et confregerunt, & conquassarunt.
*Ruth.*2 21. Et dixit Ruth Moabitis.
*In vtroque Samuelis.*1. Sam.28.24 Mulieri isti erat vitulus saginatus.
*In vtroque Regum.*1.Reg.22. Et congregauit rex Israël prophetas.
*In vtroque Chronicorum.*1.Chron 27.25.Et super thesauros regis.
In Esrâ & Nehemiâ Neh.3.32.Et inter ascensum anguli.
Esth 5.7. Et respondit Esther.
*Iob.*22.16. Qui excisi sunt, cùm nondum esset tempus.
*Psalm.*78.36. Et deceperunt ipsum ore suo.
*Eccles.*6.10.Quidquid est,iam nominatum fuit nomen eius.
*Cant.*14.14 Nardus & crocus.
*Esa.*33.21. Sed ibi magnificus erit Dominus nobis.
*Ier.*28.11. Et dixit Chanania.
Thren 3.34. Conterere sub pedibus suis.
*Ezech.*26.1.Et fuit in vndecimo anno.
Dan 5.30 In ea ipsâ nocte occisus fuit Belsatsar.
*In duodecim prophetis:*Mich.3.12. Iccirco propter eos.

ABOCRYPHA.

In his permagna est distinctionis varietas:inprimis in Tobiâ, Iudith , & Ecclesiastico. Cuius rei hæc est ratio Sæpe versus quidam in Latinis exemplaribus ponuntur, qui non sunt in Græcis. Rursus quidam versus ab aliis diuiduntur in plures, quos alij pro vno contextu agnoscunt. Confer Vatablum inprimis & Iunium. Nos sequimur editionem Græcam Vvechelianam anni 1597.

TOBIAS.

Cap.		*Vers.*
1	Liber sermonum Tobiæ.	21
2	Postquam verò venerunt in domum meam.	15
3	Et contristatus fleui.	18
4	In die illo recordatus est Tobias pecuniæ.	30
5	Et respondens Tobias dixit:Pater,faciam.	26
6	Et cessauit flens. Illi autem profecti sunt.	20
7	Et venerunt in Ecbatanâ.	19
8	Postquam verò absoluerunt cœnare.	16
9	Et vocauit Tobias Raphaelem.	4
10	Et pater eius Tobias supputabat vnumquemque diem.	13
11	Et dixit Raphael ad Tobiam:Cognoscis frater.	14
12	Et vocauit Tobias Tobiam filium.	20
13	Et Tobias scripsit precationem.	17
14	Et cessauit confiteri Tobias.	19
	Summa versuum	252

Apud Franciscum Iunium sunt versus 276.

IVDITH.

1	Anno duodecimo regni Nebucadnetsaris.	16
2	Et anno octauo & decimo , die vigesimo primo mensis primi.	21
3	Et cecidit timor & tremor eius super incolentes.	11
4	Et audiuerunt filij Israël.	12
5	Et nuntiatum est Holoferni.	20
6	Et factum est, vt cessauit Achior.	22
7	At postridie nuntiauit Holoferni.	29
8	Et audiuit in diebus illi Iudith.	31
9	Iudith verò cecidit in faciem.	14
10	Et factum est, vt cessauit clamans ad Deum Israëlis.	25
11	Et dixit ad eam Holofernes, bono esto animo.	23
12	Et iussit introducere eam.	18
13	Vt autem vespera facta est , festinauerunt serui eius.	23
14	Et dixit ad eos Iudith, Audite iam me.	18
15	Et cùm audissent ii, qui erant in tentoriis.	17
16	Et dixit Iudith, Incipite Deo meo.	24
	Summa versuum	324.

Iunius habet versus 328.

BARVCH.

Cap.		*Vers.*
1	Et hæc sunt verba libri, quæ scripsit Baruch.	15
2	Et præstitit Dominus verbum suum.	26
3	Domine omnipotens, Deus Israëlis.	23
4	Hic est liber præceptorum Dei.	27
5	Exue te Ierusalem stolâ luctus.	8
6	Exemplum epistolæ, quam misit Ieremias.	62
	Summa versuum	161.

Apud Iunium sunt versus 212. Et quibusdam epistola Ieremiæ non computatur in libello Baruch , sed habetur pro peculiari systemate apocrypho : & tum libellus Baruch constat versibus 99.

III. EZRÆ.

1	Et celebrauit Iosias pascha.	58
2	Regnante Cyro,rege Persarum.	31
3	Rex Darius dedit cœnam magnam.	24
4	Tum cœpit secundus dicere.	63

Cap. Vers.

5 Post hæc autem electi sunt, qui ascenderunt. 90

6 In anno autem secundo regni Darij prophetauit Aggæus & Zacharias. 34

7 Tunc Thatnai princeps trans flumen. 15

8 Deinde his rebus gestis; regnante Artaxerxe. 98

9 Postea surgens Ezra ab anteriore parte templi. 56

Summa versuum 469.

Apud Iunium sunt versus 450.

I. MACCABÆORVM.

1 Et factum est, postquam percussit Alexander, Philippi filius 67

2 In diebus illis surrexit Matthathias. 70

3 Et surrexit Iudas, qui vocatus est Maccabæus. 60

4 Et assumpsit Gorgias quinquies mille viros. 61

5 Et factum est, quando audierunt gentes in circuitu, ædificatum esse altare. 68

6 Et rex Antiochus peruadens superiores regiones. 63

7 Anno primo & quinquagesimo centesimo egressus Demetrius filius Seleuci. 50

8 Et audiuit Iudas nomen Romanorum. 32

9 Et audiuit Demetrius, fecisse Nicanorem & copias eius bellum. 73

10 Et anno sexagesimo & centesimo ascendit Alexander filius Antiochi Epiphanis. 89

11 Et rex Ægypti congregauit copias multas. 74

12 Et vidit Ionathas commoditatem hanc temporis sibi adiumento esse. 54

13 Et audiuit Simeon congregare Tryphonem copias multas. 54

14 Et anno secundo & septuagesimo centesimo congregauit Demetrius. 48

15 Et misit Antiochus filius Demetrij regis literas. 41

16 Et ascendit Iohannes Gazaris. 24

Summa versuum 928.

Apud Iunium sunt 929. quia caput 14. distinguit versibus 49.

II. MACCABÆORVM.

1 Fratribus qui sunt per Ægyptum Iudæis. 36

2 Inuenitur autem in scriptis, Ieremiam prophetam iussisse. 33

3 Cùm sancta ciuitas cum omni pace habitaretur. 40

4 At prædictus Simeon, qui iudex fuerat pecuniarum. 50

5 Circa hoc autem tempus secundam profectionem Antiochus in Ægyptum instituit. 27

6 Post non multum autem tempus misit rex senem Antiochenum. 31

7 Accidit autem, & septem fratres cum matre prehensos cogi. 42

8 Iudas autem Maccabæus, & qui erant cum eo, latenter proficiscentes in vicos, adhortabantur cognatos. 36

9 Circa tempus autem illud Antiochus se ignominiosè è ciuitatibus Persicis receperat. 29

10 Maccabæus autem, & qui erant cum ipso Domino duce & templum & ciuitatem receperunt. 38

11 Post paruum autem omnino tempus Lysias procurator regis. 38

12 Factis autem his conuentionibus Lysias quidem ad regem abiit. 46

13 At nono & quadragesimo & centesimo anno perlatum est ad Iudam, Antiochum Eupatorem cum copiis contra Iudæam aduentare. 26

14 Post triennij autem tempus perlatum est ad Iudam, Demetrium Seleuci filium per Tripolitanum portum nauigio aduenisse. 46

15 At Nicanor vt percepit Iudam cum suis esse in partibus Samariæ. 40

Summa versuum 558.

Eadem distinctio & summa est apud Iunium.

III. MACCABÆORVM.

1 Vt autem Philopator didicit ab iis qui reuersi erant 25

2 Itaque Simeon sacerdos summus genibus contra sanctuarium flexis. 23

3 Hæc autem impius ille percipiens adeo iratus est 22

4 Quocunque autem mandatum illud peruenit. 16

5 Tunc aduocato Chermone, qui præerat elephantorum procurationi. 36

6 Eleazar autem quidam vir insignis. 37

7 Rex Ptolemæus Philopator ducibus qui sunt per Ægyptum. 10

Summa versuum 181.

Ita Iunius distinguit. Editio Vvecheliana nullam hîc adhibet distinctionem, sed continuo textu hunc librum absoluit.

ORATIO MANASSIS.

Domine Deus omnipotens. 14

Aliis nulla est distinctio.

EPISTOLA IEREMIÆ.

Vide paulò ante sextum caput Baruch.

ADIECTIONES AD DANIELEM.

1 Et ambulabant in medio flammæ. 60

2 Et erat vir habitans Babylone, & nomen eius Ioacim. 64

3 Et rex Astiages appositus est patribus suis. Et accepit Cyrus Persa regnum illius. 49

Summa versuum 173.

Apud Iunium sunt versus 206. Nam illi precatio Asariæ & hymnus trium puerorum constat versibus 66. historia Susannæ, 65. historia Belis & draconis, 41. quæ apud ipsum ita incipit, *Et erat Daniel conuiua regis.* Porrò precatio Asariæ & hymnus puerorum vulgo constituitur pars capitis 3. Danielis; histostoria Susannæ, caput 13. Belis & draconis, 14.

ADIECTIONES AD ESTHER.

10 Et dixit Mardochæus, A Deo facta sunt ista. 13

11 Anno quarto, regnante Ptolemæo & Cleopatrâ. 10

12 Et quieuit Mardochæus in aulâ. 6

13 Rex magnus Artaxerxes his qui ab Indiâ. 19

14 Et Esther regina confugit ad Dominum. 19

15 Et factum est in die tertio, vt cessauit orans. 14

16 Rex magnus Artaxerxes his qui ab Indiâ. 24

Summa versuum 105.

Ita Iunius distinguit. Editio Vvecheliana omittit hoc fragmentum. In Biblijs regiis caput decimum est vers. 7. decimum tertium 12. decimum quartum, totidem.

SAPIENTIA SALOMONIS.

Cap. Vers.

1 Diligite iustitiam, qui iudicatis terram. 16

2 Dixerunt enim intra se, ratiocinantes non rectè. 24

3 Iustorum autem animæ sunt in manu Dei. 29

4 Melius est carere liberis cum virtute. 20

5 Tunc stabit in confidentiâ magnâ iustus. 24

6 Audite ergo reges & intelligite. 27

7 Sum quidem & ego mortalis homo. 30

8 Pertingit autem à fine vno ad alterum. 21

9 Deus patrum, & Domine misericordiæ. 19

10 Hæc primò formatum patrem mundi. 21

11 Direxit opera eorum in manu prophetæ sancti. 27

12 Nam incorruptibilis tuus spiritus est in omnibus. 27

13 Vani equidem sunt omnes homines à naturâ. 19

14 Nauigium aliquis iterum mittens. 31

15 Tu autem, ô Deus noster, bonus & verax. 19

16 Propterea

Cap.		Vers.
16	Propterea per similia puniti sunt meritò.	29
17	Magna enim sunt tua iudicia & inenarrabilia.	21
18	Sanctis autem tuis maxima erat lux.	25
19	Impiis verò ad finem vsque animus institit immisericors.	21
	Summa versuum	441.

Apud Iunium sunt 440. quia caput 3. ipsi constat versibus 19.

ECCLESIASTICVS.

Cap.		Vers.
	Prologus primus incerti authoris : cùm multa & magna.	8
	Prologus secundus ipsius Sirachi : Hic Iesus Sirachi erat filius.	
1	Omnis sapientia à Domino.	11
2	Fili, si accesseris ad seruiendum Domino.	29
3	Iudicium patris audite, filij.	30
4	Fili, vitam pauperis ne destituito.	34
5	Ne innitaris opibus tuis.	18
6	Et pro amico ne fias inimicus.	40
7	Ne fac mala.	38
8	Ne contende cum homine potente.	24
9	Ne zela mulierem sinus tui.	23
10	Iudex sapiens docet populum suum.	34
11	Sapientia humilis viri exaltabit caput ipsius.	35
12	Quando benefacis, cognosce cui facias.	24
13	Qui tetigerit picem, inquinabitur eâ.	30
14	Beatus vir, qui non est lapsus ore suo.	27
15	Qui timet Dominum, faciet ista.	20
16	Ne desidera filiorum multitudinem inutilem.	31
17	Dominus creauit de terra hominem.	26
18	Qui viuit in seculum, is creauit omnia communi lege.	33
19	Operarius ebriosus non ditescet.	27
20	Quàm bonum est, redarguere potiùs, quàm occultè indignari.	31
21	Fili peccasti? Ne ampliùs adiicias.	30
22	Lapidi conspurcato comparatur piger.	30
23	Domine pater, & dominator vitæ omnis.	34
24	Sapientia laudabit animam suam.	36
25	In tribus pulchra facta sum.	29
26	Mulieris bonæ beatus vir.	24
27	Rei indifferentis gratiâ multi peccauerunt.	31
28	Vindicans, à Domino inueniet vindictam.	29
29	Qui facit misericordiam, fœnerabitur proximo.	31
30	Qui amat filium suum, assiduè flagella adhibebit ipsi.	24
31	Vigilia diuitiarum causa tabefacit carnes.	37
32	Rectorem te constituerunt. Ne extollitor.	24
33	Timenti Dominum non occurret malum.	37
34	Vanæ sunt spes & mendaces viro carenti intelligentia.	29
35	Qui obseruat legem, multiplicat oblationes.	23
36	Miserere nostri Domine, Deus omnium.	27
37	Omnis amicus dicet, Ego quoque amicitiam colui.	34
38	Honora medicum.	46
39	Sapientiam omnium antiquorum exquiret.	44
40	Occupatio magna creata est omni homini.	34
41	O mors, quàm acerba est tui memoria.	29
42	Repetitionis & sermonis ex auditu.	33
43	Superbia altitudinis firmamenti.	39
44	Laudemus iam viros gloriosos.	28
45	Dilectum à Deo & hominibus Mosen.	34
46	Fortis in bello Iosua.	23
47	Et post hoc surrexit Nathan.	29
48	Et surrexit Elias.	28
49	Memoria Iosiæ.	18
50	Simeon, filius Oniæ.	31
51	Oratio Iesu filij Sirach: Confitebor tibi Domine, rex	38
	Summa versuum	1566

Apud Iunium sunt versus 1567.

IV. EZRÆ.

Cap.		Vers.
1	Liber Esræ prophetæ secundus.	40
2	Hæc dicit Dominus, Ego eduxeram populum istum.	48
3	Anno trigesimo ab vrbe dirutâ.	36
4	Respondens verò mihi angelus.	52
5	De signis igitur, Ecce dies venturi sunt.	56
6	Tunc ille mihi, Ab initio, inquit, orbis terrarum.	59
7	Fuit autem cùm finissem loqui verba hæc.	70
8	Tunc ille respondit mihi, dicens, Hoc seculum fecit Altissimus.	63
9	Respondit autem mihi, dicens, Tu, si quo modo poteris, metire tempus.	47
10	Hoc facto, introiens filius meus in thalamum suum.	60
11	Tunc vidi somnium, quòd ecce ascendebat de mari aquila.	46
12	Hoc facto, cùm allocutus esset leo his verbis quilam.	51
13	Fuit autem post dies septem, vt nocte somniarem.	58
14	Fuit autem die tertio cùm sederem sub quercu.	48
15	Ecce eloquere in aures plebis meæ.	63
16	Væ tibi Babylon & Asia.	79
	Summma versuum	876

Sic apud Iunium. In Regiis eadem ferè est distinctio: nisi quòd cap. quintum versibus 55. decimumquartum 47. decimumsextum 78. versibus constat. In wecheliana editione non occurrit hic liber: quippe qui Latinè tantùm extat.

APOCRYPHA colligunt libris XIV. capita 180. versus 6048.
Iuxta distinctionem Iunij sunt versus 6125.

NOVVM TESTAMENTVM.

Distinctio noui testamenti olim longè fuit alia quàm nunc est. Nam veteres, vt rectè adnotant Critici theologi, singulos N.T. libros in *τίτλους*, singulos *τίτλους* in sua *κεφάλαια* ita diuidebant, vt lectorem ea diuisio multùm posset adiuuare. Non enim, vt hodie factum videmus, plurimis in locis, ea diuidebant, quæ, si quis animum diligentiùs aduertat, coniunctim potiùs legi deberent: sed diuersas potiùs quæstiones, quas in scholis themata vocant, & eiusdem quæstionis partes diuersas ita, vt diximus, distinguebant. Quod quantoperè lectorem adiuuerit, nemo qui artificiosissimas præsertim Pauli epistolas legerit diligenter, ignorare potest. Vocabant autem maiores partes *τίτλους*, minores *κεφάλαια*, contrà quàm hodie nos facimus. Quare etiam in numero *κεφαλαίων* magna est diuersitas. Nos hodiè Matthæi Euangelium diuidimus in capita XXVIII. illi in *κεφάλαια* CCCLV. *τίτλους* autem LXVIII. Vnde apparet, id ferè *κεφάλαιον* fuisse illis, quod nobis hodiè versiculus. Numerum autem *τῶν τίτλων καὶ κεφαλαίων* in singulis euangelistis obseruatum, ex his Suidæ verbis est intelligere. Ὁ μὲν Ματθαῖος ἔχει τίτλους ξή. κεφάλαια τνέ. ὁ δὲ Μάρκος τίτλους μή. κεφάλαια λς'. (sed hic numerus est mendosus, vt patebit paulò pòst) ὁ δὲ Λουκᾶς, τίτλους πγ'. κεφάλαια τμή (pro quo numero Stephanus habet τμβ) ὁ δὲ Ἰωάννης, τίτλους ιή. κεφάλαια σλβ'. Commodissima foret hæc veterum distinctio, si quis magnus theologus ei restituendæ operam daret. Simile quid tentauit *Iohannes Piscator in exegesi suorum aphorismorum theol.* vbi loc. 2. historiam Matthæi partibus CXXXIV, Marci CIII, Lucæ CXX, Iohannis LXXI, distinxit. Sed alia quoque apud veteres fuit N.T. distinctio. Cuius vestigia in quibusdam Græcis exemplaribus sub finem singulorum ferè librorum occurrunt hoc modo.

1 Τὸ κατὰ Ματθαῖον εὐαγγέλιον ἐγράφη ἐν στίχοις βφιθ, κεφαλαίοις κνε.

2 Τὸ κατὰ Μάρκον Εὐαγγέλιον ἐγράφη ἐν στίχοις αϙ, κεφαλαίοις σλς'.

3 Τὸ κατὰ Λουκᾶν Εὐαγγέλιον ἐγράφη ἐν στίχοις βχόζ, κεφαλαίοις τμβ.

4 Πρὸς Ῥωμαίους ἐγράφη ἀπὸ Κορίνθου διὰ Φοίβης τῆς διακόνου τῆς ἐν Κεγχρεαῖς ἐκκλησίας. Ἐν στίχοις ϡκ, h.e. 920.

5 Πρὸς Κορινθίους πρώτη ἐγράφη ἀπὸ Φιλίππων διὰ Στεφανᾶ καὶ Φουρτουνάτου καὶ Ἀχαϊκοῦ καὶ Τιμοθέου. Ἐν στίχοις ωό, h. e. versibus 870.

6 Πρὸς Κορινθίους δευτέρα ἐγράφη διὰ Φιλίππων τῆς Μακεδονίας, διὰ Τίτου καὶ Λουκᾶ. Ἐν στίχοις φϙ', h.e. 590.

7 Πρὸς Γαλάτας ἐγράφη ἀπὸ Ῥώμης. Ἐν στίχοις σϙγ', hoc est, 293.

8 Πρὸς Ἐφεσίους ἐγράφη ἀπὸ Ῥώμης διὰ Τυχικοῦ. Ἐν στίχοις τιβ', h.e. 312.

9 Πρὸς Φιλιππησίους ἐγράφη ἀπὸ Ῥώμης δι' Ἐπαφροδίτου. Ἐν στίχοις σή, h.e. versibus 208.

10 Πρὸς Κολοσσαεῖς ἐγράφη ἀπὸ Ῥώμης διὰ Τυχικοῦ καὶ Ὀνησίμου. Ἐν στίχοις σή, h.e. 208.

11 Πρὸς Θεσσαλονικεῖς πρώτη ἐγράφη ἀπὸ Ἀθηνῶν. Ἐν στίχοις ρϙγ', h.e. 193.

12 Πρὸς Θεσσαλονικεῖς δευτέρα ἐγράφη ἀπὸ Ἀθηνῶν. Ἐν στίχοις ρς', h.e. 106.

13 Πρὸς Τιμόθεον πρώτη ἐγράφη ἀπὸ Λαοδικείας, ἥτις ἐστὶ μητρόπολις Φρυγίας τῆς Πακατιανῆς. Ἐν στίχοις σλ', h.e. 230.

14 Πρὸς Τιμόθεον δευτέρα, τῆς Ἐφεσίων ἐκκλησίας πρῶτον ἐπίσκοπον χειροτονηθέντα, ἐγράφη ἀπὸ Ῥώμης, ὅτε ἐκ δευτέρου παρέστη Παῦλος τῷ Καίσαρι Νέρωνι. Ἐν στίχοις ροβ', h.e. 172.

15 Πρὸς Τίτον, τῆς Κρητῶν ἐκκλησίας πρῶτον ἐπίσκοπον χειροτονηθέντα, ἐγράφη ἀπὸ Νικοπόλεως τῆς μακεδονίας. Εν στίχοις ϙζ΄, h.e. 97.

16 Πρὸς Φιλήμονα ἐγράφη ἀπὸ Ῥώμης, διὰ Ονησίμου οἰκέτου. Εν στίχοις λζ΄, h.e. versibus 37.

17 Πρὸς Εβραίους ἐγράφη ἀπὸ τῆς Ιταλίας, διὰ Τιμοθέου. Εν στίχοις ψγ΄, h.e. 703.

18 Ιακώβου ἐπιστολὴ ἐγράφη ἐν στίχοις σμβ΄, h.e. 242.

19 Πέτρου ἐπιστολὴ καθολικὴ πρώτη ἐγράφη ἐν στίχοις σλς΄, hoc est, 236.

20 Ιωάννου ἐπιστολὴ καθολικὴ πρώτη ἐγράφη ἐν στίχοις σογ΄, h.e. 273.

21 Ιωάννου ἐπιστολὴ δευτέρα ἐγράφη ἐν στίχοις λ΄, h.e. 30.

22 Ιωάννου ἐπιστολὴ καθολικὴ τρίτη στίχων λβ, h.e. versuum 32.

23 Επιστολὴ Ιούδα καθολικὴ στίχων οα. h.e. versuum 71.

Sed audiamus *Robertum Stephanum*, insignem Masoræ N.T. artificem; qui præfatione in nouum testamentum, quod Parisiis edidit anno 1550, sic ait.

„ Superioribus diebus, Christiane lector, nouum Domini nostri Iesu Christi testamentum, quâ, dictante Spiritu sancto, scriptū fuit linguâ, cum vetustissimis sedecim scriptis exéplaribus quantâ maximâ potuimus curâ & diligentiâ collatum, minore formâ, minutioribusque Regiis characteribus tibi excudimus. Idem nunc, iterum, & tertiò cum iisdem collatum, majoribus verò etiam Regiis typis excusum tibi offerimus: iis præfixis (ne quid desideres) insertisue, aut in calce positis, quæ vsquam in scriptis aut excusis leguntur codicibus: quæ omnia, augusta alterius forma capere non poterat. Ad hæc, in margine interiori varias codicum lectiones addidimus: quarum vnicuique, numeri Græci nota subjuncta est, quæ nomen exemplaris, vnde sumta est, indicet: aut exemplarium nomina, cùm plures sunt numeri. Iis namque placuit, primo, secundo, ad sextumdecimum vsque nomina imponere: vt primo Complutensem editionem intelligas, quæ olim ad antiquissima exemplaria fuit excusa: cui certè cum nostris mirus erat in plurimis consensus. Secundo, exemplar vetustissimum, in Italiâ ab amicis collatum. Tertio, quarto, quinto, sexto, septimo, octauo, decimo, & quintodecimo, ea quæ ex bibliothecâ Regis habuimus. Cætera sunt ea quæ vndique corrogare licuit. Cujus quidem vetustiorum codicum collationis, doctissimos Hebræorum authores habemus: quos post reductum è Babyloniâ populum Dei, cùm sacros V.T. libros discrepare verbis aliquando, aut apicibus etiam comperissent, diversam in margine lectionem adnotasse testantur hodie libri ad exemplaria scripta excusi. Capitum præterea juxta Græcos diuisionem, in interiori margine numeris Græcis notauimus, quibus respondent in Euangeliis κεφάλαια in superiore & inferiore paginarum parte: in Epistolis verò, ipsa κεφάλαια singulis Epistolis præfixa. Latinorum autem capita numeris & ipsa Græcis in margine exteriori significauimus: ipsósque Latinos secuti, breuiora capita in quatuor, longiora in septē partes distribuimus: literis alphabeticis majusculis partes illas in eodem margine signantes, vbi etiam & Latinorū more notauimus locum vel ex Euangelistâ aliquo, vel ex Apostolicis scriptis, qui cū præsenti loco, aut idem sit prorsus, aut non parum absimilis, aut qui certè cum ipso collatus, lucem aliquam adferre posse videatur: adjectâ literâ majusculâ quæ capitis eam partem indicet in quâ quæri locus ille debeat. Locos ex V.T. aut ad verbum, aut eodem sensu citatos magnâ curâ signauimus. Nec tamen omisimus Eusebij Cæsariensis canones, sed iis quoque in interiori margine locum dedimus, vt Græcis etiam satisfieret. Sed numerum quidem στίχων, præsertim cùm is nostris propè omnibus codicibus inueniretur, in calce cuius que Euangelii & Epistolæ, quam rationem recensendi στίχους, & apud nonnullos profanos scriptores videre est. Hæc verò omnia, vt te alacriorem ad sacrosancti Noui Testamenti Seruatoris nostri Dei lectionem redderemus, nobis esse susceptа existimato. Nostris igitur vtere & fruere laboribus.

In hac Stephani præfatione Masorah N.T. velut in tabulâ delineatur. Itaque ipsius analysin breuiter instituemus. *Prima pars Masoræ huius* occupatur circa varias lectiones. Eas exhibet interior margo huius exemplaris. Confer etiam varias lectiones Nou.Test. in opere Regio Antuerpiano, & inprimis in Bibliis Græcis wechelianis. Præclaram etiam hâc in re operam sumsit Petrus Fagiardus Marchio Velesius, Hispanus: qui Græcum Testamentum ad fidem sedecim exemplarium Græcorum castigauit: quæ magnâ diligentiâ vndique congessit, nec impensæ parcens, nec labori, vir Græcè doctus, & copiosus inprimis paterno Principatu, & vxoris amplissimâ dote pari nobilitate, vt sunt verba Ioannis Marianæ, qui præfatione in N.T. tale judicium fert de hujus Marchionis labore. Præclarus in tanto principe conatus & labor. Nihil sine labe tamen. Illud certè desideratur, vt variis lectionibus, quas ad marginem minio adjecit, designaret, ex quibus Codicibus singulas sumsisset. Magnum id momentum fuisset, sine eo opus inchoatum; alioqui insigne perfectò Nam vix est locus, in quo non consonent margines cum nostrâ editione Latinâ. Verùm ex tantâ concordia rursus oriebatur suspicio, cum in aliquem Græcum codicem inscienter incidisse, ex eorum numero qui post Concilium Florentinum ad fidem Latinorum multi sunt castigati, & cum illis penitus consentiunt. Ex eo pleraque hausisse cogitabam. De quâ re, inter Genesij Sepuluedæ epistolas quinta & septima concertatio est illi cum Erasmo. Hactenus Mariana. Ex cujus verbis paret quàm excellens sit editio Stephani vtpote in quâ numeri, variis lectionibus additi, subindicant, ex quibus codicibus singulæ desumptæ sint. Idem Mariana d.l. facit mentionem Gothici exemplaris, his verbis: Gothicus apud nos Codex in membranis, magnæ fidei & antiquitatis, fortè ante octingentos ampliùs annos descriptus, rerum, credo, potientibus Gothis ante euersam Hispaniam à Mauris. Certè ante sexcentos triginta annos Ecclesiæ Hispalensi donatum, ad ejus calcem scriptum est. Sed insigniores ex his variis lectionibus Græcis suo loco tibi exhibemus.

Secunda huius Masoræ pars cernitur in distinctione capitum eâque geminâ, Nam aliter Græci, aliter Latini distinguunt contextum Noui Testamenti: Vtramque distinctionem tibi hoc loco repræsentamus.

Tertia pars est in Concordantiis: quas Stephanus non solùm in margine exteriori adnotauit, sed etiam in duabus tabulis adumbrauit. In prima exhibet testimonia V.T. numero 146. quæ in nouo citantur αὐτολεξί. In secunda recenset testimonia V.T. numero 125. quæ in nouo citantur quantum ad διάνοιαν. De his vide infra in Parallelis nostris sacris.

Quarta pars Masoræ Stephanicæ sunt canones Eusebij Cæsariensis: de quibus in nostra Harmonia Euangelistarum.

Quinta & vltima pars est in numero τῶν στίχων: quem paulò antè tibi exhibuimus. Vbi non est prætereundum silentio, Stephanum promittere numerum τῶν στίχων in calce cuiusque Euangelij & Epistolæ: sed in Iohanne, Actis, secundâ Petri, & Apocalypsi omisisse. Neque nos in vllo exemplari numerum στίχων in modò recitatis libris inuenire potuimus.

Sed iam videamus distinctionem N.T. apud Græcos vsitatam, eámque cum distinctione Latinorum conferamus.

ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΜΑΤΘΑΙΟΝ ΕΥΑΓΓΕΛΙΟΥ τὰ κεφάλαια.

I. α΄ Περὶ τῶν μάγων. *cap.2. v.1.15.*
β΄ Περὶ τῶν ἀναιρεθέντων παιδίων. *cap.2. v.16. vsque ad finem.*
γ΄ Πρῶτος Ἰωάννης ἐκήρυξε βασιλείαν οὐρανῶν. *cap.3.*
δ΄ Περὶ τῆς διδασκαλίας τοῦ Χριστοῦ. *cap.4.*
ε΄ Περὶ τῶν μακαρισμῶν. *cap.5.6. & 7.*
ς΄ Περὶ τοῦ λεπροῦ. *cap.8. v.1.4.*
ζ΄ Περὶ τοῦ ἑκατοντάρχου. *c.8. v.5.13.*
η΄ Περὶ τῆς πενθερᾶς Πέτρου. *c.8. v.14.15.*
θ΄ Περὶ τῶν ἰαθέντων ἀπὸ ποικίλων νόσων. *c.8. v.16.17.18.*
X. ι΄ Περὶ τοῦ μὴ ἐπιτρεπομένου ἀκολουθεῖν. *c.8. v.19.20.21.22.*
ια΄ Περὶ τῆς ἐπιτιμήσεως τῶν ὑδάτων. *c.8. v.23.27.*
ιβ΄ Περὶ τῶν δύο δαιμονιζομένων. *c.8. v.28, vsque ad finem.*
ιγ΄ Περὶ τοῦ παραλυτικοῦ. *cap.9. v.1. 8.*
ιδ΄ Περὶ τοῦ Ματθαίου τοῦ τελώνου. *c.9. v.9.17.*
ιε΄ Περὶ τῆς θυγατρὸς τοῦ ἀρχισυναγώγου. *c.9. v.18.19.*
ις΄ Περὶ τῆς αἱμορροούσης. *c.9. v.20.26.*
ιζ΄ Περὶ τῶν δύο τυφλῶν. *c.9. v.27.31.*
ιη΄ Περὶ τοῦ δαιμονιζομένου κωφοῦ. *cap.9. vers.32. vsque ad finem.*
ιθ΄ Περὶ τῆς τῶν ἀποστόλων διαταγῆς. *c.10.*
XX. κ΄ Περὶ τῶν ἀποσταλθέντων παρὰ Ἰωάννου. *c.11.*
κα΄ Περὶ τοῦ ξηρὰν ἔχοντος χεῖρα. *c.12. v.9.21.*
κβ΄ Περὶ τοῦ δαιμονιζομένου τυφλοῦ καὶ κωφοῦ. *cap.12. v.22.37.*
κγ΄ Περὶ τῶν αἰτούντων σημεῖον. *c.12. v.38. ad finem.*
κδ΄ Περὶ τῶν παραβολῶν. *cap.13.*
κε΄ Περὶ Ἰωάννου καὶ Ἡρώδου. *c.14. v.1.14.*
κς΄ Περὶ τῶν πέντε ἄρτων καὶ τῶν δύο ἰχθύων. *c.14. v.15.21.*
κζ΄ Περὶ τοῦ ἐν θαλάσσῃ περιπάτου. *c.14. v.22. ad finem.*
κη΄ Περὶ τῆς παραβάσεως τῆς ἐντολῆς τοῦ Θεοῦ. *c.15. v.1.20.*
κθ΄ Περὶ τῆς Χαναναίας. *c.15. v.21.28.*
XXX. λ΄ Περὶ τῶν θεραπευθέντων ὄχλων. *c.15. v.29.31.*
λα΄ Περὶ τῶν ἑπτὰ ἄρτων. *cap.15. v.32.*
λβ΄ Περὶ τῆς ζύμης τῶν Φαρισαίων. *c.16. v.5.12.*
λγ΄ Περὶ τῆς ἐν Καισαρείᾳ ἐπερωτήσεως. *cap.16. vers.13. ad finem.*
λδ΄ Περὶ τῆς μεταμορφώσεως τοῦ Χριστοῦ. *c.17. v.1.12.*
λε΄ Περὶ τοῦ σεληνιαζομένου. *c.17. v.14.23.*
λς΄ Περὶ τῶν αἰτούντων τὰ δίδραχμα. *cap.17. vers.24. ad finem.*
λζ΄ Περὶ τῶν λεγόντων, τίς μείζων. *c.18. v.1.11.*
λη΄ Περὶ τῶν ἑκατὸν προβάτων παραβολή. *cap. 18. vers. 12.22.*
λθ΄ Περὶ τοῦ ὀφείλοντος μύρια τάλαντα. *cap. 18. v. 23. ad finem.*
XL. μ΄ Περὶ τῶν ἐπερωτησάντων, εἰ ἔξεστιν ἀπολῦσαι τὴν γυναῖκα. *cap.19. v. 1.15.*

μα΄ Περὶ

μά Περὶ τοῦ ἐπερωτήσαντος πλουσίου τὸν Ἰησοῦν. cap. 19. v. 16. ad finem.
μβ' Περὶ τῶν μισθουμένων ἐργατῶν. c. 20. v. 1. 19.
μγ' Περὶ τῶν υἱῶν Ζεβεδαίου c. 20. v. 20. 28.
μδ' Περὶ τῶν δύο τυφλῶν c. 20. v. 29. ad finem.
μέ Περὶ τῆς ὄνου καὶ τοῦ πώλου. c. 21. v. 1. 13.
μς' Περὶ τῶν τυφλῶν καὶ χωλῶν. c. 21. v. 14. 17.
μζ' Περὶ τῆς ξηρανθείσης συκῆς c. 21. v. 18. 22.
μή Περὶ τῶν ἐπερωτησάντων τὸν Κύριον ἀρχιερέων καὶ πρεσβυτέρων. c. 21. v. 23. 27.
μθ' Περὶ τῶν δύο υἱῶν παραβολή c. 21. v. 28. 32.
L. ν' Περὶ τοῦ ἀμπελῶνος. c. 21. v. 33. ad finem.
νά Περὶ τῶν κεκλημένων εἰς τὸν γάμον. c. 22. v. 14.
νβ' Περὶ τῶν ἐπερωτησάντων διὰ τὸν κῆνσον. c. 22. v. 15. 22.
νγ' Περὶ τῶν Σαδδουκαίων. c. 22. v. 23. 33.
νδ' Περὶ τοῦ ἐπερωτήσαντος νομικοῦ. c. 22. v. 34. 40.
νέ Περὶ τῆς τοῦ Κυρίου ἐπερωτήσεως c. 22. v. 41. ad finem.
νς' Περὶ τοῦ ταλανισμοῦ γραμματέων καὶ Φαρισαίων. c. 23.
νζ' Περὶ τῆς συντελείας. c. 24. v. 1. 35.
νή Περὶ τῆς ἡμέρας καὶ ὥρας. c. 24. v. 36. ad finem.
νθ' Περὶ τῶν δέκα παρθένων. c. 25. v. 1. 13.
LX. ξ' Περὶ τῶν τάλαντα λαβόντων. c. 25. v. 14. 30.
ξά Περὶ τῆς ἐλεύσεως τοῦ Χριστοῦ. c. 25. v. 31 ad finem.
ξβ' Περὶ τῆς ἀλειψάσης Κύριον μύρῳ. c. 26. v. 1. 16.
ξγ' Περὶ τοῦ πάσχα. c. 26. v. 17 25.
ξδ' Περὶ τοῦ μυστικοῦ δείπνου. c. 26. v. 26. 46.
ξέ Περὶ τῆς παραδόσεως τοῦ Ἰησοῦ. c. 26. v. 47. 68.
ξς' Περὶ τῆς ἀρνήσεως τοῦ Πέτρου. c. 26. v. 69. ad finem.
ξζ' Περὶ τῆς τοῦ Ἰούδα μεταμελείας. c. 27. v 1. 56.
ξή Περὶ τῆς αἰτήσεως τοῦ σώματος τοῦ Κυρίου. c. 27. v. 57. ad finem & c. 28.

ΤΑ' ΚΕΦΑ'ΛΑΙΑ ΤΟΥ' ΚΑΤΑ
Μάρκον Εὐαγγελίου.

I. ά Περὶ τοῦ δαιμονιζομένου. c. 1. v. 23. 28.
β' Περὶ τῆς πενθερᾶς τοῦ Πέτρου. c. 1. v. 29. 31.
γ' Περὶ τῶν ἰαθέντων ἀπὸ ποικίλων νόσων. c. 1. v. 32. 39.
δ' Περὶ τοῦ λεπροῦ. cap. 1 v. 40 ad finem.
έ Περὶ τοῦ παραλυτικοῦ. cap. 2. v. 1. 13.
ς' Περὶ τοῦ Λευὶ τοῦ τελώνου. cap. 2. v. 14. ad finem.
ζ' Περὶ τοῦ ξηρὰν ἔχοντος τὴν χεῖρα. c. 3. v. 1. 12.
ή Περὶ τῆς τῶν ἀποστόλων ἐκλογῆς. c. 3. v. 13. ad finem.
θ' Περὶ τοῦ σπόρου παραβολή. c. 4. v. 1. 34.
X. ί Περὶ τῆς ἐπιτιμήσεως τῶν ὑδάτων. c. 4. v. 35. ad finem.
ιά Περὶ τοῦ λεγεῶνος. cap. 5. v. 1. 21.
ιβ' Περὶ τῆς θυγατρὸς τοῦ ἀρχισυναγώγου. c. 5. v. 22. 35. ad finem.
ιγ' Περὶ τῆς αἱμορροούσης. c. 5. v. 25. 34.
ιδ' Περὶ τῆς τῶν ἀποστόλων διαταγῆς. c. 6. v. 7. 13.
ιέ Περὶ Ἰωάννου καὶ Ἡρώδου. cap. 6. v. 14. 33.
ις' Περὶ τῶν πέντε ἄρτων καὶ τῶν δύο ἰχθύων. c. 6. v. 34. 45.
ιζ' Περὶ τοῦ ἐν θαλάσσῃ περιπάτου. c 6. v. 45. 56.
ιή Περὶ τῆς παραβάσεως τῆς ἐντολῆς τοῦ Θεοῦ. c. 7. v. 1. 23.
ιθ' Περὶ τῆς Συροφοινίσσης c 7. v. 24. 30.
XX. κ' Περὶ τοῦ μογιλάλου. c. 7 v. 31 ad finem.
κά Περὶ τῶν ἑπτὰ ἄρτων. c. 8. v 1. 14.
κβ' Περὶ τῆς ζύμης τῶν Φαρισαίων. c. 8. v. 15. 21.
κγ' Περὶ τοῦ τυφλοῦ. c. 8. v. 22 26.
κδ' Περὶ τῆς ἐν Καισαρείᾳ ἐπερωτήσεως. c. 8. v. 27. ad finem.
κέ Περὶ τῆς μεταμορφώσεως τοῦ Ἰησοῦ. c. 9. v. 2. 16.
κς' Περὶ τοῦ σεληνιαζομένου. c. 9. v. 17. 32.
κζ' Περὶ τῶν διαλογιζομένων τίς μείζων. c. 9 v. 33. ad finem.
κή Περὶ τῶν ἐπερωτησάντων τὸν Κύριον, εἰ ἔξεστιν ἀπολῦσαι τὴν γυναῖκα. c. 10. v. 1. 16.
κθ' Περὶ τοῦ ἐπερωτήσαντος πλουσίου τὸν Ἰησοῦν. c. 10. v. 17. 31.
XXX. λ. Περὶ τῶν υἱῶν Ζεβεδαίου. c. 10. v. 32. 45.
λά Περὶ τοῦ Βαρτιμαίου. c. 10. v. 46. ad finem.
λβ' Περὶ τοῦ πώλου. c. 11. v. 1. 11.
λγ' Περὶ τῆς ξηρανθείσης συκῆς. c. 11. v. 12. 24.
λδ' Περὶ ἀμνησικακίας. c. 11. v. 25. 26.
λέ Περὶ τῶν ἐπερωτησάντων τὸν Κύριον ἀρχιερέων καὶ πρεσβυτέρων. c. 11. v. 27. ad finem.
λς' Περὶ τοῦ ἀμπελῶνος. c. 12. v. 1. 11.
λζ' Περὶ τῶν ἐπερωτησάντων τὸν Κύριον διὰ τὸν κῆνσον. cap. 12. v. 12. 17.
λή Περὶ τῶν Σαδδουκαίων. c. 12. v. 18. 27.
λθ' Περὶ τοῦ γραμματέως. c. 12. v. 28. 27.
XL. μ' Περὶ τῆς τοῦ Κυρίου ἐπερωτήσεως. c. 12. v. 35. 37.
μά Περὶ τῆς τὰ δύο λεπτὰ βαλούσης. c. 12. v. 38. ad finem.
μβ' Περὶ συντελείας. c. 13. v. 1. 31.
μγ' Περὶ τῆς ἡμέρας καὶ ὥρας. c. 13. v. 31. ad finem.
μδ' Περὶ τῆς ἀλειψάσης τὸν Κύριον μύρῳ. c. 14. v. 1. 11.
μέ Περὶ τοῦ πάσχα c. 14. v. 12. 16.
μς' Περὶ τῆς παραδόσεως προφητεία. c. 14. v. 17.
μζ' Περὶ ἀρνήσεως Πέτρου. c. 14. v. 66. ad finem.
μή Περὶ τῆς αἰτήσεως τοῦ σώματος τοῦ Κυρίου. c. 15. v. 42. ad finem.

ΤΑ' ΚΕΦΑ'ΛΑΙΟΑ ΤΟΥ' ΚΑΤΑ'
Λουκᾶν Εὐαγγελίου.

I. ά Περὶ τῆς ἀπογραφῆς. c 2. v. 1. 7.
β' Περὶ τῶν ἀγραυλούντων ποιμένων. c. 2. v. 8. 21.
γ' Περὶ τοῦ Συμεῶνος. cap. 2. v. 25. 35.
δ' Περὶ Ἄννης τῆς προφήτιδος. c. 2. v. 36. 39.
έ Περὶ τοῦ γενομένου ῥήματος πρὸς Ἰωάννην. c. 3. 1. 9.
ς' Περὶ τῶν ἐπερωτησάντων τὸν Ἰωάννην. c. 3. v. 10. 18.
ζ' Περὶ τοῦ πειρασμοῦ τοῦ Χριστοῦ. c. 4. v. 1. 13.
ή Περὶ τοῦ ἔχοντος πνεῦμα δαιμονίου. c. 4. v. 33. 37.
θ' Περὶ τῆς πενθερᾶς τοῦ Πέτρου. c. 4. v. 38. 39.
X. ί Περὶ τῶν ἰαθέντων ἀπὸ ποικίλων νόσων. c. 4. v. 10. ad finem.
ιά Περὶ τῆς ἄγρας τῶν ἰχθύων. cap. 5. v. 1. 11.
ιβ' Περὶ τοῦ λεπροῦ. cap. 5. v. 12. 16.
ιγ' Περὶ τοῦ παραλυτικοῦ. c. 5. v. 17. 26.
ιδ' Περὶ Λευὶ τοῦ τελώνου. c. 5. v. 27.
ιέ Περὶ τοῦ ξηρὰν ἔχοντος τὴν χεῖρα. c. v. 6. 12.
ις' Περὶ τῆς τῶν ἀποστόλων ἐκλογῆς. c. 6. v. 13. 19.
ιζ' Περὶ τῶν μακαρισμῶν. c. 6. v. 20.
ιή Περὶ τοῦ ἑκατοντάρχου cap. 7. v. 1. 10.
ιθ' Περὶ τοῦ υἱοῦ τῆς χήρας. c. 7. v. 11. 17.
XX. κ' Περὶ τῶν ἀποσταλέντων παρὰ Ἰωάννου. c. 7. v. 18, 35.
κά Περὶ τῆς ἀλειψάσης τὸν Κύριον μύρῳ. c. 7. v. 36. ad finem.
κβ' Περὶ τῆς παραβολῆς τοῦ σπείροντος. c 8. v. 4. 15.
κγ' Περὶ τῆς ἐπιτιμήσεως τῶν ὑδάτων. c. 8. v. 22. 25.
κδ' Περὶ τοῦ λεγεῶνος. c. 8. v. 26. 39.
κέ Περὶ τῆς θυγατρὸς τοῦ ἀρχισυναγώγου. cap. 8. v. 41. 42. 49. ad finem.
κς' Περὶ τῆς αἱμορροούσης. c. 8. v. 42. 48.
κζ' Περὶ τῆς ἀποστολῆς τῶν δώδεκα. cap. 9. v. 1. 6.
κή Περὶ τῶν πέντε ἄρτων καὶ τῶν δύο ἰχθύων. c. 9. v. 10. 17.
κθ' Περὶ τῆς τοῦ Κυρίου ἐπερωτήσεως. c. 9. v. 18. 27.
XXX. λ' Περὶ τῆς μεταμορφώσεως τοῦ Κυρίου. c. 9. v. 36. 39.
λά Περὶ τοῦ σεληνιαζομένου. cap. 9. v. 37.
λβ' Περὶ τῶν διαλογιζομένων τίς μείζων. c. 9. v. 46.
λγ' Περὶ τοῦ μὴ ἐπιτρεπομένου ἀκολουθεῖν. c. 9. v. 59. ad finem.
λδ' Περὶ τῶν ἀναδειχθέντων ἑβδομήκοντα. c. 10. v. 1. 24.
λέ Περὶ τοῦ ἐπερωτήσαντος νομικοῦ. c. 10. v. 25. 29.
λς' Περὶ τοῦ ἐμπεσόντος εἰς τοὺς λῃστάς. c. 10. v. 30. 37.
λζ' Περὶ Μάρθας καὶ Μαρίας. 10. v. 38. ad finem.
λή Περὶ προσευχῆς. c. 11. v. 1. 13.
λθ' Περὶ τοῦ ἔχοντος δαιμόνιον κωφόν. c. 11. v. 14. 26.
XL. μ' Περὶ τῆς ἐκ τοῦ ὄχλου ἐπαράσης φωνήν. c. 11. v. 27. 28.
μά Περὶ τῶν αἰτούντων σημεῖον. c. 11. v. 29. 36.
μβ' Περὶ τοῦ Φαρισαίου καλέσαντος τὸν Κύριον. c. 11. v. 37. 41.
μγ' Περὶ τοῦ ταλανισμοῦ τῶν νομικῶν. c. 11. v. 42. ad finem.
μδ' Περὶ τῆς ζύμης τῶν Φαρισαίων. c. 12. v. 1. 12.
μέ Περὶ τοῦ θέλοντος μερίσαι τὴν κληρονομίαν. c. 12. v. 13. 14. 15.
μς' Περὶ οὗ εὐφόρησεν ἡ χώρα πλουσίου. c. 12. v. 16. ad finem.
μζ' Περὶ τῶν Γαλιλαίων καὶ τῶν ἐν τῷ Σιλωάμ. c. 13. v. 1. 9.
μή Περὶ τῆς ἐχούσης πνεῦμα ἀσθενείας. c. 13. v. 10. 17.
μθ' Περὶ τῶν παραβολῶν. c. 13. v. 18. 21.
L. ν' Περὶ τοῦ ἐπερωτήσαντος, εἰ ὀλίγοι οἱ σωζόμενοι. c. 13. v. 30.
νά Περὶ τῶν εἰπόντων τῷ Ἰησοῦ διὰ Ἡρώδην. c. 13. v. 31. ad finẽ.
νβ' Περὶ τοῦ ὑδρωπικοῦ. c. 14. v. 1. 6.
νγ' Περὶ τοῦ μὴ ἀγαπᾶν τὰς πρωτοκλισίας. c. 14. v. 7. 15.
νδ' Περὶ τῶν καλουμένων εἰς τὸ δεῖπνον. c. 14. v. 16. 24.
νέ Περὶ οἰκοδομῆς πύργου παραβολή. c. 14. v. 28. 30.
νς' Περὶ τῶν ἑκατὸν προβάτων παραβολή. c. 15. v. 1. 10.
νζ' Περὶ τοῦ ἀποδημήσαντος εἰς χώραν μακράν. c. 15. v. 11. ad finem.
νή Περὶ τοῦ οἰκονόμου τῆς ἀδικίας. c. 16. v. 1. 18.
νθ' Περὶ τοῦ πλουσίου καὶ τοῦ Λαζάρου. c. 16. v. 19. vsque ad finem.
LX. ξ' Περὶ τῶν δέκα λεπρῶν. c. 17. v. 11. 20.
ξά Περὶ τοῦ κριτοῦ τῆς ἀδικίας. c. 18. v. 1. 8.
ξβ' Περὶ τοῦ Φαρισαίου καὶ τοῦ τελώνου. c. 18. v. 9. 14.
ξγ' Περὶ τοῦ ἐπερωτήσαντος πλουσίου τὸν Ἰησοῦν. c. 18. v. 18. 31.
ξδ' Περὶ τοῦ τυφλοῦ. c. 18. v. 35. ad finem.
ξέ Περὶ τοῦ Ζακχαίου. c. 19. v. 1. 10.
ξς' Περὶ τοῦ πορευθέντος λαβεῖν ἑαυτῷ βασιλείαν. c. 19. v. 11.
ξζ' Περὶ τῶν λαβόντων τὰς μνᾶς. c. 19. v. 12. 27.
ξή Περὶ τοῦ πώλου. c. 19. v. 28. 38.
ξθ' Περὶ τῶν ἐπερωτησάντων τὸν Κύριον ἀρχιερέων καὶ γραμματέων. c. 20. v. 1. 8.
LXX. ό Περὶ τοῦ ἀμπελῶνος παραβολή. cap. 20. v. 9. 18.
οά Περὶ τῶν ἐγκαθέτων διὰ τὸν κῆνσον. c 20. v. 19. 26.
οβ' Περὶ τῶν Σαδδουκαίων. cap. 20. v. 27. 40.
ογ' Περὶ τοῦ, πῶς υἱὸς Δαβίδ ἐστιν ὁ Χριστός c. 20. v. 41. 44.
οδ' Περὶ τῆς τὰ δύο λεπτὰ βαλούσης. c 21. v. 1. 7.
οέ Περὶ τῆς συντελείας ἐρώτησις. c 21. v. 8. ad finem.
ος' Περὶ τοῦ πάσχα. cap. 22 versu 1. 23.
οζ' Περὶ τῶν φιλονεικησάντων τίς μείζων. c. 22. v. 24. 30.
οή Περὶ τῆς ἐξαιτήσεως τοῦ σατανᾶ, καὶ ἀρνήσεως Πέτρου. c. 22. v. 31. ad finem.
οθ' Περὶ τῆς παρ' Ἡρώδου ἐξουθενήσεως. c. 23. v. 7. 12.

LXXX π' Περὶ τῶν κοπτομένων γυναικῶν. c.23.v.27.31.
πα' Περὶ τοῦ μετανοήσαντος λῃστοῦ. c.23.v.40.43.
πβ' Περὶ τῆς αἰτήσεως τοῦ σώματος τοῦ Κυρίου. c.23.v.50.53.
πγ' Περὶ τοῦ Κλεόπα. c.24.v.13. *usque ad finem.*

ΤΑ' ΚΕΦΑ'ΛΑΙΑ ΤΟΥ ΚΑΤΑ'
Ἰωάννην Εὐαγγελίου.

I. α' Περὶ τοῦ ἐν Κανᾷ γάμου. c.2.v.1.10.
β' Περὶ τῶν ἐκβληθέντων ἐκ τοῦ ἱεροῦ. c.2.v.11. *ad finem.*
γ' Περὶ τοῦ Νικοδήμου καὶ Ἰησοῦ. cap.3.
δ' Περὶ καθαρισμοῦ ζητήσεως. c.4.v.1.2.
ε' Περὶ τῆς Σαμαρείτιδος. c.4.v.5.45.
ς' Περὶ τοῦ υἱοῦ τοῦ βασιλικοῦ. c.5.v.46. *ad finem.*
ζ' Περὶ τοῦ τριάκοντα καὶ ὀκτὼ ἔτη ἔχοντος ἐν τῇ ἀσθενείᾳ. c.5.v.1. *ad finem.*
η' Περὶ τῶν πέντε ἄρτων καὶ τῶν δύο ἰχθύων. cap.6.v.1.15.
θ' Περὶ τοῦ ἐν θαλάσσῃ περιπάτου. c.6.v.16 21.
X. ι' Περὶ τοῦ ἐκ γενετῆς τυφλοῦ. cap.9. v.1. *ad finem & c.10.*
ια' Περὶ τῆς ἐγέρσεως τοῦ Λαζάρου. c.11.v.1. *usque ad finem.*
ιβ' Περὶ τῆς ἀλειψάσης τὸν Κύριον μύρῳ. c.1.v.1.2.3.
ιγ' Περὶ ὧν εἶπεν Ἰούδας. cap.12.v.4.8.
ιδ' Περὶ τῆς ὄνου. cap.12.v.12.15.
ιε' Περὶ τῶν προσελθέντων Ἑλλήνων, καὶ ἐρωτώντων τὸν Φίλιππον. c.12.v.20.27.
ις' Περὶ τοῦ νιπτῆρος. c.13.v.1. *usq; ad finem, & c.14.v.1.16.*
ιζ' Περὶ τοῦ παρακλήτου. c.14. v.16. *usque ad finem, & c.15.16.17.18.19. usque ad v.38.*
ιη' Περὶ τῆς αἰτήσεως τοῦ Κυριακοῦ σώματος. c.19.v.38. *ad finem, & c.20. itemque 21.*

Nota. In his Græcorum κεφαλαίοις semper omittitur primum cuiusque euangelistæ caput. Quod illis proœmij loco fuisse videtur.

In Arabica versione N.T. Matthæus habet capita 101: Marcus, 54. Lucas, 86. Iohannes, 45.

ἘΚΘΕΣΙΣ ΚΕΦΑΛΑΙ'ΩΝ ΤΩ῀Ν
πράξεων τῶν Ἀποστόλων.

I. α' Περὶ τῆς ἐξ ἀναστάσεως διδασκαλίας τοῦ Χριστοῦ, καὶ ὀπτασίας πρὸς τοὺς μαθητάς. Καὶ περὶ ἐπαγγελίας τῆς τοῦ ἁγίου πνεύματος δωρεᾶς, θέας τε καὶ τρόπου ἀναλήψεως τοῦ Χριστοῦ. καὶ περὶ τῆς ἐνδόξου δευτέρας αὐτοῦ παρουσίας. cap.1.v.1.11.

β' Πέτρου διάλογος πρὸς τοὺς μαθητευθέντας, περί τε θανάτου καὶ ἀποβολῆς Ἰούδα τοῦ προδότου. Ἐν ᾧ, περὶ ἀντεισαγωγῆς Ματθίου, κληρωθέντος χάριτι διὰ προσευχῆς. c.1.v.12. *ad finem.*

γ' Περὶ θείας τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐπιφοιτήσεως, ἐν ἡμέρᾳ τῆς πεντηκοστῆς γενομένης εἰς τοὺς πιστεύσαντας. Ἐν ᾧ, Πέτρου κατήχησις περὶ τούτου, ἐκ τῶν προφητῶν. Περὶ πάθους καὶ ἀναστάσεως καὶ ἀναλήψεως Χριστοῦ, δωρεᾶς τε τοῦ ἁγίου πνεύματος. Περὶ πίστεως τῶν παρόντων, καὶ τῆς διὰ τοῦ βαπτίσματος αὐτῶν σωτηρίας. Περὶ ὁμονοίας κοινωφελοῦς, καὶ προσθήκης τῶν πιστευόντων. cap.2.

δ' Περὶ τῆς ἐν Χριστῷ θεραπείας τοῦ ἐκ γενετῆς χωλοῦ, Πέτρου τε κατηχήσεως ἐλεγκτικῆς, συμπαθητικῆς, καὶ συμβουλευτικῆς πρὸς σωτηρίαν αὐτῶν. Ἐν ᾧ, Περὶ ἐπισυστάσεως τῶν ἀρχιερέων ζήλῳ τοῦ γεγονότος, καὶ κρίσις τοῦ θαύματος. Πέτρου τε ὁμολογία τῆς Χριστοῦ δυνάμεώς τε καὶ χάριτος. Περὶ ἀπειλῆς τῶν ἀρχιερέων, ὡς οὐ δεῖ παρρησιάζεσθαι ἐπὶ τῷ ὀνόματι τοῦ Χριστοῦ, καὶ ἀνέσεως τῶν ἀποστόλων. Εὐχαριστία ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας ὑπὲρ τῆς τῶν ἀποστόλων πιστῆς καρτερίας. cap.3. *totum, & 4. usque ad versum 31.*

ε' Περὶ ὁμοψύχου καὶ καθολικῆς κοινωνίας τῶν πιστευσάντων. Ἐν ᾧ, περὶ Ἀνανίου καὶ Σαπφείρης, καὶ πικρᾶς αὐτῶν τελευτῆς. cap.4.v.32. *& c.5.v.1.11.*

ς' Ὅτι τοὺς ἀποστόλους ἐμβληθέντας ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ, ἄγγελος Κυρίου νύκτωρ ἐξάγει, ἐπιτρέψας ἀκωλύτως κηρύσσειν τὸν Ἰησοῦν. Ἐν ᾧ, Ὅτι τῇ ἑξῆς αὐτοὺς οἱ ἀρχιερεῖς πάλιν συλλαβόμενοι, ἐφ᾽ ᾧ μηκέτι διδάσκειν, μαστίξαντες ἀπέλυσαν. Γαμαλιήλου γνώμη πιστὴ περὶ τῶν ἀποστόλων, μετὰ παραδειγμάτων τινῶν καὶ ἀποδείξεων. cap.5.v.12. *ad finem.*

ζ' Περὶ χειροτονίας τῶν ἑπτὰ διακόνων. cap.6 v.1.7.

η' Ἰουδαίων ἐπανάστασις καὶ συκοφαντία κατὰ Στεφάνου. αὐτοῦ τε δημηγορία περὶ τῆς πρὸς Ἀβραὰμ διαθήκης τοῦ Θεοῦ, καὶ περὶ τῶν δώδεκα πατριαρχῶν. Ἐν ᾧ, περὶ τοῦ λιμοῦ καὶ πυρανίας, καὶ ἀναγνωρισμοῦ τῶν υἱῶν Ἰακώβ. καὶ περὶ γενέσεως Μωυσέως. καὶ περὶ τῆς πρὸς αὐτὸν θεοφανείας ἐν τῷ ὄρει Σινᾶ. Περὶ ἐξόδου καὶ μοσχοποιίας τοῦ Ἰσραήλ, ἄχρι χρόνων Σολομῶντος, καὶ τῆς τοῦ ναοῦ κατασκευῆς. Ὁμολογία τῆς ὑπερουρανίου δόξης Ἰησοῦ Χριστοῦ ἀποκαλυφθείσης αὐτῷ, ἐφ᾽ ᾗ λιθόλευστος γενόμενος ὁ Στέφανος, εὐσεβῶς ἐκοιμήθη. cap.6.v.8. *ad finem, & c.7. totum.*

θ' Περὶ διωγμοῦ τῆς ἐκκλησίας, καὶ ταφῆς Στεφάνου. Ἐν ᾧ, περὶ Φιλίππου τοῦ ἀποστόλου, πολλοὺς ἰασαμένου ἐν τῇ Σαμαρείᾳ. cap.8.v.1 8.

X. ι' Περὶ Σίμωνος τοῦ μάγου, πιστεύσαντος καὶ βαπτισθέντος, τοῖς τε ... Ἐν ᾧ περὶ τοῦ Πέτρου καὶ Ἰωάννου πρὸς αὐτοὺς ἀποστολῆς. καὶ ἐπίκλησις τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐπὶ τοὺς βαπτισθέντας. cap.8.v.9.17.

ια' Ὅτι οὐ δι᾽ ἀργυρίου, οὐδὲ ὑποκριτῆς, ἀλλ᾽ ἁγίοις διὰ πίστεως ἡ μετοχὴ τοῦ ἁγίου πνεύματος δίδοται. Ἐν ᾧ, περὶ ὑποκρίσεως καὶ ἐπιπλήξεως Σίμωνος. cap.8 v.18.25.

ιβ' Ὅτι τοῖς ἀγαθοῖς καὶ πιστοῖς εὐοδοῖ ὁ Θεὸς τὴν σωτηρίαν, δῆλον ἐκ τῆς κατὰ τὸν εὐνοῦχον ὑποθέσεως. c.8. v.26. *usque ad finem.*

ιγ' Περὶ τῆς οὐρανόθεν θείας κλήσεως Παύλου, εἰς ἀποστολὴν Χριστοῦ. Ἐν ᾧ, περὶ ἰάσεως καὶ βαπτίσματος Παύλου διὰ Ἀνανίου κατὰ ἀποκάλυψιν Θεοῦ. παρρησίας τε αὐτοῦ καὶ συντυχίας τῆς διὰ Βαρνάβα πρὸς τοὺς ἀποστόλους. cap.9.v.1.31.

ιδ' Περὶ Αἰνέα παραλυτικοῦ ἰαθέντος ἐν Λύδδῃ διὰ Πέτρου. Ἐν ᾧ, περὶ Ταβιθᾶ τῆς φιλοχρήστου, ἣν ἤγειρεν ἐκ νεκρῶν ὁ Πέτρος διὰ προσευχῆς ἐν Ἰόππῃ. c.9.v.32. *usque ad finem.*

ιε' Περὶ Κορνηλίου, ὅσα τε πρὸς αὐτὸν ὁ ἄγγελος, καὶ ὅσα πάλιν πρὸς Πέτρον οὐρανόθεν περὶ κλήσεως ἐθνῶν ἐρρέθη. Ἐν ᾧ, Ὅτι μετασταλεὶς ὁ Πέτρος ἦλθε πρὸς Κορνήλιον. Ἐπανάληψις ὧν ὁ ἄγγελος ἐπεμαρτύρησε καὶ ὑφηγήσατο Κορνηλίῳ. Πέτρου κατήχησις εἰς Χριστὸν, τοῦ τε ἁγίου πνεύματος ἐπὶ τοὺς ἀκούοντας δωρεά. καὶ ὅπως ἐβαπτίσθησαν τότε οἱ ἐξ ἐθνῶν πιστεύσαντες. cap.10. *totum.*

ις' Ὡς Πέτρος τὰ καθεξῆς καὶ τὰ ἕκαστα τῶν γεγονότων διηγεῖται τοῖς ἀποστόλοις διαμεμφθεὶς πρὸς αὐτὸν, τοτηνικάδε Βαρνάβαν ἐκπέμψαντι πρὸς τοὺς ἐν Ἀντιοχείᾳ ἀδελφούς. cap.11. *versu* 1.26.

ιζ' Προφητεία Ἀγάβου περὶ λιμοῦ οἰκουμενικῆς καὶ χρηστοφορίας, πρὸς τοὺς ἐν Ἀντιοχείᾳ ἀδελφούς. cap.11.v.27. *ad finem.*

ιη' Ἰακώβου τοῦ ἀποστόλου κατασφαγή. Ἐν ᾧ, Πέτρου σύλληψις πρὸς Ἡρώδην. ὅπως τε αὐτὸν ὁ ἄγγελος θείῳ κελεύσματι ἐξείλετο τῶν δεσμῶν. καὶ ὁ Πέτρος ἐμφανὴς γενόμενος νύκτωρ τοῖς ἀδελφοῖς, ὑπανεχώρησεν. Ἐν ᾧ, Περὶ τῆς τῶν φυλάκων κολάσεως. καὶ μετέπειτα περὶ τῆς τοῦ ἀσεβοῦς Ἡρώδου πικρᾶς τε καὶ ὀλεθρίου καταστροφῆς. cap.12.v.17.

ιθ' Ἀποστολὴ Βαρνάβα καὶ Παύλου πρὸς τοῦ θείου πνεύματος εἰς Κύπρον, ὅσα τε εἰργάσαντο ἐν ὀνόματι Χριστοῦ εἰς Ἐλύμαν τὸν μάγον. cap.12.v.ult. *& c.13.12.*

XX. κ' Παύλου εὐτελὴς διδασκαλία εἰς Χριστὸν, ἔκ τε τοῦ νόμου καὶ καθεξῆς τῶν προφητῶν, ἱστορικὴ καὶ εὐαγγελική. Ἐν ᾧ, καὶ ἐλεγκτικὴ, καὶ συλλογιστική. Περὶ μεταθέσεως τοῦ κηρύγματος εἰς τὰ ἔθνη. διωγμοῦ τε αὐτῶν ἐκεῖθεν, καὶ ἀφίξεως εἰς Ἰκόνιον. c.13. v.13. *usque ad finem.*

κα' Ὅπως ἐν Ἰκονίῳ κηρύξαντες τὸν Χριστὸν, πολλῶν τε πιστευσάντων, ἐδιώχθησαν οἱ ἀπόστολοι. c.14 v.1.7.

κβ' Περὶ τοῦ ἐν Λύστροις ἐκ γενετῆς χωλοῦ ἰαθέντος διὰ τῶν ἀποστόλων. διόπερ εἶναί τε ἔδοξαν θεοὶ καὶ παρεῖναι τοῖς ἐγχωρίοις. ἔνθα δὴ καὶ μετέπειτα λιθάζεται ὁ Παῦλος παρὰ τῶν Ἰουδαίων τῶν ἀσυγκρότων. c.14.v.8. *ad finem.*

κγ' Ὅτι οὐ δεῖ περιτέμνεσθαι τοὺς ἐξ ἐθνῶν πιστεύοντας δόγματι καὶ κρίσει τῶν ἀποστόλων. Ἐν ᾧ, Ἐπιστολὴ αὐτῶν πρὸς τοὺς ἐξ ἐθνῶν, περὶ τῶν φυλακτέων. Ἀντίρρησις Παύλου πρὸς Βαρνάβαν, περὶ Μάρκου. cap.15. *totum.*

κδ' Περὶ τῆς κατηχήσεως Τιμοθέου, καὶ τῆς κατὰ ἀποκάλυψιν ἀφίξεως Παύλου εἰς Μακεδονίαν. Ἐν ᾧ, Περὶ πίστεως καὶ σωτηρίας τινὸς γυναικὸς Λυδίας. Καὶ περὶ ἰάσεως τῆς πνεῦμα πύθωνος ἐχούσης παιδίσκης, δι᾽ ἣν τὸν Παῦλον καθεῖρξαν οἱ δεσπόται. περὶ τοῦ συμβάντος ἐκεῖσε σεισμοῦ καὶ θαύματος, καὶ ὅπως πιστεύσας ὁ εἱρκτοφύλαξ, ἐν αὐτῇ τῇ νυκτὶ ἐβαπτίσθη πανέστιος. Ὅτι παρακληθέντες ἐξῆλθον τότε ἐκ τοῦ δεσμωτηρίου οἱ ἀπόστολοι. c.16. *totum.*

κε' Περὶ στάσεως γενομένης ἐν Θεσσαλονίκῃ, τοῦ κηρύγματος ἕνεκεν· φυγῆς τε Παύλου εἰς Βέρροιαν, κἀκεῖθεν εἰς Ἀθήνας. cap. 17. v.1.14.

κς' Περὶ τῆς ἐν Ἀθήναις ἐπιβωμίου γραφῆς, φιλοσόφου τε κηρύγματος, καὶ εὐσεβείας τοῦ Παύλου. cap.17.v.15. *usque ad finem.*

κζ' Περὶ Ἀκύλα καὶ Πρισκίλλης, καὶ τῆς Κορινθίων ἀπειθείας, τῆς τε κατὰ πρόγνωσιν ἐπ᾽ αὐτοῖς εὐδοκίας τοῦ Θεοῦ ἀποκαλυφθείσης τῷ Παύλῳ. Ἐν ᾧ, Περὶ Κρίσπου ἀρχισυναγώγου, πιστεύσαντος σὺν ἑτέροις τισὶ, καὶ βαπτισθέντος. Ὅτι στάσεως κινηθείσης ἐν Κορίνθῳ, ὁ Παῦλος ὑπεχώρησεν· ἐλθών τε εἰς Ἔφεσον καὶ διαλεχθεὶς, ἐξῆλθεν. περὶ Ἀπολλὼ ἀνδρὸς λογίου τε καὶ πιστοῦ. c.18. *totum.*

κη' Περὶ βαπτίσματος, καὶ τῆς τοῦ ἁγίου πνεύματος δωρεᾶς δοθείσης διὰ προσευχῆς Παύλου τοῖς ἐν Ἐφέσῳ πιστεύσασι. καὶ περὶ ἰάσεως τοῦ λαοῦ. Ἐν ᾧ, Περὶ τῶν υἱῶν Σκευᾶ ὅπερ οὐ δεῖ ἐγχειρεῖν ἀπίστοις, καὶ ἀναξίοις τῆς πίστεως γενομένοις. καὶ περὶ ἐξομολογήσεως τῶν πιστευόντων. Περὶ τῆς ἐν Ἐφέσῳ κινηθείσης στάσεως ὑπὸ Δημητρίου τοῦ ἀργυροκόπου κατὰ τῶν ἀποστόλων. cap.19. *totum.*

κθ' Περίοδος Παύλου, ἐν ᾗ περὶ θανάτου καὶ ἀνακλήσεως Εὐτύχου διὰ προσευχῆς ἐν Τρωάδι. παραίνεσίς τε αὐτοῦ ποιμαντικὴ πρὸς τοὺς ἐν Ἐφέσῳ πρεσβυτέρους. Ἐν ᾧ, παράπλους Παύλου ἀπὸ Ἐφέσου ἄχρι Καισαρείας τῆς Παλαιστίνης. cap. 20. *totum, & cap.21.v.1.9.*

XXX. λ' Ἀγάβου προφητεία περὶ τῶν συμβησομένων τῷ Παύλῳ ἐν Ἱερουσαλήμ. c.21.v.10.14.

λα' Παραίνεσις Ἰακώβου πρὸς Παῦλον, περὶ τοῦ μὴ δοκεῖν κωλύειν Ἑβραίοις περιτέμνεσθαι. c.21.v.15.25.

λβ' Περὶ τῆς ἐν Ἱερουσαλὴμ κατὰ Παύλου κινηθείσης ἀταξίας· ὅπως τε αὐτὸν ὁ χιλίαρχος τοῦ πλήθους ἐξαιρεῖται. Ἐν ᾧ, Παύλου κατάστασις περὶ ἑαυτοῦ, καὶ τῆς εἰς ἀπόστολον αὐτοῦ κλήσεως. Περὶ ὧν ὁ Ἀνανίας πρὸς τὸν Παῦλον ἐν Δαμασκῷ εἶπεν, ὀπτασίας τε καὶ φωνῆς Θεοῦ γενομένης πρὸς αὐτὸν ἐν τῷ ἱερῷ. Ὃς μέλλων ἐπὶ τούτοις ὁ Παῦλος τύπτεσθαι, εἰπὼν ὅτι Ῥωμαῖός ἐστιν, ἀνείθη. cap.21. v.26. *usque ad finem, & c.22.1.29.*

λγ' Ὅσα Παῦλος καταβὰς εἰς τὸ συνέδριον, ἔπαθέ τε καὶ εἶπε, καὶ εὐθυβόλως ἔπραξε. c.22.v.ult. *& c.23.v.1.19.*

λδ' Περὶ ἐπιβουλῆς μελετωμένης ὑπὸ Ἰουδαίων κατὰ Παύλου, καὶ

καὶ μειώσεως αὐτῆς πρὸς Λυσίαν. Ἐν ᾧ, Ὅτι παρεπέμφθη ὁ Παῦλος τῷ ἡγεμόνι εἰς τὴν Καισάρειαν μετὰ στρατιωτῶν καὶ χαμιλιάρχων. cap.23.v.2 .vsque ad finem.

λε Τερτύλλου περὶ Παύλου κατηγορία, καὶ αὐτοῦ ἀπολογία ἐπὶ τοῦ ἡγεμόνος. cap.24.v.1.26.

λς΄ Περὶ τῆς Φήλικος διαδοχῆς, καὶ τῆς Φήστου προσαγωγῆς. τῆς τε ἐπ᾿ αὐτοῦ ἀνακρίσεως Παύλου καὶ ἐφέσεως. cap. 24. v. 27. cap.25. v. 1.12.

λζ΄ Ἀγρίππα καὶ Βερνίκης παρουσία, καὶ πεῦσις τῶν κατὰ Παῦλον. Ἐν ᾧ, ἀπολογία Παύλου ἐπ᾿ αὐτῶν, περὶ τῆς ἐν νόμῳ θρησκείας αὐτοῦ, καὶ κλήσεως εἰς τὸ εὐαγγέλιον. Ὡς οὐδὲν ἀδικεῖ Ἰουδαίοις ὁ Παῦλος, Ἀγρίππας ἔφη τῷ Φήστῳ c.25.vers.13.c.26.

λη΄ Πλοῦς Παύλου ἐπὶ Ῥώμην, κινδύνων τε πλείστων καὶ μεγίστων πάμπολυς. Ἐν ᾧ, Παραίνεσις Παύλου πρὸς τοὺς σὺν αὐτῷ, περὶ ἐλπίδος σωτηρίας. Ναυάγιον Παύλου, ὅπως τε διεσώθησαν εἰς Μελίτην νῆσον. καὶ ὅσα ἐν αὐτῇ ὁ Παῦλος ἐθαυματούργησεν. cap.27.

λθ΄ Ὅπως ἀπὸ Μελίτης εἰς Ῥώμην κατήντησεν ὁ Παῦλος. cap.28.v.1.16.

XL. μ΄ Περὶ διαλέξεως Παύλου, τῆς πρὸς τοὺς ἐν Ῥώμῃ Ἰουδαίους. cap.28.v.17.vsque ad finem.

ΚΕΦΑ΄ΛΑΙΑ ΤΗ͂Σ ΠΡΟ͂Σ ῬΩΜΑΙ΄ΟΥΣ
ἐπιστολῆς, ἔχοντα τινὰς μερικὰς ὑποδιαιρέσεις.

Εὐαγγελικὴ διδασκαλία περί τε τῶν ἔξω χάριτος Χριστοῦ καὶ τῶν ἐν χάριτι καὶ περὶ ἐλπίδος, καὶ πολιτείας πνευματικῆς.

α΄ Πρῶτον μετὰ τὸ προοίμιον, περὶ κρίσεως τῆς κατὰ ἐθνῶν τῶν οὐ φυλασσόντων τὰ φυσικά. cap.1.

β΄ Περὶ κρίσεως τῆς κατὰ Ἰσραὴλ τοῦ μὴ φυλάσσοντος τὰ νομικά. cap.2.

γ΄ Περὶ ὑπεροχῆς Ἰσραὴλ τοῦ τυγχάνοντος τῆς ἐπαγγελίας. cap.3.v.1.21.

δ΄ Περὶ χάριτος δι᾿ ἧς μόνον ἄνθρωποι δικαιοῦνται, οὐ κατὰ γένος διακεκριμένως, ἀλλὰ κατὰ Θεοῦ δόσιν ἰσοτίμως, κατὰ τὸν Ἀβραὰμ τύπον. c.3.v.22. vsque ad finem, & c.4. totum.

ε΄ Περὶ τῆς ἀποκειμένης ἐλπίδος. c.5.v.1.6.

ς΄ Περὶ εἰσαγωγῆς τοῦ πρὸς σωτηρίαν ἡμῶν ἀνθρώπου Ἰησοῦ Χριστοῦ, ἀντὶ τοῦ πεσόντος ἐξ ἀρχῆς γηγενοῦς Ἀδάμ. c.5.v.7.vsque ad finem.

ζ΄ Περὶ τῆς ὀφειλομένης ἐπὶ τῇ πίστει πράξεως ἀγαθῆς. cap.6. vers.1. 15.

η΄ Ἐπανάληψις περὶ τῆς ἐν χάριτι ζωῆς. c.6.v.16.vsq; ad finem.

θ΄ Περὶ τῆς ὑπὸ νόμου κατακρίσεως διὰ τὴν ἁμαρτίαν. c 7.v.1.4.

X. ι΄ Περὶ τῶν ἐν ἀνθρωπίνῃ φύσει παθῶν ἀδύνατον ποιούντων τὴν πρὸς νόμον συμφωνίαν. c.7.v.5.vsque ad finem.

ια΄ Περὶ τῆς ἀποδύσεως τῶν φυσικῶν παθημάτων διὰ τῆς πρὸς τὸ πνεῦμα συναφείας. c.8 v.1.14.

ιβ΄ Ἐπανάληψις περὶ τῆς ἀποκειμένης τοῖς ἁγίοις δόξης. cap. 8. vers. 14.34.

ιγ΄ Περὶ τῆς ὀφειλομένης ἀγάπης Χριστῷ. c.8.v.35.vsq; ad finem.

ιδ΄ Περὶ ἐκπτώσεως Ἰσραὴλ τοῦ ἀποβληθέντος, καὶ κλήσεως τοῦ ἀληθοῦς τοῦ ἐκλεχθέντος μετὰ τῶν ἐθνῶν. c.9.10 & 11.v.1.19.

ιε΄ Ὅτι κατὰ ἀπιστίαν ἡ ἔκπτωσις διὰ τῆς εἰς ἄγνοιαν ἐγκαταλείψεως καὶ τοῦ μὴ ἁρμόζοντος αὐτοῖς κηρύγματος. c.11.v.20.24.

ις΄ Περὶ τοῦ σκοποῦ καθ᾿ ὃν ἐξεβλήθησαν, ὥστε δεύτερον ἐπανελθεῖν, ζήλῳ τῶν προσληφθέντων ἐθνῶν συναχθέντων τῇ πίστει Ἰσραήλ. c.11.v.25.ad finem.

ιζ΄ Παραίνεσις περὶ ἀρετῆς, τῆς πρὸς Θεὸν καὶ ἀνθρώπους. Ἐν ᾧ, Περὶ τῆς εἰς ἀλλήλους ὁμονοίας. Περὶ τῆς πρὸς Θεὸν λατρείας. Περὶ τῆς πρὸς ἀντικειμένους ἀνεξικακίας. Περὶ τῆς πρὸς ἄρχοντας ὑποταγῆς. Περὶ σωφροσύνης καὶ πραότητος. Περὶ τῆς ἐν βρώμασι καὶ ἡμέραις ἀμάχου διαγνοίας. cap.12.13 & 14.

ιη΄ Περὶ μιμήσεως τῆς Χριστοῦ ἀνεξικακίας. c.15.v.1.14.

ιθ΄ Περὶ τῆς λειτουργίας αὐτοῦ τῆς ἐν ἀνατολῇ καὶ δύσει. c.15. v.15.vsque ad finem.

ΚΕΦΑ΄ΛΑΙΑ ΤΗ͂Σ ΠΡΟ͂Σ ΚΟΡΙΝΘΙ΄ΟΥΣ
πρώτης ἐπιστολῆς, ἔχοντα τινὰς ὑποδιαιρέσεις.

Περὶ πλειόνων καὶ διαφόρων ἡ ἐπιστολὴ διόρθωσιν ἔχει τῶν Κορινθίοις ἡμαρτημένων.

α΄ Μετὰ τὸ προοίμιον, περὶ τοῦ μὴ διχονοεῖν πρὸς ἀλλήλους ἐκ φιλοδοξίας τῆς ἐπὶ σοφίᾳ ἀνθρωπίνῃ. Ἐν ᾧ, Περὶ θείας σοφίας. Περὶ λειτουργῶν. Περὶ τοῦ μὴ κρίνειν διδασκάλους. Περὶ τοῦ μὴ ἐπαίρεσθαι cap.1.2.3.& 4.

β΄ Κατὰ πόρνων καὶ πορνείας, καὶ τῶν τούτοις κοινωνούντων. cap.5. totum.

γ΄ Περὶ τοῦ μὴ δεῖσθαι δικῶν, καὶ ταῦτα ἐπὶ ἀπίστων. Ἐν ᾧ, Περὶ τοῦ μὴ πορνεύειν. c.6.totum.

δ΄ Περὶ γάμου καὶ χηρείας καὶ ἀγαμίας. Ἐν ᾧ, Περὶ τοῦ μὴ χωρίζεσθαι ἄνδρας τῶν γυναικῶν, μηδὲ εἰ ἄπιστοι εἶεν οἱ ἕτεροι. Περὶ ἁγνείας καὶ διγαμίας. cap.7.

ε΄ Περὶ διαφορᾶς ἐδεσμάτων, καὶ ἀποχῆς δαιμονικοῦ σεβάσματος. Ἐν ᾧ, Περὶ τῆς ἑαυτοῦ πολυτρόπου συμπεριφορᾶς. Περὶ τοῦ μὴ κοινωνεῖν δαίμοσι. Περὶ τοῦ ἀδιαφορεῖν ἐν δείπνοις καὶ κλήσεσιν. cap.8.9.10.

ς΄ Περὶ σχήματος ἀνδρῶν καὶ γυναικῶν ἐν εὐχαῖς καὶ προφητείαις. c.11.v 1.15.

ζ΄ Περὶ κοινωνίας θεοπρεποῦς, οὐ πλημμελικῆς. cap.11.v.15. ad finem.

η΄ Περὶ διαφορᾶς χαρισμάτων καὶ οἰκονομίας αὐτῶν. Ἐν ᾧ Περὶ ἀγάπης ὡς μεγίστου χαρίσματος. Περὶ προφητείας, ὡς μείζονος γλώσσης. c 12.13.14.

θ΄ Περὶ ἀναστάσεως σωμάτων καθολικῆς. Ἐν ᾧ, Περὶ τῆς ἐν Χριστῷ διορθώσεως, καὶ ἀποκαταστάσεως. Ὁμοίωσις τῶν ἀνισταμένων πρὸς τὰ ἀναφυόμενα σπέρματα. Περὶ τῆς εἰς δόξαν καὶ δύναμιν ἀλλαγῆς. cap.15.

ΚΕΦΑ΄ΛΑΙΑ ΤΗ͂Σ ΠΡΟ͂Σ ΚΟΡΙΝΘΙΟΥΣ
δευτέρας ἐπιστολῆς ἔχοντα τινὰς ὑποδιαιρέσεις

α΄ Εὐχαριστία περὶ Θεοῦ βοηθείας, ᾗ πεποιθέναι φησί, c.1.

β΄ Περὶ ἀγάπης τῆς πρὸς αὐτοὺς, καὶ φειδοῦς εἰς τὸ μὴ λυπεῖν, εἰ καὶ λυπῶν ὠφελεῖ, ὡς ἐπὶ τοῦ διὰ πορνείαν ἐπιτιμηθέντος, ᾧ καὶ συγχωρεῖ. c.2.v.1.11.

γ΄ Περὶ τῆς δι᾿ αὐτοῦ θείας ὠφελείας τοῖς ἐπιτηδείοις, δι᾿ ἧς καὶ συνίστασθαί φησι. c.2.v.12 c.3.totum.

δ΄ Περὶ τῆς κατὰ πνεῦμα λειτουργίας, καὶ δόξης θειοτέρας τῆς κατὰ τὸν νόμον. c.4.v.1.16.

ε΄ Περὶ τῆς θείας δόξης, καὶ τοῦ ἀκολούθου βίου, ὅτι τοῖς ἁγίοις γινώσκεται. c.4.v.17.18.

ς΄ Περὶ τῆς κατὰ σῶμα ἀσθενείας, καὶ τῆς τοῦ σώματος ἀποθέσεως καὶ ἐπαναλήψεως. cap.5.

ζ΄ Περὶ τῆς ἑαυτοῦ φιλοθεότητος καὶ φιλαδελφίας τῆς κατὰ Χριστόν. cap.6.

η΄ Ἀποδοχὴ τῆς Κορινθίων ὑπακοῆς καὶ ἀγάπης εὐφραινούσης αὐτόν. cap.7.

θ΄ Προτροπὴ πρὸς ἐπίδοσιν χρημάτων τοῖς ἁγίοις, καὶ τιμὴ τῶν διὰ τοῦτο ἐρχομένων. Περὶ τῆς Τίτου ἀποστολῆς, καὶ τῶν ἄλλων πρὸς αὐτούς. c.8.9.10.

X. ι΄ Διήγησις τῶν ἰδίων πόνων, καὶ προθέσεως, καὶ τῆς ἐπ᾿ αὐτῷ χάριτος, πρὸς τὸ μὴ τοῖς ἐπιπλάστοις προσέχεσθαι Κορινθίους. Ἐν ᾧ, Ἀντεξέτασις ἑαυτοῦ πρὸς ἐκείνους. Ἔλεγχος ἐκείνων. cap.11. & 12. v.1.11.

ια΄ Περὶ ἑαυτοῦ, τὸ ἐπίπονον, τὸ παρὰ Θεῷ τίμιον, τὸ ὠφελίμως αὐτότροφον. Παρασκευὴ πρὸς τὴν μέλλουσαν ἑαυτοῦ παρουσίαν. c 12.v.12 & c.13.

ΚΕΦΑ΄ΛΑΙΑ ΤΗ͂Σ ΠΡΟ͂Σ ΓΑΛΑ΄ΤΑΣ
ἐπιστολῆς Παύλου.

I. α΄ Μετὰ τὸ προοίμιον, διήγησις τῆς ἑαυτοῦ μεταστάσεως ἀπὸ Ἰουδαϊσμοῦ κατὰ ἀποκάλυψιν. c.1.

β΄ Περὶ τῆς τῶν ἀποστόλων ἐπιμαρτυρήσεως εἰς τὴν ἐν πίστει ζωήν. c.2. v.1.10.

γ΄ Περὶ τῆς πρὸς Κηφᾶν ἀντιρρήσεως, ὑπὲρ τῆς ἐν πίστει καὶ οὐκ ἐν νόμῳ σωτηρίας. c.2.v.11.15.

δ΄ Ὅτι διὰ πίστεως ὁ ἁγιασμὸς, οὐ διὰ νόμου. c.2. v.15.ad finem. c.3.v.1.5.

ε΄ Ὅτι καὶ ὁ Ἀβραὰμ ἐκ πίστεως ἐδικαιώθη εἰς τύπον ἡμῶν. cap. 3. vers.6.9.

ς΄ Ὅτι ὁ νόμος οὐ δικαιοῖ, ἀλλ᾿ ἐλέγχει, καὶ κατάραν ἐπιτίθησιν, ἣν λύει ὁ Χριστός. c.3.v.10.15.

ζ΄ Ὅτι οὐκ ἐκ νόμου ἀλλ᾿ ἐξ ἐπαγγελίας τὰ ἀγαθά. ὁ δὲ νόμος παρασκευαστὴς δι᾿ ἐλέγχου. c.3.v.16.22.

η΄ Ὅτι ὑπὸ κρίσιν ἦσαν οἱ ἐν νόμῳ. c.3.v.23.vsque ad finem.

θ΄ Ὅτι ἐν τῇ ἐλευθέρᾳ γυναικὶ τοῦ Ἀβραὰμ καὶ τῷ γνησίῳ παιδὶ ὑποτυπωθέντας, οὐ χρὴ δουλεύεσθαι νόμῳ. c.4.v.21.vsque ad finem.

X. ι΄ Ὅτι ἡ κλῆσις ἡμῶν οὐχ ὑπόκειται περιτομῇ καὶ νόμῳ διὰ τὸ Χριστοῦ πάθος. c.5.v.1.12.

ια΄ Ὑπογραφὴ τῆς κατὰ πνεῦμα ἐλευθερίας. c.5. v.13. ad finem. cap.6.v.1.11.

ιβ΄ Ἀποτροπὴ ἀπὸ τῶν ἑλκόντων ἐπὶ τὴν περιτομὴν, καὶ προτροπὴ πρὸς νέαν ζωὴν τὴν ἐν πνεύματι c.6. v.12.vsque ad finem.

ΚΕΦΑ΄ΛΑΙΑ ΤΗ͂Σ ΠΡΟ͂Σ ἘΦΕ-
σίους ἐπιστολῆς Παύλου.

α΄ Περὶ τῆς ἐν Χριστῷ ἐκλογῆς ἡμῶν καὶ εἰσαγωγῆς καὶ τελειώσεως. cap.1.v.1.14.

β΄ Εὐχὴ περὶ γνώσεως τῶν ἐν Χριστῷ εἰσαχθέντων ἀγαθῶν εἰς ἡμᾶς. cap.1.v.15.ad finem.

γ΄ Περὶ τῆς ἐθνῶν καὶ Ἰουδαίων οἰκειώσεως πρὸς Θεὸν διὰ Χριστοῦ ἐπ᾿ ἐλπίδι κατὰ χάριν. cap.2.

δ΄ Περὶ τῆς δεδομένης αὐτῷ θείας σοφίας, εἰς φωτισμὸν ἐθνῶν, καὶ ἔλεγχον δαιμονίων. cap 3.v.1 13.

ε΄ Εὐχὴ ὑπὲρ τῆς ἐκκλησίας εἰς δύναμιν καὶ ἀγάπην Θεοῦ. cap.v.14 3.ad finem.

ς΄ Παραίνεσις περὶ ἀγάπης ἑνωτικῆς, ᾗ καὶ τὰ χαρίσματα διήρηνται, πρὸς ὠφέλειαν κοινήν. cap.4.v.1.16.

ζ΄ Περὶ σωφροσύνης καὶ δικαιοσύνης ποιούσης ἡμᾶς θεοειδεῖς. cap.4 v.17.24.

η΄ Περὶ τοῦ ζῆν ἐπαξίως τοῦ ἁγιασμοῦ, ἔργοις τὴν κακίαν ἐλέγχοντας, μὴ λόγοις· πνεύματι δὲ πληρουμένους διὰ ψαλμῶν, μὴ οἴνῳ. c.4.v.25.ad finem & c.5.v.1.21.

θ΄ Διάταξις οἰκιακῶν καθηκόντων ἀρχομένοις καὶ ἄρχουσι κατὰ Χριστόν. c.5.v.22.vsque ad finem, & c.6.v.1.9.

X. ι' Ἐν σχήματι ὁπλίσεως περὶ τῆς κατὰ Χριστὸν δυνάμεως. *cap.6.v.10.usque ad finem.*

ΚΕΦΑ'ΛΑΙΑ ΤΗ͂Σ ΠΡΟ'Σ ΦΙΛΙΠ-πησίους ἐπιστολῆς Παύλου.

α' Εὐχαριστία ὑπὲρ τῆς Φιλιππησίων ἀρετῆς, καὶ εὐχὴ τελειώσεως. *cap.1.v.1.11.*

β' Διήγησις τῆς ἑαυτοῦ διαγωγῆς ἀγωνιστικῆς, καὶ τῆς προθυμίας. *cap.1.v 12 26.*

γ' Παραίνεσις τῆς κατὰ Θεὸν ὁμονοίας, καὶ τῆς ἐνθέου ζωῆς. *c 1. v.27.usque ad finem, & c.2.v.1.18.*

δ' Περὶ Τιμοθέου καὶ Ἐπαφροδίτου, οὓς ἀπέστελλε πρὸς αὐτούς. *c.2. v 19.usque ad finem.*

ε' Περὶ τοῦ πνευματικοῦ βίου τοῦ μὴ ἐν σαρκὶ, ὅς ἐστι μίμησις τοῦ θανάτου τοῦ Χριστοῦ. *c.3.*

ς' Παραινέσεις ἴδιαι τινῶν, καὶ κοιναὶ πάντων. *c.4.v.1.9.*

ζ' Ἀποδοχὴ τῆς ἀποσταλείσης αὐτῷ διακονίας. *c.4.v.10.ad finem.*

ΚΕΦΑ'ΛΑΙΑ ΤΗ͂Σ ΠΡΟ'Σ ΚΟ-λοσσαεῖς ἐπιστολῆς.

α' Εὐχαριστία ὑπὲρ Κολασσαέων οἰκειωθέντων τῷ Θεῷ ἐπ' ἐλπίδι. *cap.1.v.1.8.*

β' Εὐχὴ περὶ αὐτῶν εἰς σοφίαν πρακτικὴν, εἰς δύναμιν ὑπομονῆς, σὺν εὐχαριστίᾳ τῆς οἰκειώσεως τῆς ἐν καθάρσει. *c.1.v.9.12.*

γ' Περὶ τῆς ἐν Χριστῷ κτίσεως καὶ ἀνακτίσεως τῆς κατὰ συνάφειαν Θεοῦ. *cap.1.v.13.20.*

δ' Περὶ ἐθνῶν προσαγωγῆς τῆς ἐν σώματι Χριστοῦ καὶ πάθει διὰ πίστεως. *cap.1.v.21 24*

ε' Περὶ τῆς διὰ τῶν πόνων αὐτοῦ διδαχῆς ἀνακλητικῆς εἰς παράστασιν Θεοῦ. *c.1.v.25.ad finem, & c.2.v.1.7.*

ς' Περὶ τοῦ μὴ ὑπάγεσθαι τῇ ἀνθρωπίνῃ φιλοσοφίᾳ ἀπατηλῇ τοὺς ἐν Χριστῷ σοφίαν ἔχοντας. *cap.2.v.8.*

ζ' Ὅτι ἡ πρὸς Θεὸν συνάφεια καὶ τὰ τοῦ νόμου περιέχει πνευματικῶς, εἰς τὸ συζῆν Χριστῷ. *c.2.v.9.15.*

η' Ὅτι οἱ τοῦ σαρκικοῦ νόμου τύποι τοῖς σαρκικοῖς χρήσιμοι, καὶ οὐ πνευματικοῖς τοῖς ἐν δυνάμει Θεοῦ ζῶσιν. *c.2.v.16.ad finem.*

θ' Παραίνεσις περὶ καθάρσεως, ἁγιασμοῦ, φιλανθρωπίας, φιλαδελφότητος, φιλομαθείας, Ψαλμῳδίας, εὐρήμου εἰς Θεὸν διαγωγῆς, εὐχαριστίας. *c.3. v.1.17.*

X. ι' Τὰ πρὸς τοὺς οἰκείους ὁμονοητικῶς. Ἐν ᾧ, Τὰ πρὸς τοὺς ἀλλοτρίους ἐμφρόνως, οἰκονομικῶς. *c.3.v.18.ad finem, & c.4.*

ΚΕΦΑ'ΛΑΙΑ ΤΗ͂Σ ΠΡΟ'Σ ΘΕΣΣΑ-λονικεῖς πρώτης ἐπιστολῆς.

α' Ἔπαινος τῶν Θεσσαλονικέων ἐπὶ τοῖς ἀξίοις τῶν ἀποστόλων ἀγῶσι. *cap.1.*

β' Πόθος αὐτῶν, καὶ χαρὰ ἐπ' αὐτοῖς, καὶ μέριμνα ἕως ἂν πληροφορηθῶσιν. *c.2.v.1.10.*

γ' Εὐχὴ πρὸς Θεὸν περὶ τῆς ἀφίξεως αὐτοῦ, καὶ περὶ αὐξήσεως καὶ βεβαιώσεως Θεσσαλονικέων, ἕως τῆς Χριστοῦ παρουσίας. *c.3.v.11. ad finem.*

δ' Παραίνεσις σωφροσύνης καὶ δικαιοσύνης ὡς ἐπὶ κρίσει, φιλαδελφίας, ἐργασίας ἰδιοπράγμονος. *c.4.v.1.11.*

ε' Διδασκαλία περὶ τῆς τοῦ θανάτου καταλύσεως ἐπὶ ζώντων καὶ νεκρῶν, ἐν ἐπιφανείᾳ Χριστοῦ. *c.4. v.13.usque ad finem.*

ς' Περὶ τοῦ αἰφνιδίως ἥξειν Χριστὸν, ὥστε δεῖν εὐτρεπίζεσθαι σπουδῇ, πίστει, ἐλπίδι, ἀγάπῃ, τιμῇ, εἰρήνῃ, μακροθυμίᾳ, φιλομαθίᾳ. *cap.5 v.1.22.*

ζ' Εὐχὴ περὶ ἁγιασμοῦ πνεύματος, καὶ ψυχῆς, καὶ σώματος. *c 5.v.23. ad finem.*

ΚΕΦΑ'ΛΑΙΑ ΤΗ͂Σ ΠΡΟ'Σ ΘΕΣΣΑ-λονικεῖς δευτέρας ἐπιστολῆς.

α' Εὐχαριστία ὑπὲρ τῆς τῶν Θεσσαλονικέων πίστεως, καὶ ἀγάπης, καὶ ὑπομονῆς, ἐπὶ τιμῇ αὐτῶν, καὶ κολάσει τῶν θλιβόντων. Καὶ εὐχὴ ὑπὲρ τελειώσεως αὐτῶν ἐν δόξῃ Χριστοῦ. *c.1.*

β' Περὶ τέλους, ὅτι μετὰ ἀντίχριστον τὸν πεμπόμενον ἐπὶ ἐλέγχῳ Ἰουδαίων τῶν ἀπιστησάντων Χριστῷ. *c.2.v.1.12.*

γ' Εὐχαριστία ὑπὲρ τῆς κλήσεως, προτροπὴ ἐπιμόνου εὐχῆς πρὸς Χριστὸν τὸν Θεὸν ἐπὶ στηριγμῷ αὐτῶν. *c.2.v.13.usque ad finem.*

δ' Παράκλησις εὐχῆς ὑπὲρ αὐτοῦ καὶ τοῦ ἔργου. Εὐχὴ ὑπὲρ αὐτῶν εἰς ἀγάπην Θεοῦ. *cap.3. v.1.5.*

ε' Προτροπὴ ἐργασίας καὶ παραιτήσεως τῶν ἀργῶν καὶ περιέργων. *cap.3. v.6.15.*

ς' Εὐχὴ ὑπὲρ εἰρήνης τῆς παρὰ Θεοῦ. *c.3.v.16.ad finem.*

ΚΕΦΑ'ΛΑΙΑ ΤΗ͂Σ ΠΡΟ'Σ ΤΙΜΟ'-θεον ἐπιστολῆς πρώτης.

α' Περὶ τῆς εἰς ἀγάπην Θεοῦ ὁδηγίας, τὴν ἀπροσδεῆ νομικῆς ἀνάγκης. *cap.1.v.1.10.*

β' Περὶ τῆς ἑαυτοῦ ἐκλογῆς εἰς εὐαγγελιστὴν ἐκ διώκτου, κατὰ χάριν Θεοῦ. *cap.1.v.11.17.*

γ' Παραγγελία περὶ πίστεως καὶ εὐσυνειδήτου διακονίας, ἧς ἄνευ κίνδυνος. *c.1.v.18.ad finem.*

δ' Περὶ εὐχῆς, ὅτι ὑπὲρ πάντων πανταχοῦ ἁγνῶς, ἀπεράχως, σεμνῶς. *c.2. v.1.7.*

ε' Περὶ διδασκάλων, ὅτι ἄνδρας χρὴ καὶ οὐ γυναῖκας εἶναι, διὰ τὴν φύσιν καὶ τὸ πάθος τὸ ἐξ ἀπάτης, ὃ λύει γέννησις ἡ τοῦ Χριστοῦ, καὶ πίστις αὐτῶν καὶ βίος. *c.2.v.8.ad finem.*

ς' Περὶ τῆς ἀρετῆς ἐπισκόπων. Ἐν ᾧ, Περὶ διακονιῶν ἀνδρῶν τε καὶ γυναικῶν. *c.3.v.1.15.*

ζ' Περὶ θείας σαρκώσεως. Ἐν ᾧ, Περὶ τῶν ἐσομένων αἱρέσεων δαιμονικῶν. *c.3.v.16. & c.4.v 1.6.*

η' Περὶ ἀγῶνος εὐσεβείας ἐπ' ἐλπίδι. *c.4.v 7.9.*

θ' Περὶ ἐπιμελείας αὐτοῦ, καὶ τῆς ἐκκλησίας. *cap.4. v.10.*

X. ι' Περὶ τοῦ ἁρμοζόντως ἑκάστῳ προσφέρεσθαι. *c.4. v.11. ad finem, & c.5.v.1.2.*

ια' Περὶ χηρῶν ἡλικίας, καὶ τρόπου, καὶ διοικήσεως αὐτῶν. *cap.5.3. vers.16.*

ιβ' Περὶ πρεσβυτέρων τιμῆς *c.5.v.17.21.*

ιγ' Περὶ χειροτονίας ἀσφαλοῦς. *c.5. v.22.23.*

ιδ' Ὅτι οὐδὲν ἔργον λανθάνει. *c 5.v.24.25.*

ιε' Περὶ δούλων ὑπακοῆς. *c.6.v.1.2.*

ις' Κατὰ φιλοκερδῶν, καὶ ψευδοδιδασκάλων. *c.6.v.3.10.*

ιζ' Παραγγελία φοβερὰ περὶ καθαρᾶς ὑπακοῆς ἄχρι τέλους. *cap.5.v.11.16.*

ιη' Πλουσίων ὁδηγία ἐπὶ τὴν ὄντως ζωήν. *c.5.v.17. ad finem.*

ΚΕΦΑ'ΛΑΙΑ ΤΗ͂Σ ΠΡΟ'Σ ΤΙΜΟ'ΘΕΟΝ δευτέρας Ἐπιστολῆς.

α' Ἔπαινος τῆς Τιμοθέου πίστεως, καὶ προτροπὴ ὑπομονῆς κατὰ τὸ πρέπον τῇ χάριτι, ἐν ᾗ καὶ αὐτὸς, φησὶ, διακαρτερεῖ πάσχων. *c.1.v.12.*

β' Περὶ τῆς ἁρμοζούσης μεταδόσεως τῶν θείων δογμάτων. *c.1.v. 13. & c.2.v.1.3.*

γ' Περὶ τῆς ἀφροντίδος ἐν τῷ νῦν βίῳ πολιτείας ἐπὶ ταῖς ἀπόνοις τροφαῖς. *c.2. v.4.6.*

δ' Περὶ τῆς ἐν Χριστῷ πίστεως καὶ ὑπομονῆς ἐπ' ἐλπίδι ζωῆς. *cap.2. v 7.13.*

ε' Περὶ ὀρθῆς διδασκαλίας, καὶ βίου καθαροῦ, εἰρηνικοῦ, καὶ κατὰ τῶν ἐναντίων. *c.2.v.14 ad finem.*

ς' Πρόρρησις περὶ κακίας ἀνθρώπων πλεοναζούσης, ἀπατηλῆς ἐλεγχομένης. *c.3.v.1.9.*

ζ' Προτροπὴ τῆς ἑαυτοῦ μιμήσεως ἐξεναντίας τοῖς φαύλοις ἐν ὑπακοῇ Θεοῦ. *c.3.v.10.12.*

η' Περὶ τῶν καινοτομησάντων, οἷς ἀντιτάττει τὸν Τιμόθεον. *c. 3. v.13.ad finem, & c.4.v.1.5.*

θ' Περὶ τῆς ἑαυτοῦ μελλούσης ἀναλύσεως, ἐπὶ δόξῃ αἰωνίῳ. *c.4. v.6 ad finem.*

ΚΕΦΑ'ΛΑΙΑ ΤΗ͂Σ ΠΡΟ'Σ ΤΙ'-τον Ἐπιστολῆς.

α' Περὶ διδασκάλων ἐπιτηδείων εἰς διακονίαν, καὶ ἔλεγχοι ἀπειθῶν. *c.1.v.1.13.*

β' Κατὰ τῶν σαρκικὰς καθάρσεις πρεσβευόντων, καὶ ὑπὲρ πνευματικῆς ἀρετῆς. *c.1.v.14.ad finem.*

γ' Παραινέσεις, ἃς δεῖ παραινεῖν καθ' ἡλικίαν ἑκάστῳ. *cap.2. vers.1.8.*

δ' Περὶ δούλων, ὡς ἂν καὶ αὐτοὶ τῆς Χριστοῦ χάριτος ἀξίως δουλεύειν. *cap.2.v.9.15.*

ε' Περὶ ἀρχόντων ὑποταγῆς πρεπούσης τῇ ἐπιεικείᾳ τοῦ Χριστοῦ. *cap.3. v.1.8.*

ς' Παραίνεσις, περὶ τοῦ ἐκκλίνειν τοὺς ἐριστικοὺς ζητητάς. *cap.3.v.9. ad finem.*

ΚΕΦΑ'ΛΑΙΑ ΤΗ͂Σ ΠΡΟ'Σ ΦΙ-λήμονα ἐπιστολῆς.

α' Ἔπαινος Φιλήμονος, καὶ εὐχαριστία ὑπὲρ αὐτοῦ. *v.1.9.*

β' Σύστασις Ὀνησίμου φυγάδος οἰκέτου, καὶ παράκλησις ὑπὲρ αὐτοῦ σωθέντος διὰ πίστεως. *v.10.ad finem.*

ΚΕΦΑ'ΛΑΙΑ ΤΗ͂Σ ΠΡΟ'Σ ἙΒΡΑΙ'ΟΥΣ Ἐπιστολῆς, ἔχοντά τινας ὑποδιαιρέσεις.

α' Θεολογία Χριστοῦ ἐν δόξῃ πατρὸς καὶ ἐξουσίᾳ τῶν πάντων, μετὰ τῆς καθάρσεως τῆς ἐπὶ γῆς, ἀφ' οὗ ἀνέβη εἰς τὴν ἐπουράνιον δόξαν. *c.1.v.1.3.*

β' Ὅτι οὐ λειτουργικὴ ἡ δόξα Χριστοῦ, ἀλλὰ θεϊκὴ καὶ ποιητική. διὸ οὐκ ἐπὶ τοῦ παρόντος αἰῶνος, ἐν ᾧ οἱ λειτουργοὶ, ἀλλ' ἐπὶ τῆς μελλούσης οἰκουμένης. *c.1.v.4.ad finem, & c.2.v.1.4.*

γ' Ὅτι ἐσαρκώθη κατὰ διάθεσιν καὶ συμπάθειαν καὶ οἰκειότητα τὴν πρὸς ἡμᾶς, ἐπὶ σωτηρίᾳ ἀνθρώπων τῇ ἐκ θανάτου, διὰ τῆς πρὸς αὐτὸν οἰκειώσεως. *c.2. v.5.ad finem.*

δ' Ὅτι πιστευτέον Χριστῷ ὡς καὶ Μωϋσῇ ἐπίστευσαν, καθ' ὑπεροχὴν δὲ Θεοῦ πρὸς ἄνθρωπον. Ἐν ᾧ, Ὅτι φοβητέον τὴν πάλαι τὴν ἔκπτωσιν. *cap.3.*

ε' Προτροπὴ σπουδάσαι εἰς τὴν προδηλουμένην κατάπαυσιν. *cap. 4.v.1.10.*

ς' Τὸ φοβερὸν τῆς κρίσεως παρὰ τῷ λόγῳ τῷ διὰ πάντων, καὶ τὸ χρηστὸν τῆς χάριτος τῆς ἱερατικῆς, παρὰ τῷ ὁμοιοπαθήσαντι ἡμῖν ἀνθρωπίνως. *cap.4.v.11.ad finem, & c 5.v.1.10.*

ζ' Ἐπιτίμησις ὡς ἔτι δεομένοις εἰσαγωγῆς. Ἐν ᾧ, Προτροπὴ εἰς ἐπίδοσιν ὡς οὐκ οὔσης δευτέρας ἀρχῆς. Ἐν ᾧ, Παράκλησις σὺν ἐπαίνῳ. *cap.5.v.11.ad finem c.6.v.1.10.*

η' Ὅτι βεβαία ἐπαγγελία τοῦ Θεοῦ, καὶ ταύτης σὺν ὅρκῳ. *cap.6. v.11. ad finem.*

θ' Περὶ Μελχισεδὲκ τοῦ εἰς Χριστὸν τύπου κατὰ τὸ ὄνομα, καὶ τὴν πόλιν,

πολιν, καὶ τὴν ζωὴν, καὶ τὴν ἱερωσύνην. Ἐν ᾧ, Ὅτι καὶ ὁ Ἀβραὰμ περιετμήθη. cap.7. v.1.21.

X. ί Ὅτι πέπαυται ἡ τοῦ Ἀαρὼν ἱερατεία ἡ ἐπίγειος οὖσα, ἵσταται δὲ ἡ οὐράνιος ἡ Χριστοῦ, ἐξ ἑτέρου γένους, οὐ κατὰ σάρκα, οὐδὲ διὰ νόμου σαρκικοῦ. cap.7.v.22.ad finem, & cap.8.v.1.5.

ιά Ὑπεροχὴ τῆς δευτέρας διαθήκης παρὰ τὴν προτέραν, ἐν ἱλασμῷ καὶ ἁγιασμῷ. cap.8.v.6.ad finem, & c.9.v.1.4.

ιβ΄ Περὶ τοῦ αἵματος τοῦ Χριστοῦ, ἐν ᾧ ἡ νέα διαθήκη· ὅτι τοῦτο ἀληθὲς καθάρσιον, οὐ τὰ ἐν αἵμασι ζώων τοῖς πολλάκις προσαγομένοις. cap.9. v.5.26.

ιγ΄ Μαρτυρία περὶ τῆς μόνης καθάρσεως, καὶ προσαγωγῆς πρὸς τὸν Θεόν. Ἐν ᾧ, προτροπὴ τῆς ἐν πίστει προσόδου. cap.9. vers.27.28. cap.10. v.1.18.

ιδ΄ Προτροπὴ σπουδῆς κατὰ φόβον τῆς ἐγγιζούσης κρίσεως. cap.10. vers.19.31.

ιέ Περὶ τοῦ καλὴν ἀρχὴν εἰς καλὸν τέλος προαγαγεῖν. c. 10. vers.32. ad finem.

ις΄ Περὶ πίστεως τῆς καὶ τοὺς παλαιοὺς δοξαζούσης. c. 11.

ιζ΄ Περὶ ὑπομονῆς τῆς ἐν ἀγωνοθέτῃ Χριστῷ. c, 12.v.1.11.

ιή Περὶ σωφροσύνης ἕως καιρὸς κατορθώσεως, μὴ ἀποτυχόμενοι αὐτῆς, ὡς Ἠσαῦ μὴ εὑρὼν τόπον μετανοίας. c.12.v.12.17.

ιθ΄ Ὅτι φοβερώτερα τῶν ἐπὶ Μωϋσέως τὰ μέλλοντα, καὶ πλείονος ἄξια σπουδῆς τὰ νῦν. c.12. v.18.ad finem.

XX. κ΄ Περὶ φιλαδελφίας καὶ φιλοξενίας. Ἐν ᾧ, Περὶ σωφροσύνης. Περὶ αὐταρκείας. Περὶ μιμήσεως πατέρων.c.13.v.1,9.

κά Περὶ τοῦ μὴ σωματικῶς ζῆν κατὰ νόμον, ἀλλὰ πνευματικῶς κατὰ Χριστὸν ἐν ἀρετῇ. c.13.v.10.19.

κβ΄ Εὐχὴ πρὸς τὸν Θεὸν περὶ τῆς εἰς ἀρετὴν ἀγωγῆς καὶ οἰκονομίας. c.13.v.20.ad finem.

ΚΕΦΑ'ΛΑΙΑ ΤΗ͂Σ ΚΑΘΟΛΙΚΗ͂Σ
Ἰακώβου ἐπιστολῆς, ἔχοντα τινας καὶ μερικὰς ὑποδιαιρέσεις.

ά Περὶ ὑπομονῆς καὶ πίστεως ἀδιακρίτου, καὶ περὶ πεπεισμοφροσύνης πρὸς τοὺς πλησίους. Ἐν ᾧ, Περὶ τῆς ἐν ἡμῖν πυρώσεως, καὶ τῶν ἐξ αὐτῆς παθῶν. ὅτι οὐ παρὰ Θεοῦ τὸ αἴτιον· πᾶν τι γὰρ ἀγαθὸν ἡμῖν, παρ᾽ αὐτοῦ.c.1.v.1.17.

β΄ Περὶ πραότητος καὶ ἁγνείας, καὶ πράξεως ἀγαθῆς μεταδοτικῆς ἐπὶ μακαρισμῷ. Καὶ περὶ ἐπιστήμης καὶ συμμετρίας λόγου. cap.1.v.18.ad finem.

γ΄ Περὶ τῆς πρὸς ἕκαστον ἀγάπης ἀπροσωπολήπτου κατὰ νόμον. cap.2. v.1.13.

δ΄ Ὅτι οὐκ ἐκ πίστεως μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐξ ἔργων, καὶ οὐκ ἐκ θατέρου ἰδικῶς, ἀλλ᾽ ἐξ ἀμφοῖν ἅμα δικαιοῦται ὁ ἄνθρωπος. cap. 2. v.14.ad finem.

έ Ὅτι ἡ προπετὴς καὶ ἄτακτος γλῶσσα θανατοῖ τὸν κεκτημένον, ἧς κρατεῖν ἀνάγκη εἰς εὐφημίαν καὶ δόξαν τοῦ Θεοῦ. Ἐν ᾧ, Περὶ ἀναστροφῆς ἀγαθῆς καὶ ἀμάχου πρὸς ἀλλήλους ἐκ φιλοδοξίας τῆς ἐπὶ σοφίᾳ ἀνθρωπίνῃ. Ἐν ᾧ, Περὶ θείας σοφίας. Ὅτι ἐκ ῥαθυμίας καὶ φιληδονίας ἔρις καὶ ἀκαταστασία, καὶ ἡ πρὸς Θεὸν ἔχθρα γίνεται. Περὶ μετανοίας πρὸς σωτηρίαν, καὶ περὶ τοῦ μὴ κρίνειν τὸν πλησίον. c.3. & 4.v.1.12.

ς΄ Ὅτι οὐκ ἐν ἀνθρώπῳ, ἀλλ᾽ ἐν Θεῷ τὰ διαβήματα ἀνδρὸς κατευθύνεται. Ἐν ᾧ, Περὶ πλεονεξίας πλουσίων, καὶ τῆς ἐν κόσμῳ τρυφῆς αὐτῶν, καὶ περὶ δικαιοκρισίας Θεοῦ. Περὶ μακροθυμίας, καὶ ὑπομονῆς παθημάτων, καὶ περὶ ἀληθείας. Παραινέσεις ἰδικαὶ ἑκάστῳ προσήκουσαι μετὰ πίστεως. Ὅτι διακονητέον τῇ τοῦ πλησίου σωτηρίᾳ cap.4.v.13.ad finem, & cap.5.

ΚΕΦΑ'ΛΑΙΑ ΤΗ͂Σ ΠΡΩ'ΤΗΣ ΤΟΥ͂ Α'ΓΙ'ΟΥ
ἀποστόλου Πέτρου ἐπιστολῆς, ἔχοντος ὑποδιαιρέσεις.

ά Περὶ τῆς ἐν Χριστῷ ἀναγεννήσεως. καὶ περὶ ὑπομονῆς πειρασμῶν· καὶ περὶ συντελέσεως πίστεως προκατηγγελμένης ὑπὸ τῶν προφητῶν. cap.1.v.1.12.

β΄ Περὶ ἐλπίδος καὶ ἁγιασμοῦ· τῆς τε ὀφειλομένης ἐπὶ τῇ υἱοθεσίᾳ ἀσφαλοῦς ἀναστροφῆς.c.1.v.13.ad finem, & c.2.v.1.10.

γ΄ Περὶ τοῦ ἐπαξίως τῆς υἱοθεσίας ζῆν ἐν Χριστῷ, πρὸς ὠφέλειαν καὶ τῶν ἔξωθεν, εἰς δόξαν Θεοῦ. c.2.v.11.12.

δ΄ Περὶ τῆς πρὸς ἄρχοντας ὑποταγῆς καὶ φιλαδελφίας καὶ θεοσεβείας. Ἐν ᾧ, Περὶ δούλων ὑποταγῆς, καὶ ἀνεξικάκου ὑπομονῆς διὰ Χριστόν. Περὶ ὑπακοῆς γυναικῶν, καὶ ὁμονοίας τῆς πρὸς ἄνδρας, καὶ σωτηρίας τῆς ἐν πνεύματι εἰς τύπον Σάῤῥας. Περὶ τῆς ἀνδρῶν πρὸς γυναῖκας συμπεριφορᾶς· Περὶ τῆς πρὸς ἅπαντας ἐπιεικοῦς ἀνεξικακίας, ἧς τύπος ἦν ἡ ἐπὶ Νῶε τοῦ Θεοῦ φιλανθρωπία, ἐφ᾽ ἡμᾶς δὲ ἡ διὰ τοῦ βαπτίσματος τοῦ Χριστοῦ συμπάθεια.c.2.v.13.ad finem, & c.3.

έ Περὶ ἀποθέσεως φαύλων πράξεων καὶ ἐπανάληψις τῶν ἐν πνεύματι καρπῶν, κατὰ τὴν διαφορὰν τῶν χαρισμάτων. c.4.v.1.12.

ς΄ Ὅτι κοινωνίᾳ τῇ πρὸς τὸν Χριστὸν, κρατεῖν χρὴ τῶν φυσικῶν παθῶν ἐλπίδι τε τῇ εἰς αὐτὸν, φέρειν τὰς παρ᾽ ἑτέρων πάθας.cap.4. vers.13. ad finem.

ζ΄ Παραίνεσις πρεσβυτέρων περὶ ἐπισκοπῆς τοῦ ποιμνίου. Ἐν ᾧ περὶ κοινῆς πάντων πρὸς ἕκαστον ταπεινοφροσύνης εἰς νίκην, τὴν κατὰ τοῦ διαβόλου. cap.5.v.1 9.

ή Εὐχὴ ὑπὲρ τελειώσεως τῶν πιστευόντων. c.5.v.10 ad finem.

ΚΕΦΑ'ΛΑΙΑ ΤΗ͂Σ ΠΕ'ΤΡΟΥ ΚΑΘΟΛΙ-
κῆς δευτέρας ἐπιστολῆς, ἔχοντα ὑποδιαιρέσεις.

ά Περὶ κλήσεως τῆς ἐν πίστει ἔργοις βεβαιουμένης τοῖς τῆς ἀρετῆς, καὶ ἐλπίδι τῶν μελλόντων ἀγαθῶν. cap.1. vers.1. 11.

β΄ Παραγγελία εἰς ὑπόμνησιν τῆς διδασκαλίας μετὰ τὴν ἀνάλυσιν αὐτοῦ· καὶ ὅπως ἐν ὄρει Θαβὼρ τῆς τοῦ Θεοῦ περὶ τοῦ υἱοῦ ἐπήκουσε φωνῆς. c.1.v.12. ad finem.

γ΄ Πρόῤῥησις ἀπατηλῆς ἐπαναστάσεως αἱρετικῶν, ἀσεβείας τε αὐτῶν καὶ μελλούσης κολάσεως. cap.2.

δ΄ Ἐπανάληψις περὶ κακίας ἀνθρώπων αἱρετικῶν. Ἐν ᾧ, Ὅτι αἰφνιδίως ἥξει ὁ Χριστὸς ἐπὶ συντελείᾳ τοῦδε τοῦ αἰῶνος. ὥστε δεῖν εὐτρεπίζεσθαι πάσῃ ἀρετῇ. cap.3.

ΚΕΦΑ'ΛΑΙΑ ΤΗ͂Σ 'ΙΩΑ'ΝΝΟΥ ΠΡΩ'-
της καθολικῆς ἐπιστολῆς, ἔχοντα τινας ὑποδιαιρέσεις.

ά Εὐαγγελικὴ θεολογία περὶ Χριστοῦ. Ἐν ᾧ, Περὶ ἐξομολογήσεως καὶ προσοχῆς εἰς τὸ μὴ ἁμαρτάνειν. Ὅτι ἡ τήρησις ἐντολῶν Θεοῦ τὴν γνῶσιν βεβαιοῖ. cap. 1. & 2. v.1.6.

β΄ Περὶ ἀγάπης ἧς ἄνευ ἀσέβεια. Ἐν ᾧ, παραίνεσις περὶ χάριτος ἑκάστου καθ᾽ ἡλικίαν. Καὶ περὶ ἀποτροπῆς τοῦ περὶ τὸν κόσμον ἀγάπης. c.2.v.6.21.

γ΄ Περὶ ψευδαδέλφων ἀρνησιθέων, καὶ ὅτι ἡ εἰς Χριστὸν εὐσέβεια πατρὸς ὁμολογία· ἡ γὰρ τοῦ πατρὸς δοξολογία, τοῦ υἱοῦ ἐστὶ θεολογία. Ἐν ᾧ, Περὶ θείου καὶ πνευματικοῦ χαρίσματος ἐν ἁγιασμῷ ἐπ᾽ ἐλπίδι εἰς γνῶσιν Θεοῦ. Ὅτι πᾶς ὁ ἐν Χριστῷ, ἐκτὸς ἁμαρτίας· ὁ δὲ ἁμαρτάνων ἐστὶν ἐκ διαβόλου c.2. v.22.ad finem, & c.3.v.1.9.

δ΄ Περὶ ἀγάπης τῆς εἰς τὸν πλησίον καὶ διαθέσεως μεταδοτικῆς. Ἐν ᾧ, Περὶ συνειδήσεως ἀγαθῆς τῆς ἐν πίστει Ἰησοῦ Χριστοῦ. Περὶ διακρίσεως πνευμάτων, ἐφ᾽ ὁμολογίᾳ τῆς τοῦ Χριστοῦ ἐνανθρωπήσεως. cap.3.v.10.ad finem, & c.4. v.1.3.

έ Περὶ φιλαδελφίας εἰς θεοσέβειαν c.4.v.4.ad finem.

ς΄ Περὶ θεολογίας υἱοῦ ἐν δόξῃ πατρὸς· καὶ περὶ νίκης τῆς κατὰ τοῦ πονηροῦ διὰ πίστεως Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς ζωήν. cap.5.v.1.15.

ζ΄ Περὶ ἀντιλήψεως τοῦ ἁμαρτάνοντος ἀδελφοῦ διὰ προσευχῆς, καὶ περὶ τοῦ μὴ ἁμαρτάνειν. Ἐν ᾧ, περὶ ἀποχῆς δαιμονικοῦ σεβάσματος. c.5.v.16.ad finem.

ΚΕΦΑ'ΛΑΙΑ ΤΗ͂Σ ΔΕΥΤΕ'ΡΑΣ
ἐπιστολῆς τοῦ ἁγίου Ἰωάννου τοῦ θεολόγου.

ά Μετὰ τὸ προοίμιον περὶ ὀρθοῦ βίου ἐν ἀγάπῃ Θεοῦ διὰ πίστεως, εὐσεβοῦς, ἀμεταθέτου. Ἐν ᾧ, Ὅτι οὐ δεῖ αἱρετικὸν εἰσοικίζειν, οὐ χαιρετίζειν ἐφ᾽ ἁμαρτίᾳ. Ἐπαγγελία παρουσίας αὐτοῦ ἐπ᾽ ἐλπίδι πρὸς ὠφέλειαν.

ΚΕΦΑ'ΛΑΙΑ ΤΗ͂Σ ΤΡΙ'ΤΗΣ ΚΑΘΟΛΙ-
κῆς ἐπιστολῆς τοῦ ἁγίου Ἰωάννου ἀποστόλου τοῦ θεολόγου.

ά Εὐχὴ ὑπὲρ τελειώσεως καὶ εὐχαριστία ἐφ᾽ ὁμολογίᾳ φιλοξενίας τῶν ἀδελφῶν διὰ Χριστόν. Ἐν ᾧ, Περὶ τῆς Διοτρεφοῦς φαυλότητος καὶ μισαδελφίας. Περὶ Δημητρίου, ᾧ μαρτυρεῖται τὰ κάλλιστα. Περὶ ἀφίξεως αὐτοῦ πρὸς αὐτοὺς ἐπ᾽ ὠφελείᾳ ἐν τάχει.

ΚΕΦΑ'ΛΑΙΑ ΤΗ͂Σ 'ΙΟΥ'ΔΑ ΚΑΘΟ-
λικῆς ἐπιστολῆς, ἔχοντα ὑποδιαίρεσιν.

ά Περὶ προσοχῆς τῆς εἰς Χριστὸν πίστεως διὰ τὴν ἐπανάστασιν τῶν ἀσεβῶν καὶ ἀσελγῶν ἀνδρῶν. Ἐν ᾧ, Περὶ μελλούσης αὐτῶν κολάσεως καθ᾽ ὁμοίωσιν τῶν πάλαι ἁμαρτωλῶν τε καὶ πονηρῶν. v.1.10.

β΄ Ταλανισμὸς αὐτῶν ἐπὶ τῇ πλάνῃ καὶ δυσσεβείᾳ καὶ ἀσελγείᾳ καὶ βλασφημίᾳ καὶ ἐπιπλάστῳ ὑποκρίσει τῆς εἰς ἀπάτην εὐδοκίας. vers.11.16.

γ΄ Περὶ ἀσφαλείας αὐτῶν ἐν τῇ πίστει, συμπαθείας τε καὶ φειδοῦς εἰς τὸν πλησίον, ἐπὶ σωτηρίᾳ καὶ ἁγιασμῷ. v.17.23.

δ΄ Εὐχὴ ὑπὲρ αὐτῶν εἰς ἁγιασμὸν καὶ παῤῥησίαν καθαρὰν σὺν δοξολογίᾳ τοῦ Θεοῦ. v.24.25.

TYPVS DISTINCTIONIS
hucuſque traditæ.

		Κεφάλαια.	στίχοι.	
Matthæus	ξή.	LXVIII.	βφιδ.	2514.
Marcus	μή.	LXVIII.	ἀφλ.	1530.
Lucas	πγ΄.	LXXXIII.	βχοζ.	2677.
Iohannes	ιή.	XVIII.	ooo	
Acta	με΄	XL.	ooo	
Epiſt.ad Romanos	ιθ΄.	XIX.	ϡκ.	920.
I. ad Corinthios	θ΄	IX.	ωο.	870.
II. ad Corinthios	ιά.	XI.	φϟ.	590.
Epiſt. ad Galatas	ιβ΄.	XII.	σϟγ.	293.
Epiſt.ad Epheſios	ί.	X.	τιβ΄.	312.
ad Philippenſ.	ζ΄.	VII.	ση.	208.
ad Coloſſenſ.	ί.	X.	ση.	208.
I. ad Theſſal.	ζ΄.	VII.	ρϟγ.	193.
II. ad Theſſal.	ς΄.	VI.	ρς.	106.

I. ad Timoth.

		Κεφάλαια.	στίχοι.	
I. ad Timoth.	ιή.	XVIII.	σλ̄.	230.
II. ad Timoth.	θ'.	IX.	ροβ'.	172.
ad Titum	ς'.	VI.	ϟζ'.	97.
ad Philem.	β'.	II.	λζ'	37.
ad Hebræos	κβ'.	XXII.	ψγ̄.	703.
Epist. Iacobi	ς'.	VI.	σμβ.	242.
I. Petri	ή.	VIII.	σλς̄.	236.
II. Petri	δ'.	IV.	ο ο ο	

		Κεφάλαια	στίχοι.	
I. Iohannis	ζ'.	VII.	σογ̄.	273.
II. Iohannis	ά.	I.	λ̄.	30.
III. Iohannis	ά.	I.	λβ̄.	32.
Epist. Iudæ	δ'.	IV.	οά.	71.

Summa capitum 429. versuum, 12544.

Superest iam vt ex commentario Aretæ in Apocalypsim commemoremus distinctionem illius libri Græcis vsitatam. Ea, cum Latinorum dictinctione collata, est eiusmodi.

Græcorum capp.	Latinorum Capp.	Vers.		*Initia versuum.*
I.	I.	1.	8.	Apocalypsis Iesu Christi.
II.		9. ad finem.		Ego Ioannes, qui & frater vester.
III.	II.	1.	7.	Angelo Ephesinæ ecclesiæ.
IV.		8.	11.	Et angelo ecclesiæ Smyrnæorum.
V.		12.	17.	Et angelo Pergamensis ecclesiæ.
VI.		18. ad finem.		Et angelo Thyatirensis ecclesiæ.
VII.	III.	1.	6.	Et angelo ecclesiæ quæ est Sardibus.
VIII.		7.	13.	Et angelo Philadelphiensis ecclesiæ.
IX.		14. ad finem.		Et angelo ecclesiæ Laodicensium.
X.	IV.	1. ad finem.		Post hæc vidi, & ecce ostium apertum in cœlo.
XI.	V.	1.	5.	Et vidi ad dextram sedentis super thronum.
XII.		5. ad finem.		Ecce vicit leo ille de tribu Iuda.
XIII.	VI.	1.	2.	Et vidi, cùm aperuisset agnus primum ex sigillis.
XIV.		3.	4.	Et cùm aperuisset sigillum secundum.
XV.		5.	6.	Et cùm aperuisset sigillum tertium.
XVI.		7.	8.	Et cùm aperuisset sigillum quartum.
XVII.		9.	11.	Et cùm aperuisset sigillum quintum.
XVIII.	VI.	12. ad finem.		Et cùm aperuisset sigillum sextum.
	VII.	1.	3.	Postea vidi quatuor angelos.
XIX.	VII.	4.	8.	Et audiui numerum obsignatorum.
XX.		9. ad finem.		Postea aspexi, & ecce turba multa.
XXI.	VIII.	1.	6.	Et cùm aperuisset sigillum septimum.
XXII.		7.		Et primus angelus clanxit.
XXIII.		8.	9.	Et secundus angelus clanxit.
XXIV.		10.	11.	Et tertius angelus clanxit.
XXV.		11.	13.	Et quartus angelus clanxit.
XXVI.	IX.	1.	11.	Et quintus angelus clanxit.
XXVII.		12. ad finem.		Væ vnum abiit.
XXVIII.	X.	1.	9.	Et vidi alium angelum fortem.
XXIX.	X.	10.	11.	Et accepi libellum de manu.
	XI.	1.	2.	Et datus est mihi calamus.
XXX.	XI.	3.	10.	Et dabo duobus testibus meis.
XXXI.		11.	14.	Et post tres dies & dimidium.
XXXII.		15.	18.	Et septimus angelus clanxit.
XXXIII.	XI.	19.		Et apertum est templum Dei.
	XII.	1.	6.	Et visum est signum magnum.
XXXIV.	XII.	7.	12.	Et factum est prælium in cœlo.
XXXV.		13. ad finem.		Et cùm vidisset draco, se proiectum esse in terram.
XXXVI.	XIII.	1.	10.	Et vidi è mari bestiam ascendentem.
XXXVII.		11.	16.	Et vidi aliam bestiam.
XXXVIII.		17.	18.	Et ne quis possit emere.
XXXIX.	XIV.	1.	5.	Et vidi, & ecce agnus stans.
XL.		6.	7.	Et vidi alium angelum volantem.
XLI.		8.		Et alius angelus secutus est.
XLII.		9.	13.	Et tertius angelus secutus est.
XLIII.		14.	17.	Et vidi, & ecce nubes candida.
XLIV.		18. ad finem.		Et alius angelus prodit ab altari.
XLV.	XV.	1. ad finem.		Et vidi aliud signum in cœlo.
	XVI.	1.		Et audiui vocem magnam.
XLVI.	XVI.	2.		Et abiit primus angelus, & effudit phialam suam.
XLVII.		3.		Et secundus angelus effudit.
XLVIII.		4.	7.	Et tertius angelus effudit phialam.
XLIX.		8.	9.	Et quartus angelus effudit.
L.		10.	11.	Et quintus angelus effudit.
LI.		12.	16.	Et sextus angelus effudit phialam.
LII.		17. ad finem.		Et septimus angelus effudit phialam suam.
LIII.	XVII.	1.	6.	Et venit vnus ex septem angelis.
LIV.		6. ad finem.		Et miratus sum, cùm viderem illam.
LV.	XVIII.	1. ad finem.		Et post hæc vidi alium angelum descendentem è cœlo.
LVI.	XIX.	1.	7.	Et post hæc audiui vocem magnam.
LVII.		7.	10.	Et vxor eius parauit se.
LVIII.		11.	19.	Et vidi cœlum apertum.
LIX.		20.	21.	Et apprehensa est bestia.
LX.	XX.	1.	3.	Et vidi angelum descendentem à cœlo, qui habebat clauem abyssi.
LXI.		4.		Et vidi thronos.
LXII.		5.	6.	Reliqui verò mortui non reuixerunt.
LXIII.		7.	10.	Et cùm expleti fuerint 1000 anni.
LXIV.		11. ad finem.		Et vidi thronum candidum.
LXV.	XXI.	1.	4.	Et vidi cœlum nouum.
LXVI.		5.	8.	Et dixit is, qui insidebat throno.
LXVII.		9. ad finem.		Et venit ad me vnus de septem angelis.
LXVIII.	XXII.	1.	5.	Et ostendit mihi purum fluuium.
LXIX.		6.		Et dixit mihi, Hæc verba fida.
LXX.		7.	9.	Ecce, venio citò.
LXXI.		10.	17	Et dicit mihi, Ne obsignaueris.
LXXII.		18. ad finem.		Contestor enim omni audienti verba prophetiæ huius.

Atque hæc est distinctio Apocalypseos, de quâ sic fermè pronunciat author. Liber hic diuiditur in XXIV. sermones, propter viginti quatuor seniores, quos Apocalypsis recenset. Hic numerus triplicatus gignit LXXII. quot sunt capita huius Libri. Triplicatur autem numerus XXIV. in capitibus; quia viginti quatuor seniores tripartitâ substantiâ animæ, corporis, & Spiritus exprimunt æternitatem SS Trinitatis.

Sequitur distinctio N.T. apud Latinos recepta.

MATTHÆVS.

Cap.		*Vers.*
1	Liber generationis Iesu Christi.	25
2	Cùm autem natus esset Iesus in Bethlehem.	23
3	In diebus autem illis adfuit Iohannes Baptista.	17
4	Tunc Iesus subductus fuit in desertum à Spiritu.	25
5	Cùm vidisset autem turbam, ascendit in montem.	48
6	Attendite autem, ne eleemosynam vestram faciatis coram filiis hominum	34
7	Ne iudicate, vt ne iudicemini.	29
8	Cùm descendisset autem è monte; secuta est turba multa	34
9	Tum ingressus nauigium traiecit, & venit in suam vrbem	38
10	Tunc aduocatis duodecim discipulis suis, dedit eis potestatem aduersus Spiritus immundos.	42
11	Et factum est, cùm desiisset Iesus præcipere duodecim discipulis suis	30
12	In illo tempore ibat Iesus sabbato per sata.	50
13	In die autem illo egressus Iesus domo, sedit apud mare	58
14	Illo tempore audiuit Herodes tetrarcha famam de Iesu	36
15	Tunc accedunt ad Iesum Hierosolymitani, Scribæ & Pharisæi.	39
16	Et cùm accessissent Pharisæi & Sadducæi, tentantes rogarunt eum, vt signum è cœlo sibi ostenderet.	28
17	Et sexto pòst die assumsit Iesus Petrum ac Iacobum & Iohannem.	27
18	Illo ipso tempore adierunt Iesum discipuli, dicentes, Quisnam maximus est in regno cœlorum?	35
19	Et factum cum finiisset Iesus sermones istos.	30
20	Simile enim est regnum cœlorum patrifamiliâs, qui exiit cum primâ luce ad conducendum operarios.	34
21	Et cùm appropinquassent Hierosolymis, & venissent in Bethphage.	46
22	Tunc respondens Iesus, rursus locutus est eis per parabolas.	46
23	Tunc Iesus locutus est turbæ & discipulis suis.	39
24	Et egressus Iesus è templo, abibat.	51
25	Tunc erit simile regnum cœlorum decem virginibus.	46
26	Et factum est cùm finiisset Iesus omnes sermones istos.	75
27	Manè autem cùm esset, consilium ceperunt omnes principes sacerdotum	66
28	Extremo autem sabbato, cùm lucesceret in primum diem hebdomadis.	20

Summa versuum. 1071.

MARCVS.

Cap.		*Vers.*
1	Principium euangelij Iesu Christi.	45
2	Et rursus intrauit apernaum.	28
3	Et introiuit rursus in synagogam.	35
4	Et rursus cœpit docere iuxta mare.	41
5	Et venerunt in vlteriorem ripam maris.	43
6	Et egressus est illinc, venitque in patriam.	56
7	Tunc coguntur ad eum Pharisæi.	37
8	In illis diebus, cùm multa omnino turba esset, nec haberent quo vescerentur.	38
a. 9	Et dixit eis, Amen dico vobis, sunt quidam ex iis qui hîc adstant qui nequaquam gustabunt mortem, vsquedum, &c.	50
10	Et cùm illinc surrexisset, venit in fines Iudææ.	52
11	Et cum appropinquarent Hierosolymis in Bethphage.	33
12	Et cœpit eis per parabolas dicere, Vineam plantauit quidam.	44
13	Et cùm egrederetur è templo, dixit ei quidam è discipulis eius, Magister, vide quales lapides.	37
14	Erat autem pascha & azyma duobus pòst diebus.	72
15	Et statim diluculo, consilio inito, summi sacerdotes.	47
16	Et cùm exactum esset sabbatum, Maria Magdalena.	20

Summa versuum 678.

LVCAS.

Cap.		*Vers.*
1	quandoquidem multi aggressi sunt componere narrationem.	80
2	Factum est autem in diebus illis, prodiit edictum à Cæsare Augusto.	52
3	In anno verò decimo quinto imp. Tiberij Cæsaris.	38
4	Iesus autem plenus Spiritu sancto reuertit à Iordane, & actus est à Spiritu in desertum.	44
5	Factum est autem cùm turba immineret ei.	39
6	Factum est autem in sabbato altero primo, vt pertransiret per sata.	49
7	Cùm autem finisset omnia verba sua audiente populo, ingressus est Capernaum.	50
8	Et factum est deinceps, ipse iter faciebat per singulas vrbes & vicos.	56
9	Conuocatis autem duodecim discipulis suis, dedit eis vim ac potestatem.	62
10	Post hæc autem designauit Dominus alios septuaginta.	42
11	Et factum est cùm ipse precaretur quodam in loco.	54
12	Interea cùm coactæ essent myriades turbæ.	59
13	Adfuerunt autem in illo ipso tempore quidam annuntiantes ei de Galilæis, quorum sanguinem Pilatus miscuerat.	35
14	Et factum est, cùm ipse venisset in domum cuiusdam ex principibus sacerdotum.	35
15	Accedebant autem ad eum omnes publicani	32
16	Dixit autem etiam ad discipulos suos, Fuit homo quidam diues,	31
17	Dixit autem discipulis, Fieri non potest quin eueniant scandala.	37
18	Dixit autem eis etiam parabolam, quòd oporteat semper precari.	43
19	Iesus autem ingressus Iericho.	48
20	Et factum est quodam dierum illorum, cùm ipse doceret populum in templo.	47
b. 21	Intuitus autem vidit diuites mittentes munera sua in gazophylacium.	38
22	Appropinquabat autem festum azymorum, quod dicitur pascha.	71
23	Tunc surgens vniuersa multitudo eorum, duxit eum ad Pilatum.	56
24	Primo autem die hdbdomadis, profundo diluculo venerunt ad monumentum.	53

Summa versuum 1151.

IOHANNES.

Cap.		*Vers.*
c. 1	In principio erat Sermo ille.	52
2	Et die tertio nuptiæ factæ sunt in Canâ.	25
3	Erat autem homo ex Pharisæis, cui nomen Nicodemus.	36
4	Vt ergo cognouit Dominus Pharisæos audisse, ipsũ plures discipulos facere.	54
5	Post hæc erat dies festus Iudæorum, & ascendit Iesus Hierosolymam.	47
6	Post hæc abiit Iesus trans mare Galilææ.	71
d. 7	Et versabatur Iesus post hæc in Galilæâ.	53
e. 8	Iesus autem profectus est in montem oliuarum.	59
9	Præteriens autem vidit hominem cæcum à natiuitate	41
10	Amen amen dico vobis, Qui non ingreditur per ostium in caulam ouium.	42
11	Ægrotabat autem quidam nomine Lazarus.	57
12	Iesus ergo sex ante pascha diebus venit Bethaniam.	50
13	Ante festum autem paschæ, sciens Iesus venisse horam ipsius.	38
14	Ne turbator cor vestrum.	31
15	Ego sum vitis illa vera.	27
16	Hæc locutus sum vobis vt ne offendamini.	33
17	Hæc locutus est Iesus, & sustulit oculos in cœlum, dixitque.	26
18	Hæc cùm dixisset Iesus, egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron.	40
19	Tunc ergo accepit Pilatus Iesum, & flagellauit.	42
20	Primo verò die hebdomadis Maria Magdalena venit manè.	31
21	Postea manifestauit se rursus Iesus discipulis ad mare Tiberiadis.	25

Cap. *Verſ.*

Summa verſuum 808

Summa capitum in quatuor euangeliſtis 89. verſuum. 3780.

ACTA APOSTOLORVM.

1 Primum quidem librum confeci, Theophile. 26
2 Cùm autem complerentur dies Pentecoſtes. 47
3 Porrò Petrus & Iohannes ſimul aſcendebant in templum. 26
4 Loquentibus autem ipſis ad populum, ſuperuenerunt ſacerdotes. 37
5 Vir autem quidam nomine Ananias, cum Sapphirâ vxore ſuâ. 42
6 In diebus autem illis cùm multiplicarentur diſcipuli, ortum eſt murmur Græcorum. 15
7 Dixit autem Princeps ſacerdotum, Num hæc ita habent? 60
8 Saulus autem conſenſerat in necem eius. Orta eſt verò per id tempus perſecutio. 40
9 Saulus autem adhuc ſpirans minas. 43
10 Vir autem quidam erat Cæſareæ, nomine Cornelius. 48
11 Audierunt autem apoſtoli & fratres qui erant in Iudæâ. 30
12 Per id autem tempus injecit Herodes rex manus. 25
13 Erant autem quidam Antiochiæ in eccleſiâ prophetæ 52
f.14 Factum eſt autem Iconij vt ſimul introirent ſynagogam. 28
15 Et quidam qui deſcenderant à Iudæâ, docebant fratres. 41
16 Peruenit autem Derben & Lyſtram. 40
17 Cùm autem iter feciſſent per Amphipolim. 34
18 Poſt hæc Paulus diſcedens Athenis, venit Corinthum. 28
19 Factum eſt autem interim dum Apollo eſſet Corinthi. 40
20 Poſtquam verò ceſſauit tumultus. 38
21 Vt autem prouecti ſumus, auulſi ab eis, recto curſu venimus Coum. 40
22 Viri fratres & patres audite meam apud vos apologiam. 30
23 Intentis autem in conſeſſum oculis Paulus ait. 35
24 Quinque autem pòſt diebus deſcendit princeps ſacerdotum Ananias. 27
25 Feſtus ergo ingreſſus prouinciam. 27
26 Agrippa verò ad Paulum ait, Permittitur tibi pro te ipſo dicere. 32
27 Vt autem decretum eſt nos nauigaturos in Italiam. 44
28 Et cùm ſalui euaſiſſent, tunc agnouerunt inſulam vocari Melitam. 31

Summa verſuum. 1006

Summa verſuum pentateuchi N.T. id eſt, quinque librorum hiſtoricorum. 4786

EPISTOLA AD ROMANOS.

1 Paulus ſeruus Ieſu Chriſti vocatus apoſtolus, ſeparatus ad euangelium Dei. 32
2 Quapropter inexcuſabilis es ô homo. 29
3 Quæ eſt igitur præſtantia Iudæi? 31
4 Quid igitur dicemus Abraham patrem noſtrum inueniſſe ſecundùm carnem? 25
5 Iuſtificati igitur ex fide, pacem habemus apud Deum. 21
6 Quid igitur dicemus? permanebimus in peccato? 23
7 An ignoratis fratres (peritos enim legis alloquor) quòd lex dominatur homini quoad ipſe vixerit? 25
8 Nulla igitur nunc eſt condemnatio iis qui ſunt in Ieſu Chriſto. 39
9 Veritatem dico per Chriſtum, non mentior. 33
10 Fratres, propenſa quidem voluntas cordis mei. 21
11 Dico igitur, Num abiecit Deus populum ſuum? 36
12 Precor igitur vos, fratres, per miſerationes Dei. 21
13 Omnis anima poteſtatibus ſupereminentibus ſubiecta eſto. 14
14 Infirmum autem fide aſſumite. 23
15 Debemus autem nos qui firmi ſumus, imbecillitates infirmorum portare. 33
g.16 Commendo autem vobis Phœben. 27

Summa verſuum 433.

I. AD CORINTHIOS.

1 Paulus vocatus apoſtolus Ieſu Chriſti per voluntatem Dei, & Soſthenes frater. 31
2 Ego igitur cùm venirem ad vos, fratres, non veni cum eminentiâ ſermonis. 16
3 Et ego, fratres, non potui loqui vobis vt ſpiritualibus. 23
4 Sic de nobis reputet homo vt de miniſtris Chriſti. 21
5 Omnino auditur inter vos ſcortatio 13
6 Suſtinet aliquis veſtiûm negotium habens cum altero. 20
7 De quibus autem ſcripſiſtis mihi, bonum fuerit homini mulierem non attingere. 40
8 De iis autem quæ idolis immolantur, ſcimus. 13
9 Annon ſum apoſtolus? 27
10 Nolo autem vos ignorare, fratres, Patres noſtros omnes ſub illâ nube fuiſſe. 33
h.11 Imitatores mei eſtote, ſic vt ego Chriſti. 34
12 De ſpiritualibus autem, fratres, nolo vos ignorare. 31
13 Si linguis hominum loquar & angelorum, charitatem autem non habeam. 13
14 Sectamini charitatem, ambite autem ſpiritualia. 40
15 Notum autem facio vobis, fratres, euangelium, quod euangelizaui vobis. 58
16 De collectâ autem in ſanctos. 24

Summa verſuum. 437

II. AD CORINTHIOS.

1 Paulus apoſtolus Ieſu Chriſti per Dei voluntatem, & Timotheus frater. 42
i.2 Iudicaui autem mihi hoc faciendum. 17
3 Incipimus rurſus nos ipſos commendare. 18
4 Propterea habentes hoc miniſterium. 18
5 Scimus enim, quòd ſi terreſtris noſtra domus huius tabernaculi diſſoluta fuerit. 21
6 Sed & vt adminiſtri hortamur ne fruſtra gratiam Dei vos receperitis. 18
7 Has igitur promiſſiones cùm habeamus, dilecti. 16
8 Notam autem facimus vobis, fratres, gratiam Dei. 24
9 Nam de ſubminiſtratione quidem quæ fit in ſanctos. 15
10 Ipſe autem ego Paulus precor vos. 18
k.11 Vtinam tolleraretis pauliſper inſipientiam meam. 33
12 Gloriari ſanè non expedit mihi. 21
13 Tertiâ hâc vice venio ad vos. 13

Summa verſuum. 256

AD GALATAS.

1 Paulus apoſtolus non ab hominibus, neque per homines, ſed per Ieſum Chriſtum. 24
2 Deinde poſt quatuordecim annos rurſum aſcendi Hieroſolymam. 21
3 Amentes Galatæ, quis vos faſcinauit? 29
4 Dico autem, quamdiu hæres eſt infans, nihil differt à ſeruo. 31
5 In libertate igitur quâ Chriſtus nos liberauit, perſtate. 26
l.6 Fratres, etiamſi præoccupatus fuerit homo in aliquo lapſu. 18

Summa

Cap.		Vers.
	Summa versuum	149

AD EPHESIOS.

1	Paulus apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei, sanctis qui agunt Ephesi.	23
2	Et vos cùm essetis mortui in lapsibus & peccatis.	22
3	Huius rei gratiâ ego Paulus captiuus ille Christi Iesu.	21
4	Precor itaque vos ego captiuus in Domino.	32
5	Estote igitur imitatores Dei.	33
6	Liberi auscultate in Domino parentibus vestris.	24
	Summa versuum.	155

AD PHILIPPENSES.

1	Paulus & Timotheus serui Iesu Christi, omnibus sanctis.	30
2	Si qua igitur consolatio est in Christo.	30
3	Quod superest, fratres mei, gaudete in Domino.	21
4	Itaque fratres mei dilecti & exoptati, gaudium & corona mea.	23
	Summa versuum.	104

AD COLOSSENSES.

1	Paulus apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei,& Timotheus frater.	29
2	Velim enim vos scire quantum certamen sustineam pro vobis.	23
3	Si ergo resurrexistis cum Christo, superna quærite.	25
m.4	Vos domini, æquitatem & æquabilitatem seruis exhibete.	18
	Summa versuum.	95

I. AD THESSALONICENSES.

1	Paulus & Siluanus & Timotheus ecclesiæ Thessalonicensium	10
2	Ipsi enim nostis, fratres, ingressum nostrum ad vos.	20
3	Quamobrem non ampliùs ferentes hoc desiderium, optimum duximus.	13
4	Quod superest igitur,fratres, rogamus vos.	18
5	De temporibus autem & opportunitatibus, fratres.	28
	Summa versuum.	89

II. AD THESSALONICENSES.

1	Paulus & Siluanus & Timotheus ecclesiæ Thessalonicensium.	12
2	Rogamus autem vos, fratres, per aduentum Domini nostri Iesu.	17
3	Quod superest,precamini fratres pro nobis.	18
	Summa versuum.	47

I. AD TIMOTHEVM.

1	Paulus Apostolus Iesu Christi ex ordinatione Dei seruatoris nostri.	20
2	Precor itaque primò omnium vt fiant deprecationes.	15
3	Fidus est hic sermo, Si quis episcopatum appetit.	16
4	Spiritus autem disertè dicit fore vt posterioribus temporibus descifcant quidam à fide.	16
5	Seniorem ne increpato, sed hortare vt patrem.	25
6	Quicunque sub jugo sunt serui, suos dominos omni honore dignos ducunto.	21
	Summa versuum.	113

II. AD TIMOTHEVM.

Cap.		Vers.
1	Paulus apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei, secundùm promissionem.	18
2	Tu igitur, fili mi, corroborare in gratiâ quæ est Christo.	26
3	Illud autem scito, quòd in extremis diebus instabunt tempora molesta.	17
4	Obtestor igitur ego coram Deo.	22
	Summa versuum.	83

AD TITVM.

1	Paulus seruus Dei, apostolus autem Iesu Christi.	16
2	At tu loquere quæ decent sanam doctrinam.	15
3	Commonefac ipsos vt se subiiciant principatibus.	15
	Summa versuum.	46

AD PHILEMONEM.

1	Paulus vinctus Christi Iesu, & Timotheus frater, Philemoni.	25

AD HEBRÆOS.

1	Multis vicibus & multis modis olim Deus locutus patribus.	14
2	Propterea oportet nos eò magis attendere.	18
3	Vnde, fratres sancti, vocationis cœlestis participes.	19
4	Metuamus igitur ne quando derelictâ promissione.	16
n.5	Nam omnis pontifex ex hominibus assumitur.	14
6	Quapropter omisso initiali sermone Christi.	20
7	Hic enim Melchisedec rex Salem.	28
8	Summa verò eorum quæ dicimus.	13
9	Igitur habebat quidem prius fœdus iustificationes religionis.	28
10	Vmbram enim habens lex futurorum bonorum.	39
11	Est autem fides hypostasis eorum quæ sperantur.	40
12	Proinde nos quoque habentes tantam nos circumstantem nubem testium.	29
13	Fraterna charitas maneat.	25
	Summa versuum	303
	Summa capitum *in X IV. epistolis Pauli* 100.	
	Summa versuum.	2335

EPISTOLA IACOBI.

1	Iacobus Dei ac Domini Iesu Christi seruus.	27
2	Fratres mei, ne cum respectu personarum habete fidem Domini nostri Iesu Christi.	26
3	Ne sitis multi magistri.	18
4	Vnde bella & lites inter vos?	17
5	Agite nunc diuites, flete.	20
	Summa versuum.	108

I. PETRI.

1	Petrus apostolus Iesu Christi.	25
2	Depositâ igitur omni malitiâ.	25
3	Similiter vxores subiectæ sint viris suis.	22
4	Cùm igitur Christus passus sit nobis carne.	19
5	Presbyteros qui inter vos sunt,precor.	14
	Summa versuum.	105

II. PETRI.

1	Simon Petrus seruus & apostolus Iesu Christi.	21
2	Fuerunt autem & pseudoprophetæ in populo.	22
3	Hasce iam alteras vobis literas scribo,dilecti.	18
	Summa versuum,	61

I. IOHANNIS.

1	Quod erat à principio, quod audiuimus, quod vidimus.	10
2	Filioli mei, hæc scribo vobis, ne peccetis.	29
3	Videte qualem charitatem dedit nobis Pater.	24
4	Dilecti,ne cuiuis spiritui credite.	21
5	Quisquis credit Iesum esse Christum.	21
	Summa versuum.	105

Cap.		Vers.
	II. IOHANNIS	
1	Presbyter electæ dominæ.	13
	III. IOHANNIS.	
1	Presbyter Gajo dilecto.	15
	EPISTOLA IUDÆ.	
1	Iudas Iesu Christi seruus, frater autem Iacobi.	25
	Summa capitum *in VII. epistolis catholicis* 213. versuum.	432

APOCALYPSIS.

Cap.		Vers.
1	Apocalypsis Iesu Christi, quam dedit ipsi Deus.	20
2	Angelo Ephesinæ ecclesiæ scribe.	29
3	Angelo autem ecclesiæ quæ est Sardibus scribe.	22
4	Post hæc vidi, & ecce ostium apertum in cœlo.	11
5	Et vidi ad dextram eius qui insidebat throno, librum.	14
6	Et vidi cùm aperuisset Agnus primum ex sigillis.	17
7	Et post hæc vidi quatuor angelos insistentes quatuor angulis terræ.	17
8	Et cùm aperuisset sigillum septimum.	13
9	Et quintus angelus clanxit.	21
10	Et vidi alium angelum robustum descendentem de cœlo.	11
11	Et datus est mihi calamus similis virgæ.	19
o.12	Visum autem est signum magnum in cælo: Mulier amicta sole.	18
p.13	Tum vidi bestiam è mari ascendentem.	18
14	Tum vidi, & ecce Agnus stans super montem Sion.	20
15	Et vidi aliud signum in cœlo magnum & admirabile, angelos septem, habentes plagas septem vltimas.	8
16	Et audiui vocem magnam è templo dicentem septem angelis.	21
17	Et venit vnus ex septem angelis habentibus septem phialas.	18
18	Et post hæc vidi angelum descendentem è cœlo, habentem potestatem magnam.	24
19	Et post hæc audiui vocem magnam turbæ multæ in cœlo dicentis, Alleluia:	21
20	Et vidi angelum descendentem è cœlo, qui habebat clauem abyssi.	15
21	Et vidi cœlum nouum & terram nouam.	27
22	Et ostendit mihi purum fluuium aquæ viuæ.	21
	Summa versuum	405

NOVUM TESTAMENTUM libris XXVII. colligit capita 260. versus 7958

CANON VTERQ. CVM APOCRYphis colligit versus 37218. absque Apocryphis 31170

Distinctio varians in Nouo Testamento.

Etsi non est magna hîc varietas: est tamen aliqua, hoc modo.

In Marco.

Cap.		Vers.
a 8	In diebus illis cùm multa omnino turba esset.	39
9	Et post sex dies accepit Iesus Petrum & Iacobum & Iohannem.	49

In Lucâ.

b) Aliis hoc caput est versuum 39.

In Iohanne.

c) In Bibliis regiis sunt versus 51.

d) Vltimus versus huius capitis deest in Syriaco exemplari.

e) Deest hoc in loco in versione Syriacâ historia adulteræ vndecim versiculis comprehensa.

In Actis.

f) In Bibliis regiis sunt versus 27.

In Epist. ad Romanos.

g) In Syriacâ versione versui 17. ista sunt adiecta: *Gratia Domini nostri Ieschua Meschicho sit cum omnibus vobis. Amen.*

In 1. ad Corinthios.

h) Alij hoc caput ita inchoant: *Laudo verò vos, fratres.* Itaque caput 10. est versuum 34. & vndecimum, 33.

In 2. ad Corinthios.

i) Alij hoc caput ibi inchoant: *Ego verò Deum testem inuoco.* Qui duo versus ad caput præcedens pertinent.

k) Aliis hoc caput ita incipit: *Qui verò gloriatur.* Sed duo isti versus sunt capitis præcedentis.

In epist. ad Galatas.

l) Alij hoc caput ita incipiunt: *Quòd si spiritu incedimus.* Qui duo versus pertinent ad caput quintum.

In epist. ad Colossenses.

m) Alij ita inchoant hoc caput: *In precibus perdurat*: & proinde versum primum huius capitis faciunt vltimum præcedentis.

In epist. ad Hebræos.

n) Aliis ita incipit hoc caput: *Habentes igitur pontificem magnum.* Qui tres versus pertinent ad caput præcedens.

In Apocalypsi.

o) Alij hoc caput ita incipiunt: *Et septimus angelus clangebat.* Proinde quinque versus ex capite præced. huc transponunt.

p) Aliis ita incipit hoc caput: *Stetitque super arenam maris.* Qui est versus vltimus capitis præcedentis.

Sed vt meliùs percipere possis hanc varietatem, accipe istum typum.

1. Corinth.

Cap.		Vers.
h.10	*Nolo* autem vos ignorare.	34
11	Laudo verò vos, fratres.	33
	2. Corinth.	
i. 1	*Paulus* apostolus Iesu Christi.	22
2	Ego verò Deum testem inuoco.	19
k. 10	*Ipse autem* ego Paulus.	16
11	Qui verò gloriatur.	35
	ad Galatas.	
l. 5	*In libertate* igitur.	24
6	Quòd si spiritu incedimus.	20
	ad Coloss.	
m.3	*Si ergo* resurrexistis.	26
4	In precibus perdurate.	17
	ad Hebræos.	
n.4	*Metuamus* igitur ne quando.	13
5	Habentes igitur pontificem magnum.	17
	In Apocalypsi.	
o. 11	*Et datus* est mihi calamus.	14
12	Et septimus angelus clangebat.	22
p. 13	Stetitque super arenam maris.	19

Qui hanc distinctionem sequuntur, legunt *Steti* pro *Stetit*. In Græco est ἐστάθην.

Sed vt extremum aliquid habeat Masorah nostra, exornemus illam coronide necessariarum obseruationum.

1. Sicut in physicis generatio vnius est corruptio alterius, & vicissim: ita in distinctione variâ capitum Biblicorum diminutio vnius numeri est alterius accretio. Itaque licet numerus versuum in capitibus Canonis (apocryphorum enim alia est ratio) variet: idem tamen numerus in summâ totali, quam vocant, conficitur: vt patebit consideranti.

2. Non debet putari nimia Masoretharum diligentia. Si enim astronomi enixè occupantur circa stellarum numerum, botanici circa herbarum, alij circa rerum aliarum numeros: Criticis theologis non debet vitio verti diligentia, quam in subcliori opere collocant.

3. Quia sæpenumero varietas occurrit apud theologos in citatione capitum & versuum biblicorum, valde necessarium est causam huius rei scire, & collationem, seu potiùs conciliationem, in conspectu habere.

4. Labor hic noster non solùm est monumentum Critices sacræ, sed etiam subsidium memoriæ; cui sæpenumero occurrit initium capitis biblici, quod in hoc typo, non sine vigiliis ita adornato, te manu ducit ad numerum istius capitis: vt nihil iam dicam de eo, quòd typus ille noster subinde ob oculos positus plurimùm facit ad vniuersum Bibliorum systema mente comprehendendum; quomodo videmus ICtos suum Corpus, quod vocant, eodem prope modo distinguere in primo ipsius limine. Tu itaque, lector βιβλιόφιλε, hoc nostro labore vtere fruere eo, quo dixi, modo.

CRITICA ECCLESIATICA.

Criticæ Biblicæ addamus *Criticam Ecclesiasticam*, & disseramus primò de numero Patrum, id est, celebriorum Ecclesiæ Dd tum de modo docendi & scribendi, quem tenuerunt: denique de scriptis suppositítiis Patrum, Conciliorum, & aliorum quorundam Ecclesiæ doctorum. Quod attinet *ad numerum* Patrum, numeramus in vniuersum XLIV. eosque partimur in tres classes siue ordines.

In primo ordine sunt illi, qui inde à temporibus apostolorum

lorum vsque ad Concilium Nicenum, anno 326. floruerunt: & sunt numero 17. hoc modo:

1. Dionysius Ageopagita an. Chr. 60.
2. Clemens Romanus Papa, an. 70.
3. Ignatius, episcopus Antiochenus, an. 71.
4. Polycarpus, æqualis Ignatij.
5. Hermes, an. Chr. 72.
6. Iustinus, cognomento Martyr & Philosophus, an. Chr. 150.
7. Athenagoras, Iustini σύγχρονος.
8. Theophilus, episcopus Antiochenus, an. 170.
9. Tatianus, eodem tempore.
10. Irenæus, an. 180.
11. Tertullianus, an. 203.
12. Clemens Alexandrinus, eodem tempore.
13. Origenes Adamantius, an. 226.
14. Gregorius Neocæsariensis. an. 233.
15. Cæcilius Cyprianus, an. 240.
16. Arnobius, an. 285.
17. Lactantius Firmianus, Arnobij auditor.

In secundo ordine sunt Patres 20. qui claruerunt inde à Concilio Niceno, quod est primum œcumenicum, vsque ad Concilium Constantinopolitanum tertium, quod est sextum & vltimum œcumenicum, hoc est, ab anno Christi 326. vsque ad an. 681. Series talis est.

1. Athanasius, an. Chr. 326.
2. Macarius, cognomento Senior, an. 340.
3. Hilarius eodem tempore.
4. Optatus Mileuitanus, an. 365.
5. Basilius Magnus, an. 370.
6. Gregorius Nazianzenus, eodem tempore.
7. Epiphanius, eodem tempore.
8. Ambrosius, eodem tempore.
9. Gregorius Nyssenus, frater Basilij.
10. Hieronymus, an. Chr. 380.
11. Aurelius Prudentius, an. 390.
12. Iohannes Chrysostomus, an. 398.
13. Augustinus, an. 420.
14. Cyrillus Alexandrinus, an. 430.
15. Theodoretus, æqualis Cyrilli.
16. Leo Magnus, Papa, an. 440.
17. Prosper Aquitanus, an. 445.
18. Vigilius, an. 495.
19. Fulgentius, an. 500.
20. Isidorus Hispalensis, an. 595.

In tertio ordine sunt Patres 7. hoc modo.

1. Beda Venerabilis, an. 700.
2. Iohannes Damascenus, æqualis Bedæ.
3. Rabanus Maurus, an. 830.
4. Haymo, an. 850.
5. Theophylactus, epitomator Chrysostomi, anno 880.
6. OEcumenius, an. 1070.
7. Bernhardus, an. 1120.

Videamus iam modum, quem Patres in scriptis suis seruarunt. Principiò Patres multi de rebus sacris incommodè sunt locuti, sex de causis. 1. quia disputationis ardore eò protracti sunt. 2. quia nondum motis disputationibus securiùs locuti sunt. 3. quia in exhortationibus vehementiùs rhetoricati sunt, vel in fauorem aliorum, vel vt alios permouerent. 4. quia formulas loquendi à vulgo mutuati sunt, & proinde sæpè populariter docuerunt. 5. quia victi multitudine in superstitionum pelagus abrepti sunt, vt impetus fluminum trahit nauigantes. 6. quia sæpè loquuntur recitatiuè, non assertiuè. De primo loquitur *Basilius epist. 64. de Gregorio Neocæsariensi*: Hoc (*nimirum quòd dixit Patrem & Filium hypostasi vnum esse.*) non ex decreto, sed ἀγωνιστικῶς *ex contentione*, dictum esse in disputatione aduersus Ælianum intelligere non potuerunt illi. De secundo accipe illud *Augustini lib. 1. contra Iulinnum Pelag. cap. 2.* Disputans in catholicâ ecclesiâ non se aliter intelligi arbitrabatur, tali quæstione nullus pulsabatur, vobis nondum litigantibus securiùs loquebatur. De tertio *Hieronymus* loquitur, quando de seipso agens excusat quædam incommodè dicta: Rhetoricati sumus, & aliquid declamationibus dedimus. *Theodoretus dialog. 3.* sic ait: Non ego dogmatum & decretorum regulam ea duco, quæ in ecclesiâ panegyricè & declamatoriè dicuntur. De quarto accipe illud *Cani in loc. com. lib. 11. c. 6.* Negare non possumus, viros aliquando grauissimos, in diuinorum præsertim prodigiis describendis, sparsos rumores & excepisse, & scriptis etiam ad posteros retulisse. Quâ in re, vt mihi quidem videtur, aut nimium illi sibi, aut fidelium certè vulgo indulserunt quòd vulgus sentiebant non tantùm ea facilè miracula credere, sed impensè etiam flagitare. *Et mox* ait, authoribus nobilissimis placuisse, veram historiæ legem esse ea scribere, quæ vulgo vera haberentur. De quinto ait *Augustinus epist. 119.* Multa huiusmodi propter nonnullarum vel sanctarum, vel turbulentarum personarum scandala deuitanda, liberiùs improbare non audeo. De sexto accipe illud *Hieronymi apolog. pro libris contra Iouin. cap. 4.* Veteres interdum coguntur loqui, non quod sentiunt, sed quod necesse est dicunt, aduersus ea, quæ dicunt Gentiles. *Rursus:* Aliud est γυμναστικῶς scribere, aliud δογματικῶς. Idem testatur *Ottho Frisingensis libr. 4. cap. 18.* Considerandum secundùm quid loquantur authores, quid opinando, quid asserendo. quid ex magnitudine doloris semet consolando. Sic *Ioachimus Abbas in Reuelat.* Opinando dicere potest ex coniecturis, non intelligendo. *Catharinus de certitud. grat. assert. 13.* Neque enim quodcunque Pontifices in suis decretis enuntiatiuè aut opinatiuè magis, quam decisiuè loquuntur, illud haberi debet quasi decisum & determinatum. Denique *Bellarminus* de Celestino & Innocentio contraria docentibus ait, neutrum aliquid de eâ re certi statuisse, sed vtrumque quod sibi probabiliùs videbatur, respondisse: & multa esse in epistolis decretalibus, quæ non faciunt rem aliquam esse de fide, sed solùm opiniones Pontificum de eâ re nobis declarant. Sed non tantùm incommodè dicta, verùm etiam manifesti errores, & ij quidem crassiores, occurrunt in scriptis Patrum. Et sæpenumero accidit, vt Patres posteriores priorum errores reiecerint. Ita quod Irenæus, Iustinus, Clemens Alexandrinus, Tertullianus, docuerunt, gentes sine Christo, solâ naturæ lege, saluatas esse, Augustinus apertè refellit. Quid? Veteres quidam suos errores, aut incommodè dicta, vel retractarunt, vel emolliuerunt. *Anselmus in comment. super 2. epist. ad Corinth.* ita scribit hâc de re: In libris sanctorum doctorum, quos authenticè legit ecclesia, nonnnunquam inueniuntur praua, vel hæretica: non tamen pro his libri vel authores damnantur. Perlegat eorum libros prudens lector, & inueniet verum esse quod dico. *Idem testatur Sixtus Senensis præfat. lib. 5. Bibliothec.* Veteres dum vnum errorem omnium virium conatu destruere annituntur, sæpe in alterum errorem vel deciderunt, vel quodammodo decidisse videntur agricolarum more, qui incuruum teneræ arboris stipitem corrigere volentes, immodicâ nonnunquam attractione modum excedunt, plantamque in contrariam diuersamque deducunt formam *Canus loc. com. libr. 11. c. 6.* Non omnia, quæ magni authores scripserunt, sunt vndique perfecta. Nam & labuntur aliquando, vt ille ait, & oneri cedunt: & indulgent ingeniorum suorum voluptati: vulgoque interdum etiam indulgent. Porrò Patres, ne doctrina ecclesiæ horridior videretur, inflexerunt eam ad disputationes physicas, multosque locos, putà de peccato, de libero arbitrio &c. magis philosophicè, quàm theologicè tradiderunt. Imò religionis doctrinam in multis flexerunt & formarunt ad opiniones Gentilium, & ritus illorum nonnihil immutatos transtulerunt ad cultum Dei pio proposito an præpostero. Sic quod *Plato libr. 10. de rep. Virgilius Æneid. 6. Ouid. metamorph. 15.* de pœnis purgatoriis post mortem scripserunt, ad Purgatorium multi ex veteribus transtulerunt in ecclesiam. *Gregorius Nyssenus de vitâ Gregorij Thaumaturgi sic ait:* permisit etiam memorias martyrum, ne vulgus imperitum propter voluptates in errore simulachrorum permanerent. *Augustinus confess. lib. 6 cap. 2.* testis est, consuetudinem, quâ solebant epulas instituere ad memorias martyrum, à gentilitate ductam fuisse. *Theodoretus de euangelicæ veritatis cognitione libr. 8.* Pro Pandiis, & Diasiis, & Dionysiis, hoc est, Iouis Liberique Patris solennitatibus, Petro, Paulo, Thomæ, Sergio, Marcello, Leontio, Antonino, Mauritio, aliisque sanctis martyribus, solennitates populari epulo peraguntur. Structura simulachorum & imaginum gentilis fuit consuetudo, fatente *Eusebio lib. 7. hist. eccles. cap. 17.* Similiter ex more ethnico, de quo *Cicero offic. lib. 3.* thus & cerei accendebãtur ad imagines. Vigiliæ anniuersariæ gentibus fuerunt vsitatæ, vt patet ex *Suetonio in Vespas. cap. 7.* Aspersio aquæ lustralis, de quâ *Iuuenalis Satyr. 6* gentilis est ritus, vt disertè testatur *Sozomenus lib. 6. cap. 6* Similiter accensio lucernarum de die apud *Senecam libr. 14. epist. 15.* item rasura capillorum, de quâ *Apuleius lib. 11. de asino aureo.* Pro thoracibus Serapidis, crucis dominicæ signum vnumquemque in postibus, ingressibus, fenestris, parietibus & columnis depinxisse, author est *Ruffinus lib. 2. hist. cap. 29* Constantinus Magnus pro Labaro posuit signum crucis, vt ait *Sozomenus lib. 1. cap. 5.* Neque solùm gentilium ritus, sed etiã Iudæorum ceremonias reuocauit ecclesia. Ita enim est, vt ait *Alcuinus de offic. diuin.* Ecclesia recepit vestimenta sacra, ad instar sacerdotum Mosaicæ legis. Confer *Amalarium de offic. eccles. lib. 2. cap. 22* Et *Gratianus de consecrat. dist. 1.* ait, consecrationes, & sacras vnctiones, ad imitationem Mosis & Leuitarum faciendas. Hæc & similia quando in scriptis Patrum legimus. Superest vnum, quòd in lectione quorundam Patrum est obseruandum. Mos fuit hic veterum, siue curiositas vt in vocibus peregrinis, quarum non ignorarent etymum, satagerẽt aliquid inuenire, quod earum significationi accommodarent. Sic in dictionibus Hebraicis etyma Græca aut etiam Latina Patres comminiscuntur; non quòd veram originem ignorent, sicut multi existimant; sed ex merâ curiositate. Sic nomen *Iesus* à Græco ἰᾶσθαι, *sanare*, deduxerunt, etiam illi, quos

quos vera eius origo & significatio non latebat. Sic enim *Cyrillus Hierosolymitanus catechesi* 10. Ἰησοῦς ἐστι, κατὰ μὲν Ἑβραίους σωτήρ, κατὰ δὲ τὴν Ἑλλάδα γλῶσσαν, ἰώμενος, hoc est, Iesus secundum Hebræos quidem est seruator, secundum Græcam vero linguam, sanans. Ita *Ambrosius* etymum duplex dat nomini Leuites, *lib* 2. *de Abel & Cain.* In Leuitis figuralis agni præcessit mysterium, verum venturum Leuiten, qui proprij corporis passione tolleret peccatum mundi. Leuites significatur susceptus pro me, vel ipse mihi leuis. Sic Ambrosius. Prius etymum est è linguâ Hebraicâ, posterius è Latinâ. *Anastasius Sinaita Monachus*, homo Græcus, qui non ignorabat vnde vocabulum βάπτισμα deducatur, quòd sciret peccatum originale sacro lauacro, ablui, scripsit βάπτισμα dici, quasi βάπτωσμα, ἐν ᾧ ἀπτεῖται, ἤγουν πίπτει τὸ πτῶσμα, hoc est, abjectio lapsus, quippe in quo abiicitur seu cadit peccatum. Similiter vocem Hebraicam *Pascha* à verbo Græco πάσχειν deduxerunt, non quòd veritatem ignorarent, sed propter illam, quam diximus, piam curiositatem. *Ambrosius lib.* 2. *de Abel & Cain, cap.* 1. Pascha Domini, *inquit*, transitus est à passionibus ad exercititia virtutis. Et ideo Pascha Domini dicitur, quoniam & tunc in typo illo agni veritas Dominicæ passionis annuntiabatur, & nunc eius celebratur gratia. *Iustinus in dialogo cum Tryphone* ait, agnum fuisse symbolum τοῦ πάθους τοῦ σταυροῦ, ὃ ἔπασχειν ἔμελλεν ὁ Χριστός, hoc est, passionis crucis, in quâ Christus erat passurus. *Philo Iudæus*, etsi non dicit ille quidem expressè πάσχα deduci à πάσχω, crebrâ tamen allusione id videtur significare: vt *de hærede rerum diuinarum:* Πάσχα ἐστιν, ὅταν ἡ ψυχή, τὸ μὲν ἄλογον πάθος ἀποβάλλειν μελετᾷ, τὸ δ' εὔλογον αὐτὰ ἑκουσίως πάσχῃ, hoc est, Pascha est, quando anima meditatur abiectionem irrationalis passionis, rationalem verò passionem lubens sustinet. Similiter χριστός, *vnctus*, dici queat quasi χρηστός *benignus.*

Sequitur de scriptis Patrum, Conciliorum, & aliorum quorundam Ecclesiæ Dd Solent autem hic variæ tradi regulæ, putà, quòd diuersitas stili ostendat aliquem librum non esse huius vel illius authoris: quòd res & vocabula recentioris æui prodant scriptum aliquod falsò tribui authori antiquo: quòd plerique critici in dubium vocent hoc vel illud scriptum: quòd vocabula barbara prodant scriptum non esse authoris, qui tersè scripsit: vt in *tractatu de singularitate clericorum*, qui vulgo tribuitur Cypriano, non tantùm stilus satis diuersus à stilo Cypriani, sed etiam verba multa parum Latina, quæ in Cypriano non inueniuntur. qualia sunt, *inordinaliter contubernalitas, mulcedo, passibilitas*, & alia, ostendunt, non esse Cypriani. Sed texamus Indicem librorum siue scriptorum partim dubiorum, partim spuriorum, partim corruptorum: idque ex *Roberto Bellarmino de scriptoribus ecclesiasticis*, & *Guilelmo Perkinso de Romanæ fidei ementito catholicismo.*

1. *Liturgia* S. PETRI.

2. *Epistola* PAVLI *ad Laodicenses*: & *eiusdem epistolæ ad Senecam.*

3. *Protoeuangelium* S. IACOBI. *Eiusdem Liturgia.* Hæc precationem continet pro iis, qui in monasteriis degunt: quæ Apostolorum temporibus nulla fuerunt. In ea quoque sæpiùs occurrunt verba Apostolorum seculo ignota: θεοτόκος, ὁμοούσιος, λειτουργία pro ritu missandi. Talis etiam ritus cœnæ ibi describitur, quem ab Apostolis obseruatum non fuisse constat ex Actis Apostolorum & Iustino Martyre. Huius porrò scripti pene 600. à Christo annis nulla fit mentio. Bellarminus ait, hanc liturgiam à posterioribus ita locupletatam esse, vt non facilè sit dijudicare, quæ pars S. Iacobum habeat authorem.

4. *Missa* ÆTHIOPVM, adscripta S. Matthæo. Meminit epactæ & aurei numeri.

5. *Pastor* HERMÆ. Tertullianus, Athanasius, Hieronymus, Eusebius, & alij rectè scribunt, hunc librum non esse in canone.

6. *Narratio* PROCHORI *de rebus gestis S. Iohannis.* Bellarminus hunc esse librum, qui sub nomine *Circuitus Iohannis* inter apocrypha recensetur ab Athanasio. Cæterùm historia ista est authoris recentioris: quia facit mentionem τῆς ὁμοουσίου τριάδος.

7. *Missa* S. MARCI, continet preces pro Papâ, pro lectoribus, cantoribus, subdiaconis, quorum fuerunt munera posterioribus seculis recepta.

8. *Libri passionis* S. ANDREÆ nulla fit mentio apud probatos authores, Eusebium, Hieronymum, Gennadium, & blasphema quædam habet, *salue sancta crux*, &c. Passio hæc tribuitur presbyteris Achaiæ.

9. *Missa* ANDREÆ eiusdem est generis.

10. *Narratio* LINI. Hanc Bellarminus dicit esse similem narrationi Prochori: hoc est, omnino confictam, vt sonant ipsius verba.

11. Multa sunt conficta sub CLEMENTIS Romani nomine, *Euseb. l.* 3. *c.* 35. Epistola ad Corinthios vna genuina est. *Idem c.* 3. . *in Ruffin. præfat. ante Recognitiones Clementis*, & *Conc. Vasense* 1. *c.* 6. vnius epistolæ Clementis ad Iacobum fratrem D. mentionem faciunt: tres autem nunc eduntur. Deinde has *epistolas* non esse Clementis, apertè constat. Iacobus obiit 7. annis ante Petrum: & Clemens non fuit Romanæ Ecclesiæ præsul nisi post Petrum, vt constat ex omnibus penè historiis. Epistola 5. communionem rerum & vxorum docet. 2. Iacobum stultissimè monet, vt non murium stercora inter fragmenta dominicæ portionis appareant, neque putrida per negligentiam remaneant Clericorum. Porrò *Canones Apostolorum* eidem tribuuntur. Hos Tertullianus, Athanasius, & Damascenus recipiunt tanquam genuinos. At *dist.* 1 . *c. sancta Romana*, hic liber dicitur apocryphus, & hoc idem confirmatur *dist.* 16 *can.* 1. & . Bellarminus iudicat quinquaginta canones esse genuinos. Item *Constitutionum Apostolicarum lib.* 8. ab eodem scripti non maiorem merentur fidem. De his nil Eusebius, nil Hieronymus, nil Gennadius. Deinde author se prodit, vbi dicit vernum æquinoctium incidere in vicesimum secundum diem mensis duodecimi, qui appellatur *dystros*, siue *Martius.* At Christi & Apostolorum seculo, æquinoctium fuit Martij 25. & non 22. nisi post Nicenum Concilium. Hoc vidit Carolus Bouius & excusare non potuit. Citârunt quidem aliquando veteres Constitutiones & Dispositiones Apostolicas, sed non scriptas (vt fatetur Basilius lib. de Spiritu S. c. 27.) imò ne scriptas quidem à Clemente, quia nomen eius non apponunt nisi posterioribus seculis.

12. Opera DIONYSII AREOPAGITÆ *de cœlesti Hierarchiâ*: De *Ecclesiasticâ Hierarchiâ*: De *diuinis nominibus*: *Epistolæ* item aliquot, vt est nominatim epistola ad B . aulum, fidem non merentur. Multi in Act. c. 17. vt Erasmus, L. Valla, Caietanus & alij præterea docti, negant prorsus hæc esse scripta Dionysij Apostolici, his ducti rationibus. *Primò*, etsi fuerat Pauli discipulus ab eo conuersus, beneficij tamen conuersionis & amicitiæ cum præceptore adeo obliuiscitur, vt ne vno quidem loco Pauli meminerit: obscurum quendam *Hierotheum* præceptorem suum appellans. *Secundò*, plurimorum meminit ordinum, vt Pontificum, Præsulum, Sacerdotum, Monachorum, &c quorum (præterquam Episcopi) Dionysij ætatem nullum habuisse, probari potest. *Tertiò*, Eusebius & Hieronymus in Catalogo, horum nullam faciunt mentionem; imò nullius ante Gregorium M. qui tamen citans huius literas, non iudicat eum fuisse Dionysium Areopagitam. His attexam rationes Illyrici. *Prima*: quòd ille tumidus, laciniosus, improprius & ampullatus, stylus, vt est istius Dionysij, nequaquam tempore Apostolorum Athenis fuit vsitatus, sed 3 0. demum postea annis in Græciâ & etiam Romæ cœpit esse in vsu. *Casaubonus tamen exerc.* 16 *ad annales ecclesiasticos Baronij* author est, hunc Dionysium eximiè præ cæteris Patribus, de mysteriis, & nominatim de sacramentis, nouo quodam & inusitato genere scripsisse: quòd sciret, tali genere dicendi Gentium mysteria tractari consuesse. *Secunda*: Recentior versio habet, quòd Hierarchiam ad Timotheum scripserit, quem etiam suum filium vocat: quod idem est vsum scripturæ & ecclesiæ, ac discipulus. Cum Timotheus habuerit diutissimè præstantissimum præceptorem, illud electum Christi vas, fueritque adhuc viuo Paulo celebris Doctor ac Episcopus: vt ille potius hunc Dionysium docere potuerit, quàm ab eo doceri. *Tertia*: mox post conuersionem Areopagitæ, docuit Paulus Corinthi diu, & Ephesi diutius, quæ loca facilè Athenis adiri possunt: vt si Dionysius iste discendi cupidus esset, potuerit per integrum biennium Paulum quasi domi habere: eoque non fuerit necesse eum, sese in disciplinam Hierotheo homini in Ecclesiâ planè ignoto dedere. *Quarta*: Initio Hierarchiæ dicit suos præceptores istam doctrinam ab Apostolis accepisse. Vnde liquidò constat eum non fuisse Apostolorum discipulum. Ideo autem in plurali dicit (*præceptores*) vt per plures sibi inuicem succedentes præceptores, eam doctrinam ab Apostolis ad se prouenire ostendat. *Quinta*: Quî possibile fuit, istum Dionysium non sæpe quæsiuisse scribendo ad Timotheum, an quid ipse rectius ab Apostolo Paulo audiuisset de illis ipsis rebus, cum quo ille tandiu familiariter vixisset, & planè eruditus fuisset, *Sexta*: meminit hic scriptor crebrò chori & templi à se inuicem distincti & aliarum partium templi. Atqui tempore Apostolorum & 100. annis postea, non habuerunt Christiani tam operosa templorum ædificia, sed initio in domibus conueniebant. *Septima*: Io. Apostolus diutius Dionysio vixit, fuitque plerunque Ephesi, & in Asiâ minori, vbi & Timotheus egit, qui ei familiaris fuisse scribitur. Quomodo ergo iste Dionysius ausus fuit docere Timotheum habentem tantum præceptorem? & non potius millies repetendo petiisset vt sibi Timotheus, vel de hâc re, vel de aliâ suam aut Pauli Iohannísve sententiam perscriberet. *Octaua*: iste Dionysius in libro de diuinis nominibus citat Clementem philosophum de dialecticâ differentem, ac dicentem, quod exemplaria rerum principalia, aut ideæ seu causæ formales sint relatiuæ. Nullus verò fuit alius Clemens philosophus quàm Alexandrinus, cuius libri iam extant, qui ducentis post Christum annis vixit. Videtur etiam omnino ille locus citatus in fine octaui Stromatum esse, vbi Clemens dicit causas, præsertim formalem esse relatiuam. *Nona.* Iste Dionysius citat 4. cap. de diuinis nominibus Ignatij epistolas; quæ tamen

tamen ſicut illorum vitæ teſtantur, ſunt poſt mortem Dionyſij Areopagitæ ſcriptæ. Sic idem citat Euangelium Iohannis & Apocalypſin in ſuâ Hierarchiâ, idque ita tanquam ſi ea ſcripta iam diu fuiſſent pars ſacræ ſcripturæ. At contrà ſi credimus hiſtoricis, vtrumque ſcriptum Iohannes paulò ante mortem, nempe circiter 14. annos poſt Dionyſij mortem, edidit. *Poſtremo:* Inter epiſtolas iſtius Dionyſij eſt vna ad Polycarpum ſcripta, quæ eum alloquitur tanquam iam doctorem & Epiſcopum. Iam teſtantur ſcriptores, Dionyſium eſſe paſſum in Gallijs anno Domini 96. & Polycarpum 166. ſuæ verò ætatis 86. Vnde liquidò apparet, Polycarpum tempore paſſionis Dionyſij adhuc impuberem fuiſſe. Hactenus Illyricus. Dionyſij Myſticam Theologiam Athanaſij ſeculo ignotam arbitratur *Sixtus Senenſis Bibliothecæ l.* 4. Mihi vehementer placet, quod *Caſaubonus exercit.* 16. ait, hunc Dionyſium eſſe ſcriptorem antiquiſſimum & elegantiſſimum, ſed non illum, de quo habetur mentio in Actis: & addit, hoc affirmare illos, qui ſint penitùs rudes tum linguæ Græcæ, tum antiquitatis eccleſiaſticæ.

13. MARTIALIS *Burdegalenſis* fuit ante paucos annos in Galliâ repertus; & impudenter ſe appellat, *Apoſtolum Chriſti.* Nulla eius mentio apud Euſebium, Hieronymum vel Gennadium. Bellarminus ait: Sanctus Martialis I. Epiſcopus Lemouicenſis, dicitur ſcripſiſſe duas epiſtolas, vnam ad Burdegalenſes, alteram ad Toloſanos. Sed multa ſunt, quæ eas epiſtolas ſuppoſititias eſſe indicare videantur.

14. *Opera* ABDIÆ ſunt conficta. Spurium eum & mendacem aſſerit *Molanus, lib* 1 *de fide hæreticis ſeruandâ c.6.* Vide plura apud *Iuell. in Duplicat. cont. Harding. art.* 1 *ſect* 5. Audiamus etiam Bellarminum: vitæ Apoſtolorum, quæ ſub nomine eius (*Abdiæ*) circumferuntur, fabulis ſimiliores ſunt, quàm veræ narrationi.

15. *Euſeb. l.* 3. *c.* 35. *&* 36. *& Hieron.* Septē IGNATII numerant epiſtolas: at nunc ſub illius nomine habentur 12. Quinque ergo ſpuriæ: *Ad Mariam Caſſabolitam, ad Tarſenſes, ad Hieronem, ad Anthiochenos, ad Philippenſes.* Et ſi detur genuinas eſſe: multa tamen admixta ſunt quæ non ſunt Ignatij. Vt quod dicit epiſt. ad Philippenſ. quartâ & ſextâ feriâ poſt paſſionis Dominicæ hebdomadam ieiunandum, & prohibet ieiunium Sabbathi: cùm Auguſtinus hæc aliter diſputet. Item quod dicit: *Quicunque cum Iudæis paſcha ederit, comparticipabit iis qui Dominum occiderunt.* Cùm Epiphanius citet Canonem Apoſtolorum planè contrarium; & hiſtoria Eccleſiaſtica aliud doceat. Præterea epiſtolæ *ad Smirnenſes* author, corrigit Salomonem: *Honora* (inquit) *fili Deum & regem,* Prouer. 24. 8. Ego verò dico: *Honora Deum vt omnium authorem, Epiſcopum verò vt principem ſacerdotum, honorare oportet, & regem. Theodoretus dialog.* 3. citat locum ex hâc epiſtolâ de errore Menandri, qui tamen in eâ hodie non legitur, & Trithemius omiſit. Item Bellarm. ait Græcos codices eſſe corruptos. Epiſtola *ad Epheſios* ſpuria vel ſaltem corrupta. *Theodoretus Cyrenſis in Eraniſte dialogo* 1. *& Gelaſius in libro de duabus in Chriſto naturis contra Eutychen*, citant ex eâ teſtimonium, quod in editis exemplaribus non habetur. Circumferuntur etiam tres aliæ, ad B. Virginem Deiparam vna, & ad S. Iohannem Euangeliſtam duæ, quibus additur epiſtola B. Virg. ad Ignatium. Sed neque in codicibus Græcis habentur, neque grauitatem eloquij S. Ignatij omninò redolent, vt ſunt verba Bellarmini

16. *De* PAPIÆ ſcriptis iudicium *Euſebij eſt, hiſt. libr* 3. c. 36. eum peregrina de Chriſto loqui & fabuloſa ſcribere, & Apoſtolicas diſputationes non rectè intelligere & millenarios annos ponere.

17. *Hiſtoria* EGESIPPI, quæ hodie extat in Bibliothecâ S. Patrum, ſpuria eſt. Nam lib. 3. cap. 5 ait, Antiochiam, tertio loco, ante, ex omnibus quæ in orbe Romano eſſent ciuitatibus, æſtimatam, quarto demum cenſeri, poſtquam Conſtantinopolis excreuit, ciuitas Byzantiorum. Verus autem Egeſippus fuit ante Conſtantini tempora, an. D. 160. Hoc ipſo argumento vtitur Bellarminus. Deinde Trithemius ait, eum ſcripſiſſe libros Eccleſiaſticorum actuum à paſſione Domini ad ſuam vſque ætatem. Hi autem libri continent hiſtoriam de Maccabæis, de bello Iudaico, & de Vrbis Hieroſolymitanæ excidio. Vide plura in Renati Laurentij præfatione.

18. IVSTINVS Chiliaſta eſt in Dialogo cum Triphone. *Libellus quæſt. & reſponſ.* non eſt genuinus. Nam quæſt. 82. & 86. Origenis mentionem facit. Et q. 127. Irenæi, & Manichæorū. Librum de expoſitione fidei Bellarminus iudicat non eſſe Iuſtini: item epiſtolam ad Zenam & Serenum: denique librum quæſtionum quinque Gentibus à Chriſtianis propoſitarum.

19. Liber *de tranſitu Mariæ* dubius Melitoni Sardenſi tribuitur à Trithemio: ſed malè. Apocryphus eſt *diſt.* 15. *cap. Sancta Romana.* Hieronymus huius non meminit. *Beda in retractatione Actorum c.*8 ait falſa multa continere & Melitoni imponi tantum. Idem ſentit P. Suarez in Thomam Et Bellarminus ait, indignum eſſe librum, qui tanto viro tribuatur.

20. IRENÆVS Chiliaſta fuit *Euſeb. lib.* 3. *c.* 39. Ambigunt nonnulli, Græcéne an Latinè ſcripſerit: quoniam non inueniuntur eius libri niſi Latinè conſcripti.

Tom. IV.

21. THEOPHILVS ANTIOCHENVS. *Commentarij* ſub eius nomine in Prouerbia & Euangelium, improbantur ab Hieronymo. *Sixtus Sen. Bibliothecæ lib* 4.

22. TERTVLLIANVM Eccleſiæ hominem non fuiſſe ait Hieronymus: quia ad Montani dogma eſt delapſus, imò Hæreſiarcha fuit. Obiter hîc obſerua, Tertullianum Deum vocare corpus, vt ſignificet. ipſum eſſe veram ſubſtantiam. Sic enim ait contra Praxeam: *Quis negabit, Deum corpus eſſe, etſi Deus ſpiritus eſt?* hoc eſt, Quis negabit, Deum veram eſſe ſubſtantiam, tametſi ſpiritus eſt.

Libri eius contra Orthodoxos ſcripti ſunt hi:

Liber *contra Pſychicos*, id eſt, contra Catholicos.

De Monogamiâ.

De Ieiunio.

De fugâ in perſequutione.

De pudicitiâ.

De exhortatione ad caſtitatem, &c.

In his habentur multa ſemina Papatus. Gelaſius omnes eius libros iudicauit Apocryphos *diſt.* 15.

Librum *de pœnitentiâ* non eſſe illius iudicauit Eraſmus.

Scripſit etiam Montaniſta librum de coronâ militis, in quo nouam prophetiam explicat.

Opera Tertulliani ſuppoſititia, vel dubia, Bellarmino ſunt hæc duo: Liber de Trinitate, & Epiſtola de cibis Iudaicis.

23. ORIGENES errorum plenus. Hieronymus eius ſcripta venenata appellat. Euſebius etiam & Ruffinus teſtantur & conqueſti ſunt eius ſcripta ab hæreticis peſſimè tractata.

Spuria. *Homilia in Lib. Ieſu Naue*, quæ abundant Solœciſmis, & in Hieronymi Catalogo non ſunt.

Tractatus tres in librum Iob, vbi accuſantur hæreſeos, qui vnum Deum & tres perſonas dicunt.

Homiliæ duæ in Pſal. 38.

Homiliæ 4 *poſterioris explicationis in Cantica.*

Threnorum tractatus vnus.

Commentarij in Romanos non fideliter redditi à Ruffino.

Liber *de pœnitentiâ.* Gelaſius diſt. 15. dicit Apocryphum.

Homiliæ *in diuerſos* In iis mentio Arianorum & Manichæorum. Ex iis ſi quæ ſunt ab eo ſcriptæ, corrupit eas Ruffinus.

Bellarminus his addit:

Homilias in Leuiticum.

Commentaria in Iob.

Homilias in Pſalmos.

Tractatum quintum in Matthæum.

24. CYPRIANVS dum Tertullianum nimis miratur, fauet aliquando Montaniſtis.

Spuria, quæ certò non ſunt Cypriani, hæc ſunt.

Tractatus de Sina & Sion.

De reuelatione capitis Iohannis Baptiſtæ. nam meminit Pipini regis Francorum.

Expoſitio Symboli meminit Arianorum. Ruffini eſt, teſte Hieronymo.

De ſingularitate Clericorum. habet vocabula barbara. Inordinabiliter, contubernaliter, coniugalitas, abſentare.

Sermones 12. *de cardinalibus operibus Chriſti*, ſunt incerti autoris. Teſte Pamelio, & Sixto Sen. lib. 4. bibliothecæ.

Sermo de Baptiſmo Chriſti contradicit ſententiæ Cypriani de hæreticis rebaptizandis.

Liber de laude Martyrij argutias affectat.

Liber de duplici Martyrio Turcarum meminit, qui non fuerunt Cypriani ſeculo.

Liber de 12. *abuſionibus*, vt opinantur Trithemius & Pamelius.

De ſtellâ & Magis & Innocentium morte.

Sermo aduerſus Iudæos.

Librum *Geneſis & Sodomæ* Sixtus Sen. ait eſſe Tertulliani, Bellarminus dubitat.

Paſſio Cypriani ſcripta eſt à P. Diacono an. 807. Sigebertus.

Liber de aleatoribus.

Oratio pro Martyribus.

Oratio ſub die Paſſionis.

Liber *de pœnitentiâ Cypriani* diſt. 15. cap. S. Romana.

In hoc libro dicitur fuiſſe magus: quod Perkinſo videtur eſſe falſum: fuit enim profeſſione Rhetor vt Hieronymus ait in Catalogo, & ſuper Ionam cap. 3. qui de Magiâ nihil: nec Cyprianus ipſe in deſcriptione conuerſionis ſuæ lib. 2. epiſt. 2. nec Pontianus diaconus eius in vitâ Cypriani.

Cypriani liber de *vnitate Eccleſiæ* corruptus eſt ad ſtabiliendum primatum Petri. Hæc enim verba, *Et illi paſcendas mandauit oues ſuas.* Rurſus. *Vnam conſtituit Cathedram.* Item, *Primatus Petro datur vt vna Chriſti Eccleſia, & Cathedra vna monſtretur.* Et, *qui Cathedram Petri ſuper quam fundata eſt Eccleſia deſerit.*] hæc verba, inquam, deſunt in variis MS. exemplaribus. Vide T. Iameſij Catalogum.

Dubia. De diſciplinâ & bono pudicitiæ. Et ad Nouatianum hæreticum, *quod lapſis ſpes veniæ non deneganda.*

25. METHODII liber de *creatione* non habetur apud Hieronymum, dubius eſt *Io. Simlerus in Bibliothecâ.* Libellus reuelationum eſt ſuppoſititius, Bellarm.

 26. GREGO

26 GREGORIUS NEOCÆSARIENSIS de Annuntiatione & *homiliæ* dubiæ. Nam vitæ Sanctorum, lectiones item, & hymni eorum festis conuenientes, primum a Carolo constituti sunt circa an. 8?7. *P. Æmilius l. 2. de Gestis Francorum. Sigebertus a i an 807.*

27. ARNOBII libri *contra gentes* sunt tantùm septem. vt testatur Hieronymus epist ad Magnum. Octauus non est eiusdem operis liber *Sixtus Senens. lib. 4.* Octauus ille liber inscriptus Octauius, & est dialogus inter Christianum Octauium & ethnicum Cæcilium, authore Minutio Felice.

Commentarij sub eius nomine *in Psalmos* sunt authoris multo recentioris. *Bellarm. de amiss. grat. & statu peccati, lib. 4. cap. 9.* Nam hæreseos Pelagianæ mentionem faciunt.

28. *Concilium* NEOCÆSARIENSE canones habet 14. vt dicit Collector Conciliorum, non 24. vt Gratianus ait.

29. Pontificij sugillant EVSEBII CÆSARIENSIS historiam Ecclesiasticam, sed malè. Fuerit enim Arianus & Origenis immodicus defensor, fide tamen digna historia est. Hieronymus dicit: Ecclesiasticam pulchrè Eusebius historiam texuit. Et Basilius vocat eum ἀξιόπιστον.

30. LACTANTII *carmen de passione Christi* est spurium, quia contradicit genuinis scriptis Lactantij, his verbis:

Flecte genu, lignúmque crucis venerabile adora.

Præterea nulla eius mentio in Catalogo operum Lactantij apud Hieronymum in Catalogo, licet aliorum meminit quæ iam non extant.

Carmen de resurrectione, Venantio ascribitur in Vaticano codice. *Thomasius Phœnix* authorem Christianum non videtur habuisse. *Idem* Bellarminus eleganter sic ait de Lactantio: Et quidem opera omnia, exceptis carminibus, Lactantij sunt: & quemadmodum ad eloquentiam Tullianam proximè accedunt, ita erroribus variis sic deformata sunt, vt non sine causâ Gelasius Papa in Concilio Romano apocrypha censeri voluerit.

31. DONATIO CONSTANTINI. Cusanus de Concord. Cath. l. 3. c. 2. *Sunt (inquit) meo iudicio illa de Constantino apocrypha, sicut fortasse etiam quædam alia longa & magna scripta sanctis Clementi & Anacleto Papæ attributa.* Constantinus Italiam filiis testamento delegauit, vt ait *Naucler. lib. 2. gener* 11. Non habetur hæc Donatio apud vllum probatum veterem authorem. Imò in antiquis Gratiani codicibus non habetur distinctio de donatione, vt testatur Antoninus 1. part. Histor. tit. 8. cap. 2 §. 8. *Caput (inquit) illud non habetur in antiquis decretis, quid ergo & quantum donauit Constantinus, non est bene certum.* Idem asserit *Canus locor. com. lib. 10. c. 5.* Quin etiam decreta Paparum de hâc donatione sibi ipsis contradicunt. Nam *dist. 96. c. Constantinus*, dicitur Romana vrbs & Italia tota vnà cum imperio Occidentis donari Syluestro. Sexti verò decretalibus *l. 1. Tit. 6. de Electione, c. Fundamentum*: Vrbis tantùm donatæ mentio fit. Naucler. vol. 2. Gen. 11. ita scribit: *Qualia autem & quæ Constantinus Ecclesiæ donauerit Romanæ, variant in hoc scribentes. Tex in c. Constantinus, refert eum concessisse B. Syluestro & ecclesiæ Romanæ, vrbem Romam, Italiam & omnium Occidentalium regionū prouincias, vt habetur* dist. 96. c. Constantinus. *Alij dicunt textum istum paleam esse, & nihil probare: quod credibile redditur. Nam Const. postea præmissa regna filiis suis testamento reliquit, quæ etiam abinde successionis iure in manibus remanserunt Imperatorum & regum Catholicorum. Ad quod non facit modicum* ca. Fundamentum, de elect. l. 6. *loquens de donatione Const. tantùm dicit de vrbis Rom. donatione: Italiæ & aliarum prouinciarum nullam faciens mentionem. Sed nec* can. futuram. 12. quæst. 1. *qui tex. asserit, quòd Const fidem veritatis adeptus dedit licentiam per vniuersum orbem sub suo degentibus Imperio, eos non solùm fieri Christianos, sed etiam fabricare Ecclesias, & prædia constituit tribuenda, donariaq; immensa tribuit, & fabricam templi primamq; sedem B. Petri instituit, adeo vt sedem Imperialem relinqueret, & B. Petro ac successoribus eius profuturam concederet. Pro hâc parte facit, quòd quæ hodie dicuntur de patrimonio Ecclesiæ, ferè omnia inueniuntur à sequentibus principibus donata, alij aliter sentiunt, vincat veritas,* Rursus: *de dono eius aut concessione apud nullos extat authores, præterquā in libro decretalium. Idq; in antiquis voluminibus minimè contineri author est Antoninus præsul Florentinus in Chronicis. Quod valde miror; cùm Isidorus qui fuit ab hinc anno 800 grauis author ac planè sanctus, in historiâ sua apertè dicat cum vrbe Româ Pontifici cessisse.* Hæc Naucler.

32. NICENI *Canones* vltra 20. spurij. Theod. lib. 1. c. 8. viginti agnoscit de ecclesiasticâ politiâ, non plures. Ergo 70. Canones editos fuisse à Patribus fictum est. Præterea Canones isti in tomis vulgaribus corrupti sunt. Apud Ruffinum veri Canones habentur, vt testatur Cyrillus in epist. ad Concil. Carthag. Extat in Tom. 1. Concil. in actis Concil. African.

33 *Epistola Synodi Nicenæ ad Syluestrum*, fictitia. In eâ dicitur Macarius esse Episcopus Ecclesiæ Constantinopolitanæ: quæ tamen eo tempore nulla in vniuerso orbe fuit.

34. Idem de *Rescripto Syluestri* sentiendum.

35. Eiusdem farinæ sunt *Canones Arabici* 80.

36. *Concilij* SINVESSANI nullus antiquus author meminit. In eo dicitur Diocletianum verba habuisse cum Marcellino, quod falsum est. *Sigonius de regno Occidentali, lib. 1. Præfatio item huius Concilij* in primo tomo Concil. incerti authoris est; & proinde nullius fidei.

37. *Synodus* ARELATENSIS secunda apertissimè deprauata & incerti temporis. Dicitur enim habita sub Constantino & Syluestro: in eâ tamen fit mentio Bonfiacorum ca. 17. & Concilij Vasensis 1. c. 28. quod fuit sub Leone I.

38. *Chronicon* EVSEBII est corruptum. In eo Petrus (inquit) Christianorum Pontifex primus, cùm primùm Antiochenam Ecclesiam fundasset, Romam proficiscitur, vbi Euangelium prædicans 25 annis eiusdem vrbis episcopus perseuerans. at contrà in historiâ lib. 3. c. 1. ait Petrum in Ponto, Galatiâ, Cappadociâ, & Asiâ prædicasse, & circa finem vitæ Romæ constitutum, cruci affixum esse. Vide etiam cap. 4.

39. *Concilij* SARDENSIS Can. 3. 5. 7. suspectæ fidei. In his enim conceditur appellatio ad Papam: & statutum est ei licere mittere legatum à latere, qui eius nomine in prouinciis alienis lites componat. Verùm *Augustinus epistolâ ad Celestinum* ait, vt aliqui tanquam à tuæ sanctitatis latere mittantur, nullâ inuenimus Patrum Synodo constitutum. *Et contrà Cresconi. lib. 3. c. 34.* nullum Sardicense Concilium agnoscit nisi hæreticum. Et hæc est sententia *Cusani l. 2. c. 25. de concord. Cath.* Pugnant etiam apertè cum canone 5. Nicenæ Synodi. Interim alij censent canones non esse fictitios, sed de priuilegio in Iulium Papam extraordinem collato intelligendos; & Constantinopolitanæ synodi canone 2. antiquatos.

40. *Concilia* ROMANA sub Constantino & Syluestro spuria. horum historici non meminerunt.

41. ATHANASIVS *Euagr l. 3. c. 31.* ait Apollinarii libros sub Athanasij nomine venditatos à Nestorianis ac Eutychianis.

Spuria ipsius scripta sunt ista.

Liber *de variis quæstionib sacræ scripturæ ad Antiochum principem*: in eo Magnus Athanasius citatur quæst. 23. Et mentio fit Sancti Gregorij Nazianzeni quæst. 117. & 129. Theologiam quoque Mysticam Dionysij allegat, Athanasij sæculo ignotam. *Sixtus Senensis, lib 4.*

Quæst. 16. de veneratione crucis, Septimæ Synodi actione 4. tribuuntur Leontio cuidam, qui circa tempora Mauritij vixit.

Tractatus de definitionibus Theologicis. Ibi citatur Nyssenus.

Disputatio Laodiceæ habita de fide inter Arium & Athanasium. Author indicat Arium hunc fuisse, non hæresiarcham sed alterum. Cassander Vigilij Martyris esse vult.

Commentaria in omnes epistolas Pauli sub nomine Athan. Theophylacti sunt.

Exhortatio ad Monachos.

Libellus de passione imaginis Christi crucifixi in Berytho Syriæ: contigit enim in anno 764. Sigebertus.

Epistola ad Marcum Papam pro exemplaribus Niceni Concilij, quia exempla quæ erant Alexandriæ, fuerunt cremata ab Arianis, vnà cum *Marci rescripto.* Hæc incensio librorum fuit sub Constantio. *Athanas. epist. ad orthodoxos.* Marcus autem Papa eo tempore fuit defunctus. *Bellar. de Pontif. l. 2. c. 25.* De vnitâ Deitate Trinitatis, libri septem.

Epistola Secunda ad Serapionem de Spiritu Sancto.

Hi libri vulgo constituunt quartum tomum operum Athanasij: de quo Bellarminus ita pronuntiat: In hoc tomo nihil ferè est, quòd verè sit Athanasij: Rectè autem dicit ferè: quia in eodem tomo continetur *Synopsis totius Scripturæ*: quæ est Athanasij.

Scripta eiusdem dubia.

Tractatus de incarnatione Christi.

De salutari aduentu.

Contra hæreses, sermo.

Ad maximum Oratio decimasexta.

Epistola ad Marcellinum de interpret. Psalmorum.

De virginitate, Sermo

Testimonia è sacrâ Scripturâ.

Sermo de passione Domini Hic citantur quæstiones ad Antiochum, quæ non sunt Athanasij. iuramenta vetat.

Epistola ad omnes fratres per Ægyptum. &c

Sermo de Deiparâ Virgine. In eo refutatur error Nestorij: scriptus ergo fuit post Concilium Ephesinum.

Sermo in illud Euangelij: Qui dixerit, &c.

Disputatio in Niceno Concil. contra Arium.

Epistola ad solitariam vitam agentes, partim epistola est, partim fragmentum alterius operis. Et quædam promissa dicuntur, quæ ibi iam non extant. *Author eruditionis Commelinianæ.*

Scriptum de vitâ Antonij dubiæ fidei. Nuper fuit additum operibus. In multis nugatorium est. Bellarminus quidem illud prolixè laudat: sed fabulæ, quæ ibi occurrunt, reclamant.

Homilia de semente.

Declaratio Leuitici.

Epistola ad Felicem Papam ait, *Romana Ecclesia est facer vertex, in quo omnia vertuntur* hæc classio non est, nec esse potest in Græco. ergo Latinè potius scripta. Præterea multa in hâc epistolâ dicuntur, quæ Athanasio non conueniunt, vt quòd dicit Romæ sumptum prædicationis exordium: & in Niceno

no Concilio decretum esse, debere prouocationem fieri ad Roman. Episcopum in omnibus causis. *Iucilus.*

Epistola ad Liberium Papam in I. Tom. Concil. in allegationibus scripturæ inepta: & proinde Athanasio non tribuenda.

42. *Synopsis sub* DOROTHEI *Tyrensis* nomine & falsò ei ascriptum, & plena est fictis narrationibus. Inter disc. 72. numerat Eunuchum reginæ Æthiopum: & Iuliam fœminam Episcopum facit: & Cæsarem, cuius mentio Epistola ad Philip. id est, Neronem, Episcopum fuisse dicit. *Bellarminus* ait. Ipsa verò synopsis plena est fabulis.

43. DAMASI *epistolium* Tom. 2. operum Hieronymi Erasmus ei putat falsò ascribi. Tribuitur etiam ei liber de vitis Pontificum: sed liber ille est Anastasij bibliothecarij. *Bellarm.* Conciliorum editio Veneta concedit, pugnare cum probatis historiis.

Et Epistola 4. *ad Episcopos Numidiæ* spuria est. Nil enim tum Episcopus Romanus commercij habebat cum ecclesiis Africæ, qui tamen in hac epistola edicta sua proponit, & non seruantibus minatur.

Bellarminus ait: Vera eius (*Damasi*) scripta non extant: exceptis paucis epistolis, quarum aliquæ sunt inter epistolas S. Hieronymi, aliquæ in historiâ Theodoreti lib. 2. cap. 22. & libr. 5. c. 10. & 11.

44. *Opera* EPHREMI. Edita ab eo Syriacè nunc non habentur nisi vel Latinè vel Græcè.

45. GREGORII *Nysseni oratio Catechetica de animâ*, corrupta ab hæreticis. *Niceph. l.* 11. *c.* 19.

Libri octo de philosophia non videntur esse S. Gregorij Nysseni, ait Bellarm.

De festo purificationis *orationes Amphilochij, Gregorij Nysseni. Chrysostomi, Cyrilli Alexandrini, & Andreæ Cretensis* apud Lippomanum & Surium suppositittiæ; quia hoc festum fuit Iustiniani tempore institutum. Vide *Durand. Enchir. libr.* 7.

46. GREGORII NAZIANZENI *Tragœdia* non sapit stylum Gregorij, neque versum Iambicum, more Gregorij, accuratè obseruat. Euripidem videtur imitari *Fulco & Bellarminus. Metaphrasis in ecclesiasten* non est Gregorij Nazianzeni, sed Gregorij Thaumaturgi. *Bellarm.*

47. CYRILLI HIEROSOLYMITANI *Catecheses* dubiæ. Iosias Simlerus. In Indice, inquit, librorum Græcorum quos respub. Augustana emit ab Antonio Eparco Corcyro, nominantur Iohannis Episcopi Hierosolymitani Catecheses φωτιζομένων 18. & μυσταγωγικαὶ quinque. Quare videndum est ne fortè Iohannis sint, qui longè posterior fuit Cyrillo, quæ tamen alteri de industriâ fortè ascripta sunt, vt plus authoritatis haberent *In Bibliothecâ.*

Cyrilli Hierosol. *epistolæ ad Aug. de miraculis Hieronymi* spuria. Constat Cyrillum ante Hieronymum obiisse. Et author Sabianianum damnat quòd duas in Christo voluntatés ponit.

48. BASILII scripta dubia, vel saltem corrupta.

Liber de Spiritu Sancto: in cuius medio inserta quædam censet Erasmus, quæ non redolent characterem Basilij.

Ascetica in catalogo monumentorum eius in Monodiâ Nazianzeni, non habentur. Eustathius qui apud Armenos instituit vitam monasticam illorum author nonnullis visus. *Sozom. lib.* 3. *cap.* 13. *Niceph. lib.* 9. *cap.* 16. *& lib.* 13 *cap* 29.

Regula sub nomine *Basilij* dubia. Eius nulla mentio apud Nazianz. & sub eius nomine est alia quæ 35. capita tantùm habet. Sunt in eâ quædam quæ cum Basilij scriptis non conueniunt.

Libellus de vitâ Basilij sub nomine AMPHILOCHII spurius: & fabularum est plenus, & cum historiis pugnantia tradit. Vide *Iuellum Duplicat. contr. Hard. art.* 1. *sect.* 35.

Basilij *epistola ad Cæsaream Patriciam* dubiæ fidei.

49. *Preces ad finem* ἀρχαγγελικῶς falsò ascriptæ PRVDENTIO. Giselinus seorsim excusas vidit, non indicato authoris nomine, & contradicunt apertè odæ 7. libri καθημερινῶν, dicendo, *Non posco beata———In regione domum, &c.* Dictum impium & non tribuendum Prudentio. Vide *catalogum Illyrici editum an.* 98 *p.* 186.

50. AMBROSII *spuria.*

Sermones breues ad populum 92. nam horum aliqui repeeriuntur inter sermones Aug. vt 25. est 9. Augustini 38. est inter Sermones de Tpore 73. & 69. est 31. Sermo de Sanctis Ser. 19. de verb. Dom. est inter Ambrosianos 7. & 25. de verbis Apostoli est apud Augustinum 9. & inter Ambrosianos 37. fuit de Tempore 77. & inter Ambrosianos 68. est apud Augustinum de Sanctis 26 Inter Ambrosianos primus, est apud Aug. de Sanctis 31. & secundus, 33 Vide Bellarminum.

Sermo de Agnete. In fine hæc verba habentur. Hæc ego Ambrosius.

Sermo de Baptismo Augustini, ornat eum cuculla nigra, & falsò monachatus authorem facit.

Sermones 3. 14. 30 31. 32. 34. 44 47. 50 51. 52. 53. 54. 56. 57. 58 60. 61. 62. 66. 7. . 77. 78. & 82. sunt ad verbum inter Sermones S. Maximi. *Bellarm.*

Eiusdem generis *Liber de Salomone.*

Preces præparatrices ad Missam non sunt Ambrosij: ibi adoratio Sacramenti stabilitur.

Liber *de Apologiâ Dauid.* Bellarm.

De vocatione gentium libri duo, qui falsò ascribuntur Ambrosio; vel etiam Prospero Aquitanico, qui in carminibus contra ingratos vniuersalem gratiam & redemptionem oppugnat, quæ tamen in prædictis libris astruuntur. Bellarminus tamen putat, Prosperi esse.

Liber ad deuotam virginem.

Liber ad virginem lapsam. nam declamatio est, & propemodum tota in epistola Hieronymi ad matrem & filiam, extat. *Hospin.*

Liber *de interpellatione Dauid.*

Liber *de viduis* pugnat apertè cum comm. ad Rom. c. 1.

Commentarij in Hebræos potiùs Remigij esse videntur, vel Anselmi. Et omninò commentaria in epistolas S. Pauli, à multis non creduntur Ambrosij, nec sine causâ. *Bellarm.*

Historiam Egesippi ex Græco conuersam esse ab Ambrosio, non credibile Erasmo.

Commentaria in Apocalypsin. Six. Sen. Biblioth. l. 4.

Ambrosij liber *de fide contra Arianos* Nazianzeno tribuitur in Latinâ operum eius editione, Ruffino interprete.

Ambrosij *Missale* mentionem facit festi assumptionis, quod non fuit receptum nisi posterioribus seculis.

Scriptum *de vitâ Geruasii* apud Ambrosium est spurium, nonnulla enim habet pugnantia cum scriptis genuinis Ambr.

Epistola 84. Prosperi est. *Suarez.*

51. *Opera* HIERONYMO falsò ascripta communi omnium iudicio.

Traditiones Hebraicæ in libros 3. *Regum & Chronicorum.* Sixtus Sen. libr. 4. & Lyranus.

Præfationes in { *Baruch.* / *Maccabæorum libros* 2. / *Psalterium* 2. / *Parabolas Salomonis* 2. }

Homiliæ 4. *in Cantica.*

Loci Hebraici in Acta Citant Hieronymum in cap. 27.

Commentarij in Threnos Ieremiæ. Sixtus Sen. lib. 4. Rabani Mauri sunt, vel Bedæ, vt censuit Erasmus.

Commentarij in Marcum cum præfatione. Sixtus Sen. lib. 4.

Præfat. in Lucam & Iohannem.

Commentarij in Psalmos. Lindanus, Canus, Erasmus, Bruno.

Præfatio & commentaria in Iob. Sixtus Sen lib. 4. Hæc commentaria Marianus Victorius tribuit Bedæ: & rectè iuxta Bellarminum.

Comment lib. 3 *in Prouerbia Salomonis* in cap. 31. citatur Gregorius Hæc quoque commentaria rectè tribui Bedæ, censuit Bellarminus.

Comment. in 13. *epist. Pauli* Sixtus Sen. lib. 4.

Epistola ad Demetriadem Pelagij est. *Greg. Arimin.* 2. *d.* 26. *q.* 1. *art.* 3. Non Hieronymi esse, sed Pelagij, clarè patet ex *Aug. de gratiâ Christi & peccato orig. c.* 37 *&* 38. in quibus verba Pelagij ex epistolâ, quam se ad Demetriadem virginem scripsisse commemorat, recitantur, quæ vicina sunt allegatis. Idem patet ex *epistolâ Aug. ad Iulianam*, matrem prædictæ Demetriadis, in quâ etiam recitat verba Pelagij in epistolâ eadem contenta.

Epistolæ ad { *Geruntij filias.* / *Marcellam virginem in exilium missam.* / *Anneum ægrotum de viro perfecto.* }

Institutio amici in scientiâ diuinæ legis.

De tribus virtutibus.

De assumtione Mariæ Sermo, ad Paulam & Eustochium.

De honorandis parentibus

De septem gradibus Ecclesiæ, ad Rusticum Narbonensem Episcopum.

De laude virginitatis ad Mauritij filiam.

De his quæ Deo in scripturis attribuuntur.

Symboli explanatio ad Damasum.

Explanatio fidei ad Cyrillum.

Ad Præsidium diaconum de Cereo paschali.

De celebratione Paschæ.

In Susannam lapsam obiurgatio.

In Euagrium obiurgatio ob Leuitam.

Hortatio ad militem sæculi.

De 10 *tentationibus Israelitarum.*

Explanatio in psal 40 *&* 117.

Ad Dardanum de generibus musicorum.

De resurrectione Domini, Sermo.

De natiuitate Domini, Sermo.

De epiphaniâ Domini, Sermo.

De Quadragesimâ, Sermo.

Ser. 10. *in vigiliâ Paschæ de esu agni.*

Ad Eustochium de vinculis Petri.

De obseruatione vigiliarum.

Ad Pammachium & Oceanum exhortatoria.

Ad quendam qui in sæculo pœnitebat.

De diuersis generibus leprarum.

De duobus filiis frugi & luxurioso.
Regula monachorum per Lupum de Olivueto collecta.
Dialogus sub nomine Hieron & Augustini.
Homilia de corpore & sanguine Domini.
Homilia super Euang. Matthæi.
Apologia pro Origine non est Pamphili Martyris.
Catalogus scriptorum aliquot ecclesiasticorum.
Epist. ad Tyrasium super mortem filia.
Ad Oceanum de ferendu opprobriis.
Hieronymi responsio ad epistolam Damasi.
Ad Paulam & Eustochium de virtute psalmorum.
Ad Damasum de oblatione altaris.
*Regula monachorum c.*41. *continens.*
Chromatius & Heliodorus Hieronymo.
Hieronymus Chromatio & Heliodoro.
De natiuitate Mariæ.
Eusebius de morte Hieronymi ad Damasum.
Augustinus de magnificentiis Hieronymi.
Vita Hieronymi incerto authore.

Tractatus dubiæ fidei.

Hieronymi epistola ad Augustinum. Quum in vrbe.
Alia ad eundem, Anno præterito.
Epistola ad Apronium.
Hieronym. Theophylo, Beatitudo tua.
Hieronym. ad Celantiam.

Comitis liber, quem Micrologus *Lectionarium* vocat.c.25. fertur sub nomine Hieronymi. *Honorius l.*1. *c.*88. sed authoris est multò recentioris.

Bellarminus ait, plurimos libros & epistolas commemorari, in quibus nihil sit, quod Hieronymi doctrinâ vel fide dignum sit, Colophonis loco notetur illud.

Distinct. 16. *cap. Sancta Romana* Hieronymi iudicium approbatur, de Origene, de Ruffino, & de vniuersis, in quibus illos reprehendit.

52. CHRYSOSTOMI *spuria* ex Sixto Senen. Biblioth. lib.4.

Commentarij in Psalmos non sunt Chrysostomi.
Non epistola sexta ad Theodorum.
*In Gen.c.*2.*homilia* 1.*qua incipit:* Dignitas humanæ originis.

*In Gen.cap.*2.*hom.*1. *incipiens*, Deus institutor mundi: quæ collecta est ex centonibus Augustini; súntque in eâ duo integra capita, ex libro de Ecclesiasticis dogmatibus transcripta, nempe trigesimum primum, & trigesimum secundum. Bellarminus ait: Liber iste habet authorem Chrysostomo posteriorem. Et addit: Aliæ quoque sunt nonnullæ (*homiliæ*) quæ dubiæ fidei videri possint.

*In Gen. cap.*1. *hom.*1. Iubetur Adam.
*In Gen. cap.*3. *hom.*1. Deus sine initio.
*In Gen. cap.*3. *hom.*1. Quotiens mecum temporis.
In Gen. cap 3. *hom.*1. Christiano cum hoste.
*In Gen. cap.*15. *hom.*1. Fides est Religionis.
*In Gen. cap.*25. *hom.*1. Portabat Rebecca.
*In Gen. cap.*37. *hom.*1. Filij autem Iacob.
*In Exod.cap.*17.*hom.*1. Stabat Moyses.
*In Iud. cap.*11. *hom.*1. Deus, qui voluit.
In 1.*Reg.*13. *hom.*1. Dominus Deus cum Dauid.
In 2.*Reg.*7. *hom.*1. Imitatores Christi.
In 2.*Reg.*17.*hom.*1. Perdidit Absolon.
In 3 *Reg.*17. *De Heliâ hom.*1. Gloriosos olim.
*In idem hom.*1. Cùm gesta peccata.

In 4.*Reg.*2.*de ascensione Heliæ.hom.*1.*incipiens*, Apud quosdam veteres. Hanc *Beda in Quæstionibus libri Regum* putat esse Chrysostomi; sed stylus resipit autorem eius homiliæ, cuius initium est, *Exulta cœlum, & in lætitiâ esto terra.* quæ ponitur inter pseudepigrapha Hieronymi, in die Dominicæ resurrectionis, & inter sermones Eusebij Emisseni.

In 4.*Reg* 5.*de Naaman, hom.*1. Cùm Naaman.
In 4.*Reg* 6. *De Heliseo, hom.*1. Et si frequenter.
In Iob. cap 1. *hom.*1. Veruntamen fratres charissimi.
*In Iob.cap.*1. *hom.*1. Athletam in certamen.
In librum psalmorum Præfatio, incipiens, Post Mosem.
In lib. psal. Præfatio altera, incipiens: Omnis scriptura.
*In psal.*1. *hom.*1. Beatitudo est omnium.
*In psal.*2. *hom.*2. Quemadmodum qui in Solem.
*In psal.*9. *hom.*1. Creatoris omnium rerum.
*In psal.*9. *hom.*1. Deus generis nostri.
In psal 13. *hom.*1. Quemadmodum cùm Dominus.
*In psal.*14 *hom.*1. Est pulcher psalmus.
*In psal.*22. *hom.*1 Circulo consecrato.
*In psal.*24. *hom.*1. Viatores arctæ & angustæ viæ.
In psal 25.*hom.*1. Filij lucis.
*In psal.*26 *hom.*1. Ex plenitudine verbi.
*In psal.*29. *hom.*1. Celebritas confessionis.
*In psal.*33. *hom.*1. Sermo diuinus.
In psal 37.*hom.*1. Sæpè à nobis.
In psal 38.*hom.*1. Et quomodo potest psalmus.
In psal. 39. *hom* 1. Nec hunc quidem psalmum.
*In psal.*40. *hom.*1. Nonnulli quidem.
*In psal.*40. *hom.*1. Etiam si propheta.
*In psal.*41. *hom.*1. Hic psalmus est.
*In psal.*42 *hom* 1. Cohæret priori.
In psal 68. *hom.*1. Qui orationibus.
*In psal.*71. *hom.*1. Dominus virtutum.
*In psal.*84. *hom.*1. Omnis, qui se agnoscit.
*In psal.*90.*hom.*1. Psalmum nonagesimum.
*In psal.*93.*hom.*1. Aduersus fluctus.
*In psal.*95.*hom.*1. Egregium veréque mirandum.
*In psal.*96. *hom.*1. Ictus à viperâ Paulus.
In psal 106.*hom.*1. Spiritus sanctus.
*In psal.*115. *hom.*1. Narratur quòd apiculæ.
*In psal.*118. *hom.*1. Benignitas Dei.
*In psal.*110.*hom.*1. Veritatem prædicandam.
*In psal.*121. *hom.*1. Dominus noster.
*In psal.*141. *hom.*1. Iudicia Domini sicut abyssus multa.
*In Esaia cap.*1.*hom.*1. Si volueritis, & audieritis.
*In Esa.*9.*hom.*1. Christus vnà cum patre.
*In Esa.*42. *hom.*1. Vita innouata.
*In Esa.*62.*hom.*1. Quoniam tempus venit.
*In Ierem.*1. *hom.*1. Magnum Ieremiæ meritum.
*In Dan.*3. *De tribus pueris, hom.*1. Trium puerorum sermo.
*In Dan.*13. *De Susannâ, hom.*1. Diuinæ lectiones.
*In Zach.*6 *hom.*1. Nobiles genere.

Opus imperfectum in Matthæum Chrysostomi esse putant etiam quidam Catholici, alij negant, quia sapit Arianismum, ab omnibus tamen ob variam eruditionem commendatur. Bellarminus sic scribit hâc de re: Cuiuscunque sit opus, aut ab hæretico aliquo compositum fuit, aut ab hæretico aliquo corruptum: quamuis alioqui liber sit doctus, & minimè spernendus.

*In Matth. c.*2. *hom.*1. Hoc futurum.
*Hom.*1. Dedicatur nouus.
*Hom.*1. In eo quod dixit.
In 4. *hom.*1 O incomparabilem.
In 5.*hom.*1. Non tantùm.
In 5. *hom.*1. Cùm nobis pro officio.
In 5. *hom.*1. Per omnia.
In 6. *hom.*1. Dominica.
*Hom.*1. Sicut in superioribus.
*Hom.*1. Series Lectionis.
In 7.*hom.* 1 Omnibus notam.
In 9.*hom* 1. Christum in.
*Hom.*1. Multæ tempestates.
In 14.*hom.*1. Hodie nobis.
In 15.*hom.*1. Miratur.
In 18. *hom.*1. Videtur.
*Hom.*1. Exercitia.
*Hom.*1. Magnum.
In 19. *hom.*1. Iustus.
*Hom.*1. Quoniam.
In 20.*hom.*1. Postquam.
*Hom.*1. Proximè.
In 21.*hom.*1 Puto.
*Hom.*1. Si ad arborem.
In 22.*hom.*1 Omnis malitia.
*Hom.*1. Frequenter.
In 26. *hom.*1. Ad hodiernum.
*Hom.*1. Secundum Saluatoris.
In 27. *hom.*1. Euangelicæ.
*Hom.*1. Sufficiens.
*In Marc. hom.*1. Animal.
*Hom.*1. Nunc veniamus.
*Hom.*1. Videte.
*Hom.*1. Quoniam.
*Hom.*1. Instruxerat.
In 5. *hom.*1. Interrogat.
In 8. *hom.*1. In superiore.
In 9. *hom* 1. Iurat.
In 10. *hom.*1. Quoniam.
In 11. *hom.*1. Iste qui.
*Hom.*1. Ingreditur.
*Hom.*1. In euangelio.
In 13.*hom.*1. Euangelica.
*In Luc.*1. *hom* 1. De sol.
In 2.*hom.*1. Ioseph autem.
In 10.*hom.*1. Tum dixit.
In 15.*hom.*1. Omnium.
In 16.*hom.*1. Quoniam dixerat.
In 19 *hom.*1. Si per Christum.
*In Ioh.*1. *hom.*1. De Iohanne dicitur.
In 4 *hom* 1. Innumera.
In 11.*hom.*1. Grandi fratres.
In 14. *hom.*1. Dominus Christus.
In 20.*hom.*1. Maria.
Hom 1. Hoc ergo.
In 1.*Cor.*13. *hom.*1. Apostolus Paulus.
1.*Cor.*15.*hom.*1. In hesterno fratres.

MISSA

Missa Chrysostomi, *ſpuria*. Habet precationem pro Imperatore Alexio, qui vixit longè poſt Chryſoſtomum: & pro Nicolao ſiue Papa, ſiue Patriarchâ Conſtantinopolitano. Exemplaria multum variant. Inter Sanctos qui ibi commemorantur, ipſius Chryſoſtomi fit mentio: ergo non ab illo conſcripta, ſed ab aliis ſub illius nomine diuerſis temporibus, variis editionibus conſuta. Et illa inprimis quæ dicuntur de cultu imaginis Chriſti, ſuppoſititia ſunt. Nam Chryſoſt. in veris ſcriptis artem pingendi ſuperſtitioſam exiſtimauit. homil. 50. in Matthæum. Et Synodus Nicena 2. vndique corradens teſtimonia pro cultu imaginum, nuſquam tamen hanc Liturgiam citauit.

Eiuſdem eſt generis *homilia de natali Petri & Pauli*, apud Surium.

Homiliæ nonnullæ ad populum Antiochenum ex variis tum locis tum authoribus conſutæ ſunt, vt hom. 66. verba [*qui purpuram indutus eſt. —ſtat Sanctus ſupplicaturus, &c.*] totidem ferè verbis leguntur inter Sermones Auguſtino inſcriptos *de S. Paulo*. Bellarminus ait: In quinto tomo omnia ferè ſunt certa, & indubitata, exceptis homiliis ad populum Antiochenum: & apertè colligitur ex contextu illarum, permultas eſſe fragmenta homiliarum Chryſoſtomi in Matthæum, vel in Iohannem &c.

53. Augustini *ſpuria ſcripta* communi omnium iudicio.

I. Tom. *Regulæ clericorum fragmentum.*

Regula ſecunda: &, *de vi â Eremiticâ.*

Eraſmus etiam vult *tertiam regulam* eſſe confictam, quæ appellatur *virorum* vel *ad Seruos Dei*. Et Polydoro non eſt viſum has ab Auguſtino regulas conſcriptas. Bellarminus ait: In hoc tomo, vt notum eſt ex libris Retractationum, ſola duo opera dubia eſſe poſſunt, Regulæ, & de vitâ eremiticâ, quorum non fit mentio in libris Retract. Et quidem ex tribus regulis, ſola tertia eſt certa Auguſtini.

II. Tom. Epiſtolæ Spuriæ.

Epiſtola quæ fuerat CXI. cuius loco ſubſtituit Eraſmus *epiſtolam ad Fortunatianum.*

Epiſtola CXLII. ad Demetriadem virginem.

Epiſtolæ ſedecim Auguſtini ad Bonifacium & Bonifacij ad Auguſtinum, à 181. ad 199.

Epiſtola Auguſtini Cyrillo Hieroſolymitano de laudibus Hieronymi.

Epiſtola Innocentij quæ 93. eſt apud Auguſtinum, *ſpuria* eſt Eraſmo.

Epiſtolæ vltra 242. omnes recenter à Louanienſibus additæ.

III. Tom. *de Eccleſiaſticis dogmatibus liber.* dicitur eſſe *Gennadij* Vvalefridus de rebus eccleſiaſticis c. 20. Thomas in catenâ, ad primum caput Matthæi. Verùm quæ interſeruntur à cap. 21. ad cap 52. ſunt authoris multò recentioris: & author videtur Pelagio fauere. Bellarminus ait, hunc librum eſſe conflatum præcipuè ex ſententiis Concilij Arauſicani, Innocentij, Zozimi, Cœleſtini, & ipſius Auguſtini.

De fide ad Petrum Liber vnus. Fulgentio aſcribitur *à Bertramo. Libr. de corpore & ſang.* Domini.

De mirabilibus Scripturæ liber. Differit author de Computo annorum per cyclos lib. 2. c 4. libri ergo ſcripti ſunt poſt 600. annos à Chriſto. Bellarminus ait, librum eſſe indignum ingenio, & grauitate S. Auguſtini, quem etiam non magnifecit, & S. Auguſtini eſſe negauit *S. Thom. 3. p. q. 45. art. 3. ad ſecundum.*

De Spiritu & animâ liber. citat Boëthium cap. 37. Hugoni de S. Victore aſcribitur à Trithemio.

Quæſtiones de Trinitate Bellarm.

De benedictionibus Patriarcharum.

IV. Tom *Liber de 8. quæſt. Dulcitij.*

Liber quæſt. 21. & quæſt. 65. Bellarm.

Quæſtion. veteris & noui Teſtamenti. Hunc librum Bellarminus exiſtimat eſſe alicuius hæretici.

De incarnatione Verbi.

De Trinitate & Vnitate Dei.

De eſſentiâ diuinitatis.

De fide rerum inuiſibilium.

De verâ & falsâ pœnitentiâ: in his citatur Auguſtinus.

De ſalutaribus documentis.

De amicitiâ.

Dubii.

Liber de Continentiâ.

Liber de Patientiâ.

Liber de bono viduitatis.

Liber quæſt. 33.

VI. Tom. *De altercatione Eccleſiæ & Synagogæ.*

Dubii Tractatus.

Oratio de 5 hæreſibus.

Hunc libellum Eraſmus negat eſſe Auguſtini: cui Bellarminus contradicit.

De vnitate Trinitatis contra Felicianum liber.

Tractatus de Epicureis & Stoicis.

Tractatus in illud, Ego ſum qui ſum. Hic tractatus vt & præcedens, non habetur in Retractationibus, neque in Indiculo. Bellarminus tamen cenſet, tractatus hos pulcherrimos eſſe, & Auguſtino digniſſimos.

VII. Tom. *Contra Fulgentium Donatiſtam* Eius mentio non habetur in Retractationibus, neque in Indiculo.

Liber hypognoſticôn.

De prædeſtinatione & gratiâ Bellarm.

Liber de prædeſtinatione Dei. Bellarm.

Reſponſio ad articulos ſibi falsò impoſitos. Proſperi eſt, & inter eius opera habetur.

IX. Tom. *Expoſitio in Apocalypſin Ioannis.*

De diligendo Deo.

Soliloquia.

Manuale.

De triplici habitaculo.

De ſcalâ Paradiſi.

De 12. abuſionum gradibus.

De contritione cordis.

De Speculo.

De vitâ Chriſtianâ.

De aſſumptione Mariæ.

De contemptu mundi.

De vanitate ſæculi.

De obedientiâ & humilitate.

De bono diſciplinæ.

De viſitatione infirmorum. Bellarm. l. 1. de extremâ vnctione. c. 4.

De viſitandis infirmis.

De conſolatione mortuorum. lib. 2.

De laudibus Charitatis, tractatus.

De ſobrietate & caſtitate.

Speculum peccatoris.

De conflictu virtutum & vitiorum.

De rectitudine catholicæ conuerſationis.

De creatione primi hominis.

De arbore ſcientiæ boni & mali.

De Antichriſto.

Super Magnificat. Atque hi libri ſunt manifeſtè ſuppoſititij in tomo nono.

Tractatus Dubii.

Liber de Agriculturâ Dominicâ, ſiue de feriâ quartâ.

Liber meditationum.

Sermo de Cataclyſmo.

De tempore Barbarico.

De 4. virtutibus Charitatis.

De vtilitate ieiunij.

De pugnâ animæ.

De vrbis excidio.

De bono diſciplinæ.

De pœnitentiæ medicinâ, liber. Et *de vtilitate pœnitentiæ:*

X. Tomo.

Spurii Sermones.

De reuelatione Stephani.

Sermones ad fratres in Eremo.

Hos Bellarminus dicit magnâ ex parte videri confictos.

Sermones de verbis Domini. 3. 14. 18. 19. 20. 22. 28. 34. 38. 47. 52. 54. 56. 57. 58.

De verbis Apoſtoli. 21. 25. 26. 34. 35.

Bellarmini iudicium: Homiliæ, ſiue Sermones de verbis Domini, & de verbis Apoſtoli, aut omnes, aut ferè omnes Auguſtini ſunt: multi enim habentur in Indiculo Poſſidij, & qui non habentur, ſimiles ſunt aliis, ſiue grauitatem ſententiarum, ſiue ſtylum & verba conſideres.

Libri 50. homiliarum. 2. 3. 4. 7. 9. 10. 15. 21. 22. 30. 31. 41. 45. 46.

Bellarminus ita iudicat: Liber quinquaginta homiliarum totus, aut ferè totus Auguſtini eſt: eâdem ratione; quam ſcil. dixit ad præced. ſermones de verbis Domini, & de verbis Apoſtoli.

De tempore. 9. 10. 11. 18. 24. 28. 33 37. 38. 39. 43 47. 48. 51. 59. 62 dicit non ieiunare in quadrageſimâ peccatum eſſe: hoc tamen negat in genuinis ſcriptis. Epiſt. 118. ad Ian. c. 4. 63. 68. 77. 95 96. 97. 99. 113. 114. 115. Nam articuli Symboli Apoſtolici non fuerunt Auguſtini ſeculo in eum ordinem, quo hîc habentur, digeſti. Ille enim in libro de Symbolo ad Catechumen. omittit *deſcenſum ad inferos*, & *vitam æternam*: Chryſoſt. tom 5. de Symbolo omittit *communionem Sanctorum.* 117. 118. 120. 121. 125. 128. 130. 132 136. 137. 138. 152. 156. 157. 158. 159. 161. 167. 169. 174. 176. 181. 183. 188. 196. 199. 207. 211. 223. 224. 226. 228. 229. 238. 239. 241. 242. ex his etiam alij cenſentur ſpurij à Proteſtantibus, vt 91. 215. 251. 255.

Sermones de Sanctis. 2. 5. 7. 10. 11. 15. 19. 20. 22. 26. 27. 30. 31. 33. 34. 35. 37. omnes vltra 50. additi ad Pariſienſibus. Proteſtantes reliquos omnes ſpurios, & neque *Auguſtini* eſſe, neque *Fulgentij* cenſent, quòd, inter alia, illorum author Serm 35. facit *Iſidori* mentionem, qui 200. poſt Auguſt. annos vixit. *Bellarminus* ait: De homiliis de tempore & de ſanctis non eadem certitudo haberi poteſt: credibile tamen eſt magnâ ex parte Auguſt. eſſe.

Sermones de diuerſis 35. omnes vltrà 43. additi à Louanienſibus. A noſtris omnes cenſentur ſpurij. Bellarmino videtur ſecus. Iudicat enim omnes iſtos ſermones graues, & doctos, & S. Auguſtino

S.Augustino esse dignissimos. Colophonis loco velim obseruari, Augustinum crebrò vsurpare enallagen temporis præteriti imperfecti & plusquam perfecti : vt quando in libro contra epistolam fundamenti ait : *Ego verò Euangelio non crederem, nisi me ecclesiæ commoueret authoritas* : id est, Non *credidissem* cùm adhuc Manichæus essem, nisi me *commouisset*, &c.

54. *Pallady historia Lausiaca* farrago est anilium fabularum nihili proinde facienda : hoc cuiuis legenti facillimè constabit.

55. EPISTOLÆ DECRETALES, quæ dicuntur esse scriptæ per *Clementem*, *Euaristum*, *Telesphorum*, *Higinum*, *Anicetum*, *Soterum*, *Calixtum*, *Vrbanum*, *Pontianum*, *Anterum*, *Fabianum*, *&c. vsque ad Syluestrum*, spuriæ sunt.

Ratio *prima* : Idem & vnus author omnium epistolarum fuit, quia stylus siue orationis compositio, in omnibus eadem est, & phrases in multis epistolis identidem recurrunt. Impossibile esset enim tot episcopis vnam & eandem loquutionem fuisse, etiamsi alij conarentur alios imitari.

Secunda : Multa in his epistolis parum Latinè, imò barbarè dicuntur : vt episcopi sunt obediendi, diligendi, & summoperè venerandi, & non detrahendi, vel lacerandi. Et, Patres omnes sunt venerandi, non respuendi, aut insidiandi, &c.

Tertia : Hæ epistolæ in citandis sacræ scripturæ locis, Hieronymi translationem sequuntur, quam tamen Pontifices harum Decretalium authores nunquam viderant, quia nondum fuit.

Quarta: A veritate historicâ alienissima in singulis penè epistolis continentur. Loquuntur enim de Primatu & regno Ecclesiæ Romanæ, de ordinatione Episcoporum, de non lædendis, accusandis & deponendis sacerdotibus, de appellationibus ad sedem Romanam : vbi tamen tribus his primis seculis ob varias persequutiones *paruus* (vt Sylvius loquitur) *respectus habebatur ad Ecclesiam Romanam*.

Quinta : Idem testantur viri docti & graues : putà *Cusanus de concord. Cath l.3.c.2. Bellar. de Pontif. l.2.c.14.* ait se non negare aliquos errores irrepsisse in has epistolas, neque audere indubitatas esse affirmare. Et *Isidorus in præfat. ante Concilia*, harum omnium non meminit, *Eusebius* tantùm Clementis & Victoris epistolarum meminit, quæ tamen hodiè non extant. *Damasus* de antecessoribus suis scribens, nil de epistolis tamen, neque Hieronymus.

56. Præterea *epistolæ decretales Pontificum*, quæ habentur in tomis Conciliorum à *Syluestro* vsque *ad Gregorium I.* & deinceps, vel *suppositititiæ* sunt, vel saltem, *suspectæ fidei*. Hoc indicant magna in plurimis styli insulsitas, ineptæ scripturarum allegationes, & studium dominandi in Eccl. Catholicam. Eò enim collimant penè omnes, vt Primatum Ecclesiæ Romanæ tueantur. Inprimis hæ, quarum nomina sequuntur.

1. *Epistola* MARCI *ad Episcopos Ægyptios*. Dicit Romanam ecclesiam nunquam errasse nec erraturam deinceps. Verùm hæc opinio de firmitate Romanæ fidei, non fuit recepta nisi his proximis seculis. Catharinus in Gal.2.

2. IVLII *epist. 1. ad Orientales pro Athanasio*, non congruit cum genuinâ quæ habetur apud Socratem l.2. c.15. & Sozom. l.3. c.8. *Secunda* item absurda est & inepta.

3. *Rescriptum* LIBERII *ad Athanasium* : & *epistolæ ad omnes episcopos*.

4. FELICIS *epistolæ*.

5. STEPHANI *ad Damasum*, & DAMASI *ad Stephanum Africæ Episcopum alia*: in quâ hæc habentur verba, *Charitatiuè, compassibiliter, ordinabiliter, præfixi fratres, innotuistis*, pro indicastis &c.

Eiusdem farinæ *epistola ad episcopos Numidiæ*, & alia *ad Episcopos Illyricos*.

6. SYRICII *epistola prima ad Himerium episcopum Tarraconensem*. Fidei dubiæ esse ostendit styli barbaries ; vt in his verbis: *In ergastulis autem suis tales personas retrudendas, vt tãtum facinus continuâ lamentatione deflentes purificatorio pœnitudinis igne possint decoquere*. Deinde imperiosè mandat Episcopo Tarraconensi, vt sua decreta passim omnibus Episcopis obseruanda communicet : verùm non tanta tum fuit Episcopi Romani authoritas. Non maioris fidei *epistola ad Mediolanenses*, nec *tertia* nec *quarta ad episcopos Africanos* scripta.

7. ANASTASII *duæ*. Harum data, & consules qui nominantur, non congruunt cum probatis historicis. Et in primâ hæc habentur verba. *Quasi ad caput charitatiuè mittere non dubitetis*, & mandat authoritate Apostolicâ *standum esse ad lectionem Euangelij*.

8. *Epistolæ* sub INNOCENTII I. nomine ideo suspectæ, quòd multæ sunt in illis Traditiones quæ illius seculi Theologis prorsus fuerunt ignotæ. Et integri paragraphi in his ponuntur, quæ tum in priorum, tum posteriorum Pontificum scriptis habentur. *Epist. 3. ad Exuperium* mentionem facit quinque librorum Salomonis. *Epist* 22. mentionem facit infularum Episcopalium, quæ tum non erant in vsu apud Christianos. Et *Epistola eius ad Concil. Carthaginense* futilis est & inepta.

INNOCENTII *Epistolæ* quæ sunt 91. & 93. inter epistolas Augustini, spuriæ sunt. Erasmus.

9. HILARII *Epistolæ*.

10. FELICIS *Epistolæ*. Exordium 2. epistolæ ita est: *Quoniam importabilibus verbis garrulasti*.

11. ANASTASII *Epist ad Anastasium Imperatorem* eum admonet, vt monitis Apostolicis, id est, Pontificum decretis pareat. At ipsi tunc temporis monitis Imperatorum parebant.

12. IOHANNIS *Papæ Epistola secunda* pugnat cum historiâ illius temporis.

13. *Epistola* BONIFACII, & *annexa deprecatio Aurelij Carthaginensis*. In hâc epistolâ fit mentio Iustini principis: cùm tamen Bonifacius episcopus R. neque Senioris neque Iunioris Iustini temporibus vixerit. Videtur ergo ab adulatore pontificio conficta.

14. VIGILII *prima epistola*, nugatoria. Docet quòd ecclesiæ dirutæ restaurari & consecrari possint sola Missæ celebratione, siue aquæ benedictæ aspersione.

Tertia adeo confusè scripta est & edita, vt non intelligi queat.

15. IOHANNIS III. *Epistola*.

16. BENEDICTI I. *Epistola*. Eius pars vna fragmentum est Epistolæ primæ decretalis Alexandri primi. Pars altera est integrum pene caput 4. epist. 1. ad Timotheum.

17. *Epistola* SIXTI III. *ad Orientales* hæc habet verba: *Valentinianus Augustus nostrâ authoritate Synodum congregari iussit*. Ineptè ; Valentinianus proprio iussu potuit conuocare Concilium : & non habuit opus authoritate Pontificis, ficta ergo epistola.

In *Epistolâ Sixti III. de malis doctoribus & operibus fidei*. Illa verba [*Semper tamen Purgatorij locum excipio, in quo animæ hominum corporibus solutæ ad tempus expiantur*] ab alio addita sunt. Apertè enim pugnant cum antecedentib. & consequentibus. Nam Sixtus dicit, duo tantùm esse loca, Gehennam & cœlum : & extra regnum Dei non esse vitam.

18. *Gregorij III epistola 3. in 3. tomo Concil ad Episcopos Bauariæ* non conuenit cum exemplari quod habetur apud Auentinum lib. 3. Annalium.

19. *Zachariæ epistola 5. in 3. tom. Conc.* continet inepta responsa ad stultissimas quæstiones. Inprimis notandum quòd præcipit de tempore in quo lardum comedendum. *Sexta epistola* est ab impuro Rhapsodo contaminata. Catal. testium.

20. EPISTOLA NICOLAI *ad Michaelem Imperatorem*. In eâ dicit pios Imperatores nunquam imperasse Sacerdotibus, sed obsecrasse solùm vt patres. At contra *Euseb l.10. c.5. & Niceph. l.7. c.43.* dicunt Constantinum imperasse Miltiadi Episc. Romano, vt iudicaret causam Cæciliani Carthaginensis episcopi.

21. SYNODI ALEXANDRINÆ *epistola ad Felicem Papam* spuria est, & mendaciorum plena.

22. *Hilarij epistola* numero 88. apud Augustinum non est Hilarij Pictauiensis. *Erasmus*.

Epistola item *ad Apram filiam* nil habet Hilarij, neque *Hymnus ad eandem*.

Et hactenus quidem numerus epistolarum decretalium. Iam redeamus ad principalem nostrum numerum authorum.

57. *Historia de vitâ Ambrosij* sub nomine PAVLINI spuria est. *Erasmus in præfat. in libros Ambrosij*.

58. EVODII *libri duo de miraculis S Stephani apud Augustinum tom. 10.* spurij. Trithemius dicit Euodium scripsisse volumen de factis in Aphricâ miraculis, per reliquias Stephani Martyris ab Orosio presbytero allatas, at hi libri nihil tale ; & de his libris nullibi habetur mentio.

59. SOPHRONII non est *Sermo de assumptione Mariæ apud Hieronymum*, sed nugatoris, qui postremis temporibus vixit, vt stylus indicat. Præterea, Sophronius Hieronymo fuit æqualis, vt ex libro de Ecclesiasticis scriptoribus constat. In hoc verò libro mentio fit hæresum Eutychetis & Nestorij, quæ post Hieronymum exortæ sunt. Ita de Sophronio iudicat Perkinsus. At Bellarminus ipsum collocat in an. Chr. 630.

60. MAXIMI TAVRINENSIS *Sermones*, incertæ fidei : ex iis enim plurimi variis authoribus ascribuntur.

Sermo in natale Domini, cuius exordium: In aduentu Dominico, est apud Augustinum 11. de Tempore.

Sermo in Epiphaniâ, Licet fratres dilectissimi, &c. est 37. de Tempore.

Sermo de accusatione Domini apud Pilatum, qui incipit, Mirum forsitan videatur, est de Tempore 118.

Sermo de solennitate paschali, est 128. de Tempore.

In natali S. Stephani, qui incipit, Lectio Actuum Apostolorum est quintus de sanctis apud Augustinum, & aliud habet exordium ex Augustino, vt fatentur Louanienses.

Sermo in natali Apostolorum Petri & Pauli, qui incipit, Gloriosissimos Christianæ fidei, &c. est de Sanctis 27. Et *Sermo* qui incipit, Legimus in libro qui Apostolorum actibus inscribitur, est nonus apud Ambrosium. Et de verbis Apostoli apud August. 15

Bellarminus ait, multos sermones tribui simul, & sancto Ambrosio, & S. Maximo : sed credibilius esse, S. Maximi esse illos etiam, qui tribuuntur Ambrosio.

61. CYRILLI

61. CYRILLI ALEXAND. *in Iohannem Commentariorum, l.12.* At ex his 4.medij interierunt.Ergo his libri 4.additi ſunt à Iodoco Clictoueo, nempe quintus, ſextus, ſeptimus, octauus, & quidem ad imitationem Cyrilli. Itaque ex duodecim illis libris in Iohannem, Cyrilli non ſunt, niſi primi quatuor, & quatuor poſtremi. *Bellarminus.*

Libri 16. Comment. in Leuiticum

Epiſtola eiuſdem ad Coloſyrium dubiæ fidei. Non habetur inter opera eius. Eius fragmentum ab aliis citatur. Et vtrum à Cyrillo Alexand. ſit ſcriptum necne, incertum

62. EVCHERII *libri 3.in Geneſin* & *commentarij in lib. Regum*, incerti authoris, & recentioris *Sixtus Senenſ.præfat.in Bibliothec.& l.4.*Bellarminus vtrumque iſtum commentarium putat eſſe cuiuſdam Angli.

Eius etiam *Homilia de aſſumptione Mariæ*,ſpuria,nam in eâ hæc habentur verba : *Meritò S.Patres conſtituerunt, vt in hâc ſolennitate Mariæ virginis hoc euangelium legeretur* — at feſtum aſſumptionis ſub Mauritio Imperatore inſtitutum eſt, circa an.595. Vide Durandi Enchiridion. Ex iſtâ homiliâ de cæteris æſtimatio facienda.

63 *Libri* IOH. CASSIANI & FAVSTI RHEGIENSIS damnantur à Gelaſio in Concilio 70. Epiſcoporum. Et rectè : ſcripſit enim Caſſianus contra Proſperum, & Fauſtus contra Fulgentium, de prædeſtinatione Sanctorum, & de bono perſeuerantiæ. Præterea Fauſtum damnarunt P. Diaconus lib. de incar. Hormiſda Papa in Epiſtolâ in 5. Tom. Biblioth. Ado in Chron. & Trithemius in Fauſto. Ergo Diedo & Ruardus Tapperus, Fauſti ſcripta approbando, Semipelagianos ſe eſſe produnt.

64. *Libri* 12. THEODORETI *de curatione Græcarum affectionum* dubij ſunt, quia Nicephorus in Catalogo lucubrationum Theodoreti horum nullam mentionem facit. Et in his ſtabilitur inuocatio Sanctorum, quæ tamen in commentariis in epiſtolas damnatur. in Coloſſ.2.

Theodoreti epiſtolæ ad Leonem & Renatum ſunt dubiæ fidei. Item *Liber de Sanctis* nonnulla ab aliis inſerta habet.

65. LEONIS *ſcripta* ψευδεπίγραφα.

Sermo in feſtum omnium Sanctorum vel ſpurius eſt, vel ſaltem titulus eſt confictus : nam hoc feſtum primò inſtitutum fuit à Bonifacio IV. circa annum 610. Petrus de natalibus l.10.c.1.

Sermo 5. de Quadrageſima eſt inter Auguſtinianos 63. de Tempore. Et 8. eſt 33. de tempore apud eundem Auguſtinum.

Epiſtolæ quædam vt 84. *&* 92. nuſquam extant niſi apud Gratianum.Is autem falſator egregius,veteribus ea ſæpe tribuit quæ ab iis nunquam ſcripta ſunt. Et mirum videri poſſit,Leonem edicta prætoria per Europam, Aſiam, Africam mittere, cùm tamen neceſſe habuerit Imperatorem ſuppliciter exorare vt Concilium intra Italiam conuocari iuberet. Et Leonis *epiſtol.*84.*&* 46. vel confictas eſſe, vel ſaltem corruptas hinc conſtabit.In his ſibi arrogat plenitudinem poteſtatis in longiuquis prouinciis;& Anatolio Conſtantinopolitano Epiſcopo *exequutionem ſuæ diſpoſitionis iniungit initio epiſt.*46. At contra Concil.Conſtantinop.I.c.36. *Definimus vt Conſtantinopolitana ſedes parem habeat dignitatem ſedi veteris Romæ, & in eccleſiaſticis negotiis æquè ac illa magnificetur.*

66. *Epiſtolæ mutuæ* IVSTINIANI & IOHANNIS vrbis Romæ Epiſcopi in Cod.lib.1.Tit.4.de Summâ Trinitate,dubiæ fidei ſunt. Nam *primò* ibi Iuſtinianus dicit *ſe operam dediſſe vt omnes Sacerdotes Orientalis tractus, ſe Romanæ ſedi ſubiicerent.* At hiſtorici hoc tribuunt Phocæ Imperatori. *Ado Viennenſis in Chronico ad an.*604. *Iuo in Chronico Platina in Bonifacio* 3. Tribuitur etiam Michaëli Palæologo. *Deinde* in hac epiſtolâ, Papa dicitur eſſe *caput omnium Eccleſiarum :* at contrà habetur apud *Gregorium* 4. *Regiſtri epiſt.*32.34.36.38. *Tertiò* : hæc epiſtola,vt & altera Iohannis,non habetur in antiquis manuſcriptis codicibus,vt teſtatur *Alciatus Parerg. lib.5.c.23.*

67. *Attici Epiſtola in fine Concilij Chalcedon.* Spuria. Vide Iunij Animadu.in Bellarm. de Rom.Pont.lib.1.c.24 & l.2.c.25:

68. *Epiſtola Concilij Chalcedon. ad Leonem* ficta. E Bibliothecâ Colonienſium Prædicatorum non ita pridem edita.

69. GELASII *liber de duabus naturis* non eſt ſcriptus à Gelaſio I. Papâ. *Bellar. de Pontifice lib.4. cap.*10. & de ſcriptoribus eccleſiaſticis, ad an.492. Et Canus loc. com. lib.6.cap.8. Concedunt tamen eſſe vel Gennadij, vel Gelaſij Cæſarienſis Epiſcopi.

70. VIGILII *epiſtola ad Theodoſium, Athemium, Seuerum*, hæreticos Eutychianos, quâ profitetur ſe eiuſdem cum illis eſſe ſententiæ. Cenſura. Dicitur eſſe commentitia *à Baronio Tom.7.ad ann.*538.*& à Bellarm.de Pontifice lib.4.c.*10.verum deſcribitur epiſtola à Liberato, & extat cap.21. Breuiarij, & habetur in Chronico Victoris. Idem teſtatur ſcriptam fuiſſe poſt ordinationem Vigilij : contrarium ergo ſentiens Bellarminus decipitur.

71. *Encomium* ANDREÆ CRETENSIS de *dormitione ſanctæ Deiparæ.* c.6. mentionem facit feſti aſſumptionis Mariæ. hoc autem feſtum fuit primò inſtitutum circa an. Dom.595. ergo *orationes eius* videntur ſpuriæ.

72. *Canones* CONCILII AGATHENSIS qui citantur de conſecr. d.1.c.Miſſas, nuſquam habentur.

73. EVSEBII EMISSENI *Homiliæ* ſcriptæ ſunt non ab Epiſcopo Emeſæ Græco, ſed à quodam Gallo, vt apparet hom. de Blandina *Fulco.* Conſentit *Bellar l.1.c.5. de extremâ vnctione.* Vide etiam *lib.2. de Sacramento Euchariſtiæ cap 29. & de ſcriptorib.eccleſiaſt.ad an.*430.

74. *Sermo de feſto Natiuitatis* ; cuius exordium : Natiuitas Domini, & extat inter opera *Fulgentij*, tribuitur Auguſtino: éſtque Sermo 15.de Tempore. Tribuitur item *Seueriano* in quibuſdam M S.

75. *Dialogorum liber* GREGORII M. dubius. Italicis prodigiis plenus : nec in orationis genere,nec in rebus ipſis cum reliquis Gregorij ſcriptis congruit *Chemnitius.*

Eius *Sacramentarium* & *Antiphonarium* Pamelius edidit: ſed horum nulla apud authores mentio, niſi apud *Micrologum.cap.*24.

In Nicenâ Synodo 2. tribuitur *epiſtola de veneratione imaginum, Gregorio Magno,* quæ Gregorij tertij eſt. Magnus enim Gregorius adorationem imaginum prohibuit.

76. CÆSARII ARELATENSIS *Homilia de verbis Apoſtoli,* Si cuius opus manſerit,&c. eſt Sermo 41. apud Auguſtinum de Sanctis.

77. *Canones* SEXTÆ SYNODI *in Trullo* ſuppoſititij dicuntur à Pontificiis : verùm in Synodo Nicenâ ſecundâ iubentur obſeruari,& apud Gratianum approbantur *d.16. c. Sextum.* Citatur à Bezâ vetuſtum quoddam ſcholium Balſamonis, ex vetuſto manuſcripto codice deſcriptum. Verba Latinè ita ſunt: *Eſt autem hæc Synodus vniuerſalis.Etſi enim Occidentales Epiſcopi Itali videlicet & Latini, quibus lethale vulnus à quibuſdam huius Synodi canonibus infligitur,valde inſtant iſtam non eſſe vniuerſalē, neque ei interfuiſſe Romani Papæ vicarios,quòd alia ſit ſexta Synodus regnante Conſtantino Pogonato habita,ſicuti dictū eſt, hæc verò multò pòſt tempore Iuſtiniani Rhinotmeti mandato,coierit: Ego tamen hæc audire non ſuſtinēs,& huius allocutionis cohærentiam potius conſiderans,& ordine ſequētes canones his verbis ſcriptos:Sācta & vniuerſalis Synodus hæc & hæc definiit, præteritis recentibus nomocanonibus,vt qui neq; regum, neq; Patrū à quibus editæ ſunt Synodi, ſubſcriptiones cōtineant: ſumptis in manus vetuſtioribus nomocanonibus comperi ex ſubſcriptionibus in hâc quoq; Synodo quæ in Trullo regij Palatij coiit, adfuiſſe vniuerſæ Synodi Romanæ Eccleſiæ nomine vicarios,Baſilium quendam Cortinæ Cretæ Inſulæ metropolis, & alium quendam Rauennæ Epiſcopum, neque iſtos duntaxat, verum etiam Papæ tum Romani legatos Theſſalonicæ, Sardiniæ,Heracleæ in Thraciâ & Corinthi Epiſcopos.* Hæc ille. Et Bartholomæus Caranza de his ita ſcribit : *In volumine Conciliorum excuſo Coloniæ feruntur nouem canones aſcripti ſextæ Synodo,cùm tamen ſciamus ſextam Synodum,quando primò ſub Conſtantino congregata eſt,nullos edidiſſe canones:ſed pòſt ſub Iuſtiniano conuenientes 227. Patres in Trullo Regiæ Palatij Conſtantinopoli canones ediderunt ſequentes* 102 *Hoc ita tradunt Patres,qui ad ſeptimam Synodum conuenerunt in Niceâ ſub Conſtantino filio Leonis,& Irene eius matre in actione quintâ. & explicatius in actione ſextâ Tomo* 1.*in vtroque loco citant Canonem octuageſimum ſecundum. Horum etiam Canonum meminit Nicolaus* 1. *in epiſtolâ ad Michaëlem Imperatorem.Item & Anaſtaſius Abbas Apoſtolicæ ſedis Bibliothecarius in præfatione* 8.*Synodi, dicens : quum Sexta nullam protulerit, præter fidem,regulam, ſed quas eius aſſeuerant regulas, longè poſt ſextam Synodum ab ipſis conſtat eſſe penes ſe, priuatímque depromptas, &c. Item Patres qui ex Occidente & Oriente conuenerunt ad Synodum Florentinam in Seſſ.5.citant.hos* 102.*canones ſextæ Synodi in Trullo.Item Gratianus in decreto citat aliquot canones iſtorum,& ſcribit illi ſextæ Synodo.* Hæc ille *Diſt.16.cap.Sextam* Adrianus Papa ait, *Sextam Synodum ſanctam cum omnibus ſuis canonibus recipio.* Et idem Adrianus in epiſtola ad Taraſium hæc habet verba : *In ſextæ Synodi diuinè & legaliter prædicatis canonibus.*

Nouem illos canones qui in 2 tomo Conciliorum ſextæ Synodo tribuuntur, adulterinos eſſe concedit Surius.

78. BEDÆ MARTYROLOGIVM variis additionibus corruptum nonnulli exiſtimant.

79. *Synodus Nicena 2 pro adorandis imaginibus.*idololatrica & impia eſt : & proinde reiecta fuit ab Occidentalibus Eccleſiis. Auentinus lib.4.annalium:*Scita* (inquit) *Græcorum de imaginibus adorandis tradunt Concilio Francofurtenſi reſciſſa ſunt.* Idem Ado ætate ſexta, Houedenus, &c. Albertus Pighius noluit editionem huius Concilij Colonienſem,pro genuinâ agnoſcere. Multa etiam in eo palpabiliter falsâ.

80. *Concilij Magni librum contra Nicenam Synodum* Pontificij ſuppoſititium dicunt,ſed ſine argumento.Huius libri meminit Hincmarus Remorum Archi-Epiſcopus cap.10. contra Hincmarum Iandunenſem Epiſcopum ; & teſtatur quòd illum adoleſcentulus in regio Palatio legerit : citat etiam ad verbum integrum ferè cap.28. l.4. Deinde Romæ in Lateranenſi Bibliotheca,idem exemplar inſtitutis Longobardicis literis deſcriptum extare, *Auguſtinus Steuchus* eius Bibliothecæ præfectus publico etiam ſcripto teſtatur. Hæc doctiſſimus Hoſpinianus.

81. Damasceni Oratio *de dormitione Deiparæ* dubia. Citat enim Euthimium, qui vixit posterioribus seculis sub Alexio.

De libris eius de imaginibus sic pronuntiat Baronius: *in multis eius scriptis fidem vacillare, & compluribus ipsum scatere mendaciis.*

Libellus sub eius nomine editus à Turriano Iesuitâ è bibliothecâ Cardinalis Sfortiæ *de corpore Christi*, nullius fidei, vt verbo dicam. Scripta eius propter pudendos errores non magnam apud pios authoritatem merentur.

82. De operibus Isidori *Hispalensis* Bellarminus sic ait: Mirum est, vnde tot opera S. Isidori prodierint: quorum non meminit S. Hildephonsus, qui eâdem ætate vixit, quâ Isidorus ipse.

83. Donatio Ludovici *Pij*) qui fuit filius Caroli Magni) quâ scilicet is Romam & liberum ius eligendi nouum Pontificem Papæ & ciuibus Romanis concessit. dist. 63. c. *Ego Ludouicus*, fictitia est. Quia Paschalis à populo vi coactus pontificatum obire, neglectâ authoritate Imperatoris, per legatos purgat se apud Ludouicum Pium, & culpam in Clerum & populum transfert. Imperator verò à Papâ satisfactionem accepit, verùm Clerum & populum cum increpatione monet, ne simili exemplo Imperatoriam maiestatem læderent. *Sabellicus Ennead.* 8. *l.* 9. *Platina in Paschali. Molinæus* I.C. Bibliothecarium Rom. Pontificis huius capituli authorem esse: & proinde vt suspecto minimè credendum fore, existimat. Præterea canon dist. 63. c. *Ego Ludouicus*, pugnat cum dist. 63. c. *Cum Hadrianum*. Nam si Ludouicus primus liberam Pontificis electionem concessit: cur eius nepos Ludouicus II. iniuriam sibi factam esse putabat?

84. Iuramentum Ottonis Imperatoris, per legatos Ioanni Papæ præstitum dist. 63. c. *vbi Domino*, confictum est. Is enim Romam profectus vt Papæ Dominus, Ioannem ob scelera curauit deponi, comprobante id toto Clero & populo. *Luitprandus, P. Diaconus hist. libro* 6. *& Theod. à Niem.*

85. *Liber de vitis Pontificum* editus, sub nomine Anastasij. Multa in hâc historiâ asseruntur à veritate alienâ, quæ nullius grauis & prisci authoris testimonio confirmari possunt; multi in eo Chronologici lapsus, nonnulla pugnantia & asystata. Baronius suspicatur à pluribus, minimùm duobus, scriptoribus esse consarcinatum. Nonnullis in locis adulterinâ aliorum adiectione vel detractione, ob summam superiorum seculorum inscitiam, deprauatus est. Platina, Tritenhemius, Onuphrius tribuunt quoad priorem partem, Damaso. Abundat fœdissimis barbarismis & solœcismis. Hæc Albinus.

86. Paschasii Liber *de corpore & sanguine Domini* deprauatus est: narratio enim de visibili specie corporis Christi in formâ infantis, quæ habetur c. 14. in Bibliothecâ S. Patrum, inserta est a Monacho fabulatore. Nam hæc fabula pugnat cum totâ doctrinâ Paschasij de modo præsētiæ Christi in cœnâ, & magna styli varietas est. Hoc obseruauit *Hospin. lib.* 5. *de Sacrament.* Bellarminus hunc librum appellat insignem; & addit, hunc authorem fuisse primum, qui seriò & copiosè scripserit de veritate corporis & sanguinis Christi in Eucharistiâ contra Bertramum presbyterum, qui fuit ex primis, qui eam in dubium reuocarunt.

87. Simeon Metaphrastes fuit triuialis Constantinopoli ludimagister, & *Sanctorum vitas* scripsit, quæ non immeritò *mendaciorum legenda* dici possunt. *Bellarminus de scriptoribus eccles.* sic annotat: Illud autem obseruandum est, à Metaphraste scriptas fuisse historias de vitis sanctorum, multis additis ex proprio ingenio, non vt res gestæ fuerunt, sed vt geri potuerunt.

88. Anselmi *de imagine mundi* lib. 2. à quibusdam Honorio ascribuntur. *Simlerus in Biblioth.*

Anselmi commentariis in Matthæum, locum à Græcis intertextum, asserit *Bellarm. de Euchar. l.* 4. *c.* 19.

89. Opera Bernardo ascripta *spuria*, vel saltem *incertæ fidei.*

De vitâ solitariâ ad fratres de monte Dei.
Meditationes.
De interiore domo.
De ordine vitæ.
Scala Paradisi: Louanienses reiiciunt.
Formula honestæ vitæ.
Speculum Monachorum.
Sermones varij, quos vide in editione Antuerpiensi: Inter hos.
Sermo de cœnâ Domini
Liber de conscientiâ.
Sermo de Andreâ.
Descriptio Claræ Vallis.
Epistola Bernardi Syluestris.
Sermones Gilleberti 48. *in Cantica*, ab eo loco quo Bernardus morte præuentus desierat, scripsit enim Bernar. tantùm 86.
De lamentatione Mariæ.
Doctrina Bernardi.
Homilia de discipulis euntibus Emaus.
Libellus de amore Dei.
De naturâ & dignitate amoris diuini libellus.
Liber de passione Dei, super illud: Ego sum vitis vera.
Oratio rhythmica ad membra corporis Christi: Et alia de dominicâ passione: item *alia ad Christum & Mariam*: item *alia de natiuitate Christi*
Forma priuata confessionis.
Ad Sororem modus bene viuendi.
De conscientiâ Liber alius.
Deprecatio ad Mariam.
De miseriâ humanâ.
Sermones de pugnâ spirituali.
De 12. *gradibus humilitatis.*
Sermo in Dominicâ infra octauam Epiphaniæ.
De cœnâ Serm. 15. P. Martyr alterius nomen appositum vidit.
Homilia super, Simile est regnum cœlorum negotiatori.
Epistola ad Matthæum Albanensem Episcopum.
Super salue Regina, Meditatio.
Sermo in aduentu Domini de 11. oneribus.
Vita S. Malachiæ.

Vide Bellarminum de scriptoribus ecclesiasticis, ad an. Chr. 1130. vbi egregiè ostendit, dicta ferè opera non esse Bernardi.

90. Hugo de S. Victore. Opera eius tribus tomis comprehenduntur. Bellarminus de illis ita iudicat: Non pauca sunt in operibus Hugonis, quæ non videntur germana eius opera.

91. *Galfridi Arthurij Monumetensis lib.* 4. *de rebus Britannicis.* Censura G. Neubrigensis: *Quidam* (inquit) *nostris temporibus scriptor emersit, ridicula de Britannis figmenta contexens; eosque longè supra virtutem Macedonum & Romanorum, impudenti vanitate attollens. Galfridus hic dictus est, agnomen habens Arthurij: pro eo quòd fabulas de Arthuro ex priscis Britonum figmentis sumptas, & ex proprio auctas, per superinductum Latini sermonis colorem, honesto historiæ nomine palliauit. Qui etiam maiori ausu, cuiusdam Merlini diuinationes fallacissimas, quibus vtique plurimum de proprio adiecit, dum eas in Latinū transfunderet, tanquam authenticas & immobili veritate subnixas, prophetias vulgauit.* Rursus; *Præterea in libro suo, quem Britonum historiam vocat, quàm petulanter & impudenter ferè omnia mētiatur, nemo nisi veterum historiarum ignarus, quum in librum istum incidit, ambigere sinitur. Nam qui rerum veritatem non didicit, fabularum vanitatem indiscretè admittit. Omitto quando de gestis Britonum ante Iulij Cæsaris imperium & aduentum, homo iste confinxerit; vel ab aliis conficta tanquam authentica scripserit.* Hæc ille aliquantò asperius: quanquam & in ipsum Neubrigensem refundi eadem culpa debet, quam Arthurio tribuit. Aliquando enim deflectit ipse à cæteris historicis; nugis item fabulisque circumfluit, in suâ rerum Anglicarum Historiâ.

92. *Epistolâ* Francisci ad *omnes fratres* suos *spuria.* Bellar. de Missa lib. 2. c. 10.

93. Psalterium B. Mariæ falsò tribuitur Bonauenturæ. nam ille super Magistrum ait, cauendum esse, ne, dum matris excellentia ampliatur, filij gloria minuatur.

94. *Iacobi* de Voragine Episcopi Genuensis *Legenda* vulgò dicta *Aurea*; reuera est impudentissima legenda mendaciorum.

95. Nicephorus Callistus fabularum plenus. Apud eum fabula est de imagine Christi missa ab eo ad Abagarum. *Euseb. hist. lib.* 1. *in fine*, nil tale in archiuis reipub. Edessenæ reperit. Bellarminus ait, in historiâ huius authoris inueniri errores proprios Græcorum: & non paucos errores in rebus historicis. Idem docet Cardinalis Baronius in Annalibus.

Sed concludamus *Criticum nostrum* de doctoribus ecclesiæ, & aliis veteribus scriptoribus. Concludamus, inquam, nonnullis regulis in medium allatis.

I. Veteres authores, qui non citantur à posteris suis, nec ab aliquo bono authore, vel spurij proculdubio sunt, vel non in ecclesiâ probati, & minoris certè fidei.

II. Libri editi à Romanis bibliothecariis, quique tantùm in Vaticanâ bibliothecâ reperiuntur, vel in monachorum claustris, meritò habentur suspecti.

III. Quæ à veteribus incommodè dicta sunt de re aliquâ fidei ante exortam de re eâdem hæresin, commodè & candidè sunt exponenda, & emollienda: sin post, comuni calculo reiicienda.

IV. Libri tribus primis seculis, quæ ecclesiæ infantia, & tempus innocentiæ dici possunt, scripti, in tres classes dispari debent. Aut enim sunt libri verè apostolici & canonici: aut sunt genuini fœtus Patrum: aut sunt suppostitij. Rursus, qui sunt genuini Patrum fœtus, conscripti sunt ab iis ad Christianam religionem nuper conuersis, aut à confirmatis in eâdem, aut denique à lapsis in hæresim vel alium errorem.


V. Historia ecclesiastica ante Constantini tempora planè fuit

clesiæ catholicæ historiam καθολικὴν, seu vniuersalem animum appulit, & orsus a natiuitate Domini, rerum gestarum seriem ad sua vsque tempora singulari diligentia pertexuit. Eusebii exemplum postea secuti sunt, quorum hodie extant, quique ab Eusebio sibi nomen inuenerunt, Sozomenus, Theodoretus, Socrates, & post hos ipse Euagrius, cuius historia desinit in anno Imp. Mauritij 10. Christi 600. tribus demtis, vel paulò plus.

VI. Post seculum sextum paulatim vna cum temporum conditione immutata fuit prior forma theologiæ simul & historiæ. Nam Scripturæ minùs diligenter fuerunt tractatæ & minùs simpliciter expositæ. Res externæ, miracula, imagines, reliquiæ, sanctorum cultus, ac tandem vnius Papæ dominatio & monarchia, prioris religionis institutis successerunt. Cæterùm qualis fuit istorum temporum theologia, talis & historia Nam & in historicis monumentis, miracula vt plurimum vtramque paginam conficiebant, vel à sanctis, vel ab imaginibus, vel a reliquiis edita: atque vt supremum ecclesiæ monarcham theologi agnoscebant; ita multi historiam scribere professi, Romanorum Pontificum successiones, Antipaparū schismata, aut nouas artes à Papis excogitatas, firmandæ potentiæ suæ, literis mandare: id verò erat historiam scribere ecclesiasticam. Fuit sanè illorum temporum miraculorū benigna copia; verorum sine dubio multorum, sed & falsorum nihilo pauciorum. Fatetur hoc *Bellarminus lib. de scriptoribus ecclesiasticis*, vbi ad an. 850. de Simeone Metaphraste ita scribit: Illud autem obseruādum est, a Metaphraste scriptas fuisse historias de vitis Sanctorum, multis additis ex proprio ingenio, non vt res gestæ fuerunt, sed vt geri potuerunt. Addit enim Metaphrastes multa colloquia, siue dialogos Martyrum cum persecutoribus, aliquas etiam conuersiones astantium paganorum in tanto numero, vt incredibiles videantur: denique miracula plurima, & maxima, in euersione templorum, & idolorum & in occisione persecutorum: quorum nulla est mentio apud veteres historicos. Quæ Bellarminus scribit de Metaphraste, ad alios eiusdem farinæ scriptores iure merito transferuntur.

VII. Veteres interdum adhibuerunt piam fraudem.

VIII. Cæsar Baronius in historiæ ecclesiasticæ illustratione fabulas parciùs admisit quàm alii: tantámque in hoc studio adhibuit diligentiam, vt, si eam immoderato partium studio non corrupisset, dignus foret sine controuersia, cui omnes & veteres & recentiores, qui illam eruditionis partem vnquam attigerunt, assurgerent & fasces submitterent: vt sunt verba *Isaaci Casauboni, prolegomenis exercitationū 16 de rebus sacris & ecclesiasticis.*



SECTIO III.

In quâ delineatur

MAGIA.

PRÆCEPTA.

MAGIA, seu Magica, est ars composita, tradens rationem mira præstandi.

Estque generalis, vel specialis.

Magia generalis tradit ea, quæ communia sunt omnibus Magicæ speciebus: qualia sunt finis, modus, & differentia communis.

Finis communis est, præstare mira.

Modus communis est, ea præstare modo secreto, in vulgus non cognito.

Differentia communis est, quòd magia est diuinatrix seu μαντικὴ, vel operatrix seu ποιητική.

Magia specialis est licita, vel illicita: *seu*, philosophica, vel diabolica.

Magia licita est ars præstandi mira adminiculo artis: *seu*, est ratio faciendi miracula artis.

Eius occurrit fundamentum, & diuisio.

Fundamentum est in pietate & cognitione partim spiritus mundi, partim naturæ stellarum, & quatuor elementorum.

Diuisio est, quòd Magia licita sit naturalis, vel mathematica. Vtrique accidit abusus: ita vt sit pura, vel impura.

Magia naturalis est ars de ratione maritandi naturas, vt sequatur effectus mirabilis.

Magia mathematica est ars de ratione conficiendi automata mirabilia: vti sunt aquila volans, statua illacrymans, &c.

Magia illicita est ars impia & scelerata, mira præstandi, ope diaboli, quatenus diuina iustitia permiserit. *Dicitur* Magia necromantica, Magia malefica, Magia fascinatrix, *βασκανικὴ γοητεία, & absolutè* Magia.

In eâ spectantur fundamentum, diuisio, adiuncta, & contraria.

Fundamentum est pactum seu fœdus inter Diabolum & hominem maleficum.

Diuisio est: quòd Magia necromantica est diuinatrix, vel operatrix; & hæc est incantatrix, vel præstigiatrix.

Adiuncta eius, sunt, quòd est legibus diuinis & ciuilibus prohibita; per se noxia generi humano, per accidens autem commodat; denique quòd sibi prætendit honestum titulum operum naturæ vel gratiæ.

Contraria sunt pœna & remedia.

Pœna consistit in exploratione, conuictione, & executione.

Remedia sunt licita, vel illicita.

Remedia licita sunt prophylactica, vel analeptica.

Illicita sunt generalia, vt exorcismus: vel particularia, vt nomen Iesus, signum crucis &c

REGVLÆ.

I. *Magia est ars occupata circa apotelesmata mirabilia, & vulgo incredibilia.* Magia quid?

Vocabulum hoc μάγος apud Persas erat honorificum, & illis erat idem, quod Græcis σοφός. Id patet ex *Matth.* 2. & historiis Persarum, quæ Magos passim celebrant nomine singularis & eximiæ sapientiæ: vt Magia apud illos fuerit sublimior quædam philosophia. Sed progressu temporis hæc vox malam in partem cœpit vsurpari, proculdubio quia Magi cœperunt degenerare, & limpidissimos veteris Magiæ fontes nubibus superstitionis & impietatis inficere. Hodie tamen vsitatum est, Magiam diuidere in licitam & illicitam: vt ita vox hæc vsurpetur bonam & malam in partem. Itaque nos in genere definimus Magiam, quòd sit ars mirabilia, & vulgo incredibilia præstandi.

II. *Miracula sunt Dei, naturæ, artis, vel diaboli.* Miracula quotuplicia?

Miraculum dicitur latè & strictè. *Miraculum latè* est opus extraordinarium & inusitatum, supra ordinarium & vsitatum naturæ cursum aut artis institutum. *Miraculum strictè* est opus excedens omnem naturæ creatæ & finitæ vim: & hoc modo miracula soli Deo tribuuntur. Sed latè miracula rectè in quatuor classes diuiduntur. *In prima classe* sunt miracula Dei, quæ excedunt naturæ vniuersalis & particularis vires. Scriptura eiusmodi exemplis abundat. Huc enim pertinent maris rubri diffissio *Exod.* 14. statio solis, *Ios.* 10. reductio solis in firmamento, decem gradibus. 2. *Reg.* 20. quinquies mille virorum per quinque panes, & duos pisces saturatio. *Matth.* 14. excitatio Lazari, *Iohan.* 11. & similia Christi miracula. Horum miraculorum patratio est quoddam creationis genus: & à solo Deo proficiscitur, ídque vel immediatè, vel mediatè, vt per prophetas, apostolos, humanam Christi naturam. *In secunda classe* sunt miracula naturæ, quæ excedunt vires naturæ ordinarias. Sunt enim triplices naturæ vires: videl. vis remissa, intenta, & intentissima. Miracula naturæ requirunt vim eius intentissimam, adeóque extraordinariam. His miraculis naturæ hoc est commune cum miraculis Dei, quòd vtraque semper sunt vera, nunquam autem apparentia vel fallacia. *In tertia* classe sunt miracula artis, quæ excedunt præcepta & regulas artis vulgaris: vt si quis efficiat, vt mense Maio in Germaniâ habeamus vuas maturas. *In quarta classe* sunt miracula diaboli, quæ respectu finis semper sunt mendacia, sed respectu formæ sunt realia vel mendacia. Nimirum diaboli miracula ratione finis ita sunt comparata, vt mentiantur hominibus, id est, iis imponant. At operis respectu operatio diaboli alia est vera & realis, vt *Iob* 1. *v.* 16. 19. alia est mera illusio, quâ ludificatur & decipit hominem. Ista porrò illusio est duplex, sensuum externorum & internorum, vel mentis. Illusio sensuum externorum est opus diaboli, quo homini persuadet, illum videre, audire, contrectare, &c. res, quas reuera nullo sensu apprehendit. Hoc diabolus multis modis, ipsâ naturæ vi, præstare potest. v. g. dum sensuum organa, puta oculi humorem, vitiat & deprauat, vel aërem variè afficit & immutat. Sic diabolus imposuit Sauli per Pythonissam in Endor in fictitiâ Samuelis specie, 1. *Sam.* 18. Arripit etiam diabolus opportunitatem illudendi hominibus ex constitutionibus & temperamentis ipsorum, adde & particularibus, ad quos naturâ procliues sunt, morbis & affectibus. Inde phantasiam corrumpit,

& animo vehementem perſuaſionem imprimit,vt ſe ſcilicet fieri exiſtiment,quod reuerâ non fiunt. Id cernere licet in morbo illo, qui *Lycanthropia* dicitur:omninóque in omnibus illis imaginationibus, quæ efficiunt,vt homines,ſibi perſuadeant ſe in leones, canes,aues,&c. mutari.Deus nempe iuſto ſuo iudicio certos homines diabolo ita faſcinandos permittit, vt ad earum beſtiarum ſimilitudinem ſe accedere opinentur,licet reipsâ homines ſint & maneant.Secunda illuſionis ſpecies eſt mentis,quam diabolus ita decipere poteſt , vt id de te ſentias , quod à veritate eſt alieniſſimum.Ita multos homines ludificatus eſt,vt ſeipſos reges,aut regum filios,imo Meſſiam à Deo promiſſum,eſſe ſibi perſuaderent, & coram aliis affirmarent atque profiterentur.Hîc duo ſunt excutienda:quâ vi nempe diabolus opera mirabilia verè poſſit efficere,& quænam opera poſſit vel non poſſit perficere? *Ad primum quod attinet*,opera iſta fundantur in diaboli naturâ & experientiâ.Diabolus enim eſt naturâ ſpiritus, & proinde magnâ præditus intelligentiâ & ſcientiâ, in omnibus rebus naturalibus, qualeſcunque tandem ſint.Deinde,eſt magnâ præditus experientiâ, vtpote cuius facultas & peritia in viribus naturæ indagandis & obſeruandis iam ſexies mille annorum ſpatio eſt confirmata. Hinc multorum arcanorum notitiam eſt adeptus. Tertiò eſt ſpiritus admirandi roboris & potentiæ. Denique mira eſt ipſius celeritas & agilitas. Itaque quatuor hiſce ſubſidiis & adminiculis adiutus Satanas mira opera præſtare poteſt,quæ captum peritiſſimorum etiam hominum ſuperant. *Ad ſecundum* reſpondemus in genere , diabolum non poſſe præſtare illa quæ requirunt potentiam agendi infinitam , vtpote quæ ſolius Dei eſt propria : & in ſpecie,ipſum non poſſe facere contradictoria , vel ἀδύνατα phyſica. Itaque non poteſt creare , aut creaturas commutare, aut elementa conuellere,aut facere vt homo ſit homo & auis. Semper autem hîc meminiſſe oportet. Diabolum poſſe tantum efficere , quantum diuina iuſtitia permittit, vel ad piorum caſtigationem aut explorationem, vel ad impiorum carnificinam,excæcationem,indurationem.

Diuinatio quotuplex?

I I I. *Diuinatio eſt diuina, diabolica,phyſica,vulgaris, vel politica.*

Peucerus in aureo diuinationum commentario conſtituit quatuor prima genera τῆς μαντικῆς. Eſt enim diuinatio πνευματικὴ, quæ ſolum Deum habet authorem : eſt διαβολικὴ,authore Satanâ:eſt φυσικὴ,ſiue τεχνικὴ,eáque vel ἐπιστημονικὴ,quæ vtitur ſignis infallibilibus , quæ τεκμήρια vocant ; vel στοχαστικὴ , quæ nititur ſignis contingentibus,quæ εἰκότα appellantur:eſt κοινὴ,ſeu δημώδης , quam vulgus abſque ratione manifeſtâ exercet. Hæc, inquam, ſunt quatuor diuinationis genera apud Peucerum. Nos addimus quintum:videl.diuinationem politicam, quæ ex hiſtoriis,adeóque ex præteritis,itémque ex propriâ experientiâ colligit & conicit futura.Sed,vt retineamus τετραχοτομίαν,dicamus, diuinationem eſſe πνευματικὴν, διαβολικὴν, τεχνικὴν,κοινὴν;& τεχνικὴν ſubdiuidamus in φυσικὴν καὶ πολιτικὴν. Sed hæc quatuor genera (id quod probè obſeruandum eſt) admittunt communes quaſdam differentias.e.g.oraculum,prophetia,diuinatio per ſortem,&c.pertinent ad diuinationem diuinam,diabolicam,vel politicam. Hinc eſt, quòd Peucerus nouem iſta diuinationis genera conſtituit.*Primò* eſt προφητεία;eáque vera,vel falſa: & rurſus prophetarum piorum vel impiorum. *Secundò* ſunt χρησμοὶ,μαντεύματα,id eſt,oracula ; quæ ſimiliter ſunt diuina,vel diabolica. *Tertiò* eſt θεομαντεία ; cuius author eſt diabolus, κακοζηλίᾳ imitatus præſentiam Dei ſpecialem in ſanctis patriarchis , prophetis,& apoſtolis. Huc pertinent θεομάντεις,quorum genera ſunt quatuor. 1.πυθῶνες , ἐγγαστρίμυθοι , στερνομάντεις, ἐγγαστριμάντεις. 2.ἐνθουσιασταὶ. 3.ἐκστατικοὶ, à Diabolo rapti extra ſeſe. 4.λυκάνθρωποι,ſeu λυκάονες.*Quartò* eſt μαγεία,γοητεία,μαγγανεία : ſub quo genere continentur νεκυομαντεία , λεκανομαντεία, γαστρομαντεία, κατοπτρομαντεία,κρυσταλλομαντεία, δακτυλιομαντεία,ὀνυχομαντεία, ὑδρομαντεία, ἀερομαντεία. *Quintò* ſunt ἐπῳδαὶ,ἐπαοιδαὶ, incantationes , incantamenta. Sub hoc genere ſunt φαρμακεία,κοσκινομαντεία,ἀξινομαντεία, κεφαλαιομαντεία, ἀλεκτρυομαντεία. *Sextò* eſt ἱεροσκοπία,diuinatio ex ſacrificiis.Sub hoc genere ſunt θυοσκοπία, θυτικὴ ἢ σπλαγχνοσκοπία,extiſpicina ; πυροσκοπεια , πυρομαντεία , καπνομαντεία , λιβανομαντεία , οἰνομαντεία , ὑδρομαντεία, κελεθομαντεία,ἀλευρομαντεία,ὠοθυτικὸν, ἰχθυομαντεία, ἀνθρωπομαντεία. *Septimò* eſt οἰωνοσκοπία, οἰωνιστικὴ, ὀρνεοσκοπικὸν, οἰωνομαντεία, ὀρνιτεία , augurium. Capiebatur autem ex auibus,cœlo, fulminibus , quadrupedum conſpectu inopinato & inſolito , & diuis quibuſcunque. Nominatim verò capiebatur ex auium volatu aut garritu , vel pullorum tripudio. *Octauò* ſunt ſortes, eæque diuinæ, politicæ , & diuinatoriæ. Sortilegium politicum eſt κυβεία, πιττεία, ἀστραγαλισμος, διαγραμμισμος. Sortilegium diuinatorium eſt κληρομαντεία ἢ παλομαντεία , γεωμαντεία , ὀνομαντεία , ἀριθμομαντεία , λογαριθμαντεία , ψηφομαντεία , βοτανομαντεία , χηρομαντεία, στιχομαντεία , συκομαντεια , ſortes Vergilianæ. *Nonò* eſt φυσιολογικον ; quod eſt vel περιαστροσκοπία , vel προγνωστικὸν τῆς ἀστρολογίας , vel διὰ φυσιολογίας in ſpecie ita dictæ. Ibi eſt diuinatio aſtrologica catholica,vel genethliaca : hîc eſt diuinatio ex elementis , meteoris , aut corporibus perfectè mixtis. Diuinatio ex elementis , quantum ad ſecuturas tempeſtatum mutationes , eſt ἀεροσκοπία , ὑδατοσκοπία , γαιοσκοπία. Diuinatio ex meteoris dicitur προγνοστικὸν το μετεωρολικον. Diuinatio ex corporibus perfectè mixtis , ratione foſſilium dicitur τὸ ὀρυκτοσκοπικὸν ; ratione plantarum , το φυλοσκοπικὸν; ratione beſtiarum , το ζωοσκοπικὸν ; ratione hominis eſt φυσιογνωμοσυνη (ſub quâ continentur τὸ μετωποσκοπικον & χειροσκοπικὸν , ſeu χειρομαντεια , ὀνειροπολία , & σημειωτικὴ Medicorum. Atque hæc ſunt illa diuinationum genera , quæ Peucerus in admirando ſuo commentario copioſè ac neruoſè explicat.

I V. *Duo ſunt fundamenta magiæ philoſophicæ : vnum theologicum, alterum phyſicum.*

Mag Ph phic dan

Fundamentum theologicum eſt vera pietas. Nam quia magia philoſophica eſt eximius radius luminis naturæ , & verò Deus eſt pater luminis, ſine cuius numine & lumine nihil eſt in homine ; oportet Deum ſibi conciliare verâ pietate , ſi quis velit ad hunc philoſophiæ apicem peruenire. *Fundamentum phyſicum* eſt in eximiâ cognitione naturæ ; naturæ , inquam, ſtellarum,ſpiritus mundi , & quatuor elementorum. Et *primò* quidem natura & influxus ſtellarum accuratè debet obſeruari : quia Magia naturalis in eo eſt occupata , vt poſſit maritare naturam ſuperiorem & inferiorem , ſeu , inferiora ſuperiorum dotibus , tanquam quibuſdam illecebris , ita copulare , vt per mutuam eorum applicationem ſtupenda fiant opera , ſeu miracula , non tam arte , quàm naturâ , cui ſe ars miniſtram præbet. *Deinde* , ſpiritus mundi eſt primum mobile & principium operum Dei,ita vt hoc vno introitus ad veram naturæ cognitionem pateat. Hic nempe ſpiritus eſt vita quatuor elementorum. Hunc itaque ſpiritum oportet inueſtigare, nominatim in iis corporibus , in quibus maior eſt eius copia. *Denique,* quatuor elementa digito quaſi monſtrant mirabilia Dei in naturâ , adeò vt nihil reperiatur , quod nos apertiori & tutiori ſemitâ deducat ad cognitionem Dei creatoris, & naturæ ab ipſo creatæ , quàm indoles & affectio quatuor elementorum. Elementa ſiquidem ſunt habitaculum vniuerſæ naturæ , abſque quibus Magia naturalis idem eſt , quod lepus ſine pedibus. Nam in iis,ex iis , & per ea ſunt omnia corpora naturalia. Quapropter ſi illa ignorauerimus , ignorare nos oportet & noſmetipſos , & totam naturam. Quare maneat illud Magiæ naturalis emblema : *Qui elementa nouiſſe didicit,is Deum didicit,& ſeipſum,& naturam.* Hâc de re placet adſcribere inſignem locum ex *Agrippâ lib.1.de occultâ philoſophiâ c.3. & 4.* Quatuor ſunt elementa , & primaria fundamenta rerum omnium corporalium, ignis, aër, aqua,terra : ex quibus omnia elementata in iſtis inferioribus componuntur ; non per modum coaceruationis , ſed ſecundùm tranſmutationem & vnionem : rurſúſque cùm corrumpuntur , in elementa reſoluuntur. Nullum autem ſenſibilium elementorum purum eſt , ſed ſecundùm magis & minùs permixta ſunt , & in ſe inuicem tranſmutabilia : quemadmodum terra luteſcens diſſolutáque fit aqua , atque illa ingroſſata denſatáque fit terra : per calorem autem euaporata tranſit in aërem , & ille ſupercaleſcens in ignem , & hic extinctus reuertitur in aërem, infrigidatus autem ex ſuperaduſtione fit terra aut lapis , aut ſulphur, ſicut hoc ex fulmine manifeſtum eſt. Plato autem cenſet, terram omnino intranſmutabilem eſſe , cætera autem elementa in hanc & in ſe inuicem tranſmutari. Diuiditur itaque terra à ſubtilioribus , non tranſmutata , ſed ſoluta aut permixta in illa,quæ illam diſſoluunt , rurſúſque in ſeipſam remigrans. Vnum quódque autem elementorum duas ſpecificas qualitates habet ; quarum priorem ſibi propriam retinet , in alterâ tanquam mediâ conuenit cum ſequenti. Eſt enim ignis calidus & ſiccus , terra ſicca & frigida , aqua frigida & humida, aër humidus & calidus. Atque hoc modo ſecundùm duas qualitates contrarias elementa ſibi contraria ſunt , vt ignis aquæ , & terra aëri. Adhuc ſecundùm alium modum elementa ſibi opponuntur. Nam quædam grauia ſunt , vt terra & aqua : & alia leuia, vt aër & ignis : quamobrem priora paſſiua, poſteriora verò actiua Stoici nuncuparunt. Proinde adhuc Plato ſecundùm alium modum diſtinguens , tres vnicuique aſſignat qualitates : igni videlicet acuitatem, raritatem, & motum ; terræ autem obſcuritatem , & denſitatem,& quietem. Et ſecundùm has qualitates contraria ſunt elementa , ignis & terra. Reliqua autem elementa ab illis qualitates mutuant, ita vt aër duas accipiat qualitates ignis, raritatem & motum, atque vnam terræ , videlicet obſcuritatem : contrà aqua duas quidem terræ , obſcuritatem & denſitatem , & vnam ignis, videlicet motum. Sed ignis aëre duplò rarior , triplò mobilior , quadruplò acutior. Aër autem duplò acutior aquâ, triplò rarior , quadruplò mobilior. Proinde aqua duplò acutior terrâ , triplò rarior , quadruplò mobilior. Quemadmodum itaque ignis ſe habet ad aërem , ſic aër ad aquam , & aqua ad terram : rurſúſque ſicut terra ad aquam , ſic illa ad aërem , atque hic ad ignem. Atque hæc eſt radix & fundamentum omnium corporum , naturarum , virtutum , & operum mirabilium : & qui has elementorum qualitates , & eorundem mixtiones

tiones cognouerit, facilè perficiet opera miranda atque stupenda, eritque consummatus in Magiâ naturali. Quatuor itaque quæ diximus sunt elementa, sine quorum notitiâ perfectâ nullum in Magiâ producere possumus effectum. Sunt autem singula triplicia, vt sic quaternarius compleat duodenarium; & per septenarium in denarium progrediens, ad supremam vnitatem, vnde omnis virtus & mirabilis operatio dependet, fiat progressus. Primo igitur ordine elementa pura sunt, quæ nec componuntur, nec mutantur, nec patiuntur commixtionem, sed incorruptibilia sunt, & non à quibus, sed per quæ omnium rerum naturalium virtutes producuntur in effectum. Virtutes illorum à nullo explicari possunt: quia in omnia possunt omnia. Hæc qui ignorat, ad nullam mirabilium effectuum operationem pertingere potest. Secundi ordinis elementa composita sunt, multiplicia, & varia, & impura, reducibilia tamen per artem ad puram simplicitatem: quibus tunc ad suam simplicitatem reuersis, virtus est super omnia complementum dans, omnium operationum occultarum, & operationum naturæ: & hæc sunt fundamentum totius Magiæ naturalis. Tertij ordinis elementa primò & per se non sunt elementa, sed decomposita, varia, multiplicia, & inter se inuicem permutabilia: ipsa sunt infallibile medium: ideóque vocantur natura media, siue anima mediæ naturæ. Paucissimi sunt, qui illorum profunda mysteria intelligant. In ipsis per certos numeros, gradus, & ordines est consummatio omnis effectus, in quâcunque re naturali, cœlesti, & supercælesti: miranda sunt, & plena mysteriis, quæ operari possunt in magiâ tam naturali, quàm diuinâ. Per ipsa enim omnium rerum ligationes, etiam solutiones & transmutationes, & futurorum cognitio & prædictio, etiam malorum dæmonum exterminatio, & bonorum Spirituum conciliatio ab ipsis descendit. Sine his igitur triplicibus elementis, eorundémque cognitione, nemo confidat se in occultis Magiæ & naturæ scientiis quidquam posse operari. Quicunque autem, hæc in illa, impura in pura, multiplicia in simplicia reducere nouerit, eorundémque naturam, virtutem, potestatem in numero, gradibus, & ordine, sine diuisione substantiæ discernere nouerit, is facilè obtinebit omnium rerum naturalium, & cœlestium secretorum scientiam, & operationem perfectam. Hactenus Agrippa: ille, inquam, Agrippa, quem præceptorem habuit Vvierus, & à Magiâ necromanticâ alienissimum fuisse scribit; quod in præsentiâ ego non disputo, sed doctrinam ipsius de naturâ & virtute elementorum commendo, & verbis *Drebbellij* obsigno. Sic autem ille *in tractatu de elementis.* Nihil, *inquit*, reperi, quod me apertiori & tutiori semitâ deduceret ad cognitionem Dei creatoris, quàm indoles & affectio elementorum. Elementa sunt habitaculum vniuersæ naturæ, absque quibus naturam nemo cognoscet.

V. *Magia mathematica pendet à Magiâ naturali, & ad illam ceu mensuram sui reducitur.* [margin: ...x ...calis ...athe- ...cæ ...exio.]

Non enim hoc duntaxat sibi habet propositum Magia mathematica, vt modo vulgari fiant automata, & res aliæ: sed vt spiritus mundi inclusus istis automatis, conciliet ipsis motum. v.g. organo musico, quod radiis solis expositum, harmonicum sonum edit. Huc pertinent sigilla & imagines, quæ citra superstitionem parantur. Neque enim caret ratione, quod de influxu siderum in hæc vel illa metalla, sub certâ constellatione fusa, tradunt viri doctissimi & experientissimi.

VI. *Transplantatio est insigne artificium Magiæ naturalis, quo spiritus, siue mumia, corporum mineralium & animalium in herbam, florem, vel arborem transfertur, aut cum terrâ miscetur, in quâ herbæ postea seminentur.* [margin: ...splã- ...nis]

Nam fructus hâc ratione spiritum mumiæ, seu spiritualem mumiam, tanquam nutrimentum attrahit, ita vt tota virtus rei mineralis vel animalis in vegetabile appropriatum transplantetur, magneticâ prorsus arte. Sic autem habet ista ars. Mumia, siue spiritus, mineralium, vt ☉ ☽ ♂, vitrioli, antimonij &c. transplantari potest in herbam vel arborem, si redigantur in primum suum ens, seu sperma suum. Id enim absque vllo negotio transplantari potest in fructum aliquem vegetabilem. Mercurius etiam totâ suâ substantiâ transplantatur in arborem v.g. in cerasum; quæ ita acquirit vim leniter purgandi. Eodem modo solent theriacam in vites transplantare; quo fit vt vuæ præ se ferant virtutes theriacæ. Oportet autem semper accipere vegetabile specificum, in quod volumus aliquid transplantare. verbi gratiâ spiritus vitrioli transplantatus in herbam cordialem, curat morbos cordis. Quod attinet ad mumiam animalium, illa transplantatur vel ex ouis & spermate, vel ex corporibus ipsorum, quâ de re consulantur libri artificum. Inprimis obseruetur magnes microcosmi, seu hominis. Ille siquidem applicatus loco conuenienti extrahit hominis mumiam, non aliter atque magnes trahit ferrum. Sed & illud obseruetur, magnum esse abusum huius artificij apud maleficos & maleficas, in sympathiis & antipathiis noxiis conciliandis, & variis morbis procurandis. Nimium diabolus abutitur artibus ingenuis & vtilibus ad varia maleficia. Sed abusus iste non tollit vsum.

VII. *Prodest in conspectu habere syllabum apotelesmatum, quæ beneficio Magiæ naturalis & mathematicæ fieri possint.* [margin: Præcipua effecta Magiæ naturalis & mathematicæ.]

Sunt autem huiusmodi apotelesmata ferè XXIV. hoc ordine. 1. Tincturæ rerum medicæ & metallicæ, adeóque cura morborum. 2. Mobile perpetuum. 3. Acceleratio: vt verbi gratiâ vegetabilia citò crescant. 4. Magnitudo inusitata: exempli gratiâ vt botrus vel rapa fiat instar lapidis molaris. 5. Arcanæ virtutes in lapidibus. 6. Arcanæ virtutes in herbis. 7. Arcanæ virtutes in animalibus. 8. Congregatio variorum animalium in vnum locum. 9. Fugatio animalium: putâ muscarum. 10. Diuturna rei alicuius conseruatio. 11. Subita rei corruptio: putâ arboris. 12. Ignes & candelæ mirabiles. 13. Aquæ mirabiles. 14. Colorum optica & fallacia. 15. Defensio contra calorem, frigus, humiditatem, siccitatem. 16. Sympathia arcana. 17. Antipathia arcana. 18. Fœcundatio rei. 19. Ablatio fascini. 20. Polygraphia practica. 21. Steganographia practica. 22. Miracula optica, quæ fiunt beneficio speculorum. 23. Automata, quæ mouentur à spiritu mundi ipsis incluso. 24. Operationes magneticæ. Atque hæ sunt 24. classes, sub quibus continentur omnia apotelesmata Magiæ naturalis & mathematicæ, hoc est, illa, quæ citra vllum cum diabolo pactum fieri possunt.

VIII. *In diuinatione diabolicâ oportet attendere causas, & species.* [margin: Diuinatio diabolica.]

Causæ sunt viæ & media, per quæ diabolus potest diuinare, hoc est, res præteritas, præsentes, vel futuras indicare. Ac primò quidem ex libris Vet. & Nou. Test. in quibus varia rerum venturarum vaticinia continentur, multa mira & inaudita prænuntiare potest. *Deinde*, præditus est exquisitâ rerum naturalium scientiâ. Itaque ex stellarum influentiis, plantarum, radicum, lapidum, hominum, &c. constitutionibus multa potest colligere & coniicere, quæ diuinationem ipsius mirabilem efficiunt. *Tertium* auxilium & adiumentum, est impuri huius principis & angelorum ipsius in plerisque locis præsentia. Nec enim ab hominibus vllus celebratur conuentus atque congressus, cui non aliquot intersint dæmones & spiritus immundi, vt sunt verba *Guil. Perkinsi in Bascanologiâ pag.* 68. quæ tamen cum grano salis accipere oportet. *Quarta* via, est nefariorum consiliorum, & impurarum cogitationum in humanas mentes immissio. *Quintum* adiumentum est agilitas Satanæ natiua, quâ potest incredibili celeritate se à loco in locum transferre, & perbreui tempore vniuersum terrarum orbem peragrare. *Vltimò*, Deus sæpe ad iudiciorum suorum executionem, diaboli ministerio vtitur, hócque respectu, ei locum, tempus, & actionis modum apertè indicat. Quæcunque igitur Deus à diabolo peragi vult, ille potest prædicere prius, quàm eueniant. Porrò hæc *diuinatio est duûm generum*: mediata, & immediata. Diuinatio mediata similiter duplex est: aut enim ex veris creaturis fit, aut ex iis rebus, quæ non sunt, quod videntur esse. Primi generis diuinatio fit ex volatu & garritu auium, visceribus animalium, stellis (quibus diabolus abutitur in prædicendo) somniis diabolicis, sortitionibus manticis, & similibus rebus, de quibus paulò antè. Secundi generis diuinatio est necromantia, cùm Satanas in demortui hominis spectro & figurâ consulitur. Diuinatio immediata est rerum euenturarum prædictio & patefactio ex solâ & immediatâ spiritus fatidici ope profecta. Ista verò diuinationis species bifariam exercetur: vel enim Spiritus est in ipso homine, vel tantummodo ipsum afflat.

IX. *Incantatio est rerum mirabilium effectio per carmen.* [margin: Incantatio.]

Mirabilia ista effecta apud Perkinsum in βασκανολογίᾳ sunt, 1. procellarum, tempestatum, & ventorum per mare & terram concitatio. 2. aëris infectio. 3. vredo, seu rubigo. 4. animalium & pecorum interfectio, & hominum læsio atque infestatio. 5. prodigiosorum symptomatum operatio in humanis corporibus, & illorum curatio. 6. dæmoniorum eiectio. Hæc talia incantatores per sua carmina perpetrare possunt, non quòd vis illa sit in verbis, sed quia diabolus ipsis ita persuadet. Est enim carmen, seu incantamentum, oratio, verbis barbaris & peregrinis, vel ex sacrâ Scripturâ depromptis, constans, ceu symbolum, aut veluti tessera quædam à diabolo data, quâ ille ad prodigia edenda velut inuitetur. Loco tamen carminis, seu incantamenti, etiam adhibetur ceremonia vel ridicula, vel plausibilis.

X. *Magia præstigiatrix est oculorum illusio per prodigiosam aliquam imposturam, supra cursum naturæ, aut artis ordinem facta.* [margin: Magia præstigiatrix.]

Illusio tum demum contingit, cùm quis persuadetur, se illud videre, quod reuerâ non videt. Id autem ope diaboli multi

multifariam præstatur, sed inprimis triplici hâc arte. 1. hominem & spiritum opticum corrumpendo. 2. aërem immutando. 3. variè afficiendo obiectum; quæ tria, vel singula adhibet, vel vniuersa. Sic autem adhibet; vt cursum naturæ & ordinem artis longissimè superet. Nam si naturæ cursum spectes, multi homines ob corporum suorum agilitatem, manuúmque promptitudinem varia edere possunt opera, quæ spectatoribus mira & insolita videntur, & tamen cum arte fascinandi nihil habent commercii. Deinde per artem circulatoriam, quam vocant, itémque per Opticam res miras, insolitas, & stupendas edere possunt aliqui. At magia præstigiatrix hos naturæ & artis fines atque limites longissimè excedit: vt in magis Ægyptiis *Exod.* 7. 8. & 9. videre est.

Duo maleficorum genera.

XI. *Magi malefici in duo genera diuiduntur. Sunt enim malefici alij lædentes & ligantes, alij iuuantes & soluentes.*

Malefici lædentes sunt qui consenserunt in pactionem & confœderationem cum diabolo; vt ipsorum operâ & auxilio vtatur ad lædendum duntaxat. *Malefici iuuantes* sunt, quorum operâ diabolus vtitur tantummodò ad benefaciendum. Solet nempe diabolus eum in regno suo seruare ordinem, vt in quocunque loco sunt malefici & maleficæ lædentes, in eodem etiam sint iuuantes. Ita enim solet lædere corpus & animam hominis. Nam si quis ab hoc malefico sit læsus, & ab illo sanetur, maleficus iuuans centuplò plus lædit, quàm maleficus lædens; quia hic corpus duntaxat læsit, at diabolus per alterius operam aggreditur animam. Neque enim homines eo modo sanati dicunt, *Dominus est adiutor meus, Deo sit laus, &c.* sed ô *fortunatum diem, in quo eiusmodi nactus sum medicum.* Hîc obiter teneatur discrimen inter veneficum & magum diabolicum. Potest aliquis esse *veneficus*; qui tamen non sit magus: quod venena misceri & propinari possint citra vllum cum diabolo pactum.

Pœna magorū maleficorum.

XII. *Magi malefici morte plectendi sunt, vi legis diuinæ, quæ extat* Exod. 22, 18.

Ista enim lex imperat omnibus hominibus, & ætatibus singulis sine vllâ circumstantiarum descriptione ac limitatione non committendum esse, vt malefica viuat. Pertinet huc regula: *Lex est æterna, cuius ratio est æterna* Gemina verò est ratio legis huius Mosaicæ. 1. pactum & fœdus istorum hominum cum diabolo. 2. noxa multiplex, quam adferunt proximo. Quæ sanè flagitia merentur extremum supplicium: quod præcedere debent ista duo, examinatio & conuictio *Examinatio* est actio magistratus, diligenter in huiusmodi propudia inquirentis; quæ quidem actio suam originem ab occasionibus, coniecturis, & suspicionibus repetere debet. Suspiciones intellige probabiles, quæ sunt huiusmodi signa, ex quibus homo suspectus patefieri atque innotescere vtcunque potest. Inter ea signa id ordine *primum* est, cùm persona quæpiam, publicâ infamiæ notâ afficitur, hoc est, à maximâ populi parte pro maleficâ habetur. *Secundum* est, si is qui societate cum personâ maleficâ est coniunctus, testimonium perhibet, quòd sit talis. *Tertium* est execratio, quâ solet vti huiusmodi homines. Iis enim solenne ac familiare est, per diras & execrationes varia maleficia patrare. *Quartum* est comminatio, quâ solent vti homines illi, de quibus est sermo *Quintum* est nota & character, quem diabolus maleficis hisce Magis solet imprimere. In eâ enim plerumque opinione sunt homines, vt diabolum, postquam suum pactum cum ministris & mancipiis suis constabiliuit, suam notam post se relinquere, iísque inurere existiment, quâ eos pro suis agnoscat. Quòd si huiusmodi signa vel omnia, vel plura concurrant, imò si vltimum solum adsit, potest magistratus personam suspectam subiicere examini; cuius duo erunt genera: vel per simplicem nudámque quæstionem, verbis institutam, vel per aliquod tormentum. *Conuictio* est actio magistratus, iustâ examinatione habitâ, personam maleficam patefacientis. Hæc autem actio non debet proficisci à probationibus inidoneis, quales sunt probatio per ferrum candens, exploratio per frigidam, confessio alterius magi &c. sed ab idoneis; vt sunt libera & voluntaria criminis confessio, & testimonium duorum testium fide dignorum, & honesto testimonio ornatorum.

Remedia aduersus magiam diabolicam.

XIII. *Remedia aduersus magiam diabolicam alia sunt legitima, alia illegitima; & illa rursum sunt prophylactica, vel analeptica.*

Remedia prophylactica sunt, quæ hominem vel ab insultu diaboli, ne artem discat, vel a fascini maleficio, ne lædatur, tutum præstant Summum autem & maximè salutare alexipharmacum est fides, quâ fit vt nitamur fœdere gratiæ, per sanguinem Christi sancito. Huc accedit imploratio defensionis diuinæ, siue illa fiat immediatè, siue mediatè per sanctos angelos. *Remedia analeptica* sunt, quæ homines à diabolo seductos, vel à magis fascinatos & læsos, illos quidem ex cassibus huius venatoris, hos verò à morbo, liberant. Hîc autem totæ regiones & regna leuantur & liberantur Euangelij promulgatione & susceptione. Quod attinet ad singulares personas, quæ à diabolo seductæ sunt, illæ confugere debent ad seriam huius criminis detestationem, diuinæ misericordiæ in Christo implorationem, intimam cum piis & fidelibus conuersationem, & similia media. Denique qui à Magis læsi sunt, illi primò ad seriam sui examinationem descendere debent, & causam expendere, propter quam Deus Satanæ permittat, vt illos eo castigationis & probationis genere exerceat: deinde fidem suam exsuscitabunt, quâ à gratuito Dei fauore & misericordiâ, quantum ad sui liberationem pertinet, pendeant: denique patienti animo ferent præsens damnum; vtpote quod à Deo, omnia in emolumentum filiorum suorum conuertente, sit immissum. *Remedia illegitima* sunt nomen Iesus nudè pronuntiatum, signum crucis, vsus reliquiarum, creaturæ consecratæ & exorcismi.

SECTIO IV.

In quâ delineatur

KABBALA.

PRÆCEPTA.

KABBALA est ars occupata circa textum Hebraicum S. Scripturæ, profundiori modo explicandum. *Dicitur etiam* Ars kabbalistica.

Estque generalis, vel specialis.

Kabbala generalis explicat finem kabbalistis propositum, & media generalia.

Finis est partim mysteriorum S. Scripturæ conseruatio atque propagatio, partim nominis diuini sanctificatio, & per eam hominis deificatio.

Media generalia sunt precatio, & modus cognitionis kabbalisticæ.

Kabbala specialis est ratione subiectæ materiæ, & singulorum librorum V. T.

Kabbala specialis ratione subiectæ materiæ est theorica, vel practica.

Kabbala theorica est philologica seu verbalis, vel pragmatica seu realis.

Kabbala philologica est triplex: Gematria, Notarikon, & Temurah; & huic postremæ inseruit reuolutio alphabetica.

Kabbala practica est Bereschith, vel Mercabah.

Kabbala Bereschith est physiologia subtilior ex S. literis, nominatim ex *Gen.* 1. hausta.

Eius partes duæ sunt: prima est de triplici mundo seu mansione creaturarum; secunda, de quinquaginta portis intelligentiæ.

Kabbala Mercabah est doctrina de nominibus Dei & angelorum.

Nomina Dei sunt partim Sephiroth, partim Schemoth.

Nomina angelorum sunt duplicia: & alia quidem sunt 32. semitarum sapientiæ, alia 72. præsidum, per quos nomina Dei operantur.

Kabbala practica alia est apud Iudæos sequioris æui, alia apud Christianos.

Kabbala specialis ratione singulorum librorum V. T. est varia.

REGVLÆ.

I. *Kabbala nihil est aliud, quàm textus Hebraici arcana consideratio, oretenus tradita & accepta.* Kabb quid


Anxiè admodum disputatur, quid sit Kabbala. Nobis ita videtur. Kabbala est doctrina accepta ab alio, per manum videlicet seu viuâ voce. Quidquid ergo Moses iussu Dei retulit in literas, id Kabbala antea erat, seu πατροπαράδοτον, quod velut ius sacrum & hæreditarium continuâ generationum serie transmittebatur.

mittebatur. Itaque Kabbala & Sacra scriptura hactenus idem planè sunt. Sed ex quo Kabbala patriarcharum in sacras tabulas est relata, hoc nomen vsurpatum est de mysteriorum, quæ in Sacris literis velut latent, continuatione & propagatione: cuiusmodi est mysterium SS. Trinitatis, doctrina de personâ, officio & aduentu Messiæ; & denique sanctificatio nominis diuini, quâ homo id consequitur vt Deo arctissimè vniatur, quam Patres & Kabbalistæ vocant deificationem. quâ de re paulò pòst pluribus.

...is ...uo- ...ib- ...icæ.

II. *Modus cognitionis Kabbalisticæ perficitur decem gradibus, qui dicuntur* ספירות עולם הקטן *id est, numerationes microcosmi.*

Numerationes, seu gradus isti, sunt hoc ordine: Obiectum, Diaphanum, Sensus exterior, Sensus interior, Phantasia, Iudicium brutum seu inferius, Iudicium humanum siue superius, Ratio, intellectus, Mens. Decem hisce gradibus acquiritur omnis cognitio solida, seu Kabbalistica, idque per ascensum, in quo tres sunt regiones, & in singulis vnus abstractionis status. In prima regione sunt Obiectum, Diaphanum, Sensus exterior; & ibi statur primò. In secundâ regione sunt Sensus interior, Phantasia, Iudicium inferius; & ibi secundò statur. In tertiâ regione sunt Iudicium humanum, Ratio, Intellectus; & ibi tertiò statur. Horum omnium domina Mens, recepto lumine superiori, hominis intellectum illustrat & perficit. Primo statui præest angelus Sechel; secundo, Sandalphon; tertio Metatron. Status quilibet habet duplicem differentiam. Nam in primo cessat corpus, & incipit anima; vnde nominatur animal. In secundo cessat anima, & incipit ratio; vnde nominatur homo. In tertio cessat ratio, & incipit mens, vnde nominatur Deus, id est, homo deificatus. Deificatio siquidem est finis Kabbalæ, hoc modo. Ad hoc factus est homo, vt adhæreat, vnde emanauit, Deo nempe creatori & benefactori suo. Adhæret per dilectionem. Diligit per conformitatem. Conformatur per animæ puritatem. Puritatem animæ præstat imitatio naturæ angelicæ, & inprimis diuinæ, per fidem in Christum. Fides namque est quidam diuinitatis contactus, fidelem animam exinaniens terrenâ cogitatione, eámque puritati angelicæ & diuinæ adaptans: quo fit, vt (suscepto nouo Dei semine) noua existat creatura, quæ diuinas attrahit virtutes, mediante ministerio angelorum, in Iesu Christo. Sed redeamus ad scalam cognitionis Kabbalisticæ. Nomina statuum sunt Sensus, Iudicium, Intellectus: Interuallorum autem, Diaphanum, Phantasia, Ratio. Cùm igitur Sensus & Iudicium duplicantur, & omnia ad suos terminos, Obiectum & Mentem, reducuntur, existunt X grad. per quos ad cognitionem omnium quæ sunt reuerâ, aut sensu, aut scientiâ, aut fide, ab imo ad summum, possumus ascendere, iuxta hanc arborem Sephiristicam mundi minoris.



Hæc igitur est illa scala, per quam homo, Kabbalissus, propiùs ad deificationem ascendit: quatenus vi... obiecto, per medium siue diaphanum, sensus exterior t... in sensionem interiorem, & illa in imaginationem, & imaginatio in existimationem, & existimatio in rationem, & ... in intellectum, & intellectus in mentem, & mens in lucem, quæ illuminat omnem hominem, & illuminatum in se transformat.

III. *Tres sunt partes Kabbalæ philologicæ.*

K... philologica.

Prima est גימטריא *Gematria*; quæ vox corrupta est ex Græco γεωμετρία. Secunda est נוטריקון *Notarikon*; quæ vox corrupta est ex Latino Notarius. Tertia est תמורה, *permutatio.* Itaque *Gematria* est prima pars kabbalæ nominalis quâ diuersæ dictiones eundem numerum suis literis exprimunt, ita vt vna per alteram secreto modo explicetur: vel vox aliqua est symbolũ alicuius numeri. Potiùs itaque appellaretur Arithmologia. Varia sunt ipsius exempla: vt *Gen.* 25.21. Et concepit Rebecca אשתו *vxor eius.* Hic אשתו valet 717. totidem אש וקש *ignis & stipula.* Per אש autem designatur Iacob, per קש Esau iuxta illud *Obad. v.* 18. Erit domus Iacob אש, & domus Esau לקש. Sic *Gen.* 49.10. יבא שילה valet 358. totidem valet vocabulum משיח. Vnde, *Donec venerit Schiloh*, perinde est, ac si dixisset, *donec venerit Messias*: quomodo Chaldæus paraphrastes transtulit. Sic *Zach.* 3.8. צמח *germen*, valet in numeris 138. totidem efficit מנחם *consolator*; quod est nomen Messiæ. Vox אמן in numeris est 91. totidem faciunt יהוה ארני. Et hic quidem est primus modus Gematriæ, seu Gimmetriæ, vt alij pronuntiant. *Exod.* 32.4. RR. dicunt, vitulum aureum ponderasse talenta CXXV. quòd vox מסכה per Gematriam conficiat hunc numerum, quem constituit vox כנשרין, *talenta.* Secundus modus est in simplici arithmologiâ: vt בתורה" est symbolum 613. præceptorum legis. quâ de re est huiusmodi traditio Talmudica tractatu Maccoth c. 3. Centum & tredecim præcepta dicta fuerunt Mosi in Sinai, 365. negatiua, iuxta numerum dierum solarium; 248. affirmatiua, iuxta numerum membrorum hominis Ad quam traditionem R. Salomonis glossa est: Ducenta quadraginta octo præcepta facienda sunt; quia vnicuique membro dicitur, Fac, Serua præcepta: trecenta sexaginta quinque præcepta non facienda sunt; quia vnoquoque die monentur homines, ne transgrediantur os Domini. Fit ergo Gematria duobus modis, comparatè & absolutè. Ibi est æqualitas numerorum in duobus vocabulis inter se collatis: hîc singulæ voces sunt symbolum memoriale alicuius numeri. *Notarikon* est secunda pars Kabbalæ nominalis, quâ literæ singulæ, vocis alicuius significatiuæ, singulas alias dictiones connotant; vt *Gen.* 1.1. ברא per Notarikon est בן רוח אב, adeóque insinuat mysterium SS. Trinitatis. *Gen.* 2. nomen appellatiuum אדם" kabbalisticè designat אדם דוד משיח. Thalmudici scribunt אדם" dici, quòd sit אפר דם מרה, id est, *cinis*, à corruptibilitate; *sanguis*, a vitalitate; *fel*, à calamitate. Huiusmodi Notarikon est in illo Cypriani de montibus Sina; quòd primus homo à quatuor cardinibus orbis sit nomen adeptus, ἀδάμ: ita vt α sit ἀνατολή; δ, δύσις; α, ἄρκτος; μ, μεσημβρία. *Exod.* 15.11 ex literis initialibus מי כמוך באלים יהוה, *quis sicut tu inter deos?* hinc, inquam, per Notarikon colligitur מכבי *Maccabæus.* Nimirum vox ista מכבי" fuit belli tessera Iudæ Hasmonæi; qui inde postea dictus fuit מכבי: vt tradunt kabbalistæ. Ex literis initialibus יבא שילה ולו *Gen.* 49. Kabbalistæ colligunt nomen ישו. *Temurah* est tertia pars kabbalæ nominalis, quando vna dictio vel plures, in vnam vel plures alias, per literarum transpositionem, aut qualitatis extensionem, transmutantur: vnde aliis dicitur הפוך *inuersio.* Sic נח, *Noach*, per metathesin kabbalisticam est חן, *gratia.* *Exod.* 23.23 Ibit angelus meus ante te, מלאכי: transpositis literis est מיכאל. *Esa.* 40. מי אלה ברא *quis creauit ista?* hîc duæ priores voces kabbalisticè transpositæ exhibent אלהים. *Ezech.* 1. propheta sedet ad fluuium כבר: i. e. ad influentiam כרוב, per Temurah. Atque hæ sunt tres partes kabbalæ nominalis, quas kabbalistæ exprimunt voce גנת" id est hortus. Porrò *abbreuiationes kabbalisticæ* reducuntur ad Notarikon; *reuolutiones* autem *alphabetariæ* seruiunt Temuræ. Sic v. g. abbreuiatio illa kabbalistarum *Gen.* 1. אביע" notat ista quatuor: אצילות, בריאה, יצירה, עשיה; i. e. Emanatio, Creatio, Formatio, Factio seu ποίησις. Reuolutiones alphabetariæ, id est permutationes alphabeti Hebraici, sunt duæ & viginti, apud R. Abraham, pro numero literarum, Kabbalistæ hanc pragmatiam צירוף appellant Proponamus vnum & al-

 terum

terum modum. יאטבח" *Atbach*, eſt ratio ſcribendi arcana, quâ ט ſumitur pro א, ח pro ב, & ſic deinceps: & contrà א pro ט, ב pro ח &c. Diuiditur autem hoc modo alphabetum in tres claſſes, vt prima contineat literas, quarum binæ ſemper conſtituunt in numero 10. altera 100. tertia 1000. hoc modo:

10.	10.	10.	10.
דו	גז	כה	אט
100.	100.	100.	100.
יצ	כפ	לע	סמ
1000.	1000.	1000.	1000.
קץ	רף	שן	תם

En omnes alphabeti literas præter הנך; cum quibus nulla alia litera poteſt combinari, vt ſuperior aliquis numerus exprimatur Exemplum vide *Prouerb.* 29. 21. Deinde יאלבם" *Albam*, eſt ratio ſcribendi kabbaliſtica, quâ vna litera ſumitur, pro alterâ, ita vt א pro ל, ב pro מ, & ſic deinceps, ponatur, & contrà, hoc modo:

א ב ג ד ה ו ז ח ט י כ
ל מ נ ס ע פ צ ק ר ש ת

Exemplum vide *Eſa.* 7. *verſ* 6. Porrò אתב"ש, *Atbaſch*, eſt ratio ſcribendi arcana, quâ ת cum א, ש cum ב, & contrà, permutantur, & ſic deinceps per totum alphabetum, hoc modo:

את בש גר דק הצ וף זע חס טן ימ כל
לך מי נט סח עז פו צה קד רג שב תא

Exempla vide *Geneſ.* 11.29. & *Ierem.* 25.26. *cap.* 51.1. Confert *Reuchlinum lib.* 3. *kabbalæ.* Inſigne reuolutionis Atbaſchticæ exemplum eſt apud Ieremiam, in voce שֵׁשַׁךְ, quæ, hoc artificio adhibito, eſt בָּבֶל. Sed & hæc reuolutio alphabetaria ſeruit operi Bereſchith: vt patebit ex ſeq. regulâ.

IV. *Kabbala Bereſchith agit de triplici mundo, & quinquaginta portis intelligentiæ.*

Kabala Bereſchith.

Kabbala realis diuiditur in מַעֲשֵׂה בְּרֵאשִׁית, *opus creationis*; & מַעֲשֵׂה מֶרְכָּבָה, *opus quadrigæ*, de quo in principio Ezechielis. In his duobus operibus totam Phyſicam, & Metaphyſicam, id eſt, doctrinam de Deo & intelligentiis, conſtituunt. Ad opus Mercauah non admittuntur niſi ſenes pij & prudentes: quia in eo ſunt omnia kabbaliſtarum myſteria. Sed hæc omnia à ſequioris æui Iudæis valde ſunt contaminata. Nos conabimur ea liberare à ſuperſtitione Iudaicà. Itaque opus Bereſchith eſt bipartitum. *Principiò*, vt kabbaliſtæ omnes creaturas faciliùs reuocare poſſint in creatorem, ſingulas alphabeti literas ſingulis creaturarum ordinibus attribuerunt: vnde multiplex reſultat combinatio, ſiue mixtio, hoc pacto. Ab א vſque ad כ ſunt decem chori angelorum; & hæc manſio appellatur עוֹלָם הַמַּלְאָכִים, id eſt, ſeculum, ſiue mundus, angelorum Deinde à כ vſque ad צ deſignantur nouem ordines cœlorum, qui Dei creatoris virtute donati, ab angelorum influxu diſpenſantur. Hæc ſecunda manſio appellatur עוֹלָם הַגַּלְגַּלִּים, id eſt, ſeculum, ſiue mundus, orbium, ſeu ſphærarum Denique à צ vſque ad ת ſunt elementa & omnia elementata, quæ diriguntur ab influentiis angelorum & ſphærarum. Atque hæc manſio appellatur עוֹלַם הַיְסוֹדוֹת, id eſt, ſeculum, ſeu mundus, fundamentorum, id eſt, elementorum. Tabula hæc eſt.

Manſio prima.

א. חַיּוֹת הַקֹּדֶשׁ, *animalia ſanctitatis*, id eſt angeli, qui ſunt Deo proximi, & per quos ſanctitas in nos influit.

ב. אוֹפַנִּים. *rotæ*; quibus currus Dei trahitur.

ג. אֶרְאֵלִּים, *fortes*; per quos vires communicantur inferioribus.

ד. הַשְׁמַלִּים, *lucidiſſimi*; qui illuminant intellectum hominis.

ה. שְׂרָפִים, *incendentes*; qui conſumunt ſcorias peccatorum.

ו. מַלְאָכִים, *legati*; qui mittuntur ordinariè in terram.

ז. אֱלֹהִים, *dij*; qui diuinas virtutes miniſtrant.

ח. בְּנֵי אֱלֹהִים, *filij Dei*, qui eundem cum præcedenti choro influxum habent

ט. כְּרוּבִים, *volantes*, ſeu, *pueri*; quibus Deus vtitur in adminiſtratione Eccleſiæ.

י. אִשִׁים, *viri*, qui in formâ humanâ apparent.

Manſio ſecunda.

כ. primum mobile.
ך. cœlum ſtelliferum.
ל Saturnus, ſiue Senior.
מ Iupiter, ſiue iuſtitia.
ם. Mars, ſiue ignis cœleſtis.
נ. Sol, oculus dexter mundi.
ן. Venus, ſolis anteambulo & pediſſequa.
ס. Mercurius, cœleſtis cancellarius.
ע. Luna, oculus mundi ſiniſter.
פ. Anima. quæ accenſetur ſecundæ manſioni, quòd patiatur aliquid à cœlis, niſi ſupra illos eleuetur kabbaliſticè, vel theologicè.
ף ף. Spiritus animales, qui & ipſi à cœlis patiuntur.

Manſio tertia.

צ. Tohu vabohu, id eſt, prima materia.
ץ. Quatuor elementa.
ק. Mineralia.
ר. Vegetabilia.
ש. Beſtiæ.
ת. Homo; qui eſt perfectio omnium creaturarum.

Atque hæc eſt applicatio rerum creatarum ad literas alphabeti: de quâ kabbaliſtæ ſcribunt, duas & viginti literas eſſe fundamentum legis iuxta & mundi. Porrò 22. alphabeta R. Abraham in libro יְצִירָה pariunt combinationes 240. per quas non ſolùm oportet deducere nomen tetragrammaton, ſed etiam omnes res examinare. Sic v. g. אב eſt combinatio angelorum primi & ſecundi ordinis, אל eſt combinatio angelorum primi ordinis & Saturni. Sed accingamur ad alteram partem operis Bereſchith, hoc eſt, ad *quinquaginta portas intelligentiæ*, שַׁעֲרֵי בִּינָה. quæ ſic dicuntur, quòd kabbaliſta per eas intret in omnium rerum cognitionem. Ordo iſtarum portarum ſumitur ex *Gen.* 1. hoc pacto. Duæ portæ ſunt ante creationem: putà Deus, & mundus archetypus, id eſt, ideæ in mente Dei. Sequentes portæ, iuxta hexaëmeron, ita diſponuntur.

Portæ primi diei. 3. Terra primordialis, ſeu chaos. 4. Inane, id eſt, nuditas iſtius terræ, quâ fit vt non habeat certam aliquam formam. 5. Vacuum, id eſt, potentia, quâ terra iſta in ſe continebat ſeminales virtutes rerum. 6. Abyſſus, id eſt, inexhauſta iſtius terræ fœcunditas. 7. Aër, quatenus omnia permeat, tanquam balſamus. 8. Aqua, permiſta terræ primordiali. 9. Lux, pulchritudinem concilians corporibus 10 Dies, id eſt, lux per aërem diſperſa. 11. Accidentia corporum, vt locus, tempus, &c. 12. Nox, id eſt, proprietates occultæ. 13. Veſper, id eſt, via corruptionis. 14. Manè, id eſt, via generationis. 15. Dies vnus, hoc eſt, compoſitum in lucem editum.

Portæ ſecundi diei. 16. Aquæ ſupra firmamentum, id eſt, mare kabbaliſticum. 17. Firmamentum, id eſt, horizon æternitatis & temporis. 18. Aquæ ſub firmamento id eſt, nubes.

Portæ tertij diei. 19. Cœlum viſibile, id eſt, aër vti conſtituit expanſum immobile. 20. Terra, vt eſt globus in centro ſuo quieſcens. 21. Maria, ſeu elementum aquæ. 22. Herbæ, id eſt, omnia vegetabilia minora. 23. Semina vegetabilium & mineralium. 24. Ligna, id eſt, omnia vegetabilia maiora. 25 Fructus.

Portæ quarti diei. 26. Luminaria, id eſt, ſtellæ. 27. Signa, id eſt, prognoſtica 28 Tempora, id eſt, Tekuphoth. 29. Dies. 30. Anni. 31. Splendor, id eſt, influentia. 32. Sol. 33 Luna. 34 Saturnus. 35. Iupiter 36 Mars 37. Venus 38. Mercurius. 39. Stellæ fixæ.

Portæ quinti diei. 40. Animæ viuentes, i.e. vita rerum. 41 Reptilia in aquis. 42. Cete. 43. Piſces 44. Inſecta volantia. 45. Aues.

Portæ ſexti diei. 46. Animal progreſſiuum in terrâ, id eſt, feræ. 47. Reptile terreſtre. 48. Iumenta. 49. Beſtiæ cicures, quæ non ſunt iumenta. 50. Homo, qui eſt deus terreſtris, vt porta vltima reſpondeat primæ. Atque hæ ſunt quinquaginta portæ intelligentiæ, de quibus legatur *Iohannis Archangeli commentarius.*

V. *Nomina Dei kabbaliſtica ſunt partim in arbore ſeu curru decem Sephiroth, partim extra hunc currum.*

Non Dei kabalis...


De vtriſque Dei nominibus teneatur regula *Iulij Sperberi in præfat. precationum kabbaliſticarum*: Dei nomina tanquam imagines & radij ipſius Dei ſunt, per cœlicolas heroas, animos hominum penetrantes: Quiſquis autem nomen Dei veneratur, veneratur & ipſum Deum, & Dei radios, vires, & imagines, in occultâ nominum ſignificatione latentes. Quod itaque lucet in Deo, tanquam ſolis mundani ſole, meritò venerari debemus, mentiſque noſtræ oculos, immenſam hanc lucem minimè ſuſtinentes, hinc ad ſacras literas, tanquam ad cœlos flectere, in quibus nomina Dei ſunt cognomentáque diuina tradita diuinitus, velut ſtellæ oculis noſtris accommodatæ; ex quibus ſanè ſtellis nobis emicant propriæ Dei virtutes & appellationes laudéſque diuinæ, tanquam ſolis virtutes in ſtellis. Nec enim dubium eſt, quin diuinos hinc radios hauriamus, & diuinum ſolem, radiorum eiuſmodi ſacrum fontem, vt Deo placet, ritè laudemus. Quid hoc bono melius? quid hâc felicitate felicius? Ex illâ námque flagranti in Deum intẽtione, mentíſque ardore, fit, vt omnia Dei opera, inſtituta, mandata, meditemur exerceamúſque, & aſſiduò, quidquid ad eius venerationem pertinet, relegamus: vnde poſtea faciliùs conſequimur etiam corporalia bona. *Et paulò antè;* Nomina, *inquit*, cognomenta & adiectiua, quæ à ſacris literis varia tribuuntur Deo, ad hoc inuenta ſunt, vt ipſam Dei naturam ſignificarent, quæ cùm vnica

ſit

ſic & ſimplex, vnico foret nomine nominanda. Sed ideo inſtituta ſunt, vt non modò infinitas virtutes, & multitudinem magnitudinis eius explicent, verùm etiam multa variaq; bona, à diuinâ bonitate largiſſimè profluentia, declarent. Videmus itaq;, quòd in verſiculis, qui in patriarcharū, prophetarū, apoſtolorū, aliorumq; ſanctorum hominū precationib⁹, & precipuè in Pſalmis Dauidicis, habentur, ſæpiſſimè nomen Dei ineffabile, tetragrammaton (quod aliàs per Adonai efferimus) & alia nomina diuina continentur & explicantur. Per quæ cùm innotuerit Deus, virtutes eius ſe proferunt, quæ in eius admirationem nos rapiunt, & incitant ad celebrandū eius laudem. Vix namque poſſibile eſt, cùm homo iſtas Dei virtutes concepit, quin ſtatim omnē mentis & rationis intentionē in Deum verè noſcendū amandumq; figat. Per hæc itaq; ſanctiſſima Dei nomina, ab ipſo Spiritu S. prodita, ſumma diuinitas celebrari & glorificari optimè poteſt. Glorificari enim & ſanctificari nomen Dei meliùs & rectius nō poteſt, niſi tribuatur Deo quod ſuum eſt: id quod per nomina ipſius perquàm commodiſſimè fieri poteſt. Sed iam videamus nomina Dei in arbore Sephiriſticâ. Sunt autem *decem Sephiroth* hoc loco nihil aliud, quàm gradus & ſcalæ, per quas aſcendendum eſt ad cognitionem & amorem Dei, quem Kabbaliſtæ meritò vocant אֵין סוֹף. Sephiroth iſtæ ſunt hoc ordine:

1. כֶּתֶר *corona.* — אֶהְיֶה.
2. חָכְמָה *ſapientia.* — יָה.
3. בִּינָה *intelligentia.* — אֲדֹנָי.
4. גדוּלָּה *magnificentia.* — אֵל.
5. גְּבוּרָה *fortitudo.* — אֱלֹהִים.
6. תִּפְאֶרֶת *pulchritudo.* — יְהוָה.
7. נֵצַח *perpetuitas.* — יְהוָה צְבָאוֹת.
8. הוֹד *maieſtas.* — אֱלֹהִים צְבָאוֹת.
9. יְסוֹד *fundamentum.* — אֵלְחַי.
10. מַלְכוּת *regnum.* — שַׁדַּי.

Delineatio eſt eiuſmodi.



Atq; hæc ſunt decem nomina Sephiriſtica, quæ clauis vicem funguntur in vniuerſâ Kabbalâ practicâ. Hinc enim pendent mundus, lex, euangelium omniaq; Dei opera in regno naturæ, gratiæ, & gloriæ. Et ideo quidam kabbaliſtæ non arborem, ſed currū Sephiriſticum appellant, quòd Deus hoc curru maieſtatis & bonitatis ſuæ vehatur in tribus, quæ diximus, regnis. Quoties itaq; hæc Dei nomina perpendimus, aut recitamus, toties maieſtatem Dei admirabimur, & coram eo pauebimus, eiq; adhęrēdi cupido nos inceſſet, vt ita propiùs ſtemus corā altiſſimo, & ab illo impetremus bona æterna & temporalia. Porrò omnia Dei nomina pendent à Tetragrammato, quod ideo inter Sephiroth medium obtinet locū, tanquā ſol quidā. Eheieh eſt arboris Sephiriſticæ ſumm⁹ apex. Schaddai eſt radix. Reliqua nomina ad iſta tria reuocātur. Singulis autē hiſce nominibus præfiguntur ſinguli tituli. v. g. Eheieh appellatur corona: quia Deus ſua dona in nobis coronat per hoc nomen, faciendo népe, vt aliquid exiſtat Iehoua appellatur pulchritudo: quia quod pulchritudo eſt in corpore, id eſt יהוה inter reliqua Dei nomina &c. Sed & ſingula hæc nomina habent epitheta ſua: vt Iehoua appellatur horribilis, ſuſtinens iniquitatem, ſuper delicta tranſiens &c. Adonai, magnus, miſericors, clemens &c. Elohim, fortis, iudex &c. Sequuntur *nomina Dei Kabbaliſtica extra decem Sephiroth*, quæ multa ſunt. Principiò אגל״א, *Agla*, eſt nomen Dei collectum ex hâc ſententiâ אַתָּה גִּבּוֹר לְעוֹלָם אֲדֹנָי. Per primum א indicatur אֲחָדוּת *vnitas*, eſſentiæ diuinæ; per ג, שְׁלוֹשׁ *trinitas*, perſonarum diuinarum; per reliquas duas literas nomen אל q. d. Deus vnus eſſentiâ, & trinus perſonis. Deinde אב״ר Kabbaliſticè ſignificat אָב בֵּן רוּחַ, *Pater, Filius, Spiritus ſanctus.* Tertiò א״ס eſt periphraſis Dei Kabbaliſtica, אֵין סוֹף, *non finis, ſine fine*, ſeu infinitus, æternus Legitur etiam מֵאֵין סוֹף, & abbreuiatè מא״ס. Quartò apud Kabbaliſtas occurrit huiuſmodi deſcriptio Dei æterni, immutabilis, & ſemper ſibi ſimilis ארארית״א, id eſt,

אֶחָד, רֹאשׁ אַחְדוּתוֹ, רֹאשׁ. יִחוּדוֹ, תְּמוּרָתוֹ אֶחָד:

id eſt, Vnum, principium vnitatis ſuæ, principium ſingularitatis ſuæ, viciſſitudo eius vnum. Quintò, Deus vocatur מָקוֹם & הַמָּקוֹם, quòd in omnibus locis præſens ſit. Sextò, שֵׁם & הַשֵּׁם κατ᾽ ἐξοχὴν ſignificat nomen Tetragrammaton. Septimò מצפ״ץ eſt nomen Dei Kabbaliſticum, reſpondens nomini יהוה. Sed quis omnia enumeret? Imprimis memorabile eſt nomen XII. literarum, & XLII. literarum: quia myſterium Trinitatis apertis verbis continent.

VI. *Nomina angelorum Kabbaliſtica ſunt duplicia. Et alia quidem ſunt XXXII. ſemitarum ſapientiæ, alia LXX præſidum.* Nomina angelorū Kabbaliſtica.

Triginta ſemitæ ſapientiæ ſunt angeli, ſeu intelligentiæ, quæ referunt portas intelligentiæ Illarum nomina vide apud Reuchlinum. *Septuaginta duum præſidum* nomina ſumuntur ex *Exod.* 14. v. 19. 20. 21. hoc modo. *Verſus* 19. ſcribitur ordine recto: 20. retrogrado: 21. recto. Hinc oriuntur LXXII. nomina; quæ cùm per ſe nihil ſignificent, Kabbaliſtæ duas vias inuenerunt, quarum altera per Gematriam ſubſtituit vocabula σημαντικά; altera terminationem barbarā tollit. Sic v. g. primum nomen והו in Arithmeticâ facit 17. Oportet itaque quærere nomen, quod eundem numerum exprimat. De reliquis idem eſt iudicium. Sed quia hoc eſt operoſius, nominibus iſtis alterurum ex nominibus Dei additur יָה, aut אֵל. e. g Vehuiah, Ieliel, Situel &c. Porrò quia hæc angelorum nomina nos manuducunt ad nomen יהוה, tanquam ad fontē & menſurā ſui, Kabbaliſtæ LXXII verſus ex libro pſalmorum adhibent quorū vnuſquiſq; nomen tetragrammatum cum nomine angeli exhibet. Sic *Pſal.* 3.4.

3. 0. 2. 1.

וְאַתָּה יְהוָה מָגֵן בַּעֲדִי כְּבוֹדִי וּמֵרִים רֹאשִׁי:

circellus notat nomen tetragrammaton: numeri, nomen primi angeli. Vide *Reuchlinum de arte Kabbaliſticâ, & Sperberum in finè Precationum Kabbaliſticarum.*

VII. *Vſus Kabbalæ eſt in theologiâ theoreticâ & practicâ: abuſus eſt in magiâ necromanticâ.* Vſus & abuſus Kabbalæ.

In theologiâ theoreticâ Kabbaliſtæ ſuppeditant pręclara teſtimonia de SS. Trinitate, de Meſſiâ θεανθρώπῳ &c. quorum vſus eſt in diſputationibus aduerſus Iudæos. *In theologiâ practicâ* plurimùm facit ad nominis diuini ſanctificationem, & hominis interioris perfectionem, &, vt loqui amant, deificationem, ſi nomina Dei nobis ob oculos ponamus. *Abuſus* cernitur in ligaturis & characteribus, quibus vtuntur Iudæi. Ligaturas conficiunt duobus modis. Aut enim abbreuiaturas kabbaliſticas, aut integros verſus Biblicos ſcribunt in membranâ virgineâ, ſibique & aliis perſuadent, harum ligaturarum beneficio ſe nihil non in precibus ſuis ad Deum impetrare, & mira patrare. Deinde characteres varios formant, iiſque nomina Kabbaliſtica inſcribunt quibus eandem cū ligaturis efficaciam adſcribunt.



SECTIO V.

In quâ delineatur

ALCHYMIA

PRÆCEPTA.

ALCHYMIA, seu Chemia, est ars bene præparandi medicinam purissimam, ad perficiendum corpora hominis & metallorum imperfectorum. *Dicitur etiam* Chymia, Chemia, Spagirica, & Ysopaica.

Estque communis, vel propria.

Alchymia communis præcipit de fine, instrumentis, & operatione in genere.

Finis est, perficere medicinam, vt illa perficiat corpora hominis & metallorum imperfectorum.

Instrumenta communia sunt furnus, vas, & ignis.

Operatio communis est solutio & coagulatio.

Alchymia propria est de medicinâ particulari, vel vniuersali.

In medicinâ particulari consideratur apparatus instrumentorum, præparatio, & diuisio in medicinam metallicam, & humanam.

In medicinâ vniuersali consideratur materia catholica, præparatio, multiplicatio, & vsus.

REGVLÆ.

I. *Chymia vera est vna è quatuor columnis sublimioris scientiæ.*

Chymia quæ sit ars. *Theodorus Zuuingerus volum. 20. theatri lib. 3.* de Chymiâ sic differit: Chymistas eos voco, qui vi ignis corpora heterogenea soluere, homogenea coagulare norunt, philosophiæ naturalis in mediam hominum vitam deducti non vnius generis coloni. Quemadmodum enim Vulcanus tripodas diuinos sponte sua mobiles diis apud Homerum, Ioui item fulmen, Apollini & Cupidini arcum & sagittas fabricatur, sed & diis ipsis pocula miscet ex ipsius certe Iouis cerebro Mineruam sapientiæ deam securis obstetricatione elicit: hominibus insuper Pandoram illam venustissimam simul & perniciosissimam supellectilem iussu cōfecit: sic quoque per omnes humanas actiones Vulcania ars, quæ igneo beneficio naturalem actionem æmulatur, in quibusdam etiam superat, longè lateque diffunditur. Quæ vt respectu subiecti in lapidariam, metallicam, vegetabilem, & animalem diuidi queat: respectu finis, cuius causâ suscipitur, & metallariorum, & aurifabrorum, & vitriariorū inprimis verò medicorum, non honoraria tantū, sed etiam vicaria pedisequa esse videatur, eoque nomine ad alias atq; alias mechanicorum opificum classes referri possit atque debeat: at hic tamen instrumenti ipsius, ignis videl. respectu, inter Ignarias artes meritò collocabitur propter mechanicam ipsam tractationem: quæ alioqui, si theoriam spectes, non modò inter theoricas, verùm etiam acroamaticas & epopticas referri mereatur, philosophiæ naturalis occultæ magistra simul & discipula, maiestatem suam venerando admirationis arcanorum silentio tueri solita: vt qui hanc, præterquam in iis, quorum euulgatio plus commodi quam incommodi mortalibus adfert, profanare instituunt, sacrilegij nomine [illegible] queant. Hanc ἀπὸ τῶν χυμῶν Chymiam [illegible] appellarunt, seu recentiores: Suidas & Cedrenus χημείαν [illegible]. At [illegible] Plutarchus in Osiride, Ægyptum [illegible] lingua sacerdotibus Chemiā vocari scribat, [illegible] tam in se ab Hermete Trismegisto [illegible] Ægyptus familiarem, ad perpetuam [illegible] Chemiæ quasi Ægyptiæ nomen traxisse, [illegible] postea Arabes ab Ægyptiis susceptam ex[illegible] philosophiâ Germanicâ sensim Eu[illegible] articulo, linguæ suæ familiari, [illegible] Alchemiam appellantes. Theophrastus Paracelsus, [illegible] hoc genere ad miraculum vsque excellens, Spagiricam artem nuncupauit, non inepta fortassis [illegible] ἐν τῷ σπᾶν καὶ ἀγείρειν, in extrahendo, siue separando, & congregando siue coagulando, tota occupatur. Et cùm alij nimio studio solam philosophiæ appellatione dignandam censeant, adeoq; superbo titulo sese eximiè philosophos vocari velint: alij econtrà inconsulto sectæ studio arcanis naturæ scrutatoribus [illegible] inter lixas & cinifiones & carbonaricos locum concedant, quid de eâ *Gul. Aragosius*, in omni philosophiæ & medicinæ genere versatissimus, tanquam Plato futurus instar omniū, statuat, audiamus. Mechanicus propriè dicitur opifex eorum [illegible], quæ manu & ingenio simul fiunt. Nam in omni arte mechanicæ opere, motus principium ab artificis ingenio [illegible]. Manus verò super materiam motum continuans formā è potentiâ in actum (ingenio semper duce) elicit: ac sola per se, instrumento conuenienti adiuta, opus ipsum perficit. In quo opere artifex non considerat causas, sed habet vsum exercitatum pro notione causarum, Atque is absolutè Mechanicus appellatur. Chymicus verò bifariam consideratur. Est enim vna pars Chymiæ naturalis, altera verò supernaturalis. Ea quę naturalis est, habet motus principiū a naturâ, & ideo est essētialis in natura. Artificis vero manus naturalis non est, nec per se, sed per accidens naturam iuuat: materiam ita disponens, vt opus ipsum natura citiùs, faciliùs, ac perfectiùs ad finem deducat. Quod quidem opus, vltra limites naturæ, quæ est rei perfectio, deduci & extendi non potest. Vnde patet, quòd hæc pars Chymiæ est naturalis, & per se, seu quâ parte iuuatur ab artificis manu, est per accidens mechanica: ex parte verò ingenij ratiocinantis est physica. Ergo non mechanica. Iam quoad ad alteram Chymiæ partem, quæ supernaturalis est, habet illa motus principiū a cœlo, in materiâ tamen physicâ & naturali prædictâ, grauidâ facta a virtute cœlesti: quam essentiam quintam appellant. Hanc materiam dum artifex physicus recte & ordine suo ingenio & manu disponit, cœlestis hæc virtus eam in suam naturam conuertit: eique talem vim præbet, vt reliqua quæ sunt sui generis aut speciei in suam naturam transmutet. Hæc igitur quatenus cœlestis est ex parte agente, & ex materiâ in cœlū mutatâ, est supernaturalis & metaphysica: quâ verò parte physici artificis ingenium operatur per causas notas, est naturalis. Manus autem operatio, quæ a motu supra naturam sumitur, diuina potiùs quam humana, artis mechanicę vmbram solūmodo ostēdit. Ex prædictis patet, in quo genere vulgares Chymistæ collocari debeant. Nam dum principia & causas notas non habeant, nec ex certâ arte in rebus præparandis vsum, sed per emendicata suffragia opinionum, ignium, & instrumentorum, tempus & carbones absumunt: tantum abest vt Chymistæ physici aut metaphysici dici possint, vt ne mechanici quidē nomen facilè mereantur. Qui verò in oleis, & reliquis partibus simplicium extrahendis ingenio & manu ita exercitati sunt, vt ex rerum præparandarū vsu artem recte teneant, ij reuerà sunt mechanici, dum manu & ingenio simul operantur. Dum autem medicam artem exercent, Empiricorū nomen habent. Qui verò talia ad causas & principia naturalia reducere conantur, ex ingenio quidem in natura ratiocinante, physici per se, ex manus verò operatione, mechanici per accidens propriè dici debent. *Hactenus ille.* Quibus vt nos quoq; calculum nostrum addamus, quod ille de parietaminas Plautus affirmauit, In vnâ esse vnū domuū seruum domo, id nos de arte istâ pronūtiare possumus, In vna esse vna seruum Chemiam domo. Nam præter id quod metallariis, fabris omnis generis, fullonibus, coquis, & medicis potissimum inseruit, siue subjecti, siue finis respectu consideretur, Catholica quædā censeri poterit. Etenim quoad subiectum, circa elementa occupatur: ignē vegetando, aquam eliciendo: lapides conflando, vniones gemmas ad naturæ imitationem effingendo: metalla depurando, segregando, perficiendo: stirpes producendo, transformando: animalia generando, fœcundando medendo. Quoad finem verò, siquidem rem ipsam effectam spectes, sic vinum, salem, saponem, succum pinguem, glutinosum, liquidum gelidum, ignem, aërem producit: sin vsum, sic ϛετ κλ est & [illegible] πσδ. κλ, cùm vel alimentum, vel medicamentum, quò subtilius, eò efficacius, tam inanimatis quam animatis corporibus suggerere & accommodare studeat. *Hæc Zuuingerus d.l.* vbi plurimis testimoniis & exemplis probat Chymiæ veritatem. Sed iam propiùs accedamus ad canonis nostri explicationem. Quatuor sunt columnæ sublimioris & subtilioris scientiæ, apud eos qui supra vulgus sapiunt: videl. Theologia, Magia naturalis seu philosophica, Kabbala Christiana, & denique vera Alchymia. Prima [illegible] Dei per fidem in Iesum Christum: secunda explicat secreta naturæ, quæ Deus creator in ea deposuit: tertia nos præparat ad vitæ sanctimoniam: quarta [illegible] præseruat ægrum sanitati restituit, [illegible] subleuat, naturæ abdita eruit, nulli iniuriam facit, omnibus prodest, denique id procurat, vt anima in corpore [illegible] sit expedita ad feliciter obeundū sua munia. Hæc autem talia non præstat Chymia carbonaria, quæ nil nisi processus, quos vocant, carbonibus subiicit: sed Chymia dogmatica, seu rationalis, quæ cum igne naturæ ita coniungit ignem externum, vt resultet medicina purissima,

II. *Chymia*

emiæ vulgaris delinea- ti

II. *Chymia vulgaris absoluitur tribus partibus: videl. apparatu instrumentorum, operatione, & opere seu apotelesmate chymico.*

Chymia est vulgaris, vel sublimior. Vtrique communia sunt ista tria, quæ in præceptis diximus: puta finis generalis, instrumenta communia, furnus nempe, vas, & ignis; & denique operatio communis, id est, solutio & coagulatio. Sed Chymia vulgaris, siue sit Chymiatria, siue Chrysopoëtica, differt à sublimiore, partim apparatu instrumentorum, partim varietate operationis, partim denique multitudine medicinarum & tincturarum particularium. Nam quia Chymia vulgaris agit de medicinâ particulari, necesse est, vt varietas magna sit in instrumentis, operationibus, & effectis seu medicinis. Alia est ratio medicinæ vniuersalis. Ibi enim est vna materia, vnum vas, vna præparatio, puta coctio. Sed paucis delineemus Chymiam vulgarem, eâ methodo, quam diximus. Itaque *instrumenta Chymica* sunt topica, vel manuaria, vel alterantia. *Instrumenta topica* sunt furnus, & vas. *Furnus* est locus, in quo ignis ad materiam chymicè tractandam dextrè & conuenienter accommodatur. Estque apertus, vel tectus. *Furnus apertus* est, cuius pars superior est aperta. Estque probatorius, vel ventosus. *Furnus probatorius*, siue docimasticus est, in quo metalla perfectiora fulminantur, id est, purgantur & examinantur. *Furnus ventosus*, seu anemia, est, in quo, beneficio venti ignis vim augentis, mineralia liquantur & funduntur. *Furnus tectus* est, cuius superficies operta est. Estque simplex, vel compositus. *Furnus simplex* est, qui alterius adminiculo non constat. Estque calcinatorius, vel dissolutorius. *Furnus calcinatorius* est, qui rebus calcinandis inseruit. Estque cæmentatorius, vel reuerberatorius. *Furnus cæmentatorius* est, in quo ignis ad res cæmentandas dextrè accommodatur. *Furnus reuerberatorius* est, in quo imposita materia à flammâ reuerberante calcinatur. *Furnus simplex dissolutorius* est, cuius ope, subtile à crasso traiiciendo, res dissoluuntur. Estque ascensorius, aut descensorius. *Furnus ascēsorius* est, quando ascendendo dissoluimus. Estque siccus, vel humidus. *Furnus siccus* est, vbi vas materiam continens nulli aquæ imponitur. Estque vesicæ, vel catini. *Furnus vesicæ* est, qui rei in vesicâ dissoluendæ inseruit. *Furnus catini* est, quo res dissoluimus catini adminiculo. *Furnus humidus*, seu balnei, est, vbi in aheno, calidam continente, dissoluimus. *Furnus descensorius*, est, cuius adminiculo rem dissoluimus, humorem deorsum propellendo. *Furnus compositus* est, vbi vno igne plures furni fouentur. Estque athanor, vel acediæ furnus. *Athanor*, qui est philosophicus, & arcanus dicitur, est furnus compositus, vbi ignis ad vas non pertingit. *Furnus acediæ*, seu incuriæ, est, vbi vno igne, & paruo labore, diuersi furni fouentur. Talis est furnus: sequitur *Vas*, quod rem chymicè tractandam proximè continet. Vasorum aliud igni admouetur, aliud non item. Vas igni admouendum fit ex materiâ statâ, vel variâ. Vas quod fit ex materiâ statâ, est vitreum, vel minerale. Vas vitreum est *phiala*, vel vas circulatorium; & hoc est *pelecanus*, à figurâ nomen habens; vel *dyota*, à duabus auribus, seu ansis, ita dicta; vel *ouum philosophicum*. Vas minerale est metallicum, vel terreum. Vas metallicum inseruit subtiliationi, vt *ahenum & vesica*: vel fusioni, vt *infundibulum & pyramis*. Vas terreum aliud capit materiam, vti est *catillus cinereus, crucibulum, & pyxis cæmentatoria*: aliud capit vasa quædam, vt *catinus arenarius, tegula fornicata, & tripes ferreus*. Vas, quod fit ex materiâ variâ, pro arbitrio nempe artificis, est superius, vt *alembicus siue capitellum*: vel inferius, vt *cucurbita & retorta*. Vas, quod igni non admouetur, est continens, vt *receptaculum & concha*: vel transmittens, vt *tritorium & separatorium*. *Instrumenta manuaria* alia igni admouentur, vt *craticula, baculus ferreus, spatula, forfex, rutabulum seu vncus, cochleare, & circulus*: alia igni non admouentur, vt *asserculus perforatus, tabula ferrea, & mortariolum*. Horum descriptionem & delineationem vide apud *Iohan. Rhenanum in theorematis Chymico technicis*. Sequuntur *instrumenta alterantia*, quæ rem tractandam accelerant & fouent: vti sunt calor naturalis & artificialis. *Calor naturalis* est cœlestis, vel subterraneus. *Calor cœlestis* est, quando radij solares vel per se materiam sibi applicatam excoquunt, vel in speculo concauo collecti rei applicantur. *Calor subterrestris* est, qui in foueâ idoneâ, sub dio vel in cellâ factâ, materiam impositam alterat. *Calor artificialis* est simplex, vel mixtus. *Calor simplex* est, qui vni duntaxat operationi inseruit. Estque digerens, vel separans. *Calor digerens* est, quo materia dissoluenda digeritur: id quod fit in athanore, vel fimo. *Calor separans* est, cuius ope subtile à spisso abstrahitur. Estque lenis, aut fortis. *Calor lenis* est vesicæ, vel cinerum: & hic, cinerum nempe calor, est medius inter balnei & arenæ calorem. *Fortis calor* est impeditus, aut liber. *Calor impeditus* est, quando ignis à materiâ vel vase, ne illud proximè tangat, ab alio vase impeditur. Estque arenæ, vel scobis ferri. *Calor arenæ* est medius inter calorem cinerum & scobis ferri. *Calor scobis, aut scoriæ, ferri*, præcedente est intensior, & aperto vicinior. *Calor liber* est, qui proximè materiam, aut vas materiam continens tangit. Estque *carbonum, vel flammæ*, & hic posterior dicitur ignis viuus. *Calor mixtus* est, qui tam digestioni quam separationi inseruit. Hic calor appellatur balneum, quando nimirum vas aquæ calidæ, aut vapori imponitur. *Balneum* aliud est maris, aliud roris. *Balneum maris, seu Mariæ*, est, quando res dissoluenda in conueniente vase, aquæ calidæ in aheno contentæ, imponitur. *Balneum roris* est, quando vas aquam non tangit, sed à vapore ascendente calefit, resque imposita dissoluitur. Sequitur *operatio chymica*, cuius duo summa sunt genera, solutio & coagulatio. Vtriúsque methodum delineauimus suprà in Pharmacopoëticâ. *Iohan. Rhenanus d. l.* sic disponit. *Solutio* est calcinatio, vel dissolutio. *Calcinatio* est corrosionis, aut ignitionis. *Corrosio* est calcinatio, res coagulatas, per spiritus corrodentes, in calcem reducens. Estque vaporosa, vel immersiua. *Corrosio vaporosa* est, quando corpora metallica in tenues laminas redacta, per acrem corrodentémque fumum calcinantur. *Corrosio immersiua* est, quando corpora aliis rebus immersa in calcem rediguntur. Estque humida, vel sicca. Humida est, quando corpus liquori alicui corrodenti immergitur, indéque calcinatur. Ea perficitur amalgamatione, & præcipitatione. *Amalgamatio* est calcinatio metalli per argentum viuum. *Præcipitatio* est, quando corpora per aquas corrodentes corrosa, & in aquam soluta, vel aquæ corrodentis abstractione, vel alio encheiremate in aliquam calcem repercutiuntur. *Corrosio sicca* est, quando corporibus calcinandis non humor, sed eius in locum corrodentes materiæ siccæ adiunguntur, quibus calcinantur. Estque cæmentum & commixtio. *Cæmentum* est corrosio sicca, quâ corpus aliquod metallicum cum salibus corrodentibus aliísque rebus exsiccantibus stratificatum confringitur & calcinatur. *Commixtio* est, quando corpori calcinando species quædam, vtpote sulphur, salpetræ, sal commune, vel aliæ commiscentur atque conteruntur, quibus igni admotis corpus in calcem redigitur. *Ignitio* est calcinatio, corpora in calcem redigens ignis violentiâ. Estque combustio & reuerberatio. Combustio est incineratio, vel vitrificatio. *Incineratio* est ignitio, corpora vehementiore igne in cineres conuertens. Estque vegetabilium & animalium. *Vitrificatio* est combustio, calces & cineres conuertens in vitrum transparens. *Reuerberatio* est ignitio, corpora in calcem subtiliorem reducens igne viuo reuerberante. Estque clausa, vel aperta. *Reuerberatio clausa* est, quando corpora reuerberanda in furno reuerberij clauso calcinantur. *Reuerberatio aperta* est, quando materia in furno reuerberatorio, omnibus foraminibus apertis calcinatur. *Dissolutio* sequitur: eaque subtiliatio, vel fusio. *Subtiliatio* est dissolutio, partes subtiliores à grossis separans. Estque μικροχρονική, aut μακροχρονική. Subtiliatio μικροχρονική fit breui temporis spatio. Estque eleuatio, vel descensio. *Eleuatio* est, quando partes spirituales à corporeis, subtiles à grossis, non-fixæ à fixis, instar fumi, vi ignis eleuantur, & in summitate capelli condensantur. Estque sicca, vel humida. Eleuatio sicca dicitur *sublimatio*, quâ partes siccæ subtiliores eleuantur, cum adhærentiâ sui vasis. Eleuatio humida dicitur *destillatio*, quæ est partium humidarum in halitus extenuatarum, à siccis & grossis separatio. Estque recta, vel obliqua: atque hæc posterior fit per latus, vel per retortam. *Descensio* est, quando partes subtiliores descendunt. Estque calida, vel frigida. *Descensio calida* (vulgò destillatio per descensum) est liquoris è corporibus dissolutis, inuerso vase, destillatio. *Descensio frigida* est, quando liquor dissolutus in frigido descendit. Estque deliquium, vel filtratio. *Deliquium* est descensio frigida, quando corpora coagulata cellæ, aëri, puteo, aut alij loco frigido & humido, super marmore aut tabulâ vitreâ, vel in manicâ Hippocratis, exposita, in liquorem resoluuntur, & in subiectum vas defluunt atque destillant. *Filtratio* est descensio frigida, humores aquosos per filtrum, chartam bibulam, pannum laneum, lineum, vel setaceum, aut manicam Hippocratis, relictis in fundo fæcibus, dimittens. Subtiliatio μακροχρονική est, quæ tempore longiore res dissoluit. Estque exaltatio, & digestio. *Exaltatio* est, quæ res sensim dissoluendo, in puriorem ac maiorem virtutis suæ gradum transponit. Fit autem circulatione, vel ablutione. *Circulatio* perficitur vase circulatorio: *ablutio*, crebrâ infusione. Et autem ablutio alia imbibitio, alia cohobatio. *Imbibitio* est ablutio, quando liquor corpori adiunctus eleuatur, & exitum non inueniens in corpus recidit, idque crebris humectationibus tantisper abluit, donec cum illo puro coagulatus, ampliùs ascendere nequit, sed totus fixus manet. Hæc planè philosophica est operatio. Hinc oritur *Ceratio*, quæ medicinam philosophicam, instar ceræ igni admotæ liquescentem reddit. *Cohobatio* est liquoris corpori sæpiùs affusi frequens abstractio. *Digestio* est subtiliatio μακροχρονική, res crudas in calore digestiuo soluens. Estque putrefactio, vel extractio. *Putrefactio* est digestio, substantiam rei, ex vaporum retentione, calidique externi accessione, ad rem præstantiorem generandam, dissoluens. *Extractio* est digestio, è corporeâ concretione, partes subtiliores ac puriores, ab affuso aliquo menstruo apprehensas, relictis fæcibus dissoluens. *Liquefactio* est corporis mineralis, vi ignis maioris dissolutio. Estque simplex, vel probatoria. *Liquefactio simplex* est, quando corpus,

corpus nullum alium in finem, quàm vt fundatur, liquefit. *Liquefactio probatoria* eſt, quando corpus liquatum probatur, imperfectúmque à perfecto ſeparatur: idque per cineritium, aut per antimonium. *Probatio pro cineritium* eſt, quando metallum per plumbum fulminatur & probatur. *Probatio, ſeu fuſio, per antimonium* eſt, quâ verum aurum non modò è metallis imperfectis, ſed etiam ab ipſo argento ſeparatur. Hactenus ſolutio fuit: ſequitur *coagulatio*, quæ eſt frigida, vel calida. *Coagulatio frigida* eſt, quando res in calido reſolutæ, in frigido coagulantur. *Coagulatio calida* eſt, quando calore conueniente, res diſſolutæ, coagulantur. Ad coagulationem refertur fermentatio, & fixatio. *Fermentatio* eſt fermenti cum re fermentandâ incorporatio. *Fixatio* eſt rei, ignem fugientis, vt eum ampliùs non fugiat, ſed in eo permaneat, per ignem aſſuefactio; ſiue ea fiat per calcinationem, ſiue per decoctionem lentam & diuturnam, ſiue per crebram ſublimationem, ſiue per crebrò reiteratam ſolutionem & coagulationem, ſiue tandem per rei fixæ additionem perficiatur. Atque hæ ſunt omnes operationes chymicæ, vulgo vſitatæ. Superſunt *opera chymica*, quæ ex huiuſmodi operationibus reſultant. Ea diuiduntur in duas claſſes: videl. in medicinas propriè dictas, & tincturas metallicas. De medicinis vide ſuprà in Pharmacopoëticâ: de tincturis metallicis hæc eſto regula generalis, *Nulla eſt tinctura particularis, niſi fluat inſtar ceræ*. Si quis enim velit corpus aliquod tingere, neceſſum eſt, vt habeat medicinam fluentem, quæ ſubitò, ante fugam eius, in profundo illi adhæreat, ipſique per minima coniungatur, & illud inſpiſſet, atque ſuâ fixione in igni conſeruet, quouſque adueniat illi maioris ignis tolerantia, eius humiditatem conſumentis, & conuertat illud in momento in ſolem vel lunam. Fit autem ceratio, quando corpus ſiccum & durum, ſuo humore, iteratâ frequenti imbibitione, perfunditur. Signum perfectæ cerationis apud *Arnoldum in 1. magni Roſarij cap. 27.* eſt, quando medicina ſuper ignitam laminam proiecta, velociſſimè, ſicut cera, ſine fumo, ſe reſoluit. Hæc igitur eſt vulgaris Chymiæ delineatio, quæ ſanè operoſa eſt & ſumtuoſa, priſcis ignota, multis ſophiſticationibus contaminata, pauciſque experimentis nobilitata. Huic itaque meritò præfertur Chymia ſublimior, quæ occupatur circa medicinam vniuerſalem. Ea enim eſt eius modi ars, quæ ſex vel ſeptem lineis poteſt doceri, & abſque magno ſumtu exerceri; de quâ veri philoſophi ſcribunt: *Vna materia, vnum vas, vnum regimen, vna operatio.* De hâc igitur arte in medium adferamus, quæ veritati conſentanea eſſe perſuaſiſſimum habemus.

An detur medicina vniuerſalis?

III. *Dari medicinam vniuerſalem probat conſenſus infinitorum philoſophorum, & recta ratio conuincit.*

Ad conſenſum quod attinet, ille non eſt vnius aut alterius vrbis, ſed totius ferè orbis. Extant enim ſcripta Arabum, Græcorum, Latinorum: extant ſcripta virorum doctorum, piorum, omni exceptione maiorum: extant teſtimonia illorum, qui habuerunt, vel viderunt, vel à fide dignis audiuerunt. Profectò ſi quis fidem his tot, talibus, & tantis, quâ ſcriptis, quâ teſtimoniis, deroget, ille pari ratione inficiari queat omnia, quæ pendent à fide hiſtoricâ, quam vocant. Sed rationem audiamus. Omnia particularia reducuntur ad vnum aliquod vniuerſale. Cùm itaque dentur tot medicinæ particulares, oportet vt illæ reuocentur ad vnam aliquam, in quâ conueniant. Illa verò nihil eſt aliud, quàm ſpiritus mundi, qui dum irrepit in lactucæ principia, fit lactuca; dum in roſam, fit roſa; dum in ſal, ſulphur, aurum, arborem, animal, fit ſal, ſulphur, &c. Hic ſpiritus in ſeipſo, & ab omnibus indiuiduis ſeparatus, nec ignis eſt, nec aër, nec aqua, nec terra, nec aliquid ex elementis compoſitum, ſed eſt quinta quædam eſſentia. Hic ſpiritus diſpergitur per totum mundum, & vi magneticâ attrahitur, & coagulatur ab omnibus corporibus, ab aliis quidem particulariter, vt ab auro, ſulphure, arbore, beſtiâ &c. ab vnâ autem re, id eſt, à matre noſtrâ catholicâ, catholicè. Sanè tota vis corporum eſt in ſpiritibus. Itaque corporis catholici vis erit in ſpiritu catholico. Hunc igitur ſpiritum coagulatum ſi reſolueris, reſolutum ſublimaueris, ac in eo aquâ igneâ aurum viuum reſolueris, decoxeris, medicinam vniuerſalem perficies: vt ſunt verba *Petri de Vege* in libello, qui inſcribitur *Pax methodicorum cum Spagiricis.*

Materia medicinæ vniuerſalis, & eius præparatio.

IV. *Medicina vniuerſalis eſt quatuor elementorum, ſeu primordiorum mundi, quinta eſſentia, quam veteres ſempiternam* οὐσίαν, *nuncuparunt:* ſeu, *Eſt ipſa elementa, quintum aliquod homogeneum & inſeparabile facta.*

Paucis hiſce verbis ſubiectum materiæ catholicæ, illiuſque præparatio indicatur. Videamus de vtroque. Qui materiam medicinæ vniuerſalis inueſtigare volet, duobus hiſce compendiis vti debet. Aut enim legere debet veros philoſophos, & obſeruare harmoniam, id eſt, quibus in locis illi conſentiant: aut omnia corpora totius mundi percurret, accuratoque examine inſtituto diſpiciet, in quo corpore ſpiritus mundi habitet vniuerſaliter. Sic itaque procedet. Spiritus mundi extrahitur ex corporibus aut cœleſtibus, aut ſubcœleſtibus. Ex cœleſtibus non poteſt: quia illa ſe non habent paſſiuè, ideóque a nobis præparari non poſſunt. Sanè ſpiritus hic in ſole eſt vniuerſaliter: quia ſol eſt centrum, menſura, & regula ſtellarum. Sed radij ſolis non poſſunt à nobis capi, & ita præparari, vt requirit conditio medicinæ vniuerſalis. Ergo ſpiritus ille quærendus eſt in corporibus ſubcœleſtibus: ac proinde in elementis, vel in elementatis. Et rurſum, ſi in elementis, aut in meteoris, aut in mineralibus, aut in vegetabilibus, aut denique in animalibus. Non in animalibus & vegetabilibus: quia hæc, iudicio omnium rectè ſentientium, nimis ſunt remota ab vniuerſalitate, quam quærimus. Sed nec in mineralibus: quia licet ſint magis vniuerſalia, quàm vegetabilia & animalia, non tamen ſpiritum illum catholicum, quem nos quærimus, continent vniuerſaliter. Itaque relinquuntur meteora & elementa. Meteora quidem; quia quædam ex illis ſunt valde affinia elementis, inprimis aqua pluuia, ros, & aqua illa fulminea, quæ metalla in momento reſoluit in aquam. Elementa verò; quia ſunt corpora verè vniuerſalia. Sed adſcribamus hâc de re tres ſententias virorum excellentiſſimorum & experientiſſimorum. *Prima eſt Iohannis Volſgangi Dienheim in tractatu de medicinâ vniuerſali.* Si quis (*inquit cap.* 3.) conditiones eas, quas vniuerſalis medicinæ materies, iuxta philoſophorum axiomata habere creditur, apud ſe accuratè perpenderit, ille infallibilibus argumentis eam nihil aliud eſſe, neque eſſe poſſe, quàm elementa, concludet. *Et paulò pòſt.* Materiam & lapidis & medicinæ catholicæ philoſophi aiunt debere eſſe informem, chaoticam, indefinitam, omnium formarum capabilem, hoc eſt, diſpoſitam, vti ex illâ æquè bene animal quàm planta, minerale aliquod imperfectum, quàm metallum generetur. Oportet illi conueniat nomen Adam, vt conſtet ex quatuor partibus, quæ vnum quid æternum ſui totius reſpectu poſſint appellari: quarum duæ viſibiles, aliæ duæ noſtros ſenſus ſuâ effugiant ſubtilitate; duæ agant, duæ itidem patiantur. Oportet vt inueniri poſſit ſemper, vbique, & ab omnibus: vti tam ſit humanæ vitæ neceſſaria, quàm cibus potúſue, imò multò magis: vti pars eius ſolidior incombuſtibilis ſit, liquida verò ab igne fugiat, & reliquorum volatilium more in fumum reſoluatur: quarum vna oriatur ex alterâ, & in eandem reciprocè deſinat ac commutetur. Vti nota denique illa Hermeticæ tabulæ archidoxa in illâ perfectiſſimè compleantur. Sed cui, obſecro, rerum creatarum omnium, præterquam ſolis elementis, illa conueniunt: *Idem cap.* 4. ait: Mercurius Hermetis omniúmque philoſophorum aqua eſt, eáque cœleſtis, ſiue pluuia. *Cap.* 14. ait: Inter ea omnia, quæ ſub Lunâ ſunt, aurum tantummodò, argentum, & tertium aliud anonymum inueniuntur, quæ ignis violentiam intacta effugere valent ac ſuperare. Tertium iſtud mox nominat, cùm ait, terram puram ſuapte naturâ eſſe incorruptibilem. De præparatione huius materiæ ſic diſſerit *cap.* 15. Ignis, quo ad hanc medicinam opus eſt, non eſt alius quàm aër calidus, qui vaporariis illis fornacibus in hypocauſtis noſtris excitatur: qui multo igne intenſus, paruo remiſſus, nullo etiam nullus euadit: adiecto ligno augetur, ſubtracto minuitur: apertâ tantùm feneſtra, vel oſtiolo, refrigeratur. quæ hic, obſecro, impoſſibilitas? quæ omninò difficultas eſt? Author etiam eſt Dienheim, ☉ eſſe hieroglyphicum terræ, quæ tanquam centrum ambiatur à cœlo, eiuſque naturam vniuerſam in ſe recipiat. *Secunda ſententia eſt Cornelij Drebbelij in tractatu de elementis*: vbi ſic ait. Peruoluere cœpi elementa, quæ mihi quaſi digito monſtrabant tellûris naturam; cuius ſpiritum cryſtallinum, in modum alicuius nebulæ, contemplabar, animam verò tinctam quaſi ſanguine, corpus denique eiuſdem ſtabile atque indomitum inſtar cryſtalli. Hîc cernere erat ſpiritum militantem aduerſus corpus; quod cùm tandem ſuperaſſet, ex ambobus factum fuit vnum. *Et mox*: Reperimus in terra, terræque creaturis reliquis, plenè ac perfectè quatuor elementaria corpora, quorum ope opus noſtrum perficere cogimur. Ignis, aër, aqua, famuli ſunt terræ. Ignis in aërem agit: hic in aquam: hæc in terram. *Et infrà*: Sitiens terra beneficio roris inebriatur, ínque eo quaſi putreſcens liqueſcit: tum porrò duo hæc coniuncta totam plantæ ſubſtantiam peruadunt. Atque hæc eſt vna alimonia omnium è terra naſcentium, omniúmque viuentium corporum. Hæc cauſa, quòd omnia poſt putrefactionem ad terram reuertuntur, experimento quidem indubio, ſed quod vix milleſimus quiſque vel intelligit, vel rectè perpendit. Si hæc ſua bona noſſent Hermetici noſtri, non tam anxio conatu, tantaque ſolicitudine quærerent primam operis ſui materiam. *Et iterum*: Ignis nihil eſt aliud, quàm ſubtilis aër: aër eſt ſubtilis aqua: aqua eſt ſubtilis terra, terra, craſſus ignis. Enimuerò terra, ſeu vi ignis, ſeu naturæ ingenita efficacia, reſoluta, tranſmutatur in aquam, fitque ſal, & quædam terræ virtus. cuius rei perfectum argumentum præbet calcinatio. Sal ipſum, igni diſſolutum, mutatur in aquam: veluti videre eſt ex deſtillatione aquarum fortium. Aqua porrò, vi ignis ſoluta, fit aër, aër fit ignis. Hoc pacto craſſa obſcuráque terra conuertitur in ſubtiliſſimum,

pelluci

pellucidiſſimum, ſplendidiſſimum ignem. Hæc Drebbelius. Cuius ſententiam confirmat Hippocrates, qui in epiſtolâ quâdam ait, ſe apud Crateuam herbarium vidiſſe *τὸ ἱερώτατον τῆς γῆς ἵδρυμα, ἐξ ἧς ζῶα, καὶ φυτά, καὶ τροφαί, καὶ φάρμακα, καὶ τύχη, καὶ ὁ πλοῦτος αὐτὸς ἀναφύεται. Tertia ſententia eſt I.C. philoſophi incomparabilis, amici noſtri ſummi.* Iubet ille quærere ſpiritum mundi in aquâ illâ igneâ, quæ decidit tempore tonitrui. Iſta enim eſt totius fortitudinis fortitudo fortis, vt ait Hermes. Pertinet huc illud poëtæ:

At Deus omnipotens tonitru cùm flabile ſpargit.
Dulce per os, profert monumenta ſequacia rerum.
Hinc ipſum nihilum, vocem rumpente Iehouâ,
Arrigit attentas, quas nondum poſſidet aures.

Haberem plura, eaque non vulgaria, quæ totum hoc artificium ſpargiricum illuſtrarent. Sed boui fœnum, pſittaco ſaccarum.

ta dicinæ erſa.

V. *Effecta medicinæ vniuerſalis ſunt vniuerſalia.*

Agit enim hæc medicina in metalla imperfecta: agit in vegetabilia: agit in animalia, nominatim in hominem, cuius corpus reducit ad harmoniam perfectam, & hâc quoque ratione animam ad ſua munia reddit expeditam. Inter alia etiam ipſius effecta eſt lumen perpetuum, de quo audiamus *Hermolaū Barbarum in corollario ſuper Diſcoridem.* Eſt & cœleſtis, *inquit*, aqua, ſiue potiùs diuina Chemiſtarum, quam & Democritus & Mercurius Triſmegiſtus nouêre: modò diuinam aquam, modò Scythicum lapidem appellantes, modò πνεῦμα, hoc eſt, ſpiritum ex ætheris naturâ, & eſſentiâ rerum quintâ. *Et mox:* Hoc genus laticis, vt arbitror, ſignificat epigramma nuperrimè in agro Patauino, iuxta oppidulum Ateſtæ inuentum.

Plutoni ſacrum munus ne attingite fures,
Ignotum eſt vobis hoc, quod in vrna latet.
Namque elementa graui clauſit digeſta labore.
Vaſe ſub hoc modico maximus Orbilius, &c.

Sed nunc properemus ad Magnetographiam; in quâ velim diligentiſſimè perpendi, quòd terra tota ſit MAGNES.



SECTIO VI.

In quâ delineatur

MAGNETOGRAPHIA.

MAGNETOGRAPHIA (quæ & philoſophia magnetica) eſt diſciplina phyſico-mathematico-mechanica, de dimenſione, naturâ & vſu vtriuſque magnetis, parui nempe & magni; quorum ille magnes lapis, & terrella; hic, terra dicitur.

Eſtque generalis, vel ſpecialis.

Magnetographia generalis agit de dimenſione vtriuſque magnetis per circulos, æquinoctialem videl. meridianum, parallelos, horizontem; itemque per axem & polos.

Magnetographia ſpecialis explicat diſtinctè naturam & vſum magnetis primò parui, tum magni.

Magnes paruus conſideratur quantum ad cauſas, effecta, ſubiecta, adiuncta, cognata, & oppoſita.

Cauſæ ſunt hoc ordine:

Finis magnetis eſt ipſius vſus inprimis in re nauticâ & medicâ,

Efficiens eſt procreans, conſeruans, & corrumpens.

Procreans principalis eſt vigor terræ in primâ creatione inditus: adiuuans eſt influxus cœleſtis.

Conſeruans principalis eſt idem influxus: ſecundaria eſt limatura ſeu ſquama ferri, in quâ magnes aſſeruatur.

Corrumpens eſt aër. Nam attrahendi virtutem aliquam magnes amittit, & quaſi ſenio tabeſcit, ſi aëri aperto diutiùs expoſitus fuerit. Calor item validor, ſeu ignis, virtutem magneticam imminuit; ſimiliter humor.

Materia eſt terra ferri ſpiritu imprægnata.

Forma eſt vis mouendi.

Effecta magnetis ſunt partim virium ſeu facultatum exſertio, partim motiones.

Facultates magnetis exſertæ, ſunt 1. ſeipſum in Boream & Auſtrum dirigere. 2. attrahere, fugare, & in ordinem reducere alium magnetem. 3. attrahere tam venam ferri, quàm ferrum ipſum excoctum & conflatum. 4. pollere virtutibus medicinalibus.

Motiones magnetis ſunt numero quinque:

1. Coitio, ſeu attractio, magnetica; quâ magnes attrahit homogenea. Eius conſectaria eſt Incitatio ad vnitatem magneticam; quâ magnes vnit homogenea diſlocata.

2. Directio in polos telluris; quâ magnes paruus reſpicit & fertur in polos magni magnetis.

3. Variatio; quæ eſt deflexio à meridiano.

4. Declinatio; quæ eſt deſcenſus poli magnetici infra horizontem.

5. Reuolutio; quæ eſt motus magnetis in orbem.

Atque hi quinque motus proficiſcuntur à naturâ congregante, aut verticitate, aut volubilitate magnetis.

Subiecta magnetis ſunt tria. 1. quæuis prouincia. magnes enim vbique terrarum reperitur. 2. vena ferri. 3. vena propria. Nam magnes inuenitur aut in metallis ferri, aut per ſe. Hinc tot ſunt magnetum genera, quot prouinciæ.

Adiuncta magnetis ſunt naturalia, vel artificialia: vnde multiplex eſt nagnetis diuiſio.

Adiuncta naturalia ſunt. 1. natura congregans. 2. verticitas, ſeu vigor polaris, id eſt, virtus conuertens ad polos. 3. volubilitas. 4. conſiſtentia 5. varietas, quâ fit vt magnes magnetem virtute ſuperet. 6. color. 7. potentia in orbem extenſibilis. 8. qualitates tactiles: vt grauitas, leuitas, denſitas &c.

Adiuncta artificialia ſunt in politurâ, ſciſſurâ & figurâ magnetis.

Hinc itaque ſunt illæ diuiſiones atque differentiæ, quòd magnes ſit

1. validus & potens, quem appellant maſculum; vel imbecillis, languidus, & fœmininus.

2. figuræ artificioſæ, vel fortuitæ. quò pertinet figura polita, impolita, rudis, abrupta, longa, plana, quadrata, trigona, &c, quæ eſt omnium perfectiſſima, ſphærica.

3. metallicus, qui in optimum ferrum funditur; vel non-metallicus, qui vritur tantùm.

4. leuis aut grauis.

5. firmus & contumax, vel friabilis.

6. denſus & durus, vel rarus & mollis.

7. poroſus vel ſolidus.

8. armatus, id eſt, caſſide ferreâ indutus, vel non.

9. integer & vniformis, vel varius & exeſus.

10. fiſſilis, vel non.

11. ruffus, niger, in cœruleo niger, plumbei coloris, &c.

Cognata magnetis ſunt vniuoca, analogica, vel æquiuoca. Primi generis eſt ferrum & ſmiris: ſecundi, omnia ſympathica phyſica, nominatim electrica: tertij, omnia ſympathica moralia & ſupernaturalia.

Oppoſita magnetis ſunt omnia repellentia, & nominatim lapis theomedes, qui vulgò traditur à ſe repellere ferrum.

Magnus magnes eſt telluris globus, in quo ſpectatur qualitas & motus.

REGVLÆ.

REGVLÆ.

Magnes vnde nomen inuenitur.

I. *Magnes lapis est omnium terrarum indigena.*

Magnes, vel ab inuentore, vel à Magnesiâ regione Macedoniæ magnetum feraci, vel à Magnesia vrbe Asiæ minoris in Ioniâ nomen habet. Dicitur Heracleus, ab vrbe Heraclea, vel ab Hercule illo inuicto, quòd in ferrum, rerum omnium domitorem, habeat potestatem. Appellatur etiam sideritis, quasi ferreus. Est enim eiusdem vteri frater. Hic lapis in omnibus climatibus, in omni prouinciâ, in omni solo inuenitur: etsi propter profundiores sedes, & impeditos recessus minus in locis latet incognitus, aut propter vires imbecilliores & obscuras, à nobis, dum videmus & tractamus, non agnoscitur. Deinde vix pagus reperitur, qui non aut ferri feracem venam, aut terram aliquam ferrugine tinctam, vel leuiùs imbutam proferat. Atqui ferrum cum magnete habet coniunctionem maximam, & omnes virtutes magneticas obtinet. Denique terra terram haberet, nisi impuritates vim illam impedirent. Meritò itaque tot genera magnetis constituuntur, quot sunt in vniuersâ rerum naturâ, dissimilium terrarum regiones: vt ingeniosè obseruat *Gvilielmus Gilbertus in Physiologiâ nouâ de magnete magneticisque corporibus, & magno magnete tellure*: quem tractatum nuper admodum egregiè recensuit *Volfgangus Lochman*. Insignem hunc tractatum nos methodico hoc compendio repræsentabimus. Atque, vt redeamus ad solum natiuum magnetis, etsi magnetes inualidi & minùs robusti, humorum labe debilitati, in omni regione, imò in omni pago inueniuntur, etiam sine montium penetratione: tamen in quibusdam prouinciis maiori copiâ, & excellentiori virtute reperiuntur: putà in Indiâ orientali, Chinâ, Bengalâ, Persiâ, Arabiâ, maris Erythræi insulis, Æthiopiâ, Asiâ minori, Barbariâ, Hispaniâ, Italiâ, Angliâ, Hiberniâ, Daniâ, Noruegiâ, Lappiâ, Liuoniâ &c. Cæterùm recentiores docent, magnetem non esse lapidem friabilem, sed corpus metallicum, quod igne liquari, & malleo duci potest.

Geographia terrellæ & terræ.

II. *Magnes paruus & magnus, seu terrella & terra, eandem admittunt geographiam.*

Et primò quidem orbis terrarum præcipuè distinguitur per *æquatorem*, in duas æquales partes, itemque per polos. Et isti quidem termini à naturâ ordinati sunt & distincti. Deinde, *meridiani* directas indicant semitas à polo in polum: quibus geographi & longitudinē distinguunt, & latitudinem vniuscuiusque regionis metiuntur. Porrò *circuli paralleli*, vt tropici & arctici, non sunt termini naturales in tellure, sed conuenientiam quandam inter se indicant terrarum in eâdem latitudine existentium, aut è diametro aduersantium. *Horizon*, ea quæ videntur, ab iis quæ non apparent, dirimit. Linea in tellure per centrum ducta dicitur *axis* cuius extrema dicuntur *poli* seu vertices. Atque hæc omnia etiam in terrellâ nostrâ se offerunt: in magnete, inquam globoso. Nam quia forma sphærica est perfectissima, & cum terrâ maximè consentit, & ad vsus atque experimenta est maximè idonea; præcipuæ demonstrationes magneticæ in globoso magnete fieri debent. Huic itaque tali magneti *æquator* rectè attribuitur: quo naturaliter potestas eius dirimitur. Ita enim terrella nostra in æquales partes & quantitate & virtute, quasi septo transuerso, diuiditur, inter verticitates vtrinque pari vigore imbutas. Infiniti quoque sunt *meridiani magnetici*, eodem modo se dirigentes, per certos & oppositos in æquatore terminos & polos. In illis etiam latitudo magnetica mensuratur: & inde declinationes intelliguntur: & in illis directio certa in polos tendit, nisi malo aliquo variauerit, & de iustâ viâ disturbetur magneticum. Vbi memineris, meridianum, qui vulgò dicitur magneticus, non esse verè magneticum, nec verè meridianum; sed intelligi transire per variationis terminos in horizonte. Est autem variatio, deprauata deuiatio à meridiano: nec in vllo meridiano, variis in locis, est certa & constans. *In parallelis circulis* eadem virtus & æqualis potestas cernitur vndique, cùm in vno eodemque parallelo, varia magnetica, aut super tellurem, aut super terrellam posita sunt. Paribus enim interuallis à polis distant, & æquales habent declinationum conuersiones; & attrahuntur retinenturque, & coëunt similibus viribus, non aliter atque regiones in eodem parallelo sitæ, quæ tametsi longitudine differunt, eandem tamen cœli temperiem, & diei quantitatem habent. *Horizon magneticus* est planus æquilibriatus, vndique tangens terram vel terrellam in loco regionis, cum qua [illegible] angulos facit vndique rectos. Ad extremum terrella suam habet axem & polos, qui non solùm vertendi gratia existunt, sed etiam termini sunt dirigendi, & consistendi, tum versus destinatas mundi regiones, tum etiam inter sese iustis [illegible] magnes habet polos suos, borealem & meridionalem, id est, puncta à naturâ constituta, motionum & effectuum primarios terminos, & actionum atque virtutum plurimarum limites & moderatrices. Illud tamen obseruare oportet, quòd non a mathematico puncto robur lapidis dimanat, sed à partibus ipsis, omnésque illæ in toto partes, dum totius sunt, quò propiores fuerint polis lapidis, eò semper firmiores concipiunt vires, & in alia corpora effundunt. Denique hi poli magnetis polos terræ obseruant, & ad illos mouentur, illisque famulantur.

Fabrica terrellæ

III. *Terrella, fermons demonstrationibus magneticis, ita paratur.*

Sumito magnetem valentem, solidum, iustæ magnitudinis, vniformem, durum, integrum: fac ex illo globum versatili instrumento, quo rotundantur crystalli. Hic lapis ita præparatus est vera, homogenea, eiusdemque figuræ, telluris soboles: formam arte orbicularem nacta: estque physicum corpusculum, plurimis virtutibus imbutum, quo plurimæ in philosophiâ abstrusæ & neglectæ veritates, hominibus innotescere possunt. Hic lapis rotundus, à Gilberto eleganter appellatur *μικρόγη*. seu terrella: quòd sit compendium terræ, & ab eâ vires suas acceperit. vt imprimis obseruare est in magnete forti, qui totus est terreus.

Magnes magnetem trahit, fugat, & ordine reducit

IV. *Magnes in positione naturali trahit magnetem, in aduersâ verò fugat, & ordinem reducit.*

Etsi magnetum varia sit dissimilitudo, & vnus alterum virtute & efficientiâ longè superet: tamen omnes habent eandem naturam, & primò quidem eiusmodi: Vt magnes trahit ferrum: ita quoque *magnes allicit magnetem.* Accipe enim magnetem, polis suis, boreali & meridionali distinctum. pone in suo vase vt fluctuet; sintque poli ad planum horizontis rectè dispositi. Tene alterum etiam magnetem, cuius poli itidem sint cogniti, in manu; ita vt polus eius meridionalis sit versus polum septentrionalem natantis prope ipsum à latere. Sequitur illicò fluctuans lapis lapidem, nec desistit, nec deserit, donec adhæreat. Perinde etiam si septentrionalem polum illius, quem manu tenes, opponas meridionali polo lapidis natantis, concurrunt inter se & mutuò sequuntur inuicem. Contrarij enim poli contrarios alliciunt. Iam verò si septentrionalem septentrionali, aut meridionalem meridionali, eodem modo opponas, *lapis lapidem fugat*, & tanquam clauum impellente nautâ diuertit, & in contraria velificat, qui æquora sulcat, nec vspiam constat aut quiescit, si alter insequitur. *Disponit* etiam *lapis lapidem*, conuertit alter alterum, in ordinem reducit, & in suas concordantias deducit. Cùm verò iuxta naturæ ordinem conueniunt & coniunguntur, *firmiter mutuò cohærent*: veluti si opponeres septentrionalem polum lapidis eius, qui in manu est, tropico Capricorni magnetis rotundi fluctuantis, aut cuiuis puncto inter æquatorem & polum meridionalem, voluitur illicò lapis natans, & ita se componit, vt eius meridionalis polus septentrionalem polum alterius attingat, & cum eo coniunctissimè combinetur. eodem etiam modo ex alterâ parte æquatoris, polis aduersis, similes effectus præstabis. Atque hæc est pragmatia attractionis, & fugæ, circularis motus in diuersis magnetibus. Quæ omnia etiam in vno eodemque lapide, in duas partes diuiso, possunt demonstrari, quia nempe lapidis diuisi quælibet pars suos habet polos. Porrò etsi magnetes validi effectum citiùs & planiùs ostendunt: tamen fortior & imbecillior, rectè dispositi, mutuò etiam se trahunt, inuicem concurrunt, & totis viribus ad vnitatem tendunt. Cæterùm, quòd polus magnetis Aquilonaris aduersum, id est, austrinum, firmiùs attrahit, & festinantiùs rapit similiterque ferrum aduocat vehementiùs, quod & illi fortiùs inhæret, siue excitum antè magnete fuerit, siue intactum; illius rei hæc est ratio: quòd partes polo proximiores, firmiùs alliciant, in polo autem: [illegible] quasi regia summæ & spectatæ virtutis, vbi vehementiùs trahuntur, & ægerrimè dimittuntur corpora magnetica admota. Sic poli respuunt magis abiguntque peruersè obiecta, inconcinna, & aliena.

Quod ferrum [illegible]

V. *Magnes trahit ferrum, eique vim trahendi communicat.*

Vis trahendi ferrum maximè manifesta est in magnete, & antiquiùs quoque commendata. Id autem inprimis obtinet in ferro puro, quod ab vsu *acies*, & à regione Chalybum chalybs appellatur. Id enim optimè & firmiter à magnete valente trahitur; minùs verò bonum, impurum, rubiginosum, & à recrementis non rectè purgatum, & fornacibus non elaboratum secundis, imbecilliùs: paulò etiam languidiùs, cùm crassis, pinguibus, & lentis humoribus obductum & fœdatum fuerit. Venas ferri etiam trahit, ditiores illas quidem & ferrei coloris: imbecilles & non admodum

modum feraces, niſi arte quâdam præparatas non allicit. Sed magnes non ſolùm trahit ferrum, verùm etiam vim ipſi indit, vt idem facere poſſit quod lapis, aliud nempe ferrum trahere. vnde aliquando longa ferri, clauorum, aut annulorum catena efficitur, dum alij ex alijs pendent. quod ſanè iucundiſſimum eſt ſpectaculum.

Magnes, ferrum, & ferri venæ cognata.

VI. *Ferrum & ferri venis magnam habent cognationem cum magnete.*

Magnes enim nihil aliud eſt, quàm nobilis vena ferraria. Et ſimilis lapis ferreus eſt, & verſorium allicit. Idem in fodinis ferri profundis ſæpiùs repetitur. Porrò in omni ſolo reperitur ferrum: ſed vt magnes, ita quoque ferrum, non vbique eandem obtinet excellentiam, & proinde non cognoſcitur. Rurſus chalybs, ſeu acies, propter præſtantiam meliùs conſentit cum magnete, & vires eius ſuſcipit citiùs, diutiúſque retinet validas, & ad omnia magnetica experimenta ſummè idoneas. Sed penitiùs inſpiciamus, quanta ſi inter ferrum & magnetem cognatio. Diues vena ferri, & ſui coloris, vt vocant, in cyatho poſita lentè ab aliâ venâ allicitur, ſi illa propè admoueatur manu. Lentè dico: quia non tam validè & celeriter trahitur, vt à magnete magnes. Quòd ſi venæ ferri ſint lapidoſæ, cinereæ, fuſcæ, rubræ, aliorúmve colorum, nec illæ mutuò ſe attrahunt, nec à magnete ipſo vel robuſto attrahuntur, non magis quàm lignum. Si verò illas ipſas venas moderato igne torreas, decem vel duodecim horas continuando ignem, & temperatè augendo; deinde refrigerari ſinas: magnes illas ita præparatas trahet, illæque mutuò inter ſeſe compatientur, & artificioſè diſpoſitæ, propriis viribus inuicem concurrent. His adde, quòd vena ferri polos habet, & acquirit, & diſponit ſeſe ad mundi polos. Nam vena ferri diues, inſitâ proprietate, in vaſculo ſupra aquam, perinde atque magnes, dirigit ſe in ſeptentriones & Auſtrum, in quibus punctis acquieſcit, à quibus diſtracta, ad eadem inſito vigore recurrit. Venæ verò minùs perfectæ, quæ tamen in lapidis, aut terræ corporibus ferrum copioſum continent, plurimæ motum non habent: ſed præparatæ artificioſis ignibus, vt paulò antè dicebamus, vigorem concipiunt polarem, quem Gilbertus verticitatem appellat. Neque ſolùm ferri venæ à metallicis expetitæ, ſed etiam terræ ferrugineâ ſubſtantiâ tantùm imbutæ, & ſaxa nonnulla, eodem modo in has terræ poſitiones incumbunt labuntúrque, ſi fuerint artificioſè collocatæ, donec ad quæſitum locum perueniant, in quo auidè quieſcunt. Adhæc ferrum conflatum, non excitum magnete, ferrum trahit: quanquam non ita auidè & ſubitò Similiter ferrum omne bonum & perfectum, ſi in longitudinem extenſum fuerit, perinde atque magnes, aut ferrum magnetico corpore fricatum, dirigitur in Boream & Meridiem. Vbi memoriâ tenere oportet, quòd vt robuſtus magnes, & ferrum eodem magnete tactum, non verum ſemper polum, ſed variationis punctum exactè oſtendunt: ita magnes infirmior, & ferrum quod ſuis tantùm viribus, non lapidi impreſſione ſe dirigit, & ferrea vena omnis, & denique corpora omnia, ferreâ aliquâ naturâ imbuta, & præparata, in idem horizontis punctum, ad variationis locum regionis propoſitæ (ſi fuerit in illâ variatio) conuertuntur, & in illo manent, & quieſcunt. Ad extremum, ferrum excoctum ſe diſponit in ſeptentriones & meridiem non vno eodemque puncto in hunc & in illum polum. Vnus enim venæ ipſius terminus, & fili etiam ferrei conflati finis, certò & conſtanter deſtinatur in Boream, alter in Auſtrum, ſiue in aëre pendeat ferrum, ſiue aquis innatet, ſiue ſint maiores ferrei bacilli, ſiue fila tenuiora Etiam, ſi fuerit virgula aut filum longitudinis, decem, aut viginti, aut ampliùs vlnarum, alter finis plerumque eſt Borealis, alter Auſtralis. Itaque ferrum excoctum habet in ſe partes Boreales & Auſtrales certas, vigorem magneticum, verticitatem, & vertices ſeu polos deſtinatos.

[…]tis […] di-[…]

VII. *Magnes & ferrum pollent proprietate medicinali.*

Et magnes quidem datur cum aquâ mulsâ, trium obolorum pondere, vt craſſos humores eliciat. Idem ſimilem hæmatitæ vim obtinet, & paucâ quantitate ſumtus adoleſcentiam conſeruat, & præhumida atque putreſcentia viſcera corrigit, inque meliorem temperaturam reducit. His autem, & ſimilibus viribus potiùs orientales, ex Chinâ & Bengalâ, quàm reliqui, præſtant. Chalybs in puluerem redactus, & aceto acerrimo perfuſus in ſole ſiccatus, & aquâ fontanâ ablutus, datur in hepatis & lienis malis, poſt conuenientes euacuationes. Crocus Martis ritè præparatus, idoneum eſt medicamentum in fluxionibus alui: quia vehementer exſiccat, & citiùs in interiora penetrat. Sic & aqua chalybeata.

VIII. *Magnes & ferrum conueniunt non ſolùm viribus ſed etiam ſubſtantiis.*

Conſanguinitas magnetis & ferri.

Nam in globi terreſtris ſummitate, ſeu circumferentiâ, hæc duo corpora, vnâ eâdemque matrice, vnâ in fodinâ, vt gemelli, plerumque proueniunt gignunturque. Effodiuntur quidem magnetes robuſti per ſe, & imbecilliores ſuam propriam habent venam: ſed tamen ambo in ferri metallis inueniuntur. Et magnes robuſtus lapis eſt, ferrum præ ſe ferens, ex quo ſæpe ferrum optimum, id eſt, chalybs, excoquitur. Lapis ille trahit, fugat, diſponit alios magnetes, polos mundi obſeruat, ferrum excoctum rapit, multáque alia ſtupenda operatur. Magnes verò imbecillior omnia hæc præſtat: ſed infirmiùs. Vena quoque ferri, & ferrum conflatum (ſi præparata fuerint) non minùs ſuas vires in omnibus magneticis experimentis oſtendunt, quàm debiles & infirmi magnetes. Et quæ iam vena iners, & nullis facultatibus magneticis prædita, è foſsâ eiicitur, torrefacta ignibus, & ſecundùm artem præparata (excrementitiis humoribus & alienis abſumtis) expergiſcitur, fitque viribus & & poteſtate magnes. Eruitur aliquando vena ferrea, quæ ſtatim, non præparata, attrahit. Ferrum etiam natiuum ſui coloris ferrum magneticè allicit & diſponit. Vna igitur propè dixerim vnius mineræ forma, vna ſpecies, eſſentia eadem. Hinc Gilberto maior videtur differentia & diſſimilitudo inter magnetem robuſtiſſimum & imbecillem, inter durum & mollem, firmum & friabilem, metallicum & lutoſum; quàm inter optimam venam ferri feracem, ferrúmve quod in principio ſuum eſt, vt loquuntur, & præſtantiſſimum magnetem. Etiam plerumque nullis indiciis diſtinguuntur, nec à metallicis viris diſcerni poſſunt, quia in omnibus conueniunt. Videmus præterea præſtantiſſimum magnetem, & venam ferream iiſdem malis & morbis vexari, iiſdem viis & notis in ſenectutem labi, iiſdem medicamentis & tutelis conſeruari, & proprietates retinere. Tum etiam alter alterius potentiam auget, & artificioſis nexibus mirificè intendit eleuátque. Nam ab acrioribus ſuccis, tanquam venenis, vexantur: Chymiſtarum aqua fortis eadem vulnera vtriſque infligit: & aëris iniuriis expoſiti, longiori tempore ſimiliter tanquam tabe conſeneſcunt: alterque in alterius puluere & ſcobe conſeruatur: & idoneo adiuncto chalybe, aut ferro ſuper polum eius, magneticus vigor firmâ vnitione exaltatur. Porrò ſicut magnes fortior corroborat infirmiorem: ita ferrum tactum, aliud tangendo recreat, & ad magneticas motiones inſtruit, & hoc etiam tertium. Maxima quoque pars magnetum (ſi non iniuſtè vtuntur) ferrum in fornacibus reddunt præſtantiſſimum. Sed & conſentit in omnibus illis primis qualitatibus ferri vena cum magnete: quia ambo ſupra omnia apud nos corpora, telluri propiora & coniunctiora, in ſe magneticam & terreſtris globi magis genuinam, homogeneam, & veram ſubſtantiam, alienâ labe minùs infeſtam & diſſolutam, effloreſcentiſque huius ambitus terrarum & generationum corruptelis, minùs confuſam habent. Ob eamque cauſam *Ariſtoteles* 4. *meteor.* ferrum à cæteris omnibus metallis ſeiungere videtur. Aurum, *inquit*, argentum, æs, ſtannum, plumbum ad aquam pertinent, ferrum verò terrenum eſt. Et *Galenus* 4. *de facultatibus ſimpl. medicam.* dicit, ferrum corpus eſſe terrenum & craſſum. Ita quoque magnes fortis eſt maximè terreus. Proximum lo[c]um tenet vena ferrea, ſeu magnes imbecillior. Ita magnes origine & naturâ eſt ferreus, & ferrum magneticum, vtrumque ſpecie ferè vnum. Vena ferri in fornacibus ferrum emittit: magnes etiam in fornacibus ferrum effundit, ſed multò præſtantius, quod acies vel aciarium dicitur. Et vena ferri melior, imbecillis eſt magnes: optimus magnes eſt vena ferri præſtantiſſima.

IX. *Nullæ res extra magneticorum & electicorum claſſem ſe mutuò trahunt. Etſi autem electricæ motiones cum magneticis videntur eædem: tamen plurimùm inter ſe differunt. quia electricæ motiones à materiâ, magneticæ verò à formâ pendent.*

Magneticæ & electricæ motiones vt conueniant & differant?

Magnetica corpora ſunt magnes & ferrum: electrica ſunt ſuccinum, gagates, adamas, ſapphirus, carbunculus, iris gemma, opalus, amethyſtus, Vincentina, Briſtolla, beryllus, cryſtallus, vitrum clarum & lucidum, gemmæ ex vitro aut cryſtallo adulteratæ, vitrum antimonij, fluores plurimi ex fodinis, belemnites, ſulphur, maſtix, cera dura, ſigillaris, arſenicum, ſal gemmæ, lapis ſpecularis, & alumen rupeum. Hæc enim omnia habent vim attrahendi, alia fortiùs, alia imbecilliùs. Vnde dicuntur electrica, quia allectant corpuſcula, non aliter atque ſuccinum, quod electrum, & ἅρπαξ dicitur, quia ad ſe paleas trahit, attritu calefactum. Cauſa motionis huius electricæ eſt à materiâ. Omnia enim, quæ à prædominanti humido orta ſunt, & firmiter concreta, quæque fluoris ſpeciem & naturam inclytam retinent in corpore firmo & concreto, alliciunt omnia corpora, ſiue humida, ſiue ſicca. Quæ verò ter-

 reni

geni corporis veræ ac genuinæ partes ſunt, aut paululũ ab eo diuerſa,ea attrahunt magneticè. Ita reliqua corpora,quæ vel ex aquâ & terrâ magis commixtâ,& vtriuſque elementi ſimili ruinâ conflata ſunt, vt metalla,ligna,herba,carnes;vel ex humore magis conſiſtunt,vt pix, camphora &c. ea, inquam,nec electricè,nec magneticè trahere poſſunt. Atque hæc eſt prima differentia motionum electricarum & magneticarum. Huc accedit, quòd vis trahendi electrica ſit obſcura, & carceribus quaſi quibuſdam concluſa: quare attritu ſeu affrictione expergiſci vim illam nonnunquam oportet, donec obſcurè incaleſcat, & effluuium reddat, & nitor corpori inducatur. Si verò vel charta, vel linteum interponatur, motus nullus erit. Magnes verò ſine frictione,aut calore,ſiccus aut perfuſus humore,tam in aquâ quàm in aëre, magnetica prouocat, tum etiam ſolidiſſimis interpoſitis corporibus,vel lignorum tabulis, vel metallorum lapidúmve craſſioribus laminis. Magnes tantùm prouocat magnetica: ad electrica feruntur omnia. Magnes pondera magna attollit;vt ſi magnes ſit duarum vnciarum & robuſtus, dimidium vnciæ, aut totam vnciã allicit: electricum minima tantùm attrahit pondera,veluti ſuccinum trium vnciarum,affrictum, vix quartam partem grani hordei attollit.Porrò,quia nulla actio fieri poteſt niſi per contactum, electrica tangunt per effluuium humoris:magnetica per coitionem & confluentiam ſpiritus. Ad extremum hæ ſunt differentiæ inter corpora magnetica & electrica. 1. magnetica omnia mutuis viribus concurrunt; electrica alliciunt tantùm,& allectum non immutatur inſitâ vi,ſed materiæ ratione ſponte appulſum incumbit. 2. corpora feruntur ad electrica,rectâ lineâ,verſus centrum electrici: magnes magnetem tantùm in polis directè appellit,in aliis partibus obliquè,& tranſuerſim, quomodo etiam adhærent & appendunt. 3. motus electricus eſt motus coaceruationis materiæ:magneticus eſt diſpoſitionis & confirmationis. 4. globus telluris per ſe electricè cõgregatur & cohæret: idem magneticè dirigitur & (ex ſententiâ Gilberti)conuertitur,ſimul etiã & cohæret,& vt ſolidus ſit,in intimis ferruminatur.Cùm itaque duo ſint corporum genera, quæ manifeſtis ad ſenſũ motionibus corpora allicere deprehenduntur, electrica & magnetica; illa materialibus ab humore effluuiis,hæc formalibus efficiẽtiis,ſeu potiùs primariis vigoribus, incitationes faciunt. Iſta autem forma eſt planè ſingularis & peculiaris,quæ globum ſuum proprium tuetur & diſponit, quam Gibertus appellat formam primariam, radicalem,& aſtream. Talis in ſingulis globis,ſolis,lunâ,aſtris,eſt vna; & in terrâ quoque vna,quæ vera eſt illa potentia magnetica, quam Gilbertus primarium vigorem appellat. Quare magnetica natura telluris eſt propria,eiuſque partibus inſita: quæ nec à cœlo toto deriuatur. eſt enim ſuus in tellure magneticus vigor,ſicut in ſole & lunâ ſuæ ſũt formæ. Sanè tellus ante corpora cœleſtia eſt creata,& in iſtâ ſui creatione accepit vigorem ſuum primarium,quem partibus quibuſdam ſui diſtribuit magneticè v.g.magneti & ferro. Itaque coitio magnetica eſt actus magnetis & ferri,non actio vnius: eſt vtriuſque ἐντελέχεια, ſeu potiùs συωτελέχεια, & conactus potiùs, quam actus.

Potentia virtutis magneticæ qualis?

X. *Potentia virtutis magneticæ in orbem eſt extenſibilis, & ferè conuenit cum lumine.*

Funditur virtus magnetica vndequaque circa corpus magneticum in orbem;circa terrellam ſphæricè; in aliis lapidum figuris magis confusè & inæqualiter.Nec tamen in rerum naturâ ſubſiſtit orbis,aut virtus per aërem fuſa permanens, aut eſſentialis: ſed magnes tantùm excitat magnetica, conuenienti interuallo diſtantia. Atque vt lumen in inſtanti aduenit, ita multò magis vigor magneticus intra viriũ terminos præſens eſt. Et quia eius actus multò quàm lumen eſt ſubtilior, & cum non-magnetico, vt cum aëre, aquâ,&c. nullum habet commercium, nec magneticum commouet motu aliquo irrumpentibus viribus, ſed præſens inſtanti amica inuitat corpora. Et vt lumen,obiectum:ita corpus magneticum magnes ferit & excitat. Rurſus vt lumen in aëre ſupra vapores & effluuia non manet,nec ab illis ſpatiis relucet:ita nec in aëre aut aquâ hæret magneticus radius. Porrò, vt ſpecies rerum in inſtanti,in ſpeculis & in oculo concipiuntur per lumen,ita magnetica virtus apprehendit magnetica. Abſque leuioribus corporibus & relucentibus, ſpecies rerum nec apprehenduntur, nec reflectuntur:ita ſine obiectis magneticis,nec vigor magneticus concipitur,nec rurſus in magneticum conceptæ remittuntur vires. In eo verò vigor magneticus lumẽ ſuperat, quòd nullo opaco aut denſo impeditur,ſed liberè procedit, & vires ſuas extendit vndique. In terrellâ, ſeu globoſo magnete, magneticus vigor extra corpus in orbem extẽditur:in longiore verò non in orbẽ, ſed in ambitũ extenditur,pro formâ lapidis.

Cur in polo magnetis firmior ſit coitio?

XI. *In polo magnetis firmior eſt coitio, quàm in aliis partibus mediis inter æquatorem & polum.*

Suprema poteſtas alliciendi eſt in polo, infirmior verò & magis languida in partibus æquatori adiacentibus, vt ſupra diximus. Et quemadmodum in declinatione apparet, quòd virtus illa diſponens & conuertens augmentum habet, dum ab æquatore verſus polos progreditur:ita etiam vegeta inualeſcit magneticorum coitio,iiſdem gradibus, eâdemque proportione. Non enim in remotioribus à polo locis magnes verſus ſua viſcera rectè deducit magnetica:ſed obliquè tendunt, & obliquè alliciunt. Quantum enim minima in circulo chorda differt à diametro:tantum differunt inter ſe in quibuſdam terrellæ partibus,attrahendi vires. Nã cùm attractio ſit coitio ad corpus,magnetica verò conuertibili naturâ confluant,fit vt in diametro à polo ad polum ductâ directè corpus appellat,in aliis verò locis minùs,Ita quò minùs ad corpus conuertitur, eò minùs,& debiliùs coit,adhæretque. Quare & longior paulò lapis magis trahit,quàm rotundus, cùm longitudo ſit extenſa à polo in polum:etiam ſi fuerint eiuſdẽ mineræ lapides, & eiuſdem ponderis,& magnitudinis. Hinc eſt, quòd magnes longior maiora pondera ferri attollit;& in ferro tacto lõgiori cõcepta magnetica vis validior eſt,quàm in quadratis,& aliis anguloſis figuris: in quibus virtus diſtrahitur,nec per rectas incedit lineas, aut conuenientes arcus. Et verò licet globus ferreus telluris habeat figuram:minùs tamen ob eaſdem cauſas conuellit magnetica. Quare ferrea excita ſphærula pigriùs ducit aliud feramentum, quàm bacillus excitus, pondere æqualis. Ad extremum, lapis planus aut oblongus ægerrimè facit officium. Nam quia ſecundùm parallelorum ductum longitudo extenditur,poluſque nec in apice,nec in circulo & orbe deſinit,ſed planitie ſternitur;& miſerè amicum inuitat,& ægrè retinet:adeò vt abiecti & contemnendi generis æſtimetur,propter figuram minùs aptam & accommodatam.

An ſe imped vigore magn cum?

XII. *Nihil tam ſolidum, quod vires magnetis impediat.*

A vigore magnetico motiones fiunt, etiam ſolidis interiacentibus corporibus. Non obſtant tabulata craſſa, non vaſa marmorea,aut figulina,non metalla Nihil tam ſolidum quod vires tollat,aut impediat, præter laminam ferream.Sed neque à laminâ ferreâ omnis opprimitur virtus,ſed quâdam ex parte diuertitur.Cùm enim in ferreæ laminæ medium,intra orbem virtutis magneticæ,ſiue iuxta polum lapidis directè poſitum, vigor immittitur:funditur maximâ ex parte illa virtus verſus extremitates, ita vt extrema lamellæ rotundæ, conuenientis magnitudinis, alliciant vndique ferrea fila. Hoc etiam apparet in longâ virgulâ ferreâ, quæ cùm in medio tacta fuerit à magnete,ſimilem habet verticitatem in vtroque polo. Nimirum magnetica virtus per magnetica corpora procedit & continuatur.

Mag arm: bric: vire:

XIII. *Magnes armatus præpollet inermi.*

Fit autem hoc modo.Concaua lamella rotunda,ferri optimi,latitudine digiti,applicatur conuexæ magnetis ſuperficiei polari,& artificioſè connectitur:aut glans ferrea à baſi in conum obtuſum aſſurgens,excauata paululum,& lapidis ſuperficiei coaptata,alligatur magneti. Tali inſtrumento magnes, qui antea tantùm vncias 4.ferri ſuſtulit,nunc vncias 12.attollet.Sed maxima coëuntis,ſeu potiùs vnitæ naturæ vis conſpicitur,cùm duo magnetes,naſis ferreis armatis,conueniẽtibus polis(vulgò contrariis)ſic vniuntur,vt mutuò ſeſe attrahant, attollántque. Ita pondus vnciarũ 20.attollitur,cùm inermis lapis alter tantùm vncias 4. ferri alliciat. Nimirum magneti armato firmiùs vnitur ferrum,quàm ſoli magneti. Et ſi autẽ magnes armatus atollit pondus grauius:non tamen fortiùs, in pari aut maiori diſtãtiâ,attrahit ferrum, quàm nudus ſine caſſide ferreâ. Interpoſitâ quoque chartâ, aut alio medio, magnes armatus non plus attollit,quàm inermis.Hoc tamen obſeruatione dignum eſt, quòd magnes armatus magnetem armatum attollit,qui tertium etiam ducit,& in robuſtis tertius quartum. Porrò magnes ſiue armatus, ſiue inermis,adiunctus idoneo polo alterius magnetis, maius pondus attollere facit:& vterque coit cum maiori ferro firmius,quàm cũ minori. Denique magnetica fruſta motum faciunt ad vnitatem:& ferramenta præſente magnete(etiamſi magnetem non attingant) concurrunt, ſolicitè ſe mutuò quærunt, & amplexantur,& coniuncta quaſi ferruminantur. Ita ſcobs ferrea in vnum coaleſcit corpus, ſi magnes admoueatur.

Ex: mag

XIV. *Magnetica poſſunt magneticis conciliare robur.*

Magnes magnetem virtute longè ſuperat; quia vnus rapit ferrum ferè ſui ponderis,alter vix ramentum promouere poteſt. Hîc itaque quæritur,an magnes infirmus & deſes ad meliorem conditionem poſſit deduci; & an præpotens,etiam ſupremis viribus donari? Reſpondet Gilbertus. Magnetica reſtituere magneticis ſanitatẽ aliquam poſſunt: quædam etiam ſupra proprias vires exaltare:at ſummè perfecta vlterius corroborare

roborare in suâ naturâ non licet. Sic magnes politus & fricatus acie, emendatur. In scobe ferri optimi, siue aciarij puri, non rubiginosi, obrutus, vires conseruat. Aliquando etiam meliores fortioresque vires aliquas acquirit, cùm aduersâ parte supra polum alterius continetur. Paracelsus author est, posse vim eius in decuplum vsque augeri: si nempe in igne carbonum semicandescat, statimque in oleo croci Martis, ex optima Carinthiâ acie facto, extinguatur. Ita enim fieri, vt magnes clauum ex pariete extrahat.

XV. *Maior est magnetis & ferri amor, quàm magnetis cum magnete, aut ferri cum ferro.*

Magnes magnetem allicit, non vndique & ab omni latere, æqua conditione, sicut ferrum, sed ab vno & certo puncto. Cuius rei hæc est ratio. Virtus magnetica naturalis, in ferro sopita & confusa, à magnete excitatur, & illi allociatur. Ita ergo ferrum magneticum fit tam robustum atque magnes ipse. Nam vt alter immittit & commouet, ita alter concipit, & commotus in virtute permanet, & ipso actu vires refundit. Cùm verò ferrum sit similius ferro quàm magnes, & in vtroque ferramento, magnetis contactu virtus exaltetur, sicut in magnete ipsorum paribus viribus præualet similitudo substantiæ, & ferrum ferro magis se tradit, & homogeneis viribus simillimis vniuntur. Hîc obiter obserua, ferrum intra orbem magnetis positum, in aëre pendulum hærere, si propter impedimentum appropinquare non possit.

XVI. *Non solùm contraria, sed etiam similia corpora se inuicem pellunt.*

Prius illud est euidens in antiperistasi: posterius in ipso magnete. Magnes enim magnetem fugare videtur. Nam vnius polum fugat alterius magnetis polus, qui illi secundùm naturam non conuenit: fugando in orbem conuertit, vt secundùm naturam conueniant maximè. Quòd si magnes imbecillior natans liberè in aquâ côuerti propter impedimenta expeditè non possit, totus magnes fugatur, & longiùs ab altero emendatur. Electrica omnia alliciunt cuncta, nihil omninò fugant vnquam aut propellunt.

XVII. *Magnes & ferrum suos polos versus telluris polos dirigunt: & quidem ita, vt in quibusdam terræ aut maris locis ipsos veros polos indicent; in aliis autem plerisque ab istis polis, interuallo aliquo, vel in occidentem, vel in orientem diuagentur. Quæ discrepantia appellatur variatio magnetis & ferri, estque vera directionis perturbatio & deprauatio quædam.*

Vtriusque causas indagemus. Quod itaque *ad directionem* attinet, illa pendet à virtute dirigente, seu versoriâ, quam verticitatem dicimus. Ea enim magneti est insita à tellure, cuius ipse est filius primogenitus. Terra itaque, mater huius filij, hanc causam penetralibus suis inclusam habet. Ad eius normam, positionem, habitudinem, verticitatem, polos, æquatorem, horizontes, meridianos, centrum, peripheriam, dimetientem & totius interioris substantiæ formam, omnes magneticæ motiones discutiendæ sunt. Terra ita à summo opifice ordinata est, vt si possibile esset illam à suâ in mundo positurâ declinare, aut eius polos in orientem aut occidentem deflectere, rursus ad septentriones & austrum motu magnetico recurrerent, iisdémque punctis, quibus nunc perstant, insisterent. Hanc telluris naturam magnes æmulatur; & ferrum eandem verticitatem, seu vim dirigentem, per magnetem acquirit. Vbi minuere oportet vulgi opinionem. Magnetis polus australis verus, non borealis (vt vulgò putant) in cymbâ suâ super aquam positi, vertitur in Boream: & ferri magnete exciti, & non exciti, finis Austrinus, mouetur etiam in Boream. Sed ferrum tactum acquirit contrariam verticitatem hâc ratione. Si à septentrionali lapidis vero latere tangatur, mouetur in septentriones telluris; si à vero meridionali latere, in meridiem. Falsò itaque vulgares magnetographi scripserunt, ferrum septentrionali lapidis puncto affrictum ad Austrum verti, & Australi ad Boream. Rectè itaque Gilbertus: In omnibus, inquit, ostensionibus istis semper reminisci oportet, polos tam lapidis, quàm ferri, siue tacti, siue, intacti, re & naturâ contrarios semper esse polo, in quem diriguntur. Nam in omnibus semper septentrionale est, quod in meridiem tendit aut telluris aut lapidis; & meridionale, quod in septentriones vertitur telluris aut lapidis. Septentrionalia alliciuntur à meridionalibus telluris, & in cymbâ in meridiem tendunt. Ferrum tactum à septentrionalibus magnetis, altero fine fit meridionale, & semper tendit (si propè fuerit intra orbem magnetis) in septentrionalem lapidis & telluris partem. Ita septentrionali parte lapidis tacti, fines sunt meridionales facti, seu meridionaliter exciti, & tendunt in Boream telluris: meridionali polo tacti, sunt septentrionales facti, siue septentrionaliter exciti, & vergunt in meridiem telluris. Etsi ergo ferrum magnetico influxu excitum verticitatem habet validam satis: non tamen adeò stabilem, quin aduersæ partis affrictu immutetur, & exuatur omni pristinâ verticitate, & nouâ aduersâ induatur. Sed iam videamus *de variatione magneticâ*. Directio vera est motus corporis magnetici ad verum meridianum, & in eo consistentia, terminis suis conuenientibus, vtrinque versus polos. Contingit autem sæpissimè, per mare, per terras, non in verum polum corpora magnetica respicere; sed in punctum aliquod horizontis, meridiano finitimum, distrahi & deflectere. Terminos namque sæpiùs diuersos à meridiano suis polis respiciunt. Est igitur variatio arcus horizontis inter communem eius cum vero meridiano intersectionem, & deflexionis in horizonte terminum. Arcus ille varius est pro loci ratione. Hinc itaque oritur circulus variationis, & meridianus magneticus, transiens per punctum variationis in horizonte. Fit autem hæc variatio in locis tam Austrinis, quàm septentrionalibus: eiúsque causa genuina apud magneticos philosophos hæc est. Certæ sunt in tellure eminentiæ magneticæ, quæ cuspidem pyxidis nauticæ à vero suo situ diuertunt. Istæ autem eminentiæ cùm in aliis atque aliis locis aliæ atque aliæ reperiuntur: hinc fit, vt non eadem semper sit variatio locorum. Acus itaque magnetica, in versorio suo constituta, licet semper inclinet ad mundi polum, tamen à particulari quâdam magneticæ virtutis in terrâ parte eminentiori diuertitur. Cúmque illa eminentia in terrâ sit inæqualis, variatio non potest nòn esse varia & diuersa. Summa: Cùm globus telluris in superficie suâ sit dissimilis, habeátque partes magneticas robustiores vel imbecilliores; fit vt corpora magnetica à vero polo inclinent ad fortiorem, altiorem, & eminentiorem globi terrestris magneticam partem. Atque hæc est vera causa variationis magneticæ: non autem ista, quòd variatio magnetica certis in tellure polis nitatur. Hâc enim ratione tot essent poli, quot meridiani magnetici. At hoc falsum. Ergo. Consequentia patet: quia quilibet meridianus magneticus certum polum indicat, in eóque terminatur. At non vnicus vbique constituitur meridianus, sed pro quolibet penè loco varius. Ex quibus necessariò efficitur, plures etiam polos quàm duos esse admittendos, per quos hi meridiani transirent. At plures polos quàm duos nemo, quod sciam, vnquam asseruit. At, inquiunt, traiicientibus per Azores insulas nulla omnino inuenta est variatio: quia videlicet in illis meridianus magneticus concurrit in eâdem rectâ cum vero mundi meridiano: in reliquis verò locis omnibus inuenta est variatio quædam, aut minor, aut maior, pro aliâ atque aliâ distantiâ ab illo primo. Vnde porrò colligere est, primi meridiani situm in illis insulis deprehensum, non tam ex arbitrio hominum, quàm ex naturâ ipsâ originem traxisse. Plausibilis profectò opinio, & quæ miras in Geographiâ vtilitates peperisset, præsertim in locorum longitudine metiendâ, si obseruationes nautarum hisce principiis quadrassent. Sed non quadrant. Si enim talis variatio esset à polis, tunc arcus variationis immutaretur æqualiter pro locorum distantiis. e. g. si variationis arcus immutatus esset vno gradu itinere centum milliarium, centum milliaria sequentia similiter vnum alium gradum varia rent, aut diminutione, aut augmento. Sed hoc falsum esse dictat nautarum experientia. Nam variatio semper minor est iuxta æquinoctialem, maior in maiore latitudine, modò non fuerit valde prope polum ipsum. Magnetica namque virtus mouens fortior est maiore latitudine, regionésque ampliores, tendentes versus polos, dominantur magis. Quare maior variatio in Norvvegiâ & Belgio, quàm in Guineâ aut Maroco deprehenditur. Et ita quidem de variatione acus magneticæ sentit noster Gilbertus. Aliorum sententias vide suprà in Nauticâ, & hîc obserua, quomodo variationis istius quantitas deprehendatur. Vtimur autem Compasso seu Indice nautico in 360. gradus diuiso, filo transuersim centro Indicis in pyxide imminente, quod obiectum soli vmbram proiiciat in centrum Indicis. Hoc instrumentum nautæ vocant Compassum variationis. Hoc itaque instrumento obseruatur distantia solaris Azimuth ad quoduis tempus & locum à proiectione acûs magneticæ. Differentia, quæ est inter distantiam solis à vero Meridiano, & à situ ferri magnetici, est Compassi variatio. Præterea si hoc instrumento obseruetur, quot gradibus sol oriatur aut occidat ab eo Indicis seu Compassi termino, quod ortum aut occasum videtur indicare: patebit similiter deuiatio acûs magneticæ â vero Meridiano, si qua sit. *Rob Hues. part. 4 de glob. cap* 15.

XVIII. *Declinatio magnetica est ferri, super axem suum librati primùm, deinde magnete exciti, motus ab illo horizontis puncto, quod directio aut variatio ostendit, altero eius polo versus terræ centrum tendente.* Declinatio magnetica.

Declinatio ista fit pro latitudine cuiusque loci, & pendet non à motu aliquo ab horizonte versus centrum telluris, sed à totius magnetici corporis conuersione ad totam tellurem.

Quantum verò ferrum descendat in omni horizonte, cognoscere licet ex instrumento declinatorio apud *Gilbertum lib. 5. cap. 1.* Sed demonstremus, quòd declinatio non fit ab attractione magnetis, verùm à virtute disponente & conuertente. In vniuersa rerum naturâ illud opificis miraculum vel inprimis spectandum est, quo corpora præcipua sedibus quibusdam suis, & quasi cancellis continentur. Quam ob causam astra mota promota non confunduntur: elementa non miscentur: cœlum terræ non incumbit. Et magneticæ volutationes à disponente virtute fiunt, tam maioris & dominantis, quàm minoris & obtemperantis, licet minimæ quantitatis fuerit. Attractione enim non perficitur opus sed incitatione vtriusque, conueniente motu ad terminos certos, vltra quos non fit progressus. Nam si appellente vi declinaret versorium, tunc terrella ex magnetico lapide validissimo magis ad se versorium conuerteret, quàm ex mediocri, & ferrum robusto magnete tactum magis declinaret. quod tamen nunquam contingit. Præterea nasus ferreus positus super meridianum in quâuis latitudine, non magis attollit obelum ad perpendiculum, quàm lapis ipse solus inermis: quanquam multò maiora pondera sic instructus conuellat & & attollat. Quòd si magnes versus polum alterum acutior fuerit, versus alterum obtusior; acutus terminus, siue polus, allicit firmiùs magneticum ferrum, obtusus & crassus conuertit firmiùs; orbicularis verò conuertit firmiter & verè; longus autem à polo in polum extensus, irregulariter promouet versorium: nam in hoc polus versorij semper despectat polum. Declinatio etiam ferri magnetici in quâ, constans est, nec ferrum magneticum descendit ad fundum vasis, sed permanet in medio conuersum super centrum suum pro debitâ suâ declinatione. quod non accideret, si terra aut poli eius attrahendo deducerent finem magnetici ferri, vt ita declinaret.

Declinationis variatio.

XIX. *Variatio declinationis est arcus meridiani magnetici inter veram declinationem & apparentem: & eandem habet causam cum variatione directionis.*

Variatio directionis est ipsius distractio quædam, & motus irregularis. In declinatione talis etiam motus irregularis animaduertitur; cùm vltra limites descendit, aut scopum ipsum aliquando non attingit. Est igitur variatio declinationis, arcus meridiani magnetici inter veram declinationem & apparentem. Propter terrenas enim eminentias vt à vero meridiano auocantur magnetica: ita etiam vltra genuinam conformationem ferrum (auctâ paululum conuersione) declinat. Vt enim variatio directionis est ipsius deuiatio: ita quoque ob eandem causam declinationis est error aliquis, licet plerumque exiguus admodum Aliquando etiam, cùm nulla fuerit variatio directionis in horizonte, declinationis tamen variatio esse poterit; scilicet cùm aut directè meridionaliter, id est, sub ipso meridiano, robustiores telluris partes eminent, aut cùm minùs illæ partes potentes sunt, quàm generalis natura requirit; aut cùm nimis virtus alterâ parte intenditur, aut alterâ remittitur: quemadmodum in vasto oceano videre licet.

Orbis magnetis.

XX. *Formalis actus magneticus sphæricè effunditur.*

Supra omnium virtutum magneticarum miracula Gilbertus merito extollit orbem potestatis magneticæ, quem vulgò appellant sphæram actiuitatis. Ea namque est globorum magneticorum facultas, vt fusa sit, & extra corpus ipsum in orbes extensâ, formâ vltra materiæ corporeæ limites elatâ. Terrella siquidem potestates eædem sunt in toto orbe potestatis: & orbes in se, in quâuis distantiâ à corpore terrellæ, suos habent pro diametri ratione & peripheriæ quantitate virtutum terminos siue punctos, in quibus conuertuntur magnetica corpora. Neque tamen formas magneticas & orbes in aëre, aut aquâ, aut quouis medio non-magnetico existere volumus; quasi aër aut aqua susciperent illas, aut illis informarentur. Tantummodo enim effunduntur formæ & realiter subsistunt, quamdu ibi sunt magnetica.

Vis magnetica est animata.

XXI. *Vis magnetica est animata: proinde & corpora magnetica.*

Veteres philosophi, Chaldæi, Ægyptij, & saniores Græci mundum totum animâ quâdam vniuersali præditum esse docuerunt. Rectè profectò. Neque enim mundus est monstrum, in quo aliæ quidem partes sint perfectæ, viuidæ, animatæ; aliæ verò imperfectæ, mortuæ, & inanimatæ: sed est totum homogeneum, hoc est, animâ vitáque præditum. quæ quidem anima & vita in aliis se prodit per organa, in aliis absque organis: & rursus in aliis est manifestior, in aliis occultior Quare Thales non sine causâ animatum lapidem magnetem esse voluit qui pars est & soboles dilecta telluris, matris animatæ. Cæterùm quòd terra sit animata, hunc in modum probatur. A terrâ & sole, viuentia corpora pleráque. Ita si ex terræ profundo eruatur gleba, & in supremo aliquo loco in aprico ponatur, non ita multò pòst distincta & iniussa nascuntur & crescunt gramina & herbæ sine vllis iactis seminibus. Ex hoc, inquam, fundamento Hermes, Zoroaster, Orpheus, Gilbertus, Origanus, & alij terram statuunt animatam, ipsisque astrorum & terræ globis animas interiores assignant: quibus totus mundus pulcherrimâ varietate florescit, & terra, ante etiam conditas stellas germinauit herbam virentem. Diffunditur autem ille spiritus vitalis partim aquæ, partim vaporis specie per subterraneos meatus, non aliter ac per venas sanguis. Hi sunt thesauri terræ. Hinc ab interiore sinu terræ, qui totus est magneticus, ad superficiem vsque extenditur vis illa vitalis. Sine animâ nullum corpus est eximium, pretiosum, aut egregium. Sic & stellæ suas habent animas. Neque enim ex mundo oportet facere monstrum, quod partim sit animatum, partim inanimatum.

Terra magn... magn...

XXII. *Totus terræ globus est magneticus, imò magnes: imò totus mundus est magneticus.*

Principiò tota terra, quanta quanta est, in omnibus suis partibus magneticam habet naturam, & homogeneam, i.e. viuam, animatam, matricem. Neque enim omnis magnes est lapis, sed aliquando est gleba, lutum, ferrum, herba &c. Nam substantia & virtus magnetica pro loci, tanquam matricis, & rerum, tanquam fœtuum, ratione, multis insignitur nominibus. Et hoc probè considerandum est iis, qui quærunt primam materiam, & & tincturam catholicam. Porrò terra terram traheret, nisi impuritates illam vim impedirent. Nihilominus tamen ex hâc magneticâ vi hoc operatur, vt si portio aliqua terræ, vel terrenam naturam prædominantem habens, extra suum locum sit, eam trahat terra perpendiculariter ad se. Quòd si à sole, lunâ, aut aliis stellis particula aliqua auelli posset, æquè illa ad suum totum magneticum rueret, ac in terrestribus coire nititur. Totus itaque mundus est magneticus: quia amor iste vnionis in omnibus corporibus cernitur.

Vsus ... losopi... magn... cæ in actiu...

XXIII. *Magnetica philosophia valde illustrat doctrinam de vitâ beatâ & miserâ, adeóque doctrinam theologicam & ethicam de virtutibus & vitiis.*

Nam beatitudo vera consistit in magnetica coitione & vnione creatoris & creaturæ rationalis, adeóque in studio & imitatione virtutis, & illorum qui virtute sunt præditi. E contrario miseria vertitur in magnetica coitione & vnitione diaboli & hominis, adeóque in studio & imitatione vitij, & illorum qui vitiis sunt dediti. Semper itaque cogitemus, Deum & diabolum esse duos magnetes, & homines instar ferri diuersis, vel potiùs aduersis, motibus trahi ab hisce duobus magnetibus. Oremus itaque Deum, vt ille nos ad se trahat, & vniat sibi in hâc & futurâ vitâ, Amen.



SECTIO VII.

In quâ delineatur

PYROTECHNIA.

PRÆCEPTA.

PYROTECHNIA, quæ & Pyronomia, est disciplina composita, de ratione conficiendi & vsurpandi varios ignes.

Estque generalis, vel specialis.

Generalis præcipit de naturâ, & vsu ignis.

Natura ignis est calefacere, viere, congregare homogenea, segregare heterogenea, illustrare, attenuare, &c.

Vsus ignis per se est fouere, generare, iuuare, reddere aptum ad motum: per accidens corrumpere, destruere, frigefacere, &c.

Pyrotechnia specialis explicat varia genera ignium, ídque ratione formæ ignis, & subiectæ materiæ.

Quantum ad formam ignis est actualis, vel potentialis.

Quantum

Quantum ad ſubiectam materiam ignis eſt culinaris, militaris, chymicus, voluptarius, &c.

REGVLÆ.

Ignis eſt naturalis, & artificialis.

I. *Pyrotechniæ ſubiectum eſt ignis tum naturalis, tum artificialis.*

Hoc enim ipſi propoſitum eſt, vt ignem naturalem excitet, atque de potentia in actum deducat: artificialem verò ita componat, vt imitetur ignem naturalem. Quod vt meliùs intelligi poſſit, omnia ignium genera accuratè perſequamur. Principiò eſt *ignis naturæ catholicus*, qui ſpargitur per omnia corpora cœleſtia & ſubcœleſtia; & proinde non eſt vnius generis. Deinde eſt *ignis elementaris*, qui occupat ſuam ſphæram ſub lunà. Tertiò eſt *ignis meteorologicus*, qui eſt fulminaris, lambens, adhærens, vel cum preſtere coniunctus. Quartò eſt *ignis ſubterraneus*; qui erumpit per flammas, idque vel continuè, vt in monte Ætnà & Heclà, vel interdum. Quintò eſt *ignis ſacrificiorum Aharonicorum*; qui cœlitùs accenſus, perpetuò erat fouendus *Leuit.* 9. 23. Hic ignis in aquam craſſam dicitur eſſe conuerſus 2. *Macchab.* 1. Sextò eſt *Oriſmada*, ſeu *ignis Perſarum*, de quo multa paſſim apud hiſtoricos. Septimò eſt *ignis ſanctitatis Iehouæ*; in quo ille ſubinde ſe conſpiciendum præbuit, vt in monte Sinai, in rubo ardenti, &c. Octauò eſt *ignis renouationis mundi*; cuius meminit Petrus 2. *epiſt. c.* 3. Nonò eſt *ignis infernalis*; cuius Scriptura meminit. Decimò eſt *ignis Veſtalis*, ſiue *ſolaris*, qui etiam dicitur Solympicus, mithriacus, catholicus, externus, philoſophicus animatus, copulans ſolem cum igne inferiore, vniens cœlum & terram. Vndecimò eſt *ignis Vulcani*; qui accenditur ab igne fulminari. Duodecimò eſt *ignis ſuperſtitioſus*, ein notfewer; qui attritu lignorum elicitur, vt eo vtantur in ſanando pecore. Decimò tertiò eſt *ignis focalis, ſeu vſualis*; qui dicitur ignis annihilationis. Decimò quartò eſt *ignis ſubterraneus catholicus*; qui eſt inuiſibilis, & eſt anima Azoth ſecretiſſima. Decimò quintò eſt *ignis perpetuus*, ſeu Azothicus; qui procedit ex lapide philoſophorum iam confecto. Decimò ſextò eſt *ignis marinus*, qui eſt ſpiritus maris, ein Neptuniſch ſemeraeiſt im meer. Decimò ſeptimò eſt *ignis Moſaicus*, deſtruens aurum *Exod.* 32. Decimò octauò eſt *ignis ſophiſticus*; quem ſophiſtæ venditant pro igne illo, quo parari debet lapis philoſophorum. Decimò nonò eſt *ignis mineralis internus*; qui inſitus eſt corporibus foſſilibus. Vigeſimo eſt *ignis mineralis externus*; qui beneficio ſulphuris, calcis viuæ, & ſimilium mineralium fouetur. Vigeſimò primò eſt *ignis vegetabilis internus*; qui rebus vegetabilibus, ſiue plantis eſt inſitus. Vigeſimò ſecundò eſt *ignis vegetabilis externus*; qui beneficio ſpiritus vini, vel fæcum vegetabilium, vt ſunt vinacea, & oliuarum fæces, accenditur. Vigeſimò tertiò eſt *ignis animalis internus*; qui corporibus animalium eſt inſitus. Vigeſimò quartò eſt *ignis animalis externus*; qui per animalium excrementa, putà fimum equinum, bubulum, ouillum, &c. accenditur & fouetur. Duodecim genera ex modò recitatis eruditè perſequitur *Henrichus Kunrath* in eleganti tractatu *de igne* magorum philoſophorumque ſecreto, externo, & viſibili. Sequentia ſeptem genera ignium, quorum vſus eſt in Metallurgicis, explicat *Nicolaus Solea in Theſauro metallico.* Vigeſimò quintò eſt *ignis flammans*; quo metalla excoquuntur, purgantur, liqueſcunt. Vigeſimò ſextò eſt *ignis torrens*; quo recrementa metallorum à corporibus ſeparantur. Vigeſimò ſeptimò eſt *ignis candens*; quo fit vt metalla deponant exuuias ſuas, ita vt metalleitas ſola remaneat. Vigeſimò octauò eſt *ignis corrodens*; quo metalla rediguntur in calcem. Huc pertinent ſalia, aquæ fortes, & ſimilia. Vigeſimò nonò eſt *ignis incubans*; quo metalla excoquuntur, ne metalleitas auolet. Trigeſimò eſt *ignis frigidus*; quo metalla coagulantur in terrâ. Trigeſimò primò eſt *ignis calidus*; quo metalla ſoluuntur in ventre terræ. His adde varia genera ignis factitij tum militaris, tum ludicri. Eſt itaque trigeſimò ſecundò *ignis Græcus*; qui aquâ non extinguitur, ſed potiùs fouetur. Trigeſimò tertiò eſt *ignis pulueris pyrij*; qui variis modis adhibetur. Trigeſimò quartò eſt *ignis pinguis*; cuius vſus eſt in pyrecboliâ militari. Trigeſimò quintò ſunt *ignes ludicri*; qui voluptatis causâ in aërem iaciuntur, vel ſupra aquam ſparguntur. Sed & Chymici habent quædam ignis genera, quorum mentio nondum eſt facta. Itaque trigeſimò ſextò eſt *ignis digerens*; quo materia digeritur. Trigeſimò ſeptimò eſt *ignis ſeparans*; qui lento calore humorem eliciendum propellit. Trigeſimò octauò eſt *ignis impediens*; qui beneficio arenæ, ſcobis, aquæ, &c. impeditur, ne materiam aut vas proximè tangat. Trigeſimò nonò eſt *ignis reuerberij*; qui eſt fortis & vehemens. Quadrageſimò eſt *ignis mixtus*; qui tam digeſtioni quàm ſeparationi ſeruit. Sed de his generibus vide ſuprà in Alchymiâ. Quadrageſimò primò eſt *ignis candelæ ſebaceæ*; apud nos eſt vſitatus. Quadrageſimò ſecundò eſt *ignis candelæ, qui fouetur oleo oliuæ*, aut alio liquore oleoginoſo. Quadrageſimò tertiò eſt *ignis cãdelæ, qui facibus variis accenditur & fouetur.* Quadrageſimò quartò eſt *ignis quaſi perpetuus*; qui ad longum tempus ardet. Quadrageſimò quintò eſt *biolychnium*; quod paratur ex ſanguine hominis, quâ de re vide *Burggrauium tractatu de Biolychnio.* Atque hæc, opinor, ſunt omnia ignium genera, quæ non ſine curâ digeſſimus. Quòd ſi velis διχοτόμως, ita procede. Ignis eſt ſupernaturalis, naturalis, vel artificialis. Supernaturalis aut eſt maieſtaticus, in quo Deus apparuit: aut hieraticus, in vſu ſacrificiorum: aut infernalis. Naturalis eſt catholicus, ſeu vniuerſalis: vel particularis: item elementaris, vel elementatus; & hic meteorologicus, mineralis, vegetabilis, animalis. Artificialis eſt itidem catholicus, vel particularis; & hic focalis, chymicus, militaris, voluptarius.

Pyrotechnia practica.

II. *Inſigniores modi parandi varios ignes ita habent.*

Pyrotechnia theorica fuit in commemorandis variis ignium generibus: iam erit pyrotechnia practica in parandis inſignioribus quibuſdam ignium generibus. I. *Ignis, qui fit ex lignis, & carbonibus foſſilibus aut vegetabilibus*, nemini non eſt notus. II. *Ignis fit validior ſex modis. Naturâ*: vt ignis incipiens, & magis magiſque progrediens. *Materiâ*: quando ignis ob materiam euadit calidior, vt qui in ferro eſt, eo qui in paleâ, & qui in quercus lignis eo qui in ſaliginis, & qui in lignis & carbonibus iuniperi eo qui in quernis. *Motu*: nam magis fit penetrabilis. *Magnitudine, ſeu propria, ſeu diuturnitate temporis*: qui duo modi ſunt obuij omnibus. Porrò *reſpirationis impedimento*: non ignorant hoc nautæ, qui exiguo foculo ollam ſuperponentes ollæ, omnes feruere cogunt. Vnde paupertati conſultum. Sed oportet, vt dixi, ne proprio fumo extinguatur igniculus, paulùlum illum reſpirare. Ob id qui impenſæ conſulunt, furnos exiguos ollæ in modum ex ære conficiunt, clatratos in imo ſtrictè ex ferro, vt cinis excidere poſſit. *Vltimus modus* eſt, cùm cogitur ignis, atque ob id calx aquâ accenditur. nam calor in fornace acquiſitus ac latitans, cùm ex genere ignis ſit, exiguæ aquæ frigore intus concluditur, tum motu, tum coitione ipsâ in ignem euadit. Optima igitur calx eſt, quæ ſuperfusâ aquâ maximos edit ſtrepitus, & ignem concipit, ligna accendens proxima. Verùm motus non ſolùm penetrare magis cogit, ſed & calorem ipſum accendit. Nihil mirum igitur eſt fulmini tantam ineſſe vim, ac ignem illum ab aliorum ignium natura alienum miracula quædam efficere. III. *Puluis pyrius* conſtat ex tribus partibus halinitri, ſeu ſalis petræ, & duabus ſalignei carbonis, vel tiliæ, atque vnâ ſulphuris. Et hic conuenit magnis machinis. Sed mediocribus, halinitri partes decem, ſalignei carbonis tres, ſulphuris duæ. Paruis verò, halinitri partes decem, carbonis lignorum nucis auellanæ abſque nodis, tum ſulphuris, partem vnam ſingulorum. Contundantur hæc ligneo malleo, madefacta priùs aquâ putei, ne ignem dum tunduntur concipiant. Sunt qui acetum addant, qui ardentem aquam, ac ſiccent in ſole, ſed non tundunt tunc: facilè enim poſſet ignem concipere. Verùm tota cura eſt, vt omnia ſic à terrena parte expurgata ſint, maximè halinitrum, vt totum ardeat, nec quidquam ſuperſit. Deinde vt ad tenuiſſimas partes redigatur: ſic enim partes partibus optimè hærebunt. hoc fiet, ſi ſæpiùs contundatur, madeſcat, ſiccetur. Tertiò, vt cùm perfectus fuerit, ſiccetur in ſole: nam iuxta ignem apponere periculoſiſſimum eſt. IV. *Ignis, quem aqua ardens emittit*, non adurit linteum cui inhæret, quodque ipsâ aquâ maduit. Quòd ſi diutiùs deſtilletur attenuetúrque magis, magno miraculo manus ardebit, neque ſentiet. V. *Faces è quocunque ligno fieri poſſunt*: ſed ſi ex denſiore ac ſolidiore, diuturniores. Stolonem quernum, cubiti craſſitudine, à vertice ad imum diuides in plurima fruſta, velut duodecim aut ſexdecim, pluráue, ita tamen vt imum integrum maneat; inde ſiccetur in furno duobus tribúſue diebus: excluſo itaque humido aqueo cùm remaneat quod pingue eſt, ardet vt tæda: & ſi longitudine hominem æquat, durat alacris flamma per horæ ac dimidiæ ſpatium lumine ſplendidiſſimo. VI *Ignis generatur, ſeu fit, ſex modis*: propagatione, antiſpaſi, percuſſione, frictione, putredine, coitione. Nam qui vel ſpeculis cauis, vel ſphærulis perſpicuis generatur, ad coitionem manifeſtè pertinet. VII. *Ignis generatur ex attritione lapidum, lignorum ferramentorum*: item ex colliſione ſilicis atque ferri. VIII. *Aqua ſolet vehementes ignes accendere*, quoniam humidum ipſum quod exhalat, pinguius redditur. nec à circumfuſo fumo abſumitur, ſed totum ignis ipſe depaſcitur, quo purior inde factus, & ſimul collectus à frigido alacrior inſurgit. Vnde etiam ignes artificioſi, qui aquâ non extinguuntur, ſed eâ magis excitantur & accenduntur. Genus quoddam conſtat pice nauali & Græcâ, ſulphure, vini fæce, quam vocant tartarum, ſarcocollâ, halinitro, bituminis ſpecie, illâ quam vocant petroleum. Relatum hoc ad Marcum Gracchum. Additur calx viua duplo pondere, & cum ouorum luteis pariter miſcentur omnia, & in fimo equino ſepeliuntur: *Aliud*: Sulphurei olei, petrolei, iuniperini olei, & halinitri æquales ſingulorum partes: nigræ picis, pinguedinum anſeris & anatis, ſtercoris columbini, eius liquoris quam vocant liquidam vernicem (conſtat autem oleo ſeminis lini) rurſus ſingulorum tantundem: aſphalti partes quinque: excipe ardente aquâ, & in fimo equino ſepeli. *Aliud etiam*: Vernicis liquidæ, ſulphurei olei, & iuniperini, & eius quod fit ex lini ſemine, & petrolei, & lacrymæ laignæ

rignæ partes æquas ſingulorum,aquæ ardentis tres ac mediam, tum halinitri, ligni laurini ſicci,in puluerem redactorum,quantum ſufficit, vt omnia ſimul miſta,luti ſpiſſitudinem recipiant. Hæc omnia vitreo vaſe excipe, & in fimo equino tribus menſibus ſepeli. Si igitur ex his pilæ lignis hæreant, ſponte imbribus accenduntur: ſed hoc non omninò ſemper euenit:illud autem ſemper, vt iam accenſus nullis aquis extinguatur. Puluis autem qui facillimè ardet, & cuius flamma vehementer exurit, conſtat pyrio puluere, & tertiâ ſulphuris ac Græcæ picis parte. I X. *Puluis pyrius abſque ſtrepitu ſphærulam eiiciens è manibus,* fit detracto halinitro. Sed puluis ille ſine impetu, ac ad duodecim fermè tantùm paſſus extendit ictum:cum magnâ enim vi penitùs eſt impoſſibile.Detracto enim halinitro puluis ille ſphærulam quidem ſine ſtrepitu emittit: ſed in vniuerſum,quantum è ſtrepitu, tantum ex impetu detraxeris. X. Non ſolùm ſubiecta materia ignem variare ſolent) vt enim ſolidior eſt materia, ita ignis eſt denſior. quia omnis calor talis eſt, quale alimentum. vnde ſolidiora alimenta robuſtiorem calorem efficiunt) ſed etiam *modus applicandi.* Suſcipit enim varietatem à naturâ propriâ, & vim diuerſam ex applicatione. Imbecillis eſt ignis, cùm ſupponitur: vt cùm carnes coquimus, applicatur ſub, vt loquuntur, vt paulatim vehementiùs agat: nam ignis naturâ ſurſum tendit. Proximus huic eſt, quem vocant reflexum: fit cùm ſuprà & infrà applicatur, vel à latere, oppoſito latere vim ignis reddente. Hoc mollia metalla eruuntur ex lapidibus, quibus iuncta ſunt, & argentum ab ære ſeparatur. Tertium genus eſt ignis ambientis, cùm vndique res quam vrere tentamus aut colliquare, ab igne ſine follibus circumambitur. Extremus modus eſt, quo nullus violentior, cùm difficillimas materias duriſſimis lapidibus miſtas colliquare volumus. Fit autem hoc modo. Vaſa longitudinis cubitorum quatuor aut ſaltem trium, latitudinis dodrantis, craſſitudinis digitorum trium, in imo flexa, ac ad cubiti figuram ferè formata, ſine fundo, ex ſilice nigro maculis albis inſperſo fiunt: in medio longitudinis foramen, atque in eo canalis ad vnguem collocatus, per quem ſpiritus follium intus feratur: in imo foramen, per quod materia liquata deſcendat. Ima pars vaſis obſtruitur, eo (vt dixi) relicto oſculo, argillâ & carbonibus tritis ſimul tuſis, in formam cæmenti ac tenaciorem redactis. Hæc ſic diſpoſita, à ſimilitudine *manicæ metallicæ* dicuntur. Implentur intus materiâ, quam liquare propoſitum eſt; atque carbonibus alternatim concluſus hic ignis ſummam habet vim, cunctaque neceſſe eſt, ſi non colliquantur, vri. Non vulgaris vtilitas eſt ſpiritus, qui per canalem ex follibus intus immittitur. Hic primò quod palam eſt, ignem accendit, & flammam ſuſcitat, ipſumque ignem cogit vehementiùs penetrare. Secundò, cùm frigidus ſit, conceptum à metallo calorem cogit, ac intrò pellit, atque ſic materiam, in quâ eſt, diſſoluit. Tertiò, ſi quid liquatum eſt, ne vratur prohibet, caloremque mitigat. X I. *Ignis in cauis ſpeculis ſoli obiectis accenditur*; quoniam in paruum ſpatium radij ſolis plurimi coëunt. X I I. *Ignis à ſphærulis cryſtallinis in ſole poſitis accenditur: item à rotundâ* amphorâ vitreâ aquâ plenâ. In his enim radij ex aduerſo coëunt, ſicut in cauis ſpeculis antè. Verùm vrendi & non vrendi par ratio in vtriſque. X I I I. *Ellychnia quæ non conſumuntur,fiunt ex alumine plumæ.* Sed cõmune eſt hoc omni fermè generi cruſtati lapidis,vt ſi ex eo ellychnia fiant,perpetuò oleum conſumatur,ipſa verò maneant. Videris hâc de re *Cardanum lib.* 5. *de ſubtil.* in quo tractatu paſſim multa Pyronomica ſunt tradita, & huc à nobis tranſlata. X I V. *Lucerna mirabilis,toto anno ardens,fit in modum turris, ſpatio turris aucto, ſeu proportionaliter diuiſo iuxta multitudinem dierum anni.* Si enim in vas maximum effundatur oleum,perſeuerante flammâ ellychnij ſufficiet in totum annum. Vt verò perſeueret flamma ellychnium comburi non debet. Tale fit è lino Carpaſio: hoc enim non vritur: aut è lapidum cruſtatorum filis: aut ex alumine plumoſo, vt modò dicebamus. Schema & fabricam lucernæ vide apud *Cardanum lib.* 1. *de ſubtil.* Nos habemus eiuſmodi lucernam, quæ toto die, ſeu horis viginti quatuor, ardet. X V. *Summum ſecretum pyrotechniæ eſt,*ignem aſtralem & ſidereum intus in corporibus naturalibus latentem excitare admoto igne vſuali. Sic verbi gratiâ cinis è plantâ quâlibet philoſophicè calcinatâ, vitro Hermeticè ſiglato inditus, admoto igni vſuali, vegetatur, vſque adeo, vt planta, cuius iſte cinis eſt, ex ſe pullulet, creſcat, & explicatiſſimam induat formam: niſi quòd corpus eſt exilius. Roſaceus eſt cinis? roſam dat. Calendularis? calendulam. Nimirum vis ſeminaria, ſeu chaos philoſophorum,latet in iſto cinere, & per ignem digerentem excitatur, ſeu in actum producitur. X V I. *Ignis ſolaris, ſeu Veſtalis*, ſub æquinoctij verni tempus, accenditur,ſi ſpeculum quodcunque ſoli obiiciatur,& fomes facilè concipiens flammam diametraliter opponatur ſpeculo.Huius ignis fomes,modus accendendi, tẽpus accenſionis,vſus in laboratorio philoſophico,& cuſtodia elegãter deſcribũtur à Khunratho in libro paulò antè citato X V I I. *Ignis philoſophicus eſt triplex vnus internus,& duo externi.* Internus eſt, qui latet in quocunque corpore, nominatim in materiâ tincturæ catholicæ. Externus eſt, qui excitat ignem internum catholicæ materiæ; quique paratur ex tincturâ iam confectâ. Inde enim fieri poteſt ignis perpetuus. Sed hæc fuſiùs diſputata vide ſuprà in Alchymiâ.



SECTIO VIII.

In quâ delineatur

GNOMOLOGIA.

PRÆCEPTA.

GNOMOLOGIA, ſeu gnomographia, eſt diſciplina mixta de ratione colligendi gnomas,id eſt, illuſtres ſententias.

Eſtque generalis, vel ſpecialis.

Generalis eſt de naturâ & vſu gnomarum.

Natura eſt in eo, quòd gnomæ debent eſſe breues, & acutæ.

Vſus eſt,iuuare memoriam & iudicium, gubernare, & diſcurſum atque vitam actiuam.

Specialis eſt de differentiis gnomarum,quæ ſumuntur à linguis,aut diſciplinis. Ibi ſunt gnomæ Hebraicæ, Græcæ, Latinæ,&c. hîc ſunt gnomæ theologicæ, philoſophicæ,iuridicæ,medicæ,mechanicæ,vel miſcellaneæ.

REGVLÆ.

I. *Gnomologia non ſolùm complectitur gnomas, ſed etiam chrias, noëmata, apophthegmata,ſymbola.* Gnor logia plitu

Itaque Gnomica. τὰ γνωμικὰ, ſunt omnia ſapienter, breuiter,& acutè dicta; ſiue profecta ſint ab illuſtribus viris, ſiue ab oratoribus & poëtis, ſiue à theologis, ſiue ab aliis quibuſcunque.

II. *Gnomologiæ ſumma genera ſunt:gnomologia philologica, philoſophica, theologica, iuridica, medica,& miſcella.* Gno logi. uiſic

Sub Gnomologiâ philologicâ continetur oratoria & poëtica. Gnomologia philoſophica eſt theoretica, vel practica; & hæc eſt magis exculta, magiſque vtilis. Gnomologia theologica eſt Biblica, vel eccleſiaſtica; quò pertinent ſententiæ Doctorum eccleſiæ. Gnomologia iuridica, medica, & mechanica nondum eſt ita exculta. Gnomologia miſcellanea proponit gnomas variarum diſciplinarum. Et hæc eſt maximè exculta.Nos hoc loco exhibebimus ſpecimen gnomologiæ heroicæ, & miſcellaneæ; atque hæc poſterior erit partim Rabbinica, partim Turcica,partim theologico-philoſophica,partim mechanica.

GNOMOLOGIA HEROICA id eſt,

Symbola Imperatorum

In tres claſſes tributa, breuiterque collecta ex Nicol.Reuſnero & Goltzio.

CLASSIS PRIMA SYMBOLORVM HEROICORVM;

Continens ſymbola Imperatorum ac Cæſarum Romanorum Italicorum, à C. Iulio Cæſare vſque ad Conſtantinum M.

I. C. Iulij Cæſaris. Semel quàm ſemper. Satius eſt mori, quàm aſſiduâ ſpe & expectatione vitam perdere.

Præſtat inſidias *ſemel* ſubire.

Quàm ſic inſidias cauere ſemper.

I I. D. Octauij Cæſaris Auguſti. Feſtina lentè.

Romam lateritiam accepi, marmoream relinquo.

Nec nil,nec nimiùm:medium tenuêre beati:

*Feſtina lentè:*ſat citò, ſi bene ſat.

I I I. Tiberij Cæſaris. Meliùs eſt tondere quam deglubere.

Me

Me mortuo terra igni misceatur.
Pastor oues *tondet bonus,haud deglubit.* idémque
Pastor agit populi,duxque paterque bonus.
IV Caij Cæsaris Caligulæ. Oderint dum metuant.
Nihil magis in naturâ meâ probo, quàm inuerecundiam.
*Dum metuat,*nihil ipse moror, *si me oderit* orbis.
Sibilet vt populus,sed mihi plaudo domi.
V. Claudij Cæsaris Generis virtus nobilitas.
Non eodem modo à pulice & ferâ belluâ caueri oportet.
Fortes creantur fortibus ac bonis:
Gentísque virtus, nobilitas viget
In posteris, ignobilis mox,
Quando perit simulata virtus.
VI. Sexti Domitiani Neronis. Artem quæuis terra alit.
Priamus mirum in modum beatus fuit, quòd patriam simul cum regno perditam vidit. [illegible]
Artem *quæuis terra* parens *alit*, & bona nutrix:
Sic ars fit sortis portus,& ara malæ.
VII. Sergij Sulpitij Galbæ. Miles legendus, non emendus.
Mos fuit deligere, non emere milites.
Lectus non placet emtus ære miles.
Item: Miles, suadeo,disce militare:
Non Getulicus est, sed ipse Galba.
VIII. M. Saluij Othonis. Vnus pro multis.
Multò melius iustiúsque est,vnum pro multis,quàm multos pro vno interire.
*Vnus pro multis,*quamuis pro sontibus insons,
Pro vno quàm multi, iustiùs hercle perit.
IX. Auli Vitellij. Bonus odor hostis, melior ciuis occisi.
Optimè olet hostis occisus sed meliùs ciuis.
Scilicet *hostis olet bene* cæsus ab hoste: sed erro:
An *meliùs ciuis*, sic mihi cæsus olet?
X. Flauij Vespasiani. Lucri bonus odor ex re quâlibet.
Ἡδεῖα τῆ κέρδους ἐκ παντὸς ὀσμή
Si *lucri bonus est odor ex re quâque pudori.*
Quid mirum,præstat si quoque turpe lucrum?
XI. Titi Vespasiani. Princeps orbis amor bonus.
Nemo me iniuriâ afficere aut contumeliâ potest: quia nihil ago,quod alios possit lædere.
Item: Ego,quoniam nihil facio dignum contumeliâ, mendacia nihil curo.
Item: Non oportet quenquam à conspectu Principis tristem discedere.
Principis à facie ne quis discedat amicus.
Tristior: hæc laus est Principis vna boni.
XII. Flauij Domitiani. Fallax bonum regnum.
Paucis notum est,quàm misera sit Principum conditio, qui à tyrannidis falsâ suspicione tum demum liberantur, cùm agunt animam.
O miseram regni sortem,regúmque pericla
O multa: *regnum* dicitur *fallax bonum.*
XII. Neruæ Coccei. Mens bona regnum possidet.
Nihil me fecisse scio, quò minùs possem deposito Imperio, priuatus tutò viuere.
Mens regnum bona possidet: sed istud
Regnum dat sibi quisque,sic regendo
Subiectos placidè suos: amicus
Princeps vt sit, amabilísque: tutò
Priuatus semel ac loco quiescat,
Ac securus ametur, aut colatur.
XIV. Vlpij Traiani. Qualis rex, talis grex.
Talis priuatis sit Imperator, quales sibi priuatos optat habere.
Fiscus lien, quo crescente reliqui artus omnes tabescunt.
Qualis rex,talis grex: si bene rex,bene vult grex:
Mutua sic regem cura gregémque beat.
XV. Ælij Hadriani Cæsaris. Non mihi, sed populo.
Sic gesturus sum principatum, vt sciam rem populi esse, non meam priuatam.
Quem sua non tam vota mouent, quàm publica, quíque
Non sibi, sed populo consulit, ille placet.
XVI. L. Ælij Cæsaris. Vxor nomen dignitatis, non voluptatis.
Si *dignitatis vxor* est *nomen* bonum;
Nomen *voluptatis* cur hoc fiat malum?
XVII. M. Antonini Pij. Meliùs seruare vnum,quàm occidere mille.
Vellem me sine Senatorio sanguine imperium transigere.
Honestius est Cæsari, vnum ciuem seruari, quàm mille hostes occidi.
Pulchrius est *vnum ciuem seruare* monarchæ,
Hostes *quàm* forti *cædere mille* manu.
XVIII. M. Aurelij Antonini philosophi. Regni clementia custos.
Consulendum,& parendum consilio.
Æquius est, me tot & talium amicorum consilium, quàm tot& tales meam vnius voluntatem sequi.
Consilio quicunque suo sapit, haud sapit ille:
Consilio alterius qui sapit,ille sapit.
XIX. L. Veri. Nil obiter.
Non decet imperatorem præproperè quicquam agere.
Nil obiter: sed quicquid agis, cunctanter id omne
Cæsar agat: sapiens cor mora nempe facit.
XX. L. Aurelij Commodi. Pedetentim.
Ab incolumi, quamuis paulatim, negotia perfici possunt; à mortuo nihil.
Qui sospes est,*pedetentim,* quod gerit, gerit:
Qui mortuus,frustrà gerit negotium.
XXI. P Heluij Pertinacis. Militemus.
Sanctius est, inopem remp. obtinere, quàm ad diuitiarum cumulum per discriminum atque dedecorum vestigia peruenire.
Non perinde grata est hominibus libertas, quàm molesta seruitus.
XXII. M. Didij Iuliani. In pretio pretium.
Etsi alterum pedem in sepulchro haberem, adhuc discere vellem.
In pretio pretium est. Sic non virtute potestas;
Sæpiùs, at pretio venit & ære fides.
XXIII. C. Pescennij Nigri. Placere viuus,laudari mortuus.
Viuentes laudari irrisio est, maximè ipsius imperatoris.
Ego viuus placere volo, mortuus etiam laudari.
Si viuos laudare vetat pudor; ipse *placere*
Viuus,laudari mortuus inde *volo.*
XXIV. L. Septimij Seueri. Laboremus.
Turbatam rempub. vbique accepi: pacatam,etiam Britannis, relinquo.
Πάντα ἐγενόμην, καὶ οὐδὲν ἐμοὶ λυσιτελεῖ
Omnia fui, sed nihil mihi profuit.
XXV. M. Aurelij Antonini Caracallæ. Omnis in ferro salus.
Quia ob res à me gestas, vos mihi inuidere scio,in armis stipatus sum militum agmine.
XXVI. P. Septimij Getæ. Nulla fides regni.
Tu qui nulli parcis, potes etiam fratrem occidere.
Nulla fides regni, nulla est communio sancta:
Nescit regnandi ius pietatis amor.
XXVII. M. Opelij Seueri Macrini. Ferendum ac sperandum.
M. Opelij Antonini f. pater quidem curabit, ne desit imperio: ego autem elaborabo,ne desim nomini Antoninorum.
Victrix fortunæ sapientia; qui sapit, ille
Sperando superat fortunam omnem, *atq; ferendo.*
XXVIII. M. Aur. Antonini Elagabali. Suus sibi quisque hæres proximus.
Quid melius,quàm vt ipse mihi hæres sim,& vxori meæ?
Quid melius, mihi si *suus hæres* esse laborem?
Sic hæres suus vt sis tibi: *viue tibi?*
XXIX. M. Aurel. Seueri Alexandri. Quod tibi hoc alteri.
Qui emit, vendat oportet
Fumo pereat, fumi venditor.
Ego non patiar mercatores potestatum.
Quod vis tibi fieri, fac alteri: sed &
Quod non tibi fieri vis,ne fac alteri.
XXX. Maximini. Quò maior, hoc laboriosior.
Ego quò maior fuero, hoc magis laborabo.
Corpore *quò maior* Princeps,& maior honore,
Maior eò Princeps esse *labore* velit.
XXXI. C. Iulij Veri Maximini. Vltorem vlciscitur vltor.
Ex pessimo genere ne catulus quidem educandus.
Sit licet ipse ferox, *vltorem vlciscitur vltor.*
Liber & à pœnâ vix abit inde nepos.
XXXII. M. Ant. Gordiani. Omnis vita supplicium.
Ostendens terris hanc tantùm fata,nec vltra
Esse sinent.
Viuere si pœna est. cur mors sit acerba, doléńsque?
At bis,Marte suo qui perit,ille perit.
XXXIII. M. Ant. Gordiani II. Pro patriâ mori, pulchrum.
Si minùs in patriâ, patriæ iacet inclytus heros,
At bene, *pro patria* qui iacet, ille iacet.
XXXIV. M. Clodij Pupieni Maximi. Qui timetur, timet
Multos timeat necesse est, quem multi timent.
Qui terret, plus ille *timet*: metui cupit ille,
Sed metui quouis plus timet ipse loco.
XXXV. D. Cælij Balbini. Bonis nocet, qui parcit malis.
Bonis nocet,quisquis pepercerit malis.
Bonis nocet Princeps, quando parcit malis:
Bonorum iniuria fit malorum impunitas.
XXXVI. M. Antonini Gordiani III. Princeps miser, quem latet veritas.
Miser Imperator, apud quem veritas reticetur.
XXXVII. M. Iulij Philippi I. Malitia regno idonea.
Si violandum est ius, regni gratiâ violandum est.
Non bene conueniunt pietas, & summa potestas:

Sic pietas regno ſæpe dat acta locum.

XXXVIII. *Iulij Philippi II.* Multa nec apta.

Πολλὰ, καὶ μὴ καίρια.

Non eſt eiuſdem, & multa, & opportuna dicere.

Qui vult *multa* loqui, *non opportuna* loquetur
Semper: ſic linguæ ſe docet eſſe malæ.

XXXIX. *C. Meſſij Quincti Trajani Decij.* Apex magiſtratus authoritas.

Authoritas rerum gerendarum telum.

Summus *magiſtratus apex authoritas.*
Plus hæc poteſt, quam vis, & quam potentia.

XL. *Q. Herenij Etruſci Decij.* Fugitiuo nulla corona.

Timidi nunquam ſtatuerunt trophæum.

Mars dubius, victórque cadit, victuſque reſurgit.
Qui fugit, huic meritò *nulla corona* datur.

XLI. *C. Vibij Treboniani Galli.* Nemo amicus idem & adulator.

Præſtat habere acerbos, quàm ſuaues amicos.

Nemo poteſt Pluto pariter ſeruire Deóque:
Sic & *adulator nullus amicus* erit.

XLII. *C. Vibij Voluſiani.* Sine vano publica fama.

Non omnino temerè eſt, quod vulgo dictitant.

Omnia quæ prodit, *ſine vano publica fama:*
Crede mihi, verum dicere fama ſolet.

XLIII. *C. Iulij Æmiliani.* Non gens, ſed mens.

Generoſitas virtus, non ſanguis.

Non genus, at genius: *non gens*, ſic credere fas eſt,
Sed *mens* nobilitat nobilitata virum.

XLIV. *P. Licinij Valeriani.* Non acerba, ſed blanda.

Amicum inimicum fugito.

Si dona non ſunt dona, quæ dant, hoſtium
Nec verba, quæ dant, verba ſed ſunt verbera:
Acerba ſic *non verba blanda ſed* time.

XLV. *P. Licinij Gallieni.* Prope ad ſummum, prope ad exitum.

Omnia decreſcunt, vbi, quò creſcant, non habent.

Summa petit mors & liuor: *ſummúmque* negatum
Stare diu: finem res habet illa ſuum.

XLVI. *Salonini Valeriani.* Magnum ſatellitium amor.

Nil odio grauius populi: non magna poteſtas,
Magnum at *ſatellitium* eſt amor.

XLVII. *C. Iunij Caſſij Poſthumi.* Audentes fortuna timet.

Fortes fortuna formidat.

Audentes metuit, metuentes *Fors* premit audens:
Aude aliquid, ſic te Fors finit eſſe aliquid.

Al. Ignauos Fortuna premit, metuítque viciſſim
Fortes: vt faueat Fors tibi, fortis eris.

XLVIII. *M. Aurelij Claudij.* Rex viua lex.

Quod, dum priuatus eram, nec leges curabam, abſtuli: hoc factus imperator reſtituo.

Imperet vt bene *rex*, ſic *lex animata* ſit ille;
Qui paret legi, rex magis iſte placet.

XLIX. *M. Aurelij Quintilli.* Honeſta mors, honeſta turpitudo.

Honeſta turpitudo mori pro causâ bonâ.

Honeſta turpitudo mors honeſta fit,
Quam ſponte pro causâ bonâ dux oppetit.
Bis emori, ſed eſt mori ſic turpiter.

L. *L. Domitij Aureliani.* Quò maior, eò placabilior.

Sublimius eſt, regere aliquam Italiæ partem, quàm trans alpes regnare.

Quò maior, magis hoc dux eſt placabilis hoſti:
Multa licere ſibi, pauca libere probat.

LI. *M. Claudij Taciti.* Sibi bonus, alijs malus.

Malus, qui ſuâ causâ bonus.

Qui *ſibi, non alijs bonus* eſt, *malus* ille vocetur:
Nam lucri causâ fit malus atque bonus.

LII. *M. Annij Floriani.* Iniuria vnius, minæ multorum.

Qui vni facit iniuriam, multis minatur.

Vni qui nocet is multis ſic damna *minatur:*
Suſpecta res iniuria eſt.

LIII. *M. Aurelij Probi.* Pro ſtipe labor.

Annonam gratuitam miles comedere non debet.

Sponte fugit, quicunque molam fugit, ille farinam:
Pro ſtipe ſit merces militis ipſe *labor.*

LIV. *M. Aurelij Cari.* Bonus dux, bonus comes.

Bonus dux bonum reddit comitem.

Si *dux* ipſe *bonus, bonus* eſt *comes:* ipſáque virtus.
Principis, immenſum ſic quoque calcar habet.

LV. *M. Aurelij Numeriani* Eſto quod audis.

Quod videri vis, eſto.

Sic rectè viuis, ſi *curas eſſe quod audis*,
Virtus, virtutis non placet vmbra bonis.

LVI. *M. Aurelij Carini.* Cedendum multitudini.

Populo cede, ne pare.

Si turbare tibi velis quietem,
Turbam conſule; turba turbulenta eſt.
Inturbata ſit vt quies, ſtudeto
Turbæ *cedere multitudini* que.

LVII. *C. Valerij Diocletiani.* Nihil difficilius, quàm bene imperare.

Non eſt turpe homini, qui ſummum bonum in animo poſuerit, honeſtam profiteri paupertatem.

Cùm vox libera nulla veritatis
Aut vis ſit fidei: profectò *nil* eſt
Æquè difficile, ac bene imperare.
O munus graue principum bonorum!

LVIII. *Aurelij Valerij Maximiani.* Melius mori, quàm ſibi viuere.

Satius eſt mori, quàm priuatum agere.

Sic homo viue tibi, reliquis vt viuere poſſis:
Tanquam homini, tanquam ſic bene viuis homo.

LIX. *Fl. Aurelij Conſtantij.* Virtus dum patitur, vincit.

Virtus exercetur, non perit.

Virtus dum patitur, vincit, victríxque triumphat:
Creſcit in aduerſis, neſcia ſola mori.

LX. *C. Galerij Valerij Maximiani.* Tutum ſilentij præmium.

Sponde, noxa præſto eſt.

Tutum ſilentij fidelis *præmium.*
Quod ſi negas, ſponde, iam noxa præſto adeſt.

LXI *C. Galerij Valerij Maximini.* Marcet ſine aduerſario virtus.

Miſera fortuna, quæ caret inimico.

Marcet ſine hoſte virtus: inde naſcitur
Ex copiâ inopia, ex otio negotium.

LXII *Fl. Valerij Seueri.* Semen Eccleſiæ ſanguis piorum.

Quantò magis reſiſtitur, tantò magis addiſcitur: Chriſtianorum ſanguis, Chriſtianorum ſemen.

Quò ſanguinis plus Chriſtiani funditur:
Hoc ſeminis plus Chriſtiani germinat.

LXIII *M. Aurelij Maxentij* Phryx plagis emendatur.

Phryges non niſi icti ſapiunt.

Ingenium melius generoſum ducitur omne
Quàm trahitur: *plagis Phryx ſapit* ipſe magis.

LXIV. *C. Valerij Liciniani Licinij.* Peſtis reip. literæ.

Spadones & aulici ſunt tineæ & ſorices palatij: virus ac peſtis publica ſunt literæ.

Sunt *literæ rei* ſunt *publicæ peſtis.*
Liciniana ſic putas audacia.

CLASSIS SECVNDA SYMBOLORVM HEROICORVM;

Continens Symbola Imperatorum Cæſarúmque Romanorum Græcorum à Fl. Conſtantino Magno vſque ad Carolum Magnum, primum Cæſarem Germanicum.

I. *Fl. Valerij Conſtantini Magni.* Immedicabile vulnus enſe recidendum.

Imperator nemini, ne ſuis quidem propriis membris parcere debet, publicæ tranquillitatis conſeruandæ causâ.

Culpam pœna premit comes: *immedicabile vulnus.*
Sic medicus *ferro ſanat*, & igne bonus.

II. *Fl. Iulij Criſpi.* Homo non homo iratus.

Homo extra corpus ſuum eſt iratus.

Quem vincit ira trux, homo, non eſt homo:
Tam mentis impos fit ſuæ, quàm corporis.

III. *Fl. Claudij Conſtantini Iunioris.* Difficilia quæ pulchra.

In magnis & voluiſſe ſat eſt.

Quod pulchrum, hoc quoque difficile eſt, laus velle putanda eſt,
Quod fieri facilè poſſe vel eſſe neges.

IV. *Fl. Iulij Conſtantis.* Creſcente ſuperbiâ decreſcit fortuna.

Felix inſolens infelix.

Felix ſe erigendo felicitatem amittit.

Tantum decreſcit fortuna, ſuperbia quantum.
Creſcit; fortunæ quæ comes eſſe ſolet.
Felicitas ſuperbiæ; ſuperbia
(Quis credat?) infelicitatis ſit parens.

V. *Fl. Iulij Conſtantij.* Patiens ſit Principis auris.

Princeps & iniqua, & æqua pariter audias.

Aut ſurda, aut *patiens* magni *ſit Principis auris:*
Si neſcis, læsâ bilis in aure ſedet.

VI. *Magnentij.* Pudor iuueni decus, ſeni dedecus.

Pudor ſeni pudor, iuueni decor.

Si color eſt virtutis (vt eſt) pudor, aut rubor: ergo
Cur *decus* eſt *iuueni, dedecus* ille *ſeni?*

VII. *Decentij.* Celare dolorem difficile.

Miſer dolor, qui in tormentis non habet vocem.

Difficile eſt, animi ſemper *celare dolorem:*
Nec facile eſt triſti fingere mente iocum.

VIII. *Fl. Claudij Iuliani Apoſtatæ.* Pennis ſuis feriri graue.

Turpe eſt ſapienti, cùm habeat animum, captare gaudia ex corpore.

Ille

Ille magisdolet,& *patitur magis* ille dolendo,
Marte suo petitur quisquis , & arte suâ.
IX. Fl Iouiani Scopus vitæ CHRISTVS.
„ Sit *Christus vitæ scopus* , & sit meta salutis:
Non errat, vitæ cui scopus ille placet.
X. Fl Valentiniani. Princeps seruator iustus.
„ Francum amicum habeto, vicinum ne habeto.
Princeps sit populi *seruator iustus* & æquus:
Iustitiâ vires temperet ille suas.
XI Fl. Valentis. Alienus ab irâ,alienus à iustitiâ.
„ Suspicionibus securus.
Qui nimis est facilis dux & placabilis iræ,
Cultor iustitiæ non solet esse bonus
XII. Fl Gratiani. Non quàm diu, sed quàm bene.
Non quamdiu viuas,refert, *sed quàm bene:*
Nam sat diu viuis,modò si viuas bene.
XIII. Valentiniani Iunioris. Amicus veterrimus optimus.
„ Nouos parans amicos,ne obliuiscaris veterum.
Quo bene quis consueuit, amicus is optimus esto:
Nescis quippe nouus qualis amicus erit.
XIV. Fl. Magni Maximi. Nunquam periculum sine periculo vincitur.
Periclitatur qui fugit periculum:
Nunquam periculum sine periculo vincitur.
XV. Fl. Theodosij Magni. Eripere telum , non dare irato decet.
Eripere telum, non dare irato decet.
Sic adimere regnum,non dare,fas est improbo.
XVI. Fl. Arcadij. Summa cadunt subitò.
„ Maxima paulatim ex minimis,minima subitò ex maximis.
Parua quidem crescunt paulatim, magnáque fiunt:
Summa cadunt subitò, magna repentè ruunt.
XVII. Fl. Honorij. Malè partum malè disperit.
„ Condus requirit promum.
Sæpe malè pereunt bene parta bona: at bona semper
Parta malè pereunt, author vt ipse malè.
XVIII. Fl. Theodosij Iunioris. Tempori cedendum.
„ Præsentem fortunam boni consule.
Qui tempori repugnat, ille stultus est:
At tempori qui cedit, hic cedit Deo.
XIX. Fl. Placidij Valentiniani. Omnia mea mecum porto.
Quæ *mea* sunt, virtus dat & ars: hæc *omnia* mecum
Porto: fortunæ cætera serua manent.
XX. Fl. Martiani. Pax bello potior.
„ Quamdiu pacatè viuere licet, non est Principi decorum, vt
„ arma sumat.
Pace frui quando fas est, fas *Marte carere:*
Nam pacem quærit rex quoque Marte bonus.
XXI. Fl. Leonis Magni. Regis clementia virtus.
Solis vis calor est: *Regis clementia virtus:*
Sol rex, aut Solis sic mihi frater erit.
XXII. Fl. Leonis Iunioris. Fide & diffide.
„ Amicum possìde, vt inimicum fieri posse putes.
Par vitium, cunctis, & nullis fidere velle:
Fide bonis, *diffide* malis: si fidis amico,
Fide quidem, sed tanquam inimico fide futuro.
XXIII. Fl. Zenonis Isaurici. Malo nodo malus cuneus.
„ Ingenti nodo cuneus iungetur acutus.
Malo malus plerumque *nodus cuneo*
Infringitur, clauúsque clauo pellitur.
XXIV. Fl. Anastasij Dicori. Mellitum venenum blanda oratio.
„ Habet suum venenum blanda oratio.
Quid nisi *mellitum* est *oratio blanda venenum?*
Nam proba cui mens est,& proba lingua placet.
XXV. Fl. Anicij Iustini. Quod pudet,hoc pigeat.
„ Cuius pudet, pigeat.
Quod pudet hoc pigeat facere vnumquémque: pudoris
Princeps qui fines transilit, ille malus.
XXVI. Fl. Anicij Iustiniani. Summum ius summa iniuria.
„ A bonis bona bene.
Summum ius, crux summa,vel est *iniuria summa:*
Iustum ius iustus semper & æquus amat.
XXVII. Fl. Iustini Iunioris. Libertas res inæstimabilis.
„ Non beatus, qui se beatum nescit.
„ Memineris semper, qui fueris antea.
Non bene *libertas* nummis, virtute paratur
Sed meliùs,*pretio* quouis *pretiosior* illa
XXVIII. Tiberij Constantini. Stips pauperum,thesaurus diuitum.
„ Virtutem præ omnibus colito.
Quod pauperi donas lubens, donas Deo;
Stips pauperum,thesaurus ingens *diuitum* est.
XXIX. Fl. Tiberij Mauritij. Quod timidum, idem crudele.
„ Iustus es,Domine; & rectum iudicium tuum.
Quod timidum, fit *idem simul* hoc *crudele:* tyrannus
Sic alios semper, séque suósque timet.

Iustus es ò Domine,& *tua* sunt *iustissima* semper
Iudicia: ô iudex sis Deus ipse mihi.
XXX. Fl. Phocæ. Fortunam citiùs reperias, quàm retineas.
Faciliùs fortuna paratur, quàm conseruatur. “
Ludit in humanis rebus *fortuna:* licebit
Hanc *reperire* magis, *quàm retinere* diu.
XXXI. Fl. Heraclij. A Deo victoria.
Super aspidem & basiliscum ambulauit, & conculcauit leonem ac draconem. “
Non vis, aut numerus,sed æqua causa
Victrix,atque Deo placens,triumphat.
Nam *victoria*, quæ triumphat vna,
Felix cœlitus *à Deo* petenda est.
XXXII. Fl. Heraclij Constantini. Insania læta voluptas.
Voluptas hilaris insania. “
Satis est potuisse punire. “
Quid nisi dulce malum, aut *insania læta, voluptas*
Corporis est, animæ pestis,& esca mali?
XXXIII. Fl. Heraclionæ. Mali principij malus exitus.
Finis principij hei malus est mali.
Semper principium fac bene cum Deo.
Finis principij sic bonus est boni,
Sic totum geritur ritè negotium.
XXXIV. Fl. Constantis II. Parendum necessitati.
Sequere trahentia fata. “
Malè quæsita, malè dispereunt. “
Pare necessitati, si non sponte, vi
Pares coactus, magna vis necessitas.
Sin sponte pares, nulla vis necessitas.
Ducit volentem quippe, nolentem trahit.
XXXV. Fl. Constantini IV. Pogonati. Quod citò fit,citò perit.
Quod citò fit, perit hoc *citò:* sat citò, sat bene quod fit:
Qui sapit ante pilos, haud sapit ille diu.
XXXVI. Fl. Iustiniani II. Multi nimium,nemo satis.
Multi cùm *nimium* possideant, sibi
Fermè *nemo satis* possidet: omnibus
Fas felicibus est esse: sed haud magis
Quisquam sorte suâ scit bene perfrui:
Sic quò diues, eò pauper is est magis.
XXXVII. Fl. Leonis IV. qui & Leonitus. Pulchra est concordia cordis & oris.
Oris atque cordis harmonia pulcherrima. “
Quàm *pulchra* est *lingua & cordis concordia*! quando
Os loquitur quod cor sentit, vtrumque bene.
XXXVIII. Fl. Tiberij Absimari. Nimium boni, nihil mali.
Miseriam nescire suam,sine periculo est viuere. “
Si cui sensus abest mali,
Nil huic esse mali puta.
Nam cur non nimium boni
Sit huic, cui nihil est mali?
Cui non est malè, huic bene est.
XXXIX. Fl. Philippici Bardanis. Fortuna citò reposcit, quæ dedit.
Leuis est fortuna,quæ dedit,reposcit. “
Quod dedit,hoc fortuna leuis *citò* nempe *reposcit:*
Quæ tantùm constans in leuitate suâ est.
XL. Anastasij II. qui & Artemius. Si non das, accipit vltrò.
Aut dare, aut accipere.
Cui semper dederis, vbi neges, rapere imperas. “
Cui semper dederis, dare si quandóque recusas:
Sponte suâ rapere hunc,cùm lubet,ipse iubes.
XLI. Fl. Theodosij III. Patientia remedium malorum.
Cuiuis dolori remedium est patientia. “
Antidotum vitæ est patientia: sola malorum
Victrix: si bene vis vincere, disce pati.
XLII Fl. Leonis V. Occulti inimici pessimi.
Peius tectum, quàm apertum odium. “
Fronte hilari qui sunt, & tristi corde, caueto
Quisquis sapis, velut inimicos pessimos.
XLIII. Fl. Constantini V. Copronymi. Quid sine pectore corpus?
Corpus excors fragile. “
Quid corpus sine corde? quid est sine Principe regnum?
Corpus cor, regnum rex animare potest.
XLIV. Fl. Leonis VI. Quò fortuna,si non vteris?
Quò mihi fortuna,si non conceditur vti? “
Quò fortuna tibi, bene *si non vteris* illâ?
Non vis,aut cumulus, sed beat vsus opum.
XLV. Fl. Constantini VI Mulieri imperare, res desperata.
Fœminæ naturam regere, omnino est desperare. “
Fœminæ mores regere, omnium hoc est
Velle *desperare:* ferenda nempe,
Aut magis tollenda mala est voluntas
Fœminæ: si fers, melior videris
Tute; sin tollis,probior fit ipsa.

Laudis

Laudis æternum decus hoc meretur.

XLII. *Diuæ Augustæ.* Viue vt viuas.

Viue, vt non moriaris.
Viue, sed vt semper *viuas*: sic ergo beatus
Viue Deo: moritur, qui sibi viuit homo.

CLASSIS TERTIA SYMBOLORVM HEROICORVM,

Continens symbola Imperatorum Cæsarúmque Romanorum Germanicorum a Carolo Magno, primo Cæsare Germanico, vsque ad Matthiam I. Cæs. Austriacum.

I. *Caroli Magni.* Christus regnat, vincit, triumphat.

Si Christus regnat, si vincit, sicque triumphat,
Sit præstes regni, præses & ipse mei.

II. *Ludouici Pij.* Omnium rerum vicissitudo.

Circulus res sunt hominum recurrens,
Fors rotam versat, rotat omne: *rerum*
Omnium sic magna *vicissitudo* est.

III. *Lotharij I.* Vbi mel, ibi fel.

Mel est dulce *vbi*, *ibi fel* est amarum.
Nunquam mel sine felle: nempe quædam est
Coniugatio mellis atque fellis.
Ibi tuber, vbi vber est: sibique
Cedunt sic dolor inuicem, & voluptas.

IV. *Ludouici II.* Par sit fortuna labori.

Quid sine fortuna labor est? *Fortuna labori*
Par sit: qui felix est labor, ille placet.

V. *Caroli II. Calui.* Iustitiam iniustitia parit.

Quod pastori, hoc ouibus.

Iustitiæ genitrix iniustitia esse putatur:
Námque facit leges sic mala vita bonas.
Item: *Quod pastori ouibus* simul *hoc* contingit: in vrbe
Si bene rex habet, & grex habet ipse bene.

VI. *Caroli III. Crassi.* Os garrulum intricat omnia.

Nihil peius ore garrulo, aut nocentius:
Os garrulum, quæ vult, *intricat omnia*.

VII. *Arnulphi.* Facilis descensus auerni.

Facilè vocaueris cacodæmona, sed vocatum non facilè repuleris. "

Segniùs eiicitur, quàm non admittitur hospes:
Sponte malus genius, qui velut hostis, adest.

VIII. *Ludouici III.* Multorum manus, paucorum consilium.

" Multis quidem aggrediendi hostes, pauci verò consulendi.

Multorum manibus pugna; sed *consule paucos*:
Consilium virtus prima, secunda manus.

IX. *Conradi I.* Fortuna cùm blanditur, fallit.

Fallit, cum quo *blanda* nimis *fortuna* iocatur:
Námque facit stultum, quem nimis ipsa fouet.

X. *Henrici I. Aucupis.* Tardus ad vindictam, ad beneficentiam velox.

Sit piger ad pœnas Princeps, ad præmia velox.
Nam virtus magnos hæc facit vna deos.

XI. *Othonis Magni.* Aut mors, aut vita decora.

Sit bonus vt Princeps, *aut mors, aut vita decora*
Sit tibi: mors bona plus, quam mala vita placet.

XII. *Othonis II.* Pacem cum hominibus, cum vitiis bellum.

Cum vitiis bellum, pax cum mortalibus esto:
Pax homines, sæuas trux decet ira feras.

XIII. *Othonis III.* Vnita virtus valet.

" Facilè singula rumpuntur iacula, coniuncta non item.

Plus *virtus vnita valet*: vis nescia vinci,
Si mens vna, fides vna fit, vna manus.

XIV. *Henrici II. Claudi.* Ne quid nimis.

" Nihil impensè ames: ita fiet, vt in nullo contristeris.

Nil nimium cupias:
Ne nimium doleas.
Omne nocet nimium:
Mel quoque fel nimium est.

XV. *Conradi II.* Omnium mores, tuos inprimis obseruato.

Tu *Omnium mores*, *sed inprimis tuos*
Sic cautus *obserues*: vt ex illo tibi
... ex hoc sapias aliis omnibus.

XVI. *Henrici III. Nigri.* Qui litem aufert, execrationem in benedictionem mutat.

Qui tollit litem, fas huic est fausta precari;
Lis litem generat; concordia nutrit amorem.

XVII. *Henrici IV.* Multi multa sciunt, se autem nemo.

Multi multa sciunt: sed ipse *nemo*
Se ... ergo nescit omne.

XVIII. *Henrici V.* Mortem optare malum, timere peius.

" Miser ... qui mortem appetit: miserior, qui timet.

Summum nec metuas diem, nec optes:
Mortem optare, malum; timere, peius.

XIX. *Lotharij II.* Audi alteram partem.

Dimidium facti loquitur, nõn omne, vir vnus
Factum: sed *partem* præstat *vtramque loqui*.

XX. *Conradi III.* Pauca cum aliis, tecum multa.

Tecum multa loqui, cum aliis sed pauca memento:
Quod latet, in vulgus, quando scit alter, abit.

XXI. *Friderici I. Ænobarbi.* Qui nescit dissimulare, nescit imperare.

Præstat vni probo, quàm mille improbis placere. "

Quisquis dissimulare nescit, ille
Nescit ceu decet, *imperare* Princeps.
Multis dissimulet necesse multa est
Princeps, si cupit imperare rectè.

XXII. *Henrici VI.* Qui nescit tacere, nescit loqui.

Qui tacendi non habet artem, nec loquendi nouit opportunitatem. "

Ille loqui nescit, qui nescit sponte *tacere*:
Qui tacet & loquitur, cum decet, ille sapit.

XXIII. *Philippi III.* Satius recurrere, quàm malè currere. "

Quod malè cœptum est, ne pudeat mutasse.

Præstat recurrere hominem, *quàm malè currere*:
Nam sera nunquam est ad bonos mores via.

XXIV. *Othonis IV.* Anser strepit inter olores.

Garrulus argutos *inter strepit anser olores*:
At stultus doctis obstrepit ipse viris.

XXV. *Friderici II.* Minarum strepitus, asinorum crepitus.

Complurium triariorum, ego strepitum audiui. "

Quisquis vult *strepitu mori minarum*,
Is dignus *crepitu* fit vt rudentum
Infelix *asinorum* humetur inde.

XXVI. *Rudolphi I.* Meliùs benè imperare, quàm Imperium ampliare.

Principem *bene* præstat *imperare*:
Quàm malè Imperium *ampliare*: Regis
Illud est sapientis, hoc tyranni.

XXVII. *Adolphi Nassouici.* Animus est, qui diuites facit.

Pecuniâ vir potior.

Præstat vir sine pecuniâ, quàm pecunia sine viro. "

Sanè virum malo pecuniâ, viro
Carere quàm bono pecuniam malam.

XXVIII. *Alberti I.* Quod optimum, idem iucundissimum.

Eligenda est optima vitæ ratio: hanc consuetudo reddet suauissimam. "

Quod optimum est, idem fit iucundissimum.
Sic optimam vitæ conditionem elige,
Quam reddit assuetudo iucundissimam.

XXIX. *Henrici VII.* Calix vitæ, calix mortis.

Calicem vitæ dedisti mihi in mortem: scil. monache. "

Qui *vita* solet esse *calix*, fit fit mihi *mortis*
Ille *calix*: mortis fit comes alma salus.

XXX. *Friderici Pulchri.* Morte beatâ nil beatius.

Summum hominis bonum, bonus ex hâc vitâ exitus. "

Qui credit, *nil morte beatius* esse *beatâ*,
Ille sapit: mortem vita beata manet.

Item: Quod palàm, hoc clam.

Quod pudeat palàm, clam ne facito. "

Quod pudeat fecisse *palàm*, fecisse pigebit
Hoc clam: sic fac clam, quod facis ipse palàm.

XXXI. *Ludouici IV.* Sola bona, quæ honesta.

Huiusmodi comparandæ opes sunt, quæ simul cum naufrago enatent. "

XXXII. *Caroli IV.* Optimum alienâ insaniâ frui.

Qui sapit alterius damno, sapientior ille:
Nam stultus damno vix sapit inde suo.

XXXIII. *Vvenceslai I.* Morosophi moriones pessimi.

Morosophi moris omnibus præcellunt. "

Stultitia est vbi praua, hîc est insania summa:
Quisquis plus nimio non sapit, ille sapit.

XXXIV. *Ruperti Palatini.* Miseria res digna misericordiâ.

Misericordia fortunam, non causam spectat. "

Miseria si vicina misericordiæ,
Miseria certè digna est misericordiâ:
Non spectat hæc causam, sed fortunam malam.

XXXV. *Sigismundi.* Sic cedunt munera fatis.

Mala vltrò adsunt. "

Principum dona non illorum sunt propria, qui ea merentur; sed quibus sunt fato destinata. "

Non semper meritis, sed *cedunt munera fatis*:
Fata premunt, virtus quem super orbe leuat.

XXXVI. *Alberti II.* Amicus optima vitæ possessio.

Amicum ne temerè asciueris, ascitum ne leuiter reieceris. "

Amicus optima est *vitæ possessio*:
Quæ quò vetustior, hoc est exploratior.
Vt diligas amicum semper, delige:
Neque eum semel sic deligis, mox desere.

XXXVII.

XXXVII. *Friderici III.* Rerum irrecuperabilium felix obliuio.

Nescis, principes iaculatorum esse scopos? Alta fulmen ferit, non casas humiles. Pulchrè nobiscum agitur, si quando verbis oppugnamur.

Irreparabilium felix obliuio rerum.
Item A. E. I. O. V.
Siritè lectus aut datus sit à Deo
Princeps: Dei legatus, aut alter Deus
Tertenus, inuictus verè hic & sanctus est,
Victor, triumphatórque felix ac pius:
Sic *Aquila Electa Iustè vincit Omnia.*

XXXVIII. *Maximiliani I.* Tene mensuram, & respice finem.

Charitas non expectat egentis petitionem, vbi necessitatem videt: priusquam petitur, opitulatur, & auxilium offert.

Mensuram sapiens *tene, &* vna *respice finem:*
Finis vt in rebus, sic modus esse solet.
Item Alleʒeit mit hut.
Pro verbo extremo pileum appingere solitus fuit Cæsar.
Quidquid facis, prudenter hoc fac: & bonâ
Cum cautione tempus omne transige.

XXXIX. *Caroli V.* Plus vltra
Nulla victoria sine clementiâ.

XL. *Ferdinandi.* Fiat iustitia, aut pereat mundus.
Aut sit iustitiæ locus, aut sit certa ruina
Mundo: iustitiâ quippe carere nequit.
Item A. I. P. Q. N. S. I. A.
Accidit in puncto, quod non speratur in anno.

XLI. *Maximiliani II.* Dominus prouidebit.
Quid tecum, Fortuna, mihi quid Cura maligna est,
Si rebus *Dominus prouidet* ipse meis.

XLII. *Rudolphi II.* Omnia ex voluntate Dei.
Quæ fiunt, fieri *omnia* ex benignâ
Voluntate Dei, pium atque fas est.
Item A D S I T.
Rebus in aduersis *adsit* mihi dextra Iehouæ:
Hic adsit clypeus, mihi præsit, prosit & idem.

XLIII. *Matthia I.* Concordi lumine maior.
Maior ero patriæ *concordi lumine*, maior.

XLIV. *Ferdinandi II.* Legitimè certantibus.

GNOMOLOGIA RABBINICA

Septendecim decuriis distincta.

DECVRIA PRIMA.

1. Super tribus rebus mundus consistit: super lege, cultu, & retributione beneficiorum. 2. Sit domus tua domus congregationis sapientum, & bibe cum siti verba ipsorum. 3. Esto domus tua aperta versus plateam, & pauperes sint filij domus tuæ. 4. Dilige opus bonum, & odi artificem malum. 5. Si non ego mihi, quis mihi? Et cum ego mihimet ipsi, quid ego? Et si non modò, quando? 6. Loquere parum & fac multum, & excipe quemuis hominem placido vultu. 7. Fac tibi magistrum, & abstrahe te à re dubiâ. 8. Omnibus diebus meis educatus fui inter sapientes, & non inueni vtilius quippiam corpori, taciturnitate. Neque sermo est fundamentum, sed opus. Et qui multiplicat verba, adducit peccatum. 9. Super tribus rebus mundus consistit: super iudicio, veritate, & pace. 10. Pulchra est disciplina legis, cum artificio aliquo coniuncta.

DECVRIA SECVNDA.

1. Quicunque occupati sunt negotiis reip. debent hoc facere propter Deum. 2. Fac voluntatem Dei, sicut voluntatem tuam, vt & ipse faciat voluntatem tuam, sicut voluntatem suam. Dissipa voluntatem tuam propter voluntatem eius, vt & ipse dissipet voluntatem aliorum propter voluntatem tuam. 3. Ne credas tibi ipsi, vsque ad diem mortis tuæ. 4. Ne dicas quippiam vt non possit intelligi, quòd tamen possit intelligi. 5. Ne dicas, Cùm otiosus ero, discam. Fortassis enim nunquam otiosus eris. 6. In loco vbi non sunt viri, da operam vt præstes te virum. 7. Nullus nebulo timet peccatum. 8. Qui erubescit, non discit: nec qui est iracundus, docet. 9. Qui crebriùs oberrat, non fit sapiens. 10 Qui multiplicat carnes (id est, in voluptatibus se volutat) multiplicat vermes.

DECVRIA TERTIA.

1. Qui multiplicat diuitias, multiplicat curas. 2. Qui multiplicat vxores, multiplicat veneficas. 3 Qui multiplicat seruos, multiplicat rapinam. 4 Qui multiplicat legem, multiplicat vitam. 5. Qui multiplicat scholam, multiplicat sapientiam. 6. Qui multiplicat iustitiam, multiplicat pacem. 7. Qui comparat nomen bonum, comparat seipsum. 8. Qui comparat sibi verba legis, comparat sibi vitam futuri seculi. 9 Si didicisti multam legem, non est vt tibi ipsi bonum adscribas: ad hoc enim creatus es. 10. Dies breuis est, & opus multum, & operarij pigri, & merces multa, & paterfamiliâs viget.

DECVRIA QVARTA.

1. Flium non filium fine vt in aquæ summo remiget. 2. Os quod cecidit in sorte tuâ, illud rode. 3. Aurum tundi debet, & puer verberari. 4. Esto bonus, & manum tuam à bono ne prohibe. 5. Væ malo, & illis, qui adhærent ei. 6. Sapientem nutu, & stultum fuste. 7. Qui honorat contemnentes se, similis est asino. 8 Senex in domo signum bonum in domo. 9. Amicum veterem non abnegato. 10. Ne dedas cor tuum mœrori: multos enim occidit mœror.

DECVRIA QVINTA.

1: Abstrahe carnem tuam à muliere gratiosâ, tanquam ab aceruo prunarum. 2. Dies breuis & opus multum. 3. Ne te cruciet ærumna crastini diei, quia nescis quid paritura sit dies. 4. Duo arida ligna vnum viride exurunt. 5. Stater in lagenâ sonat *Kis Kis.* 6. Faciliùs elephas per foramen acus. 7. Negatio peccati duplex peccatum. 8. Qui cum improbo habitat, cum eo vapulat. 9. In loculis, poculis & oculis seu irâ: בכיס בכוס בכעס. 10. Eiice trabem ex oculo tuo.

DECVRIA SEXTA.

1. Propter folium vapulat caulis. 2. Culter in manu stulti. 3. Filij filiorum sunt tanquam filij. 4. Vinum intrat, secretum exit. 5. Oculus & cor proxenetæ peccati. 6. Similis prope similem habitat. 7. Ouis ouem sequitur. 8. Ex arbore spinosâ, nisi succidatur, nulla vtilitas. 9. Qui non laborat, non comedit. 10. Plenus venter omne genus mali parit.

DECVRIA SEPTIMA.

1. Viatici parum, & viæ multum. 2. Afflictum sequitur afflictio, seu, Nulla calamitas sola. 3. Granum piperis præstat canistro cucurbitarum. 4. Merces præcepti præceptum. 5. Domi suæ hospes, alienæ paterfamiliâs. 6. Pro camelo sarcina. 7. In vrbem olerum olera defer. 8. Tobias fecit, & Zigod plectitur. 9. Quærit quod non amisit. 10. In quo quisque laborat, ex eo fructum feret.

DECVRIA OCTAVA.

1. Potior est amicus in plateâ, quàm aurum in cista. 2. Lucerna in meridie. 3. Satis seruo, si sit vt dominus suus. 4. Moneta sapientum. 5. Aut societas, aut mors. 6 Mensura pro mensurâ. 7. Pastor ouibus succensens malus pastor. 8 Falsorum testium vilis merces. 9. Orna teipsum, postea ornato alios. 10. Quæ edocta est sterilitatem, eam nihil pudet.

DECVRIA NONA.

1. Qui multùm ædificat, pauper fit. 2. *Rica* seu Raca. 3. Artifex artificem odit. 4. Para te in vestibulo, vt possis ingredi in conclaue. 5. Vsus facit artificem. 6. Mensurâ, quâ quis aliis metitur, ei remetientur. 7 Mephiboseth, id est, Claudus. 8. Quidquid agas, in nomine Dei agas. 9. Asino-camelus. 10. Difficiliora quàm pro te ne quæras.

DECVRIA DECIMA.

1. Esto potiùs cauda leonum, quàm caput vulpium. 2. Non est pauper in toto mundo, qui sit ita pauper vt est homo, quia non repletur diuitiis. 3. Qui patres custodiuit, etiam filios custodiet. 4. Indigenâ in terrâ, aduena in cœlo. 5. Molitam farinam molere. 6. Cæsos leones occidere. 7. Ardentibus vrbibus flammam subiicere. 8. A principibus ad helciarios, i. e. ab equis ad asinos. 9. Cameli senes portant pelles iuuenum camelorum. 10. Ex ipsâ & in ipsam syluam intrat securis.

DECVRIA VNDECIMA.

1. Audire præstat, quàm dicere maledicta. 2. Camelus cornua quærens, aures amisit 3. Nouit locum suum. 4. Cerebro vacuus. 5. Ærumna ærumnæ succedit 6. Delictum trahit delictum. 7. Sine farinâ non est lex. 8 Lanx æqua, lanx iniqua. 9. Sichem rapuit (scil. Dinam) & agricola (seu tota vrbs) plectitur. 10. Intus est vt extra.

DECVRIA DVODECIMA.

1. Semina & non egebis. 2. Sagittâ, quàm ipse fecit, ipsusmet

met periit sagittarius. 3. Dies breuis & ars longa. 4. Doctrina sine opere non est doctrina. 5. Non sermo fundamentum, sed opus. 6. Merces peccati peccatum. 7. Mortuum flagellat. 8. Ne specta cantharum, sed id quod in eo est. 9. Qui infra diligit, supra diligitur scil. in cœlo. 10. Vulpem in tempore suo honora.

DECVRIA DECIMATERTIA.

1. Error doctrinæ arrogantiam gignit. 2. Prophetia non requiescit super tristem & pigrum. 3. Idololatra totam legem abnegat. 4. Duæ voces simul non exaudiuntur. 5. Improbi dum viuunt, mortui vocantur. 6. Proximus homo sibiipsi. 7. [illegible]ogitationes peccati grauiores peccato. 8. Ora pro pace regni: nisi enim magistratus esset, alter alterum viuum deuoraret. 9. Duo qui assident mensæ, & colloquuntur de lege, diuinitas quiescit super eos. 10. Excipe quemuis hominem cum gaudio.

DECVRIA DECIMAQVARTA.

1. Considera tres res, & non venies in manus transgressionis: vnde veneris, quò sis abiturus, & coram quo rationem redditurus: Venisti ex guttulâ sordidâ: abis ad locum pulueris & vermium: coram rege regum tibi ratio reddenda. 2. Tres qui cibum capiunt in vnâ mensâ, & conferunt de lege, perinde est ac si comedissent de mensâ ipsius Dei. 3. Vbi non est farina, ibi non est lex: Vbi non est lex, ibi non est farina. 4. Quis est sapiens? qui discit à quouis homine. 5. Quisnam est fortis? qui coërcet prauam suam affectionem. 6. Quis est diues? qui gaudium habet in portione suâ. 7. Maximè humili spiritu esto: Expectatio enim hominis sunt vermes. 8. Non est in manu nostrâ neque prosperitas impiorum, neque castigatio iustorum. 9. Mundus iste similis est vestibulo ante seculum futurum: præpara teipsum in vestibulo, vt intrare possis in triclinium. 10. Qui discit à iunioribus, similis est ei, qui edit vuas immaturas, & bibit vinum de torculari. Sed qui discit à senioribus, similis est ei, qui edit vuas maturas, & bibit vinum vetus.

DECVRIA DECIMAQVINTA.

1. Si tibi fuerint sexaginta consiliarij, tamen ne desere consilium animæ tuæ. 2. Paucitas verborum est argumentum dignitatis. [illegible]. Non est inquirenda ratio causarum, cur Deus hoc vel illud faciat. 4. Aspectus oculi est initium præuaricationis. 5. Principium iustorum sunt castigationes, finis autem eorum prosperitas: impiorum verò principum felicitas, finis autem eorum castigationes. 6. Spiritus sanctus canit de medio gaudio. 7. Mundus durat propter senes. 8. Sabbatum tribuit robur omni rei. [illegible]. Cuicunque non est vxor, is non est homo. 10. Omnis res grata est, quæ fit suo tempore.

DECVRIA DECIMASEXTA.

1. Esto fortis sicut pardus, leuis sicut aquila, velox sicut hinnulus, robustus sicut leo ad faciendum voluntatem Patris tui, qui est in cœlis. 2. Omne studium, cui non est iunctum aliquod exercitium, tandem dissipatur. 3. Quatuor sunt conditiones hominum. Qui dicit, quod meum est, tuum est, & quod tuum est, meum est: hic idiota est. Qui dicit, quod meum est, meum est, & quod tuum est, tuum est: hæc conditio mediocris est. Qui dicit, quod meum est, tuum est, & quod tuum est tuum sit, hic pius est. Qui verò dicit, quod tuum est, meum est: & quod meum est, meum sit, talis impius est. 4. Audi, Sile, Perfer. Hæc sententia enuntiatur tribus nominibus propriis filiorum Ismaël: ומשמע ודומה ומשא. 5. Omnes ingredientes in mundum, ingrediuntur cum fletu, & egrediuntur cum fletu. 6. Qui disrumpit sepem, mordebit eum serpens. [illegible]. Ne aspernator vllum hominem. 8. Concupiscentia [illegible] ficauit inferos. 9. Portæ pœnitentiæ nunquam sunt clausæ. 10. Sapientia præclara in vase sordido.

DECVRIA DECIMASEPTIMA.

1. Par est, vt assuefaciat se homo in domo, quod necesse habet facere in foro. 2. Mulier mala est grauior morte. 3. In horâ quâ colligunt, sparge; & in horâ, quâ spargunt, collige. 4. Coniugium secundum magis molestum est quàm primum. 5. Acetum filius vini, id est ἡρώων πήματα τέκνα. 6. במקום דגש אין רפא. *In loco Dagesch non est Raphe.* Est prouerbium Grammaticum cuius hic est sensus. Literæ דגש notant tres voces, hoc modo דלות גאוה שפרון, *Inopia, Superbia, Ebrietas*: Vbi hæc tria sunt, ibi non est *Raphe* [illegible] ora saltat in capite. 8. Qui occupatur [illegible] pto, liberatur à precepto. 9. Maius est studium legis quam [illegible] ædificatio domus sanctuarij. 10. Duæ viæ sunt ante te, vna gehennæ, & altera paradisi. Hæc, & similia ex Rabbinis collegerunt Neander, Ios. Scaliger, Drusius, & alij.

SYLLOGE SENTENTIARVM TVRCICARVM.

Hieronymus Megiserus in Institutionibus Turcicis collegit duas centurias prouerbiorum & sententiarum, quibus Turcæ ferè vtuntur. Ex illis habe hanc centuriam, & pentadem. 1. Præter Deum neminem colo. 2. Qui seipsum noscit, Deum suum agnoscit. 3. Homo proponit, Deus disponit. 4. Diuina voluntas mutat humanam. 5. Scriptura veniet capiti, hoc est fatum & immutabile. 6. Solus Deus non peccat. 7. In omnibus respice finem. 8. In omnibus rebus mediocritas est optima. 9. Prudens homo omnia tentat. 10. Homo homini præstat. 11. Sermo index animi: seu, Qualis vir, talis oratio. 12. Ex fructu arbor agnoscitur. 13. Feliciter sapit, qui alieno periculo sapit. 14. Quæ nocent, docent. 15. Nemo rectè dominum agnoscit, nisi antea ministri munia obierit. 16. Tunc rege, cùm primùm didiceris regi. 17. Simia non capitur laqueo. 18. Fraus fraudem destruit. 19. Inimicum noli vilipendere. 20. Etiamsi inimicus sit instar formicæ, inter elephantes tamen numera. 21. Nulli fidas, nisi cum quo modium salis priùs absumpseris. 22. Optimus est homo, qui aliis benefacit. 23. Aquila non capit muscas. 24. Elephas non curat culicem. 25. Melius est tacere, quàm multa loqui. 26. Cùm opus fuerit, præstat loqui quàm tacere. 27. Insipienti non loqui est loqui. 28. Quilibet de suâ professione loqui debet. 29. Ætas sapientiæ condimentum. 30. Aliam ætatem alia decent. 31. Fortunæ mutationes perferre disce. 32. Satius est subire semel, quàm cauere semper. 33. Qui amat periculum peribit in eo. 34. Quod dubitas, ne feceris. 35. Peccatum licet sit exiguum, neglectum tamen fit maius. 36. Tunica pallio propior. 37. Nitimur in vetitum semper, cupimúsque negata. 38. Omnes sibi meliùs esse malunt, quàm alteri. 39. Nemo sine crimine viuit. 40. Qualis rex, talis grex. 41. Malè parta, malè dilabuntur. 42. Mala lucra æqualia damnis. 43. Tempus parturit res nouas. 44. Seruiendum est tempori. 45. Canis festinans cæcos parit catulos. 46. Nusquam tuta fides. 47. Malum ferrum, malus gladius. 48. Mundus est domus loquelæ. 49. Nihil tam difficile, quin diligenter inquirendo inuestigari possit. 50. Nihil tam facile, quin fiat difficile, si inuitus facias. 51. Mortuo ne maledixeris. 52. Frons domini plus agro confert, quàm occipitium. 53. Melius est, hostem apertum habere, quàm amicum simulatum. 54. Oculus domini saginat equum. 55. Expecta finem. 56. Os conforme loculis. 57. Metiri quemque suo modulo ac pede decet. 58. Hodie mihi, cras tibi. 59. Mortis ne obliuiscere. 60. Vnusquisque bibit poculum mortis. 61. Vt salutabis, ita resalutabere. 62. Balbus balbum rectiùs intelligit. 63. Mare, ignis, mulier, tria mala. 64. Cui multum est piperis, etiam oleribus immiscet. 65. Figulus figulo inuidet. 66. Vxor formosa, & vinum, dulcia sunt venena. 67. Centum viri vnum pauperem spoliare non possunt. 68 Nemo potest nudo vestimenta detrahere. 69. Nudus egressus sum de vtero matris, & nudus illuc reuertar. 70. Sui nihil cum amaricinio. 71. Vestis facit virum. 72. Vbi mel, ibi fel. 73. Dolor voluptatis comes. 74. Qui fodit foueam, incidet in eam. 75. Qui primus venerit, primus molet. 76. Nullum tam vile officium, quin suspendium mereri possit. 77. Timidus mercator non lucratur: seu, Timidi nunquam statuere trophæa. 78. Qui timet ignem, fumum fugiat. 79. Figulus ponit ollis ansas pro voluntate. 80. Cæcus cæcum si ducat, ambo cadunt in foueam. 81. Saxum dum voluitur, non obducitur musco. 82. Agrum qui arat, petit fructum. 83. Difficilia, quæ pulcra. 84. Ver hyemem sequitur. 85. Exercitus sine cadauere non est. 86. Oculi sunt in amore duces. 87. Vrsus nisi satur, non saltat. 88. Ne Iupiter quidem omnibus placet. 89. Licentiâ omnes sumus deteriores. 90. Qui citò dat, bis dat. 91. Facundus comes in viâ pro vehiculo. 92. Propria laus sordet. 93. Pecuniæ obediunt omnia. 94. Suum cuique pulchrum. 95. Quæ non posuisti, ne tollas. 96. Bahr gelt lachender kauff. 97. Honestum est laudari à laudato. 98. Quod facere aggrederis, noli prædicare. 99. Lupus pilum mutat, non mentem. 100. Lupus insidiatur ouibus. 101. Non curat numerum lupus. 102. Cui cum paupertate conuenit, is maximè est diues. 103. Leoni mortuo barbam vellis. 104. Non est dedecus, nihil scire, sed nihil velle discere. 105. Pete scientiam ab incunabulis vsque ad sepulchrum.

GNOMOLOGIA THEOLOGICO-PHILOSOPHICA

Siue

Satellitium animi.

Gnomologiam hanc appellare libet Satellitium animi, duas ob causas. Principiò hoc satellitium nunquam deserit hominem. Nero à suis satellitibus fuit desertus, Galba proditus, Pertinax occisus. Sed hi satellites animi nos collocant in tuto: insidias arcent:& omni præsidio sunt fortiores. Deinde,sicut hoc principem commendat, si plurimos habeat bonos satellites: ita & lecta hæc è Ludouico Viue multitudo huic satellitio gratiam spero conciliabit.

1. Scopus vitæ Christus 2.Pax Christi. 3.Bona conscientia murus aheneus 4.Felicitas vnica intus nil strepere. 5.Bonis omnia in bonum: etiam mala. 6.Mente Deo defixus. 7.Vnum est necessarium. 8.Tantum scis, quantum operaris: quæ vox fuit familiaris S. Francisco. 9. Bonorum rector, malorum victor. 10. Animo corpus fulciendum. 11. Splendor summus (id est, mysteria) non intuendus. 12. Ne laborem laboris præmium. Aliàs finis vnius mali gradus erit sequentis vt exclamat Hercules in Tragœdiâ. 13.Intus quàm exteriùs formosior Atque hæc est Musica Socratis. 14.Nec malum,nec frontem; id est,speciem mali. 15.Persona publica priuatam depone. 16.Homo homini par. 17.Malus potentiæ custos metus. 18.Turpe gigas in nano, id est,superbus animus in paruo corpore. 19.Solus sapiens longæuus. 20.Oculus in sceptro,id est prudentia. 21.Sal vitæ amicitia. 22.Paruo fames, constat magno fastidium. 23.Beneuoli multi,consiliarij pauci. 24.Nocere vt promptum, ira pessimum. 25. Quod inuenisse pigeat, ne quæras. 26 Potentiorem te ne admittito, id est consuetudinem peccandi. 27.Ebrietas est madida, & sicca. Illa fit è vino, hæc ex affectu immodico, & dicitur ἄοινος. 28.Virtus citra fortunam valida. 29.Antidotum vitæ patientia. 30. Nulla dies sine lineâ. 31 Multi nimium, nemo satis. 32 Naturâ nemo pauper. 33.Opinione quis diues? 34 Pauper egens, non carens. 35.Suspicionibus securis, scil. adhibenda. 36.Calumniæ morsui nullum remedium. 37.Vis veritatis victa vincit. 38.Ora virtute obdura, non metu. 39.Linguas non præscinde, sed caue. 40.Columbinus oculus in serpentino corde. 41.Sanus intus & exteriùs. 42.Cogitatus coge. 43.Virtus instar omnium. 44. Iustitia est gratuita. 45.Ingenium situ ne pereat. 46 Precibus emptum, carum 47.Parta labore iuuant. 48.Manum per frontem ne ducito, id est pudorem ne exuito. 49.Nescis quid serus vesper vehat. 50. Difficilis gloriæ custodia. 51.Pertuso dolio nihil infunde,id est prodigo 52. Miserrimum pendere. 53.Homo scopulus in vndis 54.Velle est instar omnium. 55.Alienis lachrymis cautior. 56.Alieno risu lætior. 57.Cor canum in iuuenili corpore. 58.Pedica nimia fiducia. 59.In virtute delphinus, id est, esto celerrimus. 60.In vltione Callipedes, id est,tardus. 61.Temporis minister. 62.Tempori parce. 63.Gloria crocodilus. 64. Vana gloria ἡμερόβιος. 65. Disce viuere, disce mori. 66. Virtus exercetur, non perit rebus aduersis. 67.Virtus flatu accenditur, scil. laudis. 68 Domitrix omnium patientia. 69.Virtutis vmbra gloria. 70. Oculos in pectus, id est, nosce teipsum. 71.Non extorquebis amari. 72.Subiectâ Dei manu consistimus. 73.Gloria vento discutitur. 74.Propter inuidiam vela opulentiam 75.Honos onus. 76.Fasces falces. 77.Radices virtutis altæ. 78. Mortalibus immortalia præferenda. 79 Alata ætas. 80 Dic cur hic? 81.Fidens, non confidens. 82.Cuius pudebit, pigeat. 83 Stulta de alienis superbia. 84.Quod commodauit fortuna, tollet: Quod mutuauit natura, repetet: Quod parauit virtus, retinebis. 85.Princeps multis consulendo. 86. Tu tibi venerabilis. 87.Malum occultum perniciosissimum 88.Non quàm diu, sed quàm bene. 89.Nomen præ opibus. 90.Non vita longa bona, sed bona longa. 91.Odiosus, modò immeritò. 92.Ingratitudo ingrata. 93.Iniuria obliuione vlciscenda. 94. Præcipitis consilij assecla pœnitentia. 95. Quod vni, idem omnibus scilicet potest euenire. 96.Ne ferrum igni, hoc est, noli armare iram. 97. Lachrymis ignem extingue, id est, iram Dei. 98.Fastigio caput summitte. 99.Falsò nomine non gaudendum. 100.Amicus, vt non alius: Inimicus, vt non idem. 101.Quod videri vis,esto. 102.Oculum in metam. 103.Nocens metuit. 104.Ne à pudendo vincaris hoste. 105. Amicum inimicum fugito. 106. Ne lingua mente celerior. 107.Cum vitiis bellum: cum hominibus pacem. 108. Diuitiæ pignora iniuriæ. 109. Bona ad benefaciendum. 110.Maximæ opes, prodesse. 111.Gratia thesaurus. 112.Quod vides, non diu florebit. 113.Vt verax, ne suspicax. 114 Diuitiæ alienæ bonæ. 115.Expende. 116.Sine querelâ. 117.Frænum in linguâ. 118.Cogita immutabilia. 119.Sat citò,si sat benè. 120.Populo cede,non pare. 121.Et pilo sua vmbra. 122.Ne curiosus hospes. 123 Cæde, modò doce. 124. Magnum hospitium magni hospitis. 125.Omnes diarii, id est, Tota vita dies vnus. 126 Ex vsu,non collatione diuitiæ. 127.Maiores superbus, minores mœstus. 128.Foris Argus, domi talpa. 129.Ne nimium scrutare. 130.Certum in incerto. 131.Voluptates specta abeuntes. 132.Malorum esca voluptas. 133. Falle viuens,sed non te. 134 Non refert quà, sed quò. 135.Fortuna nimis blanda,hamata. 136.Stabilissima fortuna stolidissima. 137.Corpus excors fragile. 138.Cor vel incorporeum firmum. 139. Fideli nullæ feræ. 140 Authoritas rerum agendarum telum. 141. Veraci creditur etiam mentienti. 142. Magnes amoris amor. 143. Magnum satellitium amor. 144. Vbi terror, ibi timor. 145. Vbi vber, ibi tuber. 146.Vbi mel, ibi fel. 147.Omnia proposuit labori Deus. 148. Immodica imbecilla: modica firma. 149. Magnus ope minorum. 150.Vicit vim virtus.151.Strauit fortunam virtus 152.Fortitudo in vitia, non in homines. 153. Optima cibus inuidiæ. 154.Inuidia sibi & aliis venenum.155 Inuidia vipera 156.Quod Deo & homini: scilicet placet. 157. Da cæcus, accipe oculatus. 158.Bonus bonis & malis. 159.Malus nec bonis,nec malis. 160.Virtus pluris quàm fama. 161.Deum sequere. 162.Inter spinas calceatus. 163.Ne hilarem insaniam insanias.164.Exilium inter malos.165.Veritatis comes splendor. 166.Veritas premitur,sed non opprimitur.167.Tempus mendacio lupus,i.e.vorat & absumit. 168 Veritas temporis filia.169.Præsidium in innocentiâ. 170.Matura. 171.Confide rectè agens. 172.Comœdia vita hominis. 173.Vita ne tragœdia. 174 Ciconiæ beneficium. 175.A Christo ad Christum.176 Omnia ab vno,vero,bono.Ergò omnia ad vnum,verum, bonum. 178.Fons felicitatis in animo. 178.In virtute oculi & manus,i.e. scientia & conscientia. 179.In secundis regendum est,in aduersis pugnandum 180.Labor laboris præmium.181.Curiam ingressurus priuatam personam relinque in limine, sume publicam.182.Deo imperium,homini consortium.183.Quem metuunt,oderunt.184.Prodesse difficile,sed optimum. 185.Satis est contento.186.Diues non est,qui aliquid ampliùs requirit. 187.Virtus bonorum tibicen. 188.Calumnia occidit antequam sentiatur.189.Orandum est,vt sit mens sana in corpore sano. 190.Nihil est iniustius, quàm iustitiæ præmium quærere.191.Quiesce nihil acturus,i.e.malè.192.Satius est otiosum esse quàm malè agere. 193 Ingenium inexercitatum,torpidum.194.Emere malo,quàm rogare. 195.Suauissimus post laborem fructus. 196.Cogitatus est liber.197.Voluntas pro facultate.198.Ne differ bene agere.199.Quia tēpus nobis non seruit, nostrûm est seruire tempori.200.Blandum imperiū imperiosum. 201.Vincendo omnis fortuna ferenda est. 202.Maximi labores adeundi maximis.203.Respice finem.204.Alienū quidquid adimitur. 205.Ne feceris,quod factum nolis. 206.Princeps priuatis sublimior sensu. 207.Ne bos in linguâ, i. e. nummus Atticus. Aliàs tibi obiicietur quod Demostheni, qui cùm esset corruptus pecuniâ caussabatur anginam. Sed lepidè reprehensus fuit à quodam,qui dixit,eum non anginā,sed argentāginam pati.208.Despicere oportet,quod possis deperdere. 209.Verba tua sint ligata. 210.Qui profuit multis,hunc tuentur multi.211.Longius,modò tutius.212.Malus capitur voluntate,bonus consilio.213 Fortuna nimiùm quem fouet,stultū facit. 214.Fortuna tristissima præferenda blandissimæ. 215.Quod aliis est datū, nobis nondum est denegatum.216.Firmissimę opes amor.217.Vera fortitudo,vitia cohibere.218.Molestum est ferre inuidiam:sed multò molestius, nihil habere inuidendum. 219. Fauorabilis rumor, thesaurus. 220.Mendacio comites tenebræ. 221.Innocentia humanorum summum.222.Innocentiæ noceri non potest.223.Vera sapientia est,de rebus incorruptè iudicare.224 In curriculo sapientiæ primus est gradus, seipsum nosse 225.Sanitas est harmonia corporis ac animi.226.Potentia est speciosa molestia,& splendida miseria 227. Dignitas non est,quæ cadit in indignos. 228.Nec malum faciendū,nec eius simile. 229.Ne existima Christo fore rem gratā,si tu oderis quem ille amat.230.Ne sit tibi turpe fratrē habere,quem Deus non dedignatur filium 231.Nullū potentius satellitium,quàm amici fideles. 232.Mali nec inter se amici sunt, nec cum bonis.233.Odi tanquā amaturus.234.Risus ne abeat in irrisum. 235.Modestia inprimis fauorabilis. 236.Irridere bona, nefas: mala,crudelitas: media, stultitia:probos,impium;improbos,sæuum:notos,immanitas:ignotos,dementia:denique hominem inhumanitas.237.Qui facilè in seriis iurat,in iocis iurabit: qui in iocis,& in mendacio 238 Crede,te illi esse charum,à quo amicè reprehenderis. 239.Eos vita, quos boni vitant. 240.Non admitte illos,qui tua amant,non te.241.Si reprehendi fers ægrè, ne facito reprehendenda. 242.Ne existima, te solum esse hominem,reliquos pecudes. 243.Turpe est aliis notum esse,ignotum sibi,& quod maximū,Deo. 244. Annon sufficit tibi,te & tibi notum esse,&,quod est maximū,Deo?245.Superbum nec humiles ferunt,nec superbi. 246.Hæc est lex eorū, quibus pater est Adā, vt laborent: Hæc eorū execratio,quibus mater est Eua vt affligantur.247.Conuitium conuitio regerere,est lutum luto purgare.248.Ne facundiam exerceto caninam,sed infans esto & mutus in calumniando.249.Reprehensurus alium,da operam vt sit mixtus amarori amor. 250 A vero nec prece nec precio flectaris. 251.Ne verbis quod scis ostenta,sed rebus te scire ostende. 252.Quod taceri vis,prior ipse taceas 253.Si mendacem te norint, nemo tibi credet verissima asseueranti: si veracem, nutus tuus

tuus maiorem habebit fidem, quàm aliorum iusiurandum. 254. Vitia sunt tempestates, furiæ, tormenta & flagra animi. 255 Si magna cura adhibetur curando corpori, quantò maior adhibenda est animo? 256. Qui diuitiis obruitur, est similis ei, qui multis impeditur sarcinis. 257. Sæpius premimur e. roribus nostris, quàm rebus ipsis: dum nempe magna bona vel mala censemus, quæ non sunt. 258. Affectuum perturbatio hominem mutat in feram truculentam, cor arrodit & valetudinem affligit. 259. Fuge amicos, qui ob leuissimam rixam grauissimas inimicitias cum amicis charissimis fouent, acriusque in eos sæuiunt quos aliquando amarunt, quam quos semper odêre: barbaricâ persuasione, minùs ferendam iniuriam, quæ fit ab amico, quàm quæ fit ab inimico. 260. Desperanda illius salus, quem desiit pudere malè facere. 261. Quàm exiguæ res sunt, & nullius impendij, salutatio, affabilitas, comitas, honor: at quàm magnas amicitias conglutinant exhibitæ, dissoluunt prætermissæ? Quanta igitur est bonorum ignorantia, nolle multorum beneuolentiam tantulo redimere? 262. Vita hæc nostra, cùm sit naturâ suâ fugax ac arcta, maxima eius pars, & ferè tota perturbationibus perit. Neque enim viuimus, quandiu affectibus concutimur, & inprimis mortis metu. 263. Ea, quæ vel doctissimus mortalium nouit, non sunt minutissimum eorum, quæ ignorat. 264. Eruditio pastus est ingenij: vt indignum sit pasci corpus esuriente animo. 265 Sagina corporis acumen ingenij elidit. 266. Corpus ita curandum, vt se non dominum, sed socium animæ esse sentiat. 267. Quò curatius est corpus, eò neglectior animus. 268. Non existimandum vitæ id tempus, quod somno impenditur. Vita enim vigilia est. 269. Cùm audis Deum nominari, maius quiddam animo occurrat, quàm quod mens humana capere possit. 270, Cùm Deum vocas dominum, fac illi seruias: cùm patrem, fac ames, & te dignum præstes tanto patre filium. 271. Vt nihil est homini gratius, quàm sibi fidi: ita & Deo Nec quisquam de illo bene cogitat, cui timidè seipsum credit. 272. Vita Christi testatur eius pietatem: miracula omnipotẽtiam: doctrina sapientiam. 273. Sumus pueri, meliorum rerum inscij: quæ damnosissima sunt, deflemus non dari tanquam vtilissima: quæ vtilissima, horremus ceu impensè damnosa. 274. Nos id manebit, velimus nolimus, quod dẽ nobis statuit rector vniuersi. 275. Vita est peregrinatio, cui nullâ horâ non impendet finis. 276. Diuitiæ opprimunt abutentem vt nauem onera 277. Aurum, si non vtaris, à cœno non differt. 78. Quãtum est odium, si regas malos: quantò maius, si malus ipse? 279. Quid iuuat forma corporis, si in hospitio pulchro deformis sit hospes? 280. Conscientiâ bonâ esto contentus. 281. Nihil felicius, quàm amare: nihil infelicius, quàm odisse. 282. Vbi verus amor viget, ibi vitia sunt sepulta. 283. Exemplar vitæ quod intueamur, sit Christus. 284. Vt ameris, amabilis esto 285. Amor amorem elicit 286. Amicum sic habeas, vt putes posse inimicum fieri. 287. Si inferior es, quis superiorum ferat, se despici abs te? Si superior, irritas & auertis minorem contemptu. 288. Si qui tibi credituri sunt, æquè iniurato credent vt iurato: non credituri, magis etiam iureiurando auertuntur. Esto in admittendis ad familiaritatem cunctantior: in retinendis constantior. 289. Eris in homines talis, qualem cupis Deum erga te. 290. Pluris facias conscientiæ tuæ iudiciũ, quàm omnes totius mundi voces. 291. Qui peccat, seipsum iugulat. 292. O Christiane, memineris te militem ac viatorem. 293. Cursus absolutæ sapientiæ duobus constat gradibus: primus est nosse seipsum: postremus, nosse DEVM. 294. Ad mensam cogita te à Deo esse inuitatum. 295. Quid ridiculum magis, quàm tantillum animal, homuncionem, ob vnicum verbulum sæuire? 296. *Philippus Melanchthon dicere solebat:* Si hominibus non semper placeo, sufficit me DEO placere his cultibus: Sancta & pia cogitando, Vera & necessaria discendo, Recta & perspicua scribendo, Bona & vtilia loquendo, Plana & simplicia docendo, Honesta & pia faciendo. 297. *Idem:* Satis diu ante hæc tempora de moderatis consiliis disputauimus. Sed vincunt nos arrogantes & indocti homines Quare nunc tantùm gemitu & precatione Ecclesiam iuuare possumus 298. *Idem:* Vt in omnibus rebus simus vigilantiores, moneamur magnitudine periculorum. 299. *Idem:* Triplici morbo laborat genus humanum, principio, medio & fine. Natiuitas nostra immunda est, vita peruersa, mors periculosa. Venit itaque Christus, & contra triplicem morbum triplex attulit remedium: Natus est, Vixit, & Mortuus est. Eius natiuitas purgauit nostram: Vita eius instruxit nostram: Mors eius destruxit nostram. 300. *Idem:* Causæ cur minùs abhorreas à morte, à sinistris sunt; quia discedes à peccatis, ærumnis & odiis theologorũ: à dextris, quia venies in lucem, vbi amabis DEVM, & disces mira arcana, rectéque cognosces causas, cur sic conditi simus.

GNOMOLOGIA MECHANICA.

Hæc exhibet gnomas quasdam de agriculturâ, re pecuariâ, villaticâ pastione, vineis & hortis.

De agriculturâ.

CAto. Ex agricolis & viri fortissimi, & milites strenuissimi gignuntur, maximéque pius questus stabilissimusque consequitur, minimeque inuidiosus: miniméque malè cogitantes sunt, qui hoc studio occupati sunt.

Prædium cùm parare cogitabis, in animo habeto, vti ne cupidè emeas, néue opera parcas visere, & ne satis habeas semel circumire. Quoties ibis, toties magis placebit, quod bonum erit.

Scito idem agrum quod hominem: quamuis quæstuosus fiet, si sumptuosus erit relinqui non multum.

Res rustica sic est: si vnam rem serò feceris, omnía opera serò facies.

Varro. Nemo sanus debet velle impensam ac sumptum facere in culturam, si videt non posse refici. Nec si potest reficere fructus, si videt eos fore, vt pestilentiâ dispereant.

Agrum alternis annis relinqui oportet: aut paulò leuioribus sationibus serere, id est, quæ minùs sugunt terram.

Herbæ è satis elidendæ, & dum teneræ sunt, vellendæ. Nam aridæ factæ rixantur, ac celeriùs rumpuntur quàm sequuntur.

Columella. Graciles cliui non sunt æstate arandi, sed circa Septemb. Calend. Quoniam si ante hoc tempus proscinditur, effœta & sine succo humus æstiuo sole peruritur, nullasque virium reliquias habet.

Stercus omne, quod tempestiuè repositum anno quieuerit, segetibus est maxime vtile. Nam & vires adhuc solidas habet, & herbas non creat.

Sicut refrigescit ager, qui non stere oratur: sic peruritur, si nimiùm: magisque conducit agricolæ frequenter id potiùs, quàm immodicè facere.

Quandocunque arabitur, obseruandum ne lutosus ager tractetur, neue exiguis nimbis semimadidus, quam terram rustici variam cariosamque appellant. Ea est, cùm post longas siccitates leuis pluuia superiorem partem glebarum madefecit, inferiorem non attigit.

Plinius. In arando magnopere seruandum est Catonis oraculum. Quid est primum? Agrum bene colere. Quid secundum? bene arare. Quid tertium? stercorare.

Malus est ager, cum quo dominus luctatur. Agro deserto nihil damnosius.

Attilius Regulus ille Punico bello bis consul, aiebat neque fœcundissimis locis insalubrem agrum parandum, neque effœtis saluberrimum. Salubritas loci non semper incolarum colore detegitur, quoniam assueti etiam in pestilentiis durant. Præterea sunt quædam partibus anni salubria. Nihil autem salutare est, nisi quod toto anno salubre.

Operâ, non impensâ cultura constat. Et ideo maiores fertilissimum in agro oculum Domini esse dixerunt.

Tritico nihil est fertilius: hoc ei natura tribuit, quoniam eo maximè alat hominem.

Venti tribus temporibus nocent frumento & hordeo. In flore, aut protinus cùm defloruere, vel maturescere incipientibus.

Palladius. In agrestibus maximè officia iuuenum congruunt, imperia seniorum.

In agro periclitantur interiora, nisi colantur extrema.

Tria mala æquè nocent, sterilitas, morbus, vicinus.

Semina plusquam annicula esse non debent, ne vetustate corrupta non prodeant.

Omnia quæ seruntur, crescente lunâ & diebus tepidis sunt serenda: nam topor euocat, frigus includit.

Spissa & cretosa, & humida terra, bene far & triticum nútrit: hordum agro soluto delectatur & sicco: nam in luto sparsum moritur.

Agri præsulem non ex dilectis & tenerè educatis seruulis ponas: quia fiducia præteriti amoris impunitatem culpæ præsentis exspectat.

Virgilius

Area cumprimis ingenti æquanda cylindro.
Et vertenda manu, & cretâ solidanda tenaci,
Ne subeant herbæ, ne puluere victa fatiscat:
Tum variæ illudant pestes. Sæpe exiguus mus
Sub terris posuitque domos, atq; horrea fecit.
Aut oculis capti fodêre cubilia talpæ,
Inuentusque cauis bufo, & quæ plurima terræ
Monstra ferunt: populatque ingentem farris aceruum.
Curgulio: atque inopi metuens formica senectæ.

Idem

Idem

Semina vidi equidem multos medicare ferentes,
Et nitro priùs, & nigrâ perfundere amurcâ:
Grandior vt fœtus si iquis fallacibus esset.
Et quamuis igni exiguo properata maderent,
Vidi lecta diu, & multo spectata labore,
Degenerare tamen: ni vis humana quotannis
Maxima quæque manu legeret.

De re pecuariâ.

Columella. Pecudes pro regionis cœlique statu & habitum corporis,& ingenium animi,& pili colorem gerunt

Varro. Herba in pratis ad spem fœnisiciæ nata, non modò non euellenda, sed etiam non calcanda: quin & pecus à prato ablegandum, & omne iumentum, vt etiam homines: solum enim hominis exitium herbæ, & semitæ fundamentum.

Cato. Ego cuidam consulenti,quam partem rei rusticæ exercendo celeriter locupletari posset,respondi,si bene pasceret. Rursúsque interroganti, quid deinde faciendo satis vberes fructus percepturus esset,affirmaui,si mediocriter pasceret.

Columella Omni pecudi larga præbenda sunt alimenta.Nam vel exiguus numerus cùm pabulo satiatur, plus domino reddit, quàm maximus grex,si senserit penuriam.

Vacca quamuis plena fœtu,non expletur libidine: adeò vltra naturæ terminos etiam in pecudibus plurimum pollent blandæ voluptatis illecebræ.

Sues ex omnibus pecudibus impatientissimæ sunt famis, ita vt aliquando si indigeant pabulo, non tantùm alienam,si liceat, sobolem,sed etiam suam consumant

In omni genere quadrupedum species maris diligenter eligitur, quoniam frequenter patri similior est progenies, quàm matri. Omni regione maritos gregum mutilos esse oportebit, quoniam cornuti ferè perniciosi sunt propter petulantiam.

De villaticâ pastione.

Columella. Antiquissima, maximè in gallinario pecore fides pastoris:qui nisi eam domino seruet,nullus ornithonis quæstus vincet impensas.

Res apiaria non tantùm curatorem fraudulentum,sed etiam immundæ segnitiæ perosa est: æquè enim dedignatur si minùs purè habita est,ac si tractaretur fraudulenter.

Curatori apum cùm aluos tractare debebit, custodiendum, vti pridie castus sit ab rebus Venereis, néve temulentus,nec nisi lotus ad eos accedat,abstineátque ferè ab omnibus redolentibus escis,vt sunt salsamenta, & eorum omnia eliquamina,itémque fœtentibus acrimoniis allij,vel cæparum, cæterarúmque rerum.

Virgilius

Sin autem ad pugnam exierint (nam sæpe duobus
Regibus incessit magno discordia motu)
Continuóque animos vulgi & trepidantia bello
Corda licet longè præsciscere. Námque morantes
Martius ille æris rauci canor increpat: & vox
Auditur fractos sonitus imitata tubarum.
Tum trepidæ inter se coeunt, pennisque coruscant,
Spiculáque exacuunt rostris, aptántque lacertos:
Et circa regem, atque ipsa ad prætoria densæ
Miscentur,magnisque vocant clamoribus hostem.
Ergo vbi ver nactæ sudum,campósque patentes,
Erumpunt portis, concurritur: æthere in alto
Fit sonitus, magnum mistæ glomerantur in orbem,
Præcipitésque cadunt. Non densior aëre grando,
Nec de concussâ tantum pluit ilice glandis.
Ipsi per medias acies, insignibus alis,
Ingentes animos angusto in corpore versant,
Vsque adeo obnixi non cedere, dum grauis aut hos,
Aut hos versa fugâ victor dare terga coëgit.

De vineis & hortis.

Varro. Terra cuiusmodi sit refert,Vbi enim natura humida, ibi altiùs vitis tollenda,quòd in partu & alimonio vinum non vt in calice quærit aquam,sed solem. Itaque ideo (vt arbitror) primùm è vineâ in arborem ascendit vitis.

Columella. Apta est surculis hominis vrina,quam sex mensibus passus fueris veterascere.Si vitibus aut pomorum arboribus adhibeas, nullo alio magis fructus exuberat: nec solùm ea res maiorem facit prouentum, sed etiam saporem & odorem vini pomorúmque reddit meliorem.

Stercus vitibus non est ingerendum, quòd saporem vini corrumpit: melior est materia vindemiis exuberandis congestitia, vel de vepribus, vel denique alia quamlibet arcessita & aduersa humus. Priusquam pomarium constituas, quàm magnum habere voles circummunito maceriâ, aut fossâ, ita vt non solùm pecori,sed ne homini quidem transitus fit, nisi per ostium,dum adolescant semina: nam si priùs cacumina manu perfracta,aut à pecore præroſa fuerint, quàm adolescant, in perpetuum corrumpuntur. Generatim autem arbores disponere vtiliùs, maximè ne imbecillæ à valentioribus premantur,quæ nec viribus, nec magnitudine sunt pares,neque pariter crescunt.

Palladius. Locis frigidis à meridie vineta ponantur,calidis à septentrione, temperatis ab oriente, (vel si necesse sit) ab occidente.



SECTIO IX.

In quâ delineatur

ÆNIGMATOGRAPHIA.

PRÆCEPTA.

ÆNIGMATOGRAPHIA; seu ænigmatologia, est disciplina miscellanea de ratione colligendi ænigmata.

Estque generalis, vel specialis.

Ænigmatographia generalis præcipit de naturâ & vsu ænigmatis.

Natura ænigmatis est in definitione, proprietatibus,cognatis, & distributionibus generalibus.

Definitio sit eiusmodi: Ænigma est oratio verborum inuolucris tecta.

Proprietates sunt breuitas, celebritas, acumen, & inuolucrum.

Cognata sunt griphus, & quædam symbola.

Vsus ænigmatis est docere,acuere,& delectare.

Distributiones generales sunt, quòd ænigma est in verbis, sententiâ, vel vtroque: quòd est in oratione prosâ, vel versâ, &c.

Ænigmatographia specialis explicat ænigmata ratione linguarum,vel disciplinarum. Ibi sunt ænigmata Hebraica, Græca,Latina, Germanica, &c. hîc sunt ænigmata philologica, philosophica,theologica,&c.

REGVLÆ.

I. *Ænigma est obscurus inuolutúsque sermo.* — Ænigma quid?

Alij sic definiunt: Ænigma est obscura sententia, per occultam rerum similitudinem enuntiata. Item: oratio obscuritate allegoriæ ad intelligendum difficilis.Iccircò & *Fabius* obscuriorem allegoriam nominat *lib* 8. *cap*.6. Griphus penè idem est quod ænigma, seu ænigmatica quæstio. Nomen habet à genere retis: quòd inuolueretur quasi, quibus ad soluendum proponebatur. Sunt qui dicant, ænigma lusum tantùm habere & iocum, griphum etiam studium & curam. Certè & ænigmatum, & griphorum vsus fuit olim inter mensas conuiuales: & quoniam inter scyphos proponebantur, κυλίκεια ζητήματα dicebantur. Qui non soluisset, ei pœna hæc subeunda erat, vt poculum merum ebiberet. Porrò symbola quædam habent affinitatem cum ænigmatibus. Ita *Cicero* 2. *ad Attic.* author est symbola Pythagorica obscurè & occultè scripta esse ἐν αἰνίγμασι.

II. *Vsus ænigmatum est patheticè docere, ingenium acuere, & hilaritatem parere.* — Vsus ænigmatum.

Conceditur itaque vsus eorundem in iocosis narrationibus, in lusibus,in sympofiis.In orationibus qui frequentiùs iis vtetur, meritò reprehendatur: quoniam vitium orationis maximum est obscuritas.Et verò ænigmata sunt quæstiones ludicræ,quæ à seriis distinctæ esse debent.

III. *Ænigmata tam latè patent, quàm latè patet Encyclopædia.* — Varietas ænigmatum.

Diuisio ænigmatum alia est generalis, alia specialis. *Generalis* est, quòd ænigmata quædam posita sunt in verbis tantùm, quædam in sententiâ, aliqua in vtroque: etiam in literis & syllabis. Item, quòd constant prosâ, rythmo, vel carmine.

 Specialis,

Specialis, eaque omnium optima est, quòd ænigmata sunt philologica philosophica theologica, iuridica, medica, mechanica. Cùm enim singulæ disciplinæ habeant sua ænigmata, memoriæ consulitur, si hæc distributio sit instar cynosuræ in colligendis ænigmatis. Sed nos exhibeamus ænigmatologiam miscellaneam, & alternis quidem prosam & versam. Neque enim nostri est instituti exempla, sed methodum monstrare.

I. *Quis est limes inter Vet. & Nouum Testamentum?*

Tertulliano sic dicitur Propheta Malachias, in quo desinit Iudaismus & incipit Christianismus.

1. *Homo non homo, videns non videns, alitem*
   Non alitem, lapide non lapide percutit
   Cùm super arbore, non arbore tamen degeret.

Hoc ænigma repetitur apud *Platonem* 5. *de legib.* item apud Athenæum & Suidam. Solutio hæc est. Eunuchus luscus vespertilionem super sambuco hærentem pumice percussit.

II. *Quidnam est omnium antiquissimum?*

Respondet Thales Milesius, DEVS.

2. *Dic quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo,*
   Tres pateat cœli spatium non amplius vlnas.

Seruius existimat Virgilium loqui de sepulchro Cœlij cuiusdam, hominis asoti; qui re suâ consiactâ non plus sibi reliquerit agri quàm quod ad sepulturam sufficeret: vt ad nomen Cœli alluserit. Alij accipiunt de puteo, in quo cœlum conspicitur. Ego per cœlum μεταφορικῶς intelligo materiam, in quâ virtus cœli copiosè sit collecta, & vltra tres vlnas non lateat in terrâ, quæ est moly illud Homeri. Quidquid huius sit, Virgilius crucem se fixisse Grammaticis aiebat, in quâ ipsi se assiduè distorquerent.

III. *Quid est pulcherrimum?*

Respondit Thales, mundus.

3. *Est vnus genitor, cuius sunt pignora bis sex,*
   His quoque triginta natæ, sunt dispare formâ,
   Aspectu hinc niueæ, nigris sunt vultibus inde,
   Sunt immortales omnes, moriuntur & omnes.

Item:

Vna aliam gignit, geminæ sunt námque sorores,
Quæque priùs genita est, mox rursum gignitur ipsa.

Item, quod Æsopo à Sophistâ in Ægypto est propositum: Est templum magnum, & in ipso columna duodecim habens vrbes, quarum quælibet triginta trabibus sustinetur. Has trabes duæ circumeunt mulieres. Templum magnum est mundus, columna annus, vrbes menses, trabes dies, mulieres dies & nox. Duæ verò sorores, de quibus paulò antè, sunt dies & nox, quarum vna ex alterâ gignitur, & vtraque se generantem generat.

4. *Semel minúsne an bis minus, non sat scio,*
   An vtrumque horum, vt quondam audiui dicier,
   Ioui ipsi regi noluit concedere.

Dum exaugurarétur Capitolium, omnésque dij se amoueri paterentur, Terminus commoueri non potuit. Dubitat author ænigmatis, semel minùs, an bis minùs fuerit, an vtrumque horum: ex vtroque autem hoc est, ex semel & bis resultat ter. Quare non semel minùs, non bis minùs, sed ter minùs fuit, qui Ioui ipsi regi cedere noluit. Atque hoc fuit symbolum Erasmi Roterodami: *Concedo nulli Terminus*: quo ille suam modestiam significauit: cùm scioli interpretati fuerint indicinam arrogantiæ, vt ipse conqueritur peculiari epistolâ hanc in sententiam scriptâ. Ouidius 2. Fastorum de Termino sic canit:

Quid? Noua cùm fierent Capitolia? nempe deorum
Cuncta Ioui cessit turba locúmque dedit.
Terminus (vt memorant veteres) inuentus in æde
Restitit, & magno cum Ioue templa tenet.

5. *Dum caput est, currit; ventrem coniunge, volabit*
   Adde pedem, comedes; & sine ventre bibes.

Est Muscatum, hoc modo: Mus: Musca: Muscatum: Mustum.

IV. *Quid est omnium sapientissimum?*

Tempus iuxta Thaletem; quia hoc inuenit, docet ac discit omnia.

6. *Virtutes magnas de viribus affero paruis,*
   Pando domos clausas, iterum concludo patentes,
   Seruo domum domino, sed rursum seruor ab ipso.

In hoc ænigmate clauis loquitur.

V. *Quid est illud: Pater tuus, pater meus: auus tuus, maritus meus: tu filius meus, ego mater tua?*

Rabbini hoc ænigma proferunt de filiabus Lothi.

7. *Literæ me pauit, nec quid sit litera noui:*
   In libris vixi, nec sum studiosior inde.
   Exedi Musas, nec adhuc tamen ipsa profeci.

Tinea loquitur, quæ pascitur libris.

VI. *Quis est homo, qui mortuus est, & non sepultus, nec corruptus, nec erosus à vermibus?*

Vxor Lothi. Belgæ sic efferunt:

Min frouw een seul von steen/ ist een ænigma:
Min mann een s L O T oone sigma.

8. *Sum nondum dirâ confectus morte, sepultus:*
   Haud vrnâ, haud saxum non humus vlla tegit.
   Et loquor, & sapio, & vitalibus abdicor aruis.
   Meque capit viuus, meque vehit tumulus.

Ionas propheta est in vente ceti.

VII. *Septem sunt aues:* der erste hat kein mut: der zweite hat kein blut: der dritte kein zung: der vierte seugt seine iungen: der fünfte hat kein gall: der sechste singt über sie all: der sibende frißt dreyjärige speiß: Trachestu diß / so bistu weiß?

Sunt Noctua, Apis, Ciconia, Vespertilio, Columba, Luscinia, Turdus.

9. *Quod tollit, premit: ima petens sursum æra repellit:*
   Et somno premitur: nec tamen ipsa capit.

Pluma tollit auem in sublime: premit bilancis alteram, & ita eleuat alteram lancem æream. Premitur à dormiente, ipsa non dormit.

VIII. *Quale fuit lignum, quod neque plantatum in cœlo, nec in terrâ germinauit?*

Virga Aharonis.

10. *Sunt mihi, sunt lachrymæ, sed non est causa doloris,*
    Est iter ad cœlum sed me grauis impedit aër,
    Et qui me genuit, sine me non nascitur ipse.

Fumus est. Ignis generat fumum, sine quo ipse non generatur.

IX. *Si venerit, non reddit: Si redibit, non venerit.*

Est ænigma de lupo & oue. Si venerit lupus, non redibit ouis; si redibit ouis, non venerit lupus.

11. *Quale animal, dic, esse putes, quod mobile totum*
    Est oculus, neque pars præterea vlla manet?
    Quottidie gignit natum sine matre creatum:
    Qui tamen vnâ ipsa hâc interit ille die:
    Cuius item soror absente est genitore creata,
    Partita imperium fratris & interitum.

Sol est.

X. *Fac triangulum cum tripode & circulo: converte* Et: *conuenito me, quando lignum ligno addetur, & mortui sepelient viuos.*

Sic erudita virgo amasium alloquebatur. Sensus est: Amo te: Veni, quando pessulum foribus obdetur, & cineres sepelient fauillam, id est vesperi.

12. *Excubat os nitidum patulo mihi semper hiatu,*
    Sacra ministerio ferrea lingua Dei est.
    Nunquam sponte loquar, nunquam nisi iussa tacebo.
    Excutere at vocem verbera sola solent.

Campana est.

XI. Es ist ein wasserschloß so groß/
Welches ein höltzern schlüssel aufschloß:
Der Jäger ward darinn gefangen/
Das Wild aber ist dardurch gangen.

Poëta sic vertit:

Est fera, aquis constans, reserat quàm lignea clauis:
Venator capitur, libera casse fera est.

Est mare rubrum, quod aperitur baculo Mosis. Pharao mergitur, Israël transit.

13. *Sponte mea veniens varias ostendo figuras,*
    Fingo metus vanos nullo discrimine veri.
    Sed me nemo videt, nisi qui sua lumina claudit.

Somnus est, quem vident dormientes: vident & illi qui non vident, putà cæci: vident denique talpæ.

XII. *Magnum anni os quodnam?*

Cùm est vberior annonæ prouentus, agricolæ magnificentiùs loquuntur. Hinc rustici amant prædictiones tempestatis aëris. Quò pertinet illud facetum. Pastor indoctus suam operam offert rusticis, & pollicetur se precibus suis effecturum, vt quam vellent semper haberent tempestatem. Quid fit? Rustici conueniunt suum pastorem, & iubent ipsum stare promissis. At ille, Qualem vultis, inquit, tempestatem? Hîc inter rusticos conuenire non potuit, aliis aliam tempestatem optantibus.

14. *Parva mihi domus est, sed ianua semper aperta:*
Exiguo sumptu, furtinâ viuo saginâ,
Quod mihi nomen inest Roma quoque consul habebat.

Mus est, qui ait suum nomen fuisse consuli Romano. Nam Mvs Deciæ gentis cognomen fuit, vt testantur Fasti capitolini, in quibus est P. Decivs. Q. F. Mvs. &, P. Decivs. Q. F. Q. N. Mvs.

XIII. *Quænam est illa auis?*

Angelus in pennâ, pede latro, voce gehenna?

Resp. Pauo.

15. *Grande mihi caput est intus sunt membra minuta,*
Pes vnus solus, sed pes longissimus vnus.
Et me somnus amat, proprio nec dormio somno.

Papauer est.

XIV. *Quid illud:*

Es speißt vnd trenckt ein mutter fein
Vil hundert tausent kinderlein;
Die sie zuvorn gespeißt ohn zal
Frißt sie hernacher allzumal/
Vnd bringt sie wider an den tag/
Wer solchs des Hertzen wort vermag.

Est Terra.

Plutarchus in conuiuio septem sapientum refert varia veterum ænigmata: vt sunt octo ista Thaletis. 1. Quid omnium antiquissimum? Deus. 2. Quid robustissimum? Necessitas. 3. Quid pulcherrimum? Mundus. 4. Quid sapientissimum? Tempus. 5. Quid communissimum? Spes. 6. Quid maximum? Locus mundi. 7. Quid vtilissimum? Virtus. 8. Quid damnosissimum? Vitium.

16. *Candidior cygni plumis, sum filia brumæ,*
Dura nimis glacie, sed non nimius algida: fungo
Rarior, ac fluidum in laticem tabesco repentè:
Signo nouem, fuerit si littera prima recisa:
Cor mihi si iungas, vix est auis atrior vlla.

Nix est: cuius duæ literæ, dempto N, signat nouem. Si adiiciatur syllaba *Cor*, futurum est nomen auis nigerrimæ.

XV. *Quodnam germen ex alto est ortum?*

Christvs, germen iustitiæ.

17. *Glabra foris, pilosa intus, speciéque globosa,*
Exilio, quanquam mî pedis vnus abest:
Aëriásque carens pennis volitabo per auras:
Et vires crebrò pulsa resumo nouas.

Pila est.

XVI. *Quid hoc est:*

Floret picea, quòd cedrus cecidit?

Resp. Potentiorum ruina documentum est minoribus modestiæ. Habe hîc tibi quædam ἀδιάλυτα Rabbinorum ænigmata 1. *Lex fuit scripta igne nigri, in superficie ignis albi.* 2. *Quis est locus, vbi sol non est ortus nisi semel ab initio seculi?* 3 *Quisnam homo mortuus fuit, & non sepultus, & non fœtuit, & non verminauit?* 4. *Quatuor sunt reges: quatuor & octoginta in castris eorum. Omnis qui sequitur eos non inuenit honorem inter eos.*

18. *Carnea sulcetur si glebula corneo aratro,*
Non me dulce dabit, sed feret acre piper.

Prurigo est, quæ in amaritiem vertitur, si scabis.

XVII. *Quænam animalia mortua regunt mundum?*

Resp. Vitulus præbendo membranam; anser calamos; apis suppeditando ceram. Hîc obserua, dari *ænigmata muta*, quæ non verbis, sed gestibus constant. Quò pertinent omnia hieroglyphica. Sic Scythæ ad Darium mittunt *Auem, Murem, Ranam & quinque sagittas*: quo significabant, se ipsi tradere aërem, terram, aquam, in quibus elementis istæ aues degunt: & denique seipsos quippe qui sagittis vtebantur. Vide *Sphingem Heidfeldij cap. 41.*

19. *Tethyos vndisonæ mediis ego nascor in aruis,*
Méque cauernosam fistula crebra vorat.
Non inuita graui leuis impleo viscera succo,
Quem reuomo exsorptum pollice pressa prius
Peniculique loco mensas extergeo mollis,
Et rapio sordes, vlceráque exsanio.

XVIII. *Quænam animalia vno tantùm alimento nutriuntur?*

Resp. Halec, vnde fouet, pascítque ignis salamandram:
Talpam terra nutrit, sed aër quoque Chameleontem.

Qualis est hic logogriphus?
Frons mea discurrit; totum conuiuia corpus
Ornat, & inde procul tristia verba fugat.
Iam volo, si sumas vnum de corpore membrum;
Si duo, me vastus nil minus orbis habet.
Parnassum sine ventre colo, pretiosius auro
Vis aliquid? Frontem collige. Finis habet.

Resp. Mus: Musica: Musca: Mica: Musa: Amicus.

20. *Quatuor æquales currunt ex arte sorores,*
Sic quasi certantes, cùm sit labor omnibus vnus.
Et prope sunt pariter, nec se contingere possunt.

Rotæ quatuor in vno curru sunt istæ sorores.

XIX. *Qui sunt illi:* Primus non est natus, & mortuus: secundus natus, & non mortuus: tertius neque natus, neque mortuus: quartus natus & mortuus?

Resp. Adam, Enoch, Angelus, Homo quilibet.

21. *Nox ego sum facie sed non sum nigra colore,*
Inque die media tenebras tamen affero mecum,
Nec mihi dant stellæ lucem, nec Cynthia lumen.

Nebula significatur hoc ænigmate.

XX. *Quid hoc est.*

Anser ouem variat, quia potum vacca ministrat?

Resp. Calamus membranæ imprimit notas literarum, adhibito atramentario.



SECTIO X.

In quâ delineatur PARADOXOLOGIA.

Præcepta.

Paradoxologia, seu paradoxographia, est disciplina mixta explicans paradoxa.

Paradoxa sunt decreta, quæ præter sententiam multorum sunt, & audita admirationem habent. *Vnde quibusdam dicuntur* Mirabilia & Admirabilia.

Ea considerantur in genere, & in specie. Vnde paradoxologia est generalis, vel specialis.

Paradoxa in genere spectantur in naturâ & vsu suo.

Natura paradoxorum est, vt sint præter opinionem, sed non præter veritatem. Vnde paradoxa diuiduntur in ἔνδοξα, & ἄδοξα seu παράλογα.

Vsus paradoxorum est, vt doceant cum admiratione.

Paradoxa in specie diuiduntur vel à causâ efficiente, id est, authoribus, vel à subiectâ materiâ.

Ab authoribus paradoxa sunt Stoicorum, Platonicorum, &c.

A subiectâ materiâ paradoxa sunt simplicia, vel mixta.

Paradoxa simplicia sunt theologica, philosophica, iuridica, vel medica: mixta sunt variarum disciplinarum. Sic v. gr. paradoxologia Ciceronis est ethica; Puteani de cometâ, est physica; Plateri, est medica; Cosmopolitani est mixta.

Regvlæ.

I. *Ea demum paradoxa probanda sunt, quæ sunt orthodoxa.* Paradoxa quæ probanda?

Talia verò sunt, quæ licet sint præter opinionem aut sententiam multorum, tamen non sunt præter veritatem. Itaque ista Stoicorum paradoxa minimè probanda sunt: *Sapientem imperturbabilem esse, non opinari, non fallere, non mentiri: Sapientem omnia rectè facere: Sapientem aliquando sibi mortem consciscere posse, decere, debere: Omnia vitia esse in omnibus: Peccata æqualia esse.* His dissimilia sunt ista paradoxa; Epitecti, *Solos eruditos*

eruditi ... esse : Posidonij apud Senecam, *Vnum diem hominis eruditi plus patere, quam imperiti longissimam ætatem:* Senecæ, *Tota vita discendum esse mori.*

II. *Tota ferè Stoicorum philosophia fuit paradoxologia.*

Paradoxa philosophorum ... maxime delectati fuere paradoxis?

Non quidem vera ... sed tamen multis insignibus sententiis ornata. Id videre est ex paradoxis Ciceronis, quæ hoc ordine sunt ab ipso tractata.

1. Ὅτι μόνον ἀγαθὸν τὸ καλόν, id est,
Quod honestum sit, id solum bonum esse.
2. Ὅτι αὐτάρκης ἡ ἀρετὴ πρὸς εὐδαιμονίαν, id est,
Seipsâ contentam esse virtutem ad beatè viuendum.
3. Ὅτι ἴσα τὰ ἁμαρτήματα, καὶ τὰ κατορθώματα, id est,
Æqualia esse peccata, & rectè facta.
4. Ὅτι πάντες οἱ μωροὶ μαίνονται, id est,
Omnes stultos insanire.
5. Ὅτι πάντες οἱ σοφοὶ ἐλεύθεροι, πάντες δὲ μωροὶ δοῦλοι, i. e.
Omneis sapienteis liberos esse, & stultos omneis, seruos.
6. Ὅτι μόνος ὁ σοφὸς πλούσιος, id est,
Solum sapientem esse diuitem.

III. *Tota Scriptura sacra est referta paradoxis.*

Paradoxa in S. literis qualia?

Paradoxa ista sunt decreta, seu effata, Spiritus sancti, quæ carni & sanguini absurda videntur. e. g. Deus omnia creauit ex nihilo, *Gen.* 1. *Heb.* 11. 3. Fœmina prima facta est ex costâ viri, *Gen.* 2. 21. Serpens seduxit hominem *Gen.* 3. Deus est vnus & trinus, 1. *Iohan.* 5. 7. Maria virgo peperit filium, *Matth.* 1. *Luc.* 1. Christus est Deus & homo in vnâ personâ, *Ioh.* 1. Corpora nostra resurgent in vltimo iudicio, *Ioh.* 19. *v.* 25. 26. 27. Mors Christi nobis adfert vitam, *Esa.* 53. *Rom.* 4. 25. Non multi sapientes, nobiles, & potentes placent Deo, sed qui stulti sunt, & ignobiles, & infirmi. 1. *Cor.* 1. *v.* 26. 27. De his & similibus paradoxis sacris cogitandum est, quod apostolus pronuntiat de euangelio 1. *Cor.* 1. 18. Nam sermo ille de cruce, iis quidem qui pereunt, stultitia est: iis autem, qui seruantur, id est, nobis, potentia Dei est. Porrò hîc obseruanda sunt septem axiomata, ceu communissima principia, quorum ope mens hominis conuinci potest, vt paradoxa sacra admittat. 1. *Dei natura infinito interuallo superat naturam creatam.* Non itaque de Deo, & ipsius essentiâ iudicandum est ex legibus naturæ finitæ. 2. *Deus est omnipotens.* Potest igitur omnia illa, quæ non destruunt naturam. Quare non debemus potentiam Dei metiri nostrâ impotentiâ, vel etiam decempedâ rationis corruptæ. 3. *Deus est liberrimum agens.* Itaque non semper agit vnâ & eâdem ratione. 4. *Natura abhorret à progressu in infinitum.* Oportet itaque vt tandem aliquando perueniatur ad primam aliquam caussam. 5. *Perfectio, quæ lucet in naturâ creatâ, modo longe excellentiori est in Deo.* Sic in rebus creatis cernitur vnitas essentiæ, & trinitas aliqua, quæ essentiam & naturam specificam non multiplicat. 6. *Quidquid Deus vult, id necesse est fieri.* Nam ipse est velut imperator huius vniuersitatis, ad cuius nutum omnes creaturæ se componunt. 7. *Anima humana est aliquid diuinum & spirituale.* Non itaque subiacet legibus illis, quibus corpora sunt obnoxia. Quòd si prudenter accommodentur hæc axiomata paradoxis illis, quæ occurrunt in S. literis, quæque rationi nostræ corruptæ absurda & incredibilia apparent protinus veritas ipsorum reddetur credibilis. Vt autem ipso actu credantur, opus est gratiâ Spiritus sancti.

IV. *Paradoxa dantur in omni disciplinarum genere.*

Paradoxa quam latè sparsa?

Id patet ex *Philosophiâ liberâ N. C Cosmopolitani*, in quâ viginti ista & vnum paradoxa proponuntur & demonstrantur. 1. *Ignorantem & rudem docto præferendum esse.* 2. *Duo tantùm esse entium genera*: nimirum substantiam & qualitatem. 3. *Locum esse nihil* id est, ens imaginarium. 4. *Omnia elementa esse grauia*: nempe in seipsis. Nam & ignis & aër descendunt. v. g. ignis ... meus, & aër qui subit terram, dum puteus effoditur. 5. *Omnia fieri ex nihilo*: quia v. g. homo fit ex non homine, album ex non-albo. 6. *Non dari motum à loco in locum*: quia in omni mutatione locali idem semper seruatur locus, vt non admittatur locorum commutatio, sed continuatio, neque fit progressus à loco in locum disiunctum. 7. *Motum cœli non esse perfectè vniformem, seu regularem*: quia v. g. sol æqualibus temporibus percurrit spatia inæqualia. 8. *Cometam non esse ... generatum*: sed esse corpus aurâ æthereâ paulò ... tamen ... vt radios solares ap... 9. *Sensum nullo modo errare posse.* 10. *Logicam ... Rhetoricam palmæ, non rectè à Zenone comparari*: quia ... est opus Logici. 11. *Superficiem aquæ non sphæricam esse, sed concauam.* 12. *Nullum agens naturale esse vniforme*: id est, æqualibus spatiis effectus æquales edere. 13. *Nullum accidens inhærere in subiecto.* 14. *Motum grauium non esse simpliciter naturalem*: quia non fit sine omni resistentiâ internâ. 15. *Numerum non esse quantitatem*: sed entis affectionem. 16. *Non dari veram compositionem.* 17. *Intellectum agentem non esse necessarium ad intellectionem.* 18. *Quaternarium caussarum numerum non rectè assignari.* 19. *Variationem pyxidis nauticæ oriri tantùm ex magneticâ telluris naturâ.* 20. *Logicam non rectè distribui secundum triplicem mentis operationem.*

V. *Quædam paradoxa sunt altioris indaginis; & proinde licet primâ fronte appareant absurda, tamen non simpliciter sunt reijcienda.*

Paradoxa quædam altioris indaginis.

Tale est illud Tychonis Brahe & aliorum recentiorum, *nouas subinde in cœlo stellas apparere*: item illud Copernici, & Guil. Gilberti lib. 6. philosophiæ magneticæ, *terram viginti quatuor horarum spatio moueri circulariter, ab occasu in ortum.* Quod posterius paradoxum his ferè rationibus probatur. 1. Frustra fit per plura, quod commodè fieri potest per pauciora: frustráque totum cœlum omnésque sphæræ (si quæ sunt) stellarum errantium & inerrantium circumuoluuntur motu diurno, qui vnicâ telluris quotidianâ reuolutione excusari potest. 2. Vtrum probabilius videtur, globi terrestris æquinoctialem circulum vnico horæ scrupulo secundo (id est, eo circiter tempore, quo quis celeriter incedendo, vnico tantùm passu progredi poterit) vnius milliaris Britannici (quorum 60. vni gradui maximi in terrâ circuli æquantur) quadrantem conficere posse, an primi mobilis æquatorem eodem tempore quinquies mille milliaria ineffabili celeritate percurrere, & in ictu oculi quingenta circiter milliaria Britannica, fulmine celeriùs, prætervolare? 3. Vtrum est verisimilius, minutissimo huic globulo terreno motum aliquem concedere; an tres ingentes illas sphæras, octauam, nonam, & decimam, diuerso motu onerare. 4. Terræ & terrellæ comparatio docet, circularem motum non esse adeo à telluris naturâ alienum, atque vulgo existimatur. Sanè magnes mouetur naturaliter, & illum motum habet à terrâ. Itaque necesse est, terram ipsam eâdem ratione circa axem suum moueri. 5. Poli in terrâ certis inhærent terminis. At in cœlo nulli sensibiles & naturales poli conspiciuntur. Itaque terræ potiùs, quam cœlo diurna illa conuersio inest. Sed finis sit paradoxorum: quorum sylua potest ab excitatioribus ingeniis comportari, & secundùm Encyclopædiæ partes methodicè digeri.

SECTIO XI.

In quâ delineatur

DIPNOSOPHISTICA.

PRÆCEPTA.

DIPNOSOPHISTICA est disciplina composita, de rectâ ratione philosophandi inter epulandum. *Dicitur etiam* Dipnologia.

Estque generalis, vel specialis.

Dipnosophistica generalis præcipit, vt sermones conuiuales sint honesti, varij, & iucundi: & explicat naturam, modum, vsum &c. conuiuiorum.

Dipnosophistica specialis est, quæ præscribit regulas in conuiuiis obseruandas, vbi conuiuantur vel pares, vel impares, v. g. præceptores & discipuli. Deinde, Dipnosophistica specialis persequitur conuiuia veterum Romanorum, Græcorum &c.

REGVLÆ.

I. *Dipnosophistica est admodum vtilis: quoniam ita est, vt Cato apud Ciceronem profitetur, conuiuiorum delectationem non magis corporis voluptatibus, quam cœtu amicorum, & sermonibus metiri oportet.*

Dipnosophistica est vtilis.

Quare sicut omnis actio suas habet normas: ita & sermones apud mensam, seu quæstiones & responsiones sympoſiacæ. Atque hæc est caussa, quòd veteres hanc materiam operosè persecuti sunt: nominatim *Athenæus in Dipnosophisticis. Gellius* etiam docet, quod genus disputationes in conuiuia inducendæ sint, *lib.* 18. *cap.* 2. Nonnulla etiam super hâc re *Plutarchus de tuend. valetud.* Item *Celsus lib.* 1. *cap.* 5. & 6.

II. *Omnibus*

II. *Omnibus dipnosophistis hæc Maxima sit ante oculos: vt misceant sermones honestos, varios, & iucundos.*

Regula dipnosophistica generalis.

Honesti erunt; ne apud mensam, vbi donis Dei cum gratiarum actione & reuerentiâ frui debemus, offendamus aut lædamus alios impiis, aut spurcis colloquiis. *Varij* erunt; quasi alicubi locum habet illud vsitatum, Varietas delectat, in conuiuiis vtique valet. Erunt denique *iucundi*; quia hoc facit ad finem conuiuij. Quòd itaque quidam tam potissimû de religione, & fidei Christianæ mysteriis, aut profundioribus philosophiæ quæstionibus, contentiosissimè & clamosissimè disputant, rem stultam faciunt. Potiùs hîc ventilanda sunt ænigmata, problemata mathematica, & illa, quæ propriè appellantur sympoliaca, vti sunt, Quot ex rebus debeat constare honestum absolutumque conuiuium: Quis sit iustus aptusque conuiuarum numerus: Cur conuiuium vulgo probetur quod est N E L I S: Cur bonum vinum dicatur esse C O S T A: Cur vinum generosum appelletur theologicum, &c.

III. *Conuiuia, in quibus impares conuiuantur, his regulis gubernantur.*

Conuiuia inter impares talia.

1. Si adolescentiores cum senioribus ineant prandium aut cœnam, ne loquantur vnquam, nisi aut necessitas eos adegerit, aut interrogati inuitative ad loquendum fuerint. 2. Iocosè ac lepidè dictis arrideant paululum, adolescentes: obscœnis nequaquam. Sed neque frontem corrugent, si is, cui verbum castis auribus indignum excidit, est aliqua claritate nobilis, ne illum notare videlicet, taciteque accusare videantur: quæ cùm ipsum per se displicet, tum ab istâ ætate est alienissimum. 4. Interuallum aliquod intercedat inter quæstionem & responsum. 5. Si præceptor & discipuli simul accumbant, mensa erit parua quædam schola.

IV. *Dipnosophistica explicare debet naturam, originem, genera, vsum, abusum, &c. conuiuiorum; idque in genere & in specie.*

Dipnosophistica linea-

Hæc omnia ἀφοριστικῶς persequemur, secuti ductum *Iohannis Gulelmi Stuckij lib de Antiquitatibus conuiuialibus.*

1. Conuiuium legitimum est res non modò honesta, vtilis, & iucunda, sed etiam sacra quodammodo & diuina. Conuiuiorum siquidem origo ad Deum refertur; qui protoplastos non μονοφάγους instar Cyclopum, sed ὁμοφάγους καὶ ὁμοτρόφους esse voluit. Vnde ipsos connubiali atque conuiuiali consuetudine deuinxit, & ipsis tulit legem cibariam, de gustandis omnibus fructibus, exceptâ arbore vetitâ. Imò & illa post lapsum lex fuit cibaria: In sudore vultus tui vesceris pane tuo. Quid? Totus ille cultus Mosaicus annon ferè maximâ sui parte re cibariâ constat? Huc pertinet ciborum delectus: & inter alia conuiuium Paschale. Ecclesiasticus vtilissima habet præcepta symposiaca, sicut & alij S. literarum libri. Similia quin etiam ducta a conuiuiis, occurrunt *Ier.* 7. 11. 12 *Isa.* 25. 56. 66. *Ezech.* 39. *Apoc.* 19. Adde 40. annos, quibus Israelitæ mirabiliter sunt alti in deserto. Quod attinet N. T. Christus non solùm piorum, sed & impiorum conuiuia adiit: in iis cùm alia multa salutaria, tum præcepta symposiaca tradidit: ipsemet epulas instituit, aliquot hominum millia miraculosè pauit: plurimis similibus à re cibariâ petitis discipulos erudiit: cœnam denique mysticam instituit. Itaque Scriptura S. plena est symposiacis.

2. Conuiuiorum finis est societas, vt ea cum Deo vel hominibus ineatur, foueatur, stabiliatur, redintegretur: sicut conuiuia publica & priuata, sacra & profana seu politica satis superque edocent: præsertim verò in sacris literis epulum paschale, sacrificia, Cœna Domini. Huc pertinent conuiuia Venetorum, Heluetiorum, Argentinensium, quibus ciues in societate ceu vinculis retinentur. Fit tamen vitio conuiuarum, vt conuiuia sæpenumero existant seminaria controuersiarum, litium, discordiarum. Marc. Crassus Ciceroni fuit reconciliatus conuiuio: sic & Hasdrubal Scipioni: Rodolphus Habspurgensis cum Abbate S. Galli. At alij pomum Eridos in conuiuiis propinarunt.

3. Conuiuium variis modis diuiditur. Nam ratione ætatis est genethliacû, epulum ablactationis, dentitionis, comæ vel barbæ depositionis, vestis mutatæ, nuptiale, ferale, exequiale: ratione officiorum est inaugurale, triumphale, φρατρικὸν, &c. ratione solennitatis est publicum vel priuatum, sacrum vel profanum, &c.

4. Omne conuiuium in tres actus diuiditur: antecendentia, connexa & consequentia.

5. Vsus conuiuiorum est in necessitate, vtilitate & iucunditate.

6. Abusus conuiuiorum est multiplex. Alij peccant in defectu, qui honesta quæque conuiuia culpant: cùm tamen μονοφαγία seu μονοσιτία sit probrosa: cumque Christus non solùm nuptias in Canâ Galilææ suâ præsentiâ cohonestarit, verùm etiam improborum conuiuiis interfuerit, vt scilicet illos doceret. Quatuor autem sunt species huius defectus. 1. eorum, qui nec alios inuitant, nec inuitati ab aliis comparent. 2. eorum, qui quidem alios inuitant, ast aliorum epulas aspernantur, si quando inuitentur. 3. eorum, qui inuitati ad aliorum conuiuia accedunt, ipsi autem neminem inuitant. 4. eorum, qui inuitatos sordidè tractant. Alij in excessu peccant, qui superba & luxuriosa adornant conuiuia. Fines verò luxuriosorum conuiuiorum sunt 1. vana ostentatio. 2. gula. 3. auaritia, vt eam tegant. 4. spes retributionis 5. spes consequendæ impunitatis scelerum. 6. ambitio, vt hominum gratiam aucupentur conuiuiis, hocque pacto sibi aditum parent ad quosuis honores, & munera politica. 7. cædes. Ita Amnon in conuiuio interfectus: Iuditha Holofernem interfecit. Effectus luxuriosorum conuiuiorum sunt 1. morbi & mors. 2. sumptuum profusio 3. odia, inimicitiæ, cædes. Ita non sunt conuiuia, sed commortes.

7. Olim legislatores tulerunt leges sumptuarias: vt scil. certus numerus conuiuarum haberetur, & edulia itidem certo numero apponerentur. Fannius Romanis ne conuiuij sumptus excederet, centum asses constituit. Idem fecit Lycurgus apud Lacedæmonios. Optandum esset, vt idem hodie fieret.

8. Gentes sumptuosissimæ sunt Persæ, Medi, Ægyptij, Cretenses, Germani, Galli, Itali.

9. Conuiuiorum magnificorum & luxuriosorum exempla sunt *Esa.* 25 *Amos* 6. *Hose.* 4. *Nahum* 1. conuiuium Darij, 3. *Esd.* 3. Assueri, *Esth.* 1. patris Samsonis, *Iudic.* 14 Absolomi, Herodis, Nabalis, 1. *Sam.* 25. Dauidis & Salomonis, Balthasaris, *Dan.* 5. Non tamen omnia μεγαλοπρεπῆ conuiuia vituperanda: sed ea, cùm v. g. reges deuorant subditos, patres familiâs, agros, vxores.

10. Græci, tempore belli Troiani, quater interdiu cibis vtebantur, fruebantur. Tempore Hippocratis semel, bis, ter, pluriésve comedebant. Et quidem qui sæpiùs comedebant, nunquam ad satietatem tamen. Plato miratus est, Italos atque Siculos bis in die cibis impleri: vnde nonnulli colligunt, veteres Græcos semel tantùm die cibum sumpsisse: sed id Muretus & Mercurialis ita intelligendum existimant, quòd rari essent, qui vsque ad satietatem bis die cibum caperent. Latinorum & Romanorum consuetudo fuit, bis quotidie cibum capere, vt annotat Celsus, & ex eo Drusius in Quæsitis: qui etiam obseruat, horam sextam fuisse dictam prandio apud Iudæos, i. e. meridiem. Sic *Actor.* 10. Petrus dicitur precibus vacasse vsque ad horam sextam. Cæterùm hîc ratio habenda temporum & & personarum locorúmque. Etenim hyberno tempore alia diætæ est ratio, quàm æstiuo. Qui laboribus corpora fatigabant, aut pueri, aut senes, aut fœminæ apud Romanos ientaculum accipiebant summò mane. Alia sanorum, alia ægrorum: alia orientalium, alia occidentalium est ratio: alia iuuenum, alia senum, &c. Hora septima apud Romanos & Græcos erat hora prandij ordinaria. Hâc de re circumfertur argutum incerti autoris epigramma lib. 1. Epigr. Græc.

> Ἓξ ὧραι μόχθοις ἱκανώταται, αἱ δὲ μετ' αὐτὰς
> Γράμμασι δεικνύμεναι, ζῆθι λέγουσι βροτοῖς,
> *Sex horæ rebus tantùm tribuentur agendis:*
> *Viuere post illas litera ζῆθι monet.*

Hoc est, ad septimam vsque diei horam (quæ nobis meridiana est) rem suam & opus curare oportet: postea. penso absoluto, ad capiendum cibum accedere: id quod intelligitur ex notis & literis horologij. Nam si ζ η θ ι, quæ 7 8. 9. 10. horam significant, coniugas, ζῆθι expresseris, id est. Viu, quasi dicat: Ede vt viuas. Apud Iudæos quoque prandia & cœnas in vsu fuisse, ex sacris literis constat. Dicuntur enim sæpè à meridie ad vesperam ieiunasse, *Iudic.* 20. *versu* 26. 2. *Reg.* 1. *Actor.* 10. 2. *Regum.* 3. 35. 1. *Reg.* 12. Essæi fuerunt frugales in cibo & in potu, vt author est Iosephus. Verisimile autem est, vt apud Romanos, ita apud Iudæos, prandia fuisse parca atque tenuia: cœnas verò largiores. Hunc morem Christus secutus ὀψίας γενομένης, vt testatur Euágelista, hoc est, vesperi potiùs quàm manè mysticum illud epulum cum discipulis suis celebrauit. Voluit item nouum Sacramentum cœnæ veteri, eius ἀντίτυπον, comparare. Pascha enim inter duas vesperas celebrabatur. Rectè tamen consuetudo postea obtinuit, vt matutino potiùs tempore, & à ieiunis, quàm pransis Cœna Dominica celebretur, quò maiore id cum reuerentiâ animorumque attentione fieret. Ientacula apud Iudæos non fuerunt vsitata, *Act.* 2. vbi Petrus se & reliquos non esse ebrios, probat circumstantiâ horæ. 3. ante meridiem, quæ in nostris regionibus ferè est octaua ante meridiem, quæ illius excusatio nullius fuisset momenti, si ientacula apud illos locum habuissent. Obiicitur *Esa.* 5. *Ecclesiast.* 10. vbi exprobrantur populo commessationes matutinæ. Resp. Sed contra legem. 2. Obiicitur è *Iohan.* 21. vbi Apostoli dicuntur pransi πρωΐας γενομένης. Resp. E singulari non colligitur vniuersale. Apostoli erant fracti nocturnis laboribus. Ergo reficiendi erant. Merenda quoque non fuit vsitata Iudæis. Arabes bis tantùm in tribus diebus comedunt, vt Christophorus Vega testatur. Hispani bis de die,

Calecutienses octies aut decies. Persæ, Æthiopes, & Iberi olim semel die ceperunt cibum. Gentes quædam habuerunt certas horas cibi capiendi, aliæ non item. Caspiis gentibus venter pro solatio erat. Eo enim monente comedebant. Idem faciunt Indi, & Canarienses, qui comedunt quotiescunque libet. Quid verò, *quoties in die cibus sumendus?* Respondeo. Hîc ratio habenda ætatis, temperaturæ, habitus, temporis, consuetudinis. Nam pueri sæpius comedunt: sic & qui calidæ sunt temperaturæ. Qui verò sunt frigidæ, diutiùs famem tolerant. Qui sunt graciles, sæpiùs sunt alendi: contrà pingues; quia illi latos habent poros, hi angustos. Hyeme cibus abundè offerendus, sed rariò, ita vt semel multum adhibeatur. Semper tamen consuetudo præponderat. Notum enim est, quàm ægrè ferant ientaculi ablationem, quia assueti sunt ientare. Qui semel tantùm in die comedunt, amarulentioribus sunt moribus, iracundi, melancholici; quia in iis vtraque bilis augetur.

11. Duo etiam hîc solent quæri. I. *Prandendúmne an cœnandum largiùs?* Pro affirmante sententiâ, quòd largiùs prandendum, militant rationes Auicennæ, Mesuæ, &c. 1. Quia interdiu calor natiuus à calore solis iuuatur. 2. Exercitandi egent cibo, vt ad labores valeant. Sed interdiu vigilantes exercentur. Ergo. 3. Exercitatione alimenta facilè digeruntur. 4. In æstate plus cibi sumendum, quàm in hyeme: quia in æstate fit maior resolutio. Ergo etiam in prandio, quod æstati respondet. Galenus vult cibum leuiorem in prandio sumendum, quàm in cœnâ. Ratio 1. Quia temporis interuallum inter cœnam & prandium est longius, quàm inter prandium & cœnam. Quare cùm illo plus cibi possit concoqui, plus etiam in cœnâ sumendum est. 2. Quia somnus cœnæ succedens, concoctionem adiuuat: vigilia contrà cruditates affert. 3. Quies ad concoctionem facit: cùm qualiscunque motus assumpto cibo sit noxius. 4. Frigus nocturnum externum calorem intrò pellit, fortiorémque reddit, ac proinde concoctioni magno est adiumento. Hâc de re *Iohannes Pincier*, Medicus & Philologus eximius, cognatus honorandus, *lib. 4. medit. var. cap.* 8. breuiter ita iudicat. Semper parciùs cœnandum, quàm prandendum. Nam maior fit resolutio de die, quàm de nocte: quia vigilia concoctionem maturat, somnus retardat, adeò quidem vt vigilantes plus cibi octo horarum spatio conficiant, quàm sedecim horis dormientes. Et *Plinius lib.* 11. *c.* 53. peruigilio præcipuè vinci cibos ait. II. *An satius sit, certam comedendi horam habere, nec ne?* Resp. Omnino satius est; siue honestatem, hoc est, εὐταξίαν; siue vtilitatem & εὐπεψίαν spectes. Nam incerta ac inordinata cibi capiendi consuetudo valetudini multum officit. Incidunt tamen nonnunquam tempora, vt vel valetudinis, vel honestatis causâ cibi capiendi tempus sit negligendum.

12. Omnes ferè gentes certos dies selegerunt, quibus nomina imposuerunt infantibus. Apud Romanos imposita sunt nomina post septimum diem. Iudæi octauo die circumcidebant pueros, non septimo; quia septimus dies ceu climactericus periculosus est: pueri octauo die erant robustiores. Baptismi tempus non est definitum. Veteres ipso die natali celebrabant baptismum: potentiores solenniora festa obseruabant; Pascha, Pentec. Natal. Germani lustricum illum baptismi diem luxuriosis conuiuiis onerarunt: Ita vt cùm baptizatur infans, viri & mulieres baptizentur vino, & quidem non semel, sed sæpiùs.

13. Pharao diem suum natalem celebrauit. Idem fecerunt Persæ, Græci & Iudæi, vt vel Herodis exemplum edocet. Hæc autem fuerit optima natalem celebrandi ratio, si Deo agantur gratiæ pro beneficiis ab ineunte ætate collatis; & ille rogetur, vt præterita tegat ac futura regat: si denique in natali die cogitetur emortualis, qui æterni diei natalis est.

14. Turcæ circumcidunt suos pueros septimo anno.

15. Primitùs munera offerebantur infantibus recens natis: sicut & hodie.

16. Sacra natalitia olim omnium libidinum gnere sunt celebrata. Sed hoc est planè impium. Etsi enim mos ille celebrandi natalitia non est improbandus: tamen luxuria est improbanda. DEO enim gratiæ sunt agendæ pro ingenti hoc beneficio, quòd nobis huius vitæ vsuram concesserit. Abesse verò debet omnis luxuria: quia dies natiuitatis est dolorum introitus.

17. Rectè celebramus natalem Domini nostri IESVS CHRISTI præconiis laudum, non autem pomposis conuiuiis.

18. Thraces (referente *Herodoto lib.* 3.) natales suos non lætitiâ, sed luctu; contrà hominem defunctum cantu, tripudiísque fuerunt prosequuti; narrantes quot illi clades perferendæ, quotque malis hic liberatus sit & eos laudat *Valerius Maximus lib.* 2. Hîc aliquid venit notatu dignissimu n: videl. dies illos, quibus martyres mortem pro CHRISTO oppetierunt, fuisse vocatos γενέθλια, h.e. natalia, propterea quòd per mortem in Christo ad vitam verè vitalem transirent. secundùm illud Christi de Lazaro *Iohan.* 11. Non est mortuus. sed viuit. Item: Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, viuet.

19. Iudæi instituerunt & agitarunt conuiuium ablactationis, *Gen.* 21. 1. *Sam.* 1. Num in circumcisione conuiuati sint, nec ne, incertum est. Conuiuij ablactationis finis vsúsque fuit triplex. 1. Eucharisticus. Parentes enim vnà cum amicis agebant Deo gratias. 2. Consolatorius. Cùm enim hæc ablactatio & infanti & matri φιλοστόργῳ dolores conciliet, huiusmodi amicorum conuiuiis eos quasi lenire voluerunt. 3. Typicus seu mysticus Nam 1. Ablactatione istâ significabatur spiritualis illa, quâ homo depellitur à prauitate peccati originalis. 2. Ablactatio à ceremoniis V.T. fuit significata apud Christianos. 3. Sicut puer à lacte materno repulsus suspirat in vnam parentem: ita nos à duobus vberibus Ecclesiæ depulsi 4. In hâc vitâ egemus lacte. 5. Sicut Isaac & Samuel depulsi fuerunt à lacte matrum suarum; ita illorum posteri è terrâ Chananæâ eiecti solidis gentium cibis vesci coacti sunt.

20. Prouidentiæ diuinæ duo maxima sunt munera secundùm Philonem, γένεσις, generatio, & lactatio. Nam lactis affluxus est & cibus frangens famem, & potus sitim restinguens. Iccircò matres lactantes agnoscere debent hoc Dei miraculum; nec suos partus aliis committere: vt & Plutarchus docet. Nam infans iam in vtero assueuit illi nutrimento: quamobrem illius mutatio infanti non parum periculi creabit. Non decet igitur, vt bene piéque Christoph. à Vegâ dixit, infantem orbari suâ hæreditate, qua creator ipsum donauit. 2. Matres proculdubio alent liberos suos συμπαθέστερον, quàm nutrices. 3. Infantes cum lacte nutricis sugunt mores eius. 4. Deus eam ob causam dedit bina vbera. 5. Mutua στοργὴ augetur, si mater infantem alat. 6. Ethnicæ mulieres id fecerunt. 7. Idem fecerunt Sara & Elisabetha senio iam confectæ. Quòd si matres certis de causis non possint lactare, adsciscant nutrices integras animo & corpore.

21. Trojani, teste Homero, infantes suos medulla siue pinguedine lactis ouilis, id est, butyro aluerunt. Et Hebræi, nato infanti, priusquam lactaretur, mel & butyrum præbere sunt soliti, vt testatur Mollerus in *Esa.* 7. *v.* 15. de Christo.

22. Apud Fessanos in vsu fuit Dentitionis conuiuium.

23. Puerorum educatio & diæta sit frugalis, non sordida, non delicata, non copiosa. Duo hîc extrema fugienda sunt. 1. Ne illorum corpora vel fame emacientur, vel cibis crudis repleantur. 2. Ne peccetur in excessu qualitatis & quantitatis alimentorum. In qualitate peccatur, dum pueri à teneris annis delicatissimis quibusque cibis assuefiunt, maximè vino: quod pueris vel omnino non dandum, vel parcè. Puerorum potus apud Persas erat aqua: sicut & apud Spartanos. Eodem & potu Daniel cum sociis fuit contentus, repudiato vino regio. At Germani, & aliæ nationes aliter instituunt infantes, quibus ad ebrietatem vsque propinant vinum, non dilutum, sed meracum. In quantitate peccatur, cùm pueri immodico cibo potuque obruuntur. Quamuis enim ob caloris naturalis copiam copiosiore indigeant alimento, tamen excessus vitandus. Cyrus, Monarcha laudatissimus, flocci fecit conuiuium sumptuosum Astyagis aui materni, ad quod vnà cum matre fuit vocatus. *Xenoph lib.* 1 Persæ diligentissimè liberos suos educabant. Ita Iudæi, Romani, Spartani.

24. Conuiuia agitata sunt in inaugurationibus, electionibus, depositionibus officiorum ecclesiasticorum & politicorum Nunc temporis maximè insignia conuiuia sunt, quæ celebrantur in initiationibus Pontificum & Imperatorum Romanorum.

25. Huc pertinent conuiuia doctoralia, rectoralia, magistralia.

26. Antiquitùs stipendia constituta sunt iis, qui sacris operabantur: vt inde possent vitam sustentare, imò & lautiùs interdum viuere.

27. Postquam constituta esset politia Mosaica, populúsque in 12. tribus distributus esset, tribui Leuiticæ, quæ cultui diuino mancipata erat, neque proprias possessiones habebat, quò nimirum sacerdotes omni rei familiaris curâ soluti ac liberi, tantò commodiùs Legi vacare possent, assignatæ sunt decimæ. Decimæ verò erant quadruplices. 1. Communes; quas omnis populus Leuitis soluebat. Et hæ dicebantur decimæ primæ. 2. Quas Leuitæ ex suis decimis summo Pontifici dabant & sacerdotibus, quæ quidem ab Hebræis מעשר מן מעשר, decimæ de decimis, siue מעשר שני decimæ secundæ, ab Hieron δευτεροδεκάτας appellantur. 3. Erant decimæ, quas vnusquisque de populo, tertio quoque anno seorsim reponebat, *Deut.* 14. vt profectus Hierosolymam ex iis pararet conuiuia. quibus exciperet Leuitas & sacerdotes 4. Quas aduenis, viduis, pupillis, pauperibus alendis tertio quoque anno colligebant: מעשר עני. *Deut.* 14. *&* 26. *Leuit.* 18. *&* 27. *Num.* 18. Ezechias edicto publico mandabat, vt populus sacerdotibus decimas daret. Quo facto maxima dicitur fuisse consecuta benedictio Dei, id est, frugum fructuúmque abundantia, 2. *Paral.* 31 Sic *Neh.* 10. *&* 13. post liberationem è Babylone. *Malach.* 13. populus arguitur negligentiæ in soluendis decimis. Hodie quoque Iudæi religiosiores decimam ex omnibus suis bonis conferunt ad pauperes alendum, vsurpantes illud: תעשר בשביל שתעשר id est, da decimas vt diteris. Ethnici quoque, siue Iudæorum imitatione, siue naturâ

tuâ duce, ſacerdotes ſuos alere ſunt ſoliti, *Gen.* 47. *Iud.* 17. *Gen.*27. Chriſti temporibus etiam decimæ dari ſunt ſolitæ. Datæ autem ſunt Phariſæis, non Chriſto vel Apoſtolis, quibus ſanè debebantur. Sed Chriſtus habuit pecunias à piis viris. Habuit enim pecuniarum quæſtorem Iudam. Apoſtolis quoque mandauit, vt victum ab auditoribus peterent. *Matt.* 10. *Luc.* 10. Primitiua Eccleſia conferebat bona quædam in commune; & aliæ familiæ dabant victum, aliæ amictum. Tunc enim Eccleſia carebat piis magiſtratibus. At poſtquam Principes & politiæ Chriſtianam religionem fuerunt amplexatæ, ſtipendia & decimas conſtituerunt, Ezechiæ exemplo. Hàc in re inprimis liberales ſe præſtiterunt Conſtantinus & Carolus Magni: quorum hic decimas iuſſit diuidi in 4. portiones: quarum vna miniſtris Eccleſiæ, alterà Scholaſticis, tertia pauperibus, quarta Eccleſiis in fabricis applicetur. Grauiter igitur à noſtris peccatur hodie, cùm Eccleſiaſtica bona vi rapiuntur, ad alios vſus transferuntur, decurtantur. Sed & Papiſtæ hìc peccant, dum his bonis ad pompam, ſuperſtitionem, gulam, libidinem abutuntur.

28. Conuiuia in regum inauguratione vſitata fuêre apud Iudæos: vt in coronatione Saulis & Dauidis. Sic apud Perſas: vt Aſſueri epulum docet. Apud Germanos & nunc celebrantur cœnæ imperatoriæ. Tale epulum celebratum eſt in coronatione Maximiliani II. Francofurti: anno 1562. vbi nummi aurei & argentei in vulgus ſunt iactati. Cæſari miniſtrabant in curiâ primò Electores, deinde ſinguli ſingulas occupabant menſas aureis ſtragulis adornatas. Ante curiam album & rubeum merum, duabus fiſtulis per ſpeciem bicipitis aquilæ, editæ columellæ impoſitæ, ſubterraneâ deriuatione profundebatur. Sic Neapoli Friderici Cæſaris aduentu pluribus diebus vina nobiliſſima in ſpeciem aquæ ex temporariis fontibus vbertim fluxerunt. Veteri etiam conſuetudine bos integer, multis aliis animalibus ſartus, ligneo veru in foro torrebatur. Simile epulum, celebratum eſt in coronatione Caroli V. Aquiſgrani, qui & eâdem ſolennitate coronatus eſt Bononiæ: præſente Clemente VII.

28. Conuiua militaria celebrantur vel ante, vel poſt victoriam.

29. Olim apud Romanos caſtrenſis cibus erat durus: nunc delicatus. Olim milites erant ſobrij: at nunc luxu diffluunt. Turcarum diſciplina militaris victúſque eſt frugalis. Contrà Chriſtianorum militum diæta luxurioſa eſt. Iudæorum victus militaris deſcribitur 1. *Sam.* 17.

30. Carthaginenſium milites militiæ tempore à vino omnino feruntur abſtinuiſſe. Idem præcipit Plato *libr* 2. *de legib.* Megarenſes, cùm Apollinis oraculum conſuluiſſent, quinam Græcorum eſſent ſapientiſſimi, reſponſum eſt illis: Viri qui bibunt aquam. Peſcenninus Imperator militibus ſuis omnino vini potum interdixit, vniuerſóſque aceto voluit eſſe contentos. Illis item vinum flagitantibus reſpondit. Nilum habetis, & vinum quæritis? Mahumetes, vt in Alcorano ſcriptum eſt, in ebrios 80. plagarum pœnam conſtituit. Conſtantinus, Honorius, & Arcadius Impp. conſtituerunt vina danda militibus ægris, itémque tempore hyemis.

31. Ante prælium militum vires corroborantur epulis.

32. Finito prælio epulæ victoriales olim fuerunt inſtitutæ. Vide *Geneſ.*14 1. *Sam.* 30. 26. *Iudic.* 16 1. *Reg* 18. 2. *Paral.* 20 *Iudith* 15. Apud Chaldæos quoque id fuit moris *Iudith* 1. Græci etiam habuerunt ſua carmina & conuiuia ἐπινίκια. Maximè Romani triumphalibus epulis delectati ſunt. Primus Romanorum, qui triumpho vſus eſt, fuit Priſcus Tarquinius rex: qui habebat auream in capite coronam & lauream, indutus tunicâ palmatâ aureâ, ſedens in ſellâ curuli eburneo & inaurato, dextrâ ſcipionem eburneum, ſiniſtrâ pateram auream geſtans, in Capitolium vehebatur: milites præcedentes clamabant, Iò triumphe, Iò triumphe: ſpolia præferebantur: templa aulæis, auro, argento radiabant: boues auratis cornibus aderant: hoſtes deuicti currum ſequebantur, quorum colla catenis erant onerata. Hic ritus fuit ouationis Romanorum. Sed & plateæ vbique repletæ erant menſis pinguibus & lætis poculis: tibicines intonabant: Maximè à Suetonio & Plinio celebratur cœna Iulij Cæſaris, quam ille in Africano triumpho exhibuit. Nam in illâ præter obſonia lautiſſima vno die in duobus & viginti millibus tricliniis inſtructæ menſæ, vini Falerni amphoris centum, Chij cadis totidem, & ſex millibus murænarum. Suetonius quinque eius triumphos memorat: Gallicum, Alexandrinum, Ponticum, Africanum, Hiſpanienſem. Primus fuit excellentiſſimus. Tiberius triumphans, mille hominibus per menſem epulum exhibuit, vt author eſt Suetonius in ipſius vitâ. Sed munera & data tum militibus tum populo.

33. Artifices etiam ſuis gaudent conuiuiis, vt & ſerui ac ruſtici, putà in tonſurâ ouium, 1. *Sam.* 25.

34. Sunt & conuiuia feſtalia: putà Iudæorum in feſto Pentecoſtes & Tabernaculorum. Illud ſexto die menſis Siuan, cui Maius noſter reſpondet (quo menſe *Plinius libr.* 8. *cap.* 18. auctor eſt in Ægypto & Syriâ peragi meſſem) meſſe confectâ celebrari conſueuit, *Deuter.* 16. *Num.* 28. *Leuit.* 23. *Exod.* 34. cùm panes è nouis frugibus pro gratiarum actione Deo offerrentur. Hoc in menſe Tiſri, id eſt Septembri, omnibus frugibus conditis per ſeptenduum agitabant, *Leuit.* 23. *Deut* 16. *Plutarchus ſympoſ.* 4. *prol.* 5. vbi de Iudæorum abſtinentiâ à carne ſuillâ diſputat, huius feſti mentionem facit: & ineptè Iudæos reprehendit, quòd Sabbatho fuerint abuſi ad comeſſationes: & Sabbathum deducit à σαβάζειν, debacchari, tripudiare. Nam Bacchus Σαβάζιος, vel σαβάζιος olim dictus.

35. Propria ruſticorum conuiuia apud Germanos ſunt hæc: Saathaſen/ conuiuium poſt ſementem factam fieri ſolitam: item eyer in aucken: poſt fœniſectionem traybanen: abſolutâ meſſe ſichellofe/ ſiue ſichellege vel ſchnitthanen. Sic peractâ vindemiâ herbſtbad. poſt trituratıonem, pflegelhencke/ pflegellege/ flagellorum ſuſpenſio.

36. Conuiuia matrimonialia agitantur vel ante nuptias, vel in iis, vel poſt eas. Illa dicuntur ſponſalia: iſta nuptialia: hæc γαμόδεια.

37. Sponſalia, Græc. προγάμεια, vſitata fuerunt Apud Iudæos, *Geneſ.* 24. *Mat.* 1. Nimirum tempus intercedebat inter ſponſalia & nuptias, quo ſponſa à parentibus ſuis domi cuſtodiebatur, *Tob.* 6 7. 8. Apud gentiles eodem die nuptiæ peractæ, quo ſponſa promiſſa. Iudæorum ritus fuerunt. 1. Patres, vel ſerui, vel ipſi filij ſponſas ambierunt. 2. Puellarum conſenſus quæſitus. 3. Arrhæ & munera quædam data ſponſæ, eiuſque fratribus & parentibus. 4. Fauſta precati ſunt.

38. Conuiuiorum nuptialium apud Iudæos exempla ſunt: Iacobi, Samſonis, Tobiæ. Auguſtinus ſuper Gen. author eſt, nuptias olim ſeptem dies duraſſe: idque colligit ex iis verbis, Imple hebdomadam iſtam. Perſis quoque vſitata fuêre huiuſmodi conuiuia. Sic & in N. T. *Iohan.* 3. Apud Græcos quoque nuptiæ ſplendidiſſimis epulis celebratæ fuerunt itémque apud Romanos.

39. Cùm apud Feſſanos pater filiam cuidam deſpondit proco, mox ad templum itur. Incolæ Hyberniæ canino more agitant feſta nuptialia. Nam ſinguli conuiuæ ex ordine, ſecundùm ætatem, nouam nuptam cognoſcunt, vltimus ſponſo locus datur. Idem *Herod. lib.* 4. teſtatur de Naſamonibus.

40. Non damnanda ſunt nuptiarum conuiuia. Ratio. 1. Quia ſancti in V. & N. T. illis interfuerunt. 2. Quia ſymbola ſunt legitimæ lætitiæ. Quæ enim iuſtior gaudij cauſa eſſe poteſt, quàm ſi vir tutam adiutricem, & mulier caput nanciſcatur? 3. Dignitas matrimonij hoc requirit. 4. Paulus monet, flendum eſſe cum flentibus, & gaudendum cum gaudentibus.

41. Ceremoniæ nuptiales veterum hæ fermè erant. 1. epithalamion ad thalami fores decantabatur. 2. fax nuptæ præferebatur. Noctu enim nuptiæ celebrabantur. Hinc lampadum fit mentio *Matth.* 24 3. tibiæ adhibebantur.

42. Inſanus nuptialium feſtiuitatum luxus damnatur, qui apud Chriſtianos viget. Ratio. 1. Quia nocet nouis coniugibus. Pecuniæ enim, in veſtes, epulas &c. conferuntur. 2. Lege Iuliâ in nuptiis ſumtus fuêre definiti. In Rebus publ. bene conſtitutis idem factitatum. 3. *Plato l.* 6. *de legib.* ait: Cùm nec alibi vſquam ad ebrietatem vſque bibere deceat ac tutum ſit, tum verò atque inprimis id in nuptiarum celebratione cauendum eſt. Etenim conuiuæ pro ſponſis orare debent: & noui coniuges coniugium à ſobrietate auſpicari.

43. Numina nuptialia apud ethnicos fuerunt quinque: Iupiter, Iuno, Venus, Πειθὼ, Diana.

44. Maius menſis apud Romanos erat inauſpicatus nuptiis. *Ouid. in Faſt.* Vide *Eraſmum in Chiliadibus.*

45. Coniugum priuata ſyſſitia & conuiuia animos deuinciunt amore arctiori. Ita Adam & Eua in paradiſo victus communione coniungebantur. Et verò ſi maritus in popinis & cauponis ſe volutet, ſiniſtras ſuſpiciones concitat, & mulierculæ vel excurrunt, vel inuitant alias, & ſic bona dilapidant.

46. Conuiuia funebria, feralia, exequialia ſiue ſepulchralia, vſitata fuerunt olim, & adhuc ſunt. Parentatio illa duobus conſtat actibus, exequiis nimirum & luctu. Exequiæ ſunt officium funebre, quod exequimur in funere. Suntque amicorum ſolatium, non verò mortuorum ſubſidium.

47. Finis horum conuiuiorum erit, vt lugentes aliquâ conſolatione alleuentur.

48. Apud Iudæos & Græcos recepta fuerunt huiuſmodi conuiuia. Homerus deſcribit epulum ſepulchrale Hectoris, Patrocli &c. Sic apud Romanos erant parentalia.

49. Albæ veſtes in epulis funebribus vſitatæ fuerunt. Albâ autem veſte icircò corpus exornabant, quia purus eſt albus color, ideóque mortuis aptiſſimus. Sic corpus Domini ſindone inuolutum. Sic quoque reginæ Francorum poſt mortem virorum albis tantùm induuntur veſtibus; & ſi qua vidua ſit, regina alba vocatur. *Polyd. Virg lib.* 6 *cap.* 9.

50. Gentes quædam agitarunt conuiuia funebria monſtroſa. Nam Scythæ cadauer per 40. dies circumferebant, & quotidie comeſſabantur; dehinc humabant. *Herod. lib.* 4. Thraces triduo cadauer proferebant, mactatíſque victimis comeſſabantur. Eſſedones in Scythiâ parentum ſuorum funera cantibus læti proſequuti ſunt, & cadauera dentibus laniarunt, pecorúmque viſceribus mixta, conuiuis inter epulas appoſuerunt. Cranio verò poculi loco vſi ſunt, quod & auro circumorna

ornarunt. Idem & Celtæ fecerunt. Vide Solinum & Melam. Calati apud Indos, parentes ſuos, priuſquam annis aut morbo aliquo in maciem ſeniúmque abirent, velut deorum hoſtias mactarunt, cæſorumque viſceribus epulati fas maximéque pium iudicarunt. Padæi apud Indos, vt ſcribit *Herodotus*, ægrotantes interimunt, ac iis epulantur. Idem fecerunt Maſſagetæ. Iugulabant parentes ſenio confectos, & in fruſta concisos pecudúmque carne permixtos in menſâ appoſitos abſumebant, ſatius rati a ſe illos, quam a vermibus conſumi. Languore extinctos non edebant. *Herod libr.* 1. Idem de Ponticis gentibus ſcribit *Tertullianus aduerſus Marcionem* Americenſes hoſtium ſuorum, quos bello ceperint, (etiam hodie) corpora per dies aliquot bene ſaginata & aſſata, ceu ſuauiſſimas delicias magnâ cum lætitiâ, ſaltationibus atque tripudiis vorant. Vide *Ioan. Lerium Gallum teſtem oculatum in hiſtoriâ Nauigationis ſuæ*

51. Ab ethnicis plurimæ ceremoniæ exequiales ad Chriſtianos quaſi promanarunt: vt quòd epulas dapeſque ad ſepulchra deferebant, ſacra pro mortuis obibant. In primitiuâ Eccleſiâ ad martyrum ſepulchra precabantur, vigilias agebant, liba offerebant, epulabantur. Idem Turcæ hodie factitant.

52. Rabbini è *Deuteron* 10. & *Eſa.* 65. probare conantur, demortuorum corpora dæmonis poteſtati eſſe permiſſa, donec in ſpiritualem naturam mutentur. Dæmonem illum vocant Zazelum. Sed meræ ſunt nugæ.

53. Græci & Romani olim deſtinarunt dies certos memoriæ defunctorum. Idem hodie faciunt Papiſtæ: qui primò cadauer terræ mandant: dein domi epulantur, & mortuum laudant: ſeptimo die poſt defuncti obitum miſſa adminiſtratur, & preculæ demurmurantur: idem repetitur trigeſimo poſt mortē die, denique anniuerſaria miſſa celebratur.

54. Epularum funebrium magna eſt apud Chriſtianos luxuria. Vocantur todten oder leichmal. Quò pertinet phraſis: den todten oder das leid vertrinken.

55. Huc pertinent martyrum feſta à papiſtis celebrari ſolita.

56. Iudæi, Turcæ, Indi, Feſſani ſuis hodiéque gaudent moribus hâc in re.

57. Sunt & conuiuia, quibus peregrini excipiuntur: profecta ex hoſpitalitate, à quâ commendatur Abraham, *Geneſ.*18. Loth, *Geneſ.*19 Rebecca, *Geneſ.*24. Rachab, *Ioſ.* 2. vidua excipiens Heliſæum, 1.*Reg* 4. In N.T. eſt. Zachæus, Matthæus, Petrus, Lazarus cum ſororibus Mariâ & Marthâ, CHRISTVM exceperunt. Samaritani erant inhoſpitales, *Luc.*9. Ethnici quoque fuerunt hoſpitales, ac inprimis Græci. Homerus hoſpitalitatis officia graphicè deſcripſit: quæ ſunt 1. ſalutatio humana. 2. liberatio onerum quæ geſtant. 3. introductio in domum. 4. ad focum deductio. 5. lotio. 6. tractatio. 7. ad cibum potúmque capiendum alliciendi. 8. poſt cœnam hoſpites interrogandi. 9. hoſpitibus poſt cœnam lecti molles parandi. 10. veſtes hoſpitibus nonnunquam dandæ, & munera. 11. ab alienâ vi ſunt defendendi. 12. hoſpites non inuiti retinendi, ſed dimittendi. Hirundo hoſpitis imaginem gerit. Eam ceu veris prænuntiam aduentantem hilari vultu excipimus, eiúſque diſceſſum non impedimus. Idem refert, Achillem erga hoſtis Agamemnonis legatos fuiſſe hoſpitaliſſimum. Multus eſt in commendandâ hâc virtute: inter alia dicit deos errantes peregrinorum & mendicorum habitu ſæpè excipi. Vide Platonem, Liuium, Valerium Max. Græci, Romani, Gothi, Galli, Germani ſuêre olim hoſpitaliſſimi: at nunc temporis contrà vſu venire videmus.

58. Duplex eſt peregrinos excipiendi ratio: gratuita, de quâ modò dictum, & mercenaria, quam exercent homines certi, & à magiſtratu conſtituti lucri gratiâ.

59. Diuerſoriorum triplex eſt ratio. In aliis tantùm tecti vſus: in aliis eſculenta tantùm & poculenta: in pleriſque honeſtioribus & amplioribus vtrumque viatoribus & peregrinis exhibetur

60. Diuerſoria quidem ſunt vtilia & neceſſaria: aſt hodie multorum vitiorum ſunt ſeminaria. Caupones enim auari nihil non audent.

61. Olim eò immanitatis proceſſerant, vt peregrinos & aduenas quoſuis trucidarent: vt Carthaginenſes fecere & Tauroro Scythæ.

62. Hic obiter liceat quærere, Annon Iahel ξενοφονίας nomine damnanda, *Iudic.*4. Non. Debora enim vates ſanctiſſima illius factum in laude ponit. Proinde non hoſpiticidij, ſed hoſticidij nomine laudanda venit.

63. Præterea adornantur conuiuia vel ante vel poſt quamcunque profectionem, peregrinationem, loci domiciliíve mutationem. Vocantur Willkomm/ vnd letzte maal/ letzeſſen/ letztruncken.

64. Adhibentur item conuiuia & ſacrificia quibuſuis pactis, conuentis, fœderibus.

65. Apud veteres duo fuerunt inprimis inſignia & maximè vſitata fœderis amicitiæ ſymbola, panis videlicet & ſal.

66. Ceremoniæ fœderales multæ in hiſtoriâ ſacrâ & profanâ occurrunt.

67. Apud Hebræos hic fuit fœderis ineundi ritus. Diuidebant mactata quadrupeda, illiſque diſſectis fruſta ponebant in duo latera, vt fœderati per carnium partes tranſire poſſent.

68. Conuiuiorum fœderalium exempla extant *Geneſ.*26. & 31. *Ioſ.*9.14. 2. *Sam.*3 *v* 20.

69. Fœdus ſalis, id eſt, perpetuum & firmum dicitur 1. *Reg.* 15. Nam in fœderibus ineundis ſacrificia adhibebantur, quæ quidem ſine ſale nunquam fiebant, *Leuit.*2.

70. Omnia verò fœdera & ſacrificia V. T. fuerunt typi & figuræ vniuerſalis illius fœderis, quod Deus cum vniuerſo electorum cœtu vnigeniti Filij ſui ſanguine in arâ crucis perfuſo, ceu verâ piaculari hoſtiâ, iniit atque ſanciuit.

71. Apud alias gentes dextræ in fœderibus contrahendis iungi ſunt ſolitæ. Germani οἰνοποσίᾳ, Indi ὑδροποσίᾳ lites diri munt. Alij αἱματοποσίᾳ fœdera pepigerunt: vt Scythæ, qui infuſo in grandem calicem vino commiſcebant eorum ſanguinem, qui fœdus feriebant, percuſſâ cultello aliquâ corporis parte.

72. Panis & ſal non ſolùm apud veteres, ſed etiam hodiè ſunt inſignia fœderis & amicitiæ ſymbola. Nam dux Moſcorum, vt teſtatur Sigiſmundus Baro in Herberſtein/ eo maximè ſuam erga aliquem beneuolentiam teſtatur, ſi illi in conuiuio de ſuâ menſâ panem atque ſal mittat: idque maximi honoris loco habetur; quo honore ſe quoque affectum fuiſſe ſcribit à Baſilio duce, cùm apud ipſum legatione fungeretur nomine Imp. Rom. Ac in priori quidem ſuâ legatione ſcribit, ſe iuxta illorum conſuetudinem huiuſmodi dicendi formâ ab illo Moſcorum duce ad prandium fuiſſe inuitatum: Sigiſmunde, comedes ſal & panem noſtrum nobiſcum. En hîc ſalis potiſſimùm atque panis fit mentio: quorum vnum alimenti, alterum condimenti inſtar obtinet. Vtrumque verò amicitiæ atque beneuolentiæ ſignum eſt atque teſſera.

73. Cœna Domini inter epulas fœderales primum locum tenet: quia eſt atteſtatio fœderis inter Deum & homines fideles. Fœdifragi autem ſunt, qui Deum ſceleratâ vitâ offendunt: quique ſubinde rixantur, amicitiamque mutuam rumpunt.

74. Syſſitia ſunt conuiuia, quibus nationes quædam delectantur: vt Itali, Carthaginenſes, Athenienſes, Germani, Heluetij, Argentinenſes. Hinc varia collegia extructa: vt Argentinæ, die Ammeiſterſtub.

75. Quemadmodum in V. T. pleriſque ſacrificiis adiuncta fuerunt læta conuiuia: ita quoque Apoſtolicæ & primitiuæ Eccleſiæ Chriſtiani eum Cœnâ Dominicâ coniunxerunt conuiuia, quæ ab illis dicta ſunt ἀγάπαι. id eſt, caritates, eò quòd caritatis Chriſtianæ erant ſymbola atque teſſeræ. Ad illa ditiores conferebant panes, vinum, pecunias, & in illis diuites cum pauperibus promiſcuè diſcumbebant, abſentibus etiam mittebantur partes tanquam eleemoſynæ. *Act.*2. 2. *Petr.*2. *Iud. v.*12. Succeſſu temporis hæc conſuetudo cœpit in peius ruere, etiam tempore Pauli, 1.*Cor.*11.

76. In inuitatione conſiderantur duæ perſonæ: inuitans, & quæ inuitatur. Qui inuitat, quatuor obſeruabit: videlicet quos vocet, quot, quando, quomodo. Vocandi ſunt amici, ἄελποι καὶ ἔτημοι, vt ait Homerus, ſeu καλοκάγαθοὶ: impij tamen & inimici etiam interdum vocandi: pauperes, item & peregrini; & denique illi, qui morum ſimilitudine ſunt coniuncti. Apud Græcos mulieres non accumbebant in conuiuio virorum: contrà apud Perſas. Pueri apud Romanos ad fulcra lectorum ſedentes cibum capiebant.

77. Varro dicit, conuiuarum numerum incipere debere à Gratiarum numero, & progredi ad Muſarum, id eſt, proficiſci à tribus, & conſiſtere in nouem: vt cùm pauciſſimi conuiuæ ſunt, non pauciores ſint quàm tres; cùm plurimi, non plures quàm nouem. Non multos eſſe non conuenit, quoniam turba plerunque eſt turbulenta. Aliis placuit ſeptenarius, aliis denarius. Poſtea inualeſcente luxu leges latæ de numero conuiuarum. Tempus inuitationis quod attinet, conſuetudini ſeruiendum. Qui non inuitati ſe quibuſuis epulis ingerunt, paraſiti vocantur. Interim quidam non vocati, neceſſitatis vel honeſtatis causâ accedunt. Sunt & vmbræ, id eſt, ij qui non à conuiuatore, ſed conuiuarum aliquo inuitati ad conuiuia accedunt.

78. Populi quidam ſunt ῥιζοφάγοι, σπερμοφάγοι, μοσχοφάγοι, ἱπποφάγοι, ἀνθρωποφάγοι, καμηλοφάγοι, βατραχοφάγοι, ἰχθυοφάγοι, ὀφιοφάγοι, κυνοφάγοι, glirivori, πιτυοφάγοι, cicadis veſcentes, ἀκριδοφάγοι, locuſtiuori, *Plin.lib.* 6.*cap.*30. ait: Pars quædam locuſtis tantùm viuit; fumo & ſale duratis. Sunt & ἀκριδοφάγοι, ſeu ἐντομοφάγοι, Solinus refert, confines Mauritaniæ Æthiopes legere locuſtas, inque vitæ præſidium ſeruare duratas ſalſugine. Ioannes Baptiſta comedit huiuſmodi beſtiolas. Quidam ἀκρίδες interpretantur cancros. Alij intelligunt plantarum extremitates. Alij alia commentantur. Simplicior eſt prima expoſitio.

79. Optimum condimentum fames, ait Cicero: optimus coquus fames, aiunt Germani. Darius victus ab Alexandro in fugâ aquam turbidam bibit, & negauit vnquam ſe bibiſſe iucundiùs. Sic nec Ptolemæus eſuriens vnquam ederat; cui feſſo cùm cibarius panis in caſâ datus eſſet, nihil viſum eſt illo pane iucundius.

80. Choreæ

80. Choreæ ortum duxerunt à naturâ. Sicut enim homines in rebus aduersis varios motus & gestus edunt: sic & in secundis.

81. Saltationum differentiæ sumuntur à motu, à regionibus, inuentoribus, habitu. Quintuplex antiquitus fuit vsus saltationis: sacer, superstitiosus in sacrificiis, theatricus, militaris, conuiuialis. Sacrâ saltatione vsi sunt, Dauid, 2. *Sam.* 6. Maria, Mosis soror *Exod.* 15. Mulieres occiso Goliatho. Israëlitæ *Exod.* 32. saltarunt saltatione idololatricâ. Hodie Christiani in Syriâ die resurrectionis Dominicæ, nec non aliis celebribus festis veniunt in templum cum lyris & citharis, & psalmos inter se cantant, ac vna, sobriè tamen & modestè, seorsim viri, & seorsim mulieres saltant. Et Papistæ festis diebus potant, saltant. Apud Græcos olim saltationes inprimis adhibitæ in conuiuiis. Iisdem dediti fuerunt Iudæi vt Herodias, *Marc.* 6. Apud Romanos verò saltationes erant probrosæ, vt est apud Ciceronem; qui Murænæ hoc crimen exprobrat: Nemo (ait) saltat sobrius, nisi fortè insaniat, neque in solitudine, neque in conuiuio moderato & honesto. Ast hodie nullum agitatur conuiuium apud barbaras gentes & Christianos sine saltatione; iuxta illud tritum Gallorum dictum: *Apres la pance la danse*, id est, gulam sequitur saltatio. Sunt autem hæ saltationes multis nominibus improbandæ: Inprimis theologicè, medicè, & iuridicè. *Theologicè* 1. Tragici enim sunt exitus saltationum, *Matth.* 6. Hodie quoque saltatores & saltatrices se coniiciunt in maximum honoris, famæ, pudicitiæ, vitæ atque salutis discrimen. 2. Sunt animi furibundi argumenta. Veneficæ delectantur choreis. 3. Ex vino & comessationibus oriuntur. Cùm igitur ebrietas mater sit saltationis, mala vtique filia 4. Ethnici veteres erant honestiores Christianis. Hi enim saltant confuso sexu: illi verò aliter, seorsim viri saltabant, seorsim & fœminæ 5. Sunt causa mali. Si ἐκ τοῦ ὁρᾷν γίγνεται τὸ ἐρᾷν, multo magis e contactu, complexu, basiis, quæ in saltationibus sunt vsitata. Etiam spectatores irritantur ad libidinem. 6. Multæ zelotypiæ, sinistræ suspiciones, odia, iurgia hinc oriuntur. 7. Saltationes istæ sunt ferè contra omnia Decalogi præcepta. *Medicè.* Nam motus post cibum sumtum est perniciosus. *Iuridicè.* Si gentes, exceptis Græcis, damnarunt tripudia, quantò magis nostrum erit? Scipio Africanus repudiauit ceu inhonesta. Apud Romanos saltationes fuerunt infames. Iulianus Imp. magnoperè ab iis abhorruit. Hodie Moscouitæ nullas ducunt, teste Sigismundo Barone in Herberstein. In iure ciuili etiam olim prohibebantur *Cod. tit. de Feriis L. dies festos.* Fridericus III. Imp. solebat dicere, se malle febricitari, quàm saltare. Albertus Imp. iudicauit, saltationem esse propriam mulierum. Alphonsus rex Siciliæ Gallos iudicauit leues, eo nomine, quòd saltarent. Concilia quoque, nominatim Laodicense & Constantinopolitanum, prohibuerunt choreas, & maximè in nuptiis. Sic & Patres ecclesiastici: Ambros. Aug. Chrysost. Basilius.

82. Siracides in conuiuio requirit Musicam: Concentus Musicorum in symposio est quasi insigne carbunculi &c. Græci maximè delectati sunt Musicâ symposiacâ. Hinc triplex apud ipsos harmoniæ genus, secundùm tria nationis genera: Doricum, μεγαλοπρεπὲς, magnificum: Æolicum, ὀγκῶδες elatum, sublime: Ionicum, ἀυστηρὸν. Apud Romanos quoque vsitata fuit musica conuiuialis.

83. Musica Christiana in conuiuiis locum habere potest. Gignit enim hilaritatem, quam Deus in conuiuiis *Deut.* 16. *Neh.* 18. præcipit.

84. Ast hodie turpissimus est Musicæ in epulis Christianorum abusus. Nam multi 1. Musicâ ceu classico quodam vtuntur ad propinationes. 2. Psalmis sacris abutuntur. 3. Cantiunculæ amatoriæ decantantur voce & instrumentis: imò fabulosæ, blasphemæ, maledicæ, vnde rixæ nascuntur. 4. Strepitu illo colloquia honesta interrumpuntur. 5. Diabolus habet suas luscinias & suos coruos, vt doctus vir dicit. Nam ebriosi illi modò equorum instar hinniunt: modò boum ritu mugiunt: modò ouium more balant: denique leonum rugitus, asinorum ruditus, canum latratus, porcorum grunnitus, infantium vagitus, coruorum crocitus audiuntur. Olim musica adhibita fuit in conuiuiorum 1. initio; ad conuocandos hospites. 2. in medio; ad exhilarandum. 3. in fine; ad abigendum.

85. Præcepta de sermone regundo in conuiuio sunt. 1. Ne simus præcipites, temerarij, inconsiderati, ne lingua præcurrat mentem. Trutinanda sunt verba. 2. Dipnosophista prudens circumspicit locum, tempus, personas. 3. Vitanda dicta impia, iuramenta, calumniæ, maledicta, mendacia. 4. Φιλονεικία est perniciosa, sicut & κολακεία. Deum rogemus, vt ille mentem linguámque nostram corrigat, dirigat. 6. Christus inter epulandum tradidit præcepta seria. *Luc.* 7. 11. 14. & 21. 7. Philosophi quoque non solùm iocoseria, sed & seria in conuiuiis protulerunt. Sic in primogenitâ ecclesiâ olim alebantur anagnostæ, qui inter epulandum prælegebant. Alexander Seuerus inter epulandum vel ipse legebat, vel alios audiebat. Tiberius quæstiones discutiendas proponebat. Adrianus doctos audiebat. In quibusdam Academiis est more receptum, vt studiosis prandentibus aut cœnantibus vnus pulpitum conscendat & legat Biblia.

86. Inter sermones conuiuiales olim vsitatissimi fuere griphi seu ænigmata. Hebr. חידות à חדד *acuere*: quia faciunt ad acuenda hominum ingenia. Id Simson factitauit; & Christus parabolas protulit.

87. Coronæ in conuiuiis adhiberi solitæ, veteribus Christianis fuerunt exosæ: quoniam earum vsus apud gentes partim superstitiosus in sacris, partim luxuriosus in epulis extitit. Vide *Tertull. de coronâ militis, & Clem. Alexand. Pædag. libr.* 2.

88. Apud Hebræos vnguentorum vsus in conuiuiis fuit frequens, *Amos* 6. *Psal.* 133. Erat symbolum lætitiæ & amicitiæ, *Psal.* 45 *Ezech.* 23. *Matth.* 26. *Marc* 14. *Luc.* 7. *Ioh.* 11. *Matth.* 6. Quoties enim excipiebant conuiuas honoratiores, eos balsamo aliisque vnguentis fragrantibus perfundebant, vt ita exhilararentur. Nam cerebrum & spiritus suaui odore mirabiliter reficiuntur.

89. Propinatio fit in orbem, quæ dicitur ἐγκυκλοποσίαι vel transuersum, treutzweiß. Hodie præmia proponuntur compotoribus strenuis.

90 De poculis videamus. Ex iis quædam sunt monstrosæ magnitudinis. Nestor apud Homerum habuit tam capax poculum, vt iuuenis vix gestare potuerit: ast ille vnico haustu euacuauit. Olim erant pocula moderata ex quibus bibebant ter in honorem Charitum; vel nouies, in honorem Musarum. Porrò pocula sunt naturalia vel artificialia. Sic manus est loco poculi *Iudic.* 7. Et Nero, Imperator crudelissimus & luxuriosissimus, in fugâ suâ miserâ, cùm ad necem quæreretur, extremâ siti afflictus aquam cœnosam (pro delicatâ illâ suâ decoctâ) ex subiectâ lacunâ potaturus, manu (cùm antea sumtuosissimis poculis vsus esset) haurire fuit coactus, vt testis est *Suetonius in eius vitâ.* Idem Dario, & aliis Ducibus accidit. Capitibus seu craniis humanis olim Scythæ vtebantur, vt mortis recordarentur. Quidam rex Rutheuorum capto alio Principe eum interfecit, & ex cranio eius poculum confecit auro circumdato, cum hâc inscriptione: Quærendo aliena, propria amisit. Pocula quoque lignea, fagina, hederacea, fictilia, vitrea, crystallina, aurea, argentea, ærea, &c. sunt vsitata. Sic ex ouis struthionum parantur pocula. Hîc meminerint helluones, Deum propinare homini calicem iustitiæ, vel misericordiæ.

91. Veteres olim in cœnâ Dominicâ non merum vinum, sed aquâ dilutum adhibuerunt: alij aquam tantùm. Cyprianus Aquarios istos refutauit.

92. Siracides sapientissimus vt aliorum, ita conuiuialium quoque morum officiorúmque magister, optima præcepta tradidit de manducatione & potatione. Cibus enim & potus sunt duæ substantiales conuiuiorum partes.

93. Bibendi actio Hebr. dicitur שָׁתָה & שָׁכַר, quod posterius plerúmque in malam partem accipitur, & significat inebriari: vnde שִׁכּוֹר ebrius, & שִׁכָּרוֹן ebrietas. שֵׁכָר omnis potus inebrians, inde *sicera.* סבא potare; hinc sauffen. Græc. πίνειν. vnde Latinum *bibere*; nisi malis à βίος; quòd vita animalium sine potu constare nequeat.

94. Finis huius actionis est. 1. sedatio sitis; quæ toleratu difficilior est fame: quia illa est ignea, *Psal* 42. 2. concoctio cibi. 3. sanitatis acquisitio & morbi expulsio. 4. honestatis causâ bibitur. 5. superstitionis vel regionis ergò. 6. amicitiæ causâ. Quidam tamen abutuntur potu. Huiusmodi sunt toxicatæ potationes, item perpotationes & propinationes nocturnæ & diurnæ.

95. Omnino autem duo præstantissimi atque saluberrimi potus humano generi à Deo sunt tributi atque concessi: aqua nempe & vinum. Aquarum innumeræ sunt vtilitates, ad bibendum, lauandum, medendum, coquendum. Ante Noachum nonnisi aquæ potus fuit in vsu. Aquæ verò qualitas sit bona, & quantitas moderata.

96. Aqua pota sitim sedat, calorem extinguit, visum acuit, macht lautere augen/ solertes & ingeniosos facit, vim alendi habet.

97. Niuatæ aquæ antiquitùs fuit maximus vsus.

98. Altera potus materia est vinum. Heb. יין. Hinc Ianus & Iacchus, id est, Bacchus. תירוש mustum; à ירש possedit, pauper fuit: vel quia vinum est omnium optima possessio: vel quia vini abusus est causa paupertatis. Οἶνος quasi οἴονς: quia facit mentem οἴεσθαι, opinari & falli opinione vanâ. Dicitur etiam μέθυ: vnde Latin. temetum, Germ. meth. Vinum à vi, quam infert menti: vel quòd magna sit eius vis in vtrámque partem; vel à Græc. οἶνος. Merum propriè dicitur vinum purum.

99. Vini causa principalis est Deus. Noachus verò fuit primus vinifator, *Genes.* 9. Elegantissima gradatio est *Hos.* 2. quomodo Deus largiatur nobis bona temporalia. Impiè igitur Manichæi vinum à principe tenebrarum esse existimarunt.

100. Vini vtilitas est multiplex. Est enim hominis alimentum pariter atque medicamentum. Confert corpori & animo. *Corpori.* Nam debilem stomachum reficit, algentem calefacit, & vulneribus infusum medetur. *Menti.* 1. Quia eam primò acuit, & sapientiam gignit 2. Exhilarat.

101. Vini

101. Vini iuſtus vſus duabus rebus conſiſtit 1. tempore, vt hauſtus vini ſit tempeſtiuus 2. moderatione, vt ſit ἀν᾽ἀγκης. *Pſal.* 104. *Iudic.* 9. *Prouerb.* 23. Verùm ſicut vini moderatus & opportunus vſus corpori animóque apprimè vtilis eſt: ita eiuſdem immoderatus vſus, qui paſſim in orbe Chriſtiano regnat, funeſtiſſima eſt animi corporiſque peſtis.

102. Ebrietas eſt animi, vel corporis. Ebrietas animi eſt vel bona, *Ierem.* 3. *Pſal.* 23. *Epheſ.* 5. atque hæc ebrietas in hoc mundo inchoatur, in alterâ perficietur: vel mala & mundana, *Eſa.* 26. *Apoc.* 17. 18. 19. Corporea autem eſt immoderata & intempeſtiua cuiúſuis potionis ingurgitatio: non tantùm vini.

103. Tot & tanta ſunt eius incommoda, vt oratione comprehendi non poſſint. *Luc.* 21. Confer *Prouerb.* 20. 21. *Hoſe.* 7. *Amos* 6. *Ioël* 1. *Luc.* 21. *Epheſ* 5. *Sir.* 31. Nullum vitium magis inualuit, quàm hoc ipſum. Non igitur mirum eſt, tot clades nobis euenire, qui viuimus vitam ferè Sodomiticam, flocci facientes monita, præcepta, comminationes Dei. *Sirac cap.* 31. duo agit. 1. nos dehortatur: μὴ ἀνδρείζου: id eſt, ne viriliter age in vino. 2. αἰτιολογίαν ſubiicit. Ratio 1. generalis: Quia multos perdidit, *Prouerb.* 23. *Eſa* 5 & 28. *Eccleſ.* 10. *Amos* 6. *Hab.* 2. Corrumpit hominem. hinc comparatur felli, *Deut.* 32. colubro, igni. Eſt cauſa malorum priuatorum & publicorum. Perdit animum & eius bona, mentem, ingenium iudicium, memoriam, virtutes, ſenſus. Perdit bona corporis, robur, formam. Perdit bona fortunæ, diuitias, regna, fortunas. Perdit Eccleſias, Reſp. Perdit hominis authoritatem, dignitatem. Et vt bona perdit, ita malorum eſt ſcaturigo. Parit mala culpæ & pœnæ; & quidem pœnas temporales atque æternas. 2. Speciatim per partes id probatur. Nocet animo & corpori. Nam 1. Vino aperiuntur corda. Eſt quaſi ſpeculum mentis. Voller mund ſagt des hertzen grund. Hinc Plato veritatem appellauit vini filiam. Ebrietas eſt garrula. Stultus inter pocula tacere nequit. 2. Ratio perturbatur vino: imò ebrietas eſt cauſa inſaniæ. 3. Ebrietas eſt omnium virtutum animi expultrix, vitiorúmque proſeminatrix, vt ait Aug. 4. Vinum eſt cauſa rixarum. 5. Vino inflammatur libido: vt vel duæ filiæ Lothi docent. 6. Ebrietas ſanitatem & robur corporis labefactat. Nam ſtomacho cruditatem inducit, epar inflammationibus accendit, pulmones concutit, corpus totum tremere facit, caput vertigine rotat, pedes certis greſſibus incedere prohibet. Adde his oculorum lippientium rubedinem, anhelitus fœtorem intolerabilem, dentium putredinem, linguæ hæſitantiam, manuum tremorem, naſi & totius faciei rubedinem, acutiſſimos calculi dolores, lentos podagræ & chiragræ cruciatus. Numquam igitur ebrietas laudanda venit. 6. Mors violenta, lapſus & offenſio corporis per ebrietatem contingit. 7. Ebrietas eſt cauſæ inopiæ priuatæ & publicæ. 8. Ebrietas æterni exitij eſt cauſa. Nam ebrietate tota lex violatur. Eſt omnium vitiorum epitome. Nam ebrij 1. ſunt idololatræ: quia ventrem pro Deo habent. 2. nomen Dei blaſphemiis contaminant 3 ſabbathum violant. 4. parentes, miniſtros, magiſtros iniuriis afficiunt. 5. ad cædes, ſtupra, furta ſunt propenſi. 6. denique oculos ſuos adiiciunt ad proximi vxorem, ſeruos, ancillas. Hanc turpitudinem viderunt ethnici. Seleucus Locrenſibus interdixit vinum, adeò vt etiam ægrotis non licuerit illud bibere: cauítque, vt qui vinum biberet, capite lueret. Indi nonniſi in ſacris guſtabant vinum: & dona dabant iis qui regem ebrium occidebant. Pittacus duplici pœnâ ebrios affici voluit. Ægyptij certum vini demenſum habuerunt in diem. Siracides ait, ebrietatem perdere homines multos. Nam 1. Toti populi hâc lue fuerunt infecti: Aſſyrij, Scythæ, Germani, Græci: hinc Græcari. 2. Exitialis eſt omnis ætatis, ſexus, conditionis hominibus. Adoleſcens ebrius eſt ſpectrum: ſenex vino madidus monſtrum. Regum temulentia eſt noxia rebuſpubl. *Eccleſ.* 10 *v.* 31. *Hoſ.* 7. *Amos* 6. Auguſtus Imper. ter tantùm bibit inter cœnandum. At Philippus Macedo rarò ſobrius fuit. Rex Ela ebrius occiditur 3. *Reg.* 16. Sic Holofernes, *Iudith.* 2. Sic Balthaſar, *Dan.* 5. Apud Indos regi minimè licebat ebrium fieri: apud Perſas ſemel tantùm in anno. Alexand. M. victis omnibus ferè hoſtibus tandem magno poculo exhauſto vitam turpiſſimè finiit: & ebrius amiciſſimos occidit. Ita qui ab hoſtibus vinci non potuit, tandem à vino fuit victus. Dionyſius Siciliæ tyrannus inſtituit certamen potatorium propoſitâ coronâ aureâ, & ipſe per dies 90. continuos potare fuit ſolitus. 3. Ebrietas religionis præſulibus inprimis eſt ignominioſa & damnoſa, *Leuit.* 19. Quò pertinet illud: Ebrietas in laico crimen eſt, in ſacerdote ſacrilegium. 4. Ebrietas omnia officia, quibus alij aliis ſunt obligati, violat. Subditorum animos feroces & rebelles reddit: domini erga ſeruos vel ſunt remiſſi, vel duri nimis: miniſtri non obeunt ſua munia.

104. Huc pertinet ebritatis victricis trophæum. *Vt ego ſum læta magna diua Ebrietas! Ruſticorum natio me admittit nudam, & in amplexus meos ruit. Hic promittit ſe venditurum aratrum, ille ſecurim, vt nuditatem meam tegant. Poſteaquam tecta ſum, adrepo, & hunc inſtar gliris dormire, illum inſtar vetuli canis ter comeſta euomere: tertium ſtentoreâ voce tanquam lupum vlulare facio: quartum ad arma furibundum ac inermem propello. Nullus propemodum eſt opifex, qui mihi non ſeruiat. Piſcator hamum, laniſta cultrum, arcularius dolabram vendit, vt mihi bene ſit.*

105. Vina fictitia ſunt quàm plurima.

106. Triplex eſt bibendi modus. 1. *medicus*; qui ad neceſſitatem & ſanitatem refertur. 2. *ciuilis*; qui voluptatis & amicitiæ ergò ſuſcipitur. 3. illiberalis, ſeruilis, belluinus. Propinationis illius impiæ deſcriptio graphica habetur *Habac.* 2. vbi Spiritus ſanctus per Prophetam Chaldæis obiicit 1. vinolentiam. 2. violentiam & tyrannidem.

107. Ethnici tres tantùm bono viro crateres bibendos monebant: quorum primus ſit ſanitatis. 2. voluptatis 3. ſomni. Nam quartus eſt ὕβρεως contumeliæ. 5. βοῆς, vociferationis. 6. κώμων, laſciuiæ. 7. ſugillationum. 8. vocantis, κλήτορος. 9. χολῆς bilis. 10. μανίας. Alius dicebat primum calicem ad ſitim. 2. ad voluptatem. 3. ad ebrietatem 4. ad inſaniam pertinere.

108. Vtuntur quibuſdam antidotis ad ebrietatem arcendam, imò & irritandam. Alij adhibent cramben, vt Ægyptij: alij amygdalas amaras: alij buccellam copioſo melle imbutam. Omnibus tamen antipharmacis præfertur braſſica Catoni nobilitata, quæ vulgò dicitur caulis: *Leuin Lemni l* 2. *cap.* 17. Interdum ſe coronabant hederâ, vel lauro. At tria ſunt efficaciſſima antidota. 1. DEVM inuocare. 2. vitare occaſiones. 3. detrimentoſa ebrietatis effecta ſubinde penſitare.

109. Lactuca antiquorum epulas finiit: quia lactucæ ineſt vis quædam ventrem cohibendi, & ipſum roborandi: quæ verò talis ſunt naturæ, ante reliquos cibos edi non debent, ne eorum deſcenſum prohibeant. Cæterùm lactuca ſtomacho confert, ventrem ſoluit, ſomnum conciliat, bonum gignit ſuccum, Veneris vim atque impetum ſedat, vnde & ἄνορχος, q. d. eunucha Pythagoricis fuit appellata.

110. Habebant olim Orientales non panes eleuatos, vt non habemus, ita vt ad ſcindendum opus eſſet cultro ſeu gladio; ſed latos pinſebant atque ſubtiles inſtar placentæ: vnde manibus frangebant. Atque inde *frangere panem* in S. lit. ſæpè dicitur. Et apud Hebræos partim coqui, partim patresfamilias diſtribuebant cibos ſingulis conuiuis. 2. *Sam.* 6. 1. *Paral.* 16. 1. *Sam.* 1. *v.* 4. 5.

111. Voracitas ab humanâ naturâ eſt aliena, propriáque beſtiarum. Voracitas illa nocet 1. corpori: cui accidunt cholera, morbus acutus, contorſio inteſtinorum &c. 2. animo. Venter ſiquidem plenus non ſtudet libenter. Et rectè dicitur: Gula paupertatis parens, menti inimica, ſeruitutis cauſa. Exemplum portentoſæ voracitatis eſt Cambleta rex Lydorum, qui teſte Xantho, nocte quâdam ſuam deuorauit vxorem.

112. Abſtinentia Græc. dicitur νηστεία ſiue ἀσιτία, Hebr. צום ieiunium à מוץ per μετάθεσιν, quòd ieiunium exhauriat vires, vel à צמא ſitire. Nam qui multùm ieiunant, ſitire conſueuerunt.

Abſtinentia

Abſtinentia à cibo eſt quintuplex:
- Naturalis
  - Morbida. Homo enim ægrotus cibos quoſdam auerſatur.
  - Purè naturalis. Alius enim bubulam, ſuillam, caſeum impenſè amat vel extremè odit.
- Voluntaria
  - Medica; cùm homines ſanitatis causâ ieiunant.
  - Politica; cùm honeſtatis vtilitatiſue causâ ad certum tempus homo ieiunat.
  - Religioſa; à Deo præcepta
    - Moralis
      - Ordinaria; quotidiana ſobrietas.
      - Extraordinaria; ad certum tempus inſtituta.
    - Ceremonialis
      - Ante lapſum: abſtin. ab vnicâ arbore.
      - Poſt lapſum
        - Licentia vſque ad Moſen.
        - Abſtinentia à certis animalibus.
  - Superſtitioſa
    - Gentilium
      - Babylonior.
      - Ægypt.
      - Athenienſium.
    - Hæreticorum
      - Eſſæorum.
      - Manichæorum.
      - Encratitarum.
      - Priſcillaniſtarum.
      - Montaniſtarum.
      - Ebionitarum.
- Miraculoſa. Eáque — Moſis, Eliæ, Chriſti — 40. dierum.
- Coacta, violenta; eſtque pœna, quam ſequitur fames; quâ Deus vel punit libidinem hominum, vel ſuorum patientiam & fidem explorat.

De ſuperſtitioſâ abſtinentiâ notetur illud vulgatum: Wann Lutherus nicht wer mer tommen / ſo hetten die leut graß müſſen freſſen.

113. Sunt tria famis epitheta apud Heb. 1. רָעָב cùm nulla extant frumenta. 2. כָּפָן, cùm ſunt frumenta, ſed carè & magno pretio venduntur: 3. בַּצֹּרֶת, cùm neque pecunia adeſt, neque frumentum: quam duplicem penuriam innui volunt literâ ב quaſi ſit duplex afflictio.

114. Poſt accubitum, vel etiam antè, fiebant precationes. Apud Iudæos ſtrictè obſeruabatur iſta conſecratio. Paterfamilias בַּעַל הַבַּיִת ſimulac menſæ accubuit cum omnibus domeſticis, eos admonet ad preces: ita tamen vt ille primò conſecret cibum. Sumtis epulis paterfamiliâs iterum benedicit; & reliqui aſſidentes ſequuntur præuium: itémque, Pſalmos cantant. Chriſtus idem fecit, *Marc.* 8. *Matt.* 14. *Marc.* 6. Idem fecit in Inſtit. Cœnæ. Oratio autem Dominica eſt omnium precationum caput, norma, regula, compendium. Vetus Eccleſia religiosè obſeruauit has εὐλογίας. Papiſtæ addunt crucis ſignaculum: habentque peculiares conſecrationes, quibus Deum orant vt expellat Diabolum ex eſculentis & poculentis. In die reſurrectionis conſecrant lac, mel, carnes, caſeos. In die Iohan. benedicunt vino. In die Marci ſegetibus &c. Paulus imperat εὐλογίαν, 1. *Tim.* 4. Rat. 1. Ne pecorum vel infidelium inſtar ſine piis cogitationibus edamus: ſed Dei datoris recordemur. 2. Vt commonefiamus, Adamum amiſiſſe nobis donationem illam diuinam *Gen.* 1. per lapſum *Gen.* 3. & nos propter peccata indignos eſſe donis Dei: ſed propter Chriſtum illa reſtitui. Inde addimus in precibus, per Ieſum Chriſtum. 3. Vt agnoſcamus verum eſſe illud: Non ſolo pane viuit homo: *Matt.* 4. *Pſ.* 104. & 145. Non ſolus cibus, ſufficit. 4. Quia in vſu ciborum facilè admittitur vel abuſus vel intemperantia *Luc.* 16. *Pſ.* 17. *Eſ.* 12. *Eccl.* 4. *Iob* 1. 5. Vt mentem eleuemus ad cibum qui non perit, *Io.* 6. *Luc.* 14. 6. Poſt epulas gratias agimus, ſimul ac precamur vt animo & corpori ſeruiat cibus & potus. *Deut.* 8. & *Eſ.* 5. 7. Si conuiuij domino gratias agimus, multò magis Deo. At multi Chriſtianorum ſuum inſtar deuorant glandes, nec attollunt oculos. Alij vino ciboque ita ſe ingurgitant, vt nil loqui vel cogitare poſſint. 8. Aues ſanè ſaturatæ voces canoras fundunt. At homines obliuiſcuntur Dei datoris. Non igitur mirum eſt alimenta ſæpè in perniciem corporis conuerti. 9. Gentes Deo gratias egerunt

115. Conuiuator, qui conuiuas excipit conuiuio, interdum ipſe collocabit eos, ſicut Ioſeph *Gen.* 43. neque enim hæc eſt προσωποληψία. vel collocationem nonnunquam permittet conuiuarum arbitrio. Nec plures inuitabit, quàm locus cõuiuialis capere poſſit. Ille ſic aſſideat conuiuis, vt poſtremum ſibi ſeligat locum, qui & ad circumſpiciendũ omnia, & ad ſurgendum, ſi ita opus fuerit, ſit accõmodatus. Apud Perſas locus medius, apud Græcos primus erat honeſtiſſimus. Celtæ cùm plures ſimul cœnarẽt, ſedebant in circulo. Medius erat optimus. Sic & apud Numidas. Vid. *Plutarc.*

116. Græci & Romani Bacchanalia celebrarunt: quæ fuerunt ſeminarium ἀσωτίας & libidinis. Saturno dicata fuere Saturnalia. Chriſtiani has Ethnicorũ abominationes retinuerũt ex part. Ger. faßnach/q. bachnacht: vel faßnacht. q. doliorũ ſcil. euacuatio.

117. Dolendum eſt, quòd Chriſtiani diem Dominicum profanent itineribus, comeſſationibus, choreis, ludis nundinis, cùm Iudæi in V. T. Ethnici quin etiam tot dies feſtos magnâ cum religione obſeruitarint. Hic abuſus à Patribus fuit taxatus. Imò Chriſtiani Impp. hunc feriarum abuſum ſeueriſſimis ſuis edictis reprimere conati ſunt. Extat hâc de re lex Leonis & Antonini Imp. in Cod. de feriis: *Dies maieſtati altiſſimi dedicatos, nullis volumus voluptatibus occupari, nec vilium exactionum vexationibus profanari. Dominicũ itaq; diem ita ſemper honorabilẽ decernimus & venerandum, vt à cunctis executionibus immunis habeatur.* Videatur *Polyd. Virg. l.* 6. *c.* 8. Mirum non eſt Chriſtianum orbem hodiè tantâ malorum mole vexari. Deus enim per Prophetas profanatoribus ſabbathi horribiles denuntiauit pœnas.

118. Symbolum Apoſtolicum quibuſdam Theologis ſic dictum videtur, à ſymbolis, i.e. collatitiis illis epulis. Nam ſicut ad epulas ſinguli conuiuæ certas quaſdam portiones conferebant: ita ſinguli Apoſtoli ad ſpirituale hoc conuiuium inſtruendum. Durandus in Rationali putat, à bolo ſic dici, quod quiuis Apoſtolorum ſuum bolum contulerit. Alij à teſſerâ militari; quâ milites ſummi Imp. dignoſcuntur.

119. Apud Romanos erant erogationes publicæ vel priuatæ. Publicæ fiebant ex publico ærario, ídque vel in pace, vel in bello: quæ quidem dictæ fuere frumentationes, de quibus *Iuſt. Lipſ. Elect. l.* 1. *c.* 8. Talis eſt olla Tigurinorum, mußhafen; & Scaphuſianorum ſpenda, die ſpend.

120. Priuatæ erogationes ſunt, quæ à ciuibus locupletioribus ex priuatis bonis in pauperes fieri ſolent.


121. Apud Græcos mulieres non accũbebant in conuiuio virorum. Commodus Imp. cum meretricibus epulari fuit ſolitus. Perſæ quoque in epulis adhibuerunt filias & vxores: quæ res ſeptem legatis ipſorum fraudi fuit. Cùm enim perueniſſent ad Amyntam Macedonũ principem, & filias popoſciſſent, reſpondit Amyntas: Nobis Macedonibus non eſt conſuetudo iſta, ſed ſemouendi viros à fœminis. Paruit tamen illis. Sed cùm Perſæ contrectarent mamillas, & ſuauiarentur eas, Alexander Amyntæ filius hoc ægrè tulit, Perſiſque perſuaſit, illas dimitterent: dein viros veſtibus muliebribus exornatos, pugionibuſque inſtructos introduxit, qui, poſtquam ab illis fuerunt attrectati, omnes illos obtruncarunt. Apud quaſdam gentes mulieres ſeparatas menſas & diſtincta habent cœnacula.

122. Reges & Principes hodie impios, moriones, ciniflones. menſæ communione honorant.

123. Priſcus mendicantium veſtitus ab Homero deſcriptus, fuit hic: 1. veſtes laceræ. 2. baculus. 3. pera pendens ab humeris. Talis proculdubio fuit & Lazari, *Luc.* 16. Lazari nomen ſignificat adiutorium Dei, quo ille maximè eguit, & atrium Dei, in quo iacuit. Mendicus, dicitur, vel quòd mentem eius fefellerit fortuna: vel quòd precetur vt omnes ſibi medeantur: vel quaſi mendax.

124. Antiquitus alebant canes menſales, qui micas colligebant. *Matth.* 15.

125. לֶחֶם panis ſignificat quemuis cibum ſynecdochicè. Panis enim eſt præcipuus cibus, maximè communis, parabilis, ac neceſſarius. Sic מַיִם aqua prò quolibet potu ponitur. 2 *Reg* 6. Pone panem & aquam coram eis. Glandes fuerunt primus mortalium victus: hinc φαγεῖν ἀπὸ φαγῶν, à fagis.



Ioël 2. locustæ vocantur exercitus Dei. Licet enim hæc animalcula sint minima, tamen maxima sæpè Dei iudicio herbis, segetibus atque arboribus damna important: id quod S. & profanæ literæ testantur, omniúmque temporum experientia. *Plin. l.* 11. *c.* 29. testis est longinqua maria ab iis transiri. Grandiores etiam sunt, quæ tanto volant alarum stridore, vt alites credantur, solémque obumbrent. Italiam sæpe infestant venientes ex Africâ. Indi bellum gerunt cum iis. Quàm grauiter anno 1542. ex paludibus Mœotidis profectæ Pannoniam, Germaniam, Italiam infestarint, *Matthiolus*: anno 1545. Germaniam, *Gualtherus in Ioel* & anno 1547 & 48. Bæticam *Arias Montanus in Ioel* 2. Heluetiam & agrum Mediolanensem anno 1564. afflixerint, *Lauaterus in Ezechiel.* testatur. Sic anno 594. tempore Gregorij Magni Pontificis cùm omne viride è terrâ nascens absumsissent, horrenda fames & pestis secuta est, quæ Italiam toto biennio afflixit. Et posteà Ludouici II. Imp. tempore magnam Galliæ partem locustæ vastarunt. Erucæ quoque nobis sunt molestæ.

129. Annonæ præfecti curabunt vt alimenta seruentur incorrupta, & iusto pretio vendantur. *Leuitic.* 19. *Deuter.* 25. *Amos* 6. Huc pertinet exemplum Iosephi. Græci habuerunt suos ἀγορανόμους, σιτοφύλακας, σιτάρχους, σιτοδότους. Ita & Romani habuerunt ædiles siue ediles, quòd eduliis præfuerint. Corinthij immoderatam conuiuandi libidinem coërcuerunt: de quâ te *Diphilus apud Athen. lib.* 6. Erasmo interprete:

Hoc lege cautum hic est apud Corinthios,
Si quempiam opsonare semper splendidè
Videmus, hunc rogamus, vnde viuat? &
Quid faciat operis? Si facultates habet,
Vt reditus [illegible] harum expensas queant,
[illegible] frui bonis suis.
[illegible] fortè sumptus superat ea, quæ possidet,
Prohibemus hunc, ne faciat hoc in posterum.
[illegible] pareat, tam plectitur mulcta graui.
Sin luxuriose viuit is qui nihil habet,
[illegible] eum tortoribus, proh Hercules!

130. Locus conuiuium maximoperè ornat. Claudius Cæs. vt plurimùm sub dio discumbere est solitus, vt plerumque sexcenti simul discumberent. Alij in tricliniis, cœnaculis, hortis basilicis; alij in lucis, sub tiliis, &c. Abraham excepit hospites suos sub quercu Mamre, *Gen.* 14. 17. Ita Gedeon *Iudic.* 6. Reges Persici æstate in Ecbatanis, hyeme in Susis agebant. Romani fuerunt frugales in vasis & vtensilibus, maximè August. Imp. Tiberius, Alexand. Seuerus: sic & nunc Turcæ. At Nero, Heliogabalus, Vitellius &c. fuerunt hâc in parte luxuriosissimi: sicut & hodie multi. Porrò sacra Iudæorum supellex fuit omnium pretiosissima, ita vt habuerint aureas mensas, patinas, &c. Ast in Nou. Test. luxus ille Papistarum nullius est momenti. Fingunt, catinum illum, quo Christus vsus sit in vltimâ cœnâ, superesse Genuæ ciuitate Liguriæ, è smaragdo: quo vase nullum mirabilius esset visum. Alij dicunt, illum reseruari in Galliâ Narbonensi in cœnobio quodam agri Lugdunensis.

131. Mensa à mandendo dicta: siue à comesu: seu à Græc. μέσα, vt ait Varro, quòd intèr duos sit mediatrix. Tisch à disco, Gall. table, tafel/ Græc. τράπεζα quasi τετράπεζα seu τετράπους. שלחן à שלח. Mensa Mosaica describitur *Exod.* 25. & 37. Salomonica, 1. *Reg.* 7. 1. *Par.* 28. Mensa illa propositionum non fuit typus terræ vel zodiaci: sed vel Christi eiúsque doctrinæ: vel Ecclesiæ, in qua est Christus panis ille vitæ. Numerus verò duodenarius significat perfectionem, & 12. illa tribus. In Nou. Test. fit mentio mensæ Domini, 1. *Cor.* 10. Primitiuæ Ecclesiæ fideles habuerunt mensas, quas appellarunt altaria: vt responderent Gentilibus & Iudæis exprobrantibus, quòd non haberent altaria. Apud Iudæos vsitatæ fuerunt balneæ, pedum & manuum lotiones: vt filiæ Pharaonis, *Exod.* 2. Susannæ, *Dan.* 13. Commodus Antoninus Imp. luxuriosissimus per diem septies atque octies lauare est solitus.

132. Romani vestibus vsi sunt candidis in diebus festis. In exequiis item. Ægyptij sacerdotes delectati sunt vestibus lineis candidis. Præterea vestis candida apud Romanos insigne manumissionis fuit. Nam serui candidati pro libertis habebantur. Christus indutus est veste purpureâ: quia dignitatem

tatem regiam arguebat; eiúsque sanguinis effundendi symbolum erat. Eam vestem chlamydem coccineam vocat Matthæus. Coccinea verò tunica fuit signum prælij futuri Romanis Imperatoribus. Sic quoque vestis Christi coccinea fuit signum prælij, quo Christus vicit Diabolum, mortem, peccatum. Fuit etiam vestis purpurea, vestis triumphalis. Itaq; vestis Christi fuit futuræ victoriæ simul symbolum. Porrò candidati dicuntur petitores dignitatum, magistratuum, graduum. Romanis autem placuit color albus, vt tradit Lipsius; siue quòd is lætitiæ sit propriu-; siue quia Romani retinuerunt lanæ natiuum colorem, spretis aliis. Candida toga eaq; laxa amabatur. Ex his patet, vestes candidas apud Romanos non solùm in conuiuiis, verùm etiam in sacris, in magistratuum petitionibus, in manumissionibus, militiâ, spectaculis, triumphis, nuptiis, in luctu quoque & cadaueribus inuoluendis adhibitas fuisse. Ac omnino vestes albas seu candidas in sacris & profanis literis vehementer commendari constat, ceu symbola cùm virtutum, vt modestiæ, sinceritatis: tum felicitatis, victoriæ, libertatis, lætitiæ. In S. literis angeli semper candidati apparuerunt, *Matth.* 28. *Marc.* 16. Christus in monte Thabor, *Matth.* 17. *Marc.* 9. Hâc veste tegit sponsam suam, *Esa.* 1. *&* 61. *Ephes.* 1. Christus per ludibrium fuit indutus veste candidâ ab Herode, *Luc.* 23. Deus suadet vt vestimentis albis induamur, *Apocal.* 3. Cur verò tam multum tributum est albori à veteribus? Resp. Quia ille color est simplex, maximè naturalis, purus, lucidus. Hinc ad Dei cultum albæ vestes omnium penè nationum consensu adhibentur. Hinc album pro bono: atrum pro malo accipitur. Hinc phrases: albo atróue lapillo notare, dies albus: albi calculi, id est, absolutorij. Vide *Erasmum in Adag.*

133. Detractio calceorum apud veteres multarum rerum fuit symbolum. 1. Quoniam calceamenta pro viatoribus sunt excogitata, icircò calceatus pro quarumuis rerum agendarum auspiciis: calcei autem depositio pro quiete & otio accipitur. Hinc paschali conuiuio omnes iubentur esse calceati. 2. Depositio calceorum fit honoris causâ, *Exod.* 3. *Ios.* 7. *Actor.* 7. 3. Erat symbolum cessionis de iure suo seu resignationis; *Ruth.* 4. *v.* 7.

134. Serui manumissi apud Romanos fuêre pileati: teste Liuio. Pileus extitit nobilitatis symbolum: item sacerdotij. Nam flamines dicti quasi pileamines. Romani sacris operabantur aperto & tecto capite, vt nimirum sensus inter sacra ab omni obtutu securi, soli rei diuinæ vacarent. At Paulus hunc morem perstringit, 1. *Corinth.* 11. Iudæi hodie Deo supplicantes caput linteo obnubunt. At caput aperitur honoris ergò.

135. Zonarum vsus apud varias gentes fuit multiplex. Nam cingula. 1. Viris & fœminis sunt ornamento: cùm corpora bene cincta discinctis longè speciosiora appareant. 2. Cinctura renum, lumborum aliarumque corporis partium ad earum sanitatem firmitatémque plurimùm facit. 3. Fuit etiam olim zona virginitatis symbolum. Sacerdotalis cinctus, *Leuit.* 38. fuit symbolum fortitudinis: sic & cinctus Propheticus, 2. *Reg* 1 Eliæ: *Matth.* 3. & *Marc.* 1. Iohan. Baptistæ. Nec solùm fortitudinis, in cultu diuino peragendo, sed etiam temperantiæ, quâ renes, id est, libidines coërcuerunt, fuit symbolum: itemque istarum rerum. 1. Cingulum significauit intimam & arctissimam Dei cum populo Israëlitico coniunctionem. 2. Cinguli putrefactio fuit signum exilij in Babel. Maximus quoque cingulorum vsus fuit in bellis, 2. *Reg.* 3. *v.* 21. 1. *Reg.* 20. Accingi lumbos, est corroborari & præparari ad aliquid agendum, 1. *Reg.* 19. 2. *Reg.* 4. *Iob.* 38. *Ier.* 1. *Luc.* 12. *Ephes.* 6. Contrà discingi, est ignauum esse; *Esa.* 23. *Iob.* 12. *v.* 18. *Isa.* 25.

136. Salutatio est interna, animi; vel externa; & hæc est verbalis, vel realis. Realis fit ipsius corporis gestu motuque, & quidem vel totius, vel certarum eius partium: quæ quidem fit partim cum aliquo eius personæ, quæ salutatur, contactu: partim sine eius contactu. Huc pertinent capitis apertio, nutus, manuum porrectio, γονυκλισία, totius corporis prostratio: vt apud Persas, Medos, Indos salutaturientes toto corpore procidebant. Osculationes manuum, capitum, pedum, passim sunt obuiæ. In Ecclesiâ primigeniâ sancti se mutuò osculabantur, & sic testabantur mutuam charitatem & consensum. Hoc est osculum sanctum. 1. *Corinth.* 16. *&* 13. 1. *Thess.* 5. 1. *Pet.* 5. Apud Persas quoque amici se inuicem osculo excipiebant: apud Græcos item & Romanos. Caligula, Diocletianus, Maximinus Impp. pedes suos osculandos præbuerunt. Carolus Magnus Adriani Pontificis, Iustinianus Imp. Constantini Papæ pedes osculati sunt teste Platinâ. *P. lyd. Virgil l* 4. *c.* 13. *de rerum inuentoribus.*

137. Veteres salutaturi apprehendebe̅t, vel caput ceu principem partem corporis, vel dextram, quia illi inest agendi facultas; vel genua, quia illis inest motus & progressus potentia. Ergo per caput, qui attingebant, ad consensum: per dextram, ad actionem: per genua ad progressum, ea quæ petebant, sibi præstandi causâ, incitabant, vel vt eorum, quibus supplicabant, animi flecterentur, vt genua flectuntur. Iacob osculatus est nepotes suos, *Gen.* 48. *v.* 10. In salutationibus detestanda est hypocrisis, Iudæ, Anabaptistarum, Neronis, qui nec salutauit, nec salutatus resalutauit. Nam 1. ius naturæ. 2. Deus. 3. exempla Angelorum & sanctorum ad hanc actionem nos inuitant. Christus salutauit Apostolos: Pax vobis. Item mulieres: Auete. Notæ sunt Pauli salutationes in epistolis. Gabriel salutauit Mariam, Angelus Gedeonem & matrem Samsonis. 4. Salutatio est fausta precatio. At iubemur pro aliis precari. Nicht ists nur ein gewonheit. 5. Salutationes mutuæ plurimùm faciunt ad animorum coniunctionem. Sunt igitur vtiles & necessariæ in Republ. & Eccl. Anabaptistæ neminem salutant, nec salutati resalutant; argumentis locorum, *Luc.* 10. Resp. 1. Christus suos hortatur, vtne remoras sibi iniici patiantur. 2. Si litera vrgeatur, dicemus fuisse mandatum personale & speciale, non generale Inst. At salutationes sunt superuacuæ. Resp. Sic & superuacaneæ erunt precationes: item benedictiones à Deo mandatæ sacerdoti.

138. Lotio pedum omnibus orientalibus, præsertim Iudæis, in communi vsu fuit. Nam Iudæi hospitibus ac peregrinis pedes lauerunt, antequam illis cibus daretur. Erant enim fessi & puluerulenti, itemque calidi ex viâ. Ideoque reficiebantur, abluebantur, refrigerabantur hâc ratione. Id quod apud nos post cœnam antequam cubitum eatur, vsitatum est. Sic Spiridionis Episcopi filia hospitum pedes lauit. Christus lauit discipulos, *Ioh.* 13. Et 1. *Tim.* 5. summa humilitas commendatur hoc argumento huius ritus.

139. Sed & manuum lauatio apud Iudæos erat vsitata, *Matth.* 15. *Mar.* 7. Turcæ lauant totum caput & manus, sæpius: quia lotio quinque sensibus pernecessaria. Et *Ioan* 2. patet, Iudæos, & inprimis Pharisæos, accuratâ manuum ablutione ante cibi sumtionem vsos fuisse, non modò sanitatis, munditiei ac ciuilitatis cuiusdam causâ, sed etiam religionis ergo. Persuadebant namque sibi stulti illi homines, se externis huiusmodi lotionibus verè coram Deo à peccatis mundari, & idcircò externæ potius corporis ablutioni, quàm internæ animi munditiei siue pietati studebant. Quo nomine à Christo grauissimè reprehenduntur, *Luc.* 11. Eâdem quoque superstitione moderni Iudæi ducuntur. Præterea sacerdotes Iudæorum tenebantur abluere manus ante sacrificium, & populus variis ablutionibus vtebatur, antequam ad rem diuinam accederet. Quibus commonefiebant, ad cultum diuinum non esse accedendum illotis manibus, hoc est, conscientiâ pollutâ, sed potiùs verâ pœnitentiâ animorum sordes deponendas. Deinde hi erant typi & figuræ Christi, cuius sanguis lauat nos ab omni peccato. Aliâs quoque cùm testari volebant se non immiscuisse peccatis, in multitudinis conspectu manus lauabant: vt testarentur animi puritatem, *Deut.* 21. *Matth.* 27. Ethnicis quoque vsitatæ fuerunt lotiones ciuiles & religiosæ. porrò Iudæi antiquitùs palli s amicti accumbebant, *Iohan.* 13. Christus etiam in externo vitæ cultu, νόμῳ καὶ χώρᾳ, id est, legi & regionis moribus, se accommodauit.

140. Homines epulantur vel sedentes, vel decumbentes, vel stantes, vel etiam inambulantes. 1. Sessio est omnium antiquissima. vt in conuiuio, quo Ioseph excepit fratres. Athen. καθέζονται δ' ἐν συνδείπνοις οἱ ἥρωες, οὐ κατακέκλινται, id est, sedent in conuiuiis, non discumbunt heroës. Sic Alexander Magnus quadraginta duces excepit conuiuio, eosque in curribus argenteis sedere fecit, & in sellis purpureis, vestibus substratis, collocauit. Sicut apud Rom. virilis toga insigne erat virorum: sic apud Græcos in publicis conuiuiis fuit accubatio. Athen. καθιστάντες οἱ ἀριστεῖς δειπνοῦσι, *Optimates sedentes cœnant*. Iudices dicuntur sedisse in portis apud Iudæos. 2. Accubitus seu accubatio erat vsitata apud Iudæos. Sic Christus in vltimâ cœnâ cum discipulis suis accubuit, vbi Iohannes dicitur in sinu Christi recubuisse, & pectore eius: nimirum secundùm illius temporis conuiuiorum morem, cùm in sumendo cibo protensi recumberent humi, seu in pauimento lectis instrato, ita vt quasi circulum quendam facerent, capitibus quidem semper introrsum ad epulas, pedibus verò extrorsus porrectis. Quare semper sequens in prioris sinu videbatur recumbere, dum caput eius incumbebat pectori superiùs accumbentis. Ita Iohannes caput habens in suo lectulo versus caput Iesu, facilè eius sinum attingere potuit. Quæritur autem, quomodo Christus dicatur cum discipulis sedisse, cùm tamen moris fuit in epulo Paschali stare? Respondet Theophylactus, cui Beza & Camerar. suffragantur, Christum primò stantem comedisse Pascha, deinde sedentem proprium tradidisse mysterium. Tremellius ait, quòd ille ritus, *Exod.* 12. *v.* 3. mandatus à Deo, vt starent, citò comederent, quod fieri nequit à discumbentibus, lumbis accinctis, pedibus calceatis, ac baculum tenentes manibus, quòd, inquam,

inquam, illa ceremonia non se extendat ad generationes futuras, sed tantùm fuerit noctis illius, vt omnes RR. statuunt. Nam Iudæi manducaturi Pascha, sedent in signum libertatis. Romani quoque & Græci in lectis discumbentes cœnabant & prandebant. Lecti illi erant discubitorii, non cubiculares, in quibus noctu indulgetur somno. In cœnaculo igitur mensa collocabatur: circa illam lecti erant, sic dicti à legendo, quòd colligerentur herbæ, è quibus fiebant. Hinc triclinium dictum à tribus lectis. Hi lecti erant lignei, eburnei, citrei, operti auro & argento. Tres vt plurimum lecti erant circa mensam. Sæpe tamen humi discumbebant, ita vt terra ipsis esset loco mensæ: qui mos etiam hodie obseruatur. Humicubationis istius exempla vide *Matth.* 14. *Marc.* 8. Terra sanè est optima mensa: vtpote quæ suppeditat omnis generis alimenta. Turcæ hodie vel in nudâ humo discumbunt, vel tapetia & puluinaria subiiciunt. Parthorum rex discumbit in lectulo, ipsius conuiuæ in terrâ, quibus ille proiicit cibum ceu canibus; quod Græci vocant κυνικὴ στιβάς. 3 Stando fit nonnunquam epulatio: cùm scilicet raptim sumitur à festinantibus, vt à Iudæis Pascha manducantibus. Et Hannibal vtplurimum stando cœnatus est, neque plus sextario vini indulsit: *Iustin. lib.* 32. Quædam gentes in rebus aduersis constitutæ, stantes cœnitant. 4. Quidam inambulando rapiunt cibum. Cùm quidam interrogaretur, id cur faceret, respondit: οὐ βούλομαι τῇ βρώμῃ ὡς ἔργῳ χρῆσθαι, ἀλλὰ ὡς παρέργῳ.

141. De sacrificiis ethnicorum teneantur summatim ista. 1. Sacrificia ipsorum fuerunt varia. Nam à formâ erant publica, vel priuata; à tempore, anniuersaria & stata, vel arbitraria: nocturna vel diurna: à diis & deabus dicta fuerunt Cerealia, Liberalia, Bacchanalia, Vulcanalia, Vertumnalia, Saturnalia, Terminalia, Palilia &c. à locis Septimontia, Palatuaria &c à materiâ hecatombe seu ξενοθυσία, ἀνθρωποθυσία: à fine εὐχαριστικὰ, ἱλαστικὰ, μαντικὰ: ab accidente patria vel peregrina, tenuia, & magnifica, seu μικρὰ καὶ λαμπρὰ ἢ μεγαλοπρεπῆ. 2. In sacrificiis idololatricis adorabant omnis generis creaturas. Hinc κοσμολατρεία, φυσιολατρεία, χρονολατρεία, αἰθρολατρεία, ἀστρολατρεία, ἡλιολατρεία, ἠωλατρεία, σεληνολατρεία, πυρολατρεία, φωτολατρεία, μετεωρολατρεία, ἀερολατρεία, ἀνεμολατρεία, ἱεροδολατρεία, δαιμονολατρεία, γαιολατρεία, ζωολατρεία, πτηνολατρεία, ὀφιολατρεία, τετραποδολατρεία, ἑρπετολατρεία, ἀμφιβιολατρεία, φυτολατρεία, μεταλλολατρεία, ἀνθρωπολατρεία, ὑδρολατρεία, καὶ τοπολατρεία. Atque hæc erant obiecta idololatriæ naturalia. Artificialia erant innumera, idola picta, ficta, manufacta, fusa. 3. Materia sacrificiorum ethnicorum fuit varia: putà homines integri, certa membra hominis, videlicet caput, lac, genitalia: sues, boues, equi, oua, far, hordeum, mel &c. vnde ὑοθυσία, βουθυσία, ἱπποθυσία, ὠοθυσία, κριθοθυσία, προβατοθυσία, συοθυσία, ἀνθοθυσία, &c. 4. Loca sacrificiorum erant templa, fana, delubra, montes, syluæ, valles, deserta, loca maritima &c. 5. In sacerdotibus spectare solebant animum, inque illo scientiam & castitatem; corpus, inque illo integritatem & puritatem; vestitum, & in illo varias formas & ornatum, sexum, cúmque masculinum vel fœmininum; ætatem; vitæ genus, quod olim erat regium; honorem, dignitatem, ordinem, salarium, pœnam, & victum. 6. Modus sacrificiorum absoluebatur tribus actibus, quorum primus erat παρασκευή, προτέλεια, καὶ προθύματα, præparatio, videlicet electio bestiarum, quæ inde dicebantur eximiæ & egregiæ, illarum probatio, cicuratio, ablutio, precatio, immolatio & libatio: præparatio corporis, consistens in variâ multiplicíque ablutione, & in vario habitu, abstinentiâ à muliere, vino & rerum variarum: præparatio animi consistens in puritate mentis & silentio, secundus erat ipsa θυσία: tertius complectebatur τὰ ἐπόμενα: videlicet varia vota ridicula, cineres, reliquias vanissimas.

142. Festiua poculi conuiualis descriptio, qualem sibi potatores exoptant, est eiusmodi.


Argentum bene tornans,
Fabrica, Vulcane mihi,
Non hominem armatum:
Quid enim cum bellis mihi?
Sed cauum poculum cude
Quantum vales maximè;
Inque eo neque astra,
Neque plaustra facias:
Nam quid cum Pleiadibus,
Quid cum Boote mihi?
Vites fabrica, quæso intus,
Et racemos pariter,
Aureósque pulchrè calcantis
Comites Lyæi,
Amorésque excude simul.

143. Colophonis loco proponimus ex Lipsio summam de ratione conuiuiorum veterum Romanorum.

De con

De Conuiuiis Veterum Romanorum notanda duo:

- 1. Conuiuæ: quorum consid. tum
  - Distinctio. Erant enim alij
    - Vocati.
    - Inuocati: qui videlicet alienis conuiuiis non vocati superueniebant. Et hos, si essent parasiti & eiusmodi nugæ hominum, Veteres facerè Muscas vocabant. Vnde phrasis Plautina, *Quærere hospitium à muscis*, id est, liberum ab arbitris & aduentoribus.
  - Accubitus: de quo notanda quinque: videlicet
    - 1. Præparatio ad Accubitum: quæ erat partim
      - Conuiuatoris: qui
        - 1. In Cœnaculo collocabat mensam rotundam humilem. Ac Mensa
          - Inferiorum hominum, tripes erat & ex simplici ligno.
          - Lautiorum, citrea, aut acerna, aut laminâ argenteâ intecta: quam pes eburnus fabrè factus, putà in modum pardi aut leonis, sustinebat.
        - 2. Circum mensam tres, vt plurimùm, lectos, (ex quo Triclinij nomen) vel duos etiam) quod Plautus Biclinium vocauit) ponebat: quos aulæis, purpurâ, aut aliâ veste stragulâ insternebat, pro copiâ aut inopiâ suâ.
      - Conuiuarum: qui priùs quàm accumberent,
        - Togas mutabant vestibus, quas à re *Cœnatoria* dixerunt.
        - Soleas pedibus demebant, ne lectum conspurcarent.
    - 2. Numerus Accumbentium in vno lecto. Vnum occupabant aut
      - Terni.
      - Quaterni plerumque. Si plures sordidum id & minimè lautum habebatur. Ita fiebat, vt ex vnâ communi mensâ vix suprà X I I. vescerentur.
      - Vix bini, in magnifico epulo.
    - 3. Modus Accumbendi. Accumbebant reclinatâ superâ parte corporis in cubitum sinistrum, inferâ in longum porrectâ ac iacente: capite leuiter erecto, dorso à puluillis modicè suffulto. Vt autem omnes æquâ parte ad mensam pertingerent, Primus decumbebat ad caput lecti, cuius pedes porrigebantur ponè dorsum Secundi: Secundus verò occiput obuertebat ad vmbilicum Primi, puluillo interiecto, pedes iacebant ad tergum Tertij: & sic deinceps Tertius, sic Quartus.
    - 4. Appellationes Decumbentium, ex ordine quo decumbebant. Qui decumbebat
      - Primus & ad caput lecti, dicebatur Summus.
      - Ad pedes, Imus.
      - Inter istos, Medius.
    - 5. Locus dignissimus in lecto
      - Si tres Conuiuæ in vno lecto; Medius dignissimus; proximus honore, Summus fuit:
      - Si quatuor; Medius censetur proximus à Summo, ideóque dignissimus.
      - Si duo tantùm; dignior Summus fuit.
- 2. Conuiuia ipsa: in quib. spectanda duo: videl. tum
  - Tempus: quod fuit Hora Cœnę. De die enim epulari probrosum erat, nisi in communi lætitia. Hora autem Cœnæ videtur fuisse diei nona. Nam octauâ lauabantur.
  - Partes duæ: quæ sunt
    - 1. Epulæ. quarum consid.
      - 1. Index. Moris erat apud Romanos, vt domino Conuiuij simul ac decubuisset, scheda daretur, quæ descripta ordine obsonia omnia haberet, vt iam tum sciri posset quid postremum coquuus missurus esset.
      - 2 Tres Partes siue Missus. Ac
        - Primum Missum, dicebant Antecœnam siue Gustationem, siue Gustum; item Promulsidem, ideò videlicet quòd daretur ante mulsum. Ac
          - Apud Antiquos Cœnatio incipiebat ab Ouis. Hinc videre est cur Cicero Epistolâ ad Pætum per iocum scripserit, *Integram famem ad ouum adfero.*
          - Horatij ætate Lactucæ, quæ Veterum cœnas claudebant, in principium cœnæ erant.
        - Secundum, in quo præcipui & lautissimi cibi, propriè Cœnam, & huius Missus præcipuum ferculum, Caput Cœnæ (Græci κεφαλὴν δείπνου) vocabant.
        - Tertium, in quo bellaria, Mensam pomorum siue Mensas secundas.
    - 2. Pocula: de quib. sex notanda.
      - 1. Potio principio Cœnæ vel Conuiuij apposita: quæ erat Mulsum. Nam Antiqui non temerè primam sitim nisi mulso sedabant. Quod ipsum vel confectum apponi moris erat, vel eius loco separatim vinum & mel, vt conuiua quisque pro arbitrio id temperans, mulsum sibi conficeret.
      - 2. Leges bibendi: quas qui ferebat, Magister vulgò dicebatur: Varroni etiam Modimperator: Horatio Arbiter: Plauto Dictator: Græcis συμποσίαρχος, βασιλεύς, vel στρατηγός. Hic Magistratus eligi solebat vel
        - Sorte: in quam tali erant. Cùm autem varij talorum iactus sint, Venus, Canis, Senio, Chius; proprius ex his magistro creando, fuit, Veneris iactus. Qui igitur primus è conuiuis Venerem iecerat, is Magister.
        - Solâ corollæ impositione.
      - 3. Ordo bibendi. Inomni conuiuio mos hic Romanis solennis fuit, cùm paulò hilarius inuitare se vellent, vt à Summo biberent, hoc est, ab eo Conuiuâ qui Summus accumbebat, ad Imum. *A Summo bibere*, Græcis est ἐγκύκλῳ πίνειν.
      - 4. Genus Poculi huic potioni à Summo adhibitum; quod erat sola patera, alij exclusis.
      - 5. Ratio bibendi. Solenne fuit antiquis vt in omni conuiuio inter pocula, & mensas, maximè secundas libationem religiosè seruarent. Libabant autem (& quidem non Romani tantùm, sed & Græci) tum
        - Diis: vt,
          - Amatores Veneri,
          - Bellatores Marti,
          - &c.
        - Hominibus; iisque vel
          - Beneficis in se: in quorum numero maximè viri principes. Sic in multâ copiâ honorum Augusti, etiam hoc à Senatu decretum, vt per Genium eius vulgò iurarent, & in cõuiuiis omnibus pro salute eius libarent.
          - Amicis.
      - 6. Modus respondendi inter bibendum aut propinandum: qui erat, *Bene viuas*, aut, *Viuas*.



SECTIO XII.

In quâ proponitur

ARITHMOLOGIA ETHICA.

PRÆCEPTA.

ARITHMOLOGIA Ethica est enumeratio eorum, quæ nos in omni vitæ genere instruere possunt, comprehensa numeris.

Eius occurrit vtilitas & modus.

Vtilitas est, iuuare memoriam.

Modus est duplex. Est enim Arithmologia prosa vel ligata. Et vtraque est physica, historica, ethica, politica, theologica, &c. quàm latè scil. patet vniuersa Encyclopædia. Nos inprimis ad Ethicam, basin illam totius vitæ actiuæ, respiciemus, & duos præstantissimos Arithmologos practicos introducemus; putà *Iohannem Lauterbachium*, qui Arithmologiam miscellaneam certis distichis comprehendit, & *Ioachimum Camerarium*, qui singulari studio Arithmologiam Ethicam adornauit.

ARITHMOLOGIA MISCELLA Iohannis Lauterbachij, quantum ad summa capita.

Nouem Musæ.
Calliope, Clio, Euterpe, Thalia, Melpomene, Erato, Terpsichore, Polymnia, Vrania.
Septem artes liberales.
Grammatica, Rhetorica, Dialectica, Musica, Arithmetica, Geometria, Astronomia.
Quinque sensus.
Visus, Auditus, Olfactus, Gustus, Tactus,
Tres Charites seu Gratiæ.
Aglaia, Thalia, Euphrosynæ.
Septem sapientes.
Cleobulus, Chilon, Periander, Pittacus, Solon, Bias, Thales.
Tres Furiæ.
Tisiphone, Megæra, Alecto.
Septem planetæ.
Saturnus, Iupiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius, Luna.
Quatuor elementa.
Ignis, Aër, Aqua, Terra.
Quatuor anni partes.
Ver, Æstas, Autumnus, Hyems.
Quatuor mundi secula.
Seculum aureum, argenteum, æneum, ferreum.
Tres Magi.
Melchior, Caspar, Balthasar.
Quatuor Euangelistæ.
Matthæus, Marcus, Lucas, Iohannes.
Septem dies creationis.
Feria prima, 2. 3. 4. 5. 6. & sabbatum.
Sex millenarij mundi.
Primus 2. 3. 4. 5. & 6.
Tres Parcæ.
Clotho, Lachesis, Atropos.
Tres Iudices inferni.
Æacus, Minos Rhadamantus.
Tres Harpyiæ.
Aëllo, Celeno, Ocypede.
Quinque fluuij infernales.
Acheron, Styx, Lethe, Cocytus, Phlegethon.
Quatuor artes maiores.
Philosophia, Theologia, Iurisprudentia, Medicina.
Duodecim labores Herculis.
Leo Nemæus, Hydra Lernæa, Aper Calydonius, Ceruа æripes, Aues Stymphalides, Hippolyte Amazon, Augiæ stabulum, Taurus Cretensis Diomedis equi, Geryonis oppressio, Hesperidum horti, Cerberus vinctus.
Quinque libri Mosis.
Genesis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomion.

Decem plagæ Ægypti.
Riui sanguinei, Ranæ, Pediculi, Insecta, Lues, Vlcera, Grando, Locustæ, Tenebræ, Primogenitorum interitus.
Tria mundi tempora.
Inane, Lex, Messias.
Tres Christianæ virtutes.
Fides, Spes, Charitas.
Quatuor virtutes morales.
Prudentia, Iustitia, Fortitudo, Temperantia.
Decem præcepta decalogi.
Primum, Secundum, Tertium, Quartum, &c.
Duodecim capita symboli Apostolici.
Primum, Secundum, Tertium, &c.
Sex petitiones orationis Dominicæ.
Prima, Secunda, Tertia, &c.
Septem Ecclesiæ Sacramenta.
Baptismus &c.
Duodecim Apostoli.
Petrus, Andreas, Iacobus, Iohannes, Philippus, Bartholomæus, Matthæus, Thomas, Iacob, Simon, Iudas Thaddæus, Matthias.
Quatuor Prophetæ maiores.
Esaias, Ieremias, Ezechiel. Daniel.
Duodecim Prophetæ minores.
Hoseas, Ioël, Amos, Abdias, Ionas, Micheas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Haggæus, Zacharias, Malachias.
Tria tempora.
Præteritum, Præsens, Futurum.
Septem vitæ humanæ partes.
Infantia, Pueritia, Adolescentia, Iuuenta, Virilis ætas, Senectus, Senium.
Duodecim menses.
Ianuarius, Februarius, Martius, Aprilis, Maius, Iunius, Iulius, Augustus, September, October, Nouember, December.
Septem orbis miracula.
Pyramides, Turris Pharia, Muri Babylonis, Templum Dianæ Ephesinæ, Mausoli sepulchrum, Colossus Rhodius, Simulachrum Iouis Olympij.
Duodecim signa Solaria.
Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpius, Sagittarius, Capricornus, Aquarius, Pisces.
Tres ministri somni.
Morpheus, Phobetor, Phantus.
Tres Sirenes.
Leucosia, Parthenope, Ligea.
Tres cyclopes.
Brontes, Steropes, Pyracmon seu Arges.
Quatuor Monarchiæ.
Chaldæa, Persica, Græca, Romana.
Tres horæ cœli.
Eunomia, Dice, Irene.
Duo in historiis spectanda.
Pietas & Iustitia.
Duæ claues Ecclesiæ.
Ligans & Soluens

In hâc LAUTERBACHII Arithmologiâ multa sunt historica & mythologica, quorum moralia quilibet vel proprio ingenio excogitare, vel ex ipsius versibus petere potest.

ARITHMOLOGIA ETHICA Ioachimi Camerarij.

EX PROVERBIIS SALOMONIS.

Arithmologia Ethica Prouerbiis Salomonis.

SEx sunt quæ odio prosequitur Deus, secundū sapientem regem Iudæ, septimum antē etiam abominatur.

1. Oculi contumeliosi.
2. Lingua falsiloqua.
3. Manus pollutæ cædibus.
4. Cor consulens & struens mala.
5. Pedes celeres ad perpetrandum facinus malum.
6. Testes mendaces.
7. Qui dissidium inter fratres excitant.

Bonum est à Deo hæc duo petere aliquem, & illa consequi in vitâ suâ.

1. Vt longè absit inaniloquentia, & maledicentia.
2. Non fieri vel nimis opulentum, vel nimis inopem, sed singulis conferre necessaria ad victum, ne quando quispiam in abundantiâ omnium rerum incipiat esse vecors & spernere Deum, néve in egestate earum rerum quibus opus est, committat furtum, aut offendat violentâ impietate Deum.

Tria

Tria hæc insaturabilia, quartum autem expleri nullo modo potest.

1. Infernus.
2. Mulier intemperans.
3. Terra sicca.
4. Ignis autem omnia deuorans, nunquam satis alitur.

Tria sciri non possunt, quartum autem nullo modo comprehendi.

1. Vestigia aquilæ volantis.
2. Via serpentis super rupe.
3. Semita nauis in maritimo cursu.
4. Gressus adolescentis ad iuuenculam.

Propter hæc tria concutitur terra, quartum autem ferre nequit.

1. Quando seruus dominus sit herilium facultatum.
2. Quando stultus cibo se satiauerit.
3. Quando mulier cupiditatis turpis & iræ incontinens fuerit.
4. Quando ancilla hæres facta fuerit dominæ suæ.

Quatuor sunt minima in terrâ, à quibus tamen omnes sapientes sapientiâ superantur.

1. Formicæ expertes virium, quæ parant sibi in æstate alimentum.
2. Chirogryli, genus haud validum, habitans in rupibus.
3. Locustæ quæ sine rege viuunt, & tamen pulcro procedunt ordine, quasi sub imperio & signo.
4. Aranea, quæ texit & conficit telam suam, & habitat in domibus regum.

Tria ingrediuntur scitè, quartum autem incedit eleganter.

1. Catulus leonis neque se auertens, neque formidans animalia.
2. Canis venaticus robustus circum ilia. Vel gallus etiam gallinaceus obambulans inter gallinas.
3. Hircus dux gregis caprarum.
4. Rex procedens in concionem, qui est inuictus.

EX IESV SIRACIDE.

[Ari]thmo[logi]a [Eth]ica Ie[su S]irachi.

DVæ res augent peccata, & tertium irritat iram.

1. Anima feruens, tanquam ignis vrens, èxstingui nequit, donec absorbeatur.
2. Adulter in carne corporis sui, qui non quiescet donec ignem accendat.
3. Homo transgrediens lectum suum, cogitans apud se, quis me videt? Similiter & mulier deserens maritum suum, & ambiens hæreditatem ex alio.

Tria speciosa videntur in conspectu Dei ac hominum.

1. Concordia inter fratres.
2. Amicitia inter vicinos.
3. Vir & mulier in societate & fide mutuâ perseuerantes.

Tria sunt omnibus odiosa ac molesta.

1. Mendicus superbus.
2. Diues mendax.
3. Senex adulter qui deficitur intelligentiâ.

Nouem sunt, dixit Sirach, inter ea quæ magni fiunt, quæ beata esse iudico in corde meo, & decimum prædico linguâ meâ.

1. Homo qui delectatur liberis suis.
2. Viuens vidénsque casum inimicorum suorum.
3. Beatus qui habitat cum muliere prudente.
4. Qui non lapsus est linguâ suâ.
5. Qui non seruiuit homini indigno.
6. Beatus qui reperit prudentiam.
7. Qui narrat attentè auscultantibus.
8. Quàm magnus ille, qui inuenit sapientiam?
9. Sed multo maior qui timet Dominum.
10. Timor Domini splendore omnia superat.

Duobus perturbatur cor meum, & tertium irâ me afficit.

1. Cùm bellator ob paupertatem destituitur.
2. Cùm viri prudentes spernuntur.
3. Cùm aliquis declinat à recto ad peccatum.

Tria, dicit, solicitum reddunt cor meum, de quartâ autem personâ precatus fui.

Hæc sunt:
1. Proditio ciuitatis.
2. Conuenticulum plebis.
3. Iniusta calumnia.
4. De muliere exercente æmulationem aduersus mulierem.

ARITHMOLOGIA ETHICA CAMERARII EX VARIIS AVTHORIBVS.

TRia demonstratione & commendatione non egent, sed reipsâ probantur aut improbantur. Arithmologia Ethica ex variis authoribus.

1. Bonum vinum cùm bibitur.
2. Sapiens oratio cùm profertur.
3. Vir bonus in calamitatibus.

Duo socios non recipiunt.

1. Amor.
2. Principatus.

Præcepta tuendi valetudinem.

Bina fac vt serues hæc, si vis viuere sanus.
Luce bis, & noctu toties, & mense bis vno,
Quoque bis inque anno, verùm vitâ semel omni:
Pascere, minge, laua, venam seca, adorna hymenæum.

Quatuor prorsus non sunt irritanda.

1. Sternutamentum & pituita, ne quando exprimatur sanguis.
2. Flatus ventris.
3. Canis comedens, ne relicto osse in te irruat.
4. Ira, ne quando concitatus furore dicas, aut facias, quorum postea te pœniteat.

Ad quatuor festinare nocet.

1. Ad prælium & bellum.
2. Ad ebrietatem & aleam.
3. Ad cœnam, si quis non fuerit vocatus.
4. Ad loquendum, si quis fatuus sit.

Quatuor oculis sunt grauia & molesta.

1. Fumus ex ligno potissimùm humido.
2. Ventus procellosus.
3. Lacrymæ.
4. Videre inimicos fortunatos, & amicos infortunatos

Quatuor his nunquam impedimento esse velis.

1. Volenti legitimè nubere.
2. Eunti in ludum.
3. Succursuro oppressis.
4. Conuertenti se à vitâ turpi ad resipiscendum.

Ouorum exploratio in tribus consistit.

Oua tibi sumas, candida, longa, noua.

Hæc quatuor nunquam incitaueris.

1. Homicidium.
2. Linguam effrenem.
3. Vxorem domi indecenter exeuntem.
4. Equum currentem in præcipitio & abrupto loco.

Quinque his memineris non esse fidendum.

1. Cani alieno.
2. Equo qualicunque.
3. Mulieri loquaci.
4. Seruo glorioso.
5. Ripis cauis.

Tribus his paruisse nunquam te pœniteat.

1. Veritati potissimùm diuinæ.
2. Consulenti tibi bona.
3. Gallo gallinaceo excitanti voce suâ manè dormientes.

Tria hæc valde molesta sunt, at quartum etiam intolerabile.

1. Qui arrogans est apud compotores, & multum garrit in plateis.
2. Facessentes negotium illis qui non sunt otiosi.
3. Qui tantùm petit ante vnum ostium
4. Pauper & indoctus de improuiso diues & celebris factus.

Tres isti nunquam de suis laboribus lætitiam percipient.

1. Semen spargens in litus.
2. Benefaciens malis.
3. Is qui Deum se colere putat, vltrò accersitis afflictionibus.

Hi tres penitus ratione & mente carere videntur.

1. Qui fidem consequitur & tribuit mendaciis.
2. Qui multum comedit, & nihil operis facit.
3. Qui iram frenare nequit, sed ab hac semper vincitur.

Quinque hos simplices & probos esse existimandum.

1. Qui habet in manibus sumptuosè & suauiter conditum cibum aliquem, & nihil de illo occultè gustat.
2. Virum vxorem suam solam diligentem.
3. Mulierem nullius vnquam nisi viri sui desiderio captam.
4. Principem, qui vtitur consiliariis viris prudentibus & bonis, & obtemperat rectè monentibus.
5. Qui nunquam irâ adductus fecerit aut dixerit aliquid contumeliosè aut imprudenter.

Sex hæc semper sunt digna risu.

1. Passer marinus, qui opinatur se totum occultari, vbi caput inter arbusta absconderit.
2. Fulica, quæ sorbendo spumam comprehenditur.
3. Qui gloriatur se esse virum fortem, & semper in bello virtutis laudem retulisse, cùm vulneribus careat.
4. Qui dicit multa se passum esse in grauibus malis, & tamen semper bonum colorem retinet.
5. Virgo contemnens & vituperans legitimè nuptam vel nupturam.
6. Qui plorat sine intermissione propter ea quæ acciderunt, atque aliter fieri ac geri iam nequeunt Hic enim & desiderat ea quæ neque sunt, neque fieri vnquam possunt: & non factum cupit esse id, quod iam præteriit: quæ quidem vtraque & immutabilia sunt; & ridicula intelligentibus.

Quinque hæc qui retinet apud sese, neque de illis aliis accommodat, eum sanè nemo iustè reprehendere potest.

1. Bonum & firmum equum.
2. Bouem arantem & rectè scindentem sulcos.
3. Mulierem prudentem & quæ amat virum suum.
4. Seruum fidelem, & qui curat dominum suum.
5. Ensem validum & accuratè fabrefactum, & omnino arma ad bellum necessaria & conuenientia.

Septem hæc videntur sibiipsis asciscere mala, de octauo verò etiam hæc emit aliquis rependens bona.

1. Si senex duxerit vxorem iuuenculam.
2. Si quis sine prole & amicis, nihilo tamen minus auarus & omni occasione quæstui deditus fuerit.
3. Nutriens venenosa & multa impendens inutilia.
4. Ebriosus.
5. Irritans canem ferocem, præsertim inter edendum aut arrodendum os.
6. Deambulatio in tenebris.
7. Bellum inferre sine iustâ causâ.
8. Alere assentatores & indulgere prauis voluptatibus. In illis enim quamuis nihil aliud, tempus tamen omnium quæ sunt, res preciosissima, insumitur.

Octo hæc sibiipsi & aliis nocere existimandum.

1. Si quis cupiat fieri magister aliorum, cùm ipse sit rudis & imperitus.
2. Quærere ea quæ neque assequi neque inuenire possis.
3. Cùm magnus & potens vir malus est & facinorosus.
4. Cùm quis sibi ipsi videtur esse in omnibus sapiens, & nunquam aliorum consilio vtitur.
5. Festinare vt magister fiat hominum potentum, cùm sit stultus & demens.
6. Deliberare cum incogitantibus, quomodo sapientes possit fallere.
7. Si procurator sit cupidus lucri, infidelis, & rapax.
8. Si quis lapsus sit, & contumax reddatur, neque admittat vllam castigationem.

Duodecim quibusdam modis periculum aliquorum facere licet.

1. An vir sit fortis, in bello.
2. An equus agilis, in currendo.
3. An bos robustus, in trahendo aratro.
4. Seruorum, in committendo.
5. Principum prudentiæ, in reprimendâ irâ.
6. Boni amici, in aduersis.
7. Negotiatorum, in contractibus.
8. Sociorum, cùm facilè reconciliatur gratia orto inter ipsos dissidio.
9. Religiosorum, de constante patientiâ.
10. Generosi, de liberalitate.
11. Philosophi, si contentus sit necessariis.
12. Bonæ naturæ, celeriter discendo, in quæ incubuerit & retinendo memoriâ.

Hi tres meritò rationis expertes nominabuntur.

1. Qui corrumpit res pulcras, dum versatur in turpibus.
2. Dominus seruum non merentem honore afficiens.
3. Qui non magis diligit probos & obedientes liberos, quàm improbos & inobedientes.

Quatuor hi sibiipsis periculosi sunt.

1. Qui suspensis ingreditur pedum digitis.
2. Ignauus, qui virtutem suam magnificè prædicat, & ita mittitur ad bellum.
3. Funambulus.
4. Qui perfecerit vt magistratu fungatur, & præsit aliis cùm sit indoctus & malus.

Tria hæc non sunt ornamento iis quibus adduntur.

1. Equo feroci & calcitranti adiunctum crepitaculum.
2. Ignauis arma pretiosa varij generis.
3. Pulcri libri indoctis & abhorrentibus à bonis artibus.

Quinque declarant Rempubl. bene aut malè regi.

1. Ædes precum.
2. Curia.
3. Schola.
4. Forum.
5. Horologium.

Quinque sunt quæ timent, vbi nullum malum nullúmque periculum.

1. Auicula quædam minuta & sine nomine, quæ fertur metu, ne in ipsum cœlum ruat, imponere sibi semper dormienti alterum pedem.
2. Pica altero pede stans, timens scilicet, ne ambobus grauior terram commoueat.
3. Qui vocatur bufo, hic enim sese ingurgitans terrâ, timere videtur ne quando alimento cariturus sit.
4. Vespertilio, quæ per diem volans nunquam conspicitur, nimirum putans se auem esse dignam magno honore, & timens ne capiatur, & in caueâ, quemadmodum lusciniæ, inclusa asseruetur.
5. Indoctus simul & carens ingenio, qui timet, ne quando bonas atque vtiles artes discendo nimiâ harum copiâ repleatur.

Hæc tria non inquinare nequeunt.

1. Figulus.
2. Rota plaustri in profundo cœno.
3. Versantes cum malis.

Quatuor his non prodest commodatis vti.

1. Mantilibus & manicis & calceis, ac omnino iis indumentis quæ nudum corpus attingunt.

2. Seruo

2. Seruo glorioso & furace.
3. Equo morboso.
4. Consiliis & conatibus ad perpetrandum facinus malum.

Hæc neque cicurari possunt, neque mansueta facta, aliquid præceptorum admittunt.

1. Mus & hirundo.
2. Fugiens castigantes, & contemnens disciplinam, & habens aures obturatas ad admonitiones de virtute.

Viginti quatuor hæc plerumque inter se pugnant, quædam autem ex ipsis tantas exercent inimicitias, vt inter ea pax nunquam conciliari possit.

1. Lupus & genus pastorum.
2. Feles & natio musculorum.
3. Accipitres & columbæ.
4. Corui,& qui vocantur bufones,siue ranæ terrestres.
5. Fraxinus & anguis.
6. Vitis & brassica.
7. Elephas & draco.
8. Equus & camelus.
9. Basiliscus serpens & viuerra habitans in ædificiis.
10. Crocôdilus & delphinus.
11. Lacerta & cochleæ.
12. Elephas & serpens. Item Echinus & anguis.
13. Muræna & polypus & caræbus.
14. Muræna & conger.
15. Polypus & locusta.
16. Balæna & orca.
17. Stellio & scorpius.
18. Panther & hyena.
19. Aquila & nocturnus accipiter.
20. Pluuiæ nouæ & veteres.
21. Plures qui partiuntur hæreditatem.
22. Somnus & cupiditas discendi.
23. Diuitiæ & prodigalitas.
24. Religio diuina & superstitio humana.

Quatuor hæc cum fiunt, nulli grata sunt.

1. Calceamenta & vestes & ea quæ de penu promuntur, dum corroduntur ab iis animalibus quæ illa solent lædere.
2. Si quis in loco choreæ puluere sparso iniiciat lentes.
3. Si quis seruet eos qui seipsos perdunt, aut omninò si quis benefaciat ingratis.
4. Declamationes apud scientes & esurientes.

De quinque his tranquillum & non curiosum esse, optimum est.

1. De administratione alienæ domus.
2. De gubernatione diuinâ.
3. De cibo piscium marinorum.
4. De consilio potentum, si quis priuatus sit.
5. De conuersione ventorum.

Tria hæc ne reformides.

1. Quod necessariò ferendum est.
2. Quo præclarè perfecto, laudem fortitudinis consecuturus sis.
3. Inanem strepitum.

Tribus his pudor nihil prodest.

1. Mendico petenti.
2. Esurienti in cœnâ, & sitienti in potu.
3. Danti consilium, quò minus hic verax sit vt prosit petenti.

Quatuor sunt in quibus pauca meliora quàm multa.

1. Pugillus vnus, secundùm Salomonem, quietis, quàm duo laboris.
2. Penuria in egestate ad iniustâs diuitias.
3. Mutilum esse vno membro potiùs quàm ambobus.
4. Breuiloquium indocti magis quàm loquacitas.

De his sex spem non concipere, bonum est.

1. De pennis producendis.
2. Fieri infectum quod factum est.
3. Immisericordes reperire in aduersis misericordiam.
4. Deum peccatoribus beneuolentiam addere.
5. De messe aut à semente in mari.
6. Gratiam malos, quibus benefactum est, relaturos esse.

His tribus aduersari oportet assiduè.

1. Sibiipsi vnicuique procliui ad peccandum.
2. Præceptoribus malorum.
3. Laudibus stultorum.

Hæc tria in memoriâ habere semper, vtile est.

1. Mandatorum tibi ab aliis.
2. Benefactorum tibi ab aliis.
3. Iam mortuorum, vt ante oculos semper habeamus futurum finem vitæ nostræ.

Tria sunt à quibus misericordiam & veniam abesse, rectum est.

1. Cùm nos ipsi peccamus.
2. Ab animaduersione in liberos improbos.
3. Ab interemptione letiferorum.

De tribus his suspendere iudicium rectum.

1. De ignotis & occultis.
2. De diuinis & cœlestibus.
3. De amicis & inimicis. Amicitia enim & odium veritati iudicij obstat.

Horum trium obliuionem licere adipisci optandum.

1. Tristium & pecatorum.
2. Quorum meminisse noceret alteri.
3. Nostrorum beneficiorum.

De his tribus nunquam indignaberis.

1. De eleemosynis quotidianis erga alios.
2. De iis actionibus, à quibus abest turpitudo & traductio vitæ.
3. De industriâ, quæ est causa pulcrorum & iustorum operum.

Tres hi non vident.

1. Captus oculis.
2. Stultus & desipiens. Hi enim quamquam cernant, cæci sunt.
3. Captus voluptatibus, qui & mutus esse ferè reperitur.

Tres hi auribus non benè vtuntur.

1. Captans & sectans auditu aliorum secreta.
2. Studens turpiloquio & calumniis.
3. Qui quotidie præclara audit, & ab his nihil iuuatur.

In quatuor his plurimum est impudentiæ.

1. In viro induente vestem muliebrem, & in muliere sumente viri.
2. Hospite, qui dignus sibi videtur, vt eodem in honore sit cum patrefamiliâs.
3. Qui verba facit coram potentibus iniussus, neque interrogatus.
4. Cuius fidei aliquid arcani commissum est, qui non silet, sed illud garrulitate suâ aperit.

Sex hæc plerumque ebrios comitantur.

1. Alarum elatio.
2. Titubare & tremere.
3. Delirium sermonis.
4. Dolor capitis.
5. Dementia.
6. Vt tandem siderati intereant.

Tribus hisce domum aliquam frequentantibus, impolluta non permanebit.

1. Hirundinibus.
2. Columbis.
3. Sub religionis prætextu nuptias refugientibus.

Duobus hisce irasci aliquem culpandum non est, ita vt illis aduersari nunquam desinat, super vno autem solo vtiliter sanè aliquis tristitiâ afficitur.

1. Calumniis.
2. Perturbationibus suis.

3. Super

3. Super delictis, vt sequatur pœnitentia ad salutem non pœnitendam.

Super his quatuor via lubrica.

1. Super glacie.
2. Super loco humido & fimo.
3. Super gloriâ & ambitione.
4. Super formâ mulieris.

Sex hæc non facilè occultare possis, duo autem nullo modo.

1. Fusum in sacco.
2. Scortum in fenestrâ.
3. Scabiem manuum.
4. Tussim in conuiuio.
5. Paupertatem in insolentiâ.
6. Prauitatem & petulantiam compotem licentiæ faciendi aliquid improbè & fruendi voluptatibus.

De duobus feruntur hi iambici versus Antiphanis comici.

——— Celare, Phidia,
Alia omnia possit aliquis hæc præter duo:
Vinúque potum, flammas & cupidinis.
Nam proditur verbis vtrumque horum & oculis.
Vt qui neget, planè esse talem appareat.

Quatuor hæc candida sunt. Quintum autem omnium splendidissimum.

1. Nix.
2. Argentum.
3. Cerussa.
4. Cani.
5. Cor simplex & prudens ac verax.

In his melius est sequi animal brutum, quàm hominem.

1. Si cæcus agitet asinum, asinum magis quàm cæcum.
2. Boues & mulos comedentes & bibentes potiùs quàm crapulatorem & ebriosum.

Incommunicabilia sunt quidem multa, sed hæc inprimis.

1. Lupus & agnus.
2. Lux & tenebræ.
3. Vita & mors.
4. Amicus & assentator.
5. Pietas & impietas.

Domum tria fulciunt.

1. Tibicines & columnæ.
2. Liberi virilis sexus.
3. Amici.

Tria hæc sunt inutilia & frustra fiunt.

1. Cribro haurire aquam.
2. Sequi cursu volucres.
3. Luctus super defuncto.

Hæc tria requirit vera amicitia.

1. Virtutem vt pulcrum.
2. Consuetudinem vt suaue.
3. Vsum vt necessarium.

Per tria fiunt docti.

1. Per vsum.
2. Præcepta legum.
3. Disputationes.

Consiliarium tria in se continere oportet.

1. Scientiam.
2. Beneuolentiam.
3. Libertatem loquendi.

Tres sunt cogitationes regiæ.

1. Homo qui scit imperare hominibus:
2. Secundùm leges:
3. Non semper.

Tria non facilè separantur.

1. Pediculi & scabies capitis.
2. Liguritor & lauta cœna.
3. Somnolentus & piger & molle stratum.

Tria hæc prorsus sunt ridicula.

1. Loqui cum suâ imagine.
2. Pugnare cum vmbrâ.
3. Deliberare cum stulto.

Quatuor hæc custodiam diligentem requirunt, quintum autem prorsus asseruari nequit.

1. Sues qui pascuntur iuxta loca consita.
2. Equi & boues, qui pascuntur iuxta agrum plenum frumenti.
3. Oues quas egit pastor ad siluam densam.
4. Grex caprarum qui agitur præter hortos plenos oleribus.
5. Mulier iuuenis impudica.

Inania & inutilia.

1. Nutu aduocare cæcum.
2. Loqui cum surdo.
3. Bibere ex vacuo poculo.
4. De calculis polentam facere.
5. Semen spargere in mari.
6. Colere solum sterile.
7. Numerare vndas aquarum.
8. In siluâ piscari.
9. In aquâ triticum exsculpere.
10. In fornace arefacere glaciem.
11. Ventos includere in cistam.
12. Caluum tondere.
13. Lauare laterem.
14. Aquâ extinguere solarem radium.
15. Anum compellere ad ducendum choream.
16. Camelum ducere per foramina acus.
17. Mulgere hircum.
18. Actum agere.
19. Docere mentis impotem sapientiam.

Secundùm sapientem Sophoclem indicia bonæ valetudinis.

1. Edere & bibere in tempore suauiter.
2. Conueniens opus perficere sine defatigatione.
3. Dormire sine querelâ.
4. Moderatè vti Venere, quibus fas est.
5. Concoctio perfecta.
6. Excernere & emittere vrinam secundùm naturam.

Conseruantia valetudinem secundùm præceptum Plutarchi.

1. Non satiari cibis ad fastidium.
2. Non abhorrere à laboribus.
3. Seminis naturæ conseruatio.

Discutiunt.

1. Calliditas humida.
2. Ventus paleas.
3. Prodigus facultates paternas.

Horum trium possessionem aliis ostentare, tutum non est.

1. Vini dulcis & suauis, ne quando alliciat aliquos qui petant.
2. Mulieris formosæ, ne quando in amorem & desiderium huius trahat eos qui hoc audiunt.
3. Diuitiarum, ne quando fures accersas

Accedit autem singulis id quo efficitur, vt vtiliter fieri videantur, vt si fiant à caupone, à lenone, & à debitore.

Duæ præcipuæ victoriæ.

1. Vincere benefacientem.
2. Et seipsum.

Supellex & possessio inutilis.

1. Gallina sterilis.

2. Sus

2. Sus infœcunda.
3. Seruus infidelis & furax.
4. Operæ pigræ.
5. Felis fugiens mures.
6. Mulier adultera.
7. Ancilla grauida.
8. Liberi contumaces.
9. Marsupium non capiens nummos.

Tria hæc turbant & commouent ista tria.

1. Imbres aquas.
2. Venti mare.
3. Gubernatores ciuitates.

Sex vaga & mutabilia.

1. Flos vernus.
2. Tempus vicinum solstitio & brumæ.
3. Casus tesserarum.
4. Venatio volatica.
5. Amor muliebris.
6. Fauor potentum.

Tria à tribus auertenda illis, qui gloriam bonarum & pulcrarum rerum quærunt.

1. Oculi à scriptis aliorum.
2. Manus à pecuniâ, quam alius possidet.
3. Aures à secretis.

Inefficacia & inutilia.

1. Mola inutilis ad molendum.
2. Fornax sine igne.
3. Nauis & turris siue ciuitas, expers virorum qui frequententent incolæ.

Tria potissimùm sunt, quæ bene aut malè afficiunt corpora humana, secundùm hoc dictum:

Balnea, vina, Venúsque hilaris cupidissima risus,
Corporibus prosunt, corporibúsque nocent.
Seu:
Balnea, vina, Venus conseruant corpora nostra:
Corrumpunt eadem, balnea, vina, Venus.

Quatuor hæc in domo esse, & semper remanere oportet.

1. Caminum.
2. Cohortes gallinarum.
3. Felem.
4. Vxorem, cuius hoc est proprium, vt domum curet.

Triplices nummi quærendi sunt bonis.

1. Ad necessarios sumtus.
2. Ad existimationis dignitatem.
3. Ad necessarios & graues casus.

Germani dicunt: Man muß haben ein { Nehr / Ehr / Zehr } pfenning.

Hæc insidias struunt & aliis, & interitum parant.

1. Canes leporibus.
2. Vulpes gallinis.
3. Lupi agnis.
4. Ciconiæ ranis.
5. Corui vespertilionibus.
6. Canes sibiipsi propter communem cibum.
7. Amatores riualibus.
8. Ignauia & desidia virtuti.

Præter naturam sunt:

1. Adolescentula formosa sine amore.
2. Emporium populosum sine furibus.
3. Senex fœnerator sine pecuniâ.
4. Adolescens sine alacritate.
5. Granarium vetus sine muribus.
6. Scabies capitis sine pediculis.
7. Hircus decem annorum sine barbâ.
8. Somnolentus & deses multarum rerum scientiâ præditus.

Decem & tria hæc quærere, aut stultum est, aut fieri non potest vt reperiantur.

1. Anseres in lecytho.
2. Porcos pingues in congregatione Iudæorum.
3. Vinum in sagenâ piscatoriâ.
4. Equos vel mulas in nidis ciconiarum.
5. Veritatem in hypocritâ.
6. Fidem in assentatore.
7. Apud ebriosum sobrietatem.
8. Apud prodigum pecuniam.
9. Apud dementem sapientiam.
10. Cum obeso ventre mentem subtilem.
11. In societate improborum bonum.
12. Apud ignauum virtutem.
13. In cogitationibus & factis humanis id quod Deus vult & illi placet.

Hæc inter sese quadrant.

1. Crumenicida & marsupium plenum nummis.
2. Cocus & carnes.
3. Cursor & via plana.
4. Celebris conuentus & hilaritas.
5. Asinus & molitor.
6. Caupo & liguritor.
7. Aqua & hydria.
8. Formæ excellentia & elegans vestitus.
9. Porcus famelicus & calidum stercus.
10. Infans lactens & mamma lac suaue continens.
11. Mulier impudens & fustis.
12. Liberi inobedientes & flagra.
13. Fur & strangulatio.
14. Scholasticus & liber.

Hæc inter sese non quadrant.

1. Timidus & prælium.
2. Qui opus faciunt fideliter, & procurator priuans eos mercede.
3. Hospites esurientes & hospes sordidus.
4. Paruum plaustrum & ingens pondus.
5. Vinosus & vacuum poculum.
6. Bonus venator & canes segnes.
7. Canes & feles super vnâ areâ.
8. Olitor & capra.
9. Vectigalia magna & mercatores pauperes.
10. Senex vir & mulier adolescentula.
11. Bonus præceptor & auditor futilis.

Boni vini proprietates quotnam sunt? Tot quot sensus in corpore. Ad illos enim omnes suauiter vult vinum bonum deferri.

1. Ad aspectum, colore, qui sit limpidus & clarus.
2. Auditum, sonitu, vt quasi stridorem quendam acutum, dum infunditur, edat.
3. Gustum, dulcedine.
4. Tactum, frigiditate.
(Quia nemo vinum vnquam probauit, quod tepet) inquiunt Teutones.
5. Olfactum, florido odore. Horum symbolum est COSTA.

Proprietates annorum attributæ decennij tempori vsque ad annos centum.

1. Decem anni, pueritia, disciplina, stolidus.
2. Viginti anni, adolescentia, palæstra, gymnastes.
3. Triginta anni, vir, expeditiones, miles.
4. Quadraginta anni, honestus, iudicium, consiliarius.
5. Quinquaginta anni, constans, grauitas, senex crudus.
6. Sexaginta anni, decrescens, quies, senex.
7. Septuaginta anni, considera, futura pigritia, decrepitus.
8. Octoginta anni, qui deridetur, tabes, silicernium.
9. Nonaginta anni, qui ludibrio habetur, delirium, bis puer.
10. Centum anni, quiesce feliciter, sepulcrum, quæ vitam sequuntur.

CAVTIO.

Non existimet hæc legens aliquis, conuitij aut maledicti, aut contumeliæ causâ hoc modo nos recensuisse sequentia. Non enim placet mihi genus illud cauillatorium, quod lædit aliorum famam nobilem (quemadmodum poëticè aliquis posset dicere) quódque bonam existimationem arrodit; & conatur probrum aspergere. Veruntamen quoniam scitum esse putatur, sua vitia, quibus aliquis laborat, non ignorare, & nulla gens, aut ciuilis

Proprietatesq ornandam populorum.

ciuilis congregatio, neque omnino genus mortale reperitur inculpatum penitus, aut incontaminatum, non indignum docto ac bono esse duximus, exemplum hoc proponere inquisitionis, quæ vtiliter in vnamquamque nationem fieri posset, vt perspiciens aliquis ignominiam aliquam gentis suæ, aut lætetur sentiens se eâ carere, aut conetur illam deformitatem tanquam à naturâ sibi attributam exercitationis quasi comtu occultare, & futilitatem contentione virtutis detergere. Ac veteres quidem veluti domestica probra annotauerunt, trium præcipuarum gentium. Thracum barbariei, Phrygum insipientiæ, Græcorum superstitionis: nihilominus tamen & Thraces vt fortes, & tanquam intelligentes Phryges, & sapientes Græci in admiratione fuerunt. Socratem autem Zopyrus ex facie de ipsius naturâ iudicium faciens, & multa atrocia ad præsentes de illo dicens, non commouit, sed veræ indicationis testem esse illi haud piguit inquientem, ea quæ dicta essent, incommoda naturæ quodammodo suæ esse implicita: seipsum verò exercitatione honesti illa emendauisse. In humanâ igitur naturâ, vt dictum est, quod omnino inculpatum sit, non inest. Diuinum enim hoc erat. Et hæc vita aliis noxam ante alios fert. Omniúmque quæ extiterunt, sine crimine & reprehensione nihil est. Is verò optimus, qui bonitate consilij celeriter vincit impetens se quasi germen agnatum mali, ne omnino prauitatis ditioni oppressus subiiciatur. Huc pertinet illud: Itali sapiunt ante factum, Galli in facto, Germani post factum. Item: Gallus in canendo caprisat, Germanus boat, Italus solus cantat. Hæc ita præfatus, nunc liberè proprietates nationum exponam hoc modo.

Regionum quarundam & nationum proprietates.

1 *Germani* bellatores; simplices, benefici.

Ex his autem Francica natio, simplicior, & magis rustica ac vehemens.

Bauarica, sumptuosa, conuiuiis operam dans, procax.

Sueuica, leuis, loquax, gloriosa.

Misnensis, magnifica, locuples, speciosa.

Turingica, diffidens, attenta ad parua quoque, contentiosa.

Saxones, dissimulatores, versuti, contumaces.

Accolæ superioris Rheni, frugi, aperti, hospitales.

Heluetica, coniurata, aspera, armamentaria.

Belgica, equestris, delicata, tenera.

2. *Itali*, superbi, cupidi vindictæ, ingeniosi.

3. *Hispani*, despectores, consulti, rapaces.

4. *Galli*, præditi elegantibus corporibus, intemperantes, temerarij.

5. *Cimbri*, magni, seditiosi, horribiles.

6. *Britanni*, turbulenti, negociatores, laboriosi.

7. *Sarmatæ*, edaces, superbi, furaces.

8. *Boëmi*, inhumani, nouarum rerum studiosi, ad agendas prædas idonei.

9. *Illyrici* siue Vandali, mobiles, maligni, tumultuatores.

10. *Pannones*, asperi victus, cum solo aureo, superstitiosi.

11. *Græca natio*, qualis nunc est, misera, vt semel dicam.

Proprietates animalium quorundam.

Proprietates quorundam animalium.

1. Elephas magnus.
2. Leo magnanimus.
3. Vrsus morosus.
4. Aper immanis.
5. Porcus animam habens pro sale.
6. Canis sagax.
7. Lupus insidiator.
8. Vulpes astuta.
9. Ceruus pulcra habens cornua.
10. Equus superbus.
11. Bos robustus.
12. Lepus formidolosus.
13. Mus se cauernis occultans.
14. Felis leui gressu incedens.
15. Aquila acutè videns.
16. Accipiter velox.
17. Luscinia vocem edens suauem.
18. Assentator perniciosa loqueris.
19. Sycophanta, venenati ictus insanabilis inflictor.

Vnum.

Omnia certè tædium habent, inquit poëta. Sed non illa quæ expetuntur, & quæ placent.

Etiam alter quispiam dixit:

Semper caret fastidio frugalitas.

Et alius, Diuitiarum non est satietas.

Et alia similia liceat apponere, cùm planè cuncta sub Sole eiusmodi sint, vt his tandem aliquis satietur si illis immoretur. Etenim humana cupiditas seipsa satiari, & frugalem esse displicere solet, & diuitiæ graues aliquando fieri consueuerunt. Relinquitur sola dilectio Dei, quæ & sempiterna est, & satietatem habet nullam.

Multiformia.

Arithmologia mythologica

1. Proteus.
2. Mestra Erysichthonis filia.
3. Thetis.
4. Periclymenus.
5. Achelous.
6. Mendacium.

Tricipites.

1. Cerberus.
2. Hydra.
3. Hermæ.
4. Geryon.
5. Hecate.
6. Proserpina.
7. Quæ dicitur Trinacria, & cum trinâ ceruice, insula Sicilia.
8. Tria capita in Bœotiâ, locus ab Atheniensibus appellatus, Quercus capita.
9. Et qui apud Comicum:

Dies die vnoquoque perpotant duos,
Quorum labant trepidantia mero tempora.
Quique capita tria habent, vt Artemisium.
Secundùm quendam alterum Comicum;

Tria variè.

1. Tres musæ priscæ; Melete, Mneme, Aoëde.
2. Tres Gratiæ; Aglaia, Euphrosyne, Thalia,
3. Tres Sibyllæ; Cumæa, Sardiana, Erythræa.
4. Tres Bacides; Bœotius, Atticus, Arcas.
5. Tres Hercules; Ægyptius aut Libycus, Tyrius; ex Græciâ Thebanus vel Argiuus.
6. Tres nati ex ouo; Castor, Pollux, Helena.
7. Tres Harpyiæ; Ocypete, Aëllo, Celæno.
8. Tres horæ; Eunomiæ, Dice, Irene.
9. Tres Parcæ; Clotho, Lachesis, Atropos.
10. Tres Furiæ; Tisiphone, Alecto, Megæra.
11. Tres Gorgones; Stheno, Euryale, Medusa.
12. Tres Hesperides; Hespera, Erytheis, Ægle.
13. Tres Sirenes; Thelxiope, Molpe, Aglaophona; vel vt alij, Leucosia, Ligia, Parthenope.
14. Tres Saturni filij; Iupiter, Neptunus, Pluto.
15. Tres mariti Helenæ; Theseus, Menelaus, Alexander.
16. Tres Cadmi filiæ peremtrices natorum; Ino, Autonoë, Agaue.
17. Tres Saturni filiæ; Vesta, Ceres, Iuno.
18. Tres musæ, quæ liberos pepererunt; Calliope mater Orphei, Terpsichore Rhesi, & Sirenum, Clio Lini
19. Tres famosi matrum interfectores; Alcmæon, Orestes, Nero.
20. Charybdis in dies ter aquas emittit, térque resorbet.
21. Triplices pennati; Dædalus cum filio Icaro, Perseus: Boreadæ, Zethus & Calais.
22. Tres Bacchi sectatores; Silenus, Pan, Satyri.
23. Tres deæ subierunt iudicium Paridis de pulcritudine; Iuno, Pallas, Venus.
24. Ter excisa Troja; ab Hercule, ab Agamemnone, ab Amazonibus.
25. Tres fluuij inferorum; Acheron, Cocythus, Pyriphlegethon.
26. Trifidum telum Herculis; Tridens est Neptuni.
27. A tribus Patroclus interfectus est; à fato, Apolline & Hectore.
28. Tria fata Ilij; furtum Palladij, mors Troili, ruptura liminis superioris in Scæâ portâ.
29. Nestor tres vixit ætates.
30. Tria gestamina Hecates; flagellum, fax, ensis.
31. Chimæra tres habet formas, secundùm Homerum: Fronte leo, extremum serpens, mediúmque capella.
32. In triplices figuras animalium mutauit Circe eos quos incantauerat; in lupos, leones, sues.
33. Tres oculos habuit statua Hercæi Iouis.
34. In Harpyis forma triplex; aures vrsorum, corpora vulturum, ora virginum.
35. Triplex forma est Tritonis: vir vsque ad vmbilicum, pedes habens equi, medius delphinus.
36. Dentes Scyllæ cum triplici ordine.
37. Tricubitale Palladium.
38. Triplex est Sphingis forma; facies virginis, venter leonis, pedes auium.
39. Tres à tribus animalibus nutritos esse fabulantur; Telephum

Iephum Myſum à ceruo, Paridem filium Priami ab vrſo, Cyrum Perſam a cane.

40. Diſtinctio totius mundi in tribus; Cœlo, mari, terrâ; aut in cœleſtibus, in iis quæ infra cœleſtia ſunt, in terrenis. Rurſum cœleſtis diſtinctio in tribus; In primâ conuerſione, in globo inerrante, in globo ſtellarum errantium.

41. Triueſper Hercules.

42. Trieterica Orgia Bacchi.

43. Triplex forma Scyllæ; canis, piſcis, virginis.

44. Tres chori Laconici; puerorum, virorum, ſenum.

45. Tres celebres ſtulti apud veteres; Melitides, Corybus aut Morychus, Margites.

46. Ter venit Plato in Siciliam.

47. Tres partes terræ; Aſia, Europa, Africa.

48. Trium cubitorum pygmæi.

49. Triplex anima; naturalis, vitalis, rationalis.

50. Tres partes diei ſecundùm Homerum; aurora, meridies, veſper.

51. Tria tempora apparentis Solis; ortus, meridies, occaſus.

52. Tres laudabiles motus Stoicorum; gaudium, cautio, conſilium.

53. Tres partes philoſophiæ ſecundùm eoſdem Stoicos; logica, moralis, naturalis.

54. Tres facultates animales ſecundùm Platonem; mens, animoſitas, cupiditas.

55. Tres harmoniæ ſiue genera tria melodiæ; Diatonicum, Chromaticum, & quod de ipsâ harmoniâ vocatur Harmonicum.

56. Tres ſectæ medicorum; logica, methodica, empirica.

57. Tria genera medicinæ; prophylacticum, quod proſpicit; therapeuticum, quod curat; analepticum, quod inſtaurat.

58. Tria rurſum genera Therapeutici; Diæteticum victus; Pharmaceuticum medicationis; Chirurgicum, cùm manus adhibendæ ſunt.

59. Tria in corporibus viuentium; ſanguis, bilis, phlegma.

60. Tripertitus annus, vt veteres diuidebant; in ver, æſtatem, hyemem.

61. Tres præcipuæ differentiæ naturarum; beſtia, homo, Deus. Et ſimiliter tres facultates naturales; nutritio, ſenſus, ratio.

62. Tres ætates præcipuæ; pubertas, iuuenta, ſenecta.

63. Tres interitus hominum fatales; fames, peſtis, bellum.

64. Tria principia phyſices ſecundùm Ariſtotelem; materia, forma, priuatio.

65. Tria prima initia Geometricæ diſciplinæ; punctus, linea, ſuperficies.

66. Triquetrum, principium figurarum.

67. Tricolor eſt Iris.

68. Triplex ſpatium corporis; longitudinis, latitudinis, profunditatis.

69. Tria genera animalium; in aëre, in terrâ, in aquis.

70. Tres formæ terrarum, inſula, peninſula, continens.

71. Ter arata terra optima.

72. Tres vſus voluptatis; edere, bibere, vti Venere.

73. Tres ſuauiſſimè agunt in terrâ ſecundùm Menandrum; aſſentator, ſycophanta, improbus & prauis moribus.

74. Tria α optima; ἀλήθεια, ἀγάπη, ἀρετή; id eſt, veritas, charitas, virtus.

75. Tria β præſtantiſſima; βουλὴ ξυνετὴ, βασίλεια ἔννομος, βαλάντιον πλῆρες ἀεὶ χρημάτων; id eſt, conſilium prudens, regnum legitimum, marſupium ſemper refertum nummis.

76. Tria ε bona; ἐλεήμων, εὐλόγιμος, εὐσεβής; id eſt, miſericors, eloquens, religioſus.

77. Tria κ peſſima; κράκτης, κλέπτης, κόλαξ; id eſt, clamator, fur, aſſentator. Aliter ita: Tria κ peſſima. Cretenſis, Cilix, Cappadox.

78. Tria χ peſſima; χειμὼν ναύταις, χρήματα ἀσώτοις, χρέως πένησι; id eſt, hyems nautis, opes prodigis, debitum pauperibus.

79. Tria ſapientiæ opera ſecundùm Democritum; bonum conſilium, rectum, iudicium, iuſta actio.

80. Tria genera ciuitatum; regium, optimate, populare.

81. Tres artes Logicæ; Grammatica, Dialectica, Rhetorica.

82. Tria indicia bonæ indolis ſecundùm Socratem; acre ingenium, ſtudium diſcendi, memoria.

83. Tria præclara paria amicorum; Hercules & Theſeus, Theſeus & Pirithous, Achilles & Patroclus: his annumerati fuerunt Damon & Pythias Pythagorei.

84. Tria genera orationum rhetoricarum; deliberatiuum, iudiciale, demonſtratiuum.

85. Tres formæ orationum; grandis, media, humilis.

86. Tria genera Rhetorum; Rhodium, Aſiaticum, Athenienſe.

87. Trimeſtria anni tempora.

88. Tres ſpecies vocis; acuta, grauis, media, quæ & circumflexa vocatur.

89. Tria perfecta interualla in muſicâ; Diateſſaron, Diapente, Diapaſon.

90. Triplices in citharâ chordæ; ſumma, media, ima.

91. Tres partes menſis; Calendæ, Nonæ, Idus.

92. Tres in conuiuio crateres; quorum tertius Iouis ſeruatoris.

93. Tres crateres in conuiuio, quemadmodum Eubulus introduxit Bacchum ſic loquentem:

> Tres tantùm ego ſanis crateras miſceo,
> Vnum valetudinis, & hunc primum ebibunt.
> Secundum amoris: At ſoporis tertium.
> Quo qui ſapere ſolent, eunt hauſto domum.
> Nam quartus haud eſt ampliùs crater meus,
> Sed contumeliæ. Velut huic proximus,
> Clamoris. Hunc ſequitur commeſſandi furor.
> Ita ſeptimus habet vulnera, octauus forum,
> Nonúſque ſtomachum. At decimus eſt inſaniæ:
> Qui iam pedibus inſiſtere haud ſinit.
> Nam plurimum vini inditum in vas paruulum.
> Sternit ſine omni quem replet negotio.

94. Tria genera picturæ; Ionicum, Aſiaticum, Atticum.

95. Tres menſurarum notæ; initium, medium, finis.

96. Tria in omnibus negotiis & artibus; primus conatus, incrementum, perfectio.

97. Tria genera vitæ humanæ; voluptatis, actionum, cognitionis.

98. Tres differentiæ temporum; præſentis, præteriti, futuri.

99. Tres partes fabularum; protaſis, epitaſis, cataſtrophe.

100. Ex tribus ſolidum ſacrificium; ſue, hirco, ariete.

101. Tres partes tribuum Atticarum; Trittys, natio, phratria.

102. Tres ordines olim apud Athenienſes; patriciorum, agricolarum, artificum.

103. Tres vocantur Tritopatores; Hamalcides, Protocles, Protocleon: aut, Cottus, Briareus, Gyges.

104. Trietetides in Bithyniâ feriarum dies.

105. Tripodes Cortinæ Delphicæ.

106. Tres in choris figuræ; ſtrophe, antiſtrophe, epodos.

107. Tria genera columnarum; Doricum, Ionicum, Corinthiacum.

108. Tres Cyclopes fabricantes fulmen; Brontes, Steropes, Arges vel Pyracmon.

109. Triſona Gallorum vox.

110. Tres in aleâ teſſeræ.

111. Tres oculos habuit ductor Bœotorum, ſecundùm oraculum, Oxylus.

112. Tria Dialectica inprimis profitetur; diuidere, colligere ſeu definire, argumentari.

113. Tres ſyllogiſmorum partes; ſumptio, aſſumptio, concluſio.

114. Tres modi ſcientiæ; ſecundùm diuiſionem, ad quem refertur & modus definiendi; ſecundùm compoſitionem; ſecundùm reſolutionem.

115. Triclinia domus conuiuiorum.

116. Tres ſuperſtites in pugnâ Othryadæ relicti; Alcenor, Chronicus, Othriades.

117. Tria genera ciuium ſecundùm Euripidis Theſeum:

> ——— Quidam beati opulentiâ
> Inutiles, qui pluribus ſemper inhiant.
> Alij inopes, victus quibus non ſuppetit,
> Formidoloſi ſunt, quòd inuidi aculeos
> In eos, quibus res eſt malæ linguæ, exerunt.
> Quos Principum ſectatur improborum amor.
> Sed partium media ſalutaris trium eſt,
> Locumque in ciuitate ſibi datum, tenet.

118. Tria genera hominum ſecundùm Heſiodum: perquam commodum, prouidum; ſatis commodum, obediens; incommodum, à diſciplinâ alienum.

119. Tria ſunt in animâ ſecundùm Ariſtotelem; vis, affectio, habitus.

120. Tres diſpoſitiones animæ; inſcitia, opinio, ſcientia.

Vnum.

1. Vnus Deus.
2. Vnus Chriſtus.
3. Vna fides.
4. Vnum Baptiſma.
5. Vna gloriæ confeſſio.
6. Vna Eccleſia Chriſti, catholica, & apoſtolica, & rectè ſentiens.
7. Vna via ad vitam, CHRISTVS.

Vnum tria, aut tria in quibus vnum.

Vnum ſolum omnium rerum quæ ſunt, & ſuper omnia quæ ſunt, in vnitate tria, & in trinitate vnum. Natura æterna,

omnipotens, iustissima, verax, liberrima, immortalis, potentissima, sancta, misericors, benigna.

Vnus Deus; Pater, Filius, & Spiritus sanctus.

Vna vsia, tres autem hypostases, siue proprietates, siue personæ; Pater, Principium non genitum; Filius à patre genitus, Dei verbum; Spiritus sanctus à Deo procedens, Consolator: cui vni, increato, æterno, indistracto Deo gloria, honor, & victoria, & potentia & regnum sine fine, Amen.

EX ISOCRATE.

Argumenta bonorum Magistratuum.

Arithmologia ethica Isocratis.

1. Rempublicam curare eâdem diligentiâ, quâ priuatam.
2. Publicâ pecuniâ sanctissimè abstinere.
3. Felicitatem non argento, sed præclaris actionibus, & clarâ famâ metiri.
4. Non inter se certare improbitate & audaciâ, sed emori potiùs malle, quàm à ciuibus malè audire.
5. Magis erubescere propter delicta publica, quàm priuata.
6. Non tam leges forenses curare, quàm publica instituta, & disciplinam ciuitatis.
7. Certare inter se, qui optimè de rep. mereri possit.
8. Coire societates non priuati compendij gratiâ, sed propter vtilitatem ciuium.
9. Subditos honestè tractare, & liberaliter pro auctoritate Imperij, non tyrannicâ crudelitate.
10. Malle seruatores, quàm pestes nominari.
11. Beneficentiâ ciuitates allicere, non vi euertere.
12. Non pacta & conuenta tantùm, sed etiam simpliciter promissa æquè religiosè seruare, ac si iusiurandum dedissent, aut cogerentur.
13. Vitæ modestiâ magis, quàm potentiâ gloriari.
14. Sic tractare inferiores, vt ipsi à superioribus tractari se vellent.
15. Non suæ vrbi duntaxat prospicere, sed vniuersam regionem patriâ charitate complecti.

Sex genera hominum à gubernaculis ciuitatum repellenda sunt.

1. Quibus nemo priuatim quicquam credere audeat.
2. Qui corpora sua probris & morbis contaminarunt.
3. Qui patrimonia in turpes voluptates profuderunt.
4. Auræ popularis captatores & assentatores.
5. Qui ærarium depopulantur.
6. Qui populo inuidiam conflant & odium.

Argumenta boni ciuis.

1. Eundem statum, quem cæteri, desiderare.
2. Ab iis affligi, à quibus populus affligitur.
3. Vnà cum ciuitate calamitosum esse.
4. Amicos & inimicos eosdem habere.
5. Variis periculis appeti, partim à ciuibus, partim cum ciuibus, partim propter ciues, partim pro ciuibus.

Perniciosi ciuis propria.

1. Deprauare leges.
2. Corrumpere iudicia.
3. Obturbare magistratus.
4. Omnium malorum esse autorem.

Quinque sunt, ex quibus sæpissimè verum auditur.

1. Pueritia.
2. Somnus.
3. Imprudentia.
4. Vinolentia.
5. Infamia.

Quatuor rebus hominum miseriæ ponderantur.

1. Morte.
2. Dolore corporis.
3. Luctu animi.
4. Offensione iudicij.

Tres res tanquam optimæ ab hominibus vulgari cantilenâ celebrantur.

1. Bene valere.
2. Formosum esse.
3. Habere diuitias nullâ fraude quæsitas.

Tria in re familiari maximè expedire Cato dicebat.

1. Bene pascere.
2. Satis bene pascere.
3. Bene vestire.

Tria genera amicitiæ, iuxta Hippodamum Pythagoréum.

Vnum philosophi, ex scientiâ deorum.
Alterum hominis, ex hominum suppeditatione.
Tertium animalis, ex voluptate animantium.



SECTIO XIII.

In quâ delineatur PAROEMIOGRAPHIA.

PRÆCEPTA.

PAROEMIOGRAPHIA est disciplina composita, de ratione scribendi & vsurpandi prouerbia. *Dicitur etiam* Adagiologia.

Prouerbium, seu παροιμία, est celebre dictum, scitâ quâpiam nouitate atque obscuritate insigne.

Eius consideratio est generalis & specialis. Itaque parœmiographia eodem modo diuiditur.

Parœmiographia generalis explicat prouerbiorum adiuncta, cognata, vsum, & differentias generales: seu, naturam, & vsum.

Adiuncta prouerbiorum sunt celebritas, nouitas, obscuritas, dignitas, & vtilitas.

Cognata sunt gnomæ, αἶνοι seu apologi, scommata siue salsè dicta, denique quidquid allegoriam, aut aliam quampiam figuram prouerbialem præ se fert.

Vsus prouerbiorum est in delectu, & variâ accommodatione.

Differentiæ generales sunt, quòd prouerbia sunt hyperbolica vel non, nota in vulgus vel doctis vsitata, sacra vel profana.

Parœmiographia specialis edisserit differentias prouerbiorum secundùm linguas & disciplinas. Ibi sunt prouerbia Hebraica, Chaldaica, Syriaca, Græca, Latina, &c. hîc sunt prouerbia pluribus, vel etiam omnibus, disciplinis communia, aut singularum propria: vnde sunt prouerbia philologica, philosophica, theologica, iuridica, medica, mechanica; sub quibus continentur prouerbia physica, ethica, politica, &c. Sic v. g. est prouerbium theologicum, *Homo homini Deus:* geographicum, *Noctuas Athenas:* nauticum, *Contrahere vela*, *Plenis velis remisque*, &c. Sæpè autem numero venit vsu, vt vnum idémque prouerbium ad plures disciplinas commodè possit referri.

REGVLÆ.

I. *Prouerbium ab aliis aliter definitur.*

Prouerbiũ quid

Donato est sententia rebus temporibúsque accommodata. *Diomedi* est sententia, cùm aliud significatur, quàm dicitur. A nonnullis describitur hoc pacto: παροιμία ἐστὶ λόγος ὠφέλιμος, ἐν τῷ βίῳ, ἐπικρύψει μετρίᾳ πολὺ τὸ χρήσιμον ἔχων ἐν ἑαυτῇ, id est, Prouerbium est sermo ad vitæ rationem conducibilis, moderatâ quâdam obscuritate multam in sese continens vtilitatem. Ab aliis finitur hoc modo: παροιμία ἐστὶ λόγος ἐπικαλύπτων τὸ σαφὲς ἀσαφείᾳ, id est, Prouerbium est sermo, rem manifestam obscuritate tegens. Optimus parœmiographus, *Erasmus*, in limine Chiliadum ita definit: Parœmia est celebre dictum, scitâ quâpiam nouitate insigne. Cui definitioni, si addatur vnica vocula videl. *& obscuritate*, proculdubio est omnibus numeris absoluta.

[Pro]uer-[bio]rum [ad]uncta.

II. *Prouerbium debet esse celebre, nouum, subobscurum, dignum, & vtile.*

Itaque primò ad rationem prouerbij pertinent duo, πολυθρυλλημένον καὶ καινότης, id est, vti celebratum sit vulgóque iactatum, & nouum. Nam hinc etiam *parœmia* Græcis vocabulum, ab οἶμος, τὸ ὁδός, ὥσπερ παροδικόν, quòd passim per ora hominum obambulet: & *adagij* Latinis, quasi dicas circumagium, authore Varrone. Sed oportet vt non solùm sit tritum prouerbium, sed etiam scitum: vt aliquà ceu notà discernatur à sermone communi. Neque enim protinus, quod populari sermone tritum sit, aut figurâ nouatum, in hunc catalogum adlegimus: sed quod antiquitate pariter & eruditione commendetur. Id enim scitum appellamus. Porrò *celebritas* contingit vel ex oraculis iisque vel verè diuinis, vel diabolicis, vel à sapientum dictis, vel è poëtâ quopiam maximè vetusto, vel è scenâ, id est, tragicorum & comicorum fabulis, vel ex apologis, vel ex euentu, vel ex historiâ, vel ex apophthegmatis, vel ex temerè dictis, vel ex moribus gentis aut hominis, vel denique ex rei vi quàpiam insigni ac vulgo notâ. *Nouitas* accedit prouerbiis vel ex ipsâ re, vel ex figurâ, quam prouerbium recipit: vti est metaphora, allegoria, hyperbole, ænigma, allusio, dialectus, ambiguitas, antiquitas, ἐναντίωσις seu ὀξύμωρον. & τὸ γέλοιον, id est, ridiculum. Vnde Erasmus has figuras appellat παροιμιώδεις, id est, prouerbiales: non quòd omnis metaphora, allegoria, &c. sit prouerbium, sed quòd frequentes sint metaphoræ, allegoriæ, &c. prouerbiales. *Dignitas* prouerbiorum inde vel maximè elucet, quòd primi nominis authores non indigna duxerint, de quibus diligenter voluminibus aliquot conscriberent. In iis facilè primas tenent Aristoteles, Chrysippus, Cleanthes, Plutarchus, Clearchus Solensis, Aristides, Zenodotus, Theophrastus, Milo, Dæmon, Diogenianus, Hesychius, Theætetus, Suidas. His adde recentiores parœmiographos, Polydorum Virgilium, Adrianum Iunium, Iohan. Alexandrum Brassicanum, Iohannem Vlpium, Gilbertum Cognatum, Cælium Rhodiginum, Petrum Godofredum, Carolum Bouillum, Adrianum Turnebum, & πολλῶν ἀντάξιον ἄλλων Erasmum Roterodamum. Sed quid ego hos, cùm sapientes illi Hebræi, Salomon, & alij, non dubitarint hoc titulo librum sacrum edere? Nec illud argumentum leue, quòd inter bonos authores, vt quisque fuit eruditissimus eloquentissimúsque, ita quàm plurimum adagiorum suis libris adspersit. Et, vt à Græcis exordiar, quid Platone παροιμιωδέστερον? Illum imitatus est Aristoteles, hunc Theophrastus, Plutarchus, & alij. Apud Latinos poëtæ, grammatici, & philosophi prouerbia crebrò vsurpant? Quid? Romani principes non existimauerunt inferius esse maiestate imperiali, vt magnis de rebus consulti, prouerbio responderent. quod etiam nunc extat in Digestis, οὔτε πάντα, οὔτε πάντῃ, οὔτε παρὰ πάντων, id est, Nec omnia, nec passim, nec ab omnibus. Denique quis ausit hoc genus fastidire: cùm videat sacrorum vatum oracula quædam prouerbiis constare. Quorum de numero est illud: Patres nostri comederunt vuam acerbam, & dentes nostri obstupuerunt. *Ezech.* 18. Adde prouerbia Simsonis *Iud.* 14. *v.* 18 & Christi, subinde citantis prouerbia. Confer etiam *Gen.* 10. 9. *Num.* 21. 27. 1. *Sam.* 10. 12. *c.* 19. 14 *c.* 24. 19. 2. *Sam* 5. 8. *cap.* 20. 18. *Ezech.* 12. *v.* 22. 23. *c.* 16. 44. *c.* 24. 3. 2. *Petr.* 2. *v. vlt.* Quòd si quem mouet antiquitatis authoritas, nullum doctrinæ genus antiquius fuisse videtur, quàm parœmiarum. In his ceu symbolis tota fermè priscorum philosophia continebatur. Quid aliud veterum illorum sapientum oracula, quàm prouerbia? Quibus tantum honoris habitum est olim, vt non ab homine profecta, sed cœlitùs delapsa viderentur. E cœlo, inquit Iuuenalis, descendit γνῶθι σεαυτόν. Proinde pro foribus templorum, veluti digna diis, inscribebantur: passímque columnis ac marmoribus insculpta visebantur, tanquam immortali digna memoriâ. Quòd si minutula quæpiam res videtur adagium, meminerimus ista non mole, sed pretio æstimare oportere. Quis enim sanus non pluris faciat gemmulas, quamuis perpusillas, quàm saxa quædam ingentia? Sed reliquum est, vt paucis ostendamus, *non minus vtilitatis inesse prouerbiis*, quàm olim adfuerit dignitatis. Conducit autem parœmiarum cognitio, cùm ad alia permulta, tum potissimùm ad quatuor: ad philosophiam, ad persuadendum, ad decus & gratiam orationis, ad intelligendos optimos quosque authores. Et primò quidem Aristoteles apud Synesium existimat, nihil aliud esse parœmias, quàm reliquias priscæ illius philosophiæ, maximis rerum humanarum cladibus extinctæ: easque seruatas esse, partim ob compendium, breuitatémque, partim ob festiuitatem ac lepôrem. ideóque non segniter ac oscitanter, sed penitiùs ac pressiùs inspiciendas: subesse enim velut igniculos quosdam vetustæ sapientiæ, quæ in peruestigandâ veritate multò fuerit perspicacior, quàm posteriores philosophi fuerint. Quòd si cui satis non sit ipsum sapere, verùm etiam aliis persuadere cupiat, prouerbiorum supellex hanc ad rem est longè vtilissima. Etenim si τὸ πιθανὸν, id est, probabilitas, ad persuadendum vel primas obtinet partes, quid, quæso, probabilius, quàm quod nemo non dicit. Quid verisimilius, quam id quod tot ætatum, tot nationum consensus, & velut idem suffragium comprobauit? Inest mirum, inest in parœmiis natiua quædam & genuina vis, veritatis: quæ effecit, vt eadem plerúmque sententia in centum dimanauerit populos, in centum sit transfusa linguis, & tot seculis fuerit conseruata. Porrò quantum vel dignitatis, vel Veneris, vel maiestatis, adiungat orationi tempestiuus prouerbiorum vsus, non arbitror pluribus explicandum. Res ipsa loquitur, si scitè & in loco intertexantur adagia, sermonem totum, & antiquitatis stellulis quibusdam lucere, & figurarum arridere coloribus, & sententiarum nitere gemmulis, & festiuitatis blandiri cupediis: denique nouitate excitare, breuitate delectare, authoritate persuadere. Iam, vt non alius parœmiarum vsus, certè ad intelligendos optimos quosque, hoc est, vetustissimos, authores, non vtiles modò sunt, verùm etiam necessariæ.

III. *Parœmia probè distinguenda est ab iis, quæ sunt illi confinia.*

Prouerbia quomodo à cognatis discernenda?

Prouerbiis affinia sunt ista: gnomæ, apologi, apophthegmata, scommata, denique quidquid allegoriam aut aliam quampiam figuram prouerbialem præ se fert. Ea tametsi difficile non sit ab adagiorum genere secernere, si quis ad finitionem, tanquam ad gnomonem & regulam, vnumquódque norit applicare: tamen aliquid est adferendum, quod imperitioribus faciat satis. Gnoma itaque potest esse sine prouerbio, & vicissim: quia in gnomâ spectatur τὸ γνωμικὸν, id est, arguta breuitas, pariens scientiam; in parœmiâ τὸ τροπικὸν, id est, scita obscuritas. Deinde, apologus est fabula: parœmia, similis τῷ ἐπιμυθίῳ, seu affabulationi. Apophthegmata non alio discrimine dissident à parœmiis, quàm gnomæ. De scommate idem est iudicium. Itaque non rarò fit, vt sententia parœmiam complectatur, & vicissim: at non statim quod sententia fuerit, idem erit parœmia, neque contrà. Idem de apophthegmate & scommate iudicium. De figuris prouerbialibus vide paulò antè ad *regul.* 2.

IV. *In vsu prouerbiorum duo sunt obseruanda: quatenus, & quibus modis oporteat illis vti.*

Modus vtēdi prouerbiis.

Ad primum quod attinet, meminisse oportet, vt quod eleganter *Aristoteles in Rhetoricis* admonuit de adhibendis epithetis, id nos in vsurpandis adagiis obseruemus: nempe, vt illis vtamur non tanquam cibis, sed veluti condimentis: id est, non ad satietatem, sed ad gratiam. Præterea ne quouis inseramus loco. Quemadmodum enim ridiculum fit, si quibusdam locis gemmam alligaris: ita absurdum, si non suo loco adhibueris adagium. Gratiam enim amittit, quidquid aut immodicum est, aut intempestiuum. Deinde parœmiarum vsus multis modis variari potest, vt possis idem adagium aliâ atque aliâ formâ producere. Principiò nihil vetat, quò minùs interdum idem adagium ad complures sensus accommodetur: vt illud, *Pertusum dolium*, vel ad obliuionem, vel ad profusum, vel ad auarum, vel ad futilem, vel ad ingratum traduci potest. Nonnunquam per ironiam ad contrarias etiam sententias deflectitur: vt, *Audi à tripode dicta.* Fit etiam, vt vnius voculæ commutatione diuersis conueniat: vt, pro ἐχθρῶν δῶρα ἄδωρα, potes dicere πενήτων, κολάκων, ποιητῶν. Itaque idem adagium ad hostes, ad pauperes, ad assentatores, ad poëtas deflectitur. Variatur & interdum inuersione: vt, *Ne Hercules quidem contra duos*, ita mutatur, *Tu vnus contra duos Hercules.* Aliquoties etiam mutilum proponitur: vt, *Falces postulabam.* Sunt & aliæ variandi rationes, de quibus *Erasmus in Copiâ.*

V. *Triplex est ratio colligendi prouerbia.*

Tres modi colligēdi prouerbia.

Primò digeruntur prouerbia iuxta seriem alphabeti. Deinde certi loci communes constituuntur, ordine alphabetico, & iis subiiciuntur prouerbia: vt in Chiliadibus Erasmi. Denique prouerbia distinguuntur methodo Encyclopædiæ, vt alia sint philologica, philosophica, theologica, &c. Qui sanè modus est omnium optimus.

ADAGIOLOGIA IOHANNIS GEYSII.

CAP. I. *Vtilitas Adagiologiæ.*

1. ADagiologia est doctrina de prouerbiis. Hæc doctrina multas & magnas habet vtilitates.

2. Primò prodest ad Ethicam, cuius documentis præsidio & ornamento sunt prouerbia. Deinde prodest ad historicam sacram. Nam prouerbia ex historiis sacrarum literarum sunt sumpta. Præterea ad philologiam facit, nempe vt ibi prouerbia sint materia exercitationis ingenij in tribus artibus, quæ dicendi dicuntur, & in tribus linguis, Latinâ, Græcâ, & Hebræâ.

Prodest etiam ad physicam, ne verè physica cum prouerbialiter physicis misceantur & confundantur. Item ad mythologiam multùm facit hæc doctrina. Sunt enim cognatæ hæ disciplinæ, & ex eisdem fontibus oriundæ, vt vnius notitia alterius notitiam in multis adiuuet. Denique ad lectionem priscorum autorum & recentiorum παροιμιογράφων adagiologia ἐπιβάλλον μέρος confert. Vtrobique occurrunt παροιμίαι & παροιμιώδη hactenus non satis explicata & explanata, quæ adagiologia meliùs explicet atque explanet.

3. Ob hasce & alias similes vtilitates adagiologiæ studium nobis debet esse commendatum, cuius μέθοδον & rudem quampiam adumbrationem beneuolo lectori subiicere conor.

Cap. II. *Definitio prouerbij.*

1. Adagiologia est generalis & specialis. Generalis est totalis & particularis. Totalis tractat definitionem prouerbij, rei & nominis. Rei definitio ita habet.

2. Prouerbium est sententia vulgò vsitata, antiquorum ethnicorum scriptis ad nostra vsque tempora celebris, ex sacrarum literarum historiis sumpta, sensum eximium ethicum duplici synecdoche figurans.

3. Hæc definitio ostendit, quid rei sit prouerbium, idque ab omnibus aliis insignioribus sententiis, quales sunt ἀποφθέγματα, parabolæ, γνῶμαι, χρεῖαι, ænigmata, discernit.

4. Genus in definitione est sententia. Prouerbium enim non est prolixa oratio, sed sententia, eâque paucis verbis comprehensa. Hæc sententia non est priuati alicuius hominis, sed in totum vulgus vsitata & πολυθρύλλητος. Hæc eadem sententia est ex antiquorum ethnicorum scriptorum libris desumpta, siquidem de talibus nobis hoc in loco sermo, non de illis quæ Salomonis dicuntur, aut similibus.

5. Porrò prouerbialis sententia fundamentum suum ac originem primam habet in historiis sacrarum literarum. Hoc παράδοξον postea probabitur.

6. Nullum verò prouerbium est, quod non sit memorabile dictum ethicum, hoc est, continens præclaram aliquam admonitionem de virtute, virtutisque præmiis.

7. Vltimò duæ semper synecdoche in omni prouerbio reperiuntur, vna generis pro specie, altera huic contraria speciei pro genere. Atque hæc in definitionem prouerbij dicta, particulari adagiologiâ meliùs paulò post exponentur.

8. Iam facile est prouerbium à cæteris insignioribus sententiis discernere. Prouerbia sunt vulgi dicta, apopthegmata magnatum. Prouerbia ex loco singularium sumuntur, parabolæ ex loco similium. Γνῶμαι & χρεῖαι Ethicæ sunt sententiæ & ex naturæ lumine scaturiunt, prouerbia ex historiis sacris manant. In prouerbiis valet duplex synecdoche, in ænigmatibus ἀσαφεστέρων schematismus.

Cap. III. *Vox prouerbij.*

1. Definitionem rei sequitur definitio nominis. Vox prouerbium est figuræ compositæ à *pro* & *verbum*. Ratio nominis est, quia in prouerbio paucis verbis aliud pro alio dicitur.

2. Dicitur etiam adagium, non ab *adigendo*, vt Varroni placet, sed per literarum metaplasmum in vocum originationibus vsitatissimam rem ab Hebræo חידה, id est, acutè dictum. Sanè quòd prisci illi sapientes historias sacras & earum sensum ethicum in tam paruæ sententiæ corpusculo abdere sciuerunt, non leue ingenij atque intelligentiæ ipsorum acumen arguit.

3. Vt verò Germani vocant **ein sprichwort** / quia prouerbium est elegans dictum multorum verbis frequentatum: sic Græci παροιμίαν appellant à παρὰ collatiuo & אמר, hoc est, dixit, per literarum metaplasmum. Ratio compositionis est, vt in superioribus. Nam ne ab οἶμος deducam, aliena significatio vocis facit.

4. Iidem Græci prouerbium etiam vocant λόγον θετικόν. Originem appellationis alij aliter quærunt. Mihi ita videtur. Vox θετικὸς est per μετάθεσιν à posteriore syllabâ vocis Nimrod, abiectâ priore syllabâ. Quia enim prouerbium primum in sacris literis, ex quarum scilicet historiâ omnia prouerbia sunt desumpta, de Nimrodo loquitur, non debet esse mirum, si ab hoc principio omnia prouerbia λόγοι θετικοὶ seu Nimrodici appellentur. Ἀφαιρέσεως autem istius syllabicæ exempla satis multa passim in linguis extant, vt μανθάνω Græcum est ab Hebræo למד abiectâ primâ syllabâ, sic Græcum ἅλς à Græco θάλασσα, Latinum muria ab ἁλμυρὸς ἁλμυρίδα in accusatiuo casu, &c.

5. Hebræi prouerbia vocant משלים à radice quæ significat similitudinem & dominium. In prouerbiis vtrumque valet: similitudo propter dictarum intellectarum rerum conuenientiam, & dominium, quia inter figuratè dicta principem locum tenent.

Cap. IV. *Adagiologia particularis rerum dictarum.*

1. Sequitur particularis adagiologia, quæ artem & τεχνολογίαν explicandorum prouerbiorum docet. Hîc aliquid de meo instituto, meáque explicandorum prouerbiorum ratione dicere habeo.

2. Libenter autem in hoc doctrinæ genere palmam tribuo omnium παροιμιογράφων coryphæo atque principi Erasmo Roterodamo, cuius eruditionem, diligentiam, & eloquentiam in chiliadibus radiantem satis mirari, satisque verbis prædicare nequeo, & fateor præclarè omnia, meo quidem iudicio, tractata: sed tamen hoc ita fateor, vt præ me feram ea, quæ Erasmus autoritate veterum nixus tradit, mythologicásque, quibus vti solet, prouerbiorum explicationes, simul ex veris historiis valde concinnè deduci ac enarrari, adeóque certâ methodo & rationibus quoque declarari atque confirmari posse. Cuius meæ assertionis testem habeo inductionem, omnium bonarum disciplinarum matrem.

3. Adagiologia particularis edisserit præcipuas partes definitionis prouerbij suprà positæ: éstque, tum de rebus prouerbij, tum de vocibus prouerbij, quibus enuntiatur.

4. Res prouerbij sunt dictæ & intellectæ, seu in explicationibus prouerbiorum attendendum est ad ῥητὸν & ad διάνοιαν.

5. Τὸ ῥητὸν prouerbij est res illa, quam voces prouerbij significant. Diligenter autem in prouerbiis τὸ ῥητὸν est perpendendum, quia hinc omnis sequens interpretatio dependet. Multum etiam prodest videre, ad quam disciplinam τὸ ῥητὸν pertineat, metaphysicam, mathematicam, pneumaticam, philologicam, ethicam, personologiam, Theologiam de Deo & creaturis Dei, adeóque angelis, physicam de omnis generis corporibus naturalibus, de homine præcipuè, & statibus hominum, historicam, mythologicam. Notandum præterea est, purúmne sit prouerbium & vnius disciplinæ, an impurum seu ad plures & diuersas disciplinas pertinens.

6. Hisce enim probè ita consideratis, fluet ἡ διάνοια, & ad verum sensum prouerbij tantò feliciùs perueniri potest. Exempli gratiâ, *In Trophonij antro vaticinari*, est prouerbium. Hoc prouerbium habemus ex Græcorum scriptis, quibus fuit πολυθρύλλητον & in vulgus vsitatum olim, hodie quoque in nostrorum doctorum scriptis haud insolens. Originem traxit ex historiâ Saulis regis Israëlitici, & notat animi affecti homines, iracundos, timidos, inuidos. Synecdoche generis est, quod vaticinans in antro Trophonius intelligitur Saul, iratus Dauidi, ab eo sibi timens, eidem inuidens. Synecdoche speciei est, homines malos irasci temerè, agitari spiritu timiditatis, inuidere amicis, vicinis, collegis. Τὸ ῥητὸν huius prouerbij est vaticinari, antrum, Trophonius. Vaticinari est terminus philologicus, antrum est terminus physicus & geographicus, Trophonius est terminus historicus, seu potius mythologicus. Prouerbium ergo hoc non est purum sed impurum, quippe trium disciplinarum terminis constans. Confirmatio, quòd hoc prouerbium ad Saulis historiam pertineat, ex τῷ ῥητῷ inter se & cum sensu collato ita est. Prouerbia ex historia sacrarum literarum sunt sumpta, vt hactenus est aliquoties indicatum & capite sequente demonstrabitur. Quatuor autem argumenta sunt in hoc prouerbio, ex quibus colligitur ex historiâ Saulis esse sumptum. Primum est in voce vaticinari. Narrat historia Saulis conuersationem cum prophetis etiam vulgi dicterio fuisse exagitatam. Secundum est in voce antrum. Rursus narrat historia & est valde memorabile in eâ, quòd Saul captans Dauidem in antrum est ingressus ad parendum naturæ necessitati, Dauide in eo ipso antro latitante, & occasionem vlciscendi, si voluisset modò, Saulis nanciscente. Tertium in voce τροφώνιος, quasi dicas, τρέφων ὄνους pascens vel curans asinos. Annon narrat eadem historia, Saulem à patre fuisse emissum ad quærendas amissas asinas, vt quiuis ratiocinari queat, agasonem egisse patris? Quartum in sensu vsitato prouerbij. In nulla historiâ sacrâ euidentius exemplum reperies iniustæ iræ, vani timoris, inuidiæ, quàm in hâc Saulis historiâ, quæ peccata omnia prouerbium perstringit. Quamobrem nullum iam est dubium, quin ex Saulis historiâ exierit, cúmque hominem iniustè irascentem, suam vmbram timentem, aliis inuidentem notare voluerimus, σοφῇ παροιμίᾳ id efficiemus, dicentes, Hic in Trophonij antro vaticinatus est.

Cap. V. *Adagiologia particularis rerum intellectarum priorum.*

1. Res intellectæ in prouerbio sunt priores vel posteriores. Res intellectæ priores in prouerbio sunt historiæ in scripturis V. T. narratæ & consignatæ, inde à creatione mundi vsque ad tempus captiuitatis Babylonicæ.

2. Atque hoc est παράδοξον illud, quod pauci mihi sunt concessuri quódque argumentis veris, certis, firmis est probandum.

3. Primum argumentum ex ipsâ historiâ sacrâ est petitum. Hæc enim testatur expressè, res in populo Dei, vel coram populo Dei olim gestas in prouerbia vulgi abiisse, vt Nimrodi tyrannidem

tyrannidem magni venatoris coram Iehouah, *Gen.* 10. obedientiam Abrahami parantis filium suum Isaacum immolare ad Dei mandatum, *Gen.* 22. πολυπραγμοσύνην Saulis prophetam agentis. 1. *Sam.* 10. Et hæ historiæ non tantùm in dicto Dei populo, sed etiam inter Ethnicos variis sermonibus fuerunt iactatæ & παροιμιώδεις redditæ.

4. Secundum argumentum est consectarium ex hoc primo. Si tyrannis Nimrodi, fides & obedientia Abrahami, repentina immutatio Saulis materiam prouerbiis dederunt, multò magis idem præstitit historia Iosephi in regno Ægypti exaltati mirabili rerum καταστροφῇ, Mosis miracula tanta edentis coram Pharaone, Dauidis, & Salomonis. Nam Iosephi historia non potuit latere Græcos Ægyptiis vicinos, & in Ægyptum commerciorum ac doctrinæ percipiendæ gratiâ commeare solitos. Mosis autem facinora, Dauidis felicitas, Salomonis sapientia toto orbe terrarum famâ increbuerunt. Atque illud verum est. Ergo & hoc.

5. Tertium argumentum est ab ipsarum rerum veritate. Vbi est magnus consensus rerum dictarum, intellectarum, verborum, circumstantiarum, ibi certum est haberi veritatem, quia τὸ ἀληθὲς ἐν τοῖς λεγομένοις πολυφωνεῖ. Atque cùm explicantur prouerbia iuxta historias sacrarum literarum, talis extat consensu. Ergo.

6. Quartum argumentum est à cognatis. Mythologicas prouerbiorum interpretationes autoritate antiquorum autorum hactenus traditas, nemo reiecit. Atqui mythologiæ nihil sunt aliud, quàm historiæ sacræ V. T. poëtarum priscorum figmentis inuolutæ & tectæ. Ergo.

7. Quintum argumentum ab inductione est. Hoc prouerbium pertinet ad historiam creationis, illud ad historiam Abrahami, istud ad historiam Simsonis, aliud ad historiam Hiskiæ, & nullum est prouerbium modò ex fæce vulgi non sit natum, quod non queat eleganter ad historiam aliquam sacram reduci. Ergo omnia prouerbia origine suâ pertinent ad historiam sacram.

8. Circa hoc caput sequentes regulæ teneantur. 1. Diligenter est notandum, vbi τὸ ῥητὸν prouerbij in bibliis occurrat, siue id in historicis, siue in didacticis libris fiat. Nam etiam ex hisce libris vtilitas quædam comparari potest. 2. prodest etiam annotare, quando τὸ ῥητὸν prouerbij in pluribus historiis tractatur, vbi id primùm fiat, & vbi fiat notabiliter, excerpendúmque quod sit πρὸς τὸν διόνυσον, rebus, circumstantiis, & dictis conueniens. 3. obseruandum etiam est, quomodo vna & eadem historia distinctis in prouerbiis diuersimodè τοῦ ῥητοῦ exprimitur.

9. Vt Bellerophontis literæ prouerbio sunt celebres, & dicuntur in eos, qui literas contra seipsos, nempe latores scriptas, adeóque sibi exitiales ferunt. Vriæ literas vocare tales solemus. Vt ad fontem prouerbij veniamus, primò cogitandum est τὸ ῥητὸν, quod est nomen appellatiuum, literæ, & proprium mythologicum Bellerophontes. Deinde scrutemur, vbi in sacris literis literarum fiat mentio. Hîc occurrit potissimùm Dauidis historia, qui literas ad Ioabum perferendas Vriæ dedit. Hanc historiam meditanti, facili negotio in mentem venire potest, Vriæ illas literas esse has ipsas prouerbio celebratas, Bellerophontis. Quæ quidem εὕρεσις tantò magis est probabilis, si etiam originationem huius vocis Bellerophontes expendamus. Bellerophontes enim est vox composita à בישראל in Israël & φονεύω occido, quasi dicas, eximius ille heros tam innocenter in Israële occisus. Si prouerbij vsum, si historiam, si voces inter se conferas, inuenies omnia bene constare sibi, nullóque modo dubitabis, quin ex veris fontibus sit explicatum. Eodem modo se res habet in aliis quoque.

Cap. VI. *Adagiologia particularis rerum intellectarum posteriorum.*

1. Res intellectæ prouerbij posteriores sunt ethicæ, id est, virtutes, præmia virtutum, peccata, pœnæ peccatorum, &c.

2. Huc igitur omnia eunt prouerbia, hic scopus & vltima meta, vt sint documenta & admonitiones de omnis generis virtutibus, de præmiis bonorum, pœnis malorum, seu de vitâ bene beatéque traducendâ. Quod quia extra omnem controuersiam est positum, prolixiùs exponere non est opus. Profectò si prouerbia ex sacris historiis sunt oriunda, & verò historiæ sacræ exempla & typi sunt rerum spiritualium, necessariò consequitur, talium rerum, hoc est, benè beatéque viuendi documenta ac regulas in prouerbiis suppeditari.

3. Dato ergo prouerbio, & inuentâ historiâ, ad quam debet reduci, mox cogitandum est adagiologo, ad quem locum communem pertineat, & quomodo ad institutionem, redargutionem, adhortationem & consolationem in pietate & probitate fiat. Quo facto, finem illum adagiologus fuerit assecutus, ad quem omnis hæc πραγματεία destinata est, & in quo plenè tandem acquiescat.

4. Ac quemadmodum historia sacra, quæ materia est prouerbij, ad sensum prouerbij, si fortè à παροιμιογράφοις non sit prolatus, eruendum facit: si contra sensus prouerbij cognitus ad historiam, si lateat inueniendam atque animaduertendam, non parum confert. Quale quid in hoc, *Dionis gry*, apparet.

5. Hîc τὸ ῥητὸν est particula γρῦ, quæ paucarum literarum sonum notat ab Hebræo Resch, deinde Dion nomen proprium. Παροιμιογράφοι scribunt, dici in pauciloquium, quod ab humanitate profectum sæpè graues contentiones componit & sedat. Sed cui historiæ sacræ originem huius prouerbij acceptam feremus. Vbi τὸ γρῦ, vbi Dionem reperiemus? Paucis huc attende. Habemus τὸ ῥητὸν; habemus etiam morale prouerbij quærimus historiam. Ecce, dum animus huc se atque illuc vertit, Gideonis historia in mentem venit, quæ egregium exemplum nobis præbet illius virtutis, quam modò attigimus, quæque verborum humanitate homines iratos sibi placat. Nempe Gideon Ephraïmitas tumultuantes placauit & à malo ipsorum proposito auocauit, breui quidem illâ, sed prudente, modestâ, comi oratione. Talis ergo oratio est γρῦ illud. Porrò nomen Dion extat in voce Gideon abiectis abiiciendis & transpositis transponendis. Metaplasmum ita repræsento *Gideon.* 1134 Nihil non video in hâc prouerbij interpretatione quadrare, historiam, sensum, verba. Prorsus ergo confido veram originem prouerbij esse cognitam, monstratam, traditam.

Cap. VII. *Adagiologia particularis ὁμωνυμίας vocum.*

1. Hæc de rebus prouerbij, sequuntur voces, quibus prouerbium enunciatur, quarum præcipua obseruatio est in ὁμωνυμίᾳ & ornatu rhetorico. Ac ὁμωνυμίαν vocum in adagiologiâ obseruari, multum interest, quia παροιμιογράφοι absque hâc sæpè in absurdas explicationes incidunt, dum diuersas vocum prouerbialium significationes ac sensus ignorant atque confundunt.

2. Ὁμωνυμίαν voco vnius vocis plures significationes, quæ vel omnes propriæ sunt, vel quædam propriæ & reliquæ impropriæ. Vnam autem eandem vocem plures posse habere proprias significationes pro variâ origine, ex hâc voce *plaga* est manifestum. Hæc enim à πλήττω significat percussionem, à πλάζομαι, id est, *huc illuc vagor*, significat tractum seu spatium alicuius loci, vbi liceat huc illuc circumuagari atque oberrare, à πλέκω, ἔπλακον, notat retia, quibus feræ implicantur, ab עלף, *texit*, significat calyptram, quâ fœmina caput tegit.

3. Cùm autem in omni vocum genere, tum prouerbialium ὁμωνυμία notabilis est, siue significationis propriæ, siue etiam impropriæ. Sed illius præcipuè est habenda ratio, resultátque partim ex ὁμοφθογγίᾳ, partim ex synonymiâ linguali. Ex ὁμοφθογγίᾳ, cùm vox Græca, in quâ scilicet linguâ prouerbia initialiter sunt prodita, habet vsitatam significationem ex origine suâ, & inusitatam ex ὁμοφθογγίᾳ vocis cum Hebræâ voce, in quâ linguâ materia omnium prouerbiorum originaliter habetur.

4. Sic Pythagoricum prouerbium est τῶν κυάμων ἀπέχεσθαι, *à fabis abstinere.* Scriptores, qui ad homonymiam vocis κύαμος non attendunt, variè se torquent. quid hoc sit prouerbij, cur à fabis abstinere Pythagoras prohibuerit, aliis aliter de hâc re sentientibus. Ast adialogus vocis κύαμος ὁμωνυμίαν considerat, quæ si à מכרה deducatur, notat legumen, quod fabam vocamus, quia fructus suos more omnium leguminum tegit folliculis, sin autem ab Hebræo ὁμοφθόγγῳ חמץ *fermentatum*, deducas, per metaplasmum literarum, aliam habet significationem; túmque τῶν κυάμων ἀπέχεσθαι est à fermento abstinere. Huiusmodi ὀνοματοθεσία seu potius ὀνοματοποιία Pythagoram minimè dedecuit, vtpote philosophum & linguarum peritum, sunt qui Iudæum natione, certè vel προσήλυτον, vel ex eorum numero, quos εὐλαβεῖς vocarunt, fuisse credo. Sic facilè & in promptu est intelligere, quid sit τῶν κυάμων ἀπέχεσθαι. Nempe nihil aliud voluit Pythagoras hoc dicto significare, quàm vt à fermento abstineamus, sensu mystico, quódque Paulus monet, vt expurgemus vetus fermentum malitiæ & versutiæ, ac viuamus in azymis veritatis & sinceritatis. Reliqua prouerbia de fabis loquentia ex hoc eodem fonte oportet interpretari.

5. Homonymia autem synonymialis est, cùm Latina vox ob synonymiam cum Græcâ voce ex Hebræo ὁμοφθόγγως homonymâ, diuersas significationes habet. Hoc quomodo verum sit, declarabo aliquot prouerbiis de gallo & gallinâ sonantibus, quæ nisi ad hanc ὁμωνυμίαν attendatur, sunt δυσνόητα. Sic ergo accipe. Multa sunt prouerbia, in quibus τὸ ῥητὸν est de gallo & gallinâ. Hæc autem vox gallus seu gallina est valde ὁμώνυμος, partim propter diuersas origines, partim propter ὁμοφθογγίαν, partim propter synonymiam lingualem, seu quam habet ad Græcas voces, ἀλέκτωρ, ἀλεκτορίνα & ἀλεκτορίς, vsurpatúrque hæc vox extra & in prouerbiis. Extra prouerbia duas habet significationes, communem & gentis propriam. Ibi significat auem mediâ nocte laudantem, canentem, homines ex somno excitantem: quam Latini eam ob causam ab הלל, *laud-uit*, gallum; Germani à canendo, han/ Græci ab excitando è lecto ἀλέκτορα vocant. Hîc gentem denotat à patriotâ gentis Elischa, vnde etiam Germanica vox est welsch. In prouerbiis hæc vox gallus seu gallina itidem duas habet

habet significationes, vnam qua Israëlitas, alteram quâ sacerdotes Cibyles notat, seu potius filios Eli. Prior illa est à Græcâ voce ἀλεκτορὶς ab ἰσραηλίτης per ὁμοφθογγίαν, posterior est ab Eli. Illa significatio occurrit in prouerbiis, *alba gallinæ filius*, quo intelligitur homo quispiam heroicus, ex præclarâ prosapiâ, qualis olim erat Israëlitarum, ortus, *lac gallinaceum*, quo significatur insignis felicitas qualis scilicet Israëlitarum fuit terram lacte & melle fluentem incolentium, abstinere à gallo candido, quo monemur homines sanctos non lædendos, seu, vt psalmus loquitur, vnctos Dei non esse tangendos, quemadmodum à Iacobo manus abstinuerunt infensi hostes Esau, Laban, vicini Sichemitarum, *Thrax gallina Syro par*, quo prouerbio in colloquio Augusti Imp. & Horatij tractato erudimur, homines tenuis fortunæ sæpe eo prouehi vt diuitiis & gloriâ cum ditissimis queant conferri, quæ est rerum humanarum vicissitudo. Hæc significatio valet in prouerbio γάλλους τέμνειν gallos castrare, de frustra agentibus. Saul in odium Dauidis sacerdotes Nobi, posteros Eli occidens, frustra laborat. Quid enim Dauidi nocuit? Ajax apud poëtas sues per insaniam mactans, putabat se Vlyssis socios mactare. Quid hoc Vlyssi nocuit? Vterque γάλλους τέμνει gallos castrat.

5. Hæc breuiter de ὁμωνυμίᾳ propriarum significationum. Non minus autem in prouerbiis vsitatæ sunt impropriarum significationum ὁμωνυμίαι, quæ nonnunquam sunt duriusculæ, vt earum audacia sit præmollienda hisce formulis loquendi, φασι, vulgo dicitur.

Cap. VIII. *Adagiologia particularis ornatus rhetorici.*

1. Ornatus rhetoricus est vel necessarius vel liber. Necessarius est in duabus synecdochis contrariis vnâ generis pro specie, alterâ speciei pro genere. In primâ synecdoche genus est τὸ ῥητὸν, quod est vniuersaliter dictum & multis rebus potest tribui & accommodari, species est historia sacra ad quam vniuersaliter dictum collineat. In secundâ synecdoche hæc ipsa sacra historia est singulare seu species, genus verò est locus aliquis communis ethicus seu documentum morale, cuius illa historia est exemplum.

2. Quamobrem adagiologi officium est hasce duas synecdoches in omnibus prouerbiis probè scrutari, vt primò sciat rationem ἐν τῷ ῥητῷ inueniendi sacram historiam, deinde ex hâc historiâ locum communem tractet vtilem ad benè beatéque viuendum.

3. Vetus dictum est, οὐδὲν ἄνευ Θησέως, *nihil sine Theseo* Ergo nihil sine exemplis quæ meus in hâc τεχνολογίᾳ sint Theseus. Exemplum ergo sit, *cui nullum erat negotium, Harmenem condidit.* Hîc libet in duas synecdoches, quibus hoc prouerbium constat, inquirere, vt eius verum ac natiuum sensum, alioquin παροιμιογράφοις incognitum, literis certè non proditum, teneamus. Generale hoc est, quod prouerbium loquitur de quodam otia agente, qui condiderit vel muro cinxerit Harmenem. Sic enim in Græco quidam legunt, ὃς οὐδὲν ἔργον εἶχεν, ἁρμήνην ἐτείχισε. Nam etsi ἁρμήνη notat singulare opus, quod muris fuit circumdatum, tamen quidnam id fuerit, hortus, pagus, oppidum, arx, incertum est, aut quo loco quáve in regione situm fuerit. Quoniam autem supra declaratum est, prouerbia ex sacrarum literarum historiis fluxisse, quorsum hoc præsens quoque pertinet, videndum est an tentando scrutandóque ad certam aliquam historiam sacram queamus peruenire, quæ ad rem faciat. Dum verò hâc ratione scrutamur, tria indicia sese offerunt, quibus persuademur, Dauidis historiam hîc agi. Primum, Dauidis otiositas & πολυπραγμοσύνη, curiosè in tecto suarum ædium obambulantis, & quid rerum in vrbe ageretur circumspicientis. Secundum, Dauidis diligentia in restituendis ac instaurandis & firmandis muris Hierosolymæ. Tertium, vox, ἁρμήνη, quæ conuenit cum Hebræâ ארמנות, quæ & in genere palatia notat, & peculiariter in psalmis vsurpatur, cùm de palatiis Hierosolymæ sermo est. Hisce tribus argumentis moueor, vt statuam dictum prouerbium, in Dauidis historiam competere, eiúsque aliâs satis, præsertim in ædificandâ Hierosolymâ, strenui otiositatem perstringere. Hactenus est prima synecdoche. Quantum attinet alteram, potest duplex doctrina ex illâ historiâ siue ex eius prouerbio pro diuersitate circumstantiarum constitui. Primò hæc, *Otia dant vitia*, deinde hæc, *Iustus cadit sed Deus eum restituit.*

4. Atque hic est necessarius prouerbij ornatus, cui sæpe liber & quasi honorarius accedit, aut à numero poëtico, vt πολλὰ μεταξὺ πέλει κύλικος καὶ χείλεος ἄκρου, aut à figurâ dictionis, vt κακοὶ τρῖτες, κακοὶ ἴτες, aut à tropo, vt, *Homo homini dæmon*, aut denique à figurâ sententiæ, vt, *Aut regem aut fatuum oportet nasci.*

Cap. IX. *Adagiologia specialis rerum dictarum.*

1. Hactenus adagiologia generalis fuit, sequitur specialis, quæ singula, & omnia prouerbia speciatim & minutatim explicat. Non enim satis est dicere, quid sit prouerbium & in genere artem explicandi prouerbia docere, sed oportet etiam in specie ad praxin accedere, & prouerbia apud probatos autores passim occurrentia ordine concinno enarrare atque disponere.

2. Adagiologia specialis est rerum & indicum. Rerum est, cùm ordine rerum obseruato; quas τὸ ῥητὸν exprimit, prouerbia legitimè disponuntur atque recensentur, qui rerum ordo cum ordine disciplinarum congruat. Sic enim faciendum est adagiologo. Colligat omnia prouerbia vbicunque ea apud probatos autores extiterint, eorum fontes ex diuinis historiis monstret, vsum edoceat, quo facto singula suo loco methodicè digerat, summo loco ea quæ constant terminis generalissimis, medio quæ specialibus, vltimo quæ specialissimis, qui quidem labor non vnius diei futurus est, cùm in censum ex Erasmi Chiliadibus quinque millia prouerbiorum circiter referri debeant, nec sit dubium, quin plura ex libris antiquorum oratorum & poëtarum addi queant.

Ego, qui compendium tractem, ex multis pauca delibo, & in physiologiâ lupi periculum faciam, quomodo prouerbia ad hanc categoriam spectantia pertexi queant, quâ ratione in reliquis physiologiæ partibus, nec non in omnibus aliis disciplinis se similiter adagiologus exercere potest. Id autem ex generali τεχνολογίᾳ oportet esse præcognitum, prouerbia quæ de lupis loquuntur, Saulis historiam notare, idque propter hasce causas. 1. quia Saul lupino & tyrannico fuit ingenio 2. quia Dauid in psalmis Saulem & eius satellitium lupis comparare solet. 3. quia vox λύκος lupus in voce Schaul, σαὼλ latet, vt propter ὁμοφθογγίαν Saul sit λύκος. Prouerbia ita habent cum historiâ & sensu.

Prouerbium. Lupus non curat numerum. *Historia.* Saul vnâ vice tyrannicè occidi curat 85. sacerdotes Nobi. *Sensus.* Tyranni sine modo sæuiunt.

Prouerb. Lupi illum videre priores *Historia* eadem sed ita limitata. Nobi sacerdotes, vt Deus fore præuiderat. a Saule occiduntur. *Sensus.* Fata mutari nequeunt, es hatt sollen seyn/ *mythologicè*, Lupus præuiso homini vocem adimit.

Prou. Lupi decas *Historia.* Saul decimas violenter extorquet à subditis. *Sensus.* Viuitur ex rapto.

Prou. Lupinum potum. *Historia & sensus*, vt antea.

Prou. Lupus pilum mutat, non animum. *Historia.* Saul Dauidi benignè pollicetur, nihil præstat. *Sensus.* Impij homines sunt & manent hypocritæ.

Prou. Lupo agnum eripere postulas. *Historia.* Ionathan pro Dauide apud patrem deprecatur, cui eum reconciliare studet, sed frustra. *Sensus.* Malorum hominum animi sunt ἄσπονδοι.

Prou. Lupus prius ouem vxorem ducat. *Historia & sensus* idem.

Prou. Lupi venatus. *Historia.* Saul potens venator Dauidi insidias tendit, nullo effectu. *Sensus.* Vani sunt conatus, vanæ & incertæ spes humanæ.

Prou. Lupus hiat. *Historia* eadem. Saul, cuius iussu innocentium sacerdotum sanguinem occisorum terra hians imbiberat, frustra sectatur Dauidem. *Sensus* idem.

Prou. Lupi alas quærere. *Historia.* Isboseth frustra conatur retinere regnum patris Saulis, qui solebat alatis vestibus vti. *Sensus*, vt antea.

Prou. Lupus est in fabulâ. *Historia.* Saul magos & sagas ex Israële exterminauerat, & tamen ipse sagam in Endor in angustiâ constitutus consulit. Hæc in colloquio illud ei, quæ hominem non agnosceret, occinit, & propter factum hoc animum eius acriter pupugit. *Sensus.* Mille testes conscientia & conscientiæ.

Prou. Præcipitium à fronte, lupi à tergo. *Historia.* Dauid in terrâ Israëlis manens à Saule minimè tutus est, fugiens ad cæteros reges Deum offendit. *Sensus.*

Incidit in Scyllam, qui vult vitare Charybdim.

Prou. Lupis non parcendum. *Historia.* Philistæi Saulem debellant. Septem verò viri ex posteris Saulis à Dauide in crucem aguntur. *Sensus.* Ἔχει θεὸς ἔκδικον ὄμμα, semper iniustas Deus vlciscitur iras.

Prou. Ale luporum catulos *Historia.* Dauid semper adhibuit suæ mensæ Mephibosethum Saulis filium. Nihilominus tamen à Simei homine familiæ Saulis conuiciis amarulentis proscinditur. *Sensus.* Omnia sunt ingrata, nihil fecisse benignè est.

Prou. Lupus ante clamorem festinat. *Historia prior.* Saul Dauidem in deserto persequens cum festinatione recedere cogitur, audito Philistæos in terram irrupisse. *Historia posterior.* Nouam persecutionem Saul moliens in Dauidem ita confunditur, vt Dauidem acclamantem impune abire sinat. *Sensus.* Variis modis pij liberantur.

Prou Lupus aquilam fugit. *Historia.* Saul odit & omnibus modis insidiatur Dauidi, qui tamen instar aquilæ cuiusdam omne periculum euadit, tandémque à Saule & omnibus hostibus liberatur. *Sensus* est, vt antea, de finali liberatione iustorum.

Prou. Lupus lupum, fur furem agnoscit. *Historia* Doeg & Siphæi applicant se Saulis moribus eique proditionibus Dauidi, tum alibi, tum in colle Hachilæ latitantis gratificantur. *Sensus.* Similis simili gaudet, graculus graculo assidet.

Pru.

Prou. Lupus circa puteum chorum agit. *Historia.* Saul erat destinatus puteo perditionis ob animi malitiam & inobedientiam erga Deum. Et tamen gloriatur coram Samuele se Dei verbum esse executum, coram suis complicibus vineas crepat, agros, ducatus, quos eis sit donaturus. *Sensus.* Προνίκης ἐγκώμιον, gloriationes vanorum hominum.

Παρῳδιμιώδης est hoc quoque ex Virgilij eclogis,

Torua leæna lupum sequitur, lupus ipse capellam,
Florentem cithysum sequitur lasciua capella.

Historia. Philistæi persequuntur Saulem, Saul persequitur Dauidem, Dauid sectatur Dei cultum *Sensus.* Pij suam spem in Deo positam habent, quamuis à mundo & diabolo persecutionem patiuntur Impij nihil frugi agunt, Deum contemnunt, pios tandem omittere coguntur, diabolo sunt prædæ.

Cap. X. *Adagiologia indicis historici.*

1. Adagiologia specialis indicum est, cùm prouerbia in rerum speciali adagiologiâ sigillatim exposita in indices rediguntur, vt si vel historias sacras tractes, vel Ethicos locos communes instituas, vel certi alicuius prouerbij interpretationem requiras, statim in promtu sit, quod instituto tuo prosit. Sic Erasmus quoque suis chiliadibus indices præmisit

2. Adagiologia indicum est iuxta res intellectas prouerbij, historicus & ethicus, vel iuxta voces, alphabeticas. Adagiologia indicis historici prouerbia repetit iuxta sacras historias V. T. creationis, lapsus Cainitarum, patriarcharum antediluuianorum, diluuij, patriarcharum postdiluuianorum priorum & posteriorum, Abrahami, Isaaci, Iacobi, duodecim patriarcharum filiorum Israël, Mosis, Iosuæ, Iudicum, regum ante diuisionem regni Saulis, Dauidis, Salomonis, & post diuisionem regni Iudæ & Israëlis.

3. Dixit Aristoteles, in prouerbiis remansisse reliquias priscæ sapientiæ temporum & bellorum iniuriis alioquin deletæ. Hoc non temerè à tanto autore dictum, aliò torquere nequeo, quàm historiam sacram in breuiter dicta moralia esse contractam, quæ prouerbia sunt, in iisque sapientiam priscorum residere. Et certè rem ita se habere & hactenus audiuimus, & paucula adhuc sequentia confirmant.

4. Nam libeat, exempli gratiâ, indicem quorundam prouerbiorum formare ex historiâ creationis, prorsus ex eo manifestum euadet eam historiam antiquioribus Ethnicis fuisse probè notam, neque hoc solùm, sed etiam inde abstrusos sapientiæ sensus hausisse ac posteris reliquisse. Qui quidem index ita potest componi.

Historia. In principio creauit Deus cœlum & terram. *Prouerbium.* Tria Stesichori nosse. *Sensus ethicus.* Qui bene velit philosophari, eum tria oportet scire, Deum, spiritum creatum, corpus.

Historia eadem. *Prouerbium* Ex duobus tria videre. *Sensus.* Cognitio naturæ & creati spiritus ducit nos ad cognitionem Dei, & cognitio naturæ & Dei ducit nos ad cognitionem creati spiritus, adeoque animæ. Et qui Deum & animam seu creatum spiritum non cognoscit, in naturæ cognitione nihil sapit.

Historia Dixit Deus, fiat lux, & facta est lux. *Prouerbium* Αὐτὸς ἔφα, *Ipse dixit. Sensus.* Verbi diuini summa est autoritas.

Historia eadem. *Prouerbium.* Dictum factum. *Sensus.* Verbum Dei est efficax, verbum Dei currit celeriter. Per καθ' ἀχερησιν ad quamuis celeritatem trahi potest, vt modò antecedens ad Pythagoram referri solet.

Historia. Vidit Deus lucem esse bonam, & distinctionem fecit Deus inter lucem hanc & tenebras, lucemque hanc vocauit Deus diem. *Prouerbium.* Bonus tanquam è pharetrâ dies. Vox pharetra exponi debet partim iuxta vsitatam significationem, partim inusitata significatione ab ὁμοφθόγγῳ ערב, id est, tenebræ, tumque sensus est, vt ex pharetrâ telum depromitur, sic ex tenebris iussu Dei hæc lux, res tam bona prodiit. *Sensus.* Tribulationes piorum in bonum vertuntur. In tenebricosis cordibus hominum Deus ex gratiâ lumen bonitatis suæ incendit, seu, vt Paulus loquitur, Deus qui iussit ex tenebris lucem illucescere: lucet in cordibus piorum ad illuminationem cognitionis gloriæ Dei. Aut in genere, quæ prouerbiorum est κατάχρησις, cùm volumus indicare rem bene cecidisse, dicemus, vt ex pharetrâ dies.

Historia. Spiritus Domini incubabat superficiei aquarum, collata cum sequente, Et dixit Deus, esto expansum inter aquas, vt sit distinguens inter aquas vnas & alteras *Prouerbium.* Non tam aqua aquæ similis. *Sensus.* Res inferiores in mundo sunt typi rerum superiorum in mundo, & res corporeæ sunt imago spiritualium.

Historia. Dixit Deus, Faciamus hominem ad imaginem nostram, secundum similitudinem nostram. *Prouerbium*, ἕπου θεῷ Deum sequere. *Sensus.* Vera sanctitas est secundùm Deũ viuere.

Historia. Dixit Deus, non est bonum, hominem esse solum, faciamus ei adiutorium *Prouerbiũ* Vnus vir, nullus vir. Εἷς ἀνὴρ, οὐδεὶς ἀνήρ *Sensus.* Homo est ζῶον πολιτικόν. *Nemo sibi nascitur.*

Historia. Iniecit Deus soporem altum in Adamum, quo obdormiuit. *Prouerb.* Endymionis somnus Dicitur autem Endymion ex verbis historiæ Hebraicis אדם יישן obdormiuit homo, per literarum metaplas. seu transfigurationem. *Sensus.* Etiam in somno Deus prospicit iis, quibus bene vult. Vulgò in valde somnolentos iacitur.

Historia collata. Spiritus Dei incubabat superficiei aquarum. Mulier accepit de fructu illius arboris & comedit: etiamque dedit comedendum viro suo secum, qui comedit. *Prou.* Ab ouis ad mala. *Sensus.* Oua sunt incubatio Spiritus sancti in superficie aquarum, qui Spiritus sanctus ita inhabitabat in modò & primò creatis creaturis rationalibus, nempe angelis, eosque agitabat, vt gallina suis ouis aut pullis incumbit, eos fouet ac mouet. *Mala* sunt lapsus & peccatum creaturarum rationalium posteriùs creatarum, nempe hominum, qui contra Dei mandatum de malis arboris vetitæ comederunt. Sensus prouerbij generalior est complecti omnem rem à principio vsque ad finem, qui purè ethicus talis esse debebat, Bene meditari creationem creaturarum rationalium, quæ incepit in angelis, & lapsum earundem creaturarum rationalium, qui finiit in hominibus, vtramque complet in Theologiâ paginam.

Historia. Tum dixit Adam: Hac demum adest vice os ex ossibus meis & caro de carne meâ. Hæc vocabitur vita, eò quod hæc ex viro desumta est. Idcirco relicturus est vir patrem suum & matrem suam, & adhærebit vxori suæ, eruntque in carnem vnam. *Prou.* Τὸ καλὸν φίλον. Mythologi dicunt in Cadmi nuptiis hoc prouerbium fuisse inuentum à Musis & decantatum. Id verò quomodo? Hoc modo. Antea cùm Adam nondum habebat Euam, dicebat Deus, Non est bonum hominem esse solum. Ergo cùm iam Eua esset Adamo adducta & tradita, ita credo personuit, Bonum, καλὸν, est hominem habere adiutorium. Quo amore autem Adam Euam fuerit complexus, inde licet coniicere, quia dicebat, relicturus est vir patrem & matrem suam, & adhærebit vxori suæ. Sensus prouerbij est ipsum τὸ ῥητόν.

Eadem *historia* collata cum hâc, Dixit Adam, mulier ista quam posuisti mecum, ipsa dedit mihi de fructu illius arboris. *Prou.* Πολλάκι καὶ κηπωρὸς ἀνὴρ μάλα καίριον εἶπεν, *Sæpe etiam est olitor valde opportuna locutus.* Adam est hortulanus in Paradiso, opportunà loquitur in primo sermone, Hâc vice demum adest &c. quippe quem magis Deus quàm homo loquitur, non opportuna loquitur in altero sermone. *Vsus prouerbij* Non videndum quis, sed quid loquatur, &c.

Nullius sensum si prodest, temseris vnquam.

Historia collata Ornauerat plantis Deus hortum in Edene ab oriente, vbi collocauit hominem. Emisit Iehoua Deus Adamum ex horto Edenis ad colendam terram. *Prouerb.* Adonidis horti. *Sensus* Peccati breuis est voluptas.

Cap. XI. *Adagiologia specialis indicis Ethici.*

1. Aliter index adagiologiæ specialis est Ethicus, qui certâ methodo res ethicas recenseat, iisque sua prouerbia subnectat.

2. Methodus rerum ethicarum sic potest institui Primùm in genere de bonitate ethicâ est docendum. Deinde de prædestinatione est agendum & consilio Dei circa hominum conuersionem & salutem. Tertiò de signis ethicis dicendum erit, de verbo & sacramentis, de lege & euangelio. Quartò virtutes ordine recenseantur in genere & in specie, in toto & in parte, corporis & animæ. Hæc omnia concludat doctrina beatitudinis.

3. Vt si in virtutum catalogo sit peruentum ad virtutem alimentationis & temperantiam in cibo & potu, praxis & operatio huius capitis sic instituatur, vt vel ordo historiæ sacræ, vel rerum ethicarum obseruetur; hoc modo.

Regula. Delitiæ peregrinæ non sunt appetendæ. *Prouerbium.* Μή μοι Βαιὼν κακὸς ἰχθύς, ne mihi Bæon malus piscis. *Historia.* Filij Israël in deserto degentes concupiscunt pisces Ægyptiacos, eaque in re grauiter peccant. Κακὸς ἰχθύς, *malus piscis*, sunt res illæ esculentæ Ægyptiacæ, quas Israëlitæ concupiscebant, inter quas etiam pisces fuerunt. Βαιὼν ab אבונה concupiscentiâ est concupiscentia. Nec enim res esculentæ illæ sed earum concupiscentia illud peccatum fuit; quod multos in Kibret Thaauoth pessumdedit. In hoc prouerbio etiam certant παροιμιογράφοι anadabatarum certamen, & quid piscis sit Bæon disputant.

Regula Homo debet esse contentus quotidiano pane. *Prouerbium.* Si non adsunt carnes, taricho contentum esse oportet. *Historia.* Filij Israël in statione deserti Chatzeroth diu hæserunt, ibique tranquillè & μετ' αὐταρκείας vixerunt solo mannæ pane, absque carnibus. Τάριχος non est piscis sed simplex illa & tenuis victus ratio in statione Chatzeroth. Hunc τάριχον in voce Chatzeroth inuenies duobus modis 1. per rhetoricam metonymiæ loci pro te quæ fit in loco. 2. per metaplasmum literarum grammaticum.

Regula. Homines gulosi suâ gulositate sæpe præclara κειμήλια perdunt. *Prouerb.* Vel bætylum deuorares. *Historia.* Adamus vescens fructu arboris vetitæ cùm cætera multa bona, tum Bedolah, siue hæc fuerit gemma pretiosissima, siue arboris præstantissimæ genus, sibi suisque amisit. Βαίτυλος est Bedolach

Regula. Homines gulosi sæpe morte multantur suæ ingluuiei nomine *Prouerbium.* Apua in ignem, ἀφύη εἰς τὸ πῦρ. *Historia* est eadem, cum illâ, de quâ in prouerbio μή μοι βαιὼν κακὸς ἰχθύς ἀφύη ab אוה concupiuit est concupiscentia.

Regula. Vesceris labore manuum tuarum *Prou.* Chænici ne insideas. *Historia.* Israëlitæ in deserto desidebant per 40. annos, ventri seruientes, præterea nihil laudabilium rerum satagentes. Chænix vulgo dicitur demensum cibi diurni seruilis à כַּנָּס, collegit, hoc est, chænix est demensum cibi diurni mannæ, quo Israëlitæ, qui tanto tempore Pharaonis serui fuerant, in deserto vescebantur. Huic insidebant, in diem viuentes, murmurantes, idola adorantes, & lasciuientes, quale quid Pythagoras fieri vetat dicens, χοίνικι μὴ ἐπικαθίσαι.

Regula. Cibo & potu vti quidem licet, sed ne Deus contemnatur, honestatis limites transiliantur, salus nostra euertatur. *Prouerbium.* Aut quinque bibe, aut tria, at non quatuor. *Historiæ tres* hic occurrunt & concurrunt. Prima est, conuiuium Abrahami, qui reges orientis ope trium confœderatorum Anor, Escol, Mamre ceciderat, & captiuos cum omni prædâ reduxerat, cum Melchisedeco celebratum omnino fuit sanctum & ad Dei honorem pertinens. Hoc est tria bibere. Altera est, conuiuium Esaui suam primogenituram iusculo lentium vendentis Iacobo fratri, vbi, quæ quatuor ita in historiâ leguntur, post voratum iusculum bibit, surrexit, abiit, contempsit ius primogenituræ, hoc est, nec inter edendum neque postea resipuit, hoc inquam, conuiuium planè fuit ἄθεον & profanum: Hoc est, quatuor bibere. Tertia est, conuiuium Iosephi fratres suos iterum ex terrâ Canaan in Ægyptum ad se venientes excipientis, vbi ferculum Benjaminis fuit quintuplum ad ferculum aliorum fratrum, fuit perquam honestum & liberale, Hoc est quinque bibere. Ideo autem ferculum Benjaminis fuit quintuplum, quia ratio numeri duorum germanorum fratrum ad rationem reliquorum 10. est quintupla. Media historia Esaui etiam dedit prouerbium ἢ πῖθι ἢ ἄπιθι, eiusdem sensus cum illo, ne bibe quatuor.

4. Possem in hoc argumento pergere & gulositatis crimen per plures loci communis sententias, ac historias, Nabalis regiè epulantis, filiorum Eli res sacrificatas populo percipientium, Dauidis conantis Vriam inebriare, inebriatumque decipere, Absolomi inebriatum fratrem Ammonem occidentis, traducere, sed hæc sufficiunt.

CAP. XII. *Adagiologia specialis indicis Alphabetici.*

1. Adagiologia specialis indicis Alphabetici est, cùm prouerbia recitantur ordine alphabeti, ita, vt litera, à quâ vox ἐν τῷ ῥητῷ prouerbij methodo doctrinæ posterior incipit, obseruetur.

2. Vt explicatum sit in adagiologiâ speciali rerum dictarum prouerbium, ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη, *Consilium malum consultori pessimum.* Hoc prouerbium non est prouerbium sed γνώμη & χρεία diuerso respectu. Γνώμη quidem, quatenus est dictum sententiosum, recitatum sine autore, ex naturæ lumine sumtum, sed χρεία est, quatenus Hesiodo ascribitur, eumque autorem agnoscit, prouerbium autem catenus est, quatenus ex Scripturæ sacræ historiâ est ortum. Ῥητὸν eius est partim metaphysicum in terminis, *malum pessimum,* partim philologicum, in terminis *consilium, consultor.* Origo prouerbij est ex historiâ Bileami, qui consilium dedit Moabitarum regi Balako, quomodo posset Israëliticum populum in deserto circumuenire & multare, nempe si eum ad idololatriam & scortationem pelliceret. Fuit hæc βουλὴ κακὴ, κακίων, κακίστη. Malum consilium fuit Israëlitis, quia Midianitis in idololatriam & scortationem pellecti Deum grauiter offenderunt. Peius consilium fuit hoc Moabitis & Midianitis, qui armis Israëlitarum duce Iosuâ grauiter fuerunt cæsi atque attriti, propterea quod scelus hoc fuerant in Dei populum machinati. Pessimum consilium fuit Bileamo, qui ipse quoque istis Israëlitarum armis occubuit, quorum capiendorum ansam suo malo consilio præbuerat. Hæc est materia prouerbij, *Sensus ethicus* est ipsum τὸ ῥητὸν, nempe prauos homines suis ipsorum technis perire, & in foueas incidere, quas aliis fecerunt. Synecdoche duæ ita habent. Prima est, Quando audimus hoc prouerbium, ἡ δὲ κακὴ βουλὴ, &c. mox nobis in mentem venit historia Bileami, & mali consilij quod dedit Moabitis. Altera est. Ex hâc historiâ sensus prouerbij magis firmatur, & ad illud mali genus restringitur, quod pœnæ vocamus, quæ tum est notabilior, si suo quis gladio iuguletur, aut suo iumento malum sibi accersat. Hoc prouerbium debet explicari, in philologiâ adagiologiæ specialis, quippe quæ tractat de intellectu, voluntate, gestibus, sermone, consiliis, præceptis, petitionibus. In adagiologiâ indicis historici, pertinet ad historiam Mosis in deserto cum suo populo Israëlitico hærentis, indicis Ethici ad sanctitatem consiliorum, & ad eas miserias quæ in suum autorem reflectuntur. In indice alphabetario recenseri debet, in literâ C non in literâ M, quia terminus *consilium* est in ordine posterioris disciplinæ, cùm terminus malus, sit in ordine disciplinæ prioris, nempe Metaphysicæ.

3. Talis est μεθοδεία Adagiologica, quæ si iustum opus fiat, non librarium debet, quia [illegible] [illegible] liberalium siue encyclopædiæ, quæque [illegible] autorum lectione cum fructu versari velint, vtilissimæ maximeque necessariæ, nec non iucundissimæ doctrinæ materiam sint habituri.

SECTIO XIV.

In quâ delineatur

HIEROGLYPHICA.

PRÆCEPTA.

HIEROGLYPHICE est ars composita de ratione notarum hieroglyphicarum.

Estque generalis vel specialis.

Hieroglyphicè generalis explicat naturam & vsum notarum hieroglyphicarum.

Natura est in definitione, proprietatibus, diuisione generali, & cognatis.

Definitio hæc esto: Notæ hieroglyphicæ sunt signa arcana, per quæ & res & animi sensa exprimebant tanquam per literas: vnde & literas vocabant.

Proprietates sunt similitudo seu conuenientia signi & signati, & celebritas.

Diuisio generalis est, quòd notæ hieroglyphicæ sunt signa naturalia vel artificialia.

Cognata sunt emblemata.

Vsus est, vt fungantur vicem literarum, & insinuent res abstrusiores.

Hieroglyphica specialis est diffusa per vniuersam Encyclopædiam, & proinde est philologica, philosophica, theologica, &c.

REGVLÆ.

I. *Hieroglyphica sunt signa arcana, non cuiuis obuia.* Hierog phica q les, nc tæ?

Hieroglyphica absolutè (subintelligendo σημεῖα) erant notæ arcanæ apud Ægyptios, inprimis animalium; vt iis tanquam literis & res & animi sensa exprimerent. Hâc de re *Ammianus l. 22.* sic ait: Volucrum ferarúmque genera multa sculpserunt, & animalium species innumeras multas, quas hieroglyphicas literas appellarunt. *Et lib. 17.* de obelisco loquens: Formarum, *inquit*, innumeras notas, hieroglyphicas appellatas, quas ei vndique videmus incisas initialis sapientiæ vetus insignauit authoritas. Volucrum enim ferarúmque, etiam alieni mundi, genera multa sculpentes, ad æui quoque sequentis ætates Imperatorum vulgatiùs perueniente memoria, promissa vel soluta regum vota monstrabant. Non enim, vt nunc literarum numerus præstitutus & facilis exprimit quidquid humana mens concipere potest, ita prisci quoque scriptitarunt Ægyptij: sed singulæ literæ singulis nominibus seruiebant, & verbis nonnunquam significabant integros sensus. Cuius rei scientiæ in his interim duobus sit exemplum Per vulturem naturæ vocabulum pandunt: quia mares nullos posse inter has aliter inueniri, rationes memorant physicæ. Pérque speciem apis mella conficientis indicant regem: moderatori cum iucunditate aculeos quoque innasci debere, his signis ostendentes; & similia plurima. *Macrobius lib 1. Saturnal. cap 21.* Osirim, *inquit* Ægyptij, vt solem esse asserant, quoties hieroglyphicis literis suis exprimere volunt, insculpunt sceptrum: inque eo speciem oculi exprimunt, & hoc signo Osirim monstrant: significantes, hunc deum solem esse, regalique potestate sublimem cuncta despicere, quia solem Iouis oculum appellauit antiquitas.

II. *Optima methodus colligendi & exponendi hieroglyphica est, quæ conformatur disciplinis vniuersæ Encyclopædiæ.* Hierog phica c methoc tradend

Methodus tradendi gnomas, prouerbia, paradoxa, hieroglyphica, similitudines, emblemata, &c ferè apud authores est miscellanea, hoc est, ita comparata, vt omnis generis gnomas, prouerbia, &c. conquirant. Quidam μεθοδικώτερον ea omnia reuocant ad certos titulos, iuxta alphabeti seriem digestos. At nobis μεθοδικώτατον videtur, si hæc omnia referantur ad suas quæque disciplinas. Sunt enim gnomæ, prouerbia, paradoxa, hieroglyphica, similitudines emblemata philologica, philosophica, theologica &c. Sic v. g. *con dentibus ambesum* est hieroglyphicum hominis, qui ægritudinib. affligetur; & proinde potest referri ad medicinam pathologicam: *pedes* sunt hieroglyphicum affectus

voluptarij.

voluptarij. Ponuntur enim pedes ἱερογλυφικῶς pro contemptiſſimâ parte, & ideo in animâ pedes nihil ſunt aliud quàm affectus voluptarij, Venereæ multitudini mancipati. Hoc itaque hieroglyphicum eſt ethicum. Porrò hieroglyphica poſſunt etiam ea methodo digeri, vt duæ ipſorum claſſes, conſtituantur: hieroglyphica, inquam, naturalia & artificialia. Illa poſſunt digeri iuxta numerum animalium, prout illa in Phyſicis deſcribuntur: hæc ordine tumultuario poſſunt colligi. Egregiam autem hâc in re operam nauauit *Pierius Valerius*, accuratiſſimus hieroglyphicorum commentator: ſicut *Alciatus* in Emblematis principem obtinet locum. Ex vtroque collegit *Ioſephus Langius* in ſuâ Polyantheâ.

us hieroglyphicum.

III. *Præcipuus hieroglyphicorum vſus eſt, vniuerſam naturæ explicationem, & omnem officij homine digni rationem ob oculos ponere.*

Poſſis itaque ad philoſophiam naturalem & moralem vniuerſam hieroglyphicen referre. Sic v.g. Ægyptij ſacerdotes vniuerſalem medicinam *icoſaedri* figurâ, duplicis harmoniæ ex diapaſon & diapente bifariam conſtantis hieroglyphico, depinxerunt. vbi hieroglyphicum mathematicum eſt nota rei medicæ & phyſicæ. Iidem per *aquas* odium intelligebant, & per *ignem* exprimebant amorem. vbi hieroglyphicum phyſicum ob oculos ponit naturam entis ethici. At, inquies, magna hic cernitur confuſio: dum hieroglyphicum vnum idemque ad diuerſas pertinet diſciplinas. Reſp. In hieroglyphico ſpectatur vel forma, vel finis & intentio. Quantum ad formam attinet, hieroglyphica ſunt vel phyſica, vt apis: vel artificialia; eáque mathematica, vt icoſaëdrum, vel mechanica, vt ſceptrum. Quantum ad finem, hieroglyphica ſortiuntur denominationem ab illâ diſciplina, cuius naturam illuſtrant: vt apis eſt hieroglyphicum regis, ac proinde politicum: pyramis eſt hieroglyphicum ignis, vel primæ materiæ; cubus, terræ, octaëdrum, aëris. Itaque hæc ſunt hieroglyphica phyſica.



SECTIO XV.

In quâ delineatur

POLYANTHEA.

PRÆCEPTA.

POLYANTHEA, ſeu Florilegium, eſt diſciplina compoſita, omnis generis memorabilia, tanquam flores, colligens.

Eſtque vniuerſalis, vel particularis.

Polyanthea vniuerſalis eſt miſcellanea, vel methodica. Illa colligit memorabilia per omnes diſciplinas, eáque redigit ad certos locos communes & titulos, iuxta ſeriem alphabeti: hæc colligit memorabilia per omnes diſciplinas iuxta methodum Encyclopædiæ.

Polyanthea particularis eſt, quæ colligit vnius alicuius vel diſciplinæ, vel authoris memorabilia. Ibi eſt Polyanthea theologica, ethica &c. hîc eſt Florilegium Herodoti, Thucydidis &c.

Deinde Polyanthea eſt totalis, vel partialis.

Polyanthea totalis eſt, quæ habet apparatum omnium partium, quibus perfectum florilegium integratur: qualis eſt Polyanthea Langij, quam compleuit Gruterus.

Partes iſtæ ſunt dicta, ſimilitudines, exempla, & picturæ.

Dicta ſunt ſententiæ, apophthegmata, & adagia; & ſententiæ rurſus ſunt Biblicæ, Eccleſiaſticæ, Philoſophicæ, Oratoriæ, Poëticæ: ſimilitudines ſunt eccleſiaſticæ, vel profanæ.

Exempla ſimiliter ſunt ſacra, vel profana.

Picturæ ſunt ænigmata, hieroglyphica, emblemata, apologi.

Polyanthea partialis eſt, quæ vnam vel alteram ex iſtis partibus proſequitur. e.g, ſi Florilegium theologicum habeat vel dicta Biblica tantùm, vel dicta Biblica & ſimilitudines, &c.

REGVLÆ.

I. *Polyantheam nobis commendant hæc tria; antiquitas, vtilitas, iucunditas.* — Polyantheæ encomium.


Antiqua enim eſt ratio inſtituendi per florilegia: vt ex Prouerbiis Salomonis videre eſt. Ille ſiquidem liber nihil eſt aliud quàm polyanthea ſacra & diuina. Huiuſmodi porrò ſyntagmata apud varias nationes in vſu fuerunt: vt ex gnomis Hebræorum, Græcorum, Latinorum, &c. videre eſt. Deinde magna vtilitas ex his talibus florilegiis redit ad iuuentutem, inprimis in praxi oratoria, & moribus formandis. Denique vt flores in pratis mirificè delectant & veluti paſcunt oculos: ſic axiomata memorabilia, omnis generis & ordinis, animum legentis incredibili perfundunt voluptate.

II. *Etſi florilegia in omnibus & ſingulis artibus dantur: inprimis tamen in practicis habent locum.* — Delectus florilegiorum.

Nam themata practica frequentiùs tractantur ab oratore; & florilegia inprimis adornantur eo fine, vt formandis moribus inſeruiant. Atque hæc eſt cauſa, quòd in philoſophiâ practicâ, non item in theoreticâ, propoſuimus Florilegia; in Ethicis quidem & OEconomicis totalia, in Politicis & Scholaſticis partialia.

III. *Optima proculdubio methodus Polyantheæ eſt, quæ conformatur ad methodum Encyclopædiæ.* — Optima methodus Polyantheæ.

Ita enim fit, vt ſeruetur ordo exquiſitus, qui conuenit cum naturâ rerum; idemque facilis ac oppidò vtilis, vtpote qui memoriam valde iuuat. Facilè autem fuerit huiuſmodi Polyantheam adornare, ſi quis locos communes & titulos apud Langium & Gruterum reuocet ad diſciplinas, eo ordine, quem in hâc Encyclopædiâ expreſſimus.



SECTIO XVI.

In quâ delineatur

MYTHOLOGIA.

PRÆCEPTA.

MYTHOLOGIA eſt ars rectè explicandi fabulas poëticas. *Dicitur etiam* Mythiſtoria.

Eſtque generalis, vel ſpecialis.

Mythologia generalis explicat fabularum poëticarum antiquitatem, vtilitatem, varietatem ſeu differentias generales, & modum interpretandi.

Mythologia ſpecialis procedit ordine hiſtorico, vel didactico. Ibi explicantur ſingulæ fabulæ, incipiendo à diis, & deſinendo in momo: hîc fabulæ phyſicæ referuntur ad titulos phyſicos, ethicæ ad ethicos, theologicæ ad theologicos, hiſtoricæ ad hiſtoricos.

REGVLÆ.

I. *Quod apud Ægyptios erant notæ ac literæ hieroglyphicæ: id apud antiquos Græcos erant fabulæ, quæ dicuntur mythiſtoriæ.* — Mythologiæ antiquitas.

Cùm Ægyptij ſacerdotes à principio philoſophiam accepiſſent à patriarchis, nominatim à Ioſepho, rerumque arcanarum cognitionem illi niterentur apud ſe retinere, ne traderetur in vulgus, dederunt operam vt aliquas notas inuenirent, ſub quibus ſapientiæ præcepta & arcana myſteria ſacrorum continerentur, quas hieroglyphicas appellarunt. Rurſus, cùm ab Ægyptiis vniuerſa propè philoſophia in Græciam primùm fuiſſet deportata, illi eam ſub fabularum inuolucris per manus tradiderunt:

tradiderunt: quâ de re *Natalis comes lib. 1. Mythol.cap.1.* sic disserit. Vniuersa philosophiæ præcepta sub his ipsis fabulis antiquitùs continebantur: quippe cùm non ita multis annis ante Aristotelis, & Platonis, & cæterorum philosophorum tempora, omnia philosophiæ dogmata non apertè, sed obscurè, sub quibusdam integumentis traderentur. Græci enim, cùm occultam philosophandi rationem ab Ægyptiis in patriam adduxissent, ne res admirabiles in vulgus ederentur, quòd illis malè percepti ab religione & ab omni probitate plerumque id facilè desciscat: & ipsi per fabulas philosophari clam cœperunt. Deinde cùm sequentibus temporibus res fuisset denudata, omnisque recta philosophandi ratio ex his in lucem educta, pauci fabulas, antiquum philosophiæ domicilium, vt ita dicam, respexerunt.

Mythologiæ vtilitas.

II. *Inuentio fabularum est suauissimum humanæ vitæ condimentum, ac earum ærumnarum, quas in vitâ patimur, non mediocre solatium, & denique philosophiæ naturalis & moralis artificiosum inuolucrum.*

Plato 2.de rep. primam puerorum institutionem ab honestis fabulis incipere iubet. Cuius rei causa est insignis vtilitas fabularum: de quâ *Dionysius Halicarnass.l.1.rerum antiquarum* sic pronuntiat: Neque mihi obscurum esse quis existimet, quòd è Græcis fabulis nonnullæ sunt hominibus perutiles: aliæ siquidem sunt, quæ naturæ opera sub fabulis contineant: aliæ humanarum calamitatum habent consolationem: aliæ terrores animorumque perturbationes à nobis depellunt, opinionesque parum honestas destruunt: aliæ alterius cuiuspiam vtilitatis causâ fuerunt inuentæ. Sed hanc tantam fabularum vtilitatem pleniùs indicat insignissimus Mythologus, *Nat. comes l. 1. c. 2.* hanc in sententiam. Nos vniuersam fabularum diuisionem ita faciendam censuimus; quòd aliæ fabulæ naturæ secreta continent: aliæ fortunæ inconstantiam declarant, nosque ad eam forti animo ferendam instruunt: aliæ ab impuris opinionibus & crudelitate, atque ab omni perfidiâ & impurâ libidine nos retrahunt: aliæ ad deterrendos homines à rebus turpibus sunt inuentæ: aliæ cohortantur ad strenuitatem: aliæ ex auaritiæ sordibus nos erigunt: aliæ ad deprimendam temeritatem confinguntur: aliæ ad virtutes nos alliciunt, ad integritatem vitæ, ad fidem, ad æquitatem, ad religionem: aliæ ab omnibus denique vitiis nos reuocant. *Et paulò antè:* Cùm turbæ fœminarum & imperitæ multitudini religio, & deorum metus, & fides, & probitas, & temperantia esset in animis inserenda, qui neque Dei naturam intelligerent, neque integritatem rapinæ ac libidini sine aliquo deorum metu anteponerent, non solùm fabulosæ de diis narrationes à sapientibus fuerunt excogitatæ: sed etiam fabulosæ imagines, & picturæ monstris propè similes introductæ. Sic fulmina Ioui tributa sunt, tridens Neptuno, sagittæ Cupidini, fax Vulcano, ac varia terrorum instrumenta diis cæteris. Nam cùm minimè sit expugnabilis mortalium natura, neque validissimas machinas expectet; quippe quæ omnium calamitatum semina intra se contineat, si vel paululum oculos ab illius custodiâ Deus deflexerit: per se, sine aliis pugnæ instrumentis, continuò labefactabitur. Audiamus etiam *Bonneum de ratione discendi cap.6* Historia est quædam fabularis siue mythologica, potissimùm de diis gentium; qui cùm in libris veterum ethnicorum vtramque fermè paginam occupent, vt antiquos scriptores intelligamus, non tantùm Ethnicos, sed etiam Christianos, oportet nos etiam ista rimari, & locos communes mythologicos conficere, sicut animaduertimus fecisse viros præstantissimos, Iohannem Bocatium, Lilium Gregorium Gyraldum, Natalem Comitem, & alios plures.

Fabularum varietas.

III. *Fabularum plura sunt genera, quæ vel à locis in quibus inuentæ fuerunt, vel ab inuentoribus, vel ab argumentorum naturâ nomen obtinuerunt.*

A loco dicuntur Cypriæ, Cilissæ, Sybariticæ. *Ab inuentoribus* Æsopicæ, poëticæ. *Ab argumento* politicæ, morales, rationales, vel mistæ ex pluribus formis. Inter politicas fabulas comœdiæ & tragœdiæ sunt connumerandæ; quia etsi ab agresti vitâ homines per has non euocantur, traduntur tamen ab illegitimis voluptatibus & ab omni intemperantiâ ad vitæ moderationem. Sed horum argumentorum varia sunt nomina; quia aliæ togatæ, à togis histrionum dicuntur; aliæ palliatæ, à palliis Græcorum; aliæ tabernariæ, pro vestibus & conditione introductarum personarum; aliæ planipediæ, quòd neque soccis, neque cothurnis, vt in cæteris, horum argumentorum, histriones vterentur, aliæ Attellanæ, à loco vbi fuerunt inuentæ. Porrò è fabulis aliæ sunt, quæ apologi dicuntur, aliæ μῦθοι, siue fabulæ simpliciter. Apologi vel de brutis fiunt solis, quæ *Aristoteli in Rhetoricis* dicuntur Æsopicæ: vel cum his homines colloquentes faciunt, quæ Aristoteli dicuntur Libycæ: apologorumque illud est munus, vt pro exemplis sint in concionibus. Sed fabulæ illæ, quæ μῦθοι dicuntur, & fabulæ poëticæ, vel generationem rerum naturalium continent, vel agunt de naturâ deorum, vel de vi planetarum, vel de vitâ hominum rectè instituendâ.

Interpretatio mythologica.

IV. *Interpretatio fabularum poëticarum est historica, theologica, physica, vel ethica: vbi sub physicâ continetur astrologica; sub ethicâ, œconomica & politica.*

Omnia priscorum instituta & dogmata tum ad historiæ antiquitatem, tum ad cognitionem & cultum deorum & rerum diuinarum, tum ad inuestigationem naturæ rerumque naturalium, tum etiam vel ad rectorum morum rationem pertinentia, fuisse ab antiquis sub fabularum inuolucris occultata, iam semel atque iterum diximus. Si quis ergo velit felicem istarum fabularum interpretem agere, necesse habebit ad triplicem istum scopum collineare, & inuolucrum fabulæ remouere, adeoque significationem & vsum ipsius tradere theologicè, physicè, vel ethicè. Significant enim, vnum esse Deum, qui sit rex hominumq; deûmque, sed infinitam ipsius potestatem atque vires ineffabiles in naturâ apparere: mundum à Deo fuisse creatum, eumque consistere ex vniuersâ naturâ: vnum esse mundum, non plures: tempus natum esse è cœli motu: cœlos harmonico moueri motu: ætheris naturam esse perpetuam & inuariabilem: elementa esse corruptioni & mutationibus obnoxia, secundùm partes, cùm tamen tota moles ita sit à Deo creata, vt sit sempiterna: hæc omnia animam mundi, seu vim diuinâ, à corruptione præseruare: terram esse immobilem: elementorum partes inter sese vicissim per calorem ætheris, ac per frigus corrumpi & gigni, omniumque horum frequentiores mutationes fieri circa terram: grandines, imbres, & fulmina, cæteráque quæ fiunt in sublimi, è vaporibus à sole in sublime elatis generari: è commistione elementorum & corruptione diuersa gigni animalia & plantas, quorum omnium author est sol per moderatum calorem: plantis & frugibus vtiles esse temporum vicissitudines: animantium generationem vel fieri è corruptione, vel coniunctione maris & fœminæ: omnia gubernari diuinâ prouidentiâ, nihilque esse quod sine Dei auxilio diutiùs possit consistere: solem esse Dei ministrum, per quem omnia fiunt & nascuntur: animas hominum esse immortales, quæ postquam fuerint his corporibus exsolutæ, pro suis meritis vel præmia vel supplicia sortiantur: Deum adesse vbique hominibus quiduis facientibus: nemini licere clam esse scelerato: solam innocentiam intrepidas animas mortuorum ad seuerissimorum iudicum præsentiam deducere: deorum cultum & religionem à nemine posse impunè negligi: omnia diuinæ prouidentiæ esse obnoxia: nihil carere Dei præsentiâ: Deum fauere humanæ industriæ: dæmones, Dei nuntios, nobis semper consulere, atque recta suggerere consilia: sapientiam rem Deo gratissimam, maximeque à Deo diligi sapientem: omnium scelerum grauissimum esse auaritiam, quæ omnia & diuina & humana iura, cultumque vel ipsius Dei pessundare consueuit; cùm nihil sit tam sanctum, quod non auaritia violare soleat: omnibus necessariam esse sapientiam, sed principibus hominibus præsertim: breuem esse fruitionem opum, omniumque illorum quæ diuturnis laborib comparaueris: omnem eximiam opulentiam deuitandam, vt insidiis plenam: iustissimas esse opes, quæ ex agrorum cultu proueniant: naturam paucis esse contentam: fatuos esse, qui plura quàm opus habeant, per aliorum iniurias & animi corporisque sui macerationem sibi parare contendant: nullam esse opum, honorum, libidinum, rerumque huiusmodi satietatem: ab omni ambitione abstinendum: nihil esse à Deo petendum proprium, nisi quod videatur nobis conferre: omnium mortalium statum esse inconstantissimum: neminem impurum posse vltionem Dei deuitare: legem esse hominum reginam: belluarum esse, armis, at hominum, ratione disceptare: nemini scelerato confidere oportere: Principum gratiam nulli impuro esse firmam diutiùs: qui semel à recto desciuerit, legesque contemnere didicerit, illum postea fieri ad omne improbitatis genus propensum: si quis voluptatum imperium semel æquo animo patiatur, illum postea variarum belluarum & ferarum naturam induere: neminem posse satis sibi à voluptatibus temperare, nisi diuinam opem implorauerit, & ab illâ adiuuetur: animæ partes esse duas, hanc rationi parentem, illam minimè, oportereque meliorem deteriori imperare: omnis probitatis fundamentum esse religionem: omnem beneficentiam esse Deo gratam: vitam mortalium esse quàm plurimis difficultatib. circumuentam, è quibus nisi Dei ope nemo satis sapienter se expedire poterit: filiis vel ad probitatem vel improbitatem esse acutissimum calcar maiorum exempla: ebrietatem corpus & animum inutilem facere rebus omnibus multaque indecora immoderatum vini vsum sequi solere: iræ vim plurimùm obesse rebus omnibus nisi moderatio illi adhibeatur: omnem arrogantiam diuinæ naturæ maximè esse aduersam, quæ tandem à Deo deprimitur: ambitionem maximè animos mortalium infestare: mortalium superbiâ & cruditate iram Dei concitari: omnibus vitiis annexum esse condignum supplicium, neque vllam esse nobilitatem, aut vires, aut diuitias, aut potentiam, quæ possit dignæ pœnæ sceleratum hominem subtrahere: animas esse immortales,

mortales, quæ diutiſſimè poſſint dare pœnas illorum ſcelerum, quorum perbreuem voluptatem expetiuerint: omnibus eſſe moriendum: omnes poſt mortem eſſe iudicandos: innocentiam eſſe optimum viaticum omnibus animabus mortuorum ad ſummi Dei præſentiam: ita viuendum eſſe, vt recordatio præteritæ vitæ poſſit nos in morte conſolari, ac non terrores inijcere: tortores fore, qui commiſſa peccata nos fateri cogant poſt mortem: non eſſe curandum quid de nobis dicunt homines, ſed quod æquum eſſe videatur, faciendum. Hæc, inquam, & ſimilia dogmata ſub inuolucris fabularum continentur; & quidem vel ſingula ſub ſingulis, vel plura ſub ſingulis. Admittunt enim fabularum nonnullæ hiſtoricam, & phyſicam, & ethicam, & theologicam rationem; cùm aliæ naturalem tantùm, aliæ moralem ſolam contineant.

Mythologia ſpe-cialis.

V. *Mythologia ſpecialis duplici methodo poteſt tradi.*

Prima eſt magis hiſtorica, quæ incipit à mythologiis deorum & dearum, indeque ſingulas fabulas perſequitur. Huius methodi inſignis artifex eſt Natalis Comes, qui nouem libris hoc argumentum prolixè & accuratè tractat, & lib. decimo compendium tradit, hoc ordine: Iupiter, Saturnus, Cœlus, Iuno, Hebe, Vulcanus, Mars, Neptunus, Pluto, Plutus, Flumina inferorum, Cerberus, Parcæ, Iudices inferorum, Eumenides, Tartarus, Hecate, Somnus Proſerpina, Luna, Diana, Campi Elyſij, Lethe, Penates, Genius, Pallas, Prometheus, Atlas, Endymion, Fortuna, Apollo, Æſculapius, Venus, Cupido, Gratiæ. Horæ, Mercurius, Pan, Silenus, Fauni, Nymphæ, Bacchus, Ceres, Priapus, Adonis, Sol, Ariſtæus, Phaëthon, Aurora, Tithonus, Paſiphae, Circe, Medea, Iaſon, Phrixus, Argus, Capra cœleſtis, Niobe, Ixion, Siſyphus, Tantalus, Tityus, Titanes, Gigantes, Typhon, Paris, Actæon, Hercules, Achelous, Aper Calydonius, Centauri, Harpyiæ, Heſperides, Atalanta, Theſeus, Meduſa, Gorgones, Sirenes, Orpheus, Muſæ, Dædalus, Pelops, Perſeus, Oceanus, Triton, Inus, Palæmon, Nereus, Proteus, Caſtor & Pollux, Æolus, Scylla, Orion, Arion, Amphion, Halcyones, Deucalion, Io, Veſta, Iris, Alpheus, Inachus, Europa, Penelope, Andromeda, Vlyſſes, Oreſtes, Chimæra, Bellerophon, Rhea, Latona, Curetes, Corybantes, Cyclopes, Lycaon, Ganymedes, Harmonia, Cadmus, Midas, Narciſſus, Belides, Sphinx, Nemeſis, Momus. Hoc itaque ordine progreditur Natalis Comes. Quòd ſi μεθοδικώτερον hæc ipſa tradere velimus, Mythologiam ſpecialem diuidemus in theologicam, phyſicam, ethicam, & hiſtoricam: cuius rei ſpecimen eſt apud *Dauidem Schramum in Adyto Phyſices & Ethices*: vnde nos compendiosè tranſtulimus ſupra in Phyſicis & Ethicis.

Mytholo-gia Chy-

VI. *Mythologiæ phyſicæ pars eximia eſt Mythologia Chymica.*


Eam ingenioſè tradit *Ioh. VVolfgangus Dienheim de medicinâ vniuerſali.* Summa hæc eſt *Iupiter* nunc eſt ignis, qui omnia fouet: nunc ipſa vis ſuperiorum elementorum, quæ actiua eſt, dum agit in hæc duo inferiora, ad generationem & corruptionem, Aër interiectus inter cœlum & mare, *Iunonis* nomine conſecratur, quæ & ſoror & coniux eſt Iouis; quod ſimilitudo eſt ætheris & cum eo ſumma coniunctio. *Saturnus*, à ſatu nomen habens, eſt terra pinguis, è quâ creſcunt omnia. Edit ſanè terra abſumitque infantes ſuos: ſed nihil poteſt in Iouem, Neptunum, & Plutum, id eſt, in cœleſtia, aquam, & metalla. Hic Saturnus claudicat: quia terra ſtabilis, & ſine vllo damno coloris, ponderis, aut ſubſtantiæ, in igne permanet, non aliter ac ſi confracta haberet crura. *Mars* eſt terra lapidea, & ferro chalybeque vtplurimùm grauida. *Venus* eſt terra fœcunda, quæ omnes cœlorum & aſtrorum influentias concupiſcit, & admittit, fœcundarumque imbrium eſt appetens: quâ de re princeps poëta ſic canit:

Vere tument terræ, & genitalia ſemina paſcunt.
Tunc pater omnipotens fœcundus imbribus æther
Coniugis in gremium lætus deſcendit, & omnes
Magnus alit magno commiſtus corpore fœtus.

Luna eſt aqua cœleſtis: *Diana*, terreſtris: *Proſerpina*, ſubterranea: vnde Poëta:

Luna polo, Diana ſolo, Proſerpina Dite.

Cœleſtis illa, ſeu pluuia, vitalem herbis animam è cœlo delatam largitur: terreſtris eſt multimammia animalium ſuſtentatrix. ſubterranea, mineralium eſt materia. *Mercurius*, deorum nuntius, & *Iris*, nuntia eorundem, eſt aqua pluuia, quâ mediante cœlum terræ coniungitur, quæque calore ſolis, vel alio non abſimili, tepefacta, omnes omnino colores, qui in mundo ſunt, à ſeipsâ efficit. *Sol* eſt ignis aëriſque ſymbolum: quòd hæc ſint elementa maximè actiua. Sic itaque elementis diuinum honorem detulerunt, diuináque nomina conſecrarunt, quòd eorum materia ſecundum totum æterna ſit & nulli ſubiaceat corruptioni.



SECTIO XVII.

In quâ delineatur

CYCLOGNOMONICA, & in primis ars Lulliana.

PRÆCEPTA.

CYCLOGNOMONICA eſt ars bene diſſerendi de quouis ſcibili, beneficio circulorum dialecticorum, ſeu didacticorum.

Eſtque verbalis, vel realis. Illa docet componere circulos philologicos: hæc, pragmaticos. Nos hoc loco trademus pragmaticam: de philologicâ vide ſect. ſeq.

Cyclognomonica pragmatica eſt generalis, vel ſpecialis.

Cyclognomonica generalis eſt, quæ in quolibet ſcientiarum genere locum habet.

Eſtque ſimplex, vel mixta ſeu compoſita.

Cyclognomonica generalis ſimplex eſt logica, vel metaphyſica.

Cyclognomonica generalis compoſita eſt, quæ terminos variarum diſciplinarum miſcet: *vbi excellit* Ars Lulliana.

Ars Lulliana conſiſtit in alphabeto, & alphabeti tum explicatione, tum applicatione.

Alphabetum conſtat nouem literis cum ſuis ſignificatis.

Explicatio alphabeti eſt in figuris & tabulis: quibus continentur inſtrumenta inuentionis & diſpoſitionis cyclognomonicæ.

Inſtrumenta inuentionis ſunt ſubiecta, quæſtiones, & prædicata.

Subiecta & quæſtiones funguntur vicem thematis, vel argumentorum.

Prædicata, ſeu attributa, funguntur vicem argumentorum.

Suntque vel abſoluta, in figurâ primâ: vel reſpectiua, in figurâ ſecundâ.

Inſtrumenta diſpoſitionis ſunt axioma, in figurâ tertiâ: ſyllogiſmus, in figurâ quartâ: & methodus, in tabulâ magnâ.

Applicatio eſt generalis, vel ſpecialis Illa fit ad diſputationes & orationes: hæc ad ſingulas diſciplinas,

Cyclognomonica ſpecialis eſt varia, pro varietate diſciplinarum. Eſtque ſimplex, eáque inprimis oratoria, phyſica, ethica, & theologica: vel mixta, quæ varios circulos inter ſe miſcet, videl. ſpecialis inter ſeſe, vel cum generalibus.

REGVLÆ.

I. *Cyclognomonica facit ad alacriter diſcendum, & celeriter diſſerendum.*

Cyclognomonicorum vtilitas.

Sunt, qui circulos dialecticos, id eſt, hoc conſilio excogitatos, vt faciant ad bene diſſerendum, appellant præſtigias. Quibus vellem cognita eſſet docendi diſcendique ratio veteribus vſitata. Solebant illi mathematicas figuras adhibere, tanquam illices ingeniorum puerilium. Itaque nihil peccamus, quando hanc didacticam excolendam ſuſcipimus: quam ipſa vox *Encyclopædia* nobis commendat. Sed & alia eſt huius didacticæ cyclognomonicæ vtilitas. Iuuat enim illa memoriam & iudicium, vt poſſimus promtè celeriterque diſſerere, ſeu, vt vulgo loquuntur, diſcurrere. Nimirùm thema propoſitum habet rationem centri: prædicata & tituli ingenioſè comportati, ſunt argumenta, quæ in circumferentiâ collocantur, vt ducantur lineæ partim à ſingulis ad centrum, partim à ſingulis ad ſingulos,

los, quæ dicitur *immeatio*: quâ vnâ voce continetur totum ferè artificium Cyclognomonicum.

Cyclognomonica tota, præter Lullianã, traditur.

II. *Tota Cyclognomonica, præter Lullianam, terminos principales cuiusque disciplinæ reuocat ad certa capita, eaque inscribit circulis.*

Sic in Metaphysicis conficitur Cyclognomonica ex principiis, passionibus, & speciebus entis, seu ex transcendentibus & prædicamentis: quorum attributio immeatio est multiplex. Si enim verbi gratia, disserendum sit de Scripturâ sacrâ, de Deo, de iustitiâ, &c. hæc themata habent rationem entis, tanquam centri. De hoc centro prædicantur primò singula, vt essentia, existentia, duratio, vnitas, veritas, &c. deinde bina, vt essentia vna, essentia vera, vnitas bona, vnitas independens vel dependens, &c. tertiò terna, quaterna, quina, &c. quæ connexio est infinita & valde vtilis. *In Logicis* Cyclognomonica constat locis inuentionis circulo inscriptis: quod ingeniosè obseruauit *Paulus Resenius Danus in Logicâ speciali*; vbi terminos istos, Causa, Effectum, Subiectum, &c. circulo inscripsit, eâ ratione, quâ factum est in figurâ primâ apud Lullium. Hi ergo termini admittunt variam prædicationem & immeationem. Aut enim v. g. mundi causa, effectum, subiectum, &c. seorsim explicatur: aut coniunctim bini, terni, quaterni, &c. termini combinantur: vt mundi causa habet sua adiuncta, dissentanea, comparata, definitionem, &c. Quæ disserendi ratio & ipsa est infinita. *In oratoriâ facultate* omnium optima videtur Cyclognomonica *Iasonis Noris*, quam ille inscripsit *Rotas oratorias*: de quibus vide suprà in oratoriâ nostrâ. *In theologia* conficies Cyclognomonica ex locis communibus, vel pro arbitrio tuo dispositis, vel eo ordine, quem in Oratoriâ expressimus. Vbi est regula generalis: *Quot sunt loci communes alicuius artis & facultatis, tot sunt loci inuentionis.* Ita si theologicè velis differere de vitâ æternâ, percurre locos theologicos de Scripturâ, de Deo, de angelis, &c. Profectò satis argumentorum tibi se offeret, si vel singulos locos inspicias, vel duos, tres aut plures combinare aggrediaris. Sed hâc de re vide suprà in Logicis & Oratoriis: vnde vniuersa Cyclognomonica magnam accipit lucem. Quod itaque superest, Cyclognomonicis Lullij tribuemus. Si plura velis hanc in sententiam, adi *Cyclognomonica Gemmæ*, librum satis subtilem: etsi Posthumo aliter videtur.

Encomium artis Lullianæ.

III. *Scopus artis Lullianæ, tum breuis, tum magnæ, est docere methodum, per quam magna attributorum, propositionum, quæstionum, & argumentationum copia nobis suppetat, adminiculo terminorum realium & notionalium.*

Varia sunt variorum iudicia de arte Raimundi Lullij: quorum alia in excessu peccant, alia in defectu. Audias enim quosdam sciolos præ se ferre, beneficio huius artis perueniri posse in cognitionem omnium rerum, ita nempe, vt aliarum facultatum cognitione non sit opus. Sed alij tam contemptim loquuntur de hâc arte, vt ignari eam habeant pro merâ illusione & seductione. Nos mediam viam ingredimur, secuti *Iulium Pacium*, IC. & Philosophum clarissimum, qui scripsit *quatuor libros Artis Lullianæ emendatæ*. Ibi proponit primam partem regulæ, quam attulimus, & ostendit conuenientiam & differentiam huius artis cum dialecticâ. Summa huc redit. Ars hæc est similis dialecticæ, quam Aristoteles tradidit in Topicis. Sed non coangustatur ad quatuor illa problematum genera, ad quæ refertur tota Aristotelis dialectica, id est, ad problema definitionis, proprij, generis, & accidentis. Præterea non adhibet eosdem locos: nam Aristoteles proponit axiomata sumpta à genere, à specie, à coniugatis, & aliis similibus locis. Raimundus verò in hâc arte proponit alios locos, videl. bonitatem, magnitudinem, &c. Atque hæc est causa, quòd in regulâ diximus, Raimundum assequi suum scopum adminiculo terminorum realium, & notionalium. Termini reales sunt metaphysici, theologici, physici, ethici: vt bonitas, magnitudo, Deus, angelus, cœlum, homo, iustitia, auaritia, &c. Termini notionales sunt logici: vt differentia, concordantia, & reliqua prædicata respectiua. Quæ verò, inquiat aliquis, hæc est confusio? Respondet *Pacius in præfatione d. l.* his verbis: Fuit Lullius magno ingenio præditus, &, vt illa tempora ferebant, egregiè doctus: sed vel artis obscurandæ gratiâ, quò maiorem sui admirationem excitaret, vel quia vt elegantiæ, ita etiam methodi expers omnino fuit, artem suam ita inuoluit & perturbauit, vt difficillimam multorum iudicio reddiderit. Sed accedamus ad ipsius artis explicationem, breuem quidem illam, sed quæ satis esse queat ingenio non tardo. Si quis vberiorem desideret explicationem, legat *Pacium*, quem modò citauimus, & *Petrum Hieronymum Sanchez Hispanum in Generali & admirabili methodo, ad omnes scientias faciliùs & citiùs addiscendas: in quâ eximy & piissimi doctoris Raimundi Lully ars breuis explicatur, & multis exemplis variisque quæstionibus, circa facultates, quæ in scholis docentur, ad praxin (quod nunquam factum legitur) apertissimè reducitur.* Addatur etiam *Clauis nostra in hanc artem.* Atque hi tres tractatus abundè possunt sufficere studioso huius artis. Si tamen velit, potest addere *Henricum Cornelium Agrippam, Paulum Scalichium, Valerium de Valeriis, Iordanum Brunum, & Petrum Gregorium Tholosanum.* qui omnes hanc artem suis commentariis illustrarunt.

Alphabetum artis Lulliani.

IV. *Alphabetum huius artis est collectio terminorum generalissimorum, ad quos reliqui omnes reuocari possunt.*

Pacius lib. 1. cap. 1. eleganter ait: Huius artis partes duæ sunt: prior de terminis simplicibus, quæ vocantur principia: hisque adiunguntur quæstiones generales: posterior de mixtione illorum principiorum, per quam mixtionem fiunt propositiones & syllogismi. Prior pars inscribitur de alphabeto: quia quodlibet ex illis simplicibus vocabulis, breuitatis causâ, significatur vnâ literâ alphabeti. Posterior pars inscribitur de figuris: quoniam mixtiones principiorum in hâc arte, figuris, id est, diagrammatis quibusdam continentur. Primò igitur declarabo alphabetum, id est, principia & quæstiones. Secundò exponam figuras, id est, mixtiones principiorum. Tertiò tradam praxim & vsum huius artis. *Hæc Pacius.* Audiamus etiam *Hieronymum Sanchez.* Alphabetum, inquit, in præsenti nihil aliud significat, nisi collectionem generalem omnium eorum, quæ considerantur in arte, & sciri possunt ab homine in hâc vitâ. Quemadmodum enim ars Grammaticæ habet velut præuiam cognitionem omnium literarum, per quas potest & libros legere, & componere; primóque tabellâ quâdam tradit addiscendas & cognoscendas viginti duas literas, quas inter ipsas componendo & miscendo, syllabas & dictiones facit; & deinde orationes, capita, tractatus, & libros componit: sic ars nostra in alphabeto, quinquaginta quatuor terminos proponit, qui mixti inter se variam & vniuersalem particularémque omnium rerum cognitionem pariunt. Qui quidem termini, vel pertinent ad attributa rerum, vel ad subiecta, vel ad modos & regulas quærendi veritatem. Pro quo nota, quòd in omni consideratione, siue in generali, siue in particulari, vt in compositione totius libri, vel discursus, concionis, aut alterius particularis propositi consideratur subiectum, de quo loquimur, prædicatum, quod attribuitur subiecto; & modus quærendi, seu ratio quare prædicatum conueniat subiecto: vt si v. g. componendus esset liber, An mundus sit æternus; *mundus* erit subiectum, de quo agitur; prædicatum est *æternus*; modus quærendi est, *an sit* seu *vtrum*, per quem deducitur responsio vera. Sic contingit in omni disputatione, tàm generali quàm speciali: propter quod ars nostra oportuit vt colligeret in vnum, generalia attributa rerum, subiecta quoque prima existentia in naturâ, & moralia, modósque quærendi veritatem generales aduerteret. Quod facit in præsenti alphabeto: in quo sub nouem literis, tanquam notulis, seu indicibus, ponit nouem attributa absoluta realia, quæ rebus possunt conuenire: deinde nouem alia principia, seu attributa, respectiua: tertiò designat nouem modos quærendi: quartò, nouem subiecta naturalia: quintò, nouem subiecta virtuosa moralia; sextò, nouem vitia generalia: sub quibus subiectis multa alia subiecta particularia continentur: sub principiis etiam generalibus multa particularia attributa & principia: & sub generalibus modis quærendi, multi alij particulares, qui ad generales modos reducuntur. Vnde in isto alphabeto apparet velut quoddam speculum omnium entium. Hactenus Sanchez. Iam delineamus ipsum alphabetum.

B.	C.	D.	E.	F.	G.	H.	I.	K.
Bonitas.	Magnitudo.	Duratio.	Potestas.	Sapientia.	Voluntas.	Virtus.	Veritas.	Gloria.
Differentia.	Concordantia.	Contrarietas.	Principium.	Medium.	Finis.	Maioritas.	Æqualitas.	Minoritas.
Vtrum.	Quid.	De quo.	Quare.	Quantum.	Quale.	Quando.	Vbi.	Quomodo, & cum quo.
Deus.	Angelus.	Cœlum.	Homo.	Imaginatiua.	Sensitiua.	Vegetatiua.	Elementatiua.	Instrumentatiua.
Iustitia.	Prudentia.	Fortitudo.	Temperantia.	Fides.	Spes.	Charitas.	Patientia.	Pietas.
Auaritia.	Gula.	Luxuria.	Superbia.	Desidia.	Inuidia.	Ira.	Mendacium.	Inconstantia.

Pacius

Pacius ita delineat.

	1.	2.	3.
b.	bonitas.	differentia.	vtrum.
c.	magnitudo.	concordantia.	quid.
d.	duratio.	contrarietas.	vnde & cuius.
e.	poteſtas	principium.	quare.
f.	ſapientia.	medium.	quantum.
g.	appetitus.	finis.	quale.
h.	virtus.	maioritas.	quando.
i.	veritas.	æqualitas.	vbi.
k.	gloria.	minoritas.	quomodo.

Huius alphabeti vſus eſt quintuplex, iuxta *Hieron. Sanchez*: cuius diſſertatio ſummatim hæc eſt 1. Omnes quæſtiones ſunt reducendæ ad literas alphabeti: v. gr. quæſtio iſta, *Vtrum Deus ſit perfectus*, reducitur ad B ac proinde applicanda ſunt propriè ea, quæ ſub iſtâ literâ continentur: vt, Deus eſt perfectus, quia bonus; quia eſt ſibi & omnibus aliis ſufficiens; quia iuſtus &c. Deinde adhibentur ea, quæ continentur ſub C. D. &c. 2. Si aliquid velimus diuidere, poſſumus linealiter vel tranſuerſaliter omnia principia hîc poſita percurrere: vt homo eſt bonus vel malus, ingenioſus vel ſtupidus, neceſſarius reip. vel non, Deo ſimilis vel diſſimilis, iuſtus vel iniuſtus, auarus vel liberalis, magnus vel paruus, amicus vel inimicus, angelicus vel diabolicus, &c. 3. Definitiones fieri poſſunt deſcendendo, & lateraliter procedendo. Deſcendo. vt, Deus eſt ens optimum in ſe & extra ſe. Lateraliter procedendo: vt, Deus eſt ens optimum & maximum. 4. In diſputationibus loca argumentorum ſumuntur ex hoc alphabeto. Alius enim locus eſt à bonitate, alius à differentiâ, alius à diuinitate, alius ab exiſtentiâ, iuſtitiâ, &c. Et hi quidem ſunt loci ſimplices: quibus accedunt loci compoſiti: vt à bonitate magna, vel durabili &c. à bonitate magna, durabili, & potenti, &c. Poſſunt enim coniungi bina, terna quaterna &c. vel omnia principia. 5. Diſcurſum inſtituimus adminiculo quæſtionum: vt, an ſit materia prima, quid ſit &c. Et hæc quinque in figuris ſeqq. diligenter ſunt obſeruanda.

ura na. V. *Figura prima proponit prædicata propria & eſſentialia cuilibet ſubiecto: in quibus oportet ſpectare definitionem, coniugata, contraria, ſpecies, & vſum.*

Termini huius figuræ ſunt maximè generales & tranſcendentes: in quibus *primò* attendere oportet ad definitionem. Illa enim eſt principium diſcurſus excellentiſſimum, iuxta regulam: Definitio eſt optimus iudex controuerſiarum. *Deinde* coniugata, ſiue ſynonyma, debent eſſe in promtu. Vbi ſunt termini artis, & terminorum exornatio. Termini artis fere conſtant his terminationibus: *iuus, ilis, are, io, as* &c. Sic Bonum eſt, in quo bonitas ineſt. Bonificatiuum eſt, quod habet vim efficiendi rem bonam. Bonificans eſt, quod actu rem facit bonam. Bonificabile eſt, quod poteſt bonum fieri. Bonificatum eſt, quod factum eſt bonum. Bonificare eſt rem bonam facere. Bonificatio eſt actio, per quam res fit bona. Eadem ratione dices magnum, magnificans, magnificatiuum, magnificatum, magnificabile, magnificatio &c. Sed quia hi termini ſunt barbari, non ſunt adhibendi in diſcurſu. Seruiunt tantùm intellectui diſcurrentis; qui barbariem iſtam tollet exornatione, circumſcriptione, & ſimilibus elegantiis. e.g. pro bonificatiuus dicet beneficus, vel qui propenſus eſt ad benefaciendum: pro ignificabilis dicet, qui poteſt ab igne calefieri, emolliri &c. vt ferrum: pro ignificatiuus, qui poteſt ignem parere, vt ſilex. *Tertiò*, contraria ſunt notanda: vt, bonum malum, honeſtum turpe, iucundum moleſtum, vtile damnoſum. Eſt itaque magnum operæpretium, ſi habeamus abacos ſynonymorum & repugnantium, prout illos in claui digeſſimus. *Quartò*, ſpecies, ſiue diſtinctiones, ſunt obſeruandæ: vt, Bonum eſt verum vel apparens, permanens vel fluens, honeſtum, vtile, vel iucundum, &c. *Quintò*, vſus eſt in explicatione, probatione, & amplificatione. Poſſumus enim hæc attributa aut ſingula enuntiare de rebus: affirmando vel negando, in abſtracto vel concreto, principaliter vel minùs principaliter &c. aut inter ſeſe coniungere vel duo, vel tria, vel quatuor, &c. Eſt enim verb. gr. hominis bonitas, magnitudo, duratio, &c. item bonitas magna, bonitas durabilis, bonitas potens, &c item bonitas magna, durabilis, potens, & ſapiens, &c. Nimirum hæc figura eſt circularis, vt intelligamus, circulariter in ea eſſe procedendum ab vno principio ad aliud, vt à bonitate ad magnitudinem, à magnitudine ad durationem, &c. Rurſus in hac figura ducuntur lineæ à ſingulis prædicatis ad ſingula, vt intelligamus, diſcurſum non tantùm fieri circulariter & abſolutè, ſed etiam circulariter & comparatè. Poteſt enim quodlibet principium com-

parari octupliciter: vt bonitas cum magnitudine, duratione, poteſtate Porrò vſus iſte requirit applicationem principiorum ad ſubiecta generaliſſima, intermedia, & infima, hoc eſt, ad genera, ſpecies, & indiuidua. quæ dicitur ſcala intellectus deſcendentis & aſcendentis. Ita enim verb. gr. eſt bonitas entis, ſubſtantiæ, ſpiritus, corporis, viuentis, animalis, hominis, Bucephali, Petri &c. vbi notandum eſt, inferiora ſemper eſſe ſubiecta ſuperiorum, & ſuperiora eſſe prædicata inferiorum: vt homo eſt ſubiectum entis, ſubſtantiæ, corporis, viuentis, animalis, quæ omnia in homine continentur eſſentialiter, & ideo de ipſo prædicantur.

VI. *In ſecundâ figurâ oportet attendere differentiam & conuenientiam cum figurâ primâ.* Figura ſecunda.

Differentia inter primam & ſecundam figuram eſt triplex. 1. In illâ ſunt termini abſoluti, in hâc reſpectiui. 2. In quolibet principio primæ figuræ tacitè continetur contrarium, vt ſub bono malum, ſub magno paruum, &c. quod in ſecundâ figurâ locum non habet: quia in hâc termini contrarij ſeparatim ſunt collocati, vt concordantia, contrarietas, &c. 3. quodlibet principium primæ figuræ eſt maximè generale, & cuiuis rei tribuitur: in ſecundâ verò figurâ hæc maxima generalitas non conuenit vni principio, ſed tribus ſimul iunctis. Hæc enim figura conſtat tribus triangulis ſiue ternariis. Nam quælibet res differt, concordat, vel contrariatur. Rurſus eſt in principio, medio, vel fine. Denique eſt maior, æqualis, vel minor. *Conuenientia* eſt in eo, quòd in hâc figurâ æquè atque in primâ oportet reſpicere definitionem, coniugata, & ſpecies ſingulorum principiorum. Ex his itaque patet, vſum figuræ ſecundæ eſſe communem, vel proprium. *Vſus communis* eſt idem, qui in primâ figurâ. Sicut enim in illâ, ita quoque in hâc circulariter diſcurrimus, procedendo ab vno principio ad aliud, idque ſingulariter vel pluraliter, id eſt, per ſingula, duo, tria, vel plura principia. *Vſus proprius* eſt obſeruare apices ſingulorum triangulorum. Eſt enim differentia, contrarietas, & concordantia inter res intelligibiles, vt inter Deum & angelum: vel inter res ſenſibiles; vt inter lapidem & plantam: vel inter rem intelligibilem & ſenſibilem, vt inter angelum & hominem. Principium eſt cauſæ, quantitatis, vel temporis. Medium eſt coniunctionis, menſurationis, vel extremitatum. Finis eſt perfectionis, terminationis, priuationis. Maioritas, æqualitas, & minoritas ſpectantur vel inter duas ſubſtantias, vt ſubſtantia cœli eſt maior quàm aëris, ſubſtantia Socratis & ſubſtantia Platonis ſunt æquales: vel inter ſubſtantiam & accidens, vt extenſio quantitatis eſt æqualis ſuæ ſubſtantiæ, ſed eſſentialiter ſubſtantia eſt maior quantitate, & quouis alio accidente: vel inter duo accidentia, vt non legere & negligere ſunt æqualia, legere eſt maius quiddam quàm ludere. Si ergo quæratur concordantia, differentia, principium, &c. alicuius rei, oportet ad iſta triangula reſpicere.

VII. *Tertia figura eſt mixtio figuræ primæ & ſecundæ.* Tertia figura.

Ea eſt triangularis, & aliter à Lullio, aliter à Pacio digeritur. Lullius ita digerit.

BC.	CD.	DE.	EF.	FG	GH.	HI.	IK.
BD.	CE.	DF.	EG.	FH.	GI.	HK.	
BE.	CF.	DG.	EH.	FI.	GK.		
BF.	CG.	DH.	EI.	FK.			
BG.	CH.	DI.	EK.				
BH.	CI.	DK.					
BI.	CK.						
BK.							

Pacius hoc modo diſponit, & explicat.

bb.								
bc.	cc.							
bd.	cd.	dd.						
be.	ce.	de.	ee.					
bf.	cf.	df.	ef.	ff.				
bg.	cg.	dg.	eg.	fg.	gg.			
bh.	ch.	dh.	eh.	fh.	gh.	hh.		
bi.	ci.	di.	ei.	fi.	gi.	hi.	ii.	
bk.	ck.	dk.	ek.	fk.	gk.	hk.	ik.	kk.

Hh Hæc

Hæc figura constat nouem columnis, quia nouem sunt literæ alphabeti, & quælibet litera habet suam columnam: vt litera B columnam primam, C secundam, & ita deinceps. In prima columna sunt nouem cellulæ: quia litera B coniungitur cum semetipsa, & cum octo sequentibus. Similiter omnino in secunda columna sunt octo cellulæ: quia litera C cum semetipsa connectitur, & cum septem sequentibus. Sic in tertia columna sunt septem cellulæ: in quarta, sex: in quinta, quinque: in sexta, quatuor: in septima, tres: in octaua, duæ: in nona, vna cellula. Nulla enim cellula est, in qua litera prior alphabeti subiiciatur posteriori, ne bis eadem literarum coniunctio ponatur. verb. gr. nulla est cellula C B in secunda columna, quia eadem esset cum cellula B C primæ columnæ. Quælibet cellula permulta habet attributa, & multas propositiones continet. 1. Quia quælibet litera sumitur vel ex prima, vel ex secunda columna alphabeti. Inde oriuntur quatuor modi huius figuræ. nam in quauis cellula vel accipitur vtraque litera ex prima alphabeti columna; vel prima litera ex prima columna, & secunda ex secunda; vel è contrario prima litera ex secunda columna, & secunda litera ex prima columna. Ex tertia verò alphabeti columna in præsentia nihil accipimus: quia loquimur de terminorum mixtione: illa autem columna non continet terminos, sed quæstiones. 2. Quia quælibet litera, etiam in eadem columna alphabeti, significat multos terminos: vt B significat bonitatem, bonum, bonificans, bonificatiuum, bonificabile, &c. 3. Quia in quauis cellula, prima litera vel attribuitur vel subiicitur secundæ e. g. in cellula B C continentur hæc attributa: Bonitas magna Bonitas magnitudinis, Magnitudo bona, Magnitudo bonitatis, Differentia concordiæ, Concordia differentiæ, Concordia differens, Bonitas concordiæ, Consensus bonorum, Magnitudo differentiæ, Differentia exigua. Item hæ propositiones continentur: Bonitas magnificat, Magnitudo est bona, Res differentes in quibusdam concordant, Concordes interdum dissentiunt, Viri boni consentiunt, Concordia est bona, Differentia est magna, Magnitudo differt. Et ita quidem *Pacius* explicat hanc figuram. *Sanchez* ferè hæc adfert Hæc figura est triangularis: quo significatur, ab vno angulo ad alium fieri posse progressum. Continet triginta sex cameras, seu loca diuersa, in quorum vnoquoque sunt duæ literæ alphabeti, primæ & secundæ figuræ; & sub qualibet earum sunt duo principia, alterum absolutum, & alterum respectiuum, vna quæstio, & tria subiecta, videl. vnum naturale, alterum morale, & tertium vitiosum. Vsus itaque huius figuræ est in euacuatione camerarum, hoc est, in comparatione eorum, quæ continentur sub qualibet litera, ad ea quæ sub alia reperiuntur. Principaliter tamen comparatio fieri debet per quatuor principia in duabus literis cuiuslibet cameræ contenta. Itaque intellectus potest huius figuræ adminiculo discurrere per triginta sex cameras, in quolibet proposito explicando vel probando.

Figura quarta.

VIII. *Figura quarta seruit discursui syllogistico.*

Eius delineatio est gemina *Prima* est circularis apud Lullium, de quâ Sanchez ita ferè philosophatur. Dispositio huius figuræ consistit in tribus circulis, maiori scil. medio, & minori: per quos intellectus discurrit, & facit rationes ad quodlibet propositum, probando quæstiones quæ sub tribus literis seu indicibus continentur: ita nempe, vt maior circulus maneat immobilis, & cum quâlibet literâ eiusdem comparentur omnes literæ, quæ in circulo medio continentur; & sub quâlibet literâ fiat comparatio omnium literarum, minoris circuli: & ad vnam superioris circuli comparentur omnes literæ quæ sunt in circulo medio, & ad vnam medij, omnes literæ circuli minoris. e.g. post B circuli maioris succedat C circuli medij, & D circuli minimi. Et hæc est veluti prima camera. Deinde fit camera B C E; tum B C F, &c. Itaque sumitur medium probationis ex C circuli medij comparati cum B & D, & sic deinceps. *Secunda* dispositio est triangularis apud Pacium, hoc modo,

	1	2	3	4	5	6	7	8
1	bbc	ccd	dde	eef	ffg	ggh	hhi	iik
2	d	e	f	g	h	i	k	ikk
3	e	f	g	h	i	k	hii	
4	f	g	h	i	k	ghh	k	
5	g	h	i	k	fgg	i	hkk	
6	h	i	k	eff	h	k		
7	i	k	dee	g	i	gii		
8	k	cdd	f	h	k	k		
9	bcc	e	g	i	fhh	gkk		
10	d	f	h	k	i			
11	e	g	i	egg	k			
12	f	h	k	h	fii			
13	g	i	dff	i	k			
14	h	k	g	k	fkk			
15	i	cee	h	ehh				
16	k	f	i	i				
17	bdd	g	k	k				
18	e	h	dgg	eii				
19	f	i	h	k				
20	g	k	i	ekk				
21	h	cff	k					
22	i	g	dhh					
23	k	h	i					
24	bee	i	k					
25	f	k	dii					
26	g	cgg	k					
27	h	h	dkk					
28	i	i						
29	k	k						
30	bff	chh						
31	g	i						
32	h	k						
33	i	cii						
34	k	k						
35	bgg	ckk						
36	h							
37	i							
38	k							
39	bhh							
40	i							
41	k							
42	bii							
43	k							
44	bkk							

In hac itaque figura sunt octo columnæ, quæ denominantur à primis literis. In qualibet enim cellula primæ columnæ prima litera est B; in secunda verò columna prima litera est C, & ita deinceps. Nulla autem columna est, quæ sumat initium à literâ K, propterea quòd omnes modi, quibus hæc litera cum aliis coniungi potest, in columnis iam positis continentur. In primâ columnâ sũt 44. cellulæ, in secundâ 35. in tertiâ 27. in quartâ 20. in quintâ 14. in sextâ 9. in septimâ 5 in octauâ 2. Itaq; omnes cellulæ huius figuræ sunt 156. Minuitur autem semper numerus cellularum in sequentibus columnis, ob eandem rationem, ob quam minuebatur in tertiâ figurâ, id est; ne earundem literarum coniunctio sæpiùs repetatur. v. g. in secundâ columnâ non ponitur cella CBD, quia esset eadem cum primæ columnæ cellulâ B C D. Repetitur quidem interdum eadem litera in cellulis huius figuræ, veluti B B C, & BCC. sed hoc ideo fit, quia semel sumitur ex prima columna alphabeti, & semel ex secunda columna. Nunquam verò ter ponitur eadem litera in eadem cellula: quia columnæ principiorum, seu terminorum, sunt tantùm duæ. Atque hæc est fabrica huius figuræ apud Pacium. Vsus est eiusmodi: Ex qualibet cellula multę propositiones, & multi syllogismi hauriuntur. 1. Quia quælibet litera sumitur vel ex primâ, vel ex secundâ columna alphabeti: vnde oriuntur quatuor modi in quauis cellulâ. Aut enim omnes literæ sumuntur ex primâ columnâ alphabeti: aut omnes ex secundâ: aut duæ ex primâ, & vna ex secundâ: aut è contrario vna ex prima, & duæ ex secundâ. Hi duo postremi modi subdiuiduntur in tres: quia litera illa, quæ sola siue ex primâ siue ex secundâ alphabeti

columnâ ſumitur, vel eſt in eâ cellulâ ordine prima, vel ſecunda, vel tertia. Hæc ita obtinent in cellulis, quæ habent tres diverſas literas, veluti B C D. Cæterùm vbi vna litera repetitur, vt B B C, duo tantùm ſunt modi: quia litera illa, quæ eſt ſingularis, vt C. in dictà cellulà B B C. vel ſumitur ex primà columnà alphabeti, vel ex ſecundà. In ſummà cùm tres ſunt literæ, quælibet accipitur vel ex primà columna alphabeti, vel ex ſecundâ, id eſt, vel ſignificat terminum abſolutum, vel relatum. 2. Quia quælibet litera, etiam in eà ſem alphabeti columnâ ſignificat multos terminos: vt B bonitatem, bonum, bonificans, bonificabile &c. 3. Quia primus terminus ſecundo, & ſecundus tertio, & primus tertio vel ſubiicitur, vel attribuitur. e.c. cellula B C D continet has propoſitiones: Bonitas magna durat, Bene ſentientes differunt ab iis qui contra ſentiunt, Concordia bonorum eos conſeruat ſeu durare facit: denique quotcunque modis termini literis ſignificati coniungi poſſunt, tot ſunt propoſitiones. Itidem, & quidem principaliter, per hos terminos poſſunt fieri varij ſyllogiſmi: veluti ex cellulà B C D ſic argui poteſt: Si magnitudo bonitatis ſit æterna, erit infinita. Atqui in Deo magnitudo bonitatis eſt æterna. E. eſt infinita. Ex cellulà B B D: Quidquid eſt bono contrarium, eſt malum. Atqui diſcordia eſt bono contraria. E. eſt mala.

[ſus quę-ſtionum.]

IX. *Regulæ, ſeu quæſtiones, ſunt velut quidam indices, per quos veritas inuenitur.*

Procedit enim intellectus per decem haſce regulas, tanquam per decem loca, ſeu caſtella, in quibus informatur & inſtruitur de veritate cuiuſque rei, Appellantur autem regulæ, quia dirigunt intellectum in cognitione rerum. Vnde à Lullio dicuntur vaſa ad omnia intelligibilia. Rurſus, appellantur quæſtiones generales, quia generaliter interrogant de quâcunque re. Ex iis autem prima quæſtio eſt compoſita, reliquæ nouem ſunt ſimplices: vt patet conſideranti. Porrò duplex eſt modus tractandi & dilatandi quæſtionem quamlibet. *Prima* tractatio & dilatatio eſt interna, quæ fit per methodum regularum. Quælibet enim habet loca quædam reſponſionum, in quibus intellectus veritatem inquirit. Quâ de re prolixè differit *Sanchez à pag.* 119. *ad* 225. vbi vide. *Secunda* tractatio & dilatatio quæſtionum eſt externa, quæ fit per principia ſeu prædicata, & ſubiecta. e.g. an paſtores verbi Dei ſunt neceſſarij bonis & malis, magnis & paruis, ignorantibus & ſapientibus, &c. an ſunt neceſſarij iis, qui valde ſunt boni vel mali, valde periti vel imperiti, &c. Nimirum dilatatio quæſtionis poteſt fieri per ſingula, duo, tria, vel plura principia. Eâdem ratione inſtituitur reſpōſio ad ſingulas quæſtiones. Porrò regulæ iſtæ non tantùm faciunt ad explicandum & probandum ſed etiam ad definiendum & diuidendum. Denique methodus illa quæſtionum habet vſum in analyſi, & interpretatione authorum. De his omnibus tractat *Sanchez à pag.* 125. *ad* 147. & vtiliter obſeruat, in regulis ſeu quæſtionibus hiſce occurrere locos ſexaginta quinque, ad deducenda nempe argumenta declarationis & demonſtrationis, hoc modo. Decem ſunt generales modi quærendi, Vtrum, quid, &c. vt vidimus in Alpahabeto. Iam ſingulæ quæſtiones continent quinquaginta quinque alias notiones: quales in regulâ *Vtrum* ſunt neceſſe, contingens, poſſibile, impoſſibile: in regulâ *Quid*, quid eſt in ſe, quid habet in ſe, quid eſt in alio, quid habet in alio: in regulâ *De quo*, de quo eſt res primitiuè, deriuatiuè, poſſeſſiuè: in regulâ *Quare*, formaliter & finaliter: in regulâ *Quantum*, continuè & diſcretè: in regulâ *Quale*, propriè & appropriatè: in regulâ *Quando* ſunt quindecim ſpecies, per C. D. K. ſignificatæ, hoc eſt, per regulam Quid, De quo, Quomodo, & Cum quo: in regulâ *Vbi* ſimiliter ſunt quindecim ſpecies regularum C.D.K. in regulâ *Quomodo*, quæ dicitur modalitatis, eſt modus in vnâ parte, in diuerſis partibus, in eſſe totali, in emiſſione ſimilitudinis talis eſſe: in regulâ *Cum quo*, quæ dicitur inſtrumentalitatis, ſunt eædem ſpecies, putà in vnâ parte, in pluribus partibus, in eſſe totali inſtrumētali, & in emiſſione ſimilitudinis per tale inſtrumentum.

X. *Vſus tabulæ magnæ eſt in comparatione primæ & ſecundæ figuræ, id eſt, prædicatorum abſolutorum & reſpectiuorum.*

Nam literarum combinatio ſic inſtituitur, vt literæ ante T. poſitæ ſint de primâ figurâ, poſt autem poſitæ, de ſecundâ. e.g. B C D T. hîc bonitas comparatur cum magnitudine & duratione. BCTB. hîc bonitas & magnitudo comparatur cum differentiâ. Hæc autem combinatio inprimis facit ad diſcurſum methodicum; indirectè ad ſyllogiſticum: non aliter atq; figura quarta inprimis ſeruit diſcurſui ſyllogiſtico, etſi indirectè etiam facit ad axiomatum ſeu propoſitionum multiplicationem.

XI. *Euacuatio tertiæ figuræ fit tribus modis.*

Euacuantur enim, hoc eſt, deducuntur, è quâlibet camerâ, vt ex BC, duodecim propoſitiones, duodecim media, & viginti quatuor quæſtiones atq; ſolutiones ipſarum. Quæ quidem omnia venari oportet per ea, quæ continentur ſub eiſdem literis. Exempla ſuppeditat *Sanchez pag.* 269. *& ſeqq.*

XII. *Multiplicatio quartæ figuræ fit duobus modis.* Multiplicatio quartæ figuræ.

Primò tres circuli ritè circumuoluti pariunt columnas octoginta quatuor, & in quâlibet camerâ continentur viginti rationes, ſub iiſdem contentæ literis. Deinde multiplicatio huius figuræ in eo eſt poſita, vt per eam fiāt tringinta propoſitiones, triginta media ſeu triginta rationes, nonaginta quæſtiones, & earum ſolutiones. Exemplum vide apud *Sanchez p.* 289.

XIII. *Mixtio principiorum fit duobus modis,* Mixtio principiorum.

Et primò quidem principia miſcentur inter ſeſe: vt bonitas deducitur per reliqua principia. Deinde principia deducuntur per regulas & ſpecies regularum. Vide apud *Sanchez pag.* 312. *& ſeqq.*

XIV. *Subiecta geminum habent vſum.* Subiecta.

Primus eſt thematicus. Omnia enim themata ſimplicia, quatenus ſunt entia incomplexa, ſeu termini ſimplices, reducuntur ad nouem iſtos terminos Alter vſus eſt in arguendo; quia ſubiecta poſſunt fieri loca argumentorum in explicādo, probando, & amplificando. Vbi Lullius proponit quatuor conditiones. 1. vt quodlibet ſubiectum rectè definiatur. 2. vt attendatur differentia ſubiectorum 3. vt conſeruetur concordantia, quæ eſt inter ſubiecta. 4. vt altioribus & nobilioribus ſubiectis altiora & nobiliora tribuantur prædicata.

XV. *Vtilitas artis Lullianæ conſideratur in genere & in ſpecie.* Vtilitas artis Lullianæ.

In genere hæc ars eſt vtilis ad tria 1. ad ſermonem de quâcunque re inſtituendum, & orationem amplificandam. 2. ad quæſtiones inueniendas. 3. ad quæſtiones diſſoluendas, adeoque ad concluſiones probandas: *Sermonis inſtituendi*, & orationis amplificandæ gratiâ obſeruentur hæc præcepta. 1. Prædicata abſoluta, vel reſpectiua adhibeantur. Dicamus itaque Deum optimum, maximū, æternum, omnibus creaturis ſublimiorem, &c. 2. Combinentur prædicata abſoluta inter ſeſe, & reſpectiua inter ſeſe. Dicamus itaq; Deum valde bonū, oſorem mali, authorem & fautorē boni, &c. 3. Combinentur prædicata abſoluta & reſpectiua. Dicamus itaque bonitatem Dei longè differre, & infinitiùs maiorem eſſe, quàm aliarum rerū bonitates. 4. Recenſeantur ſpecies, coniugata, contraria. Dicamus itaque, Deum eſſe clementem, miſericordem, & bonitatem ſuam impartiri, aliis magis, aliis minùs. 5. Ex bonorum authorum lectione colligamus rerū epitheta, attributa, cauſas, effecta, &c. eâq; diſponamus ſecundùm ordinem alphabeti Lulliani, vt ſit promtuarium quoddam & repertorium. e.g. de Deo conſtituantur tot capita, quot ſunt cellulæ in alphabeto Paciano, & ſingula confirmentur ſuis authoritatibus: vt, *B. Bonitas.* Solus Deus eſt bonus, Matth. 19. *C. Magnitudo.* Deus eſt vnus, Deut. 6. trinus, Matth. 28. magnus, Iob. 37. *D. Duratio.* Deus eſt æternus, immutabilis. Num. 32. &c. *De inueniendis quæſtionibus* vnum eſt præceptum, vt obſeruetur ordo quæſtionum, pro vt in alphabeto recenſentur *De inuentione medij termini* hoc eſt præceptum. Medius terminus aut ſimplex eſt, aut compoſitus ex duobus vel tribus terminis artis. Poſſunt addi plures huius artis termini. Sed *Pacius* monet, id non eſſe conſultum. Sic enim ait *lib.* 2. *cap.* 1. Aut duæ literæ coniunguntur, aut tres: non vlteriùs progredimur, vt quatuor vel quinque literas coniūgamus; quia tres termini ſufficiunt ad ſyllogiſmum conficiendum: &, ſi vlterius progrederemur, id non tam vtile, quam moleſtum & laborioſum eſſet. Idem repetit *lib* 3. *cap* 4. his verbis: Non addo plures, quàm tres terminos, ne res abeat in infinitum, aut huius artis vſus difficilior reddatur. *Sanchez* tamen quatuor, quinque, ſex, ſeptem, octo terminos coniungit, quem nos ſequimur. Sed redeamus ad inuentionem termini medij in ſyllogiſmo. Simplex terminus accipi debet ex alphabeto: duplex colligendus eſt ex tertiâ: triplex ex quartâ figurâ, vel ex tabulâ magnâ. *Vſus huius artis in ſpecie* eſt ratione alphabeti, & figurarum. *Vtilitas alphabeti* eſt multiplex. 1. Suppeditat copiam terminorum generaliſſimorum, ſub quibus reliqui continentur. 2. Suggerit quæſtiones, quæ de quauis re proponi poſſunt. 3. Eſt fundamentum figurarum. 4. Valet ad memoriam. Facilè enim omnes terminos huius alphabeti poſſumus memoriæ mandare Ex his verò, tanquam ex locis quibuſdam communibus, omnia dicenda in promtu erunt. *Vtilitas primæ figuræ* eſt, ſuppeditare principia, ſeu prædicata, abſoluta, quorum vſus eſt in explicando, definiendo, diſtribuendo, probando. *Vtilitas ſecundæ figuræ* eſt, ſuppeditare principia, ſeu prædicata, abſoluta, quorum vſus etiam eſt in explicando, definiendo,

diſtribuendo, probando. *Vtilitas tertiæ figuræ* eſt ſuppeditare attributa compoſita: veluti B C, Magna bonitas, Magnitudo bona, Differentia concors, Concordia differens, Magnitudo differens, Differentia magna, Magnitudo concordans, Concordia magna. Deinde ſuppeditat multas propoſitiones: e.g. in cellulâ B C inſunt hæ propoſitiones, Bonitas eſt magna, Bonitas concordat, Magnitudo eſt bona, Concordia eſt bona Magnitudo differt. Differentia eſt magna, & multæ aliæ. Harum propoſitionum vtilitas magis apparebit, ſi certis ſubiectis accommodentur. Sunt enim maximè generales, & pluribus rebus poſſunt aptari: veluti Bonitas Dei eſt magna & æterna, Bonitas hominis exigua, & mutabilis. Magnitudo virtutis ſemper eſt bona Magnitudo autem pecuniæ interdum eſt mala. Concordia bonorum eſt bona, Concordia improborum eſt mala. Denique hæc figura valet ad copiam, vt poſſimus de quâcunque re prolixam & doctam habere orationem. e.g. Ieiunium eſt bonum, ſi benè fiat. Sed non eſt res magna abſtinere à cibis, niſi ſimul abſtineatur à peccatis. Tamdiu autem ieiunare oportet, quamdiu naturæ humanæ imbecillitas fert, &c. *Quartæ figuræ vtilitas* eſt ſuppeditare multas propoſitiones compoſitas: veluti BCD, Magna bonitas eſt durabilis, Exigua bonitas non diu durat. Deinde, hinc habetur magna copia ſyllogiſmorum de quouis problemate. Exemplum vide apud *Pacium lib. 3. c. 3.* *De tabulâ magnâ* idem eſt iudicium. Sed quid multa? Vno verbo vtilitas huius artis eſt in diſſerendo, vt vel ſingula vſurpemus quæ in alphabeto proponuntur, vel illa miſceamus, id eſt, duo, tria, quatuor, &c. coniungamus. Quòd vt euidentius euadat, hoc eſto exemplum.

PIETAS.

I. Deducitur per ſingula.

Bonitas. Eſt ad omnia vtilis. Aduerſatur turpitudini. Eſt virtus præſtantiſſima.

Magnitudo. Eſt magna, & reddit magnos ſui cultores.

Duratio. Comitatur nos in vitam æternam. Perſeuerat vſque ad finem. Etſi mutatur: non tamen excidit.

Poteſtas. Poteſt nos beare. Impoſſibile eſt, vt nobis ſit fraudi.

Sapientia. Si cui deeſt ſapientia, ſtudeat pietati. Pietas facit, vt prudentes ſimus tanquã ſerpentes, & ſimplices vt colũbæ.

Appetitus. Sola ſatiat appetitum. Eſt omnibus gazis deſiderabilior.

Virtus. Vbi pietas eſt, ibi non poteſt latere, ſed facit vt Deum amemus & timeamus.

Veritas. Non vt hypocritæ, ita pij præ ſe ferunt laruam pietatis.

Gloria. Qui huic virtuti ſtudet, gloriam habet apud Deum & homines.

Differentia. Pietas eſt virtus diſtincta à probitate.

Concordantia. Pietas eſt contenta Deo. Multa habet communia cum reliquis virtutibus.

Contrarietas. Facit vt oderimus impios.

Principium. Spiritus ſanctus efficit in nobis ſtudium pietatis.

Medium. Conuerſatio cum piis imbuit nos pietate. Pietas eſt vna via perueniendi ad vitam æternam.

Finis. Pietas ſibi vnicè proponit gloriam Dei & ſalutem animæ.

Maioritas. Pietas renatorum longo interuallo ſuperat pietatem non-renatorum. Excedit omnes mundi huius opes.

Æqualitas. Æquat nos ſanctis patriarchis, prophetis, angelis.

Minoritas Etſi homines pij ſunt viles coram mundo: non tamen coram Deo. Facit vt nobis parua videantur, quæ hominibus huius ſeculi ſunt magna.

Vtrum. An vera pietas in hâc vitâ detur? Datur: etſi imperfecta.

Quid. Quid ſit pietas? Rectus de Deo ſenſus, & legitimus ipſius cultus.

De quo. Vnde pietas originem habet ſuam? A Spiritu ſancto.

Cuius eſt pietas? Viri ſancti, qui à Deo eſt regenitus.

Quare. Cur pietati eſt ſtudendum? Quia eſt ad omnia vtilis.

Quantum. An pietas eſt præſtantiſſima virtus? Ita eſt: quia Deum facit nos amare & timere.

Quale. Qualis virtus eſt pietas? Partim moralis & ethica, partim ſpiritualis & theologica.

Quando. An ſemper opera eſt danda pietati? Omnino: quia nunquam licet eſſe nobis impiis.

Vbi. An ſolùm in templo pietas eſt exercenda? Minimè: quia Deum vbique locorum timere oportet.

Quomodo. Quænam eſt via perueniendi ad hanc virtutem? Si Deum inuocemus, Biblia ſacra euoluamus, cum piis conuerſemur, &c.

II. Deducitur per bina, iuxta figuram primam, vt per BC.

Bonitas magna Pietas valde prodeſt.

Bonitas magnitudinis. Pietas eſt virtus præſtans & vtilis.

Magnitudo bona. Pietas ita excllit inter virtutes, vt omnibus illis benè ſit, qui ſtudio ipſius ducuntur.

Magnitudo bonitatis. Vtilitas, quæ ad nos redit ex ſtudio pietatis, non eſt momentanea, non caduca.

Differentia concordiæ. Pietas non ita conuenit cum reliquis virtutibus, vt ciuilitas.

Concordia differentiæ. Pietas ita diſtinguitur à iuſtitiâ, fortitudine, &c. vt mater à ſuis liberis.

Concordia differens. Pietas eſt virtus, quæ in ethnicis & electis quædam habet communia, ſed ita vt plura ſint, in quibus differt.

Bonitas concordiæ. Quia pietas ex ſe quaſi parit reliquas virtutes, magnum emolumentum ex ipſâ ad nos redit. Nam vbi pietas: ibi iuſtitia. Ergò ibi ſunt fructus pietatis & iuſtitiæ ſimul.

Concordia bonitatis Pietas eſt vtilis in hâc & futurâ vitâ.

Magnitudo differentiæ. Pietas adeò differt à probitate, vti Deus ab homine

Differentia exigua. Non multùm intereſt inter pietatem Abrahami & Moſis.

Bonitas magnificans. Qui præditus eſt pietate, magni ſit ab angelis: magni facit æterna, &c.

Bonitas magnificabilis. Pietas adeo eſt res bona, vt magni fiat a Deo, angelis, & ſanctis hominibus, &c.

III. Deducitur per bina.

Bonitas magna. Pietas eſt virtus palmaria.

Bonitas durans. Vtilitas, quæ ad nos redit ex pietate, non circumſcribitur anguſtiis huius vitæ.

Bonitas potens. Pietas poſt nos eripere ex omnibus periculis.

Bonitas ſapiens. Soli illi videntur mihi ſapere, qui pietatem habent in animo & oculis ceu rem pretioſiſſimam.

Bonitas appetibilis. Omnes noſtras vires eò conuertere debemus, vt nihil deſideremus, niſi vt per pietatis ſtudium Deo, ſummo bono, coniungamur.

Bonitas virtuoſa. Non vt diuitiæ ſunt bonæ: ita quoque pietas. Hæc enim eſt ipſiſſima virtus.

Bonitas vera. Sæpenumero videntur nobis bona, quæ reuera ſunt noxia. Non ita ſe habet pietas.

Bonitas glorioſa. Pietas adeo eſt præſtans & vtilis, vt poſſeſſores & cultores ſuos æternâ ornet gloriâ.

Bonitas differens. Verum eſt, omnis virtus eſt bona, præſtans, & vtilis. At in pietate hæc inſunt primò.

Bonitas concordans. Ea eſt pietatis natura & indoles, vt ſit grata Deo, & omnibus ſanctis.

Bonitas contraria. Pietatem oderunt diabolus & ipſius ſquamæ. Quod enim eſt bonum, non poteſt gratum eſſe malis.

Bonitatis principium. Cùm pietas originem habeat à ſummo bono, neceſſe eſt vt ipſa quoque ſit bona, & cauſa bonitatis multimodæ.

Bonitatis medium. Si quis viâ regiâ tendere velit ad beatitatem, ille ſtudeat pietati.

Bonitatis finis. Pietas adeo eſt vtilis, vt ipſius vtilitas non habeat finem. Itaque hic finis nobis ſit propoſitus vnicè.

Bonitas maior. Magis prodeſt pietati ſtudere, quàm theſauros conquirere.

Bonitas æqualis. Qui pietati dat operam, æqualis erit angelis.

Bonitas minor. Etſi pietas non eſt tanta, quanta eſt fides iuſtificans: nihilominus tamen eſt neceſſaria iis, qui iuſtificantur.

Vtrum pietas eſt bona? Id docet apoſtolus 1. Tim. 4.

Quid eſt bonitas pietatis? Eſt ipſius conformitas cum Deo, & vtilitas in hâc & futurâ vita.

Vnde oritur bonitas pietatis? Non ex libero arbitrio, ſed à gratia Dei in Chriſto.

Cuius eſt bonitas pietatis? Non filiorum huius ſeculi, ſed filiorum Dei.

Quare pietas eſt bona? Q. eſt virtus.

Quanta eſt bonitas pietatis? Ineffabilis.

Qualis eſt bonitas pietatis? Æterna

Quando bonitas pietatis ſentitur imprimis? In altera vita.

Vbi pietas eſt bona? Vbi eſt, ibi bona eſt: ſiue ſit in principe, ſiue in ſubulco.

Quomodo pietas eſt bona? Non vt pecunia, amicitia, pulchritudo, &c. ſed modo longè eminentiori.

Eodem modo deduci poteſt magnitudo. e. g. Magnitudo bona, durans, &c. Idem iudicium eſt de reliquis. Itaque infinita eſt copia propoſitionum ſiue axiomatum.

IV. Deducitur per terna, iuxta figuram ſecundam, hoc modo.

BBC. *Bonitas differens & magna.* Pietas plurimùm differt ab aliis virtutibus.

Item: *Bonitas magna & concordans.* Pietas ita excellit inter virtutes reliquas, vt ſol inter ſtellas.

Item: *Bonitatis differentia magna.* Pietatis ea eſt prærogatiua

ua in choro virtutum,vt nos magis magisque commendet Deo: cùm reliquæ virtutes nos commendent hominibus.

BBD. *Bonitas differens durat.* Quemadmodum pij in hâc vitâ, sic quoque in futurâ differunt ab impiis.

Item : *Bonitas differens contrariatur.* Vt pietas distinguitur ab aliis virtutibus : ita pugnat cum omnibus vitiis.

Item : *Bonitatis differentia durat.* Non vnâ atque alterâ horâ pietas facit vt Deo seruiamus, sed in omni vitâ,&c.

V S V S.

Quadruplicis huius deductionis.

Vsus est axiomaticus, syllogisticus,& methodicus.

Et primò quidem axiomata innumera de vno eodemque themate adferuntur. vel ex singulis , vt ex B. ex C. &c. vel ex binis,vt ex BC. BD. &c. vel ex ternis, vt ex BBC.BBD. &c. Vide exempla paulò antè allata.

Deinde syllogismi in quâcunque disputatione tribus itidem modis formantur. e.g. An pietas sit regina virtutum?

Affirmatur 1.ex singulis : vt ex B. quia magis prodest, quàm vlla virtus. Est enim vtilis non ad singula,sed ad omnia.

2. ex binis . vt ex BB. quia pietas ita differt à reliquis virtutibus, vt Deus ab omnibus rebus.Nam pietas versatur circa cultum Dei.

3.ex ternis:vt ex BBC. quia pietas nos commendat Deo,cùm reliquæ virtutes nos commendent hominibus.

Denique methodicus discursus formatur itidem vel ex singulis, vel ex binis,vel ex ternis.

Ex singulis:vt, De re magni momenti (ex C.) ego iam sum dicturus : de pietate videl. virtute illâ eximiâ. Rogo itaque vos, auditores,vt pro vestrâ eximiâ humanitate (ex B.) meam tenuitatem (ex K) subleuetis. Persequar autem rem totam inde ab ouo ad mala. Principiò(ex B.)pietas est ad omnia vtilis. Nam si cui deest sapientia (ex F.) studeat pietati , & impetrabit à Deo thesaurum , quem desiderat. Neque solùm sapientiam à Deo impetrabit,sed etiam (ex H.) reliquas virtutes adeóque (ex I.) æqualis fiet angelis, &c. Deinde pietas (ex C) reddit magnos sui cultores. Nam quicunque Deum colit , à Deo vicissim (ex C.) colitur. Illum dæmones metuunt (ex D.) Illius(ex F.) intellectus imbuitur cognitione rerum cœlestium. Eiusdem voluntas (ex G.) ad imaginem Dei magísque renouatur. Adhæc pietas (ex D.) nos comitatur in vitam æternam: dissimilis (ex B.) aliis virtutibus, vt fortitudini , ciuilitati, comitati, & aliis, quæ in hâc solùm vitâ nobis prosunt. Quæ cùm ita sint,auditores, (ex E.)omnes neruos vestros intendite,vt pietatis studio nihil habeatis prius (ex H.)nihil antiquius.Ita enim fiet, vt(ex K.)veram gloriam apud Deum & homines cõsequamini.

Eodem modo ex binis & ternis literis potest formari discursus. Semper autem sequentes regulæ sint in conspectu.

I. Si differendum sit de themate , ad minimum viginti septem axiomata ex singulis prædicatis & quæstionibus in chartâ delineentur.

II. Singulis axiomatibus addantur dicta , similitudines & exempla : vt isti axiomati ex B Pietas ad omnia est vtilis , addantur ista. 1. dictum , 1. Timoth. 4. 2. similitudo. Pietas est tanquam cornu copiæ. 3. exempla. Abrahamo dicit Deus, Ego ero merces tua ampla valde. Ita Daniel pietatis præmia tulit plurima.

III. Quando scribenda est oratio , ex turbâ axiomatum seligantur tria,quatuor,vel quinque,quæ sint fundamentalia:vt in exemplo paulò allato sunt posita ista tria.

ex B. Pietas ad omnia vtilis.
ex C. Pietas reddit magnos sui cultores.
ex D. Pietas nos comitatur ad vitam æternam.

Hæc tria axiomata amplificantur,iuxta sequentem regulam.

IV. Amplificatio sumitur ex quâcunque literâ. e. g. Pietas ad omnia est vtilis.

ex c quia nos constituit amicos Dei.
d quia in hâc & futurâ vitâ prodest.
e quia est principibus, subditis,&c. vtilis.
f quia largitur sapientiam solidam, &c.

Caput itaque totius artis hoc est : Litera literam iuuat in perorando,disputando, scribendis libris & literis &c. *Atque hæc est praxis huius artis in se & per se.*

Pr[a]ctica artis Lullianæ.

XVI. *In collatione cum aliis artibus praxis artis Lullianæ est eiusmodi.*

Primò singula prædicata absoluta conferantur cum arte Logicâ.e.g. Bonitas pietatis habet suam causam efficientem , finalem, materialem,& formalem:habet sua effecta,subjecta,adiuncta &c. per omnia loca inuentionis. *Deinde* singula prædicata, tum absoluta,tum respectiua, conferantur cum omnibus facultatibus & scientiis. e. g. Bonitas pietatis.

ex metaphysicis dicitur esse alia { moralis. / spiritualis.

ex pneumaticis ostenditur , bonitatem pietatis esse conformitatem cum Deo & sanctis angelis.

ex physicis docetur , bonitatem pietatis non à cœlo,elementis, bono temperamento,&c. pendere.

ex arithmeticis ostenditur, vt vnitas infinitos ex se parit numeros,ita pietatem innumeros fructus adferre.

ex geometricis docetur,quæ sit longitudo , latitudo, altitudo , & profunditas bonitatis , &c. *Tertiò* & vltimò singula prædicata deducuntur per Lexicon aliquod insigne,incipiendo ab A vsque ad Z, & seligendo literarum singularum vocabula accommodata e.g.

Bonitas pietatis { Abduco. Aberro. Abhorreo. Abiectus. / Balæna. Balteus. Beatus. / Cachinnus. Cacodæmon. Cæsar. / Damnum. Dapes. Debilis, &c.

Hinc iam formo eiusmodi discursum. Vultis vt vobis ob oculos ponam , quomodo pietas sit ad omnia vtilis ? Faciam hoc lubens lætus. Et, vt hinc ordiar , pietas nos abducit à terrenis ad cœlestia. Eadem facit , vt non aberremus à viâ regiâ salutis. Tum quoque illud commodi inde consequimur,vt abhorreamus à vitiis : neque nos abiiciamus infra pecudes. Nihili etiam faciunt balænam infernalem, qui balteo pietatis sunt ornati. O itaque beatos nos, si pietati studemus ! Nam & cachinnos impiorum nihil moramur , & nihil metuimus cacodæmonem,&c.Addamus & ista de mixtione ; quippe quæ facit vtramque paginam in hâc arte.

Mixtio ista est triplex : videl.axiomatica,syllogistica, & methodica.

Mixtio axiomatica est , qua thema simplex ita disponitur cum argumento declarante , vt innumera axiomata de vna eademque re existant. Est autem thema simplex vel terminus vnus, qui petitur ex tribus prioribus columnis alphabeti, vt Deus , cœlum , Sol, &c. vel quæstio simplex , vt sunt omnes quæstiones excepta prima Vtrum. Argumentum declarans est prædicatum absolutum vel respectiuum , quod dicitur de subiecto affirmatè vel negatè , verè vel falsò , necessariò vel contingenter, vniuersaliter vel singulariter,categoricè vel hypotheticè, & posteriori hoc modo copulatiuè,connexiuè,discretiuè vel disiunctiuè : e. g.

Deus est bonus.
Diabolus non est bonus.
Deus est bonus & magnus.
Si Deus est bonus,non est author mali.
Etsi Deus regit mala, non tamen ideo desinit esse bonus.
Deus aut est bonus, aut malus.

Mixtio axiomatica est figuræ primæ , secundæ , tertiæ , vel quartæ.

Mixtio figuræ primæ est , qua principia absoluta vel sibi inuicem vel aliis rebus attribuuntur : vt,Bonitas est magna.bonitas durat,&c. Bonitas est magnitudinis, durationis &c.Magnitudo est bona,durat, est efficax, cognosci potest vel non,&c.Deus est bonus : Deus est valde bonus : Deus est semper bonus : Bonitas Dei est magna , æterna , valde conspicua,&c. Nimirum vnum attributum de reliquis dici potest , vt ostendunt lineæ huius figuræ. Potest itaque thema simplex declarari ex hâc figurâ, hunc in modum. *Primò* potest esse continuus textus : vt,Deus est optimus , maximus , æternus , omnipotens, sapientissimus, amantissimus boni , virtutibus præditus modo eminentissimo, ipsa veritas,in secula laudandus. *Deinde* institui potest deductio per terminos ipsos & literas : vt,

B. *Bonitas* Deus solus est bonus per essentiam.
C. *Magnitudo.* Deus est vnus & trinus, magnus, magnificus.
D. *Duratio.* Deus est æternus,infinitus,immutabilis.
E. *Potestas.* Deus est omnipotens ; habet potestatem vitæ & mortis.
F. *Sapientia.* Deus omnia scit, etiam arcana cordis:sapientiæ eius non est numerus
G. *Voluntas.* Deus diligit iustos.
H. *Virtus.* Deus est fidelis,iustus,rectus.
I. *Veritas* Deus est verax.
K. *Gloria.* Deus est gloriosus.

In huiusmodi deductionibus oportet inspicere abacos : quia ex cognatis & contrariis vberrima messis nascitur. Ita si deducendum sit hoc exemplum Magnes,ita procedes.

B. Magnes est lapis præstans & vtilis nautis.
C. Magnetis parui vis est magna.
D. Magnes etiam sentit senium.
E. Magnes trahit ferrum , & mouetur versus polum Arcticum.
F. Magnes exercet hodiè quoque summorum artificum ingenia
G. Inter magnetem & ferrum est sympathia.
H. Inter bonos est consensio magnetica.
I. Beneficio magnetis multa fieri possunt,quæ verè sunt admiranda. Possunt etiam imposturæ & fraudes innumeræ ipsius ope fieri.
K. Vilis est aspectu hic lapis,sed reuerâ suam habet gloriam inter lapides.

Mixtio secundæ figuræ est, quâ attributa respectiua sibi inuicem vel aliis rebus applicantur: vt, Differentia concordantiæ, Concordantia differentiæ, Differentiæ principium, medium, finis, &c. Differentia, quâ Deus differt à creaturis, est maior quàm illa, quâ creaturæ differunt à se inuicem, &c Miscentur autem hæc prædicata *primò* in continuo textu: vt, Deus differt à creaturis, bonos amat, malos odit, creauit omnia, conseruat omnia, est finis omnium, est omnibus rebus maior, nullum habet sibi æqualem, vis eius nunquam minuitur. *Deinde* instituitur deductio per terminos & literas: vt,

B. *Differentia.* Non est similis Deo.
C. *Concordantia.* Pater, Filius & Spiritus S. vnum sunt.
D *Contrarietas.* Deus odit & punit peccata.
E. *Principium.* Deus est author omnis boni.
F. *Medium.* Deus verbo suo potente omnia conseruat.
G. *Finis.* Deus fecit omnia propter seipsum.
H. *Maioritas.* Deus est supra omnia.
I. *Æqualitas.* Tres personæ sunt vnus Deus.
K. *Minoritas.* Non est minor Dei potentia hodiè quàm fuit tempore Mosis, quo Pharaonem submersit in mari rubro.

Similiter deduces hoc thema Magnes.

B. Magnes non est gemma: magnes à magnete differt præstantiâ
C. Magnes & stella polaris mutuò se amant.
D. Magneti aduersatur allium.
E. Magnes dirigit nautas in mari.
F. Magneticus contactus in naturâ, itémque in curâ, morborum est euidens.
G Magnes successu temporis amittit vim suam in compasso.
H. Magnes attrahit magnam ferri portionem, si sit magnus.
I. Magnes parem cum stellis vtilitatem præstat nautis.
K. Magnes inferior est spiritu auri.

Mixtio tertiæ figuræ est, quâ prædicata absoluta miscentur cum prædicatis respectiuis: e.g. BB Bonitas differens: BC Bonitas concordans, &c. Hinc itaque dices: Bonorum varia sunt genera: Bonorum concordia est bona: improborum mala: Viri boni consentiunt: Concordes in virtute possunt dissidere opinione, &c. Retineamus propositum exemplum, Deus. Hîc *primò* in continuo textu dices: Bonitas Dei differt à bonitate creaturæ; consentit quoque cum illâ tanquam effectum cum suâ causâ; aduersatur peccato; est fons & scaturigo omnis boni; conglutinat quasi res bonas; ad se trahit omne bonum; maior est, quàm vt à nobis satis laudari possit; tam latè patet, quàm latè reliqua Dei attributa; non minuitur per minuta ista, quorum curam Deus gerit. *Deinde* thematis simplicis deductionem per literarum combinationem ita instituis.

BB. *Bonitas differens.* Bonitas Dei toto genere differt à bonitate creaturarum.

BC. *Bonitas concordans.* Cùm Deus omnia creauerit valde bona, quis non videt ipsum sui quasi sigillum impressisse rebus conditis?

BD *Bonitas contrarians.* Dei sancta natura non potest ferre impuritatem.

BE. *Bonitas principians.* Deus à se est bonus, & ab illo est, quidquid est boni in naturâ & supra naturam, &c.

Mixtio quartæ figuræ est, quâ plures termini, quàm duo coniunguntur: vt, BCB, Bonitatis magnæ differentia: BCD Bonitas mgana est durabilis: Bonitas exigua non diu durat. Hæc mixtio est infinita. Si enim v.g. sumatur B extremi circuli, & significet bonitatē, ex medio circulo sumi potest B, ita vt significet differentiam, vel C, ita vt significet magnitudinem vel concordantiam. Tum volui potest minimus circulus, ita vt singulæ ipsius literæ coniungantur cum BC, hoc modo, BBB, BCC, BCD, DCE, BCF, &c Sit itaque hoc thema, DEVS.

BBB. *Bonitas bonitatis differens.* Non vt creaturæ, ita etiam Deus est bonus.

BCB. { *Bonitas magna differens.* Deus aliter erga Noachum, Dauidem, &c. fuit bonus.
Bonitatis differentia bona. Bene habet, quòd Deus inæqualiter est bonus erga suas creaturas.

BCC. *Bonitas magna concordans.* Vt Deus Abrahamum liberauit è variis periculis: ita etiam Dauidem.

BCD. { *Bonitas magna durans.* In omnes seculorum myriades durat immensa Dei benignitas.
Bonitas magna contrarians. Tanta est Dei bonitas, vt omnia peccata nobis condonet.

BCE. { *Bonitas magna potens.* Bonitas Dei potest omnia mala à nobis auertere.
Bonitas magna principians. Tanta est Dei bonitas, vt ipsa non sit aliunde, & ab ipsâ sint alia omnia.

BCF. { *Bonitas magna sapiens.* Nemo homo potest longitudinem, latitudinem, altitudinem, & profunditatem misericordiæ Dei cognoscere.
Bonitas magna medians Bonitas Dei immensa est vnicum illud medium, quo res incipiunt esse, & pergunt esse ac bene esse.

BCG. { *Bonitas magna appetibilis.* Quis non amet Deum ob immensam bonitatem.
Bonitas magna finiens. Ad fines cœlorum & terrarum se extendit Dei bonitas, ipsa non habens finem.

BCH. { *Bonitatis magnæ virtus.* In immensâ Dei bonitate cernitur iustitia eximia.
Bonitatis magnæ maioritas. Magnam habet laudem clementia principis. Sed maiorem habet clementia Dei.

BCI. { *Bonitatis magnæ veritas.* Nam vt hypocritæ magnam præ se ferunt clementiam: ita & Deus.
Bonitatis magnæ æqualitas. Non minor est Dei bonitas in conseruando, quàm in creando mundo.

BCK. { *Bonitas magna gloriosa* Infinitam Dei bonitatem celebrant angeli & homines.
Bonitatis magnæ minoritas. Infinito interuallo bonitas creaturarum subsidit infra bonitatem Dei.

Eodem modo hoc axioma, *Bonitas durans*, deducitur; atque ita figuratur BDB, BDC, BDE, BDF, &c. Quâ in re admirari est infinitatem huius deductionis. Possunt enim non tantùm duæ aut tres literæ coniungi, sed etiam quatuor, quinque, sex &c. Sed artifices sunt contenti tribus literis.

Mixtio syllogistica est, quâ disponitur thema compositum cum argumento demonstrante aut dispositum iudicatur. Ibi est inuentio argumentorum, hîc solutio.

Inuentio argumentorum est, quâ colliguntur variæ rationes pro affirmatione, negatione, vel distinctione quæstionis controuersæ. Colliguntur autem ex figurâ primâ, secundâ, tertiâ, vel quartâ. In figurâ primâ & secundâ adhibentur singulæ literæ, in tertiâ binæ, in quartâ ternæ: ita vt argumentum sit vel simplex, vel compositum.

Ex figurâ primâ colliguntur argumenta, quando ex naturâ prædicatorum absolutorum iudicatur, quid faueat illi sententiæ, quam cupimus propugnare, vel oppugnare. Sunt enim eadem media defensionis & oppositionis. e. g. *An sancti defuncti sunt nobis inuocandi?* Affirmatiua falsa concluditur ex figurâ primâ hoc modo.

B. Bonorum est bonos honorare. Quare cùm sancti sint præstantiores iis hominibus, quibus in hâc vitâ summum deferimus honorem, vtique sunt inuocandi: vtpote qui honor conuenit iis, qui sunt supra homines. Bonitas

C. Magnitudo meritorum, quibus in hâc vitâ fuerunt insignes, hoc postulat. Magnitudo.
D. Quia si inuocentur, pergent nos iuuare. Duratio
E. Quia precibus hoc obtinemus, vt nobis sint amici. Potesta
F. Quia sapientissimi quique in ecclesiâ adorant sanctos. Sapient
G. Quia rationi est consentaneum, adorare illos, qui nos volunt & possunt iuuare. Volunt
H. Quia eiusdem est virtutis adorare Deum & amicos Dei. Virtus.
I. Quia Scriptura docet angelos esse adoratos: quibus sancti defuncti reuerâ sunt pares. Veritas
K. Quia si sancti non honorentur inuocatione deuotâ, nullam præ aliis hominibus habent prærogatiuam. Gloria.

Negatiua vera concluditur ex primâ figurâ hunc in modum.

B Quia solùm summum bonum est adorandum adoratione religiosâ, id est, DEVS opt. max.
C. Sancti non sunt vbique presentes. E. non sunt inuocandi.
D. Consuetudo inuocandi sanctos non est antiqua.
E. Sancti non sunt omnipotentes.
F. Sapientissimi patriarchæ, prophetæ & apostoli non inuocarunt sanctos.
G. Sancti respuunt hunc honorem.
H. Inuocare creaturam non in virtute, sed vitio ponitur.
I. Vera precatio est cultus soli Deo debitus.
K. Idololatria est, gloriam soli Deo debitam transcribere sanctis defunctis.

Ex figurâ secundâ colliguntur argumenta, quando ex naturâ prædicatorum respectiuorum ingeniosè eliciuntur rationes pro thesi affirmante vel negante. e. g.

An metalla inferiora artificialiter possunt transmutari in aurum?

Affir.	*Neg.*	
Metalla non differunt specie completâ, sed incompletâ. Possunt itaque transmutari in aurum.	Quia metalla specie differunt. Quæ autem sic differunt, non possunt transmutari, vt pomum in pyrum, lapis in metallum, &c.	Differentia B.
Q. omnia metalla resolui possunt in Mercurium, & hic conuerti potest in aurum, si forma aureitatis in ipsum transplantetur	Q. mercurius, in quem resoluuntur metalla, est leprosus, & non tam cum auro, quàm cum argento viuo habet cognationem.	Concordantia
Q. indigesta metallorum materia potest perfici & digeri.	Q. Omnia metalla habent accidentia sibi inuicem contraria.	Contrarietas

Q. spiritus

Aff.	*Neg.*
Q. ſpiritus tingens metalla in aurum poteſt haberi, & in infinitum multiplicari.	Q. tranſmutatio iſta repugnat principiis naturæ, quæ non produxit vnum metallum, ſed varia.
Q. ars poteſt imitari naturam, cuius tranſmutationes nemini non ſunt obuiæ.	Q. media Alchymiſtarum ſunt diabolica, vel ſophiſtica, vel phantaſtica,
Q. hic finis eſt propoſitus ſummis philoſophis, vt metalla imperfecta liberent ſuis morbis. Et experientia teſtatur, illos non excidiſſe hoc fine.	Q. aurum non eſt finis, quem intendit natura in generatione metallorum.
Q. maior eſt vis artis quàm naturæ, ſi actiua paſſiuis rectè applicet, vtraque liberata ſuis impuritatibus.	Q. tranſmutatio maior eſt, quàm vt perfici poſſit ab homine.
Q. ſi ferrum mutari poteſt in cuprum, etiam in aurum. Eſt enim par ratio.	Q. tranſmutatio eſt veluti creatio, quæ eſt ſolius Dei.
Q. innumeri philoſophi teſtantur facilem eſſe hanc artem.	Q. alchymiſtæ non poſſunt conficere argentum. E. nec aurum.

Ex figurâ tertiâ colliguntur argumenta, quando ex prædicatis abſolutis & reſpectiuis ſimul iunctis eliciuntur rationes pro parte affirmante vel negante e. g.

An cometa eſt ſtella?

Aff.	*Neg.*
Q. cometa non hæret in aëre, vt meteora.	Q. ſtellarum ſplendor eſt conſtans, & perpetuò durat; cometarum non item.
Q. omnia, quæ in ſtellis eadem in cometis inueniuntur: vnde à præſtantiſſimis aſtrologis appellatur nouæ ſtellæ.	Q. cometa eſt meteorum ignitum.
Q. vt Saturnus & aliæ ſtellæ maleficæ agunt in has res inferiores, ita & cometa, &c.	Q. cometa generatur ex fumo, & in fumum reſoluitur: ſed ſtella nihil eſt aliud quàm lux condenſata, &c.

Eodem modo ex B E, B F & reliquis combinationibus ſumuntur argumenta innumera.

Ex figurâ quartâ colliguntur argumenta, quando ex tribus literis combinatis ingenioſè eliciuntur rationes pro theſi affirmante vel negante.

Eodem modo ex BCD, BCE, BCF, & reliquis combinationibus ſumuntur varia argumenta

Cæterùm hîc notentur iſtæ regulæ.

I. Si velis inuenire argumenta, percurre abacos.

II. Non eſt neceſſe vt omnes & ſingulas literas illarumq; combinationes percurras. Satis eſt, ſi habeas duo vel tria inſignia argumenta, Neq; enim numero, ſed pondere certandum. Itaque ſi in vnâ literâ non ſtatim ſuccedat negotium, abi ad aliam, & vide, quænam literæ tuo accommodatæ ſint negotio.

III. Inſtantiæ eodem modo inueniuntur, vt argumenta principalia. Nam vna litera alteram iuuat. Si ergò habeas argumentum, cuius maior, minor, vel conſequentia ſit probanda, potes pro tuo lubitu hanc vel illam ſumere literam. e. g. ſit talis ſyllogiſmus:

Qui permittit peccatum, eſt author peccati.

Atqui Deus permittit peccatum.

E. Deus eſt author peccati.

Si negetur maior, illam proba ex C figuræ ſecundæ, & dic: Si conſul vel prætor permittat homicidium, eſt illius author E. etiam ſi Deus permittat peccatum. *Solutio* eſt, quâ reſpondetur ad vitioſa argumenta, quorum materia eſt mala. Reſpondetur autem vel ex iiſdem literis, ex quibus ſumpta ſunt argumenta, vel ex aliis. e. g. ad illud argumentum, quo ſuprà ex B primæ figuræ probatum eſt, ſanctos defunctos eſſe inuocandos, quia hic honor debeatur ipſorum præſtanti naturæ: ad hoc, inquam, argumentum reſponderi poteſt ex primâ, ſecundâ, tertiâ, vel quartâ figurâ: vt ex B primæ figuræ: Bonum eſt ſanctos defunctos honorare honore ipſis conuenienti; ſed malum eſt illos honorare eo modo, quo Deus honoratur. ex C eiuſdem figuræ. Nimius honor non eſt honor. ex B ſecundæ figuræ. Maiori ſanè honore afficiendi ſunt ſancti defuncti, quàm homines excellentes in hac vitâ. ex C. Ita honorãdi ſunt ſancti defuncti, vt ipſorum ſtatus requirit. Verſantur autem in eiuſmodi ſtatu, vt longiſſimè ſint inferiores Deo. Vno verbo: Ad vnum argumentum poſſunt tot afferri reſponſiones, quot ſunt literæ & literarum combinationes. Quæ varietas ad hoc conducit, vt ex innumeris ſolutionib. vna ad minimum nobis ſuccurrat.

Mixtio methodica eſt, quâ thema ſimplex vel compoſitum in ſyſtemate epiſtolæ, dialogi, orationis, concionis, conſilij, carminis, vel integræ diſciplinæ, conuenienti ordine tractatur. Hîc eſt perpetua regula: Termini in alphabeto poſiti poſſunt vel omnes adhiberi eo ordine, qui ibi eſt obſeruatus, vel aliqui ex iis poſſunt eligi pro noſtro arbitrio & rei exigentiâ. Adhibentur autem hi termini in exordio, confirmatione, refutatione, peroratione, explicatione, laude, vituperio, hortatione, dehortatione, ſuaſione, diſſuaſione, accuſatione, defenſione, &c. e. g. Sit habenda oratio de PRECATIONE.

Laudabilis eſt conſuetudo, quæ paſſim in ſcholis obtinet auditores, vt qui operæpretium in ſtudiis facere volunt, ſubinde inſtituant diſſerere de iis rebus, quæ in communi vitâ ſingularem vſum habent. Ego itaque, qui huius conſuetudinis vtilitatem antehac expertus ſum, iam denuò illam experiri cogito; non quòd quàm optimè poſſim dicere, ſed quòd quàm optimè velim dicere. Quam ad rem cùm mihi opus ſit veſtrâ beneuolentiâ, exigui temporis vſuram mihi accommodate, & de precatione quid dici poſſit & debeat ab homine Christiano attendite. *Exordiũ ex B C & D. primæ figuræ.* Principiò precatio eſt bonum opus, ſi bene fiat, hoc eſt, ſic ex verâ fide, in nomine Chriſti, ſecundùm præſcriptum verbi Dei, ad nominis diuini gloriam referatur. *Propoſitio. Ex figurâ primâ.* Neque enim eſt res magna recitare orationem Dominicam, vel pſalmum aliquem Dauidis, aut alias precandi formulas: ſed neceſſe eſt, vt omnia illa adſint, quæ dixi. Quod quàm arduum ſit, quis eſt, qui non videat? Neque verò ſemel ac iterum hoc eſt faciendum, ſed indeſinenter, vt monet apoſtolus, & exempla ſanctorum confirmant. Cùm autem hoc non ſit in noſtrâ manu, neq; ars precandi ſit humanæ ſapientiæ inuentum, oportet vt à Deo petamus ſpiritum precum: quem Deus dat dilectis ſuis filiis. Ponite vobis ante oculos totum patriarcharum, prophetarum, apoſtolorum, martyrum & aliorum ſexcentorum chorum. Hi vt rectè precarentur, quid aliud fecerunt, quàm vt ſpiritum precum à Deo impetrarent. Hic ſpiritus facit vt intelligamus, quòd ſit orandum, quis orandus, & quomodo orandum. Hic ſpiritus purgat corda noſtra, vt puro affectu precemur. *Ex figurâ 2.* Hic ſpiritus facit, vt non tantùm ore & corde, ſed etiam ipsâ vitâ precemur, ſtudendo virtutibus Chriſtiano homine dignis. Atque hæc demum eſt vera precatio, quæ Deo placet, & veram nobis adfert gloriam. Hinc videre eſt, quid interſit inter preces filiorum Dei & hypocritarum. Illorum preces ſunt cor contritum, hymni deuoti & vita ſancta: horum preces ſunt verba pompoſa ſine puritate cordis & vitæ. Illorum preces ſunt ſimiles holocauſto, horum preces ſunt inſtar ſepulchri dealbati. Faceſſat itaque hypocriſis à precibus. Nam Deus illam odit & deteſtatur. Faceſſat etiam dubitatio. Nam homo dubitans de fauore & auxilio Dei, eſt veluti nauis quæ à fluctibus hinc inde iactatur. E contrario, qui fiduciam ſuam ponit in Dominum, ſimilis eſt naui, quæ inter medios fluctus innititur anchoræ. Nimirum fides eſt fons ille, ex quo fluunt riuuli Deo placentes. Præterea oportet vt preces fundamus in nomine Chriſti, ne illas habeamus pro causâ meritoriâ ſalutis, ſed pro viâ & medio perueniendi ad vitam æternam, & à Deo impetrandi omnis generis bona. Hunc finem ſibi propoſitum habuerunt omnes ſancti, inde ab initio mundi, etiam illi, qui fuerunt inſignes innumeris virtutibus. Nullus ex iis iactauit ſua merita: ſed omnes agnouerũt peccata ſua magna & multa, & ſe indignos agnouerunt immensâ illâ miſericordiâ, quam deus nobis impendit. Horum veſtigia inſiſtamus, & quotidiè ſic inſtituamus vitam noſtram, vt in precibus deploremus peccata noſtra, quæ multitudine ſuâ æquant numerum arenæ maris. Ad extremum oportet, vt conuenienti geſtu teſtemur deuotionem cordis inter orandum. *Ex nouẽ ſubiectis.* Poſſumus itaque pro re natâ oculos in cœlum attollere, vel in terram deprimere. Poſſumus manus eleuare. Poſſumus clarâ vel ſubmiſsâ voce loqui, aut etiam canere, Loci quoque & temporis ratio nobis eſt habenda. In quibus omnibus hoc eſt caput rei, vt mentem peregrinis cogitationibus & phantaſiis, quoad eius fieri poteſt exoneremus. Atque hæc ſunt, quæ de precatione breuiter in medium adferre volui. *Concluſio ex F, G H. primæ fig.* Hoc iam reſtat, auditores, vt quotidiè cogitemus precationis neceſſitatem & vtilitatem, totoque animi impetu feramur in Deum, ſummum illud bonum, ipſique ſimiles fiamus per ſtudium virtutum. Ita enim experiemur omnipotentiam quandam precum. Dixi.

De eodem themate poſſunt moueri quæſtiones hoc modo. *Methodus quæſtionum.*

1. An precatio eſt neceſſaria? A. quia Deus præcepit nobis vt precemur.

2. Quid eſt precatio? ℞. Eſt eleuatio cordis ad Deum, profecta ex fide in Chriſtum.

3. De quo eſt precatio? ℞. Precatio eſt ex genere illarum rerum, quæ Deo inprimis ſunt acceptæ: quæ Chriſtianis hominibus ſunt familiares: denique quæ à Spiritu ſancto efficiuntur in cordibus electorum

4. Quare ſubinde eſt precandum? ℞. Quia gloria Dei & noſtra indigentia hoc poſtulant

5. Quanta eſt vis precationis? Tanta, vt cœlum aperiat, exemplo Eliæ.

6. Qualis debet eſſe precatio? ℞. Humilis, profecta ex verâ fide, directa ad nominis diuini gloriam, & coniuncta cum quotidianâ praxi pœnitentiæ.

7. Quando debemus precari? ℞ Omni tempore, inprimis quando surgimus è lecto, vel lectum reperimus; ad mensam accedimus, vel ab eâ recedimus; in periculis versamur, vel ex periculis liberati sumus.

8. Vbi est precandum? ℞ In templo, sub dio, in conclaui, &c.

9. Quomodo est precandum? ℞ Ardenter & indesinenter.

Cum quo est precandum? ℞ Cum aliis Christianis, qui sunt domestici nostri, vel collegæ, vel concives, &c.

Compendium totius artis. Sed finis sit exemplorum: quia tanta est huius artis fœcunditas, vt in vno exemplo non facile sit inuenire finem. Id vt tyroni manifestum euadat hæc regula sit in conspectu: Si disserendum sit de aliquâ re, alphabetum sit ante oculos, & ex illo sumantur termini omnes vel aliquot: simplices vel coniuncti. Ita si sermo sit de ingenio, ex primâ secundâ, tertiâ & quartâ columnâ sumantur termini isti Deus, angelus, bonitas, magnitudo, &c. & dicatur, à Deo esse varietatem & bonitatem ingenij: sanctos angelos fouere bonum ingenium, malos angelos insidiari ingeniis: bonum ingenium esse temperatum: heroica ingenia esse rara &c. Deinde misceantur termini & quidem ita, vt duo, tres quatuor, quinque, sex, septem, octo vel nouem coniungantur: vnde oriuntur infinitæ combinationes. Nam vna litera habet quatuor significata pro numero columnarum. Quare si dicas BB, oportet vt significationes istas percurras: similiter si dicas BBC, vel BCB, vel BCD, vel BCDE, vel BCDEF, &c. Verùm enim verò nulla est difficultas, si memoria teneas alphabetum & abacos, & sis vtcunque versatus in copia verborum. Neque enim hæc ars docet elegantiam & copiam verborum, sed ostendit copiam rerum, attributorum, axiomatum, quæstionum, argumentationum.

Tota Lullij ars est cyclognomonica.

XVII. *Vniuersa ars Lulliana sex circulis includi potest.*

Hoc artificium primus, quod sciam, tradidit *Hieronymus Sanchez pag* 349. his propè verbis. Vt generalem deductionem principiorum & subiectorum possis aduertere, secundùm normam à sapientissimo authore nostro traditam, delinea figuram sex circulis constantem. Circulus minimus contineat quæstiones, & modos quærendi: secundus, nouem principia absoluta: tertius, nouem respectiua: quartus, nouem subiecta naturalia: quintus, nouem virtutes: sextus nouem vitia. Hanc figuram tibi pone ob oculos, & per eam quodlibet subiectum, tam positum in arte, quàm extra artem assumptum deducito. e. gr. Ecclesiam; cuius bonitas, magnitudo, duratio, &c. differentia, & concordantia, &c. adferantur. Tum subiecta naturalia & moralia accommodentur. Denique quæstiones multiplicentur. Hæc autem omnia aptè connectantur, vt continua sit oratio.

Modus applicationis.

XVIII. *Modus applicandi hanc artem est varius: putà generalis, specialis, & specialissimus.*

Applicatio generalis fit per abstractum & concretum, explicitum & implicitum, simplex & compositum, primarium & secundarium, necessarium & contingens, per se & per accidens, & similes entis differentias in metaphysicis. Sic enim verbi gratia bonitas prædicatur de Deo in abstracto, explicitè, primariò, necessariò, &c. de homine, in concreto, explicitè, secundariò, contingenter, &c. *Applicatio specialis* fit quantum ad terminationes, & ipsos terminos artis. *Terminationes artis* applicantur omnibus rebus, & lucem accipiunt ex collatione Grammatices atque Logices: vt desinentia *in iuus* notant potentiam actiuam; *in ilis*, potentiam passiuam; *in ns*, motum actiuum; *in tus*, motum passiuum; *in io* actionem & passionem, &c. Itaque deificatiuus est, qui nos reddit Deo similes, vt charitas: deificabilis, qui Deo potest fieri similis: deificatio, est actio Spiritus sancti nos regenerantis & diuinæ naturæ participes facientis, itémque passio hominis regenerati. Est autem operæpretium in conspectu habere terminationes variarum linguarum, & disciplinarum. *Termini artis* sunt subiecta, prædicata, vel quæstiones. *Subiectum* aut est subiectum per excellentiam sic dictum, aut virtus, aut vitium. Hæc subiecta methodicè sunt cognoscenda ex aliquo authore: vt doctrina de Deo ex syntagmate Polani, doctrina de angelo ex Angelographia Casmanni, doctrina de cœlo ex Physica & Vranometria, &c. Ita enim fiet, vt prædicata & quæstiones absque vllo labore possimus applicare subiectis. Vbi memineris, Instrumentatiuam sub se complecti nouem prædicamenta accidentis. *Prædicata* applicantur vel subiectis, vel sibi inuicem. Sic bonitas applicata subiectis est diuina, angelica, humana, &c. seu increata vel creata: eadem applicata prædicatis absolutis, est magna vel parua, momentanea vel diuturna, &c. eadem applicata prædicatis respectiuis est sincera vel non, permanens vel non, vera vel apparens, maior vel minor, carens principio vel habens principium, &c. Rursus prædicata applicantur terminis metaphysicis, logicis, physicis, &c. quæ mixtio est varia & valida. Atque hæc applicatio etiam locum habet in subiectis. Nimirum Deus, angelus, differentia, concordantia, & similia applicantur rebus ratione entitatis, veritatis, bonitatis, causæ, effecti, subiecti, &c. v. g. res differunt à se inuicem causâ, effecto, subiecto, adiuncto, genere, specie, &c. *Quæstiones* applicantur secundùm illos modos, quos sub se continent: itémque iuxta locos inuentionis. e. gr. *Vtrum* quærit, an res sit, an habeat causam, an sit causa vel effectum, &c. *Quid* applicatur ratione definitionis perfectæ vel imperfectæ, &c. *Applicatio specialissima* fit ad disputationes, conciones, orationes, consultationes, & similes actus. *In disputationibus* loca ista inuentionis generalis & specialis, à causa, ab effecto, ab vtili, ab honesto, ab idea, à praxi Ecclesiæ, a stylo curiæ, &c. sunt conferenda cum subiectis & prædicatis. Deinde, semper id est asserendum, quod est magis intelligibile, recolibile, & volibile. Tertiò in argumentis inueniendis, concatenandis & soluendis obseruetur regula: Vna litera alteram iuuat. *In orationibus & concionibus* varietas subiectorum ostendit differentiam characteris: prædicata suppeditant copiam argumentorum explicantium, probantium, & amplificantium: quæstiones gubernant dispositionem. *In consultationibus* oportet inprimis respicere prædicata respectiua.

XIX. *Cyclognomonica mixta est interna, vel externa.* Cyclognomonica mix[ta]

Cyclognomonica interna est, quæ miscet terminos eiusdem classis: qualis est mixtio prædicatorum absolutorum inter sese, locorum inuentionis inter sese, terminorum metaphysicorum inter se, & terminorum cuiusque artis inter se. *Cyclognomonica externa* est, quæ miscet terminos diuersarum classium: qualis est mixtio prædicatorum absolutorum cum respectiuis, Logicis, Metaphysicis, singularum disciplinarum, &c. Atque hæc vtraque mixtio vtramque facit paginam in Cyclognomonicis.



SECTIO XVIII.

In quâ delineatur

ARS COPIÆ VERBORVM.

PRÆCEPTA.

ARS copiæ verborum tradit præcepta de vocabulis celeriter & copiosè inueniendis.

Estque generalis, vel specialis: & vtraque simplex: vel mixta.

Generalis ars copiæ verborum est Lexica, Grammatica, Rhetorica, Poëtica, Logica, vel Cyclognomonica.

Specialis est varia ratione disciplinarum. Est enim copia verborum theologicorum, iuridicorum, medicorum, philosophicorum, mechanicorum.

REGVLÆ.

I. *Copia verborum promouet flumen eloquentiæ, & promptitudinem reminiscentiæ.* Copia verbor[um] quàm v[ti]lis?

Ratio prioris est; quia eloquentia est copiosè loquens sapientia Itaque adhibet copiam verborum & rerum; è quibus illa est prior, hæc potior: vt ait magnus ille Erasmus Roterodamus. Ratio posterioris est; quia si quis instructus sit à copia verborum, memoria simplici & vnico labore defungitur in complectendis rebus. Aliâs operosior est exercitatio, si memoria verborum & rerum simul sit excolenda.

II. *Copia verborum generalis nihil est aliud, quàm variatio vocis aut sententiæ per terminos generales.* Copia verborum generali[s]

Itaque hæc talis copia *primò* est lexica: vbi percurrimus Lexicon Hebraicum, Græcum, Latinum, vernaculum, &c. & obseruamus synonyma epitheta, antitheta, & similia. Quid? Possumus ex toto alphabeto seligere quædam vocabula, quæ videbuntur aliquo modo fauere nostro proposito; qua de re vide seq. sect. *Deinde* est variatio Grammatica: cuius artificium suprà in Grammaticis tradidimus. Summa est, vt oblatam sententiam variemus deducendo per casus, gradus, numeros, modos, tempora, regulas syntacticas. *Tertiò* est variatio Rhetorica: cuius artificium etiam suo loco exposuimus. Summa huc redit, vt oblatam sententiam deducamus per lumina troporum & figurarum, eáque vel singula, vel mixta inter sese, vbi


figuræ

figuræ dictionis & sententiæ vel solæ possunt locupletem reddere orationem Si enim v. g. adhibeas in vna oratione anaphoram ter, epistropæen bis, exclamationem quinquies, apostrophen semel atque iterum, &c. quid putas, annon magna erit hæc copia? *Quarto* est variatio poetica, qua sententiam propositam variis carminum generibus exprimimus idque in vna vel diuersis linguis. *Quinto* est variatio Logica, quæ in eo est posita, vt inspiciamus abacos locorum inuentionis, & notas axiomatis vniuersalis, particularis, & singularis, itemque formulas argumentandi, particulas connexiles, & similes. Ita enim fiet, vt sententiam oblatam variemus ratione causæ, effecti, dissentaneorum, axiomatis, &c. *Sexto* est variatio cyclognomonica quæ conficit circulos philologico-metaphysicos vel logicos, & ex illorum reuolutione deducit artificium copiæ verborum. Primus qui hoc artificium tradidit, est *Iordanus Brunus.* Excogitauit nempe peculiaria alphabeta, in quibus terminos philologicos, logicos & metaphysicos digessit, vt illi vel singuli, vel mixti inter sese faciant ad copiam verborum. e. g. A *Esse*, B *Non esse*, C *Sentire*, D *Intelligere*, E *Opinari*, G *Ignorare*, H *Consentire*, I *Dissentire*, K *Affirmare*, L *Negare*, &c. Rursus A *Nominatiuus*, B *Genitiuus*, C *Datiuus*, D *Accusatiuus* E *vocatiuus*, F *Ablatiuus*, G *Metonymia*, H *Ironia*, I *Metaphora*, &c. Huiusmodi circuli possunt à quolibet copiæ studioso excogitari, & vel singuli adhiberi, vel infinitis modis inter se misceri e. g. hæc sententia *Deus est colendus*, ità variabitur: Non puto esse hominem, qui dicat Deum non esse colendum: omnes homines rectè sentientes statuunt, Deum esse colendum: Dei cultum nemo est qui improbet. Sed videris hac de re *Artificium perorandi authore Iordano Bruno*, à nobis publicatum. Probè autem oportet meminisse, terminos homogeneos, id est, grammaticos inter se, vel rhetoricos inter se: itemque heterogeneos, id est, grammaticos & rhetoricos, &c. variè misceri.

ia orum ialis.

III. *Copia verborum specialis sumitur ex locis communibus & titulis, ad quos pertinet vox, phrasis, vel sententia varianda.*

Quælibet ars & facultas habet peculiares terminos. Itaque si occurrat vox, phrasis, aut sententia theologica, iuridica, medica, philosophica, mechanica, quæ sit varianda, deligendi sunt termini sequaces, qui fauent nostro proposito. Sicut autem in copia verborum generali datur mixtio, ita etiam in hac speciali. Sæpiùs vsu venit, vt termini philosophici in materia theologica, aut vicissim, locum habeant; vbi & illud est aduertendum, quòd copia generalis possit misceri cum speciali, & contrà. Ita misceri possunt termini Grammatici cum theologicis, physicis, ethicis, & similibus.



SECTIO XIX.

In quâ delineatur

ARS COPIÆ RERUM.

PRÆCEPTA.

Ars copiæ rerum tradit præcepta de rebus celeriter & copiosè inueniendis.

Estque generalis, vel specialis: & vtraque simplex, vel mixta.

Generalis ars copiæ rerum est Logica, Metaphysica, vel Cyclognomonica: eáque vel simplex, vel mixta.

Specialis ars copiæ rerum est theologica, iuridica, medica, philosophica, mechanica.

REGVLÆ.

I. *Fundamentum copiæ rerum est in illo axiomate:* Omnia de omnibus ingeniosè dici possunt. Fundamentum copiæ rerum.

Duo in studiis etiam atque etiam nobis sunt obseruanda: copia verborum & rerum. Vtriusque ἐμπειρίαν docti viri non vno modo tradiderunt. Nos totum artificium hîc delineamus. Et quidem de copia verborum diximus præced. sect. de copia rerum iam dicturi ea, quæ nihil omittent eorum, quibus viri doctissimi illustrarunt hanc artem. Præsupponimus autem insigne illud axioma, quòd omnia de omnib. dici queant. Vnde hæc πειράγματα deducuntur. 1. Dicturus de re aliqua percurrat vniuersam Encyclopædiam, & ex singulis disciplinis ea seligat, quæ faciunt ad propositum, exempli gratiâ, panis natura explicatur adhibitis terminis metaphysicis, logicis, Lullianis; quatenus panis consideratur physicè, œconomicè, theologicè, mechanicè in arte molitoriâ & pistoriâ, &c. Atque hoc appellatur *sigillum Encyclopædiæ.* 2. Dicturus de re aliquâ, percurrat vniuersitatem rerum, & dispiciat quænam res inter se differant, concordent, contrarientur. e gr. si de pace velis verba facere, percurre vniuersitatem rerum, vel in prædicamentis repræsentatam, vel alio quodam ordine. Hîc tibi occurrent Deus, angelus, diabolus, cœlum, infernus, & alia infinita. Dices itaque: Deus est author & fautor pacis: Diabolus est osor pacis: qui pacem colunt, similes sunt bonis angelis, & reliquis cœli incolis. Atque hoc est sigillum vniuersitatis 3. Dicturus de re aliquâ, percurrat Lexicon, indéque excerpat varia vocabula; quæ videbuntur fauere nostro proposito. e. g. si de pace velis differere, excerpe ista vocabula, vinculum, familia, schola, conseruo &c. Dices itaque: Pax est vinculum familiæ & scholæ: Pax conseruat omnem societatem. 4. Dicturus de re aliquâ, in manum sumat librum quemcunque, & textum obuium inspiciat, indéque sumat quæ sunt illustrando proposito. e. g. si de pace velis dicere, & incidas in illam sententiam Virgilij, *Nulla salus bello,* &c. facilè obtinebis tuum propositum. Atque hoc dicitur sigillum variæ lectionis. 5. Dicturus de re aliquâ, miscere potest terminos homogeneos, & heterogeneos. Homogenei sunt, qui pertinent ad eandem classem. Ita miscentur loca inuentionis inter se, termini metaphysici inter se, prædicata absoluta Lulliana inter sese &c. Heterogenei sunt, qui pertinent ad diuersas classes. Ita miscentur termini logici & metaphysici, prædicata absoluta & respectiua. Eâdem ratione miscentur termini disciplinarum particularium, putà termini theologici inter sese, vel cum philosophicis, aut vicissim.

II. *Modus differendi nouus, valde quidem ille copiosus, consistit in collatione locorum logicorum cum vocabulis Lexici.*

Modi istius theoriam & praxin paucis trademus. *Theoria* continetur hâc regulâ: Si dicere velis de aliquâ re, constitue 23. literas, iisque è regione oppone loca Inuentionis Logicæ, & ex singulis literis alicuius Lexici excerpe voces, quas tuo proposito aptare possis. Exemplum hoc esto.

PIETAS.

A. *Causa. Efficiens.* Spiritus sanctus, Biblia Sacra, Conuersatio cum piis, tribulationes &c. *Finis.* Gloria Dei, salus nostra, ædificatio proximi. *Materia.* Virtus theologica. *Forma.* Veneratio Dei vnius & trini.	Abdico. Abdo. Abdomen. Albeo. Abiungo. Abiuro. Abluo. Abnormis. Abominor.
B. *Effectum.* Colere Deum, tranquillare conscientiam, parere lætitiam, alias virtutes gignere.	Bacchanalia. Bacchor. Baculus. Balatus. Balneum.
C. *Subiectum. Recipiens.* Anima deuota, lota sanguine Christi: vt Abraham, Dauid. *Occupans.* Deus in vnitate Trinus. Tabula prima decalogi.	Cacoëthes. Cadauerosus. Cado. Caducus. Cœcus. Cœlum.
D. *Adiunctum Receptum.* Necessitas, vtilitas, præstantia, contemtus, amor &c. *Occupatum* Homo pius, pietatis studiosus.	Damnum. Dealbatus. Debello. Debitum. Decalogus. Defendo.
E. *Antecedentia.* Institutio in familiâ vel scholâ, crux, beneficia Dei.	Ebrietas. Ecclesia. Equuleus. Edictum. Edisco. Edomo.
F. *Connexa.* Pietas, fides, timor Dei.	Fabrico. Fabula. Facilis. Felix.

G. *Consequentia.* Amari à Deo & piis, contemni à mundo.	Galea. Gangræna. Gaudeo.
H. *Diuersa.* Etsi est pius, non tamen diues.	Habena. Habilis. Habitus. Hæreditas.
I. *Disparata.* Pietas, & reliquæ virtutes theologicæ & ethicæ.	Iacto. Iaculum. Ianua. Idololatria.
K. *Relata.* Pietas doctor & discipulus.	Κακία. Καλόν. Καιρός.
L. *Aduersa.* Pietas, & impietas habitualis.	Labefacto. Labes. Labor. Labium.
M. *Contradicentia.* Pius, non pius.	Maceio. Machina. Macula. Magia.
N. *Priuantia.* Pietas, & impietas negatiua.	Nablium. Næuus. Nardus. Nauis.
O. *Paria.* Pietas & timor Dei.	Obdormio. Obduresco. Obedio.
P. *Maiora.* Pietas Dauidis & nostra.	Pabulum. Pacifico. Pactum. Palæstra.
Q. *Minora.* Pietas & fortitudo.	Quadriga. Quadra. Quæro.
R. *Similia.* Pietas est fundamentum, regina, radix, &c. virtutum.	Rabies. Radix. Radio. Ramus.
S. *Dissimilia.* Pietas vera & hypocritica.	Sabbatum. Sacramentum. Sacrum.
T. *Coniugata.* Pietas, pius, piè.	Taberna. Tabula. Tædium.
V. *Notatio.* Pietas à πίστις, vel ab antiquo pio, pias; vnde expio.	Vaco. Vacuus. Vadimonium.
X. *Distributio. Ex caussis.* Pietas vel à Deo infunditur, vel ab homine acquiritur. Item: Eius partes sunt cognitio & cultus Dei. *Ex effectis:* Pietas prodest in hâc & futurâ vitâ. *Ex subiectis:* Pietas est alia ethnicorum, alia Christianorum. *Ex adiunctis:* Pietas est moralis, vel spiritualis.	Xenium. Xystus. Ξύλον.
Y. *Definitio.* Pietas est rectus Dei rectè cogniti cultus.	Ὕβρις. Ὕδωρ.
Z. *Testimonium diuinum:* Prou. 1. 1 Tim 4. *Humanum:* Cic. Pietas est fundamentum virtutum.	Zelus. Zona.

Praxis ita habet.

I. Si velis multiplicare axiomata, percurre locos Inuentionis, vel vocabula promiscuè collecta. Sic de pietate dices.

Ex locis Inuentionis:

Pietas à Spiritu sancto nobis infunditur, si legamus diligenter Biblia sacra, & conuersemur cum piis, & patienti animo feramus tribulationes.

Vir pius omnia refert ad DEI gloriam & animæ suæ salutem.

Pietas hominis Christiani est virtus theologica.

Ex vocabulis promiscuis:

Pietas facit, vt abdicemus nos curâ rerum futilium.

Qui pius est, pietatem suam non abdit, sed lucere sinit.

Pius non curat abdomen.

Pietatis est, non abire in consilio impiorum, &c.

II. Si velis disputare, syllogismi possunt formari ex locis inuentionis, & vocabulis promiscuis. Vt si quæratur, An pietas Christianorum differat à pietate gentilium, affirma ex locis inuentionis, vt ex A. Q. in Christianis habitat Spiritus sanctus. ex B. Q. pietas Christianorum tranquillat conscientiam, &c. Ex vocabulis miscellis, vt ex A. Q. Christiani sunt abluti sanguine Christi ex B. Q. ethnici, vt pij, bacchanalia probarunt. ex C. Q. ethnici fuerunt cœci in cognitione & cultu Dei.

III. Si velis perorare, potes sequi ordinem locorum inuentionis, vel ipsorum vocabulorum: aut potes seligere quædam loca inuentionis, & quædam vocabula, tanquam præcipua. Amplificationes petes ex reliquis literis. e. gr. de pietate dicturus elige lit. B. in locis inuentionis, aut lit. G. in vocabulis.

Quòd si hæc conferas cum prædicatis & quæstionibus Lullianis, habebis infinitam segetem. e. g. ex lit. G. ita disseres de pietate.

Exord.

In militiâ magnus est vsus galeæ. Eodem modo se res habet in militiâ hominis Christiani: qui nisi se muniat galea, actum est de ipsius victoriâ.

Propos.

Quæ verò est ista galea? Vno verbo, est pietas.

Confirmo.

Hæc enim (ex D) defendit animam, ne damnum aliquod ipsi inferatur à diabolo, mundo, vel carne. Meritò itaque gaudent (ex G) hâc galeâ milites Christiani, exemplo Abrahami, Dauidis, & aliorum.

Peroro.

Illos itaque milites & victores imitemur (ex V) & huic virtuti vnicè vacemus.

Copia rerum specialis.

III. *Copia rerum specialis in singulis artibus & facultatibus perficitur inuentione & dispositione.*

Inuentio est, quâ singuli loci communes in artibus & facultatibus habentur pro locis inuentionis, id est, pro domiciliis argumentorum specialium. *Dispositio* est, quâ in singulis disciplinis attenditur methodus harum & illarum partium doctrinæ. Sic v. g. in Didacticâ vniuersa discentiæ ratio absoluitur fine, impedimentis, & mediis: in præcognitis cuiusque disciplinæ spectatur natura & studium: in OEconomicâ, Politicâ, & Scholasticâ attenditur fundatio, conseruatio, amplificatio, & curatio. Huiusmodi dispositiones in singulis disciplinis occurrunt, quæ in praxi plurimum habent momenti ad copiosè dicendum.

Amplificatio facit ad copiam.

IV. *Argumenta amplificantia, quæ dicuntur in Logicis & Oratoriis, faciunt ad copiam rerum.*

Itaque antithesis, syncrisis, conglobatio, & testimonium, de quibus in Logicâ diximus, huc pertinent. Vide etiam quæ diximus in Oratoriâ de argumentis amplificantibus.

Immeatio quid?

V. *Immeatio, quâ vnum subiectum recipit omnia prædicata, vnicè iuuat copiam rerum.*

Ista autem immeatio facillimè instituitur hoc modo. Primò sume duo vocabula, vt, Deus, pax: deinde tria, vt Deus, pax, fautor: tertiò quatuor, vt Deus, pax, fautor, conseruat, & ita deinceps. Tum notiones istas primas refer ad Logicam, & facilè videbis rationem combinandi: vt Deus & pax sunt causa & effectum. Dices itaque, Deus est author pacis, Pax est à Deo, Deus dat & conseruat pacem.

Copia rerum in explicatione textus.

VI. *Copia rerum non solùm habet locum in synthesi; sed etiam in exegesi, hoc est, enarratione scriptorum.*

Ista siquidem enarratio aut est contractior, aut vberior. Quare si vberior ista sit instituenda, decem erunt modi explicationis & amplificationis. 1. antithesis verborum. 2. ὁριστικὴ, quid sit. 3. διοριστικὴ, quotuplex sit. 4. quid in præsenti loco intelligatur, seu sectio accommodatoria. 5. ratio explicandi ἀπολογικὴ, quare scilicet hunc, & non alium sensum sequamur. 6. collatio textus cum aliis textibus similibus. 7. prolepsis. 8. conciliatio τῶν ἐναντιοφανῶν. 9. commemoratio approbatoria vel improbatoria sententiarum variarum. 10. vsus doctrinæ seu loci communis propositi & expositi. Regulas & exempla vide apud *Matthiam Martinium de promptâ vtilium rerum meditatione lib. 3.* Potest & ista adhiberi methodus quam idem tradit *lib. 4.* & itidem constat decem partibus: vti sunt, 1 declaratio thematis propositi. 2. præmunitio de thematis enodandi difficultate, vtilitate, necessitate. 3. demonstratio ex contextu. 4 ex aliis dictis 5. ex rationibus. 6. ex comparationibus. 7. ex exemplis. 8. obiectionum refutatio. 9. regularum paucarum collectio, ad iudicandas præsentes controuersias. 10. vsus doctrinæ. Tametsi autem ista decem capita in enarratione textus sacri ferè adhiberi solent: nihil tamen prohibet, quò minùs ad alia etiam themata extendantur. Peculiaris

liaris alio qui ratio copiosè explicandi S. Scripturam, suprà in theologicis est tradita. Sed claudamus hanc doctrinam pulcherrimâ obiectione *Ios. Vrcèe*, quam habet in præfatione libri, quem inscripsit, *Ignis & authoritas, id est, Liber loquens.* Dialectici, *inquit*, & Rhetores de inuentione tractantes, Topica tanquam eiusdem media proponunt. Quæ si tibi non occurrerint, non tamen expauescas. Scias enim, suo modo, *omnia de omnibus*, dici posse. Igitur quascunque nostri Entheati (*sic vocat suum librum*) dictiones vel fortuitò tetigeris, se tibi locorum topicorum instar obtulisse memineris, quibus pro ratione subiecti vtaris, vt sequitur. Sit subiectum *Ira*, de quâ vt habeas quod dicas, sumantur primi Entheati dictiones substantiales pag. 1. *æs ars, os, vrbs*, &c. quæ si ex multis eligerentur, feliciùs proculdubio inuentioni inseruirent. Sed his ad tempus vtamur. *Æs*, mihi significat facultates, diuitias, &c. *Ars*, ingenium peritiam, industriam, &c. *Os*, vires, fundamentum, causam. *Vrbs*, nationes, regiones, &c. Hoc facto, consideretur an ab his laudanda sit *Ira*, vel vituperanda. Vituperetur itaque, hoc modo. *Ira* a) *diuitiis suffulta maximè* b) *ingenio & inuentionibus perniciosis associetur; quibus & vires* c) *& causa prætensionis arrideant, mala molitur infinita. Ad vrbium enim* d) *& ciuitatum euersiones; ad regionum destructiones, hominumque clades, præceps prorumpit.* Si vlteriùs sermonem dilatare volueris, alias iterum sume dictiones, vt *bos, crus, dos, fas*: quibus hoc modo potes vti. *Ira more belluarum* e) *absque ratione, maximo cum impetu* f) *in diuites & pauperes* g) *irruit, omnéque fas* h) *violat.*

SECTIO XX.

In quâ delineatur

POLYGRAPHIA.

PRÆCEPTA.

POLYGAAPHIA est ars occultè scribendi. *Vnde* & Cryptomenitica dicitur.

Estque generalis, vel specialis.

Polygraphia generalis explicat fundamentum occultationis, quod est in alphabetorum fœcundâ & infinitâ dispositione.

Polygraphia specialis est significatiua, vel non significatiua. Illa literis alphabeti subiicit vocabula significantia, & ex illorum connexione orationem elegantem extruit: hæc voces nihil significantes colligit.

REGVLÆ.

I. *Polygraphia Trithemij literis singulis in vnoquoque alphabeti ordine dictiones è directo positas connectit.* Polygraphia Trithemij.

Iohannes Trithemius in Polygraphiâ & Steganographiâ suâ inter alia hoc sibi habuit propositum, vt modos occultè scribendi excogitaret nouo quodam artificio. Hoc autem in Polygraphiâ præstitit hoc modo. Literis singulis in vnoquoque alphabeti ordine dictiones è directo positas nectit hoc modo.

A. Deus sapientissime adiuua.
B. Creator optime tuere.
C. Fabricator æterne protege.
D. Seruator misericors serua.
E. Author iustissime defende, &c.

Si quis iam occultare velit istam vocem *Deâ*, capiet pro *D*, *Seruator* in primo ordine; pro E, *Iustissime* in secundo ordine; pro *A*, *Adiuua* in tertio ordine. Pro *Dea* itaque dicet *Seruator iustissimè adiuua.* Et hoc modo imperitus linguæ Latinæ dummodo legere possit, integrum commentarium Latinum potest scribere, illóque occultare sensa animi.

II. *Polygraphia* ἄσημος *est infinita.* Polygraphia ἄσημος.

Possunt enim literæ pro literis poni infinitis modis, aut loco literarum adhiberi ciphræ vt vocant. Prioris modi exemplum adferemus, quod nobis vehementer arridet.

AB	a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m
	n	o	p	q	r	ſ	t	u	W	x	y	z
CD	a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m
	z	n	o	p	q	r	ſ	t	u	W	x	y
EF	a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m
	y	z	n	o	p	q	r	ſ	t	u	W	x
GH	a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m
	x	y	z	n	o	p	q	r	ſ	t	u	W
IK	a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m
	W	x	y	z	n	o	p	q	r	ſ	t	n
LM	a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m
	u	W	x	y	z	n	o	p	q	r	ſ	t
NO	a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m
	t	u	W	x	y	z	n	o	p	q	r	ſ
PQ	a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m
	ſ	t	u	W	x	y	z	n	o	p	q	r
RS	a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m
	r	ſ	t	u	W	x	y	z	n	o	p	q
TV	a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m
	q	r	ſ	t	u	W	x	y	z	n	o	p
WX	a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m
	p	q	r	ſ	t	u	W	x	y	z	n	o
YZ	a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m
	o	p	q	r	ſ	t	u	W	x	y	z	n

Literæ clauis sunt quadratæ seu maiusculæ. Praxis est eiusmodi. Duo vel plures eligant dictionem aliquam in quâcunque linguâ, quæ ipsis fungatur vicem clauis e. g. *dea.* Si iam veniat dictio occultanda, vel integra sententia, literæ clauis accommodentur hoc modo.

Clauis	d	e	a	d	e	a	d	e	a	d	e
Occultanda	h	o	m	i	c	i	d	a	e	ſ	t
Occultantia	t	d	z	u	n	w	p	y	r	g	i

Hæc occultandi ratio prorsus est mirabilis, & ita comparata, vt nullo ingenio, nullâ arte prodi possit arcanum: idque eam ob causam, quòd clauis non sit cognita, & possit variari pro lubitu. Quomodo Hebræi soleant occultare dictiones & sententias, in Kabbalâ indicauimus.

SECTIO



SECTIO XXI.

Exhibens.

ANALYTICAM.

PRÆCEPTA.

ANALYTICA eſt diſciplina mixta de ratione analyſeos ; ſeu, de modo reſoluendi ſcripta aliorum.

Eſtque generalis ſeu communis , vel ſpecialis ſeu propria.

Analytica generalis agit de fine ſeu vſu , & naturâ analyſis.

Finis analyſeos eſt , vt ſcripta aliorum rectiùs intelligamus , firmiùs retineamus, & imitatione feliciùs exprimamus.

Natura analyſios cernitur in differentiâ & conuenientiâ eius cum geneſi, formâ, & amplitudine.

Differentia eſt in eo,quòd analyſis eſt diſſicilior & poſterior geneſi,& alio incedit paſſu quàm geneſis.

Conuenientia eſt in eo , quòd vniuerſa analyſios doctrina pendet à geneſi.

Forma eſt in eo,quòd analyſis eſt artificioſa reſolutio, quâ nihil importatur in opus reſoluendum, ſed artificium oſtenditur, & quidem nudè , abſque exegeſi.

Amplitudo analyſeos eſt tanta , quanta geneſeos. Itaque in lectione bonorum authorum , in diſputationibus,in concionibus, in conſiliis &c. vtraq; locum habet.

Analytica ſpecialis explicat differentias analyſeos.Eſt enim analyſis primò generalis, vel ſpecialis. Illa notionalis;hæc,realis & pragmatica dicitur.

Analyſis generalis eſt,que in omnibus omnino ſcriptis & poteſt & debet adhiberi.

Eſtque philologica, vel logica.

Analyſis philologica eſt lexico-grammatica , vel rhetorica.

Analyſis logica eſt alia inuentionis , alia diſpoſitionis.

Analyſis ſpecialis eſt pura, vel mixta.

Analyſis pura eſt , quæ certæ facultatis thema reſoluit : ideoque eſt philoſophica,theologica, iuridica, & medica.

Analyſis mixta eſt,quando materia reſoluenda habet themata variarum diſciplinarum.

Deinde analyſis eſt ſeparata,vel combinata.

Analyſis ſeparata eſt , quâ expenditur tractatio vnius thematis principalis, ſiue ſit ſimplex, ſiue compoſitum.

Analyſis combinata eſt textus vel ſententioſi , vel plutibus diuerſis thematibus conſtantis, putà integræ alicuius diſciplinæ.

Tertiò analyſis eſt popularis, vel exquiſita.

REGVLÆ.

Theoria & praxis quomodo ſe habeãt?

I. *Omnes diſciplinæ & facultates continentur theoriâ & praxi,hoc eſt,cognitione & vſu præceptorum : & vſus eſt vel geneſis , vel analyſis.*

Profeſſores artium & facultatum , vt alibi multis paſſibus à ſe diſtent : tamen in eo capite quaſi de compacto bene conueniunt : ſcilicet omnem diſciplinam abſolui cognitione & vſu præceptorum ; & rurſus vſum eſſe geneſin ſeu ſyntheſin,vel analyſin. *Geneſis eſt* , quando ipſi aliquid contexímus proprio Marte. *Analyſis eſt* , quando aliquid ab alio iam authore(vel etiam à nobis ipſis) confectum ex arte reſoluimus, & omnia membra,quoad fieri poteſt,minutatim exponimus,vt eò rectiùs illud intelligamus, & firmiùs memoriæ imprimamus, ac imitatione,ſicubi quid egregium,exprimamus. Similia enim alibi fieri ſolent,quamuis alio atque alio modo,vt & fine interdum. Eſt qui ædificium aliquod conſtruit : eſt,qui iam antè conſtructum diligenter luſtrat,& rurſum quoque deſtruit.Faber aliquis horologium ex ponderibus, rotis,aliíſque ferramentis compingit : alter ſuperuenit, qui vt totam hanc machinam eò accuratiùs pernoſcat , & ſimilem quoque efficiat , ſingulas eius partes diſiungit. Sertum è multifariis herbis & floribus contexitur: idem etiam retexitur, & herbæ floréſque ſinguli intentiùs conſiderantur, illorúmque diſpoſitio attenditur. Idem in diſciplinis accidit. Et compingere, ſeu componere, illæ nos docent ; & id, quod compactum,aut compoſitum iam eſt,docent reſoluere.

II. *Magna,& imperitis incredibilis, eſt vis analyſeos.* Ana... ſeos ...tas.

Nam & ſenſum rei ponit ob oculos , & memoriam iuuat, & viam ſternit expeditam ad imitationem. Eſt enim velut venæ quædam inueſtigatio, quâ inuentâ, artifex incredibili perfunditur lætitiâ, & recto ductu ad alienam deducitur. Eſt veluti fontis,ſiue ſcaturiginis,inuentio. Eſt velut anatome,cuius beneficio venas, neruos,carnem,oſſa & omnia in animalis copore iuncta inter ſeſe connexáque diſcernimus.

III. *Analyſis eſt difficilior,quàm geneſis:quòd illa ſit aſtricta , hæc libera.* Anal... ſeos cul...

Difficultatis argumentum hoc eſto, quòd etiam præſtantiſſimi artifices,& in geneſi exercitatiſſimi, ſperato, ἀναιύπτως,adeóque σωώτως, fructu, plurimùm excidunt. Audaciores quidem ſunt gnaris,ignari, ſed θράσος ἀμαθείας comes. Interdum ſuccedit aliquid etiam imperitæ manui : ſed tum non ἐμπειρία τέχνην (cùm ſint illius expertes) ſed ἡ ἀπειρία τύχην ἐγέννησε. Non illicò certa manus eſt , quæ ſæpe iaculando ſcopum aliquando ferit. Quis enim eſt , inquit Tullius, qui totum diem iaculans, non aliquando collineet?Sed nos de inſtituendâ analyſi adferamus ea in medium, quæ difficultatem iſtam tollere queant.

IV. *Vniuerſa analyſeos doctrina pendet à geneſi.* Anal... pend... gene...

Nemo domum ſine iacturâ deſtruet : niſi qui conſtruere didicit. Qui veſtem nouit conficere;etiam,quî commodùm diſſoluta reficiatur, nouit. Sic qui geneſin non eſt doctus,nunquam felix erit in analyſi. Quare vt faciamus operæpretium in analyſi, incipiamus à geneſi, & in illâ ſtrenuè nos exerceamus. Ita fiet , vt verum deprehendamus illud πολυθρύλλητον : Eadem ſunt principia compoſitionis & reſolutionis. Etſi autem geneſis & analyſis mutuas ſibi præbent operas : tamen diuerſis incedunt paſſibus;quia geneſis ex partibus conficit totum;analyſis totum in partes reſoluit.

V. *Quale artificium in authoribus occurrit , tale in analyſi eſt repræſentandum, non alio genere, nec alia figurâ, nec alio modo.* Anal... nihil... det a... deme... ſubſt... operi...

Analyticus enim teſtis hiſtoricus eſſe debet de rebus , quales inuenit ; nec ſenſum inferre , ſed efferre. Optimum itaque eſt artificium analyticum , ſi, quantum poſſumus , vnicè veſtigiis authorum inſiſtamus , nec latum vel pilum ab eorum ſerie diſcedamus. Ita ſuus habetur honos authoribus , maximè ſacris & priſcis. Vt verò interdum alicuius authoris argumenta leuiter traiicere, perſpicuitatis cauſâ,liberum eſt : ſic omnia eius peruertere indecorum. Porrò etſi artificium ab authore adhibitum ab aliis aliter oſtendi & repræſentari ſolet , itémque aliis & aliis notionibus ſecundis enuntiari : tamen ipſa operis ſubſtantia , ipſæque notiones primæ vt ſaluæ maneant , enixè curandum eſt.

VI. *Aliud eſt analyſis , aliud exegeſis.* Analy... & exe... ſis di... runt.

Vtraque diſtincta eſt ; & analyſis non rarò ſine vberiori exegeſi inſtituitur. Quòd ſi coniungatur vtraque , fit, vt authores, quos propoſuimus , planiſſimè intelligantur. Oportet autem ſemper analyſin præire.

VII. *Ante omnia tractatus ille , qui retexendus ſumitur , eſt perlegendus ; primò curſim, deinde cum curâ.* Quid ... inum... analyſi...

Atque hoc eſto primum analyſeos principium ; quod quidem qui negligunt , næ illi parum feliciter retexunt. Magnopere itaque falluntur, qui analyſim inſtituturi, vix per tranſennam aſpiciunt opus retexendum. Illi enim pro analyſi adferunt ſuam ferè geneſim. Porrò , ſi quis ſit tyro in hâc palæſtrâ analyticâ , poteſt ſub initium adhibere probatam alicuius boni

poni authoris analysim,& ita sensim in hoc nobilissimo exercitio progredi.

Analysis distinguit varietas disciplinarum.

VIII. *Quemadmodum disciplinæ quantum ad genesin, ita quoque quantum ad analysin, suis distinctæ debent manere limitibus.*

Quare vt genesis alia est theologica, iuridica, historica, &c. sic quoque analysis. Duplex tamen hic est cautio. 1.Sicuti themata sunt pura vel mixta: sic quoque analysis. Itaque sæpenumero fit, vt in vno eodémque textu adhibeatur analysis ethica, politica, historica, &c. 2.Analysis generalis, id est, philologica & logica, in omnibus textibus & systematibus obseruanda est. Nulla siquidem hoc pacto fit μετάβασις εἰς ἄλλο γένος. quia disciplinæ illæ non sunt τῶν πραγμάτων, sed τοῦ τρόπου τῆς παιδείας.

nalysis xico-rammatica.

IX. *Analysis lexico-grammatica præstet ista tria.*

Principio excutiat linguæ originalis proprietatem & significantiam. Deinde obseruet emphases vocabulorum. Tertiò conferat inter sese versiones, si quæ sunt. Semper autem incipere oportet ab hâc analysi: quia significatio est forma vocis. Non tamen est necesse, vt omnes minutias excutiamus: sed plurimùm sufficit nobis potiora ea attingere, quæ maximè instituto docendi seruient. vt cùm idiotismi & emphaseos consideratio atque explicatio nos ad rei clariorem distinctionem, & pleniorem intelligentiam deducit.

nalysis etorica.

X. *Analysis rethorica obseruabit tropos & figuras; & in tropis recurret ad disciplinas speciales.*

Vt analysis grammatica primum, sic rhetorica secundum obtinere debet locum. Ita enim fit, vt notiones grammaticæ nos manu ducant ad notiones logicas; itémque ornamenta orationis distinguantur à firmamentis. Rectè itaque *Becmannus libr. de vsu Logices ait:* Ab analysi logicâ distinguatur philologia, id est, accuratior illa vocum enucleatio, quâ earum proprietas, origo, elegantia, perspicuitas, simplicitas, compositio, & similia inuestigantur. Item distinguantur, quæ rhetorum ac poëtarum sunt propria, vt phrases, tropi, figuræ, ornamenta amplificandi, exaggerandi, & si quæ talia. Sic Becmannus. Quod attinet ad analysin rhetoricam, illa in tropis hoc vel inprimis obseruabit, vt indicet, ad quasnam illi pertineant disciplinas. Est enim verbi gratia, metaphora geometrica, ethica, theologica,&c.Sed & istas cautiones obseruare oportet. 1.Vt in grammaticâ, sic quoque in rhetoricâ analysi non omnes minutiæ sunt excutiendæ, sed ea solum troporum & figurarum lumina eruenda, quorum explicatio momentum aliquod habet in faciliori rerum cognitione promouendâ. 2.Quemadmodum in logicâ analysi fit, vt eadem res diuersum admodum in vnâ sententiâ respectum induat, vt ad effectum relata causæ, ad adiunctum subiecti rationem habet, & contrà: sic in rhethoricâ, vbi de tropo agitur, eadem vox diuersas admodum translationes subit. 3.Obscuræ voces, præpositiones, aduerbia,& similia, resoluentur in nomina, si iudicare velis, vtrùm in natiuâ an modificatâ significatione vsurpentur. 4.Analyticus rhetoricus non semper extremam accurationem in assignandâ modificatione sequetur: sed nonnunquam satis habebit vulgariter rerum naturas attigisse. 5.Sæpe propter rerum & verborum obscuritatem, aut imbecillitatem apprehensionis, aut doctrinæ tenuitatem, de significatione & eius ratione incidit dubitatio. Tum, ne temeritatis notam incurramus,& peritioribus præiudicemus, sub certâ hypothesi tropum assumemus.

lysis ca.

XI. *Analysis logica obseruabit præcognita operis resoluendi, & ipsummet opus.*

Analysis logica est media inter analysin philologicam & pragmaticam, eóque est veluti cor in totâ pragmatiâ analyticâ. Sedula igitur est danda opera, vt illa sit accurata & solida. Quod quidem hoc modo obtinebimus. Ante analysin, in ipso velut aditu, τῆς προὔπαρχούσης γνώσεως ἕνεκα, oportet delibare tria ista præcognita: authorem, finem, & subiectam materiam. Nam hæc tria sunt instar alicuius cynosuræ: quia quilibet author habet aliquid peculiare, & quælibet subiecta materia variat, & finis est mensura actionis, quâ efficiens occupatur circa materiam. A tribus hisce dependent ista quatuor: quâ occasione, quibus, vbi, & quando author scripserit. Hæc itaque cognoscantur in antecessum. Ipsa iam analysis logica est inuentionis, vel dispositionis, & huius quidem axiomaticæ, syllogisticæ, & methodicæ. Vbi tria ista *in genere* sunt obseruanda. 1.Notæ instrumentorum logicorum, id est, vocabula quædam in Lexicis, notiones troporum, sunt prora & puppis in analysi logicâ,& velut hermæ Logici analytici. Si enim verbi gratia, occurrat vocula *ex*, notat efficientem vel materiam: coniunctiones indicant axioma vel syllogismum, &c. quâ de re vide suprà in Gram. generali, Græcâ, & Latinâ; itemque in Logicâ generali & speciali. 2. Possumus incipere ab analysi inuentionis, vel dispositionis axiomaticæ aut syllogisticæ, pro rei facilitate aut difficultate. Quò etiam pertinet resoluentis peritia vel imperitia. 3.Oportet dispicere, num instrumenta logica sint adhibita ab authore manifestò vel crypticè. Iam *in specie* videamus analysin logicam, illiúsque rationem. *Analysis inuentionis* est, quâ eruimus thema & argumenta. *De analysi thematis* hæ sunt Maximæ. 1.Etsi omnia attendere legentem oportet: præcipuè tamen ad scopum inconniuenti & irretorto oculo respectet, ac analyseως basin statuat in assignatione certi, & liquidò citra dubitationem omnem, ex verbis & serie scriptionis, ostendendi & probandi thematis. In hoc inuestigando prima cura esto: sicut sagittario totus quidem scopus, ad quem tela collineent, contemplandus est, at medium præcipuè punctum, quod distincto ab ambientibus partibus colore visum lacessit. 2.Authores idem thema, quod sibi destinarunt, sæpiùs quandóque repetunt, nunc iisdem planè verbis, nunc paululum mutatis, eodem verò redeuntibus. Quod etiam verum de notionibus, quibus vel explicant illud, vel probant, vel digerunt. Vbi ergo idem bis aut ter, aut pluries se ingerit, eâdem operâ à nobis, tædij fugiendi causâ, coniungatur. 3.Attendatur vtrùm thema sit simplex vel compositum, perfectum ac imperfectum, singulare an vniuersale. Themata enim non sunt confundenda. Inprimis ἀπὸ θύρας, diligenti meditatione, tanquam scopum, perspicere oportet, an thema sit simplex vel compositum. Secus, illius sententia, cum quo agimus, nos præteruolat,& ea quæ explicant, cum argumentis, quæ probant, sinistrè confunduntur. 4.Cùm vno opere non semper vna res exigatur, despiciendum est, sitne vnum in illo thema, an plura, & quotnam. Atque si hoc posterius sit, systema resoluendum continuè diuidatur, vnúmque ita post aliud διτάκλως pertractetur. 5.Singula themata conuenientibus nominibus indigitentur. quam ad rem non parum faciunt quæstiones, itémque ista vocabula: narratio, consolatio, consultatio, reprehensio, &c. 6.Si plura sint themata, considerabis, vtrùm ea prorsus sint secreta, an verò aliud ex alio pendeat. Quæ cognata sunt, vnius generis appellationem sustinere queunt: reliqua sub communem aliquam naturam torquere nihil attinet. 7.Plurimùm fit, vt quod pro argumento principaliter ponebatur, accedentibus amplificationibus aut demonstrationibus thematis locum alternis sustineat. Quod enim assumebatur, vt in antecedente sententiâ aliquid explicaret aut probaret, id in posteriore ipsum explicari aut probari potest. 8.Thematis indicinæ sunt inscriptiones, tituli, particulæ de, pro, contra, &c. vt Oratio pro Dejotaro. Item voces, quæ membrorum conuenientiam vel differentiam, & continuationem cohærentiámque, vel separationem sententiarum, transitionem item ab vno capite ad aliud, aut digressionem à proposito, & in re quapiam immorationem indicant. Grammaticis dicuntur aduerbia ordinis & coniunctiones. aduerbia quidem, quatenus vnius alicuius vocis modum aut circumstantiam indicant; coniunctiones autem, quatenus multiplicis orationis partes conuinciunt. Porrò quæstiones istæ indicant thema simplex:

Quis, quid, vbi quibus auxiliis, cur, quomodo, quando,

At istæ indicant thema compositum, an, num, vtrum: itémque coniunctiones conclusiuæ, ergo, igitur, quamobrem, &c. 9.Quæ quoquo modo distincta sunt, præstat discernere, quàm sub vnum sensum cogere. *Analysis argumentosa*, vt ita dicam, his gubernatur regulis. 1. Argumenta eruantur & digerantur eo ordine, quem author exhibet. 2.Solicitè cauendum est, ne affinia & cognata pro sui similibus accipiantur. Videas autem hîc sæpe etiam eruditos dubitare de iis, quæ cognata sunt, & vicinis nomina aliorum vicinorum imponere. Itaque ne in iis erretur, argumenta semper examinanda sunt ad definitiones logicorum. 3.Quæ argumenta in simplici themate locum habent, eadem etiam in composito: sed vt illic nudè explicant, ita hîc probant. etsi quædam argumenta magis ad explicandum faciunt, vt diuersa, similia,&c. quædam solùm probandi vim habent, vt argumenta à ratione pariter, magis, vel minùs probabili. 4.Ad argumenta probantia obseruanda notæ quædam monitoriæ sunt coniunctiones rationales. Et ibi est argumentum à magis probabili; vbi, si fiat syllogismus, in conclusione ponitur, *Ergò multò minus.* Ibi autem est argumentum à ratione minùs probabili, vbi in conclusione est, *Ergo multò magis.* 5.Thema simplex explicatur nudis axiomatibus. Itaque vide paulò pòst analysin axiomaticam. 6.Thema compositum tractatur syllogismis, rarò plenis, plurimùm ex assumptione & conclusione, iisque sæpe inuersis, cum multis probationibus, quas prosyllogismos vocant. Sæpe autem loco propositionis est quædam eius ratio. 7. In tractatione thematis compositi expende distinctè, quem respectum habeat argumentum ad partes illius, antecedentem & consequentem, vtrùm scilicet, vniusmodi aut varium. Nam non semper eodem modo respicit vtramque. quia antecedentem, siue subiectum interdum verb. gr. arguit vt causam; consequentem,

tem, seu prædicatum, vt effectum, disparatum &c. 8. Non modò confirmant sententiam authores: sed etiam τὰ ἀντιπίπτοντα, id est, argumenta ei aduersa soluunt; & quidem nunc vno in loco, scilicet posteriori; nunc verò sparsim. Eorum λύσεις igitur & responsiones etiam terminis logicis induamus. *Analysis axiomatica* gubernatur his regulis 1. Contextus resoluatur in axiomata. 2. Axiomata considerentur secundùm diuersas disciplinas: videlicet grammaticè, rhetoricè, logicè, pragmaticè *Grammaticè*: sitne integra vocibus an elliptica: sitne vspiam pleonasmus, enallage, aut similis figura syntactica. *Rhetoricè*: sitne axioma proprium an tropicum seu modificatum: simplex an figuratum *Logicè*: vtrùm sit partibus plenum an defectum: naturaline ordine positæ sint eius partes, an inuerso: sitne axioma nudum, an cum accessione: sitne concisum, an periphrasticum: vtrum sit cum modo, an sine modo: sitne vnius generis an varij: simplex an compositum: resolubile an non. *Pragmaticè*: sit axioma theologicum, physicum &c. 3. Axioma resoluatur in thema simplex, & argumentum declarans *De analysi syllogisticâ* sunt hi canones. 1. Quales in authoribus syllogismi occurrunt (plurimùm autem compositi) tales in analysi repræsentandi sunt, non alio genere, nec aliâ figurâ, nec alio modo. 2. Si in authore occurrat syllogismus mutilus, perinde ferè est, siue ea sit simplex, siue composita. Respiciendum est autem ad conclusionem, quæ in textu expressa est, quid illa exigat. Si nec ex eâ res decîdi queat, perspicuitas maior sequenda est. Sin autem neque hîc optio sit: quod deest in vnoquoque, suppleatur ad eum modum, quem, cùm plenè authores scribunt, plurimùm tenent. Philosophi autem, & quicunque accuratiores & subtiliores sunt disputatores, simplicibus plus student, ad iudicandum magis idoneis, cæteri poëtæ & oratores, omninoque quibus docendi via communis & popularis est proposita, compositis delectantur. 3. Non vbicunque syllogismus potest fieri (nam etiam in axiomaticâ declaratione sufficiens sæpe materia suggeritur) ibi etiam extruendus est: sed vbi factus est ab authore, aut saltem apparet, eum molitum esse vnius sententiæ deductionem ex alterâ. 4. Aliquando necessum est, vt vnam sententiam bis in analysi resumas; quòd nempe (vt fit nonnunquam) ea ad antecedentis conclusionem, &, in continuatione, ad sequentis inchoationem referatur. 5. Sillogismus examinetur syllogisticè, axiomaticè, & pragmaticè. *Syllogisticè*: an sit plenus vel mutilus, rectè collocatus vel inuersus: affirmans vel negans: generalis, specialis, vel proprius: simplex vel compositus. *Axiomaticè*: ita nempe, vt axiomata seu propositiones ipsius considerentur eo modo, vt in analysi axiomaticâ diximus. *Pragmaticè*: an sit syllogismus purus, id est, theologicus, physicus &c. vel mixtus, id est, theologico-physicus, politico-theologicus, &c. *Analysis methodica* his gubernatur regulis. 1. Totum contextum resoluamus in axiomata principalia, eaque scribamus in chartâ, vel in margine libri. 2. Axiomata ista conferamus inter sese, vt de ipsorum generalitate possimus iudicare. 3. Postquam instituimus collationem inter axiomata, dispiciamus an methodus adhibita, sit acroamatica vel exoterica: didascalica vel historica &c. 4. Postquam hæc omnia fecimus, conemur methodum authoris adumbrare certâ tabulâ, quæ constet partibus generalissimis, subalternis, & specialissimis. 5. Ea tabula est semel atque iterum mutanda, emendanda, perpolienda. 6. Artificium methodi ex istâ tabulâ transferendum est in alias chartas, & pleniùs repræsentandum. Talis est ratio analyseos logicæ; quæ vel seorsim adhibetur, vel coniunctim. Seorsim: vt quando analysis axiomatica tantùm, vel sola syllogistica instituitur, &c. Coniunctim: vt quando in vno eodemque opere, v.g. in psalmo secundo Dauidis, omnia ista analyseos genera, videl. thematica, argumentosa, axiomatica, syllogistica, & methodica, coniunctim adhibentur.

Analysis exquisita & popularis. XII. *Analyseos forma duplex est: vna ex arte, pro eruditis; altera ex vsu cuiusuis, etiam populi. Illa artium vtitur vocabulis, hæc etiam vulgo notis.*

Analysis popularis adhibetur in tractatione operis popularis, vel exquisitâ: sed analysis exquisita non potest habere locum in tractatione populari retexendâ. Ratio est; quia quæ subtiliter & exquisitè tractata sunt, possunt retexi vel pro rei subtilitate, vel auditoris & lectoris captu. Quæ verò populariter sunt proposita, ea respuunt subtilem analysim. Cæterùm analysis popularis res tantùm diuidit per quæstiones vulg captui accommodatas: cuiusmodi sunt, *quis, cui, quid, ex quo, qua causa mouens, quo verbo, qua rei natura seu proprietas, quo fini, vbi, quando, vnde, quò, quousq; quomodo, quo ordine, quandiu, cui res opponatur, cui comparetur, an, quamobrem &c.* Ex quibus duæ postremæ pertinent ad thema compositum: reliquæ sunt notæ quæstionis simplicis, verùm ita, vt per eas etiam quæstio composita, cùm diuiditur, resolui possit.

XIII. *Analysis admittit varios facilitatis & difficultatis gradus.* Analysis facilior & difficilior quæ?

Est enim analysis facilior in historicis quàm parænetecis scriptis. Colloquia, resolutionis difficultatem interdum non paruam habent. Ex eâ autem ne hunc in modum expedies, si quæstiones, personas, actus seu congressus, & exitum distinguas. Scripta didascalica & methodica facilem habent analysin: reliqua, difficiliorem.

XIV. *Si cui longus contextus sit resoluendus, non est progrediendum ad minutiores partium subdiuisiones: sed iusta membra, generalioribus distributionibus ponenda sunt, & ordine explicanda.* Textus longi vt resoluendi?

Nam alioqui multitudine rerum obrutus, primis ita satisfacies, vt postrema vix queas attingere præ tædio, aut temporis breuitate. Et memoria lectoris vel auditoris curiosioribus distinctionibus, ad vltimas particulas progredientibus, turbatur. Deinde, partes, si multæ sint, non sunt numeris efferendæ, nisi principes: sed quæstiones nudæ, sub principalibus seu præcipuis contentæ, particulis continuationis sunt connectendæ. Confertioribus enim numeris mens auditoris, dum secum ipsa recordando luctatur, offenditur. Si tamen liceat subdiuisiones pares sub vno membro seruare; nihil incommodi aut offensionis erit memoriæ metuendum.

XV. *Analysin eam iudicabis optimam, quæ tribus his notis est insignis.* Analysis optima quæ?

Quæ inquam, non torquet verba authorum: quæ facilem eorum adfert intelligentiam. denique, in quâ comprehendendâ non est multum memoriæ laborandum.

XVI. *Analysis pragmatica, secundùm pleraque disciplinarum genera est eiusmodi.* Analyseos pragmaticæ ratio

Analysis oratoria expendit charactem thematis, quatuor genera causarum, ideam orationis, & sex partes ipsius. *Analysis metaphysica, physica mathematica, ethica œconomica, politica*, instituitur iuxta methodum præceptorum in istis disciplinis obseruatam. e. g. analyticus metaphysicus expendit affectiones vnitas & diuersas entis, illiusque species: physicus obseruat principia, proprietates, species, & partes corporis naturalis, &c. quâ de re vide passim in hâc Encyclopædiâ. *Analysis iuridica* ferè comitem habet interpretationem legum; cuius hæc est methodus:

Præmitto, s indo, summo, casumq; figuro,
Perlego, do causa, connoto, & obiicio

Octo itaque sunt partes istius pragmatiæ hoc modo: πρόγνωσις, διαίρεσις, ἐπισημείωσις, τὸ κεκινούμενον, ἀνάγνωσις, αἰτιολογία, ὑπόθεσις, καὶ πρόληψις. *Analysis medica* variat iuxta subiectam materiam, quam suprà in singulis medicinæ partibus expositam vide. *Analysis theologica* est alia scripturæ sacræ, alia libri alicuius theologici. *Analysis Scripturæ S.* est aut libri, aut capitis, aut sectionis alicuius capitis, siue illa contineat plures versus, siue vnum duntaxat. *Analysis libri biblici* consideratur in genere & specie; prout libri sacri habent quædam communia, quædam propria *De priori analysi* hæ sunt maximæ 1. Catena, seu œconomia librorum biblicorum, valde iuuat διηρεσ[illegible] ἀναλύσεως. 2. In analysi cuiusque libri sacri cumprimis danda est opera, vt habeamus diuisionem principalem. Ita enim fiet, vt absque magno negotio membra subordinata inde deducamus. 3. Methodus repræsentetur aliquâ tabellâ, 4. Quidam libri possunt diuidi secundùm principales personas: vt Genesis, libri Regum & Chronicorum, Acta apostolorum. 5. Quidam possunt diuidi secundùm personas, res & actiones: vt Leuiticus. 6. Quidam habent προοίμιον, λόγον, καὶ ἐπίλογον: vt quidam libri prophetici, & omnes epistolici. 7. Quidam libri sacri, tanquam dramata, diuidi possunt, in πρότασιν, ἐπίτασιν, καὶ καταστροφήν: vt liber Estheræ, Iudithæ. 8. Quidam habent methodum dialogisticam, & proinde resolui debent in suos dialogos: vt liber Iobi, & Canticum canticorum. 9. Quidam è libris sacris diuiduntur secundùm subiectam materiam in certas classes, seu locos communes: vt Psalmi & Prouerbia. 10. Quidam libri biblici resoluuntur in certa volumina, seu libros peculiares: vt Psalmi. 11. Quidam libri sacri resoluuntur in certas conciones, vt Esaias, Ieremias, Ezechiel: quidam in historiam & prophetiam, vt Daniel: quidam in typos seu visiones, & conciones, vt Zacharias: quidam in visiones meras, vt Apocalypsis: quidam in curricula vitæ vnius personæ, vt quatuor Euangelia secundùm periodos vitæ Christi: quidam in diuersas profectiones vnius personæ, vt euangelium Ioannis secundùm profectiones Christi ad diuersa paschata. 12. Epistolæ apostolorũ habent τὰ πρὸ τῆς ἐπιστολῆς, τὴν ἐπιστολὴν, καὶ τὰ μετὰ τὴν ἐπιστολήν. *In libris historicis retexendis* 1. historiæ distinguantur. 2. causæ & occasiones obseruentur,

ſecernentur, tanquam claues hiſtoriæ. 3.principia, progreſſus, & fines conſtituunt famulum analyſis hiſtoricæ. 4 circumſtantiæ expendantur. 5.obſeruetur, vbi vnaquæque narratio incipiat, vbi deſinat: num cohæreat cum antecedentibus vel, ſequentibus, vel planè ſit ſecreta. 6.doctrina & vita, ſeu fides & vita ſanctorum accuratè diſcernatur. 7 topographia & chronographia, vtpote duo oculi hiſtoriæ, ne negligantur. 8.dogmatica ſecernantur ab hiſtoricis. *In libris dogmaticis.* 1.ſtatus & generalis propoſitio eruatur. 2 præcipui loci communes attendantur. 3 connexio iſtorum locorum inueſtigetur. *In libris propheticis.* 1 attendatur tempus, quo prophetæ floruerunt. 2.ſcopus prophetiæ eruatur. 3.hiſtorica & prophetica ſecernantur; & hiſtoriæ conferantur cum libris Regum & Chronicorum. *In analyſi capitis biblici* 1 diſpice, num caput cohæreat cum præcedenti vel ſequenti capite, vel ſit planè ſecretum. 2.obſerua, num tractetur vnum thema, vel multiplex. 3.ſi ſint plura themata, vide an vnum ex altero pendeat, vel prorſus ſint diſiuncta. 4.argumenta ordine colligantur. 5.adhibeatur analyſis primò ſcholaſtica, dein popularis: hoc eſt, terminis logicis primò enuntietur œconomia capitis tum popularibus. *In analyſi verſuum biblicorum.* 1.attendantur antecedentia, conſequentia, & occaſio. 2.thema obſeruetur, & reducatur ad caput aliquod catecheticum, vel locum communem. 3.argumenta conformentur ipſi themati. Ad extremum *in analyſi ſcriptorum theologicorum.* 1.ante omnia cogitetur, ad quam claſſem pertineat author reſoluendus: num ſit methodicus, homiliſta, polemicus, analyticus, poëta ſacer, &c. 2.œconomia reſpondeat ſubiectæ materiæ. v. g. in ſcripto polemico attendatur ad ſtatum controuerſiæ, & argumenta vtriuſque partis.



SECTIO XXII.

In quâ delineatur

MELETETICA.

PRÆCEPTA.

MELETETICA eſt ars bene meditandi.

Eſtque generalis, vel ſpecialis.

Meletetica generalis præcipit de meditante, & meditationis obiecto, modo, ac diuiſionibus generalibus.

Meditans debet eſſe homo pius, peritus rei quam vult meditari, & præditus affectibus ad meditandum requiſitis, vti ſunt amor & admiratio rei ad meditationis incudem reuocandæ, itémque cogitationum collectio.

Meditationis obiectum debet eſſe proportionatum ingenio & captui hominis, & noſtræ profeſſioni accommodatum.

Modus meditationis eſt in præparatione, actu meditandi, & conſequentibus.

Præparatio eſt in precatione, temporis locíque electione; & diſpoſitione rectâ corporis ſeu humorum.

Actus meditandi eſt in applicatione locorum inuentionis, vel ſimilium adminiculorum in Cyclognomonicis expoſitorum.

Conſequentia ſunt in ruminatione, gaudio, communicatione cum aliis, & gratiarum actione ad Deum.

Diuiſiones generales ſunt, quòd meditatio eſt repetens, inueniens, vel præparans: item extemporanea vel ſtata, &c.

Meletetica ſpecialis eſt theologica, iuridica, medica, philoſophica, mechanica.

REGVLÆ.

I. *Ars meditandi eſt omnium ſtudiorum ac negotiorum anima.* [margin: medi- di ex- ns.]

Sicut flamma motu excitatur, & lumen ſolis reflexione roboratur: ſic ſtudia noſtra frequenti mentis agitatione illuminantur, excoluntur, vitâ donantur: vt Periander non ab re dixerit, Μελετη ὁ πᾶν.

Is quippe ſolus rei gerendæ eſt efficax,
Meditatur omne qui prius negotium.

Vt ergo figuli celerrimâ rotæ & manus concitatione, in diſſimiles, & propè infinitas, elegantes tamen, imagines, mollioris argillæ maſſam transmutant: ſimili ratione meditatio efficit, vt infinita rerum abſtruſarum genera, acriter ratiocinando, aſſequamur, & paria paribus, contraria contrariis, præterita præſentibus comparemus. Rectè itaque *Emundus Richerius in Obſtetrice animorum cap. 9.* ait, hanc meditandi vim eſſe conſilij & prudentiæ fontem, omnium negotiorum normam, magnæ doctrinæ parentem, virtutis procreatricem, omnis denique diſtinctionis, ordinis, & perſpicuitatis officinam, cuiúſque miniſterio, ceu fortunato Alexandri gladio, Gordios rerum nodos & difficultates facilè diſſecari.

II. *Tres ſunt quaſi columnæ meditationis: precatio, attentio, & Logices cognitio.* [margin: Tria inſignia meditationis adminicula.]

Precatio facit, vt à DEO impetremus lumen illud, quod in meditatione eſt perneceſſarium. *Attentio* facit, vt mentem colligamus in vnum, & reuocemus ab aliarum rerum conſideratione, memores illius ſententiæ:

Pluribus intentus, minor eſt ad ſingula ſenſus.

Hanc ad rem plurimùm conducit amor & admiratio rei ad meditandum propoſitæ: itémque *ars obliuionis*, quam vocant. Ea verò nihil eſt aliud, quàm artificioſa obliteratio imaginum, id eſt, phantaſmatum & noëmatum peregrinorum, quæ nos impedire poſſunt, quò minùs à circumferentiâ philoſophemur ad centrum, quibus paucis verbis tota meditationis ars continetur. Denique *Logicæ cognitio* nobis parat alas, quibus freti in ſublime poſſumus ferri, & naturas rerum indagare. Hinc Logica quibuſdam dicitur *Meletetica*, ſicut Hebræis appellatur מְלֶכֶת הִגָּיוֹן.

III. *Puritas animi, adeóque temperantia, valde facit ad rectè meditandum.* [margin: Puritas animi neceſſaria in meditando.]

Emundus Richerius d.l. eleganter ait: Acris & continua meditatio, ſobrietati & temperantiæ coniuncta, omni helleboro (quo ſe Carneadem, Zenoni reſponſurum, purgaſſe dicunt) longè antecellit. Facit enim ſobrietas, vt ſpiritus animales ſint puri, lucidi, & vegeti. Non itaque eſt, quòd aliquis ſibi promittat aliquam in Meletetica felicitatem & facilitatem, niſi temperantiæ ſtudeat. Manet enim illud vetus: Anima ſicca, ſapiens.

IV. *Ars meditandi requirit otium & ſolitudinem.* [margin: Solitudo vtilis in meditando.]

Rectè M. Tullio eſt pronuntiatum, receſſum omnem & ſolitudinem, magnam & celeberrimam eſſe prouinciam viris eruditis, qui nunquam minùs ſoli ſunt, quàm cùm ſunt ſoli: quia, vt dicebat Epicurus, magnum ſatis alter alteri, vel potiùs vnuſquiſque ſibi, theatrum ſumus. Sanè ſolitudo id nobis affert, vt quàm familiariſſimè eſſe & colloqui nobiſcum, ac noſmetipſos attentè audire, & percontari valeamus. Hinc veteres noctem, conſilij, prudentiæ, & eruditionis nutricem finxerunt, Muſarúmque ſignis, ſomni ſimulacrum, comitem perpetuum adiunxerunt, vt author eſt Pauſanias. Quo pertinet adagium, ἐν νυκτὶ ἡ βουλή. Et Athenienſes eâ de causâ noctuam, velut ſapientiæ ſymbolum, Palladi conſecrarunt. Experientia etiam nos docet, vniuerſum ſtudiorum noſtrorum vſum, rerum impeditarum explicationem, negotiorúmque difficilium exitum, non interdiu, ſed noctu, inſtar pretioſiſſimi carbunculi de nocte radiantis, emicare, ac per continuam cogitationem nobis affulgere: Ideò Pythagorei, cùm deos inſomnia hominibus inſuſurrare opinarentur, ad ſomnum, tanquam ad ſacrificium, & genus quoddam diuinationis properare conſueuerunt. Nos verò, qui prudentiam & ſapientiam, diuinationem quandam eſſe experimur, nunquam committere debemus, vt, quando non datur nobis dormire, tempus illud meditationi non impendamus: præſertim, quòd inſtar beſtiarum quarundam, de nocte, quàm de die, acriùs & longiùs proſpiciamus. Stata igitur & ordinaria meditatio nocturno tempore eſt inſtituenda: itémque veſperi, antequam ſomno indulgeamus, aut matutino tempore, antequam aliis ſtudiis incumbamus. Sed hâc de re diximus plus ſatis ſuprà in Didacticâ: vbi genera & differentias meditationis etiam perſecuti ſumus.

V. *Tria ſunt ſumma meditationis genera: videlicet opus creationis, redemptionis, & ſanctificationis.* [margin: Meditationis tria ſumma genera.]

Meditatio in ſpecie eſt diffuſa per vniuerſam Encyclopædiam, ac proinde varias normas habet ſibi propoſitas in his & illis diſciplinis. Sed magna iſta varietas reuocari debet ad opus creationis,

creationis, redemptionis, & ſanctificationis: quòd hæc tria Dei opera ſint norma totius Encyclopædiæ. Quotidie itaque hæc tria meditabimur. Ad opus creationis quod attinet, quotidie librum naturæ, hoc eſt, veritas Dei creaturas, & illas artes, quæ pertinent ad primum ſymboli articulum, meditari debemus. Opus redemptionis in vita & morte Chriſti meditandum ſuſcipere debemus. Denique opus ſanctificationis meditari oportet in quotidiana inſtauratione imaginis Dei. Quòd ſi hâc ratione inſtituimus meditationes noſtras in genere, Deus benedicet ſpeciali cuique meditationi in hoc vel illo vitæ inſtituto.



SECTIO XXIII.

In quâ delineatur

DIORISTICA.

PRÆCEPTA.

DIORISTICA eſt ars bene diſtinguendi, ſeu limitandi.

Eſtque generalis, vel ſpecialis.

Dioriſtica generalis præſcribit leges, genera, & vſum diſtinctionis.

Dioriſtica ſpecialis præcipit de diſtinctionibus theologicis, iuridicis, medicis, philoſophicis, & mechanicis.

REGVLÆ.

Diſtinctionis vtilitas.

I. *Diſtinctio bona eſt norma iudicij, & ſubſidium memoriæ.*

Vulgò dicunt *Qui bene diſtinguit, bene docet.* Si quis enim non adhibeat diſtinctiones neceſſarias, ille proculdubio res confundit. Meritò itaque diſtinctio perhibetur eſſe inſtar magni commentarij: quia iudicium acuit, & memoriam iuuat multo expeditiùs & certius, quam prolixæ commentationes

Leges diſtinctionis.

II *Leges bonæ diſtinctionis ſunt numero ſeptem.*

1. *Diſtinctio, ſeu limitatio, bona ſit perſpicua, & facilè explicabilis.* Seruire namque debet, non obſcurandæ, ſed illuſtrandæ rei, quæ limitatur. 2. *Diſtinctio non adhibeatur in contradictoriis & ſimpliciter impoſſibilibus.* Ita enim eſt, vt *Ariſtoteles 2. Topic. cap.* [illegible] ait: Simpliciter impoſſibile, nullo reſpectu fit poſſibile. 3. *Omnis legitima diſtinctio debet poſſe referri ad locum diuerſorum, vel diſparatorum.* Ibi locum habet diſtinctio ſimplex hic compoſita, vt patebit è ſequentibus. 4. *Omnis legitima limitatio debet poſſe referri ad aliquam formam limitationis, itemque ad aliquam diſciplinam.* Ibi attenditur formale, hic materiale bonæ diſtinctionis. 5. *Limitatio ſit partim inſita rei limitatæ, partim ab eâ diſtincta.* Ratio prioris eſt, quia limitatio debet fieri per id, quod ſubiecto aut prædicato ineſt, abſolutè vel reſpectiuè. Ratio poſterioris eſt; quia modus limitans, ſi coincidat cum ſubiecto vel prædicato, eſt nugatorius. 6. *Limitatio diuerſo reſpectu ad ſubiectum & prædicatum propoſitionis limitatæ pertinet.* Ad ſubiectum quidem; quatenus ei prædicatum per limitationem tribuitur: ad prædicatum verò, quatenus id limitando ad ſubiectum determinatur. Atque hæc cauſa eſt, quòd in diſputationibus προδιορισμὸς, ſeu particula limitatiua, accommodatur propoſitioni maiori & minori. 7. *Bona diſtinctio debet reſpondere quatuor legibus oppoſitionis: quæ ſunt* [illegible], [illegible], τὸ αὐτό, ἐν αὐτῷ τῷ χρόνῳ. Itaque bona diſtinctio erit inter [illegible], ſicque πρὸς ἄλλο [illegible], [illegible], ἐν ἄλλῳ [illegible] χρόνῳ.

Quatuor claſſes diſtinctionum.

III. *Quatuor ſunt ſumma genera, & veluti claſſes, bonæ diſtinctionis: videl. diſtinctio ſimplex, generica, partialis, & accidentalis.*

Iſta genera ſic ſemper cohærent. Diſtinctio eſt vnius vel diuerſi nominis. *Diſtinctio vnius nominis* eſt, quæ rem limitat per formam ſuam: vt, Homo, quatenus homo eſt ratione præditus. Dicitur etiam *limitatio ſpecificatiua, ſimplex, vniformis* [illegible]. *Diſtinctio diuerſi nominis* eſt, quæ limitat ſubiectum per aliquod reuerà diuerſum. Dicitur etiam *limitatio compoſita & biformis.* Eſtque eſſentialis, vel accidentalis. *Limitatio eſſentialis* eſt, quæ fit per terminum eſſentialem. Eſtque generica, vel partialis. *Diſtinctio generica* eſt, cùm res limitatur per ſuum genus: vt, Homo, quà animal, ſentit. *Diſtinctio partialis* ſeu *ſynecdochica*, eſt, cum res limitatur per partem eſſentialem, vel integralem: vt, Homo, quantum ad corpus, eſt mortalis. *Limitatio accidentalis* eſt, quæ rem limitat accidente aliquo interno, vel externo. *Interno:* vt, Ignis, quà calidus eſt, vrit, non quâ ſiccus: *Externo:* vt, Dauid eſt paruus, reſpectu Goliathi; eſt magnus, reſpectu pygmæi. Et ita quidem *Keckermannus lib. 2. ſyſt. Logic. cap.* 4. proponit limitationis genera, ſeu formas. Scholaſtici faciunt triplicem limitationem. 1. *reduplicatiuam*, cùm ſubiectum ipſum reperitur, & immediatè ſubiicitur prædicato: vt, Homo, quâ homo, ridet. 2. *ætiologicam*, ſeu cauſalem, cùm non ipſum ſubiectum reperitur, ſed aliud interponitur, propter quod prædicatum ſubiecto ineſt: vt, Homo, quâ rationalis, eſt riſibilis. 3. *ſynecdochicam*, cùm res limitatur per partem ſui: vt, Homo, quantum ad animam, eſt immortalis.

Diſtinctio variat pro ſubiecta materiâ.

IV. *Diſtinctio variat pro varietate ſubiectæ materiæ, id eſt, diſciplinarum.*

Itaque diſtinctiones aliæ ſunt generales, aliæ ſpeciales. Ita enim diſciplinæ ipſæ diuiduntur. Nam prima philoſophia & logica diſciplinæ omnium generaliſſimæ: reliquæ ferè ſunt ſpeciales. Hinc diſtinctiones metaphyſicæ & logicæ ſunt generales, hoc eſt, vſum habent in reliquis diſciplinis, quarum diſtinctiones ſunt ſpeciales. Itaque non committitur μετάβασις εἰς ἄλλο γένος, quando diſtinctiones generales adhibentur in diſciplinis particularibus.

Vſus diſtinctionum.

V. *Vſus diſtinctionum gubernatur tribus regulis.*

1. *Diſtinctio adhibeatur in conciliandis oppoſitis compoſſibilibus.* Locum enim habet diſtinctio in diſparatis, relatis, aduerſis, contradicentibus, & priuantibus, quæ non ſunt ἀσύστατα. 2. *Diſtinctio reducatur ad locum diſparatorum, vel diuerſorum; & inprimis quidem ad hunc poſteriorem.* Certa enim eſt illa philoſophorum vox: Diuerſus reſpectus tollit omnem contradictionem. 3. *Diſtinctio generalis generaliter, ſpecialis ſpecialiter adhibeatur.* Itaque diſtinctio logica & metaphyſica poteſt ac debet vſurpari in theologicis, phyſicis, ethicis, &c. At verò diſtinctio theologica in theologicis, geometrica in geometricis, &c. adhibeatur. Et hæc ſufficiant de diſtinctione, hoc eſt, limitatione; quæ à diſtributione tum nominis, tum rei, debet accuratè diſtingui.



SECTIO XXIV.

In quâ delineatur

SYZETETICA.

PRÆCEPTA.

SYZETETICA eſt ars bene colloquendi in diſputatione. *Vnde &* Symbibaſtica *dici poteſt.*

Eſtque generalis, vel ſpecialis.

Syzetetica generalis præſcribit leges in omni diſputatione obſeruandas.

Leges iſtæ aliæ ſunt ante diſputationem obſeruandæ, aliæ in diſputatione, aliæ poſt diſputationem.

Ante diſputationem requiritur meditatio ſcopi, & apparatus mediorum, quæ ſunt theologica, ethica, logica, philologica, & pragmatica.

In diſputatione duo ſunt attendenda, obiectum & modus diſputandi tum in genere, tum in ſpecie quantum ad opponentem & reſpondentem; qui rurſus conſideratur communiter, vel ſingulariter, vt eſt ſuperior, qui dicitur præſes, & inferior, qui κατ' ἐξοχὴν dicitur reſpondens.

Poſt diſputationem requiritur ruminatio, emendatio, & obſeruatio.

Syzetetica ſpecialis præſcribit leges obſeruandas in diſputatione theologicâ, iuridicâ, medicâ, philoſophicâ, & mechanicâ.

REGVLÆ

REGVLÆ.

Finis diſputationis.

I. *Finis diſputationis proximus eſt confirmatio animorum in veritate; remotus eſt, vt σωτηρία καὶ δυνάμις ἐρωμένων incrementum ſumat.*

Diſputare eſt conferre de iis, quæ hic vel ille putat: vel potiùs, ex mente Varronis, putare iterum, pura & dilucidiora reddere quæ pertinent ad veritatem, adeóque amputare illa, quæ veritati officere poſſunt. Vnde diſputatio appellatur cribrum veritatis. Ad hunc itaque ſcopum collineare debent diſputatores. Sed & hoc debent ſibi habere propoſitum, vt iudicium acuant, memoriam confirmeat, eloquentiam ſibi comparent; hæc autem omnia referant ad vnius Dei laudem atque gloriam, & proximi ædificationem, non verò ad propriam ingenii & eloquentiæ oſtentationem, quod hodie nimis quam eſt familiare diſputatoribus.

Quæ media requirantur ante diſputationem.

II. *Ante diſputationem adhibenda ſunt media theologica, ethica, logica, philologica, & pragmatica.*

In *mediis theologicis* ſunt precatio & humilitas. Oportet enim à Deo, omnis veritatis authore, auxilium implorare, vt in diſputatione nobis prouideat, noſtrámque mentem illuminet radiis & fulgore Spiritus ſui boni, vt veritas eruatur & elucefcat, falſitas autem refellatur & fugetur. *Officium ethicum* eſt amare candorem & beneuolentiam, præ ſe ferre fortitudinem, modeſtiam & æquitatem, fugere denique ſophiſticam, moroſitatem, conuitia, & calumnias. *Officium logicum* eſt in eo, vt diſputator ſit inſtructus apparatu omnium inſtrumentorum logicorum, nominatim verò axiomatis & ſyllogiſmi. Quod attinet ad axioma, diſputator imprimis debet attendere ad leges axiomaticas, & interpretationem axiomatis, quæ in eo conſiſtit, vt propoſitionum partes, communes affectiones, & ſpecies pertractentur. In ſyllogiſmo inprimis obſeruabit inuentionem medij termini, & formam ſyllogiſticam. *Officium philologicum* eſt in cognitione linguarum, quæ ad diſputandum requiruntur. Denique *media pragmatica* ſunt in cognitione rerum, de quibus eſt diſputandum.

Materia diſputationis.

III. *Obiectum ſeu materia diſputationis eſſe debet res pia, neceſſaria, dubia, vtilis, cognitu poſſibilis, perſpicua, & ſuccincta.*

Primò *res piæ* debent venire in diſputationem; quia ea, quæ lædunt conſcientiam & bonos mores, non ſunt in apricum proferenda, ſed ſepelienda. Deinde diſputandum eſt *de rebus neceſſariis*; quia turpe eſt ignorare, neceſſaria, & moleſtum accidit garrire de non-neceſſariis. Tertiò *res erunt dubiæ*; quia de rebus confeſſis & conceſſis diſputare eſt ſuperuacaneum. Quartò *erunt vtiles*; quia quæ neque ſcienti profunt, neque ignoranti nocent, ex vitâ communi debent excludi. Quintò *erunt cognitu poſſibiles*, quia de rebus, quæ captum noſtrum ſuperant, ſuperfluum, ſtultum, & curioſum eſt diſſerere. Sextò *erunt perſpicuæ*; quia veritas & claritas ſunt indiuidui comites, ſicut è contrario falſitas & obſcuritas. Ad extremum *erunt ſuccinctæ*; quia amplificationes & excurſiones non conueniunt diſputatoribus, ſed oratoribus.

Modus diſputandi.

IV. *Modus diſputandi in genere pendet ab his regulis.*

1. *Ante omnia conſtituendum eſt certum problema, & quaſi cancelli figendi, extra quos euagari non liceat.* Id enim niſi fiat, diſputatio erit confuſum quoddam chaos. 2. *Non oportet λογομαχεῖν.* Eſt enim intolerabile, neglectis rebus aucupari vocabula. 3. *Studendum eſt eiuſmodi breuitati, quæ comitem habeat perſpicuitatem, & res æquet verbis.* Itaque vitanda eſt illa breuitas, quæ obſcuritatem parit, aut res neceſſarias omittit. 4. *Diſputatores debent ſeponere affectus.* Alioqui χολὴ fiet χολή. 5. *Finis diſputationibus potiſſimum propoſitus debet eſſe veritatis aut veriſimilitudinis inuentio.* Ratio prioris eſt; quia cognitio veritatis propoſita eſt omnibus iis, qui docent & diſcunt. Ratio poſterioris eſt; quia ſæpenumero vſu venit, vt probabiliter tantùm aliquid ſtatui poſſit, non verò ἐκ παντός. 6. *Vitanda eſt μετάβασις εἰς ἄλλο γένος.* Nihil enim turpius eſt, quam in diſputatione confundere metas diſciplinarum. 7. *Diſputatio ſocia pendet à ſolitariâ.* Itaque non eſt committendum, vt diſputatione ſolitariâ omiſsâ veniamus ad ſociam. 8. *Neceſſum eſt, vt diſputatores conueniant in principiis certis.*

Modus opponendi.

V. *Officium opponentis ſeu proponentis eſt in opponendo, & inſtando, iuxta has regulas.*

1. *Conſtituet certam theſin.* Ita inquam, conſtituet, vt præcognoſcat illius ſubiectum & prædicatum, inque tota diſputatione illam videat, neque ab illâ ſe abduci patiatur. 2. *Tria vel quatuor argumenta præcipua conſtituentia theſin reſpondentis, vel ex libris petet, vel excogitabit.* Prius illud eſt neceſſarium, quando autorum argumenta ſunt in medium adducenda: poſterius, quando dubiis vrgemur, vel ingenij noſtri dexteritatem aliis probare iubemur, aut neceſſarium eſſe iudicamus. 3. *Diſcernet argumenta neceſſaria à probabilibus.* Oportet enim illis potiùs, quam his vti. 4. *Optima & validiſſima argumenta primo loco adferet.* Ita enim aduerſario pertinaci metum incutiet. 5. *Boni opponentis eſt pauciſſima argumenta principalia proponere eáque vrgere inſtanter.* Eſt enim puerile, multas obiectiones proponere, & nullam vrgere. 6. *Vt rectè inſtare & vrgere poſſit, conſiderabit reſponſionem aduerſarij, & quidem hoc modo. Si reſponſio data concernat perſonam opponentis*, diſpiciat an rectè obiurgetur. *Si verò concernat ſyllogiſmum*, neque tamen vel ad formam, vel ad materiam ſyllogiſmi, ſed *in genere detur*, opponens pronuntiabit, modeſtè tamen, reſpondentem nihil reſpondiſſe, vtcunque multa dixerit. Itaque tum non erit ſolicitus de inſtantiâ ad ſolutionem, ſed hoc vrgebit ſemper, vt reſponſio adferatur vel ad formam, vel ad materiam, vel ad vtramque. Quod ſi reſpondens tergiuerſetur habebit eum pro victo, & appellabit ad iudicium auditorij. *Si verò nominata fuerit fallacia* a reſpondente, opponens diligenter conſiderabit, an nominetur in formâ, vel in materiâ. *Si nominetur vitium in formâ*, examinetur figura & modus propoſiti ſyllogiſmi. *Si ſolutio detur ad materiam*, opponens diligenter attendet, vtrum detur ad concluſionem, an ad præmiſſas. *Si ad concluſionem detur reſponſio*, erit vel oſtenſio ignorationis elenchi, vel oſtenſio plurium quæſtionum ſumptarum pro vnâ. Ibi opponens exiget canonem legitimæ oppoſitionis, in quem peccet concluſio: hîc petat ſibi oſtendi plures quæſtiones. *Si reſponſio detur ad præmiſſas*, deſpiciet opponens an reſpondeatur ad verba, vel res. Ibi examinabit verba ſimplicia & compoſita, & obſeruabit an commiſſa ſit aliqua fallacia in dictione: hîc videbit, an reſponſio data ſit inficiatio, limitatio, vel conſequentiæ negatio. *Si ergo reſpondeatur negando*, opponens diſpiciet an negentur manifeſta, vel non manifeſta. Ibi poſtulabit rationem, cur tam manifeſtam propoſitionem neget: hîc probabit propoſitionem, ſeu præmiſſam, quæ eget probatione. Rurſus diſpiciet, an negetur vniuerſalitas maioris. Tum itaque dabit inſtantiam poſtulatiuam, id eſt, poſtulabit exemplum, per quod vniuerſalitas maioris infringatur. *Si reſpondeatur limitando*, opponens examinabit limitationem ſecundùm regulas limitationum: tum conſiderabit, an ea ſint contradictoria, quæ limitantur: denique videbit an limitatio ſit intricata & tum dicet: Monſtra mihi aliquam abſurditatem, quæ ſecutura ſit, ſi propoſitio non ita limitetur, vt tu limitas: quòd ſi abſurditatem nullam oſtendere poſſit, reiiciatur iſta limitatio. *Si reſpondeatur ad conſequentiam*, opponens dabit rationem conſequentiæ, & iubebit, vt reſpondens contra eam excipiat, ſi quid habet.

Modus reſpondendi in genere.

VI. *Officium reſpondentis, ſeu defendentis, in genere continetur his regulis.*

1. *Reſponſio ſit exploſione, conceſſione, interrogatione, ſolutione.* Ad iſtos enim quatuor modos reuocari poteſt totum reſpondentis officium. 2. *Exploſione, ſeu reiectione, vtendum eſt cùm adferuntur nihil ad rem facientia prorſus inepta & abſurda, nugæque nugaciſſimæ.* Semper tamen hîc ratio eſt habenda opponentis, an ſit petulans, improbus, ſimplex, modeſtus. 2. *Conceſſio ſimplex adhibetur, quando argumentum non facit contra nos.* 3. *Interrogatione vtimur, vt intelligamus quo ſenſu opponens hoc vel illud accipiat, & num hoc vel illud concedat.* Quæ ſanè interrogandi ratio ſæpe neceſſaria eſt & vtilis. 4. *Solutio eſt ſimplex vel compoſita: & illa primaria, vel ſecundaria.* 5. *Solutio primaria eſt, quâ conſiderantur forma & materia ſyllogiſmi.* Omnium itaque *primò perpendatur forma*: quæ ſi bona ſit, eſt admittenda; ſin mala, reiicienda. Formâ admiſsâ *conſiderentur partes ſyllogiſmi*, & primò quidem concluſio, dein præmiſſæ. *In concluſione* tria oportet conſiderare. 1. an ſtatus controuerſiæ rectè ſit formatus ab opponente. Hic itaque remouenda ſunt ea, quæ non ſunt in quæſtione. 2. vtrum concluſio opponentis directè faciat contra theſin. 3. an plures quæſtiones in concluſione ſint mixtæ. Vbi de concluſione conſtiterit, conuertat ſe mens reſpondentis *ad præmiſſas*: ad quas reſpondetur negando, diſtinguendo, concedendo. *Negatio* eſt præmiſſarum, vel conſecutionis. Quod attinet *ad præmiſſas*, vel altera vel ambæ negantur; ídque indicando fallaciam in dictione, vel extra dictionem. *Conſequentia negatur*, cùm vitium eſt in formâ, vel in materiâ. Eſt enim conſequentia formalis, vel materialis. *Diſtinctio* adhibetur, cùm termini ſunt ambigui, vel quæſtio eſt multiplex, vel maior non eſt vniuerſalis. *Conceſſio* debet eſſe conditionalis, hoc eſt, coniuncta cum quâdam cautione, moderatione, præmunitione, diſtinctione: vt, Concedo totum cum hâc exceptione, aut reſtrictione, aut limitatione. 6. *Solutio ſecundaria* fit allatâ, inſtantiâ, ſeu exceptione, vel ſolutionis ſufficientis tranſlatione in aliud tempus & locum. 7. *Solutio compoſita* eſt, quando duæ, tres, vel plures reſponſiones adferuntur. v. g. realis & perſonalis.

Officium respondentis & præsidis.

VII. *Defendens, seu respondens, est inferior, vel superior. Ille vsitatè respondens, hic præses appellatur.*

Officium respondentis est 1. cum præfatione honoris resumere argumentum clarâ voce, & quidem ita vt est propositum. 2. respondere pro virili. 3. implorare auxilium præsidis. 4. ipsius responsionem non examinare, sed silentio suo approbare. *Officium præsidis* continetur quatuor hisce partibus. 1. *in gubernando*: vt opponentem & respondentem, contra disputationis normam peccantes, officij admoneat, & intra limites contineat. 2. *in succurrendo*: vt iuuet respondentem inprimis, si aqua ipsi hæreat; & aliquando etiam opponentem 3. *in augendo & addendo*: vt si fortè respondens non satis plenè respondeat, ipse addat addenda; aut si obscuriùs respondeat, ipse illustret. 4. *in laudando & approbando*: vt bonam & plenam respondentis responsionem laudet, inque illâ acquiescat.

Requisita post disputationem.


VIII. *Tria sunt opus post disputationem.*

Primò requiritur repetitio, seu ruminatio: deinde, correctio, seu emendatio: tertiò, obseruatio Si enim præses & respondens deprehendant inter repetendum, se in disputatione errasse, istum errorem protinus corrigent, ne bis impingant in eundem, vt est in prouerbio. Si verò videant, quædam notatu digna occurrisse, ea in locos communes referent.

Leges disputationis speciales.

IX. *Disputationis leges speciales sunt variæ.*

Disputatio est actus logicus, vel pragmaticus, id est, theologicus, iuridicus &c. Leges disputationis, vti est actus logicus, à nobis sunt indicatæ. Iam paucis indicabimus leges quasdam speciales, quæ concernunt disputationem theologicam, iuridicam &c. 1. *In theologicis disputationibus rationes apodicticæ tantùm petuntur è S. literis.* Itaque rationes & authoritates humanæ parum hîc curantur. quâ de re *Sadeel* accuratè differit *in modo disputandi theologicè*. 2. *In iuridicis disputationibus corpus Iuris, quod vocant, magnam habet authoritatem.* 3. *In disputationibus medicis λόγ& κ πεῖρα sunto duo principia.* Hoc iam olim monuit Galenus. 4. *In metaphysicis disputationibus principia generalia attendantur.* 5. *In physicis disputationibus λόγ& κ πεῖρα spectentur.* 6. *In disputationibus mathematicis discernantur postulata à veris principiis: itémque accuratio mathematica à praxi mechanicâ.* 7. *In philosophiâ practicâ ius naturæ, gentium, & diuinum vnicè spectetur.* 8. *In mechanicis experientia potiùs, quàm ratio, dux & norma esto disputationis.* Nunc pergamus ad Symbuleuticam, quæ cognata est Syzeteticæ.



SECTIO XXV.

In quâ delineatur

SYMBVLEVTICA.

PRÆCEPTA.

SYMBVLEVTICA est ars de ratione rectè consultandi.

Estque generalis, vel specialis.

Symbuleutica generalis præcipit de consultatione solitariâ, & sociâ.

Consultatio solitaria est, quando aliquis tractat thema consultatorium pro se, sine aliquâ personâ adiutrice, vel aduersatrice.

Estque consilij simplicis, vel compositi; & hoc est temporis præteriti, præsentis, vel futuri.

Consultatio socia, siue socialis, est, in quâ plures vota & consilia sua de quæstione propositâ ad consultandum conferunt.

In eâ est persona proponens, votum dans, & concludens.

Symbuleutica specialis est theologica, vel politica, vel mixta, id est, theologico-politica.

REGVLÆ.

Symbuleuticæ encomiũ

I. *Symbuleutica, cùm præcipiat de ratione capiendi consilij, malè omittitur in choro disciplinarum liberalium.*

Certissimum est axioma: *Quidquid ab homine præclarè agitur, eius aliqua est ars.* Quare cùm consilij summa in humano genere sit necessitas, simulque admirabilis cum dignitate coniuncta difficultas, imò diuinitas quædam & vtilitas vberrima, necesse est vt sit aliqua ars, per quam mens hominis iuuetur in consiliis excogitandis. Ista verò ars non est simplex, sed composita ex logicâ, & philosophiâ practicâ, itemque praxi Ecclesiasticâ.

Consiliũ simplex quid?

II. *Consilium simplex est, quo quæritur quid sit agendum, vel quomodo.*

Consilium ita diuiditur vt thema. Est itaque aliud simplex, aliud compositum. Consilium simplex est, quo quæritur quid sit agendum, vel quomodo, seu, quibus mediis hoc vel illud obtineri possit. Grauissimè itaque lapsi sunt quidam scriptores, qui docuerunt omne consilium esse thema coniunctum ac proinde requirere argumenta confirmantia & refutantia. Si enim v. g. quæratur, Quomodo recuperandus sit oriens, & è faucibus Turcarum eripiendus, sanè hîc non est quæstio coniuncta. Idem est iudicium de illis quæstionibus: Quid agendum sit bono ciui in bello ciuili? quomodo principi in angustias coniecto cogenda sit pecunia?

Modus capien consilij simplic

III. *De consilio simplice sunt hi canones.*

1. *Hypothesis reuocetur ad thesin.* Quia thema consultatorium ferè est hypothesis, oportet ante omnia dare operam, vt præcognoscantur vniuersalia. e. g. in illo themate consultatorio, quomodo pacanda sit Germania, tacitè præcognoscere oportet, quid sit respublica, quid monarchia, quid pax. 2. *Circumstantiæ sunt præcognoscendæ.* 3. *Subiectum & prædicatum thematis deducantur per locos inuentionis.* Vbi semel pro semper, vt loquuntur, hoc est obseruandum, quòd consultatio sit actio analoga disputationi. 4. *Oportet præcognoscere possibilitatem & impossibilitatem rei*: hoc est, an subiectum & prædicatum sint compatibilia, seu cognata, an verò opposita, quæ simul esse non possunt. Nam si sint opposita, cogitabis, de impossibilibus nullum esse consilium. 5. *Consilium simplex pertinet ad genus coniecturale.* Hoc itaque interest inter alia themata, & thema hoc consultatorium, quòd in aliis thematibus est cogitatio rerum certarum & fixarum, atque adeò cognitio eius quod iam est: in consilio autem explicatio facienda est, non per ea argumenta, quæ iam sunt, sed per ea, quæ esse possunt. Et hinc est ista tanta difficultas huius thematis præ aliis thematibus. 6. *In themate consultatorio simplici inuestigentur causæ efficientes.* Et primò quidem inuestigentur causæ propinquæ & remotæ: deinde, per se & per accidens: tertiò, necessariæ & contingentes. quartò, principales & administræ. 7. *Conditiones causarum duæ erunt*: vt sint possibiles & accommodatæ circumstantiis in ipso themate expressis. Si enim proponantur media non practicabilia, neque circumstantiis attemperata, consilium non est consilium. 8. *In consultatorio themate subiectum habet rationem obiecti, & prædicatum scopi.* 9 *Inuestigatio causarum duplici via instituitur.* Prima via est absoluta, quâ inuestigatur natura & proprietas istius rei, de quâ consultatur. Altera via est respectiua, quâ res confertur cum suis cognatis, id est, similibus, siue exemplis, siue euentibus, iisque partim internis & homogeneis isti rei, de quâ consultatur, id est, talibus, quæ acciderunt eo loco & apud istas personas, de quibus consultatur: partim externis & heterogeneis, hoc est, talibus, quæ acciderunt alio loco & apud alias personas quæ cognationem aliquam cum isto loco & personis habent. Vnde apparet, quòd singularium cognitio, atque adeò insignis historiarum peritia requiratur ad themata consultatoria dextrè tractanda. 10 *Vnà cum causis trutinentur effecta*: hoc est, perpendatur, quid commodi aut incommodi effectus ex quâlibet causâ secuturum sit; & vtrum incommodi effectus auerti possint; aut, si auerti non possint, an maiores & ponderosiores futuri sint effectus commodi quàm incommodi.

Consi comp tum q modo piendi

IV. *In consilio composito distinguenda sunt tria tempora.*

Principiò consilium præteriti temporis, quo quæritur, an aliquid honestè iustéque sit factum, tractatur à consiliario indirectè, eiusque tractatio pendet à consideratione indiuiduorum, seu circumstantiarum, ita nimirum, vt illa examinentur secundùm loca inuentionis, indéque petantur argumenta in vtramque partem. *Deinde* consilium præsentis temporis est, quo quæritur an aliquid sit præclarum, præstans, & laudabile, quod iam adhuc fit. Estque absolutum, vel comparatum. Absolutum est, quo quæritur, an aliquid sit præclarum & laudabile,

bile,in se spectatum : vt, An honestum & laudabile sit,tyrannum occidere? An iustum sit,hæreticos capitali afficere supplicio?Comparatum est,quo quæritur, an hoc sit præclarius, fœdius,aut detestabilius illo:vt,An hoc mundi seculo præstet discere philosophiam practicam, quàm theoreticam: *Denique* consilium futuri temporis est,quo quæritur,an aliquid vtile vel inutile , consultum vel inconsultum. Et hoc quoque est absolutum , vel comparatum. Illud est , in quo simpliciter quæritur, an aliquid sit consultum necne : hoc , in quo quæritur de rerum delectu , an hoc potiùs faciendum sit quàm illud , atque adeò , an hoc sit eligendum præ illo. Rursus vtrumque est vniuersale , vel singulare. De hâc triplici consiliorum differentiâ obseruentur illæ regulæ. 1. *Consilij obiecta sunt maximam partem indiuidua.* Itaque maiore studio in quæstiones consultatorias est incumbendum. 2. *Præcognita sumenda sunt ex parte subiecti & prædicati.* 3. *Præcognitis rectè factis , constituendum est certum votum* , id est, certa propositio , quam velis suadere. 4. *Certo voto constituto , colligenda sunt argumenta votum comprobantia* : videl. ab honesto , vtili , facili , & similibus. 5. *Argumenta artificialia præmittantur inartificialibus.* Sunt autem duplicia argumenta inartificialia : videlicet sententiæ aliorum sapientum virorum , partim prisci temporis , vt sunt dicta egregia historicorum , politicorum, & aliorum : partim huius temporis, vbi pluralitas votorum (nam hæc sunt argumenta inartificialia , si considerentur tanquam testimonia) vel conuenit cum argumentis artificialibus , vel cum iis pugnat. Si pluralitas votorum accedat ad pondus argumentorum artificialium , consultatio futura est tantò certior ac facilior. Si verò pugnet , magis respiciendum est ad argumenta artificialia , quàm ad inartificialia , iuxta illud : Vota sunt ponderanda , non numeranda. 6. *Verâ sententiâ firmatâ, soluantur argumenta contraria.* 7. *His omnibus ritè præstitis , votum , siue conclusio , repetatur.* 8. *Vltimo loco colligantur consectaria doctrinalia, vel moralia.* Pauca autem illa erunt , ne prolixitas odium pariat. 9. *In comparatis thematibus discursus mentis est quasi duplicandus.* Oportet enim argumenta ducere ex naturâ vtriusque rei, quæ in comparationem venit.

Consultatio socia. V. *In consultatione sociali aliæ sunt partes proponentis, vota dantis,& concludentis.*

Proponens debet 1. proponere thema , & quidem distinctum , non verò confusum cum aliis. 2. præmittere quædam de thematis grauitate & necessitate. 3. suppeditare argumenta in vtramque partem. *Vota dans* aut est prior , aut posterior. *Prior* debet 1. breuiter repetere thema , eiusque necessitatem. 2. ponere thesin , quam ipse suadeat , vel dissuadeat. 3. adferre argumenta sui voti. 4. protestari, se non obtrudere suam sententiam , & velle meliori cedere. *Posterior* est primarius , vel secundarius. *Primarius* est , qui nouam sententiam proponit. Is debet 1. argumenta antecessorum refutare. 2. adferre argumenta suæ sententiæ. 3. conciliare sententias , si fieri possit. *Secundarius* est , qui vel simpliciter probat aliorum sententias, vel noua proponit argumenta. *Concludens* est idem, qui fuit proponens. Est autem conclusio primaria , vel secundaria. *Conclusio primaria* est , quæ fit ex votorum pondere. Estque tacita, vel expressa. Ibi concludens non significat , quæ sibi videatur melior sententia , vt consilia maneant secretiora : hîc concludens laudabit sententiam repetitis argumentis, & determinabit, seu feret sententiam decisiuam, vel si adhuc non possit decidi, ampliabit,hoc est, in aliud tempus reiiciet. *Conclusio secundaria* est, quæ fit ex votorum pluralitate : vbi concludens dicet, se vel probare illam sententiam , vel non probare quidem , sed tamen concludere.

Consilia pura & mixta. VI. *Sicut in logicis thema est purum vel mixtum,ita in Symbuleuticis consilium.*

Consilium purum est vel theologicum , vel politicum. Ibi colliguntur argumenta ex S.literis & praxi Ecclesiæ:hîc ex historicis, politicis, & propriâ experientiâ. *Consilium mixtum* est,quod est theologico-politicum,aut contrà. Hîc itaque argumenta distinctè sunt colligenda Sicut enim in disputatione non committitur μετάβασις εἰς ἄλλο γένος, si thema , seu problema,mixtum disceptetur:ita in consulatione non est πολυπραγμοσύνη,si consilium mixtum mixtis argumentis confirmetur aut infirmetur.



SECTIO XXVI.

In quâ delineatur

PHYSICA MOSIS,IOBI ET DAVIDIS.

PRÆCEPTA.

PHYSICA sacra est corporis naturalis scientia, ex S. literis , potissimùm ex Mose , Iobo,& Dauide, sumpta.

Physica Mosis omnia corpora naturalia explicat, in sex classes,ordine pulcherrimo, distincta, secundùm sex dies,quibus absolutum est opus creationis. *Gen.* 1.

Opera primi diei sunt cœlum, terra , & lux primigenia.

Opera secundi diei sunt aër & nubes.

Opera tertij diei sunt maria,fluuij,fontes, terra exficcata,& plantis,itemque mineralibus ornata.

Opera quarti diei sunt stellæ.

Opera quinti diei sunt animalia aquatilia & volatilia.

Opera sexti diei sunt animalia terrestria, & homo.

Physica Iobi est inprimis Metheorologia , Oryctologia,& Theriologia.

Physica Dauidis est contracta in vnum veluti systema, *Psal.* 104. vel hinc inde sparsa,eaque ferè Meteorologica,in quâ excellit Brontologia.

REGVLÆ.

I. *Clauis & fundamentum Physicæ est hexaëmeron, seu primum caput Genesis.* Clauis Physicæ.

Hîc enim traduntur principia & principiata rerum naturalium. *Principia* sunt cœlum,lux,& terra. Hac de re *Lambertus Danæus lib.*1.*Phys.Christ.c.*22.ita philosophatur. Vt omnium rerum summa sunt duo genera,vnum cœleste,alterum terrenum : sic duplex materia à Deo constituta primùm omnium fuit : à Deo, inquam,qui cuius & quotuplicis naturæ futura erant sua opera,non ignorabat:sed iam tum præparabat. Cœlestium enim mundi partium cœlestis materies parata est , & perfecta quidem,cœlum:terrenarum autem terra,& ea etiam madida,humida,& vliginosa. Sic itaque Danæus agnoscit duo rerum omnium corporearum principia Sed *Peucerus in Sphæricis* rectè addit tertium,his verbis:Condidit initio Deus solo verbo,ἐκ τῶν μὴ ὄντων, id est, ex nihilo,tria hæc, διαφανὲς ἐνεργείᾳ,id est,perspicuum actu lucidum; διαφανὲς δυνάμει,id est, perspicuum potentiâ,lucis per se & sua naturâ expers,sed tale, quod communicatione lucis splendescit;& opacum : hoc est, vt S literæ loquuntur,lucem,cœlum, & terram, tanquam futura principia reliquorum corporum. Reliqua verò ex his formauit, vt historia creationis testatur. *Principiata.* sunt reliquæ creaturæ præter istas tres:vbi sub terrâ comprehenditur aqua;quia Deus terram & aquam creauit tanquam globum,cuius pars extima tota erat operta aquis.

II. *Quatuor inprimis oportet obseruare in Physiologiâ Mosis.* Quid in Physicâ Mosaicâ inprimis attendendum?

Primum est de primâ corporum sublunarium materiâ. Illa verò, vno verbo, nihil est aliud , quàm terra humore idoneo perfusa. Confer *Gen.* 1.2.cũ 2.*Pet.* 3.5. Rectè itaque scribit philosophus quidam profundissimus,terram esse mineralem,vegetabilem,& animalem. *Secundum* est de primæ materiæ fœcundatione. Illa verò est triplex:prima & secunda est à principio externo,videl.à Spiritu Dei,& à cœlo;tertia est à principio interno,nimirum ab ipsâ δυνάμει πλαστικῇ. Quod attinet ad primum,Moses disertè docet,Spiritum Domini terram aquis circumdatã,fouisse,non aliter atque gallina incubãs ouis illa fouet;eique vim igneã communicasse,per quam ad concipiendum & parturiẽdum incalesceret,vt infinita plantarum,fossilium,& animalium genera ex se in hanc mundi scenã producere posset. De influxu cœli quotidiè experimur , terram sine

cœlo esse fœminam sine viro. Hinc cœlum rectè appellatur pater, & terra mater omnium rerum nascentium. Sed & in ipsâ terrâ inest vis quædã pariendi, quam Deus in primâ creatione ipsi indidit *Gen.*1.11.*c.*2.9. Idem de aqua est iudicium, *Gen.*1.20. Iam sequitur *tertium*, quod in Physicâ Mosis, magni illius theosophi & philosophi, est inprimis obseruandum: videlicet creatio primi hominis, quem Deus finxit è limo terræ *Gen.*2.7. Hinc enim facile potest deduci fundamentum lectionis pansophiæ *de terrâ Academicâ* apud Agrippã, & *de Limbo* apud Paracelsum. *Quartum*, idémque vltimum, est de vaporis naturâ mirabili: quam ita describit diuinus noster Physiologus *Gen.*2.*v.*5.6. Sed Iehoua Deus nondum demiserat pluuiam super terrã. Sed vapor ascenderat è terrâ: qui irrigabat vniuersã superficiem terræ. Confer cum benedictione illâ *Genes*27.30. vbi Isaac Iacobo filio suo ita benedicit: Det itaque Deus ipse tibi de rore cœli, pinguedinibusque terræ, copiam frumenti ac musti. Similis est benedictio quâ idem Isaac *d.c.v.*41. benedixit Esauo, his verbis: Ecce pinguedinum terræ erit habitatio tua, & rore cœli perfusa supernè. Huc & illa gradatio, excellentissima sanè, pertinet: Erit etiam die illo, vt exaudiam, dictum Iehouæ; exaudiam cœlos, & ipsi exaudiant terram: & terra exaudiat frumentum, & mustum, & oleum.

In Physicâ Iobi quid inprimis attendendum?

III. *In Physicâ Iobi inprimis attendantur ista quatuor.*

Primum est de generatione fossilium; *Iob.* 28. quod caput est clauis Oryctologiæ: vt non immeritò philosophus quidam harum rerum callentissimus dixerit, hoc caput pandere intimæ philosophiæ metallicæ mysteria. *Secundum* est de principiis rerum naturalium, *Iob.*38. vbi Deus ipse differit de elementis, meteoris, & corporibus cœlestibus. *Tertium* est Theriologia promiscua, id est, dissertatio Dei variis animalibus, *Iob.*39. *Quartum* est Theriologia specialis de Leuiathan, *Iob.*40. & de Behemoth, *Iob.* 41. id est, de balænâ & elephanto.

In Physicâ Dauidis quid inprimis attendendum?

IV. *In Physicâ Dauidicâ excellit Brontologia, id est, Physiologia tonitrui & fulminis.*

Ea passim traditur in Psalmis, hoc modo. *Psal.* 18.*v.*7.*ad* 17. quem locum Bernhardus Treuisanus in Symbolo allegat & explicat. *Psal.*29.*v.*3.*ad* 10. vbi tonitru elegantissimè appellatur vox Iehouæ. quo nomine etiam appellatur natura, à Patribus Græcis: nempe *φωνὴ τοῦ θεοῦ*. Atque huc pertinet, quòd multi existimant, verbum illud FIAT in creatione fuisse tonitru, & verbum PEREAT in fine seculi itidem fore tonitru. Confer *Psal.*33.*v.*4.5.6.7.9. *Psal.* 50.*v.*1. *ad* 7. *Ps.*68.*v.*7.8.9. 32.33.34.35. *Psal.* 76.*v.*6.7.8. *Psal.* 77.*v.*17 18 *Psal.* 81.*v* 7. *Psal.*89 *v* 6. *Ps.*97.*v.*2.3.4 5. *Psal* 104 *v.*1.*ad* 8. *Psal* 135.*v.*5. 6. *Psal.*144.*v.*5.6.7. *Psal.*147.*v.*8.14.15.16.17.18. *Psal.*148. *v* 4.5 7.8. In hâc Dauidis Brontologiâ habebit philosophus, tincturæ catholicæ studiosus, quod meditetur. quòd reuerâ hæc sit fortitudinis omnis fortitudo fortis, de quâ Hermes concionatur in tabulâ smaragdinâ.



SECTIO XXVII.

In quâ delineatur

THEOSOPHIA ET PHILOSOPHIA SALOMONIS.

PRÆCEPTA.

SAPIENTIA Salomonis est partim Theosophia partim Philosophia.

Vtraque describitur partim in libris Scripturæ canonicis, putà in Prouerbiis & Ecclesiaste; partim in libro apocrypho, qui inscribitur liber Sapientiæ, & in quibusdam Græcis exemplaribus Sapientia Salomonis.

Quod attinet ad Prouerbia & Ecclesiasten, harmonicè delineabimus vtrumque librum, ex Lamberto Danæo. Ex libro Sapientiæ vnum & alterum locum excerpemus, qui seruiet nostro proposito.

HARMONIA ET OECONOMIA Prouerbiorum & Ecclesiastæ Salomonis.

VSVS *huius laboris est quadruplex. I. Duo hi libri Salomoni harmonicè & methodicè reuocantur ad certos locos communes. Quod antehac in Prouerbiis quidem tentarunt Thomas Becanus Anglus, & Ludouicus Lauaterus, in Prouerbiis autem & Ecclesiaste Lambertus Danæus. II. Loci communes de virtutibus & vitiis propositi in hac tabulâ possunt nobis esse vsui in concionibus, deliberationibus, & familiaribus atque quotidianis colloquiis, negotiis, conuersationibus. III Proponuntur hîc* χαρακτῆρες ἀρετῶν, *id est, praxis virtutis ostenditur. Nam Prouerbia & Ecclesiastes Salomonis non tantùm in genere tradunt præcepta virtutum & vitiorum, sed quamque virtutem ad oculos, manus, aures, pedes, gestus, & ad omnem denique externam actionem deducunt, & nostræ cum aliis hominibus conuersationis rationem vniuersam describunt. Quod itaque Stoici in suis de morali philosophia libris agebant, vt non modò communia quædam &* θεωρητικὰ *de virtute præcepta docerent, sed etiam praxin ipsam earum explicarent, & morum characteres traderent (quod ipsum postea in Peripateticorum scholâ & disciplinâ Theophrastus fecit, edito etiam libello, quem* χαρακτῆρες ἀρετῶν *inscripsit) hoc idem his libris quàm cumulatissimè Salomon præstitit. IV. Ex hac tabella harmonica possumus more Criticorum in omnium gnomologorum, siue sint Christiani, siue ethnici, scripta moralia inquirere, & de illis iudicium ferre, quid rectè illi, quid malè senserint & dixerint. Cùm enim sententiæ Salomonis ab ipsomet Deo sint profectæ, ad illas iure merito, tanquam ad stateram, reuocantur & examinantur omnia doctorum ecclesiasticorum, poëtarum, philosophorum, oratorum dicta moralia. Atque hic est vsus nostræ tabellæ: sequitur ipsius* methodus. *Itaque in Prouerbiis & Ecclesiaste Salomonis oportet attendere prolegomena, & hypothesin.* Prolegomena *sunt de titulo, authore, tempore fine, præstantia, & idoneo auditore seu lectore horum.* Hypothesis *complectitur locos theologicos & philosophicos; & hos iterum partim physicos partim practicos, eosque ethicos, œconomicos, & politicos.*

I. PROLEGOMENA.

1. Titulus.

Prouerbia sunt grauiter & sententiosè dicta, quæ Cic. 1. de officiis dicuntur apophthegmata. Appellantur etiam prophetiæ, *Pr.*30.1.*c.*31.1.

Ecclesiastes dicitur à regum consuetudine, qui olim apud subditos suos concionabantur: vt docet Homerus in Odyss. & Aristoteles 1. polit. Vti etiam Dauid dicitur cantor Israëlis. 2. 2. *Sam.*23. 1.

De priori titulo vide *Prou.*1. & 10. de posteriori, *Eccl.*1. & 9.

2. Author.

Author est partim scriptor, partim collector.

Scriptor Prouerbiorum est tum Salomon, *Prou* 1. 1.*c.*10.1. *c* 24 2; *c.*31.*v.*2. 3. partim Agur, *Pr.*30.1. Ecclesiastis, Salomon. *Eccl.*1.*v.*1.12.16.*c* 12.*v.*9.10.

Collector Prouerbiorum non est vnus. Nam, vt Lyranus & alij obseruant, sententiæ vsque ad cap.25. sunt collectæ ante Ezechiam: ab Ezechiæ verò hominibus collectæ eæ, quæ à cap. 25. ad finem vsque leguntur.

3. Tempus.

Prouerbia diuersis temporibus collecta sunt, *Prou*.22. *v.*20.21.*cap.*25.1. Ecclesiastes autem scriptus est, postquam Salomon ædificauit templum & domum suam, *Eccl.*2.4.

4. Finis.

Vtrumque hoc opus Salomonis legem Dei deducit in domos,

mox templa, scholas & aulas. *Prou.*1 *vers.*2.3.4.5.6.*cap.*5.*v.*1.
29 *cap* 21. *v.*20.22 *Eccl.*12 *v.*11.13.

5. Præstantia vtriusque operis.

Hæc ostenditur tribus argumentis.

1. ab authore Deo. *Prou* 1.5.*c.*2 6.*Eccl* 12.11.

2. ab amanuensi Salomone. *Prouerb.* 1. 5. *cap.* 2. 6. *Eccles.*1.1.

3. ab vtilitate doctrinæ multifariâ. *Prou.* 1. 2. & 3. *Eccles.* 12.13.

6. Auditor idoneus.

Hic demum est qui

1. ab improbis & sanguinolentis se separat, *Prou.* 1. *v.* 7. 8.10.

2. non perfunctoriè, sed animi ardore singulari hanc doctrinam audit, *Prou.*2 *v.*1.2.3.4.5.

3. doctrinæ vsum attendit, *Prou.*2.*v.*7.8.9.10.

4. cor apponit. *Prou.*4.23.

II. LOCI THEOLOGICI.

1. Scriptura sacra

1. Eius præstantia, *Prou.*6 23.*c.*30.5.*Eccl.*12.13.

2. Ei non addendum, *Pr.*30.6.

3. Eius vtilitas, *Pr.*3. *v.*21.22.23.24. 25.26.*c.*4. *v.*5.6.7.18. 19.20.*c.*7.*v* 1.2.3 4.5.*c.*8.*v* 32.33.34.35.36.*c.*10.*v.*8.*c.*23.*v.*2. *c.*24.*v* 13.14.*c.* 9.10.

4. Exhortatio ad eius studium, *Pr.*3.*v.*1.2 *c.*22.*v.*17.18.19. 20.21.

5. Quomodo paranda eius intelligentia, *Pr.*2.*v.*1.2.3.4.5.6. 9.10.*c.*30.6.

6. Ab eâ deflectens, miser est, *Pr.*28.10.

2. DEVS.

1. Est spiritus, *Pr* 16.*v.*1.2.

2. Est Pater & Filius. *Pr* 30.4. idémque Spiritus sanctus, author scriptorum siue librorum θεοπνεύστων. *Eccl.*12.11.

3. Est καρδιογνώστης, *Pr.*15 3.*c.*20.27.*c.*5.21.*c.*16.2. *c.*21.2. *c.*25.3.*c.*15.11.*c.* 7.3.

4. Filius Dei est ab æterno, *Pr.*8.*v.*22.23.24.25.26.

5. Eius opera, *Pr.*8.*v.*15.& *seqq.*

6. Est παντοκράτωρ & omnipotens: quippe Ithiel & Vchal, *Prou.*30.1.

3. Opera Dei.

Sunt à Deo ad glorificationem ipsius, *Pr.*16.4.

4. Decreta Dei.

Nihil fit, nisi quod Deus decreuit facere, vel permittere, *Pr.* 16.33.

5. Creatio.

1. Rerum omnium bonarum causa efficiens est DEVS. *Pr.*8. *v* 27.28.29.30.31.*c.*20.12 *c.*22.2.

2. Finis creationis est partim gloria Dei, partim hominis vsus. De priori de *Pr.*16 4. *Eccl.*3.14 de posteriori *Eccl.*3.12.

3. Deus condidit omnia sapienter, *Pr.*3.*v.*19.20.*Eccl.*3.14.

4. Idem condidit omnia pulchra & bona, *Eccl.*3.11.

5. Ex rerum creatione noscitur Dei omnipotentia, *Pr.*21.30. & bonitas, *Pr.*29.13.

6. Prouidentia.

1. Mundus conditus non administratur à fortunâ, *Eccl.* 9. *v* 11.12.

2. Sed à prouidentiâ Dei, *Pr.*8.31.

3. Ab eâ sunt euentus rerum, *Pr.*21.32.

4. Cogitationes nostras, actusque præcogitatos illa regit, *Pr.*21 1 *c.*16 *v.*1.9.

5. Etiam sortes, & res contingentes, imò & ea quæ videntur esse fortuita *Pr.*16.33.*c.*18.18.

6. Conditio & sors nostra pendet ab eâdem, *Pr.*29.26.

7. Ab eâ igitur dependendum, *Prou.*16.13.*Eccl.*7.16.

8. Contra eam non est murmurandum, *Eccl.*7. *v.*11 12.13. 15.*c.*8.*v.*10.11.14.

9. Qui Deum timent, consilia eius intelligunt, *Pr.*28 5.

10. Retributio in hâc terrâ, *Pr.*11.31.*c.*15.11.

11. Felicitas impiorum, *Pr.*24.*v.*2.19.20 *c.*3.*v.*31.32.*c.*12. 11.*c.*22.*v.*24.25 *c.*13.20.

12. Impiorum interitus, *Pr* 1.27 *c.*2.22.*c.*18.3. *c.*29 6.*c.*11. 12.*c.*21.12.*c.*5.*v.*22.23. *c.*12.3. *c.*22.*v.*5.33. *c.*14.32.*c.*2.7.*c.*22. 12.*c.*13.9.*c.*29.16.*c* 51.9 *c* 23 20 *c.*26.27.

7. Prædestinatio.

Eius efficiens & finis, *Prou.*16.4.

8. Peccatum & pœna.

1. Omnes homines sunt peccatores. *Pr.*20.9.*c.*14 16. *Eccl.*7. *v.*22.31.*c.*9.3.

2. Homines naturâ sunt ignari rerum diuinarum, *Prou.*30. *v.*2.3.& cogitationes illorum vanæ, *Pr.*19.21.

3. Peccatum iustorum est sanabile, *Pr.*24.16.*Eccl.*7.21.

4. Malorum hominum varia sunt genera, *Prou.*30 *v.*11.12. 13.14.

5. Qui odiosi maximè Deo. *Prou.*6.*v.*16.17.18.19.

6. Mali delectantur in peccando, *Pr.*10 23.*cap.*14.16.*c.*15 21. *c.*18 2.*c.*21.15.

7. Impiorum sermones ad fraudem comparati, *Pr.*12.6.

8. Actiones ipsorum externæ improbitatem spirant, *Pr.* 6. *v.*12.13.14 15.

9. Ipsorum vota perniciem aliis optant. *Pr.*21.10.

10. Cogitationes ipsorum sunt peccata, *Pr.*24 9.

11. Conscientia illorum trepidat *Pr.*28.1.

12. In ore ipsorum sunt verba futilia, *Pr.*26.*v.*7.9.

13. Mali secum trahunt sentinam malorum, *Prou.* 11. 12. *c.*22.5.

14. Illorum occursus periculosus. *Pr.*17.12.

15. Vita & via ipsorum ad exitium tendit, *Pr.*2.10.*c.*15.*c.*19. 3.est probrosa coram hominibus, *Pr.*4.*v.*18.19.23.*c.*8.3.& Deo odiosa, *Pr.*15.*v.*9.26.

16. Domus eorum euertitur. *Pr* 3.33.*c.*12.7.*c.*14.11.*c.*21.2.

17. Iidem propriis peccatis perduntur, *Pr.*5.*v.*22.23.*c.*11.13. *c.*14.*v.*14.32.*c.*16.27.*c.*29.6.

18. Non stabilientur in malitiâ suâ, *Pr* 12.3.*c.*10.25.*c.*11 31.

19. Nemo eos eripiet ex afflictione, *Pr.*11.21.

20. Alij alios irritant, dum mutua peccata subsannant, *Pr.* 14.9.

21. Inuiti bonos honorabunt, *Pr.*21.28.

22. Hypocritæ, *Pr.*30.12.*c.*11.9.*c.*19.28.

23. Illusores, *Pr.*15.12.*c.*14.6.*c.*13.1.*c.*9.12.*c.*28.8.*c.*19.29.

24. Piorum & impiorum mores, cogitationes, & exitus, *Pr.* 12.*v.*2.5.*c.*14.2.*c.*11.23.*c.*16.17.*c.*21.15.*c.*4.*v.*16.17.*c.*10.16.*c.*28. 18.*c.*11.3.*c.*10.7.*c.*11.8.*c.*13.25.*c.*10.30. *c.*19.28. *c.*12.2. *c.*20.7. *c.*21.18.*c.*11 6.*c.*12.28.*c.*11.5.*c.*12.13.*c.*25.26.*c.*12.21.*c.*14.19. *c.*2 21.*c.*13.6.*c.*6.*v.*12.13.14.*c.*12.12.*c.*16.*v.*29.30.*c.*21.10.*c.*4. 14 *c.*16.27 *c.*8.5.*c.*21.29.*c.*10.23.*c.*24.2.*c.*28.4.*c.*17.4.*c.*26.11. *c.*13.19. *c.*11.*v.*18.19.21. *c.*6.18. *c.*14 14.*c.*13.2.*c.*10.25.*c.*24. *v.*8.9.*c.*14.22 *c.*5.2.*c.*15.26.*c.*6.18.

25. Afflictio, *Pr.*3.*v.*11.12.*c.*17.5.Est Dei correctio, *ibid* Iustus affligitur, *Pr.*29.31.itemque impius, *Pr.*13.21 *c.*16.*v.*6.7. *c.*25.19.*c.*16.3.*Eccl.*8.5. Mali sub eâ non proficiunt, *Pr.*27.12. Forti animo est ferenda, *Pr.* 24. 10. Afflicti consolandi, *Pr.*24. *v.*11.12.*c.*25.20.*Eccl.*7.9.

9 Vocatio ad salutem.

Christus homines ad se vocat, *Pr.*8. & 9. *c.*30. *v.*20.21.22. 23.24.25.

10. Ecclesia.

1. Qualis sit, *Pr.*9.*v.*1.2.

2. Eius doctores, *Pr.*9.*v.*3.4.5 6.*c.*11.30.

3. Eius hostes: putà seductores & falsi doctores, *Pr.*2. *v.*12. 13.14.15.*c.*9.*v.*13.14.15.16.17.18.*c.*19.27.*c.*28 10.& Antichristus, eiusque ecclesia, *Pr* 9.

11. Pœnitentia.

1. Reformationis vitæ præcipuæ partes: custodire & regere cor, linguam, oculos, pedes, *Pr.*4 *v.*24.25.26.27.*c.*12.17. itemque reliqua membra, *Pr.*20.12.*c.*23.12.

2. Nemo perfectè sanctus & reformatus, *Pr.*20 9.

3. Confessio peccati, *Pr.*28.13.

12 Precatio.

1. Quorum precatio grata sit: nempe iustorum, *Prou.* 15. *v.*8.29.

2. In oratione ne sit battologia, *Eccl.*5.*v.*1.2.

3. Elegans formula precationis. *Pr.*30 *v.*7.8.9.

4. Imprecatio siue causâ facta, *Pr.*26.2.

13. Sacrificium.

1. Quodnam Deo gratum, *Pr.*3.*v* 9.10 *c.*21.*v.*3 27.

2. Audiendum potius Dei verbum, quàm sacrificandum, *Eccl.*4.17.

14. Vota.

Deo reddenda, *Pr.*20.25.*Eccl.*5 *v* 3.4.

15. Iudicium vltimum.

*Eccl.*12.14.

III. LOCI PHYSICI.

1. Causa efficiens rerum naturalium.

Est Deus, *Pr.*8.*v.*27.& *seqq.c* 30.4.

2. Natura rebus insita.

1. Est motus & vicissitudo perpetua, *Eccl.* 1. *v* 9. 10. *cap* 3. *v.*2.15.

2. Manet rerum natura, qualis à Deo est condita, *Eccl.* 1.14. *c.*7.15.*c.*11.3.

3. Ordo naturæ semel institutus durat, *Eccl.*3.11.

3. Sol, luna, & lumen.

*Eccl.*1.5.*c.*11.7.

4. Aqua.

*Pr.*3.*v.*19.20.*Eccl.*1.7.

5. Terra.

*Eccl.*1.4.

6. Ventus.

Eccl 1.6.

7. Animalia bruta.

Quomodo nos instituant, *Pr.*6.6.7.8.*c.*30.*v.*24.25.26.27. 28.29.30.31. Vbi est egregia ζωοπαιδεία.

8. Homo, & illius spiritus.

*Prou.*20.

Pr. 20.27. *Eccl.* 12.7.

9. Senectus & iuuentus.

1. Comparantur inter ſe, *Pr.* 20 29.
2. Senectutis ænigmatica deſcriptio, *Eccl.* 12. *v.* 3.4.5 6.7.

IV. LOCI ETHICI.

1. Homo : ſubjectum Ethicæ.

1. Eſt peccator, *Eccl* 7. *v.* 22.31.
2. Eius conditio, *Eccl* 1.11.*c.*3 *v.*18.19.
3. Sors communis omnium, *Eccl.*9. *v.* 1.2.3.
4. Hominum bonorum & iuſtorum laus, *Prou.* 10.7.*c.*13. 9. merces certa & vtilis *Pr.* 11 18.*c.*18.30.ipſis affatim foueтur in hâc vitâ, *Pr.* 10.6 *c.*13.25.*c.* 21. 20. illi præſtant aliis hominibus in conſiliis, *Pr.* 12.26.etiam improbis præibũt,& illis dominabuntur, *Pr.* 16.10.*c.*21.12.voti compotes erunt, *Pr.* 10. *v.*28 30.perpetuò manebunt,& eorum ſemen, *Pr.* 11. 8.*c.*18. 10 *c.*16.7 eorum peccatum ſanabile, *Pr.* 24.16 *Eccl.* 7.21.
5. Mali & iniuſti. Vide loc.theol.titul. *Peccatum,num.* 4.5. 6. *& ſeqq.*

2. Finis Ethicæ.

1. Cognitio Dei,& illius metus, *Eccl.* 12.*v.*13.14.*c.*1.*v.*2.3.
2. Præ hoc fine omnia hæc ſunt vanitas, vexatio animi, & incertitudo, *Eccl* 1.*v.*2.3. *c.*12.*v.*13.14. Idque.

Siue res ipſæ ſpectentur per ſe, *Eccl.*1.*v.*4.8.14. *c.*10. *v.* 13. 14. 7.*c.*12. 8.

Siue ſtatus hominum diuerſus:& is quidẽ tum lætus, *Eccl.* 2.*v.*1.2.3.4.5.6 7.8.10.11.20.tum triſtis, *Eccl.*4. *v.*1.2.3 4.

Siue diuerſa rerum cognitio, *Eccl* 1. *v.* 12.13.14.15.16. 17. 18.19.*c.*1 17.*c* 6.9.

Siue prudens rerum noſtrarum adminiſtratio, *Eccl* 2.*v.*20. 21.22. 24. *c.* 5.8.

Siue diuerſa hominum ſtudia & occupationes, *Eccl.*3.*v* 9. 10 *c.*7.12. *c* 8.17.

Siue diuerſa rerum genera, *Eccl.*3.*v.*19.20.21.

Siue diuerſæ ætates, *Eccl.* 11.10.

Seu denique omnia ſub ſole, pertinent ad hanc vitam animalem, *Eccl.* 11.8.*c.*12.8.

3. Cauſæ impellentes ad ſtudium virtutis.

1. Vita noſtra incerta, *Pr* 27.1.*Eccl.*8.8
2. Incommoda ſenectutis, *Ecc.* 12.*v.*3.*& ſeqq.*
3. Vanitas rerum, *Eccl.*1.
4. Hic dum viuimus, eſt operandum, non poſt mortem, *Eccl.*9.10.
5. Mors certa, *Eccl* 7.1.
6. Cogitatio mortis, *Eccl.*7 *v.*4.6.10.
7. Cogitatio vltimi iudicij *Eccl.* 12 4.
8. Bona conſcientia, *Pr* 15. 15 *c.*22 22.*c.*19.15.*c.*28.11. *c.*20.13 *c.*13 7.Ea non eſt in omnibus, *Pr* 2 8 eſt laudabilis, *Pr.*12.8.& tuta *Pr.* 10.9. *c.*11.*v* 3.5.6.*c.* 2.2.*c.*2.*v* 7.8. Eius fructus, *Pr.*1 2.Proles illius benedicta, *Pr.*20 7.Ex afflictione eripietur, *Pr.*28.18.fauorem Domini habet, *Pr.* 12.2 eſt res rara, *Pr.*20 6.
9. Conſcientia mala. *Pr* 29 25.

4. Cauſæ exemplares virtutis.

1. Verbum Dei:ex quo ſolo, non verò ex animi noſtri iudicio, vita noſtra eſt inſtituenda, *Pr.* ..*v* 5.6.7.8. *c.*20.24. *c.*16. *v.*2.15.*c.*21.19.*c.*19.21.
2. Conuerſatio & coniunctio cum bonis, non verò cum malis, *Pr.*1.*v.* 10.11.12.13.14 15 16.17. 18.19.*c.*13.20.*c.*19.27. *c.*28. 19.*c.*23. *v.*17.18 *c.* 14 7.*c.*4.*v.*12.13.14.15.*c.*24.*v* 19.20. 21. 22.
3. Beſtiæ quædam:in quibus relucent ſimulacra virtutum, *Pr.*6.6 *c.*30 *v.*24.*& ſeqq.*

5. Affectus.

1. Sunt frænandi. *Pr.*16.32 *c* 30.*v.*29.30.31.
2. Lætitia. *Pr.*25.25.*c* 28 12.
3. Triſtitia:quæ eſt animi ſolicitudo, *Pr.*15.15. oſſa deſiccat, *Pr.*17.22.deprimit nos, *Pr.*12. 25.*c.*15.13. obeſt, ne diſcamus, *Pr.*18.1. item ne placidè feramus afflictiones, *Pr.* 18.14. Sæpe eſt diſſimulanda, *Pr.*14.*v.*12.13.*c.*16.25. aliena non curiosè ſciſcitanda, *Pr* 14.10.
4. Timor, *Pr* 3 24.*c.*10.24.*c.*28.1.
5. Amor, odium, & inuidia, *Pr.*25.*v.*21.22.*c.*26.*v.*24. 26.*c.* 27.4 *c.*23 *v* 6 7 8 *c* 14 30.
6. Spes:piorum bona, *Pr* 11.23. impiorum perit, *Pr.*11.7. dilata, torquet nos *Pr.*13.12
7. Ira, *Pr.*15.18 *c* 14.*v* 17.21.24.*c.*19.11.

6. Non-congruentia.

*Pr.*15.30.*c.*25.25.

7 Virtutes directrices.

1. Iuſtitia vniuerſalis:cuius laus & vtilitas *Pr.* 11.*v.*19.20. *c.*12.6.*c.*11 *v.*4 27.*c* 12.28.*c.*14.34.*c.*10.2.
2. Charitas, *Pr* 1 12.*c.*17 9.*c.*24.*v.*17.18.*c.*25 *v.*21.22.
3. Prudentia:quæ verſatur in melius quærendis, *Eccl* 10. 10 *Pr* 18.15.eius laus, *Pr* 13.15.vtilitas, *Pr.*9. 12.*c.*21.16.*c.*15. 24 *c.*16.22.*c.*17.2.*c* 19 *v* 2 8.*c.*20.5.omnia per eam gerenda, *Pr* 13 16.tempus proprium ſpectat, *Pr.*13.12.*c.*15.23.*c.*16.21. *c.*29.11.*c.* 30.32. *Eccl.*3. *v.*1 3.4 5.6.7 8.*c.*8.*v.*6.7. bellis vtilis eſt, *Pr.*20 18.*c.*24.*v.*5.6.*Eccl.*7.1.*c.*9.*v.*13.14 15.16.18. attendit rei ſuæ,neque eſt curioſa, *Eccl.*10.2.*Pr.*16.17.*c.*17.24.pericula proſpicit & euitat, *Pr.*22.3.*c.*27.12. diffidit de ſe ipsâ, *Pr.* 24.14. Prudens quis, *Pr.*16. 21. Improbi prudentes eſſe non poſſunt, *Pr.*24.7.Prudentiæ opponitur ſtultitia, *Pr.*19.3.*c.* 23. 9.*c.*14.9.*c.*24.7.*c* 18.2.*c.*27.23.*c.*17.12.*c.*15.21.*c.*3.35.*c.*21.26. *c.*26 *v.*4.5.item crudelitas, *Pr.*14.15 *c.*13 16 *c.*22 3.*c.*27.12.*c.* 12.*v.*16.23.*c.*24.3.*c.*14.16.*c.*10.14.*c.*24.32.*c.*15.14.*c.*16.16.*c.*13. 16.*c.*19.8.*c.*16.22.*c.*14.18.*c.*15.24.*c.*16.20.28.26.

8. Ad primum decalogi præceptum.

1. Timor Dei, *Pr.*1.7.*c.*14.*v.*26.27.*c.*15.33.*c.*19.23.*c.*10.*v.* 27.29.*Eccl.*8.*v.*12.13.
2. Fiducia in Deo, *Pr.*3.*v.*5.9.*c.*29.25.
3. Pietas, *Pr.*1.7.*c.*9.10.*c.*15.24.*c.*3.*v.*5.7.*c.*24.21.*c.*23.17.*c.* 30.26.*c.*16.6.*c.*14.26.*c.*21.4.*c.*10.27.*c.*22.19. *c.*3.8.*c.*14.27.*c.*19. 23.*c.*28.25.*c.*16.20.
4. Contemptus Dei, *Pr.*22.12.
5. Hypocryſis:ſimulatio pietatis *Pr.*20.25.*c.*28.13.*c.*10.10. *c.*11. 9.

9. Ad ſecundum decalogi præceptum.

Ceremoniæ diuinitùs inſtitutæ & præceptæ, ſunt retinendæ *Pr.*9.*v.*1.2.

10. Ad præceptum tertium.

1. Ritè eſt iurandum, *Eccl.*8.2.
2. Vota Deo reddenda, *Eccl.*5.*v.*3.4.5.

11. Ad præceptum quartum.

1. Sacrificia:quæ Deo grata, *Pr.*21.*v.*3.27.*c.*3.*v.*9.10.
2. Audiendum potiùs Dei verbum, quàm ſacrificandum, *Eccl.*4.17.

12. Ad præceptum quintum.

1. Parentes honorandi, *Pr.*15.20.*c.*20.20.*c.*6.*v.*20.21.22.
2. Parentum nomine comprehenduntur affines, *Pr.* 11.17. patria, *Pr.*27.8.ſenes *Pr.*23.22.*c.*16.31.*c.*20.29.
3. Parentes ſpernens à coruis deuorabitur, *Pr.*30.7.& filius rebellis maledicetur *Pr.*13.25.
4. Humilitas commendatur & benedicitur à Deo, *Pr.*3.*v.* 33.34 eſt præferenda honori *P.*15.33.
5. Superbia irridetur à Deo, *Pr.*3. *v.*34.35. eius vanitas, *Eccl.*6. 10.*c.*7.10.ſerit lites, *Pr.*13. 10.*c.*28.25.anteit & denuntiat exitium proximè futurum, *Pr.*16.18.*c.*18.12.*c.*29 23 Superborum nomen *Prou.*21.24.eorum domus à Deo euertetur *Prou.*15.25 *cap.*16.5.
6. Ambitio cum ignominiâ eſt coniuncta, *Pr.*11.2 *c.*25.27. *Eccl* 8.9.
7. Amicitia, *Pr.*11.12.*c.*17.17 *c.*19.6.*c.*3.29.*c.*18 24 *c.*23.1. *c.*27.10.*c.*21.10.*c* 19.4.*c.*14.20.*c.*17.9.*c.*25.17.Eſt maximè hominis propria, *Pr.*27 19.Amicus non mutandus, *Pr* 27.10. vt habendus & colendus, *Pr* 11.17.*c.*18 24.*c.*27.17. non fallendus, *Pr.*26.*v.*17. & 19.*c.* 27. 14. eo non abutendum, *Pr.*25.17 omni tempore durat, *Pr.*17.17.

13. Ad præceptum ſextum.

1. Concordia, *Pr.*16 7 *c* 30 27.
2. Manſuetudo, *Pr.*25.15.*c.*15.1.
3. Fortitudo, *Pr.*24.10.*c.*25.28.
4. Patientia, *Pr* 12.6.*c.*14.29.*c* 22.24.*c.*16.32.*c.*15.1.*c.*27.3.
5. Homicidium damnatur, eiuſque organa, & qui homicidæ conſentiunt, *Pr.*1.*v.* 11. *& ſeqq.* Homicida peribit gladio, *Pr.*28.17.odit bonos, *Pr.*29.10.
6. Rixæ & contentiones, *Pr.*3.30.*c.*20.3 *c.*25.8.
7. Cædes iniuſtæ, *Pr* 29.10.*c.*12 *v.*6.11.17.*c.*6 15.
8. Gaudium de alienis malis, ἐπιχαιρεκακία. *Pr.*24.*v.*17.18. *c.* 17.5.
9. Vindicta priuata, *Pr.*17.13.*c.*20.22.*c* 24.29.
10. Crudelitas, *Pr.*17.11.*c.*24.15.
11. Iniuria & vis, *Pr.*3.30.
12. Malum pro bono non reddendum, *Pr.*17.13.*c.*10 22.
13. Ira, quæ eſt cupiditas vindictæ, & cordis æſtus, fugienda, *Pr.*14.17 *c.*27.3.cohibenda, *Pr.*12.16.*c.*16.32.*c.*17.14.*c.*19. 11.ſerit lites, *Pr.*14.29 *c.*15.18 placanda, & quomodo, *Pr.*15.1. *c.* 21. 14.
14. Iracundia, id eſt, animi facilitas & propenſio ad iram, *Pr* 19.*v.*19.22.*c.*30.33.Ne ſis iracundus, *Eccl.*7.9.
15. Odium, *Pr.*10.*v.*12 18.*c* 26 *v.*24 25.26 fugiendum, *Pr.* 20 3.*c* 3.30.*c.*17.19.tollendum & placandum, *Pr.*22.10. Alieno ne te immiſceas, *Pr* 26.17.
16. Affabilitas, *Pr* 16 24.
17. Humanitas:eaque tum in homines afflictos, *Pr.*31.8. tum in beſtias, *Pr.*12.10.
18. Pacis bonum, *Pr.*15.17.*c.*17.1.*Eccl.*4.6.
19. Fontes diſcordiarum, *Pr.*30 *v.*21.22.23.
20. Vita potior morte, *Eccl* 9 *v.*4.5.6.
21. Solitudo mala, *Eccl* 4 *v* 9.10.11.12.

14. Ad præceptum ſeptimum.

1. Temperantia, ebrietas, crapula, *Pr.*23 *v.*29.30.31 32.33. 34.35.*c.*21 17 *c.*23.*v* 19.20.*c.*20.28.*c.*31.4. Vinum & ebrietas quæ mala afferant, *Pr.*20.1.*c.*23.*v.*28.*& ſeqq.* vinum quibus dandum, *Pr.*31.*v.*4.5.6 7.

2. Sobrietas,

2. Sobrietas,Pr.23.v.1.2.3 c.25.16.cum quibus conuiuandum,Pr.23.v.6.7.8.

3. Intemperantia in cibo, Pr.23.v.19.20.21.c.27.7.c.28.7.

4 Adulterium,Pr 2.v.16.17 18.19.c.5.v.1.2.3.4.6.7.8.9.10. est peccatum pessimum, Pr.6.v.32.33.34.35 fugiendum, Pr. 30.v.18.19.20.Adulterium est alienam vxorem contrectare, Pr.6.v.27.28.29.

5. Scortatio,Pr.31.v.26.27.28.31 c.22.14.c.29.3.

6. Meretrix est pestis perniciosissima, Pr.2.v. 16.17.c.5.v. 3.4.5.6.8. 10. 11.12.13.14. 20. blanditiæ, fraudes, & mores ipsius,Pr.6.v.3.4.5.6.7.c.7.v.6.7.8.9.10.11.12.13.14.15.16.17. 18.19.20.21.22.23.24.25.26.27.est fugienda, Pr.7.v.8.9.10. 11.12 13.14.20.25.26.c.7.v.1.2 3.4.5.c.9. v.13.14.15.16 17. 18.apud eam & substantia & modestia amittitur,Pr.29.3.

15. Ad præceptum octauum.

1. Iustitia commutatiua,Pr 11.1.

2. Misericordia & liberalitas, Pr.3.v.3.4.9.10.27.28.c.11. 17.c.21.13.c.11.v.24.25.27. c.16.6.c.14.21.6.28 27.c.19.17.c. 5.15.c.21.21.c.20.6 c.22.9.c.20.28.c.31 20.

3. Furtum damnatur,Pr.22.16.c.6.v.30.31.c.28 24.Furto comunicans,Pr.29.24.

4. Auaritia in omnes furit,Pr.1.v.17.18.19.Eccl 5.9. damnatur,Pr.27.20. c.1.19.c.15.27.c.11.26. & 28.16.c.21.26.c.30. v.15.16.c.23.6.c.24.v.15.16.c.29.24.quæ sint maximè auara, Pr.30.v.15.16.vbi allegoria est attendenda.

5. Fraus in contractibus frequens,Pr.20.14.c.10.10.non est in piis,Pr.12.21.est in eo qui nocere vult, & ab eo fit, Pr. 12. 20.non succedit,Pr.12.17.c.17.20.c.20.17.c.22.8.errare facit, Pr.16.v 29.30 piis non struenda,.Pr.24.15.Fraudulenti turpi nomine appellantur,Pr.24.8.

6. Perfidia,Pr.13.17.c.26.6.

7. Vsura & fœnus,Pr 26.v.18.19.c.28.8.c.17 20.

8. Rapina & dolus, Prou.11.4.c.13.11.c.12.27.c 10.4 c.22. 24.c.28.8.

9. Inuidia est mala, Pr.24.4.est putredo ossium,Pr.14.30. Bonis non inuidendum,neque malis, Pr.3.v 31.32.33.c.23.v. 17.18.c.3.v.1.2.c.27.4.

10. Labor:est necessarius, Pr.16.26. c.20.13. itaque suscipiendus,Eccl.4 v.7.8.c.10.16 vtilitas eius,Eccl.5.11.affert diuitias,Pr.12.11.c.14.23.c.21.v.5.17. & principatum, Pr.12.24. c.22 29.eius benedictio est à Deo,Pr.16.20.c.23.v.4.5.

11. Pigritia:facit paupertatem, Pr.10. v.4.5.c.24.v.30.31. 32.33.34.c 18.9.c.19.5.Eccl.4.5 c.10.18.est tarda ad opus, Pr. 15.19.c.19.15.Eccl.4.5. eius odium, Pr.10.26.piger ad formicas remittitur,Pr 6.v.6.7.8 9.10.11. eius inertia, Pr.19.24.c. 20.4.excusationes vanæ, Pr.22.13.c.26.v.15.16.c.26.v.13.14. appetit,nec habet vnde edat,Pr.13.4 c.21.v.25.26.

12. Mercatura, Pr.31.26.

13. Fideiussio:non fiat temerè,Pr.22.v.16.27.sed prudenter & circumspectè, Pr 6 v.1.2.3.4.5.c.11.15.c.17.18.c.20.16. Fideiubentis res minor fit,Pr.27.13.

14. Beneficentia vera commendatur,Pr.21.v.14.21.non verò falsa,Pr 29 7.c.25.14.

15. Beneficium non procrastinandum,Pr.3.28.

16. Ius vt suum cuique tribuatur,Pr.3.27.

17. Bonorum nostrorum vsus qualis esse debeat, Pr.5. v. 15.16.17.18.Eccl.8.15.c.9 v.7.8.9.

18. Mediocritas,Eccl.7.v.18.19.20.

19. Diuitiæ:malè & citò partæ non prosunt, Pr. 18. v. 20. 22.c.20.21.c.10.v.2.3.16 c.11.v.4.10.21.c.21.v.6.7. dissipantur citò,Pr.13.11. cum damno bonorum non comparandæ, Pr.15.16.c.16.8. iustæ & honestæ,sunt corona, Pr.14.24.c.22. 7.virtuti sunt ornamento,Eccl.2.v.12.13.adferunt honorem, Eccl 4.15.sunt vtiles,Pr.10 v.22.15.Eccl.5 18.c.6.v.12.etiam multæ,Pr.15 6.confidens in illis peribit,Pr.11.28.c.18.11.obnoxios iniuriis nos faciunt,Pr.13.8.c.28.11.vanitas earum per se,Eccl.5.v.10.11.12.13.

20. Paupertas:eius causa,Pr.13.23.facit humiles,Pr.18.23. pauper non spernendus,Pr.14.31.c.17.5.c.13.non affligendus, Pr.22.v.22.23.pauperes contemnuntur, Pr.14.20.c.19.v.4.7. pauper simplex,optimus,Pr.19.1.c.28.6.c.19.22. pauper gloriosus,turpissimus,Pr.12.9.pauper rapax,turpissimus,Pr.28.3. comparatio pauperum & diuitum, Pr.19.22.c.12.26.c.28.6.c. 19.v 1.7.c.18.23.c.17.5.c.11.18.c.14.31.

21. Moderatio,Pr.25.16.c.4.27.c.30.36.c.25.27.c.27.7.

22. Eleemosyna:beat & beatur, Pr.14.v.21.22.c.16.6. delet iniquitatem,Pr 16.4. auget diuitias, Pr.11.v.24.25. exhortationes ad eam, Pr.21.13.c.22.9.c.28.27.c.19.17.Eccl.11.v.1.2.

23. Fames,Pr.27.v.7.8.

24. Fidelitas,Pr.25.13.

25. Limites agrorum seruandi,Pr.22.28.c.23.v.10.11.

26. Pondera sint iusta Pr.16.11 c.11.1.c 20.v.10.23.

16. Ad præceptum nonum.

1. Lingua:eâ non peccandum Eccl 5 v.5.6.linguæ sapientis laus, Pr.25.11 c.10.v.20 21.31.32.c.21.23.c.20.15.c.12.18. c.15.4 c.18.v.20 21.eius vtilitas,Pr.12 14.sobrietas,Pr.17.v. 27.28.verba sapientum audiuntur,etsi latent, Eccl.9.17 c.10. v.12.13.linguæ temeritas fugienda,Pr.13.3.lingua ne præcurrat mentem,Pr.15.28.c.16.23.c 18.v.3.13 c.29.20.linguæ peruersitas mala,Pr 4 24.lingua mendax displicet Deo, Pr.12.v. 19.22.linguæ multiloquium, Pr.10.19.c.12.26.Eccl 6.11.lingua improborum est illis ruina,Pr.18 7.c.14.3.c.22.14. loquitur stulta,Pr.15.v.2.7.lites serit, Pr.18.6. vtilitas linguæ bonæ, Pr.15.v.4.7.c.10.v.11.21. c.27.9.c.10.20.c.20.15.c.25.11. c.10.32.c.15.23. linguæ malæ incommoda, Pr.4.24.c.12.18. c.17.28.c 30.14 c.29.11.c.14.3.c.25.18.

2. Eloquentia,Pr.16.21.23.24.c.22.11.c.15.2.

3. Præcipitantia, Pr.29.20.c.18.13.c.15.28 c.19.2.

4. Promissio vana,Pr.25.14.

5. Veritas & mendacium,Pr.12.9.c 26.28.c.22.22.c.6.17. c.13.5.30 8.c.3.3.c.20.6.c 16.6. veritas commendatur, Pr.23. 23.mendacium damnatur,Pr.17.4.Eccl.7.v.23.

6. Testis:verus prodest, Pr.14.25 c 12.17.c.13. 25.c.14.5. falsus,damnatur, Pr.24.v.28.29.c.14.20. peribit, Pr.19.v.5 9. 28.c.21.28.

7. Suspicio mala:fugienda,Pr.3.29.

8. Secreta reticenda,Pr.25.9.c.11.13.c.20.15.

9. Detractio & calumnia, Pr.10.18 c.18.8.26.22.c.20.19.c. 16.18.c.11.13.c.6.19.detractor quis,Pr.11.13. perniciosus est, Eccl.10.11.serit lites,Pr.16.28.c.18.8.c.16.v.20.21.22. punietur à Deo,Pr.19.29.detrahere de alio est improbissimum,Pr. 25.18.c.11.12. est improborum, Prou.13.5. ne seruis quidem detrahendum,Pr.30.10.

10. Maledictio,Pr.26.18.c.30.10.c.22.10.c.26 20.c.25.23.

11. Adulatio,assentatio,blandiloquentia,Pr.26.25.c.27.6. c.28.23.c.29.5.c.36. 28. est amicitiæ contraria & perniciosa, Pr.29.5.c.19.6.c.20.19.c.24.v.24.25.26.odiosa tandem,Pr.28. 23.afflictos odit & deserit Pr.26. 28. pellitur tandem assentator,Pr.25.23 cùm assentatore non insaniendum, neque malis assentandum,Pr 25.26.c.26.v.4.5.Eccl.7.5.

12. Fama:bona,delectat,Pr.15.30.c.22.1.est bonus odor, Eccl.7.3.

13. Laus, Pr.27.14 c.18.4.c.22.8. ne sit in ore proprio,Pr. 27.21.ostendit,quales simus,ambitiosi nec ne, Pr.27.21. non conuenit malis,Pr.26.v.1.8.c.28.4.bonos stultitiæ notâ infamat,Eccl.10.1.

14. Correctio,Pr.22.17.Eccl.7.v.7.8.qui odit eam,peribit, Pr.15.10.c.19.16.c.27.v.5.6 c.15. v.12.14 32 c.23.9. vtilis est, etsi dura sæpe videtur,Pr.13.18.c.15.31.c.19.20.c 20.30. boni audiunt eam,Pr.9.9.c.10.8 c.12.v.1.15.c.17.10.c.25.12.c.29.1. mali eam spernunt,Pr.10.5.c.12 14.c.29.9.est illis inutilis,Pr. 9.v.7.8.c.19.25.c.21.11.quæ maximè audienda Pr.19.27.c.23. 23.eius repudiatio,Pr.5.v.12.13.14.20.21.24.25.26.27.28.29. 30.31.32.33.34.35. c.7.v.6.7.8.9.10.11.12.13.14.15.16 17.18. 19.20.21.22.23.24.25.26.27.28.29.c.30.20.

15. Consilium,Pr.8.14.c.13.10.c.20.5.c.15.22.c.24.6.c.10. 18.c.12.v.5.15.20.c.27.9.c.26.27. c.11.14. prudens & sanum, Pr.13.v.13.4.malum,consultori pessimum, Pr.17.12.c.26.27. Eccl.10.v.8.9.

16. Linguæ virtutes & vitia,Pr.13.6.c.28.25.c.29.22.c.26. 23.c 27.17.c.16.28.c.18.1.c.10.12.c.26.21.c.18.19 c.13.10.c.17. 14.c.26.17.c.22.10.c.26.20. c.30.33. c.17.19. c.29.9.c 18.18. bonæ præmia;& malæ,pœnæ,Pr.13.2.c.18.20.c.12.14.c.18.21. c.13.3.c.10.8.c.18.7.c.10.13.c.22.23.c.17.10.c.10.14.c.12.13.

17. Ad præceptum decimum.

Prou.6.25.

V. LOCI OECONOMICI.

1. Vxor.

1. Bona:est à Deo, Pr.18.22.c.19.14.Pr.18.22.c.14.1.c.11. 16.c.19.14.c.12.4.eius encomium & opus,Pr.31.v.10.& seqq. placida & lenis,honorabilis,Pr.11.16.Eccl.7.29.sapiens,ædificat domum,Pr.31.30.timens Dei,Pr.31.30.est rara aut nulla Eccl.7.v.29.30.corona viri,Pr.12.4.vt habenda, Pr.5.v 18.19. 2.Mala,Pr.21.9.24.c.19.13.c.27.v.15.16.c.30.23.c.11.12.lasciua & stulta,turpis,Pr.11.22.rixosa,Pr.21.v.9.19.c.25.24.c.27. v.15.16.

2. Coniungium.

Dicitur pactum Dei,Pr.2.17.

3. Amor mutuus coniugum.

Pr.5.v.15.16.17.18.19.

4. Proles.

Est benedictio Dei, Pr.17.6.

5. Filius.

Bonus & malus,Pr.10.1.c.23.v.15.16.c.15.20.c.23.v.24.25. c.17.6.c.19.v.13.26.c.20.20.c.30.v.17.11.c.28.24.c.9.3.c.28.7. sapiens,laudandus, Pr.10.1 c.13.1.c.17.25.c.23.v.24 25.26.c. 27.11.stultus,vituperandus, Pr.19.13 c.16.26. eius indoles vt agnoscatur,Pr.20.11.

6. Educatio & castigatio liberorum.

Pr.22.6. c.19.v.18.19.c.29.v.15.17.c.22 15.c.23.v.13.14.c 15.5.c.13.23.

7. Obedientia præstanda parentibus.

Pr.6. v.20.21.22.23. c.1. v.8.9.c.4 v.1.2.3.4 c.23.22.c.27. 11.c.13.1.

8. Seruus.

Honoret dominum suum,Pr.29.19.rebellis,Pr.29 19.vt habendus,

bendus, Pr 29.21. De hoc titulo vide etiam c.17.2.c.14.35.c 29.12.c.30.23.c 19.10.c.11.29.c.27.18.

9. Domus.

Eius conseruatio & euersio, Pr.12.11.c.22.3.c.2.7 c.24.3.c. 15.27.c.19.29 c.11.29. quis eã turbet aut dissipet, Pr.11.24.ἀ&-ξίᾳ maximè, Pr 13.23. sapientia eam ædificat, Pr.24.v.3.4. quo ordine ædificanda, Pr.24.27 decoctores illam euertunt, Pr.21.20.c.29.3. migrationes crebræ, noxiæ, Pr.27 8.

10. Labor domesticus.

Pr.24.27

11. Modi acquirendi.

1. Cura pecoris, agri & bonorum, Pr.27. v. 23.24.25.26 27.c.12.10.c.15.6.

2. Agricultura inprimis commendata & laudata, Pr. 14 4. c.28.19. Eccl.5.v.8.c.11.v 4 6.

3. Pecunia, eiusque vtilitas, Eccl.10.19.

VI. LOCI POLITICI.

1. Ciuitas.

Vnde salua sit, Pr 11.14. inprimis consilio, Pr.15.22. & benignitate, Pr.20.28 vnde amplificatur, Pr.11.11.c.14.34. bonis ciuibus delectatur, Pr.11 10. pessimus eius status quando mali dominantur, Pr. 8.28.c.29 v.2.8.16. Eccl.5.7. & vbi verbum Dei non auditur, Pr 29 18.

2. Regnum.

Regnorum mutatio vnde, Pr.28.2. Eccl.4.14 illorum splendor, Pr.14 28. conseruatio, Pr.14.34.c.28.2.c.29.4 14.c.16.12. c.20.18.c.28.16.

3. Rex, siue princeps.

1. Magistratus, Pr 31.v.1.2 3.4.5.6.7.8.9.c.29.7.c.16.v.10. 13.c 17.v.7.26.c.2.25.c.8.15.c.24.v 11.12.c.22.v 22.23.c.17. 15.c.16.13.c.24.26 c.30 21.

2. Rex honorandus, Pr.25.v 6.7.c.24.v.21.22.

3. Ira regis: timenda, Pr.16.14. Eccl.8.v.2.4. patientiâ placanda, Pr.25.15. Eccl 8.3.c.10.4.

4. Beneuolentia regis est salutaris, Pr.16.15.c.19.12.c.20.2.

5. Qui regnare debeant: non ignobiles, Pr.19.10. Eccl.10. v 5.6.7.17. non iuuenes, Eccl.10 16.

6. Rex qualis esse debeat: non exactor, Pr.29.4. non ebriosus. Eccl.10.17. Pr.31.v 4.5.6.7. non mendax, Pr.17.7.c.29.12. non meretricibus addictus, Pr.31.3. non insipiens, Pr.28.16. Eccl.4.13. non improbus, Pr.28.15.

7. Regis munus. Malos dissipet, Pr.20.v.3.8.26.c.25.2. à iustitiâ & æquitate non deflectat, Pr.16.v.10.12.c.29.14.

8. Cor eius in manu Dei, Pr.21.1. Eccl.10.20.

4. Consiliarij regis.

1. Sint prudentes, Pr.14.35.c.16.13.

2. Veraces, Pr.22.11.

3. Non iniqui, Pr.25.v.4.5.

5. Populus.

Eius ingenium, Eccl.4.16.

6. Seruorum dominatus.

Pr 30.22.c.19 15.

7. Subditi.

Pr.14.28.c.29.12.

8. Iudicia.

Iusta, sunt Deo & hominibus grata. Pr.21.11.c.31.9. peruersa, Deo odiosa, Pr.17 15.c.18 5. Eccl.3.v.16.17. acceptio & respectus personarum ne fiat, Pr.24.23. c.28.21.c.18.5 dona ne accipiantur, Pr.15.27.c 17.v.8 23.c.28.21.c.18.16.c.19.4.c.21. 14. fauor absit & præcipitatio, Pr 18.17. iudicia non sunt corrumpenda, Pr.17.26 quomodo in iudicio agendum, Pr.25. v 9.10.

9. Leges.

Pr.22.28.c.23.10.c 13.14.

10. Fœdera.

Pr.11.21.c.16.5.c.19.2.c.11.10.c.28.12.

11. Legationes.

Pr.25.13 c.3.17.c.26.6.c.10.26.

12. Nobilitas.

Pr.12.9.

13. Supplicia.

Pr.20.26.c.17.15.c.21.11.c.24.v.24.25.

14. Consilium & bellum.

Pr.24.v.5 6.c.21.31.c.10.18.c.21.28.c.25.18.c 19.v.5 9.c.14. v.5 25.

15. Contractus.

Pr.20.14.c.31.20.

16. Sponsiones & fideiussiones.

Pr.6.v 1.2.3.4.5.c.20.6.c.27.13 c.17.18.c.11.15.c.22.v.26.27.

17. Seditio.

Pr.24.v.21.22.c.17.26.c.31.3.

HARMONIA PROVERBIORVM, ECCLESIASTIS, ET LIBRI SAPIENTIÆ.

Henricus Khunrath Amphitheatrum suum ita construxit, vt illud adornauerit ex Prouerbiis, Ecclesiaste, & libro sapientiæ. Constituit enim septem gradus, qui constant versibus totidem, quot annus diebus, trecentis nimirum sexaginta quinque, hoc modo.

Primus gradus.

Primus gradus est, sapientem auidè atque libenter audire Salomonem, diuinum sapientiæ præconem, nec non ipsam sapientiam, eisque, sine contradictione obedire: Pr.1.v.1.2.3.4.5.6. c.4.v.10.11.12.& 3. Sap.7.v.1.. Pr.4.v.c. ad 9.c.3.v.1.2.3.4.c. 4.v.21.22.c.6.v.2 .23.c.16.16.c.5.v.7.1 .c.3.v.15.16.c.8.v.1. ad 11.& v.32.33.34. Pr.1.v.20.ad 33. Sap.6.v.1.ad 9. Pr.21.30. Sap.16.v.15.17.c.6.v.10.11.8.22.23.26.27. Sap.1.1.

Secundus gradus est, post susceptum diuinum hoc semen, in eiusmodi feliciter cœptâ obedientiâ constanter perseuerare, veramque sapientiam ardenter amare, illiusque studium continuare, humanam verò & carnalem sapientiam abominari & detestari. Pr.4.v.1.2.c.3.v.11.12.c.4. v.13.c.22.23. Eccl.11.v.6. 7. Pr.6.v.6.ad 11.c.10.v.5.c.9.v.13.ad 18.c.7.v.1.ad 5.& v.25. 26.27.c.2.v.10.ad 20.c.5.v.20.21.22.23.c.4.v.24. ad 27.c.9.v. 12. Sap.3.v.11.


Tertius gradus est, Iehouæ gratiâ nosse ac scire, quid, qualis, quàm pulchra, præclara & præstans atque quanta res sit sapientia vera Sap.6. v.24.c.7.v.21. ad 26.& v.29.30.c.8.v.1.c. 6.v.13.c.8.v.3.c.6.v.14.17.c.8. c.7.13. Pr.8.v.22. ad 31.& v. 12.13.17.20.c.3.v.19.20.c.30.4.c.24.v.13.14.

Quartus gradus est, scire quis sapientiam veram det, apud quem doctorem aut magistrum, vel vbi sit quærenda & inuenienda, vndenam veniat, quibus in libris tractatur, quotque modis in istis libris, putà in libro naturæ & Scripturæ, tum magno, tum paruo, appareat. Pr.2.v.6.ad 9. Sap.16.v.28. & v. 8.13. Pr.10.22.c.18.18.c.19.21.c.21.31. c.29.26.c.21.v.1.2.c.16. 31.c.3.5.c.16.3.c.3.v.6.7.c.7.v.15.16.17.c.9.v.1.ad 6.

Quintus gradus est, scire cui detur vera sapientia, cui non: quis illius sit alumnus: quomodo, quo studio, aut quâ methodo ea sit quærenda, qui veniat & communicetur, quibus auxiliis & mediis, quando & quot modis possit ac debeat impetrari: denique an, quid, à quo, cui, quare, quantum, vbi, quando, de sapientiæ secretis sit communicandum. Pr.12. v.2.c.28.v 5.c. 10.6.3.v.32.34.c 11.20.c.17.20.c 28.6.c.17. 6 c.15.33.c.11. 2.c.14.33.c.13.20.c.19.2. Sap.6.15 c.10.1 c.15.14.c.17.c.14.27. c.9.10.c.23.v.17.18. Sap.1.v.1 2.3.4 Pr 2.v.1.4.5. Sap.15 3 c.7. v.7.8.9.10.c.6.v.13.ad 21.c.8.16. Eccl. .v.1.3.4. Pr.1 .8.c.16. 20. Sap.3.9. Pr.15.29.c 28.v.9.13 c.16.6.c.4.22.c.21.21. Sap. 18.v 19 20.21. Sap.9.v.1 ad 19. Pr.30.v.7.8.9. Eccl.10.10 Pr.9. 9.c.23.v.9.24.c.15.v 31. 2 c.13.18.c.9.v.7.8.c.14.6.c.17.24.c. 20.11.c.11.13.c.10.19.& 6.c.3.29.c.17.3.

Gradus sextus est scire, quæ sint bona & dona veræ sapientiæ, & quæ sint studij eius exercitia, quis vsus, abusus, fructus, atque finis: ac quanti & quàm varij inde thesauri ad nos perueniant: Sap 7.11.12.14.17.18.19 20.21.27.28. Pr.16.7. Sap.8. v.4.ad 18. Pr.13.v.13.ad 18 Sap.10.v.1. Pr 8.v.14.15.16.18. 19.21.35.36.c.9.11 c.3.v.21 22.c 2.9.c.3.v.23.24 25.26. Sap 10. 9. Pr.3.v.9.10.c.5.v.15.16 17. Sap 3.15.

Septimus & vltimus gradus est, ne gry morari sophistas, sed illos floccipendere, seque ad veritatis agnitæ confessionem ac defensionem præparare, illamque ad posteros vtiliter propagare, & semper in Deo lætari. Pr.4. v.14.15.c.14 12.c.4 v.18. 19. Sap.4.7. Pr.22.6.c.13.1.c.26.5.c.17.12.c.12.15.c.28.v.23.c. 29.1.c.14.2.c.29.27.c.11.3.c.10.29.c.29.25.c.30.v.5.6.



SECTIO XXVIII.

In quâ delineatur

MIMETICA.

PRÆCEPTA.

MIMETICA est ars bene imitandi.

Estque generalis, vel specialis.

Mimetica generalis præcipit de imitabili, imitatiuo, & imitatione, seu, de obiecto, principio, & modo imitationis.

Obiectum imitationis est Deus, Iesus Christus, natura, & quodlibet bonum naturale, morale, supernaturale, & artificiale.

Principium imitationis est naturale, vel supernaturale. Ibi est natura & ars: hîc gratiâ.

Modus imitationis est in partibus eius, videl. in amore, admiratione, & intentione: & illius generibus,

bus, vti sunt imitatio perfecta vel imperfecta, laudabilis vel culpabilis, externa vel interna, &c.

Mimetica specialis tam latè patet, quàm latè patet Encyclopædia: inprimis est philologica, theologica, ethica, œconomica, politica, & mechanica.

R E G V L Æ.

Imitationis vtilitas.

I. *Imitationis magna est vis in vtramque partem.*

Imitatio siquidem facit, vt nobis proponamus exemplar, quod exprimamus in mente & vitâ nostrâ, adeoque in actionibus omnibus. Quale itaque est exemplar, talis est imitatio. qualis imitatio, talis actio. Quanta ergo vis est exemplorum, tanta est & imitationis.

Imitabile quomodo debeat esse comparatum?

II. *Imitabile debet esse optimum in suo genere.*

Si quis enim velit aliquid exprimere, non debet sibi proponere id, quod est imperfectum, malum, falsum, &c. quia hoc est plenum dementiæ: sed id eligere debet, quod est perfectissimum in aliquo genere. Primum itaque imitabile erit Deus, primum illud verum, bonum, & pulchrum. Secundum imitabile erit natura: tertium, virtus moralis & spiritualis; quartum, opus aliquod artificiale.

Principiũ imitationis.

III. *Imitatrix est vis, quæ impellit ad imitandum.*

Estque natura, ars, vel gratia. *Natura* est imitatrix sui ipsius, & quidem tribus modis. Aut enim imitatur absq; præuiâ cognitione, vt in elementis, meteoris, fossilibus, & vegetabilibus: aut præuiâ cognitione sensitiuâ: aut præuiâ cognitione intellectiuâ. Itaque sensus externus, phantasia, & intellectus faciunt vt animal sit imitatiuum: intellectus, inquam, speculatiuus, actiuus, & factiuus. *Ars* est imitatrix naturæ, & quidem beneficio sensus & intellectus. Itaque omnes artes, vt Logica, Grammatica, Scenographica, &c. sunt imitatrices. *Gratia* est imitatrix formæ supernaturaliter imprimendæ. Hic incidit quæstio, An Deus etiam imitetur? Resp. Deus imitatur seipsum, hoc est, ideas, quas concipit intra se. Nam ipsius essentia est infinitis modis imitabilis. Vulgò quidem dicitur: Deus, natura, ironici, & opiniosi non imitantur: sed hoc accipiendum est, de imitatione strictè dictâ.

Triplex obiectum imitationis.

IV. *Obiectum imitabile est triplex: speculatiuum, actiuum, factiuum.*

Iohannes Colle suam Encyclopædiam inscribit *De ideâ & theatro imitatricium & imitabilium ad omnes intellectus, facultates, scientias, & artes*: quia nempe tota Encyclopædia nihil est aliud, quã ars rectè imitandi, & quidem omnis generis speculabilia, agibilia, & factibilia, vt loquuntur; & quidẽ potẽtiâ, actu, habitu, vel dispositione. Quodlibet autem horum obiectorum subdiuiditur in naturale, artificiale, & phantasticum. Et rursus triplici modo se offert: vel vt notio prima, id est, conceptus rei immediatus: vel vt notio secunda, id, est, conceptus τοῦ conceptus: vel denique vt fundamentum conceptus quod est partim res ipsa, partim vox aliqua. Hinc patet τὸ imitabile esse physicum, mathematicum, metaphysicum, philologicum, &c.

Tres termini in imitatione logicâ.

V. *In qualibet imitatione logicâ tres necessariò termini requiruntur: videl subiectum, prædicatum, & medium, seu terminus minor, maior, & medius.*

Imitatio est hyperphysica, physica, vel logica, & hæc postrema necessariò tres terminos requirit: quia huiusmodi imitatio fit per analogismum à simili ad simile. adeoque per syllogismum. Est autem syllogismus iste vniuersalis, vel singularis: quia obiectum imitationis aut est vniuersale, aut singulare.

Imitatio triplex.

VI. *Imitatio humana est speculatiua, actiua, vel effectiua.*

Imitatio humana est expressio imaginis, seu formatio rei iuxta imaginem, quæ est phantasma, vel noëma, ab intellectu defæcatum & fabricatum. Quare cùm intellectus sit speculatiuus, actiuus, & effectiuus, necesse est, vt imitatio quoque sit triplex. *Imitatio speculatiua* est, quâ homo acquirit cunctas disciplinas, imitando scil. doctrinam oculis & auribus. *Imitatio actiua* est, quâ homo acquirit virtutes morales aut vitia. *Imitatio effectiua* est, quâ homo efficit opus artificiale, effectione nimirum liberali vel mechanicâ. e.g. syllogismum, aut domum.

Quinam apti ad imitandũ?

VII. *Homines, qui sunt molli carne, ad imitandum sunt aptissimi.*

Homines, qui molli sunt carne, valent ingenio; & hi ad imitandum sunt aptissimi. Variæ quoque vires ingenij oriuntur à causis externis, putà constitutione cœli & solis, temperamẽto, alimento, & similibus. Et cùm hæc varientur in singulis hominibus, infinitæ ingeniorum differentiæ hinc existunt. Quæ causa est, quòd alij homines magis propendeant ad imitabile mathematicum, alij ad mechanicum, alij ad medicum, &c. Oportet igitur vt vnusquisque suum cognoscat ingenium, suámque imitatricem.

In imitãdo quę requiratur?

VIII. *In imitando quinque ista sunt expendenda.*

Primum est imitator, seu efficiens: *secundum* est obiectum, quod imitatione exprimi debet: *tertium* est imago, seu idolum: *quartum* est subiectum, in quod imago, seu forma, est introducenda: *quintum* est modus imitãdi, qui perficitur certis habitibus, certaq; methodo. Habitus est duplex, scientiæ & peritiæ, seu theoreticus & practicus. Methodus itidem est duplex, docens & vtens. Methodus docens respondet habitui scientiæ; vtens, habitui peritiæ. Quicunque absque habitu & methodo imitantur, temerè imitantur: qui verò cum habitu & methodo, illi rationabiliter imitantur. Oportet itaq; habere in promtu regulas vniuersales, methodicè digestas, & illarum beneficio constituere vniuersalem imitandi rationem. Vnde manifestum est, quamlibet disciplinam & facultatem nihil esse aliud, quàm methodum & rationem rectè imitandi.

Imitatio naturæ.

IX. *Perfectum est opus artis, si naturam imitetur.*

Perfectum opus naturæ est, dum arte iuuatur: quia sæpe vsu venit, vt ars suppleat defectum naturæ. Sed quia natura in ideâ suâ est longè perfectior quàm ars, oportet vt ars & artifex imitentur naturam. Quod quidem si fiat, opus artis perfectum euadit.

Imitatio Christi.

X. *Imitatio Christi est præstantissima hominis actio.*

Facit enim vt homo postliminio accipiat imaginem Dei, quam amisit. Nihil autem in hâc vitâ magis est expetendum, quàm Deo magis & magis fieri similem. Demus itaque operam, vt sedulò discamus artem imitandi Christum: quæ quidem duabus hisce continetur partibus. 1. causis impellentibus ad huiusmodi imitationem. 2. partibus imitationis, quæ sunt doctrina, vita, & crux Christi. Vide *Thomam Kempis de imitatione Christi*, artificem peritissimum huius diuinissimæ scientiæ.



SECTIO XXIX.

In quâ delineatur

BIOGRAPHIA.

P R Æ C E P T A.

BIOGRAPHIA est ars bene viuendi. *Dicitur etiam* Εὐζωΐα.

Estque generalis, vel specialis.

Biographia generalis explicat optimam vitæ rationem, & varia vitæ genera.

Biographia specialis agit de vitæ animalis & spiritualis perfectione.

Vitæ animalis perfectio consistit in perfectâ diætâ.

Vitæ spiritualis perfectio consistit in imitatione Christi, iuxta versum:

Omnia te Christi vita docere potest.

Vtrique vitæ, tum animali, tum spirituali accidit, quòd sit contemplatiua, actiua, & factiua.

R E G V L Æ.

Vita quid & quotuplex?

I. *Vita est, quâ res est actuosa in se & extra se. Estque increata, vel creata.*

Vita est actus viuentis, seu est vitalis actionis principium. Estq; increata & infinita; vel creata & finita. *Vita increata* est purus

purus putus actus, quo Deus facit à se, & in se, facitque res viuere extra se. Est autem hæc vita proprietas Dei partim essentialis, partim personalis. Illa communis Patri, Filio, & Spiritui sancto *Deut.*32.40. *Apoc.*15.7. hæc est vel Patris, qui viuit a se, vel Filij, qui viuit a Patre, vel Spiritus sancti, qui viuit à Patre & Filio *Iohan.*5.*vers.*26. *Vita creata* est, quam Deus largitur creaturis. Estque angelorum, hominis, & aliarum naturarum, quæ omnes suo modo viuunt. *Vita hominis* est præsentis vel futuri seculi. *Vita præsentis seculi* vel communis est omnium hominum, vel propria quorundam. *Vita communis* est, quam homo viuit vi naturæ, seu essentiæ suæ. Vnde hæc appellatur vita naturalis & essentialis. Est autem communicans vel communicata. *Vita communicans* est animæ rationalis, eaque immortalis & inseparabilis. *Vita communicata* est corporis humani, recipientis actiones vitales ab animâ. *Vita quorundam hominum propria* est, quam homo viuit vi principij extrinsecè superuenientis. Estque contemplatiua, actiua, vel factiua. *Vita contemplatiua* consistit in cognitione veri Estque naturalis, vel supernaturalis. Est autem vita contemplatiua perfectior actiuâ, quatenus consistit in contemplatione rerum altissimarum, id est, diuinarum. Sic enim optima speculatio est optimi speculabilis, eiusdemque assimilatio: quia cognitio est assimilatio cognoscentis & cogniti. *Vita actiua* consistit in actione boni. Estque ciuilis, vel spiritualis: & illa est ethica, œconomica, politica, collegialis, scholastica. *Vita factiua* consistit in exercitio alicuius artis liberalis vel mechanicæ. *Vita futuri seculi* est posita in immediatâ & sempiternâ visione atque fruitione Dei: quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec vllus homo cogitatione comprehendit. 1. *Cor.* 2. 9. 2. *Cor.*5.1.

Vita quid & quotuplex? II. *Vita spiritualis in hoc seculo inchoatur, in futuro consummatur.*

Vita spiritualis in hoc seculo inchoanda spectatur in exemplari & modo suo. *Exemplar vitæ spiritualis* est partim Deus, partim Iesus Christus: exempla sunt varia, putâ Enochi, Noachi, Abrahami, Iacobi, Dauidis, Pauli. Et primò quidem Deus opt. max. est exemplar vitæ sanctæ catholicum in V. & N.T. vnde ipse pronuntiat aliquoties apud Mosen, *Sancti estote, quia ego sanctus sum.* Deinde Christus est exemplar sanctæ vitæ in N.T. iuxta illud Pauli: *Imitatores estote mei, sicut ego sum Christi.* Vnde & illud manifestum est, quomodo sancti homines dirigant nos in perfectione vitæ spiritualis. *Modus vitæ huius* continetur fide in Christum, & imitatione Christi. *Fides in Christum* est fiducia in solo Christi merito, quâ homo persuasus est, Christum sibi à Deo Patre factum esse sapientiam, iustitiam, sanctificationem, & redemtionem. 1. *Cor.*1. 30. De hâc fide & vitâ loquitur Scriptura *Hab.*2. 4. Iustus fide suâ viuet. *Gal.*2. 20. Vnà cum Christo crucifixus sum. Viuo autem non ampliùs ego, sed viuit in me Christus: & vitam, quam nunc viuo in carne, viuo per vitam illam Filij Dei, qui dilexit me, & tradidit seipsum pro me. *Imitatio Christi* est quâ doctrinam, vitam, & mortem Christi quotidiè nobis proponimus tanquam regulam omnium cogitationum, dictorum, & factorum nostrorum. *Matth.*10.38.*c.*11.*v.*28.29.*c.*16.24. *Marc.*8.34. *Luc.*9.23.*c.*14.27. 1. *Cor.*11.1. Hæc imitatio facit, vt Christus viuat in nobis. 2. *Cor.*4.*v.*10.11. *Gal.*6.8. *Coloss.*3.*v.*3.4. 1. *Ioh.*1.2.3.5. *capp.*

Vita spiritualis. III. *Vita sana & longa inprimis pendet à diatâ, & medicinâ vniuersali.*

Diætam hoc loco explicabimus: vbi fundamenti loco ponimus illud poëtæ:

Si tibi deficiant medici, medici tibi fiant.

Hæc tria: Mens hilaris, Requies, Moderata diæta.

Pauculis hisce verbis tota *Hygiastica*, quam vocant, continetur. Hygiastica, inquam, id est, institutio partim ethica, seu moralis, partim theologica, partim medica de ratione vitæ sobriæ, hoc est, ordinatæ & temperatæ, illiusque fructibus.

Ratio, siue modus, vitæ sobriæ in eo vertitur, vt debitam in cibo & potu mensuram constanter seruemus; adeóque temperantiæ studeamus, & valetudini consulamus. *Mensura ista non est eadem respectu omnium, sed diuersissima pro diuersâ corporis constitutione, robore, ætate: item pro diuerso vitæ genere.* alia enim conuenit ætati florenti aut senili; alia robusto, alia debili, alia sano, alia ægro; alia corpori bilioso, alia pituitoso. Diuersa enim in his est facultas ventriculi: cui facultati hæc mensura exactè, quantum fieri potest, debet esse æqualis & commensa. Hinc fit, vt quod robusto & iuueni est æquale, id debili & seni in duplum vel triplum sit nimium seu inæquale. Nimirum vt in maiori mundo Deus omnia diuerso numero, pondere & mensura disposuit *Sap.* 11. sic quoque in homine, paruo illo mundo, se res habet. Deinde occupationes animi & corporis variæ variam quoque requirunt mensuram. Quia maior, & ferè duplo maior mensura cibi potusque congruit illi, qui corporis exercitiis est deditus, quàm ei, qui totus est in studiis, meditatione, oratione, aliisque mentis functionibus. Functiones enim animi totam vim animæ sursum trahunt, atque ita suspendunt vires actionum inferiorum, nominatim concoctionis. Cæterùm *mensura cibi & potus inuestigatur certis regulis, hoc modo*

I. *Si tantum ordinariè sumas, vt postea parum sis aptus functionibus mentis, putâ orationi, meditationi, & studiis literarum, certum est, te mensuram iustam excedere.* Natura enim & ratio postulat, vt pars vegetans ita foueatur, vt facultas animalis & rationalis non offendatur: quia illa his seruire debet, & esse adminiculo ad earum functiones, non impedimento. Cùm ergo tantum ingeritur pro parte vegetante, vt functionibus superiorum facultatum, nempe sensuum, imaginatricis, intellectus, memoriæ, notabile detur impedimentum, signum est, congruentem mensuram excedi. Prouenit hoc impedimentum ex vaporum è ventriculo, hepate, liene, & venis ascendentium copiâ: qui modicè tantùm eò mitterentur, si mensura non excederetur. Experientiâ siquidem constat, cibo potuque nimio assumto non solùm ventriculum, sed etiam hepar, lienem & venas nimiùm incalescere, & magnam fuliginum vim sursum emittere.

II. *Si tantum cibi vel potus assumas, vt postea sentias torporem quendam, grauitatem, & lassitudinem corporis, cùm antea esses agilis & excitatus: signum est, mensuram congruentem excedi: nisi fortè ex morbo, vel morbi reliquiis id proueniat.* Cibus enim & potus, naturam viresque corporis recreare debent, & alacriores reddere, non grauare & opprimere. Qui ergo grauamen sentiunt ex cibi potusque excessu, iis demensum diurnum sensim minuendum est, donec ad eam mensuram redigatur, ex quâ non amplius sentiatur incommodum. Dixi *sensim*: quia si quis ab inordinatâ viuendi ratione immediatè ac subitò transeat ad exactam regulam, subita ista mutatio offendet naturam. Quare consueta quantitas modicis subtractionibus paulatim minuatur, donec ad eam perueniatur mensuram, quæ neruos, spirituum vias, non nimium humectet. Ita fiet, vt spiritus animalis, (à quo tanquam vniuersali & proximo animæ instrumento, omnis vigor corporis in sensu & motu) liberè commeare, & corpus regere queat. Quòd si spiritus ille per vaporum copiam ex cibis intercipiatur, nihil mirum est debilitatem & corporis grauitatem, sensuumque torporem sequi. Germani eleganter ex *Iud.*19. *v* 5. dicunt de vsu cibi & potus, Man muß die natur stärcken. Et Christus, *Luc.* 21. *v.* 34. abusum cibi & potus in eo ponit, quòd grauent cor.

III. *Quilibet explorare debet vires & vasa sua, vt æqualem mensuram inuenire atque obseruare possit.* Communiter post annum ætatis 36. satis esse videntur duodecim vel sedecim vnciæ cibi per diem; & totidem vel paulò plures vnciæ potus. Hoc intellige de iis, qui toti sunt studiis addicti, siue sint debiles, & ad senium vergant, siue robusti & in ætatis flore constituti. Patres sanè, qui in eremo vixerant solo pane & aqua, vt est apud *Cassianum collat.* 2. *abbatis Mosis cap.* 19. hanc mensuram obseruarunt: vtpote qui duobus paximaciis, id est, duobus paruulis panibus, vix vnius libræ, id est 12. vnciarum, pondus habentibus, fuerunt in singulos dies contenti. Quòd si Patres illi per longam experientiam satis esse iudicarunt duo paximacia, siue 12. vncias (singula enim paximacia fuerunt solùm sex vnciarum, & duo simul iuncta penderunt libram 12. vnciarum, qualis fuit apud veteres in vsu) & quidem panis sicci absque vllo obsonio: quantò magis satis esse poterunt 6. 7 vel 8. vnciæ panis cum 6. 7. vel 8. vnciis obsoniorum, quæ duplo plus alunt quàm siccus panis. Huc accedit loco aquæ, qua illi vtebantur, quæque per se non alit, cereuisia vel vinum, quæ multum alimenti præbent. Denique experientia constat, multos esse quibus longè minus cibi & potus satis sit. Apostolus 1. *Tim.* 5. *v.* 23. monet Timotheum, vt pauculo vino vtatur propter crebras infirmitates. Si quis sit valentulus, potest plus vini bibere, quàm valetudinarius. Vterque tamen potest etiam bibere ad hilaritatem. *Psal.*104.15.

IV. *Consultum est, abrumpere prandium vel cœnam, quando cibus & potus incipiunt optimè sapere.* Certissimum enim hoc est indicium, naturam ventriculi habere obiectum conuenientis quantitatis, in quod agat. Huc refer illud Hippocratis in aphorismis: Valetudinem excolunt, citra satietatem vesci cibis, & impigrum esse ad laborem.

V. *Quod ad qualitatem attinet, omnes penè cibi, communiter vsitati, naturæ benè constitutæ conueniunt, si debita in illis quantitas, siue mensura, seruetur.* Ab iis tamen, quæ nocent, cauendum: qualia ferè sunt pinguia, quæ & stomachum relaxant, eiusque vires in astrictione sitas dissoluunt, concoctionem reliquorum ciborum impediunt, eosque semicrudos stomacho excedere faciunt, & fumos in caput copiosè emittunt. Literati ergo parcè iis vtentur, & sufficienti panis quantitate noxam illorum impedire studebunt. Talia item sunt omnia, quæ experientia teste, vel capiti suffusiones, nebulas, vertigines, destillationes, aut tusses adferunt; vel ventriculo cruditates, inflationes, tormina, morsus, lancinationes faciunt; vel alia ratione statum corporis, aut animi functiones lædunt.

Cum

Cùm dicitur ab his cauendum, non sic intelligas, quasi ne parce quidem vti liceat, sed ne assumantur notabili copiâ. Exiguâ enim quantitate, vel rariùs assumta, nocere non possunt, præsertim si grata appetitui. Imò sæpè quæ magnâ quantitate obsunt, modicâ naturæ prosunt. Hâc cautione obseruatâ, cepæ, brassica, caseus, pisa, & fabæ vtiliter adhibentur. Cæterùm inter omnia ciborum genera, senibus & debilibus nihil est conuenientius *panatella*, hoc est, pulticulâ ex pane & aquâ aut carnium iusculo simul coctis, constante. Hâc ferè solâ cum vno vel altero ouo saluberrimè quis & diutissimè viuere potest. Ratio, cur hæc sit maximè conueniens, est, tum quia concoctu facillima, cùm iam sit instar illius chyli, quem stomachus ex cibi concoctione efficit: tum quia qualitatibus est temperatissima: tum quia putredini & corruptioni minimè obnoxia, vt multi alij cibi, qui in stomacho putrescunt. Præterea copiosus & probus sanguis ex eâ conficitur. Denique facilè aliquid additur, quo vel calidior euadat, vel magis alimentosa. Pertinet huc illud Sapientis, Initium vitæ hominis aqua & panis *Eccl.* 29.28. Quibus verbis significat vitam hominis his duobus potissimum fulciri & constare, eáque vitæ conseruandæ esse maximè conuenientia: ne frustrà pretiosæ carnes, aliáque gulæ irritamenta quærantur.

VI. *Quibus bona valetudo curæ est, iis maximè cauenda ciborum varietas, & exquisita condiendi ratio.* Nam præterquam quòd illa varietas semper nouo modo gulam prouocat, & appetitum excitat, vt nunquam videatur satis sumpsisse; quo fit, vt iusta mensura enormiter excedatur: hoc etiam habet incommodi, quòd diuersorum ciborum diuersa natura miras in ventriculo cruditates causatur. Meritò itaque laudatur Socrates, qui simplicissimam & tenuissimam diætam amauit: & Zoroaster, qui viginti annos in deserto vixit solo casei esu. De Patriarchis quoque, & aliis sanctis viris, testantur sacræ literæ, illos amasse victum simplicem panis & aquæ. Vide Concordantias Biblicas in voce *panis*.

VII. *Imaginatio est corrigenda iis qui iustam seruare volunt mensuram in cibo & potu.* Nisi enim hoc fiat, imaginatio cibi & potus delectabilis stimulabit appetitum, qui vulgato prouerbio rectè dicitur nequam. Quomodo verò, inquiat aliquis, corrigitur imaginatio? Resp. Si nos subducamus ab epularum conspectu, & animo voluamus damna quæ ex delicatis cibis immoderatè assumtis prouenire solent.

VIII. *Hyeme vtendum est siccis & calidis ob copiam pituitæ quæ tunc redundat, & non dissipatur: æstate potiùs humidis & refrigerantibus; quia per calorem aëris ambientis magna fit humorum discussio, & corpus arescit.* Hoc autem ita consequemur absque difficultate. Si opus sit diætâ sicciore, vt hyeme, & quando diuturnæ sunt pluuiæ, facile est augere quantitatem panis, & minuere quantitatem potus ac obsoniorum humidorum. Copiæ enim potus & humidorum, quæ tempore sicco iuuat, eadem si humido & subfrigido aëre per aliquot dies sumatur, nocet, destillationes, raucedines, ac tusses procreans. Quando verò opus est diætâ humidiore, augeri potest mensura potus, additâ vino maiore quantitate aquæ; vel loco vini potest assumi tenuis ceruisia.

IX. *Prandium sit largius cœnâ, vel contrà cœna largior prandio, prout cuilibet est commodius.* Itaque in prandio poterunt sumi 8. vel 10. vnciæ, vesperi 4. vel 6. contrà. Verùm in istis diuturna consuetudo magnam vim habet: Similiter corporis dispositio. Nam si ventriculus pituitâ frigidâ & lentâ abundet, magis conducit, vt aliquis semel tantùm de die comedat: quia multum temporis requiritur, vt illa concoquatur vel extenuetur. Si tamen refectio in vesperam differatur, proderit meridie modicum quid sumere, præsertim quod iuuet ad nimiam ventriculi humiditatem exsiccandam. Vel si meridie prandeatur, tale quid expediet sumere vesperi. Verbi gratiâ passulas cum pane, vel similia. Maximè enim iis, qui ita affecti, curandum, vt humiditas ista stomachi, quantum fieri potest, corrigatur. quia inde stomachus flatibus, & caput nebulis lentóque phlegmate oppletur. *Sapientia*, inquit ille, *in sicco residet, non in paludibus & lacunis.* Et Heraclitus, *Anima sicca anima sapientissima.*

X. *Si fortè semel aut iterum excedatur ordinaria cibi & potus mensura, statim ad solitam sobrietatem redire oportet.* Cùm enim stomachus ordinariâ diætâ contrahatur, necesse est illum valdè lædi, si supra consuetum distendatur sæpiùs. Vnus aut alter excessus parum nocet, modò statim ad solitam sobrietatem redeatur.

XI. *Non alienum fuerit ab instituto moderatæ diætæ, si voto sancto nos obstringamus ad certam cibi potusq; quantitatem. Illud verò est planè necessarium, vt viribus nostris diffidamus, Deumque quotidie rogemus, vt nos regat sancto suo Spiritu, qui nos doceat sobrietatem.* Ecclesiast. 13. v. 6.

XII. *Qui exactam diætæ rationem seruare non possunt, iis expedit quotannis bis saltem, nempe in vere & autumno, corpus benè purgare & humoribus noxiis liberare.* Loquor de literarum cultoribus, qui corpus ordinariè non exercent. Porrò ea purgatio fieri debet præuiâ humorum præparatione; neque debet esse valida & confertim operari, sed sensim per duos vel tres dies assumto medicamento. Sic enim & facilè toleratur, & ampliùs prodest. Nam primo die purgatur prima regio; hoc est, intestina: secundò, hepar: tertio, venæ, in quibus maxima prauorum humorum colluuies. Qui enim non sobriè viuunt, singulis diebus aliquid crudi humoris addunt, quod ad venas attractum, per totum corpus veluti per spongiam distribuitur. Itaque intra vnum vel alterum annum tanta sæpe est quantitas praui humoris in corpore, quantum vas ducentarum vnciarum, seu quatuor poculorum vix capiat. Hi humores tandem temporis tractu putrescunt, & lethales morbos inferunt. Atque hæc est recta ratio vitæ sobriæ.

Fructus vitæ sobriæ sunt varij, è quibus alij corpus, alij animam spectant. Et corpori quidem vita sobria præstat quinque commoda. 1. *Hominem ab omnibus penè morbis liberat ac defendit.* Ab illis dico morbis, qui ex cruditate & internâ humorum corruptione nascuntur. 2. *Munit nos aduersus externas causas*; cuiusmodi sunt æstus, frigus, labor, & similia. Nam qui corpus purum & humores temperatos habent, non ita facilè læduntur ab æstu, frigore, labore, & similibus incommodis, sicut ij, qui prauis humoribus abundant: &, si lædantur, faciliùs & citiùs curantur. Ita Socrates sua frugalitate effecit, vt quamuis Athenas sæpe pestis vastaret, ipse tamen nunquam ægrotarit. 3. *Mitigat morbos incurabiles*, vt facilè tolerentur, nec magnoperè functiones animi impediant. 4. *Præstat longæuitatem & mortem placidam.* Nam qui sobriè viuunt, harmoniam humorum egregiè tuentur, & cùm ex hac vita decedendum, nullos ferè, vel exiguos, dolores sentiunt: quia moriuntur per meram resolutionem. Cùm enim per diætam noxios humores euitent, nihil in se habent, quod temperamentum violentè possit destruere, aut calorem naturalem opprimere: ac proinde necesse est, vt viuant, donec humidum primigenium vnà cum calore insito sit ita consumtum, vt non sufficiat ad animam in corpore vlteriùs retinendam. 5. *Corpus reddit leue, agile, vegetum, & ad omnes suos motus expeditum.* Grauamen enim, naturæ oppressio, & tarditas prouenit ex humorum redundantia, qui vias spirituum obstruunt, & iuncturas obsident, nimiumque humectant. Itaque sublata humorum copia per diætam, tollitur causa illius grauaminis & tarditatis, & laxantur viæ spirituum. Deinde per eandem diætam fit, vt concoctio sit bona, & probus conficiatur sanguis, ex quo deinde puri & copiosi suppeditantur spiritus, à quibus omnis vigor & agilitas. His accedit, quòd viuus color faciei comitatur vitam sobriam, *Dan.* 1. *v.* 15. Atque hæc quinque commoda sobrietas adfert corpori. *Animo* similiter præstat quinque. 1. *Sensibus externis præstat vigorem.* Functiones enim sensuum impediuntur superuacaneis humoribus, quos vita sobria tollit. 2. *Mitigat affectus seu passiones*, præsertim iræ & melancholiæ: *item appetitum inordinatum cibi, potus, & Veneris.* Subtrahit enim & corrigit humores, qui illorum causa. 3. *Conseruat memoriam.* Hæc enim maximè lædi solet ab humore frigido cerebrum occupante, & vias spirituum angustiores obstruendo, & spiritus ipsos refrigerando & torpidos reddendo: quo fit vt apprehensiones sint lentæ, languidæ, & fluxæ, & sæpe in media narratione hominem ita deficiant, vt nesciat quid dixerit, aut qua de re locutus fuerit, rogetque socios, Quid tractabamus? Totum hoc malum mirificè arcetur vel curatur diæta sobria, &, quantum fieri potest, sicca. Hac enim fit, vt superflua humiditas vel non gignatur, vel genita consumatur. Inprimis abstinendum est à potu calido & fumoso, nisi fortè exigua sit quantitas. Etsi enim vinum sit calidum, tamen crebrò & magna copia haustum, frigidos morbos parit. Nimirum implet caput vaporibus qui ibidem refrigerati, in frigidam pituitam, quæ est ilias morborum, densatur. 4. *Tuetur vigorem ingenij in excogitando, ratiocinando, inueniendo, iudicando; & aptitudinem confert ad diuinas illustrationes suscipiendas.* Sobria enim diæta tollit nimiam cerebri humiditatem, vaporum & fuliginum abundantiam, meatuum cerebri obstructionem, nimiam sanguinis copiam, spirituum feruorem à sanguine vel bile prouenientem, vapores biliosos & melancholicos, & similia speculationis impedimenta. 5. *Libidinis impetum extinguit, & tentationes atque stimulos carnis mirificè sedat, magnámque carni ac spiritui tranquillitatem conciliat.* Sobrietas enim sensim minuit copiam spermatis, copiam item & feruorem spirituum: quibus imminutis sponte cessant libidinosæ imaginationes. Atque hæc sunt eximia illa commoda sanctæ sobrietatis, cuius studiosi cultores illa abundè sunt experti, putà Elias, Elisæus, Daniel, Democritus, Hippocrates, Io hannes Baptista, Bartolus, Cornarus, & alij, de quibus vide *Hygiastikon Leonhardi Lessij*, scriptum diuinum, ex quo hanc commentationem desumsimus. Tu homo Dei, ad animum reuoca hanc siue commentationem siue commendationem sanctæ sobrietatis, & singulis momentis meditare illud Christi *Lucæ* 21. *v.* 34. Attendite vobis ipsis, ne fortè grauentur corda vestra crapula & ebrietate, & curis huius vitæ, & repente in vos superueniat dies ille. Item illud *Petri* 1. *epist. c.* 5. *v.* 8. Sobrij estote, & vigilate: aduersarius vester diabolus leo rugiens circuit, quærens quem deuoret; cui resistite, fortes in fide.



SECTIO XXX.

In quâ delineatur

EVTHANASIA.

PRÆCEPTA.

EVTHANASIA est ars bene moriendi.

Estque generalis, vel specialis.

Ars bene moriendi generalis est, quæ discenda est omni homini Christiano.

Ea præcipit de rectâ præparatione hominis Christiani ad mortem, & de bonâ ipsius constitutione in morte.

Recta præparatio ad mortem est, quâ homo Christianus solicitè vigilando se componit ad beatè moriendum.

Eius occurrit necessitas & modus, qui est vel ante mortem, vel in morbo vicinâ iam morte.

Præparatio ante mortem tribus absoluitur partibus: videl. meditatione causæ mortis, naturæ mortis, & remedij aduersus mortem.

Causa mortis est Deus, diabolus, & homo.

Natura mortis spectatur per se, vel per accidens.

Remedium mortis est mors Christi, & illius quotidiana meditatio atque applicatio.

Præparatio ad mortem, vicinâ iam morte, est, quando mors præ foribus esse & imminere colligitur vel ex morbo, vel ex ætate iam deuexâ.

Ista præparatio consistit in curâ animæ, corporis & proximi.

Cura animæ spectat reconciliationem cum Deo, & profligationem tentationum.

Cura corporis est posita in vsurpatione mediorum, quibus valetudini consulitur.

Cura proximi est in condonatione offensorum.

Recta constitutio hominis Christiani in agone mortis est sancta, & religiosa animi ad Deum eleuatio in ipsâ luctâ cum hoc tanto hoste.

Ars bene moriendi specialis concernit 1. patremfamiliâs; vbi est dispositio rei familiaris, & factio testamenti. 2. facinorosum; qui extremo supplicio est afficiendus. 3. quemlibet in statu eminentiæ, & in officio aliquo constitutum, vt ille turbis & dissidiis, quæ possunt sequi mortem ipsius, obuiam eat.

REGVLÆ.

Ars moriendi necessaria.

I. *Ars moriendi est necessaria omnibus, qui bene mori cupiunt.*

Quicunque artem bene moriendi probè discunt, illi per Dei gratiam hoc consequuntur, vt bene moriantur, hoc est, ex vitâ mortali & miserâ discedant læti ad vitam immortalem & beatam: cùm è contrario, qui hanc artem non didicerunt, malè moriantur, hoc est, transeant à vitâ, quæ videtur felix & diuturna, ad vitam omni labore & dolore plenissimam, quæque finem laboris & doloris nullum inueniet, vt inde mors æterna potiùs dicatur & sit, quàm vita. Rectè itaque fecerunt, qui artem bene moriendi scriptis mandarunt: qualis inter alios est *Robertus Bellarminus.*

Causa mortis.

II. *Causa mortis proxima est peccatum.*

Deus infligit mortem ceu pœnam, *Gen.* 2. *Rom.* 6. *Diabolus* est causa mortis, quatenus protoplastis suasit, & persuasit peccatum. Ideo appellatur homicida à principio, *Iohan.* 8. Sed homo est causa mortis proxima, quatenus peccato suo hanc pœnam sibi accersiuit *Rom.* 5. *Iacob.* 1. Hinc peccatum dicitur aculeus mortis, 1. *Cor.* 15. Hanc mortis causam oporter quàm diligentissimè ad animum reuocare, vt peccatum magis magisque odio habeamus, & fugiamus, tanquam præsentissimum venenum, quod corpori & animæ certissimum adfert exitium.

Natura mortis.

III. *Mors in se spectata horrendam habet imaginem: per accidens, hominibus piis ostendit faciem blandam.*

Ratio prioris est; quia mors est omnium terribilium terribilissimum, quando destruit vitam, quam omnes appetunt, & separat à se inuicem amicos coniunctissimos, animam & corpus, & corpus insuper facit escam vermium. Ratio posterioris est; quia mors Christi facit, vt nostra mors sit pretiosa in conspectu Dei, *Psalm.* 16. & animam ex ergastulo corporis educat, & ad regnum cœleste perducat. Vide *Ambrosij librum de bono mortis.*

Remedii mortis.

IV. *Aculeus adimitur morti verâ fide & resipiscentiâ.*

Vera fides recumbit in mortem Christi, qui mortem nostram moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparauit, vt Ecclesia eleganter canit. *Resipiscentia vera* consistit in mortificatione veteris, & viuificatione noui hominis. *Quicunque igitur bene cupit mori, ille* 1. *bene viuat.* Non enim potest malè mori, qui bene vixit, vt ait Augustinus. 2. *quotidiè discat mori mundo.* Omnes enim qui mundo viuunt, mortui sunt Deo. 3. *summam bene viuendi positam esse nouerit in tribus virtutibus theologicis:* vti sunt fides, spes, charitas. 4. *obseruet quàm diligentissimè tria documenta euangelica, vt vocant:* de quibus Christus *Luc.* 12. Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris, & vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando reuertatur à nuptiis, vt cùm venerit & pulsauerit, confestim aperiant ei. 5 *frequenter meditetur Ethicam illam Pauli Tit.* 2. Abnegantes impietatem & secularia desideria viùamus sobriè, iustè, & piè. 6 *studeat orationi, eleemosynæ, & ieiunio* qui ternarius respondet Ethicæ Paulinæ. Nimirum vt pietas respicit in Deum, iustitia in proximum, sobrietas in nos ipsos: ita oratio spectat Deum, eleemosyna proximum, ieiunium nosmetipsos. 7. *quotidiè meditetur baptismum, & subinde accedat ad S. Cœnam.* Ibi ad animum sibi reuocet promissionem Dei, & suam repromissionem: hîc recordetur mortis Christi. 8. *pœnitentiam agat in genere & in specie.* Illa dicitur pœnitentia vniuersalis, cùm dolemus ob omnia peccata à nobis commissa: hæc particularis, cùm dolemus ob hoc vel illud peccatum: neque solùm dolemus, sed etiam confitemur Domino, neque solùm istud, sed etiam emendamus vitam. 9. *diligenter custodiat portas quinque sensuum, per quas ingrediuntur peccata in animum.* Ita enim fiet, vt vitemus peccatorum ingentem multitudinem. 10. *diligenter & frequenter meditetur mortem.* Nam hæc meditatio, tradente Bonauenturâ, parit sex bona. Facit peccata fugere, mundum contemnere, seipsum contemnere, vitam præsentem rectè regere, rectè temperare præsentem lætitiam, & rectè diuidere præsentem & futuram vitam. 11. *sæpè & attentè cogitet extremum iudicium.* 12. *sæpe & attente cogitet cruciatus gehennæ.* 13. *sæpe & attente cogitet paradisi gaudia.* Hæc nempe sunt quatuor nouissima, mors, iudicium, gehenna, & vita æterna; quorum attenta cogitatio efficit, vt ad mortem nos præparemus. 14. *quotidie sibi ob oculos ponat tabulam breuitatis vitæ humanæ.* In istâ tabulâ tres depinguntur testes breuitatis & fragilitatis vitæ nostræ: videlicet *Scriptura sacra*, quæ testatur hominem esse fœnum & gramen; *Natura corporis nostri*, quæ est halitus: & *Experientia*, quæ docet infantes, pueros, adolescentes, iuuenes, viros, senes, reges, principes &c. mortuos esse, & quotidiè mori.

Præparatio ad mortem vicinâ iam morte.

V. *Quando mortem præ foribus esse colligimus vel ex morbo, vel ex ætate iam deuexâ, curabimus animam & corpus, & proximi rationem habebimus.*

Animam curabimus, ponendo nobis ante oculos reconciliationem nostri cum Deo, & profligando tentationes. quod vtrumque fiet operâ nostrâ, id est, excitatione fidei, & aliorum, id est, pastorum, & bonorum amicorum. *Corpus curabimus*, adhibendo media, quæ à peritis medicis præscribuntur. *Proximi rationem habebimus*, condonando omnibus omnes omninò offensas, veniâ vicissim ab omnibus rogatâ; omnesque res nostras accuratè disponendo: quò pertinet factio testamenti.

Bona hominis Christiani constitutio in morte.

VI. *Bona Christiani hominis constitutio in morte tribus constat partibus: fide in Christum, desiderio vitæ æternæ, & depositione animæ.*

Primò enim oportet, vt Christianus quemadmodum in fide

de Christi vixit, sic & moriatur. Hæc fides facit, vt Christianus agonizans seipsum ponat extra se in Christo, adeóque seipsum abneget, atque exuat, solatiis & præsidiis rerum humanarum omnibus abiectis, & vniuersâ vi impetúque cordis in gratiam & misericordiam Dei in Christo directo. Hinc non nemo theologus: *Homines pij in morte sunt summè Christiani.* Roboratur autem ista fides, subinde repetito verbo promissionis; & exercetur ardente inuocatione, quam testatur agonizans vel clarà voce, vel tertiatis verbis, vel gemitibus, vel lachrymis, vel manuum eleuatione, vel nutu, vel cordis pulsatione lætâ. *Deinde* requiritur in agonizante ardens desiderium vitæ æternæ, atque adeo obsequium filiale, quo ille paratus est Deum sequi. *Denique* Christianus, in agone constitutus, animam suam deponit & commendat in manus Dei, patris sui potentissimi & fidelissimi; idque exemplo Christi, *Pater, in manu tuas commendo spiritum meum*, & Stephani, *Domine Iesu suscipe spiritum meum.*



SECTIO XXXI.

In quâ delineatur

PATHOLOGIA.

PRÆCEPTA.

PATHOLOGIA est doctrina de affectibus noscendis & emendandis.

Estque generalis, vel specialis.

Pathologia generalis tradit affectuum causas, effecta, subiecta, adiuncta, & remedia generalia.

Causa effectuum est externa, vel interna.

Causa externa est efficiens & finis.

Causa efficiens est princeps, vel adiuuans; & hæc impellens, vel instrumentalis.

Efficiens princeps est facultas cognoscendi, à quâ pendet appetitus boni & auersatio mali.

Impellens externa est obiectum, quod per sensum excitat affectum: interna, est dispositio subiecti.

Instrumentalis causa est humorum & spirituum temperatio, quæ medicis dicitur complexio.

Finis est actionum alacritas.

Causa interna est materia & forma.

Materia est motus animalis internus.

Effecta sunt partim alteratio animalis perfectiua & destructiua; partim virtutes & vitia, quæ ex affectibus nascuntur.

Subiectum est recipiens, vel occupans. Illud est totale, putà animal, & nominatim homo, vel partiale, vt cor, itémque anima: hoc est, bonum vel malum.

Adiuncta sunt in qualitatibus, & generalibus diuisionibus. Qualitates affectuum duæ sunt voluptas & dolor. Diuisiones generales sunt variæ. Est enim affectus 1. moderatus, vel immoderatus. 2. ordinatus, vel inordinatus. 3. consultus, vel inconsultus. 4. momentaneus, vel durabilis. 5. lenis, vel vehemens. 6. naturalis, vel moralis; & hic bonus vel malus. 7. sensitiuus, vel intellectiuus 8. simplex, vel mixtus 9. obiecti præsentis, vel futuri. 10. temporis simplicis, id est, præsentis vel futuri; aut coniuncti, id est, præsentis & futuri.

Remedia generalia sunt precatio, constans propositum, & similia.

Pathologia specialis explicat species affectuum, & emendationem singulorum quantum ad causas, effecta, & remedia.

Species affectuum sunt, quòd affectus alij sunt simplices & primi, alij mixti & orti.

Affectus simplices sunt in parte concupiscente, vel irascente. Ibi sunt amor & odium, desiderium & fuga, gaudium & tristitia: hîc, spes & desperatio, timor & audacia, & denique ira.

Affectus mixti, seu compositi, sunt misericordia, inuidia, zelus; epichærecacia.

REGVLÆ.

I. *Pathologia hoc loco traditur, vti est disciplina composita.* Pathologia qualis disciplina?

Pathologia est partialis, vel totalis. Illa est pars Physicæ, vel Ethicæ, vel Oratoriæ, vel Theologiæ: hæc est disciplina physica, ethica, & theologica. Atque hoc posteriori modo Pathologia est de affectibus noscendis & emendandis: quomodo *Lælius Peregrinus, Professor philosophiæ ciuilis in gymnasio Romano*, inscripsit suum commentarium, luculentum sanè & eruditum; ex quo pleraque huc transferemus, præsertim in Pathologiâ speciali.

II. *Pathologia facit ad sanandum morbos animi & corporis; adeóque omnium pene disciplinarum studio hæc eadem confert.* Pathologiæ vtilitas.

Tanta vis est affectuum (quos alij appellant affectiones, alij perturbationes, alij passiones) vt sæpe hominem de mente deiiciant & prosternant, vel summopere infestent & perturbent. Hinc *Iamblichus lib. de mysteriis* eos appellauit clauos, quibus corpori animus ceu patibulo affigitur. dirum sanè spectaculum, animum hominis, rerum dominum, seruili supplicio damnatum intueri, quasi Prometheum Caucaso affixum. Alij dicuntur funiculi, quibus ad hoc vel illud quasi vincti quodammodo homines aliquando trahuntur. Sunt insuper veluti quidam igniculi, quibus inflammamur & accendimur: stimuli, qui nos frequenter pungunt & angunt: nerui, quos aliquando contrahimus, aliquando porrigimus: venti, quibus noster animus tanquam mare procellosum perpetuò agitatur: denique nubes, quibus mens & ratio obscuratur. Expedit ergo, vt horum affectuum origines, causas, & effecta cognoscamus, & remedia, quibus curantur, perspecta habeamus. Sicut enim mare interdum occupatur malaciâ, nullo nauigantium vsu; interdum perflatur aurâ & vento ad nauigandum commodo, vbi clauus atque nauis in potestate sunt gubernatoris: aliàs violentiore turbatur vento, quod etsi ad celeritatem nauigationis confert, res tamen est periculi plena, ne nauis impetu deprimatur, vel in æstuaria, breuiaque compellatur: quandoque demum flatibus vehementissimis compluribus ab imo vertitur, attolliturque in fluctus ingentes: eundem in modum aliquando animus torpescit, destitutus omni aurâ appetitionum: interdum leniter incitatur amore, odio, & similibus affectibus, vt rationem sequatur ducem: interdum affectus vrgent rationem vehementiùs, neque tamen opprimunt, etsi periculum est, ne in progressu obruant: denique ex composito sæpe consurgunt, magno numero, ad mentem prosternendum, sibique principatum assumunt, vnde animus fit præda perturbationum. Hæc igitur præcipua maximaque nobis ex hâc doctrinâ existit vtilitas prohibuisse procellas, & flatus infestos ab inconstanti vitæ humanæ salo; immanes feras ex animo eiecisse; quin liberasse meliorem nostri partem supplicio crucis. Sed & omnium pene disciplinarum studio hæc eadem confert dissertatio. Multus enim de his theologo sermo, vbi differit de Deo, de angelis, de naturæ integritate & corruptione, de bonitate prauitateque functionum humanarum. Orator, flectendorum animorum magister, hanc sibi cognitionem quasi propriam ducit. Quid de his dicam, qui rimantur naturæ occulta, atque rerum causas inuestigant? quantum egent disciplinâ, quâ motus animi componant & illatam abigant molestiam, ne à contemplatione retardentur? Iam verò qui legibus condendis, vel interpretandis, atque iuri dicundo, erratisque emendandis, vel remittendis, præsunt, quàm curiosè affectuum momenta perpendunt, fuerintne pacato animo, an perturbato patrata. In morborum verò curationibus, atque tuendâ valetudine, quàm præcipuas hæc sibi partes cognitio vendicet, quotidiana experientia testis est. Illa siquidem docet, pulsis animi molestiis, grauissimos à corpore morbos abscedere. *Galenus lib. de ludo paruæ sphæræ gloriatur*, se quotannis ægros non paucos sanare solitum non alio pharmaco, quàm motibus animi ad quietem reuocatis. Itaque Pathologia nostra facit ad animi & corporis sanitatem.

III. *Affectus sunt motus animalis, ab appetente facultate, in seipsâ, ex appetitu boni & auersatione mali, excitati ad aliquid persequendum vel amoliendum.* Quid sint affectus?

Sunt qui affectus referunt ad categoriam qualitatis, quòd Aristoteles in tertiâ specie qualitatis meminerit τῶ πάθος. Verùm crassus est hic error: quia philosophus intelligit qualitatem illam, quæ ex passione oritur, non durabilem, sed euanescentem, vti est rubor ex verecundiâ, pallor ex metu ortus. Mens igitur Aristotelis non fuit, affectus inter qualitates numerare:

merare: cùm apud omnes rectè sentientes constet, esse motus, & quidem præcipuè passiuos. quâ de re *Piccolomineus de materiâ virtutum grad. 1. c. 3.* ita ferè disserit. Triplex in perturbatione, seu affectu, est motus: vnus facultatis cognoscentis, ab obiecto, secundus facultatis appetentis, à iudicio; tertius totius animalis, à facultate appetente & instrumentis. Primus est causa secundi, secundus tertij. Primus est magis spiritalis, & minùs propriè dicitur motus: secundus magis corporeus, magísque propriè dicitur motus: tertius iam penitùs propriè motus est. Hic tertius, quo sequimur vel vitamus obiectum, non est perturbatio, sed perturbationem sequitur. Motio quoque prima facultatis ab obiecto, nec non iudicium eius non est perturbatio, sed origo & principium perturbationis. perturbatio autem est ea media commotio, considerata in facultate appetente, vergente ad obiectum cum quâdam spirituum agitatione. Ista porrò media commotio ad tria refertur: primò ad obiectum, in esse cognito; secundò ad facultatem appetendi; tertiò ad corpus viuens, vel aliquam eius partem. Atque hæc tria ita se habent, vt obiectum solùm moueat; vis appetens primò moueatur, mox moueat; corpus tantùm moueatur. Sic itaque perturbatio ex parte obiecti est solùm actio, ex parte facultatis appetentis est primò perpessio, mox actio, ex parte corporis tantùm perpessio. Etsi ergo affectus est motus mixtus, id est, actiuus & passiuus: præcipuè tamen est motus passiuus, & proinde passio potiùs dicitur quàm actio: vnde & Græcis πάθος, à πάσχω, & Latinis passio, ægritudo, & morbus dicitur. Est enim perpessio quædam tum facultatis appetentis ab obiecto, tum viuentis vel partis eius. Maneat itaque fixum, has affectiones ex passione oriri, & esse partim actus facultatis appetentis, partim actus seu actiones, & passiones animalis appetentis. Cæterùm affectus sunt motus interni, qui consistunt in ipsâ facultate appetente. Etenim obiectum mouet sensum. Sensus obiectum cognoscit vel vt bonum, vel vt malum. Si vt bonum & iucundum, excitatur appetitus; si vt malum & iniucundum, excitatur auersatio. Appetitum & auersationem sequitur πάθος, *affectus*, quo animal in corde internè mouetur & afficitur. vnde nonnunquam exoritur motus externus in loco motiuâ, vel prosequendo vel fugiendo obiectum. Atque hæc est vera & genuina indoles affectuum: vt meritò mirari subeat, cur Stoici contra communem sensum & experientiam ἀπάθειαν probauerint. Quid verò? an non affectus dici possunt opiniones? Minimè vero. Nam opiniones in parte cognoscente, adeóque in cerebro, affectus in parte appetente, adeóque in corde suam habent sedem. Itaque perperam Stoici, teste Cicerone, affectus animi definiebant esse opiniones: vnde aiebant, dolorem esse opinionem mali præsentis; metum, opinionem mali futuri & expectati, lætitiam, opinionem boni præsentis; cupiditatem, opinionem, boni futuri.

IV. *Affectus in corde suam habent sedem.*

Affectuũ sedes.

Affectus considerantur latissimè, strictè, vel strictissimè. *Latissimè* affectus etiam cadunt in angelos & animam rationalem. Nam & illis & isti reuerâ inest amor, odium lætitia, tristitia, &c. Deum quod attinet, in illo non sunt affectus, sed aliquid eminentius, quo effecta affectuum cientur ab ipso, & in ipso. *Strictè* affectus sunt in animali, quatenus est animal. *Strictissimè* affectus sunt in homine, quatenus est homo. Hinc affectus diuiduntur, quòd sint intellectiui vel sensitiui, animales vel spirituales, humani vel bestiales. Hinc itaque facile est respondere ad vexatissimam illam quæstionem, *in quâ parte animæ excitentur affectus?* Nimirum excitantur in parte rationali, & irrationali: quod ita patet. Appetitus alius est naturalis, alius animalis, alius spiritualis. *Appetitus naturalis* est propensio siue cognitione: *Animalis & spiritualis* ex cognitione boni & mali exsurgit; ille quidem ex cognitione sensitiuâ, hic ex intellectiuâ: vnde ille sensitiuus, hic rationalis dicitur. Affectus, qui competunt animali, vt est animal, sunt ἐν τῷ ἀλόγῳ, seu in parte animi inferiore, adeóque in appetitu sensitiuo: qui verò competunt homini, vt est homo, sunt partim ἐν τῷ ἀλόγῳ, id est, in appetitu inferiore, partim ἐν τῷ λογικῷ, seu in parte animi superiore, seu in voluntate, quæ dicitur appetitus superior. Huc pertinent illa *Lælij Peregrini lib. d. c. 2.* Nec inficior easdem (*affectiones*) ab appetitu rationali interdum cieri, cui vis inest appetitum inferiorem trahendi, qualem in subiectam sphæram superior exercet. Inde fit, vt homo pluribus & vehementioribus infestetur perturbationibus, quàm belluæ. *Et mox:* Sunt igitur animi affectiones in appetitu inferiori, vt in propriâ sede; etsi superiorem quoque respiciunt & afficiunt. *Et rursus:* Est etiam inter animi facultates mira quædam consensio à naturâ, vt vna alterius auxilio accurrat, vbi senserint esse opus; perinde ac in exercitu arte instructo fieri videmus. Porrò appetitus inferioris facultas atque vis duplex est, concupiscens & irascens. hanc θυμὸν, & τὸ θυμοειδὲς; illam ἐπιθυμίαν, & τὸ ἐπιθυμητικὸν appellant philosophi. Vtraque ista facultas in corde sedem habet. Vnde *Lælius* noster *c. 3.* rectè scribit. Quod ad organum, inter illas nullum statuo discrimen, sed in corde vtramque constituo: nec laudo Platonem atque Galenum l. 4. de decret. eam, quæ concupiscit, in hepate locantes. Nam epar est sanguis crassior, coagulatus, ad sentiendum, nedum ad appetendum ineptus: omnis verò appetitio est cum actu sentiendi. Præterea hepar est sedes earum facultatum, quæ quòd non sunt aptæ obedire rationi, vel eius imperata excipere, dicuntur irrationales, cuiusmodi sunt alendi & augendi vires: at appetendi facultas purior, percipit dictata rationis, & plerumque audit Sed & experientia iuuat, magistra rerum: dum enim cupiditate aliquâ vehementiùs corripimur, corde nos fatigari aduertimus. Demum loquendi vsus id ipsum suadet: dicimus enim ex corde amare, vel odisse, non ex hepate. Omnes itaque affectus in corde sedem habent. Nam etsi quidam affectus in jecore, seu hepate, vt cupiditas: alij in splene, vt lætitia: alij in felle, vt ira: dominari videntur: omnes tamen in corde perficiuntur. Cor enim est facultatis appetentis instrumentum, quod animi affectibus potissimùm commouetur, vt patet in irâ, lætitiâ, tristitiâ, metu. Vnde non obscurè patet, cor esse potissimum instrumentum harum affectionum animi. Etsi enim omnes affectus incipiunt in jecore, officinâ illâ sanguinis: tamen in corde perficiuntur. *Azorius l. 3. Instit. moral. c. 2.* Quod attinet ad cerebrum, illud non rectè statuitur sedes affectuum. Etsi enim propter concursum spirituum animalium, non prorsus otiosum est cerebrum: tamen proxima sedes affectuum esse non potest, quia illi sunt motus ab appetente facultate, in ipsâ excitati. Quare concludamus hoc de sede & conceptaculo affectuum, & hominem totum dicamus subiectum affectuum humanorum, animal, affectuum sensitiuorum; cor, sedem proximam sensitiuorum; voluntatem, sedem proximam intellectiuorum. Hic obiter obserua, in vulgari sermone appetitum & affectum pro eodem sumi: qui tamen differunt vt genus & species. Vide suprà in Physicis.

V. *Causa efficiens affectuum est remota, vel proxima.*

Causa ficiens fectuu

Hic enim est ordo. 1. Obiectum est causa efficiens προκαταρκτικὴ, seu irritatrix, à quâ affectus primam ducit originem. Nam obiecta mouent sensum, vt vulgo dicitur. 2. Obiectum cognoscitur. 3. Obiectum cognitum iudicatur sub ratione boni vel mali, iucundi vel molesti. Intellige iudicium inferius & superius simul. 4. Bonum appetitur cum voluptate, malum reiicitur cum dolore: vtrumque cum phantasiæ commotione. 5. Hinc oritur affectus; quo quod appetimus, persequimur, quod auersamur & reiicimus, fugimus. 6. Spiritus denique vitales in corde, & animales in cerebro, excitantur: vnde totum hominis corpus alteratur & mutatur. Hinc itaque patet, affectus in nobis consequi proximè actum imaginandi. Quare fames & sitis inter affectus animæ non computantur; quoniam licet fames & sitis sint cupiditas seu appetitus: mentis tamen cognitionem præueniunt, nec possunt rationis imperio gubernari. Porrò humorum & spirituum temperies & intemperies plurimum adiumenti adfert ad affectuum concitationem. Videmus enim sanguineos esse hilares & lætos, propter sanguinis & spirituum puritatem & luciditatem: cholericos ad iram propendere, propter sanguinis caliditatem & spirituum tenuitatem: phlegmaticos esse segnes, & affectibus minùs obnoxios, propter sanguinis aquositatem & spirituum frigiditatem: denique melancholicos ad tristitiam & metum inclinare, propter sanguinis crassitiem & spirituum impuritatem & obscuritatem. Meritò itaque tales corporis temperationes dicuntur affectuum instrumenta, quòd affectus per illas edunt suas operationes. Etenim vt per affectus temperationes aliâs incitantur atque exacuuntur, aliâs comprimuntur & coërcentur: ita vicissim per temperationes affectus iuuantur & promouentur. Tristitia vt facit frigidos & aridos, lætitia calidos & humidos: ita vicissim qui frigidioris & siccioris naturæ sunt, ad tristitiam, qui calidioris & humidioris, ad lætitiam sunt procliuiores. Constat hinc, quò temperatior corporis constitutio est, eò meliores & nobiliores esse affectus.

VI. *Finis affectuum est actionum alacritas.*

Causa finalis affectuum.

Viues l. 3. de animâ eleganter ait: Quandoquidem animus habitaturus erat in corpore, indita est animanti ab admirabili artifice Deo facultas hæc affectuum, vt quibusdam veluti stimulis excitaretur animus, ne iacens penitùs obrutusque mole corporis veluti segnis asinus torperet perpetuò, bonisque suis indormisceret, & in eo quod illi valde expediret, cessaret. Itaque variis tanquam calcarib. hinc inde subinde excitatur: alias autem cohibetur fræno, ne ruat innoxia. Pulchrè etiam *Melanchthon in Ethicis*, Boni affectus, *inquit*, inditi sunt naturæ, vt sint virtutum calcaria, seu, vt Aristoteles dixit, auxilia. Et certè ipsa quotidie experientia hoc confirmat. Quidquid enim sine affectu fit, segniter & cunctanter fit; vt contrà quod cum affectu & animi concitatione, promtè, alacriter, & expeditè. Hinc animum hominis mari, mentem naui, affectiones ventis non insulsè comparauerit, vt sunt verba *Lælij Peregrini d. l. c. 6.* Confer paulò antè cum regulâ 2.

VI. *Materia*

Materia forma affectuũ.

VI. *Materia affectuum est motus; forma, commotio orta ex obiecti per phantasiam monstrati cognitione.*

Motus est aliquid indifferens & commune: vt meritò censeatur materiale. Commotio, quatenus oritur ex obiecti per phantasiam monstrati cognitione, determinat illum motum, ac proinde rectè dicitur esse formale.

Remedia affectuum generalia.

VII. *Remedia affectuum sunt naturalia, moralia, & supernaturalia.*

Hanc Pathologiæ partem accuratè persequitur *Quercetanus l.* 1. *diætetici polyhistorici c* 1 vbi primò demonstrat ethnicos philosophos grauissimè hallucinatos esse, quando sibi & aliis persuadere conati sunt, hominem eò constantiæ peruenire posse, vt nullis moueatur affectibus. Hæc siquidem constantia illorum est mera pertinacia. Itaque oportet confugere ad Christianam philosophiam, i.e. ad S. literas, iisque iungamus lumen naturæ. Neque enim ea explodenda sunt, quæ gentiles philosophi de perturbationibus animi, earumque remediis ac medelis attulerunt præuiâ naturæ luce. Quemadmodum ergo morborum corporalium curatio potissimùm in verâ causarum, à quibus pendent, cognitione, posita est: sic vt morbis spiritualibus, h.e. animi affectibus, succurratur, probè eorum causæ nobis cognitæ ac perspectæ esse debent. Præterea cùm causæ ægritudinum, corporalium, vt plurimùm in duas classes distribuantur, vt aliæ internæ sint, aliæ externæ: sic nobis affectionum animi causæ diuidendæ sunt in internas & externas. Ad externas referuntur probrum, inopia, honorum ac bonorum iactura, inimicitiæ, iniuriæ, & id genus alia, quæ multas molestias, mœrores, indignationes, iras, in animo nostro concitare valent ac solent. Internæ causæ duorum sunt generum: aliæ corporeæ, quæ primo loco corpori occurrunt, cuiusmodi sunt dolores, infinitique alij defectus, qui corpus discruciant, quibus κατὰ συμπάθειαν ac arctissimam vtriusque coniunctionem anima patitur & tantùm non diuexatur: aliæ spirituales sunt, puta corruptio & propensio naturæ nostræ ad malum, animæque inconstantia & mobilitas. Quemadmodum igitur medici, vt præsens auxilium morbis corporeis exhibeant, eorum causas callere debent, quibus ex arte sublatis, affectus etiam ipsos, h. e. morbos extinguant: sic & ægritudines spiritus sublatis causis profligari consentaneum est. Quæ quidem causæ etiam, non aliter atque corporalium, diuidi possunt in primitiuas, antecedentes, & coniunctas. Primitiuæ, quæ Græcis dicuntur προκαταρκτικαὶ, sunt externæ, de quibus diximus, & nuncupantur euidentes: quibus idcircò, quòd oculis subiiciantur, faciliùs ac promptiùs remedium adferri potest, quàm antecedentibus & coniunctis, quæ vtræque sunt internæ, & positæ sunt partim in prauis humoribus, virulentis flatibus, & grauibus morbis in corpore genitis, partim in animi mobilitate ac inconstantiâ. Porrò, vt prophylactica pars medicinæ, seu præseruatrix, propriè ad euacuationem, reuulsionem, deriuationem antecedentis causæ pertinet: therapeutica verò, seu curatrix, ad coniunctam, hoc est, morbi curationem: simili & eâdem methodo, causæ morbi, aut morbi ipsi, qui animum perturbant ac torquent, propulsandi sunt. Præcipuum autem quod desideratur remedium, primò causæ coniunctæ debetur, hoc est, ipsi animi morbo: qui, nisi corpori auxilia, siue intrinsecùs siue extrinsecus adhibeantur, fugari aut tolli non potest. Primo igitur loco, corpus suis impedimentis, quibus animum fatigat, liberandum est: idque duplici illâ viâ salutaribus remediis intrò assumptis, & topicis extrinsecùs admotis. *Principiò* itaque adhibeantur remedia naturalia, id est, temperamentum corporis exploretur, & quoad eius fieri potest, iuuetur, rectificetur. *Deinde* adiiciantur remedia naturalia, id est, cohortationes, colloquia, rationes, exempla, elegantes ac viuæ virtutis & vitij picturæ, effigies, ac descriptiones, oculis ægrotantium & perturbatorum subinde subiiciantur. *Denique* ex verbo Dei accersantur remedia supernaturalia. In eo siquidem certissimam & copiosissimam recreationum syluam spiritus supra modum etiam exagitati & diuexati nanciscuntur. Atque hæc remedia generalia dicuntur, tanquam vniuersales medicinæ, ad omne morborum spiritualium genus aptæ & habiles: in quibus excellit deuota precatio, & Christi Seruatoris imitatio. Omnibus hisce remediis accidit, quòd alia sunt prophylactica, seu præseruatiua, alia therapeutica, seu curatiua. Hæc autem sic accipi oportet, ne quis cum Stoicis hominem exuat omnibus motibus. Si enim illis prorsus esset destitutus homo, velut immobilis iaceret, tanquam nauis omni vento carens, nec quóquam dirigeretur. Vt ergo affectiones animi curentur, non est iis prorsus spoliandus homo, sed peruersæ duntaxat sunt tollendæ, vt integræ & sanæ vigeant: quemadmodum boni solent medici facere, qui non omnes ex corpore humores deturbare solent, sed vitiosos & impuros extirpant. Sic quoque periti hortulani solent herbas noxias & inutiles euellere, relictis salutaribus & vtilibus. Quapropter rectè docuerunt Peripatetici, immoderatas affectiones corrigi oportere: at vbi rationi deseruiunt, vtiliter retineri; omninò verò stirpitùs conuelli, nec posse, nec expedire. Sanè quotidiana experientia docet, mortalium functiones affectibus valde iuuari & promoueri. Quæ enim deliberauimus, excitato appetitu faciliùs, maiorique conatu exequimur. Vnde Homerus:

——— *Virtuti immitte furorem.* Et Virgilius.

Acrior ad pugnam redit, & vim suscitat ira.

Peripatetici iram cotem fortitudinis dixêre vt scribit Cicero. Luculenter *Plutarchus libr. de virtute morum* ait, si hæ affectiones tollantur ex animo, rationem in multis segnem futuram; perinde ac nautam à vento, vel aurigam à vehiculo destitutum: vtque in corporibus medicina non quærit internecionem caloris, vel frigoris, sed moderationem, ita non esse laborandum vt animi affectiones intereant, sed pacatæ, atque rationi subactæ in harmoniâ quâdam persistant. His adde, affectus esse materiam virtutis morum, vti humidum existit pabulum ignis, quo absumpto ille extinguitur. Demum appetitus datus est homini, vt obediat rationi. Virtus autem perficit, non destruit opera naturæ: quare nec lictores hosce rationis è medio tollet, sed corriget, vbi facto opus est, reddetque imperio domini planè subiectos. Sapiens igitur absque vllâ imminutione existimationis dolet, lætatur, timet, sperat, irascitur: modò hæc faciat ad præscriptum rationis. Sed hîc acerrimè disputatur, vtra via sit rectior, Aristotelisne an Thomæ Aquinatis: quorum ille iubet vitia & prauas affectiones opprimere illicò, vt magnis itineribus contendere ad extrema, iis opposita, vt mediа consequamur: hic verò præcipit, vt à vitio paulatim recedamus, & in dies minùs peccemus. Vbi placet decisio *Peregrini cap.* 4. viam Thomæ planiorem esse, sed longiorem ad virtutem, & quæ fortè careat exitu: Aristotelis verò regulam breuiorem atque firmiorem esse, at nonnisi magnis viribus ineundam. quod etiam elegantissimo simili *Chrysostomus* docuit *in oratione de virtute.* Vt ignem, *inquit*, si vehementiùs aggressus fueris, extingues; sin modicè inuadas, vrêris: sic vitiis coërcendis si paulatim coneris, eorum vi abripiere; sin totis viribus oppugnes, quàm facillimè fregeris. Quò pertinet & illa similitudo. Sicut qui ligna distorta dirigunt, non satis habent ea flexisse ad statum, in quo consistere volunt, sed adhuc vltra nituntur in partem aduersam, quò spatium nacta recurrendi, in medio commodiùs illa subsîdant: sic à nimiis animi cupiditatibus quàm longissimè nos abduci oportet, vt nitente in oppositum naturâ, medium teneamus. Sed & militari idipsum exemplo confirmatur. Spartani minutis præliis infestando Thebanos, eos de ignauis fecêre bellatores: nec ante aduerterunt errorem, quàm insigni ab iis acceptâ clade, tantùm non libertatem & patriam amiserunt. satius fuisset ab initio imbelles omni conatu opprimere, quod Spartani, Græcorum pugnacissimi, facilè obtinuissent. Ita cum vitiis, atque prauis affectionibus agendum: opprimenda illicò, ne, dato spatio ad vires resumendas, nos opprimant. Iter instituendum ad extrema, quæ vitiis opponuntur à medio virtutis quàm longissimè positis. Sed concludamus hoc de remediis affectuum insigni sententiâ *Quercetani libr.* 1. *diæt. cap.* 5. Primum & vniuersale remedium, quod in affectionibus animi præferendum, & præscribendum est, auxilium est diuinum, à Deo, tanquam supremo medico, exorandum. Inter particularia remedia excellit norma viuendi.

VIII. *Communes differentiæ affectuum valdè illustrant Pathologiam specialem.*

Generales diuisiones affectuum.

Principiò affectus sunt moderati, qui cum virtute possunt coniungi, vel iam sunt coniuncti: aut immoderati, qui rationis imperio reluctantur. *Deinde* sunt ordinati vel inordinati; vtrique vel physicè, vel ethicè, vel vtroque modo. Duplex enim iis potest inesse ordo, naturæ & virtutis. *Tertiò* affectus sunt inconsulti, vel consulti: seu, primi, vel secundarij. Affectus inconsulti sunt, qui rationem præcurrunt, & sine assensione fiunt: consulti qui adhibito rationis iudicio, fiunt cum assensione. Quod attinet ad effectus inconsultos, seu primos motus, illi non sunt in nostrâ potestate, quatenus rationem anteuertunt. Hactenus tamen in nostrâ potestate sunt, quatenus more, disciplinâ, educatione, disponi & assuescere possumus, vt non magis quàm decet moueamur. Itaque aliquo modo sunt in nostrâ potestate, *Piccol. de mat. virtutum cap.* 30. *Quartò* affectus sunt momentanei, vel durabiles & permanentes. Illi citò pereunt, & sunt quasi in transitu, ὡς ἐν παρόδῳ: hi semel inducti ægrè ac difficulter expelluntur. *Quintò* sunt lenes, vel vehementes. Illi oratoribus dicuntur ἤθη; hi πάθη. *Sextò* sunt naturales, vel morales. Affectus naturales è principiis naturæ emergunt, vt in

in brutis videre eſt. Et hi ſunt naturaliter boni : ſed moraliter indifferentes, ſiue neutri. Affectus morales ſoli homini inſunt per habitum prælectiuum, ex curâ & informatione. De naturalibus præcipit Phyſica, quòd promanent ex potentiâ naturali, nullâ antecedente inſtitutione : de moralibus tractat Ethica. Sunt enim affectus morales boni vel mali. Illi rectæ rationis præſcriptum ſequuntur & intra illud ſeſe continent : hi extrauagantur. Id ergo operam dare oportet in regendis affectibus, vt τὸ ἡγεμονικὸν, id eſt, ratio, regulis ethicis & theologicis probè ſit inſtructa, ſuóque imperio politico in affectus legitimè vtatur; quod cùm fit, affectus inde exiſtent laudabiles, & imperium δεσποτικὸν in locomotiuam, ſeu membra externa, minore cùm difficultate exercebitur. Hîc autem meminiſſe oportet, affectus eſſe bonos & malos non tantùm ex regimine ſed etiam ex obiecto, vnde ſpecificationem ſumunt. *Septimò* affectus ſunt ſenſitiui vel intellectiui. Illos habet homo cum brutis communes, in parte animæ irrationali : hos habet proprios, in parte animæ intellectiuâ. *Octauò* affectus ſunt ſimplices, vel mixti. Simplices ſunt, qui alium ſibi admixtum non habent : mixti, ſeu compoſiti ex pluribus conſtant. *Nonò* affectus ſunt obiecti præſentis, vel futuri. *Decimò* & vltimò affectus ſunt temporis ſimplicis, id eſt, præſentis vel futuri : aut coniuncti, id eſt, præſentis & futuri.

Duæ qualitates affectuum.

IX. *Duæ ſunt qualitates affectuum, voluptas & dolor.*

Ex his duabus qualitatibus oritur diuiſio illa generalis, quòd affectus eſt approbationis vel improbationis. *Affectus approbationis* eſt, qui cietur & conſiſtit cum voluptate propter obiectum gratum. *Affectus improbationis* eſt, qui cietur & conſiſtit cum dolore propter obiectum ingratum. Voluptas itaque & dolor non ſunt particulares affectus, ſed ipſorum qualitates, hoc modo. *Voluptas* eſt qualitas affectûs approbationis, orta ex perceptione rei iucundæ & gratæ, cordíſque dilatatione. *Dolor* eſt qualitas affectus improbationis, orta ex perceptione rei moleſtæ & ingratæ, cordíſque compreſſione. Et ita quidem generatim hæc duo vocabula ſumúntur. Vulgo tamen ſpeciatim videas accipi : vt voluptas & gaudium, triſtitia & dolor confundantur.

X. *Vndecim ſunt affectus primarij, ad quos reliqui commodè poſſunt reduci.*

Numerus, ordo, & diſtinctio affectuũ.

Plato in Theæteto ait, innumeras eſſe affectiones animi, nomine carentes. *Ariſtoteles 2. Ethic.* vndecim recenſet, ſiue decem, iuxta varias lectiones : at plures eſſe enumeratis, palam profitetur. *Idem in 2. de arte dicendi* viſus eſt tredecim conſtituiſſe. *Galenus lib. de curandis animi morbis* ex communi ſententiâ ſex eſſe ſcribit, quibus ſenſu proprio duas addit, vehementem ſcilicet amorem atque odium. *Thomas p. 2. quæſt. 23. art. 4.* vndecim ponit; ſex in concupiſcente facultate, quinque in iraſcente. *Boëtius 1. de conſolat. philoſ. metro vltimo* quatuor recenſet his verſiculis :

Gaudia pelle,
Pelle *timorem*,
Spémque fugato,
Nec *dolor* adſit.

Atque hæc ſententia Stoicorum, Academicorum, Lactantij, Nyſſeni, Auguſtini, Proſperi, Hieronymi, & Damaſceni. *Sunt*, qui duos tantùm conſtituunt, delectationem & triſtitiam. *Nemeſius* ad quinque reducit. *Fracoſtorius lib. de ſympath.* decem, ſeu vndecim, facit : ſed à Thomâ in pleriſque recedit. *Cardanus 14. de ſubtilit.* viginti enumerat. totidem ferè Ludouicus Viues. *Alij* tradunt, octo eſſe affectus, quatuor in appetitu concupiſcendi, vt ſunt deſiderium & fuga, delectatio & triſtitia; & totidem in appetitu iraſcendi, vt ſunt ſpes & deſperatio, timor & audacia. *Henricus Gutberleth in ſuâ Pathologiâ*, eleganter & methodicè conſcriptâ, vndecim recenſet, hoc ordine :



In tantâ diſſentientium varietate aduertendum eſt, non ſolùm ſcriptores iſtos diſſentire de numero affectuum, ſed etiam quòd alij alios enumerant; & quem vnus præcipuum ſtatuit, alius loco exturbat & deiicit. Quæ diuerſitas inde proculdubio eſt orta, quòd affectuum alij ſimplices exiſtunt, alij compoſiti: & cùm omne quod componitur, ſit in iis, ex quibus coaleſcit; his quidem placuit compoſita ſeiungere ab elementis, ex quibus conſtituuntur; illis verò coniungere & vnum facere. Huc accedit vocum ambiguitas, quibus vtimur & abutimur, vt ſæpe de nomine certetur, cùm de re conueniat. Nos verò cum Thomâ, Azorio, & peregrino vndecim affectus primarios & ſimplices numeramus, è quibus *amor & odium*, *deſiderium & fuga ſeu auerſatio*, *gaudium ſeu delectatio & triſtitia*, ſunt in facultate concupiſcentiæ; *ſpes & deſperatio*, *timor & audacia*, denique *ira*, ſunt in facultate iraſcente. Pertinent huc verſus illi memoriales :

Hic *Amat*, hic *odit* : *Deſiderat*, aut *Fugit* ille :
Gaudet, *Triſtatur* : *Spes*, *Exſpes* : hic *Timet*, *Audet*,
Iratum hunc videas. Varia eſt affectio nempe.

Hæc diuiſio nobis probatur hanc ob cauſam. Primo res obiecta, ſi bona ſit, ſtatim excitat in nobis ſui *Amorem*, quo res, vt bona & grata per ſe appetitui placet ac libet. Secundò ex hoc, quòd res obiecta, vt bona placet, ad eam, ſi abſens ſit, *Deſiderio*, ſeu cupiditate, mouemur. Tertiò ex hoc, quòd eſt bona, concupita, obtenta, delectationem, ſeu *Gaudium* parit. Contrarij his tribus affectibus ſunt *Odium*, *Fuga*, *Triſtitia*. Porrò ſi res obiecta bona quidem, ſed magna, difficilis, & ardua ſit, & futura, & quæ poſſit obtineri, excitat in nobis *Spem*: ſi mala, futura, & expectata, incutit *Timorem*; ſi verò præſens ſit, contra eam indignamur, & eam à nobis conamur expellere, & gignitur in nobis *Ira*. Spei autem & timori opponuntur *Deſperatio & Audacia*. Ac ita vndecim affectiones animi colliguntur ordine naturaliſſimo, vt eſt apud *Azorium lib. 3. Inſtit. moral. cap. 3.* Hâc de re ſic philoſophatur *Peregrinus c. 5.* Amor fons eſt affectionum, quæ reſpiciunt bonum : odium eas fundit, quæ occupantur circa malum : amor propenſionem refert corporis ad locum : deſiderium imitatur motum ad locum: delectatio quietem in loco : odium ſimile eſt auerſioni corporis à loco ſibi minùs conueniente : fuga comparatur conatui eiuſdem corporis ab eo loco recedentis : triſtitia refert detentionem à vi in eodem loco. Quare affectiones concupiſcentis facultatis partim quietem imitantur, partim motum. Sed quæ ſunt iraſcentis, omnes ad motum referuntur. Spectant enim bonum, vel malum arduum, longè poſitum, in quo non poteſt appetitus conquieſcere. *Amat* quis; &, ſi quod amat, abeſt, *deſiderat*: ſin adeſt, *gaudet*, fruitúrque; ſi difficultas intercedit, *Sperat audétque*. Rurſum *odit* quis malum; id ſi abſens eſt, *fugit*; ſin præſens, *dolet*; ſi ſuperatu arduum intelligit, *timet*, & quandóque diffidit. *deſperatio* enim ſequitur timorem vehementem. Si quæ verò boni proſecutionem, vel contrarij fugam moleſtiùs impediunt, conſurgit *ira*, quandóque ante ſpem, cæteráſque iraſcentis motiones. His adiungo alias minùs præcipuas, vel quòd ſimplices non ſunt, vel quòd parum diſtant à prædictis: verecundiam ſcilicet, impudentiam; æmulationem, contemptum dignitatis : miſericordiam, indignationem : inuidentiam, peruerſam lætitiam. Neque verò affectiones omnes numerandas ſuſcepimus, quòd minùs multæ ſunt. *Philo lib. de ſacrific.* eas comparauit pecudibus; quid ſi examini apum ſimiles fecerim? plures certè ſunt, quàm communiter feruntur; nec apparent, quòd careant nomine, & ad vicinas referantur; nunc

verò

verò de propoſitis ſigillatim agendum, quorum ſeriem non fuerit incommodum, aduerſariorum more, propoſuiſſe.

Concupiſcentis.

Amor.	Odium.
Deſiderium.	Fuga.
Gaudium.	Triſtitia.
Iraſcentis.	
Spes.	Timor.
Audacia.	Deſperatio.
Ira.	Manſuetudo.
Mixtæ, vel minùs præcipuæ.	
Verecundia.	Impudentia.
Æmulatio.	Contemptus dignitatis.
Miſericordia.	Indignatio.
Inuidentia.	Peruerſa lætitia.

Poterant aliter hæc paria componi: vni enim plura contraria: ſed hoc ordine collocaſſe magis noſtro inſtituto conducit. Diſtinguuntur autem iuxta rerum, circa quas occupantur, diuerſitatem, ſiue ſint reipsâ plures, ſiue eædem alio & alio modo acceptæ: tum etiam ex varietate facultatum appetentium, à quibus excitantur. Et ita quidem ſe habet œconomia affectuum apud Peregrinum. Nunc in ſpecie videamus ſingulos.

thelo- a amo- s.

XI. *Amoris natura, vis, præſtantia, cognata, ſpecies, cauſæ, effecta, & remedia ſunt in his regulis.*

1. *Amor eſt complacentia rei appetibilis:* vt Thomas definit. Allubeſcentiam Viues appellat, quâ amatum amanti allubeſcit. Platoni amor eſt deſiderium pulchri: Auguſtino, iunctura duo copulans: vnde amorem ponderi corporum comparat, inquiens, animum ferri amore, quocunque fertur, vt corpus pondere. 2. *Amor eſt omnium affectuum primus.* Nam amor eſt boni. Ergo ſicut bonum priùs eſt malo: ſic affectus bonorum ſunt naturâ & origine priores affectibus malorum. Rurſum res bona ſtatim atque eſt appetitui obiecta, excitat amorem ſui. Amor itaque eſt fons affectionum, quæ bonum ſpectat, iuxta illud Parmenidis:

Cunctorúmque deum primum quæſiuit amorem.

Vi inſuper atque poteſtate iis antecellit. Ideo rerum dominus, & ferorum cordium mollitor, & cauſa conuerſionis rerum omnium in primam pulchritudinem, & maximorum bonorum cauſa, aliíſque honorariis principatus nominibus appellatur. Hinc Orpheus eundem aſſeruit habere claues ſuperiorum & inferiorum, quòd naturæ & artis quodcunque opus extrudat in lucem. Et Dionyſius Areopagita docet, amore ſuperiora ad inferiorum prouidentiam allici; hæc verò q. fomite igneo ſuccenſa, reſilire, atque ad ſuperiora conuerti, fieríque circulum à bono, per bonum in bonum perpetuò reuolutum. 3. *Amor, dilectio, cultus, amicitia, beneuolentia, & fauor ſunt plurimùm cognata.* Amor eſt vt genus, & quid vniuerſum: dilectio eſt amor cum electione, vt nomen indicat: cultus eſt amor ſuſpiciens & reuerens: amicitia eſt amor mutuus, hinc inde perſpectus, officiis confirmatus: beneuolentia eſt amoris effectus: fauor eſt quædam beneuolentia. Supremus autem gradus amoris eſt στοργὴ, igniculus ille in cordibus parentum & liberorum accenſus. 4. *Amor ſequitur naturam, vel cognitionem.* Ille rebus omnibus ineſt, etiam animatis: hic eſt ſenſitiuus, vel intellectiuus. 5. *Amor eſt complacentiæ, vel deſiderij.* Amor complacentiæ eſt ſimplex, quo quis bonum ſuum, vel alterius, approbat: ſeu, cùm bonum ſuum, vel alterius, alicui placet ac libet. Amor deſiderij eſt actus, quo quis ſibi aut alteri vult bonum abſens, futurum, & expectatum. Quare huiuſmodi amor nihil eſt aliud quàm deſiderium; quod ſi ſit cum quâdam fiduciâ conſequendi, & cum rei magnitudine, & difficultate coniunctum, eſt ſpes. 6. *Amor eſt affectiuus, vel effectiuus.* Ille eſt actus appetitûs elicitus, quo quis ſibi vel alteri bonum vult: hic eſt actus imperatus, quo quis amatum beneficio afficit. 7. *Amor eſt amicitiæ vel concupiſcentiæ.* Amor amicitiæ eſt, qui rei amatæ commodum intuetur, ſeu, quo quis vult alicui bonum propter ipſum abſque vllo ſuo emolumento; & ideo talis amor dicitur etiam beneuolentiæ. Amor concupiſcentiæ, ſeu cupiditatis, eſt, qui proprium commodum reſpicit, ſeu, quo quis vult bonum alicui, ſed gratiâ proprij ſui commodi. 8. *Bonum integrum eſt amoris cauſa, & omnium eius exæquat ambitum.* Nam in vniuerſum quidquid eſt bonum, ſui amorem in animis ingenerat. *Speciatim* verò quæ ſunt vtilia, commoda, ſalutaria, iucunda, grata, ſuauia, placida, pulchra, honeſta, nobis ſimilia, nexu & vinculo neceſſitudinis nobis coniuncta, & ſimilia, amare ſolemus. Primò itaque bonum eſt cauſa amoris, iuxta illud *Auguſtini 8. de Trinit.* Non amatur niſi bonum. Deinde pulchrum & formoſum efficit vt amemus, iuxta illud *Platonis in Lyſide*, quod pulchrum, ſemper amicum. Vnde Græci nomen pulchro indiderunt ex eo, quòd omnes alliciat. dicitur n. τὸ καλὸν, παρὰ τὸ καλεῖν, quòd omnes ad ſe vocet. Eſt autem pulchritudo ex plurium concinnitate oriens gratia. Gratia iſta percipitur oculis tum corporis, tum animi. quare alia pulchritudo animi eſt, alia corporis: illa interna, hæc externa: vtraque diuini boni ſplendor, & radius hâc illâc diſperſus quo ad illum facilè conuertamur. Vtraque igitur pulchritudo eſt illex amoris. Aliæ etiam ſunt cauſæ amoris, quæ etſi boni ambitu cõtinentur, ſeparatim nihilominus ponuntur, quòd aliquid bono addant, & aliâ atque aliâ ratione ad amorem conciliandum concurrant. Ita ſimilitudo morum & ingenij parit amorem firmum atque conſtantem. Et quidem ſimilitudine inter amantes conuenit, vt cùm amans diligit, ſui ipſius ſimilitudinem, ac proinde ſeipſum, in re amatâ diligat. Illud tamen non fuerim inficiatus, ob paria vitæ inſtituta creari aliquando inuidiam, fieríque aliquos inimicos. Verùm ex euentu id eſt. Sunt etiam ingenia inter ſe diſſimilia, quæ nihilominus coëunt facilè ad vitæ ſocietatem. Conſuetudo quoque, atque conuictus, amorem gignit: reddit enim homines moribus iiſdem aſſuetos, ac vnius mentis. Parem amoris conciliandi vim ſocietas in honoribus, & rebus, tum ſecundis, tum aduerſis, habet. Porrò vi quâdam occultâ nectuntur animi, vel diſiunguntur. quidam enim primo aſpectu amantur ab omnibus, alij contrà contemnuntur. inter aliquos ſtatim conuenit: alios nulla beneficiorum officiorúmque conſuetudo conciliat: nec vnde voluntatum iſta diſcrepantia naſcatur, liquet. Comitate morum, ingenij elegantiâ, venuſtate oris etiam conciliatur amicitia. Amantur item homines officioſi, temperantes, contenti rebus ſuis, procul à ſtrepitu poſiti, ambitúque fori & aulæ: tum qui non ſunt faciles ad reprehendendum, nec Stoico præditi ſunt ſupercilio, nec virgulâ vtuntur cenſoriâ, nec lites amant atque contentiones. Sed & eos, qui bona noſtra laudant, præſertim quæ veremur an in nobis exiſtant, diligimus. Illos quoque, à quibus accepimus beneficia, vel accepturos nos eſſe ſperamus, amore proſequimur. Veſtitus quoque, cultus, apparatus, munditiæque omnis vitæ ad idem valent. His eos adiunge, qui non exprobrant collata beneficia; qui ſunt placabiles, & memoriam abiiciunt iniuriarum; non obſeruant aliorum errata, nec ſecreta rimantur alienæ domus. Raritas etiam eſt cauſa amoris, ſi illa bono adſit. Nam quæ bona ſunt, ſi rara ſint, exiſtunt chariora. Augetur nempe amor ex deſiderio habendi, vel metu amittendi boni, cui raritas adeſt. Adhæc voluptati & delectationi locus aſſignatur inter cauſas amoris. Ad extremum philtra, deuotiones, veneficia, poculáque amatoria ſunt cauſa amoris, ſed huiuſmodi amoris, qui omni iucunditate caret, quòd vim faciat, & corrumpat mentem; perinde ac medicamento captus piſcis illico ſaporem amittit, flacceſcit, atque corrumpitur. 9. *Varij ſunt effectus amoris.* Thomas certè plurimos enumerat: ſed inter eos octo potiſſimùm. *Primò*, amor, ſi res amata habeatur, cor & animum voluptate quâdam emollit; ita vt animus mollis, tener, & flexibilis effectus, facilè ſequatur, quò ducitur, fiátque promptus ad obſequia & officia. *Deinde*, ſi res amata abſit, gignit amor in amante triſtitiam, quæ dicitur languor animi. Hæc autem triſtitia reddit animum amantis ſolicitum & anxium: generat quoque inflammatum, accenſum, & vehemens deſiderium, rem amatam, quæ nondum adeſt, videndi & conſequendi; & hoc deſiderium vocatur feruor. *Tertiò* ſi res amata ſit præſens, parit amor lætitiam, & hanc pleraque alia effecta comitantur. *Quartò*, in præſentiâ rei amatæ cor ſe dilatat, pandit, ac porrigit, quaſi velit & cupiat intra ſe rem amatam excipere & complecti. *Quintò*, amor voluntates & animos amantium coniungit & copulat, & ideo generat amicitias, concordiam, pacem. Ex quo efficitur, vt amor ſit maximè liberalis, & communicatiuus. *Sextò*, amor gignit aliquando ecſtaſim, ſiue raptum mentis, & animi exceſſum, quo animus quaſi extra ſe abiens, totus in re amatâ inhæreſcit ac figitur, nihil de ſe cogitans. *Septimò*, amor gignit zelum, id eſt, actum, quo quis indignatur aut contriſtatur, eò quòd alius potiatur bono, quod ipſe concupierit. *Octauò*, amor facit, vt amans optet in amatum mutari, & cupiat pro amico mori. Et hos quidem effectus ex Thomâ recitat *Azorius lib. 3. Inſt. moral. cap. 5.* iiſque addit alios. Nempe amor facit, vt amans ardeat, vratur, æſtuet; modò ferueat, modò frigeat: neſciat loco conſiſtere. Item, Amor premit, cruciat, exagitat, ſtimulat & vrget: eſt item mollis, tener, lenis, mitis dulcis. *Peregrinus* hoc ordine commemorat effectus amoris *cap. 6.* Primus amoris partus eſt appetitio fruendi re amatâ; quo nihil amans habet antiquius. Quapropter Auguſtinus ait, amorem eſſe iuncturam duo copulantem. Copulat nempe affectu, intendit copulare reipsâ. Amore igitur, ſi non re, ſaltem affectu duo fiunt vnum. Sic anima Ionathæ conglutinata eſt animæ Dauidis. Hinc amor eſt quædam veluti mors: quia amans de ſe non cogitat, ſed de alio: in ſe igitur non operatur, ſed in alio: qui in ſe non operatur, in ſe non eſt: qui in ſe non eſt, in ſe non viuit: amans igitur in ſe mortuus eſt. Quòd ſi amans viciſſim ametur, reuiuiſcit in re amatâ. Efficit quoque amor amantem amato ſimilem. Tum etiam reuerentia eſt inter opera amoris: quia veremur turpia committere apud illos, quos amamus. Sed & ſui, aliorúmque omnium, præterquam rei amatæ, contemptum amor parit in amante: vt patet in exemplo Iacobi Rachelem amantis. Gignit quoque amor magnam voluptatem, vbi re amatâ potimur. Ex oppoſito amor vehementior, ſi quid aſſecutionem propoſiti moretur, vel impediat, triſtitiam & mœrorem adfert, voluptati, de quâ diximus, æqualem. In eodem ordine collocamus timorem, trepidationem, furorem, ſuſpiciones vehementes zelum. Efficit

præterea

præterea raptum mentis; quem amori quoque diuino Dionysius Areopagita tribuit, quasi Deus ob amorem ecstasim passus fuerit. Ecstasim sequitur stupor, & amantis imbecillitas, itémque suspiria, pallor, macies, lachrymæ, oculorum tumor, & inflatio labiorum. Cor siquidem & cerebrum constringuntur & dilatantur variè ob copiam sanguinis, & spirituum alterationem multiplicem. Hinc etiam est, quòd ad præsentiam, vel ad recordationem rei amatæ commouetur pulsus venarum siue arteriarum, fitque concitatior & inconstans. Denique amor mutat mores: ex taciturno garrulum efficit, ex garrulo taciturnum, ex socorde industrium, ex aspero mitem & suauem. Docet quoque musicen. Sed hanc de amoris effectibus tractationem eleganti Caroli Borromæi dicto concludamus: Amore perfici functiones humanas. quæ enim ab amore prodeunt, quàm accuratissimè geruntur. 10. *Remedia amoris sunt conseruatiua, vel curatiua.* Illa concernunt amorem licitum, diuinum, purum, sanctum: hæc, impurum & Venereum. *Remedia igitur conseruatiua* sunt, precatio, rei amabilis imaginatio & contemplatio, conuersatio cum hominibus Dei & virtutis amantibus, & similia hisce. *Remedia curatiua* sunt viuendi ratio perparca & sobria, arcta abstinentia, curæ honorum cupiditas, negotia, labores, calamitates, egestas. Crates tria adfert amoris remedia, λιμὸν, χρόνον, βρόχον, *famem tempus, laqueum.* Sed dignum est hoc Cynicâ immanitate remedium, quia tametsi fames & longa dies prosunt pellendo amori, tamen a laqueo abstinendum esse natura docet, & humanæ diuinæque leges præcipiunt. Et verò præter laqueum alia sunt remedia: putà sæpe animo voluere, si quid vitij in re amatâ est, & damna, quæ ex amore turpi oriuntur. Proponenda itaque sunt amentibus istis amantibus horror, turpitudo, infamia, dedecus, morbi, & mors animæ, quæ ex tam fœtido affectu nascuntur. Medici emissionem sanguinis atque defœcationem ad idem censent non inutilem: quòd eâ minuatur calor. Vbi memineris, amorem esse naturæ calidæ, humidæ, aëreæ, sanguineæ. Et hinc est, vt amorem ij, qui sunt calidi, facilè concipiant. Tum etiam loco, tempore, & aliis calidis facilè amor excitatur. Sed plerique calidorum leuibus de causis amorem deponunt; partim, quia facilè offendi solent; partim, quia subeunt affectus alij velut spinæ, qui amorem præfocent, vt ira inuidia, arrogantia; partim, quòd facilè transeunt ad alios amores, qui priores excutiunt. Quòd si sanguis sit tenuis, & spiritus rari, extinguitur amor, veluti leui motu flamma in leui materiâ conceptâ. Sin verò sit materia densior, & firmior, nec facilè mutationibus cedens, tum amor validissimè dominatur semel accensus. minùs offenduntur temperati & sanguinei, amorem diutiùs & fideliùs conseruant. Priores sunt veluti stupæ, hi verò sicuti ligna. impetus quidem in illis maior est, in his perseuerantia. Frigidi lentiùs amant & segniùs. Sed in eis si semel amor inualuerit, amant firmiùs & constantiùs. Itaque amor maximè innascitur temperamentis, quæ calore & humore abundant. humidum enim facilè concipit externas impressiones; calidum verò fouet amorem. quòd si calido admixtum sit aliquid siccitatis, cupiditates existunt acutæ & vehementes, quas celerrimè vellent expleri, nec retinent valde diu. Frigidioris verò naturæ, ac tristioris ingenij homines tardè amorem admittunt, sed perseuerant magis, ob crassitiem atque pigritiam sanguinis, & admixtionem atræ bilis, quæ difficiliùs recipit, sed firmiùs retinet, quidquid imprimitur; vt argilla non adeo tenuis, vel liquida. Porrò amor potissimùm hauritur oculis. sed & aures aliquando sunt tanti operis administræ. contactus quoque idipsum præstat, vbi phantasia pulchram rei contactæ formam effingit. Amor præterea spiritibus administris gignitur. Itaque harum portarum, & rerum custodia diligens nobis erit commendata. 11. *Amare præstantius est, quàm amari.* Amantis enim status est celsior: quia amare est actus charitatis præstantissimæ proculdubio virtutis: tum etiam quia amare est actio, amari, passio. 12. *Charum esse latius patet, quàm amari.* Non enim quæcunque chara nobis sunt, continuò amamus; etsi quæ amamus, necessariò etiam chara habemus. Sic res inanimas habemus charas, vt vinum, pecuniam: bruta quoque potiùs chara nobis sunt, vt equi nobiles, catuli festiui, quàm amata. Nam amor propriè ac perfectè ad ea tantùm esse dicitur, quæ ratione pollent. est enim amor appetitus coniunctionis atque conuictus. Latè tamen amor etiam est erga bruta & inanima quanquam nonnulli etiam ardentissimo amore fœda animalia prosequuntur.

XII. *Desiderij causa, species, effectus, & remedia sic habent.*

Pathologia desiderij.

1. *Desiderium est motus & extensio animi erga bonum absens quod vti conueniens fuerit perceptum.* Dicitur alio nomine votum optatio, concupiscentia appetitus, cupiditas, & libido: ex quibus *votum* est desiderium habendi bonum a Deo, cum pollicitatione aliquid præstandi: *optatio* est desiderium boni maioris: *cupiditas* est desiderium vehementius, & sine modo: *libido* ferè est desiderium rei malæ: *concupiscentia, appetitio & cupiditas* sunt primò vocabula generis, omnis affectiones complectentis, tum illius animi partis, quæ irascenti opponitur, postremò speciei istius, de quâ agimus. Græcis appellatur ἐπιθυμία καὶ πόθος. Quod attinet ad vocem *libido*, quamuis in deteriorem partem frequentiùs capi soleat, ex Cicerone tamen, Augustino, & aliis scriptoribus nouimus, aliquando esse generale nomen omnis cupiditatis. Ira enim dicitur libido vlciscendi: auaritia, libido habendi pecuniam: peruicacia, libido quomodocunque vincendi: iactantia, libido gloriandi. 2. *Species desiderij sunt multæ pro varietate rerum in quas illud fertur.* Sic *ambitio* est cupiditas rerum magnarum, vt honorum, imperij, dominatûs, potentiæ, dignitatum. *Superbia* est cupiditas propriæ excellentiæ & eminentiæ, cum despectione aliorum. *Iactantia* est cupiditas gloriæ, ex quâ nascitur vt quis immodicè sese efferat. *Auaritia* est cupiditas pecuniæ, lucri, & diuitiarum. *Arrogantia* est cupiditas, quâ affectamus, quæ non deberemus, ex quâ fit, vt plus æquo nobis tribuamus. *Pertinacia* est cupiditas vincendi in re, de qua est contentio. Accipitur tamen aliquando, & in bonam partem, pro constantiâ & firmitate. sic dicitur virtus pertinax, labor, studium pertinax, id est, constans & firmum. *Peruicacia* est cupiditas quomodocunque vincendi. *Proteruia* est cupiditas quemuis lacessendi. *Procacitas* est cupiditas lacessens & prouocans ad libidinosa. *Petulantia* est cupiditas cum lasciuiâ immodicâ ad quoduis vitium. *Curiositas* est cupiditas sciendi quæ ad nos nihil attinent: item sciendi lapsus & errata aliorum. Sunt, inquit *Augustinus lib. 14. de ciuit. Dei cap. 15.* multæ variæque libidines, quarum nonnullæ habent etiam vocabula propria, quædam verò non habent. Quis enim facilè dixerit, quid vocetur libido dominandi? 3. *Desiderium ex euentu, ab illorum, quibus inhæret, varietate, contrahit diuersitatem.* Iuuenes flagrant cupiditatibus vehementibus, ob calorem ætatis; & quia carent vsu rerum, facilè multa magnáque vti obtentu facilia, concupiscunt. Qui abundant sanguine, atque bili, acutas patiuntur cupiditates, omnémque moram oderunt. Sed omnes inconstantiâ laborant ob sanguinis mobilitatem. Frigidi & sicci, adeóque senes, ad voluptatem quidem tardiùs mouentur; sed in eius appetitione pertinaciùs inhærent. Timidi & meticulosi laborant innumeris cupiditatibus rerum vtilium ad vitæ sustentationem. 4. *Causa desiderij est bonum absens, conceptum vti conueniens.* Est itaque desiderium effectus quidam amoris, quo bonum futurum & expectatum nobis vel aliis optamus & cupimus. 5. *Effectus amoris sunt iidem, qui amoris in rem absentem concepti: tum etiam molestia; & si vehementiùs efferbuerit, dolor, dum voto frustratur.* 6. *Desiderium est limitatum, vel illimitatum & interminatum.* Illud cessat, vbi quod desideratur præsto est: hoc perseuerat, & quandóque augetur, vt desideria stulta & insana. 7. *Ad morbum desiderij sanandum omnia ea conferunt, quæ tollendo amori conducunt.* Diligenter autem in huius affectionis curationem incumbere oportet. ni enim expleatur, cruciat habentem; & expleta, sæpe iugulat præfocátve. Et quia magis latè patet desiderium quàm amor, aliqua etiam huius motionis componendæ peculiaria præcepta subiiciamus. *Primùm* igitur illud monendi sumus, nemini sibi de se temerè credendum aut fidendum. desideramus non semel, quæ non sumus consecuturi, somniamúsque vigilantes; ducti cæco impetu; ducti opinione nostri. quare qui de se moderatè sentit, non est pronus ad desiderandum. *Deinde*, quia hic error mentes mortalium peruasit, ita demum se felices reputantium, si res cedant, vt volunt; sin secus cadant, vocant se infortunatos; nec interim quid ipsis expediat, habent exploratum: oportet audire Epictetum: *Ne postules quæ fiunt fieri arbitratu tuo; sed si sapis, ita quæque fieri velis, vt fiunt.* Itaque prouidentiam Dei intueamur, & cum illâ iungamus nostram prudentiam. *Tertiò* non oportet admirari & tantùm non adorare, sed potiùs contemnere diuitias, magistratum, honores. &c. Contemptus sanè istarum rerum efficacissimum aduersus cupiditates remedium.

XIII. *Gaudij natura & cura sic habet.*

Pathologia gaudij.

1. *Gaudium est, quo quis fruitur ob præsentis boni fruitionem.* Dicitur alio nomine delectatio, lætitia, voluptas, exultatio. *Gaudium* tamen potiùs ad animum, & rationis appetitum refertur: ideóque in brutis non reperitur. *Delectatio* ferè est affectus appetitus, qui sensum sequitur. *Lætitia* propriè est delectationis effectus. propriè enim est cordis dilatatio ex delectatione profecta. *Exultatio* est delectationis effectus, qui cernitur in motu membrorum & corporis. *Voluptas* verò quamuis in malam partem aliquando capiatur, generale tamen est nomen omnis delectationis. 2. *Voluptatum aliæ sequuntur functiones sensuum & mentis; aliæ appetitum cordis.* Priores illæ non sunt inter affectûs numerandæ: quia non fiunt in corde. 3. *Voluptatum aliæ percipiuntur ex iis, quæ subiiciuntur sensibus; aliæ ex iis quæ sunt mentis.* Voluptates mentis præstant cæteris, primum ob facultatem in quâ existunt: deinde propter nobilitatem rerum, è quibus hauriuntur: contemplatio enim diuinitatem imitatur: tum etiam, quia sunt firmiores, nec fastidium pariunt, ob sinceritatem: postremò, quia totæ simul influunt: vt qui veritatem indagat & inuenit, totam simul percipit; vnde sequitur integra voluptas mentis. 4. *Voluptates variantur pro diuersitate illorum, quibus insunt:* aliud enim optat canis,

aliud bos, aliud equus. Sed & in hominibus disparia reperiuntur voluptatum studia. quippe alius delectatur dulci, alius amaro &c. 5. *Voluptates interium sunt contrariæ.* quia delectationes à rebus contrariis natæ, retinent eandem diuersitatem. 6. *Voluptates non sunt omnes laudandæ*, vt Epicuro visum. *nec omnes damnandæ*, vt placitum Stoicis: *sed illæ, quas ratio probat, vel improbat.* Omnium optima est, quæ à Dei cogitatione & amore promanat. ea enim functio maximè conuenit homini. secundum locum tenet voluptas à contemplatione naturæ profecta; tertium, quæ ab actione studiosâ virtutis; postremum voluptas felicitatis adiutrix, vt quæ à bonâ corporis habitudine, diuitiis, liberis, cognatis percipitur. Hanc delectationum seriem, hosque gradus recta ratio & experientia confirmat. Nam vita contemplationi rerum altissimarum dedita primum tenet felicitatis locum. Hæc vita superior est humanâ conditione; & ille, qui ita viuit, non habendus est pro homine, quòd nobilissimâ parte sui viuat, factus inter homines quasi Deus. His epulis cœlestibus & planè diuinis qui delectatur, mortales delicias, quasi nullius saporis, contemnit & abiicit. 7. *Causa gaudij non aliunde, quàm ab amore & desiderio expletis, petenda est*: vel, quod in idem recidit, à bono conueniente, præsente, vel concepto vti præsente. Hinc liquet, ad gaudium tria requiri; bonum delectans, coniunctionem cum bono, cognitionem istius coniunctionis. *Voluptatis verò causa est functio secundùm naturam.* Hoc vniuersum de iis, quæ gaudium & voluptatem pariunt, dictum. quòd si ad particularia magis descendere lubet, non incommodè hoc ordine distinguantur & enumerentur. *Primò* actio secundùm naturæ propensionem: *secundò*, consuetudo, quæ proxima est naturæ: *tertiò*, actio sponte suscepta: *quartò*, memoria præteritorum bonorum, cogitatioq; futurorum: sed & malorum recordatio, & spes futuræ vltionis: *quintò*, victoria: *sextò*, mutatio & varietas: *septimò* admiratio: *octauò*, beneficia tum conferre, tum accipere: *nonò*, ea facere, quibus imitatio aliqua continetur: *decimò*, casus tragici, & ancipites, ac subitæ rerum mutationes: *vndecimò*, similitudo morum, & conditionis vitæ: *duodecimò*, imperare, & sapientem esse: *decimotertiò*, alios reprehendere: *decimò quartò*, versari & occupari in eo, in quo quis se excellere putat: *decimò quintò*, ordo: *decimò sextò*, contumeliam facere: *postremò*, malum inimicis, vel iis, quos odimus, illatum. Atque hæ sunt causæ gaudij & voluptatis. vbi semper memento id, quod modò dicebamus: vt desiderium est amor boni futuri, sic delectatio est amor boni præsentis. Itaque eædem sunt causæ amoris, desiderij, gaudij. Nihilominus delectatio etiam gigni solet ex spe; quia cùm boni aliquid spe habemus, quasi aliquo modo adepti, eo delectamur. 8. *Eadem sunt effecta gaudij, quæ amoris & desiderij.* Rationem modò diximus. *Sunt tamen & ista gaudij atque voluptatis effecta: diffusio sanguinis, oris rubor, sanitas, & interdum pernicies, functio muneris, risus, sitis delectationis, & quandoque fastidium.* Rubent enim, qui delectantur, à dilatatione cordis, atque sanguinis diffusione. Inde rubor in ore. quæ commotio moderatè excitata, iuuat sanitatem, ob exercitationem agitationemque spirituum, qui aliàs in perpetuâ quiete marcescerent; & quia partes extimæ, quæ remotæ à fonte caloris frigent, fouentur eius beneficio, & calore transmisso instaurantur: quod ad valetudinem magnoperè conferre, tum ratio, tum experientia docet. Delectatio verò immoderata perniciem atque exitium sæpe creat, quòd cor destituatur sanguine atque calore, vbi ad lætum nuntium, vel rei charissimę, præter spem receptæ, conspectum, sanguis totus ad extima confluit. Risus quoque oritur ex delectatione, nouâ scil. & repentinâ. Sic & omnis humana functio à delectatione prouenit: quia voluptatis dulcedine pellecti, insistimus operi, & ad exitum semel suscepta deducimus. Penultimus delectationis effectus est eiusdem sitis: primò ex memoriâ iucundorum elapsorum; deinde, quia delectationis desiderium ab ipsâ delectatione prouenit; tertiò, quia voluptates excitant, non explent, appetitum sui. Ex euentu postremum addimus affectum delectationis, fastidium sui. Si enim delectatio sit vehementior, vel diuturnior, corrumpit proportionem obiecti & facultatis naturalis, quæ à vehementi sensili lædi solet. Sed & molestiam abscedens delectatio post se relinquit, eoque maiorem, si tota recedit, nullâ aliâ, vel minore voluptate succedente. Si autem hæ voluptates sint cõtra rationem, eorum, recordatio vellicat animum, à conscientiâ turpiter admissorum & mœrorem inducit. 9. *Remedia huius affectionis ab iis, quæ de amore ac desiderio diximus, petenda sunt.* Illud tamẽ adiicio: cauendum à voluptate etiam honestâ, ne subigat & mancipet animum. Hinc Aristoteles præcipit, honestæ voluptati non omnem in animo locum, sed principem adimendum; quòd muneris functio sit scopus, ad quem collimare nos decet, nõ voluptas. Quò etiam pertinet illud *Peregrini cap. de gaudio*: Voluptates honestæ, admittendæ illæ quidem, sed subodorandæ naso Attico. quales sint; num longiùs serpere valeant; & ne à cæteris præclaris, quæ multæ occurrunt in vitâ, functionibus nos retardent, totosque ad suauitatem trahant, suspenso animo admittendæ. 10. *Lætitia, seu delectatio, affectus est mollis, tener, dulcis; est naturæ calidæ & humidæ, ac proinde aëreæ & sanguineæ.* Lætitiam in splene sedem habere docent medici: nam splen succos crassos & melancholicos, in iecore genitos, ad se attrahit, quorum parte subtilissimâ cùm se aluerit, quod superest proprio quodam meatu ad ventriculum remittit. Sed, vt suprà docuimus, affectiones in corde sedem habent. Hinc qui molli, & tenero corde sunt, facilè lætantur, vt pueri, iuuenes, adolescentes, bene valentes, & qui in otio versantur. 11. *Lætitia calore suo sanguinem purgat, valetudinem roborat, colorem florentem, nitidum, gratum, & pulchrum inducit.* Confer cum regulâ 8. paulò antè.

XIV. *Odij natura, causæ, effectus, & remedia patent in his regulis.*

Pathologia odij.

1. *Odium est appetitûs displicentia, in rebus sibi minùs conueniente.* Amor, desiderium, & delectatio sunt primæ quæ affectiones concupiscentis facultatis, quæ bonũ respiciunt. Istis opponuntur tres, quæ in malo occupantur, odium, fuga, & tristitia. Odiũ oponitur amori, vt negatio affirmationi. affirmat amor, cùm tendit ad bonum; odiũ negat, cùm recedit à malo; quodque affirmatio & negatio præstant in mente, amor & odium exercent in appetitione. 2. *Odium duplex est.* alterum originem ducit ab amore sui; quo pacto perditi & scelerati odio habent leges, & magistratus, vt sibi infestos: alterum sistit in te ipsâ, quam odio habemus; sic boni oderunt improbos. Rursus odium est personæ, vel rei; sicut amor est personæ, vel rei. Odiũ personæ est odium iniuriæ: odium rei est odium abominationis. Illud est actus, quo personæ malum volumus, nonnisi quia persona alterius nobis displiceat: h. e. quo rei alicui malum volumus, quia ea per se nobis non placeat. 3. *Causæ odij sunt opposita eorum, quæ amorem pariunt.* Itaque causæ odij sunt malum, quod vel verè malum est, vel apparet: tum naturę, ingenij, morum contrarius habitus; quâ ratione ouis lupum odit. Itaque odio habemus deformia, iniucunda, molesta, turpia; quæ item fastidium generant; omnia item naturæ inimica & aduersa: præterea austeros, morosos, alienæ laudis detractores, latrones, proditores, & vniuersum genus malorũ & maleficorum. Porrò crescit odium, si recondatur, ipsoq; secreto augescit. 4. *Odij effectus sunt fuga à malo, detrimentum ei, cui malè cupimus, illatum, dolor, & à dolore, si nimius existat, corporis ægritudo, deniq; excandescentia.* 5. *Remedia huic morbo à charitate petenda.* Hâc enim qui flagrat, in nullius vnquam odium erumpit. nisi flagitiis inquinati & deplorati. Tunc itaque odisse incipies, cùm de sanitate alicuius est desperatum.

XV. *Auersationis natura, causa, effecta, & remedium breuiter sic habent.*

Pathologia auersationis.

1. *Auersatio, seu fuga mali est contractio animi à malo absente, quod vti minùs conueniens conceptum fuerat.* 2. *Auersationis causa est odium: quocum effectus quoq; communes habet.* 3. *Remedia importunarũ auersationum ab opinionibus mutuanda.* Opus enim est non falli aut seduci visis. Hoc vitio laboramus, vt nõ rebus perturbemur, sed iis, quas de rebus habemus, opinionibus. Qui vult igitur pauca auersari, cohibeat opiniones; nec facilè assentiatur visis. At si quæ sunt verè mala, nec aliter de iis existimari potest; considerandum, an ea euitasse nostri sit arbitrij, ad illud nos Epicteti conuertamus: Appetitio pollicetur fore, vt consequaris quod appetis; auersatio, ne in id incidas, quod auersaris. is porrò, quem appetitio frustratur, infortunatus est; qui in id incidit, quod auersatur, calamitosus, itaque si ea solùm auersere, quæ eorum naturæ, quæ in potestate tuâ sunt, repugnant; in eorum, quæ auersaris, nihil incides, at si morbum auerseris, aut mortem, aut inopiam; calamitatem subibis.

XVI. *Tristitiæ, itemque doloris, natura, causæ, effecta, & remedia sic habent.*

Pathologia tristitiæ.

1. *Tristitia non tam latè patet, quàm dolor.* nam dolor & dicitur de animo, & de corpore: tristitia verò solùm de animo. Dolet enim, non tamen tristatur corpus, sed animus. In præsenti tamen tristitiam latè capimus pro omni tum animi, tum corporis dolore, qui etiam mœror, aut mœstitia vocatur. Aliàs dolor opponitur voluptati, quâ ratione iuxta dictum Aristotelis, omnem operationem voluptas vel dolor comitatur: ac tristitiam respicit, vti motus quietem cum vi coniunctam. *Tristitia est dolor animi de malo, reipsâ, vel per phantasiam præsente: imitaturq; grauium atq; leuium à vi existentem quietem.* 3. *Species tristitiæ aliter atq; aliter commemorantur.* Et primò quidem Thomas ex Nysseno & Damasceno quatuor tristitiæ species commemorat, Inuidiam, Misericordiam, Angorem, & Acediam. Deinde *Peregrinus cap. 1. de tristitiâ & dolore* constituit septem species, hoc ordine. *Prima* est dolor de malo proprio, vel amicorum, ex eo tantùm acceptus, quòd nos illique malum patimur. hæc prima tristitiæ species, quòd simplicissima est, maximéque pura, nomen sibi vendicat generis.

Altera

Altera triſtitiæ pars eſt dolor de malo proprio, dedecus, non damnum, adferente; dicitúrque verecundia. *Tertia* eſt dolor de malo alterius, quo eum indignum ducimus, & appellatur miſericordia, vel miſeratio. *Quarta* eſt dolor de bono alterius, non quòd inde accipimus detrimentum, ſed quòd is bono fruitur, & nominatur inuidia, vel inuidentia. *Quinta* eſt dolor de bono alterius, quo eum indignum opinamur, & dicitur indignatio. *Sexta* eſt dolor de bono alterius, quod illi quidem ademptum nolumus, ægrè ferimus tamen, quòd eo caremus; hæc dicitur æmulatio. Addendæ *poſtremo loco* anxietas, quæ anguſtia eſt animi vehemens ex fuga mali, tum acedia, quæ, occupatis nimiâ anxietate, mentis atque corporis viribus, inſurgit, ita hominem premit, vt nihil boni ei agere libeat. Hanc ſemper comitatur tædium mentis, ſatietas, faſtidium, torpor, pigritia, ignauia, inertia, & ſomniculoſa deſidia. *Azorius lib. 3. cap. 13.* recenſet octo ſpecies, hoc modo. *Inuidia* eſt triſtitia ex proſperitate alterius, quæ nihil inuidenti nocet. Nam ſi quis doleat de rebus ſecundis alterius, quia ab eo iniuriâ affectus ſit, non inuidet, ſed iraſcitur. Si doleat de proſperitate alterius, quia ab eo ſibi aliquid mali timeat, non eſt inuidia, ſed metus. Si doleat, quia proſperitate alter potiatur indignus, vel indignè ſeſe in rebus proſperis gerat, non eſt inuidia, ſed indignatio. Si doleat, quia alius bonis potiatur, quæ ipſe concupierat, nec eſt aſſecutus, potiùs eſt æmulatio, quàm inuidia. Si doleat, quia alterius perſona ipſi diſpliceat, odium eſt, non inuidia. *Miſericordia* eſt triſtitia ex miſeriâ & malis alterius indignè & immeritò laborantis. *Acedia*, ἄχος, eſt dolor acerbus, qui ita premit animum, vt nihil boni ei agere libeat. *Anxietas*, ſiue angor, eſt triſtitia premens & ſolicitans, qualem patiuntur ij, qui ſunt in magnis periculis; item ij, qui iam iam morituri, acerbiùs ſolicitantur & vehementiùs anguntur, vnde vulgo agonia mortis dicitur. *Æmulatio* eſt in laude & vitio: illa eſt imitatio virtutis, hæc eſt triſtitia, quòd bonum quod concupiuimus, alius obtineat, nos careamus. *Zelotypia* eſt zelus de formâ, vt nomen ipſum ſonat: ſeu, eſt triſtitia, vel metus, ne is, quem nos nollemus, formâ aliquâ potiatur: id verò dupliciter, vel vt nos fruamur ſoli, vel vt is fruatur ſolus, quem ipſi volumus: nam & de liberis, & ſororibus, & de matribus, & pupillis, & noſtræ curæ concreditis tangimur zelotypia, non vt nos illorum forma fruamur, ſed vt ipſæ ſolùm ſua forma fruantur. Animantes etiam quædam zelotypia tanguntur, vt cygni, columbi, galli. *Indignatio*, ζῆλος, eſt triſtitia, propterea quòd alter bonis potiatur indignus, aut ea adminiſtret indignè. *Pœnitentia* eſt triſtitia, qua quis dolet ob aliquid à ſe malè geſtum, vel prætermiſſum. *Impatientia* eſt triſtitia animi, nullius laboris, doloris, faſtidij, & moleſtiæ patiens. 4. *Triſtitiæ integra cauſa malum eſt, vel præſens, vel habitum pro præſenti: tum bonum amiſſum; retardatio adeptionis boni; & omne quod reſiſtit appetitioni.* Habent enim hæc ſpeciem mali. Augetur mire, ſi malum non poſſit eiici: tum etiam, ſi fuerit ſubitum & improuiſum: ac demum quòd cùm videatur præcaueri potuiſſe, ſi prouiſum eſſet, quaſi culpa contractum ægritudinem acriorem facit. Ex euentu amor & deſiderium triſtitiam pariunt, vel ob rei amatæ abſentiam, vel ob metum admittendi: augetúrque ab atræ bilis copia, & illis, quæ ſanguinem craſſum gignunt, vt ſtudia, inediæ, vigiliæ, cibi frigidi atque ſicci, vt caro bubula, vinum nigrum, & ſal menſæ copioſiùs adhibitum. Itaque triſtitia naſcitur ex malo præſenti, quod inuiti toleramus: item ex amiſſione boni concupiti. Præterea triſtitia, cùm ſit affectus frigidæ & ſiccæ naturæ, quaſi terreſtris, viget in frigidis & ſiccis temporibus ac locis, autumno, hyeme, nocte, in hominibus bile atra abundantibus. 5. *Effectus doloris ac triſtitiæ ſunt corpori animóque admodum detrimentoſi.* Hinc Chryſippus λύπην dictam affirmat, quaſi λύσιν. hominis enim vires & facultates triſtitia ſoluit. Hebetat enim ingenium, obſcurat & turbat rationem, parit luctum. Triſtitiam quoque comitantur *mœror*, qui eſt triſtitia flebilis: *ærumna*, quæ eſt triſtitia laborioſa & diuturna: *dolor*, qui torquet & cruciat: *lamentatio*, quæ eſt cum eiulatu: *ſolicitudo*, quæ eſt cum cognitione: *moleſtia*, quæ eſt triſtitia permanens: *afflictatio*, quæ eſt cum vexatione corporis: *deſperatio*, quæ eſt ſine vllâ rerum expectatione meliorum. *Peregrinus* recenſet quinque effecta. Primò enim triſtitia incommodat corpori, magíſque nocet valetudini, quàm vlla alia affectio. Secundò, vexat animum, pulsâ voluptate. Tertiò, compreſſionem inducit cordi. Quartò, lachrymas extrudit. quas partus atque fructus doloris, vt poma arborum, dixit Plutarch. in conſolat. Quintò dolor impedit omnes animi functiones atque corporis, præterquam eas, quarum ipſe author eſt. trahit enim ad ſe omnem animi conatum, eundémque cæteris inutilem reddit. 6. *Remedia triſtitiæ & doloris ſunt octo. Primum* eſt ſomnus & balneum. quia iis dilatatur ſanguis, & ſpiritus recentes gignuntur. *Secundum* eſt exercitatio modica, quæ excitat calorem & ſpiritus debilitatos reficit. *Tertium*, potus vini albi & generoſi cibus boni ſucci, calidus videl. & humidus, miniméque craſſus, apertæ camporum viriditates, cœli benignitas, auræ refrigerantes. *Quartum* fletus, quia

Expletur lachrymis, egeritúrque dolor,

quaſi per vomitionem. *Quintum*, conſolatio ab amicis profecta. *Sextum*, delectatio. *Septimum* contemplatio rerum altiſſimarum; tum quòd per ſe eſt delectabilis, & vim habet peculiarem ad pellendum triſtitiam, quam curæ mortales inducunt; tum quòd, vbi eâ detinemur, à rebus moleſtis mentem auertimus, prohibemúſque ne triſtitia creſcat, néve in eâdem animus obfirmetur. *Octauum*, reputatio conditionis humanæ, malis obnoxiæ; quorum pleraque vitari non poſſunt, quòd non ſint in hominis poteſtate. bonis etiam fruitur, quorum vſum habet magis quam dominatum. Magnitudo igitur animi, eiúſque in caſus aduerſos præparatio, deſpicientia rerum humanarum, memoria conditionis hominum, & eorum, quæ circumſtant & ambiunt, dolorem vel repellere, vel eiicere, vel mitigare poſſunt. Rem Veneream ſi quis in doloris ac triſtitiæ remediis ponat, fallitur: nam ea magis triſtitiam parit, & auget, à receſſu caloris, & virium debilitatione.

XVII. *Spes & deſperatio has habent definitiones, cauſas, effecta, remedia.*

Pathologia ſpei, deſperationis.

1. *Spes eſt appetitio boni abſentis, ardui, poſſibilis.* Differt itaque à deſiderio, quod eſt de bono facilis adeptionis. 2. *Spei cauſa eſt bonum abſens, arduum, poſſibile.* 3. *Spes euidentiam ſcientiæ non habet, ſed opinionis coniecturam, vel probabilem, vel poſſibilem:* quòd ſæpe factum eſt ſimile, quòd aliquando acciderit, quòd in pari vel ſimili idem euenerit, quòd aliquâ ratione & causâ fieri debet, quòd par eſt vt fiat, quòd credibile eſt futurum in hoc, ab hoc, hoc tempore, hoc loco hoc negotio; quòd promiſſum eſt nobis. Nihil eſt tam leue, tam minutum, tam procul remotum, tam alienum, ad quod animus excitatus facilè non adhæreſcat. Adeo leuis eſt ſpes, obſcura, cœca, ambigua, incerta, exigua, tenuis, & vana. 4 *Spes maximè reperitur in iuuenibus:* quòd illi multum habeant reliqui à futuro, parum à præterito. Spes verò futurorum eſt, mens præſentium, memoria præteritorum. Tum quia ſanguine abundant, quo fiunt animoſiores. ſpes verò fulcitur animi vigore. Adhæc illi carent experimento; & cùm non admodum crebras tulerint repulſas, nec multos experti fuerint caſus aduerſos, omnia ſe facilè aſſecuturos credant. Denique, quia non aduertunt pericula, ob calorem ætatis, qui reddit ipſos quaſi ebrios, & impellit ad ardua quæque ſine delectu agenda. 5. *Iucundiſſima eſt ſpei perſuaſio, & vitæ inprimis neceſſaria, inter tot miſerias & calamitates.* Si ſpes abſit, ſine ſapore ſunt omnia. Nihil tam acerbum, quod ſpes vna conditum non reddat. Prudenter in tabulâ Pandoræ de pyxide fictum eſt, effuſis rebus omnibus ac perditis, ſpem in fundo reſediſſe. Sapienter quoque Poëtæ finxerunt, in cœlum fidem, iuſtitiam, pietatem, pacem euolaſſe, ſolam ſpem in terris relictam hominibus. Voluit Deus, vt ſpes leuiſſimis de cauſis naſcatur & ſurgat, quæ homines in malis ſuſtentat, conſolatur, recreat. Spes paſcit exules, ſuſtentat agricolas. ægrotos, captiuos, vinctos, incarceratos, naufragos. Spes eſt vigilantium ſomnium, & miſerorum extremum & commune ſolatium. Eſt itaque ſpes valde neceſſaria hominum vitæ, iuuátque mirè functiones. quare *Plato in Philebo, & 5. de legib.* ait, per omnem vitam ſpe plenos eſſe oportere. Eius æmulator *Philo in lib. de Abraham* ait, eam eſſe principium parandorum bonorum; ideóque ſpe carentes non homines cenſeri, ſed beſtias in humanâ formâ conſtitutas: tum etiam à naturâ ſpem quaſi ianitricem locatam præ foribus; cùm intus cæteræ virtutes regiæ condantur, quas adire nemo poteſt, niſi hanc demeruerit. 5. *Spes gignit voluptatem:* quâ ceſſante, humanæ functiones deficiunt. quis enim voluptate ſemotâ vllum ſuſcipiat in agendo laborem? hic igitur præclarus ſpei fœtus, hominem ad munus & rem attentum reddere; principium agendi, & quaſi functionum ei promotorem exiſtere. *Amorem quoque illa tuetur.* deſperatio euertit. *Omnia demum vita bona ſpei debentur.* 6. *Fiducia, ſeu confidentia, eſt ſpei excurſus:* ſeu præſumpta certitudo rei ex ſententiâ euenturæ. 7. *Confidentiam gignunt opes, vires corporis, gratia, meritum, iracundia.* Paupertas etiam, orbitas, &c. ſenectus interdum reddunt fidentes. Tales etiam eſſe ſolent, qui nihil aduerſi pertulerunt; vel è multis magniſque periculis euaſerunt incolumes: tum etiam qui multa ſunt experti, norúntque mala non adeo eſſe magna, vt ſuperari euitaríve non poſſint. 8. *Deſperatio eſt receſſus animi ab appetitione boni, ex opinione, quod nunquam eo ſit potiturus.* Gignitur maximè à torpore mentis, abiectáque opinione ſui, & amicorum, nimióque impendentium malorum metu. deſperatio enim timorem ſequitur. Reſpicit primò malum, putà imbecillitatem virium ad conſequendum bonum. arguit quoque animum auguſtum, & omnino deiectum. 9. *Deſperationis effecta* ſunt incuria in rebus agendis. *ceſſatio à præclaris facinoribus, vita voluptatibus inhoneſtis mancipata, magnáque improborum factorum colluuies.* Ex euentu autem deſperatio gignit audaciam. vnde illud, *Spes deſperatione quæſita.*

XVIII.

Pathologia timoris.

XVIII. *Timoris natura, causæ, species, effecta, & remedia sic sunt.*

1. *Timor est ægritudo ab oblatâ specie mali impendentis, quod interitum vel dolorem adferre possit.* Differt itaque à tristitiâ; quia hæc respicit malum præsens; ille futurum. Tristitia plus admittit consilij; timor, minus. illa perniciosior; hic vehementior. illa demum affectio est concupiscentis facultatis; hæc, irascentis. 2. *Causa timoris est malum impendens, vel quod detrimentum adferre potest.* Gignit quoque timorem, in aliorum fide vitam & felicitatem suam collocatam habere; quòd ea fluxa plerumque sit. Qui etiam iniuriam facere possunt, sunt formidabiles iis, qui sunt iniuriæ expositi. Timentur etiam & qui iniuriam acceperunt, & qui fecerunt. illi, quoniam obseruant tempus perpetuò vlciscendi: hi, quoniam, si sunt potentes, cùm talionem reformident, noua & noua subinde ingerunt incommoda. Qui de re eâdem certant, sunt inuicem metuendi. Nascitur demum metus ex auersione naturali: ἀντιπάθειαν vocant. sic ouis timet lupum. 3. *Augetur metus*; *primò*, si malum imminens difficillimè propulsari posse existimetur: *secundò*, si sit magnum & graue: *tertiò*, si sit repentinum: *quartò*, si sit ignotum: *quintò*, si sit propinquum. 4. *A timore sunt immunes ij, quibus nihil mali contingere potest*: vt Deus & beati. Sed & qui in malorum extrema apud nos deuenêre, nihil ex iis timent: tum qui omnem futuri spem abiecêre. 5. *Deus, & principes boni timentur, quâ possunt infligere malum.* timor enim est de malo. Quòd si ab eo cogitationem separemus, vel pœnam ab iis inflictam non apprehendamus vti malam, loco timoris nascitur reuerentia. Sed & oportet distinguere inter timorem seruilem, & filialem. 6. *Partes metui, seu timori, subiecta hæ sunt. Segnities* seu *pigritia* est metus consequentis laboris in agendo. *Socordia* est metus consequentis laboris in consulendo, meditando, & prospiciendo quid opus sit facto. *Verecundia* est metus admittendi aliquid turpe: item est metus iustæ reprehensionis: denique est metus ignominiæ ob turpe aliquod factum contrahendæ. *Pudor*, seu erubescentia, est metus post turpe aliquod factum. *Stupor* est metus ingens ex vehementi, subitâ & inopinatâ cogitatione mali profectus, sensum adimens. *Terror* est metus concutiens, ob comminationem mali infligendi, aut grauitatem mali sustinendi. *Angor* est timor animum solicitans, ob malum externum, iamiam perferendum, cui resistere facilè non possumus. *Pauor* est metus animum perturbans, & quasi loco mouens. *Exanimatio* est metus pauoris comes, & quo animus quasi deficit. *Conturbatio* est metus excutiens animo cogitata. *Formido* est metus permanens. 7. *Post tristitiam, nulla est animi ægritudo perniciosior timore.* Obest enim corpori, animóque, plus cæteris; plurimáque inducit symptomata. Et *primùm* quidem contrahit & debilitat cor; ad cuius opem & subsidium calor superiorum & inferiorum partium accurrit, non secus ac in obsessâ & trepidante ciuitate omnes ad principem confugiunt. Vnde metum consequitur pallor oris, frigus & tremor membrorum, præsertim eorum, quæ vel magis mobilia sunt, vt poplites, genua, imúmque labellum; vel cordi per neruos, musculósque magis coniuncta, vt mandibulæ; tum silentium, sitis, horror corporis, asperitas erectióque pilorum, canities. Vox est exilis ac tremit, lingua titubat, dentes concrepant, aluus laxatur & soluitur, vrina properat. In animo autem perturbatio & inconstantia gignitur. Metus enim cogitationes confundit, suspiciones item gignit. Meticulosi omnes suspiciosi sunt, omniáque augent in maius: nec vnquam tantum est periculum, quantum sibi fingunt. A pauore etiam nocturno magnopere infestatur nocturna quies: vt in his, qui ephialtem patiuntur. In timore autem illud obseruandum; ab eo per expectationem mali plus sæpe molestiæ inferri, quàm ab ipso malo, vbi præsens fuerit, corripueritque hominem. Aliquid tamen boni moderatus timor adfert: nam homines attentos facit, & accuratos; consilij & cunctationis amicos, legibúsque obtemperantes; maximè verò conducit reip. timor legum & ignominiæ: vt partem salutis publicæ metu contineri nemo inficietur, id significatum à Spartanis, timoris sacello propè triclinium ephororum constructo. 8. *Remedia nimij metus sunt, succidere amorem, qui est timoris radix: item assuetudo rerum terribilium, & quæcunque gignunt audaciam, vel firmant animum.* Præclarè traditum ab August. non aliam esse causam metuendi, nisi, ne id quod amamus adeptum amittamus, aut non adipiscamur speratum. Timemus itaque quia diligimus qui diuitias non amat, fures vel peculatores non metuit. qui lucis huius vsuram non adeo charam habet, non pauet mortem. Amor itaque, timoris radix, succidendus. 9. *Qui magno sunt corde, naturâ sunt meticulosi*: vt lepores. Item, qui parum caloris & sanguinis habent circa cor. Item, qui felle carent, vnde sanguis accendi possit: vt columbi & cerui. Qui crasso sunt sanguine, & multo, & calido circa cor, securo sunt animo & audaci.

Pathologia audaciæ.

XIX. *Audacia has habet causas, effecta & remedia.*

1. *Audacia est fidentia, per quam magnis & periculosis in rebus multum ipse animus fiduciæ certâ cum spe, incommoda & pericula superandi concipit.* Timori itaque opponitur, vti extremum quàm longissimè dissitum. Spes autem timori opponitur non ita remotè, vt audacia. 2. *Audacia gignitur ab opinione propriæ virtutis, vel aduersariorum imbecillitatis; tum à calore cordis, à vinolentiâ, ab ingenio præcipiti, minúsque rebus gerendis exercitato.* Quò minùs enim quis expertus est, eò audacior est, quòd minùs incommoda & pericula reformidet. Ex aduerso, qui sunt experti, sed in periculis sæpe victores, solent esse audaciores, quia putant se victoriam, sicut aliâs sæpe, adepturos. Exercitati in re aliquâ, item qui viribus, qui opibus, qui amicorum copiâ, qui potentiâ valent, sunt audaciores, quia minùs metuunt. Animantes magni cordis minùs audent; contrà parui cordis magis audent. quia quæ magni cordis sunt, minùs calent, & ideo magis timent. Denique ex euentu desperatio gignit audaciam. 3. *Audacia & fiducia differunt.* quòd hæc bonum per se primò respicit, audacia malum, vt superet, non vt fugiat; ídque tandem, vt acquirat bonum. quatuor enim hîc terminos habemus, quatuor paribus iugandos, malum, bonum, fugam, prosecutionem. ergo vel prosequimur bonum, vel fugimus malum, vel prosequimur malum vel fugimus bonum. prosecutio boni ad spem attinet, & fiduciam, quæ spei est excursus; fuga mali ad timorem; prosecutio mali, ad audaciam; fuga boni, ad desperationem. ac quoniam depulsio mali, & prosecutio boni se mutuò consequuntur, sæpe audacia confunditur cum fiduciâ. 4. *Effectus audaciæ sunt, sanguinis atque caloris diffusio; commotio bilis ab impetu animi, contemptus discriminum; ignaua securitas; rerum profligatio & interitus.* 5. *Audaciæ remedia sunt, moderata de se opinio; non leuis de viribus aduersariorum existimatio, remota ab omni contemptu; vsus rerum.*

Pathologia iræ.

XX. *Iræ natura, causæ, effecta, & antidota hæc sunt.*

1. *Ira est prouocatio irascentis facultatis ad vlciscendum.* Est itaque concupiscentis facultatis rationísque administra. quæ illæ cupiunt, eligúntve, audacter suscipit, & impedimenta, quantum potest, amolitur, geritque vicem satellitij, baculis turbam à principe summouentis: tollit quippe ea, quæ impediunt fugam mali, & prosecutionem boni. Porrò gradus quidam iræ sunt excandescentia & furor. Illa est ira breuis; hæc magna. 2. *Iræ comites sunt voluptas, dolor, odium.* Voluptas quidem; quia iucundum est cogitare, se consecuturum vltionem; quam vehementer optabat. dolor; quia iniuriam accipere non contingit sine dolore. odium denique; nam promptum est odisse, à quo fueris iniuriâ affectus. quare Zeno aiebat, omnium perturbationum semina in iram confluere; quemadmodum semen animalis est mistura quædam, ab omnibus animæ facultatibus auulsa. 3 *Odium & ira plurimùm differunt.* Nam per iram volumus alicui malum, cum impetu & exarsione animi, quia nobis iniuriam intulerit, quam cupimus vindicare: per odium verò optamus alicui malum, etiamsi nullâ ab eo affecti simus iniuriâ, sed solùm quia nobis per se ipse displiceat; vel quia nobis aduersetur; vel denique quòd is per se malus & improbus sit. 4. *Odium est grauius irâ*: quia odium est obfirmata quædam affectio, & est sine mensurâ: ira verò est quid elabens, & in fluxu positum, éstque cum mensurâ. 5. *Nullus datur affectus iræ contrarius*: quoniam ira generatur ex malo aliquo, quod vlcisci cupimus. Itaque iræ tantùm opponitur id, quo ab isto motu cessamus, videl. mansuetudo, lenitas, clementia. Illa verò est virtus, non affectus. Est, inquam, virtus, quæ impetum iræ anteuertit, vel erumpentem comprimit atque frangit. 6. *Causa iræ est malum offendens, quod possit repelli.* Eius prima radix est opinio contemptus sui ab alio. Ideo pauperes, senes, claudi, gibbosi, monoculi, manci, deformes, facilè irascuntur: item qui sunt angusto animo, vt pueri, fœminæ, & homines frigidæ temperaturæ. Biliosi faciliùs inflammantur; frigidi seruant iram diutiùs; sanguinei citò concipiunt, quia calidi; citò deponunt, quia humidi. Sanguis autem etsi suapte naturâ pariat hilaritatem; at copiosus vim habet bilis, facileque concipit iram. Est etiam victus ratio aliqua, quæ auget bilem, vt cibi calidiores. Idem præstat inedia. vnde qui semel in die vescuntur, excandescunt faciliùs, moribúsque existunt amarulentis. 7. *Augetur ira*, si amicus erat, qui fecit iniuriam: *tum crescit* ab excellentiâ conditionis atque status: *demum augescit* aduentu miseriarum & calamitatum. 8. *Prohibetur ira*, si iniuria nobis inferatur ab iis, quos timemus: quíque mala sibi intulisse dignoscuntur; quos item pœnitet facti. *Cessat* quoque in timentes, & se demissè gerentes; tum in eos, qui per iracundiam peccarunt. 9. *Lenitur ira & deferuet tempore, tum sumptione pœnæ, etiam ab alio, deniq; adeptione victoriæ.* 10. *Effectus iræ alij sunt ex ipsius naturâ, alij ex euentu.* Prioris generis sunt, dolor in animo ab retardatione, atque morâ vindictæ; & anxietate, ne

non ſequatur: voluptas animi ex alterà parte, ſcilicet ab ſpe futuræ vltionis, quæ quaſi præſens obiicitur: perturbatio rationis, ac de mente deiectio: feruor ſanguinis circa cor; quem in aliis conſequitur pallor, in aliis rubor; illi abiecti, hic generoſi animi eſt argumentum. Hunc ſanguinis feruorem ſequitur palpitatio cordis, ligamen linguæ, ardor, oculorum debilitatio, laxatio imi labelli, tumor oris, tremor genuum atque manuum, inflammatio totius corporis, epilepticus quandóque paroxyſmus, vomitus bilioſus, quem ſequatur febris, hanc verò interdum cita mors. Denium officit valetudini, ob incrementum bilis. quòd ſi cohibeatur, nocentior euadit. compreſſa enim vrit ſanguinem; cuius cineres in humores atros tranſeunt: vnde triſtitia oritur. Alios iræ effectus ex euentu recitat Plutarchus: nam in iocando amicitiam mutat in odium; in diſputationibus ſtudium cognoſcendi vertit in libidinem contendendi; in iudicio, poteſtati addit inſolentiam; in inſtitutione liberali, mœſtitiam, & odium diſciplinarum animo ingerit; in rebus ſecundis auget inuidiam; in aduerſis, ſe miſericordiæ eximit. 11. *Antidota iræ diligenter quærenda ſunt.* quòd difficilis appareat eius curatio, ob varios affectus, & quandóque inuicem pugnantes, in eam confluentes. Vt enim contrarij morbi, ſemet complicantes, difficilem & ambiguam reddunt curationem, ſic affectiones animi commixtæ, medentis diligentiam poſtulant. *Primum* igitur ſuſpicio remouenda; nec opinandum ea, quæ nobis diſplicent, facta in contemptum noſtri, ſed potiùs per incuriam admiſſa. *Deinde*, de ſeipſo ſentiendum moderatè, exiſtimandúmque, ſe poſſe aliquid committere contemptu dignum. *Tertiò*, reputandum iram proficiſci ab animo imbecillo & abiecto. *Quartò*, cenſendum turpe eſſe iniuriam referre: nam qui id facit, flagitij partem accipit; vt qui fuliginoſum complectitur, & cum eo volutatur, fuligine abit inquinatus. Cedendum aliquando, vt ſuperemus: hæ ſunt huius palæſtræ leges, vt athletas imitemur interdum, qui de induſtriâ humi plerumque depreſſi, aduerſariis ſupernè incumbentibus victoriam eripiunt. *Quintò*, vtendum cibis frigidis, potu aquæ, ſomno remiſſo atque breui, cæteríſque bilem & calorem minuentibus; cauendúmque ab inediâ. ieiunis enim bileſcit ſanguis. tum à nimio motu; quòd mordaces gignat humores; nec non à continuatis vigiliis; quia vim hæ habent exiccandi, vt contrà ſomnus humidum reddendi. *Sextò*, aures admouendæ ſermonibus cum doctrinâ & veritate coniunctis. aptius ſanè iræ prohibendæ domandæque remedium eſt oratio grauis & accurata, quàm plagas centum Spartanâ, vt aiunt, nobilitate concoxiſſe. hæc nihilominus tempeſtiuè adhibenda; vbi ſcil. ira paululum reſederit. *Septimò*, cùm facto dictóve alicuius offendimur, cogitandum à nobis quoque non pauca perperam fieri. *Octauò*, in offenſionibus dicendum eſt nobis: ſciebam, ſciebam hominem illum eſſe, poſſe delinquere, labi, peccare. *Nonò*, iuuant valde propoſita & vota de non iraſcendo per annum, menſes, dies: quæ ſubinde innouari poſſunt. *Decimò*, ſpatium animo concedendum, vt ſe colligat, & diſſipatas ſui partes reſtituat in vnum. Athenodorus receſſurus ab aulâ monuit Auguſtum, ne quid in irâ diceret facerétve Græcis characteribus non potiùs recitatis. Ita Ambroſius Theodoſio author fuit, priùs recitaret orationem Dominicam, quàm in irâ aliquid diceret aut faceret. *Vndecimò*, vtendum ſeſſione & quiete corporis. *Duodecimò*, remouendæ occaſiones iraſcendi. *Decimotertiò*, non eſt inutilis Muſicæ ſedatæ vſus, cuiuſmodi Dorica fuit. *Demum*, ſi tot remediis ira prohiberi, aut eiici, aut minui, aut comprimi nequit; mitigari poterit eruptione in verba moderata contra iniuriæ authorem. Vt enim exhalatio incluſa viſceribus terræ diu viget, atque in terræmotus & concuſſiones deſinit; at locum nacta eructandi, minore diſcrimine euaneſcit: ſic ſe ira gerit in animo. vtque mare purgatur impetu ventorum, algâ & muſco egeſtis: ita animi virus cum verbis & queſtibus eiicitur. at cauendum ne ſint inhoneſta, impudica, ſpurca. 12. *Ira in conſultationibus & deliberationibus ſtudioſè vitanda, & omnino comprimenda eſt.* quòd mentis aciem, q. tenebris iniectis, impediat à proſpectu veri. Hinc Bias dixit, conſilio duo maximè opponi, feſtinationem & iram. *At in exequendo, ardua præſertim, quæque magno animo habent opus, moderanda eſt ira, non radicitùs côuellenda.* 13. *Difficilius eſt iræ, quàm voluptati repugnare; ſi vim morbi intuearis.* eſt enim ira vehementiſſima. Sin affinitatem cum ſenſu hominis, & communem aſſuetudinem ſpectes, cùm maior hominum pars in voluptatem propendeat magis; difficilius eſt voluptati repugnare. Atque hanc etiam ob cauſam libidinoſus amor magis perſeuerat, quàm ira. Verùm ſi terribile quiddam ingruat, amoris ardor extinguitur, ira ex ſe acrior efficitur.

Patholo-gia miſe-ricordiæ.

XXI. *Miſericordiæ natura, cauſæ, & effectus ita ſe habent.*

1. *Miſericordia eſt nobilis & laudatiſſima affectio.* Eſt enim clementiæ proxima plena amoris & pietatis: cuius immenſum eſſe pelagus apud Deum ſcribit Chryſoſtomus: cui ſponte ſuâ cedere omnes virtutes teſtatur Caſſiodorus: quâ ſublatâ magnis incommodis humana ſors affligetur. 2. *Miſericordia eſt ægritudo animi, ab opinione mali, quod interitum dolorémve adferat ei, qui ſit illâ calamitate indignus.* Nam ſi dignè & meritò mala ſuſtineat, vicem eius haud miſeramur. nemo enim mentis compos ad parricidæ, tyranni, aut proditoris ſupplicium, quod merentur, miſericordiâ commouetur. Ex quo fit, vt maximè miſereamur euentum & vicem eorum, qui imbecilli & infirmi ſunt ad aliquid agendum, vel ſuſtinendum; cuiuſmodi ſunt infantes, mente capti, pueri, viduæ, ægroti, inopes, egeni, ſimplices, itidem ij, qui ex magnâ rerum proſperitate, quâ olim perfruebantur, deturbati deiectíque ſunt. Item, qui in mala inopinata miſerè deuenerunt. 3 *Mala, ob quæ vicem & conditionem aliorum miſeremur, ſunt pœnæ, vt vocant, non autem culpæ.* Huc itaque pertinent morbi, mors fames, ſitis, tormenta, plagæ, ſpoliatio, captiuitas, ſeruitus. Miſeremur itidem deformes, mancos, tardos, rudes, & ſtultos. 3. *Indigni ſunt malis opinione noſtrâ boni viri, & qui rectè ſuo munere & officio perfuncti creduntur:* tum etiam qui malis ſunt impares, vt mulieres, ſenes, ægri, delicati: item & ij, quibus non licuit bonis ſuis frui: vt cùm magni ingenij vir in medio ſtudiorum ſuorum curſu è medio tollitur. Interdum tamen etiam miſeratio ſubit humanæ conditionis. quod fieri poſſe ac debere declarauit Ariſtoteles, cùm reprehenſus, quòd homini nequam mendicanti ſtipem dediſſet, reſpondit, hominem ſe commiſeratum eſſe, non mores. 4. *Miſericordia excitatur faciliùs in iis, qui opinantur ea mala ſibi ſuiſque contingere poſſe, vel ſunt aliquando experti:* vt Dido apud Virgilium,

Non ignara mali, miſeris ſuccurrere diſco.

Felices verò, & qui ſe tutos cenſent à vi, non facilè hoc affectu promouentur, quia non timent mala. Inde principes, diuites, contumelioſi, iracundi, & μισάνθρωποι, ab hoc affectu ſunt alieni, vel omninò, vel magnâ ex parte. Sed nec in extremâ poſitos calamitate miſeratio tangit. premuntur enim propriis ærumnis, vt non cogitent de alienis. 5. *Ad miſericordiam faciles ſunt, qui naturâ timidiores, & imbecilli ſunt: tum periti rerum humanarum, à doctrinâ exculti, miti ingenio præditi.* 6. *Augetur miſericordia, ſi mala, velut atrocia repræſententur; addantúrque formæ voces, veſtitus, actiones.* Efficiunt enim vt malum ſit ſub oculis. præſentia verò rerum acerbarum operatur magis ad miſerationem. 7. *Noſtri miſeratio non facilè nos capit:* quia propriæ calamitates nobis ſunt nimis familiares: ad miſericordiam verò excitandam nouitas & inſolentia malorum requiritur. ea ſi producantur, callum animo obducimus. quapropter in peſtilentiâ, vel clade, vel longo malo ceſſat miſeratio addo, proprias calamitates habere aliquid maius atque terribilius, quàm vt intra fines miſerationis contineri nos ſinant. atrox verò & horribile pellunt & exturbant miſerationem. 8. *Nimia miſericordia cohibenda eſt.* Vt enim moderata eſt plena pietatis, & ſubleuat humanam miſeriam: ita immoderata lædit iuſtitiam. Remedium vnicum adfero: non commoueri vehementiùs eorum aſpectu, qui tolerant mala; cùm plerumque non ſint ea verè mala, quæ patiuntur; & interdum conferant ad ſalutem, tum publicam, tum eius qui plectitur.

Patholo-gia inui-diæ.

XXII. *Inuidiæ natura, cauſæ, effecta, & remedia ſunt in his regulis.*

1. *Inuidia, vel potiùs inuidentia* (ſic enim Cicero appellat, quòd inuidia tam eorum ſit qui inuident, quàm quibus inuidetur) *eſt ægritudo concepta ex eo, quòd alij bene ſit;* idque non propter commodum inuidentis, ſed quia ægrè ferat illum eiuſmodi bono frui. 2. *Inter differentias inuidiæ ab odio hæc eſt: poſſe nos iuſtè odiſſe, non poſſe ſine culpâ inuidere.* 3. *Inuidia mouetur inter pares maximè.* Aliquando etiam inuidemus inferioribus; rarò ſuperioribus. 4. *Fortunati, & qui magna gerunt, ſæpe inuident:* quia quod aliis tribuitur, ſibi ademptum putant. Sed nimiâ potentiâ ſubnixi non inuident: nec ij, qui ſpe omni & auxilio deſtituti deſperarunt de rebus ſuis. Sunt autem ad inuidendum procliues, qui anguſtum puſillúmque animum trahunt. quòd illis omnia videantur magna. inuidia verò ad magna fertur. 5. *Inuidentiæ campus iis clauditur bonis quæ laudem honorem, commodum ferunt.* 6. *Inuidemus viuentibus, non vitâ functis; tum vicinis, & notis; non degentibus trans columnas Herculis.* Magnitudini demum virtutis cedit inuidia: nec iis inuidemus, à quibus noſtro communique iudicio longè ſuperamur. Eleganter ait Plutarchus, inuidiam fugari ſplendore virtutis, vti ſol, cùm altiſſimus fertur, vmbram omnem diſiicit. 7. *Remedia hîc ſunt bipartita.* Cauendum enim, ne inuideamus, ne inuideamur. alterum ad mores pertinet, alterum ad quietem & incolumitatem. Alterum inuidenti obeſt, alterum ei cui inuidetur. Ideo hanc omnium perturbationem æquiſſimam iniquiſſimámque dixit *Gregorius Nazianzenus orat. de cathedrâ.* hoc quòd dominos excedit & conſumit. *Prior illa inuidia* a pectoribus humanis arcebitur, ſi cogitemus eam eſſe vilium, abiectorum, corruptorúmque hominum; ac ſuſcipi excitaríque maximè in bonos. Hinc inuidi ſunt veluti muſcæ, quæ vlceribus gaudent. inuidi quippe omiſſis virtutibus, ſolis incubant vitiis aliorum; eáque in mente ac ore habent. Agis, primus rex Spartæ, dixit, inuidi duplicem eſſe pœnam: angitur enim

enim propriis malis,& cruciatui commodis alienis. Et Menandei elegantiſſimè ait:

Inuidus eſt ſibimet ipſi hoſtis.

Epictetus inuidiæ amuletum paucis confecit: *Qui omnia bona à ſeipſo petit, nec inuidiâ ducitur, nec æmulatione. Quæ verò ab aliis imminet inuidia*, vitabitur, ſi qui rebus vtitur ſecundis, comem ſe præbeat ac moderatum, nec agat vltra ciuilem modum: nec omittat commoda, quibus abundat,aliis impertire. Cæterùm eiuſmodi modeſtia & beneficentia nos ab eâ labe tutos vndique non reddit; cogitatione hâc nos muniemus, quòd,qui in inuidiâ poſiti ſunt, vel virtute pollent, vel felici rerum ſucceſſu vtuntur. Quia verò hæc peſtis plerumque euertit, enitendum nobis eſt vt quàm celerrimè,non per tarda modicáve incrementa, ad gloriam veram perueniamus; ne, dum moras trahimus, opportunitatem præbeamus inuidis euertendi noſtri.

Patholo- gia verecundiæ, indignationis, & æmulationis.

XXIII. *Verecundia, indignatio, & æmulatio hanc habent naturam.*

1. *Verecundia*, ſeu pudor, eſt affectio ex triſtitiâ & timore compoſita. Eſt enim timor mali ignominiam adferentis. Eius itaque cauſa eſt turpe,inferens ignominiam. Augetur verecundia, ſi dedecus contingat publicè. Sedem habet in oculis maximè. Effectus eius eſt erubeſcentia natura enim quaſi egreditur ad velandam faciem verecundantis, vel ad turpe repellendum. id obtinetur ſanguine per faciem, quaſi tenui purpureóque velo diffuſo. Laudatur maximè in adoleſcentibus. adultos non dedecet, cùm laudantur, in ſenibus non admodum probatur, quo nihil eos agere oporteat, cuius ſit pœnitendum. Semper autem verecundiam comitatur pœnitentia. Porrò pudor eſt alius perpetuò cum virtute coniunctus, vt ſi erubeſcas ad mentionem rei Venereæ proſtibulorum: alius vitioſus atque pernicioſus. Denique, magno nobis vſui pudor exiſtit.datus enim eſt quaſi ſtimulus & pædagogus ad mala vitanda; eóque amiſſo, ſceleribus omnibus aditus aperitur, Sed cautè retinendus: ſemel enim amiſſus, redire neſcit, vt ait Seneca in Agamemnone. At verò exceſſus cauendus. aliquando enim adegit ad mortem. 2.*Indignatio*, Græcis Neméſis, eſt dolor irâ permiſtus de proſperitate alterius, qui eâ ſit indignus. Hinc bonæ indolis cenſetur, perinde ac miſericordia. Sed cauendum, ne nimio impetu ad inuidentiam prolabamur, cui, exceſſu, indignatio eſt vicina. Cauſæ indignationis ſunt bona fortunæ. ob virtutem alterius ea non naſcitur; vt nec à vitio oritur miſeratio. naturæ quoque dotes, vt decor, & nobilitas, non excitant hanc perturbationem. nec antiqua facilè illam cient: nouæ autem opes & dignitates multum ad eam commouendam habent momenti. Nec à viris probis abſtinet indignatio, vbi bonum ſibi minùs conueniens fuerint conſecuti; quòd eo cenſentur indigni. Mouentur ad indignationem, qui ſunt maximis digni bonis (poſſideant illa, nec ne) cùm nihilominus indignos iis potiri vident. Probi, quoque ac ſtudioſi virtutis eiuſmodi commotioni ſubduntur: nam verè iudicant, & odio habent iniuſta: tum qui honores quærunt, præſertim vbi ignauis conferri vident. Ergo ſeruili abiectóque homines ingenio non commouentur hâc affectione, quòd nihil ſit, quo ſe dignos exiſtiment. Sed cauendum, ne, dum indignatione duci nos putamus; ad inuidiam & iudicij temeritatem feramur. neque enim ſenſus hominis ad æternorum profunditates conſiliorum attingere queunt: nec ij ſumus, qui diuinam liberalitatem ad iuſtitiæ trutinam expendere velle audeamus. Diſpenſatori ſummo agendum arbitratu ſuo; nec eius conſilia in diſquiſitionem ab humanâ mente vocanda. 3.*Æmulatio*, ζῆλος, eſt ægritudo de bono alterius, non ex eo accepta, quòd ille bono fruatur, ſed quia ipſe caret. Sed & *Zelus* aliâs ex affectus mixtus ex amore & irâ, cùm iraſcimur ei à quo læditur id, quod nos amamus. Similis affectus eſt *Zelotypia*; cùm amans coniugem iraſcitur alienanti, vt ſunt verba Melanchthonis. *Æmulatio primo ſenſu* naſcitur inter conditione ſimiles: eſtque affectus gignendis inimicitiis fœcundiſſimus, ni contineatur intra terminos; quòd facilis ab eâ ſit ad inuidiam tranſitus. Huic æmulationi opponitur honoris atque dignitatis retinendæ contemptus; reipub. admodum pernicioſus. ſublatâ enim hâc inter bonos à ſtudio laudis contentione, iacet ciuitas, omniáque profundo torpent veterno: & omninò, vt Tacitus ait, *Contemptu famæ contemnuntur virtutes*: &, *Ignauis nec in victoriâ decus, nec in fugâ flagitium*. Porrò *Zelus ſecundo ſignificatu* eſt commixtio amoris & iræ. cuiuſmodi zelo Elias propheta impulſus interfecit pſeudoprophetas 1.*Reg*.18.40. Summo autem ſtudio cauendum, ne ſub zeli prætextu noſtris ſeruiamus libidinibus, noſtríve odij acerbitatem expleamus. Diſtinguitur zelus in diſcretum & indiſcretum. Ille fit κατὰ γνῶσιν, ſecundùm ſcientiam: hic ſecundùm affectum duntaxat. *Rom*.10. *verſ*.2. Denique *Zelotypia* vel eſt ζῆλος τύπου, id eſt, zelus de formâ, vt vulgo tradunt, vel eſt τύπος ζήλου, vt vult Scaliger, hoc eſt, ſpecies & veluti imago & veſtigium æmulationis. Eſt autem zelotypia ratione ſuſpicionis, vel fruitionis. Non minùs enim zelotypus dicitur, qui coniugem de fidei coniugalis violatione habet ſuſpectam, quàm qui de eâdem certus eſt. quanquam zelotypia ratione ſuſpicionis eſt frequentior. Eſt autem hæc perturbatio peſtilentiſſima atque truculentiſſima, vt præſtet mori quàm ſub huius tyrannide viuere.

XXIV. *Ἐπιχαιρεκακία eſt affectus mixtus ex odio & gaudio, cùm quis odio impulſus, alieno gaudet malo.* Ἐπιχαιρεκακία, quid?

Eſt hic affectus inuidiæ proximus; & à verâ genuináque hominis naturâ longè alienus. Primus enim in mundo ἐπιχαιρέκακος fuit diabolus, & eius filij cenſendi ſunt, qui hoc morbo laborant. Exſtirpandus itaque eſt hic affectus turpiſſimus,amoris,humanitatis,& miſericordiæ ſtudio.



SECTIO XXXII.

In quâ delineatur

GYMNASTICA.

PRÆCEPTA.

GYMNASTICA eſt ars, varietates & facultates omnium exercitationum, gratiâ ſanitatis, edocens. *Latinè diceretur*. Exercitatoria.

Eſtque generalis,vel ſpecialis.

Gymnaſtica generalis explicat cauſas, effecta, ſubiectum, & adiuncta exercitationis.

Cauſæ ſunt externæ, vel internæ. Ibi ſunt finis & efficiens: hîc materia & forma ſeu modus exercitationis.

Effecta ſunt duo, vigor animi & corporis,itémque delectatio.

Subiectum recipiens eſt locus: occupans, eſt corpus hominis, eiúſque exercitatio.

Adiuncta ſunt in tempore, & variis accidentibus: vnde exercitatio eſt

1. vehemens, laborioſa, violenta; mediocris, ſeu media; & parua, ſeu leuis.
2. veteris, vel recentioris æui.
3. ſimplex & ſolitaria,vel ſocia. Ibi homo ſe exercet ſolus, abſque ſocio, putà currendo, ſaliendo, &c. hîc eſt æmulatio colluſoris, vt in luctâ.
4. directa,vel indirecta. Illa habet ſibi propoſitam corporis exercitationem ſolam,vt eſt iactus diſci: hæc etiam alium finem intendit, vt venatio.
5. ſanorum, ægrotorum, vel neutrorum.
6. communis, vel propria literatorum aut illiteratorum.
7. communis, vel propria quarundam nationum.
8. totius corporis, vel certarum partium.
9. communis, vel propria certarum ætatum.
10. inſtituta ſuper terram, vel ſubter terram, vt in aquis.
11. temporis matutini, pomeridiani, vel veſpertini.
12. ante vel poſt paſtum.
13. temporis verni, æſtiui, autumnalis, vel hyemalis.
14. communis, vel propria nobilium aut ignobilium.
15. ſimplex,vel compoſita & mixta ex pluribus.

Gymnaſtica ſpecialis eſt religioſa, bellica,athletica, vel medica.

Gymnaſtica religioſa eſt de exercitatione religionis ergo ſuſceptâ.

Gymnaſtica bellica eſt de exercitatione militari.

Gymnaſtica athletica, ſeu vitioſa, eſt de exercitatione athletarum.

Gymnaſtica medica, ſeu legitima, eſt de exercitatione ſecundùm canones medicorum inſtitutâ.

Eáque generalis, vel ſpecialis.

Gymnaſtica medica generalis explicat cauſas, circumſtantias, & differentias generales exercitationis medicæ.

Cauſæ ſunt potiſſimùm finis, efficiens, & forma.

Finis, ſeu vſus, eſt prodeſſe ſanis & ægris.

Efficiens eſt corpus mouens & mouendum, quod eſt ſanum, ægrotum, valetudinarium, aſſuetum, non aſſuetum.

Forma eſt in modo exercitationis medicæ.

Circumſtantiæ ſunt locus, tempus, & quantitas ſeu menſura.

Differentiæ generales ſunt tres primariæ; quarum prima dicitur γυμνάσιον παρασκευαστικὸν, id eſt, exercitatio præparatoria, ſeu præuia: ſecunda, γυμνάσιον ἀποθεραπευτικὸν, exercitatio apotherapeutica: tertia ſimpliciter exercitatio nuncupatur. Et hæc poſtrema apud medicos gymnaſtas habet multas differentias, alias ab extrinſecis (nominatim à loco) alias ab vtendi rationibus, alias à motus ipſius tum quantitate, tum qualitatibus deſumptas. Itaque ſimplicium iſtarum exercitationum alia ſub dio agebatur, alia ſub tecto, alia in mixtâ vmbrâ: alia in loco frigido, calido, humido, ſicco, alia in horum medio: alia erat perpetua aſſiduáque, eáque æqualis vel inæqualis, alia intermiſſa eáque ordinata vel inordinata: alia cum puluere, eóque multo vel exiguo, alia ſine puluere: præterea erat multa, minor, vel mediocris: velox, celer, & acuta, vel tarda & lenta, vel mediocris: denique magna, eáque vehemens robuſtáque, aut valens; parua, eáque remiſſa, aut languida & imbecillis; vel media.

Gymnaſtica medica ſpecialis eſt theorica, vel practica. Illa edisserit varietatem, & ſpecies; hæc vſum, effecta, & qualitates exercitationum medicarum.

Varietas exercitationum medicarum reuocatur ad duo ſumma capita. Fit enim omnis exercitatio per motum vel ab ipſomet homine, vel ab alio factum.

Exercitatio ab ipſiuſmet hominis motu facta eſt ſaltatoria, palæſtrica, vel affinis palæſtricæ.

Exercitatio ſaltatoria eſt cubiſtica, ſphæriſtica, vel orcheſtica.

Palæſtrica exercitatio eſt luctatoria, pugilatoria, pancratium, pancarpus, ceſtus.

Exercitatio affinis palæſtricæ eſt curſus, ſaltus, diſci iactus, vſus halteris, iaculatio ambulatio, erectum ſtare, pugna, per funem aſcendere, manibus colluctari, plethriſſare, pityliſſare, ſpiritus cohibitio, vociferatio, cantus, lectio riſus, gemitus, fletus, vſus cricilaſiæ, trochi, petauri, & pilamallei. *quanquam hæc omnia Mercurialis ſubiecit palæſtricæ: ita vt duo tantùm ſint genera iſtius exercitationis.*

Exercitatio per motum ab alio facta eſt actio, vel paſſio. Ibi eſt piſcatio, venatio, natatio: hîc eſt geſtatio, eáque vel in equo, vel in vehiculo, vel in lecto, &c. ſeu, eſt equitatio, curulis vectatio, geſtatio in lecticâ & ſellâ, agitatio per cunas & lectos penſiles, ad óque per ſcimpodium, & nauigatio. Plura vide infrà *reg.* 14.

Vſus, effecta, qualitates, & facultates exercitationum medicarum ſpectantur in genere, vel in ſpecie ſecundùm omnes differentias.

Atque hæc eſt methodica delineatio, quam cum curâ ſic confecimus, maximè ex Hieronymo Mercuriali, qui ſcripſit libros ſex de arte gymnaſticâ; *item ex* Diætetico polyhiſtorico Quercetani.

R E G V L Æ.

I. *Gymnaſticam nobis commendant antiquitas & vtilitas.* Gymnaſtices encomium.

Antiquitas eius tanta eſt, vt gymnaſticam naturalem homini eſſe, & ſemper extitiſſe, ex S. literis ſit manifeſtum. Illæ ſiquidem docent, Adamum in ſtatu innocentiæ mandatum à Deo accepiſſe, vt hortum coleret, *Geneſ.* 2. Quò pertinet illud *Galeni 1. de tuendâ valetudine*, cunctos homines ad muſicam atque gymnaſticam propenſos naſci, nec quidquam reperiri, quod corpus atque animum, hiſce duab. magis componere, & ad bonam frugem inducere queat. vnde etiam eluceſcit huius artis *vtilitas.* Gymnaſtica nempe in corpore ſano bonum habitum generare, eúmque tanquam ſanitatis vel partem, vel cauſam conſeruantem retinere conatur. Et ob id tanta fuit apud veteres huius exiſtimatio, vt Plato atque Ariſtoteles eam remp. aut optimam eſſe cenſuerint, in quâ talis ars deſideretur. nec immeritò quidem. quoniam ſi animi ſemper habenda eſt cura, neque ille abſque corporis auxilio quidquam graue, aut dignum efficere valet; profectò ſtudendum eſt corporis ſalubritati, bonóque habitui, vt & animo inſeruire; & eius operationes nequaquam impedire, ſed adiuuare poſſit. Quantum porrò ars gymnaſtica ad hunc habitum adipiſcendum, ſanitatémque tum conſeruandam, tum etiam reparandam conferat, ex Galeno audiamus: qui ſe infinitos propè imbecilles ad bonum habitum reuocaſſe, & innumeros item alios, ne in morbos laberentur, ſolâ gymnaſticâ conſeruaſſe gloriatur: vt nullo pacto nobis mirandum ſit, ſi maiores noſtri vſque adeo corporis exercitationes æſtimauerint, vt non tantùm publica, eáque præclariſſima, exercendis corporibus, loca, qualia gymnaſia & thermæ fuerunt, extruxerint, verùm etiam in quibuſuis ferè priuatis ædibus exercitationibus locus aliquis in id deſignaretur, & quotidie in vſu eſſet. Sed audiamus hâc de re medicos. *Paulus Ægineta* ſic pronuntiat de effectis exercitiorum. Exercitia præparant partes inſtrumentales, vt ne facilè offendi poſſint, & robuſtas ad actiones efficiunt. Faciunt etiam alimenti attractionem fortiorem, & alterationem promptiorem, & nutritionem meliorem, propter exorientem caliditatem. Expurgant quoque meatus, & ſuperfluitates euacuant, propter fortem ſpiritus motum. In eundem ferè modum ſcribit *Oribaſius lib.* 1. *ſynopſ. cap.* 2. Laborioſæ exercitationes membra organica præparant, & robuſtiora ad actiones, & ad validiſſimam alimenti attractionem, promptiſſimamque alterationem, & meliorem appetitum, præter calorem excitatum reddunt, meatus purgant, & vehementi ſpiritus impetu excrementa expellunt. *Quercetanus lib.* 2. *diætetici hiſtorici, cap.* 11. Inter alias, *inquit*, maximè vtiles, ſumméque neceſſarias, ad humani corporis integram ſanámque conſtitutionem conſeruandam, plurimóſque eiuſdem languores & infirmitates præcauendas ac propulſandas, in quas aliâs homo ex nimio otio ac quiete facilè præcipitaretur, exercitium primum ſibi locum iure vendicat. Eſt enim illud noſtri caloris innati verum fomentum, & fuliginoſarum ſuperfluitatum in corporibus redundantium, aptum remedium: omnis plethoræ ſeu plenitudinis inducendæ obſtaculum ac impedimentum: agilitatis ac promptitudinis corporis comparandæ incitamentum: neruorum & iuncturarum corroborandarum idoneum & opportunum auxilium: nec non præcipua ac primaria cauſa apertionis pororum ac meatuum, per quos fuliginoſa illa & ſuperflua ſanguinis & ſpirituum, qui aliâs vitæ noſtræ fomites ac ſuſtentacula ſunt, materia forâs propellitur ac diſſipatur. Vnde fit vt ſingulæ corporis facultates corroborentur & inſtaurentur: omnium ſenſuum tam interiorum quàm exteriorum actio promptiùs & rectiùs perficiatur: liberior fiat pulmonum inſpiratio & reſpiratio: cordis robur ac vigor reſtituatur: partes quoque nutritioni inſeruientes meliùs concoquant, digerant, & aſſimilent alimenta, eorúmque excretionem citiùs abſoluant. Hæc ſunt inſignia illa emolumenta, quæ legitimum moderatúmque comitantur exercitium, in tempore ſcilicet & loco inſtitutum. Ex his itaque patet, quanta ſit vtilitas artis Gymnaſticæ.

II. *Finis gymnaſticæ eſt communis, vel ſingularis: proximus, vel remotus: internus, vel externus.* Finis gymnaſticæ.

Finis communis eſt partim animi & corporis vigor, partim voluptas & delectatio vtriuſque. *Finis ſpecialis* eſt, quòd *gymnaſtica religioſa* habuit vtilitatem theologicam & politicam. Nam ludorum finis erat religio quædam, quâ antiqui opinabantur ſeſe diis rem gratam illis ludis tanquam promiſſam facturos. Deinde reges & reſpublicæ ſtudebant ludis, vt illorum ſpectaculis, tanquam rerum ſacrarum contemplatione & veneratione, ſubditos in officio continerent. Et hic quidem eſt finis gymnaſticæ religioſæ ſuperſtitioſæ, apud gentiles. Gymnaſtica religioſa in populo Dei hunc habuit finem, vt homines animi lætitiam facerent teſtatam ex-

terne

terno corporis actu. Eâ enim de causâ Maria, soror Mosis, & Dauid saltarunt. *Gymnastica bellica* propositam sibi habebat agilitatem, & robur, & peritiam, quibus postea, cùm oporteret, hostes in pugnâ vincere possent. Atque harum exercitationum disciplina vsque adeo seuera apud veteres seruabatur, vt eius doctores duplicibus, quod scribit Vegetius, remunerarentur annonis, & qui parum in illâ profecissent milites, pro frumento hordeum cogerentur accipere. *Athletica, seu vitiosa gymnastica* finem habuit robur, vt illius viribus posset athleta aduersarium superare, & coronam præmiaque proposita consequi. *Gymnastica medica* sanitatis tuendæ gratia, & boni corporis habitus comparandi fuit instituta. Atque hi sunt *fines interni & proximi* singularum partium. Itaque sanitas est *finis externus & remotus* gymnasticæ religiosæ, bellicæ, & athleticæ, sed *internus & proximus* gymnasticæ medicæ. Omnia ergò gymnasticæ genera apud veteres ad vnum felicitatis publicæ, & sanitatis finem relata sunt.

Efficiens causa gymnasticæ.

III. *Ad causam efficientem gymnastices pertinent, qui instituerunt, descripserant frequentarunt, & hi tum principes, tum administri.*

Homeri tempore artis gymnasticæ principia quædam extitisse, patet ex ipsius libris, vbi milites Græci ex nauibus in arenam descendentes, disco, luctâ, cursu, arcu, & aliis huiusmodi exercitiis ad bellum sese præparabant. Itaque iam tum artis agonisticæ & gymnasticæ nomen accepit. Postea ad deorum cultus & sacrificiorum celebritates adhibita est, vt homines ad illas alacriùs & lubentiùs confluerent. Ita enim effectum est, vt huiusmodi exercitationes diis & hominibus gratæ reputarentur. Et ne quid deesset ad excitandos animos, præmia, quæ homines ad quiduis incitare solent, statuta sunt. Hinc Athleticæ nomen adepta est hæc ars: quòd Græci præmia ista vocarent ἆθλα, & exercitatores ἀθληταί. Demum ad gymnasia, & certos locos pro pueris edocendis, pro omnium sanitate tuendâ, ac pro bono habitu parando traducta, certisque præceptis & regulis conclusa, gymnasticæ nomen accepit. quod ante Plauti tempora fuit. Eam *Galenus lib. ad Thras.* ita definit: ἡ τέχνη γυμναστική ἐστι ἐπιστήμη τῆς ἐν πᾶσι γυμνασίοις δυνάμεως, hoc est, Gymnastica ars est scientia potentiæ omnium exercitationum, vt Mercurialis vertit. Quo in loco animaduertendum est, Galenum hâc definitione gymnasticam à *pædotribicâ* distinxisse; quoniam illa tanquam imperatrix, & exercitationum qualitates, & earum causas speculatur, imperatque, hæc veluti ministra illius existit; perinde ac gymnasta erat, qui omnium exercitationum potentias probè noscebat, easque prout sanitati & bono habitui expedire iudicabat, diuersis hominibus imperabat: pædotriba verò, qui eas, quomodo fieri deberent, & possent reipsâ demonstrabat. Porrò qui gymnasio præerat, *gymnasiarchus* appellabatur, cuius munus erat omnia moderari, tempus & horas præscribere, ordinem ponere, & alia denique, quæ ad artium & locorum publicorum principes spectant, sedulò curare. Hunc Plautus vocat gymnasii præfectum. Secundum locum habebat *xystarcha*. hic ambobus xystis, stadio, & denique cunctis athletarum exercitationibus præerat. Ab hoc proximus fuit *præfectus luctæ*, à Galeno vocatus ἐπιστάτης παλαίσματος, ab Hippocrate παλαιστροφύλαξ, id est, custos palæstræ, qui curam palæstræ habebat. *Agonistarcha* erat, qui certaminum publicorum præfectus erat in amphitheatris & gymnasijs. Post hos aderat *gymnastes*, magister, seu doctor, omnium exercitationum. Et is erat medicus, vel medico par. Hunc Xenophon appellat progymnasten, Plato pædotribam, Aristoteles ἀλείπτην, Ægineta ἰατραλείπτην, Latini aliptam, Seneca protogymnasium. Post gymnasten erat *pædotriba*, qui licet secundùm Platonem ab eo non differt, Galenus tamen eos valde diuersos facit, dum gymnastam medico & imperatori, pædotribam coquo & militi assimilat, merumque gymnastæ ministrum nuncupat. *Sphæristicus* erat eorum, qui pilâ ludebant, institutor, ac veluti pædotriba. Aderant & *serui fricandis corporibus destinati*. Post hos erant *reunctores*, qui corpora iam exercitata vngebant & reungebant. *Mediastini* quoque gymnasijs ministrabant, pauimenta euerrentes, nec non multa alia seruilia munia obeuntes. Aderant etiam *serui balneares*, lotos in balneis primò cum spongiis, deinde cum linteis exsiccantes, denique strigilibus corpora exercitatorum à strigmentis depurantes. Aderant *pilicrepi*, qui sphæris pice oblitis curabant, ne ignis balneorum extingueretur. *Alipili* ad vellendos alis pilos adhibebantur. *Ianitores* quoque vnumquodque gymnasium habebat, item *fornacatores*, & *variarum rerum venditores*, vt libarios, botularios, crustularios &c. Denique *medici* aderant; quòd inter exercendum sæpe vulnera, contusiones, contorsiones, luxationes, multaque alia fierent. Porrò varia hominum genera in gymnasia conueniebant. adeo quidem, vt sæpenumero inter ipsos contentiones exorirentur, atque etiam maximus quidam & insuauis clamor. Præcipua ipsorum genera erant *philosophi*, rhetores, reliquiue, qui studiis delectabantur: ibi legebant, colloquebantur, inter seque disputabant. tum *adolescentes*, qui vt exercitationum obseruationes atque modos addiscerent, ad gymnasia accedebant. Tertium genus erant *athletæ*, qui ibi se exercebant. *Quartum genus* erant omnes illi siue nobiles, siue ignobiles, qui vel militaris disciplinæ, & fortitudinis, vel tuendæ sanitatis, & boni habitus comparandi gratiâ variis exercitationum generibus incumbebant *Quintum genus* erat eorum qui fricabantur: *sextum*, qui lauabantur. Postremò non pauci *spectatores* conueniebant, non alio fine, quàm vt viderent exercitatores. Sed & viri principes, qui gymnasia extruxerunt, inque iis artem gymnasticam instituerunt, & illius magistros & præfectos aluerunt, in ordine causarum meritò ponuntur. Quidam etiam reges & principes in hâc arte sese exercuerunt, vt ad militarem scientiam afferrent robur & agilitatem. Postremò, quemadmodum cæteræ artes proprios habuerunt *authores*, qui earum facultates, regulas, atque vsum scriptis mandarunt: similiter gymnasticam illis nequaquam caruisse constat, qui & ipsam voluminibus illustrarint, & ab obliuione vindicarint. quanquam ista scripta interciderunt. Sparsim tamen quædam legas apud veteres quosdam. Inter recentiores *Hieronymus Mercurialis* hanc artem instaurauit, vt paulò antè dicebamus.

Materia & forma exercitationis.

IV. *Materia exercitationis est motus corporis humani; forma est motus istius modus artificialis sanitatis tuendæ, vel habitus boni comparandi gratiâ factus.*

Galenus distinguit γυμνάσιον, κίνησιν, πόνον. quia κίνησις, i. e. motus, est res quædam communis, atque pluribus conueniens quàm exercitatio, siue γυμνάσιον. Sic neque omnis labor est exercitatio. Itaque motus rectè statuitur genus, adeóque *materia, exercitationis. Forma* ipsius posita est in motu artificiali, qui perfectionem suam vltimam habet à fine, quem diximus. Ita enim est, vt Logici monent, actionis vis consistit in fine. Hinc itaque patet quid sit exercitatio, de quâ gymnastæ est tractare? videl. motus corporis humani, ex arte institutus, vel sanitatis tuendæ, vel habitus boni compandi gratia.

Subiectũ gymnasticæ.

V. *Gymnasticæ subiectum est corpus humanum, eiusque exercitatio: & locus, qui dicitur gymnasium.*

Corpus humanum, prout εὐεκτικόν, i. e. boni habitûs susceptibile, gymnasticæ subiicitur: h. e. quatenus bonum habitum recipere, eumque, & sanitatem conseruare in seipso, natum est. Atque hoc est subiectum informationis. Subiectum tractationis est modus exercendi. Subiectum operationis est ipsa exercitatio. Denique subiectum locale est *gymnasium*, in quo considerabimus ædificationem & partes. *Gymnasia* igitur splendidissimè ædificari solebant, idque in vrbibus, vel extra vrbes quidem, sed non procul ab eis. Sic Athenienses habuerunt in vrbe tria gymnasia, videl. Academiam, Lyceum, & Cynosarges. Quæ extra vrbem erant, non longè ædificata erant, vt quæ proxima essent vrbi, in eâ fuisse dici potuerit Athenæum, Hermeum, & Panothenaicum non erant gymnasia, vbi corpora exercerentur, sed loca, in quibus artium studia vigebant, aut festa celebrabantur. Corinthus quoque gymnasium habuit, Craneum vocatum. Tandem nullum penè oppidum fuit Græcorum, quod gymnasium non haberet. Romani postremi omnium gymnasia, palæstras vocata, in vrbe, ad Græcorum æmulationem ædificare cœperunt. *Gymnasiorum partes* erant decem, hoc ordine. 1. *Porticus exedris*, siue cubilibus apertis, *plenæ*: in quibus philosophi disputando, legendo, ac docendo exercebantur: & adolescentes ipsis operam dabant. 2. *Ephebæum*: vbi conueniebant, qui simul exerceri ac certare volebant, atque de præmiis & exercendi genere pactiones faciebant. 3. *Coricéum*, ἀποδυτήριον, γυμναστήριον: locus pro denudandis hominibus, qui vel exerceri, vel lauari, vel vtrumque agere volebant. 4. *Eleothesium*, ἀλειπτήριον, vnctuarium: in quo luctaturi, & alias exercitationes, vel balneas inituri vngebantur reungebanturque. 5. *Conisterium*: in quo positus puluis conseruabatur, vt possent vncti statim illo conspergi. 6. *Palæstra*: quòd nomen est totius & partis. Totius: quia & gymnasium, & quemcunque locum exercendis corporibus idoneum significat. Partis: quia palæstra erat certa gymnasij pars, vbi cursu, luctando, hastâ, disco, pugilatu, pilâ, saliendo, se exercebant. 7. *Sphæristerium*: vbi variæ exercitationes, & præsertim cuncta pilæ exercitia, quæ plurima erant, frequentiùs, quàm alibi peragebantur. 8. *Viæ illæ*, quæ inter porticus & muros sitæ erant, ab omnibus ædificiis nudæ; nec non *tota peristyly area*; quæ & ad subministrandam porticibus ac cellis lucem factæ erant, & ad spatiandum, aliasue exercitationes obeundas, quæ nec in palæstra, nec in alto puluere, nec in xystis aliisue locis fieri possent. Has appellabant *locum conculcatum*; quòd nullis lapidibus, lateribusue stratæ, sed rudes, & æquato tantùm solo forent. In his cursus fiebat: & ad id tum diauli, tum dolichi (à quibus diaulodromi & dolichodromi)

formæ atque termini constituti erant. 9. *Xisti & xista*: quæ duo apud Græcos & Latinos non parum discriminis obtinent. siquidem xistos hi vocant porticus tectas, vbi athletæ per hyemem, & æstate, tempore à luctationibus alieno, exercebantur: xista autem subdiales ambulationes, vbi hyeme, tempestate leni, è porticu prodeuntes & æstate ferè semper exercebantur ac ambulabant: atque has παραδρομίδας à Græcis nominatas scribit Vitruuius; quæ duplices erant, aliæ nudæ, aliæ platanis aliisve arboribus consitæ, ad præstandam amœnitatem, atque illis quæ à sole offendebantur, vmbram. 10. *Balneum*: quæ pars ob delicias atque sanitatem omnium maximè æstimabatur, cunctisque aliis maior erat & pulchrior. Loca balneum vniuersum constituentia, à Cicerone *balnearia* vocata, plura erant: videlicet λουτρὸν seu lauatio frigida, frigidarium, tepidarium, sudatio calida, & lauatio calida: quæ verò balneis inseruiebant, fuerunt hypocaustum, aquarium, & vasarium.

Quatuor species gymnastices.

VI. *Gymnasticæ summa genera, numero quatuor, non tam modo, quàm fine distinguuntur.*

Ratio prioris est; quia ferè conueniunt in iis partibus, quas in præceptis proposuimus, & infrà exposuimus: putà saltatione, lusu pilæ, cursu, & similibus. quæ obseruatio oppidò est necessaria. Quòd autem paulò antè in præceptis hæc exercitationum genera subiecimus gymnasticæ medicæ, hæc est causa; quòd ista species sit excellentissima. Notum verò est ex Logicis, speciem principem esse mensuram reliquarum. Ratio posterioris est; quia *gymnastica religiosa* id curat, vt homines contineat in reuerentiâ numinis & magistratus: *gymnastica medica*, quæ & simplex & legitima, id solùm curat, vt homines exercitationum moderatarum ope, & sanitatem acquirant, tueantúrve, & bonum habitum adipiscantur: *gymnastica bellica*, seu militaris, vnum studium erat, homines, pueros, atque etiam apud nonnullos, mulieres, earundem exercitationum adiumento ita disponere, atque aptare, vt & in bello sese fortiter gerere, & hostes propulsare, & patrias tueri, & omnem denique militarem peritiam tenere valerent. quamuis enim & hæc quoque, sicut & superior, bonum corporis habitum pararet, ac sanitatem tueretur, quia tamen proprius illius finis erat homines bellis gerendis idoneos atque fortes efficere, propterea eandem non esse satis apertè constat. quod ipsum etiam de gymnastica religiosa & athletica velim accipi. *Athletica* enim ab Hercule primitùs inuenta, primò fuit ars illustris & admiratione digna. Sed quia longo temporis interuallo, atque prauis hominum moribus valde corrupta & adulterata fuit, veriùs κακοτεχνίας, quàm τέχνης nomen ei conuenire dixit Galenus, eámque appellauit *gymnasticam vitiosam*: siquidem illius exercitatores, dum spe præmij & victoriæ, corpori incrassando, roborique comparando nimiùm incumbebant, mentem etiam crassam, sensúsque omnes hebetes, torpidos, ac segnes reddebant.

Gymnastica medica quàm latè pateat.

VII. *Gymnastica medica, seu medicina gymnastica, principaliter versatur circa sanitatis conseruationem, consequenter circa curatiuam.*

Duæ sunt primariæ partes medicinæ, quarum altera conseruatiua, seu προφυλακτικὴ καὶ ὑγιεινὴ; altera curatiua, seu θεραπευτικὴ nuncupatur. Ex his partibus ὑγιεινὴ, seu conseruatiua, ab aliquibus in tres partes diuisa fuit: in προφυλακτικὴν, morbos futuros & imminentes auertentem; συντηρητικὴν, quæ præsentem sanitatem tuetur: & ἀναληπτικὴν, à quâ valetudinarij reficiuntur. Ea porrò, quæ ad hanc partem constituendam à medicis excogitata atque ordinata sunt, quatuor nominibus comprehenduntur. Sunt nempe τὰ προσφερόμενα, τὰ κινούμενα, τὰ ἔξωθεν προσπίπτοντα, καὶ τὰ ποιούμενα: id est, *quæ exhibentur*, vt sunt esculenta & potulenta, siue ciborum siue remediorum vsum habeant: *quæ exinaniuntur*, vt sudor, sputum, vrina, &c. *quæ extrinsecus accidunt*, vt aqua, aër, &c. *quæ agenda* sunt, vt exercitationes, studia, vigiliæ, somnus, &c. Gymnastica igitur sub vltimo continetur genere: quam ideo vehementiùs omnes valetudinis studiosos amplexuros esse confido, quoniam pars medicinæ conseruatiua curatiuam partem tantò antecellit, quantò medicamenta ipsa ab exercitationibus superantur: de quibus Galenus & Auicenna ita prodiderunt, exercitationes tum excrementa soluere, tum per sudoris meatus eiicere posse; tantóque tam cibis quàm medicamentis attenuantibus præstare, quantò satius est nullo corporis nostro incommodo exigi, quæ redundant, quàm pariter & carne liquandâ, & solidis extenuandis: hæc námque incommoda calidis attenuandisque medicamentis associantur: exercitationes verò tantùm abest vt aliquid tale sequatur, vt potiùs firmitas quædam membris accedat, cùm & naturalis ipse calor accenditur, & ex partium inter se attritu soliditas quædam comparatur. Quid verò, inquiat aliquis? Cur tu cum Mercuriali gymnasticam collocas in conseruatiuâ medicinæ parte, cùm omnes veterum medicorum sectæ, ac præsertim Methodici, in cunctis ferè diuturnis morbis curandis exercitationes aliquas magnoperè commendarint? Rectè ad hoc respondet Mercurialis, gymnasticam principaliter circa sanitatis conseruationem versari, consequenter circa curatiuam. nullam etenim exercitationem, qualiscunque sit, vsquam reperies, quin in sanis corporibus absque noxâ administrari queat; at paucis quibusdam exceptis, nimirum ambulatione, gestatione, vectione, ac similibus, vix vna aut altera inuenitur, quæ ægrotantibus impunè concedi queat; imò illa, quæ adhibentur, potiùs vt remedia, quàm vt exercitationes commendantur, cùm in sanis omnes exercitationes solùm fiant, quò bonam valetudinem tueantur, optimúmque corporis habitum inducant; in ægrotis verò eædem administrentur, vt morbo expellendo aliorum medicamentorum instar cooperentur.

Quinam homines exerceri debeant?

VIII. *Homines sani, ægri, & neutri; assueti, & inassueti, se exercebunt iuxta has regulas.*

1. *Tria sunt corporum genera, sana, ægra, & neutra.* Illa præsenti valetudine fruuntur, & operationes illæsas habent: ista vel iam decumbunt, vel opera sanorum obire nequeunt: hæc sunt valetudinaria, quæ nec prorsus sana, nec omnino ægra sensibus nostris apparent. 2. *Tria sunt morborum genera*: primum in intemperie est positum, totius nempe corporis, vel alicuius partis: secundum in prauâ formatione, cùm nempe corpus vel aliqua eius pars caret debitâ figurâ, quantitate, numero, situ: tertium in solutione continuitatis. *Totidem modis sanitas, morbo contraria, constat*: nimirum bonâ temperie, bonâ formatione & vnitate partium. 3. *Corpora sana, quoniam quotidiè comedunt atque nutriuntur, necessariò multa excrementa generant, quæ nisi continuò à corpore per exercitationes educantur, tandem prauas dispositiones generant.* Rectè itaque Hippocrates, Plato, Galenus, & Auicenna nullum præstantius auxilium pro tuendâ sanitate reperiri ipsâ rectâ victûs ratione, nec non exercitationibus opportunè administratis, memoriæ tradiderunt. Ista verò administratio est ex parte exercitationum, & exercitandorum. *Ex parte exercitationum* sciri debet, nullam exercitationem, nec violentam, nec immodicam esse debere. *Ex parte exercitandorum* his mentem adhiberi oportet, consuetudini, ætati, habitui, vniuersali corporis, particulari membrorum habitui, particulari rationi viuendi, & temperaturæ. *Ad consuetudinem* quod attinet, exercitationes consuetæ, licèt sint aut nimis vehementes, aut nimis remissæ, inassuetis maiorem vtilitatem atque delectationem pariunt. at si quis vel minùs, vel plus quàm consueuit interdum exerceatur, protinus molestiâ euidenter afficitur. Quod verò *ad ætatem* pertinet, prouecti & senes possunt remissiores & pauciores exercitationes, quàm cæteri. Pueri, iuuenes, atque viri motibus ferè omnibus, pro suâ quisque ætate, sufficiunt, modò aliud quid non prohibeat, aut modum non excedant. *De vniuersali corporis habitu* sic est habendum. Pingues & obesi, quantò magis exercentur, tantò prosperiore sanitate vtuntur. quòd si etiam exercitationes sint vehementes & acutæ, nihil omnino nocebunt. Contrà graciles in consummatâ ferè quiete detineri postulant. Qui verò inter pingues & graciles sunt intermedij, hoc est, εὔσαρκοι, siue quadrati, vel qui parum ad alteram partem declinant, si mediocriter, aut etiam vehementer, modò non immodicè exerceantur, vtilitatem insignem percipiunt. *De particulari membrorum habitu* idem dicendum; crassas scilicet partes magis exercendas, tenues minùs, medias maximè. *In ratione viuendi* hoc animaduerti debet, vt qui parum comedunt, parum exerceantur; qui item vigilant: contrà qui multum comedunt, & multùm vel profundè dormiunt, multùm exerceri debent. *Demum ob temperaturæ rationem* sic de exercitationibus habendum, vt sicci vel nihil omnino, vel lentè satis, & minimum, laboriosè exerceantur. Calidi quoque, & præsertim acri & mordaci calore præditi exercitationes modicas requirunt. Frigida corpora vehementer atque multùm exercenda sunt: similiter corpora humida. vtraque enim excrementis abundant. Quæcunque verò corpora calida simul & sicca sunt nullo pacto exerceri conuenit: quæ calida & humida, exercitationem admittunt, at moderatam, non vehementem, non citatam: frigida & sicca ratione frigiditatis exercenda sunt, ratione autem siccitatis neque celeres, neque validos requirunt motus, sed moderatos, & potiùs lentos: frigida atque humida omnium maximè ab exercitationibus vehementibus & velocibus iuuantur; quippè quæ superuacaneam humiditatem absumunt, & calorem natiuum exsiccant augéntque. 4. *Ægra corpora aliquo modo exerceri debent, tum ad leniendas ægritudinum molestias tum ad recuperandam sanitatem: verùm ita, vt & in ægris ipsis, & in exercitationibus deligendis magna adhibeatur cura.* Itaque nullum corpus intemperie quàuis laborans, magnâ & vehementi

exercitatione

exercitatione gaudet: inprimis si intemperies sit calida, vel frigida. De morbosis corporibus ob malam formationem, idem est iudicium. Adhæc morbos in quantitate genitos non raro exercitationes tollere consueuerunt, quò pertinent corpora extenuata, & nimis aucta siue pinguia. Similiter corpora à morbo in numero correpta, putà calculo renum, vehementi motu iuuantur. Corpora verò ægritudine in situ laborantia, modò non ab ortu, nullum ferè exercitationis genus admittunt. Denique corpora tertio morborum genere, continuitatis videlicet solutione correpta, si febrim habeant comitem, nullo modo exerceri debent: item si continui solutio sit in parte aliquâ nobili. Alia membra ignobiliora, si patiantur continuitatis diuisionem, poterunt ægri mediocriter exerceri, modò nec insignis sit affectus, nec pars laborans exerceatur. 5. *Valetudinariis illis, qui jamjam à morbis euaserunt, inter cætera remedia, pro integrâ valetudine, ipsis accommodata, præcipua est corporis exercitatio.* Ita enim membra firmantur, humorum reliquiæ inaniuntur, calor excitatur, & denique totus corporis habitus restituitur. Est tamen omne studium adhibendum, vt à principio lenes, breues, tardi, ac remissi motus existant, deinceps, prout vires magis inualescunt, similiter & magnitudo, & longitudo exercitationis augeatur. 6. *Senes magnopere gaudent exercitationibus*: quia scilicet ipsorum ætas plurimam, ob caloris defectum, excrementorum copiam coaceruat. Hîc tamen habenda est ratio virium, totius corporis status, consuetudinis, & vitiorum particularium, quæ plerumque senum corpora infestare solent. *Ratio virium*, quas senes semper habent imbecilliores, sequi debent exercitationes mitiores. Quantum *ad totius corporis affectum*, exercitia senum erunt mediocria. Porrò senes *consuetis* exercitiis dabunt operam, sed tamen vehementiâ eorum remissâ. Postremò sunt *quædam vitia corporum senilium*, quæ respuunt quasdam exercitationes. v. gr. vertigo, morbus comitialis, grauis ophthalmia, auditus imbecillitas respuunt exercitationes caput offendentes. 7. *Exercitatio communiter accepta*, prout quaslibet vel minimas corporis agitationes complectitur, *nemini sano negari debet*: quando nihil sanitati tam est contrarium & perniciosum, quàm cuiuslibet motus cessatio. 8. *Non solùm assueti, sed etiam inassueti sunt exercendi.* Etsi enim assueta in solitis minùs turbant: tamen cùm assueta valde praua sint, & inassueta multò meliora, ad inassueta est transeundum. Certum est autem, quòd omnimoda ab exercitationibus cessatio sit res perniciosissima. Itaque potiùs cum aliquâ molestiâ permutandæ sunt prauæ consuetudines, quàm in illis cum delectatione, persistendum.

Vniuersalis methodus exercitationum.

IX. *Totus exercitandi modus & ordo erit, primò corpus à superfluitatibus quibusuis emundare, caput pectere, manus & faciem abluere, se accommodatè induere, tardos & remissos motus incipere, ad celeriores & vehementiores procedere, iterumque paulatim remittere, madefacta sudore indumenta exuere, blandè postremò moueri, & sedatâ exercitationis perturbatione cibum capere.*

Modus exercitandi est vniuersalis vel particularis: & vterque exquisitus, vel minùs exquisitus. *Veteres* in exercendis corporibus hunc modum tenuerunt. Viri & iuuenes exercendi, vbi ex lotio perfecta concoctio apparebat, fæcibusque aluum exonerauerant, maior pars sese exuebant, mox fricabantur mediocriter, vsquequo floridus color in summâ cute residens, & artuum flexibilitas, atque ad omnem motum agilitas oriebantur: perfricati oleo dulci inungebantur; quod vt magis artus quoslibet penetraret, manibus vndequaque prementibus & explanantibus apponebatur: ab vnctione qui luctatione exerceri volebant, aut pancratio, puluere conspergebantur, alij protinùs in exercitationem, prout cuique altera alteri vtilior atque gratior apparebat, descendebant, peractâ exercitatione paulùm quiescebant, deinde strigilibus, vel asperiusculis pannis strigmenta à corpore eradebant, quo facto aliquando rursum fricabantur, ἀποθεραπεία dictâ frictione, similiterque vngebantur, aliâs in sole, aliâs ad ignem: sicque ferè semper balneum ingrediebantur conclaui quàm maximè alto, lucido, & spatioso, rariùs seipsos induentes ad capiendum cibum accedebant Atque hic totus erat modus, quo vel in gymnasiis publicis, vel in priuatis locis maior pars liberorum hominum, & eorum qui valetudini curandæ & bono habitui comparando solenniter incumbebant, frequenter, &, vt Columella aliique memoriâ prodiderunt, quotidie vtebatur. quod de clarioribus proculdubio est accipiendum. Vnde Mercurialis rectè scribit, sibi verisimile fieri, quàm plurimos alios extitisse, qui vel negotiis publicis priuatisque impediti, vel necessariis variarum artium operibus detenti, vel aliquâ valetudinis ratione coacti, hoc pacto minimè exercerentur, sed frictionibus & vnctionibus dimissis, quascunque poterant exercitationes amplecterentur; sicuti & multi reperiebantur, qui prædictarum causarum aliquâ, nullo modo exercitationibus vacandi otium habebant: quibus omnibus exactiore victu, & sanis medicamentis opus esse scribit *Galenus libr.* 1. *de cibis bon. & mal. succi.* Nunc videamus, quomodo *hodierno die exercitationes instituendæ sint.* Sat erit illis, qui aliquâ necessariâ occasione impediti liberè sese exercendi otium nequaquam habent, vt potiùs quomodocunque possunt, exerceantur, quàm semper in otio & cessatione ab omni motu degant; modò tamen hoc vnum obseruent, ne statim à cibo eas exercitationes, quas sanitatis gratiâ facere volunt, solicitè nimis adeant, sed saltem duas horas interponant. Qui verò suæ spontis sunt, & maiori otio propriorum corporum curæ liberè vacare queunt, hæc omnia diligenter obseruare debent. 1. vt corpus tum à fæcibus, & vrinis, tum à mucis & sputis accuratè emundare, caput pectere, manus & faciem abluere studeant, ne excrementa in variis corporis cauitatibus, atque in ipso ambitu latentia, à motu excitata, vaporationibus offendant, aut exercitationis calore eliquata obstructiones aut etiam fluxiones diuersas pariant 2. vt corpus iis indumentis obtegant, quæ laborem ipsi non superaddant, quæque interim à ventis & frigore tueantur, aut etiam, si æstus vrgeat, feruorem non augeant. 3. vt remissè ac leniter vnusquisque exerceri incipiat, deinceps eius intentionem augeat paulatim, vsquequò ad terminum, qui sibi conueniens videbitur, perueniat; atque vehementiam rursus pedetentim remittere eatenus conetur, quatenus sibi jam satis sese exercuisse doctus experientiâ sentiet. 4. iis, qui inter exercendum sudant, curandum erit, vt peractâ exercitatione vestes sudore madefactas exuant, & siccas resumant, idque in loco tepido, aut temperato, aut saltem neque frigido, neque ventis perflato. 5. ne post exercitationem quàm primùm quieti se dedat, aut cibum sumat, sed blando & valde remisso potiùs aliquo motu vtatur, tantumque à cibis capiendis abstineat, quoad perturbatio illa, quasique corporis fluctuatio æstuatiove, ab exercitatione genita prorsus cessauerit.

X. *In loco ad exercendum electo eligendóve tres conditiones requiruntur.*

In quibus locis exercitationes fieri debeant?

Prima est, vt locus sit ab optimis ventis perspiratus, & à prauis obtectus. vnde loca ad septentrionem & orientem posita reliquis præferuntur. *Secunda* est, vt locus sit apertus, non conclusus, non opacus: quoniam vbi liberior existit aër, minusque constipatus, corpora in ipso exercitata, agiliora & viuidiora redduntur, quàm si in crasso, denso, & concluso exercerentur. *Tertia* est, ne à finitimis locis ad locum exercitationis vlla labes emanare queat, quæ aërem inficiens mox corpora exercitata, spongiæ instar quiduis recipientia, labefactet. Talia solent esse loca prope paludes, stagna, specus, cloacas. Quas omnes conditiones *Aëtius lib.* 3. *c.* 7. vno verbo complexus esse videtur, vbi omnem exercitationem in salubri loco, & puro aëre fieri debere scripsit. Sunt & aliæ locorum conditiones, sed minùs principes, vt inæqualitas situs, planities, & huiusmodi. Hîc non est prætereundum, cogi interdum homines sese in loco à sole percusso exercere; qui magnopere cauere debent, ne vnquam sedeant, vel quiescant: siquidem *Aristoteles* scriptum reliquit *in problem.* qui se exercent sub sole, illos magis vri dum sedent, quàm dum mouentur; quoniam cùm in motu sunt, aërem agitant, quasique spiritu ventilantur: cùm verò sedent, quia aër immotus permanet, vim solis acriorem experiuntur.

XI. *Tempus exercitationibus aptum est naturale, vel accidentale; & naturale rursus est vniuersale, vel particulare.*

Tempus exercitationibus aptum.

Tempus naturale est, quod perpetuo & firmo ordine euenit. Estque *vniuersale*, vt ver, æstas, autumnus, & hyems: vel *particulare*, quod singulorum dierum horas complectitur. *Tempus accidentale*, seu contingens, est, quod non ita firmo & perpetuo ordine euenit vt naturale: cuiusmodi est tempus australe, aquilonare; nimis frigidum, calidum, siccum, aut humidum; nubilum, aut serenum &c. De his differentiis temporis in exercitandis corporibus statuatur ex istis regulis. 1. *Corporibus ad aliquam intemperiem declinantibus eligantur in exercendo locus & tempus contraria.* Sic frigida corpora exerceantur tempore calido, vt æstate, calida frigido, vt hyeme: humida sicco, & sicca humido. 2. *Corpora temperata tempore temperato exerceri postulant*; nempe vere. 3. *Exercitatio tempore verno hyberno & frigido fit maior, quàm æstiuo; autumnali, & calido.* Calor enim in æstate est languidior in corporibus hominum, quàm in hyeme. Itaque tempore æstiuo plura colliguntur excrementa, quàm hyberno 4. *Manè ante cibum quibuslibet sanis adeunda est exercitatio.* Nam dum exercitatio cibos præcedit, duplex, ac vtraque insignis, succedit vtilitas: altera, quòd calor natiuus excitatur, augetur, & ad futuram concoctionem perbellè præparatur; altera, quòd succos vtiles in vniuersum corpus, prout destinati sunt, optimè distribuit, & excrementis faciliorem exitum præbet. Ex aduerso, si post cibum quis exercitationes adeat, non solùm vniuersi corpo-

xis habitui innumeræ crudelitates infarciuntur, ſed etiam vniuerſalis ſuccorum concoctio impeditur. Exiguum nihilominus à cibo motum probant ſapientes, quòd ille ventriculum magis accommodet, præſertim quando mox dormiendum eſt. Atque huc ſpectat verſus ille:

Poſt cœnam ſtabis, vel paſſus mille meabis.

Tria tamen hoc in loco obſeruanda ſunt. *Primum* eſt; vt nullus exercitationem moliatur, niſi priùs excrementa per nares, os, aluum, & veſicam expulerit, & heſternus cibus apprimè concoctus ſit. quia ſecus crudis humoribus, variíſque recrementis corpus replebitur. Cognoſcetur autem cibum iam concoctum eſſe, tum ex eructationibus, tum ex vrinis, quæ dum albidiores ſunt, abſtinendum à motu demonſtrant, dum verò ex albidis flauiores euaſerunt, iam tempus exercendi adeſſe demonſtrant. *Secundum* eſt; ne ſtomacho immodicè vacuo ac planè eſuriente exercitatio obeatur: quoniam hoc pacto eueniet, vt cibus ingeſtus, necdum à ſtomacho rabiente concoctus, à membris valde famelicis auidè nimis rapiatur, & proinde cruditates & obſtructiones innumeræ ſuboriantur. *Tertium* eſt, ne ſtatim poſt exercitationem cibus aſſumatur, ſed modica interiiciatur mora, quouſque agitatio corporis iam ſedata appareat. 5 *Vere* eligatur hora meridiana, quando aëris ſtatus temperatior exiſtit: *æſtate*, matutina, vt diei æſtus, quantum fieri poteſt, euitetur *autumno & hyeme*, veſpertino; quia quòd dies tum ſit breuior, cibus manè ſumtus, non poſſit niſi veſpere concoctus eſſe, quam ad rem plurimùm conducit exercitatio. *In vniuerſum tamen* nulla in omni tempore opportunior eſt hora, quàm matutina, paulò antè cibi ſumptionem. Tum enim corpora ſunt leuiora, & ab excrementis magis libera, magiſque ob ſomnum præuium valida, & præterea minus imminet periculum, quin cibus probè ſit concoctus. 6. *Singulæ illæ temporum conſtitutiones euitandæ ſunt, in quibus venti vehementiſſimi, & peſſimi ſpirant.* cuiuſmodi ſunt auſtrales, & aquilonares plurimi. *Fugienda quoque ſunt tempora nimis frigida, nimis calida, nimis ſicca.* Denique *fugiendum eſt tempus nubilum, obſcurum, & craſſum.*

Quantum vnuſquiſque exerceri debeat?

XII. *Terminus exercitationis eſt communis, vel particularis, ratione ætatis, temporis, & temperamenti.*

Terminus exercitationum communis duplex eſt: *vnus*, quando ſcilicet vapor ſudori aliquantiſper permixtus ſentitur, venæ intumeſcunt, atque anhelitus permutatur: *alter*, vt tamdiu exerceatur vnuſquiſque, quamdiu color floridus eius faciei & corpori ingeneratur; motuſque acriter, æquabiliter, & concinnè edit; nec vllam effatu dignam laſſitudinem ſentit. *Termini particulares ſunt*; vt *validi* diutiùs cæteris exerceantur; *debiles*, parum; *ſenes*, itidem parum; *adoleſcentes, iuuenes, & viri*, mediocriter; *pueri*, valde. Porrò *hyeme* multùm exercendum, quoad corpus vniuerſum incaleſcat, citra tamen ſudorem: *vere* plus, & vſque ad ſudorem: *autumno*, minus: minimè omnium, *æſtate*. *Qui temperatam degunt vitam*, moderatè exerceri debent: *incontinentes autem*, quòd multis abundent excrementis, multis exercitationibus opus habent. *Humida corpora* multam exercitationem requirunt: *frigida*, quoad tota ſe calefacta percipiant, exercitari expedit: *calida* parcè exercenda ſunt, citra ſudorem, aut incaleſcentiam, aut inſignem anhelitus mutationem: *calida & ſicca* exiguam requirunt exercitationem: *frigida & ſicca* exerceantur vſque ad manifeſtam incaleſcentiam, citra ſudorem tamen: *calida & humida* indigent exercitatione moderatâ: *frigida & humida* omnium maximè exercenda ſunt, ita nempe, vt anhelent, incaleſcant, atque etiam parumper ſudent. *Valetudinarij*, qui à morbis reſurgunt exiguâ admodum exercitatione vti debent. *Qui exercitationibus inaſſueti* ſunt, cùm prauam illi conſuetudinem deponere debeant, priùs expurgari ab humoribus & ſuperfluitatibus ex ſegnitie ortis iubentur: poſtea exercitationis modus paulatim augendus, quouſque ad illum terminum peruentum ſit, quem inaſſuetis ſufficere, & citra vllam moleſtiam calefacere experientia docuerit. Poſtremò *ægri* paucas exercitationes requirunt, quæ ſecundum morborum varietates variare debẽt, ideóque menſurã ſui à prudẽtiâ medici accipiunt. In his omnibus illud animaduertendum eſt, omnibus immodicam exercitationem nocere; nempe quæ pueris incrementum adimit, & membra colliquat, viris inæquales temperies gignit, ſenibus immodicas laſſitudines atque ſiccitates parit, omnibus tandem aliquid ſemper boni effluere facit. Immodicæ autem exercitationis hæc ſigna ſunto, dum articuli calidiores effecti ſentiuntur, dum vniuerſum corpus aridum & inæquale apparet, dum in motu ſenſus doloris cuiuſdam vlceroſi ſuboritur, dum labor coactè & non ſponte dimittitur, dum poſt ſudorem pallor ſuccedit, dum inſolita denique ac valde moleſta laſſitudo percipitur. Sed contrahamus, quæ fusè hactenus de gymnaſticâ medicâ diximus, in vnam regulam, quæ iam ſequitur.

XIII. *Exercitia corporis debent eſſe moderata, & accommodata.*

Exercitia corporis qualia eſſe debeant?

Modus conſiſtit in bonitate morali & artificiali, vt nempe nos exerceamus honeſtè, iuxta canones Ethicos, & artificioſè, ex præſcripto artis Gymnaſticæ. *Accommodatio* eſt in eo, vt exercitia pro variis ætatis, naturæ, perſonarum, loci, & temporis circumſtantiis, proque diuersâ partium corporis ratione, conuenienter applicentur. Eſt autem generale & commune officium omnium exercitiorum, vt ex eorum vſu legitimo calor corporis noſtri excitetur & augeatur. Quod vt aſſequamur, ante omnia cogitemus illam diſtinctionem, quòd exercitia ſint vehementia ſeu laborioſa, mediocria, & leuia. *Vehementia* ſunt, quæ fiunt cum aliquâ violentiâ, & in quibus reſpiratio eſt difficillima, vnde muſculis & neruis robur paratur. Eiuſmodi ſunt terram fodere, & onere maximo impoſito, vel eodem ſubſiſtere loco, vel paulatim incedere. *Mediocria* fiunt citra violentiam: vt curſus leuis, armorum exercitatio, lucta, magnæ & paruæ pilæ luſus. *Leuia* ſunt; quæ fiunt abſque motu, vel cum leuiculo motu: vt muſica vocalis & inſtrumentalis, ludus chartarum & tabularum, deambulatio. Exercitia vehementia, ſeu violenta, conueniunt iuuenibus & viris robuſtis potiùs, quàm ſenibus: potiſſimùm vero iis, qui in ſudore victum quotidianum quærunt, quales ſunt agricolæ, baiuli doſſuarij & ſaccarij, operarij, & alij id genus opifices. Mediocria conueniunt diuitibus, qui ex opum ſuarum reditu victitant: nec non & illis, qui literarum ſtudiis, ex profeſſo ſunt addicti. Quod attinet ad nobiles iuuenes, omnéſque illos qui ad arma ſunt nati & deſtinati, magnum eſt operæpretium vt aſperioribus exercitiis maturè adſueſcant, putà iaculandis telis & ſagittis, curſui, pugnis ludicris, equorum agitationi, & ſimilibus: exemplo nempe Lacedæmoniorum & Romanorum. Exercitia moderatiora, vt ſunt muſica vocalis & inſtrumentalis, ludi tabularum, & ſimiles, in quibus inter ludendum à menſâ non ſurgendum nec exeundum eſt, quæque corporis ac ingenij operâ peraguntur: diuturniores item & vehementiores deambulationes tam matutinæ quàm veſpertinæ: hæc, inquam, talia exercitia conueniunt delicatulis, ſeniculis, fœminis, omninóque illis, quorum natura aut complexio eſt imbecillior. His profectò *deambulationes* apprimè conueniunt. Illi ergo ſibi proponant exemplum Socratis, qui ſolebat quotidiè contentiùs ambulare, idque ſub veſperam; cumque à quodam rogaretur, cur id faceret, reſpondit, quò meliùs cœnem. Quibus verbis oſtendit vir ſapientiſſimus, deambulationis vſum, tum ad ciborum appetitum, tum ad cruditates abſumendas, non parum conferre. Porrò differentia ambulationum ſumitur vel à ſitu loci, vel à tempore, vel ab aliis circumſtantiis. Ambulatio per locum planum, vt rectè monet *Celſus lib. 1. de remed. c. 2.* minùs commodat & confert, quàm per locum accliuiorem & decliuiorem: ſi nempe homo non ſi corpore languidiore & imbecilliore. tum enim melius conducit deambulatio per loca plana. Eſt etiam deambulatio melior ſub dio, quam in porticu: melior in ſole, quàm in vmbrâ: melior in vmbrâ, quam parietes aut viridaria efficiunt, quàm quæ tecto ſubeſt: melior recta, quàm flexuoſa, vt idem Celſus ait. Sed pergamus in circumſtantiis. *Qui valentioris alimenti cibum aſſumpſerunt*, exercitatione vtantur vehementiore, vt venatu, palæſtrâ, curſu, diſco, pilâ paruâ, &c. & quidem ita, vt exercitia iſta tenui quodam ſudore humectam cutim perfundant. *Præterea congruant exercitia cum naturâ & complexione eius, qui iis vtetur.* Opus enim habent exercitatione maiori & violentiori, quicunque corpore præditi ſunt carnoſo & ſolido, pituitoſo excrementorum copiâ luxuriante, quã qui graciles, ſunt macilenti, & emaciati, qui dum ſunt ſiccioris temperamenti, à tantâ ſuperfluitatum excrementitiarum vbertate facilè excipiuntur. Ratio quoque habenda eſt illorum exercitiorum, *quæ vel ad tuendam ſanitatem, vel ad curationem morborum ſuſcipienda ſunt.* Tempus quoque idoneum exercitationum probè conſiderandum, ſemperque, quoad fieri poteſt, ante cibum, ſiue manè, ſiue veſperi, corpus exerceatur vehementiùs; poſt cibum, remiſſiùs. *Ægineta* de opportuno exercitationum tempore ita præcipit *lib. 1. de remed. c. 16.* Quandoquidem diſtributioni alimenti opitulantur, non oportet crudorum & incoctorum, neque ciborum neque humorum copiam, aut in ventre, aut in venis contineri. Periculum enim eſt, ne ad omnes corporis partes attrahantur, priuſquàm concocti commodi fiant. Clarum itaque eſt, ante cibos exercitia ſumi debere. Verùm temporis opportuni exercitij notæ ex vrinarum colore colliguntur. Nam quæ aquea eſt, incoctum adhuc ſignificat diſtributum in ventre humorem: falua verò & bilioſa, iam diu concoctum eſſe: moderatè autem pallida, recens factæ concoctionis ſignum eſt. Tunc igitur ad exercitia ducere oportet, idque veſicæ & ventris recrementis priùs reiectis. Eadem habet *Oribaſius lib 10 ſyn pſ. cap. 2.* His porrò, qui ventriculo ſunt debiliori, obſeruandum eſt illud *Celſi lib. 1. de remed. cap. 2.* Prima, *inquit*, eius

eius curatio, exercitatio eſt, quæ ſemper antecedere cibum debet: in eo qui minùs laborauit, & bene concoxit, amplior: in eo qui fatigatus eſt, & minùs concoxit remiſſior. Eſt præterea aduertendum, qualianam exercitia vel in genere *corpori conueniant*, vel in ſpecie ſingulis eius partibus; vbi exercitiorum alia capiti, alia manibus vel cruribus, alia lumbis, alia ſpinæ, alia thoraci, alia pedibus conducunt. Ratio quoque non minima habenda eſt *loci*, quo inſtituuntur exercitia. Alij enim magis aſſueti ſunt ſe exercere ſuper vel ſubter terram, alij verò in aquis, ſtagnis, fluuiis, mari, aut ſimilibus locis aquaticis.

Præcipua exercitiorum genera.

XIV. *Præcipua & vſitatoria exercitiorum genera ſic habent.*

1. *Curſus* apud veteres locus publicus deſtinatus erat, cuius longitudo erat ſpatium bis centum & viginti quinque paſſuum, aut ducentorum cubitalium. Qui vincebant, curſores in genere vocabantur: in ſpecie verò eorum alij dicebantur *ſtadiodromi*, qui ſtadium ſemel tantùm in longum percurrebant, & in limite quieſcebant: alij *diaulodromi*, qui peractâ metâ & decurſu, eò demum ſine intermiſſione reuertebantur, vnde curſum inierant: alij *dolichodromi*, qui ſexies repetito curſu ſtadium obibant, perpetuóque impetu duodecim ſtadia decurrebant: alij denique *hemerodromi*, qui ſine intermiſſione ac quiete, ſinéque vllâ reſpiratione, per totum diem, à diluculo vſque ad veſperam, curſum continuabant. Tale curſus exercitium hodiéque vſitatum eſt apud quaſdam nationes. 2. *Palæſtra* eſt ſpecies quædam curſus: eiuſque ars dicitur palæſtrica. Sed & palæſtra eſt quædam ſpecies luctæ, vt iam dicemus. 3. *Lucta* tres habet ſpecies. Et primò quidem eſt lucta palæſtrica: vnde luctator παλαιστικός, qui in luctâ aduerſarium proſternere poteſt impulſu, tractu, preſſione, & ſupplantatione, ſed non cædere. Deinde luctatio fit amplexu mutuo, ab ileis & humeris: denique conſertis brachiis, manu apprehenſis. Solebant autem luctaturi olim, veſtimentis depoſitis, nudóque corpore in arenam deſcendere, ac ceromate iungi, hoc eſt, quodam linimento ex oleo & cerâ compoſito: vnde miniſtri, qui in eiuſmodi ceremoniarum ritus obſeruandos conſtituti erant, *Ceromatiſtæ* appellabantur. Sed nudatio illa corporis fuit contra bonos mores: inprimis illa puellarum apud Lacedæmonios, quæ nondum adultæ palæſtrâ exercebantur nudæ. Quod ſtudium Plato nequaquam improbauit, cenſuit enim vt non modò puellæ, ſed & anus luctarentur cum viris. Sed, vt dixi, turpis & inuerecunda fuit hæc conſuetudo. 4. *Pugilatus* propriè eſt eiuſmodi exercitium, quo pugni inuicem conferuntur. Agreſte nimis & indecens exercitium. 5. Ex his duobus exercitiis, pugni ſcilicet & luctæ, ſurrexit quoddam aliud certaminis genus, quod *Pancratium* apud veteres nuncupabatur. In hoc exercitio qui concurrunt, corporis totius conatu, etiam calcibus, etiam genubus, etiam dentibus, omníque virium contentione inſurgunt in pugnam. 6. *Saltatio* eſt multiplex. *Scaliger lib 1. poët. c. 18* eam diuidit in ſtatariam, & motoriam: alij in vulgarem, & theatricam ſiue ſcenicam: alij in tragicam & lyricam. Sub tragicâ continetur ſaltatio ſatyrica; ſub lyricâ, Pyrrhica, Gymnopedica, & Hyparchematica. Porrò ſaltationis differentiæ ſumuntur à corpore, plus minúſve laſſitudine oppreſſo; ab honeſtate; à locis regionum; à ſingulari quâdam & artificioſâ membrorum diſpoſitione; ab imitatione & varietate melodiæ; ab habitu ſaltantium, &c. Vbi nos illam ſolùm probamus ſaltationem, quâ Deus non offenditur, quæque ciuilitatis & vrbanitatis ſtudium promouet, quâ deníque corporis conſtitutio bona non ſolùm ſarta tecta conſeruatur, ſed vegetior etiam, agilior, & promtior redditur ad quoſuis labores ſuſtinendos. 7. *Iactus diſci vel iaculi* eſt varius. Solet enim diſcus, id eſt, lapis rotundus, & in medio perforatus, proiici. Solet iaculum vel manu torqueri, vel adhibito inſtrumento, acu nempe & arcubaliſtâ. Quibus exercitiis hodiè, etiam in primariis ciuitatibus, ſolent vacare. 8. *Curſus ſeu concurſus equeſtris*; qui ſucceſſit in locum curſus pedeſtris. 9. *Certamina biiuga & quadriiuga* ſunt, quando duobus, aut quatuor equis in curru copulatis, contentio initur. 10. *Profectio ex vno loco in alium*, ſiue curru ſiue equo, ſiue naui, ſiue pedibus inſtitutus. 11. *Ludus pilæ* olim erat vſitatiſſimus, ac omnium primus & nobiliſſimus; eíque veteres plurimùm tribuebant. Pollux quatuor ſpecies huius ludi commemorat; quarum primam vocat ἐπίσκυρον: ſecundam, φαινίνδαν: tertiam, ἀπόρραξιν: quartam, οὐράνιον, propterea quòd in hâc vltimâ differentiâ, luſorum vnus, reſupino corpore iacens, in altum verſus cœlum pilam totis viribus mittebat, quam reliqui colluſores excipiebant, antequam relapſu terræ ſuperficiem attingeret. Hodiè quatuor etiam ſunt pilæ ludi genera, quæ tamen in omnibus non conueniunt cum veterum differentiis. Primum genus ſolâ manu & pilâ, mediocriter molli, perficitur. Secundum genus à primo differt non ſolùm loco metæ, quo mittitur & remittitur pila, id eſt, maiori longitudinis diſtantiâ, ſed etiam inſtrumento ligneo, paruo, mediocriter lato, cum capulâ rotundâ. Vtuntur enim illo luſores, vt fortiùs impellant pilam. Tertium, & elegantius, & vſitatius eſt illud, quod ſimpliciter ludus pilæ dicitur, quodque exercetur in peculiaribus domibus eam ad rem extructis. Hoc in ludo agitantur pilæ, reticulo quodam, hoc eſt, inſtrumento ad retis ſimilitudinem, ex neruis diametraliter & tranſuerſim expanſis, confecto. Quartum genus ludi pilæ, eſt ludus folliculi. Folliculus autem hic eſt genus quoddam pilæ rotundum, magnum, ex corio conſutum, intus vacuum, & nonniſi aëre repletum: quem brachiali quodam ligneo in aërem magnâ violentiâ propellunt. 12. *Ludus trunculorum*, qui à metâ duplici, longiori ſcilicet ac breuiori, diſtinguitur in ludum longum & breuem. 13. *Ludus globi lignei*, quo globus ligneus (plerumque ex buxo, tanquam duriori & ſolidiori ligno, tornatus) pugni magnitudinem, aut paulò maiorem referens, malleo ſimiliter ligneo, manubrium rotundum ac oblongum habente, per planam terræ ſuperficiem, ſummo cum impulſu ludentis propellitur. 14. *Venatio* inter omnia exercitia, quæ præſtantiæ ac celebritatis laudem merentur, facilè primum occupat locum. Hâc ſiquidem ratione, corporis ſanitati non vno modo proſpicitur & conſulitur; dum ſcilicet venator id variis exercitationum modis, prout ipſi viſum fuerit, expedire poteſt, ſiue pedes, ſiue eques incedere voluerit: ſiue laborem grandiorem, ſiue leuiorem ſuſcipere, eumque longiori vel breuiori temporis ſpatio continuare placuerit: in quibus omnibus, tum pro variâ corporis conſtitutione ac conditione, tum pro fortioris aut imbecillioris valetudinis ratione, cautè & adhibito iudicio agendum eſt. 15 *Falconaria*, ſeu *accipitraria*, genus quoddam venationis eſt. Vtrumque autem hoc exercitium eſt proprium principum & nobilium. 16. *Natandi exercitium*; cuius tanta eſt vtilitas, ad ſanitatem corporis conſeruandam, deperditámque reſtituendam, vt ex ipſius vſu legitimo & tempeſtiuo, infinita corporis mala, quæ ob caloris exceſſum, refrigerium & humectationem poſtulant, è medio tolli & curari poſſint. 17. *Varia ludorum genera*: vt muſica vocalis & inſtrumentalis, ludus chartarum & tabularum, &c. de quibus in ſeq. ſectione. 18. *Exercitatio armorum multiplex*. 19. *Exercitia ruſticana*: vti ſunt terram fodere, hortum colere, arbores putare, &c. 20. *Exercitia onerantia*; vt ſi quis onere maximo impoſito, vel eodem ſubſiſtat loco, vel paulatim incedat. 21. *Deambulationes omnis generis*. 22. *Exercitia artium mechanicarum*; putà artis Gnomonicæ, Scenographicæ, Plaſticæ, &c. de quibus vide ſuo loco. Sed hæc, & ſimilia, paulò fuſiùs perſequamur, eo ordine, quem ſuprà in præceptis expreſſimus.

XV. *Gymnaſtica medica tota in eam diuiditur, quæ motus hominum à ſeipſis, & quæ ab aliis factos ſpeculatur; atque prima in ſaltatoriam, palæſtricam, & palæſtricæ affinem ſubdiuiditur.*

Summa gymnaſticæ medicæ diuiſio.

Plato lib. 7. de legibus author eſt duas inprimis eſſe diſciplinas, quarum ductu pueri excoli debeant, muſicam & gymnaſticam: gymnaſticæ rurſus duo membra facit, vnam τὴν πάλην, alteram τὴν ὄρχησιν appellat. Quò ſine dubio reſpexit *Galenus*, quando *lib. 2. de muſculorum motu* ſcriptum reliquit, ὀρχηστικοὺς καὶ παλαιστικοὺς ſolos faciliè crura flectere. Sed rectè obſeruat *Hier. Mercurialis lib. 2 gymnaſt. cap. 2.* hanc diuiſionem non complecti omnes exercitationum ſpecies, ideóque ſubſtituit illam, quòd gymnaſtica contempletur motus hominum vel à ſeipſis, vel ab aliis factos; atque primam ſubdiuidit in ſaltatoriam & palæſtricam; quibus nos addimus tertium membrum, videlicet eam quæ palæſtricæ eſt affinis. etſi dichotomia à Mercuriali tradita etiam retineri poteſt: quòd palæſtrica ſit vel ſtrictè ſic dicta, vel latè ſumpta.

XVI. *Plena enumeratio exercitationum corporis hæc eſt.*

Exercitatio corporis eſt 1. Saltatoria.

1. *Saltatoria* eſt cubiſtica, ſphæriſtica, & orcheſtica, quæ tres ſpecies locum habent in omnibus gymnaſticæ partibus: quando ſaltationes adhibitæ fuerunt in ſacrificiis, & gymnaſtica bellica itémque athletica nunquam fuit abſque ſaltatoriâ, & denique inter cæteras exercitationes hominibus ad ſanitatem conferentes hæc ab antiquiſſimis ſcriptoribus ponitur. Plato illam ſaltationem, quæ in ſacrificiis & expiationibus adhibebatur, ἀμφισβητουμένην; medicam, εἰρηνικὴν, id eſt, paci aptam; priorem alij mediam appellant. Porrò *ſaltatio cubiſtica*, quæ & κυβίστησις dicitur, erat actio, ſeu motio, quâ homines variis modis pedes ac manus contorquentes in caput, ſaltabant, quomodo etiam tempeſtate noſtrâ circulatores nonnulli faciunt. *Saltatio ſphæriſtica* eſt ipſiſſimus pilæ ludus, cuius genera apud Græcos & Latinos non erant eadem. *Apud Græcos* enim quatuor erant genera ludendi pilâ, videlicet σφαῖρα μεγάλη, σφαῖρα μικρά, σφαῖρα κενή, καὶ κώρυκος, id eſt, pila magna, parua, inanis, & corycus. *Pila magna* erat magna, vel maior. *Pila parua* erat valde parua, maiuſcula, vel maior. Rurſus pila parua erat aporraxis & vrania, quam in cœlum proiiciebant, & antequam terram attingeret, excipiebant. *Pila inanis*,

inanis, seu vacua, solo, vento, siue aëre, plena erat, non plumâ vel lanâ, vt duo priora genera. *Corycus* in corporibus imbecillioribus grano ficulneo, aut farinâ, in robustioribus arenâ implebatur. *Apud Latinos* etiam fuerunt quatuor genera pilæ, follis, trigonalis, paganica, & harpastus. *Follis*, qui & folliculus, & follis pugillatorius erat pila magna ex alutâ confecta, solóque vento repleta. *Pila trigonalis* erat parua, sic nuncupata vel a loco, vbi ludebant, qui triangularis erat; vel potiùs à ludentium numero, figurâ, & situ. *Pila paganica* in pagis erat vsitata: vnde ipsi nomen. *Harpastus*, ἁρπαστός, erat pila, quam ludentes alter alteri eripiebant, & alio nomine phenînda φενίνδα, vocabant. Atque hæc est parua pila Caleni. de quâ Athenæus scribit, se illam maximè omnium diligere. *Orchestica*, tertia saltatoriæ pars, ita dicitur nomine generis. Itaque ὄρχησις, *saltatio*, nihil est aliud, quàm facultas quædam, motibus ac gestibus corporis artificio quodam, numero, & ratione factis, imitandi, hominum mores, affectus, & actiones. *Tres ipsius sunt partes*, latio, figura, & indicatio. Latio est motio affectûs alicuius, vel actionis vel potentiæ repræsentatiua. Figura est dispositio, in quam latio terminatur. Indicatio est rei alicuius puta cœli, terræ, &c. ordinato motu facta declaratio. *Species saltationis* ferè sunt innumeræ. *A regionibus* appellatæ sunt saltationes Laconicæ, Trœzenicæ, Epicephyriæ, Cretenses, Ionicæ, Mantiniacæ, Gaditanæ, & huiuscemodi aliæ. *Ab inuentore & modo* vocatæ fuerunt aliæ Pyrrhichiæ, à Pyrrhicho quodam Lacone, vel à Pyrrho Achillis filio: aliæ Telesiæ: aliæ tornatiles seu versoriæ: aliæ insanæ: aliæ ridiculæ: aliæ scenicæ. *Sub pyrrhichiâ* continentur Oristis, Epichedios, Carpæa, apochinos siue mactrismos, denique stabiliores & variæ, vt dactylica, iambica, molossica, emmelia, chordax, sicinnis, Persica, Phrygia, nicatismus Thracius, Calabrismus. *Sub insanâ saltatione* continentur caudifer, mongas, thermaustris, anthema *Sub ridigulâ* igdis, mactrismus, apochinos, sobas, morphasmus, glaux, & leo *Sub scenicâ*, tragica, comica, & satyrica. *Sub lyricâ*, Pyrrhichia. gymnopedica, & hyporchematica. Denique, cùm motus omnis, ex sententiâ Aristotelis, ex impulsu atque tractu componatur, saltantes aut impellebant corpus; aut trahebant; & hoc sursum vel deorsum, vel prorsum, vel retrorsum, vel dextrorsum, vel sinistrorsum: à quibus postea motibus componebatur simplex ambulatio, flexus, pro cursus, saltus, diuaricatio, claudicatio, ingeniculatio, elatio, iactatio pedum, permutatio: quibus tota saltatio perficiebatur, quantum ad pedes. Iis verò etiam adiuncta fuit χειρονομία, quæ ordinatas manuum motiones edocebat; quales sunt manuum connexio, consertio, compectinatio, distentio, complexus, alternatio. Atque ita vniuersa saltatio ex motibus tam manuum quàm pedum ad repræsentandas res formatis conflata fuit. Itaque primarius finis saltationis est imitatio. Sed & alios habuit fines: quando ad theatra & ludos voluptatis gr. nec non ob religionem quandam ad sacrificia, item ad quærendam corporis fortitudinem militarémque peritiam, corporis denique sanitatem adhibita fuit saltatio. Quare saltatio perinde vt sphæristica ab omni gymnasticâ fuit vsurpata.

2\. Luctatoria. 2. *Luctatoria*, πάλη, aliâs καταβλητική, id est, deiectoria erat exercitatio, in quâ luctatores bini, nudi, vncti oleo, & puluere aspersi sese brachiis complicantes, inuicémque concertantes, alter alterum deicere humi contendebant: ad quod peragendum embolæ, parembolæ, paratheses, & systases necessariò requirebantur, illudque præ cæteris quærebatur, vt pedes primò comprehenderentur.

3\. Pugilatoria. 3. *Pugilatoria* πυγμική, erat exercitatio, in quâ homines nudi concertabant, pugnísque nudis, vel strictis, vel sphærâ lapideâ aut æneâ plenis (vnde σφαιρομαχεῖν) vel loris laminâve circumsepti se inuicem percutiebant, modò caput, modò dorsum, modò brachia petentes, neque vnquam sese mutuò complicantes; in quâ pugnâ superabat, qui aduersarium pugnorum ictibus in terram prosternebat, vel grauiùs feriebat, quanquam non desunt, qui etiam calcibus huiusmodi pugnam factitatam scribunt, ob idque apud *Senecam epist*. 81. non σφαιρομαχίαν: sed σφυρομαχίαν legendum putent.

4\. Pancratium. 4. *Pancratium* erat genus exercitationis ex luctâ & pugilatu compositum: in quo qui exercebantur, aduersarios & pugnis ferire, & comprimere, & continere, & deiicere studebant. Hæc exercitatio etiam appellatur παμμάχιον, & volutatorium.

5\. Pancrapus. 5. *Pancrapus* erat pugnæ genus, quod aduersus bestias committebatur: vt videre est apud *Cassianum l. collat.* 5. *cap* 14.

6\. Cestus. 6. *Cestus*, seu certamen cestibus peractum, erat aliquid pugilatui simile. Cestus enim erant laminæ æneæ manibus alligatæ, vt non modò pondere aliquo & crassitie, verùm etiam soliditate cestibus certantes seipsos ferirent.

7\. Cursus. 7. *Cursus* habebat quatuor præcipuas species; stadium, dolichum, diaulum, & armatum. *Stadium* erat cursus vnius tantùm stadij: *dolichus*, duplex vno cursu stadium: *diaulus*, duplex & ipse stadium, sed reflexo cursu. *Armatus* cursus à gestatione armorum nomen habet. Antyllus tres species cursus recensens: alteram in anteriora currendi, alteram in posteriora, alteram in orbem. Denique cursus fiebat in gymnasiis, vel extra gymnasia; & hic prout necessitas commoditasve postulabat, aut per loca plana, aut per aspera, aut per æqualia, aut per inæqualia, aut per prata, aut per montes suscipiebatur.

8\. *Saltus*, ἅλμα, est intercisus cursus, sicut cursus est continuatus saltus. Et hic quoque fiebat in gymnasiis, vel extra illa. In gymnasiis duplici modo vsurpabatur saltus; altero, quando saltantes vacuis manibus seipsos in sublime agebant; altero, quando manibus pondúscula, ἁλτῆρες nuncupata, capiebant, vt illis firmati vehementiùs saltarent. Interdum etiam ex humili loco in altum saltabant, interdum ex alto in humilem, interdum per loca plana, atque tunc limitem, vnde principium saltandi capiebant, βατῆρα appellabant; & mensuram, κανόνας; & terminum, σκάμμα. 8. Saltus.

9\. *Disci iactus* inter exercitationes gymnasiorum haud infimum locum habebat Erat autem discus lamina trium vel quatuor digitorum crassitudine, longior paulò plus pede, lapidea, ferrea: vel ænea, quam rotationis instar in aërem eiaculabantur. Alij existimant, discum fuisse lapidem grauem, quem exercentes se proiiciebant, &, cùm ferreus erat, massam vocabant. 9. Discus

10\. *Halteres*, ἁλτῆρες, erant exercitationis genus, disco simile. Hoc ab halteribus, paulò antè nominatis, quos saltatores, vt vehementiùs saltarent, manibus comprehendere consueuisse diximus, diuersum erat. Etsi enim halteres huiuscemodi ex eâdem materiâ atque formâ, quâ saltatorum pondera, esse possent: nihilominùs tamen ab illis differebant, quòd non modò manibus, vt saltatores, tenerentur, verùm etiam variis modis emitterentur, quomodo hodiè videmus pilam, aut lapidem ferreum vel plumbeum manibus ac brachiis extensis & circumactis in altum emitti. 10 Halteres.

11 *Iaculatio*, ῥίψις, duas præcipuas habet species apud Platonem. Altera appellatur τοξική. id est, sagittatio, altera ἀκόντισμα, id est, iaculatio. *Sagittatio* tribus præcipuè modis fieri solebat, tum solis amentis, tum arcubus, tum balistis, *Iaculatio* verò non modo sine amento, arcu, balistâue efficiebatur, verùm etiam grandiores sagittas, crassioresque virgas, & plerumque graues palos requirebat. 11. Iaculatio.

12\. *Ambulatio* præcipua est gymnasticæ medicæ pars. vnde antiqui omnes vsque adeò deambulationem æstimarunt, vt inter cætera priuatis exercitationibus destinata, & in gymnasiis, & extra gymnasia, loca nullus maiorem curam gessisse, nullique magis studuisse videantur. Habet verò hæc exercitatio multas species tum à naturâ illius, tū à loco, tum à fine desumptas. *A naturâ* quidem ambulatio est magna vel parua, velox vel tarda, vehemens vel remissa. *A loco* fit in vrbe vel extra vrbem, in gymnasio vel extra, in loco aspero vel plano, in arenâ vel puluere, in loco æquali vel inæquali. *A fine*. ambulatio est alia quæ adhibetur sanitatis, alia quæ delectationis gratiâ. Postquam enim grauiores exercitationes confecerant, ne statim ad quietem, tanquam à contrario ad contrarium transitus fieret, ambulationes paucas & remissiores adhibebant, sicut & post medicamenta, & vomitiones; atque vniuersum hoc exercitationis genus ἀποθεραπευτικὸν appellabant: quanquam etiam gymnastæ in mediis laboribus apotherapiâ interdum vtebantur. 12 Ambulatio.

13\. *Erectum stare pedibus* est aliqua exercitatio; quia erecti pedibus stantes etsi non ambulant, saltem aliquo modo mouentur: quòd ipsorum musculi omnes corpus gestantes, & à terrâ attollentes, erigentésque, vehementer intendantur.. Atque hinc est, quòd erectum stare, perinde atque cæteræ exercitationes, ante & post cibum prodesse solet. 12. Erectū stare.

13\. *Pugna* erat exercitatio, in quâ duo vtplurimùm inter sese dimicabant. Duo ipsius occurrunt genera; altera cum telis semper, altera plerumque sine telis. *Telorum pugna* efficiebatur, quando singuli inter se armis rudibus, vel incidentibus & pungentibus certabant. Hæc appellata fuit μονομαχία, & ὁπλομαχία. *Pugna sine telis* appellabatur σκιαμαχία, quando homo aduersus propriam vmbram, vel columnam, vel palum, & branchiis, & cruribus pugnabat. 13. Pugna.

14\. *Per funem ascendere*, τὸ διὰ σχοινίου ἀναρριχᾶσθαι, erat exercitatio vehemens. Huc pertinent exercitia funambulorum, seu schœnobatarum, & genus ludi, quod σκαπέρδα vocabatur: in quo trabs solo depacta erigebatur, in cuius summo foramen erat, per quod funis traiiciebatur ex vnâ parte funiculi, alter auersus circumligabatur, alter ab alterâ trahebat, sique trahens socium, vsque ad summum traxerat, protinus victor denuntiabatur; sin alter resistens, minimè se trahi sinebat, penes ipsum victoria iudicabatur. 14 Per funem ascendere.

15\. *Acrochirismus*, τὸ ἀκροχειρίζεσθαι, erat colluctatio quædam, summis tantùm manibus facta, in quâ nulla reliqua corporis pars ab ipsis digitis tangebatur, donec aduersarius deficeret, 15. Acrochirismus.

cedet, perdurans. Pancratistes in huiuscemodi ludo dicebatur ἀκροχειριστής.

16. Explethrissare. 16. *Explethrissare*, seu plethrissare, τὸ ἐκπλεθρίζειν, erat, cùm in plethro, id est, in sextâ parte stadij, quis prorsum, retrorsumque vicissim, idque sæpè in vtramque partem sine flexu cursitans, vnoquoque cursu breue quiddam de spatio demebat, quoad denique in vnico gressu constitisset, vel vt clariùs dixit Auicenna, donec in fine illius in medio stetisset.

17. Pitylissare. 17. *Pitylissare*, τὸ πιτυλίζειν, erat, si quando summis pedibus quis ingrediens, vel stans, tensas in sublime manus, hanc antrorsum, illam retrorsum, celerrimè mouisset. quâ exercitatione maximè ante parietem stantes vti solebant, quo si interdum aberrassent, facilè, pariete apprehenso, erigerentur.

18. Spiritus cohibitio. 18. *Spiritus cohibitio* inter exercitationes, & præsertim apotherapeuticas, ab optimis gymnasticis reponitur. Hæc verò tunc efficitur, quando cuncti thoracis musculi, qui circa costas sunt, vsque adeò intenduntur, coguntúrque, vt expiratio perfici nequeat. Habebant autem gymnastæ medici duplicem spirationis cohibitionem in vsu: alteram, in quâ vniuersi thoracis musculi tendebantur, remissis, qui sunt in septo transuerso, atque abdomine, vt faciliùs excrementa deorsum truderentur: alteram, in quâ abdominis quoque musculi tenduntur, quò videlicet ea, quæ sub septo sunt, viscera, exercitationis fructum sentirent. in ambabus verò fascias quasdam adhibebant, quibus thoracem, atque costas, nec non ventrem cingentes, feliciùs propositum assequebantur. Propositum autem habebant huiuscemodi exercitatione, modò calorem in exercitationibus acquisitum, siue ipsum natiuum auctum confirmare, modò spiritualia membra iuuare, modò excrementa pectoris expurgare.

19. Vociferatio, lectio, & cantus. 19. *Vociferatio*, id est, aëris vehemens percussio, erat exercitatio, histrionicæ professoribus, & medicorum gymnastis vsitata. Et illi quidem vociferationibus exercebant, vt concinnitate & suauitate vocis placerent, vnde magistros phonascos, & artem phonasciam appellabant: hi verò exercitationem vocis commendabant, non modò ad vocis conseruationem, & ad aliorum morborum curationem, sed etiam ad tuendam bonam valetudinem, & ad corporis robur; vtpote quæ thoracem, ac vocalia instrumenta perbellè exerceat, naturalem calorem excitet, partibusque maximè vitalibus, & principalissimis, vim internam, vigoremque firmum & genuinum inserat. Huc etiam pertinet *lectio clara*, quam Celsus commendat inter exercitationes imbecilli stomacho conferentes. *Cantus* etiam, atque adeò musica, huc referri debet; quatenus nempe modò graues, modò acutos, modò medios sonos, qui non sine aliquo corporis labore eduntur, admittit.

20. Risus. 20. *Risus* inter exercitationes gymnasticas adnumeratur; quòd proculdubio agitet corpora, & non parum exerceat: siue is titillatio præcordiorum existat, quemadmodum Aristoteles sensit; siue, vt est apud Meletium, motio, quæ musculos in facie existentes distendat; siue muscularis dilatamenti motus, qui à spiritus agitatione ab intimis visceribus impellitur; siue quid aliud, sensum atque intellectum humanum latens. Quidquid horum sit, videmus hominibus, dum rident, tota viscera commoueri, ignescere faciem, caput & pectus concuti, innumerisque ferè affectionibus affici: quæ sicuti nonnullis aliquando magna detrimenta attulerunt, ita quoque alios non parum iuuerunt.

21. Fletus & gemitus. 21. *Fletus & gemitus* inter gymnasticas vocis exercitationes recenfentur; quòd excrementa capitis, aliarum multarum exercitationum instar, exinanire possint. Hinc *Aristoteles 7. polit. c. vlt.* ploratum pueris conducere scribit.

22. Circlasia. 22. *Circlasia*, κιρκηλασίας, q. d. circuli impulsum, erat exercitatio, in quâ homines circulum quendam magnum, cuius circumferentiæ annuli parui infixi erant, quâdam ferreâ virgâ ansam habente, in transuersum latus impellere solebant.

23. Petaurum. 23. *Petaurum* erat machina lignea; quâ homines rotis quibusdam in aërem iactabantur. Sunt qui putant, raptorium illud machinamentum, à Cælio Aureliano macron sparton vocatum, vel ipsummet petaurum, vel saltem ei non dissimile fuisse.

24. Trochus. 24. *Trochus* erat exercitatio medicinæ gymnasticæ, & illius præsertim, quæ pueris exercendis operam nauabat.

25. Pilamalleus. 25. *Pilamalleus*, seu pila & malleus, constituit exercitationis genus, in quo primùm brachia & dorsum exercentur, quando malleis ligneis pilam ligneam longè pellere coguntur: tum ex ambulatione, quæ tali exercitationi perpetuò associatur, ea commoda ferè trahuntur, quæ ambulantes homines percipiunt

26 Equitatio. 26. *Equitatio*, ἱππασία, vtriusque exercitationis naturam, illius scilicet, quæ à nobis ipsis, & illius quæ ab aliis in nobis peragitur, secundùm Galeni sententiam sapit: vnde equitationem appellat motum mixtum.

27. Curulis vectatio. 27. *Curulis vectatio* à medicis gymnasticis tam pro sanis conseruandis, quàm pro aliquibus ægris curandis in vsum fuit recepta. Huius duo genera facit Galenus; alterum, in quo homines vecti sedebant, alterum quo iacebant. Atque vtraque hæc in vrbe, vel extra vrbem peragebantur: itemque curru tecto, vel aperto. Habuerunt veteres multa curruum aut vehiculorum genera: vt plaustrum, esseda, petoritum, arcirnam, birotum, cantherinum, carrucam, carpentum, thensam, cisium, conuinum, rhedam, pilentum, burdones. quæ omnia, quòd rotis agerentur, erant similia; distabant verò modò formâ, modò materiâ, modò magnitudine, modò aliis.

28. Gestatio in lecticâ & sellâ. 28. *Gestatio in lecticâ & sellâ* à medicis gymnastis ad exercenda sæpe valetudinariorum, rarius sanorum quoque corpora fuit vsurpata. Aliâs diuites & senes, qui ambulare non poterant, itemque principes, & ditiores quidam, vel maximè sani, lecticâ & sellâ ob delicias, vtebantur.

29 Agitatio per lectos pensiles & cunas. 29. *Agitatio per lectos pensiles, & per cunas facta* (quæ duo sub κλίνης vocabulo à Græcis comprehenduntur) ideò inter exercitationes Gymnasticæ referuntur, quòd huiusmodi motio (etiam in cunis) cùm ad leniendos dolores, tum ad conciliandum somnum, non parum adiumenti præstet. Itaque cunæ tametsi ob pueros potiùs quàm adultos excogitatæ sunt: viris tamen interdum prodest motio per ipsas facta, ob causas modò dictas. Agitationi per cunas factæ similis est exercitatio illa puerorum, dum in vlnis à nutricibus gestantur; quæ & à medicis, & à Platone pro ipsorum valetudine mirum in modum probatur. Eadem propè est tam lectulorum quàm balneorum pensilium ratio. *Lecti pensiles* erat parui lecti, modò ex lignis, modò ex ære, modò ex argento constructi, qui quatuor angulis funibus ad cubilium laquearia alligabantur, ita vt terrâ sublati aliquantulum, quasi in aëre pendere, viderentur. *Balnea pensilia* similiter erant labra illa vel marmorea, vel ænea, vel lignea, ad lectulorum imitationem laquearibus appensa, vt quolibet vel minimo manuum impulsu, aliâs leniter, aliâs vehementiùs agitari possent. His igitur motibus quoscunque dum medici exerceri præcipiebant, huic vni potissimùm studebant, vt motum citra laborem lassitudinémve vllam adferrent: deinceps curabant, ne in exercitatione illâ iucunditas desideraretur, quæ profectò magna in lectulis, at maxima in balneis reperiebatur. Lecto pensili simile aliud instrumentum habebant veteres, quod σκιμπόδιον Græci, *scimpodium* Latini eodem vocabulo appellarunt. hoc licet nusquam appenderent, erat tamen vel lectus paruus, vel quid in formam lecti pensilis constructum; atque ipso per plateas & vias tam viri quàm mulieres gestabantur.

30. Nauigatio. 30. *Nauigatio*, gestationis species, & ipsa exercendis corporibus adhibebatur, sanis iuxta & ægris. *Sanis*; quod mare ob placidas aspirationes salubritatem insignem facit. *Ægris*, quia mare humores putridos ac noxios tum vomitu, tum ventis ac vaporibus siccis tollit. quare dicebat Auicenna, nauigationem lepræ, hydropisi, apoplexiæ, & stomachi frigiditatibus atque inflationibus magnopere prodesse.

31 Piscatio. 31. *Piscatio*, quæ exercitationis gr. suscipitur; tametsi à medicis parui æstimatur, suos tamē habet vsus, æquè ac venatio.

32. Natatio. 32. *Natatio* pertinet ad gymnasticam medicam & bellicam. Quæ ob valetudinis conseruationem adhibebatur, vel in gymnasiis fiebat, vel extra illa. In gymnasiis natabant duobus modis, vel in piscinâ, quæ in frigidario erat, vel in labris amplis. Quæ extra gymnasia, siue priuata balnea, efficiebatur natatio, modò in fontibus latissimis, modò in lacubus, modò in fluminibus, modò in ipso mari peragebatur.

33 Venatio. 33. *Venatio* inter illas corporum exercitationes refertur, quæ corpus non fatigant, & animum oblectant. In venatione siquidem mirifico quodam modo labores voluptate ita temperantur, vt facile iudicari non possit, maiorne sit corporis an animi motus.

XVII. *Vsus exercitationum in genere secundùm tres præcipuas differentias, sic habet.*

Vsus exercitationum in genere.

Tres præcipuæ exercitationum differentiæ occurrunt apud antiquos medicos, quarum prima dicitur παρασκευαστική, seu præparatoria, secunda ἀποθεραπευτική, tertia simpliciter exercitatio. *Exercitatio præparatoria* habet facultatē cogendi, meatus corporis densandi, eorumque laxitatem corrigendi. *Exercitatio apotherapeutica* corpora ab immodicis laboribus exsucta emollit, meatusque corporis relaxando excrementa purgat. vnde iure merito post vehementiores exercitationes, post vigilias, post mœrores, vtplurimum adhibebatur. *Exercitatio simpliciter dicta* sic habet, secundùm differentias suas à locis, modo, motus & similibus sumtas. *Qui in locis calidis exercentur*, magis exuruntur; qui in humidis, humiditatem contrahunt. *Exercitationes perpetuæ*, seu continuatæ, & æquabiles, magis delassant, quàm inæquabiles. *Exercitationes cum oleo peractæ* non modò præsentem lassitudinem mitigant, verùm etiam futuram prohibent, siccitatemque arcent, ac maiorem promtitudinem ad motum generant. *Quæ cum puluere fiunt exercitationes* præterquam quòd frigidiora conseruāt corpora, efficiunt quoque, ne sudor ita facilè effluat, néve illa tantoperè defatigentur. habet namque puluis emplasticam vim, refrigeratoriam, ac repercussoriam. *Exercitationes multæ* corpus siccant, mediocres obesum reddunt: magnæ calefaciunt, excrementa inaniunt, sudores cient: minùs his mediocres: minimè omnium

omnium paruæ. *Exercitatio acuta*, siue celer, aut velox, corpora extenuat, carnes & succos detrahit: lenta atque tarda pinguefacit, & crassitiem inducit: mediocris inter vtraque medios effectus producit. *Exercitatio vehemens atque robusta* calorem quidem natiuum auget somnos profundos generat, & concoquendis cibis crudísque humoribus confert, at caput ab illâ repletur: valens, robori augendo conducit. remissa verò, languida, ac imbecillis vti prædictos effectus obscurissimè parit, sic sanitati, ac habitui bono minimum adiumentum affert, potiúsque ægrotantibus, ac valetudinariis, quam sanis conuenit: inter has autem mediæ, tum minùs vehementibus ac robustis, tum magis remissis ac debilibus effectus eos producunt, & iccirco sanitatis conseruationem non parum adiuuant. Hinc iam facile est colligere, quos effectus singulæ exercitationes, quatenus aliquam ex modò dictis habent differentiam, producant.


Vsus exercitationum in specie.

XVIII. *Vsus exercitationum in specie sic habet.*

Triginta tria genera exercitationum, quæ paulò antè persecuti sumus, aut vsum habent in quatuor speciebus gymnasticæ, id est, in religiosâ, athleticâ, bellicâ, medicâ; aut in tribus; aut in duabus. Nos hoc loco velut in synopsi trademus vsum medicum. Itaque 1. *Saltatoria cubistica* corroborat brachia & crura; sed nocet iis, qui habent caput debile, viscera infirma, lumbos articulósque imbecilles. 2. *Chironomia*, seu manuum gesticulatio attenuat humores. 3. *Saltatio speciatim sic dicta* vniuersum corpus calefacit, & arcendis rigoribus, atque etiam nonnullis tremoribus est accommodata: vtile etiam remediū existit, vbi stomachus in concoquendo laborat: præterea labantes coxas, infirma crura, & malè tutos pedes confirmat, corroborátque: in extrudendis denique à renibus & vesicâ lapillis nulli exercitationi cedit. Sed obest vertiginosis, & ophthalmicis. 4. *Ludus pilæ in genere* reddit promptiores ad motū, & vitales actiones roborat: peculiariter verò *parua pilæ exercitatio* attenuat, animorum virtutem parit, omnes corporis partes accommodatè exercendo bonam corporis valetudinē, ac membrorum concinnitatem efficit: *pila magna* totum corpus firmat, cúmque ad deducendam infra materiam vehementer cooperetur, capiti inprimis, cunctísque superioribus partibus non ignobile adiumentum adfert. 5. *Lucta* quadrupliciter fit: aliâs supra pauimentum, aliâs erecto corpore, ac vtrobique modò vehementer, modò remissè. Lucta quæ vehementer, atque erecto corpore peragitur, carnem calefacit, roborat, augetq; firmum & validum spiritum reddit, itemque corpus solidū ac musculosum, neruos etiam confirmat, tandémque naturales omnes actiones corroborat. Quæ verò remissiùs & placidè peragitur, carnem multam generat, capiti & thoraci prodest, neruos corroborat. Quæ supra pauimentum fit, præcordia atque intestina vitiata adiuuat, lumbos imbecillos & genua infirmiora reddit, sed capiti est ineptior. 6. *Pugilatus & cæstuum exercitationes* brachiis & manibus præsidium adferunt. 7. *Pancratium* moderatè adhibitum, vniuerso corpori ad robur acquirendum prodest. 8. *Cursus* est inter exercitationes, quæ veloces sunt citra robur & violentiam. Est autem cursus vehemens ferè ad defendēdam sanitatem noxius potiùs quàm vtilis; sique vllum adiumentum adfert, proculdubio carni atque immodicæ pinguedini tollendæ confert; itemque corporibus valde humidis. Cursus moderatus & placidus ad corpora perbellè calefacienda, ad naturales actiones corroborandas, ad appetitum excitandum plurimùm valet, defluxiones atque catharros curat, & aliorsum vertit: pedes & crura, quorum propria est actio, non parum adiuuat: carnem refrigerat. 9 *Saltus* est inter vehementes exercitationes, quæ ex robustâ & celeri componuntur, & ideo calorem natiuum auget, concoquendísque cibis & crudis humoribus confert: sed capiti atque pectori nocet. 10. *Halteribus facta exercitatio* statim corpus calefacit, & præsertim dorsum: carnes creat, & superiores partes exercet. 11. *Disci iactus* accommodatè calefacit, & propterea frigidis corporibus, atque illis, quibus veloces exercitationes negantur, perfectè conuenit, necnon imbecillos inferioribus membris moderatè corroborat: brachia, lumbos, ac denique vniuersum dorsum confirmat. Ab illis verò magnoperè euitari debet, quicunque aut renes, aut thoracem malè affectos habent. 12 *Iaculatio*, sicuti à disci iactu parum in ipsâ proiectione differt, ita quoque vires similes & ad nocendum, & ad iuuandum obtinere credendum est. 13. *Deambulationis* vsus est amplissimus. Si enim vllum est exercitationis genus, quod illis, qui sanitati operam nauant, maximè quærendum sit, quodque cæteris quibuscunque frequentiùs à cunctis ferè hominibus, omníque tempore exerceatur, sanè deambulatio est: siquidem nullus est, siue puer, siue adultus, qui non modò eam præstantissimam, sed solam exercitationem non credat. Diuiditur autem deambulatio à motu, loco, & tempore. *A motu* est celer vel tarda, vehemens vel remissa; multa vel pauca, vel mediocris, longa vel breuis, recta vel reuersiua, denique totis plantis vel summis digitis aut calcibus. *A loco* alia fit in montibus, alia in viis planis; & quæ in viis planis, alia in locis inæqualibus, alia in æqualibus, alia sub porticu, alia subdio. *A tempore* fit hyeme vel æstate mane vel vespere, ante cibum vel a cibo. Ex his generibus quædam sunt simplices, quædam apotherapeuticæ ambulationes. *Ambulationes apotherapeuticæ* sunt, quæ in vsum veniunt, quando iam confectæ sunt grauiores exercitationes, vel post purgationes. Ad hoc deambulationis genus aptum est animum remittere, spiritum commutare, in ordinémque adducere, thoracem purgare, respirationem facilem reddere, instrumenta sensus roborare, ventriculum firmare, &, quod maximi refert, omnem affectionem, quæ lassitudinis sensum infert, quæque perturbat, explicare atque dissoluere. *Ambulationes simplices*, si sint mediocres, quæ inter numeratas differentias neque excedunt, neque deficiunt, capiti, oculis, thoraci, stomachoque malè affectis prorsunt: item cùm aluus sistitur, cibi supernatant, vrina retinetur: & ad summam omnibus iis, in quibus necesse est, aut à superioribus partibus ad inferiores aliquid defluere, aut quæ ad inferiores partes propensa feruntur, excernere: sed obest omnibus febrientibus. Porrò *velox deambulatio* magnoperè calefacit, & magnitudinem carnis, si quid aliud, tollit. *Ambulationes tardæ* ferè eadem præstant, quæ ab apotherapeuticis effici diximus: quocirca valetudinariis, senibus imbecillioribus, & iis, quos post cibum deambulare delectat, quique nuper à somno expergiscuntur, aut ad maiores exercitationes ineundas sese præparare volunt, aut quâuis parte dolent, accommodatæ erunt. *Vehemens, seu nimia deambulatio* frigidos adiuuat, anhelitum auget, at flatus discutit: at capita debilia magnoperè perturbat. *Multa deambulatio* iuuat eos, qui caput vel thoracem malè affectum habent, & à quibus infernæ corporis partes non nutriuntur, quive in exercitationibus vehementiori motu egent: *pauca* verò prodest iis, qui post exercitationes non lauantur, & quibus a cibo opus est deambulatione, vt is in fundum ventriculi descendat; & quibus grauitas in corpore sentitur. *Longa & recta ambulatio* minorem, quam breuis, molestiam præter capitique prodest. *Longa & concitata* singultui comprimendo strenuè prodest: *breuis* magis fatigat, & reuersionibus suis continuis caput labefactat: quo nomine etiam *circularis deambulatio* improbatur. *Ambulatio, quæ cum intensione crurum, calcibus incumbendo, fit*, capiti malè affecto conuenit, itémque thoraci humidiori, partibus infernis ab alimento fructum non capientibus, & omnino quibus materia sursum repit. *Quæ verò extremis digitis obitur*, lippientibus & aluo suppressæ vtilis est. *Quæ verò totis pedibus fit*, cùm sum aliquâ prædictarum differentiarum comprehendatur, facultates ipsarum obtinere censenda est. *Ambulatio per accliuia*, tametsi hebetioris est motus, magis sudorem prouocat, quam per decliuia; spiritum profistit, & proinde thoraci, qui spiritum exiguū ducit, & præsertim ante cibum, confert. maiorúmque exercitationum vicem nonnunquam supplet. Sed genibus infirmis valde aduersatur. *Ambulatio decliuis* magis quàm præcedens à capite ad inferiores partes trahit: at femora inualida non parum lædit. *Ambulatio quæ tum ascendendo, tum descendendo peragitur*, varietate quâdam vniuersum corpus mouet; nisi tamen id perquàm imbecillum sit. *Quæ fit in viis planis & æqualibus*, ad spiritum & corpus æqualiter cōstituendum est accommodara. *At ambulatio per inæquales vias facta* non modò minùs fatigat, verùm etiam vtilis est iis, qui citò deambulando defatigantur. Oportet tamen hîc dispicere, nunquid in pratis, in locis asperis vel arenosis fiat hæc talis deambulatio: quoniam *si fiat in pratis*, blandissima proculdubio est, nihil omnino sensus tentat, nihil commouet; at eam caput implere, tum propter odoris suauitatem, tum propter humiditatem, quæ illis inhæret, author est Antyllus. *Facta in locis asperis* caput replet. *Quando autem in arenâ*, & maximè profundâ, (quod genus est vehementissimæ exercitationis) peragitur, magnâ efficaciâ pollet ad omnes corporis partes firmandas corroborandásque. *Sub porticu factæ ambulationes, aut loco concluso*, non admodum probantur: quandoquidem aëre libero non fruuntur, sed intemperato, vitioso, crasso, corpúsque vniuersum replente: nisi tamen porticus, aut loci cooperti sint in partibus domus superioribus, ac tabulis stratis, quæ vaporum è terrâ effluentium sunt expertes, aërémque puriorem habent. Nec opponendum est huic sententiæ, quòd antiqui cryptoporticus hunc in vsum exædificatas haberent: quia illis duntaxat vtebantur, quando pluuiæ, tempestates, aut immodici ventorum impetus, aërisque iniquitas vetabant, quò minùs in aperto deambularent: quo tempore neque nos illas improbamus. Cæterùm *quæ fiunt sub dio*, omnes factis in porticu præferuntur. A Vitruuio quoque celebrantur *hypæthræ deambulationes*, & præsertim si viridia adsint, quòd tales magnam habeant salubritatem, primùm oculorum, deinde totius corporis, quia in hypæthris locis aër humores molestiores ex corpore exsugit, quemadmodum ex terrâ per nebulas videntur. Porrò *subdiales istæ deambulationes* apud medicos habent plurimas differentias, nam quando *propè mare* fiunt, & siccandi, & crassos humores attenuandi vim habent; quando *circa flumina & stagna*, humectare possunt, sed vtraque nocent,

nocent, & præſertim ſtagna: quando *in mediterraneis partibus* aguntur, modo dictis ſunt præſtantiores: *quando in mari*, humectant, non ſine damno: quando *in locis auium volatu frequentatis*, efficaciſſimus is motus erit ad euocandum per halitum, & ad leuandum. Quæ deinde *ſub dio in locis vento minùs perflatis* ambulatio inſtituitur, valet ad euocandum per halitum, & ad excrementa diſpergenda: ſed *quæ vento flante peragitur*, *ſub boreâ*, tuſſes excitat, thoracemque lædit, at vires collabentes firmat, ſenſuum integritatem adfert, ſtomachumque diſſolutum roborat: *ſi ſub auſtro*, caput replet, ſenſuum inſtrumenta hebetat, aluum mollit, atque valet ad diſſoluendum: *ſi ſpirantibus Zephyris*, talis ambulatio cæteris omnibus, quæ in vento fiunt, præſtat, quia manſuetudo & jucunditas ibi coniunguntur: *ſub apeliote*, eſt mala. Adhæc ſemper eligenda eſt *ambulatio in vmbrâ potiùs quàm in ſole*. Eſt autem ambulandum potiùs in vmbrâ, quam parietes, aut viridaria efficiunt, quàm quæ tecto ſubeſt: quoniam aër aſſiduâ quâdam & blandâ ventilatione ſalubrior efficitur. Vitanda tamen eſt vmbra, quàm faciunt arbores rore perfuſæ, aut noxiæ, vt nux. E contrario prodeſt ſub iis vmbris ambulare, quæ fiunt à myrto, aut lauro, & ſimilibus: aut inter acies & benè olentes herbas, calamentum, pulegium, thymum, mentam, maximè quidem agreſtes & ſpontè naſcentes. Eſt in hâc quoque non exiguum diſcrimen *reſpectu cœli*, quod dum ſerenum eſt, tunc deambulatio leuat, per halitum euocat, attenuat, bonam reſpirationem, & mouendi facilitatem parat: dum verò nubibus obtegitur, grauitatem adfert, per halitum non euocat, tandemque caput implet. *De ambulationibus vel hyeme, vel æſtate*, vel alio tempore faciendis, vide paulò ante regul. 11. Poſtremò ambulationes quælibet *ante cibum* fieri debent, tum manè, tum veſpere: quandoquidem matutina aluum emollit, ſegnitiem à ſomno contractam diſſoluit, ſpiritus attenuat, calorem auget, appetitum excitat, & humidioribus temperamentis valde conuenit: veſpertina verò ad ſomnum præparat, inflationéſque diſpergit, caput tamen debile malè afficit. *Poſt cibum* exigua ambulatio conuenit aſſuetis, atque illis, quibus non ſine labore in fundum ventriculi deſcendit cibus; illis item, quibus caput repletum eſt. 14. *Erectum ſtare* non prodeſt iis, qui habent dorſum debile, aut renibus inflammatis vtuntur, aut herniam patiuntur. Variæ autem ſunt huius exercitationis differentiæ: quoniam ratione temporis aliquis ſtando exercetur ante vel poſt cibum, pauco vel multo tempore: *ratione loci* ſtatur in ſole vel vmbrâ, hâc aut clauſâ aut apertâ: *ratione ſitus* vel vno pede vel duobus, & iis totis & planis, vel extremitatibus eorum, calcibus videlicet & digitis ſummis ſtamus. *Ante cibum ſtare* ventriculi excrementis inaniendis auxiliatur, aſthmaticos & difficulter ſpirantes adiuuat, ventrem emollit, vrinam prouocat, crura & pedes roborat, & deambulationis vices ſupplet. Atque hoc intelligendum eſt de iis, qui multùm ſtant. *Poſt cibum ſtare*, mediocri nempe tempore, deſcenſui ciborum in ventriculum inſigniter cooperatur, illorumque concoctionem perbellè adiuuat, nec aliquam læſionem adfert. Verùm ſi multo tempore aliquis ita permanſerit, præter moleſtiam, quæ ex ciborum pondere oritur, varias item offenſiones ſubit. Primò namque maior humorum copia ſuperiorem corporis regionem impetit, & maior humorum multitudo ad inferiora præcipitat: deinde thoracem, atque ſpirationem vniuerſam non parum labefactat: poſtremo renes, atque veſicam, & totam mingendi actionem vitiat. *Statio in vmbrâ* ſemper adnectitur alicui ex prædictis differentiis, vt ſit multa vel pauca, ante cibum vel à cibo. *Stare ſub ſole*, in æſtate magnopere calefacit, ac proinde frigefactis corporibus prodeſt. Sit tamen inſolatio moderata. Atque hæc omnia ſunt accipienda de iis, qui ſtant planis & totis pedibus. *Stare namque calcibus vel ſummis digitis innixos* non modo laborem & moleſtiam mouet, ſed etiam nullum adfert adiumentum, quod ſit alicuius momenti. 15. *Pugnarum* aliæ fiunt cum armis fictis, neque incidentibus vel pungentibus, aduerſus hominem, aliæ aduerſus columnam aut palum, aliæ aduerſus vmbram: atque omnes vel fieri poſſunt à pugnantibus, corpore armato vel non armato. *Armorum pugna aduerſus hominem vel columnam, quæ fit corpore armato*, inter exercitationes & opera reponitur. *Sed pugna non armatorum aduerſus hominem vel columnam* inter exercitationes magnas refertur, ac proinde magnopere calefacit, excrementa educit, ſudores ciet, πολυσαρκίαν curat, brachia atque humores confirmat, crura & pedes exercet: cæterùm capita debilia, & vertigini obnoxia non parum labefactat, renibuſque laborantes affligit. Porrò *σκιαμαχία, aduerſus vmbram concertatio*, corpora tenuat, carnes & ſuccos detrahit, propriéque ei brachiorum & manuum exercitatio. Eſt etiam vtilis vitiis thoracis & renum, confert colo inteſtino, humores firmat, materiam ad inferiores partes deducit. Ad eadem omnia valet *pugna aduerſus palum* effecta; quæ tantummodò in hoc ab vmbratili differt, quod palum percutiens maiorem vim infert, quàm aërem ferit. Denique *pugna aduerſus hominem pugnantem inita, præſertim armato corpore*, efficit valida & robuſta corpora, & ad motum aptiora. Atque hæc dicitur ὁπλομαχία. 16. *Manibus ſummis concertare*, τὸ ἀκροχειρίζεσθαι, inter veloces ſine robore exercitationes locum habet: proinde calefacit, corpora tenuat, carnes ſuccóſque detrahit. 17. *Ecplethrizare*, τὸ ἐκπλεθρίζειν, ad ea omnia conducit, quibus celeres exercitationes conferunt: ſed peculiariter pedes & crura exercet. 18. *Pitylisma*, ſeu pitylisſare, τὸ πιτυλίζειν, eſt exercitatio vehemens, ideoque vehementer calefacit corpora, brachiaque inſigniter exercet. 19. *Si quis alteri iubeat, vt ſe violenter detrahat* inflectátque, donec ipſe non manibus modò, verùm etiam cruribus ſpináque conſtans, inflexus reſiſtat, eſt vehemens exercitatio, quæ valde calefacit, roburque membris non leue ingenerat. 20. *Si quis conuellere ſe mouereque de loco volenti permittat*, crura maximè corroborabit. 21. *Si quis pugnum alicui aperiendum*, vel malum Punicum, vel tale quippiam manibus complexus auferendum præbeat, manus maximoperè exercebit. 22. *Si quis alterum complexus medium*, aut etiam ipſe medio comprehenſus, manibus digitiſque pectinatim iunctis, aut quem complectitur abſoluere ſe iubeat, aut ipſe ſe à complectente ſoluat; id, inquam, robur partium tum exercet, tum firmat. 23. *Si quis alterum*, qui verſus ipſum ſe inclinet, *à latere aggreſſus*, ilia manibus complexus, ceu onus aliquod ſublatum inuicem protendat, reducátque, ac magis, ſi dum geſtat, ipſe nixu renixúque corporis vtatur; ſpinam vniuerſam corroborabit. 24. *Qui pectoribus ex aduerſo innixi*, magno ſe conatu inuicem retrudunt, & qui à ceruicibus pendentes deorſum trahunt, robur vniuerſo corpori comparant. 25. *Retentio, ſeu cohibitio* ſpiritus membra ſpiritualia calefacit, corroborat, & emundat, nec non anguſtas cauitates ampliores reddit. Hæc igitur exercitatio omnibus illis conuenit, qui ſpiritualia membra (vt thoracem) frigefacta, debilia, & excrementis obſeſſa habent, quique expulſiones corporis aut tardas, aut vitiatas experiuntur. 26. *Sex ſunt vocis exercitationes*: vociferatio, cantus, lectio, ſermo, riſus, atque fletus. Ex his *vociferatio*, ἀναφώνησις, ſi ſit mediocris, thoracem & vocalia inſtrumenta perbellè exercet, naturalem calorem auget, purgat, firmat, atque attenuat, ſolidas corporis partes, robuſtas, puras, & offenſæ minimè obnoxios reddit, colorem decorat. *Cantus*, ſiue vociferatio cum harmoniâ, delectationem adfert. Itaque vociferationi potiùs, quàm cantui, ſanitatis ſtudioſi operam dabunt: quoniam ſic plurimus aër attractus thoracem diſtendit, ventremque & meatus per vniuerſum corpus aperit ac dilatat. Porrò *lectio intenta & clara* calorem auget, ſanguinem ſubtilem reddit, omnes purgat venas, omnes aperit arterias, humorem ſuperfluum non ſinit concreſcere: *remiſſior* ad eadem ferè omnia valet, niſi quòd debiliùs cuncta efficit. *Locutio, ſiue ſermo*, iis inprimis accommodatur, qui præter modum ad ſomnum propenſi ſunt aut præ humore melancholico vel phlegmatico ſenſus torpentes habent. Pituita porrò à ſermone conſumitur. Sed & vires à ſermone diſſolui certum eſt. *Ridere* inprimis conducit illis, quibus frigidæ ſunt capitis & thoracis partes, melancholicis, triſtibus. In his enim cùm dominetur frigida intemperies, merito auxilium præſtat riſus, vtpote qui multum aërem in pectore mouet, ſpiritúmque calidiorem emittit. *Fletus* liberat caput ſuperfluis humoribus, & pueris inprimis conducit. 27. *Ciriclaſia* eſt è magnis exercitationibus, & corpora intenta mollit, calorem excitat, neruos imbecillos firmat & laxat. 28. *Trochus* eſt inter exercitationes tardas atque remiſſas, & proinde valetudinariis, atque iis, qui præ virium imbecillitate, aut aliquo alio impedimento detenti, maiores exercitationes obire nequeunt, inprimis conuenit; ſecundo loco ſenibus, atque cæteris, qui maioribus exercitiis nimium incaleſcunt. Sed vertiginoſis obeſt. 29. *Pilamalleus* pertinet ad exercitationes vehementes, ideóque calorem natiuum auget, excrementa euacuat, ſomnos profundos generat, & concoquendis cibis, atque crudis humoribus confert. 30. *Equitatio* numeratur inter ea, quæ ſunt exercitationes & opera ſimul, ac proinde eſt magna exercitatio, quæ idcirco natiuum calorem auget, atque excrementorum inanitioni opitulatur. Eſt autem non parua differentia, an equus, mulus &c. lentè celeritérve gradiatur, an ſuccuſſet; an aſturco ſit; an currat. 31. *Geſtatio in vniuerſum* eſt mixta ex motu & quiete, ideóque inter placidiſſimas & debiles exercitationes numeratur, & propterea valetudinariis, & iis qui longis morbis exercentur, quíve morborum reliquias ſentiunt valde eſt accommoda. Sanis, niſi aliter exerceri nequeant, minimè omnium conuenit. *Geſtatio vehiculo facta* eſt mitior aut vehementior. Illa locum habet in capitis affectionibus, & inteſtinorum fluxione: hæc in affectionibus pectoris & ſtomachi optimum eſt præſidium. *Geſtatio in lecticâ facta* eſt præcedente remiſſior atque blandior: ſimiliter *geſtatio facta in ſellâ*, quam alij ſcamnum vocant. Celſus hanc ſellarem, & ſimul lecticam

rem gestationem nauigatione in portu, vel fluminibus factâ vehementiorem facit. Porrò fiebat huiusmodi gestatio, tum in sellâ coopertâ, tum in apertâ; sedendo, vel iacendo. Ægrotantes sine febri, in sellâ detectâ potiùs, quam tectâ gestari debere censuit Antyllus. In alterâ vtrinter portantur iacentes febricitantes, atque ex iis lethargici potiùs, & quos cataphora vrget. *Gestatio in lecto pensili* somnum allicit, & morbos extenuat: prodéstque ante cibum, & à cibo. Huic non dissimilis est *gestatio vel potiùs agitatio in cunis*, quæ præter somni iucunditatem, quam adfert, flatus dissoluit, appetitum mouet, naturam sopitam exuscitat, & reliquiis morborum capitis, veluti stupori & obliuioni, prorsus extinguendis, conducit. Inter gestationum species vltimo loco ferè omnes posuerunt *nauigationem*, quam cæterarum omnium lenissimam fecit Cornelius Celsus. Sed & huius quam plurima inueniuntur discrimina: siquidem non parum interest, an quis in stagno, flumine, vel mari naue gestetur; & in mari, an in portu, litore, vel in alto, turbato, aut tranquillo mari. Nauigatio facta in stagnis, lacubus, aut paludibus, cæteris in salubritate postponitur. Minùs noxia existit nauigatio in fluminibus. Duabus prædictis maritima nauigatio præstare creditur; quoniam mari semper vapores sicci & calidi educuntur, & excrementa absumuntur. Porrò ex maritimis nauigationibus lenissima est, quæ fit in portu; quæ in litoribus, iucundissima; quæ in alto mari, vehementissima. Quæ tranquillo mari peragitur gestatio in naui, accommodata est iis, quibus gestatio in curribus conuenit. Denique quæ turbato mari obitur, motus acutissimos & intentissimos habet, ideóque corpus & animum valde exagitat, & idcirco quantum fieri potest, fugienda est. Hîc obiter obseruandum est, multos equitationem inter gestationis species reposuisse: quam sententiam plerique impugnant, quòd in equitatione omnes ferè corporis partes moueantur, cùm in gestatione quies potiùs quàm motus locum habeat. Sed hoc obiter. 32. *Natatio* varias habet differentias. Fit enim in aquis sponte nascentibus, aut in aliis: & si in aliis, vel in dulcibus, vel in maritimis: si in dulcibus, aut fluuiis, aut lacubus, aut stagnis; atque hæ omnes vel in calidis, vel in frigidis. Natatio in aquis sponte nascentibus, quæ omnes calidæ sunt, paralyticis confert. Quæ in dulcibus aquis peragitur, ad omnia est inefficacior malè affectis, quàm maritima. Ex iis tamen, quæ in dulcibus aquis fiunt, natationes fluuiales minorem sanis corporibus noxam inferunt. Pessimæ sunt, quæ in paludibus & stagnis obeuntur. Maritima natatio in dolore capitis antiquato, narium obturatione, odoratus læsione, scabie, &c. vsurpatur. Natatio calida emollit indurata, calefacitque refrigerata: frigida, quòd intus calorem natiuum repellens ipsum validiorem efficiat, ciborum optimam & citam concoctionem præstat, exuberantes humores dissipat, & intus refrigeratas partes calefacit. 33 Qui in mari *piscantur* hanc præcipuam commoditatem habent, quòd eorum corpora valde exsiccantur, & propterea minimè omnium corruptionibus subiiciuntur: quin si putredo aliqua intus lateat, protinus exsugitur consumiturque. Piscatio, quæ fit in naui, inter debiles exercitationes refertur: quæ fit hamo, inter mediocres, vel vehementes, prout aliter atque aliter instituitur. 34. *Venationis exercitationem* Galenus comparat ludo paruæ pilæ, eamque inter ea recenset, quæ ipse opera & exercitationes nuncupauit: vtrumque rectè. Nam non minores ludo pilæ laudes meretur; & non absque vehementiâ, magnitudine, atque celeritate efficitur: nimirum in quâ multæ aliæ exercitationes, cursus videlicet, ambulationes, saltus, iaculatio, vociferatio, & aliæ necessariò requiruntur. Itaque venatio his facultatibus est prædita: vehementer calefacit corpora, dissipat excrementa, carnes & succos exuberantes minuit somnos profundos generat, ac proinde concoquendis cibis, crudísque humoribus, magnoperè confert, auditũ & visum acuit, senectutem retardat. Nominatim *venatio equestris* corroborat pectus, stomachum, intestina, dorsum, atque crura: *venatio pedestris* eadem habent commoda, sed maiori labore perficitur; vnde magis calefacit, magísque pedes & crura corroborat.



SECTIO XXXIII.

In quâ delineatur

TABACOLOGIA.

PRÆCEPTA.

TABACOLOGIA est doctrina de naturâ, vsu, & abusu tabaci.

Estque generalis, vel specialis.

Tabacologia generalis explicat differentias, temperamentum, circumstantias, vires, præparationem, vsum, & abusum tabaci.

Differentiæ sunt tres: tabacum maius latifolium, maius angustifolium, & minus.

Temperamentum est siccum & calidum.

Circumstantiæ sunt locus natalis, tempus sationis, & notæ seu signa bonitatis.

Locus natalis est terra pinguis, humida, vdosa, vndosa, & calida

Tempus sationis commodissimum est initium Aprilis, lunâ crescente.

Notæ boni tabaci sunt color rufus, non nigerrimus, maculis albis vel venulis interstinctus, sapore non acris, sed dulcis aliquo modo & suauis, odore suaueolens, fumus colore lacteus vel cœruleus, tenuis.

Vires huius herbæ tales tantæque sunt, vt multi eam præferant omnibus aliis herbis & panaceæ titulo ornent. Valet enim contra venena, famem sitimque sedat, cerebrum & ventriculum roborat, vires reficit, spiritus & sanguinem ab infectione pestilentiali tuetur, &c.

Præparatio tabaci communissima est: Herbæ virides in Augusto detruncatæ, & ab arenâ, puluere, sordibúsque repurgatæ, in loco aperto, opaco tamen, puta sub tecto exsiccantur, & exsiccatæ aliquantulum liquore idoneo aspersæ, vel illitæ, funium ad modum, digiti minoris crassitudinem referentium, conuoluuntur, & reponuntur.

Vsus debet esse moderatus, tempestiuus, & accommodatus.

Abusus est, quòd ab omnibus promiscuè, omni loco & tempore, absque omni delectu adhibetur: vnde quædam tabacomania existit.

Tabacologia specialis explicat tabaci species, & vsum medicum tum Galenicum, tum Paracelsicum, chirurgicum & pharmaceuticum; idque ratione foliorum, succi, fumi, &c in variis morbis.

REGVLÆ.

I. *Tabacologia est disciplina composita; quippe physicomedica, & medico chirurgico-pharmacentica.* Tab lo li plin

Id manifestum euadit ex hâc tractatione; inprimis ex *Tabacologiâ, hoc est, tabaci seu nicotianæ descriptione medico-chirurgico-pharmaceuticâ, seu eius præparatione & vsu in omnibus fermè corporis humani incommodis per Iohannem Neandrum*, scripto sanè pereleganti & accurato: item ex *Hymno tabaci authore Raphaele Thorio* denique ex *Dissertatione Baumanni de tabaci virtutibus, vsu, & abusu*: inprimis tamen ex primo tractatu, qui nobis erit Cynosura.

II. *Nomina tabaci sunt varia,* Nom clatu tabac

Inter ista primum locum obtinet *Tobaccum*, seu *Tabacum*; quod nomen traxit hæc herba à prouincia Nouæ Hispaniæ, *Tabaco*, vbi primùm reperta fuit. Peruanis dicitur *Petum*, vt & Antarcticis ferè omnibus. Vsitatè appellatur *Nicotiana* vel *Nicosiana*, à Iohanne Nicotio, qui cùm nomine regis Galliarũ legati officio fungeretur in Lusitaniâ, hanc herbam in horto suo summo studio educari curauit: vnde & Lusitanis *Herba legati* dici cœpit Haud longè pòst in Galliam redux semen eius, Catharinæ Mediceæ reginæ Galliarum dono obtulit: quæ illi suum nomen est impartita: vnde *Herba Reginæ, Catharinaria, & Medicéa* per totam Galliam est appellata. Dicitur etiam *Herba magni Prioris*, quòd is è Gallis aliquando Lisbonam profectus, herbam hanc in horto suo plantatam studiosè fouerit. Virginiæ incolis *Vppówoc* nuncupatur: plerísque Hispaniolæ insulis *Cozobba*. Cæsalpino *Tornabona*, quòd Alphonso Tornabonio, nepotis eius Nicolai Tornabonij, apud Galliarum regem tunc temporis legati, operâ, in Italiam primùm fuerit transmissa. Schuuenckfeldio, & aliis nobilium suarum virtutum assertoribus, *Herba sancta* dicitur: Camerario *Vulneraria planta Indica*: aliis,

Piperina:

Piperina : Lugdunensibus , *Buglossum antarcticum* : Renealmo , [illegible] : Dodonæo *Hyoscyamus Peruuianus* : Italis, *Herba S. Crucis* , à Cardinali de S. Cruce , qui eam ex Lusitanià Romam primus apportauit. Quibusdam dicitur *Sana sancta* , ob excellentes vires : Anglis, Belgis, & Germanis Taback , & his etiam heilig wundtkraut / Indianisch wundtkraut.

Differentiæ tabaci.

III. *Tabacum est maius, vel minus.*

Tabacum maius iterum est duplex , latifolium & angustifolium. *Tabacum latifolium* vulgus herbaristarum appellat tabacum masculum *Tabacum angustifolium* aliàs dicitur Nicotiana fœmina. *Tabacum minus* dicitur etiam minimum. De tribus hisce speciebus ita canit Cl.Neander.

1. *Mascula sum Peti species : præstantior herba*
   Me nusquam in terris : hinc panacæa vocor.
2. *Fœmina sum Peti species, prodesse reperta*
   Pluribus, & magni muneris antidotum.
3. *Tertia sum Peti species virtute medela :*
   Tertium & hinc dicor promeruisse locum.

Tabacologia occupatur in descriptione Tabaci masculi.

Temperamentum tabaci.

IV. *Tabacum est calidum & siccum ; & quidem ita, vt eius radix , caulis , & folia virescentia in secundo gradu , folia verò siccata in fine tertij sint calida & sicca.*

De temperamento huius herbæ authores non conueniunt. Alij dicunt esse intensè frigidam , quòd fumus mentem feriat, & ecstasin quasi inducat , quodque narcotica sit. Alij calidam & siccam secundo , alij verò tertio gradu statuunt. Neander ita pronuntiat : Nos cum Renealmo virescentia folia secundo excessu (quam illis temperiem , vt & radici , & cauli, sol calore suo conciliat , vt luna colorem) siccata verò in fine tertij calida & sicca ponimus Certè tabacum acrimoniam quandam sapit,& sitiferum est,mentemque turbat , & καρηβαρίαν inducit. quod non posset fieri , ni vapor quidam calidus opplendo caput feriret. Quare ludunt qui frigidum hoc ponunt, omnia enim caloris symbola gerit. *Baumannus* ait : Quòd diuersis facultatibus prædita sit (*Nicotiana*) acrimonia foliorum ostendit , quæ & saliuam elicere potis est,quæ calidam hanc plantam demonstrant. Narcoticam autem & stupefacientem vim ei inesse, mentis perturbatio , quæ ex odore huius herbæ viridis , & ex attracto fumo causatur , declarat. *Et mox* : Viridis sanè herba hyoscyami temperiem retinet in stupefaciendo ; quod patet ex ipsius viridis herbæ odore,qui summè narcoticus est.quod etiam probari poterit ex herbæ huius viridis comestione ; sues, & alia animalia , huius herbæ vsu stupefieri,& etiam mori. Calidam autem eam herbam esse , demonstrant acrimonia , eiusque effectus ; quia calefacit, resoluit , mundificat , adstringit, vulnera carne implet : id quod probatur ex morbis frigidis , quibus prodest. Præparata herba , calida, sicca , gradu secundo , vel principio tertij ordinis , statuitur , non verò in fine tertij gradus. aliàs ipsius vsus summè nociuus esset , & potiùs exulceraret tum partes internas , tum externas , nisi velimus tabacum pipere longo & pyrerro præparatum intelligere. Cur quæso ad præparationem huius herbæ summè calida medicamenta requirerentur , si summè calida esset, nisi vt intemperies & malignitas eius castigetur ? Discedit itaque Baumannus à Neandro , quantum ad gradum caloris & siccitatis.

Tempus culturæ tabaci.

V. *Tempus seminationis tabaci apud nos commodissimum est vernum.*

In Hispaniolâ insulâ , vt & in aliis regionibus calidioribus, circa autumnum seritur : vbi omni fermè anni tempestate frondes , flores & germina , producit. *Clusius* Augusto aut Septembri mense , apud nos serendum censet ; quòd semen exiguum sub terrâ diutissimè lateat , antequam in germina abeat. Sed *Neander* aliter censet. Nos verò, *inquit*, experientia docuit, tabaci semen Aprili mense apud nos terræ concreditum , feliciùs multò ac citiùs fuisse enatum ; fertilioresque ac longiores caules, multóque maiora ac pinguiora produxisse folia,quàm quod mense Septembri terræ mandatum erat. Colligitur ipsa herba sole existente in 18. aut 19 & 20 signo Leonis. semel satum vbi ad maturitatem peruenerit, seipsum suæ spontis copiosè serit in multis horti campiue locis , ad quæ fortè vi ventorum delatum fuerit. Seritur cùm luna crescit, secatur cùm minuitur , Semen Aquario & Marti est dicatum, caliditatem
præ se ferens non exiguam, quam
Marti fert acceptam.

Locus tabaci natalis.

VI. *Tabacum amat pingue ac lætum solum , arcam planam,opacam,seduloque pastinatam.*

Locus tabaci natalis primus erat in Indiâ occidentali , & nominatim in nouâ Hispaniolâ : apud quos Indos adeo in familiari & frequenti est vsu , vt tam fœminæ quàm viri , tam virgines quàm adolescentes,tam senes quàm iuuenes eo in publicà vtantur plateâ. Inde translata est hæc herba in nostras oras : & nostrum solum non aspernatur, si modò curâ iuuetur assiduâ. Amat pingue ac lætum solum,aream planam,opacam, sedulóque pastinatam. glaream timet & argillam , nec sabulone delectatur : vnde non paruo constat si interiecto anno quolibet lætamen bubulum ei adiungatur.Aquâ mirè delectatur, ac promde rigatione gaudet,apricioribus præsertim diebus, quoties cœlestis negatur infusio.Frigoris est impatientissimum.

Præparatio tabaci.

VII. *Præparatio tabaci est varia ; eáque magis, vel minùs exquisita.*

Præparandi modus varius est apud varios incolas & artifices. Modum communissimum , minusque exquisitum , in præceptis paulò antè diximus. Modus exquisitissimus est apud Neandrum. Medius inter vtrumque hic est. Herbæ siccæ coquuntur, & liquori apto intinguntur, & f. f. f. ponuntur, vsque dum fermentari videantur folia : tunc rursus eadem exsiccantur, exsiccata liquore asperguntur , tandem conuoluuntur. Liquor iste præparandus est ex vino Maluatico , & succo primorum foliorum huius herbæ , cui puluis caryophyllorum , piperis nigri , gingiberis largâ manu , cum sale modico , inspersus fuerit ; qui tunc per horulam igne lento ad ebullitionem vsque coquitur , & ad vsum seruatur. Hic liquor optimus est. aromata enim malignitati huius herbæ resistunt. Notandum tamen , sic præparatum tabacum , ante mensem tertium, quartum,vel sextum,non esse vsurpandum ita enim meliùs castigatur,& capiti minùs nocet.

Vires tabaci.

VII. *Vires tabaci præcipuæ sunt istæ.*

1. Perniciosissimo toxico & veneno aduersatur. 2. Helleboro aduersatur vsque adeo, vt possit appellari *antihelleborum.* 3. Famem sitimque sedat. 4. Lassitudinem tollit. 5. Catarrhum tollit; si fiant suffitus ex aridis tabaci foliis ; vel si folia dentibus terantur. 6. Memoriam firmat ; si fumus naribus excipiatur. 7. Folia calefacta & capiti imposita, præsentaneum sunt remedium in cephalæâ & hemicraniâ. 8. Eadem leniunt dolorem capitis , brachiorum , crurum. 9. Puluis naribus inditus, est optimum sternutatorium , & proinde capiti prodest, crassos & pituitosos humores exhauriendo. 10. Fumus haustus odontalgiæ frigidæ medetur. 11. Cineres à fumo hausto relicti , dentes nigros dealbant. Idem præstat sal tabacinum. 12. Herba in vino cocta tineas & scabiem sanat. 13. Fumus prodest oculorum affectibus. 14. Idem prodest vertiginosis , lethargicis , & aliis capitis & cerebri affectibus frigidis. 15. Idem fumus asthmati auxiliatur. 16. Folia viridia calida adhibita , seu applicata , doloribus arthriticis & podagricis medentur. 17. Folia imposita curant pestiferos carbunculos & bubones. 18. Folia contusa, & ipsorum succus ad ictus morsusque venenatorum animalium præsens sunt remedium. 19. Ad vulnera recentia melius remedium inueniri vix potest. Illicò enim sanguinem sistunt folia virescentia , eaque glutinant. Quòd si verò maiora fuerint vulnera , vino priùs eluentur , & labiis vulnerum coniunctis , succus foliorum inspergetur , & ipsa folia trita vulneri alligabuntur. Postridiè , reliquisque diebus subsequentibus idem ordo seruabitur , victûs tamen ratione seruatâ. Quòd si verò folia recentia haberi nequeant , illorum defectum supplebunt cineres tabaci. Nam hi optimè vulnera mundificant, putredinem arcent , putridam carnem absumunt , sanam substituunt. 20. Succus foliorum instillatus antiqua tibiarum vlcera & gangrænas sanat. 21. Succus viridis , vel folia exsiccata , valent ad morsum canis rabidi. 22. Fumus singulis matutinis temporibus haustus est alexipharmacum pestis. 23. Folia siccata , & per noctem in infusione vini optimi relicta , manè colato liquore , sunt egregium vomitorium & purgatorium pro rusticis. 24. Ex hâc herbâ componuntur innumera remedia , vt aquæ destillatæ , olea, salia, balsama &c. de quibus vide Neandrum , qui meritò hanc herbam vocat panaceam, & medicamentum πανάκειον , suoque libro præmittit duo ista elogia.

1. *Iohannis Posthij distichon.*

Nulla salutifero se comparet herba Tabaco.
Viribus hoc omnes exsuperat reliquas.

2. *Castoris Durantis,medici Romani epigramma.*

Nomine quæ sanctæ crucis herba vocatur,ocellis
Subuenit , & sanat plagas, & vulnera iungit.
Discutit & strumas cancrum cancrosaque sanat
Vlcera & ambustis prodest, scabiemque repellit:

Discutit & morbum, cui cessit ab Impete nomen.
Calfacit & siccat, stringit, mundatque, resoluitque,
Et dentium & ventris mulcet capitisque dolores.
Subuenit antiquæ tussi, stomachoque rigenti,
Renibus & spleni confert, vtroque: venena
Dira sagittarum domat: ictibus omnibus atris
Hæc eadem prodest, gingiuis proficit, atque
Conciliat somnum, nuda ossaque carne reuestit.
Thoracis vitiis prodest, pulmonis itemque,
Quæ duo sic præstat non vlla potentior herba.

Nimirum herba hæc pollet his talibus, tot, & tantis facultatibus, vel vti est simplex, vel vt ingreditur compositionem. Rursus herba simplex obtinet istas facultates ratione foliorum, succi, fumi, cinerum &c. de quibus videatur Neander; qui etiam formulas compositionum egregiè persequitur.

Tabaci differentiæ.

VIII. *Tabaci differentiæ sumuntur à loco, vel formâ.*

A loco est tabacum vltramarinum, vt Varinium, Tecaparinum, Brasilianum, Ornochesium, Marcapanum, Craxium, Commenarium, Gotegonasium, Burneodes, Amazonium, Manochesium, Comenagoticum, Virginiense, Ex insulis S. Margaritæ, S. Lucæ, S. Trinitatis, S. Dominici, Philippinis: vel vernaculum, vt Belgicum, Germanicum, Anglicanum, Gallicum &c. Ex his *Varinium* est optimæ notæ. *Ab ipsâ formâ* est tabacum prolixiori formâ, & compressiùs conglomeratum, quod Angli & Belgæ vocant Brick-Taback: vel rotundum instar capitis, Baal-Taback. Sunt qui vilipendant vsum Tabaci apud nos enati. Docet tamen experientia, recentia folia nostratia sæpenumero curasse vlcera, vulnera, aliasque affectiones citiùs ac certiùs quàm siccata ex Indiis allata. Et credibile est, sicca illa exotica folia magnam sæpe partem virium suarum amisisse. Itaque alij existimant folia Nicotianæ nostratis siccata & præparata modo quem Indi vsurpant, apud nos efficaciora esse; cùm naturæ nostræ conueniant magis, & longè recentiora & electiora haberi possint, quàm peregrina, quorum maxima pars est suspecta, vt quæ sophisticata sæpissimè, adulterata, reiectitia, vel in naui suffocata, vel immersa lacunæ, aut vetustate corrupta, vel non debito loco & tempore collecta sunt.

Vsus & abusus tabaci.

IX. *De vsu & abusu tabaci hæ sunt regulæ.*

1. *Maximus tabaci abusus est apud Indorum sacerdotes & medicos.* Illi enim de rei alicuius euentu consulti suffitum tabaci haurire solent, ad ecstasin excitandum, & de re quâlibet diabolum interrogandum: hi verò hoc eodem fumo inebriati, & de morbo interrogati respondent. 2. *Maximus etiam tabaci abusus est, quotidiano eius vsu semetipsos & bonas horas perdere, & ex cerebro, mentis nobilissima sede, caminum simul & cloacam efficere.* Id certè est profanare vtile alioqui medicamentum. 3. *Fumus tabaci cibum præcedat tribus horis.* Ita commodius peccantes succos discutit & abstergit. Hâc de re audiamus Neandrum: Ad memoriæ stabilimentum egregiè facit fumus naribus exceptus. peculiari enim ratione dicatus est cerebro, facileque in eius sinus subuehitur, ac id ab omni inquinamento eluit. est enim cerebrum pituitæ metropolis. Cibum præcedat tribus horis. &c. 4. *Nimius & assiduus tabaci vsus valde nocet corporibus iuuenilibus, itemque biliosis.* Abripit enim cerebrum in intemperiem calidiorem. At cerebrum in iuuenibus & cholericis excessum caloris non fert. 5. *Tabaci fumus non conuenit sanguineis & melancholicis.* Sicut enim bili addit stimulum feruescentiæ: ita sanguinem facit bilescere atque incendi. Melancholiam quoque auget suâ siccitate. 6. *Tabaci fumus, moderatè & tempestiuè sumtus, conuenit frigidis & humidis naturis.* Tales sunt pituitosi & catarrhosi, qui frigidis & humidis fluxionibus vexati tenentur. 7 *Fumus tabaci noxius est corporibus omnibus sanis.* Habet enim vim purgandi & totum corpus alterandi. quorum neutrum conuenit sanis. Atque eandem ob causam fumus iste hostis est acerrimus plurimorum stomachis, præsertim si post cœnam aut prandium eius vsus ineatur. 8. *Tabacum vincit vinum caliditate.* Cui etiam excessui odorem istum fortem saporemque corrosiuum debet. Loco præterea humiditatis vini habet etiam coniunctam siccitatem. Itaque suffumigium tabaci cholericos disponit ad febres ardentes & hecticas, eosque in phreneses & melancholiam intempestiuam traducit. 9. *Nimia tabaci ad cerebrum attractio euertit perfectum animi & corporis statum.* Tollit enim frigidorum elementorum proportiunculas, easque ad calorem promouet, sublatâ formâ pristinâ. Porrò calor natiuus sit immoderatus. Itaque fumus hic tabificus ad vitæ breuitatem facit. Cum enim natiuus in nobis calor instar flammæ cuiusdam humidum, in quod agit, assiduò depascatur, perinde ac accensus lychus oleum calore suo absumit; consequitur necessariò, vt defectu pabuli vita euolet. Deficit enim humidum, calore nimium aucto, & illud celerrimè depascente. Hæc ad animum reuocent philocapni, seu καπνοφίλοι, & illud Ciceronis ob oculos sibi ponant. *Sustentatur valetudo* (ait orator ille princeps 2. offic.) *notitiâ sui corporis, & obseruatione earum rerum, quæ res aut prodesse soleant, aut obesse, & continentiâ in victu omni atque cultu corporis tuendi causâ, & prætermittendis voluptatibus.* quâ insigni sententiâ vniuersa valetudinis conseruandæ ratio exactissimè traditur. His vtamur, à quibus ipsa natura iuuatur ac reficitur: ab his caueamus, à quibus noxam nos sentire percipimus. 10. *In corporibus frigidis & humidis saburra pituitæ excludatur vsu tabaci, hunc in modum. Primò* certus esto de hâc intemperie: cuius signa sunt faciei albedo, venarum inconspicabilitas, capilli recti & stabiles, frigoris impatientia, totius corporis habitus rigidus, torpor & somnolentia, os, nares, oculi, madentes, &c. *Deinde*, ad necessitatem, non ad libidinem & intemperantiam sorbeto hunc fumum. parcitas adsit & modus. *Tertiò*, caput priùs purgato sternutatoriis ex tabaci puluere. *Quartò*, tubuli illi vel fistulæ, per quas fumus recipitur, sint longissimæ. algidior enim ita redditus fumus, gratiore Venere hauritur, nec vapidum adeo & acrem nidorem eructat. Cerebrum quoque cùm venulis angustissimis constet ac minimis, non libenter recipit crassa ista suffumigia, penetratu difficilia, sed tenui & calida tantummodò. *Denique*, anisi aliquot guttas adde tabaco; aut admisce caryophylla, vel alia serosos ac frigidos capitis pectorisque humores euacuantia. Persæ, vt & Turcæ, aloes lignum minutim concisum tabaco addunt in capitis affectibus, ac ita per longam cannulam ex orichalco confectam (quam frigidæ imponunt aquæ, vt eò gelidiùs fumus peruadat cerebrum) suffitum hunc hauriunt. 11. *Tabaci fumus calefaciendi, incidendi, attenuandi aperiendi, & reserandi facultate pollet.* Itaque fumus hic ore perque nares haustus, ad frigida & humida cerebri excrementa resiccanda, tanquam perutile remedium in hos vsus est trahendus: si nempe hoc fiat moderatè & tempestiuè. 12. *Temporis, temperamenti, & loci eadem est ratio in vsu fumi tabacini.* Nam si tempestas sit frigida & humida, aërque nubilus; temperamentum frigidum & humidum; denique locus frigidus, humidus, maritimus, palustris, &c. vtiliter adhibetur ista suffumigatio 13. *Tabaci fumus ventriculo ingestus, humores superfluos non solùm è cerebro, sed etiam ex vniuerso corpore trahit atque purgat.* quia nempe fumifica quædā substantia è ventriculo per venas, aliosque cœcos meatus, non solùm ad cerebrum, sed & in omnes corporis partes ἀδήλως diffunditur quoquouersum. 14. *Hoc fumo adsueti faciliùs eum ferũt; contrà grauiter, qui præter consuetudinem eum hauriunt.* Qui ergo longis vsibus hunc per os & nares suffitum adsueuerunt, iis hæc suffumigatio minùs nocet. Verissimum enim est axioma: In omnibus consuetis, vt consueta, insuetis minùs noxia sunt. 15. *Cùm hanc ex tabaco suffumigationem intermittere quis meditatur non temerè, nec subitò mutanda est consuetudo.* Consuetudo enim est altera natura; omnisque subita mutatio est periculosa. 16. *In sternutationem nihil est promtius quàm tabaci puluis naribus inflatus.* Possunt autem pulueri tabacino alia aromata addi, vt rorismarini, caryophyllarum maioranæ, saluiæ. Cæterùm valde sternutamentum confert capiti vaporibus repleto, crassas muccagines exhauriendo ex primis cerebri ventriculis, & crassorum expectorationem promouendo. Sed non temerè sunt cienda sternutamenta, nec antequam euacuaris, & non priusquàm mitificationi studium suum natura dederit. Hæ igitur sunt regulæ tabacologicæ: quas qui obseruant, proculdubio effugient satyram *Misocapni à Iacobo Angliæ rege* in lucem editi, quem vide inter opera huius regis pag. 200.



SECTIO XXXIV.

In quâ delineatur

ZOOPÆDIA.

PRÆCEPTA.

Zoopædia est institutio morum à brutis petita.

Estque generalis, vel specialis.

Zoopædia generalis explicat modum, quo bruta nos instituunt.

Modus iste duplex est: vnus fit per accommodationem seu applicationem moralem, factâ quadam proportione & similitudine: alter fit per argumentationem

tionem imparium, ex iis, quæ verè obeunt ipſa.

Zoopædia ſpecialis explicat, quid ſigillatim à brutis diſcere oporteat.

REGVLÆ.

[Zo]opædiæ [c]ommũ.

I. *Morum diſciplina, eáque ethica, œconomica, politica, theologica, perfectius petitur à brutis, quam à reliquis creaturis ſenſus expertibus.*

Eſſe mundum iſtum magni inſtar libri, in quo non modò rerum omnium conditoris tum potentiam, tum ſapientiam, tum bonitatem cuilibet, quantumuis agreſti, homini, atque inerudito legere liceat, ſed eius etiam lectione in omni virtutum genere inſtitui, ſapientes pleriqque exiſtimarunt. Quod quidem ita verum eſt, vt nulla ita deſpicata, ita puſilla exiſtat creatura, quæ ſi penitiùs inſpiciatur, non aliquam tradat vitæ rectè gerendæ inſtituendæque diſciplinam. De Gregorio quidem, cognomento Theologo, memoriâ proditum eſt, ſolitum illum ex re quâlibet moratæ vitæ documenta elicere, atque ſingula, quæ tum audiret, tum videret ipſe, ad morum informandorum diſciplinam conuertere. Quod æmulati, ſanè non pauci ſunt, qui cùm Chriſtianam perfectionem, (quatenus ad illam pertingere licet) profeſſi, continenter in virtutam ſtudium incumberent, nullum abire ſibi tempus ſinebant, quo non ex rerum creatarum conſideratione fructum aliquem ſpiritualem colligerent. Atque ea eſt longè vtiliſſima, & multò facillima ratio eius exercitationis (quæ eſt de continuâ Dei memoriâ) obeundæ, quam quidem tanto ſtudio tum ſacræ literæ, tum ſancti Patres, enixéque tradiderunt. Verè enim ille & fructuosè Dei meminit, qui ita eum in ſuis operibus præſentem cernit, vt ex eorum intuitu ſibi virtutem inprimis colendam, vitium autem fugiendum ediſcat. Verùm ſi res quæuis, quam condidit naturæ author, quanquam vilis & exigua, vitæ eſt magiſtra, atque morum inſtitutrix; quantò id vberiùs atque perfectiùs res illæ præſtabunt, quæ cùm perfectiorem ſortitæ ſint naturæ gradum, propiùs etiam à ſuo conditore abſunt, cui & virtutum ſuarum in iis nonnulla veſtigia extare placuit? Bruta igitur multò perfectiùs nos inſtituunt in ſcholâ naturæ, quàm reliquæ naturæ ſenſus expertes. Vnde Seruator ait, *Eſtote prudentes vt ſerpentes, & ſimplices vt columbæ.* Meritò itaque ζωοπαιδεία nobis erit commendata. cuius eximius magiſter eſt *Antonius de Balinghem*, quem ducem hîc ſequimur.

Bruta duobus modis nos inſtituunt.

II. *A brutis petere oportet doctrinam morum, atque humanæ vitæ præcepta, non tantùm per accommodationem, ſed etiam ex iis, quæ verè obeunt ipſa.*

Res ſenſus expertes, & quæ illo inſtructæ ſunt, hoc diſcrimine mortalium generi virtutem tradunt. A rebus vniuerſis, atque adeo ſingulis, ſeu ſimplices eæ ſint ſeu mixtæ, ſeu animatæ ſeu inanimatæ, vitæ atque virtutum documenta, per quandam moralem accommodationem, atque factam proportione quâdam applicationem duci poſſunt atque deriuari: verùm ab iis rebus, quæ ſenſibus tùm exterioribus, tum interioribus ſunt præditæ, non ducitur iſta morum diſciplina per hanc ſolùm accommodationem, ſed ex eo item quod verè ab ipſis exercetur. Quod quidem ſic patet. Terræ intuitu docemur, Domino Deo optimo atque maximo immobiliter adhæreſcere, dum eam in centro ſuo immobilem perſeuerare deprehendimus. At id tantùm accommodatione quâdam docetur, & rei ſimilitudine, non proprietate. neque enim terra Deo immobiliter adhæret. Verùm quàm illud ipſum diſpare modo, eóque nobiliore, docemur à cane leporario, qui domino ſuo, quem peregrè abeuntem ſequitur, ita adhæret, vt nullâ neque vi, neque metu, neque blanditiis poſſit ab ipſius latere diuelli? Canis igitur domino ſuo, à quo educatur, verè & conſtanter adhæret: terra autem non domino, at centro ſuo, neque illi ipſi vero amore, cui præit cognitio, ſed naturæ pondere coniungitur. Quare longè aliâ ratione atque efficaciori, docet canis hominem, Deo à quo alitur adhærere, cùm ipſe prior id verè obeat, quod homines docet. Quanquam id fatendum eſt, ab animalibus peti doctrinam morum, atque humanæ vitæ præcepta, non tantùm ex iis, quæ verè obeunt ipſa, ſed etiam per accommodationem & applicationem. e. g. ex eo quòd ſtruthiocamelus ferrum deuorat, eóque nutritur, docemur dura atque aduerſa quæque perpeti, eáque in vſus noſtros, alimentúmque ſpiritus, atque virtutum acceſſionem conuertere. at doctrina iſta non ſumitur ex eo, quòd ſtruthio-camelus id faciat ipſe quod docet (neque enim is aduerſa æquo patitur animo) ſed ſumitur ex quâdam ſimilitudine atque applicatione eius quod facit, ad id quod docendum accommodatur: ſicut enim ſe habet ferrum ad ſtruthio camelum, ſic ſe habet diuerſitas ad hominem: quemadmodum igitur ille ferro paſcitur, ita & hominem conuenit tanquam ferro rebus aduerſis paſci, nedum in iis deficere. Atque ex duabus iſtis, quæ brutis inſunt doctrinæ rationibus, priorem tanquam naturæ rerum magis conſentaneam, neque ab humanâ commentatione pendentem, tanquam voluptatis pleniorem, denique tanquam maioris efficacitatis in ζωοπαιδείᾳ oportet ſequi. Porrò in his brutorum moribus recenſendis id ſpectatur maximè, vt mortales pudore afficiantur, ſibi eas abeſſe virtutes, quibus inſtructa ſunt bruta. Et hæc eſt cauſa, quòd Spiritus ſanctus tum ad formicam pigrum, tum incurioſos atque futurorum improuidos Iudæos ad miluum, ad turturem, ad ciconiam amandat. Cur id quæſo, niſi vt eos ſui ipſorum pudeat, dum ſeſe aduertunt, animantibus iſtis, diligentiâ, labore, atque futurarum rerum præſenſione inferiores exiſtere? Ad cohortandum, ſi Quintiliano credimus, præcipuè valent imparia, quatenus ex iis conficitur argumentum à minoribus ad maiora. Hæc autem concludendi ratio valet in exemplis, aut ſimilibus, quæ à brutis ducuntur, ſi exempla ipſa ad hominem accommodentur. Quæ quidem argumentandi ratio ad permouendos animos, ruboréque eum qui audit perfundendum valet inprimis. ſi enim ea, quibus eſt vſus rationis à naturâ denegatus, iuſtè, fortiter, temperanter, prouidè aliquid agant, quam erit indignum, eum qui rationis ſit compos, iniuſtum, timidum, intemperantem, improuidum exiſtere?

Fundamenta Zoopædiæ.

III. *Duo ſunt fundamenta Zoopædiæ, veſtigia rationis atque morum brutis à Deo impreſſa, & hiſtoria naturalis.*

Etſi bruta neque ratione, neque virtute ſunt prædita: tamen vtriuſque veſtigia in iis inſunt. Atque eo factum, vt tum Deus ipſe, tum Chriſtus, non ſemel brutorum exemplo, animis noſtris ad virtutis ſtudium, vitiíque fugam inſtituendis vſi ſint: vt *Eſa.* 1. *Ierem.* 8. *Matth.* 10. Nimirum admiranda in brutis prudentiæ, ingenij, docilitatis, aſtutiæ, ſagacitatis, ſolertiæ, manſuetudinis, caſtimoniæ, cæterarúmque tum virtutum tum vitiorum argumenta eminent; eáque omnia non à ratione, ſed ab eius veſtigio quodam, id eſt, à phantaſiâ, profecta. Quanquam itaque vt & ratione & virtute carerent bruta, naturæ authori viſum ſit: ea tamen ceu vtriuſque veſtigiis quibuſdam placuit exornare. In canibus, ſimiis, & aliis quibuſdam, ait *Ariſtoteles* 8. *lib. animal.* cernimus quædam, quæ ratione & arte conſtare videantur. At non arte ſed experimento, imaginatione, & memoriâ conſtant, ceu rationis veſtigio & imagine; quippe hæc artis & ſcientiæ principia ſunt. Quod verò de ratione, idem quoque de virtutibus & vitiis aſſerit, quorum in brutis imaginem reperiri confirmat his verbis. Sunt vel in plurimis cæterorum animalium, veſtigia morum animi humani, quanquam hæc in homine apertiùs diſcernantur. Ineſt vrbanitas, feritas, clementia, acerbitas, fortitudo, ignauia, metus, fidentia, ira, malitia, atque etiam prudentiæ imago ineſt in multis. Hæc Ariſtoteles. Atque hoc eſt primum fundamentum Zoopædiæ. vnde alterum dependet, videlicet hiſtoria naturalis, & fides hiſtorica, quam oportet habere authoribus fide dignis, qui hiſtoriam naturalem tradiderunt. Si quis enim tam ab omni humanitate ſit alienus, támque humanæ fidei aduerſus, vt niſi oculis ſuis, non credat quódque alij ſe vidiſſe ſanctè affirmant, faſtidioſè reiiciat; non erit idoneus huius diſciplinæ auditor. Moroſulis iſtis hoc vnum opponimus, quod Ariſtoteles tradidit: brutorum operationes hominum operationibus quàm ſimillimas eſſe, quòd ea quæ ab his ad ſui conſeruationem, eadem ab illis ob eundem finem perficiantur; idque confirmat exemplo induſtriæ atque artis, quæ in nidorum ſuorum ædificatione ab hirundinibus adhibetur. Ex quibus efficitur, brutorum actiones, cum hominum actionibus admodum conuenire. Quantò igitur cum iis congruent magis, atque ad eas accedent propiùs, eò erunt etiam fide digniores.

Methodus Zoopædiæ.

IV. *Duplex adhiberi poteſt methodus in Zoopædiâ.*

Prima eſt phyſica, cùm bruta diſtinguuntur certis claſſibus, & in ſingulis adnotantur imagines virtutum & vitiorum: vt in aquilâ, elephanto, lucio, apiculâ, &c. *Altera* eſt ethica, cùm loci communes ethici, œconomici, politici, theologici, conſtituuntur, & ad ſingulos referuntur exempla illuſtria. quæ methodus eſt apud *Antonium de Balinghem*, quem paulò antè laudabamus; & breuiſſimè ſic habet, iuxta ſeriem alphabeti.

Acceptio perſonarum. Hanc fugiendam eſſe docent *bruta*, quæ ſui generis animantes quaſlibet pari proſequuntur beneuolentiâ amoriſque ſignis, neque maiores inter & puſillas, pulchras aut deformes, nobiles aut ignobiles vllum faciunt diſcrimen. Idem diſcant parentes licet *à cornicibus*, quæ æquali in filios ſuos feruntur amore.

Aduersitas. Quid sit eius tempore faciendum docet *echinus marinus*, qui cùm mare concitari ventis senserit, spinis quibus totus obuolutus est, minutiorem aliquem calculum colligit, vt eo se firmet, ne à fluctibus ad terram deuoluatur. Sic *apes*, cùm necesse habent aduerso vento volare, calculum pedibus gestant, quo se isto quasi fulcro contra auræ flatus stabiliant. Sic animalia quædam in igne læta degunt, vt *pyrogoni & salamandra*. His adde, quòd *struthio-camelus* ferro & lapidibus vescitur, & concoquit. Huc pertinent quæcunque veneno vescuntur animalia, vt *coturnices, capræ, sues*.

Adulterium. Hoc esse fugiendum docent *palumbes, turtures & albæ columbæ*, quæ nunquam alienum cubile attingunt: item *ciconia*.

Amicitia. Eam hominibus inter se colendam docent variæ animantes, non modò quòd eius inter se ipsæ sint amantes, vt *elephanti, cerui, apes*, &c. sed quòd eam item cum hominibus ineant atque conseruent, vt *draco, delphinus leo*.

Anima. Curandam animæ cuiúsque suæ salutem docent *omnia bruta*, quæ vt corporis adeóque vitæ suæ incolumitatem conseruent, nihil non patiuntur, nihil non attentant, nihil non moliuntur.

Auaritia. Hoc vitium esse fugiendum docent *pisces*, qui finibus suis contenti, læti in aquis commorantur, nec vnquam alienos terminos aggrediuntur.

Castitas. Hanc esse colendam docent *apes*, quæ recentem à complexu Venereo cognoscunt, atque illum sicut hostem insequuntur: item *ea animalia*, quibus solemne est, vt obseruent tempus statum generationis; quo elapso desinunt generationi vacare, cùm non tam voluptatem quàm prolem quærere videantur.

Charitas. Principiò est mira quorundam animalium erga hominum charitas: puta *delphini, thoæ, elephanti, canis*. Deinde mutuam quoque charitatem illa colunt: vt *delphini, elephanti, apes, cerui, oues graculi*.

Clementia. Huius virtutis magister est *leo*, itémque *rex apum* qui solus in illis est sine aculeo.

Contemplatio. Cœlestia contemplari, amoréque prosequi docent *aquila & manucodiata*.

Crudelitas. Quàm ea homines dedeceat, docent *bruta vniuersa*, quæ in suo genere probè degunt.

Deliciæ. Earum fugam docent *apes*, quòd vnguentis odoribúsque delibutos insectantur; præterea quòd oleum non ferant, eóque si quis eas perfundat, properè necantur, continuóque, si quis acetum his superfundat, illicò reuiuiscunt.

Deus. Dei continenter meminisse, neque ab eo separari vnquam doceat nos *canis leporarius*, qui tanto herum suum prosequitur affectu, vt ab eo diuelli ne momento quidem possit.

Dignitas. Dignitatum atque honorum, quos quis in rep. adeptus est, non oportere esse retinentiorem, sed contentum esse vicissim subesse, doceant nos *grues*, quæ dum volandum est, vnam sibi præstituunt itineris ducem quæ præcurrit cæteris certo tempore, quo expleto ad agmen redit, extremúmque sortitur locum, atque ei quæ sequebatur, ducendi agminis honorem cedit. ita earum singulis obuenit, vt vicissim & primæ sint & nouissimæ.

Ebrietas. Eius fugiendæ magistri sunt *simius & elephas*, qui si vinum biberint, hic sui roboris obliuiscitur, ille versutiæ, & omnino fiunt imbecilli & captu faciles. Deinde *brutis vniuersis* id commune est, vt non plus bibant quàm naturæ congruat, neque vllis aut minis aut verberibus adigi possint vt eam mensuram excedant.

Educatio. Honestis atque Christiano nomine dignis moribus, educandos informandósque parentibus liberos, docent animantes multæ ac in iis *volucres* potissimùm, & nominatim *ciconia*. Ita *ceruæ* editos partus exercent cursu, & fugam meditari docent, ad prærupta ducunt, iisque saltum demonstrant. *Luscinia* pullos docet modulos suos. Audiunt pulli magnâ intentione & reddunt. *Aquila* pullos suos plumescentes alis verberat, eósq; suo exemplo ad volandum prouocat. *Vrsa* catulos fingit lambendo. Porrò quantũ prosit educatio, docet animaliũ quãquam maximè agrestium & ferorum, vt leonũ, pardorum, tigridum, elephantorum, & cæterorum *cicuratio*.

Eleemosyna. Huius magistra est *aquila*, quæ nunquam prædam suam (nisi admodum famelica sit) totam sola deuorat, sed cæteris volucribus se vt eius participes fiant consectantibus, eam communiter, tanquam mensæ sociis exponit, suâ tamen priùs receptâ portione.

Filij. Quantâ illi debeant pietate colere parentes docent *ciconiæ*, quæ genitores suos per senium defluxu pennarum laborantes, suísmet plumis circumdatos fouent, iísque victum abundè ac lautè administrant. Idem faciunt *vpupæ & aquilæ*. *Merops* etiam pietate in parentes ciconiis antecellit, quòd non eos demum senectute affectos alat vt ciconia, sed vbi primùm ei maiores alarum pennæ natæ fuerint, eo pietatis officio fungitur. Quare inter aues iustissima omnium & piissima habetur.

Gemitus. Gemere nos doceant *columbæ & turtures*, quibus gemitus est pro cantu.

Gratitudo. Hâc nihil occurrit frequentius in animalium actionibus: nominatim in *elephanto, leone, cane, boue, asino, ciconiâ & aquilâ* erga parentes, *accipitre* erga pallerem.

Gula. Quanta sint gulæ incommoda docet *purpura* (conchæ id genus est) quæ vehementer est gulosa, longâmque habet linguam, quâ penetrat quocúnque potest, atque attrahit quæ comedat, quâ eâdem etiam capitur. Eadem gulæ damna, sobrietatísque commoda docere videntur *cerui*, qui vbi se præpingues senserint, latebras quærunt, fatentes incommodũ pondus, séque eo grauatos ægrè fugere, faciléque capi posse, cùm tamen in solâ fugâ sit illis vitæ præsidium.

Hospitalitas. Eam docent *cornices*, quæ ciconias hospites ad sua redeuntes tecta deducunt atque dirigunt, & veluti tutmis quibusdam stipatricibus prosequuntur, atque contra inimicas aues pro eis depugnant, & propriis periculis aliena bella suscipiunt.

Hypocrisis. Eius hieroglyphicum est *polypus*, qui saxum nactus in mari ei adhærescit firmiter, eiúsque colorem induit qualis qualis sit; quo fit vt piscium complures ad ipsum improuiso nantes, tanquam ad saxum appellant, quos ipse prædatur & conficit.

Iniuria. Hanc inferre nemini docent *cygni*, qui suapte naturâ pacati sunt. *Capito* piscis nullum inuadit animal, vt eo pascatur. At *miluus* parcit quidem volucribus validioribus, sed in imbelles pullos vires exserit suas.

Inuidia. Ab hâc malè audiunt *canis & ceruus*; è quibus ille fœnum, quo non pascitur, boui inuidet, hic cornu suum dextrum in terram occultat.

Iracundia. Haud facilè irascendum discere licebit à *rhinocerote*, qui multâ indiget irritatione vt iram concipiat.

Labor. Homini gnauiter laborandum esse docent *boues, cameli, equi, asini*, variáque animalia, quæ homini labore & sudore suo operam præstant. *Apes* quoque labori sunt addictissimæ: item *formica*. Porrò omnibus per vices bono publico laborandum, neque quenquam oportere otio stertere, docent *grues*, quæ excubias nocturnis temporibus vicissim habere solent. dum enim cæteræ dormiunt, aliæ in orbem circumlustrant & obeunt dormientes, vt sic tutæ sint ab insidiis impetuque hostium. Exacto deinde vigilandi tempore sibi præstituto, quæ vigilauit, emisso clangore alium excitat, quæ sibi in isto munere succedat, ipsâ interim cubitum concedente.

Laus diuina. Laudandum Deum docent cùm *animantes omnes*, tum in iis *aues* potissimùm, & inter eas maximè, quæ canendi præstant suauitate, vt *luscinia*.

Luxuria. Eam mulieribus fugiendam docent *equæ*, quibus licet maximè dominetur libido inter brutorum fœminas, tamen cùm ventrem ferunt, se cognosci non patiuntur. Luxuriæ libidinisque pœnam docet *sargus* piscis, qui cùm capras vehementissimè amet, vbi earum secundùm litus pascentium, vel vmbra sola apparuerit, ad eas summo studio adnatat vt eas contingat; cuius rei piscatores conscij caprinâ sese pelle induunt, quorum vmbrâ in litore maris conspectâ, sargi mox ad eam tanquam ad capras accurrunt, facileque a piscatoribus capiuntur. Eadem libido pernicies est *scaris & capitonibus* item piscibus, quorum est cupiditas in fœminas inexplebilis. è quibus captam vnam aliquam circumducere soliti sunt per mare piscatores, quam cùm illi magno numero insequuntur, facilè retibus concluduntur.

Magnanimitas. Eam docent *leo & aquila; equus item & canis generosi*.

Mansuetudo. Hanc docet *Leo*.

Mors. Hanc æquo animo pacatoque atque generoso ferendam, quin & de eâ gaudendum docet *cygnus*, qui sibi canat epicedium.

Mundities. Eam inprimis colunt *apes* quas omnium mundissimum animal esse ait Aristoteles. Sunt & *feles* mirè munditiei amantes, dum non solùm se comunt, leu etiam excrementa sua contegunt.

Musica. Eam non fastidire neque reiicere nos docent *cameli*, qui gaudent musicâ discuntque saltare ad tibiam: *cerui* item, qui mulcentur fistulâ pastorali & *canu*: denique *delphinus*, qui capitur maximè hydrauli sono.

Obedientia. Deo cumprimis obediendum docent *ea bruta* quæ homini tanquam regi suo obediunt, vt *canis, falco, leo, elephas* &c.

Oratio. Orare docent *corui*. qua de re vide *Iob.* 38. *Psal.* 146.

Parentes. Amorem, quo illi debent complecti filios, docent *vrsa, asina, cornix, ciconia, aquila, vultur, gallina, delphinus*.

Passiones animi. Sedandas esse eas ac moderandas docent bruta omnia, quæ cicurantur, feritatemque magnam partem exuunt, vt *leones, tigrides, vrsi*.

Mors Christi. Ad sanctissimum Christi cadauer frequentes itare, indeque spiritualem nobis cibum meditandâ eius morte sumere, doceant *vultures* qui etiam trans maria dicuntur sentire cadauerâ, & ad escam huiusmodi congregari, *Matthæi* 24.

Patientia. Magna est *camelorum* in siti patientia, quam & quatriduo

quatriduo tolerant. *Elephanti* ne ad graues quidem verberum ictus excandescunt. Nota est *ouium a.norumque* patientia, quam & sacræ literæ celebrant. *Canis domesticus*, quanquam ab hero domesticisque cædatur, atque nauiganter vapulet, non ideo tamen eos aliatrat, neque se morsu vindicare nititur, verùm demisso capite verbera excipit.

Princeps. Quàm decceat ipsum clementia, docet *leo*, & *rex apum*, qui in iis solus aculeo caret.

Prouidentia. Hanc discamus licet à variis generis animantibus, neque ferè virtutis vllius tot occurrunt exempla, quot istius. Inprimis ea est illustris in *apibus & formicis*.

Prudentia. Eam docet inprimis *serpens* qui cùm vrgetur periculo, caput principem sui partem abscondit.

Renatio. A vitiis, prauisque moribus & habitibus sese liberare docet *serpens*, qui quotannis bis, vere scilicet, cùm ex latibulis egreditur, & autumno, cùm in ea se abdit, veterem exuit pellem. *Aquila* etiam solenne est veteres pennas exuere, nouásque induere, eâque ratione quasi iuuenescere. Idem faciũt *accipitres*.

Respublica Eius, vt & cuiuslibet societatis, exemplar numeris omnibus absolutum sunt *apes*, quibus rex vnus præest, cui & obsequuntur omnes.

Resurrectio Eius fidem docet *Phœnix*, itémque *cuculus*.

Sepultura. Vitâ functos sepulturâ afficiendos docent variæ animantes. *Elephantus* cùm alterum perspexerit mortuum, super eum terram promuscide iniicit, vel ramum. *Grues* sepulturâ afficiunt mortuos. *Formicæ* suos compares granorum folliculis condunt *Apes* etiam defunctos suos efferunt, funerantiúmque more comitantur exequias.

Simplicitas. Eam doceat *columba*.

Sobrietas. Hanc doceant *cameli*, qui inediæ & sitis sunt patientissimi.

Societas Vitam socialem discamus à *ciconiis*, quæ collecto agmine proficiscuntur: item ab auibus gregalibus, vt *columbis*, *gruibus*, *sturnis*, *turdis*, *graculis*. *Formicarum* nota est vita socialis, vt & *apum*, quæ velut quandam habent rempublicam. Complura etiam inter aquatilia gregatim degunt. Quò pertinet illud *Aristotelis* 1. *hist. animal.c.*1. nullum animal, cui vngues adunci, gregatile esse.

Solicitudo. Eorum quæ ad victum, vitæque cultum necessaria sunt, fugiendam solicitudinem doceant *aues*, & pleræque animantes aliæ, quæ omnes, formicis pauculisque aliis exceptis, quotidianâ quam sibi conquirunt annonâ contentæ, minimè de crastinâ cogitant.

Spes. Sperandum in Deo eiusque prouidentiâ, docent omnia bruta, quibus ita corpus eiusque partes omnes disposuit, vt eorum naturæ congruebat, ac quemadmodum cuiusque fini consequendo opportunum erat: quibus item prospicit de necessariis alimentis.

Tentatio. Quomodo tentationes carnis potissimùm vincantur, doceant *anates*, quæ cùm aquilam desuper imminentem conspiciunt, illico se intra aquam abdunt, atque infra eam summâ velocitate natando ex alio loco extra eam prodeunt. Quòd si aquila illuc quoque incumbat & instet, iterum demerguntur, atque tam diu sursum deorsum commeant, dum aquila aut submergatur, aut discedat. tum enim hæ posito metu ad summam rursus aquam natant.

Terra. Terræ amore minimè teneri docet *manucodiata*, auis in Moluccis insulis, quæ nunquam terram tangit, ob idque pedibus caret, in aëre autem perpetuò habitat procul ab omni hominum visu, vbi caudâ atque alis in orbem extentis sponte sustinetur, vescitúrque cœli rore. Atque eâ re vocatur à multis *auis paradisi*; ab Insularibus verò dicitur *auicula Dei*: cuius consideratione multi de illis inducti sunt, vt animorum immortalitati assentirentur.

Verbum Dei Esse illud auditum, mente pertractandum atque ruminandum, docent ea animalia, quæ cibum mansum ruminant, iterum illud ad os reuocando, atque exactiùs comminuunt, quò digeratur faciliùs, vt sunt boues, oues, &c. & inter pisces solus scarus

Verecundia Eius magister sit *gallus gallinaceus*, qui si cum altero depugnans succubuit, neque canit, neque præ pudore in hominum conspectum se dat, sed confusus in primam quamque latebram sese occultat. Mirus etiam *elephanto* est pudor cum victus est. fugit enim vocem victoris.

Vigilia. Vigilare, seu orationis, seu cuiuscunque rei honestæ causâ, docebunt *anseres*, qui vigilias suas noctu testantur cantus assiduitate *Grues* item noctu vigilant *Leo* cùm dormit, caudam mouet, quo ostendat se non omnino dormire, & somno vndequaque vinci, vt cætera animalia. Nota est *canum* vigilantia, atque excubiæ, in custodiendis domibus, tuendis ouilibus, &c


Vindicta Hâc sese abstinere doceat *leo*. Idem doceant *apes*, quæ si ferientem se referiunt aculeóque pungunt, immoriuntur aculei sui vulneri.

Virginitas Castitatem virginalem doceant nos *apes*, quæ nullo miscentur concubitu: item *Phœnix*.

Vita. Vitæ breuitatis memoriam ingerunt *animalia ephemera*, ita dicta, quòd vnum tantùm diem viuunt.

Voluptas. Eam esse fugiendam docent *pastinacæ marinæ*, quas ita irretiunt piscatores. saltant in naui, & canunt quàm possunt suauissimè Illæ verò tum musicæ concentu oblectatæ, tum saltatione, sese ad summam aquam efferunt, atque adnant propiùs. Tum sensim recedentibus piscatoribus in parata retia incidunt. *Panthera* miram ex sese odoris suauitatem emittit quâ & cæteræ animantes mirè recreantur. Ipsa igitur cùm cibi est egens, sese in loca fruticibus densis consita occultat, eáque ratione hinnulos, capreas, dorcades, atque alia huiusmodi animalia ad se pertrahit atque mactat.

Zelus. Zelum honoris Dei doceant canes, qui pro dominis suis eorumque tectis tuendis ignotos atque hostes allatrant.



SECTIO XXXV.

In quâ delineatur

CHARIENTILOGIA.

PRÆCEPTA.

CHARIENTILOGIA est doctrina de salibus ioco-seriis. *Dicitur aliàs* Amphitheatrum sapientiæ Socraticæ joco seriæ.

Estque generalis vel specialis.

Charientilogia generalis præcipit de naturâ & vsu joco-seriorum.

Natura est in eo, vt joco-seria sint remota quidem à seueritate, sed non item à veritate & bonis moribus.

Vsus est, in eo, vt joco-seria animum curis & laboribus seriis fessum oblectent, aut rigentem vel torpentem excitent.

Charientilogia specialis est methodica, vel rhapsodica. Illa est sparsa per vniuersam Encyclopædiam, vnde est Charientilogia in singulis disciplinis, & eorum præcognitis, vt Charientilogia didactica, metaphysica, physica, arithmetica, geometrica, ethica &c. hæc est miscellanea, id est, joco seria ex variis disciplinis colligit.

REGVLÆ.

I. *Charientilogia est magna Socraticæ philosophiæ pars.*

Charientilogiæ encomium.

Hâc de re audiamus *Casparem Dornauium*, qui *præfatione Amphiteatri sapientiæ Socraticæ joco seriæ* ita ait: Socratem accepimus, cùm inter auditores consideret suos, non tetricâ semper seueritate philosophatum, & supercilio contracto: sed fronte haud raró diductâ, ingenuo cauillo laudasse res, suâ naturâ parum laudabiles, commendasse alias, quæ pretio sanè quàm exili vulgo habebantur. Industriam ejus prudentiamque secuti sunt plurimi; quas vel ab ingenio nobilitauit fama gloriosa, vel annorum procursu tempus ipsum inter proceres rei literariæ collocauit. Eorum labores. & ingenii partus, haud vulgo quæsitos sustuli; in vnum quasi amphitheatrum collectos, visendos publicè audiendosque profero. *Et mox:* Est sua rerum omnium mediocritas: in quâ subsistentes, illi minimè spoliandi laude, qui κατ' εἰρωνείαν versantur in rerum laudibus: quæ ne ab ipsâ sacrarum literarum dictione abhorrent: in quibus haud infrequentes tales occurrunt formulæ. Ea verò, cùm delicìantes & jocundantes, adeóque —— *ridendo dicere verum* satagimus, longè dulciùs in animos influunt; habitant diutiùs; permouent acriùs: quàm quæ morosâ & vehementi præceptione inculcantur. Addo: quoties res damnosæ præconiis exornantur, elucescere haud obscuram Dei prouidentiam: quæ examussim, etiam perniciosissima, alicui bono vertit, magmento diuinæ maiestatis. Porrò dum aut exiles reculæ, oratione exsplendescunt; aut illæ suis virtutibus proferuntur, quæ non cuiuis erant obuiæ; etsi inter viles non planè recensitæ: tum profectò apparent sapientiæ Dei certissima vestigia; quæ in minimis perinde tota est, atque in maximis. Ex his patet. Cl. Dornauium ex hisce duabus partibus suum Amphitheatrum construxisse, ex encomiis, inquam, & vituperiis joco seriis. Sed nos latitu-

dinem & amplitudinem huius materiæ tantam agnoscimus, vt Charientilogia æquet vniuersam Encyclopædiam, etiam in mechanicis, & disciplinis compositis. In primis autem illustris & jucunda est Charientilogia in Didacticis, Philologicis (nominatim in Grammaticâ, Rhetoricâ, & Poëtica) Mathematicis, Historicis, Prouerbiis, Ænigmatibus, Hieroglyphicis Paradoxis. His enim omnibus magna inesse potest χάρις, siue lepos. Videamus itaque hoc in quibusdam exemplis.

Charientil. gia didactica.

II. *In Didacticis præcipua Charientilogiæ pars in eo consistit, vt præceptor adhibeat sales in docendo, quantum ad verba, & compendia.*

Quantum ad verba; vt subinde inspergat lepidas & ioco-serias sententias. *Quantum ad compendia discendi*, vt non solùm quibusdam ingeniosis ludis, vt cubo, globo, & similibus, vtatur in linguis docendis, sed etiam in omnibus artibus & facultatibus horologium didacticum ante oculos ponat, hoc est, ostendat, quot horarum spatio ars & facultas aliqua possit addisci. v. gr. lingua Hebræa potest addisci 24. horarum spatio: vt patet ex sequenti horologio.

HOROLOGIVM HEBRÆVM,

Siue.

Consilium, quomodo sancta lingua spatio XXIV. horarum, à sex collegis sufficienter addisci possit.

VIR Clariss. *Vvilhelmus Schickardus*, amicus meus inter primarios, emisit libellum anno 1623. eo, quem posuimus, titulo. Summa istius libelli hæc est. Horæ intelliguntur XXIV. non continuæ, sed interruptæ. quas ita bipertiri oportet, vt duodecim prioribus artis præcepta, posterioribus vsum addiscamus. Quod ad priores attinet, sunto sex collegæ, ita vt singulis binæ cedant horulæ, quibus singulæ adsignentur materiæ. e. gr. *Iohannes* in hoc collegio erit nomen; *Petrus*, verbum: *Martino* tribuentur anomala; *Paulo* affixa: *Henricus* vocales *Vvilhelmus* accentus sibi vendicabit. Præceptor cum quolibet seorsim tractabit quod suum est, quasi is vnus adesset, cæteris interim mutis adsidentibus, & Pythagoreo more tantùm auscultantibus. Posterioribus XII. horis totidem selecti textus Biblici erunt resoluendi, prælegente præceptore, & singulis collegis ad suum quisque pensum grammaticum solicitè attendentibus, & ad interrogata respondentibus: vt si dualis vel pluralis occurrat, Iohannes respondebit: si quod præteritum vel futurum, Petrus &c. Dum ita singuli suum depositum reddent, eandemque rem toties in medium conferent, cæteri vel nescientes & quasi per ludum, memoriæ mandabunt ea, quæ à reliquis adferuntur. Haud dissimili ratione Lexicon oportet inter istos sex distribuere, ita nempe vt primus habeat אבגד: secundus, הוזחטי: tertius כלמנ: quartus, סעפ: quintus צקר: sextus, שת Compendium istius Lexici habet author in fine opusculi. Constat illud vocibus 10. oc. circiter: quas si probè tenuerint candidati, non facilè in historicis libris caput occurret, quod non ferè totum ex tam paucu lis originibus intelligant. Cæterùm ingeniosus aliquis quotidiè binas horas huic exercitio impendere posset, vt cursum 12 diebus absolueret: vel ternas, vt octiduo finiret. Tardioris ingenij si quis fuerit: quotidiè singulas horas insumat. Sed jam partiamur XII. horas pro exercitio Grammatico

Horâ primâ discant legere: *secundâ*, nomen: *tertiâ*, paradigma akad: *quartâ*, coniugationes perfectorum: *quintâ*, verba defectiua Pe nun: *sextâ* verba quiescentia: *septimâ*, præfixa משה וכלב: *octauâ*, suffixa הכבוים: *nonâ* vocalium correptiones: *decimâ*, vocalium productiones & reliquas permutationes: *vndecimâ*, vtrumque Dagesch: *duodecima*, accentus.

Sed hæc ex ipso libello cognoscantur: illudque vel inprimis obseruetur, vt in aliis disciplinis similia proponantur horologia.

Charientilogia miscellanea.

III. *Charientilogia miscellanea*, ex Iohannis Fortij Ringelbergij Cyclopædiâ, *est eiusmodi.*

1 Si è nare dextro sanguis effluxerit, digitum dextrum auriculare incurua, ac viribus totis preme; sin è sinistro læuum. hoc enim compressu fluxus sistitur. 2. Vestimenta ne tineæ tangant, absinthium decoquito ad dimidium: hâc vngito fundum arcæ, & extrinsecùs pedes ac angulos. 3. Fumus è sulphure in ignem coniecto, purpureas rosas illicò reddit albas. 4. Vino sublimato linteum si immerseris, concipiet quidem flammam, sed non aduretur. 5. Duobus poculis, vnum fundere poteris in alterum, si vnum cineribus, alterum humore impleueris. 6. Si summos juglandium cortices virentes, confractos, in aquam è puteo haustam miseris, eóque liquore solum perfundas, confestim lumbricorum ingens prodibit copia. 7. Metallis viridis color inducitur si humectentur aceto salso. 8. Quidam pullos à gallinis exclusos caponum custodiæ tradunt, hoc modo. Pectori extrahunt plumas omnes, & vrticis diu perfricant locum ita nudatum: postea pullos sub eo ponunt, quorum molli attritu dolor leuatur. Postea capus ducit pullos, non aliter atque gallina: verrit terram, conuocat pullos, eósque defendit de die, ac de nocte fouet eosdem. Id autem faciunt matresfamiliâs, vt gallinæ interea temporis pariant oua. Quâ de causâ nonnulli, coruorum oua eiiciunt è nidis, reponuntque gallinarum. Inde post tres quatuórve septimanas, pullos exclusos commendant capo, eâ quâ diximus ratione tractato. 9. Sal armoniacum contusum mistumque aquæ, literas albas reddit, à colore papyri nihil distantes: sed si igni admoueris, nigras. 10. Ad eundem modum, aluminis puluere scripta non apparent, nisi chartam, cùm legere voles, merseris in aquam. 11. Hirci aut bouis pinguedine liquefactâ ouum vel silicem pinge, atque in acetum ad horas ferè septem pone. Postea extrahe, & cælatum deprehendes, quidquid sæuum non defenderit. 12. Si gallo gallinaceo des allium deglutiendum, ferocissimus euadit ad pugnam, & alios omnes superat. Ideo & viatores eo vescuntur, & equis datur. 13. Si voles scire, vinum aquâ sit adulteratum, nec ne, infunde vasi hederaceo. Si vinum aquâ sit dilutum, quia acrius est vinum, effluet, modò vas non sit nimis densum; aqua manebit. 14. Accipe salis armoniaci vnciam semis, tantundem vitrioli Romani albi, salispetræ, vtriusque drachmas tres; quæ in puluerem omnia redigantur. Huic annulum compositum ex auro & argento pallidissimum impone, atque igni admoue. Post horæ vnciam exime, recentique ablue vrinâ. Inuenies auri colorem optimum. 15. Si poculo omnino repleto liquor affundatur, effluet: sin nummi aurei, humor attolletur. 16. Si magnetem allio vnxeris, vim attrahendi ferrum amittet. Rursus, si in arietis sanguine paulisper ponatur, eandem recuperabit. 17. Pocula duo vitrea plena humore super duas ponito sellas, ad pedum quatuor aut quinque distantiam. Inde bacillum fragilem, totidem pedum longitudine, super eadem vascula collocato, ita vt vasculorum margines vix attingat. Demum fuste alio robustiore impositum poculis baculum, viribus totis medium percutito. Ita frangetur, poculis immotis, modò lignum sit, vt dicebamus, fragile. 18. Quidnam est quod augetur, si adimas; minuitur, si demas? Foramen in veste, aut re alia. 19. Quidam contendebat, me non posse imitari tres oratiunculas, quas prior ipse pronuntiaret. Prima erat, Nosce teipsum: secunda Ne quid nimis: tertia, iam te vici. Et reuerâ vicerat: quoniam tertiam orationem non sum imitatus. rogabam enim quare me vicisset. 20. In dulci aqua oua merguntur ad fundum, in salsâ natant. 21. Firmato arcu in camino, sagitta semper in eundem horti locum decidet. 22. In amphorâ magnâ, vel vitro, stupa incensa, & orificio celeriter aquis imposito, ingens liquoris copia sursum repente influet. 23. Ænea fistula, continens argentum viuum, super mensam salit, si antè fuerit igni imposita. Idem eueniet, si annulus argento viuo repletus imponatur fornaci calidæ. 24. Submersam aquis vel vino muscam, in farinâ aut cineribus volue; deinde ipsam manibus exceptam halitu tuo paulisper foue, donec reuiuiscat. 25. Hasta obliqua in quamuis partem flectitur, si priùs partem curuam leui flammâ adusseris, 25. Clauum ferreum ceræ modo quaquauersus flectes, si caput & aciem tenui linteo ita circumuolueris, vt commodè vtrâque manu ipsa possis comprehendere. 27. Campana maxima si pulsetur, vel tenuissimo filo circumdata, finditur. 28. Imple poculum aquâ, & accipe particulam lanei panni, longitudine duorum palmorum: hanc totam humecta, & impone poculo, vt altera pars immersa sit aquæ, altera extra poculum dependeat. tum extemplo liquorem omnem effluere cernes. 29. Commixtum sali vinum sublimatum, & accensum astantis formam cadaueri similem efficit. 30 Imago hominis ex quâcunque radice facta, terræque infossa, fibras emittet, sicque creuisse videbitur. 31. Oua coques absque igni, si ea imponas calci viuæ, & aquam affundas. 32. Supra candelam in lateinâ suspensæ effigies hominum, leonum, ceruorum, circumaguntur iucundo spectaculo. 33. Infusâ aquâ vasi alicui, à quo procul abes, in eius fundo nummum cernes, quem antè non videbas. Etenim si in aquam aspexeris, propinquiora faciliùs apparebunt; si ex aquâ; remotiora. 34 Coopertâ tædâ cineribus, ignem seruabis per horas vndeviginti. 35. Pondus magnum affixum baculo medio faciliùs portatur à duobus hominibus, si baculus sit longior 36. Musici organi sonus mutatur, infixo gladiolo partibus illis, quibus annectuntur fides 37. Inflato per fistulam viscoso humore, grandes continuò bullæ apparent, ouíque ad instar euolant per aëra. 38. Accipe longum & tenue filum: huic insere lumbricos multos, vt filum occultetur. Id conuolutum, atque affixum longæ virgæ, esca erit ad capiendas anguillas. Nam incurui dentes piscium, vermibus haustis, filo adhærebunt. 39. Putribus lignis, præcipuè salicum, tantùm lucis inest, vt etiam mediâ nocte res propinquas discernere possis. 40. Si tempore nocturno, non habitâ ponderis ratione, stannum & plumbum discernere velis, dentibus vtrumque mordeas,

nam

nam in stanno senties strepitum. 41. Aduersus ebrietatem præsens remedium est absinthij vsus. 42. Albumina ouorum, croco mixta, intra mensem sic indurescunt, vt topazium gemmam existimes. 43 Poculo vitreo aquis immerso charta sicca permanet, etiamsi per multas horas in humore relinquatur. 44. Pari ratione quidam cum vase aperto, conuerso ore, in altissima flumina descendunt, sumtis secum cibo, potu, & face ardente, ibique sic versantur à meridie ad vesperam. 45. Puteum fodere volentes, prius respicere solent in campis, vnde plures vapores exeant. 46. Lacedæmonij surculos duos teretes habebant pari magnitudine, quorum vnus in bellum proficiscenti duci dabatur, alterum magistratus seruabant. Circum hunc plicabant lorum longum, ita vt oræ cohærerent. Literas deinde super commissuras scribebant, mittebantque imperatori. 47. Seuo scripta leguntur, super literas sparsis pulueribus. 48. Si velis alicui absenti sensa animi notificare, ex loco aliquo, quem ille possit conspicere, sex faces ardentes pro literis ostende. Vna erit pro septem, *a,b,c,d,e,f,g* : duæ pro totidem, *h,i,k,l,m,n,o* : pro reliquis tres, *p,q,r,s,t,u,x,y,z*. Sed varietas est in earum ostentatione. Nam vna semel prolata, *a* indicabit; bis, *b*; ter, *c*; quater, *d*; quinquies, *e*; sexies, *f*; septies *g*; Sic binæ semel *h*, bis, *i*; ter, *k*; quater, *l*; quinquies, *m*; sexies, *n*; septies, *o*. Simili ratione procedendum in reliquis. Si iam v.g. velis significare adesse fratrem eius, quîcum tibi est negotium, profer vnam sexies pro *f*; ternas, ter; vnam, semel; ternas quinquies; toties, vnam; ter, ternas; semel, vnam, eandem postea quater, deinde quinquies; tum quater tres; denique easdem quinquies. Hoc erit, *frater adest*. 49. Absolutâ cœnâ vel prandio, nummos accipe quatuor & viginti. Ex iis ante vnum conuiuarum pone vnum, ante alterum duos, ante tertium tres; vocentúrque inde mensæ assidentes primus, secundus, tertius: reliquos cuiquam illorum trade. Tum in medio mensæ positis, libro, nuce, speculo, aliisve rebus, ab iis paululum digressus dic vt aliquis eorum qui volet, sumat librum, alter nucem, tertius quispiam speculum. Vbi responderint se accepisse, iube ei, cui nummos vndeviginti dederas, vt de illis tot ex manu suâ remoueat, quot habet ante se is qui accepit librum: adhæc vt nucem habentis geminatum numerum, habentis speculum, quadruplum abiiciat, reliquos reddat tibi. Nam ex iis videbis, quid quisque sibi elegerit. Quippe si vnus superat, primus librum habet, secundus nucem, tertius speculum. Si duo, primus nucem, secundus librum, tertius speculum. Si tres, primus librum, secundus speculum, tertius nucem. Si quinque, primus nucem, secundus speculum, tertius librum. Si sex, primus speculum, secundus librum, tertius nucem. Si septem, primus speculum, secundus nucem, tertius librum. 50. Incidi in aulicum quendam, qui se multa nosse iactabat. Concipe, inquit, mente numerum aliquem. Id feci, accepi duo. Tum ille: qui adstat, det tibi numerum parem tuo; collige vtrumque. Id quoque feci. Et ego, ait, addo quatuordecim. Hæc itidem eius iussu priori summæ coniunxi. Iam collegeram duodeviginti. Age, inquit, summæ totius dimidium reiice. Id feci, ac seruaui nouem. Et redde huic suum, ait. Reddidi, nempe binarium. Tum ille nouit mihi superesse septem; cùm tamen ei non dixerim, cuiusmodi numerum initio concepissem. Ego protinus rem admirans, rogare cœpi, vt artem me doceret. Memoriâ, inquit, tene, quo ordine sim progressus. semper dimidium numeri relinquetur, quem ipse dederis cogitanti. Si enim quatuordecim tu adieceris, septem retinebit; si viginti, decem; si vndecim, quinque cum semisse. Illi respondi hoc modo. Concipe mente numerum. dixit se habere. Et adde dimidium. feci, ait. Rogabam num haberet numerum imperfectum, veluti tria, quatuor, aut quinque cum semisse, aiebat se habere. Fac integrum, h.e. pro semisse repone vnitatem: reposuit. Age, inquam, totius numeri, quem modò collegisti rursus adiice dimidium. id fecit. Interrogabam num. vt antè, numerum haberet imperfectum: habeo ait. Iussi vt faceret integrum. quod fecit Remoue, inquiebam, de summâ collectâ nouem. dicebat, se remouisse. Agedum adhuc nouem abiice. non possum ait. Tum ego sciui ipsum accepisse septenarium. Nam è priore additione imperfectio proueniens vnum notat; è posteriore, duo. Adhæc quoties nouem abiecerit; toties eum quatuor habere manifestum est

Charientilogia methodica.

IV. *Charientilogia methodica sic habet, in quibusdam exemplis.*

Charientilogia præcognitorum Encyclopædiæ. 1. Hexilogiæ: Qui scit nihil, scit omnia; qui omnia, nihil. 2. Technologiæ: Omnis disciplina est liber, cuius interiora inscriptam habent literam θ; exteriora, π 3. Archelogiæ: Dimidium plus toto. 4. Didacticæ: Omnis ferè disciplinæ fundamenta addisci vno die, id est, viginti quatuor horarum spatio. *Charientilogia philologica.* Huc pertinet bellum Grammaticale. *Charientilogia philosophica.* Huc refer bonam partem Amphitheatri Dornauij; cuius contenta, vt vocant, vide suprâ, in oratoriâ. e.gr. columba, nix sexangula, turtur, viola vitis, vmbra, aliquid, nihil, omnia, vita solitaria, ebrietas, &c. Habes ibi charientilogiæ metaphysicæ, physicæ, opticæ, ethicæ &c. exempla. *Charientilogia theologica, iuridica, medica.* Huius exempla sunt in sententiis, iocoseriis. *Charientilogia mechanica.* Hæc in sententiis & lepidis factis consistit. e. gr. Columbo, viro propter noui orbis partes quasdam detectas verè nobili dignitatem, quâ pollebat apud regem Hispaniarum, inuidebant, dicentes, se quoque potuisse illas inuenire insulas, quòd illud sit facile. Hosce multùm de facilitate garrientes ita alloquitur Columbus. Verum est, ô viri boni, vos itidem tale quid præstare potuisse, & quidem facillimè: sed ante me inuentus est nemo, qui hoc saltem attentare sit ausus. Cúmque oua apponerentur in mensâ, quæsiuit, quisnam illorum ouum in acumen statuere atque erigere possit, vt sine fulcro in cuspide persistat. Attentantibus autem omnibus, sed frustrà, ipse è vestigio ouum arripiens allisum mensæ paulò duriùs, vt modicè in cuspide fractum, ita erectum staret. Quod cùm cæteri vidissent, exclamarunt omnes, imò & nos hoc possumus. Cur itaque, inquit Columbus, hoc antea non fecistis? Simili ratione architectus quidam Florentiæ, insignis quidem ille ac celebris, profitebatur se turrim testudine iungere posse. Ibi alter dixit, si hoc feceris, poteris ouum in alabastro acuto & polito statuere. respondit architectus, faciam & illud. Quare accepto ouo percussit illud nonnihil, vt esset planum in acumine, ac statuit in alabastro. Dixit alter: hoc & ego facere potuissem. respondit architectus, Cur ergo non fecisti? Sed & hoc aliâ ratione fieri potest. Si enim ouum celerrimè agites, vt humores in partem obtusiorem descendant, absque vllo negotio erectum statues in illâ parte. *Charientilogia disciplinarum compositarum.* Hæc inprimis excellit in ænigmatis, prouerbiis, hieroglyphicis, & similibus e.g.

Vt tot emantur aues, bis denis vtere nummis,
Perdix, anser, anas, emta vocetur auis.
Sit simplex obolus pretium perdicis, ematur
Sex obolis anser, bisque duobus anas.
Vt tua procedat in lucem quæstio, mentem
Consule; sic loquitur pectoris arca mihi.
Sint anates tres atque duæ, simplex erit anser,
Accipe perdices quattuor atque decem.

Aliud. *Decies nouem coronatis foro aureum*
Venale præstat poculum.
Perstringit hoc oculos Tity & Sempronij,
At in ære tanto neuter est.
Veruntamen Titio si det Sempronius.
Partem sui æris alteram,
Sempronio Titiúsve tradat tertiam,
Vtrique constat emtio.
Iam digna diis mouetur aurea quæstio,
Quid ille & hic possederint?
Hanc quispiam si soluet, iudicabitur
Cratere dignus aureo.
Habuit nouenos octies Sempronius.
Titius nouenos sexies.



SECTIO XXXVI.

In quâ delineatur

ARCHELOGIA SPAGIRICA.

PRÆCEPTA.

ARCHELOGIA spagirica est doctrina de tribus principiis hypostaticis omnium corporum.

Estque generalis, vel specialis.

Generalis præcipit de tribus affectionibus, seu requisitis, principiorum hypostaticorum.

Prima affectio est, quòd principia ista sunt sensibilia: secunda, quòd spirituum proxima domicilia: tertia, quòd de se inuicem participant.

Archelogia spagirica specialis edisserit ipsa principia hypostatica, vti sunt Mercurius, sulphur, & sal.

Mercurius est liquor acidus æthereus, purissimus, permeabilis, penetrabilis, à quo oritur omnis virtus, motus, sensus, color, nutricatio, & senectutis retardatio.

Estque pneumosus, cremosus, sublimatus, & præcipitatus. Primus est subtilissimus, vltimus validissimus; secundus est humidior, tertius minùs humidus.

Sulphur est balsamum dulce, oleaginosum, viscidum,

dum, à quo oritur omnis calor, odor, vegetatio, accretio, & transmutatio.

Estque congelatum, resolutum, vel coagulatum. Illud est spirituale, istud molle, hoc viscosum.

Sal est corpus siccum, res omnes à putredine defendens, mirabilibus dissoluendi, coagulandi, detergendi, & euacuandi facultatibus pollens; à quo omnis rerum soliditas, determinatio, sapor, & multimoda virtus oritur.

Estque calcinatus, resolutus, vel reuerberatus. Ille est fixus, iste liquidus, hic igneus.

REGVLÆ.

Archelogiæ spagiricæ encomium.

I. *Archelogia spagirica docet veram systasin & analysin corporum naturalium: ac proinde est disciplina physico-medica.*

Generatio & corruptio nihil sunt aliud, quàm fluxus seminum. Si enim semina fluant, corpora augentur; si verò refluant, minuuntur. Ibi est generatio, hic corruptio. Generatio est systasis seu synthesis; corruptio, analysis. Generatio facit, vt corpora augeantur, corruptio, vt minuantur: quomodo videmus crescentibus numeris minui proportiones, & vicissim auctis proportionibus diminui numeros. Si quis ergo velit agere philosophum naturalem & medicum, ille modum generationis & corruptionis, seu coniunctionis & dissolutionis corporum debet ad vnguem nosse. Istum verò modum explicat Archelogia spagirica, vt è seqq. patebit.

Tria principia hypostatica.

II. *Omne corpus mixtum constat ex sale, sulphure, & Mercurio, & proinde in hæc tria resolui potest.*

Omne corpus naturale constat ex hoc sacro ternario; cœlestia analogicè, subcœlestia vniuocè, inprimis mixta. De illis itaque inprimis agemus. Principiò audiamus **Henningum Scheunemannum cap. 1. medicinæ reformatæ.** Alia sunt corpora, *inquit*, ab elementis nostris diuersa, quæ seminum proprietates imitantur, quarum impressiones fœcundæ sunt, & tincturam post se relinquunt constantem, in quib. saporum, odorum, & qualitatum omnium vitalium vestigia manifestè deprehenduntur. Tria sunt hæc: sal, sulphur, & Mercurius cætera corpora vniuersa constituentia, in quibus separatio fieri potest virtutum ab inualido, puri ab impuro. Caue autem, ne arbitreris, sal commune, sulphur & Mercurium vulgi intelligi; quia cùm indiuidua sint, & in suo genere absoluta, nullum ex iis corpus constituitur. Horum tamen quodlibet ex iis est compositum. Sed quia filij Hermetis differentias trium substantiarum, ex quibus vniuersa componebantur, proprietates & conditiones in nullis naturæ totis speciebus, magis explicatas animaduerterent, placuit ex iisdem appellationes mutuari. Nulla enim est constans proprietas vllius corporis, quæ vel non in salis, vel sulphuris, vel Mercurij eiusdem corporis naturâ reperiatur. Nullâ igitur aliâ ratione, viâ, vel indagine proprietates rerum, morborum origines & consumptiones venari licet, quàm hâc corporum analysi. In hâc anatomiâ exercitatum oportet esse medicum vt internos veros morbos à sensuum iudicio longè remotos cognoscat. Hæc Scheunmannus; qui accuratè distinguendum esse monet inter anatomiam localem, seu externam, & essentialem, seu internam. Itaque omne corpus mixtum, quod vocant, constat hoc sacro ternario, & proinde in hunc ternarium resolui potest, iuxta regulam: Eadem sunt principia compositionis & resolutionis. Sed illustremus hanc genesin & analysin quibusdam exemplis. Cùm ligna viridia cremantur, exit primò aquosum quiddam, quod in fumum conuertitur & in aquam resoluitur: deinde egreditur quiddam oleaginosum, quod in vapores resolutum, si cohibeatur, in oleum abit, vocatúrque sulphur: tandem remanet siccum & terrestre, quod ex cineribus, aquæ beneficio, extrahitur, ínque humido & frigore soluitur, calore autem concrescit, & salis nomen obtinet. Ita lac continet substantiam sulphuream butyrosam, mercurialem serosam, & salinam caseosam, vt ita loquar. In ouis albumen exhibet Mercurium, vitellus sulphur, pelliculæ & putamina salem. Ex lini semine elicitur oleum, ab oleo separatur aqua, ex fæcibus relictis extrahitur sal. Sic nitrum in aquositatem, pinguedinem, & salem resoluitur. Ex sale marino educitur Mercurius γλυκίπικρος, dulces chrystalli sulphureæ naturæ, & sal fixissimum. Porrò trium istorum principiorum integumenta sunt caput mortuum, seu terra damnata, vt vocant, & phlegma insipidum: quæ duo in spagiricâ [illegible], præter tria illa principia, resultant. Terra damnata est arenosa & sicca, faciléque in vitrum abit: phlegma duntaxat humectat. Nimirum corpora mixta, omnia ad vnum, naturâ sunt impura. Ideo necessitas hîc artem fecit, quæ purum ab impuro separat.

Proprietates principiorum hypostaticorum.

III. *Principia hypostatica prædita sunt proprietatibus generalibus, & specialibus.*

Proprietates generales sunt, quòd ista principia in sensus incurrunt, inter naturam corporis & spiritus ambigunt, & de se inuicem participant. Aristotelis tria principia, materia, forma, & priuatio, aliter se habent. Nam illa sunt noëtica, & ex se inuicem non fiunt. ***Proprietates speciales*** sunt, quòd Mercurius est pneumosus, cremosus, sublimatus, vel præcipitatus; sulphur, congelatum, resolutum, vel coagulatum; sal calcinatus, resolutus, vel reuerberatus. Horum multifariâ coniunctione, mixturâ, & vnione, inquit ***Scheunemannus d.l.*** corpora naturalia omnia propagationem suam tum virtutum tum facultatum sortiuntur; nec vlla res naturalis reperitur, quæ sine iis constare queat, vtcunque simplicissima sit. Omni enim rerum essentia, qualiscunque sit bona, vel mala, alimentosa vel venenata, his decem potestatibus, principiis, & naturis corporeis perficitur. Quòd enim aliæ Mercuriales dicuntur, aliæ sulphureæ, aliæ salinæ, idcirco fit, quòd Mercuriales plus pneumosi, vel cremati vel sublimati, vel præcipitati Mercurij; sulphureæ, plus sulphuris congelati, vel resoluti, vel coagulati; salinæ plus salis reuerberati, vel resoluti, vel calcinati, quàm aliorum, in se contineant. Hinc corpora principij prædominantis passiones, proprietates, & tincturas participantia, alia mollia, alia dura, alia crassa, alia tenuia, diaphana, grauia, leuia, aspera, lenta, viscosa, fluxilia, fragilia, fragrabilia, fusilia, odorifera, fœtida, mobilia, durabilia, fugacia, momentanea, viuacia, mortua, alba, nigra, cœrulea, &c. visuntur. Definitiones singularum vide suprà in Physicis, titulo Anthropologia: vbi breuiter ex Scheunemanno indicatur, quid sit Mercurius pneumosus, cremosus, &c. In his decem radicibus, dispositionibus, potestatibus, astris, elementis, receptaculis, substantiis, seminibus, spiritibus, mineris, tincturis, omnium morborum ortus, periodi, circuitus, productiones, & consummationes deprehenduntur & absoluuntur. Quæ si ad partis, loci, subiectiuè dispositionem, in naturæ suæ necessitatem & exigentiam, vnita maneant, pars corporis sana dicitur: si verò nolint vita manere, vel per mutationum gradus, vel altiori potestate à se inuicem diuellantur, tunc vita periclitatur. Itaque omnes omnino morbi ad hanc decadem ingeniosè reuocantur, & eâdem ratione curantur à ***Scheunemanno in Medicinâ reformatâ.***

Mercurij anatomia.

IV. *Mercurius est triplex; catholicus, seu vniuersalis, & particularis; atque hic iterum est principium vel principiatum.*

Mercurius catholicus, seu philosophorum, est principium omnium corporum naturalium. de quo accipe illud poëtæ:

Est in Mercurio, quidquid quærunt sapientes.

Hunc Mercurium non necesse est, inquit Sendiuogius in *lumine chymico*, quærere in re durâ; cùm vbique reperiatur mollis. ***Mercurius particularis, qui est principium***, variat in singulis corporibus naturalibus, est enim verbi gratiâ Mercurius saluiæ, auri, argenti, &c. ***Mercurius qui est principiatum***, est corpus metallicum, putà argentum viuum, idque vel natiuum, vel factitium. Hinc patet, magnoperè, totóque, quod aiunt, cœlo errare, qui argentum viuum habent pro materiâ lapidis philosophici. Valdè igitur mirari subit, quid sibi velit ille locus *Fernelij lib. 2. de abditis rerum causis cap. 18.* Lapis philosophicus, *inquit*, Elixir Arabibus, gignendi propagandíque auri verum semen, non è sulphure, non ex argento viuo, non ex vllo cæterorum, quæ multi fraude proponunt, sed solo ex auro, eóque purissimo, quærendus vestigandúsque est.

Hordea cui cordi, demum serit hordea; ne tu
Nunc aliunde pares auri primordia, in auro
Semina sunt auri, quamuis abstrusa recedant
Longiùs, & multo nobis quærenda labore.

Nihil est in vllâ naturæ parte, quod non in se generis sui semen contineat, sed quod vix possit arte prolici. Ex solo autem auro potest. Maxima vis seminis in oleo quodam inhærescit, atque id quidem in cæteris inflammari cremaríque igne solet, in auro autem non potest. quâ ex causâ id nullius ignis ardore torreri absumíve potest, & omnem artis vim tolerat.

— — Vni, quoniam nil deperit auro.
Igne, velut solum consumit nulla vetustas,
Ac neque rubigo, aut ærugo conficit vlla.
Cuncta adeò firmis illic compagibus hærent.

Fœcundum autem id semen sic eruito. Auri purissimi vncias duas, argenti viui magno artis studio præparati decuplo permisce, ignéque languido dissolue, dum argentum viuum prorsus expiret, pristinúmque auri pondus subsideat in atrum puluerem redactum, qui tamen liquatus possit in propriam naturam redire. Ex hoc dein puluere, igne vaporarij accerrimo, aquam continenter elicies, dum puluis totus in cinerem candidissimum,

didissimum,& in calcem deuergat. Calcem septies aquâ resperge, quæ & toties expiatione inde proiecta sit: omnique arte elabora, vt hæc impulsione & incursione crebrâ sese extenuent, & ab omni sorde fæceque purissima reddant, vires summas consecuta. Hæc duo sunt totius artis operisque conficiendi primordia, in quibus mundi quatuor elementa deuinciuntur. Nam in aquâ aër etiam inest, in calce terra atque ignis: fitque quod in smaragdinâ Hermetis tabulâ, tanquam insculptum mysterium legimus: Ascendit à terrâ in cœlum, iterúmque descendit in terram, sicque vim recipit superiorum & inferiorum. Qui ænigmate hæc contexerunt, hanc aquam appellant argentum viuum, calcem verò sulphur, quorum permistione lapis fit, perinde atque ex aquâ farináque panis. Alij aquam spiritum viuentem, terram fermentum: alij illam marem, hanc fœminam dixerunt, quorum complexu & coitione procreatur infans. Opus autem postremum vt compleas, calcem puram, obturato vase, reconde fimo equino calente, diebus quadraginta, dum in humorem album & crassum liquescat. In hunc, iustis dierum interuallis, aquam sensim infunde; eâ quidem viâ & ratione, quam artis periti ad vnguem explicarunt, vt calx omnem suam aquam sensim combibens, quasi illinc enutrita, in lapidem verum concrescat. Quam variam colorum mutationem hoc temporis curriculo debeat lapis subire, & quæ indicia illius consummati perfectique existant, expectetum etiam ab illis patefactúmque est. Hic thesaurus immensus hoc verum elixir, hoc frugiferum auri semen, cuius drachma si in ducentas & quinquaginta liquati plumbi aut stanni drachmas infundatur, id vniuersum in aurum purissimum conuertet. *Gaston Dulco* alium tradit modum de ratione progignendi lapidis philosophici, ex coniunctione auri & argenti viui: quam in quodam ms. quidam ita breuiter proponit: Solutio physica & genuina est, cum ☉ vel ☽ per ☿ crudum vulgi in aquam Mercurialem, id est, primam ipsorum materiam conuertuntur. Nam ☿ soluit corpora, non aliter atque aqua calida glaciem. Coquite itaque argentum viuum cum suo corpore. *Dornæus* aliter procedit. Metallum, *inquit*, reducatur in calcem Mercurio vulgi; & addatur æquali portioni Mercurij viui, in sublimatorio. tamdiu ibi maneant simul, donec in massam abeant. Deinde sublimetur inde Mercurius, atque teratur, idque toties iterando, donec massa, leniter admota lumini candelæ, fluere incipiat sicut cera. quo percepto ponatur in digestorium suo tempore; & tota permutabitur in Mercurium viuum, qui dicitur Mercurius metallorum & philosophorum, hactenus à multis quæsitus, à paucissimis verò inuentus. Denique *Michaël Potier* ita procedit. Mercurius vulgi probè purgetur, & similiter aurum. Deinde aurum laminetur, cúmque Mercurio purgato coniungatur. Hæc duo ita coniuncta vicies sublimentur, vel etiam sæpius. Postea Mercurium coniunge cum alio atque alio auro, & sublimationes singulas repete tot vicibus, quot modò diximus. Ita enim fiet, vt Mercurius minimum auri extrahat. Atque hoc est artificium Potierianum, quod mihi constitit 106. Imperialibus thaleris. Sed totum sophisticum, nihílque aliud quàm exquisitissima Mercurij purgatio. Quod ipsum etiam pronuntio de superioribus processibus. Docent enim philosophi, Mercurium, qui soluit aurum, vbique locorum reperiri, & esse principium metallorum, non verò metallum.

Anatomia sulphuris.

V. *Sulphur est vniuersale, vel particulare; & hoc est principium, vel principiatum.*

Sulphur vniuersale, seu philosophorum, est compar Mercurij catholici, ex quo constant omnia corpora naturalia. *Sulphur particulare quod est principium*, variat in singulis subiectis. Est enim aliud sulphur rorismarini, aliud argenti, aliud ferri. *Sulphur particulare, quod est principiatum*, aliud est natiuum, quod dicitur viuum, aliud factitium. De sulphure catholico vide tractatum Sendiuogij.


Salis anatomia.

VI. *Sal est catholicum, seu vniuersale, vel particulare. Et hoc est principium, vel principiatum.*

Sal catholicum, siue naturæ, est subiectum Mercurij & sulphuris catholici. Hinc Alchymia nihil est aliud, quàm salis fusilis præparatio. vnde quibusdam videtur dicta q. *halchymia*, id est, salis fusio. *Sal particulare, quod est principium*, variat in singulis corporibus. vnde aliud est sal rutæ, aliud auri, &c. *Sal particulare, quod est principiatum*, aliud est natiuum, seu fossile, aliud factitium. Audiamus hoc loco *Quercetanum lib. de materiâ, præparationis modo, & præstantia medicinæ balsamicæ priscorum philosophorum*. Sic itaque ait *cap. 2*. Velle præseruari, *inquit Raimundus Lullius*, per rem putridam & corruptibilem, & reformari per rem fœdam, & deformitati subiectam, & velle facere incorruptibile per rem corruptibilem, & infirmum curare per rem infirmam, est phantasticum & inane. Vnde *Rogerius Bacho in libro suo de retardatione senectutis*, materiam, ex quâ suam præparabat medicinam, colore, durabilitate, conseruatione, & incorruptione describit. Nam illud conseruat, *ait*, quod diu conseruatur, & illud corrumpit, quod citò corrumpitur. His regulis vniuersalibus addiderunt & illud, quod omnes veri philosophi vnanimiter fatentur: nempe materiam sui elixiris, aut magnæ illius medicinæ esse animalem, vegetalem, & mineralem, abiectæ naturæ vilisque pretij, quæ vbique repetiatur, etiam in fimetis, & iumentorum stabulis, adeóque in ipso homine, & quæ nascitur in medio mari, quæ liquefit & induratur facillimè. Sanè verò, cui potiùs rei totius vniuersi has qualitates proprietatésque tribuam omnes, quàm sali, primo illi motori, atque balsamo naturæ vniuersali, non video. *Et paulò pòst*: Sal calefacit, impinguat, imò animat, fortificat, roborat, auget, & virtutem vegetantem in singula semina dispensat. Nam quid aliud est terræ impinguatio, quæ efficit, vt granum vnicum producat centum, quàm stercoratio quædam & expansio fimi, atque vrinarum, à bestijs prodeuntium? Quid aliud primo vere, postquam sol exaltatus est ad signum Arietis, terram vegetat, & aperit, quàm eleuationes sublimationésque spirituum prædicti salis, & balsami naturæ? Hic est, qui viuificat, qui calorem impertit, qui crescere, qui prata & campos ridere facit, denique qui amplissimum vniuersalissimúmque illum vigorem producit. Sed quis non hoc in ipso etiam fere videt, per sublimationes spirituum eiusdem salis naturæ, qui eodem anni tempore in aërem subleuati, roris in speciem, decidunt supra frumenta atque stirpes omnes. *Et mox*: A veris philosophis ex rore elicitur dissoluens, corallos atque perlas, haud secus, quàm ex sale communi, ex sale petræ, nitro, aut aliis salibus idem paratur in eundem finem. *Cap. 2.* demonstrat Quercetanus, in sale, è terrâ elicito, tria rerum omnium principia contineri. Summa hæc est. Sal participare de naturâ animali, vegetali, & minerali, patet in exemplo vulgari, & prorsus communi, quod tamen exactè atque diligenter peruestigatum atque consideratum à vero philosopho, insigne est mysterium. quod etsi erutum ex terrâ, possit tamen eleuare oculos nostros in cœlum. De nitro, inquam, seu sale petræ quod vocant, hic mihi futurus est sermo. Mitto nunc detestandum atque perniciosissimum vsum eius, inuentum ad interitum hominum: quamuis, vt ingenuè fatear, summam admirationem mereatur, quòd tantos, & tam incredibiles producat effectus, dum nobis in inferioribus his, haud secus, ac in sublimi æthere, repræsentat fulgura, fulmina, atque tonitrua. Sed si consideremus quid sit, & quale in suâ naturâ & compositione, quàm diuersæ facultates, qualitates, atque effectus sint in re tam vili, támque tritâ, proculdubio immenso mirandorum cumulo obruemur. Fit & componitur nitrum ex terrâ matre suâ, quæ id producit: nominatim ex cæmenteriis, & terris stabulorum, quæ vrinis animalium inebriantur, vel aliâs sub tecto latent, quàm è terrâ macilentâ, exsuccâ, vel pluuiis aliáve simili causâ humore illo radicali exutâ. Exterrâ etiam columbariorum, columbarúmque fimo omnium copiosissimè extrahitur, & tale nitrum cæteris omnibus præstat. Itaque natura subministrat arti materiam, ex quâ componitur sal petræ (vel potiùs sal terræ) quam ars per se facere nequit; non magis certè quàm natura sal petræ purum, separatúmque ab omni terrestritate reddere potest. Porrò nitrarij terram eligunt conuenientem, & aquâ calidâ communi, iteratis vicibus, filtrant atque transcolant, vti fiunt lixiuia. Ita fit vt cum aquâ misceatur salsugo. De hoc lixiuio si duæ tertiæ aut circiter ad ignem exhalent, & reliquum refrigescat, sal condensatur in glaciem, ex quâ artifex nitrarius opus suum perficit, purificatione factâ, iteratis dissolutionibus & coagulationibus, vt omnem exuat pinguedinem. Hoc opus commune admodum, & vel vulgo notum, veréque mechanicum, si probè consideretur ac perpendatur, admirationis est plenum. Nam eâ ipsâ præparatione tria principia eliciuntur ex terrâ, quæ à se inuicem possunt separari, & nihilominus omnia tria consistunt in vnâ eadémque essentiâ; súntque tantùm proprietatibus ac viribus distincta. in quo saltem aliquo modo, vestigia SS. Trinitatis apparent. Voluit enim summus ille creator manifestari vnitrinus, seu triunus, non tantùm in sale illo, quod reperitur in terrâ, sed in omnibus etiam totius creationis operibus. Siquidem comparatio ista salis triunius est generalis, & vbique reperitur in omnibus corporibus. In omni enim sale videre licet tres distinctas naturas, quæ in vnâ eadémque subsistunt essentiâ. Nam prima natura est sal commune fixum & constans; altera sal volatile, quod duo genera salis volatilis continet; alterum sulphureum, facillimè concipiens flammam, alterum Mercuriale, id est, aqueum & acidum. Quapropter in communissima illa terræ essentia, sub vna eadémque natura, hæc tria distincta salia reperiuntur, de quibus quotquot sunt mineralia, vegetabilia, & animalia participant. Atque in his tribus fundamentis collocare oportet tria principia hypostatica philosophiæ adeptæ, quam vocant. Sed paulò distinctiùs ob oculos ponamus tres illas distinctas salis ὑποστάσεις vnica essentia comprehensas. Nitrarius itaque, vt sal suum petræ efficacius, volatile, & ad concipiendum flammam reddat aptius, detrahit ei pinguedinem, hoc est, tollit & separat eius sal, quod idem prorsus est cum sale marino, vel communi, quod dissoluitur in aqua communi. E contrario sal petræ conglaciatur in frustula. Atque ita fit separatio visibilis duorum salium. Quippe aqua (in qua diximus

sal

sal commune diffusum dissolutúmque contineri) euaporata, in fundo subsidebit salis portio, ad nostrum sal accedentis, vel eiusdem potius speciei atque naturæ cum marino vel communi. Nam easdem possidet qualitates salsuginosas, fix m est, nec ab igne dissipatur, neque flammam concipit, ac proinde prorsus distinctum est ab eo, quod coagulatur in eadem aquâ, quod sal petræ dicitur. Quæ res sanè meretur, vt diligentissime consideretur non a mechanicis, sed a philosophis. Quibus manifestum fiet sal quod naturâ & qualitate sua, secundùm communem philosophorum opinionem est calidum & siccum, imò sal sulphureum, atque igneum, flammámque concipiens, quale est sal petræ, in aquâ coagulari, in qua reliqua salia dissoluuntur, haud secus ac sal ipsum, quod ab eiusdemmet salis petræ essentia processit, in aqua dissol i diximus. Non igitur absque causa ingenti consideranda venit admiranda salis petræ natura, quæ duas partes volatiles in se complectitur; sulphuream alteram, alteram mercurialem Pars sulphurea est illius anima; mercurialis est illius spiritus Sulphurea accedit ad primum illud mouens naturæ, quod nihil est aliud, quàm ignis æthereus, qui non est calidus aut siccus, non consumens, sicut ignis elementaris: sed ignis quidam cœlestis, humor aëreus, calidus & humidus, & talis quidem, qualem ferè cernere licet in aqua vitæ, ignis, inquam contemperatus & viuificus, quem in vegetabilibus appellamus animam vegetantem, in animalibus humidum & calidum radicale, emphytum symphytumque calorem, verum nectar vitæ; qui si deficiat in aliquo subiecto, siue animali, siue vegetabili, illicò mors consequitur. Idem calor viuificus reperitur etiam licet obscuriùs, in metallis & omnibus mineralibus Præter partem illam sulphuream reperitur etiam in sale petræ spiritus quidam mercurialis, qui quidem est de naturâ aërâ, & qui tamen flammam concipere haud possit, sed huic potiùs est contrarius: vtpote qui qualitate sua non est calidus, sed potiùs frigidus, vt testatur eius aciditas, quæ aciditas atque frigiditas, mira prorsus existit & longè diuersa ab elementari: quippe quæ dissoluere possit corpora, & coagulare spiritus, haud secus ac coagulat ipsum sal petræ quæ aciditas generalis est causa fermentationis atque coagulationis rerum omnium naturalium. Hic ipse spiritus acidus reperitur quoque in sulphure, eiusdem qualitatis, nec vrens, nec flammam concipiens, & q i sulphur, quod alioqui fluidum esset, vt oleum, coagulat, atque firmum reddit. Hoc spiritu inter omnia salium genera maximè abundat vitriolum. Denique hic spiritus, acidus atque frigidus, causa est cur sal petræ igni iniectum, sulphuréque eius accenso crepitum edat: vt sal petræ de eorum numero sit quæ Aristoteles contrario motu alicubi moueri scripsit. Cæterùm sal petræ philosophorum, a it sal fusile, quod Halchymiæ nomen dedit, non est sal petræ seu nitrum illud vulgare. Nihilominus tamen huius compositio, admirandáque natura, est ceu exemplar quoddam & regula operis nostri. Atque hæc est haligraphia Quercetani, quam ita obsignamus. Sal naturæ est basis & subiectum Mercurij & sulphuris, quæ sunt principia mineralium. Quicunque igitur habet istum salem, tenera offi ter tria principia lapidis philosophorum, atque adeo corpus, animam & spiritum. Sed & illud quam diligentissimè obseruetur, sal sulphur, & Mercurium habere hoc commune, vt sint principia vel principiata: & rursus, quòd sint principia vniuersalia, vel particularia. Sal, sulphur, & Mercurius vniuersalia componunt lapidem catholicum: sal, sulphur, & Mercurius particularia componunt lapides particulares, de quibus loquitur regula: Quot res, tot lapides. Denique sal, sulphur, & Mercurius principiata sunt certa indiuidua, eáque natiua, vel factitia.



SECTIO XXXVII.

In quâ delineatur

STRATAGEMATOGRAPHIA.

PRÆCEPTA.

STRATAGEMATOGRAPHIA est doctrina de ratione adhibendi stratagema.

Estque generalis, vel specialis.

Stratagematographia generalis explicat naturam & vsum stratagematis.

Natura stratagematis est in definitione & diuisione generali.

Definitio hæc esto: Stratagema est callidum & tempestiuum factum dictúmve, quo aliquis decipitur.

Diuisio generalis est, quòd stratagema est simplex vel mixtum.

Stratagema simplex est, quod est moraliter bonum vel malum.

Stratagema compositum est, vbi bono morali coniunctum est malum morale.

Stratagematographia specialis explicat omnia stratagematum genera, quæ sumuntur à modo, vel fine.

Stratagema ex modo est oratorium, physicum, mathematicum, vel mechanicum.

Ex fine est ethicum, œconomicum, politicum, scholasticum; vel ecclesiasticum.

REGVLÆ.

I. *Stratagema sumitur latè, vel strictè.* — Stratagema quid?

Pontanus progymnasmat. Latinit. se undâ tert.; pag. 558. sic ait: στα χάω, seu mendosè ac vitiosè scribitur pronuntiatúrque vox hæc in secundâ syllabâ, cum vocali primâ, *stratagema*, cùm sit Græcè στρατήγημα, a στρατηγέω; non στρα ά ημα. De eo sic *Valerius lib.6.cap.*4. Illa verò pars calliditatis egregia, & ab omni reprehensione procul remota, cuius opera quia appellatione nostrâ vix exprimi possunt, Græcâ pronuntiatione strategemata dicuntur. Cadit ergo etiam in hanc vocem, quæ in mille alias de Græcis mutuò sumptas, quod e a ucretij:

Quam Græci memorant: nec nostrâ dicere linguâ
Concedit nobis patrij sermonis egestas.

Hæc Pontanus Verùm enimverò videas doctissimos quosque ita scribere ac pronuntiare *stratagema*. Itaq; vtramque scriptionem ac pronuntiationem probare possumus: alteram origo, alteram consuetudo probat. Cæterùm stratagema sumitur latè & strictè *Strictè* definitur solers imperatoris factum: vel facinus, quibus artis imperatoriæ monumentum siue specimen, præbetur: vel res à duce exercitus non incallidè perpetrata: vel consilium cautum seu versutum quo se hostes circumueniunt, & in fraudem agunt: vel callida machinatio, militaris: vel σό ι μα ξατη κον: vel ingeniosum quoddam bello inuentum, quod inuentori prosit, hosti noceat. quæ definitiones eodem recurrunt. *Latè*, seu generali notione, stratagema est callidum & tempestiuum factum dictúmve, quo aliquis decipitur. Intellige deceptionem licitam vel illicitam. Ita videas parentes sæpenumero decipere suos liberos, ipsorum bono.

II. *Stratagema in genere est simplex vel mixtum.* — Stratagema simplex & mixtum.

Stratagema simplex, seu vniforme, aut est moraliter bonum, aut malum. *Stratagema simpliciter bonum* est species doli boni, qui definitur solertia prudenter & ingeniosè decipiens. *Stratagema simpliciter malum* est species doli mali qui est machinatio ad alium cum iniquitate decipiendum. *Stratagema mixtum*, seu compositum, est, vbi bono morali coniunctum est malum morale. Stratagemata ethica ferè sunt mixta, & non liquida: œconomica, politica, scholastica, ecclesiastica, & oratoria ferè sunt simplicia, plana, & liquida.

III. *Stratagemata ex modo sunt oratoria, physica, mathematica, vel mechanica.* — Stratagemata ex modo qualia?

Hæc diuisio ita est comparata, vt sit generalis respectu diuisionis illius, quâ stratagema diuiditur ex fine. Potest enim stratagema ethicum, œconomicum, politicum, &c. esse oratorium, physicum, mathematicum, mechanicum: vt patebit è sequentibus. *Stratagema oratorium* est, quo orator decipit auditorē vel suspendendo, vel alio ducendo ipsius animum quod quidem variis modis efficere potest. *Stratagema physicum* est, quod nititur principiis physicis. Tale fuit sophisma œconomicum Iacobi *Gen.*30. vbi legitur virgas versicolores subiecisse in aqualiculos, vbi cùm aquarentur pecudes, incalescebant, & incalescentes ad aspectum virgarum versicolorum varios & versicolores edebant fœtus. Occurrit & aliud artificium, quòd fœtus versicolores ita seponebantur, ex contractu, a acobo, vt semper versarentur ante oculos gregis, quem sibi seruabat: ac proinde ex versicolo ibus vari & versicolores fœtus itidem ederentur. Accessit & hæc ars quòd pecudes compactas & vegetas, cùm incalescerent, hoc modo Iacob informabat, serotinas non item. Hoc factum Iacobi nititur principio physico, de vi imaginationis, quæ maxima est, præsertim in alteratione naturæ, qualis est tempore coitus. Cùm verò ad naturam peculiaris ... reuelatio & benedictio accesserit, ideo ... plus fieri potuit, ad Iacobi commodum dispensante ...

uidentia Dei. Quare cum conſilij huius author fuerit Deus,& finis Iacobo non fuerit propoſitus,vt rem alienam interciperet,ſed vt tantum perciperet,quantùm ſua benedictione Deus eſſet largiturus: porro cum media adhibita non aduerſentur naturæ, ſed ſint ex natura; neque etiam aduerſentur contractui bonæ fidei inter Labanem & Iacobum, quia Iacob bona fide Labani dixit, ſe ab ipſo non petere quidquam, ſed à Domino expectare,qui ſua diſpenſatione ſit effecturus, vt ipſius iuſtitia atteſtetur ipſi: cùm, inquam, hæc omnia ita ſe habeant, Iacob à dolo malo excuſatur. Non enim iſto ſtratagemate interuertit rei alienæ commoda, eaque in rem ſuam vertit: ſed totam actionem ſubiecit voluntati Dei. Deus autem voluntate ſua, ad iuſtè diſpenſandam mercedem Iacobo, media imperauit, quæ Iacob bona fide ſecundùm Deum eſt executus. Huius loci eſt regula: *Opus non eſt malum,quod ex conſilio,fine,& medijs bonis conſtat. Stratagema mathematicum* eſt multiplex, putà arithmeticum, geometricum, aſtronomicum,opticum,geographicum &c.v.g.ex ſtratagematis geometricis eſt, quòd dux paruam multitudinem oſtenſurus hoſti, milites ſuos redigit in circulum, quæ eſt figura minima: è contrario magnam multitudinem oſtenſurus, eoſdem redigit in aciem quadratam, vel oblongam, vel ſimilem. Stratagemata optica multa ſunt: vt quia lux ignea noctu maior apparet, poteſt dux multas fallacias hoſti obiicere ex hoc Optico. Sic Hannibalis boues,ſarmentis ad cornua accenſis,primis tenebris vigilias Fabij terruerunt. Nam haud ſecus quàm ſyluis montibuſque accenſis omnia circum virgulta ardere videbantur,capitumque inquietatio excitans flammam,hominum paſſim diſcurrentium ſpeciem præbebat. *Liu.3.decad.l.2.* Huius generis Opticum ſtratagema eſt, quod ſcribit Hector Boëthus:regem quendam Scotiæ certos homines ſubornaſſe,qui ſquamis piſcium fulgentibus induti & putridis lignis pro baculis armati,principibus & nobilibus ipſius noctu apparuerint, & ad fortiter pugnandum contra hoſtes, eos adhortati ſint, eíſque victoriam promiſerint: illi verò exiſtimantes ſe angelos vidiſſe, rem fortiter gerentes victoria potiti ſunt. *Lauaterus de ſpectris.* Porrò,quia viſibile ſimplex videtur geminum variato velociter ſitu, fallacia militaris ad initia ſyluarum egreſſu ſubito regreſſuque è paucis militibus multos ibi repræſentat. Denique ſpeculorum beneficio multa poſſunt feliciter geri in bello. Nam ſpecula parabolica in prælio nauali incendunt naues. Quomodo Archimedes exuſſit hoſtium triremes; quod idem Proclus Conſtantinopoli præſtitit. Adminiculo ſpeculorum etiam terreri, & velut excœcari poſſunt integræ phalanges. Similiter adhibito ſpeculo cognoſci poſſunt ea, quæ geruntur in caſtris hoſtium non nimis diſſitis. *Stratagema mechanicum* eſt & ipſum multiplex. Sic Rebecca *Gen.27. v.11. & ſeqq.* manus Iacobi filij ſui veſtit pellibus hœdorum, vt imponat Iſaaco marito, qui cùm cœcus eſſet, manuſque Iacobi contrectaret, exiſtimabat eſſe hirſutum Eſauum. Hoc ſtratagema eſt mechanicum, ratione modi, ſed ethicum ratione finis.

Stratagema ethicum.

IV. Stratagema ethicum eſt,quo res ita geritur,vt cum virtute ethica, vel etiam vera fide concurrat vitium.

Nobile huius ſtratagematis exemplum eſt eo,quem citauimus,loco,videl.*Gen.27.v.11.& ſeqq.*vbi Rebecca & fide agit, quòd poſthabito conſilio mariti operam dat, vt dominatus Iacobo diuinitùs promiſſus,in illum conferatur.Sed in eo peccat,quòd huc adhibet mendacium.Similiter Iacob ex fide facit, quòd poſthabita offenſione patris & fratris,operam dat, vt benedictionem primogenito debitam conſequatur, atque ita dominus fratris ex Dei promiſſo conſtituatur. Sed peccat in eo,quòd & ipſe mentitur,& Dei nomine abutitur,*verſ.22.* Cur verò Deus voluit conſilium ſuum exequi per huiuſmodi ſtratagema, quod non caruit peccato? Reſp. Deus, qui finem conſtituerat, idem quoque modum multiplici iuſtitia coniunctum habebat ad manum, vt finem conſilij ſui reuelationíſque conſequeretur. Sed placuit ipſi,peccatum Iſaaci caſtigare peccato Rebeccæ & Iacobi. Nam Iſaacus in eo peccauit, quòd, poſthabita voluntate Dei, ex affectu humano aliquid voluntati diuinæ contrarium molitus eſt. Sciebat enim, diuino oraculo edoctus, minorem ſuum filium maiori prælatum eſſe; & nihilominus tamen dominatum attribuere volebat maiori. Hanc infirmitatem Iſaaci Deus ſine peccato caſtigauit peccato, id eſt, dolo & mendacio tum Rebeccæ, tum Iacobi. Porro huius ſtratagematis exemplum eſt *Geneſ. 29. v.23.* vbi Laban Iacobo tradit Leam pro Rahele, quam tamen ipſi promiſerat.Ita Gibeonitæ *Ioſ.9.v.9.10.11.13*.falſa narratione obtinent à Ioſua,vt in fœdus recipiantur.Eiuſdem naturæ eſt ſtratagema Iabeſitarum 1. *Sam.* 11. 10. Mentiti enim ſunt,cùm affirmarunt, quòd vellent ſe Ammonitis dedere, quod tamen in animo non habuerunt. Idem eſt iudicium de ſtratagemate Iudithæ,quod ipſum quoque fuit coniunctum mendacio, *Iudith.10.v.12, & ſeqq.* itemque Ptolemæi, *Maccab.16.15.*

Stratagema œconomicum.

V. Stratagema œconomicum aut facit ad compendium rei familiaris,aut ad liberorum inſtitutionem.

Quod attinet ad primam ſpeciem huius ſtratagematis, oportet vt vacet vitio,ſeu dolo malo,cuiuſmodi diximus fuiſſe ſtratagema Iacobi, *regul.3.* Sic Thales, cùm ipſi exprobraretur paupertas,pro ſua ſagacitate præuidit futuram olearum ſterilitatem. Igitur multa adhuc hyeme, vili pretio ab ἐλαιοπώλαις in Mileto & Chio, omne oleum coëmit, & paulò pòſt, cùm magna olei caritas incidiſſet, ipſe olei monopolium tractus, multum pecuniæ ſibi comparauit, manifeſtúmque fecit, facilè philoſophos, ſi velint,diteſcere poſſe. Altera ſpecies ſtratagematis œconomici eſt in eo poſita,vt parentes in educatione liberorum adhibeant prudentiam obliquam, & liberos decipiant, ſi non proſit prudentia directa.

Stratagema eccleſiaſticum & ſcholaſticum.

VI. Stratagema eccleſiaſticum & ſcholaſticam facit auditorum & diſcipulorum profectum occultè prouehendum.

De ſtratagemate eccleſiaſtico inſignis eſt locus apud *Caſaubonum exercit.1.ad apparatum Baronij.* Poſtremò,*inquit*, illud quoque me vehementer mouet;quòd videam primis Eccleſiæ temporibus quàm plurimos extitiſſe, qui facinus palmarium iudicabant, cœleſtem veritatem figmentis ſuis ire adiutum; quò faciliùs videlicet noua doctrina à Gentium ſapientibus admitteretur. Officioſa vocabant hæc mendacia, bono fine excogitata. Quo ex fonte proculdubio ſunt orti libri ſexcenti, quos illa ætas & proxima viderunt, ab hominibus minimè malis (nam de hæreticorum libris non loquimur) ſub nomine etiam Domini Ieſu, & apoſtolorum, aliorúmque ſanctorum publicatos. *Et mox*; Quemadmodum autem iſtorum factum non poſſumus non grauiſſimè reprehendere: ita iudicia illorum Patrum ſatis mirari non poſſumus, qui eiuſmodi ſcripta tanta facilitate receperunt, & ad fulciendam cœleſtis veritatis authoritatem teſtimonia ex illis proferre non dubitarunt. Quis ignorat Iuſtinum, Clementem Alexandrinum, Tertullianum, & alios Patres, libros ſæpe laudare, quos iam nemo vel mediocriter ſtudiis theologicis imbutus, dubitat apocryphos fuiſſe: & quidem notæ aliquando non optimæ, ac proinde iure optimo à Papa Gelaſio & Concilio Romano poſtea eſſe damnatos. Sed tempore opus erat,vt fraus detegeretur. Refero in hunc cenſum oracula Sibyllina. *Et iterum:* Neque nos ſanè negamus, multa diuinitus dici potuiſſe à paganorum vatibus, non minùs quàm ab aſina Balaam. Illa tantùm reiicimus, quæ arcana religionis noſtræ apertiùs explicant, quàm factum ſit vnquam à Dei prophetis. Itaque Caſaubonus exiſtimat,carmina Sibyllarum de Chriſto,& aliis myſteriis religionis, idémque librum integrum, qui ſub nomine Mercurij Triſmegiſti circumfertur, & ſimilia eſſe ψευδεπίγραφα, hoc eſt, falsò inſcripta: vtpote quæ ſint Chriſtianorum, vel potiùs Semichriſtianorum figmenta. Ita quoque ſentit *Auguſtinus de ciuitate Dei lib.18. cap.48.* Quæcunque, *inquit*,aliorum prophetiæ de Dei per Chriſtum Ieſum gratia proferuntur, poſſunt putari à Chriſtianis eſſe confictæ. Atque hæc eſt pia fraus, vt vocant, veterum Chriſtianorum. Porrò ad ſtratagemata eccleſiaſtica pertinet,quando concionatores, more oratorum ſuſpendunt, vel aliò ducunt animos auditorum. Quod attinet ad *ſtratagemata ſcholaſtica*, illis peropus eſt in liberali inſtitutione. Dici enim non poteſt, quàm feliciter inſtilletur eruditio, ſi decipiantur diſcipuli, h.e. ſi, quæ ſunt difficiliora, ſic proponuntur, vt difficultas illa tegatur variis compendiis.

Stratagemata politica.

VII. Stratagema politicum eſt,quo hoſtis decipitur.

De huiuſmodi ſtratagematis accipe quod Homerus toties dicit ἠ δόλῳ, ἠὲ βίηφι, *ſeu dolo, ſeu vi.* Et eleganter ſcribit *Auguſtinus quæſt.10.ſuper Ioſuam:* Cùm iuſtum bellum ſuſcipitur, vtrùm apertè quis pugnet,an ex inſidiis,nihil ad iuſtitiam intereſt. Tale fuit ſtratagema, quod Deus mandauit populo *Exod.14.2.*& Ioſuæ in expugnatione Aij, *Ioſ.8.*Gibeonitis, *Iudic.7.v.17.& ſeqq.* Talia quoque ſunt ſtratagemata Iſraëlitarum in expugnanda Gibea, *Iud.20.* Ehudi in obtruncando rege Eglon, *Iud.3. v.16. & ſeqq.* & Iudæ Maccabæi, 2.*Maccab.8.v.7 & cap.14.39.* Vbi ſtratagema Nicanoris eluditur ſtratagemate Iudæ Maccabæi: denique ſacerdotum Nanææ aduerſus Antiochum, 2.*Maccab.1.13.*Sed pluribus perſequamur hanc ſtratagematographiam politicam. Tres ſunt claſſes ſtratagematum politicorum. Alia prælium antecedunt: alia prælium comitantur, quò pertinet obſidio: alia denique prælium ſequuntur. *Ad primum tempus* pertinent rationes, quibus duces hoſtem ſua conſilia celant: quib. contrà indagantur, & præcipiuntur conſulta hoſtium: quibus per loca hoſtibus infeſta ducuntur copiæ: quib. cauentur diſpo-

sitæ per itinera insidiæ: quib. è locis impeditis ac difficilibus euaditur: quibus præstatur, vt aut adsint quib. deficimur; aut quæ desunt, deesse tamen non existimentur: quib. ab incœpto auertuntur, in alia re occupantur ac distringuntur hostes: quib. timor ex aduerso quopiam omine militibus obortus eripitur: quibus à voluntate petitioneque intempestiui conflictus desistunt: quibus seditio inter eos concitata sedatur. Ad secundum genus pertinent, quibus tempus prælio aptum nanciscimur: quibus opportunitatem loci: quibus ad tempus disponimus aciem: quibus perterremus & in fugam conijcimus hostes: quibus pertrahimus in insidias: quibus dimittimus, ne coacti desperatione cùm pugnauerint, superiores euadant: quibus tegimus infortunium, quando infelici euentu pugnatum fuerit: quibus confusam & perturbatam aciem restituimus: quibus adorimur hostem impetu repentino. Ad tertium tempus pertinent stratagemata, quæ vsurpantur cum prosperè aut improsperè pugnatum est. Sed recitemus aliquot stratagemata. 1. Cùm *Arcades* Messeniorum castellum obsiderent, iisque supplementum venturum explorassent, arma sibi ad similitudinem hostilium fabricanda curarunt, quibus instructi pro sociis intromissi cùm essent, omnes præsidiarios occiderunt. 2. *Domitius Caluinus* cum Lucam oppidum obsideret, situ, operé, & propugnatorum virtute munitissimum, circumducere frequenter copias, & in castra reducere instituit. Id cùm tandem crederent Lucani exercitationis causa factitari, metum & cautionem omnem deposuerunt. Tum ille subitò ex ambulatione illa vrbem aggressus, ciues ad deditionem coëgit. 3. *In Arcadia*, die festo, cùm fœminæ extra mœnia effusè & magno numero vagarentur, Epaminondas plerosque de militibus suis muliebri cultu iis immiscuit, cum quibus recepti, sub noctem portas suis aperuerunt. 4. *Tiberius Gracchus* Lusitanis affirmantibus, in decenniũ se instructos commeatu, ideóque obsidionem nihil timere, iniecit opinionem diutinæ obsidionis, hoc dicto: Vndecimo anno vos capiam. Quare mox sese eius potestati permiserunt. 5. Cùm *Sextus*, filius Tarquinij Superbi ex composito ad Gabios transfugisset, & ab iis esset benignè exceptus (quippe qui talem, id est, tam sæuum fuisse patrem in filium, vt iuuenis ipse nimis magno mendacio retulerat, crediderant) ac postremò non solùm ad consilia publica aduocatus, verùm etiam tanquam dono deûm missus, belli dux aduersus Romanos lectus esset, vbi satis virium collectum ad omnes conatus vidit, sciscitatum misit ad patrem Romam, quidnam se facere vellet. Nuntio pater nihil voce respondit: sed veluti deliberandus eo sequente in hortum ædium transiit, vbi inambulans tacitus summa papauerum capita baculo decussit: nuntius sine responso quæ viderat narrauit: Sexto tacitis ambagibus quid parens vellet patuit: interficiendos nempe esse Gabiorum principes. 6. *D. Claudius Cos.* primo bello Punico ita ludificatus est Pœnos. Cùm illi fretum tenerent, nec copia esset à Rhegio Messanam traiiciendi, rumorem disseminandum curauit quasi bellum populo non mandante inchoatum ipse gerere ictus religione prohiberetur, & classem se versus Italiam agere simulauit. Pœni habentes fidem digressi sunt. Ille nauibus circumactis, quò volebat appulsus est. 7. *Hannibal*, cùm Fabio Maximo neque virtute, neque arte se parem videret, infamia eum suis exosum reddere tentauit. Siquidem reliquorum agros populatus, eius abstinuit. At Fabius nolens de mala fide ciuibus in suspicionem venire, possessiones suas vendidit. 8. *Epaminondas*, cùm sub ipsam pugnam aduersus Lacedæmonios sella, in qua sedebat, confracta ipsi succumberet, & milites id, vt in partem deteriorem ominosum acciperent; imò, inquit, vetamur sedere. 9. *Chabrias Atheniensis* nauali prælio decertaturus, cùm ante eius nauem de cœlo fulmen decidisset, & eo portento milites exanimarentur: nunc potissimùm, exclamauit, capessendum est certamen, cùm deus deorum Iupiter præsentiam numinis sui tam claro signo nobis ostenderit. 10. *Scipio* in Africam transportarat exercitum: is in egressu è naui prolapsus, & militem consternari ad prodigium animaduertens: Ludite, inquit, milites, Africam oppressi. 11. *Brasidas* cùm musculum in cariéis deprehendisset, morsus ab eo, statim captum dimisit, & ad præsentes: Vt nullum animal est tam minutum, quod seruari non possit, modò ausit vlcisci inuadentem? quo dicto suis contra hostes virtutem auxit. 12. *Cæsar* prælium cum Germanis & Ariouisto initurus, quia suorum trepidantes cernebat animos, pro concione denuntiauit, nullius se illo die, præterquàm decimæ legionis opera vsurum. Ita decimam impertito tam præclaro fortitudinis testimonio, ad audendum coëgit quodammodo, & cæteris metu ignominiæ periculi metum excussit. 13. *Agesilaus* præcepit captiuos vendi nudos. Qui venditioni præerant, imperata fecerunt. Et quoniam vestes, vt barbarorum, splendidæ erant, ac pretiosæ, multos habuerunt emptores. Corpora ipsa candida, delicata, mollia, in vmbra scilicet ac deliciis educata, non solùm nemo emit, sed etiam omnes, vt inutile genus mercium, deriserunt. Ea re Agesilaus ad milites animandos prudenter vsus est. Hæc, inquit, sunt, pro quibus pugnatis (captiuorum ornamenta demonstrans) hi, quibuscum pugnatis, nuda captiuorum corpora ostendens. Et spe præmiorum, & contemptu hostium suos confirmauit. 14. *Iphicrates*, cùm in hostem duceret, & quosdam præ timore pallidos ac tremulos in extremo agmine conspiceret, paulò antè, quàm manus essent dato signo conferendæ, præconem edicere iussit: si quis reliquisset quippiam, reuerteretur, meliúsque instructus rediret. Hanc potestatem lætabundi amplectentes meticulosi, abierunt. Tum Iphicrates: Nunc demum viri nos sine istis imbellibus mancipiis pedem cum hoste conferimus, atque etiam sol. fortitudinis & gloriæ fructum consequemur. Incredibiliter inflammati sunt milites, & remotis timoribus ita pugnarunt, vt victores euaserint. Idem Iphicrates (vt hoc apopthegma militare addam) dispositionem exercitus cum corpore humano conferebat: pectus phalangem appellans, manus leuis armaturæ milites, pedes equitatum, caput ducem. si quid aliorum deficeret, claudum & mancum fore exercitum; si dux, totum fore inutilem. *Epaminondas* suorum fiduciam religione confirmandam atque augendam censuit. Arma quippe ad templorum ornamenta pendentia noctu subduxit, persuasitque suis, deos sequi, vt præliantib. opem ferrent. 16. *L. Sylla* seditionem in castris ortam compressit callidissimè, quando improuisò nuntiari iussit, hostem adesse. Ita enim mox vniuersi omissis discordiis ad resistendum hosti consenserunt. 17. *Iugurtha*, quia Romanorum virtutem metuebat, semper die iam præcipiti pugnæ copiam faciebat: nimirum, vt si fugarentur sui, tenebris nocturnis tutiùs latitarent. 18. *Cæsar* cognoscens Ariouistum hanc sibi legem religione quâdam indixisse, ne lunâ decrescente pugnaret, tum potissimùm eum inuasit, ac stultè religiosos sapienter deuicit. 19. *Cl. Tiberius Nero*, moto exercitu contra Pannonios, cùm perferoces illi barbari cum die oriente in aciem processissent, & instructis consisterent ordinib. suos continuit, hostemque nebula & imbribus crebris afflictari passus est. Tandem vt stando lassatum, & pluuiis immodicis ac frigore animo quoque deficientem animaduertit, dato signo suos immisit, & tanquam imbelles oues trucidauit. 20. Carthaginienses *Maharbalem* contra Afros rebellantes miserant. Sciebat ille gentem esse vini auidam. quare magnum eius numerum mandragora, cuius admodum somnifica vis est, temperauit, & leui commisso certamine, ex composito retrocessit, noctéque iam multa sarcinulis intra castra cum vino illo medicato relictis, fugam mentitus est. Barbari castris occupatis, in gaudium simul & merum effusi, instar mortuorum sensib. oppressis passim iacuerunt, quos Maharbel reuersus partim cepit, partim iugulauit. 21. *Cyrus* castra metatus in Scythia, die postero metum simulans castra deseruit, & in iis vini epularúmque satis. Tomyris regina adolescentem filium cum tertia parte copiarum ad insequendum misit. Adolescens rerum militarium malè gnarus cùm in castra venisset, cogitationem hostes persequendi abiecit, militémque se vino & epulis obruere sustinuit. Quo per exploratores cognito Cyrus superuenit, & potantes epulantésque cùm reginæ filio interfecit. Sed illa victoriam pari insidiarum fraude vlta est. Nam propter acceptam cladem, timorem præ se ferens atque fugiens, Cyrum ad angustias vsque pertraxit. Ibi locatis in montibus insidiis, ducenta Persarum millia, vnáque regem cruentissima strage perdidit: vt ne nuntium quidem calamitatis relinqueret. Plura hanc in sententiam vide in *Theatro Zuingeri volum. 7. lib. 3. de prudentia inuentrice bellica, siue de stratagematis.*

PERORATIO LIBRI TRIGESIMI QVINTI.

HÆc sunt, quæ de disciplinis compositis, seu mixtis, in medium adferre placuit. Multa iis adiici posse non diffitemur; multáque, nec imprudenter, nos præteriisse comperies nec indecorum Varro putauit perfecto spicilegio spicam reliquisse.

APPENDIX.

NOn ab re me facturum arbitror, si consilium *Henrici Mylphortij* de methodo Encyclopædiæ appendam.

ΠΡΟΔΡΟ



ΠΡΟΔΡΟΜΟΣ & ΕΙΣΑΓΩΓΗ
IN
SORITEN APHORISTICVM,
Hoc est,

ENCYCLOPÆDIÆ METHODVM,

SIVE VOLVMEN DEFINITIONVM THEOLOGICARVM, IVRIDICARVM, MEDICARVM, ET PHILOSOPHICARVM, ADEOQVE VNIVERSÆ Encyclopædiæ terminorum, LOCORVMQ. COMMVNIVM, per generis differentiæque, vtrinque consectarias, definitiones, ad ipsam categoriam ascendendo, indéque per genera, generumque differentias easdem ad vltimam reuertendo definitionem, Metaphysicum: ita vt satis superque perceptis Grammaticis & Logicis (eodem quoque filo contextis) talium definitionum catena & sequela perpetua, omnis ab vno, omnisque ad vnum κυκλικῶς & σφαιρικῶς deducta theoria appareat, regularúmque luxurie euitata, pauxillo temporis spacio, nimiâ forsan facilitate, cursus Philosophici, Medici, Iuridici, Theologici systema MEMORIA, tantum non ARTIFICIALI, comprehendi queat, praxeosque initia in vnaquauis etiam facultate non temnenda fieri.

Opus nouum planè & singulare, à nemine non expetitum, non tam magnificè promittendo, quàm reipsâ præstando, omnibus cuiuscunque etiam facultatis studiosis apprime necessarium futurum.

Autore

HENRICO MYLPHORT, VRATISL. MED. D.

Num. 11. v. 23.

Nunquid abbreuiata est manus IEHOVÆ?

TAB. SCIBIL.

V. ART.	Gram.	Dial.	Hyperphysice.	Politica.	Physica.
V. CATEG.	Essentia.	Quantitas.	Qualitas.	Constitutio	Terminus.
V. TRANSC. seu postpr.	Causa.	Effectus.	Subiectum.	Adiunctum.	Differt.

MOMO.

PErfacile est, inquis, Methodos nunc scribere cuiuis,
Credo tibi: sed, quid scribere tale graue est.
Incipe. Definito GENVS, Soriten habendo,
Quoque Genus DIFFERT. Et mihi credideris.

ILLVSTRI AC GENEROSO DOMINO,
DN. GEORGIO à SCHONAICH,
LIBERO BARONI

In Carlatt, Beutten, & Milkavv, Sac. Cæs. Maj. à Consiliis,
&

Aulæ Cæsareæ in expeditionibus Silesiacis, & Lusaticis, Marchionatuum Superiorum & inferiorum, Cancellario, Domino clementissimo, Mœcenati colendissimo:

AD vsum hominis repertæ sunt artes. Igitur & tota Encyclopædia. Potestne verò satis commodè quis vti aliquo, nisi, quid illud sit, exactè sciat? Quæ ergo scientia vel potius inscitia est, pleráque non definita addiscere? Ego certè (inquit magni quidam nominis Theologus) pro meâ crassitie, cùm de re aliquâ disputatur, ad ipsam definitionem omnia refero quæ est totius disputationis cardo ac fundamentum. Mea est sic ratio, & sic animum induco meum. Qui benè definit, benè distinguit Qui autem benè distinguit: idem profectò benè docet. Cæterum VTILIA *docuit Melanthon* MEMORABILIA *professus est P. Ramus:* SVBTILIA *monstrauit diuinus ille Scaliger:* PLAVSIBILIA *exhibuit Frischlinus:* DELECTABILIA *indefessi study Vir Keckermannus:* MIRABILIA *ingeniosissim. Iohan. Alstedius:* FACILIA *è definitionum consectariis promanantia, fundamenta & perspicua (non Alphabetica aut Lulliana) in vniuersâ Encyclopædiâ, suo etiam Marte (Grammatica excipio) perbreui temporis spacio addiscenda, qui hactenus tradiderit eiúsque rei ipsâ, ipsi id attestante experientiâ in se, & aliis, periculum fecerit nondum videre contigit. Vsque adeò facultates hactenus meræ fuerunt difficultates. Quid mirum igitur tam raros nunc reperiri* ἐν κύκλῳ παιδείας *versatos theoricos! Itaque quod* DEI *munificentiâ & liberalitate, tantum, támque insperatum illius Methodi tandem obuenit beneficium: exultabundus propè tantum non cum illo exclamare lubet:* Εὕρηκα, Εὕρηκα. *Eos labores Reipubl. quia inuidet res angusta domi quod superest, Isagogen eorum & adumbrationem interim perbreuem lucem fui nam, dum benigna aliqua meæ Operæ pariter ac Operi aura aspiret. Nunc Illustri Generositati hasce pagellas cur offeram, si quis ex me sciscitetur morosior hoc responsum accipiat. Tanti, tam Illustris Herois qui & ipse literas mirificè callet, & literatis mirum in modum fauet, imò verò*

vniuersum Parnassi chorum fouet, nec tantùm amat, verùm cõplectitur, nec iuuat modò, sed sustentat insuper, in notitiam vel aliquam peruenire velle nunquis crimini vertat? posse, ecquis dissuadeat? esse, an quis inuideat? Ego verò, tantum abest, vt à proposito meo me dimoueri patiar tantúmque Musarum Euergetem offensurus videar, vt de Illius in Soritem meum Aphoristicum tacitâ & (nisi me omn a fallunt) tantùm non perspectâ beneuolentiâ, quadantenus etiam mihimet gratuler; tantóque lubentius hunc Schediasmaton meorum anteambulonem ipsius Nomini consecrem. At verò parum est, quod Tanto Viro offero? Parum, ita me Idem amet; siquidem vniuersum illud Volumen examinandum Ipsi inscribere, in Ipsiúsque Illustri & Generoso iudicio de eo acquiescere decrêram. Quod, quia non, vt volui, licuit, saxúmque egestatis prægrave, fateor, homini ad studiorum bonum publicum toti inhianti cursum vlteriorem inhibere pergit: de æquiori in labores meos Illustris Generositatis affectione planissimè persuasus sum. Accipe igitur, Illustris & Generose Heros, hoc quidquid est primulum, &, quæ innata est Generosi Viri in literas, earũq; cultores beneuolentia, Aphoristicis meis laborib.

Auxiliatrices porrige, quæso, manus.

Hisce Illud. Generosit. T. diuinæ protectioni eâ, quâ par est, animi obseruantiâ, animitus commendo. E musæo Olnensi. Anno CIↃ IↃ CXIII. *Id. Sextil.*

Illust Generositat. T.

obseruantissimè colens

HENRICVS MYLPHORT
Med D.

Γραμματικὴ linguam; λογικὴ format Rationem:
Postulat in CHRISTVM Χάρις, *alma Fidem:*
Iustitiámque πόλις; *Naturam sed* φύσις *vnam*
Vna docet. Totum sic κύκλον *artis habes.*

LECTORI CANDIDO.

SOriten LECTOR CANDIDE, Aphoristicum, postquam nescio quomodo innotuerat, imbiberant aliqui. Quem cùm exiguo sanè temporis spaciolo, præter spem, callerent; quò præcepta, bonâ fide communicata, innotescerent pluribus, exoptârunt Viri eruditi, vt exercitationes omnes publici aliquando iuris fierent. Itaque paulò accuratiùs mecum id dispiciens, morem propemodum gerere constitui: vt vt tenuitatis meæ conscium censuræ importuniusculæ absterrere possint: amor contrà boni publici cui totum me in iis mancipaui exercitationibus commoueat. Veruntamen, vt, in posterum, si edam eas, quid sibi velit, quídque spectet ille Nomenclator definitionum, in propatulo sit, Isagogen quandam & πρόδρομον præmittere ipsa res efflagitauit, vnde tibi SORITÆ APHORISTICI conatus innotesceret. In quâ, si me voti compotem factum sensero, erit quod gaudeam, quoque tantò citiùs exercitationes ipsas à me habeas, allaborem. Sin minus: cogitare debebis; Inuentori conniuendum aliquid. Nihil enim est vnquam dictum, scriptúmve, quod non multis ex partibus iure reprehendi queat, neque de vllo vllus hominum id vsurpare vnquam potest: BENE OMNIA FECIT. Vale.



ISAGOGES IN SORITEN APHORISTICVM, *Seu*, Encyclopædiæ Methodum.

CAPVT I.

De Imperfectione scientiarum & in sciendo moderatione.

FInitum est, quidquid mutabile est. Nec perfectus est qui discit: nec qui docet mortalis. Vix scimus, pleráque opinamur. Ita intellectus noster, qualis nunc est, ignis fatuus est. Verum quærimus: Verisimile inuenimus. Renouamus antiquata: nostri nosmet pœnitet. Quid aliud dicam de meis Exercitationibus? Castigamus damnamus, repugnamus, recudimus, insultamus etiam &, quasi de re benè gestâ, gloriolam venamur. Mirum, ni rideat, qui in altis habitat, qui disceptationes sapientum nouit esse vanas ac futiles. Immortales nimirum mortalitatis principi de escâ illâ apodicticâ habendæ fuerant gratiæ. Cui inuido sibimet priùs consulere satius fuerat homicidæ, quàm creaturam longè preciosissimam, adeò contumeliosè despici, fastidiri, eludi & blasphemiæ principiis imbui Paulò, E I gratiâ, vegetiores à CHRISTO nato compertæ disciplinæ iudicatum vanitatis & inertiæ ducem demonstrant, & Sanctum eò nos ducere Spiritum ostendunt, vbi sunt reconditi omnes thesauri sapientiæ, qui est arbor Vitæ fructuosissima, viua Patris æterni Veritas, & ad recuperandam DEI imaginem Methodus vnica. Quod si, quidquid in vtraque Sophiâ cernimus, per ænigma cernimus: certè quod in potentiâ est adeò propinquâ, existere aliquando necesse est. Finem verò noscendi in hâc vitâ minimè gentium reperiri quotidiana monstrat imperfectio. Superest itaque alia, quæ cum præsenti nihil commune habet; nec intelligi potest nisi dono hyperphysico. Philosophia profectò & reliqua doctrinarum genera, speculum quoddam arboris notitiæ non nisi mũdis munda sunt, atque ob id ipsum I EO similes magis credẽdo in ipsum & diligẽdo proximum esse possumus, quàm sciendo. Scientiam enim & subtilitates profitenti, etiam futilitates excidunt. Ideóque nemo (inquit Apostolus) glorietur in hominibus. Adeò vanitatem, vt aquam, imbibibit mortalis: & rationes sapientum infatuat Deus: & ardua olim visa risus sunt posteritatis. Quanta igitur insania, iurare in verba Magistri! Sapientiæ porrò pars maxima est moderari sibimet, & quædã æquo animo nescire velle. Scientissimus quippe creaturarum serpens ille antiquus, non propterea sapientissimus fuit, tantò minùs omniscio æqualis. Eam ergo vanitatis arborẽ ad proximi ædificationem excultam, in verbo suo sanctificat pater Domini nostri IESV CHRISTI. Cæterùm potior fit arbor vitæ, quàm mortis. Illius enim, quia præstantior fructus, non nominatim vescendus præcipiebatur; sicut huius, quia damnosissimus, expresso nomine prohibebatur. Præstantiæ stultus admirator magis: damni magis auersator sapiens. Sapientia illa partis Æterni non tam sciolos poscit, quàm obsequiosos desiderat. Omni scientia enim creaturæ mendacissima est & πολυπραγμοσύνη nefanda, quæ stultitiam peperit, quæ scientiam deniq; perdidit. Quæ cùm ineuitabilia sint, mauult benignissimus pater etiamnũ nos contentos esse cãcellis scientiæ, quàm euagando longiùs immodicâ sciendi prurire malaciâ.

CAPVT II.

De Censoribus alieni laboris importunis.

DIscamus porrò, absque conuitiis & exprobrationibus, quę Virum Sapientem, eúmque Christianum parum decent, mutuâ, vt rectissimè inquit Scaliger, charitate. Quid enim habes, quod non acceperis? Quid gloriaris ergo? Ecquid verò murmuras, sciole, & ambitionem tuam detegit imprudens, si non omnia ad saliuam tuam dicta sunt? Diuersos diuersa iuuãt, trahit sua quémque voluptas. Plantemus & rigemus: perficiet & incrementum dabit, qui, quod habere putamus nos, dedit. Nunquid enim abbreuiata est manus illius, qui nunquã discit Omniscius, quem timere etiam Philosophiæ est principium? An verò talentum diuinâ liberalitate concreditũ defodisse cõsultius est? Verum: siquidem cum ignauo illo tenebras æternas adire præstat, quàm superciliosa quædam fúsque déque ferre iudicia. Enim verò reticere nequeo. Multis modis iniurij sunt in proximum, qui de ædificatione proximi parum, de gloriâ sæculi huius, plus quàm oportebat solliciti, non deterrere scribentes modò non erubescunt, sed in eo dum alter alterum suggillat, & errata Philosophica lapsúsque exprobrat (ipsemet suis conniuens & cæcutiens, nec manticæ, quod in tergo est: videns) laudem, nescio quam, inde captare conantur. In Domino tales scientiâ inflatos gloriari non est verisimile, qui de proximi sui festucis gloriantes persuadent sibi, se non homines esse, & pro nihilo habent reliquos. Si enim homines se arbitrarentur: aberrare, labi, decipi se quóque agnoscerent, secúmque habitarent; nec humani à se quidquam alienum putarent. Quos qui Spiritus regat tumidos, luce meridianâ clarius est. Mihil mirum, si verbi diuini hostes charitatis nobis toties frigus exprobrant. Facessant isti oretenus Christiani, & in proximo DEVM amare sciant. Quòd si illos hoc parum mouet, nos ne moueat proximo inseruiendi cupidos. Quærant illi suam gloriam: nos ædificationem spectemus. Obganniant & molesti sint satis: negligamus eos, nec quibus proteruis par pari referamus, vnius æstimemus assis. Mordeant: rationem morsuum suorum reddituri olim sunt iudici de omni ocioso verbo, inanissimæ gloriæ cupidissimi. Atqui

Exercere licet, licuit, sempérque licebit.
Nec labor in Domino factus inanis erit.

CAPVT III.

De Modo exercendi Soriten Aphoristicum.

HIs præmunitus, Talentum mihi concreditum expromere, & in lumen proferre licitum cogito: Pædagogiam, inquam, artium liberalium ad Soritæ Aphoristici leges conformatam. Quam instituendi rationem, antequam in lucem edam,

deris insertas) breuissima esto diatyposis, cuius systemati ne quid de tædio superesset querimoniæ, præmissa sunt linguâ maternâ conscripta rudimenta, sese & Grammaticam illam volenti nolenti insinuantia : videlicet

De Calligraphiâ.
Tabulæ Syllabopœiæ.
Arithmopraxia.
Dictionariolum
- Substantiuorum.
- Adiectiuorum cum numeralibus & pronominibus.
- Verborum
  - Personalium.
  - Impersonalium.
- Aduerbiorum.
- Coniunctionum.
- Præpositionum.
- Interiectionum.

Paradigmata
- Declinationum.
- Coniugationum nouo planè & facilimo modo, cum temporum peculiari formatione, & examine interpretandorum.
- Motionum.
- Comparationum.

Quæstiones Metaphrasticæ vernaculâ, instar Catecheseos propositæ.

Exemplum
- Exponendi Latinum textum, cum recitatione generum anomalôn addito genitiuo singulari.
- Vertendi Germanicum, cum recitatione præteritorum & supinorum anomalôn.
- Isodynamiæ &
- Paraphraseos linguæ Germanicæ.

Exercitatio difficilioris Syntaxeos.
Concinnior Latinæ in vernaculam translatio.
Exercitium centonum in prosâ.
Imitationis exercitatio.
Syllogismi structura ex reg. Grammatica.
Dispositio partium Epistolæ Germanica.
Partium concionis, rudis resolutio.

CAPUT IX.

De Dialecticæ Systemate.

VEnio ad Dialecticam, quæ partim est *Organica* partim *Metaphysica*. Organica *inuenit* & *disponit*: Inuentio *quærit* & *respondet*. Quæstio alia est *Erotematica* de inuentionum locis, alia *Problematica* de Propositione. Loci inuentionis sunt hi:

Notatio.
Coniugata.
A'Specie ad Genus.
A'Genere ad speciem
Vbi de quinque — Prædicamentis
- Essentiæ.
- Quantitatis.
- Qualitatis.
- Constitutionis.
- Termini.

Post prædicamentis siue transcendentibus.

A' parte ad totum.
A' toto ad partem.
Ab adiuncto ad subiectum.
A' subiecto ad adiunctum.
Ab effecto ad causam.
A' causâ ad effectum.
A' cognatis.
A' pugnantibus.
A' personâ ad essentiam.
Ab essentiâ ad personam.
A' personâ ad naturam.
A' naturâ ad personam.
Ab essentiâ ad naturam.
A' naturâ ad essentiam.
A' personâ ad personam.
A' terrestri ad cœleste.
A cœlesti ad terrestre.

Attributa propotionis Catholica triasunt: *Definitio, Demonstratio, Distributio*. Fallaciæ siue Propositiones fallaces sunt tres. *Petitio principij, Fallacia compositionis & diuisionis*. Propositio porrò alia est *Materialis*, alia *formalis*. Illa *concessa* & *concedenda*, Philosophica videlicet, medica iuridica, theologica: hæc *categorica*, & *exegetica* ad quam *Amplificatio* refertur. Inde enim, quam fœdè hactenus Logica & Grammatica (sub Rhetoricæ titulo) discerpta sint, quamque in accuratâ declamandi Methodo ne quidquam elaboratum sit, vtut laboriosiss. ille Keckerman. permultum in hoc desudârit, & palmam omnibus præripuerit, perspici poterit. Hypotheticâ porrò proportio noëtica est alia, alia dianoëtica: *Enthymema* videl. & *Syllogismus* è geminâ præmissâ, vnicâ apodosi : quem propterea è propositionum collegio hactenus exulasse mirari subit. Enthymema porrò est *Ætiologia* & *consectarij deductio*, cuius species est etiam *disiunctiua* propositio (Ecquæ enim disiunctiua non sit hypothetica?) & *ab æquipolentibus* argumentatio, nimirum:

A' contrario sensu.
Subcontrarietas, cuius pars est subalternatio.
Modalis propositio.
Conuersio
- Simplex.
- Per accidens.
- Per contrapositionum.
- Aphoristica. Vbi de ponte Aphoristico.

Syllogismus (ad quem *Dilemma* pertinet, cuius paralogistic species est *ignoratio Elenchi*) est figuræ primæ & reductæ. Modi reducendi sunt 4.

Barbara, Celarent, Darij, sunt, Ferio, primæ:
Ces.a.re. Cam.es.tres, Fes.ti.no, Ba.roc.o, secundæ:
Tertia, quæ sequitur, sed habet, Da.rap.ti, Fe.lap.ton,
Dis.am.is, & Da.tis.i. Boc.ar.do, Fe,ris.on. Habetur
Quarta etiam: Baralapt, Catener, Dipanique Frisesmo,
Transposita primæ, maiore, minore, figuræ.


Ad BAR. BA. RA pertinet *Sorites*. Ad Expositorium, *inductio*. Atque hæc est Inuentio. Dispositio est *pædagogia & Tractatio*. Pædagogia est *Systematica & Examinans*. Systema Vniuersale est ὁριστικὸν, ἀποδεικτικὸν, διαιρετικόν. Ἀποδεικτικὸν est Synthethicum & Analyticum. Particulare habet hasce partes, videlicet:

Definitionis positionem.
Allegationis adductionem.
Consectarij eductionem.
Coniugati mentionem.
Vniuoci adiectionem.
Deriuationis propositionem.
Regulæ traditionem.
Exempli appositionem.
Tabulæ methodicæ subiectionem.
Notæ, hoc est, præcogniti vel appendiculæ aspersionem.

Examen porrò est inquisitio & disputatio. Tractationum exempla sunt:

Chriæ tractatio.
Parabola.
Poëma.
Oratio, cuius partes.
- Digressio
  - Exordiens.
  - Narrans.
  - Locum communem tractans.
- Status tractatio
  - Didactica.
  - Historica.
  - Iudicialis.
  - Deliberatiua.
- Peroratio.

Metaphysices porrò partes sunt duæ : *Synthesis* (in *Recensione* generum, & *Transcensione* differentiarum) & *Analysis*. *Genera* ex hâc tabellâ patent.



Transcendentia verò sunt: Causa, Effectus, Subiectum, Adiunctum, Dissentaneum, vt hæc Synopsis monstrat.

- ALTERVM est
  - Consentaneum
    - Actuale
      - Causa
        - Αἴτιον
          - Finalis.
          - Efficiens
            - Totalis.
            - Partialis
              - Autor
                - Ordinarius.
                - Extraordinarius.
              - Ministrans.
        - Συναίτιον
          - Materialis
            - Προηγουμένη.
            - Συνεκτικὴ, qualis est Pars.
          - Formalis.
      - Effectus
        - Ἔργον.
        - Ποίημα.
    - Potentiale
      - Subiectum
        - Habens
          - Possidens
            - Anima.
            - Corpus.
            - Persona.
          - Terminans, local...
        - Obiectum, vbi de Re
          - Vnâ.
          - Verâ.
          - Bonâ.
      - Adiunctum
        - Adhærens.
        - Occupatum
          - Causa sine quâ non.
          - Signum.
  - Dissentaneum
    - Contrarium
      - Definitum
        - Aduersum
          - Affirmatum.
          - Negatum.
        - Relatè oppositum
          - Solum.
          - Socium
            - Simul
              - Extremum.
              - Subalternum.
            - Seorsim
              - Antecedens.
              - Sequens.
      - Indefinitum.
    - Comparatum.
      - Idem.
      - Aliud
        - Existentiæ
          - Per se.
          - Per accidens.
        - Modi
          - Simile, vbi de Genere.
          - Dissimile.
            - Dispar
              - Maius.
              - Minus.
            - Disparatum
              - Finitum
                - Præsens
                  - Ens.
                  - Fiens.
                  - Factum
                    - Manifestum.
                    - Occultum.
                - Absens
                  - Præteritum.
                  - Futurum.
              - Infinitum.

ANALYSIS est vnicæ propositionis (per *categorias*, Sotitica; & *transcendentia:*) & integri textus (*partiendo, tabulamque formando, exegesin ostendendo, theses educendo, deque iis disputando, paraphrasi denique textum ampliando, vel eundem imitando*) facta.

CAPVT X.

De Hyperphysicâ seu Christianismo.

SEquuntur Reales Doctrinæ, ex quibus primò se offert *Hyperphysica seu Christianismus* (vulgò æquiuocè *SS. Theologia* dicta) cuius acroasi (vt in Grammaticis nostris) Erotemata Germanicâ linguâ præmissa sunt; non quòd nouitatis autor esse velim: sed vt meam penitiùs, & perspicuè Lutheranæ nostræ per omnia congruam declarem sententiam; à quâ nec latum vnguem discessero; atque ita etiam hâc in parte, meæ, fidei confessionem synceram ἄνευ δόλου omnibus manifestam faciam. Partes autem illius sunt: Θεοφιλία & φιλανθρωπία. Illa in *contritione* & *Fide* amorem DEI testificans: hæc in *virtutibus secundæ tabulæ* amorem proximi demonstrans. Cæterùm quid in iis contrà *Amphibios* modernos conatus sim, malo ex ipso aliquando id cognosci Systemate.

CAPVT XI.

De Politica Methodo.

POliticæ partes sunt: *Ethica & Dicæologia*. Ethica, in *Disciplinâ, Institutione & Conuersatione* consumitur. Disciplinæ partes sunt: *Affectuum temperatio, & cogitationum* (in simplicium apprehensione, inque discretione) *suscitatio*. Institutio est *artis & habitus animi*, tam notitiæ, per notiones & propositiones opinabiles certásve, (vbi, de *notitiâ principiorum*, noua) quàm voluntatis, in prudentiâ, iustitiâ, fortitudine, temperantiâ; vt subiecta tabella monstrat.



Dicæologia,

edam, quid sibi velit & quomodo fieri oporteat, paucis hâc Isagoge monebo, eâque finitâ, ipsas, Deo volente, exercitationes, Momo supercilioso comedendas & ridendas propinabo. Qui citò, qui fundamentaliter, qui perspicuè docere & discere quid volet, posse autem omnes desiderant, ille paulatim definire discat, seu, quod idem est, Metaphysicam exerceat, & de reliquâ quacunque etiam ne moueatur Methodo. Ita hanc Soritæ methodum, etiam recentis aliis, exercere licet: tantumque abest, vt ea quidquam mutet in aliis, vt eas etiam perficiat. Ad rimandum porrò & cognoscendum quippiam penitiùs, mihi commentarius ex antecedente definitione consequentem, ex consequente aliam antecedentem monstrans, vnde Soritæ enascantur aphoristici seu definitiui, metaphysici & ἀνάστροφοι, è puris, videlicet, Syllogismis infinitis compositi vnica est illa discendi docendíque Methodus. Ita enim quidditates quidditatibus, dum nulla amplius reliqua sit, vrgendo, & ad prima definiti incunabula & κεφάλαια ascenditur: veritas acu attingitur: falsitas & contrarij definitio vltrò deprehenditur & manifesta est: consectaria patent: amplificationum seges efflorescit: regularum luxuries euitatur: memoria intellectui, praxis theoriæ, theoria praxi combinatur: examinandi, plura inueniendi, addiscendi, edocendi, definiendi & distinguendi datur facultas: singulæ ponderantur dictiones: nec vllibi, quantum fieri potest, non definita (quod ego vel maximè ad perspicuitatem & discendi facultatem necessarium deprehendi) aut ignota, proponitur: proinde nec temerè non definita substituitur: petitióque principij & ταυτολογία commodissimè euitatur: Scripta veterum in precio habentur: authorumque mens exploratur: discordandi ansa præripitur: iudicium acuitur: messis studiorum vberrima, lætissima, scitissima in omni doctrinarum genere magis magísque acquiritur. Denique nihil tam magnificè de tali commentandi genere dici potest: virtus quin eius exsuperet. Ausim deierare, nullam in hunc diem haberi veram definitionem, præter duas illas vulgatas: Homo est animal rationale & Flamma est fumus accensus. Quòd si id vbique à me præstitum non fuisse, non diffiteor: ab aliis tamen, quàm facilimè, quodcunque deest, saluâ Methodi incolumitate, suppleri posse nemo, vbi viderit, ierit inficias. Quamprimum enim, (vt ob oculos ponam hanc non tam systematicè, eam enim abundè proponent & satis perspicuè nostra Dialectica, quàm obiter examinandi Mathematicam, verè dico, Methodum) verbi gratiâ definiero, *Formam actum finitum*: statim, nec immerito, quæsieris, quid *Actum* vocem, quidque *Finitum*. Vbi *Actum essentiam perfectam*; *Finitum aliquid sub extremo* dixero: porro fortassis inquires, quid *Essentia* sit, quidque *Perfectum*, imò etiam quid *Aliquid*, quid *Extremum*, interea hunc Soriten formans:

Si forma est actus finitus:
& actus est essentia perfecta:
Forma igitur est essentia perfecta finita.

Explicato genere proximo, licet, si velis, & si opus esse animaduerteris, remotioris quoque explicare genus, videlicet *Essentiæ* & *Perfecti*, & ex horum definitionibus *Formæ* datam definitionem explicare. Si, verbi gratia, Essentia est aliquid per semetipsum: concludes, *Formam* esse aliquid per semetipsum perfectum finitum. Vnde talis fiet Sorites:

Si forma est actus finitus:
Et Actus est essentia perfecta:
Essentia aliquid per semetipsum:
Forma igitur est aliquid per semetipsum perfectū finitum.

Et, si perfectum est, totum, cui nihil deest: concludas licet; Formam esse aliquid, per semetipsum, totum, cui nihil deest finitum: siue formam esse essentiam totam cui nihil deest finitam, hoc modo:

Si forma est actus finitus:
Et actus est essentia perfecta:
Perfectum est totum cui nihil deest:

Igitur forma est essentia tota, cui nihil deest, finita, & per consequens forma est aliquid per semetipsum totum, cui nihil deest, finitum. Deinde & differentiam poteris hoc modo explicare specificam, eademque viâ, si ita fieri oportet, differentias subalternas, atque ita porrò, quantum expedit. Si ergo *Finitum est aliquid sub extremo*: Forma est actus sub extremo: siue (è definitione actus) est essentia perfecta sub extremo, hoc est, (ex Essentiæ & perfecti, Extremi, si ita voles, vnitis finitionibus (est aliquid per semetipsum totum, cui nihil deest, sub eo, *extra quod nihil est*. Quæ quatuor vltimæ voculæ sunt *Extremi* definitio. Sic definitio explicata obiter inculcanda, &, vt ita dicam, Peripatetica, contractæ, ordine dispositæ & Rameæ, Systematicæque definitionis est commentarius. Nec enim ταυτόλογα ista ascribenda præceptis systematis, sed obiter inculcanda sunt, id quod & suprà monui. Nec vel paululum in his exercitato tam apertos, tamque prolixos Soritas formare opus est, quin vltrò (quod vel in pueris obseruare me memini) & sponte suâ sese prodant satis & manifestent consectaria. Neque meas definitiones commendo: sed definiendi rationem Soriticam. MEMORIÆ inseruit contracta definitio: INTELLECTVI explicata. Illius finis ORDO ET DISPOSITIO: huius VERITAS & CERTITVDO: Illa docenti aptior, hæc discenti: Illa thesaurus est absconditus, hæc monstratus: Illa denique *ingenij* opus, hæc *iudicij*: Illa fit per *ætiologias*, hæc per *consectaria*, in quibus puerum exerceri satius est, quàm ætiologicam naturam efficere, vt scitè Melanthon dicere solitus est. Mirum quàm discenti prosint talia, quæ nonnullâ mihi constant experientiâ. Puer tenens definitionem *participij*, esse *verbale adiectiuum significans tempus*, interrogatus quid sit *verbale*, quid *adiectiuum*, quid *tempus* concluserit facilè participium esse *deriuatiuum ex verbo appellatiuum* (nomen igitur intelligit esse) *Masculini, Fœminini & Neutri simul capax* (quæ septem voculæ *adiectiuum* finiunt) *significans finem personæ, præsentis, præteriti futuri notam* (quibus septem vltimis innuitur *tempus* Grammaticum) Quale igitur dicam adiectiuum? & cuius generis? & quot terminationum? à quo verbo? cuius temporis? casus? declinationis? Ita cùm *discontinuationem* morbidam, morbum continuationis didici, & *abscessum* redundantiam purulentam, tantò breuior & expeditior potest tradi *Vlceris* definitio; *Discontinuatio ab abscessu* Ita, vt nihil opus sit dicere vlcus esse *morbum læsæ continuationis ab abscessu*. Ad euitandam videlicet prolixitatem verbosam, expeditissimum est definitis & notis definitionis vocabulis principale definire definitum, id quod occasionem præbuit inueniendi Metaphysicam. Impedita aliâs & obscura futura definitio, nisi quid illa ipsa, per quæ definio, nouero, significet Quàm enim prolixus, si *epuloticum* dixero: *destinatum ad rursum stigma à coalitu membranæ discontinuatæ, superstes, inducens*. Nonne si *remedium cicatricem inducēs* dixero, multò ero breuissimus. Et tamen illa ipsa definitio prolixioris illius est inuentum. Idem in Iuridicis & Theologicis monstrare poterunt exercitationes aliquando editæ. Hic igitur est modus etiam in praxi, inque vitâ communi, exercendi Soriten Aphoristicum.

CAPVT IV.

An Sorites Aphoristicus sit transitus de genere in genus & quomodo per posteriora quoque, declaranda explicari oporteat priora.

DVo mihi obiicies, sat scio: Absurditatem & obscuritatem. *Absurditatem* dices, Lullianismum & μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος. Et certè transit de genere in genus Sorites Aphoristicus. De proximiori videl. in remotius, de remotiori in proximius Quid enim Soritæ profitentur aliud? Nonne de genere in genus ascendunt & descendunt? Non autem de opposito in oppositum transiliunt. Quòd si hanc argumentandi formam reiicis propterea: BARBARA reiiciendum erit itidem Syllogisticum, cuius tamen multiplicatio continua est Sorites. Vitiosi igitur Syllogismi infiniti, quorum continuata catena est Sorites Aphoristicus. Nimirum & propositiones reciprocæ tollendæ erunt hoc modo. Et regressus ille adeò decantatus vitiosus erit. Et denique ex vallêsi (vtar enim exemplo populari, vti popularem hanc Methodū quiuis ex populo exinde percipiat) quatuor didrachmos, ex didrachmo drachmam geminam, ex drachmâ cruciatos nouem, ex cruciato duplum assarium; & vice versâ ex duplo assario cruciatum, è nouem cruciatis drachmam, ex drachmâ geminâ didrachmum, ex quatuor didrachmis Vncialem seu vallensem colligere erit prohibitum. Verte omnes tete in facies, Mome: naturam rerum nunquam euertes. *De obscuritate* frustrà quereris, quòd posterioribus declarata non præmissa sint obscurioribus, cùm notius ideóque & prius oporteat esse declarans declarando. De explicatione obiter accedente verum quidem, quæ tamen ipsa nunquam adeò accurata esse potest, quin δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι sint, & crebra præceptorum ruminatio plus illustret, diesque diem erudiat, atque aliquid apportet noui, aliquid moneat, vt illa quæ te scire credas, ne scias, & quæ tibi putâris prima, in experiendo repudies: De systemate nullatenus, vt sequenti capite manifestum fiet, nisi genus definitionis definito suo semper præposueris, quod tamen fieri non posse, vel summi generis definitio demonstrat.

CAPVT V.

De Disponendi curiosiori studio, déque διχοτομιῶν verarum penuriâ.

IN dispositione ergo systematicâ, Rameas velle & perpetuas & constantes, nescio cuius homogeneiæ & methodi leges præscribere, quantum ego quidem vidi hactenus, labor est inanis, &, penè dixerim, ridiculus, dum superstitiosiùs obseruando homogenea quamplurima etiam necessaria præterire, aut legem illam καθ' αὐτὸ volentes nolentes violare coacti sunt. Certè appendices & digressiones quasdam alicubi ferant disciplinæ oportet: neque hâc in parte doctrinæ prorsus absolutæ fieri possunt. Assidua præceptorum inculcatio, frequens eorundem repetitio, crebra exercitatio, explicatissima, maximéque perspicua est systematis dispositio. Ergo, dicant quid-

quid velint, nunquam, ne quidem illi, qui vnico addicti sunt Aristoteli: rem eò deducent, vt definitam & vnicam methodi formam (ne meam quidem) scholis obtrudant, reliquas eliminent, aliter (nisi faciliùs, breuiorique temporis spatio, quam hactenus fuit creditum) disci, docerique posse negent; quando quidem nec vnanimis Religio, inter Christianos præsertim, esse possit. Proinde dispositionem cuiuis liberam (perinde vt religionem) relinquendam censeo: eaque in re (in dispositione, inquam) ad diuersa spectare ingenia non parum referre arbitror. Vt autem Blasphemia Religionis veræ nomen non meretur: ita nec omnimoda ordinis dissolutio dispositio dici potest. Illa porrò fragmenta & in binarium perpetua segmenta, præsertim continuata, tantum abest, vt memoriam adiuuent, vt etiam mirè rem planam per se & perspicuam (expertus dico) intricent & obscurent: dum, quod vnico genere mens contemplari poterat facilimè, multiplici generum & recordandi & ratiocinandi labore defatigetur, & quid dictum sit, nesciat, etiamsi transitionibus repetas: quæ transitiones, si verè æstimare volueris, obiter potius (perinde vt de Sorite meo dixi Aphoristico) & oretenus inculcandæ erant, quàm Systemati inferciendæ ascriptæ; nisi ταυτολογίαν committas, liberalem admodum. Quales porrò diuisiunculæ illæ è contradicentibus, frequentiores præsertim? Quales autem dichotomiæ è non contrariis? Distinctiones sunt, non germanæ diuisiones. In quos eadem porrò διχοτομία Protheos & Vertumnos conuerti opsit, ostendunt libelli, qui delectantur talibus. Nihil ergo constantiæ hîc, nec, cùm nihil cogat, cur ornamenta, vt aiunt, isthæc Methodi studiosius consecter quidquam causæ reperio. Quot capita aiebat ille veriùs, tot sententiæ. Quare & suus cuique mos in diuidendo & disponendo esto: atque vbi diuisio Catholica esse nequit: satius est præmisso titulo definiti definire (vt ostendet Logica pædagogia) quàm distrahere ingenia, & ad tabulaturam, vt ita dicam, superstitiosè omnia reuocare, nihilque aliud discentem, quàm in duo contabulatas diuisiones meditari.

Caput VI.

De Kechermaniano Systemate.

Vtinam verò, ô vtinam summus Ille, &, vt audentissimus, ita felicissimus Aristotelico Rameorum Aristarchus B. Keckermannus in viuis esset adhuc. Præclarè is cœptam Encyclopædiam certè longè reliquisset vberrimam, locupletissimam & amplissimam: id quod passim in suo systemate innuit, neque aliis eâ in parte laborandum fuisset præterea. O stupendæ assiduitatis, indefessique laboris Virum! O acumen ingenij singularis! iudicij rari! doctrinæ vndiquaque exquisitissimæ & selectissimæ! O optimè de studiis, deque literariis omnibus promeritum Autorem! Huius Avsa, Virilia certè & Heroica fuerunt. Hic, quod præstantiss. illi Ramo ne quidem in mentem venit, vidit: quod in Aristotele delituit, patefecit: quod Methodo vtriusque defuit, suppleuit; & vt verè dicam,

Avsvs hic est, cum successu, Vir, primus ΑΡΙΣΤΟΝ ἄνδρα, cum Ramo conciliare suo.

Quanquam verò demonstrationes magis edidisse, quàm definitiones visus est; nihilominus eius operâ meum opus non parum adiutum esse fateor, non quòd transcripserim inde pleraque (quàm multa enim desiderentur adhuc in illius opere, ad Encyclopædicæ Methodi absolutionem, vel ipsius fatentur promissa: ne quid dicam, de definitionum, quales vnicè desiderani hactenus, in quibus plus situm, penuriâ) sed quod ad plurima Vir acutus accuratiùs meditanda, sua verò penitiùs exploranda, ansam præbuerit. Quòd si non rarò ab eiusdem mente planè dissentio, vtique & mihi in re literariâ, æquè atque illi diuersum sentire quidni sit licitum?

Caput VII.

De Quatuor legibus docendi.

Sed redeamus ad Soriten nostrum aphoristicum. Hic enim est monstrum illud Veromanduo ἀδιώρατον: hic philosophandi circinus desideratissimus: hic annulus ille & catena armillaque aurea: hæc Methodus illa, cuius omnia ex vno, omnia ad vnum. Neque verò augustas illas leges Sorites proscribit Aphoristicus. Quæ enim leges! Quales! Quantæ! Veritatis, veras & vsitatas voces τεχνικάς retinens; nouas, insolentes, inauditas, tanquam scopulum deuitans: Ivstitiæ, omnia ad sua genera & categorias reuocans: Sapientiæ, æquiuoca distinguens; synonyma colligens; & ad Catholica, quantum fieri potest, ac prima principia ascendens; inprimisque Catholicam definitionem, commonstrans: (nec enim tantum propositionem per se, sed & inter se Catholicas, quæ systema pariunt Catholicum, volo:) Ordinis Natvralis, ab imperfectis imperfectiusque notis ad perfectiora perfectiusque nota (contrà quam sentit eximius ille Keckermannus) viam sibi sternens. Ita vsus docuit pater, mater peperit δύναμις. Quare nisi Sisyphi esse velimus, semper emendantes, manum de tabula nunquam tollentes, Catholicas definitiones, demonstrationes & distributiones solas esse necesse est. Reliqua artis præcepta, Regulas & Appendices etiam non Catholicas, nihilominus addi & addisci oportere cretum est. Hæc porrò Sphæra Aphoristica est ille nunquam satis laudatus à φυσικωτάτοις ad εἰδικώτατα per ὑπάλληλα συνθετικὸ, & vice versâ ab εἰδικωτάτοις per ὑπάλληλα ad φυσικώτατα reciprocus & ἀναλυτικὸ regressus, cuius adminiculo, post Devm, vnico puer etiam obesioris intellectus intra breuissimum temporis cursum, Grammaticam & Dialecticam (siquidem Grammaticalia potissimùm, subinde ruminando eadem, exercitationem requirunt) facilimè absoluat: & satis superque versatus in iis, omnium facultatum initia, terminos, regulasq; suo Marte, percurrat: & vsum aliqualem, non contemnendum, percipiat, (quæ omnia intra septennium etiam fieri possunt) tandemque vnicæ sese mancipet, cui totum suæ vitæ tempus destinet. Hæc est illa ἀνάλυσις, quâ saturatur animus: in quâ conquiescit: quæ scientiam parit: cuius ductu in veritatis promouemur penetralia: vt magnus ille Iulius Scaliger hanc erudiendi rationem innuere visus est, ex. 51. Hoc Soritæ studium adolescentiam extimulat: senectutem oblectat: iuventam ornat: inscitiæ rubigine animum exuit: demulcet solitudinem: non impedit conuersationem: disseritnobiscum: recreat: exhilarat.

Caput VIII.

Grammatices adumbratio.


Svperest vt artium & futuri operis rudem aliquam & vmbratilem dispositionem, quantâ poterit fieri breuitate, ὡς ἐν τύπῳ, ob oculos ponam. Plenior enim & accuratior earum tractatio ex vniuscuiusuis systemate peculiari expectanda in aliud differtur tempus. Possunt autem ἐγκυκλοπαιδείας partes commodiss. fieri quinque: *Grammatica, Dialectica Hyperphysica, Politica, Physica.* Primæ nimirum duæ instrumentales, reliquæ realissimæ sunt. Grammaticæ partes sunt: *Metaphrastica & Emphatica.* Illa de *congruentiâ* hæc de *delectu* dictionis (tanquam obiecti Grammatici) agit. Partes Metaphrasticæ quatuor, Orthographia (in scribendo & legendo) Prosodia (in Accentu, Quantitate syllabarum & Musicâ) Etymologia (in interpretatione) Syntaxis (in conuenientiâ & rectione) occupatæ sunt. *Musicam* enim cum prosodia ita arctè cōnexam esse manifestum est illi, qui aliquod in omni sermone canticum ab Oratoriâ (Oratoria autem & Rhetorica quâ ratione à Grammaticâ verè seiungatur?) requiri & in Hebraicorum Grammaticis Musicos accentus, suauiori pronunciationi inseruientes, doceri, & poëticam, quæ & ipsa maximâ ex parte reliqua enim de phrasibus poëticis ad Emphaticam spectant: Allegoriæ verò, poëtis peculiares, diuersam à Philologiâ vel Philosophiâ reliquâ artem propriè non constituunt) Prosodiæ portio est, Musicam olim dictam, & denique omnibus numeris absolutum concentum vocalem & eruditum certè Prosodicum fieri oportere (alioqui ἄμουσον futurum) intelligit. Neque tamen canendi propterea artem nego. Est enim Ars illa (hoc est, habitus corporis, linguæ inprimis) non autem hæc doctrina peculiaris, à prosodicis minimè propterea, nisi emendicata inde, seiungenda. Nec enim syllabas spectat primò Prosodia, sed vocis ad syllabam congruentiam & formationem. Nec obstat, quòd etiam citra pronuntiationem videatur esse Musica, vel citrà Musicam & concentum pronuntiatio. Differentia enim secundùm maius & minus, non faciunt nouam speciem. Postremò & ipsa quondam Antiquitas idem docuit, id quod ex vnico Gellii l. 16. c. 18. manifestum est, ne quid addam, quanto discentium incommodo affectuosa pronunciandi ratio vel negligatur, vel longo Grammaticæ interuallo pòst tradatur præposterè. Sed satis superq; hoc eminet ipsum systema Grammatices. In Etymologiâ, octaua pars Grammatices est *Expletiua Conuenientia* deinde præcipua & primaria Syntaxeos pars non tantùm (de quo neminem hactenus sollicitum fuisse demiror) regularum suarum, appendicularumque nexu apodictica est facta: verùm etiam vsum, in expositione vernaculi idiomatis, ac in peregrinum trāslatione minime negocio assequendum euidenter commonstrat. In quib. profectò totius ferè cōstructionis cardo vertitur. Emphaticæ porrò partes duæ sunt: *Isodynamia & Genus dicendi.* Quarum illa cùm in *figuris sententiæ* per Synonymiam. (quò pertinent *Catachresis & Tropi*) Phrases (*Paraphrasin* scil. in *definitionem nominis*, in *sermonis puritate*, & *Enallagen* (&c.) rum in *Parathrasi* tota est: hoc in *Euphoniâ* tam *ligatæ* quàm *prosæ*) & *Cacophoniâ* ostendendâ occupatum, cum reliquis, de *Anomaliâ* scitu necessariis. Atque hæc Grammatices Græcolatinæ (cui nomenclaturas & Phraseologias Germanico-Latinas passim videns

Dicæologia verò, æquitatis studium, est *Mathematica* & *Iuridica*. Mathematica æquitatem admiratur *Geometricè & Arithmeticè*. Illa *Geodetica* est (in Magnitudine) & *optica* in Figuris) occupata, quæ partim est *Architectonica*, partim *catoptrica*, cuius portio est *Cosmographia Astrologica* (repudiatâ Astrophobiâ) & *Geographica*, vbi circulorum cœlestium veritas & Domorum cœli tabula ostenditur. Hæc, *Arithmetica*, inquam, partim est *Theorica*) de *Numeratione*, de *Numero* ipso. *Proportione, Proportionalitate, Pondere*, *Mensurâ* loci & temporis) partim est *Practica*, in *Algorithmo* vulgò dictarum specierum & *Logisticâ*, cum Regulæ trium, V E R I (vbi de *Practicâ Italicâ* & F A L S I) tum *progressionis Arithmeticæ* (vbi de *Chronologiâ*) *Harmonicæ* (vbi de ...) & *Geometricæ*, (vbi de *Algebrâ* & inde resultante tam *Cabalâ*, quàm *Sexagenariâ*) cum appendice *Computi & erectionis Thematis cœlestis*: cui vt exercitio Sexagenariæ permultum tribuo; vt superstitioso augurio, nihil. Atque ita breuiter dispositа esto Mathesis: sequitur altera δικαιολογικὴ pars Iuridica in νομοθεσία, (de ipso iure) ... (de postulatione *possessi* & *obligati*) & δικαστικῇ (de ipso processu forensi) tota. Actionum enim doctrinam seiungere ab his, est citra necessitatem ταυτολογίαν admittere. Possessorum materiæ, etiam vt aliquid iucunditatis haberet, variorum vtensilium & receptaculorum definitiones additæ sunt. Inprimis verò possessum est *res iuris publici* & *peculium* : quod est *dominicum* & *profectitium*. Dominicum est *acceptum* & *vsucaptum*. Acceptum est, *apprehensum* & *accessorium*. Apprehensum est *occupatum* & *traditum*. Profectitium est *consolidatum*, *onerosum* & *gratuitum* : videlicet *donatum*, & *patrimonium*. Donatum est *honorarium, insinuatum, nuptiale, legatum* : Nuptiale est *sine & cum pacto successorio*. Illud *proxenium* (tam *Sponsale*, quam *Sponsalitium*) & *Metaxenium*. Hoc *dotale* & *dotarium*. Patrimonium est *hereditarium* (*testamentum & legitimum*) & *bonum possessum*. Seruiens porrò, quod itidem est peculium, est *pras* (quò & *res vniuersitatis* pertinet (& *prædium*. Illud, *vtendum fruendum* & *vsufruendum* (vbi de *Paraphernalibus* :) hoc *ædes* & *fundus* est. *Obligatum* autem consideratur quo ad *statum personæ* (vbi de variarum personarum differentiis) & *sponsionem*, quæ est *conuentio* satisfactioni, *delictum* pœnæ se obligans. Conuentio est *inita* & *contracta*. Inita est imperfectior: *pollicitatio*, *pactio*, *condictio* Contracta expressa est *traditionis* & *verbalis obligationis*. Illa est *debiti* & *commercium*; hæc *stipulatio & Chirographaria*. Debitum porrò est *vtendum* & *non vtendum*. Illud: *mutuatum*, & *Accommodatum*, cuius species est *Feudatum*. Hoc: *depositum* & *oppositum*, *hypotheca* videlicet & *pignus*. *Commercia* sunt : *Æstimatio*, *Societas*, *Demandatio*. Vt autem Contractus est *tacitus* & *expressus* : ita delictum *obnoxium* & *Sons*. Sontia sunt : *Furta*, *Rapina*, *Maleficia*, *iniuriosè facta*. *Processio* denique est generalior *iuris & iudicij*, primæ, secundæve *instantia*, & specialior *ordinaria* & *summaria vel extraordinaria*.

C A P V T XII.

De Physices constitutione.

PHysicæ partes sunt tres : *Physiologia*, *Pathologia*, *Therapia*. Physiologia, signa mirabilia Creatoris demonstrat, quæ sunt *corpus* & *corporis circumstantia*. Est autem corpus *Æthereum* & *Sublunare*, quod est *Materia* & *Materiatum*. Materia est, *Prima*, cuius indiuiduum est *Elementum* & *secunda*, quæ est *imperfectè* & *perfectè mixta*. *Materiatum* est *Corpus integrum & pars corporis*, videlicet ἄτομος *corporea*, *fragmentum*, *massa*, *excrementum*, *fructus*, *organum*. Atomi porrò sunt: *scintilla*, *halitus*, *gutta granum*. In doctrinâ de organis passim est inserta *Physiognomia*, vnâ cum *Chiromantiâ*. Corporis circumstantiæ sunt : *Continuitas* : *Positus Elementaris in raritate & densitate* : *Affectus corporis*, hoc est, sensile : *Temperies*: *Emanans species*, cùm in apparitione perspicui (clari, obscurivé, vbi de vmbrâ) opaci, vbi de caligine : tum apparentia (vbi etiam de Meteoris & Somniis :) *Libratio, in grauitate & leuitate* : *Motus* : *Generatio*, vbi de generante & genito : *Natura*: *Locus* : & *Tempus*.



In quibus idiopathiis vsum Hermeticorum principiorum, industrij illius & ingeniosissimi Quercerani secutus vestigia, nonnullum commonstrare conatus sum In *Pathologiâ* morbos Hippocrati peculiares perplures addidi, omniúmque morborum species per vulgata eorum genera (additâ tamen *malignitate*) distinxi. Therapiæ partes sunt : *Diæta*, *Pharmacia*, *Chirurgia* : Species, *Empirica*, *Methodica*, *Dogmatica* vbi *Methodus medendi* ab *Arte curatiuâ* (cuius, quod sciam, nemo Neotericorum meminit) discreta est. In Pharmaciâ Medicamentorum tam simplicium, quàm compositorum, tam topicorum, quàm internorum, cuiuscunque etiam morbi exempla aliâ Methodo proponere non consultum duxi, nisi quo ad vires astrictionis, emollitionis, attractionis, &c. considerata. Qui labor, quantopere tyroni profuturus sit, quid commemorare attinet?

C A P V T. XIII.

Conclusio Isagoges.

QVàm breuissimè Artium Systemata, tantisper præteritâ reliquâ diuisionum & distinctionum Syluulâ, hâc Isagoge delineare conatus sum, quantum primum intuenti scire opus esse putaui. Restat vt vt ipsummet cognoscatur volumen Aphoristicum. Interim hæc esto totius Encyclopædiæ, cuius Methodum diuinæ gratiæ largita est benignitas, σκιὰ γραφὴ: quàm si, beneuole Lector, tibi non displicere animaduertero, vt ipso definitionum Somate quamprimum fruaris, idonei præsertim typographi & liberalis alicuius Mœcenatis non destitutus operâ, operam nauabo. Certus sum non reperiri posse nomen aliquod, siue τεχνολογικὸν siue ἄπειρον, etiamsi barbarum, quod vel non definitum sit in Exercitationibus Aphoristicis, vel non facilè ductu earundem definiri possit Itaque definitiones causales & accidentales, quales pleræque sunt Melanthonianæ, quæ demonstrationes sunt, non veræ & essentiales definitiones, vt Substantiæ Accidens, Toti Pars, Fonti Riuulus meritò postponuntur, vt vt Ludou. Viues aliter iudicet. Equidem ἀποδεικτικὴ Methodus est Melanthonis, quam Keckermannus inprimis imitari voluisse visus est: διαιρετικὴ Rami, quam plerique hodiè : ὁριστικὴ hæc, quâ de sermo est: quam tamen non ita nouam velim, vt Rameam negem, aut quòd Ramo nunquam in mentem venerit : sed quòd si diutius illi Herculi viuere contigisset, proculdubio hanc ipsam professus fuisset; id quod ex Geometricis eiusdem satis patet consectariis; quorum etiam propterea Syllogisticam Methodum à reliquâ passim excipit; vt scripta eius legenti manifestum est. Proinde nihil mirum, si viri Eruditi instanter contendunt; ne accelerando editionem, Artium & facultatum nimis facilem, nimisque dilucidam pro tyronibus, pro tyronibus, inquam, theoriam prostituam: ne vilescant denique apud vulgus trita adeò facta omnibus & propalata perspicua Verùm (bonâ eorum dictum veniâ quod sit) nec tam dirum sibi Exercitationes nostræ arrogant; nec mihi eadem cum iis est sententia, vt facilitas ista despectum sui afferat; vt multò magis adhuc hactenus delitescentia, difficultatis formidine, inaccessa & neglecta, docenda quæ restant, quamplurima, Soritæ Aphoristici beneficio, dexteriùs in lucem erui posse, posteritati gratæ minimè ingratum esse debeat. Scopum ergo Exercitationum edendarum spectes velim : & ad Encyclopædiam complendam (qui enim completam vel mihi vel alius sibi quis id arroget?) viam præmonstrasse sufficiat. Scio non pauca fore in iis, quæ ἀκριβέστερα mallem, cum aliis & ego. Quid verbis opus?

Sunt bona, sunt quædam mediocria, sunt mala plura,
Quæ releges. Aliter non fit, Amice, Liber,

vt festiuus ille & lepidus aiebat Epigrammatarius. Sed & illud mecum cogito, vix benè conuenire & in vnâ sede morari τὸ ἀληθὲς καὶ τὸ ἀκριβὲς, & alterutro carendum denique. Neque tam promtum esse adhuc video inuenire, quàm reprehendere: neque tam facile, immota tradere, quàm corrigere. Quæ de medico : & inuentis addere & detrahere, etiam non monitus, cogito. Vsque adeò amabilis est etiam cùm tædio extorta Veritas. Verùm ne immodicâ curâ contabescant: néve ea quæ Domini largita est benignitas, pereant fragmenta, quæ principio pro me, musisque meis scripseram, neque vnquam in iustum volumen, eiusdemque sectiones quinque excreturas speraueram : veniant sanè in lucem postmodò, desiderata tantopere. Earumque datori benignissimo, S O L I sapientissimo, atque omniscio, sit laus & honor in sæcula.

EPILO

EPILOGVS VNIVERSÆ ENCYCLOPÆDIÆ.

Et jam tempus equûm ſpumantia ſoluere colla.

SAtis enim hactenus commentati ſumus, & circulum diſciplinarum, niſi vehementer fallor, ingenti vtique labore, magnis ſudoribus, complere inſtituimus. Cum prouentu ſudatum ſit in hoc ſtadio & palæſtrâ, an inani conatu, nobis diiudicare fas non eſt. Sua cuique placent, ſat ſcio. Deformes liberi parentibus pulchri & venuſti videntur. Næuos non videt amor, quippe luminibus captus. Charitas tamen operit peccata, inquit apoſtolus. Hanc itaque abs te requirimus, & liberè profitemur, nos meliora in medium allaturis lubentes lætos ceſſuros: vtpote qui perſuaſum habemus, illud Celſi excelſum arguere animum: *Leuia ingenia, quia nihil habent, nihil ſibi detrahunt. Magno ingenio, multóque nihilominus habituro, conuenit etiam ſimplex veri erroris confeſſio, præcipuè in eo miniſterio, quod vtilitatis causâ poſteris traditur, ne decipiantur eâdem ratione, quâ quis antè eſt deceptus.* Etiam magni authores quæ dixerunt, non ſunt perfecta (vt author eſt Quintilianus) nam & labuntur aliquando, & oneri cedunt.

Nimirum omnes fallimur, neque eſt quiſquam,
Quem non in aliquâ re videre Suffenum
Poſſis. Suus cuique attributus eſt error.

Tibi ergo „ Lector beneuole ac erudite, cenſuram permittimus: tuo iudicio & candori hæc noſtra ſubmittimus. Quò ſeuerior cenſura, eò gratia amplior. Didici enim illud Solonis quotidiè dicere:

Αἰεὶ γηράσκω πολλὰ διδασκόμενος.

FINIS ENCYCLOPÆDIÆ.

Gratias tibi Domine Ieſu.



INDE



IND. QVARTVS

RERVM ET VERBORVM MEMORABILIVM IN Encyclopædiâ alphabeticus.

Littera t, Tomum, p, tomi paginam assignat.

A

Sed à

Index

B.

mum

C.

Chorda

Index

G

Pacifici

P

Q

in spe

R

S

T

V

F I N I S.



[illegible]
[illegible]
[illegible]

